✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 265.

MARTINI

BONACINÆ

MEDIOLANENSIS

OPERA OMNIA.

OPERA OMNIA

MEDIOLANENSIS

BONAVENTURÆ

MARTINI

MARTINI
BONACINÆ
MEDIOLANENSIS,

S. THEOLOGIÆ, ET I.V.D.

COMITIS PALATINI,

ET VTRIVSQVE

SIGNATVRÆ REFERENDARII APOSTOLICI,

OPERA OMNIA

RECENS IN TRES TOMOS DISTRIBVTA,

Quorum PRIORES DVO nonnullis Tractatibus, quibus in prima Impressione carebant, & innumeris subinde accessionibus, quas adhibitæ notæ consepientes indicant, locupletiores recuduntur, ex accurata per ipsummet Auctorem recognitione.

TERTIVS recentissimè editus, in lucem prodit. Vt nihil vltrà sit, quod ab Auctore ad plenam & vndecumque absolutam Moralis Theologiæ vniuersæ, siue Casuum conscientiæ tractationem expectare Lector debeat.



BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

DVACI,

Sumptibus BALTHASARIS BELLERI, sub CIRCINO AVREO.

ANNO M. DC. XXXII.



OPERA OMNIA

SIGNATVRAE REFERENDARII APOSTOLICI

ET ARCHIEPISCOPI

COMITIS PARMENSIS

S. THEOLOGIAE ET I.V.D.

MEDIOLANENSIS

BONACINAE

MARTINI

AMPLISSIMO ET ADMODVM

REVERENDO DOMINO,

D. CHRISTOPHORO OVTERIO

PRÆSVLI DIGNISSIMO;

R. D. N. PRIORI,

Ceteriſque R.dis Dominis Canonicis Ord. Præmonſtrati in celeberrima Abbatia Grimbergenſi.

MARTINVS BONACINA Juriſconſultus & Theologus excellens, multo auctior & emendatior, quàm antehac vmquam, è Typographia mea, quam non ita pridem ad Reip. Chriſtianæ vtilitatem inſtruxi, prodit in publicam lucem; & quod externus homo ſit, in aliena patria patronum quærit: Dúmque circumſpicerem ego, quem potiſsimum è multis deligerem, ecce menti obuerſabatur candidus Præmonſtratenſium Ordo, cuius illuſtre ſydus eſt Cœnobium tuum Grimbergenſe, quod ſuo fulgore adeò oculos, animúmque perſtrinxit, vt de Patrono aliunde accerſendo ne cogitare quidem liberet. Tibi itaque, Ampliſsime Præſul, tuíſque hoſpitem BONACINAM adduco; adeſt ex Italia, non dubito quin eam illi charitatem beneuolentiámque impendetis, quam tanti Viri dignitas, & merita poſtulant; cùm etiam minimo cuique iuxta Chriſti monita maximam ſoleatis exhibere. Teſtes mecum ſunt Belgæ, exterique omnes, quàm ſitis erga peregrinos hoſpitales; id nempe altè infixiſtis animo, expenſas iis impenſas cælo æternitatíque recondi. Sed quid hæc commemoro? Non menſam Tranſalpinus hic hoſpes, non cubiculum religiosâ inſtructum ſupellectile, ſed Bibliothecam veſtram ambit, hic ſibi inter Scholaſticos Doctores locum efflagitat, imò ipſe vnus Bibliothecæ inſtar eſſe poterit; paucis namque ea omnia tradit, quæ ne maximis quidem voluminibus alij complecti potuêre. Siue enim ſublimioris Theologiæ adyta penetrare, ſiue abſconditas de Conſcientia quæſtiones indagare quis velit, auſim dicere in hiſce BONACINÆ voluminibus ea claritate, ſoliditate, & breuitate id

fieri, vt dicti Gentilitij loco hoc Tomis ſuis elogium iure queat præfigere, CLARE. BREVITER. OMNIA. Mirabitur fortaſſe quiſpiam me qui Theologus non ſum tam audacter de Theologico opere iudicare, atque ſi ætatem in illis ſtudiis triuiſſem, & cum tot extent præclariſsima aliorum Volumina vni BONACINÆ illa tribuere, quæ nemo Theologorum hactenus ſibi iure potuerit arrogare; ſed ignoſcet facilè, ſi intelligat haſce Auctoris laudes me ab iis accepiſſe, qui per plures annos in puluere Theologico deſudarunt, adeóque dum hæc ſcribo eorũ me auctoritate niti, quam nemo prudens ſi vel nomina audiret, non maximi faceret. Hunc ergo Virum qui merito apud doctos omnes, Eccleſiaſticos, & ſæculares ſemper in ſummo fuit pretio, Tibi, Ampliſsime Domine, tuíſque denuò ſiſto, quos ſcio eſſe Scholaſticæ Moralíſque Theologiæ Mœcenates, & alumnos. Teſtantur id ſtudia tanto ſumptu iam à multis annis inſtaurata, non tantum in celeberrimo Cœnobio tuo & Louanienſi Seminario, ſed & Romæ non ita pridem inchoata, quo & religioſos ex tuo cœtu viros Amplitudo V.ra ſubmiſit, vt in ſumma Romanæ Eccleſiæ arce, atque ex ipſa, vt ita dicam, Petra, purioris doctrinæ fluenta haurirent, quæ deinde reduces in ſuos quàm liberaliſsimè profunderent. Quid plura? modeſtia veſtra iam dudum perſpecta parantem ad alia digredi prohibet, ſed & ego impar ſum ceteris virtutibus vel recenſendis ne dicam debitis laudibus exornandis. Finem facio, hoc vnum coronidis loco dixiſſe contentus, me viri doctiſsimi opera viris doctiſſimis, & ſcientiarum amantiſsimis dicare, conſecrare, obnixè poſtulans vt meum hoc qualecumque erga Ordinem Cœnobiúmque Veſtrum affectus Symbolum æqui boníque conſulatis.

Amplit. V. & RR. DD. VV.

Obſeq. Seruus

IOANNES MEVRSIVS.

I M-

IMPRIMATVR.

Fr. Franciscvs Carenvs Lector Theolog. Vicarius Rosæ, & sanctæ Inquisitionis Mediolani.

Fr. Aloysivs Bariola pro Illustrissimo D. Cardinali Archiepiscopo.

Vidit Saccus pro Excellentissimo Senatu.

SVMMA PRIVILEGII.

PHilippvs Dei gratia, Hispaniarum, Indiarum, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis Librum, cui titulus est, Martini Bonacinæ Mediolanensis, S. Theologiæ, & I. V. D. *Comitis Palatini, & vtriusque Signaturæ* Referendarii Apostolici, Opera Omnia, *recens in tres Tomos distributa,* citra Ioannis Mevrsi voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressum, in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secus faxit, confiscatione Librorum, & alia graui pœna mulctabitur, vti latius patet in Litteris datis Bruxellæ, x. Maij, m. dc. xxx.

Signat.

Steenhvyse.

SERIES

Tractationum moralium, his tribus D. MARTINI BONACINÆ voluminibus, recèns locupletatis, contentarum.

TOMO I.

TRACTATVS

I. De Sacramentis in genere, ac in ſpecie de ſacramento Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, Extremæ vnctionis, & Ordinis.
II. De magno Matrimonij ſacramento.
III. De Cenſuris aliiſque pœnis Eccleſiaſticis.
IV. De Horis Canonicis, ſiue quæ priuatim, ſiue quæ in choro recitantur.
V. De Clauſura, & pœnis violatoribus eius impoſitis.
VI. De Simonia, & re beneficiaria, magna ex parte.
VII. De alienatione bonorum Eccleſiaſticorum.
VIII. De largitione munerum Regularibus interdicta.
IX. De beneficiariorum reſidentia.
X. De fructibus beneficiorum ritè impendendis.
XI. De obligatione denuntiandi delinquentes, præſertim hæreticos, & Confeſſarios ad turpia ſollicitantes.

TOMO II.

XII. De Legibus, & peccatis, & præceptis Decalogi & Eccleſiæ.
XIII. De Reſtitutione, & Contractibus.

TOMO III.

XIV. Accurata diſcuſſio omnium Cenſurarum in particulari.

Sed & anteriùs editi tractatus, tam multis acceſſionibus recèns per Auctorem tranſmiſſis cumulati ſunt, vt videri propè queant prodire nunc primùm, id quod & neceſſariò auctus voluminum numerus docet; & per ſeipſum Lector, collatis cum hac noſtra anterioribus editionibus, deprehendet.

INDEX

INDEX

CONTINENS SINGVLAS DISPVTATIONES, QVÆSTIONES, SECTIONES, PVNCTA, PARAGRAPHOS, ET DIFFICVLTATES,

Quæ in hoc primo Tomo occurrunt.

DISPVTATIO I.

De sacramentis in genere. pag.1

QVÆSTIO I.

De numero, necessitate, & definitione sacramenti. ibid.

*Punct.*1. Quid sit sacramentum. ibid.
2. De numero sacramentorum nouæ legis. 2
3. Vtrùm ante legem Euangelicam fuerint aliqua sacramenta. ibid.
§. vnic. De circumcisione. 3
4. De necessitate sacramentorum. 4

QVÆSTIO II.

De materia & forma sacramentorum in genere. ibid.

*Punct.*1. Vtrùm omnia sacramenta nouæ legis constent materia, & forma determinata. ibid.
2. Vtrùm materia & forma sint partes intrinsecæ, & essentiales sacramenti. 7
3. Vtrùm eadem materia, & eadem forma vbique terrarum sufficiat ad validitatem sacramenti. 8
4. Vtrùm tota forma proferenda sit ab vno, & eodem ministro. ibid.

QVÆSTIO III.

De causa efficiente sacramentorum, & de conditionibus in ipsa requisitis. ibid.

*Punct.*1. Quænam sit causa efficiens sacramentorum. ibid.
2. De conditionibus requisitis in ministro sacramentorum. 9
§.1. Vtrùm probitas, seu bonitas ministri requiratur ad validam, & licitam administrationem sacramentorum. ibid.
§.2. Vtrùm fides necessaria sit ad validam, & licitam sacramentorum administrationem. 11
§.3. Vtrùm intentio ministri necessaria sit ad conficienda sacramenta. ib.

QVÆSTIO IV.

De primario effectu sacramentorum. 13

*Punct.*1. Vtrùm sacramenta conferant gratiam, quæ est primarius sacramentorum effectus. ibid.
2. Vtrùm sacramenta producant primam gratiam. 14
3. Vtrùm suscipientes sacramenta recipiant æqualem gratiam. 15
4. Vtrùm suscipiens sacramenta à meliori ministro maiorem gratiam recipiat, quàm si susciperet ab improbo. ibid.
5. Vtrùm gratia quæ confertur sit eiusdem speciei in omnibus sacramentis. ibid.
6. Quomodo sacramenta conferant, vel producant gratiam, moraliter scilicet, an physicè. 16
7. Quo tempore sacramenta conferant gratiam. ibid.

QVÆSTIO V.

De effectu secundario aliquorum sacramentorum, id est, characte re. 17

*Punct.*1. Vtrùm sacramenta aliqua conferant characterem. ibid.
2. Quid sit character. ibid.
3. De differentia, connexione, & duratione characteris. 18

QVÆSTIO VI.

De susceptore, seu subiecto sacramentorum. ibid.

*Punct.*1. Quodnam sit subiectum capax sacramentorum. ibid.
2. Quid requiratur in subiecto, seu susceptore sacramentorum. ibid.
3. Vtrùm sacramenta recedente fictione suum producant effectum. 19
4. Vtrùm sacramenta possint indignè petenti administrari. 20
5. Vtrùm sicut non licet administrare sacramenta indignè petenti, ita neque liceat recipere sacramenta à ministro administraturo in peccato graui. 21

QVÆSTIO VII.

De ritibus, & caremoniis circa sacramenta. 22

Punct. vnicum. Vtrùm sacramenta validè administrentur sine ritu essentiali, vel accidentali. ibid.

DISPVTATIO II.

De Baptismo. ibid.

QVÆSTIO I.

De Baptismo sanguinis, id est, martyrio. 23

*Punct.*1. Quid sit martyrium, & quid ad ipsum requiratur. ibid.
2. Quem effectum præstet martyrium, & quomodo illum præstet. 24
3. Quandonam martyrium suum præstet effectum, & quandonam fuerit eleuatum ad illum præstandum. ibid.

QVÆSTIO II.

De Baptismo fluminis, id est, sacramento Baptismi. 25

*Punct.*1. De institutione, & definitione sacramenti Baptismi. ibid.
2. De necessitate Baptismi. ibid.
3. De materia Baptismi. 26
4. De forma sacramenti Baptismi. 29
5. De ministro Baptismi. 31
6. De subiecto Baptismi, & dispositione ipsius subiecti, seu suscipientis. 33
7. De effectibus Baptismi. 35

DISPVTATIO III.

De confirmatione. 37

*Punct.*1. Quid sit confirmatio, & quandonam fuerit instituta. ibid.
2. De necessitate, & ministro sacramenti confirmationis. ibid.
3. De materia, & forma sacramenti confirmationis. 38
4. De effectu, & subiecto confirmationis. 39

DISPVTATIO IV.

De sacramento Eucharistiæ. 40

QVÆSTIO I.

De necessitate, institutione, & definitione sacramenti Eucharistiæ. ibid.

*Punct.*1. Quid sit Eucharistia secundùm nomen, & secundùm rem. ibid.
2. De conuenientia, & tempore institutionis sacramenti Eucharistiæ. 41
3. De necessitate sacramenti Eucharistiæ. ibid.
4. De vnitate, & multiplicitate Eucharistiæ. 42

QVÆSTIO II.

De materia Eucharistiæ. 43

*Punct.*1. Quæ sit materia remota sacramenti corporis. 44
2. Quænam sit materia remota sacramenti sanguinis. 45
3. Vtrùm necesse sit sub vtraque specie consecrare. ibid.
4. Vtrùm vino, quod est materia remota sacramenti sanguinis, admiscenda sit aqua. 47
5. Vtrùm quælibet quantitas panis, & vini possit consecrari. 48
6. Vtrùm materia consecranda debeat esse præsens, & quandonam dicatur sufficienter præsens. 49

QVÆSTIO III.

De forma sacramenti Eucharistiæ. 50

*Punct.*1. De forma sacramenti corporis. ibid.
2. De forma sacramenti sanguinis. 51
3. Cuius nomine, & quomodo proferantur verba consecrationis. ibid.
4. Quid designetur in forma sacramenti Eucharistiæ, per illas particulas, *hoc*, & *hic*. 52
5. Quid operentur verba consecrationis. ibid.
6. Quomodo verba consecrationis operentur suum effectum, seu quomodo Christus constituatur sub speciebus per consecrationem, & quamdiu sub illis maneat. 54
§.1. Quid sit transubstantiatio, & conuersio. ibid.
§.2. Vtrùm Christus constituatur sub speciebus per transubstantiationem. 55
§.3. Quandonam incipiat, & quandonam definat esse Christi Corpus sub speciebus. ibid.

QVÆSTIO IV.

De effectibus sacramenti Eucharistiæ. 56

*Punct.*1. De effectibus sacramenti Eucharistiæ spiritualiter, & sacramentaliter sumptæ. ibid.
2. Quandonam Eucharistia suos producat effectus. 57

QVÆSTIO V.

De ministro Eucharistiæ. 58

*Punct.*1. Quid sit minister Eucharistiæ. ibid.
2. Quænam dispositio requiratur in sacerdote Eucharistiæ sacramentum administrante. 59

QVÆSTIO VI.

De subiecto, seu susceptore Eucharistiæ, & dispositionibus in eo requisitis. 60

*Punct.*1. De dispositionibus ex parte animæ requisitis in suscipiente Eucharistiæ sacramentum. ibid.
2. De dispositionibus ex parte corporis requisitis in suscipiente sacramentum Eucharistiæ. 64

QVÆSTIO VII.

De obligatione sumendi Eucharistiam. 66

*Punct.*1. Quandonam fideles obligentur ad communionem ex præcepto diuino. ibid.
2. Quandonam fideles obligentur ex vi præcepti Ecclesiastici communicare. 67

QVÆSTIO VIII.

De Missæ sacrificio. 70

*Punct.*1. Quid sit Missa quoad nomen & essentiam. ibid.
2. Quænam sint partes essentiales sacrificij Missæ. ibid.
3. Quos effectus pariat Missæ sacrificium. 71
4. Vtrùm effectus, & valor sacrificij Missæ sit finitus, an infinitus. ibid.
5. Quodnam sit subiectum, pro quo potest offerri, & applicari Missæ sacrificium. 73
6. De ministro à quo faciendum est Missæ sacrificium. 74
7. Quanta sit obligatio sacerdotis circa Missæ celebrationem. 75
§.1. Circa illam particulam, *per se ipsum.* 76
§.2. Circa illam particulam, *quot.* ibid.
§.3. Circa particulam, *quales.* 79
§.4. Circa particulam, *in loco.* 80
§.5. Circa particulam, *tempore.* ibid.
8. Vtrùm sacerdotes possint accipere eleemosynam, seu stipendium ad sui sustentationem pro Missæ celebratione. 82
9. Qua hora, quo loco, & quibus vestibus, ac vasis celebranda sit Missa. 85
10. De corrigendis vitiis, & defectibus in Missa contingentibus. 88
11. Vtrùm fideles teneantur Missam audire. 89
12. Cuius sacerdotis, quibus diebus, & quo in loco audienda sit Missa. 92
vlt. Quibus de causis excusentur fideles ab audienda Missa. ibid.

DISPVTATIO V.

De pœnitentiæ sacramento. 94

QVÆSTIO I.

De pœnitentia vt est virtus. ibid.

*Punct.*1. Quid sit pœnitentia virtus. ibid.
2. Vtrùm pœnitentia sit adultis necessaria. 95

QVÆSTIO II.

De existentia, definitione, necessitate, & institutione sacramenti pœnitentiæ. ibid.

*Punct.*1. Vtrùm detur pœnitentiæ sacramentum. ibid.
2. Quid sit pœnitentiæ sacramentum. ibid.
3. Vtrùm pœnitentiæ sacramentum sit necessarium. 96
4. A quo, & quando institutum fuerit pœnitentiæ sacramentum. ibid.

QVÆSTIO III.

De materia sacramenti pœnitentiæ. 97

*Punct.*1. Quid sit materia remota sacramenti pœnitentiæ. ibid.
2. Quænam sit materia proxima sacramenti pœnitentiæ. 98

QVÆSTIO IV.

De forma sacramenti pœnitentiæ. 100

*Punct.*1. Quænam sit forma sacramenti pœnitentiæ. ibid.
2. Vtrùm pœnitentiæ sacramentum sit validum, si contingit aliqua mutatio in verbis formæ. 101
3. Vtrùm validum sit pœnitentiæ sacramentum, quando in forma apponitur aliqua conditio. 102
4. Vtrùm absolutio circa eadem peccata, semel ritè confessa possit iterari. ibid.
5. Vtrùm absolutio sacramentalis possit absenti validè impendi. 103
6. Vtrùm absolutio dari possit in scriptis, vel necessariò voce ferenda sit. ibid.

QVÆSTIO V.

De partibus sacramenti pœnitentiæ in particulari, contritione scilicet, confessione, & satisfactione. 104

SECTIO I.

De contritione & attritione, quæ est prima pars sacramenti pœnitentiæ. ibid.

*Punct.*1. Quid sit contritio, & ad quam virtutem pertineat. ibid.
2. De necessitate contritionis. ibid.
3. De necessitate doloris, vel attritionis requisitæ ad recipiendum pœnitentiæ sacramentum cum fructu. 106
4. Quodnam sit obiectum materiale, & formale contritionis, & attritionis. 108
5. Vtrùm vnus actus contritionis sufficiat ad delenda omnia peccata, vel vtrum ad delenda singula peccata requirantur singulæ contritiones. ibid.
6. Vtrùm ad contritionem, & iustificationem, requiratur consideratio, & recogitatio peccatorum. 109
7. Quanta debeat esse detestatio, seu contritio quo ad durationem temporis & quo ad intensionem, vt per ipsam peccata remittantur. ib.
8. Vtrùm ad contritionem requiratur propositum non peccandi in futurum. 111
9. Vtrùm homo iustificari possit absque vllo pœnitentiæ, vel contritionis actu. ibid.

SECTIO II.

De confessione, quæ secunda pars sacramenti pœnitentiæ nuncupatur. 112

*Punct.*1. Quid sit confessio. ibid.
2. Quænam conditiones requirantur ad confessionem. ibid.
§.1. De examine conscientiæ ad confessionem prærequisito. ibid.
§.2. Vtrùm confessio debeat esse simplex, humilis, &c. 113
§.3. Vtrùm confessio debeat esse integra. 115
*Diffic.*1. Vtrùm omnia peccata explicanda sint quoad speciem. ibid.
*Diffic.*2. Vtrùm omnia peccata mortalia distinctè sint explicanda quoad numerum. 116
*Diffic.*3. Vtrùm peccata necessariò sint explicanda in confessione quoad circumstantias. 118
*Diffic.*4. Vtrùm peccata dubia explicanda sint in confessione. 121
§.4. De causis excusantibus ab explicandis omnibus peccatis mortalibus, seu ab integritate confessionis. 122
3. Quandonam iteranda sit confessio. 125
4. De obligatione ad confessionem. 126
vlt. Quibus de causis excusentur fideles à confessione. 130

SECTIO III.

De satisfactione. 131

*Punct.*1. De definitione, & necessitate satisfactionis. ibid.
2. De obligatione confessarij circa pœnitentiam iniungendam. ibid.
3. De potestate confessarij circa commutationem pœnitentiæ. 133
4. De obligatione pœnitentis circa pœnitentiam acceptandam & acceptatam adimplendam. 135

QVÆSTIO VI.

De effectibus sacramenti pœnitentiæ. 137

SECTIO I.

De effectu sacramenti pœnitentiæ circa remissionem peccatorum mortalium. ibid.

*Punct.*1. Vtrùm sacramentum pœnitentiæ conferat gratiam, & remittat peccata mortalia. ibid.
2. Vtrùm pœnitentiæ sacramentum remittere possit omnia peccata mortalia. 138
3. Vtrùm pœnitentiæ sacramentum possit remittere vnum peccatum mortale sine alio. ibid.
4. Vtrùm sacramentum pœnitentiæ remittat peccata non solùm quoad culpam, sed etiam quoad reatum pœnæ. 139
5. Vtrùm pœnitentiæ sacramentum susceptum cum obice conferat suum effectum recedente obice. 140

SECTIO II.

De effectu pœnitentiæ quo ad remissionem peccatorum venialium. ibid.

*Punct.*1. Vtrùm per sacramentum pœnitentiæ remittantur peccata venialia. 141
2. Vtrùm peccata venialia remittantur per sacramentalia. ibid.
3. Vtrùm peccata venialia deleantur per actum contritionis, & dilectionis, & per alios virtutum actus. ibid.
4. Vtrùm per sacramentalia, vel per alios actus possit vnum peccatum veniale sine alio veniali, aut mortale sine veniali, aut veniale sine mortali remitti. 143

SECTIO III.

De effectu pœnitentiæ quoad irreuocabilitatem peccatorum semel dimissorum. 144

*Punct.*1. Vtrùm peccata ita deleantur per pœnitentiam, vt per subsequens peccatum non redeant in se formaliter quoad culpam. ibid.
2. Vtrùm peccata semel remissa per subsequens peccatum redeant saltem æquiualenter. ibid.
3. Vtrùm peccata ita deleantur per pœnitentiam, vt semel remissa non redeant quoad reatum pœnæ per subsequens peccatum. 145

SECTIO IV.

De effectu pœnitentiæ, quo ad recuperationem meritorum gratiæ, & virtutum. ibid.

*Punct.*1. Vtrùm opera facta ante pœnitentiam recuperentur superueniente pœnitentia, ita vt valeant ad vitam æternam. ibid.
2. Vtrùm per subsequentem pœnitentiam restituantur gratia præcedens & virtutes. 146

SECTIO V.

De effectu sacramenti pœnitentiæ quo ad obligationem sigilli. 147

*Punct.*1. Quo iure confessarius teneatur ad sigillum confessionis. ibid.
2. Quænam cadant sub sigillum confessionis. 148
3. Quinam teneantur ad sigillum confessionis. 149
4. Vtrùm confessarius loqui possit de auditis in confessione, aut vti scientia confessionis. ibid.

QVÆSTIO VII.

De ministro sacramenti pœnitentiæ. 152

*Punct.*1. Quis sit minister necessarius, & sufficiens sacramenti pœnitentiæ. ibid.

2. Quis

2. Quis sit minister sacramenti pœnitentiæ respectu vagorum, aliorumve successiuè commorantium in diuersis locis. 153
3. Quinam facultatem habeant à iure eligendi sibi confessarios. 155
4. Quænam requirantur in confessario, seu ministro sacramenti pœnitentiæ. ibid.
§.1. Quid requiratur ad validam sacramenti pœnitentiæ administrationem. ibid.
§.2. Quid requiratur ad dignam, & licitam sacramenti pœnitentiæ administrationem. 159
5. De absolutione à casibus reseruatis. 161
§.1. Vtrum superior possit sibi reseruare peccata, & quænam. ibid.
§.2. Quinam potestatem habeant absoluendi à casibus reseruatis. 162
§.3. Vtrùm superior possit, auditis solis peccatis reseruatis absoluere à reseruatis, & inferior auditis omnibus absoluere à non reseruatis. 164
§.4. Vtrùm qui dubitat aliquod peccatum esse reseruatum, vel se circa peccata reseruata facultatem habere, possit absolutionem impendere. 166
§.5. Vtrùm pœnitens, qui tempore Iubilei, aut virtute alterius facultatis absoluitur à reseruatis, maneat absolutus à casibus reseruatis, dum aliquos per obliuionem in confessione prætermittit, vel non præstat cetera, quæ ad consecutionem Iubilei requiruntur. 167
6. Ad quid teneatur confessarius qui malè absoluit. 169
vlt. Vtrùm confessarius in conferendo pœnitentiæ sacramento teneatur aliquos ritus, & cæremonias adhibere. ibid.

DISPVTATIO VI.

De indulgentiis, & suffragiis. 170

QVÆSTIO I.

De indulgentiis. ibid.
*Punct.*1. Quid sit indulgentia. ibid.
2. Quotuplex sit indulgentia. 171
3. Quisnam indulgentias concedere valeat. ibid.
4. Vtrùm ad concedendas indulgentias necessaria sit causa. 173
5. Quænam requirantur in eo, qui susceperurus est indulgentiam. ibid.
6. Vtrùm indulgentiæ prosint defunctis. 177
7. Quantum valeant indulgentiæ. 178
8. Quamdiu durent indulgentiæ. 179

QVÆSTIO II.

De suffragiis. 180
*Punct.*1. Vtrùm fideles possint præstare suffragia, quibus se inuicem iuuent. ibid.
2. Quid requiratur in eo, qui suffragia, & satisfactiones aliis offert. 181
3. Quænam requirantur ex parte eius, cui suffragia offeruntur. 182

DISPVTATIO VII.

De sacramento Extremæ vnctionis. ibid.
*Punct.*1. De existentia, institutione, & definitione istius sacramenti. ibid.
2. Quænam sit materia sacramenti Extremæ vnctionis. 183
3. Quænam sit forma sacramenti Extremæ vnctionis. ibid.
4. Quisnam sit minister huius sacramenti. ibid.
5. Quodnam sit subiectum huius sacramenti, & quænam partes vngendæ sint in collatione istius sacramenti. 184
6. De effectu sacramenti Extremæ vnctionis. 186

DISPVTATIO VIII.

De sacramento ordinis. ibid.
*Punct.*1. Quid & quotuplex sit ordo, & quandonam fuerit institutus. ib.
2. Vtrùm singuli ordines sint vera sacramenta. 187
3. De materia, & forma sacramenti ordinis. ibid.
4. De ministro sacramenti ordinis. 189
5. De subiecto ordinis, & conditionibus in eo requisitis. 191
6. Quo tempore conferendi sint, & quos effectus pariant ordines. 196
vlt. De obligatione clericorum & eorum immunitate. ibid.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

QVÆSTIO I.

De sponsalibus. 198
*Punct.*1. Quid sint sponsalia, & quid requiratur ad illorum valorem. ibid.
2. De obligatione, quæ consurgit ex sponsalibus. 200
3. Vtrùm sponsalia incerta sint propriè, & perfectè sponsalia, & ex ipsis consurgat obligatio. 201
4. De ætate requisita ad sponsalia, & ad matrimonium. ibid.
5. Vtrùm sponsalia dirimantur per ingressum in religionem, per votum simplex castitatis, religionis & sacrorum ordinum. 203
6. Vtrùm sponsalia dissoluantur ob defectum ætatis, ob lapsum termini, & ob discessum in longinquum. 205
7. Vtrùm sponsalia dissoluantur per matrimonium subsequens, aut per impedimentum dirimens. 206
8. Vtrùm sponsalia dissoluantur per fornicationem subsequentem, aut per notabilem mutationem. 207
9. Vtrùm sponsalia dissoluantur per dolum, aut metum. 208
10. Vtrùm sponsalia dissoluantur per mutuum consensum, aut per conditiones non adimpletas. 209
vlt. Vtrùm possit apponi pœna aliqua soluenda per frangentem fidem sponsaliorum. 210

QVÆSTIO II.

De natura & proprietatibus matrimonij. 211
*Punct.*1. Quid sit matrimonium. ibid.
2. Quandonam fuerit institutum matrimonium, & vtrùm matrimonium infidelium sit sacramentum. 212
3. Vtrùm homines teneantur ex præcepto contrahere matrimonium. 213
4. Quæ sit materia, forma, & minister essentialis sacramenti matrimonij. ibid.
5. Vtrùm matrimonium celebratum inter absentes per procuratorem, vel per litteras, sit validum. 214
6. Vtrùm matrimonium clandestinum sit validum. 215
7. Vtrùm matrimonium contractum sine parocho, & testibus in iis locis, in quibus Concilium Tridentinum non est acceptatum, sit validum. 217
8. Quis debeat assistere matrimonio vt validè contrahatur. ibid.
9. Quid requiratur ad conualidandum matrimonium inualidè celebratum ob defectum consensus, vel ob aliud impedimentum. 222
10. Vtrùm matrimonium celebratum sub conditione sit validum. 223
11. De indissolubilitate matrimonij. 226

QVÆSTIO III.

De impedimentis matrimonij, eorumq; dispensatione. ibid.
*Punct.*1. A quo possint induci impedimenta, & quot ea sint. ibid.
2. De impedimento erroris. 227
3. De impedimento conditionis, id est, seruitutis. 228
4. De impedimento voti. 229
5. De impedimento cognationis. 230
§.1. De impedimento cognationis naturalis. ibid.
§.2. De impedimento cognationis spiritualis. 232
§.3. De cognatione legali. 234
6. De impedimento criminis. 235
7. De impedimento disparitatis cultus. 237
8. De impedimento vis. 238
9. De impedimento Ordinis. 241
10. De impedimento ligaminis. 242
11. De impedimento publicæ honestatis. 243
12. De impedimento affinitatis. 245
13. De impedimento impotentiæ. 246
14. De impedimentis non dirimentibus. 249
15. Quis possit in impedimentis matrimonij dispensare. 251
vlt. Vtrùm confessarius, vel parochus, vel Episcopus, qui nouit aliquos inualidè contraxisse, vel contracturos, teneatur illos admonere, aut denegare matrimonium contrahendum cum impedimento dirimente. 252

QVÆSTIO IV.

De iis quæ pertinent ad vsum matrimonij. 253
*Punct.*1. Vtrùm coniuges peccent non reddendo sibi debitum coniugale. ibid.
2. Vtrùm coniuges possint reddere debitum superueniente inter ipsos affinitate, vel cognatione spirituali. 254
3. Vtrùm coniux possit, & teneatur reddere debitum coniugi petenti illicitè. 255
4. Vtrùm coniuges teneantur reddere debitum, quando adest scrupulus, vel dubium, vel opinio, vel certitudo de inualiditate matrimonij. 256
5. De causis propter quas licitum est non solum negare debitum, verùm etiam facere diuortium quoad habitationem. 258
6. De peccatis contingentibus in celebrando contractu matrimonij, & in vsu matrimonij iam celebrati. 260
7. Vtrùm motus sensualitatis sint peccata. 262
8. Vtrùm delectatio morosa de re venerea vel turpi sit peccatum. 263
9. De osculis, tactibus, turpiloquio, & aspectu. 265
10. De pollutione seu mollitie. 267
11. De nefando Sodomiæ vitio. 269
12. De bestialitate. 270
13. De coniunctione naturali facta modo indebito. ibid.
14. De fornicatione simplici, & concubinatu. ibid.
15. De adulterio. 272
16. De incestu. 273
17. De stupro. 274
18. De raptu. 277
vlt. De sacrilegio in materia luxuriæ. 278

DE

DE CENSVRIS.

DISPVTATIO I.

De censuris in communi. 281

QVÆSTIO I.

De natura, causis, & conditionibus censuræ. ibid.

*Punct.*1. Quid & quotuplex sit censura. ibid.
2. Quænam sit causa efficiens censuræ, seu quinam infligere possint censuras. 282
3. De causa materiali proxima censuræ. 283
4. De causa materiali remota, seu subiecto censuræ. 286
5. Vtrùm ligatus vna censura sit adhuc capax alterius, & vtrùm tot censuras incurrat, quot sunt actus contra præceptum continens censuram, vel quot sunt superiores, qui actum sub censura prohibent. 287
6. Vtrùm in censuris ita comprehendantur consulentes, & mandantes, sicut comprehenduntur facientes. 289
7. De forma seu ritu seruando in ferenda censura. 290
8. Vtrum censura fieri debeat in scriptis. 291
9. Vtrùm in ferenda, vel incurrenda censura requiratur admonitio. ibid.
10. Vtrùm in ferenda censura requiratur iusta causa. 293
11. Vtrùm in ferenda censura seruanda sit aliqua circumstantia loci. ibid.
12. Vtrùm censura liberè ferenda sit seruata temporis & ordinis circumstantia. 295
13. Vtrùm facienda sit denuntiatio illius, qui censuram contraxit. 296
vlt. De fine & effectibus censuræ. ibid.

QVÆSTIO II.

De causis excusantibus ab incurrenda censura, vel eius effectibus. ibid.

*Punct.*1. Vtrùm ignorantia excuset ab incurrendis censuris. ibid.
2. Vtrùm appellatio excuset ab incurrendis censuris. 298
3. Vtrùm metus & impotentia excusent ab incurrendis censuris. 300
4. Vtrùm consensus illius, in cuius fauorem lata est censura, excusare possit ab incurrenda censura. ibid.

QVÆSTIO III.

De absolutione censurarum. 301

*Punct.*1. A quo possit auferri censura. ibid.
2. De potestate Episcoporum circa absolutionem censurarum. 302
3. Quis possit à censuris absoluere in articulo mortis. 304
4. Quis possit à censuris absolui. 307
5. De requisitis in forma absolutionis. ibid.
6. Vtrùm vna censura possit auferri remanente alia, & vtrùm censuræ possint auferri extra confessionem. ibid.
7. Vtrùm absolutio censurarum dari possit sub conditione, vel ad cautelam. 309
8. Vtrùm absolutio possit impendi, vel extorqueri per dolum, ac errorem, vel per vim, ac metum. ibid.
9. Vtrùm valida sit absolutio censuræ collata pœnitenti, antequam satisfecerit parti læsæ. 310
10. Quid sibi velit, aliquem absolui in foro inferiori, vel conscientiæ. 311
vlt. De solemnitate, & ritu in absolutione seruando. ibid.

DISPVTATIO II.

De excommunicatione. 312

QVÆSTIO I.

De essentia & diuisione excommunicationis. ibid.

*Punct.*1. Quid sit excommunicatio quo ad nomen & essentiam. ibid.
2. Quotuplex sit excommunicatio. ibid.

QVÆSTIO II.

De effectibus excommunicationis maioris. ibid.

*Punct.*1. Vtrùm excommunicatus priuetur communibus Ecclesiæ suffragiis. 313
§.1. Vtrùm excommunicatus toleratus priuetur omnibus Ecclesiæ suffragiis. ibid.
§.2. Vtrùm excommunicatus, qui iam resipuit à delicto, priuetur communibus Ecclesiæ suffragiis si nondum est absolutus. 314
§.3. Vtrùm sacrificium Missæ prosit excommunicato, si pro illo offeratur. 315
2. De priuatione participationis actiuæ, & passiuæ sacramentorum. ibid.
§.1. Vtrùm excommunicatus validè recipiat sacramenta, aut peccet, vel incurrat aliquam pœnam recipiendo. ibid.
§.2. Vtrùm administrans sacramenta excommunicato grauiter peccet, & incurrat aliquam pœnam. 316
§.3. Vtrùm sacramenta administrata ab excommunicato tolerato valida sint. 317
§.4. Vtrùm sacramenta administrata ab excommunicato vitando valida sint. 318
3. Vtrùm excommunicatus priuetur rebus sacris, & sepultura. ibid.
§.1. Vtrùm excommunicatus priuetur auditione Missæ. ibid.
§.2. Vtrùm excommunicatus peccet assistendo diuinis officiis. 320
§.3. Vtrùm excommunicatus priuetur Ecclesiastica sepultura. ibid.
4. De priuatione & inhabilitate ad beneficia & ad eorum fructus. 321
§.1. Vtrùm valida sit collatio beneficij vel pensionis facta excommunicato. ibid.
§.2. Vtrùm beneficiarius, qui post obtentum beneficium labitur in excommunicationem, sit priuatus fructibus beneficij. 323
5. De priuatione iurisdictionis. 324
6. De priuatione humanæ conuersationis, seu ciuilis communicationis. 326
§.1. Vtrùm prohibitum sit excommunicato participare cum aliis fidelibus & è contrà. ibid.
§.2. In quibus casibus vetitum sit aut permissum cum excommunicatis communicare. 327
7. De priuatione communicationis in actionibus fori ciuilis. 331
vlt. De annullatione impetrationis gratiarum, & suspicione quæ contrahitur ob excommunicationem. 332

QVÆSTIO III.

De minori excommunicatione. 333

QVÆSTIO IV.

De excommunicatione quæ incurritur ob violentam manuum iniectionem in clericos, vel Monachos. 335

*Punct.*1. Quænam sit materia istius excommunicationis, seu quænam actiones sub excommunicatione prohibeantur in hoc textu. ibid.
§.1. In quo explicatur materia, seu actio principalis istius excommunicationis. ibid.
§.2. In quo explicatur materia minus principalis, seu actiones accessoriæ, ob quas canonis excommunicatio incurritur. 336
2. De subiecto istius excommunicationis. 337
3. Quænam personæ gaudeant priuilegio canonis, ita vt qui eas percutit, & vim infert, in excommunicationem huius canonis incidat. ibid.
4. Quandonam iniiciens manus violentas in clericum excusetur ab excommunicatione. 338
5. Quisnam possit absoluere ab excommunicatione ob clerici percussionem contracta. 340

QVÆSTIO V.

De excommunicatione ob hæresim, & lectionem librorum vetitorum. 342

*Punct.*1. Quid sit hæresis. ibid.
2. An ob hæresim incurratur excommunicatio, & quis possit ab ea absoluere. 343
3. Vtrùm qui recipiunt, credunt, aut fauent hæreticis, excommunicationem incurrant. 344
4. Vtrùm qui liberos hæreticorum, aut aliorum prohibitos legunt, vel retinent, ligentur excommunicatione. ibid.

QVÆSTIO VI.

De excommunicatione quæ contrahitur ob duellum, vel coactionem, aut retractionem alicuius feminæ à religione. 346

*Punct.*1. De excommunicatione, quæ contrahitur ob duellum. ibid.
2. De excommunicatione contra cogentes feminam ad religionem. 350
3. De excommunicatione contra retrahentes feminas à religione. 351

DISPVTATIO III.

De suspensione. 352

*Punct.*1. Quid sit suspensio, & quotuplex, & quomodo differat à reliquis censuris, & pœnis. ibid.
2. De effectibus suspensionis. 353
3. Quamdiu duret suspensio, & vtrùm suspensus ab officio in aliquo loco remaneat vbique suspensus. 354
4. De violatione suspensionis. 355
5. De suspensionibus, quæ ipso iure contrahuntur. 356
§.1. De suspensionibus contra clericos. ibid.
§.2. De suspensionibus contra Episcopos. 360
§.3. De suspensionibus laicis contra Conuentus, & capitula. 361
§.4. De suspensionibus contra religiosos. ibid.
vlt. De absolutione à suspensione. 363

DISPVTATIO IV.

De degradatione. ibid.

Punct. vnic. Quid sit degradatio, ob quæ crimina fiat degradatio, ad quem spectet degradare, quinam degradari possint, & à quo auferri possit degradatio, vel depositio. ibid.

DISPV-

Index Disputationum, Quæstionum, &c.

DISPVTATIO V.

De interdicto. 366

*Punct.*1. Quid & quotuplex sit interdictum. ibid.
2. De causis interdicti. 368
3. De primo effectu interdicti, id est, priuatione sacramentorum. ibid.
§.1. De priuatione sacramenti Baptismi, & confirmationis. 369
§.2. De priuatione Eucharistiæ. ibid.
§.3. De priuatione sacramentorum pœnitentiæ, ordinis, Extremæ vnctionis, & matrimonij. 370
4. De secundo effectu interdicti, id est, priuatione diuinorum officiorum. 371
5. De tertio effectu interdicti, qui est priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ. 373
6. Vtrùm interdictus priuetur vsu iurisdictionis exterioris. 375
7. De peccatis, & pœnis violantium interdictum. ibid.
8. De casibus in quibus incurritur interdictum. 377
vlt. De relaxatione ab interdicto. 378

DISPVTATIO VI.

De cessatione à diuinis. 379

*Punct.*1. Quid & quotuplex sit cessatio à diuinis. ibid.
2. De causa efficienti, formali, materiali, & finali cessationis. ibid.
3. De effectibus cessationis. 380

DISPVTATIO VII.

De irregularitate. 381

QVÆSTIO I.

De iis, quæ pertinent ad irregularitatem in genere. ibid.

*Punct.*1. Quid & quotuplex sit irregularitas. ibid.
2. De causis irregularitatis. 382
3. Quid requiratur ad incurrendam irregularitatem. 383
4. De effectibus irregularitatis. ibid.
5. Vtrùm aliquis in dubio iudicandus sit irregularis. 385

QVÆSTIO II.

De irregularitatibus prouenientibus ex defectu. 386

*Punct.*1. De irregularitate ex defectu animæ. ibid.
2. De irregularitate proueniente ex defectu corporis. ibid.
3. De irregularitate ex defectu natalium proueniente. 389
4. De irregularitate ex defectu ætatis, & libertatis. 390
5. De irregularitate ex defectu sacramenti, id est, bigamia. 391

QVÆSTIO III.

De irregularitatibus prouenientibus ex delicto. 393

*Punct.*1. De irregularitate, quæ oritur ex infamia. ibid.
2. De irregularitate proueniente ex pœnitentia publica. 394
3. De irregularitate, quæ contrahitur ex iteratione sacramentorum, præsertim occasione Baptismi. ibid.
4. De irregularitate ex susceptione ordinum proueniente. 395
5. De irregularitate, quæ contrahitur per exercitium ordinum tempore censuræ. 397
6. De irregularitate, quæ contrahitur per exercitium ordinis, quem quis non habet. ibid.
7. De irregularitate, quæ contrahitur ex delicto hæresis. 398
§.vnic. De nonnullis irregularitatibus, quæ ab aliquibus afferuntur, & asseruntur, sed ab aliis reiiciuntur, & refelluntur. 399

QVÆSTIO IV.

De irregularitate proueniente ex homicidio. 400

*Punct.*1. De irregularitate ex defectu lenitatis, seu mansuetudinis ob homicidium à iudice, vel eius cooperatoribus commissa. ibid.
2. De irregularitate, quæ incurritur accusando. 403
3. De irregularitate, quæ contrahitur ab Aduocatis, & testibus in causa sanguinis. 404
4. De irregularitate, quæ contrahitur ob bellum. ibid.
5. De irregularitate, quæ contrahitur medendo, vel chirurgiam exercendo. 405
6. De irregularitate proueniente ex homicidio facto ad defensionem sui, rerum suarum, ac proximi. 406
7. De irregularitate proueniente ex homicidio casuali. 408
8. De irregularitate proueniente ex homicidio voluntario iniustè facto ab homicida, & eius cooperatoribus. 410
vlt. De dispensatione irregularitatis ex homicidio prouenientis. 414

QVÆSTIO V.

De cessatione, & dispensatione irregularitatis in communi. 415

*Punct.*1. Vtrùm Summus Pontifex, & Episcopus dispensare possint in irregularitate. ibid.
2. Vtrùm irregularitas tollatur per Baptismum, professionem, cessationem causæ, & iurisdictionem delegatam. 416
vlt. De conditionibus requisitis in obtinenda, & concedenda dispensatione. 417

DE HORIS CANONICIS.

DISPVTATIO I.

De iis, quæ ad priuatam diuini officij recitationem ab Ecclesia præscriptam pertinent. 418

QVÆSTIO I.

De horarum canonicarum definitione, institutione, & numero. ibid.

*Punct.*1. Quid sint horæ canonicæ, seu diuinum officium. ibid.
2. Quo iure præscriptæ sint horæ canonicæ. 419
3. Quot sint horæ canonicæ. 420

QVÆSTIO II.

De iis, qui ad horas canonicas recitandas obligantur. ibid.

*Punct.*1. Quinam possint, & teneantur orare. ibid.
2. Vtrùm religiosi teneantur diuinum officium recitare. 422
3. Vtrùm clerici sacris ordinibus initiati ad horas canonicas teneantur. 423
4. Vtrùm habentes beneficium onere diuini officij detineantur. 424
5. Quandonam beneficiarij, aut clerici sacris ordinibus initiati, aut religiosi ad diuini officij pensum obligari incipiant. 428

QVÆSTIO III.

De conditionibus, & circumstantiis in recitatione horarum canonicarum obseruandis. 429

*Punct.*1. Quodnam officij genus adhibendum sit in recitatione horarum canonicarum, seu qua forma recitandæ sint horæ canonicæ. ibid.
2. Quomodo recitandæ sint horæ canonicæ. 432
§.1. Quid requiratur, vt officium studiosè persoluatur. ibid.
§.2. Quid requiratur, vt officium deuotè recitetur. 436
3. Quo tempore recitandæ sint horæ canonicæ, vt præceptum diuini officij ritè adimpleatur. 438
4. Quo ordine recitandæ sint horæ canonicæ. 439
5. Quo in loco recitandæ sint horæ canonicæ. 440
6. Quonam corporis habitu, & situ recitandum sit diuinũ officium. 442

QVÆSTIO IV.

De fructu, & effectu recitationis diuini officij. ibid.

*Punct.*1. Quid requiratur, vt recitatio diuini officij prosit. ibid.
2. Quibusnam prosit diuini officij recitatio, & quomodo. 443

QVÆSTIO V.

De grauitate culpæ, & pœna restitutionis fructuum ab eo faciendæ, qui pensum canonicarum precum prætermittit. 444

*Punct.*1. Vtrùm prætermittens horas canonicas mortaliter peccet. ibid.
2. Vtrùm qui recitationem horarum canonicarum prætermittit, ad restitutionem fructuum teneatur, aliamque pœnam incurrat. 446
3. Quomodo facienda sit restitutio, seu quænam fructuum portio restituenda sit propter diuini officij omissionem. 449
4. Cui facienda sit fructuum restitutio. ibid.

QVÆSTIO VI.

De causis excusantibus à recitatione horarum canonicarum, & fructuum restitutione. 451

*Punct.*1. Vtrùm grauis infirmitas excuset à recitatione horarum canonicarum. ibid.
2. Vtrùm grauis occupatio, & impotentia excusent à recitatione diuini officij. ibid.
3. Vtrùm dispensatio Summi Pontificis, carentia fructuum, ignorantia, & metus à peccato excuset omittentem diuinum officium. 453

DISPVTATIO II.

De iis, quæ ad diuinum officium in choro publicè recitandum faciunt sub pœna priuationis distributionum. 454

QVÆSTIO I.

De onere, & obligatione, qua canonici, aliiq; beneficiarij choro deputati, diuina officia in Ecclesia persoluere tenentur. ibid.

*Punct.*1. Vtrùm extet obligatio recitandi officium in choro, & quas personas hæc obligatio afficiat. ibid.
2. Vtrùm grauiter peccent (canonici, aliique beneficiarij) qui diuinis officiis in choro non assistunt. 455
3. Vtrùm canonici, aliique choro deputati, non solùm diuinis officiis in choro interesse, & recitare, verùm etiam canere teneantur. 456
4. Vtrùm canonicus possit alium in sui locum substituere, & distributiones capere. 457
5. Vtrùm consuetudine induci possit, vt quis per alium choro inseruiat. ibid.

QVÆSTIO II.

De varia, & originaria nominis acceptione, definitione, & institutione distributionum, quarum iacturam faciunt beneficiarij choro deputati, dum horis canonicis in choro non assistunt. ibid.

*Punct.*1. Quid nomine *distributionum* intelligatur, & quibus vocabulis distributiones appellentur. ibid.
2. Quid sint distributiones, & quot ipsarum species. 459
3. Quo iure, & qua de causa introductæ fuerint distributiones. ibid.

QVÆ-

Index Disputationum, Quæstionum, &c.

QVÆSTIO III.

De conditionibus requisitis in eo, qui ad distributiones admitti cupit. 460

*Punct.*1. De beneficio, & ætate in eo requisita, qui ad distributiones admittendus est. ibid.
2. An prærequiratur ordo in eo, qui ad distributiones admitti petit. ibid.
3. De scientia, & peritia cantus requisita in eo, qui ad distributiones admitti cupit. 461

QVÆSTIO IV.

Cui ad distributiones ius competat. ibid.

*Punct.*1. An ius percipiendi distributiones ad interessentes officiis pertineat, soliique interessentes distributiones lucrari possint. ibid.
2. Vtrùm qui beneficium resignauit, aut cum altero permutauit, possit distributiones percipere, si facta resignatione, vel permutatione adhuc diuinis officiis interfit, antequam is, in cuius fauorem facta fuit resignatio, possessionem ceperit, vel residere inceperit. 463
3. Vtrùm qui dignitatem, & canonicatum, seu duplicem canonicatum habet, vnas tantùm distributiones interessendo acquirat, an binas, & vtrùm non assistendo vnas, vel binas perdat. ibid.
4. Vtrùm qui ex priuilegio, vel dispensatione inseruit Ecclesiæ per coadiutorem, seu vicarium, lucretur distributiones. 465
5. Vtrùm canonici, qui choro quidem assistunt, sed ex consuetudine officium per se ipsos in choro non recitant, sed per mansionarios in Ecclesia existentes muneri suo satisfaciunt, distributiones lucrari possint. ibid.

QVÆSTIO V.

Quibus de causis absens distributiones lucrari possit. 466

*Punct.*1. An absens ex causa infirmitatis distributiones lucrari possit. 467
2. Vtrùm absenti ob corporis necessitatem distributiones quotidianæ conferri debeant. 468
§.1. Vtrùm canonicus, qui fuit in carcerem coniectus, gaudere debeat distributionibus respondentibus tempori, quo in carcere detinetur. 469
§.2. Vtrùm canonicus iustè, vel iniustè excommunicatus lucretur distributiones. ibid.
§.3. Vtrùm canonicus iniustè, vel iustè suspensus priuetur distributionibus. 470
§.4. Vtrùm iustè, vel iniustè interdictus priuetur distributionibus. 471
§.5. Vtrùm canonici tempore cessationis distributiones percipere possint. ibid.
§.6. Vtrùm canonici distributiones capiant eo tempore, quo polluta remanet Ecclesia. ibid.
§.7. Vtrùm irregularis priuetur distributionibus. ibid.
§.8. Vtrùm depositus, vel degradatus percipiat distributiones. 472
§.9. Vtrùm is, qui beneficio priuatus est, distributiones lucrari possit. ibid.
3. An absens in vtilitatem Ecclesiæ distributiones lucrari possit. ibid.
§.1. Vtrùm absens in seruitio Papæ lucretur distributiones. 475
§.2. Vtrùm canonici, qui cum Episcopo tempore diuinorum absunt, percipere possint distributiones. ibid.
§.3. Vtrùm absentes ad tuenda capituli iura distributiones lucrentur. 476
§.4. Vtrùm canonicus, qui tempore diuinorum officiorum Missam in propria Ecclesia celebrat, percipere valeat distributiones. ibid.
§.5. Vtrùm pœnitentiarius percipere possit distributiones, dum in confessionibus excipiendis tempore diuinorum officiorum detinetur. 477
§.6. Vtrùm Theologus, seu obtinens præbendam Theologalem lucretur distributiones tempori absentiæ respondentes. ibid.
§.7. Vtrùm obtinens dignitatem, vel canonicatum cum cura animarum frui possit distributionibus, si tempore diuinorum officiorum absit ad animarum curam exercendam. 478
§.8. Vtrùm canonici administrationem piorum locorum habentes, aut examinandis clericis adscripti, lucrentur distributiones pro tempore, quo ad horum officiorum onera sustinenda absunt. ibid.
§.9. Vtrùm absens causa studendi, vel docendi, lucretur distributiones. ibid.
4. Vtrùm aliquis possit ex priuilegio lucrari distributiones, dum horis canonicis non assistit. 479
5. An statuto, seu constitutione aliquarum Ecclesiarum, capitulorum, vel Episcoporum induci possit, vt absentibus distributiones tribuantur. 481
6. An consuetudine induci possit, vt absentibus distributiones conferantur. ibid.
7. Vtrùm canonicus, qui diuinis officiis non interfuit, possit distributiones percipere, si alij, quibus ob assistentiam accreuerunt, eas remittant, largiantur, vel ex pacto condonent. 484
§.1. Vtrùm licita, aut valida sit distributionum remissio. ibid.
§.2. Vtrùm licita, aut valida sit distributionum donatio. 485
§.3. Vtrùm licita, aut valida sit collusio, vel transactio, circa distributiones. ibid.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm canonici, qui choro non assistunt, non solùm iacturam distributionum faciant, verùm etiam ad alia onera distributionibus annexa teneantur, quamuis illis per absentiam à choro priuentur. ibid.

*Punct.*1. Vtrùm beneficiarij quindennium, vel annuatum, aut charitatiuum subsidium ex distributionibus soluere teneantur. 486
2. Vtrùm decima ex distributionibus soluenda sit. ibid.
3. Vtrùm pensio ex distributionibus soluenda sit, & à quo soluenda sit. 487

QVÆSTIO VII.

Quibus acquirantur distributiones absentium à diuinis officiis. 489

*Punct.*1. Vtrùm distributiones absentium aliis interessentibus accrescant. ibid.
2. Vtrùm inseruientes distributiones absentium acquirant ante vllam iudicis sententiam; consequenter, vtrùm beneficiarius, qui diuinis officiis non interfuit, pœnam priuationis distributionum subire debeat ante vllam iudicis sententiam. 490

DE CLAVSVRA, ET POENIS VIOLATORIBVS IPSIVS IMPOSITIS.

QVÆSTIO I.

De obligatione, qua moniales è monasterio egredi prohibentur. 491

*Punct.*1. Quid sit clausura. ibid.
2. Quænam moniales ad clausuram teneantur ita vt monasterio egredi nequeant. ibid.
3. Quo iure clausura monialium introducta sit. 492
4. Quibus censuris, & pœnis afficiantur moniales clausuram violantes egressu è monasterio. ibid.
5. Quis possit ab excommunicatione, & præfatis pœnis absoluere, & dispensare. 493
6. Quinam ius habeant cogendi moniales ad clausuram. ibid.
7. An magistratus sæcularis teneatur sub excommunicatione auxilium Episcopo præbere, circa clausuram monialium. 494
8. Ad quem pertineat facultatem exeundi monasterio monialibus concedere. ibid.
9. Quibus ex causis facultas exeundi monialibus concedi possit. 495

QVÆSTIO II.

De obligatione, qua religiosi viri claustro sine licentia exire vetantur. 496

*Punct.*1. Vtrùm religiosi viri ad clausuram teneantur. ibid.
2. De religiosis habitum suæ religionis dimittentibus. 497
3. De religioso professo matrimonium sine licentia Papæ contrahente. 501
4. De religioso vltra mare proficiscente sine licentia sui superioris. ibid.
5. De religioso adeunte curias Principum absque superiorum suorum licentia. ibid.
6. De religioso conferente se ad studia absque licentia superioris. 502
7. De religioso monasterio egrediente ad audiendas leges, vel medicinam. 503
8. An etiam Magistri, seu Doctores ligentur excommunicatione docendo religiosum leges, vel medicinam, aut in scholis retinendo. 505
9. De transeuntibus ab vna ad aliam religionem. 506
§.1. Vtrùm transitus ab vna ad aliam religionem licitus sit. ibid.
§.2. Quo iure, & quibus personis competat ius transeundi ad religionem arctiorem. 507
§.3. Quænam conditiones seruandæ sint, dum quis ab vna ad aliam religionem transit. 508
*Diffic.*1. Vtrùm transiens ad aliam religionem petere debeat licentiam à superiore, & à quo superiore eam petere teneatur. ibid.
*Diffic.*2. Vtrùm transitus ab vna religione ad aliam fieri debeat bono affectu, & sine damno primæ religionis. 510
*Diffic.*3. Vtrùm transitus ab vna religione ad aliam fieri debeat in arctiorem. 511
§.4. De effectibus consurgentibus ex transitu ab vna ad aliam religionem. ibid.
*Diffic.*1. De effectibus ex transitu ad aliam religionem consurgentibus circa personas ipsas transeuntes. ibid.
*Diffic.*2. De effectibus ex transitu ad aliam religionem consurgentibus circa bona ipsius religiosi. 512
§.5. De pœnis contra religiosos ad aliam religionem transeuntes. 515
*Diffic.*1. De pœnis contra religiosos ad aliam religionem in casu permisso aduolantes. ibid.
*Diffic.*2. De pœnis, seu censuris contra religiosos, quibus vetitum est ad alias religiones transire. ibid.
10. De religiosis contra professionem reclamantibus, & ob id à religione discedentibus. 517
*Diffic.*1. Ad quid teneatur religiosus inualidè professus. ibid.
*Diffic.*2. Quibus ex causis religioso competat ius reclamandi contra professionem. 518
§.1. ibid.
§.2. 519
§.3. ibid.
§.4. 5. & 6. 520
*Diffic.*3. Quid seruandum sit ab eo, qui contra professionem reclamare intendit. 521
*Diffic.*4. Quo tempore facienda sit reclamatio, vt religiosus dimitti possit. 522

*Diffic.*5.

Diffic.5. Quam culpam, & pœnam incurrat religiosus reclamans contra professionem. 523
11. De apostatis, & fugitiuis, eorumque fautoribus, seu receptatoribus. ibid.
§.1. Quisnam dicatur apostata, & fugitiuus. ibid.
§.2. De obligatione, qua religionum Prælati tenentur erga fugitiuos, & apostatas. 524
§.3. An apostata, vel fugitiuus pœnam aliquam incurrat. 525
§.4. Vtrùm apostatæ præter pœnas in §. proximè præcedente enumeratas, incurrant aliquam censuram, vel irregularitatem. 526
§.5. An recipiens, seu detinens apostatas censuram aliquam incurrat. 527
12. De eiectis à religione, & pœnis ipsis impositis. ibid.
§.1. Vtrùm religiosi professi à religione eiici possint. ibid.
§.2. Vtrùm religiosus eiectus teneatur se corrigere, & ad religionem redire. 529
§.3. Vtrùm religiosus eiectus eximatur à votis, & oneribus religionis quamdiu in sæculo manet. ibid.
§.4. Vtrùm religiosus eiectus, ad aliam religionem transire valeat, teneatur, vel cogi possit. 531
§.5. Vtrùm religiosus à religione eiectus teneatur obedire Episcopo, aut ei se præsentare, & habitum suæ religionis deferre. ibid.
§.6. Vtrùm eiectus à religione promoueri possit ad ordines, vel ab iis suscipiendis, vel exercendis suspensus remaneat. ibid.
§.7. Ad quem pertineant bona, quæ religiosus à religione eiectus acquirit. 532

QVÆSTIO III.

De prohibitione, & pœnis contra accedentes, vel frequentantes monasteria monialium impositis. ibid.
*Punct.*1. Quid sit accessus ad monasterium. ibid.
2. Quænam personæ prohibeantur ad monasteria monialium accedere. 533
3. Vtrùm accessus ad monasteria monialium sub mortali vetitus sit. ibid.
4. De pœnis contra frequentantes monasteria monialium. ibid.
5. Quo pacto possit frequentans monasteria monialium à culpa, & pœna excusari. 534

QVÆSTIO IV.

De violatione clausuræ, per ingressum in monasteria monialium. 535
*Punct.*1. Quid nomine monasterij intelligatur, & quibus personis monasteria monialium ingredi non liceat. ibid.
2. Quis possit facultatem ingrediendi monasteria monialium concedere. 536
3. Qualis esse debeat licentia ingrediendi claustra monialium. 537
4. Quibus de causis facultas ingrediendi monasteria monialium concedi possit. ibid.
5. De censuris, aliisque pœnis contra ingredientes cœnobia monialium, & contra eos, qui ingredi faciunt, permittunt, vel admittunt. 540
6. De censuris, & pœnis contra eos, qui aliquem in cœnobia monialium ingredi faciunt, permittunt, vel admittunt. 541

QVÆSTIO V.

De violatione clausuræ ob ingressum feminarum in monasteria religiosorum virorum. 543
*Punct.*1. Quid nomine monasterij intelligatur. ibid.
2. Quænam feminæ religiosorum monasteria ingredi nequeant. 544
3. Quas pœnas incurrant feminæ ingredientes, & religiosi eas admittentes, & quis possit in illis pœnis dispensationem, & absolutionem conferre. ibid.
4. Quibus de causis feminæ ingredientes monasteria virorum, excusari possint à culpa, & pœnis contra ingredientes latis. 545

DE SIMONIA.

DISPVTATIO I.

De Simonia. 547

QVÆSTIO I.

Quid sit simonia. ibid.
§.1. Quotuplex sit pretium, cuius traditione committitur simonia. 549
§.2. Quomodo cognoscere possumus pecuniam, vel rem aliam temporalem tradi, tamquam pretium rei spiritualis. 551

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit simonia. 552

QVÆSTIO III.

Quo iure prohibita sit simonia, & quale peccatum sit. 554

QVÆSTIO IV.

Quænam sit materia, circa quam simonia committitur. 555
§.1. An simonia committatur accipiendo aliquid pro sacramentis, vel ipsorum administratione. 557
§.2. An simonia committatur tradendo, vel accipiendo aliquid pro sacramentalibus. 558
§.3. An simonia committatur occasione collationis, vel susceptionis ordinum. 559
§.4. An simonia committatur tradendo, vel accipiendo pretium pro functionibus ordinum. ibid.
§.5. Vtrùm simonia committatur accipiendo aliquid pro diuinis officiis, vel etiam pro priuata oratione. 560
§.6. An simonia committatur vendendo sepulturam. ibid.
§.7. Vtrùm simonia committatur, tradendo, vel promittendo aliquid temporale alteri, vt operetur actum vtilem solum ipsimet operanti, vt si tradatur alicui pecunia, vt fiat Christianus, vel religiosus, vel vt sacramenta recipiat. 561
§.8. Vtrùm tradi, vel accipi possit aliquid pro ingressu in religionem. 562
§.9. Vtrùm simonia committatur accipiendo pecuniam pro abstinendo à bono opere. ibid.
§.10. Vtrùm simonia committatur vendendo scientiam, seu pretio docendo, vel docendi licentiam concedendo. 563
§.11. Vtrùm materia simoniæ non solùm sint res sacræ, & spirituales secundùm se, verùm etiam illæ, quæ spiritualibus sunt annexæ. 564
§.12. Vtrùm simonia committatur in permutatione beneficiorum aliarúmve rerum spiritualium. 567
§.13. Vtrùm simonia committatur occasione pensionum. 569
§.14. Vtrùm simonia committatur in resignatione beneficiorum. 571
§.15. An transactio ad componendam, & dirimendam litem in rebus spiritualibus simoniæ labem contineat. 572
§.16. Vtrùm simonia committatur tradendo, vel accipiendo aliquid pro actibus iurisdictionis fori interni. 574
§.17. Vtrùm simonia committatur tradendo, vel accipiendo aliquid pro actibus iurisdictionis fori externi, vel pro cooperatione ad huiusmodi actus. ibid.

QVÆSTIO V.

Quænam personæ possint simoniæ labem committere. 575

QVÆSTIO VI.

Vtrùm aliquis titulus assignari possit, propter quem tradens, vel accipiens temporale occasione spiritualis, excusari possit à labe simoniæ. 576
*Punct.*1. Vtrùm occasione rei spiritualis accipi possit aliquid temporale titulo liberalitatis, vel gratitudinis. ibid.
2. Vtrùm titulo sustentationis aliquid tradi, vel accipi possit absque simonia. 577
3. Vtrùm pro labore extrinsecò aliquid tradi, vel accipi possit absque labe simoniæ. 578
4. Vtrùm titulo priuationis libertatis, vel alterius commodi temporalis aliquid tradi, vel accipi possit absque culpa simoniæ. 579
5. Vtrùm titulus redimendæ vexationis excuset à crimine simoniæ tradentem aliquid temporale. ibid.
6. Vtrùm consuetudo excusare possit à labe simoniæ traditionem, vel acceptionem rei temporalis pro spirituali. 581

QVÆSTIO VII.

De pœnis contra simoniacos latis, & de ipsarum dispensatione. ibid.
*Punct.*1. Quas censuras inducat simonia. ibid.
§.1. De excommunicatione contra committentes simoniam confidentialem in beneficiis. ibid.
§.2. De excommunicatione contra committentes simoniam in ordine, vel beneficio. 583
§.3. De excommunicatione contra petentes, vel exigentes aliquid in collatione aliáve prouisione beneficiorum, aut admissione ad illorum professionem. 585
§.4. De excommunicatione quæ contrahitur ob simoniam commissam dando, vel recipiendo aliquid pro ingressu in religionem. 586
§.5. De excommunicatione quæ contrahitur publicando, vel concedendo ob quæstum, indulgentiam, aut facultatem absoluendi. 588
§.6. De suspensione contra susceptientes ordines simoniacè. ibid.
§.7. De suspensione contra conferentes ordines, vel tonsuram simoniacè. 589
2. Vtrùm acta simoniacè valida sint. 590
*Diffic.*1. Vtrùm simonia realis in beneficiis priuet ipso facto beneficiis antea ritè obtentis. 594
*Diffic.*2. Vtrùm simoniacus in adeptione beneficij efficiatur inhabilis ad alia beneficia. ibid.
3. Vtrùm simonia inducat obligationem restituendi accepta simoniacè. 595
*Diffic.*1. Vtrùm is, qui pretium pro re spirituali accepit, teneatur restituere pretium acceptum, quo iure teneatur, & cui teneatur. ibid.
*Diffic.*2. Vtrùm is, qui rem spiritualem præuia pecunia accepit, teneatur illam restituere iure naturali, diuino, vel canonico. 599
4. Quis possit in his pœnis dispensare, & qua forma. 600

DISPV-

DISPVTATIO II.

De alienatione bonorum Ecclesiasticorum. 601

QVÆST. VNIC.

De alienatione bonorum Ecclesiasticorum. ibid.

*Punct.*1. Quo iure, & quibus pœnis vetita sit bonorum Ecclesiasticorum alienatio. ibid.
2. Quid nomine alienationis, & bonorum hoc in loco intelligatur. ibid.
3. Quænam sit iusta, & sufficiens causa ad alienanda Ecclesiæ bona immobilia, vel etiam mobilia pretiosa quæ seruando seruari possunt. 605
4. Quænam solemnitas requiratur ad validam alienationem bonorum immobilium Ecclesiæ, vel etiam mobilium pretiosorum quæ seruando seruari possunt: & vtrùm contractus aliter celebratus validus sit. 606
5. Quænam personæ subiiciantur censuræ, & aliis pœnis, alienando bona Ecclesiastica absque iusta causa, & debita solemnitate. 607
§.1. Vtrùm Summus Pontifex peccet contra iuramentum alienando bona Ecclesiastica. 608
§.2. An Summus Pontifex, præciso iuramento, peccet alienando bona Sedis Apostolicæ, aut alia bona Ecclesiastica. ibid.
6. Quam censuram incurrat delegatus à Sede Apostolica, dum facultatem alienandi concedit cum detrimento Ecclesiæ. 610
7. De censura quæ incurritur ab eo, qui dolosè, vel scienter procurat alienationem, aut alienationis decretum à delegato Sedis Apostolicæ cum detrimento Ecclesiæ. 611
8. De pœnis contra suadentes Papæ, vt infeudet, aut alienet ciuitates, & loca S.R.E. ibid.

DISPVTATIO III.

De largitione munerum regularibus vtriusque sexus interdicta. 613

*Punct.*1. Quænam sit materia istius constitutionis, seu quænam actiones in Bulla Clementis prohibeantur. ibid.
2. Quænam personæ munera, seu largitiones facere interdicantur. 614
3. Quænam personæ munera, seu largitiones à regularibus recipere nequeant. 615
4. Quibus pœnis afficiantur, qui munera capiunt à regularibus. 616
5. Quas pœnas incurrant religiosi conferentes munera vltra præscriptam in Bulla Clementis VIII. formam. ibid.
6. Quas eleemosynas, aut donationes facere possint religiosi iure communi, seu præcisa Clementis VIII. Bulla, aut vbi ea vsu recepta non fuit, vel quatenus recepta non fuit. 618

DISPVTATIO IV.

De obligatione beneficiariorum circa beneficiorum fructus, & prouentus in pios vsus expendendos. 622

*Punct.*1. Vtrùm beneficiarius dominium habeat fructuum, & prouentuum. ibid.
2. Vtrùm beneficiarius possit fructus beneficij ad suum libitum expendere, vel teneatur illos in pios vsus erogare. ibid.
3. Vtrùm beneficiarius testari possit de beneficij fructibus, & prouentibus, eosque consanguineis relinquere. 625
4. Vtrùm beneficiarius, qui beneficij fructus suæ congruæ sustentationi superfluos in profanos vsus erogauit, ad restitutionē teneatur. 627

DISPVTATIO V.

De onere, & obligatione beneficiariorum ad residendum. 628

*Punct.*1. Quid sit residentia. ibid.
2. Quinam residere teneantur. ibid.
3. Quo iure teneantur beneficiarij in loco beneficij residere. 629
4. Quam culpam, & pœnam incurrant beneficiarij, qui in loco beneficij non resident. 631
5. Quandonam beneficiarij non residentes excusentur à culpa, & pœna. 633

DISPVTATIO VI.

De onere, & obligatione denuntiandi eos, quos iura, vel edicta denuntiari præcipiunt. 636

*Punct.*1. De onere, & obligatione denuntiandi, in genere loquendo. ibid.
§.1. Quinam teneantur ad denuntiandum ex vi monitorij. ibid.
§.2. Vtrùm qui tenetur ad denuntiandum, debeat esse subditus illi, qui monitorium, edictum, aut legem sub pœna censuræ tulit. ibid.
§.3. Vtrùm teneamur ad denuntiandum in delictis, in damnum nostrum ab aliis patratis, aut dum ex denuntiatione damnum nobis impendet. ibid.
§.4. An ea denuntiare teneamur, quæ non scimus verè, & realiter, aut quæ probare non possumus. 637
§.5. An teneamur ea denuntiare, quæ nouimus sub secreto, aut quæ cum iuramento promisimus non denuntiare. 638
§.6. An iustos rei alienæ detentores manifestare teneamur vi edicti, quo iubemur detentores rei alienæ manifestare. ibid.
§.7. Quandonam incipiat obligatio denuntiandi, & vtrùm qui excusatur à culpa, non denuntiando, excusetur etiam à censura. 639
§.8. An fraterna correctio præmittenda sit, antequam denuntiatio fiat, & qua forma fieri debeat denuntiatio. ibid.
§.9. An obligatio denuntiandi finiatur lapso termino præscripto ad denuntiandum. 640
§.10. Quis absoluere possit à censuris, & pœnis in edicto impositis contra non reuelantes. ibid.
2. De obligatione, & pœnis contra eos, qui hæreticos non denuntiant. ibid.
3. De obligatione denuntiandi confessarium sollicitantem pœnitentes ad turpia, & inhonesta. 641

TRA-

TRACTATVS DE SACRAMENTIS.

DISPVTATIO PRIMA.

De Sacramentis in genere.

SACRAMENTI nomen non solùm à profanis, verùm etiam ab Ecclesiasticis Scriptoribus varijs modis accipitur; aliquando enim sumitur pro secreto, iuxta illud Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est*. Aliquando pro iuramento, *cap. si iuramenta. 22. quæst. 4.* [*& l. sacramenta puberum. C. si aduersùs vendit*] Aliquando pro mysterio, ad Timotheum 3. *Magnum est pietatis Sacramentum*, vbi in Græca editione habetur, *mysterium*. Aliquando, & ferè communiter. Sacramentum accipitur pro re sacra, vt tradit Bellarminus *lib. 1. de Sacramentis, cap. 2.* Nauarrus *in summa cap. 22. num. 1.* Valentia *tomo 4. disp. 3. quæst. 1. puncto 1.* Henriquez *lib. 1. cap. 2. num. 1.* Didacus Nugnez *in 3. parte S. Thomæ, in sua præfatione, significatione 5.* Coninchus *de Sacramentis in genere, quæst 6. art. 1.* Sayrus *de Sacramentis in genere, art. 1.* Vasquez 3 *parte, quæst. 60. disput. 128. cap. 1.* [Suarez 3. *part. quæst. 60.* Filliucius *tract. 1. cap. 1. num. 3*] & alij. Nos in præsenti accipimus Sacramentum, vt significat id, quod à Christo fuit institutum ad conferendam gratiam, de quo nobis sex principaliter quærenda sunt.

Primò, quid, quotuplex, & quàm necessarium sit Sacramentum.

Secundò, quæ sit ipsius materia, & forma.

Tertiò, quæ sit causa efficiens.

Quartò, quísnam sit ipsius effectus.

Quintò, quódnam sit subiectum.

Sextò, quo ritu, & cæremonijs administrandum sit.

QVÆSTIO PRIMA.

De numero, necessitate, & definitione Sacramenti.

PVNCTVM I.

Quid sit Sacramentum.

PLVRES Sacramenti definitiones afferuntur à Doctoribus: nam iuxta S. Augustinum *lib. 10. de Ciuitate*, quem sequitur D. Thomas 3. *parte, quæst. 60. art. 2. in corpore*. Henriquez *lib. 1. de Sacramentis c. 2. num. 3.* Bartholomæus ab Angelo *de Sacramentis dialogo 1. §. 1. littera* D. Alexander Pesantius 3. *parte de Sacramentis disp. 3. concluſ. 1.* Petrus Ledesma 1. *parte summæ cap. 1. verſ. Primera concluſion.* Sacramẽtum definitur rei sacræ signum, vel inuisibilis gratiæ visibilis forma.

Iuxta Hugonem de Sancto Victore *lib. 1. parte 9. cap. 2.* Sacramentum est corporale elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & continens spiritualem gratiam.

Iuxta Magistrum *in 4. dist. 1.* quem sequitur Graffius 2. *parte lib. 1. cap. 1. num. 7.* Vasquez *loco cit. cap. 3. num. 26.* & alij apud eundem Vasquez, nec dissentit Alexander Pesantius 3. *part. de Sacramentis disp. 3. concluſ. 2.* est inuisibilis gratiæ visibilis forma, ita vt imaginem gerat, & causa existat.

Iuxta Catechismum Pij V. *de Sacramentis in communi*, cui adhæret Bellarminus *de Sacramentis lib. 1. cap. 11.* Pesantius *loco citato conclusione 3.* & alij, Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & iustitiæ, tum significandæ, tum efficiendæ vim habet, seu est inuisibilis gratiæ visibile signum ad nostram iustificationem institutum.

Sed omissis varijs definitionibus, quas passim Doctores tradunt, hanc ego propono, quæ satis explicare videtur naturam, vim, & efficaciam Sacramentorum.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Sacramentum quid sit.*

SAcramentum est signum sacrum, non solùm significans, verùm etiam infallibiliter efficiens rem sacram, sanctificantem homines. hæc definitio optima est, iuxta præcepta Aristotelis *6. Topicorum*, & Boëtij *in lib. de definitione*; constat enim genere, & differentia. Genere, in quo conuenit omnibus Sacramentis: differentia, per quam Sacramenta distinguuntur ab alijs rebus sacris, quæ non sunt Sacramenta, vt est vsus aquæ benedictæ. Præterea, non differt hæc definitio quo ad substantiam à definitione Catechismi Pij V. nec ab alijs definitionibus, quas supra recensuimus, & quas refert Bellarminus 1. *de Sacramentis*. Suarez *tom. 4. disp. 1. sect. 4.* Coninchus *quæst. 60. part. 4. dubio 1.* [Filliucius *cap. 1. quæst. 2. num. 4.*] & Sayrus *de Sacramentis lib. 1. cap. 2. sect. 2.*

Dicitur ergo signum loco generis, in quo Sacramentum conuenit cum multis alijs rebus, quæ sunt signa, vt cum verbis, quæ sunt signa animi, & cætera.

Dicitur signum sacrum, quia Sacramentum non est quodcumque signum; sed est signum sacrum in se, seu ex parte rei significantis, cùm sit res ordinata ad diuinum cultum. Quamobrem peccata, quæ committuntur in administratione, & susceptione Sacramentorum, dicuntur Sacrilegia, vtpote contra res sacras, & cultum Dei, vt bene obseruat Henriquez *lib. 1. cap. 2. num. 4.* Suarez *disp. 1. sect. 1.* & alij communiter.

Dicitur significans rem sacram; quia Sacramentum non solùm est quid sacrum in se, seu ex parte rei significantis; verùm etiam ex parte rei significatæ, quæ est gratia formaliter sanctificans homines, quam Sacramentum significat, & significando producit.

Dicitur efficiens, vt ostendatur Sacramentum non solùm significare rem sacram, verùm etiam efficere, & producere gratiam.

2 *Sacramentum non est ens rationis.*

Ex quo patet, Sacramentum non esse ens rationis: nam ens rationis habet totum suum esse in intellectu; Sacramentum verò habet vim efficiendi, & significandi, etiam nullo cogitante intellectu. Ita Ægidius Coninchus 3. *parte, quæst. 60. art. 2. dubio 2. num. 14.* Henriquez *lib. 1. c. 2. num. 6. ad finem.* Franciscus de Pitigianis *dist. 1. quæst. 2. art. 2. & art. 3.* & alij communiter.

Dicitur infallibiliter, quia Sacramentum ex sua natura infallibiliter producit gratiam in suscipiente, nisi ponatur obex, & impedimentum, ex parte suscipientis. Vnde si suscipiens Eucharistiam, exempli gratia, non recipit gratiam, hoc non prouenit ex parte Eucharistiæ, quasi ipsa non possit conferre [gratiam;] sed potius ex parte suscipientis, qui ponit obicem, & impedimentum, vt patet ex Tridentino *sessione 7. canone 7.* ita S. Thomas 3. *parte quæst. 64. art. 9.* Coninchus *ibidem*. Reginaldus *lib. 26. num. 43.* Bellarminus *lib. 1. de Sacramentis cap. 26.* [Suarez *disp. 7. sect. 4.* Filliuctius *cap. 1. num. 5.*] & alij, quos infrà referam de effectu Sacramentorum.

3 *An Sacramentalia sint Sacramenta.*

Ex dictis colligi potest primò, Sacramentalia non esse Sacramenta propriè accepta; cùm ipsis non conueniat ratio, & definitio Sacramenti: nam Sacramentalia suo vsu precisè, & per se, & ex opere operato non conferunt gratiam, vt bene aduertit Coninchus *disp. 60. art. 2. num. 20.* Suarez *disp. 15. sect. 2.* & alij, quos referam de Sacramentalibus *in tract. de Pœnitentia*, vbi ostendam,

Quomodo Sacramentalia producant gratiam.

4 *Sacrificium vt sic an sit Sacramentum.*

Secundò [colligitur] sacrificium, vt sic, non esse Sacramentum; cùm ipsi non conueniat ratio, & definitio Sacramenti: Sacrificium enim vt sic est institutum ad indicandam diuinam excellentiam, non verò ad sanctificandum sacrificantem. Quanquam fieri potest, vt sacrificium materialiter sumptum sit Sacramentum, vt est nostrum sacrificium, cuius hostia est verum Sacramentum, & confert gratiam suscipienti. Ita Coninchus *loco citato, num. 22.* [Suarez, Filliucius] & alij.

Vt clarius intelligantur, quæ in Sacramenti definitione attuli-

mus, explicandæ sunt aliquæ difficultates in sequentibus quæsitis.

5 *Signum quid sit.*

QVÆRES PRIMO, quid sit signum; diximus enim Sacramentum esse signum.

RESPONDEO cum S. Augustino *lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 1.* Victoria *de Sacramentis cap. 1.* & alijs communiter, signum humanum illud dici, quod præter speciem, quam sensibus repræsentat, aliquid aliud facit in cognitionem venire. hac de causa circulus ad tabernam, dicitur signum humanum, quia præter speciem externam, quam oculis prædemonstrat, facit nos venire in cognitionem vini, quod ibi venditur: sicut etiam fumus dicitur signum quoddam naturale; quia præter id, quod oculis ostendit, indicat ibi latere ignem.

6 *An Sacramentum dicatur signũ.*

Hinc patet, Sacramentum dici signum, quia præter speciem externam, quam oculis repræsentat, facit nos venire in cognitionem alterius rei; Baptismus enim, exempli gratia, præter ablutionem externam, quæ oculis corporeis videtur, indicat ablutionem internarum sordium. Idem dic de cæteris Sacramentis.

7 *Sacramentũ quotupliciter dici possit signum.*

QVÆRES SECVNDO, quotupliciter Sacramentum dici possit signum.

RESPONDEO tripliciter, scilicet rememoratiuè, demonstratiuè, & prognosticè.

Sacramentum dicitur signum rememoratiuum passionis Christi: demonstratiuum gratiæ: prognosticum gloriæ. Ita Victoria *de Sacramentis cap. 1.* S. Thomas *3. parte quæst. 60. art. 3.* Didacus Nugnez, & Coninchus *ibidem.* Sayrus *de Sacramentis lib. 1. cap. 2. art. 2.* Toletus *lib. 2. cap. 15. num 3.* & alij communiter.

8 *An Sacramentum debeat esse signum similitudine repræsentans [id] quod significat.*

QVÆRES TERTIO, vtrùm Sacramentum debeat esse signum similitudine repræsentans id, quod significat.

RESPONDEO affirmatiuè, supposita institutione Sacramentorum iam facta: nam Deus summa, & ineffabili prouidentia instituit Sacramenta in ijs rebus, quæ repræsentant id, quod significant, vt patet inductione singulorum Sacramentorum; Baptismus enim consistit in externa ablutione, quæ internam ablutionem animæ repræsentat. Eucharistia consistit in speciebus panis, & vini consecratis, quæ significant refectionem spiritualem; & sic de cæteris Sacramentis. Potuisset tamen Deus instituere Sacramenta in ijs rebus, quæ nullam habent similitudinem cum effectu, quem producunt; cùm enim Sacramenta valorem habeant ex institutione libera Christi, potuisset Christus eundem valorem, quem tribuit rebus similitudinem habentibus, conferre ijs, quæ nullam habent similitudinem cum effectu: nam omnia subiecta sunt potentiæ obedientiali, per quam Deus potest efficere, quidquid non implicat; consequenter potuisset rem spiritualem, exempli gratia, meditationem, aut aliam quamlibet instituere in Sacramentum. Ita Henriquez *lib. 1. cap. 2. num. 4.* Coninchus *3. p. quæst. 60. art. 2. dubio 2.* Summa Corona *de Sacramentis*, & alij apud Sayrum *lib. 1. de Sacramentis, cap. 2. quæst. 6. art. 2.*

9 *Cur Deus instignis, & rebus materialibus instituerit Sacramenta.*

QVÆRES QVARTO, cur Deus instituerit Sacramenta in signis, & rebus sensibilibus, ac materialibus.

RESPONDEO plures rationes, seu congruentias afferri posse.

Prima desumitur ex diuina voluntate, [quis enim ei dicere potest, cur ita facis.]

Secunda est, quia Deus prouidet vnicuique rei iuxta modum naturæ cuiusque. Natura autem hominis postulat, vt ex sensibilibus ad spiritualia contemplanda traducatur: cùm enim homo constet sensibus, non potest statim percipere spiritualia, ac iuuisibilia, sed per externa signa ducitur ad ea cognoscenda, & contemplanda; cuiusmodi signa externa sunt Sacramenta. Propterea homo ex ablutione externa facta in Baptismo, rapitur in cognitionem ablutionis spiritualis animæ, & ex sumptione Eucharistiæ cognoscit animam refici, & recreari, & sic de cæteris Sacramentis.

Tertia est, quia cùm homo constet anima, & corpore, non solùm debet interiùs credere; verùm etiam exteriùs fidem profiteri per Sacramenta. Alias congruentias prosequitur Suarez *disp. 1. sect. 3 de Sacramentis.* Sayrus *lib. 1. de Sacramentis, cap. 2. quæst. 7. art. 1.* Bellarminus *lib. 1. cap. 22.* Franciscus Pitigianus *dist. 1. quæst. 3. art. 2.* [Filliucius *tract. 1. cap. 2. quæst. 7.*] & alij Doctores.

PVNCTVM II.

De numero Sacramentorum nouæ legis.

DVo breuiter quæram in hoc puncto. Primò quot sint numero Sacramenta nouæ legis. Secundò cur tot fuerint instituta.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Quot sint Sacramenta nouæ legis.*

DE fide certum est Sacramenta nouæ legis septem esse, nec plura, nec pauciora, Baptismum scilicet, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium. Ita Tridentinum *sess. 7. canone 1.* Florentinum sub Eugenio IV. Constantiense *sess. 14.* & Doctores communiter. [Horum autem Sacramentorum mentio fit, vel saltem innuitur varijs in locis in Scriptura. De Baptismo *Ioan. 3.* de Eucharistia *Matthæi 26* de Pœnitentia *Ioan. 20.* de Confirmatione *Actorum 8 & 19* de Ordine *Matth. 26.* de Extrema vnctione *Iacob. 5.* de Matrimonio *Ephes. 5.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *Cur septem numero Sacramenta fuerint instituta.*

RAtio, seu potiùs congruentia, cur septem numero Sacramenta fuerint instituta, desumi potest ex analogia ad vitam corporalem, vt bene obseruat S. Thomas *3. parte, quæst. 65. art. 1.* Coninchus, Nugnez *ibidem*, & Pesant. *ibidem.* Vasq. *ibidem art. 2.* P. Ledesm. *de Sacram. cap. 7.* Henriquez *lib. 1. cap. 7.* Valentia *3. parte, disp. 3. quæst. 6. puncto 2.* Reginaldus *lib. 26. num. 5.* Sayrus *lib. 6. de Sacramentis in genere, cap. 1. quæst. 2.* Summa Corona *de Sacramentis in genere, num. 34.* S. Antoninus *3. parte tit. 14. cap. 1.* Dominicus Sotus *in 4. sent. dist. 1. quæst. 7. art. 1.* Bartholomæus ab Angelo *de Sacramentis dialogo 1. §. 6.* Victoria *de Sacramentis cap. 7.* Philiarcus *2. part. lib. 1. c. 6.* Franciscus Pitigianus *dist. 2. quæst. 1. art. 2.* Bellarminus *de Sacramentis lib. 2. c. 26* [Filliucius *tract. 1. cap. 3. quæst. 8. num. 49.*] Sicut enim homo in vita corporali, primò generatur; secundò nutritur; tertiò augetur; quartò curatur ab infirmitate, si qua laborat; quintò, si opus fuerit, armatur ad prælium in sui defensionem; sextò operam nauat propagationi humanæ ad Rempublicam conseruandam; septimò constituitur in dignitate ad gubernandos homines; ita in vita spirituali, primò regeneratur spiritualiter per Baptismum; secundò nutritur, ac corroboratur per Confirmationem; tertiò augetur, & crescit per Eucharistiam; quartò curatur à morbo per pœnitentiam; quintò armatur ad prælium mortis per Extremam vnctionem; sextò licitè intendit propagationi per matrimonium; septimò per ordinem constituitur in statu honorifico. Alias congruentias huius septenarij numeri videre potestis apud Summam Coronam *loco citato*, apud Magistrum *in 4. distinct. 2.* apud Sotum *in 4. distinct. 1. quæst. 6. art. 1.* apud Henriquez *lib. 1. cap. 7.* apud Sayrum *lib. 2. cap. 1. quæst. 2.* & apud Viualdum *in candelabro de Sacramentis, cap. 1. num. 6.*

3 *An Sacramenta habeant aliquam connexionem inter se.*

QVÆRES vtrùm hæc Sacramenta habeant aliquam connexionem, & ordinem inter se.

RESPONDEO, habere illum ordinem, quem nos recensuimus in prima propositione: verùm si respiciamus ordinem essentialem Sacramentorum, dicendum est Baptismum sibi vendicare primum locum; est enim ianua omnium Sacramentorum, ita vt alia Sacramenta inualidè suscipiantur, nondum suscepto Baptismo. Præterea si respiciamus ordinem necessitatis, primum locum tenet Baptismus, deinde Pœnitentia; quia nullus saluari potest sine Baptismo, vel etiam sine Pœnitentia post lapsum in peccatum: si verò respiciamus ordinem perfectionis, primus locus debetur Eucharistiæ, quia continet Christum veræ sanctitatis auctorem, vt benè tradit S. Thomas *loco citato, art. 3. in corpore.* Nugnus *ibidem, concluf. 1.* Coninchus *ibidem, art. 2. & 3.* Chamerota *de Sacramentis, cap. 6.* Sayrus *lib. 6. cap. 3 quæst. vnica de Sacramentis.* Henriquez *lib. 5. cap. 6. num. 5.* Valentia *tomo 4. disp. 3. quæst. 6. puncto 3.* & tanquam de fide colligitur ex Tridentino *sess. 7. canone 5.*

PVNCTVM III.

Vtrùm ante legem Euangelicam fuerint aliqua Sacramenta.

1 *Quotuplex status fuerit ante legem Euangelicam.*

NOtandum ante legem Euangelicam, posse triplicem statum assignari. Primus est status innocentiæ, in quo creatus fuit Adam cum iustitia originali. Secundus est status naturæ, qui durauit vsque ad Moysen, & dicitur status naturæ, quia [tunc solùm vigebat lex naturalis in hominum mentibus impressa, &] nondum erat imposita, & scripta lex positiua Dei. Tertius dicitur status legis scriptæ, qui fuit à Moyse vsque ad Christi aduentum.

Hoc posito quæram in hoc puncto, vtrùm fuerint aliqua Sacramenta in statu innocentiæ; secundò in statu naturæ; tertiò in statu legis scriptæ.

PRIMA PROPOSITIO.

2 *An extiterint Sacramenta in statu innocentiæ.*

IN statu innocentiæ non extiterunt Sacramenta. Ratio est, quia non constat, quænam fuerint in eo statu; tum quia in statu innocentiæ superuacanea fuissent Sacramenta, cùm iustitia originalis sufficienter præstaret, quod Sacramenta præstitissent. S. Thomas *3. parte, quæst. 61. art. 2.* Coninchus, & Nugnez *ibidem*, Suarez *ibidem, disput. 3. sect. 3. vers. 2. Dicendum*, Sayrus *de Sacramentis lib. 3. cap. 2. art. 2.* Angles *quæst. 2. art. 2. concluf. 1.* [Filliucius *tract. 1. cap. 3. quæstion 2.*]

OBIICIES, in statu innocentiæ fuit matrimonium, quod ab Apostolo ad Ephesios quinto, appellatur Sacramentum; ergo in statu innocentiæ fuit aliquod Sacramentum.

RESPONDEO, matrimonium in statu innocentiæ non fuisse Sacramentum; non enim erat signum sacrum significans, & conferens gratiam, &c. sed datum fuit in eo statu in officium naturæ, & ad propagationem humani generis: ab Apostolo autem dicitur Sacramentum, non quia verè fuerit Sacramentum, sed quia fuit mysterium, & figura futuræ incarnationis; sicut etiam lignum vitæ ab Augustino dictum fuit Sacramentum. Ita Henriquez *cap. 5. num. 1.* Suarez *loco citato vers. solum*, Perez, Rebellus, Sanchez, & alij, quos retuli *de matrim. quæst. 2. puncto 2. proposit. 1.*

3 *An perseuerante illo statu necessaria fuissent Sacramenta.*

QVÆRES, vtrùm perseuerante statu innocentiæ cum iustitia originali, eo pacto, quo fuit in Adamo, necessaria, vel congrua fuissent Sacramenta.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, quia, vel fuissent necessaria, & congrua in remedium peccati, vel vt homines haberent maiorem animi perfectionem; sed neutro modo fuissent necessaria. ergo non fuissent necessaria. Minor probatur, quo ad primam partem; quòd videlicet non fuissent necessaria primo modo, id est, in remedium peccati, quia homo fuisset in gratia, & perfecta animi sanctitate per iustitiam originalem. Probatur eadem minor, quo ad secundam partem, quòd videlicet Sacramenta non fuissent necessaria ad maiorem animi perfectionem, quia homo per iustitiam originalem, & dona supernaturalia, sufficienter eruditus fuisset in via supernaturalium per scientias infusas, nec non habuisset potentias inferiores subditas superioribus; ergo Sacramẽta non fuissent congrua, vel necessaria, perseuerante statu innocentiæ in remedium peccati, vel ad maiorem animi perfectionem. Ita S. Thomas *loco citato, art. 2.* Nugnez, & Coninchus *ibidem*, Henriquez *lib. 1. cap. 5. nu. 1* Summa Corona *de Sacramentis in genere num. 10.* Franciscus Pitigianus *dist. 1. quæst. 3. art. 5.* Vasquez *ibid. cap. 2.* Pesantius *ibid. disp. 2.* & alij communiter. Quamuis Suarez *loco citato num. 3.* dicat incertum esse, vtrùm Sacramenta fuissent perseuerante statu innocentiæ. [Idem tenet Filliucius *loco citato, num. 39.*]

OBIICIES, perseuerante statu innocentiæ, factæ fuissent oblationes, & alia ad diuinum cultum spectantia; sed istæ oblationes fuissent Sacramenta; ergo fuissent Sacramenta perseuerante statu innocentiæ.

RESPONDEO negando minorem propositionem: nam in illo statu necessaria non fuissent Sacramenta, consequenter oblationes, & alia ad diuinum cultum pertinentia, non fuissent Sacramenta. Ita Coninchus *3. parte quæst. 61. art. 2. num. 8.* & alij.

Dixi in propositione, perseuerante statu innocentiæ, eo pacto, quo fuit in Adamo: nam illo statu non perseuerante, homines peccassent, & consequenter illis congrua fuissent Sacramenta, tum in reme-

remedium peccati, tum ad animi perfectionem, vt per Sacramenta eleuarentur ad spiritualia, & supernaturalia.

Ex hac ratione colligitur primò fore, vt Sacramenta fuissent congrua, si homo creatus fuisset in puris naturalibus sine iustitia originali. Ita Suarez *disp. 3. sect. 3.* & alij communiter.

4 *An fuissent congrua si homo creatus fuisset in puris naturalibus sine iustitia originali.*

5 Secundò Beatissimam Virginem indiguisse Sacramentis: nam licet præseruata fuerit à culpa, non tamen præseruata fuit à pœnalitatibus, & alijs quibusdam effectibus, vt patebit [ex dicendis] de peccato originali, ad quos euadendos indiguit Sacramentis.

5 *An Beatissima Virgo indiguerit Sacramentis.*

6 Tertiò sequitur Sacramenta in statu naturæ lapsæ, tam ante, quàm post Christi aduentum necessaria fuisse, tum in remedium peccati, tum ad maiorem animi perfectionem.

6 *Quo tempore necessaria fuissent Sacramenta in statu naturæ lapsæ.*

SECVNDA PROPOSITIO.

7 IN statu naturæ fuerunt aliqua Sacramenta. Ratio est, quia non est credibile Deum, qui vult omnes saluos fieri, reliquisse homines in eo statu sine remedio, quo saluari possent: hoc autem remedium erant Sacramenta, & hæc fuerunt saltem duo.

7 *An fuerint in statu naturæ Sacramenta, & quænam.*

Primum fuit remedium pro paruulis, quod iustificabat ad modum operis operati, consistebatque in externa protestatione fidei facta à parentibus, qua protestabantur omnes saluandos per Christi aduentum. Propterea paruuli dicebantur iustificari in fide parentum; cùm enim infantes, vtpote rationis vsu carentes, non possent sibi remedium applicare, opus erat, vt hoc illis applicaretur ab alijs per externam fidei protestationem; & cùm Deuteronomij 30. dicatur, *Prope est Dominus omnibus*, signum est Dominũ etiam fuisse prope paruulis: fuit autem propè paruulis per remedium, quo parentes protestabantur fidem, &c. Ita Augustin. Beda, & Doctores communiter, apud Suarez *disp. 4. sect. 2. & 4.* apud Coninchum *loco citato art. 3.* apud Valentiam *tomo 4. disput. 3. q. 2. puncto 2.* apud Sayrum *de Sacramentis, lib. 3. c. 3. q. 2. artic. 1.* & apud Franciscum Pitigianum *dist. 1. q. 7. art. 4.* & apud Henriquez *c. 5. num. 5.*

Secundum fuit sacrificium pro adultis; sicut enim institutum fuerat remedium pro originali; ita par erat, vt aliud institueretur pro actuali peccato: sed nullum aliud remedium congruentius dicere possumus institutum fuisse pro actuali, quàm sacrificium; ergo sacrificium institutum fuit pro adultis.

8 *An distinguatur in sacrificio cultus Dei, & Sacramentum.*

Sed obserua in sacrificio duo distingui. Vnum est cultus Dei, qui per sacrificium colitur, & supremus omnium Dominus indicatur. Alterum est Sacramentum, quatenus per ipsum remittebantur peccata in virtute Christi venturi. Qua de causa S. Iob offerebat sacrificia pro peccatis filiorum. Vtrùm verò hoc esset propriè Sacramentum, videri potest apud Suarez *disp. 4 sect. 4.*

TERTIA PROPOSITIO.

9 *An fuerint Sacramenta in statu legis scriptæ.*

IN statu legis scriptæ fuerunt aliqua Sacramenta. Hæc propositio clarè deducitur ex ratione allata in secunda propositione.

10 *Quænam Sacramenta fuerint in lege scripta.*

10 QVÆRES PRIMO, quænam Sacramenta fuerint in lege scripta.

RESPONDEO plura fuisse, videlicet Circumcisionem, Sacrificium, Agnum Paschalem, & alia, vt innuit S. Thomas *loco citato art. 3. ad tertium*, Sayrus *loco citato c. 4. art. 2.* Valentia *loco citato, puncto 1.* Nugnez *3. parte, q. 70. art. 4. difficultate 1.*

11 *An Sacramenta veteris legis essent propriè Sacramenta*

11 QVÆRES SECVNDO, vtrùm Sacramenta veteris legis essent propriè Sacramenta.

RESPONDEO affirmatiuè cum communi Doctorum sententia, contra Sotum, & nonnullos alios. Ratio est; tum, quia in Tridentino habetur Sacramenta nouæ legis multum differre à Sacramentis veteris legis. Ergo Tridentinum videtur supponere Sacramenta veteris legis fuisse propriè Sacramenta; cùm illa nomine Sacramentorum appellet, & inter illa, & nostra differentiam assignet, tum quia definitio Sacramenti potest illis accommodari; poterant enim dici signa conferentia, & significantia sanctitatem legalem, prout tradit Bellarminus *loco citato lib. 2. c. 3.* Valentia *loco citato puncto 3.* Suarez *disp. 10. sect. 2.* & Sayrus *lib. 5. de Sacramentis cap. 7. numer. 3.* Cui autem conuenit definitio, conuenit etiam definitum.

12 *Sacramentum vniuocè prædicatur de Sacramentis veteris, & nouæ legis.*

Hinc colligit Coninchus *disp. 60. art. 4. dubio 2.* Nugnez *ibidem art 4. dubio 2.* Vasquez *3. p. q. 60. art. 4. disp. 128. c. 5. num. 49.* Bellarminus *de Sacramentis lib. 1. c. 12.* Sayrus *q. 3. cap. 2. art. 6.* Suarez *sect. 2. versùs finem*, contra Magistrum *in 4. distin. 1.* quem sequitur Chamerota *c. 1. dubio 4.* Sacramentum vniuocè prædicari de Sacramentis veteris, & nouæ legis.

13 *Differentiæ inter nouæ, & veteres Sacramenta*

Nec refert, quòd nostra sint perfectoria, quia non sunt perfectiora in ratione Sacramenti genericè sumpti, sed in ratione talis Sacramenti, sicut est homo respectu bruti.

Possunt tamen plures differentiæ inter nouæ, & veteres Sacramenta recenseri. Nam primò illa fuerunt difficiliora, vt patet in circumcisione. Secundò illa fuerunt vmbræ nostrorum Sacramentorum. Tertiò non conferebant gratiam ex opere operato. Quartò non introducebant ad gloriam, sicut nunc introducit Baptismus, cùm nondum esset aperta cœlorum ianua per Christi passionem. Quintò non habebant determinatam formam verborum, nullus enim potest illam assignare. Sextò non faciebant de attrito cõtritum. Ita Sayrus *lib. 5. de Sacramentis, c. 7. q. vltima, art. 5.* Chamerota *de Sacramentis, c. 1. n. 3.* Viualdus *c. 1. de Sacramentis in genere num. 11. & c. 2.* Henriquez *lib. 1. c. 2. num. 1.* Valentia *tomo 4. disput. 3. quæst. 6. puncto 1.* [Suarez *disp. 6. sect. 2.* Filliucius *tract. 1. c. 1. num. 17.*] & alij.

§. Vnicus.

De Circumcisione.

QVoniam in superioribus incidit sermo de circumcisione, de qua, tam veteres, quàm recensiores Doctores loquuntur frequentissimè; ne soli videamur eam ignorare, quatuor hîc breuiter quæremus. Primò quando fuerit instituta circumcisio, & quos obligaret. Secundò quis fuerit ipsius minister. Tertiò ad quid fuerit instituta. Quartò quid efficeret, [an esset necessaria, cur in ea corporis parte fieret, quo instrumento, & quo in loco.]

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Quando nam instituta, & cui tradita fuerit circumcisio.*

CIrcumcisio instituta fuit à Deo, & tradita fuit Abrahamo quadringentis annis ante legem scriptam Moysi traditam, nec non obligabat omnes ab Abrahamo descendentes. Ita colligitur ex Ioannis 7. & Genesis 27.

QVÆRES PRIMO, vtrùm illi, qui non descendebant ab Abrahamo, possent circumcidi.

2 *An circumcisio obligaret descendentes ab Abrahamo.*

RESPONDEO potuisse, sed non fuisse adstrictos ad circumcisionem. nam circumcisio data fuit Abrahæ, & obligabat ipsius descendentes, vt bene aduertit Henriquez *lib. 1. c. 6. num. 3.* & Nugnez *q. 70. art 2. concl. 2.* in locum Genesis citatum. & Franciscus Pitigianus *dist. 1. q. 6. art. 6.* nihilominus alij etiam poterant circumcidi, vt colligitur ex eodem cap. Genesis illis verbis: *Tam emptitius, quàm vernaculus circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra*; vbi obseruandum est, verbum illud *circumcidetur* importare capacitatem circumcisionis; quamuis non importet præceptum.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 *An esset determinatus minister circumcisionis.*

NOn erat determinatus minister circumcisionis. Quamobrem, non solùm masculi, verùm etiam mulieres circumcidebant filios, vt patet exemplo Sephoræ *Exodi 4.* quæ circumcidit filium suum, ne ab Angelo interficeretur, vt ostendit Barradius *1. parte tom. 1. cap. 9. pagina mihi 801.* Franciscus Pitigianus *dist. 1. quæst. 6. art. 8.* & Abulensis *in cap. 5. Iosuæ*, vbi addit non fuisse necessarium vt minister distinctus esset à suscipiente; sed aliquem potuisse seipsum circumcidere, quia in circumcisione non erat determinatus minister, nec vlla erat forma quæ redderetur falsa ex hoc capite, quòd quis seipsum circumcideret. Ita Suarez *3 p. quæst. 70. in commentario. art. 2. versi. Sed superfunt*, [Abulensis *loco citato.* Henriquez *lib. 1. cap. 6. num. 5.*]

TERTIA PROPOSITIO.

4 *Ad quid fuerit instituta circumcisio.*

CIrcumcisio instituta fuit ad delendum peccatum originale, vt patet, tum ex Patribus, qui circumcisionem appellant remedium peccati originalis; tum ex Genesis 17. vbi dicitur: *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima eius de populo suo.* Ex quo loco sic licet argumentari. Masculus non circumcisus octauo die, non saluabatur; circumcisus verò saluabatur. cùm autem nullus saluari possit cum peccato originali, sequitur peccatum originale priùs delendum fuisse, sed peccatum originale non delebatur per aliud, quàm per circumcisionem, cùm non extaret aliud remedium ad ipsum delendum; ergo circumcisio delebat peccatum originale, consequenter instituta fuit ad ipsum delendum, cùm res censeatur instituta ad illum effectum, quem operatur.

QVARTA PROPOSITIO.

5 *An conferret gratiam per modum operis operati.*

NOn videtur improbabile circumcisionem contulisse gratiam per modum operis operati, quatenus ex Dei pacto gratia conferebatur masculis, non actione, & virtute ipsius circumcisionis, sed ex sola Dei actione, ad præsentiam Sacramenti, simúlque ex merito Christi præuiso, & applicato per fidem in Christum. Hanc propositionem sustinet Henriquez *lib. 1. cap. 6. num. 1.* Sotus *in Quarto, dist. 2. art. 4.* & alij, quos citat, & sequitur Nugnez *q. 20. art. 4 difficultate 2.* Victoria *de Sacramentis cap. 2.* Philiarcus *2. part. lib. 1. cap. 3.* Franciscus Pitigianus *dist. 1. q. 6. art. 5. concl. 2. & 3.* Angles *q. 1. art. vltimo, concl. 3.* contra Valentiam *tomo 4. disp. 3. q. 3. punct. 3.* Suarez *disp. 10. sect. 2.* Bellarminum *lib. 2. de Sacramentis c. 14. & 15.* Sayrum *lib. 5. de Sacramentis. c. 7. q. vnica. art. 1.* & Coninchum *q. 62. art 6.* & alios.

Quòd circumcisio conferret gratiam, colligitur ex præcedenti propositione. Cùm enim circumcisio instituta fuerit ad delendum peccatum originale, debuit etiam gratiam conferre, qua peccatum originale deleretur; peccatum enim tollitur per gratiam; cùm priuatio tollatur per formam incompossibilem.

Quòd verò non sit improbabile circumcisionem contulisse gratiam ex opere operato; ratio est, quia illud dicitur producere gratiam ex opere operato quod vltra meritum, & dispositionẽ suscipientis confert gratiam, sed circumcisio conferebat gratiam vltra meritum, & dispositionem suscipientis, quam enim dispositionem, & meritum poterat habere paruulus octauo die, ergo circumcisio conferebat gratiam ex opere operato.

OBIICIES primò, circumcisio ex Tertulliano, & alijs Doctoribus citatis data fuit in signum ad distinguendum vnum populũ ab altero. Propterea dicebatur signaculum seminis, & præterea à Cypriano, & alijs apud præcitatos DD. dicitur nihil profuisse, ergo circumcisio non conferebat gratiam, sed erat quoddam signum distinctiuum vnius populi ab altero.

RESPONDERI potest cum Henriquez *c. 6. & 15.* circumcisionem dupliciter accipi posse. Primò pro externa cæremonia scissionis. Secundò quatenus cum illa cæremonia coniungebatur protestatio fidei in Christum venturum. Si circumcisio consideretur primo modo, non iustificabat, iustificabat verò secundo modo.

Ex quo patet RESPONSIO ad plures alias obiectiones, quæ in hac materia congeruntur, & adducuntur à Doctoribus: nam iuxta primam acceptionem circumcisio dicitur nihil profuisse, & dicitur fuisse infirmum & egemum elementum; secus iuxta secundam acceptionem.

OBIICIES secundò. Si circumcisio contulisset gratiam ex opere operato, non differret à Baptismo: hoc autem est falsum.

RESPONDEO negando sequelam. Quamuis enim non videatur improbabile circumcisionem contulisse gratiam per modum operis operati, nihilominus in multis differebat à Baptismo.

Primò, quia Baptismus confert maiorem gratiam, qua auferatur omnis culpa, & pœna; circumcisio verò non auferebat omnem pœnam, non solùm quia tunc temporis nulli patebat aditus in cœlum; verùm etiam, quia non erat instituta ad auferendam omnem pœnam, cùm tantummodo duratura esset vsque ad Christi mortem, qua cœlum apertum est.

Secundo, quia Baptismus non solùm confert gratiam, verùm etiam characterem, quem non conferebat circuncisio,

6 *An conferret gratiam paruulis, & adultis.*

6 QVÆRES PRIMO, vtrùm circuncisio non solùm conferret gratiam paruulis, verùm etiam adultis.

RESPONDET S. Thomas 3. *parte, q.* 20. *art.* 4. *ad quintum.* Henriquez *lib.* 1. *c.* 5. *num.* 5. *& c.* 15. *n.* 1. *&* 4. contra Suarez *disp.* 10. *sect.* 3. Coninchum *q.* 62. *art.* 6. *ad finem.* & Nugnum *loco citato, difficultate* 2. *concl.* 4. contuliſſe gratiam adultis cum attritione. Ratio eſt, tum quia circuncisio, vt dictum eſt, conferebat gratiam, ergo illam etiam conferebat adultis cum ſola attritione abſque præuia contritione, ſeu dilectione Dei ſuper omnia, alioquin gratia non fuiſſet collata per circuncisionem; ſed per contritionem, & dilectionem: contritio enim, & dilectio Dei ſuper omnia eſt diſpoſitio ſufficiens ad obtinendam gratiam, vt conſtabit ex dicendis de pœnitentia, tum quia adulti non deſcendentes ab Abrahamo ſemel iuſtificabantur per remedium legis naturæ, per attritionem, ergo etiã deſcendentes ab Abrahamo iuſtificabantur per circuncisionem, quatenus circuncisio dicit remedium legis naturæ, id eſt, proteſtationem fidei in Chriſtum, adiuncta ſimul attritione.

7 *An per circumcisionẽ deleretur tã peccatum originale, quàm actuale.*

7 Hinc colligitur per circuncisionem non ſolùm deletum fuiſſe peccatum originale; verùm etiam peccatum actuale in adultis, quatenus ſcilicet circuncisio directè fuerat inſtituta, ad delendum peccatum originale per infuſionem gratiæ; cùm enim nullum graue peccatum poſſit ſine alio auferri, vt patebit ex dicendis de pœnitentia, ſequitur per eandem circuncisionem, per quam directè delebatur peccatum originale, indirectè etiam deleta fuiſſe peccata actualia in adultis. Ita S. Thomas *in* 4. *diſtinct.* 1. *q.* 2. *ad quartum.* Henriquez *lib.* 1. *c.* 5. *n.* 5. & alij, quorum ſententia non videtur improbabilis.

8 *An eſſet neceſſaria, & qua neceſſitate.*

8 QVÆRES SECVNDO, vtrùm circuncisio eſſet neceſſaria, & qua neceſſitate.

RESPONDEO cum S. Thoma *q.* 70 *art.* 3. *ad tertium,* & alijs communiter, adultis fuiſſe neceſſariam neceſſitate præcepti, vt colligitur ex illis verbis Geneſis 17. n. 14. *Maſculus, cuius præputij caro circunciſa non fuerit,* &c. ſi ergo adulti non ſaluabantur abſque circuncisione, ſignum eſt circuncisionem illis fuiſſe neceſſariam, ſaltem neceſſitate præcepti. Paruulis verò non fuit neceſſaria neceſſitate præcepti, vel medij.

Quòd non fuerit neceſſaria neceſſitate præcepti, patet ex dictis de legibus, vbi oſtendimus, infantes ante rationis vſum, non eſſe capaces præcepti.

Quòd verò non fuerit neceſſaria neceſſitate medij, patet, quia illud eſt neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem, quo prætermiſſo ſalus non obtinetur. Sed paruuli morientes ante octauum diem, omiſſa circuncisione (circuncisio enim fiebat octauo die, & hic dies non poterat præueniri, quamuis poſſet poſtponi, vt cum S. Thoma *q.* 70. *art.* 3. *ad tertium,* & alijs obſeruat Henriquez *lib.* 5. *c.* 6. *n.* 5. Suarez *q.* 70. *art.* 3. *verſic. tertia pars,* & Franciſcus Pitigianus *diſt.* 1. *q.* 6. *art.* 7. Nugnus *q.* 70. *art.* 4. *ad finem.*) poterant ſaluari cũ ſolo remedio legis naturæ, ſicut etiam poterant ſaluari fœminæ, & maſculi aliarum nationum, ergo circuncisio non erat neceſſaria neceſſitate medij, ſed ſolùm ex ſuppoſitione, quòd aliud remedium non fuiſſet adhibitum, & hoc pacto videntur intelligenda illa verba; *Maſculus, cuius præputij caro,* &c.

9 *Cur fieret in ea corporis parte.*

9 QVÆRES TERTIO, qua de cauſa circuncisio fieret in ea corporis parte.

RESPONDEO cum S. Thoma *loco citato,* & alijs, multiplicem poſſe rationem afferri. Prima eſt ad oſtendendum Chriſtum naſciturum ex ſemine Abraham. Secunda eſt, quia circuncisio erat ordinata ad remittendum originale peccatum, quod per generationem tranſmittitur in poſteros. Tertia eſt, quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiſcentiæ, quæ præcipuè viget in ea parte. Ita Summa Corona *de Sacramentis in genere, num.* 40. Nugnus *q.* 70. *art.* 3. *in principio, & art.* 4. & alij.

[10 *Quo inſtrumento fieret.*

[10 QVÆRES QVARTO, quo inſtrumento fieret circuncisio.

RESPONDEO regulariter loquendo factam fuiſſe cultro ferreo, quia hoc eſt maximè aptum ad ſcindendum: aliquando tamen facta fuit cultello lapideo. Hoc pacto ad concordiam reuocari poſſunt DD. quorum aliqui ſimpliciter aſſerunt circuncisionem factã fuiſſe cultello lapideo: vt Magiſter *diſt.* 1. Auguſtinus 2. *de peccato origin. c.* 31. *ad finem* alij verò communiter factam fuiſſe putant cultro ferreo: vt S. Thomas & alij recentiores Thomiſtæ communiter, teſte Henriquez *loco citato n.* 4.

11 *Quo in loco fieri poſſet.*

11 QVÆRES QVINTO, quo in loco fieri poſſet circuncisio.

RESPONDEO non fuiſſe locum determinatum, quia de loco non extat præceptum, ideo circuncisio Baptiſtæ facta fuit domi, vocatis cognatis, & Chriſtus circunciſus fuit in Bethlehem, vbi repertus fuit à Magis, ex Cyrillo & alijs.]

12 *Quódnam remedium eſſet inſtitutum pro fœminis.*

12 QVÆRES VLTIMO, quódnam remedium conſtitutum fuerit pro fœminis, cùm ipſæ circuncidi non poſſent.

RESPONDEO pro fœminis perſeueraſſe remedium naturæ, de quo egimus in antecedenti puncto, propoſitione 2. quod remediũ etiam perſeuerauit pro maſculis morientibus ante octauum diem, qui non poterant ante octauum diem circuncidi. Ita S. Thomas *q.* 70. *art.* 4. *ad tertium.* Henriquez *c.* 6. *citato,* & alij. Qui plura ſcire cupit de circuncisione, videat S. Thomam *q.* 70. Suarez *ibidem in commentarijs, art.* 3. Barradium, Henriq. & Nugnum *locis citatis.*

PVNCTVM IV.

De neceſſitate Sacramentorum.

1 *Neceſſariũ quotupliciter dicatur.*

1 NOtandum neceſſarium dupliciter dici, primò abſolutè, & ex natura rei: quo prætermiſſo ſalus non poteſt obtineri, neque per abſolutam Dei potentiam, ſecundò ex ſuppoſitione, id eſt, ſuppoſita Chriſti inſtitutione.

Rurſus neceſſarium ex ſuppoſitione duplex eſt. Primum dicitur neceſſarium neceſſitate medij. Secundum dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti.

Illud dicitur neceſſarium ex ſuppoſitione neceſſitate medij, quo prætermiſſo, etiamſi ex ignorantia, vel obliuione prætermittatur, ſalus non obtinetur, iuxta legem Dei ordinariam.

Neceſſarium neceſſitate præcepti dicitur illud, quod oblata opportunitate neceſſariò præſtandum eſt ad ſalutem obtinendam, niſi forte prætermittatur ex ignorantia, vel impotentia, vel obliuione: nam quod prætermittitur ex ignorantia inuincibili, vel ex impotentia, vel obliuione, non imputatur ad culpam, conſequenter non impedit gloriæ conſecutionem; modò neceſſarium ſit tantummodo neceſſitate præcepti.

Hoc poſito, & prænotato tria breuiter quæram in hoc puncto. Primò vtrùm Sacramenta neceſſaria ſint abſolutè, & ex natura rei: ſecundò vtrùm neceſſaria ſint ex ſuppoſitione neceſſitate medij: tertiò vtrùm neceſſaria ſint neceſſitate præcepti.

PRIMA PROPOSITIO.

2 *An Sacramenta abſolutè, & ex natura rei ſint neceſſaria ad ſalutem.*

2 SAcramenta non ſunt abſolutè, & ex natura rei neceſſaria ad ſalutem. Ratio eſt, quia virtus infinita Dei non eſt alligata Sacramentis, Deus enim liberè Sacramenta inſtituit ad noſtram iuſtificationem & ſalutem, & potuiſſet alia media ad noſtram ſalutem inſtituere, nóſque ſine Sacramentis ad cœli gloriam euehere, & ſubleuare. Ita Hugo *de Sacramentis par.* 3. Bellarminus *lib.* 1. *de Sacramentis, c.* 22. Angles *q.* 2. *art.* 1. *concluſ.* 1. Valent. *tomo* 4. *diſp.* 3. *q.* 2. *puncto* 1. S. Thom. 3. *parte q.* 6. *art.* 4. Nug. & Conin. *ibidem* Suar. *tomo* 4. *de Sacramentis, diſp.* 3. *ſect.* 1. Sayr. *lib.* 3. *de Sacramentis c.* 1. *art.* 1. *& lib.* 6. *c.* 4. *q.* 1. Chamerota *cap.* 3. *de Sacramentis in genere.* Henriq. *lib.* 1. *c.* 4. *n.* 1. Reginald. *lib.* 26. *n.* 9. Vialdus *de Sacramentis in genere, c.* 3. *n.* 1. [Filliucius *tract.* 1. *c.* 2. *q.* 21.] & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 *An ſint neceſſaria Sacramenta neceſſitate medij.*

3 SAcramenta ſuppoſita Chriſti inſtitutione ſunt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem. Hæc propoſitio intelligitur indefinitè, id eſt, non de omnibus, & ſingulis Sacramentis, ſed abſolutè, & in genere, ſicque intellecta propoſitio eſt de fide, vt habetur in Tridentino *ſeſſ.* 7. *canone* 4. Ratio eſt, quia illud eſt neceſſarium neceſſitate medij, quo prætermiſſo ſalus obtineri non poteſt ſecũdùm legem Dei ordinariam, ſed prætermiſſis Sacramentis ſalus obtineri non poteſt, vt de Baptiſmo conſtat ex illis verbis, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poterit introire in regnum Dei.* Ita S. Thomas 3. *parte q.* 61. *art.* 1. Vaſquez & Peſantius *ibidem* Suarez *loco citato concluſ.* 1. Reginaldus *loco citato n.* 9. Valent. Sayr. Henriquez *locis citatis* Graffius 2. *parte libr.* 1. *cap.* 1. *numer.* 15. *&* 16. Bellarminus *loco citto* Vialdus *de Sacramentis in genere, c.* 3. *n.* 1. *verſ. & licet,* & alij *locis citatis* [Filliucius *loco citato q.* 2. *&* 7.]

TERTIA PROPOSITIO.

4 *An ſint neceſſaria neceſſitate præcepti.*

4 SAcramenta neceſſaria ſunt neceſſitate præcepti. hæc propoſitio conſtat à fortiori ex dictis in ſecunda propoſitione, quia, quod neceſſarium eſt neceſſitate medij, multo magis eſt neceſſariũ neceſſitate præcepti, quatenus eſt in noſtra poteſtate, & arbitrio, quilibet enim tenetur aſſumere medium neceſſarium ad ſalutem, & beatitudo tribuitur obſeruanti mandata, iuxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.*

Vtrùm verò aliqua Sacramenta neceſſaria ſint neceſſitate medij in re, vel in voto, & vtrùm omnia ſint neceſſaria neceſſitate præcepti, conſtabit ex dicendis de ſingulis Sacramentis.

QVÆSTIO II.

De materia, & forma Sacramentorum in genere.

PVNCTVM I.

Vtrùm omnia Sacramenta nouæ legis conſtent materia, & forma determinata.

1 *An reperiatur in Sacramentis materiale, & formale.*

1 NOtandum primò, ſicut quodlibet compoſitum conſtat duabus partibus, materia ſcilicet, & forma, ita Sacramentum, quod eſt quoddam compoſitum artificioſum, conſtare materia, & forma, quæ dicitur materia partis, & forma partis. Præterea, ſicut in compoſito artificiali præter materiam partis, & formam partis reperitur, non ſolùm materiale, quod comprehendit materiam partis, & formam partis, & dicitur materia totius; verùm etiam formale, quod etiam forma totius ab alijs nuncupatur; ita in Sacramento præter formam partis, & materiam partis, reperitur materiale, quod dicitur materia totius, & præterea reperitur formale, quod dicitur forma totius. Explico rem exemplo ſcamni, & nauis, quæ ſunt compoſita quædam artificialia, in quibus reperitur materiale, & formale. Materiale ſcamni, ſeu materia totius ſunt ligna, quin conſtant ſua materia, & forma phyſica; formale verò, ſeu forma totius, eſt aptitudo ad ſedendum, quæ reſultat ex lignis artificioſè diſpoſitis; materiale ſcamni duo includit, materiam ſcilicet partis, & formam partis. Materia partis eſt illa, ex qua compoſitum eſt lignum, quæ dicitur à Philoſophis materia prima; forma verò partis eſt forma ipſius ligni, quæ conſtituit lignum in ſuo eſſe. Idem dicendum eſt de naui, in qua reperitur materiale, & formale. Materiale ſunt ligna, formale eſt talis diſpoſitio, & modificatio, qua ligna coniunguntur, & coaptantur ad conſtituendam vnam nauim. In materiali nauis duo ſunt, materia partis, & forma partis. materia partis eſt illa, ex qua compoſita ſunt ligna; forma verò partis eſt illa quæ conſtituit lignum in ſuo eſſe, vt dictum eſt de ſcamno.

Ex intelligentia horum exemplorum colligitur, quid dicendum ſit de Sacramentis, in quibus tanquam in rebus artificialibus reperitur materiale, & formale. materiale continet materiam partis, & formam partis, vnde materiale Baptiſmi conſiſtit in ablutione aquæ, quæ eſt materia proxima Baptiſmi, & in præſcripta verborum forma, quæ eſt forma Baptiſmi, & dicitur forma partis: formale verò eſt illud, quod reſultat ex ablutione aquæ, & ex præſcripta forma verborum. hoc autem, quod reſultat ex huiuſmodi ablutione, & forma, eſt eſſe ſignificatiuum gratiæ, illámque conferre.

Ex quo patet, materiale Baptiſmi continere materiam partis, & formam partis. materia partis remota eſt aqua; materia partis proxima eſt ablutio, forma verò partis ſunt illa verba, *Ego te baptizo in nomine Patris,* &c. Ita Suarez *diſput.* 2. *ſect.* 2. Coninchus *q.* 60. *art.*

60. *art.* 6. *n.* 33. & 35. Vasquez *de Sacramentis disp.* 329. [Filliucius *tract.* 1. *cap.* 4 *quæst.* 2.] & alij communiter, qui ex dictis optimè colligunt materiam partis, & materiale non esse idem, sicut neque est idem forma partis, & formale : nam materiale continet materiã partis, & formam partis, formale verò est illud, quod resultat ex materia partis, & forma partis.

Hoc posito agendum nobis est in præsenti puncto de materia, & forma Sacramenti, quæ integrant materiale ipsius Sacramenti, & sunt materia partis, & forma partis: quod vt melius intelligatur,

2 *Quænam dicatur materia, & forma Sacramenti.*

2 Notandum secundò; cùm proprium formæ sit perficere materiam, & proprium materiæ sit esse quid indeterminatum, & imperfectum, illam dicendam esse materiam Sacramenti, quæ est quid imperfectum, illam verò dici formam, quæ perficit, complet, & determinat materiam, vt bene ait Bellarminus *lib.* 10. *de Sacramentis c.* 18. Reginaldus *lib.* 26. *num.* 12. Valentia *tom* 4. *disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 2. *vers. est tamen.* [Filliucius *tract.* 1. *c.* 4. *quæst* 1.]

Hac de causa diximus de matrimonio mutuam corporum traditionem esse materiam matrimonij; quia traditio corporum est quædam inchoatio contractus, & quid imperfectum, acceptationem verò traditionis corporum esse formam, quia acceptatio est perfectio, & complementum contractus, posita enim acceptatione, contractus matrimonij censetur completus, & perfectus.

His positis tria principaliter quæram in hoc puncto. Primò vtrùm Sacramenta nouæ legis habeant materiam, & formam. Secundò quotuplex sit materia Sacramentorum. Tertiò, vtrùm materia [& forma] Sacramentorum sit determinata.

PRIMA PROPOSITIO.

3 *An omnia Sacramẽta constẽt materia, et forma.*

3 OMnia sacramenta nouæ legis constat materia, & forma, vel, vt alij loquuntur, rebus, & verbis: verbis vt forma, rebus vt materia. Hæc propositio est definita de fide in Florentino in institutione Armenorum, & in Tridentino in decretis de Sacramentis, vbi habetur omnia Sacramenta tribus perfici, rebus vt materia, verbis vt forma, & persona ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. [Ita communiter DD. præcipuè S. Thomas 3. *part. quæst.* 6. *art.* 4. *& seqq.* Bellarminus *de Sacramentis cap.* 18. Vialdus *de Sacramentis in genere cap.* 3. *num* 6. Filliucius *tract.* 1. *c.* 4. *quæs.* 1. & alij proximè allegandi.]

4 *Quid intelligatur nomine rerum, & verborũ.*

4 QVÆRES PRIMO, quid intelligatur nomine rerum, & verborum, quando dicitur Sacramenta constare verbis vt forma, rebus vt materia.

RESPONDEO nomine rerum intelligi id, quo posito nondum est completa significatio Sacramenti, siue res illa sit quid permanens, siue sit actio, siue sint aliqua verba. nomine verborum intelligitur id, quod complet, & perficit significationem, siue sit nutus, siue scriptura, siue verba.

Ex quo fit, vt ablutio aquæ in Baptismo dicatur materia Baptismi, seu res Baptismi, quia posita ablutione sola nõdum est completa significatio Baptismi: nam ea sola posita, non apparet ipsam adhiberi ad lotionem spiritualem animæ, accedentibus verò verbis satis constat, ad quid ablutio adhibeatur, consequenter verba dicuntur forma Baptismi.

Idem asserendum est de reliquis Sacramentis, vt de matrimonio, in quo traditio corporum est loco materiæ, seu rerum, acceptatio est loco formæ, seu verborum, & de pœnitentia, in qua confessio peccatorum est loco materiæ, seu rerum: nam posita manifestatione peccatorum nondum apparet, ad quem finem ea manifestatio fiat, cùm fieri possit etiam ad se iactandum, & gloriandum, &c. Absolutio verò est loco formæ, seu verborum, quia accedente absolutione completur significatio, & satis apparet, ad quid confessio dirigatur. Ita Reginaldus *lib.* 26. *num* 16. Coninchus *disp.* 60. Bellarminus *lib.* 1. *de Sacramentis c.* 18 [Filliucius *loco citato.*] & alij communiter.

5 *Cur Sacramenta instituta sint in rebus, & verbis.*

5 QVÆRES SECVNDO, cur Sacramenta instituta sint in rebus, & verbis.

RESPONDEO, rationem esse, quia Sacramentum est quoddam signum: signum autem melius significat rebus, & verbis, quàm sine verbis. Alias congruentias affert Suar. *disp.* 2 *sect.* 1. *conclus.* 2. S. Thomas *q.* 60. *ar.* 6. Nugnus *ibidem art.* 8. Vasquez *ibidem* Pesantius *ibidem* Petrus Ledesma *de Sacramentos en commun, vers.* 5. *conclusion.* Sayrus *lib.* 1. *de Sacramentis c.* 3. *q. vnica. art.* 6.

SECVNDA PROPOSITIO.

6 *Quotuplex sit materia Sacramentorum.*

6 MAteria Sacramentorum duplex est, proxima scilicet, & remota, vt patet inductione in omnibus Sacramentis, vt in sacramento Baptismi. Materia remota est aqua, in confirmatione est Chrisma cum oleo, & balsamo; in Eucharistia est panis, & vinum, in pœnitentia sunt peccata, in Extrema vnctione est oleum benedictum; in ordinatione sacerdotali est calix cum vino, & patena cum hostia, in matrimonio denique sunt ipsæmet personæ contrahentes.

Materia verò proxima Sacramentorum in Baptismo est ablutio, in confirmatione, & extrema Vnctione est vnctio, in Eucharistia sunt species panis, & vini; in pœnitentia sunt actus pœnitentis; in ordinatione sacerdotali est porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hostia, in matrimonio est traditio corporum, vt melius constabit ex dicendis proprijs locis. Ita communiter Doctores, quamuis non omnes conueniant in assignanda materia matrimonij.

TERTIA PROPOSITIO.

7 *An materia Sacramentorum sit determinata.*

7 MAteria Sacramentorum est determinata, ea scilicet, quam Christus instituit. Ratio est, quia cùm Sacramentum totum suum esse habeat à Christo, tale debet esse, quale Christus instituit: sed Christus instituit determinatam materiam, vt constabit ex dicendis de singulis Sacramentis, ergo materia Sacramentorum est determinata. Ita S. Thomas *quæst.* 50. *art.* 7. Coninchus *ibidem art.* 5. & 7. Nugnus *ibidem.* Suarez *disp.* 2. *sect.* 3. *de Sacramentis tom.* 4. Reginaldus *loco citato num.* 14. Valentia *loco citato puncto* 2. [Filliucius *tractat.* 1. *cap.* 4. *quæst.* 4.] Chamerota *cap.* 1. *dubium* 6. Henriq. *loco citato.* Bellarminus *de Sacramentis libr.* 1. *c.* 21. & alij.

8 *An materia cuiuslibet Sacramẽti sit determinata in indiuiduo, in specie, & quo ad accidentia.*

8 Sed modò DVBIVM est primò, vtrũ materia cuiuslibet Sacramenti sit determinata primò in indiuiduo: secundò in specie: tertiò quo ad accidentia.

Ad primum RESPONDEO, materiam cuiuslibet Sacramenti non esse determinatam in indiuiduo, vt per se patet; Sacerdos enim potest hanc, vel illam hostiam adhibere ad conficiendam Eucharistiam, sicut etiam potest hac, vel illa aqua vti in Baptismo, & sic de cæteris Sacramentis, ergo materia Sacramenti non est determinata in indiuiduo. Ita Valent. & alij *locis citatis.*

Ad secundum RESPONDEO, materiam cuiuslibet Sacramenti esse vnam specie morali; vnde attritio, & contritio, quæ sunt materia proxima sacramenti Pœnitentiæ, quamuis inter se differant specie physica, cùm diuersa sint ipsarum obiecta, nihilominus dicuntur esse vnius speciei moralis, quatenus conueniunt in eodem effectu præstando, sicut plures ordines dici possunt vnum Sacramentum propter eundem finem, ad quem omnes diriguntur, quamuis singuli ordines constent sua materia, & forma. Ita S. Thomas *q.* 60. *art.* 5. Caietanus *ibidem.* Henriquez *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 9. & alij communiter.

Ad tertium RESPONDEO, materiam cuiuslibet Sacramenti esse determinatam quo ad illa accidentia, cum quibus inseruire potest confectioni Sacramenti, vt patet in Baptismo, in quo non quælibet aqua naturalis est apta materia, nisi sit fluxibilis, ita vt inseruire possit ablutioni.

9 *An glacies sit materia apta ad Baptismũ.*

9 Ex quo sequitur primò, glaciem non esse materiam aptam ad Baptismum, quia glacies non habet determinata accidentia, quibus inseruire possit ad abluendum; quamuis glacies differat tantummodo accidentaliter ab aqua fluxibili.

10 *An vinum latens intra vuas sit materia Eucharistiæ.*

10 Secundò sequitur, vinum latens intra vuas non esse materiã Eucharistiæ, quia caret determinatis accidentibus, quatenus non est sub forma potabili. Ita Doctores citati.

11 *An Ecclesia mutare possit materiã Sacramentorum.*

11 Secundò dubium est, vtrùm Ecclesia possit mutare, & variare materiam Sacramentorum.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, quia materia, & forma Sacramentorum est determinata, illa scilicet, quam Christus instituit, & determinauit. Ecclesia autem non est supra Christum, cùm Christus sit caput Ecclesiæ. Ita Suarez *disp.* 2 *sect.* 6. Reginaldus *l.* 26. *n.* 15. Valentia, Vasquez, & alij, quos in simili retuli de matrimonio *q.* 2 *punct.* 1 *num.* 2.

DICES, Ecclesia facit, vt matrimoniũ celebratum coram Parocho, & duobus testibus sit validum, sine Parocho verò, & testibus sit inualidum in ijs locis, in quibus acceptatum est Concilium Tridentinum, ergo signum est ab Ecclesia posse mutari formam, & materiam Sacramentorum, cùm Ecclesia possit mutare materiam Sacramenti matrimonij, & efficere matrimonium inualidum, quod alioquin esset validum.

RESPONDERI potest primò, hoc esse peculiare in Sacramento matrimonij, vt patet ex dictis de matrimonio *loco citato.*

RESPONDERI potest secundò cum Ægidio Coninchо *quæs.* 60. *art* 6 *n.* 42. Ecclesiam non mutare materiam, & formam in Sacramento matrimonij, sed reddere contrahentes impotentes ad ponendam veram formam, & materiam, nisi seruauerint conditiones præscriptas ab Ecclesia, sicut si efficeret aliquem ineptum, & impotentem ad proferendam formam Baptismi, diceretur causa, ne Baptismus validè conferretur, sed non diceretur mutare materiam, & formam.

RESPONDERI potest tertiò, Ecclesiam non mutare materiam, aut formam Sacramenti formaliter, & propriè, sed tantummodò remotè, quatenus habet potestatem in contractibus, cùm enim Christus eleuauerit contractum matrimonialem in Sacramentum, & Ecclesia non substituat aliquid loco contractus, sed adhuc vtatur contractu in celebratione matrimonij, sequitur non dici ab Ecclesia mutari materiam, aut substitui materiam distinctam ab ea, quam Christus instituit. Præterea sicut, qui corrumperet naturam panis, non ob id diceretur mutare materiam sacramenti Eucharistiæ, ita Ecclesia reddendo irritum contractum, non dicitur mutare materiam Sacramenti matrimonij, vt bene obseruat Didacus Nugnus 3. *parte q.* 60. *in commentario articuli quinti ad finem,* & Henriquez *c.* 8. *n* 10. vbi docet hanc esse differentiam inter matrimonium, & reliqua Sacramenta, quòd Sacramentum matrimonij fuit institutum in contractu, qui cùm sit res ciuilis, existens in potestate Ecclesiæ, potest aliqua ratione variari, quatenus Ecclesia potest aliquid præscribere, & aliquas conditiones apponere, sub quibus celebretur contractus matrimonij.

12 *Quomodo Ecclesia dicatur variare materiam matrimonij.*

12 Ex quo fit, vt Ecclesia dicatur remotè variare materiam matrimonij, sed non formaliter; cum loco contractus non substituat aliquid aliud pro materia, materia verò cæterorum Sacramentorum non fuit instituta in ea re, quæ sit in potestate Ecclesiæ, nam Ecclesia non potest facere, vt id, quod erat panis, non sit panis, & id, quod erat aqua, non sit aqua, &c. consequenter materia reliquorum Sacramentorum non dicitur posse ab Ecclesia variari non solùm formaliter, & directè, verùm neque remotè.

13 *An sit determinata forma Sacramẽtorũ.*

13 QVÆRES, vtrùm sicut est determinata materia Sacramentorum, ita etiam sit determinata forma, seu verba.

RESPONDEO ex diuina institutione formam Sacramentorum, quæ necessariò adhibenda est in Sacramentis, determinatam esse, ita vt si forma, seu verba formaliter, seu substantialiter varientur, Sacramenta non subsistant. Ratio est, quia, cùm Sacramenta totam vim suam habeant ex Christi institutione, ita fieri debent, sicut Christus instituit: sed Christus pro forma præscripsit verba determinata, ergo necessariò adhibenda sunt verba determinata, consequenter si verba formaliter, seu substantialiter varientur, Sacramenta non validè conficiuntur. nam forma substantialiter variata non est illa, quam Christus instituit. Ita Doctores statim citandi.

Dixi, si formaliter varientur, ideſt, quoad sensum, & significationem: nam, si varientur solùm materialiter, seu accidentaliter, Sacramenta validè conficientur, cùm accidentalis variatio non mutet substantiam rei,

14 *Quandonã verba dicuntur accidentaliter, seu materialiter variari.*

14 Tunc verba dicuntur accidentaliter, seu materialiter variari, quando saluatur eadem significatio, vt quando in eodem idiomate adhibetur verbum synonymum, aut verbum alterius linguæ idem significans.

15 *An validè administretur Baptismus tã verbis Latinis, quàm Græcis.*

15 Ex quo fit, vt Baptismus validè administretur non solùm verbis Latinis, verùm etiam Græcis, modò in illis eadem significatio reperiatur.

Secus, si non adsit eadem significatio, aut si deficiat debita intentio, vt accidit, quando minister cum mutatione accidentali intendit nouum ritum inducere in Ecclesia, & non intendit facere, quod facit Sancta Mater Ecclesia, &c. Ita Suarez *disp. 2. sect. 4.* Reginaldus *loco citato num. 20.* Henriquez *loco citato cap. 9.* Bellarminus *lib. 1. cap. 21.* Conynchus *q. 60. art. 8. num. 56. 59. & 61.* Nugnez *ibidem.* Chamerota *dub. 7. c. 1.* Vasquez *q. 60. disp. 79. c. 7. num. 105.* Pesantius *ibid. disp. 4.* Petrus Ledesma *in summa de Sacramentos en commun. c. 1. pag. 3. vers. 7. conclusion,* & alij communiter.

16 *Quot modis variari possint verba.*

16 Sed modò dubium est primò, quot modis variari possint verba.

Respondeo multis modis variati posse, vt bene aduertit Suarez *disp. 2. sect. 4.* Viualdus *de Sacramentis in genere c. 3. n. 14.* Coninchus *q. 60. art. 8. n. 68.* Nugnus *ibidem versiculo, quartò notandum.* Valentia *tom 4. disp. 3. q. 1. pun 2.* Henriquez *lib. 1. c. 9.* Vasquez *disp. 129. c. 7.* Sayrus *lib. 1. de Sacramentis c. 4. ab art. 2. vsque ad septimum.* Chamerota *loco citato.* Toletus *lib. 2. c. 19. n. 4.* Franciscus Pitigianus *dist. 3. q. 2 art. 12. 13.* Graffius *2. part. lib. 1. c. 3. n. 25.* [Bartholomæus ab Angelo *de Baptismo num. 116.* & Filliucius *tract. 1. cap. 4. quæst. 6.*]

Primò additione: vt, si quis baptizando dicat: Ego te baptizo in nomine Patris, qui te creauit, filij, qui te redemit, &c.

Secundò detractione, vt si quis baptizando dicat: Baptizo te in nomine Patris, & filij, &c. omissa particula, Ego, vel alia.

Tertiò deprauatione, & corruptione, vt si quis balbutiendo proferat verba cum modica, vel magna deprauatione, aut si proferat vnam litteram loco alterius. exempli gratia, si proferat, n, pro m, aut s, pro m: vt si consecrando dicat: Hoc est corpus meun, vel corpus meus.

Quartò, transpositione, vt si quis consecrando dicat: Meum est corpus hoc.

Quintò, interpolatione, vt si inter vnum, & alterum verbum tempus intercedat, vt si quis baptizando dicat, Ego te baptizo, deinde aliud impertinens agat, vel loquatur, & postea subiungat, in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti.

Sextò verbis synonymis: vt, si loco verbi, baptizo, dicat, abluo.

Septimò verbis æquiuocis.

17 *Quandonã inualidetur Sacramentũ per mutationem formæ.*

17 Circa prædictos variationis modos aduertendum est, inualidum esse Sacramentum, quoties verba ita variantur, vt non maneat eadem significatio, tunc enim mutatur forma substantialiter, & essentialiter, & non tantùm materialiter, & accidentaliter. Ita Chamerota *de Sacramentis tract. 1. dubio 6.* Viualdus *de Sacramentis c. 3. num. 14.* [& alij Doct. cit.]

Secus dicendum est, si eadem significatio perseueret, tunc enim mutatio dicitur tummodo materialis, & accidentalis.

18 *An valeat Baptismus collatus cũ additione verborum.*

18 Ex dictis colligitur primò, validum esse sacramentum Baptismi hoc modo administratum: Ego te baptizo in nomine Patris, qui te creauit, filij, qui te redemit, &c. Ratio est, quia huiusmodi additio non destruit significationem formæ, si verò Baptismus administretur hoc modo: Ego te baptizo in nomine Patris, & matris, videndum est, vtrùm baptizans intendat conferre Baptismum in virtute matris, & sic inualidè baptizat, quia substantialiter variatur significatio præscripta à Christo: si autem non intendat cõferre in virtute matris, sed per illius intercessionem, validè baptizat, quia non destruitur significatio formæ. Ita S. Thom. *q. 60. art. 16.* Bartholomæus ab Angelo *loco citato,* Coninchus *ibidem dubio 1. num 70.* Nugnus *ibidem difficultate 1. ad finem,* Tabiena *verbo Baptismus 3. num. 17. & 19* Henriquez *loco citato c. 9. num. 12.* Suarez *disp. 2. sect. 5. ad finem,* Armilla *verbo Baptismus num. 18.* Syluester *Baptismus 1. n. 5.* Sotus *in 4. sentent. dist. 1. q. 1. art. 8.* S. Antoninus *3. p. tit. 14. c. 13. n. 3.* Vasquez *3. parte disp. 79. art. 8. c. 7. n. 107. pag. 216.* & alij contra Graffium ex *parte 2. l. 1. c. 3. n. 25.*

19 *An valeat. si verba detrahantur,*

19 Secundò validè confici Sacramentum Eucharistiæ ab eo, qui consecrando dicit, Hoc est corpus meum, prætermissa particula, enim, nam prætermissa illa particula saluatur significatio per se intenta in forma sacramenti Eucharistiæ; cùm significatio per se intenta in sacramento Eucharistię sit significare transubstantiationem panis in corpus Christi, hæc autem significatio adhuc subsistit prætermissa particula, enim: sicut etiam subsistit significatio in Baptismo omissa particula, Ego. Ita Suarez *disp. 2. sect. 4. regula 5. & disp. 59 sect. 1. concl. 3.* Sotus *dist. 11. q. 1. art. 8.* Henriquez *l. 8. c. 16. n. 4.* Valentia *loco citato punct. 2.* & alij communiter, qui addunt Sacerdotem omittentem particulam, enim, in conficienda Eucharistia, non peccare mortaliter ratione leuitatis materiæ, cuius omissione saluatur adhuc sensus verborum, sed de hac re infrà.

20 *An valeat, si verba detrahantur, & corrumpantur.*

20 Tertiò colligitur, sacramentum Baptismi validè administrari ab eo qui dicit: Ego te baptizo in nomine patrias, filias, & spirituas sanctas. Ita Zacharias Papa *c. retulerunt,* [*de consecrat. distinct. 4.*] & cum eo Rodriquez *in summa de Baptismo c. 25. num. 1.* S. Tho. *3. p. q. 60. art. 7. ad 3.* Sylueſter *Baptismus 5.* Ang. *verbo Baptismus 2. num. 15.* Tabiena *verbo Baptismus 3. num. 16.* S. Antoninus *3. part. tit. 14. cap. 13. num. 3.* Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 7. ad finem,* & alij DD. communiter. Ratio est, quia vox illa, patrias, quamuis in rigore habeat aliam significationem, quàm significet pater; tamen quatenus profertur in administratione Baptismi, significat patrem ex communi modo percipiendi, consequenter deprauatio, & corruptio illius vocis non reddit irritum sacramentum Baptismi, quia variatio non censetur substantialis, sed accidentalis. Idem dicendum est de vocibus, filias, & spirituas sanctas.

21 *An inualidetur Sacramentum, quando mutatio verborum contingit in principio verborum.*

21 Sed obserua, sæpiùs contingere, vt Sacramentum inualidè administretur, quando mutatio verborum contingit in principio: vt si in Baptismo littera p, mutetur in particulam m, in prolatione illius vocis Patris resultat vox, matris, & sic Baptismus inualidè administratur, quia mutatio est substantialis, cùm verba transeant in significationem diuersam à significatione formæ: quando autem verba ex communi sensu, & modo concipiendi transeunt in significationem diuersam à significatione formæ, mutatio non dicitur accidentalis, sed substantialis, & formalis, consequenter inualidũ est Sacramentum cum tali mutatione administratum. Non est tamen vniuersaliter verum, Sacramentum esse inualidum, quoties mutatio contingit in principio verborum, cùm fieri possit, vt aliqua mutatio in principio verborum sit tantummodo accidentalis: vt si quis in consecratione Calicis dicat, Hic est calix zanguinis: nam illa particula z, ex communi modo concipiendi non tollit significationem substantialem. Ita Bartholomæus ab Angelo *de Baptismo dialogo 2. nu. 123.* Graffius *2. p. l. 1. c. 3. num. 29.* Angles *q. 1. art. 3. conclus 5.*

22 *An valeat, quando verba transponuntur.*

22 Quartò colligitur validum esse Sacramentum, quando verba ita transponuntur, vt nihilominus saluetur significatio substantialis: vt si quis baptizando dicat, Baptizo te, cùm illa particula, te, in forma consueta soleat anteponi verbo, baptizo. Ita Graffius *loco citato n. 30.* Idem dici posse videtur, quando quis in consecratione dicit, meum est corpus hoc, iuxta Henriquez, sed de hoc infrà suo loco.

23 *An validũ sit Sacramentũ factum cum interpolatione.*

23 Quintò, inualidum esse Sacramentum, quoties verba ita interrumpuntur, vt non componant vnam orationem, & vnum integrum sensum: vt si inter vnum, & aliud verbum prætereat vna hora, & hoc verum est à fortiori, quando ipsamet verba diuiduntur: vt si quis dicat, Ego te bap- deinde additis aliquibus verbis subiungat, tizo, tunc enim inualidè administratur Baptismus, quia non subsistit significatio, nec adest integer sensus formæ. Ita Bartholomæus ab Angelo *loco citato, num. 122.* & alij DD. citati, quibus adhæret Naldus *verbo Sacramentum, num. 4.* Ex opposito validum est Sacramentum, quando, posita interruptione, adhuc iuxta communem sensum vna componitur oratio, & vnus integer sensus efficitur, vt accidit quando interpositio, & interpolatio, seu mora exigua est, & modica: vt si quis dum profert verba Baptismi, Ego te baptizo, dicat, fuge hinc, vel, Dominus tecum, aut, veni huc, aut ista aqua est nimis frigida, aut si sternutet, aut breuem mentis euagationem patiatur, deinde subiungat, in nomine Patris, & Filij, &c. Ita Sayrus *loco citato c. 4. art. 7.* Valent. & alij *locis citatis,* qui bene aduertunt, curandum esse, vt verba successiue, & absque interruptione proferantur; sicut etiam curandũ est, vt forma, & materia coniungantur, vt validitas Sacramenti sit certior. Verùm, si quis in Baptismo, antequam abluat, aut etiam post ablutionem proferat formam Baptismi, valide baptizat; quia non adest talis interruptio, & mutatio, quæ sensum, & significationem verborum destruat, vt fatentur communiter DD.

24 *An valeat Sacramẽtũ adhibitis verbis synonymis.*

24 Sextò, validum esse Sacramentum, quando verba synonyma adhibentur: vt si loco verbi baptizo, dicatur abluo; nam hæc mutatio est tantummodo accidentalis, cùm verbum, abluo, æquè distinctè, & clarè importet idem, quod significat verbum baptizo; quando verò verbum non importat idem æquè distinctè, sed tantummodo confusè, fieri potest, vt Sacramentum sit inualidum; quia mutatio censetur substantialis, vt quando in Baptismo, loco illorum verborum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, dicitur, in nomine, Trinitatis, vt meliùs constabit ex dicendis de Baptismo. Ita Angles *quæst. 1. art. 3. conclus. 1.* & alij.

25 *An valeat, si adhibeantur verba æquiuoca.*

25 Septimò, validum esse Sacramentum administratum per verba æquiuoca; modò minister habeat rectam intentionem significandi, quod per verba formæ significatur, & non inducendi nouum ritum contra Ecclesiam Christi. Ratio est, quia licèt verba æquiuoca alias habeant significationes; vsurpantur tamen, & accipiuntur hîc, & nunc ad eum sensum, quem important verba formæ; consequenter mutatio non censetur substantialis. Ita Suarez *loco citato, sect. 4.* S. Thom. *q. 60. art. 8.* Coninchus *ibid. num. 63.* Nugnus *ibid.* Reginaldus *lib. 26. num. 23.* Henriquez *c. 9. num. 1. & 4. cap. 10. nu. 8.* Vasquez *disp. 129. cap 2.* Valentia & alij *locis citatis.* Dixi, modò minister rectam habeat intentionem, &c. nam si verba æquiuoca adhibeantur intentione significandi aliud, quàm per verba formæ significetur, non est validum Sacramentum, quia mutatio non est accidentalis, sed substantialis, cùm in verbis plures sensus habentibus intendatur sensus diuersus à sensu, & significatione formæ. Ita Suarez *loco cit. regula 4. & sect. 5. ad finem.* Henriquez, Valentia, & alij *locis citatis.*

26 *An aliquis possit in cõficiendis Sacramentis, confingere priuatim aliqua verba.*

26 Secundò Dvbivm est, vtrùm aliquis in conficiendis Sacramentis, confingere possit priuatim aliqua verba, illisque vti ad significandum id, quod significant verba formæ.

Respondeo negatiuè: nam quamuis verba significent ex impositione hominum, & institutione, nihilominus verba, quæ adhibentur in conficiendis Sacramentis, debent esse humana, publica, & accommodata ad communem hominum vsum. Cùm enim Sacramenta sint signa instituta propter bonum commune, debent in ipsis conficiendis adhiberi signa communi vsu recepta in vnoquoque regno, vel prouincia, cuiusmodi non sunt, quæ priuata auctoritate confinguntur, & ita communiter non accipiuntur, nec intelliguntur. Ita Suarez *loco cit. regula 2.* S. Thom. *quæst. 60. art. 7. ad tertium.* Nugnus *ibidem art. 8. vers. quartò notandum.* vbi bene aduertit, verba de nouo imposita non sufficere ad conficiendum Sacramentum, donec communiter recipiantur. Henriquez *loco citato c. 9. num. 2.* Sotus *in 4. dist. 1. q. 1. art. 8.* Reginaldus *lib. 26. n. 23.* Angles *q. 1. art. 3. conclus. 2.* Martinus Ledesma *tom. 1. quarti q. 1. art. 7. dubio 2.* Sayrus *lib. 1. de Sacramentis cap. 4. art. 8. difficultate 1.* Bellarminus *de Sacramentis lib. 1. cap. 21.* Franciscus Pitigianus *dist. 3. q. 2. art. 7. vers. 3.* sequitur Bartholomæus ab Angelo *de Baptismo §. 116.* & alij communiter.

27 *An loco verborum possint adhiberi nutus, aut scriptura.*

27 Tertiò Dvbivm est, vtrùm loco verborum formæ possint adhiberi nutus, aut signa, aut scriptura.

Respondeo negatiuè: nam adhibenda est forma, quam Christus instituit, Christus autem pro forma Sacramentorum non instituit nutus, aut signa, aut scripturam, sed verba, excepto matrimonio,

monio, *in* quo Christus præscripsit id, quod requiritur ad humanum contractum? humanus autem contractus celebrari potest ijs nutibus, & signis, quibus contrahentium consensus, & animus manifestatur. Ita Suarez *disp.2. sect.1.circa medium, & sect.4.ad finē.* Coninchus *loco citato art.8.num.77.* Graffius 2 *part. lib.1. c. 3. num.* 20. & alij communiter.

28 *An conficiat Sacramētū, qui prætermittit, vel addit verbū credens illud esse de essentia cū verè non sit, vel è contra.*

28 Quartò Dvbivm est, vtrùm validè conficiantur Sacramenta ab eo, qui prætermittit aliquod verbum, credens illud esse de essentia, cùm verè non sit, vel è contra: aut qui addit aliquod verbum, credens esse de essentia, cùm verè non sit.

Respondeo illum, qui omittit aliquod verbum, quod credit esse de essentia, cùm verè non sit, vel addit verbum, quod verè nō est de essentia, credens esse de essentia, validè conficere Sacramentum, modò debitam habeat intentionem: vt si intendat facere quod potest, vel quod intendit S. Mater Ecclesia, vel quod Christus instituit. Ita DD. citati. Ratio est, quia adest debita intentio cum debita forma, & materia, nec illa omissio, seu mutatio, vel additio est substantialis, sed accidentalis, & cum opinione, ac errore priuato stare potest intentio sufficiens ad conficiendum Sacramentum; cùm per generalem intentionem faciendi, quod potest, vel quod Ecclesia intendit, vel quod Christus instituit, corrigatur priuatus error ministri. Quamobrem Sacerdos, qui in conficiendo Christi corpore omittit particulam, enim, credens illam esse de essentia, aut qui in conficiendo Christi sanguine omittit particulam, æterni, aut mysterium fidei, credens illam esse de essentia, validè conficit, modò prædictam habeat intentionem. Secus si prædicta careat intentione, quamuis enim adsit debita materia, & forma, & omissio verè, & realiter non sit substantialis ex parte materiæ, vel formæ, nihilominus est substantialis ex parte intentionis: cùm minister Sacramenti, qui non intendit facere, quod potest, &c. careat sufficienti intentione, Sacramentum enim tribus perficitur, materia, forma, & intentione ministri. Ita Sayrus *lib.1.c.4. §. Aduotatiuncula.* Valentia *loco citato punct.2. versùs finem.* [Filliucius *tract.1. c.4.q.8.*] & alij *locis citatis.*

29 *An validè contrahat matrimonium, qui falsò credit subesse impedimētum dirimens.*

29 Hinc sequitur. Primò, eum, qui contrahit matrimonium credens subesse impedimentum dirimens, quod verè non subest, inualidè contrahere, si non intendat facere, quod potest. Secus si intendat facere, quod potest, vt patet ex dictis de matrimonio *q. 3. punct.10.* de impedimento ligaminis.

30 *An addens aliqua verba tāquam essentialia, validè conficiat Sacramentum.*

30 Secundò eum, qui addit aliqua verba tanquam essentialia, cùm verè non sint, validè conficere Sacramentum, si intendat facere, quod potest, &c. nam mutatio non est substantialis, cùm adsit debita materia, & forma cum intentione ministri. Quare, si quis in conficiendo Christi sanguine putet illa verba, mysterium fidei, &c. esse de essentia, validè conficit, cùm adsit sensus formæ, & sufficiens intentio, cum debita materia, & hoc procedit, inquit Suarez, etiam si minister intendat inducere nouum ritum, quia per hanc intentionem non tollitur intentio faciendi, quod potest. Intentio autem faciendi, quod potest, est sufficiens ad conficienda Sacramenta.

31 *An validè cōficiat, qui falsò credit aliqua verba non esse essentialia.*

31 Tertiò, eum validè conficere Sacramentum, qui in eo conficiendo credit aliqua verba non esse essentialia, cùm verè sint: vt si quis baptizet infantem, dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, &c. credens illa verba, in nomine Patris, & Filij, &c. non esse de essentia, hic enim valide baptizat, modò saltem in generali habeat intentionem faciendi, quod potest, vel quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, adest enim debita materia, & forma cum intentione ministri. Secus si prædictam non habeat intentionem: nam deficiente dicta intentione adest mutatio substantialis ex parte intentionis, cùm minister non intendat baptizare in nomine Patris, & Filij, &c. quæ sunt de essentia formæ Baptismi. Ita Sotus *dist.27 q.1. art.2.* Suarez *disp.2. sect.5. circa medium.* Henriquez *lib.1. cap.9. num.12.* Reginaldus *loco cit. num. 26.* Coninchus *q.60.art.8.* Nugnus *ibidem*, Couarruuias, Paludanus, & alij apud præcitatos DD.

32 *An pecet, qui in conficiendis Sacramentis vtitur materia, & forma dubia.*

32 Quintò Dvbivm est, vtrùm grauiter peccet, qui in conficiendis Sacramentis vtitur materia, vel forma dubia, de qua scilicet controuertitur inter DD. an sit sufficiens: vt si in administrādo Baptismo vtatur aliquo brodio, aut dicat: Ego te baptizo in nomine Christi, aut in nomine Genitoris, prætermisso nomine Patris. nam controuersia est inter DD. an Baptismus collatus in nomine Christi, vel addito nomine Genitoris loco Patris, sit validus, vt ostendam de sacramento Baptismi.

Respondeo grauiter peccare, si hoc faciat secluſa necessitate. Ratio est, quia exponit se periculo faciendi Sacramentum inualidum; cùm fieri possit, vt re vera illa materia, vel forma non sit sufficiens: in moralibus autem exponere se periculo faciendi Sacramentum inualidum perinde est, ac facere Sacramentum inualidum. Sicut ergo, qui facit Sacramentum inualidum, grauiter peccat, ita grauiter peccat, qui se exponit periculo faciendi Sacramentum inualidum. Ita Henriquez *cap.9. num.3. & cap. 27 num.7.* Valentia *loco citato punct.2. vers. Item notandum.* Coninchus *q. 60. art.8. num.50. & 80.* Nugnus *ibidem difficultate 3. folio 23.* Reginaldus *loco citato, num.25.26. & 56.* Suarez *disp. 16. sect.2.* [Filliucius *tract.1. cap.4. q.10.*] & quamplures alij, quos retuli in tractatu de peccatis, de opinione probabili. Hoc enim procedit, etiam si quis hoc faciat sequendo opinionem probabilem speculatiuè, vel etiam probabiliorem: nam adhuc exponit se periculo faciendi Sacramētum inualidum, cùm probabilis opinio nō suppleat id, quod Christus voluit esse de necessitate Sacramenti.

Dixi, secluſa necessitate, vt aduerterem, quando in necessitate non adest certa materia, sed tantummodo dubia, posse dubiam adhiberi, quamobrem si puer in articulo mortis existat, & solùm adsit aqua, de qua dubium sit, an sit sufficiens ad Baptismum, potest cum tali aqua Baptismus administrari. Idem dicendum est, quando nullus adest, qui nouerit formam certam, vt bene aduertit Nugnus *q.66.art.8.* & alij DD. præallegati.

33 *Materia dubia fecius adhibetur, quā forma.*

33 Obserua tamen, facilius adhiberi posse materiam dubiam, quàm formam dubiam, quia rarò solet accidere, vt quis cogatur vti forma dubia, excepto casu, quo nullus nouit certam formam, vel quo quis vtitur forma dubia ex graui metu sibi ab altero incusso: nam ex graui metu non videtur illicitum formam dubiam adhibere ad vitandum graue incommodum, præsertim si adhibeatur sub conditione, si forma valet. Hoc tamen limitatur, modò metus non incutiatur in contemptum Ecclesiæ, vt bene obseruant Henriquez *loco citato c.9. in Commentario littera B.* Coninchus *loco citato, num.82.* & alij DD. citati.

Vtrùm verò aliquis possit ex metu sibi incusso cum forma dubia baptizare infantem in articulo mortis existentem, patet ex dictis de charitate, ad quæ vos remitto.

34 *An pecceț, qui vtitur forma certa, sed ei aliquid addit.*

34 Prædictis addo non solùm, qui vtitur forma dubia, peccare, verum etiam, qui vtitur forma certa, sed ei aliquid addit, vel detrahit: nam facit contra ritum Ecclesiæ. Ad cognoscendum autem an peccatum graue sit, aut leue, respiciendum est, vtrùm adfuerit aduertentia, & deliberatio, & an res sit grauis, vel leuis, nam leuitas materiæ excusat à peccato graui, sicut etiam excusat inaduertentia, & indeliberatio. Ita Valentia *loco citato vers. vt verò.* Henriquez *c.9 ad finem.* Sayrus *lib.1 cap.4.art.8.* S. Thom. *q.60.art. 8.* [Filliucius *tract.1.c.4.q.9.*] Chamerota Ledesma, & alij *locis citatis*, cum quibus

35 *An iterāda sit forma quando quis aduertit se in ea defeciſſe.*

35 Obiter obserua, iterandam esse formam, seu Sacramentum iterum esse administrandum, quoties quis aduertit se in forma defeciſſe, aut non rectè protuliſſe, modò non sit scrupulus, & modò adsit necessitas conficiendi, vel suscipiendi Sacramentum.

36 *Sacramentum an possit iterum administrari, quando dubitatur de ipsius validitate.*

36 An verò Sacramentum possit iterum administrari, quando dubitatur de ipsius validitate, vt quando adhibita est forma dubia, seu quando sunt opiniones vtrinque probabiles de validitate Sacramenti, vel quando adhibita sufficienti diligentia remanet dubium, an aliquis sit baptizatus, seu quando mens manet dubia, & neutra pars potest determinari, an Sacramentum sit inualidum.

Respondetvr iterum administrandum esse sub conditione. Ratio est, tum quia adest iusta, & rationabilis causa, vt suppono, iterum administrandi Sacramentum sub conditione, cùm dubitetur de validitate prioris Sacramenti, tum quia hoc decernitur in Concilio Carthaginensi *canone 6.* tum quia sic vtiliter geritur negotium suscipientis cùm fieri possit, vt iterata Sacramenti administratione saluetur. Ita S. Thom. *3. parte, q. 66. art. 9. ad quartum.* Nugnus *ibidem concl.1. & 2.* Coninchus *ibidem, num. 91.* Valentia *tom 4 disp.4. q. 1. punct.4. versùs finem.* Henriquez *loco citato.* Emanuel Sà *verbo Baptismus n.3.* Bartholomæus ab Angelo *§.127.* Vialdus *de Baptismo c.5.n.25.* & alij communiter.

Secus dicendum est, quando adest leue dubium, seu leuis scrupulus: nam iteratio Sacramenti facta sine causa videtur quædam irrisio Sacramenti, & graue peccatum ex suo genere, vt ex communi Doctorum sententia aduertit Valentia *loco citato, versiculo, quod si dubium.* Coninchus *loco citato, n 92.* cum Catechismo Romano de Baptismo.

37 *An sint rebaptizandi illi, quos cōstat domi fuisse baptizatos.*

37 Ex quo patet primò, eos non esse rebaptizandos, quos domi constat fuisse baptizatos à parentibus, vel ab obstetricibus, vel ab alijs, sed solùm in Ecclesia supplendas esse solemnitates, vt bene ait Suarez *disp.31.sect.6.* Coninchus *loco citato, numer.9.* Bartholomæus ab Angelo *de sacramento Baptismi, dialogo 2. §.128.* Reginaldus *loco citato, num.54.* Sotus *in 4. dist.3. quæst. vnica, art. 9.* & alij communiter.

38 *An sint rebaptizandi, qui educati fuerūt pluribus annis inter Christianos.*

38 Secundò, non esse rebaptizandos eos, qui nati, & educati fuerunt pluribus annis inter Christianos, & à parentibus Christianis, nisi clarè constet non fuisse baptizatos. Ita Innocentius *cap. veniens. de Præsbytero non baptizato.* Nauarrus *cap.27.num.246.* Bartholomæus ab Angelo *§.127.* Suarez *loco citato.* Valentia *loco citato, vers. exempli gratia.* Reginaldus *lib.23.n.52.* Coninchus *loco citato, n.94.* & alij communiter.

39 *An rebaptizandi sint infantes à barbaris abrepti.*

39 Secus dicendum est de infantibus abreptis à Barbaris, si dubitetur, an abrepti, vel abducti fuerint ante Baptismum, vel pòst, isti enim baptizandi sunt sub hac conditione, si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c.

40 *An sint rebaptizandi pueri expositi sine vllo testimonio.*

40 Idem dicendum est de infantibus expositis sine vllo testimonio indicante ipsos esse baptizatos. Et hoc pacto intelligendum est Concilium Carthaginense, dum asserit, sub conditione baptizandos esse infantes, qui nesciunt, an sint baptizati, quando non sunt certissimi testes, qui hoc testentur. Verùm, ne Baptismus iteretur, sufficit, vt vnus testis, de quo non sit probabilis suspicio mendacij, testetur se certò scire talem esse baptizatum: nam illi fides adhiberi potest. Ita Suarez *q. 66. art.10 disp. 22. sect. 2. ad finem.* Coninchus *loco citato, n.97.* Bartholomæus ab Angelo *de Sacramento Baptismi §. 127.* Toletus *lib. 2. c.21. n. 3.* Graffius *2. part lib. 1. cap.4. num.37.* Vialdus *loco citato*

PVNCTVM II.

Vtrùm materia, & forma sint partes intrinsecæ, & essentiales Sacramenti.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An materia, & forma sint partes intrinseca Sacramentorum.*

1 Materia, & forma, seu res, & verba, si loquamur de Sacramentis nouæ legis, sunt partes intrinsecæ, necessariò requisitæ ad constituenda, & componenda Sacramenta. Ratio est, tum quia materia, & forma in quolibet composito sunt partes intrinsecæ, constituentes compositum, ergo sunt etiam partes intrinsecæ constituentes Sacramenta, quæ sunt quædam composita artificiosa. Tum quia illæ sunt partes intrinsecæ Sacramentorum, ex quibus resultat significatio practica Sacramentorum, seu formale Sacramentorum: significatio autem practica, seu formale Sacramentorum resultat ex rebus, & verbis, seu ex materia, & forma, vt patet inductione. nam in Baptismo non resultat significatio practica per solam ablutionem, sed per ablutionem, & formam verborum simul: & sic de cæteris Sacramentis. Ita Suarez *disp. 2. sect. 2.* Valentia *loco suprà citato punct.2.* Coninchus *3.p.q.60. art.6.nu.34.* Henriquez *c.8.n.7.* & alij statim citandi.

Dices, si res, & verba essent partes intrinsecæ Sacramenti, deberent simul esse, sicut sunt simul forma, & materia in composito, sed res, & verba non sunt simul, cùm successiuè fiant, vt

patet, tum in Baptismo in quo ablutio aliquando præcedit verba; tum in Sacramento pœnitentiæ, in quo peccatorum confessio antecedit absolutionem.

RESPONDEO negando debere simul omnino esse res, & verba; cùm enim res, & verba non ita sint partes intrinsecæ Sacramenti, sicut materia, & forma sunt partes intrinsecæ constituentes compositum physicum permanens, non est necesse, vt res, & verba in Sacramentis conficiendis sint simul physicè, & entitatiuè; sed sufficit simul esse moraliter, & consecutiuè, vt videlicet vnum sit moraliter post aliud, vt contingit in Sacramento pœnitentiæ, in quo res præcedunt, & verba subsequuntur. Cùm enim Sacramentum pœnitentiæ fiat per modum iudicij, sufficit in eo simultas rerum, & verborum: quæ sufficit, vt idem iudicium fieri, & per sententiam perfici censeatur. Ita S. Thom. *quæst. 60. art. 6. ad secundum*, Suarez *loco citato*, Henriquez *lib. 1. c. 8. num. 6. & c. 9. num. 10. & 11.* Reginaldus *loco suprà cit. num. 17. 16. & 195.* Toletus *lib. 2. c. 19. num. 2* Coninchus *quæst. 60. art. 6. num. 40.* Nugnus *ibidem difficultate 2.* Chamerota *de Baptismo cap. 2.* & alij.

Quanta distantia requiratur inter materiã, & formam Sacramentorum.

2 Quanta verò disiunctio, & distantia sufficiat in Sacramentis inter formam, & materiam, relinquendum est iudicio prudentis viri, qui existimare, & iudicare debet non eandem distantiam in omnibus sufficere; cùm enim in Sacramento Baptismi, confirmationis, ordinis, & extremæ vnctionis requiratur talis coniunctio, vt minister, dum profert formam, verè dici possit abluere, vngere, &c. sequitur paruam moram, & disiunctionem sufficere ad irritanda hæc Sacramenta, quod non accidit in pœnitentia, quæ administratur per modum iudicij, & in matrimonio, quod consistit in contractu, vt benè aduertit Sayrus *lib. 1. cap. 4. art. 7.* Chamerota *loco citato cap. 3.* Suarez, Coninchus, Bartholomæus ab Angelo *de Sacramento Baptismi §. 109.* & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

An res, & verba sint de essentia Sacramentorum nouæ legis.

3 RES, & verba, seu materia, & forma non solùm sunt partes intrinsecæ Sacramentorum nouæ legis; sed etiam sunt de essentia. Ratio patet, tum ex Christi institutione, quæ nobis innotuit per Ecclesiæ traditionem; tum quia Sacramenta non possunt conficiaut esse sine rebus, & verbis; tribus enim perficiuntur, rebus vt materia, verbis vt forma, cum intentione ministri, vt expressè habetur in Concilio Florentino *in decreto vnionis*; tum quia materia, & forma sunt de essentia aliorum compositorum; ergo sunt etiam de essentia Sacramenti; quod est quoddam compositum. Ita S. Thom. *quæst. 60. art. 6.* Coninchus *ibidem num. 37.* Suarez *ibidem disp. 2. sect. 2.* Nugnus *ibidem* Bartholomæus ab Angelo *de Sacramentis, dialogo 1. §. 7*, Angelus *verbo Sacramentum num. 2.* & alij.

Hîc autem loquor de Sacramentis nouæ legis: nam si loquamur de Sacramentis in communi, res, & verba non sunt de essentia Sacramentorum, cùm in Sacramentis veteris legis, præsertim in circuncisione non adessent verba, sed actio absque verbis, vt ostendit Suarez *loco citato.* [& Henriquez *lib. 1. cap. 6. num. 5. in comment. lit.* D. Abulensis *in Iosue cap 5. quæst. 44.*]

PVNCTVM III.

Vtrùm eadem materia, & eadem forma vbique terrarum sufficiat ad validitatem Sacramenti.

VNICA PROPOSITIO.

An vbique terrarum sufficiat eadem forma, & materia in singulis Sacramentis

1 AD validitatem Sacramenti vbique terrarum sufficit eadem forma, & materia in singulis Sacramentis. Propterea Baptismus forma Græcorum administratus non solùm valet in Græcia, verùm etiam hîc Mediolani, & alibi; sicut etiam hîc valet Eucharistia confecta in pane fermentato; & in Ecclesia Græcorum valeret Baptismus administratus forma Latina, & Sacramentum Eucharistiæ confectum in Azymis. Ita Suarez *loco cit. sect. 4. & 6.* Reginaldus *loco citato num. 22.* Viualdus *de Sacramentis in genere cap. 3. num. 21.* [Filliucius *tract. 1. cap. 4. quæst. 11. num. 70*] & alij communiter contra Innocentium, & alios Canonistas. Ratio est, quia mutatio accidentalis non destruit substantiam Sacramenti: mutatio autem accidentalis contingit, quando adhibetur forma, vel materia Latinorum in Ecclesia Græca, vel econtra; cùm sub vtraque saluetur eadem significatio.

OBIICIES, si Græcus, vel incola illius loci, in quo non est acceptatum Concilium Tridentinum, vellet hîc Mediolani contrahere matrimonium absque præsentia Parochi, vel testium, inualidè contraheret; quamquam validè posset contrahere in suis regionibus absque Parocho, vel testibus; ergo non sufficit vbique terrarum eadem forma, & materia: contractus enim, qui inseruit pro materia, & forma Sacramenti matrimonij, non potest vbique validè celebrari, deficiente circunstantia Parochi, & testium.

RESPONDEO hoc esse peculiare in matrimonio ratione contractus; contractus enim celebrandus est iuxta locorum consuetudines, & leges, vt constat ex dictis de legibus, & de matrimonio *quæst. 2. punct. 7.* Vnde si contractus celebretur iuxta consuetudinem alterius loci, inualidè celebratur. quod non accidit in reliquis Sacramentis, in quibus conficiendis, si adhibeatur forma, vel materia, qua vtitur alia pars Ecclesiæ, validè conficiuntur, consequenter qui in Ecclesia Latina vtitur forma Græcorum in administratione Baptismi, aut qui pane fermamento vtitur in Eucharistia conficienda, validè baptizat, & validè conficit Eucharistiam. Ratio istius differentiæ constat ex supradictis, vbi diximus Ecclesiam posse aliquam circunstantiam præscribere in contractu matrimonij, & cõsequenter posse remotè variare materiam Sacramenti matrimonij, non posse verò variare materiam reliquorum Sacramentorum, quæ non est in potestate Ecclesiæ.

PVNCTVM IV.

Vtrùm tota forma proferenda sit ab vno, & eodem ministro.

An tota forma proferenda sit ab eodem ministro.

VNICA PROPOSITIO.

1 TOta, & integra forma proferenda est ab vno, & eodem ministro. Ratio est, quia alioquin falsus redderetur sensus formæ. nam si quis in Baptismo diceret: Ego te baptizo, alio subiungente, in nomine Patris, falsum diceret, quia re ipsa non baptizaret: nam qui omittit aliquod verbum essentiale, non dicitur validè baptizare; sed qui omittit ea verba, in nomine Patris, & filij, &c. omittit aliquid, quod est de essentia; ergo non validè baptizat, consequenter, qui tantùm dicit: Ego te baptizo, falsum dicit, cùm re vera non baptizet.

Pari ratione, qui solùm dicit in nomine Patris, & filij, non validè baptizat; quia deficit sensus substantialis formæ, cùm omissio illorum verborum, Ego te baptizo, mutet substantialem formam. Excipe Sacramentum extremæ vnctionis, cuius vnctiones, sicut possunt à multis Sacerdotibus simul, aut successiuè fieri, ita etiam singulæ partiales formæ possunt à multis simul, vel successiuè proferri. Ratio exceptionis est, quia extrema vnctio confertur per modum orationis; oratio autem continuari, & perfici potest à multis. Ita Henriquez *lib. 1 cap. 9. num. 9. & lib. 25. cap. 30. num. 2. & 9.* Angles *quæst. 3. art. vltimo, concl. 2.* [Filliucius *tract. 1. cap. 4. quæst. 8. ad finem.*] & alij quos infrà referam de Sacramento extremæ vnctionis, & hoc à fortiori conceditur ab illis Doctoribus, qui putant partialem gratiæ gradum tribui in singulis vnctionibus; de qua re suo loco.

QVÆSTIO III.

De causa efficiente Sacramentorum, & de conditionibus in ipsa requisitis.

PVNCTVM I.

Quænam sit causa efficiens Sacramentorum.

Causa Sacramentorum quotuplex sit.

1 NOtandum triplicem esse causam Sacramentorum. Prima dicitur principalis auctoritatiuè. Secunda dicitur per potestatem excellentiæ. Tertia dicitur ministerialis. De his singulis causis breuiter nobis agendum est in hoc puncto tribus distinctis propositionibus.

PRIMA PROPOSITIO.

Causa principalis auctoritatiuè qualis sit.

2 CAusa principalis auctoritatiuè est solus Deus. Ratio est, [tum quia Deus instituit Sacramenta legis naturæ, & scriptæ. ergo etiam instituit Sacramenta nouæ legis, quæ præstantiora & excellentiora sunt: tum] quia ille dicitur causa principalis auctoritatiuè, qui independenter ab omni alio plenam habet facultatem eleuandi creaturas ad faciendum id, quod superat ipsarum naturam, & ad gratiam conferendam: sed huiusmodi facultas competit soli Deo; ergo solus Deus est causa principalis auctoritatiuè Sacramentorum: sicut etiam ipse instituerat vetera Sacramenta. Ita Bellarminus *lib. 1. de Sacramentis. cap. 23.* Valentia *tom. 4. disp. 3. quæst. 5. puncto 3.* Suarez *disp. 12. sect. 1. concl. 2. & 3.* S. Thom. *quæst. 64. art. 1.* Coninchus *ibidem art. 4. dubio 1.* Nugnus *ibidem.* Reginaldus *lib. 29. num. 32.* Henriquez *cap. 3.* Viualdus *de Sacramentis in genere cap. 1. num. 7.* Bartholomæus ab Angelo *dialog. 1. §. 21. & 24.* Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 5. &* Anton. *3 parte tit. 14. cap. 2. §. 5.* Victoria *de Sacramentis, cap. 4.* Franciscus Pitigianus *dist. 1. quæst. 3. art. 4. conclusione 1.* Angles *quæst. vltima art. 1. concluſ 1.* & alij communiter.

An aliquis præter Deum possit esse causa principalis gratiæ.

3. QVÆRES, vtrùm aliquis præter Deum possit esse causa principalis gratiæ.

RESPONDEO negatiuè cum communi Doctorum sententia. Ratio est; tum quia per gratiam aufertur iniuria Deo illata; sed iniuria Deo illata non potest principaliter auferri ab alio, quàm à Deo; creaturæ enim, cùm sint Deo subiectæ, non possunt condonare, & remittere iniuriam Deo illatam; cùm nullus inferior possit virtute propria remittere iniuriam suo Principi, vel domino illatam: ergo nullus præter Deum potest esse causa principalis gratiæ, seu principaliter producere gratiam effectiuè; tum quia effectus gratiæ est efficere filium Dei adoptiuum, & hæredem Regni illius; sed nulla creatura potest aliquem principaliter, & independenter à concessione Dei efficienter facere filium Dei, & hæredem Regni illius; ergo nulla creatura potest esse principaliter causa gratiæ, consequenter si quid gratiæ confert, confert ex concessione, & institutione Dei, non ex propria virtute.

Dixi in secunda ratione efficienter facere filium Dei, nam quòd aliquid creatum faciat formaliter filium Dei, nulla est repugnantia; Deus enim non potest esse causa formalis huius effectus, nec repugnat aliquid creatum esse causam formalem istius effectus; cùm hoc nihil diminuat de perfectione diuina. Quamobrem gratia, quæ est aliquid creatum, formaliter efficit filium Dei. Ita S. Thom. 3. *part. quæst. 64. art. 1.* Coninchus, & Nugnus *ibidem*, & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

Quisnam sit causa Sacramentorum.

4 CHristus est causa Sacramentorum per potestatem excellentiæ. Ratio est, tum quia, etsi Christus propter dependentiam, quam habet à Deo, non dicatur causa principalis auctoritatiuè; nihilominus dicitur causa per potestatem excellentiæ; cùm illi competat huiusmodi potestas propter excellentiam, quam habet ob vnionem cum diuinitate, & ob quandam omnipotentiam, iuxta illud Matthæi 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*; tum quia sicut Christus potuit delere peccata, & conferre gratiam sine Sacramentis, vt patet exemplo Magdalenæ; ita etiam potuit Sacramenta instituere, & re ipsa instituit ad remittenda peccata; tum quia Ioannis 1. dicitur, *Ipse est, qui baptizat*, videlicet per potestatem excellentiæ. Ita S. Thom. *quæst. 64. art. 2.* Sayrus *lib. 2. de Sacramentis c. 2. quæst. 2.* Suarez, Coninchus, Valentia, Nugnus, & alij *locis citatis.* Viguerius *de Sacramentis ver. 8.* S. Anton. *2. part. tit. 14. c. 2.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 1. §. 20.* Vasquez *loco cit. c. 2.* Pesantius *3. part. quæst. 64. disp. 1. 2. & 3. art. 2 & 4.* [Bellarminus *loco cit.* & Filliucius *tract. 1. cap. 2. quæst. 3.*]

An Christus instituerit omnia Sacramenta.

5. QVÆRES PRIMO, vtrùm à Christo instituta fuerint omnia Sacramenta.

RESPONDEO omnia Sacramenta fuisse à Christo instituta per potestatem excellentiæ, vt patet ex definitione Trident. *sess. 7. can. 1.* vbi hoc tanquam de fide definitur sub anathemate. Neque obstat dicere, Christum non meminisse omnium Sacramento-

mentorum. Non enim inde sequitur, omnia Sacramenta non fuisse à Christo instituta, vt patet ex Trident. *loco cit.* Vnde autem Sacramentorum institutio à Christo facta colligatur, constabit ex dicendis de singulis Scramentis. videte Sayrum *loco cit. cap. 2. quæst. 3.* Petrum Ledesmam *in sum part. 1. de Sacramentis in communi cap. 6.* Vasquez 3 *part. disp. 135. & 139.* Bellarminum *lib. 1. c. 24.* Suarez *disp. 12. sect. 1.* Coninchum *loco cit.* Reginaldum *lib. 28. num. 4.* & Valentiam *loco cit.* Sotum *in 4. dist. 1. part 3. art. 5.* Chamerotam *de Sacramentis c. 4.* Franciscum Pitigianum *dist. 1. quæst. 1. art. 3. sub finem.*

6 *An potuissent Apostoli, vel Ecclesia, Deo dispensante, instituere Sacramenta.*

6 QVÆRES SECVNDO vtrùm Christus potuerit potestatem instituendi Sacramenta communicare Apostolis, vel Ecclesiæ.

RESPONDEO affirmatiuè. Hoc enim nullam inuoluit implicantiam, quamuis reipsa Christus huiusmodi potestatem Apostolis non communicauerit, vt colligitur ex Tridentino *loco cit.* sed ipse instituerit Sacramenta, illaque tradiderit Apostolis suo tempore promulganda, de qua promulgatione intelliguntur DD. qui videntur asserere, Sacramenta fuisse aliquando ab Apostolis instituta. Ita S. Thom. *quæst. 64. art. 2.* Nugnus & Coninchus *ibidem*, Suarez *disp. 12 sect 2. ad finem.* Henriquez *cap. 3. num. 2.* Valentia *loco cit. punct. 3.* Summa Corona *de Sacramentis in genere num. 31.* S. Bonauentura, Ricardus, & alij, quos citat, & sequitur Sayrus *lib. 2. de Sacramentis cap. 3. quæst. 7. art. 1.* Reginaldus *loco citato.* nec dissentire videtur, nisi in nomine Vasquez *de Sacramentis disp. 135 c. 2. art. 4. n. 27.* Angles *quæst. vltima art. 3. concluſ. 3.* [Filliucius *tract. 1. cap. 2. quæst. 5.*

7 *Cur Christus hanc potestatem Apostolis non communicauerit.*

7 Si QVÆRAS congruentiam, quare Christus hanc potestatem Apostolis non communicauerit, cùm eam conferre potuerit.

RESPONDETVR hãc esse; tũ ne plura essent capita in Ecclesia, sed vnum, quod est Christus, tum ne homines ponerent spem suam in hominibus, sed in Deo, iuxta illud Ieremiæ 9. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Alias congruentias refert [S. Thom. 3. *part. quæst. 64. art. 4.*] Sayrus *loco citato, art. 2.* Franciscus Pitigianus *loco cit. art. 4. concl. 4.* [Filliucius *tract. 1. cap 9. quæst. 3.*]

TERTIA PROPOSITIO.

8 *Causa ministerialis quænam sit.*

8 CAusa ministerialis est minister, qui concurrit ad conficienda Sacramenta in nomine, & virtute Christi, & dici potest instrumentum conferendi gratiam. 1. Corinthiorum 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei,* & 2. Corinthiorum 3. *Qui idoneos nos fecit ministros noui Testamenti.* Ita S. Thom. *quæst. 64. art. 1.* Sayrus *loco cit. quæst. 9.* Suarez, Coninchus, S. Antoninus 3. *part. tit. 14. c. 2. §. 9.* Vasquez *loco cit. cap. 3.* & alij *locis citatis.*

OBIICIES, in Scriptura habetur solum Deum esse causam gratiæ, & iustificare, vt Matthæi 9. *Nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus;* & ad Romanos 8. *Deus, qui iustificat.* ergo nullus præter Deum videtur concurrere ad conficienda Sacramenta; cùm per Sacramenta remittantur peccata, & homo iustificetur.

RESPONDEO, solum Deum esse causam principalem gratiæ, & non excludi, quin homo possit esse causa minus principalis, & ministerialis, & instrumentalis, vt patet ex 1. *Corinthiorum* 4. & ex 2. *Corinthiorum* 3. Hinc sequitur, Paganum baptizantem esse instrumentum efficiens gratiam.

9 *[An solus homo] sit minister Sacramenti.]*

9 [Sed modò dubium est. Primò, vtrùm solus homo sit minister Sacramenti.

RESPONDEO solum hominem de potentia Dei ordinaria esse ministrum necessarium & sufficientem. Ratio est, quia ille est minister necessarius, & sufficiens, quem Christus instituit, & cui potestatem administrandi Sacramenta contulit: sed Christus hanc potestatem contulit solùm hominibus, vt patet tum ex locis Scripturæ allatis, tum ex dicendis de singulis Sacramentis. ergo solus homo est minister Sacramentorum. Ita S. Thom. *loco citato artic. 7.* Suarez *de Sacramentis disput. 13. sect. 1.* & alij DD citati. Addo non quemlibet hominem, etiam baptizatum, esse legitimum Sacramenti ministrum (excepto Baptismo, & matrimonio) quia Christus non contulit cuilibet homini potestatem conficiendi & administrandi Sacramenta, vt constabit ex dicendis de singulis Sacramentis.]

10 *An Angeli possint esse ministri Sacramentorum.*

10 Secundò DVBIVM est, vtrùm Angeli possint esse ministri Sacramentorum.

RESPONDEO posse ex diuina dispensatione. Ratio est; tum quia virtus Dei non est alligata: tum quia sicut Deus potest effectum Sacramentorum producere absque Sacramentis; ita etiam potest constituere Angelos ministros Sacramentorum.

11 *An esset verum Sacramentum, si administraretur ab aliquo Beato.*

11 Ex quo infertur, illud habendum esse tanquam verum Sacramentum, quod constaret ab aliquo Beato, vel Angelo fuisse administratum, verbis per assumptum corpus prolatis. Ita S. Thom. *loco cit. art. 7. in corpore.* Pesantius *ibidem, concluſ. 2.* Vasquez *ibidem.* Henriquez *lib. 1. c. 26. num. 2.* Coninchus, Nugnus, Summa Corona, Suarez, & Reginaldus *locis citatis,* & Sayrus *lib. 2. c. 3. quæst. vnica art. 2. propositione 5.* vbi hoc comprobat exemplis Angles *quæst. vlt. art. vltimo, concluſ. 1.*

Neque obstat, quòd Angelus non possit propriè loqui, cùm locutio sit actio viuentis: nam sufficit in tali euentu, vt Angelus proferat voces similes humanis vocibus, quæ percipiantur ab hominibus.

12 *An validum esset Sacramentum à Diabolo administratum*

12. Si verò aliquod Sacramentum de potentia ordinaria administraretur à Diabolo, non habendum esset validum, sed inualidum; quia non est credibile, Deum vnquam daturum Diabolo facultatem conferendi vera Sacramenta: cùm Dæmon intendat hominis perditionem, & non salutem. Ita S. Thom. *artic. 7. citato.* Caietanus *ibidem.* Bellarminus *lib. 1. cap. 24.* Sayrus *lib. 2. cap. 3. art. 2.* Pitigianus *lib. 6. quæst. 1. art. 6. concluſ. 1.* Angles *loco citato.* Coninchus *loco citato, num. 55.* Bartholomæus ab Angelo §. 174. & alij.

13 *Cur Deus instituerit homines Sacramentorum ministros.*

Non nego tamen, quin Dæmon de potentia Dei absoluta possit in assumpto corpore validè baptizare de mandato Dei: quia Dæmon est creatura Deo subiecta, illique debet obedire. Ita Pitigianus *loco citato, concluſ. 3.* & alij DD. citati.

13. Si QVÆRAS, cur Deus potius constituerit homines ministros Sacramentorum, quàm Angelos.

RESPONDETVR rationem fundari in conformitate, quam habet vnus homo cum alio; sicut Deus, vt saluaret hominem, factus est homo. Ita S. Thom. *art. 7. citato.* Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 7.* Angelus *verbo Baptismus.* S. Syluester *v. Baptismus 3. n. 3.* Tabiena *v. Baptismus 6. num. 5.* Armilla *eodem verbo num. 46.* Bartholomæus ab Angelo *de Sacramento Baptismi dialog. 2. §. 173.* Angles *loco citato.* Sayrus *lib. 2. cap. 3. quæst. vnica, artic. 2. propositione 4.* vbi plures congerit DD.

Quis autem sit minister singulorum Sacramentorum, constabit ex dicendis de singulis Sacramentis.

PVNCTVM II.

De conditionibus requisitis in ministro Sacramentorum.

[OBserua primò, me hîc non agere de potestate requisita in eo, qui Sacramenta ministraturus est; constat enim potestatem requiri, cùm sine potentia nihil agi possit, & actus supponat potentiam. Quamobrem qui non habet potestatem conficiendi Sacramentum, & nihilominus illa conficere attentat, non solùm committit graue sacrilegium, verùm etiam alia peccata pro qualitate circumstantiarum: vt si laicus, vel clericus carens sacerdotali charactere attentet conficere Eucharistiam, aut absolutionem sacramentalem alteri conferre, perspicuum est multorum peccatorum reum esse, vt idololatriæ, iniustitiæ, ob deceptionem suscipientis, &c.

An autem is, qui dubitat se potestatem habere ad conficienda, vel administranda Sacramenta, possit illa conficere, vel administrare, patet ex dictis de legibus, dum loquerer de opinione probabili, & de conscientia dubia.

Obserua secundò, me hîc non loqui de obligatione ministri circa Sacramentorum administrationem, quia in hac re seruandæ sunt regulæ generales, quas alibi tradidi; is enim, qui Sacramenta ministrare debet, vel tenetur ministrare ex officio, aut contractu, vel tenetur ex sola charitate. Si tenetur ex sola charitate, seruandæ sunt regulæ, quas tradidi de charitate *in tractatu de legibus.* si tenetur ex officio, siue contractu, seruanda sunt illa, quæ tradidi de contractibus, & infrà de pœnitentia, dum loquar de obligatione Parochi ad excipiendam suorum subditorum confessionem; quamquam in genere, & per se loquendo, tam charitas, quàm iustitia grauem inducere solent obligationem, cùm materia grauis sit, & de re magni momenti agatur. Hic ergo solùm agam de probitate, fide, & intentione ministri, requisita ad conficienda Sacramenta. Quamobrem primo loco explicabo,]

Vtrùm bonitas sit necessaria ad validam, vel licitam Sacramentorum administrationem. Secundò, vtrùm necessaria sit fides. Tertiò vtrùm necessaria sit intentio.

§. I.

Vtrùm probitas, seu bonitas ministri requiratur ad validam, & licitam administrationem Sacramentorum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An necessaria sit probitas ministri ad validam administrationem Sacramentorum.*

1 PRobitas ministri regulariter loquendo, non est necessaria ad validam Sacramentorum administrationem. Ratiò est, tum quia minister Sacramentorum, quamuis sit improbus, vel etiam hæreticus, habet potestatem conficiendi Sacramenta, retinet enim characterem indelebilem, per quem confertur potestas conficiendi Sacramenta, & per quem operatur in virtute Dei, qui potestatem collatam non aufert per peccatum: tum quia alioquin sequeretur, suscipientem Sacramenta frustrari aliquando, & priuari Sacramentis, aut Sacramentorum effectibus defectu ministri: quem constat aliquando carere fide, & grauissimis detineri sceleribus. hoc autem non videtur admittendum. Ita S. Thom. 3. *part. quæst. 64. art. 5.* Vasquez *ibid.* Pesantius *ibid.* Suarez *disp 13. sect. 4.* Henriquez *lib. 1. c. 28.* Angles *quæst. vltima art. 3. concluſ 2.* Bellarminus *lib. 1 c. 26.* Valentia *loco citato, punct. 3.* Reginaldus *lib. 36 num 34.* Nugnus *quæst. 64 art. 5.* Coninchus *ibid.* Chamerota *cap. 2. dub. 4.* [Filliuc. *tract. 1. cap. 4. quæstion. 8.*] Sotus, Bartholomæus ab Angelo *dialo. 1. §. 38,* vbi pro se citat multos Doctores, & alij apud Sayrum *lib. 2. cap. 6. artic. 2. quæst. vnica.*

Dixi, regulariter loquendo: nam fieri potest vt aliquando Sacramenta non validè administrentur ab improbo ministro, vt accidit in Sacramento pœnitentiæ, ad cuius administrationem pœnitens absque vlla necessitate inducit Confessarium, quem nouit illud administraturum in peccato mortali, cùm tamen ipse habeat copiam alterius Confessarij probi: tunc enim pœnitens inualidè recipit Sacramentum pœnitentiæ: quia inducit improbum ministrum ad peccatum, ipsique peccatum ministri imputatur: [qui autem mortaliter peccat in susceptione absolutionis sacramentalis, inualidè recipit Sacramentum pœnitentiæ, vt infrà ostendam.]

Idem dicendum est de Sacramento pœnitentiæ administrato ab excommunicato vitando: cùm enim Sacramentum pœnitentiæ requirat iurisdictionem in Sacerdote administrante, & Sacerdos excommunicatus vitandus prædicta careat iurisdictione, sequitur Sacramentum pœnitentiæ inualidè administrari ab excommunicato vitando [quanquam in tali euentu Sacramentum est inualidum potius defectu iurisdictionis, quàm probitatis.] Secus dicendum est de excommunicato non vitando, qui cùm toleretur ab Ecclesia, non caret iurisdictione, consequenter si pœnitentiæ Sacramentum administret, validè administrat, vt patet ex dictis de censuris [*quæst. 2. punct. 2. §. 3. & 4.*]

OBIICIES contra propositionem, nullus potest dare, quod non habet, sed improbus non habet gratiam: ergo non potest gratiam alijs conferre, consequenter Sacramenta ab improbo ministro collata non videntur valida.

RESPONDEO nullum posse dare, quod non habet formaliter, vel æquiualenter, dum facit aliquid principaliter, & in virtute propria: minister verò Sacramentorum non confert gratiam prin-

principaliter, & in virtute propria, sed in virtute Christi, consequenter mirum non est, ministrum Sacramenti gratiam conferre, quam non habet. Ita DD. citati.

SECVNDA PROPOSITIO.

PRobitas in ministro deputato, & consecrato, [ad munus administrandi Sacramenta] quamuis non sit necessaria ad validam, est tamen necessaria ad licitam Sacramentorum administrationem, consequenter minister, qui deputatus est, & consecratus ad administranda Sacramenta, tenetur se præparare ad gratiam, vt ea licitè administret. Ita S. Thom. 3. *part. quæst. 64. art. 4. & 6.* Caiet. *ibid.* Coninch. *ibid. art. 6. dub. 1.* Nugnus *ibid. art. 6. difficultate 3.* Suarez *disp. 16. sect. 3.* Henriquez *lib. 1. cap. 29. num. 2.* Valentia *loco cit punct. 3.* Nauarrus *cap. 22. num. 3.* Sayrus *lib. 2. de Sacramentis cap. 7. quæst. 1. art. 1. & 2. & quæst. 3. art. 1.* Chamerota *cap. 2. dubio 3.* Reginald. *lib. 26 num. 57. & 58.* Bartholomæus ab Angelo *loco cit. § . 39.* Pitigianus *dist. 5. quæst 1. art. 1. & quæst. 3. art 4* Angles *quæst. vlt. art. 5. concluſ. 1.* Viualdus *de Sacramentis in genere, cap. 3. num. 16.* Victoria *de Sacramentis num. 26.* Vasquez *3 part. disp. 136. cap. 1. 2. & 3.* Pesantius *3. p. quæst. 64. art. 6.* Petrus Ledesm. *in Summa de Sacramentis c. 6.* [Filliucius *tract. 1. cap. 5. quæst. 10.*] Ratio est, tum quia Isaiæ 32. dicitur, *Mundi estote, qui fertis vasa Domini,* & Leuitici 22. *Omnis, qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Ex quo loco desumitur argumentum à minori ad maius. In administratione Sacramentorum veteris legis requirebatur sanctitas: ergo multo magis requiritur in administratione Sacramentorum nouæ legis, quæ perfectiora sunt. Tum quia in canone, *Necesse est,* dicitur, *Necesse est vt munda sit manus, quæ diluere sordes curat.* Tum quia, inquit S. Thom. *quæst. 64. art. 6. in corpore,* ministri Sacramentorum debent conformari illi, cuius sunt ministri, iuxta illud Genes. 16. *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum;* & Ecclesiastici 10. *Secundùm iudicem populi, sic & ministri eius.* sed ille, cuius sunt ministri, est Deus, qui iustus est, & sanctus; ergo ministri Sacramentorum debent esse iusti, & sancti; tum quia minister non existens in gratia contaminat, & commaculat Sacramenta; nam quantum est ex parte sua, pertractat illa tanquam rem profanam, & nullius momenti, in quo cernitur, & apparet grauis irreuerentia: tum quia minister deputatus, & consecratus ad Sacramenta administranda specialem gratiam recepit ad illa dignè administranda; ergo grauiter peccat, quoties illa indignè administrat in peccato mortali; cùm in re graui faciat contra id, ad quod est specialiter deputatus cum gratia speciali. Ita Viualdus *de Sacramentis in genere c. 3. num. 16.* Sotus *num. 4. dist. 1. quæst. 5 art. 6.*

1 *An hæc probitas necessaria sit ad licitam illorum administrationem*

3 *Sacerdos debet se constituere in gratia antequam administret Sacramenta*

Hinc sequitur, Sacerdotem habentem conscientiam peccati mortalis, debere conari, & curare, vt in gratia constituatur, antequam administret Sacramenta. Quamobrem, si aduertat se solum attritum, debet contritionis actum elicere; si verò aduertat se non posse actum contritionis elicere, debet pœnitentiæ Sacramentum recipere; quia debet assumere media, quibus ad gratiam sanctificantem disponatur, ne Sacramenta indignè pertractet. Verùm si credat se esse in gratia per actum contritionis, non tenetur recipere Sacramentum pœnitentiæ. Ratio est, tum quia non extat vllum ius naturale, vel diuinum, vel humanum, quo probetur teneri Sacramentum pœnitentiæ recipere, quoties est in gratia per actum contritionis, excepto casu, quo quis recepturus est Eucharistiam, vt suo loco ostendam; tum quia minister Sacramenti tenetur illud remedium adhibere, quo moraliter certus sit se esse in gratia; hoc autem remedium, & diligentia sufficienter adhibetur per contritionem præuiam; ergo non tenetur præmittere confessionem, si bona fide credat se esse in gratia per contritionem. Ita Didacus Nugnus *quæst. 64. art. 6. difficultate 3.* Henriquez *lib. 1. cap. 39.* Bartholomæus ab Angelo *loco citato, & § . 64.* Possevinus *de administratione Sacramentorum c. 5. num. 40.* Suarez *disp. 16. sect. 3.* Reginald. *lib. 26. num. 57.* [Filliuc. *tract. 1. c. 5. quæst. 10. num. 86.*] & alij communiter contra Paludanum, & nouellos alios.

4 *An peccet exercens functiones Ordinum in peccato mortali.*

QVÆRES, vtrùm grauiter peccet, qui functiones Ordinum exercet cum conscientia peccati mortalis, vt si lector lectionem, aut Subdiaconus Epistolam, aut Diaconus Euangelium cantet in Choro cum conscientia peccati mortalis.

RESPONDEO, exercentem functiones Ordinum cum conscientia peccati mortalis, per se loquendo, non peccare mortaliter, præcisa administratione Sacramentorum facta à ministro, tanquam ad illam deputato, & consecrato. Ita Doct. statim citandi cum S. Tho. 3. *parte, quæst. 61. art. 6.* Ratio est, tum quia exercitium Ordinum non videtur materia adeò grauis, vt peccati mortalis reus constituatur, qui illud indignè præstat cum peccato mortali; tum quia non extat aliqua specialis prohibitio, qua functio, & exercitium Ordinum prohibeatur sub mortali, si fiat cum conscientia peccati mortalis, præcisa Sacramentorum administratione facta à ministro deputato, & consecrato, & secluso scandalo, vel alia simili circumstantia; tum quia functiones Ordinum non sunt immediatè sanctificatrices, consequenter qui eas exercet, non tenetur sub mortali esse in gratia. Ita Sotus *in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 4.* Suarez *disp. 16. sect. 3.* Valentia *tom. 4. disp. 3. quæst. 5. punct. 3.* [Vasquez *loco cit num. 50.* Filliucius *tract. 1. cap. 5. quæst. 10 num. 87.*] & alij contra Nugnum *loco cit. difficultate 1. concl. 3.* aliter sentientem de exercitio Diaconi, contra Chamerotam, & Nauarrum *locis* statim *citandis.*

5 *An grauiter peccet exercens Ordines minores in peccato mortali.*

Hinc sequitur primò, exercentem Ordines minores in peccato mortali, non grauiter peccare: tum ratione paruitatis materiæ; cùm exercitium Ordinum minorum non censeatur materia sufficiens ad peccatum mortale, etiamsi fiat cum conscientia peccati mortalis; tum quia aliqui Doct. putant Ordines minores non esse Sacramenta; ergo saltem in sententia eorum concedendum est, exercentem Ordines minores non grauiter peccare.

6 *An mortaliter peccet Clericus, qui res sacras tangit in peccato mortali.*

Ex quo patet, non esse audiendos Sylueſtrum, Angelum, [&alios] quos infrà referam de Eucharistia, asserentes, Clericum affectum lethali culpa grauiter peccare tangendo res sacras, vt Corporalia, vestes, &c. Hoc enim falsum est secluſa alia circunstantia, quæ ipsum constituat reum mortalis peccati, nam tangere Corporalia, & vestes in peccato mortali, non videtur materia grauis. Ita Sayrus *lib. 2 de Sacramentis in genere, cap. 7. quæst. 2. art. 1 versus finem.* Chamerota *cap. 2. de Sacramentis in genere, dubio 5.* Sotus, Valentia, & Suarez *locis citatis.* & alij, quos infrà referam *de Missæ sacrificio punct. 9.* contra [Sylueſtrum, Angelum &] Bartholomæum ab Angelo *dialogo 1. § . 43.*

7 *An peccet exercens Ordines maiores in peccato.*

Secundò sequitur exercentem Ordines maiores, Subdiaconatus scilicet, & Diaconatus in peccato mortali, non peccare mortaliter, vt patet ex rationibus in responsione quæsiti allatis. Ita Suarez, Valentia, Angles, Sotus, [Filliuc. *loc. cit. num. 87.*] & alij *locis citatis,* contra Chamerotam, & Nugnum *locis citatis,* & contra Sylueſtrum, & alios apud Sayrum *loco citato, art. 2.* & contra Victorem *de Sacramentis quæst. 29.*

Alij DD. hoc limitant, modò non sit ita affectus, vt frequenter velit Ordines in peccato mortali exercere: nam frequens exercitium sacrorum Ordinum in peccato mortali, si moraliter continuetur, potest peruenire ad materiam notabilem, sufficientem ad peccatum mortale, vt patet à simili de eo, qui sæpiùs violat votum in materia leui, aut sæpiùs modicum comedit in die ieiunij, aut sæpiùs alloquitur excommunicatum, &c.

Sed hæc limitatio non admittitur à Vasquez *tomo 3. de Sacramentis disp. 136. num. 41.* Coninch o *3. part. quæst. 64. art. 6. dubio 1. num. 40* & alijs, quos in simili retuli de participante cum excommunicato. Ratio est, quia isti actus videntur separati, & simul non coalescunt ad constituendam vnam materiam ad peccatum mortale sufficientem.

Hinc colligitur, frequentem sacrorum Ordinum functionem non esse peccatum mortale; cùm multa venialia non efficiant peccatum mortale, quoties [materia] mortaliter non continuatur. [Vide quæ tradidi de legibus *disp. 2. quæst. 3. punct. 5 num. 22.*]

8 *An peccet Episcopus conferendo primam tonsuram, &c. in peccato.*

Tertiò sequitur, Episcopum conferentem primam tonsuram, aut benedicentem sacras vestes, aut consecrantem Ecclesiam, aut conficientem Chrisma, aut habentem concionem ad populum in peccato mortali, non peccare mortaliter: hæc enim non videtur materia grauis, cùm istæ actiones non sint Sacramenta, nec sint immediatè ordinatæ ad sanctificationem animæ. Ita Sayrus ex parte *lib. 2. cap. 7. quæst. 4.* Pitigianus *disp. 5. quæst. 2. art. 4. concluſ. 6.* Vasquez 3. *part. disp. 136. cap. 4. & 5.* Sotus, Suarez, Coninchus, [Filliucius,] & alij *locis cit.* Nugnus *quæst. 64. artic. 6. difficultate 2.* Quamuis aliter sentiat de conficiente sanctum chrisma.

9 *An peccet faciens aquam benedictam in peccato mortali.*

Quartò, benedicentem aquam benedictam in peccato mortali, non peccare mortaliter. Ita sentire videntur præcitati Doct. Quamuis Sayrus *lib. 2. cap. 7. quæst. 1. art. 5.* cum Nauarro *de horis Canonicis cap. 6 num. 41.* sentiat oppositum.

10 *An peccet Parochus assistendo matrimonio in peccato mortali.*

Quintò, Parochum non peccare mortaliter assistendo matrimonio in peccato mortali, aut benedicendo sponsis: nam Parochus non est essentialis minister Sacramenti matrimonij, nec ipse formam profert, sed ipsi contrahentes sunt ministri matrimonij; consequenter ipsi contrahendo matrimonium in peccato mortali grauiter peccant, non quatenus administrant; cùm ipsi non sint ministri consecrati ad hoc; sed quatenus recipiunt Sacramentum, cùm ponant obicem, & impedimentum ad gratiam, quam alioquin reciperent. Ita Possevinus *de administratione Sacramentorum cap. 5. num. 40.* [& alij DD. statim citandi.]

Ex quo fit, vt contrahentes matrimonium in peccato mortali, non committant duo peccata mortalia, vnum, quatenus recipiunt Sacramentum, alterum, quatenus administrant, sed vnum solum, quatenus recipiunt. Ita Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 6.* Sanchez *lib. 2 de matrimonio disp. 6. num. 4.* Suarez *de Sacramentis, disp. 16 sect. 2.* Sayrus *lib. 2. cap. 7. quæst. 1. art. 5.* Quamuis nobiscum dissentiat, quatenus putat Parochum grauiter peccare assistendo matrimonio in peccato mortali. Henriquez *lib. 1. cap. 29. num. 24.* [Filliuc. *loco cit. num. 87.*] & alij, quos retuli *in tractatu matrimonij,* contra Petrum Ledesmam, *quæst. 42. art. 3. ad vltimum,* & alios apud Sanchez, *loc. cit. num. 3.*

11 *An peccet Sacerdes administrãs Baptismum sine solemnitate in peccato.*

Sextò, Sacerdotem in necessitate ministrãtem Baptismum in peccato mortali sine solemnitate, non peccare mortaliter, quia non administrat ex officio, & vt minister consecratus. Ita Valentia *loco cit punct. 3.* S. Thom. *quæst. 64. art. 6.* Chamerota *cap. 2. dub. 3.* Nauarrus *cap. 25 num. 12.* Henriquez *loco cit. num. 4.* Coninchus *quæst. 64. art. 6. dub. 1. num. 36.* Pitigianus *d. 5. quæst. 2. art. 4.* Sayrus *lib. 2. cap. 7. quæst. 1. art. 2. & 4.* Suarez *loco citato.* Victoria *de Sacramentis quæst. 29* Possevinus *loco citato.* [Filliucius *tract. 1. cap. 5. quæst. 10. num. 88.*] & alij communiter. Contra Vasquez ex parte *disp. 136. cap. 3. num. 31.* Secùs si baptizet solemniter, aut conferat alia Sacramenta in peccato mortali, etiamsi suscipiens Sacramentum sit in graui, vel extrema necessitate; cùm enim Sacerdos sit minister ad hoc deputatus, & consecratus, & ministret ex officio, grauiter peccat indignè administrando in peccato mortali, vt patet ex rationibus in 2. propositione allatis. Ita Bartholomæus ab Angelo *de Sacramentis, § . 41.* Nauarrus *cap. 22. num. 3.* Caietanus *quæst. 64. art. 6. num. 6.* Victoria *de Sacramentis, quæst. 29.*

12 *An peccet laicus baptizando in necessitate cum peccato mortali.*

Septimò, laicum habentem conscientiam peccati mortalis, non peccare mortaliter, baptizando in necessitate; nam laicus non est minister consecratus ad hunc effectum; sicut neque grauiter peccat eleuans Eucharistiam de terra; quia non dicitur Eucharistiam administrare; sicut nec peccasset mortaliter, qui Christum in hac vita degentem extensa manu lapsum eleuasset. Ita Coninchus *loc. cit. dubio 1. num. 39.* Henriquez *loc. cit.* Suarez *loco cit. sect. 4. circa medium,* vbi refert S. Thom. *3. parte.* Idem sentire videtur Vasquez *3. part. disp. 136. num. 39.* [Filliucius *tract. 1. cap. 5. quæst. 10. num. 85.*] & hanc sententiam sustineri posse putat Reginaldus *loco cit. num. 58.* Emanuel Sà *verbo Sacramentum, num. 1.* Pitigianus *loc. cit.* [contra Paludanum, Angelum & alios apud Suarez *disp. 16. sect. 3.*]

OBIICIES, Laicus, quamuis non sit minister cõsecratus ad Sacramenta administranda, tamen est minister Christi, & baptizando concurrit ad gratiam; ergo facit contra reuerentiam debitam Christo, & Sacramentis baptizando in peccato mortali, consequenter grauiter peccat.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio enim principalis, ob quam aliquis peccat mortaliter in Sacramentorum administratione,

stratione, non est, quia sit minister Christi, aut quia concurrat ad gratiam, sed quia est specialiter deputatus, & consecratus ad tale officium, quod pro dignitate exercendum est: cùm autem laicus non sit specialiter deputatus, & consecratus ad baptizandum ex officio, sed solùm illi permissa sit administratio Baptismi ex accidenti, vt subueniatur necessitati indigentis, sequitur laicum non peccare mortaliter baptizando in peccato mortali. Neque obstat, quòd omnes teneantur reuerentiam exhibere Sacramentis, quia non omnes tenentur eodem modo, vt patet ex allata ratione. Ita S. Thom. *quæst. 64. art. 3. ad* 3. Syluester *verbo Baptismus, num. 4.* Suarez, & alij *loc. cit.*

13 *An peccet Sacerdos, qui transfert Eucharistiam in peccato.*

Octauò excusari posse à mortali Sacerdotem, qui, dum existit in peccato mortali, transfert Eucharistiam ab vno altari ad aliud, nam hæc non est administratio Sacramenti, neque videtur materia sufficiens ad peccatum mortale. Ita DD. citati. Immò Didacus Nugnus *quæst. 64. art. 6. dist. 1. concl. 2.* Martinus Ledesma, & alij apud Sayrum *lib. 2. de Sacramentis cap. 7. quæst. 1. art. 5.* putant eum non peccare mortaliter, qui administrat in peccato mortali Sacramentum iam confectum, vt cùm Sacerdos communicat sæculares.

Sed contrarium videtur omnino probabilius cum Sayro *loco citato.* Valentia *tom. 4. disput. 6. quæst. 10. punct. 1.* Suarez *disput. 16. sect. 4* Conincho *quæst. 64. art. 6. dub. 1. num. 35.* Chamerota *cap. 2. dub. 3. de Sacramentis.* Ratio est, tum quia Sacerdos hoc facit solemniter, & ex officio, neque videtur materia leuis, cùm sit actio proximè ordinata ad gratiam recipientis: tum quia, si Sacerdos peccat administrando reliqua Sacramenta, multo magis peccare videtur administrando Eucharistiam, quam constat esse Sacramentum perfectius cæteris, & ad quam administrandam Sacerdos est minister deputatus & consecratus.

14 *An peccet Diaconus administrãs ex officio Eucharistiam in peccato.*

Hinc patet, quid dicendum sit de Diacono administrante Eucharistiam ex necessitate, cùm hoc faciat ex officio, quatenus ratione suæ consecrationis immediatè inseruit Sacerdoti, & participat officium sacerdotij, consequenter Diaconus, qui administrat Eucharistiam in mortali peccato, mortaliter peccat. Ita Sayrus *loco citato.* Martinus Ledesma *tom. 1. quarti quæst. 5. art. 6. dubio* 3. Petrus Ledesm. *del Sacramentos en commun. cap. 6. vers. la sexta,* & alij contra Barthol. ab Angelo *dialog. 1. §. 44.*

15 *Quot peccata committat cõmunicans alios in peccato mortali*

Addo cum Conincho, & alijs, quos infrà referam de integritate confessionis, [contra Henriquez *cap. 29. lit. T. in comment.* & Filliucium *loc. cit. num.* 87.] communicantem alios in peccato mortali, toties peccare, quoties hostias distribuit, quia sunt plures Sacramenti distributiones, & plures actiones terminatæ, & completæ, etiamsi fiant successiuè; secus dicendum est de eo, qui vni plures hostias vno actu præbet, hæc enim videtur vna actio, vna transgressio, & consequenter vnum peccatum.

§. II.

Vtrùm fides necessaria sit ad validam, & licitam Sacramentorum administrationem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An necessaria sit fides ad validam Sacramentorum administrationem.*

NOn est necessaria fides ad validam Sacramentorum administrationem. Ita Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 9.* S. Thom. Angles *quæst. vlt. art. 7. concl. vnica,* Vasq. *3. part. disput. 137. cap. 2.* [Filliucius *cap. 5. quæst. 8.*] & alij *puncto præcedenti* allegati, & quos magno numero refert Sayrus *lib. 2. cap. 5. art. 2.* Ratio est, tum quia Sacramenta validè administrantur, quoties adest materia, forma, & intentio ministri: sed hæc possunt adesse, quamuis minister, non habeat fidem: ergo ad validam Sacramentorum administrationem non est necessaria fides, modo minister intendat facere, quod facit Ecclesia: tum quia minister instrumentaliter concurrit, & non operatur in virtute propria, sed in virtute Christi; virtus autem propria ministri tam est fides, quàm charitas; sicut ergo sine charitate, seu probitate ministri Sacramentum validè administratur, vt dictum est puncto præcedenti, ita etiam validè potest administrari sine fide, vt bene argumentatur Sotus *loco citato.*

Hæc propositio intelligitur de ministro baptizato, non habente fidem, nam si loquamur de infideli nondum baptizato, dicendum est ipsum non posse Sacramenta validè conficere, & administrare, excepto Baptismo, nam minister reliquorum Sacramentorum, præter matrimonium, est Sacerdos. Infidelis autem, qui nondum Baptismum suscepit, non potest esse Sacerdos, cùm sacerdotalis character, Baptismi characterem necessariò supponat, vt patet ex dictis de Ordine, & ex dicendis de Charactere.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *An necessaria sit fides ad licitam illorum administrationem.*

FIdes necessaria est ad licitam Sacramentorum administrationem, consequenter minister grauiter peccat administrando Sacramenta sine fide, quamuis validè administret. Hæc propositio patet ex dictis *puncto antecedenti, propositione* 2. nam qui caret fide, existit in graui peccato, cùm impossibile sit placere Deo sine fide, qui autem administrat Sacramenta in mortali peccato, grauiter peccat. Ita DD. citati.

§. III.

Vtrùm intentio ministri necessaria sit ad conficienda Sacramenta.

VT hæc difficultas intelligatur, quatuor principaliter quærenda sunt in hoc §. Primò quid sit intentio. Secundò quotuplex. Tertiò an requiratur ad Sacramentum administrandum. Quartò qualis intentio requiratur, vel sufficiat.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Intentio quid sit.*

2 *Differentia inter attentionem, & intentionem.*

INtentio est actus liber voluntatis in finem. Vnde actus quo quis determinat ire Romam, dicitur intentio, quia est actus voluntatis in finem; & actus, quo quis intendit conficere Sacramentum, dicitur intentio, quia est actus liber voluntatis in finem.

Hinc patet non esse idem intentionem, & attentionem, nam attentio est actus intellectus, considerantis ea, quæ homo agit. Intentio verò est actus voluntatis, quo homo se determinat ad aliquid faciendum. Ita communiter DD.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 *Intentionis diuisio quotuplex sit.*

INtentio triplex est, seu tripliciter diuiditur.

Primò diuiditur in voluntatem faciendi actionem externam Sacramentorum, vt lauandi, vngendi, aut proferendi verba, &c. Præterea in voluntatem faciendi Sacramentum, aut quod Ecclesia intendit, aut quod Christus instituit. Denique in voluntatem conferendi effectum Sacramenti.

Secundò diuiditur in habitualem, actualem, & virtualem. Actualis est, quando quis actualiter intendit, & vult conficere Sacramentum, dum illud conficit.

Virtualis est illa, quæ postquam actualis præcessit, adhuc virtualiter durat in aliquo opere inchoato virtute actualis intentionis, nec est moraliter interrupta per oppositam intentionem, aut per longam temporis moram interpositam. Quapropter, si quis habens intentionem baptizandi infantem, accedat ad Ecclesiam, præparet necessaria, incipiat cæremonias, abluat infantem, proferat formam Baptismi absque noua intentione, dicitur baptizare cum intentione virtuali, quia prior illa intentio baptizandi, virtualiter durat in his omnibus actionibus, nec est moraliter interrupta, vt suppono. Intentio habitualis est illa, qua quis facit aliquid ex habitu nulla præcedente intentione, vel si intentio præcessit, non amplius virtualiter perseuerat in aliquo opere externo cùm sit moraliter interrupta: vt si quis dormiens proferat formam consecrationis ex habitu acquisito, dicitur habere intentionem habitualem, sicut etiam, qui hesterna die habuit intentionem baptizandi infantem, quem hodie baptizat absque noua intentione, dicitur potius habere habitualem, quàm virtualem intentionem, cùm intentio elicita hesterna die fuerit interrupta per somnum, & non dicatur virtualiter perseuerare.

Tertiò intentio diuiditur in absolutam, & conditionatam. Intentio conditionata est illa, qua quis intendit aliquid facere sub conditione: vt si quis baptizando dicat: Ego te baptizo, si non es baptizatus, &c.

Intentio absoluta dicitur illa, qua quis intendit aliquid facere absque vlla conditione: vt si quis baptizando dicat: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Præmissis diuisionibus intentionis difficultas est, vtrùm intentio requiratur, & qualis necessaria sit, & sufficiat ad conficiendum Sacramentum.

TERTIA PROPOSITIO.

4 *An requiratur ad Sacramenti administrationem intentio.*

AD validè conficiendum Sacramentum requiritur intentio. Hæc propositio clara est; tum ex Concilijs asserentibus Sacramenta tribus perfici, materia, forma, & intentione ministri: & ita tamquam de fide habetur in Tridentin. *sess. 7. can. 11. de Sacramentis in genere.* tum quia actio conficiendi Sacramenta est humana; ergo debet humano modo exerceri. Non potest autem humano modo exerceri sine intentione. Ita Bartholomæus ab Angelo *dialogo 1. §. 27.* Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 8.* & alij statim citandi.

Sed modò difficultas est, qualis intentio sufficiat, & requiratur.

QVARTA PROPOSITIO.

5 *Quænam intentio requiratur, vel sufficiat*

INtentio faciendi Sacramentum, aut faciendi quod intendit Ecclesia, vel quod Christus instituit, necessaria est ad conficienda Sacramenta. Ratio est, quia ad conficienda Sacramenta requiritur intentio, quæ determinet actionem ad esse sacramentale, & tollat indifferentiam verborum, & actionum, [sensus enim verborum, & actio ipsa materialis ex se indifferens est, cùm ad alia multa ex se adhiberi possint: cùm autem intentio faciendi Sacramentum, seu faciendi quod intendit Ecclesia, vel quod Christus instituit, tollat hanc indifferentiam, sequitur præfatam intentionem necessariam esse ad conficienda Sacramenta.] Ita Suarez *disp. 13. sect. 2.* Bellarminus *lib. 1. de Sacramentis cap. 27.* S. Thom. *3. part. q. 64. art. 10. q. 8.* Pesantius *ibid.* Valentia *tom. 4. disp. 3. q. 1. punct. 2. versus finem,* Vasquez *3. part. tom. 2. disp. 146. num. 5.* Nugnus *quæst. 64. art. 8.* Coninchus *ibidem dubio 1.* Henriquez *lib. 1. c. 10.* Sayrus *lib 1. de Sacramentis cap 4. §. adnotatiuncula ad finem.* Petrus Ledesma *de Sacramentis in communi e. 4. vers. 12. concl. 1.* Sanctus Antoninus *3. part. tit. 13. cap. 6. num. 2.* Viualdus *de Sacramentis in genere c 3 num. 6.* Tolet. *lib 2. c. 16. n. 5.* Angles *q. vlt. art. 8. concl. 1.* Reginaldus *loco citato n. 40.* Chamerota *cap. 1. dubio 7.* [Filliucius *tract. 1. cap. 5. quæst. 2.*] & alij communiter.

6 *An sufficiat intentio proferendi verba, & exercendi actionem externam.*

QVÆRES PRIMO, vtrùm intentio proferendi verba, & exercendi actionem externam Sacramentorum sit sufficiens ad conficienda Sacramenta.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, quia ad conficiendum Sacramentum requiritur intentio faciendi rem ordinatam ad esse sacramentale, & non sufficit intentio faciendi rem indifferentem: sed intentio proferendi verba, vel exercendi actionem externam, non est determinata, & ordinata ad esse sacramentale, sed est indifferens, cùm actio illa, & verborum prolatio fieri possit ad ludum, vel ad alios fines: ergo sola intentio proferendi verba, vel exercendi actionem externam Sacramentorum, non est sufficiens ad conficienda Sacramenta. Ita Sayrus *lib. 2. de Sacramentis cap. 4. quæst. 1. artic 2.* & alij DD. citati, [contra Syluestrum *v. Baptismus 3. n. 11.*]

7 *An necessaria sit intentio conferendi effectum Sacramenti.*

QVÆRES SECVNDO, vtrùm intentio conferendi effectum Sacramenti sit necessaria.

RESPONDEO non esse necessariam saltem explicitè. Ratio est, quia actio sufficienter determinatur ad esse sacramentale per intentionem faciendi Sacramentum; ergo non requiritur intentio explicita conferendi effectum.

Dixi explicitè, quia intentio conferendi effectum implicitè includitur in intentione faciendi Sacramentum, seu faciendi quod intendit Ecclesia, &c. nam qui vult conficere Sacramentum, vult etiam eius effectum, qui consequitur ad Sacramentum, iuxta illud, qui vult antecedens, vult etiam consequens. Immo qui vult conferre Baptismum, illum verè confert cum effectu etiam si nolit effectum,

fectum, & gratiam conferr: nam posito, quòd velit conferre Sacramentum, necessariò vult etiam implicite, & virtualiter effectũ, illũmque reuera confert, nisi adsit obex, & impedimentum ex parte suscipientis: Sacramentum enim est signum sacrum significans; & infallibiliter efficiens gratiam. Ita S. Thom. *3. part. q. 64. artic.* 4. Suarez *in commentario eiusdem articuli*, Sayrus *lib.* 2. *cap.* 4 *quæst.* 2. *propositione* 3. Sotus *in* 4. *sentent. dist.* 1. *q.* 5. *art.* 8. *&* 10. Bartholomæus ab Angelo *de Sacramentis dialog.* 1. *§.* 33.

8 *Quænam intentio requiratur ad validam Sacramentorum administrationem.*

Ex dictis constat primò, ad validam Sacramentorum administrationem, & confectionem non sufficere intentionem proferendi verba, vel exercendi actionem externam Sacramentorum. Præterea non esse necessariam intentionem explicitam conferendi effectum; sed requiri intentionem faciendi Sacramentum, aut faciendi, quod intendit Ecclesia, vel quod Christus instituit.

9 *An validè baptizet, qui baptizat cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non tamen quod facit Ecclesia Romana.*

Secundò patet, eum validè baptizare, qui baptizat cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non verò faciendi, quod facit Ecclesia Romana, quam ipse falsò putat non esse veram Ecclesiã: hic enim quamuis erret circa veram Ecclesiam; tamen non errat in intentione generali, cùm habeat intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia, & ipsius priuatus error corrigatur per intentionem generalem faciendi, quod facit vera Ecclesia. Secus dicendum est, si intendat facere, quod faciunt Caluinistæ, & non quod facit Ecclesia Romana, quam excludit, credens Romanam Ecclesiam esse veram, Caluinisticam verò esse falsam. hic enim non validè baptizat: quia non habet intentionem sufficientem, cùm non intendat facere, quod facit vera Ecclesia, sed illam excludat. Ita [Suarez *disp.* 13. *sect.* 2.] Sayrus *lib.* 1. *c.* 4. *citato*, Bellarminus *lib.* 1. *de Sacramentis, c.* 27. Reginaldus *loco citato num.* 40. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 1. *§.* 20. [Filliuc. *tract.* 1. *c.* 5. *quæst.* 3. *num.* 73.] & alij citati.

10 *An sit saluandus, qui credit se esse baptizatũ, cùm verè baptizatus non sit.*

Tertiò eum, qui per ignorantiam credit, se esse baptizatum, cùm verè non sit baptizatus defectu debitæ intentionis in baptizante, non esse saluandum, nisi Baptismum iterum suscipiat, aut nisi contritionem eliciat, in qua continetur votum Baptismi. Quamuis aliqui DD. putent [Deum supplere effectum Sacramenti, iuxta Durandum, Gabrielem, & alios, aut] saluandum esse, si recipiat alia Sacramenta, iuxta Henriquez, & alios asserentes, Sacramenta, quæ non imprimunt characterem, valida esse sine Baptismo. Sed de hac re *infrà*.

Caueat tamen baptizatus, ne anxius, & scrupulosus sit circa susceptum Baptismum, nisi certò sciat se fictè baptizatum fuisse, non enim facilè credendum est, administrantem Baptismum debita caruisse intentione. Ita Henriquez *loco citato c.* 10. *num.* 3. & alij: & hæc de prima diuisione intentionis.

11 *Quænam intentio sufficiat ad conficienda Sacramenta*

Circa secundam intentionis diuisionem, DVBIVM est, an ad Sacramenta conficienda necessaria sit intentio actualis, vel sufficiat virtualis, aut habitualis.

RESPONDEO ad conficiendum Sacramentum sufficere intentionem virtualem, & multo magis sufficere actualem, sed actualem non esse necessariam; habitualem verò nec sufficere, neque necessariam esse. hæc responsio tres habet partes, quæ singulæ probandæ sunt.

Prima pars est, sufficere intentionem virtualem. Ratio est, tum quia communis hominum vsus, & opinio tenet hanc sufficere; tum quia si intentio virtualis non sufficeret, aperiretur via infinitis scrupulis circa valorem Sacramentorum, nam sæpissimè dubitaretur, ministrum Sacramentorum non habuisse intentionem actualem, cùm intentio actualis difficilis sit, tum quia ad conficiendum Sacramentum sufficit ea intentio, quæ sufficit ad operandum humano modo: sed intentio virtualis sufficit ad operandum humano modo: ergo ad conficiendum Sacramentum sufficit intentio virtualis. Ita Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 1. *§.* 30. Vualdus *de Sacramentis in genere cap.* 3. *num.* 9. Angles *q. vlt. art.* 8. *concl.* 6. Bartholomæus ab Angelo iam *citato dialog. §.* 443. [& alij communiter.]

Secunda pars est, sufficere intentionem actualem. Ratio est, quia intentio actualis est maxima intentio: ergo si vlla sufficit, hæc certè sufficit, consequenter si virtualis intentio sufficit, multò magis sufficit actualis, à qua procedit virtualis. Vbi obserua, intentionem, & attentionem actualem procurandam esse, non quidem vt minister semper in mente sua dicat, Volo conficere Sacramentum, aut facere quod Christus instituit, vel Ecclesia intendit, sed vt rectè verba proferat, deuotè attendat ad sensum verborum, & ad actionem ipsam externam. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. *art.* 8. *ad finem*, Suarez *disp.* 13. *sect.* 3. *circa medium*, Henriquez *cap.* 10. *cit. n.* 2. Vualdus *de Sacramentis in genere c.* 3. *n.* 7. Vasquez 3. *parte disp.* 138. *c.* 6. Pesantius 3. *part. q.* 64. *art.* 8. *disp.* 2. [Filliucius *tract.* 1. *c.* 5. *quæst.* 4.] & alij DD. citati.

Quòd verò actualis intentio non sit necessaria, constat; tum quia sufficit virtualis, vt dictum est; tum quia si necessaria esset actualis intentio, Deus obligasset nos ad impossibile, cùm impossibile sit, aliquem semper actualiter attendere, & intendere. Ita S. Thom. *q.* 64. *art.* 9. Chamerota *loco citato num.* 9. Toletus *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 5. Sotus *loco citato ad* 3. *argumentum*, Valentia *loco citato q.* 5. *punct.* 3. *versi. neque.* Henriquez *loco citato num.* 2. Suarez *loco citato*, Coninchus *q.* 64. *artic.* 8. *dubio* 2. Bellarminus *lib.* 1. *de Sacramentis cap.* 27. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 4. *artic.* 2. Viualdus *cap.* 3. *de Sacramentis in genere*, Angles *q. vltim. artic.* 8. *concluf.* 5. Bartholomæus ab Angelo *dialog.* 5. *§.* 443. *&* 444. S. Antoninus 3. *part. tit.* 13. *c.* 6. *n.* 2. & alij communiter.

Tertia pars est, intentionem habitualem non sufficere, neque necessariam esse. Ratio est, tum quia ad conficiendum Sacramentum requiritur intentio, quę sit causa confectionis Sacramenti: talis autem non est intentio habitualis, cùm intentio habitualis sit moraliter interrupta, intentio autem moraliter interrupta nõ est causa confectionis Sacramenti, tum quia actio sacramentalis debet esse actus humanus: talis autem non est cum sola intentione habituali. Ita DD. citati.

OBIICIES, qui tenetur hodie Missæ sacrificium Caio applicare, & hesterna die in mente sua dixit, Volo crastina die sacrificium offerre pro Caio, satisfacit obligationi, etiamsi postea non habeat aliam voluntatem applicandi sacrificium; sed illa prior voluntas est tantùm habitualis, cùm hesterna die sit elicita, & per somnum, aliàsque actiones impertinentes interrupta: ergo sicut sufficit voluntas habitualis ad applicandum sacrificium, ita etiam sufficere videtur ad conficiendum Sacramentum.

RESPONDEO ad maiorem propositionem, illum, qui tenetur hodie Sacrificium Caio applicare, satisfacere obligationi, si hesterna die habuit voluntatem ex tunc applicandi fructum sacrificij, modò illa intentio non sit reuocata ante applicationem; si verò non habuit voluntatem absolutam ex tunc applicandi sacrificium, sed solum habuit desiderium, vel propositum applicandi, non satisfacit; quia propositum applicandi non est applicatio. Quare ad argumentum neganda est consequentia; nam ad applicandum sacrificium non requiritur intentio, quæ virtualiter duret tempore sacrificij, sicut requiritur ad conficiendum Sacramentum. Ratio disparitatis est, quia voluntas applicandi sacrificium non concurrit ad sacrificium; cùm fieri possit sacrificium absque applicatione; voluntas verò, & intentio conficiendi Sacramentum debet concurrere, & cooperari ad ipsum Sacramentum; non potest autem ad Sacramentum concurrere, & cooperari, nisi actualiter, aut virtualiter existat, quãdo conficitur Sacramentum; consequenter ad conficiendum Sacramentum requiritur intentio actualis, aut virtualis, quamuis ad applicandum sacrificium sufficiat habitualis. Ita Suarez *disp.* 13. *sect.* 3. *concluf.* 2.

12 *Qualis attentio requiratur ad Sacramenta conficienda.*

Ex dictis colligi potest primò, quid dicendum sit de attentione, quæ triplex est, actualis, virtualis, & habitualis: sicut enim requiritur intentio, ita etiam attentio; cùm actio conficiendi Sacramenta sit actio humana, & sicut intentio habitualis non sufficit ad conficienda Sacramenta; ita neque sufficit attentio habitualis. Sufficit verò virtualis, & multo magis actualis; sed actualis non est necessaria, vt ostendimus.

13 *An consecret Sacerdos, qui secum tulit hostiam ad altare, cuius non recordatur tempore consecrationis.*

Secundò colligi potest, confici Sacramentum Eucharistiæ à Sacerdote, qui secum tulit hostiam ad altare, quam antequam se indueret, intendit consecrare, vel habuit intentionem celebrandi, seque continuò recepit ad Ecclesiam ad hunc finem. Quamuis tempore oblationis, vel consecrationis non recordetur, nec aduertat, sed in alijs rebus inaduertenter mentem detineat; hic enim dicitur habere intentionem, & attentionem virtualem. Ita communiter DD.

Tertiò eum, qui incipit formam proferre sine debita intentione, non validè conficere Sacramentum, etiamsi prolatis aliquibus verbis pertinentibus ad essentiam Sacramenti, eliciat actum intentionis; sicut enim illorum verborum præcedentium omissio irritum redderet Sacramentum ex suppositione, quòd illa verba pertineant ad essentiam: ita etiam irritum reddit prolatio sine debita intentione; cùm perinde sit verba proferre sine debita intentione, ac illa omittere. Secùs dicendum est, si minister Sacramenti prolatis aliquibus verbis, quæ non sunt de essentia formæ, debitam habeat intentionem: nam omissio illorum verborum non est de essentia, vt suppono; Sacramentum autem validè administratur, quoties non omittitur aliquid essentiale.

14 *An validè conficiat Sacramentum, qui incipit formam proferre sine intentione.*

Hinc patet, eum inualidè consecrare, qui sine debita intentione profert illa verba, hoc est, deinde cum debita intentione subiungit, corpus meum. Secus dicendum est de eo, qui baptizando protulit illam particulam, Ego, sine debita intentione, cætera verò subiunxit cum debita intentione. nam significatio substantialis formæ Baptismi subsistit cum cæteris verbis, omissa particula, Ego. Ita Sayrus *lib.* 2. *cap.* 4. *quæst.* 5. Chamerota *de Sacramentis cap.* 1. *dubio* 7. & alij communiter.

15 *An in susceptione Ordinum sufficiat intentio, qua quis intendit fieri Ecclesiæ minister.*

Quartò intentionem, qua quis suscepit ordines hoc animo, vt fieret Sacerdos, & minister Ecclesiæ, non sufficere ad conficienda Sacramenta, quia huiusmodi intentio videtur habitualis pro tempore, quo Sacramenta conficiuntur [Ita Suarez *disp.* 13. *sect.* 3. Bellarmin. *lib.* 1. *de Sacramentis. cap.* 27. & alij.]

Aduertit tamen Henriquez cum alijs locis citatis, in conficiendis Sacramentis, non requiri intẽtionem formalem faciendi, quod Christus instituit, aut quod Ecclesia intendit; sed sufficere intentionem aliquam confusam: vt si quis suscepit ordines, vt fieret Sacerdos, & minister Ecclesiæ, & postea consueuit celebrare, & alia Sacramenta administrare, nec vnquam habuit intentionem contrariam aliter faciendi, quàm intendat Ecclesia, vel quàm Christus instituerit, hic enim dicitur habere intentionem confusam, sufficientem ad conficiendum Sacramentum, iuxta Henriquez *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 2. *ad finem*; Sotum *in* 4. *dist.* 5. *q.* 5. *art.* 8. Nauarrum *cap.* 25. *num.* 91. Valentiam *tom.* 4 *disput.* 3. *q.* 5. *punct.* 3. *versic. Intentio autem implicita.* vt in simili dicitur de eo, qui accipit Breuiarium more consueto, & absque alio intentionis actu expresso, & explicito, recitat diuinum officium; hunc enim in tractatu de horis canonicis diximus satisfacere præcepto diuini officij.

16 *An validè baptizauerit, qui habuit intentionem baptizandi à die natiuitatis pueri, sed postea non repetita intentione illum fortuitò baptizauit.*

Sed hæc doctrina Henriquez, & aliorum habet difficultatem; nam si asseratur intentionem elicitam in ordinatione sufficere, non videtur vera, cùm hæc intentio sit habitualis, nec virtualiter perseueret tempore confectionis Sacramentorum, vtpote interrupta per plures actiones impertinentes. Si verò asseratur ex prima illa intentione explicata, & ex consuetudine celebrandi argui in actu exercito confusam aliquam intentionem actualem, aut virtualem faciendi saltem in genere, quod Sacerdos facere consueuit, admitti potest, & hoc pacto intelligendi videntur præallegati DD. alioquin reijciendi sunt.

16. Quintò non confici Sacramentum ab eo, qui ea die qua natus est infans, habuit intentionem baptizandi, sed elapso postea aliquo die, non repetijt intentionem, sed illum fortuitò baptizauit. Ratio est, quia deficit intentio actualis, & virtualis, quamuis adsit habitualis. Ita Sayrus *loco citato artic.* 2. *ad finem*, Sotus & alij *locis citatis.*

17 *An validè baptizet tempore ebrietatis, qui prius habuit intentionem baptizandi tali tempore.*

17. Sextò sequitur, illum non validè baptizare, qui præuidens inebriandum intendit, & determinat aliquos ebrietatis tempore baptizare. Ratio est, tum quia tempore ebrietatis non adest intentio actualis, aut virtualis; cùm per ebrietatem intentio interrumpatur: tum

um quia actio baptizandi debet esse libera, & humana, atque principium, & causa confectionis Sacramenti. talis autem non est actio facta in plena ebrietate, in qua baptizans, cùm non vtatur ratione, dici non potest actionem humanam exercere: [tum quia infans, vel amens non validè baptizat. ergo neque ebrius, cùm par sit omnium ratio.] ita Coninchus *loco suprà citato, dubio 2. num. 74.* Suarez, Graffius *2. parte lib. 2. cap. 3. n. 35.* & alij *locis citatis.*

OBIICIES primò contra hanc vltimam illationem, qui præuidet, vel intendit homicidium secuturum in ebrietate, peccat, illíque imputatur homicidium, quod in ebrietate sequitur: quia homicidium censetur sufficienter volitum, & intentum in intentione, aut præuisione precedente ebrietatem, ergo etiam Sacramentum in ebrietate conficiendum censetur sufficienter volitum, & intentum in intentione ante ebrietatem elicita.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia actio, qua conficitur Sacramentum, debet esse libera, & humana, qualis non est actio facta tempore ebrietatis. Vt autem homicidium imputetur ad culpam, & ad pœnam restitutionis, non est necesse, vt actio qua committitur, sit libera, & humana in se, sed sufficit, vt sit voluntaria in causa, iuxta illud malum ex singulis defectibus, bonum autem ex integra causa.

OBIICIES secundò, qui inter conficiendum Sacramentum inuoluntariè distrahitur, validè conficit Sacramentum, ergo etiam validè baptizat, qui baptizat in ebrietate.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia inuoluntariè distractus exercet actionem humanam, cùm vtatur ratione, & illa actio moraliter procedat à priori intentione, qui verò ebrietatis tempore baptizat, non exercet actionem humanam, & liberam, vt dictum est.

OBIICIES tertiò, recipiens Baptismum in ebrietate, vel amentia, quem petierat ante ebrietatem, validè recipit, vt ait Innocentius *in c. maiores de Baptismo*; ergo etiam Baptismum validè administrat, qui ante ebrietatem intenderat baptizare.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio est, quia cùm plura requirantur ad agendum, quàm ad recipiendum, in recipiente Sacramentum non requiritur vsus rationis, quando Sacramentum non consistit in aliquo actu recipientis, vt patet ex dictis de Ordine: requiritur verò vsus rationis in administrãte Sacramenta, cùm administratio Sacramentorum debeat esse actio libera, & humano modo debeat exerceri. Ita Suarez *disp. 13 sect. 3, concluf. 1.* Valentia & alij *locis citatis.*

18 *An requiratur intẽtio absoluta, vel sufficiat conditionata in conficiendis Sacramentis,*

18 Circa tertiam intentionis diuisionem dubium est, vtrùm ad conficienda Sacramẽta requiratur intentio absoluta, vel quę æquualeat absolutè, vel sufficiat intentio conditionata.

Pro intelligentia præmittendum est, conditionem quæ apponitur, aut esse de præsenti, aut de præterito, aut de futuro: vt si quis dicat, Ego te baptizo, si es masculus, est conditio de præsenti: si dicat, Ego te baptizo, si non fuisti baptizatus, est conditio de præterito; si verò dicat, Ego te baptizo, si dederis centum Caio, est conditio de futuro.

Hoc posito RESPONDEO, Sacramentum administratum sub conditione de præsenti, vel de præterito, validum esse, si res ita sit, sicut exprimitur in conditione. Ratio est, quia conditio de præterito, aut de præsenti non suspendit actum, cùm non sit propriè cõditio, vt patet ex dictis de contractibus, & de matrimonio, ergo neque suspendit valorem, & effectum Sacramenti, quia Sacramentum reipsa operatur veri ficata conditione, ac si nulla cõditio fuisset apposita. Si verò res, seu conditio non verificetur, Sacramentum nihil operatur, quia minister non intendit con ficere nisi sub conditione, si res ita sit: ad valorem autem Sacramenti requiritur intentio ministri.

19 *An valeat Sacramentum administratum sub conditione de futuro.*

19 Maior difficultas est de Sacramento administrato sub conditione de futuro.

Ad quam difficultatem respondetur, Sacramentum sub conditione de futuro administratum non esse validum. Ratio est, quia vel est validum statim, vel est validum tempore adimpletæ conditionis: neutro autem modo est validum. Non enim est validum tẽpore adimpletæ conditionis, cùm tunc temporis non existat materia, & forma, quæ sunt partes necessariò requisitæ ad validitatem Sacramenti. Neque potest dici statim validum, quia Sacramentum non est validum absque intentione ministri, minister autem non intendit Sacramentum statim conficere, cùm voluntas conditionata, quandiu talis est, maneat suspensa, & nihil operetur, sed solùm intendit conficere adimpleta conditione de futuro, ergo Sacramentum non est statim validum, ergo nullo modo est validum, excepto matrimonio, de quo suo loco. Ita Coninchus *q. 64. artic. 8. dub. 2. num. 78.* Suarez *disput. 13. sect. 3. verf. Dico tertiò.* Reginaldus *lib. 36. numer. 29.* Nauarrus, Tabiena, Pesantius *3. part. quæst. 66. artic. 8. disput. 3. verf. secundò dico.* & alij apud Henriquez *lib. 1. c. 10. num. 7.*

20 *An peccet apponens conditionem in conficiendis Sacramentis.*

20 QVÆRES, vtrùm peccet, qui conditionem apponit in conficiendis Sacramentis.

RESPONDEO peccare, non solùm si apponat conditionem de futuro, vèrùm etiam si apponat conditionem de præterito, vel de præsenti absque rationabili causa. Ratio est, quia exponit se periculo administrandi Sacramentum inualidè; Sacramẽtum enim non est validum absque intentione ministri, minister autem non intendit conficere Sacramentum, nisi dependenter à tali conditione, & cùm fieri possit, vt talis conditio non subsistat, sequitur Sacramẽtum inualidè administrari, consequenter illum grauiter peccare, qui sine iusta causa Sacramentum conficit sub conditione: subsistente verò iusta causa Sacramentum potest administrari sub conditione de præterito, vel de præsenti. Propterea sacerdos, quando dubitat, an absoluerit pœnitentem, impendit absolutionem sub conditione de præterito, si non es absolutus, vel si non te absolui, absoluo te, &c. Ita Suarez *loco citato conclusion. 3.* Henriquez *loco citato, numer. 7.* Reginaldus *loco citato numer. 39.* Naldus *verbo Sacramentum, num. 13.* Emmanuel Sá *eodem verbo*, Nugnus *3. part. quæst. 60. artic. 8. difficultate 2* Coninchus *ibidem*, & alij communiter.

Hinc sequitur, inquit Henriquez, esse peccatum mortale apponere conditionem de præterito absque iusta causa, & à fortiori esse peccatum mortale apponere conditionem de futuro, vt patet ex allatis rationibus.

[Hîc agere possem, vtrùm error personæ, cui sacerdos intendit Sacramentum conferre, vitiet Sacramentum, sed de hac re *infra de Pœnitentia, & de Ordine.*

QVÆSTIO IV.

De primario effectu Sacramentorum.

DVplex est effectus Sacramentorum; primarius, & secundarius. Primarius est gratia habitualis, quæ est qualitas supernaturalis, qua homo formaliter iustificatur. Nomine verò secundarij effectus hoc loco intelligo characterem. Prius agemus de primario, & postea de secundario effectu Sacramentorum.

PVNCTVM I.

Vtrùm Sacramenta conferant gratiam, quæ est primarius Sacramentorum effectus.

1 NOtandum, gratiam dupliciter conferri posse. Primò ex opere operantis, secundò ex opere operato. Tunc gratia cõferri dicitur ex opere operantis, quando confertur solùm propter meritum, & dispositionem suscipientis. Vnde peccator eliciens actum contritionis, seu dilectionis Dei super omnia, dicitur recipere gratiam ex opere operantis, quia recipit gratiam propter propriam dispositionem, tunc verò gratia confertur ex opere operato, quando confertur non propter solam dispositionem suscipientis, sed propter aliquid aliud externum institutum à Deo ad conferendam gratiam vltra meritum, & dispositionem operantis. Ita Sayrus *lib. 5. de Sacramentis c. 1. art. 3.* Toletus *lib. 2. c. 16. n. 7.* Valentia *tom. 4. disp. 3. q. 3 punct. 1.* Reginald. *lib. 26. n. 46.* Coninchus *q. 62. ar. 1. c. 3. & 4. dub. 1.* Nugnus *ibid. difficultate 1.* & alij communiter cum S. Thom.

1 *Quot modis conferatur gratia.*

Hoc posito duo principaliter quærenda sunt in hoc puncto. Primò, vtrùm Sacramenta nouæ legis conferant gratiam. Secundò, vtrùm eam conferrent Sacramenta veteris legis.

PRIMA PROPOSITIO.

2 OMnia Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato; hæc propositio adeò certa est, vt contrarium asserens incidat in hæresim, & excommunicationem, vt patet tum ex Tridentino *sess. 7. canone 8. & 9.* vbi hoc expressè definitur, tum ex varijs Scripturæ locis. [Nam de Baptismo Ioan. 3. dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non poterit introire regnum Dei.* ad Ephesios 5. *Mundans eam lauacro.* & alibi, *Saluos nos fecit per lauacrum vitæ.* De Eucharistia Ioan. 9. dicitur, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet,* &c. De Confirmatione *Actorum* 8. per manuum impositionem dabatur Spiritus sanctus. De Ordine 2. Tim. 2. *Vt resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem,* &c. De Pœnitentia Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis retenta sunt.* De Extrema vnctione Iac. 5. *Oratio fidei saluabit infirmum.* De Matrimonio Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico vobis in Christo, & in Ecclesia.*] & ex alijs pluribus locis quos afferunt Sayrus *loco citato, art. 2.* S. Th. *3. parte q. 62. art. 1.* & deinceps, Pesantius, & Vasquez *ibid. c. 3. & 4.* Bellarminus *de Sacramentis lib. 2. c. 3.* Viualdus *de Sacramentis in genere c. 1. num. 12.* Victoria *de Sacramentis cap. 6.* Nugnus, Valentia, Coninchus, Suarez, Chamerota, & alij *locis citatis.* ex quibus locis sufficienter indicatur, Sacramenta gratiam conferre, cùm peccatum per gratiam auferatur, & salus per gratiam obtineatur. Tum ex cõgruentijs, quia hoc fait possibile, & decuit ad demonstrandam virtutem & efficaciam meritorum Christi, ad ostendendam summam Dei potentiam, eiúsque liberalitatem in homines, ac denique in commodum & vtilitatem nostram, si hoc ergo possibile fuit, & decuit, quare negabimus, Sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato?

2 *An Sacramenta nouæ legis conferant gratiã ex opere operato.*

3 Hinc sequitur primò, hæreticos grauiter errare, dum efficaciam gratiæ non tribuunt Sacramentis, sed fidei.

3 *Efficacia gratiæ tribuitur Sacramentis, non fidei.*

Neque obstant testimonia Scripturæ, quibus hæretici contendũt suum errorem comprobare, vt est illud ad Roman. 1. *Iustus ex fide viuet.* & Marci vltimo. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, & qui non crediderit, condemnabitur.*

RESPONDETVR enim aliquid esse causam gratiæ dupliciter. Primò, fundamentaliter, & remotè, secundò formaliter, & proximè. Fides non est causa gratiæ formaliter, & proximè, sed fundamentaliter, & remotè, quatenus fides requiritur in susceptore Sacramentorum. Quamobrem suscipiens Baptismum, si sit adultus, debet credere, & fidem habere, iuxta illud, *Credite, & baptizetur vnusquisque vestrùm.* Quare ad testimonia Scripturæ dico, iustum ex fide viuere non proximè, sed remotè, quatenus fides disponit ad iustificationem, & consequenter fides dicitur remotè iustificare, alioquin, si fides proximè iustificaret, sequeretur, adultum baptizatum esse iustificatum ante Baptismum, cùm fides tanquam fundamentum, & dispositio præcedat susceptionem Baptismi. [Ita Bellarmin. *lib. 2. de Sacramentis cap. 3. & seqq.* Suarez *de Sacramentis disp. 7. sect. 1.* & alij communiter.]

4 *An recipiẽs Sacramenta in gratia constitutus recipiat gratiæ augmentum.*

4 Secundò sequitur, eum qui recipit Sacramenta, cùm iam sit in gratia Dei constitutus, recipere augmentum gratiæ, cùm enim habet gratiam, & noua gratia producatur per susceptionem Sacramẽti, negari non potest, quin recipiat augmentum gratiæ. Ita Tridentinum *loc. cit. can. 7.*

5 *An sem pe gratia conferatur suscipienti Sacramenta nouæ legis.*

5 QVÆRES [PRIMO] vtrùm gratia semper conferatur suscipienti Sacramenta nouæ legis.

RESPONDEO semper conferri, nisi ponatur obex ad gratiam, vt paret, tum ex definitione Tridentini *loco citato*, tum ex definitione Sacramentorùm nouæ legis, quam suprà tradidimus. Si verò suscipiens Sacramentum ponat obicem, non recipit gratiam.

Obicem ponit, qui suscipit Sacramenta sine debita dispositio-

ne, aut cum peccato mortali, actualiter tunc commisso, vt constabit ex dicendis.

6 [An Sacramenta conferant aliâ gratiâ præter gratiam sanctificantem.]

6 [QVÆRES SECVNDO, vtrùm Sacramenta conferant aliam gratiam, præter gratiam sanctificantem.

RESPONDEO, conferre non solùm gratiam iustificantem, vt probatum est, verùm etiam gratiam virtutum, seu donorum, & gratiam sacramentalem.

Quòd producant gratiam virtutum & donorum, vt fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, iustitiæ, temperantiæ, &c. Ratio est, tum quia huiusmodi virtutes, seu dona, sunt veluti proprietates consequentes, seu comitantes gratiam sanctificantem. Ergo producta gratia, producuntur etiam huiusmodi virtutes, & dona: nam proprietas consequitur formam, & qui dat esse, dat etiam consequentia ad esse. tum quia sic colligitur ex Tridentino *sess. 6. c. 7.* vbi habetur in ipsa iustificatione cum remissione pecccatorum accipi etiam fidem, spem, & charitatem.

Quòd verò Sacramenta producant etiam gratiam sacramentalem, ordinatam ad consequendum finem, propter quem singula Sacramenta fuerunt instituta. Ratio est, quia Sacramenta conferre debent id, quod necessarium est ad obtinendum ipsorum finem, sed singula Sacramenta habent distinctos & peculiares fines. ergo conferre debent distinctam, & peculiarem gratiam. Obseruant tameu S. Thom. *3. part. q. 62. art. 2.* Suarez *disp. 7. sect. 3.* Filliucius *tract. 1. c. 6. q. 2. ad fin.* & alij, hanc gratiam sacramentalem non esse aliquid realiter distinctum, à gratia iustificante. Sed quid ego sentiam, constabit ex infrà dicendis *punct. 5. n. 2.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

7 An Sacramenta veteris legis propriè conferant gratiam.

7 SAcramenta veteris legis non conferebant propriè gratiam. Ita definitum est in Florentino in Decreto vnionis, vbi habetur nostra Sacramenta multum differre à Sacramentis veteris legis, quòd nostra continent gratiam, eámque conferunt dignè suscipientibus. Sacramenta verò antiquæ legis non conferebant gratiam, sed eam conferendam per Christi passionem præfigurabant. Idem definitum est in Tridentino *sess. 7. canone 2. & 6 & 7.* & fusiùs ostendit S. Thom. *3. part. q. 62. artic. 6.* Vasquez *ibid.* Pesantius *ibid.* Valentia *loco citato, punct. 3.* Nugnus *q. 70 art. 4. dub. 2.* Philiarcus *2. part. lib. 1. cap. 2.* Sayrus *lib. 5. de Sacramentis in genere cap. 7. artic. 5.* Henriquez *lib. 1. cap. 7.* Reginaldus *lib. 31. num. 7.* Suarez [*de Sacramentis disp. 10 sect. 1.* & Filliucius *tract. 1. cap. 6. quæst. 8.*] & alij *locis citatis.*

OBIICIES primò, Circuncisio erat Sacramentum veteris legis, sed circuncisio conferebat gratiam per modum operis operati, vt asserit Henriquez *c. 5. n 5.* & alij quos suprà retulit [contra Filliucium *loc. cit. n. 111.* & alios] ergo Sacramenta veteris legis conferebant gratiam.

RESPONDENT primò aliqui DD. excipi posse circuncisionem. Vnde Concilium Florentinum, dum assignat differentiam inter nostra, & vetera Sacramenta, quòd nostra conferunt gratiam; vetera verò non conferebant, intelligi potest hoc modo, quòd omnia Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam, non verò omnia vetera conferebant. quamuis circuncisio conferret.

RESPONDENT secundò, Sacramenta antiquæ legis non contulisse gratiam, sed circuncisionem non fuisse Sacramentum veteris legis, si per veterem legem intelligamus legem scriptam à Moyse: nam circuncisio data fuerat Abrahamo ante legem scriptam, vt suprà dictum est.

OBIICIES secundò, definitio Sacramenti conuenit Sacramentis veteris legis, sed definitio Sacramenti est esse signum significás, & infallibiliter producens gratiam, ergo Sacramenta veteris legis conferebant gratiam.

RESPONDEO, definitionem Sacramenti in genere, quatenus Sacramentum est signum rei sacræ, seu gratiæ, abstrahendo à gratia propriè accepta, & à legali, conuenire Sacramentis veteris legis: non autem illis conuenire definitionem Sacramentorum nouæ legis, quatenus Sacramenta nouæ legis sunt signa sacra infallibiliter conferentia gratiam sanctificantem: nam Sacramenta veteris legis non conferebant gratiam sanctificantem, sed illam in futurum conferendam per Christi passionem, significabant.

PVNCTVM II.

Vtrùm Sacramenta producant primam gratiam.

1 Quænam dicatur prima, vel secunda gratia.

1 NOtandum illam dici primam gratiam, quæ nullam aliam supponit in subiecto, qualis est ea, quam quis recipit per Baptismum: cùm ante Baptismum non haberet gratiam, aut illa, quam quis post peccatum mortale recipit per Sacramentum pœnitentiæ cum attritione, cùm antea non haberet gratiam propter peccatum mortale commissum, & nondum deletum, [vt suppono.]

Secunda verò gratia dicitur illa quæ supponit aliam in subiecto, qualis est illa quam quis recipit in Sacramento Eucharistiæ, aut etiam in alio Sacramento in gratia suscepto.

VNICA PROPOSITIO.

2 An omnia Sacramẽta conferant primã gratiam ex sua institutione.

2 ALiqua Sacramenta ex sua institutione conferunt primam gratiam, & tollunt peccatum mortale. Aliqua verò non conferunt primam gratiam ex sua institutione primariò, & per se, sed tantummodò quasi per accidens.

Hæc propositio duas habet partes. Prima est, aliqua Sacramenta ex sua institutione conferre primam gratiam, vt patet in Baptismo, & pœnitentia. Ratio est, quia hæc duo Sacramenta instituta sunt ad delendum peccatum originale, & peccatum actuale, etiam mortale (Baptismus enim delet originale, & pœnitentia delet peccata post Baptismum commissa;) sed peccatum originale, & peccatum actuale mortale non tollitur nisi per primam gratiam, cùm nulla alia gratia supponatur in subiecto: ergo aliqua Sacramenta, Baptismus videlicet, & Pœnitentia instituta sunt ad conferendam primam gratiam.

Secunda pars propositionis est, aliqua Sacramenta non conferre primam gratiam ex sua institutione, aut per se primariò delere peccatum mortale. Ratio est, tum quia omnia Sacramenta præter Baptismum, & Pœnitentiam instituta sunt ad augendam gratiam, & supponunt suscipientem constitutum in gratia. nam qui ea recipit sciens se obstrictum esse graui peccato, committit mortale peccatum sacrilegij, vt communiter fatentur DD. ergo aliqua Sacramenta non conferũt primam gratiam ex sua institutione, tum quia Ecclesia non solet Sacramenta, excepto Baptismo, & pœnitentia, præbere ijs, quos credit esse in peccato mortali: sed præbet ijs, quos credit in gratia constitutos, ergo signum est non omnia Sacramenta ex sua institutione conferre primam gratiam: tum quia Sacramentum non supponit effectum, ad quem producendum per se primò fuit institutum, sed omnia Sacramenta præter Baptismũ, & pœnitentiam supponunt primam gratiam, ergo non sunt instituta ad producendam primam gratiam, alioquin supponerent suum effectum.

Dixi, ex sua institutione: nam quamuis non omnia Sacramenta sint per se instituta ad conferendam primam gratiam; nihilominus eam aliquando conferunt, & remittunt peccatum mortale. Ita S. Thom. *3. parte, q. 99. art. 8. ad tertium,* Henriquez *cap. 12. numer. 2.* Suarez *disp. 7. sect. 4. & disp. 63. sect. 1.* Nugnus *quæst. 62. art. 1. difficultate 2.* Reginaldus *lib. 26. num. 45.* Victoria *de Eucharistia concl. 77.* Chamerota *de Eucharistia cap. 8. dub. 2.* Sotus, & alij communiter. Ratio est, tum quia Sacramentum Baptismi, & pœnitentiæ, quamuis per se primò institutum sit ad producendam primam gratiam, nihilominus potest etiam producere secundam, vt patet in eo, qui recipit Sacramentum pœnitentiæ habens sola peccata venialia, aut qui ad Sacramentum pœnitentiæ accedit contritus, cùm per contritionem conferatur gratia. Ergo etiam aliqua Sacramenta, quamuis primariò non sint instituta ad producendam primam gratiam, nihilominus possunt eam aliquando producere, tum quia, si quis, dum existit in peccato mortali, bona fide recipiat Sacramentum Eucharistiæ, vel Extremæ vnctionis, &c. credens se esse in gratia, non peccat, neque ponit obicem actualem ad gratiam, ergo recipit gratiam: nam Sacramenta infallibiliter conferunt gratiam non ponenti obicem, vt patet ex Tridentino *sess. 7. can. 7.* gratia autem, quam hic recipit, non est secunda gratia, sed prima, ergo Sacramenta, quæ non sunt primariò instituta ad conferendam primam gratiam, possunt eam aliquando conferre: tum quia hæc sententia est magis pia, magísque ostendit liberalitatem, & misericordiam Dei, & secum affert conscientiæ pacem, & tranquillitatem.

OBIICIES, Sacramenta conferunt illam gratiam, ad quam sunt instituta, sed omnia Sacramenta præter Baptismum, & pœnitentiã instituta sunt ad conferendam secundam gratiam, ergo conferunt tantummodò secundam gratiam, non verò primam.

RESPONDEO, Sacramenta præter Baptismum, & pœnitentiam instituta fuisse per se, & primariò, ad conferendam secundam gratiam: secundariò verò, & ex accidenti instituta etiam fuisse ad conferendam primam gratiam; sicut enim Baptismus licèt per se, & primariò fuerit institutus ad conferendam primam gratiam, nihilominus institutus etiam fuit ad conferendam secundam ex accidenti, vt patet in eo, qui ad Baptismum accedit post elicitum actum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia, quem constat per actualem Baptismi susceptionem non recipere primam, sed secundam gratiam: ita reliqua Sacramenta, quamuis per se primò fuerint instituta ad conferendam secundam gratiam, nihilominus etiam fuerunt instituta ad conferendam primam secundariò, & ex accidenti.

3 An requiratur aliqua dispositio in suscipiente Sacramẽta.

3 QVÆRES, vtrùm aliqua dispositio requiratur in suscipiente Sacramenta, vt recipiat gratiam.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, quia in suscipientibus Sacramenta, quæ primariò fuerunt instituta ad conferendam secundam gratiam, requiritur aliqua dispositio, vt patebit ex infrà dicẽdis. ergo à fortiori requiritur aliqua dispositio in suscipientibus cætera Sacramenta, quæ per se fuerunt instituta ad conferendam primam gratiam.

4 Quænam dispositio requiratur ad recipiendam primã gratiam.

4 Sed modò DVBIVM est, quænam dispositio requiratur ad recipiendam primam gratiam in Sacramentis.

RESPONDEO duplicem dispositionem requiri. Vnam in intellectu, alteram in voluntate. In intellectu requiritur fides, cùm sine fide impossibile sit placere Deo. In voluntate requiritur attritio, per quam aliquo modo peccatum odio habeatur: non tamen necessaria est contritio, alioquin suscipiens Sacramentum semper esset in gratia, antequam reciperet Sacramenta, consequenter Sacramenta numquã conferrent primam gratiam. Ita Petrus Sotus *lect. 9. de Sacramentis in genere,* Suarez *disp. 7. sect. 4. de Sacramentis,* Coninchus *q. 62. art. 1. dubio 2.* Nugnus *ibidem difficultate 3.* & alij communiter.

Vtrùm verò requiratur actus fidei expressus, & explicitus, constat ex dictis de fide.

OBIICIES, Sacramenta conferunt gratiam, si non ponatur obex, sed qui bona fide accedit ad recipienda Sacramenta, vt Eucharistiam, Extremam vnctionem, &c. nescíens se esse in peccato mortali, cùm tamen lethali culpa sit infectus, non ponit obicem, nec peccat sic accedendo ad recipienda Sacramenta, ergo recipit primam gratiam, etiamsi nullum eliciat attritionis actum, consequenter non videtur necessaria attritio ad recipiendam primam gratiam.

5 Quid præstare teneãtur accedẽtes ad Eucharistiam cum peccato mortali.

RESPONDEO eum, qui accedit ad dicta Sacramenta recipienda, nescíens se lethali culpa detineri, ponere obicem per peccatum habituale nondum retractatum: nam quamdiu quis non retractauit peccatum, saltem per attritionem, videtur in eo velle permanere, qui autem vult in peccato permanere, ponit obicem ad gratiam. Ita Suarez *loco citato, concl. 3.* & alij recentiores.

5 Hinc sequitur eos, qui accedunt ad suscipiendam Eucharistiã, vel alia Sacramenta, credentes se in gratia existere, cùm verè sint in peccato mortali, debere actum attritionis elicere, vt primam gratiam recipiant, & iustificentur.

PVN-

PVNCTVM III.

Vtrùm susci pientes Sacramenta recipiant æqualem gratiam.

LOquemur priùs de recipientibus Sacramenta cum æquali dispositione. Deinde agemus de recipientibus cum inæquali.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An recipiens Sacramenta cum æquali dispositione æqualem gratiam recipiat.*

1 QVi recipiunt Sacramenta eiusdem speciei cum æquali dispositione, recipiunt æqualem gratiam. Ita S. Thom. *q. 69. art.* 8. Coninchus *quæst.* 62. *art.* 1. *dubio* 3. *num.* 49. Nugnus *ibidem difficultate* 4. Sotus *in quarto dist.* 6 *quæst.* 1. *articul.* 6. Suarez *disp.* 7 *sect.* 5. *concluf.* 1. Graffius 2. *parte lib.* 2. *cap.* 4 *num.* 13. Pitigianus *dist.* 4. *quæst.* 7. *art.* 2. & alij apud Henriquez *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 1. & apud Suarez *loco citato*. [contra Paludanum *dist.* 4. *q.* 1. existimantem Baptismum, inæqualem gratiam parentis conferre, & contra Caietanum 3. *part. q.* 64 *art.* 1. Sotũ & alios, qui de hac re dubitant, sed] ratio nostra est, quia sicut agens naturale æqualiter operatur in subiecto æqualiter dispositio, & approximato, ita etiam Sacramentum æqualiter operatur. Quamuis enim Sacramentum non sit agens naturale; nihilominus ad diuinam prouidentiam pertinet certos effectus definire, qui æqualiter conferantur æqualiter dispositis. Nósque ex causis naturalibus debemus proportionaliter philosophari, & argumentari ad causas supernaturales, quoties nõ habemus reuelationem in contrarium.

Non nego tamen, quin Deus possit æqualiter dispositio maiorem gratiam conferre, sed talis excessus gratiæ non erit effectus Sacramenti, sed donum à Deo gratis & liberaliter datum.

[Maior difficultas est, vtrùm recipientes Sacramenta diuersæ rationis cum æquali dispositione, æqualem gratiam recipiant.

RESPONDENT multi DD. nihil certi in hac re statui posse, quia in Scripturis reuelatum non est, & à Dei voluntate pendet. Ita Filliucius *tract.* 1. *c.* 6. *q.* 4. *n.* 98. & alij.

S. verò Thomas 3. *part. q.* 65. *art.* 3. & alij; existimant Eucharistiam maiorem gratiam conferre: cùm enim sit perfectius & præstantius Sacramentum, debet etiam maiorem gratiæ fructum conferre, ceteris paribus. Sed de hac re infrà dum loquar de fructibus Eucharistiæ.]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *Inæqualiter dispositus inæqualem gratiam recipit.*

2 REcipientes Sacramenta eiusdem rationis cum inæquali dispositione, inæqualem gratiam recipiunt. Ratio est, tum quia agens naturale inæqualiter operatur in subiecto inæqualiter disposito; ergò etiam Sacramentum inæqualiter operatur: vt patet ex prima propositione; tum quia ad iustissimam sapientiam, & prouidentiam Dei spectat, vt magis dispositus maiorem recipiat gratiam, sic enim homines magis inflammantur, & accenduntur ad recipienda Sacramenta cum maiori deuotione, reuerentia, charitate, & amore, ergo inæqualiter dispositus inæqualem gratiam recipit. Tum quia in Tridentino *sess.* 7. habetur, vnumquemque per Sacramenta recipere iustitiam secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundùm propriam vniuscuiusque dispositionem, & cooperationem; ergo inæqualiter dispositus inæqualem gratiam recipit, alioquin Sacramenta non dicerentur conferre gratiam secundùm propriam vniuscuiusque dispositionem, & cooperationem. Ita DD. citati.

3 *An magis dispositus recipiat maiorem gratiam non solùm ex opere operato; verùm etiam ex vi dispositionũ præcisè.*

3 QVÆRES vtrùm magis dispositus recipiat maiorem gratiam, non solùm ex opere operato, & ex vi Sacramenti, quod magis disposito maiorem gratiam confert, vtrùm etiam, vtrùm ex vi dispositionis præcisè recipiat aliquam gratiam præter sacramentalem.

RESPONDEO distinguendo, vel istę dispositiones sufficiunt extra Sacramentum ad conferendam gratiam, vel non sufficiunt: si sufficiunt extra Sacramentum, vt est cõtritio, & amor Dei super omnia magis dispositus recipit ex vi dispositionum aliquam gratiam prȩter sacramentalem. nam huiusmodi dispositiones non fiunt deterioris conditionis ob coniunctionem cum Sacramento, sed si non coniungerentur cum Sacramento, reciperetur aliqua gratia ex vi ipsarum dispositionum, ergo etiamsi coniungantur cum Sacramento, recipitur aliqua gratia, distincta à gratia sacramentali.

Si verò dispositio non est sufficiens ad obtinendam gratiam extra Sacramentum, vt est attritio, non recipitur maior gratia ex vi illius dispositionis præcisè vltra sacramentalem, iuxa Suar. *disp.* 7. *sect.* 5. *concl.* 3. [& alios proximè citandos.] Ratio Suarez est, quia idem actus non potest simul in eodem instanti esse dispositio ad gratiam, & meritum ad nouam gratiam: alioquin peccator eliciens actum contritionis disponeretur ad gratiam, quam recipit per contritionem, & simul per eundem actum contritionis, vt informatum gratia, mereretur aliam gratiam, quod est contra omnes, inquit Suarez, ergo signum est non recipi maiorem gratiam vltra sacramentalem ex vi illius dispositionis, quæ non est sufficiens ad obtinendam gratiam extra Sacramentum. Ita [Suarez *loco citato*] Sotus *dist.* 6. *quæst.* 1. *artic.* 6. & alij apud Pesantium 3. *part. q.* 62. *art.* 6. *disp.* 4 *pag.* 865. contra eundem Pesantium, [Beccanum 2. *part. tract.* 4. *cap.* 5. *q.* 3. *ad fin.* & 3. *part. cap.* 14. *q.* 6. *n.* 7. & alios, quos *in tract. de gratia*, Deo fauente, referam.]

4 *Differentia inter eum, qui ad Sacramentum accedit contritus, & inter eum qui solùm attritus.*

4 Hinc sequitur, quando duo accedunt ad Sacramentum pœnitentiæ, quorum vnus est attritus, & alter contritus, contritum recipere maiorem gratiam, nõ solùm ex vi Sacramenti quod maiorem gratiam confert magis disposito, verùm etiam ex vi dispositionis, id est, contritionis, quæ sufficiens est ad consequendam gratiam extra Sacramentum, nec debet esse deterioris conditionis ob coniunctionem cum Sacramento.

PVNCTVM IV.

Vtrùm susci piens Sacramenta à meliori ministro maiorem gratiam recipiat, quàm si susciperet ab improbo.

VNICA PROPOSITIO.

1 *An melior minister sit causa maioris gratiæ.*

1 QVo quis recipit Sacramentum à meliori ministro, non recipit maiorem gratiam. Ratio est, tum quia gratia non confertur ob meritum ministri, sed ob merita Christi: merita autem Christi non minuuntur ob indignitatem, & improbitatem ministri; tum quia, inquit Nazianzenus *oratione* 4. *in sanctum Baptisma*, ita se habent bonus, & malus minister, sicut se habent sigillum ferreum, & aureum; sed sigillum ferreum imprimit eãdem figuram, quam imprimit aureum, ergo eandem gratiam confert minister improbus, quam probus, tum quia Baptismus collatus à D. Petro non magis contulit, quàm collatus à Iuda proditore, vel ab alio. Quamobrem Paulus 1. *Corinthiorum* 1. reprehendit aliquos dicentes se baptizatos à Paulo, & alios dicentes se ab alio baptizatos, ergo signum est non maiorem recipi gratiam, quo quis recipit Sacramentum à meliori ministro.

Contra hanc doctrinam proponi solet duplex obiectio. Prima desumitur ex D. Th. *q.* 86. *art.* 6. vbi testatur magis fructuosam esse Missam dictam à meliore Sacerdote cum maiore deuotione, quàm sit Missa dicta ab alio: ergo etiam recipiens Sacramenta à meliori ministro recipit plus fructus, & gratiæ.

Secunda obiectio est, quia homines ferè communiter curant sibi conferri Sacramenta à Sacerdotibus sanctioribus, & melioribus, ergo videtur plus gratiæ recipi à meliori ministro.

RESPONDETVR ad vtramque obiectionem, recipientem Sacramenta à meliori ministrõ administrante cum maiori deuotione, nõ recipere plus gratiæ habitualis, quia vnus non potest alteri mereri gratiam habitualem, & sanctificantem, alioquin posset aliquis mereri, vt paruulus baptizatus crescat in gratia absque vllo ipsius actu, vel vt dormiens iustificetur, quod est absurdum iuxta legem Dei ordinariam. Non recipit ergo plus gratiæ habitualis, sed aliquid aliud, videlicet aliquod auxilium, seu motam, quo recipiens Sacramentum se præparet, & disponat ad gratiam. Ita S. Thom. *q.* 64. *artic.* 1. *ad secundum*. Coninchus & Nugnus *ibidem*. Angles *quæst. vlt. artic.* 1. *concluf.* 4. Reginaldus *lib.* 26. *numer.* 35. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 20. *numer.* 11. [Filliucius *tract.* 1. *cap.* 6. *quæst.* 4. *num.* 96.] & alij communiter.

PVNCTVM V.

Vtrùm gratia, quæ confertur, sit eiusdem speciei in omnibus Sacramentis.

VNICA PROPOSITIO.

1 *An gratia, quæ cõfertur in Sacramentis, sit diuersa essentialiter.*

1 GRatia, quæ confertur in Sacramentis, non est diuersa essentialiter, sed est eiusdem speciei in omnibus Sacramentis. Ratio est, quia gratia habitualis intenditur per gratiam sacramentalem, iustus enim indignè recipiens Sacramenta augetur in gratia, vt patet ex Florentino dicente, nos augeri in gratia per Sacramentum confirmationis. Præterea gratia per vnum Sacramentum accepta augetur per susceptionem alterius Sacramẽti, nam gratia susceptа in Sacramento pœnitentiæ, augetur per Sacramentum Eucharistiæ; ergo gratia, quæ confertur in Sacramentis non est diuersa essentialiter, sed est eiusdem speciei. Hæc consequentia patet, quia qualitas non intenditur per qualitatem distinctæ speciei, sed per qualitatem eiusdem speciei, calor enim intenditur per calorem, non autem per aliam qualitatem speciei diuersam. Cùm ergo gratia in vno Sacramento collata intendatur, & augeatur per susceptionem alterius Sacramenti, sequitur gratiam, quæ confertur in Sacramentis, non esse diuersam essentialiter, sed eiusdem speciei. Ita S. Thom. 3. *p. q.* 62. *art.* 2. Coninchus *ibid.* Nugnus *ibid. concluf.* 3. Suarez *disput.* 7 *sect.* 3. *de Sacramentis*. Henriquez *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 5 6 & 7. Reginaldus *lib.* 26. *n.* 47. Valentia *tom.* 4. *disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 2. & alij communiter.

Verum tamen est, gratiam Sacramentorum esse diuersam accidentaliter, quamuis non sit essentialiter diuersa, vt præcitati DD. communiter fatentur.

2 *Diuersitas accidentalis gratiæ in quo cõsistat.*

2 Sed modò dubium est, in quo consistat diuersitas accidentalis gratiæ Sacramentorum.

RESPONDEO consistere in diuersis auxiliis, quæ comitantur gratiam habitualem, vt obtineatur finis, ad quem Sacramentum est ordinatum; sicut enim in quolibet Sacramento intenditur finis particularis: ita per quodlibet Sacramentum conferuntur auxilia specialia ad consequendum ipsius finem, vt patet inductione in singulis Sacramentis. In Sacramento Baptismi, quod est ianua omnium Sacramentorum, & principium vitæ Christianæ, conferuntur specialia auxilia ad dignè suscipienda reliqua Sacramenta, ad seruanda Christi præcepta, & ad Christianè viuendum. In Sacramento Confirmationis confertur gratia cum speciali auxilio ad constanter, & firmiter confitendam fidem. In Sacramento pœnitentiæ tribuitur gratia cum speciali auxilio ad perfectiùs detestanda peccata, & ad satisfaciendum pro delictis patratis. In Sacramento Eucharistiæ datur gratia cum speciali auxilio ad præcauendas, & superandas tentationes, & ad crebros virtutum actus eliciendos. In Sacramento extremæ Vnctionis communicatur gratia cum speciali auxilio ad faciliùs resistendũ tentationibus in periculo mortis, vt patet ex Tridentino *sessione* 14. *c.* 2. In Sacramento Ordinis impenditur gratia cum speciali auxilio, ad rectè obeunda sacri ordinis munera. Denique in Sacramento matrimonij recipitur gratia cum speciali auxilio ad fouendum mutuum amorem, & ad seruandam fidem. Ita colligo ex [S. Thom. 3. *part. quæst.* 82. *artic.* 2.] Suarez *disput.* 47. *sect.* 3. *concluf.* 2. Sayro *lib.* 5. *de Sacramentis in genere capit.* 6. *quæst. vnica artic.* 3. Henriquez, & Reginaldo *locis citatis*. Summa Corona *de effectibus Sacramentorum*. Vasquez 3. *part. disp.* 81.

disput.81.art.4.c.7.n.78. pag.244. Pesantio *3.part.q.62. art.2. disp.1. pag.862.* & alijs communiter.

PVNCTVM VI.

Quomodo Sacramenta conferant, vel producant gratiam, moraliter scilicet, an physicè.

1 *Causa quotuplex sit.*

1 NOtandum causam duplicem esse, moralem, & physicam. Causa physica est illa, quæ verè influit in effectum. Causa verò moralis instrumentalis alicuius effectus est illa, quæ non influit in effectum sua entitate immediatè, sed ipsius intuitu causa physica operatur, & producit effectum. Vnde preces dicuntur causa moralis remissionis debiti, quando creditor mouetur precibus ad debitum condonandum, & chirographum dicitur causa moralis solutionis, non quia ipsum sua entitate immediatè influat in effectum, sed quia debitor eo viso mouetur ad soluendum.

Hoc posito difficultas est primò, vtrùm Sacramenta sint causa moralis gratiæ. Secundò an sint causa physica gratiæ.

PRIMA PROPOSITIO.

2 *An Sacramenta sint causa moralis gratiæ.*

2 SAcramenta sunt causa moralis instrumentalis gratiæ. Ratio est, quia illa est causa moralis instrumentalis, cuius intuitu causa physica aliquid producit, sed Deus intuitu Sacramentorum repræsentantium merita Christi producit gratiam, ergo Sacramenta sunt causa moralis instrumentalis gratiæ. Ita Coninchus *3.part q.62.art.1.* Nugnus, Philiarcus *2.part.lib.1.cap 4, ibidem difficultate 7.* [Filliucius *tract.1.cap.6.q.7.num.108.* Vatquez Coninchus, & recentes *locis proximè citandis.*] & alij apud Sayrum *lib.5.cap.3. quæst.vnica, art. 2.& 3. de Sacramentis in genere,* apud Nugnum *loco citato, vers. quinta sententia,* apud Chamerotam *tract.de Sacramentis, c.1 dubio 3.* & apud Valentiam *t.4.disp.3.q.3.punct.1.* apud Franciscum Pitigianum *d.1. q.4.art.10.concl.4.*

OBIICIES primò, si causa moralis est illa, cuius intuitu causa physica operatur, sequitur finem esse causam moralem, cùm ipsius intuitu agens faciat, sed hoc non videtur admittendum, ergo neque videtur admittendum, illam esse causam moralem, cuius intuitu causa physica operatur.

RESPONDEO illam esse causam moralem, cuius intuitu, cùm iam existat in se, vel in apprehensione, agens agit; finis verò non est id, cuius intuitu agens agit, quasi iam existat, sed agens agit, vt illum iam apprehensum ponat in esse, Sacramentum autem, quando producit gratiam, iam supponitur esse, & Deus, intuitu Sacramenti iam existentis, gratiam producit: consequenter Sacramentum dicitur causa moralis, finis verò non dicitur causa moralis, cùm agens non agat intuitu finis iam existentis, sed vt illum ponat in esse.

OBIICIES secundò, si causa moralis est illa cuius intuitu causa physica operatur, sequitur, dispositiones præuias ad generationem hominis esse causam moralem creationis animæ, cùm Deus intuitu dispositionum præcedentium creet animam, sed falsum est, dispositiones præuias ad generationem esse causam moralem creationis animæ: ergo falsum est, illam esse causam moralem, cuius intuitu agens operatur, consequenter ex ratione allata in propositione non sufficienter probatur, Sacramenta esse causam moralem gratiæ.

RESPONDEO, vt aliquid sit causa moralis alicuius effectus, requiri, vt non habeat cõnexionem physicam cum effectu, nec ipsum exigat ex sua natura. Cùm autem dispositiones præuiæ ad generationem habeant ex sua natura connexionem cum anima rationali, sequitur prædictas dispositiones non esse causam moralem creationis animæ. Sacramenta verò dici causam moralem gratiæ; quia non habent connexionem cum gratia ex sua natura, sed ex voluntate Dei, qui ea instituit ad gratiam.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 *An Sacramenta sint causa physica gratiæ.*

3 SAcramenta non solùm sunt causa moralis instrumentalis gratiæ; verùm etiam sunt causa physica verè producens ipsam gratiam immediatè. Ita Bellarminus *lib.2.de Sacramentis cap.16. n.4.* Sayrus *lib.5.cap.3.q.vnica art.5.6.& 7.* Suarez *disp.9.sect.2.versic. Dicendum est enim.* Nugnus *loco citato.* Henriquez *lib.1.cap 16.num.4.* [Filliucius *tract.1.cap.6.q.7.*] Pesantius *3.part.quæst.62.art.1.disp. 1.conclus.3.versic. Tertiò dico. p.261.* contra Vasquez *disp.132. cap.3. 4.& 5. pag.250.* & deinceps. Coninchum *quæst 62. art.4. dubio vnico, num.123.* [Becanum *de Incarnatione cap.10.num.14.*] & alios. Ratio est, tum quia maiorem virtutem & efficaciam asserere debemus inesse Sacramentis quàm sit in simplici alio signo, & in chirographo, cuius intuitu soluitur pecunia, Sacramentum enim est signũ, non solùm rememoratiuum, & repræsentatiuum, verùm etiam infallibiliter effectiuum, vt patet ex supradictis, & ex pluribus Scripturæ locis, apud Henriquez *lib.1.cap.16.num.4.* vt est ille, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* &c. ergo dicendum est, Sacramenta non solùm esse causam moralem, verùm etiam physicam gratiæ, alioquin non videremur maiorem virtutem & efficaciam tribuere Sacramentis, quàm tribuamus simplici chirographo. Tum quia Deus potuit eleuare Sacramenta ad physicè producendam gratiam, cùm non implicet Deum vti creatura ad aliquid supernaturale, & ad faciendum id, quod ipsa creatura viribus naturæ facere non potest, vt patet; tum in Christi humanitate, quæ fuit instrumentum physicum efficiendi gratiam, & miracula, tum in voluntate, & intellectu, quæ licèt sint potentiæ naturales, nihilominus eleuantur ad eliciendos actus supernaturales: Si ergo Deus potest eleuare Sacramenta ad physicè producendam gratiam, credibile est de facto eleuasse; cùm hoc arguat dignitatem, & excellentiam in Sacramentis, vt bene probat Bellarminus, & alij *locis citatis.*

4 *An Sacramenta producant gratiam immediatè.*

4 QVÆRES PRIMO, vtrùm Sacramenta producant gratiam immediatè.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, tum quia Sacramenta continent, & conferunt gratiam, vt patet ex supradictis, ergo illam immediatè conferunt & producunt: conferunt enim & producunt, quod continent: tum quia si non producunt gratiam immediatè, necesse est, vt aliquid aliud immediatè producant, & de hoc quærã, quid sit, vtrùm sit qualitas naturalis, an supernaturalis. Non potest dici qualitas naturalis; quia non potest assignari, ad quid producatur ea qualitas, cùm naturalis qualitas non possit esse dispositio ad gratiam: dispositio enim debet esse proportionata formæ, necesse igitur est dicere, eam qualitatem esse supernaturalem. Si ergo est qualitas supernaturalis, quare ea qualitas producitur à Sacramentis, & non potiùs immediatè producitur gratia, quæ est qualitas supernaturalis? Ita communiter DD. apud Suarez *disp. 9. sect.1.* apud Valentiam *t.4.disp.3.q.3.* apud Sayrum *lib.5.c.2.q.2. art. 2.* apud Nugnum *q.62.art.1.diffic.7.* contra S. Thom. *in 4 dist.1. q.1. art.4.* Capreolum, & Paludanum *in eadem quæstione.*

OBIICIES, nulla res naturalis potest efficere effectum supernaturalem: nam res, quæ aliquem effectum producit, debet in se virtutem habere ad illum efficiendum: res autem naturalis, & materialis non potest habere virtutem ad efficiendum aliquid supernaturale, consequenter neque ad efficiendam gratiam, ergo Sacramẽta, quæ sunt res quædam naturalis, non videntur posse gratiam producere.

RESPONDEO, rem naturalem, & materialem non posse virtute propria, & potentia naturali efficere aliquid supernaturale; posse verò per potentiam obedientialem. Ita DD. citati.

5 *Potẽtia obedientialis quid sit.*

5 Sed modò DVBIVM est, quid sit potentia obedientialis.

RESPONDEO esse quandam aptitudinem in creatura, per quam Dominus vti potest creatura ad faciendum quidquid non implicat contradictionem. Cum enim Deus sit supremus omnium Dominus, habeátque potentiam infinitam, indubitanter fatendum est, Deum vti posse creatura pro suo nutu, & arbitrio ad faciendum; quidquid non implicat, alioquin non videretur supremus Dominus, neque diceretur virtutem habere infinitam, sed finitam & limitatam. Ita DD. citati, & alij communiter.

6 *An hæc potentia sit distincta ab ipsamet creatura.*

6 ROGABIS, vtrùm potentia obedientialis distincta sit ab ipsamet creatura?

RESPONDEO, realiter esse ipsammet entitatem creaturæ, seu ipsam creaturam, quæ ita est subiecta Deo, vt inseruiat illi ad faciendum, quidquid non inuoluit contradictionem, & quamuis dicta potentia concipiatur per modum accidẽtis in creatura, nihilominus realiter non est accidens, sed est ipsamet entitas rei creatæ, seu ipsamet creatura Deo subiecta.

OBIICIES, si potentia obedientialis non esset distincta ab entitate creaturæ, sequeretur, ipsam rem creatam posse naturaliter facere, quidquid non implicat, potest enim naturaliter præstare id ad quod virtus ipsius entitatiua se extendit. Sed non videtur admittendum ipsam rem creatam posse naturaliter facere quidquid non implicat, ergo dicendum videtur, potentiam obedientialem distinctam esse ab entitate rei creatæ.

RESPONDEO negando sequi rem creatam posse naturaliter præstare quidquid non implicat; nam res creata, si consideretur per ordinem ad effectum, quem suapte natura præstare potest, non potest præstare, quidquid non implicat, & vt sic non dicitur potentia obedientialis, si verò consideretur per ordinem ad Deum, qui rem creatam assumit ad faciendum, quidquid illi placet: quamuis ad illud præstandum ex sua natura videatur inhabilis, & inepta, dicitur potentia obedientialis.

7 *An gratia dicatur creari, an educi de potentia animæ.*

7 QVÆRES SECVNDO, vtrùm gratia, quæ producitur per Sacramenta, dicatur educi de potentia animæ, an potiùs creari.

RESPONDEO educi. Pro intelligentia istius difficultatis supponendum est ex communi Philosophorum sententia, illud dici creari, quod ex nihilo fit, quod scilicet in esse, & fieri à nullo dependet, tanquam à causa materiali. Quamobrem anima rationalis dicitur creari, quia à nullo dependet, tanquam à causa materiali. Illud verò dicitur educi, quod in esse, & fieri dependet ab alio tanquam à causa materiali, vt bene docet Franciscus Pitigianus *d.5. q.4. art.4. pag. mihi 58. vers. sed hanc opinionem.* & alij DD. statim citandi.]

8 *Cur gratia dicatur educi de potentia animæ.*

8 Hinc colligitur, gratiam dici educi de potentia animæ, quia in esse, & fieri dependet ab anima, tanquam à causa materiali, cùm accidens non possit esse realiter sine subiecto; subiectum verò gratiæ sit anima. Ita Henriquez *lib.1.cap.17.num.3.* Philiarcus *2.part. l.1. cap.4.* S. Thom. *quæst.27.de veritate art. 3.* quem citat, & sequitur Nugnus *loco citato, versic. Ad tertium.* [Becanus *2.part. tract.4.c.3.q.6.*] & alij apud Henriquez *loco citato, in commentario littera F.*

PVNCTVM VII.

Quo tempore Sacramenta conferunt gratiam.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Sacramẽta quandónam causent gratiam.*

1 SAcramenta causant gratiam, quando sunt in esse completo Sacramenti, id est, in eo instanti intrinseco, in quo materia, & forma habent perfectam significationem, ad quam sunt instituta. Ratio est, quia Sacramenta producunt gratiam in eo instanti, in quo eam significant: Sacramentum enim est signum sacrum, quod significat, & significando producit, sed significat gratiam in eo instanti, in quo materia, & forma perfectam habent significationẽ, etiam si fortè minister immoretur in prolatione vltimæ syllabæ, aut litteræ; ergo Sacramenta conferunt gratiam, quando materia & forma perfectam habent significationem.

2 *Sacramentũ Baptismi quandónam causet gratiam.*

2 Hinc patet, Sacramentum Baptismi causare gratiam in eo instanti, in quo ablutio, & prolatio verborum gignit perfectum sensum, consequenter non esse verum Baptismum, quando quis, aut nondum abluit, aut nondum protulit verba habentia perfectum sensum. Cùm autem in vltimo instanti prolationis verborum, & ablutionis adsit perfecta significatio, ad quam prolatio verborum, & ablutio fuit instituta, sequitur Baptismum producere gratiam in dicto instanti. Idem dicendum est de reliquis Sacramentis, quæ consistunt in vsu.

Dico, quæ consistunt in vsu, ad differentiam Sacramenti Eucharistiæ, quæ, cùm sit Sacramentum permanens, non producit gratiam, quando est completa forma cõsecrationis, sed in ipsa susceptione Eucharistiæ, vt suo loco explicabo. Ita Suarez *disp.8 sect.2. §. vltio*

§. *vltimus dicendi modus*. Henriquez *lib.1.c.19.num.1. & lib. 2. c.9. n.1.* Coninch. *q.62. art.1. dub.4.num.62.* Nugnus *ibid. difficultate 7. verf.5.sententia.* Sotus *in 4 dist.9 q.2.art.2.* [Filliuc. *c.6.q.6.*] & alij communiter.

3 In quonam instanti Sacramenta conferant gratiam.

3 QVÆRES PRIMO, vtrùm Sacramentum conferat gratiam in eo instanti, in quo perficitur forma, vel potiùs, in eo instãti, in quo perficitur materia, cùm hæc duo non semper sint omnino simul.

RESPONDEO conferre gratiam in eo instanti, in quo Sacramentum est completum & perfectum, siue perfectum sit in vltimo instanti prolationis verborum, siue in vltimo instanti materiæ. Propterea si Sacerdos proferat formam Baptismi, deinde abluat infantem, gratia confertur in vltimo instanti, in quo perficitur materia, id est, ablutio, quæ est materia proxima Baptismi, tunc enim Baptismus suum habet complementum in vltimo instãti ablutionis. Idem à pari dicendum est de forma, quando forma Baptismi adhibetur post materiam, ita vt Sacramentum compleatur in vltimo instanti prolationis formæ. Si verò materia, & forma sint simul, gratia confertur in vltimo instanti vtriusque: effectus tamen Sacramenti semper dicitur causari à toto Sacramento, à forma scilicet, & à materia, siue forma, & materia sint simul, siue successiuè adhibeantur. quanquam effectus magis tribuitur formæ quàm materiæ. Ratio est, tum quia Sacramentum regulariter loquendo perficitur in vltimo instanti prolationis verborum, tum quia significatio materiæ determinatur ab ipsa forma. Ita Suarez *loco citato circa finem*. Henriq. & alij *locis citatis*.

4 An recipiat gratiã, qui desinit in eo instanti, in quo perficitur Sacramentum.

4 QVÆRES SECVNDO, vtrùm ille recipiat Baptismum, qui mortì proximus baptizatur, & deficit in eo instanti, in quo perficitur Sacramentum Baptismi. Idem quæri potest de adulto, qui desinit in eo instanti, in quo perficitur absolutio.

RESPONDENT Sotus *in 4. distinct.9. q.2.art.7.ad finem.* Maior *in 4. dist.16.* & alij affirmatiuè.

Sed mihi probabilius dicendum videtur cum Suarez *tom.3.disp.8. sect.2.* Henriq. *lib.1.cap.19. n.2.* & alijs recentioribus, non recipere Baptismum, aut absolutionem. Ratio est, quia homo in eo instanti, in quo desinit, non est homo, sed immediatè antè fuit, vt tradũt Philosophi agentes de inceptione, & desitione rerum; Sacramentum autem non agit in hominem, qui non est. ergo Sacramentum in eo instanti, in quo primò est Sacramentum, non producit gratiam in homine, qui in eo instanti deficit, & primò non est, alioquin sequeretur hominem, qui toto vitæ suæ tempore fuit in peccato mortali, posse iustificari, & constitui in gratia, quando primò non est.

QVÆSTIO QVINTA.

De effectu secundario aliquorum Sacramentorum, id est, charactere.

IN præcedenti quæstione prænotauimus, aliqua Sacramenta non solùm producere gratiam sanctificantem, quæ primarius Sacramentorum effectus nuncupatur, verùm etiam characterem, qui dicitur effectus secundarius. Character autem ex Græca versione significat notam, seu signum, quo res tali signo munita discernitur & distinguitur ab alijs, sicut enim nota, seu signum ferro candenti pecudibus impressum, dicitur character, per quem pecudes alicuius distinguuntur à cæteris, ita ea qualitas, qua homo distinguitur ab alio, characteris nomen sibi vendicat, qualis est character Baptismi, per quem homo baptizatus distinguitur ab infideli; character confirmationis, per quem confirmatus distinguitur à non confirmato, ac denique character Ordinis, per quem ordinatus distinguitur à laicis.

Hoc posito tria nobis principaliter quærenda sunt in hac quæstione. Primò, an aliqua Sacramenta conferant characterem. Secundò, quid sit character. Tertiò, quæ differentia sit, connexio, & duratio characteris.

PVNCTVM I.

Vtrùm aliqua Sacramenta conferant characterem.

NOvo breuiter quæram in hoc puncto. Primò vtrùm aliqua Sacramenta producant characterem. Secundò quænam Sacramenta illum producant.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An aliqua Sacramẽta imprimant charactẽrẽ.

1 CErtum est de fide, ab aliquibus Sacramentis imprimi characterem, vt patet, tum ex 2. *ad Corinthios* 1. vbi dicitur, *vnxit nos & signauit*, id est, vnxit nos per gratiam, & signauit nos charactere, vt explicant communiter DD. & PP. tum ex 1. *ad Ephesios* 4. vbi habetur, *in quo signati estis*, id est, charactere, vt exponunt PP. Anselmus, & Hieronymus. Ita Sayrus *l.4.c.3.* D.Thomas *q.63 art.1.* Coninchus, & Nugnus *ibidem*. Philiarcus 2. *part.lib.1 c.5.* Vasquez, & Pesantius *ibid.* Petrus Ledesma *in summa c.5. vers. primera conclusion*, Suarez *disp.11. sect.1.* & alij statim citandi.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quænam Sacramenta imprimant charactẽrem.

2 CErtum est de fide, tria Sacramenta, videlicet Baptismum, Confirmationem, & Ordinem imprimere characterem in anima, vt patet; tum ex Tridentino *sess.7. canone 9.* & ex Florentino *in decreto Eugenij*, & ita sentit Sancta Mater Ecclesia, vt bene ait Suarez *loco citato*. Pitigianus *d.6. q.9. &* 10. Petrus Ledesm. *de Sacramento Confirmat.c.4.concluf.2.* Vasquez 3. *parte tom.2.disp.146. n.5.* Henriquez *lib.1.c.13.* Reginaldus *lib. 26. num.48.* Sayrus & Coninchus *locis citatis*. Chamerota *cap. 4. de Sacramentis, dubio 5.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 1. §. 18.* [Filliucius *tract.1.cap.7.*] & alij, quos retuli de Sacramento Ordinis.

3 An reliqua Sacramenta imprimant charactẽrem.

3 QVÆRES PRIMO, vtrùm alia Sacramenta præter Baptismum, Confirmationem, & Ordinem imprimant characterem.

RESPONDEO negatiuè, vt patet ex Florentino. Ratio est, quia nulla sufficienti ratione comprobari potest, alia Sacramenta imprimere characterem. Ita Bartholomæus ab Angelo *loco citat. §. 19.* & alij [Doctores] citati.

4 An Sacramenta veteris legis conferrent charactẽrẽ.

4 QVÆRES SECVNDO, vtrùm Sacramenta veteris legis conferrent characterem.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est; tum quia nulla sufficienti ratione probari potest, Sacramenta veteris legis contulisse characterem, tum quia nos admittimus characterem in ijs tantùm Sacramentis, quorum mentionem facit Ecclesia: cùm autem Ecclesia non meminerit aliquod Sacramentum veteris legis contulisse characterem, non est necesse dicere Sacramenta veteris legis contulisse characterem. Ita DD. citati. Quamuis Scotus oppositum senserit admittens characterem in circuncisione, vt videri potest apud præcitatos Doct.

PVNCTVM II.

Quid sit Character.

VNICA PROPOSITIO.

1 Character quid sit.

1 CHaracter est qualitas spiritualis, animæ diuinitus infusa, qua homo redditur aptus ad Sacramenta suscipienda, vel administranda, & ad alia diuini cultus opera. Ita Valentia *tom. 3. disp.3. q.4.puncto 1.* Suarez *tom.3.disp.11.sect.2.* Henriquez *lib.1.c.13.* S.Thom. *3.part.q.63.ar.2.* Nugnus *ibidem difficultate 1.* Bellarminus *de Sacramentis lib. 2. c. 19.* & alij communiter, contra Durandum *in 4. dist. 8.q.1.* existimantem, charactérem esse ens rationis, & contra Scotum *dist. 6.q. 10.* asserentem characterem esse puram relationem.

Dicitur qualitas loco generis; in hoc enim conuenit character cum gratia, & alijs qualitatibus supernaturalibus, quæ inhærent animę.

Scire verò, ad quam speciem qualitatis character reducatur, non est necesse Theologo morali, siue reducatur ad potentiam, qua homo redditur aptus ad opera diuini cultus præstanda, vt volunt S.Thom. *q 63.art.2.* Nugnus *ibidem difficultate 3.* Henriquez *c.13. n.4.* Caietanus Sotus, Capreolus, & alij apud eundem Henriquez; siue reducatur ad habitum, & dispositionem formaliter perficientem animam, vt asseruit Suarez *disp.11. sect.3.* cum S. Bonauentura, Scot. & alijs.

Dicitur animæ diuinitus infusa, vt cognoscatur subiectum characteris, quod est anima rationalis. Quamobrem Concilium Tridentinum *loco citato*, & Florentinum asserunt, characterem imprimi in anima.

2 An character immediatè imprimatur in anima.

2 Sed modò difficultas est, vtrùm character imprimatur in anima immediatè, an mediatè, cùm enim tria sint in anima, voluntas, intellectus, & substantia ipsius animæ, dissensio est inter Doctores, vtrùm character recipiatur immediatè in anima, tanquam in subiecto immediato, vel potiùs in voluntate, vel intellectu.

Scotus *in 4.dist.6.q.1.* apud Pitigianum *art.1.pag.mihi 270.vers. explosis aliorum*, & alij putant immediatè recipi in voluntate. Ratio est, tum quia character disponit ad gratiam, quæ est in voluntate; tum quia est principium ad exercendas actiones cultus diuini, & religionis; huiusmodi autem principium debet esse in voluntate.

3 Alij verò, vt Valentia *tom. 4.disp.3.q.4.punct.4.* S.Thomas *q. 63. art.4.ad tertium.* Nugnus *ibidem difficult. 1.* Caietanus *ibid.* & alij apud Sayrum *lib.4. de Sacramentis in genere c.8.q.1.art.2.* Philiarcum 2. *part.l.1. cap.5.* putant characterem immediatè recipi in intellectu; quia cùm character sit fundamentum operationum, poni debet in ea potentia, in qua est fundamẽtum totius ædificij spiritualis, quod est fides; fides autem est in intellectu.

Sed mihi placet sententia Suarez *tom.3.disp.11.sect.4.* Vasquez 3. *p.q.3.art.6.disp. 134 c.4 n 81.* Bellarmini *lib.2. de Sacramentis cap.19.* Coninchi *q.63.art.4* Chamerotæ *cap.4. dub.3.* [Filliucij *tract.1. c. 7.q.6.*] & aliorum, asserentium, characterem esse immediatè in ipsa animæ substantia. Ratio est, tum quia Concilia, Florentinum scilicet, & Tridentinum absolutè dicunt imprimi in anima, ergo non immediatè imprimitur in potentijs: nam si non imprimererur immediatè in anima, Concilia dixissent potiùs imprimi in homine, quod est subiectum denominationis, aut expressissent potentiam, in qua recipitur.

Ad argumentum Scoti, & aliorum RESPONDEO, Characterem non esse per se dispositionem ad gratiam, cùm aliquis possit esse in gratia sine charactere.

Ad fundamentum Valentiæ, & aliorum respondet Suarez, characterem esse in anima, non verò in intellectu, aut in voluntate, quia character est habitus formaliter perficiens animam.

Additur in definitione, qua homo redditur aptus ad Sacramenta suscipienda, &c. vt ostendatur finis, & munus characteris. Quod vt meliùs intelligatur:

3 Character quotuplex sit.

3 Aduertendum est, triplicem esse characterem. Primus est character Baptismi, per quem homo disponitur ad suscipienda Sacramenta: nam Sacramenta collata infideli non baptizato non sunt valida; cùm Baptismus sit ianua Sacramentorum, & disponat ad alia Sacramenta suscipienda. Secundus est character Confirmationis, quo disponitur confirmatus ad eliciendos actus fidei, & ad reliqua Sacramenta recipienda. Tertius est character Ordinis, per quem ordinatus disponitur ad exercenda munera, & opera cuiusque ordinis propria, vt bene tradit S. Thom. *quæst. 63. art. 6.* Bellarminus *lib. 2. cap.19.* & alij communiter. Dicitur ergo in definitione, qualitas spiritualis, qua homo redditur aptus ad Sacramenta suscipienda, vel ministranda, &c. vt ostendatur munus, & finis characteris, cùm homo per characterem fiat aptus ad Sacramenta suscipienda, vel ministranda iuxta munus, & officium Sacramentorum.

4 An quilibet homo sit capax charactẽris.

4 QVÆRES, vtrùm quilibet homo capax sit characteris.

RESPONDEO de potentia Dei absoluta capacem esse characteris cùm habeat animã, in qua recipitur character. Immo verisimile est, hanc capacitatem reperiri etiam in Angelis, sicut in ipsis reperitur etiam capacitas ad reliqua dona gratiæ. In Christo verò non est cha-

est character, quia character arguit quandam imperfectionem, & dependentiam ab alio, sicut miles dependet à Principe, & ab alio Superiore, [character enim est signum ouium, seruorum, & militum:] Christus autem est supremus Princeps, & Sacerdos non indigens charactere, vt distinguatur ab aliis, & reddatur aptus ad opera diuini cultus, nam se ipso distinguitur ab aliis, & per vnionem hypostaticam potest ea præstare, quæ pertinent ad diuinum cultum. Ita S. Thom. *q.63. art.3.* Suarez *tom.3. disp.14 sect.4.* [Filliucius *tract. 1. cap.7. q.7.*] & alij apud Chamerotam *cap.4. dub.4. de Sacramentis*, contra Maior. & alios apud præcitatos Doctores.

PVNCTVM III.

De differentia, connexione, & duratione Characteris.

TRia breuiter quæram in hoc puncto. Primò vtrùm characteres specie differant inter se. Secundò, quam connexionem inter se habeant. Tertiò, quamdiu durent.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An characteres inter se specie differant.*

1 CHaracteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis differunt specie. Ratio est, quia diuersitas specifica cognosci potest ex diuersitate potentiarum, habituum, & actuum. Sed characteres sunt potentiæ, seu habitus ordinati ad diuersos actus, vt patet ex fine cuiusque characteris, ergo characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis specie differunt inter se: characteres verò singulorum Ordinum non videntur inter se specie differre, quia singuli ordinantur ad vnum completum characterem Sacerdotij: & ad eundem finem. Ita communiter Doctores.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *An sit aliqua connexio inter characteres.*

2 INter characterem Confirmationis, & Ordinis est necessaria connexio cum charactere Baptismi. Ratio est, quia Confirmatio, & Ordo necessariò supponunt Baptismum. Quamobrem si Confirmatio, vel Ordo conferatur non baptizato, inualidè confertur. *cap. veniens de presbytero non baptizato.* Character verò Ordinis non habet necessariam connexionem cum charactere confirmationis, nam Ordo, si conferatur alicui non confirmato, tenet: immò recipiens Ordinem ante Confirmationem excusatur à mortali à multis Doctoribus, quos citat, & sequitur Henriquez *lib.10. cap.14. in commentario litera. P.* Quamuis mihi in hac parte oppositum probabilius videatur, cùm faciat contra communem Ecclesiæ vsum & praxim in re graui.

Præterea characteres Ordinum non habent necessariam connexionem inter se, nam Ordines tenent, si per saltum conferantur, *cap. vnico. de Clerico per saltum promoto.* excepto charactere Episcopatus, qui necessariò supponit characterem sacerdotalem, siue dicamus characterem Episcopatus esse distinctum à charactere sacerdotali, vt asserit Valentia, & Emanuel Sà, siue dicamus eundem extendi, & perfici per Episcopatum, vt patet ex dictis de Ordine, ad quæ vos remitto.

3 *An sit iterùm ordinandus, qui ordines per saltum recepit.*

3 Hinc sequitur, eum, qui fuit per saltum ordinatus, non esse iterum ordinandum, sed sufficere, si cognito errore recipiat Ordines prætermissos. An verò Clericus scienter per saltum promotus incurrat aliquam pœnam, patet ex dictis de Censuris.

TERTIA PROPOSITIO.

4 *Quandiu durent characteres.*

4 CHaracter semel susceptus semper durat, & permanet, & nunquam amittitur per peccatum, aut per degradationem, vel mortem, vt patet ex Florentino *in instructione Armenorum*, & ex Tridentino *sess.7. canone 9.* Ita S. Thom. *qu.63. art.5.* Coninchus, & Nugnus *ibidem*, Bellarminus *loco citato cap.19*, Reginaldus *loco citato n.49.* Sayrus *lib.4. c.5 de Sacramentis, q. vnica, art.2.* Suarez, Hériquez, & alij *locis citatis*. Ratio est, quia cùm character sit in anima, tanquam in subiecto immediato, & nullum habeat contrarium, à quo valeat corrumpi, non est, cur dicamus, characterem non perpetuò durare, cùm anima perpetuò duret, & sit immortalis.

5 *An Sacramenta, quæ conferunt characterē, iterabilia sint.*

5 Ex quo sequitur primò, Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, non esse iterabilia, quia imprimunt characterem; qui semper permanet, vt inquit Tridentinum, & Florentinum, & Doctores communiter.

6 *An rebaptizandus sit mortuus antea baptizatus si reuiuiscat.*

6 Secundò sequitur, mortuum antea baptizatum, vel confirmatū, vel ordinatum, si diuina potentia excitetur à mortuis, & ad vitam iterum reuocetur, non esse rebaptizandum, iterum confirmandum, vel ordinandum, quia prior character semper perseuerat & permanet. Ita Viualdus *de Sacramentis cap. 2. num. 2.* & alij DD. citati.

QVÆSTIO VI.

De susceptore, seu subiecto Sacramentorum.

QVinque principaliter quæram in hac quæstione. Primò, quódnam sit subiectum Sacramentorum. Secundò, quid requiratur in subiecto suscipiente Sacramenta. Tertiò, vtrùm Sacramenta suum producant effectum recedente fictione, cum qua fuerunt suscepta. Quartò, vtrùm Sacramenta ministrari possint indignè petenti. Quintò, vtrùm recipi possint Sacramenta ab eo, qui indignè ministraturus est.

PVNCTVM I.

Quódnam sit subiectum capax Sacramentorum.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Subiectum capax Sacramentorū quódnā sit.*

1 NVllus præter hominem, in hac mortali vita degentem, est subiectum capax Sacramentorum. Ratio est, quia Sacramēta instituta sunt ad salutem hominis, & in remedium peccati, ergo solus homo est subiectum capax Sacramentorum, quandiu degit in hac vita, in qua eget remedio contra peccatum.

2 Non nego tamen, quin Beatus possit de pœnitentia Dei absoluta recipere Sacramentum, hoc enim nullam inuoluit contradictionem. Ita Nugnus *q 66. art.10. difficult.1.* & alij.

An beatus sit capax Sacramentorum.

3 Angeli verò non sunt capaces Sacramenti, nam Angeli sunt spirituales: Sacramenta verò consistunt in rebus materialibus. Ita Nugnus *loco citato*, Henriquez *lib. 1. cap. 21. n. 1.* Reginaldus *lib. 26. num. 50.* [Suarez *disp.14. sect.1.* Filliuc. *tract.1. ca.8. qu.1.*] & alij communiter.

An sint capaces Angeli.

OBIICIES primò, Angeli sūt capaces Eucharistiæ, quæ appellatur panis Angelorum, iuxta illud Psalmi 77. *Panem Angelorum manducauit homo*, ergo Angeli, & consequenter alij præter hominem sunt capaces Sacramentorum.

RESPONDEO, nomine panis Angelorum, intelligi posse Christum, qui dicitur panis Angelorum, non quia Angeli ipsum sacramentaliter percipiant, sed quia eo fruuntur, eique spiritualiter vniuntur.

Neque obstat, quòd multi Angelorum peccauerint, nam Sacramenta non sunt instituta ad peccatum Angelorum remittendum, sed ad salutem hominum, & Angeli, cùm sint spirituales, non sunt capaces Sacramentorum. Ita Henriquez *loco citato*, vbi refert D. Th. *q.80. art.2.* & Sotum *dist.12. q.1. art.2.*

OBIICIES secundò, si mus comedat hostiā consecratam, dicitur recipere Eucharistiam, ergo alij præter hominem sunt capaces Sacramentorum.

4 *Quid dicēdū de equo. bibente aquam Baptismi.*

RESPONDEO murem recipere Eucharistiam materialiter tantùm, non verò sacramentaliter, cùm non sumat eam vt Sacramentum, & non attingat Christum secundùm pròpriam speciem, sed secundum species sacramentales sub quibus latet Christus absque suæ dignitatis dispendio, & diminutione. Ita S. Thom. *quæst. 80. artical. 3. ad tertium*, & alij communiter.

4 Hinc patet à fortiori, quid dicendum sit de equo bibente aquam Baptismi, hic enim non dicitur recipere Baptismum, sed bibere id, quod est materia Baptismi. Ita Henriquez, & alij *locis citatis*.

Ex dictis ergo patet, nullum, præter hominem, esse subiectum capax Sacramentorum.

5 *An singuli homines sint capaces omnium Sacramentorum.*

5 Sed modò DVBIVM est, vtrùm omnes, & singuli homines sint capaces omnium Sacramentorum.

RESPONDEO negatiuè, vt patebit ex dicendis de singulis Sacramentis, nam aliqui sunt incapaces matrimonij propter impotentiā perpetuam, aut propter defectum vsus rationis. Alij sunt incapaces Ordinis, vt fœmina, aut hermaphroditus, nisi prævaleat virilis sexus, alij sunt incapaces Extremæ-vnctionis, vt puer, qui nondum ad rationis vsum peruenit. Ita Henriquez *loco citato n.2. & 3.* [Suarez *disp.14. sect.1. sub.fin.* Filliucius *tract. 1. cap.8. q. 1.*] & alij, quos referam in singulis Sacramentis.

1 *An requiratur intentio in adulto recipiente Sacramētū.*

PVNCTVM II.

Quid requiratur in subiecto, seu susceptore Sacramentorum.

VNICA PROPOSITIO.

2 *An pueri sint capaces matrimonij & pœnitentiæ.*

1 IN adulto recipiente Sacramenta requiritur primò debita intentio. Ratio est, tum quia, qui non intendit & non consentit, censetur virtualiter contradicere, cùm omnis homo ita censeatur virtualiter dispositus, & affectus, vt nolit in rebus magni momenti implicari sine propria voluntate. Tum quia non decet Christianos inuitos imbui Sacramentis. Tum quia, sicut in ministro requiritur intentio conficiendi Sacramenta, ita in suscipiente requiritur intentio suscipiendi. Ita S. Thom. *q.68. art.7.* & alij apud Henriquez *lib.1. cap.22. num.1.* Suarez *disp.14. sect. 2.* Nugnus *q. 64. art.10. difficultate.2. concl.1.* Reginaldus *loco citato num. 5.* [Filliucius *tract.1. cap.8. q.2. & 6.*] & alij communiter, teste Coninchō *qu. 64. art.8. dub.5. num.98.*

3 *An recipiat fructum sacramenti, qui recipit Eucharistiā vt famem expellat.*

Dixi, in adulto recipiente Sacramenta, nam vtrùm in pueris, quibus confertur Sacramentum Baptismi, vel Ordinis, vel Confirmationis, vel Eucharistiæ ante rationis vsum, requiratur intentio, constabit ex dicendis de Baptismo & Ordine, vbi ostendam in pueris rationis vsu carentibus non requiri intentionem, cùm non possint actum voluntatis elicere. Ita Coninchus *loco cit. n.97.* & alij. [Ob id Concilium Florentinum, dum asseruit Sacramenta tribus perfici, materia scil. forma & intentione ministri, nullam fecit mentionem intentionis ipsius suscipientis, quia intentio suscipientis non est semper necessaria, vt in infantibus suscipientibus Baptismum. Ita Suarez *loc. cit. vers. atque ex his*]

4 *An valide recipiat Sacramenta, qui ea animo repugnante recipit.*

2 Vtrùm verò infantes sint capaces matrimonij, vel pœnitentiæ, constabit ex dicendis suis locis, vbi ostendam non esse capaces, quia hæc Sacramenta requirunt actum liberum ex parte recipientis, infantes autem, qui non sunt præditi rationis vsu, non possunt actum liberum exercere.

5 *An valide recipiantur Sacramēta tempore amentiæ ab eo, qui ea sanitatis tempore nunquam recipere voluit.*

3 Ex dictis sequitur primò, eum, qui recipit Eucharistiam ad famem expellendam, aut qui recipit hostiam nesciens illam esse consecratam, non recipere fructum Sacramenti, quia non habet intentionem recipiendi Sacramentum. Ita DD. citati.

6 *An valide recipiat Sacramentum adultus, qui nunquam Sacramentum petijt.*

4 Secundò sequitur, eum inualide recipere Sacramenta, qui illa recipit omnino inuitus, & animo repugnante. Secus si recipiat voluntariè mixtè, vt per metum grauem, aut leuem. Ita Coninchus *loc. cit. dubio 5. n.99.* Suarez *loco cit. vers. Dico primo*, Reginaldus *lib. 26. n. 50.* & alij, quos in simili retuli *de legibus*.

7 *An validè recipiat Sacramenta, qui ea recipit cum intentione neutrali.*

5 Tertiò, eum non recipere Sacramentum, qui habuit voluntatem nunquam recipiendi Sacramenta, & postea illa suscipit in amentia, antequam aliquo modo reuocauerit dictam voluntatem. Ita DD. citati.

6 Quartò, inualidè suscipi Sacramentum ab adulto, qui nulla vnquam ratione Sacramentum petiit.

8 *Quenam intentio sufficiat ad recipienda Sacramēta.*

7 Quintò, inualidè suscipi Sacramentum ab eo, qui Sacramentum accipit cum intentione neutrali, vt patebit ex dicendis de Baptismo.

8 Obseruandum tamen est, ad recipienda Sacramenta non semper requiri intentionem actualem, aut virtualem, sed sufficere habituallem,

lem, ita vt, qui suscepturus est Sacramentum, aliquando intenderit recipere, seu petierit implicitè, vt patet ex Concilio Carthaginensi III. *cap.* 34. & Arausicano *cap.* 11. vbi habetur, subitò obmutescenti conferenda Sacramenta, si ea ante petierit. Ita Coninchus *loco citato n.* 107. Valentia *tom.* 4. *disp.* 4. *qu.* 2. *punct.* 2. *ad finem.* Suarez *loco citato*, Sylvester *verbo Baptismus* 4. *q.* 14. Reginaldus *loco citato num.* 50. Henriquez, & alij, quos in simili referam de Eucharistia.

9 An ministranda sint Sacramenta implicitè petenti.

9 Hinc patet, validè administrari Sacramenta existenti in articulo mortis, si catholicè vixit; hic enim catholice viuendo censetur implicitè petiisse Sacramenta, quæ conferri consueuerunt existentibus in periculo mortis. Idem dic de illis, qui actum veræ contritionis, vel attritionis de peccatis elicuerunt; cùm enim in huiusmodi actu virtualiter contineatur propositum seruandi diuina præcepta, quorum obseruatione salus obtinetur, censentur implicitè petijsse Sacramenta, quorum sumptio præcipitur in articulo mortis.

Quid verò dicendum sit de Sacramento pœnitentiæ, patebit ex dicendis de pœnitentia; cùm sit peculiaris difficultas ibi tractanda, *disp.* 5. *q.* 5. *sect* 2. *punct.* 2. *§* 4. Præterea ex infrà dicendis constabit, quæ differentia sit inter intentionem requisitam ad conficienda Sacramenta, & intentionem requisitam ad illa suscipienda, cùm dixerimus ad recipienda Sacramenta sufficere intentionem habitualem, quam ex supradictis constat non sufficere ad conficienda Sacramenta. Hucusque explicauimus primam conditionem, veniamus ad secundam.

10 An requiratur in adulto alia dispositio præter intentionem.

10 Secundò in adulto recipiente Sacramenta, præter intentionem requiritur talis dispositio, qua recipiens Sacramentum ita se disponat, vt sit capax saltem principalis effectus, id est, gratiæ. Ratio est, quia sancta sanctè tractanda sunt, qui autem non ita se disponit, vt sit capax principalis effectus, non tractat sancta sanctè, sed indignè, & est sacrilegus, ac reus grauis peccati, sicut etiam grauiter peccat qui ministrat Sacramenta in graui peccato. Immò grauius peccat, qui Sacramenta recipit in peccato, quàm qui administrat. Ratio est, tum quia recipiens magis dicitur tractare Sacramenta, quæ recipit, & quibus quodammodo adhæret, tum quia ministrans Sacramenta in peccato, non tollit efficaciam Sacramentorum, nec inanem reddit illorum significationem, qui verò recipit absque debita dispositione, quantum est ex se, reddit inanem Sacramenti significationem consequenter non recipit gratiam, quam Sacramentum significat, & confert significando. Ita Suarez *disp.* 17 *sect.* 2. *concl.* 2. Henriquez *lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 10. *& cap.* 23. Reginaldus *loco citato n.* 61. Viualdus *de Sacramentis in genere c.* 3. *num.* 16. [Filliucius *tract.* 1. *c.* 8. *q.* 6. *n.* 148.] & alij Doctores citati.

Dixi in secunda conditione, vt sit capax saltem principalis effectus, nam si quis dispositus sit ad principalem effectum, videlicet ad gratiam recipiendam, sed ponat obicem ad effectum secundarium, per se non peccat mortaliter: vt si quis accedat ad Baptismum cum alicuius peccati venialis complacentia, non obtinet remissionem totius pœnæ, quæ est effectus secundarius Sacramenti Baptismi, & tamen constat hunc non peccare mortaliter.

Obicies, qui ponit obicem ad recipiendũ characterem, grauiter peccat, sed character est effectus secundarius, ergo qui ponit obicẽ ad effectum secundarium, grauiter peccat.

Respondeo, recipientem Sacramentum eo ipso, quo vult recipere Sacramentum, non posse ponere obicem ad recipiendum characterem, nam qui vult Sacramentum, vult etiam characterem, tanquam accessorium, quod consequitur Sacramentum, præterea non potest ponere obicem huic effectui secundario, quin ponat obicem primario, cùm autem ponens obicem effectui primario grauiter peccet, sequitur etiam eum, qui ponit obicem ad recipiendum characterem, grauiter peccare. Quare, quando dicimus, eum non grauiter peccare, qui ponit obicem ad effectum secundarium, sermo est de illo, qui potest ponere obicem ad secundarium effectum, non ponendo obicem ad primarium, vel potiùs dicas, sermonem esse de secundario effectu, qui est remissio totius pœnæ.

11 An accedens ad Sacramenta debeat esse in gratia & quomodo se disponere debeat.

11 QVÆRES vtrùm accedens ad Sacramenta debeat esse in gratia, & quomodo debeat se disponere, vt sit capax gratiæ, seu principalis effectus Sacramentorum.

Respondeo primò eum, qui accedit ad ea Sacramẽta, quæ ex sua institutione per se conferunt primam gratiam, non teneri esse in gratia. Ratio est, tum quia Sacramentum non supponit illud pro dispositione, ad quod conferendum fuit institutum, tum quia prædicta Sacramenta non conferrent primam gratiam, cùm alia adesset in subiecto.

12 An accedens ad Baptismũ debeat esse in gratia.

12 Hinc sequitur, adultum, qui accedit ad recipiendum Sacramẽtum Baptismi, vel pœnitentiæ, non teneri esse in gratia, nam hæc Sacramenta sunt instituta ad conferendam primam gratiam. Verum tamen est duplicem dispositionem in eo requiri, vt patet ex supradictis, vnam ex parte intellectus, alteram ex parte voluntatis: ex parte intellectus, requiritur fides, quæ est fundamentum omnis iustitiæ, iuxta illud ad Hebræos 11. *sine fide impossibile est placere Deo.* Ex parte verò voluntatis, in eo, qui actualiter peccauit, requiritur dolor, & detestatio peccatorum actualium, seu attritio supernaturalis, id est, auxilio supernaturali elicita propter metum gehennæ, vel turpitudinem peccati. Ratio est, tum quia non remittitur peccatum sine pœnitentia, iuxta illud. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Tum quia non remittitur peccatum, nisi reuocata sit voluntas peccandi, voluntas autem peccandi non censetur reuocata, donec adsit dolor, seu attritio peccatorum. Ita Suarez *disput.* 28. *sect.* 1. *conc.* 1. Henriquez *lib.* 1. *c.* 22. *num.* 4. *& cap.* 24. *nu.* 1. Coninchus *qu.* 62. *art.* 1. *dub* 2. Nugnus *ibidem difficultate* 3. *conc.* 3. Posseuinus *de administratione Sacramentorum c.* 5. *n.* 40. [Filliuc. *tract.* 1. *c.* 8. *qu.* 3. *num.* 135.] & alij communiter.

Respondeo secundò, eum qui accedit ad recipienda Sacramẽta, quæ per se instituta sunt ad augendam gratiam, debere esse in gratia. Ratio est, quia accedens sine gratia ad Sacramenta per se instituta ad conferendam secundam gratiam, ponit obicem ad gratiã, nisi per attritionem, & bonæ fidei titulum excusetur.

13 Accedens ad

13 Hinc sequitur, eum, qui accedit ad huiusmodi Sacramenta, si conscientiam habeat lethalis culpæ, teneri se in gratia constituere per confessionem, vel saltem per contritionem, excepto Eucharistiæ Sacramento, in quo præmittenda est confessio, & non sufficit contritio, vt constabit ex dicendis de Eucharistia, vbi ostendam, accedentem ad Eucharistiæ Sacramentum recipiendum, teneri confessionem præmittere, si conscientiam habeat grauis culpæ.

Sacramenta cum peccato, quid facere teneatur.

14 Vtrùm verò accedens ad recipienda Sacramenta, quæ per se instituta sunt ad augendam gratiam, recipiat primam gratiam, si habeat attritionem, quam bona fide putat esse contritionem.

14 An recipiat gratiã attritus, qui putat se cõtritum.

Respondetvr affirmatiuè, quia non dicitur ponere obicem ad gratiam, cum bona fide credat se in gratia constitutum per attritionem, quam putat contritionem, qui autem non ponit obicem ad gratiam, recipit gratiam.

15 An existens in peccato mortali, ignarus peccati, recipiat gratiã, si solum attritionis actum eliciat

15 Ex quo etiam patet, eum, qui inculpabiliter non aduertit se esse in peccato mortali, recipere gratiam, si actum attritionis eliciat hic enim non ponit obicem ad gratiam, nec solum Baptismus, & pœnitentia conferunt primam gratiam, verùm etiam reliqua Sacramenta ex accidenti conferunt, si non ponatur obex, vt patet ex supradictis [*q.* 4 *puncto* 1.]

PVNCTVM III.

Vtrùm Sacramenta recedente fictione suum producant effectum.

Difficultas in hoc posita est, vtrùm qui recipit Sacramenta sine debita dispositione, recipiat gratiam accedente dispositione, quam prætermiserat, exempli gratia, vtrùm qui bona fide recipit Baptismum sine attritione, posita attritione recipiat effectum Baptismi, quem antea receperat; hoc enim est idem, ac quærere, vtrùm Sacramenta validè collata producant suum effectum, sublata fictione, seu obice, & vtrùm Sacramentum informe aliquando prosit.

1 Quot modis contingat fictio.

1 Pro solutione notandum est, fictionem duobus modis contingere. Primo defectu intentionis recipiendi Sacramentum, vel cum alio defectu essentiali, ita vt Sacramentum sit inualidum. Secundo defectu attritionis, vt si recipiens Sacramentum non habuit attritionem, quam inculpabiliter omisit.

Hoc posito, omissisque aliorum sententiis, loquemur prius de Sacramento fictè suscepto primo modo, & postea de Sacramento suscepto cum fictione secundo modo.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An accedẽs sine intentione recipiat effectũ Sacramenti sublato obice.

2 QVi accepit aliquod Sacramentum cum fictione primo modo, quia scilicet defecit intentio, sublata fictione, & mutata voluntate, non recipit effectum. Ratio est, tum quia Sacramentum cùm sit irritum, & inualidum defectu voluntatis, & intentionis, nõ validatur, vt ita loquar, per subsequentem voluntatem, intentionem & consensum; non enim firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit, tum quia ad validitatem, & effectum Sacramenti non sufficit intentio, sed etiam requiritur materia, & forma: quando autem aufertur fictio, & mutatur voluntas, non adest amplius materia & forma, sed iam præcessit. Ita D D. statim citandi.

Hoc tamen patitur exceptionem in matrimonio, de quo suo loco, quæsiuimus, vtrùm matrimonium sine consensu celebratum, robur & firmitatem accipiat per subsequentem consensum.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An recipiat effectum posita attritione inculpabiliter prætermissa

3 QVi recipit Sacramentum cum fictione secundo modo, quia scilicet inculpabiliter prætermisit attritionem, & dolorem requisitum ad fructum Sacramenti sublata fictione, id est, posita attritione, consequitur effectum Sacramenti. Ratio est, tum quia Baptismus secundùm omnes Doctores adhærentes D. Augustino *in libro de Sacramento Baptismi*, sublata fictione producit suum effectũ, vt ostendam de Sacramento Baptismi, ergo illum etiam producunt reliqua Sacramenta: tum quia hæc sententia conformior videtur infinitæ bonitati Dei, qui Sacramenta instituit ad subleuandam hominum necessitatem. Ita Suarez *tom.* 3. *disp.* 28 *sect.* 6. *nu.* 1. Henriquez *lib.* 1. *c.* 24. *&* 27. Coninchus ex parte *q.* 62. *art.* 1. *dubio* 6. *nu.* 92. Nugnus *ibidem difficultate* 6. quamuis hoc non admittat in pœnitentia & Eucharistia. Idem tenet Caietanus *tom.* 1. *opusculorum, tractatu* 5. *q.* 5. contra Vasquez 3. *part. disp.* 162. *c.* 2. Sotum *in* 4. *dist.* 6. *q.* 1. *art.* 8. & Coninchum ex parte *num.* 83. & alios, quos referam in simili de pœnitentia.

Hoc tamen intelligendum est, modò post susceptionem Sacramenti non fuerit commissum nouum mortale peccatum, nam si nouum mortale peccatum commissum fuit post susceptionem Sacramenti, non sufficit attritio ad recipiendum præcedentis Sacramenti effectum, sed requiritur contritio, aut nouum Sacramentum pœnitentiæ cum attritione: nam peccatum mortale commissum post susceptionem Sacramenti non remittitur, nisi per contritionẽ, aut per Sacramentum pœnitentiæ, vt per se patet. Idem dic de peccato in susceptione Sacramenti commisso, hoc enim non remittitur per solam attritionem, sed per contritionem, aut pœnitentiæ Sacramentum. Ratio est, quia computatur inter peccata, quæ subsequuntur Sacramentum; cum sit Sacrilegium comitans, & quodam modo subsequens susceptionem Sacramenti, peccatum autem subsequens susceptionem Sacramenti non remittitur sine contritione, aut Sacramento pœnitentiæ. Ita Suarez *loco citato, sect.* 7. Henriquez *locis citatis*, Coninchus *loco citato num.* 89. Nugnus *loco citato difficultate* 3. Vasquez 3. *part. disp.* 160. *c.* 2. *nu.* 10. & alij.

Obicies primò, quod non est, non potest producere effectum: sed quando suppletur dispositio, quæ fuerat prætermissa in susceptione Sacramenti, non est amplius Sacramentum, cùm Sacramentum iam præcesserit, ergo Sacramentum non potest producere suũ effectum sublata fictione, quando scilicet suppletur, & apponitur dispositio, quæ fuerat inculpabiliter omissa in susceptione Sacramenti.

Responderi potest primò cum Suarez *loco citato ad finem*, & aliis, effectum, qui producitur sublata fictione post susceptionem Sacramenti, non propriè fieri ab ipso Sacramento, sed à Deo intuitu Sa-

tu Sacramenti, sed hęc responsio difficultatẽ habet posita sententia, quam nos admisimus, asserente Sacramenta non solum moraliter, verùm etiam physicè producere gratiam.

RESPONDET secundò Nugnus *difficultate 6. ad primum argumentum*, Sacramentum remanere virtualiter: quatenus voluntas suscipientis mansit realiter determinata ad susceptionem Sacramenti.

Sed hæc responsio patitur difficultatem; cùm voluntas suscipiendi Sacramentum sit quid prævium susceptioni Sacramenti. Quamobrem non video, quomodo Sacramentum dicatur virtualiter permanere in voluntate, & intentione, quæ [iam diu] præcessit.

RESPONDEO igitur tertiò cum Suarez, & Henriquez *locis citatis*, non esse absurdum dicere, effectum produci à causa non existente; cùm aliqua causa, non solùm diuina virtute possit aliquid efficere eo tempore, quo ipsa non est, verùm etiam virtute naturali. Ratio est, tum quia terminus indiuisibilis, relictus per motum, non est simul cum ipso motu, vt inquiunt Philosophi, tum quia de ratione effectus non est, vt sit simul simultate coexistentię cum sua causa, sed vt ab ea dependeat. Effectus autem dependet à causa, etiamsi cum ea simul non coexistat, vt bene tradit Valentia 3. *part. q.* 13. *de potentia Christi punct.* 2. & alij.

OBIICIES secundò cum Vasquez *loco citato*, non possumus cognoscere vim & virtutem Sacramentorum, nisi ex Scriptura, traditione, vel Patribus: sed ex Scriptura, vel traditione, vel Patribus non colligitur, Sacramenta habere vim producendi suum effectum, sublata fictione, ergo Sacramenta non producunt suum effectum, sublata fictione.

RESPONDEO id colligi ex Patribus, quatenus S. Augustinus docet, Baptismum sublata fictione producere suum effectum. Ex quo idem colligi potest de reliquis Sacramentis informibus, id est, susceptis cum fictione secundo modo.

Ex dictis colligi potest primò, illum, qui bona fide accepit Baptismum, aut Pœnitentiæ Sacramentum sine dolore requisito ad fructum, posito dolore recipere Sacramenti fructum, vt clarius constabit ex dicendis de Sacramento Baptismi, & Pœnitentiæ.

Secundò, [colligitur contra Suarez *de Eucharistia*, Filliucium *c.* 8. *n.* 143.] illum, qui bona fide recepit Eucharistiam in peccato mortali, putans sẽ esse in gratia, recipere gratiam posita attritione, saltem in sententia eorum, qui putant Eucharistiam per accidens producere primam gratiam: immò aliqui DD. quos tacitò nomine refert Henriquez *lib.* 1. *c.* 25. *n.* 7. *littera S.* putant, effectum Eucharistiæ reuiuiscere posita contritione, quamuis Sacerdos Eucharistiam indignè susceperit, seu celebrauerit. Sed hoc mihi non probatur. Ratio est, tum quia indignè recipiens Sacramentum Eucharistiæ iudicium sibi dicitur manducare, tum quia recipiens Sacramentum pœnitentię cum conscientia peccati mortalis non recipit fructum Sacramẽti, adueniente attritione, aut etiam contritione, vt patebit ex dicendis de pœnitentia, ergo multo minus recipiet fructum Eucharistiæ, qui eam indignè suscepit, grauiùs enim peccauit, tum quia sequeretur, Sacerdotem, qui toto vitæ suę curriculo indigne celebrauit, recipere per contritionem in fine vitæ ingentem gratiæ cumulum respondentem Missis toto ipsius vitæ tempore indignè celebratis: hoc autem non videtur admittendum, ita communiter DD. teste Henriquez *loco citato in comment. littera T.* Quid verò sentiendum sit de Baptismo mala fide suscepto, constabit ex dicendis suis locis.

4 *Quanta gratia conferatur recedente fictione.*

4. QVÆRES, quantum gratiæ conferatur recedente fictione, vtrũ scilicet conferatur gratia non solùm respondens dispositioni, per quam recedit fictio, verùm etiam respondens Sacramento, quod susceptum fuerat cum fictione.

RESPONDEO iuxta probabiliorem Doctorum sententiam, conferri gratiam, non solùm respondentem dispositioni, per quam recedit fictio, verùm etiam respondentem Sacramento præterito. Ratio est, quia cùm Sacramentum, recedente fictione, suum producat effectum, necessum est dicere conferri gratiam respondentem Sacramento præterito, alioquin Sacramentum præteritum non diceretur producere suum effectum recedente fictione. Præterea cùm dispositio, per quam recedit fictio, non sit deterioris conditionis ob coniunctionem cum Sacramento, dicendum est, gratiam conferri, non solùm respondentem Sacramento præterito, verum etiam respondentem dispositioni, per quam recedit fictio.

Ex quo fit, si præsenti confessioni, & contritioni, per quam recedit fictio admissa in susceptione Baptismi, debeatur gratia, vt quatuor, Baptismo verò suscepto cum fictione debeatur gratia, vt duo, modò conferri gratiam, vt sex, recedente fictione per confessionem & contritionem. Ita Nugnus *loco cit. versiculo, Sed ad hoc.* Coninchus *loco citato concluf.* 5. *numer.* 103. & alij, quos suprà retuli *quæst.* 4. *puncto* 3.

Neque hinc sequitur, recipientem Sacramentum cum fictione esse melioris conditionis, nam si recepisset Sacramentum sine fictione, maiorem gratiam recepisset, quàm modo recipiat, quatenus gratia, quam modo recipit, respondet priori Sacramento: cùm enim Sacramentum producat gratiam secundùm dispositionem, & statũ subiecti, vt dictum est *q.* 4. *puncto*, 5. subiectum autem recipiens Sacramentum cum fictione sit minus dispositum, quàm sit subiectum recipiens sine fictione, sequitur eum, qui recipit Sacramentum cum fictione, non esse melioris conditionis.

Addo per se loquendo, illum esse melioris conditionis, qui recipit Sacramentum sine fictione, quia cùm statim recipiat gratiam, magis disponitur ad melius operandum, & ad recipienda Sacramenta cum maiori dispositione, & consequenter ad maiorem gratiam recipiendam. Ita Nugnus *loco citato vers. ad quintum argumentum*, & alij.

PVNCTVM IV.

Vtrùm Sacramenta possint indignè petenti administrari.

1 *Quisnam*

1 NOtandum eum, qui Sacramentum indignè petit, aut esse peccatorem publicum, aut occultum.

Rursus, aut publicè petere, aut occultè. Peccator autem dicitur publicus tripliciter. Primò, quando de illius delicto constat in iure per ipsius delinquentis confessionem, aut per depositionem testium, aut per sententiam iudicis, & hic dicitur peccator publicus iure. *indignè petat Sacramenta.*

Secundò, quando delictum commissum est in præsentia multorum, ita vt non possit vlla tergiuersatione celari, & hic dicitur peccator publicus facto, seu notorius notorietate facti. Quãtus autem numerus hominum requiratur, vt aliquod factum dicatur publicũ, dissensio est inter DD. nam aliqui, vt Sotus, requirunt præsentiam decem hominum. Alij, vt Suarez, hoc relinquunt iudicio prudentis viri, vt patet ex dictis de censuris, [*disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 1. *§.* 1. *n.* 5. & 6.] cùm inquireremus, quisnam dicatur excommunicatus vitandus, ob notoriam Clerici percussionem.

Tertiò, quando fama alicuius delicti, & delinquentis, orta ex sufficientibus indiciis, innotuit maiori parti oppidi, vel parochiæ, vel Collegij, in quo peccator degit.

Hoc posito, difficultas est primò, vtrùm Sacramenta possint administrari peccatori occulto indignè petenti. Secundò, vtrùm administrari possint peccatori occulto.

PRIMA PROPOSITIO.

2 *An peccatori publico indignè petiti sint administranda Sacramenta.*

2 NOn sunt administranda Sacramenta peccatori publico indignè petenti, siue petat publicè, siue occultè. Ratio est, tũ quia non sunt mittendæ margaritæ ante porcos, tum quia Sacerdoti incumbit onus, & officium non admittendi indignum ad Sacramentum; nam cui commissa est Sacramentorum administratio, mãdatum etiam est, vt fideliter, & prudenter administret Sacramenta: qui autem peccatori publico præbet Sacramenta, non administrat illa fideliter, & prudenter, tum quia sicut Sacerdos, qui non collocat Eucharistiam in loco decenti, peccat: ita à fortiori grauiter peccat, qui Sacramenta præbet peccatori publico indignè petenti. Ita Chamerota *de Eucharistia cap.* 10. *dub.* 15. Vialdus *de Sacramentis in genere cap.* 3. *concl.* 1. Pitigianus *dist.* 9. *q.* 1. *art.* 15. [Filliucius *tract.* 1. *c.* 6. *qu.* 12. & *tract.* 4. *c.* 9. *q.* 10.] & alij in sequenti propositione citandi.

3 *An negari debeant Sacramenta grauiter suspecto de graui crimine.*

3 Quod dicitur de peccatore publico, dici etiam debet de eo, qui grauiter suspectus est de graui crimine, modo suspicio non sit leuis, sed grauis, ita vt moralem quandam certitudinem inducat. Ita Rodriquez *in summa cap.* 68. *concl.* 2. *num.* 2. Posseuinus *de administratione Sacramentorum cap.* 5. *n.* 13. & *de communione Sacramentorum cap.* 8. *n.* 16. Coninchus *loc. citando num.* 39. Suarez *tom.* 3. *de Eucharistia, disp.* 66. *sect.* 6. & alij, quos in simili retuli de matrimonio *q.* 4. *punct.* 14. de concubinatu, cum loquerer de Sacramento pœnitentiæ administrãdo existendi in proxima peccandi occasione.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 *Quandonã licet ministrare Sacramenta peccatori occulto.*

4 PEccatori occulto indignè petenti non sunt administranda Sacramenta, quando petit occultè, secus si petat publicè.

Quòd non sint administranda, quando petit occultè, patet ex rationibus in 1. propositione allatis. Hoc tamen cum Henriquez *l.* 1. *ca.* 30. *nu.* 5. [Filliuc. *tract.* 4. *ca.* 9. *qu.* 11. *num.* 279.] Coninchо *q.* 80. *art.* 6. contra nonnullos alios intelligendum est, modò non sit peccator cognitus solùm in confessione, nam peccator non debet expelli à Sacramentis propter peccatum occultum cognitum solùm in confessione: non enim licet vti scientia confessionis, ne confessio reddatur odiosa, & ne ab ea retrahantur homines, quicquid dicat Tabiena *verbo communicare n.* 59. poterit tamen Confessarius etiam extra confessionem admonere huiusmodi petentem, vt abstineat à Sacramento, modò prius ab ipso obtinuerit licentiam loquendi de rebus in ipsius confessione auditis, alioquin offenderet sigillum confessionis, vt patebit ex dicendis de sigillo confessionis.

Quòd verò Sacramenta ministranda sint peccatori occulto si publicè petat. Ratio est, tum quia sicut Christus non denegauit Sacramentum Iudæ, ita neque minister denegare debet Sacramentum peccatori occulto publice petenti, tum quia alioquin magna posset oriri perturbatio, & graue onus imponitur esset ministro, si probare cogeretur occultam suscipientis indignitatem, tum quia peccatum non imputatur illi, qui iusta de causa actionem per se bonam exercet; quamuis præuideat fore, vt alter peccet; non enim censetur cooperari peccato alterius, sed solùm permittere. Ita Sanchez *de matrimonio lib.* 3 *disp.* 16. Suarez *disp.* 18. *sect.* 2. Reginald. *loco citato n.* 62. S. Thom. *q.* 80. *art.* 6. Coninchus *ibid.* Nugnus *ibid. difficultate* 1. & 2. Nauarr. *cap.* 21. *num.* 55. & 56. Syluester *verbo Euchar.* 3. *num.* 7. Armilla *eod. verbo num.* 22. & 27. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *qu.* 1. *art.* 6. Viualdus *de Sacramentit in genere cap.* 3. *num.* 12. *conc,* 2. Rodriquez *in summa c.* 68. *conc.* 4 *n.* 4. Pitigianus *dist.* 9. *q.* 1. *art.* 15. Angles *de Eucharistia q.* 2. *art.* 4. *conc.* 1. Graffius *lib.* 2. *decis. c.* 38. Posseuinus *loco citato*, Chamerota *de Eucharistia dub.* 16. Henriq. *lib.* 1. *c.* 30. *n.* 5. Valentia *tom.* 4. *dist.* 6. *q.* 8. *punct.* 3. *vers.* 4. *peccatori*, [Filliucius *tract.* 4. *c.* 9 *q.* 10.] Sotus & alij, quos refert Henriquez *loco citato, in commentario littera Q.* & *R.* & Barthol. ab Angelo *dialogo.* 4. *§.* 36.

5 *Quandonã repellendus sit peccator occultus, qui publicè petit Sacramenta.*

5 Ex quo patet, peccatorem occultum publicè petentem non esse repellendum à Sacramentis, quoties repelli non potest sine scandalo, & infamia, etiamsi administrans non sit proprius Sacerdos suscipientis. Secus dicendum est, si absque scandalo, & infamia repelli possit, tunc enim non adest iusta causa administrandi Sacramentum indigno. Ita Suarez *disp.* 67 *sect.* 4. *ad finem*, Nugnus, Coninchus, Victoria *de Eucharistia concluf.* 80. Viualdus *de Sacramentis in genere c.* 3. *num.* 12. & alij *locis citatis*. Quid autem dicendum sit de eo, quem Parochus nouit contracturum matrimonium cum impedimento publico, vel occulto, patet ex dictis de matrimonio *qu.* 3 *punct. vlt. propositione* 3. ad ibi dicta vos remitto.

OBIICIES primò, Sacerdos, qui administrat peccatori occulto indignè petenti, cooperatur peccato ipsius, sicut autem non licet cooperari peccato alterius, ita neque licet peccatori occulto indignè petenti administrare Sacramenta, quamuis illa publice petat.

RESPON-

RESPONDEO, Sacerdotem in eo euentu non cooperari peccato petentis. Ratio est, quia non cooperatur receptioni, quatenus est mala, sed quatenus est receptio, quæ ex obiecto bona est, & dicitur dare operam rei licitæ, vt consulat famæ promixi. Quare non dicitur cooperari peccato recipientis, sed potiùs dicitur illud permittere ex iusta causa. Ita Henriquez *lib 8. de Eucharistia, cap. 57. num. 4.* Suarez & alij *locis citatis*,

nino publico denegan-da sit Eucharistia, si illam à delicti conscijs petat.

6 *An liceat aliquando aliquem indignum inducere ad recipienda Sacramenta*

6 Addunt Suarez *disp. 18. sect. 2. ad finem*, [& Filliuc. *tract. 1. c. 5. qu. 12. n. 91.*] dari posse casum in quo liceat inducere aliquem ad recipiendum Sacramentum, quamuis illud indignè suscepturus sit, quãdo videlicet adest iusta causa, & rationabilis necessitas: vt si populus auditurus sit sacrum in die festo, nec habeat copiam alterius Sacerdotis præter Sacerdotem peccatorem; tunc enim, si populus inducat huiusmodi Sacerdotem ad celebrandum, non videtur grauiter peccare; quia vtitur iure suo, inducendo Sacerdotem ad celebrandum, quod licitè præstari potest, quamuis indignè præstetur ex malitia celebrantis; sed de hac re plura in tractatu de peccatis.

OBIICIES secundò, Sacerdos denegare debet Eucharistiam illi, quem nouit petere Eucharistiam ad incantationem, vel ad eam conculcandam, vel ad proiiciendam in lutum. Ergo etiam denegare debet Eucharistiam illi, qui eam susceperturus est in peccato: videtur enim æqualis ratio.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia grauius peccatum est sumere Eucharistiam intentione conculcandi, aut causa incantationum, &c. quàm eam sumere in peccato mortali, vt ostendit D. Th. *qu. 80. art. 5. ad fin.* consequenter grauior est obligatio denegandi Eucharistiam petenti ad incantationes, vel ad eam conculcandam, &c. quàm peccatori occulto publicè petenti.

7 *An repellẽdus sit à Sacramentis vsurarius notorius.*

7 Ex dictis sequitur primò, vsurarium notorium repellendum esse à Sacramentis, nisi debitam exhibeat cautionem; iuxta dicta de pœnis vsurariorum *in tractatu de contractibus*, censetur enim indignè petere, nisi priùs eam præstet cautionem, quam præstare potest.

8 *An repellẽdus sit peccator publicus.*

8 Secundò, peccatorem publicum, non esse admittendum ad Eucharistiam, nisi publicè constet de ipsius pœnitentia: nam huiusmodi peccator indignè petit propter periculum scandali.

9 *An sit repellendus histrio, qui turpes repræsentat comœdias.*

9 Tertiò, histrionem, qui comœdias turpes publicè repræsentat, arcendum esse à Sacramentis, donec illam artem deserat; censetur enim peccator publicus, & indigne petit, quandiu illam artem non deserit.

10 *An is reijciendus sit à communione, de quo solùm est publica suspicio.*

10 Addo, illum à communione reiiciendum esse, quando est publica, & vehemens suspicio ipsum esse in statu grauis peccati, donec legitimè constet de rei veritate, & innocentia, siue emendatione: nam huiusmodi suspicio, cùm nitatur iis signis, & indiciis, quæ licet non faciant rem claram & euidentem, nihilominus sufficiunt ad iudicandum probabiliter rem ita esse, sufficiens est ad repellendum eum, de quo est huiusmodi suspicio: sicut enim à Sacramentis repellitur peccator, de cuius delicto publicè constat, donec emendationis signa exhibuerit: ita repelli debet peccator, de quo est publica, & vehemens suspicio, ipsum esse in statu grauis peccati, ob leuem verò suspicionem non est repellendus. Ratio est, quia dubia in meliorem partem explicanda sunt, & in dubiis melior est conditio possidentis, cùm autem petens Sacramentum possideat suam famam illi fauendum est, & consequenter illi non sunt deneganda Sacramenta. Ita S. Thom. *dist. 9. q. 13. art. 3. ad tertium*, [Filliucius *tract. 4. c. 9. qu. 11. num. 283.*] Reginaldus *lib. 29 num. 55.* Suarez *disp. 67. sect. 6.* Coninchus *loco citato num. 34.* Syluester, Tabiena, & alij apud Henriquez *cap. 56. num. 5.* vbi etiam idem Henriquez cum aliis addit in articulo mortis non videri denegandum Sacramentum, non solùm quando adest leuis suspicio, verùm neque quando vehemens suspicio intercedit: nam infirmus ob denegatum sibi Sacramentum exponitur periculo grauis incommodi, & detrimenti, qui non videtur exponendus in articulo mortis ob solam suspicionem.

11 *An suspecto de crimine liceat dare Eucharistiã in probationẽ criminis.*

11 Si QVÆRAS, vtrùm liceat suspecto de crimine dare Eucharistiam in probationem criminis, vel innocentiæ.

RESPONDETVR negatiuè. Ratio est, tum quia *in c. dilecti. de purgatione vulgari, & cap. ex tuarum, de purgatione canonica*, hoc prohibetur, & reprobatur. Tum quia hoc est tentare Deum petendo miraculum, quod recta ratio non dictat in eo euentu peti: præterea vanum est credere aliquem esse innocentem ex hoc capite præcisè, quod Deus per Eucharistiam vltionem non sumpserit. Ita Suarez *disp. 67 sect. 6.* S. Th. *qu. 80 art. 6. in responsione ad tertium.* Reginald. *li. 29. num. 54.* & alij.

12 *An censendus sit publicus peccator, qui alicubi tantùm est diffamatus.*

12 Quartò sequitur, illi, qui est publicus peccator Romæ, & venit, exempli gratia, Mediolanum, vbi probus existimatur, & petit Eucharistiam à Sacerdote, cui constat ipsum Romæ esse peccatorem publicum, non esse denegandam Eucharistiam, inquit Sotus *dist. 12. q. 1. art. 6.* Nugnus *loco citato difficult. 3.* Henriquez *de Eucharistia cap. 57* Coninchus *loco citato*, Chamerota *de Eucharistia cap. 10. dub. 15. ad finem*, & alij communiter, nisi probabiliter credatur manifestandum esse ipsius delictum hic Mediolani. Ratio istorum Doctorum est, quia retinet bonam famam hic Mediolani; consequenter censetur peccator occultus: peccatori autem occulto publicè petenti, non est denegandum Sacramentum.

Sed mihi contrarium dicendum videtur iuxta ea, quæ tradidi de detractione, nam infamis in vno loco amisit ius ad famam, cõsequenter detegens ipsius delictum non grauiter peccat, præsertim si detegat ex iusta aliqua causa: ergo Sacerdos denegans Sacramentum huiusmodi peccatori, non videtur grauiter peccare, cùm deneget ex iusta causa, vt euitet irreuerentiam Sacramenti, nec faciat iniuriam petenti: cùm non habeat amplius ius ad famam propter delictum alibi publicum. Ita sentit Suarez *disp. 7. sect. 5. conc. 3.* quando delictum est publicum iuridicè. Sed mihi idem dicendum videtur, non solùm quando delictum est publicum iuridicè, verùm etiamquando est publicum facto, vel fama, iuxta tradita de detractione.

13 *An peccatori non om-*

13 Quintò, illi denegandam esse Eucharistiam, cuius delictum paucis est notum, sed ipse petit ab illis, qui eius delictum norunt nullis aliis præsentibus. Ratio est, tum quia peccatum illius, quamuis non sit absolutè publicum: nihilominus dici potest publicum respectiuè, videlicet respectu eorum, qui adsunt, dum petitur Sacramentum. Peccatori autem publico denegandum est Sacramentum: tum quia ex denegatione Sacramenti in tali euentu nulla sequitur infamia, nullum scandalum, vel aliud incommodum, & perinde est ac si peteretur occultè: peccatori autem occulto occultè petenti denegandum est Sacramentum; si verò aliqui eorum, qui intersunt, ignorent delictum petentis, Sacramentum denegari non potest, quia delictum non est publicum absolutè, vel respectiuè, sed potiùs est occultum: peccatori autem occulto publicè petenti, non potest Sacramentum denegari. Ita Suarez, Coninchus, & alij *locis citat.*

14 *An peccatori publico possit Sacerdos ob metũ administrare Sacramenta.*

14 QVÆRES PRIMO, vtrùm Sacerdos possit ob metum mortis, vel notabilis infamiæ administrare Sacramentum peccatori publico.

RESPONDEO affirmatiuè, ratio est, quia sicut potest administrare peccatori occulto publicè petenti ad vitandam ipsiusmet peccatoris infamiam, ita etiam licet administrare peccatori publico ad vitandam ipsiusmet administrantis mortem, aut notabilem infamiam: cùm Sacerdos videatur exercere actionem ex se bonam, & videatur potiùs permittere alterius peccatum ex iusta causa, quàm ad illud cooperari. Hoc tamen intelligendum videtur, præciso scãdalo actiuo, quilibet enim scandalum actiuum præcauere tenetur. Ita Nugnus 3. *part. q* 80. *art. 6. difficultate 4.* & idem sentire videtur Suarez *disp. 67 sect. 1. ad finem.* contra nonnullos alios, quos tacito nomine refert Nugnus.

15 *An sacerdos possit huiusmodi peccatori hostiam non consecratam præbere.*

15 QVÆRES SECVNDO, vtrùm peccatori occulto publicè petenti Eucharistiam, Sacerdos possit præbere hostiam non consecratam ad vitandum sacrilegum petentis, quem scit indigne petere.

RESPONDEO, negatiuè, etiamsi Sacerdos sit proprius Confessarius, qui cùm sciret indispositionem petentis, ipsimet petenti dixit, se non traditurum hostiam consecratam. Ratio est, quia Sacerdos, quantum est ex se dat occasionem, & materiam maioris peccati, videlicet idololatriæ, cùm hostia soleat priùs ab astantibus adorari, & Sacerdos facto saltem, aut verbis videatur affirmare esse Christum, & verum Deum.

16 *Sacerdos celebrans in peccato mortali peccat simulãdo consecrationem.*

16 Hinc colligitur, Sacerdotem celebrantem in peccato grauius peccare simulando consecrationem, quàm se irreuerenter ad illam ingerendo cum peccati mortalis conscientia. Ita S. Th. 3. *part. qu. 80. art. 6. ad secundum*, Suarez *ibid. disp. 67 sect. 4. versic. circa tertiam.* Valentia *tom 4 disp 6 q. 8 punct. 3. versic. Denique hic notetur.* Graffius *lib. 2 decis. cap. 38. num. 37.* & alij.

17 *An Sacerdos teneatur petentem Sacramenta interrogare de ipsius dispositione*

17 QVÆRES TERTIO, vtrùm Sacerdos administraturus Sacramentum, debeat adhibere diligentiam ad inquirendum, an petens Sacramentum debitam habeat dispositionem & dignè petat.

RESPONDEO, debere eam diligentiam adhibere, quam materia, & conditio cuiusque Sacramenti postulat iuxta prudentis viri iudicium. Quamobrem si quis petat ordines, aut matrimonio coniũgi, præmittendæ sunt inquisitiones, quæ in huiusmodi Sacramentis fieri consueuerunt iuxta Tridentini decretum. Si quis petat Baptismum inquirendum est de fide, & aliis dispositionibus ad Baptismũ requisitis: si verò petat Eucharistiam, quàm aliàs susceperit, potest ad Eucharistiam admitti absque alia præuia diligentia, modò constet petentem non esse in statu mortalis peccati, nam præsumitur debitam habere dispositionem: cùm nullus præsumatur malus, nisi constet, & quilibet præsumatur bonus, quem non constat esse malum. Ita Suar. *loc. citat. concl. 1.* Sotus *in 4. d. 12. part. 1. art. 6.* Barthol. ab Angelo *dial. 4. § .46.* Henriq. *c. 30 n. 6.* & alij communiter.

PVNCTVM. V.

Vtrùm sicut non licet administrare Sacramenta indignè petenti, ita neque liceat recipere Sacramenta à ministro administraturo in peccato graui.

IN hoc puncto quæremus primò, vtrùm in necessitate, vel ex iusta, & rationabili causa licitum sit petere Sacramentum à Sacerdote ministraturo in peccato. Secundò, vtrum licitum sit petere Sacramentum ab huiusmodi Sacerdote, seclusa necessitate, vel rationabili causa.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An possimus in necessitate petere Sacramenta à quouis Sacerdote in peccato administraturo.*

1 PROpter necessitatem, vel ob iustam, & rationabilem vtilitatem licet petere, & recipere Sacramenta à quolibet Sacerdote [potestatem, &] iurisdictionem habente, quem scimus administraturum in peccato, siue paratus sit ad illa ministranda, siue non. Ita S. Thom. *q. 64. art. 6. ad secundum*, Coninchus *ibidem, dub. 2.* Barthol. ab Angelo *dial. 1. de Sacramentis § .49.* Pettus Ledesma *de Sacramentis in communi cap. 6. versiculo la vndecima conclusion.* Nugnus *ibidem*, Henriquez *cap. 23. num. 1. & cap. 30. num. 1.* Pitigianus *d. 5. qu. 2. art. 2.* Reginald. *loc. cit num. 64.* Sayrus *lib. 2. de Sacramentis in genere c. 8 qu. 1. art. 2. 3. & 5.* Valentia *tom. 4. disp. 3. qu. 5 punct. 3.* Chamerota *c. 2. dub. 6.* Toletus *lib. 1. cap. 88.* Viualdus *de Sacramentis c. 3. num. 13.* Sanchez *lib. 7 de matrimonio, disp. 9. num. 8.* Naldus *verbo Sacramentum num. 5.* Suarez *tom. 3. disp. 18. sect. 2.* [Filliucius *tract. 1. cap. 8. qu. 6.*] & alij communiter. Ratio est, tum quia vtimur iure nostro petendo, & recipiendo Sacramenta, cùm petamus rem, quæ sanctè, & religiosè præstari potest, & minister non dicatur esse in necessitate, sed sponte, & ex malitia peccare: qui autem vtitur iure suo, nemini facit iniuriam, *l. iniuriarum ff. de iniurijs*, tum quia sicut in necessitate corporali, etiam non graui, vel extrema, possumus petere mutuum ab vsurario, quem scimus non mutuaturum, nisi sub vsuris: ita possumus in necessitate spirituali petere Sacramenta ab eo, quem nouimus administraturum in peccato graui, non eam ipsum induci-

mus ad peccatum; sed ipsius peccatum permittimus ex iusta causa. Tum quia possumus ex iusta causa petere iuramentum ab eo, qui peieraturus, aut iuraturus est per falsos Deos, vt constat ex dictis de iuramento in secundo Decalogi præcepto: ergo etiam possumus ex iusta causa petere Sacramentum ab eo, qui administraturus est in peccato. Quamobrem malitia illius administrationis non est nobis imputanda, cùm vtamur iure nostro, & non participemus in illa actione, quatenus mala est, sed quatenus est bona.

Vtrùm verò licitum sit accipere Sacramenta ab excommunicatis vel degradatis, constat ex dictis de censuris. *disp 2. qu. 2. punct. 2. §. 3. & 4.*] ad quæ vos remitto.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An possimus extra necessitatem ab huiusmodi Sacerdote sacramenta petere.

2. ON licet extra necessitatem, aut rationabilem vtilitatem petere Sacramenta ab eo Sacerdote, quem scimus administraturum in peccato graui, siue alias paratus sit administrare, siue non. Ratio est, quia tenemur ex charitate impedire ruinam, & peccatum proximi, nisi habeamus necessitatem, vel rationabilem causam illud permittendi. Qui autem petit Sacramentum à Sacerdote, quem scit administraturum in peccato graui, non impedit peccatũ proximi, quoties petit absque necessitate, vel rationabili causa. Ita Reginaldus *lib. 1. num. 165.* Sotus *in 4. dist. 1. q. 5. art. 6.* Suarez, & alij DD. citati.

3 An possit quisque sacramenta à proprio Paracho petere quem probabiliter putat in peccato administraturum.

3. Hinc sequitur primò, me posse ob rationabilem vtilitatem petere Sacramenta à meo Parocho, quem probabiliter coniicio administraturum in peccato absque contritione, vtor enim iure meo. Hoc tamen limitatur, modò non sit mihi difficile alium Sacerdotẽ inuenire, qui mihi Sacramenta dignè administret, quilibet enim tenetur ruinam proximi euitare, quoties non habet iustam, & rationabilem causam illam permittendi, vt patet ex dictis *num. 2.* Ita Nauarrus *cap. 14. num 28.* Sotus *6. de iustitia q. 1. art. 5.* Sayrus *loco citato articul. 3.* [Filliucius] & alij. Contrarium videtur asseri à Valentia, Suarez, & aliis *locis citatis.* quando minister aliàs erat paratus administrare. Ratio [ipsorum] est, tum quia petitur res bona, & vtilis, quam alter, si velit, præstare potest sine peccato; tum quia non videtur graue damnum spirituale permittere peccatum, ad quod alter paratus erat.

Sed mihi magis probatur sententia Nauarri, Soti, & aliorum, cùm videatur conformior nostris principijs, traditis in tractatu de peccatis, cum Sanchez, & alijs.

4 An liceat in necessitate Sacramenta petere à quocunque Sacerdote peccatore.

4 Secundò, à Sacerdote peccatore, etiamsi non sit proprius Parochus, nec aliàs paratus sit administrare, licitè peti posse Sacramenta, quoties adest necessitas implendi præceptum illorum Sacramentorum, aut quoties vtile est petenti, non multum differe vsum illorum Sacramentorum. Quamobrem licitè potest confiteri prædicto Sacerdoti tempore præcepti Confessionis, aut Communionem ab eo petere in Paschate. Nam habet iustam, & sufficientem causam petendi, & permittendi illius peccatum. Ita Vasquez *de pœnitentia quæst. 93. articul. 1. dub. 2. numer. 24.* Pitigianus, & alij Doctores citati.

5 An receptuus Sacramenta teneatur inquirere, an Sacerdos sit probus.

5 QVÆRES PRIMO, vtrùm qui vult recipere Sacramenta ab aliquo Sacerdote, teneatur inquirere an Sacerdos sit probus, & an ea sit administraturus in peccato.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, tum quia huiusmodi diligentia non est illi commissa, tum quia non est temerè iudicandum de proximo, sed iudicandus est bonus, quem non constat esse malum.

6 An possit quis Sacramenta ab eo Sacerdote petere quem paulò ante vidit peccantem

6 Addo eum qui videt Sacerdotem paulo antè peccantem posse ab eo petere Sacramenta, quamuis ille Sacerdos non sit paratus, nec teneatur ex officio administrare. Ratio est, quia sperare potest, illum non administraturum in peccato, cùm breui possit actum contritionis elicere, seque ad Sacramentum dignè administrandum præparare.

Hoc tamen intelligitur, modò petenti moraliter non constet Sacerdotem illum indignè administraturum, nam si constet indignè administraturum, vt si certus sit de concubinatu, vel alio vitioso statu Sacerdotis, non potest ab eo petere Sacramenta præcisa necessitate, & rationabili causa: nam cuique mandatum est de proximo suo. Ita Vasquez *de pœnitentia, quæst. 93. art. 1 dub. 2. & 14.* Suarez *disp. 28. sect. 1. versus fin.* Coninchus *loc. cit. num. 45.* Sayrus *loc. cit. art. 2. versus finem.* Pitigianus *loc. cit. vers. 2. in foro.* Reginaldus *loc. cit. nu. 167.* & alij communiter.

7 An peccet, qui Episcopo inseruit, dũ Ordines cõfert in peccato.

7 QVÆRES SECVNDO, vtrùm peccet, qui inseruit Episcopo peccatori, dum Ordines confert in peccato, aut præbet vestes sacras, vel calicem, aut inseruit Sacerdoti indignè celebranti.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, quia exercet actionem ex se bonam. Obserua tamen teneri ex charitate impedire peccatum proximi, & consequenter teneri ab huiusmodi ministerio abstinere, si commodè possit abstinere. Verùm quia inseruiens moraliter loquendo vix potest commodè impedire, & euitare peccatum, vel ruinam Sacerdotis indignè administrantis, non est onerandus scrupulis, consequenter non est cur reus lethalis culpæ iudicetur, si non abstineat à prædicto ministerio. Ita Suarez *loc. cit. ad finem, disput. 18. sect. 1.* Reginaldus *lib. 1. num. 164. ad finem.* Pitigianus *loc. cit.*

QVÆSTIO VLTIMA.

De ritibus, & cæremonijs circa Sacramenta.

AD Sacramenta conficienda duplex ritus requiritur, vnus accidentalis, alter essentialis: seu vnus de necessitate Sacramenti, alter de necessitate præcepti. De necessitate Sacramenti requiritur forma, materia, & intentio ministri: de necessitate præcepti requiruntur certæ cæremoniæ, quæ dicuntur ritus accidentales, seu Sacramentalia. Cæremonia, seu ritus accidentalis est actio externa religiosa, qua decorè, & ornatè Sacramenta ministrantur, iuxta Ecclesiæ præscriptum. Ita Suarez *3. part. disp. 15. tom. 3. sect. 1.* Bellar. *lib. 2. de Sacramentis in genere. cap. 26.* & alij DD. statim citandi.

In hac quæstione nobis breuiter agendum est, vtrùm Sacramenta validè administrentur sine ritu essentiali, vel accidentali.

PVNCTVM VNICVM.

Vtrùm Sacramenta validè administrentur sine ritu essentiali, vel accidentali.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An possint licitè & validè administrari Sacramenta sine ritu essentiali.

1 SAcramenta, nec licitè, nec validè administrantur sine ritu essentiali. Hæc propositio patet ex supradictis, nam ritus essentialis consistit in materia, forma, & debita intentione ministri. Sacramentum autem non validè administratur sine materia, forma, & debita intentione ministri, cùm Sacramenta tribus perficiantur, materia, forma, & intentiõne ministri. Ita communiter Doct.

An verò conficiens Sacramentum validè conficiat, si intendat nouum ritum inducere, colligi potest ex supradictis de mutatione formæ, [*qu. 2. punct. 1.*] & ex dicendis de Baptismò & Eucharistia.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An licitè administrẽtur sine ritu accidentali.

2 SAcramenta validè administrantur, sed non licitè sine ritu accidentali.

Quod validè administrentur, pater, quia posita forma, materia, & intentione ministri, præcisa quacunque alia circunstantia, validè administrantur: ergo validè administrantur sine ritu accidentali, cùm ritus accidentalis non sit materia, forma, & intentio ministri Ita Reginald. *lib. 26. num. 59.* Suarez *loc. cit.* Henriq. *lib. 1. cap. 11.* Bellar. *loc. cit.* Nugnus *qu. 65. art. 4. fol. 143.* Petrus Ledesma *in sum m. de Bapt. c. 12. conc. vlt.* Coninchus *qu. 66. n. 99. & qu. 71 n. 3.* & alij communiter.

Quod verò non administrentur licitè sine ritu accidentali: ratio est, quia tenemur nos accommodare ritibus Ecclesiæ, vt constat apud omnes, & patet ex Rituali, [& ex Concilio Trident. *sess. 7. can. vlt. de Sacramentis.*

Cur ritus accidentales fuerint instituti.

3 QVÆRES PRIMO, qua de causa ritus accidẽtales instituti fuerint ab Ecclesia.

RESPONDEO multiplicem rationem assignari posse. Primò propter ornatum, & decorem, vt constat in vestibus sacerdotalibus, quibus Missa persoluitur, & in veste alba, quæ imponitur infanti baptizando ad indicandum ipsum esse regenerandum.

Secundò, quia æquum est, vt fideles conueniant in modo colendi Deum, & in iis, quæ maximè spectant ad ipsius cultum. Ritus autem accidentales pertinent ad modum colendi Deum, & ad ipsius cultum.

Tertiò, vt per cœremonias augeatur deuotio fidelium: ita Suarez *loco citato* & alij.

4 An sit mortale peccatum variare huiusmodi ritus.

4 QVÆRES SECVNDO, vtrùm sit mortale peccatum variare ritus, & cœremonias.

RESPONDEO esse mortale peccatum ex suo genere, quamuis leuitas materiæ possit à mortali excusare, qualis videtur, si quis baptizet lingua vulgari omissa Latina absque necessitate. Ratio est, quia variatio rituum, & cœremoniarum est peccatum contra Religionem: peccatum autem contra Religionem est mortale posita grauitate materiæ. Ita Suarez *disp. 16. sect. 2. ad fin. & sect. 5.* Henriquez *lib. 1. cap. 11. num. 4.* [Filliucius *tract. 1. cap. 5. qu. 1. num. 89.*] Valentia *tom. 4. disp. 3. quæst. 1 puncto 4.* Reginaldus *loco citato*, Lessius, Azorius, & alij, quos retuli de superstitione *in 1. Decalogi præcepto.* [Quæ autem sit materia grauis, vel leuis, in hoc casu standum est iudicio prudentis viri.

5 An Episcopus possit ritus Pontificios variare.

5 Addo cum Nugno *loco citato conc. 3.* Henriquez *num. 4.* Coninch. & aliis DD. citatis, ritus à Summo Pontifice præscriptos non posse mutari per Episcopos, aut alios Summo Pontifice inferiores, nam inferior non potest legem superioris abrogare. Potest tamen Episcopus in sua diœcesi mutare ritus, qui non fuerunt præscripti à Summo Pontifice, nam Episcopus potest ea facere, quæ ad rectam suæ Ecclesiæ gubernationem pertinent, modo non impediatur à Summo Pontifice.

Hic agendum esset de Sacramentalibus, sed quia opportuno loco de iis incidet sermo in tractatu de Pœnitentia, eorum tractationem transferendam duxi ad Sacramentum pœnitentiæ.

DISPVTATIO II.

De Baptismo.

NOMEN Baptismi, si à Græca in Latinam dictionem vertatur, significat ablutionem, seu potius immersionem in aquam. Dicitur autem immersio, eo quod Baptismus alicubi fiat & fieri possit per immersionem ad repræsentandam Christi sepulturam, iuxta illud ad Colossenses 2. *Consepulti ei per Baptismum.* Ita Bellarminus *lib. 1. de Baptismo, in princ. contr. 2.* Valentia *tom. 4. disp. 4. vers. princ.* Chamerota *de Baptismo c. 2. dub. 2.* & alij.

Dicitur *ablutio*, quia per Baptismum sordes peccatorum abluuntur, & purgantur, & quamuis propriè loquendo vnus tantùm sit Baptismus, qui est Sacramentum, iuxta illud ad Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma.* nihilominus, si metaphoricè, & minus propriè loquamur, triplex est Baptismus, Fluminis, Flaminis & Sanguinis, quorum quilibet appellatur Baptismus, quia Baptismi vices supplet.

Baptismus Flaminis est pœnitentia, seu dolor perfectus de peccatis,

tis, ob Dei amorem. Hic autem dolor dicitur Baptismus, eo quod aliquando defectum Baptismi suppleat, nam qui nequit realiter suscipere Baptismum, obtinet remissionem peccatorum, non solum actualium, verùm etiam originalis, si eliciat actum pœnitentiæ, & contritionis, cum proposito suscipiendi Baptismum, vt colligitur, tum ex Lucæ 3. vbi dicitur, *Prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum*; tum ex Cornelio *Actor.* 10. qui ante Baptismum iustificatus fuit. Ita Chrysost. *homil.* 24. in eum locum. Hier. & Aug. apud Bellarm. & apud Valentiam *loco citato.*

Baptismus Sanguinis est martyrium, quod hoc nomen sibi vendicat eo quod efficiat effectus Baptismi, & Baptismi vices aliquando suppleat. Quamobrem, si quis nequeat Baptismum aquæ suscipere, & ante susceptionem Baptismi rapiatur ad martyrium, consequitur remissionem omnis culpæ, & totius pœnæ.

Ob id passio, seu martyrium appellatum fuit à Christo nomine Baptismi Marci 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & Baptismo, quo ego baptizor, baptizari.*

Baptismus Fluminis est verus, & proprius Baptismus, & verum ac proprium Sacramentum, quod administratur flumine, id est, aqua.

De Baptismo iuxta triplicem ipsius acceptionem agendum est, & primo loco exordiemur à Baptismo sanguinis, deinde ad Baptismum Fluminis, seu aquæ progrediemur, denique de Baptismo flaminis sermo nobis erit in Sacramento Pœnitentiæ.

Sed prius explicandum est DVBIVM, vtrùm Baptismus Ioannis esset verus Baptismus, & conferret gratiam.

RESPONDEO negatiuè cum S. Thom. *in* 4. Magistro *ibid. dist.* 2. Durando *ibid. qu.* 3. Paludano *ibid. qu.* 2. *art.* 3. Bellarm *de Bapt. lib.* 1. *cap.* 20. [Filliucio *tract.* 2. *c.* 1. *qu.* 9.] & aliis apud Henriquez *lib.* 2. *c.* 32. *num.* 4. *& 5. & cap.* 33. & apud Franciscum Pitigianum *dist.* 2. *qu.* 2. *art.* 4. Quamobrem Baptismus Ioannis non fuit verus Baptismus, sed figura nostri Baptismi, & præparabat ad suscipiendum Christi Baptismum. Ratio est, tum quia Ioannes dicebatur parare viam Domini, & baptizatus Baptismo Ioannis iterum baptizandus erat Baptismo Christi, & Ioannes ipse petiit à Christo baptizari, Matthæi 3. *Ego debeo à te baptizari.* Tum quia Sacramenta veteris legis per hoc distinguuntur à Sacramentis nouæ legis, quòd illa non cōferebant gratiam iustificantem, nostra verò conferunt: ergo Baptismus Ioannis non erat verum Sacramentum, nec verus Baptismus, cùm non conferret gratiam iustificantem.

QVÆSTIO I.

De Baptismo sanguinis, id est, Martyrio.

IN hac quæstione tria principaliter quæremus. Primò quid sit martyrium, & quid ad ipsum requiratur. Secundò quis sit effectus martyrij, & quomodo præstetur. Tertiò, quandonam martyrium suum præstet effectum, & quandonam fuerit institutum martyrij priuilegium.

Sed prius præmittendum est, martyrium ex Græca versione significare testimonium, seu testificationem Christianæ veritatis, sicut Martyr significat testem, & confitentem; iuxta illud Matthæi 6. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.*

PVNCTVM I.

Quid sit Martyrium, & quid ad ipsum requiratur.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Martyrium quid sit.*

1 MArtyrium est passio, seu cruciatus lethalis susceptus pro Christi fide, aut pro vera virtute.

Dicitur *lethalis cruciatus*, vt aduertamus illum nō appellari martyrem, qui vulnus non lethale recepit: qui verò recepit vulnus, seu cruciatum de se illatiuum mortis, dicitur Martyr. Quamobrem D. Marcellus refertur, & adscribitur in numerum martyrum, eo quod in stabulum coniectus, tabe confectus sit.

Dicitur *pro Christi fide, & vera virtute*; quia motiuum martyris debet esse honestum, & supernaturale, cùm acceptatio martyrij sit actus virtutis elicitus propter Christum implicitè, vel explicitè. Propterea si quis ex motiuo ambitionis mortem obiret, non diceretur Martyr, quia ipsius motiuum non est honestum, nec cruciatus dicitur susceptus pro Christi fide, aut pro vera virtute. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 124. *art.* 5. Suarez *disp.* 29. *tom.* 3. *sect.* 1. *& 2. verf. Ex quo* Henriquez *lib.* 1. *c.* 37. *nu.* 2. [Lessius *lib.* 3 *cap.* 1. *dub.* 3. Molfesius *in summa, tract.* 1. *c.* 11. *n.* 29.] & alij communiter.

2 *[An ille sit Martyr, qui propter bonum opus iam factum occiditur.]*

2 [Hinc sequitur solutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm ille sit Martyr, qui propter bonum opus iam factum occiditur.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, tum quia mors infertur in contemptum boni operis, & à Martyre sustinetur ob illam virtutē, ad quam pertinet illud opus. Tum quia S. Ioannes Baptista enumeratur inter Martyres, hic autem occisus fuit ob reprehensionem adulterij, quamobrem ille, cui mors infertur ob virtutis actum antea præstitum, vocatur Martyr, si ita affectus sit, vt potius mortem sustinere velit, quàm actum præteritum retractare; vt sic enim mortē patitur pro virtutis actu, seu pro fide: cùm enim ex doctrina de fide colligatur tale opus honestum, ac laudabile esse, sequitur illum qui mortē subit, ne talem actum improbet, censeri pro fide mori. Addo id verum esse, etiamsi fortè aliquando doluerit præstitisse talem actum (si ex præcepto non tenebatur illum præstare) ob incommoda quæ inde sustinet, quamuis enim gloria operis ob huiusmodi dolorem aliquantulum minuatur, tamen non tollit rationem martyrij, cùm reipsa mortem obeat ob talem actum, & potius velit mori, quàm talem actum retractare, vel improbare, hoc enim pacto testimonium veritatis sua morte perhibet.]

3 *Cuius virtutis actus sit martyrium.*

3 QVÆRES SECVNDO, cuius virtutis actus sit martyrium.

RESPONDEO esse actum elicitum à virtute fortitudinis, & patientiæ imperatum ab aliis virtutibus, pro quibus conseruandis martyrium subitur, vt pro conseruanda fide veracitate, religione, &c. Præcipuè autem imperatur à charitate, cùm sit actus magnæ dilectionis in Deum, iuxta illud, *maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ita D. Thom *loco citato art.* 2. *ad* 3. [Lessius *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 2.] & alij apud Henriquez *lib.* 2. *c.* 34. *nu.* 1. *in commentario littera B.*

4 *An martyrium sit Sacramentum.*

4 QVÆRES TERTIO, vtrùm martyrium sit Sacramentum.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, quia Sacramentum est quædam cæremonia sacra instituta ad Dei cultum: martyrium verò seu cruciatus non est in cultum, & reuerentiam Dei quatenus prouenit à Tyranno, sed potius est in odium Dei, & est actio praua, quamuis ex parte martyris sit actus virtutis, cui Deus contulit priuilegium, vt ipsius intuitu gratia conferatur, & culpa, & pœna deleatur. Ita Suarez *loco citato sect.* 3. *§. vnde ad* 3. Valentia *tom.* 4. *disp* 4. *quæst.* 3. *punct.* 4. Reginaldus *lib.* 27. *n.* 7. & alij communiter.

OBIICIES, martyrium confert gratiam ex opere operato, ergo martyrium est Sacramentum, cùm proprium Sacramentorum sit cōferre gratiam ex opere operato.

RESPONDEO falsam esse consequentiam, vt patebit ex dicendis *punct. seq.*

SECVNDA PROPOSITIO.

5 *Quænam conditiones requirantur ad martyrium.*

5 ADmartyrium quinque conditiones requiruntur.

6 *An requiratur in adultis voluntas illius suscipiendi.*

6 Prima est, vt in adultis adsit voluntas suscipiendi martyrium. Ratio est, tum quia Deus non saluat nolentes, sed volentes, neque saluat nos sine nobis, id est, sine nostro consensu, & voluntate, vt ait S. Augustinus. Tum quia sicut in adulto baptizando requiritur libera acceptatio Baptismi, quæ non subsistit sine intentione suscipiendi Baptismum, ita etiam requiritur in adulto suscepturo martyrium. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 124. *art.* 1. Caietan. *ibidem. art.* 2. Henriquez *lib.* 2. *c* 34. *num.* 2. *& cap.* 36. *nu.* 1. & alij communiter.

Ininfantibus verò vsu rationis carentibus non requiritur huiusmodi voluntaria, & libera acceptatio, vt patet ex innocentibus, qui vsque ab Ecclesiæ primordiis tanquam Martyres ab Ecclesia, quæ non potest errare, culti sunt, & pro martyribus habiti apud omnes veteres auctores, & apud SS. PP. Cyprianum *lib.* 4. *q.* 6. Chrysostom. *homil.* 2. in varios Euangelistas, Bernard. *serm. de innocentibus.* Augustinus. *lib.* 3. *de Symbolo*, & alios, apud Suarez *tom.* 3. *disp.* 29. *sect.* 1. *concluf.* 1. *& 2.* apud Emanuelem Sà. *v. Martyrium num.* 3. apud Vasquez 3. *part. disp.* 153. *c.* 7. *n.* 70. apud Tolet. *lib.* 2. *c.* 22. *verf. fin.* apud Valētiam *tom.* 4 *disp* 4. *q.* 3. *punct.* 4 *conc* 4. apud Hēriquez *l.* 2. *c.* 38. [apud Lessium *l.* 3. *de iust. c.* 1. *dub.* 3.] apud Coninch. *q.* 66. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 119. & alios.

OBIICIES primò, si vir iustus inter dormiendum occidatur in odium Christi, aut virtutis Christi, dicetur Martyr; ergo ad martyrium non requiritur intentio, seu libera voluntas suscipiendi martyrium, cùm dormiens non possit habere liberam voluntatem suscipiendi martyrium.

RESPONDEO cum Suarez *disp.* 20. *sect.* 2. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 2. Soto *dist.* 5. *art.* 4. *conc.* 3. Coninchо *loco citato dub.* 2. *num.* 136. & aliis, illum non dici Martyrem, qui occiditur inter dormiendum, si nihil antea cogitauerat de martyrio, non enim habuit voluntatem formalem, aut virtualem suscipiendi martyrium, nisi fortè sit vir iustus, qui cùm habeat pro fine Deum, voluntate virtuali, & interpretatiua, solet in Deum referre, quicquid boni fecerit, aut mali sustinuerit. Qui verò præuidit martyrium, & in illud consensit, dicitur Martyr, siue occidatur in vigilia, siue in somnis: talis enim cōsensus sufficit, sicut sufficit, vt quis versus in amentiam recipiat Extremam vnctionem, aut Baptismum, quem ante amentiam petierat. Ita Doctores citati.

OBIICIES secundò, si occidatur infans in vtero matris in odiū Christi, dicetur Martyr, sed infans non potest liberè suscipere martyrium, cùm vsu rationis careat, ergo ad martyrium non requiritur voluntas suscipiendi martyrium.

RESPONDEO liberam acceptationem martyrij, seu intentionem suscipiendi martyrium requiri in adultis, non verò in infantibus, vt patet ex innocentibus: tum, quia sicut in Baptismo non requiritur intentio ipsorum infantium, ita neque requiritur in martyrio: quod excellit Baptismum: [tum, quia in paruulis nondum baptizatis reperitur solùm culpa venialis, quæ aliena voluntate contracta est; consequenter non requiritur voluntas, & consensus infantis.]

7 *Differentia inter martyrium, & Baptismū.*

7 Aduertenda tamen est differentia inter Baptismum, & martyrium, quod Baptismus non potest conferri infanti nondum edito in lucem, nam infans, qui nondum natus est, non potest ablui, consequenter neque potest baptizari: potest verò occidi in vtero matris, consequenter potest esse Martyr, cùm enim proles reputetur vnum quid cum matre, par est, vt particeps sit eiusdem martyrij, si cum matre occidatur in contemptum fidei, Ita Richardus *dist.* 4. *art.* 2. *qu.* 3. quem sequitur Coninchus *loco citato, dub.* 1. *n.* 123. Toletus *lib.* 2. *c.* 22. *n.* 7 Bartholomęus ab Angelo *de Sacramento Baptismi, dialog.* 2. *§.* 12. Henriquez *c.* 38. *n.* 2. Reginaldus *lib.* 27. *n.* 18. [Filliucius *tract.* 2. *§.* 1. *q.* 5. *n.* 10.] & alij communiter.

8 *An requiratur attritio supernaturalis.*

8 Secunda conditio est, vt in adulto suscepturo martyrium adsit attritio supernaturalis, si adultus peccatum habeat mortale, non tamen necessaria est contritio, aut dilectio Dei super omnia, sed sufficit attritio.

Quòd requiratur attritio, sufficienter colligitur ex dictis de Sacramentis, in quorum susceptione diximus requiri attritionem, tāquam dispositionem ad gratiam, vt tollatur virtualis affectio ad creaturam, quam contraxit per peccatum, homo enim per peccatum mortale conuertitur ad creaturam, tanquam ad finem vltimum, & censetur velle virtualiter permanere in peccato, donec illud per attritionem retractauerit.

Quod verò sufficiat attritio, & non requiratur contritio, seu dilectio Dei super omnia. Ratio est, tum quia qui cum attritione patitur martyrium, reuocat virtualem affectionem ad creaturam, & peccandi voluntatem retractat, tum quia qui martyrium subit cum attritione, dicitur animam suam perdere propter Christum, qui au-

tem perdit animam ſuam propter Chriſtum, recipit gratiam, & ſalutem, iuxta illud: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam faciet eam*, tum quia martyrium à SS. PP. comparatur, & anteponitur Baptiſmo, ſed in Baptiſmo ſufficit attritio, ergo ſufficit etiam in martyrio. Ita Coninchus *loc. citat. dub. 2. numer. 140.* Suarez *diſp. 24. ſect. 3, conc. 2.* Henriquez *cap. 34. num. 3. & cap. 36. n. 1.* Bellarm. *cap. 6. de Baptiſmo*, [Leſſius *loco citat. num. 48.* Molfeſius *num. 32.*] & alij contra Bannem *2. 2. qu. 24. art. 6. dub. 5. ad 7.* Paludanum *in 4. qu. 3. art. 1. conc. 1.* & alios apud Henriquez *loco citato nu. 3. in commentario littera V.* [& apud Leſſium *lib. 3. cap. 1. dub. 4.* Jaſſerentes ad martyriū neceſſariam eſſe contritionem, & charitatem imperantem actum martyrij.

OBIICIES, 1. ad Coloſſ. 13. dicitur: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Ex quo loco deſumi poteſt hoc argumentum, ſine charitate nihil prodeſt martyrium, & traditio ſui corporis ad mortem: ergo vt martyrium & traditio ſui corporis proſit, requiritur traditio, ſeu charitas imperans actum martyrij.

RESPONDEO cum Suarez, & aliis *loc. citat.* aliquem poſſe dupliciter corpus ſuum tradere abſque charitate. Primò abſque charitate antecedente. Secundò abſque charitate conſequente martyrium.

Hoc poſito, dico ad martyrium non requiri charitatem antecedentem, imperantem opus martyrij, ſed ſufficere charitatem conſequentem, quæ ſc. conſequatur martyrium, cùm enim per martyriū obtineatur gratia habitualis, ſimul etiam obtinetur charitas, quæ eſt qualitas conſequens gratiam, & ſimul coniuncta cum gratia, vt patebit ex dicendis ſuo loco. Quamobrem rectè dicit Apoſtolus: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero*, intellige ſaltem conſequentem, *nihil prodeſt*. Iuxta hanc explicationem conciliari poſſunt DD. quorum aliqui putant ad martyrium requiri actum charitatis: alij verò exiſtimant ſufficere actum attritionis.

9 An Martyr debeat eſſe in gratia.

9 Hinc colligitur ad martyrium non requiri, vt Martyr ſit in gratia, nam ſi eſt in gratia, maximè eſt per contritionem, & charitatem; cùm autem contritio, & charitas antecedenter ad martyrium non requiratur, ſequitur non requiri, vt Martyr ſit in gratia ante ſuſceptionem martyrij.

10 An recipiat fructum martyrij, qui non elicit actum attritionis propter obliuionem.

10 QVÆRES vtrùm, qui per obliuionem, & inaduertentiam, peccatorum non elicit actum attritionis, eo quod tunc temporis totus detineatur in expellendo metu mortis, recipiat fructum martyrij.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio eſt, quia licet ad martyrium per ſe requiratur dolor formalis, nihilominus probabile eſt ex accidēti ſufficere virtualem, qui clauditur in voluntate ſuſcipiendi martyrium, nam ſi volenti mori pro Chriſto peccata occurrerent, illa deteſtatur, & hæc voluntas dicitur actus attritionis virtualis, quia continet aliquo modo deteſtationem peccatorum, & amorem Dei, & ſicut ad delenda peccata extra Sacramentum per ſe quidem requiritur dolor formalis, & tamen aliquando ſufficit virtualis, vt quando interuenit ignorantia, vel inaduertentia, tunc enim, ſi quis eliciat actum dilectionis Dei ſuper omnia, ignorans, vel non aduertēs, ſe aliquod peccatum habere, dicitur ratione dilectionis Dei habere virtuale odium, ſeu virtualem dolorem peccati, ita in martyrio, quamuis per ſe loquendo requiratur dolor formalis, tamen ex accidenti probabile eſt ſufficere virtualem, nam cum dolore virtuali fieri poteſt, vt aliquis perdat animam ſuam propter Chriſtum, qui autem animam ſuam propter Chriſtum perdiderit, ſaluam faciet eam. Ita Suarez *diſp. 29. ſect. 3. concl. 3.* S. Thomas *qu. 69. art. 10.* Sotus *diſt. 6 ſect. 1. art. 7.* Bellarm. *lib. 1. de pœnitentia cap. 9. ad 1.* Henriquez *loco citato cap. 36. num. 1.* [Filliucius *tract. 2. cap. 1. q. 7.* Leſſius ex parte *lib. 3. cap. 1. dub. 4. numer. 50.*] Franciſcus Pitigianus *de pœnitentia, part. 2. diſt. 14. quæſt. 3. art. 4. concluſ. 2.* & alij. Tutius tamen eſt actum formalis pœnitentiæ elicere cum martyrio, vt bene obſeruat Henriquez *loco citato numer. 2. ad fin. littera O*, cum Soto, Penna & aliis.

OBIICIES, attritio virtualis non ſufficit in Baptiſmo: ergo neque ſufficere videtur in martyrio.

RESPONDEO negando conſequentiam; tum quia Baptiſmus non eſt opus adeò inſigne, vt eſt martyrium, conſequenter ad martyriū minor attritio ſufficere videtur, quam ad Baptiſmum, [tum quia martyrium eſt actus imperatus à charitate, conſequenter continet dolorem virtualem.]

11 An requiratur ad martyrium pœna ſeu paſſio.

11 Tertia conditio requiſita ad martyrium eſt pœna, id eſt, paſſio, & cruciatus, vt patet ex dictis in prima propoſitione.

12 An debeat adeſſe cauſa honeſta ex parte ſuſcipiētis martyrium.

12 Quarta conditio eſt, vt qui patitur martyrium, illud patiatur ob honeſtam cauſam, qualis cauſa eſt conſeruatio fidei Catholicæ, & religionis Chriſtianæ, vel caſtitatis, vel immunitatis Eccleſiaſticæ, vel alterius veræ virtutis, vt patet ex prima propoſitione, vbi diximus motiuum martyris debere eſſe honeſtum, & ſupernaturale.

OBIICIES, ſi hæreticus, aut ſchiſmaticus, ſubiret mortem pro aliquo fidei articulo tuendo, non diceretur martyr, ergo non requiritur ad martyrium, vt aliquis martyrium ſuſcipiat pro aliqua virtute.

RESPONDEO negando conſequentiam. Ratio autem cur hæreticus non dicatur martyr, eſt, tum quia, cùm voluntariè permaneat extra Eccleſiam Chriſti, non meretur, vt à Chriſto in triumphantem Eccleſiam recipiatur: tùm quia hæreticus non habet veram fidem, quamuis credere videatur aliquem fidei articulum, vt patet ex dictis de fide: cùm autem ſine fide nullus poſſit placere Deo, ſequitur hæreticum non placere Deo, conſequenter non eſſe verum Martyrem, etiam ſi mortem ſubeat pro aliquo fidei articulo defendendo. Ita Henriquez *loco citato cap. 37. numer. 2.* Coninch. *loco citato dub. 2. num. 141.* [Leſſius *lib. 3. cap. 1. dub. 3. num. 38.*] & alij.

13 Martyrium in cuius cōtemptum inferri debeat.

13 Quinta conditio eſt, vt Tyrannus addicens aliquem martyrio inferat cruciatum, ſeu mortem in odium Chriſti, vel in contemptum fidei, aut alterius virtutis; vnde non ſufficit, vt inferat cruciatum ad alium finem, vel, vt cruciatus à patiente libenter acceptetur, & referatur in Chriſtum, alioquin pugnantes in bello ad tuenda bona temporalia, aut damnati ad ſupplicium, ſi ob Chriſti amorem patienter ſubirent mortem, dicerentur Martyres, quod eſt falſum.

OBIICIES, bonus latro appellatur Martyr, quamuis mors illi non fuerit illata in odium Chriſti; ergo non requiritur ad martyrium, vt mors inferatur in odium Chriſti.

RESPONDEO bonum latronem appellari Martyrem, quia mors fuit illi accelerata in odium, & contemptum Chriſti, cui Iudæi per conſortium latronis intendebant ignominiam, & iniuriam inferre. Ita S. Tho. quem citat & ſequitur Henriq. *lib. 2. c. 27. nu. 4.* Connch. *loco citato n. 13.* & alij.

Ex dictis conſtat, ad martyrium requiri primò intentionem in adulto. Secundò attritionem ſupernaturalem. Tertiò paſſionem, ſeu cruciatum lethalem. Quartò, vt adſit honeſta cauſa ex parte ſuſcipientis martyrium. Quinto, vt martyrium inferatur in contemptum Chriſti, vel fidei, vel alterius virtutis.

PVNCTVM II.

Quem effectum præſtet martyrium, & quomodo illum præſtet.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Effectus martyrij quotuplex ſit.

1 MArtyrium duplicem præſtat effectum. Primus eſt gratia, & remiſſio omnis culpæ, & pœnæ. Ita Medina. *C. de Pœnitentia q. 2.* Bellarm. *de Baptiſmo c. 6.* Suarez *3. p. diſp. 29. ſect. 2. conc. 1.* Henriq. *c. 34. n. 4.* Coninchus *loco citato n. 148.* Valentia *tom. 4. diſp. 4. qu. 3. punct. 4. concl. 4.* Nugnus *3. part. q. 66. art. 12. concl. 4* Reginaldus *lib. 27. n. 3.* Vaſquez *3. part. q. 168. art. 3. diſp. 153. c. 1.* [Filliucius *tract. 2. cap. 1.*] & alij communiter. Ratio eſt, tum quia Eccleſia raptum ad martyrium colit, & veneratur vt ſanctum; ergo ſignum eſt martyrem obtinuiſſe remiſſionem omnis culpæ, & pœnæ per martyrium. Tū, quia SS. PP. vt D. Aug. *1. de Baptiſmo c. 21.* apud Suar. *loc. citat.* comparant, & anteponunt martyrium Baptiſmo, ſed Baptiſmus confert gratiam, & remiſſionem omnis culpæ, & pœnæ, ergo etiam martyrium confert remiſſionē omnis culpæ, & pœnæ, modò aliquod peccatum actuale non committatur in ipſa martyrij ſuſceptione. Ita Pitigianus *de pœnitentia 2 part. diſt. 14. q. 3. art. 4. concl. 1.* & alij ſtatim citandi.

2 An obtineatur remiſſio culpæ admiſſæ in ſuſceptione martyrij.

2 Ex quo fit, vt qui ſuſcipit martyriū cū peccato veniali actuali, vt cum aliquo ambitionis actu, non obtineat remiſſionem illius culpæ aut pœnæ reſpondentis illi culpæ, quæ tunc committitur, nam quāuis per actuale peccatum veniale non impediatur gratia ſanctificās nihilominus impeditur remiſſio illius culpæ venialis, quæ actualiter committitur in martyrij ſuſceptione, quod idem accidit in Baptiſmo, qui non remittit omnem culpā, niſi tollatur obex omnis culpæ: qui autem accedit cū peccato veniali actuali, non tollit omnem obicem, ſed ponit obicem ratione affectus ad peccatū, quod actualiter committitur, vt patebit ex dicendis de Baptiſmo. Ita Henriquez *l. 2. c. 36. n. 3. ad finem.* [Leſſius *dub. 5. nu. 56.* Suarez & Filliucius *locis citatis.*] & alij communiter.

3 Laureola martyrij quid ſit.

3 Secundus effectus martyrij eſt laureola, id eſt, præmium quoddam accidentale, quod martyribus tribuitur conſiſtens in quibuſdā inſignibus, & decore cicatricum, & in quodam gaudio accidentali, de qua re videri poteſt Sotus *diſt. 49. q. 5. art. 2.* S. Th. *3. part. q. 90. art. 4.* Henriquez *lib. 2. c. 36. n. 3.*

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An martyrium conferat gratiam ex opere operato.

4 MArtyrium confert gratiam ex opere operato. Ratio eſt, quia illud dicitur conferre gratiam ex opere operato, quod eam confert vltra meritum, & diſpoſitionem ſuſcipientis: martyrium autem confert gratiam vltra meritum, & diſpoſitionem ſuſcipiētis, vt patet primò in infantibus, qui abſque præuia diſpoſitione martyrio coronantur. & peccati originalis remiſſionem obtinent per martyrium.

Secundò in adultis, qui ſi actum attritionis eliciant abſque martyrio, non recipiunt gratiam, & ſalutem poſt mortale peccatum: cū autem recipiant gratiam, & ſalutem cum martyrio, ſequitur martyrium conferre gratiam ex opere operato: nam attritio non eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam. Ita S. Thom. *3. part. qu. 68. art. 2. ad ſecundum, & qu. 87. artic. 1. ad ſecundum.* Bellarminus *loco citato cap. 6.* Coninchus *q. 66. art. 12. n. 143.* Nugnus *ibid. concl. 4*, Suarez *tom. 3. diſp. 29. ſect. 3.* Valentia *loco cit. verſ. Etſi verò.* Henriq. *lib. 2. c. 34. nu. 3.* [Leſſius *loc. cit. dub. 5.*] contra Sotum *diſt. 15. quæſt. 1. art. 2.* & alios apud Nugnum *loco citat.* & apud Pitigianum *diſt. 4. q. 3. art. 1. verſ. Caterum probabilior.*

Hinc patēt, non ſolùm Sacramenta, verùm etiam martyrium conferre gratiam ex opere operato ob ſpeciale privilegium, ſeu promiſſionem factam à Chriſto, illis verbis Matth. 10. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.*

5 Quomodo martyrium conferat gratiam, moraliter ſcilicet, an phyſicè.

5 Si QVÆRAS quomodo martyrium conferat gratiam, moraliter an phyſicè. Reſpondetur conferre moraliter, quatenus Deus intuitu martyrij confert gratiam. Non tamen hinc ſequitur, martyrium eſſe Sacramentum. Ratio eſt, tum quia martyrium nō eſt cauſa phyſica inſtrumentalis gratiæ, ſicut eſt Sacramentum: tum quia Sacramentum eſt res & actio quædam ſacra in Dei cultum ordinata: martyrium verò non eſt pia cæremonia, ſeu actio ſacra, ſed potiùs impia, ſacrilega, & execranda, quatenus prouenit à tyranno. Ita DD. & alij communiter, teſte Henriq. *loc. cit. n. 4. & c. 39. n. 4.* contra Maior. *diſt. 4. q. 3.*

PVNCTVM III.

Quandónam martyrium ſuum præſtet effectum, & quandónam fuerit eleuatum ad illum præſtandum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quo tempore martyrium præſtet ſuum effectum.

1 PRobabile eſt martyrium præſtare ſuum effectum, quando Martyr accepit cruciatum lethalem, ſeu vulnera de ſe naturaliter

valiter mortifera, ita vt mors nequeat amplius euitari, ita Vega *lib. 6. in Tridentinum*, Suarez *loco citato sect. 3. versus fin.* Henriquez *lib. 1. cap. 39. nu. 1. & lib. 2. c. 9. n. 1.* [Lessius *num.* 59. & alij contra Coninchum *loco citato n.* 159. Ratio est, tum quia martyr postquam accepit huiusmodi vulnera, dicitur mortuus in causa; ergo par est, vt tunc recipiat effectum martyrij, tum quia non potest aliud instans congruenter assignari, in quo martyrium præstet suum effectum. Nam si aliud instans potest assignari, maximè est instans mortis, vt tenet Caietanus 2. 2. q. 125. *art. 4. ad quartum*, & alij asserentes, martyrium præstare suum effectum in instanti mortis. Hoc autem videtur falsum: cùm enim vltimum instans hominis iuxta communem [& probabiliorem] Philosophorum sententiam sit instans extrinsecum, in quo dicitur, non est homo, sed immediatè antè fuit: sequitur martyrium non posse tunc suum effectum conferre, alioquin homo posset acquirere gratiam quando non est, & ille posset fieri beatus, qui toto vitæ suæ tempore non habuit gratiam; sed fuit inimicus Dei, vt patet à simili ex dictis de tempore, quo Sacramenta conferunt gratiam.

2 *An priuetur fructu martyrij, qui miraculosè liberatur à morte.*

2 Hinc sequitur, eum, qui recepit vulnera naturaliter illatiua mortis, non priuari fructu martyrij, si postea à morte naturaliter ineuitabili miraculosè à Deo liberetur, vt ait Suarez *loco citato versùs finem.*

3 *An miraculosè liberatus remaneat confirmatus in gratia.*

3 Si QVÆRAS, vtrùm, qui miraculosè liberatur à morte post acceptum cruciatum illatiuum mortis, maneat confirmatus in gratia, ita vt nequeat amplius peccare, seu infallibiliter non sit amplius peccaturus.

RESPONDETVR piè credi posse manere confirmatum. Ratio est, quia videtur valdè consentaneum diuinæ prouidentiæ, vt Deus confirmet illum, quem miraculosè detinet, ne gloriam consequatur, quam infallibiliter consecuturus erat. Ita Suarez *disp. 29. sect. 3. ad finem*, & alij.

Hoc tamen non est certum; cùm possit Deus vtrunque facere, & nobis non constet per reuelationem, quid Deus in tali euentu facturus sit, vt bene obseruat Coninchus *loco citat. n.* 160.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 *An extiterit martyrium ante Christi aduentum.*

4 PRobabile est, priuilegium martyrij non solùm extitisse post Christi aduentum, verùm etiam antè. Ratio est, tum quia hoc priuilegium tributum videtur martyrio, vt est quidam eximius virtutis actus: hic autem actus præstitutus fuit non solùm post Christi aduentum, verùm etiam antè: tum quia Machabæi, qui ante Christi aduentum obierunt, in numerum martyrum referuntur. Vnde Nazianzenus *oratione* 22. de Machabæis dicit, illos in fide Christi consecutos esse iustitiam, & effectos esse niue candidiores. Ita Tertullianus, & alij quos citat, & sequitur Henriquez *lib. 2. c. 36. n. 1.*

Aduertendum tamen est, Martyres ante Christi aduentum non statim in cœlos euolasse, quia cœlorum ianua nondum erat reserata & aperta, sed aperta fuit post Christi passionem, & mortem.

5 *An martyrium sit in præcepto.*

5 QVÆRES PRIMO, vtrùm martyrium sit in præcepto.

RESPONDEO esse in præcepto, quando grauis necessitas, & causa sese offert, vt quando opus est martyrio ad tuendam fidem, bonum enim fidei, & Reipublicæ Christianæ præponderat vitæ nostræ. Rarò tamen martyrium est in præcepto, cùm rarò sese offerat grauis necessitas, propter quam teneamur martyrium subire. Quamobrem regulariter loquendo sufficit martyrium in animi præparatione, id est, vt homo ita sit affectus, & animo paratus, vt mortem pateretur, si necessitas, & occasio sese offerret, quamuis illam quærere non teneatur, vt ait D. Thom. *in 4. dist. 49.* Summa Corona *de Baptismo fol. 7. num. 32.* & alij apud Henriquez *lib. 2. c. 39. n 4. ad finem*

Ex quo fit, vt qui sunt prædicto modo affecti, dicantur martyres quo ad affectum, & consequenter nonnulli, qui non acceperunt cruciatum illatiuum mortis, martyres nuncupentur, dicuntur enim martyres quo ad affectum & voluntatem suscipiendi martyrium, sed verè, & propriè non sunt martyres.

6 *An peccent, qui se vltrò offerunt martyrio.*

6 QVÆRES SECVNDO, vtrùm peccent, qui se offerunt martyrio, & irritant hostes Catholicæ fidei ad inferendum martyrium.

RESPONDEO cum S. Thom. 2. 2. q. 122. *artic. 1. ad tertium*, Nauarro *cap. 11. n. 40.* Sanchez *in summa lib. 2. cap. 34. nu. 15.* Henriquez *loco citato cap. 39. n. 4.* vbi refert Couarruiam, Symancham, Nazianzenũ, & alios, grauiter peccare, si hoc temerè faciant, & absque iusta causa, quæ vim habeat præcepti, aut saltem consilij. Ratio est, quia qui se temerè exponit martyrio, tentat Deum; tentatio autem Dei est peccatum graue ex suo genere, vt patet ex dictis in primo Decalogi præcepto. Verùm iusta & sufficiens causa offerendi se martyrio videtur adesse, quoties Dei gloria, & fidei exaltatio consequitur ex martyrio. Quomodo autem Martyres potuerint se in ignem conijcere, aut venenum bibere absque peccato, patet ex dictis de homicidio. Vide Lessium *lib. 3. c. 1. dub. 2. n. 15.*]

QVÆSTIO II.

De Baptismo Fluminis, id est, Sacramento Baptismi.

IN hac quæstione nobis agendum est primò de institutione, & definitione Sacramenti Baptismi. Secundò de necessitate. Tertiò de materia. Quartò de forma. Quintò de ministro. Sextò de subiecto, & ipsius dispositionibus. Septimò de effectibus istius Sacramenti.

PVNCTVM I.

De institutione, & definitione Sacramenti Baptismi.

DVo breuiter quærenda sunt in hoc puncto. Primò, quid sit Baptismus. Secundò, quandonam fuerit institutus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Baptismus quid sit.*

1 BAptismus est Sacramentum consistens in ablutione corporis exteriori sub præscripta verborum forma à Christo instituta ad regenerationem spiritualem: seu, Baptismus est ablutio corporis exterior, sub præscripta verborum forma à Christo instituta ad regenerationem spiritualem; vel, vt alij volunt, Baptismus est Sacramentum regenerationis in verbo. Ita S. Thom. *qu. 66. artic. 1. ad secundum*, Nauarrus *cap. 22. num. 5.* Henriquez *lib. 2. cap. 1. num. 9.* Bellarminus *controuersia 2. de Baptismo*, Bartholomæus ab Angelo *de Baptismo §. 5.* Reginaldus *lib. 27. num. 3.* Nugnus *quæst. 66. artic. 1.* Coninchus *ibid. n. 3.* Filliucius *tract. 2. c. 1. q. 3.* Molfesius *tract. 4. c. 1. n. 27. & seqq.* & alij communiter. Hæc definitio optima videtur, tum quia constat genere, & differentia, tum quia continet omnes quatuor causas, materialem, formalem, efficientem & finalem. Materialis causa continetur illis verbis: *Ablutio exterior, seu consistens in ablutione exteriori.* Formalis exprimitur per illa verba, *sub præscripta verborum forma*, verba enim sunt forma Baptismi. Efficiens explicatur illis verbis, *à Christo instituta.* Finalis denique demonstratur per ea verba, *ad regenerationem spiritualem.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *Quandonã fuerit institutus Baptismus.*

2 BAptismus fuit institutus *Matthæi* 3. quando Christus in Iordane baptizatus fuit à Ioanne; tunc enim indicata fuit materia, id est, aqua, indicata fuit forma, quæ est inuocatio sanctissimæ Trinitatis, nam persona Patris indicata fuit in voce Patris; Persona Filij manifestata fuit illis verbis, *Hic est filius meus dilectus*, &c. Persona Spiritus S. indicata fuit per speciem, & figuram columbæ. Per descensum verò columbæ, & cœlorum apertionem prædemonstratus fuit effectus Baptismi. Ita S. Thom. *3. p. qu. 66. art. 2.* Pesantius *ibid.* Nugn. *loc. cit. artic. 1. conc. 3.* Bellarminus *tom. 3. lib. de Baptismo c. 5.* Suarez *tom. 3. disp. 19. sect. 2.* Caietanus, & Capreolus apud Henriq. *lib. 1. c. 2. n. 2.* Sayrus *de Sacramentis in genere lib. 2. c. 2. q. 3. art. 1.* Viualdus *de Baptismo c. 1. n. 15.* Graffius *2. part. lib. 1. c. 3. n. 10.* Chamerota *de Baptismo c. 6. dubio 4.* Vasquez *3 part. disp. 140. c. 6. n. 38.* Petrus Ledesma *in summa de Sacramento Baptismi. cap. 2. vers. Tercera conclusion*, Reginald. *lib 27. num. 6.* Valentia *tom 4. disp. 4 qu. 1. punct. 4. versicul. Alterum verò*, vbi refert Sotum, Victoriam, & alios. [Filliucius *tract. 2. c. 1. q. 4.* Malfesius *tract. 4. c. 1. n. 29.*] Vasq. *loc. cit. c. 2.* contra Pitigian. *loco* statim *citando concl. 1.*

3 *Quomodo explicentur illa verba Christi: Ite; docete omnes gentes baptizantes eos &c.*

3 Hinc patet, eos non esse audiendos, qui dicunt Baptismum fuisse institutum, quando Christus post resurrectionem dixit discipulis suis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti*; nam Christus illis verbis non instituit Baptismum, sed mandauit illius prædicationem, & susceptionem. Quare dicendum est institutum fuisse Baptismum, quando Christus in Iordane fuit baptizatus. Quamuis Coninchus *q. 66. art. 2. n. 14.* dicat Baptismum non fuisse tunc institutum, sed fuisse tantummodo demonstratum, & paulò pòst fuisse institutum. Possumus tamen præcitatos Doctores ad concordiam reuocare, dicendo Baptismi institutionem inceptam fuisse in Iordane, completam verò fuisse quando Christus dixit, *docete omnes gentes, &c.* seu postquam Christus baptizatus fuit in Iordane. Ita sentire videtur Bartholomæus ab Angelo *de Sacramento Baptismi, dialogo 2. §. 7.* & alij apud Pitigianum *disp. 3. q. 4 art. 1. concl. 4.*

PVNCTVM II.

De necessitate Baptismi.

1 *Notupliciter aliquid dicatur necessarium.*

1 NOtandum, aliquid esse necessarium dupliciter. Primò necessitate medij. Secundò necessitate præcepti.

Rursus, quod est necessarium necessitate medij, aut esse necessarium in re, aut in voto.

2 *Quis dicatur habere Baptismum in voto.*

2 Ille dicitur habere Baptismum in voto, qui facit aliquid, in quo continetur votum, & propositum Baptismi suscipiendi, vt accidit quando aliquis, qui non potest actualiter baptizari defectu ministri, vel materiæ, vel alterius causæ, elicit actum contritionis, aut dilectionis Dei super omnia; hic enim dicitur habere Baptismum in voto, saltem implicitè; cum enim contritio includat propositum vitandi omnia peccata, & seruandi legem Dei, vt constabit ex infrà dicendis: in lege autem Dei comprehendatur præceptum Baptismi, sequitur eum, qui habet actum contritionis, & dilectionis Dei, habere Baptismum in voto, id est, in voluntate, & desiderio, quod continetur in actu contritionis, & dilectionis. Idem dicendum est de martyrio, in quo Baptismi votum continetur, nam qui martyrium subit, ita est affectus, vt susciperet Baptismum, si facultatem haberet illius suscipiendi.

His præmissis, duo principaliter quærenda sunt in hoc puncto. Primò, vtrùm Baptismus sit necessarius necessitate medij, in re, vel in voto. Secundò, vtrùm necessarius sit necessitate præcepti.

PRIMA PROPOSITIO.

3 *An Baptismus sit necessarius necessitate medij in re, vel in voto.*

3 BAptismus est necessarius necessitate medij, in re, vel saltem in voto, quando non adest facultas illum suscipiendi in re. Ratio est, quia illud est necessarium necessitate medij ad salutem, sine quo salus non potest obtineri, sed sine Baptismo in re, vel in voto non potest salus obtineri, vt patet ex illis verbis Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non poterit introire in Regnum Dei.* Vbi notanda est illa particula, *nisi*, quæ denotat necessitatem; ergo Baptismus necessarius est necessitate medij in re, vel in voto. Ita communiter Doctores, Concilia, & Patres, vt videri potest apud Vasq. 3. *part. disp 149. c. 1. 2. & 3. p. d. sp. 152. c. 2.* Valentiam *tom. 4. disp. 4. q. 3. punct. 4.* Suarez *disp. 27.* Henriq. *lib 2. c. 3.* Nugnum 3. *part. q. 68. art. 1. & 2.* Coninchum *ibid. dub. 1.* Sayrum *lib. 1. de Sacramentis, c. 8. q. 2. art. 1.* apud Reginaldum *lib. 27. nu. 7.* apud Bartholomæum ab Angelo *de Sacramento Baptismi §. 8.* & apud Toletum *lib. 2 cap. 21. in principio*, apud Graffium *2. part. lib. 2. c. 4. n. 12.* & apud Pitigianum *in 4. q. 6. art. 1.* apud Bellarminum *loc. cit.* [& apud Filliucium *tract. 2. c. 6. q. 1. n. 116.*

SECVNDA PROPOSITIO.

4 *An neceſſarius ſit neceſſitate præcepti.*

4 BAptiſmus non ſolùm eſt neceſſarius neceſſitate medij, verùm etiam neceſſitate præcepti. Ratio eſt, tum, quia quod eſt neceſſarium neceſſitate medij, eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti, nam qui non aſſumit medium ſibi neceſſarium, peccat, cùm quilibet teneatur ſibi conſulere, conſequenter facit contra aliquod præceptum: tum quia Matthæi 28. dicitur; *Euntes in mundum docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* quo loco Chriſtus præcepit Apoſtolis, vt cogerent gentes ad fidem, & Baptiſmi obſeruantiam, eiſque Baptiſmum præciperent, vt inquit S. Hieron. & alij apud præcitatos Doctores.

5 *Præceptum Baptiſmi quoſnam obliget.*

5 Præceptum Baptiſmi obligat adultos, vt quàm primùm, moraliter loquendo, commodè, & dignè poſſunt, Baptiſmum recipiant, vel ſaltem non multò tempore differant, vt tradit Suarez *diſput. 31. ſect. 2.* Henriquez *lib. 2. c. 4* Reginaldus *lib. 27. num. 56.* Coninchus *loco citato.* Victoria *de Baptiſmo qu. 33.* Chamerota *de Baptiſmo c. 5. dub. 12.* [Filliucius *tract. 2. c. 6. q. 5. n. 130.*] & alij, nã adulti multum differendo Baptiſmum exponũt ſe periculo damnationis, & priuationis maximorum fructuum Baptiſmi.

6 *An pater curare teneatur, vt baptizentur quàm primum filij.*

6 Ex quo fit vt pater curare teneatur, vt filij, & domeſtici quàm primum baptizentur; tenetur etiam conſulere neceſſitatibus familiæ, vt patet ex dictis in quarto Decalogi præcepto. Quamobrem in Concilio noſtro prouinciali primo, *part. 2. fol. 34.* iure optimo conſtituta eſt pœna Excommunicationis contra eos qui non curant baptizari infantem ante nonum diem. Non exiſtimarem tamen illũ mortaliter peccare, qui Baptiſmum differret per tres, vel quinque, vel plures dies præciſo periculo infantis baptizandi. Ita Henriquez *loco citato num. 3.* Valentia *loco citato verſ. Tempus.* Ledeſma, & alij apud Henriqu. *loco citato*, & apud Vaſqu. 3 *p. diſp. 149 cap. 4 num. 36. & 39.* Bartholomæus ab Angelo *de Baptiſmo §. 51. & 52.* [Imò nonnulli Doctores abſolutè docent Baptiſmum differri poſſe dum rationabilis cauſa ſubeſt, nec imminet mortis periculum, nec adeſt peculiare præceptum.

7 *An Catechumenus teneatur ſuſcipere Baptiſmum*

7 Hinc ſequitur primò, Catechumenum, quamuis ſit in gratia cõſtitutus per actum contritionis, teneri ſub mortali ſuſcipere Baptiſmum oblata opportunitate. Ratio eſt, tum quia Baptiſmus non ſolùm neceſſarius eſt neceſſitate medij in voto, verùm etiam in re, data opportunitate illius ſuſcipiendi, iuxta illud: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Tum quia tenetur adimplere præceptum Baptiſmi, cuius omiſſione amittitur gratia, conſequenter, qui data opportunitate non ſuſcipit Baptiſmum, non ſaluabitur, niſi fortè nouum contritionis actum eliciat, cum propoſito ſuſcipiendi Baptiſmum quàm primùm poterit, iterum oblata occaſione; ſi verò non ſe offerat noua occaſio actualiter ſuſcipiendi Baptiſmum, ſaluabitur, quia habet Baptiſmum in voto per contritionem, & à tranſgreſſione præcepti excuſatur ob impotentiam ſuſcipiendi Baptiſmum, vt ſuppono. Ita Coninchus *loco citato dub. 3. & artic. 3.* Nugnus *ibidem* Reginaldus *loco citato num. 1.* Henriquez, Valentia & alij *loc. cit.*

8 *An ſaluentur pueri ſi moriatur ante realem Baptiſmi vel martyrij ſuſceptionem.*

8 Secundò pueros ſine actuali ſuſceptione Baptiſmi, aut ſine martyrio non ſaluari, ſi morte præoccupentur ante realem Baptiſmi, vel martyrij ſuſceptionem, & hoc valet, etiam ſi parentes omnia præparaſſent ad Baptiſmum neceſſaria, & voluntatem habuiſſent conferendi Baptiſmum. Ita communiter Doctores.

9 *An iuſtificatus in vtero matris ex priuilegio, teneatur recipere Baptiſmum*

9 Tertiò, ſi detur caſus, vt aliquis ex ſpeciali priuilegio in vtero matris iuſtificetur, teneri ſic iuſtificatum adhuc recipere Baptiſmum. Quamobrem Apoſtoli, & Beatiſſima Virgo, quamuis ante Baptiſmi inſtitutionem receperint gratiam, nihilominus tenebantur recipere Baptiſmum poſt Euangelij promulgationem, vt fierent capaces Sacramentorum, quorum ianua eſt Baptiſmus, & vt ſigno characteris diſtinguerentur ab infidelibus. Verùm ante Euangelij promulgationem non tenebantur Baptiſmum ſuſcipere, vt conſtabit ex proximè dicendis. Cùm autem de facto Beatiſſima Virgo, & Apoſtoli ante vniuerſalem Euangelij promulgationem baptizati ſint, vt explicat Gloſſa in ea verba *qui lotus eſt*, &c. ſequitur Beatiſſimam Virginem, & Apoſtolos poſt Euangelij promulgationem immunes fuiſſe ab obligatione iterum ſuſcipiendi Baptiſmum, quia iam ſatisfecerant obligationi: ſicut debitor, qui creditori ſoluit ante præfixum terminum, non tenetur adueniente termino ad nouam ſolutionem. Ita Henriquez *loco citato cap. 5. num. 3.* Scotus *diſt. 4. qu. 6* Sylueſter *verb Baptiſmus 4. n. 1.* Summa Corona, [Filliucius *tract. 2. c. 6 q. 5.*] & alij.

10 *Quandónã in œperit obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum*

10 QVÆRES PRIMO, quandónam incœperit obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum, dubium enim eſt, vtrùm obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum cœperit ſtatim poſt promulgationem Euangelij, & ante Chriſti mortem.

RESPONDEO obligationem ſuſcipiendi Baptiſmum non ſtatim incepiſſe poſt prædicationem Baptiſmi. Ratio eſt, quia cùm lex Chriſti ſit iugum ſuaue, vt dicitur *Matthæi 11.* non eſt credibile Chriſtum voluiſſe ſtatim obligare, ſed potiùs ſe geſſiſſe iuxta morem Imperatorum, qui non ſtatim facta Præconis promulgatione obligant, ſed elapſo certo tempore.

11 *An hæc obligatio incœperit ante Chriſti mortem.*

11 Addo obligationem Baptiſmi non ſolùm non ſtatim incœpiſſe poſt promulgationem, & prædicationem, verùm neque incœpiſſe ante Chriſti mortem. Ratio eſt, quia ante Chriſti mortem durabat lex vetus, ad cuius obligationem, & obſeruantiam tenebantur homines. Non eſt autem credibile, Chriſtum voluiſſe eodem tempore obligare homines duplici lege, alioquin grauiſſimum onus fuiſſet impoſitum hominibus qui eodem tempore adſtricti fuiſſent ad onera veteris, & nouæ legis ſubeunda, lex enim vetus obligauit, & durauit vſque ad mortem Chriſti, vt patet tum ex ſciſſione veli, quæ facta fuit tempore paſſionis, & ſignificabat, inquit D. Auguſt. ceſſationem veteris legis, tum ex verbis Chriſti in cruce prolatis: *Conſummatum eſt*, quæ ab omnibus Doctoribus explicantur de ceſſatione veteris legis. Ita Doctores ſtatim citandi.

12 *An incœperit ſtatim poſt Chriſti mortem.*

12 Sed modò DIFFICVLTAS eſt, vtrùm obligatio Baptiſmi incœperit ſtatim poſt Chriſti paſſionem & mortem.

RESPONDEO primò, obligationem Baptiſmi reſpectu eorum, quibus Baptiſmus fuerat promulgatus, incœpiſſe poſt Chriſti paſſionem, etiamſi Euangelium nondum eſſet omnibus promulgatum. Ratio eſt, quia in morte Chriſti ceſſauit lex vetus, & incepit noua, vt patet tum ex ſciſſione veli templi, tum ex illis verbis, *conſummatum eſt.* Ergo lex noua tunc cœpit obligare reſpectu eorum, quibus ſufficienter erat promulgata; cùm enim non ſtatim poſt Chriſti mortem obligauerit omnes vniuerſaliter, eo quod non eſſet completè promulgata, ſequitur obligaſſe ſaltem poſt Chriſti paſſionem, reſpectu eorum, quibus iam fuerat promulgata, ſicut patet à ſimili in legibus Principum qui priùs obligant commorantes in vrbe, in qua leges promulgantur, quàm commorantes in vicis. Reſpectu verò eorum, quibus Baptiſmus, ſeu Euangelium, & lex noua nondum fuerat promulgata, non ſtatim incepit obligare, vt conſtabit ex ſequenti reſponſione.

RESPONDEO ſecundò, obligationem Baptiſmi generaliter, & quoad omnes incepiſſe poſt ſufficientem promulgationem Euangelij factam vniuerſo mundo. Ratio eſt, quia non poteſt prudenter aliqua legis obligatio imponi, niſi poſt ſufficientem ipſius cognitionem. Ergo neque potuit generaliter imponi obligatio legis nouæ, niſi poſt ſufficientem Euangelij promulgationem, qua potuerint homines venire in cognitionem nouæ legis, poſita vero ſufficienti promulgatione, cœpit nouæ legis obligatio, quia lex vetus ceſſauerat, & nouæ legis promulgatio ſufficienter facta fuerat. Ita Suarez *tom. 3. [diſp. 27 ſect. 4. & diſp. 31. ſect. 1. ad finem*, Henriquez *lib. 2. c. 2.* D. Thom. 3. *p. q. 66. art. 2. n. 8.* Nugnus *ibid. difficult. 2. &* 3. Coninchus *q. 68. art. 2. dub. 2* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 1. §. 25.* Victoria *in Summa de Sacramento Baptiſmi conc. 10.* Vivaldus *de Baptiſmo cap. 1. n. 16.* Angles *q. 1. art. 1.* Chamerota *de Baptiſmo c. 7. dub. 1.* Vaſquez 3. *p. diſp. 149. c. 3. in principio*, [Filliucius *tract. 2. cap 8. qu. 2.* & alij apud Henriquez *loco citato.*

13 *Quandónã facta fuerit ſufficiens Euangelij promulgatio*

13 ROGABIS primò, quandonam facta fuerit ſufficiens Euangelij promulgatio, ita vt cœperit omnes obligare.

RESPONDENT aliqui, factam fuiſſe in die Pentecoſtes, quo tẽpore Apoſtoli prædicauerunt variis linguis omni nationi Iudæorũ concurrentium. Ita Bellarminus *de Baptiſmo c. 5.* Coninchus *loco citato n. 24.* Scotus *diſt. 3. q. 4. litterà H. verſ ſecundum autem tempus*, quem citat, & ſequitur Pitigianus *diſt. 3. q. 4. art. 5: conc. 2.* [Filliucius *tract. 2. c. 6. q. 2. n. 120.*] & alij.

Alij verò putant, vniuerſalem obligationem cœpiſſe paulò poſt excidium Hieruſalem, quod accidit anno quadrageſimo poſt Chriſti paſſionem, quo tempore Apoſtoli obierant, & Euangelium toto orbe prædicauerant. Vtraque opinio videtur probabilis.

14 *Quodnam remedium eſſet inſtitutum pro ijs, quibus poſt Chriſti mortem ignotum erat Baptiſmi Sacramentum.*

14 ROGABIS ſecundò, quodnam remedium poſſet ab iis adhiberi, qui Baptiſmi legem ignorabant poſt Chriſti paſſionem, antequam Euangelium promulgaretur vniuerſo mundo.

RESPONDEO potuiſſe, & debuiſſe adhiberi circunciſionem, ſeu remedium naturæ. Ratio eſt, quia non poſſumus aliud remedium aſſignare; Baptiſmus enim nondum illos obligabat, cùm nondum illis ſufficienter eſſet promulgatus; ergo poterat adhiberi circunciſio, vel remedium naturæ, cuius præceptum nondum fuerat abrogatum, nec aliud remedium erat ſubſtitutum, alioquin dicendum eſſet homines tunc caruiſſe remedio ad ſalutem.

OBIICIES, lex vetus durauit vſque ad mortem Chriſti, & in morte ceſſauit. Ergo non erat obligatio adhibendi circunciſionem, vel remedium legis naturæ.

RESPONDEO, legem veterem poſt Chriſti paſſionem non obligaſſe omnes, cùm non obligaret eos, quibus lex noua ſufficienter non erat promulgata. Quare lex vetus dicitur in morte Chriſti ceſſaſſe quo ad eos, qui nouam non ignorabant, quo ad eos verò, qui nouam ignorabant, non ceſſauit, niſi poſt ſufficientem promulgationem. Ita S. Th. *q. 66. art. 2. ad tertium* Medina 1. 2. *q. 103. art. 3. ad finem*, Henriquez *c. 2. cit. n. 6.* vbi refert Capreolum & alios.

15 *An ſaluari poſſint qui hoc tempore Baptiſmi legem ignorant.*

15 Rogabis tertiò, vtrùm, qui nunc exiſtunt in partibus remotis cum inuincibili ignorãtia Baptiſmi, & legis Chriſti, ſaluari poſſint.

RESPONDENT aliqui Doctores, damnandos eſſe, quia poſt generalem Euangelij promulgationem, non reſtat aliud remedium pro originali præter Baptiſmum in re, vel in voto.

Alij verò putant, ſaluandos eſſe, ſi naturæ legem ſeruauerint, quia credibile eſt, Deum ſeruanti legem naturæ daturum lumen, & ſpeciale auxilium, quo ſe valeat ad ipſum conuertere. Ita S. Th. 2. 2. *q. 10. art. 4.* Summa Corona *de Baptiſmo, folio mihi 29.* & alij recentiores ferè communiter, quorum ſententia mihi probatur, & videtur conformis ſummæ pietati, & miſericordiæ diuinæ.

PVNCTVM III.

De materia Baptiſmi.

CVm duplex ſit materia Baptiſmi, proxima ſcilicet & remota, agemus prius de materia remota, tum de proxima.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Materia remota Baptiſmi quænam ſit.*

1 MAteria remota Baptiſmi eſt aqua naturalis, vt patet, tum ex definitione Tridentini *ſeſſ. 7. can. 2. de Baptiſmo*, vbi hoc tanquam de fide definitum eſt ſub anathemate: tum ex *Matt. 3.* quando Chriſtus baptizatus fuit à Ioanne in Iordane: tum ex Ioãnis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. tum ex Apoſtolo ad Epheſ. 5. *mundans lauacro aquæ*, quæ verba (ſi accipiantur iuxta propriam ſignificationem, ſecundùm quam verba Scripturæ ſemper explicãda ſunt, niſi aliud ſuadeat neceſſitas ad euitandum aliquod abſurdum, alioquin poſſemus omnia Scripturæ loca in alium ſenſum retorquere, & deprauare) manifeſtè indicant materiam Baptiſmi eſſe aquam, per quam animæ purgantur, & mundantur. Ita Bellarm. *lib. 1. de Baptiſmi. c. 4 & lib. 2. c. 1. v. de materia Baptiſmi.* Suarez 3. *p. d. 20. ſect. 1.* Coninchus *qu. 66. art. 4. dub. 1. n. 20.* Reginaldus *lib. 17. n. 10.* Nauarr. *c. 22. n. 5.* Henriqu. *lib. 2. c. 6.* Nugnus, Valent. & alij ſtatim citandi. Idem tenet Vivaldus *de Baptiſmo c. 2. n. 1.* Pitigian. *diſt. 3. queſt. 3. art. 1.* Poſſeuinus *de Baptiſmo n. 2.* Chamerota *tract. 2. de Baptiſmo c. 2. dub. 1.*

2 *An peccet aut validè baptizet, qui aliam adhibet aquam præter naturalem.*

2 Hinc ſequitur primò, eum grauiter peccare, nec validè baptizare, qui aliam adhibet aquam, præter naturalem, vt ſi adhibeat cereuiſiam, ſudorem, lac, vrinam, lachrymas, ſputum, ſeu ſaliuam, aquam

aquam rofaceam, [aquam diſtillatam,] aquam à vite profluẽtem, aut alium liquorem artificialem ſpecie differentem ab aqua naturali. Ratio eſt, quia materia Sacramenti Baptiſmi eſt aqua naturalis, huiuſmodi autem liquores non ſunt aqua naturalis: propterea ieiunans pane, & aqua, ſi prædictis liquoribus vtatur, frangit ieiunium, vt bene ait Henriqu. *lib.2.c.6.n.2.* Chamerota *de Baptiſmo c.2.d.2.* Bartholomæus ab Angelo *de Baptiſmo §.82.* & alij ſtatim citandi.

3 An validè baptizet, qui vtitur aqua maris

3 Secundò ſequitur, eum validè baptizare, qui vtitur aqua maris, putei, fontis, pluuiæ, balnei, etiamſi ex ſulfure aut cinere defluat, hæc enim videtur aqua naturalis, & hoc verum eſt, ſiue aqua calida ſit, ſiue frigida, ſiue tincta colore, ſiue denſa, &c. Ita Sot. *in 4.d 3.qu. vnica, art.4.* S.Th. *q 66.art.4.* Victoria *q.12. de Sacramentis*, Nugn. *3. part.q.66.art.3.* Coninch. *ibi art.4.dub. 1.* Valentia *tom.4.diſp.4.qu.1. punct.2.* Suarez *3.part.tom.1.de Sacramentis qu.66. art.4.diſp.20.ſect. 1.concl.2.* Henriq. *loc.cit.n.2.* & 3. Reginaldus *lib.27.n.11.* Tolet. *lib.2. c.8 num.4.* Rodriq. *c.25 de Baptiſmo nu.1.* Graſſius *2.part.lib.1.cap.3. num.16.* Vialdus *de Baptiſmo cap.2.n.4.* Poſſeuinus *de Baptiſmo nu. 2 & 3.* Chamerota *de Baptiſmo c.2.dub.2.* Petrus Ledeſma *in ſumma de Sacramento Baptiſmi cap.3. verſ.Primera concluſion*, & alij communiter.

4 An validè baptizet, qui vtitur aqua à niue profluente.

4 Tertiò, eum validè baptizare, qui vtitur aqua, quæ profluxit à niue, aut à gelu, aut à ſale, ſal enim fit ex aqua naturali ſalſa, & differt tantummodò accidentaliter ab aqua naturali, vt ſuppono. Ita S.Thom. *locis citatis art.3.* Sot. *loc.cit.ad quartum.* Reginaldus, Poſſeuinus, & Coninch. *loc.cit.* & alij apud Henriq. *loc.cit.* [qui hoc idem ſentiunt, dum quis adhibet aquam naturalem, quam diſtillauit, aut arte ſeiunxit à vino, vel ab alio liquore, cum quo erat admixta, hæc enim eſt aqua naturalis, vt ſuppono.]

Addo, hocverũ eſſe iuxta multos Doctores, etiãſi diceremus aquas inter ſe ſpecie differre; ſicut enim validè conficitur Sacramentum ſanguinis non ſolùm in vino nigro, verùm etiam in albo, etiam ex ſententia eorum, qui teſtantur, vinum nigrum ſpecie differre ab albo, vt patebit ex dicendis de Euchariſtia, ita etiam validè conficitur Baptiſmus in qualibet aqua naturali, etiamſi fortè inter aquas naturales detur aliqua ſpecifica differentia. Ita Nugnus *loco citato artic.4.verſ.circa primum*, Toletus *loco citato*, Bartholomæus ab Angelo *de Baptiſmo §.84.* Graſſius *2.part.lib.1.cap.3.numer.16.*

5 An glacies ſit apta materia Baptiſmi.

5 Sed modò DVBIVM eſt, vtrùm glacies ſit apta materia Baptiſmi, cùm glacies differat tantummodò accidentaliter ab aqua naturali, & ſit aqua vera ſecundùm ſubſtantiam.

RESPONDEO non eſſe materiam aptam. Ratio eſt, quia ad Baptiſmum requiritur aqua apta, & idonea ad abluendum; glacies autem non eſt apta ad abluendum, niſi priùs liquefiat, & in aquam redeat, & reſoluatur. Ita S.Thom. *3.parte quæſt.66.articul.4.* Sot. *in 4. ſent.d.3.q.vnica art.4.* Sylu. *v.Baptiſmus 2.qu.2.* & 3. S.Ant. *3.part.tit. 14.c.13.num.1.* Tabien. *Baptiſmus 4.nu.8.* Armilla *v. Baptiſmus numer. 22.* & 23. Angelus *v.Baptiſmus 3.num.3.* & deinceps Bartholomæus ab Angelo *de Sacramento Baptiſmi dialogo 2. §.82.* Chamerota *de Baptiſmo cap.2.dub.1.* Rodriquez *loco citato numer.5.* & 10. Chamerota *loco citato dub 2.* Reginaldus *loc.cit.num.12.* Coninchus *loc.cit. dub.1 num.27.* [Filliucius *n.29.* Molfeſius *num.34.*] Nugnus *art.4.citat.verſic vltimum corollarium*, & alij, quos ſupra retuli de Sacramentis in genere, de determinatione materiæ, & in ſimili referam de Euchariſtia.

6 An aqua naturalis mixta cum alio liquore ſit apta materia.

6 Quartò ſequitur, eum non validè baptizare, qui vtitur aqua naturali, quæ ita alterata, & mixta ſit cum alio corpore, aut liquore vt amplius non ſit apta ad abluendum, hæc enim non dicitur amplius aqua naturalis, quamobrem brodium, aut lixiuium benè decoctum, aut lutum, aut vinum modica mixtum aqua, aut alia, quæ ita admixta ſunt, vt amplius nequeant aqua denominari, non poſſunt inſeruire pro materia Baptiſmi. Ita Bartholomæus ab Angelo §.84. Angles *q.1 art.2.conc.3.* Chamerota *loco citato* [Filliucius *n.28.*] & alij citati.

7 An peccet, qui vtitur aqua naturali alterata & fœda.

7 QVÆRES PRIMO, vtrùm grauiter peccet, qui vtitur aqua naturali alterata, & fœda, quamuis adhuc ſimpliciter ſit aqua, & talis denominetur.

RESPONDEO grauiter peccare peccato ſacrilegij quoties huiuſmodi aqua vtitur abſque neceſſitate. Ita Henriquez *cap.6.* Coninch. *quæſt. 66. art.4.dub.1.num.12.* Tolet. *loco citato numer. 5.* [Molfeſius *tract.4.cap.1.nu.33.*] & alij Doctores citati. Ratio eſt, quia facit cõtra reuerentiam Sacramento debitam. Idem dicendum eſt de illo, qui præciſa neceſſitate baptizat in aliquo brodio parum decocto.

8 Miniſter Baptiſmi quam aquã debeat adhibere.

8 Addo, non eſſe licitum miniſtro non ſolùm vti aqua alterata, & fœda, verùm neque licitum eſſe, ſeclusa iuſta neceſſitate, adhibere quamlibet aquam naturalem, veram, & puram, ſed illam aquam adhibendam eſſe, quæ præſcribitur ab Eccleſia, qualis eſt aqua ſacrorum Fontium. Ratio eſt, tum quia conſuetudo, & præcepta ſeruanda ſunt: tum quia ſic colligitur ex *Clementina vnica de Baptiſmo.* Ita Coninchus *loco citato num.22.* Reginaldus *lib.27. numer.13.* Poſſeuinus *de Baptiſmo numer.4.* Henriquez, & alij *locis citatis.*

9 An liceat aliquando vti materia dubia.

9 QVÆRES SECVNDO, vtrùm licitum ſit aliquando vti materia, de qua dubitatur, an ſit aqua naturalis, & materia apta Baptiſmi.

RESPONDEO iuxta dicta de Sacramentis in genere, præciſa neceſſitate, non licere. Ratio eſt, quia adeſt periculum faciendi Sacramentum irritum, & inualidum: in neceſſitate verò licitum eſſe, quando non adeſt aqua naturalis, & certa, nam melius eſt aliquem baptizari cum materia, de qua dubium eſt, an ſit apta, & ſufficiens ad Baptiſmum, quàm nullo modo baptizari, nam fieri poteſt, vt ſit vera materia, & conſequenter ſit verus Baptiſmus, & conſequenter baptizatus ſaluetur. Ita Poſſeuinus *loco citato n.5.* & alij *locis citatis.*

10 An baptizatus cum materia dubia ſit rebaptizandus ſi ſuperuiuat.

10 Verum tamen eſt, hoc modo baptizatum, rebaptizandum eſſe ſub conditione cum materia ſolita & conſueta, ſi ſuperuiuat. Ita Sot. *loco citato art.4.verſus finem.* Coninch. *loco citato num.22.* & 83. Reginald. *loco citato n.13.* Nugn. *loco citato verſic. Vltimum corollarium, ad finem.* & alij, quos ſupra retuli *de Sacramentis in genere.* Ratio eſt, quia adeſt iuſta & ſufficiens cauſa, ob quam licet iterum conferre Baptiſmum ſub conditione, cùm fieri poſſit, vt præcedens ſit inualidus.

11 An adhibendus ſit ignis præter aquã

11 QVÆRES TERTIO, vtrùm in Baptiſmo præter aquam adhibendus ſit ignis.

RESPONDEO negatiuè, quamuis aliqui hæretici ſentiant oppoſitum, non intelligentes locum *Matthæi 3.* vbi dicitur: *Ille vos baptizabit aqua, & igne, & ille vos baptizabit Spiritu ſancto, & igne*, nam per ignem intelligitur Spiritus ſanctus collatus Apoſtolis in linguis igneis, vt exponunt PP. Hieronymus, Chryſoſtomus, & alij apud Henriquez *loco citato.* [Vel intelligitur quoduis remedium, quo anima purgatur, vt ſunt tribulationes: vel intelligitur ignis purgatorij, quo animæ in purgatorio purgandæ ſunt, vt ait Hilarius, Beda, & alij apud Suarez *diſp.20.ſect.1.*] Ratio cur ignis non ſit adhibendus patet, tum ex communi Eccleſiæ, praxi, & vſu, tum ex iſtius Sacramenti inſtitutione, in qua non fuit præſcriptus ignis ad Baptiſmũ.

12 [Cur aqua inſtituta ſit pro materia Baptiſmi.

12 [QVÆRES QVARTO, cur aqua inſtituta ſit pro materia Baptiſmi.

RESPONDEO hanc rationem aſſignari poſſe, tum quia hæc optimè ſignificat effectum Baptiſmi, qui eſt ablutio, tum quia cùm Baptiſmus ſit Sacramentum maximè neceſſitatis, par fuit, vt ei aſſignaretur materia omnibus peruia. ita Catechiſmus Pij V. & alij communiter.]

SECVNDA PROPOSITIO.

13 Materia proxima Baptiſmi quanam ſit.

13 MAteria proxima Baptiſmi eſt ablutio. Hæc propoſitio patet, tum ex *Matthæi vltimo*, vbi dicitur, *Baptizantes eos in nomine Patris* &c. id eſt, abluentes eos in nomine Patris, &c. tum ad Epheſ. *mundans eum lauacro, aquæ in verbo vitæ.* Tum quia Sacramenta, quæ conſiſtunt in vſu, habent pro materia proxima rem aliquam ſignificantem id, quod efficitur, ſed aqua per ſe ſumpta, vt ſic, non ſignificat gratiam, & regenerationem ſpiritualem, ſicut ſignificat ablutio, ergo ablutio eſt materia proxima Baptiſmi. Ita communiter Doctores.

14 Ablutio quid ſit.

14 QVÆRES PRIMO, quid ſit ablutio, quam in propoſitione diximus eſſe materiam proximam Baptiſmi.

RESPONDEO, eſſe contactum ſucceſſiuum, quo aqua ſucceſſiuè contingit corpus: ex quo patet ad Baptiſmum non ſufficere quemlibet contactum, ſed requiri ſucceſſiuum. Ratio eſt, tum quia ad Baptiſmum requiritur talis ablutio, & contactus, quo dicatur homo ablutus, ſed homo non poteſt dici ablutus per nudum contactum ſed per contactum ſucceſſiuum: ergo ad Baptiſmum requiritur contactus ſucceſſiuus, quo aqua ſucceſſiue contingit corpus ope miniſtri: tum quia ſicut aqua in vaſe exiſtens non dicitur abluere vas, quod ab aqua contingitur: ita non dicitur abluere corpus per ſolum contactum, ſed per contactum ſucceſſiuum, quo aqua ſucceſſiuè applicatur corpori, aut corpus aquæ, ſiue ſit eadem aqua, ſiue ſit diuerſa. Ita Suarez *tom.3.diſput.20.ſect.2.verſic. Ego ſentio* [Comitolus *lib.1.q.12.* aſſerens Baptiſmum tenere, dum mulier moribundum infantem baptizauit, impreſſo crucis ſigno in fronte, digito aqua madefacto, hic enim adeſt contactus aquæ ſucceſſiuus.] Reginald. *loco cit.n.14.* Coninch. *q.66.art.4.dub.1.nu 25.* & *dub.2.n.29.* [Filliucius *tract.2.c.2.q.4.*] Scotus Pitigianus *loco citato art.2.* Chamerota *de Bapt.c.2.dub.6.* & alij communiter.

15 An per huiuſmodi ablutionem auferendæ ſint corporis ſordes.

15 Obſerua tamen, ad ablutionem, quæ fit in Baptiſmo, non requiri, vt ſordes corporis auferantur, & vt corporalis munditia inducatur: nam Sacramentum Baptiſmi non eſt inſtitutum ad auferendas ſordes corporis, ſed animæ. Ita Nugnus *qu.66. art.4.verſus finem.* Chamerota *de Baptiſmo cap.2.dub.2.* & alij DD. citati.

16 Quanam quantitas aquæ requiratur ad Baptiſmum

16 QVÆRES SECVNDO, quænam quantitas aquæ requiratur ad baptiſmum.

RESPONDEO requiri, & ſufficere illam quantitatem, quæ ſufficit ad abluendam corporis partem, qua abluta poſſit homo dici ablutus: cùm autem ad abluendam partem corporis ſufficiat parua quantitas aquę, cùm eadem quantitas ſucceſſiuè poſſit applicari, ſequitur paruam quantitatem aquæ ſufficere ad Baptiſmum. Ita S. Thom. *q.68.art.11.ad quartum.* Sotus *d 5.art.11.* Suarez *loco cit. verſ. Atque hinc.* Coninch. *loco citat.art.7.dub.2.* Nugnus *ibid.art.8.concl.2.* Henriq. *loco cit.cap.7.* Bartholomæus ab Angelo *de Baptiſmo nu.100.* Valentia *tom.4.diſp.q.1.puncto 2.verſic.Ex eius*, Reginaldus *loco cit.n. 14.* & 15. [Filliucius *numer.34.* Chamerota *tract.2.de Baptiſmo cap.2. dub.6.* & alij.

17 Quot modis poſſit ablui baptizandus.

17 Ex dictis colligi poteſt primò, validum eſſe Baptiſmum ſiue adminiſtretur immergendo corpus in aquam, ſicut Mediolani fieri conſueuit, ſiue infundendo, & applicando aquam corpori. Ratio eſt tum quia his omnibus modis homo poteſt ſufficienter denominari ablutus: tum quia Chriſtus in Baptiſmo inſtituit ablutionem non explicando eam fieri potius vno, quàm altero modo; ſufficit ergo illa actio, qua homo ſufficienter poſſit denominari ablutus, ſiue denominetur per immerſionem, ſiue per aſperſionem, ſiue per infuſionem. Ita communiter Doctores.

18 Adminiſtrans Baptiſmum ex officio an teneatur ſeruare Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem.

18 Obſerua tamen à miniſtro, qui ex officio miniſtrat Sacramentum Baptiſmi, ſeruandam eſſe conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ: nam vnuſquiſque tenetur ſe ritibus ſuæ Eccleſiæ Cathedralis accommodare. Ita Sot. *in 4.d.10.q.vnica.art.8.conc.3.* Tabiena *verb. Baptiſmus 5.n.1.* Reginald. *loco citato nu.19.* Nugnus *loco citato conc 7.* Coninch. *ibid.n.84.* Henriq *cap.7.nu.4.* Valentia *loco citat. verſic. ſecundò ſequitur*, & alij communiter. Immò S.Thom. *loc.citat.art.8.* & alij, contra Bartholomæum ab Angelo *de Sacramento Baptiſmi dialogo 2. §.92.* Sotum, & Valentiam *locis citatis*, putant baptizantem, non ſeruato ſuæ Eccleſiæ ritu, grauiter peccare, niſi iuſta de cauſa excuſetur. Quamobrem ſi baptizans adminiſtret Sacramentum Baptiſmi per infuſionem, vel per aſperſionem contra ritum ſuæ Eccleſiæ grauiter peccat: ſecus ſi hoc faciat quando nequit ſuſtentare baptizandum, aut ſi baptizandus ſit adultus, aut ſi mortis periculum immineat, tunc enim non peccat adminiſtrando Baptiſmum per infuſionem, aut per aſperſionem, cùm ipſum ad hoc faciendũ iuſta cauſa impellat, etiamſi in eo loco receptum ſit per conſuetudinem, vt Baptiſmus per immerſionem adminiſtretur. Ex quo etiã à ſimili ab

aliquibus Doctoribus infertur, eum grauiter peccare, qui in Ecclesia Latina prætermissa forma consueta, vtitur forma Græcorum, hic enim non seruat ritum suæ Ecclesiæ in re graui, iuxta Reginaldum *loc.cit.n.24.* Armillam *verb. Baptismus num.*10. & alios. Ex quo patet differentia inter eum, qui baptizat vulgari sermone, & inter eum, qui baptizat forma Græcorum: nam primus non videtur facere cõtra ritum Ecclesiæ, cùm Baptismus in Ecclesia Latina aliquando administretur vulgari idiomate, secundus verò facit contra ritum Ecclesiæ. Ita Victoria *de Sacramentis, q.*18.

19 An ad Baptismum duæ, vel tres guttæ aquæ sufficiant.

19 Secundò, non esse validum Baptismum, quando quis vna, vel duabus, vel tribus aquæ guttis aspergitur, præsertim si guttæ persistant, & non fluant per corpus. Ratio est, quia ad Baptismum requiritur contactus successiuus, & tanta quantitas aquæ, qua possit homo denominari ablutus. Ita Valentia *loco citat. versic. Itaque sequitur*, Viualdus *de Baptismo cap.2.num.4.* Posseuinus *de Baptismo n.7.* & alij Doctores citati contra Vasquez *disp.145.n.32. versic. Ego verò existimarem sufficere guttam aquæ.*

20 Quænam pars corporis abluēda sit.

20 Tertiò colligitur, ad validitatem Baptismi illam corporis partem abluendam esse, qua abluta verum sit dicere hominem ablutum. Ita Chamerota *tract.2.de Baptismo cap.2.dub.6.* Viualdus, & alij.

21 An valeat Baptismus si aqua vestes tantũmodo attingat.

21 Ex quo fit, vt non sit validus Baptismus, si aqua contingat tantummodo vestes, aut pileum, aut aliquid aliud extra carnes: vt si aliquis corio, vel vtre contectus immergatur, [tunc enim non potest dici propriè loquendo ablutus, sed solùm metaphoricè.] Si verò baptizandus sit coopertus aliquo panno lineo, ita vt aqua attingat carnes, validus est Baptismus, quia dici potest ablutus. Idem dicendum est, si baptizetur infans natus cum pelle porosa, ita vt aqua penetret, & perueniat ad carnes infantis. Ita Syluester *verb. Baptismus 4 num.2.* Bartholomæus ab Angelo *de Baptismo §.102.* Viualdus *loc.cit n.6.* Sotus *loco citato q.vnica, art.7. ad finem*, Summa Corona *de immersione Baptismi*, [Filliucius *tract.2.c.2.qu.5.*] Suarez, Valentia, Reginaldus, Henriquez, & alij *loc. cit.*

22 An valeat, si aqua solos attingat capillos.

22 Quartò, non esse validum Baptismum, si aqua solos capillos attingat, nam capilli non sunt pars hominis, sed sunt quædam superfluitas, & excrementum carens anima rationali, consequenter capillis aqua dilutis, & aspersis non potest homo dici ablutus. Ita fere communiter Doctores contra Sotum *in 4 dist.3.q.vnica, artic.7. versic. Et quid.* Toletum *lib.2.c.18. nu.*10. Henriquez *c.7.nu.2.* Vasquez *disp.145.n.31.* Coninchum *q.66.art.7.dub.2.n.78.* & Valentiam *tom. 4.disp.4.qu.5.de Baptismo punct.2.vers. sextò sequitur*, Bartholomæum ab Angelo *de Sacramento Baptismi dialogo 2. §.101.* Graffium *2. parte lib.1.c.4.n.29.* Posseuinum *de Baptismo n.6. vers. Communiter Baptismus*, [Filliucium *tract.2.c.2.qu.6.* Molfesium *tract.4.c.1.n.76.* & alios quorum sententiam probabilem putat P. Ledes. *de Sacram. Baptismi, c.318. vers. tiene dificultad.*

23 An valeat Baptismus si caput tãtũ abluatur

23 Quintò, colligitur validum esse Baptismum, si caput abluatur, hoc enim est præcipuum hominis membrum, quo abluto dicitur homo ablutus, & hic videtur communis vsus Ecclesiæ. Ita S. Thom. *in 4 sent. dist.3.q.1.art.4.q.1.ad 2. & in 3.part.q.66 art.7.ad 3.* S. Ant. *3.p.tit.14.c.13.n.1.* Angelus *v. Baptismus 4.n.2.* Bartholomæus ab Angelo *de Sacramento Baptismi dialogo 2. §.96.* Rodriquez *in summa c. 25. de Baptismo conc.2.* Viualdus *c.5.n.16.*

Ex quo patet, non esse rebaptizandum infantem, postquam totus è ventre exiit, si antequam totus exiret, baptizatus fuit in capite. Ita S. Thom. Sotus, Vasquez, Coninchus, & alij DD. cit.

24 An sit rebaptizandus, si solus pes, aut digitus fuerit ablutus.

24 Ex opposito, si solus pes, aut digitus abluatur, non videtur validus Baptismus, cùm per huiusmodi partis ablutionem non videatur homo sufficienter denominari ablutus, quamquam in necessitate Baptismus administrandus est in qualibet parte, etiam in solo digito, si nequeat in capite baptizari; transacta tamen necessitate rebaptizandus erit sub conditione si dubitetur partem ablutam sufficere, vt homo dicatur ablutus. Ita S. Thom. *in 4. sent. dist.6.q.1.art.1.* Angelus *v. Baptism. 6. num.3.* Armilla *v. Baptism. num.27.* S. Antoninus *3.part.tit.14.c.13.n.1.* Sotus *in 4. disp.5.q.vnica art.11.* Tabien. *Baptis. 5. num.5.* Syluester *v. Baptism.4 qu.2.* Bartholom. ab Angelo *loc.citat. §.97. & §.20.* Toletus *lib.2.cap.18.n.8.* Rodriqu. *loc.citat.* Victoria *de Sacramentis qu.31.* Graffius *loc.cit.num.26.* Viuald. *de Baptismo cap. 5. num.16.* vbi pro contraria sententia multos citat DD. Nugn *art. 8. & 9.* Coninch, *num.80.* Valentia *loc.cit. vers. Quartò sequitur*, & alij *locis citatis* contra Vasq. *loc.citat. num.28.* & Henriquez *loco citato* asserentes simpliciter, & absolutè validum esse Baptismum abluta quacunque parte. Ratio ipsorum est, tum quia sicut homo dicitur vulneratus, in quacunque parte vulneretur, ita etiam dicitur ablutus, in quacunque parte abluatur; tum quia anima rationalis est in qualibet parte, ergo abluta quacunque parte corporis, effectus Baptismi sufficienter in anima recipi potest. Verùm istæ rationes non obstant, quia licet anima sit in qualibet parte corporis: nihilominus verum non est, abluta qualibet corporis parte hominem denominari ablutum, iuxta communem loquendi modum, quamuis dicatur vulneratus, in quacunque parte vulneretur.

25 An infans in vtero matris existens baptizari possit.

25 Sextò, non posse baptizari infantem in vtero matris existentem, consequenter baptizatum in vtero matris non posse in cœmeterio sepeliri, quia re vera non est baptizatus, cùm non sit ablutus; quamquam non desunt, qui dicant infantem in matris vtero existentem, quando periculum est ne prodeat in lucem, baptizandum esse eo modo, quo baptizari potest. Sed hoc potius piè dicitur, quàm sufficienti ratione comprobetur, nisi fortè aqua sic immitti possit, vt perueniat ad infantem, vt ait Valentia *loco citato puncto 2. versic. tertiò sequitur.* Reginald. *loco citat. num.16.* S. Thom. *3.part.q.68. art.11.* Vasquez & Pesantius *ibidem.* Bartholomæus ab Angelo *de Baptismo §.10.* Philiarchus *2.p.lib.1.cap.8.* Toletus *loco citato num.10.* & alij. [contra Comitolum *lib.1.q.13.* Filliucium *tract.2.cap.2.qu.6.n.33.*]

26 An infans ad fontem delatus, cẽ seaturbaptizatus, si ante ablutionem moriatur.

26 Septimò, non censeri baptizatum infantem, qui defertur ad sacrum fontem, sed ante ablutionem, vel antequam finiatur verborum forma, è vita decedit; hic enim nondum est ablutus, consequẽter non censetur baptizatus: cùm ad Baptismum requiratur debita forma, & ablutio. Ita communiter Doctores contra Syluestrum *loc. cit.* Bartholomæum ab Angelo *§.110.* & alios.

27 An remaneat baptizatus infãs qui à proferente formã in flumen proijcitur.

27 Octauò, validum esse Baptismum, quando infans incipit mori & quia non adest aqua, quâ possit baptizari, proiicitur in flumen, aut in puteum à ministro proferente formam Baptismi. Quamuis enim hoc non sit faciendum, cùm non sint facienda mala, vt eueniant bona, & quisque debeat prius consulere animæ suæ, quàm alienæ, nihilominus, si fiat, tenet Baptismus. Ratio est, quia adsunt omnia requisita ad Baptismum. adest enim materia, id est, aqua, adest contactus sufficiens, id est, ablutio, adest forma, quam suppono proferri antequam infans moriatur: adest etiam intentio baptizandi, vt suppono. Tum quia quamuis sequatur submersio, & mors infantis, nihilominus infans potest verè dici ablutus, tum quia Baptismus non ordinatur ad vitam corporis, sed ad vitam animæ; ergo quamuis sequatur mors corporis, nihilominus saluari potest vita animæ. Ita Suarez *disp.20. sect.3. versic. Quapropter*, Valentia *tom.4. disp.4.q.1. puncto 2. versic. septimò sequitur.* Reginaldus *loc. cit. num.21. & 22.* Petrus Ledesma *de Sacramento Baptismi cap.3. versic. A esta.* Vasquez *disp.145.c.3.num.19. versic. Mihi verò* [Filliucius *tract. 2.cap,2.q 8.*] Coninchus *q.66.art.7.dubio 1.num.68.* Nugnus *ibidem art.8.concl.4. & 5.* Panormitanus *in c. non vt, de Baptismo*, & alij. Cõtra Tabienã verbo *Baptismus 5.n.7.* Syluestrum *verbo Baptismus 4.nu. 8.* Sotum *in 4. distinct.3.q.vnica, art.8.* Henriquez *c.7.nu.3.* Summam Coronam, Armillam *verbo Baptismus numer.29.* S. Antoninum *3.p tit. 14.c.13.* Angelum *Baptismus 4.nu.1.* Bartholomæum ab Angelo *dialogo 2. de Sacramento Baptismi §.88.* Chamerotam *tract.2. de Baptismo cap.2.dub.7.* Viualdum *in Candelabro aureo de Baptismo cap. 5. numer.6.* Toletum *loco citato numer.9.* Pitigianum *disti. 3. quæst. 3. art.6.*

OBIICIES, Baptismus significat mortem, & Resurrectionem Christi, sed quando infans submergitur, non significat resurrectionem Christi; ergo Baptismus non est validus, quando administratur cum submersione infantis.

RESPONDEO, Baptismum etiam tunc significare Christi resurrectionem per spiritualem regenerationem quam baptizatus recipit. [Alij respondent, de essentia Baptismi non esse, vt repræsentet Christi resurrectionem; sed Baptismo repræsentari sepulturam Christi, iuxta illud ad Rom.6. *Consepulti enim sumus Christo per Baptismum.*]

28 An validus sit Baptismus, si infans sune in flumen mittatur.

28 Nonò colligitur, validum esse Baptismum, si infans sune mittatur in flumen, & viuus extrahatur, potest enim denominari ablutus. Ita DD. citati, si verò ego videam puerum labentem, aut ab alio proiectum in flumen, & proferam verba Baptismi, Ego te baptizo, &c. Baptismus non est validus, quia verba non verificantur, cum infans dici non possit à me ablutus. Ita Victoria *loco citato.*

29 An valeat Baptismus, quando infans aquæ è tecto defluenti submittitur.

29 Decimò, validum videri Baptismum, quando quis aquæ defluenti è tecto, aut ex alio loco submittit infantem abluendum: infans enim denominatur ablutus à submittente, sicut dicitur ablutus quando proiicitur in flumen. Secus dicendum videtur, quando quis tenet puerum altero aquam diffundente, nam hic puer non denominatur ablutus ab eo, qui eum tenet, sed potiùs ab eo, qui aquam diffundit, & proiicit super puerum baptizandum, vt clarius constabit ex dicendis in sequenti puncto.

30 An finita qualibet ablutione perficiatur Sacramentum.

30 QVÆRES TERTIO, vtrùm finita qualibet ablutione perficiatur Sacramentum.

RESPONDEO, Sacramentum perfici per quamlibet ablutionem, modò sufficienter prolata sint verba, & corpus possit dici ablutum: propterea, quando triplex mersio adhibetur, Baptismus statim post primam ablutionem suum sortitur effectum, antequam triplex mersio adueniat, modò post primam mersionem forma Baptismi sufficienter prolata sit. Ratio est, quia adsunt omnia requisita ad Baptismum, cùm adsit debita forma, ablutio, & intentio ministri, vt supponimus. Ita Caietan. *q.66.art.3.* Pesantius *ibid.* S. Thom. *loc. cit.art.8.* Coninchus *ibid.n.84.* Nugnus *ibid.concl.1. & 6.* Vasquez *ibid. c.2.* Sotus *in 4. dist.2. & 3.q.vnica art.8.* Reginaldus *loc.cit.n.20.* Henriquez *loc.cit.cap.7.num.4.* Valentia *loc.cit. versic. Et observandum est.* Suarez *loc. cit.* Bartholomæus ab Angelo *de Baptismo §.94.* Petrus Ledesma *loco citato c.3. versic. Tercera concl.* Posseuinus, qui pro se citat multos Doctores, *de Baptismo c.6.num.11.* [Filliucius *num.34.*] & alij communiter.

31 An valeat Baptismus si puer, aut Sacerdos moriatur post primã mersionem.

31 Ex quo sequitur, validum esse Baptismum, si puer, aut Sacerdos moriatur post primam mersionem prolatis verbis. Immo si minister intendat perficere Baptismum in tertia mersione, validum est Sacramentum posita prima mersione, & prolatis verbis. Ratio est, quia minister non potest sua intentione suspendere effectum, & perfectionem Sacramenti, modò veram habeat intentionem conficiendi Sacramentum: vt si intendat facere quod Christus instituit, aut quod Ecclesia intẽdit, aut quod potest; cùm enim posita huiusmodi intentione possit baptizare per vnicam ablutionem, & Ecclesia non intendat trinam mersionem tanquam essentialem, sequitur validum esse Baptismum posita prima mersione, & prolatis verbis. Secus dicendum est, si minister habeat directam intentionem non conficiendi Sacramentum, nisi perfecta trina mersione, tunc enim Sacramentum non est validum ante tertiam mersionem, non defectu formæ, cùm iam prolata sint verba formæ, neque defectu materiæ, cùm vna mersio per se sufficiat, vt aliquis dicatur ablutus, sed defectu intentionis ministri, qui expressè intendit non conficere Baptismum, nisi in tertia mersione, Sacramentum enim Baptismi non solum perficitur materia, & forma, verùm etiam intentione ministri; minister autem in proposito casu non habet intentionem conficiendi Sacramentum, nisi in tertia mersione. Ita Doctores citati.

Neque contra dicta obstat auctoritas Patrum, qui videntur asserere necessariam esse trinam mersionem, nam explicandi sunt non de necessitate Sacramenti, quasi Sacramentum non possit esse validum sine trina mersione, sed de necessitate solemnitatis, & præcepti, vt habetur *canone 9. Apostolorum, & cap. multi sunt, de Consecratione distinct.4.*

PVN-

PVNCTVM IV.

De forma Sacramenti Baptismi.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Forma Sacramenti Baptismi quænam sit.*

1 FOrma Sacramenti Baptismi sunt hæc verba: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt constat tum ex *Matthæi* 28. vbi dicitur, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Tum ex Concilio Florentino *in instructione Armenorum*, & ex Alexandro III. *cap.* 1. *de Baptismo*; tum ex communi vsu Ecclesiæ. Ita Valentia *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 1. *puncto* 3. *in principio*, Suarez *tom.* 3. *in* 3 *part. disput.* 21. *sect.* 1 Bellarminus *lib.* 2. *de Baptismo cap.* 3. & 6. S. Thom. q. 66. *artic.* 5. Coninchus, & Nugnus *ibid.* Henriquez *lib.* 2. *cap.* 8 *nu.* 1. Reginaldus *lib.* 27. *cap.* 4. *nu.* 23. Sayrus *lib.* 1. *c.* 4. *art.* 3. Nauarr. *c.* 22. *nu.* 2. Armilla *v. Baptismus n* 4. & 7. S. Anton. 3. *p. tit.* 14 *cap.* 13. *num.* 2. Sylvest. *v. Baptismus* 1. *num.* 3. Angelus *v. Baptismus* 2. *n.* 1. Tabien. *Baptismus* 3. *nu.* 1. 2. & 7. Barthol. ab Angelo *de Baptismo §.* 103. Victoria *de Baptismo concl.* 13. Graffius 2. *part. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 19. Angles *de Baptismo q.* 1. *art.* 3. *diffic.* 2. Viualdus *de Baptismo c.* 3. *n* 8 & 9.

Circa prædictam propositionem nonnulla sunt aduertenda quæ colliguntur ex allata propositione.

2 *An exprimenda sit persona, quæ baptizatur.*

2 Primò, in forma Baptismi exprimendam esse personam, quæ baptizatur, siue dicatur, baptizo te, siue, baptizo hunc, siue, baptizo Caium, siue, tu baptizaris à me, &c. ita ex *cap* 1. *de Baptismo*, & ex Concilio Florentino colligit Suarez *disput.* 21. *sect.* 2. *concl.* 3. Toletus *lib.* 2. *cap.* 19. *n* 5. Franciscus Pitigianus *dist.* 3. *q.* 2. *art.* 4. *concl.* 1. Graffius *loco citato n.* 20. Bellarminus *loco citat.* Chamerota *de Baptismo c.* 3. *dub.* 3. Victoria *loco citato* Reginaldus *loc. cit. n.* 35. Rodriquez *de Baptismo c.* 25. *n.* 1. & alij Doctores citati. Præterea colligitur ex verbis Matthæi, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. ex quibus verbis constat, in forma Baptismi, non potius adhiberi posse particulam te, quàm hic, vel hunc, &c.

3 *An exprimenda sit persona baptizans.*

3 Sed modò dubium est, vtrùm exprimenda sit persona baptizans, sicut diximus exprimendam esse personam quæ baptizatur.

RESPONDEO non esse necessarium directè exprimere personam ministri, nam Baptismus forma Græcorum consueta administratus, validus est, vt patet ex Florentino *loco citato*, sed in forma Græcorum consueta non exprimitur directè persona ministri baptizantis cùm hæc sit forma Græcorum, Baptizetur seruus Christi, &c. ergo non est necesse directè exprimere personam ministri. Græci autem ideo vtuntur hac forma, ne vllus putaret Baptismum conferri, & administrari in nomine, & virtute ipsius administrantis. Ita Suarez *sect.* 1. *vers. finem*, Coninchus *loc. citat. numer.* 45. Nugnus *loc. citat. difficultat.* 1. Reginald. *loc. citat. numer.* 24. Rodriqu. *loc. cit.* Bellarm. *loc. cit. cap.* 6. Valentia *loc. citat. punct.* 3. *vers. præterea etiam*, Sylvester *Baptismus* 1. *n.* 12. Victoria *de Sacramento Baptismi conc.* 17. Franciscus Pitigianus *loc. cit. conc.* 2. Graffius 2. *part. lib.* 1. *c.* 3. *num.* 23. Chamerota cum Soto, *de Baptismo cap.* 3. *dub.* 2. [Filliucius *tract.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 1. & 3.] & alij apud Henriqu. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 3. *in commentario littera S.* quamuis contrarium sentire videatur Vasquez *loco citato c.* 5.

4 *An exprimenda sit actio, quæ circa baptizatum exercetur.*

4 Secundò, exprimendam esse actionem quæ exercetur circa eum, qui baptizatur; siue exprimatur per verbum *baptizo*, siue per verbum *abluo*, siue per verbum *mergo*, &c. Ratio est: tum quia forma Baptismi hæc est: Ego te baptizo, &c. Per verbum autem *baptizo* indicatur actio baptizantis; tum quia Baptismus est Sacramentum consistens in vsu, in Sacramentis autem consistentibus in vsu exprimitur actio. Ita Bartholomæus ab Angelo *§.* 117. Toletus *loc. citat. num.* 7. Graffius *loc. cit. num.* 21. Viualdus *de baptismo cap.* 3. *num.* 10. Chamerota *loc. cit.* Vasquez. 3. *part. disp.* 142. *c.* 2. *n.* 10. [Illicius *n.* 50.] & alij DD. citati.

5 *An exprimenda sit vnitas diuinæ essentiæ.*

5 Tertiò, exprimendam esse vnitatem diuinæ essentiæ; nam in forma Baptismi dicitur, in nomine, quod verbum ostendit vnitatem essentiæ, vt inquit S. Ambrosius *lib.* 1. *de Spiritu sancto*, Theodoretus, & alij Patres. Quamobrem, si quis baptizando dicat, Ego te baptizo in nominibus Patris, &c. aut etiam si dicat, te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus sancti, inualidè baptizat vt multi Doctores testantur apud Suarez *loco citato sectione* 3 *concl.* 2. apud Sayrum *loc. citat.* & apud Reginaldum *loco citato num.* 3. & apud Franciscum Pitigianum *dist.* 3. *quæst.* 1. *artic.* 6. *columna* 3. apud Graffium *loc. citat. num.* 26. & apud Viualdum *de Baptismo cap.* 3. *num.* 12. contra Henriquez *c.* 8. *n.* 2. & contra Coninchum *loco citato num.* 58. contra Bartholomæum ab Angelo *de Baptismo §.* 117. contra Viualdum ex parte *loco citato* & Chamerotam *loco citato dub.* 6. nam dicendo, in nomine Patris, in nomine Filij, &c. non ostenditur vnitas diuinæ essentiæ. Si verò loco illius verbi, in nomine, dicatur, in virtute, dubium est, an sit validus Baptismus, cùm virtus non tot comprehendat, quot nomen, nomen enim significat virtutem, & inuocationem, consequenter dicere, in nomine Patris, & Filij, &c. idè est ac dicere, in virtute, & inuocatione Patris, & Filij, &c. Ita Henriq. *loc. cit. n.* 2. Barthol. ab Angelo *de Sacramento Baptismi. §.* 126. Pitigianus *loc. cit. vers. si quis.* Coninchus *n.* 58. Toletus *loco citato n.* 7. & alij communiter.

Rursus, si loco particulæ, in nomine, dicatur, baptizo te cum Patre, cum Filio, & cum Spiritu sancto, aut in verbo Patris, Filij, &c. inualidus est Baptismus, quia non exprimitur vnitas diuinæ essentiæ. Ita Coninchus *locis citatis num.* 60. referens Comitolum *lib.* 1. *responsionum moralium quæst.* 10. [Filliucius *tract.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 10.] Item si dicatur, baptizo te in nomine Patris maioris, & Filij minoris, & Spiritus sancti, inualidus est Baptismus, quia per huiusmodi verba indicatur inæqualitas inter diuinas personas, consequenter adest mutatio substantialis in verbis formæ, vt ex Hostiensi, Argentina, Toleto *loco citato, n.* 6. & aliis obseruat Sayrus *loco citato art.* 3.

9 *An exprimendæ sint tres personæ Sanctissimæ Trinitatis.*

6 Quartò exprimendas esse tres personas sanctissimæ Trinitatis, vt patet ex illis verbis, *baptizantes eos in nomine Patris, et Filij, et Spiritus sancti*: in nomine, id est, nominando: Ita Concilium Florentinum *loco citato*, S. Chrysostomus *homilia* 16. *ad Romanos* Damasc. Athanasius, S. Thom. 3. *part. qu.* 66. *artic.* 5. Pesantius *ibidem*. Vasquez *ibid. art.* 6. *c.* 2. Bartholomæus ab Angelo *de Baptismo §.* 114. Angelus *verbo Baptismus* 2. *num.* 2. & 6. Armilla *v. Baptismus num.* 6. Sylvester *Baptismus* 1. *n.* 3. & 5. Tabiena *Baptismus* 3. *nu.* 5. Bellarminus *de Baptismo c.* 3. [Suarez *disp.* 21. *sect.* 3. Filliucius *tract.* 2. *c.* 3. *qu.* 6.] & alij apud præcitatos Doctores.

3 *An valeat Baptismus in nomine Christi collatus?*

7 Ex quo patet eum inualidè baptizare, qui vtitur hac forma: Ego te baptizo in nomine Christi, aut qui dicit, in nomine trium personarum, aut in nomine Sanctissimæ Trinitatis. Ita Henriquez *lib.* 2. *c.* 8. *n.* 1. & *c.* 11. *n.* 1. Suarez *loco citato sect.* 3. *concl.* 1. & *sect.* 4. *versic. In hac re*, Victoria *de Baptismo conc.* 16. Valentia *loco citato punct.* 3. *versic. In hac re*, Coninchus *loco citato n* 52. Nugnus, & Sayrus *locis citatis*, Reginald. *n.* 28. & 30. Toletus *lib.* 2. *c.* 19. *n.* 7. Chamerota *de Baptismo c.* 3. *dubio* 7. Vasquez *disp.* 143. *c.* 3. vbi plures alios Doctores refert. [Filliucius *loco citato q.* 8.] Ratio est, quia non exprimit tres personas Trinitatis, quarum explicita expressio necessaria est ad valorè baptismi, & non sufficit implicita.

4 *An valeat Baptismus collatus in nomine Dei vel sanctæ Crucis.*

8 Ex quo patet à fortiori, illum inualidè baptizare, qui dicit, Ego te baptizo in nomine Dei, vel sanctæ Crucis, hic enim non exprimit personas sanctissimæ Trinitatis, & forma videtur substantialiter mutari, quoties implicitè tantùm, vel confusè exprimitur sanctissima Trinitas. Ratio autem, cur Deus voluerit sanctissimam Trinitatem in collatione Baptismi distinctè exprimi, est, tum ad indicandam causam principalem Baptismi, quæ est sanctissima Trinitas vt inquit S. Thom. *quæst.* 66. *art.* 5. Suarez Reginaldus, & alij *locis citatis*, tum quia cùm Baptismus sit Sacramentum fidei, vt inquit Tridentinum *sess* 6. Deus voluit Baptismum administrari cum professione, & confessione obiecti principalis fidei, quod est sanctissima Trinitas. Ita Henriquez *lib.* 2. *c.* 8. *nu.* 1. Bartholomæus ab Angelo *§.* 120. & alij.

OBIICIES primò, *cap. à quodam Iudæo, de Consecratione dist.* 4. petitum fuit à Nicolao I. quid agendum esset de iis, qui baptizantur à Pagano. Respondit Pontifex, non esse rebaptizandos, si baptizati sunt in nomine sanctissimæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi. Verba Pontificis sunt ista: *Hi profectò, si in nomine sanctissimæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt (vnum quippe, id emque est, vt Sanctus exponit Ambrosius) constat eos non esse denuo rebaptizandos*; ergo validus est Baptismus collatus in nomine Trinitatis, aut in nomine Christi tantùm, non facta expressione distincta personarum sanctissimæ Trinitatis.

RESPONDEO ex responsione Nicolai I. nihil contra nos colligi, ipsius enim textus sic explicandus est, baptizatos à Pagano non esse rebaptizandos, si baptizati sint in nomine Trinitatis, expressè sc. nomine Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus sancti, aut tantum in nomine Christi, videlicet loco Filij, expresso Christi nomine, sic dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, & Christi, & Spiritus sancti. Ista nostra expositio confirmatur ex illis verbis, vt S. Ambrosius exponit, ex quibus patet Nicolaum I. ita esse intelligendum, sicut intelligitur S. Ambrosius: S. autem Ambrosius nunquam dixit valere Baptismum in nomine Trinitatis, non expressis personis, seu nominibus Trinitatis, aut tantùm in nomine Christi; sed sæpius in libro de sanctis Sacramentis dixit, hanc esse formam: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Alij aliter explicant responsionem Nicolai, nam aliqui putant Papam, vt priuatum Doctorem errasse in eo, in quo directè non rogabatur: rogabatur enim, vtrùm valeret Baptismus collatus ab infideli, & bene definiuit valere: non rogabatur autem de forma, & in hoc errauit vt priuatus Doctor, dicendo valere Baptismum collatum in nomine Trinitatis, vel Christi tantùm. Ita Vega in Tridentinum *cap.* 3. Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vnica, art.* 6. *ad finem*. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 2. Coninchus *loco citato num.* 53. & alij. Alij verò apud Valentiam *locò citato punct.* 3. textum Nicolai explicant hoc modo, baptizatos à Pagano sub nomine Trinitatis, vel Christi tantùm, non esse rebaptizandos absolutè, sed sub conditione. Sed prima responsio mihi magis probatur, quam sequitur etiam Suarez *loco citato num.* 3. Henriquez *loco citato n.* 3. Viualdus ex parte *cap.* 3. *n.* 14. *de Baptismo*, & alij.

OBIICIES secundò, ab Apostolis administratus fuit Baptismus in nomine Iesu Christi, vt habetur in multis locis Actuum Apostolorum; ergo validus est Baptismus administratus in nomine Christi, præsertim cùm expresso nomine Christi, implicitè etiam exprimatur sanctissima Trinitas.

RESPONDEO primò, probabile esse initio nascentis Ecclesiæ administratum fuisse Baptismum in nomine Christi, saltem ante Passionem, aut Ascensionem Christi, vt ostendit Nugnus *qu.* 66. *art.* 6. *difficultate* 2. Franciscus Pitigianus *dist.* 3. *qu.* 2. *art.* 10. *concl.* 1. Hoc tamen factum fuit ex dispensatione Christi ad tempus concessa, sed nobis nunquam permissa, eo quòd cessauerit causa baptizandi hoc modo, nam concessa fuerat facultas administrandi Baptismum in nomine Christi, vt nomen Christi, quod inuisum, & odiosum erat Iudæis, redderetur amabile fidelibus, vt tradit S. Thom. *loco citato articul.* 6. *ad primum*. Bartholomæus ab Angelo *de Baptismo §.* 120. Tabiena *v. Baptismus* 3. *numer.* 5. Sylvester *Baptismus* 1 *numer.* 4. Armilla *v. Baptismus numer.* 6. Nugnus *ibidem*, Vasquez *ibid. cap.* 2. Victoria *de Sacramento Baptismi concluf.* 15. & alij apud Henriquez *lib.* 2. *cap.* 10. *numer.* 1.

RESPONDEO secundò, probabilius videri nunquam administratum fuisse Baptismum in nomine Christi tantum. Ita Suarez *disp.* 21. *sect.* 2. *vers. ad decretum* Henriquez *loco citato cap.* 10. Bellarminus *cap.* 3. Coninchus *loco citato n.* 62. & alij. Quare quando in Actis Apostolorum dicitur, Baptismum administratum fuisse in nomine Christi, indicatur primò Baptismum administratum fuisse, in merito, in fide, & in virtute Christi: secundò in forma Baptismi positum fuisse nomen Iesu Christi loco illius particulæ, filij, dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus sancti. Positum autem fuit nomen Iesu Christi loco filij, vt nomen Christi redderetur amabilius apud Iudæos, quibus odiosum erat. Ita Basilius, Hilarius, & alij, quos refert Bellarm. & Suarez *loco citato* Angles *q.* 1. *art.* 4. *conc* 3. [Filliucius *tract.* 2 *c.* 3. *q.* 8 *n* 57.]

9 *An Baptismus administratus cū verborum mutatione valeat.*

9 QVÆRES PRIMO, vtrùm Baptismus sit validus quando administratur cum aliqua verborum mutatione.

RESPONDEO inualidum esse, quando contingit substantialis mutatio in verbis, vt si assumantur verba importantia sensum distinctum à sensu, qui continetur sub verbis formæ: si verò mutatio sit tantummodò accidentalis, Baptismus validus est, vt patet ex regulis generalibus suprà traditis de Sacramentis in genere [*disp. 1. q. 2. punct. 1.*] Ita Toletus *lib. 2. c. 19. n. 4.* Franciscus Pitigianus *dist. 3. q. 2. art. 12. & 13.* & alij DD. statim citandi.

10 *An validè baptizet, qui forma Græcorum vtitur.*

10 Hinc sequitur primò, illum validè baptizare, qui vtitur forma Græcorum, dicendo, baptizetur seruus Christi, in nomine Patris, &c. aut dicendo, baptizaris tu, vel baptizatur iste, vel baptizetur hic. Secus si dicatur, baptiza Petrum. Ita Suar. *disp. 21. sect. 2. conc. 1. vers. Rursus inquiri potest.* Vbi ostendit, non esse de necessitate formæ, vt actus baptizandi exprimatur per verbum actiuum, aut passiuū, vel per modum indicatiui, sed sufficere quouis modo exprimatur, modò tali modo adhibeatur, quo significetur actus exercitus baptizandi. Verum tamen est, eum grauiter peccare, qui vtitur alio modo, quam consueto, quia non seruat ritum Ecclesiæ in re graui. Ita innuit Suarez *loco citato* & expressiùs Reginald. *loc. cit. num. 26.* Henriq. *c. 8. n. 3. & 4.* Barth. ab Angelo *§. 105.* Tolet. *loc. cit. n. 7.* Viualdus *de Baptismo c. 2. n. 9.* Francisc. Pitigianus *dist. 3. qu. 2. art. 3.* Graffius *2. p. l. 1. c. 3. n. 26.* Coninch. *loco citato artic. 6. dubio vnico. n. 46* Nugnus *q. 66. art. 5. diffic. 2.* Valentia *loc. cit. vers. quinimmo.* [Filliuc. *tract. 2. c. 3. q. 3.*] & alij puncto antecedenti prælegati.

11 *An validè baptizet quis omissa particula, ego.*

11 Secundò, eum validè baptizare, qui omittit particulam, Ego, aut qui loco illius particulæ, ego, dicit, nos, quando particula, nos, idem significat, quod ego: aut qui baptizando Principem dicit, Ego vos baptizo, nam per huiusmodi omissionem, & permutationem nō variatur sensus formæ substantialis, vt bene tradit Bellarminus *ca. 3. de Baptismo.* Reginaldus *num. 24. & 25.* Suarez Bartholomæus ab Angelo *§. 117.* Victoria *in summa de Baptismo concl. 17.* Viualdus ex parte *c. 3. n. 6 & 10.* & alij.

12 *An valeat Baptismus collatus in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati.*

12 Tertiò sequitur, eum inualidè baptizare, qui dicit, Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati. Ratio est, quia Christus videtur instituisse, vt Baptismus sub his nominibus relatiuis, Patris, Filij, & Spiritussancti administretur. Ita S. Thom. *qu. 66. art. 5.* Philiarcus *2. part. lib. 1. cap. 7.* Toletus *lib. 2. cap. 19. num 7.* & alij apud Suarez *loco citato sect. 4.* apud Henriquez *loco citato cap. 9. ad finem,* apud Bartholomæum ab Angelo *de Baptismo §. 117.* Idem tenent Scotus, Sotus, & Ledesma apud Rodriquez *in Summa cap. 25. de Baptismo num. 1.* Angles *quæst. 1. artic. 3. difficultate 5.* Posseuinus *de Baptismo cap. 6. num. 18.* Nugnus *quæst. 66. artic. 5. difficultate 6.* Chamerota *tract. 2. de Baptismo cap. 3. dubio 8.* [Filliucius *tract. 2. cap. 3. q. 9.*]

Aliqui tamen Doctores putant, validè baptizare, quia hæc verba videntur synonyma, saltem quoad principalem significationem, cùm nomen Genitoris à multis adhibeatur ad significandum Patrē, nomen Geniti ad significandum Filium, & nomen Spirati ad significandum Spiritum sanctum. Cùm autem verba synonyma non faciant mutationem substantialem, sequitur non efficere Baptismum inualidum, consequenter validum videri Baptismum administratum sub nomine Genitoris, Geniti, & Spirati. Hanc sententiam sequitur Caiet. & alij apud Suarez *loco citato* quæ sententia licet speculatiuè loquendo probabilis sit, nihilominus sententia S. Thom. & aliorum tutior est, & omnino in praxi suadenda, ne baptizandus periculo damnationis exponatur per mutationem formæ, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere, vbi ostendimus, eum grauiter peccare, qui in administratione Sacramentorum vtitur forma, de qua dubitatur inter Doctores, an sit sufficiens, & præter Doctores ibi citatos, idem tenet Suarez *loco cit. sect. 4. ad fin.* Coninchus *loc. cit. n. 56.* Vasquez *disp. 144. c. 3.* & alij, quos magno numero refert Sayrus *lib. 1. de Sacramentis. cap. 4. artic. 2. versic. sic etiam.* Viualdus *de Baptismo num 18.* [Molfesius *tract 4 c. 1. n. 46*] & alij.

13 *An teneat Baptismus, si loco Filij, dicatur, Verbi.*

13 Quartò, validum esse Baptismum, si loco filij dicatur, Verbi, dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, & Verbi, &c.] Ita Caietan. & alij contra Filliucium *tract. 2. c. 3. q 9.*]

Rursus validum esse Baptismum, si dicatur, Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij vnigeniti, & Spiritus sancti paracliti.

14 *An teneat si quis dicat: Intendo te baptizare.*

14 Quintò, inualidum esse Baptismum, si dicatur, intendo te baptizare. Ratio est, quia mutatur sensus formæ substantialis: aliud enim est actum baptizandi exercere, aliud proponere tantùm, seu intendere actum. Ita Sayrus *loco citato art. 4.* & alij cōmuniter.

15 *An teneat si verba transportentur.*

15 Sextò, validum esse Baptismum si dicatur, in nomine Patris te baptizo, & Filij, & Spiritus sancti, aut si dicatur, te baptizo in nomine Filij, Patris, & Spiritus sancti, adhuc enim remanet sensus formæ. Ita Bartholomæus ab Angelo *de Baptismo §. 121.* Toletus *loco citato num. 8.* [Idem valet si dicatur: Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filij, ego te baptizo in nomine Spiritus sancti, modò huiusmodi verba morali continuatione proferantur. Ratio est, quia sensus formæ substantialiter non mutatur, sed clarius exprimitur, cùm illa verba: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti implicitè contineant hanc triplicem propositionem. Ita Comitolus *lib. 1. q 8.* Filliucius *tract. 2. c. 3. q. 4. n. 50. vers. hinc soluitur.*]

16 *An teneat si omittantur illæ particulæ In, Ego, Amen,*

16 Septimò, eum validè baptizare, qui omittit tres illas particulas, Amen, Ego, In. nam mutatio non est substantialis, nec destruit sensum formæ, & cùm non sit materia grauis, non efficit baptizantem reum lethalis culpæ. Ita Sotus *dist. 3. artic. 5.* Vasquez *disp. 142. num. 30.* Coninchus *quæst. 46. art. 6 dub. 1. num. 45.* & alij apud Henriquez *lib. 2. cap. 8. num. 6.* Bartholomæus ab Angelo *de Baptismo §. 103.* Toletus *loco citato num. 5.* Viualdus *de Baptismo cap. 2. num 5.* contra Graffium ex parte *2. parte lib. 1. cap. 3. nu. 24.* Idem tenet nobiscum Chamerota *loco citato dubio 10.*] Filliucius *tract. 2. cap. 3. q. 11.*]

Si verò omittantur alia verba, inualidus est Baptismus, quia mutatur forma substantialiter, & non remanet idem sensus.

17 *An validus sit Baptismus vulgari lingua administratus.*

17 Octauò, validum esse Baptismum administratum vulgari lingua. Immo censeo, eum non peccare mortaliter, qui vulgari lingua Baptismum confert adhibitis iisdem verbis, quæ proprié eundem faciunt sensum, quem pariunt verba Latino sermone prolata. Immo consultum est, vt quando minister non bene nouit exprimere verba Latino sermone, exprimat vulgari. Ratio est, tum quia videtur habere iustam causam vtendi vulgari idiomate: tum quia non dicitur facere contra ritum, & consuetudinem Ecclesiæ, cùm vsu ita receptum sit. Ita Victoria *de Sacramentis, quæst. 18.* Reginaldus *loco suprà citato nu. 31.* Bartholomæus ab Angelo *loco citato §. 107.*

[Validus etiam est Baptismus administratus per verba synonyma, vt si loco verbi, baptizo, dicatur, abluo, aspergo: hæc enim non mutant substantialiter sensum verborum. Secus si dicatur: Ego te proiicio in aquam: aut, Ego mundo te à peccatis, mutatur enim sensus verborum substantialiter. Ita Filliucius *tract. 2. cap. 3. qu. 4.* & alij. Vide supradicta *disp. 1. q. 2. punct. 1.*]

18 *An teneat si puer moriatur nondum finita forma*

18 Nonò, inualidum esse Baptismum, si puer moriatur nondum finita forma Baptismi, vt si moriatur postquam Sacerdos dixit: Ego te baptizo in nomine Patris, non enim adest integer sensus formæ, consequenter non est validus Baptismus, & puer non videtur sepeliendus in loco sacro. Ita Bellarminus *lib. 2. Baptismo cap. 3.* Sotus *distinct. 1. q. 5. art. 8.* Henriquez *lib. 2. cap. 11. ad finem,* & alij contra Syluestrum *verb. Baptismus 1. num. 5.* S. Thom. *distinct. 2. quæst. 2. art. 2. ad quartum,* Graffium *loco citato num. 29. ad finem,* & alios apud Henriquez *loco citato* asserentes, Deum supplere Baptismum, consequenter puerum sepeliendum esse in loco sacro, tāquam baptizatum. Sed incertum est Deum supplere Baptismum, cùm ex Scriptura, vel ex traditione Patrum, & Ecclesiæ non constet, & ex alio capite constet inualidum esse Baptismum mutata forma substantialiter, vel omissis aliquibus verbis pertinentibus ad sensum formæ substantialem.

19 *An possit conferri baptismus in nomine Beatissimæ Virginis, aut Sanctorum.*

19 Decimò, Baptismum collatum in nomine Beatissimæ Virginis aut Sanctorum inualidum esse, si baptizans intendat conferre Baptismum in virtute Beatissimæ Virginis, aut Sanctorum: nam adest mutatio substantialis in verbis formæ, cum errore contrario significationi verborum. Si verò intendat conferre Baptismum per interuentionem Beatissimæ Virginis, aut Sanctorum, validè baptizat, vt habetur *cap. si non sanctificatur, de Consecratione dist. 4.* Ratio est, quia sensus formæ non mutatur substantialiter, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere. Ita Sotus *dist. 1 sect. 1. art. 8.* Henriquez *loco citat. cap. 8. nu. 2.* Summa Corona, Bartholomæus ab Angelo *§. 116.* [Suarez *disp. 21. sect. 4 subfinem.* Vasquez *loco cit.* Molfesius *tract. 4. c. 1. num. 47.*] & alij.

20 *An possit quis se ipsū validè baptizare.*

20 Vndecimò, inualidum esse Baptismum, quem quis sibi confert, dicendo: Ego me baptizo. Ratio est, tum quia mutatur sensus formæ, cùm non sit idem dicere, baptizo te, & baptizo me: tum quia Baptismus est regeneratio quædam spiritualis; sicut autem nemo potest seipsum naturaliter generare, ita neque potest se ipsum spiritualiter regenerare per Baptismum: tum quia Christus Matthæi 28. dixit, *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* non verò dixit baptizantes vos: tum quia Christus non fuit à se ipso baptizatus, sed à Ioanne, consequenter voluit indicare neminem posse seipsum baptizare, sed baptizandum esse, ab alio. Tum quia nullus potest sibi Baptismum sanguinis inferre; ergo neque potest Baptismum fluminis sibi conferre, tum quia nemo potest reliqua Sacramenta sibi sumere præter Eucharistiam, vt constat ex Trid. *sess. 22. can. 6.* Ita S. Th. *3. parte q. 66. art. 5. ad 4.* Toletus *lib. 2. c. 20. n. 1.* Victoria *de Baptismo conc. 18.* Graffius *2. parte lib. 2. c. 4. n. 23.* Viualdus *de Sacramentis in genere cap. 2. n. 33.* Vasquez *3. parte disp. 148. cap. 7. n. 53.* Reginaldus *lib. 27. n. 43* Henriquez *c. 30. n. 1.* Bartholomæus ab Angelo *de Baptismo §. 147.*

Possent tamen duo se inuicem baptizare tempore necessitatis, dicendo: Ego te baptizo, &c. sic enim verificaretur forma, vt bene ait Henriquez *lib. 1. cap. 26. numer. 7. & lib. 2. cap. 8. num. 4.* & alij.

Ex dictis in hac 11. illatione sequitur, illum, qui se ipsum in articulo mortis baptizauit, non esse saluandum ratione Baptismi actualis, quia nullus potest se ipsum baptizare, fieri tamen potest, vt saluetur ratione Baptismi in voto, quia creditur habere contritionem cum proposito Baptismi. Ita Lazarius in compendio Nauarri, *verbo Baptismus, num. 16.* & alij.

21 *An plures vnica aspersione baptizari possint.*

21 Duodecimò, plures posse vnica aspersione validè baptizari, dicendo: Ego vos baptizo in nomine Patris, &c. modò singuli aspergantur. Ratio est, quia non mutatur sensus formæ, cùm idem sit dicere: Ego vos baptizo, ac dicere, baptizo te, & te, &c. ita Henriqu. *lib. 1. cap. 7. n. 5. & lib. 2. cap. 12 nu. 1. & 3. & cap. 30. n. 1.* Vasquez *disp. 148. cap 7. num. 50.* S. Thom. *quæst. 66. art. 5. ad quartum.* Sotus *dist. 4. quæst. vnica art. 4.* Bartholomeus ab Angelo *§. 149. & 152.* Angelus *v. Baptismus 5. num. 2* Syluester *Baptismus 3. num. 9.* Armilla *v. Baptismus num. 12.* Tabiena *Baptismus 6. num 2.* S. Antoninus *3 part. tit. 14. cap. 13. n. 8.* Rodriquez *in summa cap. 25. de Baptismo num. 1.* Viualdus *de Baptismo c. 2. num. 12.* Chamerota *de Baptismo cap. 3. dubio 3* Coninchus *3. part. quæst. 67. art. 6. dubio 2.* [Filliucius *tract. 2. cap. 3. quæst. 5.*] & alij apud Henriquez *loco citato, in commentario littera M.* apud Viualdum *cap. de absolutione num. 79.* & apud Reginaldum *lib. 8. num. 23.* & apud Vasquez *loco citato*, vbi hoc comprobant à simili de absolutione sacramentali: nam confessarius vnica absolutione potest plures absoluere, sicut etiam Sacerdos vnica consecrationis forma potest plures hostias consecrare, & Episcopus potest vna formę prolatione pluresordinare, dicendo, Accipite Spiritum sanctum, &c. modò ordinandi simul, aut successiuè tangant eandem materiam. Aliquibus tamen Doctoribus videtur grauiter peccare, qui simul plures baptizat extra necessitatem, nam facit contra vsum Ecclesiæ in re graui. Ita post Scotum, & Gabrielem Coninchus *loco citato*, contra Viualdum *loco citato numer. 13.* Henriquez *loco citato* Valentiam *loco citato quæst. 3. punct. 2.* Reginaldum *cap. 30. num. 46.* & alios. Vtraque sententia probabiliter sustineri potest.

22 *An dicatur plura Baptismata, quando plures simul baptizantur.*

22 AN verò, quando plures simul baptizantur, dicantur plura Baptismata, vel vnum.

RESPON-

RESPONDENDVM est, dici plura Baptismata, quia sicut distinctio numerica motus desumitur à subiecto, quod mouetur, & in quo recipitur motus. Quot enim sunt mobilia in actu, tot sunt motus, ita distinctio numerica Baptismatum desumitur à subiecto, in quo recipitur Baptismus, & quamuis adsit vnica forma formaliter, qua simul plures baptizantur, nihilominus virtualiter, & æquipollenter est multiplex. Ita Coninchus *loco citato n.* 53. Vasquez *3.p.q.67.art 6.disp.*148.*c.*7.*n.*52. & alij.

23 *An teneat Baptismus quando duo vnum eodẽ tẽpore baptizant.*

23 Decimotertiò, non esse validum Baptismum quandò duo cõcurrunt ad baptizandum vnum & eundem, & vnus abluit, alter verò formam profert: vt si aliquis baptizandus sit, nec adsit alius præter duos homines, quorum vnus sit manibus amputatis, & alter careat lingua, si carens lingua aspergat infantem, & carens manibus proferat formã, dicendo, Ego te baptizo, &c. nõ est validus Baptismus. Ratio est, tum quia mutatur sensus formæ, & forma efficitur falsa, nam proferens verba dicit; Ego te baptizo, cùm reuera ipse non baptizet, sed tantummodò proferat formam altero interim abluente; tum quia Christus instituit, vt ab eodem fiat ablutio, & prolatio formæ, vt patet tum ex vsu, & ex consuetudine, quæ optima legum interpres nuncupatur, tum ex verbis Matthæi: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Vbi satis indicatur ablutionem faciendam esse ab eodem ministro, qui formam profert: alioquin non diceretur baptizare in nomine Patris, &c. Ita S. Thom. *3.p.q.67.art.6.* Nugnus *q. 67.art.6. difficultate* 3. Coninchus *ibid.* Pesantius *ibid.* Vasquez *ibid.disp.*148 *c.*1.*num.* 2. & 4. Pitigianus *d.*6.*q.*2.*art.*1. & 3. Chamerota *de Baptismo c.* 3. *dubio* 3. & alij, quos in simili retuli de Sacramentis in genere, quósque refert Henriquez *lib.*2.*cap.*12. *num.* 2. Reginaldus *loc. cit. num* 43. & Valentia *tomo* 4.*disp.*4.*q.*2.*punct.*2. Bartholomæus ab Angelo §.151. Toletus *lib.*2.*c.*20.*num.*10. Victoria *in summa de Baptismo conclusione* 17. Vinaldus *loco citato num.*7. [Filliucius *tract.*2.*c.*4.*q.*5.*num.*76. Comitolus *lib.*1.*q.*11.]

OCIICIES, qui per alium facit, per se ipsum facere censetur; ergo, qui per alium curat ablui infantem, censetur ipse abluere, consequenter validè videtur baptizare, qui formam Baptismi profert, alio abluente, & è contra.

RESPONDEO, cum, qui per alium facit, censeri per se ipsum facere moraliter, sed non physicè: qui autem intendit validè baptizare, non solùm debet moraliter, & per alium abluere, sed ipse debet physicè, & per se ipsum abluere, vt patet ex rationibus in 13. illatione adductis.

24 *An teneat quãdo vnus incipit, & alter perficit formã.*

24 Hinc potiori ratione colligitur, non esse validum Baptismũ, quando vnus incipit formam Baptismi, & alter eam perficit: sicut neque tenet ordinatio, quando Episcopus incepta forma ordinationis defecit, neque tenet consecratio, quando Sacerdos inchoata consecrationis forma perijt, altero eandem formam perficiente, vt constabit ex dicendis de Eucharistia. Ita S. Thom. *loco citato art.* 5.*ad quartum.* Henriquez *loco citato.c.*30. Suarez *disp.*23.*sect.*3. & alij Doctores citati.

25 *An valeat Baptismus, quando duo simul baptizant, singulis puerũ abluẽtibus, & formam proferentibus.*

25 ROGABIS, vtrùm saltem validus sit Baptismus, quando duo simul baptizant, ita vt vterque non solùm abluat, verùm etiam verba proferat.

RESPONDEÒ distinguendo: vel quilibet eorum intendit baptizare independenter ab intentione alterius, quasi solus baptizet, vel intendit baptizare dependenter ab intentione alterius. Si intendat baptizare independenter ab intentione alterius, validè baptizat, cùm adsit debita forma, materia, & intentio ministri, sicut patet à simili in Missa sacræ ordinationis, in qua omnes Sacerdotes consecrant, modò simul perficiant verba consecrationis. [vt constabit ex infrà dicendis *disp.*4.*q.*5.*punct.*1. *num.*3. contra Caietanũ *3.part.q.*82. *art.*2. existimantem non consecrare, sed formam consecrationis materialiter solùm proferre, vt instruantur: sed nostra opinio probabilior est.] Si verò non perficiant simul, ille tantummodò consecrat, aut baptizat, qui priùs perficit formã, tunc enim adsunt omnia requisita ad Sacramentum, nec illi, qui posteriùs perficiunt formam, dicuntur iterum consecrare, aut rebaptizare, quia vt quis dicatur iterum consecrare, & rebaptizare, requiritur, vt proferat totam formam super materia iam cõsecrata, aut super persona iam baptizata. In nostro autem casu, qui posteriùs perficiunt formam, non dicuntur totam proferre super materia iam consecrata, vel super persona iam baptizata, sed dicuntur perficere formam iam inchoatam. Si verò intendat baptizare dependenter ab intentione alterius, non validè baptizat, siue singuli dicant, Ego te baptizo, siue dicant: Nos te baptizamus, nam si dicant, Ego te baptizo, falsa est forma, quia neuter per se baptizat, sed cum alio. Si dicant, nos te baptizamus, adhuc falsa est forma, & mutatur sensus formæ, quia idem est dicere, nos te baptizamus, ac dicere, ego, & tu, vel ego, & iste. Ita S. Thom. *3.part.q.*66.*art.*5.*ad* 4. Nugnus *ibid. difficultate* 1. & 2. Coninch. *ibid. num.* 36. Bellarminus *de Baptismo c.* 3. Sotus *dist.*1.*q.*5.*art.*8. Reginaldus *loco cit.num.*43 & 49. Toletus *loco cit.* Pitigianus *d.*6.*q.*2.*art.*1. & 3. Angles *q.*3.*art.vltimo, difficultate* 1.*concl.*1. & 2. & *de ministro Eucharistiæ folio mihi* 172. Vinaldus *de Baptismo capit.*3. *num* 7. Chamerota *de Baptismo cap.*4. *dub.*7. Vasquez *3.p.q.*67.*art.*6.*c.*5.*num.*39. [Filliucius *tract.*2.*cap* 4.*q.*4. & *seqq.*] & alij apud Henriquez *lib.*2.*c.*12.*num.*1. & *c.*30. & apud Valentiam *disp.*4.*q.*2.*punct.*2. & apud Suarez *t.*1.*de Sacramentis disp.*23. *sect.*3. & apud Victoriam *loco cit.*

26 *An valeat quãdo adest error circa personam baptizatã.*

26 QVÆRES SECVNDO, vtrùm validus sit Baptismus collatus alicui, quem minister credebat esse masculum, cùm sit fœmina, aut esse filium Titij, cùm sit filius Caij.

RESPONDEO validum esse. Ita Sotus *in* 4 *dist.*1.*q.*5.*art.*8. Sylvester *verb Baptismus* 3.*quæsito* 15. Tabiena *verb. Baptismus 6. num.* 12. Sayrus *de Sacramentis in genere lib.*2.*c.*4.*q.*6. Reginaldus *lib.*26. *num.* 42. Henriquez *lib.*1.*cap.*10.*numer.*6. Toletus *lib.*2.*cap.* 20.*ad finem.* Graffius *2.p.lib.*1.*cap.*3.*num.*33. Victoria *de Baptismo q.*34. Vivaldus *c.*5.*num.*22. Vasquez *3.p.q.*65.*disp.*138.*c.*6.*num.*92. Pesantius *3.p. q.*66.*art.*3.*disp.*3.*vers. Tertiò dico.* Coninchus *q.*66.*art.*6.*dubio vnico, numer.*5. Valentia *loco cit.q.*1.*punct.*3.*vers quamquam illa.* Angles *q. vltima de ministro Sacramentorum art.*8. *difficultate* 3. *concl.*1 & 2. & alij, quos retuli de matrimonio, de cognatione spirituali, contra Angelum *verb. Baptismus* 5. *num.*13. & alios apud Sayrum, & apud Henriquez *locis citatis.* Ratio est, quia quamuis minister speculatiuè erret, tamen practicè non errat, cùm dirigat, & dirigere debeat intentionem suam in præsentem personam, ne irritum faciat Sacramentum, sicut valida est absolutio, quam quis impendit illi, quem credit esse virum, cùm sit fœmina, sicut etiam Clericus alienæ diœcesis, aut ligatus excommunicatione accedens ad recipiendum ordinem remanet ordinatus, quamuis Episcopus generaliter admonuerit iuxta ritum Pontificalis, se nolle ligatos excommunicatione, aut Clericos alienæ diœcesis ordinare. Ratio est, quia practicè, & in particulari intendit hunc præsentem ordinare, & sic exponenda est intentio Episcopi, cùm sic vitentur scandala, & pericula, quæ inde sequi possent; Clericus enim facilè posset multos decipere, credentes ipsum esse Sacerdotem, & validè conficere Sacramenta, quæ non possunt validè confici ab eo, qui non est ordinatus defectu intentionis Episcopi.

Neque obstat protestatio priùs in generali facta: qua Episcopus indicauit se nolle ligatos excommunicatione, aut Clericos alienæ diœcesis ordinare, nam factum est contrarium protestationi. Ita Nauarrus *capit.*22. *numer.*78. Gabriel, Ripa, Simanchas, & alij, quos citat, & sequitur Henriquez *lib.*1. *capit.*10. & *lib.*2. *cap.*8. *numer.* 4.

Nec est eadem ratio Baptismi, aliorúmve Sacramentorum, & matrimonij, quod suo loco diximus vitiari, & irritum reddi per errorem personæ. Ratio differentiæ est, quia contrahens matrimoniũ, hic, & nunc intendit contrahere cum tali persona particulari sibi proposita; baptizans verò, vel administrans alia Sacramenta, non respicit, neque respicere debet personas particulares secundùm cõditiones indiuiduas, sed potiùs circa subiectum præsens, quodcumque illud sit, considerat conditiones, & qualitates necessarias ad confectionem Sacramenti.

27 *An valeat Baptismus collatus filio Caij, quem Sacerdos opinabatur filium Titij.*

27 Hinc sequitur primò, illum validè baptizare, qui Baptismum confert filio Caij, quem opinabatur esse filium Titij, modò non habeat intentionem contrariam, qualem haberet, si diceret, volo hũc baptizare, qui est filius Titij, & si forte alius sit, nolo eum baptizare; tunc enim inualidè baptizat, cùm in particulari deficiat intentio necessaria ad Baptismum. Ita Sayrus, Bartholomæus ad Angelo *de Baptismo* §.48. Graffius *2.p. l.*1.*c.*3.*n.*33.

28 *An rebaptizandus sit masculus, qui pro fœmina fuit baptizatus.*

28 Secundò sequitur, eum, qui pro fœmina baptizatus fuit in infantia, imposito nomine, quod imponi consueuit fœminis, non esse rebaptizandum, sed solùm nomen commutandum in nomen viri, si postea in virili ætate promineant virilia membra, quæ in infantia ita latebant vt fœmina putaretur, ob id aliqui in Lusitania errauerunt, qui Baptismum iterum contulerunt cuidam iam prouecta ætate, qui semper fuerat fœmina existimatus. Ita Sotus *loco suprà citato*, & Sayr. *loco citato ad finem.* Viualdus *loco citato*, & alij.

29 *An aliquis possit propria auctoritate nomen commutare.*

29 ROGABIS, vtrùm aliquis possit propria auctoritate commutare nomen in Baptismo impositum?

RESPONDEO affirmatiuè per se loquendo. Ratio est, tum quia hoc non videtur iure prohibitum: tum quia sic habetur *lib.* 1. *C. de mutat. nominis.*

Dixi, *per se loquendo*; nam ratione alterius circunstantiæ fieri potest, vt quis non possit sibi nomen impositum commutare, vt si periculum sit fraudis, vel damni alterius, *l. falsi. ff. ad L. Cornel. de falsi.* Satius tamen est commutare nomen auctoritate Episcopi, vel Principis, sic enim facilè cauetur suspicio fraudis, & damni. Ita Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 2. §.50. cum Bartholo & Glossa. [Verùm de hac re prolixiùs egi in expositione Bullæ Cœnæ, *disp.*1.]

PVNCTVM V.

De ministro Baptismi.

1 *Quotuplex sit minister Baptismi.*

1 NOtandum duplicem esse ministrum Baptismi. Primus dicitur minister solemnitatis, cui competit ex officio ministrare cum debita solemnitate. Alter dicitur necessitatis, ad quem non spectat ex officio, sed ob necessitatem Baptismum administrare.

Hoc posito, duo quæram in hoc puncto. Primò, quis sit minister ex officio, & ex solemnitate. Secundò, quis sit minister in necessitate.

PRIMA PROPOSITIO.

2 *Minister ex officio quis sit.*

2 MInister solemnitatis, & ex officio est Sacerdos. Ita Concilium Florentinum *in instructione Armenorum, & cap. conclat. de Consecratione, dist.*4. & patet ex communi Ecclesiæ vsu. Ratio, cur Sacerdos sit minister Baptismi ex officio, est, quia cùm Sacerdos institutus sit ad ministrandam Eucharistiam, par est, vt possit illa ex officio administrare, per quæ potest quis Eucharistiam participare. Potest autem particeps fieri Eucharistiæ per Baptismum. Ita S. Thom. *3.part.q.*67.*art.*2. S. Antoninus *3.part.tit.*14.*cap.*13.*num.*4. Nugnus *ibidem*, Coninchus *ibidem, dubio* 1. Reginaldus *lib.*27. *cap.*6. *n.*37. Valentia *tom.*4.*disp.*4. *q* 2.*puncto* 1. Suarez *tom.*1. *de Sacramentis disp.*31. [*sect.*2. Filliucius *tract.*2.*c.*4.*q* 2.] Henriq. *li.*1.*c.*28.*nu.* 1. Philiarcus 2.*p.lib.*1.*c.*8. Toletus *l.*2 *c.*20. *n.*1. Angles *de Baptismo q.* 3.*art.*1.*concl.*1.

3 *An possit solemniter baptizare, qui non est Sacerdos.*

3 Hinc sequitur, eum, qui solemniter baptizat, cùm non sit Sacerdos, illicitè baptizare, vsurpat enim sibi alienũ officium. Propterea Clerico solemniter baptizanti imposita est irregularitatis pœna, vt patet ex dictis de irregularitate, *disp.*7.*q.*3.*punct.*6.*num.*5. cum Nauarro, Auiola, Sayro, & alijs ex *cap.*1. *de Clerico non ordinato ad ministrante.* vbi etiam quæsiui, vtrùm Diaconus possit, saltem de licentia Episcopi, vel Parochi Baptismum solemniter administrare; & respondi cum Caietano, & alijs quos sequitur Coninchus *loco citato*, posse, saltem vbi consuetudine ita receptum est, *cap. Baptismus. de Consecratione, dist.*4 & patet ex ordinatione, in qua dicitur, Diaconum debere ad altare ministrare, baptizare, & prædicare, quamuis hoc tempore non videatur in vsu, vt Diaconus solemniter bap-

tizet, cùm adſit copia Sacerdotum. Idem tenet Suarez *diſp.26.ſect.2.* Valentia *loco citato*, Sotus *in 4.d.4.q.vnica,art.1.* Reginaldus *loc.cit.n.4.* Henriquez *c.30.num.1.* Bellarminus *de Baptiſmo l.1.cap.7.* Chamerota *de Baptiſmo cap.4. dub.1.& 5.* [Filliucius *loco citato numer.70.*] & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Miniſter neceſſitatis quis ſit.

4 MIniſter Baptiſmi in neceſſitate eſt omnis homo habẽs vſum rationis, poténſque, & ſciens debitam formam proferre, & materiam applicare. Ita S. Thom. 3. *parte q.66. num.3.* Vaſquez *ibidem art.5.diſp.147.cap.1.& 5.* Valentia *loco citato, verſicul.Tertij generis*, Henriquez *cap.18.numer.1.* Pitigianus *diſtinct.6.q.1.art.1 pag. mihi 222.* Bartholomæus ab Angelo *de Baptiſmo §.139.* Philiarcus *2.part.lib.3.cap.8.* Toletus *loco citato num 5.* [Bellarminus *de Baptiſmo cap.7.* Filliucius *tract.2.cap.4.q.1.*] Rodriquez *in ſumma cap.25. de Baptiſmo concl.2.num.1.* Victoria *de Sacramentis q.28.* Graffius *2. parte lib.1. cap.1. numer.29* Angles *loco citato concl.2.* Chamerota *de Baptiſmo cap.4.dub.2.* Sayrus *lib.2.de Sacramentis cap.8.q.2.art.1.* & alij communiter. Ratio eſt, tum quia, cùm Baptiſmus ſit Sacramẽtum magnæ neceſſitatis, Chriſtus iure optimo voluit pro miniſtro Baptiſmi conſtituere quemlibet hominem, rationis vſum habentem, [vt patet ex traditione Eccleſiæ, qua nobis Chriſti voluntas indicatur.] Tum quia ſic habetur in Concilio Florentino, *in inſtructione Armenorum.* [*in cap. in neceſſitate, & ſeqq. de Conſecrat. diſt.4.*]

5 An fœmina poſſit baptizare.

5 Hinc ſequitur primò, fœminam poſſe baptizare in neceſſitate. *cap.ſuper quibus 30.diſt.3.*

Ex quo fit, vt obſtetrices poſſint aliquando baptizare ratione neceſſitatis, & ob id obligandæ ſunt ad ediſcendam Baptiſmi formam, ſaltem vulgari lingua; nam ſæpius adeſt periculum prolis dũ naſcitur, vel paulo pòſt, cùm autem quilibet teneatur ſubuenire proximo in graui vel extrema neceſſitate exiſtenti, ſequitur obſtetrices obligandas eſſe ad ediſcendam Baptiſmi formam, vt ritè valeant ſubuenire infanti periclicanti. Ita Emanuel Sà *verb. Baptiſmus num.10.* Bartholomæus ab Angelo *de Baptiſmo §.107.* Toletus *lib.2. cap.19. num.7.* Viualdus *de Baptiſmo cap.14. num.19.* Suarez *diſp.31.ſect.5.* Nauarrus *c.22.n.6. verſ.5.* Reginaldus *lib.27. num.45.* & alij communiter.

6 An poſſit Paganus, vel Hæreticus.

6 Secundò hæreticum, immò etiam paganum poſſe validè conferre Baptiſmum, modò intentionem habeat baptizandi. *cap. Romanus diſt.30.* quamuis peccet adultus recipiens Baptiſmum à Pagano, propter periculum non recipiendi Baptiſmum defectu intentionis, aut propter periculum ſcandali. Ita Suarez *loco citato ſect.4.* Henriquez *loco citato*, Reginaldus *loco citato numer.44.* Nugnus *3.parte, q.67.art.5.diffic.2.* Coninchus *loc.cit.* Pitigianus *d.6.q.1.art.1.* Toletus *lib.2.cap.20.num.5.* Viualdus *loco citato, num.5.* Rodriquez *in ſumma cap.25.de Baptiſmo concl.1.* Victoria *de Sacramentis q.30.* Bellarminus *de Baptiſmo lib.1.c.7.* & alij.

7 An poſſit anima ſeparata à corpore.

7 Tertiò animam ſeparatam à corpore non poſſe baptizare. Ratio eſt, tum quia non eſt homo, tum quia non poteſt vitaliter verba proferre, & hoc valet, etiam ſi anima ſit beata, homo verò beatus, ſi baptizaret, validè baptizaret, tum quia eſt homo, tum quia poſſet verba vitaliter proferre. Ita Chamerota *de Baptiſmo capit. 4. dub.4.*

8 An Angelus baptizare poſſit.

8 Quartò, Angelum non poſſe baptizare, tum quia non eſt homo, tum quia non poteſt eſſe miniſter Sacramentorum abſque diuina diſpenſatione, vt patet ex ſupradictis de Sacramentis in genere. Ita Henriquez, Pitigianus, [Filliucius] & alij *locis citatis*, cum Graffio *2.part.lib.1.c.4.n.4.*

9 An baptizans extra neceſſitatem peccet.

9 QVÆRES PRIMO, vtrùm peccet, qui baptizat extra neceſſitatem, cùm non ſit Sacerdos.

RESPONDEO grauiter peccare, etiam ſi baptizet ſine ſolemnitate. Ratio eſt, tum quia illi vetitum eſt ab Eccleſia baptizare extra neceſſitatem, qui autem facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re graui, grauiter peccat; tum quia ex directa inſtituentis intentione ſolus Sacerdos eſt per ſe inſtitutus miniſter huius Sacramenti, vt patet ex prima propoſitione, ergo non poteſt laicus, aut Clericus qui non eſt Sacerdos, extra neceſſitatem baptizare. Ita S.Tho. *3.parte,q.67.art.3.* Nugnus *ibidem art.5.difficultate 3.* Henriquez *lib.2 cap.28. num.1.& cap.29. num.1.* Suarez *diſp.31.ſect.3.verſic. Secundò grauiter.* Reginaldus *loco citato numer.38.& 46.* Valentia *tom.4. diſp. 4.q.3.punct.1. versùs finem*, Rodriquez *cap.25, concluſ.1.* Graffius *loco citato num.3.* [Filliucius *q.6.& 7.*]

10 An Parochus poſſit infantem alterius Paroeciæ baptizare.

10 QVÆRES SECVNDO, vtrùm Parochus, aut alius Sacerdos poſſit infantem alterius paroeciæ ſolemniter baptizare extra neceſſitatem.

RESPONDEO non poſſe ſine licentia Epiſcopi, vel proprij parochi ſolemniter baptizare. Ratio eſt, quia vſurparet ſibi iuriſdictionem, & munus alterius, cùm paſcere animas, quod maximè ſit verbo, & Sacramentis, pertineat ad paſtores, qualis eſt Epiſcopus in ſua diœceſi, aut Parochus in ſua parochia.

Verumtamen Sacerdotem ſolemniter baptizantem ſine licentia proprij Paſtoris, non incurrere excommunicationem, vel irregularitatem, quia hæc pœna nullibi reperitur expreſſa. Si verò baptizet in neceſſitate, quando Parochus abeſt, nec facilè haberi poteſt, non peccat, quia quilibet Sacerdos eſt per ſe inſtitutus miniſter ad hoc Sacramentum, & habet poteſtatem illud adminiſtrandi. Ita Suarez *diſp.23.ſect.2.& diſp.31.ſect.4.* Emanuel Sà *verbo Baptiſmus, num.7.* [Filliucius *cap.4.q.6.*] Reginaldus *loco citato numer 38.* Armilla *verb. Baptiſmus, num. 39.* Syluester *verb. Baptiſmus 3.numer. 1.* Valentia *diſp.4. quæſt.2. punct.1. versùs finem*, Henriquez *cap.29. numer.1.& 2.* Bartholomæus ab Angelo *de Baptiſmo §.135. 136.& 137.* & alij.

Vtrùm verò aliquis poſſit præſente Parocho excommunicato baptizare, patet ex dictis de Cenſuris, de abſolutione in articulo mortis.

OBIICIES contra reſponſionem ſecundi quæſiti. Quilibet Sacerdos eſt miniſter Baptiſmi ex officio ergo quilibet Sacerdos poteſt Baptiſmum adminiſtrare abſque licentia Epiſcopi, vel Parochi.

RESPONDEO, quemlibet Sacerdotem eſſe miniſtrum Baptiſmi, quatenus habet poteſtatem Ordinis, non tamen hinc ſequi, quemlibet Sacerdotem poſſe baptizare abſque licentia Epiſcopi, vel Parochi, quando Parochus adeſt, vel facilè haberi poteſt etiam in neceſſitate; nam deeſt illi iuriſdictio. Ita Nugnus *3.parte, q.67.art.2.* Reginaldus *loco citato n.58.* Valentia *loco citato*, & alij.

11 An ſeruandus ſit aliquis ordo in neceſſitate.

11 QVÆRES TERTIO, vtrùm tempore neceſſitatis ſeruandus ſit aliquis ordo in adminiſtrando Baptiſmo, vt ſi contingat infantem periclitari, præſente fœmina, laico & Clerico, & proprio Parocho, dubium enim eſt quiſnam horum debeat infantem baptizare.

RESPONDEO ſeruandum eſſe hunc ordinem, vt præſente viro fœmina non baptizet, nec vir laicus præſente Clerico, nec Clericus licèt Diaconus præſente Sacerdote, etiam ſi Sacerdos vrbanitatis cauſa cedat; Sacerdos enim eſt miniſter deputatus ex officio; inuerſio tamen huius ordinis non eſt mortale peccatum, niſi adſit Sacerdos, nam præſente Sacerdote nemo poteſt ſine mortali peccato baptizare, alioquin ſibi vſurparet alienum officium in re graui, facilè tamen poteſt propter ignorantiam excuſari, aut etiam ob neceſſitatem infantis, ſi Sacerdos præſens nolit baptizare. Ita Emanuel Sa *loco citato num.7.* Suarez *diſp.31.ſect.4. verſic. Sed queres primò.* Rodriquez *in ſumma c.25. de Baptiſmo concl.1.* Henriquez *c.28. ad finem*, Coninchus *q.67. dub.2.* Valentia *loco citato verſic. Quamuis.* Reginaldus *loco citato num.44.* Bartholomæus ab Angelo *de Baptiſmo §.139.* Philiarc. *2.part.lib.1.c.8.* Toletus *lib.2.cap.20. num 8.* Graffius *2 part.lib.1.c.4.num.2.* Idem Innuit Bellarminus *de Baptiſmo lib.1.c.7.* Angles *q.3. art.1. difficultate 2.* Viualdus *de Baptiſmo, c.4.num.6.* Chamerota *de Baptiſmo c.4. dub.5.* Vaſquez *3 parte diſput. 147. cap.5.num.34.& 35.* [Filliucius *tract.2.c.4.q.1.num.68.& q.6. num. 82.*]

Ex his igitur conſtat, præſente viro fœminam non debere baptizare, nec laicum præſente Clerico, nec Clericum præſente Sacerdote, nec etiam Sacerdotem præſente proprio Paſtore. Verùm ſi proprius paſtor, aut Sacerdos nolit baptizare, debet Clericus, aut laicus baptizare, ſi baptizandus exiſtat in neceſſitate; nam omnis homo eſt miniſter Baptiſmi in neceſſitate.

Addo laicum in tali euentu teneri baptizare in defectum Clerici, & aliorum, quia tenetur ſubuenire indigenti. Ita Henriquez *c.28. ad finem*, Reginaldus *num.44.* & Suarez *loco citato*, vbi bene obſeruat, Sacerdotem tempore neceſſitatis nolentem baptizare infantẽ, grauiter peccare, cùm ipſi hoc competat ex officio, & teneatur indigenti ſubuenire.

12 Quid requiratur in miniſtro Baptiſmi.

12 QVÆRES QVARTO, quid requiratur in miniſtro Baptiſmi.

RESPONDEO cum Suarez *diſp.31.ſect.5.* Henriquez *lib.2.cap.29. num.3.* Reginaldo *lib.27.n.48.* Nauar. *c.22.n.7.* Graffio *2.part. lib.1. cap.3.num.31.* Victoria *de Baptiſmo concl. 34.* vbi refert S. Thom. *3. part.q.94.art.8.* & alijs, communiter requiri.

13 An requiratur intentio baptizandi.

13 Primò intentionem baptizandi, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere; nam adminiſtratio Baptiſmi eſt actus humanus.

14 An teneat Baptiſmus ioco collatus,

14 Ex quo ſequitur primò, illum non valide baptizare, qui ſolùm habet intentionem iocandi, vel irridendi. Secus ſi habeat intentionem baptizandi, & ſimul etiam iocandi, vt patet ex facto Athanaſij, qui cùm ioco baptizaſſet aliquos pueros, iudicatus fuit ab Alexandro Patriarcha validè baptizaſſe. Ita Toletus *lib.2.cap.20.* in additionibus, Graffius *2.parte lib 1.c.3.n.36.*

15 An valeat Baptiſmus, quãdo quis intendit reportare lucrum, vel infantem occidere.

15 Secundò ſequitur, illum validè baptizare, qui baptizat vt lucretur, vel vt occidat puerum, intẽdens verè baptizare, & præterea occidere; nam finis extrinſecus non tollit intentionem requiſitã ad Sacramentum. Ita Bartholomæus ab Angelo *de Sacramentis in genere dialo. 1.§.33.*

16 An requiratur debita materia, & forma.

16 Tertiò requiritur, vt miniſter adhibeat debitam materiam, & formam, illámque ſciat applicare. Sacramentum enim perficitur materia, forma, & intentione miniſtri, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere.

17 An Sacerdos debeat eſſe in gratia.

17 Quartò requiritur, vt Sacerdos ſolemniter baptizans exiſtat in gratia. Quamobrem, ſi ſolemniter baptizet cum conſcientia peccati mortalis, grauiter peccat, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere. Qui verò vrgente neceſſitate baptizat ſine ſolemnitate, non peccat grauiter etiamſi exiſtat in peccato mortali, aut in excommunicatione; non enim eſt miniſter conſecratus ad hunc effectum, nec excommunicatio impedit, quin poſſit in neceſſitate baptizare, vt patet ex dictis de Cenſuris. Ita Henriquez *loco citato numer.4.* Reginaldus *numer.47.* [Filliucius *tract.2. cap.4. quæſt.8.*] & alij, quos ſuprà retuli de conditionibus in miniſtro Sacramentorum requiſitis.

18 Quis poſſit ad Baptiſmum concurrere.

18 QVÆRES QVINTO, vtrùm aliqui poſſint ad Baptiſmum cõcurrere præter miniſtrum baptizantem.

RESPONDEO concurrere patrinum, cuius officium eſt leuare de ſacro Fonte, & ſolemniter ſpondere pro infante, contracta ſimul obligatione inſtruendi baptizatum in rebus fidei tempore neceſſitatis, quoties infans non habeat parentes, vel Parochum, qui de rebus ad fidẽ pertinentibus ipſum inſtruant. Verùm ab hoc onere communiter excuſantur patrini in noſtris regionibus, vbi parẽtes, & Parochi ſolent infantes inſtruere, & docere. Ita S. Thom. *3. parte q.67.art.8.* Coninchus, & Nugnus *ibidem*, Graffius *2. parte deciſionum c.2. nu.5.* Summa Corona *de Baptiſmo in fine*, Suarez *t.1.de Sacramentis, in commentario articuli octaui, quæſtionis 67.* Reginaldus *l.27.n.36.* Henriquez *l.2.c.14.n.1.* Emanuel Sa *verb. Baptiſmus n.15.* [Filliucius *c.7.q.7.*] & alij.

19 Quot patrini poſſint in Baptiſmo adhiberi.

19 Si queras, quot patrini poſſint in Baptiſmo adhiberi, & vtrùm contrahant cognationem ſpiritualem. Vide, quæ diximus de Matrimonio *q.3.punct.5.§.2.* vbi pluribus hac de re diſſerui.

20 An liceat rebaptizare.

20 QVÆRES SEXTO vtrùm liceat rebaptizare.

RESPONDEO negatiuè; cùm enim Baptiſmus imprimat characterem, qui remanet indelebiliter in anima, non poteſt iterari, ſi moraliter

moraliter constet Baptismum semel ritè collatum fuisse, si verò probabile dubium sit de validitate Baptismi, iterum conferendus est sub hac conditione, si non es baptizatus, ego te baptizo, &c. nõ tamen necessum est, vt hæc conditio exprimatur, sed sufficit, si mẽte retineatur. Cùm enim valor Baptismi pendeat ab intẽtione baptizantis, conditio idem operatur, siue interius tantùm concipiatur, siue exterius exprimatur. Ita Nauarrus, Sotus & alij, quos retuli *de Sacramentis in genere*. Idem tenet Rodriquez *in sum. cap.* 25. *de matrimonio concl.* 2. Victoria *de Baptismo concl.* 35. [Suarez *disput.* 31. Filliucius *tract.* 2. *c.* 4. *q.* 9.]

Vtrùm verò rebaptizandus sit, qui fuit baptizatus sub forma, vel materia, de qua inter graues Doctores dubitatur, an sit sufficiens, constat ex dictis de Sacramentis in genere.

21 *An valeat Baptismus collatus alicui iam baptizato.*

21 Sed modò DVBIVM est, vtrùm Baptismus collatus alicui iam baptizato sit validus.

RESPONDEO non esse validum, nam vt Baptismus sit validus, requiritur subiectum carens charactere; qui autem semel fuit baptizatus, non caret charactere, cùm character sit qualitas indelebilis, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere.

Vtrùm verò pœna irregularitatis incurratur ab eo qui rebaptizat, patet ex dictis *de irregularitate disp.* 7. *q.* 3. *punct.* 3. *n.* 1. cum Nauarro, Sylueſtro, Couarruuia, & alijs.

PVNCTVM VI.

De subiecto Baptismi, & dispositione ipsius subiecti, seu suscipientis.

1 *Dispositiones subiecti quotuplicitèr differãt.*

1 NOtandum dispositiones subiecti esse in duplici differentia. Aliæ spectant ad corpus, & aliæ ad animam. In prima propositione agemus de subiecto quatenus habet dispositiones spectãtes ad corpus. In secunda verò de subiecto, quatenus habet dispositiones ad animam pertinentes.

PRIMA PROPOSITIO.

2 *Subiectum Baptismi quòdnã sit.*

2 SVbiectum Baptismi est quilibet homo natus, existens in hoc mortali corpore, siue sit infans, siue sit adultus, siue sit vir, siue fœmina. Ita Bellarminus *lib. de Baptismo cap.* 8. Valentia *tom.* 4. *disput.* 4. *q.* 3. *puncto* 1. Suarez *disp.* 25. *sect.* 1. & alij communiter. Ratio est, quia Baptismus est omnibus necessarius, iuxta illud Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, &c. Ergo quilibet homo natus, &c. est subiectum Baptismi; tum quia verba Christi, *nisi quis renatus fuerit*, &c. sunt vniuersalia, & neminem excludunt; ergo extendenda sunt ad quemlibet hominem, modò antea non esset baptizatus, vt dictum est *puncto precedenti ad finem num.* 21.

3 *An baptizandi sint satyri.*

3 Hinc colligitur primò, Satyrum, aut genitum ex fœmina, & bruto non esse capacem Baptismi, quia non est homo, nec habet peccatum originale, cùm peccatum originale traducatur ex Adamo per virilem virtutem, vt patet ex dictis de peccato originali. Ita Bartholomæus ab Angelo *§.* 132. Henriq. *c.* 21. vbi refert S. Th. & alios, quos nos etiam retulimus in tractatu de peccato originali. Idem tenet Posseuinus *de Baptismo c.* 6. *n.* 13.

4 *An monstrũ baptizandũ sit.*

4 Maior DIFFICVLTAS est, primò vtrùm monstrum genitum ex viro, & fœmina baptizandum sit.

RESPONDEO affirmatiuè, quia est homo, constans corpore, & anima rationali. Immò si constet, habere duplicem animam, vt si habeat duo capita, & duo corpora diuisa, bis baptizandum est; semel in vtroque capite, vel saltem vnico actu baptizandum est, dicendo, Ego vos baptizo, &c. si periculum sit in mora, & necessitas vrgeat. Si verò dubitetur, an constet duplici anima rationali, vt si habeat duo capita cum vno pectore, vel duo pectora sub vno capite, duplex Baptismus conferendus est, vnus absolutè in ea parte, in qua perfectius caput, vel pectus apparet, alter sub conditione in alia parte. Ita Toletus *lib.* 2. *c.* 21. *num.* 6. *versicul.* 4. *notandum*, Chamerota *de Baptismo c.* 5. *dubio* 11. Sylueſter *verb. Baptismus* 3. *quæsito* 10. Reginaldus *lib.* 27. *num.* 65. Bartholomæus ab Angelo *de Sacramento Baptismi §.* 130. Sotus *in* 4. *sent. dist.* 3 *q. vnica art.* 9. *versic. Ad hunc locum.* Tabiena *Baptismus* 6. *n.* 14. Armilla *verbo Baptismus n.* 52. Graffius 2. *parte lib.* 1. *c.* 4. *n.* 95. Viualdus *de Baptismo c.* 5. *n.* 24. Posseuinus *loco citato.*

5 *[An baptizandum sit monstrum, quando dubitatur an genitum sit ex viro & fœmina, vel ex fœmina & bruto.*

5 [Secundò DIFFICVLTAS est, vtrùm baptizandum sit monstrũ, quando dubitatur an genitum sit ex viro & fœmina, vel ex fœmina & bruto.

RESPONDEO baptizari posse sub conditione, nisi constet esse animal irrationale. Quamobrem si nascatur monstrum habens caput ferinum, & reliqua membra humana, & adhibita debita diligentia ad inquirendum, an sit homo, vel bellua, vel an natus sit ex viro & fœmina, arbitror, remanente dubio, absolutè baptizari nõ posse, sed ad summum sub conditione; alioquin periculum incurreretur conferendi Baptismum illi, qui non est subiectum capax Baptismi. Vide Nauarrum *consil.* 5. *de Baptismo*. Comitolum *l.* 1. *resp. moral. q* 8. & Filliucium *tract.* 2. *c.* 6 *q.* 10. *n.* 150.]

6 *Differentia inter Baptismum, & Confirmationem.*

6 Tertiò colligitur differentia inter Baptismũ, & Circunciſionem, nam Circunciſio ſolis maſculis adhiberi poterat. Baptiſmus verò omnibus adhibetur, vt patet ex propoſitione.

7 *An mortuus baptizari poſſit.*

7 Quartò mortuum non poſſe baptizari, nam ſolùm in hac vita datur tempus acquirendæ vitæ æternæ, & ſubiectum Baptiſmi eſt homo natus, exiſtens in hoc mortali corpore. Ita Reginaldus *loco citato n.* 50. Henriquez & Suarez *locis citatis* & Graffius 2. *parte lib.* 1. *c.* 4. *n.* 25.

Vtrùm verò remaneat baptizatus, qui in vltimo inſtanti prolationis verborum moritur, patet ex ſupradictis, non remanere baptizatum, quia tunc non eſt homo, cùm in eo inſtanti verum ſit dicere, nunc non eſt homo, immediatè antè fuit, vt eſt communior Philoſophorum ſententia.

8 *An exiſtens in vtero matris baptizari poſſit.*

8 Quintò, exiſtentem in vtero matris non poſſe baptizari, quia ſubiectum Baptiſmi eſt homo natus, & non poteſt per Baptiſmum renaſci, qui nondum eſt corporaliter natus, cùm non poſſit ablui, *cap. qui in maternis, de conſecratione, diſt.* 4. Nec ſufficit aſpergere matrem, etiam ſi filius cenſeatur pars matris per colligationem, & ab ea ſumat alimentum, vt in confeſſo eſt apud medicos, nam huiuſmodi colligatio non facit, quin ſint duæ perſonæ, ſicut non deſinunt eſſe duo, qui ſimul coniuncti naſcuntur cum duplici capite, & reliquis membris coniunctis. Non ſufficit igitur, vt mater aſpergatur, cùm ſit perſona diſtincta à filio exiſtente in vtero, eãque aſperſa non dicatur infans ablutus. Ita S. Thom. 3. *parte q.* 68. *art.* 11. *ad primum*. Reginaldus *l.* 27. *n.* 18. Vaſquez *ibidem*, Peſantius *ibidem*, Pitigianus *d.* 4. *q.* 3. *art.* 3. & alij DD. citati.

OBIICIES primò contra quartam illationem: Deus vult omnes homines ſaluos fieri; ergo vult etiam ſaluos fieri pueros exiſtentes in vtero matris. Cùm autem pueri in vtero matris exiſtentes non poſſint aliter ſaluari, quàm per Baptiſmum, 1. *ad Timotheum* 2. ſequitur, pueros in vtero matris exiſtentes, poſſe baptizari.

RESPONDEO Deum velle voluntate antecedente, non verò conſequente omnes ſaluos fieri. Propterea non ſequitur omnes de facto ſaluandos eſſe, aut baptizandum eſſe infantem, in vtero matris exiſtentem, ſicut non ſequitur ſaluandum eſſe peccatorem, ex hac vita cum mortali decedentem.

OBIICIES ſecundò: Deus prouidit pro quolibet hominum ſtatu, ergo etiam pro pueris nondum natis: ergo pueri nondum nati poſſunt baptizari, cùm aliud remedium nequeat aſſignari, quod ipſis applicari poſſit præter Baptiſmum.

RESPONDEO primò, Deum prouidiſſe pro quolibet ſtatu, ſed non pro qualibet conditione, & circunſtantia ſtatus; Deus enim ſtatuit remedium, tam pro paruulis, quàm pro adultis, ſed non pro qualibet conditione, & accidentibus ſtatus, quod eſt dicere, Deum non conſtituiſſe remedium pro iis, qui non eduntur in lucem; hoc enim eſt accidens, ſeu conditio ſtatus, ſicut neque conſtitutum eſt remedium pro perpetuò amentibus, qui poſt peccatum mortale lapſi ſunt in amentiam perpetuam; hoc enim eſt accidens ſtatus.

RESPONDEO ſecundò, Deum prouidiſſe pro qualibet hominum ſtatu, & etiam pro prauulis in vtero matris exiſtentibus, non quidem per Baptiſmum, ſed per martyrium; nam qui non poteſt aqua dilui, & lauari, poteſt enſe Tyranni attingi, vt ſuprà dictum eſt.

9 *An mater mortua poſſit aperiri, vt filius extrahatur.*

9 Hac occaſione obſeruandum eſt primò, ſi mater moriatur, & filius in ipſius vtero exiſtens credatur viuere, aperiendam eſſe matrem, vt infans extrahatur, & baptizetur, conſulendum enim eſt ſaluti infantis. Quandiu verò mater viuit, non eſt ſcindenda, vt infans extrahatur, & baptizetur, etiam ſi mater ipſa ob partum moritura ſit; non enim facienda ſunt mala, vt eueniant bona, *ad Romanos* 3. Ita S. Thom. 4. *ſenten. diſt.* 6. *q.* 1. *art.* 1. Sylueſt. *verb. Baptiſmus* 4. *numer.* 2. S. Antoninus 3. *parte tit.* 14. *c.* 13. *§.* 1. Angles *verbo Baptiſmus* 6. *num.* 2. Dominicus Sotus *in* 4. *d.* 5. *q. vnica, art.* 11. Idem tenet Paludanus, teſte Tabiena *Baptiſmus* 5. *num.* 6. Bartholomæus ab Angelo *de Sacramento Baptiſmi §.* 13. Graffius 2. *parte lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 32. Angles *q.* 2. *art.* 3. *concluſ.* 3. Victoria *de Baptiſmo concluſ.* 32. Viualdus *de Baptiſmo cap.* 5. *num.* 21. Posseuinus *de Baptiſmo num.* 8. *verſ. ſi verò.*

10 *Quid dicẽdum de matre grauida damnata ad mortem.*

10 Obſeruandum ſecundò, ſi mater grauida per iudicis ſententiã damnetur ad mortem, differendam eſſe executionem ſententiæ, donec mater pepererit. *l pregnantis. ff. de pœnis.* Ita Couarruuias 4. *variarum c.* 4. Reginaldus *loco citato num.* 17. Bartholomæus ab Angelo *loco citato §.* 14. Viualdus *loco citato num.* 20. Victoria *concl.* 32. & alij. [Hoc tamen ab aliquibus Doctoribus limitatur, modò ex mortis dilatione non immineat damnum reipublicæ. nam ſi damnum immineat, putant matris vterum aperiri poſſe ipſa viuente, vt infans extrahatur, & baptizetur. id enim ex iuſta cauſa fit auctoritate publica. Ita Filliucius *tract.* 2. *cap.* 6. *quæſt.* 7. *num.* 139. & alij.]

Vtrùm verò mater grauida poſſit ſuſcipere pharmacum expulſiuum fœtus, aut ſanatiuũm, patet ex dictis de homicidio in tractatu de Reſtitutione.

11 *An valeat Baptiſmus infanti collatus diſſentientibus parentibus.*

11 QVÆRES PRIMO, vtrùm validus ſit Baptiſmus collatus infanti abſque conſenſu parentum.

RESPONDEO validum eſſe. Ratio eſt, tum quia ad valorem Baptiſmi requiritur tantummodo materia, forma, & intentio miniſtri: tum quia Eccleſia non ſolet rebaptizare pueros inuitis parentibus baptizatos. Ita Suarez *loco citato*, Henriquez *c* 25. Reginaldus *loco citato num.* 68. Coninchus *q.* 68. *art.* 10. *n.* 66. Nugnus *ibidem difficultate* 1. Vaſquez 3. *parte q.* 68. *art.* 10. *diſp.* 154. *c.* 6. *nu.* 64. & alij communiter, quidquid aliqui in contrarium ſenſerint apud Vaſq. & apud alios DD. *locis citatis.*

12 *An liceat aliquem inuitis parentibus baptizare.*

12 Sed maior DIFFICVLTAS eſt, vtrùm liceat baptizare aliquẽ inuitis parentibus, & præcipua difficultas eſt de filijs infidelium. Pro ſolutione præmittenda eſt diſtinctio hoc modo, vel filij carent vſu rationis, vel habent vſum rationis. Præterea, vel ſunt in periculo mortis, vel non: rurſus, vel habent vtrumque parentem infidelem, vel vnum tantùm; item vel vnus parentum conſentit, vel vterque diſſentit. Denuò, vel ſunt ſubditi Principi Chriſtiano, vel non. Denique, vel ſunt ſerui, vel non; hac præmiſſa diſtinctione:

RESPONDEO primò, ſi filius habeat vſum rationis, & petat Baptiſmum, baptizari debet etiam inuitis parentibus. Ratio eſt, quia habet ius petendi, quod ſibi neceſſarium eſt ad ſalutem, cùm ſit ſui iuris in ijs, quæ pertinent ad bonum animæ, nec teneatur patri obedire in ijs, quæ ſibi, & Deo contraria ſunt, poteſt igitur baptizari inuitis parentibus, & illis ſubtrahi, vt peruerſionis periculum euitetur. Ita S. Thom. 3. *parte, quæſt.* 68. *art.* 15. Emanuel Sá *verbo Baptiſmus, numer.* 11. Suarez *diſput.* 25. *ſect.* 3. Henriquez *lib.* 2. *c.* 25. *num.* 3. Reginaldus *lib.* 27. *num.* 68. *ad finem*. Toletus *lib.* 2. *c.* 21. *num.* 2. Chamerota *de Baptiſmo c.* 5. *dubio* 3. [Filliucius *tract.* 2. *c.* 6. *num.* 134.] & alij communiter.

Si dubitetur, an vſu rationis polleat, putat Sotus *diſt.* 39. *art.* 3. & *diſt.*

& *diſt.5.artic.15.* baptizandum eſſe, quia in dubio declinandum eſt in fauorem fidei. Henriquez verò *loco citato num.3.* Antoninus, Naldus, Faucentinus *verbo Baptiſmus, nu.6.* Chamerota *loco citato*, & alij putant non eſſe baptizandum, quia melior eſt conditio parentum poſſidentium.

Ego verò puto, baptizandum eſſe, ſi iam compleuit ſeptennium, nam completo ſeptennio præſumitur rationis vſum habere, vt bene ait Emanuel Sà *loco citato*, Bartholomæus ab Angelo *de Baptiſmo §.33.* Idem innuit Vaſquez *loco* ſtatim *citando n.36.* Sanch. & alij quos retuli de legibus. Si verò non compleuit ſeptennium, & ſit filius infidelium non baptizatorum, non eſt baptizandus inuitis parentibus, quia præſumitur non habere rationis vſum, & eſt melior conditio parentum poſſidentium.

RESPONDEO ſecundò, filios infidelium nunquam baptizatorum, carentes vſu rationis, non poſſe inuitis parentibus baptizari. Ratio eſt, quia, vel iſti filij ſubtrahuntur parentibus, vel ipſis relinquuntur. Si ſubtrahantur, fit iniuria parentibus, qui quodammodo priuantur iure, quod habent in filios: non ſunt autem facienda mala, vt eueniant bona. Si relinquantur parentibus, aut periculum ſit, vt ad ipſos redeant, adeſt periculum peruerſionis, quia filij non poterunt educari in Chriſtiana religione, ſed potiùs ad falſos errores traducentur à parentibus.

Ex quo ſequitur, fieri iniuriam Chriſtianæ religioni, & Sacramento Baptiſmi ob periculum peruerſionis. Ita Chamerota *de Baptiſmo dubio 3. c.5.* & alij.

Hæc doctrina procedit in filijs infidelium nunquam baptizatorum, nam ſi loquamur de filijs infidelium iam baptizatorum, vt hæreticorum, aut aliorum apoſtatarum à fide, conſtat Eccleſiam poſſe huiuſmodi filios inuitis parentibus baptizare, nam ſicut Eccleſia poteſt ipſos parentes compellere cenſuris & pœnis corporalibus ad ſeruandam fidem, ita etiam poteſt ab ipſis ſubtrahere filios, eoſque Sacramento Baptiſmi initiare. Ita S. Thom. *loco citato art.10.* Coninchus, & Nugnus *ibidem difficultate 2.concluſ.2.* Caietanus *ibidem*, Henriquez, Suarez, & Reginaldus *locis citatis*, Vaſquez *diſp.155. cap.3.* Sotus *diſt.5. q. vnica, art.7.* Valentia *t.4. diſp.4. quæſt.3.punct.3.* Philiarcus *loco* proximè *citando*, Pitigianus *d.4.q.9.art.1.* [Filliucius *loc. cit.*]

Vtrùm verò infideles cogi poſſint ad fidem ſuſcipiendam, patet ex dictis de fide, & de bello.

RESPONDEO tertiò, filios infidelium nondum baptizatorum, aut baptizatorum, poſſe inuitis parentibus baptizari, quoties exiſtunt in euidenti periculo mortis. Ratio eſt, tum quia parentes ſunt irrationabiliter inuiti. Tum quia in eo euentu ceſſat periculum peruerſionis. Tum quia ſubueniendum eſt proximo extremè indigenti. Ita Sotus *loco citato, art.7.* Valentia *loco citato, punct.3. verſic.3. dico*, Reginaldus *loco citato, num.68.* Coninchus *loco citato, num.77.* Naldus *verb. Baptiſmus, num.6.* Gabriel, Angelus Vaſquez *3.parte q.68.art.10.diſp.155.c.3. n.22.* & alij apud Henriquez *loco citato, n.2.* Bartholomæus ab Angelo §.31. Philiarcus *2.part.lib.1.c.8.* [Filliucius *tract.2.cap.6.q.8.n.144.*]

RESPONDEO quartò, filium natum ex vno ſaltem parente Chriſtiano baptizandum eſſe inuitis parentibus. Ratio eſt, quia huiuſmodi filius ex vi ſuæ originis eſt ſubditus Eccleſiæ, & imitari, ac ſequi debet parentem Chriſtianum, vt habetur *c. Iudæo 28. q.1.*

Ex quo deducitur à fortiori, Primò, baptizandum eſſe infantem ortum ex matre Chriſtiana conſentiente; quamuis pater diſſentiat, nam infans in hoc caſu ſequitur ventrem, cùm ſit melior conditio parentis Chriſtiani, & innocentis. Ita Doctores ſtatim citandi.

Secundò, baptizandum eſſe infantem ortum ex patre Chriſtiano conſentiente, quamuis mater diſſentiat, nam pater eſt caput, & præcipua cauſa filij, & eſt melior conditio Chriſtiani. Ita Valentia *loco citato, verſic. Quartò dico*, Henriquez *loco citato num.4.* Suarez *loco citato.* Reginaldus *num.68.verſic.4. propoſitio*, Nugnus *quæſt.68. art.10.difficultate 2. concl.1.* Pitigianus *loco citato concl.4.* Bartholomæus ab Angelo *de Baptiſmo. §.30.* Poſſeuinus *de Baptiſmo, cap.6.n.14.* Vaſquez *loco citato cap.3.n.25.* & alij.

Tertiò, baptizandum eſſe filium ortum ex vtroque parente infideli, quorum vnus poſtea conuerſus eſt, nam filius ſequitur parentem innocentem, id eſt, conuerſum.

RESPONDEO quintò, filium ortum ex vtroque parente infideli, quorum vnus conſentit altero reclamante, poſſe baptizari. Ratio eſt, quia cùm hic actus cedat in fauorem religionis, & ſalutem infantis, maximè fauorabilis eſt, conſequenter præferendus eſt diſſenſui alterius. Ita Doctores citati. [Obſerua tamen parentes infideles aliquando petere Baptiſmum pro filijs, ea ſolùm intentione, vt ſanitatem recipiant, quod à Turcis aliquando factum fuit, eo quòd ſæpiùs viderint, vel audierint, Baptiſmum ægrotis collatum liberaſſe ab ægritudine, in hoc caſu non eſt conferendus Baptiſmus, ſi non ſubſit ſpes, vt huiuſmodi infans baptizatus alatur in Chriſtiana religione, quia periculum imminet peruerſionis, & apoſtaſiæ. Ita Filliucius *num.145.* & alij; contra Nauarrum *conſil.5. de Baptiſmo.*]

RESPONDEO ſextò, filios infidelium, qui non ſunt ſerui, ſed tantummodo tributarij, & vaſalli Principum Chriſtianorum, quales ſunt Iudæi commorantes ex conceſſione Principum in aliquibus ciuitatibus, non poſſe inuitis parentibus baptizari. Ita Suarez *loco citato ſect.4.* Victoria *de Sacramentis q.27.* Reginaldus *loco citato, verſic. Tertia eſt.* [Filliucius *tract.2.cap.6.q.8.numer.142.*] Coninchus *loco citato, q.86.* Toletus *lib 2.cap.21. num.2.* Henriquez, Vaſquez *3.part.q.68.art.10.diſp.155.c.2.* & alij *locis citatis*, contra Scotum, & alios. Ratio eſt; tum quia parentes, qui ſunt tributarij, & vaſalli, & non ſerui, non amittunt ius in filios, ſicut non amittunt ius, & dominium aliarum rerum, ergo ipſorum filij non poſſunt baptizari ipſis inuitis, tum quia, vel filij iſtorum parentum ſubtrahuntur parentibus, vel ipſis relinquuntur. Si ſubtrahantur, parentes iniuſtè priuantur iure, quod habent in filios. Si non ſubtrahãtur, impendet periculum peruerſionis, conſequenter non eſt licitũ Principi, aut priuato baptizare filios infidelium, qui non ſunt ſerui, ſed tributarij tantùm, & vaſalli inuitis ipſorum parentibus. Ita Sotus *diſt.5.art.10.* Vaſquez *loco citato, & c.4. n.41.* Henriquez *loco citato num.7.* Suarez *loco citato*, Nugnus *quæſt.60. art.10. difficultate 2. concluſ.3.* Valentia *loco citato, verſic.5. dico*, vbi refert Ecchium, Scotum, & alios.

Filios verò ſeruorum poſſumus de conſenſu dominorum baptizare inuitis parentibus, in his enim non militat ratio, quam attulimus de tributarijs & vaſallis. Ratio eſt, quia domini poſſunt filios huiuſmodi ſeruorum à parentibus ſeparare, & vendere, cùm habeant dominium in parentes, & in filios, ita vt ijs vti poſſint, in quem voluerint rationabilem vſum, non repugnantem honeſtati, aut legi naturali, vt patet ex vſu, & communi conſenſu: ergo poſſumus huiuſmodi filios baptizare de conſenſu dominorum inuitis parentibus, nulli enim facimus iniuriam, nec imminet periculum peruerſionis facta ſeparatione de conſenſu dominorũ, contra Bartholomæum ab Angelo *de Baptiſmo §.28. & 29.* & alios.

Nomine ſeruorum intelliguntur illi, qui emuntur à veris dominis, aut iuſto bello capiuntur, & iure belli fiunt ſerui, vt ſunt Turcæ, & Saraceni. Ita Suarez *loco citato, ſect.5. ad finem*, & alij, quos retuli de bello.

13 ROGABIS vtrùm domini teneantur curare ſeruos ſuos baptizari. *13 An domini curare teneantur, vt ſerui baptizentur.*

RESPONDEO per ſe loquendo teneri. Ratio eſt, tum quia domini ſuccedunt in locum patrum: patres autem tenentur conſulere bono ſpirituali filiorum, tum quia huiuſmodi pueri ſunt de familia domini, ergo dominus tenetur illis conſulere, non ſolùm in temporalibus, verùm etiam in ſpiritualibus, nam qui ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior, *1.ad Timotheum 3.*

Dixi per ſe loquendo, nam per accidens ratione circunſtantiarum, vt magnæ difficultatis, & incommodi, fieri poteſt, vt excuſentur, ſi ſeruis ſuis non curent Baptiſmum conferri.

14 Ex quo fit, vt domini poſſint parentibus, aut alijs vendere ſeruos nondum baptizatos, accepta pecunia, aut facta compenſatione Chriſtianorum captiuorum. Ratio eſt, tum quia quamuis domini ſuccedant in ius parentum, non tamen ſuccedunt cum eadem omnino, & pari obligatione, tum quia ſi tenentur baptizare, maximè ex charitate: ſed charitas regulariter non obligat cum magno incommodo; dominus autem, ſi non redderet filios parentibus, ſubiret incommodum in ijs alendis, & educandis; tum quia, ſi parentes infideles non haberent ſpem redimendi captiuos infantes, magis ſæuirent in Chriſtianos, & maiora mala, & homicidia perpetrarent, ergo licitum videtur infantes nondum baptizatos reddere infidelibus. Ità Suarez *diſput. 25.ſection. 6. ad finem*, Henriquez *lib.2.c.25.n.1. & 8.* Vaſquez *diſp.155. c.7.* Coninchus *q.68. art.10. n.88.* [Filliucius *q.9.*] & alij, quicquid nonnulli in contrarium ſentire videantur apud præcitatos DD. *14 An domini ſeruos nondum baptizatos vendere poſſint.*

OBIICIES, tenemur paruulum in extrema neceſſitate poſitum baptizare, etiam cum periculo propriæ vitæ; ergo à fortiori non poſſumus illum reddere parentibus ſine Baptiſmo accepta pecunia, & compenſatione.

RESPONDEO negando conſequentiam; nam ex illo antecedenti colligitur tantummodò baptizandum eſſe puerum, quando in extrema exiſtit neceſſitate, non verò præciſa neceſſitate, & cum tanto incommodo. Ita Suarez *loco citato*, & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

15 IN adulto baptizando requiritur ſaltem triplex diſpoſitio. *15 Quid requiratur in adulto baptizando.*

16 Prima eſt intentio actualis, aut virtualis, recipiendi Baptiſmum. Ratio deſumitur, tum ex verbis ſancti Auguſtini: *Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te*, id eſt, non ſaluabit te, niſi conſentias, & intendas, tum quia baptizatus per Baptiſmum ſumit multas obligationes: æquitas autem non patitur, vt qui præditus eſt vſu rationis adſtringatur ad has obligationes, niſi conſentiat, & intendat eas ſubire, ſuſcipiendo Baptiſmum voluntariè. *16 Quænam intentio requiratur in baptizando.*

In pueris verò carentibus vſu rationis, Chriſtus, & Eccleſia ſupplet intentionem, & diſpoſitionem. Ratio eſt, tum quia ſicut voluntas Adami ſufficit ad contrahendum peccatum originale: ita etiam ſufficit voluntas, & fides Eccleſiæ reſpectu infantum, qui voluntatis actum nequeunt elicere, tum quia Chriſtus dixit: *Sinite paruulos ad me venire.* Ex quo loco ſic argumentor. Paruuli poſſunt accedere ad Chriſtum, & eo frui; ſed non poſſunt ad Chriſtum accedere, & eo frui, ac ſaluari ſine Baptiſmo; cùm Chriſtus dixerit; *niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Ergo pueri rationis vſu carentes, ſunt capaces Baptiſmi Deo ſupplente ipſorum intentionem. Idem dicendum eſt de amente perpetuò à natiuitate, non habente lucida rationis interualla. Ita S. Thom. *3.parte q.68. art.12.* Vaſquez, & Peſantius *ibid.* Henriq. *lib.2. c.24. num.1.* Pitigianus *in 4. diſt.4. q.4.art.1.verſ. ſententiam verò, & d.6.q.6. art.1. & 2.* Valentia *diſp.4. q.3.punct.2.* Bartholomæus ab Angelo *de Baptiſmo §.23.* Philiarcus *2.par.lib.1.c.8.* Toletus *lib 2.cap.21. num.4.* Angles *q.2. art.6. difficultate 1.* Chamerota *de Baptiſmo c.5.dub.9.* Vaſquez *ibid.* & præterea *diſp.167.c.2.* [Suarez *diſput.24.ſect.1.* Filliucius *tract.2. c.6.q.6. & 7.*]

17 An verò in adultis ſufficiat intentio habitualis, patet ex ſupradictis de Sacramentis in genere, vbi diximus ſufficere cum Syluestro, Henriquez, Conincho & aliis. *17 An intentio habitualis in adulto ſufficiat.*

18 Hinc ſequitur primò, adultum non remanere baptizatum, nec characterem recipere, ſi nunquam voluit baptizari, vel ſi aliquando baptizari voluit, voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmum reuocauit. *18 An recipiat Characterẽ, qui nũquam voluit baptizari.*

19 Secundò, validum eſſe Baptiſmum collatum dormienti, qui Baptiſmum petierat ante ſomnum, hic enim dicitur habere intentionem habitualem. Idem dicendum eſt de furioſo, & amente, qui dum haberent lucida rationis interualla, petierunt Baptiſmum, etiam ſi poſtea dum baptizantur, reſiſtere videantur: nam illa reſiſtentia non repugnat intentioni antea elicitæ; cùm ipſa reſiſtentia, quæ tunc temporis contingit, non ſit actus humanus. Ita Henri- *19 An valeat Baptiſmus collatus dormienti?*

quez

quez *loco citato numer.*3. Graffius 2 *parte, lib.*1. *c.*4. *num.* 45. Angles *quæst.*2. *artic.*6. *difficultate* 1. *concl.*2. Chamerota *de Baptismo cap.* 5. *dub.*10. & alij.

OBIICIES, qui ante amentiam, vel somnum habuit intentionem baptizandi, non validè baptizat in amentia, vel sommo; ergo, neq; validè baptizatur, qui ante amentiam, vel somnum intentionem habuit recipiendi Baptismum, & postea baptizatur tempore amentiæ, vel somni.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia qui baptizat in somno, vel amentia, non habet eam intentionem virtualem, quæ in actiua requiritur administratione, in qua non sufficit voluntas, & propositum ante somnum elicitum, sed requiritur, vt ipsa administratio sit actio libera, & deliberata, dum exercetur, vt patet ex supradictis de Sacramentis in genere. Qui verò petijt Baptismum ante amentiam, vel somnum, censetur habere eam intentionem, quæ sufficit ad suscipiendum Sacramentum Baptismi, cuius susceptio, cùm sit quædam passio, non tot requirit, quot administratio, quæ est quædam actio, iuxta illud: Plura requiruntur ad agendum, quàm ad recipiendum. Ita Valentia *disp.*3. *sect.* 4. *punct.*2. *ad fin.* Suarez *disp.*24 *sect.*1. Reginald. *lib.*27. *n.*72. Sotus *in* 4. *d.*5. *q. unica, art.*7. *ad finem*, Pitigianus *in* 4. *d.*4. *q.*5. *art.*2. *vers. contra habitualis, & artic.* 3. Henriquez, Coninchus, & alij, quos suprà retuli *de Sacramentis in genere.*

Quod tempus seruandum sit pro amentibus.

20 20 Sed obserua, quando quis incidit in amentiam, expectandum esse, vt amens ad se redeat, si spes adsit resipiscentiæ. Sublata verò spe resipiscentiæ baptizandum esse, cùm Baptismus sit Sacramentum maximæ necessitatis. Ita Bellarminus *de Baptismo, c.*9. Henriquez *lib.*2. *c.*44. *num.*4. & alij ex Concilio Carthaginensi, & Arausicano.

An baptizandus sit amens, de quo dubitatur an petierit Baptismum ante amentiam.

21 21 ROGABIS, vtrùm baptizandus sit amens, de quo dubitatur, an petierit Baptismum ante amentiam.

RESPONDEO baptizandum esse sub conditione, si petijt Baptismum, modò non constet permansisse in statu peccati mortalis. Ratio est, quia melius est ipsum decedere cum dubio Baptismo, quàm sine vllo Baptismo. Ita Henriquez *loco citato num.* 4. cum alijs. Verùm si constet in statu peccati permansisse, vt in concubinatu, non est baptizandus, quia baptizaretur cum obice, & Sacramentum administraretur indigno. Ita Sotus *loco citato*, Henriq. *c.*24. *ad fin.* Nugnus *q.*68. *art.*4. Chamerota *de Baptismo cap.*6. *dub.*5. Victoria, Gabriel, & alij apud Henriq.

An teneat Baptismus per metum grauè susceptus.

22 22 Tertiò sequitur, validum esse Baptismum administratum illi, qui per metum grauem illum recepit: vt si quis metu seruitutis recepit Baptismum, intendens verè illum suscipere. Ratio est, quia metus non tollit intentionem, & voluntarium simpliciter, vt inquit Aristoteles 3. *Ethicorum.*

Secus dicendum est de eo qui per vim, aut metum coactus recepit Baptismum sine vlla intentione. Ita Nauarrus *cap.* 22. *num.* 10. Summa Corona *de Baptismo, folio mini* 26. *ad finem*, Henriquez *loco citato, num* 3. Reginaldus *loco citato, num.*11. [Toletus *lib.* 4. *cap.*56. Filliucius *loco citato num.* 134.] & alij, quos suprà retuli *de Sacramentis in genere.*

An sufficiat neutralis intentio.

23 23 Quartò, vtrùm non esse baptizatum, qui Baptismum suscepit cum intentione neutrali, quando videlicet recipiens dubius hærebat, an vellet recipere Baptismum, vel non. Ratio est, quia hic non videtur habuisse intentionem recipiendi Baptismum. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 5. *art.*7. Pitigianus *dist.*4. *q.*5. *art.*1. Graffius 2 *parte, lib.*1. *c.*3. *num.*37. Henriquez *loco citato*, & alij communiter contra Caietanum apud præcitatos Doctores.

Hactenus locuti sumus de prima dispositione requisita in adulto baptizando, modò gradum faciemus ad secundam.

An requiratur in adulto fides supernaturalis.

24 24 Secunda dispositio requisita in adulto ad recipiendum Baptismum cum fructu, est fides supernaturalis, vt patet, tum ex Matthæi vltimo; *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. vbi notanda est illa particula, *docete*; tum ex Marci 11. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; qui non crediderit, condemnabitur*; fieri tamen potest, vt aliquis non habeat fidem infusam, & nihilominus recipiat verum Baptismum, & characterem; quamuis non recipiat fidem & gratiam: vt si detur casus, vt aliquis instructus ab hæretico habeat intentionem recipiendi, quod fuit institutum à Christo, quidquid illud sit, hic enim recipiendo Baptismum validè illum recipit, sed non recipit gratiam. Quòd recipiat verum Baptismum, patet; tum quia alioquin rebaptizandus esset, quod non videtur admittendum, tum quia Sacramenta tribus perficiuntur, materia, forma, & intentione ministri, quæ omnia in hoc casu reperiuntur, etiam cum intentione suscipientis; cùm intendat suscipere, quod à Christo fuit institutum; [tum quia sic colligitur ex Christi institutione declarato vsu & consuetudine Ecclesiæ.] Quòd verò non recipiat gratiam, patet, quia non habet fidem, sine fide autem impossibile est placere Deo. Quòd neque recipiat fidem infusam patet, quia non est sufficienter dispositus ad illam recipiendam. Ita S. Th. 3 *parte q.* 68. *art.*8. Coninchus *ibidem*, Pitigianus *dist.*4. *q.*5. *art.*2. *concl.*1. Angles *q.*2. *art.*6. *concl. vnica*, Chamerota *de Baptismo cap.*5. *dub.*8. Sotus *in* 4 *d.*5. *art.*8. Henriquez *l.*2. *c.*26. *n.*1. Valentia *disp.*4. *q.*3. *punct.*3. Reginaldus *loco citato n.*65. [Filliucius *tract.*2. *c.*6. *q.*1. *n.* 135.] & alij.

An requiratur attritio.

25 25 Tertia dispositio requisita in adulto, ad recipiendum Baptismum cum fructu, est attritio, vt constat de fide; tum ex Tridentino *sess.*6. *canone* 6. Carthaginensi *cap.*85. & alijs tum ex *Actorum* 2. vbi dicitur, *Pœnitentiam agite, & baptizemini vnusquisque vestrûm.* Ita S. Thom. *q.*86. *art.*4. Vasquez 3. *parte disp.*168. *c.*4 Coninchus, & Nugnus *ibidem.* Valentia *tom.*4. *disput.*4. *quæst.* 2. *puncto* 3. *vers.*4. *assertio*, Reginaldus *loco citato num.*693. Suarez *disp.*28 *sect.*2. Toletus *l.*2. *c.* 21. *num.*5. Pitigianus *dist.*4. *q.* 4. *art.*2. *concl.*3. Angles *quæst.* 2. *art.* 5. *difficultate* 2. Chamerota *loco citato*, & alij, quos suprà retuli *de Sacramentis in genere.*

Non est tamen necessaria confessio sacramentalis ad recipiendum Baptismum, cùm Baptismus sit ianua omnium Sacramentorum, vt bene tradit S. Thom. *loc. cit. art.* 6. Coninchus *ibid.* Henriquez & alij *locis citatis.*

An sufficiat attritio naturalis.

26 26 Sed modò DVBIVM est vtrùm sufficiat attritio naturalis.

RESPONDEO non sufficere, sed requiri attritionem, quæ procedat ex auxilio supernaturali propter metum gehennæ, aut turpitudinem peccati, vt colligitur ex Tridentino *sess.*6. *c.*6. *& sess.*14. *c.* 4. vbi dicitur attritionem esse donum Dei. Ita Magister *in* 4. *dist.*4. Henriquez *lib.*2. *cap.*26. *num.*3. Suarez *loco citato*, Valentia *loco citato puncto* 3. *versic. Primum illud, & vers Sed quæstio*; Medina 1. 2. *q.* 109. *art.*6. *ad finem.* [Filliucius *tract.*2. *cap.*5. *q.*7.] *num.* 104. & alij apud Henriquez *loc. cit.* contra Sotum, *dist.*6. *q.*1. *art.* 7. *& dist.* 14. *quæst.*2. *art.*5. & alios apud Henriquez *loc. cit. in Commentario littera Y.*

An habens solum originale peccatum debeat habere attritionẽ.

27 27 Secundò DVBIVM est, vtrùm adultus qui recipit Baptismum cum solo originali, & sine peccato mortali actuali teneatur elicere actum pœnitentiæ & detestationis.

RESPONDEO, hunc casum regulariter loquendo non esse possibilem, vt patet ex dictis de peccatis, præsertim in sententia S. Thomæ asserentis, in adulto non posse reperiri peccatum originale sine actuali, quem nos in hac parte non sequimur, vt patet ex ibi dictis; sed dato tali casu, dico non esse necessariam pœnitentiam, seu detestationem, quia pœnitentia est de peccatis commissis ab ipso pœnitente, cùm autem pœnitens non peccauerit propria voluntate, non requiritur in ipso pœnitentia, & detestatio peccatorum, quando susceperus est Baptismum cum solo originali, sed sufficit propositum seruandi legem Dei, & propositum obediendi Deo, cum voluntate suscipiendi Baptismum, & fide, vt bene tradit Suarez *disp.*28. *sect.*1. S. Thom. *in additionibus, q.*2 *ar.*2. Nugnus *de Sacramentis in genere q.*62. *ar.*1 *difficultate* 3. *concl.*3. *ad finem, pagina mihi* 39. Henriq. *lib.*2. *c.*24. *n.*3. *& c.*26. *n.*1. [Filliucius *tract.* 2. *c.*5. *q.*7.] & alij communiter.

An imponenda sit aliqua satisfactio adultis baptizatis.

28 28 SI QVÆRAS, vtrùm adultis baptizatis imponenda sit aliqua satisfactio.

RESPONDEO negatiuè cum S. Thom. *loco citato, artic.*4. Coninchо, Nugno, & Suarez *ibidem*, Valentia *punct.* 3. *cit. ad finem*, & alijs communiter. Ratio est, quia in Baptismo remittitur, non solùm culpa, verùm etiam pœna, peccatis debita, vt constabit ex dicendis puncto sequenti.

Ex dictis igitur in secunda propositione constat, triplicem dispositionem requiri in adulto Baptismum suscepturo; videlicet intentionem, fidem, & attritionem.

Quomodo recipiat Baptismũ, qui illum sine dispositionibus recipit.

29 29 Sed obserua, eum qui recepit Baptismum absque attritione, & fide, recipere quidem Baptismum quo ad characterem, sed non quo ad gratiam & remissionem pœnæ, cùm fides, & attritio sint dispositiones ad gratiam, & remissionem pœnæ; eum verò, qui recipit Baptismum absque intentione, non recipere Baptismum, non solùm quo ad gratiam, & pœnæ remissionem, verùm neque quo ad characterem, nam ad validitatem Baptismi requiritur intentio suscipiendi Baptismum, vt constat ex supradictis.

Vtrùm verò, qui recipit Baptismum sine debita dispositione, possit illius effectum consequi adueniente dispositione, constabit ex dicendis *puncto sequenti ad finem.*

PVNCTVM VII.

De effectibus Baptismi.

Effectus Baptismi quot sint.

1 1 TRes præcipui sunt effectus Baptismi, primus est gratia habitualis. Secundus est remissio totius pœnæ. Tertius est character, de quibus singulis agendum nobis est in hoc puncto.

PRIMA PROPOSITIO.

An Baptismus conferat gratiam cum reliquis donis.

2 2 BAptismus confert gratiam simul cum reliquis virtutibus, & donis, quæ gratiam consequuntur, modò non adsit obex ex parte suscipientis. Hæc propositio est de fide, vt patet ex Concilio Viennensi *in Clementina vnica de summa Trinitate, & ex Tridentino, sess.*5. *in decreto de peccato originali*, & constat ex supradictis *de Sacramentis in genere.* Ita Toletus *lib.*2. *cap.*22. *num.* 1. Petrus Ledesma *de Sacramento Baptismi c.*9. *concl.* 3. Chamerota *de Baptismo c.*6. *dub* 2. *&* 3. Vasquez 3. *part. q.*69. *ar.*7. *disp.*166. *c.*2. *&* 5. [Filliucius *tract.*2. *c* 5. *q.*3. *n.*98.] Pesantius, & alij DD. communiter cum S. Thoma *q.*69. *ar.*1. 4 *&* 6.

An conferat omnibus æqualẽ gratiã gradum.

3 3 SI QVÆRAS, vtrùm Baptismus conferat omnibus æqualem gratiæ gradum.

RESPONDETVR, pueris æqualem conferre, adultis verò inæqualem pro ratione maioris, vel minoris dispositionis, vt patet ex suprà dictis *de effectu Sacramentorum in genere.* Ita S. Thom. *loc. cit. art.*8. Coninchus *ibid.* Nugnus *ibid. conclusion.*1. Chamerota *de Baptismo cap.*6. *dub.*2. Valentia *tom.*4. *disput.*4. *q.* 4. *punct.* 1. Suarez *disp.* 28. *sect.*3. & Reginaldus *loco citato, numer.*60. Sylvester *Baptismus* 6. *num.*4. S. Antoninus 3. *parte titulo* 14. *cap.*13. Sotus *in* 4. *sentent. dist.* 6. *q.*1. *art.*6 [Filliucius *tract.*2. *c.* 5. *q.* 8. *num.* 109.] & alij relati *de Sacramentis in genere.* Idem tenet Victoria de Sacramentis *q.* 22. Viualdus *c.*5 *n.*7.

Quem effectum pariat gratia in Baptismo producta.

4 4 Sed modò DIFFICVLTAS est, quem effectum pariat gratia quæ producitur in Baptismo.

RESPONDEO remittere primò peccatum originale, vt patet [tũ ex Apostolo ad Rom. 6 *consepulti sumus Christo per Baptismum*; ad Titum 3. *saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, &c. tum ex Tridentino *sess.*5. *initio vers. si quis per Iesu Christi.*] Ratio est, quia cùm gratia sacramentalis faciat hominẽ simpliciter Deo gratum & amicũ, debet excludere omne id, quod opponitur amicitiæ Dei: amicitiæ autem Dei opponitur peccatum originale, vt constat ex dictis de peccato originali. Ergo gratia sacramentalis, quæ producitur in Baptismo, remittit peccatum originale. Ita Bartholomæus ab Angelo *§.*156. [Bellarminus *lib.* 1. *de Baptismo, cap.*13. *& seqq.* Suarez *de Sacramentis, disput.* 26. *sect.* 1. Filliucius *tract.*2. *cap* 5. *quæst.* 1. *num.*94.]

Secundò, remittere peccata actualia, ea scilicet, quæ commissa sunt ante Baptismum. Ratio est, tum quia non potest aliud Sacramentum assignari, per quod huiusmodi peccata deleantur, quàm

per

per Baptismum; non enim delentur per Sacramentum pœnitentiæ, cùm peccata commissa ante Baptismum non sint materia Sacramenti pœnitentiæ, vt constabit ex dicendis de pœnitentia: ergo deleri debent per Baptismum; tum quia hoc est de fide definitum in Florentino *in decreto Eugenij*, & colligitur ex Tridentino *sess.* 6. vbi habetur, iustificatione deleri omnia peccata, & hanc iustificationem conferri per Baptismum: tum quia, cum gratia sacramentalis faciat hominem simpliciter Deo gratum, & amicum, debet delere non solùm peccatum originale, verùm etiam actuale, per quod homo inimicus Dei constituitur. Quamuis ergo demus, Sacramentum Baptismi fuisse principaliter institutum ad auferendum peccatum originale: nihilominus est etiam ordinatum ad remittendum peccatum actuale commissum ante Baptismum, vt patet ex rationibus allatis. S. Thom. *loco citato ar.* 1. Suarez *ibid. t.* 1. *de Sacramentis*, Reginaldus *lib.* 27. *nu.* 61. Angles *de Baptismo q.* 2. *art.* 5. *difficult.* 2. *conclusion.* 1. Bartholomæus ab Angelo *de Sacramento Baptismi dialogo* 2. *§.* 156. Henriq. *l.* 2. *c.* 16. *num.* 2. [Filliucius *loco citato*] Nugnus & alij communiter.

Verum tamen est, Baptismum non esse institutum & ordinatum ad remittenda peccata commissa post susceptum Baptismum, alioquin non esset necessarium aliud remedium præter Baptismum, neque pœnitentia diceretur secunda post naufragium tabula. Quare peccata commissa in susceptione Baptismi, aut post Baptismum, nõ delentur per Baptismum, sed subijcienda sunt Sacramento pœnitentiæ, vt docet Suar. *disput.* 20. *sect.* 1. *concl.* 4. & alij communiter, quos referam *de Sacramento pœnitentiæ.*

SECVNDA PROPOSITIO.

An Baptismus deleat pœnam peccatis debitã.

5 SAcramentum Baptismi non solum confert gratiam; qua deletur peccatum originale, & actuale, verùm etiam delet omnem pœnam peccatis debitam. Hæc propositio est de fide, definita in Florentino in decreto Armenorum, vbi habetur, baptizatis non imponi satisfactionem pro peccatis præteritis: ergo Baptismus delet omnem pœnam, alioquin iniungenda esset satisfactio. Ita S. Th. *q.* 69. *art.* 2. Pesantius *ibidem*, Vasquez *loco citato cap.* 3. & 4. Bartholomæus ab Angelo *de Baptismo §.* 158. Philiarcus 2. *parte lib.* 1. *c.* 9. Toletus *loco citato*, Victoria *de Sacramentis q.* 20. Petrus Ledesma *de Sacramento Baptismi c.* 9. *vers. Tercera conclusion.* Coninchus, & Nugnus *ibid.* Suarez [Filliucius,] & alij *loco citato.*

An statim euolet in cœlum, qui statim moritur post Baptismum.

6 Hinc sequitur eum, qui recipit Baptismum, absque vllo impedimento, & obice statim in cœlum euolare, si statim suscepto Baptismo moriatur, antequam vllam culpam admittat, cùm enim ianua cœlorum aperta sit per Christi mortem, & per Baptismum auferatur omnis obligatio ad pœnam, nihil obstat, quo minus baptizatus statim euolet in cœlũ, si statim suscepto Baptismo moriatur. Ita Bartholomæus ab Angelo *de Baptismo §.* 159. S. Th. 3. *par q.* 69. *art.* 7. Tabiena *v. Baptismus* 8. *n.* 6. Sotus *in* 4. *sent. dist.* 6. *q.* 1. *ar.* 5. Sylvester *v. Baptismus* 6. *n.* 1.

An Baptismus auferat pœnalitates.

7 QVÆRES vtrùm Baptismus non solùm deleat omnem pœnam, verùm etiam auferat pœnalitates.

Pro intelligentia istius difficultatis aduertendum est, post peccatum Adami remansisse in homine quosdam defectus contractos per peccatum originale, qui defectus appellantur pœnalitates, quales sunt concupiscentia inordinata, mors, ægritudines, &c. Hoc posito.

RESPONDEO, Baptismum de facto non auferre pœnalitates in hac vita, vt patet experientia; habere tamen virtutem eas auferendi, & ipsius virtute auferendas esse respectu iustorum in resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem, vt dicitur 1. *Corinthiorum* 15. Ita S. Thom. *loco citato art.* 3. Suarez, Philiarcus 2. *part. lib.* 1. *c.* 9. Coninchus & Nugnus *ibid.* Reginald. *loco citato, n.* 63. Henriq. *loco citato c.* 16. *n.* 7. [Filliucius *tract.* 2. *c.* 5. *q.* 2. *n* 96.] & alij communiter, cum S. Th. *loco citato.*

Cur Deus noluerit per Baptismum pœnalitates auferri.

8 Si QVAERAS, cur Deus noluerit in hac vita per Baptismum pœnalitates auferri.

RESPONDETVR, Deum noluisse pœnalitates in hac vita auferri, primò, vt homines exerceant se ad luctam, & pugnam spiritualem cum merito fidei, vt deinde coronam victoriæ recipiant.

Secundò, quia per Baptismum vnimur, & incorporamur Christo, cùm autem Christus habuerit corpus passibile, par est, vt nos, qui sumus ipsius membra, mortales simus, & passibiles, nam sub capite spinoso non decet membra esse delicata.

Tertiò, vt homo secum ferat testimonium lapsus Adæ, & totius naturæ, & cognoscat, quantum Deus superbos odio habeat. Ita S. Th. Suarez, Henriq. Reginaldus, & alij *locis citatis.*

TERTIA PROPOSITIO.

An Baptismus conseruat characterem.

9 TErtius effectus Baptismi est character, propter quem Baptismus non potest iterari, quamuis collatus sit à Pagano, vel hæretico, nam sicut impossibile est hominem bis nasci, ita impossibile est bis renasci per Baptismum, & hoc valet etiam si recipiens Baptismum commiserit mortale peccatum in ipsius susceptione; nam quamuis peccatum in susceptione Baptismi impediat infusionem gratiæ, nisi tollatur obex antequam Sacramentum perficiatur, tamen non impedit effectum characteris, qui non habet contrarium.

An possit iterari Baptismus semel ritè collatus.

10 Hinc igitur constat, Baptismum iterari non posse, si ritè semel collatus sit; nam character, qui per Baptismum confertur, indelebilis est, & sic de fide constat ex Tridentino *sess.* 7. *de Baptismo*, & ex Florentino *in instructione Armenorum.* Ita Suarez *disp.* 22. *sect.* 2. & *disp.* 31. *sect.* 6. Valentia *t.* 4. *disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 4. *versic. Secundò notandum.* [Filliucius *tract.* 2. *c.* 7. *q.* 1 *n.* 151.] Graffius 2 *parte lib.* 1. *c.* 1. *n.* 10 & 11. & alij communiter, quos suprà retulimus de charactere. [*disp.* 1. *q.* 5.]

An possit iterari, quando dubitatur de validitate.

11 An verò Baptismus iterari possit, quando dubitatur de ipsius validitate, constat iterari posse sub conditione, vt patet ex supradictis cum Suarez *disput.* 22. *sect.* 2. Valentia, Henriquez, & alijs.

[Quamobrem si aliquis infans de recenti natus, expositus inueniatur in locis Christianorum, baptizari poterit sub conditione, nisi adsit signum, vel rationabile indicium collati Baptismi, in qua re standum est iudicio prudentis viri: quamquam filius expositus in locis Christianorum, regulariter loquendo, præsumendus est baptizatus. Ita Sotus *dist.* 3. *q. vnic. ar.* 9. Sylvester *Baptismus* 4. *n.* 7. Comitolus *l.* 1. *q.* 1. Filliucius *tract.* 2. *c.* 6. *q.* 10. *n.* 149. Vide dicta de irregularitate *disp.* 7. *q.* 3. *punct.* 3. *n.* 6.]

An Baptismus habeat alios effectus secundarios.

12 QVÆRES PRIMO, vtrùm Baptismus habeat alios effectus, præter assignatos.

RESPONDEO habere nonnullos alios effectus secundarios.

Primus est sanitas, quam Baptismus aliquando confert, vt dicitur de lepra Constantini. & hoc potiùs miraculum est.

Secundus est ablatio irregularitatis ex delicto, vt patet ex dictis de irregularitate.

Tertius est obligatio seruandi Ecclesiæ præcepta; nam homo per Baptismum fit subditus Ecclesiæ, & saltem implicitè promittit Ecclesiæ obedientiam, sicut suscipiens ordines sacros implicitè votum castitatis emittit. Ita ex Tridentino *sess.* 7. *de Baptismo c.* 7. colligit Vasquez 3. *part. t.* 2. *disp.* 156. *n.* 68. Valentia *t.* 4. *disp.* 4. *q.* 4. *punctio* 1. *ad finem*, Henriquez *lib.* 2. *c.* 18. 19. Suarez *loco citato.* Reginaldus *loco citato n.* 64 Bellarminus *lib. de Baptismo c.* 15. & 16. [Filliucius *c* 5. *q.* 2. & 4.] & alij.

An Baptismus producat suum effectum recedente fictione.

13 QVÆRES SECVNDO, vtrùm Baptismus susceptus cum fictione producat suum effectum, recedente fictione.

RESPONDEO solutionem istius quæstionis constare ex supradictis *de Sacramentis in genere.* [*disp.* 1. *q.* 7. *punct.* 3.] Ideo breuiter dico Baptismum conferre suum effectum recedente fictione. Ratio est, tum quia proprium Baptismi est regenerare & remittere peccatum originale, & alia peccata commissa ante Baptismum. & hoc adeò proprium est Baptismi, vt à nullo alio Sacramento fieri possit. ergo necesse est, vt ablata fictione hunc effectum conferat, vel iteretur: sed iterari non potest; ergo dicendum est conferre effectum, sublata fictione, tum quia ita docent S. Augustinus & alij DD. communiter.

Quid requiratur, vt Baptismus suum producat effectum recedente fictione.

14 Sed modò DVBIVM est quid requiratur, vt Baptismus suum producat effectum recedente fictione.

RESPONDETVR, etiam solutionem istius difficultatis constare ex supradictis de Sacramentis in genere. Quamobrem hic breuiter dico, eum qui recipit Baptismum sine præuia intentione, debere illum de nouo recipere, quia prior Baptismus fuit omninò inualidus, defectu intentionis, & perinde est, ac si non fuisset administratus, vt patet ex supradictis de dispositionibus requisitis in suscipiendo Baptismum.

Neque sufficit elicere actum intentionis, nam quando intentionis actus elicitur, non adest materia, & forma, sed iam præcessit: ergo Baptismus iterandus est, vt validè conficiatur, & ipsius effectus recipiatur.

Qui verò recepit Baptismum sine attritione, & fide, satisfaciet auferendo obicem, & defectum attritionis, & fidei, qui commissus fuit in susceptione Baptismi, modò Baptismus bona fide susceptus sit. Quamobrem videndum est, vtrùm recipiens Baptismum, bona fide receperit, non aduertens se debita dispositione carere, & hæc dicitur fictio sine peccato, vel vtrùm acceperit mala fide, sciens se non habere debitum dolorem, ac fidem, aut aduertens se complacentiam alicuius peccati habere, & hæc dicitur fictio cum peccato. Si recepit bona fide, & cum fictione, quæ dicitur sine peccato, recepit fructum Baptismi eliciendo actum fidei, & attritionis; nihil enim aliud requiritur ad effectum Baptismi, quàm vt tollatur impedimentum, & obex; sufficienter autem tolli videtur impedimentum ablata fictione per attritionem, & fidem, quæ desiderabatur in susceptione Baptismi. Si verò accepit mala fide, & cum fictione, quæ dicitur cum peccato, requiritur contritio, vel Sacramentum pœnitentiæ ad recipiendum fructum Baptismi; nam peccatum commissum in susceptione Baptismi, & perseuerans in ipsa receptione est quodammodo posterius ipso Baptismo, saltem natura, cùm sit sacrilegium commissum ob indignam Baptismi susceptionem, vt bene tradit S. Thom. 3. *part. quæst.* 69. *art.* 10. Vasquez 3. *part. quæst.* 69. *art.* 10. *disput.* 160. *cap.* 2. Suarez *disput.* 28. *sect.* 4. & alij. Peccata autem commissa post Baptismi susceptionem delentur per contritionem, vel per Sacramẽtum pœnitentiæ, consequenter posita contritione, vel suscepto pœnitentiæ Sacramẽto directè deletur peccatum commissum in susceptione Baptismi; peccata verò antecedentia Baptismum directè delentur per Baptismum præteritum, qui sublata fictione producit gratiam. Ex quo patet differentia inter Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam, quòd Pœnitentia, vel Eucharistia susceptа cum fictione mortaliter peccaminosa non producit effectum recedente fictione. Ita Valentia *tom.* 4. *disput.* 4. *quæst.* 4. *punct.* 2. *versiculo*, *Atque hinc.* S. Thom. *loco citato.* Suarez *loco citato, sect.* 4. & 5. *conclus.* 1. & 2. Henriquez *cap.* 27. nec dissentire videtur Reginaldus *loco citato, num.* 74. Scotus *distinct.* 4. *quæst.* 5. [Filliucius *tract.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 9. *num.* 112. & *seqq.*] Philiarcus *loco citato, cap.* 9. Toletus *lib.* 2. *c.* 21. *num.* 5. Victoria *de Sacramentis q.* 3. Angles *q.* 4. *art.* 3. *concl. vnica.* Chamerota *de Baptismo, c.* 6. *dubio* 3. & alij apud Sayrum *de Sacramentis in genere, lib.* 5. *c.* 3. *ar.* 11. *q. vnica.* [Vide supradicta *disp.* 1. *q.* 6. *punct.* 3. *n.* 3.]

An peccata antecedẽtia Baptismum aperienda sint in confessione.

15 ROGABIS primò, vtrùm peccata antecedentia Baptismum aperienda sint in confessione.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, tum quia huiusmodi peccata non subijciuntur clauibus, vt constabit ex dicendis de pœnitentia. Tum quia sufficienter possunt auferri per Baptismum sublata fictione; peccatum verò commissum post susceptionem Baptismi subijciendum est clauibus, nam est quodammodò posterius susceptione Baptismi. Peccata autem commissa post Baptismi susceptionem subijciuntur clauibus. Ita Suarez *loco cit. concl.* 5. *sect.* 3. Emanuel Sà *v. Baptismus ad finem.* Valentia, & alij *locis citatis*, omissis ijs, quos magno numero referam de pœnitentia.

An recipiẽs Baptismum cum complacentia peccati venialis recipiat effectũ.

16 ROGABIS secundò, vtrùm recipiens Baptismum cum peccati venialis complacentia recipiat effectum Baptismi.

RESPONDEO recipere gratiam, & remissionem aliorum peccatorum, non verò remissionem illius peccati venialis, vt in simili ostendimus de martyrio, impossibile enim est peccatum simul fieri, & deleri. Ita Pitigianus *dist. 1. q. 6. art. 2.* [Filliucius *cap. 5.*] & alij quos retuli *de martyrio*

17 *An Baptismus liberet à seruitute.*

17 ROGABIS tertiò, vtrùm Baptismus liberet à seruitute, ita vt seruus suscepto Baptismo amittat conditionem seruilem, & acquirat libertatem.

RESPONDEO negatiuè per se loquendo cum S. Thom. *in 4. sent. dist. 39. art. 4. ad primum*, & alijs communiter, teste Bartholomeo ab Angelo *de Sacramentis dialogo 3. §. 170.* Ratio est, quia nullo iure constat, hominem fieri liberum à cõditione seruili ob Baptismum, quamuis liberetur à vinculo diabolicæ seruitutis.

Dixi *per se loquendo*; nam alicubi receptum est in fauorem fidei, vt seruus fiat liber per Baptismi assumptionem.

Quæ de ritibus, & cæremonijs ad Baptismum pertinentibus hîc possent disputari, per vosmetipsos videre potestis apud S. Thom. *quæst. 71. art. 2. & 3.* apud Coninchum *ibidem*, apud Nugnum *ibidem, section. 1. & 2.* apud Valentiam *tomo 4. disp. 4. quæst. 1. punct. 4.* apud S. Antoninum *3. parte titul. 14. cap. 12. §. 16.* apud Syluestrum *Baptismus 5. § 4.* apud Bartholomæum ab Angelo *dialogo 2. §. 60.* Vasquez *3. parte q. 61. disp. 166. cap. 2. 3. 4. 5. & 6.* apud Henriquez *lib 2. cap. 13. & 15.* apud Suarez *disp. 30. sect. 1. & 2.* apud Reginaldum *l. 27. c. 5. à n. 32. vsque ad 36.* apud Toletum *lib. 2. c. 23* apud Bellarminum *lib. de Baptismo c. 24. & 25.* apud Durandum *l. 6. c. 83.* [& apud Filliucium *n. 154.*]

18 *An peccet omittens ritus, & cæremonias Baptismi.*

18 Hic solùm obseruandum est, ritus, quamuis accidentales, nõ posse omitti absque peccato ex suo genere mortali, quamuis aliquando paruitas materiæ possit à mortali excusare, vt suprà diximus *de Sacramentis in genere ad finem.*

19 *An peccet, qui solemniter baptizat in aqua non benedicta.*

19 Ex quo sequitur, eum grauiter peccare, qui solemniter baptizat in aqua non benedicta; hæc enim videtur res grauis, vt testatur Nugnus *loco citato, art. 4. concl. 2.* vbi hoc idem asserit de eo, qui sine necessitate baptizat extra Ecclesiam, *Clementina vnica de Baptismo*, vbi hoc sub grauibus pœnis prohibetur. Idem innuit Emanuel Sà *verb. Baptismus cap. 3.* & alij quos in simili retuli *de Sacramentis in genere ad finem.*

20 *An liceat baptizare adhibito Chrismate alterius anni.*

20 Secundò infertur, non esse licitum extra necessitatem baptizare adhibito Chrismate alterius anni, *cap. si quis de oleo dist. 4.* Ita Nauarrus *cap. 22. num. 74.* Nugnus, & Coninchus *locis citatis.* Emanuel Sà *verb. Baptismus, n. 15.* Idem dic de Chrismate adhibendo in Confirmatione; oportet enim, vt Chrisma sit vnius anni, & vetus comburatur. *c si quis citato.* Ita Reginaldus *lib. 28. n. 8. ad finem.* Suarez *disp. 38. sect 2. ad finem.* Coninchus *de Confirmatione*, & alij apud Emanuel Sà *v. Confirmatio, n. 6.*

21 *Quid agẽdum quando quis sine cæremonijs domi fuit baptizatus.*

21 ROGABIS, quid agendum sit, quando quis fuit domi baptizatus sine cæremonijs requisitis in libro Rituali.

RESPONDEO supplendas esse solemnitates à Parocho in Ecclesia, vt patet; tum ex praxi; tum ex Tridentino *sess. 7.* Tum quia curandum est, vt Sacramentum completè administretur, non solùm quoad substantialia, verùm etiam quoad accidentalia. Ita S. Thomas *quæst. 66. art. 3.* Suarez *in commentario eiusdem articuli.* Emanuel Sà *v. Baptismus, num. 5.* Victoria *de Baptismo concl. 36.* Reginaldus, & alij *locis citatis.*

22 *An repetendæ sint solemnitates, quando Baptismus inualidè fuit solemniter administratus.*

22 Maior DIFFICVLTAS est, vtrùm solemnitates repetendæ sint, quando Baptismus fuit cum solemnitate inualidè administratus.

RESPONDET Henriquez *lib. 2. cap. 15. num. 4.* vbi refert Sotum, & Paludanum. Idem tenet S. Antoninus *3. parte tit. 13. c. 14. §. 22.* Bartholomæus ab Angelo *de Sacramentis dialogo 2. §. 69.* & Reginaldus *loco citato, num. 3.* repetendas esse, quia destructo subiecto destruitur accidens.

Ego verò existimo non opus esse, vt repetantur, vt patet à simili de benedictionibus adhibitis in matrimonio inualido, & idem tradit Henriquez sibi contrarius *lib. 3. cap. 2. de Confirmatione numer. 1. littera N.* vbi loquitur non solùm de solemnitate in confirmatione, sed etiam in Baptismo. Hoc tamen intellige, nisi aliter vsu receptum sit.

DISPVTATIO III.

De Confirmatione.

QVÆSTIO VNICA.

QVÆ de Sacramento Confirmationis disputanda sunt, quatuor punctis breuiter complectemur. In primo agemus de institutione, & definitione istius Sacramenti. In secundo de necessitate, & ministro. In tertio de materia, & forma. In quarto de effectu, & subiecto.

PVNCTVM I.

Quid sit Confirmatio, & quandónam fuerit instituta.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Confirmatio quid sit.*

1 CONfirmatio est Sacramentum, quo homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Episcopo, cum Chrismate, & præscripta verborum forma ad fidei robur consequendum. Ita Henriquez *lib. 1. cap. 6. num. 4* & alij. Hæc definitio optima est; tum quia traditur per genus, & differentiam: tum quia explicantur in ea quatuor genera causarum, efficiens ministerialis, materialis, formalis, & finalis, expresso simul subiecto istius Sacramenti.

Dicitur enim, *quo homo viator baptizatus*, ad indicandum subiectum Sacramenti Confirmationis, quod est homo viuens in hoc mortali corpore.

Dicitur, *inungitur*, ad indicandam causam materialem proximã, quæ est vnctio.

Dicitur, *cum Chrismate*, ad significandam materiam remotam, quod est Chrisma.

Dicitur, *ab Episcopo*, ad indicandam causam efficientem ministerialem huius Sacramenti.

Dicitur, *sub præscripta verborum forma*, vt intelligatur causa formalis, quæ in verbis ab Episcopo prolatis continetur.

Denique dicitur, *ad fidei robur consequendum*, vt ostendatur effectus, & causa finalis huius Sacramenti.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *Institutum fuit Sacramentum Confirmationis in die Cœnæ.*

2 SAcramentum Confirmationis fuit institutum in die vltimæ Cœnæ, quo ad materiam, & formam: tunc enim Christus cõsecrauit Chrisma, vt habetur [ex traditione Ecclesiæ] *in epistola 2.* Fabiani Papæ, & in aliquibus Concilijs, quæ referuntur à Bellarmino *cap. 8.* Quamobrem hoc tempore in die Cœnæ ad imitationem Christi conficitur Chrisma ab Episcopis. Ita Suar. *disp. 32. sect. 2.* Reginald *lib. 28. num. 4.* Bellarm. *loco citato* Bartholomæus ab Angelo *dialog 3. § 24.* [Filliucius *tract. 3. cap 1. quæst. 2.*] & alij communiter.

3 *Non fuit institutum, quando Christus paruulis manus imponebat.*

3 Hinc colligitur primò, Sacramentum Confirmationis non fuisse institutum *Math. 19.* quando Christus paruulis imponebat manus: cùm enim paruuli nondum essent baptizati, non est credẽdum; tunc institutum fuisse Confirmationis Sacramentum, quod supponit Baptismum; sed ibi potiùs designatum, & significatum fuisse, vt ait Henriq. *lib. 3. c. 1. n. 5.* contra nonnullos alios, quos citat, sed reiicit Bartholomæus ab Angelo *dialog 3. §. 22.* & cõtra Graffium *2. par. lib. 1. c. 5. n. 5.* & alios apud Petrum Ledesmam *in Summa de Sacramento Confirmationis c. 1. vers. Tercera conclusion.*

4 *An fuerit institutum hoc Sacramentum Ioannis 20.*

4 Secundò colligitur, Sacramentum Confirmationis non fuisse institutum quoad omnes partes *Ioannis 20.* vbi Christus contulit Apostolis potestatẽ Ordinis sacerdotalis, & Episcopalis illis verbis: *Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos.* sed tunc collatam fuisse Apostolis; & consequenter etiam Episcopis, qui Apostolorum vices gerunt, plenam potestatem conferendi hoc Sacramentum. Quamobrem dici potest, institutionem Sacramenti Confirmationis inchoatam fuisse in die vltimæ cœnæ; cùm ibi fuerit institutà materia, & forma; completam verò fuisse huius Sacramenti institutionem *Ioannis 20.* vbi data fuit Apostolis plena potestas ordinationis sacerdotalis, & Episcopalis. Ita Coninchus *quæst. 7. art. 1. num. 23.* Pitigianus *dist. 7. q. 1. art. 2. ad finem.* [Filliucius *tract. 3. c. 1. q. 2. n. 6.*] & alij contra Henriquez *lib. 3. c. 1. num. 5.*

PVNCTVM II.

De necessitate, & ministro Sacramenti Confirmationis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Confirmatio non est necessaria necessitate medij.*

1 SAcramentum Confirmationis non est necessarium necessitate medij. Ratio est, tum quia ex nullis Christi verbis colligitur talis necessitas. Tum quia multi saluantur sine confirmatione, vt patet in infantibus baptizatis, ex hac vita decedentibus ante susceptam Confirmationem.

2 *Necessaria non est necessitate præcepti.*

2 Addo, Sacramentum Confirmationis non esse necessarium necessitate præcepti. Ratio est, quia nullibi reperitur tale præceptum.

Ex quo fit, vt qui Confirmationem sponte omittit, non peccet mortaliter secluso contemptu, vel alia circunstantia; etiamsi omittat, quando fidem debet protestari coram Tyranno. Quamuis enim Confirmatio tribuat vires, & robur ad profitendam, & confirmandam fidem; nihilominus huiusmodi vires possunt per alia media obtineri, vt mediis Orationibus, Confessione, & Eucharistia. Ita S. Thom. *quæst. 65. ar. 4. & q. 72. art. 3.* Nugnus *ibid. art. 8. dub. 2.* Toletus *lib. 2. cap. 24. num. 11. ad finem.* Valentia *tomo 4. disp. 5. q. 2. puncto 3.* Pitigianus *d. 7. q. 2 art. 2.* Suarez *disp. 38. sect. 1.* Reginaldus *q. 72. art. 8. num. 88.* Angles *de Confirmatione q. vnica, art. 5. concl. 1.* Viualdus *de Confirmatione cap. 5. numer. 6. & 7.* Victoria *de Confirmatione concl. 47.* Chamerota *de Confirmatio. c. 1. dubio 4.* Petrus Ledesma *in Summa de Confirmatione c. 8. versic. Primera conclusion. & vers. Secunda conclusion.* Sayrus *de Sacramentis in genere l. 6. c. 4. q. 1. circa medium.* [Filliucius *tract. 3. c. 2. q. 9. num. 41.*] Nauarrus *c. 22. num. 9. vers. 3.* contra Sotum [& alios] apud Emanuelem Sà, *verb. Confirmatio num. 11.* [& apud Suarez *loco citato.*]

OBIICIES, Episcopus notabiliter negligens in conferendo Cofirmationis Sacramentum, grauiter peccat; ergo etiam grauiter peccat, qui Confirmationis Sacramentum non suscipit, consequenter Sacramentum Confirmationis necessarium videtur necessitate præcepti.

RESPONDEO concesso antecedente, negandam esse vtramque consequentiam. Ratio disparitatis est; tum quia Episcopus facit contra proprium officium in re graui. Tum quia sicut grauiter peccat Parochus, qui notabiliter negligens est in administrandis Sacramentis; ita etiam Episcopus, &c. Ille verò, qui non suscipit Confirmationis Sacramentum, non grauiter peccat; cùm non faciat cõtra obligationem; ita Suarez *disp. 38. sect. 2.* Emanuel Sà *verb. Confirmatio, n. 12.* Angelus *verb. Confirmationis Sacramentum, n. 1.* Henriquez *loco cit. num. 7.* Viualdus *de Confirmatione cap. 4. num. 7.* & Reginaldus *loco citato n. 21.*

SECVNDA PROPOSITIO.

3 *Minister Confirmationis est Episcopus.*

3 MInister Sacramenti Confirmationis regulariter loquendo est Episcopus ordinatus, vt patet ex Tridentino *sess. 7. can. 3. de Confirmatione, & ex cap. Presbyteris, de Consecratione, dist. 4. &*

deducitur ex *Actorum 8. & 19.c.* vbi soli Apostoli cõfirmabant baptizatos ab alijs: soli autem Episcopi sunt simpliciter successores Apostolorum; consequenter Episcopi sunt ministri huius Sacramenti.

Dixi regulariter loquendo, nam ex commissione Summi Pontificis potest etiam simplex Sacerdos tanquam minister extraordinarius à Deo institutus, confirmare, vt patet ex *cap. peruenit. dist. 95.* Ita Bellarminus *cap. 12. de Confirmatione.* S. Thom. *quæst. 72. art. 11.* Pesantius, & Coninchus *ibidem, num. 104.* Nugnus *ibidem, dubio 2.* Henriquez *lib. 2. c. 6. num. 4.* Reginaldus *loco citato, num. 17. 18. & 19.* Couarr. 1. *var. cap. 19. num. 6. & 14.* Petrus Ledesma *in summa de Sacramento Confirmationis, cap. 9. pag. 44.* Nauarr. *cap. 22. n. 8.* Philiarcus 2. *part. lib. 1. c. 11.* Graffius 2. *parte lib. 1. c. 5. n. 29. & 30.* Pitigianus *d. 7. q. 1. art. 5. & 10. & 13.* Angles *de Confirmatione art. 8. concluſ. 3.* Victoria *de Confirmatione concluſ. 49.* Vasquez 3. *parte q. 72. ar. 3. diſp. 219. c 1. n. 3.* Toletus *lib. 2. c. 24 n. 5.* Suarez *diſp. 36. ſect. 4.* Valentia *loco citato, puncto 1.* & alij apud Bartholomæum ab Angelo *§. 63.* contra nonnullos alios.

An aliquis possit Chrisma consecrare præter Episcopum.

4 Adhibendum tamen est Chrisma consecratum ab Episcopo, cũ nullus possit Chrisma consecrare præter Episcopum, vt patet ex Concilio Toletano VIII. *cap. 7.* vbi habetur diuina auctoritate prohibitum esse Sacerdotibus consecrare Chrisma. Ita Nugnus *loco citato art. 3. diffic. 4.* Pitigianus *loco citato, ar. 4. numer. 2.* Graffius *loco citato.* Quanquam aliqui [Doctores] apud Henriquez *loco citato*, apud Bartholomæum ab Angelo *dialogo 3. §. 12 & 13.* [& apud Suarez *diſp. 33. ſect. 3. verſic. in tertia.* & apud Filliucium *num. 13.* quorum opinio probabilis est,] putant, facultatem consecrandæ huiusmodi materiæ committi posse Sacerdotibus à Summo Pontifice.

Obiicies, simplex Sacerdos potest ex commissione Summi Põtificis conferre Sacramentum Confirmationis; ergo à fortiori poterit conficere Chrisma, quod videtur minus.

Respondeo negando consequentiam, non enim argumentandum est à maiori ad minus in ijs, quæ dependent ab institutione Christi, sicut non valet dicere, Sacerdos simplex potest auctoritate ordinaria conficere corpus Christi, ergo potest etiam ordinare, vel conficere Chrisma. [vt bene argumentatur Suarez *diſp. 33 ſect. 2. verſ. in ſecunda.*]

Cur sũmus Pontifex committere possit facultatem confirmandi simplici Sacerdoti.

5 Ratio autem, cur Christus contulerit potestatem Summo Pontifici, vt possit facultatem confirmandi committere simplici Sacerdoti, fuit necessitas, quia ob multitudinem fidelium fieri potest, vt Episcopi omnibus in locis non reperiantur. Ita Coninchus *ar. n. 46.* Nugnus, [Filliucius *n. 13.*] & alij *locis citatis.*

Episcopus degradatus, & excommunicatus potest validè confirmare.

6 Ex dictis colligi potest primo, Episcopum, quamuis excommunicatum, vel hæreticum, vel etiam degradatum, posse confirmationis Sacramentum validè administrare, adhuc enim est Episcopus, cùm per hæresim, vel excommunicationem, vel degradationem non amittat characterem, in quo fundatur potestas confirmandi, & sicut potest Ordines validè conferre: ita etiam potest Sacramentum Confirmationis validè administrare. Ita Suarez *diſp. 36. ſect. 3. verſ. Dicendum eſt ergo.* Emanuel Sà *verb. Confirmatio. versùs finem.* Reginaldus *loco cit n. 19.* Coninchus *q 72 1. ar. 11.* Nugnus *ibid. dub. 3.* Henriq. *loc. cit. c. 6. n. 2.* [Filliucius *tract. 3. c. 2. q. 3 n. 29.* & alij communiter.]

Abbas, qui non est Episcopus, nõ potest confirmare.

7 Secundò, Abbatem, qui non est Episcopus, non posse confirmare.

Simplex Sacdos nõ potest confirmare.

8 Tertiò, Sacerdotem simplicem non posse confirmare de licentia Episcopi tantùm. Videte Suarez, Henriquez, Bellarminum, & Valentiam *locis citatis.* Coninchum *loc. cit. ar. 12.* [Filliucium *n. 28.*] Viualdum *de Confirmatione c. 4. n. 5.*

Episcopus non confirmatus validè potest confirmare.

9 QVÆRES PRIMO, vtrùm Episcopus non confirmatus possit validè confirmare.

Respondeo affirmatiuè; nam habet characterem ordinis Episcopalis in quo fundatur potestas confirmandi: Episcopus verò nondum consecratus, non potest confirmare, quamuis sit electus ad Episcopatum, nam donec consecretur, caret charactere Episcopatus. Ita DD. cit.

Episcopus in sua diœcesi confirmare non potest subditos alterius Episcopi.

10 QVÆRES SECVNDO, vtrùm Episcopus in sua diœcesi possit subditos alterius Episcopi confirmare.

Respondeo negatiuè, quia nullus debet mittere falcem in messem alienam, & patet à simili de Parocho baptizante puerum alterius Parœchiæ, vt suprà dictum est *de Baptismo.* Verùm si Episcopus confirmet subditum alterius Episcopi, excusatur à culpa, & à suspensione, Henriquez *lib. 3. cap. 6. num. 6.* & Emanuel Sà *verb. Confirmatio num. 2.* Ratio est, quia præsumendum est, hoc ratum, & gratum fore proprio Episcopo. Contrarium puto probabilius cum Petro Ledesma *in ſumma Trattado del Sacramento della Confirmation c. 9. pag. 45 verſ. 7. concluſion.* Viualdo *loco cit. n. 8.* Bartholomæo ab Angelo *dialogo 3. §. 62.* & alijs, quia mittit falcem in messem alienam, nec constat de voluntate proprij Episcopi. Et hoc idem tenet Viualdus *loco cit. n. 8.*

Episcopus confirmare, & actus Põtificales exercere non potest extra suam diœcesim.

11 QVÆRES TERTIO, vtrùm Episcopus possit in alterius diœcesi confirmare suos subditos, vel pontificales actus exercere absque licentia Episcopi, in cuius diœcesi reperitur.

Respondeo negatiuè, vt patet ex declaratione Cardinalium circa Trident. Decretum *ſeſſ. 6. c. 5. de reformatione*, vbi expressè cauetur sub pœna suspensionis ipso facto, ne vllus Episcopus in alterius diœcesi pontificalia exerceat absque ordinarij loci expressa licentia, & in personas alteri ordinario subiectas. Ita Henriquez *loco cit.* Emanuel Sà *loco cit. n. 3.* Suarez *diſp. 38.* Reginaldus *num. 21.* Chamerota *de Confirmatione c. 7. dub. 3.* Sylvester, & Paludanus apud Suarez [Filliucius *n. 31.*]

An possit cõferre primam tonsuram in alterius diœcesi.

12 Addit tamen Henriquez, Episcopum posse in alterius diœcesi conferre tonsuram, vel benedictionem solemnem, aut canere Missam Pontificalem absque facultate Episcopi illius loci, hoc enim nullo iure prohibetur, cùm tonsura conferri possit domi priuatim sine Pontificalibus, nec benedictio, & Missa solemnis comprehendi videatur nomine Pontificalium, de quibus sermo est in Tridentino *loco citato.* [Sed de hac re agam *in tract. de censuris*, in particulari.]

Quænam dispositiones requirantur in ministro Confirmationis.

13 QVÆRES QVARTO, quænam dispositio requiratur in eo, qui Confirmationis Sacramentum confert.

Respondeo requiri primò intentionem formalem, aut virtualem, vt patet ex supradictis *de Sacramentis in genere.*

Secundò, vt sit in gratia: nam Episcopus est minister consecratus, & ex officio deputatus ad hoc, non tamen necesse est, vt Episcopus sit ieiunus, vel vt administret in die festo: hoc enim nulla lege præscriptum est, sicut neque necesse est suscipientem esse ieiunum, nam ieiunium non est de præcepto in hoc casu, sed solùm de consilio. Ita Reginaldus *loco citato, num. 17. versùs finem.* Henriquez *lib. 2. c. 5. n. 6. & cap. 6. num. 7.* Angelus *verb. Confirmatio, num. 6. & 7.* S. Anton. 3. *part. tit. 14. cap. 14.* Syluester *verb. Confirm. quæſito 4.* Tabiena *eodem verb. num. 10.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 3. §. 35.* Toletus *lib. 2. cap. 24. num. 9.* Graffius 2. *part. lib. 1. cap. 5. num. 12. & 14.* Viualdus *de Confirmatione cap. 4. n 6 & c. 6. n. 2.* Chamerota *de Confirmatione c. 6. dub. 1.* Coninchus *loco citato, ar. 7. num. 75.* contra Emanuelem Sà *verb. Confirmatio, n. 1.* quatenus existimant Confirmationem dandam esse, & accipiendam à ieiunis.

An Confirmatio conferenda sit in Ecclesia.

14 An verò Confirmatio conferenda sit in Ecclesia. Henriquez, Coninchus, & alij putant, Episcopum non teneri Confirmationem in Ecclesia conferre. Nugnus *q. 72. art. 2. versùs finem. verſic. Secundus ritus.* putat esse mortale peccatum confirmare extra Ecclesiam. Sicut enim, inquit Nugnus, est peccatum mortale solemniter baptizare extra Ecclesiam; cùm fiat contra vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem in re graui; ita, &c.

Ego verò in hac re puto seruandam esse consuetudinem, & ab ea non esse recedendum absque iusta causa, vt bene innuit Emanuel Sà *loco citato.* Tamen non existimo, consuetudinem confirmandi in Ecclesia recepram esse cum tanto onere, vt reum lethalis culpæ constituat Episcopum, alio in loco confirmantem. [Ob id Filliucius *numer. 61.* ait, solùm hoc Sacramentum communiter conferri in Ecclesia.]

PVNCTVM III.

De Materia, & forma Sacramenti Confirmationis.

PRIMA PROPOSITIO.

Quænam sit materia remota Cõfirmationis.

1 MAteria remota Sacramenti Confirmationis est Chrisma, quod conficitur ex oleo oliuarum, admixto balsamo, cuiuscunquoloci sit, benedicto ab Episcopo consecrato. Ita colligitur ex Tridentino *ſeſſ. 7. canone 2. de Confirmatione*, Bracharensi, Florentino, & alijs apud Sayrum *lib. 1. de Sacramentis in genere. c. 3. q. vnica art. 3. verſ. de Sacramentis*, apud Bellarminum *lib. de Confirmatione cap. 8.* & apud Suarez *diſp. 32. ſect. 1. & 2.* Idem tenet Nugnus *3. parte quæſt. 72. art. 3.* Coninchus *ibid. num. 29 & 30.* Henriquez *cap. 2. num. 1.* Petrus Ledesma *in ſumma de Sacramento Confirm. cap. 2. verſ. Prima, terza, è ſettima concluſione.* Pitigianus *dist. 7. q. 1. art. 3.* Philiarcus 2 *part. lib. 1. cap. 11.* Toletus *lib. 2. c. 24. num. 2.* Graffius *loco citato numer. 16.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 3. §. 4.* Angelus *verb. Confirmatio n. 5.* Tabiena *verb. Confirmatio num. 4.* Nauarrus *c. 22. num. 8.* Sylvest. *verb. Confirmatio num. 2.* Sotus *in 4. dist. 7. q. 1. art. 2.* S. Anton. 3. *parte tit. 14. num. 2.* Victoria *de Confirmatione concluſ. 40.* Viualdus *de Confirmatione cap. 2. n. 1.* [Filliucius *tract. 3. c. 2. q. 4.*] & alij communiter.

An balsamum sit de necessitate Sacramẽti.

2 Ex quo patet primò cum Pitigiano *loco citato*, & alijs, balsamum esse de necessitate Sacramenti, vt patet ex Florentino *loco citato*, & ex Doctoribus præallegatis, cùm pertineat ad materiam, quamuis Valentia *tom. 4. diſp. 5. q. 1. punct. 2. verſic. Quæſtio eſt autem.* Nauarr. *c. 22. n. 8.* Philiarcus 2 *part. lib. 1. c. 11.* Angles *de Confirmatione ar. 22. concl. 2.* Victoria *loco citato.* Viualdus *loco citato, nu. 3.* Chamerota *de Confirmatione c. 2. dub. 2.* & alij apud Emanuelem Sà *verb. Confirmatio, n. 7.* sentiant solùm esse de præcepto. [& istorum opinionem non putat improbabilem Suarez *diſput. 33. ſect. 1.* Filliucius *tract. 3. c. 1. q. 5. n. 11.*]

Chrisma à quónam sit benedicendum.

3 Secundò, Chrisma quod est materia Confirmationis, necessariò benedicendum esse ab Episcopo, non à simplici Sacerdote, cùm prohibitum sit Sacerdoti iure diuino benedicere Chrisma, vt patet ex Toletano VIII. Carthaginensi, Florentino, & alijs. Ita S. Thom. *quæſt. 72. art. 4.* Coninchus *ibidem, art. 3. n. 43.* Nugnus *ibidem, difficultate 4.* Suarez *diſp. 33. ſect. 2.* Valentia *loco citato, punct. 2. ad finem.* Franciscus Pitigianus *dist. 7. q. 1. ar. 4. concluſ. 2.* Victoria *loco citato, concluſ. 42.* Viualdus *loco citato, n 4. & 5.* Chamerota *de Confirmatione, cap. 2. dub. 2. & dub. 5.* & alij apud Sà *n. 17.* & apud Bartholomæum ab Angelo *dialogo 3. §. 12.*

Obserua tamen primò de necessitate præcepti esse, vt Chrisma confectum sit illo anno in die cœnæ, *c. ſi quis. de Conſecrat. dist. 4.* ita Angelus *verb. Confirmatio*, S. Anton. 3. *parte ar. 14. c. 14. §. 2.* [Suarez *diſp. 32. ſect. 1. ſub finem.*] & alij communiter.

[Dixi, *de necessitate præcepti*, vt innuerem non esse necessarium de necessitate Sacramenti, consequenter Sacramentum administratum cum Chrismate consecrato alio anno, validum esse. Ratio est, tum quia Concilium Florentinum simpliciter dixit, Chrisma esse materiam istius Sacramenti. tum quia circunstantia temporis, seu talis anni, est extrinseca, & accidentalis ipsimet Chrismati. ita Suarez *diſp. 33. ſect. 1 ſub finem.* Paludanus *in 4. dist. 17. quæſt. 1. art. 2. n. 19.* & alij.

Obserua secundò, à Christo præscriptam non fuisse certam verborum formam ad conficiendum Chrisma, sed solùm in genere præscriptum fuisse vt consecratio fiat per inuocationem S. Spiritus. Cùm enim non constet peculiarem à Christo formam in hac re institutam fuisse, dicendum est, potestatem illam instituendi communicatam fuisse Ecclesiæ. Ita Paludanus *in 4. distinct. 7. q. 1. & 4.* Sotus *in 4 distinct. 7.* & distinctiùs Suarez *diſp. 33. ſect. 2. verſ. reſtat verò.* Coninchus 3. *part. q. 72. num. 47.* Filliucius *tract. 3. cap. 1, q. 6. art. 12.*]

Materia proxima Confirmationis. quænam sit.

4 DIFFICVLTAS modò est, quænam sit materia proxima Confirmationis.

Respondeo, materiam proximam Confirmationis esse vactionem

nem factam in formam Crucis in fronte. Ita S. Thomas 3. *parte qu. 72. art. 9.* Suar. *loco citato, sect. 3.* Pitigian. *art. 6.* Bellarminus, Valentia & Coninchus *locis citatis*, Toletus *loc. cit. in additionibus*, Reginaldus *loco citato n. 9.* P. Ledesma *loco citato c. 3. vers. Secunda conclusion*, & alij communiter. Ratio est, quia Sacramentum, quod consistit in vsu, pro materia proxima habet actionem aliquam circa materiam remotam; sed actio circa materiam remotam Confirmationis non videtur alia, præter vnctionem; ergo materia proxima Confirmationis est vnctio. Ob id alio nomine Confirmatio appellatur Chrisma à Patribus: & Conciliis, quod significat vnctionem, debet autem ista vnctio fieri in formam Crucis, vt patet ex ipsa Confirmationis forma, quæ non verificaretur si aliter fieret; nam in forma dicitur, Signo te signo Crucis, &c. Præterea vnctio non potest fieri aliquo instrumento, vt penicillo, sed necessariò facienda est digito, vel manu, ex præcepto vero Ecclesiæ facienda est, police dexteræ. Ita Suarez *loco citato sect. 4. ad finem*, Coninchus *art. 3. numer. 14. & 15.* Emanuel Sà, *Verbo Confirmatio numer. 9.* Reginaldus *loco citato num. 10.* Nugnus *loco citato art. 4. difficultate 3.* Pitigianus *d. 7. quæst. 1. art. 6.* P. Ledesma *loco citato, vers. Quarta conclu.* Bartholomæus ab Angelo *dialog. 3. §. 25.* Angles *de Confirmatione artic. 3. conclu 2.* [Filliucius *tract. 3. c. 1. quæst. 7.*] Idem sentire videtur Victoria *de Confirmatione conc. 50.* contra Viualdum *loco citato cap. 5. num. 5.*

5 An vnctio necessariò facienda sit in fronte.

5 Denique vnctio necessariò facienda est in fronte, ob id appellatur signaculum in fronte; fit autem in fronte ad indicandum huius Sacramenti effectum, qui est gratia collata ad audacter confitendum Christi nomen; cùm enim frons sit sedes verecundiæ, par est, vt confirmandus in fronte inungatur, vt sine rubore, & verecundia Christi nomen confiteatur. Ita Reginaldus *loco citato n. 9. & 14.* Coninchus *n 50.* Angles *loco citato concl. 3.* Henriquez *cap. 2. n. 3. & c. 5. n 4.* Bellarminus *loc. cit. propositione 4.* S. Thom. *q. 72. art. 9.* Nugnus *ibidem.* Graffius *loc cit. n. 11.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 3. §. 26. & 28.* Chamerota *de Confirmatione cap 7. dubio 1.* Viualdus *de Confirmatione c. 5. n. 3. & 4.*

6 Quænam quantitas requiratur ad vnctionem Confirmationis.

6 Quanta verò quantitas requiratur, & sufficiat ad istam vnctionem, patet ex dictis de Baptismo, eam quantitatem sufficere, qua possit quis digito inungi in fronte.

Ex quo deducitur, modicam quantitatem sufficere, vt inquiunt præcitati DD. sicut etiam ad conficiendum Chrisma, quod est materia huius Sacramenti, sufficit ea quantitas balsami, & mixtio, qua balsamum possit suas qualitates, & præsertim odorem oleo communicare. Quamuis in singulis partibus Chrismatis non insit aliquid balsami formalis. Ita Coninchus *loco citato num. 39.*

Obicies contra solutionem difficultatis propositæ de materia proxima Sacramenti Confirmationis, Apostoli confirmabant per impositionem manuum; ergo sola manuum impositio est materia Confirmationis, non verò vnctio.

Respondeo cum Suarez *loco citato, sect. 4. versùs principium*, Bellarmino *loco citato*, & aliis, illam actionem, quam nos dicimus vnctionem, appellatam fuisse manuum impositionem: eo quòd manu, & digito Episcopi fiat, quamuis non consistat in simplici manuum impositione. Vel dicas hoc fuisse factum ab Apostolis, ex speciali priuilegio & dispensatione, vt ait Suarez *loco citato ad finem*, Henriquez *c. 1. num. 3.* & alij apud Nugnum *loco citato art. 3.*

SECVNDA PROPOSITIO.

7 Forma Chrismatis quænam sit.

7 Forma Confirmationis est ista: Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ita communiter DD. ex Florentino *in instructione Armenorum.*

8 An requiratur expressio Sanctissimæ Trinitatis.

8 Aduertendum autem est, Primò, circa prædictam formam requiri expressionem Sanctissimæ Trinitatis, cùm enim Confirmatio dicatur complementum Baptismi, & conferatur ad promptiùs protestandam, & confitendam fidem, necessum est, vt in ipsius forma exprimatur præcipuum fidei nostræ principium, quod est Sanctissima Trinitas, vt patet à simili ex dictis *de Baptismo* Ita S. Thom. 3. *parte quæst. 72. art. 4.* Pesantius *ibidem.* Suarez *loco citato, sect. 5. versicul. Secundò dubitari potest.* Emanuel Sà *loco citato num 10.* Coninchus *loco citato artic 4. numer. 66.* Reginaldus *loco citato num. 12.* Henriquez *cap. 2. num. 4.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 3. §. 17.* Petrus Ledesma *de Sacramento Confirmationis cap. 3. vers. Tercera conclusion.* [Filliucius *tract. 3. cap. 1. qu. 11. numer. 22.*] & alij.

9 An verba possint essentialiter mutari.

9 Secundò, non esse mutanda verba: nam si verba quoad sensum substantialem varientur, non validè conficietur Confirmationis Sacramentum, vt patet ex regulis generalibus suprà traditis. [Quamobrem si in conferendo Confirmationis Sacramento omittatur particula, te, aut verbum, signo, vel confirmo, inualidum est Sacramentum, quia adest mutatio substantialis. Ita Suarez *disp. 33. sect. 50.* Filliucius *tract. 3. cap. 1. q. 10.*] Verùm si aliquis confirmet hac forma: Confirmetur seruus Christi, validè confirmat, sicut patet ex dictis à simili *de Baptismo.* Ita Suarez *sect. 5. vers. finem.* Henriquez *numer. 5.* Reginaldus *loco citato num. 13.* & alij, qui etiam asserunt validè conferri Sacramentum Confirmationis hac forma: Confirmet te Deus &c. Verùm hæc forma non est tuta; cùm dubium sit, an contineat mutationem substantialem.

PVNCTVM IV.

De effectu, & subiecto Confirmationis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An Confirmatio conferat gratiam habitualem.

1 Primarius Confirmationis effectus est gratia habitualis, cum iure ad diuina auxilia, quib. confirmatus intrepidè, audacter & constanter fidem profiteatur. Ratio est, quia cùm omnia Sacramenta conferant gratiam habitualem, cumque hoc Sacramentum institutum sit ad profitendam fidem, debet per ipsum conferri gratia cum talibus auxilijs, quibus confirmatus constanter valeat fidem profiteri. Ita Suar *disp. 34. sect. 2.* S. Th. *3. part. q. 72. art. 7.* Pesantius, Nugnus, & Coninchus *ibid.* Pitigianus *d. 7. quæst. 1. art 14.* S. Anton. *3 part. tit. 14 cap. 14. numer. 5.* Syluester *Verb. Confirmatio numer. 7.* Tabiena *eodem verbo num. 7.* Angelus *verb. Confirmatio num. 3.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 3. §. 54.* Petrus Ledesma *in summa de Confirmatione c. 5.* Valentia *tom. 4. disp. 5. qu. 1. punct. 4.* Henriquez *loc. cit. punct. 4.* [Filliucius *tract. 3. c. 3. q. 1. & seqq.*] & alij.

2 Secundus effectus Sacramenti Confirmationis est character, qui supponit characterem Baptismi, vt patet ex suprà dictis de secundario Sacramentorum effectu. *2 An imprimat characterem.*

3 Tertius est cognatio spiritualis, de qua egimus *in tractatu de matrimonio*, ad quem vos remitto. *3 An per Confirmationem contrahatur cognatio spiritualis.*

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Subiectum Confirmationis quodnam sit.

4 Subiectum, seu susceptor Confirmationis est omnis homo baptizatus. siue sit infans, siue adultus. [Ratio est, tum quia Apostoli imponebant manus quibuslibet, tum quia in *c. 1. dist. 5.* generaliter dicitur, omnes fideles per manus impositionem Episcoporũ Spiritum sanctum post Baptismum recipere debent.] Ita S. Thom. *loco citato art. 8.* Pesantius, & Nugnus *ibidem.* Suarez *disp. 35. sect. 1. &* 2. Reginaldus *loco citato, n. 22.* Valentia *loco citato, q. 2. puncto 2.* Syluester *verb. Confirmatio, n. 4.* Nauarrus *c. 22. n. 8.* Graffius *2. part. lib. 1. c. 5. n. 10.* Pitigianus *d. 7. q. 1. art. 8.* Chamerota *de Confirmatione c. 6. dub. 1.* Petrus Ledesma *loco citato c. 7.* [Filliucius *n. 32.* Sotus & alij contra Emanuelem Sà *loco citato, n. 5.*]

5 An Confirmari possint pueri vsu rationis carentes

5 Hinc sequitur, Sacramentum Confirmationis conferri posse, nõ solum adultis, verùm etiam pueris nondum rationis vsum habentibus; melius tamen est conferre pueris, postquam ad rationis vsum peruenerunt, vt recordentur se hoc Sacramentum recepisse, ne iterum recipiant, & hoc vsu receptum videtur, vt testatur Sà *loco citato* Toletus *loco suprà citato, n. 7.* Suarez *sect. 2.* Reginaldus *nu. 23.* Henr. *c. 5. n. 2.* Nugnus *loco citato*, Coninchus *art. 8. n. 79.* Graffius *loco citato n. 27.* Pitigianus *loco citato, art. 9.* Victoria *de Confirmatione nu. 48.* Chamerota *loco citato dub. 3.* Petrus Ledesma *in summa de Confirmatione, c. 7. vers. 5. conclusion.* [contra multos alios, asserentes melius esse cõferre hoc Sacramentum in infantia.]

6 An confirmari possint amentes.

6 Addo, non solùm pueris, verùm etiam amentibus, qui ante amentiam petierunt, conferri posse Confirmationis Sacramentum, etiamsi in mortis articulo existant. Immò perpetuò amentibus administrari posse testatur S. Thom. *loco citato art. 8.* Coninch. *ibidem, n. 83.* Suar *loco citato sect. 2.* S. Ant. *3. part. tit. 14. c. 14. §. 5.* Graff. *loc. cit. n. 10.* Angles *de Confirmatione art. 4. concl. 4.* Chamerota *loc. citat.* Henriquez *c. 5. n 3.* [Filliucius *n. 38. & 39.*] contra Sotum, & alios apud Bartholomæum ab Angelo *dialogo 3. §. 58.* Ratio est, quia non potest afferri sufficiens ratio, qua ostendatur hos priuandos esse gratia habituali, quæ confertur per Sacramentum Confirmationis. Nec obstat istos non esse præliaturos, & protestaturos fidem, hoc enim est per accidens.

Obicies, amentibus non est opus diuino auxilio ad protestãdam fidem, cùm fidem profiteri nequeant, vtpote rationis vsu carentes: ergo non est illis conferendum Confirmationis Sacramentum; alioquin etiam ordines possent amentibus conferri, quod non est admittendum.

Respondeo per accidens esse, quòd amentes non sint præliaturi, & protestaturi fidem: nec est eadem ratio de ordine, quia cùm per ordines conferatur quædam potestas requirens quandam personæ dignitatem, quæ in pueris, aut amentibus non reperitur; sequitur amentes, & pueros non esse ad ordines promouendos.

7 Quænam dispositio requiratur in susceipiente Confirmationem.

7 QVÆRES PRIMO, quænam dispositio requiratur in susceipiente Sacramentum Confirmationis.

Respondeo requiri primò intentionem in adulto; in infante verò rationis vsum non habente, sufficit voluntas Christi, & Ecclesiæ, vt patet à simili ex dictis *de Baptismo.*

Secundò, requiritur fides, vt Sacramentum cum fructu recipiatur, vt patet ex dictis *de Sacramentis in genere, & de Baptismo.*

Tertiò requiritur, vt susceipiens Sacramentum sit in gratia, vel saltem, vt putet se esse in gratia, nam hoc Sacramentum est per se institutum ad conferendam secundam gratiam; quamuis aliquando possit conferre primam, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere. Ita Nugnus *loco citato, art. 7 concl. 5.* Suar. *disp. 34. sect. 2. & disp. 35. sect. 1.* Reginaldus *loco citato, n. 33.* Valentia *loco citato, q. 1. punct. 4.* Viualdus *de Confirmatione c. 6. n. 2.* Petrus Ledesma *de Confirmatione c. 6. vers. secunda conclusion.* [Filliucius *tract. 3. c. 3. q. 6.* & alij.

8 Anpeccet recipiens ordines ante Confirmationem.

Vtrùm verò habens conscientiam peccati mortalis, prius teneatur confiteri, aut saltem contritionis actum elicere, antequam accedat ad Confirmationis Sacramentum, patet ex dictis de Sacramẽtis in genere, vbi ostendimus illum non peccare mortaliter qui Confirmationem susceipit post actum contritionis. Ita S. Thom. 3. *part. qu. 72. art. 7. ad secundum.* Angelus *verb. Confirmatio, n. 4.* Syluester *eodem verbo n. 4.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 3. §. 37.* Viualdus *de Confirmatione c. 5. n. 12.* Petrus Ledesma *loco cit. c. 6.*

8 QVÆRES SECVNDO, vtrùm peccet, qui primam tõsuram, vel Ordines recipit ante Confirmationem.

Respondeo peccare, quia facit contra consuetudinem, & præceptum, vt patet ex Tridentino, *sess 23. c. 4. de Reformatione.*

Multi tamen Doctores, vt Suarez *disp. 38. sect. 1.* Coninchus *loco citato art. 8. num. 9.* Valentia *loco citato qu. 2. punct. 3. ad finem*, Nauarrus *in Manuali c. 22. num. 9. vers. 5.* Sotus *in 4. dist. 24. qu. 1. art. 4. versùs finem*, Reginaldus *loco citato, num. 24.* & alij quàm plures apud Henriquez *loco citato, cap. 5. num. 6.* existimant nõ peccare mortaliter, quia omissio Confirmationis non videtur peccatum de se mortale præciso contemptu, nec præceptum Ecclesiæ videtur adeo graue, vt grauem culpam arguat in omittente.

Neque obstat, inquiunt præcitati Doctores, dicere peccare mortaliter eo quod faciat contra consuetudinem Ecclesiæ in re graui, & contra decretum Tridentini *sess. 23. c. 4.* nam consuetudo non

videtur inducta sub mortali, neque ex verbis Tridentini colligitur obligatio grauis, vt obseruat Coninchus, & alij *locis citatis*, quorum opinionem existimo valdè probabilem.

De ritibus, & cæremonijs huius Sacramenti videri potest Suarez *disp.* 37 *sect.* 1. & 2. Bellarminus *c. vltimo de Confirmatione*, Henriquez *cap.* 3. S. Thom. 3. *parte quæst.* 72. *art.* 12. Nugnus & Coninchus *ibidem*, Reginaldus *loco citato numer.* 15. [Filliucius *tract.* 3. *c.* 3. *q.* 7. & 8.]

9 Cur impingatur alapa in Confirmatione.

9 Si QVÆRAS, quare impingatur alapa in collatione Sacramenti Confirmationis.

RESPONDEO impingi, tum vt confirmatus recordetur, se hoc Sacramento semel initiatum esse, ne iterum ad illud audeat accedere; cùm hoc Sacramentum non sit iterabile, vt constat ex dictis de charactere, tum vt intelligat se debere pati iniurias pro fide Christiana profitenda, vt obseruat Toletus *loco suprà citato num.* 10. Henriquez *c.* 2. *n.* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 7. *q.* 1. *ar.* 12. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 3. *§.* 34. Graffius 2. *part. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 28. Viualdus *loco citato c.* 7. *num.* 6. Chamerota *de Confirmatione c.* 7. *dubio* 4. Petrus Ledesma *de Confirmatione cap. vlt. pag.* 46. Suarez, & alij *locis citatis*. Verùm omissio colaphi non videtur peccatum mortale, cùm paruitas materiæ excuset à mortali. Ita Valentia *loco citato q.* 1. *punct.* 3. Emanuel Sà *loco citato, num.* 10. & alij.

10 An iterum confirmari possit, qui hoc Sacramentum aliàs susceperit dubitat.

10 VTRVM verò, quando dubitatur an aliquis sit confirmatus, iterum confirmari possit.

RESPONDETVR, iterum confirmandum esse sub conditione, si non est confirmatus, vt patet ex supradictis *de Sacramentis in genere, & de Baptismo*. Ita Suarez *disp.* 35. *sect.* 1. & alij.

[An autem ex iteratione confirmationis contrahatur irregularitas, constat ex dictis *de censuris disput.* 9. *q.* 2. *punct.* 8. vbi negatiuo responsum est.]

11 An susceptor teneatur edocere infantem, quē in Confirmatione susceperit.

11 Si QVÆRAS, vtrùm susceptor in Confirmatione, teneatur instruere, & edocere infantem, quem susscepit.

RESPONDETVR negatiuè, cùm hæc obligatio nullo iure specialiter imponatur susscipienti puerum in Confirmatione. Ita Henriquez *loco citato, cap.* 3. *num.* 4. Cui verò liceat susscipere in Confirmatione, & compatris officium exercere, constat ex dictis *de Matrimonio*, sicut etiam ex ibi dictis constat, vtrùm patrinus debeat esse confirmatus.

12 An idem possit esse patrinus in Baptismo, & Confirmatione.

12 VTRVM verò idem possit esse patrinus in Baptismo, & Confirmatione.

RESPONDETVR, posse in necessitate, sicut etiam in necessitate licitum est fratri susscipere fratrem, vt ait Emanuel Sà *verb. Confirmatio, n.* 14. & 16.

DISPVTATIO IV.

De Sacramento Eucharistiæ.

MVLTA nobis de ineffabili, & augustissimo Eucharistiæ Sacramento disputanda, & differenda sunt, in quorum explicatione eundem ferè sequemur ordinem, quo in præcedentibus disputationibus vsi sumus, & in fine peculiarem de Sacrificio Missæ disputationem adijciemus.

Sed priùs præmittendum est, tanquam de fide, dari Sacramentum Eucharistiæ, & Eucharistiam esse verum, ac proprium nouæ legis Sacramentum. Ratio est, tum quia illi conuenit definitio Sacramenti, vt constabit ex dicendis: tum quia hoc definitum est in Concilijs, Florentino, Tridentino & alijs, vt videre est apud Suarez *disp.* 31. apud Bellarminum *lib.* 4. *de Eucharistia, capit.* 6. apud Valentiam *de Eucharistia disp.* 6. *q.* 3. Coninchum *quæst.* 75. & 77. Petrum Ledesmam *de Eucharistia c.* 1. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 5. Vasquez 3. *parte tom.* 3. *disputat.* 180. & *disp.* 177. *cap.* 1. [apud Filliucium *tract.* 4. *c.* 1. *quæst.* 2.] & passim apud Summistas.

QVÆSTIO I.

De necessitate, institutione, & definitione Sacramenti Eucharistiæ.

QVatuor breuiter in hac quæstione explicabo. Primò definitionem Eucharistiæ, seu quid sit Eucharistia, tam secundùm nomen, quàm secundùm rem.

Secundò, conuenientiam, & ipsius institutionem.

Tertiò, necessitatem.

Quartò, vnitatem, & multiplicitatem.

PVNCTVM I.

Quid sit Eucharistia secundùm nomen, & secundùm rem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Nomen Eucharistiæ quid significet.

1 NOmen Eucharistiæ duo significat. Primò significat gratiarum actionem; quia in Eucharistia, quatenus est Sacrificium, recognoscimus Deum, illique summum honorem, & gratiarum actionem pro beneficijs acceptis impendimus, quo pacto à S. Hieronymo explicatur ille locus ad Ephesios 5. *magis gratiarum actio*, &c.

Secundò dicitur viaticum, quatenus per Eucharistiam præparamur ad gloriam.

Tertiò Eucharistia significat bonam gratiam. Ratio est, tum quia confert gratiam vberiorem præ cæteris Sacramentis; tum quia continet Christum, qui est vberrimus fons gratiarum, tum quia peculiariter adiuuat ad vitam æternam consequendam, quæ gratia Dei nuncupatur. Ad Romanos 6. *gratia Dei vita æterna.*

Solet etiam Eucharistia alijs nominibus appellari, nam Græcè appellatur Synaxis, id est, communio, & societas, quia Christi fideles per Eucharistię Sacramentum, tanquam vnius corporis membra cum Christo capite vniuntur. Ita S. Thom. *q.* 73. *artic.* 4. Suarez, Nugnus, & Coninchus *ibidem*, Reginaldus *lib.* 29. *num.* 1. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 1. Bellarminus *lib.* 1. *de Eucharistia cap.* 12. Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 1. *puncto* 1. Toletus *l.* 2. *c.* 30. *num.* 1. & 3. Victoria *de Eucharistia n.* 52. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 1. *q.* 1. Molfesius *tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 11.] & alij.

2 Quanta sit Eucharistiæ dignitas.

2 Ex quo deducitur, quanta sit huius Sacramenti dignitas, & excellentia non solùm in se, verùm etiam respectu cæterorum Sacramentorum, ita vt meritò, iuréque optimo nuncupetur Sanctissimum Sacramentum, venerabile Sacramentum, augustissimum Sacramentum, &c.

OBIICIES, per Sacramentum Baptismi spiritualiter renascimur, & accipimus primum esse spirituale, per Eucharistiam verò augemur in vita spirituali, & habemus melius esse, sed præstantius est habere primum esse, quàm melius esse; ergo Baptismus præstantior videtur Eucharistia.

RESPONDEO negando minorem propositionem. Verum quidem est, Baptismum esse magis necessarium, quàm sit Eucharistia, ex eo autem, quòd aliquid est magis necessarium, non infertur, esse præstantius eo, quod non est ita necessarium, neque ex eo, quòd Baptismus ex sua institutione confert primum esse, infertur, ipsum esse præstantiorem, sed magis esse necessarium.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Eucharistiæ quid sit.

3 EVcharistia est Sacramentum consistens sub speciebus panis, & vini consecratis, significans Christum & refectionem spiritualem. Ita Valentia *loco citato, puncto* 1. Nugnus 3. *parte q.* 73. *art.* 1. *difficultate* 3. *concluf.* 10. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 1. *q.* 6. *num.* 21.] & alij.

Dicitur Sacramentum loco generis.

Dicitur consistens sub speciebus, &c. loco differentiæ; cùm per hoc Eucharistia differat à reliquis Sacramentis, quæ non consistùt sub speciebus panis, & vini, neque continent Christum.

4 An spectent ad Sacramētum Eucharistiæ species consecratæ.

4 Hinc colligi potest, ad Sacramentum Eucharistiæ spectare species consecratas, & Corpus Christi; cùm Eucharistia consistat sub speciebus panis, & vini consecratis, &c. Ita Coninchus 3. *p. q.* 73. *art.* 1. *n.* 20. & alij DD. statim citandi.

5 Eucharistiæ quid dicat principaliter & in recto.

5 Quid verò Eucharistia dicat principaliter, & in recto, seu vtrùm Sacramentum sit ipsa consecratio, vel Corpus Christi, vel species ipsæ consecratæ, dissensio est inter Doctores, nam Valentia putat, Eucharistiam dicere vtrumque; Henriquez verò *l.* 8. *cap.* 6. *num.* 2. & *cap.* 7. *num.* 2. *ad finem*, Bellarminus *lib.* 4. *cap.* 6. Nugnus *quæst.* 73. *art.* 1. *difficultate* 2. *concluf.* 5. Pitigianus *distinct.* 8. *quæst.* 1. *art.* 5. *vers. cæterùm valdè*, & alij existimant, Eucharistiam dicere in recto, tantummodò species consecratas, id est, materiam, & formam; quia omne artificiosum dicit in recto suam materiã, seu aliquid sensibile, nam si quis à me petat, quid sit scamnum? Respondebo esse lignum fabricatum sub tali figura, & forma. Ita si quis petat, quid sit Eucharistia? Respondebo esse species consecratas, cùm Eucharistia sit Sacramentum, quod est quid artificiosum, & consequenter dicit in recto aliquid sensibile, & materiale. Sed quidquid sit de hac quæstione, quæ ad speculationem magis pertinet, quàm ad praxin, nobis sufficit dicere, Corpus Christi spectare ad Sacramentum Eucharistiæ, & species consecratas non habere perfectum nomen Sacramenti, nisi quatenus continent Christum, vt ait Bellarminus *lib.* 4. *cap.* 6. Suarez *disp.* 42. *sect.* 1. & 3. Reginaldus *loco citato n.* 2. Nugnus *concl.* 7. Pesantius 3. *p. q.* 73. *disp.* 2. & alij.

6 Sacramentum Eucharistiæ in quónam consistat.

6 QVÆRES in quónam consistat Sacramentum Eucharistiæ.

Pro solutione aduertendum est, in Sacramento Eucharistiæ tria considerari posse. Primum est consecratio, quæ fit quibusdam verbis determinatis: secundum sunt species consecratæ: tertium est sumptio specierum. Difficultas igitur est, in quónam istorum constat Sacramentum Eucharistiæ; nam hæretici contendunt Sacramentum Eucharistiæ consistere in omnibus tribus recensitis: ita vt species consecratę non sint Sacramentum, nisi quatenus sumuntur.

RESPONDEO, Sacramentum Eucharistiæ consistere in consecratione materiæ, seu in materia consecrata, seu in specibus consecratis, consequenter consistere in re permanente, & non in susceptione. Ratio patet, tum quia sic de fide definitum est in Tridentino *session.* 13. *canone* 4. Tum quia extat consuetudo immemorabilis in Ecclesia, tam Orientali, quàm Occidentali asseruandi Eucharistiam, illámque adorandi ante sumptionem, vt ostendit Valentia *disp.* 6. *sect.* 1. *puncto* 3. & Angles *de Eucharistia q.* 1. *art.* 7. *difficultate* 5. *concluf.* 1. Victoria *de Eucharistia num.* 66. Vasquez 3. *parte disput.* 67. *cap.* 3. Ergo signum est Eucharistiam esse Sacramentum ante sumptionem. Neque obstat dicere, etiam Chrisma asseruari, quod tamen constat non esse Sacramentum: nam Chrisma est tantummodo materia remota Confirmationis; consequenter ipsum non adoratur, sicut adoratur Eucharistia, tum quia sequeretur, per verba consecrationis non effici Sacramentum Eucharistiæ, consequenter verba esse falsa, si ante sumptionem non esset Sacramentum Eucharistiæ. Hoc autem absurdum est: tum quia sequeretur, hostiam consecratam ad aliquem communicandum, non esse Sacramentum, si re ipsa ab eo non sumeretur ob repentinam mortem superuenientem, sed hoc est absurdum, ergo dicendum est Eucharistiam esse Sacramentum ante sumptionem, consequenter Eucharistiæ Sacramentum consistere in speciebus consecratis. Ita Valentia *loco citato*. Coninchus 3. *part. q.* 73. *art.* 1. *num.* 20. & *q.* 74. *num.* 26. Bellarminus *part.* 2. *l.* 3. *cap.* 5. Henriquez *l.* 8. *c.* 29. Caietanus 3. *part. q.* 7[5]. *art.* 1. *vers. Vnde conuenientius*, [Filliucius *tract.* 4. *cap.* 1. *q.* 5.] & alij *locis citatis*.

OBIICIES, Sacramentum Eucharistiæ consistit in eo, quod Christus instituit, & præcepit fieri: sed Christus instituit & præcepit, non solùm consecrationem materiæ, verbum etiam sumptionem,

tionem, vt patet ex illis verbis: *Benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens ad eos: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum*; deinde subiunxit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Cùm ergo Christus non solùm præceperit consecrationem, verùm etiam sumptionem, sequitur Eucharistiam non esse Sacramentum ante sumptionem.

RESPONDEO negando Eucharistiam consistere in toto eo, quod Christus instituit, & præcepit fieri; nam Christus aliqua præcepit fieri, quæ constat pertinere tantummodò ad ritum, cæremoniam, vel ad vsum. Præterea Christus præcepit in sumptione Eucharistiæ fieri commemorationem sui, & tamen constat commemorationem Christi non spectare ad substantiam Eucharistiæ, sicut etiam Christus post institutionem Baptismi præcepit Apostolis, vt proficiscerentur ad omnes gentes, eásque baptizarent; & tamen nullus asseruit Baptismum consistere in illa profectione. Ita Valentia *loco citato*, & alij.

PVNCTVM II.

De conuenientia, & tempore institutionis Sacramenti Eucharistiæ.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An conueniens fuerit institutio huius Sacramenti.*

1 VAldè fuit conueniens institui Sacramentum Eucharistiæ, tum ratione continentiæ, cùm Christum contineat, summum bonorum fontem, qui ex hoc mundo discessurus seipsum nobis præ nimio amore reliquit, iuxta illud; *cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.* tum ratione fidei, quæ in hoc Sacramento exercetur, iuxta illud, quod canit S. Mater Ecclesia: Ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit: tum propter memoriam passionis Christi, quæ per huius Sacramenti susceptionem, & confectionem recolitur, iuxta illud: Recolitur memoria passionis eius, &c. Ita S. Thom. 3. *part. quæst. 73. art. 5.* Nugnus *ibidem*, Suarez *disp. 39 sect. 1. concl. 1.* & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *Sacramentum Eucharistiæ quandónam fuerit institutum.*

2 SAcramentum Eucharistiæ institutum fuit à Christo prima die Azymorum, in vltima cœna, vt patet *Luc. 22. Marci* 14. & *Matth. 26.* quo tempore panis fermentatus non reperiebatur in omnibus finibus Israel, iuxta præceptum *Exod. 12. & 13.* fuit ergo institutum prima die Azymorum in vltima cœna, ea nocte, qua Christus tradendus erat, & fuit institutum in loco decenti, id est, in cœnaculo parato in Hierusalem, vt constat ex relatis Euangelistis. Videte Suarez *disp. 41.* Henriq. *lib. 8. c. 2. 10. & 11.* Valentiam *loco citato q. 1. punct. 2.* Vasquez *de Eucharistia loco citato.* Nugnum *loc. cit. vers. pro cuius explicatione.* Coninchum *q. 74. art. 4. dub. 1.* [Filliucium *tract. 4. c. 1. q. 9. & 10.*

3 *[Quónam anno ætatis Christi institutum fuerit hoc Sacramentum.]*

3 ROGABIS quónam anno ætatis Christi institutum fuerit hoc Sacramentum.

RESPONDEO varias esse in hac re Doctorum sententias. Clemens Alex. *lib. 1. strom.* & alij innuunt hoc Sacramentum institutum fuisse trigesimo anno ætatis Christi, quia tunc temporis Christus obijt iuxta ipsos. Irenæus *lib. 2. contra hæreses c. 39. & 40.* innuit institutum fuisse anno ferè quinquagesimo, quia annos ferè quinquaginta Christo attribuit. Beda *lib. de ratione temporis c. 7.* Bened. Perer. *lib. 11. in Danielem, q. 7.* & alij censent institutum fuisse anno trigesimo tertio inchoato. Baronius verò anno 34. Marianus, Scotus *in Chronologico*, & alij apud Suarez *2. part. tom. 2. de mysterijs vitæ Christi, disput. 40. sect. 1.* putant institutum fuisse anno 34. inchoato. Rationes & fundamenta istius sententiæ apud præfatos Doctores videri possunt, ne res morales cum rebus historicis confundantur, mihi sufficiat innuisse.

Hoc tamen certum est Sacramentum Eucharistiæ institutum fuisse in fine lunæ decimæ quartæ, inchoante decima quinta luna primi mensis lunaris, qui apud Iudæos incipiebat prima luna post æquinoctium hyemale, apud nos vocatur mensis Martius, & aliquando partem mensis Aprilis complectitur. Illo die incipiebant Azymi, & comedebatur Agnus Paschalis iuxta legem Moisis, Exodi 11. *seruabitis eum* (id est Agnum) *vsque ad quartam decimam diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam.*

Obserua tamen dies apud Hebræos inchoatos fuisse, præsertim quoad festiuitates, à vespera vsque ad vesperam, iuxta illud Leuitici 13. *à vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Vide Riberam *in opere de templo lib. 5. cap. 3.* Suarez *tom. 2. citato, & tom. 3. disp. 41. sect. 1.* Luisium Legionensem *in tract. de Agno typico.* Henriquez *in summa lib. 8. cap. 2. & 11.* Valentiam, Vasquez & Nugnum *locis citatis.*]

4 *An Deus potuerit Christum ponere in Eucharistia ante incarnationem.*

4 QVÆRES, vtrùm Deus potuerit ante Christi incarnationem ponere Christum in Sacramento Eucharistiæ.

RESPONDEO cum Soto *distinct. 10. q. 4.* Gabriele, Pitigiano *dist. 10. q. 4. art. 3.* Angles *de Eucharistia quæst. 4. art. 5. conclus. 2.* Pesantio *3. parte quæst. 73. art. 5. disput. 1. vers. Tertiò dico*, & alijs apud Henriquez *lib. 8. cap. 2. num. 5. in commentario littera L.* potuisse de potentia absoluta; cùm enim hoc non implicet, Deus potuisset speciali miraculo creare corpus anima rationali informatum, illúdque Verbo diuino vnire, & in solo Eucharistię Sacramento constituere.

5 *An potuisset quis cõsecrare, si Deus ante incarnationem his verbis, Hoc est corpus*

5 Sed modò DVBIVM est, vtrùm aliquis potuisset consecrare, si Deus ante incarnationem his verbis, *Hoc est corpus meum*, dedisset eam virtutem, quam modò habent, & aliquis ea protulisset super panem.

RESPONDEO negatiuè, quia consecratio supponit Christum quoad suum esse substantiale, & illa verba, *Hoc est corpus meum*, non producunt Christum quoad esse substantiale; sed quoad esse sacramentale, vt patebit ex dicendis. Quare aliud est, Deum ante Christi incarnationem potuisse de potentia absoluta ponere Christum in Sacramento Eucharistię, aliud quærere, vtrùm facta fuisset consecratio, si prædictis verbis, *Hoc est corpus meum*, Deus contulisset virtutem, quam modò habent. Primum concedimus, secundum negamus, quia hæc verba, cùm non producant Christum, quoad esse substantiale, sed quoad esse sacramentale, non potuissent constituere Christum sub speciebus, cùm esse sacramentale supponat esse substantiale, quod Christus nondum habebat ante incarnationem loquendo de Christo, vt Christus est, non vt Deus tantùm est.

meum, *dedisset eam virtutem, quam modò habent.*

PVNCTVM III.

De necessitate Sacramenti Eucharistiæ.

IN hoc puncto non est difficultas, vtrùm Eucharistia necessaria sit infantibus qui nondum ad rationis vsum peruenerunt, sed præcipuum dubium est, vtrùm Eucharistia necessaria sit adultis, primò necessitate medij in re, vel in voto, secundò necessitate præcepti; [incidenter tamen agemus etiam de infantibus.]

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An Eucharistia sit necessaria necessitate medij in re, vel in voto.*

1 EVcharistia non est adultis ad salutem necessaria necessitate medij in re, vel in voto. Ita S. Thom. 3. *parte q. 73. art. 3.* Coninchus *ibidem, n. 44.* Nugnus *ibid. difficultate 1. & 3.* Suarez *disp. 40.* Reginaldus *l. 29. n. 8.* Valentia *loco citato puncto 5. in principio*, Angles *de Eucharistia q. 2. art. 9. difficultate 1, fol. 128.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 4. §. 20.*

Quòd Eucharistia non sit necessaria adultis necessitate medij in re, patet; quia illud necessarium est necessitate medij ad salutem, quo prætermisso, salus non obtinetur, sed prætermisso Eucharistiæ Sacramento ab adultis, salus obtineri potest, nam si adolescens decedat statim post Baptismum, euolat in cœlum, nulla interposita mora, vt patet ex supradictis de Baptismo; ergo Eucharistiæ non est adultis necessaria necessitate medij in re.

Quòd verò Eucharistia non sit adultis ad salutem necessaria necessitate medij in voto, constat, quia potest aliquis adultus saluari absque susceptione Eucharistiæ, & absque alia re loco Eucharistiæ, vt patet in adulto, statim post Baptismum decedente, qui statim gloriam consequitur per Baptismum, ergo Eucharistia non est simpliciter necessaria necessitate medij in voto: cùm illud dicatur necessarium in voto ad salutem, sine quo salus non obtinetur, nisi aliquid loco ipsius sumatur, vt patet in Sacramento Baptismi, vel pœnitentiæ, quod dicitur necessarium in re, vel in voto, quia ipsius omissione salus non obtinetur, nisi aliquid aliud assumatur loco ipsius: vt nisi eliciatur actus contritionis, in quo tanquam in voto continetur Baptismus, & pœnitentiæ Sacramentum, vt constabit ex dicendis de pœnitentia. Cùm autem sine Sacramento Eucharistiæ salus obtineatur, etiamsi nihil aliud assumatur loco Eucharistiæ; sequitur Sacramentum Eucharistiæ non esse necessarium necessitate medij in voto. Ita Coninchus *q. 73. art. 3. num. 38.* nec dissentire videtur Valentia *loco citato, puncto 5.* cum alijs Henriquez *lib. 8 3. cap. 3. num. 2. & 3.* Nugnum *loco citato, difficultate 2. concl. 2 & q. 79. art. 3. ad primum*, contra Pitigianum *dist. 9. q. 3. ar. 2.* & alios asserentes, Eucharistiam esse necessariam in voto, quatenus in susceptione Baptismi, & pœnitentiæ continetur propositum suscipiendi Eucharistiam suo tempore. Verùm hic modus loquendi videtur improprius: tum quia potest accommodari omnibus alijs rebus debitis ex præcepto: tum quia propriè votum dicit actum voluntatis, seu propositum, quod elici non potest ab ijs, qui ante rationis vsum suscipiunt Baptismum.

OBIICIES primò, Eucharistia ita est necessaria, sicut pœnitentia & Baptismus, vt colligitur ex verbis, quibus Christus expressit necessitatem horum Sacramentorum. Cùm enim de pœnitentia loqueretur, dixit: *Nisi pœnitentiam egeritis, simul omnes peribitis.* & cùm loqueretur de Baptismo, dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non poterit introire regnum cœlorum*; cùm verò loqueretur de Eucharistia, dixit: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Cùm autem ex verbis Christi relatis de Baptismo, & pœnitentia colligatur necessitas medij respectu pœnitentiæ, & Baptismi, sequitur, eandem necessitatem medij colligendam esse respectu Eucharistiæ, vt patet ex illa particula, *nisi.*

RESPONDEO necessitatem Sacramentorum non colligi tantùm ex modo loquendi, sed ex ipsorum institutione. Cùm autem Sacramentum Baptismi, & pœnitentiæ institutum sit ad quandam primam gratiam, & primum esse spirituale, colligitur Sacramentum Baptismi, & pœnitentiæ necessarium esse necessitate medij ad salutem. Cùm verò Eucharistia non sit per se instituta ad dandum esse spirituale, & primam gratiam, sed supponat hominem in gratia, quæ facit filium Dei, & hæredem gloriæ, colligitur, Eucharistiam non dici necessariam ad salutem.

OBIICIES secundò. Ita est necessaria Eucharistia, quæ est cibus spiritualis animæ, sicut necessarius est cibus corpori, sed cibus est simpliciter necessarius ad conseruandam vitam corporalem: ergo etiam Eucharistia simpliciter necessaria est ad conseruandam vitam spiritualem, consequenter videtur necessaria necessitate medij.

RESPONDEO, Eucharistiam non ita esse necessariam animæ, sicut necessarius est cibus materialis corpori. Ratio disparitatis est, quia vita corporalis continuè atteritur, & consumitur per calorem, qui continuò agit, & consumit. Cùm autem consumptum non possit aliter reparari, quàm per cibum, sequitur cibum dici simpliciter necessarium ad vitam corporalem: hoc autem non accidit in vita spirituali, quæ non successiuè diminuitur, cùm gratia habitualis, quæ dat vitam animæ, illámque sanctificat, non amittatur paulatim, & successiuè, sed tota simul amittatur per peccatum mortale, quoties amittitur. Quare cùm vita spiritualis non paulatim diminuatur, sicut diminuitur vita corporalis, sequitur, Eucharistiam non ita necessariam esse ad vitam spiritualem, sicut cibus ad vitam corporalem.

Addo, cibum corporalem non posse per aliud suppleri, cibum verò

verò spiritualem posse per aliud, quàm per Eucharistiam, suppleri; nempe per alia Sacramenta, & per pia opera, quæ cibus animæ nuncupari possunt.

2 *An infantibus necessaria sit necessitate medij.*

2 Ex dictis colligi potest à fortiori, Eucharistiam non esse infantibus necessariam, non enim necessaria est necessitate medij in re, vt patet ex ratione pro adultis allata, nam infans baptizatus, si moriatur, statim in cœlum transfertur, quamuis nihil aliud præstet, alioquin Baptismus non esset medium sufficiens ad gloriam consequendam. Præterea Eucharistia non est infantibus necessaria necessitate medij in voto, quia infantes rationis vsu carentes nullum possunt habere votum; cùm habere votum sit rem aliquam præcognitam desiderare. Infantes autem rationis vsu carentes, cùm non præcognoscant, quid sit Eucharistia, non possunt illam desiderare, & illius votum habere, voluntas enim non fertur in incognitum. Ita S. Th. 3. *parte q.* 80. *art.* 9. [Victoria *de Eucharistia num.* 84. Pitigianus *dist.* 9. *q.* 3. *art.* 1.] & alij apud Henriquez *lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 4. & colligitur ex Tridentino *sess.* 21. *cap.* 4. *& canone* 4. *§. de communione.*

Verùm contra id, quod diximus de infantibus, obijci potest primò. Aliqui Patres leguntur communicasse infantes, ergo Eucharistia videtur infantibus necessaria.

Respondeo negando consequentiam, nam ex facto Patrum non colligitur necessitas Eucharistiæ respectu infantum, sed hoc factum fuisse à Patribus ob probabilem causam illius temporis, vt tradit Tridentinum *loc. cit. c.* 4. [& cùm aliàs minor esset fidelium numerus, faciliùs vitari poterant incommoda quæ in ministranda infantibus Eucharistia sequi possent.]

Obseruant tamen Henriquez *cap.* 3. *num.* 5. *ad finem*, Coninchus *q.* 80. *art.* 9. *num.* 77. Nugnus *ibid.* Bartholomæus ab Angelo *dialog.* 4. *§.* 23. & alij contra Caietanum, & alios, paruulos recepturos gratiam, si Eucharistia illis conferretur; sicut etiam reciperent gratiã, si Ordinis, vel Confirmationis Sacramentum ipsis administraretur. Ratio est, quia cessante prohibitione Ecclesiæ, posset Eucharistiæ Sacramentum ob iustam causam dari paruulis, sicut olim dabatur: ergo signum est, paruulos esse capaces Eucharistiæ, & consequenter recepturos ipsius effectum, si ipsis administraretur.

Obicies secundò, Baptismus dicitur necessarius infantibus, quamuis infantes nequeant habere votum Baptismi. ergo etiam Eucharistia dici potest infantibus necessaria: quamuis infantes nequeant elicere votum Eucharistiæ, nam Ecclesia potest hoc votum pro infantibus habere.

Respondeo negando consequentiam, nam si Ecclesia huiusmodi votum pro infantibus haberet, oblata opportunitate, ipsi præberet Eucharistiam, & illam non denegaret, sicut re ipsa denegat: signum ergo est, Ecclesiam non habere votum pro infantibus, & consequenter Eucharistiam non esse necessariam infantibus necessitate medij in voto, non quod est necessarium necessitate medij in voto, debet re ipsa suscipi, oblata opportunitate, vt patet *in Baptismo.*

Obicies tertiò, *Ioan.* 16. dicitur: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* quæ verba, cùm sint generalia, & accipienda sint in proprio sensu, indicare videntur, Eucharistiam esse necessariam infantibus necessitate medij, saltem in voto, sic enim argumentor: Eucharistia, vel est necessaria infantibus necessitate medij, vel præcepti, cùm illa verba: *Nisi manducaueritis carnem*, &c. aliquam necessitatem indicent, sed non potest dici necessaria necessitate præcepti, cùm infantes non sint capaces præcepti, vtpotè rationis vsu carentes: ergo Eucharistia necessaria est infantibus necessitate medij in re, vel saltem in voto.

Respondeo, illa verba accipienda esse in proprio sensu, & temerarium esse asserere, non esse intelligenda de manducatione sacramentali, cùm Patres vnanimiter ita explicent, & temerarium sit, ac prohibitum explicare Scripturam contra vnanimem sensum, & explicationem Patrum, vt patet ex Trident. *sess.* 4. Non nego tamen, quin possimus ea verba etiam explicare de comestione Christi mystica per fidem, & per vnionem fidelium inter se, & cum Christo capite, (omnes enim fideles sunt membra Christi, qui est caput Ecclesiæ) quo pacto explicat locum illum Augustinus *Epistola* 23. *ad Bonifacium*, & alij Patres apud Henriquez *lib.* 8. *cap.* 7. *nu.* 1. apud Valentiam *loc. cit punct.* 1. & apud Suarez *disp.* 69. *sect.* 2. *dub.* 2. dum illa verba, *Nisi manducaueritis*, &c. extendit ad infantes. Si ergo illa verba accipiantur secundùm sensum mysticum, extenduntur ad infantes, qui per fidem, & charitatem fiunt membra Ecclesiæ, & vniuntur Christo capiti: si verò accipiantur in proprio, & principali sensu de comestione sacramentali, non possunt infantibus applicari. Quare ad argumentum respondeo, Eucharistiam infantibus non esse necessariam necessitate medij, vel præcepti: cùm illa verba, *Nisi manducaueritis*, &c. non adeò sint generalia, vt ad infantes extendi necesse sit secundùm proprium, & principalem sensum.

Dices, ita sunt generalia prædicta verba, sicut illa; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. sed illa extenduntur ad infantes: ergo & ista.

Respondeo negando maiorem propositionem, nam verba quibus ostenditur necessitas Baptismi, sunt magis generalia quoad obligationem, vt patet ex prima obiectione, & possunt extendi ad infantes, cùm Baptismus consistat in quadam passione, videlicet in susceptione passiua Sacramenti, & actione exercita circa infantes. Verba verò, quibus ostenditur necessitas Eucharistiæ, non possunt ad infantes extendi, tum quia denotant actionem exercendam cum dijudicatione corporis Christi, vt patet ex illis verbis: *Nisi manducaueritis*, tum quia diriguntur ad audientes, & intelligentes, consequenter extenduntur solùm ad adultos: verba verò Baptismi extenduntur ad omnes, nemine excepto. Ratio est, tum quia non diriguntur ad certas aliquas personas, nec præcipiunt aliquem actum, cùm absolutè dicatur: *Nisi quis renatus*, &c. Tum quia ad cognoscendam aliquam obligationem, non solùm spectanda sunt verba, sed etiam conditio illius obligationis, & personarum: vt si lex generaliter feratur, qua præcipiatur, vt omnes ciues agant excubias, non ita generaliter explicanda est, vt extendi debeat ad infantes, vel ad fœminas; ita, &c. tum quia nullus potest habere vitam spiritualem, nisi spiritualiter renascatur. Ita Coninchus *quæst.* 73. *artic.* 3. *numer.* 49. Suarez *disput.* 69. *section.* 2. *dub.* 2. Valentia *tom.* 4. *disput.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 5. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 59. Victoria *de Eucharistia conclus.* 22. Pesantius 3. *part. q.* 73. *art.* 3. *disp.* 1. & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 *An necessaria sit adultis baptizatis necessitate præcepti.*

3 Eucharistia adultis, saltem baptizatis, necessaria est ex præcepto, non solùm Ecclesiastico, verùm etiam diuino affirmatiuo. Ratio est, tum quia cùm verba illa Ioannis 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. indicent necessitatem Eucharistiæ, & ex supradictis constet, non indicare necessitatem medij ad salutem; asserendum est, indicare saltem necessitatem præcepti diuini: tum quia, qui non recipit Eucharistiam, amittit vitam animæ, vt patet ex illis verbis, *Nisi manducaueritis*, &c. *non habebitis vitam in vobis.* Sed vita spiritualis, quam quis priùs habebat, non potest amitti nisi per peccatum, & violationem alicuius præcepti: ergo Eucharistia necessaria est necessitate præcepti. Hoc autem præceptum non solùm est Ecclesiasticum, vt constabit ex infrà dicendis, verum etiam est diuinum: nam si Ecclesia Eucharistiæ sumptionem non præcepisset, Eucharistia adhuc esset necessaria, & ea non suscepta periret vita animæ, iuxta præcitata verba, *non habebitis vitam in vobis.* Ita Sotus *distinct.* 12. *quæst.* 1. *artic.* 11. Bellarminus *loco citato cap. vltim.* Valentia *loco citato punct.* 5. Suarez *loco citato sect.* 1. Nauarrus *cap.* 21. *num.* 57. Henriquez *loco citato cap.* 3. *num.* 2. & 4. Pitigianus *dist.* 9. *quæst.* 3. *art.* 6. Chamerota *de Eucharistia in principio*, Vasquez 3. *parte tom.* 3. *disput.* 69. *capit.* 3. *pag.* 25. Pesantius 3. *parte quæst.* 74. *artic.* 4. *disput.* 2. Victoria, & alij contra Syluestrum, Caietanum, & alios apud præcitatos Doctores asserentes, Eucharistiam esse tantummodò necessariam ex præcepto Ecclesiastico.

In secunda propositione dixi, *adultis*, vt exciperem infantes, quibus Eucharistia non est necessaria, non solùm necessitate medij, vt suprà dictum est, verùm neque necessitate præcepti. Infantes enim non sunt capaces præcepti, cùm vsu rationis careant, vt patet ex dictis de legibus cum Sanchez, & alijs. Idem dicendum est de perpetuò amentibus. Ex quo patet Ecclesiam non teneri Eucharistiam administrare perpetuò amentibus, aut infantibus, vt constat tum ex allata ratione: tum ex definitione Tridentini, *sess.* 21. *c.* 4. *& can.* 4. & bene ostendit Suarez *loco citato sect.* 4. [Filliucius *tract.* 4. *cap.* 8. *q.* 2. *n.* 128.]

4 *An necessaria sit necessitate præcepti adultis non baptizatis.*

4 Dixi, *adultis saltem baptizatis*, nam vtrùm adulti non baptizati obligentur præcepto Eucharistiæ, controuersia est inter Doctores, qui in duas sententias diuisi sunt.

Prima sententia negatiua est Soti *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 1. *articul.* 3. Pitigiani *dist.* 9. *quæst.* 3. *articul.* 8. Sanchez *in opere morali lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 15. Didac. Nugni *quæst.* 80. *artic.* 11. *difficultate* 2. *concl.* 5. Ratio est, tum quia nullus ante Baptismum obligatur ad suscipiendum aliquod Sacramentum, sicut enim obligatus ad ingrediendam Religionem, ante susceptam Religionem non tenetur ad onera, & præcepta Religionis, vt ad castitatem, paupertatem, &c. Ita nec obligatur infidelis ad Eucharistiam ante susceptum Baptismum, qui dicitur ianua aliorum Sacramentorum: & sicut præceptum Cõfessionis non obligat nondum baptizatos, ita nec eos obligat præceptum Eucharistiæ. Tum quia non potest afferri sufficiens ratio ad probandum, Eucharistiæ præceptum de facto cadere super infideles. nam verba illa, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, supponunt eos, qui susceperuri sunt Eucharistiæ Sacramentum, habere gratiam, & iam esse baptizatos, cibus enim sumitur à viuente.

Secunda sententia affirmatiua est Suarez 3. *part. disp* 69. *sect.* 2. *dub.* 1. Vasquez *disput.* 214. *c.* 4. Reginaldi *lib.* 29. *num.* 78. Coninchi 3. *parte q.* 80. *art.* 11. *dub.* 2. *numer* 93. & aliorum asserentium, hoc præceptum cadere super infideles. Ratio est, quia verba citata, *Nisi manducaueritis*, sunt generalia, & potestas Christi ad leges ferendas complectitur omnes, vt pote diuina, & vniuersalis: ergo non sunt excludendi infideles à præcepto diuino, illis verbis expresso, *Nisi manducaueritis*, &c.

Obseruant tamen prædicti Doctores, aliud esse infidelem obligari ad Eucharistiam, & aliud infidelem non posse licitè Eucharistiam suscipere ante Baptismum: cùm hæc duo diuersa sint, vt patet in peccatore fideli, qui tenetur Eucharistiam suscipere, quamuis eam licitè nequeat suscipere ante præmissam confessionem. Immo sicut peccator ex eo quod obligatur Eucharistiam suscipere, obligatur etiam ad confessionem præmittendam, vt Eucharistiam dignè suscipiat, cùm peccatorum confessio sit medium ad Eucharistiam digne sumendam: ita infidelis, vt præceptum Eucharistiæ compleat, tenetur priùs suscipere Baptismum.

Verùm rationes secundæ sententiæ, si bene perpendantur, solùm ostendunt Christum potuisse obligare infideles, sed nõ probant de facto obligasse. Rationes verò primæ sententiæ ostendunt adhuc non obligasse. Quamobrem primæ sententiæ libentiùs adhæreo. Ad rationem verò secundæ sententiæ respondetur, illa verba esse generalia, & extendenda quatenus postulat natura huius Sacramenti, quod supponere videtur subiectum in gratia cõstitutum, & Baptismi charactere initiatum, vt patet ex supradictis, & ex rationibus allatis pro prima sententia.

PVNCTVM IV.

De vnitate, & multiplicitate Eucharistiæ.

1 *An Sacramẽtum Eucharistiæ sit multiplex materialiter.*

Explicandum est in hoc puncto, vtrùm Sacramentum Eucharistiæ sit vnum, vel plura, materialiter, vel formaliter.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Sacramentum Eucharistiæ materialiter est plura Sacramenta. Ratio est, quia vbi est diuersitas, & pluralitas materiæ, & formæ

formæ, ibi est diuersitas, & pluralitas Sacramentorum, saltem materialiter: sed in Sacramento Eucharistię est diuersitas, & pluralitas materiæ, & formæ, cùm alia sit materia, & forma corporis Christi, & alia sit materia, & forma sanguinis: ergo Sacramentum Eucharistiæ completè sumptum sunt plura Sacramenta materialiter. Hoc pacto intelligenda est Sancta mater Ecclesia, quando plura dicit esse Sacramenta. Ita Bellarminus *lib. 2. de Sacramentis, cap. 24.* Suarez *disp. 39. sect. 3.* Valentia *tom. 4. disp. 6. quæst. 1. punct 4.* Henriquez *lib. 8. cap. 8.* Vasquez 3 *parte disp. 67. cap. 2. pag. 19. vers. Mihi verò*, & alij, quos refert Sayrus *de Sacramentis in genere, l. 6. cap. 1. q. 2. art. 2. versicul. Neque id*, nec dissentit Coninchus *qu. 73. art. 2. nu. 29.* & Nugnus *ibid. difficult. 2.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *An sit multiplex formaliter.*

2 SAcramentum Eucharistiæ est vnum formaliter, seu specificè. Ratio est, tum quia ratio formalis, & specifica Eucharistiæ est significare spiritualem refectionem, & eam significando efficere: sed hæc significatio est vna formaliter, quia tam corpus Christi significat refectionem spiritualem, quàm sanguis, nam sicut vtraque species reficit corpus, ita vtraque, & quælibet continet Christum, & significat animæ refectionem: iuxta illud Ioannis *6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, ergo Sacramentum Eucharistiæ est vnum formaliter, cum eandem habeat rationem formalem, & specificam: [tum quia tam res significata, quàm res contenta & effectus, quem producit, vnus est.] tum quia si plura essent Sacramenta formaliter, & specificè, Ecclesia non prohiberet laicis sumptionem Eucharistiæ sub duplici specie, alioquin laici prohiberentur suscipere integrum Sacramentum, & effectum. Nam si admittamus esse duo Sacramenta specie distincta, debemus etiam asserere habere duplicem effectum: cùm autem non sit credibile, Ecclesiam velle priuare laicos effectu Sacramenti; credendum est, Eucharistiam non esse Sacramentum multiplex formaliter. Ita S. Thom. *qu. 73. art. 2.* Pesantius *3 parte qu. 73. art. 2. disp. 1. & 2.* Coninchus *ibid.* Nugnus *ibid. difficultate 2.* Sotus *in 4. dist. 8. qu. 1. art. 3.* Pitigianus *dist. 8. qu 1. art. 3. ad finem.* Toletus *lib. 2. cap. 25. num. 1.* Bellarminus *de Eucharistia lib 4. cap. 22.* Victoria *de Sacramentis, qu. 52.* Suarez *loc. cit.* Reginald. *lib. 29. n. 6.* Angles *de Eucharistia qu. 1. art. 1. diffic. 3.* Chamerota *de Eucharistia c. 4. dub. 4* [Filliucius *tract. 4. c. 1. qu. 7. nu. 25.*] & alij Doctores citati.

Neque obstat dicere, tam species panis consecratas esse Sacramentum, quàm species vini, nam hinc solum colligitur esse plura Sacramenta materialiter, non verò formaliter, cùm in eadem ratione formali significandi spiritualem refectionem conueniant. Immò cùm integra, & perfecta refectio corporalis consistat in cibo, & potu; colligitur perfectam, & integram significationem refectionis consistere simul in speciebus panis, & vini consecratis, consequenter Sacramentum sub speciebus panis, & vini esse vnum integrum, & perfectum Sacramentum, non verò plura formaliter. Ita Doctores citati contra Gabrielem existimantem esse plures species Sacramenti Eucharistiæ.

OBIICIES, ibi est diuersitas formalis, & specifica, vbi est materia, & forma specie diuersa, sed in Sacramento sub speciebus panis est materia, & forma specie diuersa à Sacramento sub speciebus vini; ergo est diuersitas formalis, & specifica inter Sacramentum sub speciebus panis, & Sacramentum sub speciebus vini, consequenter non videtur vnum specie Sacramentum.

RESPONDEO negando maiorem propositionem, cùm inde solùm concludatur diuersitas materialis, non verò formalis: sicut enim duæ domus non differunt specie, quamuis constent lapidibus specie differentibus, & sicut Sacramentum pœnitentiæ administratum contrito, non differt specie à Sacramento administrato attrito, etiam si contritio specie differat ab attritione; ita species vini, & species panis non differunt in esse formali, & ratione specifica Sacramenti, quamuis species vini, & species panis differant specie, nã vtraque species significat refectionem spiritualem.

3 *An plures hostiæ consecratæ dicantur plura Sacramenta.*

3 QVÆRES PRIMO, vtrum plures hostiæ consecratæ dicantur plura Sacramenta.

Solutio istius quæstionis necessaria est; primò, vt cognoscamus vtrùm, qui plures hostias recipit, recipiat plura indiuidua Sacramenti, vel vnum tantùm; nam si recipit plura indiuidua, recipit etiam maiorem gratiam, cùm vnumquodque indiuiduum suam producat. Secundò, vt sciamus, vtrùm duo communicantes dicantur recipere vnum Sacramentum. Sed antequam propositam quæstionem dissoluamus, aduertendum est, hostias consecratas posse dupliciter considerari, vno modo præscindendo à sumptione, altero modo, quatenus sumuntur.

RESPONDEO, plures hostias, si considerentur secundùm se, dici plura Sacramenta materialiter, seu plura indiuidua Sacramenti. Ratio est, quia sunt distinctæ numero materiæ. Immò possunt etiam esse distinctæ numero formę, si sumamus hostias diuerso tempore, vel à diuersis Sacerdotibus consecratas. Neque obstat dicere, vnum esse numero Christum, & consequenter esse vnum tantùm indiuiduum Sacramenti, nam hinc solùm colligitur, contentum in Sacramento esse vnum numero, non verò plures hostias esse vnum numero Sacramentum, seu vnum indiuiduum Sacramenti, [vt fusiùs probat Suarez *tom. 3. disp. 39. sect. 4. vers. tertius modus.* Filliucius *num. 27.*]

Si verò hostiæ considerentur, quatenus vno actu sumuntur, sunt vnum Sacramentum. Ratio est, tum quia habent rationem vnius refectionis: tum quia sicut dicitur vnum conuiuium, etiam si multis constet dapibus; ita dicitur vnum conuiuium spirituale, & vnũ Sacramentum, etiamsi diuersæ particulæ sumantur. Ita sentire videtur Suarez *disp. 39. sect. 4. ad finem*, cum Soto, & Ledesma. [Vasquez *tom. 3. disp. 168.* Reginaldus *lib. 29 nu. 6. & 7.* Molfesius *tract. 3. cap. 1. num. 12.*]

4 *An recipiens grandiorem hostiam maiorem gratiam recipiat.*

4 Hinc sequitur, eum, qui plures hostias, aut vnam grandiorem recipit, non recipere maiorem gratiam ex opere operato, ex eo precisè, quòd recipit plures hostias, vel grandiorem. Ratio est, quia licet plures hostiæ secundùm se consideratæ sint plura indiuidua, tamen quatenus sumuntur simul, habent rationem vnius refectionis spiritualis, cuius refectionis significatio, cùm sit spiritualis, tam saluatur in sumptione vnius hostiæ, quàm plurium: sicut ablutio spiritualis in Baptismo ita significatur in parua quantitate aquæ sufficiente ad abluendum, sicut in magna, alioquin adhibenda esset magna quantitas aquæ in Baptismo, & in communione adhibenda esset magna hostia, quod ab Ecclesia non admittitur. Cùm ergo vna hostia ita significet refectionem spiritualem, sicut significant plures, signum est, eum, qui vnam paruam hostiam recipit, recipere tantum gratiæ, quantum recipitur ab eo, qui grandiorem hostiam, aut plures hostias sumit, si eas sumat simul, seu per modum vnius refectionis. Secus si recipiat per modum plurium refectionum, vt accidit in die Natalis Domini, in quo Sacerdos ter celebrat, & communicat, consequenter recipit fructum triplici sumptioni respondentem. Ita S. Thom. *3 part. qu. 79 artic. 7. ad tertium*, Henriqu. *lib. 8. c. 43. n. 1.* Viualdus *Eucharistia c. 11. n. 3.* & alij Doctores statim citandi.

Non nego tamen, quin dari possit casus, vt qui plures hostias, aut vnam grandiorem recipit, recipiat maiorem gratiam, vt quando quis eam diutius retinens in ore, plures elicit actus disponentes ad maiorem gratiam. Verùm hanc maiorem gratiam non recipit ex eo præcisè, quòd recipiat plures hostias, aut vnam grandiorem, sed quia magis se disponit ad effectum Sacramenti recipiendum: sicut etiam contingit in Sacerdote communicante sub vtraque specie, qui recipit maiorem gratiam, si in continuanda sumptione plures deuotionis actus eliciat, vt obseruat Suarez *disp. 63. sect. 4. 5. & 7.* Coninchus *qu. 79. artic. 1. num. 34.* Viualdus *loco citato*, & alij quos refert Coninchus *num. 42.* Henriquez *lib. 8. cap. 43. n. 2.* & Reginald. *lib. 29. num. 140.*

5 *An Sacerdos communicans sub vtraque specie plus gratiæ recipiat, quàm recipiat laicus communicans sub vna tantùm specie.*

5 QVÆRES SECVNDO, vtrùm Sacerdos communicans sub vtraque specie plus gratiæ recipiat, quàm recipiat laicus, qui sub vna tantum specie communicat.

Pro solutione obserua, non quæri, vtrùm recipiat maiorem gratiam, quatenus magis se disponit ad gratiam, sed vtrùm maiorem gratiam recipiat præcisè ratione Sacramenti. Hoc posito,

RESPONDEO cum Nugno *quæst. 73. artic. 2. ad finem primi argumenti*, & cum alijs apud Henriquez *lib. 8. cap. 44. n. 5. littera A. in commentario*, probabile esse, Sacerdotem sub vtraque specie communicantem recipere plus gratiæ, quàm recipiat laicus communicans sub vna tantùm specie. Ratio est, quia refectio spiritualis perfectius videtur significari sub vtraque specie, quàm sub vna tantùm, ergo plus gratiæ confertur communicanti sub vtraque specie, quàm sub vna tantùm, cùm significatio Sacramenti sit practica, & effectiua.

Neque obstat dicere, hinc sequi, laicos, qui prohibentur communicare sub vtraque specie, priuari augmento gratiæ, quod confertur communicanti sub vtraque specie, nam responderi potest, hanc maiorem gratiam, quàm confert Sacramentum Eucharistiæ sub vtraque specie, non esse necessariam ad salutem, & laicum iusta de causa priuari hac maiori gratia, videlicet ob periculum, quod reperitur in communione sumenda sub vtraque specie, cùm sit periculum effusionis sanguinis, & corruptionis specierum vini, si vinum consecretur etiam pro laicis. Præterea extant alia incommoda vt videre est apud Henriquez *loco citato*, & apud Graffium *2. part. lib. 1. cap. 6. nu. 21.* Denique etiamsi admittamus, laicum non recipere tantum gratiæ, quantum recipit Sacerdos sub vtraque specie nihilominus laicus potest hoc damnum sibi resarcire, & reparare alia ratione, vt frequenter communicando, aut cum maiori deuotione ad Eucharistiam accedendo.

Sed quamuis probabile sit, Sacerdotem sub vtraque specie communicantem plus gratiæ recipere, quàm recipiat laicus sub vna tãtum specie, nihilominus communior Doctorum sententia est, laicũ tantundem gratiæ recipere communicando sub vna tantùm specie, ac si sub vtraque specie communicaret, sicut ita recipit Baptismum, & gratiam Baptismi, qui vna aspersione baptizatur, ac qui trina ablutione, licet triplex ablutio clariùs ostendat ablutionem animę. Ita Bellarminus *lib. 4. de Eucharistia cap. 23.* Henriquez *lib. 8. cap. 8. n. 2. & cap 44. nu. 2.* Suarez *disp. 67. sect. 6. & disp 72. in tribus sectionibus.* Reginaldus *loco citato num. 7. & num. 140. lib. 29.* Coninch. *qu. 79. art. 1. dub. 2. num. 34. & 46.* Summa Corona *de Eucharistia cap. vlt. fol. mihi 81.* Angles *q. 2. art. vlt. fol. mihi 129.* Chamerota *de Eucharistia cap. 8. dub. 5.* [Filliucius *tract 4. c 6. quæs. .... num. 172.*] & hoc probabile putat Nugnus *loco citato.* Immò vtranque sententiam problematicè defendit *q. 80. art. 12. difficultate 2.* Ratio est, quia licet Sacramentum sub vna tantùm specie non significet perfectam refectionem spiritualem, sicut significat sub vtraque, nihilominus ratione rei contentæ ita perfectum est Sacramentum sub vna specie, ac sub vtraque, cùm sub quauis particula hostiæ, aut specierum vini reperiatur integrum & perfectum Christi corpus, saltem per connexionem & concomitantiam.

Ex quo patet communicantem sub vtraque specie non plus fructus accipere, quàm accipiat, qui sub vna tantùm specie communicat, ad differentiam corporalis refectionis, in qua non tantum nutrimenti percipitur ex solo pane, aut ex solo potu, quantum percipitur ex vtroque simul, vt obseruat Nugnus *q. 79. art. 1. ad secundum*, & alij Doctores citati.

Vtraque sententia probabiliter sustineri potest, & alterutram sustinens facilè potest ex dictis solutionem rationis in contrarium colligere.

QVÆSTIO II.

De materia Eucharistiæ.

IN hac quæstione agemus primò de materia remota Sacramenti corporis. Secundò, de materia remota Sacramẽti sanguinis. Tertiò, vtrùm necesse sit sub vtraque specie consecrare. Quartò, vtrùm in consecratione calicis adhibenda sit aqua. Quintò, vtrùm

quælibet materiæ quantitas possit consecrari. Sextò, vtrùm materia debeat esse præsens.

PVNCTVM I.

Quæ sit materia remota Sacramenti corporis.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Quænã sit materia remota Sacramenti corporis Christi.*

1 MAteria remota Sacramenti Corporis Christi est panis triticeus. Ita de fide constat ex Conciliis, Florentino *in decreto vnionis.* [Lateranens. *cap. firmiter.*] Trid *sess.* 13. & alijs. Ratio est, quia illa est materia huius Sacramenti, quam Christus instituit, & in qua ipse Christus consecrauit. Sed Christus consecrauit in pane triticeo, vt patet [tum ex traditione Ecclesiæ : tum] ex illis verbis, *accipiens panem, eleuauit oculos*, &c. & panem instituit pro materia huius Sacramenti, vt patet ex illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo panis est materia huius Sacramenti. Ratio verò, cur non quilibet panis sit materia huius Sacramenti, sed ille solùm, qui conficitur ex tritico, patet, tum ex Concilio Florentino *loco citato*. Tum quia ille panis est materia huius Sacramenti, qui simpliciter dicitur panis, sed solus triticeus est simpliciter panis, cùm hic ordinatus sit ad reficiendas vires; cæteri verò non sunt simpliciter panes, sed appellantur panes cum addito: vnde dicitur panis ex melica, ex hordeo, &c. & dicuntur potius panes animalium, quàm hominum, inquit S. Hieronymus *Ezechielis* 4. Angles *de Eucharistia qu.* 1. *art.* 3. *concluf. vnica.* Chamerota *de Eucharistia, c.* 7. *pag.* 147. & 156. Vasquez 3. *part. disp.* 70. *cap.* 1 & 3. & alij apud Henriquez *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 1. *littera I.* & apud Valentiam *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 1. & apud Graffium 2. *part. lib.* 1. *cap.* 6. *numer.* 4. & 5. & potiùs videntur instituti ad impediendam mortem, quàm ad reficiendas vires. Solus ergo panis triticeus, seu qui conficitur ex frumento, quod est triticum, vel quod non differt specie à tritico, est apta materia huius Sacramenti. Ita communiter Doctores.

2 *Quodnam genus frumenti comprehẽdatur sub nomine tritici.*

2 QVÆRES PRIMO, quænam genera frumenti comprehendantur, & quæ non comprehendantur sub nomine tritici.

RESPONDEO, Panicum, Millium, Auenam, seu speltam, quam Italico sermone dicimus Biada, Lolium, Far, & Hordeum, non comprehendi sub nomine tritici, quia specie differunt à tritico. Selica verò, quàm nos appellamus secalam, comprehenditur sub genere tritici, & est materia huius Sacramenti, quia non differt specie à tritico, nec aliud est secala, quàm triticum aliquanto inferius ordinario tritico, iuxta S. Th. *qu.* 74. *artic.* 3. Henriquez *loco citato, cap.* 9. & alios apud Henriquez *loco citato littera M.* Chamerotam *de Eucharistia cap.* 6. *dub.* 9. contra Vtualdum *de Eucharistia, cap.* 2. *num.* 11. & 13. Pesantium 3 *part. qu.* 74. *artic.* 3 *disp.* 1. grauiter tamen peccaret conficiens Sacramentum in secala, nam vteretur materia dubia, cùm secala secundùm aliquos Doctores, quorum opinionem ego censeo valdè probabilem, & fortè probabiliorem sententia S. Th. non sit triticum, nec pro tritico in nostris regionibus habeatur: qui autem vtitur materia dubia, grauiter peccat, vt bene ait Coninchus *loco supra citato, n.* 52. & alij communiter, quos retuli *de Sacramentis in genere.*

3 *An quilibet panis triticeus sit materia sufficiens.*

3 QVÆRES SECVNDO, vtrùm quilibet panis confectus ex tritico, sit materia sufficiens huius Sacramenti.

RESPONDEO affirmatiuè his quatuor concurrentibus.

Primum est, vt adhuc denominetur panis, nam si alio nomine nuncupetur, non præsumitur materia apta, quia videtur aliam induisse naturam.

Secundum est, vt sit confectus aqua naturali, cùm panis aqua naturali confectus propriè dicatur panis, vt constabit ex illationibus adducendis.

Tertium, vt sit coctus igne per modum assationis, vt in furno, aut sub cinere, aut ferro calido, aut alia simili ratione. Ratio est, quia panis, qui non est hoc modo coctus, non est panis, nec propriè dicitur panis. Ita Pitigianus *dist.* 11. *q.* 6. *dub.* 2. Vasquez 3. *part. disp.* 70. *c.* 4 *pag.* 38. *n.* 25. & 26. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 3. *q.* 7. Molfesius *n.* 28. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 21.]

Quartum est, vt sit præsens moraliter, & possit designari per particulam *hic*, & *hoc*, alioquin forma non verificaretur, vt constabit ex dicẽdis. Ita S. Th. *q.* 75. *art.* 6. Caietanus *ibid. art.* 3. Coninchus *ibid n.* 47. & 48. Nugnus *ibid. difficultate* 1. *concl.* 3. *difficult.* 2. Henriqu. *lib.* 8. *c.* 9. *nu.* 2. Valentia *loco citato, qu.* 2. *punct.* 1. Suarez, & alij DD. citati.

4 *An panes dulciarij sint materia sufficiens.*

4 Hinc sequitur primò, panes dulciarios, confectos scilicet ex melle, vel lacte, vel aqua rosacea, vel alio simili liquore, in tanta quantitate, vt non amplius dicantur panis vsualis, sed dulciarius, mutato odore, & sapore, non esse materiam sufficientem huius Sacramenti. Ratio est, tum quia non sunt, nec appellantur panis vsualis, nec sunt confecti ex aqua naturali. Si verò panis confectus sit aqua naturali, & illi admista sit aqua rosacea, vel butyrum, &c. videndum est vtrùm aqua rosacea, vel alia res aquæ permista sit magnæ quantitatis, ita vt æquet, vel superet aquam naturalem, vel vtrũ sit modicæ, & exiguæ quantitatis. Si est modicæ quantitatis, cẽsetur adhuc materia sufficiens, quia modica quantitas trahitur ad naturã aliorũ, quæ concurrunt, & non destruit rei naturam. Si verò sit magnæ quãtitatis, nõ est materia sufficiens, quia ex huiusmodi admistione resultat tertiũ quoddã compositum, distinctũ à pane vsuali. Ita S. Th. *q.* 74. *art.* 3. & 7. Coninc. *ib. n.* 46. Tolet. *lib.* 2. *c.* 25. *n.* 1. Emanuel Sà *verbo Missa, num* 4. Graffius 2 *part. lib.* 1. *cap.* 6 *num.* 8. Syluester *verb. Eucharistia* 1. *num.* 3. Armilla *Eucharistia* 6. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. *§.* 326. Vtualdus *de Eucharistia cap.* 2. *num.* 17. Chamerota *c.* 6. *dub.* 14. qui etiam ex parte est contra nos: Valentia *loc. cit. vers. Putat etiam.* Henriquez *loc. cit.* [Filliucius *tract.* 4. *c.* 3. *q.* 6. Molfesius *tract* 3. *c.* 2. *n.* 18. & alij.

5 *An pasta, lagana, &c. sufficiant.*

5 Secundò sequitur, pastam, lagana, pultem, & similia, non esse sufficientem materiam huius Sacramenti. Ratio est, quia communi nomine non appellantur panis; & quamuis demus cum Soto, pastã non differre specie physica à pane, non propterea dicendum est, pastam esse sufficientem materiam: tum quia non dicitur panis: tum quia differt saltem moraliter, quamuis non differat specie physica. Ita Henriquez *loco citato, in commentario littera G.* Coninchus *loco citato num.* 47. Toletus *loco citato* Angles *loco citato* Sotus *in* 4. *sent. dist.* 9. *q.* 1. *art.* 3. Caietanus 3. *parte q.* 34. *art.* 3. Bartholomæus ab Angelo *loco citato, §.* 321. Vtualdus *loco citato num.* 16. & 17. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 3. *q.* 7. *n.* 79.] Chamerota *loc. cit.*

6 *An sufficiat panis confectus ex farina tritici, & ex farina frumenti alterius speciei.*

6 Tertiò sequitur, panem confectum ex farina tritici, & ex farina frumenti alterius speciei, esse materiam aptam si admistio alterius farinæ sit modica, & parua, ita vt triticum adhuc prædominetur; si verò mistio sit æqualis, ita vt reddatur medium quid inter panem triticeum, & alium panem, non est apta materia, vt dictum est in prima illatione, sicut neque est apta materia calicis, si fiat æqualis mistio aquæ, nisi fortè sint aliquæ partes, quæ vini formam adhuc retineant. Ita communiter Doctores, cum S. Thom. 3. *part. qu.* 74. *art.* 3. *ad tertium.* Vasquez *loco cttato cap.* 4. *pag.* 37. Viualdo *loc. cit. num.* 14. Chamerota *de Eucharistia cap.* 6. *dub.* 13. Graffio 2. *parte lib.* 1 *cap.* 6. *n.* 7. Bartholomæo ab Angelo *loc. cit. §.* 311. [& Filliucio *tract.* 4. *cap.* 3. *q.* 6.]

7 *An amylon sit materia apta.*

7 Quartò sequitur, amylon non esse materiam aptam, etiamsi admittamus amylon non differre specie physica à pane, vt patet à simili ex dictis de pasta. Verùm si amylon de nouo redigatur in farinam, & compactum aqua, coquatur igne, erit materia sufficiens, quia denominabitur panis triticeus, cùm amylon ex tritico conficiatur. Ita S. Thom. *loco citato, art.* 3. *ad quartum.* Vasquez 3 *part. disp.* 70. *c.* 4. *n.* 23. Coninchus *ibidem. n.* 54. Valentia *loco citato, versic. Item communis.* Pitigianus *distinct.* 14. *q.* 6. *dub.* 1. *conc.* 5. Bartholomæus ab Angelo *loco cit. §.* 319. Viualdus *de Eucharistia c.* 2. *n.* 10. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 3. *q.* 7. Molfesius *tract.* 3. *c.* 2.] & alij.

8 *An conficiatur tam in azymo, quã in fermentato pane.*

8 Quintò, tam panem fermentatum, quàm azymum esse materiam aptam huius Sacramenti, quia panis fermentatus non differt specie ab azymo, & fermentatũ non ita corrumpit pastam, vt efficiat panem differre specie ab azymo, consequenter valida est consecratio, siue fiat in azymo, siue in fermentato. Ita Coninchus *loco citato art.* 4. Valentia *loc. cit. vers. Porrò.* Bartholomæus ab Angelo *loco citato §.* 327. Victoria *de Eucharistia, num.* 55. Chamerota *loc. cit dub.* 16. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 3. *q.* 8. *n.* 81. Molfesius *tract.* 3. *c.* 2. *n.* 25.] & alij Doctores præcitati.

9 *Quem ritũ quisque Sacerdos sequi teneatur.*

9 Aduertendum tamen est, vnumquemque debere se accommodare suæ Ecclesiæ, ita vt Sacerdos Latinus consecret in azymis: vsus enim, & consuetudo Latinorum est, vt in azymis conficiant, & Christum imitentur, qui in azymis confecit, & Apostolos in azymo communicauit, vt testantur Chrysostomus, Augustinus, Theophylactus, Beda, [Leo Papa IX. apud Henriquez *loco* statim *citando.*] Graffius *loco citato, num.* 10. Bartholomæus ab Angelo *loco citato §.* 328. Vasquez 3 *part. disp.* 172. 173. & 174. Pesantius 3. *part. q.* 74. *art.* 4. *disp.* 1 *pag.* 887. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 3. *q.* 8 *n.* 82. Molfesius *loco citat, nu.* 24.] & alij apud Henriquez *loco citato c.* 11. *n.* 6. Et hæc consuetudo conficiendi in azymis melior est consuetudine Græcorum, conficientium in fermentato, vt bene tradit S. Thom. *q.* 74. *art.* 4. Coninchus. *ibid n.* 57. & 96. Rodriquez *in summa c.* 249. *de Missa concluf.* 11. Victoria *loc. cit.* & alij, & patet ex mox allata ratione, cùm Christus in azymis confecerit.

Ex quo sequitur, grauiter peccare Sacerdotem Latinum, non conficiendo in pane azymo, facit enim contra consuetudinem, & præceptum Ecclesiæ in re graui, vt colligitur ex *cap. litteras. de celebratione Missarum.* Ita Azorius 1. *parte lib.* 10. *cap.* 23. *quæsito* 8.

Addo Græcos illos grauiter errare, qui vsum Ecclesiæ Latinæ consecrandi in azymis carpunt, & reprehendunt, quorum sententiã Leo Nonus appellat hæreticam.

Græci verò debent conficere in fermentato, cùm hic sit vsus Ecclesiæ Græcæ, vt constat ex Florentino *sess. vlt. in litteris vnionis*, & vnusquisque debeat se accommodare suæ Ecclesiæ. Ita Nugn. *qu.* 74. *art.* 4. *conc.* 7. Henriquez *loco citat.* Suarez *disp.* 24. *sect.* 4. Coninch. *loco cita. dub.* 3. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 18. Sotus, & alij. Quamquam aliqui putent posse conficere in azymis, vt Nugnus *articul.* 4. & alij.

10 *An Græcus in Ecclesia Latina conficere possit in Azymis, & Latinus in Ecclesia Græca in fermentato.*

10 Vtrùm verò Græcus in Ecclesia Latina possit conficere in azymis, & vtrùm Latinus in Ecclesia Græca possit conficere in fermẽtato.

RESPONDETVR affirmatiuè cum Henriq. *loc. citat. c.* 11. Coninch. *qu.* 74. *art.* 4. *dub.* 3. *n* 95. Sanchez *loc. cit.* Nugno *loc. cit. concl.* 7. Suarez *loc. cit.* & aliis, quos in simili retuli *de matrim. q.* 2. *punct.* 7. *quæsito* 1. & *in tractatu de legibus.* quilibet enim potest se legitimis consuetudinibus locorum accommodare, iuxta illud: *Si fueris Romæ, Romano viuito more.* [Nonnulli tamen Doctores obseruant, Sacerdotem Latinum non posse in Ecclesia Græcorum existente in loco Ecclesiæ Latinæ, & subiecto Ecclesiæ Latinæ, celebrare in fermentato, quia huiusmodi Ecclesia non propriè dicitur Ecclesia Græcorum, sed vocatur Ecclesia Græcorum, quia Græci priuilegium habent celebrandi in ea, suo ritu, & quia præfata Ecclesia peculiari ratione cõcessa est Græcis, vt in illa sua peragant ministeria & officia. Suarez *disput.* 44. *sect.* 3. Filliucius *tract.* 4 *ca.* 3. *q.* 8. *n.* 83. quorum opinio probabilis est, quamuis oppolita non caret probabilitate, nisi constet summum Pontificem velle talem Ecclesiam in vsum solùm Græcorum Sacerdotum concedere.]

11 *An Latinus in Ecclesia Latina conficere possit in fermentato.*

11 ROGABIS, vtrùm Sacerdos Latinus possit in Ecclesia Latina conficere in fermentato saltem in necessitate, vt si adsit infirmus, & Parochus non habeat alium panem præter fermentatum.

RESPONDEO ex communi Doctorum sententia, Soti *dist.* 9. *art.* 4. Suarez *disp.* 44. *sect.* 4. *concluf.* 2. & fusiùs *disp.* 76. *sect.* 5. *dub.* 2. [Filliuc. *n* 84.] Henriq. *loco citat. n.* 2. & *c.* 13. *n.* 3. Angeli, Ledesmæ, & aliorum apud præcitatos Doctores, contra Maiorem *distinct.* 9. *qu.* 3. *ad quintum*, non posse, sed grauiter peccare conficiendo in fermentato Propterea potius permittere debet infirmum absque viatico decedere, quàm conficere in fermentato. Ratio est, tum quia, sicut in tali euentu non licet celebrare sine vestibus, aut vasis sacris, aut in

in altera tantùm specie, aut fracto ieiunio, ita neque licet celebrare in fermentato. Tum quia si Sacerdos tenetur in tali euentu conficere, maximè ratione præcepti diuini, quo infirmus tenetur in articulo mortis communicare; sed præceptum diuinum non obligat quando per ipsius adimpletionem violarentur leges ordinatæ ad reuerentiam tanti Sacramenti, quod sicut est maioris dignitatis, ita est minoris necessitatis, & cùm hæc res grauissima sit spectans ad Dei reuerentiam, & cultum, potius habenda est ratio reuerentiæ debitę tanto Sacramento, quàm necessitatis proximi, quæ non est tanta, quin ei subueniri possit per alia media, vt per contritionem, vel per Confessionem, & alia Sacramenta: ergo, &c.

12 *Cur Christus instituerit hoc Sacramentũ in materia panis.*

12 QVÆRES TERTIO, quare Christus potius instituerit hoc Sacramentum in materia panis, quàm in alia.

RESPONDEO, rationem congruentem istius institutionis desumi posse. Primò ex fine, & effectu istius Sacramenti, qui consistit in spirituali refectione animæ. Nulla autem res melius repræsentat refectionem, quàm panis.

Secundò, quia per panem ostenditur mystica vnio Christi cum Ecclesia, sicut enim panis conficitur ex multis granis, ita mysticum Ecclesiæ corpus ex multis fidelibus, qui Christo vniuntur, tanquam capiti. Ita Graffius *2.part.lib.1.c.6.n.1.* [Suarez *tom.3. disp.* 43. Filliucius *tract.4.c.3.q.1.n.62.*] & alij.

PVNCTVM. II.

Quænam sit materia remota Sacramenti sanguinis.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Quænam sit materia remota Sacramenti sanguinis Christi.*

1 MAteria remota Sacramenti sanguinis est vinum ex vite. Ita communiter Doctores, cum S. Thom. *quæst. 74. art. 5.* Toleto *lib.1.cap.25.num.3.* Azorio *1.part.lib.10.c.19.* Graffio *loco cit. num.11.* Miranda *in Manuali Prælatorum qu.40. art.6. concl.2.* Angles *de Eucharistia q.1. art.5.* Victoria *de Eucharistia n.54. & 58.* Vasquez *3.p.disp. 75.cap.11.* [Filliucio *tract.4.c.3.quæst.7.* Molfesio *tract.3.c.2.nu.29.*] Pesantio *q.74. art.8. disp.1.* & ita definitum est in Florentino *in instructione Armenorum*, in Lateranensi *c. firmiter. de Summa Trinitate*, & in aliis Conciliis relatis à Suarez *disp.43. sect.1.* Valentia *tom.4. disp. 6.q.2. punct.1. vers. Nunc quo ad alterum*, & à Nugno *qu.64. art.1. & 5.* Ratio est, quia illa est materia istius Sacramenti, quam Christus instituit: Christus autem pro materia istius Sacramenti instituit vinum, vt habetur *Matthæi. 26. Lucæ 22. & Marci 14.* vbi appellatur generatio, & genimen vitis. Ratio autem, cur Christus instituerit vinum pro materia remota huius Sacramenti, est, quia hoc Sacramentum institutum fuit ad refectionem spiritualem, refectio autem optimè indicatur per vinum, & panem, cùm vinum, & panis sint materia sufficiens, & ordinaria ad reficiendum hominem.

2 *An in vino tam nigro quam albo Sacramentũ validè conficiatur.*

2 Hinc sequitur primò, Sacramentum sanguinis confici posse, non solùm in vino nigro, verùm etiam in albo, nam vtrunque verè est vinum ex vite, quamuis differat secundùm qualitatem & accidentia, aut etiam physicè secundùm substantiam: sicut Confirmatio habet pro materia oleum cum balsamo, siue balsamum sit Indicum, siue alterius regionis, vt patet ex supradictis de Confirmatione. Et Sacramentum corporis potest confici ex tritico, quod proprié triticum in vnaquaque regione appellatur, vt patet ex dictis *punct.1.* Ita Valentia, & Suarez *loco citato* Reginald. *lib.29.num.23.* S. Thom. *3.part q.77. art.8.* Sotus *in 4. dist 9.q.1. art.5.* Bartholomæus ab Angelo *dialog. 4. §.339. & 344.* Sylvester *Eucharistia 1.num.5.* Coninch. *quæst.74. art.5. num.121.* Toletus *loco cit.* [Filliucius, Molfesius,] & alij.

3 *An mustum sit apta materia istius Sacramenti*

3 Secundò, mustum esse aptam materiam Sacramenti sanguinis, quia verè est vinum, *cap. cùm omne, de consecratione, dist.2.* Cauendum tamen est, ne mustum sit fæculentum, aut impurum, alioquin committeretur peccatum ex suo genere mortale, contra reuerentiam tanto Sacramento debitam. Vinum verò satis decoctum non videtur apta materia, quia mutauit speciem, nec est proprié vinum. Ita S. Thom. *qu.74. art.5.* Henriquez *lib.8.cap.12.num.1.* Coninchus *loco citato num.124.* Nugnus *loco citato art.5.* Vasquez *3.part. disp.175.c.2. num.13.* Graffius *2.part.lib.1.c.6.num.14.* Pitigianus *dist.11.q.7.dub.1. concluſ 5.* Angles *loco cit. difficultate 1.* Bartholomæus ab Angelo *loco citato, §.339.* S. Antoninus *3.part.tit.13.cap 6.num.1.* Angel. *verbo Eucharistia 1.n.4.* Tab. *ibid.* Sotus *in 4. sent. dist.9.q.1. art.5.* Viuald. *de Eucharistia c.3. n.3. & 6.* Chamerota *de Eucharistia cap.6.dub.17.* Valentia, Suarez, [Filliucius,] & Reginaldus *loco citato.*

4 *An vinum miraculosè factum sufficiat.*

4 Tertiò, Sacramentum sanguinis confici posse in vino miraculosè facto, quale factum fuit in nuptiis Cana Galileæ, nam verè ex aqua factum fuit vinum per vitæ, & vitis auctorem, & perinde fuit, ac si ex vite naturali factum fuisset, vtait Henriq. *lib.8.cap.12.* & alij; sicut enim Baptismus validè posset confici in aqua miraculosè producta, quæ sit eiusdem speciei cum aqua naturali: ita Sacramentum Eucharistiæ validè posset fieri in vino miraculosè producto, cùm sit eiusdem rationis cum vino ex vite collecto.

5 *An acetum, vel vappa sit materia sufficiens.*

5 Quartò, acetum non esse materiam aptam huius Sacramenti, nam acetum non est proprié vinum: sed est vinum corruptum, vinum verò acescens est materia sufficiens, quamuis peccet, qui vino acescente, quod scilicet est in via ad acetum, vtitur extra necessitatem, & hoc peccatum est mortale, si vinum ita vergat ad acetum, vt dubitetur, an sit verè acetum, exponit enim se periculo conficiendi in materia indebita, & non sufficiente. Ita Pitigianus *dist.11. q.7. concluſ.6.* Angles *loco cit.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 4. §. 343.* Victoria *de Eucharistiæ concluſ.59.* Viualdus *de Eucharistia cap. 3.num.4.*

Idem dicendum est de eo, qui vtitur hostia adeò corrupta, vt formam panis amiserit. Ita S. Thom. *loc.cit. ad secundum.* Henriquez *loco citato n.2.* Bartholomæus ab Angelo *loco citato §.336.* Summa Corona *de Eucharistia, numer.20.* Suarez, Valentia, Toletus, Reginaldus, [Filliucius, Molfesius,] & Coninchus *locis citatis.*

6 *An agrestia sufficiat.*

6 Quintò, agrestam non esse materiam aptam Sacramenti sanguinis, quia nondum est vinum, sed est in via generationis ad vinum, vt inquiunt communiter Doctores. Cognoscitur autem esse vinum, quando id, quod exprimitur ex vua, est dulce. Ita Anglez *loco citato.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 4. §.336.* [Suarez, Filliutius, Molfesius, & alij.

7 *An aqua è vitibus effluens sufficiat.*

7 Sextò, aquam è vitibus effluentem non esse materiam aptam, quia non est vinum. Ita S. Thom. *loco citato ad tertium.* Coninchus *ibid. n.122.* Suarez, Valentia, & alij *loc cit.*] Adde Ioram, quæ Mediolani vocatur *posca*, Romæ appellatur *aquato*, non esse materiam Eucharistiæ sufficientem, nam huiusmodi vinum, seu potus maiori ex parte conficitur ex aqua, consequenter non est vinum ex vite, sed quid tertium, vel potiùs aqua vino temperata: nam mixta sequuntur naturam prædominantis. Ita Suarez, Filliucius, Molfesius, & alij *locis citatis.*

8 *An possit consecrari cereuisia, seu vinum ex malogranatis expressum.*

8 Septimò, vinum ex malogranatis expressum, aut cereuisiam non posse consecrari, quia non est simpliciter vinum, & non est vinum vitis: vinum enim consecrandum est vinum de vite, vt colligitur ex illis verbis Christi, *non bibam amodò de hoc genimine vitis.* Ita Coninchus *loc.cit.n.121.* Henriquez, Valentia, Suarez, Reginaldus, Toletus *loc.cit.n.3.* Pitigianus, [Molfesius,] & alij *loc.cit.*

9 *An vua possit consecrari.*

9 Octauò, vuam non posse consecrari, nam vua potius comedi consueuit quàm potari, & bibi: pro materia autem istius Sacramenti instituta fuit res potabilis, seu vinum, vt patet, tum ex *canon. didicimus, dist.2.* tum à simili de massa farinę, quæ non est apta, & sufficiens materia ad consecrationem corporis, cùm non sit materia vsualis; tum ex illis verbis: *Bibite ex hoc omnes.* Ita S. Th. *loco citato ad tertium.* Coninchus *ibid. n.123.* Caietanus *ibid.* Suarez *disp. 45. sect.1.* Victoria *loco cit.* Bartholomæus ab Angelo *loco citato. §.339.* Tabie. *Eucharistia 2.num.19.* Angles *loco citato, difficultate 2.* Sylvester *verbo Eucharistia 1.num 4.* Viualdus *loco citat. num.6.* Chamerota *de Eucharistia cap.6.dub.17.* Vasquez *loco citato num.12. & 13.* Henriquez, Valentia, Summa Corona, Graffius, [Filliucius, Molfesius,] & alij *loc. cit.*

10 *An validè consecretur vinum congelatum.*

10 Nonò, vinum congelatum posse validè consecrari. Ratio est, tum quia si species vini iam consecratæ congelentur, remanet sub illis sanguis Christi: ergo etiam potest in vino congelato sacramentaliter constituitum quia vinum congelatum adhuc est vinum, & adhuc ex se, & secundum suam naturam potabile est, & potari potest lambendo, vel sugendo, aut saltem si liquefiat; ergo est materia sufficiens ad validam consecrationem. Secus dicendum est de vuis nondum expressis, vt patet ex rationibus in antecedente illatione adductis. Ita Emanuel Sà *verbo Missa, num.3.* Suarez *loco citato sect.1. ad finem.* Valentia *tom.4. disput.6.q.2. punct.1. circa medium.* Viualdus *de Eucharistia num.39.* Sylvester *Eucharistia 2. ad finem.* Angelus *verbo Missa, num.23.* Reginaldus *loco citato num.25. ad finem.* Coninchus *loco citato num.126.* Pitigianus *dist.11. qu 7. dub.1. concl.2.* [Filliucius *tract. 4. cap. 3. quæst.9. numer.87.* Molfesius *tract.3 cap.2. numer.36.*] & alij contra Armillam *verbo Eucharistia, numer.19.* Henriquez *lib. 8. cap.12. numer.3.* Nugnum *loco citato, art. 5.* Valentiam *loco citato, versic. Quartò sequitur.* Angles *loco citato, difficultate 3.* Vasquez *loco cit.n.16.*

DICES, aqua congelata non est materia sufficiens ad Baptismum: ergo neque vinum congelatum videtur materia sufficiens ad Eucharistiam,

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia finis primarius Baptismi est ablutio seu actio, quæ est materia proxima Baptismi, nec potest fieri in aqua congelata, vt suo loco dictum est: Eucharistia verò nõ consistit primariò in vsu, & actione, sed consistit in re permanente; consequenter non requirit materiam, quæ actu bibatur, sed quæ bibi possit, vt est vinum congelatum, sicut enim si consecretur panis durus, qui comedi non possit præ duritie, nisi mollefiat, valida est consecratio, cùm verè sit panis, & panis substantiam habeat, & retineat: ita valida est consecratio, si fiat in vino congelato, cùm vinum congelatum verè sit vinum, & vini substantiam retineat. Ita Suarez, Reginaldus, [Filliucius, & alij *locis citatis,*]

PVNCTVM III.

Vtrùm necesse sit sub vtraque specie consecrare.

1 *Necessitas quotuplex sit.*

1 NOtandum duplicem esse necessitatem. Vna dicitur necessitas Sacramenti, qua aliquid ita necessarium est, vt eo prætermisso, validè non conficiatur Sacramentum: altera dicitur necessitas præcepti, qua aliquid præcipitur fieri, quod si omittatur, Sacramentum validè, sed non licitè conficitur. Quærendum igitur est in hoc puncto, primò vtrùm necesse sit necessitate Sacramenti sub vtraque specie consecrare. Secundò, vtrum saltem necesse sit necessitate præcepti.

PRIMA PROPOSITIO.

2 *An necesse sit necessitate Sacramenti consecrare sub vtraque specie.*

2 NOn est necessarium necessitate Sacramenti sub vtraque specie consecrare. Ratio est, tum quia sequeretur, non esse validam consecrationem sub vna tantum specie, consequenter Sacerdotem habentem intentionem consecrandi hostiam tantùm, & nõ vinum, non consecrare. Hoc autem falsum est, cùm hostia statim, ac consecrata est, populo proponatur adoranda, antequam Calicis fiat consecratio. Tum quia forma Sacramenti non solùm significat, verùm etiam significando facit: sed forma Corporis Christi significat ibi esse Corpus Christi, etiam si nondum Calicis forma prolata sit; ergo efficit ibi esse Corpus Christi, etiam si nondum prolata sit Calicis forma, consequenter non est necessarium necessitate Sacramenti consecrare sub vtraque specie. Ita S. Thom. *3. part. quæst. 78. artic.6.* Coninchus *ibid.* Azor *1. part. lib.10 cap.19. quæsito 5* Nugnus *ibid. art. 1. concluſ. 1.* Suarez *disp.43. sect.2.* Reginaldus *lib.29. nu.12.* Henriquez *loco citato c.13.* [Filliucius *tract.4. num. 63.*] & alij communiter.

3 *An valeat consecratio Calicis ante consecrationem hostiæ.*

3 Ex quo patet, validam fore consecrationem Calicis factam an-

te panis consecrationem, & è contra. Graue tamen sacrilegium perpetraret Sacerdos conficiendo sub vna tantùm specie, nam faceret contra Christi exemplum, contra diuinum præceptum, & contra vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem in re graui. Ita Suarez *loco citato, sect. 2. ad finem*, Reginaldus *loco citato, num.* 12. & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 *An necessarium sit necessitate præcepti conficere sub vtraque specie.*

4 NEcessarium est necessitate præcepti conficere sub vtraque specie, panis scilicet, & vini. Ratio est, quia conficiens sub vna tantum specie committit graue peccatum sacrilegij, vt habetur *cap. comperimus, de consecratione distinct.* 2. & patet ex ratione proximè allata, *n.* 2. *ad finem.* ergo necessarium est necessitate præcepti conficere sub vtraque specie, cùm peccatum non committatur, nisi ob violationem præcepti. Ita Reginaldus *loco citato, n.* 13. Suarez *disput.* 43. *sect.* 1. Nauarrus *c.* 25. *n.* 19.] Filliucius *tract.* 4. *c.* 3. *nu.* 64. Molfesius *tract.* 3. *c.* 2 *num.* 43.] & alij Doctores citati.

5 *Quo præcepto teneatur Sacerdos conficere sub vtraque specie.*

5 QVÆRES PRIMO, quo præcepto Sacerdos teneatur, quoties celebrat, conficere sub vtraque specie.

RESPONDET Nauarrus *c.* 25. *n.* 91. Tabiena *verbo Eucharistia* 1. *n.* 2. & alij apud Nugnum *loc. citat.* & apud Suarez *locis* statim *citandis*, teneri solùm ex præcepto Ecclesiastico. Ratio est, quia in Scriptura non extat præceptum diuinum; nam præceptum diuinum, aut colligitur ex facto Christi, aut ex verbis Curisti, ex neutro autem capite colligitur.

Quòd non colligatur ex facto Christi, probatur: tum quia quamuis Christus sub vtraque specie confecerit, non tamen inde colligitur præceptum diuinum, alioquin cùm Christus communicauerit Apostolos sub vtraque specie, & confecerit in azymis, inferendum esset præceptum diuinum communicandi sub vtraque specie, & consecrandi in azymis: tum quia Christus communicauit duos Apostolos euntes in Emaus sub vna tantùm specie, & sub vna tantùm specie consecrauit, vt probabiliter inquiunt Theophylactus in Lucam, Chrysostomus, Toletus, & alij. Ergo ex facto Christi non colligitur necessitas conficiendi sub vtraque specie ex diuino præcepto.

Quòd neque colligatur præceptum diuinum ex verbis Christi, probatur, nam si colligitur, maximè ex iis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* sed ex iis verbis non colligitur necessitas præcepti diuini, cùm illa verba non ostendant necessitatem præcepti in omnibus, quæ fecit Christus, alioquin Sacerdotes tenerentur ex præcepto diuino ea omnia præstare, quæ fecit Christus, quod non est dicendum.

Sed mihi probabilior videtur sententia Paludani *distinct. 9. qu.* 1. *art.* 1. Caietani *q.* 80. *art.* 12. Suarez *disp.* 43. *sect.* 3. Reginaldi *lib.* 29. *n.* 13. Chamerotæ *de Eucharistia c.* 6 *dub.* 1 Nugni *qu.* 74. *art.* 1. *conclus.* 2. [Soti *dist.* 9. *q.* 1. *art.* 1. Filliucij *tract.* 4. *c.* 3. *num.* 64. & aliorum affirmantium, ex præcepto diuino conficiendum esse sub vtraque specie. Ratio est, quia de iure diuino est, vt quoties fit consecratio, simul etiam fiat Sacrificium, vt patet ex illis verbis, *Hoc facite in meã commemorationem*, quibus verbis Christus ostendit, Sacerdotem debere consecrare, offerendo, & sacrificando in ipsius memoriam, vt patet ex Trid. *sess.* 22. *c.* 1. Sacrificium autem non potest esse integrũ, & perfectum absque consecratione, & oblatione vtriusque speciei, nam hoc sacrificium repræsentat sacrificium, & mortem Christi, in qua separatus, & effusus fuit sanguis è corpore: non potest autem integrè & perfectè repræsentari Sacrificium Christi, nisi sub vtraque specie fiat consecratio, & Sacrificium, nam si solùm fiat in corpore Christi, non expressè significatur effusio, & separatio sanguinis à Christo.

Ex quo infertur, si Sacerdos finita consecratione intereat, perficiendum esse Sacrificium ab altero Sacerdote, ne Sacrificium maneat imperfectum, vt communiter tradunt Doctores, quos infrà referam.

6 *An Sacerdos teneatur sub vtraq; specie communicare.*

6 Hinc colligi potest primò, Sacerdotem non solùm teneri consecrare sub vtraque specie, sed etiam teneri sub vtraque specie cõmunicare, cùm Sacrificium perficiatur, non solùm consecratione, & oblatione, verùm etiam consumptione, vt patebit ex infrà dicendis. Quamobrem Concilium Tridentinum præcipit, vt quoties Sacerdos celebrat, communicet sub vtraque specie sub pœna suspensionis à communione per annum. Ita ostendit Summa Corona *de Eucharistia num.* 6 *folio mihi* 79. *vers. sed quantum ex Concilio Toletano, canone Relatum, de consecratione dist.* 2. Idem tenet Azor 1. *part. lib.* 10. *c.* 19. *quæsito* 4. S. Th. 3. *parte q.* 82. *art.* 4. Tabiena *verb. communicare nu.* 11. Syluester *Eucharistia* 3. *n.* 17. Angelus *ibid.* Bartholomæus ab Angelo *de Missa* §. 586. & 587. Victoria *de Eucharistia concl.* 87. & alij.

7 *An Sacerdos peccet conficiens solùm sub vno.*

7 Secundò, Sacerdotem conficientem solùm sub vino, aut prius conficientem sub vino, quàm sub pane, grauiter peccare.

Ad argumentum Nauarri, & aliorum respondetur, ex facto, & ex verbis Christi, licèt non colligatur præceptum quoad omnes circunstantias accidentales, quæ in facto Christi interuenerunt, nihilominus colligi præceptum de integritate Sacrificij, quod non est integrum, nisi conficiatur Sacramentum sub vtraque specie.

Ad factum Christi in Castello Emaus responderi potest primò, non constare Christum confeciss̃e corpus suum, cùm Discipuli non essent dispositi, vtpote dubij in fide.

Secundò, verisimile esse Christum, si tunc consecrauit corpus suum, etiam consecrasse sanguinem, quamuis illius non fiat mentio.

Tertiò, Christum hoc feciss̃e ex potestate suæ excellentiæ, si admittamus Christum tunc confeciss̃e tantummodò corpus suum.

8 *An præceptum consecrandi sub vtraque specie sit affirmatiuum vel negatiuum.*

8 QVÆRES SECVNDO, vtrùm præceptum consecrandi sub vtraque specie sit affirmatiuum, vel negatiuum, seu vtrùm semper obliget, nam præceptum negatiuum semper obligat.

RESPONDEO præceptum diuinum consecrandi sub vtraque specie esse affirmatiuum, nam dantur aliqui casus in quibus non extat obligatio conficiendi sub vtraque specie, vt si Sacerdos consecrata hostia comperiat vinum esse veneno infectum, nec habeat copiam alterius vini, aut comperiat non esse vinum in calice, nec possit aliud inuenire, saltem sine magno scandalo, aut sine vitæ periculo, aut si Sacerdoti post consecrationem hostiæ immineat periculum vitæ prosequendo consecrationem calicis, potest desistere à consecratione calicis, statimque consumpta hostia fugere ad præcauendum vitæ periculum, quia præceptum consecrandi sub vtraque specie non obligat cum tanto detrimento, consequenter non est præceptum negatiuum, sed potiùs affirmatiuum, cùm non obliget in omnibus casibus. Ita Suarez *disp.* 43. *sect.* 4. Reginaldus *loco citato, nu.* 14. Henriq. *c.* 13. & alij.

affirmatiũ vel negatiuum.

9 *An Sacerdos non habens vinum possit sub vna tãtùm specie conficere ad communicandum infirmum.*

9 Sed modò DVBIVM est, vtrùm si detur casus, vt non sit vlla hostia consecrata, qua possit infirmus morti proximus communicari, Sacerdos possit tantùm consecrare sub speciebus panis, saltem quando non vacat tempus consecrandi sub vtraque specie, aut quando non reperitur vinum, in quo fieri possit consecratio.

RESPONDETVR negatiuè, vt patet ex supradictis, & patebit ex dicendis in sequenti quæsito.

10 *An Sacerdos qui metu mortis cogitur ad consecrandum, possit sub vna tantùm specie consecrare.*

10 Maior DIFFICVLTAS est, vtrùm Sacerdos possit consecrare sub vna tantùm specie, quando metu mortis cogitur consecrare ad communicandum infirmum sub specie panis, siue quia vinum non reperiatur, siue quia non permittatur illud inuenire.

RESPONDEO cum Suarez *loco citato, sect.* 4. *concl.* 1. Reginaldus *loco citato num.* 15. Angles *de Eucharistia qu.* 1. *art.* 4. *difficultate* 2. Viualdo *de Eucharistia c.* 7. *num.* 24. & aliis, non posse sub vna tantum specie consecrare, nam alioquin peccaret formaliter contra præceptum diuinum, intendens facere sacrificium imperfectum, quod est intrinsecè malum. Quamobrem aliud est aliquando derelinquere Sacrificium bona fide inchoatum, aliud est inchoare Sacrificium cum intentione derelinquendi, & non perficiendi. Primum aliquando licitum est, quia non intenditur violatio integritatis Sacrificij, sed permittitur omissio præcepti. Secundùm verò non est licitum, quia formaliter intenderetur mutilatio Sacrificij, quod est peccatum intrinsecè malum.

11 *An Sacerdos teneatur iterum consecrare, quando sub vna specie apparet caro, vel sanguis Christi.*

11 Rursus DIFFICVLTAS est, vtrùm Sacerdos teneatur iterum consecrare, quoties contingit, vt sub vna specie appareat caro, vel sanguis Christi.

RESPONDEO negatiuè cum S. Thom. *q.* 82. *art.* 4. *ad* 3. Henriquez *lib.* 8. *c.* 16. *nu.* 7. Caietano *q.* 82. *art.* 4. Azor *loco citato cap.* 33. *quæsito* 4 Syluestro *verb. Eucharistia* 3. *ad finem*, Conincho *q.* 76. *art.* 8. *dub.* 2. *ad finem. num.* 138. & aliis. Ratio est, quia cùm hoc contingat Deo ita disponente, præsumitur Deus dispensare in præcepto consecrãdi sub vtraque specie.

12 *Quomodo se gerere debeat Sacerdos circa species, in quibus apparuit caro vel sanguis Christi.*

12 Obserua tamen, Sacerdotem debere species, in quibus apparuit caro, vel sanguis Christi, sumere, si apparitio miraculosè fiat soli Sacerdoti: si verò apparitio fiat etiam respectu aliorum, & miraculum adhuc perseueret, non debet Sacerdos sumere, sed in loco sacro conseruare ad fidelium deuotionem, & miraculi recordationem. Secùs si miraculum non perseueret, sed species reducantur ad priorem formam. Videte Henriquez *de Missa cap.* 38. *art.* 2. [Suarez 3. *part. disput.* 55. *sect.* 4. Filliucium *tract.* 4. *c.* 5. *qu.* 8.] Azorium 1. *part. cap.* 35. *quæsito* 4. Victoriam *de Eucharistia conc.* 71.

13 *An summus Pontifex possit dispẽsare, vt conficiatur sub vna tãtum specie.*

13 QVÆRES TERTIO, vtrùm Sũmus Pontifex dispensare possit, vt Sacramentum Eucharistiæ sub vna tantùm specie conficiatur.

RESPONDENT aliqui Doctores, apud Henriquez *lib.* 8. *c.* 13. *n.* 1. *littera A.* Summum Pontificem iusta de causa posse dispensare. Ratio est, tum quia dispensatum aliàs fuisse ab Innocentio VIII. cum Nouatianis, ferunt Eusebius, Onufrius, & alij apud Henriquez *loco citato*, tum quia Summus Pontifex in multis dispensare consueuit, quæ sunt de iure diuino, vt in voto, iuramento, & matrimonio rato. Tum quia etiam de iure diuino est, vt conficrans sumat vtramque speciem, & nihilominus in ordinatione Sacerdotum vnus tantùm communicat sub vtraque specie, licèt omnes concurrant ad consecrationem. Tum quia in Concilio Tridentino *sess.* 21. *c.* 2. habetur in Ecclesia residere potestatem statuendi, & variandi ea, quæ spectant ad Sacramenta, salua Sacramentorum substantia. Sed si cõcedatur facultas consecrandi sub vna tantùm specie, adhuc salua remanet substantia huius Sacramenti: ergo Ecclesia potest dispensare, vt sub vna tantùm specie fiat consecratio. Ita Angelus *verb. Eucharistia* 1 *num.* 20. Henriquez *loco citato, c.* 13. *num* 2. Chamerota *de Eucharistia cap.* 6. *vers. Dico tertiò, pag.* 149 [Filliucius *n.* 66. & alij.

Sed communior est opposita sententia, quam sequitur Suarez *loco citato sect.* 4. *conc.* 3. Syluester *verb. Eucharistia* 5. *num.* 3. Sotus *dist.* 9. *artic.* 1. *ad* 3. Nugnus 3. *parte q.* 74. *art* 1. *conc.* 3. Pitigianus *dist.* 11. *q.* 6. *art.* 3. Bartholomæus ab Angelo *dialog.* 4. §. 351. & alij negantes, Summum Pontificem posse dispensare in hac re. Ratio est, quia Sũmus Pontifex nunquam in hac re dispensauit, vt ostendit Suarez *loco citato.* Tum quia Ecclesia non potest dispensare in iis, quæ pertinent ad substantiam Sacramentorum: vtraque autem species pertinet ad substantiam Sacramenti, cùm Sacramentum non sit perfectum sine vtraque specie: tum quia sequeretur, Summum Pontificem posse etiam dispensare, vt Sacramentum conficiatur tantummodò sub speciebus vini, quod non videtur admittendum.

14 *An possit Sacerdos suæ mortis tempore cõficere sub vna tãtùm specie, vt seipsum cõmunicet.*

14 Hinc sequitur, Sacerdotem non posse temporæ suę mortis cõficere sub vna tantùm specie, vt seipsum, vel alium infirmum communicet, quamuis adsit præceptum diuinum communicandi tempore mortis. Ratio est, tum quia Summus Pontifex non potest dispensare, vt sub vna tantùm specie conficiatur, ergo multo minus poterit simplex Sacerdos: tum quia præceptum communicandi tunc non obligat, cùm non possit seruari, saluo alio præcepto consecrandi sub vtraque specie, quod spectat [ad integritatem sacrificij &] ad cultum, & reuerentiam augustissimo Eucharistiæ Sacramento debitam. Ita Suar. *loc. cit.* Reginaldus *loc. cit. n.* 15. *versis. Tertium documentum,*

mentum, Henriq. *loc. cit. n.* 3. Azor. 1. *part. lib.* 10. *c.* 16. *quæsito* 4. & alij communiter.

Ad rationes in contrarium, ad primam patet, falsum esse, quod asseritur de dispensatione cum Nouatianis, vt videre est apud Suarez.

Ad secundum patet responsio ex dictis de voto, & de legibus, vbi ostendimus, Summum Pontificem non posse per se loquendo dispensare in iis, quæ pertinent ad ius diuinum, ibique rationem assignauimus, quare dispensare possit in voto, iuramento, matrimonio rato, non verò in aliis, quæ sunt de iure diuino.

Ad tertium respondetur, solùm esse diuinum præceptum, vt ille, qui tanquam principale instrumentum consecrat, recipiat Sacramentum sub vtraque specie. Ita Nugn. *loc. cit. versic. Ad quartum Argumentum.*

Ad vltimum respondeo, nomine substantiæ in Trident. *loc. cit.* intelligi etiam id, quod est de integritate, sicut brachium dicitur pertinere ad substantiam hominis, cùm igitur vtraque species dicatur de integritate, seu substantia Sacramenti, & Concilium asserat Ecclesiam, non posse variare, quæ pertinent ad substantiam Sacramẽti sequitur Summum Pontificem non posse dispensare, vt sub vna tãtùm specie fiat consecratio.

PVNCTVM IV.

Vtrùm vino, quod est materia remota Sacramenti sanguinis, admiscenda sit aqua.

PRimò quæram, vtrùm vino admiscenda sit aqua, & quo præcepto.
Secundò, Quare admiscenda sit.
Tertiò, in quanam quantitate.
Quartò, Quo tempore.
Quintò, Vtrum aqua conuertatur in sanguinem Christi.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An vino consecrando admiscenda sit aqua, & quo præcepto.*

1 VIno, quod est materia remota Sacramenti sanguinis, ex necessitate præcepti Ecclesiastici admiscenda est aqua naturalis, vt constat ex definitione Tridentini *sess. 22. can. 7. & 9.* Florentini, Carthaginensis, & aliorum, & constat ex antiquissimo Ecclesiæ vsu & praxi.

Dixi *ex necessitate præcepti*, vt aduerterem, aquam non requiri ex necessitate Sacramenti, cùm valida sit consecratio facta sine admistione aquæ. Ratio est, tum quia Christus indicans materiam huius Sacramenti non indicauit aquam, & Florentinum simpliciter dixit, materiam huius Sacramenti esse panem triticeum, & vinum, tum quia aqua, quæ admiscetur, tempore consecrationis conuersa est in vinum, ergo solum vinum est de necessitate huius Sacramenti, & aqua miscenda solùm est ex præcepto. Ita Coninchus *loco supra citato, num.* 133. Toletus *lib. 2. cap. 25. num.* 4. Graffius *2. part. lib. 1. cap. 6. num.* 17. Pitigianus *dist. 11. qu. 7. dubio 2. conclusio. vnica*, Bellarminus, Vasquez 3. *parte disp. 176. cap.* 1. Pesantius 3. *parte qu. 74. art. 8. disp. 2. lib. 4. dub.* 10. Suarez *loco citato sect. 2. ad finem.* Reginaldus *lib. 29. num. 26. ad finem.* Azor. 1. *part. lib.* 10 *cap.* 30. *quæsito* 1. Summa Corona *loco supra citato*, Valentia, Victoria *de Eucharistia concl. 60.* Angles *quæst. 1. art. 6. difficultate* 1. Bartholomæus ab Angelo *loco citato*, § 353. Vialdus *de Eucharistia c. 3. n.* 8. Chamerota *de Eucharistia ca. 6. dub.* 18. [Filliucius *tract. 4. c. 3. q. 10.* Molfesius *tract. 3. c. 2. n.* 37.] & alij locis supra citatis.

Dixi, *ex necessitate præcepti Ecclesiastici*, vt intelligamus, aquam non esse admiscendam ex præcepto diuino, vt sensit Henriquez *lib. 8. c. 12. num. 3.* Valentia *loco citato, versiculo. Deinde id probatur.* Cyprianus, & alij apud Henriquez, apud Coninchum *locis citatis*, apud Azorium *tom. 1. lib. 10. c. 30 quæsito 1. vers. altera quæstio.* [apud Filliucium *tract. 4. c. 3. q. 10. n. 10.*] & apud Vasquez 3 *parte disp. 176. & 179.* sed tantùm admiscendam esse ex præcepto Ecclesiastico, iuxta Magistrum *in 4. dist. 11. c. 7.* Sotum *dist. 9. q. 1. art. 6.* Suarez *disp. 45. sect. 2.* Coninchum *loc. citat. art. 7. numer. 135.* Nugnum *ibidem concl. 2.* Pitigianum *dist. 11. quæst. 7. dubio 3. conclusione* 1. Chamerotam *loc. citat.* Vasquez 3. *part. quæst. 79. cap. 2.* & alios ferè communiter, & constat ex Tridentino *sess. 22. cap. 7.* dicente hoc esse ab Ecclesia præceptum.

Neque ex eo, quòd Christus consecrauit in vino aqua delibuto infertur, aquam miscendam esse ex præcepto diuino; nam alioquin inferendum etiam esset, omnia, quæ Christus fecit, nunc esse facienda ex præcepto diuino, quod tamen non admittitur, cùm Christus multa fecerit, quæ non sunt vsu recepta; ex præcepto igitur Ecclesiastico miscenda est aqua vino, quod præceptum secundum aliquos Doctores institutum fuit ab Alexãdro primo, secundum alios, vsque ab Apostolis emanauit, & institutum fuit ante Alexandrum primum, cùm Alexander primus dicat se tradere, quod à Patribus acceperat, & hæc sententia verior est, quam sequitur Coninchus *num.* 138. Pitigianus *dist. 11. quæst. 7. dubio 3. concl. 2.* & alij Doctores citati.

Dixi, *aqua naturalis*: nam vino non admiscetur aqua artificiosa, sed aqua naturalis. Quamquam si aqua artificiosa misceatur, tenet consecratio; cùm admistio aquæ non sit de necessitate Sacramenti. Grauiter tamen peccaret, qui aquam artificiosam adhiberet, faceret enim contra præceptum Ecclesiæ in re graui. Ratio verò, cur aqua naturalis, & non artificiosa admiscenda sit, est, tum quia aqua, quæ de Christi latere fluxit, fuit aqua naturalis, in cuius significationem, aqua modò in consecratione adhibetur: tum quia Christus vsus est aqua naturali. Ita Coninchus *loco cit. n.* 141. Bartholomæus ab Angelo *dialogo 4.* § 359. Viualdus *loco citato n.* 12. & alij Doctores citati cum S. Th.

2 *An peccet qui aquam vino non admiscet.*

2 Hinc patet, eum grauiter peccare, qui vino aquam non admiscet, aut qui miscet aquam artificiosam loco naturalis. Ita Nugnus *qu. 74. art. 7.* Coninchus, Azorius, & alij *locis citatis.* Immò, qui sciẽter prætermittit aquæ admistionem, in pœnam delicti præcipitur priuari officio, & beneficio, si ex aperta malitia omittat, *c. litteras, de celebratione Miss. rum, & c. 7. cùm omne crimen. de Consecratione. dist. 2.* suspenditur ipso facto ab officio, [seu potiùs à faciẽdo sacrificio] qua suspensione afficitur etiam, qui à sacrificio aliud offert præter panem, & vinum aqua permistum, vt patet ex eodem canone, cùm omne. Ita Azor 1. *parte, lib. 10. cap. 29. quæsito* 1. Viualdus *de Eucharistia c. 3. n. 9.*

[Hęc tamen suspensio non videtur perpetua, neque reseruata; sed præstita debita satisfactione tollitur, nam in textu dicitur: *quamdiu à sacrificando cessabit, quamdiu legitima pœnitentia satisfactione correctus ad gradus sui officium redeat, quod amisit.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

3 *Cur vino aqua miscetur.*

3 MVltæ rationes afferri possunt ad ostendendum, quare vino aqua misceatur.

Prima est ad imitationem Christi, qui consecrauit in vino aqua permisto.

Secunda, quia hoc pacto repræsentatur sanguis, & aqua, quæ de Christi latere effluxerunt.

Tertia, quia hoc Sacramentum institutum fuit per modum cibi, & potus: sicut autem vinum solet ab hominibus bene institutis aqua permisceri, ita vinum, quod huic Sacramento inseruit, aqua miscendum est.

Quarta est, quia per huiusmodi mistionem repræsentatur effectus Sacramenti, qui est vnio cum Christo; aqua enim significat populum, *Apocalypsis* 17. & vinum significat Christum, qui se vitem appellauit. *Ego sum vitis & vos palmites.* Ita Tridentinum *sess. 22. c. 7.* [*& cap. cùm omne crimen. de Consec. dist. 2.*] Videte Suarez *disp. 45. sect. 2. concl. 2.* Coninchum *art. 6 n. 129.* Bellarminum *lib. 4. de Eucharistia c. 10.* Henriquez, Vasquez, & Valentiam *locis suprà citatis*, & Mirandam *in Manuali Prælat. q. 40. art. 6. conc. 2.* Vialdum *loco citato.* [Filliucium *tract. 4. cap. 3. quæst. 10. num. 88.* Molfesium *tract. 3. c. 2. nu. 44.*]

TERTIA PROPOSITIO.

4 *Quenam quantitas aquæ requiratur.*

4 MOdica quantitas aquæ adhibenda est in consecratione Calicis Ratio est, ne Sacerdos exponat se periculo conficiendi in materia indebita. Quamobrem cauere debet ne tantam aquæ copiam adhibeat, quantum est vinum. Immò curare debet, ne quãtitas aquæ tertiam vini partem excedat, vt habetur in Concilio Triburiensi *c. 19.* & in Florentino dicitur, miscendum esse paululum aquæ, & aquam modicissimam. Propterea sufficit quælibet guttula sensibilis; nam modica quantitas facilius conuertitur in vinum, & sub qualibet gutta saluatur significatio, propter quam aqua adhibetur. Ita S. Thom. *q. 74. art. 8.* Coninchus *ibid. num. 140.* Nugnus *ibidem, versicul. Sit igitur conclusio.* Henriquez *loco citato cap. 12. n. 4.* Suarez *loco citato. sect. 3.* Reginaldus *loc. cit. n. 27.* Graffius *loco citato. num. 17.* Angles *loco citato* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 4.* § 355. Viualdus *loco citato num. 10.* Chamerota *loco citato.* [Filliucius *tract. 4. c. 3. qu. 10. nu. 89.*] & alij, qui bene admonent, in celebratione Missæ adhibendum esse vinum generosum, vt facilius aqua in vinum cõuertatur. Præterea aquam non esse miscendam in amphora vini, sed intra calicem post inceptam Missam, & ante calicis oblationẽ, iuxta loci consuetudinem.

QVARTA PROPOSITIO.

5 *Quo tempore miscẽda sit aqua.*

5 CIrca tempus, quo facienda est mistio aquæ, standum est consuetudini cuiuslibet Ecclesię, vt mox innui; nam aliqui statim accedunt ad Altare, infundunt vinum; alij post Euangelium, facta oblatione hostię; ita Suarez *sect. 3.* Reginaldus *nu. 27.* Graffius *loco citato numer. 19.* Bartholomæus ab Angelo *loco citato* § 354. & alij.

6 *Quid agẽdum, quando Sacerdos ex obliuione aquam non infudit.*

6 QVÆRES, quid faciendum sit quando Sacerdos ex obliuione aquam non infudit.

RESPONDEO, si aduertat ante consecrationem, debere illam statim apponere, etiamsi moraliter sciat, aquam non esse in vinum cõuertendam; adhuc enim potest Ecclesiæ præceptum adimplere. Si verò peracta consecratione aduertat, se aquam non appossuisse, non potest eam apponere. Ratio est, tum quia non est admiscenda aqua sanguini Christi, sed vino; peracta autem consecratione est sanguis Christi; tum quia nullum extat præceptum ad infundendam aquam peracta consecratione; sed ad infundendam aquam ante consecrationem. Ita Coninchus *loco citato, n.* 142. [Molfesius *n* 38.] Suarez, Reginaldus, & alij *loc. cit.*

QVINTA PROPOSITIO.

7 *An aqua conuertatur in sanguinẽ Christi immediatè.*

7 AQua, quæ vino admiscetur, non conuertitur immediatè in sanguinem Christi. Ratio est, tum quia omnes ferè Doctores existimant modicissimam aquam apponendam esse, vt conuerti possit in vinum, ergo aqua non conuertitur immediatè in sanguinem, alioquin necesse non esset apponere aquam in tam exigua quantitate, si aqua in sanguinem Christi immediatè conuerteretur: tum quia illud immediatè conuertitur in sanguinem Christi, quod est materia remota sanguinis, & cuius accidentia sunt materia ipsius proxima; sed tantummodò vinum est materia remota, & accidentia vini sunt materia proxima, non verò aqua; alioquin consecratio facta sine aqua, non esset valida; cùm deficiente materia non subsistat Sacramentum; ergo aqua non immediatè conuertitur in sanguinem Christi. Ita S. Thom. *quæst. 74. art. 8.* Vasquez 3. *parte disp. 178. cap. 2.* Azor *lib. 10. cap. 28. quæsito* 1. Nugnus *ibidem.* Scotus *in 4. dist. 7.* Suarez *loco citato.* Pitigianus *dist. 11. qu. 7. dubio 5.* [Filliucius *tract. 4. c. 3. q. 10.* Molfesius *n. 39.* & alij Thomistę communiter contra Baronium *tom. 12. Annalium sub finem anni 1182.* Coninchum *q. 74. art. 8. n. 144.* Pesantium *ibidem dubio 2.* & alios.

Concedo

Concedo tamen, aquam conuerti mediatè in sanguinem Christi, id est, mediante vino; in quod aqua priùs conuertitur. Ratio est, quia totum illud conuertitur in sanguinem Christi, quod est materia apta sanguinis, & demonstratur per particulam *hic*, sed aqua conuersa in vinum est materia apta sanguinis, & demonstratur per particulam, *hic*, cùm particula, *hic*, cadat supra omne, quod continetur in calice, modò sit apta materia huius Sacramenti; ergo aqua mediatè conuertitur in sanguinem Christi.

OBIICIES primò, aqua non potest conuerti in vinum, nam si poculo pleno vino applicetur lana, inde videtur extrahi aqua; ergo neque potest conuerti mediate in sanguinem, cùm aqua non conuertatur in sanguinem, nisi priùs conuertatur in vinum.

RESPONDEO, illam non esse verè substantiam aquæ, sed aqueum humorem; qui etiam ex puro vino extrahi potest, vt sit S. Thom. *in* 4. *dist.* 11. & alij contra Coninchum *loco citato*, *numer.* 168.

OBIICIES secundò, aqua conuertitur in id, ad quod significandum adhibetur, cùm autem non adhibeatur ad significandum sanguinem, sed potiùs tertium quendam humorem, seu aquam, quæ de Christi latere fluxit, sequitur aquam non conuerti in sanguinem.

RESPONDEO hoc esse argumentum illorum, qui conantur sustinere, aquam conuerti in phlegma, seu in tertium quendam humorem, quorum sententia falsa est, & erronea, tum quia credit aquam, quæ de Christi latere fluxit, non fuisse veram, & naturalem, tum quia falsa redderetur forma consecrationis, nam forma efficeret aliquid quod non significat, significat enim conuersionem vini in sanguinẽ non verò conuersionem aquæ in phlegma. Ita Suarez *loc. cit. sect.* 4. & alij communiter. Quare ad argumentum respondeo, aquam mediatè conuerti in illud, quod significatur per verba formæ: per verba autem formæ non significatur conuersio aquæ in tertium humorem, sed vini in sanguinem Christi.

8 *An aqua nondum in vinum conuersa conuertatur in sanguinem Christi post consecrationem.*

8 QVÆRES PRIMO, vtrùm aqua, quæ ante consecrationem non fuit conuersa in vinum, conuertatur post consecrationem in Christi sanguinem.

RESPONDEO negatiuè, sed remanere in calice secundùm suam substantiam, nam huiusmodi aqua non est materia sanguinis, nec demonstratur per particulam *hic*, quando forma profertur. Ita Vasquez *loco citato*, *n.* 16.

9 *An adoretur huiusmodi aqua.*

9 Ex quo patet, aquam, quæ ante consecrationem non fuit conuersa in vinum, non adorari, quamuis coniuncta sit cum speciebus continentibus sanguinem Christi, illud enim solum adoratur, quod Christi sanguinem continet; sed aqua non continet sanguinem Christi; ergo non adoratur, sicut neque calix adoratur, nisi ratione contenti. Ita Henriquez *cap.* 12 *num.* 4. Sylvester *verb Eucharistia* 1. *numer.* 3. Suarez *loco citato*. Azorius *loco citato quæsito* 1. *ad finem*. Chamerota *de Eucharistia cap.* 6 *dub.* 18. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 3. *quæs.* 10.] & alij quamplures apud Henriquez *loco citato*, *in commentario littera I.*

[DICES, si aqua in calice posita paulo ante consecrationem non cõuertitur immediatè in sanguinẽ Christi, sequitur sumptione illius frangi ieiunium naturale, consequenter illum, qui vnam Missam in die Natiuitatis celebrauit, non posse secundam & tertiam celebrare, quia Sacerdos ieiunus esse debet dum celebrat.

RESPONDENT Suarez *disput.* 45. *sect.* 4. & Filliucius *tract.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 10. *num.* 93. Sacerdotem in tali euentu sequi posse opinionem Doctorum asserentium aquam nondum conuersam in vinum ante consecrationem conuerti immediatè in sanguinem, consequenter celebrans secundam & tertiam Missam censebitur ieiunus.

Ego verò censeo huiusmodi Sacerdotem posse adhuc alias Missas facere, tum quia probabiliter opinari potest aquam in vinum transformatam fuisse ante consecrationem, tum quia ita vsu & praxi receptum est, & Ecclesia non remouet huiusmodi Sacerdotem à celebratione aliarum Missarum. Secus dic de eo, qui sumptis vini speciebus consecratis vinum, vel sanguinem ad se purificandum sumit, hunc enim constat naturale ieiunium perfregisse, consequenter Ecclesia repellit istum ab aliis Missis in die Natiuitatis Domini celebrandis.]

10 *An aqua quæ in vinũ cõuertitur, consecrationis forma inchoata, conuertatur in sanguinẽ Christi.*

10 QVÆRES SECVNDO, vtrùm aqua conuertatur in sanguinem Christi, si ipsa conuertatur in vinum eo tempore, quo forma consecrationis iam inchoata fuit, sed nondum absoluta.

RESPONDERE posset aliquis affirmatiuè; nam quamuis tempore, quo forma fuit inchoata, aqua non esset in vinum conuersa, nihilominus facta est vinum, quando forma habet suam significationem, quam habet in vltimo instanti, in quo significat, & efficit conuersionem vini in sanguinem Christi.

Sed mihi dicendum videtur cum Suarez *disp.* 57 *sect.* 1. & aliis cõtra Nugnum *q.* 74. *art.* 8. *ad finem*, *vers. Mihi tamen*, non conuerti in sanguinem, si aqua, inchoata consecrationis forma, nondum erat in vinum conuersa. Ratio est. Tum quia aqua non erat vinum, quando prolata fuit particula *hic*, consequenter non fuit demonstrata per particulam *hic*. Illud autem conuertitur in sanguinem Christi, quod per particulam *hic*, demonstratur. Tum quia sicut non potest conuerti in Corpus, vel sanguinem Christi panis, aut vinum, quod tempore inchoatæ consecrationis non est præsens: ita neque potest conuerti in sanguinem vinum, quod nondum erat materia sãguinis, inchoata forma consecrationis; cùm non diceretur præsens etiamsi aqua ante finitam consecrationis formã conuersa sit in vinum.

11 *An aqua post consecrationem conuerti possit in vinum.*

11 QVÆRES TERTIO, vtrùm aqua, quæ ante consecrationem nõ fuerat in vinum conuersa, conuertatur in vinum post consecrationem.

Ad hanc difficultatem, quæ militat etiam in aqua, quæ infunditur in calicem post consecrationem, respondetur, illam aquam non posse conuerti in sanguinem Christi, vt iam dictum est, quia conuersio in sanguinem Christi fit per verba consecrationis, verba autem consecrationis iam transacta sunt. Conuertitur tamen in vinũ, si tandiu remaneat admista speciebus vini, quandiu sufficit ad cõuersionem. Ratio est, quia in illis speciebus consecratis remanet virtus ad generandum vinum, ac si substantia vini adesset, Deo aliquid supplente ex parte specierum, sicut etiam supplet, quando ex speciebus vini generatur acetum, aut aliquid aliud. Ita Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 5. *punct.* 3. *ad finem*, Reginaldus *lib.* 39 *num.* 36. Chamerota *de Eucharistia c.* 6. *dubio* 55. Suarez *disp.* 57. *sect.* 1. Scotus, Durandus, & alij apud eundem Suarez.

PVNCTVM. V.

Vtrùm quælibet quantitas panis, & vini possit consecrari.

EXaminandum est primò, vtrùm quælibet parua quantitas possit consecrari; secundò, vtrùm quælibet magna quantitas consecrari possit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An quælibet parua quantitas possit consecrari.*

1 QVælibet parua quantitas sensibilis potest esse materia huius Sacramenti. Ita S. Th. 5. *part. q.* 73. *art.* 1. Vasquez *disp.* 71. *cap.* 2. & 3. Suarez *disp.* 43. *sect.* 7. Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 2. *punct.* 2. *in principio*, Sotus *in* 4. *dist.* 9. *q. vnica art.* 2. Coninchus *q.* 74. *art.* 2. *dub.* 2. Nugnus *ibidem difficultate* 2. Reginald. *lib.* 29. *num.* 17. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 14. *n.* 4. Toletus *lib.* 2. *c.* 25. *num.* 5. Pitigianus *dist.* 11. *qu* 6. *art.* 5. *concluf.* 3. Anglet *qu.* 4. *art.* 3. *difficultate* 3. *concl.* 2. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. *§.* 330. Victoria *de Eucharistia concl.* 56. Vivaldus *de Eucharistia cap.* 3. *num.* 14. Chamerota *de Eucharistia cap.* 6. *dub.* 3. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 3. *q.* 5.] & alij communiter. Ratio est, tum quia materia Sacramenti corporis est panis, sed quælibet parua quantitas, sub qua subsistit substantia panis sensibilis, est panis, ergo quælibet parua quantitas potest esse materia huius Sacramenti. Tum quia si hostia consecrata diuidatur in minutissimas partes, quælibet pars remanet consecrata, ergo etiam quælibet parua quãtitas potest consecrari.

Dixi *quantitas sensibilis*, quia si fortè detur tam parua quantitas panis, quæ non sit sensibilis, nec videri, aut designari possit, non est apta materia consecrationis, quia humano modo est insensibilis, nec designari, & demonstrari potest per particulam *hic*. Ita Coninc. *loco citato num.* 7. & 28. Reginaldus *num.* 17. Nugnus *q.* 74 *art.* 2. *diffic.* 2. Suarez *loco citato*. Maior. *dist.* 11. *q.* 3. Pitigianus *loco citato concluf.* 4. [Filliucius,] & alij contra Valentiam, Sotum, & Henriquez *locis citatis*,

Existimo tamen probabile cum Suarez *sect.* 8. *ad finem*, eam paruã quantitatem, quæ naturaliter videri non potest, posse validè consecrari ab eo, cuius oculus per Dei potentiam eleuaretur ad eam videndam: tunc enim posset designari per particulam hoc, & quamuis naturaliter non esset sensibilis, tamen hic, & nunc videretur, & sentiretur, consequenter posset designari, & consecrari. Idem sentire videtur Nugnus *loc. cit. concl.* 3.

OBIICIES contra propositionem. Baptismus non potest administrari sub qualibet parua quantitate aquæ, quæ non sit sufficiens ad abluendum; ergo neque potest Eucharistia confici sub qualibet parua materia panis, & vini, quæ non sit apta ad vsum.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia Baptismus est Sacramentum consistens in actione, & vsu abluendi, consequenter in eo debet adhiberi tanta quantitas aquæ, quæ sufficiens sit ad abluendum, Sacramentum verò Eucharistiæ nõ consistit primariò in vsu, sed in esse permanenti, cùm duplex sit finis materiæ Sacramenti Eucharistiæ, proximus scilicet, & remotus: finis proximus est, vt in ea contineatur Christi corpus, consequenter ea materia sufficit ad consecrationem, quæ sufficit vt in ea contineatur corpus, vel sanguis Christi; cùm autem sub qualibet parua quantitate contineri possit corpus, vel sanguis Christi, sequitur, quamlibet paruam quantitatem sufficientem esse ad Eucharistiam: finis verò remotus, & secundarius materiæ Eucharistiæ est vsus, & sumptio Eucharistiæ, ad quem finem licet aliqua parua quantitas materiæ non sit sufficiens, nihilominus est sufficiens ad primarium finem, & consequenter ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentũ. Ita Valentia *loco cit. vers. Alter finis, & vers. Denique*. Præterea quamuis dari possit tam parua quantitas, quæ per se sola non sit apta ad vsum, nihilominus potest alteri coniungi, sicque apta fieri ad vsum consequenter non obstat, quin quælibet parua quantitas possit cõsecrari, nisi fortè tam modica sit, vt non sit visibilis, & consequenter nequeat designari, & demonstrari, per particulam *hoc*, vel *hic*, vt dictum est.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *An consecrari possit quælibet magna quantitas.*

2 QVælibet magna quantitas præsens constituta potest validè, sed non licitè consecrari. Ratio est, tum quia si quælibet magna quantitas non potest consecrari, vel hoc prouenit ex parte materiæ, vel ex parte formæ, vel ex parte ministri, sed ex parte nullius prouenit, quin possit consecrari, ergo quælibet magna quantitas validè potest consecrari. Minor probatur, quod non proueniat ex parte formæ, quin valida possit consecrari, nam super qualibet magna quantitate materiæ verba consecrationis possunt proferri, & verificari, neque prouenit ex parte ministri, cùm adsit minister, cum debita intentione, vt suppono, neque prouenit ex parte materiæ, quia quælibet quantitas panis verè est panis, quem constat esse materiam remotam huius Sacramenti. Tum quia Christus non tradidit Sacerdotibus facultatem limitatam solùm ad consecrandum tantam quantitatem, & non maiorem, hoc enim nullo iure probatur. Ita S. Thom. 3. *part. q.* 74. *art.* 2. Coninchus *ibid. numer.* 6. Suarez *loc. cit. sect.* 8. Valentia *loc. cit. punct.* 2. Henriq. *loc. cit. numer.* 4. Vasquez 3 *part. qu.* 71. *art.* 3. *cap.* 3. Pitigianus *dist.* 11. *qu.* 6. *art.* 5. *concl.* 1. Angles *quæst.* 1. *artic.* 3. *difficultate* 5. Victoria, & Vivaldus *loc. citat.*

[Filliu-

Filliucius *tract.4 c.3.quæst.5.numer.73.* Molfesius *tract.3. cap. 2.numer. 22.*] & alij contra Angelum *verbo Eucharistia 2. numer. 2.* & alios.

Dixi *præsens constituta*; nam ratione absentiæ fieri potest, vt cõsecratio fieri non possit sub qualibet magna quantitate. Quamobrem Sacerdos hic Mediolani non potest consecrare hostias, aut panes Romæ existentes: hoc autem non provenit ratione quantitatis materiæ, sed ratione absentiæ, ratione cuius verba formæ non verificantur. Ita Sotus *loco citato num.2.* Valentia *loc.cit.punct.3.* Coninchus, Nugnus & Henriq. *loco citato* Victoria *de Eucharistia concl. 57.* & alij communiter.

Dixi, *validè, sed non licitè*; nam si quis consecret in tanta quantitate, quæ non possit opportuno tempore sumi, grauiter peccat, quia facit præter finem secundarium huius Sacramenti, & facit iniuriã tanto Sacramento: sicut enim rem dissonam faceret, qui totum triticum pro huius anni vsu congregatum simul conficeret in panes; cùm tot panes non possint toto anno conseruari, & à corruptione defendi: ita turpiter ageret, qui magnam quantitatem simul consecraret. Ita Doctores citati.

Ex dictis patet, de necessitate Sacramenti Eucharistiæ non esse certam, & determinatam materiæ quantitatem, quo ad magnitudinem, aut paruitatem; cùm Sacramentum Eucharistiæ confici possit tam in parua quantitate sensibili, quàm in magna, modò sit moraliter præsens.

An materia consecranda debeat esse determinata in mente Sacerdotis.

3 Sed modò Dvbivm est, vtrùm materia consecranda debeat esse aliquo modo definita, & determinata in mente Sacerdotis consecrantis.

Respondeo affirmatiuè cum Syluestro *verb. Eucharistia 2. quæsito 6.* Suarez *disp. 43. sect. 6.* Reginaldo *loco citato, num. 18.* Coninch o *3.part.q.74.art.1.dub.2.num.32.* Nugno *ibidem, difficultate vltima.* Henriquez *lib.8.cap.24.n.5.* Toleto *lib 2.c.25.n.6.* Pitigiano *dist. 11.q.6.art.5.conc.5.* Vasquez *3.parte disp.71.cap.1.numer.6.* [Filliucio *tract.4 cap.3.quæst 4.nu.70*] & aliis communiter. Ratio est, tum quia ad consecrationem requiritur intentio consecrandi, quæ non potest esse sine præuia cognitione, cùm intentio sit actus voluntatis, quæ non fertur in incognitum, sed cognitio non est sine aliqua determinatione, vnde sacerdos intendens aliquem baptizare, aut aliquas hostias consecrare, debet illas præcognoscere, & ipsius cognitio ferri debet in personam determinatam baptizandam, & in hostias determinatas consecrandas, ergo materia consecranda debet esse determinata in mente, seu apprehensione ministri conficientis. Tum quia, si quis baptizaturus aliquem intenderet hominem baptizare, & non hunc hominem, non validè baptizaret, quia illius mens & intentio non ferretur circa subiectum, & materiam determinatam; ergo etiam in Sacramento Eucharistiæ, si quis intenderet hostias consecrare, & non has hostias, non validè consecraret, ergo requiritur materia determinata in mente Sacerdotis consecrantis,

Obicies. Si quis deferat ad Altare duas hostias quas credit esse vnam tantùm, vtramque validè consecrat, sed illæ hostiæ non sunt determinatæ, nec præcognitæ in mente consecrantis; ergo materia consecranda non debet esse definita & determinata in mente consecrantis.

Respondeo, vtramque hostiam remanere consecratam, quia error speculatiuus, seu priuata deceptio, qua duplex hostia creditur vna tantùm, non obstat debitæ intentioni, quam Sacerdos debet habere, & moraliter habet consecrandi totam materiam, quam habet præsentem, & in mente determinatam. Secus dicendum est, si Sacerdos præcisè velit vnam tantùm consecrare; tunc enim, cùm Sacerdos non habeat intentionem & materiam determinatam, nec sit maior ratio, cur vna potius hostia, quam alia consecretur, neutra remanet consecrata. Ita Sotus *dist.9.art.2.* Nauarrus *cap. 25.nu. 91.* Rodriq. *in summa cap.249.nu.20.* Angles *qu.1.art.3.difficultate 8. concluf. 1.* Sylueſter, Suarez, Henriquez, [Filliucius,] & alij *locis citatis*.

An remaneat consecrata quarta pars hostiæ à Sacerdote non designata.

4 Hinc sequitur primò nullam hostiæ partem remanere consecratam, quando Sacerdos intendit solùm quartam hostiæ partem, vel medietatem consecrare, non distinguens quam partem consecrare velit, secus si aliquam hostiæ partem determinatam, & designatam intendat consecrare, etiamsi illa pars designata coniuncta sit cum aliis partibus, nam coniunctio cum aliis partibus non obstat, quin pars illa sit determinata, & quin verè sit materia huius Sacramẽti, sicut patet à simili de vino consecrato, quod miscetur & coniungitur cum non consecrato, nam consecratum non desinit esse consecratum propter admistionem & coniunctionem cum non cõsecrato. Ita Sylueſter *loco citato, quæsito 5.* Angles *loco citato conc.3.* Bartholomæus ab Angelo *loco citato §. 378. & de Missa dialogo 5. §. 697.* Coninchus, Nugnus, Henriquez, Reginaldus, Suarez, Pitigianus, [Filliucius] & alij *locis citatis*.

An ex decẽ hostijs præsentibus Sacerdoti remaneant quatuor cõsecratæ, quæ non fuerunt à Sacerdote designatæ.

5 Secundò, nullam hostiam remanere consecratam, si Sacerdos præsentes habeat decem hostias, & intendat quatuor tantùm consecrare non determinans, quas velit consecrare. Ratio est, quia materia non est determinata in mente consecrantis, nec est maior ratio, cur vna potius hostia, quàm alia remaneat consecrata. Ita Bartholomæus ab Angelo *dialog.5.§. 696.* [Suarez Filliucius,] & alij DD. citati.

An omnes hostiæ super altari positæ, remaneant consecratæ, si Sacerdos illarum non recordetur.

6 Tertiò, validam esse consecrationem quoad omnes hostias, quando quis plures hostias consecrandas detulit ad Altare, etiamsi in actu consecrationis recordetur illius solùm hostiæ, quàm præ manibus habet, nam dicitur habere intentionem determinatam ad omnes hostias, non actualiter, sed virtualiter, quatenus intentio præcedens virtualiter perseuerat. Ita [Sylueſter *Eucharistia 2.qu.6.*] Coninchus *n.45.* Reginaldus *loco citato n.25.* Angelus *verb. Eucharistia n.25.* & Henriquez *loco citat.* Viualdus *de Sacramentis in genere c.3.n 9.* Toletus *loco citato* Angles *q.1.art.3.diffic.8.concl. 3.* Graffius 1. *part. lib.2 cap.46.num.8.* Bartholomæus ab Angelo *loco citat. §.381.* Nauarr. *cap.25.nu 91.* Chamerota *loco citando*, [Filliucius *loco citato n.71.*]

An remaneant consecrata gutta vini, quæ sunt extra Calicem.

7 Quartò, vini guttas, quæ sunt extra Calicem, non manere consecratas, quia Sacerdos non habet determinatam intentionem circa illas, quamuis illas habeat præsentes moraliter. Ita Reginaldus *num.19. ad finem* Coninchus *n.43 ad finem.* & alij. Secus probabiliter mihi dicendum videtur contra Reginaldum de guttis existentibus in Calice, separatis à vino, quod etiam in Calice continetur; nam intentio Sacerdotis ferri videtur circa totam materiam in Calice existentem, quæ demonstratur per particulam *hic*, vt patet à simili de consecratione plurium hostiarum in eodem vase existentium. Ita sentire videtur Coninchus, Toletus, & Rodriquez *locis citatis*. & Chamerota *de Eucharistia c.6. dub. 6.*

An remaneant consecratæ hostiæ super Altare positæ inscio Sacerdote.

8 Quintò illas hostias, quas quis inscio Sacerdote consecrandas apposuit, non remanere consecratas, quamuis illas apposuerit in Corporali. Ratio est, quia illę hostiæ non censentur determinatæ in mente Sacerdotis, & voluntas non fertur in incognitum. Ita Coninchus *loco citato, numer.39.* Angles *loco citato.* Bartholomæus ab Angelo *loco citato, §.* 380. Chamerota *loco citato*, & alij contra Nugnum *loco citato, diffic. vlt. versic. Propter hoc.*

An valeat consecratio quando Sacerdos ex decem hostiis, quæ à Titio designatis intendit cõsecrare.

9 Sextò non esse validam consecrationem, quando quis habens decem hostias intendit consecrare tantùm quinque, quas Titius designauerit, nam vel intendit consecrare quinque hostias, quas Titius designabit post consecrationem, vel quas designauit ante consecrationem. Si intendat consecrare hostias, quas Titius designabit post consecrationem, non validè consecrat, nam determinatio materiæ debet præcedere consecrationem, & effectus Sacramenti non remanet pendens vsque ad alterius determinationem, cùm iam transfacta sit materia, & forma, quando aduenit alterius determinatio. Si verò intendat consecrare, quas Titius designauit ante consecrationem, videndum est, num Titius ante consecrationem manifestet Sacerdoti, quasnam hostias designauerit. Si manifestat, & Sacerdos se accommodat illi determinationi, remanent consecratæ quinque designatæ à Titio, quia intentio, & materia est sufficienter definita, & determinata in mente consecrantis, si verò Titius non manifestat, quasnam designauerit, inualida est consecratio, cùm Sacerdos non habeat intentionem determinatam, nec scire valeat, hãc potius, quàm aliam esse consecratam. Ita Suarez *loco citato sect. 6.* [Filliucius *loco citato*] & alij.

An valeat consecratio, si Sacerdos eat hostias intendat consecrare, quas Deus elegerit.

10 Septimò, non esse validam consecrationem, si Sacerdos intendat eas hostias, aut illam hostiæ partem consecrare, quam Deus intendit, nam Sacerdos non dicitur habere intentionem, & materiã humano modo determinatam, nec potest distinguere materiam cõsecratam ab ea, quę non est consecrata. Ita Coninchus *loco cit.n.37.* Chamerota *de Eucharistia cap.6 dub.7.* Vasquez *3.parte disp.171. cap. 1.n 6.* Suarez, & alij.

Obicies contra vltimam illationem. Si quis offerat sacrificiũ, & illud applicet animæ purgatorij, quam Deus elegerit, valida est applicatio, & sacrificium reuera prodest illi, quam Deus designauerit; ergo etiam valida videtur consecratio, quando quis intendit hostias consecrare, quas Deus intendit.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia Sacerdos potest offerre Sacrificium pro anima purgatorij, quam Deus elegerit, cùm ad Deum pertineat remittere immediatè pœnam animabus debitam, in Sacramento verò, cùm Sacerdos immediatè, & proximè agat per intentionem, & verba, requiritur, vt ipse determinet materiam, & non sufficit, vt illius determinationẽ referat in voluntatem, & intentionem Dei.

PVNCTVM VI.

Vtrùm materia consecranda debeat esse præsens, & quandonam dicatur sufficienter præsens.

PRIMA PROPOSITIO.

An materia consecranda debeat esse præsens.

1 Materia consecranda debet esse præsens moraliter. Ratio est, quia si materia consecranda non esset præsens moraliter, falsa redderetur consecrationis forma, cùm forma consecrationis fiat cum his particulis demonstratiuis, *hoc*, & *hic*, quę rei absenti nequeunt bene accommodari. Ita communiter Doctores contra Maiorem *dist.11.qu 2.art.2.*

SECVNDA PROPOSITIO.

Materia quandonam dicatur præsens moraliter.

2 Vt materia consecranda dicatur præsens moraliter, debet ita esse præsens Sacerdoti consecranti, vt secundùm communem loquendi modum possit verè, & propriè designari, & demonstrari per particulam *hoc*, vel *hic*, iuxta prudentis viri iudiciũ. Ita Suarez *disp.45. sect 5.* Henriquez *lib.8.cap.14.* Valentia *tom.4.disp. 6 q.2.punct.3* Reginaldus *num.16.* Nugnus *qu.74.art.2. difficultate 4.* Pitigianus *dist.11.q.6.art.4* Bartholomæus ab Angelo *dialog. 4. §. 333.* Sotus *in 4 sent.dist.9.q.1.art.2.* Vasquez *3.part.disp.71.ca.4.* Coninchus *ibidem dub.1.num.8* [Filliucius *tract.4.c.3.q.3.*] Viuald. *de Eucharistia cap.3.numer.15.* Sotus, & Durandus apud Coninch. Ratio est, quia formæ Sacramentorum verificari debent secundùm communem, & propriam verborum significationem: verificantur autem secundùm propriam verborum significationem, si materia ita sit præsens Sacerdoti consecranti vt iuxta communem loquendi modum possit designari, & demonstrari per particulam, *hoc*, vel *hic*.

An sonus verborum debeat pertingere materiam consecrandam.

3 Hinc colligi potest primò, non requiri ad validam materiæ cõsecrationem, vt sonus verborum attingat materiam consecrandam cùm materia possit esse sufficienter præsens, etiam si sonus verborum ad ipsam non pertingat. Ita Henriquez *loco citato num.1.* Suarez, [Filliucius,] & alij *locis citatis*.

An possit consecrari vinum in Calice cooperto contentum.

4 Secundò, posse validè consecrari vinum in Calice cooperto contentum, aut dolio inclusum, aut hostias in pixide contentas, aut latentes sub aliis hostiis, vel sub mappa, vel etiam in Missali, modò existant coram Sacerdote, nam possunt demonstrari per particulam *hoc*. Quamobrem de vino contento in dolio, vel amphora dicitur, hoc vinum est optimum, vel, accipe metretam huius vini, & de pecunia sacculo inclusa propriè dicitur, hęc est mea pecunia.

Ita Suarez, Reginaldus, Rodriquez, Henriquez, Coninchus, Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. *§* 334. & alij *loc. cit.*

5 *An Sacerdos cæcus validè consecret materiam præsentem.*

5 Tertiò, Sacerdotem cæcum validè consecrare hostiam, quam coram se habet, quamuis illam non videat, non enim necesse est, vt materia actu videatur, sed sufficit, vt sit præsens moraliter, & designetur per particulam *hoc*. Ita Doctores citati.

6 *An hostia existens à tergo possit consecrari.*

6 Quartò, validè consecrari posse hostiam existentem à tergo, si Sacerdos eam manibus teneat, nam propriè demonstrari potest per particulam, *hoc*. Secus dicendum videtur, si Sacerdos illam præ manibus non habeat. Ita Suarez *sect.* 5. *citata*. Valentia *punct.* 3. *citato*. Summa Corona *n.* 26. *ad finem*. Reginaldus *loco citato, n.* 16. Coninchus *loco citato n.* 20. Nugnus *loco citato ad primum Argumentum*, Bartholomæus ab Angelo *loco cit.* [Filliucius,] & alij, quidquid Maior senserit in oppositum.

7 *An actu debeat tangi materia, dũ consecratur.*

7 Quintò, validam esse consecrationem materiæ existentis corã Sacerdote, quamuis actu non tangatur, aut præ manibus non habeatur: nam materia, quæ coram Sacerdote existit, potest esse sufficienter præsens, etiam si non tangatur, cùm tactus non requiratur ad præsentiam materiæ, & ad verificandam formam, nam de re aliqua præsenti pronunciari possunt particulæ, *hoc*, vel *hic*, quamuis non tangatur. Ita Doctores citati.

Obiicies, vt Sacramentum Eucharistiæ validè conficiatur, faciendum est, quod Christus fecit; sed Christus in consecratione panem manibus accepit, nam in canone Missæ dicitur, *Accipiens panem, eleuauit oculos ad cœlos*, &c. Ergo ad valide conficiendum Eucharistiæ Sacramentum necesse est materiam tangi, vel præ manibus haberi.

Respondeo, non omnino certum esse Christum tempore consecrationis habuisse panem præ manibus. Præterea dato Christum præ manibus panem habuisse, non tamen sequitur ad consecrationem requiri, vt materia præ manibus habeatur, cùm non omnia, quæ Christus fecit, necessariò facienda sint à Sacerdote, vt sæpius dictum est, alioquin Sacerdos semper deberet aliquos communicare post consecrationem, deberet lauare pedes, posset in azymis tãtùm conficere, deberet eo solo tempore consecrare, quo Christus cõsecrauit, deberet cõmunionem sub vtraque specie administrare, &c. Quare ad maiorem propositionem obiectionis respondetur, à Sacerdote ea præstanda esse, quæ spectant ad veritatem materiæ, & formę, non autem facienda esse ea omnia, quæ Christus fecit. Cùm autem veritas formæ saluetur, etiam si materia consecranda præ manibus non habeatur, non est necesse materiam consecrandam præ manibus haberi, & tangi. Ita Suarez *disp.* 4. *sect.* 5. & alij DD. cit.

8 *An eodem actu Sacerdos possit cõsecrare materiam præsentem, & absentem.*

8 Sextò, quando Sacerdos intendit duplicem materiã consecrare, vnam præsentem, & alteram absentem, consecrationem non esse validam respectu absentis; respectu verò præsentis videri validam quia de materia præsente verificatur forma. Contrarium tenet Nugnus *loc. cit. diffic.* 3.

9 *An hostia post parietẽ existens cõsecrari possit.*

9 Septimò, non posse validè consecrari hostiam existentem post parietem, [aut intra tabernaculum.] nam humano modo videtur absens, nec propriè designari potest per particulam, *hoc*, cùm de illa non dicatur, hæc hostia, sed, illa hostia. Ita Coninch. *loc. cit. n.* 19 Valentia *loc. citat. puncto* 3. Suarez, Reginald. [Filliucius,] & alij *loc. cit.*

10 *An possit consecrari materiatrigintapassibus distans.*

10 Octauò, non posse validè consecrari materiam distantem triginta passibus; quia propriè loquendo non videtur posse designari per particulam, *hoc*, sed potiùs per particulam, *illud*. Ita Pitigianus *loc. cit.* [Filliucius,] & alij.

11 *An possit consecrari, si distet tãtum viginti passibus.*

11 Sed modo dubium est, vtrum valide saltem possit consecrari materia distans viginti passibus.

Ad quam difficultatem Henriqu. *lib.* 8. *c.* 14. *n.* 12. Summa Corona, & alij *locis citatis*, respondent affirmatiuè, cùm huiusmodi materia censeatur moraliter præsens.

Sed hoc mihi certum non videtur, cùm non constet designari posse per particulam, *hoc*, Quamobrem non est vsu receptum, vt Sacerdos consecrationem faciat in materia, quæ coram ipso non existit in altari. Immò si consecret aliam materiam extra corporale, vel altare positam, videtur grauiter peccare, cùm faciat contra cõmunem Ecclesiæ vsum in materia graui, seque periculo exponat non consecrandi. Ita Coninchus *loco citato nu.* 24. Reginaldus, [Filliucius,] & alij *locis citatis*.

12 *An possit consecrari materia absens mente concepta.*

12 Nonò, non posse consecrari materiam absentem, quæ mente concipitur, nam huiusmodi materia, quamuis dicatur præsens in intellectu, non tamen est præsens humano modo, ita vt designari possit per particulam, *hoc*. & sicut in absolutione sacramentali non sufficit, vt Sacerdos præsentem habeat pœnitentem in mente, sed requiritur actualis præsentia pœnitentis, vt constabit ex dicendis de pœnitentia: ita non sufficit præsentia intellectualis materiæ cõsecrandæ, sed actualis præsentia necessaria est.

13 *An valeat consecratio si inchoata consecrationis forma, materia nõ erat præs̃s.*

13 Decimò, non esse validam consecrationem, si inchoata forma consecrationis, materia nondum erat præsens. Ratio est, quia huiusmodi materia non fuit demonstrata per pronomen, *hoc*, ad validam autem consecrationem talis præsentia requiritur, qua res possit per particulam, *hoc*, demonstrari. Ita Henriquez *loco citato nu.* 3. & alij.

QVÆSTIO III.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

DVplex est partialis forma Sacramenti Eucharistiæ, sicut etiam est duplex partialis materia, vt constat ex dictis in quæstione proximè præcedente. Alia dicitur forma Sacramenti corporis, & alia sanguinis. Primo loco agemus, quæ sit forma Sacramenti Corporis. Secundo quę sit forma Sacramenti sanguinis. Tertio cuius nomine, & quomodo proferatur forma consecrationis. Quarto quid designetur per illas particulas, *hoc*, & *hic*, quæ continentur in forma Sacramenti Corporis, & Sanguinis. Quinto quid efficiatur per formam consecrationis. Sextò quomodo efficiatur id, quod per consecrationem efficitur.

PVNCTVM I.

De forma Sacramenti Corporis.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Quænam sit forma Sacramenti Corporis.*

1 FOrma Sacramenti Corporis sunt hęc verba, *Hoc est corpus meum*. Ratio est, tum quia illa est forma huius Sacramenti, quam Christus instituit, & qua Christus ipse consecrauit, vt inquit Florentinum *in instructione Armenorum*, sed Christus pro forma instituit hæc verba, & ipse his verbis cõsecrauit, vt patet ex illis verbis Canonis, *benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens ad eos, Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum*, ergo forma Sacramenti Corporis, sunt hæc verba. *Hoc est Corpus meum*. Tum quia illa debet esse forma huius Sacramenti, qua significatur & efficitur transubstantiatio panis in corpus Christi: sed huiusmodi forma sunt hęc verba: *Hoc est Corpus meum*, & non alia; ergo hęc verba: *Hoc est corpus meum*, sunt forma huius Sacramenti, & non alia. Ita S. Thom. 3. *p. q.* 78. *art.* 2. Suarez *disp.* 58 *sect.* 1. Bellarminus *lib.* 4. *de Eucharistia, c.* 12. Henriquez *c.* 16. *n.* 4. Valentia *tom* 4 *disp.* 6. *q.* 1 *punct.* 1 *versùs finem*. Reginaldus *lib.* 29. *n.* 26. Nugnus *q.* 78 *art.* 1. *diffic.* 2. *concl.* 1. Coninchus *ibidem*, Pitigianus *dist.* 8. *qu.* 2 *art.* 2. Bartholomęus ab Angelo *dialogo* 4. *§* 361. Victoria *de Eucharistia concluf.* 74. Vivaldus *de Eucharistia c* 4 *num.* 2. Chamerota *de Eucharistia c.* 7. *dub.* 6. *ad finem*, [Molfesius *tract.* 3. *c* 3. *num.* 15.] & alij DD. commmuniter cum sanctis Patribus.

Obiicies primò, in forma debet exprimi actus ministri; sed in verbis iam relatis non exprimitur actus ministri; ergo verba relata non videntur sufficiens forma.

Respondeo negando exprimendum esse actum ministri in Sacramento Eucharistiæ, vt colligi potest ex dictis de forma Baptismi, nam Sacramentum Eucharistiæ non consistit in vsu; sed in esse permanenti. Ita S. Th. *loc. cit. art.* 1. *ad tertium*, Chamerota *loc. cit. dub.* 10. Sotus & alij apud Henriquez *lib.* 8. *c.* 16. *n.* 1.

Obiicies secundò, Christus non est vsus illis verbis in consecratione; nam antequam proferret illa verba; *Hoc est Corpus meum*, iam consecrauerat, & illa verba protulit post consecrationem, dum communicaret Apostolos, vt colligitur ex verbis canonis, vbi dicitur, *gratias agens benedixit*, id est, consecrauit, deinde subiungitur, *dedit q; discipulis suis, dicens ad eos. Accipite, & manducate, hoc est Corpus meum.*

Respondeo, temerarium esse affirmare, Christum verbis non consecrasse, cùm in Florentino habeatur, formam huius Sacramenti esse verba, quibus Christus confecit; cùm autem alia verba, præter iam dicta non possint assignari, sequitur Christum vsum fuisse prædictis verbis in consecratione.

2 *Quomodo connectatur verba Canonis*, Gratias agens benedixit, fregit, &c.

2 Sed modò Difficvltas est, quomodo illa verba canonis; *gratias agens benedixit, fregit*, &c. coniungenda, & connectenda sint.

Respondet Henriquez *loco citato num.* 3. & alij apud eundem Henriquez *littera G.* ita esse coniungenda, *Gratias agens benedixit*, id est consecrauit, *dicens: Hoc est Corpus meum*, deinde facta consecratione, *fregit, deditque discipulis suis, dicendo; Accipite, & comedite.*

Verùm hæc expositio, & coniunctio verborum mihi non probatur. Tum quia variat ordinem narratum ab Euangelistis tum quia supponit benedictionem non esse distinctam à consecratione, quam re ipsa distinctam esse colligitur tum ex Tridentino *sess.* 13. *cap.* 1. vbi Concilium videtur asserere; Christum instituisse hoc Sacramentum post panis, & vini benedictionem, vt bene obseruat Suarez *disp.* 58 *sect.* 2. Coninchus *disp.* 78. *num.* 14. & alij, tum ex Rituali Romano, in quo hęc tria distinguuntur, gratiarum actio, quæ propriè refertur ad Deum, & ob id Sacerdos oculos ad cœlum eleuat: benedictio materiæ, & ideo Sacerdos eam cruce signat, & forma consecrationis, quam Sacerdos postea profert.

Dico igitur cum S. Bonauentura *dist.* 8. *q.* 3. *art.* 2. & aliis, quos refert Henriquez *loco citato, in commentario littera I.* eosque sequitur Suarez *disp.* 58 *sect.* 2. Coninchus *q.* 78. *art* 1. *dubio* 2. *numer.* 14. & 16. Christum post gratiarum actionem, & benedictionem fregisse panem, & illum consecrasse illis verbis, *Hoc est Corpus meum*, illudque tradidisse Apostolis, dicendo, *Accipite, & comedite*,

3 *Quænam verba necessaria sint & sufficiant*

3 Hinc colligi potest primò, illa verba, *Hoc est Corpus meum*, necessaria esse, & sufficere ad consecrationem corporis, si à Sacerdote proferantur supra debitam materiam, vt patet ex rationibus in propositione allatis; tum quia si aliqui defectus admittanturin cęteris, modò hæc verba proferantur super debita materia, statim hostia proponitur populo adoranda, ergo hæc verba sufficiunt ad validã consecrationem, quod vero necessaria sint, per se patet, cùm Sacramentum nequeat validè confici sine sua forma. Ita S. Thom. *qu.* 78. *art.* 2. Petrus Ledesma *de Eucharistia, cap.* 5 *pag.* 70. Suarez *disp.* 59. *sect.* 1. Reginaldus *loco citato num.* 30. & alij Doctores citati.

4 *An totus Canon sit necessarius necessitate Sacramenti ad consecrationem.*

4 Secundò totum canonem incipiendo ab illis verbis, *qui pridie quàm paterentur*, non esse necessarium necessitate Sacramenti ad cõsecrationem. Ratio est, tum quia forma Sacramenti corporis non consistit in toto canone, sed in illis verbis, *Hoc est corpus meum*. Tũ quia totus canon non fuit recitatus à Christo, cùm illa verba, *fregit, deditque discipulis suis*, non fuerint à Christo prolata, sed Euangelistæ per illa verba expresserint, quod Christus fecit. Tum quia canon non semper fuit idem, quoad omnia, cùm auctus aliquando fuerit, & aliquando diminutus, nam illa verba, *qui pridie quàm paterentur*, non dicebantur tempore Apostolorum, vt patet ex multis Patribus, quos refert Suarez *disp.* 58. *sect* 3. Henriquez *ca.* 16. *num.* 8. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 4 *q.* 6.] & Nugnus *loco citato*, sed addita fuerunt ab Alexandro Papa, vt ostendit Summa Corona, *verb. Eucharistia, n.* 46.

5 Sed

5 *An necessarius sit necessitate præcepti.*

5 Sed quamuis totus canon non sit necessarius necessitate Sacramenti, attamen necessarius est necessitate præcepti; nam spectat ad solemnem ritum ab Ecclesia præscriptum, vt patet ex vsu Ecclesiæ: quæ autem pertinent ad solemnem Sacramentorum ritum, necessaria sunt necessitate præcepti, vt patet ex dictis *de Sacramentis in genere ad finem*. Ita Suarez *loco citat*. Reginaldus *loco citato nu.* 29. & alij communiter, quos *loco citato* adduxi.

6 *An conficiatur Sacramentum variatis verbis consecrationis.*

6 QVÆRES, an validè conficiatur Sacramentum, quando verba consecrationis variantur.

RESPONDEO negatiuè, iuxta dicta *disp.* 1. *qu.* 2. *punct.* 1. quoties talis contingit variatio, vt varietur sensus formæ. Sicut enim non validè conficitur Sacramentum prætermissa forma, ita neque validè conficitur variata forma quoad sensum substantialem; cùm non cēseatur eadem forma, si verò per mutationem verborum non varietur sensus formæ, nisi accidentaliter, validè conficitur Sacramētum, quamuis grauiter peccet per se loquendo, qui mutationem adhibet, nisi fortè excusetur ob paruitatem materiæ, præciso contemptu, vt patet ex supradictis. Ita Suarez *disp.* 59 *sect.* 2. *& disp.* 60. *sect.* 2. Henriquez *cap.* 16. *num.* 2. Coninchus *artic.* 3. *dub.* 3. Graffius 2. *part. lib.* 1. *cap.* 6. *numer.* 3. Pitigianus *d.* 7. *quæst.* 2. *artic.* 5. & alij communiter suprà relati in regulis generalibus *de Sacramentis in genere*.

7 *An valeat consecratio, si dicatur,* Hic cibus est corpus meum.

7 Hinc sequitur primò, validam esse consecrationem, si dicatur, Hic cibus est corpus meum, vel, hæc res est corpus meum, vel, istud est corpus meum, vel hic est corpus meum, vel, hic est corpus meus, vel, hic est corpum meus, modò particula, *hic*, non accipiatur adverbialiter, sed loco pronominis. Ratio est, quia subsistit adhuc eadem significatio, quamuis erretur contra Grammaticæ præcepta. Ita Suarez *loco citato*. Henriquez *n.* 2. Coninchus *n.* 38. & alij communiter.

8 *An valeat, si dicatur,* Hoc est caro mea.

8 Secundò, validum esse Sacramentum, si quis dicat, Hoc est caro mea. Ratio est, tum quia Cyrillus *sermone* 1. *in cœna*, sentit, Christum his verbis consecrasse. Tum quia perseuerat eadem significatio, c. etiam in scriptura caro accipiatur vel pro toto homine, vel pro toto corpore hominis, nam dicitur: *Verbum caro factum est*, & alibi, *Caro mea requiescit in spe*. Ita Henriquez *nu.* 2. & alij contra Coninchum *n.* 38. [Filliucium *n.* 109.] & alios.

9 *An validè consecret, qui particulā enim prætermittit.*

9 Tertiò, eum validè consecrare, qui omittit particulam *enim*, cùm omissio illius particulæ non variet sensum, & illa particula fuerit apposita à S. Petro ad continuationem cum præcedentibus, nec Euangelistæ illius meminerint, vt ait S. Tho. *q.* 72. *art.* 2. *ad quintum*. Bellarminus *de Eucharistia lib.* 4. *c* 14. Reginaldus *loco citato n.* 30 Pitigianus *d* 8. *q.* 2. *art.* 2. Henriquez *loco citato n.* 4. Suarez, Coninch. [Filliucius] & alij *locis citatis*.

10 *An peccet omittens particulam enim.*

10 Addo, omittentem prædictam particulam non grauiter peccare, præciso contemptu, vt patet ex supradictis *de Sacramentis in genere*. Ita Suarez *disp.* 59. *sect.* 5. Coninchus *loco citato, art.* 3. *num.* 37. Pitigianus, Henriquez, & alij *locis citatis*, contra Gabrielem *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. *artic.* 3. & Nugnum *quæst.* 78. *artic.* 2. *versic. Dico tertio*.

11 *An valeat consecratio, si dicatur,* Hoc est corpus Christi.

11 Quartò, non confici Sacramentum, si dicatur: Hoc est corpus Christi. Ratio est, tum quia Christus non est vsus hac forma. Tum quia variatur sensus verborum, cùm hæc verba non proferantur in persona Christi: sicut proferenda sunt. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 8. *q.* 2. *art.* 1. Henriq *loco citato n.* 2. Coninchus *num.* 39. Suarez *loco citato* & alij.

12 *An valeat, si dicatur,* Hic panis est corpus meum.

12 Quintò, non confici Sacramentum ab eo, qui dicit, hoc, quod est panis, vel, hic panis est corpus meum, mutatur enim sensus formæ, vt constabit ex infrà dicendis, sicut etiam non conficitur Sacramentum, si dicatur, hoc fit corpus Christi, vel, fit corpus meum, vel, conficio corpus meum: mutatur enim sensus formæ, cū exprimatur consecratio in fieri, per verba verò formæ exprimatur consecratio in facto esse. Ita Henriquez, Coninchus, & alij *locis citatis*.

13 *An conficiat Sacramentum, qui dicit* Hoc sit corpus meum.

13 Sextò, non confici Sacramentum, si dicatur, hoc sit corpus meum, non enim retinetur idem sensus cum præcedentibus verbis, & impropriè loquitur qui dicit, Accipite, & comedite, hoc sit corpus meum. Ita DD. citati.

14 *An conficiat qui dicit,* Illud est corpus meum.

14 Septimò, non confici Sacramentum ab eo qui dicit, illud est corpus meum, mutatur enim sensus formæ, vt per se patet.

15 *An conficiat quis dicendo* Hoc corpus Christi est corpus Christi.

15 Octauò, non confici Sacramentum ab eo qui dicit, hoc corpus Christi est corpus Christi, cùm hæc locutio impropria sit, & identica, nec significet conuersionem panis in corpus Christi, sicut practicè, & in actu exercito significatur per illa verba. *Hoc est corpus meum*. Ita DD. citati.

16 *An validè conficiat qui omittit particulam* est.

16 Nonò, non validè confici Sacramentum ab eo, qui prætermittit verbum, *est*, dicendo, *Accipite, & comedite, Hoc corpus meum*: nam sublato verbo variatur significatio propositionis. Idem dicendum est, si quis omisso verbo, *est*, dicat, *Ecce corpus meum*, Ita Henriquez, Suarez, & alij *locis citatis*.

PVNCTVM II.

De forma Sacramenti sanguinis.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Forma Sacramenti sanguinis quænam sit.*

1 FOrma Sacramenti sanguinis sunt hęc verba: *Hic est Calix sanguinis mei*. Ita Magister *in* 3. *dist.* 8. Angles *de Eucharistia quæst.* 1 *art.* 8. *concl.* 2. Victoria *de Eucharistia num.* 74. [Suarez *disp.* 60. *sect.* 1. Filliucius *tract.* 4. *c.* 4. *q.* 8. *n.* 111.] Viualdus *de Eucharistia c.* 5. *n.* 1. *vers. Quarta opinio*. Chamerota *de Eucharistia cap.* 7. *in principio*. Durandus, Bonauentura, Biel, Suarez, & alij *locis suprà citatis*. Quāuis S. Thom. Syluester, Capreolus, Toletus, *lib.* 2. *cap.* 15 *num.* 1. & alij nolint hæc solùm verba esse de essentia. Ratio nostra est, tum quia in Sacramento corporis hæc est forma, Hoc est corpus meum, & hęc verba tantùm sunt de essentia, vt patet ex dictis puncto antecedenti: ergo etiam in Sacramento sanguinis, hæc est forma: Hic est Calix sanguinis mei, & hæc tantùm sunt de essentia, necessitate, & substantia consecrationis sanguinis. Tum quia in aliis quibus Ecclesiis aliqua verba sequentia omittuntur, cùm Græci omittant illa verba, æterni, & mysterium fidei: ergo signum est, illa non esse de essentia, & consequenter consecrationem Sacramenti sanguinis subsistere cum his solùm verbis: *Hic est Calix sanguinis mei*, alioquin sequeretur, totam Ecclesiam Græcorum, in qua extitere viri insignes, & pietate conspicui, errare, & erasse: temerarium autem videtur asserere, totam Ecclesiam Græcorum errare, præsertim cùm Florentinum *sess. vltima*, eam non damnet, sed supponat ritè conficere. Ita Suarez *disp.* 60. *sect.* 1. S. Thom. *q.* 78. *art.* 3. Coninchus *ibid. n.* 33. Nugnus *ibid. conc.* 1. Valentia *tom.* 4. *disp.* 6 *qu.* 6 *punct.* 1. *circa finem, versic. Nunc reiectis*, Reginaldus *lib* 29 *n.* 61 Henriquez *lib.* 8. *c.* 16. *n.* 1. *& cap.* 17. *n.* 2. Emanuel Sà *verb. Missa nu.* 5. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. *§.* 370. Victoria *loco citato*. Chamerota *loco cit. dub.* 15. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 4. *q* 8.]

2 *An peccet, qui in consecratione vtitur his solùm verbis.* Hic est Calix sanguinis mei

2 QVÆRES PRIMO, vtrùm grauiter peccet, qui vtitur in consecratione Calicis his solùm verbis: *Hic est Calix sanguinis mei*, omissis aliis, quæ in Canone continentur.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, tum quia facit contra præceptum, & ritum consecrationis in re graui: tum quia exponit se periculo non consecrandi, nam quamuis valdè probabiliter asseramus formam consecrationis consistere in his verbis, *Hic est Calix sanguinis mei*, & consecrationem adhibitis his verbis valide confici & alia verba præter dicta non esse de essentia consecrationis, tamē hoc non est omnino certum, cùm aliqui Doctores sentiant oppositum, & in materia Sacramentorum eligenda est via certior, ne nos periculo exponamus inualidè conficiendi Sacramenta, vt ait Henriquez *c.* 17. *n.* 2. [Molfesius *tract.* 3. *c.* 3. *n.* 7.] & quamplures alij Doctores à nobis relati in tractatu de peccatis, cùm loqueremur de opinione probabili.

3 *An Sacerdos debeat habere intentionem consecrandi iis solùm verbis, vel etiā reliquis sequentibus.*

3 QVÆRES SECVNDO, vtrùm Sacerdos debeat habere intentionem consecrandi iis tantùm verbis: *Hic est Calix sanguinis mei*, vel etiam aliis consequentibus.

RESPONDEO ad euitandos scrupulos in hac materia, Sacerdotem debere se remittere intentioni Ecclesiæ, & Christi; hoc enim pacto validè conficiet, cùm nihil desit ad integritatem Sacramenti. Ita Summa Corona *loco suprà citato*, Nugnus *loco citato concl.* 6. Victoria *de Sacramentis num.* 74. Valentia *loco citato punct.* 1. *versic. Nam* Scotus, Reginaldus *loco citato n.* 32. Sotus *in* 4. *dist.* 8. *q* 2. apud Valentiam *loco citato*, Viualdus *loco citato, versic. Quinta opinio*. Sotus, Ledesma, & alij apud Henriquez *lib.* 8. *c.* 17. *nu.* 4. [& apud Filliucium *n.* 115.]

4 *An adorandus sit Calix, si celebrans moriatur finitis tantùm his verbis:* Hic est Calix sanguinis mei

4 Ex dictis colligi potest, si detur casus, vt celebrans moriatur finitis illis verbis. *Hic est Calix sanguinis mei*. Calicem consecratum adorandum esse saltem sub conditione, non solùm ab illis, qui nostram sustinent opinionem; verùm etiam ab illis, qui contrariam sectantur, credentes nostram esse probabilem, alioquin exponerent se periculo irreuerentiæ contra sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; cùm saltem probabile sit finitis illis verbis: *Hic est Calix sanguinis mei*, adesse Christi sanguinem sub speciebus vini; debent autem adorare sub conditione, cùm non sit omninò certum Christi sanguinem adesse. Ita Scotus apud Valentiam *loco citato*, & alij.

5 *An valida sit Calicis consecratio, si contingat variatio in verbis formæ,*

5 QVÆRES TERTIO, vtrùm valida sit consecratio Calicis, quando contingit variatio in verbis formæ.

RESPONDEO iuxta sæpiùs dicta inualidam esse, quoties sensus verborum substantialiter variatur, non enim censetur amplius eadem forma. Secus si accidentaliter varietur.

6 *An teneat consecratio, si dicatur.* Hic est sāguis meus.

6 Hinc patet primò, validam esse consecrationem, quando quis dicit: *Hic est sanguis meus*, non enim variatur sensus verborum. Immò idem sensus clariùs exprimitur, quàm per verba, quæ ordinariè consueuerunt adhiberi, Quamuis illa etiam sint clara, cùm illa vox *Calix*, communiter accipiatur pro contento in Calice, vt inquit S. Thom. *in* 4. *dist.* 8. Suarez, Toletus, & Reginaldus *locis citatis*. S. Bonauentura, & alij apud Henriquez *loco citato, cap.* 17. *numer.* 2. *&* 3.

7 *An valent si ita dicatur.* Hic est Calix nouum testamentum in meo sanguine.

7 Secundò, validam esse consecrationem, si Sacerdos vtatur hac forma, *Hic est Calix nouum Testamentum in meo sanguine*, vt dicitur *Luc.* 22. quam formam aliàs adhibitam fuisse in Hispanijs testatur Henriquez *cap.* 13. *num.* 2. Suarez *disput.* 60 *sect.* 2. *ad finem*. [Filliucius *tract.* 4. *cap.* 4. *qu* 9. *numer.* 117.] & alij. Videte quæ diximus de mutatione formæ, *de Sacramentis in genere, de Baptismo, & puncto præcedenti*.

PVNCTVM III.

Cuius nomine, & quomodo proferantur verba consecrationis.

DVo breuiter explicabimus in hoc puncto. Primò, vtrùm verba consecrationis proferantur in persona Christi. Secundò, vtrū proferantur recitatiuè solùm, an etiam formaliter, Pro cuius rei intelligentia.

1 *Quotupliciter verba consecrationis à Sacerdote proferantur.*

1 Notandum est verba consecrationis dupliciter proferri à Sacerdote. Primò assentiendo, & volendo ita esse, prout verba significant, quod est proferre verba formaliter. Secundò proferendo illa, quatenus prolata fuerunt à Christo, vel ad indicandum factum Christi, & hoc dicitur proferre verbo recitatiuè, vt patet à simili. Si Caius proferat blasphemiam, quam hesterna die audiuit, non assentiens illi, nec intendens per illam inferre Deo vllam contumeliam, aut Sanctis, dicitur proferre blasphemiam recitatiuè. Si verò proferendo blasphemiam auditam, simul etiam illi assentiatur, dicitur proferre blasphemiam, non solùm recitatiuè, verùm etiam formaliter, & significatiuè.

PRIMA PROPOSITIO.

2 *An verba proferantur in persona Christi.*

2 VErba consecrationis proferuntur in persona Christi. Ratio est, quia in persona illius proferuntur de quo verificantur,

sed verificantur de Christo, & non de Sacerdote, cùm Sacerdos dicere non possit illud esse corpus suũ; ergo verba consecrationis proferuntur à Sacerdote in persona Christi. Ita S. Thom. 3. *parte qu.* 78. *art.* 5. Coninchus *ibid. art.* 3. *ad finem*, Henriquez *lib.* 8. *cap.* 18. Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *q* 6 *punct.* 2. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 35. Angles *de Eucharistia q.* 1. *art.* 10. *concl.* 1. & alij, & constat ex Florentino *in instructione Armenorum.*

SECVNDA PROPOSITIO.

An proferantur recitatiuè & formaliter.

3 VErba consecrationis proferuntur à Sacerdote, non solùm recitatiuè, verùm etiam formaliter.

Quòd proferantur recitatiuè, ratio est, tum quia Sacerdos narrat, & recitat ea, quæ Christus fecit, & dixit, vt patet ex illis verbis Canonis; *Benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, & comedite.* Tum quia illa particula, *enim*, in consecratione corporis profertur ad continuandam narrationem eorum, quę fecit, & dixit Christus, & illa verba consecrationis Calicis, *Hic est Calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur*, aliter dici non possunt, nisi recitatiuè, cùm sanguis Christi iam sit effusus, & non effundendus.

Quòd verò verba consecrationis proferantur etiam formaliter significando id, quod ipsa important. Ratio est, tum quia sicut forma reliquorum Sacramentorum adhibetur formaliter ¡significando id, quod verba important, cùm baptizans verè intendat significare ablutionem, quæ per verba significatur, & sic de cæteris Sacramentis: ita etiam adhibetur forma consecrationis: tum quia forma in Sacramentis efficit, quod significat, & significat, quod efficit; cùm ergo Sacerdos per formam consecrationis intendat efficere, & re ipsa efficiat corpus Christi sub speciebus sequitur Sacerdotem proferre verba consecrationis, non solùm recitatiuè, verùm etiam formaliter. Ita S. Th. *loco citato, art.* 5. Nugnus *ibid. vers. Tertia sententia.* Coninchus *ibid. art.* 3. *num.* 21. Sotus *dist.* 8. *q.* 2. Bellarminus *lib.* 4. *cap.* 14. Valentia *loco citato*, Suarez *disp.* 58. *sect.* 4. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 16. *num.* 2. *& cap.* 18. Pitigianus *dist.* 7. *q.* 1. *art.* 6. Angles *loco citato concluf.* 2. Chamerota *de Eucharistia, c.* 7. *dub.* 3. Pesantius 3. *parte q.* 78. *ar.* 5. *disp.* 1. *conc.* 4 *&* 5. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 4. *q.* 2. Molfesius *tract.* 3. *c.* 3. *n.* 28] & alij communiter.

OBIICIES. Si verba consecrationis acciperentur formaliter significando, deberent significare conuersionem, & transitum panis in corpus Christi, & transitum vini in sanguinem: cùm autem non significent huiusmodi conuersionem, & transitum: nam illa verba, *Hoc est corpus meum*, non significant panem cõuerti in corpus Christi, sed illud esse corpus Christi, sequitur verba consecrationis non accipi, neque proferri formaliter.

RESPONDEO in praxi, & facto ipso significare conuersionem panis in corpus Christi, & conuersionem vini in sanguinem, cùm enim illa verba sint vera, & proferantur supra rem, quæ non est corpus Christi, necesse est, vt realiter efficiant conuersionem panis in corpus Christi, & consequenter facto ipso significent transitum panis in corpus Christi, & vini in sanguinem. Ita S. Tho. *loco citato, art.* 2. & alij.

PVNCTVM IV.

Quid designetur in forma Sacramenti Eucharistiæ, per illas particulas, *hoc & hic.*

RAtio dubitandi in hoc posita est, vt bene argumentatur Nugnus 3. *parte quæst.* 78. *art.* 5. *difficultate* 2. quia illa particula, *hoc*, vel significat panem, vel accidentia panis, vel Christi corpus; sed nullum horum videtur posse significare, non enim significat panem quia falsum est, panem esse corpus Christi, & falsum est particulam *hoc*, semper significare panem, alioquin nunquam posset adhiberi ad aliam rem significandam. Neque significat accidentia, vt patet ex proximè allata ratione. Nec denique videtur posse significare corpus Christi, quia quando profertur particula, *hoc*, nondum est corpus Christi, sed Christi corpus aduenit in vltimo instanti prolationis verborum.

RESPONDENT, S. Th. *qu.* 78. *art.* 5. Nugnus *ibid. difficultate* 2. Valentia *loco supra citato*, significare aliquid commune ad substantiam panis, & corporis Christi; sed hæc responsio non caret difficultate, nam id, quod dicitur esse commune ad substantiam panis, & corporis Christi, vel est panis, vel corpus Christi, vel quid tertium. Non panis, neque corpus Christi, vt patet ex rationibus in ratione dubitandi allatis, neque potest dici quid tertium; cùm non possit assignari quid sit.

Sed omissis aliorum sententiis sit

VNICA PROPOSITIO.

Quid significet in Sacramento particula, hoc, vel hic.

1 PArticula *hoc*, vel *hic*, significat confusè contentum sub speciebus, ita vt sit sensus, hoc, quod continetur sub speciebus, est corpus meum: quamobrem Doctores dicunt, particulam *hoc*, directè, & primariò significare contentum sub speciebus, secundariò verò respicere accidentia panis, aut vini, quæ sensibus subiiciuntur. Ita sentire videtur S. Th. *loco citato, art.* 5. Pesantius *ibidem disp.* 3. *vers. Hæc sententia* Coninchus *ibid. n.* 42. Henriquez *loco citato, c.* 19. *num.* 1. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 4. *qu.* 5. Molfesius *tract.* 3. *c.* 3. *num.* 8. *&* 27.] Capreolus, Caietanus, Scotus, Durandus, Victoria *de Eucharistia concluf.* 7. & alij, quos citat, & sequitur Suarez, *disp.* 58. *sect.* 7. *vers. Quinta sententia*, contra S. Bonauenturam, & alios apud Suarez *loco citato*, apud Henriquez *loco citato nu.* 2 *littera N.* & apud Pitigianum *dist.* 7. *qu.* 2. *artic.* 7. *&* 8. asserentes particulam *hoc*, explicandam esse transitiuè; & sic designare panem, ita vt sit sensus, hoc, id est, panis, est corpus meum, id est, fit corpus meum. Sed horum sententia videtur reiicienda; quia nimis fauet hæreticis, non accipiendo verba in propria significatione: si verò accipiantur, vt nos diximus in propositione, tolluntur omnes difficultates, & verba proprie accipiuntur, & bene indicant conuersionem panis in corpus Christi; cùm efficiant, vt contentum sub speciebus sit corpus Christi, nec non dicuntur practicè vera, quatenus in praxi, & in actu exercito efficiunt, vt contentum sub speciebus, sit corpus Christi, igitur particula, *hoc*, significat contentum sub speciebus, & consequenter corpus Christi.

DICES, particula, *hoc*, designat contentum sub speciebus, quando ipsa particula profertur; cùm tunc non possit de alio verificari: sed quando illa particula profertur, res præsens, & contentum sub speciebus est substantia panis, ergo particula, *hoc*, designat substantiam panis. Pro solutione

Notandum est primò, propositionem propriè acceptam, & completam tribus terminis constare, subiecto, verbo, & prædicato: exempli gratia, in hac propositione, Petrus est sapiens, Petrus dicitur subiectum; quia de ipso prædicatur sapientia, particula *est*, dicitur verbum connectens vtrumque terminum, particula *sapiens*, dicitur prædicatum, quia prædicatur de subiecto, id est, de Petro. Hæc autẽ est natura propositionis, vt non habeat completam significationẽ, nisi posito prædicato.

Notandum est secundò, particulam, *hoc*, dupliciter considerari posse. Primò per se, vt est simplex quidam terminus, & vt sic non habet determinatam significationem, sed vagam, & indeterminatam; nam cùm profero particulam, *hoc*, possum designare substantiam, aut accidens, aut compositum ex vtroque. Secundò potest considerari, vt est terminus, & subiectum propositionis, cuius significatio determinatur à prædicato, & facit vnam integram significationem cum verbo, & prædicato, cùm ante prolationem verbi, & prædicati nondum sit completa essentia, & significatio propositionis, seu enunciationis, vt benè cum Aristotele 1. *περὶ ἑρμηνείας* obseruat Valentia *loc. cit. punct.* 2. *vers. sed sententia.* Coninchus *q.* 75. *art.* 2. *num.* 52. & Philosophi communiter; nam si dicas, Petrus est, constat nondum completam esse significationem, si aliquid aliud intendas addere; potes enim addere albus, stultus, cocles, sapiens, &c. Hoc posito.

RESPONDEO particulam, *hoc*, non significare contentum sub speciebus pro eo signo, & tempore, quo ipsa particula profertur, siue illa particula consideretur, vt est simplex terminus, siue vt subiectum propositionis, consequenter non posse pro eo signo, quo profertur, significare panem; quia tunc non habet determinatam significationem, sed suspensam, donec determinetur à prædicato, id est, ab illo verbo, *corpus meum*; à prædicato autem determinatur ad significandum id, cui conuenire potest prædicatum; cùm autem id, cui prædicatum conuenit, sit corpus Christi, quod continetur sub speciebus, statim prolato prædicato, sequitur illam particulam, *hoc* significare corpus Christi, & supponere pro corpore Christi, quod continetur sub speciebus, ita vt sit sensus, *hoc*, quod continetur sub speciebus, est corpus Christi.

Hinc patet primò responsio ad rationem dubitandi, respondetur enim illam particulam, *hoc*, significare contentum sub speciebus, seu corpus Christi, non pro eo signo, & tempore, quo ipsa particula profertur, sed quatenus determinatur à prædicato, tanquam subiectum propositionis. Ita Henriquez *cap.* 19. *n.* 1. & alij.

An verba à Sacerdote prolata sint vera.

2 Secundò patet, illa verba, quæ proferuntur à Sacerdote, esse vera non minus, quàm sit forma aliorum Sacramentorum, nam efficaciter operantur, quod significant, & ita est in re sicut per illa verba significatur; cùm significent illud esse corpus Christi non speculatiuè, sed practice, & in actu exercito. Ita Henriquez *c.* 18. *n.* 3. 4. *&* 5. *& c.* 19. *n.* 1. [Suarez *disp.* 58. *sect.* 5. Filliucius *q.* 3. *n.* 99.] Valentia *loco citato.* Coninchus *loco citato, art.* 4. Chamerota *de Eucharistia, c.* 7. *dub.* 6. & alij communiter apud Pitigianum *dist.* 7. *qu.* 2. *art.* 7. & apud Henriquez.

PVNCTVM. V.

Quid operentur verba Consecrationis.

QVatuor quæremus in hoc puncto. Primò, vtrùm per verba consecrationis constituatur Christus sub speciebus. Secundò, vtrùm totus Christus existat sub qualibet specie, id est, sub specie panis & vini. Tertiò, vtrùm totus existat non solùm sub qualibet specie, verùm etiam sub qualibet parte specierũ. Quartò, vtrùm existat sub speciebus ex vi verborum, vel per concomitantiam.

PRIMA PROPOSITIO.

An per verba cõsecrationis constituatur Christus sub speciebus.

1 PEr verba consecrationis constituitur Christus verus Deus, & homo sub speciebus panis, & vini. Hæc propositio certissima est: tum quia tanquam de fide expressè definitur in Trident. *sess.* 13. *c.* 1. *& can* 1. vbi decernitur in almo Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento post panis, & vini consecrationem, Dominum nostrũ Iesum Christum, verum Deum, atque hominem, verè, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri, quibus verbis varij hæreticorum errores confutantur, vt benè tradit Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *qu.* 3. *puncto* 1. Suarez 3. *part. tom.* 3. *qu.* 75. *art.* 1. *disp.* 46. per sex sectiones Bellarminus *lib.* 4. *de Eucharistia.* Coninchus *qu.* 75. *art.* 1. *à num.* 4. *& qu.* 78. *numer.* 14. Nugnus *ibid. difficultate* 1. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 20. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 5. *qu.* 1.] Petrus Ledesma *tract. de Euchar. cap.* 1. Chamerota *de Eucharistia. cap.* 6. *concluf.* 1. & alij. Tum quia hoc apertè indicant verba Christi, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Calix sanguinis mei*, quæ non possunt aliter explicari, nisi dicamus sub speciebus panis, & vini existere Christum verum Deum, & hominem, alioquin verba non propriè acciperentur, quod est contra communem Doctorum sententiam, vt ostendunt Doctores prælegati. Tum quia in hoc Sacramento debet esse illud corpus, quod pro nobis traditum est, vt constat ex verbis canonis, tam in consecratione calicis, *Hic est Calix sanguinis mei*, &c. *qui pro vobis effundetur* &c. quàm in consecratione corporis. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*; sed corpus pro nobis traditum fuit verùm Christi corpus, ergo in hoc Sacramento

cramento debet esse verum Christi corpus, tum quia non potest vlla ratio, vel implicantia afferri ad ostendendum Christum non esse sub speciebus panis, & vini, non enim repugnat Christum esse in cœlis ad dexteram Patris iuxta modum existendi naturalem, & esse in aliis locis sacramentaliter, sicut omnes rectè sentientes crediderunt, vt inquit Tridentinum *loco citato*. Neque implicat per diuinam potentiam vnum, & idem corpus esse in pluribus locis, non solùm sacramentaliter, verùm etiam localiter, vt concedunt, & fusissimè disputant Philosophi, & Theologi, præsertim Valentia *tom. 4. disp. 6. quæst 3. punct. 1. § .22.* Coninchus *quæst. 75. art. 4. dub. 3.* Angles *de Eucharistia quæst. 4. artic. 8. conclus. 1.* Bellarminus *de Eucharistia lib. 4. c. 3.* Pitigianus *distinct. 10. quæst. 2. art. 2.* Vasquez *3. parte disp. 89.* & alij Doctores citati. Quamuis contrarium sentiat Nugnus *qu. 76. art. 8.* vbi pluribus Doctoribus citatis conatur ostendere, non posse idem corpus localiter existere in pluribus locis, quamuis possit existere sacramentaliter, quatenus Christus sub speciebus existit.

Obicies primò. Si Christus existeret sub speciebus, subiaceret fœditatibus, quibus subiacent ea, quæ in hos hominum transmittuntur; sed hoc non videtur decens: ergo neque videtur asserendum, Christum esse sub speciebus.

Respondeo, Christum esse sub speciebus indiuisibiliter, & sacramentaliter, consequenter non posse fœdari, sicut fœdantur species, alioquin idem dicendum esset de Deo existente in quolibet loco, & de anima rationali in qualibet parte corporis existente.

Obicies secundò, si Christus verus Deus, & homo existeret sub speciebus panis, & vini, semper haberemus Christum in hoc mundo; sed hoc non videtur admittendum, cùm ipse Christus dixerit, pauperes semper habebitis, me autem non semper habebitis.

Respondeo, hunc, & similes locos non esse intelligendos de præsentia sacramentali Christi, sed de præsentia ipsius naturali, & locali, Deus enim non concedit nobis in hac vita præsentiam Christi naturalem, & localem, sed sacramentalem in futura verò vita post diem iudicij concedet etiam naturalem.

[Obicies, tertiò, si Christus verus homo existeret in Sacramento, posset oculo corporeo videri, & ab intellectu nostro cognosci, sed hoc est falsum; ergo Christus verus Deus, & homo non existit sub speciebus panis, & vini.

Respondeo negando sequelam, quamuis enim Christus sub speciebus existat, non tamen videri potest oculo corporeo, quia oculus corporeus in ea solùm fertur, quæ modo visibili existunt, neque cognosci potest cognitione naturali, quia nullus est effectus ex quo intellectus naturaliter percipere valeat existentiam Christi sub speciebus: nihil autem est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu. An autem Angelus naturaliter cognoscere possit existentiam Christi sub speciebus, eo pacto, quo nunc contingit, in tractatu de visione beatifica, vel de Angelis, Deo fauente, explicabo, interim videri potest Becanus, & Suarez 3. *parte disput. 53. sect. 5.* vbi disserit an Beatus videat Christum, non solùm visione beatifica, verùm etiam per scientiam infusam.

2 [*An Christus videatur in se, vel eius caro, & sanguis, dum Christus apparet in Sacramento Eucharistiæ*

2 Maior Difficvltas est, vtrùm videatur Christus in se, vel eius caro, & sanguis, dum Christus apparet in Sacramento Eucharistiæ.

Respondent communiter Doctores videri solam figuram, quæ Christum, vel eius sanguinem repræsentat. Vide S. Tho. 3. *parte q. 76. art. 8.* Suarez *disp. 55. sect. 2.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

3 *An Christus existat totus sub qualibet specie.*

3 Christus verus Deus, & homo totus quoad substantiam existit sub qualibet specie. Hæc propositio constat inter omnes Catholicos: tum ex Trident. *sess. 13. can. 3.* Florentino *in decreto Eugenij*, & Constantiensi *sess. 13.* Tum ex verbis Christi Ioannis *6. qui manducat me, & ipse viuet propter me. Ego sum panis viuus*, &c. ex quibus verbis cùm apertè constet, Christum esse sub speciebus, constat etiam ipsum existere totum quoad substantiam sub qualibet specie, nam corpus Christi est perfectum, & ornatum. Cum autè corpus Christi existat sub qualibet specie, decet ipsum esse totum quoad substantiam sub qualibet specie, non verò mutilum, imperfectum, & inornatum. Ita Henriquez *lib. 8. c. 27. num. 4. littera K* Vasquez *tom. 2. disp. 188. numer. 2. & 15.* Coninchus *qu. 75. numer. 49.* & pluribus aliis in locis, Reginaldus *lib. 29. num. 37.* Valentia, Suarez, Bellarminus *de Eucharistia lib. 3. cap. 22.* [Filliucius *tract. 4. cap. 5. quæst. 5.* & alij *locis supra citatis*. Idem tenet Victoria *de Eucharistia n. 65.*

4 *An existat totus sub speciebus, quoad quantitatem, & qualitatem.*

4 QVÆRES, vtrùm Christus existat totus sub speciebus non solùm quoad substantiam, verùm etiam quoad accidentia, videlicet quoad quantitatem, & qualitatem.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia in hoc Sacramento est illud idem corpus, quod pro nobis fuit traditum, vt patet ex illis verbis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, sed corpus Christi traditum pro nobis erat affectum quantitate, & qualitatibus; ergo in hoc Sacramento existit Christus cum suis accidentibus, quantitate scilicet, & qualitate. Ita communiter Doctores.

TERTIA PROPOSITIO.

5 *An Christus existat sub qualibet parte specierum.*

5 Christus quoad substantiam, & accidentia, nõ solum existit sub qualibet specie, verùm etiam sub qualibet parte specierum. Ratio est, tum quia corpus Christi existit sub qualibet parte speciei, sub qua antea erat panis: cùm succedat in ipsius locum, sed sub tota hostia, & sub qualibet parte hostiæ erat panis ergo sub tota hostia, & sub qualibet parte hostiæ est Christus; & hoc idem dicendum est de sanguine sub specie vini. Tum quia hoc definitum est in Tridentino *loco citato*, & in aliis Conciliis apud Valentiam *to. 4. disp. 6. q. 4. punct. 2.* & quod alios præcitatos DD. Ita S. Th. 3. *p. q. 76. art. 2. & 3.* Sotus *in 4. dist. 10. q. 1. art 2. & 3.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 4. § .244.* Victoria *loco citato n. 64.* Viualdus *de Eucharistia c 7. nu. 15.* Vasquez *3 parte disp. 88. cap. 3.* Valentia & alij communiter.

6 *Quomodo possit existere sub qualibet parte specierum.*

6 QVÆRES, quomodo Christus possit sub qualibet parte specierum existere, cùm habeat debitam partiũ proportionem, & magnitudinem, quæ exiguo, & quasi imperceptibili loco nequit contineri.

Respondeo, Christum existere sub speciebus sacramentaliter modo quodam admirabili, & ineffabili per modum substantiæ spiritualis, secundùm totam suam substantiam, quantitatem, & membra eo modo, quo in cœlis existit ad dexteram Dei Patris omnipotentis, non verò existere modo quantitatiuo, seu per extensionem partium in ordine ad locum. Duplex enim est munus, & officium quantitatis. Primum est distinguere partes à partibus, easque inter se ordinare, & hoc modo dicitur Christus esse sub speciebus secundùm suam substantiam, & quantitatem, quatenus partes corporis inuicem non confunduntur, sed vnaquæque suum habet ordinem, & distinctionem ab aliis, Christus enim existens sub speciebus habet caput distinctum ab humeris, brachia distincta à pedibus, & sic de cæteris. Secundum officium quantitatis est extendere substantiam, & corporis partes per ordinem ad locum, ita vt vna pars non sit in eo loco, in quo est alia, sed vnaqueque sit in diuersis locis, & hoc modo Christus non existit sub speciebus, consequenter Christus dicitur existere sub speciebus modo sacramentali per modum substantiæ spiritualis, non verò modo quantitatiuo. Ita S. Thom. 3 *parte qu. 76. art. 4.* Nugnus *ibidem.* Coninchus *ibidem num. 66. & q. 77. art. 2. num. 38.* Henriquez *lib. 8. cap. 25. num. 2. & cap. 27.* Reginaldus *loco supra citato num. 38.* Valentia *disp. 6. qu. 4. punct. 1.* Toletus *lib. 2. c. 17. nu. 4.* Philiarcus 2. *part. lib. 1. cap. 20.* Pitigianus *dist. 10. q. 1. art. 4.* Angles *de Eucharistia q 4 art. 6. concl. 2.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 4. § .247.* Victoria *de Eucharistia nu. 64.* Chamerota *loco citato p. 175. & 215.* Pesantius 3. *part. q. 76. art. 4. disp. 1. concl. 1. & 2.* [Filliucius *tract. 4. c. 5. q. 3.*] Vasquez *disp. 94. c. 2.* & patet ex Trident. *sess. 13. c. 1.*

Obicies primò, non possunt simul esse duæ quãtitates in eodem loco: ergo non potest sub speciebus retinentibus quantitatem panis, aut vini esse quantitas Christi.

Respondeo, duas quantitates naturaliter simul esse non posse, supernaturaliter verò posse, sicut de facto constat, Christum exiisse de sepulchro sine fractione lapidis, & consequenter duas quantitates fuisse simul supernaturaliter. Ita Suarez *disp. 51. sect. 3.* Henriqu. *c. 27. n. 4. littera E.* Angles *loco citato art. 8. concl. 1.* & alij communiter quidquid dicat Durandus *in 4. dist. 10 q. 2.*

Obicies secundò, si Christus secundùm suam substantiam, & accidentia esset in tota, & qualibet parte specierum, in qua erat substantia panis, sequeretur de ipso verificari ea, quæ dicuntur de substantia panis, cùm in ipsius locum succedat; hoc autem non videtur admittendum; nam panis dicitur frangi, dicitur fædari, liquefieri, &c. quæ non videntur verificari de corpore Christi, ergo neque videtur admittendum Christum esse in tota, & qualibet parte specierum.

Respondeo negando sequelam maioris propositionis; cùm enim Christus non sit sub speciebus modo quantitatiuo, sicut erat panis, non omnia dicuntur de Christi corpore, quæ verificantur de pane. Propterea, quando loquimur de augustissimo Eucharistiæ Sacramẽto, cautè loquendum est, ne ex verbis inordinatè prolatis committatur error; vt autem sciamus, quomodo loquendum sit in hac materia:

7 *An prædicata concernẽtia purum motum specierum verificentur de corpore Christi.*

7 Aduertendum est primò, ea prædicata, quę concernunt purum motum specierum, & existentiam in loco, verificari de corpore Christi. Quocirca corpus Christi dicitur esse in Sacrario, esse sursum, vel deorsum, dextrorsum, aut sinistrorsum, corpus Christi deferri ad infirmum, eleuari, ore sumi, porrigi, aut traiici in stomachum, sicut ipsæ species dicuntur esse sursum, vel deorsum, vel deferri, vel traiici, &c. Ratio, cur hęc prædicata dicantur de Christo, est quia Christus continentur sub speciebus, illisque præsens est, moto autem continente dicitur etiam per accidens moueri contentum, sicut moto dolio dicitur moueri vinum in eo contentum, iuxta doctrinam Aristotelis 2. *Ethicorum*, motis nobis, mouentur omnia, quę sunt in nobis. Ita S. Thom. *quæst. 76. art. 6* Coninchus *ibidem num. 80 83. & 85.* Philiarchus *loco citato*, Nugnus *ibidem difficult. 1.* Valentia *loco supra citato, punct. 3.* Henriquez *cap. 20. num. 5. & cap. 27. num. 4.* Suarez Bellarminus. Idem innuit Angles *quæst 4. artic. 9. concl. vnica de Eucharistia.* Victoria *conc. 69.* Viualdus *de Eucharistia c 7. nu. 33.* Chamerota *de Eucharistia c. 6. dub. 45.* Vasqu. 3. *parte disp. 94 c. 2.* [Filliucius *tract. 4 c. 5. q. 6.* & alij *locis statim citandis.*

8 *An prædicata propria specierum prædicentur de corpore Christi.*

8 Aduertendum est secundò, ea prædicata, quæ sunt propria, & absoluta specierum, non prędicare de corpore Christi. Quamobrem cùm species dicantur albæ, rotundæ, molles, liquidæ, vel calidæ, &c. non possunt hæc prædicata dici de corpore Christi, sicut vinum contentum in calice aureo, vel argenteo, non dicitur aureum, vel argenteum. Ratio est, inquit Henriquez *lib. 8. cap. 20. num. 5.* quia huiusmodi prædicata supponunt pro ipsamet quantitate panis relicta, quæ tanquam subiectum accidentium denominatur alba, rotunda, &c. non verò supponunt pro contento sub speciebus, seu pro Christi corpore.

9 *An prædicata ostendẽtia actionẽ & passionẽ specierum, verificentur de corpore Christi.*

9 Aduertendum est tertiò, ea prædicata, quæ ostendunt actionẽ, & passionem specierum, non posse verificari de Christo secundùm proprium loquendi modum. Ratio est, quia vt huiusmodi prædicata dicantur de aliquo, requiritur extensio; nam vt agens corporeum agat, requirit extensionem in patiente: Christus autem non existit sub speciebus modo quantitatiuo, & per extensionem. Possunt tamen huiusmodi prædicata verificari de corpore Christi secundùm denominationem extrinsecam ipsarum specierum. Quapropter illa verba, *corpus tuum frangitur Christe*, quæ proferuntur à sacerdote in Sacrificio Missæ, [celebrato ritu Ambrosiano] verificantur de Christi corpore per denominationem extrinsecam sumptam à speciebus, quæ franguntur, & secundùm hanc

etiam rationem corpus Christi dicitur frangi, videri, &c. Ita S. Th. 3. *part. q. 77. art. 7.* Coninchus & Nugnus *ibidem*. Suar. *disp. 47. sect. 4. & disp. 35. sect. 1.* Reginaldus *lib. 29. n. 38. & 39.* Bellarminus *lib. 3. de Eucharistia, c. 52. & 53.* Henriquez *lib. 8. c. 20. num. 5. & c. 26. ad finem.* Victoria *loco citato*, & alij.

Ex dictis colligitur, vtrùm verè, & propriè dici possit corpus, vel sanguis Christi comedi, manducari, & bibi, nam ex dictis in primo aduertendo constat, hunc sermonem verificari de corpore Christi, cùm hæc prædicata concernant modum, & Christus per modum cibi in stomachum traiiciatur. Ita Coninchus *loco citato. n. 61.* Nugnus *q. 77. art. 7. versic. Ad secundum Argumentum*, Henriqu. & alij *locis citatis*.

Sed hinc transeamus ad quartam propositionem, in qua explicandum est, quid sit primariò, & ex vi verborum in Sacramento Eucharistiæ, & quid per concomitantiam. Pro cuius rei intelligentia,

10 Præmittendum est, illud poni ex vi verborum, quod præcisè, & primariò per verba significatur, & in quod substantia præexistens primariò conuertitur: illud verò poni per comitantiam, seu connexionem, quod habet realem vnionem cum eo, quod primariò per verba significatur, & est terminus primarius conuersionis. Ita communiter Doctores cum S. Thom. 3. *parte q. 76. artic. 1.* & Triden. *sess. 13. c. 3.* Hoc posito.

QVARTA PROPOSITIO.

11 *An sub speciebus panis ponatur ex vi verborũ corpus Christi.*

11 SVb speciebus panis ex vi verborum ponitur corpus Christi. Ita Tridentinum *loco citato*. Ratio est, quia illud ponitur ex vi verborum sub speciebus quod primariò per verba significatur, & in quod substantia præexistens conuertitur: sed per verba consecrationis corporis primariò significatur corpus Christi, in quod substantia panis præexistens conuertitur, ergo ex vi verborum ponitur corpus Christi sub speciebus panis.

12 *Nomine corporis quid intelligatur.*

12 Nomine *corporis* non intelligo materiam nudam, sed quantitatem organizatam, seu illud quod communiter dicitur corpus, quod scilicet constat partibus heterogeneis, id est, diuersæ rationis, vt carne, ossibus, neruis, brachiis, pedibus, &c. siue illud sit viuum, siue mortuum, cùm non solùm corpus viuum, verùm etiam mortuum dicatur corpus: nomine igitur corporis intelligitur illud, quod communiter appellatur corpus, & abstrahit ab eo, quod sit viuum vel mortuum, Ratio est, quia si quis Apostolorum in triduo mortis Christi consecrasset super debita materia, verè confecisset, sed tunc sub illis speciebus non fuisset corpus Christi viuum, sed mortuum; ergo corpus, quod ponitur sub speciebus ex vi verborũ, est corpus, quod abstrahit ab eo, quod sit viuum, vel mortuum: sicut etiam si Apostoli in triduo mortis Christi consecrassent sub speciebus vini, postquam Christus totum sanguinem effuderat, adfuisset sub speciebus vini totus sanguis Christi vnitus verbo, corpus verò Christi non adfuisset: non enim adfuisset ex vi verborum, quia verba non significassent illud primariò, neque adfuisset concomitanter, quia corpus fuisset separatum à sanguine, Si verò aliquis consecrasset, antequam aperiretur Christi latus, ex quo sanguis effluxit, sub speciebus adfuisset, non solùm sanguis. verùm etiam corpus Christi concomitanter, quia illa pars sanguinis fuisset adhuc vnita corpori, consequenter corpus concomitanter adfuisset. Ita Valentia *tom. 4. disput 6. quæst. 4. punct. 2.* Coninchus *quæst. 76. art. 1. num. 5.* Nugnus *ibidem difficultate 1. & art. 2. difficultate 1. & 2.* & alij communiter, teste Henriquez *lib. 8. cap. 27. num. 1. in commentario littera C.* Toletus *lib. 2. cap. 27. num. 4.* Philiarcus 2. *part. lib 1. c. 20.* Angles *de Eucharistia qu. 4. art. 2. difficultate vnica, concluf. vnica*, Bartholomæus ab Angelo *dialogo 4. §. 245.* S. Antoninus 3. *parte c. 6. n. 13.* Sotus *in 4. sent. dist. 10. qu. 1. artic. 1.* Victoria *de Eucharistia num. 63.* Vasquez 3. *parte disput. 86. c. 3.* [Filliucius *tract. 4. c. 5. qu. 4.*]

13 *An ponatur sub speciebus corpus Christi viuum, & anima informatum*

13 Obserua tamen, corpus Christi, quod de facto ponitur sub speciebus ex vi verborum, esse corpus Christi viuum, informatum anima cum sanguine, & humoribus, ac cæteris partibus, non solùm spectantibus ad substantiam, verùm etiam pertinentibus ad ornatũ corporis Christi, vt sunt vngues, capilli, &c. Immo Doctores existimant esse sub speciebus aerem, quem solet homo respirare, & quo replentur venę: quia hic videtur spectare ad complementum corporis humani, vt innuit S. Thom. *qu. 76. art. 1. ad 3.* Coninchus *loco citato*, Henriquez *cap. 26 n. 1. littera F. in commentario*, & alij. Saliua verò, & si quæ alia per nutritionem in cinerem redacta sunt, non sunt in hoc Sacramento, quia non sunt coniuncta cum Christi corpore.

Hactenus explicauimus, quid sit primario, & ex vi verborum in Sacramento corporis, explicandum modò est, quid sit ex vi verborum in Sacramento Sanguinis.

14 *Quid sit ex vi verborũ in Sacramento sanguinis.*

14 RESPONDEO, sub speciebus vini ex vi verborum esse tantummodo sanguinem Christi, vt patet, tum ex Tridentino *loco citat.* Tum quia sanguis Christi primariò significatur, & in ipsum conuertitur vinum; ergo sanguis Christi existit sub speciebus vini ex vi verborum; cætera verò, quæ sunt coniuncta Christo, ponuntur sub speciebus per concomitantiam, eo quod habeant connexionẽ, & vnionem cum Christi sanguine, ea verò, quæ nullam habent realem vnionem cum Christi corpore, non sunt in hoc Sacramento, vt saliua oris, aut quod in excrementa naturæ per nutritionem defluxit. Ita Doctores citati.

15 *An diuinitas sit in Sacramento Eucharistiæ*

15 Hinc sequitur primò, diuinitatem, quę per hypostasim est vnita corpori, & animæ Christi, esse in hoc Sacramento concomitanter, sed specialiori modo propter vnionem hypostaticam, quàm sit in reliquis rebus. Vnde si per impossibile diuinitas non existeret in omnibus rebus, adhuc esset in hoc Sacramento propter vnionem hypostaticam verbi diuini cum Christi corpore. Ita Philiarcus *loco citato*, Henriquez *lib. 8 c. 26. n. 2.* Reginaldus *lib. 29. num. 37.* & alij.

16 *An reperiãtur in hoc*

16 Secundò, tres personas diuinas, Patrem scilicet, Filium, & Spiritum sanctum esse concomitanter in hoc Sacramento, vt inquiunt Doctores citati contra Nugnum *loc. citat. difficult. 3. vers. mihi tamen* sed magis præcipuè, & immediatè esse filium, cui natura humana hypostaticè vnita est Cum enim in hoc Sacramento sit humanitas Christi sustentata diuino supposito, quod identificatur cum Patre, & Spiritu sancto, sequitur in hoc Sacramento adesse Patrem, & Spiritum sanctum, sed magis præcipuè, & magis immediatè adesse filium ratione vnionis cum corpore, quod ponitur ex vi verborum in hoc Sacramento. Propterea filius dicitur incarnatus, dicitur passus, & quando Eucharistiam sumimus, dicimur in Sacramento sumere, & comedere Dei filium, non verò dicimur comedere Patrem & Spiritum sanctum. Ita Henriq. *loco citato, n. 3.* Coninchus *loco citato art. 2. n. 30.* & alij.

Sacramento tota tres personæ sanctissimæ Trinitatis.

17 Tertiò, sub speciebus panis adesse sanguinem Christi, non ex vi verborum, sed concomitanter. Ita Graffius 1. *parte lib. 2. c. 38. num. 9.* Angles *de Eucharistia qu. 4. art. 2. concluf. 2.* & alij Doctores citati.

17 *Quomodo adsit sanguis Christi sub speciebus panis.*

18 Quartò, sub speciebus vini esse corpus Christi concomitanter, & ipsius animam, non verò ex vi verborum. Ita Doctores citati.

18 *Quomodo adsit corpus Christi sub speciebus vini.*

19 Sed modò dubium est, vtrùm Christus existat sub speciebus panis, & vini simul cum substantia panis, & vini.

19 *An Christus existat sub speciebus simul cũ substantia panis & vini.*

Solutio istius difficultatis constabit ex dicendis puncto sequenti.

PVNCTVM VI.

Quomodo verba consecrationis operentur suum effectum, seu quomodo Christus constituatur sub speciebus per consecrationem, & quandiu sub illis maneat.

VT ea quæ in hoc puncto explicanda proponuntur, clarè intelligantur, hoc ordine procedam.

Primò quæram, quid sit transubstantiatio, & conuersio per quam desinit substantia panis, & vini, adueniente Christi corpore.

Secundò, vtrùm Christus constituatur sub speciebus per transubstantiationem.

Tertiò, quandonam Christus incipiat, aut desinat esse sub speciebus.

§. I.

Quid sit transubstantiatio, & conuersio.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Transubstantiatio quid sit.*

1 TRansubstantiatio est conuersio, seu transitus totius substantiæ in aliam.

Dicitur *conuersio totius substantiæ*, ad distinctionem conuersionis partialis, per quam non tota substantia, sed sola forma desinit ad positionem alterius formæ, quæ dicitur generatio, seu transformatio.

Dicitur *substantiæ*, ad distinctionem conuersionis accidentalis, qua vnum accidens desinit ad positionem alterius accidentis, vt quando desinit calor adueniente frigore.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *Conuersio quid sit.*

2 COnuersio est desitio vnius rei in aliam.

Dicitur autem *desitio*, eo quod præcedens substantia desinat simpliciter ad positionem alterius substantiæ ad distinctionem mutationis accidentalis, in qua non desinit substantia, sed mutatur accidentaliter. Vnde si quis ex albo fiat niger, non dicitur conuerti in nigrum, quia non desinit substantia, sicut si diabolus assumat humanum corpus, non dicitur conuerti in corpus humanum, cùm diabolus non desinat esse per assumptionem humani corporis.

Pari ratione verbum suscipiendo carnem humanam non dicitur conuersum in humanam carnem, quia per humanæ carnis assumptionem non desiit esse verbum. Præterea, quando Christus desinit esse sub speciebus, non dicitur in alium conuerti, quia non desinit esse simpliciter. Ad conuersionem igitur requiritur, vt id, quod conuertitur, desinat esse simpliciter ad positionem alterius substantiæ incompossibilis. Ita communiter Doctores.

3 *Differentia inter conuersionem, & creationem.*

3 Hinc colligi potest primò, conuersionem differre à creatione, quia creatio non est desitio, sed positio alicuius rei in esse: conuersio verò est desitio alicuius rei terminata ad positionem alterius. Ita Henriquez *lib. 8. c. 25. n. 1.* Coninchus 3. *parte q. 75. art. 4. dubio 3. n. 136.* & alij communiter.

4 *Differentia inter conuersionem, & annihilationem.*

4 Secundò conuersionem differre ab annihilatione, quod annihilatio non terminatur ad positionem alicuius rei, sed ad nihilum rei præexistentis: conuersio verò terminatur ad positionem alicuius rei. Ita Henriquez *cap. 23* Suarez *disp. 50.* Nugnus *quæst. 75. art. 3.* Victoria *de Eucharistia numer. 61.* Chamerota *de Euchastia cap. 6. dubio 24.* Vasquez 3. *parte disput. 83. cap. 2.* Pesantius 3. *parte, quæst. 75. artic. 3. disput. 1.* [Filliucius *tract. 4. c. 5. quæst. 2.*] & alij communiter.

5 *Differentia inter conuersionem, & mutationem.*

5 Tertiò, conuersionem differre à mutatione, quod mutatio principaliter denominat subiectum, quod dicitur mutari, vt accidit in mutatione accidentali, in qua lignum, exempli gratia, dicitur moueri, aut fieri album, aut calefieri, &c. in conuersione verò principaliter denominatur terminus, qui desinit, & dicitur desitio vnius rei. Videte Suarez *disput. 50.* [& Molfesium *in summa tract. 3. c. 3. numer. 15.*

6 *An quælibet res possit per diuinã potentiam in aliam rẽ conuerti.*

6 QVÆRES, vtrùm quælibet res possit per diuinam potentiam in quamcumque aliam rem conuerti.

RESPONDEO, quamlibet rem creatam posse per diuinam potẽtiam in aliam rem creatam cõuerti. Ratio est, quia hoc nõ implicat; ergo

ergo fieri potest à Deo; cùm Deus sua virtute infinita possit efficere, quidquid non implicat. Ita S. Thom. *q. 75. art. 5. ad tertium argumentum.* Caietanus *ibid.* Nugnus *ibi. difficultate 3.* Angles *q. 5. art. 1. diffic. 4. concl. 2.* Sotus, Scotus, & alij communiter apud Suarez *disp. 51. sect. 10.* & apud Nugnum *loco citato.*

Dixi, *quamlibet rem creatam*, vt aduerterem, ipsum Deum in creaturam conuerti non posse, nam de ratione conuersionis est, vt id, quod conuertitur in aliud, desinat esse, vt patet ex secunda propositione, Deus autem non potest mutari, aut desinere esse. Ita Henriquez *lib. 8. c. 25. n. 4.* Vasquez *3. p. disp. 84. c. 2. n. 10.* & alij Doctores citati.

Dixi, *in aliam rem creatam*, vt aduerterem, creaturam non posse conuerti in Deum, iuxta communiorem sententiam, quam cum multis Doctoribus relatis sequitur Henriquez *loco cit. num. 6.* Coninch. *q. 75. art. 4. dub. 4. n. 149.* Nugnus *loco citato concl. 2.* Pitigian. *dist. 11. q. 2. art. 1.* Angles *loco citato concl. 1.* contra Caietan. *in tertiam partem q. 2. art. 1.* & alios. Ratio est, quia terminus, in quem res conuertitur, non potest esse sine aliquo modo mutationis, aut nouæ dependentiæ, terminus enim conuersionis dependet ab agente per actionem conuersionis, hoc autem repugnat Deo, qui est independens ab omni alio, vt bene tradit Suarez cum S. Thoma *loco citato.*

7 Differentia inter assũptionem naturæ humanæ, & conuersionem in rem creatã.

7 Hinc patet differentia inter assumptionem naturæ humanæ, & inter conuersionem in rem creatam, nam assumptio fieri potest sine Dei mutatione, facta solummodo mutatione in re assumpta: conuersio verò fieri non potest sine aliqua mutatione in termino conuersionis, vt dictum est.

§. II.

Vtrùm Christus constituatur sub speciebus per transubstantiationem.

VNICA PROPOSITIO.

1 An Christus constituatur sub speciebus per trãsubstantiationem.

1 CHristus constituitur sub speciebus per transubstantiationem panis in corpus, & vini in sanguinem. Ratio est, tum quia sic definitur in Tridentin. *sess. 13. cap. 4. canone 2.* vbi dicit, totam substantiam panis & vini conuerti in corpus, & sanguinem Christi, & nihil substantiæ panis remanere, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat in Florentino *in Instructione Armenorum*, in Concilio Romano sub Gregorio VII. in Constantiensi *sess. 8.* & in alijs Concilijs apud Coninchum *quæst. 75. art. 2. num. 49.* apud Suarez *disp. 50.* apud Valentiam *disp. 6. quæst. 3. punct. 2.* apud Nugnum *q. 75. art 2. difficultate 1. & art. 4. difficult. 1.* apud Victoriam *de Eucharistia num. 66.* apud Viualdum *de Eucharistia cap. 7. num. 20.* apud Chamerotam *de Eucharistia cap. 6. pag. 185.* & apud Vasquez *3. parte disp. 80. & 81.* Tum quia de ratione transubstantiationis est, vt tota substantia præcedens desinat ad positionem alterius, sed quando Christus constituitur sub speciebus, substantia panis, & vini desinit ad positionem corporis Christi, seu transubstantiatur in corpus Christi, vt patet ex allatis Concilijs; ergo Christus constituitur sub speciebus per transubstãtiationem. Tum, quia si Christus non poneretur sub speciebus per desitionem substantiæ panis, & consequenter per transubstantiationem, falsa redderentur illa verba, *Hoc est corpus meum*; falsum enim est panem esse corpus Christi, nam sicut, si quis de aliquo dolio pleno vino, simul & oleo, dicat, hoc est oleum, falsum dicit; quia, vel loquitur de contento, vel de continente; si loquatur de continente, falsum dicit; quia continens est dolium, & non vinum; si loquatur de cõtento, falsum adhuc dicit: quia contentum, non solùm est oleum, verùm etiam vinum: ita si substantia panis remaneret, non possent verificari illa verba, *Hoc est corpus est meum*; nam, vel sermo esset de continente, vel de contento, si de continente sermo esset, falsum diceret; quia continens, vt sic, non est corpus Christi: vel sermo esset de contento, & adhuc falsum diceret, quia contentum non solùm esset corpus Christi, verùm etiam substantia panis, cõsequenter dici non posset, hoc est corpus meum, sed potiùs dicendum esset, hic est corpus meum, vt bene argumentatur Coninchus *loco citato art. 2. n. 54.*

Christus igitur constituitur sub speciebus per transubstantiationem, per quam desinit substantia panis, & vini aduenient corpore, & sanguine Christi.

2 An assumpta fuerit à Deo substãtia panis eodem modo, quo humanitas.

2 Ex quo patet, non esse audiendos eos, qui asserunt, substantiam panis assumi à Deo, sicut assumpta fuit humanitas, & sic verificari omnia verba consecrationis, quòd panis sit corpus Christi, sicut Verbum dicitur factum esse homo, non, inquam, audiendi sunt, quia verba consecrationis verificari debent de illo corpore, quod pro nobis traditum fuit, vt patet ex illis verbis, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, *1. Corinthiorum 9.* sed pro nobis non fuit traditum panaceum corpus; sed verum Christi corpus, ergo falsum est, substantiam panis assumi à Deo, sicut assumpta fuit humanitas, consequenter falsum est substantiam panis remanere. Ita Bellarmin. *lib. 3. de Eucharistia c. 11.* Coninchus *loco citato, n. 59. & 60.* & alij DD. citati.

OBIICIES primò, facta consecratione remanent accidentia panis, & vini; ergo remanet etiam substantia panis, & vini, consequenter Christus non ponitur sub speciebus per transubstantiationem, nam ex accidentibus venimus in cognitionem substantiæ, & destructa substantia, seu subiecto, impossibile est aliquid remanere, iuxta vulgatum axioma Philosophorum.

RESPONDEO negando consequentiam, nam accidentia panis, & vini remanent sine subiecto substantiali, cùm ipsorum subiectum sit substantia panis, & vini, quæ desinit per consecrationem, & per transubstantiationem: non tamen remanent accidentia sine subiecto accidentali, excepta quantitate. Ratio est, tum quia accidentia materialia inhærent quantitati, tanquam subiecto accidentali: tum quia dari potest actio naturalis contra huiusmodi accidentia, possunt enim alterari, &c. Actio autem naturalis supponit subiectum, cùm agens naturale non possit agere, nisi circa subiectum, quod in præsenti casu non potest aliud esse, nisi quantitas. ergo quantitas est subiectum accidentale accidentium materialiũ. Ita S. Thom. *q. 77. art. 2.* Philiarcus *2. parte lib. 1. cap. 18.* Sotus *in 4. sent. dist. 10. q. 2. art. 1.* Sylvester *verbo Eucharistia 4. num. 1.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 4. §. 253.* Angelus *verb. Eucharistia 1. n. 233. & 254.* Victoria *de Eucharistia n. 22.* Coninchus *ibidem*, & alij communiter.

Vtrùm verò accidentia possint esse sine vllo omnino subiecto, sicut est quantitas, quæstio est philosophica, quam sciendi cupido videndam relinquo apud Suarez *disp. 70. sect. 2.* Bellarminum, & alios Doctores citatos. Ad obiectionem igitur.

Dico, facta consecratione, remanere quidem accidentia panis, non tamen remanere substantiam panis.

Neque obstat, quòd accidentia dicantur signa infallibilia substantiæ, & quòd sensus iudicet adesse panem, vbi sunt accidentia panis, nam sensus in hac parte decipitur, nisi fide instruatur, & dirigatur. Fides verò supplet defectum sensus, iuxta illud, quod canitur ab Ecclesia, *Præstet fides supplementum sensuum defectui*; nec mirum est, sensum in hac parte decipi, nisi fide instruatur, cùm etiam decipiatur in rebus ipsis naturalibus; nam aliquando iudicat lignum in aqua positum esse bipartitum, & solem esse bipedalem; verùm si instruatur, aut corrigatur auctoritate sapientum, non ita iudicabit: vt bene innuit Nugnus *quæst. 55. art. 5.* & alij Doctores citati.

OBIICIES secundò, Sacramentum Eucharistiæ appellatur panis in Scriptura, iuxta illud, *panis, quem ego dabo, caro mea est. Hic est panis, qui de cœlo descendit*, &c. ergo in Sacramento Eucharistiæ remanere videtur substantia panis, alioquin nomine panis non appellaretur.

RESPONDEO, Sacramentum Eucharistiæ appellari panem, non quia verè sit panis, sed quia apparet panis, sicut si quis videat vmbram hominis dicit se videre hominem. Præterea appellatur panis, non quia reipsa sit panis, sed quia antea fuit panis, & modò conuersus est in corpus Christi, sicut in Scriptura, serpens, qui conuersus fuit in virgam, appellatur virga, & homo, quia ex terra cõcretus est, dicitur terra, *Genesis 8.*

3 An transubstantiatio sit actio, vel illam includat.

3 QVÆRES, vtrùm transubstantiatio, seu conuersio, qua panis substantia conuertitur in Christi corpus, sit actio, vel illam includat.

RESPONDEO, esse actionem accidentalem, vel illam includere. Ratio est, quia id, quo aliquid ponitur, est actio, vel illam includit, sed conuersio est id, quo ponitur Christus sub speciebus, sub quibus antea non existebat, ergo conuersio, vel est actio, vel includit actionem. Ita Henriquez *lib. 8. cap. 22. numer. 1. ad finem*, & alij.

4 An actio conuersionis dicatur adductiua, an productiua.

4 ROGABIS primò, vtrùm actio conuersionis dici debeat adductiua, an productiua.

RESPONDEO dici non modò adductiuam, verùm etiam productiuam, nam per actionem solùm adductiuam constituitur aliquid præsens in aliquo loco, in quo antea non erat. Per actionem verò productiuam producitur aliquid; cùm autem per conuersionem nõ solùm constituatur Christus præsens sub speciebus, verùm etiam producatur aliquis modus accidentalis, quo Christus habens iam suum esse substantiale vnitur per modum contenti cum speciebus, sicut antea substantia panis sub illis continebatur; sequitur actionem conuersionis non modò dici adductiuam, verùm etiam productiuam. Hæc tamen est differentia inter substantiam panis, & corpus Christi, quòd substantia panis sustentabat accidentia materialiter, & ab illis informabatur: Christus verò sustentat panis accidentia efficienter, & ab illis non informatur. Ita Henriq. *lib. 8. c. 23.* Coninchus *3. parte, q. 75. art. 4. dub. 5. n. 152.* Nugnus *ibidem difficultate 1. concl. vltima, & q. 77. ar. 1.* & alij.

5 An prædicta actio, & productio sit ipsamet consecratio.

5 ROGABIS secundò, vtrùm prædicta actio, & productio sit ipsamet cõsecratio, seu verborum prolatio.

RESPONDEO non esse ipsammet cõsecrationem, seu verborum prolationem, sed aliam. Ratio est, quia per consecrationem, inquiunt Doctores, fit productio; ergo productio, seu actio productiua non est ipsa consecratio, seu prolatio verborum, cùm nulla res causet, & producat se ipsam. Concedo tamen, ipsam verborum prolationem concurrere instrumentaliter ad actionem productiuam, nam Sacerdos concurrit ministerialiter ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum, cùm autem concurrat per prolationem verborum, sequitur, prolationem verborum instrumentaliter concurrere ad actionem productiuam, & ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum.

§ III.

Quandónam incipiat, & quandónam desinat esse Christi Corpus sub speciebus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quandónam Corpus Christi incipiat esse sub speciebus.

1 CORpus Christi incipit esse sub speciebus in eo instanti, in quo completur significatio verborum consecrationis. Ratio est, quia tunc Corpus Christi existit sub speciebus, quãdo verba significant ibi esse Corpus Christi, sed verba significant, Corpus Christi esse sub speciebus in vltimo instanti prolationis verborum, in quo completur significatio verborum; ergo Christi Corpus existit sub speciebus in vltimo instanti, in quo verborum significatio completur. Idem dicendum est de Christi sanguine in consecratione Calicis. Ita S. Thom. *3 parte, q. 77. ar. 7.* Coninchus *ibid. num. 174.* & idem S. Thom. *q. 78. ar 4. ad tertium.* Sotus *dist. 9. q. 1. art. 7.* Victoria *de Eucharistia n 66.* & alij apud Henriquez *lib. 8. c. 25. n. 1. & cap. 28. n. 1.*

2 Quandiu conseruetur Corpus Christi sub speciebus.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 TAndiu conseruatur Christi Corpus sub speciebus, quandiu conseruaretur panis, si sub illis speciebus existeret. Ratio

est, quia Christus ex institutione istius Sacramenti succedit in locum panis; ergo tandiu perseuerare debet sub speciebus, quandiu conseruaretur panis si substãtia panis sub illis speciebus existeret. Ita S. Th. *q.80. art.3.* Henriquez *lib.8.c.28.n.1.* Suarez *disp.52 sect.1.* Sotus *dist. 10. q.1.art.6.* Coninchus *q. 76. art.8. dub.2. nu. 171. & q.77. art.3. numer.56.* Nugnus *q. 75. art.1. difficultate 1. conclus. 3.* Reginaldus *lib. 29. num.93.* Valentia *tom.4. disp.6. quæst.4. punct.1. versùs finem,* & alij apud Henriquez *loco citato in commentario littera* F. Toletus *lib.2. cap.29. in fine* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 4. de Eucharistia §.178.* Victoria *loco citato num.69.* Viualdus *de Eucharistia c.7.n.18.*

An Christus desinat esse sub speciebus per quamlibet alterationẽ specierum.

3 Hinc sequitur primò, Christum non desinere sub speciebus per quamlibet specierum alterationem. Ratio est, quia Christus desinit per illam specierum alterationem, per quam desineret substantia panis, sed substantia panis non desineret per quamlibet alterationem, vt per quamlibet calefactionem, aspersionem aquæ, &c. vt ipsa rerum magistra experientia docet: ergo Christus non desinit esse sub speciebus per quamlibet alterationem. Ita Doctores citati.

An desinat statim, atque Sacramentum in os recipitur.

4 Secundò, errasse asserentes Christum desinere statim, atque in os recipitur, aut in ventrem trajcitur. Ratio est, tum quia non ita statim desineret substantia panis: tum quia cap. *si quis per ebrietatem.* decernitur, vt si quis per ebrietatem non valeat retinere Sacramentum, sed species integras ejciat, species conseruentur tanquam continentes Corpus Christi.

Ex quo addiscere debent fideles sumentes Eucharistiam, ne statim post illius sumptionem cibum corporalem capiant, donec species alterentur, & corrumpantur: non enim decet cibum corporalem cum Eucharistia coniungere, vt obseruat Summa Corona *de Eucharistia num.* 44. Quanquam de hoc nullum extat præceptum: cùm vsu receptum sit apud Religiosos, vt qui vltimam Missam celebrauit, statim ad mensam prandij causa accedat. Ita Sotus *dist.12. q.1.art.8.* Ledesma, & alij, quos sequitur Henriquez *cap.49. in commentario littera F.* & quos infrà referam de dispositionibus requisitis ex parte suscipientis.

An remaneat Christi Corpus sub speciebus, quando fiunt apparitiones miraculosæ.

5 Tertiò sequitur, quando fiunt apparitiones miraculosæ in hostia, quibus positis adhuc remaneret substantia panis, sub speciebus remanere Corpus Christi, vt si appareat caro, vel sanguis, qua apparitione facta, salua remaneret panis substantia, &c. tunc enim remanet etiam Corpus Christi.

Vtrùm verò caro, vel sanguis, qui sub speciebus apparet, adorandus sit, patet ex dictis de adoratione, adorandum esse, sicut etiam ex suprà dictis [*q.2.punct.2.num.12.*] patet, quomodo se gerere debeat Sacerdos in huiusmodi apparitionibus, de quibus S. Th. *q.76.art.8.* Coninchus, & Vasquez *ibidem.* Valentia *loco citato*, Henriquez *l.9.c.38.* & Suarez *disp.56.sect.4.* Victoria *de Eucharistia n.71.* [Filliucius *tract.4.c.5.q.8.*]

An desinat Christi Corpus sub speciebus quãdo vermes ex ijs generantur.

6 Quartò, Christi Corpus desinere sub speciebus, quando vermes ex speciebus generantur, sicut etiam sanguis Christi desinit sub speciebus vini, quando per admistionem alterius liquoris, specie distincti corrumpuntur, vel quando species vini permiscentur cum alio humore, vt posita tali mistione, substantia vini non remaneret, si vinum sub illis speciebus existeret. Ex opposito sanguis Christi non desinit esse sub speciebus, quando posita tali mistione substantia vini sub speciebus adhuc remaneret; ex quo fit, vt si gutta specierum vini consecratarum misceatur cum alio vino, sanguis Christi non desinat sub illa gutta. Ratio est, tum quia per huiusmodi mistionem substantia vini non corrumperetur, sed potiùs conseruaretur, si mistio fieret cum vino eiusdem speciei: tum quia, si duo vina consecrata miscerentur, sub illis remaneret, sanguis Christi: ergo sanguis Christi etiam remanet, quando vinum consecratum miscetur cum non consecrato eiusdem speciei. Ita Valentia *loco citato, q.5. punct.3. versùs finem.* Nugnus *q. 77. art. 8. concluf. 1.* Coninchus *ibid. num 72.* Victoria *de Eucharistia num. 73. ad finem,* Chamerota *de Eucharistia cap.6.dub.60.& 56.* Sotus, Ledesma, & alij apud Suarez *disput.58.sect.4. concluf. 3.* apud Henriq. *cap.28.num. 2.* contra nonnullos alios.

An desinat Christi sãguis, quando vini species miscentur cũ vino alterius speciei.

7 Sed modò difficultas est, vtrùm sanguinis Christi desinat esse sub speciebus, quãdo species vini miscentur cum vino alterius speciei.

Respondeo desinere, quoties sub speciebus vini noua substantia generatur, vt accidit, quando species vini albi in parua quantitate miscentur cum vino nigro in magna quantitate, tunc enim per alterationem, aut fit vnum tertium, aut sub speciebus vini albi generatur substantia vini nigri, in sententia eorum, qui existimant vinum album differre specie à nigro, quam sententiam probabilem existimat Sotus, Ledesma, & alij apud Henriquez *cap. 28. num.3.* Cùm tamen non omnino certum sit, vt aduertit Nugnus *loco citato ad finem*, vinum album differre specie à nigro, non omnino constat, si vinum album consecratum misceatur, desinere sub illo Christi sanguinem. Immò Valentia *loco citato* absolutè negat vinum album specie differre à nigro. Nos ergo asserimus, sub speciebus vini consecratis sanguinem Christi desinere, si species ita misceantur cum vino alterius speciei, vt noua substantia producatur, siue vinum album specie differat à nigro, siue non. Ità Chamerota *loco citato.*

Quid faciendum de vino, in quod gutta consecrata immissa est.

8 Secundò Difficvltas est, quid faciendum sit de vino, in quod gutta specierum vini consecratarum immissa est, vt si gutta specierum vini consecratarum immissa sit in dolium vini eiusdem speciei.

Respondent aliqui Doctores, illud vinum adhiberi, & bibi posse à laicis, nec opus esse, vt seruetur pro Missis celebrandis. Ratio est, tum quia huiusmodi gutta haberi potest pro amissa, cùm ignoretur quænam illa sit: tum, quia, si particula hostiæ decidat super tapetem pretiosum, nec discerni queat, vbi sit, dominus non tenetur comburere totum tapetem, illúmque in suos vsus non adhibere; ergo neque tenetur abstinere à vino, in quod immissa fuit gutta vini consecrati. Ita Henriquez *cap.28.n.4.* Sotus *dist. 10.q.2. art.8.* Emanuel Sà *verb. Eucharistia nn. 31.* Viualdus *de Eucharistia cap.7 n.29.* & alij.

Suarez verò *disp.57. sect.4. ad finem*, Coninchus *q. 77.art.8 num. 73.* vbi refert Baronium *tom.12. in fine anni 1192. fol. 842.* Nugnus *q.77. art.8. ad finem*, & alij sentiunt, huiusmodi vinum seruandum esse ad pios vsus, alioquin fieri contra reuerentiam speciebus consecratis debitam. Sententia Suarez, & aliorum est magis pia, & fauorabilis reuerentiæ debitæ tanto Sacramento; consequenter videtur in praxi sustinenda, nisi aliter cogat necessitas, vel incommoditas.

An sanguis Christi dicatur misceri cũ vino non consecrato.

9 Tertiò Difficvltas est, vtrùm sanguis Christi dicatur misceri cum vino, quando vinum consecratum permiscetur cum non consecrato.

Respondeo negatiuè cum S. Thoma *loco citato art.8. ad secundum*, Soto, Ledesma, & alijs apud Henriquez *c.28. in Commentario, littera L.* Ratio est, quia ea dicuntur misceri, quorum extrema cõiunguntur cum extremis alterius, sed extrema sanguinis Christi nõ miscentur cum extremis vini; sanguis enim Christi non est sub speciebus modo quantitatiuo, vt suprà dictum est; ergo sanguis Christi non potest propriè dici misceri cum vino.

An adsit mutatio in Christo ad desitionem specierum.

10 QVÆRES PRIMO, an quando Corpus Christi desinit sub speciebus ad desitionem specierum, adsit aliqua mutatio in Christo.

Respondet Nugnus *q.76.art.6. difficultate 3.* Suarez *loco citato* Chamerota *de Eucharistia cap.6.dub.25.* [Filliucius *tract.4.c.5.q.7.*] & alij affirmatiuè contra Caietanum *q.76.art.6.* & alios apud Nugnum. Ratio est, quia cùm per consecrationem quidam modus accidentalis producatur, quo vnitur Corpus Christi speciebus, & hic modus desinat, quando Corpus Christi desinit sub speciebus, sequitur aliquam mutationem adesse in Christo, quando Christi Corpus desinit sub speciebus.

An quando aliquid generatur ex speciebus corruptis, producatur de nouo materia panis.

11 QVÆRES SECVNDO, vtrùm quando ex speciebus corruptis aliquid generatur, producatur de nouo materia panis, quæ per cõsecrationem desierat, vel noua creetur.

Respondeo, in hac quæstione dissensionem esse inter Doctores, vt videri potest apud Valentiam *disp.6. q.5. punct.4.* apud S. Thom. *q.77. art.5.* apud Suarez *q.77. art.5.* & apud Nugnum, & Coninchum *ibidem.* in cuius quæstionis explicatione non est elaborandum; cùm ad praxim parum referat nosse, an eadem, vel noua materia producatur: quamquam mihi placet nouam produci; cùm præcedens omnino desierit per transubstantiationem, nec frustrà multiplicanda sint miracula. Ita Philiarcus 2. *parte lib.1.cap. 19.* & alij.

QVÆSTIO IV.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

IN præcedentibus egimus de præsentia Corporis, & sanguinis Christi sub speciebus, quæ potest appellari effectus consecrationis, seu formæ, modò superest agendum primò de effectu specierum consecratarum, seu Sacramenti Eucharistiæ. Secundò quandónam recipiatur effectus in susceptione Sacramenti Eucharistiæ.

Sed priùs præmittendum est, quatuor saltem modis sumi, & manducari posse Christum in Eucharistia, vt ait Valentia *tom.4. disp.6.q.8. punct.1.* Henriq. *cap.40. & 41.* Toletus *lib.2.cap.29 n.1.* Pitigianus *dist.18. q.3. art.1.* Viualdus *de Eucharistia cap.10. à nu. 24. vsque ad 30.* S. Thom. *3.parte, q.80.art.1. & 2.* Petrus Ledesma *de Sacramento Eucharistiæ c.11. versf. primera conclusion*, & alij communiter, teste Coninchо *q 75.art.1.n.29. & q.80. art.1.num.3.* post Tridentinum *sess.12. c.8.*

Primò sumitur realiter tantùm, seu materialiter, vt accidit quando mus comedit hostiam consecratam, aut quando infidelis nondum baptizatus sumit Eucharistiam, cùm enim sit incapax Sacramentorum, non dicitur recipere Sacramentum Eucharistiæ formaliter, sed tantummodò materialiter, quatenus recipit species continentes corpus Christi.

Secundò spiritualiter tantùm, quo pacto dicuntur Christum manducare, qui vniuntur Christo per affectum, & cupiunt Christũ actu suscipere.

Tertiò sacramentaliter tantùm, & hoc modo peccator, qui cum peccati mortalis conscientia recipit Sacramentum, dicitur mãducare Christum sacramentaliter, quatenus recipit Sacramentum, sed non ipsius effectum.

Quartò sacramentaliter, & spiritualiter, & hoc pacto vir iustus, qui sine mortali culpa voluntariè recipit Eucharistiam, dicitur sumere, & manducare Christum, quia non solùm recipit Sacramentum, verùm etiam ipsius effectum.

De effectu, qui per Eucharistiam sacramentaliter, & spiritualiter susceptam producitur, agemus in præsenti quæstione; nam Eucharistia tantummodò materialiter, aut sacramentaliter sumpta non producit effectum, sicut etiam Eucharistia spiritualiter tantummodò sumpta, licèt conferre possit aliquam gratiam, non tamen confert gratiam ex opere operato, qualem confert Eucharistia spiritualiter, & sacramentaliter suscepta, vt benè tradit Suarez *disp 64 sect.2. ad finem.* Henriquez *cap.39.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 4. §.174.*

PVNCTVM I.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ spiritualiter, & sacramentaliter sumptæ.

Quotuplex effectus recipiatur in sumptione Eucharistiæ.

VNICA PROPOSITIO.

1 QVadruplex saltem effectus recipitur in susceptione Sacramenti Eucharistiæ.

An recipiatur augmẽtum gratiæ.

2 Primus effectus est augmentum gratiæ, nam Eucharistia per se, &

se, & ex propria institutione, instituta fuit ad augmentum gratiæ conferendum, vt patet tum ex Scriptura Ioan. 6. *Qui manducat me, viuet propter me*, & alibi: *Qui manducat me, viuet propter me: qui mãducat hũc panem, viuet in æternum*. tum ex definitione Conciliorum, Florentini in decreto Eugenij, Tridentini, Viennensis, & aliorum apud Suarez. Tum quia sicut cibus confert robur, & augmentum viuenti: ita Sacramentum Eucharistiæ, quod fuit institutum per modum cibi, & potus, iuxta illud Ioannis 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, confert robur, & augmentum vitæ, id est, spiritualis gratiæ. Ita Valentia *tom.* 4 *disp.* 6. *q.* 5. *punct.* 1. S.Thom. *q.* 79. *ar.* 1. Coninch. & Nugnus *ibid.* Suarez *disp.* 63. *sect.* 1. Henriq. *l.* 8 *c.* 15. Reginald. *l.* 26. *nu.* 138. Petrus Ledesma *loco citato cap.* 10. *pagina* 82. Victoria *de Eucharistia n.* 76. Vivaldus *de Eucharistia c.* 1. *n.* 1. Chamerota *de Eucharistia c.* 8. *dub.* 1. [Filliucius *tract.* 4. *cap.* 6. *q.* 2.] & alij.

Vtrùm verò Eucharistia conferat aliquando primam gratiam, patet ex supradictis aliquando conferre; quamuis per se primò fuerit instituta ad augendam gratiam, vt bene docet Valentia *loco citato, versic. Sunt autem*, Suarez, & Reginaldus *locis citatis*. Angles *de Eucharistia q.* 3. *art.* 2. *concl.* 4. Bartholomæus ab Angelo *loco citato §.* 392. S.Thom. *loco citato art.* 3. Coninchus *ibidem numer.* 52. Vivaldus *de Eucharistia, numer.* 67. [Filliuciùs *quæst.* 5. *num.* 161.] & alij communiter, teste Petro Ledesma *de Sacramento Eucharistiæ cap.* 10. *versic. Nona conclusio.*

3 *An recipiat augmẽtum gratiæ, qui Eucharistiã recipit cum actuali peccato veniali*

3 Si QVÆRES, vtrùm recipiens Eucharistiam cum peccato veniali actuali, seu cum affectu ad peccata venialia, recipiat augmentum gratiæ habitualis.

Respondetvr affirmatiuè; nam peccata venialia non sunt incompatibilia cum gratia, & charitate; consequenter non impediunt gratiæ, & charitatis augmentum, quamuis in susceptione Sacramenti non obtineatur remissio illorum venialium quæ actu cõmittũtur, vt patet ex dictis de martyrio, & Baptismo. Ita Valentia *loco citato punct.* 3. S. Thom. *loco citato, art.* 8. *ad* 1. *&* 2. Sotus *dist.* 11. *q.* 2. *art.* 8. Bartholomæus ab Angelo *loco citato* §. 412. Victoria *de Eucharistia numer.* 76. Petrus Ledesma *de Eucharistia cap.* 10. *versic. Quarta decima conclusio.* Corduba, & alij apud Henriquez *cap.* 45. contra Bonauenturam, Caietanum, & alios apud præcitatos DD.

4 *An Eucharistia præseruet à mortalibus.*

4 Secundus effectus Eucharistię est præseruatio à mortalibus, vt patet tum ex Tridentino *sess.* 13. *cap.* 2. Tum quia, cùm Eucharistia per modum cibi sit instituta, conferre debet robur ad vitam spiritualem, & consequenter præseruationem à mortalibus. Tum quia *Ioannis* 6. dicitur, *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso mãducauerit, non moriatur*, non mori autem est præseruari à mortalibus quæ mortem animæ inferunt.

5 *An liberet à venialibus peccatis*

5 Addo Eucharistiam non solùm præseruare à mortalibus, verùm etiam liberare à venialibus, modò non adsit ipsorum complacentia, aut in ipsa susceptione Sacramenti non committantur: nam complacentia venialium impedit spiritualem dulcedinem, quæ percipitur ex hoc Sacramento, & impossibile est aliquem liberari ab illis peccatis, quæ tunc committuntur. Ita Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 1. Reginaldus *num.* 139. & 141. S.Thom. 3. *parte q.* 79. *art.* 1. & 2. Henriquez *loco citato, num.* 5. Coninchus *q.* 79. *art.* 5. & 6. Nugnus *ibidem art.* 4. *conclusione* 1. Valentia *loco citato versicul. Secundus effectus, & versicul. Tertius effectus*, Suarez *disp.* 65. *q.* 10. Vasquez *tom.* 3. *disp.* 205. *num.* 2. Petrus Ledesma *in sum.* 1. *parte cap.* 10. *de Eucharistia conclusione* 25. Angles *q.* 3. *art.* 1. *difficul.* 2. *conclusione* 2. Bartholomeus ab Angelo *dialogo* 4. §. 395. & 397. S. Antoninus 3. *parte titul.* 14. *cap.* 12. Sotus *in* 4. *senten. distinct.* 11. *q.* 2. *art.* 1. Sylvester *verb. Eucharistia* 4. *num.* 3. Tab. *Eucharistia* 3. *num.* 1. Viuald. *de Eucharistia cap.* 11. *num.* 1. [Filliucius *loco citato q.* 3. *numer.* 157.] & alij Theol. communiter.

6 *An per Eucharistiam remittantur venialia ex opere operato.*

6 Sed modò Dvbivm est, primò, vtrùm per Eucharistiam remittantur peccata venialia ex opere operato.

Respondeo affirmatiuè cum Nugno *loco citato*, & alijs. Ratio est quia cùm in Tridentino *loco citato* remissio venialium ponatur tanquam proprius effectus huius Sacramenti; Sacramenta autem producant suos effectus ex opere operato, sequitur, per Eucharistiam remitti venialia ex opere operato. Ita Nugnus *loco citato.*

Alij verò putant Eucharistiam remittere venialia mediatè excitando ad actus charitatis, per quos venialia delentur, & restituendo feruorem charitatis, cuius priuationem inducit peccatum veniale.

Sed mihi probatur sententia Nugni asserentis, Eucharistiam non solùm remittere venialia mediatè excitando ad prædictos actus, sed etiam ex opere operato, vt colligitur ex Tridentino *loco citato*

7 *An detur auxilium ad rectè operandum.*

7 Tertius effectus est auxilium ad rectè operandum, & temperãdum fomitem peccati, & ad depellendas tentationes. Ratio est, [tum quia sic habetur in Tridentino *sess.* 13. *cap.* 2.] tum quia Dæmones effugiunt Christum præsentem, & cœtum Angelorum Christum comitantium: tum quia, sicut cibus corporalis confert robur, & vires ad operandum, ita etiam cibus spiritualis in Eucharistia. Ita S. Thom. 3. *parte q.* 79. *art.* 1. *ad tertium*. Coninchus *ibid. art.* 8. Suarez *disp.* 63. *sect.* 10. *&* *disp.* 64. *sect.* 1. Reginaldus *lib.* 29. *nu.* 137. Henriq. *c.* 37. Nugnus *q.* 79. *art.* 3. Toletus *lib.* 2 *c.* 29. *n.* 4. [Filliucius *loco citato*] & alij.

[Multi tamen Doctores putant huiusmodi auxilium non statim dari, sed tempore opportuno, modò suscipiens non reddat se indignum hoc auxilio. Vide Suarez & Filliucium *locis citatis.*]

8 *An Eucharistia nos vniat cum Christo, & fidelibus.*

8 Quartus effectus Eucharistiæ est vnio spiritualis cum Christo, & fidelibus, vt patet ex testimonio D. Pauli 1. Corinthiorum 10. *Vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus.* [Et præterea vnio moralis inter Christum & suscipientem ratione effectuum, quos Eucharistia parit, Ita S.Thomas, Valentia *loco suprà citato.* Suarez *disp.* 64. *sect.* 3. Coninch *loco citato, n.* 63. Reginaldus, Toletus *lib.* 2. *c.* 29. *n.* 4. [Filliucius *q.* 12.] & alij.

9 *An per Eucharistiam*

9 QVÆRES PRIMO, vtrùm Sacramentum Eucharistiæ auferat pœnam temporalem.

Respondeo distinguendo, vel Sacramentum accipitur vt sic, vel vt Sacrificium: si accipiatur vt Sacrificium, certum est remittere pœnam, quia vnus ex effectibus Sacrificij est remittere pœnam, vt constabit ex infrà dicendis. Si verò consideretur vt Sacramentum, non aufert primariò pœnam ex opere operato, sed iuxta valorem actus, & dispositionem sumentis; nullo enim iure constat, hunc effectum produci à Sacramento Eucharistiæ. Ita Doctores proximè citandi. *tollatur pœna temporalis.*

Non nego tamen, quin per Eucharistiam possit remitti pœna. Primò quatenus Eucharistia excitat ad actum charitatis, qui prodest ad satisfaciendum pro pœna. Ita S.Thom. *q.* 79 *art.* 5. Valentia *disput.* 6. *q.* 7. *art.* 1. *conclusione* 3. Henriquez *loco citato num.* 5. Suarez *disp.* 63. *section.* 10. *& disput.* 64. *sect.* 1. Summa Corona *de Eucharistia numer.* 62. *ad finem.* Reginaldus *loco citato, num.* 142. Bartholomæus ab Angelo *loco citato §.* 396. [Filliucius *tract.* 4. *cap.* 6. *q.* 4. *n.* 160.]

Secundò non nego, quin Eucharistia remittat aliquando pœnam, saltem secundariò, quamuis eam non remittat per se primariò, seu quamuis ex primaria sua institutione non ordinetur ad remittendam pœnam. Ratio est, quia ad infusionem primæ gratiæ consequitur alicuius pœnæ remissio, cùm per infusionem primæ gratiæ tollatur reatus æternæ pœnæ. Cùm autem per Eucharistiam aliquãdo infundatur prima gratia, sequitur per susceptionem Eucharistiæ aliquando remitti pœnam, alioquin sequeretur, eum, qui recipit Eucharistiam cum attritione, putans se esse in gratia, & ritè dispositum, non recipere gratiam, & remissionem illius pœnæ. quod falsum est, vt benè ait Nugnus *q.* 69. *num.* 5. S.Thom. 3 *parte q.* 79. *art.* 3. Sotus *in* 4. *sent. dist.* 11. *q.* 2. *art.* 1. Bartholomæus ab Angelo *loco citato §.* 399. & alij quàm plures, quos suprà retuli *de effectibus Sacramentorum.*

10 *An species consecratæ nutriant corpus sumentis.*

QVÆRES SECVNDO, vtrùm species consecratæ profint ad nutriendum corpus sumentis.

Respondeo affirmatiuè, non solùm quatenus species Eucharistiæ in stomachum receptæ ita alterantur, & corrumpuntur, vt noua producatur substantia, quæ sufficiens est ad nutriendum, nam corruptis speciebus, aliquid de nouo generatur ad exigentiam dispositionis, sicut disposito embryone Deus creat animã, vt benè ait Summa Corona *loco citato, n.* 13. *ad finem*, Henriq. *c.* 31. *num.* 2. S.Th. *loc. statim cit.* Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 5. *punct.* 4. *ad finem.* Vivaldus *de Eucharistia c.* 7. *n.* 17. & alij communiter, verùm etiam, quatenus in ipsis speciebus remanent qualitates panis, & vini, vt benè obseruat S. Thom. *q.* 77. *art.* 6. Henriq. *c.* 28. *n* 2. *littera T.* Suar. *disp.* 57. Reginald. *loco citato, n.* 39. & alij communiter, qui fusiùs de effectibus Eucharistiæ differunt.

PVNCTVM II.

Quandónam Eucharistia suos producat effectus.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Quo tempore Eucharistia suos producat effectus*

1 EVcharistia suos producit effectus, quando aliqua pars hostiæ, & sanguinis deglutita est, & peruenit ad ventriculum. Ratio est, tum quia, vt Eucharistia producat suum effectum, requiritur, vt applicetur suscipienti: dicitur autem applicata suscipienti, quando aliqua pars hostię deglutita est, seu transmissa est ad stomachum, iuxta illud Ioan. 6. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Tum quia hoc Sacramentum confert gratiam per modũ nutrimenti, sed cibus nutrit, quando transmittitur ad stomachum: ergo Sacramentum Eucharistiæ confert gratiam, quando transmittitur ad stomachum, in eo scilicet instanti, in quo verum est dicere, nunc deglutitum est, aut potatum est. Ita Sot. *dist.* 12. *qu.* 2. *art.* 1. Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 7. *punct.* 1. *vers. Contra hos*, Suarez *tom.* 3. *disp.* 63. *sect.* 4. Henriq. *c.* 43. Coninc. *q.* 79. *art.* 1. *dist.* 2. *n.* 23. Nugnus *ibid. vers.* 3. *sententia*, Reginaldus *lib.* 29. *n.* 140. Angl. *de Eucharistia qu.* 3. *artic.* 1. *folio mihi* 131. [Filliucius *tract.* 4. *c* 6 *q.* 7.] & alij communiter.

2 *An recipiat gratiam, qui species detinent in ore donec corrumpãtur.*

2 Hinc sequitur primò, eos, qui diu retinent hostiam in ore, ita vt species corrumpantur, antequam deglutiantur, non recipere fructum Eucharistiæ, quia non dicuntur Christum manducare, nã Sacramenta tunc operantur, quando sunt applicata suscipienti, sed Eucharistia non dicitur applicata suscipienti, antequam deglutiatur, vt patet ex rationibus in propositione allatis; ergo Eucharistia non producit effectum, antequam deglutiatur; consequenter qui diu retinet hostiam in ore, ita vt species corrumpantur, antequam deglutiantur, non recipit fructum Eucharistię, quia non dicitur Eucharistiam deglutire, & manducare, iuxta illud: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.*

3 *An suscipiens plures hostias successiuè, recipiat totum effectum in susceptione primæ hostiæ.*

3 [Secundò sequitur, suscipientem plures hostias successiuè recipere totum effectum in susceptione primæ hostiæ, tum quia est idẽ Christus, qui semel tantùm, moraliter loquendo, suscipitur, tum quia in prima sumptione adsunt omnia requisita, & per accidens est alias sequi, ergo suscipiens plures hostias successiuè, recipit totum effectum in prima sumptione. Ita Doctores citati. An autem communicans sub vtraque specie plus gratiæ recipiat, quàm communicans sub vna tantùm specie, constat ex supradictis *disp.* 4. *qu.* 1. *punct.* 4. *n.* 5.

4 *An conferatur maior gratia ex opere operato quamdiu manent species in stomacho.*

4 Tertiò non conferri maiorem gratiam ex opere operato quãdiu manent species in stomacho, & hoc verum censeo iuxta probabiliorem sententiam, etiamsi crescat dispositio ex parte subiecti, gratia enim ex opere operato confertur manducanti in primo instanti, in quo verum est dicere, manducatum est. Ita Suarez *loco cit. sect.* 7. Filliucius *loco citato qu.* 8. *num* 175. & alij.]

5 *An recipiat gratiam Sacerdos qui deglutita parte tãtum hostiæ moritur.*

5 Quartò Sacerdotem, qui deglutita parte hostiæ, euomit reliquas partes, aut moritur ante plenam aliarum partium deglutionem, recepisse gratiam, & totum effectum Sacramenti, quamuis non receperit totam hostiam vel sanguinem, nam Sacramentum suum producit effectum, quando prima pars hostiæ, vel sanguinis deglutita est.

Ratio autem, cur Sacramentum producat suam gratiam ex vi Sacra-

vi Sacramenti, quando prima pars est deglutita, est, quia in ea est totus Christus: Christus enim ita reperitur in exigua, ac in magna particula. Tum quia hoc Sacramentum est signum practicum refectionis spiritualis, quod significat, & significando efficit refectionē spiritualem. Cum ergo prima particula sit Sacramentum Eucharistiæ, & significet refectionem spiritualem, sequitur primam partē deglutitam conferre gratiam, & refectionem. Tum quia causa perfectè posita producit totum, & perfectum suum effectum in subiecto, nisi aliunde adsit repugnantia, aut nisi accipiat maiorem vim agendi, aut subiectum melius disponatur: ergo Eucharistia producit totum suum effectum eo ipso, quo sumpta est, nec effectum auget, nisi subiectum melius disponatur, seu nisi communicans actus seruentiores eliciat, seque ad maiorem gratiam recipiendam præparet, & disponat: tum quia, si non produceretur totus effectus à prima parte, sed successiuè augeretur per partes, expediret grandiores hostias recipere, easque non statim, sed interposita mora deglutire, quod non est in vsu.

Dicendum igitur est, effectum Eucharistiæ produci, deglutita prima parte per ordinem etiam ad reliquas partes, nam hoc Sacramētū est per modum vnius refectionis, & conuiuij, & est vnum indiuiduum Sacramenti, quod integratur non solùm ex parte deglutita, verùm etiam ex deglutienda, vt dictum est de vnitate, & multiplicitate huius Sacramenti.

Obiicies primò, si totus effectus produceretur à prima parte deglutita, sequeretur reliquas partes hostiæ consecratæ nihil conferre, hoc autem nō videtur admittendum, cùm etiam reliquæ partes sint consecratæ, & contineant Christum, & verè sint Eucharistiæ Sacramentum.

Respondeo, etiam reliquas partes conferre effectum, quatenus constituunt vnam refectionem, & vices gerunt vnius conuiuij moralis, non tamen hinc sequitur, quin deglutita prima parte, totus effectus producatur.

Obiicies secundò, alia Sacramenta habent suum effectum, quando perficiuntur, ergo etiam Sacramentum Eucharistiæ habet suum effectum, quando perficitur sumptio Eucharistiæ, & fit conuersio in substantiam ipsiusmet recipientis, consequenter non videtur verum, Eucharistiam producere suum effectum, quando aliqua pars solùm deglutita est.

Respondeo negando consequentiam cum Nugno *loco citato, versic. ad hoc Argumentum.* Ratio disparitatis est, quia cùm reliqua Sacramenta consistant in vsu, & actione, non possunt effectum habere, nisi completa sit actio moraliter, quia tunc habent suam significationem. Sacramentum verò Eucharistiæ consistit in esse permanenti, in speciebus scilicet consecratis, quæ assumuntur ad producendam gratiam, eamque possunt producere, etiamsi nondum perfecta sit sumptio, & conuersio, nam sumptio primæ partis significat refectionem spiritualem, eamque significando confert.

6 *An recipiens partem hostiæ cum peccato, recipiat gratiam, si statim per cōtritionem in gratia constitutus sumat reliquas hostiæ partes.*

6 Sed modò Difficvltas est, vtrùm si detur casus, vt communicans sit in peccato mortali tunc temporis, quo manducauit aliquam partem hostiæ, sed statim eliciat actum contritionis, antequam reliquas partes manducet, recipiat gratiam manducando reliquas partes.

Respondeo negatiuè cum Henriquez *c.43.nu.3.* & aliis contra Caietanum *3.parte qu.79.art.1.* & alios, quorum sententiam probabilem existimat Valentia *loco citato*; eamque sequitur Suarez *loco citato sect.8.* Coninchus *loco citato; n.48.* Reginaldus *lib.29.numer.140.* Nugnus *qu.79.art.1.versic. Ad secundam regulam.* Sotus *in 4.sent. dist. 11.q.2.art.1.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 4. §.404.* & alij. Ratio est, tum quia totus effectus Sacramenti producitur per sumptionem primæ partis, sed communicans in sumptione primæ partis non erat sufficienter dispositus ad recipiendum Sacramenti effectū; ergo non recipit postea effectum, quamuis se disponat, antequam reliquas partes deglutiat, easque ad stomachum transmittat. Quamuis enim illæ sumptiones physicè sint plures, & distinctæ, nihilominus sunt vna moraliter, per quam vnus datur effectus in prima deglutione. Sicut effectus Baptismi confertur in prima ablutione: tum quia qui indignè, & sacrilegè communicat, dicitur sibi iudiciū manducare, iuxta illud Apostoli, *qui indignè manducat, iudicium sibi manducat,* &c. Par autem non est, vt quis per eandem refectionem, & cibum pariat sibi iudicium, & gloriam. Quamobrem Patres asserunt, Eucharistiam huic esse inutilem, seu mortiferam.

Dices, qui deglutita particula in statu gratiæ, melius se disponit ad gratiam, recipit maiorem gratiam, vt antea innui, ergo etiam, qui recipit particulam in peccato, recipit gratiam, & effectum Sacramenti, si ad illum se disponat, antequam deglutitæ, & corruptæ sint reliquæ particulæ.

Responderi potest primò, illum, qui suscepta hostiæ particula melius se disponit, non recipere maiorem gratiam ex opere operato, ratione Sacramenti, sed ex opere operantis, quatenus scilicet per illud opus in gratia elicitum, meretur gratiæ augmentum.

Secundò, responderi potest negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia omnes illæ particulæ concurrunt moraliter ad gratiam: sicut autem prima particula in stomachum traiecta produxit gratiam iuxta dispositionem præuiam, ita reliquæ possunt augmentum gratiæ conferre, ratione maioris dispositionis aduenientis. Ex opposito verò recipiens primam particulam in peccato mortali, sicut per illam non recipit gratiam, ita neque recipit per sequentes; omnes enim concurrunt per modum vnius refectionis, & vnius conuiuij, vt iam dictum est, nec est eadem ratio Eucharistiæ, ac cibi corporalis, vt supra dictum est.

Non nego tamen quin sententia Caietani, Suarez, Coninchi, & aliorum valdè sit probabilis.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

De ministro Eucharistiæ.

Dvo breuiter quæram in hac quæstione. Primò quis sit minister Eucharistiæ. Secundò quænam dispositiones in eo requirantur.

PVNCTVM I.

Quis sit minister Eucharistiæ.

Dvo principaliter quæram in hoc puncto. Primò quis sit minister circa consecrationem. Secundò circa administrationem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Minister consecrationis quis sit.*

1 Minister consecrationis est solus Sacerdos. Ratio est, tum quia solus Sacerdos habet Ordinem sacerdotalem, & Christus solis Sacerdotibus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Tum quia sic habetur in Concilio Tridentino *sess 22.c.1* Florentino & aliis apud Suarez *disp.61.sect.3.* Bellarminum *lib.4. de Eucharistia, c.16.* Coninchum *qu.83.art.1.num.3.* Nugnum *ibidem.* Henriquez *lib. 8.num.44.* Reginaldum *lib.29.n.4.* Bartholomæum ab Angelo *dialog. 4.§.287.* Victoriam *de Eucharistia num.88.* Viualdum *de Eucharistia c.6.n.1.* Chamerotam *de sacrificio Missæ.pag. 289.* Petrum Ledesmam *de Sacramento Eucharistiæ, cap.9.versic.primera conclusion.* [Filliucium *tract.4.c.9.q.1.n.244.*] & alios.

2 *An excommunicatus, vel degradatus possit consecrare.*

2 Ex quo fit, vt quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, vel degradatus, possit validè consecrare, cùm retineat ordinem sacerdotalem, & consequenter potestatem consecrandi fundatam in charactere sacerdotali, quem suprà diximus deleri non posse. Ita Valentia *tom.4 disp.6.q.10.punct.1.* Toletus *lib.2.c.28.n.1.* Victoria *loco citato num.92.* & alij Doctores citati cum S. Thoma *quæst.82.art.7. & 8.* [Idem dic de Sacerdote hæretico, vel schismatico, modò debitam habeat intentionem. Character enim non amittitur propter hæresim.

Neque obstant *cap.accedens dist.50.* & alij textus, in quibus habetur consecrationes hæreticorum irritas esse.

Respondetvr enim irritas esse quoad vsum, quatenus hæretici repelluntur à consecratione, vel quatenus debita carent intentione. Ita Suarez *disp.61.sect.3.* Filliucius *loco citato, n.247.* & alij quos alibi retuli contra Magistrum *dist.13.*]

3 *An plures Sacerdotes possint eandem hostiā simul consecrare.*

3 Vtrùm verò plures Sacerdotes possint simul eandem hostiam consecrare, constat ex supradictis [*disp.2.q.2.punct.4.num.25.*] posse, modò eodem tempore perficiant formam, vt patet in ordinatione sacerdotali, in qua omnes Sacerdotes consecrant, nec forma consecrationis redditur falsa per concursum aliorum. Ita S. Thom. *loco citato art.2.* Coninchus *ibidem.* Nugnus *ibid.* Henriquez *c.54.nu.1.ad finem.* Reginaldus *lib 29.num.43.* Suarez *disp.61 sect. 4.* Victoria *loco citato n.88.* Chamerota *loco citato.* [Filliucius *tract.4. c.9.qu.3.n.249.*

SECVNDA PROPOSITIO.

4 *Minister ordinarius ad administrandam Eucharistiam quis sit.*

4 Minister ordinarius, & deputatus ad Sacramentum Eucharistiæ administrandum est solus Sacerdos habens ordinariam, vel delegatam auctoritatem ad hoc Sacramentum administrādum. Ita S. Th. *loco citato art.3.* Rodriquez *in summa cap 67. de Communione, num.1.* Angles *q.7.art.1.concl.2.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 4 §.276.* Victoria *loco citato n.89.* Viualdus *de Eucharistia, c. 8.n.1.* [Filliucius *tract.4.cap.9.q.5.num.256.*] Chamerota *loco citato.* Suarez *disp.72 sect.1.* Reginaldus *loco cit.nu.58.* Toletus *loco citato,* & alij communiter, & patet ex *cap.peruenit.de consecratione dist.2.* [ibi, *Presbyter per seipsum infirmum communicet, quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subiacebit.*]

5 *An Diaconus possit esse minister extraordinarius.*

5 Minister verò extraordinarius potest aliquando esse Diaconus, vt in articulo mortis: sicut etiam aliàs sanguinem administrabat. Ita Doctores citati, cum S. Thom. *art.3.* & Petro Ledesma *loco citato.* Hoc tamen tempore, ob Sacerdotum copiam, & multitudinem, non videtur in vsu, vt Diaconus Eucharistiam administret.

6 *An possit esse Subdiaconus, vel laicus.*

6 Addunt aliqui Doctores, non solùm Diaconum, verùm etiam Subdiaconum, vel etiam laicum posse Sacramentum Eucharistiæ in articulo mortis administrare sibi, vel aliis, consequenter laicum, qui non potest in articulo mortis Eucharistiam sumere à Sacerdote, posse sumere per se ipsum, aut aliis administrare. Ita Valentia *loco citando.* Suar. *disp.72.sect.3.ad finem.* Coninchus *q.82.art.3.num.23.* inclinat in hanc sententiam Reginaldus *lib.29. num.93.* [Filliucius *num.258. & 285.*] & alij, arbitrantes laicum in articulo mortis posse, quando non adest alius, qui sibi Eucharistiam administret, se ipsum communicare, sicut fertur factum fuisse à Regina Scotiæ proxima martyrio. Ratio est, tum quia iure solùm humano prohibitum est laico attingere Eucharistiam, *cap.peruenit.de consecratione, dist.2.* Ius autem humanum non videtur in tali euentu obligare, sed potius videtur cedere grauiori præcepto diuino, quo fideles tenentur in articulo mortis communicare: tum quia olim permissum fuit fidelibus secum deferre Eucharistiam sequenti die sumendam. Immo etiam permissum fuit laicis deferre Eucharistiam ad infirmos tempore necessitatis, teste Eusebio *6.Historiarum, c.36.* Ergo etiam hoc tempore permittendum videtur, vt laici in articulo mortis sibi Eucharistiam administrare possint. Ita Doctores citati, quos sequitur Valentia *tom.4.disp.6.q.10.punct.1. ad finem.*

Sed contrarium mihi probabilius videtur cum Henriquez *lib. 8. c.54.* Emanuele Sà *verb.Eucharistia n.4. & 32.* Victoria *de Eucharistia,*

num.

num. 89. Posseuino *de Communione. c.* 8. *n.* 24. Chamerota *de Eucharistia, c.* 9. *dub.* 3. Vivaldo *de Eucharistiæ Sacramento, de vsu, & administratione n.* 3. vbi refert S. Thomam, Paludanum, & Syluestrum. Ratio est, tum quia non est tanta necessitas Eucharistiæ sumendæ, vt laicus, aut alius, qui non est Sacerdos, vel saltem Diaconus, possit in articulo mortis, propria auctoritate sibi Sacramentum Eucharistiæ ministrare, non seruata solemnitate, & ritu Ecclesiæ consueto. Tum quia sicut Sacerdos non potest, vt seipsum, vel alium communicet in articulo mortis, celebrare sine vestibus consuetis, ita neque laicus potest in articulo mortis Eucharistiam administrare contra vsum, & consuetudinem hoc tempore receptam in reuerentiam tanti Sacramenti. Tum quia hoc tempore non videtur in vsu, vt Diaconus Eucharistiam administret; ergo multo minus hoc videtur concedendum laico, aut alteri, qui non sit initiatus ordine sacerdotali. Solus igitur Sacerdos, ordinariè saltem loquendo, potest Eucharistiam administrare, modò habeat iurisdictionem ordinariam, qualem habent Episcopi, Parochi, & alij quibus animarum cura incumbit ex officio, aut saltem habeant licentiam ab illis quibus incumbit Sacramenta administrare, nam æquitas, & iustitia non patitur, vt quis falcem mittat in messem alienam. Hac de causa inquit Suarez *disp.* 72 *sect.* 2. Emanuel Sà *loco citato, nu.* 14. Reginaldus *lib.* 36. *num.* 64. Coninchus *loco citato, artic.* 3. *n.* 28. Rodriquez *loco citato.* Chamerota *loco citato.* Nugnus *ibidem. versic. Circa has duas conclusiones.* Sacerdos qui sine licentia Eucharistiam administrat, per se loquendo mortaliter peccat, nisi hoc faciat ex præsumpta voluntate pastoris, sibi enim vsurpat alienam iurisdictionem, & falcem mittit in messem alienam.

Dixi, *nisi hoc faciat ex præsumpta voluntate pastoris*, nam si credatur fore vt pastor hoc sciens approbaturus sit, & daturus licentiam, Sacerdos administrans non peccat mortaliter, quia non dicitur alienam iurisdictionem, inuito proprio pastore, vsurpare.

7 *Differentia inter Sacramentum Eucharistiæ & Pœnitentiæ.*

7 Hic obiter aduertenda est differentia inter Sacramentum Eucharistiæ, & pœnitentiæ, quòd ad validam administrationem Sacramenti pœnitentiæ non sufficit præsumpta voluntas superioris, & ratihabitio præcisa, sufficit verò ad licitam Sacramenti Eucharistiæ administrationem. Ratio differentiæ est, quia iurisdictio non pertinet ad substantiam Sacramenti Eucharistiæ, sicut pertinet ad substantiam Sacramenti pœnitentiæ, consequenter ad validam Sacramenti pœnitentiæ administrationem requiritur positiua voluntas superioris iurisdictionem concedentis, & non sufficit præsumpta. Ita Suarez, Coninchus, Reginaldus, [Filliucius *nu.* 260.] & alij *locis citatis.*

8 *Quænam pœna sit imposita ministrantibus Eucharistiam sine licentia*

8 Rogabis, vtrùm imposita sit aliqua pœna ministrantibus Eucharistiam sine licentia Episcopi, vel pastoris.

Respondeo, contra Religiosos non habentes speciale priuilegium latam esse pœnam excommunicationis ipso facto reseruatam Papæ *in Clementina Religiosi. de priuilegijs*, si præsumpserint Eucharistiam administrare clericis, aut sæcularibus.

9 *An incurratur censura ab ijs, qui eam ignorant.*

9 Aduertendum tamen est primò circa illam particulam, *præsumpserint*, censuram ab ijs non incurri qui bona fide administrant ex ignorantia excommunicationis, vel probabiliter credunt, Pastores ratam habituros huiusmodi administrationem, tunc enim non dicuntur præsumere. Ita Nugnus *loco citato*, Suarez *disp.* 72. *section.* 2. *columna* 2. [Filliucius *numer.* 261.] Henriquez, & alij *locis citatis.*

10 *An excusentur Religiosi communicantes infirmos morti proximos.*

10 Secundò excusari Religiosos, communicantes in articulo mortis infirmos, sine licentia proprij Pastoris, tunc enim non peccant administrando, quamuis Parochus sit inuitus. Ratio est, tum quia præsumitur adesse ratihabitio summi Pontificis: tum quia præceptum Ecclesiæ non videtur obligare cum tanto proximi periculo, & detrimento. Ita Suarez *loco citato sect.* 2. *versùs finem, versic. sed quæres.* Toletus *lib.* 6. *c.* 17. Henriquez *loco citato, c.* 54. *num.* 2. Emanuel Sà *verb. Eucharistia num.* 4. Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 10. *puncto* 1. Rodriquez *loco citato num.* 3. Chamerota *loco citato dub.* 5. Coninch. *loco citato art.* 3 *nu.* 26. Reginaldus *num.* 93. Sotus *in* 4 *dist.* 13. *q.* 1. *art.* 3. Vivaldus *loco citato*, vbi plures alios refert. [& Filliucius *tract.* 4. *c.* 9. *q.* 7. *n.* 266.]

11 *An hæc censura extendatur ad omnes Sacerdotes.*

11 Tertiò, illam excommunicationem non extendi ad alios Sacerdotes, sed solùm ad Religiosos. Ratio est, quia in dicta Clementina fit mentio tantummodò Religiosorum, in pœnis autem non est facienda extensio. Ita Nugnus, & alij *locis citatis.* [De hac re fusiùs egi *in tract. de Censuris*, in particulari, ad ibi dicta me remitto.

12 *[An Religiosi habentes priuilegium ministrandi Eucharistiam, excepto die Paschatis, seu Resurrectionis, illam eo die administrare possint.*

12 Sed modo Dvbivm supereſt, vtrùm Religiosi habentes priuilegium ministrandi Eucharistiam, excepto die Paschatis, seu Resurrectionis, possint Eucharistiam eo die ministrare illis, qui iam communionem sumpserunt in propria parochia, vel sumpturi sunt alia die intra octauam Paschæ.

Respondent Nauarrus *c.* 21. *n.* 32, & alij non posse eo die Eucharistiam ministrare absque licentia Parochi. Ratio est, quia verba priuilegij accipienda sunt iuxta propriam significationem: non acciperentur autem iuxta propriam significationem, si Religiosi possent ea die Eucharistiam ministrare extraneis ad ipsorum Ecclesiam confluentibus, nam dies Paschæ, seu Resurrectionis, iuxta communem hominum sensum, accipitur pro prima die Paschatis. Contrarium sustinent Suarez 3 *p. dub.* 72. *sect.* 2 *versic. censeo.* Filliucius *tract.* 4. *c.* 9. *q.* 7. *n.* 265. Nugnus *q.* 82. *art.* 3. & alij, asserentes Religiosos posse in præfato casu Eucharistiam ministrare, tum quia nomine Paschatis in præfatis priuilegiis, iuxta sensum formalem verborum à legislatore intentum, intelligitur tempus, & actus, quo quis intendit implere præceptum communionis, tum quia sequeretur, eum, qui alio die communicauit, & præcepto Ecclesiæ satisfecit, si postea velit in die Paschæ communicare, teneri propriam parochiam adire, vel à communione desistere, quod non videtur admittendum.

Hæc opinio mihi probabilior videtur, si loquamur de eo, qui iam præcepto satisfecit in propria parochia.]

13 *An Sacerdos possit ex deuotione communicare*

13 QVÆRES PRIMO, vtrùm Sacerdos præciso Missæ sacrificio, possit se ipsum ex deuotione communicare.

Respondeo affirmatiuè, modò, non adsit alius Sacerdos, qui ei administret, nec adsit scandali periculum. Ita Suarez *disp.* 72. *sect.* 3. Emanuel Sà *verb. Eucharistia, n.* 35. Coninchus *loco citato, art.* 3. *nu.* 25. Rodriquez *in summa c.* 67. *concl.* 2. *n.* 2. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. *§* 131. Vivaldus *de Eucharistia c.* 10. *n.* 56. Posseuinus *de cõmunione c.* 8. *n.* 23. [Filliucius *loco citato q.* 12. *n.* 284. & alij. Ratio est, quia Sacerdos est minister ordinarius huius Sacramenti, nec dicitur alienam iurisdictionem vsurpare, sibi Eucharistiam administrando, nec vllum ius extat in contrarium. Immo Coninchus *loco citato*, & alij putant hoc etiam licitum esse Diacono in articulo mortis existenti, si alioquin deberet decedere sine viatico. nam iure antiquo concessum erat Diacono, vt sibi communionem præberet absente Sacerdote, vt patet ex Concilio Nycæno c. 14. nec vllo iure nouo [cautum est ne hoc fiat] à Diacono, saltem in tali necessitate.

uotione se ipsum communicare præciso Missæ sacrificio.

14 *An possit Sacerdos partem suæ hostiæ dare infirmo, vel etiam sano.*

14 QVÆRES SECVNDO, vtrùm Sacerdos, qui non habet aliam hostiam consecratam præter suam; possit partem suæ hostiæ præbere infirmo, vel etiam sano.

Respondeo affirmatiuè, si adsit rationabilis causa. Ratio est, quia non apparet sufficiens ratio in contrarium; Sacrificium enim non definit esse perfectum per administrationem huiusmodi particulæ. Ita Angelus *verb. Missa, num.* 27. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 46 *num.* 2. *in commentario litera E.* Emanuel Sà *verb. Eucharistia num.* 15. Syluester, Bartholomæus ab Angelo *de Missa dialogo* 5. *§* 589. & 590. S. Antoninus 3. *part. tit.* 13. *c.* 6. *n.* 3. Posseuinus *de communione Sanorũ c.* 8. *n.* 13. Chamerota *de Eucharistia cap.* 9. *dub.* 7. & alij apud præcitatos Doctores.

15 *Quandonã teneatur Parochus suis ouibus Eucharistiam administrare.*

15 QVÆRES TERTIO, quandonam teneatur parochus suis ouibus Eucharistiam administrare.

Respondeo, per se loquendo teneri non solum, quando subditi tenentur communicare, vt voluit Syluester *verb. Confessor.* 2. *quæsito* 18. & alij apud Suarez *loco citando*, sed etiam quoties subditi eam rationabiliter petunt, vt si eam petant non nimis frequenter, sed quatenus postulat ipsorum conditio, & Sacramenti reuerentia, nam Parocho impositum est onus pascendi oues suas, quod maximè fit verbo, & Sacramentis, nec par est, vt paruuli petant panem, & non sit, qui panem eis frangat. Ita Suarez *disp.* 72 *sect.* 3. *sub. initium.* Nauarrus *cap. placuit. de pœnitentia, disp.* 8 *num.* 152. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 96. Idem in simili Pitigianus *de pœnitentia dist.* 17. *q. vnica art.* 4. Sotus *dist.* 1. *q.* 5. *art.* 9. Nauarr. *cap.* 25. *n.* 131. Azor. 1. *part. lib.* 2. *cap.* 17. *quæsito* 10. Angelus *Confessio* 3. *num.* 34. Posseuinus *loco citando.* [Filliucius *tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 268.] & alij, quos in simili referam *de pœnit. q. vlt. punct.* 4. *§* 2. *n.* 23.

Dixi, *per se loquendo*, nam ex accidenti fieri potest, vt parochus excusetur non administrãdo subditis Eucharistiam, vel etiam absolutionem sacramentalem, vt si eam irrationabiliter petant, aut Parochus illos mittat ad coadiutores, vel ad alios Sacerdotes legitimam facultatem habentes, modò hoc faciat sine dispendio, & detrimento spirituali subditorum, & modò subditi in hoc consentiãt, sic enim cedunt iuri suo, nec damnum patiuntur ex Parochi negligentia, vt suppono. Addit Posseuinus *de administratione Sacramentorum, cap.* 5. *num.* 8. excusari Parochum ab administratione Sacramẽtorum, quãdo habet rationabilem causam ea negandi, qualis causa esset infirmitas, lassitudo grauis collationem Sacramenti impediens, vel si fœminæ velint de nocte confiteri etiam in Ecclesia, &c.

PVNCTVM III.

Quænam dispositio requiratur in Sacerdote, Eucharistiæ Sacramentum administrante.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Quid requiratur in confitente, vel ministrante Eucharistiam.*

1 IN Sacerdote administrante, vel conficiente Sacramentum Eucharistiæ requiritur gratia. Ratio est, quia Sacerdos est minister deputatus, ex officio ad hoc munus, & consecratus cum speciali gratia: qui autem ex officio deputatus est ad ministranda Sacramenta, debet esse in gratia, alioquin grauiter peccat indignè tractando Sacramenta in peccato mortali, vt patet ex supradictis de Sacramentis in genere. Ita Suarez *disp.* 72 *sect.* 4 Reginaldus *lib.* 29 *n.* 56. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 9. *q.* 9. *nu.* 271.] & alij quàm plures, quos retuli de Sacramentis in genere. [quamuis opposita sententia aliquibus Doctoribus non videatur improbabilis circa administrantem in peccato mortali.]

2 *An grauiter peccet, qui tangit Eucharistiam ob rationabilem causam.*

2 Vtrùm verò grauiter peccet, qui attingit Eucharistiam ob rationabilem causam, vt si eam eleuet à terra, patet ex supradictis non grauiter peccare, etiam si sit laicus, & conscientiam habeat peccati mortalis, nam laicus non est minister consecratus ad hoc officium, & prædictus tactus nõ videtur administratio Sacramenti. Ita S. Th. *q.* 82. *art.* 3. Posseuinus *de administratione Sacramentorum, c.* 5. *num.* 45. [Suarez, & Filliucius *locis citatis.*] & alij apud Henriquez *lib.* 8. *cap.* 54 *num.* 3. *in commentario litera E.*

2 *Quid teneatur præstare Sacerdos, qui peccato mortali detinetur.*

3 Ex dictis sequitur, Sacerdotem habentem conscientiam peccati mortalis teneri, antequam Eucharistiam administret, præparare se ad gratiam per confessionem, vel saltem per contritionem, cùm non sit necessaria confessio, quando Sacerdos administraturus est aliis Eucharistiam: secus quando Sacerdos susceperus est Eucharistiam vt infrà ostendam. Ita Rodriquez *in summa c.* 68. *n.* 10. [Suarez, Filliucius & alij *locis citatis.*]

4 *Quot peccata committat Sacerdos conficiens in peccato mortali.*

4 Sed modò Dvbivm est, quot peccata committantur à Sacerdote conficiente Sacramentum in peccato mortali.

Respondeo, committi vnum numero peccatum sacrilegij, sed multis titulis, facit enim contra reuerentiam debitam huic Sacramento ex eadem specie religionis, qua præscribitur hoc Sacramentum dignè tractari, tam in consecratione, quàm in oblatione, & moraliter reputatur vna actio, cùm sit vnum numero sacrificium. Ita Rodriquez *cap.* 249. *de Missa, num.* 26. *conclus.* 26. Azorius 1. *parte lib.* 10. *c.* 31. *quæsito* 10. *&* 11. Henriquez *lib.* 8. *c. ad finem, & cap.* 45. *nu.* 2. con-

2. contra Canum *relectione de pœnitentia*, quem refert idem Henriq. *in Commentario littera H.* & contra Nugnum *3.parte.quæst 82. art. 5.* Chamerotam *de Eucharistia, cap 9.dub.12.* existimantes, prædictum Sacerdotem committere duo peccata, vnum, quatenus celebrat, & alterum quatenus communicat.

5 *An plura peccata cõmittat, qui in peccato administrat Eucharistiam pluribus successiuè.*

5 Vtrùm verò qui pluribus successiuè administrat Eucharistiæ sacramentum in statu peccati mortalis, plura peccata committat. Dissensio est inter Doctores: Rodriquez *loco citato*, putat vnum tãtummodo numero peccatum committere, sicut etiam putat vnum peccatum committi ab eo, qui multorum pœnitentium confessionem successiuè audit, nulla vel saltem modica interposita mora. Ratio est, tum quia quamuis dicantur plures actus physicè, & entitatiuè, tamen moraliter reputatur vna actio: tum quia vnum peccatum videtur ab eo committi, quia multas blasphemias simul profert, aut idem mendacium confirmat multis iuramentis simul; ergo etiam videtur committi vnum numero peccatum ab eo, qui pluribus successiuè Sacramentum Eucharistiæ administrat.

Verùm, quid nobis sentiendum sit, patet ex dictis de censuris, de multiplicitate censurarum *disp.1.q.1.punct.5.* [& suprà *disp.1. qu. 3 punct.2. §.1.num.15.*] ex quibus constat incurrere plura peccata, quia prædictæ actiones habent singulæ suum definitum terminum in quo conficiuntur, & complentur; ad ibi dicta vos remitto, cùm ex ibi dictis colligatur solutio ad propositam difficultatem, & ad argumenta in contrarium allata.

Neque video, quomodo cohæreant dicta Rodriquez, dum asserit Sacerdotem plures successiuè communicantem in peccato mortali, committere vnum mortale peccatum; si verò communicet alios post suam communionem, committere duo peccata distincta, quid enim refert ad distinctionem peccatorum numericam, sibi, & alteri Sacramentum administrare, aut aliis tantummodò? sicut enim actus communicandi mille homines in peccato mortali non sunt actus moraliter distincti, iuxta ipsum Rodriquez, ita neque videtur actus moraliter distincti, si Sacerdos communicet alios statim, ac seipsum cõmunicauit, vel si sunt actus moraliter distincti actus communicandi seipsum, & deinde alios, dicendum etiam est, actus communicãdi plures successiuè esse moraliter distinctos. [vt nos asserimus.]

6 *An requiratur alia dispositio præter gratiam in administrante Eucharistiam.*

QVÆRES, vtrum in Sacerdote administrante aliis Eucharistiã, requiratur alia dispositio præter gratiam.

RESPONDEO negatiuè, cùm hoc ex nullo iure colligatur.

Ex quo patet, non opus esse, vt sit iciunus, cùm hoc nullo iure diuino, vel Ecclesiastico præcipiatur. Ita Suarez *disp.72.sect.4.* & alij. An verò excommunicatus possit Eucharistiæ Sacramentum licitè administrare, patet ex dictis de censuris.

7 *An Sacerdos possit Eucharistiã administrare non seruato ritu, & decentia Sacramento debita.*

7 Caueat tamen Sacerdos, ne illam administret non seruato ritu, & decentia tanto Sacramento debita, cùm enim hoc Sacramentum sit maximę dignitatis, par est, vt non nisi cum debita reuerentia administretur.

8 *An parochus Eucharistiam ad infirmũ deferre possit sine decenti habitu*

8 Hinc sequitur primò, Parochum non posse Eucharistiam ad infirmum deferre, quoties eam ferre nequit cum habitu decenti, id est, cum stola, & superpelliceo præcedente lumine, iuxta *cap. sanè, de celebratione Missarum.* Ita Syluester *verb. Sacramentum, num.3.* Possevinus *c.5.n.39.* Secus dicendum est de Extrema vnctione. Parochus enim tenetur eam administrare, quamuis eam deferre nequeat ad infirmum cum solemnitate, nam Extrema vnctio, id est, materia Sacramenti extremæ vnctionis non est Sacramentum, consequenter non indiget tanta veneratione, quanta adhibenda est Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. Ita Possevinus *loco citato*, & alij.

9 *An possit deferre Eucharistiam moribundo festinanter currendo.*

9 Secundò sequitur Parochum non teneri Eucharistiam ad infirmum morti proximum deferre, si timeat fore, vt eam non possit administrare infirmo, nisi valdè festinanter currat, nam cursus nimis festinus videtur repugnare reuerentiæ tanto Sacramento debitæ, & decentiæ, ac honestati Clericali; nec præceptum administrandi Eucharistiam infirmo, videtur iure diuino, vel Ecclesiastico introductum cum periculo, vt Parochus fatuus habeatur, & irrideatur. Secus dicendum est de Baptismo, & pœnitentia, quoties Parochus probabiliter timet fore, vt pœnitens decedat cum peccato mortali, nisi festinanter currat, tunc enim tenetur festinanter currere, etiamsi nondum integrè vestitus sit, aut cœlum pluuiam minetur, aut frigus acriter prædominetur, aut periculum sit, vt Sacerdos fatuus habeatur. Ratio est, quia proximus censeatur in extrema necessitate proprię salutis: quilibet autem tenetur non solùm honorem, & famam, verùm etiam vitam prodigere ad saluandum proximum in extrema necessitate spirituali existentem, vt benè tradit S.Thom. *2.2.q.185.art.5.* Possevinus, & alij communiter, quos retuli *de Charitate.* Præcisa verò tanta infirmi necessitate Parochus censetur suo muneri satisfacere, si quàm primum curet infirmum adire festinando, & non incurrendo, vt patet ex ratione superiùs allata.

10 *An Sacerdos possit Eucharistiam aliis digitis conferre, si ob infirmitatem nequeat eam pollice, & indice administrare.*

10 Tertiò sequitur, Sacerdotem qui cùm infirmitate, vel chiragra detineatur, nequit Eucharistiam pollice, & indice administrare, nó posse eam aliis digitis conferre, quamuis enim tota manus sit consecrata, tamen consuetudine receptum est, vt Sacramenta, quæ non sunt absolutè necessaria, conferantur indice, & pollice, & cùm à communi vsu, & consuetudine non sit recedendum, sequitur Eucharistiam non posse aliis digitis administrari, sicut neque licet celebrare sine vestibus ad communicandum infirmum. Ita Possevinus *c.5.n.50.* contra Toletum *lib.1.c.58.nu.2.* Ex quo patet, quid dicendum sit tempore pestis, tunc enim Sacerdotes debent infirmos propria manu, & non aliquo instrumento communicare, quia sic postulat reuerentia Sacramento debita, & rationabilius est mortis periculum subire communicando seruata reuerentia Sacramento debita, quàm Eucharistiam infectis peste denegare, vel eam administrare, non seruata præscripta forma, vt innuit Suarez *tomo 4.disp. 44.sect.3.n.17.* & alij. Quamuis Possevinus *c.8.n.35.* non improbabiliter existimat, excusari posse à peccato præciso scandalo, & periculo lapsus Eucharistiæ in terram, si instrumento ritè confecto, & apto administret.

11 *An Sacerdos chiragra laborãs possit ad altare deferri, vt ibi Eucharistiã administret.*

11 Quartò Sacerdotem ita chiragra laborantem, vt ad altare nequeat accedere, nisi deferatur, posse deferri, ibique Eucharistiam administrare præcisa alia prohibitione, hoc enim nullo iure vetitum est, nec aduersatur reuerentiæ Sacramenti. Ita Possevinus *c.5. n.50.* & alij, quos retuli de irregularitate ex defectu corporis. Ex quo patet quid dicendum sit de aliis Sacramentis.

QVÆSTIO VI.

De subiecto, seu susceptore Eucharistiæ, & dispositionibus in eo requisitis.

HIc non agam ex professo de subiecto, seu susceptore Eucharistiæ, hunc enim constat esse quemlibet hominem baptizatum, nam hoc Sacramentum institutum est per modum cibi: quilibet autem homo cibum capere potest, nisi aliud obstet.

Dixi *hominem baptizatum*, vt innuerem hominem carentem Baptismo non posse Eucharistiam sacramentaliter recipere, quia Baptismus est ianua omnium Sacramentorum, vt alibi probaui; ob id infidelis, aut etiam Cathecumenus non potest Eucharistiam sacramentaliter accipere, sed solùm materialiter, sicut animal brutum.

An autem infantibus prosit, vel necessaria sit Eucharistia, constat ex supradictis *disp.4.q.1.punct.3.*

Hic ergo immorandum non est in explicatione subiecti Eucharistiæ, sed dispositionis ad illam requisitæ in subiecto, seu susceptore Eucharistiæ: cùm autem dispositio in susceptore Sacramenti Eucharistiæ duplex sit, vna ex parte animæ, altera ex parte corporis; priùs agam de dispositione ad animam pertinente, postea de illa, quæ spectat ad corpus.

PVNCTVM I.

De dispositionibus ex parte animæ requisitis in suscipiente Sacramentum Eucharistiæ.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Quotuplex sit dispositio requisita in susceptore Eucharistiæ*

1 AD suscipiendum Eucharistiæ Sacramentum cum fructu tres dispositiones requiri videntur.

2 *An suscipiẽs Eucharistiã debeat esse baptizatus.*

2 Prima dispositio est, vt suscipiens sit baptizatus, nam baptismus est ianua reliquorum Sacramentorum. Quamobrem infidelis communicans non dicitur recipere Eucharistiam sacramentaliter, sed materialiter tantùm.

Addo non sufficere Baptismum, sed præterea requiri fidem, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere.

3 *Quamnam intentionem habere debeat.*

3 Secunda dispositio est intentio actualis, aut virtualis, & implicita, vel etiam habitualis, qualem is videtur habere, cui confertur Eucharistiæ Sacramentum tempore phrenesis, cùm tamen antea Christianè viueret, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere.

4 *An sit administranda Eucharistia, amẽti, vel in phrenesim lapso.*

4 Hac occasione suboritur duplex DVBIVM. Primum est, vtrùm Eucharistia possit administrari ei, qui post vsum rationis lapsus est in amentiam, vel phrenesim.

RESPONDEO primò, non esse statim administrandum Eucharistiæ Sacramentum, sed expectandum esse, donec habeat lucida interualla, si amentia non sit perpetua, seu continua, hoc enim postulat reuerentia tanto Sacramento debita, nisi necessitas superueniens aliter suadeat, superueniente verò necessitate præbenda est Eucharistia, iuxta ea, quæ tradam in secunda responsione.

RESPONDEO secundò, si amentia, vel phrenesis sit continua, posse Sacramentum Eucharistiæ administrari in articulo mortis ei, qui antequam incideret in amentiam vel phrenesim, petiit Eucharistiam explicitè, vel saltem implicite, modò non sit periculum vomitus, vel alterius irreuerentiæ. Ratio est, tum quia hoc nullo iure prohibetur, tum quia nulla intercedit irreuerentia, & ex alia parte adest necessitas amentis, qui per Eucharistiam cum attritione præmissa ante amentiam, potest gratiam obtinere, & consequenter saluari, tum quia infirmus habet ius ad Sacramenta, & Pastor nõ potest sine iniustitia, per se loquendo, denegare, tum quia hoc colligitur ex *cap. quod in te. de pœnitentijs, & remissionibus*, Ita Petrus Ledesma *de Eucharistia c.13. vers. octaua conclusion pag.99.* [Filliuc. *tract.4.c. 8.q.2.n.188.*] & alij DD. statim citandi.

5 *An amenti danda sit Eucharistia qui ante amentiã bene & Christianè vixit*

5 Hinc sequitur, amenti, qui antea dignè viuebat homine Christiano, aut ei, qui dedit signa contritionis, posse Sacramentum Eucharistiæ administrari, nam censetur adesse sufficiens intentio ad suscipiendum Eucharistiæ Sacramentum.

OBIICIES primò, si prædictis amentibus dandum esset Eucharistiæ Sacramentum, sequeretur etiam Eucharistiam dandam esse iis amentibus, qui nunquam rationis vsum habuerunt, hoc autem est falsum; ergo neque videtur administrandum Eucharistiæ Sacramẽtum prædictis amentibus.

RESPONDEO negando sequelam maioris propositionis. Ratio disparitatis est, quia amentes, qui nunquam rationis vsum habuerunt, non censentur in necessitate Eucharistiæ, nec eam censentur petiisse implicitè, vel explicitè, cum vsu rationis semper caruerint. Ita S.Thom. *q.80. art.9.* Caietanus *verb. Commun.* Sylvester *Eucharistia.3.n.7.* Armilla *verb. Communio, num.25.* Viguerius *de Eucharistia vers.c.20.* Tabiena *verbo Communicare. n.61.* Sotus *in 4. dist.12.qu.1. art.9.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 4. §.30.* Chamerota *de Eucharistia c.9.dubio 7.* Angles *de Eucharistia quæst.2.art.7.conclusione 2.* Possevinus *de communione Sanorum cap.8.numer.9. & 31.* Reginaldus *lib.29.n.79.* [Filliucius *tract.4.c.7.q.2.n.187.*] Suarez *disp.69.sect.2.* & alij.

OBIICIES secundò, necessitas dementati, vel phrenetici potest aliunde suppleri, verbi gratia, per extremam vnctionem, vel per absolu-

absolutionem sacramentalem: ergo non videtur illi administranda Eucharistia.

RESPONDEO, illi adhuc administrandam esse Eucharistiam: tũ quia fieri potest, vt absolutio sacramentalis non possit illi impendi, neque Sacramentum Extremæ-Vnctionis administrari, vt si tunc temporis non adsit materia Extremæ-Vnctionis. aut non adsit Sacerdos, sed tantummodò Diaconus cum hostia consecrata, iuxta sententiam DD. qui putant, Diaconum posse etiam hoc tempore Eucharistiam in articulo mortis ministrare. Tum quia, quamuis adsit Sacerdos, qui valeat beneficium absolutionis, & Sacramentum Extremæ-Vnctionis impertiri, nihilominus non est deneganda Eucharistia propter vtilitatem, & fructum, qui ex ea percipi consueuit, & quo tunc temporis ægrotus indiget. Ita Suarez *loco supra citato*, *sectione* 2. *dubio* 3. Reginaldus *numer.* 79. & alij.

6 *An ei dari possit Eucharistia, qui à dæmone obsidetur*

6 Secundò DVBIVM est, vtrùm Eucharistia possit administrari illi, qui à dæmone obsessus detinetur.

RESPONDEO distinguendo, vel ita obsidetur à dæmone, vt careat vsu rationis, & tunc seruandum est, quod diximus de amente, vel ita obsidetur, vt adhuc vtatur vsu rationis, & huic administrandum est Eucharistiæ Sacramentum, quoties prudens Sacerdos iudicauerit. Ratio est, quia nullo iure probatur huiusmodi obsessum priuandum esse Sacramento, cuius ope, & auxilio fieri potest, vt à dæmonis vexatione liberetur, alioquin addi videretur afflictio afflicto. Ita S. Th. *qu.* 80. *art.* 6. *ad secundum*, Suarez *loco citato*, *dub.* 4. Reginaldus *n.* 80. Posseuinus *loco citato*, & alij.

7 *An semifatui possint ad Eucharistiam admitti.*

7 Addo cum Henriquez *lib.* 8. *c.* 42. *n.* 3. Soto, & aliis, non solùm obsessum à dæmone admittendum esse ad Eucharistiam, verùm etiã habentes imperfectum rationis vsum, vt semifatuos, hos enim puto admittendos ad communionem tempore præcepti, vt tempore Paschatis, & in articulo mortis: cùm enim constet hos teneri ad Eucharistiam, ex qua magnam percipere possunt vtilitatem, quo iure asseremus, denegandam esse Eucharistiam saltem tempore præcepti?

Hoc tamen intellige præciso irreuerentiæ periculo, & frequenti administratione, non enim decet frequenter huiusmodi homines ad Eucharistiam admittere, nisi quatenus prudentia dictauerit, & reuerentia Sacramenti postulauerit. Ita Posseuinus *de communione c.* 8. *n.* 32.

8 *An suscipiens Eucharistiam debeat esse in gratia.*

8 Tertia dispositio est, vt suscipiens Eucharistiam non habeat conscientiam peccati mortalis, sed sit in gratia. Quamobrem grauiter peccat accedens ad Eucharistiam, non solùm si habeat affectum peccandi, verùm etiam si habeat peccatum mortale antea commissum, nam dicitur habere conscientiam peccati mortalis, qui autem accedit ad Eucharistiam cum peccato mortali, grauiter peccat, cùm indignè sumat Eucharistiam, quæ per se fuit instituta ad conferendam secundam gratiam.

9 *An grauiùs peccet, quo grauius est peccatum, eũ quo quis sumit Eucharistiam.*

9 Addo grauiùs peccare, quo grauius est peccatum, cum quo sumit Eucharistiam, nam quo grauius est delictum, videtur habere maiorem repugnantiam cum auctore gratiæ, qui in hoc Sacramento continetur, & percipitur. Ita S. Thom. *qu.* 80. *art.* 5. Suarez 3. *parte disput.* 66. *sect.* 1. & 2. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 45. Angles *qu.* 2. *art.* 4. *conclus.* 1. Petrus Ledesma *cap.* 11. *pag.* 67. [Filliucius *tract.* 4. *num.* 209.] & alij communiter, qui etiam bene obseruant differentiam inter eũ qui accedit ad Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis, & inter eum, qui conscitiam habet peccati venialis, quòd qui habet conscientiam tantùm peccati venialis, non impeditur quin Eucharistiæ fructum recipiat, cùm peccatum veniale, quamuis actualiter committatur, non sit obex ad diuinam gratiam, neque cum ea sit incompatibile. Ita Suarez *loco citato*, *sect.* 1. & 2. Henriquez *loco cit. n.* 1. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 100. & alij communiter.

10 *An debeat esse in gratia per confessionem, vel sufficiat per contritionem.*

10 QVÆRES PRIMO, vtrùm accedens ad Sacramentum Eucharistiæ debeat esse in gratia per confessionem, vel sufficiat per contritionem.

RESPONDEO eum, qui habet probabilem conscientiam peccati mortalis, teneri præmittere confessionem sacramentalem, nisi eam præmittat ob necessitatem communicandi, nec habeat copiam Cõfessarij. Ratio est, quia 1. *Corinthiorum* 11. habetur: *Probet autem seipsum homo, & de pane illo edat. &c.* Ex quo loco desumi potest hoc argumentum. Accedens ad Eucharistiam debet seipsum probare, hæc autem probatio fieri debet per confessionem, vt Ecclesiastica consuetudo declarat, inquit Concilium Tridentinum *sess.* 13. *can.* 7. & *canone* 11. vbi pœnam excommunicationis ipso facto imponit cõtra eos, qui aliter docuerint, aut asseruerint cum pertinacia.

Ex quo fit, vt plusquam temerarius existimandus sit, qui asseuerit non esse præmittendam confessionem ante sumptionem Eucharistiæ. Ita Suarez *disputat.* 66 *sect.* 3. *ad finem*. Nauarrus *cap.* 22. *nu.* 10. Azorius 1. *parte lib.* 10. *cap.* 31. *quæsito* 3. Vasquez 3. *parte tomo* 3. *disp.* 180. Valentia *tomo* 4. *disp.* 6. *q.* 8 *puncto* 3. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 45. *nu.* 2. Azorius *tom.* 1. *lib.* 10. *cap* 31. *quæsito* 2. Petrus Ledesma *in sum. de Eucharistia c.* 10. & 11. Rodriquez *in summa, c.* 65. *de communione num.* 1. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. *§.* 18. & 186. S. Thom. *in* 4. *dist.* 16. & *dist.* 17. *q.* 3. *artic.* 1. & *qu.* 4. S. Antoninus 3. *parte tit.* 13. *c.* 6. *nu.* 7. Sotus *in* 4. *sent. dist.* 1. *q* 1. *art.* 4. Chamerota *c.* 10. *dubio* 11. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 8. *q.* 2. *n.* 210. Molfesius *tract.* 3. *c.* 8. *n.* 49.] & alij apud Henriquez *loco cit. in commentario littera V.*

11 *An dubitãs se mortaliter peccasse, teneatur cõfiteri ante sumptionem Eucharistiæ.*

11 Sed modò DVBIVM est primò, vtrùm, non solùm qui conscietiam habet peccati mortalis, verùm etiam qui dubitat se peccasse mortaliter, vel aliàs confessum fuisse peccata mortalia aliàs commissa, teneatur confiteri ante sumptionem Eucharistiæ.

RESPONDEO, si magis propendeat in hanc partem, vt credat se mortaliter peccasse, vel mortale peccatum confessum non fuisse, vel consensisse peccato, teneri adhuc confiteri ex præcepto, quamuis habeat aliquam suspicionem, vel formidinem in oppositum, vt patebit ex rationibus statim adducendis. Ita Emanuel Sà *verb. confessio n.* 7. Ioannes Salas 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *disp. vnica sect.* 5. *n.* 60. *ad quartum argumentum*. Suarez *de pœnitentia, disp.* 22. *sect.* 9. *num.* 1. Sotus *disput.* 18. *quæst.* 2. *artic.* 4. Azorius 1. *parte lib.* 11. *c.* 4. *quæsito* 3. Clauis Regia *lib.* 1. *c.* 3. *n.* 4. Valentia *tomo* 4 *disp.* 7. *q.* 9. *puncto* 3. *versic. Quod si quis.* Nauarrus *c.* 9. *num* 9 & 14 Sanchez *in summa lib.* 1. *c.* 10. *nu.* 66. [Filliucius *num.* 210. & *tract.* 7. *n.* 108. & alij quos referam *disp.* 5. *sect.* 5. *q.* 2. *punct.* 2. *§.* 3. *diffic.* 4.]

12 *An tenentur confiteri peccatum dubium, qui æqualiter dubitat, an sit confessus*

12 Addo, non solùm eum, qui opinatur, vel magis propendet in prædictam partem, obligandum esse ad confessionem ante sumptionem Eucharistiæ, verùm etiam eum, qui æqualiter dubitat se mortaliter peccasse, vel mortale peccatum confessum fuisse. Ratio est, tum quia Tridentinum *sess.* 14. *c.* 5. & *canone* 7. excipit sola peccata venialia ab obligatione confessionis; ergo peccata mortalia dubia sunt materia necessaria, consequenter qui dubitat se mortaliter peccasse, tenetur ante sumptionem Eucharistiæ confiteri, tum quia cõstat latum esse præceptum, obligans eum ad confessionem, qui conscientiam habet peccati mortalis: cùm autem in dubio iudicandum sit in fauorem possidentis, sequitur iudicãdum esse in fauorem præcepti confessionis, quod ex communi vsu, & Doctorum consensu possidere constat. Tum quia, qui communicaret, non præmissa cõfessione, exponeret se periculo recipiendi Eucharistiam in peccato mortali, nec diceretur se probasse, iuxta præceptum Apostoli 1. *Corinthiorum* 11. vbi dicitur. *Probet autem seipsum homo, &c.* Ita Nauarrus *c.* 10. *n.* 7. Sanchez *loco citato*, & alij quamuis contrarium sentire videatur Henriquez *in hac parte, lib.* 8. *c.* 45. *n.* 3. *in commentario littera P. & lib.* 4. *de pœnitentia, c.* 4. *n.* 3. Reginaldus *lib.* 29. *c.* 6. *nu.* 99. *ad finem*. Syluester *verb. Confessio* 2. *nu.* 2. Suarez *loco cit. de pœnitentia nu* 6. cum Tabiena, Paludano, & aliis asserentibus, enim qui æqualiter dubitat non declinans magis in vnam, quàm in alteram partem, saltem notabiliter, posse practice deponere conscientiam dubiam, nec teneri ad confessionem illius peccati, quod se dubitat commisisse, vel confessum fuisse.

Sed quod nos asserimus, verùm videtur, & ad praxim reuocandum, non solum in articulo mortis, vt concedit etiam Henriquez *lib.* 5. *c.* 4. *in fine*, & alij, constat enim existentem in articulo mortis teneri ad confessionem, ne periculum damnationis subeat, verùm etiam præciso mortis periculo, vt patet ex allatis rationibus. Secus dicendum puto de eo, qui probabiliter opinatur, se non peccasse mortaliter, vel se confessum fuisse peccata mortalia. Ratio est, quia licitum est cuique sequi opinionem probabilem, etiamsi contraria sit probabilior, vt cum communi Doctorum sententia ostendimus *in tractatu de peccatis*. Ita tradit Suarez *loc. cit. n.* 6. Henriquez *lib.* 5. *c.* 4. *in fine*. Sanchez *loc. cit. n.* 76. [Filliucius *tract.* 7. *c.* 4. *q.* 8. *n.* 109. & alij contra Salas *loc. cit.*

Ex quo patet, eum, qui probabiliter credit se non consensisse alicui peccato mortali, vel se non peccasse mortaliter, vel se confessum fuisse, vel confessionem fuisse validam, vel tales circumstantias non esse confitendas, non teneri ad confessionem, etiamsi fortè probabilius sit consensisse, vel peccasse mortaliter, & c. Ita Suarez, Sanchez, [Filliucius,] & alij *locis citatis*.

13 *An liceat aliquando ad Eucharistiam accedere non præmissa mortalium confessione.*

13 Secundò DVBIVM est, vtrùm aliquando liceat communicare non præmissa confessione peccati mortalis iam commissi.

RESPONDEO affirmatiuè, interueniente rationabili causa, vt si adsit necessitas communicandi, vel celebrandi, nec adsit copia Cõfessarij. Ratio est, quia præceptum præmittendæ confessionis ante sumptionem Eucharistiæ, est præceptum affirmatiuum: præceptum autem affirmatiuum non semper obligat.

Verùm tamen est, præmittendum esse saltem contritionis actum, ne indignè suscipiatur Eucharistia cum peccato mortali, nam actus cõtritionis est in nostra potestate, posito diuino auxilio, quo Deus nunquam nos deserit. Ita Suarez *disput.* 66. *sect.* 5. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. *§.* 189. Chamerota *de Eucharistia cap.* 9. *dub.* 7. & *c.* 10. *dubio* 13. Nugnus *q.* 80. *art.* 4. *dubio* 2. Valentia *disp.* 6. *qu.* 8. *puncto* 3 Reginaldus *n.* 99. & 109. Pitigianus *d.* 9. *q.* 3. *art.* 12. [Filliuc. *n.* 211.] & alij communiter.

Vtrùm verò attritio putata contritio, seu putata sufficiens dispositio, sufficiat, patebit ex dicendis.

14 *An teneantur cõfessionem præmittere, qui necessitatem habet celebrãdi, sed absque scandalo præmittere nequit confessionem*

14 Ex dictis in hoc dubio sequitur primò, eum, qui habet necessitatem communicandi, vel celebrandi, sed non potest confessionem præmittere absque scandalo, non teneri confessionem præmittere, nam habet necessitatem celebrandi absque præmissa confessione, vt suppono, quamuis fortè habeat copiam Confessarij, tenetur tamen elicere contritionis actum, vt dictum est. Ita Valentia, Suarez, Coninchus, Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. *§.* 195. Chamerota *de Eucharistia c.* 9. *dub.* 9. & alij *locis citatis*.

15 *An Sacerdos Missam inchoatam relinquere, vel ad Altare confessarium accersere teneatur, si scandali periculum adsit.*

15 Secundò, sacerdotem, qui inchoata Missa meminit alicuius peccati mortalis, non teneri inchoatam Missam relinquere, vt confiteatur, non enim est dimittenda Missa inchoata, neque tenetur ad se vocare Confessarium ad altare, si periculum sit scandali. Immo aliqui Doctores putant, non teneri ad se vocare Confessarium, etiãsi commodè, & sine scandalo possit accersere. Ita Suarez *disp.* 66. *sect.* 4. Franciscus Pitigianus *loco citato, versic. Tertia causa*. Henriqu. *lib.* 8. *c.* 46. *n.* 3. Posseuinus *de sacrificio c.* 2. *n* 15. Reginaldus *loco citato, n.* 105 Valent. *loco citato, versic.* 4. Coninchus *q.* 80. *art.* 4. *dub.* 2. *n.* 16. Nugnus *ibidem, versic. Ad cognoscendum*, & alij.

Sed opposita sententia videtur probabilior, cum non videatur adesse iusta, & sufficiens causa omittendę confessionis, quam constat ex præcepto diuino faciendam esse ante sumptionem Eucharistiæ, consequenter tenetur vocare Confessarium, si commodè potest. Ita Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5. *parag.* 660. [Filliucius *loco citato n.* 214.]

Addo confessionem faciendam esse etiamsi fortè Sacerdos committat aliquod mortale peccatum post consecrationem, vel recordetur alicuius peccati mortalis antea commissi, nam ex præcepto diuino tenetur ante sumptionem Eucharistię confessionem præmittere, nisi eam ex necessitate prætermittat: in hoc autem casu non videtur adesse necessitas prætermittendæ confessionis, cùm Sacerdos commodè possit, & sine scandalo ad se Confessarium accersere, nec interrumpatur Missæ sacrificium, cùm aliquid fiat, quod dirigitur, & ordinatur ad ipsum Missæ sacrificium dignè conficiendum.

16 *An Sacerdos aduertens se excõmunicatũ, vel non ieiunũ possit Missam iam inchoatam relinquere.*

16 Tertiò, Sacerdotem, qui inchoata Missa recordatur se esse excommunicatum, aut etiam non ieiunum, non posse Missam di-

mittere, si eam nequeat dimittere sine scandalo, nec commodè possit habere copiam Confessarij pro absolutione excommunicationis. Secus si possit Missam sine scandalo dimittere; modo tamen nondum facta sit consecratio, tunc enim adest necessitas ad Missam inchoatam prosequendam sine præmissa confessione. Ita Emanuel Sà *verb. Missa nu.* 32. S. Th. *q.* 81. *art.* 6. *ad secundum*, Nauarrus *c.* 15. *n.* 75. Sotus *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 6. *ad secundum*. Azorius 1. *p. lib.* 10. *c.* 33. *quæsito* 2. Coninch. *q.* 80. *art* 8. *nu.* 64. Bartholomæus ab Angelo *loco citato.* § . 193. & *dialogo* 5. § . 129. & 664. & *dialogo* 1. § . 61. & 62. S. Antonin. 3. *p. titulo* 13. *cap.* 6. § . 11. Sylvester *verb. Eucharistia nu.* 9. Angelus *ibidem n.* 6. & alij. Immò S. Banauentura obseruat, inchoatam Missam semper esse perficiendam, quia fere nunquam omitti solet sine scandalo, & hoc probabilè putat Sotus, Angelus, & alij, quos sequitur Reginaldus *loco citato*, Nugnus *loco citato, verſic. Deinde circa.* Bartholomæus ab Angelo *de Missa* § . 660. & deinceps, Chamerota *de Eucharistia c.* 9. *dub.* 9.

17 *An laicus, qui iam ad linteum accessit cum alijs cõmunionis gratia, teneatur statim accedere ad Cõfessarium, si recordetur alicuius peccati.*

17 Quartò, laicum, qui præmissa peccatorum confessione percepturus est Eucharistiam cum aliis, sed postquam ad linteum accessit, recordatur alicuius peccati obliti, non teneri recedere, & statim adire Confessarium; nam exponeret se periculo infamiæ indicando aliis se habere conscientiam alicuius peccati mortalis, cùm peccatum veniale non impediat sumptionem Eucharistiæ. Ita Nauarrus *cap.* 21. *num.* 49. Coninchus *quæst.* 80. *artic.* 4. *num.* 24. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 46. *num.* 3. *littera T.* Reginaldus, Ledesma, Rodriquez *in summa cap.* 65. *num.* 1. Sylvester *Eucharistia* 2. *num.* 10. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 46. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. § . 144. Chamerota *loco citato.* Zerola *de pœnitentia cap.* 10. *quæsito* 16. *verſ. Dico secundò.* [Filliucius *tract.* 4. *cap.* 8. *quæst.* 4.] & alij. Immò multi Doctores apud Henriquez *loco citato, in Commentario littera K.* cum Reginaldo *loco citato. nu.* 105. excusant huiusmodi laicum antea confessum ob reuerentiam Sacramenti, etiam præcisa nota, & scandalo, nam hic dicitur iustificatus, & iam probatus per confessionem præmissam.

Sed contrarium mihi videtur verius cum Suarez *disp.* 66. *sect.* 4. [Filliucio *loco citato n.* 215.] & Angles *de Eucharistia q.* 2. *art.* 10 *difficult.* 4. *concl.* 1. cùm enim ante communionem præmittenda sit confessio peccatorum oblitorum, quorum quis recordatur ante communionem, vt indicat Tridentinum *loco citato*, non videtur hic excusandus nisi confessionem omittat ex iusta, & rationabili causa, quæ non videtur adesse in proposito casu, quo quis potest absque nota, & scandalo ad Confessarium accedere.

Hic tamen obiter aliqua sunt aduertenda.

18 *An huiusmodi laicus teneatur recedere, si nõ adsit periculum scãdali.*

18 Primò, quæ diximus militare, quando sequitur scandalum propriè acceptum, non verò si sequatur tantummodò quædam admiratio absque scandalo, & infamiæ periculo, nam præciso scandalo, & infamiæ periculo, vel alia iusta, & rationabili causa, non videtur adesse sufficiens causa communicandi sine confessione. Ita Coninchus *q.* 80. *art.* 4. *n.* 15. Suarez *disp.* 67 *sect.* 7. Reginaldus *loco citato, n.* 105. & alij.

Tunc dicitur sequi scandalum, quando datur occasio detrahendi, vel temerè iudicandi, vel proximum infamandi, &c. non verò quando datur solùm occasio admirationis: & hoc diligenter aduertendum est, cùm aliqui accipiant admirationem pro scandalo.

19 *Quomodo se gerere debent Confessarius erga scrupulosos.*

19 Secundò, communicaturos, quibus solent suboriri scrupuli, admonendos esse cum S. Bonauentura, vt si debitam diligentiam præmiserunt, non ampliùs de propria dispositione, & confessione, sed potiùs de magnitudine tanti Sacramenti cogitent, hoc enim cedit in maiorem Eucharistiæ reuerentiam, & prodest ad effugandos scrupulos.

20 *An Sacerdos teneatur ad altare audire reconciliationem alicuius cõmunicaturi*

20 Tertiò, non expedire, vt Sacerdos ad altare audiat reconciliationem alicuius communicaturi, nam experientia docet, nonnullos casus aliquando euenire, à quibus Confessarius non se potest expedire, nisi cum difficultate, & cum aliqua astantium animi commotione. Ita Henriq. *loco citato*, Suar. *disp* 66 *sect.* 4. *verſ. Sexta causa.* Reginaldus *loco citato. n.* 105. Rodriquez *loco citato.* Graffius 1. *parte lib.* 2. *cap.* 38. *nu.* 27. Bartholomæus ab Angelo *dialog.* 4. § . 194. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *qu* 1. *art.* 4. Nauarr. *c.* 21. *num.* 49. Possevinus *de communione c.* 8. *n.* 1. & alij.

21 *An Sacerdos morti proximus, celebrare possit, aut se communicare si non habeat copiam Cõfessarij.*

21 Quintò sequitur, Sacerdotem morti proximum, non habentem copiam Confessarij, posse celebrare, vel etiam accedere ad Sacrarium, seque communicare præmissa contritione, quamuis nondum confessus sit, habet enim necessitatem communicandi, & non habet copiam Confessarij, vt suppono. Ita Emanuel Sà *verb. Eucharistia, numer.* 31. Toletus *lib.* 6. *c.* 16. Valentia *loco citato*, vbi refert Sotum, Bartholomæus ab Angelo *loco citato* § . 191. & alij *locis citatis.*

22 *An omissa confessione orare possit præmissa contritione, vt communicet infirmus.*

22 Sextò, Parochum non habentem copiam Confessarij posse præmissa contritione celebrare ad communicandum infirmum, nam censetur adesse necessitas proximi, quæ tanquam propria reputatur. Ita Reginaldus *loco citato, n.* 105. Valentia, Suarez, & alij *locis cit.*

Addit Henriquez, Sacerdotem posse in hoc casu secundam Missã celebrare, sed hoc non videtur in vsu, nec videtur ad praxim reducendum, vt infra ostendam.

23 *Parochus an celebrare possit ne Parochiani careant Missa & quid det Capellano.*

23 Septimò, Parochum non habentem copiam Confessarij, posse præmissa contritione celebrare in die festo, ne Parochiani careant Missa, nam videtur adesse necessitas celebrandi ratione necessitatis satisfaciendi proprio officio, quo tenetur curare, vt Parochiani non careant Missa. Ita Nugnus *q.* 80. *art.* 4. *verſ. Ad cognoscendum*, Henriqu. *c.* 47. *nu.* 60. Reginaldus *loco citat. n.* 107. Suar. *loc. cit.* Angles *q.* 2. *art.* 4. *diffic.* 3. Bartholomæus ab Angelo *loc. cit.* § . 192. [Filliucius *n.* 216.] & alij, qui hoc idem extendunt ad eos, qui celebrant ex onere capellaniæ, vel ex indigentia stipis, vel eleemosynæ ad necessariam sui sustentationem, sed hoc cum grano salis intelligendum est, nec huiusmodi Sacerdotibus tanta licentia facilè concedenda est. Ratio est, tum quia onera capellaniæ intelliguntur salua decentia, & honestate, vt infra ostendam, tum quia Sacerdos potest sibi aliunde consulere de necessariis ad sustentationem, & oneri capellaniæ decentiùs potest alio die per se vel per alium satisfacere.

24 *An teneatur cõfessionem præmittere, qui caret copia Confessarij approbati & ratione scãdali vitandi communicare cogitur.*

24 Octauò, eum, qui ratione scandali vitandi, vel alia iusta de causa cogitur communicare, vel celebrare, non teneri confessionem præmittere, si non habeat copiam confessarij approbati, etiamsi habeat copiam alterius confessarij non approbati, vel etiam approbati, sed excommunicati vitandi, censetur enim carere copia Confessarij habentis facultatem absoluendi: non tamen loquor de eo, qui communicaturus est in articulo mortis; constat enim quemlibet sacerdotem posse confessionem existentis in articulo mortis audire, vt patet ex dictis *de censuris*, & ex dicendis *de pœnitentia.* Ita Nugnus *loco citato*, *verſic. Circa primum*, Azorius 1. *part. lib.* 10. *c.* 31. *q.* 2. Reginald. *loco cit. nu.* 108. Bartholomæus ab Angelo *loco citato*, § . 200. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 8. *qu.* 3.] & alij Doctores citati.

25 *An debeat præmittere confessionem qui tenetur in Paschate cõmunicare*

25 Nonò, illum, qui tenetur in Paschate communicare, non posse per se loquendo communicare, non præmissa peccatorum mortaliũ confessione, hic enim non videtur esse in necessitate communicandi, cùm præceptum diuinum præmittendæ confessionis ante sumptionem Eucharistiæ prę ualeat præcepto positiuo Ecclesiastico cõmunicandi in Paschate. Idem dicendum est de eo, qui ratione præcepti Ecclesiastici tenetur in die festo Missam audire, vel celebrare, hic enim, vt satisfaciat præcepto Missæ audiendæ, non potest celebrare, non præmissa confessione, si conscientiam habeat peccati mortalis, non enim dicitur esse in necessitate, cùm præceptum diuinum confessionis præponderet præcepto Ecclesiastico missæ audiẽdæ. Ita Suarez *disp.* 66 *sect.* 4 *sub fin. verſ maior difficultas.* citans Cordubam & alios, Nugnus *loc. cit. verſ. ad cognoscendum.* Pitigian. *dist.* 9. *q.* 1. *art.* 12. Rodriquez *c.* 65. *n.* 1. Angles *loc. cit. propositione* 3. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 8. *q.* 4 *n.* 217.] & alij contra Viualdum *de Eucharistia*, Sotum *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 4. & alios apud Coninch. *qu.* 80. *art.* 4. *dub.* 2. *nu.* 17. & apud Suarez *loc. cit.*

26 *An possit cõmunicare prætermissa confessione, qui ob deuotionem solũ cõmunicat habens peccata mortalia.*

26 Decimò, illum, qui sibi conscius est lethalis culpę, non posse Eucharistiam sumere prætermissa confessione, quoties non tenetur ex diuino, vel naturali præcepto communicare, sed solùm vult communicare ex deuotione, vel propter magnum fructum, quem ex communione percipi cognoscit, vel ob diei solemnitatem, vel in suffragium defunctorum.] Ita Nugnus *loco citato verſ. Deinde notandum*, Henriq. *c.* 47. Reginald. Suarez, [Filliucius,] Bartholom. ab Angelo *loc. cit.* § . 190. & alij *loc. cit.* contra nonnullos alios. Ratio est, quia non præsumitur adesse necessitas communicandi, & præceptũ diuinum præmittendæ confessionis prævalere debet actui, qui non est in præcepto.

27 *An possit ad Eucharistiæ accedere prætermissa confessione, qui caret proprio Sacerdote, quamuis alium approbatum habeat.*

27 Vndecimò, eum non posse ad Eucharistiam accedere sine præmissa confessione, qui non habet copiam proprij Confessarij, sed alterius, cui non consueuit propria peccata confiteri. Hic enim non dicitur esse in necessitate communicandi sine confessione, cùm habeat copiam alterius Confessarij approbati, & hoc verum est, etiam si peccata sua proprio Confessario soleat confiteri cum maiori deuotione, nam maior deuotio non tollit obligationem præcepti. Ita Henriquez *lib* 8. *cap.* 47. Suarez *disp.* 66. *sect.* 4. Coninchus *loc. cit. n.* 18 & 22. Petrus Ledesma *cap.* 11. *verſic.* 4 *pag.* 92. Reginaldus *loc. cit. nu.* 107. & 108. *ad finem*, Valentia *loc. cit. verſic. Non sunt*, Azorius *loc. cit. c.* 30. *q.* 8. Pitigianus *loc. cit.* [Filliucius *num.* 213.] & alij contra nonnullos alios.

28 *An possit communionem sumere sine confessione, qui nõ habet copiã Confessarij approbati, vel timet manifestationem illorum quæ cõfitebitur.*

28 Duodecimò, eum, qui habet necessitatem communicandi, sed non habet copiam Confessarij approbati, aut si habeat copiam Cõfessarij approbati, rationabiliter timet manifestandum peccatum in Confessione expressum, posse licite communicare, non præmissa cõfessione illius peccati, quod rationabiliter timet manifestandum, si illud detegat in Confessione.

Ex quo fit, vt qui habet conscientiam vnius tantum peccati mortalis, quod rationabiliter timet manifestandum à Confessario, si illud ei fateatur, possit non præmissa confessione communicare, si necessitatem habeat communicandi, & non habeat copiam alterius Confessarij: quamquam si habeat alia peccata, quæ non putat esse manifestanda, tenetur illa manifestare, tacito illo, quod rationabiliter timet manifestandum, vt patebit ex dicendis de pœnitentia, de integritate Sacramenti pœnitentiæ. Ita Suarez *disp.* 66 *sect.* 4. *verſic. Tertius casus*, Reginaldus *loc. cit. num.* 108. Coninchus *loc. cit. n.* 19. & 20. Nugnus *loc. cit. difficult.* 2. *verſic. Circa primum.* [Filliucius *nu.* 212.] & alij.

29 *An possit quis eligere Confessariũ non approbatum.*

29 Vltimò, eum, qui habet necessitatem communicandi, sed non habet copiam Confessarij approbati, posse licitè communicare non præmissa confessione. Quamuis habeat copiam Sacerdotis non approbati, vt dictum est *illatione* 8. nisi fortè habeat priuilegiũ eligendi sibi Confessarium non approbatum, tunc enim, cùm possit illum Sacerdotem ex priuilegio eligere, non dicitur esse in necessitate communicandi sine præmissa confessione. Ita Reginald. *nu.* 108. Nugnus *loco citato, diffic.* 2. *ad fin.* [Filliucius *n.* 212. contra nonnullos alios.]

30 *Quanta loci distantia requiratur, vt quis dicatur non habere Cõfessarij copiam*

30 Rogabis, quanta loci distantia requiratur inter pœnitentem, & Confessarium, vt pœnitens dicatur non habere copiam Confessarij, & consequenter possit non præmissa confessione celebrare.

Respondeo, hoc relinqui iudicio prudentis viri, habita ratione circumstantiarum loci, temporis, & personę, nam fieri potest, vt respectu vnius personæ spatium quinque milliarium inducat sufficientem distantiam, propter quam excusetur celebrando sine præmissa Confessione, vt si Parochus in die festo incidat in peccatum matutino tempore, quo debet pœnitentium confessiones excipere, & postea eodem matutino tempore celebrare, aut si non possit ad confessionem accedere absque scandalo, vel infamia. Ita Coninchus *loc. cit. n.* 23. Nugnus *verſ. Circa primum.* Reginald. *n.* 107. Suarez, Henriquez, Rodriquez, & alij *locis citatis.*

31 *An Sacerdos celebraturus carens Confessario cui peccata reseruata manifestet, teneatur cõfiteri peccata non reseruata.*

Quamobrem puto illam distantiam sufficere, qua ob difficultatem itineris, vel breuitatem temporis, vel ob vrgentia negotia, vel ob periculum scandali, vel infamiæ, Sacerdos non potest hic, & nunc Confessarium adire sine magno incommodo.

31 Tertiò Dvbivm est, vtrùm Sacerdos celebraturus ex necessitate, si habeat peccata mortalia non reseruata, & præterea aliqua reseruata,

reseruata, teneatur confiteri [etiamsi confessarius facultatem non habeat absoluendi à reseruatis.]

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, quia cùm habeat copiam Confessarij habentis facultatem absoluendi à non reseruatis, [vt suppono,] non videtur habere iustam causam, qua se eximat à confessione præmittenda, nam potest adimplere præceptum diuinum de confessione præmittenda ante sumptionem Eucharistiæ, cùm ex iusta causa possit directè absolui à peccatis non reseruatis, & indirectè à reseruatis, vt ostendam *de pœnitentia quæstione vltima*. hoc tamen intelligitur, modò Sacerdos ex necessitate celebraturus propositum habeat comparendi coram superiore habente facultatem absoluendi à reseruatis, iuxta ea, quæ tradam *de pœnitentia*. Ita Sotus *qu.17. dist.5. art.5.* Suarez *disp.63. sect.4. casu 4.* Emanuel Sà *verb. Eucharistia 13.* Nugnus *qu.80. art.4. versic. Circa primum.* Reginald. *loco citato n.103.* Coninchus *loco citato n.20.* [Filliucius *tract.4. c.8. q.3. nu.213.*] & alij contra Armillam, *verb. Communio*, & alios apud Coninchum, & apud alios Doctores, quos referam *de pœnitentia*, vbi etiam quæram, vtrùm excommunicatus, possit in proposito casu à peccatis absolui vrgente graui necessitate celebrandi.

Qui verò habet peccatum mortale reseruatum, & aliqua venialia, non tenetur per se loquendo præmittere confessionem venialiũ, quia non est obligatio subiiciendi peccata venialia confessioni, per accidens tamen fieri potest, vt communicaturus teneatur præmittere confessionem venialium, vt si communicaturus putet se non esse contritum, sed solùm attritum, teneatur confiteri venialia, vt hoc pacto saltem indirectè obtineat remissionem peccati mortalis reseruati, & sic fiat capax gratiæ sacramentalis, cùm non possit peccatum mortale reseruatum confiteri Sacerdoti approbato, habenti facultatem reseruatorum, vt suppono. Ita Suarez *disp.66. sect.3.* Coninchus *loco citato num.20. & de pœnitentia disput. 8. dub.13. num.106. ad finem.* Nugnus *loco citato vers. Circa primum.* Reginaldus & alij *loc. cit.*

32 An credens se in statu gratiæ constitutum, recipiat fructum Eucharistiæ

32 Quartò DVBIVM est, vtrùm qui præmisso examine conscientiæ, credit se esse in statu gratiæ, cùm re ipsa peccatum mortale habeat, quod inuincibiliter ignorat, recipiat fructum, & effectum Sacramenti.

RESPONDEO recipere, si actum contritionis, vel saltem attritionis eliciat, nam Sacramentum Eucharistiæ potest aliquando cõferre primam gratiam, quamuis per se, & ex sua institutione primariò fuerit institutum ad conferendam secundam gratiam, modò nõ ponatur obex ad gratiam: qui autem bona fide accedit, credens se esse in gratia, non ponit obicem ad gratiam, elicito contritionis, vel attritionis actu, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere, Ita S. Thom. *3. parte q.79. art.3.* Suarez *disp.63. sect.2. & disp.86. sect.5.* Reginald. *loc. cit. n.109.* Sotus *dist.10. art.4.* Henriquez *lib.8. c.45. n.2.* [Filliucius *c.8. q.5. n.220.*] & alij contra Durãdum, Paludanum, & alios apud præcitatos Doctores.

Ex quo inferunt aliqui Doctores, suscipientem Eucharistiæ Sacramentum teneri elicere aliquem contritionis, vel attritionis actũ ne careat fructu Sacramenti, nam fieri potest, vt sit in peccato mortali, & consequenter non recipiat gratiam, nisi contritionis, vel attritionis actum eliciat, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere.

33 Quot peccata committat communicans non præmissa confessione.

33 Quintò DVBIVM est, vtrùm ille, qui suscipit Eucharistiam nõ præmissa confessione peccati mortalis, committat vnum, vel plura peccata.

RESPONDEO, committere vnum peccatum, si confessio tunc tẽporis obligat solùm per ordinem ad communionem. Ratio est, quia vbi est vnum propter aliud, est vnum tantùm, sed præceptum confessionis in proposito casu est per ordinem ad communionem dignè sumendam; ergo qui tunc omittit confessionem, videtur committere vnum peccatum. Secus dicendum est, si alio titulo teneatur confiteri, tunc enim duplex peccatum committit, vnum omissionis contra præceptum confessionis alterum commissionis per indignam Eucharistiæ sumptionem. Ita Canus *in relectione de pœnitentia parte 4. conclus.4.* quem citat, & sequitur Nugnus *quæst.80. art.4. difficultate 3.* Azor *loco citato, cap.30. quæst.10.* contra Chamerotam *de Eucharistia cap.10. dub.12.* Sotum *in 4. dist.18. quæst.1. art.4. concl.6.*

34 Quot peccata committat excommunicatus communicans.

34 Addo etiam duplex peccatum committi ab excommunicato, qui sumit Eucharistiam non præmissa confessione, sciens se teneri vinculo peccati, & censuræ, facit enim contra religionem, indignè sumendo Eucharistiam. Præterea, facit contra obligationem censuræ, qua excommunicatus repellitur à participatione Sacramentorum, aliorumque communione, & hæ videntur obligationes distinctæ rationis, consequenter vtraque circumstantia exprimenda est in confessione. Ita Suarez *3. p. disp.66. sect.1. concl.1.* idem sentire videtur Nugnus *loco citat.* Henriquez *lib.5. c.7. nu.2.* & alij, quos in simili retuli *de peccatis qu.4. punct.3. sub fin.* [contra Marium Alterium *lib.1. disp.6. c.3. vers. quares.*]

35 Cõtra quod ius peccet accedens ad Eucharistiã cũ peccato.

35 Sextò DVBIVM est, vtrùm accedens ad Eucharistiam, non præmissa confessione peccati mortalis, peccet contra ius diuinum, an solùm contra ius Ecclesiasticum.

RESPONDEO peccare contra præceptum diuinum. Ratio est, quia præceptum præmittendæ confessionis ante sumptionem Eucharistiæ ab eo, qui conscientiam habet peccati mortalis, est diuinum, vt patet ex verbis Apostoli, qui cùm dixisset: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, subiungit: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.* in quibus verbis contineri præceptũ, & probationem ante sumptionem Eucharistiæ faciendam esse per confessionem, tradit Concilium Tridentinum *sess.13. c.7.* Cùm ergo præceptum probationis, seu confessionis quod tradidit Apostolus, acceptum sit à Deo, sequitur, præceptum præmittendæ confessionis ante sumptionem Eucharistiæ, esse diuinum, & consequenter eum, qui ad Eucharistiæ Sacramentum accedit cum lethali culpa, peccare contra diuinum præceptum. Ita Corduba *lib.1. quæsito 16.* Couarruuias *cap. Alma mater. parte 1. §.7.* Coninchus *quæst.80. art.4 num.13.* Nugnus *ibidem difficultate 2. conclus.3.* Sotus *in 4. distinct.15. quæst.1. artic.4.* Reginaldus *lib.29. numer.103.* Valentia *tomo 4. disp.6. quæst.8. punct.3. ad primum.* Suarez *disp.66. sect.3. concl.3.* Azorius *1. parte lib.10. c.31.* & alij quamplures apud Henriquez *lib.8. ca.45 n.3. in commentario littera P, & V*, contra Caietanum *qu.80. art.4.* Medinam *codice de confessione, tract.2, q.7.* Armillam *verb. Communio nu.1.* & alios apud Henriquez, & apud Coninchum *loco citato* existimantes esse præceptum Ecclesiasticum.

36 Cur probatio ante sũptionẽ Eucharistiæ fiat per confessionem.

36 SI QVÆRAS, qua de causa sancitum sit, vt probatio ante sumptionem Eucharistiæ fiat per confessionem.

RESPONDETVR, posse hanc rationem, seu congruentiam assignari: tum quia, cùm hoc Sacramentum sit maximæ dignitatis, & probatio per confessionem sit maior ea quæ fit per solam contritionem, par est, vt præmittatur confessio: tum quia sicut nullus admittitur ad Collegium, nisi constet de aptitudine per rectores, & ministros ipsius Collegij: ita nullus videtur admittendus ad mensam tanti Sacramenti, nisi dignus fuerit admodicatus per ministros Eucharistiæ, id est, per Sacerdotes, præuia confessione, vt argumentatur Nugnus *loco citato ad tertium.*

37 An teneatur quam primùm cõfiteri, qui accessit ad Eucharistiã sine confessione.

37 Septimò, DVBIVM est, vtrùm qui suscipit Eucharistiam non præmissa confessione peccati mortalis, teneatur postea quàm primùm confiteri,

RESPONDEO Sacerdotem, qui vrgente necessitate celebrauit, non præmissa confessione peccati mortalis, teneri quàm primùm confiteri. Ita statuit Trident. *sess.13. ca.7.*

Laicus verò, qui sine præmissa confessione suscipit Eucharistiam non tenetur statim confiteri. Ratio est, quia præceptum positiuum extenditur solùm ad eos, quorum facit mentionem: Tridentinum autem non facit mentionem laicorum, sed Sacerdotis celebrantis in necessitate, sine præmissa confessione. Ita Suarez *disput. 66 sect.7.* Reginaldus *loco citato, n.110.* Coninchus *qu.80. art.4. dub.2. num.24.* Nugnus *ibidem difficultate 4.* Possevinus *de administratione Sacramentorum c.5. n.40.* [Filliucius *tract.4. c.8. q.5. n.222 & seq.*] Naldus *verb. Sacerdos n.5. contra* Nauarrum *c.21. n.10.* Henriq. *c.45. n.4.* & Azorium *1. parte. lib.10 cap.31. quæsito 9.* & alios apud Vasquez *tom.3. disput. 208.*

38 An teneatur quamprimũ confiteri, qui ex sua malitia celebrauit sine confessione.

38 Hinc primò colligitur, Sacerdotem, qui ex sua malitia celebrauit in peccato mortali, non præmissa confessione, non teneri quàm primum post celebrationem confiteri, hic enim non dicitur celebrasse vrgente necessitate, sed ex malitia: Tridentinum autem loquitur de Sacerdote celebrante ex necessitate absque præmissa confessione.

Neque obstat argumentari à minori ad maius hoc pacto: Sacerdos communicans ex necessitate sine malitia, tenetur statim oblata opportunitate confiteri; ergo à fortiori tenetur qui communicauit ex malitia, quia par non est, vt commodum reportet ex suo delicto.

RESPONDETVR enim non valere argumentum à minori ad maius in lege positiua, quam constat non obligare, nisi quatenus in ea exprimitur: in Tridentino autem non exprimitur, Sacerdotem ex malitia celebrantem teneri quàm primùm confiteri; nam Tridentinum facile sibi poterat persuadere, Sacerdotem ex malitia celebrantem non statim expiaturum sua peccata per confessionem, cum temerè ausus sit graue sacrilegiem perpetrare in Eucharistiæ Sacramento suscipiendo. Ita tanquam probabilius docet Suarez *disp.66. sect.7.* Coninchus *loco citat. num.25.* [Filliucius *num 223.*] & alij.

39 An teneatur quamprimùm confiteri, qui post Missam recordatur alicuius peccati, cuius non recordabatur ante celebrationem.

39 Secundò colligitur, Sacerdotem celebrantem cum ignorantia peccati mortalis, cuius ante celebrationẽ, vel in ipsa celebratione non meminit, sed solùm recordatus est post celebrationem, non teneri ex vi præcepti in Tridentino conditi, quàm primùm confiteri. Ratio est, quia Tridentinum præcipit, vt Sacerdos celebrans, vrgente necessitate, sine præmissa confessione, quàm primùm confiteatur: sed Sacerdos non habens, aut ignorans se habere conscientiam peccati mortalis, non dicitur celebrare sine confessione, vrgente necessitate; ergo non tenetur quàm primùm confiteri ex vi præcepti in Tridentino conditi. Secus si recordetur post consecrationem, sed ante sumptionem, aut si illud commisit post consecrationem, sed communicauit præmissa contritione, hic enim afficitur decreto Tridentino, cùm dicatur celebrare vrgente necessitate, sine præmissa confessione. Ita Suarez. Reginaldus, [Filliucius,] & alij *locis citatis.*

40 An quamprimùm cõfiteri teneatur Sacerdos, qui non præmissa confessione more laicorum communionem sumpsit.

40 Tertiò colligitur, Sacerdotem vrgente necessitate, communicantem more laicorum, absque præmissa confessione, nõ teneri post communionem ex decreto Tridentini, statim confiteri. Ratio est, quia Tridentinum loquitur de Sacerdote celebrante. Ita Suarez *sect.7. & 8.* & alij.

41 An Sacerdos qui sine cõfessione celebrauit, teneatur statim iure diuino confiteri.

41 Quartò, Sacerdotem celebrantem sine præmissa confessione præciso Tridentini præcepto, non teneri statim iure diuino confiteri, siue celebrauerit in peccato mortali ex malitia, siue ex inaduertentia, & obliuione peccati, nam præceptum confessionis faciendæ ante communionem est præceptum diuinum affirmatiuum, sed præceptum affirmatiuum non obligat pro semper, sed pro certo tempore, & opportunitate, ita vt transacta ea opportunitate, & occasione non obliget, vt patet à simili de præcepto audiendi Missam, quod transacto die festo non obligat ad Missam sequenti die audiendam; ergo præceptum diuinum confitendi ante communionem non obligat post communionem, sed antè. Quamobrem Sacerdos celebrans in necessitate, sine præmissa peccatorum mortalium confessione, non tenetur præcepto diuino, sed Ecclesiastico quàm primùm confiteri post celebrationem.

42 An danda sit Eucharistia infirmo, dum ignoratur ipsius dispositio.

42 QVÆRES SECVNDO, vtrùm Eucharistia ministranda sit infirmo, de quo non constat, an sit ritè dispositus.

RESPONDEO, ministrandam esse, nam is præsumitur dispositus quem non constat esse in statu peccati mortalis, cùm nullus præsumatur malus, nisi probetur: si vero antea fuit in statu peccati mortalis, necesse est, vt Sacerdos administraturus Eucharistiam, sciat ipsum confessum fuisse, vel signa contritionis exhibuisse post patrata delicta, ne Sacramentum indigno administret, sufficit autem, vt hoc sciat per testem fide dignum, aut aliunde probabiliter credat, ipsum esse ritè dispositum. Ex Syluestro *verb. Eucharistia 3. nu.7.* Paludano *dist.9. q.4.* Suarez *disp.69. sect.2.* Reginaldo *lib.29. num.79.* & aliis,

& aliis, quos suprà retuli *de subiecto Sacramentorum in genere*, alioquin exponeret se periculo administrandi Sacramentum indigno.

PVNCTVM II.

De dispositionibus ex parte corporis requisitis in suscipiente Sacramentum Eucharistiæ.

1 *An requiratur aliqua dispositio ex parte corporis in suscipiente Eucharistiã*

1 IVre communi non requiritur aliqua particularis dispositio ex parte corporis in suscepturo Eucharistiæ Sacramentum, vt ostendit Suarez, [*loc.* statim *citando*;] sed in qualibet regione quilibet curare tenetur, vt ad Eucharistiam accedat eo habitu, & ea corporis dispositione, quam decreta locorum, vel consuetudo postulat & quam tanti Sacramenti dignitas efflagitare videtur, vt cùm debita animi humilitate, decentia, reuerentia, & deuotione suscipiatur, vt bene aduertit idem Suarez. Verùm circa Sacerdotes,

2 *Sacerdotes quomodo teneantur induere stolam dum communicant.*

2 Aduertendum est, eos, quoties communicant, teneri ex præcepto Concilij Braccharensis induere stolam in modum crucis ad pectus sub pœna excommunicationis, *cap. Ecclesiastica, distinct.* 23. sed quamuis ista constitutio videatur obligare sub mortali, cum transgressor puniri præcipiatur pœna excommunicationis, ad quam incurrendam requiritur mortale peccatum, nihilominus re ipsa non obligat ad mortale, quia non videtur vsu recepta cum tanto onere. Ita Suarez *disp.* 68. *sect.* 1. Reginaldus *lib.* 29. *nu.* 112. Azor *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæsito* 12. Pitigianus *dist.* 13. *quæst.* 2. *artic.* 5. *versùs finem*, Graffius 1. *parte lib.* 2. *cap.* 41. *numer.* 3. Naldus *verb. Sacerdos numer.* 6.

His præmissis explicabo solum in hoc puncto, vtrùm ad susceptionem Sacramenti Eucharistiæ necessarium sit ieiunium, & abstinentia à peccatis carnalibus.

PRIMA PROPOSITIO.

3 *An debeat abstinere à communione, qui peccatum carnale commisit.*

3 QVi peccatum carnale commisit, vt fornicationis, vel pollutionis, debet per aliquod temporis spatium, vt per diem, abstinere sub veniali à communione, etiamsi patrati peccati confessionem fecerit, nisi adsit iusta causa communicandi. Ratio est, tum quia qui per aliquod temporis spatium non abstinet à cõmunione post peccatum carnale, videtur aliquam irreuerentiam irrogare Christo, castitatis, & puritatis auctori, qui maximè à peccatis carnalibus abhorret. Tum quia sicut indecens est, vt pollutus accedat ad conuiuium Principis, ita turpiter agit pollutus peccato carnis, si ad tam augustum, & admirabile Sacramentum accedat. Tum quia huiusmodi peccata non mediocriter abstrahere consueuerunt mentem à diuinis, nec permittere solent, vt Eucharistia sumatur cum ea deuotione, cum qua sumenda est. Hac de causa Doctores ferè communiter aduertunt, coniugibus, qui se nocte antecedente carnaliter cognouerunt cum peccato, abstinendum esse sequenti die ab Eucharistia, saltem ex consilio, & deuotione, præsertim, si relictus sit aliquis affectus ad res venereas, & aliqua mentis perturbatio.

Hoc tamen limita, nisi iusta causa suadeat eo die communionem sumere, qualis causa videtur esse festum magnæ solemnitatis, aut dies Iubilei, aut si communio commodè differri nequeat in sequentem diem. Ita S. Thom. *quæst.* 80. *art.* 3. Nugnus *ibidem difficultate* 2. Suarez *disp.* 68. *sect.* 2. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 51. *n.* 3. Reginald *lib.* 29. *n.* 117. Emanuel Sà *verb. Missa numer.* 25. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. *§.* 221. S. Antoninus 3. *part. tit.* 14. *cap.* 6. *num* 10. Sotus *in* 4. *sent. distinct.* 12. *qu.* 1. *art.* 7. [Molesius *tract.* 3. *cap* 8. *numer.* 55. & *seqq.*] & alij.

4 *An peccet communionẽ recipiens post pollutionem sine culpa secutam.*

4 Hactenus locuti sumus de peccato carnali impediente sumptionem Eucharistiæ: modò dubium est, vtrùm ille excusetur ab omni peccato, qui ad communionem accedit post pollutionem, quę ipsi contingit absque culpa saltem mortali.

RESPONDEO excusari, præsertim si pollutio non reliquit aliquem affectum, vel si contigit ex Dæmonis suggestione contra voluntatem illius, qui pollutionem passus est, vt eum auerteret à communione. Ita Henriquez *c.* 51 *ad finem*, Suarez, & alij *loc. cit.* Ratio est, quia par non est, vt sit pœna, vbi non est culpa. Immo Azorius 1. *parte lib.* 10. *cap.* 3. *ad finem*. Lazarius *verb. Pollutio, num.* 6. vbi citat Paludanum, & Syluestrum, Coninchus *q* 80. *art.* 7. *nu.* 42. [Nauarr. *c.* 21. *nu.* 51.] Chamerota *de Eucharistia c.* 10. & alij, quos ipse tacito nomine refert, excusant à peccato, etiam veniali, eum, qui post nocturnam pollutionem contingentem cum peccato, vel sine peccato, vel post quodcumque aliud peccatum, accedit ad celebrandum deleto priùs peccato per confessionem. Ratio est, quia nullus adest textus, vel ratio, inquiunt ipsi, sufficienter probans istum repellendum esse à celebratione, vel communione post confessionem, cùm peccãtum carnis non magis repugnet sumptioni Eucharistiæ, quàm repugnet peccatum, exempli gratia, hæresis, &c.

Quamuis hæc opinio non videatur improbabilis, nihilominus non est recedendum à nostra opinione, quam communiter viri perfectiorem vitæ statum sectantes suadent, quoties non adest iusta causa inducens ad communionem, vel ad celebrationem. Ita Suar. *disp.* 66. *sect.* 8. Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *qu.* 8 *punct.* 3. *ad finem* Reginaldus *loco citato n.* 111. Rodriquez *c.* 65 *de communione n.* 2. Angles *quæstio* 5. *artic* 4. *conc* 5. Graffius 1. *parte lib.* 2. *c.* 30. *num.* 33. Petrus Ledesma *de Eucharistia c.* 13. *versic. Tercera conclus.* [Filliucius *tract.* 4. *c.* 8. *qu.* 8.] & alij, asserentes, vnico die abstinendum esse, saltem ex decentia, ab Eucharistia, quoties pollutio contigit ex propria culpa nisi aliter rationabilis causa suadeat iudicio prudentis Confessarij.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 *An recepturus Eucharistiam debeat esse ieiunus à media nocte.*

5 SVscepturus Eucharistiam, per se loquẽdo, debet à media nocte esse ieiunus, ieiunio non solùm Ecclesiastico, verùm etiam naturali, vt patet ex *cap. liquido de consecratione, distinct.* 2. & ex vsu Ecclesiæ, accepto ab Apostolis, vt multis ostendit Suar. *disp.* 68. *sect.* 2. *conclus.* 1. & 2. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. *§.* 203. & *dialogo* 5. *de Missa §.* 198. Azor. *loco citato cap.* 30. *quæsito* 2. Rodriquez *cap.* 66. *n.* 1. Toletus *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 6. Pitigianus *distinct.* 7. *qu.* 3. *artic.* 2. & 3. Graffius *loco citato num.* 13. S. Antoninus 3. *parte tit.* 13. *cap.* 6. *n.* 8. S. Thom. 3. *parte qu.* 80. *art.* 8. [Molesius *tract.* 3. *numer.* 12. Filliucius *loco citato q.* 9. Chamerota *de Eucharistia c.* 10. *dub.* 9.] & hoc est definitum in Concilio Carthaginensi, & habetur *de consecratio. distinct.* 1. *cap. Sacramenta, & cap. ex parte. de celebratione Missarum.* [Et licet Christus communicauerit Apostolos non ieiunos post esum agni: tamen hoc trahendum non est in exemplum, quia non quidquid Christus fecit, nos etiam facere possumus; & licet olim adesset in Ecclesia consuetudo sumendi Eucharistiam feria quinta diei cœnę fracto ieiunio: tamen illa consuetudo abrogata fuit in Concilio Toletano VII. *cap.* 2.] Pro intelligentia istius propositionis,

bene esse ieiunus à media nocte.

6 *Quotuplex sit ieiunium*

6 Aduertendum est, ieiuniũ esse duplex, Ecclesiasticum scilicet, & naturale, Ecclesiasticum est illud, quo præcipitur vnica comestio in die, quo pacto dicitur ieiunus, qui in die ieiunij non comedit nisi vna vice; ieiunium verò naturale importat abstinentiam à qualibet re, etiam modica, comestibili per modum cibi, aut potus, vt habetur *cap. nihil. §. nullus 7. qu.* 1. in Concilio II. Braccharensi, *canone* 10. quamobrem Sacerdos, qui in celebratione primæ Missæ in die Natiuitatis Domini sumpsit ablutionem, aut lambendo digitos aliquid aquæ, aut vini transmisit ad stomachum, non potest illa die aliam Missam celebrare, cùm dicatur ieiunium naturale perfregisse.

Dixi *per modum cibi, aut potus*; nam si quis non per modum potus, sed potiùs per modum saliuæ aliquid traiiciat, vt si os abluendo parum aquæ, aut vini, præter intentionem, transmittat ad stomachum per modum saliuę, aut etiam casu, & præter intentionem traiiciat reliquias cibi: quæ heiterno die dentibus adhæserunt, aut deglutiat sanguinem ex gingiua, vel ex capite in os descendentem, aut aliquas pluuiæ guttas inaduertenter recipiat in stomachum, aut per modum respirationis attrahat parum terræ, aut hulueris, &c. aut muscam volantem in os apertum, aut cùm iusculum deguſtando aliquid contra voluntatem deglutit, non dicitur frangere ieiunium naturale, quia nihil sumit per modum cibi: tunc autem dicitur aliquid sumi per modum cibi, vel potus, quando ore accipitur ab extrinseco, & propria actione vitali, transmittitur ad stomachum edendo, aut bibendo. [etiamsi cibus sit paruæ quantitatis; consequenter qui suscepta parua cibi quantitate communicat, grauiter peccat, quia dicitur communicare post cibum, & violare præcepti substantiam. Neque obstat paruitatem materiæ excusare à mortali. Respondetur enim in hoc casu non adesse paruitatem materiæ respectu rei præceptæ, quia in hoc casu non præcipitur ieiunium, sed prohibetur communio post cibum: qui autem communicat fracto ieiunio, dicitur communicare post cibum consequenter facit contra prohibitionem Ecclesiæ in materia graui, etiamsi materia, per quam fractum fuit ieiunium, esset leuis.] Ita Coninchus *quæst.* 80. *artic.* 8. *numer.* 46. Suarez *disp.* 68. *sect.* 4. Angles *quæst.* 2. *art.* 6. *difficultate* 4. *conclus.* 1. & 2. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. *§.* 125. S. Thom. 3. *part. q.* 8. *artic.* 8. Syluest. *Eucharistia* 3. *num.* 8. Sotus *in* 4. *sent. dist.* 12. *quæst.* 1. *artic.* 8. Nauarrus *cap.* 25 *num.* 53. Chamerota *loco citato*, Reginaldus [Filliucius *tract.* 4. *c.* 8. *q.* 10.] & alij *locis citatis*.

7 *An frangat ieiuniũ, qui post mediã noctem deglutit aliquid, quod vespertino tempore ore sumpsit.*

7 Hinc sequitur primò, eum, qui transacta media nocte deglutit aliquid sacchari, quod vesperi ore acceperat, frangere ieiunium, nam videtur illud sumere per modum cibi, cùm illud vitali actione transmittat ad stomachum, edendo, consequenter grauiter peccat, si sequenti mane ad Eucharistiam accedat, vt bene ait Suarez, [& Filliucius *locis citatis*.] Rodriquez *cap* 66. *n.* 3. & alij *locis citatis*.

Ex quo patet eos, qui vesperi ad vitandam faucium raucedinem aliquid ori imposuerunt, non posse sequenti die communicare, nisi moraliter certi sint se nihil transacta media nocte deglutiuisse. Ita Coninch. *loco citato n.* 48. [Suarez, & Filliucius *locis citatis*,] & alij.

8 *An frangat ieiuniũ, què medicinam ore sumit.*

8 Secundò sequitur, eum frangere ieiunium naturale, qui medicinam ore sumit, nam vitali actione illam traiicit ad stomachum bibendo, vel edendo, consequenter non potest eo die Eucharistiam sumere. Ita Doctores citati.

9 *An frangat ieiunium, qui dẽtibus aromata terit.*

9 Tertiò, eum non frangere ieiunium, qui aromata ori imponit, eaque dentibus terit ante sumptionem Eucharistiæ causa vitandi noxij aeris, modo nihil glutiat. Ita Coninch. *loco citato nu.* 48. & alij. Secus dicendum est, si aliquid aromatum, aut etiam sacchari statim, aut paulatim deglutiat, videtur enim sumere per modum cibi, cùm vitali actione transmittat ad stomachum edendo.

10 *An frangat ieiuniũ, qui traiicit papyrum.*

10 Quartò, eum frangere ieiunium, qui traiicit papyrum, consequenter non posse eo die communicare, quamuis illam postea euomat: non enim cessat ratio cibi, & potus, quamuis emittatur. Hoc tamen videtur intelligendum, si traiiciat papyrum edendo. Ita Suarez *disp.* 66. *sect.* 4 Tabiena *verb. Missa, num.* 44. & 45. Henriquez *c.* 49. & 50. *num.* 4. Azorius *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 30. *quæsito* 2. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 118. & 119. Coninchus *loco citato art.* 8. Nugnus *ibidem*, & alij.

11 *An susceptur us Eucharistiam debeat digessisse cibũ aut dormiuisse.*

11 QVÆRES PRIMO, vtrùm necesse sit, vt qui susceppturus est Eucharistiam, digesserit cibum, aut post cœnam dormierit.

RESPONDEO negatiuè cum S. Thom. *quæst.* 70. *artic.* 8. *ad quintum*. Nauarro *cap.* 21. *n.* 53. Reginaldo *loco citato num.* 119. Suarez *disput.* 68. *sect.* 4. *versic. Sed quid.* Soto *dist.* 12. *quæst.* 1. *artic.* 8. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 49. Rodriquez *loco citato* Graffio 1 *parte lib* 2. *c.* 44. *numer.* 1. Bartholomæo ab Angelo *loco citato. §.* 218, [Filliucio *num.* 237.] & alijs communiter, Ratio est, tum quia hoc nullo iure cautum est, tum quia aliquis potest dici ieiunus à media nocte, quamuis cibum nõ digesserit.

Ex quo sequitur, Sacerdotem, qui in Vigilia Natiuitatis Domini pransus est, vel ientaculum sumpsit prope mediam noctem, posse post mediam noctem celebrare, quamuis non dormierit, & cibum non

non dige ſerit, nam dicitur ieiunus à media nocte. Ita Rodriquez *c.* 246. *de Miſſa, n.* 11.

12 *An Sacerdos habens palato affixas reliquias hoſtiæ poſſit ſecũdam ablutionem ſumere.*

12 QVÆRES SECVNDO, vtrùm Sacerdos, qui poſt ſumptam ablutionem habet reliquias hoſtiæ palato affixas, poſſit nouam ablutionem ſumere, vt huiuſmodi reliquias traiiciat.

RESPONDEO affirmatiuè cum Syluestro *verb. Eucharistia 3. num.* 8. Nauarro *c.* 25. *num.* 89. Angelo *verb. Missa* 1. *n.* 47. Valentia *tomo* 4. *disp. 6. qu.* 8. *puncto* 3. *versic. Tertiò etiam*, Coninchо *loc. cit. nu.* 63. 67. & 69. Nugno *ibid.* Henriquez *c.* 49. *littera F.* Reginaldo *lib.* 29. *n.* 123. Emanuele Sà *verb. Missa, nu.* 36. Azor *loco citato, c.* 30. *quæsito* 4. qui pro ſe citat Caietanum, & alios, Graffio 1. *part. lib.* 2. *c.* 44. *n.* 1. Bartholomæo ab Angelo *dialog.* 4. *§* .217 *&* *dialog.* 5. *§* .597, & 598. Syluestro *Eucharistia* 3. *n.* 8. *&* *Eucharistia* 2. *n.* 13. Chamerota *de Eucharistia, ca.* 10 *dub.* 9. *&* *c.* 9. *dub.* 7. [Filliucio *n.* 239.] & aliis. Ratio eſt, quia magis decet reliquias traiicere per nouas, & iteratas ablutiones, quam digitum in os apponere. Idem dicendum eſt, ſi particula aliqua adhæſit calici, vt inquiunt DD. citati.

Neque obſtat dicere, iſtum non eſſe ieiunum ob præcedentem ablutionem, nam reputatur vnica actio, quam Sacerdos ieiunus inchoauit.

13 *An poſſit reliquias hoſtiæ ſumere in patena repertas poſt ablutionem.*

13 Addo, eum, qui poſt ſumptam ablutionem, aut poſt dictas orationes aliquam hoſtiæ particulam reperit in patena, poſſe eam ſtatim ſumere, quia tota illa actio reputatur vnus actus, vna perfecta ſacrificij conſumptio, vnum conuiuium, & ita vſu receptum eſt, etiam apud viros timoratæ conſcientiæ, quod etiam procedit, non ſolùm ſi particula hoſtiæ ſit parua, & exigua, verùm etiam, ſi grandiuſcula ſit, & ab eodem Sacerdote conſecrata, & oblata in illa Miſſa: cùm enim ſit pars illius ſacrificij, ad illius conſumptionem pertinet. Ita Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 6. Coninchus *loc. cit. qu.* 65. Nugnus *loco cit.* Henriquez *c.* 50. Angles *q.* 2. *art.* 6. *diffic.* 2. Graffius 1 *part. lib.* 2. *c.* 44 *n.* 7. Bartholomæus ab Angelo *loco cit. §* .217. *&* *de Miſſa dialog* 5. *§* 597. *&* 598. Chamerota *de Eucharistia, c.* 9. *dub.* 7. Azorius *loco citato q* 5. Reginaldus *n.* 123. Rodriquez *cap.* 66 *de communione, num.* 2. [Filliucius *nu.* 239.] & alij. Secus dicendum eſt, quando magna interceſſit mora inter ſumptionem ablutionis, & ſumptionem huiuſmodi reliquiarum, vt accidit quando Sacerdos iam receſſit ab altari, tunc enim non poteſt reliquias ſumere, cùm non ſit ieiunus, & nõ reputetur vnica actio.

14 *An poſſit purificare vaſa, & reliquias ſumere poſtquam diu ſe detinuit in communicãdis alijs*

14 Sed modò DVBIVM eſt, vtrùm Sacerdos, qui ſtatim poſt Miſſæ ſacrificium multo tempore ſe detinuit in diſpenſanda Euchariſtia, & communicandis aliis, poſſit vaſa purificare, & reliquias ſumere.

RESPONDEO affirmatiuè, ſi reliquiæ fuerunt conſecratæ in eo ſacrificio, nam cenſetur vna actio moralis. Ita Henriquez *lib.* 9. *cap.* 30. *num* 3. *ad finem.* Poſſeuinus *de communione, cap.* 8. *n.* 40. *verſ poſſunt autem*, Chamerota *loco cit.* Suarez, [Filliucius,] & alij *loc. cit.* Si verò ab alio fuerunt conſecratæ, melius eſt eas, niſi ſumantur ante purificationem, aſſeruare, modò ſeruari poſſint ſine maiore irreuerentia, quàm ſit ea, quę committitur in aſſumendis huiuſmodi reliquiis poſt purificationem, nam ieiunium ab Eccleſia præſcribitur in reuerentiam Euchariſtiæ, quod autem præſcriptum eſt in reuerentiã Euchariſtiæ, non debet in ipſius irreuerentiam vſurpari. Ita Suarez, & Reginaldus *loc. cit.*

15 *An huiuſmodi reliquiæ laicis dari poſſint.*

15 Rurſus DVBIVM eſt, vtrùm huiuſmodi reliquiæ dari poſſint laicis.

RESPONDEO, non poſſe dari laicis non ſolùm ante, verùm neque poſt purificationem, niſi prius moraliter dentur cum priori hoſtiola, nam ipſius actio cenſetur omnino conſummata in prima ſumptione. Ita Suarez *loc. cit.* Reginaldus *loc. cit. nu.* 123. Coninch. *loc. cit. n.* 70. Nugnus *loc. cit. ad ſecundum*, Filliucius *tract.* 4. *c.* 8. *num.* 241.] Azor. *loc. cit. c.* 30. *quæſito* 5.

16 *Quid faciendum, quando Sacerdos reperit aliquas particulas hoſtiæ, quas dubitat eſſe conſecratas.*

16 Tertiò DVBIVM eſt, quid faciendum ſit, quando Sacerdos reperit aliquas particulas hoſtiæ, quas dubitat eſſe conſecratas.

RESPONDEO poſſe illas ſumere poſt ſumptionem Euchariſtiæ, & ſanguinis, vel etiam poſt ablutionem, nam hæc reputatur vna actio, quæ fuit inchoata cum ieiunio. Ita Nauarrus *c.* 25 *n* 89 Syluester *verb. Miſſa* 1. *n.* 3. Henriquez *de Miſſa, c.* 39. *n.* 3. Bartholomæus ab Angelo *dialog.* 5. *§* .692. & alij.

17 *An liceat aliquando ſumere Euchariſtiam fracto ieiunio.*

17 QVÆRES TERTIO, vtrùm liceat aliquando ſumere Euchariſtiam fracto ieiunio.

RESPONDEO licere. Primò, quando ita poſtulat reuerentia Sacramenti. Secundò, quando ita fert neceſſitas hominis, aut grauioris præcepti, nam præceptum ieiunij Eccleſiaſticum non adeò ſtrictè obligat, vt etiam obliget, quando aliter poſtulat reuerentia Sacramenti, vel neceſſitas hominis, aut grauioris præcepti.

18 *An poſſit eã ſumere Sacerdos non ieiunus, ſi præuideat fore, vt Euchariſtia ad manus infidelium perueniat.*

18 Hinc ſequitur primò, Sacerdotem non ieiunum poſſe ſumere Euchariſtiam, ſi aduertat fore, vt alioquin Euchariſtia perueniat ad manus infidelium, qui eam iniuriosè tractabunt, aut ſi alia ſimilis cauſa ſuperueniat, nam ab Eccleſia præſcriptum eſt, vt ieiunus ſumat Euchariſtiam ob reuerentiam tanti Sacramenti, maior autem reuerentia exhibetur Sacramento ſi Sacerdos non ieiunus Euchariſtiam ſumat ad vitandam prædictam irreuerentiam. Ita Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 6. *ad finem.* Henriquez *lib.* 8. *c.* 50. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 122. Rodriquez *c.* 66. *n.* 1. Angles *quæſt.* 2. *art.* 6. *diffic.* 2. Poſſeuinus *de communione ſanorum. c.* 8. *n.* 12. Azor. 1. *parte lib.* 10 *c.* 33. *quæſito* 7. Coninchus *q.* 80. *art.* 8. *n.* 21. [Filliucius *qu.* 11. *num.* 241.] & alij communiter.

19 *An qui aquam loco vini conſecrauit, & ſumpſit, teneatur de nouo vinum conſecrare.*

19 Secundò ſequitur, Sacerdotem, qui loco vini conſecrauit aquã non aduertens adhuc errorem, niſi poſt aquæ ſumptionem, debere de nouo vinum conſecrare, quamuis fregerit ieiunium per ſumptionem aquæ, nam conſecratio vini ſpectat ad integritatem ſacrificij, quam conſtat eſſe de iure diuino, quod præponderat præcepto Eccleſiaſtico de ſumenda Euchariſtia cum ieiunio, ob id etiam, qui poſt conſecrationem aduertit ſe non eſſe ieiunum, aut ſumpto iam cibo conſecrauit, tenetur ſacrificium perficere, quia arctius eſt vinculum, & maior obligatio perficiendi ſacrificij iam inchoati, quàm ſumendi Euchariſtiam cum ieiunio, vt bene tradit Azorius 1 *part. lib.* 16. *cap.* 33. *qu.* 3. Henriquez *cap.* 50. Chamerota *loco citato*, Rodriquez *in ſumma cap* 66. *de communione n.* 1. Reginaldus *loco citato n.* 122. & alij communiter.

20 *An Sacerdos non ieiunus ſi non adſit alius, debeat perficere Sacramẽtum inchoatum ab alio qui poſt conſecrationem moritur.*

20 Ob eandem rationem, ſi Sacerdos peracta conſecratione pereat, nec adſit alius præter Sacerdotem non ieiunum, tenetur Sacerdos non ieiunus perficere ſacrificium, iuxta Nauarrum *cap.* 25. *num.* 86. & alios apud Henriquez *cap.* 50. *in Commentario littera O.* contra ipſum Henriquez *cap.* 3. *de Euchariſtia*, & contra Azorium *lib.* 10. *cap.* 33. *quæſt.* 2. Ratio eſt, quia præceptum perficiendi ſacrificium eſt ſtrictius præcepto ſumendæ Euchariſtiæ cum ieiunio.

Si verò Sacerdos pereat ante conſecrationem, nullus tenetur Miſſam perficere, quia ſacrificium non relinquitur imperfectum. Idem dicendum eſt, ſi Sacerdos pereat poſt ſumptionem vtriuſque ſpeciei, nihil enim ab alio ſupplendum eſt, cùm ſacrificium ſit integrum. Idem dicendum eſt de Epiſcopo celebrante Miſſam ritu Pontificali, nam ſi pereat ſumpta vtraque ſpecie, nihil ſupplendum eſt. Si verò pereat poſt conſecrationem, ſumpta vna tantùm ſpecie, poteſt Sacerdos ſimplex, ſi non adſit alius Epiſcopus peragere, & perficere ea, quę pertinent ad integritatem ſacrificij, omiſſis Pontificalibus, quę non pertinent ad ſubſtantiam ſacrificij. Ita Henriquez *loco citato n.* 3. Tabiena *verb. Miſſa num.* 30. Bartholomæus ab Angelo *de Miſſa §* .514. Armilla *verb. Miſſa*, *numer.* 11. & alij.

21 *An dari poſſit Euchariſtia infirmo non ieiuno.*

21 Tertiò ſequitur, Euchariſtiam ratione neceſſitatis adminiſtrari poſſe per modum viatici infirmo exiſtenti in articulo mortis quando non poteſt commodè expectari tempus, quo Euchariſtia adminiſtretur infirmo ieiuno. Ratio eſt, tum quia adeſt neceſſitas tam infirmi indigentis auxilio Euchariſtiæ, quàm adimplêdi præcepti diuini, quod ſi vnquam obligat, maximè obligat in mortis articulo. Tum quia hoc priuilegium eſt conceſſum infirmo, *c. liquido, c. Sacramenta, de conſecratione diſtinct.* 2. nec oportet ſcrupuloſum eſſe in hoc Sacramento adminiſtrando infirmo non ieiuno, vt patet ex allatis rationibus. Ita Petrus Ledeſma *de Sacramento Euchariſtiæ, c.* 13 *pag.* 88. [Nauarr. *c.* 25. *n.* 83. Filliucius *tract.* 4. *c.* 8. *qu.* 11. *n.* 238.] & alij ſtatim citandi.

22 *An poſſit dari homini non ieiuno in caſu mortis violentæ.*

22 Addo cum Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 5. Reginaldo *loco citato, num.* 120. Rodriquez *loco citato* Bartholom. ab Angelo *dialogo* 4. *§* . 53. *&* 55. Henriquez *loco citato littera E.* Coninchо *loco citato, num.* 50. & aliis poſſe adminiſtrari Sacramentum Euchariſtiæ homini non ieiuno, non ſolùm in caſu mortis naturalis, verùm etiam in caſu mortis violentæ, ſi communio commodè nequeat anticipari vel differri, vt ſi aliquis damnatus ſit ad mortem, illique Princeps iubeat mortem eo die inferri abſque dilatione. Ratio eſt, quia hic dicitur exiſtere in articulo mortis, & ſicut poteſt in tali euentu abſolui à reſeruatis ita etiam admitti poteſt ad Euchariſtiam, & ita aliquando factum fuiſſe præmiſſo ſapientum conſilio, referunt auctores. Addit Coninchus *loco citato, nu.* 51. & alij, eum, qui aduertit ſe eo die plectendum capite, teneri ieiunare, donec ſumpſerit Euchariſtiam, modò ieiunare poſſit abſque notabili incommodo: ſicut etiam ægrotus, ſi commodè poteſt, tenetur ieiunus Euchariſtiam ſumere; cauere tamen debet, ne ob fractum ieiunium differat ſumptionem Euchariſtiæ in ſequentem diem cũ periculo decedendi ſine Euchariſtia, vel eam ſumendi, dum fuerit ſonſibus deſtitutus; nam præceptum communicandi cum ieiunio non obligat ita ſtrictè, & cum tanto periculo. Ob id etiam infirmus, vt ieiunus communicet, non tenetur differre ſumptionem medicinæ, vel cibi cum graui incommodo. Præterea non tenetur curare, vt Euchariſtia nocte ad ſe deferatur, vt eam ſumat cum ieiunio. Ratio eſt, quia hoc fieri non ſolet ſine magno incommodo, nec vſu receptum eſt, vt Euchariſtia, quæ magno cum honore deferenda eſt, deferatur intempeſta hora, ita Coninchus *loco citato*, Suarez *diſp.* 68 *ſect.* 5. *in principio.* Toletus *lib.* 2. *cap.* 28 *nu* 6. [Filliucius *tract.* 4. *c.* 8. *q.* 11. *n.* 138.] & alij.

23 *An infirmus non ieiunus iterum poſſit ad Euchariſtiam admitti.*

23 ROGABIS primò, vtrùm infirmus, qui ſemel non ieiunus communicauit per modum viatici, poſſit iterum ad communionem admitti, ſine ieiunio, aut cum ieiunio.

RESPONDEO, poſſe iterum ieiunum admitti, & de hoc nulla eſt difficultas, cùm nulla ſufficienti ratione probari poſſit, infirmum ieiunum, & ſufficienter diſpoſitum priuandum eſſe tanto Sacramento.

Sed DIFFICVLTAS eſt, vtrùm poſſit iterum non ieiunus admitti. Ad quam difficultatem reſpondetur: infirmum, qui ſex, vel octo dies antea communicauit per modum viatici, poſſe iterum non ieiunum communicare iuxta probabiliorem Doctorum ſententiam. Ratio eſt, tum quia Concilium Conſtantienſe conceſſit, vt infirmus non ieiunus communicet, & cùm non reſtrinxerit conceſſionem ad vnam vicem, non videtur negandum, quin infirmus poſſit iterum non ieiunus ad Euchariſtiam admitti. Tum quia non eſt credibile, piam matrem Eccleſiam velle infirmum priuare tot commodis, & fructibus, quibus indiget infirmus in ſtatu mortis conſtitutus, conſequenter concedendum videtur, infirmum, qui ſex, vel octo dies antea communicauit per modum viatici, poſſe iterum ad communionem admitti per modum viatici, ſi commodè nequeat ieiunus communicare. Ita Tabiena *verb. communicare n.* 54. Suarez *diſp.* 68 *ſect.* 5. *verſic. Duo verò.* Emanuel Sà *verb. Euchariſtia, n.* 5. Henriquez *lib.* 8. *c.* 4. *num.* 1. *&* *cap.* 50. *num.* 1. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 120. Coninchus *quæſt.* 80. *art.* 8. *numer.* 53. Nugnus *ibid. verſic. Circa ſecundam*, Armilla, [Filliucius *n.* 238.] & alij contra Medinam, & alios apud præcitatos Doctores. Non tamen licet quotidie infirmum non ieiunum cõmunicare propter reuerentiam Euchariſtię Sacramento debitam, vt obſeruant Henriquez, & Suarez *locis citatis* Graffius 1. *part. lib.* 2. *cap.* 44. *numer.* 6. Bartholomęus ab Angelo *dialogo* 4. *§* .84. Poſſeuinus *de Communione infirmorum, c.* 8, *n.* 20.

24 *An Sacerdos non ieiunus conſecrare poſſit ad communicandum infirmum.*

24 ROGABIS ſecundò, vtrùm Sacerdos non ieiunus poſſit conſecrare ad communicandum infirmum, ſi careat hoſtiis conſecratis.

RESPONDEO negatiuè, vt patet ex ſupradictis *de materia Euchariſtiæ*, & ita nobiſcum ſentit Nauarrus *c.* 21. *n.* 53. Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 1. *verſic. Secundum dubium.* Azor *loco citato c.* 30. *q.* 2. S. Ant. 3. *p. tit.* 13. *c.* 6. *num.* 8. Paludanus *in* 4. *ſent. diſt.* 8. *q.* 2. Sotus *diſt.* 12. *q.* 1. *art.* 8. Syluester *verb. Euchariſtia* 3. *n.* 6. *&* 8. Bartholomęus ab Angelo *loco cit. §* .208.

§.208. Posseuinus *loco citato, numer.* 25. Chamerota *de Eucharistia, cap.* 9. *dub.* 7. Valentia *tom.*4. *disp.*6. *qu.*8. *punct.*3. Coninchus *loco citato num.*56. Nugnus *ibid. ad finem.* Victoria *de Sacramentis, numer.*83. Henriquez *lib.*8. *c.*4. *initio, & cap* 46. *num.*1. [Filliucius *numer.*242.] Azorius 1. *p. lib.*10. *c.*30. *quæst.*2. *ad finem.* Reginaldus *lib.*29. *num.*121. Paludanus, Sotus, & alij apud præcitatos Doctores contra Maiorem *in* 4 *dist.*9. *qu.*3. cuius sententiam in hoc casu putant probabilem Suarez, [& Filliucius *locis citatis.*] Ratio est, tum quia hoc præceptum non minus obligat, quàm obliget præceptum conficiendi in azymis, aut seruandi debitum ritum, & adhibendi vestes ab Ecclesia præscriptas; sicut autem non licet celebrare in fermentato, aut sine vestibus, & debito ritu ad communicandum infirmum: ita neque licet Sacerdoti non ieiuno celebrare ad communicandum infirmum: tum quia hoc Sacramentum, sicut est maioris dignitatis ita est minoris necessitatis. Tum quia non est vsu receptum, vt Sacerdos non ieiunus celebret ad communicandum infirmum, sed potiùs in contrarium est consuetudo Ecclesiæ.

Obicies primò, præceptum ieiunij est de iure Ecclesiastico: præceptum verò communicandi in articulo mortis est de iure diuino, sed præceptum diuinum præponderat Ecclesiastico: ergo Sacerdos tenetur celebrare, vt infirmus adimpleat præceptum diuinum.

Respondet Nugnus, præceptum diuinum præponderare Ecclesiastico, quando vtrumque præceptum concurrit in eandem personam. Verùm hæc ratio mihi non probatur, alioquin sequeretur, Sacerdotem infirmitate laborantem posse fracto ieiunio celebrare ad communicandum se ipsum, cùm in ipsum vtrumque præceptum cadat.

Respondeo igitur, præceptum diuinum præponderare Ecclesiastico cæteris paribus, quandiu præsumitur præceptum diuinum obligare: in proposito autem casu non præsumitur obligare, tum ob reuerentiam tanto Sacramento debitam, tum ob alia incommoda, quæ facilè possent suboriri, quare ad argumentum neganda est consequentia, nam Sacerdos tenetur ex præcepto Ecclesiæ ieiunus celebrare, & ab hoc præcepto non eximitur ob necessitatem infirmi superuenientem, alioquin non consuleretur reuerentiæ tanto Sacramento debitæ, & ab Ecclesia intentæ, nec vitarentur magna incommoda, & inconuenientia, quæ aliquando suboriri possent, nam Sacerdos aliquando cogeretur è mensa surgere, & statim accedere ad celebrandum adhuc eructans crapulam, quod non decet: infirmus verò in tali euentu excusatur, quia per ipsum non stat, ne communionem sumat. Ita Coninchus *loco citato, nu.* 57. Suarez *loco citat. vers. Secundum dubium.*] Filliucius *tract.*4. *c.*8. *qu.*12. *num.*243.] & alij *loc. cit.*

Obicies secundò, licet infirmo non ieiuno communicare; ergo etiam licet Sacerdoti non ieiuno celebrare ad communicandum infirmum.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia infirmo non ieiuno licet communicare propter obligationem iuris diuini, & ob priuilegium ab Ecclesia concessum, & ob praxim communiter receptam: Sacerdos tamen caueat, ne Sacramentum Eucharistiæ administret moribundo, quando moraliter timet, ne infirmus eam per vomitum, vel expuitionem eiiciat, tenetur enim cuitare indecentiam, & irreuentiam tanti Sacramenti. Ita DD. citati.

[Obicies tertiò, Sacerdos habens conscientiam peccati mortalis, potest absque præuia confessione, dum non habet copiam Sacerdotis, celebrare ad communicandum infirmum, ergo etiam potest celebrare non ieiunus.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia confessio suppletur per contritionem, non autem ieiunium.]

25 *An peccent comedentes statim post Eucharistiæ sumptionem*

25 QVÆRES QVARTO, vtrùm Sacerdos, aut alius, qui Sacramẽtum Eucharistię susceperit, peccet comedendo statim sumpto Eucharistiæ Sacramento.

Respondeo per se loquendo non peccare, nam Ecclesia requirit solummodò ieiunium ante sumptionem Eucharistiæ, non verò post communionem, tamen ob maiorem Sacramenti reuerentiam communiter expedit post communionem aliquantulum abstinere à communi cibo, & potu, vt patet ex supradictis, dum quærerem, quandonam corpus Christi desinat esse sub speciebus. Ita S. Th. *q.*8. *art.*8. Angles *quæst.*2. *artic.*6. *difficultate* 4. *conc. vnica.* Graffius 1. *part. lib.*2. *cap.*44. *num.*8. Coninchus, & Nugnus *ibidem.* Reginaldus *loco citato,* Suarez *disp.*68. *sect.*4. *ad finem.* Sotus, Henriquez, Azor *loco cit. c.*30. *quæsito* 2. & alij, quos suprà retuli *de desitione corporis Christi sub speciebus.*

QVÆSTIO VII.

De obligatione sumendi Eucharistiam.

CVm fideles teneantur communicare, non solùm Ecclesiastico, verùm etiam diuino iure, vt patet ex illis verbis *Lucæ* 22. quibus Christus post institutionem Sacramenti dixit, *Hoc facite in meam commemorationem,* & ex illis Ioannis 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis.* &c. vt benè eum locum intelligunt Patres apud Valentiam *tom.*4. *disp.*6. *qu.*8. *punct.*5. § 4. apud Suarez *disp.*69. *sect.*1. apud Reginaldum *lib.*29. *nu* 57. apud Coninchum *qu.*80. *art.*11. apud Angles *q.*2. *art.*9. *concl.*1. & apud Bartholomæum ab Angelo *dialog.*4. § .37. [contra Caietanum 3. *p. qu.*80. *art.* 11. Sylueſtrum *Eucharistia* 3. *initio, & alios.*] Agendum hic nobis est quandonam ius diuinum obliget ad communionem, & quando obliget præceptum Ecclesiasticum.

PVN-

PVNCTVM I.

Quandonam fideles obligentur ad Communionem ex præcepto diuino.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Quandonã teneamur ex præcepto diuino Eucharistiam sumere.*

1 PRæceptum diuinum sumendæ communionis per se loquendo obligat sub mortali in articulo mortis naturalis, aut violentæ. Ita Valentia *loco citato, punct.*4. Suarez *loco citato sect.* 3. Sotus *dist.*11. *sect.*1. *art.*11. Henriquez *lib.*8. *cap.*4. *de Eucharistia.* Vasquez 3. *part. disp.*213. *c.*2. Reginaldus *loco citato. n.*64. Coninchus *loco citato, dub* 3. *n.*94. Nugnus *ibid. conclusione* 3. [Filliucius *tract.*4. *c.*2. *q.*6. *num.* 47.] & alij contra Caietan. *verbo Communio, vers. Vtrùm autem.* Victoriam *de Eucharistia. n.*86. Rodriquez *in summa c.*64. *de communione, n.*3. Graffium 1. *part. lib.*2. *c.*38. *nu.*23. Chamerotam *de Eucharistia c.*10. *dub.*1. & alios asserentes obligare tantùm sub veniali, eo quod putent præceptum communicandi non esse diuinum, sed Ecclesiasticum.

Sed ratio nostra est, tum quia, qui non communicat in articulo mortis, videtur occasionem magni scandali præbere: ergo sequitur extare obligationem communicandi in articulo mortis, alioquin nulla scandali occasio præberetur: tum quia non ieiunus potest in articulo mortis communicare, quamuis extet præceptum Ecclesiasticum communicandi cum ieiunio; ergo signum est præceptum communicandi in articulo mortis esse præceptum diuinum, cui cedit Ecclesiasticum: tum quia, si præceptum communionis obligat, maximè obligat pro eo tempore, quo illius adimpletio necessaria est ad consequendum finem, propter quem fuit institutum: hæc autem necessitas respectu Eucharistiæ reperitur maxime in articulo mortis ad corroborationem virium spiritualium, & ad perseuerandum in gratia, qui est finis, & effectus huius Sacramenti: tum quia hoc videtur colligi ex Tridentino *sess.*13 *c.*6. vbi habetur antiquissimum esse morem communicandi in articulo mortis, cùm autem talis consuetudinis, & mortis principium ignoretur, coniicere possumus, eam consuetudinem vsque ab Apostolis originem traxisse, & cùm semper perseuerauerit in Ecclesia, existimare possumus hanc consuetudinem fundatam esse in præcepto diuino obligante in articulo mortis ad communionem, vt per illam homo se præparet ad transitum ex hac vita: tum quia hæc est communior Doctorum sententia, à qua non videtur recedendum absque solido, & firmo fundamento. Immo quamuis alicui fortè non videatur improbabilis sententia eorum, qui asserunt, eum qui communicauit in Paschate, non peccare mortaliter, si non communicet in articulo mortis, vt ait Syluester *verb. Eucharistia* 3. *num.*3. Emanuel Sà *verb. Eucharistia, num.*1. Caietanus *verb. Communio,* & alij, nihilominus omnino consulendum est, vt existens in articulo mortis, quamprimùm fieri potest, communionem sumat, nam Sacramentum Eucharistiæ vberes fructus confert, & maximè prodest ad superandas tentationes in articulo mortis insurgentes, & consuetudo fidelium inualuit, vt in articulo mortis Eucharistia sumatur.

2 *Anteneatur Eucharistiæ sumere in periculo mortis, qui paulo ante mortem cõmunicauit.*

2 QVÆRES PRIMO, vtrùm qui communicauit paulo ante, quàm incideret in periculum mortis, teneatur ex vi diuini præcepti iterũ communicare in articulo mortis, vt si communicauit in Paschate, & statim intra sex, vel octo dies incurrat periculum mortis.

Respondeo negatiuè, nam ideo tenetur communicare in articulo mortis, vt hoc Sacramento se præparet ad transitum ex hac vita: censetur autem se præparasse ad huiusmodi transitum per Eucharistiam susceptam paulò antè, quàm incideret in periculum mortis. Ita Graffius *loco citato.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. § .79. Angelus *Eucharistia* 3. Tab. *v. Communicare, num.*16. Paludanus *dist.*9. *qu.*1. *circa medium.* Henriquez *loco citato c.*4. *circa medium, & c.*5. *n.*3. Suarez *disp.*69. *sect.*3. Coninchus *q.*80. *art.*11. *dub.*3. *n.*98. [Filliucius *tract.*4. *c.*2. *q.*6. *n.*48. Molfesius *in summa tract.*3. *c.*8. *n.*96.] & alij contra nonnullos alios.

Obicies, præceptum Eucharistiæ obligat pro articulo mortis, sed hic non sumpsit Eucharistiam in articulo mortis: ergo non satisfecit præcepto. Respondeo obligare pro articulo mortis, nisi illi antea satisfactum fuerit, vt patet à simili de Beatissima Virgine, quæ post Christi passionem debuisset Baptismum sumere, nisi illum sumpsisset ante Christi mortem.

3 *Anteneatur iterum cõmunicare, qui post sũptum viaticum mortaliter peccauit.*

3 QVÆRES SECVNDO, vtrùm qui sumpta communione in articulo mortis commisit peccatum mortale, teneatur ex præcepto diuino iterum communicare.

Respondeo negatiuè cum Suarez *loco citato, conc.*4. § . *secundum modum.* Henriquez *lib.*8. *cap.*5. *num.*3. Reginaldo *lib.*29. *num.*65. Coninchо *loco citato, num.*100. [Filliucio *tract.*4. *c.*2. *q.*7. *nu.*52.] & aliis contra Tabienam *verb. Communio, num.*16. & Armillam *eodem verb. n.*11. Ratio est, tum quia nulla sufficiens ratio, vel auctoritas afferri potest ad ostendendam huiusmodi obligationem: tum quia Eucharistia non est instituta per se ad delenda peccata mortalia, sicut instituta fuit penitentia, consequenter vsus Eucharistiæ non ita obligat, sicut obligat vsus confessionis, vt patet ex communi fidelium consuetudine.

4 *Anteneatur transacto periculo mortis cõmunicare, qui non cõmunicauit in ipso mortis periculo.*

4 QVÆRES TERTIO, vtrùm qui non communicauit in periculo mortis teneatur transacto mortis periculo communicare, vt adimpleat præceptum, quo tenebatur in articulo mortis communicare.

Respondeo negatiuè. Ratio est, tum quia sicut, qui non communicauit in Paschate, non tenetur iuxta probabilem aliquorum sententiam, elapso tempore Paschatis, communicare: ita à fortiori non tenetur ille communicare, transacta infirmitate, qui tempore infirmitatis non communicauit: tum quia terminus constitutus ad communicandum in articulo mortis, non videtur positus ad solicitandam obligationem sumendæ Eucharistiæ, cum positus sit ad præparandum transitum ex hac vita. Quando autem aliquis terminus fuit constitutus non ad solicitandam obligationem præcepti

cepti, cessat obligatio elapso termino constituto, vt patet ex alibi dictis. Ita Henriquez *lib.8.cap.5.num.3.ad finem.* Reginaldus *loco citato n.76.* & alij.

5 *An iudex teneatur reo concedere tempus communicandi.*

5 QVÆRES QVARTO, vtrùm iudex teneatur reo concedere tempus communicandi.

RESPONDEO affirmatiuè, per se loquendo, præciso periculo notabilis damni communis, [aut alia iusta causa.] Ratio est, tum quia præceptum communicandi obligat in articulo mortis ex iure diuino: ergo par est, vt iudex concedat reo tempus, quo valeat diuinum præceptum adimplere: tum quia sic decernitur *cap.tanta. distinct.86. cap.quæsitum 13. dist.2.* & motu proprio Pij Quinti, edito anno 1569. vt testatur Henriquez *lib.8.cap.5.num.4. in commentario littera Z.* Suarez *q.69.sect.3. ad finem.* Petrus Nauarrus *lib.2 de restitutione, c.3.num.225.* Rodriquez *in summa cap.68. num.1.* Reginaldus *lib.29.numer.70.* Sylvester *verb. Eucharistia 3. quæsito 5. dicto 8.* [Molfesius *cap.8.num.32.*] & alij apud Henriquez *loco citato.* Chamerotam *de Eucharistia, c.10. dubio 1.* contra Nauarrum *in Manuali cap.25. num.23.* [Filliucium *tract.4.cap.8.q.11. num.238.*] Clarum, Perez, & alios apud Henriquez *loco citato* existimantes iudicem, qui ratione consuetudinis in aliquibus locis receptæ, non concedit reo tempus sumendæ Eucharistiæ, excusari posse à peccato.

Sed quod nos asseruimus, verius est, vt patet tum ex rationibus allatis: tum quia iudex ex iure naturæ tenetur etiam consulere bono priuato, quantum recta ratio dictat & postulat. Cùm autem non possit consuetudo contra ius naturæ introduci, sicut neque potest introduci contra ius diuinum, sequitur iudicem non concedentem reo tempus communicandi, non excusari per consuetudinem: tum quia Clementina *cùm secundum, de pœnitentia, & remissione.* præscribitur Episcopis, vt per excommunicationem compellant iudices ad concedendum reis prædictum tempus.

Neque obstat, quòd in prædicta Clementina solius confessionis mentio fiat, nam quod dicitur de pœnitentia non deneganda, dicendum etiam videtur de Eucharistia, ex *cap. quod in te. de pœnitentia & remissione.* Ita Glossa *in dicta Clementina.* Reginaldus *lib.29.n.73 propositione 2.* Chamerota *loco citato.*

6 *An iudex teneatur reo tempus cõmunicandi concedere, si periculum sit, vt reus eripiatur, vel aliqui scandalum patiantur.*

6 Hinc sequitur, iudices teneri reo concedere tempus sumendæ Eucharistiæ, etiamsi timeatur fore, vt concesso debito tempore ad sumendam Eucharistiam, reus eripiatur, & aliqui scandalum patiantur, nam iudex tenetur facere id quod est per se: per se autem loquendo tenetur concedere tempus sumendæ Eucharistiæ, vt probauimus. Immo si reus noluerit intra tempus consuetum sibi à iudice concessum, se præparare ad confessionem, & Eucharistiam, tenetur aliquam dilationem, exempli gratia, duorum, vel trium dierum, concedere, si speret fore, vt reus intra illud tempus pœnitentiam agat, nec sit periculum alicuius scandali, vel damni ex ea dilatione.

OBIICIES, aliquis priuari potest Sacramento Eucharistiæ in articulo mortis ad aliorum exemplum, & correctionem: sicut enim reus priuari potest pane corporali, ita etiam spirituali, & ita aliquando factum fuisse patet ex Concilio Elibertino, vt testatur Reginaldus *loco citato num.70.* Suarez *disp.69.sect.3.* & alij: ergo iudex videtur excusandus, si reo non concedat tempus sumendæ Eucharistiæ in articulo mortis.

RESPONDEO, non esse amplius in vsu, vt reus priuetur Eucharistia, sed potius contrarium in praxi seruari si reus dedit sufficientem cautionem, & debita doloris testimonia, vt tradit Henriquez *lib.8.c.5.num.4.littera Z.* Angles *q.2. art.9.difficultate 3.* Graffius *1. parte l.2. c.38.n.28.* Chamerota *de Eucharistia c.10. dub. 1.* Suarez, & Reginaldus *loco citato per cap.tanta, per cap. quæsitum*, & per motum Pij Quinti iam citatum.

7 *An iudex teneatur reo tempus communicandi concedere, etiam si timeatur fore vt concesso hoc tẽpore reus eripiatur.*

7 Sed maior DIFFICVLTAS est, vtrùm iudex teneatur liberare à morte, vel potius possit adiudicare morti reum, cui concessit opportunam, & sufficientem dilationem ad pœnitentiam, & communionem, sed reus noluit pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum sumere.

RESPONDEO posse adiudicare morti, nec iudicem teneri reum à morte eripere, quamuis credat fore, vt reus in mortali peccato moriatur. Ratio est, quia daretur occasio reis non sumendi Eucharistiam, & pœnitentiam, vt se eriperent à morte, sicque publica potestas eluderetur, & magna sequerentur incommoda in Republica. Ita Sotus 5. *de iustitia q.1.art.2.* Reginaldus *loco citato n.71. versic. Prima est*, & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

8 *An iudex possit reum condemnare, si nolit communicare.*

8 FIdeles tenentur ex præcepto diuino communicare, non solùm in articulo mortis, verùm etiam aliquoties in vita. Ita S.Thom. *q.80.art.11.* Sotus *dist.12.art.11.* Suarez *disp.69.sect.3.* Hẽriquez *loco citato.* Reginaldus *loco citato numer.63. & 66.* Coninchus *loco citato, dub.3. num.101.* Valentia *tom.4.disp.6.q.8.punct.4.* Pitigianus *d.9.q.3.art.9.* Chamerota *de Eucharistia cap.10.dub.1.* [Molfesius *in summa tract. 3. c.8. numer. 25.* & alij communiter. Ratio desumitur, tum ex institutione huius Sacramenti, quod institutum fuit per modum cibi: cibus autem non solùm necessarius est in morte, verùm etiam in vita, & sicut stultitiæ notam mereretur, qui nollet cibum corporalem, nisi in morte, capere: ita stultitiæ, & culpæ notam incurreret, qui cibum Eucharistiæ spiritualem solùm in morte sumere determinaret. Tum quia Christus præscripsit communionem in memoriam passionis, non solùm autem in articulo mortis recolenda est memoria passionis Christi, verùm etiam in vita. Quoties autem recolenda sit memoria passionis per communionem, indicauit Ecclesia: cùm præcepit communionem saltem semel in anno, vt infrà ostendam. Ita Suarez, Reginaldus, & alij *loco citato.*

OBIICIES ex verbis Christi Ioannis 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. non colligitur necessitas sæpiùs sumendæ Eucharistiæ, sicut etiam ex illis verbis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. non colligitur necessitas sæpiùs recipiendi Baptismum: ergo fideles non videntur obligandi ex præcepto diuino ad sæpiùs sumendam Eucharistiam, sed videntur satisfacere sumendo Eucharistiam in articulo mortis.

RESPONDEO, obligationem sumendæ Eucharistiæ aliquoties in vita colligi quidem ex præcitatis verbis *Ioan. 6.* attenta tamen simul institutione Sacramenti Eucharistiæ institutæ per modum cibi. Cùm autem cibus non solùm semel in vita sumendus sit, sequitur etiam Eucharistiam non solùm semel in articulo mortis sumendam esse, verùm etiam aliquoties in vita. Ita Suarez, Reginaldus, & alij *loco citato.*

9 *An fideles teneantur ex præcepto diuino aliquoties cõmunicare in vita.*

9 QVÆRES PRIMO, quandónam præceptum diuinum communicandi obliget extra mortis periculum, præcisa determinatione Ecclesiæ.

RESPONDEO, tempora, quibus per se obligant præcepta diuina, non posse indiuisibiliter definiri, sed prudentis iudicio definienda esse, ita vt ipsorum executio nimium non differatur. Nimiũ autem executio sumendę Eucharistię differri videretur secundùm aliquos DD. si secluſa determinatione Ecclesiæ differretur per spatium trium, vel quatuor annorum, sed hæc difficultas videtur adepta, cùm Ecclesia determinauerit præceptum communicandi semel in anno, vt infrà ostendam.

10 *Quàdónã obliget præceptum cõmunicandi præcisa determinatione Ecclesiæ.*

10 Ex quo patet, eum qui semel in anno communicauit, satisfacere præcepto diuino, quo præcipitur sumptio Eucharistiæ extra mortis articulum; hic enim non dicitur nimium differre sumptionem Eucharistię. Ita Suarez *loco citato disp.70. sect.7.* Reginaldus *l.29.n.67. & 73.* Valentia, & alij.

Addit tamen Valentia *loco citato vers. Secundò tempus*, communionem ex diuino præcepto sumendam esse, quoties iudicio prudentis iudicatum fuerit opus esse communione ad superandas graues aliquas tentationes.

Verùm hæc obligatio videtur generalis, & communis omnibus virtutum actibus, quos tenemur elicere, quoties arbitramur, ipsos necessarios esse ad superandas tentationes, vt patet ex dictis de fide, spe, & charitate; sed tunc non dicitur committi propriè peccatum contra præceptum diuinum de communione sumenda, quicquid dicat Valentia, sed potiùs dicitur committi peccatum contra eam virtutem, contra quam ingruunt tentationes, & contra quam delinquitur succumbendo tentationibus ob non adhibita media necessaria, vt patet ex dictis *loco citato.*

11 *An aliquis possit sæpiùs in die communicare.*

11 QVÆRES SECVNDO, vtrùm aliquis possit sæpiùs in die communicare.

RESPONDEO negatiuè per se loquendo, nam *in cap. consuluisti. de celebratione Missarum.* sancitum est, ne Sacerdos in die sæpiùs celebret, aut communicet, excepta Natiuitatis solemnitate, aut priuilegio, aut particulari casu, qualis casus est, si periculum sit, vt Sacramentum veniat in manus hæreticorum, vel comburatur, &c. vt bene ait Angelus *verbo Eucharistia 3. num.39.* Coninch. *q.80. ar. 10.n.83.* Nugnus *ibidem concl.2 & 3.* Viualdus *de præparatione ad Eucharistiam n.49.* Suarez, & alij DD. *suprà citati.*

Ex quo patet à fortiori, laicum non posse sæpiùs in die communicare.

12 *A quo tempore computandus sit dies.*

12 Obserua tamen primò, diem computandum esse à media nocte vsque ad mediam noctem sequentem, vt patet ex vsu, & praxi, & ita docet Suarez *disp.69. sect.4.concl.5. ad finem.*

13 *Ad quos extendatur priuilegium ter communicandi in die Natalis Domini.*

13 Obserua secundò, priuilegium ter communicandi in die Natiuitatis Domini extendi solùm ad celebrantes, non verò ad alios, qui more laicorum communicant, vt ipsa docet consuetudo.

14 *Quánam hora possit aliquis cõmunicare.*

14 QVÆRES TERTIO, quánam hora possit aliquis communicare.

RESPONDEO posse communicare qualibet hora diei. quamuis enim Sacerdos non possit post meridiem celebrare, vt infra ostendam, nihilominus potest qualibet hora diei Eucharistiam administrare, & alios ad communionem admittere, modò suscipientes Eucharistiam sint ieiuni. Ratio est, quia circa hoc nulla extat prohibitio, vt tradit Sylvester *verbo Eucharistia 3. quæsito 14.* Emanuel Sà *verb. Eucharistia.* Angelus *eodem verb. n.36.* Tabiena *verb. Missa. n.6.* Azorius *1.part.lib.10. c.25. quæsito 8.* Henriquez *c.53.* Posseuinus *de communione sanorum c.8. n.8.* vbi hoc intelligit præcisa alia consuetudine, Suarez *loco citato.* & alij.

Hoc tamen intelligendum est per se loquendo, nam per accidẽs, vt ratione scandali vitandi, Eucharistia non potest qualibet diei hora sumi. Quamobrem extra necessitatem non videtur permittendum, vt aliquis Eucharistiam sumat sub vesperis, vel intempesta nocte. Ratio est, tum quia adest periculum scandali, cùm aliquis iudicare possit, Eucharistiam dari non ieiuno, tum quia est contra communem consuetudinem, & praxim. Ita Coninchus *loco suprà citato*, Posseuinus *loco citato*, & alij.

PVNCTVM. II.

Quandónam fideles obligentur ex vi præcepti Ecclesiastici communicare.

DVo principaliter quæram in hoc puncto. Primò, quónam obliget præceptum Ecclesiasticum. Secundò, quandónam obliget.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Quónam obliget præceptum Ecclesiasticum sumendæ Eucharistiæ.*

1 PRæceptum Ecclesiasticum sumendæ communionis obligat omnes fideles vtriusque sexus, postquam ad annos discretionis peruenerunt. Hęc propositio patet ex *c. omnis vtriusque sexus. de pœnitentia, & remissione.* & ex Trid. *sess.13. canone 9.* vbi excommunicantur contrarium asserentes.

Dixi, *omnes fideles*, vt excluderem infideles, quia præceptum Ecclesiasticum non cadit supra infideles, cùm Ecclesia super infideles potestatem non habeat: iuxta illud, *De his, qui foris sunt, nihil ad nos.*

Vtrùm verò infidelis teneatur ex præcepto diuino communica-

re, patet ex supradictis, cùm ageremus de necessitate Eucharistiæ [*q.1.punct.3 n.4.*]

Dixi, *postquam ad annos discretionis peruenerunt*, vt aduerterem nō statim ac aliquis peruenit ad vsum rationis, obligari ad communionem, sicut obligatur ad confessionem, sed ad communionem ex præcepto Ecclesiæ obligari, postquam compleuit annos discretionis requisitæ ad discernendum inter hunc cibum spiritualem, & cibum corporalem: cùm autem hæc discretio aduenire solet à decimo anno, nec differri soleat vltra decimum quartum ætatis annum, sequitur obligationem communicandi in adultis incipere à decimo vsque ad quartum decimum annum, ita vt respectu illius, cui aduenit discretio sufficiens in anno vndecimo, incipiat obligatio communicandi in eo anno, & sic de cæteris. Hac de causa Confessarij, & parentes debent perpendere iudicium, & prudentiā adolescentis, eúmque admittere, & hortari ad Eucharistiam, quoties sufficientem rationis vsum, & discretionem in eo perspexerint, ita vt adolescens sciat discernere cibum à cibo; & nouerit Christum sumendum esse puro corde, præmissa confessione, cum ieiunio, & alijs ab Ecclesia præscriptis.

Quid teneatur præstare adultus, quando dubitat, vtrùm teneatur communicare.

2 Adultus verò quando dubitat, vtrùm teneatur communicare, debet consilium à Confessario, vel à parentibus petere, séque ipsorum consilio accommodare, cùm ipsorum curę, & regimini subiectus sit. Ita in præcedentibus sentit Paludanus *in 4.dist.10. quæst.1.* Caietanus *in summa verb. Communio*, Emanuel Sà *verb. Eucharistia, num.12.* Suarez *disp.70.sect.1* Coninchus *q.80.art.11. dubio 4. num.102.* Nugnus *ibid. difficultate 2.* Reginaldus *lib.29. nu.83.* Azorius *1. part.lib.7.cap.3. quæsito 10.* Graffius *1. part.lib.2.c.38. n.15.* Angles *q.2.ar.7.difficultate 2. concl.1.* Posseuinus *de communione sanorum c.8. n.9. & 10.* Nauarrus *c.21.n.45.* Vasquez *3. parte disp. 214. c.4. n.40.* [Filliucius *tract.4.c.2.q.6.*]

Puto tamen cum Emanuele Sà, & alijs, excusari posse adolescentes non communicantes, quando prohibentur à parentibus cōmunicare, cùm enim ad parentes pertineat explorare, an filij sufficientem habeant huius admirabilis Sacramenti cognitionem, sequitur filios excusari à peccato per ignorantiam probabilem, quoties prohibentur à parentibus communicare. Idem tenet Regin. *loco citato, n.85.* Chamerota *de Eucharistia c.10. dub. 1. adfinem.* Caietanus, & alij *locis itatis.*

Quo tempore obligetur adultus ad communionem.

3 QVÆRES PRIMO, vtrùm adultus obligetur ad communionē statim ac habet sufficiens iudicium, & discretionem.

RESPONDEO cum citatis Doctoribus, non statim omnino obligari, sed post vnum vel duos annos. Ratio est, tum quia præceptum Ecclesiasticum communicandi, non videtur cum tanto rigore receptum, tum quia maiori cum reuerentia recipitur Sacramentum, si non statim recipiatur acquisita discretione, sed post aliquod tempus.

OBIICIES, adolescens statim ac peruenit ad vsum rationis, & est capax peccati mortalis, tenetur confiteri; ergo tenetur etiam communicare, cùm idem iudicium requiri videatur ad Sacramentum Eucharistiæ, & confessionis, & *in cap. omnis vtriusque sexus.* ita obligentur fideles ad communionem, postquam peruenerunt ad annos discretionis, sicut obligantur ad confessionem; sicut ergo ad confessionem obligantur statim ac habent vsum rationis, sufficientem ad peccandum mortaliter, ita etiam obligari videntur ad communionem statim ac sunt capaces peccati mortalis, vel saltem statim ac peruenerunt ad annos discretionis.

RESPONDEO negando consequentiam cum Chamerota *de Eucharistia c.10. dubio 4.* Nugno, Conincho, Suarez, & alijs *locis suprà citatis.* Ratio est, tum quia maius iudicium requiritur ad communionem, quàm ad confessionem. Cùm enim Sacramentum Eucharistiæ sit excellentius, & dignius Sacramento Confessionis, maior ætas, & iudicium requiritur ad cognoscendam ipsius excellentiam, & ad discernendum cibum à cibo, tum quia, cùm Sacramentum Eucharistiæ non sit tantæ necessitatis, quantæ est Sacramentum pœnitentiæ, sequitur non tam citò obligare præceptum Eucharistiæ, sicut obligat præceptum pœnitentię.

Ad id, quod adducitur ex *cap. omnis vtriusque sexus.* respondetur præcipi adulto communionem, postquam peruenit ad annos discretionis, nisi Confessarius aliter consuluerit, & iudicauerit. Confessarij autem iudicant ad communionem requiri maius iudicium, quàm ad confessionem, vt patet ex communi consuetudine, & praxi, secundùm quam cernimus lōgius differri communionem, quàm confessionem.

An filius habens vsum rationis teneatur cōmunicare in infirmitate.

4 QVÆRES SECVNDO, vtrùm filius habens vsum rationis teneatur communicare, si incidat in infirmitatem, quamuis antea nunquam communicauerit.

RESPONDET Nauarrus *c.21. n.57.* Vasquez *loco citato c.4. n.41.* infirmum in articulo mortis existentem, non teneri ex præcepto communicare vsque ad illam ętatem, in qua teneretur communicare, si recta vteretur valetudine, ex consilio verò debere communicare, modò nimium puerile iudicium non habeat.

Ego verò existimo cum Suarez *disp.70 sect.1. ad finem*, Reginaldo *lib.29 num.84.* Posseuino *loco citato*, & alijs, adolescentem præditum vsu rationis, capacem confessionis, & extremæ vnctionis debere non solùm ex consilio, verùm etiam ex præcepto communicare in mortis articulo. Ratio est, quia præceptum communicandi in articulo mortis est præceptum diuinum, vt patet ex dictis pūcto antecedenti, quod præceptum ab Ecclesia non fuit limitatum. Cùm autem præceptum diuinum obliget hominem præditum vsu rationis, sequitur adolescentem præditum vsu rationis teneri ex præcepto diuino in articulo mortis communicare, quamuis nondum teneatur ex præcepto Ecclesiastico.

Quandónā obligentur fideles ex vi præcepti ad communionem.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 OMnes fideles, postquam ad annos discretionis peruenerunt, obligantur ad communionem sumendam à proprio Sacerdote, saltem semel in anno in Paschate. Hæc propositio patet ex *c. omnis vtriusque sexus*, & ex Tridentino *sess.13. canone 9.* immo antiquitus impositum erat præceptum fidelibus sæpius communicandi. Sed refrigescente fidelium pietate præceptum Ecclesiasticum restrictum fuit ad vnam vicem in Paschate.

Quid nomine Paschatis intelligatur hoc loco.

6 Sed modò DVBIVM est, quid nomine Paschatis in hoc loco intelligatur.

RESPONDEO nomine Paschatis hoc loco non intelligi solùm diem ipsum solemnitatis Resurrectionis, sed tempus, quod incipit à die cœnæ Domini vsque ad octauam Paschæ, vt inquit Henriquez *cap. 5.* Summa Corona *de Eucharistia. numer. 66.* & alij: aut intelligi tempus à Dominica palmarum vsque ad octauam Paschæ, vt ait Azorius *1. part. lib.7. cap.41. quæsito 2.* S. Thom. *in 4. sentent. dist. 13. q.3. art.4.* Nauarrus *cap 21. n. 45.* Bartholomæus ab Angelo *loco citato, §. 267.* Syluester *Eucharistia 3. num. 6.* Tabiena *verb. Communicare num.58.* Caietanus *verb. Communio.* Angles *q.2. art.9. concluſ.3.* Rodriquez *in summa cap. 64. de communione num.1.* Reginaldus *loco citato, num.74.* Suarez *disp.70. sect.2.* [Filliucius *tract.4. cap. 2. num.55.* Molfesius *num.26.*] & alij, modò ita permittat locorum consuetudo; vel etiam intelligi tempus à Dominica Quadragesimæ vsque ad octauam Paschæ, vbi legitima consuetudine receptum est, vt præceptum communicandi in Paschate ita extendatur: nam præcepta humana obligant quatenus recepta sunt. Ita Nauarrus *c 21. n.45.* Azorius *loco citato, quæsito 4.* Reginaldus *n.77.* Henriquez *lib.8. c.5. num.1.* Valentia *loco citato vers. Secundum est.* Suarez *loco citato.* Bartholomæus ab Angelo *dialog.4. §.216.* & alij.

An sumenda sit Eucharistia in propria Parochia, & à proprio Pastore.

7 Ex dictis in propositione colligi potest hoc præceptum non impleri, nisi Eucharistia sumatur in propria parochia de manibus proprij Pastoris, aut alterius Sacerdotis de licentia Pastoris. Ratio est, tum quia ab Ecclesia præscribitur, vt fideles saltem semel in anno communionem sumant à proprio Sacerdote, *cap. omnis vtriusque sexus*, tum quia administratio Sacramentorum per se loquendo pertinet ad Pastores, cùm ad munus proprij Pastoris spectet pascere gregem, quod præcipuè sit Sacramentis. Quamobrem, qui communicauit in Paschate extra propriam Parochiam absque consensu sui Pastoris, non dicitur satisfeciſſe præcepto Ecclesiastico vt bene ait Nauarrus *cap.21. num.52.* Suarez *disp.72. sect.2.* Henriquez *loco citato, num 2. & cap.55.* Azorius *loco citato, cap.41. quæsito 6.* Reginaldus *loco citato, num. 90. & 94.* Et hoc verum est etiamsi communicauerit in Ecclesijs Religiosorum habentium facultatem administrandi Eucharistiam; priuilegium enim cùm sit odium iuris, strictè explicandum est, saluo scilicet iure Parochi, cui Summus Pontifex non præsumitur derogare, nisi expressè constet de contraria Summi Pontificis intentione. Vide quæ nouissimè tradidi *q.5. punct.1. n.11.*

OBIICIES, Sacerdos satisfacit præcepto communionis quouis in loco celebret tempore Paschatis, vt bene obseruat Henriquez *lib.9. capit. 23. de Missæ Sacrificio numer.2. & lib.3. de Missa, capit.8. num.2.* Emanuel Sà *verb. Eucharistia, num.11.* Rodriquez *loco citato*, & alij communiter: ergo etiam fideles videntur satisfacere præcepto communionis, quouis in loco sumant communionem tempore Paschatis.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia præceptum communicandi in propria Parochia ex recepta consuetudine videtur extendi solùm ad eos, qui Eucharistiam ab alijs sumunt, non verò ad Sacerdotes.

An teneatur in propria parochia cōmunicare, qui ad certum tempus ab illa abest.

8 QVÆRES PRIMO vtrùm qui in aliena Parochia ad certum tempus commorantur, teneantur tempore Paschatis adire propriā Parochiam vt ibi communicent.

RESPONDEO negatiuè cum Azorio *lib. 7. cap. 61. quæsito 8.* Soto *dist. 18.q.4.art.2.* Reginaldo *lib.29. n.94.* Caietano *v. Absolutio à peccatis.* Suarez *loco citato*, Nauarro, & alijs, qui testantur Eugenium quartum viuæ vocis oraculo declarasse, viatores, vbi se inuenerint in Paschate censeri, ac si adepti fuissent habitationem quo ad Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ.

Ex quo patet, non solùm eos, qui in aliena Parochia ad certum tempus commorantur, vel domicilium habent, verùm etiam viatores, aut alios in aliena Parochia existentes, qui tempore Paschatis non possunt propriam Parochiam adire, vt sunt peregrini, viatores, &c. posse Eucharistiam sumere in ea Parochia, in qua tempore Paschatis reperiuntur, & ita docet vsus, & praxis.

An possit à quouis Sacerdote in die Paschatis communicare qui præceptum communionis adimpleuit in hebdomada Sancta.

9 QVÆRES SECVNDO, vtrùm qui præceptum communionis adimpleuit in hebdomada Sancta, si velit in die Paschatis Eucharistiam sumere, possit eam sumere à quocunque Sacerdote in alia Ecclesia.

RESPONDEO affirmatiuè, modò Sacerdos, qui administrat Eucharistiam, aliàs habeat facultatem administrandæ Eucharistiæ. Ratio est, quia qui præceptum communionis adimpleuit in hebdomada Sancta, nullo iure obligatur in die Paschatis communicare; ergo si velit communicare, potest à quocunque eo die communionem sumere. Tum quia priuilegia, in quibus conceditur facultas Eucharistiæ administrandæ excepto die Paschatis, intelliguntur formaliter pro communione Paschatis, vt ouis suum Pastorem, & suam Ecclesiam agnoscat; nos autem supponimus istum iam satisfeciſſe præcepto communionis, & suum Pastorem, & Ecclesiam agnouisse. Ita Nugnus *quæst. 82. artic.3. versic. alia difficultas est.* [Suarez *disput. 72. section. 2. vers. censeo.*] Filliucius *tract.4. capit.9. quæst.7. num.265.* Rodriquez *in summa cap.64. de communione num.1.* contra Nauarrum & nonnullos alios recentiores apud præcitatos Doctores.

An debeat sumere Eucharistiam in propria parochia tēpore Paschatis, qui Religiosis inseruit.

10 QVÆRES TERTIO, vtrùm laici inseruientes Religiosis, debeant tempore Paschatis communionem sumere in propria Parochia.

RESPONDEO affirmatiuè, tum ex congregatione Concilij, teste Emanuele Sà *verb. Eucharistia, n.9.* Tum quia *in cap. omnis vtriusque sexus.* decernitur, sumendam esse Eucharistiam à proprio Sacerdote.

Hoc tamen restringendum puto ad eos, qui non degunt in monasterijs, alijsve locis à curā Parochorum exemptis, nam degentes in huiusmodi locis videntur licitè posse communionem sumere in ijs locis, in quibus degunt: tum quia videntur exempti à Parochia. Tum quia sicut ibi possunt sepeliri inconsultis Parochis,

chis, ita etiam videntur ibi posse Sacramenta sumere, vt aperte colligitur ex ijs, quæ tradit Sanchez *lib.3. de matrimonio, disp.23. num.* 12.

11 *An quilibet fidelis possit Eucharistiã, aliáque Sacramenta in Ecclesia Cathedrali sumere.*

11 QVÆRES QVARTO, vtrùm quilibet fidelis possit Eucharistiam, aliáque Sacramenta in sua Ecclesia Cathedrali recipere.

RESPONDEO, quemlibet posse in Cathedrali Ecclesia Sacramenta recipere, modò sit subditus illius diœcesis, nam Ecclesia Cathedralis videtur communis illius diœcesis Ecclesia, cùm in ea resideat communis illius diœcesis Pastor, qui potest appellari proprius Sacerdos omnium fidelium illius diœcesis.

Addo, quemlibet posse etiam inuito Parocho Episcopum adire pro Sacramentis suscipiendis; nam Episcopo principaliter commissa est cura animarum omnium suæ diœcesis. *cap. quicunque* 10. *q.*1. *& cap. præcipimus* 12. *q.* 1. Ita Genuensis *in sua praxi Neapolitana c.61. ad finem.* Posseuinus *cap.7.num.*57. Emanuel Sà *verb. Sacramentum num.*4. [Molfesius *tract.*4.*c.*8.*n.*45. *& tract.*7.*c.*10. *n.*24.] & alij communiter *in cap. omnis vtriusque sexus. de pœnitentijs, & remissionibus.*

12 *An satisfaciat præcepto, qui communicauit in peccato mortali tẽpore Paschatis.*

12 QVÆRES QVINTO, vtrùm qui tempore Paschatis communicat in peccato mortali, satisfaciat præcepto Ecclesiæ, vt si sumat Eucharistiam non præmissa culpabiliter integra confessione, vel cum conscientia peccati mortalis post confessionem perpetrati.

Pro solutione obserua, Eucharistiam tripliciter sumi posse. Primò spiritualiter. Secundò sacramentaliter tantùm. Tertiò spiritualiter, & sacramentaliter simul. Hoc posito.

RESPONDEO, eum, qui sumit Eucharistiam primo modo, non satisfacere præcepto, etiam si in statu gratiæ existat, quia non dicitur sumere Sacramentum Eucharistiæ, qui verò sumit tertio modo, satisfacit, quia recipit Eucharistiam quoad substantiam, & quoad fructum. Dubium solùm est de illo, qui Eucharistiam sumit secundo modo, videlicet sacramentaliter tantùm, quod accidere consueuit quando Eucharistia sumitur quoad Sacramentum, sed sine fructu, aut potiùs cum graui culpa. Ad quam difficultatem respondendum est satisfacere præcepto Ecclesiæ. Ita Suarez *disput.*70. *sect.*3. Coninchus *loco citato, dubio* 4.*num.*107. Emanuel Sà *verb. Eucharistia, n.*25. Azorius 1.*part. lib.*7. *c.*41. *quæsito* 12. Henriquez *loco citato, cap.*5.*num.*3. Reginaldus *lib.*29.*num.*87. Sotus, Lopez, Rodriquez *de communione cap.*64. *num.*5. Chamerota *de Eucharistia cap.* 9. *dubio vltimo.* [Filliucius *tract.*4 *cap.*2.*q.* 10. *num.* 60. & alij apud præcitatos Doctores, contra Bartholomæum ab Angelo *dialogo* 4. *§.* 176. Durandum, Capreolum, & alios, quos citat, & sequitur Nugnus *q.*80. *art.*11. *difficultate* 3. *dubio* 4. Ratio nostra est, quia recipiens Eucharistiam indignè cum peccato mortali adimplet substantiam præcepti Ecclesiastici, quo præcipitur actualis communio; quamuis non adimpleat modum, quo Eucharistia digne sumenda est; qui autem substantiam præcepti adimplet, satisfacit præcepto, quamuis non obseruet modum, quoties modus non est de essentia actus præcepti, vt patet ex dictis de Censuris, & ex dictis de Horis canonicis, vbi ostendi eum, qui diuinum recitat officium sine attentione, non satisfacere præcepto diuini officij, cùm attentio sit de essentia diuini officij, quod recitandum est orando.

OBIICIES, qui sumit Eucharistiam in peccato mortali, non sumit reuerenter, vt dicitur *in cap. omnis vtriusque sexus.* Præterea non dicitur probare se ipsum, iuxta dictum Apostoli, *probet autem se ipsum homo*, &c. Ergo qui Eucharistiam sumit in peccato mortali, non videtur satisfacere præcepto sumendæ Eucharistiæ.

RESPONDEO negando consequentiam, nam reuerentia, de qua sermo est *in cap. omnis vtriusque sexus*, non pertinet ad substantiam actus, sed ad modum præcepti, cùm Eucharistia possit sacramentaliter sumi, etiamsi reuerenter non sumatur, qui autem adimplet substantiam actus præcepti, satisfacit præcepto.

Ad id, quod dicitur ex Apostolo, respondetur inde colligi solùm transgressionem diuini præcepti, quo præscribitur, vt Eucharistia non sumatur indignè, non verò colligi transgressionem præcepti Ecclesiastici, quo determinatur sumptio Eucharistiæ ad tale tempus. Quamobrem assero illum, qui cum peccato mortali Eucharistiam sumit in Paschate, peccare quidem contra præceptum diuinum de non sumenda indignè Eucharistia, non tamen contra Ecclesiasticum.

13 *An teneatur quàm primùm cõmunicare, qui non cõmunicauit in Paschate.*

13 QVÆRES SEXTO, vtrùm qui non communicauit in Paschate, teneatur elapso tempore Paschatis, quam primùm commodè potest, eodem anno communicare.

RESPONDETVR probabiliter sustineri posse, non teneri, nisi fortè distulerit communionem ob consilium Confessarij, aut nisi lata sit Excommunicatio, vel nisi extet lex aliqua particularis, vel consuetudo contra non communicantes elapso Paschatis tempore. Ita Sotus *dist.*18. *q.*1. *art.*4. Valentia *tom* 4. *disp.*6. *q.* 8. *punct.*4. Medina *lib.*1.*c.*14. *num.*42. Syluester *Eucharistia* 3.*num.*17. Toletus *lib.* 6. *cap.*18. Henriquez *lib.*8.*cap.* 5. *num.*1. Emanuel Sà *verb. Eucharistia num.*7. contra Suarez, & alios statim citandos. Ratio est, quia præceptum communicandi in Paschate est affirmatiuum, sicut etiam est præceptum audiendi Missam in die festo, aut ieiunandi in quadragesima, vel in tali vigilia, sed præceptum affirmatiuum non obligat semper, sed pro tempore à legislatore concesso, cùm autem legislator præceperit solùm communionem sumi in Paschate, sequitur præceptum communicandi in Paschate non obligare elapso Paschatis tempore, ad differentiam præcepti annuæ confessionis, quod obligat pro toto anno, iuxta Henriquez *loco citato*, & alios contra Valentiam *loco citato, versic. Et quoniam* Rodriquez *in summa cap.*64. *de communione num.* 1. Graffius 1. *part. lib.* 2. *cap.*38. *nu.*25. & alios in pœnitentiæ Sacramento recensendos, consequenter sicut qui prætermisit die Dominico Missam, aut ieiunium in quadragesima, non tenetur sequenti die Missam audire, aut ieiunare, ita qui non communicauit in Paschate, non tenetur transacto eo tempore communicare, nisi fortè cõmunionem distulerit ob consilium Confessarij, nam qui communionem distulit ob consilium Confessarij, obligandus videtur ad communicandum, iuxta ipsius Confessarij consilium, ex *cap. omnis vtriusque sexus*, vbi habentur hæc verba; *Semel saltem in anno confiteatur suscipiens reuerenter ad minus in Paschate Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum, alioquin & viuens arceatur ab Ecclesiæ ingressu, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.*

Hoc idem procedit, si lata sit excommunicatio contra non communicantes, quamuis enim fideles, elapso tempore paschali, non teneantur ex vi præcepti à iure communi impositi Eucharistiam sumere, nihilominus fieri potest vt ex alio præcepto obligentur, etiam sub censura, modò censura lata sit absolutè, & nõ solùm contra non communicantes tempore Paschatis in confirmationem iuris communis. Ita Henriquez *lib.*1. *de pœnitentia, c.* 4. *num.* 6. & alij communiter.

Dixi in responsione quæsiti, *probabiliter sustineri posse non teneri*, &c. nam etiam valde probabile videtur, eum, qui non communicauit in Paschate, teneri adhuc transacto tempore paschali, quàm primùm commodè potest communicare. Ita absolutè tenet Suarez *disp.*70.*sect.*2 *vers. Dico ergo*, Nugnus *q.*80. *art.*11. *difficultate* 2. *vers. Nihilominus*, Viguerius *in instit. cap.*16. Pitigianus *dist.*9. *q.*3. *art.*9. *vers. his tamen non obstantibus*, Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. *§.*106. Chamerota *de Eucharistia cap.* 10. *dub.* 2. Nauarrus *cap.* 21. *num.*45. Azorius 1. *part. lib* 7. *c.* 41. *quæsito* 5. Reginaldus *loco citato, num.*75. [Filliucius *tract.*4. *cap.*2. *q.* 9. *num.* 58.] & hanc sententiam probabilem putat Coninchus *num.* 109. Sicut etiam probabilem putat oppositam. Ratio est, tum quia sumptio Eucharistiæ absolutè præcipitur saltem semel in anno, & tempus Paschatis non est positum ad finiendam obligationem, sed ad solicitandam, & ad non differendam communionem vltra tempus Paschatis, quod tẽpus est magis opportunum, & conueniens adimpletioni præcepti: quando autem aliquid absolutè præcipitur, illique assignatur aliquod tempus, tanquam magis congruum adimpletioni præcepti, elapso eo tempore non cessat obligatio; ergo elapso tempore Paschatis, non cessat obligatio communicandi. Quod autem præceptum communionis sit absolutè latum, patet tum ex illis verbis, quę habentur *in cap. omnis vtriusque sexus; suscipiens reuerenter ad minus in paschate Eucharistiæ Sacramentum.* Tum quia sic videtur communi vsu, & consuetudine Ecclesiæ receptum, cùm Ecclesia soleat eos, qui non communicarunt in Paschate, vel post aliquod tempus, interdicere, eósque ab interdicti vinculo non absoluere, donec confiteantur, & decernant communicare.

Ad rationem primæ sententiæ responsio patet ex rationibus in secunda sententia allatis, nam præceptum communionis non ita videtur affixum tempori Paschatis, sicut est præceptum ieiunij, & Missæ audiendæ, quod est affixum tempori determinato.

Qui verò sequi voluerit primam sententiam, respondeat ad argumenta secundæ sententiæ, tempus præfixum esse ad finiendam obligationem in ipsomet tempore paschali, quo tempore peculiari quadam cum reuerentia colitur Eucharistia, & recolitur memoria institutionis tanti Sacramenti.

Ad id, quod desumitur ex vsu, & praxi Ecclesiæ, respondetur, non obstare primæ sententię, in qua fuit addita limitatio ob cõsilium Confessarij, vel ob aliam specialem prohibitionem consuetudine receptam.

14 *An peccet mortaliter, si quàm primùm data opportunitate non communicet.*

14 Hinc sequitur, eum qui non communicauit in Paschate, non peccare mortaliter, si elapso tempore paschali, data opportunitate non communicet, nisi fortè distulerit communionem ob consilium Confessarij, vel nisi extet aliqua specialis prohibitio, & hoc verum est adhærendo primæ sententiæ. Secus si secundam velimus sustinere, quam diximus esse valde probabilem.

15 *An teneatur anticipare communionem, qui præuidet se eam tempore debito nõ posse recipere.*

15 QVÆRES SEXTO, vtrùm, qui præuidet se ita impediendum in Paschate, vt intra illos quindecim dies non possit communicare, teneatur communionem anticipatè sumere.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, tum quia ante prædictum tempus præceptum communionis non obligat: tum quia qui præuidet se ita impediendum in die festo, vt non possit Missam eo die audire, non tenetur anticipare, ergo neque tenetur anticipare communionem sumere, qui se præuidet impediendum in Paschate, tum quia si quis Eucharistiam sumpsisset antecedenti tempore, & postea tempore Paschatis posset communicare, teneretur adhuc communicare; ergo sequitur, non satisfeciſſe anticipando, & consequenter non teneri anticipare communionem sumere. Ita Reginaldus *loco citato, num.*76. Suarez *disp.*70.*sect.*2. *dub.*3. Coninchus *loco citato, num.*108. Pitigianus *dist* 9. *q.*3. *art.*9. *sub finem*, Azorius *loco citato, quæsito vltimo*, [Filliucius *tract* 4 *cap.*2. *q* 9 *num.* 59. Molfesius *tract.*3.*c.*8.*n.*28.] & alij *locis citatis.* Nec dissentire videtur Nugnus *loco citato, difficultate* 3. *dub.*3.

Secus dicendum est de eo, qui in hebdomada sancta animaduertit, se non posse sequentibus diebus communicare ob superuentura impedimenta. Cùm enim tunc temporis afficiatur obligatione præcepti, & possit illud adimplere, dicendum omnino est teneri ea hebdomada communicare. Idem præter citatos Doctores tenet Emanuel Sà *verb. Eucharistia ad finem.*

[Vtrùm verò excommunicatus teneatur expectare absolutionẽ excommunicationis, vt satisfaciat præcepto communionis, patet ex dictis de censuris in genere *q.*2 *punct.*3. *§.* 1. *n.*5. vbi affirmatiuam sententiam sustinui cum Nauarro, Auila, Nugno & alij quibus adde Molfesium *in summa tract.*3.*c.*8.*n.*30.]

16 *An melius sit frequentius cõmunionem sumere, quàm rarò.*

16 QVÆRES VLTIMO, vtrùm melius sit frequentius communionem sumere, quàm rarò.

RESPONDEO per se loquendo, melius esse frequentius communicare, quàm rarò, vt patet, tum ex vberrimis fructibus, qui ex augustissimo Eucharistiæ Sacramento percipiuntur: tum quia communicare cum debita dispositione est opus per se bonum, abstinere verò est bonum solùm per accidens, quod autem bonum est per se, melius est, quàm bonum per accidens. Ita S. Thom. 3. *parte q.* 80.*ar.*10. Coninchus *ibidem*, Nugnus *ibidem concl.* 5. Reginald. *loco citato. n.*68. *&* 72. Valentia *tom.*4. *disp.*6. *q.*8 *puncto* 4.*versic.*6. Suarez *disp.*69. *sect.*4. *concluſ.*2. Henriquez *lib.*8. *cap.*53. Bartholomæus ab An-

ab Angelo *dialogo 4. §. 97.* Chamerota *de Eucharistia c.10 dub. 6.* & alij, & constat ex Trid. *sess. 22. c. 6.*

Fieri tamen potest, vt aliquando melius sit abstinere à communione, quàm communicare, vt quando ita postulat decentia, & honestas, vt patet ex supradictis de dispositione corporali ad vitandam irreuerentiam Sacramenti.

Quoties autem sumenda sit Eucharistia, non potest certa regula præscribi, & assignari, sed pro diuersitate statuum, & personarum præscribenda est, nam religioso expedit frequentius communicare, quàm sæculari; Sacerdoti, soluto, quàm coniugato. Rarò tamen personis non religiosis consulendum est, vt frequentius communicent, quàm octauo quoque die, vt maiori cum reuerentia, & iudicij maturitate discernant cibum à cibo. Ita Suarez *loco citato, concl.* 3. Reginaldus *loco citato, num.* 69. Nugnus & alij *locis citatis.*

17 *An Sacerdos possit singulis diebus celebrare.*

17 Si QVAERAS, vtrùm Sacerdotes possint singulis diebus celebrare.

RESPONDETVR affirmatiuè per se loquendo. Ratio est, tum quia non est prohibitum quòtidie celebrare, tum quia Missæ sacrificium cedit in magnum Dei cultum, vberes fructus reddit. [Ita communiter DD. teste Suarez *disp.* 80 *sect.* 2. & Filliucio *tract.* 5. *cap.* 4. *q.* 3. *num.* 102.] Excipiendi tamen sunt aliqui dies, qualis est feria sexta, & Sabbathum sanctum, aut etiam feriæ sextæ Quadragesimæ, in quibus Missa non celebratur ritu Ambrosiano, aut in Ecclesijs Ambrosianis. Excipi etiam possunt alij dies iuxta locorũ consuetudinem, quæ in hac re seruanda est, vt bene tradit Suarez *disp.* 80 *sect.* 2. Reginaldus *lib.* 26. *num.* 109. Coninchus *q.* 83. *art.* 2. *dub.* 2. Nauarrus *cap.* 23. *num.* 88. Azorius 1. *part. lib.* 10. *cap.* 24. *quæsito* 4. Rodriquez *in summa cap.* 249. *de Missa num.* 3. Graffius 1. *part. lib.* 2. *decisionum cap.* 39. *num.* 13. Bartholomæus ab Angelo *dialog.* 5. §. 232.

Addo excipiendam etiam esse feriam quintam hebdomadæ Sanctæ, quo die non potest Missa celebrari à singulis Sacerdotibus; nam consuetudine receptum est, vt eo die vna tantùm Missa celebretur in Ecclesijs. Ita Azorius 1. *part. libr.* 10. *capit.* 24. *quæsito* 5. Quanquam Suarez *loco citato sect.* 2. Nauarrus *cap.* 25. *num.* 88. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *ar.* 2. Reginaldus *lib.* 29. *n.* 107. Coninchus *loco citato dub.* 2. *n.* 110. [Filliucius *tract.* 5. *c* 4. *q.* 5. *n.* 105.] putant licitum esse cuilibet Sacerdoti eo die celebrare, secluso scandali periculo, nam prædicta consuetudo non videtur inducta tanquam obligatoria, sed potiùs ex deuotione.

Verùm sententia Azorij mihi probabilior videtur ob consuetudinem receptam, quæ vim legis habere consueuit, nisi fortè alicubi constet solùm inductam fuisse ex deuotione.

18 *An possit priuatim celebrare in feria quinta, aut in sabbato Sancto.*

18 Hinc facilè expediri potest illa quæstio, qua quæritur, vtrùm quilibet Sacerdos possit priuatim die Sabbati sancti, aut in feria quinta hebdomadæ Sanctæ celebrare, præsertim si in eum diem incidat dies festus Annuntiationis.

RESPONDETVR enim standum esse consuetudinibus locorum receptis, vt bene tradit Azorius *loco citato q.* 8. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 30. [Filliucius *tract.* 5. *cap.* 4. *q.* 5. *num.* 107.] & alij contra Rodriquez *loco citato*, asserentem, Sacerdotem præcisa quacumque consuetudine posse illis diebus celebrare: consuetudo enim sicut potest leges abrogare, ita etiam inducere. Quamquam Coninchus, & Suarez putant, eo die posse celebrari, sed hoc non videtur verum, præcisa consuetudine legitimè recepta. Ita Azor. 1. *part. lib.* 10. *cap.* 24. *q.* 4.

Addit Henriquez licitum esse in Sabbatho sancto priuatim celebrare ad communicandum ægrotum, obligatio enim non celebrãdi priuatim Missam in die Sabbati sancti, non videtur cum tanto rigore recepta, quin liceat pro tanta infirmi necessitate priuatim celebrare, si Sacerdos careat hostijs ad communicandum infirmum in articulo mortis existentem.

19 [*An omittẽs communionem in Paschate aliquam censuram incurrat.*]

19 [QVÆRES VLTIMO, vtrùm omittens communionem in Paschate aliquam censuram incurrat.

RESPONDEO, non incurrere vllam censuram ipso facto, sed interdicendum esse ingressu Ecclesiæ, & priuandum Ecclesiastica sepultura: vt habetur *in cap. omnis vtriusque sexus. de pœnitent. & remiss.*]

QVÆSTIO VLTIMA.

De Missæ Sacrificio.

IN hac quæstione disputandum est primò, quid sit Missa quo ad nomen, & essentiam. Secundò, quænam sint partes essentiales sacrificij Missæ. Tertiò, quos effectus pariat Missæ sacrificium. Quartò, vtrùm valor, & effectus Missæ sit finitus, vel infinitus. Quintò, quòdnam sit subiectum, pro quo potest offerri, & applicari sacrificium Missæ. Sextò, quisnam sit minister sacrificij Missę. Septimò, quanta sit obligatio Sacerdotis circa Missæ celebrationem. Octauò, qua hora, quo loco, quibus vestibus, ac vasis celebranda sit Missa. Nonò, vtrùm Sacerdos accipere possit eleemosynam, seu stipendium pro Missę celebratione. Decimò, quomodo corrigenda sint vitia, & defectus in Missa contingentes. Vndecimò, vtrùm fideles teneantur Missæ sacrum audire. Duodecimò, quo loco, quibus diebus, & cuius Sacerdotis Missæ sacrum audiendum sit. Decimotertiò, quibus de causis excusentur fideles ab audienda Missa.

PVN-

PVNCTVM I.

Quid sit Missa quo ad nomen, & essentiam.

PRIMA PROPOSITIO.

1 NOmine Missæ intelligitur actio sacra, qua conficitur Christi Corpus, quod Deo in Missa offertur, & à Sacerdote sumitur per communionem. 1 *Missæ nomine quid intelligatur.*

Dicitur Missa à Latinis, quia per consecrationem Christus ad nos mittitur à Patre, & per oblationem, ac sumptionem, à nobis remittitur ad Patrem. Ita Bellarminus *lib.* 1. *de Missa cap.* 1. A Græcis Missa dicitur Λειτουργία, id est, publicum munus, & ministerium sacrificij, quo recolitur memoria sacrificij cruenti Christi. Ab Hebræis dicitur *Micha*, id est, oblatio, vt obseruat Henriq. *lib.* 9. *c.* 10. *num.* 20. Toletus *lib.* 2. Bartholomæus ab Angelo *dial.* 5. *de Missa §.* 17. *&* 20. S. Th. 3. *part. q.* 73. *art.* 10. Angelus & Syluester *v. Missa, num.* 1. & Tabiena *ibid.* Chamerota *de sacrificio Missæ dubio* 1. *pag.* 263. [Molfesius *tract.* 3. *c.* 10. *n* 22.] Vasquez 3. *part. disp.* 221. *c.* 1. *n.* 2. & alij.

2 Hinc colligunt Doctores, Missam esse sacrificium, vt patet tum ex nominis explicatione, tum ex Tridentino *sess.* 22. *cap.* 1. tum quia in Missa continetur consecratio, consumptio, & oblatio, quæ omnia spectant ad essentiam sacrificij; tum quia ius naturale dictat dãdum esse aliquod sacrificium, in quo Christiani conueniant ad colendum, & placandum Deum: aliud autem non potest assignari præter Missam, in qua repræsentatur sacrificium, quo Christus se ipsum Deo obtulit in Cruce moriendo. Ita Suarez *disput.* 72. *sect.* 2. Reginaldus *lib.* 29. *nu.* 145. [Filliucius *tract.* 5. *cap.* 1. *quæst.* 5. *&* 9.] & alij communiter. 2 *An Missa sit sacrificium.*

SECVNDA PROPOSITIO.

3 MIssa, seu Missæ sacrificium est cæremonia sacra, qua res aliqua sacratur aliquo modo, consumitur, & soli Deo offertur in ipsius cultum, & recognitionem supremæ maiestatis, & excellentiæ. 3 *Missæ Sacrificium quid sit.*

Dicitur *cæremonia sacra, seu actio sacra*; quia sacrificium non est res ipsa, quæ offertur, sed potiùs consistit in actione circa rem oblatam.

Dicitur *sacra*, quia spectat ad religionem, cùm per ipsam colatur Deus, & ipsa versetur circa rem sacram, quæ offertur.

Dicitur, *qua res aliqua sacratur, & consumitur aliquo modo*, vt aduertamus, sacrificium Missæ in his tribus actionibus consistere, videlicet in consecratione, consumptione, & oblatione, vt constabit ex dicendis puncto sequenti.

Dicitur, *in ipsius cultum, & recognitionem*, quia ratio formalis sacrificij in hoc consistit, vt per ipsum Deus colatur, & recognoscatur. [Ita Suarez *sect.* 6. Reginaldus *loco citato* Filliucius *tract.* 5. *cap.* 1. *q.* 2.

4 Si QVAERAS à quónam instituta fuerit Missa. 4 *[Missa à quo fuerit instituta.]*

RESPONDEO quoad substantiam institutam fuisse à Christo. Christus enim in vltima cœna sacrificium obtulit, & præceptum de sacrificando dedit. Quoad cæremonias verò instituta fuit ab Ecclesia, ex Trid. *sess.* 22. ita DD. cit.]

PVNCTVM. II.

Quænam sint partes essentiales sacrificij Missæ.

VNICA PROPOSITIO.

1 PArtes essentiales Sacrificij Missæ sunt consecratio, oblatio, & consumptio. 1 *Partes essentiales Missæ quænam sint.*

2 Quòd consecratio sit pars essentialis, patet, tum ex ipso nomine sacrificij, quod consistit in re sacra, seu rem sacram efficit; tum quia si consecratio non esset de essentia, sequeretur, quamlibet posse Missam celebrare, & sacrificare, cùm non solùm Sacerdotes, verùm etiam alij offerant, & sumant Eucharistiam, tum quia sacrificium Missæ offertur in persona Christi, & fit ad ipsius commemorationem. Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* nihil autem magis facit Sacerdos in persona Christi, quam consecrationem, cùm dicat, hoc est corpus meum. Ita Suarez *loco citato*, Pesantius 3. *part. q.* 83. *ar.* 6. *disp.* 3. Henriquez *lib.* 9. *cap* 9. *n.* 1. Azorius 1. *part. lib.* 10. *c.* 19. *ad finem* 1. *quæsiti*, Bellarminus *lib.* 1. *de Missa c.* 27. Reginaldus *loco citato, n.* 146. Coninchus *q.* 83. *art.* 1. *num.* 96. & alij contra Pitigianum *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 3. *concluſ.* 1. & Vasquez 3. *part. disp.* 222. *c.* 5. existimantes, essentiam sacrificij consistere in sola consecratione. 2 *An fiat sacrificium, quando Sacerdos populo ostendit hostiam pridie consecratam.*

Hinc sequitur primò, non fieri sacrificium, quando Sacerdos ostendit populo hostiam pridie consecratam, nec ipse aliam consecrat, quamuis eam frangat, & sumat, deficit enim consecratio, quæ est pars essentialis. Ita Henriquez *loco citato numer.* 2. & alij.

3 Secundò, in feria sexta Parasceues non fieri propriè sacrificium, cùm non adsit noua hostiæ consecratio. Ita Henriquez *loco citato*, [Suarez 3. *p. disp.* 75. *sect.* 4. Filliucius *tract.* 5. *c.* 1. *q.* 7. *n.* 23.] & alij, quos tacito nomine refert Nugnus *q.* 83. *art.* 1. *§. In* 2. *verò parte dubio* 1. *in principio*, contra ipsum Nugnum *ibid. versic. Confirmatur secundò, fol* 482. 3 *In feria sexta Parasceues an fiat propriè sacrificium.*

4 Tertiò, fieri sacrificium, quando vnus Sacerdos perficit Missam inchoatam ab altero, qui perijt post consecrationem, adest enim consecratio, & actio præcedentis coniungitur cum actione alterius, ita vt integretur, & perficiatur vnum sacrificium. Ita Henriquez *loco citato.* 4 *An fiat sacrificium, quando Sacerdos perficit Missam ab altero inchoatam.*

5 Quartò,

1 *An fiat sacrificium, quando Sacerdos reposuit hostiã consecratam in Sacrario, & ipse sumit hostiã ab altero consecratã.*

5 Quartò, fieri sacrificium quando Sacerdos hostiam, quam in Missa consecrauit, reponit in Sacrario, & ipse sumit hostiam ab alio consecratam, adest enim consecratio, oblatio, & sumptio. Ita Henriquez *loco citato.*

Quòd oblatio sit de essentia sacrificij Missæ, patet, tum quia nõ censetur sacrificium, donec res offeratur, tum quia si Sacerdos facta consecratione pereat, tenetur alius Sacerdos offerre, & sumere, vt integrum fiat sacrificium. Ergo signum est, oblationem esse de essentia sacrificij, alioquin alius Sacerdos non teneretur offerre, quidquid Suarez, Coninch. [& Filliuc. *loco citato.*] Vasquez 3. *part. disp.* 222. *c.* 1. *n.* 7. & alij sentiant in contrarium.

6 *Quotuplex sit oblatio, quæ contingit in Missa.*

6 Aduertendum tamen est, duplicem oblationem in Missa contingere. Prima contingit, quando offertur panis; vt fiat Corpus Christi, Secunda, quando post consecrationem offertur ipsum Christi corpus. Prima oblatio ordinatur ad secundam, tamquam ad eam quam diximus esse de essentia. Ita Henriquez, Azorius, Nugnus & alij apud Azorium *lib.* 10. *cap.* 16. *quæsito* 1. contra Suarez, Coninchum, [Pitigianum, Vasquez,] & alios *locis citatis*, existimantes, oblationem non esse de essentia. Hic obiter obserua, particulas, quæ ad altare deferuntur pro communione laicorum, debere in altari adesse ante primum offertorium, videntur enim ad idem sacrificium pertinere, ad quod pertinet hostia grandior: sicut autem hostia grandior debet adesse ante primum offertorium, ita etiam adesse debent particulæ pro communione laicorum. Ita rubrica Clementis VIII. *de defectibus celebrationi occurrentibus c.* 3. *n.* 4. Contra nonnullos alios, quos tacito nomine refert Possevinus, *c.* 2. *n.* 27. & 28.

Quod denique ad Missæ sacrificium requiratur consumptio, patet, tum quia non omnia, quæ sacrantur, & offeruntur Deo, dicuntur sacrificia, vt constat ex vasis sacris, quæ diuino cultui sunt dicata, sed non sunt sacrificia. Ad sacrificium igitur requiritur cõsumptio, quæ fieri debet per Sacerdotem consecrantem, vel per alium deficiente primo: tum quia in Consilio Toletano XI. *cap.* 5 & *cap. relatum. de consecratione, dist.* 2. contra quosdam Sacerdotes, qui consecrabant, & non communicabant, dicitur, quale erit sacrificium, cuius neque ipse sacrificans particeps efficitur. Tũ quia de ratione huius sacrificij est, vt sit repræsentatio passionis Christi, iuxta illud, *Hoc facite in meam commemorationem.* non repræsentantur autem passio & mors Christi, nisi adsit consumptio, vt colligitur ex 1. Corinthiorum 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*

Neque obstat, Corpus Christi per sumptionem non mutari secundùm suum esse naturale, ad Romanos 6. *Christus resurgens à mortuis, iam non moritur,* sufficit enim mutari secundùm esse sacramentale, cùm desinat sub speciebus per ipsarum corruptionem. Ita Nugnus *loco citato, concl.* 4. Henriq. *loco citato, n.* 4. & 7. Bellarminus Chamerota *loco citato* & alij *loc. citat.*

Hinc colligi potest non dari fructum, & effectum sacrificij ex opere operato, nisi facta sumptione, cùm ad essentiam sacrificij pertineat sumptio.

7 *An requiratur ad essentiam sacrificij sũptio, & oblatio vtriusque speciei.*

7 Non tamen requiri videtur ad essentiam sacrificij sumptio, & consecratio vtriusque speciei, cùm sacrificium Christi cruentum repræsentari possit per alteram tantùm speciem, iuxta Henriquez *loco citato, numer.* 10. Nugnum *loco citato concl.* 4. Pitigianum *dist.* 13. *q.* 2. *artic.* 3. & alios apud Azorium *loco citato quæsito* 2. omissis ijs, quos retuli de Materia Sacramenti Eucharistiæ contra Vasquez 3. *parte disput.* 223. *cap.* 3. *numer.* 12. [Bellarminum *lib.* 4. *de Eucharistia cap.* 22. Filliucium *loco citato, quæst.* 8. *numer.* 25.] & alios, quos ipse refert.

PVNCTVM III.

Quos effectus pariat Missæ Sacrificium.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Effectus Missæ quot sint.*

1 Tres sunt effectus sacrificij Missæ.

2 *An Missa conferat gratiam, & peccata remittat.*

2 Primus, est conferre gratiam, & remittere peccata, & ideo sacrificium dicitur propitiatorium. Hic effectus certus est apud fideles, tum ex Tridentino *sess.* 22. *c.* 2. vbi de effectu huius Sacramenti loquitur in hæc verba; huius quippe sacrificij oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit: tum ex pluribus alijs locis apud Suarez, & apud alios Doctores locis statim citandis, quos hic breuitatis gratia prætermitto.

3 *An sacrificium conferat primam gratiam.*

3 Sed modò Dvbivm est primò, vtrùm sacrificium conferat primam gratiam, & remissionem peccatorum mortalium quo ad culpam.

Respondeo primò, non conferre primam gratiam, & remissionem peccatorum per se, & immediatè. Ratio est, tum quia sequeretur confessionem non esse simpliciter necessariam ad tollendum peccatum mortale commissum post Baptismum, & non dici secundam post naufragium tabulam. Ita Henriquez *lib* 9. *c.* 14. *n.* 3. Ludouicus Miranda *in Manuali Prælatorum* 1 *part. q* 41. *art.* 8, *concl.* 2 & 3. Suarez, [*disp.* 79 *sect.* 2. Filliucius *tract.* 5. *c.* 3. *q.* 1. *nu.* 57.] & alij DD. statim citandi.

Respondeo secundò, sacrificium Missæ aliquo modo mediate conferre primam gratiam, quatenus scilicet Deus intuitu sacrificij tribuit auxilium ad contritionem, qua remittitur peccatum mortale, vt colligitur ex verbis Tridentini *loco citato, cap.* 1. & 2. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 12. *q* 2. *quæstiuncula* 2. *artic.* 2. *ad quartum*, Durandus *ibidem q.* 4. Suarez *disp.* 79. *sect.* 3. *concl.* 4. Paulus Fraxinellus *de obligationibus Sacerdotum, sect.* 3. *prænotione* 4. § 2. Reginaldus *l.* 29. *num.* 151. Nugnus *q.* 83. *art.* 1. § *in tertia parte, dub.* 6. *concl.* 5. *pag.* 493. Coninchus *q.* 83. *art.* 1 *dub.* 8. Azorius 1. *parte lib.* 10. *c.* 20. *quæsito* 2. Miranda *loc. cit. concl.* 3. Bellarminus *de Missa lib.* 2 *cap.* 2. Vasquez 3. *parte disp.* 228. *cap.* 2. *num.* 10. Henriquez *loco citato, littera K.* [Filliucius *loc. cit. num.* 60.]

4 *An auxilium in Missa collatum sit efficax, vel sufficiens tantùm.*

4 Rogabis, vtrùm auxilium, quod per sacrificium confertur ad eliciendum contritionis actum, sit efficax, vel tantùm sufficiens.

Respondeo, in hac re magnam esse inter Doctores controuersiam, nam Suarez *loco citato*, & alij existimant esse efficax, Durandus verò, Corduba, Canus, & alij, quos sequitur Nugnus *q.* 83. *art.* 1. § *in tertia parte, dubio* 4. *versic. Pro cuius explicatione, pag.* 492. [Filliucius *tract.* 5. *c.* 3. *q.* 1. *num.* 61.] asserunt esse tantummodò sufficiens. Ratio est, tum quia experientia constat peccatorem, pro quo sacrificium offertur, aliquando non conuerti, neque specialiter moueri ad conuersionem: tum quia sicut sufficit, vt auxilia, quæ conferuntur à Sacramentis, sint sufficientia, ita sufficit, vt sufficientia sint auxilia quæ per sacrificium obtinentur, & hæc opinio mihi probabilior videtur. Quamuis non negem esse efficacia respectu eorum, qui actualiter conuertuntur, & contritionis actum eliciunt.

5 *An sacrificium remittat peccata venialia.*

5 Secundò Dvbivm est, vtrùm sacrificium Missæ remittat peccata venialia.

Respondeo, remittere mediatè, quatenus confert speciale auxilium ad eliciendum perfectum amoris, vel doloris actum per quem remittuntur peccata venialia. Ratio est, quia, sicut habet vim impetrandi remissionem mortalium, ita etiam videtur habere venialium. Ita Azorius *loco supra citato, quæsito* 4. Miranda *loco citato, art.* 10. Suarez *disp.* 79. *sect.* 5. Reginaldus *numer.* 151. Nugnus *loc. citato* § *in secunda parte, dubio* 2. Coninchus *ibidem dubio* 8. *concl.* 2. *num.* 135. [Filliucius *tract.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 3. *n.* 64.] & alij contra Henriquez *cap* 13. Cordubam *lib.* 2. *q.* 3. *notabili* 4. Paulum Fraxinellum *sect.* 3. *prænotione* 4. § 2. & alios asserentes, per sacrificium deleri peccata venialia, non solùm mediatè, verùm etiam immediatè, sicut per Sacramentalia, sed de hac re infrà de Sacramento pœnitentiæ.

Hinc colligi potest, hominem attritum, cui Missæ sacrificium applicatur, non iustificari, nisi contritionis actum eliciat, ad quem eliciendum confertur speciale auxilium per sacrificium.

6 *An sacrificium impetret nobis bona, quæ petimus.*

6 Secundus effectus sacrificij est impetrare nobis bona, quæ petimus. Propterea sacrificium appellatur impetratorium. Ita Doctores citati.

Ex quo sequitur, sacrificium prodesse ex vi suæ institutionis ad obtinendum id, ad quod obtinendum offertur. Ratio patet, tum ex vsu Ecclesiæ, quæ consueuit in hoc sacrificio pro necessitatibus, tam spiritualibus, quàm temporalibus orare, quamuis temporalia non obtineantur, aut non statim obtineantur; nam petuntur sub implicita conditione, si conducant saluti: tum quia fideles semper crediderunt, magnam vim tribui orationi ad impetrandum effectum per coniunctionem orationis cum sacrificio: & quamuis effectus à nobis intentus re ipsa non obtineatur infallibiliter, nihilominus sacrificium tribuit magnam vim orationi, eámque magis dignam efficit, vt exaudiatur, habétque suum effectum ex opere operato. Ita Miranda *in Manuali Prælatorum q.* 41. *art.* 12. Suarez *disp.* 79. *sect.* 7. *concl.* 1. & 2. Azorius 1. *parte, lib.* 10. *cap.* 21. *quæsito* 4. Reginaldus *loco citato, n.* 151. & 155. Henriquez *l.* 9. *cap* 13. *n.* 3. Valentia *t.* 4. *disp.* 6. *q.* 11. *punct.* 1. § 23. Coninch. *loco cit. concl.* 5. Chamerora *de Missæ sacrificio dub.* 10 *pag.* 273. [Filliucius *tract.* 5. *c.* 3. *q.* 5. *n.* 70.] & alij communiter.

7 *An satisfaciat pro peccatis.*

7 Tertius effectus sacrificij est, satisfacere pro peccatis, & ob id dicitur satisfactorium, vt patebit ex rationibus adducendis, cum DD. citandis.

8 *An prosit ad remittẽdam pœnã peccatorum.*

8 Hinc sequitur, sacrificium prodesse ad remittendam pœnam peccatorum. Immò hunc esse primarium sacrificij effectum, vt patet tum ex *Machabæorum* 12. vbi dicitur: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio offerre sacrificium pro defunctis, & exorare, vt à peccatis soluãtur*, id est, vt soluantur à pœnis peccatorum, cùm defunctis non remittatur culpa saltem mortalis, sed pœna: tum ex Tridentino, vbi habetur, hoc sacrificium offerri pro viuorum peccatis, & pœnis. Ita Henriquez *loco citato, num.* 1. S. Thom. *q.* 79. *art.* 5. Nugnus *q.* 83. *art.* 1. §. *In secunda parte dubio* 4. *fol.* 487. Suarez *disp.* 79. *sect.* 6. Reginaldus *loco citato, nu.* 151. & fusissimè Valentia *loc. cit.* § 19. Azor. 1 *part. lib.* 10. *c.* 20. *quæsito* 5. Miranda *in Manuali Prælat. q.* 41. *art.* 11. *in principio*, Vasquez 3. *part. disp.* 228. *cap.* 4. *num.* 26. [& Filliucius *n.* 67.]

Ex dictis in hoc puncto patet, sacrificium esse propitiatorium, impetratorium, & satisfactorium, qui sunt tres effectus sacrificij Missæ. Ita Pitigianus *dist.* 13. *q.* 2. *ar.* 6. & alij suprà citati.

PVNCTVM IV.

Vtrùm effectus, & valor sacrificij Missæ sit finitus, an infinitus.

1 *Valor quotupliciter dicatur infinitus.*

1 Aduertendum est primò, valorem dupliciter dici infinitum. Primò intensiuè. Secundò extensiuè.

Ille dicitur valor infinitus intensiuè, qui parit effectum infinitum.

Ille verò dicitur infinitus extensiuè, qui non tot prodest, quin posset prodesse pluribus.

Secundò aduertendum est cum Nauarro *cap.* 15. *num.* 92. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 11. *punct.* 1. § 25. Suarez *disput.* 79. *sect.* 9. Bartholomæo ab Angelo *dial.* 5. §. 508. [Filliucio *tract.* 5. *cap.* 3. *q.* 7. Molfesio *in summa tract.* 3. *cap.* 15. *numer.* 21. Scortia *lib.* 1. *de sacrificio, cap.* 9.] & alijs communiter, triplicem esse Missæ fructum, & valorem.

Primus dicitur generalis, quem Ecclesia intendit applicari, non solùm omnibus omninò fidelibus, viuis, & defunctis, verùm etiam Summo Pontifici, Imperatori, Regi, Episcopo, & alijs fidelibus, quorum meminit Sacerdos in sacrificio, siue sint absentes, siue etiã præsentes, quem fructum quisque recipit maiorem, aut minorem iuxta Christi determinationem, intentionem Ecclesiæ, & propriam vniuſ-

vniuscuiusque cooperationem ad sacrificium, vt bene obiciunt Valentia *loco citato*, Miranda *q.* 41. *ar.* 4. *concluſ.* 1. Azor. 1. *part. lib.* 10. *cap.* 20. *quæſito* 9. *ad finem*, & alij. Quanta autem vnicuique portio contingat, Deus nouit, illud tamen conſtat, vnumquemque plus gratiæ recipere, quo plures habet titulos ad maiorem portionem recipiendam, vt ſi non ſolùm interſit, verùm etiam inſeruiat, &c. Ita Vaſquez 3. *p. diſp.* 231. *c.* 7. *n.* 50.

2 *Quotuplex ſit Miſſæ fructus.*

2 Secundus eſt ſpecialis, quem alij ſpecialiſſimum vocant, & eſt proprius ipſius Sacerdotis, quem fructum Sacerdos non tenetur, nec etiam poteſt ex ſententia multorum Doctorum, quos infrà referam, alteri applicare. Ita Azor. *loco citato*.

Tertius eſt medius, quem alij appellant ſpecialem, & hic competit ijs, pro quibus Sacerdos intendit ſacrificium ſpecialiter offerre, & applicare iuxta praxim Eccleſiæ, quæ ſacrificium, modò pro vno, modò pro alio ſpecialiter offerre conſueuit. Ita Azor *loco citato*, Pitigianus *diſt.* 13. *q.* 2. *ar.* 6.

His poſitis quærendum eſt primò, vtrùm Miſſæ valor ſit infinitus intenſiuè, ſiue conſideretur ſecundùm valorem generalem, ſiue ſpecialem, ſiue medium.

Secundò, vtrùm ſit infinitus extenſiuè, ſi conſideretur ſecundùm valorem generalem.

Tertiò, vtrùm ſit infinitus extenſiuè ſecundùm valorem mediũ, omiſſo valore ſpeciali, quem conſtat eſſe perſonalem, & proprium ipſius Sacerdotis, cui finito modo applicatur, iuxta maiorem, vel minorem deuotionem: ſicut etiam finito modo applicatur alijs offerentibus, quales ſunt aſtantes, & inſeruientes, qui ſuum fructum recipiunt, qui non minuitur ex conſortio aliorum. Ratio eſt, tum, quia cùm aſtantes, & inſeruientes concurrant ad oblationẽ, par eſt, vt recipiant ſuum fructum, qui non minuatur per multiplicationem aſtantium: ſicut enim multiplicatis aſtantibus, & inſeruientibus multiplicantur, & creſcunt oblationes partiales, & perſonales; ita etiam creſcere debet fructus ad ratam offerentium, tum quia preces multorum ſimul coniunctæ ſunt magis efficaces, magiſque dignæ videntur, quæ à Deo miſericordiæ, & pietatis auctore exaudiantur. Ita Coninchus *q.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. *concluſ.* 6. *nu.* 187. Suarez *diſp.* 79. *ſect.* 8. & *ſect.* 12. Paulus Fraxinellus *ſect.* 3. *prænotione* 4. *§* 8. & *ſect.* 6. *§.* 6. *argumentum*. Vaſquez 3. *p. diſp.* 226. *c.* 2. *n.* 6. Azor 1. *p. lib.* 10. *c.* 21. *quæſito* 3. & alij.

PRIMA PROPOSITIO.

3 *An valor ſacrificij, quatenus offertur à Sacerdote, ſit infinitus intenſiuè.*

3 VAlor ſacrificij, quatenus ſacrificium offertur à Sacerdote, non eſt infinitus intenſiuè, conſequenter, ſiue ſacrificium ſpectetur iuxta valorem generalem, ſiue medium, ſiue ſpecialem, non eſt infinitus intenſiuè. Ratio eſt, tum quia ſacrificium eſt inſtrumentum, quo nobis applicantur merita paſſionis Chriſti, ſed inſtrumentum, quo nobis applicantur merita paſſionis Chriſti, non habet tantum valorem, quantum habet ipſa paſſio Chriſti: paſſio autem Chriſti habuit valorem infinitum; ergo ſacrificium Miſſæ non habet valorem infinitum; tum quia ſequeretur, vno ſacrificio poſſe totum purgatorium exhauriri: tum quia ſolent aliquando plures Miſſæ celebrari ad eandem rem impetrandam, hoc autem fruſtra fieret, ſi Miſſa valoris eſſet infiniti: tum quia rariùs ſacrificium offerretur, fidelibus ſperantibus ſe vnico Miſſæ ſacrificio effectum infinitum recepturos: tum quia Sacramentum Euchariſtiæ confert ſuſcipienti effectum finitum, quamuis contineat Chriſtum gratiæ auctorem; ergo etiam Miſſæ ſacrificium confert effectum finitum.

Dixi in propoſitione, *quatenus offertur à Sacerdote*, nam ſi Miſſæ ſacrificium conſideretur, quatenus continet Chriſtum, certum eſt eſſe infiniti valoris. Quod vt meliùs intelligatur;

4 *Quid conſideretur in Sacramento Euchariſtiæ.*

4 Obſeruandum eſt, in Sacramento Euchariſtiæ duo conſiderari. Primum eſt res contenta in Sacramento Euchariſtiæ, & hæc eſt Chriſtus, quem conſtat valoris eſſe infiniti. Secundum ſunt actus ſacrificij, qui fiunt à Sacerdote, & non habent valorem infinitum intenſiuè, ita vt infinitum effectum pariant, ſed habent determinatum terminũ, & gradũ, & quamuis fortè ſit maior gradus reſpectu magis diſpoſiti, quàm reſpectu minus diſpoſiti, nihilominus etiam in magis diſpoſito eſt terminus, & gradus determinatus, vt patet à ſimili de Sacramentis, quæ magis diſpoſito mãiorem cõferunt gratiam, quamuis gratia, quæ per Sacramenta producitur, non ſit infinita, ſed habeat terminum determinatũ. Ita Miranda *in Manuali Prælatorum* 1. *part. q.* 41. *art.* 1. *pag.* 295. Suarez *diſput.* 89. *ſect.* 12 *verſ. Dico ſecundò*. Bellarminus *lib.* 2. *de Miſſa c.* 4. *propoſitione* 4. Coninchus *q.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. *num.* 186. & 191. Reginaldus *loco citato num.* 152. Graffius 2. *parte deciſionum lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 6. [Filliucius *tract.* 5. *c.* 3. *q.* 9. *n.* 85. Molfeſius *tract* 3. *cap.* 15. *num.* 20.] & alij ſtatim citandi, omiſſis ijs, quos magno numero refert Miranda *loco citato*, & alij.

Obiicies, hoſtia, quæ in hoc ſacrificio offertur, eſt Chriſtus, ſed Chriſtus eſt infiniti valoris, ergo ſacrificium eſt infiniti valoris.

Respondeo, ſacrificium eſſe infiniti valoris quoad rem oblatam, quæ eſt Chriſtus, non verò ſi ſacrificium conſideretur, quatenus conſiſtit in conſecratione, oblatione, & ſumptione, quæ fiunt à Sacerdote, etiamſi Chriſtus ſit principalis offerens, vt patet à ſimili in Baptiſmo, qui confertur à Sacerdote in perſona Chriſti. Ita Nugnus *tom.* 1. *quæſt.* 83. *art.* 1. *de ſacrificio*, *dubio* 7. Coninchus *ibid. dubio* 10. Fraxinellus *ſect.* 3. *prænotione* 4. *§* 4. Azorius *lib.* 10. *cap.* 20. *quæſito* 8. *ſub finem*. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 19. Bellarminus Suarez, & Reginaldus *locis citatis*.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 *An valor generalis Miſſæ ſit infinitus extenſiuè.*

5 VAlor generalis ſacrificij Miſſæ eſt infinitus extenſiuè, conſequenter non tot prodeſt, quin poſſit prodeſſe pluribus. Ratio eſt, tum quia in Memento Miſſæ non eſt determinatus numerus cogitandorum: ergo ſignum eſt, ſacrificium Miſſę applicari poſſe pluribus, & pluribus in infinitum, conſequenter eſſe valoris infiniti extenſiuè, alioquin præfiniendus eſſet numerus, ne aliqui defraudentur, tum quia ſequeretur Chriſtianos detrimentum pati ex generali applicatione ſacrificij, creſcente Chriſtianorum numero, quibus Eccleſia intendit ſacrificium ſecundùm ipſius generalem valorem applicari. Præterea ſequeretur, quo plures ſunt aſtantes in Miſſa, diminui valorem Miſſæ, & ſacrificium minus prodeſſe ſingulis, quod non videtur admittendum, cùm Eccleſia curet plures Miſſæ ſacrificio intereſſe. Ita Corduba *lib.* 1. *q.* 3. *concluſ.* 3. Nugnus *q.* 83. *art.* 1. *§. In tertia parte*, *dub.* 8. *concluſ.* 3. *pag.* 498. Petrus Nauarrus *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 268. Dominicus Montagnolus *in tract. de Miſſa*, *cap.* 30. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 11. *punct.* 1. *§.* 25. *ſub finem*. Arragonius *de iuſtitia, & iure, qu.* 25. *artic.* 3. Beia 1. *parte, caſu* 12. Fraxinellus *ſect.* 3. *prænotione* 4. *§.* 7. Vaſquez 3. *part. tom.* 3. *diſput.* 230. *cap.* 3. *num.* 9. Chamerota *de Miſſæ ſacrificio*, *dub.* 10. *concluſ.* 8. [Filliucius *tract.* 5. *cap.* 3. *q.* 10. *n.* 89. Scortia *lib.* 1. *c.* 9. Molfeſius *tract.* 3. *c.* 15. *num.* 25.] & alij apud præcitatos Doctores, & in hac propoſitione hoc modo explicata puto non diſſentire Suarez *diſp.* 79. *ſect.* 12. *verſ. Dico primò*, *& verſ. Dico ſecundò*. Toletum *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 2. Azorium 1. *part. lib.* 10. *cap.* 20. *quæſito* 8. Bellarminum *t.* 2. *l* 2. *de Miſſa*, *cap.* 4. *propoſitione* 4. Coninchum *q.* 83. *ar* 1. *dub.* 10. *concl.* 7. *num.* 187. Philiarcum *l.* 2. *c.* 14. Reginaldum *l.* 29 *n.* 157. Henriquez *l.* 9. *c.* 17 *n.* 5. & *c.* 22. *n.* 5 & *c.* 19. *n* 5 & *cap.* 20. *num.* 6. *ad finem*, & *c.* 21. *n.* 4. Peſantium 3. *p. q.* 83. *ar.* 6. *diſp.* 4. & alios apud Emanuelem Sà *verb. Miſſa*, *n.* 43.

Obiicies, ſi valor Miſſæ eſt infinitus, ſequitur eum, qui curat ſibi Miſſam applicari, non plus mereri, quàm mereatur, qui non dedit eleemoſynam, nec curauit pro ſe Miſſam ſpecialiter offerri.

Respondeo negando hoc ſequi, cùm enim ſit triplex fructus ſacrificij, generalis, ſpecialis, & medius, qui curat ſibi ſacrificium applicari, particeps fit, non ſolùm fructus generaliſſimi, quem cõmuniter percipiunt alij, quorum fit mentio, verùm etiam medij, quem percipit is, pro quo Sacerdos ſolet ſpecialiter offerre; fructus verò ſpecialis pertinet ad Sacerdotem, quatenus ſacrificium ei ſpecialius applicatur, quàm cæteris, cùm ipſe ſit miniſter ex officio, & phyſicè concurrat ad partes eſſentiales ſacrificij. Ita Reginaldus *loco citato*, *num.* 153. Henriquez *cap.* 18. *num.* 3. *littera M*. Nugnus *q.* 83. *art* 1. *parag. in ſecunda parte q.* 6. *pag.* 486. & *parag. in tertia parte dub* 3. *pag.* 491. Rodriquez *in ſumma cap.* 252. *de Miſſa n.* 2. [Filliucius *n.* 91.] & alij Doctores citati.

TERTIA PROPOSITIO.

6 *An valor medius ſacrificij ſit finitus.*

6 VAlor ſacrificij, qui medius nuncupatur, eſt finitus, conſequenter effectus ſacrificij, quoad meritum, & ſatisfactionẽ, ſeu fructum reſpondentem oblationi Sacerdotis, vt ſic, quem fructum Sacerdos poteſt pro alijs offerre, finitus eſt, & limitatus. Ratio eſt, tum quia valor ſpecialis, qui ſpeciali modo competit Sacerdoti, finitus eſt; ergo etiam videtur finitus valor reſpondens oblationi vt ſic, qui ſpecialiter alteri offertur à Sacerdote: tum quia ſequeretur, pro vnico Miſſæ ſacrificio accipi poſſe plura ſtipendia, quod infrà impugnabitur, & reijcietur: tum quia valor Miſſæ non excedit terminos à Chriſto præſcriptos, Chriſtus autem non præſcripſit ſacrificio valorem infinitum, ſed finitum, vt apertè colligitur; tum ex praxi Eccleſiæ, quæ cùm ſit interpres inſtitutionis Chriſti, & à Spiritu ſancto regatur, offerre conſueuit multas Miſſas ad eandem rem obtinendam, conſequenter ſatis indicat, valorem Miſſæ finitum eſſe: tum vt ſacrificium frequentiùs offeratur, & ſæpiùs Deus colatur, vt bene innuit Coninchus *q.* 83. *art.* 1. *dubio* 3. *num.* 64. Tum quia damnanda videretur conſuetudo Eccleſiæ, qua Sacerdotes vni ſpecialiter Miſſam applicant, & non pluribus, nam ſi ſacrificium æquè prodeſſet omnibus quoad valorem medium, Sacerdotes tenerentur ex charitate omnibus fidelibus æqualiter offerre, cùm virtus charitatis obliget ad præſtandum omnibus auxilium, quoties illud præſtare poſſumus ſine noſtro detrimento. Ita Suarez *loco citato. verſic. Dico ſecundò*. Fraxinellus *loco citato*, *parag.* 5. Miranda *loco ſuprà citato*, *ar.* 20. Bellarminus, Coninchus, Reginaldus, [Filliucius,] & alij *ſuprà citati*, contra Nugnum, Dominicum Montagnolum, & alios præcitatos.

Hinc colligi poteſt primò ſolutio multarum difficultatum, quas infrà explicabo circa Sacerdotes, qui plura ſtipendia colligunt à pluribus pro celebratione Miſſarum, quibus ſingulis intendunt vnico ſacrificio ſatisfacere, defraudant enim tradentes eleemoſynam, cùm Miſſæ ſacrificium, quoad valorem medium, non æquè profit omnibus, ac vni.

Secundò colligi poteſt, huic tertiæ propoſitioni non obſtare rationes in ſecunda propoſitione allatas, cùm non ſit argumentandũ à valore Miſſæ, vno modo conſiderato, ad valorem Miſſæ, alio modo conſideratum: ſicut neque obſtant duæ ſequentes obiectiones.

Obiicies primò, cauſa phyſica, & moralis, quæ non patitur in agendo, licèt intrinſecè habeat virtutem limitatam; & finitam, nihilominus æqualiter agit in diuerſa, & infinita ſubiecta, ſi illis applicetur ſimul, vel ſucceſſiuè; ergo etiam valor ſacrificij proderit pluribus, & pluribus, ſi illis applicetur; cùm ſit veluti cauſa moralis. Antecedens quoad primam partem de cauſa phyſica patet inductione; primò in candela, quæ ſi accendatur coram Principe, non modò illuminat Principem, verùm etiam omnes præſentes, modò æquè omnibus applicetur; ſecundò in ſono, voce, & prædicatione verbi Dei, quæ ab omnibus auditur, modò ſint omnes æquè propinqui. Quoad cauſam verò moralem idem antecedens conſtat primò ex peccato Adæ, quod nocet pluribus, & pluribus in infinitum; ſicut ex oppoſito ipſius meritum omnibus profuiſſet, ſi Adam contra pactum cum Deo initum non deliquiſſet. Secundò in Sacerdote, qui poteſt plures, & infinitas hoſtias conſecrare vnica forma, & ijſdem verbis, ſicut etiam poteſt vnica forma baptizare plures, & plures in infinitum. Sicut ergo cauſa naturalis, & moralis plures, & plures producit effectus, ſi pluribus applicetur: ita etiam dicendum videtur de Miſſæ ſacrificio.

Respondeo primò, non eſſe argumentandum à cauſa naturali, quæ agit ex neceſſitate, ad cauſam, quæ agit ex Chriſti inſtitutione; ſicut agit Miſſæ ſacrificium. Secundò ex hoc argumento

ſequi,

sequi, Missam ita prodesse illis quibus non applicatur, ac illis, pro quibus ex intentione ministri offertur, sicut candela non solùm illis præbet lumen, pro quibus defertur, & vox, qua quis aliquem alloquitur, non solum auditur ab illis, ad quos dirigitur, sed etiam ab aliis astantibus; falsum autem est, Missam ita prodesse illis, quibus non applicatur, ac illis, pro quibus ex intentione ministri offertur, vt bene tradit Durandus, Medina, & alij apud Fraxinellum *de obligationibus sacerdotum sect. 6. § . ostauum argumentum.*

Ad id. quod dicitur de peccato Adami, respondetur hoc esse ex pacto inter Deum, & Adamum inito; nullum autem pactum intercessit inter Deum, & hominem circa valorem sacrificij.

Ad id, quod dicitur de consecratione, & de Baptismo, respondetur, hoc fieri ex institutione Christi, qui voluit validè fieri consecrationem, posita forma, materia, & intentione ministri. In nostro autem casu oppositum colligitur ex institutione Christi, qui sacrificio præfixit valorem finitum, & determinatum.

OBIICIES secundò, sacrificium Missæ communicatur per modũ spiritus, cùm sit aliquid spirituale; spiritus autem totus communicatur, & non per partes.

RESPONDEO, Sacrificium non communicari per modum spiritus cùm spiritus sit indiuisibilis, & consequenter non possit per partes communicari, effectus verò sacrificij est aliquid diuisibile, sicut est gratia, & charitas, quæ habent latitudinem; consequenter potest per partes communicari; ita vt non æquè prosit pluribus, ac vni, si pluribus applicetur.

Alias obiectiones ad hanc rem facientes afferam infra, & soluã, dum quæram, vtrùm Sacerdos possit plures eleemosynas accipere pro vno Missæ sacrificio.

Tertiò colligitur, Missæ sacrificium minus prodesse singulis, si pro multis offeratur, quàm si pro paucis; nam res finita, & limitata quanto magis diuiditur, tanto minus vnicuique contingit, & hoc est conforme communi Philosophorum axiomati, omne finitum ablatione finiti consumitur. Ita Coninchus *qu.* 83. *art.* 1. *dub.* 3. *num.* 64. Toletus, Suarez, Angles, *qu. de valore Missæ art.* 2. *conc.* 2. *folio mihi* 178. & alij locis supra citatis.

Dixi in tertia propositione, effectum sacrificij quoad meritum, & satisfactionem, seu fructum respondentem oblationi Sacerdotis, vt sic, finitum esse, nam si spectemus sacrificium, quoad impetrationem præciso merito, & satisfactione iam dicta, dicendum erit, esse valoris infiniti secundùm se, quatenus Deus intuitu sacrificij potest plura, & plura bona concedere, non tam vni, quàm pluribus, cùm impetratio innitatur solùm diuinæ misericordiæ, & respiciat meram Dei liberalitatem, vt bene ait Nugnus *loco citato, numer.* 8. *in principio.* Suarez, [Filliucius,] & alij *locis citatis*, & hac ratione sacrificium pro pluribus oblatum habet virtutem impetrandi quodlibet beneficium, tam in singulis, quàm in vno; quamuis in actu exercito, & re ipsa fieri possit, vt non tantum pluribus, quantum vni impetret: sicut enim oratio cæteris paribus videtur efficacior ad aliquid impetrandum, si pro vno tantùm offeratur, quàm pro multis; ita fieri potest, vt sacrificium, quod non applicatur ad impetrandum, nisi vt orationi coniungitur, sit aliquando efficacius ad impetrandum, quod petitur pro vno, quàm quod petitur pro pluribus; nam facilius aliquando à principe obtinetur gratia, quæ pro vno petitur, quàm si plures pro pluribus petantur. Ita Suarez *disp.* 79 *sect.* 12. *vers. Dico tertio.* S. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *ar.* 4 *quæstiuncula* 2. Coninch. *q.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. *n.* 187. Fraxinellus *de obligationibus Sacerdotum sect.* 3. *prænotione* 4. *§ . Nonò.*

Præterea dixi in eadem tertia propositione, effectum, seu fructum sacrificij respondentem oblationi Sacerdotis, vt sic, finitum esse, quia si loquamur de valore, & effectu, qui non respondet oblationi Sacerdotis, vt sic, sed de effectu, qui respondet offerentibus, vt offerentes sunt, dicendum videtur, sacrificium esse valoris infiniti syncategorematice, & extẽsiuè, ita vt non minuatur, quatenus cum Sacerdote offerunt, & suo modo concurrunt ad oblationem, & sacrificium, vt dictum est in secundo aduertendo. Ita Miranda *in Manuali Prælatorum, quæst.* 41. *articul.* 20. *conclus. vnica, pag. mihi* 296. Suarez *loco citato sect.* 12. Fraxinellus *loco citato*, & alij communiter.

Ex quo deduci potest, sacrificium magis prodesse viuis, quam defunctis, non solum quatenus viuis prodest ad satisfactionem, impetrationem, & propitiationem: defunctis vero solum ad satisfactionem, vt bene adnotat Toletus *lib.* 2. *c.* 8. *nn.* 2. verùm etiam, quatenus viuentes simul cum Sacerdote concurrunt ad oblationem, & sacrificium, vt obseruant præcitati Doctores.

7 *An valor missæ sit ex opere operato, an ex opere operãtis.*

7 Sed modò explicandum supereſt, vtrùm valor Missæ sit ex opere operato, vel ex opere operantis.

RESPONDEO, valorem Missæ, vt sacrificium est, esse ex opere operato. Ratio est, tum quia alioquin Missæ sacrificium non differret à sacrificiis veteris legis, quæ producebant effectum ex opere operantis; tum quia Sacramenta nouæ legis habent effectum ex opere operato; ergo etiam sacrificium, tum quia valor sacrificij confertur vltra meritum, & dispositionem nostram: ergo est ex opere operato, cùm effectus, qui producitur vltra meritum, & dispositionem recipientis, dicatur produci ex opere operato, vt patet ex supradictis *de Sacramentis in genere.*

Dixi, *vt sacrificium est*, quia si Missa consideretur quatenus includit preces, & orationes, dicendum est, valorem Missæ respondentem precibus, & orationibus esse ex opere operantis; quia confertur iuxta merita, & dispositionem recipientis. Ita Arragonius *qu.* 85. *artic.* 3. *dubio de valore Missæ.* Toletus *lib.* 2. *c.* 8. Valentia *loco citato versic. nam quod.* Suarez *loco citato sect.* 1. Nugnus *qu.* 63. *art.* 1. *& in parte* 3. *dub.* 1. *pag.* 490. *& dub* 5. Coninchus *ibidem dub.* 7. Fraxinellus *sect.* 3. *prænotione* 3. *§ .* 4. Grassius 1 *parte lib.* 2. *decis. c.* 45. *num.* 9. Angles *q.* 7. *de ministro Eucharistiæ art.* 1 *difficultate* 11. *conc.* 2. Vasquez 3 *parte disp.* 229 *c.* 2. *n.* 7.

DICES, effectus Missæ crescit ex bonitate offerentis, ex bonitate Sacerdotis, & ex bonitate illorum, quibus offertur; ergo valor Missæ est ex opere operantis; dependet enim, & crescit ex nostra dispositione.

RESPONDEO, negando consequentiam, sicut enim effectus Sacramentorum, licet in actu secundo crescat ex maiori, & meliori dispositione recipientis, nihilominus dicitur esse ex opere operato. Ita quamuis effectus sacrificij crescat in actu secundo ob maiorem illorum, quibus offertur, dispositionem, non tamen hinc sequitur, effectum sacrificij non esse ex opere operato.

8 *An sacrificium prosit omnibus fidelibus.*

8 QVÆRES SECVNDO vtrum sacrificium prosit omnibus fidelibus, & vtrum prosit ex opere operato.

RESPONDEO, sacrificium prodesse omnibus fidelibus; nam Ecclesia semper intendit Missæ sacrificio prodesse omnibus ipsius Ecclesiæ membris, vt patet ex Canone Missæ, in quo fit mentio Ecclesiæ. Ita Ludouicus Miranda 1. *part. quæst.* 41. *articul.* 15. Valentia *loco suprà citato, puncto* 1. *§ .* 20. Suarez *disput.* 79. *sect.* 9. *vers. secundò inquiri*, & alij communiter. Non tamen omnes fideles æqualiter participant fructum sacrificij, sed inæqualiter, iuxta maiorem dispositionem illius, cui offertur, & iuxta maiorem, vel minorem cooperationem ad sacrificium, vt suprà innui *n.* 2. in secundo notabili. Vnde cũ absentes non offerant sacrificium (ipsi enim non intendunt offerre vt obseruat Miranda *loco citato*,) sequitur, ipsos non percipere tantũ fructus, quantum percipiunt præsentes, aut alij qui cum Sacerdote intendunt offerre.

9 *An sacrificium prosit ex opere operato.*

9 Tota DIFFICVLTAS est, vtrùm sacrificium prosit omnibus ex opere operato.

RESPONDENT Suarez, & Miranda *locis citatis.* non prodesse omnibus ex opere operato, sed per modum impetrationis.

Quod non prosit ex operato: ratio est, tum quia non constat ex iure diuino illis hoc modo prodesse, neque colligitur ex statuto Ecclesiæ, cùm nullibi sancitum sit ab Ecclesia, vt Sacerdotes applicent fructum ex operato omnibus Ecclesiæ membris; sed vt orent pro eis & generaliter offerant in persona Ecclesiæ pro omnibus, quo ad impetrationem, tum quia si Missæ sacrificium omnibus prodesset ex operato, sequeretur animas breuissimo tempore in Purgatorij pœnis detineri, & nullum ferè viuentium in gratia existentium habere vllum reatum, & obligationem ad pœnam; cùm sacrificium sit satisfactorium, ergo sacrificium non prodest omnibus ex operato, neque certò, & infallibiliter, sed per modum impetrationis, quæ innititur diuinæ misericordiæ, & fundatur in sanctitate Ecclesię, & dignitate ipsius sacrificij.

Sed mihi dicendum videtur cum Soto *in* 4. *dist.* 13. *qu.* 2. *art.* 1. Valentia *loco citato. §* . 25. Corduba *lib.* 1. *quæstionarij, quæst.* 3. *opinione* 6. Scoto, Ledesma, & aliis apud Mirandam, & apud Suarez *locis citatis*, prodesse ex opere operato. Ratio est, tum quia Doctores communiter triplicem assignant sacrificij valorem, & fructum, generalem scilicet, specialem, & medium. Generalem autem dicunt applicari, & prodesse omnibus Ecclesiæ membris: sicut ergo Missæ sacrificium quoad valorem medium prodest ex opere operato iis, quorum fit mentio, vt patet ex rationibus in præcedenti quæsito allatis, ita etiam quoad valorem generalem videtur ex operato prodesse toti Ecclesiæ, cuius fit mentio in canone iuxta proportionem, quam Deus nouit, vt inquit Valentia *loco citato, puncto* 1. *§* . 25. & alij, tum quia prodest vltra meritum, & dispositionem fidelium: ergo prodest ex operato.

Ad primam rationem Suarez, & Mirandæ respondetur, id colligi ex communi vsu Ecclesiæ, & ex communi Doctorum consensu.

Ad secundam respondeo, non constare nobis, quanta portio fructus sacrificij contingat singulis fidelibus, quibus sacrificium generaliter applicatur, consequenter non posse nobis constare, defunctos breui, aut longo tempore in purgatorij pœnis detineri, aut degentes in hac vita non habere reatum, & obligationem ad pœnam. Ita S. Th. 3. *p. q.* 79. *art.* 5. Sotus *in* 4 *sent. dist.* 11. *q.* 2. *art.* 5. Sylvest. *verb. Missa* 1. *nn.* 9. Bartholomæus ab Angelo *de Missa dialogo* 5. *§* . 732. & alij DD. citati.

PVNCTVM V.

Quodnam sit subiectum, pro quo potest offerri, & applicari Missę sacrificium.

DIfficultas est in hoc puncto. Primò, vtrùm Missæ sacrificium prosit fidelibus in hac vita degentibus. Secundò, vtrùm prosit defunctis. Tertiò, beatis, Quartò, damnatis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An Missa prosit omnibus fidelibus degentibus in hac vita.*

1 MIssæ sacrificium prodest, & applicari debet fidelibus in hac vita degentibus, siue iusti sint, siue peccatores. Ratio est, tum quia fideles in hac vita degentes sunt capaces fructus sacrificij; ergo illis prodest, & applicari debet: tum quia in canone Missæ fit mentio Ecclesiæ, Ecclesia autem nihil aliud est, quam congregatio fidelium. Ita Suarez, Miranda, & [Filliucius *locis latim citandis.* Scortia *de sacrificio Missæ lib.* 2. *cap.* 2. [Vasquez 3. *parte disp.* 227. *cap.* 1. Valentia *locis supra citatis*, Bellarmiuus *de Missa lib.* 2. *cap.* 6. Chamerota *de sacrificio dub.* 12. & alij statim citandi.

2 *An possit offerri sacrificium pro excommunicatis.*

2 Hoc tamen intelligendum est de fidelibus non excommunicatis, sacrificium enim non est offerendum pro excommunicatis, cùm hoc vetitum sit ab Ecclesia, vt patet ex dictis de effectibus excommunicationis cum Suarez, & aliis, quidquid in contrarium sentiat Emanuel Sa *verb. Missa num.* 40. Sayrus, & alij, quos retuli *de censuris.*

Vtrum verò Missę sacrificium reipsa prosit excommunicatis, si pro ipsis offeratur in persona Christi, vel quatenus Sacerdos orat vt persona priuata, patet etiam ex dictis *de censuris disp.* 2. *q.* 2. *puncto* 1. *§.* 3.

3 *An sacerdos possit aliquem fidelem excludere à sacrificio.*

3 Sed modò DVBIVM est primò, vtrùm Sacerdos possit aliquem fidelem excludere à Missæ sacrificio.

RESPONDEO negatiuè, quia non licet aliquem excludere à communibus orationibus, & bonis. Ita S. Thom. 2. 2. *qu.* 25. *art.* 8. & 9. Nauarrus *de oratione cap.* 19 *numer.* 120. Suarez *disput.* 68. *sect.* 2. Miranda

randa *in Manuali Prælatorum 1.parte qu.41.art.5.concl.1.* [Molfesius *tract.3.cap.15.n.33.*] & alij.

4 *An sacrificium possit pro infidelibus & Paganis offerri*

4 Secundò Dvbivm est, vtrùm Missæ sacrificium possit offerri pro infidelibus & Paganis.

Respondeo posse offerri, vt conuertantur. Ratio est, tum quia Apostolus *1.ad Timotheum 2.* præcepit orationem pro regibus, qui tunc erant infideles: tum quia in Concilio Florentino, & Tridentino vniuersaliter dicitur, hoc sacrificium offerendum esse pro omnibus necessitatibus. Hæc autem est maxima necessitas: tum quia in die Parasceues fit oratio pro ipsis, & pro Cathecumenis: [quamquam in eo die extat peculiaris ratio orandi pro omnibus, quia eo die peculiari quadam ratione recolitur memoria cruenti, sacrificij Christi, qui pro omnibus mortuus est.] tum quia Missæ sacrificium perfectius est sacrificiis veteris legis, & eorum omnium perfectionem continet; sicut ergo in sacrificijs veteris legis aliquid specialiter conferebat ad conuersionem infidelium, ita etiam Missæ sacrificium proderit ad eorundem conuersionem, [tum quia sacrificium crucis oblatum est pro omnibus, etiam infidelibus.] Ex quo patet quid dicendum sit de Cathecumenis. Ita Nugnus *loco citato, concl.2.* Coninch. *qu.83.art.1.dub.9.conclus.3.* Emanuel Sà *verb. Missa, num.40.* Suarez *disp.78.sect.2.* Miranda *loco citato art.5.concl.3.* Henriquez *cap.15.n.6.* Bellarminus *lib.2.de Missa, c.6.* [Alterius *lib. 1.d.5.c.2.* Filliucius *tract.5.c.2.qu.9.* vbi ait sacrificium Missæ posse pro infidelibus offerri non solum pro bono ipsorum spirituali, verùm etiam pro temporali.] & alij: quidquid in contrarium sentiat Sotus *in 4.dist.11.q.2.art.7.* Azor. *1.p.l.10.c.22. quæsito 1.* Bartholomæus ab Angelo *dialog.5. §.489.* Chamerota *loco citato*, Vasquez *3.p.disp.227.c.3.n.15.*

5 *An sacrificij fructus sublato obice prosit illi, qui, dum ei applicatum fuit Missæ sacrificium exibebat in mortali*

5 Tertiò Dvbivm est, vtrùm ille, cui applicatus fuit sacrificij fructus, sed illi non profuit propter obicem peccati, vel excommunicationis, prosit obice sublato.

Respondeo non prodesse, cum Suarez *tom.4.disput.79 sect. 10.versic.tertiò inquiri potest, & tom 5 disput.9.sect.4.ad finem*, & aliis quos infrà referam *de Indulgentijs*, contra Henriquez *l.8.c.18.num.7.* Nauarrum *de oratione c.19.n.74.* & alios. Ratio est, tum quia gratis asseritur illi prodesse: tum quia sacrificium oblatum pro iusto tunc temporis non indigente satisfactione non suspenditur, nec conseruatur, donec indiguerit: ergo multo minus suspenditur, vel conseruatur pro peccatore.

SECVNDA PROPOSITIO.

6 *An Missa prosit defunctis in Purgatorio existentibus.*

6 Missæ sacrificium prodest defunctis existentibus in Purgatorio. Ratio patet, tum ex vsu Ecclesiæ, quæ pro defunctis offerre consueuit missæ sacrificium, & ipsorum facere memoriam in Missæ sacrificio: tum quia sic habetur in Tridentino *sess.22.cap.2.& canone 3.* Tum ex ordinatione sacerdotali, in qua dicitur, *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis, & defunctis*; ergo sacrificium prodest defunctis; alioquin frustra conferretur hęc potestas. Ita Suarez *disp.78.sect.3.* Azorius *1.part.lib.10.c.22.qu.8 & 10.* Reginald. *lib.29. n.153.* Miranda *1.part.q.41.art.5.concl.7.* Coninch. *q.83.art.1. dub.9. concl.4.n.161.* Pitigianus *dist.13.q.2.art.3.* Bellarm. *tomo 3.de Missa li. 2.c.7.* Filliucius *n.50.* Molfesius *n.34.*] & alij apud Henriquez *l.9.ca. 16.n.1.* & apud Nugnum *q.83.art.1. § in tertia parte, dubio 6. concl.8. pag.495.*

TERTIA PROPOSITIO.

7 *An prosit Beatis.*

7 Beatis non prodest sacrificium, nisi quatenus per ipsum coluntur, & honorantur. Ratio est, quia vel sacrificium prodest Beatis, vt propitiatorium, vel vt satisfactorium, vel vt impetratorium; nullo autem modo ipsis prodest; cùm enim Beati in gratia existant, sacrificium non potest illis prodesse, vt propitiatorium Præterea cùm Beati non habeant pœnam delendam, sacrificium non prodest illis, vt satisfactorium. Denique cùm Beati fruantur summo bono, sacrificium non prodest illis, vt impetratorium. Ita Reginald. *loco citato n.153.* Syluest. *verb. Missa 1.q.8 n.8.* Armilla *eodem verb. nu. 38.* Bartholomæus ab Angelo *dialog.5.de Missa §.475.* Chamerota *de sacrificio Missæ dub.12.* Suarez, & Miranda *locis* statim *citandis.* [Filliucius *tract.5.q.11, n.51.* Molfesius *tract.3.c.15.nu.35.*] & alij, quos in simili referam *de suffragijs & indulgentijs.*

8 *Cur dicatur Missa de aliquo Sancto*

8 Si QVÆRAS, qua de causa dicatur Missa de S. Carolo, de S. Martino, vel de alio Sancto, si Missa non prodest Sanctis in cœlis degentibus.

Respondeo Missam dici de Sancto, vt inuocetur, colatur & honoretur specialiter, & ad gaudium quoddam accidentale, quatenus Sanctus gaudet honore, qui in sui memoriam Deo exhibetur. [ob id in assertorio Romano dicitur, vt illis proficiat ad honorem & gloriam.] Ita Henriquez *lib.9.c.14.n.2.* Coninchus *q.83.art.1, dubio 9 conclus.1.num.158.* Suarez *disp.78.sect.3.* Miranda *1.parte, qu.4. art.5.conclus.6.* Azorius *loco citato quæsito 5.* Bellarminus *lib.2.de Missa cap.8.* Chamerota *loco citato*, & alij communiter.

QVARTA PROPOSITIO.

9 *An prosit damnatis.*

9 Damnatis in inferno existentibus non prodest Missæ sacrificium. Ratio est, quia in inferno nulla est redemptio; nam vbi ceciderit lignum, ibi erit, inquit Scriptura. Ita Henriqu. *loc.cit.c.16. n.2.* Azorius *loco citato, quæsito 7.* Bellarminus *lib.2.de Missa, c.6.* Reginaldus *loco citato.* [Suarez *disp.73.sect.3* Filliucius *tract.5.c.2.q.12. n.54.*] Chamerota *loc.cit.* Sotus, Ledesma & alij apud Henriqu. *loco citato in commentario littera L.*

10 *An sacrificium offerri possit pro eo, qui cum mortali peccato decessit*

10 Hinc colligi potest primò, sacrificium non esse offerendum pro eo, quem constaret mortuum esse in notorio peccato mortali. Ita Miranda *loc.cit.concl.5.* & alij Doctores citati.

11 *An prosit paruulis cũ solo originali decedentibus.*

11 Secundò, sacrificium Missæ non prodesse paruulis ex hac vita cum solo originali decedentibus, vt ait Bellarminus *loc. citato.* Paruulis verò morientibus post Baptismum non prodest Missę sacrificium, nam si decedant ante rationis vsum, statim euolant in cœlum, & beatitudinem consequuntur. Beatis autem in cœlo degentibus non prodesse Missæ sacrificium, constat ex tertia propositione.

Non nego tamen, quin Missæ possint celebrari, quando paruuli sepeliuntur, non enim pro paruulis offeruntur, sed pro aliis in igne purgatorij detentis. Ita Angelus *verb. Missa 1.nu.8.* Syluester *ibidem.* Tabiena *ibidem, n.57.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 5 parag.473.* Vasquez *loco citato c.1.n.4.*

12 *Cuinam prosit fructus sacrificij, qui fuit applicatus incapaci.*

12 Sed modò Dvbivm est, cui prosit fructus satisfactorius sacrificij, quem quis applicauit defuncto incapaci, vtpote apud inferos existenti.

Respondent aliqui Doctores. huiusmodi fructum reponi in thesauro Ecclesiæ. Ratio est, quia non est maior ratio, cur vni potiùs applicetur, quàm alteri. Ita Corduba *lib.1.q.3.* quem citat, & sequitur Henriquez *cap.18.n.7.* [Filliucius *tract.5.c.3.q.7.nu.78.* Molfesius *tract.3.c.15.nu.38.*] Alij verò putant prodesse ipsimet oranti, iuxta illud Psalmi 34. *Oratio mea in sinum meum conuertetur.* Ego vero puto prodesse ipsimet sacrificanti, si indigeat, & intentionem habeat applicandi sibi huiusmodi fructum in defectum alterius; ipse enim est capax fructus, vt suppono, & potest illum sibi applicare: si verò non indigeat, aut non intendat sibi applicare, puto reponi in thesauro Ecclesiæ, vt patet ex ratione Cordubæ, & aliorum. [Hinc patet quid dicendum sit dum fructus sacrificij nulli applicatus fuit, aut dum applicatus fuit non indigenti.

Obserua tamen in potestate sacerdotis esse applicare sacrificium cui velit vsque ad consecrationem, quia illa est præcipua sacrificij pars quæ virtualiter etiam continet oblationem, transacta verò consecratione non potest ipse præcipuum sacrificij fructum applicare; quia in ipsius potestate non est suspendere fructum sacrificij. Ita Corduba & Filliuc. *loc.cit.* Vasquez *disp.231.n.40. & seq.* Molfesius *tract.3.c.15.n.37.*

Ex quo patet, quid dicendum sit dum vnus Sacerdos Missam inchoauit, & alter perficit. Nam si primus deficiat post consecrationem vtriusque speciei, non potest alter Sacerdos illud Missæ sacrũ applicare, etiamsi fortè primus nulli particulari applicauerit. Si verò primus obiit statim post consecrationem hostiæ, valida erit applicatio posterioris Sacerdotis, quamquam posterior Sacerdos obligandus videtur ad applicandum sacrificium illi, quem prior sacerdos intendebat; cùm enim perficiat sacrificium ab alio inchoatum, par est vt se ipsius intentioni accommodet. Ita Vasquez, & Molfesius *locis citatis.*]

PVNCTVM VI.

De ministro à quo faciendum est Missæ Sacrificium.

Primò quæram, quis sit minister sacrificij proprius & ex officio. Secundò, quænam dispositio requiratur in ministro.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Missæ sacrificium à quonam sit celebrandũ.*

1 Missæ sacrificium celebrandum est à Sacerdote. Hæc propositio patet ex supradictis, vbi ostendimus, Sacerdotem esse ministrum consecrationis, quam constat vnam esse ex præcipuis partibus sacrificij. Videte, quæ suprà diximus de ministro consecrationis. Et præter Doctores ibi citatos, idem tenet Bartholomæus ab Angelo *dialog.5.de Missa, de ministro sacrificij ipsius Missæ parag.125.* & hoc habetur *in cap. firmiter. de summa Trinitate.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *Quid requiratur in celebratur Missæ sacrificium.*

2 Sacerdos celebraturus Missæ sacrificium debet habere intentionem celebrandi, vt patet ex supradictis. Præterea debet habere fidem, & gratiam, cùm sit minister consecratus, & deputatus ad hoc. Videte, quæ supra diximus de Sacramentis in genere, de Baptismo, & Eucharistia; non enim necesse est hic singula repetere, cùm per tempus non liceat. Hic solùm aliqua dubia remanent explicanda.

3 *An valeat sacrificium celebrantis in peccato mortali.*

3 Primum est, vtrum Missæ sacrificium factum à sacerdote in peccato mortali existente, validum sit, & prosit.

Respondeo, sacrificium oblatum à Sacerdote in peccato mortali existente, prodesse, & habere suum fructum, quatenus nomine Christi, & Ecclesiæ offertur. Ratio est, tum quia in Tridentino *sess. 22.cap.2.* dicitur, sacrificium esse mundam oblationem, quæ nulla indignitate, & malitia offerentium inquinari potest: tum quia fructus qui respondet sacrificio ex institutione Christi, & meritis Ecclesiæ, non potest impediri, vel minui per improbitatem Sacerdotis; cùm huiusmodi fructus conferatur ex opere operato, & non dependeat à dispositione, seu probitate, vel improbitate Sacerdotis, si Missa consideretur, vt sacrificium est. Si verò Missa, seu sacrificium consideretur secundùm merita ipsius Sacerdotis; minus valet, si offeratur ab improbo, quàm à probo, & iusto, nam Deus magis iustos, quam improbos exaudit. Ita Victoria *de Eucharistia num. 91.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 5 parag.735.* S. Thom. *3 p.q.82.art. 6.* Sotus *in 4.dist.13.quæst. 1.art.6.* Nauarrus *cap.25.num.79.* Tabiena *verb. Missa numer.24.* Miranda *tom.1.qu.41.arti.42.* Fraxinellus *de obligationibus sacerdotum sect.3.prænotione 4.parag.3.num.3.* Toletus *lib. 2.c.8.* Angles *de ministro Eucharistiæ qu.7.art.1.difficul.11.* Chamerota *de sacrificio Missæ dubio 10.* Azorius, Valentia, & alij *locis* statim *citandis.*

Hinc colligi potest solutio alterius difficultatis, qua quæritur, vtrùm Missa mali Sacerdotis prosit aliis, secundùm valorem respondentem precibus, quæ funduntur in Missa, Pro cuius difficultatis solutione supponendum est, huiusmodi preces dupliciter considerari posse. Primò quatenus sunt preces Sacerdotis, vt personæ particularis. Secundò quatenus sunt preces Sacerdotis repræsentantis Ecclesiam, cuius nomine Sacerdos celebrat. Hoc posito

Respondetvr, Missam mali Sacerdotis non prodesse aliis secundùm valorem respondentem precibus, si preces considerentur, quatenus sunt preces personæ particularis, vt patebit ex dicendis

centis de suffragijs, si verò considerentur quatenus Sacerdos repræsentat Ecclesiam, & offert nomine Ecclesiæ, prosunt, vt patet ex rationibus allatis *in responsione* 1. *dubij*. Ita Pitigianus *distinct.* 13. *quæst.* 2. *artic.* 5 *conclus.* 2. Bartholomæus ab Angelo *de Missa* §. 734. & alij.

An sacerdos qui stipendium accepit, satisfaciat celebrando in peccato.

5 Secundò Dvbivm est, vtrùm Sacerdos, qui stipendium accepit pro Missæ celebratione, satisfaciat Missam celebrando in peccato mortali.

Respondeo affirmatiuè; nam applicat illum fructum, seu illam partialem portionem satisfactionis, quam tenetur tanquam minister publicus applicare, Missa enim Sacerdotis celebrantis in peccato mortali, si consideretur secundùm valorem ex opere operato, & secundùm valorem, quem habent preces, quatenus Sacerdos illas offert nomine Ecclesiæ, æqualiter valet, ac Missa boni Sacerdotis, quamuis non æqualiter valeat, si consideretur secundùm preces dictas à Sacerdote, vt persona particulari. Ita Suarez *disput.* 86. *sect.* 1. *ad finem.* Henriquez *lib.* 9. *cap.* 21. *numer.* 4. Nugnus *quæst.* 83. *artic.* 1. § *In tertia parte, dubio* 8. *versicul. Secundò probatur.* S. Thomas *quæst.* 82. *art.* 6. Coninchus *ibidem.* Azorius 1. *parte, lib.* 10. *cap.* 31. *quæsito* 5. Valentia *tomo* 4. *disput.* 6. *quæst.* 10. *punct.* 3. *assertione* 3. Fraxinellus *loco citato.* Bartholomæus ab Angelo *loco citato* §. 735. Emanuel Sà *verb. Indulgentia num* 2. vbi etiam addit, eum, qui ex iuncta pœnitentia, aut aliàs tenetur defuncto suffragium offerre, non obligari ad illud iterandum, si in peccato persoluat, videtur enim adimplere substantiam præcepti, sed de hac re alibi, cùm de suffragijs.

An missa mali sacerdotis prosit ipsi Sacerdoti.

6 Tertio Dvbivm est, vtrùm Missa mali Sacerdotis pro se offerentis prosit ipsimet Sacerdoti.

Respondeo negatiuè cum Toleto *loco citato, num.* 2. Coninchо *q.* 83. *art.* 1. *dubio* 8. *n.* 144. Suarez *de censuris disp.* 9. *sect.* 4. *nu.* 8. *&* 3. *parte, disp.* 86. *sect.* 1. *vers. sed quæret tandem.* Valentia *loco citato punct.* 5. *assertione* 2. & alijs. Ratio est, quia ponit obicem ad fructum sacrificij, sibique iudicium manducat, & bibit.

An sacrificium factũ ab excõmunicato prosit alijs fidelibus.

7 Quartò Dvbivm est, vtrùm sacrificium factum ab excommunicato prosit alijs fidelibus.

Respondeo prodesse, non solùm quatenus sacrificium fit nomine Christi, verùm etiam quatenus fit in persona Ecclesiæ, si sacrificium fiat ab excommunicato non vitando.

Quòd prosit quatenus fit nomine Christi, patet ex rationibus in primo dubio allatis. Quòd verò prosit quatenus fit nomine Ecclesiæ, probatur; quia Ecclesia tolerat excommunicatum occultum, nec irritat ipsius acta, vt patet ex dictis de censuris. Obserua tamen, prædictum Sacerdotem grauiter peccare, se sponte ingerendo diuinis, facit enim contra obligationem censuræ in re graui.

Dixi, *si fiat ab excommunicato non vitando.* nam si Missæ sacrificium fiat ab excommunicato vitando, non prodest quoad valorem, quem habet sacrificium ex parte Ecclesiæ; cùm Ecclesia non toleret huiusmodi Sacerdotem, nec velit per ipsum orare. Ita S. Thomas *q.* 82. *artic.* 2. *ad tertium.* Sotus *dist.* 13. *quæst.* 1. *artic.* 7. Henriquez *c.* 18. *n.* 6. Armilla & alij apud Suarez *tom.* 5. *de censuris disp.* 11. *sect.* 2. *num.* 11. Quoad valorem verò, quem habet sacrificium ex virtute Christi, prodest etiam si fiat ab excommunicato vitando, nam hic valor, & fructus non impeditur per indignitatem ministri, cùm ab ipso non proueniat, sed à Christo. Ita Sotus *loco citato, artic.* 8. Auila 2. *parte de censuris, c.* 9. *disp.* 4. *dub.* 3. *concluſ.* 2. Azor 1. *parte lib.* 10. *c.* 21. *quæsito* 6. & alij.

Hinc patet, quid dicendum sit de hæretico, vel schismático, celebrante.

An excommunicatus vel irregularis excusetur aliquando à peccato, si celebret.

8 8 Maius Dvbivm est vtrùm ligatus excõmunicatione occulta, vel suspensione, vel irregularitate, non solùm prosit alijs celebrando, verùm etiam aliquando excusetur à peccato.

Respondeo excusari posse, quoties alioquin incurreret grauem infamiam, vel mortis periculum, vel aliud graue detrimentum non celebrando, vel non communicando. Ita Nauarrus *c.* 27. *num.* 339. Rodriquez *in summa de communione c.* 66 *n.* 1. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 4. §. 195. Henriquez *lib.* 3. *de pœnitentia cap.* 15. *num.* 2. Azorius 1. *parte lib.* 10. *cap.* 31. *quæsito* 6. Sayrus, Auila, & alij, quos retuli *disput.* 1. *de censuris quæst.* 2. *punct.* 3. *numer.* 6. contra Caietanum, Syluestrum & alios. Ratio est, quia excommunicatus priuatur celebratione, & sumptione Sacramentorum ex præcepto Ecclesiæ, Ecclesia autem non videtur obligare cum tanto incommodo.

PVNCTVM VII.

Quanta sit obligatio Sacerdotis circa Missæ celebrationem.

TRia principaliter quæremus in hoc puncto. Primò vtrùm simplex Sacerdos, qui nunquam celebrat in anno, peccet. Secundò quibus diebus teneantur Sacerdotes curam animarum habentes celebrare. Tertiò, quandónam teneatur Capellanus, aut alij, qui mercede, seu eleemosyna conducuntur.

PRIMA PROPOSITIO.

An peccet Sacerdos nõ impeditus, si nunquam celebret.

1 PRobabilius est, Sacerdotem legitimè non impeditum mortaliter peccare, si nunquam celebret toto anno. Ita sentire videtur S. Thom. 3. *part. q.* 82. *art.* 10. Azorius 1. *parte lib.* 10. *cap.* 24. *quæsito* 1. Syluester *verb. Missa* 1. *quæsito* 5. Nauarrus *c.* 25. *num.* 88. Nugnus *q.* 82. *art.* 10. Coninchus *ibidem art.* 2. *concl.* 3. *n.* 206. Suarez *disp.* 80. *sect.* 1. Reginald. *lib.* 29. *n.* 46. *&* *n.* 166. Graffius 1. *parte l.* 2. *c.* 39. *n.* 3. Vasquez 3. *parte disp.* 232. *c.* 1 *n.* 5. *&* 11. Chamerota *de sacrificio Missæ dubio* 13. Miranda 1. *parte q.* 40. *art.* 7. *concl.* 2. [Filliucius *tract.* 5. *c.* 4. *q.* 1. *n.* 96.] & alij, contra Rodriquez *in summa c.* 269. *n.* 4. & Angles *loco citato difficultate* 9. & alios. Ratio est, tum quia quantum est ex parte sua facit, vt in vanum receperit gratiam Dei, cùm in ordinatione sacerdotali potestatem acceperit consecrandi: tum quia dat occasionem scandali, & ruinæ, cùm ingerat suspicionem prauæ conscientiæ: tum quia Christus cùm dixit Apostolis, *hoc facite in meam commemorationem*, videtur Sacerdotibus Missæ celebrationem præcepisse: tum quia Pius Quintus ægrè ferens opinionem Caietani, asserentis Sacerdotem, nunquam celebrantem, peccare solùm venialiter, curauit in vltima Romana impressione operum S. Thomæ in opusculis hanc opinionem corrigi, & deleri.

Dixi in propositione, *probabilius est*, vt innuerem multos Doctores opinari Sacerdotem simplicem, nullo detentum impedimento non peccare mortaliter non celebrando, modò communicet in Paschate, nec adsit scandalum, vel contemptus. Ita S. Bonauentura, Victoria & alij *locis* statim *citandis*.

An simplex Sacerdos teneatur aliquoties in anno celebrare.

2 2 Hinc colligunt Doctores statim citandi, simplicem Sacerdotem ne in lethalem culpam incidat debere aliquoties in anno celebrare saltem diebus festis præcipuis, vt patet ex rationibus à nobis allatis: non tamen iudicandum esse reum mortalis peccati, qui aliquibus diebus etiam præcipuis nõ celebrat præciso alio præcepto, modò aliquoties, vt saltem ter, aut quater, celebret in anno, & modò diebus festis Missam audiat, nullo enim iure constat simplicem Sacerdotem simpliciter teneri singulis omnino diebus festis præcipuis celebrare. Ita Henriq. *l.* 9. *c.* 23. *n.* 2. Suar. *loc. cit. & disp.* 83. *sect.* 1. *ad finem.* Chamerota *loc. cit.* Coninch. *loco citato, n.* 207. Nauarr. *loco citato,* Reg. *loco citato, nn.* 46. *&* 167. Miranda *loco citato concl.* 3.] Filliucius *tract.* 5. *c.* 4. *q.* 2.] & alij contra Nugnum *loco citato,* Vict. *in summa n.* 94. S. Bonauenturam *in* 4. *dist.* 12. *q.* 2. *ar.* 2. *quæstiuncula* 2. & alios apud Victoriam *loco citato*, excusantes à mortali.

An Sacerdos teneatur sub mortali in Prouincia Mediolani celebrare, & quibus diebus teneatur.

3 Maior Difficvltas est, vtrùm simplex Sacerdos teneatur sub mortali in Prouincia Mediolanensi, ratione solius ordinis celebrare Missam singulis Dominicis, & diebus festis.

Respondeo, simplicem Sacerdotem teneri sub mortali ratione solius ordinis in diœcesi, & prouincia Mediolanensi celebrare Missam singulis Dominicis, & festis solemnibus, nisi iure impediatur. Ratio desumitur ex decretis Concilij Tridentini, & Concilij nostri Prouincialis primi; nam in Concilio Tridentino *sess.* 23. *c.* 14. sic habetur: *Curet Episcopus, vt ij, qui ad presbyteratus ordinem assumuntur, saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus Missas celebrent.* ex vi huius decreti, quamuis Sacerdotes nõ celebrãtes Dominicis, & festis solemnibus non peccent grauiter, antequam præceptum illis iniungatur ab Episcopis, cùm decretum Concilij non dirigatur ad Sacerdotes, sed ad Episcopos, nihilominus postquam Sacerdotes, præceptum celebrandi acceperint ab Episcopis, tenebuntur sub mortali singulis Dominicis, & diebꝰ festis celebrare, vt patet ex doctrina Nauarri *in Manuali c.* 25. *n.* 88. & ex traditis à nobis de legibus. Cùm ergo Concilium Prouinciale Mediolanense primum. *tit. de frequenti diuini sacrificij oblatione*, tempus celebrandi præcipiat, his verbis, *Tridentini Concilij auctoritatem secuti præcipimus Sacerdotibus, cuiuscunque gradus, conditionis, & dignitatis illi sint, vt Dominicis, & reliquis festis diebus Missam celebrare non omittant.* sequitur Sacerdotes prædictis diebus non celebrantes grauiter peccare, cùm faciant contra præceptum in materia graui.

Existimo tamen, simplicem Sacerdotem, qui singulis annis sex, aut septem diebus festis Missæ sacrum non facit, excusari posse à peccato mortali; quia præceptum non videtur vsu receptum cum tanto rigore. Ita censuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis, me præsente, & ita consulente.

SECVNDA PROPOSITIO.

Quibus diebus teneantur curã animarum habentes celebrare.

4 SAcerdotes curam animarum habentes tenentur per se, vel per alios celebrare, singulis saltem diebus, quibus opus est vt satisfaciant muneri suo, vt patet ex Tridentino *sess.* 23. *c.* 13. vt autem muneri suo satisfaciant, præcisa alia obligatione, vel præcepto, tenentur celebrare saltem singulis diebus, quibus populus tenetur Missam audire. Ratio est, quia ex Trid. *loco citato* colligitur, Sacerdotes curam animarum habentes teneri tam frequenter Missas celebrare, vt satisfaciant muneri suo, non viderentur autem muneri suo satisfacere non celebrando per se, vel per alios in die festo, populus enim non posset Missam eo die audire, ad quam celebrandam censetur curatorem animarum conduxisse. Ita Nauarrus *c.* 25. *n.* 135. Azorius *loco suprà citato, quæsito* 2. Vasq. 3. *p. disp.* 232. *c.* 1. *n.* 12. & alij communiter.

Ex quo potest colligi à contrario sensu cum Nauarro *loco citato*, Rodriq. *in summa c.* 252. *de Missa n.* 1. [Suarez *disp.* 86. *sect.* 1. Filliuc. *tract.* 5. *c.* 6. *quæsito* 2.] Parochum non teneri singulis diebus celebrare, nisi specialem habeat obligationem, nulla enim sufficienti ratione probari potest, Parochum teneri singulis diebus celebrare, cùm ipsorum munus ad hoc non obliget, neque populus teneatur singulis diebus Missam audire, fieri tamen potest, vt Parochus speciali obligatione detineatur, aut particulari decreto Episcoporum obligetur ad certum Missarum numerum in hebdomada, cùm enim in Trid. *sess.* 23. *c.* 14. Episcopis impositum sit onus curandi, vt Sacerdotes, curam animarum habentes, tam frequenter Missas celebrent, vt satisfaciant suo muneri, iure optimo possunt Episcopi certum Missarum numerum præscribere curatoribus animarum. Quamobrem Concilium Prouinciale primum Mediolanense *parte* 2. *tit. de frequenti diuini sacrificij oblatione*, Tridentini auctoritatem sequens præcipit Curatis, vt præter dies Dominicos, & reliquos dies festos ter in hebdomada, aut etiam sæpiùs, quo vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem diuini sacrificij vsum postulabit, Missam celebrent: Concilium verò Prouinciale quartum titulo, De his, quæ pertinent ad Sanctissimum Missæ Sacrificium, & diuina officia, prohibet Curatis, ne diebus Dominicis, & tribus ferialibus cuiusuis hebdomadæ suscipiant aliud Missarum celebrãdarum onus, verùm vt consuleretur inopiæ pauperum Curatorum, ab eodem Concilio data fuit Episcopis facultas concedendi Curato propter inopiam, vt in Ecclesia parochiali diebus ferialibus rariùs aliquando parochialis muneris nomine celebret, quàm in Concilio Prouinciali primo sancitum sit.

Vt igitur Curati muneri suo satisfaciant, tenentur singulis hebdomadis in Prouincia, & Ecclesia Mediolanensi, celebrare Missam in Ecclesia sua Parochiali singulis Dominicis, & diebus festis, & tribus alijs diebus ferialibus, nisi propter inopiam specialem obtinuerint ab Episcopo dispensationem. Si verò maior obligatio cõtineatur in fundatione Parochiæ, illi omnino Parochus tenetur satisfacere; nam lumine naturæ dictante constat standum esse pactis & conuentionibus. Ita Rodriquez *de Missa cap.*252.*n.*1. & Nauarrus *in Manuali, c.*23.*n.* 134. vbi ait seruandam esse constitutionem particularem factam in qualibet diœcesi, & non excludit onera in fundatione expressa.

5 *An Parochus, dum pro suis ouibus celebrat, teneatur illis sacrificij fructum applicare*

5 Ex dictis suboritur alia quæstio, vtrùm Parochus in hac Prouincia teneatur suis ouibus sacrificium applicare diebus Dominicis, & festis, alijsque tribus ferialibus.

Ad quam difficultatem alicui fortasse respondendum videbitur affirmatiuè; alioquin Concilium Prouinciale quartum non prohibuisset illis diebus suscipere aliud onus Missarum celebrandarum. Ita sentire videtur Nugnus *quæst.*83.*artic.*1. *§, in tertia parte, dub.*9. *concl.*2. *pag.*501.

Sed mihi dicendum videtur, hanc obligationem non sufficienter colligi ex prædictis Concilijs, consequenter puto, Parochum non teneri prædictis diebus Missæ sacrificium suis ouibus applicare. Ratio est, quia licèt Parochus teneatur aliquando iure diuino sacrificium pro suis ouibus offerre, vt dicitur in Tridentino *sess.* 23. *cap.*1. *de reformatione.* Quidquid dicat Vasquez 3.*parte disput.* 234. *cap.*4 *numer.*26. Posseuinus, Suarez, Fraxinellus, & alij *locis* statim *citandis*; tamen iure diuino non est præscriptum, quibus diebus Parochus teneatur Missæ Sacrum suis ouibus offerre, neque ex Cõcilijs nostris Prouincialibus colligitur, Parochum prædictis diebus teneri ad applicandum suis ouibus Missæ sacrificium, cùm ab vna obligatione non sit facienda extensio ad aliam, & ex diuersis illatio non inferatur, vt ex *l. Papinianus exuli, ff. de minoribus* 25. *annis.* tradit Menochius *tom.*3.*consilio* 248. *n.*37. & patet ex *l. obligationum substantia. §.*1.*ff. de actionibus, & obligationibus.* & sicut non valet dicere, Parochus tenetur celebrare pro communicandis infirmis, vel pro benedictione nuptiali, &c. ergo etiam tenetur applicare: ita si dicatur, Parochus tenetur diebus Dominicis, & alijs diebus Missam celebrare, non licet inferre; ergo etiam tenetur applicare, & hoc verum est, etiamsi Parochus iure diuino teneatur aliquoties Missæ Sacrum offerre, & applicare suis ouibus, vt dicitur in Trid. *loco citato.* & bene tradit Sotus 9.*de iustitia, q.*3.*ar.*1. *vers. Nihilominus*, & consequenter non possit illis diebus, quibus tenetur Missæ Sacrum pro suis ouibus offerre, nouas eleemosynas ab alijs accipere, alioquin defraudaret offerentes nouas eleemosynas, cùm iam teneatur sacrificium populo applicare, vt patebit ex infrà tradendis.

Quare licet Parochus singulis diebus festis, & aliquibus ferialibus teneatur ex decretis Conciliorum celebrare, vt populus adimpleat præceptum Missę audiendę, & diuina frequentet officia, non tamen videtur obligandus ad applicationem sacrificij pro populo singulis prædictis diebus, nam obligatio ad celebrandum, & obligatio ad applicandum videntur obligationes diuersæ; cùm aliquis obligari possit ad celebrationem, quamuis non obligetur ad applicationem. Ita Coninchus *quæst.*83. *art.*1. *dub.*11.*conclus.*3. Nauarrus *cap.*25. *num.*92. Reginaldus *lib.*23. *num.* 238. Suarez *disput.*86. *sect.*1.*vers. De beneficijs igitur curatis.* Fraxinellus *sect.*3. *prænotione* 2. *§.* 2. Posseuinus *c.*2. *num.* 4. Naldus *verb. Parochus num.*18. Vasq. 3.*parte, disp.*234.*art.*6.*cap.*6.*vers. Vera tamen sententia est.* [Filliucius *tract.*5.*c.*6.*q.*2.] & alij. Quamuis multi Doctores, quos tacito nomine refert Suarez *loco citato ad finem*, sentiant, Parochum teneri singulis diebus festis Missæ Sacrum suis ouibus applicare. Immò aliqui, vt Sotus 6.*de iustitia q.*3. *art.*1. & alij putant, Parochum teneri singulis diebus Missæ Sacrũ offerre pro suo populo. Sed hoc gratis asseritur, & sine solido ac firmo fundamento; cùm Parochus nõ sit assumptus ad quotidie celebrandum pro populo, vt docet vniuersa Ecclesiæ consuetudo, teste Suarez, & alijs *locis citatis*, & patet ex rationibus proximè allatis.

Quamobrem ego existimo Parochum teneri Missæ Sacrum suis ouibus applicare iuxta viri prudentis arbitrium, sic enim colligi videtur ex Tridentino *loco citato*, vbi indefinitè dicitur Parochum teneri sacrificium pro suis ouibus offerre, & cùm non teneatur singulis festis, aut ferialibus offerre, dicendum est teneri saltem iuxta prudentis viri iudicium: vir autem prudens meo iudicio iudicabit Parochum præcisa alia constitutione teneri in præcipuis solemnitatibus Domini, & Dominicis diebus, aut semel saltem in hebdomada sacrificium suo populo applicare, sic enim mihi dictare videtur æquitas, & recta ratio posita obligatione Parochi, & indigentia populi.

TERTIA PROPOSITIO.

6 *Capellanus quandónam celebrare teneatur.*

6 CApellanus tenetur iuxta institutionem Capellaniæ, & intentionem fundatoris Missas celebrare. Quamobrem, si Capellania instituta sit ad celebrandum quotidie, tenetur quotidie sub mortali celebrare, nisi iusta de causa, vel ob legitimum impedimentum Missæ Sacrum prætermittat. Ita Syluester *verb. Missa* 2. Angelus *eodem verbo, num.*45. Azorius 1. *parte lib.*10. *cap.* 22. *quæsito* 7. Graffius *tomo* 2.*consiliorum lib.*3. *difficultate* 4. *num.*4. *fol.*105. Suarez *disp.*80.*sect.*2. Reginaldus *lib.*29.*n.*164. Henriquez *lib.*9.*cap.*23 *n.*5. *& cap.*24. *n.*4. Rodriquez *in summa cap.*219. *n.* 8. & alij communiter. Ratio est, tum quia alioquin faceret contra institutionem Capellaniæ, & contra conuentionem, & defraudaret institutoris mentem.

Dixi, *nisi iusta de causa omittat*, nam fieri potest, vt Capellanus aliquando Sacrum omittat absque peccato, vt si Missę Sacrum omittat ob infirmitatem, aut ob grauia negotia, aut ob honestatẽ, & decentiam; nam onus celebrandi quotidie intelligitur salua honestate, decentia, & deuotione debita, vt benè obseruat Henriquez *c.*24.*num.*4. Sotus *lib.*3.*num.*1. Nauarrus *cap.*25. *num.*135. Panormitanus *in cap. consuluisti, de celebratione Missarum, & cap. significasti, de præbendis*, & alij communiter. Qua de causa vsu receptum est, vt Sacerdos, qui tenetur onere Capellaniæ quotidianæ, possit semel in hebdomada ratione honestatis Sacrum prætermittere. Vtrùm verò eo die, quo Sacrum prætermittit, teneatur per alium supplere, constabit ex infrà dicendis.

7 *An peccet Sacerdos, qui deficit circa Missæ obligationem.*

7 Ex dictis in hac tertia propositione colligitur hæc regula generalis, nempe Sacerdotem peccare, qui per se ipsum, vel per alium non celebrat Missas, quot & quales, & quo in loco, vel tempore tenetur ex fundatione, vel ex pacto celebrare, nisi aliud constet ex interpretatiua volũtate fundatoris, vel nisi aliud suadeat honestas, & debita deuotio, facit enim contra voluntatem fundatoris, & cõtra obligationem, cui se subiecit. Ex hac regula generali colligitur solutio plurimorum casuum, quos maioris perspicuitatis gratia in sequentibus *§ §.* proponam, & explicabo consideratis singulis ipsius regulæ particulis.

§. I.

Circa illam particulam, *Per se ipsum.*

1 *An Capellanus, qui tenetur Missas celebrare, possit per alium supplere.*

1 DIFFICVLTAS est primò, vtrùm Capellanus, qui tenetur Missas celebrare, possit per alium supplere.

RESPONDEO affirmatiuè, quoties non constat, fundatorem voluisse obligare Capellanũ ad Missæ celebrationem per se ipsum, & non per alium. Ratio est, tum quia, qui per alium facit, per se ipsum facere censetur: tum quia sufficienter adimpletur voluntas fundatoris, quoties fundator non præscripsit vt Capellanus per se ipsum celebraret, & non per alium. Ita Emanuel Sà *verb. beneficium numer.* 28. Riccius *in sua praxi decisione* 399. *& decisione* 402. Augustinus Barbosa *in remissionibus ad Concilium sess.*24. *cap.*12. *numer.*62. Gonzales *ad regulam octauam Cancellariæ, Glossa* 5. *num.*84. [Garzias *de benef. part.*7.*c.*1.*n.*87. *& seq.*] & alij qui hoc asserunt ex congregatione Concilij [in vna Parmen. & in altera Aquilana, & alibi, & ex Rotæ decis. in vna Brixiensi Capellaniæ 2. Martij. 1598. coram Litta.]

2 *An Capellanus, qui per alium satisfecit, cùm ipse nõdum esset Sacerdos, tenetur ad restitutionẽ.*

2 Secundò DIFFICVLTAS est, vtrùm Capellanus, qui cùm nondum esset Sacerdos, aliquibus annis possedit Capellaniam, & per alium satisfecit, peccauerit, & teneatur ad restitutionem, cùm in fundatione Capellaniæ expressè cautum sit, vt Missa celebraretur à titulari.

RESPONDEO, peccasse recipiendo beneficiem, cuius onus nõ poterat ipse persoluere, fecit enim contra intentionem fundatoris. Immò si in fundatione Capellaniæ adiuncta est pœna priuationis contra Capellanum per se ipsum non celebrantem, potest per iudicem priuari titulo, aut per iudicem declarari contraxisse pœnam priuationis, iuxta communem Doctorum sententiam de legibus: non tamen videtur obligandus ad restitutionem ad ratam temporis, quo per alium satisfecit. Ratio est, tum quia tantum exhibuit per alium, quantum per seipsum exhibuisset celebrando: tum quia non videtur violasse iustitiam cum damno alterius, obligatio autẽ restituendi oritur ex violatione iustitiæ cum damno alterius, vt patet ex dictis de restitutione. Ita sentire videntur nonnulli Doctores, quos tacito nomine refert Azorius *loco infrà citando*, & ita censuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente, & ita consulente.

3 *An Sacerdos, qui per se ipsum tenetur aliquibus diebus in hebdomadæ celebrare, possit ob impedimentum Missas differre.*

3 Tertiò DIFFICVLTAS est, vtrùm Capellanus, qui tenetur per se ipsum ter, vel quater in hebdomada celebrare, sed ipse causa negotiorum non potest hoc munus in aliqua hebdomada præstare, possit differre in aliud tempus, quo per se ipsum satisfaciat.

RESPONDEO posse in aliud tempus differre, si fundator spectauit pietatem, & diligentiam ipsius Capellani, non enim facit contra rationabilem voluntatem fundatoris, si verò fundator exigebat, vt citissimè sacrificia persoluerentur, melius est curare, vt sacrificium celebretur per alium in eadem hebdomada, sic enim adimpletur voluntas testatoris, quæ tanquam lex habenda est, & modis omnibus adimplenda, quantum fieri potest. Videte Azorium 1. *p. lib.*10.*c.* 24. *quæsito* 7.

4 *An Missæ à Titio celebrandæ possint ab alio celebrari Titio ignorante.*

4 Quartò DIFFICVLTAS est, vtrùm Missæ, quas Titius tenetur celebrare, vel curare celebrandas, possint ab alio Sacerdote celebrari, & applicari pro obligatione, quam Titius habet ipso insciente.

RESPONDEO affirmatiuè, nam satisfacit oneri Titij, & Missæ valorem applicat illi, cui Titius tenetur applicare. Quamobrem huiusmodi Sacerdos poterit dicere Titio, se celebrasse pro onere, quod ipsi incumbebat. Immo poterit recipere eleemosynam celebranti debitam, modò non intenderit gratis celebrare, nam operarius dignus est mercede sua. Ita Petrus Nauarrus *lib.*2. *de restitutione, cap.*2.*n.*372. Cordub. *lib.*1.*q.*4. *dub.*6. Rodriquez *cap.*232. Angelus *in* 4.*q. de suffragijs* 2.*parte, difficultate* 5. & alij.

§. II.

Circa illam particulam, *Quot.*

1 *An accipiẽs plura stipẽdia possit vnico sacrificio omnibus satisfacere.*

1 DIfficultas est primò, vtrùm Sacerdos, qui titulo Capellaniæ, aut eleemosynæ, aut promissionis, aut alia de causa tenetur vni Missæ sacrificium applicare, possit aliam stipem, seu eleemosynam pro sacrificij applicatione recipere, nec non vnico Missæ sacrificio satisfacere.

Ratio dubitandi est, quia nonnulli Doctores putant, Sacerdotem accipientem à pluribus plura stipẽdia pro Missæ celebratione, posse vnica Missa omnibus satisfacere, saltem si stipendia simul sumpta non excedant quantitatem necessariam ad strictam ipsius Sacerdotis sustentationem pro vnico die. Ita Sotus 9. *de iustitia, quæst.* 3. *artic.*1.*dub.*7. *responsione* 1. & 2. Angelus *verb. Missa, num.*52. Rodriq. *tom.*1. *dub.*7. *c.*252.*n.*4. *concl.*4. *ad finem*, Ludouicus Beia *casu* 12. vbi citat Sylueſtrum, & alios, quos etiam refert Reginaldus *lib.*23.

lib.23. num.253. Canus *lib.12. de locis Theologicis, cap.* 13. Huncala *de valore Missæ art.*11. Henriquez *lib.9 de sacrificio Missæ, c.22. num.*4. Ioannes Dominicus Montagnolus, qui absolutè hanc sententiam sustinet, *cap.*26. Nugnus *q.* 89. *art.*1. *dub.9. concl.*4. *&* 5. *pag.*501. Inclinat in hanc sententiam P. Nauarrus *lib.*2. *cap.* 2. *num.*352. Chamerota *de Missæ sacrificio dub.*11. *pag.* 276. [Cæsar Merlus in Epistola Apologetica circa valorem Missæ.] & pro hac sententia sunt nonnulli alij recentiores, à quibus citatur Caietanus, Sotus, & alij. Ratio est, tum quia neminem defraudat, cùm sacrificium Missæ sit valoris infiniti extensiuè, vt ipsi putant: tum quia, quamuis dicamus, valorem Missæ non esse infinitum extensiuè; non tamen negandum est, quin valor Missæ in actu secundo crescat ad multiplicationem offerentium, & quin Missa plus extensiuè valeat, quo plures sunt offerentes; cùm autem offerentes sint illi quibus sacrificium offertur, & applicatur, sequitur illis omnibus æquè prodesse: tum quia videretur damnanda consuetudo Ecclesiæ, quæ plures conuocat ad eandem Missam audiendam. Præterea vnus posset alios à Missa audienda excludere, ne fructus, quem ipse perciperet, ex aliorum consortio minuatur, ergo signum est Sacerdotem posse vnica Missa satisfacere pluribus, accepta stipe à singulis necessaria ad strictam vnius diei sustentationem: tum quia qui altari seruit, de altari viuere debet, iuxta illud 1. Corinth. 9. vers. 13. *Qui altari deseruiunt, cum altari participant.* &, *dignus est mercenarius cibo, & operarius mercede sua*, Matth. 10. & Lucæ 10. ex quibus locis sic argumentor: Sacerdos potest tantum accipere, quantum sufficit, vt viuat; nam qui altari seruit, de altari viuere debet: sed eleemosyna ab vno accepta, non sufficit ad victum, vt suppono; ergo Sacerdos potest nouam eleemosynam ab alio accipere, illique sacrificium applicare, tum quia qui habet beneficium valde tenue, quod non pertingit ad quindecim numos aureos, non tenetur iuxta communiorem Doctorum sententiam, singulis saltem diebus recitare horas canonicas: ergo pari ratione, qui exiguam accipit eleemosynam, non tenetur Missam persoluere solùm pro eo, qui exiguam tradidit eleemosynam.

Verùm his non obstantibus puto, contrarium in praxi omnino sustinendum cum Suarez 3. *parte disp.*85. *sect.*2. *&* 3. Philiarco *t.*1. *l.* 2. *c.*4. Vasquez 3. *p.t.*3. *disp.*3. *disp.*234 *c.*4. Miranda *in Manuali Prælatorum, t.*1. *q.*41. *ar.*25. *concl.*5 *pagina vltima* 298. vbi testatur, contrarium omnino esse contra iustitiam, & obnoxium restitutioni: Fraxinello *sect.*4. *concl.*1. *§.*1. Reginaldo *lib.*23. *n.*234. *& l.*29. *num.* 157. Bartholomæo ab Angelo *dial.* 5. *§.*509. *&* §. 749. S. Antonin. 1. *p. tit.*10. *c.*2. *n.*4. Nauarr. *c.*25. *n.*92. Chamerota *loco citato*, Graffio, *l.*1. *decisionum aurearum, c.*44. Nauarro *c.*25. *n.*92. Henriq. *loco citato, n.*5. *& c.*21. *n.*4. Bellarmin. *l.*2. *tomo de Missa, c.*4 *propositione* 4. Coninchо *q.*83. *ar.*1 *dub.*10. *n.*192. Emanuele Sà *verb. Missa, n.*44. Naldo *v. Capellania, n.*11. [Filliucio *tract.*5. *c.* 6. *q.*6.] Toleto *l.*2. *c.*8. *n.*3. vbi testatur, hanc esse communem sententiam. [Idem nouissimè declarauit sacra Cardinalium Congregatio.] Et ratio est, tum quia, qui contrariam sequitur opinionem, non modicam animis hominum ingerit sordidæ cupiditatis, & auaritiæ suspicionem, & contrariam opinionem scandalum inter populares excitasse testatur Paulus Fraxinellus *de obligationibus Sacerdotum sect.*4. *conclus.*2. *§.*4. *num.*1. & Angles *parte* 1. *Florum Theologicarum quæstionum, in* 4. *sententiarum, quæstione de valore Missæ art.*2. *in principio.* Tum quia non stat promissis, vt bene obseruat Suarez *disp.*86. *sect.*2. *ad finem*, & alij Doctores citati; tum quia, qui plures pro eadem Missa recipit stipes inscijs offerentibus, facit contra voluntatem ipsorum offerentium, qui si cognoscerent totum Missæ valorem sibi non applicari à Sacerdote alijs obligationibus detento, non offerrent ipsi eleemosynam, sed alteri libero, & immuni ab omni onere, hæc enim præsumitur voluntas offerentium, qui si de hac re interrogarentur, responderent velle sibi integrum sacrificij fructum applicari, cùm enim de commodo, & vtilitate animæ agatur, & quælibet præsumatur velle sibi in spiritualibus omni meliori modo consulere, sequitur offerentem eleemosynam velle sibi totum Missæ fructum applicari, tum quia priuat offerentes eleemosynam debito fructu, cùm valor sacrificij respondens oblationi Sacerdotis, vt sic, quem Sacerdos potest alijs offerre, sit finiti valoris, vt suprà tradidi cum Suarez 3. *parte tom.*3. *disput.* 79. *section.*12. *col.*5. *versic. Dico secundò*, Valentia *tom* 4. *disp.*6. *q.*11. *punct.*1. *§.* 25. *sub finem*, Naldo *verb. Capellania numer.* 11. Ludouico Miranda, Bellarmino, Vasquez, Chamerota, & quàm pluribus alijs, à quibus Suarez *loco citato*, putat non dissentire Caietanum, Canum, & alios qui solent in contrarium adduci, tum quia Sacerdos, qui ex fundatione, aut alia de causa tenetur vni sacrificium offerre, nullo iusto titulo potest nouum recipere stipendium: non enim potest illud recipere pro sacrificio, siue sit finiti, siue infiniti valoris, cùm temporale accipi non possit absque simoniæ labe pro re spirituali, vt per se patet, neque potest recipere pro sustentatione, cum tantam ab alio stipem ad sustentationem acceperit, quantam exiguus vnius semihoræ labor postulat. Immo sacrificium non est institutum ad alendum Sacerdotem; cùm ex vsu, & præscripto Ecclesiæ nullus ad sacerdotalem ordinem promoueri possit, nisi aliunde habeat, quo se congruè valeat sustentare: tum quia sicut excessus pretij in contractibus redolet inæqualitatem, & iniustitiam, ita excessus stipendij supra taxam lege, vel consuetudine præscriptam æqualitati, & iustitiæ aduersatur, nisi vltrò, spontè, & libertè tradatur, vt benè tradit Suarez 3. *parte, tom.*3. *disput.*86. *sect.*2. *col.*3. *vers. Dico quartò*, vbi asserit, hanc esse communem Doctorum sententiam, nullúmque sentire contrarium, in communi, & absolutè.

Ex dictis patet responsio ad rationes in contrarium.

Ad primum respondeo, sacrificium secundùm valorem respondentem oblationi Sacerdotis, vt sic, quem valorem Sacerdos alicui peculiariter applicat, esse finiti valoris, & efficaciæ, vt benè tradit Valentia, & alij *loc.cit.*

Ad secundum respondeo, valorem Missæ augeri iuxta numerum offerentium, qui verè sunt offerentium, si valor Missæ consideretur, quatenus respondet offerentibus, vt superiùs probauimus cum communi Doctorum sententia, non verò, vt respondet oblationi Sacerdotis, vt sic, qui est fructus, quem Sacerdos applicato offerentibus eleemosynam.

Hinc etiam patet responsio ad tertium argumentum: nullus enim defraudatur ex plurium consortio in Missæ sacrificio audiendo, cũ singuli suo modo concurrant ad Missæ sacrificium, & singuli fructum sibi respondentem recipiant.

Ad quartum respondeo, inseruientes altari posse de altari viuere ad ratam, & proportionem obsequij & ministerij, alioquin clerico deferenti vrceolos ad altare, liceret accipere, quantum ad congruam vnius diei sustentationem necessarium est. Quamobrem licitum est solùm tantum stipendij accipere, quantum ab Ecclesia per legem, vel per consuetudinem præscriptum fuerit, vt benè ait Nugnus *q.*83. *art.*1. *dub.*9. *ad tertium pag.*51. & alij communiter.

Obiicies primò, in dubijs melior est conditio possidentis, & ex duabus opinionibus probabilibus licitum est quamlibet sequi, vt tradit Sanchez *in summa lib.*1. *c.*9. *num.*4 Azorius 1. *parte lib.* 3. *c.* 18. *quæsito* 2. *versic. Denique*, & alij quos magno numero retuli in tractatu de peccatis; sed dubium est, immò est probabile, valorem Missę esse infinitum, cùm huic opinioni plures Doctores adhęreãt; ergo licitum est eam sequi. Ex quo etiam vlteriùs sequi videtur, licitum esse plures eleemosynas accipere pro eadem Missa, cùm hæc sententia benignior sit, & saltem probabilis, vt patet ex Doctoribus huiusmodi sententiam amplexantibus.

Respondeo iuxta tradita in tractatu de peccatis, in dubijs meliorem esse conditionem possidentis, & licitum esse sequi opinionem probabilem, quoties non est periculum faciendi iniuriam alteri, seu quoties aliter non postulat prudentia, vel iustitia, vel charitas, in hoc autem casu periculum est iniuriæ proximi tradentis eleemosynam, qui si nosset Sacerdotem Missæ sacrificium alteri applicaturum, non tradidisset eleemosynam, cùm eam tradiderit, vt sibi omni meliori modo consuleret; vt ex Rodriquez, Conrado, & alijs obseruat Fraxinellus *sect.*3. *§. Decimumtertium argumentum*, quidquid alij sentiant in oppositum.

Obiicies secundò, alicubi receptum est consuetudine, vt eadẽ Missa pluribus applicetur, accepto à singulis stipendio, ergo sacrificium videtur valoris infiniti, consequenter etiam licitum videtur accipere plures eleemosynas pro eodem sacrificio.

Respondeo primò, nullibi saltem apud probos, & sapientes viros, vt opinor, receptam esse consuetudinem applicandi eandem Missam pluribus, accepto à singulis consueto stipendio, cùm nullus vir probus velit se periculo peccandi exponere.

Secundò, hanc consuetudinem, si fortè alicubi inualuit, pugnare cum ratione, iure naturæ, & diuino, cùm idem sacrificium non sit infiniti valoris, nec æquè prosit omnibus, & tradens eleemosynam intendat totum sibi sacrificium applicari: consuetudo autem, quæ pugnat cum ratione, iure naturæ, & diuino, corrupтela est, & mater erroris, vt patet ex traditis de consuetudine *in tractatu de legibus.* Ita Fraxinellus *section.*6. *argument.*15. *numer.*2. & alij Doctores citati.

Aliàs obiectiones, quibus aliqui contendunt ostendere, sacrificium esse valoris infiniti, & consequenter neminem defraudari accipiendo plures eleemosynas, supra retuli, & reieci [*punct.* 4. *n.*6.]

2 Hinc sequitur primò, eos non esse tutos in conscientia, qui plures à pluribus colligunt stipes, illisque vnico Missæ sacrificio satisfacere arbitrantur.

3 Secundò sequitur à fortiori, eos non excusari, qui accepta stipe cum promissione sæpiùs applicandi Missæ sacrificium, vnica Missa intendunt satisfacere. Ratio est, tum quia faciunt contra fidem datam, & contra voluntatem offerentium eleemosynam: tum quia Missarum reductio fieri non potest priuata auctoritate, vt patet ex Trid. *sess.*25. *c.*4. Ita Rodriquez *in summa c.*152. *de Missa n.*6. Graffius *l.*2. *decis. aurearum c.*45. *n.*18. *&* 19.

4 Tertiò item, à fortiori colligitur eos non effugere grauem culpam, qui accepta eleemosyna pro Missæ celebratione non applicãt sacrificium, sed tantummodò collectam, & orationes. Secus dicendum est de Sacerdote, qui cùm alio titulo teneatur offerre sacrificium, offerenti nouam eleemosynam ostendit se iam teneri Missæ valorem alteri applicare, seque pro eo collectam recitaturũ, vel in Memento specialiter rogaturum, volenti enim, & scienti non fit iniuria. Ita Suarez *loc. citato sect.* 3. Possevinus *c.*2. *num.*25. Graffius *loco citato n.*19. Barthol. ab Angelo *dialogo* 5. §. 763 & alij communiter.

Hoc tamen limita, modò qui nouam offert eleemosynam, non teneatur ex legato, aut alia obligatione ad Missæ celebrationem, hæres enim tenetur voluntatem testatoris adimplere, vt in casu proposito benè ait Possevinus *c.*2. *n.*21. *vers. non credo verum.*

5 Quartò sequitur, Capellanos, qui onere Missæ quotidianæ detinentur, non satisfacere oneri suo illis diebus, quibus causa anniuersariorum, vel aliarum Missarum aliò se cõferunt ad celebrandum, & Missam applicant ijs, pro quibus anniuersaria, aut aliæ Missæ celebrantur. Si verò Missam applicent fundatoribus suæ Capellaniæ, non videntur grauiter peccare, si rarò hoc faciant, & nõ defraudent eos à quibus ad officium, seu Missam pro mortuis accersiti sunt: non censentur autem eos defraudare, si de obligatione ipsorum Capellanorum constet ijs, qui Capellanos ad anniuersaria, seu Missas accersiuerunt, vt clariùs cõstabit ex dicendis in sequentibus paragraphis.

6 Quintò eum, qui plures eleemosynas à pluribus collegit, illisque vnicum Missæ sacrificium applicauit, teneri sub mortali ad restitutionem Missarum non celebratarum. Quamuis enim ratione modicæ pecuniæ non teneatur sub mortali restituere, tenetur tamen ratione violatæ promissionis in re graui, vt benè innuit Petrus Nauarrus *de restitutione lib.*2. *c.*2. *nu.*382. *vers. si verò.* Arragonius *q.* 85. *ar.*3. *vers. sed obijciet aliquis, & dubio vltimo ibidem sub finem eiusdẽ versiculi, vers. Ad hanc difficultatem*, Graffius *loco citato, n.*17.

Addo contra prædictos Doctores, hoc verum esse, etiamsi, qui tradidit eleemosynam, cognouerit Sacerdotem non celebrasse: Sacerdos enim adhuc censetur causa grauis damni, nisi fortè, qui obtulit eleemosynam, hoc audito, mandauerit, alteri Missas celebrare: tunc enim prior Sacerdos tenetur solùm restituere pecuniam acceptam sub mortali, aut veniali, iuxta grauem, vel modicam pecuniæ

1 *An sint tutè in conscientia qui plures à pluribus stipes colligunt.*

3 *An excusentur, qui accepta stipe cum promissione sæpius celebrandi, vnica Missa intendunt satisfacere.*

4 *An peccent, qui loco Missæ integræ applicãt solùm collectam.*

5 *An satisfaciant Capellani, qui detinentur quotidiano onere, si aliò se conferant ad celebrãdum causa anniuersariorum.*

6 *An Sacerdos teneatur ad restitutionem Missarum, quas non celebrauit, cùm teneretur.*

pecuniæ quantitatem, nam cessetur causa damni solùm ratione pecuniæ: cùm ille, qui tradiderat eleemosynam aliunde sibi consuluerit ratione Missarum ab alio Sacerdote prætermissarum.

7 *An possit quis satisfacere oneri Capellaniæ cantando Missam cõuentualem.*

7 Secundò DIFFICVLTAS est, vtrùm Canonicus aut alius Sacerdos, qui tenetur onere Missæ quotidianę ratione Capellaniæ, aut eleemosynæ acceptæ, possit satisfacere oneri tam Capellaniæ, aut eleemosynæ acceptæ, quàm Canonicatus, dum cantat Missam, quam conuentualem vocant, seu capitularem.

RESPONDEO regulariter loquendo non posse vtrique oneri satisfacere. Ratio est, quia Canonicus per se loquendo tenetur Missã applicare pro Capituli obligatione, nam missa conuentualis est intrinseca ipsi Capitulo, & intima Missę capitulari, vt colligitur ex communi Canonicorum sensu, & ex *cap. cum creatura, de celebratione Missarum*, vbi decernitur, in collegiatis occasione funerum celebrari duas Missas, vnam iuxta officium, aliam de mortuis. Ex quo satis indicatur, Missam conuentualem non esse applicandam aliis, sed iuxta onus, & obligationem Capituli. Ita sensit Congregatio Pœnitentiarię Mediolanensis me præsente, & ita consulente. Idem sentire videtur Suarez 3. *parte, disp.* 80 *sect.* 2. & Reginaldus *lib.* 29. *nu.* 168.

Dixi, *regulariter loquendo*, vt aduerterem, quando non constat vtrùm cantans Missam teneatur illam applicare, posse Sacerdotem, siue sit Canonicus, siue Parochus, siue alius, Missam, quam solemni ritu cantat in Ecclesia collegiata, vel parochiali, ad libitum applicare. In dubiis enim melior est conditio possidentis suam libertatem. Ità Posseuinus *cap.* 2. *num.* 25. *quæsito* 4. Suarez *disp.* 86. *vers. sed circa primum.* Per se tamen loquendo Canonicus tenetur applicare iuxta obligationem Capituli, vt patet ex ratione superiùs allata.

8 *An Sacerdos teneatur totam Missam illi applicare, à quo tenuem accipit stipem.*

8 Tertiò DIFFICVLTAS est, vtrùm Sacerdos, qui tenuem eleemosynam, exempli gratia, quinque assium accepit pro Missa, vel Missis celebrandis, teneatur totum Missæ valorem applicare illi, à quo eleemosynam accepit, vel possit numerum Missarum minuere ad ratam eleemosynæ, quę iuxta taxam debetur Sacerdotibus, vel aliam eleemosynam ab aliis accipere, donec perueniat ad eam summam, quæ per consuetudinem, vel Episcopi decreta sancita est, sicque eandem vel easdem Missas omnibus applicare.

RESPONDET Corduba *lib.* 1. *qu.* 4. Azorius 3. *parte*, *lib.* 12. *c.* 6. *quæsito* 3. & alij, prædictum Sacerdotem posse numerum Missarum minuere iuxta stipendium sibi traditum, vel saltem celebratis Missis iuxta numerum petitum posse auxilium iudicis implorare, vt curet consuetum sibi stipendium tradi. Si verò iudex nolit, aut non possit hoc facere, posse ipsummet Sacerdotem occulta compensatione vti, quia constat iustum stipendium deberi Sacerdoti celebranti.

Sed mihi dicendum videtur, Sacerdotem, qui tenuem accepit eleemosynam pro Missa celebranda teneri totum sacrificij valorem respondentem tradentibus eleemosynas applicare, nec posse numerum Missarum minuere, aut eleemosynam ab aliis extorquere, saltem quando omnino voluntariè contentus fuit illo stipendio, & expresè promisit se Missam, vel tot Missas celebraturum. Ita Suarez *disp.* 86 *sect.* 4. Miranda *in Manuali Prælatorum tom.* 1 *q.* 41. *art.* 23. *concluf.* 3. Posseuinus *c.* 2. *n.* 23. & 24. Fraxinellus *de obligationibus Sacerdotum*, *sect.* 4. *concluf.* 1. *§.* 2. & *sect.* 6. *ad duodecimum argumentum.* Henriquez, Naldus, Coninchus, & alij *loc. statim cit.* Ratio est, tum quia tenetur stare promissis, & conuentioni: promisit autem Missæ valorem & non partem tantùm. Secùs si tantùm promisisset se rogaturum, tùnc enim satisfaciet promissioni rogando, vt per se patet: tum quia fieri potest, vt defuncti, qui tot Missarum celebrandarum onus hæredibus imposuerunt, defraudentur sperato sacrificio, & fructu.

Si verò Sacerdos nihil expressit, aliqui Doctores, vt Nugnus, Fraxinellus, Corduba, & alij *locis* statim *citandis* putant, Sacerdotem posse à diuersis tot parua stipendia exigere, quæ respondeant debitæ eleemosynæ, & vno sacrificio omnibus satisfacere, aut posse minuere numerum Missarum.

Ego verò censeo, teneri totum Missæ valorem applicare nec posse numerum Missarum diminuere. Ratio est, tum quia verba accipienda sunt secundùm communem intelligentiam, & actus præsumitur factus secundùm consuetudinem: cùm autem iuxta consuetudinem tradi soleat eleemosyna: vt applicetur Missa iuxta mentem tradentis eleemosynam, qui præsumitur velle sibi totum Missæ valorem applicari, aut tot Missas pro se celebrari, sequitur Sacerdotẽ teneri totum Missæ valorem applicare, iuxta mentem tradentis eleemosynam, & consequenter teneri totum Missæ valorem applicare, nec posse numerum Missarum diminuere, tum quia Sacerdos debet sibi, suæque imprudentię incommodum imputare ob exiguã eleemosynam: nam censetur voluntariè cessisse iuri suo, quo poterat eleemosynam exigere iuxta taxam: tum quia, sicut qui tenuem acceptauit Capellaniam quotidianam, tenetur ad onera illius Capellaniæ, donec numerus Missarum reducatur à legitimo superiore vt benè ait Azorius 3. *parte*, *lib.* 12. *cap.* 6. *quæsito* 4. Fraxinellus *sect.* 6. *in responsione ad duodecimum argumentum*, *ad finem*, *num.* 5. Henriquez *lib. de Missa cap. vltimo*, & alij: ita qui promisit sacrum exigua contentus stipe, tenetur totum Missæ valorem applicare vsque ad numerum petitum. Ità Henriquez *lib.* 9. *c.* 22. *num.* 5. Naldus *verb. Missa n.* 13. Coninchus *q.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. *n.* 193. Vasquez 3. *part. q.* 83. *disp.* 231. *art.* 1. *c.* 5. Suarez *disp.* 86 *sect.* 4. *sub finem*, *vers. vnde consequitur.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5. *§.* 756. & ita censuit Congregatio Mediolanensis me præsente, & ita consulente, contra Nugnum *quæst.* 83. *art.* 1. *§. in tertia parte*, *dub.* 9. *concluf.* 2. *pagina* 500. Posseuinum *c.* 3. *n.* 23. Cordubam, & Azorium *loc. suprà citat.* Reginaldum *lib.* 23. *numer.* 234. Sotum, Canum, & alios apud Suarez *loco citato*, aduertentes Sacerdotem, cui exigua traditur eleemosyna, tacere, non quia intendat cedere iuri suo, & aliquid donare, sed quia non decet respondere in hac re, ne suspicionem ingerat auaritiæ.

Verùm hæc ratio non conuincit, nullum enim est scandalum vti iure suo, petendo consuetam, & à iure præscriptam eleemosynam, & non defraudando intentionem tradentis eleemosynam.

9 *An ad Episcopum pertineat Missas reducere, & ad maiorem numerũ reuocare.*

9 Si QVÆRAS ad quem pertineat Missas reducere, & ad minorem numerum reuocare. Respondetur, pertinere ad Episcopos in Synodo diœcesana, & ad Generales ordinum in capitulis generalibus. Propterea quando stipendium est exiguum, habita ratione oneris Missarum, Episcopus potest numerum Missarum minuere, constituta debita eleemosyna, vt patet ex Tridentino *sess.* 25. *cap.* 4. Ita Reginaldus *lib.* 23. *numer.* 239. Miranda *in Manuali Prælatorum, tom.* 1. *qu.* 41. *art.* 24. [Garzias *de benef. part.* 7. *c.* 1. *num.* 133. & 134. Molfesius *tract.* 3. *c.* 17. *n.* 29.] Nauarrus, Couarruuias, & alij apud Henriquez *lib.* 9. *c.* 22. *num.* 6. vbi asserunt, hanc reductionem faciendam esse in Synodo ab Episcopo, vt patet ex Tridentino *sess.* 25. *c.* 4. *de reformatione.* quamuis Miranda *loco citato*, Nauarr. *in Manuali, c.* 25. *n.* 128. *ad finem*, Rodriquez *in summa* 1. *parte cap.* 252. *nu.* 17. Riccius *in praxi decis.* 406. [Molfesius *loco citato*,] & alij apud Henriquez *loco citato*, *in commentario littera P.* putent Episcopum posse absque Synodi consensu commutare, & moderari numerum Missarum.

Sed hoc mihi non probatur præcisa graui necessitate pro casu aliquo particulari, & præcisis priuilegiis, quibus fulget Illustrissimus noster Cardinalis, nam in Tridentino conceditur solùm facultas Episcopis commutandi, & moderandi numerum Missarum in Synodo Diœcesana, & statuendi, quidquid magis ad Dei cultum, atque Ecclesiæ vtilitatem viderint expedire.

10 *An Episcopus possit reducere Missas præscriptas in fundatione alicuius beneficij.*

10 Obserua tamen primo cum Naldo *verb. Missa. num.* 18. Posseuino *c.* 2. *n.* 25. *quæsito* 9. & aliis contra Mirandam *loco citato*, Episcopum non posse ex vi Tridentini Missas requisitas in fundatione alicuius beneficij reducere ad minorem numerum Missarum. Ratio est, quia Concilium loqui videtur de Missis ex defunctorum dispositione relictis, & ita sensit Cardinalium Congregatio, teste Naldo, & Posseuino. Quamuis contrarium teneat Henriquez *loco citato*, *littera P.* Miranda *loco citato*, & alij, [apud Garziam *num.* 124.] eo quod Concilium simpliciter, & absolutè videatur Episcopis concessisse facultatem reducendi, & taxandi numerum Missarum.

Sed quod nos diximus, verius est posita Cardinalium declaratione, à qua non est recedendum sine firmiori fundamento.

11 *An reductio fieri possit circa Missas post Tridẽtinum relictas.*

11 Obseruat secundo Miranda *loco citato*, Rodriquez *quæstionum regularium qu.* 43. *art.* 13. & *in summa* 1. *part. cap.* 252. cum Paraselo, & aliis apud Fraxinellum *de obligationibus sacerdotum sect.* 7. *§.* 5. *nu.* 2. ex declaratione Cardinalium, reductionem fieri non posse de Missis post Tridentinum relictis.

Sed contrarium dicendum putat Posseuinus *loco citato quæsito* 9. Riccius *loco citato*. [Garzias *numer.* 132.] & alij. Ratio est, tum quia praxis videtur in contrarium, inquit Posseuinus; tum quia Tridentinum videtur absolutè loqui, & ipsius ratio militat non solùm in legatis ante Tridentinum relictis, verùm etiam post.

Posseuini sententiæ libenter adhærerem præcisa Cardinalium declaratione, quam declarationem ad praxim reuocari, & vsu receptam esse, mihi testatus est Reuerendissimus D. Marius Antoninus Vicarius Generalis, quem de hac re circa praxim consului, & interrogaui, & cui tanquam fide dignissimo, & rerum gerendarum peritissimo fides præstanda est.

12 *An ad reductionem Missarum requiratur iusta causa.*

12 Obserua tertiò, ad reductionem Missarum necessariam esse iustam causam, nam voluntas testatoris non potest absque iusta causa violari. Ita Mol. *tract.* 2. *disp.* 249. Rodriquez 1. *parte c.* 252. *ad finem*, Miranda, Fraxinellus, & alij *loc. citat.*

13 *An Capellanus teneatur quotidie Missam applicare fundatori, si constet de quotidiana obligatione, quamuis nũ constet de fundatione Capellaniæ.*

13 Quartò DIFFICVLTAS est, vtrùm obtinens Capellaniam, de cuius fundatione nullo modo constat, cùm nulla reperiatur scriptura, sed solùm constat, ipsum Capellanum teneri quotidie celebrare in tali Ecclesia, vel in tali altari, teneatur Missæ valorem applicare pro fundatore Capellaniæ.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, tum quia fundator censetur voluisse sibi consulere omni meliori modo; quoties enim dubitatur de voluntate testatoris, præsumendum est, quod verosimilius est, & quod ipse interrogatus respondere: testator autem de hac re interrogatus respondet, velle sibi Missæ valorem applicari, cùm agatur de salute animæ, de qua præsumendum est, vnumquemque curam habere, tum quia Capellaniæ regulariter loquendo solent institui cum onere applicandi Missæ sacrificium pro fundatore, ergo etiam in proposito casu præsumitur Capellania hoc modo instituta, cùm fortissima præsumptio desumatur ex consuetis, & communiter accidentibus, vt ait Sanchez *in summa*, *lib.* 4. *c.* 1. *nu.* 13. Marianus Socinus, Parisius, & alij, quos refert, & sequitur Menochius *lib.* 1. *de præsumptionibus*, *q.* 18. *n.* 1. *folio mihi* 15. *pagina* 2. ex impressis anno 1587. & ita in terminis tenet Posseuinus *cap.* 2. *n.* 22. & 25. *quæsito* 5. Fraxinellus *sect.* 4. *concl.* 4. *§.* 8. Naldus *v. Missa*, *n.* 13. Syluester *v. Missa* 1. *n.* 7. Dominicus Anfossius *in suo consilio pro Vicario Mortariensi*, & alij communiter.

14 *An Capellanus teneatur semper fundatori sacrificium applicare, si clarè non constet de ipsius intentione.*

14 Hinc colligitur primò, Capellanum teneri Missæ sacrificium applicare fundatori, nisi clarè constet testatorem in institutione Capellaniæ respexisse solum Ecclesiæ, vel altaris cultum & venerationem. Ita Fraxinellus *loco citato*, & alij.

Dices, in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem; ergo iudicandum est in fauorem Capellani, quoties non constat de voluntate fundatoris circa missæ applicationem, Capellanus enim videtur suam libertatem possidere.

15 *An Sacerdos teneatur Missæ valorẽ applicare iuxta intentionem tradentis eleemosynam.*

RESPONDEO, possessionem stare pro fundatore, de cuius voluntate sufficienter constat, quoties non constat, ipsum voluisse solùm obligare Capellanum ad celebrationem, nam pro eo stat possessio, pro quo stat præsumptio, vt cum Menoch. Sanchez, & aliis tradidi *in tractatu de peccatis.* Præsumptio autem stat pro fundatore, vt patet ex rationibus allatis.

15 Secundò colligitur à simili, Sacerdotem teneri Missę valorem applicare iuxta intentionem illius, qui tradidit eleemosynam, & simpliciter petiit missam pro se, vel pro defunctis, vel pro alia necessitate. Ratio est, tũ quia petens Missam non censetur petere partem fructus, sed integrum fructum pro se, vel pro suis. nam appellatione

latione rei omnis eius pars continetur, nec vllus præsumitur iuri suo cedere, nisi hoc exprimat, *l. vxore, parag. legauerat ff. si seruitus vendicetur.* Tum quia petens simpliciter Missam, censetur petere id quod solet applicari offerenti eleemosynam, nisi aliud exprimat, nam ipsius petitio explicari debet iuxta consuetudinem, & communem modum petentium Missam pro se, vel pro defunctis: communiter autem solet peti valor Missæ, vt patet ex rationibus superius allatis, sicut enim, quando expressè non constat de voluntate testatoris, præsumendum est id, quod verosimilius creditur ipsum voluisse, & quod ipse responderet interrogatus, si adesset, *l. cùm res in principio, ff. de legatis primo.* Mantica *de coniecturis vltimarum voluntatum, lib. 3. tit. 19 num. 1. & 2.* Emanuel Sà, & alij, quos retuli *de contractibus, disp. 6. qu. vltima, punct. vltimo nu. 6* sicut autem testator, si adesset, cùm agatur de commodo, & salute animæ suæ in fundatione Capellaniæ, interrogatus responderet, velle sibi sacrificium Missæ applicari, ita præsumendum est de voluntate tradentium eleemosynam. Ita Sylvester *verb. Missa 1. num. 7.* Naldus *verb. Missa, n. 13.* Dominicus Anfossius *in consilio pro Vicario Mortariæ*, Bartholomæus ab Angelo *de Missa, parag. 749.* S. Anton. *1. parte tit. 10. c. 2. numer. 4.* & ita censuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente, & ita consulente.

Ex quo vlterius patet, eum, qui accepit eleemosynam ad celebrãdam Missam pro defuncto, & aliam eleemosynam ab alio, non satisfacere applicando fructum satisfactionis defuncto, reliquos verò fructus alteri, vt patet ex allatis rationibus.

16 *An Capellanus, qui ex honestate potest semel in hebdomada à Missæ celebratione abstinere, possit alibi celebrare.*

16 Quinto DIFFICVLTAS est, vtrùm qui semel in hebdomada potest titulo honestatis à celebratione Missæ abstinere, possit eodẽ die Missam alibi, aut pro alio celebrare, aut abstinere à celebratione oblectationis, vel itineris gratia.

RESPONDEO negatiue, nisi aliter constet de mente fundatoris. Ita Fraxinellus *sect. 4. conclus. 4 parag. 3.* & alij. Riccius *in sua praxi decis. 403.* Ratio est, tum quia à diuersis non est facienda illatio, consequenter cessatio concessa vno die causa honestatis non est extendenda ad causam oblectationis, itineris, &c. Tum quia in Concilio Prouinciali IV. Mediolanensi sic decernitur: *Quilibet Sacerdos, quod suscepit, muneri Missæ sacrificij faciendi satisfaciat omnino, nec vero cuiquam, qui quotidiano munere eo modo astrictus est, ne semel quidem in hebdomada id prætermittere vllo prætextu liceat, aut alibi, nisi aliquando eius, cui id curæ Episcopus dederit, aut si nemini dederit, Rectoris præfective Ecclesiæ consensu Sacerdotem alium ante in locum suum substituerit, qui id præstet, quod in ea Ecclesia ipse debet.* Præterea in Synodo Diœcesana Mediolanensi III. extra decretum 23. in hæc verba: *Sacerdos, qui sin gulis diebus in Ecclesia aliqua Missæ sacrum facere debet, aliqua tamen causa, rationeve sibi licere putat, eam Missæ frequentem celebrationem semel in hebdomada intermittere, is ne illo intermissionis die Missæ sacrum in alia Ecclesia faciat, nisi priùs in locum suum Sacerdotem alium substituerit, qui præstet id, quod ipse in illa Ecclesia debet.*

Ex quo patet, eo die, quo liberum est Capellano semel in hebdomada Missam intermittere, non posse alibi, aut pro alio celebrare, nisi prius aliquem in sui locum subrogauerit, ac substituerit, consequenter Sacerdotem, qui titulo Capellaniæ tenetur quotidie celebrare, non posse vno die in hebdomada, accepta ab aliis stipe, celebrare in eadem Ecclesia, & sacrificium applicare tradenti stipem, vt patet tum ex rationibus, & Conciliis allatis, tum quia Sacerdos nõ potest duplicem stipem accipere, sed vnam tantùm, iuxta taxam lege, vel consuetudine præscriptam, vt benè obseruat Suarez 3. *parte disput. 86 sect. 2. concl. 4. ad finem*, & alij, quos infrà referam *puncto 9.* Capellanus autem accepit à fundatore Capellaniæ, seu ab ipsius hæredibus stipem sufficientem iuxta taxam, vel si tantam non accepit, sibi debet imputare, vel saltem petere potest reductionem ab Episcopo, & sibi hoc pacto consulere, vt patet ex supradictis. Interim tamen tenetur iuxta fundatoris intentionem celebrare, sibique debet imputare modicitatem fructuum, & emolumentorum, cùm voluntariè se illi oneri subiecerit, tum quia Capellanus non potest priuata auctoritate numerum Missarum minuere, cùm ipse non possit voluntatem testatoris inuertere, & mutare, vt bene obseruat Azorius 3 *parte lib. 12. cap. 6. quæsito* 4. Henriquez *de Missa, cap. vltimò*, & alij, quos magno numero retuli de testamentis, & legatis ad finẽ; tum quia Sacerdos tenetur celebrare iuxta conuentionem, & fundationem Capellaniæ, cùm autem conuentio, & fundatio exigat quotidianam celebrationem in tali Capella iuxta voluntatem fundatoris, sequitur Capellanum non posse, accepta ab alio stipe, semel in hebdomada celebrare in eadem, vel in alia Capella pro eo, qui sibi tradidit stipem, nisi fortè oneri Capellaniæ satisfaciat eo die per alium Sacerdotem. Ita Sylvester *verb. Missa 1. quæsito 7. ad finem.* Azorius *loco citato* Fraxinellus *loco citato.* Riccius *in praxi decis.* 303. & Consultores Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente, & ita consulente.

OBIICIES, vsu receptum est, vt quilibet Sacerdos absque vllo conscientiæ scrupulo, semel in hebdomada celebrationem Missæ prætermittat, si velit, licet in fundatione Capellaniæ exprimatur, Capellanum teneri ad quotidianam Missæ celebrationem; ergo Capellanus eo die, quo potest Missæ sacrum intermittere, potest etiam pro alio celebrare, si voluerit, & consequenter stipem, & eleemosynam accipere.

RESPONDEO negando consequentiam, nam à diuersis non est facienda illatio: cum enim obligatio, seu onus celebrandi Missas quotidie, intelligatur salua decentia, & honestate, vt inquiunt cõmuniter Doctores, id est, salua conscientia ipsius Sacerdotis, & salua reuerentia Sacramento debita, cùm autem honestas, & decentia postulet, vt aliquando Missæ sacrum prætermittatur, sequitur, potuisse legitimè introduci consuetudinem prætermittendi Sacrum aliquoties ita exigente honestate, honestas autem, & decentia non postulat, vt Sacerdos, cui onus incumbit quotidianę celebrationis, & applicationis, applicet alteri Missam eo die, quo potest Missæ sacrum ex honestate intermittere. Propterea posito, quòd velit celebrare, debet Missæ sacrum iuxta Capellaniæ institutum applicare.

17 Maius DVBIVM est, vtrùm Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, si frequentem Missæ celebrationem velit semel in hebdomada titulo honestatis, aut alia iusta de causa intermittere, teneatur per alium eo die supplere. 17 *An qui titulo honestatis potest semel in hebdomada abstinere, teneatur per alium eo die supplere*

RESPONDEO cum Sylvestro *verb. Missa 1. quæsito 7.* Tabiena *eodẽ verb. num. 44.* Armilla *eodem verb. numer. 28.* Graffio *tom. 2. consiliorum, lib. 3. difficultate 4 folio 105.* Soto *lib 9. de iustitia. quæst. 3. artic. 1.* Corduba *lib. 1. qu. 4. dubio 5.* Henriquez *lib 9. c. 24. num. 4.* Azorio 1 *parte, lib. 10. cap. 24. quæsito 7.* Emanuel Sà *verb. Missa, num. 46.* Graffio 1 *parte, lib. 2. decis. cap. 29 num. 8.* Riccio *decis* 403. Paulo Fraxinello *de obligationibus Sacerdotum. sect. 4. conclus. 4. parag. 1.* Vgolino *de officio Episcopi, cap. 14. num. 3.* Beia 1 *parte, casu 23. versic. Quare obligatio.* Suarez *disput. 86. sect. 1. columna 3. versic. De beneficijs, in fine*, vbi refert Panormitanum, & Nauarrum, teneri per alium supplere, si in fundatione Capellanię non fuit electa persona, sed solùm habita fuit ratio loci aut Missæ celebrandæ, vt accidit, quando in fundatione dicitur, Volo Missam quotidie celebrari in tali Altari, vel si dicatur, Obligo hæredem, vel Sacerdotem ad prouidendum de Missæ sacrificio, vel si dicatur, Capellanus quotidie celebret per se, vel prouideat per alium. Cùm enim fundator non habuerit intentionem obligandi Sacerdotem ad Missam quotidie per se ipsum faciendam, nec elegerit industriam, sed intenderit quotidianam Missam absolutè; dicendũ est Capellanum teneri quotidie ad Missam celebrandam per se, vel per alium. Ratio est, tum quia non accidit impedimentum ex parte loci, ratione cuius Sacerdos eximatur ab obligatione celebrandi: tum quia non est recedendum à voluntate fundatoris, quæ verbis perspicuis, & claris indicatur, *l. non aliter ff. de legatis 3.* Si verò electa sit persona, vt si dicatur, eligatur Sacerdos, qui quotidie celebret, aut, volo, vt Sacerdos electus ad hanc Capellaniam quotidie celebret, non tenetur Capellanus, qui semel in hebdomada, iusta de causa Missæ Sacrum intermittit, Missam per alium supplere, nam obligatio Missæ quotidianæ imposita Sacerdoti intelligitur salua decentia, & honestate, alioquin videretur inungi obligatio ad rem illicitam.

18 Sextò DIFFICVLTAS est, cuinam obligationi satisfaciendum sit, quoties Sacerdos duplici obligatione tenetur, nec potest vtrique satisfacere per se, vel per alium. 18 *Cuinã obligationi satisfacere teneatur Sacerdos, quando duplici obligatione incompossibili tenetur.*

RESPONDEO satisfaciendum esse priori, tum quia in hoc casu valet illa regula, qui prior est tempore, potior est iure: tum quia sicut priora sponsalia præualent posterioribus; ita prima obligatio celebrandi præualet posteriori. Ita Azorius 1. *parte, lib. 10. c. 24. quæsito 7.* Posseuinus *cap. 2. numer. 25. quæsito 3. ad finem.* Sanchez, & alij, quos in simili retuli *de sponsalibus, & de cõtractibus.*

§ III.

Circa particulam, *Quales.*

1 DIFFICVLTAS est primò, vtrùm qui tribus promisit tres Missas, singulis singulas, satisfaciat si ter celebrando applicet singulis tertiam partem. 1 *An qui promisit tres Missas singulis singulas satisfaciat si singulis applicet tertiam partem triũ Missarum.*

RESPONDET Sylvester *verb. Missa 1. quæsito 8.* quem citat, & sequitur Posseuinus *c. 2. n. 25. quæsito 5.* non satisfacere.

Sed mihi dicendum videtur, satisfacere, quia tantum tradit, quãtum promisit, cùm valor Missæ sit diuisibilis, & possit pluribus applicari: hoc tamen in praxi non consulerem.

2 Secundò DIFFICVLTAS est, vtrùm qui celebrat Missam ex sua deuotione, possit, quam velit, Missam celebrare. 2 *An celebrãs ex deuotione possit, quam velit, Missam conficere.*

RESPONDEO consulendum esse, vt celebret Missam, quæ vnoquoque die præscribitur in Missali, vt patet ex *cap. quidam laicorũ, & cap. cùm creatura, de celebratione Missarum.* Par enim est, vt se accommodet rubricis, & ritibus Ecclesiæ. Ita Panormitanus *in cap. quidam laicorum, citato.* Azor. 1. *parte lib. 10. cap. 29. ad finem.* Posseuinus *c. 2. num. 16.* Rodriquez *in summa cap. 249. nu. 24.* Bartholomæus ab Angelo ex parte *dialogo 5. parag. 468.* Tabiena *Missa 1. numer. 49.* Armilla *num. 31.* Suarez, & alij statim citandi. Per se tamen loquendo potest alia Missa persolui ab eo, qui pro suo arbitrio recitat Missam priuatam, nisi aliud suadeant circumstantiæ, sicut enim liberum est Missam dicere, & omittere, ita etiam aliam celebrare, & in rigore non videtur sub mortali latum præceptum dicendi Missam de feria, aut de Sancto. Ita Suarez *disp. 83. sect. 3 vers. Dico primò.* Reginaldus *lib. 19 num 208.* Sylvester *verb. Missa 1. num. 4.* Sotus, Medina, & alij apud Henriquez *lib. 9. c. 23 num. 5. in commentario littera H.* contra Bartholomæum ab Angelo *dialogo 5. parag. 466.* & Angelum *verb. Missa nu. 33.*

Ex quo patet primò differentia inter ritum celebrandi Missas priuatim, & illum, quo Sacramenta conficiuntur.

3 Secundò patet differentia inter ritum, quo celebratur Missa priuata, & inter ritum, quo Missa solemnis, & Conuentualis persoluitur, nam Missa Conuentualis videtur grauiori cum onere celebranda, iuxta ritum in Missali præscriptum, vt colligitur tum ex *cap. cùm quidam laicorum, & ex cap. cùm creatura, de celebratione Missarum*, tum ex vsu, & consuetudine, quæ videtur introducta cum maiori onere circa celebrationem Missarum solemni ritu, quàm priuato: tum ex Bulla Pij V. in qua præcipitur in virtute sanctę obedientiæ, vt Rubricæ Missalis seruentur, quod præceptum in hac parte strictius obligat in Missis solemnibus, quàm in priuatis, teste consuetudine, & praxi, vt ait Suarez *loco citato.* 3 *Differentia inter ritum quo celebratur Missa priuata, & ritum, quo missa solẽnis persoluitur.*

OBIICIES, qui priuata auctoritate addit, vel omittit preces in Missæ sacrificio, grauiter peccat, nisi excusetur ratione paruitatis materiæ; ergo etiam grauiter peccat, qui aliam Missam celebrat.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia in secundo casu facere videtur contra rubricas strictiùs receptas, quàm in primo. Ita Suarez *loco citat. sect. 3. vers. Dico secundò.* Azor. 1 *parte, lib. 10. cap. 29. ad finem quæsito 6.* Posseuinus *cap. 2. n. 16*

& alij, qui benè obseruant rubricas in Missali præscriptas per se loquendo seruandas esse sub mortali, iuxta probabiliorem Doctorum opinionem, nisi aliter ferat consuetudo.

4 *An satisfaciat celebrando diuersas Missas, cùm ex promissione, vel fundatione teneatur certas, & peculiares celebrare.*

4 Tertiò DIFFICVLTAS est, vtrùm qui accepit eleemosynam cum promissione celebrandi Missam de Spiritus sancto, vel de Beatissima Virgine, vel de Requiem, &c. possit dicere Missam illo die currentem, & vtrùm qui tenetur ex fundatione Capellaniæ aliquas Missas in hebdomada de S. Carolo, vel de alio Sancto celebrare, possit illis diebus celebrare Missam de Requiem, vel eo die currentem, aut aliam.

RESPONDEO cum, qui ex promissione, vel ex fundatione tenetur celebrare certas, & peculiares Missas, vt puta de Spiritu sancto vel de Beatissim. Virgine, vel de Requiem, &c. per se loquendo infideliter agere, si alias celebret Missas. Ratio est, quia Capellanus tenetur Missas dicere iuxta institutionem Capellaniæ: tum quia infideliter agit, qui non stat promissis, & fidem datam violat, *c. qualiter de pactis.* Ita Angelus *verb. Missa n.* 52. Armilla *verb. Missa. nu.* 36. Bartholomæus ab Angelo, *de Missa, §.* 749.

Dixi, *per se loquendo*, nam fieri potest, vt non delinquat si aliam Missam ex iusta causa celebret, qualis causa est si in eum diem incidat solemnitas alicuius sancti, de quo celebretur officium simplex, aut duplex, seu solemne, tunc enim videtur posse Missam illius diei celebrare, Ratio est, tum quia, inquit Panormitanus *in cap. quidam laicorum, de celebratione Missarum*, celebranda est Missa de eo, de quo fit officium, & reprehensibile est Sacerdotibus, ad instantiam laicorum dimittere Missas proprias propter peculiares ex deuotione: tum quia seruandus est ritus Ecclesiæ, & quisque debet Missali, & communi vsui se conformare: tum quia licet de Missa Requiem, quam quis tenetur pro defuncto celebrae, magis prosit defuncto, quàm alia, si Missa consideretur secundùm preces ab Ecclesia institutas ad hunc finem, nihilominus, si consideretur vt sacrificium est æqualiter prodest, vt benè ait Toletus *lib.* 1 *cap.* 8 *num.* 2. Rodriqu. *in summa cap.* 249. *de celebratione Missæ, num.* 24. Suarez, & alij statim citandi, & defectus Missæ petitæ supplerí potest, & compensari deuotione, & intercessione illius Sancti, cuius Missa celebratur. Ita Ludouicus Miranda *in Manuali Prælatorum qu.* 41. *art.* 21. *concluf.* 2. Tabiena *v. Missa, num.* 53. Toletus *loco citato*, Azorius 1. *parte, lib.* 10. *cap.* 32. *quæsito* 6. Nauarrus *in Manuali c.* 25. *n.* 134. Armilla *verb. Missa, num.* 32. Emanuel Sà *verb. Missa, nu.* 48. Syluester *v. Missa* 2. *quæsito* 4. Henriquez *lib.* 9. *de Missa, cap.* 23. *nu.* 6 Suarez *tom.* 4. *disp.* 83. *sect.* 3. *versic. in quo est magna.* Reginaldus *lib.* 29. *n.* 208. Posseuinus *cap.* 2. *n.* 44. *ad finem* Rrodriquez *cap.* 248. *num.* 9. Vgolinus *de officio Episcopi, c.* 14. *num.* 4. Fraxinellus *de obligatione Sacerdotum, sect.* 4. *concluf.* 4 Beia 1. *parte, casu* 23. *vers. Primum ostendo*, Sotus Syluester, Nauarrus, & Victoria apud Suarez *loco citat.* Angelus *verb. Missa, num.* 34 S. Antoninus 1. *part. tit.* 10. *cap.* 2. *numer.* 2. Bartholomæus ab Angelo *de Missa parag.* 740. & 806. [Filliucius *tract.* 5. *cap* 5. *quæsito* 7. *numer.* 154.] Idem censuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente, & ita consulente.

5 *An teneatur Sacerdos adiungere Collectam pro mortuis &c. qua die potest Missam currẽtẽ celebrare*

5 Hinc sequitur primò, Sacerdotem illis diebus, quibus potest Missam eo die currentem celebrare, non teneri Collectam, seu Orationem pro mortuis, vel Missæ votiuæ, quam promiserat, adiungere; nullum enim defraudat, quamuis Collectam pro mortuis, vel Orationem Missæ votiuæ non recitet; cùm possit eo die Missam currentem celebrare, & defectum Missæ petitæ supplere, & compensare orationibus illius Missæ, quàm celebrat. Ita Nauarr *cap.* 25. *num* 100. Fraxinellus *loco citato. parag.* 7. Beia *loco citato, vers. Demum*, & alij.

6 *An celebrãs triginta Missas S. Gregorij, teneatur singulas de Requiem celebrare.*

6 Secundò sequitur, eum, qui suscepit onus celebrandi triginta Missas S. Gregorij pro defunctis, non teneri singulas de Requiem celebrare, iis præsertim diebus, quibus officium solemniter celebratur, vt patet ex rationibus allatis. Ita Beia *loco citato, vers. Secundum nempe*, Faxinelius *loco citato*, §. 5. Posseuinus, & alij DD. citati.

7 *An necesse sit Missas S. Gregorij sine interruptione celebrare.*

7 Hac occasione posset aliquis quærere, an necesse sit Missas S. Gregorij sine interruptione celebrare.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, tum quia interruptio non tollit Missarum effectum, tum quia obligatio Missæ celebrandæ intelligitur, salua decentia, & honestate, honestas autem patitur: vt aliquando Missa intermittatur: tum quia sequeretur, eum, qui medio Quadragesimę tempore suscepit onus celebrandi Missas S. Gregorij teneri Missam celebrare in die Parasceues, aut etiam feriis sextis Quadragesimæ, quibus diebus Missa non celebratur ritu Ambrosiano, hoc autem non est admittendum, cùm non possit illis diebus Missa celebrari, vt obseruat Fraxinellus *parag.* 5. *citato.* Beia *loco citato.* Posseuinus, & alij, quos suprà retuli.

§. IV.

Circa particulam, *In loco.*

1 *An in quolibet loco licitum sit Missæ Sacrum facere etiam in Oratorijs Cõfratrum.*

1 DIFFICVLTAS est primò, vtrùm in qualibet Ecclesia, vel Oratorio liceat Sacerdoti Missæ sacrum facere.

RESPONDEO affirmatiuè per se loquendo, modò Ecclesia sit benedicta, iuxta supradicta.

Dixi *per se loquendo*, vt aduerterem aliquando non licere, exempli gratia,

Primò quando ratione fundationis Capellaniæ præscripta est Ecclesia, vel Oratorium, standum enim est voluntati fundatoris, vt patebit ex solutione proximè sequentis difficultatis.

Secundò ratione peculiaris prohibitionis: quamobrem hic Mediolani in Concilio Prouinciali VII. *tit. de societatibus*, extat peculiaris prohibitio sub pœna suspensionis ipso facto contra celebrantes feria quinta, & Sabbato hebdomadæ Sanctæ in Ecclesiis, & Oratoriis Confratrum, cuius prohibitionis hæc sunt verba: *In Confratriũ Oratorijs. Ecclesijsve feria quinta, & Sabbato maioris hebdomadæ Missa ne celebretur, neve quisquam atque adeòne ipsis quidem confratribus à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in albis inclusiue, vel in solemnitatibus* Natiuitatis *D. N. Iesu Christi.* Ascensionis, Pentecostes, Assũptionis *B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, Eucharistiæ Sacramentum ministrare liceat, néve vllæ benedictiones candelarum, ramorum Oliuæ, ouorum, aliarúmve nouarum frugum ad Parochi benedictionem spectantes habeantur. Si quis verò Sacerdos prædictis diebus, & locis, vel sic, vt præfertur, benedicere non dubitauerit, pœnam à diuinis ipso facto incurrat. Confratres autem Episcopi arbitrio puniantur.* De intelligentia huius decreti alibi differam. Hic solùm obiter prænotasse sufficiat, pœna suspensionis non affici Sacerdotes prefatis diebus Eucharistiæ Sacramentum administrantes in Oratoriis Confratrum, versamur enim in materia odiosa, quæ non est extendenda vltra mentẽ superioris verbis expressam. [Verba autem suspensionis pœnam continentia extenduntur solùm ad benedicentes, non autem ad ministrantes Sacramentum Eucharistię.]

2 *An qui ex conuentione vel titulo tenetur in aliqua Ecclesia, vel Altari celebrare, peccet alibi celebrando.*

2 DIFFICVLTAS est secundò, vtrùm qui ex titulo, vel ex conuẽtione tenetur in aliqua Ecclesia, vel Altari celebrare, possit in alia Ecclesia, vel altari absque labe peccati celebrare.

RESPONDEO, non posse absque scandalo mortali celebrare, nisi hoc faciat ex iusta & rationabili causa. Ita Henriqu. *lib.* 9. *cap.* 23. *nu.* 5. Posseuinus *cap.* 2. *num.* 25. *vers. Quæritur secundò*, Graffius 1. *parte lib.* 2. *cap.* 53. *num.* 9. & *tom.* 2. *consiliorum de præbendis, lib.* 3. *difficultate* 4. *num.* 1. *fol.* 106. Fraxinellus *de obligatione Sacerdotum, sect.* 4. *conel.* 4. §. 9. Vgolinus *de officio Episcopi, cap.* 14. *num.* 4. Azorius *tom.* 1. *lib.* 10 *c.* 24. *quæsito* 8. & *tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 24. *quæsito* 7. Syluester *verb. Missa* 1. *quæsito* 10. *ad finem.* Nauarr. *cap.* 25. *nu.* 134. & alij apud Riccium *verb. praxis Capellaniarum. decisione* 405. Idem censuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente, & ita consulente. Ratio est, tum quia non adimplet voluntatem, & intentionem testatoris, nec præstat id, ad quod fuit electus, & assumptus: tum quia in Concilio Prouinciali IV. sic habetur: *Si Sacerdos, qui in Altari certo celebrare tenetur, in alio celebret, ne id, quod debet, præstitisse censeatur.*

3 *An possit alibi celebrare si consentiant hæredes.*

3 Et hoc ampliandum puto, etiamsi Sacerdos hoc faciat de consensu hæredum, nam adimplenda est voluntas testatoris, cui nequeunt hæredes derogare. Ita Antonius Genuensis, & alij apud Fraxinellum *loco citato*, §. 10.

Secus dicendum existimo cum Fraxinello *loco citato*, §. 11. Azorio, Graffio, Riccio, & aliis, si hoc faciat ob legitimum impedimentum. Immò si Sacerdos legitimo detineatur impedimento, ita vt nõ possit in loco à testatore constituto celebrare, debet in alio loco celebrare: hæc enim censetur interpretatiua voluntas testatoris, qui maiorem vtilitatem percipit ex Missa alicubi, quàm nullibi celebrata. Ita Azorius 1. *parte lib.* 10. *ca.* 14 *quæsito* 8. Emanuel Sà *verb. Missa, n.* 47. Naldus *verb. Missa, n.* 3. & alij.

4 *An possit Episcopus facultatem concedere, vt alibi celebret.*

4 Addo, Episcopum posse aliquando ex iusta causa concedere, vt Missa in alia Ecclesia, vel in alio Altari celebretur, si nequeat celebrari in loco constituto, sicut potest ex iusta causa in casu aliquo particulari commutare legata in alios æquales vsus pios, saltem quando non est acquisitum ius tertio, vt ait Graffius 1. *parte loco cit. n.* 11. Henriquez *lib.* 7. *c.* 15. *n.* 2. & *lib* 9. *c.* 22. *nu.* 6. Riccius *loco citato.* Syluester, Beia, & alij, quos ego magno numero retuli *de testamentis puncto vltimo.*

5 *An teneatur ad restitutionem qui alibi absque iusta causa celebrat.*

5 Maior DIFFICVLTAS est, vtrùm Sacerdos, qui absque iusta causa alibi contra fundatoris voluntatem celebrat, non solùm peccet mortaliter, verùm etiam teneatur iterum in eodem Altari, vel Ecclesia celebrare.

RESPONDENT aliqui Doctores, non solùm peccare mortaliter, si sepiùs hoc faciat sine iusta & rationabili causa, facit enim contra obligationem in re graui, verùm etiam teneri ad aliquam restitutionem, vt compenset sacrificia alibi facta, non enim videtur adimpleuisse fundatoris voluntatem. Ita sentit Azorius *tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 24. *quæsito* 7. Graffius, Riccius, & alij *locis citatis.*

Mihi tamen cum nonnullis aliis, quos tacito nomine refert Azorius *loco citato, & tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *post quæsitum* 8. eosque sequitur Posseuinus *c.* 2. *n.* 25. *vers. Quæritur secundò*, & Fraxinellus *de obligationibus Sacerdotum sect.* 4. *conel.* 5. §. 2. non videtur improbabile, non teneri ad restitutionem. Ratio est, tum quia nõ priuauit fundatorem fructu sacrificij, quamuis peccauerit alibi celebrando: tum quia sicut debitor, qui non persoluit pecuniam creditori in loco debito, sed alibi, non tenetur ad restitutionem, nisi quatenus interest creditoris sibi non fuisse satisfactum in loco debito: ita Capellanus, qui non celebrauit in loco sibi designato, non tenetur ad restitutionem, nisi quatenus interest fundatoris Missas non fuisse in eodem loco celebratas: tum quia sicut Capellanus, inquit Suarez *tom.* 2. *de religione, lib.* 4. *c.* 29. *n.* 11. qui ratione beneficij tenetur singulis annis certas quasdam Missas celebrare, licet grauiter peccauerit eas hoc anno omittendo, nihilominus si anno sequenti suppleat Missas hoc anno prętermissas, non tenetur ad restitutionem fructuum, cùm soluat debitum ad æqualitatem, licet peccauerit in dilatione, seu in circumstantia temporis: ita non videtur obligandus ad restitutionẽ Capellanus, qui Missam alibi celebrauit, nisi fortè quatenus interest fundatoris Missam alibi fuisse celebratam, vt si, exempli gratia, non celebrauit in Altari priuilegiato, in quo tenebatur Missæ Sacrum facere, quamuis putauerit se priuilegio calculi, vel imaginis benedictæ, erepturum è pœnis Purgatorij animam, pro qua tenebatur in Altari priuilegiato celebrare, hic enim violauit fidem datam cum detrimento alterius, nam magis prodest Missa in Altari priuilegiato celebrata, quam prosit breuis aliqua oratio priuilegio calculi, vel imaginis recitata, Ita Nauarrus, Azorius, & Fraxinellus *locis citatis.*

§. V.

Circa particulam, *Tempore.*

1 *An peccent Sacerdotes, qui accepta stipe notabiliter differunt celebrationem Missarum.*

1 DIFFICVLTAS est primò, vtrùm Sacerdotes, qui sunt notabiliter in mora celebrandi Missas pro iis, à quibus, vel pro quibus stipendium acceperunt, peccent mortaliter.

RESPONDEO

RESPONDEO affirmatiuè cum Petro Nauarro *lib.2.de restitutione, c.2.n.366.* Rodriquez *c.132.concl.2.* Henriquez *loco citato, cap.22. num.8.in commentario littera* V.Sylueſt.*verb.Missa 1.quæsito* 10. Fraxinell.*sect.4.conclus.3.§.1.num.2.& concl.5.§.1.numer.4.* Arragonio *de iustitia.qu.85.art.3.* Reginaldo *lib.23.n.236.* Posseuino *cap.2.num. 25.qu.2.* Naldo *verb.Missa,num.12.* & alijs. Ratio est,quia fieri potest,vt dilatio vergat in damnum illorum, quibus applicandum est Missæ sacrificium,fieri enim potest,vt tempus sit elapsum ad obtinendum,quod intendebatur ab eo, qui tradidit eleemosynam, vel tardiùs illud consequatur,vt accidit. Primò, quando quis tradidit eleemosynam pro impetrando beneficio, vel obtinenda sanitate alicuius infirmi,& tempore,quo Missa celebratur,beneficium est alteri collatum,vel infirmus iam mortuus est,vel tardius cõsequitur sanitatem ob dilationem Sacerdotis.

Secundò,quando traditur eleemosyna pro satisfactione animarum Purgatorij,quæ grauissimas patiuntur pœnas,quandiu sacrificij oblatio differtur.

2 *Anteneatur ad restitutionem, qui diutius differt Missæ celebrationẽ*

2 Addo fieri posse,vt Sacerdos qui Missæ celebrationem distulit, obligandus sit ad restitutionem stipendij accepti, vt si accepit eleemosynam pro impetranda infirmi valetudine,& ipse celebrationem Missæ distulit in tempus quo infirmus obierat, quamuis enim illud sacrificium prodesse possit defuncto quoad satisfactionem, nihilominus non prodest quoad impetrationem, quam intendit is, qui tradidit eleemosynam.Ita Petrus Nauarrus *loco citato*, Rodriquez *c.252.n.7.* & alij.

Ex quo infertur,Sacerdotes mercenarios (licet possint accipere aliqua stipendia pro aliquibus Missis, quas non possunt statim persoluere,modò non sit periculum defraudandi intentionem tradentium eleemosynas,vt infrà tradam)cauere debere,ne multa stipendia congerant pro multis Missis ad longum duraturis, alioquin exponerent se periculo defraudandi mentem tradentium eleemosynas,& non persoluendi Missas tempore opportuno, aut nunquam morte superueniente.Ita Rodriquez,Petrus Nauarrus, Reginaldus, & alij *locis citatis*,qui benè obseruant,grauiter peccare Sacerdotem, qui magnum Missarum numerum anticipato stipendio promittit, earumque celebrationem notabiliter differt,aut se periculo exponit non persoluendi Missas simpliciter, vel opportuno tempore. [De hac re editum fuit decretum anno 1625. à Sacra Cardinalium Congregatione, cuius decreti ergo mentionem ex professo feci *in tract.de censuris*,in particulari *disp.4.*]

3 *An Sacerdos possit anticipatè celebrare pro ijs qui stipem oblaturi sunt.*

3 Secundò DIFFICVLTAS est, vtrùm Sacerdotes,non habentes eleemosynas,satisfaciant Missas anticipate dicendo hac intentione vt illarum Missarum valorem applicent pro eo, qui postea sibi tradet eleemosynam.

RESPONDEO,satisfacere,modò non intendant effectum sacrificij suspendere ad illud vsque tempus,quo sibi tradetur eleemosyna non enim est in potestate Sacerdotis suspendere effectum sacrificij sicut enim omnia Sacramenta, simul atque perficiuntur, suum habent effectum ex opere operato, nec est in potestate ministri illum suspendere,& in futurum reseruare;ita sacrificium suum habet effectum ex operato,nec minister potest sua intentione illum in futurum reseruare,vt benè tradit Vasquez *3.parte disp.234.c.3.n.22.* Coninch.*3.part.q.83.art.1.dub.9.concl.9.num.122.* Angles *in 4.2.part.de suffragijs,difficultate 5.concl.vnica.* Posseuinus *c.2.n.25.quæsito* 8.Suarez *disp.79.sect.9.* Corduba *lib.5.de Indulgentijs,qu.42.* & alij contra Rodriquez *in summa 1.part.c.25.num.9.* & alios.Sacerdos igitur,qui anticipatè celebrat Missas,& non suspendit effectum sacrificij, sed ex tunc applicat sacrificij valorem pro eo,qui dabit eleemosynam, satisfacit,& potest accipere eleemosynam pro Missa iam celebrata. Ita Arragonius *de iustitia,quæst.85.art.3.dub.de illis,qui dicunt Missas anticipatas.* Reginaldus *lib.23.n.237.* Fraxinellus *de obligatione Sacerdotum,sect.3.ad finem.* Petrus Nauarrus *lib.2.c.2.à n.372.* Rodriquez *2.part.c.252.concl.3.* Henriquez *lib.9.de Missa,c.21.nu.2.* [Molfesius *n.26.*]Idem innuit Vasquez *loco citato n.22.* Idem sensit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente, & ita consulente, contra Coninchum *qu.83.art.1.dub.9.conclus.10.numer.168.* Cordubam *lib.1.qu.4.dub.6.* & alios.Ratio est,tum quia,sicut bonus debitor satisfacit creditori anticipata solutione: ita Sacerdos, &c. Tum quia fructus sacrificij anticipate celebrati prodest certę personæ tradituę eleemosynam,cùm persona sit certa in mente Dei, & sit capax fructus,vt suppono,& Sacerdos mentem suam in ipsam dirigat, & pro ipsa Missæ sacrificium offerat.In praxi tamen huiusmodi consuetudo non est approbanda,& toleranda.Tum quia redolet nimiâ lucri cupiditatem:tum quia par est,vt qui tradit eleemosynam,sciat Missam pro se celebrandam, vt meliùs se disponat ad recipiendum sacrificij fructum:tum quia homines retrahi possent ab eleemosynis in futurum tradendis pro celebratione Missarum, si Sacerdos offerenti eleemosynam responderet.Applico tibi sacrificium,quod alias celebraui;& certè ridiculum videretur, si Sacerdos offerenti eleemosynam,responderet,Applico tibi sacrificium,quod alias celebraui.Quamobrem homines facile sibi persuaderent,Sacerdotem accipere stipendium,& non persoluere onus, pro quo stipendium accepit.Ita Suarez *loco citato*,Reginaldus *loco citato.numer.237.ad finem.* Henriqu.& alij *locis citatis.* Idem sentire videtur Coninchus *loco citato.num.172.conclus.15.* [Molfesius *numer.28.*] & Nugnus *q.83.art.1.§.in tertia parte, dubio 5. vers. Respondetur*, quatenus dicit fructum sacrificij esse maiorem, vel minorem, iuxta maiorem, vel minorem dispositionem illius, cui Missæ sacrificium applicatur.

4 *An Capellanus satisfaciat anticipate celebrãdo Missas.*

4 Tertio DIFFICVLTAS est, vtrùm Capellanus, qui tenetur singulis hebdomadis aliquas Missas celebrare pro fundatore, vel pro aliquibus defunctis,satisfaciat illas in hebdomada antecedente celebrando.

RESPONDEO per se loquendo satisfacere.Ratio est,tum quia nõ defraudat eum,cui applicandum est sacrificium, cùm is participet fructum sacrificij, qui in ipsum dirigitur, & ordinatur: tum quia persoluit anticipatè ad instar boni,& soliciti debitoris,citius enim proderunt defunctis illa suffragia,quàm si dilata fuissent in hebdomadam sequentem.

Dixi,*per se loquendo*, quia si contrarium specialiter exprimatur in fundatione Capellaniæ, non potest Capellanus Missas anticipate persoluere,vt si in fundatione Capellaniæ dicatur, nulla in hebdomada Missæ sacrificia omnino prætermittantur:mens enim fundatoris tanquam lex adimplenda est.Ita Petrus Nauarrus *2.de restitutione c.2.n.371.* Rodriquez *c.232.concl.8.* Reginald.*loco citato,n.237* Riccius *in praxi decis.400.* [Molfesius *tract.3.c.16.nu.25.*] & alij cõmuniter. An verò teneatur ad restitutionem pro Missis anticipatè celebratis: constat à simili ex dictis de obligatione Sacerdotis circa locum.

5 *An satisfaciat celebrando tãtùm ferialibus diebus qui tenetur quinquies in hebdomada celebrare.*

5 Quartò DIFFICVLTAS est, vtrùm Capellanus, qui tenetur ex fundationẽ Capellaniæ quinquies,exempli gratia, in hebdomada celebrare,satisfaciat celebrando diebus tantùm ferialibus,vel etiam teneatur diebus Dominicis, aut aliis festis Missæ sacrificium persoluere.

RESPONDEO,per se loquendo, satisfacere celebrando diebus ferialibus. Ratio est,quia Capellanus non tenetur vltra fundatoris intentionem,intentio autem fundatoris est,vt Capellanus absolute celebret quinquies in hebdomada;siue ergo celebret diebus ferialibus, siue festiuis, re vera dicitur quinquies celebrare in hebdomada, sicque satisfacere suæ obligationi,& voluntati fundatoris.

Dixi,*per se loquendo*, nam aliquando fieri potest, vt Capellania existat in eo loco, in quo nullum aliud celebratur Missæ sacrificium, consequenter ex circunstantiis præsumendum sit, Capellanum teneri Missæ sacrum persoluere diebus festis; nam ex circumstantiis præsumendum videtur,fundatorem voluisse, non sibi tantùm consulere, verùm etiam bono publico illius loci, vt fideles satisfacere valeant præcepto audiendæ Missæ in die festo, nisi aliter colligatur de mente fundatoris. Ita censuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis, me præsente, & ita consulente.

6 *An qui tenetur celebrare fest præcipuè is diebus, & Dominicis satisfaciat celebrando illis diebus quibus celebrandum est officium, quod duplex seu solemne nuncupatur*

6 Quintò DIFFICVLTAS est, vtrùm Capellanus, qui ex onere Capellaniæ tenetur Missam celebrare diebus Dominicis, & bis in hebdomada festis præcipuè diebus, satisfaciat celebrando illis diebus,quibus officium de Sancto duplex, siue semiduplex peragitur,si in eam hebdomadam incidant dies festi;an verò teneatur celebrare illis diebus,qui ex Ecclesiæ præcepto,vel consuetudine celebrantur à fidelibus.

RESPONDEO, teneri Missam illis diebus, qui ex Ecclesiæ præcepto,aut ex loci consuetudine, aut ex voto coluntur à populo fideli,celebrare.Ratio est,tum quia verba accipienda sunt iuxta cõmunem loquendi modum: cùm autem iuxta communem loquendi modum illi censeantur dies festi,qui ex Ecclesiæ præcepto,aut loci consuetudine, aut ex voto celebrantur à fidelibus: non verò illi, quibus officium duplex, vel semiduplex peragitur, sequitur teneri Missam persoluere illis diebus,qui ex Ecclesiæ præcepto, aut consuetudine, aut voto coluntur à fidelibus, alioquin sequeretur etiã illis diebus, quibus officium duplex,siue solemne persoluitur, fieri posse denunciationes matrimonij, & ordinationes sacrorum ordinum haberi, quod est contra communem consuetudinem, & praxim: tum quia fieri potest, vt fundator voluerit consulere vtilitati fidelium, vt præcepto audiendæ Missę diebus festis iuxta prę scriptum Ecclesiæ, satisfaciant, Ita censuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis, me præsente, & ita consulente.

7 *An Canonicus, qui tẽpore diuini Officij celebrat, censẽdus sit præsens.*

7 Sextò DIFFICVLTAS est, vtrùm Canonicus, qui ex deuotione, aut onere Capellaniæ celebrat in Ecclesia sua collegiata tempore diuinorum officiorum,censeri debeat præsens diuino officio,ita vt distributiones,& eleemosynas,quæ solis præsentibus conferuntur recipere valeat.

RESPONDEO præcisis priuilegiis,seu facultate Pontificia, Canonicum,qui tempore diuinorum officiorum celebrat in aliqua Capella ratione alicuius Capellaniæ,vel ratione eleemosynę, vel gratia deuotionis,non censeri pręsentem, & consequenter non percipere distributiones respondentes illi horæ, quæ in choro persoluitur,dum ipse Missæ sacrum facit.Ratio est,quia non censetur interesse diuino officio in choro, distributiones autem conferuntur iis qui diuino officio intersunt.

Et hoc verum existimo, etiamsi tunc temporis celebret de superioris consensu, nam superior non potest per se loquendo dispensare in iure communi, modò sit inferior summo Pontifice. Ita Stephanus Gratianus *in disceptationibus forensibus cap.298. numer.21.* Augustinus Barbosa *in remissionibus circa Concilium Tridentinum, sess.24.c.12.numer.57.* Riccius *in praxi decisione 419.* & alij.

Dixi,*præcisis priuilegijs*, nam si alicubi specialia extent priuilegia, & decreta,illa seruanda sunt.Quamobrem in diœcesi,& Prouincia Mediolanensi seruandum est decretum Concilij Prouincialis IV.titulo de distributionibus,vbi sic habetur: *Quicunque,dum alicuius statæ horæ officium in choro peragitur, Missam celebrando tunc à choro abfuerit illius horæ distributionis,tanquam absens, particeps ne sit,vt à Sancta sede Apostolica declaratum est.*

Id verò,nisi præ absentia Sacerdotum,qui in Ecclesia tunc Missę sacrificium faciunt, necessitas aliquando inciderit, vt præfectus chori canonicum aliquem Sacerdotem è choro exire, á statæque horæ officio abesse Missæ celebrandæ causa iubeat, aut nisi à sede Apostolica aliter concessum fuerit.

Hinc patet,Canonicum, qui tempore diuinorum officiorum abest à choro, etiamsi absit causa Missæ celebrandæ, non percipere distributiones,nisi propter necessitatem Ecclesiæ, & obedientiam præfecti chori,Missam celebret in Ecclesia sua collegiata, dum horæ canonicæ in choro persoluuntur, vel fiunt funera,vel anniuersaria. Ita censuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente,& ita consulente.

8 *An Canonici possint ei, qui officio nõ interfuit condonare distributiones.*

8 Sed modò DVBIVM emergit, quod hic obiter soluendum est, vtrum Canonici possint ex liberalitate Canonicum, qui præcisis priuilegiis celebrauit tempore diuinorum officiorum,aut etiam per aliquos dies abfuit absque necessitate,vel Ecclesiæ propriæ vtilitate,habere tanquam præsentem,ipsorumque participem distributionum efficere.

RESPONDEO

RESPONDEO negatiuè, vt patet tam ex Tridentino *sess. 24. cap. 12.* vbi sic habetur: distributiones verò, qui statis horis interfuerint, percipiant, reliqui quauis collusione, aut remissione exclusa his careant, iuxta Bonifacij VIII. decretum, quod incipit: *Consuetudinem*, & quod Sancta Synodus in vsum reuocat non obstantibus quibuscunque statutis, & consuetudinibus, tum quia Canonici non habent facultatem dispensandi in iure communi: iure autem communi cautum est, ne Canonici absentes absque necessitate, vel Ecclesiæ proprię vtilitate, tanquam præsentes habeantur, vt patet ex dictis, de horis Canonicis cum communi Doctorum sententia. Idē censuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis, me præsente, & ita consulente.

OBIICIES. Quilibet cedere potest iuri suo: ergo etiam Canonici possunt iuri suo circa distributiones cedere, easque absentibus condonare.

RESPONDEO, quemlibet posse iuri suo cedere, nisi à iure impediatur, vt patet ex dictis de donatione, aut nisi hoc vergat in præiudicium alterius. Canonici autem impediuntur à iure per Decretum Tridentini cedere iuri suo circa distributiones. Præterea huiusmodi cessio facilè posset redundare in præiudicium fundatorum, nam multi Canonici arriperent occasionem absentiæ spe obtinendæ remissionis ab aliis Canonicis, sicque diminueretur cultus in Ecclesia cum aliquo scandalo, & fundatorum detrimento.

9 *An Sacerdos possit bis in die celebrare.*

9 Septimò DIFFICVLTAS est, vtrùm Sacerdos possit bis in die celebrare.

RESPONDEO regulariter loquendo, non posse, vt constat ex *c sufficit. de consecratione d. 1. & cap. consuluisti. de celebratione Missarum*, & ex communi Ecclesiæ consuetudine. Ratio, seu congruentia est, quia Sacerdos vix potest se dignè & sufficienter ad vnum sacrificium disponere. Ita S. Thom *3. part. qu. 83. art. 2.* Franciscus à Victoria *de Eucharistia § .95.* Sylvester *verb. Missa 1. nu. 7.* Armilla *ibidem n. 25.* Angelus *verb. Missa, num. 46.* Sotus *d. 13. q. 2. art. 2.* Nauarrus *c. 25. nu. 87.* S. Antoninus *3. p. tit. 13. c. 6. § .5.* Vasquez *3. part. disp. 232. c. 5.* & alij statim citandi.

Dixi, *regulariter loquendo*, nam ob extraordinariam necessitatem multi Doctores existimant, Sacerdotem posse bis in die celebrare, *c. consuluisti, citato*. modò Sacerdos sit ieiunus, nec se purificauerit in prima Missa, *cap. ex parte de celebratione Missarum.*

10 *Quandonā contingat necessitas bis in die celebrandi.*

10 Necessitas autem, & causa sufficiens ad celebrandam secundam Missam, contingit, inquiunt Doctores statim citandi: primò quando Sacerdos, postquam se communicauit, admonetur de necessitate infirmi communicaturi, & non habet hostiam consecratam: tunc enim videtur posse de nouo Missam facere, nisi adsit alius Sacerdos celebraturus, si verò admoneatur, antequam se communicet, potest pro communione infirmi suæ hostiæ particulam reseruare, vt patet ex supradictis. Ita Sylvester *verb. Missa 1. quæsito 7.* Henriquez *lib. 3. c. 30. n. 7.* Tolet. *lib. 2. c. 3. ad finem*, Nauarrus *c. 25. nu. 87.* Graffius *1. p. lib. 2. decisionum c. 40. nu. 1.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 5. § .214. & 219.* Chamerota *de Missa sacrificio dub. 13.* & alij apud Azorium *1. part. lib. 10. c. 24. quæsito 6.*

Addunt aliqui Doctores, hoc idem licitum esse, quando die festo aduenient peregrini Missam audituri, aut quando ad Ecclesiam accedit vir Illustris. Quamquam Henriquez *loco citat. num. 3.* existimat, Sacerdoti licere solùm finita Epistola, vel Euangelio Missam iterum inchoare, si superueniat Princeps, aut Episcopus, aut si in die festo superuenient multi iter facientes, qui commodè nequeant aliam Missam expectare. Verùm cùm hęc abierint in desuetudinem ob multiplicitatem Sacerdotum existimo standum esse consuetudini locorum, quidquid dixerint præcitati Doctores.

Secundò contingit necessitas, quando vnus Sacerdos præficitur duabus, vel tribus Ecclesijs parochialibus ob illarum paupertatem. Ita Bartholomæus ab Angelo *dialogo 5. § .222.* vbi plures DD. refert.

Alias causas enumerant Azorius *loco citato, quæsito 6.* Suarez *disp. 80. sect. 7.* Toletus *lib. 2. c. 3.* [Filliucius *nu 110.*] Nugnus *qu. 83. art. 2.* Coninchus *ibidem dubio 3.* Reginaldus *lib. 19. n. 171.* Henriq. *loco citato* Rodriquez *c. 249. num. 5.* Hieronymus Llamas *in 3. parte Method. c. 5. § .17.* & alij, in quibus licitum esse putant Sacerdoti ieiuno bis in die celebrare.

Verùm, vt dixi, standum est legitimæ locorum consuetudini, in nostris autem regionibus videtur solùm vsu receptum, vt Missa ter celebretur in die Natiuitatis, aut bis celebretur, quando quis præficitur duabus Ecclesiis parochialibus, modò Sacerdos sit ieiunus. Quamobrem celebranti bis, vel ter in die extra casus à iure permissos grauis pœna infligi solet. Quamquam hæc pœna solet esse iudici arbitraria pro qualitate facti, & scandalo populi, vt benè tradit Antonius Genuensis *Praxi Neapolitana c. 64. num. 2.* & Menochius *de arbitrarijs lib. 2. Centuria 5. casu 407.* cum Bernardo Diaz *in practica Canonica criminali, c. 30.* Vasquez *loco citato, n. 48.* Posseuinus *de sacrificio cap. 2. num. 7.* Bartholomæus ab Angelo *loco citato § .225 & 228.* Miranda *1. part. q. 40. art. 8 concluf. 2.* [Filliucius *tract. 5. c. 4. q. 6. n. 109.*]

PVNCTVM VIII.

Vtrùm Sacerdotes possint accipere eleemosynam, seu stipendium ad sui sustentationem pro Missæ celebratione.

DVo principaliter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm Sacerdos possit eleemosynam accipere. Secundò quantam possit accipere.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An Sacerdos possit stipem accipere pro celebratione Missæ.*

1 SAcerdos potest pro celebratione Missarū accipere eleemosynam, seu stipendium in sui sustentationem. Ratio est, quia operarius dignus est mercede sua, *Matthæi 10. & Lucæ 10.* & qui altari seruit, de altari participat, *1. Corinth 9.* Ita communiter Doctores.

Occasione istius propositionis suboriuntur aliquę difficultates, quas in sequentibus dixi explicandas.

2 *An Sacerdos possit stipem iuri dicę exigere vel etiam in pactum deducere,*

2 Prima DIFFICVLTAS est, vtrùm Sacerdos possit absque labe simoniæ exigere mercedem per viam iuris, aut illam in pactum deducere, antequam Missæ Sacrum faciat.

RESPONDEO affirmatiuè cum S. Thoma *2. 2. quæst. 100 artic. 5.* Suarez *tom. 1. de Religione lib. 4 cap. 4. & 3. parte, disput. 86. sect. 1. versic. Circa alium modum, & sect. 3.* Valquez *tomo 3. disput. 234.* Corduba *de casibus conscientiæ casu 27.* Vgol. *de simonia tabula 1. cap. 9.* Azorio *3. parte, lib. 12. cap. 3. quæsito 1.* Lessio *lib. 2. de iustitia, cap. 35. dubio 8.* Graffio *1. parte lib. 2. decisionum aurearum, cap. 96. numer. 32. folio mihi 264.* Posseuino *cap. 2. num. 20.* Henriquez *lib. 9. c. 21. num. 4. & cap. 22. num. 1.* Nauarro *c. 23. num. 101. & 106.* Conincho *3. parte qu. 83. art. 1. dubio 11. concl. 1. n. 197.* Paulo Fraxinello *de obligationibus Sacerdotum sect. 3. n. 2 & 5.* Bartholomæo ab Angelo *dialog. 5. § .528.* cōtra Caietanum, & alios apud Suarez, & apud Posseuinum *locis citatis.* Ratio est, quia Sacerdos non recipit eleemosynam tanquam pretium rei spiritualis, vt suppono, sed pro sua sustentatione, aut pro labore extrinseco, aut pro obligatione celebrandi in tali loco, vel tempore, aut quia priuat se facultate dandi operam aliis rebus, ex quibus licitè posset lucrum referre, vel aliquid aliud facere, quæ sunt pretio æstimabilia; vt patet ex dictis *de simonia.*

Hinc colligitur constitutas, & consuetas eleemosynas, aliosque prouentus, posse post celebrationem auctoritate legitimi Superioris exigi ab iis, qui eos iniustè renuunt persoluere. Ita Doctores citati. Idem censuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis me presente, & ita consulente.

3 *An Sacerdotes, qui quotidie celebrare tenentur, nouam stipem accipere possint, & omnibus vnico sacrificio satisfacere.*

3 Secundò DIFFICVLTAS est, vtrùm Canonici aut Parochi, alijve Sacerdotes, qui ex titulo, vel ex conuentione tenentur Missas quotidie celebrare, possint nouas eleemosinas accipere pro celebratione Missarum, & omnibus vnica, vel paucioribus Missis satisfacere.

RESPONDEO negatiuè, etiamsi plures collectas in celebratione Missarum adiungant, aut hoc faciant sciente, & concedente superiore, secus si hoc faciant ex priuilegio Summi Pontificis, aut si offerentibus eleemosynas constet, ipsos Sacerdotes teneri Missæ sacrificium aliis applicare. Ratio responsionis est, quia iam perceperunt stipendium respondens sustentationi debitæ pro exiguo, & modico semihoræ labore, nec vllo iusto titulo possunt aliam stipem recipere, vt patet ex dictis *puncto præcedenti § .2. difficultate 1.*

Dixi, *etiamsi plures collectas in Missæ celebratione adiungant.* nam Sacerdos non potest vnica Missa satisfacere pluribus, à quibus accepit eleemosynam, etiamsi plures collectas recitet in Missæ celebratione, cùm additio collectarum non æquiualeat valori Missæ. Ita Paulus Fraxinellus *de obligationibus Sacerdotum sect. 4. concluf. 2. parag. 3.* Naldus *verb. Missa, n. 13.* & alij communiter.

Dixi, *etiamsi hoc faciat sciente, & concedente superiore.* Sacerdos enim non potest vnica Missa pluribus satisfacere, etiamsi hoc faciat sciente, aut concedente superiore. Ratio est, tum quia sicut ipse superior non potest vnica Missa pluribus satisfacere, ita neque potest alteri hanc facultatem dare: tum quia superior non potest remittere obligationem iure naturali, & diuino debitam. Ita Nauarrus *tom. 1. consil. lib. 3. de celebratione Missarum, consil. 8.* Fraxinellus *loc. citat. parag. 2.* & alij

Dixi, *secus, si hoc faciat ex peculiari Summi Pontificis priuilegio*, nam ratione priuilegij à Summo Pontifice obtenti fieri potest, vt liceat plures eleemosynas colligere, & omnibus vna, vel paucioribus Missis satisfacere. Quamobrem excusandi sunt aliqui Regulares muniti quibusdam priuilegiis, quibus vna Missa satisfaciunt pluribus, ă quibus eleemosynam acceperunt. Ratio est, tum quia Summus Pontifex habet potestatem mutandi voluntatem offerentium stipes, iusta interueniente causa: tum quia offerentes eleemosynam non videntur detrimentum pati, quatenus Missæ sacrificium æquè prodest omnibus quo ad impetrationem: quo ad satisfactionem verò suppletur per indulgentias, & per thesaurum Ecclesiæ, aut per communicationem bonorum operum illius Monasterij, seu Religionis, quæ fruitur tali priuilegio: tum quia Summus Pontifex, sicut potest ex iusta causa Missas reducere, ita etiam potest concedere, vt vnum vel pauca Missæ sacrificia offerantur. Ita Sylvester *verb. Missa 1. nu. 20.* Reginaldus *lib. 23. num. 239.* Corduba *lib. 1. qu. 4.* Henriquez *lib. 9. c. 22. numer. 3.* Paulus Fraxinellus *de obligationibus Sacerdotum. sect. 7. parag. 11. & 12.* [Filliucius *tract. 5. c. 6. quæst. 10. nume. 189.* Molfesius *tract. 3. c. 17. n. 29.* & alij apud Henriquez *loc. cit.* quidquid in contrarium sentire videatur Azorius *3. parte lib. 12 c. 6. quæsito 5.* vbi tradit Summum Pontificem non posse facultatem concedere accipiendi plura stipendia, & satisfaciendi vno, vel paucis Missis sacrificiis.

Dixi, *aut si offerentibus eleemosynas constet, ipsos Sacerdotes habere onus applicandi alijs sacrificium*, nam si hoc eis constet, vel ipsimet sacerdotes certiores faciant tradentes eleemosynas de propria obligatione, qua tenentur aliis Missę sacrificium applicare, possunt eleemosynas ab offerentibus iam conscijs obligationis, vel tunc admonitis recipere, quia nullam offerentibus faciunt iniuriam, cùm scienti, & volenti non fiat iniuria, & offerentes nouam eleemosynam contenti videantur eo fructu, quem possunt percipere, seque voluntariè periculo exponant non recipiendi integrum fructum. Ita Sotus *lib. 9. de iustitia qu. 6. art. 1.* Nauarrus *cap. 25. num. 92.* Suarez *to. 3 part. 3. disput. 86. sect.* Sylvest. *verb. Missa 1. nu. 10.* Reginaldus *lib. 23. n. 234. ad finem.* Armilla *verb. Missa, n. 35.* Henriquez *lib. 9. c. 23. nu. 6.* Posseuinus *c. 20. nu. 21.* & Consultores Pœnitentiariæ Mediolanenſis idem senserunt me præsente, & ita consulente.

Hæc

Hoc tamen limitandum puto cum Posseuino *loc.cit.* & aliis, modò qui Missam curat celebrari, hoc non faciat ex alterius intentione, aut obligatione, vt si Titius legato mandauit ei curam Missarũ celebrandarum, hæres enim non potest derogare voluntati testatoris, vt etiam in præcedentibus prænotaui.

4 *An teneatur ad restitutionẽ mercedis acceptæ.*

4 Sed modò DVBIVM est, vtrùm qui plures collegit eleemosynas & vnicum applicauit Missæ sacrificium, teneatur ad restitutionem.

RESPONDEO affirmatiuè, vt patet ex supradictis puncto antecedenti, §. 2. *difficultate* 1. *sub finem*. nam ex violatione iustitiæ cum damno alterius consurgit obligatio restituendi. Ita Vasquez *tom.* 3. *disp.* 231. *c.* 4. Petrus Nauarrus *lib.* 2. *c.* 2 *n.* 329 & 382. Nauarrus *c.* 25. *numer.* 92. Graffius 1. *part. decisionum lib.* 2. *cap.* 45. *numer.* 17. Toletus *lib.* 2. *cap.* 8. Rodriqu. *cap.* 251. *concluſ.* 2. Fraxinellus *sect.* 4. *concluſ.* 5. *parag.* 1. Aragonius *q.* 85. *art.* 3. Coninchus, Suarez, & alij *locis suprà citatis*.

5 *Quo pacto restitutionẽ facere teneantur.*

5 Si QVÆRAS, quo pacto prædictus Sacerdos teneatur restitutionem facere.

RESPONDETVR cum Petro Nauarro, quem citat, & sequitur Fraxinellus *loco citato parag.* 4. prædictum Sacerdotem teneri Missas prætermissas celebrare, vt suprà diximus, vel curare, vt per alios celebrentur, vel restituere stipes acceptas, admonitis iis, qui eas dederunt, Missas non fuisse celebratas: hoc enim pacto tollitur inæqualitas, & occurritur damno illato, cùm is, qui tradiderat stipem, commodè possit eam alteri Sacerdoti tradere, & obligationem primo Sacerdoti condonet, vt suppono. Secùs si omninò velit promissionem sibi factam seruari.

6 *An Parochus possit stipem exigere, & pro eam tradẽtibus celebrare, quãdo non tenetur sacrificium suis ouibus applicare.*

6 Tertiò DIFFICVLTAS est, vtrùm Parochus illis diebus, quibus non tenetur suis ouibus Missę Sacrum applicare, possit ab aliquo stipem accipere, & pro ipso Missæ Sacrificium offerre.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, tum quia cùm inseruiat altari, par est, vt viuat de altari: tum quia non est deterioris conditionis cęteris Sacerdotibus, cæteri autem Sacerdotes non habentes onus Missæ applicandæ, possunt eleemosynam accipere. Ita Nauarrus *in Manuali c.* 23. *num.* 101. Suarez 3. *parte, tom.* 3. *disputat.* 86. *sect.* 3. *concluſ.* 1. Sotus *de iuſtitia, lib.* 9. *quæſt.* 6. *articul.* 5. Posseuinus *de officio Curati cap.* 2. *num.* 20. Paulus Fraxinellus *de obligationibus Sacerdotum ſeſſ.* 3 *parag.* 4. [Filliucius *tract.* 5. *c.* 6. *qu.* 8.] & alij communiter.

7 *An possit eleemosynam recipere, qui habet pingue patrimoniũ, vel beneficium.*

7 Quartò DIFFICVLTAS est, vtrùm habens pingue patrimoniũ, aut beneficium, possit eleemosynam accipere pro Missarum celebratione.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, tum quia non est deterioris conditionis cæteris; tum quia inseruit altari: tum quia sicut miles non tenetur gratis militare, quamuis aliunde habeat, quo se commodè valeat sustentare: ita neque Sacerdos tenetur Missæ Sacrum sine eleemosyna facere. Ita Suarez *disp.* 86. *sect.* 3. Sotus *lib.* 9. *qu.* 6. *art.* 1. Nauarrus *loco cit.* Petrus Nauarrus *lib.* 2. *c.* 2. *n.* 305. Reginaldus *lib.* 23. *num.* 232. Arragonius *de iuſtitia q.* 83. *art.* 3. Vasquez 3. *part. tom.* 3. *disput.* 234. *c.* 4. Fraxinellus *de obligationibus Sacerdotum sect.* 3. *parag.* 1. *numer.* 3. Rodriquez *cap.* 252. *numer.* 4. [Filliucius *tractat.* 5. *cap.* 6. *quæſt.* 7. *numer.* 182. Molfesius *tract.* 3. *c.* 16. *num.* 14.] & alij apud Henriquez *lib.* 9. *cap.* 22. *numer.* 1. *in Commentario littera G.* & apud Suarez *loco citato*, quos etiam sequitur Coninchus *qu.* 83. *art.* 1. *dub.* 11. *concl.* 2. contra Caietanum *verb. Simonia*, & alios apud Henriquez *loc.cit. littera H*.

SECVNDA PROPOSITIO.

8 *Quantam eleemosynã recipere possit Sacerdos pro celebratione Missæ.*

8 SAcerdos potest pro Missæ celebratione tantam eleemosynam accipere, quanta fuit præfixa per Episcopum, vel per legitimam consuetudinem, aut etiam per arbitrium viri prudentis, deficiente consuetudine, aut taxa Episcoporum. Ita Nugnus *q.* 83. *art.* 1. §. *in* 3. *parte, dub.* 9. *concl.* 1. *pag.* 500. & *pag.* 501. *verſ. Ad primum*, Arragon. 2. 2. *q.* 85. *art.* 3. *verſ. Sed dubitabit aliquis*. Zerola *in praxi Episcopali, part.* 1. *verb. Miſſa. concl.* 2. & 3. Coninch. *ibid. dub* 10 *n.* 192. Suarez *disp.* 86 *sect.* 2. Reginaldus *lib.* 23. *n.* 32. [Filliucius *tract.* 5. *c.* 6. *q.* 5. Molfesius *loco citato, num.* 12.] & alij communiter. Ratio est, quia sicut in temporalibus iustum pretium rerum venialium est illud, quod auctoritate Principis, vel per consuetudinem, vel iudicium prudentum fuit constitutum, ita illa est iusta eleemosyna pro celebratione recipienda, quæ conformis est taxæ ab Episcopo præscriptæ, vel per locorum consuetudinem receptæ, vel etiam à viris prudentibus constitutæ, deficiente legitima consuetudine, vel taxa Episcoporum.

9 *An Episcopus statuere possit quantitatẽ eleemosynæ.*

9 Hinc colligi potest primò, Episcopos posse legem condere, vt tantùm stipendium tradatur, ita vt laici non dent minus, nec Sacerdotes maius exigant, hoc enim expedit ad vitanda scandala, quæ facilè possent suboriri in exigendis stipendiis, nec vlla potest repugnantiæ ratio afferri; cur Episcopi nequeant huiusmodi legem ferre. Ita Corduba *lib.* 1. *q.* 4. *dub.* 4. Suarez. *disp* 86. *sect.* 2. *concl.* 1. Reginald. *l.* 23. *n.* 241. & alij: quidquid in contrarium asserat Nauarrus *c.* 23. *n.* 106. & Sotus *lib.* 9. *de iuſtitia qu.* 6. *art.* 1. *ad ſecundum*, Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5. §. 526.

10 *An Episcopus statuere possit ne sacerdotes minorem pecuniam capiãt*

10 Obserua tamen, non esse liberum Episcopis statuere, vt Sacerdotes non accipiant minorem pecuniam, nam occluderetur via liberalitati, charitati, & pietati, cùm Sacerdotes liberalitatem exercere possint in remittendis eleemosynis sibi debitis. Ita Suarez, Nauarrus, & Reginaldus *loco citato*, Augustinus Barbosa *in remiſſionibus ſeſſ.* 22. *c.* 22. *n.* 3. idem innuit Henriqu. *lib.* 9. *c.* 22. *n.* 3, S. Th. 2. 2. *q.* 100 *art.* 3. Rodriquez *c.* 252. *num.* 4. [Filliucius *tract.* 5 *c.* 6. *quæſt.* 5. Molfesius *numer.* 16.] Bartholomæus ab Angelo *loco citato, parag.* 527. Secundò colligitur illum peccare, qui suprà taxam aliquid accipit, nisi fortè excusetur ratione laboris extraordinarij, aut alterius iusti tituli.

Circa secundam propositionem emergunt aliquæ difficultates, quarum solutionem, & explicationem ad praxim valde conferre existimo.

11 *An teneatur*

11 Prima DIFFICVLTAS est, vtrùm Sacerdos, qui pro Missæ celebratione accipit stipem, & eleemosynam suprà taxam ab Episcopo præscriptam, aut legitima consuetudine receptam, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem.

ad restitutionem Sacerdos, qui eleemosynã taxam excedit.

RESPONDEO affirmatiuè, si exigat importunè ab inuitis: secus si ex liberalitate offerentis recipiat eleemosynam pinguiorem suprà taxam.

Ratio, cur non peccet, si ex mera liberalitate recipiat, est quia excessus censetur donari, & sicut liberum est Sacerdoti minorem stipem accipere, ita etiam liberum est maiorem accipere à sponte dantibus. Ita Reginald. *lib.* 23. *nu.* 232. Suarez *disp.* 86. *sect.* 2. *concluſ.* 1. Posseuinus *cap.* 2. *numer.* 25. Lessius *lib.* 2. *c.* 4. *dubitatione* 6 *numer.* 37. Fraxinellus *de obligationibus Sacerdotum sect.* 3. *prænotione* 5 §. 3.

Ratio verò, cur Sacerdos importunè exigens eleemosynam suprà taxam ab inuitis, non solum peccet mortaliter posita materia notabili, verùm etiam teneatur ad restitutionem, est, quia facit contra iustitiam augendo pretium taxatum à superiore, nam sicut ad Principem sæcularem spectat rerum venialium pretia constituere: ita pertinet ad Episcopum stipem pro Missarum celebratione taxare. Ita Azorius 3. *parte, lib.* 12. *c.* 6. Suarez *tom.* 3. *in tertiam partem disput.* 86. *sect.* 2. Vasquez 3. *parte, tom.* 3. *disput.* 234. *c.* 4. Coninchus *qu.* 83. *art.* 1. *dubio* 10. *n.* 192. Nugnus *ibidem de sacrificio, dubio* 9. *concluſ.* 1. Rodriquez 1. *parte, c.* 251. *concl.* 4. Ludouicus Miranda *in Manuali Prælatorum tom.* 1. *quæſt.* 41. *artic.* 43. *concluſ.* 1. & 2. Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 4. *verſ. Igitur quod amplius*, Nauarrus *cap.* 25. *num.* 92. & alij communiter.

12 *An puniẽdi sint, qui relictã à priori Ecclesia, se offerũt plus danti.*

12 Si QVÆRAS, vtrùm qui se offerunt plus danti deserentes priorem Ecclesiam, mulctari, & puniri debeant.

RESPONDEO affirmatiuè cum Azorio 1. *parte, lib.* 10. *c.* 24. *quæſit.* 9. & ita decernitur in Synodo Diœcesana III. Mediolanensi, & in tabella multarum. Ratio est, quia qui sordida quadam lucri cupiditate deserunt priorem Ecclesiam, in qua celebrare tenentur, seque aliò conferunt ad Sacrum faciendum ob pinguiorem eleemosynam faciunt contra propriam obligationem, & scandali præbent occasionem. Idem censuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente, & ita consulente.

13 *An possit Sacerdos in die festo duplo maiorem eleemosynã accipere.*

13 Secunda DIFFICVLTAS est, vtrùm Sacerdos possit in die festo dęplo maiorem eleemosynam accipere pro Missæ celebratione.

RESPONDEO affirmatiuè saltem in diœcesi Mediolanensi. Ratio est, tum quia potest accipi tanta eleemosyna, quantam præscripsit Episcopus, cuius est taxare eleemosynam accipiendam pro celebratione Missarum. In Synodo autem diœcesana Mediolanensi III. conceditur facultas accipiendi duplicatam eleemosynam in die festo: tum quia pro solemni Missa licitè taxatur maius stipendium, quàm pro priuata, vt bene ait Suarez 3. *parte, disputat.* 80. *sect.* 2. *verſ. Dico tertio*; ergo etiam licitè taxari potest duplex eleemosyna pro Missæ celebratione in die festo. Ita censuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente & ita consulente.

14 *An Sacerdos possit titulo paupertatis aliquid suprà taxam exigere.*

14 Tertia DIFFICVLTAS est, vtrùm Sacerdos possit titulo paupertatis aliquid suprà taxam exigere ad vitæ sustentationem.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, tum quia Missæ sacrificium, vt inter cæteros optimè tradit Toletus *lib.* 2. *c.* 8. *num.* 4. Nauarrus *in Manuali cap.* 25. *num.* 92. Suarez *tom.* 3. *disput.* 88. *sect.* 4. & alij Doctores statim citandi, non est institutum ad sustentandam Sacerdotis vitam, cùm Sacerdos promoueri nequeat ad ordinem sacerdotalem nisi constet habere bona, seu titulum sufficientem ad vitæ sustentationem, *cap. non licet, cap. Episcopus, & cap. cùm ſecundum de prębendis*. Tum quia sicut paupertas non tribuit alicui ius vendendi suprà taxam Principis: ita neque confert ius Sacerdoti ad recipiendam eleemosynam suprà taxam Episcopi edicto, aut legitima consuetudine constitutam. Ita Posseuinus *cap.* 2. *num.* 24. Nauarrus *loco citato*, Corduba *lib.* 1. *q.* 4. *dub.* 2. Suarez *disput.* 86. *sect.* 4. *verſ. Dico ergo*. Fraxinellus *sect.* 4. *concl.* 1. §. 3. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 22 *num.* 5. [Filliucius *tract.* 5. *cap.* 6. *qu.* 10. *n.* 188.] & Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente, & ita consulente, contra Nugnum 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 1, §. *in* 3. *part. dub.* 9. *poſt ſextam concluſionem. verſ. Reſpondetur tamen, pag.* 502. Rodriquez *cap.* 252. *num.* 4. [Molfesius *nu.* 19.] & plures alios, quos suprà retuli *puncto antecedenti, parag.* 2. *difficultate* 1.

15 *An sacerdos accepta à duobus stipe satisfaciat duplici obligationi diuersa.*

15 Quarta DIFFICVLTAS est, vtrùm Sacerdos satisfaciat duplici obligationi accepta à duobus stipe, si vnus eorum tradidit eleemosynam pro Missa ad rem aliquam impetrandam, & alter tradidit stipem pro Missa in satisfactionem. Exempli gratia pro mortuo, & Sacerdos intendit primò applicare Sacrificium, vt impetratorium, secundò verò, vt satisfactorium.

RESPONDEO non satisfacere. Ratio est, tum quia excedit taxã ab Episcopo præscriptam: tum quia defraudat tradentes eleemosynam, cùm petens Missæ sacrificium, non solùm censeatur petere partem fructus, & valoris, sed integrum Missæ fructum, qui offerentibus stipem applicari consueuit. Ita Suarez *disputat.* 29. *ſection.* 12. Naldus *verb. Miſſa, numer.* 13. Nauarrus *de celebratione Miſſarum, conſil.* 8. Emanuel Sà *verb. Miſſa, numer.* 44. Rodriquez *cap.* 252. *numer.* 6. & alij, quos citat, & sequitur Posseuinus *cap.* 2. *numer.* 25. *quæſito* 7.

Hoc tamen limitandum est, modò tradentes eleemosynam non annuant voluntati Sacerdotis, nam scienti, & volenti non fit iniuria.

16 *An sacerdos possit suum valorẽ ſpecialem alteri applicare, ſicque duplicem ſtipem accipere.*

16 Quinta Difficultas est, vtrùm Sacerdos possit valorem, qui sibi specialiter debetur, applicare tradenti eleemosynam, sicque pro eadem Missa duas eleemosynas accipere, vnam quatenus vni applicat valorem medium: alteram, quatenus alteri applicat valorem, qui sibi debetur.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, tum quia hæc specialis pars valoris ex sua natura pertinet ad Sacerdotem, & sicut valor generalis, qui Ecclesiæ debetur, non potest alteri applicari, vt bene obseruat Miranda *q.* 41. *art.* 5. *concl.* 1. Fraxinellus *sect.* 3. *prænotione* 3. §. 1. & alij. Ita neq; specialis valor, qui Sacerdoti celebrãti specialiter debetur

debetur, potest alteri communicari, cùm effectus ex opere operato sit beneficium proprium, & personale, quod non potest in alterum transferri: tum quia cùm Sacerdos non certò sciat se esse in gratia, seque capacem esse fructus sacrificij, non potest sacrificij valorem alteri certò applicare qui certam tradidit eleemosynam, & certum petiit valorem: tum quia cùm ignoretur an valor specialis respondens Sacerdoti sit æqualis valori medio, qui potest, & debet tradenti eleemosynam applicari, non est dicendum, Sacerdotem posse danti eleemosynam applicare valorem, qui sibi specialiter debetur, consequenter Sacerdos non satisfaciet vnica Missa, accipiendo duplicem eleemosynam, & applicando vni valorem medium, alteri specialem. Ita Suarez 3. *parte disput. 79. sect. 9. ad finem, & disput. 86. sect. 1. vers, sed queret tandem aliquis. & sect. 2. ad finem.* Possevinus *cap. 2. numer. 25. quæsito 6.* Rodriquez *1. part. cap. 250. num. 2.* & Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente, & ita consulente, contra Nauarrum *cap. 25. num. 92.* Mirandam *in Manuali Prælatorum qu. 41. art. 4. conclus. 1.* Bartholomæum de Angelis *dialog. 5. examinis Confessariorum de Missa, § 507. pag. mihi* 314. Nugnum *quæst. 83. art. 1. parag. in 2. part. quæst. 6. pag. 489. & parag. in 3. parte dub. 3. versùs finem, pag.* 491. Henriquez *lib. 9. cap. 21. numer. 7. in Commentario littera O. & numer. 8. littera T.* vbi refert maiorem & alios.

Obicies. Sacerdos potest valorem medium sibi applicare, sicque duplicem fructum recipere: ergo poterit etiam suum fructum alteri applicare, & consequenter duplicem eleemosynam accipere.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia valor medius est applicabilis illi quem Sacerdos elegerit, consequenter etiam applicari potest ipsimet Sacerdoti celebranti, non verò constat valorem specialem posse aliis applicari, vt diximus.

17 *An teneatur Sacerdos per alium satisfacere oneri quotidianæ celebrationis, dum ipse prava vtitur valetudine.*

17 Sexta Difficvltas est, vtrùm Sacerdos, qui ob pravam valetudinem spatio aliquorum exempli gratia, quindecim dierum, non potuit onus quotidianæ celebrationis, iuxta Capellaniæ institutionem, adimplere, teneatur per alium supplere ad ratam temporis quo in lecto recubuit, & non valuit Missas ob infirmitatem celebrare.

Respondet Tabiena *verb. Missa. num. 45.* Sylvester *verb. Missa. 1. quæsito 7. num. 7. ad finem.* Azorius *1. part. lib. 10. cap. 24. quæst. 7. col. 1. littera B.* Rodriquez *in summa, cap. 252. conclus. 3 numer. 3 fol.* 306. Henriquez *lib. 9. de Missa, cap. 24. numer. 4. fol.* 550. & alij ferè communiter, teneri per alium supplere, vel restituere hæredibus institutoris Capellaniæ. Ratio est, quia Sacerdos tenetur fundatoris intentionem ad amussim observare, & pacta, atque conventiones adimplere: cùm autem intentio fundatoris, & conventio fuerit Missam quotidie celebrandi, sequitur Sacerdotem debere quotidie Missam celebrare, vel saltem per alium supplere, aut restitutionem hæredibus institutoris Capellaniæ facere.

Sed mihi præcisa consuetudine, aut decretis distinguendum videtur cum Naldo *verb. Missa. numer. 6.* Petro Nauarro *lib. 2. de restit. cap. 2. numer. 211. pagina mihi* 72. Fraxinello *de obligationibus Sacerdotum sect. 4. conclus. 4 parag. 13.* Genuensi *in Praxi Neapolitana cap. 47. numer. 2.* Rodriquez *loco citato numer. 2.* Riccio *in sua Praxi decis. 403. numer 5.* & aliis, hoc pacto, aut infirmitas est breuis, exempli gratia, quindecim dierum, aut est longior, exempli gratia, duorum, vel trium mensium: si longior est, puto Sacerdotem non immunem esse ab obligatione celebrationis per alium, aut ab onere restituendi mercedem hæredibus, quam pro celebratione Missarum accepit, vt patet ex ratione allata pro Tabiena, Azorio, Henriquez, & aliis. Si vero infirmitas est breuis, nec Sacerdos diutius per infirmitatem abstinuit à Missæ celebratione, dicendum videtur non teneri per alium supplere ad ratam temporis, quo detentus fuit infirmitate. Ad hanc rem probandam, vtor iisdem ferè rationibus, quibus eam comprobat Petrus Nauarrus *loco citato.* Prima est, quia non est credibile, fundatorem voluisse tam strictè Sacerdotem pro modico infirmitatis tempore obligare: sicut enim Concilium Tridentinum concedit Parochis facultatem, qua possint spatio duorum mensium ex legitima causa singulis annis abesse, existimans hoc non esse longum, & sufficiens spatium ad inducendam illis obligationem restituendi, ratione absentiæ; ita modicum, & breue spatium, exempli gratia, quindecim dierum, non videtur sufficiens ad obligandum Sacerdotem ad restitutionem, vel ad celebrationem per alium dato infirmitatis casu.

Secunda ratio nititur argumento desumpto ex *l. arboribus parag. de illa ff. de vsufr.* vbi glossa dicit, salarium non esse denegandum famulo, qui exiguo tempore ægrotauit. Ex quo sic argumetor, Sacerdos non est deterioris conditionis infirmo famulo, sed famulo laboranti infirmitate octo, vel quindecim diebus non videtur denegandum salarium, iuxta Glossam; ergo neque videtur denegandum stipendium Sacerdoti, qui non potuit ob infirmitatem breui temporis spatio Missas celebrare.

Tertia ratio desumitur ex decreto Concilij Prouincialis VII. Mediolanensis *titulo de Missis*, vbi conceditur Capellano vtenti prava valetudine per mensem, vt recipiat integram eleemosynam iudicio Episcopi, si Capellanus saltem per annum munus illud obierit.

Hoc tamen intelligendum puto cum Petro Nauarro, Riccio, & aliis statim citandis. Primò nisi expressè, & explicite in fundatione Capellaniæ habeatur, vt Sacerdos incidens in infirmitatem suppleat per alium, aut si non sit electa persona, sed solùm sit habita ratio Missæ celebrandæ, vt si dicatur in fundatione Capellaniæ, volo Missam quotidie celebrari in tali altari, aut, obligo Sacerdotem ad prouidendum de Missa per se, vel per alium, vt patet à simili ex dictis *puncto antecedenti, parag. 2. difficultate 7.* & bene tradit Azorius *1. parte, lib. 10. cap. 24. quæsito 7. ad finem* Naldus *verb. Missa, numer. 5.* Petrus Nauarrus *lib. 2. cap. 2, numer. 310.* Riccio *decis. 403. numer. 6.* & alij.

Secundò, hoc procedere tantum in eo casu, in quo Sacerdos non potuit celebrare ob infirmitatem: secus si Missæ celebrationem prætermisit aliis de causis, & negotiis etiam iustis, negotium enim superueniens Capellano non debet obesse fundatori, contra fundatoris voluntatem: quidquid in contrarium sentire videatur Azorius *loco citato.*

Hinc patet responsio ad rationem pro Tabiena, Azorio, & aliis allatam, dicendum enim est Sacerdotem non facere contra conuentionem, & intentionem fundatoris, si ad modicum, & breue tempus Missæ sacrum ob infirmitatem prætermisit, fundator enim non præsumitur voluisse Sacerdoti tam strictam obligationem imponere.

Addo, multos auctores, quos in contrarium adduximus, trahi posse in nostram sententiam, quatenus dicunt Sacerdotem, qui paucis diebus non celebrauit ob infirmitatem, non teneri ad restitutionem, spatium autem quindecim dierum mihi videntur in proposita materia pauci dies.

Dixi in responsione difficultatis præcisa consuetudine, & decretis, vt aduerterem standum esse consuetudini, & decretis, vbi legitima consuetudo recepta est, & vbi peculiaria extant decreta. Quamobrem in diœcesi, & Prouincia Mediolanensi standum erit decreto Concilij Prouincialis VII. *cap. de Missis*, vbi habetur, eum, qui per annum saltem munus Missæ quotidianæ obierit, posse, si verè per mensem infirmitate fuerit impeditus, Episcopi iudicio integram eleemosynam percipere.

Ex quo videtur inferendum, Sacerdotem, qui modico temporis spatio, infirmitate laboraut, spatio, exempli gratia, quindecim dierum, posse sibi integram eleemosynam retinere.

18 *An Sacerdos, qui plura collegit stipendia, possit per alios suo oneri satisfacere, retenta sibi eleemosynarum parte.*

18 Vltima Difficvltas est, vtrùm qui plura colligit stipendia pro celebratione Missarum, possit per alios Sacerdotes satisfacere retenta sibi parte eleemosynarum inscio dante, & insciis Sacerdotibus, per quos pensum Missarum persoluitur.

Respondeo cum Soto *lib. 9. de iustitia, quæst. 3. articul. 1.* Suarez 3. *parte disp. 88. sect. 3.* Nauarro *cap. 25. num. 91. vers. 24.* Reginald. *lib. 23. numer. 240.* Naldo *verb. Missa, numer. 20.* Emanuel Sà *verb. Missa, numer. 45.* Fraxinello *sect. 3. prænotione 5. § 4.* Possevino *cap. 2. numer. 19.* Rodriquez *1. parte, cap. 252. conclus. 4.* Henriquez *lib. 9. de Missa, cap. 22. numer. 8.* Bartholomæo ab Angelo *dialogo 5. parag 513.* Vasquez 3. *parte disput. 234. cap. 4. num. 30.* [Filliucio *tract. 5. cap. 6. quæst. 9. numer. 186.*] & aliis, contra Maiorem *in 4. distinct. 45. quæst. 3.* Arragonium *de iustitia, & iure, quæst. 85. artic. 3. dubio vltimo pagina mihi 611.* Cordubam *quæst. 4. dub. 1. opinione 2.* [Molfesium *tract. 3. cap. 16. num. 25.*] & alios satisfacere, modò Sacerdotibus celebrantibus tantam tradat eleemosynam, quantam fert communis taxa. Ratio est, tum quia nulli facit iniuriam, non enim facit iniuriam Sacerdoti Missas celebranti; cùm ei tantum stipendij tradat, quantum postulat taxa communi consuetudine recepta, aut Episcopi auctoritate constituta, quamuis fortè stipendium sit minimum intra latitudinem iusti stipendij, neque facit iniuriam illi, qui sibi eleemosynam tradidit pro Missis celebrandis, nam tantum rependit, quantum promisit, cùm re vera per alium suppleat, & Missas æqualis valoris per alios Sacerdotes offerat: tum quia Sacerdos, qui pecuniam accepit, vt Missæ sacrificium per se ipsum celebraret, factus est dominus pecuniæ cum obligatione celebrandi Missam, non enim est veluti simplex dispensator, & Missarum celebrandarum curator, vt suppono; ergo potest partem illius pecuniæ sibi retinere, retinet enim quod suum est, nec vlli facit iniuriam: tum quia quotidiana cernimus experientia, vt etiam obseruat Possevinus *cap. 2. numer. 18.* Henriquez *loco citato* & alij, Capellanos habentes pingues Capellanias reddentes, exempli gratia, ducentos, aut trecentos aureos singulis annis, consueuisse quinquaginta aureos, seu stipem iuxta loci consuetudinem tradere alteri Sacerdoti ad sustinenda onera Capellaniæ, retentis sibi reliquis; ergo neque repugnat hoc idem fieri in proposito casu.

Aduertendum tamen est primò, quæ diximus in eo solùm valere, qui factus est dominus pecuniæ sibi traditæ, non verò in quocunque alio stipes colligente pro Missarum celebratione, vt patet ex allatis rationibus. Quamobrem Sacrista, vel alius, qui stipes colligit, vt per alios curet Missas celebrari, non potest sibi partem retinere, nisi hoc ei lege aliqua, vel consuetudine ratione officij permittatur. Ita Nauarrus *cap. 25. numer. 91.* Sotus *loco citato* Bein *1. part. casu 12. sub finem, fol. mihi* 50. Rodriquez *loc. citat. num 9.* Reginaldus, Emanuel Sà, Fraxinellus, Suarez, [Filliucius,] & alij *locis citatis.*

Secundò, hoc non esse consulendum, cùm redoleat nescio quid negotiationis, & nimiæ affectionis ad lucrum, nisi iusta causa honestetur. Ita Possevinus, Suarez, Arragonius, Fraxinellus, [Filliucius] & alij *loc. citat.* Idem in prædictis censuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente, & ita consulente. Immo hoc idem consilium ferè de verbo ad verbum in librum decisionum referendum transmisi ad maiorem Pœnitentiarium Ecclesiæ Metropolitanæ, sicut etiam frequenter in aliis consiliis consueueram: hoc autem admonerim non vanitatis, & iactantiæ gratia, cùm mihi seruo nequam minus vtili, & omnium minimo nihil adscribam; sed ne qui librum decisionum viderit, existimet inde me accepisse, quod vobis ex hoc suggestu tradidi.

PYR-

PVNCTVM IX.

Qua hora, quo loco, & quibus vestibus, ac vasis celebranda sit Missa.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Hora celebrandæ Missæ quandónam incipiat.*

1 TEmpus, seu hora celebrandæ Missæ regulariter incipit ab aurora vsque ad meridiem. Ita Doctores statim citandi. [Ratio est, quia Missa debitis horis celebranda est, ob id Concilium Trid. *sess. 22. cap. quanta, de sacrif. Missæ*, decernit, vt Episcopi, edicto, & pœnis propositis, caueant ne Sacerdotes alijs, quàm debitis horis celebrent: debitæ autem horæ iuxta consuetudinem, & rubricas Missalis, sunt ab aurora vsque ad meridiem.]

2 *Quo tempore incipiat Aurora.*

2 Aurora dicitur quando aër incipit illustrari, seu illuminari per primam Solis irradiationem, vel paulo antè per quadrantem, aut per dimidiam horam, nam in moralibus parum pro nihilo reputatur. Ita Henriquez *lib. 9. c. 24. n. 5.* Suarez *disp. 80. sect. 4.* Reginaldus *li. 29. n. 173.* Coninchus *qu. 83. art. 2. dub. 4. nu. 217.* S. Thom. *3. parte qu. 83. art. 2.* Sotus *in 4. sent. dist. 13. q. 2. art. 2.* Sylvest. *verb. Missa num. 6.* Rodriquez *in summa cap. 250. num. 1.* Pitigianus *dist. 13. quæst. 2. art. 4.* Angles *q. de valore Missæ, art. 2. difficultate 4.* Graffius *lib. 2. decisionum aurearum c. 40. nu. 3.* Tabiena *verb. Missa nu. 5.* Bartholomæus ab Angelo *de Missa dialog. 5. §. 647.* Victoria *de Eucharistia n. 97.* Nugnus *qu. 83. art. 2.* Miranda *1. parte qu. 40. art. 10. conclusione 1.* Nauarrus *cap. 25. n. 85.* Naldus *verb. Missa n. 21.* Posseuinus *de communione cap. 8. n. 28* Azorius *1. parte lib. 10.* Chamerota *de Missæ sacrificio dub. 13.* Vasquez *3. parte disp. 233. cap. 3.* [Filliucius *tract. 5. c. 4. quæst. 7. nu. 111.*] & alij communiter.

3 *An liceat in necessitate celebrare ante Auroram, vel post meridiem.*

3 Hinc colligi potest primò à fortiori, in necessitate licitum esse media hora ante auroram, aut post meridiem celebrare pro communicando infirmo, non tamen licitum videtur media nocte pro communicando infirmo celebrare, vt inquiunt Bartholomæus ab Angelo *loco cit. §. 650. 652.* & deinceps, Posseuinus *loco citat.* Naldus *loco citato.* Sotus, Henriquez & alij, quos suprà retuli, vbi hoc probaui.

4 *An Sacerdos qui susceperturus est iter ob honestam causam possit summo mane celebrare*

4 Secundò Clericum, qui susceperturus est iter ob honestam causam, posse summo mane paulo ante lucem celebrare ad commodè suscipiendum iter. Immo Paludanus, & Victoria apud Rodriquez *cap. 250.* putant licitum esse generaliter loquendo celebrare dimidia hora ante auroram, ita vt Missa finiatur in prima lucescente aurora; quamobrem Victoria testatur non esse punctualiter expectandum ipsum auroræ tempus, cùm in moralibus parum pro nihilo reputetur, idem docet Vasq. *loc. cit. n. 27.* Sotus *in 4. dist. 13. qu. 2. ar. 2.* Bartholomæus ab Angelo *§. 656.* & alij, quorum opinio non caret probabilitate.

5 *[An Sacerdos vna hora cum dimidia Missa sacrum faciens ante ortum Solis, sit reus culpæ lethalis]*

5 [Tertiò colligitur illum non esse reum lethalis culpæ, qui vna hora cum dimidia Missæ sacrum facit ante Solis ortum; quia non dicitur celebrare ante auroram. nam aurora est initium crepusculi, quod plus minus præcedit ortum Solis vna hora cum dimidia. Ita communiter Doctores, teste Suarez *loc. cit.*]

6 *An Missæ, quæ in die Natiuitatis celebrantur, possint ante Auroram celebrari.*

6 QVÆRES primò, vtrum tres Missæ, quæ in die Natiuitatis celebrantur, possint noctu ante auroram celebrari.

RESPONDEO cum Nugno *qu. 83. art. 2. vers. sed est dub.* Nauarro *consilio 1. de celebratione Missarum, & c. 25. n. 83.* Sylvestro *verb Missa 1. quæst 8.* Bartholomæo ab Angelo *dialogo 5. §. 649* Angelo *verb. Missa num. 46.* Miranda *1. parte qu. 40 art. 8. conclus. 2.* & alijs, solam primam posse celebrari. Ratio est, tum quia sic vsu receptum videtur; tum quia tantummodò in prima Missa dicitur Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes, quod indicio est, primam tantummodò Missam noctu celebrari posse. Suarez verò *disput. 80. sect 4.* & Coninchus *loc. cit.* Rodriquez *c. 249. nu. 5.* & Reginaldus *loc.* statim *citando*, existimant, posse omnes ante auroram celebrari, quia non potest, inquiunt ipsi, vlla sufficiens ratio afferri, cur vna, & non omnes noctu celebrari possint.

Neque obstat consuetudo, inquiunt Suarez & Coninchus *locis citatis*, quibus adhæret Reginald. *loco cit n. 174.* quia ex consuetudine potiùs oppositum colligitur, cùm ita regulariter fiat sine scrupulo, ita vt absoluta prima Missa, reliquiæ statim celebrentur.

Verùm sententia Suarez, Coninchi, & Reginaldi solùm procedit in illis locis, in quibus per consuetudinem introductum est, vt omnes Missæ noctu celebrentur. Nostra verò sententia sustinenda est pro illis locis, in quibus aliter vsu comprobatum est.

7 *Quantum temporis spatium requiratur vt Sacerdos dicatur graviter peccare celebrando post meridiem.*

7 QVÆRES secundò, quantum temporis spatium requiratur vt Sacerdos dicatur grauiter peccare differendo Missæ celebrationem post meridiem.

RESPONDET Azorius *loco citato, c. 25. quæs. 6.* tertiam horæ partem sufficere. Verùm hæc sententia nimis dura mihi videtur, sicut enim seruiliter laborans in die festo per tertium horæ spatium non peccat mortaliter, vt etiam docet ipse Azorius, quem suo loco retuli: ita neque videtur reus lethalis culpæ, qui per tertium horæ spatium vltra meridiem Missæ celebrationem differt.

Nauarrus verò *cap. 25. num. 87.* quem citat, & sequitur Viualdus *in candelabro, cap. penultimo de Eucharistia n. 50.* putat Missam absque vllo priuilegio celebrari posse vsque ad horam nonam, quæ per tres horas durat post meridiem, quam sententiam sequitur etiam Pitigianus *loco citato.* [Ratio ipsorum hæc esse potest, quia in Concilio Triden, non extat præceptum, sed decernitur vt Episcopi præcipiant, neque obstant rubricæ, vel consuetudo, quia non videntur sub mortali receptæ. Vel ic cum Nauarro *n. 86.* Concilium intelligi de horis ante lucem, vel post nonam, qua oblatio Christi consummata fuit.]

Verùm hæc sententia nimiam concedere videtur licentiam, cùm spatium trium horarum nimis notabile videatur, & contrarium in praxi obseruetur. Immò Rodriquez *loc. cit. concl. 3.* aduertit eum, qui per audaciam, & præsumptionem hora tertia post meridiem celebrat, remanere perpetuò suspensum à diuinis. [quia Pius V. in Bulla 4 quæ incipit, *sanctissimus in Christo Pater.* prohibet in virtute sanctæ obedientiæ, ne quis sub pœna perpetuæ suspensionis à diuinis præsumat quouis prætextu etiam licentiarum in vesperis celebrare.

Ego tamen censeo illam suspensionem non incurri ipso facto, quia in præfata Bulla dicitur, sub indignationis suæ, ac perpetuæ suspensionis à diuinis pœna, quæ loquendi forma continet censuram comminatoriam; non autem latam ipso iure.]

Quamobrem mihi media via incedenti, ad peccatum mortale videtur requiri spatium trium quadrantum, vel etiam horæ: sicut enim spatium horæ sufficit ad contrahendum mortale peccatum, quoties opera seruilia in die festo exercentur; ita si quis per horam post meridiem non perficiat Missam, non videtur a mortali excusandus, præcisa iusta causa. Ob iustam verò causam Missæ celebratio potest ad longius tempus protendi, vt benè innuit Coninchus *loco cit. n. 119.* Miranda *1 parte qu. 4. ar. 11. conclus. vnica.* Rodriquez *c. 250. nu. 2.* & alij Doctores citati, vt accidit in festis solemnibus, in quibus consuetudine constat, Missam solènem aliquando protrahi ad duas horas post meridiem. Immò post huiusmodi Missam posse Sacerdotem celebrare, ne magna populi pars careat Missæ auditione, sustinent Suarez *loco cit.* Rodriquez *loco cit. conclus 2.* Posseuinus *loco cit.* Vasquez *loc. cit. n. 37.* [Filliucius *nu. 113.*] & alij.

Ego tamen hoc non puto facilè permittendum absque licentia, quam potest Episcopus ex causa rationabili in casu particulari concedere, vt asserit Suarez *disp. 80. sect. 4.* Reginaldi *lib. 29. num. 174.* Chamerota *de Missæ sacrificio dub. 13. ad finem*, [Filliucius *tract. 5 c. 4. quæs. 7. nu. 113.*] & alij quàm plures, quos *in tractatu de legibus* adduxi, dum nobis de dispensationibus sermo esset. [Obserua tamen priuilegium celebrandi vna hora anticipata, vel differendi celebrationem post debitum tempus, extendi posse ad illud tempus, in quo Missæ sacrum celebrari non posset absque priuilegio, alioquin priuilegium parum aut nihil prodesset. Ita Filliucius *loc. cit. n. 112.*] & alij.

8 *An' peccet Sacerdos celebrando, antequam recitet diuinum officium.*

8 QVÆRES tertiò, vtrùm peccet mortaliter, qui celebrat Missam ante matutini officij celebrationem.

RESPONDEO, solutionem huius quæsiti constare ex dictis de horis canonicis, vbi duplicem retuli opinionem.

Prima fuit affirmatiua Azorij *1. parte, lib. 10. c. 18. quæs. 17.* Graffij *lib. 2. decisionum. cap. 40. n. 6.* Beiæ *1. parte, casu 54. vers. Quia celebrare*, Zechij *de Sacramentis, cap. 16. in principio.* Henriquez *lib. 9 cap. 24. n. 7.* S. Antonini *3. parte, tit. 13 cap. 4 nu. 2.* Pitigiani *dist. 13. qu. 2. art. 10.* Bartholomæi ab Angelo *dialogo 5. §. 240.* & aliorum apud Emanuelem Sà *verb. Missa num. 22.*

Secunda sententia fuit negatiua, quam veriorem per se loquendo censui cum Soto *dist. 13. qu. 2. art. 2.* Nugno *qu. 83. art. 2.* Suarez *disp. 82. sect. 1.* & alibi. Coninchо *qu. 83 art. 3. dub. 4. nu. 220.* Lessio *lib. 2. de iustitia. c. 37. dub 12. n. 81.* Arragonio *2. 2. q. 83. art. 12. vers. de ordine*, Naldo *verb. Missa, num. 8.* Rodriquez *in summa, 1. parte, cap. 249. num. 12.* Conrado *in responsione casuum conscientiæ, casu 242.* Petro Ledesma *de Sacramento Eucharistiæ cap. 23. vers. 8.* Miranda *in Manuali Prælat. 1. part. qu. 40. art. 12. conclus. vnica.* Chamerota *de Sacrificio Missæ. dub. 14.* Naldo *verb. Missa nu. 8.* [Filliucio *tract. 5. c. 5. quæs 2. nu. 141.*] & alijs, quos retuli *loco citato de horis canonicis.* Ratio est, tum quia non videtur tanta connexio inter Missam, & horas Canonicas vt peruertens hunc ordinem reus lethalis culpæ constituendus sit: tum quia vbi non est lex, nec præuaricatio; nulla autem lege sancitum est sub mortali, celebrantem Missam ante matutinas horas grauiter peccare: quamuis fieri possit, vt peccet venialiter defectu debitæ deuotionis, vt si recitet matutinum tardius; quàm par sit. Neque obstant rubricæ, in quibus asseritur Missam celebrandam esse post matutinum, nam vel loquuntur de Missis conuentualibus, ijs præsertim, quæ persoluuntur à Canonicis, quæ secundùm probabiliorem sententiam, quam sequitur Nugnus *loco citato*, sub mortali celebrandæ non sunt ante matutinum, vel tantummodò indicant quid fieri deceat, vt inquit Coninchus *loco citato*, vel dic rubricas in hac parte non videri receptas cum tanto rigore.

SECVNDA PROPOSITIO.

9 *Quibus in locis celebranda sit Missa.*

9 MIssa celebranda est in Ecclesia consecrata ab Episcopo, aut saltem benedicta, & in altari lapideo consecrato, integro, & non enormiter fracto. *cap. placuit. cap. nullus Presbyter, & cap Missarum. de consecratione, dist. 1.* Verùm si altare non sit consecratum, saltem altare portatile, quod communi vocabulo petra consecrata nuncupatur, debet esse consecratum, integrum, & lapideum, quamuis includi possit in aliqua tabella lignea, vel in alia materia, vt docet praxis, & experientia.

10 *An Missa celebrari possint extra Ecclesiam, vel Oratorium ab Episcopo designatum*

10 Hinc colligi potest primò, non posse Missas absque graui peccato celebrari extra Ecclesiam, aut extra Oratorium ab Episcopis designatum, nisi adsit iusta necessitas, qualis est si occasione Missæ nouæ, inquiunt DD. Ecclesia populum non capiat, nec aditus pateat ab Episcopum, vel si adsit licentia Episcopi, vt ostendit Suarez *disp. 81.* Henriq. *c. 27. n. 6.* Reginald. *n. 176.* Vasq. *loc. cit n. 4. & 6.* Rodriq. *c. 249. n. 14.* Sylvester *verb. Missa 1. n. 5.* Nauar. *cn. 25. n. 80. & 82.* Bartholo. ab Angelo *de Missa §. 617. & 619.* Sotus *in 4. dist. 13. q. 1. art. 2.* Chamerota *loc. cit. dub. 1.* Nugnus *q. 83. art. 3.* Coninchus *q. 83. art. 3. dub. 1. n. 224.* Graffius *1. parte decisionum lib. 2. cap 32.* S. Anton. *3. parte tit. 13. c. 6. n. 4.* Hieronymus Llamas *in summa 3. parte Methodi c. 5. §. 15.* [Filliucius *tract. 5. c. 4 q. 8. n. 115.*] & alij quamuis Emanuel Sà *verb. Missa, nu. 2.* cum Soto *in 4 dist. 13. q. 2. art. 3.* putet non esse peccatum mortale celebrare extra Ecclesiam, seclusò scandalo, & contemptu.

Sed quod ego dixi verius puto, cum Coninchо *loc. cit. nu. 223.* & alijs DD. cit. quia violatur præceptum Ecclesiæ in re graui: cùm extet prohibitio sub graui pœna amissionis status, quamuis non extet prohibitio sub censura; & quod Doctores admittunt occasione Missæ nouæ, non facilè admitterem præcisa consuetudine: nam obligatio præcepti non videtur cessare propter opus consilij, & deuotionis, nisi aliud colligatur de mente legislatoris, vt in simili docet Azorius *1. parte lib. 7. c. 7. quæs. 8. ad finem*, & alij à me relati *in tractatu de legibus.*

11 *An Episcopus concedere possit, vt Missa celebretur in Capella domus priuatæ.*

11 Addit idem Emanuel Sà *loco citato*, Henriquez *lib.9. cap.27.n.2.* [Filliucius *n.116.*] Episcopum posse iusta de causa dare facultatem celebrandi in Capella domus priuatæ, & sub dio adhibito vtroque altari, firmo scilicet, & portatili; sed contrarium docet Azorius *li.10.cap.26.quæs.3.* ex Congregatione Concilij, Suarez *disp.81. sect.3. vers. secundò obseruandum.* Reginaldus *l.29.n.176.* [Filliucius *n.116.*] Rodriquez *loco citato*, Coninchus *loco cit.n.225.* ex Tridentino *sess.2. in decreto de obseruandis, & euitandis, de celebratione Missarum*, vbi Episcopis restricta est potestas permittendi, vt Missæ celebrentur in priuatis domibus, & in oratorijs non vsitatis, & designatis ab ipsis Ordinarijs, etiam si oratoria sint Religiosorum.

Negandum tamen non videtur, quin Episcopus possit in casu aliquo particulari iusta concurrente causa dispensare, vt Missa extra Ecclesiam in loco honesto celebretur, vt patet ex dictis de legibus, & benè tradit Suarez, Reginaldus, & alij *locis citatis.* De qua re videri potest Azorius *1.parte, lib 10.c 26 q.5.* Suarez, [Filliucius,] & Reginald. *locis cit.* Beia *4.parte, cap.33. pag.467.* Nauarrus *in Manuali cap 25.nu.82.* & Petrus Ceneda *lib.2. practicarum quæstionum, qu.44. nu.4.* & deinceps.

12 *An Sacerdos in mari celebrare possit.*

12 Secundò colligitur, non posse Missam celebrari in mari, vel in flumine, vbi periculum imminet effusionis sanguinis. Si verò periculum non adsit effusionis sanguinis, Emanuel Sà *verb. Missa, n.19.* Henriquez *loco citato*, Angles *q. de Valore Missæ art.2.* Graffius *1. parte lib.2.c.42. num.10.* Bartholomæus ab Angelo §.620. vbi citat pro se multos DD. & alij, putant, posse celebrari. Sed contrarium videtur sustinendum, nisi aliter consuetudine, vel priuilegio concessum sit. Ratio est, quia Missa celebranda est in Ecclesia consecrata, vel benedicta, ita sentire videtur Suar. *disp.91. sect.3.* Nauar. *c.25.n.8.* Reginaldus *loco cit.nu.168.* Coninchus *loco cit.nu.220.* Vasquez *3. parte disp.232.c.1.n.5.* [Filliucius *c.116.*] & alij.

13 *An requiratur Altare firmum, & portatile,*

13 Tertiò, non posse Missam celebrari sine altari, tam firmo, quàm portatili consecrato : altare autem portatile fieri non potest ex duobus lapidibus inuicem colligatis, sed ex vno tantùm, sic enim consuetudine receptum est, ad indicandam vnam in Christo personam, vt bene docet Vasquez *disp.233.cap.2.num.16.* cum Syluestro *verb. Altare, quæsito 3.*

Obserua tamen, quando Altare firmum, seu lapis integer, qui toti altari superimponitur, est consecratus, non opus esse Altari portatili: si verò lapis non sit consecratus, opus est Altari portatili lapideo consecrato, vt dictum est.

14 *Quænam solemnitas requiratur ad consecrationem Altaris,*

14 Si quis scire cupiat, quænam solemnitas requiratur ad consecrationem Altaris, consulere potest Pontificalium librum, aut Azorium *tom.1. lib.10.cap.27. quæsito 8.* Suarez *loco cit. sect.5.* & Reginaldum *loco cit. nu.190.* aliosque DD. de hac re agentes, quorum aliqui freti consuetudine addunt, ad consecrationem Altaris necessarias omnino esse reliquias, contra Coninchum *n.141.* Vasquez *3 parte disp.233.cap.2.n.16.* [Filliucium *tract.5.cap.4. quæs.9.n.121.*] & Suarez *loco cit.* nisi Summus Pontifex dispenset, *cap placuit. de consecratione, dist.1.*

Præterea, si quis scire cupiat vtrùm Altare debeat Orientem partem respicere. Respondeo dissensionem esse inter Doctores, nam aliqui Patres apud Vasquez *3.parte disp.233.cap 2.nu.19.* allatis congruentijs, & traditionibus, existimant Altare saltem maius debere Orientem mundi plagam respicere. Contrarium docet Vasquez *ibid.* [Suarez, & Filliucius] *locis citatis.*

Sed nobis dicendum est seruandam esse locorum consuetudinem, secundùm quam in hisce nostris regionibus receptum videtur, vt Templa versùs Orientem mundi partem erigantur, nisi legitimus superior auctoritatem per dispensationem interponat.

Denique, si quis scire cupiat, vtrùm liceat celebrare in Ecclesijs pollutis, & quandónam Ecclesia polluatur & reconcilietur, constat ex dictis *de matrimonio qu. 4. ad finem*, & videri potest Bartholomæus ab Angelo *dialog.5.§.621. de Missa.*

15 *Quot modis Altare consecratũ desinat esse sacrum.*

15 QVÆRES primò, quot modis Altare consecratum desinat esse sacrum.

Respondeo desinere, quoties notabiliter, seu enormiter frangitur, aut quando frangitur Repositorium reliquiarum.

Dicitur autem Altare portatile notabiliter frangi, quando in residuo non potest commodè contineri pes Calicis, & hostia cum patena sine periculo labendi, aut quando omnia cornua, quæ inunguntur, sunt fracta, aut quando frangitur, vel amouetur loco sepulchrum, in quo sunt reliquiæ. Ita Coninchus *q.83. art.3. dub.2.* Henriquez *lib.9.cap.28.n.2.* Reginaldus *loco cit.n.192.* Suarez *loco cit. sect.5.* Azorius *loco cit.c.27. quæsito 12. & c.26. quæsito 10.* Nugnus *q.83. art.3.dub.3.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo 5.§.384.388.390.392.* Vasquez *loco cit.n.13.* & alij.

16 *An possimus celebrare in Altari, in quo Episcopus eadem die celebrauit.*

16 QVÆRES secundò, vtrùm possimus celebrare in eo Altari, in quo Episcopus eodem die celebrauit.

Respondeo negatiuè, nisi adsit consensus ipsius Episcopi, aut nisi necessitas aliqua superueniat, sic enim postulat reuerentia dignitatis Episcopalis, *cap. finali, de consecratione dist.2.* quo in loco licet adhibeatur verbum *cantauit*, nihilominus vsus, & praxis indicat illud verbum accipiendum esse pro *celebrauit*, vt etiam ex Concilio nostro Prouinciali III. *fol.* 200. obseruat Naldus *verb. Episcopus, num.31. & verb. Missa, num.17.*

TERTIA PROPOSITIO.

PRæter Ecclesiam consecratam, vel benedictam, & præter Altare consecratum plura alia requiruntur.

17 *An ad celebrationem requiratur Calix cum patena.*

17 Primò enim requiritur patena, & Calix consecratus, & Christmate perunctus, confectus ex argento, vel auro, vel stanno, non tamen potest confici ex aurichalco, vel ære, ne vomitum prouocet, neque potest confici ex ligno, *cap vt Calix. de consecratione, dist 1.* Immo contra eum, qui vtitur Calice ligneo, aut Calice non consecrato, constituta est pœna depositionis ab officio, & beneficio, *ca. vlt. de celebratione Missarum.* Neque in hac materia potest Episcopus dispensare, cùm ipse dispensare nequeat in lege superioris. Benedictio vestium, Calicis, & aliorum quæ ad diuinum cultum adhibentur, per se loquendo pertinet ad Episcopum, vel etiam ad Abbates habentes priuilegium insigniorum Pontificalium, vbi talis consuetudo recepta est. Videte Sotum *in 4.dist.24.q.2.art.4.* Armillam *verb. Consecratio num.1.* S. Thom. *in 4.d.24.q.3.art 1.q.2.ad secundum.* Bartholomæum ab Angelo *dialogo 5. de Missa §. 271. & 335.* Llamam *in summa parte 3. Methodi cap.5.§.16.* [Filliucium *tract.5. c.4.quæs.11. n 130.*]

18 *Quid per Calicem, & patenam significetur.*

18 Si quis scire cupiat, quid per Calicem significetur, & quid per patenam.

Respondetur, per Calicem significari sepulchrum Christi, per patenam verò significari lapidem sepulchro superimpositum, vt obseruat Suarez, *loco citat. sect.1.* Azorius, Reginaldus, & alij *locis citatis.*

19 *Calix, & patena quãdónam amittant cõsecrationem*

19 Sed modò DVBIVM est primò, quandónam Calix, & patena amittant consecrationem.

Respondeo amittere non solùm si notabiliter frangantur, ita vt non possint inseruire ad vsum præfixum, & constitutum, vt benè docet Vasquez *3.p. disp.233. c.4 n.34.* & alij Doctores statim citandi, verùm etiam quando hæc vasa sunt deaurata, & vsu aurum amittunt, & iterum postea deaurantùr quo ad illam superficiem, quæ tangit corpus, & sanguinem Christi, consequẽter opus est noua consecratione. Quidquid dicat in contrarium Emmanuel Sà *verb. Calix*, & Coninchus *n.246.* Ratio est, quia cõsecratio Calicis, & patenæ fit præcipuè propter contactum corporis, & sanguinis: posita autem noua deauratione, contactus non potest fieri in parte consecrata, cùm aurum additum non sit consecratum. Ita Suarez, & Reginaldus *locis* statim *citandis*, Syluest. Angelus, Armilla, & Tabiena *verb Calix*, quos sequitur Bartholomæus ab Angelo *de Missa dialog.5.§.324.* Rodriquez *cap.249.num.21.*

Obiicies, Calix consecratus non amittit consecrationem amissione deaurationis; ergo non indiget noua consecratione, interueniente noua deauratione, cùm principalis pars videatur trahere ad se accessorium.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia non solùm erat consecratum aurum, secundùm se, verùm etiam totus Calix per modum vnius : adueniente autem noua deauratione constat aurum, quod de nouo additum fuit, non esse consecratum, consequenter indigere noua consecratione. Neque dici potest consecrationem Calicis consecrati redundare in aurum de nouo additum, tanquam in accessorium, & minùs principale. Respondetur enim, principale in hac materia non esse spectandũ ex quantitate materiæ, sed potiùs ex vsu rei consecratæ, ita vt illud censeatur principale, quod proximè fuit institutum ad continendum, & tangendum corpus, & sanguinem Christi, quòd præcipuè fit in parte deaurata. Ita Suarez *disp.81. sect.3. columna 3. versic. Solet verò.* Vasquez *3 par. disp.233. cap.4. nn.33.* Coninchus *qu.83. art.3. dub.3.n.245.* Reginaldus, *loco citato nu.199.* [Filliucius *nu.132.*] Tabiena, Angelus, & alij apud Henriquez *li.9. cap.28.n.2.* & apud Bartholomæum ab Angelo *loco citato.*

Hinc patet, Calicem & patenam amittere consecrationem.

Primò, per notabilem fractionem.

Secundò, per deaurationem, quatenus Calix iterum deauratus non potest adhiberi, nisi de nouo consecretur ob partem recenter deauratam.

Tertiò addunt aliqui, amittere consecrationem per aliquos ictus à fabro inflictos. Sed hoc gratis asseritur, & sine fundamento in iure. Ita Armilla *verb Calix nu.4* Bartholomæus ab Angelo *loco cit. §.323.* & alij.

20 *An consecrationem amittat Calix, si cupa separetur à pede.*

20 Si QVÆRAS, vtrùm consecratio Calicis amittatur, si Calicis consecrati cupa separetur à pede.

Respondetvr consecrationem non amitti, quoties separatio fit absque fractione, vt accidit in Calice tornatili, cuius partes separantur absque fractione, & deinde coniunguntur, quidquid in contrarium asserat Bartholomæus ab Angelo, Paludan. & alij. Ratio est, tũ quia sic vsu receptũ est: tum quia alioquin non fierent Calices tornatiles ob incommodum, cui se exponerent Sacerdotes petendæ nouæ consecrationis, facta cupæ separatione à pede : tum quia hoc idem seruatur in vestibus, quæ funiculis connectuntur. Secus dicendum est, si cupæ separatio fiat cum fractione. Ratio est, tum quia Calix in tali euentu amittit suam figurã, & non est aptus ad vsum, ad quem fuerat factus: tum quia sicut Altare, si remouea-tur à tabula consecrata, amittit consecrationem, ita eandem amittit Calix, si à pede cupa separetur. Ita Suarez *disp. 81. sectio. 7. vers. Rursus inquiri potest* Syluester *verb. Calix* quo ad secundam partem, cui adhæret Bartholomæus ab Angelo §.326. Azorius *loco citato, ca. 28. quæsito 7.* Reginaldus *li.29.nu 200.* Vasquez *loco citato nu.35.* Nugnus *qu.83. art 3 dub 4.* Coninchus *ibid. dub.3 n.248.* Henriquez *li.9. cap.28.n.2.* Rodriquez *loco citat.* & alij apud præcitatos DD.

21 *An laicus tangere possit Calicem consecratũ, & alia ornamenta.*

21 Secundò DVBIVM est, vtrùm á laicis possit attingi Calix consecratus, aut alia ornamenta altaris, & Sacerdotis.

Respondeo Calicem, patenam, & alia ornamenta, quæ immediatè attingunt Corpus Christi, vt est palla, & corporalia, non posse tangi à laicis absque peccato, *cap. sacratæ, dist.23.* [Imò neque clerici solent huiusmodi vasa tangere, nisi priuilegium habeant.] Peccatum tamen per se loquendo non videtur mortale, sed veniale, secluso scandalo, & contemptu, quia non videtur materia grauis, quamuis Bartholomæus ab Angelo §.321. putet nullum esse peccatum præciso contemptu. [Suarez verò *sect.8.* Filliucius *nu.135.* & alij existimant esse peccatum mortale saltem dum tangitur vas continens Corpus, vel sanguinem Christi.]

22 *A quónam lauãda sint Corporalia.*

22 Hinc colligi potest, iure optimo *in cap. nemo de consecratione dist.1.* sancitum esse, vt corporalia lauentur à Diacono, & lotio mittatur in piscinam sacram, ne fortè puluis Dominici Corporis malè decidat, vt dicitur in textu. Ita Bartholom. ab Angelo *dialog. 5.§.342.* S. Anton. *3. parte tit.13.cap.6. num.5.* & alij.

Hoc tamen intelligitur quo ad primam lotionem, nam quo ad secundam probabile est, eam fieri posse etiam à fœminis, præsertim virginibus, sicut etiam à fœminis refici possunt. Ita ex Caietano, & alijs tradit Suarez *disp.81 sect.8 vers. Quartò addendum.* Coninchus *qu.83. art.3. dub.3.nu.249.* Reginaldus *lib 29.nu.203.* Henriquez *lib.9.c.28. ad finem.* Bartholomæus ab Angelo *loco citat. §.343.*

Graffius

Graffius 1.*parte decisionum, lib.*2.*c.*41.*n.*7. Emanuel Sà *verb. Sacra. n.*3. & *verb. Missa nu.*16. Hoc idem procedit in purificatorijs, quamuis purificatoria non sint benedicta.

An verò res sacræ possint vendi, vel adhiberi ad profanos vsus, patet ex dictis *de Simonia*, & *de sacrilegio*, & videri potest Suarez *loco citato*. Reginald. *loco citato nu.* 205. Bartholomæus ab Angelo *loco citat.* [Filliucius *nu.*135.] & alij quàm plures, quos *de Simonia*, & *sacrilegio* adduxi.

An pyxis debeat esse consecrata.

23 Tertiò Dvbivm est, vtrùm vasculum, seu pyxis, in qua seruatur Eucharistia, debeat esse consecrata.

Respondet Vasquez *loc.cit. n.*36. Sotus *dist.*23. *q.*1. *art.*3. Nugnus *q.*83. *art.*3. *dub.*4. Coninchus *loc.cit.n.*245. Azorius 1.*parte lib.* 10. *cap.*27. *quæsito* 7. [Filliucius *num.*133. & alij, non opus esse, vt pyxis sit consecrata, quia nullo iure constat hoc requiri, & hæc sententia mihi probatur, nisi fortè alicubi aliter postulet loci consuetudo: quamuis contrarium asserat Durandus apud Suarez *disp.* 87. *sect.*3. *ad finem.* Reginaldus *loco citato num.*201. & alij apud Henriquez *cap.*28. & 29. [An autem fistula qua summus Pontifex sanguinem attrahit, debeat esse consecrata, videri potest apud Sotum, Durandum & Filliucium *locis citat.* vbi negatiuam sententiam innuere videntur.]

An requirantur Corporalia, & an debeant esse munda.

24 Secundò requiruntur corporalia consecrata confecta ex tela linea, aut cannabea quoad eam partem, qua continetur Calix, *cap. consulto, de consecratione, dist.*1. Remanent autem consecrata, quamdiu manent integra, & non fracta notabiliter. Ita S. Thom. 3.*parte qu.*83. *art.*3. *ad* 7. Sotus *in* 4. *distinct.*13. *q.*2. *art.*3. Sylvest. Angelus, Armilla, & Tabiena *verb. Corporalia*, S. Antoninus 3. *parte tit.*13. *c.* 6. *nu.*5. [Filliucius *nu.* 125.]

Ex quo fit, vt post lotionem non sint iterum benedicenda. Ita Sylvest. *verb. Corporalia. quæsito* 2. Reginaldus *loco cita. n.*195. Azorius *loco citato*. Nugnus *loco citato, dub.*3. Rodriquez *c.*249. *n.*17. Graffius 1.*parte li.*2.*c.*42. *nu.*2. Bartholomæus ab Angelo *dial.*5. *§.*346. Vasquez 3.*parte disp.*233. *cap.*4. *n.*24. & alij.

Hic solùm obiter obserua, adhibentem corporalia immunda peccare, & quidem grauiter, si valdè notabiliter sint immunda, facit enim contra reuerentiam tanto Sacramento debitam in re, quæ proximè attingit Corpus Christi. Ita Emanuel Sà *verb.* 8*acra. num.*5. Suarez, Reginaldus, Bartholomæus ab Angelo *dial.*5. §.267 & 331. Sylvester *Missa* 1.*n.*2. & *verb Vasa n.*1. Angelus, & Tabiena *verb. Vasa.* [Filliucius *n*°128.] & alij *loc. cit.*

Quot mappæ requirantur.

25 Tertiò requiruntur duæ mappæ, vel saltem vna duplicata, per quas repræsentantur linteamina, quibus Christi Corpus fuit inuolutum. Istæ autè mappæ debent ex tela confici, & benedici, quamquam non adeò necesse est, vt sint benedictæ, quin etiam aliquando ex necessitate possint adhiberi mappæ laicorum non benedictæ, quæ postea laicis restituantur, & adhuc domi adhibeantur, vt constat ex dictis *de sacrilegio in primo Decalogi præcepto*, & ita tenet Sylvester *verb. Benedictio, quæs.*5. & *verb. Missa* 1.*quæs.*2. Reginaldus *li.* 29. *n.*194. Suarez *disput.*81. *sect.*6. *col.*1. Emanuel Sà *verb. Missa, nu.*7. Graffius *lib.*2. 1.*parte cap.*42. *nu.*2. Chamerota *de Eucharistia cap.*8. *dub.*20. [Filliucius *tract.*5. *cap.*4. *quæs.*10. *nu.*124. contra Angelum asserentem vnam sufficere. Addo etiam requiri pallam qua tegitur & cooperitur Calix. hæc palla debet esse linea ex parte inferiore qua tegitur Calix; ex parte verò superiore, seu exteriori constare potest auro, vel serico ornamento.]

An requirantur vestes sacræ, & quænam sint.

26 Quartò requiruntur vestes sacræ, id est, alba, cingulum, amictus, manipulus, stola & planeta, quarum significationem qui scire cupit, perpendat orationes, quæ recitantur in singularum vestium indumento, de qua re Valentia *tom.* 4. *disput.* 6. *quæst.* 11. *puncto* 3. Bartholomæus ab Angelo *de Missa dialog.*5. *num.* 268. & deinceps, Rodriquez *cap.* 249. *num.*12. citans pro se Henriquez, Angles *quæstione de valore Missæ, difficultate* 5. *concl.* 1. S. Antoninus 3. *parte tit.* 13. *cap* 6. *num.* 5. Sylvest. *verb. Benedictio* §.5. Tabiena *verb. Missa num.*16. Nauarrus *cap.*25. *numer.*84. Hieronymus Llamas *in summa parte* 3. *Methodi cap.*5. §. 16. Charemota *loco citat.* Suarez *disp.* 82. *sect.*2. & 3. Nugnus *q.*83. *art.*3. *dub. vltimo.* Coninchus *ibidem, num.* 250. [& ego de hac re infrà disseram *disp.*8. *quæs. vnic. punct.*5. *nu.* 45. & *seqq.*] Qualiter autem benedicantur vestes, recurrendum est ad librum Pontificalium.

Hæ vestes quandónam amittant benedictionem.

27 Verùm circa prædictas vestes obseruandum est primò, eas amittere, vt sic loquar, benedictionem, & nouâ indigere benedictione, quando ita franguntur, vt non sint aptæ ad vsum, ad quem fuerant destinatæ, aut non ampliùs priorem retineant figuram.

Ex quo infertur, albam non indigere noua benedictione, si ad eam reficiendam addantur aliqua, quorum additione remanet adhuc prior figura, etiam si, quæ adduntur non sint benedicta, accessorium enim sequitur principale. Ex oppositio alba desinit esse benedicta, si ex ipsa abscindatur manica, quamuis illi postea eadem manica affuatur, nam per abscissionem manicæ ita perfringitur, vt non sit apta ad vsum, ad quem fuerat destinata, nec amplius retinet priorem figuram. Ita Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5. §.275. S. Antoninus 3. *parte. tit.*13. *c.*6. *n.*5. Angelus *verb. Benedictio, n.*3. Sylvest. *ibid. nu.*6. Tabiena *nu.*3. & Armilla *verb. Benedicere, nu.*3, Suarez, Azorius, Coninchus, & Nugnus *loc. cit.*

Præterea infertur, cingulum indigere noua benedictione, si ita perfringatur, vt nulla ipsius pars sufficiat ad cingendum. Secus si aliqua ipsius pars ad cingendum apta remaneat, quamuis ei addatur alia pars minus apta.

An omissio harum vestium inducat peccatũ mortale.

28 Obseruandum secundò, omissionem harum vestium, præcisa inaduertentia, inducere peccatum mortale, etiamsi vna tantùm omittatur, censetur enim in re graui violari vsus, & consuetudo vniuersalis Ecclesiæ, quæ has vestes induxit in honorem, & reuerentiam Sanctissimi Sacramenti. Ita Graffius 1.*parte, lib.*2. *decisionum aurearum, c.*41. *n.*2. Bartholomæus ab Angelo *dial.*5. §.276. Nauarr. *cap.*25. *nu.*83. S. Antoninus *loco citato*. Tabiena *verb. Missa, n.*11. Angelus *eodem verb nu* 36. Sotus *in* 4. *dist.*13. *qu.*2. *ar.*4. Chamerota *loco cit. dub.*17. Vasquez *loco cit. nu.*38. Nugnus, [Filliucius *tract.*5. *cap.*5. *quæs.*4.] & alij Doctores citati.

Idem dicendum videtur, si adhibeatur aliqua non benedicta; si verò adhibeatur vestis immunda, committitur peccatum saltem veniale contra præscriptum Ecclesiæ, *cap. vestimenta. de consecratione, dist.*1. [Ita Caietanus *verb. Missæ celebratio.* Filliucius *nu.* 128. & 150. Suarez *loco cit. sect.*3.]

An verò excusari possit à mortali, qui per vim cogitur sine vestibus celebrare, patet ex regulis generalibus de peccatis.

Sacerdos quomodo has vestes gestare debeat.

29 Obseruandum tertiò, Sacerdotem debere ad celebrandum accedere, vestibus benè compositis, ne scandalum inducat astantibus.

Præterea illi cauendum esse, ne cooperto capite celebret, saltem tempore consecrationis, nisi aliter cogat necessitas morbi, aut calliciei, &c. *cap. nullus Episcopus. de consecratione, dist.* 1. Præciso tamen scandalo, & petita licentia. Ita Rodriquez *cap.* 249. *numer.*13. Pitigianus *dist.*13. *quæst.*2. *art.*5. Graffius *loco citato, num.*5. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5. §. 460. [Filliucius *numer.* 152. contra Nauarrum *cons.* 7. *de celebratione Missarum.* Hanc licentiam aliqui Doctores putant concedi posse ab Episcopo; alij verò solùm à Papa, qia nullus Papa inferior dispensare potest in iure communi.]

Præterea Sacerdos ex honestate debet esse indutus calceis, quamuis de hac re non extet præceptum, nec videatur consuetudo obligare sub mortali, cùm hoc tantummodò requiri videatur ob honestatem. Ita Coninchus *quæst.*83. *art.*3. *dub.*3. *ad finem.* Emanuel Sà *verb, Missa nu.*15. Henriquez *lib.*9. *c.*26. *nu.*3. *ad finem.* Suarez *disp.*83. *sect* 5. Rodriquez *loco cit.* §.19. Bartholomæus ab Angelo *loco cit.* §. 286. Vasquez *loc.cit.n.*39. [Filliucius *nu.*251.]

An requiratur libet.

30 Quintò requiritur liber. Quamobrem Sacerdos recitans Missam sine libro, qui saltem non contineat canonem, mortaliter peccat per se loquendo, cùm se periculo exponat grauiter errandi. Ita Henriquez *cap.* 29. *n.*7. Coninchus *loco cit num.*251. Suarez *loco citat. sect.*6. Pitigianus *dist.*13. *quæst.*2. *art.* 3. Graffius *loco citato, cap.*43. *num.*5. Bartholomæus ab Angelo *dialog.*5. §. 428. & deinceps, Nauarr. *cap.*25. *num.*83. S. Anton. 3. *parte tit.*13. *cap.*6. *num.*6. Sylvester *Missa* 1. *num* 2. Tabiena *eodem verb. num.*12. Vasquez 3. *parte disput.* 233. *c.*3. *num.*26. & 27. Azorius, [Filliucius *num.*127.] & alij *locis suprà citatis.*

Præterea requiritur crux, quamuis, qui eam omittit, non videatur reus lethalis culpæ, quia omissio crucis non videtur esse coniuncta cum magna irreuerentia. Ita Suarez *loco cit. sect.*6. Reginaldus *loco cit. num.* 197. & alij.

An requiratur lux.

31 Sextò requiritur lumen, quod ex consuetudine conficitur ex cera, quamuis in necessitate sufficiat candela sebacea, aut etiam lucerna ex oleo, vt tradit Vasquez 3. *parte disp.*233. *c.*4. *n.*25 & 26. loquens de candela ex oleo. Suarez *loco cit. sect.* 6. Reginaldus *loco cit. nu.*156. Bartholomæus ab Angelo *loco cit.* §. 413. Nugnus *dub.*3. *ad finem.* [Graffius *lib.*2. *c.*42. *nu.*1. Filliucius *tract.*5. *c.*4. *quæs.*10. *nu.* 126.] & alij, contra Rodriquez *loco cit. nu.*12. Ex consuetudine duæ saltem candelæ adhibentur, quamuis vna sufficere videatur, inquit Azorius *loco cit. quæs.*11. Toletus *lib.*2 *c.*77. Graffius *lib* 2. *ca.*43. *nu.*1. Bartholomæus ab Angelo *dial* 5. § .425. & 426. Chamerota *de Eucharistia, cap.*8. *dub.*22. Coninchus *loco citato, nu.*243. Rodriquez *loco citat.* & alij.

An teneatur Sacerdos preces præscriptas recitare dum se vestibus induit.

32 Septimò requiritur, vt Sacerdos, dum se vestibus induit, recitet preces ab Ecclesia præscriptas, quarum omissionem putat peccatum mortale Nauarrus *c.*25. *num.*73. Azorius *loco cit. cap.*29. *quæsito* 5. & alij.

Sed contrarium mihi probabilius videtur; quia consuetudo recitandi huiusmodi preces, non videtur recepta cum tanto rigore. Ita Henriquez *lib* 9. *c.*24. *ad finem.* Pitig. *dist.*13. *q.*2. *art.*10. Caueat tamen Sacerdos, ne illas omittat.

An Sacerdos debeat adhibere masculum sibi ministrantem.

33 Octauò requiritur, vt Sacerdos adhibeat aliquem masculum sibi ministrantem, vt patet ex communi Ecclesiæ vsu, non tamen potest adhibere fœminam. Immò tantùm abest, vt possit fœminam in ministerio altaris adhibere, vt potiùs curandum sit, ne fœmina ad altare accedere præsumat, vt benè tradit Suarez *disp.* 87. *sect.* 1. Henriquez *lib.*9. *cap.*26. *num.*3. Reginald. *lib* 29. *num.* 163 Emanuel Sà *verb. Missa, num.* 18. Rodriquez *loco cit. num.* 1. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5. §. 407. & 409. Possevinus *de officio Curati, de sacrificio c.*2. *n* 9. vbi refert Sotum, & Azor. Chamerota *loco cit dubio* 23. Vasquez *loco cit. n.*42. [Filliucius *tract.*5. *cap.*6. *quæst.*11. *num.*192.] & alij.

Addo, etiamsi necessitas aliquando superueniat celebrandi, vt si consecranda sit hostia pro communicando infirmo, nec adsit alius præter fœminam, non posse fœminam adhiberi, sed potiùs celebrandum esse sine ministro. Ratio est, tum quia *cap.* 1. §. *fin. de cohabitatione Clericorum, & mulierum.* cautum est, ne fœmina ad altaris ministerium adhibeatur: tum quia, quamuis fœminę possint remotè inseruire, & respondere Sacerdoti, vt faciunt moniales in Choro, nihilominus non decet fœminas proximè ad altare inseruire, & magis indecens, & periculosum est fœminam adhibere, quàm sine ministro celebrare. Ita Suarez *disp.* 87. *sect.* 1. *ad finem.* Coninchus *quæst.*83. *art.*5. *num.*284. Sotus *in* 4. *dist.*13. *q.*2. *art.*5. *ad* 12. Reginaldus *loco cit. n.*164. Vasquez *loco cit.* [Filliucius *quæs.*12.] & alij contra Nugnum *qu.*83. *art.*6. *parte* 2. *dub.*1.

An peccent, qui Missam sine ministro celebrant.

34 Sed modò Dvbivm est primò, vtrùm excusati possint à mortali, qui Missam sine ministro celebrant.

Respondeo negatiuè, quia faciunt contrà præscriptum Ecclesiæ in re graui. Ita Bartholomæus ab Angelo *loc.cit.* §.408. & alij.

Aliqui tamen Doctores, vt videre est apud Suarez ad finem, à mortali excusant Sacerdotes, qui Missam in die festo celebrant [sine ministro,] ne careant Missa. Sed hoc non facilè admiserim, cùm teneantur ritus ab Ecclesia præscriptos seruare, nec teneantur Missam celebrare contra Ecclesiæ ritum. [Hinc patet quid dicendum sit de Eremita; arbitror enim non posse sine ministro celebrare, nisi priuilegium, & dispensationem habeat. ipse enim non dicitur proprie in necessitate existere, cùm voluntariè in eo viuendi statu perfistat. Vide Sotum *in* 4. *dist.*13. *q.*2. *art.*3. Suarez *disp.*87. *sect.*1. [Filliuc. *tract.*5. *c.*6. *quæs.*12.]

Quandòm seruanda sint à ministro absque solemnitate inseruiente.

35 Secundò Dvbivm est, quænam seruanda sint à ministro, qui absque vlla solemnitate inseruit.

RESPONDEO ea præstanda, ad quæ adhibetur: adhibetur autem ad inseruiendum, & respondendum, iuxta Ecclesiæ prescriptum.

36 *An peccet minister deficiendo in ijs, ad quæ adhibetur.*

36 Tertiò DVBIVM est, vtrùm minister, qui absque vlla solemnitate inseruit, grauiter peccet, si deficiat in ijs, ad quæ adhibetur.

RESPONDEO rarò mortaliter peccare in suo ministerio, etiamsi inseruiat cum conscientia peccati mortalis. Ratio est, tum quia non est minister deputatus ex officio ad hoc munus: tum quia excusari saltem potest ratione paruitatis materiæ, vt in simili dixi de censuris.

Hoc tamen limita, nisi scandali ansam præbeat, aut desit in necessarijs, vt si materiam ineptam propria culpa tradat Sacerdoti, tunc enim grauiter peccat peccato sacrilegij, vt per se patet. Ita Suarez *disp.* 87. *sect.* 2. Reginaldus *loco citato num.* 165. [Filliucius *num.*195.] & alij.

37 *An Missa celebrari queat materna, vel vulgari lingua.*

37 Hic obiter quæri posset, an Missa celebrari queat materna, & vulgari lingua.

Ad quam difficultatem breuiter respondetur negatiuè, vt patet tum ex vsu, & praxi Ecclesiæ, tum ex Concil. Trident. *sess.*22. *c.*8. tum quia multæ parabolæ, & multa ænigmata Scripturæ in Missa leguntur, quæ non possunt commodè in linguam vulgarem transferri, & conuerti. Ita Petrus Sotus *de instruct. Sacerdot. lectio.*15. *de ceremonijs Missæ.* Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5. *de Missa*, *§* .461. Bellarminus *parte* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *versic. Propositio.* Azorius *tom.*1. *lib.*8. *cap.*26. *quæsito* 6. & alij communiter. [Vide quæ in simili tradidi de horis Canonicis.]

PVNCTVM X.

De corrigendis vitijs, & defectibus in Missa contingentibus.

1 *Circa quæ, & quandónam contingat defectus*

1 NOtándum defectum, aut contingere circa substantialia, idest, circa materiam, formam, & intentionem, aut circa dispositiones Sacerdotis.

Rursus, aut contingere ante consecrationem, aut pòst. Hoc posito, quæram in hoc puncto, quid faciendum sit primò, quando contingit error circa substantialia, & præsertim circa materiam.

Secundò circa formam.

Tertiò circa intentionem.

Quartò, quando error contingit circa ea, quæ non sunt de substantia.

Quintò, quando nondum completo sacrificio moritur Sacerdos, vel ita impeditur, vt perficere nequeat Missæ sacrificium.

PRIMA PROPOSITIO.

2 *An supplẽdus sit error circa substantialia cõmissus.*

2 DEfectus, seu error circa substantialia, vt circa materiam, supplendus est, siue aduertatur ante consecrationem, siue pòst. Quamobrem si Sacerdos comperiat hostiam non esse confectam ex tritico, aut loco vini positam fuisse aquam, vel acetum, vel alium liquorem, aut si aduertat materiam appositam non esse certam, & indubitatam, sed eam, de qua dubitatur inter Doctores, debet aliam materiam aptam sumere, eamque consecrare facta oblatione, si commodè eam possit facere. Ita Bartholomæus ab Angelo *dial.* 5. *§* .678. Angelus *verb. Missa, nu.*15. idem tenet Tabiena *num.*36. & 37. S. Antoninus 3. *parte tit.*13. *cap.*6. Syluester *verb. Eucharistia* 2. *nu.*14. Ratio, cur defectus substantialis supplendus sit, est quia sacrificium non perficitur, quoties omittuntur necessaria, & substantialia. Ex præcepto autem diuino sacrificium perficiendum est, & non potest imperfectum relinqui; si verò contingat defectus circa ea, quæ non sunt substantialia, vt si Sacerdos comperiat post consecrationem Calicis, non appositam fuisse aquam, aut hostiam esse notabiliter fractam, non tenetur quidquam supplere, si Sacerdos huiusmodi defectum cognoscat post consecrationem, hic enim defectus non potest suppleri sine grauiori incommodo, nec integritas sacrificij postulat, vt suppleatur. Idem dicendum est, si hostia incidat in Calicem, aut post longam interruptionem Sacerdos animaduertat se hostiam non eleuasse, aut hostiam non fregisse, aut particulam Calici non impositisse, aut hostiam esse factam cum fermento. Ita S. Thom. *qu.*83. *art.*6. Nugnus, & Coninchus *ibid.* Suarez *disp.*85. *sect.*2. Toletus *li.*2. *cap.*9. Henriquez *li.*9. *c.*36. Azorius *cap.*35 *quæsito* 9. S. Antoninus 3. *part. tit.*13. *cap.*6. Tabiena *verb. Missa, num* 35. Angelus *ibid. nu.*14. Graffius 1. *part. lib* 2. *cap* 46. *nu.*1. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5. *§* .676. & 668. Syluester *Eucharistia* 2. *nu.*14. [Filliucius *tract.*5. *cap.*5.] Sotus, & alij apud Doctores citatos. Si verò Sacerdos ante consecrationem aduertat hostiam esse notabiliter fractam, aut non immiscuisse aquam vino, debet aliam hostiam accipere, & aquam vino miscere. Post consecrationem verò non debet aquam miscere. Ita Doctores citati.

3 *Quid facere teneatur Sacerdos quãdo sumpta hostia aduertit materiam in Calice positam non esse sufficientem.*

3 QVÆRES primò, quid faciendum sit, quando Sacerdos sumpta hostia aduertit materiam, quam in Calice appositi, non esse materiam sufficientem, sed acetum, vel alium liquorem, nec adsit præsens vinum.

RESPONDEO curandum esse, vt vinum deferatur, si fieri potest absque scandalo; si verò periculum sit grauis scandali, perficere potest sacrificium in vna tantùm specie, nam præceptum affirmatiuum consecrandi sub vtraque specie non obligat in tali euentu, vt patet ex supradictis. Ita Azorius *loco citato, quæsito* 6. Henriquez *cap.* 27. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5. *§* .674 Tabiena *verb. Missa n.*39. & alij, quos suprà retuli.

4 *Quid facere teneatur, quãdo sũpta hostia reperit nihil esse in Calice.*

4 Sed modò DVBIVM est, quomodo in noua consecratione se gerere debeat Sacerdos, qui post sumptionem hostiæ aduertit nihil esse in Calice, vel esse solam aquam, vel alium liquorem distinctum à vino.

RESSPONDEO cum Nauarro *cap.*25. *num.*91. Henriquez *lib.*9. *c.* 37. *num.*1. Suar. *disp.*83. *sect.*1. Coninchо *q.*83. *art.*6. *num.*277. Sà *verb. Missa num.*30. & 31. Graffio *loco citato num.*5. Bartholomæo ab Angelo de *Missa*, *§* .701. S. Thom. 3. *par. qu.* 83. *artic.*6. *ad* 4. Tabiena *verb. Missa num.*34. Chamerota *de Eucharistia c.*8. *dubio* 25. & alijs communiter, Sacerdotem debere accedere ad cornu altaris dissimulando se velle purificationem accipere, deinde posito vino in Calice, accedat ad medium Altaris, ibique consecret, incipiendo ab illis verbis, simili modo, & absque eleuatione subiungat: Vnde nos memores Domine offerimus, sicque sumat species vini consecratas, & oblatas, neque opus est, vt reliqua suppleat, si periculum sit scandali, sufficit enim supplere necessaria, cùm Ecclesia non obliget cum tanto incommodo. Immo Suarez, Coninchus, [*locis citatis*, Filliucius *nu.* 161.] & alij putant sufficere, vt consecret, & statim sumat, quia in consecratione videtur contineri oblatio, quatenus hostia consecratur per ordinem ad Deum.

5 *An debeat in tali euẽtu solum vinum consecrare, an etiam nouã hostiam.*

5 QVÆRES secundò, vtrùm Sacerdos, qui post sumptam hostiam aduertit materiam Calicis non esse veram materiam, debeat solùm vinum consecrare, an etiam nouam hostiam; eadem difficultas procedit, quando sanguis ita effunditur, vt nihil in Calice remaneat.

RESPONDEO cum Suarez *disp.*85. *sect.*1. Conincho *qu.*83. *art* 5. *num.*276. Reginaldo *lib.*29. *n.*213. Henriquez *c.*37. *n.*4. Rodriquez *in summa c.*251. *num.*1. Bartholomæo ab Angelo ex parte *dialogo* 5. *§* . 703. S. Thom. 3. *p. qu.*83. *art.*6. *ad* 4. Nugno *q.*83. *art* 6. *dub.*2. Soto *in* 4. *dist.*4. *q.*3. Azorio *loco citato, quæsito* 5. [Filliucio *nu.*161.] & alijs contra nonnullos alios, non esse necessariam nouam consecrationem hostiæ, sed tantummodò vini. Ratio est, tum quia nulla sufficienti ratione probatur, nouam hostiam necessariò consecrandam esse, cùm vna iam fuerit consecrata, quæ sufficit ad sacrificium, & tantummodò defuerit consecratio vini ad perficiendum sacrificium: tum quia populus posset faciliùs venire in cognitionem erroris, & sic scandalizari, modò reipsa periculum adsit scandali.

6 *An possit hostiam cõsecrare post sumptionem Calicis, quã eam antea malitiosè noluit consecrare.*

6 QVÆRES tertiò, vtrùm Sacerdos, qui malitiosè noluit consecrare hostiam, sed post sumptionem Calicis ipsum pœnitet erroris, possit hostiam consecrare.

RESPONDEO, non solùm posse, verùm etiam debere hostiam consecrare ob integritatem sacrificij. Immo aliqui putant debere etiam Calicem consecrare, vt omnia debito ordine peragantur, nisi aliter suadeat notabilis necessitàs vitandi scandali. Si verò in neutra specie consecrauit, non est opus vllam materiam consecrare: in hoc enim casu non militat ratio integritatis sacrificij, cùm sacrificium neque sit perfectum, neque imperfectum. Ita Rodriquez *cap.* 251. *concluf.*2. Suarez, Reginaldus, Nauarrus, & alij *loco citato*, quos suprà retuli de materia sanguinis Christi.

7 *An Sacerdos possit materiam non sufficientem deglutire, & postea non ieiunus iterum consecrare.*

7 QVÆRES quartò, vtrùm Sacerdos, qui in suscipiendo Calice aduertit non esse speciem vini, sed solùm aquam, aut acetum, debeat illud expuere in Calicem, ne postea perficiat sacrificium fracto ieiunio, vel potiùs possit deglutire, & sic fracto ieiunio perficere sacrificium, posito vero vino in Calice.

RESPONDEO, debere potiùs deglutire, cùm non videatur posse in Calicem expuere absque indecentia, & fortasse non sine scandalo astantium. Præceptum autem celebrandi cum ieiunio non videtur obligare cum tanta indecentia, vel scandalo. Ita Coninchus *loco citato artic.6. num.*280. & alij Doctores citati, contra Bartholomæum ab Angelo de *Missa dialogo* 5. §. 704. & Angelum *verb. Missa n* 17.

8 *Quid faciendum sit, quando animal, vel quid aliud in Calicem decidit.*

8 QVÆRES quintò, quid faciendum sit, quando animal, aut arena decidit in Calicem.

RESPONDEO, si decidit ante consecrationem, aliam materiam sumendam esse, eamque offerendam, & consecrandam; si verò decidit post consecrationem, & Sacerdos non potest sine incommodo vtrumque sumere, sumere debet species consecratas, extracta arena, vel animali, cuius postea combusti cineres mittendi sunt in locum sacrum. Ita Sotus *li.*2. *c.*9. Henriquez *loco citato*, S. Tho. *pa.*3. *q.*83. *ar.*5. Coninchus *ibi. n.*273. Suarez *disput.*85. *sect.*1, *vers. secundo potest accidere.* Emmanuel Sà *verb. Missa, nu.*34. S. Antoninus 3. *part. tit.*13. *c.*6. *§* .3. Tabiena *verb. Missa nu.*33. Bartholomæus ab Angelo *de Missa §* .708. [Filliucius *n.*165.] & alij.

9 *An Sacerdos teneatur sumere species veneno infectas.*

9 DICES: Si animal, quod cecidit in Calicem post consecrationem, sit venenosum, aut Sacerdos post consecrationem admoneatur vinum fuisse veneno infectum, debétne species vini consecratas sumere?

RESPONDEO negatiuè, quia non potest esse sui homicida, nec Sacramentum vitæ debet recipi cum periculo vitæ, vt ait Toletus *loco citato*. Emmanuel Sà *loco citato num.*36. Henriquez *cap.*35. *num.* 4. *in commentario*, & Rodriquez *cap.* 251. *concluf.* 3. Coninchus *loco citato*. [Suarez *disput.*85. *sect.*1. Filliucius *tract.*5. *cap.*5. *quæf.*10. *num.* 165.] & alij.

Obserua tamen cum Henriquez, huiusmodi species conseruandas esse, donec corrumpantur, & postea mittendas esse in piscinam sacram; nam Christus non amplius exstitit sub illis speciebus.

Ego tamen consulerem, eas vini species linteo, aut stuppa exsiccari, exsiccataque comburi, & combustas in sacram piscinam proijci.

Ex quo vlteriùs patet, quid sit faciendum de Eucharistia, quam quis euomuit; puto enim asseruandam esse donec corrumpatur. Sicut etiam si animal comedit Eucharistiam, extrahenda est Eucharistia, si potest, & conseruanda, donec corrumpatur, post corruptionem comburenda, sicut etiam ipsum animal comburendum est, & ipsius cineres mittendi sunt in piscinam. Ita Emmanuel Sà *verb. Missa nu.*34. & Azorius *cap.*35. *q* 8. & alij. Si verò hostia cadat in terram, vel super tapetem, Sacerdos radere debet, mundare, ac lauare locum, & puluerem proijcere in piscinam; si verò sanguis decidat, debet absorberi, si commodè absorberi possit, deinde locus radi, & lauari, sicut dictum est de hostia. Ita Missale Pij V. ex Henriquez *c.*37. *n.*4. S. Tho. qu. 83. *ar.*6. Coninchus *ibi. n.*282. Rodriquez *c.*251. *n.*3. Graffius *li.*2. *c.*46 *n.*4. Bartholomæus ab Angelo *dialog.* 5. §. 667. 683. & 693. & alij.

10 *An Sacerdos teneatur barbam abradere, quoties super illam sanguis Christi cadit.*

10 Addit Bartholomæus ab Angelo *dialog.* 5. *§* . 713. barbam Sacerdotis post trinam lotionem abradendam, & comburendam esse, quoties Christi sanguis super barbam Sacerdotis ceciderit.

Sed

Sed hoc mihi durum in praxi videtur, tum quia non est vsu receptum: tum quia aut Sacerdotes obligandi essent ad non deferendam barbam, aut saltem aliquando cogerētur ludibrij notam subire abrasa, & combusta barba; quamobrem sufficere videtur, si repetita lotione, barbam purgent iuxta receptam consuetudinem.

11 *An possit curare, vt huiusmodi species è stomacho extrahantur*

11 Grauior DIFFICVLTAS est, vtrùm Sacerdos, qui tantummodo post sumptionem aduertit, vel admonitus fuit, vinum fuisse veneno infectum, possit curare aliqua arte, vt è stomacho extrahantur species consecratæ.

RESPONDEO posse eas euomere in vas mundum, quia Sacerdos non videtur obligandus cum tanto suo incommodo ad eas retinēdas, sicut neque tenetur eas sumere, vt dictum est. Ita Tabiena *verb. Missa, num.* 32. Bartholomæus ab Angelo *de Missa dialogo* 5. *§.* 709. *&* 710. & alij, & hæc dicta sint de vitijs, & defectibus circa substātialia, & præsertim circa materiam Sacramenti Eucharistiæ contingentibus. Accedamus modo ad defectus circa formam, & intentionem.

SECVNDA PROPOSITIO.

12 *An Sacerdos supplere debeat defectus spectātes ad integritatē formæ.*

12 QVando Sacerdos aduertit se aliquid spectans ad integritatē formæ omisisse, debet defectum supplere, vt validū efficiat Sacramentum. Ita S. Tho. *q.* 83. *art.* 6. *ad quintum.* Tabiena *verb. missa, nu.* 37. Sotus, Henriquez, & Suarez *loco citato*, Ratio est, quia hic defectus est substantialis. Idem dicendum est, quando aliquod verbum omissum est, de quo dubitatur inter Doctores, an sit de integritate, & essentia formæ. Ita Suarez *disp.* 85. *sect.* 1. Reginaldus *n.* 213. Henriquez, Rodriquez *c.* 251. *num.* 2. Bartholomæus ab Angelo *de Missa §.* 669.] Filliuc. *tract.* 5. *c.* 5. *q.* 9.] & alij Doctores citati.

13 *An satisfaciat repetēdo verbum, quod omisit*

13 QVÆRES, vtrùm Sacerdos, qui aduertit, vel notabiliter dubitat, aliquem defectum contigisse circa integritatem formæ, satisfaciat repetendo tantummodò verbum, quod credit omissum fuisse.

RESPONDEO non satisfacere repetendo solum verbum omissum, sed debere totam formā repetere, si alia verba interiecta fuerunt, aut longum tempus interceſſit, ita vt repetitis solum verbis omissis non subsistat integra significatio totius formę, nam vt Sacramentum conficiatur, requiritur talis significatio, qua effici possit Sacramentum, significatio enim Sacramentorum est practica, cū faciat significando, & significet efficiendo: significatio autem, qua efficitur Sacramentum, non subsistit, si aliquod verbum tantummodo suppleatur, quotiescumque alia verba vel longum tempus interceſſit. Ita passim Doctores quos suprà retuli de forma Sacramenti Eucharistiæ.

TERTIA PROPOSITIO.

14 *An debeat repetere verba, quādo dubitat de intētione sufficienti.*

14 QVando Sacerdos dubitat, an habuerit intentionem conficrandi formalem, aut virtualem, debet repetere verba consecrationis, cum intentione conficrandi. Ratio est, quia defectus intentioni est substantialis. Verùm in hac materia nō oportet scrupulosum esse, ne via dæmoni aperiatur. Ita Suarez *disput.* 85. *sect.* 1. Reginaldus *loco citato* Henriq. *c.* 39. Coninchus *num* 281. & alij, quos suprà retuli de dispositionibus requisitis in ministro Sacramentorū & Eucharistiæ.

15 *Quid dicēdum de hostijs, quas dubitat non esse cōsecratas defectu debitæ intētionis.*

15 Quid verò faciendum sit; quando Sacerdos, qui plures hostias detulit ad altare ad communicandum populum, dubitat an habuerit debitam intentionem ad consecrandum, constat ex supradictis de intentione requisita ad conficiendum Sacramentum, constat enim Sacerdotem eo ipso, quo detulit hostias ad altare, videri habuisse intentionem consecrandi, sufficientem ad consecrationem, nisi eam moraliter interruperit: intentio enim virtualis sufficit. Verùm si Sacerdos re vera dubitet de intentione debita, dicat Sacerdoti celebraturo, vt eas sub conditione consecret, modo dubium sit probabile. Ita vsu receptum esse apud Religiosos affirmat Henriquez *cap.* 39.

QVARTA PROPOSITIO.

16 *An supplēdū sit illud, quod nō est de substātia sacrificij, cū ordinis perturbatione.*

16 SI prætermissū sit aliquid, quod non est de substantia sacrificij, non est ex necessitate postea supplendum cum perturbatione ordinis ab Ecclesia præscripti: vt si quis omisit, *Gloria in excelsis*, & huius omissionis recordetur, postquam aliquantulum progressus est; nam hoc moraliter fieri non potest commodè, & sine aliqua ordinis peruersione. Ita Sylvester *verb. Missa 1. quæsito* 5. quem citat, & sequitur Suarez *disput.* 83. *sect.* 2. *columna* 2. *versùs finem*; *&* *disp.* 85. *sect.* 2. Reginaldus *lib.* 29. *n.* 208. Coninchus *q.* 83. *art.* 6. *n.* 181 [Filliucius *tr.* 5. *c.* 5. *q.* 7. *n.* 155.]

17 *An perfici debeat totū sacrificium absque iteratione, si hostia cadat in Calicem.*

17 Hinc colligi potest primò, si hostia cadat in Calicem dum frāgitur, posse Missam perfici absque alia iteratione, nihil enim deficit quod ad substantiam pertineat. Ita communiter Doctores, quos refert Henriquez *c.* 37. *n.* 5. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5. *§.* 688. & Filliucius *n.* 170.]

18 *An perficiēdum sit sacrificium, si species vini congelentur*

18 Secundò, si species vini consecratæ congelentur, non iterum faciendam esse consecrationem, quia nihil substantiale desideratur, sed species congelatæ calefaciendæ sunt admotis ad Calicem linteis calidis, vt sumantur per modum potus. Ita [Suarez *sect.* 1. Filliucius *n.* 165.] Angelus *verb. Missa num.* 33. Tabiena, & alij apud Henriquez *loco citato*,

19 [*An omittens aliquid quod nō sit de substātia grauiter peccet.*]

19 [Sed modò DVBIVM est, vtrùm omittens aliquid, quod non sit de substantia, grauiter peccet.

RESPONDEO, attendendam esse rei grauitatem, vel leuitatem: si enim materia grauis sit, mortale peccatum incurritur, si leuis, committitur peccatum veniale, vt patet ex regulis generalibus. Ita Sylvester, Filliucius, & alij *locis citatis*.

Hinc patet à simili, quid dicendum sit de illis, qui nouas orationes addunt, videntur enim grauiter peccare, saltem si materiam notabilem publicè recitent, & non secretò, tanquam priuata persona, faciunt enim contra rubricas Missalis Pij V. Ita Sylvester *loco citato* Suarez *sect.* 3. Filliucius *n.* 156. *&* 159.

QVINTA PROPOSITIO.

20 *An alter missam ab alio inchoatam perficere debeat.*

20 SI moriatur Sacerdos, aut aliquo graui morbo corripiatur, aut alio casu impediatur post consecrationem, nec possit sacrificium perficere, sacrificium perficiendum est ab alio Sacerdote ieiuno, si adsit, vel etiam à non ieiuno, si nullus alius adsit præter nō ieiunum, vt supra dictum est: Si verò Sacerdos sit in peccato mortali, nec habeat copiam Confessarij, debet elicito actu contritionis sacrificium perficere, nam maior videtur obligatio perficiendi sacrificium, quam præmittendi confessionem, quamuis vtrumque sit de iure diuino. Ita communiter Doctores, quos supra retuli de dispositionibus requisitis in Sacerdote.

21 *An perficiēda sit missa si primus Sacerdos moriatur ante consecrationem.*

21 Obserua tamen primò, hæc procedere, quando Sacerdos moritur post consecrationem, nam si moriatur ante consecrationem, non est obligatio perficiendi sacrificium, vt ait Henriqnez *c.* 40. Azorius 1. *parte lib.* 10. *c.* 33. *quæsito* 1. Rodriquez *c.* 251. *num.* 4. Angelus *Eucharistia* 3. Armilla *Missa nu.* 11. Tabiena *verb. Missa, n.* 30. Bartholomæus ab Angelo *dialog.* 5. *§.* 563. & alij, quos supra retuli de dispositione requisita ad celebrationem, quia substantia sacrificij nōdum est inchoata.

22 *An alter teneatur perficere si primus moriatur post sumptionem hostiæ.*

22 Obserua secundò, Si Sacerdos moriatur post sumptionem hostiæ, non teneri alterum perficere, quia substantia sacrificij videtur perfecta, tam respectu Sacerdotis celebrantis, qui sumpta hostia recepit gratiam Eucharistiæ, cùm secundùm probabilem sententiam non conferatur maior gratia per sumptionem vtriusque speciei, quam vnius, quàm respectu eorum, quibus sacrificium offertur, cùm essentia sacrificij, iuxta nonnullos Doctores, quos supra retuli, saluari possit in sumptione vnius tantum speciei. Contrarium tenet in hac parte Bartholomæus ab Angelo *loco citat.* *§.* 573. Propterea sanguis, qui non fuit sumptus à Sacerdote mortuo, sumetur à Sacerdote aliud sacrificium faciente: sicut enim duæ hostiæ sumi possunt simul, ita species vini sumi possunt simul ab vno, & eodem Sacerdote, quamuis à duobus fuerint consecratę. Verùm si aliquis Sacerdos vellet Missam Sacerdotis deficientis post sumptionem hostiæ perficere, probabile est posse solum sanguinem sumere, inquit Henriq. *c.* 41. tutius tamen est in hac re accommodare se consuetudini.

23 *Vbinam incipiendum sit, quando perficienda est ab altero missa.*

23 QVÆRES PRIMO, vbinam incipiendum sit quando perficiendum est sacrificium ab alio inchoatum.

RESPONDEO incipiendum esse ab eo loco, vbi alter reliquit, exceptaforma cōsecrationis, quæ sifuit à primo sacerdote inchoata non est perficienda à secundo Sacerdote, sed totam ab eodem proferendam esse suprà diximus *in 2. propositione*. Ita Azorius, & alij *locis citatis*. Idem tenet Bartholomæus ab Angelo *de Missa, §.* 565.

24 *Quid faciēdum, quando dubitatur, an prior consecrauerit hostiam.*

24 QVÆRES SECVNDO, quid faciendum sit quando dubitatur, vtrùm Sacerdos, qui inter celebrandum defecit, consecrauerit hostiam.

RESPONDEO, Sacerdotem supplentem debere aliam hostiam sumere, eamque consecrare, simul consecrando sub conditione eam de qua dubium est, an sit consecrata, vel posse nouam hostiam consecrare, eam vero, de qua dubitatur an sit cōsecrata, sumere post sumptionem vtriusque speciei, antequam sumat purificationem. Ita Sotus *dist.* 8. *q.* 2. Henriquez *c.* 40. *n.* 4. S. Th. *in* 4. *sent. dist.* 8. *q.* 2. *art.* 4. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5. *§.* 561. 562. *&* 569. Tabiena *verb Missa, n.* 30. Sylvester *verb Eucharistia* 2. *n.* 12. S. Antoninus 3. *part. tit.* 13. *c.* 6. *n.* 3. [Filliucius *tract.* 5. *c.* 5. *quæst.* 11. *nu.* 165.] & communiter recentiores, habet enim iustam, & rationabilem causam hæc præstandi.

25 *An Sacerdos Missam inchoatā interrumpere possit.*

25. QVÆRES TERTIO, vtrùm Sacerdos possit Missam inchoatam interrumpere.

RESPONDEO per se loquendo, non posse, cùm enim Missa dicatur vna, debet ita succedere, & sine interruptione celebrari, vt dicatur vna. Quamobrem sicut grauiter peccat Sacerdos, qui partem notabilem, exempli gratia, offertorium scienter prætermittit, ita grauiter peccare videtur, qui notabiliter interrumpit partes sacrificij, saltem essentiales, ita vt posita interruptione, non dicatur moraliter, vnum sacrificium; ex iusta verò causa potest Sacerdos paulisper interrumpere, vt si baptizandus sit infans in periculo mortis existens, quem mater peperit inter Missarum solemnia, cui alia ratione non possit Baptismus conferri, quàm per Sacerdotem celebrantem. Ita sentire videtur Henriquez *lib.* 9. *c.* 30. *num.* 3. S. Thom. 3. *part. qu.* 83. *art.* 6. Posseuinus *de sacrificio c.* 2. *n.* 11. Sylvester *Missa* 1. *n.* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 13. Nauarrus *c.* 25. *num.* 86. Tabiena *Missa* 1. *num.* 19 Bartholomæus ab Angelo *dialog.* 5. *parag.* 558. & alij.

Hic nobis agendum esset de partibus Missæ in particulari, [& eius cœremoniis.] verùm ne longius, quàm par sit in horum explicatione videamur immorari, remitto vos ad Azorium 1. *parte lib.* 11. *c.* 34. *&* 35. Toletum *lib.* 2. in expositione canonis Missæ, Bielem in expositione canonis, Bartholomæum ab Angelo *de Missa dialog.* 5. *parag.* 27. & deinceps, Henriquez *cap.* 32. Valentiam *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 11 *punct.* 3. Suarez *disp.* 83 *sect.* 1. *&* 2. Bellarminum *de Missa* [Molfesium *tract.* 3. *c.* 12. & Alphonsum, Rodriquez *tom.* 2. *de perf. relig. tr.* 8. *c* 15. *versic. per poter meglio*, & alios.]

PVNCTVM XI.

Vtrùm fideles teneantur Missam audire.

1 *Nomine auditionis Missæ, quid intelligatur*

DVo principaliter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm fideles teneantur Missam audire. Secundò, quod peccatum committāt, qui Missam non audiunt.

1 Sed priùs notandum est primo, nomine auditionis Missæ intelligi eam actionem, per quam quis interest Missæ, humano modo, corpore scilicet, & mente, in tali distantia vt possit saltem videre Sacerdotem, & attendere ad illius ministerium.

2 *An amentes & ebrij existentes in Ecclesia, dū Missa celebratur, dicātur Missam audire.*

2 Ex quo sequitur primò amentes absolutè, aut ebrios existentes in Ecclesia, dum Missæ Sacrum celebratur, non dici Missā audire, quia nequeunt humano modo interesse, ex quo etiam fit, vt qui illorū curā gerunt, non teneantur curare, vt ij Missę sacro intersint,

vtbene docet Sanchez *in opere morali l. 1. c. 12. n. 17.* & Nauarrus *in Manuali cap. 21. n. 2.*

3 *An sciens in Ecclesia tali tempore Missam celebrari, dicatur Missam audire, si mentem suam circa mysteria Missæ applicet.*

3 Secundò eum, qui sciens in Ecclesia tali tempore Missam celebrari, si mentem suam circa mysteria Missæ applicet, non dici Missam audire, quia non interest Missæ corporaliter, sed mentaliter tantùm. [Suarez *loco citato.* Filliucius *tract. 5. cap. 7. numer. 208.*]

4 *An dicatur Missam audire, qui eo tempore aliquid mēte revoluit.*

4 Tertiò eum, qui commoratur in Ecclesia tempore Missæ, mēte sua reuoluens aliqua negotia, non dici Missam audire, quia non interest mentaliter, cùm voluntariè vagetur, aduertens se mente vagari. Quamuis Coninchus *loco* statim *citando*, & alij, quos in simili retuli *de horis Canonicis*, putent illum satisfacere præcepto, qui voluntariè animo vagatur, modò non exerceat actionem externam incompossibilem cum attentione interna. Quamobrem aliqui Doctores, vt Coninchus *n. 301.* existimant eum satisfacere, qui assistit Sacro cum externa reuerentia, ita vt hic, & nunc dici possit actum externum religionis exercere, quamuis non habeat internam aliquam reuerentiam, vt si interius voluntariè sit distractus, & mente vagetur. Verùm contra Coninckum est Suarez *sect. 3. colum. 3.* & alij ferè communiter, & contra ipsum faciunt ea, quæ dixi *de legibus, & de horis Canonicis*, vbi dixi, Ecclesiam posse saltem indirectè actus internos præcipere, & ratio est quia Ecclesia præcipit auditionem Missæ, vt est actus humanus & religiosus. Quomodo autem potest esse actus humanus, & religiosus sine attentione? Propterea verior sententia est satisfieri præcepto ab eo, qui voluntariè vagatur, si plene aduertat se distractum esse, & alienis rapi cogitationibus mentis.

5 *Missa quotuplex sit.*

5 Notandum secundò, Missam aliam esse solemnem, aliam priuatam: aliam de sancto, aliam de feria: aliam votiuam, & aliam pro mortuis.

PRIMA PROPOSITIO.

6 *Quo præcepto, & quando nam teneantur fideles missam audire.*

6 FIdeles tenentur ex præcepto Ecclesiastico Missam audire diebus festis. Hæc propositio adeò certa est, vt eam esse de fide dicat Suarez *disputat. 88. sect. 4.* Ratio istius propositionis desumitur: tum ex *cap. Missas, & cap. omnes fideles, de consecrationis, distinct. 1.* Tum ex consensu omnium Doctorum: tum ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ.

Addo hoc præceptum, quamuis simpliciter sit humanum Ecclesiasticum, nihilominus esse consentaneum iuri naturæ, & diuino, vt patet ex tertio præcepto Decalogi de colendis diebus festis. Ita Suarez *loco citato.* Henriquez *lib. 9. c. 25. numer. 1.* Nugnus *qu. 83. art. 6. in posteriori parte, dubio 2. folio 516.* Nauarrus *cap. 21. nu. 1.* Tabiena *verb. Missa nu 46.* Sotus *in 4. dist. 13. qu. 2. art. 1.* Hieronymus Llamas *in summa part. 3. Methodi c. 5. parag. 8.* [Filliucius *tract. 5. num. 198.*]

Hinc patet, summum Pontificem posse dispensare in præcepto audiendi Missam, nam hoc præceptum est simpliciter humanum: summus autem Pontifex potest in iure humano dispensare, vt pluribus ostendi *in tractatu de legibus.*

7 *An quilibet fidelis teneatur missam in die festo audire*

7 QVÆRES PRIMO, vtrùm quilibet fidelis teneatur Missam in die festo audire.

RESPONDEO quemlibet fidelem adultum baptizatum, teneri diebus festis Missam audire, nisi legitimo detineatur impedimento Ratio est, quia extat præceptum audiendi Missam in die festo, vt ostendimus in propositione præcedenti, cum autem quilibet fidelis postquam ad vsum rationis peruenit, sit capax præcepti, & obligationis, vt ostendi de legibus, sequitur quemlibet fidelem adultum teneri diebus festis Missam audire. Ita Nauarrus *cap. 21. num. 1.* Coninchus *num. 286.* Nugnus *q. 83. ar. 6. dubio 2. In secunda part. concl. 7. pag. 520.* & alij apud Henriquez *lib. 9. c. 25. n. 1. littera G. in commentario*, & apud Sanchez *loco* statim *citando.*

8 *An pueri fideles Missæ audire teneantur.*

8 Hinc sequitur primò, pueros fideles completis septem annis obligari hoc præcepto, & grauiter peccare non audiendo Missam nisi excusentur ratione ignorantiæ, eo quòd ignorent obligationem præcepti. Ita Azorius *lib. 7. c. 2.* Toletus *cap. 8.* Suarez *disp. 88. sect. 4* Nugnus *loco citato*, Sanchez *in sum. lib. 1. c. 12. n. 10.*

9 *An infidelis Missam audire teneatur.*

9 Secundò sequitur, infideles non teneri Missæ Sacrum audire, nam infidelis nondum baptizatus non subest Ecclesiæ, quamuis sit Cathecumenus: ita Sanchez, & alij *locis citatis.*

10 *An fideles in die Natalis Domini tres missas audire teneantur.*

10 QVÆRES SECVNDO, vtrùm fideles teneantur tres Missas in die Natalis Domini audire.

RESPONDEO fideles satisfacere audiendo vnam Missam, nam Ecclesia absolutè præcipit auditionem Missæ in die festo: qui autem vnam Missam in die Natali audit, dicitur audire Missam absolutè. Ita Nauarrus *cap. 21. num. 2.* Nugnus *loco citato, dub. 2. concl. 5. pag. 518.* Suarez *loco citando.* Naldus *verb. Missa numer. 10.* Sylvester *verb. Missa 2. num. 1. ver. 7.* S. Antoninus *2. part. titulo 9. c. 10. parag. 1.* Bartholomæus ab Angelo *de Missa dialog. 5. parag. 801.* [Filliucius *tract. 5. c. 7. n. 207.*] & alij apud Henriquez *lib. 9. c. 25. n. 3.* & apud Naldum *verb. Missa, n. 10.*

OBIICIES, Parochus tenetur tres Missas in die Natalis Domini celebrare; ergo etiam ipsius subditi tenentur tres Missas audire.

RESPONDERI potest primò negando antecedens cum Nauarro *de celebratione Missarum, responsione ad 1. dubitationem, consilio 8.* Naldo *loco citato*, Rodriquez *c. 249 n. 5.* Bartholomæo ab Angelo *dialogo 8 parag. 218.* & aliis.

Secundò, negando consequentiam: quamuis enim daremus, Parochum teneri in die Natiuitatis tres Missas celebrare, non tamen hinc sequitur fideles teneri tres Missas in die Natalis audire, Parochus enim in sententia aliquorum Doctorum tenetur tres Missas in die Natalis Domini celebrare: tum ne defraudet fideles debitis suffragiis & deuotione, qua multi vellent tres Missas eo die audire: cum quia facilè incurreret periculum scandali. Ita Henriquez *loco citato.* Miranda *in Manuali Prælat. 1. part. q. 40. art. 8. concl. 2.* contra Nauarrum *de celebratione Missarum consil. 8. in responsione ad 1. dubitationem.* Naldum *verb. Missa, n. 10.*

SECVNDA PROPOSITIO.

11 *An peccet omittēs notabilem Missæ partem in die festo.*

11 QVi Missam, vel eius partem notabilem diebus festis non audit, mortaliter peccat ex suo genere. Ratio est, tum, quia omissio Sacri, est res grauis ex suo genere; qui autem facit contra præceptum in re graui, grauiter peccat: tum quia omissio diuini officij in Sacerdote, & transgressio ieiunij, est peccatum mortale, ex suo genere; ergo etiam omissio Missæ. Ita Suarez *loco citato*, Nauarrus *cap. 21. num. 1. & 2.* Nugnus *loco citato conclus. 3.* Azorius *1. parte, lib. 7. cap. 1.* Coninchus *qu. 83. art. 6. num. 285.* Toletus *c. 8.* Henriquez *cap. 25. num. 7.* Rodriquez *cap. 123. num. 1.* Graffius *lib. 2. decision. cap 35. num. 2.* Bartholomæus ab Angelo *de Missa §. 776.* Angelus *verb. Feria, num. 1.* Sylvester *Missa 2. numer. 1.* Armilla *numer. 31.* Tabiena *num. 51.* S. Antoninus *2. Parte tit. 9. cap. 11.* [Filliucius *num. 199.* Molfesius *tract. 3. cap. 17.*] contra Angelum *verb. Feria numer. 42.* & alios putantes, eum non peccare mortaliter, qui rarò Missam omittit.

Dixi, *ex suo genere*, quia inaduertentia, aut inculpabilis ignorantia potest à mortali excusare, sicut etiam potest excusare paruitas materiæ, vt si quis à principio interfuit Missæ vsque ad sumptionē, & finita sumptione discedat, hic enim non peccat mortaliter, cùm non videatur omittere materiam notabilem, peccat verò venialiter, quia nondum dicitur perfectè præceptum Ecclesiæ adimplere, cùm Ecclesia præcipiat, integram Missam audiri à confessione vsque ad benedictionem. Ita Rodriquez *loco citato*, Nugnus *loco citato, dubio 2. vers. Dico inquam*, & alij contra Suarez *loco citato.*

OBIICIES, non peccat mortaliter, qui non audit vesperas in die festo; ergo neque peccat, qui Missam non audit.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio est, tum quia nullo iure constat adesse obligationem audiendi vesperas, saltem sub mortali; tum quia non solent homines se de huiusmodi omissione accusare, tanquam de mortali peccato; ergo non videtur adesse præceptum, vel consuetudo sub mortali. Ita Azor. *loc. cit. quæsito 6. & 7.* Henriquez *num. 13.* Idem affero de concione cum communi Doctorum sententia per se loquendo, fieri tamen potest vt aliquis omissione concionis peccet mortaliter, quatenus non ediscit ea, quæ scire tenetur, vt patet ex dictis de fide. Videte Azorium *1. part. lib. 7. cap. ad finem.*

12 *An satisfaciat præcepto Missæ, qui Missam audit de Sancto, vel de requiem.*

12 Hinc colligitur primò, eum satisfacere præcepto Missæ audiendę, qui Missam audit siue de Sancto, siue de mortuis, siue priuatam, siue solemnem, &c. Quamuis melius sit audire Missam tempori accommodatam. Ita Tabiena *verb. Missa num. 48.* Toletus *lib. 6. cap. 7.* Azorius *cap. 6. quæsito 3.* Suarez *disputat. 88. sectione 2. vers. Atque his.* Henriquez *lib. 9. cap. 27. num. 5. & c. 25. num. 4.* Nugnus *loco citato conclusion. 4.* [Filliucius *n. 104.*] & alij, quos suprà retuli. Ratio est, quia Ecclesia solùm præcipit Missam audiri, nec præcipit Missā proprij diei audiri. Ergo quæcumque audiatur, adimpletur præceptum. Ob eandem rationem adimpletur præceptum, siue Missa audiatur ritu Romano, siue Ambrosiano, siue Græco, vt ait Emanuel Sà *verb. Missæ auditio, ad finem*, Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1.* Azorius *loc. citat. cap. 3. quæsito 5.* Bartholomæus ab Angelo *de Missa parag. 805.* S. Antoninus *2. part. tit. 9. cap. 10. parag. 1.* Sylvester *Missa 2. numer. 4.* Tabiena *eod. verbo numer. 49.* Armilla *num. 31.* & alij.

13 *An satisfaciat, qui Missæ partem ab vno audit, aliam ab altero.*

13 Secundò colligitur, posse eum satisfacere præcepto, qui vnam partem Missæ audit ab vno Sacerdote, aliam ab alio, vt si quis veniens ad Ecclesiam tempore eleuationis Missæ, reliquum illius audiat, & simul partem alterius vsque ad eleuationem. Ratio est, quia dicitur Missam audire, & ecclesia non præcipit, vt Missa audiatur ab vno Sacerdote, sed simpliciter præcipit Missam audiri: duæ autem medietates Missæ constituunt vnam Missam, sicut vnum dicitur sacrificium, quando deficiente vno Sacerdote alter supplet & perficit quod ab altero fuerat inchoatum, & quamuis curandum sit, vt partes Missæ suo ordine audiantur, nihilominus hoc non videtur de necessitate præcepti, sicut in simili dictum est de eo, qui horas recitat non seruato ordine, quem non peccare mortaliter diximus *in tractatu de horis Canonicis.* Ita Nauarrus *cap. 21. num. 2.* Emanuel Sà *verb. Missa auditio, n. 2.* Nugnus *quæst. 83. art. 6. dubio 2. vers. Ad hanc difficultatem*, Coninchus *quæst. 83. art. 6. numer. 286.* Sotus *in 4. distinct. 13. quæst. 2. art. 1.* Azorius *1. parte, lib. 7. cap. 3. quæsito 3.* Henriqu. *lib. 9 cap. 25. numer. 8.* & hanc sententiam probabilem putat Toletus. Maior *in 4. sent. dist. 45. quæst. 2.* Bartholomæus ab Angelo *de Missa, § .782.* [Reginaldus *lib. 19. num. 26.* Molfesius *tract. 3. cap. 17. n. 35.* Filliucius *tract. 5. c. 7. quæst. 5.*] & alij communiter, teste Suarez *disp. 88. sect. 2. vers. Sed hic inquiri potest*, cōtra ipsū Suarez *ib.* & alios.

Addo in rigore loquendo, eū satisfacere præcepto Missæ, qui Sacrum duorum Sacerdotū media ex parte audit, vt si audiat Missā vnius Sacerdotis vsq; ad consecrationē, & eodē tēpore audiat Missam alterius Sacerdotis à consecratione vsque ad finem: sicut enim, inquit Emanuel Sà *verb. Missæ auditio, num. 8.* vbi refert Suarez, & alios, potest aliquis eodem tempore tres Missas, exempli gratia, quæ: in eadem Ecclesia eodem tempore celebrantur, audire, & satisfacere pœnitentiæ injunctæ de audiendis tribus Missis, quod etiam asserit Rodriquez *cap. 123. num. 1.* Graffius *lib. 2. cap. 35. num. 4.* [Sanchez *in opere morali lib. 1. c. 14. n. 12.* Scortia *de sacrific. lib. 2. cap. 20. num. 10.*] Azorius *loco citato*, & alij, quos alibi retuli: ita in rigore loquendo videtur satisfacere præcepto Missæ, qui Sacrum duorum Sacerdotū media ex parte audit. Contrarium tamen tenet Coninchus *numer. 288.* & Nugnus *loco citato in responsione ad tertium.* [Reginaldus *lib. 19. numer. 26.* Molfesius *in summa tract. 3. cap. 17. num. 36.*] quod ego tanquam tutius, & magis consentaneum pietati in praxi consulendum puto.

14 *An satisfaciat, qui non interest, dū fiunt tres partes essentiales sacrificij.*

14 Tertiò, eum non satisfacere præcepto, qui non interest Missæ, dum fiunt tres partes substantiales sacrificij, quæ sunt consecratio, oblatio, & consumptio, non enim potest excusari ex materiæ paruitate, cùm omittatur pars pertinens ad substantiam sacrificij. Ita Henriq. *numer. 7. ad fin.* Coninchus *num. 285.* & expressius tenet Nugnus

gnus q.83. art.6.dub.2 in posteriori parte post tertiam conclusionem fol. 517.[Molesius n.46.]& alij recentiores.

15 *An omittēs notabilem Missæ partē mortaliter peccet.*

15 Quartò,eum peccare mortaliter, qui omittit partem notabilem: ad virum autem prudentem pertinet iudicare,quænam sit pars notabilis;consensu tamen omnium constat dimidiam Missam,aut etiā tertiam partem esse materiam notabilem, vt obseruat Azorius 1.p. l.7.c.3.q.2.Nauarrus cap.21.n.2.Bartholomæus ab Angelo de Missa dialog.5.§.777.

16 *An dicatur partem notabilem omittere, qui Missam omittit vsq; ad Epistolā*

16 Sed modò Dvbivm est,vtrùm omittens à principio vsque ad Epistolam,dicatur partem notabilem omittere.

Respondeo,si omittat vsque ad Epistolam exclusiuè,non dici omittere partem notabilem sufficiētem ad mortale;si verò omittat vsque ad Epistolam inclusiuè,mortaliter peccat.Ita Suarez disp. 88.sect.2.Nauarrus c.21.n.2. Henriquez nu.7. Nugnus loco citato post tertiam conclusionem.Tabiena verb.Missa,num.5.Rodriquez in summa cap.123 n.1.Graffius lib.2.c.33.n.3.& Toletus c.7.Econtra verò Syluester verb.Missa 2.q.1.Coninchus loco citato,n.285.Azorius lib.7. cap.3.quæst.2.[Filliucius n.202.]& alij putant, non peccare mortaliter omittendo vsque ad Epistolam inclusiuè,nisi simul omittat Euangelium:sed quod nos asseruimus,videtur probabilius, nam videtur omissio partis notabilis.

17 *An satisfaciat, qui partē Missæ prætermissam per seipsum legit.*

17 Addunt aliqui Doctores,[contra Suarez disp.88.sect.2.& Filliuciū n.202.] eum qui prætermittit principium Missę vsque ad Euāgelium,satisfacere præcepto,si eam partem per se ipsum legat, vel ab alio attentè audiat: cùm enim Epistola aliquando canatur à laico,& Euangelium à Diacono,signum est eam partem legi,vel audiri posse ab alio,quàm à Sacerdote, consequenter satisfieri præcepto,ita vt non committatur peccatum mortale,siue per se legatur,siue lecta per alium audiatur.Ita Emanuel Sà verb.Missæ auditio nu.2. Nauarrus c.21 n.2.Henriquez num. 7. Bartholomæus ab Angelo §. 783.Margarita Confessorum, & alij.Immo Suarez sect. 2. Nugnus, Azorius,Rodriquez loc.citat.Graffius loc.cit. & alij locis citatis,putāt eum, qui primum Euangelium non audiuit satisfacere audiendo vltimum Euangelium,cùm enim putent eum satisfacere præcepto Missæ,qui à principio abfuit vsque ad Epistolam, nec sit necesse Euangelium alicuius diei audire, aut audire duo Euangelia,sequitur eum satisfacere qui audit vltimum Euangelium,non audito primo & hoc mihi non videtur improbabile.

18 *An inseruiētes Missæ satisfaciant,si aliquando recedant à sacrificio.*

18 Addit Henriquez cap.25.num.8.Tabiena loc.cit. Syluester,& Anton.apud Henriquez loco citato littera T. & apud Sà verb. Missa, auditio nume.2. quibus adhæret Graffius 1.parte lib.2.decisionum cap. 35.num.11.Bartholomæus ab Angelo de Missa,§.781.eos satisfacere præcepto,qui dum inseruiunt, recedunt à sacrificio, vt deferant vinum,aut hostiam,aut thus, præsumuntur enim non abesse,dum hæc faciunt,quæ ordinantur in solemnitatem eiusdem officij, vt in simili diximus de horis canonicis.

Hoc tamen intellige,modò non recedant ab Ecclesia, nam si recedant,non dicuntur interesse Missæ corporaliter,consequenter nō possunt præcepto Missę satisfacere,nisi fortè absint breui temporis spatio.

19 *An cœcus, dum Missæ interest,satisfaciat præcepto Missæ.*

19 Quintò,cœcum qui Missię interest cum deuotione, satisfacere præcepto,etiam si longè distet à Sacerdote: nam interest corpore, & mente.

20 *An sacerdos vel alius, qui Sacerdotem non audit,satisfaciat præcepto Missæ*

20 Sextò,surdum, & eum, qui Sacerdotem submissa voce celebrantem non audit,satisfacere præcepto,modò assistat cum deuotione,nam verbum *audire Missam*, in iure accipitur pro interesse cum deuotione.

Ex quo fit,maiorem attētionem requiri ad horas quàm ad Missam,cùm ad horas socius teneatur alium audire, quod non accidit in auditione Missæ.Ita Nugnus loco citato concluf 6.S.Anton.2.parte tit.9.c.10.§.1 Nauarrus cap.21.n.8.Sylvest Missa 2.quæsito 1. Henr. cap.25.num.4 & 5.Graffius loc.cit.num.9. Sotus in 4.sent.dist.13.q.2. art.1.Angelus verb.Feria,n.42. Bartholomæus ab Angelo de Missa, §.808.

Ob id aliqui excusant Sacerdotem submissa voce celebrantem, ita vt astantes nequeant audire,contra Nauarrum,quem citat,& sequitur Sà verb.Missa num.50.vbi etiam cum aliis obseruat Missam celebrandam esse cum his quatuor litteris A,B,C,D,id est,altè,breuiter,clarè,& deuotè.

21 *An satisfaciat præcepto,qui Ecclesiam adit per metum sibi incussū ab alio.*

21 Septimò,eum satisfacere præcepto, qui audit Missam attentè, quamuis adierit Ecclesiam per metum ab aliis sibi incussum, aut animo inspiciendi fœminas.Ita Suarez disput.88.sect.3.Nugnus loc. cit.post conclusionem,Henriq.num.4.Nauarrus cap.21.num.10. [Molfesius tract.3.cap.17.num.30. Filliucius tract. 5.c.7.num.212.]& alij quos in tractatu de legibus adduxi.

Vtrùm verò satisfaciat præcepto Missæ audiendæ, qui omnino inuitus eam audit,constabit ex dicendis de legibus,[vbi ostendam non satisfacere.]

22 *An teneatur nouā Missā audire, qui eam audiuit ignorans esse diem festū.*

22 Octauò,eum,qui Missam audiuit nesciens esse diem festum,nō teneri aliam Missam audire, quamuis postea nondum elapso meridie intelligat esse diem festum,nam re ipsa Missam audiuit,Ita colligo ex S.Thom.2.2.q.104.art.3.ad secundum, Henriquez loco citato num.6.Sylvestro verb.Hora,num.14.[Eilliucio tract. 5. cap. 7. quæst. 7.]& aliis, quos in simili retuli de legibus, dum quærerem, vtrùm ad satisfaciendum præcepto requiratur intentio satisfaciendi.

23 *An satisfecerit,qui vnam Missā attentè audiuit animo aliam audiendi.*

23 Nonò,eum,qui semel Missam audiuit animo non satisfaciendi præcepto auditione illius Missæ, sed cum intentione audiendi aliam,non teneri aliam re ipsa audire. Ratio est, tum quia iam adimpleuit præceptum,cùm Missæ interfuerit corporaliter & mentaliter,nec Ecclesia præcipiat Missam audiri animo adimplendi præceptum:tum quia sicut si ego debeam tibi vestem, quam tu postea recuperas me inuito,facta recuperatione nihil amplius tibi debeo: ita si ego audiui Missam animo non adimplendi præceptum ea Missa,non amplius teneor ex vi præcepti aliam audire. Ita Coninchus num.309.Henriquez loco citato,numer.6. Nauarrus cap. 21. num. 42. Rodriquez cap.123.num.2.Azorius, & alij statim citandi, contra Nugnum loco citato, vers.Hac tamen sententia. existimantem istum teneri nouam Missam audire;sicut,inquit ipse, si quis debeat alteri decem argenteos,& illi gratis conferat decem argenteos, non potest postea dicere,se ei nil amplius debere;ita, &c. sed probabilius videtur, quod diximus,cùm Ecclesia absolutè præcipiat Missam, quauis intentione audiatur, vt constat ex dictis de legibus.

Hinc pari ratione sequitur eum, qui audita Missa, aut recitatis horis canonicis agitatus scrupulis debitę attentionis, dicit, habeo pro non dictis,iterum repetam,aut iterum Missam audiam, non teneri depositis scrupulis horas repetere, aut aliam Missam audire, nam re ipsa adimpleuit præceptum. Ita Suarez disp.88.sect.3. col.2, Henriquez n.6.Valentia,Sanchez,Vasquez,Lessius, & alij,quos retuli de horis canonicis, contra Nauarrum cap.16.de oratione numer.44. Azorium 1.parte, lib. 7. cap. 2. quæst. 6.Medinam tract. de oratione quæst. 16. vers. De tertio, & alios apud præcitatos Doctores.

Ex quo fit, vt si feratur excommunicatio contra non audientes Missam,& aliquis cum debita attentione Missam audiat, non intētione obediendi Ecclesiæ,sed ne ab aliis arguatur,non incurrat excommunicationem,etiamsi postea nullam aliam Missam audiat,tenetur tamen desistere ab actuali intentione non satisfaciendi, cùm affectus actualis non obediendi præcepto Ecclesiæ sit peccatum cōtra virtutem;ad quam pertinet illud præceptum,Ita Coninchus loco citato nu.309.Suarez sect.3.col.2.Sanchez,& alij, quos retuli in tract. de legibus,& de horis canonicis.

24 *An satisfaciat,qui tēpore Missæ notabiliter confabulatur.*

24 Decimò eum non satisfacere præcepto,qui tempore Missæ notabiliter confabulatur,vel dormitat,nugatur,vel ridet cum aliis,ita vt omnino impediatur attentio ad Missam. Item non satisfacit,qui tempore Missę pingit, aut alios docet, &c. hic enim non interest mentaliter;cùm exerceat actus, qui communiter excludunt attentionem:Ita Henriquez num.5.S.Antoninus loco citato, Nauarrus cap. 21.num.6.Azorius cap.5.quæsito 1.Angelus verb.Feria num.43. Graffius lib 2.decis cap.35.n.8.Caietanus in summa verb.Festorum violatio Bartholomęus ab Angelo de Missa parag.821.[Filliucius tract.5.ca. 7.q.8.n.213.]& alij apud Suarez disp.88.sect.3.& Coninch.loco citato,versic.12.n.298.

Existimo tamen, eum satisfacere præcepto, ita vt non teneatur nouam Missam sub mortali audire, qui ita confabulatur, aut ridet, vt non omnino impediatur attentio requisita ad Missæ sacrificium audiendum,dicitur enim habere sufficientem attentionem, vt docet Sotus in 4.dist.3.qu.2.art.2.ad finem, & videtur interesse Missæ corporaliter, & mentaliter. Idem dic de eo, qui se vestiens Missam audit, vel orat, vt benè ait Graffius loco citato numer. 9. Nauarrus de oratione, notabili 13. num.49.& Henriquez loco citato, in commentario littera L. contra Sanctum Antoninum apud Nauarrum numer. 47.

25 *An satisfaciat,qui tēpore Missæ recitat alias preces.*

25 Vltimò eum satisfacere præcepto Missę,qui inter Missarum solemnia recitat horas canonicas,quas tenetur ex præcepto recitare,aut recitat pœnitentiam iniunctam à confessario,aut cogitat res diuinas.Ita Suarez disput.88.sect.3.ad finem. Emanuel Sà verb. Missa, auditio num.2.Rodriquez loco citato,num.3.Graffius loc.citat.num.10. Bartholom.ab Angelo §.811.[Filliucius num.216.Molfesius tract.3. c.17 n.43.]& alij apud Suarez de pœnitentia,disp.38.sect.6.n.5. Henriq.n.5. Nauarrum c.21.n.8.contra Caietanum,Sylvestrum,Missa 2. num.6.Angelum verb. Feria numer 42. & 46. Armillam verb.Festum num. 11. & alios apud Henriquez loco citato, littera S. Coninchum num.307.Nugnum loco citato,versic.nihilominus videtur, & apud Sà, Missæ auditio,numer.2.Ratio est,quia interest Missæ corporaliter, & mentaliter. Quod interfit corporaliter, patet, quod vero interfit mentaliter,probatur,quia ad satisfaciendum præcepto Missæ sufficit attentio ad res diuinas:supponimus autem hunc habere attentionem ad res diuinas,quæ attentio cùm etiam sufficiat pro diuino officio,sequitur vna,& eadem attentione satisfieri posse præcepto Missæ,& diuini officij.

26 *An satisfaciat,qui tēpore Missæ peccatæ sua confitetur.*

26 QVÆRES,vtrùm qui confitetur peccata sua tempore Missę,satisfaciat præcepto audiendi Missam.

Respondent Suarez disput.88.sectione 6. vers. Septimum caput. Azorius loco citato cap.7.quæsito 8.& alij, non satisfacere præcepto, si commonè potest confessionem in aliud tempus differre, nec adest necessitas præcepti confessionis.

Sed cùm aliàs mihi duriuscula videretur hæc sententia,oppositū non existimaui improbabile,tum quia hic dici potest Missam audire,cùm interfit corporaliter, vt suppono, & mentaliter, quatenus mentem applicat ad aliquid in honorem Dei;tum quia sicut beneficiarius recitans horas canonicas tempore Missæ satisfacit præcepto diuini officij,& Missæ,ita qui tempore Missæ confitetur peccata sua,satisfacit præcepto confessionis,& præcepto Missæ,cùm attentio ad confessionem non videatur obstare attentioni requisitæ ad Missam;tum quia sic vsu receptum videtur in aliquibus collegiis in quibus viget probitas,& disciplina. [Huius sententiæ est Reginaldus lib.19.nu.14.in fin. Nec omnino dissentit Molfesius tract. cap. 17.n.45.]

Hoc tamen limitabam, modò, qui confitetur, habeat intentionem audiendi Missam,qua intentione cùm plurimi careant, nec credant se Missæ præcepto satisfacere,sequitur plurimos non satisfacere præcepto Missæ, cui interfunt, dum peccata sua confitentur.

Hanc doctrinam alias vt probabilem docui, cùm nullam sufficientem rationem in contrarium adhuc excogitassem. Verùm re attentius considerata,me recepi in sententiam Azorij, Suarez, & aliorum,ductus hac potissimum ratione,quia Ecclesia præcipit assistere Missæ per modum orationis:qui autem peccata sua confitetur aut examen suæ conscientiæ facit tempore Missę,non videtur assistere per modum orationis.

Ad primam rationem in contrarium respondeo,ad satisfaciendū præcepto Missę audiendæ, non sufficere assistentiam mentalem, & corporalem,nisi fiat per modum orationis.

Ad secundam negatur consequentia. Ratio disparitatis est, quia in primo casu adest assistentia per modum orationis, non vero in secundo.

Ad tertiam respondetur potest, talem vsum corrigendum esse, nisi aliter suadeat necessitas. Quamobrem adolescentes, quos in Collegiis nouimus sua peccata tempore Missæ fateri, excusamus ob necessitatem communicandi tempore Missæ, vel propter intentionem audiendi eodem die aliud Missæ sacrum, aut propter bonam fidem, sibi persuadentes hoc licere.

PVNCTVM XII.

Cuius Sacerdotis, quibus diebus, & quo in loco audienda sit Missa.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *A quo Sacerdote Missa possit audiri.*

1 MIssa cuiusuis Sacerdotis, non solùm validè, verùm etiam licitè audiri potest, modò non adsit aliqua prohibitio. Ratio est, quia Ecclesia simpliciter obligat ad Missam, ergo præceptum Ecclesiæ adimpletur, cuiuscunque veri Sacerdotis Missa audiatur.

Dixi, *nisi adsit aliqua prohibitio*, nam aliqui prohibentur celebrare, vt sunt excommunicati, suspensi, & interdicti vitandi, consequenter nos non possumus illorum Missam audire: Missam verò excommunicati non vitandi possumus per se loquendo audire, vt patet ex dictis de excommunicatione post Concilium Constantiense.

Præterea non possumus audire Missam Sacerdotis degradati, & depositi, vt inquit Toletus *c.* 8. nam huiusmodi Sacerdos prohibetur ab Ecclesia celebrare, nec Ecclesia intendit per ipsum orare, sicut neque intendit orare per eos, qui vitandi sunt ratione censuræ iuxta dicta *de censuris*.

Vtrùm verò possimus audire Missam Presbyteri concubinarij; patet ex dictis in Decalogo, audiri posse, cùm Presbyter concubinarius non videatur amplius vitandus, vt multis relatis Doctoribus tradit Henriquez *loco citato*. Suarez *sectione 6. num.* 13. Rodriquez *loco citato numer.* 10. & patet ex dictis *in Decalogo* contra Nauarrum *cap.* 25. *num.* 79. & alios quamplures apud Bartholomæum ab Angelo *dialogo* 5. *§.* 792. [Garziam 7. *p. c.* 14. *numer.* 7 *& seqq.* vbi ostendi Sacerdotem concubinarium notorium esse suspensum, ex multorum Doctorum sententia; & Alterium *tom.* 2. *disput.* 15. *cap.* 2. *col.* 13. *vers. præterea*. Sed de hac re ego pluribus egi *in tract. de censuris* in particulari.]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *Quibus diebus audienda sit Missa.*

2 MIssa audienda est diebus festis ab Ecclesia præscriptis. Ita communiter Doctores, & constat ex communi praxi. Idè dicendum est de illis diebus, quos populus alicuius parœchiæ celebrat ex voto, vel ex consuetudine confirmata, tacitè, vel expressè ab Episcopo, iuxta dicta in secundo Decalogi præcepto. Aliis verò diebus non est præceptum audiendi Missam, quamuis alias esset obligatio audiendi Missam diebus Quadragesimæ, & tribus diebus Rogationum, sed hoc præceptum apud nos non viget. Videte Azorium *loco citato lib.* 7. *c.* 4. Henriquez *lib.* 9. *c.* 25. *num.* 2. Suarez *disput.* 88. *sectio.* 5. Nugnum *loco citato*, Rodriquez *loco citato, num.* 7.

3 *An aliquis possit ad Missam diebus ferialibus obligari.*

3 Vtrùm verò aliquis possit alio die ad Missam obligari, quàm die festo, patet posse obligari ex voto, ex pœnitentia, & ex iuramento, nam Missa est materia debita voti, pœnitentiæ, & iuramenti; vt bene ait Nauarrus *c.* 21. *n.* 1. Henriq. *loc. cit. num.* 2. *c.* 3. & alij communiter.

Vtrùm verò is, cui Missa pro pœnitentia sacramentali imposita fuit, satisfaciat audiendo Missam in die festo, constabit ex dicendis de pœnitentia.

Ex dictis patet, ex præcepto Ecclesiæ non teneri fideles Missam audire, nisi illis diebus, qui tanquam festi proponuntur colendi à toto populo, siue proponantur ex voto, siue ex consuetudine, siue ex præcepto. Secus si colantur tantummodò à personis alicuius status, vel conditionis, vt bene obseruat Nugnus *loco citat. conclusione* 8 *pag.* 520. Suarez *loco citato, vers. Secunda dubitatio*, & alij communiter.

TERTIA PROPOSITIO.

4 *Præceptum Missæ audiendæ quibus in locis adimpleatur.*

4 PRæceptum audiendæ Missæ adimpletur, quocunque in loco Missæ Sacrum audiatur, siue audiatur in propria parochia, siue in Ecclesia religiosorum, siue in Oratoriis priuatis, siue extra Ecclesiam. Ratio est, quia Ecclesia præcipit Missæ auditionem, & nõ præscribit locum; ergo præceptum adimpletur, quouis in loco Missa audiatur. Potest tamen fieri aliunde, vt quis peccet non audiendo Missam in propria parochia, vt si quis nolit eam audire ex contemptu, aut quando Parochus declarat ea, quæ Parochiani scire tenentur. Ita Toletus *lib.* 9. *cap.* 7. & Azorius *loco citato cap.* 6. *quæsito* 3. 4. 7. & 8. Rodriquez *cap.* 123. *num.* 6. Nauarrus *cap.* 21. *num.* 5. Suarez *disp.* 88. *sect.* 2. [Filliucius *tract.* 5. *c.* 7. *n.* 203.] Nugnus *quæst.* 83. *art.* 6. *dub.* 2. *concl.* 4. Coninchus *loc. cit. num.* 312. Graffius 1. *parte lib.* 2. *c.* 35. *nu.* 5. Bartholomæus ab Angelo *de Missa parag.* 789. & alij. [Addo extare decretum Sacræ Congregationis, quo cauetur, vt licentia celebrandi Missam in priuato Oratorio concedatur, cum hoc onere, vt solum priuilegiarius, & ipsius familiares satisfaciant præcepto, audiendo diebus festis Missam in præfato Oratorio, alij verò non satisfaciant teste Quaranta *verb. Missa. vers. quanta*. Molfesio *tract.* 3 *cap.* 17. *num.* 70.

Ex quo sequitur extraneum, qui Missam in præfato Oratorio in die festo audiuit, teneri aliam audire, vt satisfaciat præcepto Missæ audiendæ.]

5 *An extraneus Missã audire teneatur si perueniat ad locũ vbi dies festus particularis celebratur.*

5 QVÆRES, vtrùm extraneus, qui peruenit ad aliquem locum, in quo celebratur dies festus, qui non celebratur in proprio territorio, teneatur Missam audire in eo loco, ad quem peruenit.

RESPONDEO negatiuè cum Henriquez *numer.* 2. *ad finem* Suarez *tom.* 1. *de religione. lib* 2. *c.* 14. *num* 23. Naldo *verb. Missa, num.* 15. nisi habeat intentionem ibi manendi maiori anni parte, vt ostendimus *in tractatu de legibus*; non enim est subditus legibus illius loci. Secus si dies ille festus celebretur etiam in proprio territorio, aut sit colendus & celebrandus ex iure communi, quamuis forte ex consuetudine non celebretur in proprio territorio, vt cum Suarez, & aliis contra Sanchez, patet ex dictis de legibus, [*disput.* 1. *qu.* 1. *punct.* 6.] quæ breuitatis gratia hic non repeto; sicut etiam ex dictis de legibus, & ex 3. Decalogi præcepto constat, Parochianum, in cuius parochia celebratur dies festus, non peccare mortaliter Missam non audiendo, si ante meridiem futurus sit extra limites parœchiæ, in qua celebratur dies festus, nam iste pro tempore, quo reperitur extra terminos illius parœchiæ, exemptus manet ab obligatione audiendi Missam, & gaudet priuilegio loci, in quo reperitur, nec ante lapsum meridiem peccauit Missam non audiendo, cùm posset illam differre vsque ad meridiem, in meridie autem liber est ab obligatione. Ita Nald. *verb. Missa n.* 15, Suar. *lib.* 2. *de religione, cap.* 14. *num.* 21. Henriquez *c.* 25. *nu.* 2. *ad finem*, & alij contra Emanuelem Sà *verb. Missæ auditio, n.* 6.

OBIICIES, qui summo mane habet opportunitatem audiendi Missam, præuidens fore, vt reliquo diei tempore non possit Missam audire ob aliqua negotia, & impedimenta, tenetur summo mane audire; ergo ille qui præuidet fore, vt circa meridiem non sit futurus intra limites loci, in quo festus dies celebratur, tenetur præuenire Missam audiendo.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia, qui præuidet fore, vt circa meridiem nequeat Missam audire ob aliqua impedimenta, non eximitur ab onere præcepti, præceptum enim obligat, vt Missa audiatur, quacumque hora, moraliter loquendo, fieri potest, intra meridiem: cùm autem hic possit summo mane Missam audire, tenetur illam summo mane audire, vt ait Suarez *loco supra citato, sectione* 5. *ad finem*, *& sectione* 6. *col.* 5. & alij Doctores citati. Alter verò qui recedit à proprio territorio, eximitur ab onere præcepti, quod non viget in loco, ad quem se confert, vt inquiunt Doctores citati.

PVNCTVM VLTIMVM.

Quibus de causis excusentur fideles ab audienda Missa.

QVærendum est in hoc puncto, primò vtrùm impotentia excuset ab audienda Missa. Secundò, vtrùm excuset inuincibilis ignorantia. Tertiò, vtrùm censura. Quarto, vtrum consuetudo regionis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An qualibet impotentia excuset ab audienda Missa.*

IMpotentia audiendi, non solum Physica, verùm etiam moralis excusat à Missa audienda. Ratio est, tum quia impossibilium non est obligatio: tum quia iugum Ecclesiæ suaue est, & onus ipsius leue.

2 *An grauis detrimẽtum spirituale proprium, vel alienum excuset.*

2 Hinc sequitur primò, propter impotentiam excusari illum, qui non potest Missam audire, absque graui detrimento spirituali proprio, vel alieno. Quamobrem excusatur mater, quæ domi remanet ad custodiendam filiam, cui probabile periculum timet, si eam ducat ad Ecclesiam, aut solam domi relinquat. Ita Nauarrus *cap.* 21 *nu.* 9. Rodriquez *loco citato, numer.* 9. Henriquez *cap.* 21. *numer.* 12. Graffius 1. *parte lib.* 2. *cap.* 36. *numer.* 5. Bartholomæus ab Angelo *de Missa parag.* 827. *litera C. & parag.* 830. *littera A.* vbi refert S. Antoninum, Nauarrum, Tabienam, Armillam & Syluestr. post Caietanum, Sotum & alios.

3 *An damnũ corporale proprium, vel alienum excuset.*

3 Secundo, illum excusari, qui non potest Missam audire absque damno graui corporali proprio, vel alieno.

Ob id excusatur infirmus, qui timet sibi periculum grauioris morbi, si Ecclesiam adeat ad Missam audiendam: verùm si ægrotus conualescat, & dubitetur, vtrùm incurrat periculum morbi exeundo domo ad Missam audiendam, debet petere consilium à medico, vel á superiore, vel à Parocho, nisi ipse sit vir satis prudens, qui rectè valeat in hoc suum ferre iudicium: manente autem dubio, non potest domo exire, ne se periculo exponat grauioris morbi, quilibet enim tenetur se ipsum diligere. Eandem merentur excusationẽ, qui adscripti sunt custodiæ ægroti, ita vt non possint audire Missam & custodire infirmum possunt enim custodire infirmum relicta Missa, si non habent alium, quem ad custodiam infirmi substituant vt patet ex allata ratione. Ita Nauarrus *loc. citato num* 3. Suarez *sectione* 6. Henriquez *numer.* 10. Graffius *loco citato, cap.* 35. *numer.* 5. S. Anton. 2. *parte titulo* 9. *cap.* 10. *§.* 2. Sylvester *Missa* 2. *numer.* 2. Tabiena *numer.* 47. Armilla *numer.* 29. Angelus *verb. Feria numer.* 42. Sotus *in* 4. *distinctione* 13. *qu.* 2. *articulo* 1. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5. *parag.* 826. Nugnus *loco citato, versicul. Quintum impedimentum*, [Filliucius *tract.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 11. *numer.* 226. Molfesius *tract.* 3. *c.* 17. *num.* 60.] & alij *locis citatis*.

4 *An damnũ sui ipsius, vel proximi excuset.*

4 Tertiò, illum excusari, qui nequit audire Missam absque graui detrimento sui, aut proximi, siue sit detrimentum animæ, siue corporis, siue famæ, siue honoris, siue lucri, siue alterius boni, vt patet ex allatis rationibus. Ita Nauarrus *loco citato* Azor. *c.* 7. *quæsito* 1. Suarez, *disp.* 85. *sect.* 6. Graffius *cap.* 36. *nu.* 1. Bartholomæus ab Angelo *loc. citat. parag.* 827. Henriquez & alij communiter.

5 *An excusẽtur nutrices quæ secum ad Ecclesiã puerum deferre nequeunt.*

5 Quartò, excusari nutricem quæ non potest secum ferre puerum adhuc lactantem, & quem non potest domi relinquere absque probabili alicuius damni periculo, vel non potest ferre ad Ecclesiam absque

absque graui celebrantis, vel astantium perturbatione, & molestia. Quod dicitur de nutrice, valet etiam meo iudicio in ea, cui concredita est custodia puerulorum, qui non possunt in Ecclesia retineri absque graui molestia, satius enim est pueros domi retinere, quando decenter, & quiete retineri non possunt in Ecclesia, vt notat Coninchus *num.* 286. Nugnus *loco citato vers. Sextum impedimentum.* Henriquez *numer.* 10. Graffius 1. *parte lib.* 2. *capit.* 36. *num.* 5. Bartholomæus ab Angelo *de Missa, §.* 827. & alij Doctores citati.

6 An graue negotium excuset ab audienda Missa.

6 Quintò, excusari eos, qui Missam nequeunt audire, nisi aliquod graue negotium prætermittant, quod in aliud tempus differri nequeat.

Ex quo fit, vt excusentur cursores, vel nautæ, aut muliones, qui cogerentur magnas expensas facere, si immorarentur in Missa audienda. [Addo nautas non teneri ad audiendam Missam siccam, quia hęc reuera non est Missa, Suarez *sect.* 6. & Filliucius *numer.* 224.]

Item excusatur iter faciens, si audiendo Missam amitteret socios, quibus opus habet ad iter peragendum, cùm viam ignoret, aut latrones timeat. Secus si hoc faciat tantummodò, vt habeat socios in itinere, vt benè obseruat Nugnus *loco citato vers. Quartum impedimentum.* Suarez *sect.* 6. *col.* 4. Rodriq. *loco citato*, non enim quodlibet leue incommodum excusat à Missa audienda. Idem tenet Bartholomæus ab Angelo *de Missa, §.* 829. *littera E.*

Similiter Suarez excusat molitorem, quoties molitori licitum est in die festo laborare, nam necessitas, quæ ipsum excusat ab opere seruili, potest etiam excusare à Missæ auditione, si Missam nequeat audire, non intermisso opere, & labore.

Eodem pacto sæpè excusantur pastores, qui non possunt sine periculo gregis, aut grauis detrimenti Missam audire. Illi tamen, qui non sunt necessarij ad custodiam gregis, debent ad Missam accedere, seque vicissim iuuare, ita vt vnus Ecclesiam adeat altero custodiente gregem, eo verò redeunte alter ad Missam accedat, modò supersit alia Missa dicenda. Ita Azorius *lib.* 7. *cap.* 7. *quæsito* 7. Henriquez *loco citato nu.* 10. Suarez *sect.* 6. *vers. Sextum caput.* Coninchus *num.* 314. & alij.

7 An excusentur, qui domi remanẽt ad custodiã domus.

7 Sextò, eos excusari, qui in oppidis, vbi vnica Missa celebratur, remanent domi ad custodiam domus, vel ad cibos præparandos. Ita Toletus *cap.* 9. Henriquez *loco citato in commentario littera I.* Azorius *cap.* 7. *quæsito* 1. Rodriquez *cap.* 123. *num* 6. Graffius *cap.* 36. *num.* 5. Bartholomæus ab Angelo *de Missa, §.* 828. *littera D.* S. Antonin. 2. *parte, tit.* 9. *cap.* 10. *§.* 2. Nauarrus *cap.* 21. *nu.* 3. Syluest. *Missa* 2. *n.* 2. Armilla *nu.* 30. Tabiena *eodem verb. nu.* 47.

8 An excusetur fœmina honesta, quæ vestibus, vel socia caret.

8 Septimò, excusari fœminam honestam, quæ caret veste conueniente suæ personæ, aut socia, seu pedissequa, sine quibus, aut irrideretur, aut magno pudore suffunderetur, nec commodè potest vestem, aut sociam habere. Ita Nauarrus *loco cit. nu.* 5. Henriquez *num.* 10 Toletus, & Azorius *locis citat.* Nugnus *loco cit. versus finem, versic. Quartum impedimentum.* Emanuel Sà *verb. Missa auditio, n.* 3. Rodriquez *loco citato.* Graffius 1 *parte. lib.* 2 *cap.* 36 *nu.* 5. Bartholomæus ab Angelo §. 830. Sylvester, Tabiena, Armilla, & alij Doctores citati.

9 An excusetur, qui propter inimicos domo exire non potest.

9 Octauò, eum excusari, qui non potest domo securus exire, vt si timeat se ab hostibus inuadendum, aut à satellitibus comprehendendum. Ita Nauarrus, Azorius, Bartholomæus ab Angelo §. 829. *littera D.* Sotus *in* 4. *dist.* 13 *quæst.* 2. *art.* 1. Angelus *verb. Feria, nu.* 42. (Filliucius *nu.* 226.] & alij *loco citato.*

10 An excusentur famuli, aut vxores, timentes rixas, & verbera si ad Missam accedant.

10 Nonò, excusari famulum, aut vxorem, quæ timet rixas, aut verbera, si ad Missam accedat, ob id excusatur vxor, quæ non accedit ad Missam, vt obediat viro zelotypo. Ita Henriquez *nu.* 10. & 13. Suarez *disp.* 88. *sect.* 6. *columna* 6. *versic. Quartum cap.* Bartholomæus ab Angelo *loco citato, littera E.* Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *qu.* 2. *art.* 1. [Filliucius *tract.* 5. *cap.* 7. *quæsito* 12. *num.* 227. Molfesius *loco citato.*]

Nec desunt, qui excusent famulos à peccato, quando aliquid eis præcipitur à dominis faciendum tunc temporis, quo Missa facienda est, etiamsi non timeant sibi graue damnum, sed duriusculam tantummodò reprehensionem: sed hoc non facilè admiserim, quilibet enim per se loquendo tenetur adimplere præcepta, quoties ea potest adimplere absque graui incommodo. Ita Azorius *loco cit. cap.* 7. *quæsito* 1. Henriquez *num.* 13. Suarez *disput.* 88. *sect.* 6. *versic. Quintum caput.* Coninchus *loco citato num.* 315. Nugnus *loco citato, versic. Sextum impedimentum.* Graffius *loco citato, num.* 5. & alij.

11 An excusentur, qui ad Ecclesiã peruenerunt inchoata iam Missa.

11 Decimò, excusari eos, qui Missam non audiunt à principio, cùm ad Ecclesiam peruenerint inchoata iam Missa, nam per ipsos non stat, ne Missam audiant, cùm non habeant copiam alterius Sacerdotis, à quo Missam audiant à principio, vt suppono.

Obserua tamen primò, istos peccasse, si præuiderunt fore, vt non peruenirent opportunè ad Ecclesiam, scientes, aut dubitantes non esse celebrandum aliud sacrum, cui possent interesse, nam se exposuerunt periculo non audiendi Missam.

Obserua secundò, istos adhuc teneri aliam Missam audire, quatenus opus est, vt satisfaciant præcepto, si adsit copia alicuius Sacerdotis celebraturi, vt ait Suarez *disp.* 88. *sect.* 2. *versic. Sed quæres.* nam adhuc viget præceptum Missæ audiendæ, & adest copia Sacerdotis celebraturi, vt suppono.

12 An excusentur, qui longius ab Ecclesia distant.

12 Vndecimò, eum, qui longiùs distat ab Ecclesia, excusari, si commodè nequeat Missam audire, vt si per sex, vel septem milliaria distet, in qua re dijudicanda opus est prudentia, habita ratione loci, temporis, & personæ, fieri enim potest, vt qui tempore sudo, & sereno non excusatur ob spatium duorum milliarium, excusetur tempore niuis, aut magnæ pluuiæ. Ita Henriquez *loco citato.* Suarez *loco citat. sect.* 6. *columna* 4. [Filliucius *numer.* 226.] & alij.

13 An excusentur, qui in vinculis detinentur.

13 Vltimò excusantur, qui detinentur in vinculis, aut quibus domus loco carceris constituta est. Ita Suarez *sect.* 6. *columna* 3. Azorius 1. *parte, lib.* 7. *cap.* 7. *quæsito* 1. Tolet [Filliucius,] & alij.

14 Anteneatur Missam audire, qui domi per vim detinetur, sed domi habet Oratorium approbatum.

14 Addit Suarez, eum, qui detinetur domi per vim, vel ægritudinem, vel titulo carceris, si habeat oratorium domi approbatum, non teneri quærere Sacerdotem, præsertim stipendiarium, vt Missam in oratorio audiat. Ratio est, quia præceptum non obligat ad hanc diligentiam adhibendam, & ad procurandam Missam, sed ad Missam audiendam: licitè autem hic, & nunc non potest Missam audire, cùm domi detineatur, nec possit adhibere ea, quæ adhibentur à cæteris ad Missam audiendam. [Idem docet Filliucius *tract.* 5. *cap.* 7. *quæs.* 11. *num.* 224.]

Contrarium asseritur à Nugno *qu.* 85. *artic.* 6. *versùs finem, vers. Dico secundò, pag.* 521. Quoties aliquis non graui vexatur infirmitate, sed commodè potest domi Missam audire, & Sacerdotem sine incommodo, & dispendio adducere. Ratio est, quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media: sed qui habet domi oratorium approbatum, tenetur Missam audire; ergo etiam tenetur ad media saltem facilia, & commoda ad Missam audiendam, consequenter tenetur adducere Sacerdotem, quem commodè potest adducere, & sine magno dispendio.

Verùm qui sententiam Suarez, quæ probabilior mihi videtur, sustinere voluerit, respondebit ad argumentum Nugni, eum, qui tenetur ad finem, teneri etiam ad media consueta, & ordinaria, quale non videtur adductio Sacerdotis.

15 An puella Missam audire teneatur, etiamsi credat se ab adolescente lasciuo concupiscẽdam, dũ ad Missæ Sacrum accedit.

15 QVÆRES primò, vtrùm puella, quæ credit se ab adolescente lasciuo, & fragili concupiscendam, si domo exeat, teneatur Missam prætermittere, vel possit eam audire.

Respondet Nauarrus *cap.* 14. *num.* 3. & alij apud Henriquez *loco citato, num.* 10. *ad finem*, teneri Missam audire, quia hoc damnum, & scandalum per accidens sequitur, de quo non est curandum: Sotus verò consulit Missam relinquere, [Filliucius *nu* 227.] & Emmanuel Sà *verb. Missæ auditio, num.* 3. putant posse relinquere, sed non teneri. Hæc vltima sententia mihi probatur. Ratio cur possit relinquere, est, quia præceptum Missæ non obligat, quoties illius omissione impeditur damnum proximi notabile.

Quòd verò possit Missam audire, & non teneatur eam omittere; ratio est, quia vtitur iure suo, alioquin fœminæ priuarentur libertate, & magnis premerentur scrupulis, dubitantes ferè semper, an possint domo exire, Missam audire, &c. vt cum Azorio, Sanchez, & alijs extendi *de matrimonio, qu.* 4. *punct.* 9. *num.* 17.

16 An teneatur alias orationes recitare qui Missam audire non potest.

16 QVÆRES secundò, vtrùm qui non potest Missam ob aliquod impedimentum audire, teneatur alias orationes recitare, aut alio die Missam audire.

Respondeo negatiuè cum Suarez *disput.* 88. *sect.* 5. & 6. *ad finem*, Bartholomæo ab Angelo *§* 830. *de Missa littera D.* Azorio *loco cit. cap.* 7. *quæsito* 14 Nauarro *num.* 7. Henriquez *num.* 13. [Filliucio *tract.* 5. *cap.* 7. *quæs.* 12.] & alijs communiter, contra Angelum, & alios apud Azorium *loco citato.* Ratio est, quia cùm præceptum sit de Missa audienda diebus festis, non verò de alijs orationibus recitandis, aut de Missa alio die audienda, sequitur eum, qui non potest, aut non vult Missam eo die audire, non teneri recitare alias orationes, aut Missam alio die audire. Præceptum enim affirmatiuum solùm obligat pro tempore designato, & pro materia præcepta ad certum tempus, vt patet in ieiunio, & similibus.

17 [An qui audire integram Missam non potest, teneatur audire partem quã potest.

17 [QVÆRES tertiò, vtrùm qui non potest integram Missam audire, teneatur audire partem, quam potest.

Respondent Molfedius *tract.* 3. *cap.* 17. *num.* 47. & alij, non teneri, quia præceptum est de audienda Missa, & sic de re indiuidua; non verò de audienda parte. Verùm quid ego sentiam, explicaui *in tract. de legib. disp.* 2. *qu.* 8. *punct.* 1. *num.* 4. *& seqq.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

18 An ignorantia inculpabilis excuset ab audienda Missa.

18 INculpabilis ignorantia excusat fideles ab audienda Missa. Hæc enim sicut excusat à peccatis contra alia præcepta: ita etiam excusat à peccatis contra præceptum Missæ audiendæ.

Hinc sequitur illos excusari, qui Missam aliquo die prætermittunt inuincibiliter ignorantes esse diem festum.

Sub ignorantia comprehenditur rationabilis obliuio, vel inconsideratio, eadem enim est ratio ignorantiæ, & inconsiderationis. Ita Suarez *disput.* 88. *sect.* 6. *columna* 2. & alij quos retuli *in tract. de peccatis de causis excusantibus à peccatis.*

TERTIA PROPOSITIO.

19 An censura excuset fideles ab audienda Missa.

19 CEnsura excusat fideles ab audienda Missa, nam impossibile est aliquem obligari ad id, à quo per censuram tenetur abstinere, & quod sine peccato præstare non potest. Ita Sylvester *verb. Missa num.* 1. Angelus *eodem verb. nu.* 57. Nauarrus *cap.* 23. *nu.* 3. quos citat, & sequitur Azorius *lib.* 7. *cap.* 7. *quæsito* 1. Bartholomæus ab Angelo *de Missa, num.* 824.

20 An excusetur interdictus, vel excommunicatus.

20 Hinc sequitur à peccato excusari primò interdictum personalem, & excommunicatum.

21 An excusetur, qui non habet Sacerdotem nisi excommunicatum

21 Secundò, eum qui non habet alium Sacerdotem, præter Sacerdotem excommunicatum, vel suspensum, vel interdictum vitandum.

22 An excusetur ob interdictum locale, si nequeat locum non interdictum adire.

22 Tertiò, eum, qui lato interdicto locali generali, non potest commodè adire locum non interdictum, vt patet ex dictis de interdicto: fideles tamen non tenentur tempore interdicti procurare priuilegium audiendi Missam, vt ait Sotus *in* 4. *dist.* 13. *qu.* 2. *art.* 1. Nauarr. *cap* 2. *num* 3. Bartholomæus ab Angelo *de Missa, §.* 825. Henriquez *loco cit. num.* 11. & Graffius *loco cit. nu.* 4. quia præceptum Ecclesiæ non obligat ad obtinendum priuilegium, saltem si commodè nequeat obtineri.

23 An excommunicatus, qui censuræ absolutionẽ facilè potest obtinere, peccet Missa sacrum non audiendo.

23 QVÆRES, vtrùm excommunicatus, qui facilè potest absolutionem excommunicationis obtinere, peccet non audiendo Missam die festo, quam posset audire obtenta excommunicationis absolutione.

Respondeo iuxta dicta de excommunicatione, non peccare contra præceptum audiendi Missam. Ratio est, tum quia per excommunicationem impeditur, ne Missam audiat, & priuatur auditione Missæ, &c. Neque ob præceptum Missæ tenetur tollere impedimentum censuræ tum quia sicut detentus in vinculis non tenetur ex vi huius præcepti quærere liberationem, vt Missam audiat:

diat: ita, &c. alioquin prævidens se excommunicandum, aut conijciendum in carcerem ob aliquod delictum, peccaret specialiter contra præceptum Missæ audiendæ, non præcauendo delictum, quod nullus adhuc, quem ego viderim, asseruit: tum quia si cut ægrotus, qui suæ ægritudini causam dedit, excusatur à peccato contra præceptum Missæ, quandiu iacet in morbo, & praua vtitur valetudine, ita vt commodè nequeat Missam audire, ita excommunicatus eximitur ab hoc præcepto, quandiu vinculo excommunicationis obstrictus est. Ita Nauarrus *cap. 21. num. 2.* Suarez *disp. 88. sect. 6.* Azorius *loco citato*, Emanuel Sà *verb. Missæ auditio, num. 3.* Henriquez *cap. 25. num. 11.* Naldus *verb. Missa num. 19.* [Filliucius *tract. 5. cap. 7. quæs. 11. num. 225.*] Sayrus, Vgolinus, Auila, & alij, quos retuli *de censuris disput. 2. quæst. 2. punct. 3. num. 4.* contra Nugnum *qu. 83. art. 6. versùs finem.* hoc idem dicendum sentio de interdicto personali cum DD. citatis.

24 *An habens priuilegium audiendi Missam tempore interdicti, peccet non audiendo.*

24 Vtrùm verò, qui habet priuilegium Missæ audiendæ tempore interdicti, peccet eam non audiendo; patet ex dictis *de interdicto disp 5 punct. 3. num. 19.* vbi diximus peccare, nullum enim habet impedimentum, quo minus possit Missam audire. Ita Suarez *sect. 6.* Nugnus *loco cit. versic. Alia difficultas* [Filliucius *num. 225.*] & alij communiter.

Obiicies primò cum Nugno contra id, quod diximus de excommunicato, qui tenetur ad aliquem finem, tenetur etiam adhibere media conducentia ad illum finem: sed procurare absolutionem excommunicationis est medium conducens ad præceptum Missæ adimplendum, cùm excommunicatio directè, & per se priuet auditione Missæ. ergo excommunicatus tenetur quærere absolutionem, &c.

Respondeo excommunicatum non teneri ad Missam audiendam, cùm priuetur auditione Missæ per excommunicationem, consequenter non teneri quærere absolutionem, vt satisfaciat præcepto Missæ.

Obiicies secundò, excommunicatus peccat non quærendo absolutionem, vt satisfaciat præcepto annuæ confessionis, & communionis, vt patet ex dictis *de excommunicatione loco cit. num. 6. & de legibus*; ergo etiam peccat, qui non quærit absolutionem, vt satisfaciat præcepto Missæ.

Respondeo negando consequentiam. Ratio est, tum quia præceptum confessionis strictius obligat ad remouenda impedimenta, quæ obstant ipsius adimpletioni, quàm obliget præceptum Missæ, vt patet ex communi hominum sensu, & Doctorum consensu, & ex dictis *de legibus.*

Ex quo fit, vt aliquis facilius excusetur à peccato non audiendo Missam in die festo, quàm à præcepto annuæ confessionis, aut communionis: tum quia præceptum confessionis per se obligat ad mundandam animam, & consequenter ad dispositionem mundandæ animæ, & consequenter ad confessionem.

DISPVTATIO V.

De Pœnitentiæ Sacramento.

Poenitentia nomen accepit à verbo pœnitere, quod significat pœnam tenere, id est, punire in se peccata commissa, & pœnitentia dicitur quasi pœnæ tenentia, vt obseruant S. Augustinus relatus *in cap. pœnitentia 2. de pœnitentia, distinct. 3.* & Franciscus Pitigianus *dist. 14. quæst. 1. art. 9.* quia homo per pœnitentiam pœnam subit, & in se punit peccatum dolendo & plangendo. Quamobrem S. Gregorius *homilia 34. in Euangelia*, & S. Ambrosius apud Magistrum *in 4. distin. 14.* apud Suarez *de pœnitentia, disp. 1. sect. 1.* apud Zerolam *de pœnitentia, c. 2. quæsito 5.* & apud Bellarminum *lib. 1. de pœnitentia, cap. 7.* asserunt pœnitentiam esse præterita mala plangere, & plangendo iterum non admittere. Idem sentiunt alij Doctores communiter, dum asserunt pœnitentiam esse dolorem de peccatis commissis.

Verùm cùm pœnitentia aliquando accipiatur pro virtute pœnitentiæ, aliquando pro Sacramento pœnitentiæ, aliquando pro Confessione, aliquando pro satisfactione, & aliquando pro alijs actibus. Nos in primis breuiter agemus de pœnitentia virtute, postea de pœnitentia, vt est Sacramentum, infrà verò suo loco sermo erit de confessione, & satisfactione, quæ sunt partes Sacramenti pœnitentiæ.

QVÆSTIO PRIMA.

De Pœnitentia vt est virtus.

Duo principaliter in hac quæstione disseremus.
Primò quid sit pœnitentia, vt est virtus quædam specialis?
Secundò, vtrum pœnitentia sit necessaria.

PVNCTVM I.

Quid sit Pœnitentia virtus.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Pœnitentia vt specialis virtus quid sit.*

1 Poenitentia specialis est virtus supernaturalis inclinans hominem ad satisfaciendum Deo pro iniuria, & offensa illi facta, & ad conseruandum ius diuinum illæsum. Ita S. Thomas *3. par. quæst. 85. art. 2.* Suarez *de pœnitentia disput. 2. sect. 3.* Valentia *tom. 4. disput. 7. quæst. 2. punct. 1.* Henriquez *lib. 4. cap. 19. num. 3.* Coninchus *disput. 1. de pœnitentia dub. 4. num. 23.* Sotus, S. Bonauentura, & alij apud Suarez *loco citato*, [& apud Filliucium *tract. 6. cap. 1. quæs. 3. num. 5.*]

Dicitur *virtus* loco generis: cæteræ verò particulæ ponuntur loco differentiæ ad indicandam differentiam pœnitentiæ à cæteris virtutibus.

Quòd pœnitentia sit virtus, constat, quia virtus nihil est aliud, quàm habitus inclinans ad honestos actus, vt est communis Philosophorum, & Theologorum sententia: pœnitentia autem inclinat ad honestos actus, vt per se patet. Ita communiter Doctores ex Nugno *3. parte q. 85. art. 2. versic. sit conclusio.*

Quòd pœnitentia sit virtus supernaturalis. Ratio est, quia actus istius virtutis disponunt ad gratiam: sed actus disponentes ad gratiam sunt supernaturales, ex Tridentino *sess. 6. cap. 6. & canone 3.* ergo pœnitentia est virtus supernaturalis, talis enim est virtus, quales sunt actus, & virtus naturalis non potest actus supernaturales elicere. [Ita Suarez *de pœnit. disp. 3. sect. 6.* Filliucius *tract. 6. c. 1. quæs. 9. num. 25.*]

Non nego tamen quin dari possit aliqua pœnitentia naturalis de peccatis, vt ait S. Thom. *q. 84. art. 7.* Coninch. *disp. 1. de pœnitentia, num. 28.* Nugnus *q. 84. art. 1.* Henriquez *lib. 4. cap. 19. num. 6.* Suarez *disp. 23. sect. 7. num. 3.* & alij, nam lumen naturæ dictat non esse offendendum auctorem naturæ, & Deum placandum esse. Verùm hæc non est pœnitentia, de qua nos loquimur, neque prodest ad remissionem peccatorum, & ad vitam æternam, sicut prodest pœnitentia, quæ est virtus specialis, cuius actus conducunt ad vitam æternam, vt bene tradit Suarez *de pœnitentia, disp. 3. sect. 6.* & patet ex allata ratione.

Quòd verò virtus pœnitentiæ inclinet ad satisfaciendum Deo, &c. ratio est, quia hoc est proprium huius virtutis, nec potest alia virtus assignari, quæ hoc munus exerceat præter dictam pœnitentiæ virtutem.

2 *An sit virtus distincta à reliquis virtutibus.*

2 Hinc colligitur pœnitentiam, quæ est virtus specialis, esse virtutem distinctam à reliquis virtutibus. Ratio est, quia virtus distinguitur penes distincta obiecta formalia: obiectum autem formale virtutis pœnitentiæ est satisfacere Deo pro iniuria, & offensa, seu reparare diuinam iniuriam, quod est obiectum distinctum ab obiectis aliarum virtutum, cùm cæteræ virtutes non habeant pro obiecto satisfactionem iniuriæ, & conseruationem iuris diuini: obiectum verò materiale virtutis pœnitentiæ est peccatum, quod homo detestatur, quatenus est contra honorem, & auctoritatem Dei, vt bene aduertit Coninchus *de pœnitentia disput. 1. dub. 3. ad finem.* Nugnus *3. parte quæst. 85. art. 2. dub. 1. vers. pro intelligentia.* Henriquez *loco citato, numer. 4.* Suarez *disput. 1. sect. 1. num. 5. & disp. 3. sect. 1. & 3.* Valentia *loco citato.* Vasquez *de pœnitentia qu. 85. art. 2. dubio vnico.* [Filliucius *loco cit. quæs. 4. num. 9. & seqq.*]

Vt hæc melius intelligantur, aduertendum est, Deum habere ius

supra

QVARTA PROPOSITIO.

25 *An consuetudo regionis excuset.*

25 Consuetudo regionis potest aliquando excusare ab audienda Missa in die festo, sicut enim consuetudo potest legem inducere, ita etiam potest eam moderari, & abrogare.

26 *An excusentur viduæ, quæ certo tempore domi se continent.*

26 Hinc sequitur primò, propter consuetudinem excusari posse viduas, quæ mortuo marito ad certum tempus non exeunt domo, modò diutius non abstineant ab audienda Missa, quam postulet recepta consuetudo. Ita Syluester, Caietanus, Bartholomæus ab Angelo *de Missa, §. 827. littera F. & §. 828. littera C.* Hieronymus Llamas *in summa part 3. Methodi ca. 5. §. 12.* [Filliucius *tract. 5. cap. 7. quæs. 12. num. 229.* Molfesius *tract. 3. cap. 17. num. 66.*] & alij apud Henriquez *loco citato.* Nugnum *loco citato ad finem.* Suarez *sect. 6. versic. Sextum caput.* Rodriquez *loco citato.*

27 *An excusentur puellæ nobiles, quæ domo non consueuerunt exire.*

27 Secundò, excusari puellas nobiles, quæ non consueuerunt, aut non permittuntur Missam audire, donec nuptui tradantur. Verùm si huiusmodi puellæ soleant domo exire ad ludos, aut choreas, aut spectacula, aut se exhibeant videndas ad feneſtras, æquitati consentaneum est, vt etiam exeant ad Missam audiendam. Ita Nauarrus *cap. 21. num. 9* Suarez *sect. 6. versic. Sextum caput.* Azorius *quæsito 2.* Rodriquez *loco citato.* Graffius *1. parte lib. 2. decisionum aurearum, cap. 36. num. 5.* Bartholomæus ab Angelo *dialog. 5. de Missa, §. 827.* Angelus *verb. Feriæ, num. 42.* Caietanus *in summa verb Festorum violatio.* Armilla *verb. Missa, num. 30.* Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. ar. 1.* S. Anton. *2 parte tit. 4. cap. 10. §. 3.* Henriquez *num 12.* [Filliucius *num. 229.* Molfesius *num. 67.*] Sylueſt. Arragonius, Tabiena, & alij apud Henriquez. Non tamen damnarem sub mortali, vbi recepta est consuetudo non exeundi, vt patet ex ratione allata in propositione.

28 *An excusentur fœminæ ob menstrua temporalia.*

28 Addit Nauarrus, fœminas non excusari à Missa ob menstrua temporalia, præcisa debilitate. Ratio est, tum quia non est talis consuetudo legitima: tum quia sicut huiusmodi menstrua non impediunt communionem, ita neque impedire debent Missæ auditionem; videntur tamen excusandæ fœminæ, quæ post partum domi se continent, non solùm ob debilitatem, verùm etiam ob reuerentiam, vbi talis est consuetudo, modò hoc non faciant ad seruandam purificationem antiquæ legis, & Mosaïcum ritum: non enim hoc tempore seruanda est purificatio antiquæ legis, etiamsi hoc fiat in honorem Beatissimæ Virginis. Ita Maiolus *de irregularitate, lib. 3. cap. 3. num. 4.* Caietanus *in summa verb. Festa.* Nugnus *loco cit. ad finem, versic. Septimum impedimentum.* Suarez *disput. 88. sect. 6. versic. Sextum caput.* Bartholomæus ab Angelo *de Missa dialogo 5. §. 829.*

supra omnes homines, ratione cuius iuris, dominij, & superioritatis homo stare debet volùtati Dei, & ipsius ius seruare integrum, & illæsum. Cùm autem hoc ius violetur per peccata, & resarciatur per virtutem pœnitentię, sequitur pœnitentiam habere pro obiecto detestationem iniuriæ Deo factæ, & satisfactionem pro iniuria, & offensa diuina.

Neque obstat cæteras virtutes detestari peccata, non enim cęteræ virtutes detestantur peccata sub ea ratione, sub qua detestatur pœnitentia, nam Temperantia, exempli gratia, detestatur ebrietatem, non quatenus est contra ius diuinum, sed quatenus est contra motiuum, & obiectum formale ipsius temperantiæ. Charitas non detestatur peccata, vt sunt iniuria, & offensa Dei, sed vt sunt contra Deum summè dilectum, & sic de cæteris virtutibus. Virtus verò pœnitentiæ detestatur peccata, quatenus sunt iniuria Dei.

Hinc ergo patet primò, virtutem pœnitentiæ distinctam esse à charitate: cùm vtriusque obiecta formalia sint distincta, præter quàm quòd pœnitentia non est virtus Theologica, sicut est charitas, vt bene ostendit Suarez *disp.7 sect.1. conclus.4.* [Filliucius *tract. 6.c.1.qu.6.n.15.* & Molfesius *tract.7.cap.2.num 17.*]

Secundò, virtutem pœnitentiæ distinctam esse à virtute Temperantiæ, Religionis, &c. vt patet ex allata ratione, & benè ostendit Suarez *loco cit.sect.3.*

PVNCTVM II.

Vtrùm pœnitentia sit adultis necessaria.

DIfficultas primò est de necessitate pœnitentiæ in genere. Secundò de necessitate virtutis pœnitentiæ.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An pœnitentia in genere sit necessaria.*

1 POEnitentia in genere est simpliciter necessaria. Ratio patet tum ex ipso iure naturæ, quod posito lumine fidei dictat pœnitentiam agendam: tum ex *Luc.* 13. vbi dicitur, *Nisi pœnitentiam egeritis, simul omnes peribitis* Tum ex illo communi axiomate, Pœnitentia est secunda post naufragium tabula, quod axioma non solùm de pœnitentiæ Sacramento intelligitur à S. Thom *qu.64. art.6.* verùm etiam de quacumque pœnitentia.

Dicitur autem pœnitentia secunda post naufragium tabula, quia per ipsam eripimur, & liberamur à secundo naufragio. Cùm enim nomine primi naufragij intelligatur lapsus totius naturæ humanæ in primo parente per peccatum originale, & ab hoc naufragio per Baptismum liberemur, sequitur Baptismum appellari primā tabulam, pœnitentiæ verò nomē secundæ tabulæ ascribi, quatenus homo per pœnitentiam liberatur à naufragio peccatorum actualium. Quamobrem pœnitentia dicitur secunda post naufragium tabula, habita ratione, & respectu ad Baptismum, qui prima tabula nuncupatur. Ita Magister *in 4.dist.14.* S. Thom. *loc.cit.* Suarez *de pœnitentia disp.1.sect.2.num.4.* Pitigianus *dist 14.art.10. conclus.4.* & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *An sit necessaria pœnitentia virtus.*

2 ACtus specialis virtutis pœnitentiæ est simpliciter necessarius ad iustificationem, non quidem explicitè, sed implicitè, & æquiualenter. Ratio est, quia ad iustificationem necesse est, vt homo velit satisfacere Deo, aut saltem eam Deo præstet satisfactionem, quam præstare potest, vel qua contentus est Deus, sed satisfacere est actus virtutis pœnitentiæ implicitus, sicut velle Deo satisfacere est actus explicitus; ergo actus virtutis pœnitentiæ, est simpliciter necessarius ad iustificationem si non explicitè, saltem implicitè. Ita Henriquez *lib.4.c.11.num.7.* & alij recentiores.

Obijcies, qui elicit actum dilectionis Dei super omnia, aut recipit pœnitentiæ Sacramentum, iustificatur, quamuis non eliciat actum virtutis pœnitentiæ. ergo actus virtutis pœnitentiæ non est simpliciter necessarius ad iustificationem.

Respondeo, actum dilectionis, & contritionis continere virtualiter, & æquiualenter actum pœnitentiæ, cùm enim in se contineat actualem satisfactionem, continet etiam voluntatem interpretatiuam satisfaciendi, & actum implicitum pœnitentiæ, consequenter homo non iustificatur absque aliquo actu saltem implicito pœnitentiæ. Sacramentum verò pœnitentiæ non potest esse sine aliquo actu specialis virtutis pœnitentiæ, nec recipiens Sacramentum pœnitentiæ dicitur iustificari absque aliquo actu virtutis pœnitentiæ, nam qui vult recipere Sacramentum, vult etiam dolere de offensa, & iniuria Dei, vult Deo satisfacere, & inæqualitatem per peccatum positam inter Deum, & hominem resarcire, qui sunt actus virtutis pœnitentiæ. Ita Coninchus *disp.1.de pœnitentia dub.4.n.16.* Idem innuit Henriquez *loco citato* & alij recentiores.

3 *An habens solum actū virtutis pœnitentiæ recipiat gratiam.*

3 Quæres, vtrùm habens actum virtutis pœnitentiæ recipiat gratiam, etiamsi actum alterius virtutis non eliciat.

Respondeo negatiuè. Ratio est, tum quia actus virtutis pœnitentiæ, quamuis sit dispositio ad gratiam recipiendam, non tamen est vltima dispositio, Immo nullus actus aliarum virtutum, vt fidei, spei, religionis, &c. quæ sunt nobiliores virtute pœnitentiæ, est vltima dispositio ad gratiam: sed solus actus contritionis, vel dilectionis Dei super omnia est vltima dispositio ad gratiam extra Sacramentum, vt constabit ex infrà dicendis, & bene tradit S. Th. 3 *parte qu.84.art.10.* Coninchus *de pœnitentia disp.1.dub.4. num. 26.* Henriquez *lib.4.cap.19.num.7.* & alij communiter: tum quia actus virtutis pœnitentiæ est satisfacere Deo pro iniuria ipsi illata, aut nolle amplius ipsum lædere: sed non eo ipso, quo quis vult alteri satisfacere, aut non vult ipsum amplius lędere, recipit ipsius gratiam; ergo neque eo ipso, quo quis per actum virtutis pœnitentiæ vult Deo satisfacere, & ipsum non amplius lædere, recipit gratiam Dei, consequenter eliciens actum virtutis pœnitentiæ non recipit gratiam præcisè ex vi actus virtutis pœnitentię: tum quia *ad Galatas 5.* dicitur: *In Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur,* sed actus virtutis specialis pœnitentiæ non est fides, quæ per dilectionem operatur; ergo eliciens actum virtutis pœnitentiæ non recipit gratiam, nisi actum alterius virtutis eliciat, consequenter actus virtutis pœnitentiæ non est vltima dispositio ad gratiam. Quamobrem qui cupit extra pœnitentiæ Sacramentum iustificari, non solùm debet velle Deo satisfacere pro iniuria illata, qui est actus virtutis pœnitentiæ, verùm etiam debet huic actui actum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia coniungere. Ita Doctores citati.

QVÆSTIO II.

De existentia, definitione, necessitate, & institutione Sacramenti Pœnitentiæ.

PVNCTVM I.

Vtrùm detur Pœnitentiæ Sacramentum.

DVo principaliter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm in noua lege detur Sacramentum pœnitentiæ.

Secundò, vtrùm Sacramentum pœnitentiæ extiterit in veteri lege.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An detur Sacramentum pœnitentiæ in noua lege.*

1 CErtum est dari Sacramentum pœnitentiæ, vt patet tum ex Tridentino *sess.14. c.1. & 2.* tum ex Florentino *in decreto de vnione.* tum quia dantur certi actus pœnitentis, & Sacerdotis, quibus conuenit definitio Sacramenti, per quos remittuntur peccata, & confertur gratia, iuxta illud Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. ergo signum est dari pœnitentiæ Sacramentum. Videte Vasquez *3.parte, tom.2. disp.135.* Reginaldum *lib.18. n.28. & 39.* Coninchum *q.66.n.140.* Sayrum *de Sacramentis in genere lib.2. c.2. q.1. art.1.* Petrum Ledesmam *in summa tractat. de Pœnit. c.1. vers. Primera concl.* Suarez & alios *locis* statim *citandis.*

2 *An absolutio à censuris sit Sacramentum.*

2 Quæres vtrùm absolutio à censuris sit Sacramentum.

Respondeo, absolutionem à censuris per se sumptam non esse Sacramentum, quia per huiusmodi absolutionem non remittuntur peccata, sed relaxatur vinculum, & pœna ab Ecclesia imposita. Ita Medina *q.1. de confessione*, & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 *An hoc Sacramentum extiterit in veteri lege.*

3 IN veteri lege, vt in lege scripta, vel etiam naturę non extitit Sacramentum pœnitentiæ. Ita communiter Doctores contra Capreolum *in 4.dist.16.q.1.art.3.ad secundum*, Paludanum, & alios apud Nugnum *q.84.art.3. dub.1.* Ratio est, tum quia in Tridentino *sess.14. cap.3.* habetur pœnitentiam non fuisse Sacramentum ante Christi aduentum, nec esse post aduentum illius quidquam ante Baptismum: tum quia Sacramentum est res aliqua sensibilis eleuata à Deo ad producendam infallibiliter gratiam: sed ante Christi aduentum non erat vlla res hoc modo eleuata; ergo ante Christi aduentum non fuit Sacramentum pœnitentiæ, quamuis extiterit virtus pœnitentię. Quamobrem, dum in Scriptura fit mentio pœnitentiæ, cui Deus promisit remissionem peccatorum, sermo est de pœnitentia interna, id est, contritione: iuxta illud Ioëlis 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*, & iuxta illud Prophetę Psal.50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non spernit*, & Psalm.33. *Iuxtà est Dominus his, qui tribulato sunt corde.* Videte Suarez *tom.4. disp.1. sect.2. ad finem.*

PVNCTVM II.

Quid sit pœnitentiæ Sacramentum.

VAriæ definitiones Sacramenti pœnitentiæ assignantur à Doctoribus. Nauarrus enim *c.22. n.11.* quem sequitur Reginaldus *lib.28.n.37.* hanc assignat: Pœnitentia est Sacramentum absolutionis, quo Sacerdos sibi subditum, peccata sua cum iusto dolore, & proposito satisfaciendi legitimè confitentem, absoluit ab ijsdem peccatis. Alij alias afferunt definitiones, quibus omissis nostram trademus in sequenti propositione.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Pœnitentiæ quid sit.*

1 SAcramentum Pœnitentiæ est Sacramentum consistens in actibus pœnitentis, & absoluentis, institutum à Deo per modum iudicij emendatiui ad remissionem peccatorum. Hæc definitio optima est, tum quia constat genere, & differentia. Genus enim explicatur illo verbo, *Sacramentum*, in quo pœnitentia conuenit cum reliquis Sacramentis. Differentia verò continetur illis verbis, *consistens in actibus pœnitentis, & absoluentis*, &c. Tum quia in hac definitione comprehenduntur omnia genera causarum, formalis, materialis, efficiens, & finalis. Causa materialis consistit in actibus pœnitentis (si loquamur de causa materiali partis, iuxta tradita de materia Sacramentorum in genere:) formalis consistit in forma absolutionis, si loquamur de forma partis iuxta dicta de Sacramentis in genere. Causa efficiens ministerialis est Sacerdos, principalis est Deus: Sacerdos enim ministerialiter absoluit, & Deus principaliter, vt infrà explicabo. Causa finalis est remissio peccatorum, ad quam institutum fuit pœnitentiæ Sacramentum.

PVN-

PVNCTVM III.

Vtrùm Sacramentum pœnitentiæ sit necessarium.

EXplicandum est primò, vtrùm Sacramentum pœnitentiæ sit necessarium necessitate medij in re, vel in voto. Secundò vtrùm necessarium sit necessitate præcepti, deinde subijciemus aliqua quæsita, ad clariorem istius doctrinæ explicationem conducentia.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An pœnitentiæ Sacramentum sit necessarium necessitate medij in re, vel voto.

1 POenitentiæ Sacramentum necessarium est necessitate medij in re, vel in voto illis, qui mortaliter peccarunt post Baptismum. Ratio est, tum quia illud est necessarium necessitate medij in re, vel in voto, quo prætermisso in re, vel in voto, salus non obtinetur, sed prætermisso pœnitentiæ Sacramento in re, vel in voto salus non obtinetur ab illis qui lapsi sunt post Baptismum; ergo pœnitentiæ Sacramentum necessarium est necessitate medij in re, vel in voto illis qui mortaliter peccarunt post Baptismum: tum quia ex Concilio Constantiensi *sess.* 8. & 15. & ex Trident. *sess.* 14. *c.* 2. constat pœnitentiæ Sacramentum ita necessarium esse lapsis post Baptismum, sicut necessarius est Baptismus ijs, qui nondum illum susceperunt, sed Baptismus est necessarius necessitate medij in re, vel in voto, vt suprà ostendimus; ergo pœnitentiæ Sacramentum est necessarium in re, vel in voto lapsis post Baptismum. Ita Suarez *de pœnitentia disp.* 17. *sect.* 2. *n.* 3. & *sect.* 3. *n.* 3. S. Th. *in additionibus ad* 3. *partem q.* 6. *artic.* 1. Nugnus *ibid. dub* 2. Coninchus *disp.* 5. *de pœnitentia, dub.* 1. *n.* 27. Vasquez *de pœnitentia q.* 84. *art.* 5. *dub. vnico, num.* 44. & 41. [Filliucius *tract.* 6. *c.* 2. *qu.* 8. *n.* 45. Molfesius *tract.* 7. *c.* 1. *n.* 25.] Henriquez. *lib.* 4. *c.* 2. *n.* 1. Bellarm. *de pœnitentia c.* 5. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 1 *punct.* 6. *assertione* 2. & *q.* 9 *punct.* 2. Reginaldus *lib.* 28. *n.* 40. Pitigianus *loco* statim *citando*, omissis ijs, quos magno numero refert Suarez, & Henriquez *loco citato*.

Hinc patet eum, qui mortaliter peccauit post Baptismum, non esse saluandum, nisi pœnitentiæ Sacramentum recipiat in re, vel in voto, hoc est, nisi recipiat ipsum pœnitentiæ Sacramentum, aut eliciat actum contritionis, in qua continetur votum Sacramenti pœnitentiæ, aut nisi eliciat actum dilectionis Dei super omnia, qui æquiualet actui contritionis. Ita Henriquez *loc. citat. num.* 1. & 2. Nauarrus *c.* 1. *num.* 30. Medina, Scotus, & alij apud Vasquez *de pœnitentia disp.* 86. *art.* 2. *dub.* 1. *n.* 18. & apud præcitatos Doctores.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An hoc Sacramentum sit necessarium necessitate præcepti.

SAcramentum Pœnitentiæ necessarium est necessitate præcepti. Ratio est, tum quia sic colligitur ex Tridentino *loco citato*. Tum quia, quod est necessarium necessitate medij, est etiam necessarium necessitate præcepti, modò medium sit in nostra potestate, sunt enim aliqua media necessaria ad salutem, quorum omissio nobis non imputatur ad culpam, quia non sunt in nostra potestate, quale medium est prima gratia excitans, bona voluntas Dei, &c. Cùm ergò Sacramentum pœnitentiæ sit in nostra potestate, & sit medium necessarium ad salutẽ, sequitur etiã esse necessarium necessitate præcepti: tum quia illud est necessarium necessitate præcepti, ex cuius culpabili omissione committitur peccatum, sed ex omissione Sacramenti pœnitentię certo tempore committitur peccatum, vt est communis omnium fidelium sensus, & opinio; ergo Sacramentum pœnitentiæ necessarium est necessitate præcepti: tum quia Baptismus est necessarius non solùm necessitate medij, verùm etiam præcepti; ergo etiam pœnitentia non solùm necessaria est necessitate medij, verùm etiam præcepti, nam in Tridentino *loco citato* dicitur, pœnitentiæ Sacramentum ita necessarium esse lapsis post Baptismum, sicut est Baptismus nondum regeneratis. Ita Vasquez *loc. cit. dub.* 2. *n.* 3. & *dub vnico n.* 41. Pitigianus 2. *parte dist.* 17. *quæst. vnica art.* 6. *concl.* 1. & alij Doctores suprà citati.

3 Peccata quandónam dicantur remitti per Sacramentum pœnitentiæ in voto.

3 Quæres primò, quandónam peccata dicantur remitti per Sacramentum pœnitentiæ in voto.

Respondeo tunc remitti per Sacramentum pœnitentiæ in voto, quando remittuntur per contritionem, quæ dicitur votum Sacramenti pœnitentiæ, quatenus ad ipsum ordinatur cum onere, & proposito confitendi peccata suo tempore, nam qui contritionis actum elicit, tenetur adhuc eadem peccata, quorum remissionem per actum contritionis obtinuit, subijcere suo tempore Sacramento pœnitentiæ, vt benè docet Suarez *disput.* 17. *sect.* 3. *num.* 7. & 10. Reginaldus *lib.* 28. *n.* 42. Vasquez 3. *parte q.* 84 *art.* 5. *dubio vnico n.* 31. [Filliucius *tract.* 6. *c.* 2. *quæst.* 8. *n.* 47.] & alij communiter: sicut enim quando res aliqua venditur, & traditur emptori ante solutionem pretij, emptor acquirit dominium illius rei, & venditor illam tradit emptori per ordinem ad futuram solutionem, interim habita fide de solutione, qua solutione facta, contractus remanet perfectus, & completus: ita qui contritionis actum elicit, obtinet remissionem peccatorum, non simpliciter, & absolutè, sed per ordinem ad futuram confessionem, cui Deus vult eadem illa peccata subijci; facta autem confessione pœnitens liber remanet ab obligatione.

4 Quid sit remitti peccata per Sacramentum pœnitentiæ in voto.

4 Hinc patet primò, quid sit peccata remitti per Sacramentum pœnitentiæ in voto, est enim remitti per contritionem per ordinem ad confessionem.

5 An contritio dicat solùm desiderium suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ.

5 Secundò, votum pœnitentiæ contentum in contritione non solùm esse propositum, & desiderium suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ, alioquin sequeretur, omnia præcepta necessaria esse necessitate medij in voto, cùm in contritione includatur propositum seruandi omnia præcepta, vt ieiunandi, Missam audiendi, &c. verùm etiam continere obligationem, qua contritus tenetur adhuc suo tempore confiteri illa eadem peccata, quorum remissionem obtinuit per contritionem in ordine ad confessionem; contritio enim non ita iustificat, vt peccatorem liberum relinquat ab obligatione subijciendi peccata Sacramento pœnitentiæ, quamuis illorum peccatorum remissionem obtinuerit per contritionem. Quare contritus tenetur peccata deleta per contritionem aperire in confessione ex vi propositi, & voti contenti in contritione, quod non accidit in præcepto ieiunij, Missæ, &c. Cùm non teneamur ex vi contritionis ieiunare, aut Missam audire, &c. sicut tenemur peccata in confessione aperire.

6 An iustificatus per contritionem teneatur adhuc peccata sua confiteri.

6 Tertiò patet, iustificatum per contritionem teneri adhuc confiteri peccata, à quibus extra confessionem media contritione fuit iustificatus. Ratio est, tum quia censetur iustificatus per Sacramentum pœnitentię in voto, & consequenter cum obligatione subijciendi peccata Sacramento pœnitentiæ: tum quia sic habetur in Concilio Constantiensi *sess.* 8. & in Tridentino *sess.* 14. *c.* 2. vbi dicitur, ita necessarium esse Sacramentum pœnitentiæ lapsis post Baptismum, sicut est necessarius Baptismus ijs, qui nondum sunt baptizati: sed Baptismus est necessarius ijs, qui non sunt baptizati, quamuis sint contriti, & per contritionem obtinuerint remissionem peccatorum; ergo etiam Sacramentum pœnitentię necessarium est lapsis post Baptismum, licèt sint contriti, consequenter iustificatus per contritionem tenetur adhuc Sacramento pœnitentiæ subijcere peccata à quibus fuit iustificatus.

OBIICIES, contritio in noua lege non est deterioris conditionis, neque minoris virtutis, & efficaciæ, quàm esset in veteri lege: sed in veteri lege iustificabat independenter à confessione; ergo etiam nunc iustificat independenter à confessione, consequenter iustificatus per contritionem non videtur obligandus ad aperienda peccata in confessione, quorum remissionem obtinuit per contritionem.

RESPONDEO, contritionem in noua lege non esse deterioris conditionis ex eo, quòd iustificet per ordinem ad confessionem: sicut enim contritio in veteri lege iustificabat, ita etiam nunc iustificat, quamuis in noua lege dicat ordinem, & contineat obligationem ad confessionem, ad quam non dicebat ordinem in veteri lege. Hoc autem non est adscribendum minori efficaciæ, & virtuti, sed potiùs priuilegio nouæ legis, in qua Deus tribuit plura, faciliora, & certiora remedia quàm in veteri lege, nam in veteri lege contritio necessaria erat ad iustificationem, & remissionem peccatorum, in noua verò lege non solùm contritio, verùm etiam pœnitentiæ Sacramentum cum sola attritione remittit peccata, quod est facilius, & certius remedium, quàm sit sola contritio.

7 An habens peccatum mortale saluari possit cum sola attritione.

7 Quartò colligi potest, peccatorem, qui non habet copiam Confessarij cui peccata confiteatur, non saluari cum sola attritione, quia non dicitur habere Sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto.

8 An votum dicens propositum suscipiendi pœnitentiæ Sacramentum debeat esse explicitum.

8 QVÆRES secundò, vtrùm votum Sacramenti pœnitentiæ, quatenus dicit propositum suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ, debeat esse explicitum, vel sufficiat implicitum; hoc est, vtrùm qui iustificatur per contritionem, cum ordine ad confessionem, debeat habere propositum explicitum confitendi suo tempore peccata, quorum remissionem obtinuit per contritionem.

RESPONDEO sufficere propositum implicitum. Ita S. Thom. *dist.* 17. *quæst.* 3 *art.* 5 *quæstiuncula* 1. Nauarrus *c.* 1. *num.* 15. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 2. *puncto* 6 *assertione* 3. Suarez *de pœnitentia disp.* 17. *sectione* 3. *num.* 9. Pesantius 3. *parte, quæst.* 84. *art.* 5. *disput.* 1. *versic. Dico non requiri.* Reginaldus *loco suprà citato n.* 42. [Filliucius *tract.* 6. *c.* 2. *quæst.* 9. *n.* 49.] S. Bonauentura, Sotus, & alij apud Suarez, & apud Valentiam *loc. cit.* contra Canum, Durandum, & alios apud præcitatos Doctores. Ratio patet tum ex Trident. *sess.* 14. *c.* 4. vbi habetur remissionem peccati non esse attribuendam contritioni sine voto Sacramenti, quod in illa includitur: sed votum quod includitur in contritione, est implicitum; ergo ad iustificationem sufficit votum Sacramenti pœnitentiæ implicitum. Minor probatur, quia votum explicitum Sacramenti est extrinsecum contritioni, cùm possit esse contritio sine voto explicito. Quis enim neget esse veram contritionem, & vltimam dispositionem ad gratiam, quando quis nullam habens memoriam confessionis, dolet de peccatis quatenus sunt offensa Dei summè dilecti, etiamsi non habeat expressum propositum confitendi peccata? Tum quia ad remissionem peccatorum ante Baptismum sufficit votum implicitum Baptismi, vt ait S. Th. *q* 69 *art.* 4. *ad secundum*: ergo etiam ad remissionem peccatorum post Baptismum sufficit votum implicitum Sacramenti pœnitentiæ contentum in contritione: tum quia nullum extat præceptum eliciendi propositum explicitum; ergo non requiritur propositum explicitum, sed sufficit implicitum.

Ad obiectiones, & auctoritates Conciliorum, & Patrum, quæ à Doctoribus oppositæ sententiæ possent contra nos adduci, quas ego breuitatis gratia prætermitto; respondetur eas intelligendas esse non de voto explicito, sed de implicito.

PVNCTVM IV.

A quo, & quando institutum fuerit pœnitentiæ Sacramentum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Pœnitentiæ Sacramentum à quo fuerit institutum.

1 SAcramentum pœnitentiæ fuit institutum à Christo, vt de fide constat, tum ex Tridentino *sess.* 7. *canone* 1. & *sess.* 14. *c.* 1. Tum ex dictis de Sacramentis in genere, vbi ostendimus institutionem Sacramentorum pertinere ad Christum ob potestatem excellentiæ. Ita Coninchus *q.* 65. *art.* 1. Sayrus *de Sacramentis in genere lib.* 2 *c* 2. *q.* 1. *art.* 1. Reginaldus *lib.* 28. *num.* 4. & 39. Vasquez 3. *parte tom.* 2. *disputat.* 60. & 135. & alij Doctores statim citandi, omissis ijs. quos retuli *de Sacramentis in genere*, & in simili referam *de Sacramento extremæ vnctionis*.

SECVN-

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *Quandónam fuerit institutum.*

2 SAcramentum pœnitentiæ præcipuè institutum fuit *Ioann.* 20. quando Christus post resurrectionem insufflauit in discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ita Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. Suarez *disput.* 17. *sect.* 1. *assertione* 3. *num.* 10. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 9 *punct.* 2. Bellarmin. *tom.* 2. *controuersiarum li.* 3. Nugnus *q.* 84. *art.* 3. *dub.* 2. *concl.* 2. Pitigianus *dist.* 17. *q. vnica ar.* 6. *concl.* 2. [Filliucius *tract.* 6. *c.* 2. *nu.* 32. Molfesius *tract.* 7. *c.* 3. *n.* 13.] & alij Doctores citati *n.* 1.

Dixi *præcipuè*, quia si loquamur de institutione minus præcipua, seu inchoata, dicendum est institutionem Sacramenti pœnitentiæ inchoatam fuisse in nocte cœnæ, quando Christus ordinauit Apostolos, eisque per ordinationem contulit characterem, qui est fundamentalis potestas absoluendi.

3 *An sit vera sententia asserentium hoc Sacramentum institutum fuisse Matthæi* 16.

3 Hinc colligitur primò, non esse audiendos eos, qui putant pœnitentiæ Sacramentum fuisse institutum à Christo *Matthæi* 16. quando dixit: *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque solueris super terram*, &c. & c. 18. *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis*, &c. nam his locis non fuit data, sed promissa potestas absoluendi. Propterea dicere possumus cum Medina *qu.* 2. *de confessione*, Suarez, & alijs, quos retuli *de censuris disput.* 1. *qu.* 1. *puncto* 2. *num.* 5. in his locis datam fuisse facultatem ferendi censuras, non verò absoluendi à peccatis.

4 *An sit vera sententia affirmans hoc Sacramentum institutum esse Matthæi* 14.

4 Secundò colligitur, eos non esse audiendos, qui sentiunt pœnitentiæ Sacramentum fuisse institutum, quando Christus post tentationem, *Matthæi* 14. dixit: *Pœnitentiam agite*, &c. nam ea verba potius intelligenda sunt de pœnitentia in communi, aut de virtute pœnitentiæ, quàm de pœnitentiæ Sacramento, vt obseruat Suarez *disp.* 17. *sect.* 1. *n.* 12.

OBIICIES primò, antequam recipiatur Eucharistiæ Sacramentum, iure diuino præmittenda est confessio ab eo, qui conscientiam habet peccati mortalis, vt superiùs ostendi: ergo Sacramentum pœnitentiæ non videtur institutum post Christi resurrectionem, sed potiùs ante institutionem Eucharistiæ, quæ fuit instituta in vltima cœna, alioquin Apostoli potuissent ad Eucharistiam accedere cum conscientia peccati mortalis.

RESPONDEO, ante sumptionem Eucharistiæ præmittendam esse confessionem de iure diuino à peccatore post institutionem confessionis, non verò ante institutionem ipsius confessionis.

Ex quo fit, vt si quis Apostolorum habuisset conscientiam alicuius peccati mortalis, sicut habebat Iudas, sufficienter se potuisset ad Eucharistiam disponere absque confessione, præmisso contritionis actu. Ratio est, tum quia non fuisset obligatus ad Sacramentum pœnitentiæ suscipiendum, cùm nondum esset institutum: tum quia sicut hoc tempore multi casus conceduntur, in quibus licet communicare non præmissa confessione, sed præmissa solùm contritione: ita multo magis tunc temporis licuisset Apostolis communicare non præmissa confessione, cùm Sacramentum pœnitentiæ nondum esset institutum. Re tamen ipsa Apostoli non habebant conscientiam peccati mortalis, excepto Iuda, sed receperunt Eucharistiam in gratia, vt patet ex illis verbis: *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.*

OBIICIES secundò, Sacerdotes, dum recipiunt sacerdotalem ordinem, simul etiam recipiunt potestatem absoluendi; ergo etiam Apostolis collata videtur potestas absoluendi in vltima cœna, in qua facti fuere Sacerdotes, consequenter pœnitentiæ Sacramentum non videtur institutum post resurrectionem, sed potiùs in vltima cœna.

RESPONDEO Sacerdotes in sacra ordinatione non recipere simul, & eodem actu potestatem consecrandi, & potestatem completam absoluendi, sed diuerso actu, nam ijs verbis: *Accipite potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia, &c.* accipiunt solùm potestatem radicalem absoluendi quæ continetur in charactere, non verò accipiunt potestatem completam absoluendi, sed hanc recipiunt, dum Episcopus dicit: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata*, &c. quo tempore, licèt accipiatur augmentum gratiæ, vt patet, ex verbis quæ proferuntur ab Episcopo: *Accipe Spiritum sanctum, &c.* non tamen confertur nouus character, sed præcedens extenditur, & perficitur ad completam auctoritatem absoluendi conferendam, vt ait Henriquez *lib.* 10. *c.* 6. *nu.* 2. & alij, quos retuli *de Sacramento Ordinis.*

Ex quo patet primò, pœnitentiæ Sacramentum præcipuè institutum fuisse quando Christus dixit: *Accipite Spiritum sanctum, &c.*

5 *An habens tantùm primam potestatem conficiendi corpus Christi, possit à peccatis absoluere.*

5 Secundò eum, qui priorem tantùm potestatem accepit ad conficiendum Christi corpus non posse à peccatis absoluere, nisi etiam recipiat secundam potestatem, illis verbis: *Accipe Spiritum sanctum, &c.* adiuncta simul iurisdictione, de qua infrà. Quamobrem Parochus, qui priorem tantùm potestatem accepit ab Episcopo; ob morbum deficiente, non potest à peccatis absoluere suos parochianos, antequam secunda potestas ei conferatur ab alio Episcopo, vt bene tradit Henriquez *loco citato num.* 3. & alij, quos referam *quæstione vltima.*

OBIICIES tertiò, Christus ante resurrectionem remittebat peccata, nam Magdalenæ dixit, *remittuntur tibi peccata, &c.* ergo pœnitentiæ Sacramentum videtur institutum ante Christi resurrectionem.

RESPONDEO negando consequentiam, nam Christus ante resurrectionem non remittebat peccata per Sacramentum pœnitentiæ, cùm nondum esset institutum, sed sua virtute. Ita Nugnus *quæstion.* 84. *articul.* 3. *dub.* 2. *ad primum*, & alij Doctores suprà citati.

QVÆSTIO III.

De materia Sacramenti Pœnitentiæ.

EX dictis de Sacramentis in genere constat materiam Sacramentorum duplicem esse, remotam scilicet, & proximam, nos hoc loco loquemur priùs de remota, tum de proxima.

PVNCTVM I.

Quæ sit materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

1 *Materia remota Sacramentorum quænam sit.*

1 NOtandum primò materiam remotam Sacramenti esse illam, circa quam versatur materia proxima. Propterea materia remota Baptismi est aqua, quia circa illam versatur materia proxima, id est, ablutio: materia remota extremæ vnctionis est oleum benedictum, quia circa illud versatur vnctio, quæ dicitur materia proxima istius Sacramenti, & sic de cæteris Sacramentis.

2 *Materia quotuplex sit.*

2 Notandum secundò materiam aliam esse, ex qua aliquid fit, qualis est materia hominis, ex qua componitur homo, materia ligni, ex qua conficitur statua, &c. Aliam verò, circa quam, & hæc est duplex: vna circa quam intuendam, vel amplexandam homo versatur, vt paries est materia, circa quam intuendam versatur potentia visiua, & panis est materia, circa quam amplexandam versatur appetitus, &c. Altera verò, circa quam destruendam, & abolendam aliquis versatur, vt indigentia pauperis, est materia, circa quam destruendam versatur misericordia, & peccata sunt materia, circa quam destruendam & abolendam versatur pœnitentia.

VNICA PROPOSITIO.

3 *Materia remota Sacramenti pœnitentiæ quænam sit.*

3 MAteria remota Sacramenti pœnitentiæ sunt peccata. Ratio est, tum quia illa est materia remota Sacramenti pœnitentiæ, circa quam versatur materia proxima, sed materia proxima, cui sunt actus pœnitentis, versatur circa peccata, tanquam circa materiam destruendam; ergo peccata sunt materia remota Sacramenti pœnitentiæ: tum quia materia huius Sacramenti, quod fuit institutum per modum iudicij emendatiui, est illa, quæ est materia iudicij, sed materia remota iudicij sunt crimina delinquentis; ergo materia remota huius Sacramenti sunt peccata pœnitentis, siue peccata considerentur, vt sunt iniuria Dei, siue etiam vt sunt quidam actus habentes adnexam malitiam, &c. Ita S. Thom. 3. *part. q.* 84. *art.* 2. Vasquez *in eandem quæstionem* S. Thom. *artic.* 2 *num.* 1. Nugnus *ibid.* Valentia *tom.* 4. *disput.* 7. *qu.* 1 *punct.* 2. Suarez *disp.* 18. *sect.* 1. Coninchus *de pœnitentia disp.* 4. *dub.* 3. *n.* 27. Henriquez *lib.* 4. *c.* 9. & & *c.* 20. *n.* 4. [Filliucius *tract.* 6. *c.* 3. *quæs.* 1. *n.* 54. Molfesius *tract.* 7. *c.* 4. *n.* 6.] & alij communiter.

Occasione præcedentis propositionis nonnullæ difficultates suboriuntur in sequentibus quæsitis explicandæ.

4 *An peccata ante Baptismum commissa sint materia huius Sacramenti.*

4 QVÆRES primò, vtrùm peccatum originale, aut etiam actuale commissum ante Baptismum, sit materia necessaria, vel sufficiens istius Sacramenti.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, tum quia huiusmodi peccata tolluntur per Baptismum: tum quia illa peccata sunt materia istius Sacramenti, quæ subduntur iurisdictioni, & iudicio Ecclesiæ, cùm hoc Sacramentum institutum sit per modum iudicij. Peccatum autem originale, aut etiam actuale commissum ante Baptismum non subijcitur iurisdictioni, & iudicio Ecclesiæ, cùm homo, dum ea commisit, non esset subditus Ecclesiæ, & Ecclesia non iudicet de illis, qui non sunt subditi, iuxta illud 1. Corinthiorum 5. *Quid mihi de ijs, qui foris sunt?* Tum quia hoc videtur tanquam de fide definitum in Tridentino *sess.* 14. *c.* 1. & 2. vbi dicitur pœnitentiæ Sacramentum institutum esse ad reconciliandos fideles lapsos post Baptismum. Cùm autem peccatum originale, aut etiam actuale commissum ante Baptismum non sit lapsus post Baptismum, sequitur pœnitentiæ Sacramentum non esse institutum ad huiusmodi peccata tollenda, & consequenter huiusmodi peccata non esse materiam huius Sacramenti necessariam, vel sufficientem. Ita Valentia *loco citato, vers. Caterùm.* Medina *C. de Confessione, q.* 5. *ad finem.* Reginaldus *lib.* 6. *n.* 104. Henriquez *lib.* 4. *c.* 9. *n.* 1. & 2. Nugnus 3. *parte, q.* 84. *art.* 2. *vers. ad tertium.* Vasquez *ibid. nu.* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 14. *q.* 1. *art* 2. Pitigianus 2 *parte, dist* 17. *q. vnica, art.* 4. *concl.* 1. [Filliucius *nn.* 55. Molfesius *c.* 4. *nu.* 9.] & alij apud Vasquez *loc. cit.*

5 *An peccata venialia possint esse materia Sacramenti pœnitentiæ.*

5 QVÆRES secundò, vtrùm peccata venialia possint esse materia Sacramenti pœnitentiæ.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, tum quia peccata venialia verè sunt peccata post Baptismum commissa, vt suppono: peccata autem post Baptismum commissa, sunt materia huius Sacramenti, vt constat ex dictis in præcedenti quæsito: tum quia illa est materia remota Sacramenti pœnitentiæ, circa quam versatur materia proxima, id est, actus pœnitentis: sed actus pœnitentis versari possunt circa peccata venialia; ergo peccata venialia possunt esse materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Obserua tamen, peccata venialia non esse materiam necessariam Sacramenti pœnitentiæ, sed sufficientem. Ratio est, tum quia Sacramentum pœnitentiæ necessarium est post naufragium: cùm autem peccata venialia non inducant naufragium, sequitur non esse necessariò subijcienda Sacramento pœnitentiæ, & consequenter non esse materiam necessariam confessionis: tum quia Concilium Tridentinum asserit, peccata venialia omitti posse in confessione absque peccato; ergo non sunt materia necessaria confessionis, nisi fortè pœnitens dubitet esse mortalia, tunc enim tenetur illa subijcere confessioni, vt constabit ex infrà dicendis. Secus si probabiliter putet non esse mortalia, quamuis leuem aliquam coniecturam habeat, aut etiam opinionem in contrarium: possumus enim sequi opinionem probabilem. Ita Syluester *verb. Confessio* 2. *num.* 2. Nauarrus *in Manuali capit.* 21. *numer.* 34. Pitigianus 2. *part.*

*disp.17.q.vnica,art.4.concl.3.& art.11.concl.*3.Reginaldus *loco* ſtatim *citando* [Filliucius *nu.*57.*& ſeq.*] & alij,quos infrà referam.

6 *An teneatur pœnitẽs in confeſſione manifeſtare peccata venialia.*

6 Hinc colligitur primò, pœnitentem non teneri in confeſſione manifeſtare peccata venialia, ſiue habeat ſola venialia, ſiue etiam habeat mortalia ſimul, nam peccata venialia non ſunt materia neceſſaria,ſed tantummodò ſufficiens, vt bene tradit Nauarrus *cap.*7. *num.*6.*& cap.*21.*num.*34.Coninchus *diſp.*4.*dub.*3.*num.* 27. Valentia *loco citato punct.*2.*ad finem.*Henriquez *lib.*4.*cap.*9.*num.*3. *& cap.* 20. *num.*6.Reginaldus *lib.*6.*cap.*4.*num.*92.Suarez *diſp.*18. *ſect.*4. *num.* 8. *&* 9. Nugnus *in additionibus ad* 3.*parte quæſt.*6.*artic.*3.*dub.* 2. & alij communiter.

Neque obſtat *cap.omnis vtriuſque ſexus* in quo expreſsè præcipitur confeſſio omnium peccatorum, hic enim textus ex communi Doctorum explicatione,quos ſequitur Azorius 1.*parte*, *lib.* 7. *cap.* 39. *quæſito* 3. & alij Doctores præcitati, intelligendus eſt de peccatis mortalibus,nam Eccleſia non intendit præcipere confeſſionem,ſed determinare tempus confeſſionis, quæ facienda eſt ex præcepto diuino : præceptum autem diuinum non obligat ad confeſſionem venialium, [ſed mortalium:] vt patet ex allatis rationibus, *verſ. obſerua.*

7 *An pœnitẽs poſſit aliqua peccata venialia confiteri, & alia reticere.*

7 Secundò, pœnitentem habentem plura venialia poſſe aliqua confiteri,& alia reticere,ſi voluerit, non enim ſunt materia neceſſaria, ſed ſufficiens. Idem dicendum de peccatis mortalibus ſemel ritè confeſſis, vt clariùs patebit ex fundamentis *in* 4. *quæſito* adducendis.Ita Sotus *in* 4.*diſt.*18.*quæſt* 2. *art.* 5. Victoria *de Sacramentis n.*166 Reginald.*loc.cit.n.*97.& alij communiter.

8 *An Eccleſia confeſſionẽ venialium præcipere poſſit.*

8 ROGABIS,vtrùm Eccleſia poſſit præcipere confeſſionem peccatorum venialium.

Respondeo affirmatiuè cum S.Thom.*in* 4.*diſt.*5.*art.*2.*quæſt.*5. Nugno *in additionibus ad* 3.*part.q.*6.*art.*3.Sylueſtr.*Confeſſio* 1.*quæſ* 13. Nauarro *de pœnitentia diſt.* 6. *cap. placuit*, *num.* 110. Azorio 1. *parte lib.*7.*cap.*39,*quæſito* 4.Henriquez *lib* 4.*cap.*15.*num.*3. Suarez *diſp.*22. *ſect.*8.*n.* 5. S.Bonauentura *in* 4.*diſt.*17.*art.*4.*qu.*1.[Filliucio *tract.*7. *cap.* 4. *quæſ.*7.*num.* 107.] & alijs apud Reginald. *lib.*6.*num.*44.*& num.* 106. apud Suarez *loc. cit. num.* 2. apud Vaſquez *quæſt.* 90. *art.* 2. *dub.* 3. contra Coninchum ex parte *diſp.* 5. *dub.* 5. *num* 52. Sotum *in* 4.*diſp.*18.*quæſt.*1.*art.*3.& alios apud Suarez,& apud Azorium *loc. citat.* Ratio eſt, quia Eccleſia poteſt plura præcipere ad vtilitatem fidelium ; ergo etiam poterit præcipere confeſſionem venialium, quæ eſt opus religioſum, & non excedit materiam præcepti.

Obiicies. Si Eccleſia præcipere poſſet confeſſionem venialium, poſſet etiam præcipere confeſſionem omnium venialium: cùm autem Eccleſia non poſſit præcipere confeſſionem omnium venialium, ſequitur, neque poſſe præcipere ſimpliciter confeſſionem venialium.

Respondeo negando ſequelam maioris propoſitionis. Ratio eſt, tum quia ſicut aliquis non poteſt ſe per votum obligare ad confeſſionem omnium venialium, vt ait Sotus *loc. citat.* & alij, quos retuli *de voto* ; ita neque poteſt obligari ab Eccleſia, cùm par videatur ratio:tum quia nullus poteſt ad impoſſibile obligari : impoſſibile autem videtur omnia venialia in memoriam reuocare, & conſequenter omnia confeſſioni ſubijcere:tum quia confeſſio omnium venialium non eſt neceſſaria ad integritatem Sacramenti,aut ad ipſius vſum, & ſuſceptionem, vt diximus in 2. illatione ; ergo Eccleſia non poteſt illam præcipere directè,vel indirectè, quamuis præcipere poſſit abſolutè, & ſimpliciter confeſſionem venialium, quia hæc valdè vtilis,& conueniens eſſe poteſt ab bonum aliquem finem conſequendum, vt ad placandum Deum in publica aliqua neceſſitate, ad maiorem gratiam recipiendam, ad obſeruationem diſciplinæ Monaſticæ, &c. Ita Suarez *loc. cit. num.* 7. Nauarrus *in ſumma cap.*21.*num.*34. Vaſquez *loc. cit. num.* 17. Reginaldus & alij *loc.cit.*

9 *An peccatũ dubium ſit materia ſufficiens huius Sacramenti.*

9 QVÆRES tertiò,vtrùm peccatum dubium ſit materia ſufficiens Sacramenti pœnitentiæ.

Respondeo negatiuè; quia materia iſtius Sacramenti eſt peccatum, quod veré ſit peccatum, ſicut materia reliquorum Sacramentorum eſt materia certa, vt in Baptiſmo aqua naturalis, in Euchariſtia panis triticeus, &c. Peccatum autem dubium non dicitur reuera peccatum ; cùm dubitetur, an ſit peccatum ; propterea curandum eſt,vt quando pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipitur, adhibeatur materia certa, vt à ſimili patet in cæteris Sacramentis, & quamuis habens peccatum mortale dubium debeat illud confiteri, vt ſuperiùs oſtendimus de diſpoſitionibus ad Euchariſtiam requiſitis ; nihilominus peccatum dubium non eſt per ſe materia ſufficiens : ita vt Confeſſarius debeat abſolutè, & ſimpliciter impendere abſolutionem pœnitenti, à quo non poteſt extorquere materiam certam. Propterea Confeſſarius prudenti iudicio perpendere debet,num abſolutionem conferre debeat, poſita materia tantummodò dubia; quòd ſi manente dubio de peccato iudicauerit abſolutionem impendendam, impendat ſub conditione, ſi eſt materia ſufficiens.Ita Suarez *diſp.*18.*ſect.* 1. *num.* 12.Sanchez *in ſumma lib.*1. *cap.* 10.*num.*70. [Filliucius *tract.*6. *cap.* 3.*quæſito* 5. *num* 60.] & alij.

Hoc tamen intelligendum eſt, quando pœnitens dubius eſt de facto,id eſt,quando dubitat ſe admiſiſſe tale peccatum, nam ſi pœnitens ſciat ſe tale peccatum commiſiſſe, & dubius tantummodo ſit de grauitate peccati, an videlicet peccatum ſit mortale, non tenetur aliam materiam exhibere, modò non habeat conſcientiam alterius peccati mortalis. Ratio eſt, quia iam exhibuit materiam certam, ſiue illa ſit peccatum mortale, ſiue veniale. Ita Sanchez *loco citato*, *num.* 70. Zerola *de pœnit. cap.* 10. *quæſito* 34. & alij.

10 *An peccata dimiſſa poſſint eſſe materia nouæ confeſſionis.*

10 QVÆRES quartò, vtrùm peccata ſemel dimiſſa poſſint eſſe materia nouæ confeſſionis.

Respondeo affirmatiuè. Ratio eſt,tum quia pœnitens, qui ea commiſit,& remiſſionem ſemel obtinuit,adhuc eſt ſubditus Eccleſiæ;ergo adhuc iudicati poterit ab Eccleſia, ſi voluerit : tum quia circa huiuſmodi peccata poteſt adhuc verſari materia proxima, id eſt, actus pœnitentis; & quamuis abſolutio non poſſit iterari ſuper eadem materia proxima, vt infrà oſtendam,tamen iterari poteſt ſuper materia remota, quæ ſunt peccata: ſicut enim eadem numero aqua, quæ eſt materia remota Baptiſmi, poteſt adhiberi in adminiſtratione plurium baptiſmatum ; ita eadem peccata poſſunt inſeruire pro materia plurium Sacramentorum pœnitentiæ, modò adſit diſtincta materia proxima, id eſt, diſtinctus dolor, & diſtincta confeſſio. Ita Suarez *diſt.*18. *ſect.*1.*nu.*7. Vaſquez 3. *parte qu.*91. *art.*3. *dub.*7.*& qu.*92. *art.*3, *dub.*5. *num.*10. Zerola *in praxi de Sacramento pœnitentiæ cap.* 13. *quæſito* 30. Nauarrus *cap.* 21. *num.* 42. Coninchus *diſp.*4. *dub.* 3. *nu* 27. Caietanus *verb. Abſolutio,cap.*2. Sotus *diſt.*18. *qu.*4. *art.*3. [Filliucius *num.*58.*&* 98.] & alij apud Henriquez *lib.*4.*cap.*9. *nu.*4. & apud Reginaldum *lib.*6.*nu.*94. contra Scotum *diſt.*19.

An vero poſſit aliquis obligari ad iterum confitenda peccata mortalia ſemel ritè confeſſa, patebit ex dicendis de abſolutione reſeruatorum, & de forma abſolutionis.

11 *An pœnitẽs poſſit aliqua peccata dimiſſa confiteri, & aliqua reticere*

11 An verò pœnitens poſſit aliqua peccata ſemel ritè confeſſa manifeſtare in confeſſione, & alia reticere.

Reſpondetur affirmatiuè; tum quia huiuſmodi peccata non ſunt materia neceſſaria, ſed ſufficiens: tum quia nullo iure conſtat, pœnitentem teneri ad peccata ſemel ritè confeſſa iterum exponenda in confeſſione. Ita Sotus *loco cit.qu.*2.*art.*5.Reginaldus *num.*97. Victoria *loco cit.* & alij.

Addo cum Reginaldo *num.* 98. Soto, Victoria, & alijs *loc. citat.* liberum eſſe pœnitenti partem peccatorum ſemel ritè confeſſorum manifeſtare hodie, & partèm cras in diſtinctis confeſſionibus, ſiue confeſſiones fiant vni, & eidem Sacerdoti, ſiue diuerſis, non enim ſunt materia neceſſaria, ſed ſufficiens, vt in ſimili dixi de peccatis venialibus.

PVNCTVM II.

Quenam ſit materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ.

VNICA PROPOSITIO.

Materia proxima Sacramenti pœnitentiæ quænam ſit.

1 MAteria proxima Sacramenti pœnitentiæ ſunt actus pœnitentis, videlicet contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Ita S. Thom. *qu.*84.*art.*1. Nugnus *ibidem*, Sayrus *lib.*1. *de Sacramentis cap.* 3.*qu.vnica,art.*7.*verſic. Ad primum.* Coninchus *diſp.*4.*dub.*4.*num.*32. Suarez *diſp* 18. *ſect.*3. Henriquez *lib.*4.*ca.*9.*&* 10.Valentia *loco ſuprà citato*, [Molfeſius *tract.*7.*c.*4. *num.*14.*& ſeqq.*] & alij communiter, contra Durandum *in* 4. *diſt.*17.*qu.*2. dicentem ſolam confeſſionem eſſe materiam.

Hæc propoſitio conſtat tum ex Trident. *ſeſſ.*14. *cap.*3. & ex Florentino *in decreto de vnione*, vbi habetur, hos tres actus eſſe materiam Sacramenti pœnitentiæ : tum quia illa eſt materia proxima iſtius Sacramenti, quæ eſt materia iudicij emendatiui ; Sacramentum enim pœnitentiæ exercetur per modum iudicij emendatiui, & reconciliatiui, vt patet ex illis verbis Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. Materia autem iudicij emendatiui eſt accuſatio, dolor, & ſatisfactio, nam ad iudicium emendatiuum requiritur accuſatio rei, & manifeſtatio delicti, quæ conſiſtit in confeſſione.Præterea requiritur,vt reus ſua delicta manifeſtet cum dolore, alioquin manifeſtatio peccatorum deficiente dolore,quem in Sacramento pœnitentiæ intelligo nomine contritionis, eſſet ſimplex narratio, vel gloriatio in delictis.

Neque obſtat dicere, dolorem in Sacramento pœnitentiæ non eſſe ſenſibilem, nam quamuis dolor in ſe ſit ſpiritualis, & non ſenſibilis, tamen fit ſenſibilis per coniunctionem, & ordinem ad confeſſionem, & ad ſigna externa. Denique ſicut in iudicio iniungitur pœna, vt delinquens retrahatur in futurum à peccatis, & cæteri deterreantur, ita etiam in Sacramento pœnitentiæ iniungenda eſt pœna ſatisfactoria, quam intelligo nomine ſatisfactionis.

Obiicies primò, Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. dicit hos tres actus eſſe quaſi materiam; ergo verè non ſunt materia Sacramenti pœnitentiæ.

Respondeo primò, particulam, *quaſi*, non adhiberi ad diminuendam proprietatem rei, ſicut enim *Ioan.* 1. Chriſtus appellatur quaſi vnigenitus, quamuis ſit proprie vnigenitus; ita iſti tres actus dicuntur à Concilio quaſi materia, quamuis ſint propria materia. Ita Henriq.*in ſumma lib.*4.*cap.*10.*nu.*3.*in commentario littera V.*

Respondeo ſecundò,iſtos tres actus appellari quaſi materiam ad diſtinctionem aliquorum Sacramentorum, quæ habent pro materia rem extrinſecus appoſitam, & apparentem, qualis eſt aqua in Baptiſmo, panis in Euchariſtia, &c. cùm autem actus pœnitentis non ſint res extrinſecus appoſita, & viſibilis, dicuntur quaſi materia, non quia non ſint propria materia, ſed quia non ſunt materia extrinſeca, & viſibilis, ſicut eſt materia Baptiſmi Euchariſtiæ,&c. Ita Catechiſmus Pij V. *de Pœnitentia.* Henriquez *loco citato*, Bellarminus *lib.*1.*de pœnitentia cap.*15.*propoſitione* 3.Sotus *in* 4. *diſt.* 14.*qu.* 1. *art.*2.Coninchus *diſp.*4.*dubio* 4.*n.*35.*ad finem*, & alij communiter.

Obiicies ſecundò. Materia præſupponitur formæ,ſed ſatisfactio non præſupponitur formæ, id eſt, abſolutioni ſacramentali, cùm ſatisfactio adimpleatur poſt abſolutionem; ergo ſatisfactio non eſt materia Sacramenti pœnitentiæ,conſequenter materia proxima Sacramenti pœnitentiæ non ſunt tres actus pœnitentis.

Respondeo, materiam non ſemper præſupponi formæ,vt patet in Baptiſmo, qui validè poteſt adminiſtrari, etiamſi forma Baptiſmi proferatur, & deinde ſtatim fiat ablutio.

2 *An omnes actus pœnitentis ſint partes eſſentiales Sacramenti pœnitentiæ.*

2 QVÆRES primò, vtrùm confeſſio,& contritio, qui ſunt actus pœnitentis, ſint partes, non ſolùm integrales, verùm etiam eſſentiales Sacramenti pœnitentiæ.

Respondeo, contritionem, & confeſſionem eſſe partes eſſentiales ad diſtinctionem ſatisfactionis à Confeſſario iniunctæ, quæ eſt pars integralis. Ratio eſt, quia illæ ſunt partes integrales alicuius rei,quæ ita componunt rem aliquam,vt ſine illis res compoſita retineat

retineat adhuc suam essentiam : illæ verò sunt partes essentiales alicuius rei, sine quibus res illa non saluatur in sua essentia. Sed Sacramentum pœnitentiæ in sua essentia, non saluatur sine dolore, & confessione : ergo confessio, & dolor, seu contritio sunt partes essentiales Sacramenti pœnitentiæ. Secus dicendum est de satisfactione, cùm essentia Sacramenti saluetur sine satisfactione, vt ostendam in 2. quæsito.

3 *An Confessio sit de essentia huius Sacramenti*

3 Hinc patet primò, confessionem esse de essentia Sacramenti pœnitentiæ, sicut enim manifestatio delicti in iudicio est de essentia iudicij, ita confessio, quæ est quædam delicti manifestatio, est de essentia Sacramenti pœnitentiæ, quod per modum iudicij exercetur, & hoc certum est apud omnes Doctores aliquos.

4 *An Contritio sit de essentia huius Sacramenti*

4 Secundò contritionem, seu dolorem aliquem esse de essentia Sacramenti pœnitentiæ. Ita S. Thom. *quæst.* 84. *artic.* 1. *ad primum.* Suarez *disput.* 20. *sect.* 3. *num.* 8. Valentia *loco suprà citato.* Henriquez *lib.* 4. *c.* 10. *n.* 2 Coninchus *de pœnitentia disp.* 4. *dub.* 4. *n.* 34. [Filliucius *tract.* 7. *c.* 6. *quæs.* 5. *n.* 148.] & alij contra Vegam *lib.* 13. in Trident. *cap.* 14. & alios. Ratio est, tum quia de ratione confessionis sacramentalis est, vt sit accusatio sui ipsius, vt concedunt communiter Doctores, & constat ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. & 5. alioquin confessio esset simplex, & historica narratio: non potest autem esse accusatio sui ipsius sine aliquo dolore, tum quia idcirco pœnitens confitetur, seque ipsum accusat de crimine, vt crimen auferatur, & ipsius absolutionem obtineat, sed non potest quis habere intentionem, vt crimen auferatur, & deleatur in iudicio emendatiuo, nisi illud aliquo modo detestetur, & odio habeat; ergo de ratione confessionis est aliqua detestatio, seu dolor : tum quia non potest quis suscipere Sacramentum pœnitentiæ, nisi habeat intentionem illius suscipiendi, & consequenter nisi habeat intentionem tacitam, & voluntatem implicitam suscipiendi illius effectum, qui est remissio peccatorum. Nullus autem potest velle remissionem peccatorum, nisi aliquo modo illa oderit, & detestetur, & ab eorum affectu recedat, & consequenter nisi habeat aliquem dolorem peccatorum.

Neque obstat dicere, istius doloris nullam fieri mentionem in Concilijs, & consequenter hunc dolorem non esse partem essentialem Sacramenti pœnitentiæ.

Respondetur enim, Concilia sufficientem istius doloris mentionem fecisse, dum asseruerunt ad confessionem requiri sui ipsius accusationem, quam diximus non subsistere sine aliquo dolore. Quamquam Concilia frequentiùs mentionem fecerunt doloris, qui est pars tantùm integralis, vt indicarent Sacramentum non solùm validè recipiendum esse, verùm etiam cum fructu, dolor enim qui est pars integralis, requiritur ad Sacramentum cum fructu recipiendum. Ita Suarez *loco citato.* [Filliucius.] & alij.

5 *Qualis dolor requiratur ad valorem Sacramenti pœnitentiæ.*

5 Sed modò difficultas est, qualis dolor requiratur ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, quæ difficultas tria continet dubiola. Primum est, vtrùm ad valorem Sacramenti requiratur dolor formalis. Secundùm, vtrùm requiratur dolor naturalis. Tertiùm, vtrùm requiratur vera attritio.

6 *An requiratur dolor formalis.*

6 Ad primum, vtrùm scilicet requiratur dolor formalis, respondeo ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiri dolorem formalem. Ratio est, tum quia ad Sacramenta conficienda requiritur illa materia quæ fuit à Christo instituta, sed pro materia Sacramenti pœnitentiæ à Christo fuit institutus dolor formalis, vt constat ex Concilijs Florentino, & Tridentino, quæ dum assignant partes essentiales istius Sacramenti, mentionem faciunt doloris formalis; ergo ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiritur dolor formalis : tum quia si dolor virtualis sufficeret ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, sufficeret etiam in Eucharistia vinum virtuale, aut panis virtualis, consequenter valida esset consecratio in vua, & in tritico, cùm triticum sit panis virtualiter, & vua sit vinum virtualiter : sed falsum est in Eucharistia sufficere vinum virtuale, & panem virtualem; ergo etiam falsum est ad Sacramentum pœnitentiæ sufficere dolorem virtualem. Ita Suarez *disp.* 20. *sect* 4. Connich. *disp.* 4. *dubio* 5. *num.* 39. [Filliucius *tract.* 7. *c.* 6. *q.* 2. & 7. & alij, contra Sylueſtrum, Paludanum, Sotum & alios apud Suarez *loco cit. num.* 3.]

7 *An recipiat Sacramentum, qui solum habet actum dilectionis Dei.*

7 Ex quo sequitur primò, illum non recipere Sacramentum pœnitentiæ, qui cum solo actu dilectionis Dei accedit ad pœnitentiæ Sacramentum suscipiendum, non enim habet dolorem formalem, nec eam exhibet materiam, quam Christus instituit, & quam Concilia, & Patres dicunt requiri de necessitate Sacramenti. Verùm si aliquis accederet ad Sacramentum cum solo actu dilectionis Dei, posset à peccato excusari ob ignorantiam, vel inaduertentiam, nam hoc faceret bona fide, & implicat aliquem habere actum dilectionis Dei super omnia, & grauiter peccare, non tamen reciperet Sacramentum pœnitentiæ cum solo dilectionis actu, vt patet ex ratione allata.

Vtrùm verò ad fructum Sacramenti pœnitentiæ requiratur dolor formalis vel sufficiat virtualis, infrà explicabo.

8 *An valeat confessio peccatorum venialium sine dolore.*

8 Secundò sequitur, non esse validam confessionem venialium factam sine vllo dolore: quamuis enim homo non teneatur ad confitenda peccata venialia, tamen si velit aliqua confiteri, tenetur illorum, quorum intendit absolutionem obtinere, dolorem formalem habere, cùm aliquis dolor formalis sit de essentia istius Sacramenti. Ita Viualdus *cap. de contritione, num.* 9. Suarez *disp.* 20. *sect.* 6. *n.* 4. & 5. Reginaldus *lib.* 5. *num.* 47. & 60. Henriquez *lib.* 4. *c.* 26. *n.* 7. Graffius *lib.* 1. *decisionum c.* 16. *n.* 4. & alij.

Ex quo vlteriùs patet, ad validam confessionem venialium non sufficere actum dilectionis Dei, quia dilectio non est dolor formalis, nec est talis dispositio, qualem Concilia, & Patres requirunt. Ita Henriquez *loc. citat. in commentario littera T.* & alij Doctores citati.

9 *An requiratur dolor supernaturalis.*

9 Ad secundum dubium, vtrùm scilicet ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiratur dolor supernaturalis, vel sufficiat dolor naturalis, respondeo non requiri dolorem supernaturalem, sed sufficere naturalem ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ. Ratio est, tum quia Christus pro materia Sacramentorum instituit rem naturalem, vt aquam naturalem, panem naturalem, oleum naturale, &c. ergo etiam dolorem naturalem : tum quia cum dolore naturali possunt concurrere omnes partes necessariæ, & fieri potest vera accusatio, cum vera sententia. Ita Victoria *de Sacramentis, num.* 144. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 26. *n.* 2. *littera D.* vbi refert Canum, Sotum, Ledesmam, Capreolum, Caietanum, Paludanum, Nauarrum, Sylueſtrum, Couarruuiam, Pennam, & alios. Iterum idem asserit idem Henriquez *lib.* 5. *cap.* 11. *n.* 1. [& Filliucius *tract.* 7. *c.* 6. *quæst.* 2. & 8.] contra Suarez *disp.* 20. *sect.* 4 *num.* 16. Coninchum *disp.* 4. *dub.* 5. *n.* 4. & alios.

Concedo quidem ad valorem Sacramenti, & ad ipsius fructum sufficere contritionem, aut attritionem supernaturalem, quæ perfectior est actu naturali, sed nego eam requiri, & non sufficere dolorem naturalem ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ, quamuis ad ipsius fructum requiratur dolor supernaturalis, vt infrà suo loc. explicabo.

10 *Concilia quámnam attritionem requirant.*

10 Hinc colligi potest primò, Concilia, dum asserunt ad Sacramentum requiri attritionem, quæ est donum Dei, & consequenter actus supernaturalis, loqui de attritione requisita ad fructum.

11 *An valeat Sacramentum pœnitentiæ quãdo quis bona fide recipit absolutionem cum attritione naturali.*

11 Secundò colligitur, validum esse pœnitentiæ Sacramentum, quando pœnitens bona fide accedit ad accipiendam absolutionem cum sola naturali attritione; Sacramentum tamen est informe, & non confert fructum, vt inferius ostendam, illud enim dicitur Sacramentum informe, quod non est coniunctum cum gratia, & charitate, cùm charitas dicatur forma omnium virtutum, sicut ex opposito Sacramentum pœnitentiæ dicitur formatum, quando [coniunctum] est cum charitate, quæ gratiam comitatur. Ita Henriquez *lib. quart. capit.* 26. *numer.* 1. [Filliucius *numer.* 165.] & alij.

12 *An requiratur vera attritio.*

12 Ad tertium dubium, vtrùm scilicet requiratur vera attritio, respondeo ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ non requiri, vt dolor, qui est pars essentialis Sacramenti, sit vera attritio. Ratio est, tum quia ad validitatem Sacramenti sufficit dolor naturalis: vera autem attritio est dolor supernaturalis, vt patebit ex infrà dicendis: tum quia Sacramentum pœnitentiæ potest esse informe defectu doloris, id est, potest esse Sacramentum, quamuis non operetur suum effectum, id est, quamuis gratiam non conferat. Si autem dolor, qui est pars essentialis, deberet esse vera attritio, numquam daretur Sacramentum pœnitentiæ informe, quia posita vera attritione Sacramentum producit suum effectum, vt patet ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4 & 5. Ita nonnulli recentiores contra Suarez *loco citato, num.* 6. Coninchum *disp.* 4. *dub.* 5. *num.* 40. & *dub.* 11. *num.* 70. Vasquez *quæst.* 92. *artic.* 2. *dubio vnico, folio mihi* 273. *numer.* 13. & alios.

13 *An dolor efficax esse debeat.*

13 Addunt Suarez *loco citat. num.* 7. Caietanus *verb. Confessio ex parte confessi iteranda,* [Nauarrus *cap.* 9. *num.* 10. Filliucius *tract.* 7. *cap.* 6. *quæs* 6. & alij,] dolorem, qui est pars essentialis, debere esse efficacem, vt videlicet excludat voluntatem absolutam peccandi in futurum.

Alij verò, vt Canus, Aureolus, Paludanus, & alij quàm plures apud Henriquez *lib.* 4. *cap.* 21. *nu.* 7. putant sufficere dolorem inefficacem, id est, velleitatem non peccandi de cætero: nam talis dolor requiritur, qui sufficiat ad veram accusationem; ad veram autem accusationem sufficit dolor inefficax.

Sed mihi in hac parte probatur sententia Suarez, & aliorum, quos sequitur Henriquez *loco citato.* asserentium, requiri dolorem efficacem. Ratio est, tum quia ad hoc Sacramentum requiritur vera accusatio: sed non potest esse vera accusatio in iudicio reconciliatiuo sine dolore efficaci per quem excludatur propositum peccandi; ergo requiritur dolor efficax : tum quia non est verosimile, illam confessionem validam esse, cui sit adiunctum propositum, & complacentia peccati mortalis : sed confessio cum sola velleitate potest esse cum proposito peccandi mortaliter, cùm non repugnet aliquem nolle inefficaciter peccare, & habere complacentiam peccati, vt per se patet; ergo, &c. Tum quia ex Tridentino *sess.* 24. ad confessionem requiritur dolor, qui voluntatem peccandi excludat: dolor autem inefficax non excludit voluntatem peccandi, cùm aliquis possit peccare, & habere velleitatem non peccandi, vt diximus in secunda ratione.

14 *An satisfactio sit pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ.*

14 QVÆRES secundò, vtrùm satisfactio sit pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, vel tantummodò integralis.

Respondeo satisfactionem, quæ iniungitur à Confessario, non esse partem essentialem, sed integralem. Ita S. Tho. 3. *parte qu.* 90. *art.* 2. & 3. Suarez *disp.* 38. *sect.* 1. *nu* 3. Sotus *in* 4. *dist.* 17. *qu.* 1. *art.* 3. Coninchus *disp.* 4. *dub.* 7. *nu.* 47. & 48. Capreolus, Canus, & alij apud Suarez *loc. citat.*

Quòd satisfactio non sit pars essentialis, patet, quia illa est pars essentialis Sacramenti, sine qua essentia Sacramenti non saluatur; essentia autem Sacramenti saluatur sine satisfactione exhibita. Immò Sacramentum ante satisfactionem expletam confert suum effectum, id est, remissionem culpæ, vt patet in eo, qui facta confessione, & obtenta absolutione statim moritur, antequam adimpleat pœnitentiam, vel eam recipiat.

Aliqui tamen Doctores, inter quos enumeratur Henriquez *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 1. putant satisfactionem esse partem essentialem, quatenus aliqua satisfactio continetur in actu doloris, & accusationis, quem actum diximus esse partem essentialem, & hæc opinio probabilis est, & nobis non aduersatur, cum nos loquamur de satisfactione iniuncta à Confessario: non verò de illa, quæ in voluntate confitendi, seque accusandi continetur, nec ab eo realiter distinguitur.

Quòd verò satisfactio iniuncta à Confessario sit pars integralis, ratio est, tum quia satisfactio est pars materiæ proximæ Sacramenti pœnitentiæ, vt diximus in propositione : sed non est pars essentialis; ergo saltem est pars integralis: tum quia ad integritatem iudicij pertinet punitio, seu satisfactio pro delicto. Cùm ergo Sacramentum exerceatur per modum iudicij, sequitur ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ pertinere satisfactionem.

Obiicies, illa non est pars integralis Sacramenti, sine qua completum existit Sacramentum : sed sine satisfactione completum, & perfectum aliquando existit Sacramentum, vt quando quis accepta absolutione statim moritur, antequam satisfactio

iniungatur; ergo satisfactio non videtur pars integralis Sacramenti pœnitentiæ.

RESPONDEO, Sacramentum pœnitentiæ non esse completum quo ad omnes partes integrales sine satisfactione, vt patet ex allatis rationibus, consequenter ex hoc argumento solùm colligitur, pœnitentiæ Sacramentum aliquando recipi sine actuali satisfactione, non verò ipsum esse integrum & perfectum sine satisfactione.

15 *Cur tres actus tantùm pœnitentis fuerint instituti pro materia proxima huius Sacramenti.*

15 QVÆRES tertiò, qua de causa tres actus tantùm pœnitentis, & non plures fuerint instituti pro materia proxima Sacramenti pœnitentiæ.

RESPONDEO, duas assignari posse rationes, seu congruentias præcipuas.

Prima est, quia hoc Sacramentum exercetur per modum iudicij reconciliatiui; ad iudicium autem reconciliatiuum isti tres actus requiruntur.

Secunda est, quia cùm Deus offendatur corde, ore, & opere, par fuit, vt aliquid institueretur, per quod possemus Deo satisfacere corde, ore, & opere: corde per contritionem, ore per confessionem, & opere per satisfactionem. Ita Zerola *de pœnitentia, cap. 4. quæsit. 3.* Cathechismus Pij V. *de pœnitentia*, & alij communiter.

16 *Quinam ordo seruandus sit circa tales actus.*

16 QVÆRES quartò, quinam ordo seruandus sit circa actus recensitos, dubium enim est primò, vtrùm dolor, qui tempore antecedit confessionem, sufficiat ad Sacramentum pœnitentiæ.

Secundò, vtrùm necesse sit, vt dolor antecedat ipsam confessionem.

Tertiò, vtrùm necesse sit, vt confessio, & dolor antecedant absolutionem.

Quartò, vtrùm satisfactio iniungenda sit ante, vel post absolutionem.

17 *An dolor tempore antecedens cõfessionem sufficiat.*

17 Ad primum DVBIVM, vtrùm scilicet dolor tempore antecedens confessionem sufficiat ad pœnitentiæ Sacramentum suscipiendum.

RESPONDETVR sufficere, si formaliter, aut virtualiter referatur ad confessionem, vt si quis doleat de peccatis cum proposito illa confitendi, vel cum dolore recogitet peccata sua, vt ea confiteatur, deinde virtute illius propositi, seu intentionis confiteatur illa peccata. Ratio, cur huiusmodi dolor sufficiat, est, quia sicut absolutio datur aliquando, etiamsi multis antè diebus præcesserit confessio, quę censetur moraliter præsens Confessario, quatenus Confessarius recordatur peccatorum in confessione exceptorum, vt ait Henriquez *lib. 4. cap. 10. num. 4.* & Vasquez *3. parte quæst. 67. art. 6. disp. 148. cap. 7. num 56 vers. Id quod diximus.* Ita potest impendi absolutio, licèt dolor præcesserit confessionem, moraliter enim coniungitur confessioni, quæ fit virtute illius doloris antea eliciti, & illa confessio censetur accusatoria, cùm fiat virtute præcedentis doloris relati ad confessionem.

Ex quo patet, cum, qui ante confessionem recogitauit peccata sua cum dolore, & postea virtute illius præcedentis recogitationis, & doloris confitetur peccata sua, obtinere Sacramentum pœnitentiæ, quamuis postea in confessione ob distractionem, vel ob aliam causam non renouet dolorem. Ita Suarez *disp. 20 sect. 4. n 29.* Coninchus *de pœnitentia disp. 4. dub. 6.* Sotus *in 4. dist. 17. q. 2. artic. 3. vers. finem*, Zerola *de pœnitentia cap. 7. quæsito 15.* Reginaldus *lib. 5. num. 54.* & alij.

18 *An dolor præcedere debeat confessionem.*

18 Ad secundum dubium, vtrùm scilicet dolor præcedere debeat confessionem; respondetur non opus esse, vt dolor tempore antecedat ipsam confessionem, sed sufficere, vt eliciatur in ipsamet confessione, vel etiam facta confessione, antequam pœnitens absoluatur. Ita Suarez *disp. 20 sect. 4. num. 31.* [Filliucius *tract. 7. cap. 6. qu. 9. n. 158.*] & alij contra Coninchum *disp. 4. dub 6. num. 44.* & nonnullos alios recentiores.

Ratio, cur non sit opus, vt dolor antecedat confessionem, est, tum quia vsu receptum est, vt pœnitens facta confessione excitetur ad detestationem, & dolorem peccatorum, antequam ipsi sacramentalis absolutio impendatur; ergo signum est non opus esse, vt dolor tempore præcedat confessionem, sed sufficere, siue dolor antecedat confessionem, & non sit reuocatus, siue ipsam comitetur, siue ipsam subsequatur, modò eliciatur ante absolutionem: tum quia si necesse est, vt dolor antecedat confessionem, maximè vt confessio rationem habet accusationis, & non simplicis narrationis, sed confessio videtur habere sufficientem rationem accusationis per actum doloris subsequentem, cum quo subijcitur absolutioni, vt patet in iudicio reconcialiatiuo, in quo potest aliquis priùs manifestare suum delictum, & deinde signa doloris exhibere; ergo non est necesse, vt dolor tempore antecedat confessionem, sed sufficit, vt eliciatur in ipsamet confessione, vel etiam facta confessione, antequam obtineatur absolutio.

OBIICIES primò, ad Sacramentum confessionis non sufficit quælibet narratio peccatorum, sed requiritur manifestatio peccatorum cum accusatione: non potest autem esse manifestatio cum accusatione, nisi dolor tempore precedat manifestationem, seu confessionem; ergo dolor debet tempore præcedere confessionem.

RESPONDEO manifestationem peccatorum non esse simplicem narrationem, sed habere rationem accusationis, quatenus coniungitur cum dolore qui in actu confessionis, vel statim facta confessione elicitur, antequam obtineatur absolutio. Ita Suarez *loc. cit.* & alij.

OBIICIES secundò, cum Coninchо *loco citato*, dolor, vt sit pars Sacramenti, debet esse pars sensibilis, sed si non eliciatur ante confessionem, non fit sensibilis, cùm fiat sensibilis per confessionem, quatenus actus internus fit sensibilis per externum.

RESPONDEO fieri sensibilem, quatenus hîc, & nunc elicitur ante absolutionem, & informat præcedentem confessionem eámque efficit accusatoriam, & concurrit ad Sacramentum. Ita innuit Suarez *loco citato ad finem, num 31.* Vel dicas hinc solùm sequi, dolorem, qui solùm facta confessione elicitur, debere per aliqua exteriora signa manifestari, vt fiat pars Sacramenti.

19 *An recipiat Sacramentum pœnitentiæ, qui ante confessionem elicuit dolorem, sed illum elicuit inter confitendum, aut statim post confessionem ante absolutionem. Secus dicendum est, si eum eliciat incepta forma absolutionis, aut post absolutionem, nam absolutio ferri debet super debitam materiam, non adest autem debita materia sine dolore, cùm materia proxima Sacramenti pœnitentiæ sint actus pœnitentis, inter quos enumeratur contritio, seu dolor tanquam pars essentialis.*

19 Ex dictis sequitur, eum recipere Sacramentum pœnitentiæ, qui ante confessionem non elicuit dolorem, sed illum elicuit inter tempus pœnitentiæ, qui ante confessionem non elicuit doloris actum, sed illum tempore Cõfessionis elicit.

OBIICIES, forma Baptismi potest proferri, antequam infans abluatur, quamuis ablutio sit materia proxima Baptismi; ergo etiam potest proferri forma absolutionis, antequam eliciatur actus doloris, qui est materia proxima Sacramenti pœnitentiæ.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia hoc Sacramentum administratur per modum iudicij reconciliatiui, in iudicio autem reconciliatiuo, antequam absolutionis sententia obtineatur, præsupponitur cognitio causæ, & dolor, Baptismus verò non administratur per modum iudicij.

20 *An Confessio, & dolor debeant præcedere absolutionem.*

20 Ad tertium DVBIVM, vtrùm scilicet confessio, & dolor præcedere debeant absolutionem.

RESPONDETVR affirmatiuè cum Suarez *loco citato n. 30.* & alijs communiter. Ratio est, quia Sacramentum pœnitentiæ exercetur per modum iudicij reconciliatiui, in quo pœnitens per sententiam Sacerdotis absoluitur à peccatis, sed in iudicio reconciliatiuo, ante iudicis sententiam requiritur cognitio causæ cum accusatione rei; ergo in Sacramento pœnitentiæ ante sententiam Sacerdotis, id est, ante absolutionem, requiritur cognitio causæ, quæ fit per confessionẽ, cum accusatione, quæ fit per detestationẽ, & dolorem.

21 *An satisfactio iniungenda sit ante, vel post absolutionem.*

21 Ad quartum, vtrùm scilicet satisfactio iniungenda sit ante, vel post absolutionem. Respondetur liberum esse Confessario iniungere pœnitentiam ante, vel post absolutionem, nisi timeatur fore, vt pœnitens obtenta absolutione non acceptet iustas pœnitentias. Ratio est, quia nihil refert, siue iniunctio pœnitentiæ antecedat, siue subsequatur absolutionẽ, vt constat in iudicio reconciliatiuo, modò impositio pœnitentiæ moraliter coniungatur cum absolutione. Ita Sylvester *verb. Confessor 4. n. 1.* Suarez *de pœnitentia disp 38. sect. 3. num. 5.* Henriquez *lib. 2. cap. 22. n. 10.* Angelus *verb. Confessio 5. num. 2.* Nauarrus, S. Antoninus, & alij apud præcitatos Doctores contra Iossam *cap. finali in Clementin. Dudum.*

Caueat tamen Confessarius, ne pœnitentiam statim post confessionem adimplendam iniungat, quando pœnitentia talis naturę est, vt secretò fieri non possit, Confessarius enim curare debet, ne cæteri videntes fieri graues pœnitentias statim post confessionem, vel paulò pòst; suspicentur eas fieri ob grauia peccata, in confessione expressa, & non publica. Ita Nauarrus *cap. 8. n. 17.* Rodriquez *cap. 56. num. 3.* & alij, quos referam *de sigillo confessionis.*

QVÆSTIO IV.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

PLura nobis quęrenda sunt in hac quæstione. Primò, quænam sit forma Sacramenti pœnitentiæ.

Secundò, vtrùm pœnitentiæ Sacramentum validè administretur interueniente aliqua mutatione in verbis formæ.

Tertiò, vtrùm sit validum pœnitentiæ Sacramentum, quando in forma apponitur aliqua conditio.

Quartò, vtrùm absolutio circa eadem peccata semel ritè confessa possit iterari.

Quintò, vtrùm absolutio sacramentalis possit absenti validè impendi.

Sextò, vtrùm absolutio dari possit in scriptis, vel necessariò voce ferenda sit.

PVNCTVM I.

Quænam sit forma Sacramenti Pœnitentiæ?

VNICA PROPOSITIO.

1 *Forma Sacramenti pœnitentiæ in quibus verbis consistat.*

1 FOrma Sacramenti pœnitentiæ consistit in his verbis: Ego te absoluo à peccatis tuis. Immo ad essentiam, & valorem Sacramenti sufficiunt hæc duo verba explicitè prolata: *Absoluo te.* Ita S. Thom. 3 *part. quæst. 84. art. 3.* Sylvester *verb. Absolutio 6. quæsito 4.* Nauarrus *cap 26. num. 2.* Suarez *de pœnitentia, disp 19. sect. 1 num. 21.* Valentia *disp. 7. q. 1. punct. 3.* Henriquez *lib. 4. c. 11. num. 3.* Coninchus *disp. 4. de pœnitentia.* Petrus Ledesma *in summa del Sacramento della pœnitentia dub. 3. num. 30. cap. 3. vers. c. primera concl.* Reginaldus *lib. 8. num 2* Nugnus 3 *part. q. 84 art. 3. dub 2 v. Multa dubiola.* Vasquez *de pœnitentia disp. 84. art. 3. dub. 4. num. 4* Sayrus *de Sacramentis in genere lib 1. cap 3. qu. vnica, art. 5 vers. in pœnitentia Sacramento.* Pitigianus *de pœnitentia dist. 14. quæst. 4. art. 5. ad finem.* [Filliucius *tract. 6. cap. 3. quæs 6. num. 61.*]

Hęc propositio patet tum ex Tridentino *sess. 14. c. 3.* vbi habetur formam huius Sacramenti præcipuè sitam esse in his verbis. *Ego te absoluo*, &c. quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur, quæ ad ipsius tamen essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ: tum ex Florentino in litteris vnionis: tum ex perpetua traditione, & vsu Ecclesiæ: tum quia forma huius Sacramenti consistit in illis verbis, quę significant effectum, ad quem pœnitentiæ Sacramentum fuit institutum, nam Sacramenta significant & significando efficiunt, sed effectus, ad quem fuit institutum pœnitentiæ Sacramentum, optimè significatur per illa verba, *absoluo te*, nam significatur remissio, & liberatio à peccatis commissis post Baptismum, qui est proprius effectus istius Sacramenti; ergò essentia, & substantia formæ Sacramenti pœnitentiæ consistit in his verbis, *absoluo te*, quatenus scilicet efficiunt hunc sensum: Ego absoluo te à peccatis tuis, vt apertè colligitur ex illa particula, *&c.* in Tridentino apposita, ibi enim dicitur formam huius Sacramenti præcipuè sitam esse in his verbis: *Ego te absoluo*, &c.

OBIICIES,

OBIICIES, Consilium Tridentinum *loco citat.* dicit, formam Sacramenti pœnitentiæ sitam esse præcipuè in his verbis, *ego te absoluo*, &c. cùm autem per illam particulam, *&c.* aliquid aliud indicetur, signum est substantiam formæ non sufficienter exprimi per hæc duo verba, *absoluo te*, sed aliud requiri.

RESPONDEO primò, in Concilio per illam particulam, *&c.* indicari formam Sacramenti pœnitentiæ consistere in his verbis: *Ego te absoluo*, quatenus efficiunt hunc sensum, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, siue hæc omnia expressè proferantur, siue tantùm expressè dicatur, *absoluo te*. Ista expositio corroboratur, & comprobatur ex eodem Tridentino *sess. cit. cap. 6.* vbi asserit absolutionem esse ad instar actus iudicialis, quo à Sacerdote velut à iudice sententia profertur. Cùm autem in actu iudiciali sententia sufficienter proferri possit per hæc duo verba, *te absoluo*, sequitur illa duo verba sufficere in forma Sacramenti pœnitentiæ, quatenus scilicet hunc sensum efficiunt, *absoluo te à peccatis tuis.*

RESPONDEO secundò cum Valentia *loc. cit. vers. Ad illud*, particulam, *&c.* non addi ad ostendendum alia verba esse de essentia, sed ad indicandum alia posse adiungi, quæ de more adiunguntur, & non sunt de essentia.

RESPONDEO tertiò cum Conincho, illam particulam, *&c.* addi à Concilio, vt indicaret se non definire, an alia verba requirantur, sed relinquere Doctoribus disputandum, an alia requirantur.

2 *An adiungenda sit inuocatio Sanctissimæ Trinitatis.*

2 Ex dictis colligi potest primò, in forma Sacramenti pœnitentiæ non esse necessarium adiungere inuocationem Sanctissimæ Trinitatis, dicendo, scilicet, *absoluo te à peccatis tuis in nomine Patris*, &c. Ita S. Th *loc. cit.* Nugnus *loc. cit. vers. finem.* Vasquez *de pœnitentia quæst. 84. art. 3. dub. 4 num. 9* Suarez *loco cit. num. 19.* Henriquez *lib. 4. c. 11 num. 4.* Coninchus *de pœnitentia disp. 4. dub. 3. num. 30.* & alij communiter contra Durandum *in 4 dist. 24. quæst. 2.* nam substantia formæ saluatur in his verbis, *te absoluo*, &c. Quamobrem, inquit Valentia *loco suprà citato* cum Soto, inuocatio Sanctissimæ Trinitatis prætermitti potest sine peccato, secluso tamen scandalo, & contemptu.

Ego verò putarem non posse omitti absque peccato saltem veniali, quia non licet facere contra vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem.

3 *In quonam instanti pœnitens absolutus remanet.*

3 Secundò colligitur, quando adhibetur hæc forma, *Ego te absoluo à peccatis tuis in nomine Patris*, &c pœnitentem remanere absolutum antequam hæc omnia verba perfectè fuerint prolata, nam pœnitens in eo instanti remanet absolutus, in quo perficitur significatio formæ, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere: significatio autem formæ perficitur in eo instanti, in quo perficiuntur illa duo verba, *absoluo te.*

Hoc tamen intellige, modò Sacerdos sufficientem habeat intentionem, iuxta dicta de Sacramẽtis in genere, & de Baptismo, quamuis Henriquez *lib. 4. cap. 11 num. 3.* [Vasquez *dub. 4.* Molfesius *tract. 7. cap. 5. num 26.*] putent effectum dari finitis omnibus illis verbis: *Ego te absoluo à peccatis tuis in nomine Patris*, &c.

4 *An necesse sit explicitè ostendere eum, in cuius virtute Sacerdos absoluit.*

4 Tertiò non opus esse addere in forma hæc verba, *auctoritate, vel potestate mihi à Christo concessa*, &c. nam substantia consistit in illis duobus verbis, *absoluo te*, nec est necesse explicitè ostendere eum in cuius virtute Sacerdos absoluit, sed satis est hoc facere in actu exercito, vt patet à simili tum in actu iudicij externi, tum in alijs Sacramentis. Ita Suarez *loco cit. num. 16* & alij.

5 *An requirantur alia verba præter ea, quæ continentur in forma.*

5 QVÆRES primò, vtrùm in forma Sacramenti pœnitentiæ opus sit addere, à peccatis de quibus confessus es, & contritus.

RESPONDEO negatiuè. Tum quia substantia formæ consistit in illis verbis, *absoluo te*: tum quia absolutio cadit etiam in oblita, & in ea, de quibus elicitus est actus contritionis, cùm non possit vnum peccatum mortale remitti sine alio. Ita Nauarrus *c. 26. n. 11.* Rodriquez *cap. 54. num. 1.* Henriquez *lib. 4. cap. 10. num. 4. in commentario littera A.* Coninchus *loco cit. num. 20.* Sotus, & alij apud Henriquez, Petrus Ledesma *de pœnitentia, cap 3 vers. l'ultima difficultad, pag 209* [Filliucius *quæs. 7.*]

6 *An expressio actionis ministri necessaria sit.*

6 QVÆRES secundò, vtrùm in absolutionis forma necessaria sit expressio actionis ministri.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, tum quia, sicut in Baptismo exprimenda est actio, quæ circa baptizandum exercetur: ita exprimenda est in absolutione, siue exprimatur per verbum, *absoluo*, siue per verbum *condono*, &c. siue per modum indicatiuum, siue per modum imperatiuum, modò non varietur substantialiter sensus formæ. Quamuis enim non sit necesse explicitè ministrum exprimere in absolutione, sicut nec in Baptismo, nihilominus in absolutione exprimenda est actio, quatenus à ministro exercetur saltem implicitè: tum quia minister tanquam iudex impendit absolutionem per modum sententiæ, nisi autem exprimatur actio quatenus exercetur à ministro, Sacerdos non impendit absolutionem per modum sententiæ, sed potiùs per modum præconis, qui non fert, sed manifestat sententiam iudicis: tum quia hoc est Sacramentum, quod consistit in vsu. Ita Henriquez *lib. 4. c. 11. num. 4.* Nugnus *loc. citat versùs finem, vers. Tertia concl.* & alij Doctores citati.

7 *An valeat absolutio forma Græca prolata.*

7 Hinc colligi potest, validam esse absolutionem hoc modo collatam *absoluatur seruus Christi.* nam his verbis exprimitur actio, quatenus exercetur à ministro per modum imperatiuum; si quis verò dicat, *absoluat de Deus*, non validè absoluit, quia ostendit tantùm, quod Deus facit, non autem ostendit se hoc facere tanquam iudicem, sed potiùs tanquam præconem; nec videtur similis ratio de Baptismo, qui validè administratur in sententia Soti, si baptizans dicat, *baptizet te Deus*, nam Baptismus non administratur per modum iudicij, sicut pœnitentia. Ita Nugnus *loco cit. concl. 4.* Suarez, Henriquez, & alij *locis citatis.*

8 *An sensus formæ semper sit verus.*

8 QVÆRES tertiò, vtrùm sensus formæ semper sit verus.

RESPONDEO verum omnino esse, quia Sacerdos verè absoluit à peccatis, modò non adsit obex ex parte pœnitentis. Quamuis enim Deus sit auctor principalis, cui simpliciter tribuitur remissio peccatorum, & pœnæ, non tamen excluditur, quin Sacerdos sit causa minus principalis, & minister remissionis peccatorum, & quin propriè dicatur obsoluere à peccatis, quæ sunt quædam vincula, quibus vinctus detinetur peccator, & sunt quædam maculæ diluendæ per Sacramentum pœnitentiæ. Ita colligitur ex Tridentino *sess. 14. cap. 1. & canone 9.* Idem tenet Valentia *disp. 7. quæst. 1. punct. 3. vers. Porrò.* Vasquez *de pœnitentia qu. 84. art. 3. dub. 2. à num. 12.* Nugnus *qu. 84. art. 3. dub 2. post secundam conclusionem.* Henriquez *lib. 4. cap. 12.* Coninchus *disput. 4. dub. 2. & 8.* & alij communiter contra Abulensem existimantem, locutionem formæ absolutionis impropriam esse. Vt hoc melius intelligatur.

9 *Quinam sit sensus formalis formæ absolutionis.*

9 Obserua sensum formalem formæ Sacramenti pœnitentiæ hunc esse, *te absoluo*, id est, remitto tibi peccata, quantum est ex vi Sacramenti, seu quantum est in me sacramentalem absolutionem tibi impendo, quæ de se sufficiens est ad remittenda peccata, & ad gratiam conferendam, seu, confero tibi verum Sacramentum, quod efficit peccata ita remanere absoluta, vt non indigeant noua absolutione. Cùm autem prædictus sensus semper verificetur in valida administratione Sacramenti pœnitentiæ, sequitur sensum formæ semper verum esse, & proprium, vt constat inductione.

Primò, quando pœnitens accedit ad Sacramentum pœnitentiæ cum peccatis, & cum sola attritione; tunc enim est verus sensus formæ, quia pœnitens re ipsa remissionem obtinet, quantum est ex vi sacramentalis absolutionis, vt benè obseruat Valentia *loco citato, versic. Porro*, Zerola *de pœnitentia cap. 7. quæsito 32.* & deinceps, Henriquez, & alij *loc. citat.*

Secundò, quando pœnitens accedit contritus, aut cum peccatis aliàs ritè confessis, licèt enim in tali eneutu non obtineat remissionem peccatorum, cùm antea fuerint remissa per contritionem, aut confessionem præcedentem, nihilominus recipit gratiam sacramentalem, quæ ex se remittit peccata. Perinde enim est dicere, *te absoluo*, ac dicere, *confero tibi beneficium absolutionis*, seu *sacramentalem absolutionem*, quæ de se sufficiens est ad delenda peccata.

Tertiò, quando pœnitens recipit Sacramentum informe, quamuis enim tunc non recipiat remissionem peccatorum, tamen recipit verum Sacramentum, quod de se est causa efficax remissionis peccatorum, & eam de facto conferet sublato obice.

Quartò, quando pœnitens ratione obicis non recipit Sacramentum, adhuc enim verba verificantur, quia re ipsa Sacerdos, quantum est ex se absoluit; sicut iudex remittens debitum, & ferens sententiam, vt reus exeat è carcere, quantum est ex parte sua, dicitur verè, & propriè remittere, & liberare, quamuis debitor, seu reus ex propria culpa velit in vinculis detineri. Ita Nugnus *loc. cit.* & alij. Videte Valentiam, Vasquez, & Nugnum *locis cit.* Suarez *disp. 19. sect. 2. num. 19.* Henriquez *cap 12. num. 1. 2. & 3.* Reginaldum *lib. 6. num. 95.* Coninchum *loc. cit. dub. 8.*

10 *An Sacerdos possit his verbis, Absoluo te, absoluere à peccatis, & à censuris.*

10 QVÆRES quartò, vtrùm Sacerdos possit his verbis, *absoluo te*, validè vti ad absoluendum à peccatis, & simul à censuris.

RESPONDEO affirmatiuè cum Soto *dist. 14. qu. 1. art. 3.* Nauarro *de pœnitentia dist. 6. cap. 1.* Henriquez *lib 4. cap. 11. nu 3.* Couarruuia, Auila, & alijs quos retuli *de censuris*, eosq; refert Henriquez *loco cit. in commentario littera X.* Adhuc enim verificatur sensus formæ sacramentalis, & sufficienter indicatur relatio vinculi censuræ. Hoc tamen intelligitur, modò Sacerdos ijsdem verbis intendat absoluere à censuris, & à peccatis. In quo casu absolutio à censuris censetur prior natura absolutione à peccatis, vt ostendimus *in tract. de censuris disp. 1. qu. 3. punct. 5. nu. 2. & 4.*

OBIICIES primò contra quartum quæsitum, vna, & eadem absolutio non potest esse sacramentalis, & non sacramentalis; sed absolutio à peccatis est sacramentalis, absolutio à censuris non est sacramentalis; ergo eadem absolutionis forma non potest adhiberi ad absoluendum à censuris, & simul a peccatis.

RESPONDEO negando vnam, & eandem formam materialiter non posse esse sacramentalem, & non sacramentalem, habita ratione ad diuersos effectus, & fines à Sacerdote intentos: sicut enim eadem oratio potest ad varios fines, & ad significationes diuersas adhiberi, *l. 1. ff. de officio Prætoris*; ita etiam Sacerdos eandem absolutionis formam adhibere potest ad significandam, & impendendam absolutionem à peccatis & à censuris, consequenter vna, & eadem forma materialiter sumpta potest esse sacramentalis, & non sacramentalis; formaliter verò sumpta non potest esse sacramentalis, & non sacramentalis.

OBIICIES secundò, qui vtitur forma Sacramenti ad alium finem, quàm ad Sacramentum conficiendum, peccat peccato sacrilegij, videtur enim iniuriam inferre Sacramento, ergo peccat, qui vtitur eadem forma ad absoluendum à censuris, & à peccatis.

RESPONDEO illum peccare, qui eandem formam vsurpat ad res sacras, & profanas, Sacerdos autem in proposito casu non vsurpat verba ad res sacras, & profanas, cùm absolutio censurarum sit res secra respiciens bonum animæ, & honorem Dei.

OBIICIES tertiò, absolutio censurarum præcedere debet absolutionem à peccatis, nam affectus censura excommunicationis repellitur à susceptione Sacramentorum; ergo non potest vtraque absolutio sub ijsdem verbis impendi, alioquin absolutio censurarum non præcederet absolutionem à peccatis.

RESPONDEO absolutionem censurarum natura præcedere absolutionem à peccatis, quatenus absoluens priùs intendit tollere censuras, deinde peccata.

PVNCTVM II.

Vtrùm pœnitentiæ Sacramentum sit validum, si contingat aliqua mutatio in verbis formæ.

1 *Mutatio quotuplex sit.*

1 NOtandum mutationem aliam esse formalem, & substantialem, aliam materialem, & accidentalem, vt patet ex suprà dictis de Sacramentis in genere, quibus positis dubium est, vtrùm Sacramentum sit validum aduenientе mutatione substantiali, aut accidentali.

VNICA PROPOSITIO.

2 *An mutata forma substantialiter irritum sit pœnitentiæ Sacramentum.*

2 NOn est validum pœnitentiæ Sacramentum, quoties in verbis formæ contingit mutatio substantialis; validum verò est, quoties mutatio est solùm accidentalis. Ratio est, quia aduenien-te mutatione substantiali non censetur adesse forma à Christo præ-scripta, cùm per mutationem substantialem non subsistat sensus, & significatio formæ à Christo intentæ, Sacramentum autem non est validum non adhibita forma à Christo præscripta. Secùs dicen-dum est, quando mutatio est tantummodò accidentalis, nam ad-ueniente mutatione accidentali remanet idem sensus, & eadem si-gnificatio, consequenter eadem forma à Christo præscripta quo ad substantiam, & consequenter validum est Sacramentum. Ita Doctores statim citandi, & iam citati *de Sacramentis in genere*, vbi de hac re fusiùs egi.

3 *An valeat Sacramentum si loco verbi*, Absoluo, *dicatur*, Remitto.

3 Hinc colligi potest primò, validum esse pœnitentiæ Sacramen-tum, si loco verbi, *absoluo*, dicatur *remitto*, vel *condono peccata*, vel *Sacramentum absolutionis impendo*. Ita Caietanus 3. *parte qu.* 85. *art.* 3. Vasquez *ibid. dubio* 3. *numer.* 12. Nugnus *ibid. dubio* 2. *ad finem*, Sua-rez *disput.* 19 *sect.* 1. *num.* 24. Valentia *tom.* 4. *disput.* 7. *qu.* 1. *puncto* 3. Nauarrus *cap.* 26. *num.* 11. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 3. [Fil-liucius *tract.* 6. *cap.* 3. *quæsito* 7. Molfesius *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 24.] & alij.

4 *An valeat si loco particulæ*, Ego, *dicatur*, Nos.

4 Secundò validum esse pœnitentiæ Sacramentum si Confessa-rius absoluendo Regem dicat, *absoluo maiestatem tuam*, vel si loco, *ego*, dicat, *nos*, vel si plures absoluendo dicat, *Vos absoluo*, vt si plu-res in periculo naufragij existentes vnica forma absoluat. Ita So-tus *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. Henriquez *loco citato*, *num.* 4. Vasquez *qu.* 84. *art.* 3 *dub.* 4. *num.* 9 *pag. mihi* 23. Nauarrus *cap.* 8. *num.* 13. [Filliu-cius *tract.* 6. *cap.* 4. *quæs* 11. *num.* 79. Molfesius *num.* 27. & 51.] & alij suprà citati.

5 *An valeat, si dicatur*, Tu absol-neris.

5 Tertiò validum esse pœnitentiæ Sacramentum, quando con-structio ex actiua in passiuam mutatur, modò idem verborum sen-sus permaneat, vt si dicatur, *remittuntur tibi peccata*, vel *tu absolue-ris*. Ita Henriquez *loco citato*, *num.* 4. & alij.

6 *An valeat, si dicatur*, Te absol-uo non mea pote-state, sed Christi au-ctoritate.

6 Quartò validum esse Sacramentum, si dicatur, *Ego peccator & indignus Sacerdos absoluo te, non mea potestate, sed auctoritate Christi.* Ratio est, quia hæc additio nihil est aliud quàm explicatio illius, quod implicitè continetur in verbis formæ, nec substantialiter mutat significationem formæ. Ita Doctores citati.

7 *An valeat hoc Sacramentum, si forma proferatur modo imperatiuo.*

7 Quintò validum esse Sacramentum cum forma modo imperati-uo prolata, vt si dicatur, *absoluaris à me*, vel *absoluatur seruus Chri-sti*; sicut validè administratur Baptismus sub forma Græcorum prolata modo imperatiuo, non enim videtur adesse mutatio sub-stantialis, cùm prædicta verba significent absolutionem, & conse-quenter illam efficiant, verba enim Sacramentorum efficiunt quod significant. Ita Vasquez *loco citato n.* 12. Petrus Ledesma *del Sacra-mento della penitenza, cap.* 3. *versic. della resolution.* [Filliucius *nu.* 69.] Suarez, & alij *locis citatis*.

8 *An valeat, si forma proferatur modo deprecatiuo.*

8 Sextò non esse validum pœnitentiæ Sacramentum adminis-tratum sub forma modo deprecatiuo prolata, vt si dicatur, *absoluat te Deus*. Ratio est, tum quia non remanet idem sensus in verbo de-precatiuo, & in verbo, absoluo, cùm per verbum, *absoluo*, osten-datur id, quod fit, per verbum verò deprecatiuum ostendatur af-fectus, & desiderium illius, quod fieri optatur: tum quia antiqua Ecclesiæ traditione constat, formam Sacramenti pœnitentiæ adhi-bitam fuisse modo indicatiuo, non verò deprecatiuo: tum quia hoc Sacramentum exercetur per modum iudicij, vt patet ex Tri-dentino *sess.* 14. *cap.* 2 & 5. ergo forma huius Sacramenti proferenda est à Sacerdote, sicut sententia profertur à iudice, sententia autem profertur à iudice modo indicatiuo, vel imperatiuo, non verò optatiuo: immo non est sententia, si modo optatiuo feratur.

Verum quidem est, Deum potuisse pœnitentiæ Sacramentum in-stituere cum forma deprecatiua, sicut fecit in forma extremæ vn-ctionis, cùm virtus infinita Dei non sit alligata, hoc tamen de fa-cto non fecit: sed re ipsa pœnitentiæ Sacramentum instituit per modum iudicij; sicut autem in iudicio non sufficit ferre sententiam modo optatiuo, ita neque sufficit in Sacramento pœnitentiæ for-mam absolutionis modo optatiuo proferre. Ita S. Th. 3. *parte qu.* 84. *art.* 3. Vasquez *ibid. dub.* 3. Suarez *ibid. in commentario articuli, & disp.* 19. *citata*. Caietanus *ibid.* Pesantius 3. *parte qu* 84. *art.* 3. *disp.* 2. Va-lentia, Henriquez, [Filliucius *tract.* 6. *c.* 3. *quæs.* 7. Molfesius *tract.* 6. *cap.* 5. *n* 28.] & alij *locis citatis*, contra S. Bonauenturam, Alensem, & alios apud præcitatos Doct.

9 *An valeat, si dicatur*, Iubeo te esse absolutum.

9 Septimò non esse validum pœnitentiæ Sacramentum admini-stratum hac forma, *iubeo te esse absolutum*, vel, *placet te non teneri*, *&c.* Ratio est, tum quia videtur adesse mutatio substantialis, cùm per istum loquendi modum non significetur actualis liberatio, & absolutio à peccatis, sed potiùs ostendatur actus circa absolutio-nem faciendam, vel iam factam. Tum quia sententia in foro exter-no non solet hoc modo proferri; ergo neque hoc pacto videtur proferenda absolutionis sacramentalis forma. Ita S. Thomas, Sotus, & alij apud præcitatos Doctores contra Scotum *in* 4. *dist.* 14. quem sequitur Vasquez *loco citato num.* 11. nec non videtur approbare Suarez in hac parte, *disp.* 19. *sect.* 1. *num.* 24. *ad finem*. [& Filliucius *num.* 68.]

10 *An valeat, si administretur cum solo verbo*, Absoluo.

10 Octauò, in sententia S. Thomæ *dist.* 1. *qu.* 1 *ar.* 1. Petri Soti, Na-uarri, & aliorum, quos citat, & sequitur Henriquez *lib.* 4. *c.* 11. *nu.* 1. *littera P. & nu.* 3. *littera Y.* validum esse pœnitentiæ Sacramentum administratum cum solo verbo *absoluo*, omissis particulis, *Ego te*, & *à peccatis*. Ratio est, quia ex antecedentibus, & consequentibus satis apparet, pœnitentem præsentem absolui à peccatis.

Ego verò contrarium sentio, si omittatur particula, *te*. Ratio pa-tet tum ex auctoritate Tridentini, & Florentini asserentium, for-mam absolutionis esse, *Te absoluo*. tum quia omissa particula *te*, mu-tatur substantialiter significatio formæ: nam forma absolutionis fuit instituta per verba demonstratiua, sublata autem particula, *te*, non est demonstratiua, cùm verbum, *absoluo*, possit enuntiari non solùm circa peccata alicuius præsentis, verùm etiam absentis, quod fieri non posse inferiùs explicabo. [Ita Filliucius *tract.* 6. *c* 3. *quæs.* 7 *nu.* 66. Molfesius *tract.* 7. *cap.* 5 *nu.* 23.]

11 *An peccet, qui formâ dubiam adhibet.*

11 Hic tamen obseruandũ est, sicut etiam in superioribus obser-uauimus, mortale peccatum committi, quoties adhibetur forma dubia, de qua inter Doctores dubitatur, an sit sufficiens: nam fieri potest, vt huiusmodi forma dubia non sit sufficiens, & consequen-ter verum Sacramentum non conficiatur. Ita Valentia *loco cit. punct.* 3. *versic. est tamen*. Sotus *dist.* 1. *qu.* 1. *art.* 8. Suarez *disput.* 19. *sect.* 1. *num.* 24. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 4. Reginaldus *lib.* 8. *num.* 3. [Filliucius *num.* 67.] & alij quos magno numero retuli *de Sacra-mentis in genere*.

Addo committi peccatum quoties mutatur forma, etiamsi ea-dem significatio remaneat, quilibet enim tenetur se communi vsui Ecclesiæ accommodare, & hoc peccatum videtur mortale ex suo genere, cùm sit peccatum sacrilegij contra reuerentiam Sacramento debitam, vt bene obseruat Suarez, Coninchus, & alij *locis citatis*, contra Valentiam *loco citato*, Sotum *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *artic.* 3. & alios.

PVNCTVM III.

Vtrùm sit validum Pœnitentiæ Sacramentum quando in forma apponitur aliqua conditio.

COnditio, quæ apponitur in forma Sacramentorum, vel est de præterito, vel de præsenti, vel de futuro. In hoc puncto priùs queram vtrùm Sacramentum pœnitentiæ administratum sub con-ditione de præsenti, vel de præterito sit validum. Secundò vtrùm sit validum pœnitentiæ Sacramentum administratum sub condi-tione de futuro.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An valeat Pœnitentiæ Sacramen-tum appositæ conditio-ne de præ-senti, vel de præterito.*

1 VAlidum esse Sacramentum pœnitentiæ, quando aliqua con-ditio de præsenti, vel de præterito apponitur in forma, vt si dicatur, si non es absolutus, ego te absoluo, vel, si Deus vult, vel, si potes absolui, vel, si ego possum te absoluere, te absoluo. Idem dici potest, quando ex confessione alicuius viri perfectio-rem vitam sectantis vix colligitur, an ea, quæ fatetur, sint pecca-ta, tunc enim manente dubio poterit Confessarius iuxta suum prudens iudicium absolutionem conferre sub hac conditione, ex-teriùs prolata, vel mente retenta, si habes peccatum, ego te ab-soluo, &c. Melius tamen est in tali euentu curare, vt pœnitens aliquod anteactæ vitæ peccatum exprimat. Idem dicendum est, quando Confessarius dubitat, an protulerit formam absolutionis: tunc enim licitè potest repetere formam sub conditione, si non es absolutus. Ita Doctores statim citandi: quamuis in hac parte Nugnus *quæst.* 84. *artic.* 3. *dub.* 2. *ad finem*, contrarium sentire vi-deatur.

Ratio propositionis est, quia conditio de præsenti, vel de præ-terito non est propriè conditio, neque suspendit actum, cùm Sa-cerdos intendat absoluere de præsenti, si res ita se habeat, sicut ex-primitur in conditione. Ita Suarez, Vasquez, Graffius, Pesantius, Reginaldus, [Filliucius, Molfesius,] & alij statim citandi, omissis ijs, quos supra retuli *de Sacramentis in genere*, vbi etiam ostendi, an peccet qui in Sacramentorum administratione sine iusta causa con-ditionem apponit.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *An valeat si apponatur conditio de futuro.*

2 SAcramentum pœnitentiæ non est validum, quandò formæ additur conditio de futuro. Ratio est, quia vel Sacramen-tum est validum statim prolata forma, vel est validum aduenient conditione: sed non potest esse validum statim prolata forma, cùm Sacerdos non habeat tunc intentionem absoluendi, & sine in-tentione ministri non fiat Sacramentum. Neque est validum ad-ueniente conditione, cùm aduenient conditione non adsit for-ma, & materia, sine quibus non potest validè confici Sacramen-tum; ergo Sacramentum nullo modo est validum, quando formæ additur conditio de futuro. Ita Nauarrus *capit.* 26. *numer.* 12. Syl-uester *verb. Absolutio* 3. *numer.* 12. Caietanus *eodem verbo*, *capit.* 1. Rodriquez *capit.* 54 *numer.* 2. & 3. Henriquez *libr.* 4. *capit.* 12. *numer.* 5. Reginaldus *libr.* 8. *numer.* 6. Graffius *libr.* 1. *decisionum*, *capit.* 32. *numer.* 2. Suarez *tom.* 1. *de Sacramentis*, *disput.* 13. *sect.* 3. Vasquez *qu.* 84. *de pœnitentia*, *art.* 3. *dub.* 5. *num.* 6. Pesantius 3. *parte qu.* 84. *art.* 3. *disp.* 3. Medina, Tabiena, [Filliucius *tract.* 6. *cap.* 3. *quæs.* 10. *num.* 73. Molfesius *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 35.] & alij apud Henri-quez *loco citato littera Z*.

3 *An valeat Sacramen-tum pœni-tentiæ, si dicatur*, te absoluo, si Episcopus consenserit, aut si satisfeceris, &c.

3 Hinc sequitur, non esse validum pœnitentiæ Sacramentum hoc modo administratum: *Ego te absoluo, si Episcopus consenserit*, aut, *si satisfeceris*, aut si Sacerdos carens iurisdictione dicat, *absoluo te si Episcopus ratam habuerit absolutionem*. Ita Doctores citati, & alij, quos retuli *de Sacramentis in genere*.

PVNCTVM IV.

Vtrùm absolutio circa eadem peccata, semel ritè confessa possit iterari.

VNICA PROPOSITIO.

1 *An iterari possit con-fessio super ijsdem pec-catis semel ritè confes-sis.*

1 IN distinctis confessionibus validè, & licitè iterari potest absolutio super ijsdem peccatis semel ritè confessis. Ratio est, tum quia ex vsu Ecclesiæ constat confessiones generales, qui-bus peccata ritè confessa, denuò subijciuntur Sacramento pœniten-tiæ, laudari, & approbari: tum quia possumus de ijsdem peccatis sæpiùs contritionem habere: ergo possumus etiam eadem peccata sæpiùs confiteri, & absolutionem obtinere: tum quia ex huiusmodi confessione *sit.*

confessione maior quies & securitas conscientiæ sequitur, maior gratia per nouam Sacramenti receptionem acquiritur, & peccata in futurum faciliùs præcauentur. Quapropter in extrauaganti communi, *Inter cunctas*, habetur, huiusmodi confessiones salubres esse: tum quia posita materia remota, & noua materia proxima potest etiam poni noua forma: sed quando fiunt diuersæ confessiones eorundem peccatorum, ponitur materia remota, vt diximus *qu. 3. punct. 1.* & ponitur noua materia proxima, id est, noua confessio. & noua attritio, vt suppono: ergo quando fiunt diuersæ confessiones eorundem peccatorum, potest poni noua forma, consequenter absolutio circa eadem peccata potest iterari in distinctis confessionibus.

Dixi, *in distinctis confessionibus*, vt aduerterem formam absolutionis non posse absque peccato mortali sacrilegij in eadem confessione iterari. Ratio est, quia super eadem materia proxima non potest iterari forma, frustra enim iteraretur, sicut super hostia iam consecrata non licet repetere formam consecrationis, & super eadem ablutione non licet repetere formam Baptismi, &c. ergo non licet Sacerdoti super peccatis semel confessis repetere absolutionem in eadem confessione, quæ est materia proxima, nisi pœnitens nouam materiam proximam subijciat, & noua peccata subiungat, seu nisi repetat peccata: aut se iterum saltem in genere accuset de peccatis antea dictis, addito nouo doloris actu. Ita Rodriquez *c. 54. concl. 4.* Sotus *dist. 18. quæst. 4. art. 3.* Vasquez *quæst. 92. art. 3 dub. 5. num. 10.* Suarez *disp. 18. sect. 1. num. 6. & sect. 4. ad finem.* [Filliucius *tract. 6. cap 4. quæst. 11.*] Reginaldus *lib. 6. num. 94. & lib. 8. n. 10.* Henriquez *cap. 12 num. 5.* Ledesma, Victoria, Medina, Caietanus, Zerola *de pœnitentia c. 17. quæsito 31.* & alij apud Henriquez *loco citato.* Coninchus, Sotus, & alij, quos retuli *quæstione antecedente, puncto 2. quæsito 3.*

2 *An extet obligatio confitendi peccata, quorum quis semel obtinuit absolutionem.*

2 QVÆRES, vtrùm extet obligatio confitendi peccata, quorum quis semel obtinuit absolutionem.

Respondeo primò, huiusmodi obligationem extare, quando pœnitens solùm indirectè absolutus fuit à peccatis, vt quando quis confitetur peccata sua inferiori Sacerdoti, à quo absoluitur, sed pro absolutione reseruatorum mittitur ad superiorem; quamuis enim indirectè absoluatur à reseruatis per absolutionem obtentam ab inferiore, nihilominus tenetur eadem peccata reseruata confiteri superiori, vt directam obtineat absolutionem, vt constabit ex infrà dicendis. Præterea si quis in confessione inculpabiliter obliuiscatur alicuius peccati mortalis, tenetur illud, si venerit in mentem, in alia confessione confiteri, quamuis in prima confessione absolutionem illius indirectè obtinuerit, vt constabit ex infrà dicendis.

Hinc patet, extare obligationem confitendi eadem peccata, quorum quis semel obtinuit absolutionem indirectam; Christus enim voluit omnia peccata post Baptismum commissa, exprimi in confessione, vt patebit ex infrà dicendis.

Respondeo secundò, non extare obligationem vniuersalem, qua fideles teneantur iterum confiteri peccata, à quibus directam antea obtinuerunt absolutionem. Ratio est, tum quia Ioannes XXII. *in extrauagant. Vas electionis*, damnauit tanquam hæreticam sententiam cuiusdam Ioannis de Poliaco asserentis confessos mendicantibus iterum debere proprio Parocho confiteri; ergo signum est non extare obligationem, qua fideles teneantur iterum confiteri peccata, quorum antea directam obtinuerunt absolutionem: tum quia in Tridentino *sess. 14. cap. 5.* dicitur, ea peccata esse confitenda, quorum quis habet conscientiam: sed peccata semel ritè confessa, non remanent in conscientia, cùm per sacramentalem absolutionem deleantur. ergo non extat obligatio, qua fideles teneantur iterum illa confiteri: tum quia nullum assignari potest præceptum obligans fideles ad iterum aperienda in confessione peccata, à quibus pœnitens semel directè fuit absolutus, quamuis extet præceptum confitendi semel in anno proprio Sacerdoti. Ita S. Thomas *in 4 dist. 17. quæst. 3 art. 3.* Vasquez *3. parte, quæst. 93. artic. 1. dub. 2. num. 16.* Suarez *disp. 22. sect. 6. n. 2.* Nauarrus *cap. placuit. de pœnitentia dist. 6. num. 107.* Reginaldus *lib. 6. n. 108.* & alij communiter.

Dixi in secunda responsione ad quæsitum, *non extare obligationem vniuersalem*, &c. vt aduerterem me non loqui de particulari obligatione, quam constat apud nonnullos Religiosos vigere, vt apud Cistercienses, qui ex præcepto regulæ, in quam ipsi consenserunt, tenentur eadem peccata, quæ alijs Confessarijs exposuerunt, semel in anno suis Abbatibus confiteri. Præterea constat huiusmodi obligationem particularem extare apud eos, qui vouerunt confessiones generales: nam hæc est materia voti, & præcepti. Ita Suarez *loc. cit. sect. 7. n. 10.* Vasquez *loc. cit. n. 17.* & alij.

3 *An Ecclesia præcipere possit nouam confessionẽ peccatorum iam dimissorum.*

3 Rogabis, vtrùm Ecclesia possit condere legem obligantem fideles ad iterum exprimenda peccata in confessione, ritè semel expiata.

Respondeo affirmatiuè cum Caietano *tom. 5. opusculorum tract. 5 q. 1.* Vasquez ex parte, *quæst. 91. art. 3. dub. 7.* & alijs contra Suarez *loco citato ad finem.* Nauarrum *cap placuit. dist. 6.* Reginaldum *lib. 6. num. 108.* & alios apud Vasquez *loco citato.* Ratio est, tum quia iudex potest delictum semel cognitum iterum cognoscere ob notabilem rei vtilitatem: ergo etiam Ecclesia potest præcipere cognitionem peccatorum aliàs ritè expiatorum in iudicio sacramentali ob iustam aliquam & rationabilem causam: tum quia si Christus facta confessionis institutione, non præcepisset confessionem, Ecclesia posset illam præcipere, sicut potest præcipere confirmationem, quæ non est in præcepto; ergo potest etiam præcipere, vt peccata semel ritè confessa iterum subijciantur confessioni: tum quia si Ecclesia non potest præcipere confessionem peccatorum semel dimissorum, maximè, quia, vt inquit Nauarrus *loc. cit. n. 112.* non potest præcipere actus internos, & omnino occultos; sed hæc ratio non obstat, nam Ecclesia per se, & directè non præciperet actum internum, sed externum, id est, confessionem peccatorum, & indirectè actum occultum. Hoc autem ab Ecclesia fieri posse constat ex traditis de legibus cum probabiliori Doctorum sententia: tum quia Ecclesia potest præcipere confessionem peccatorum venialium; ergo potest etiam præcipere confessionem peccatorum mortalium aliàs per confessionem expiatorum.

PVNCTVM V.

Vtrùm absolutio sacramentalis possit absenti validè impendi.

VNICA PROPOSITIO.

1 *An absolutio collata pœnitenti absenti sit valida.*

1 Absolutio collata pœnitenti absenti non est valida, quamuis pœnitens in articulo mortis existat. Ita Valentia *tom. 4. disput. 7. q. 11 punct. 1. columna 15.* Emanuel Sà *verb. Absolutio. num. 10.* Toletus *lib. 3. cap. 6.* Suarez *disput. 19. sect. 3. n. 7.* Pesantius *in addit. ad 3 partem q. 10. ad finem disp. 3.* Vasquez *de pœnitentia qu. 91. art. 3. dub. 2.* Nugnus *in additionibus, qu 6. art 3. diffic. 2. concl. 2.* Pitigianus *loco citando.* Reginaldus *lib. 6. n. 5.* [Filliucius *tract. 6. c. 4. quæst. 12.* Molfesius *tract. 7. c 5. n 54.*] Henriquez *lib. 5. c. 2. num. 7.* vbi *littera F.* refert Bannem, Medinam, Caietan. & alios, quos etiam sequitur Coninchus *disp. 4. dub. 10. n. 69.* Quamuis nonnulli Doctores aliàs oppositum senserint.

Ratio istius propositionis desumitur, tum ex decreto Clementis VIII. super hoc edito, in quo decernitur absolutionem absenti collatam esse inualidam, & afficiuntur excommunicatione Summo Pontifici reseruata, qui absoluunt absentem, vel dicunt, vel docent, aliquem posse per litteras, vel per nuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.

Rursus additur, in eodem decreto oppositam sententiam esse ad minus falsam, temerariam, & scandalosam, vt videri potest apud Suarez *loco citato*, *num. 15.* vbi refert decretum Clementis VIII. & apud Pitigianum *de pœnitentia dist. 17 quæst. vnica. art. 8.* post secundam conclusionem: tum quia Ecclesia nunquam administrauit pœnitentiæ Sacramentum absenti; ergo signum est Sacramentum pœnitentiæ absenti non posse administrari: tum quia Tridentinum *sess. 14. c. 2.* assignans differentiam inter Baptismum, & Pœnitentiam, dicit, Christum velle eos, qui post Baptismum peccarunt, sisti ante hoc tribunal, vt per Sacerdotis sententiam possint liberari: sed sisti ante tribunal est actu se præsentem constituere ante tribunal, vt patet ex toto titulo *ff. si quis cautionibus in iudicio sistendi causa factis*; ergo pœnitens debet actu se præsentem constituere in obtinenda absolutione; consequenter absolutio non potest absenti validè impendi: tum quia illa particula demonstratiua, *Te*, quæ continetur in forma absolutionis, adhiberi solet in personam præsentem, non in absentem.

Hinc patet Confessionem, & absolutionem factam per litteras inter absentes, inualidam esse. Ita Pitigian. *2. part. dist. 17. qu. vnica art. 8. concl. 2.* & alij Doctores citati.

2 *An valeat confessio, si pœnitens per litteras peccata sua transmittat ad Confessarium, deinde in præsentia absoluatur.*

2 Obserua tamen validam esse Confessionem, si pœnitens per litteras mittat peccata sua Confessario, deinde in præsentia eiusdem Confessarij dicat, se de omnibus illis accusare, & ab eodem Confessario absolutionem obtineat in præsentia. Ratio est, quia tam absolutio, quàm Confessio censetur in præsentia pœnitentis, & Confessarij fieri, & nihil desiderari videtur ad validitatem Confessionis; cùm pœnitens cum dolore integrè se accuset de omnibus peccatis. Ita Nugnus *loc cit. diffic. 2. vers. Pro explicatione.* Pitigianus *loc. cit. concl. 3.* & alij quos infrà referam de absolutione collata pœnitenti, qui nequit in articulo mortis omnia sua peccata explicare.

PVNCTVM VI.

Vtrùm absolutio dari possit in scriptis, vel necessariò voce ferenda sit.

VNICA PROPOSITIO.

1 *An absolutio dari possit in scriptis, aut alijs signis.*

1 Absolutio non potest dari in scriptis, vel alijs signis, sed necessariò voce proferenda est. Ita S. Thom. 3. *parte quæst. 84. art. 3. ad tertium.* Nugnus *ibid.* Sotus *dist. 3. art. 5.* Suarez *disput. 19.* Valentia *loco suprà citato punct. 3.* Coninchus *disput. 4. de pœnitentia dub. 9. num. 66.* Caietanus *verb. Confessio, conditione 11.* Henriq. *lib. 4. de pœnitent. cap 11.* Pitigianus *2. part. dist. 17 qu. vnica art. 8. concl. 1.* Zerola *de pœnitent. cap. 14 quæsito 2. vers. Dico secundò.* Immò Sotus contrariam sententiam putat erroneam, quamuis eam admittant Nauarrus *cap 21. num. 33* Paludanus *in 4 dist. 17. qu. 2. art. 1.* Petrus Sotus, [Filliucius *tract. 6. cap 3. qu. 6.* Molfesius *tract 7 c. 5. num. 14.*] & alij apud Henriquez *loc. cit. in commentario littera M.*

Ratio nostra est, tum quia Concil. Florentinum in decreto vnionis asserit, Sacramenta constare rebus, & verbis. Deinde loquens in specie de forma Sacramenti pœnitentiæ dicit, formam huius Sacramenti esse verba absolutionis, quæ proferuntur à Sacerdote, cùm dicit: *Ego te absoluo.* tum quia sicut princeps potest præcipere, vt sententia ciuilis, nisi ore feratur, sit inualida: ita Christus potuit instituere, & re ipsa instituit, vt forma absolutionis ore proferatur, & non sufficiat eam dare in scriptis, vel alijs signis: quod autem Christus instituerit formam absolutionis ore proferri, colligitur, tum ex Florentino *loco citato*: tum ex Tridentino *sess. 14. c. 6.* vbi dicitur absolutionem esse ad instar actus iudicialis, quo à Sacerdote, velut à iudice sententia pronunciatur, & *cap 3.* habetur formam absolutionis consistere in verbis ministri, *Ego te absoluo*, [tum ex vsu & praxi Ecclesiæ.]

2 *Differentia inter absolutionem, & confessionem.*

2 Hinc colligi potest primò differentia inter absolutionem, & Confessionem, quòd absolutio debet ore proferri, licèt Confessio fieri possit aliquando nutibus, & signis.

Neque obstat Florentinum, dum asserit Confessionem oris esse partem istius Sacramenti, nam Florentinum accepit nomen ab eo, quod frequentiùs, & regulariter fieri solet: frequentius autem Confessio fit ore, & verbis, quàm nutibus, & signis, & ita fieri debet præcisa necessitate. Ita Doctores citati.

3 *Differentia inter Sacramentum pœnitentiæ, & Matrimony.*

3 Secundò colligitur differentia inter Sacramentum pœnitentiæ, & matri-

& matrimonij, quòd absolutio sacramentalis non potest dari nutibus, & signis, aut absenti: matrimonium verò celebrari potest per nutus, & signa, & inter absentes. Cùm enim Christus contractum eleuauerit in Sacramentum matrimonij, & contractus celebrari possit per nutus, & inter absentes, sequitur matrimonium celebrari posse inter absentes per nutus, & signa.

4 *Differentia inter absolutionem Censurarum, & peccatorum.*

4 Tertiò colligi potest differentia inter absolutionem censurarum, & inter absolutionem peccatorum, quòd absolutio censurarum fieri potest solis signis, saltem à Summo Pontifice, vel etiam inter absentes, vt patet ex dictis de censuris; absolutio verò peccatorum voce pronunciari debet inter præsentes.

QVÆSTIO V.

De partibus Sacramenti pœnitentiæ in particulari, contritione scilicet, confessione, & satisfactione.

IN superioribus ostendimus tres esse partes Sacramenti pœnitentiæ, Contritionem scilicet, Confessionem, & Satisfactionem, quę sunt materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, nunc eas singillatim aggredimur explicare, incipientes à contritione.

SECTIO I.

De contritione, & attritione, quæ est prima pars Sacramenti pœnitentiæ.

NOmen Contritionis tripliciter accipi potest. Primò pro quolibet dolore de peccatis. Secundò pro dolore perfecto, quo quis ita dolet de peccatis, vt recipiat gratiam. Tertiò pro attritione, quæ est dispositio ad recipiendam gratiam cum Sacramento. Nos in sequentibus accipiemus nomen Contritionis propriè, quatenus significat dolorem perfectum, & nomen attritionis accipiemus, quatenus est pars Sacramenti pœnitentiæ requisita ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ cum fructu. Vt autem consueto ordine progrediamur, nouem propono quærenda, & explicanda in hac sectione.

Primò, quid sit Contritio, & ad quam virtutem pertineat.

Secundò, quanta sit necessitas Contritionis.

Tertiò, quanta sit necessitas attritionis, seu doloris requisiti ad Sacramentum pœnitentiæ.

Quartò, quódnam sit obiectum Contritionis, vel etiam attritionis.

Quintò, vtrùm vnus actus Contritionis sufficiat ad delenda omnia peccata.

Sextò, vtrùm ad Contritionem requiratur recogitatio, seu consideratio peccatorum.

Septimò, quanta debeat esse Contritio quo ad durationem temporis, & intensionem actus, vt per ipsam deleantur peccata.

Octauò, vtrùm ad Contritionem requiratur propositum non peccandi in futurum.

Nonò, vtrùm homo possit iustificari absque vllo pœnitentiæ actu.

PVNCTVM I.

Quid sit Contritio, & ad quam virtutem pertineat.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Contritio quid sit.*

1 COntritio est actus charitatis, quo quis detestatur omnia sua peccata super omnia detestabilia, quatenus sunt malum Dei, seu quatenus sunt offensa Dei, seu quatenus sunt contra amicitiam, & voluntatem Dei cum proposito non peccandi in futurum. Hæc propositio explicabitur in sequentibus punctis, quo ad omnes partes.

Hic solùm obseruandum est per verbum, *detestatur*, positum in definitione Contritionis, intelligi actum displicentiæ, quo displicent peccata.

DICES, si actus, quo quis detestatur, & odio habet peccata, esset Contritio, sequeretur Angelos posse actum Contritionis elicere, cùm ipsis displiceant peccata, & ea detestentur.

RESPONDEO Contritionem non esse quamcunque detestationem, & displicentiam, sed esse detestationem causatiuam doloris, tristitiæ, & afflictionis, qualis detestatio non potest esse in Deo, in Angelis, & in Beatis. Quamobrem Tridentinum *sess.14.c.4.* definiens Contritionem, dicit esse animi dolorem, & detestationem. Ita Henriquez *lib.4.c.23.nu.7.* Nauarrus *c.1.nu.6.* Reginaldus *lib.5. c.1.n.2.* & Graffius *1.parte decisionum lib 1.c.2.n.2.& 3.* vbi obseruat duplicem esse dolorem: vnum in voluntate, qui est displicentia, & detestatio peccatorum: alterum in sensu, qui prouenit à primo, & est tristitia, & afflictio constringens, & affligens cor. Cùm autem displicentia, & detestatio peccatorum, quam Beati habent, non sit causatiua doloris, sicut est in viatoribus, sequitur in Beatis, & in Angelis non dari Contritionem, sed in viatoribus.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *Contritio ad quam virtutem pertineat.*

2 COntritio est actus elicitus non ab habitu pœnitentiæ, vt voluit Toletus *lib.3. cap.4.* & Valentia *tom.4. disp.7. qu.8. punct.1.* sed ab habitu charitatis, seu ad charitatem pertinens. Ratio nostra est, quia Contritio, & detestatio peccatorum pertinet ad illam virtutem, ad quam spectat gaudere de bonis Dei; ad eandem enim virtutem pertinet detestari malum alicuius, ad quam pertinet velle bonum illius, & de illius bono gaudere, & delectari; sed ad charitatem pertinet gaudere, & delectari de bonis Dei, vt patet ex dictis *de charitate*; ergo Contritio spectat ad charitatem, & est actus ab habitu charitatis elicitus, quando eliciens actum Contritionis habet habitum charitatis.

Non nego tamen, quin etiam pœnitentia detestetur peccata sub sua ratione formali, sed nego actum Contritionis, quo quis detestatur peccata, vt sunt offensa Dei, vel malum Dei, vel contra amicitiam Dei, esse actum elicitum à pœnitentia. Ita S. Thom. *1.2. qu. 113.art.5. ad primum.* Suarez *de pœnitentia q.3. sect.4.* Summa Corona *de pœnitentia num.20.* Rodriquez *cap 48. num.1.* & ita sentire videntur omnes Doctores asserentes, Contritionem esse sufficientem ad recipiendam gratiam.

OBIICIES primò, actus charitatis sunt dilectio, gaudium, & amor: sed Contritio non est dilectio, gaudium, & amor: sed potiùs detestatio, & dolor; ergo Contritio non est actus charitatis.

RESPONDEO non omnem actum charitatis esse primariò actum amoris, & dilectionis explicitè, sed aliquando esse primariò actum detestationis, & odij. Ratio est, quia ad eam virtutem, ad quam spectat diligere Deum, spectat etiam odisse, & detestari malum illi oppositum, quod fit per actum Contritionis.

Addo actum Contritionis includere actum dilectionis implicitè, quatenus qui detestatur malum Dei, vult illi bonum; quia nolle malum alicui est velle bonum, cùm bonum sit carere malo. [Imò ad contritionem requiritur aliquis amor Dei. Ratio est, quia peccator iustificatur per contritionem; ergo ad contritionem requiritur amor Dei, cùm nemo iustificetur sine amore Dei. Ioan. 3. *Qui non diligit manet in morte.* Ita Suarez *de pœnit. disp.4.sect.2.n.1.* [Filliucius *tract.6.cap.7.quæs.4.* Molsesius *tract.7.c.7.n.19.*]

OBIICIES secundò, si Contritio esset actus charitatis, sequeretur actum Contritionis non posse elici, nisi ab habente habitum charitatis: hoc autem falsum est, cùm peccator qui nondum habet habitum charitatis, possit elicere actum Contritionis, quo se disponat ad gratiam, quæ comitatur habitum charitatis.

RESPONDEO duplicem esse Contritionem, primam scilicet, & secundam. Secunda est illa, quæ elicitur ab homine iusto in gratia Dei existente. Prima verò est illa, quæ cum auxilio Dei supernaturali elicitur ab homine peccatore. Secunda igitur Contritio elicitur ab habitu charitatis, qui supponit hominem iustum habentem gratiam, cum qua coniunctus est habitus charitatis. Prima verò Contritio, & primus actus charitatis, qui est actus hominis peccatoris, non elicitur ab habitu charitatis; cùm non elicitur ab homine iusto habente gratiam, & charitatem, sed eliciatur à voluntate cum auxilio supernaturali supplente habitum charitatis. Ita Capreol. *in 4.dist.14.q.3.art.3. ad primum.* S.Thom. *1.2. q.109.art. 6.ad tertium,& 1.part q.62.art.2.ad primum.* Pitigianus *part.2.dist. 14 q.3.art.2.* [Suarez *de pœnit. disp 4.sect.7.* [Filliucius *tract.6.c.7. quæs.6.nu.178.*] & alij communiter contra Sotum, Caietanum, & alios apud præcitatos Doctores.

3 *Contritio quatenus dispositio an sit informis*

3 Hinc sequitur primò, Contritionem, quæ est dispositio ad gratiam, & remissionem peccatorum, posse dici informem, id est, sine gratia, & charitate habituali, si Contritio consideretur, vt dispositio. Ratio est, quia dispositio priùs concipitur, & est prior eo, ad quod est dispositio; sed prima Contritio est dispositio ad gratiam & remissionem peccatorum, vt patet ex Tridentino *sess.6. cap.6.& sess 14. cap.9.* ergo prima Contritio est prior natura ipsa gratia, & remissione peccatorum, & habitu ipso charitatis. Quamuis enim sit simul tempore cum gratia, & habitu charitatis, tamen natura est prior ipsa gratia, si consideretur, vt dispositio ad gratiam: consequenter prima contritio non est dispositio ad gratiam, vt formata, sed vt informis, vt bene tradit Coninchus *disp. 2. de pœnitentia dub.2.concl.3.nu.16.* Suarez *disp.4. sect.7.* Vasquez *q.86. art.2.dub.8. nu 2.* Henriquez *lib. 4. de pœnitentia*, & alij communiter.

4 *An prima Contritio eliciatur ab habitu charitatis.*

4 Secundò sequitur, primam contritionem non esse actum elicitum ab habitu charitatis, sed à voluntate cum auxilio supernaturali, supplente vicem habitus charitatis.

Ex quo patet, cur in secunda propositione dixerim, contritionem esse actum elicitum ab habitu charitatis, vel spectare ad habitum charitatis; elicitur enim ab habitu charitatis, quoties elicitur ab homine iusto: spectat verò ad habitum charitatis, quatenus elicitur ab homine peccatore cum auxilio supernaturali, supplente vicem habitus charitatis.

PVNCTVM II.

De necessitate Contritionis.

DVo quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm contritio sit necessaria necessitate medij. Secundò, vtrùm necessaria sit necessitate præcepti: omissa necessitate attritionis, seu doloris requisiti ad Sacramentum pœnitentiæ, de qua in sequenti puncto.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An Contritio necessaria sit ad salutem necessitate medij.*

1 COntritio propriè accepta in lege noua, non est necessaria simpliciter necessitate medij ad iustificationem, & salutem. Ratio est, tum quia illud est necessarium necessitate medij, quo prætermisso etiam inculpabiliter, & inuoluntariè salus non obtinetur, sed prætermissa Contritione potest aliquando salus obtineri, vt patet in homine iusto, qui si repentè moriatur salutem obtinet, etiam si Contritionis actum non habeat; habet enim gratiam, & consequenter ius ad gloriam; ergo Contritio non est necessaria necessitate medij: tum quia pœnitens, qui pœnitentiæ Sacramentum recipit cum sola attritione, & sine Contritione, iustificatur, consequenter potest saluari; ergo Contritio non est necessaria necessitate medij ad iustificationem, & salutem; sed potiùs dicenda est necessaria ex suppositione, quod aliquid iustificari velit extra vsum Sacramenti; cùm ad iustificationem obtinendam extra Sacramentum requiratur Contritio formalis, aut virtualis, quæ consistit

sistit in dilectione Dei, vt bene docet Pitigianus *tom. 2. dist. 14. q. 2. art. 6.* & alij Doctores statim citandi.

Quòd homo extra vsum Sacramenti iustificetur per Contritionem formalem, colligitur ex 18. Ezechielis. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis, vita viuet, & non morietur.* Quòd verò iustificetur aliquando per Contritionem virtualem, seu per dilectionem Dei, colligitur ex Prouerbiorum 8. *Ego diligentes me diligo*; & alibi: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*; & Ioannis 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Ita Valentia *tom. 4. disp. 7. qu. 3. punct. 2. versic. Cæterùm.* Medina *qu. 2. de pœnitentia.* Nauarrus *in Manuali cap. 1. num. 10.* Caietanus, Vega, & alij apud Valentiam *loco citato*, quos etiam refert Vasquez *qu. 86. art. 2. dub. 1. num. 18.* Suarez *disp. 9. sect. 1. num. 7. & 10. & 13.* Reginaldus *lib. 5. num. 4.* Coninchus *disp. 2. dub. 2. & 6. num. 51.* contra Sotum *in 4. dist. 14. q. 1. art. 2.* Pitigianum *2. part. dist. 24. qu. 3 art. 3. concluf. 1. in medio*, & alios.

An iustificatus per dilectionem Dei teneatur formaliter dolere de peccatis cùm venerint in mentem.

2 Obseruat tamen Medina *tractatu 1. qu. 2. art. 4.* Suarez *disp. 4. sect. 6. assertione 3. num. 56. & disp. 15. sect. 1. num. 5.* Reginaldus *lib. 5. num. 55.* Graffius *lib. 1. decisionum, cap. 5. num 23.* Henriquez *lib. 4. cap. 6. num. 5. & cap. 28. num. 4.* Coninchus *disp. 3. dub. 4. ad finem.* [Filliucius *tract. 6. cap. 8. quæs. 4. num. 196.*] & alij communiter, eum, qui fuit iustificatus per dilectionem Dei, quæ dicitur dolor virtualis, teneri dolere formaliter de peccatis mortalibus, quando venerint in memoriam, sicut qui per oblitionem in confessione prætermisit aliqua peccata mortalia, tenetur illa suo tempore confiteri; & hæc est differentia inter actum dilectionis, quo remittuntur peccata mortalia, & actum dilectionis, quo remittuntur venialia: quòd actus dilectionis, quo remittuntur mortalia, includit votum, & propositum dolendi de mortalibus, quando venerint in memoriam; actus verò dilectionis, quo remittuntur venialia, non includit votum, seu propositum, aut obligationem dolendi de venialibus, quando venerint in mentem.

Ex quo patet, inquit Suarez *disput. 11. sect. 3. num. 8.* præceptum esse pœnitentiam de mortalibus, vt fiat compensatio pro culpa commissa, non verò de venialibus. Quamobrem, qui in articulo mortis existit, si actum contritionis de mortalibus non eliciat, grauiter peccat; non verò grauiter peccat, qui non elicit actum contritionis de venialibus, quamuis cognoscat se habere peccata venialia, aut quamuis in illis complaceat: nam peccata venialia non sunt propriè iniuria Dei, cùm non auertant à fine vltimo, vt ex D. Thoma obseruat Henriquez *lib 4. cap. 20. num. 5.* Nugnus *qu. 2. de partibus pœnitentiæ, art. 3. dub. 1.*

Verùm sententia Medinæ, Suarez, Reginaldi, Graffij, & aliorum, quatenus asserunt, eum, qui fuit iustificatus per dilectionem, teneri ad formalem contritionem peccatorum, postquam venerint in mentem, quamuis probabilissima sit, & in praxi consulenda: tum quia est communis: tum quia tutior: tum quia in Scriptura dicitur pœnitentiam agendam esse, iuxta illud: *Nisi pœnitentiam egeritis, simul omnes peribitis*; quæ verba cùm expressè loquantur de pœnitentia, & intelligi possint de pœnitentia formali, dicendum videtur illum, qui fuit iustificatus per pœnitentiam solùm virtualem, id est, per dilectionem, teneri adhuc ad contritionem formalem peccatorum, postquam venerint in mentem. Nihilominus in rigore loquendo probabilius censeo, eum, qui fuit iustificatus per pœnitentiam solùm virtualem, non recordans alicuius mortalis peccati, non teneri ad eliciendum actum doloris, postquam peccata venerint in mentem, nisi fortè velit pœnitentiæ Sacramentum suscipere, aut nisi alio titulo teneatur contritionis actum elicere. Ita Vasquez *3. part. tom. 4. de pœnitentia qu. 86. art. 2. dub. 2. num. 11.* Corduba *lib 1. qu 2. dub. 2.* Sotus, & Vega apud Vasquez *loco citato.* Ratio est, quia vel tenetur iure diuino positiuo, vel iure naturali; sed non tenetur iure naturæ: nam iure naturæ tenemur ad pœnitentiam formalem, vt iustificemur, & reconciliemur Deo. Hic autem iustificatus fuit, & reconciliatus Deo per pœnitentiam virtualem, seu per dilectionem, vt supponimus; neque tenetur iure diuino positiuo: tum quia hoc ius non potest assignari: tum quia vbi Scriptura loquitur de necessitate pœnitentiæ, sermo est de peccatoribus: tum quia *Lucæ 15.* dicitur, iustos non indigere pœnitentia.

Hinc patet responsio ad rationes in contrarium; concedimus enim primam sententiam esse tutiorem, & communiorem; sed non probabiliorem, cùm non videatur niti rationibus, & fundamentis ita firmis, & efficacibus, sicut nostra nititur sententia.

Ad auctoritatem Scripturæ respondetur, Scripturam loqui de peccatoribus, non verò de iustificatis, & in gratia Dei existentibus.

An Contritio in veteri lege necessaria fuerit ad iustificationem.

3 QVÆRES, vtrùm contritio in veteri lege necessaria fuerit ad iustificationem, & ad tollendum peccatum actuale.

RESPONDEO necessariam fuisse necessitate medij ad tollendum peccatum actuale. Cùm enim Sacramenta in veteri lege non conferrent ipso facto gratiam, nec aliud esset remedium, quo se possent homines in gratia Dei constituere præter contritionem, iuxta illud Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis, vita viuet, & non morietur*; sequitur contritionem in veteri lege fuisse necessariam ad tollendum peccatum actuale necessitate medij.

SECVNDA PROPOSITIO.

An Contritio necessaria sit necessitate præcepti.

4 CONtritio propriè sumpta necessaria est necessitate præcepti. Ita Valentia *disp. 7. qu. 8. punct. 3.* Suarez *disp. 15. sect. 1.* Coninchus *disp. 3. dub 2.* Nugnus *qu 2. de partibus pœnitentiæ, art. 3. dub. 2.* Pitigianus *2 par. dist. 14. qu. 3. art. 4.* Bellarmin. *de pœnitentia lib. 2. cap. 8. propositione 2.* [Filliucius *tract. 6. cap. 8. quæs. 1.*] contra Nauarrum *cap. 1. num. 27.* & contra Victoriam, & Canum, quos citat, sed reijcit Angles *in 4. 1. parte, quæstione de contritione, art. 5. difficultate 1.* Hæc propositio patet, tum Ezechielis 18. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*; qui locus intelligi debet de contritione, cùm ibi agatur de pœnitentia, per quam delentur peccata, & quæ reconciliat hominem Deo: tum quia illud est necessarium necessitate præcepti, quo culpabiliter prætermisso salus non obtinetur, sed contritione culpabiliter prætermissa non obtinetur salus; Lucæ 13. *Si pœnitentiam non habueritis, simul omnes peribitis*, & Ezechielis 18. *Conuertimini, & agite pœnitentiam, &c.* Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet, & non morietur: ergo contritio necessaria est necessitate præcepti.

OBIICIES. Homo potest iustificari, & saluari sine contritione, vt patet in eo qui suscepto pœnitentiæ Sacramento cum attritione, si moriatur, euolat in cælum; ergo contritio non videtur necessaria ad iustificationem, & salutem.

RESPONDEO posse hominem aliquando iustificari, & saluari sine contritione; & consequenter præceptum contritionis non semper obligare: non tamen hinc sequitur, præceptum contritionis nunquam obligare: aut non extare præceptum contritionis obligans in aliquibus casibus; sicut non valet dicere, potest quis aliquando iustificari, & saluari absque actuali restitutione; ergo non extat obligatio restituendi.

[An autem hoc præceptum sit naturale, vel diuinum.

RESPONDEO esse naturale diuinum: naturale quatenus posita offensa, ius naturale dictat offensam resarciri, & satisfactionem pro offensa præstari. Diuinum verò, quatenus Deus non vult peccatum remitti, nisi per dolorem perfectum contritionis, aut per imperfectum coniunctum cum Sacramento. Ita Suarez *disp. 15. sect. 3.* Filliucius *tract. 6. cap. 8. quæs. 2.* Molfesius *in summa tract. 7. cap. 7. num. 37.*]

Præceptum Contritionis quandónam obligat

5 QVÆRES quandónam obliget præceptum contritionis. 5

RESPONDEO per se, & vi propria obligare in periculo mortis corporalis vero, vel putato, vel etiam in periculo amentiæ saltem quando non adest copia Confessarij, cui fiat confessio cum attritione. Ratio est, quia in tali euentu maxima est necessitas, propter quam homo se debet ad Deum conuertere, & illius amicitiam inquirere, alioquin prætermisso contritionis actu exponit se periculo damnationis; ergo si præceptum contritionis vnquam per se obligat, certè obligat in periculo mortis, vel etiam perpetuæ amentiæ, ob iam allatam rationem. Ita Valentia *tom. 4. disp 7. qu. 8. puncto 4. versùs finem, columna mihi 13.* Medina *tract. 1. quæst. 6.* Sotus *dist. 17. qu. 2. art. 7.* Angles *loco citato difficult. 2.* Suarez *disp. 15. sect. 4. num. 19.* Henriquez *lib. 4. cap. 6. num. 5.* Reginaldus *lib. 5. loco suprà citato.* Vasquez *de pœnitentia qu. 86. art. 2. dub 6. ad finem, num. 11.* Pitigianus *2. parte dist. 14. qu 3 art. 6. concluf 5* Zerola *de pœnitentia cap. 7. quæsito 24. vers. Dico quintò, & quæsito 23.* Pesantius *in additionibus ad 3. part. qu. 10 disp. 3.* Sayrus *loco citando num 8.* [Filliucius *tract. 6. c. 8. quæs. 7.* Molfesius *tract. 7. c. 7. nu. 42.*] & alij.

Dixi, *quando non adest copia Confessarij.* nam si pœnitens præsente Confessario absolutionem sacramentalem obtineat, aliqui Doctores putant non teneri sub mortali ad contritionem. Ratio est, tum quia Sacramentum pœnitentiæ facit de attrito contritum: tum quia homo non videtur in tali euentu se exponere periculo damnationis; cùm Sacramentum pœnitentiæ susceptum cum attritione iustificationem conferat.

Contrarium tenet Nugn. *loco citato.* Coninch. *disp. 3. dub. 1. n. 6. & 7.* Valentia *loc. cit. puncto 4 ad finem.* [Filliuc. *n. 197.*] Zerola *de Sacramento pœnitentiæ q. 24. vers. secundò in administratione*; quia homo ex charitate tenetur se ipsum diligere; non videtur autem seipsum diligere, si in articulo mortis contritionis actum prætermittat, suscepta solùm sacramentali absolutione. Verùm quid nobis in hac re sentiendum sit, constat ex dictis de charitate, [*in tract. de legib. disp. 3. qu 4. punct. 2. nu. 2.*]

Dixi in responsione, *per se, & vi propria*, vt aduerterem præceptum contritionis ratione alterius circumstantiæ obligare extra mortis articulum; sed illa obligatio non est ex vi præcepti contritionis præcisè, sed ratione alterius præcepti obseruandi: vt accidit,

Primò, quando quis suscepturus est, vel administraturus aliquod Sacramentum, aduertens se habere conscientiam peccati mortalis; tunc enim tenetur actum contritionis elicere; nam qui suscepturus, vel administraturus est aliquod Sacramentum, debet illud dignè suscipere, vel administrare; non potest autem dignè suscipere, vel administrare, nisi peccatum deleat per confessionem, vel saltem per contritionem, excepta susceptione Sacramenti Baptismi, & pœnitentiæ ad quam sufficit attritio; hæc enim duo Sacramenta, cùm sint instituta ad conferendam primam gratiam, non supponunt gratiam in subiecto, sed eam conferunt subiecto attrito, vt patet ex supradictis de Sacramentis in genere. Ita Vasquez *quæst. 86. art. 2. dub. 9 num. 7.* Valentia *loco citato, punct. 4. assertione 5.* Zerola *de pœnitentia cap. 7. quæsito 24.* [Suarez *de pœnitent. disp. 15. sect 6. num. 5.*] Filliucius *tract. 6. cap. 8. quæs. 9. num. 213.* Molfesius *tract. 7. cap. 7. num 42.*] & alij Doctores citati. Quamuis Valentia putet, contritionem in proposito casu obligare ex vi propria, & per se.

Secundò, quando quis est in probabili, & verosimili periculo incidendi in aliquod peccatum mortale, si contritionis actum non eliciat de peccatis præteritis, iuxta illud Gregorij: *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Ita Medina *tract. 1. qu. 6. ad primum argumentum.* Reginaldus *lib 5 n 20.* Valentia *loco citato.* Coninchus *loco citato.* Xerola *loco citato. vers. Tertiò, quando*, Toletus, & alij.

Vtrùm verò, qui non elicit actum contritionis, dum existit in probabili periculo incidendi in aliquod peccatum mortale, duo peccata committat, vnum contra præceptum contritionis, alterum contra præceptum, contra quod ingruunt tentationes, quibus tunc succumbit, patet ex supradictis *de Eucharistia*, & patebit ex dicendis *de charitate*, cum Sanchez, & alijs. [vbi ostendam committere vnum tantùm peccatum oppositum illi virtuti, contra quam ingruunt tentationes.

An hoc præceptum obliget, quando facienda est publica oratio.

6 Sed modò DVBIVM est primò, vtrùm præceptum contritionis obliget, quando facienda est publica oratio. 6

RESPONDET affirmatiuè Nauar. *cap. 1. n. 31.* Zerola *de pœnitentia 6. 7. quæs. 24. vers. quartò in grauissima*, Valentia, & alij *loc. cit.*

Ego

Ego verò per se loquendo contrarium probabilius censeo cùm Vasquez *de pœnitentia qu.86 art.2.dub.6 nn.6.*[Suarez *disp.15.sect.6.* Filliucio *tract.6.cap.8.quæs.9.*] & alijs Ratio est, quia ex nullo iure colligitur præceptum cõtritionis in tali euentu obligare; cùm Deus exaudiat etiam peccatores cum fide petentes.

7 *An extet præceptum Contritionis in die festo.*

7 Secundò, dubium est, vtrùm extet præceptum contritionis in die festo.

Scotus apud Doctores precitatos putat extare obligationem eliciendi actum contritionis de peccatis mortalibus in die festo.

Sed contrarium verius puto cum Reginaldo *loco citato num.24.* Vasquez *loc.citat.num.4.*Valentia *loc.cita. punct.4. assertione 3.*Angles *loco citat. difficultate 4.* Pitigiano *2.par.dist.14. qu.3. art.6. conclus 4.* Zerola *de pœnitentia cap.7.quæsito 24.versic. Dico quartò.*Pesantio *loco citat.disp.3.* [Filliucio *tract 6.cap.8.quæs.8 nu.210.* Molfesio *tract.7. 6.7.nn.45.*] Suarez,& alij *locis cit.* Ratio est, quia nullibi extat præceptum, quo tenemur actum contritionis in diebus festis elicere. Sicut extat præceptum audiendi Missam, & abstinendi ab operibus seruilibus.

8 *An peccator teneatur statim post mortale peccatum actũ Contritionis elicere.*

8 Tertiò dubium est, vtrùm extet præceptum contritionis, quo peccator teneatur actum contritionis elicere statim ac mortaliter peccauit.

Paludanus, & alij apud præcitatos Doctores, putant extare obligationem eliciendi actum contritionis statim post delictum.

Sed oppositum probabilius videtur cum Vasquez *qu. 86. art. 2. dub.5.nu.9.*Coninchо *loco citato num.24* Medina,& Suarez *locis citatis*, Reginaldo *lib.5.nu.19.*Valentia *tom.4 disp.7.qu.8.punct.4.*Angles *loco cit.* Zerola *de pœnitentia cap.7. quæsito 3.& quæsito 24. versic. Dico secundò*, Pesantio *loco citando*, [Filliucio *tract.6.cap.8 quæs.5.nu.198.*Molfesio *num. 42.*] & quàm pluribus alijs apud Vasq. *loc. cit.* Ratio est,quia homines communiter non putant se reos nouæ culpæ, si pœnitentiam non agant statim post peccatum, neque solent se de huiusmodi peccato in confessione accusare.

Verùm contra hoc tertium dubium possunt afferri aliquæ obiectiones ad ostendendum hominem,statim ac peccauit,teneri actum contritionis elicere.

Obicies primò, infirmus tenetur statim inquirere, & procurare media ad sanitatem corporalem conducentia; ergo à fortiori peccator,qui laborat infirmitate spirituali,tenetur adhibere media ad sanitatem spiritualem animæ, quale medium est contritio.

Respondeo negando infirmum teneri statim inquirere media ad sanitatem corporalem, quando curatio differri potest absque probabili periculo, & detrimento, vt ait Valentia, Medina, & alij. Deinde dato antecedente,negatur consequentia. Ratio disparitatis est, quia vita corporalis semel amissa non potest amplius ope humana recuperari, salus verò spiritualis semel amissa potest toto vitæ tempore recuperari posito diuino auxilio. Ita Doctores citati.

Obicies secundò, qui aliquid alteri abstulit, vel iniuriam intulit, tenetur statim, quantum commodè potest, rem ablatam restituere, & satisfactionem pro iniuria illata exhibere; ergo etiam peccator,qui per peccatum honorem Deo abstulit,illique iniuriam intulit, tenetur quàm primùm honorem ablatum restituere, & pro iniuria satisfacere per contritionem.

Respondeo illum, qui intulit iniuriam cum damno, teneri statim ac commodè potest resarcire iniuriam; non verò qui intulit iniuriam sine damno; peccator autem non intulit Deo iniuriam cum damno Dei. Ita Reginald. *lib.5.num.20.* Coninchus *loco citato, num.26.* [Filliucius,] & alij Doctores citati.

Obicies tertiò. *Ecclesiastici 5.* habetur, *Non tardes conuerti ad Dominum, nec tardes de die in diem: subito enim venit ira eius.* quibus verbis satis exprimi, & indicari videtur obligatio faciendæ pœnitentiæ statim post peccatum.

Respondeo in præcitatis verbis non contineri præceptum, sed consilium, vt obseruat Valentia, Sotus, Medina, & alij *locis supra citatis.*

9 *An peccator teneatur Contritionem elicere de peccatis, quoties illorum recordatur.*

9 Quartò Dubium est, vtrùm homo teneatur contritionem habere de peccatis commissis, quoties memoriæ occurrunt.

Respondeo negatiuè cum S.Thom.*qu.84.art.8.*Nauarro *cap.1. num 32.*Valentia *loco citato assertione 2.* Suarez *disp.15. sect.4 num.2.* Sayro *de pœnit.cap.6.nu.1.& 4.* Reginaldo *loco citato.nu 19.* Vasquez *qu.86. art.2. dub.6. nu.3.* Angles *loco cit. difficultate 5.* Pitigiano *loco cit.concluſ.3.* [Filliucio *tract.6.cap.8.quæſ 4.nu.195.*Molfesio *nu.46.*] contra S. Bonauenturam, Zerolam *de pœnit.cap.7. quæsito 14. versic. Dico secundo, & quæsito 24. vers. Dico tertio*, & alios apud precitatos Doctores existimantes, hominem teneri ad contritionem de peccatis, quoties in mentem veniunt, etiamsi antea fuerint delata & remissa.

Ratio nostra est, tum quia nulla sufficienti ratione probatur hominem teneri contritionem de peccatis habere,quoties in mentem veniunt: tum quia præceptum contritionis, & pœnitentiæ non est præceptum negatiuum, sed affirmatiuum, quod obligat pro certo tempore: tum quia nimis durum esset obligare peccatorem ad habendam contritionem de peccatis, quoties illorum recordatur; iugum enim Christi suaue est.

Obicies, qui recordatur alicuius peccati, & illud non detestatur, videtur interpretatiuè velle & amare peccatum;velle autem, & amare peccatum, est peccatum; ergo qui recordatur alicuius peccati, tenetur illud detestari, ne iterum peccet.

Respondeo cum, qui recordatur peccati, non velle & amare peccatum, quamuis illud non detestetur; quia potest suspendere actum non amando, nec odio habendo.

PVNCTVM III.

De necessitate doloris, vel attritionis requisitæ ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu.

QVatuor principaliter quæremus in hoc puncto. Primò,quid,& quotuplex sit attritio. Secundò, vtrum necessaria sit ad suscipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu. Tertiò, quænam attritio necessaria sit,& sufficiat ad Sacramentum fructuosè suscipiendum. Quartò, quomodo differat attritio à contritione.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Attritio quid, & quotuplex sit.*

1 Attritio est dolor quidam imperfectus de peccatis,ad distinctionem contritionis, quæ est dolor quidam perfectus,quo quis detestatur peccatum, vt est offensa Dei. Multiplex autem est attritio.

Prima est, qua quis dolet de peccatis ob finem turpem, & hæc non est vera, & bona attritio; sed illicita, & peccaminosa; actus enim specificatur à fine.

Secunda est, qua quis dolet de peccato ob motiuum, seu finem naturalem, vt si quis doleat de peccato quatenus est contra rationem, vel quatenus est offensa Dei, considerati non vt finis supernaturalis, sed vt finis naturalis.

Tertia est attritio particularis, & non vniuersalis,qua quis dolet solùm de aliquo peccato, & non de omnibus, vt si deditus peccatis carnis doleat de huiusmodi peccatis, & non de furtis, vel de alijs criminibus commissis.

Quarta est attritio inefficax, qua quis dolet de peccatis,sed non habet absolutum propositum formale, aut virtuale vitandi peccata in futurum, & hæc dicitur attritio impœnitentium, qualem habet luxuriosus, qui detestatur peccata luxuriæ sine proposito illa præcauendi, vel cum proposito solùm inefficaci, seu cum quadam velleitate.

Quinta est attritio supernaturalis, quæ elicitur impulsu Spiritus sancti excitantis, & mouentis hominem ad talem actum eliciendum, & hæc attritio est duplex: vna, qua quis detestatur peccatum ob turpitudinem ipsius peccati, vel quatenus est iniuria Dei, vel quatenus est malum, vel quatenus est causa mali. Altera est, qua quis detestatur peccatum ob timorem gehennæ,aut aliarum pœnarum, & ad istam attritionem reuocatur dolor,& detestatio peccati ex amore vitæ æternæ. Ita Coninchus *disp 1 de pœnitentia nu.21.& disp.4.dub.5.nu.37.*Bellarminus *de pœnitentia lib.2.cap.17.verſ.Tertius est timor.* Chamerota,Zerola,[Filliucius *tract.6.cap.7.quæſ 7.*] Suarez, & alij *locis* statim *citandis.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *An requiratur attritio ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu.*

2 Attritio necessaria est ad suscipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu. Ratio est, tum quia ad Sacramentum requiritur materia; sed attritio est pars materiæ Sacramenti, vt suprà ostendimus; ergo ad suscipiendum pœnitentiæ Sacramentum necessaria est attritio: tum quia Christus dixit: *Nisi pœnitentiam egeritis, simul omnes peribitis.* Hæc autem pœnitentia est saltem attritio coniuncta cum Sacramento pœnitentiæ; ergo non potest aliquis ad Sacramentum pœnitentiæ suscipiendum cum fructu accedere, nisi saltem attritionis actum habeat, alioquin posset aliquis saluari sine pœnitentia. Ita Coninchus *disp.4.dub.5.num.39.concl.1.* & alij Doctores statim citandi.

Sed modò dubium est, quænam attritio necessaria sit, & sufficiat.

TERTIA PROPOSITIO.

3 *Quænam attritio necessaria sit, & sufficiat.*

3 NOn quælibet attritio sufficiens est ad gratiam, & ad fructum in Sacramento pœnitentiæ suscipiendum; sed requiritur, & sufficit attritio supernaturalis, & efficax.

Hæc propositio duas habet partes. Prima est, non quamlibet attritionem sufficere ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu. Secunda est, requiri, & sufficere attritionem supernaturalem, & efficacem.

Prima pars probatur à partium enumeratione,suppositа diuisione attritionis relata in prima propositione; non enim sufficit attritio ex motiuo turpi, aut ob finem naturalem,aut attritio inefficax, aut attritio non vniuersalis; ergo non sufficit quælibet attritio. Antecedens probatur quo ad singulas partes. Primò quòd attritio ex motiuo turpi non sufficiat, patet; nam tantum abest,vt ista attritio sit dispositio ad gratiam, vt potiùs sit perniciosa, peccaminosa,& contraria gratiæ,vt obseruat Rupertus Abbas apud Suarez *disp.5.sect.1.num.2.* apud Zerolam,& apud alios Doctores citatos; actus enim redditur illicitus ex prauo fine, vt constat ex dictis de peccatis.

Secundò, quòd attritio elicita ob motiuum, & finem naturalem non sufficiat; ratio est, quia attritio ob finem naturalem,est actus naturalis; actus autem naturalis non potest esse dispositio ad formam supernaturalem, qualis est gratia; tum quia dispositio ad aliquam formam debet esse proportionata, & eiusdem ordinis cum forma: tum quia Concilia requirunt dispositionem supernaturalem ad gratiam; cùm requirant eam dispositionem, quæ elicitur mediante gratia excitante, & adiuuante, vt patet ex Tridentino *sess.6. cap.6. sess.13. cap.3. & sess.14 cap. 4.* vbi habetur attritionem esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum; cùm igitur attritio ob finem naturalem non sit supernaturalis, nec eliciatur mediante gratia excitante, neque sit donum Dei, & Spiritus sancti impulsus, sequitur attritionem elicitam ob finem naturalem non esse sufficientem dispositionem ad recipiendam gratiam; quamuis coniungatur cum Sacramento. Ita Henriquez *lib 4 cap.21.num.6.& cap 26. num. 5.* Suarez *loco citato.* & alij quam plures apud Henriquez, & apud Suarez *loco citato.* [contra nonnullos alios, quos referam *num. 8.*]

Tertiò, quòd non sufficiat attritio inefficax, seu quæ non includit absolutum propositum non peccandi in futurum. Ratio est,tum quia ex Tridentino *locis citatis* requiritur talis dolor, qui excludat voluntatem peccandi; attritio autem inefficax non excludit voluntatem peccandi: tum quia dolor, & detestatio talis esse debet, vt tollat affectum ad peccatum, sed affectus ad peccatum non tollitur, sed moraliter perseuerat, quoties peccatum non retractatur efficaciter

citer per detestationem efficacem includentem formaliter, aut virtualiter propositum non peccandi in futurum; ergo non sufficit attritio inefficax. Ita Sotus *in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 5.* Henriquez *c. 23. num. 7.* Nauarrus *in manuali cap. 1. num. 36.* Reginaldus *lib. 5. n. 77.* Suarez *loco citato*, & alij contra Sylueſtrum, & alios apud Henriquez *loco citato ad finem.*

Verum tamen eſt non requiri propoſitum formale non peccandi in futurum, ſed ſufficere implicitum, & virtuale, vt patebit ex infrà dicendis; cognoſcitur autem huiuſmodi propoſitum non adeſſe, quando pœnitens aduertens ſe illud non habere, & admonitus à Confeſſario, vt tale propoſitum eliciat, hæſitat, vel renuit illud elicere. Quomodo enim dicetur quis habere propoſitum virtuale, ſi data opportunitate promendi, & manifeſtandi tale propoſitum, non vult illud promere, & manifeſtare? Ita Bellarminus *de pœnitentia lib. 2. cap. 6.* & alij Doctores citati.

Quartò, quòd non ſufficiat attritio particularis, probatur, quia ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentũ cum fructu requiritur talis dolor, quo retractetur voluntas, & tollatur affectus ad peccatum, & excludatur omnis voluntas peccandi: talis autem dolor eſſe non poteſt, niſi ſit vniuerſalis de omnibus peccatis, cùm fieri poſſit, vt quis deteſtetur vnum genus peccati, & aliud amet, & appetat.

Ex quo ſequitur eum, qui facto examine conſcientiæ recordatur aliquorum peccatorum, & aliquorum obliuiſcitur, non obtinere peccatorum remiſſionem, ſi dolorem ſolùm habet eorum peccatorum, quæ menti occurrunt; hic enim non dicitur habere dolorem vniuerſalem. Propterea conſulendum eſt pœnitentibus, vt facto examine conſcientiæ, non ſolùm deteſtentur peccata, quæ in mentem venerunt, verùm etiam alia, ſi quæ fortè commiſerunt; vel vt in principio examinis deteſtentur omnia peccata, cum propoſito illa præcauendi in futurum. Ita Nauarrus *cap. 1. num. 22.* Coninchus *de pœnitentia diſp. 2. dub. 2. num. 13. concl. 1.* & alij communiter.

Secunda pars propoſitionis, in qua diximus ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ recipiendam requiri, & ſufficere attritionem ſupernaturalem, & efficacem, probatur: tum quia non ſufficit, nec requiritur attritio ex motiuo turpi, vel ob finem naturalem, vel attritio inefficax, aut particularis: ergo requiritur, & ſufficit attritio ſupernaturalis, efficax, & vniuerſalis, cùm alia attritio nequeat aſſignari: tum quia ſic habetur in Trid. *ſeſſ. 14. cap. 4.* Tum quia huiuſmodi attritio eſt proportionata, & eiuſdem rationis cum forma introducenda, & excludit affectum ad peccatum. ad recipiendum autem Sacramentum cum fructu requiritur, & ſufficit attritio proportionata gratiæ, excludens affectum ad peccatum. Ita Suarez *loco citato* Reginaldus *loco citato. num. 40. & 41.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 8. punct 4. columna 9.* Zerola *de pœnitentia cap. 6. quæſito 1.* Chamerota *tract. 6. de contritione. dub. 2. verſ. Dico tertiò.* Pitigianus *2. parte diſt. 14. quæſt. 4. art. 7. concl. 1.* Bellarminus *de pœnitentia lib. 2. cap. 8. propoſitione 1.* & alij.

Hinc patet eum, qui recipit pœnitentię Sacramentum cum deteſtatione omnium ſuorum peccatorum ob timorem gehennæ, vel alterius pœnæ, quæ à Deo infligitur, obtinere ſuorum peccatorum remiſſionem. Ita Doctores citati.

4 *Quomodo bona ſit attritio, qua homo timore pœnæ dolet de peccatis.*

4 QVÆRES, quomodo bona ſit attritio, qua homo timore pœnæ dolet de peccatis.

Pro ſolutione iſtius difficultatis notandum eſt hominem poſſe tripliciter dolere de peccatis ob timorem pœnæ.

Primò ob timorem pœnę excitatiuè, ſeu ob cauſam extrinſecam, quatenus ſcilicet homo timore pœnæ arripit occaſionem dolendi de peccatis, & præſtandi bonum aliquod opus.

Secundò poteſt dolere de peccatis ob timorem pœnæ, tanquam ob finem proximum, non excludendo vltimum finem, id eſt, Deum, ad cuius gloriam hoc totum referri poteſt.

Tertiò dolere poteſt de peccatis ob timorem pœnæ, ſed cum tali affectu, vt, ſi pœna non eſſet, non præcaueret peccatum. Hoc poſito:

RESPONDEO primò, timorem primo modo, quo ſcilicet homo excitatur ad dolorem peccatorum timore pœnæ, eſſe bonum. Ratio eſt, tum quia hic eſt conſuetus, & ordinarius modus, quo Deus peccatorem pertrahit ad meliorem frugem, vt patet ex illo loco: *Niſi pœnitentiam egeritis, ſimul omnes peribitis.* Ex quo loco deducitur hominem incitari ad pœnitentiam timore pœnæ mortis: tum quia hoc eſt definitum in Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 6.* illis verbis, *à Diuinæ iuſtitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur.*

RESPONDEO ſecundò, timorem ſecundo modo, quo ſcilicet quis dolet de peccatis ob timorem pœnæ, tanquam ob finem proximum, eſſe bonum, & laudabilem, vt conſtat, tum ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 4. & ſeſſ 6. Canone 8.* Tum ex Pſalmo 33. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos;* & alibi, *Timete Dominum omnes Sancti eius*, qui locus exponitur de timore pœnarum à D. Baſilio apud Suarez *loc. citat. ſect. 2. n. 4. & 7.* Tum quia conſentaneum eſt rationi, vt peccatum odio habeatur propter pœnam; ergo poteſt odio haberi propter pœnam, conſequenter huiuſmodi actus eſt bonus, cùm ſit conformis rationi, & in ipſo non includatur affectus ad peccatum, pœnitens enim non habet hanc intentionem, vt, ſi pœna non eſſet, non euitaret peccatum, ſed vitat, & deteſtatur peccatum ob pœnam, quæ licèt in hoc actu ſit finis proximus, non tamen excludit vltimum finem. Ita Nugnus *in additionibus ad 3. partem, q. 1. art. 2. dub. 2 pagina mihi* 182. Nauarrus *cap. 1. num. 8.* Reginaldus *lib. 5. n. 28.* & alij communiter: & hic actus poteſt eſſe ſupernaturalis, ſi ex motiuo ſupernaturali eliciatur, ſeu dirigatur ad finem ſupernaturalem, vt tradit Suarez *diſp. 5 ſect. 2.* & alij.

RESPONDEO tertiò, timorem tertio modo, quo ſcilicet quis dolet de peccatis ob timorem pœnæ, ſed ita eſt affectus, vt ſi pœna non eſſet, non præcaueret peccatum, non eſſe bonum, ſed malum, & peccaminoſum; nam includit affectum actualem ad peccatum; actualis autem affectus ad peccatum eſt peccatum. Ita S. Thom. *2. 2. qu. 19.* Nugnus *loc. cit.* & alij communiter.

Ex dictis in præcedentibus colligi poteſt ſolutio multorum caſuum.

5 *In ſuſceptione Sacramenti pœnitentiæ, quænam deteſtatio requiratur.*

5 Primò in ſuſceptione Sacramenti pœnitentiæ non ſufficere ſolam deteſtationem peccatorum, quæ continetur in voluntate ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ, ſed requiri actualem dolorem, ſeu attritionem. Ratio eſt, tum quia deteſtatio peccatorum contenta in voluntate ſuſcipiendi Sacramentum non eſt propriè attritio. Ex dictis autem conſtat ad ſuſcipiendum pœnitentiæ Sacramentum requiri attritionem: tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 14.* dicit in ſuſceptione Sacramenti non remitti peccata ſine motu pœnitentiæ, quam pœnitentiam poſtea *ſeſſ. 14. cap. 4.* diuidit in contritionem, & attritionem; ergo ad recipiendum pœnitentię Sacramentum cum fructu requiritur motus pœnitentiæ, id eſt, attritio, & non ſufficit deteſtatio peccatorum incluſa in voluntate ſuſcipiendi Sacramentum. Ita Vaſquez *q. 91. art. 1. dub. 1. num. 2. de pœnitentia.* Pitigianus *2. parte diſt. 14 quæſt. 4 art. 7. verſ. Dixi etiam.* Bellarminus *de pœnitentia lib. 2. cap. 6.* & alij communiter contra nonnullos alios apud Sylueſtrum, *verb. Confeſſio 1. quæſito 21.*

6 *An ſufficiat attritio putata.*

6 Secundò non ſufficere attritionem putatam attritionem, niſi verè ſit attritio. Ratio eſt, quia de lege ordinaria nullus iuſtificatur, niſi debitas habeat diſpoſitiones: ſed inter cæteras diſpoſitiones de lege ordinaria requiſitas ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ recipiendam eſt attritio, vt dictum eſt in tertia propoſitione; ergo requiritur vera attritio, & non ſufficit attritio putata. Ita Pitigianus *2. part. diſt. 14. quæſt. 4 art. 7.* Reginaldus, Suarez, & alij, quos ſuprà retuli de materia Sacramenti pœnitentiæ, & quamplures alij Doctores apud Henriquez *lib. 4. c. 26. n. 2.* contra Chamerotam *loc citat.* [Vaſquez *dub. 2.* Molfeſium *tract. 7. c 9. num. 40*] & alios exiſtimantes ſufficere attritionem putatam, ſaltem quando pœnitens bona fide accedit, & credit ſe eſſe ſufficienter diſpoſitum, poſtquam debitam præmiſit diligentiam ad ſeſe præparandum. Immo aliqui Doctores aſſerunt hoc valere etiamſi omiſſa ſit vera attritio ob negligentiam in præparatione facienda: ſed hoc non eſt admittendum, vt patet tum ex ratione ſuperiùs allata: tum ex infrà dicendis de confeſſione informi.

7 *An ſufficiat actus quo quis dolet ſe non habere attritionem peccatorum.*

7 Tertiò ad pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipiendum non ſufficere actum, quo quis dolet ſe non habere attritionem peccatorum. Ita Henriquez *lib. 4. cap. 26. num. 5.* Vaſquez *de pœnitentia quæſt. 92. art. 1. dub. 3. num. 6.* & alij communiter contra Nauarr. *cap. 1. num 20.* Paludanum *in 4. diſt. 17. quæſt. 1. art. 5.* & alios. Ratio eſt, quia huiuſmodi dolor non eſt attritio peccatorum, ſed dolor carentiæ attritionis; ad Sacramentum autem pœnitentiæ cum fructu recipiendum requiritur attritio. Obſerua tamen cum actu, quo quis dolet ſe attritionem de peccatis non habere, vt plurimum coniunctum eſſe dolorem de peccatis, quamuis pœnitens illum non dignoſcat.

8 *Quænam attritio requiratur ad recipiendũ pœnitentiæ Sacramentum cum fructu.*

8 Quartò ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu requiri attritionem ſupernaturalem, efficacem, & vniuerſalem, vt communiter teſtantur Doctores contra Dominicum Sotum *in 4. diſt. 18. quæſt. 3.* & alios apud Suarez *diſp. 5. ſect. 1. num. 4.* aſſerentes ſufficere attritionem naturalem.

9 *An requiratur propoſitum non peccandi de cætero.*

9 Quintò ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu requiri propoſitum non peccandi de cætero. Ratio eſt, quia ad Sacramentum pœnitentiæ recipiendum requiritur attritio efficax, & vniuerſalis: non poteſt autem eſſe attritio efficax, & vniuerſalis, niſi excludatur voluntas peccandi in futurum, & includatur propoſitum non peccandi. Ita Pitigianus *2. parte diſt. 14. quæſt. 3. art. 8. concl. 1.* & alij Doctores citati.

Ex quo fit, vt illi, qui ſecum deliberauit potius peccare mortaliter, quàm mori, deneganda ſit abſolutio, quia non habet propoſitum vitandi peccata: ſi verò habeat propoſitum non peccandi, poteſt abſolui, etiamſi fortè dubitet, quid faceret in tali caſu, vt ait Nauarrus *cap. 1. n. 9* Reginaldus *lib. 5. num 37.* Zerola *de pœnit. cap. 7. quæſito 5.* & alij, quos infrà referam.

Obſerua tamen ſufficere propoſitum virtuale, quo quis ita deteſtatur peccata, vt ſi menti occurrerent peccata futura, firmum eligeret propoſitum illa præcauendi in futurum: nam aliquis poteſt efficaciter dolere de peccatis cum propoſito virtuali, non aduertens ad peccata in futurum. Ita Caietanus *in ſumma verb. Confeſſio, num. 12.* Nauarrus *in Manuali cap. 1. n 6.* Vega *lib 13. cap. 21. de iuſtificatione*, Pitigianus *loco citato, concl. 3.* [Suarez *num. 32.* Filliucius *tract. 7. c. 6. quæſ. 10. num. 159. & ſeqq.*] & alij

10 *An ad Sacramentum pœnitentiæ requiratur Contritio.*

10 Si QVÆRAS, vtrùm ad Sacramentum pœnitentiæ requiratur contritio.

RESPONDETVR negatiuè, ſed ſufficere attritionem, quamuis non putetur contritio, ſed cognoſcatur eſſe attritio. Ratio eſt, tum quia Sacramentum pœnitentiæ nunquam produceret primam gratiam, nec remitteret peccata mortalia, ſed peccata priùs ſupponerẽtur remiſſa per contritionem: in Tridentino autem *ſeſſ. 14. c. 5.* habetur hominem virtute Sacramenti iuſtificari cum attritione: tum quia ſequeretur legem Euangelicam eſſe grauiorem lege antiqua, in qua homines cum ſola contritione iuſtificabantur; ergo ad iuſtificationem in Sacramento pœnitẽtię non requiritur contritio, ſed ſufficit attritio. Ita Corduba *lib. 1. quæſt. 1.* Nugnus *in additionibus tom. 2. ad tertiam partem quæſt. 9. art. 1. dub. 3.* Paludanus *in 4. diſt. 12. quæſt. 8. concl. 3. num. 18.* Vaſquez *loco cit. num. 14* & alij Doctores citati, contra Medinam, & alios apud Vaſquez *loco citato dub. 2. num. 1.*

Ad obiectiones, & locos Scripturæ, quibus aliquis conari poſſet oſtendere, non poſſe remiſſionem peccatorum ſine perfecta pœnitentia, & contritione obtineri; reſpondetur in illis locis ſermonem eſſe de iuſtificatione extra Sacramentum, nam ad iuſtificationem extra Sacramentum obtinendam requiritur contritio formalis, vel ſaltem virtualis. In Sacramento verò pœnitentiæ non eſt neceſſaria contritio, ſed ſufficit attritio deficiente contritione.

QVARTA PROPOSITIO.

11 *An attritio differat à contritione, & in quo differat.*

11 ATtritio multum differt à contritione. Primò, quia attritio dicitur dolor imperfectus; contritio verò dolor perfectus, vt conſtabit ex dicendis: tum quia diuerſum eſt motiuum contritionis, & attritionis, nam contritio deteſtatur peccata, quatenus ſunt offenſa, ſeu malum Dei: attritio verò deteſtatur peccata ob metum gehennæ, aut aliarum pœnarum, vt pœnæ damni, aut amiſſionis gloriæ, & gratiæ, vel ob turpitudinem ipſius peccati.

Tertiò,

Tertiò, quia contritio est actus charitatis, vt superiùs ostendimus, attritio verò est actus virtutis pœnitentiæ.

Quartò, quia contritio est ex se dispositio ad gratiam, cùm peccator per contritionem constituatur in gratia: attritio verò ex se non sufficit ad consequendam gratiam, nisi coniungatur cum Sacramento: si verò coniungatur cum Sacramento, sufficit ad consequendam gratiam, & dicitur efficere hominem de attrito contritum; non quia attritio fiat intrinsecè contritio; hoc enim fieri non potest; cùm attritio versetur circa vnum motiuum; contritio verò circa aliud, & sint actus diuersæ speciei, vt ait Chamerota *loco cit.* & alij statim citandi. quidquid in contrarium sentiat Angelus *loco* statim *citando*; sed quia attritus vi Sacramenti recipit gratiam, quam etiam recipit contritus per contritionem, & hoc est fieri ex attrito contritum non intrinsecè, sed extrinsecè. Ita S. Thom. *quæst.* 1. *de partibus pœnitentiæ, art.* 3. Nugnus *ibid. dub.* 1. *pag. mihi* 186. Valent. *tom.* 4. *disp.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 2. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 25. Suarez *disp.* 5. *sect.* 3. Vasquez *quæst.* 82. *art.* 1. *dub.* 2. *num.* 14. *& quæst.* 86. *art.* 3. *dub.* 8. *num* 4. Zerola *de pœnitentia cap.* 6. *quæsito* 2. *&* 3. Angles *in suis floribus in quartum quæst. de contritione lib.* 4. Chamerota *tract.* 6. *de contritione dub.* 2. Pitigianus *parte* 2. *dist.* 14. *quæst.* 2. *art.* 6. *concl.* 2. [Filliucius *tract.* 6. *cap.* 7. *quæs.* 8. 9. *&* 11. Molfesius *tract.* 7. *cap.* 8. *n.* 26 *& seqq.*] & alij communiter.

12 *An attritio, quæ est pars essentialis Sacramenti, differat ab attritione requisita ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu.*

12 QVÆRES, vtrùm attritio, quæ est pars essentialis Sacramenti, differat ab attritione requisita ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu, quam superiùs diximus appellari posse partem integralem.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, quia attritio, quæ est pars essentialis Sacramenti, potest esse dolor naturalis, vt patet ex supradictis: dolor verò requisitus ad fructum, & effectum Sacramenti debet esse supernaturalis, vt patet ex tertio propositione. Ita Henriquez *cap.* 26. *num.* 2. *in commentario litteræ D.* vbi refert Canum, Ledesmam, & alios contra Vasquez *quæst.* 92. *art.* 2. *dubio vnico, num.* 13. Coninchum *disp.* 4. *dub.* 5. *num.* 40. & alios asserentes, eundem dolorem requiri ad essentiam, & effectum Sacramenti pœnitentiæ. [quorum opinio probabilis est.]

PVNCTVM IV.

Quódnam sit obiectum materiale, & formale contritionis, & attritionis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Obiectum materiale Contritionis quódnam sit.*

1 OBiectum materiale contritionis est peccatum commissum, & nondum dimissum, seu id, quod facit inimicum Dei, seu quod est malum, & offensa Dei. Ratio est, quia illud est obiectum contritionis, circa quod versatur contritio: sed contritio versatur circa peccatum, seu circa id, quod facit hominem Deo inimicum, & quod est malum, & offensa Dei; ergo obiectum contritionis est peccatum commissum, & nondum dimissum, &c. Ita Henriquez *lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 9. Zerola *de pœnitentia cap.* 7. *quæsito* 18 *vers. Respondetur secundò,* [Filliucius *tract.* 6. *cap.* 9. *quæs.* 5 *num.* 227.] & alij, quos suprà retuli de materia Sacramenti pœnitentiæ.

2 *An homo possit contritionis actum elicere, de his, quæ trahunt ad peccatum.*

2 Hinc colligi potest primò hominem aliquando posse contritionis actum elicere de ijs, quæ trahunt ad peccatum, vt de malis habitibus, occasionibus peccatorum, & actibus ipsis peccaminosis; nam aliquo modo efficiunt hominem Deo inimicum.

3 *An homo possit cõtritionem elicere de peccato dimisso vt sic.*

3 Secundò hominem non posse contritionis actum elicere de peccato dimisso, si peccatum consideretur vt dimissum; nam secundùm hanc rationem non facit hominem Deo inimicum; si verò peccatum consideretur, vt fuit ab homine commissum, & vt aliàs fecit Deo inimicum, potest esse materia contritionis, & hoc pacto viri iusti sæpiùs contritionis actum eliciunt ob memoriam peccatorum antea commissorum.

4 *An peccatũ dimissum, quod ignoratur an sit dimissum, possit esse obiectum contritionis*

4 Tertiò peccatum dimissum, quòd nescitur, an sit dimissum, posse esse obiectum contritionis, potest enim repræsentari intellectui secundùm rationem, qua fecit hominem Deo inimicum.

5 *An actus contritionis elici possit de peccatis venialibus.*

5 Quartò actum contritionis elici posse de peccatis venialibus. Ratio est, quia peccata venialia sunt aliqua offensa Dei, & aliquo pacto efficiunt hominem Deo inimicum, disponẽdo ad peccatum mortale, iuxta illud, *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Ita Zerola *loco citando,* & alij.

6 *An de peccato originali elici possit actus contritionis.*

6 Quintò actum contritionis habeti non posse de peccato originali, si peccatum originale consideretur vt dimissum per Baptismum; si verò non consideretur vt dimissum, potest de ipso contritionis actus haberi; nam efficit hominem Deo inimicum. Ita Pitigianus 2 *parte dist.* 14. *qu.* 3. *art.* 6. *concl.* 1. Zerola *de pœnitentia cap.* 7. *quæsito* 18. & alij.

OBIICIES, illud est obiectum contritionis, quod est obiectum charitatis, cùm contritio sit actus charitatis. Sed obiectum charitatis non est peccatum, sed Deus; ergo peccatum, seu id, quod aliqua ratione efficit hominem Deo inimicum, non est obiectum contritionis.

7 *Obiectum materiale attritionis quódnam sit.*

RESPONDEO duplex esse obiectum contritionis. Vnum, circa quod versatur contritio tanquam circa obiectum destruendum. Alterum est obiectum circa quod versatur contritio tanquam circa obiectum amplexandum. Obiectum materialiter destruendum est est peccatum; obiectum verò amplexandum est Deus, propter quem homo detestatur peccatum.

7 Sextò colligi potest obiectum materiale attritionis esse peccatum, vt patet à simili de contritione; quamuis atritio non feratur in peccatum sub ea ratione formali, sub qua fertur contritio. Ita Pitigianus *loc. cit. concl.* 4. & alij Doctores citati.

8 *An peccatum futurũ possit esse obiectum contritionis.*

8 QVÆRES primò vtrùm peccatum futurum possit esse obiectum contritionis, seu vtrùm possimus habere contritionem de peccato futuro.

RESPONDEO peccatum futurum non esse obiectum directum, sed ex consequenti, quatenus in contritione includitur propositum non peccandi in futurum. Ratio est, quia obiectum contritionis est peccatum commissum; contritio enim est detestatio offensæ factæ Deo, cum proposito non amplius offendendi; peccatum autem futurum non est offensa facta. Ita S. Thom. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiuncula* 4. *& in additionibus quæst.* 2. *art.* 4. Nugnus *ibid. in additionibus.* Nauarrus *cap.* 1. *num.* 21. Graffius *lib.* 1. *decisionum, cap.* 3. *num.* 2. & alij.

9 *An peccatum alienũ possit esse obiectum contritionis.*

9 QVÆRES secundò, vtrùm peccatum alienum possit esse obiectum contritionis, seu vtrùm possimus contritionis actum habere de peccatis alienis.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, quia contritio est actus detestationis peccatorum, quæ nos efficiunt Deo inimicum: sed peccata aliena non efficiunt nos inimicum Deo; ergo peccata aliena non sunt obiectum contritionis. Possumus quidem de peccatis alienis dolere, sed talis dolor non est propriè contritio, nisi doleamus de peccatis alienis, quatenus sunt nostra propria, vt quia nos fuimus causa peccati alterius, vel quia nos peccatum alienum imitati fumus. Ita S. Thomas *in additionibus ad* 3. *partem, qu.* 2. *art.* 5. Nugnus *ibidem.* Suarez *de pœnitentia disput.* 2. *sect.* 1 *num.* 1. Graffius. *loco citato cap.* 4. *num.* 8. Summa Corona *de pœnitentia num.* 13. & alij.

10 *An possimus per actum contritionis vnum peccatum mortale detestari, non detestando cætera.*

10 QVÆRES tertiò, vtrùm per actum contritionis possimus vnum peccatum mortale detestari, non detestando cætera.

RESPONDEO negatiuè, nisi saltem virtualiter detestemur cætera; quamobrem qui plura habet peccata mortalia, & vnius tantùm recordatur, non potest de illo, cuius recordatur, contritionis actum elicere, quin etiam virtualiter cætera detestetur. Ratio est, quia actus contritionis includit virtualem dilectionem Dei super omnia, est enim actus charitatis: nullus autem potest Deum super omnia diligere, nisi saltem implicitè detestetur ea, quæ Deo displicent.

Ex quo patet eum, qui recordatur plurium peccatorum mortalium, non posse de vno tantùm veram habere contritionem, nec iustificari posse, nisi per contritionem omnia detestetur. Ita Corduba *lib.* 1. *quæst.* 5. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 5. Suarez *disput.* 3. *sect.* 8. *num.* 5. *& disp.* 4. *sect.* 6. *num.* 17. Coninchus *disp.* 1. *de pœnitentia, dub.* 5. *n.* 30. *concl.* 1. Nugnus *in additionibus ad tertiam partem, quæst.* 2. *art.* 6. *difficultate* 2. Zerola *de pœnitentia cap.* 2. *quæsito* 15. contra nonnullos alios.

SECVNDA PROPOSITIO.

11 *Obiectum formale cõtritionis quódnam sit.*

11 OBiectum formale contritionis est peccatum, quatenus est offensa Dei, vel malum Dei, vel contra amicitiam Dei. Ratio est, tum quia illud est obiectum formale contritionis per quod actus contritionis distinguitur ab actibus aliarum virtutum, sed actus contritionis distinguitur ab actibus aliarum virtutum per hoc, quòd detestatur peccata, vt sunt offensa Dei, &c. actus enim aliarum virtutum non sunt detestationes peccatorum, vt sunt offensa Dei, &c. ergo obiectum formale contritionis est peccatum, vt est offensa Dei, &c. Tum quia peccatum sub hac ratione consideratum est obiectum formale alicuius actus, sed non est obiectum alterius actus, quàm contritionis, &c. ergo est obiectum formale contritionis.

12 *An contritio specie differat ab attritione.*

12 Hinc patet, contritionem specie differre ab attritione, nam aliud est obiectum formale contritionis, & aliud attritionis, cùm formale obiectum attritionis sint peccata, quatenus sunt iniuria Dei, &c. vt patet ex dictis puncto antecedenti, & quæstione prima de virtute pœnitentiæ, attritio enim est actus virtutis pœnitentiæ, consequenter habet pro obiecto formali obiectum formale virtutis pœnitentiæ.

PVNCTVM V.

Vtrùm vnus actus contritionis sufficiat ad delenda omnia peccata, vel vtrùm ad delenda singula peccata requirantur singulæ contritiones.

IN præcedentibus ostendi, per actum contritionis peccata deleri, agendum modò est primò, vtrùm ad delenda peccata requirantur tot actus contritionis, quot sunt peccata. Secundò vtrùm per eundem contritionis actum teneamur mortalia, & venialia simul detestari.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An vnus contritionis actus ad delenda omnia peccata sufficiat.*

1 AD delenda singula peccata non requiruntur singulæ contritiones, sed sufficit vnus contritionis actus respiciens omnia peccata. Ratio est, tum quia si pro singulis peccatis singulæ contritiones requirerentur, sequeretur contritionem fieri ex multis actibus, & singulos actus contritionis non esse actus contritionis iustificantis hominem, nam habens multa peccata mortalia non iustificaretur per primum actum, sed post multos actus. Hoc autem non est admittendum, cùm homo iustificetur, quotiescumque contritionis actum elicit, iuxta illud Ezechielis 18. *In quacumque horæ ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Præterea sequeretur eum, qui vnum contritionis actum elicuit, non posse saluari, si elicito primo contritionis actu ex hac vita migraret, & post primum actum tempus illi non superesset ad detestanda reliqua peccata: tum quia vna aspersione multi possunt baptizari, vna absolutionis forma possunt omnia, & singula peccata deleri; ergo etiam vno contritionis actu possunt omnia peccata remitti, consequenter ad delenda singula peccata non requiruntur singulæ contritiones; tum quia nullum extat præceptum diuinum, vel naturale obligans homines ad singulas contritiones singulorum peccatorum; ergo, &c. Ita S. Thom. *in additionibus, qu.* 2. *art.* 6. Nugnus *ibid. dub.* 1. *concl.* 1 Valentia *tom.* 4 *disp.* 7 *q.* 8 *punct.* 6. *in princ.* Suarez *de pœnitentia disp.* 4. *sect.* 6. *n.* 3. Reginaldus *lib.* 5. *n.* 51. Nauarrus *cap* 1. *n.* 25. Victoria *de Sacramentis, n.* 116. Sotus *in* 4. *d.* 17. *q.* 2. *art* 3. *versùs finem.* Pitigianus 2. *part. d.* 14. *q.* 3. *art.* 7. *concl.* 2.

Zero-

Zerola *de pœnitentia, cap.7.quæsito 19. vers. Dico secundò.* Henriquez *lib 4.cap.7 num.2.* vbi refert Palatium, Canum, & alios, & *cap. 28.nu.3.& 4.* [Filliucius *tract.6.cap.9.quæst.1.*] contra Coninchum *disp.2.dub.8.nu 80.* Sylueſtrum, Angelum, Paluanum, & alios apud Nugnum, & apud alios præcit. Doct.

OBIICIS primò, ad delenda peccata in Sacramento pœnitentiæ requiritur confeſſio ſingulorum peccatorum; ergo etiam requiri videtur ſingulorum peccatorum contritio.

RESPONDEO negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, tum quia Confeſſio ſit per modum iudicij, in quo manifeſtanda ſunt ſingula crimina, vt reus abſoluatur, & iuxta illa puniatur: tum quia integritas confeſſionis peccatorum eſt de iure diuino, nullum verò ius apparet, quo fideles obligentur ad ſingulas de peccatis contritiones.

OBICIES ſecundò, ſicut Dauid dolebat de ſingulis peccatis *Pſal.6. Lauabo per ſingulas noctes lectũ meũ*, vbi Gloſſa *per ſingulas noctes* explicat ſingula peccata, & per *lectum* intelligit conſcientiam. Ita peccator debet ſingulorum peccatorum ſingulos contritionis actus habere.

RESPONDEO negando conſequentiam, non enim ex illo antecedenti colligendum eſt vniuerſale præceptum obligans fideles ad ſingulas de peccatis contritiones, ſed inde ſolùm deducitur, quid Dauid effecerit.

Hinc patet pœnitentem, qui ſe præparat ad confeſſionem, ſatisfacere, ſi ante examen, aut facto examine, aut inter examinandam conſcientiam vno actu deteſtetur omnia ſua peccata Ita Suarez *diſp 4. ſect.6.aſſertione 2.ad finem.* Henriquez *lib.4.cap 28.* Nauarrus *cap. 1.num 25.* Reginaldus *lib.5 numer.54.* Zerola *de pœnitentia, cap.7. quæſt.15.& cap.19.quæſt 7.* Caietan *3.part.quæſt.87.art 1. & quæſt. 2.de contritione*, vbi aſſerit ridiculum eſſe dicere, de ſingulis peccatis ſingulas exigi contritiones, ſiue contritionem ſecundùm ſe ipſam conſideres, ſiue in ordine ad ſacramentalem confeſſionem.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *An eodem actu teneamur deteſtari mortalia, & venialia.*

2 NOn tenemur eodem actu deteſtari mortalia, & venialia, ſed poſſumus remiſſionem mortalium obtinere, quamuis remiſſionem venialium non obtineamus. Ratio eſt, quia non tenemur eodem actu deteſtari peccata, vt ſunt grauis, & vt ſunt leuis offenſa Dei: ergo non tenemur eodem actu deteſtari mortalia, & venialia, conſequenter poſſumus remiſſionem mortalium obtinere non obtenta remiſſione venialium, nam qui deteſtatur mortalia, quatenus ſunt grauis offenſa Dei, obtinet illorum remiſſionem, cùm talis deteſtationis actus oppoſitionem habeat cum peccatis mortalibus, quamuis non habeat oppoſitionem cum venialibus. Immò tantum abeſt, vt oppoſitionem habeat cum venialibus, vt ſimul cum tali actu reperiri poſſit complacentia peccatorum venialium.

3 *Per quem contritionis actum obtineatur remiſſio venialium.*

3 Ex quo deducitur, remiſſionem peccatorum venialium non obtineri per quemlibet contritionis actum, ſed per eum actum, qui cum peccatis venialibus oppoſitionem habet, omnis enim expulſio fit per aliquam oppoſitionem, & niſi inter aliqua duo ſit oppoſitio mediata, vel immediata, ex natura ſua, vel ex inſtitutione, non ſequitur excluſio inter ipſa. Ita S Thom *quæſt.86.art.3.* Coninchus *diſp.1.de pœnitentia dub 5.num.32* & alij.

4 *An actus, quo quis deteſtatur peccata vt ſunt grauis offenſa Dei, ſufficiat ad delenda venialia.*

4 Secundò infertur actum, quo quis deteſtatur peccata, vt ſunt grauis offenſa Dei, non ſufficere ad delenda venialia, cùm talis actus non habeat oppoſitionem cum venialibus: ſufficit verò actus, quo quis deteſtatur peccata venialia, vt ſunt aliqua offenſa Dei, aut actus, quo quis vult placere Deo, etiam in minimis, nam iſti duo actus oppoſitionem habent cum peccatis venialibus.

5 *An perfectior actus requiratur ad delenda venialia; quàm mortalia.*

5 Tertiò perfectiorem actum requiri ad delenda venialia, quàm ad delenda mortalia, nam mortalia delentur immediatè per gratiam, & mediatè per actum contritionis, quo quis deteſtatur peccata, vt ſunt grauis offenſa Dei, ſeu per actum dilectionis, quo quis vult placere Deo in rebus grauibus. Venialia verò delentur immediatè per actum contritionis, quo diſplicent peccata, vt ſunt leuis, ſeu aliqua offenſa Dei, aut per actum dilectionis, quo quis vult Deo etiam in minimis placere, vt patebit ex dicendis de Sacramentalibus.

6 *An venialia deleantur per gratiam habitualem, vt ſic.*

6 Quartò per gratiam habitualem vt ſic non deleri peccata venialia, gratia enim non habet ſufficientem oppoſitionem cum peccatis venialibus, alioquin ſequeretur hominem iuſtum, quem conſtat habere gratiam habitualem, ſemper carere peccatis venialibus, quod non eſt admittendum, cùm ſepties in die cadat iuſtus.

PVNCTVM VI.

Vtrùm ad contritionem, & iuſtificationem requiratur conſideratio, & recogitatio peccatorum.

QVæremus primò, vtrùm requiratur cognitio peccatorum ſaltem confuſa. Secundò, vtrùm requiratur diſtincta cognitio.

PRIMA PROPOSITIO.

1 & 2 *An diſtincta vel ſaltem confuſa peccatorum recogitatio requiratur ad iuſtificationem.*

1 AD iuſtificationem obtinendam per contritionem requiritur ſaltem confuſa peccatorum commiſſorum conſideratio. Ita Doctores ſtatim citandi. Ratio eſt, tum quia *Iſaiæ 38.* dicitur: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*; qui locus explicatur de recogitatione, & cognitione peccatorum, prærequiſita ad contritionis actum eliciendum, [& Ezech.18. *Conſiderans peccata tua*, &c.] Tum quia contrio eſt actus voluntatis, voluntas autem non fertur in incognitum: tum quia nullus dolere poteſt de offenſa alteri facta, illique congruam pro offenſa ſatisfactionem exhibere, niſi aliqua ratione cognoſcat, in quo illum offenderit: ergo ad contritionem requiritur ſaltem confuſa peccatorum conſideratio, cùm homo per contritionem doleat de offenſa Dei, illique intendat ſatisfacere Ita Suarez *diſp 4 ſect.6.num.9* Peſantius *in additionibus ad tertiam partem quæſt. 5 art.5.diſp.5.* Valentia *tom.4.diſp.7.quæſt.8.punct 6* Nugnus *in additionibus ad tertiam partem quæſt 2.art.6.dub.1.* Coninchus, & Franciſcus Pitigianus *locis ſtatim citandis* Henriquez *l.4.c.27 n.9.* [Filliucius *tract.6. cap 9 quæſt.1.n.217.* Molfeſius *tract.7, cap.7.num. 27.* Reginaldus *lib 5.n.52*] & alij commuiter.

Non nego tamen, quin aliquis poſſit aliquando iuſtificari, etiam ſi non reuocet vllum peccatum in mentem, vt patet in eo, qui elicit actum dilectionis Dei ſuper omnia, nullo modo cogitans de peccatis, vt benè tradit Coninchus *de pœnitentia diſp 2.dub.6.nu.51.& dubio 8.n.76.* [Suarez, & Filliucius *locis cit.*] & alij quos ſuprà retuli de neceſſitate contritionis, ſed nego, aliquem iuſtificari poſſe per actum contritionis, niſi cognitionem aliquam peccatorum habeat, vt patet ex allatis rationibus.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 AD contritionem, & iuſtificationem non requiritur per ſe loquendo diſtincta ſingulorũ peccatorum recogitatio, ſed ſufficit confuſa. Hæc propoſitio patet, tum exemplo Magdalenæ, quę cùm pluribus peccatorum vinculis obſtricta teneretur, ſubitò iuſtificata fuit, nec tam breui temporis ſpatio ſingula peccata potuit in mentem reuocare: tum quia ſi quis poſita confuſa peccatorum cogitatione actum contritionis eliciat, ſtatim iuſtificatur, Ezechielis 18. *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Ergo ad contritionem, & iuſtificationem ſufficere videtur cõfuſa peccatorũ recogitatio: tum quia nullum extat ius naturale, aut poſitiuũ obligans hominẽ ad diſtinctã ſingulorum peccatorũ recogitationẽ ante, vel etiã poſt contritionẽ: ergo per ſe loquendo nõ eſt neceſſaria diſtincta peccatorũ recogitatio. Ita Pitigianus *part. 2.d.14.q 3.art.7.conc 1.* & alij Doct. citati.

3 *In quibus caſibus pœnitens teneatur peccata ſua diſtinctè recogitare.*

3 Dixi *per ſe loquendo*, vt aduerterem nonnullos dari caſus in quibus pœnitens tenetur peccata ſua ante, vel poſt contritionem diſtinctè recogitare.

Primus caſus eſt, quando poſt contritionem facienda eſt confeſſio, tunc enim neceſſarium eſt examen conſcientię, cùm nullus poſſit peccata ſua confiteri, niſi facto examine conſcientię, quantum poſtulat ratio loci, temporis, & perſonæ, vt inferiùs explicabo. Ita Nugnus *loco citato.* Vaſquez *quæſt.86.art.2 dub 7.nu. 16* Coninchus *loco cit.dub.8.n.77.* Graſſius *loco ſuprà citato, cap 5 n.4.* Henriquez *loco citato.* [Filliucius *n. 222.*] & alij *locis citatis.*

Secundus caſus eſt, quando extat obligatio reſtitutionis faciendę, tunc enim qui ratione damni iniuſtè illati, aut ratione contractus obligationem habet reſtituendi, tenetur diligenter ſingula ſua peccata perpendere, quantum opus eſt ad integram reſtitutionem faciendam, nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ad eum finem ordinata. Ita Pitigianus *2.part.diſt.14.quæſt.3.art.7.concluſ 4.* [Filliucius *nu.220.*] & alij Doctores citati.

Tertius caſus eſt, quando remedium aliquod aſſumendum eſt ad enitanda peccata, vel quando aliqua peccatorum occaſio auferenda eſt, vt patet ex proximè allata ratione. Ita Suarez *diſp 4.ſect.6, aſſertione 2* Henriquez *cap 28.nu.3.* Maior *in 4. diſt.17.quæſt.3.* Victoria *in ſumma cap.4.nu.116.*

OBICIES [contra propoſitionem,] medicus non poteſt ritè curare infirmum, niſi benè norit ipſius prauam valetudinem: ergo neque peccator poteſt animæ debitum ſanitatis remedium adhibere, niſi benè, & diſtinctè cognoſcat conſcientię ſuæ vulnera, & peccata.

RESPONDEO negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia pro infirmitate corporali varia, & diuerſa remedia iuxta varia infirmitatis genera poſſunt adhiberi, cùm enim non omnis infirmitas eadem poſtulet remedia, ſequitur neceſſarium eſſe claram notitiã morbi corporalis, vt cõgruum, & debitum remedium applicetur, hoc autem non eſt neceſſe in infirmitate animæ, quæ poſita confuſa infirmitatis cognitione vno contritionis actu per ſe loquendo ſanatur? Ita Suarez *loco citato, aſſertione 2. ad finem*, & alij.

4 *An iuſtificetur, qui contritionis actum elicit vniuſ tantummodò peccati, cuius recordatur.*

4 QVÆRES vtrùm, qui facto peccatorum examine, recordatur vnius tantummodò peccati, iuſtificetur, ſi de illo peccato contritionem eliciat, quamuis alia peccata cõmiſerit, quorũ non recordatur.

RESPONDEO iuſtificari Ratio eſt, quia ille actus contritionis, virtualiter, & interpretatiuè includit deteſtationẽ omnium aliorũ peccatorum, quorum non recordatur, eſt enim virtualis dilectio Dei ſuper omnia: non poteſt autem quis Deum ſuper omnia diligere, niſi ſaltem virtualiter, & interpretatiuè deteſtetur omnia, quę Deo diſplicent. Ita Suarez *diſp.4 ſect.6. aſſertione 3.n.17.* [Filliucius *tract. 6.c. 9 quæſt.3.nu.223.& 226.*] & alij Doctores ſtatim citandi.

OBIICIES, ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu non ſufficit attritio peccatorum, quę facto examine menti occurrerunt, vt ſuperiùs diximus, ſed requiritur dolor vniuerſalis: ergo etiam ad iuſtificationem extra Sacramentum non ſufficit actus contritionis, quo quis deteſtatur peccatum, quod venit in mentem.

RESPONDEO negando conſequentiã Ratio diſparitatis eſt, quia actus contritionis includit virtualiter deteſtationem peccatorũ, quãuis in mentem non venerint, actus verò attritionis non includit huiuſmodi deteſtationem, cùm ſit dolor imperfectus, nec ſit actus charitatis, ſicut eſt contritio.

Obſerua tamen cum Graffio *loco citato c.5.nu.25.* S. Thom. *q.80. art.4.ad primum.* Soto *diſt.12.q.2.art 6* Suarez *loco citato n.16.* vbi refert D. Bonauenturam, pœnitentem, qui recordatur alicuius ſolùm peccati, tutius agere, ſi non ſolùm doleat de peccato, cuius recordatur, verùm etiam de alijs, ſi forte commiſit, ſic enim eligit viam tutiorem & certiorem.

PVNCTVM VII.

Quanta debeat eſſe deteſtatio, ſeu contritio quo ad durationem temporis, & quo ad intenſionem, vt per ipſam peccata remittantur.

1 *Contritio quot modis dicatur magna.*

1 NOtandum contritionem dupliciter dici magnam. Primò intenſiuè, Secundò appretiatiuè.

Dicitur *magna intensiuè*, quando magno conatu, & feruore elicitur: sicut calor dicitur magnus, quando est vehemens, & reddit subiectum satis calidum, & ex opposito calor dicitur paruus, quando est tenuis, & reddit subiectum parum calidum; tunc verò detestatio, seu contritio dicitur magna appretiatiuè, quando quis magis detestatur peccatum, quàm aliquod aliud malum, vt si magis detestetur peccatum quàm infirmitatem, vel amissionem bonorum. Detestatio verò, seu contritio dicitur maxima, quando quis detestatur peccata super omnia mala, & super omnia detestabilia: sicut etiam amor dicitur maximus appretiatiuè, quando quis magis æstimat Deum, quàm quodlibet aliud bonum, etiamsi talis actus amoris physicè in intensione sit minor amore alterius rei. Quamobrem qui feruentius, & intensius amat patrem, quàm Deum, dicitur magis intensiuè amare patrem, quàm Deum: qui verò ita amat Deum, vt illum æstimet magis quàm patrem, dicitur amare Deum magis appretiatiuè, quàm patrem, quamuis magis intensiuè amet patrem.

Hoc posito duo quæremus in hoc puncto. Primò quandiu durare debeat, seu quanta esse debeat contritio quo ad durationẽ temporis, vt per ipsam peccata deleantur. Secundò quanta esse debeat quo ad entitatem seu quoad intensionem Physicam.

PRIMA PROPOSITIO.

2 *Quàta esse debeat Cõtritio quoad durationẽ tẽporis.*

2 AD iustificationem non requiritur, vt detestatio peccatorum, seu contritio duret longo tempore, sed sufficit quouis paruo tempore duret. Immò sufficit, si fiat in instanti. Ratio est, tum quia homo potest iustificari in exiguo momento temporis, aut in instanti, iuxta illud Ezechielis 18. & 33. *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*; tum quia actus contritionis, quamuis fiat in instanti, est vera contritio cùm sit actus detestationis peccatorum propter Deum, sed contritio sufficit ad iustificationem: ergo ad iustificationẽ sufficit actus contritionis, quamuis fiat in instanti, & non duret longo tempore. Ita Coninchus, Nugnus, Pesantius, [Filliucius, Molfesius,] & alij Doctores statim citandi, contra Scotum, & Caietanum apud Suarez *tom.4.disp 4 sect* 5. apud Heriq. *lib.4.cap.27.nu.4* apud Nugnum *in additionibus ad 3 part quæst.4.art.1.difficultate 2.*

SECUNDA PROPOSITIO.

3 *Quãta esse debeat quo ad intensionem physicam.*

3 AD contritionem, & consequenter ad iustificationem non requiritur certa intensio, & vt contritio sit magna intensiuè intensione physica, sed sufficit quælibet contritio, licet remissa, modò sit vera contritio. Ita Nauarrus *cap.1 num. 9* Medina *de pœnitentia tractat.1 q.5.* Sotus *in 4 dist.17.q 2.art.4* Suarez *disput. 4 sect.4.n.9.* Nugnus *loco citato, concl.2.* Coninchus *disp 2.dub.3.n. 70.* Reginaldus *lib.5.n.30. & 32.* Henriquez *lib.4.c.27.n.6.* Bellarminus *lib.2.de pœnitentia c 11.propositione 3.* Valentia *tom 4.disp. 7.quæst.8.puncto 5.* Rodriquez *cap.48. conclus.2.* Graffius *loco citato, c.4.n.5.* Pitigianus *2 parte dist.14.q 3 art.9.conclus 2.* Pesantius *in additionibus ad 3 partem q.5 art.5. disp.6.* [Filliucius *tract. 6.c. 9 quæst 7 & 9.* Molfesius *tract.7.c 7 n.10.*] & alij. Ratio est, tum quia in Scriptura nulla fit mentio vllius intẽsionis: ergo sufficit quælibet contritio, quamuis remissa, nam in qualibet intensione saluatur ratio contritionis, cum sit detestatio peccatorum, & conuersio in Deum sub motiuo contritionis, cui conuersioni in Scriptura promittitur remissio peccatorum, nec limitatur ad certam intensionem, vt colligitur ex illo loco Ezechielis: *In quacunque hora ingemuerit peccator*, &c. Tum quia sicut peccatum mortale, etiam si tepidè, & paruo conatu committatur, destruit gratiam; ita contritio, quamuis remissa, sufficienter inducit gratiam, & destruit peccatum: tum quia ferè semper anxij essemus dubitantes, an sufficientem doloris gradum habeamus, quod non videtur admittendum, cùm iugum Christi sit suaue.

OBIICIES primò, si ad contritionem quælibet actus intensio sufficeret, sequeretur hominem posse semper cognoscere se esse in gratia, sciret enim se habere contritionem, sed nullus certò scire potest se esse in gratia, vt patet ex Tridentino *sess.6 cap.9.* Ergo ad contritionem non videtur sufficere quælibet actus intensio.

RESPONDEO negando inde sequi certam de gratiæ statu cognitionem. Ratio est, quia nullus certò scire potest se veram contritionem habere, iuxta communem Doctorum sententiam ex Henriquez *lib 4.cap.20 num.5.* contra Medinam *tractatu 1.q.5.ad finem.* Caietanum, & alios, quos referam *de charitate.* nam fieri potest, vt verè non dolcat ob Dei amorem, & consequenter non habeat veram contritionem, quamuis probabiliter opinetur se illam habere.

OBIICIES secundò, ad contritionem, & Dei amicitiam requiritur, vt Deus plus ametur, quàm pater, & mater, iuxta illud Euãgelij, *Qui amat patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus*: & iuxta præceptum Decalogi: *Diliges Dominum Deum tuum. ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis*; ergo ad iustificationem & amorem Dei non videtur sufficere quilibet contritionis actus, sed requiri videtur actus intensus, alioquin Deus non plus diligeretur, quàm pater, aut mater, neq; diligeretur ex totis viribus

RESPONDEO ad iustificationem non requiri intensionem physicam, & entitatiuam actus contritionis, sed intensionem quandam moralem, quæ consistit in appretiatione, æstimatione Dei super omnia bona, & in detestatione peccati super omnia mala: peccatũ enim cùm sit offensa, & iniuria Dei, censendum est maximum malum, cõsequenter detestandum est super omnia mala, & super omnia detestabilia: Deus verò amandus est super omnia bona, quia bonitas ipsius superat omnia bona: sicut autem amor, quo Deus diligitur super omnia bona, dicitur maximus appretiatiuè; ita detestatio peccati super omnia mala, dicitur maxima appretiatiuè, & hæc sufficit ad iustificationem, quamuis in actu contritionis non reperiatur magna intensio. Quamobrem ad iustificationem non requiritur intensio physica actus contritionis, sed sufficit intensio moralis, qua quis detestatur peccata super omnia detestabilia; peccatum enim detestandum est super omnia malatum quia peccatum est summum malum, cùm apponatur diuinæ bonitati, summum autem malum detestandum est super omnia mala, quæ non sunt peccata: tum quia actus contritionis fundatur in dilectione Dei, sed dilectio Dei debet esse maior appretiatiuè omni alio amore propter summam Dei bonitatem: ergo etiam detestatio peccati debet esse maior appretiatiuè omni alia detestatione, consequenter iustificandus debet detestari peccata super omnia mala, quæ videlicet non sunt peccata. Ita S. Thom 1.2.q 12.art.4. Nugn. *loco citato, conclus.* 3. Henriquez *lib.4.c.7.n 1. & c.27.n.2. & 9* Reginaldus *lib.5.nu 29 30. & 35* Suarez *disp.3 sect 9.* Coninchus *disp.2.dub.7.concl.1.n 68.* Pitigianus *d.14.q.3 art.9 conclus.3.* Bellarminus *de pœnitentia lib. 2.c. 11.propositione 2.* Zerola *de pœnit. c.7. quæsito 10. vers. Dico tertiò*, & alij communiter.

4 *Quomodo pœnitẽs peccata detestari debeat.*

4 QVÆRES primò, vtrùm pœnitens in eliciendo contritionis actũ, facere debeat comparationem peccatorum cum aliis malis, ita, vt detestari debeat peccatum, magis quàm amissionem vitæ, aut facultatum, aut honoris &c.

RESPONDEO sufficere, vt in genere detestetur peccata super omnia detestabilia in communi cum proposito vitandi omne peccatum super omne detestabile in communi, aut etiam sufficere, si malit quodlibet malum subisse, quàm offendisse Deum, cum proposito potius subeundi quodlibet malum, quàm offendendi Deum. Ratio est, quia homo potest detestari peccata per actum contritionis, nulla facta comparatione aliorum malorum: ergo non est necesse detestari peccata super omnia detestabilia, facta comparatione aliorum malorum. Ita Valentia *loco citato puncti* 1. Graffius *1 part punct.1.c. 2.n 12.* Nauarrus *c.1.n.21.* Henriquez *lib 4.c.24.n. 3. & c.27.nu.2.* Rodriquez *c 48.n.2* Reginald *lib.5.n 36* Coninch. *loc.citat.nu.69.* Nugnus *loco citato sub finem.* Zerola *de pœnitentia c.7. quæsito 21.* Pesantius *in addit.ad 3 partem q.5.art.5 disp.6.* & alij, qui bene obseruant sapiùs expedire, vt descendatur ad particularia mala, dicendo, exempli gratia detestor magis peccata, quàm mortem, vel quàm amissionem facultatum, &c. Ratio est, quia sicut delectabilia magis mouent descendendo ad particularia obiecta, quàm ea generaliter considerando. Ita fieri potest, vt pœnitens descendens ad particularia mala, magis illa æstimet quàm peccatum, & fieri potest, vt qui habet propositum in genere patiendi potius omnia mala, quàm offendẽdi Deum, non habeat propositum patiendi mortem, vel aliud malum in particulari, si ad particularia descendat.

5 *An maior detestatio requiratur de grauiori, quàm de leuiori peccato.*

5 QVÆRES secundò, vtrùm maior detestatio, seu dolor requiratur de grauiori peccato, quàm de minori, exempli gratia, vtrum pœnitens magis detestari debeat homicidiũ perpetratũ, quàm furtum.

RESPONDEO maiorem detestationem, seu dolorem requiri de grauiori peccato, quàm de leuiori, si pœnitens comparationem faciat inter maius, & minus peccatum. Ratio est, quia vbi est maius motiuum detestationis, debet esse maior detestatio: sed vbi est maius peccatum, est maius motiuum detestationis. Motiuum enim detestationis est malitia, & offensa Dei; ergo vbi est maius peccatum, debet esse maior detestatio. Ita Pitigianus *2. part. d.14. q.3 art 9. concl.4.* & alij Doctores statim citandi.

Verùm si pœnitens non faciat comparationem inter maius, & minus peccatum, non tenetur expresse magis de vno, quàm de alio dolere, si peccatum consideretur quoad culpam. Ratio est, tum quia vnus actus contritionis sufficit ad delenda omnia mortalia, cùm per quemlibet contritionis actum conferatur gratia, quæ est incompossibilis omnibus peccatis, vt colligitur Ezechielis 18. *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*; tum quia alioquin homo teneretur scire species, & qualitates omnium peccatorum, quod non videtur admittendum, cùm impossibile videatur, hominem scire species, & qualitates omnium peccatorum.

Dixi *si peccatum consideretur quoad culpam*, nam si consideretur quod ad pœnam, perspicuum est maius delictum maiorem pœnam mereri, consequenter etiam maiorem satisfactionem exhibendam esse, & magis esse dolendum, si pœnitens velit per actum contritionis pro tota pœna satisfactionem exhibere. Ita S. Thomas *in additionibus ad 3 partem, q.3.art.3.* Nugnus *ibidem.* Sotus *in 4.dist. 17.q. 2. art.4.conc 9* Pesantius *loco citato disp.6.quæsito 1.* Graffius *lib.1.decisionum c.4.n.5.* Nauarrus *c.1 n.35.* Reginaldus *lib. 5.n.30.* Valentia *tom.4.disp.7.q 8 puncto 9.* Suarez *disp.4.sect.4.n.11.* Henriquez *loco citat.cap.27.* & alij.

Obserua tamen cum Henriquez *loc.cit.n. 2. 8. & 9.* Suarez *loco cit.num.12.* Coninchо *de pœnitentia disp.2.dub.9.conclus.1.* quamuis non sit necesse pœnitentẽ magis detestari explicitè vnum peccatum, quàm aliud, nisi comparationem faciat inter maius, & minus peccatum, nihilominus actum detestationis, quo quis detestatur omnia peccata, vt sunt offensa Dei, esse maiorem æstimatiuè de maiori peccato quàm de leuiori, nam si homo contritus per impossibile deberet vnum peccatum eligere, eligeret minus, vt furtum potius, quàm homicidium, vel quàm adulterium, &c.

DICES, quando peruenitur ad summum, non datur magis, & minus, sed omnia peccata mortalia sunt detestabilia in summo appretiatiuè, vt patet ex supradictis: ergo non possumus vnum peccatum magis detestari, quàm aliud.

RESPONDEO omnia peccata esse detestabilia in summo, & appretiatiuè, id est, super omnia alia mala, quæ non sunt peccata, non verò esse detestabilia in summo, si fiat comparatio inter ipsa peccata, vnum enim est detestabilius alio.

6 *An mortaliter peccet, qui magis detestatur leuius, quã grauius peccatum.*

6 Sed modò DVBIVM est, vtrùm qui explicitè magis detestatur peccatum leuius, quàm grauius, peccet mortaliter.

RESPONDEO affirmatiuè, si inter illa duo peccata sit notabilis excessus, vt si quis malit commisisse homicidium, quàm furtum, aut adulterium, quam simplicem fornicationem. Ratio est, tum quia, si fiat prædicta comparatio inter peccatum mortale, & veniale, committitur peccatum mortale; ergo etiam committitur peccatum mortale,

mortale, quando quis facta comparatione inter longè grauius, & leuius peccatum, magis detestatur leuius, quàm longè grauius: tum quia, qui vult potius commisisse duo peccata mortalia, quàm vnum, peccat mortaliter; ergo etiam mortaliter peccat, qui potius cupit commisisse peccatum grauius, quàm longè leuius, peccatum enim longè grauius videtur æquiualere duplici peccato leuiori: tum quia, qui de duobus malis grauius eligeret, grauiter peccaret, faceret enim contra ius naturæ dictans de duobus malis minus eligendum; ergo etiam grauiter peccat, qui leuius delictum magis detestatur, quàm grauius. Ita Coninchus *loco citato, num.* 82. Nugnus *loc. cit. concl.* 5. & alij contra Henriquez *loco citato*.

PVNCTVM VIII.

Vtrùm ad contritionem requiratur propositum non peccandi in futurum.

DVo breuiter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm ad contritionem requiratur propositum vitandi peccata. Secundò, vtrum propositum debeat esse explicitum, vel sufficiat implicitum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An ad contritionem requiratur propositum non peccandi.*

1 AD contritionem requiritur propositum non peccandi in futurum. Hæc propositio patet tum ex Tridentino *sess. 6. cap. 6.* tum ex Florentino *in Decreto Eugenij*; tum quia nemo potest Deum super omnia diligere, aut dolere de offensa Dei summè dilecti, nisi propositum habeat vitandi peccata in futurum, vt patet ex supradictis, sed per contritionem implicitè diligitur Deus super omnia; ergo ad contritionem requiritur propositum vitandi peccata in futurum. Ita communiter Doctores.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *An sufficiat propositum implicitum vitandi peccatum in futurum.*

2 PRobabile est ad contritionem sufficere propositum implicitum vitandi peccata in futurum, & non requiri explicitum. Ratio est, quia dari potest casus, vt quis detestetur peccata super omnia, nihil aduertens ad futuram vitam; sed hic dicitur habere actum contritionis sine proposito explicito: ergo ad contritionem non videtur requiri propositum explicitum vitandi peccata in futurum.

In propositione dixi, *probabile est*, vt aduerterem circa propositam difficultatem duplicem extare Doctorum opinionem.

Prima est Valentiæ *tom. 4. disputat. 7. quæst. 8. puncto 6. ad finem.* Bellarmini *lib. 2. de pœnitentia cap. 6. & 7.* Soti *dist. 15. quæst. 1. art. 2.* Henriquez *lib. 4. cap. 24. num. 2.* Suarez *de pœnitentia disp. 4. sect. 3. num. 3.* Reginaldi *lib. 5. num. 8.* Nugni *3. parte, tom. 2. de 3. parte Sacramenti pœnitentiæ, quæst. 1. art. 1. dub. 3. & 5.* Toleti, & aliorum asserentium, requiri propositum explicitum vitandi peccata. Ratio est, tum quia Florentinum in decreto Eugenij asserit primam partem pœnitentiæ esse contritionem cum proposito non peccandi de cætero: tum quia in Tridentino *loco citato*, dicitur ad iustificationem hominis requiri propositum, &c. Cùm autem verba accipienda sint prout sonant, sequitur requiri propositum explicitum, & non sufficere implicitum, cùm implicitum non videatur propositum propriè acceptum.

Secunda sententia est Medinæ *C. de pœnitentia tract. 1. qu. 3. sub finem.* Coninchi *de pœnitentia disp. 2.* Pesantij *in additionibus ad tertiam partem q. 4. art. 5. disp. 4. dub. 6. num.* 58. Nauarri *c. 1. n.* 18. [Filliucij *tract. 6. c. 7. quæst. 5. n. 176.*] Maioris, & aliorum apud Suarez, & apud Bellarminum *locis citatis*, & apud Vasquez *de pœnitenti q. 86. art. 2. dub. 4. n. 3.* affirmantium, sufficere propositũ virtuale, & implicitum, quod in ipso contritionis actu continetur, quatenus contritus implicitè diligit Deum super omnia, & vult ipsi placere in omnibus. Ratio est, tum quia non potest afferri ratio sufficiens ad probandum requiri propositum expressum & explicitum; ergo sufficere videtur implicitum: tum quia Tridentinum ita exigit propositum benè viuendi, seu præcauendi peccata in futurum, sicut exigit propositum confitendi, sed sufficit ad contritionem propositum implicitum confitendi, & suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ, vt superiùs ostendimus: ergo sufficit etiam propositum implicitum benè viuendi, seu præcauendi peccata in futurum.

Ad rationem primæ sententiæ responderi potest, Concilium Tridentinum, & Florentinum intelligi posse de proposito implicito, & virtuali, hoc enim est propriè propositum, sed implicitum.

Vtraque opinio probabilis est, in praxi tamen consulendum est propositum actuale, cùm hoc sit tutius, & securius remedium ad iustificationem, & vsu magis receptum: quamquam non videtur existimandum inualidum Sacramentum susceptum ab eo, qui bona fide detestatur peccatum, illudque confitetur absque formali proposito, vt concedit idem Suarez *disput. 20. sect. 4. num. 34.* Henriquez *loco citato num. 2.* Reginaldus *lib. 5. num. 58.* Vasquez *loc. citat.* Pitigianus *2. part. dist. 14. quæst. 3. art. 8. conclus. 3.* Bellarminus *de pœnitentia lib. 2. c. 6 ad finem.* [Filliucius *n. 176.*] & alij.

3 *An ad contritionem requiratur, vt pœnitens credat se non amplius peccaturum mortaliter.*

3 QVÆRES, vtrùm ad contritionem requiratur, vt pœnitens credat se non amplius peccaturum mortaliter.

RESPONDEO, non requiri, vt pœnitens habeat huiusmodi credulitatem, sed sufficere, vt habeat propositum non amplius peccandi in futurum. Ratio est, tum quia actus contritionis potest subsistere, etiam si pœnitens non credat se non amplius peccaturum, potest enim detestari peccata super omnia detestabilia cum proposito non amplius offendendi Deum, licèt timeat fore, vt Deum in futurum offendat: tum quia credere se non amplius peccaturum, sapit quandam superbiam. Ita Nauarrus *cap. 1. num. 13.* Valentia *loc. citat. ad finem.* Rodriquez *cap. 48. num. 8.* Graffius *loco suprà citato.* Reginaldus *lib. 5. num. 34. & 56.* Suarez *disp. 4. sect. 3. num. 5.* Zerola *de pœnitentia cap. 7. quæsito 9.* & alij.

Ex dictis in antecedentibus punctis explicata remanet contritionis definitio, quã puncto 1. proposuimus dicendo, contritionem esse actum charitatis, quo quis detestatur omnia sua peccata super omnia detestabilia, quatenus sunt malum Dei, seu quatenus sunt offensa Dei, seu quatenus sunt contra amicitiam & voluntatem Dei, cum proposito non peccandi in futurum.

Dicitur, *actus charitatis*, quia vel elicitur ab habitu charitatis, vel à voluntate, Deo supplente habitum charitatis per suum auxilium.

Dicitur, *quo quis detestatur peccata*, vt ostendatur obiectum materiale, circa quod destruendum versatur contritio, per displicentiam causatiuam doloris, & afflictionis.

Dicitur, *omnia peccata*, quia contritio non potest haberi de vno peccato mortali, & non de alijs.

Dicitur, *sua*, quia nullus propriè potest contritionem habere de peccatis alienis.

Dicitur, *super omnia detestabilia*, quia cùm nihil sit detestabilius peccatis, peccata detestanda sunt appretiatiuè super omnia mala, quamuis ad actum detestationis, seu doloris non requiratur certa intensio actus, seu duratio temporis.

Dicitur denique, *quatenus sunt malum Dei*, &c. id est, quatenus displicent Deo, vel quatenus sunt contra voluntatem Dei, &c. nam actus contritionis est actus charitatis: charitas autem versatur circa Deum, vt summum bonum, & super omnia diligendum, consequenter non solùm illum amat, & omne bonum illi concupiscit per actum dilectionis, verùm etiam per actum contritionis odit & detestatur malum illi oppositum, id est, peccata, cùm ad eandem virtutem pertineat velle bonum alicui, & odisse malum illi oppositum.

PVNCTVM IX.

Vtrùm homo iustificari possit absque vllo pœnitentiæ, vel contritionis actu.

DIfficultas est primò, vtrùm homo de potentia ordinaria iustificari possit absque vllo actu pœnitentiæ: secundò de potentia absoluta.

PRIMA PROPOSITIO.

1 NOn potest homo de potentia ordinaria iustificari absque actu pœnitentiæ. Hæc propositio patet, tum ex *Actorum* 3. vbi dicitur: *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra*; tum ex Ezechielis 18. *Conuertimini, & agite pœnitentiam*, &c. Tum ex Trident. *sess. 6. cap. 6. 7. & 14.* vbi Concilium requirit dispositionem ad remissionem peccatorum obtinendam. Præcipuam autem dispositionem dicit esse pœnitentiam; ergo de potentia Dei ordinaria homo non potest absque vllo pœnitentiæ actu iustificari: tum ex Lucæ 13. *Si pœnitentiam non habueritis, simul omnes peribitis.* Ita S. Thomas *3. parte quæst. 86. art. 2.* Nugnus *ibidem, dub. 1. conclus. 2. & 3.* Suarez *ibidem disput. 6. sect. 1. assertione 1.* Vasquez *ibidem dubio 2. & 3.* Valentia *tom. 4. disput. 7. quæst. 3. punct. 2. in principio.* Henriquez *lib. 4. cap. 21. num. 1.* Coninchus *de pœnitentia disput. 2. dubio 10. num.* 84. Pitigianus *dist. 14. quæst. 1. art. 10. concl. 3.* [Filliucius *tract. 6. cap. 4. quæst. 3. n. 89*] & alij communiter. 1 *An homo de potentia ordinaria possit absque actu pœnitentiæ iustificari.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 DE potentia Dei absoluta potest homo iustificari à peccato mortali absque vlla pœnitentia, modò cesset actus peccati. Ita S. Thom. *loco citato.* Nugnus *ibid. dub. 2. conclus. 2.* Valentia *loco citato sub finem, vers. Altera nihilominus.* Coninchus *loco citato num. 99.* Pitigianus *2. parte distinct. 14. quæst. 3. art. 2. conclus. 4.* Pesantius *3. parte quæst. 86. art. 2. disput. 1.* Reginaldus *lib. 5. num. 12.* Scotus, S. Bonauentura, & alij apud Suarez *loco citato sect. 2.* apud Henriquez *loco citato littera D.* apud Valentiam, & Nugnum *locis citatis.* contra Sotum *in 4. distinct. 15. quæst. 5. art. 2.* Ratio est, quia non implicat Deum infundere gratiam, & per illam delere peccatum sine alia dispositione: ergo de potentia absoluta Dei potest homo iustificari à peccato mortali absque vlla pœnitentia, modò cesset actus peccati; non cessante verò actu peccati, implicat hominem iustificari, cùm actu sit iniustus, per peccatum perseuerans, & continuatum. nam perseuerante forma, per quam aliquid tale denominatur, impossibile est ita non denominari. Sed peccatum actualiter perseuerans est forma, seu principium, quo homo denominatur peccator & iniustus; ergo perseuerante peccato impossibile est hominem non denominari peccatorem, & iniustum. Cùm autem implicet hominem esse iustum, & iniustum, implicat etiam hominem iustificari perseuerante actu peccati. 2 *An possit de potentia Dei absoluta.*

3 [Sed modò DVBIVM est, vtrùm sicut homo de potentia Dei absoluta iustificari potest sine vllo pœnitentiæ actu, ita etiam iustificari possit sine vlla reali mutatione, id est, sine infusione alicuius doni incompossibilis peccato, sed sola Dei voluntate. 3 *An iustificari possit sine vlla reali mutatione.*

RESPONDEO peccatorem iustificari non posse absque reali mutatione, seu infusione alicuius doni peccato incompossibilis. Ratio est. Primò, quia, peccatum est priuatio gratiæ continens denominationem extrinsecam ab actu peccati præterito non retractato: priuatio autem auferri non potest nisi per oppositam formam: vt clarè constat in omnibus priuationibus, & denominatio tolli non potest nisi subiectum, vel forma denominans mutetur. cùm ergo forma ipsa, id est, culpa præterita, vt præterita, mutari non possit (nam ad præteritum non est potentia;) sequitur mutationem requiri in subiecto, consequenter peccatorem iustificari non posse sine reali ipsius mutatione.

Secundò, quia foma moralis, quæ nullo modo in esse, vel conseruari pendet à Deo, non potest per solam ipsius Dei voluntatem, & subtractionem concursus tolli: quamuis enim Deus maximè vellet eam non esse, aut suum concursum suspenderet; nihilominus illa remaneret, cùm suum esse habeat independenter à Dei voluntate & concursu, sed macula peccati est veluti quædam

forma moralis,quæ nullo modo à Deo pendet (Deus enim nullius peccati auctor & conseruator esse potest;) ergo ad tollendum peccatum non sufficit Dei voluntas ; sed necessaria est forma aliqua realis, incompossibilis peccato.

Tertiò,quia Deus peculiari quadam ratione diligit iustos,quàm peccatores ,quamuis etiam peccatorem naturali dilectione diligat, sicut diligit alia omnia quæ existunt: sed intelligi non potest quo pacto hominem iustum peculiari dilectione diligat, nisi facta aliqua mutatione in altero extremorum,(extremis enim eodem modo se semper habentibus eadem habitudo inter illa reperitur ;) ergo dum peccator iustificatur, necessaria est aliqua mutatio in peccatore,in Deum enim mutatio cadere non potest.

Quartò, quia peccatum opponitur amicitiæ Dei, & auertit hominem à fine non solùm naturali, verùm etiam supernaturali: sed huiusmodi deordinatio auferri non potest absque aliqua forma, per quam peccator iterum Deo coniungatur ; ergo. Ita Caietanus 1.2.*quæst.*113.*art.*3.Martinus Beccanus 2.*parte tract.*4.*cap.*3.*quæst.*3.*num.*28.Sotus *in* 4.*distinct.*15.*quæst.*1.*art.*2. & alij Thomistæ communiter,sequentes D.Thomam 1.2.*q.*112.*artic.*3. contra Nugnum *loco suprà citato,dubio* 2.Suarez *disp.*9.*sect.*3.*n.*3.Coninchum *loco cit. concl.*1.*num.*93.Scotum & alios apud Suarez *loc.cit.num.* 3. & apud Vasquez 1.2.*quæst.*13.*art.*2.

Obiicies primò, quilibet Princeps remittere & condonare potest iniuriam sibi factam absque mutatione offendentis. ergo multo magis Deus,qui supremus est omnium Dominus, potest iniuriam sibi factam condonare sine mutatione peccatoris.

Respondeo Principem posse quidem condonate iniuriam sibi factam, & ordinationem ad pœnam sine mutatione offendentis (quod etiam in Deo admittimus;) sed non potest maculam auferre, sicut neque Deus potest peccati maculam tollere sine peccatoris mutatione.

Obiicies secundò,peccatum veniale auferri potest sine forma peccato veniali incompossibili.nam gratia sacramentalis,per quam aliquando peccata venialia delentur,non est forma incompossibilis cum peccato veniali(peccatum enim veniale simul stare potest cum gratia, quamuis intensa & magna ;) ergo eiam mortale peccatum deleri potest sine aliqua reali forma.

Respondeo negando peccatum veniale remitti posse sine forma incompossibili. Quamuis enim gratia sanctificans per se , & præcisè sumpta,non sit incompossibilis peccatis venialibus,nihilominus si gratia sacramentalis spectetur quatenus confertur ex vi dispositionem peccatis venialibus repugnantium, dicendum est gratiam sacramentalem tunc temporis incompossibilem esse peccatis venialibus, quatenus confertur ex vi dispositionum, quibus peccator aliqua ratione detestatus fuerat peccata venialia,licèt illa detestatio ex se sufficiens non esset ad delenda peccata venialia; consequenter peccata venialia non tolluntur sine physica forma ipsis repugnante.

Obiicies tertiò,Deus potest aliquem ad gloriam ordinare, in quo casu ordinatus ad gloriam habet ius ad illam : hoc autem ius stare non potest cum peccato ; ergo peccatum auferri potest sine mutatione peccatoris,cùm ordinatio peccatoris ad gloriam non sit aliquid inhærens ipsi peccatori.

Respondeo,ordinatum ad gloriam sola Dei voluntate habere solùm ius quodammodo extrinsecum ad gloriam , & illud ius non esse incompossibile cum peccato; consequenter peccatum non tolli per illam extrinsecam ordinationem præcisè , nisi postea superueniat gloria,& beatitudo,aut gratia quæ semen gloriæ nuncupatur.]

SECTIO II.

De Confessione, quæ secunda pars Sacramenti pœnitentiæ nuncupatur.

Vinque principaliter quæremus in hac sectione.
Primò,quid sit confessio.
Secundò,quænam conditiones ad confessionem requirantur.
Tertiò, quandònam iteranda sit confessio.
Quartò,quænam sit confessionis obligatio.
Quintò, quibus de causis fideles excusentur à confessione.

PVNCTVM I.

Quid sit Confessio.

VNICA PROPOSITIO.

Confessio quid sit. 1 Confessio est legitima, & sacramentalis accusatio de proprijs peccatis,facta Sacerdoti ad obtinendam remissionem peccatorum per absolutionem.Ita S.Thom.*in* 4.*dist.*17.*q.*3.*art* 2. Sotus *in* 4.*dist* 18.*q.*2.*art.*1.Nugn.*in additionibus ad* 3.*partem,quæst.*7.*art.*1. Reginaldus *lib.*6.*num.* 5. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 9. *punct.* 1. Suarez *disput.*21.& alij communiter.

Dicitur *legitima*, vt aduerterem ad confessionem non sufficere quamlibet accusationem,sed ad eam requiri quasdam conditiones, & circunstantias,quas infrà recensebo.

Dicitur *sacramentalis*, quia non quælibet confessio facta Sacerdoti est sacramentalis, cùm aliquis fateri possit sua peccata, seque de illis apud Sacerdotem alio fine accusare , quàm ad obtinendam illorum remissionem.

Dicitur *accusatio*, quia non sufficit quælibet peccatorum manifestatio,vt superius ostendimus de dolore ad Sacramentum pœnitentiæ requisito.

Dicitur *de proprijs peccatis*,vt indicetur materia confessionis,nam materia confessionis sunt peccata,non aliena,sed propria.

Dicitur *facta Sacerdoti*, ad indicandam causam ministerialem, id est, ministrum Sacramenti confessionis, non enim potest quilibet confessionis Sacramentum administrare,& cõfessio facta laico, aut etiam Clerico non Sacerdoti, non est sacramentalis, vt patet ex Tridentino *sess.*14 *cap.*6.

Dicitur *ab obtinendam remissionem peccatorum*, vt appareat finis, & effectus sacramentalis confessionis, qui est peccatorum remissio.

Denique dicitur *per absolutionem*, vt ostendatur, & explicetur necessitas formæ qua Sacerdos vti debet in administrando pœnitentiæ Sacramento.

PVNCTVM II.

Quænam conditiones requirantur ad Confessionem.

Quot sint confessionis conditiones. 1 SExdecim conditiones ad confessionem solent à Doctoribus enumerari sub his versibus.
Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

An ad confessionem requirantur omnes sexdecim conditiones. 2 Obserua tamen, non omnes istas conditiones, sed aliquas solùm necessarias esse ad confessionem, quæ reduci & reuocari possunt ad tria capita.

Primum caput est,vt confessio sit integra.Secundum vt confessio sit dolens, seu lacrymabilis. Tertium, vt sit vera, seu pura.

Sed quamquam non omnes prædictæ conditiones sunt ad confessionem necessariæ, tamen sunt valdè vtiles, & conducunt ad recipiendum sacramentalis confessionis effectum, consequenter duxi singulas in sequentibus paragraphis explicare. Sed antequam ad illarum explicationem accedamus, immorandum est in expositione examinis faciendi, & præmittendi ante confessionem.

§. I.

De examine conscientiæ ad Confessionem prærequisito.

DVo breuiter quæram in hoc paragrapho. Primum, vtrùm ad confessionem prærequiratur examen, quod est diligens inquisitio peccatorum. Secundò, qualénam examen prærequiratur, & sufficiat.

PRIMA PROPOSITIO.

Quo iure examen cõscientiæ ad confessionẽ requiratur. 1 AD confessionem iure diuino prærequiritur examen conscientiæ. Hæc propositio patet tum ex Tridentino *sess.* 14. *cap.*5.*& canone* 7. Tum quia nullus potest integrè fateri omnia, & singula peccata mortalia, iuxta Christi præceptum, nisi præmittat examen conscientiæ : ergo examen conscientiæ necessarium videtur, ex iure diuino. Consequentia patet, quia quo iure quis obligatur ad aliquod opus, eodem obligatur ad media necessaria ad tale opus, sed fideles ex iure diuino obligantur ad omnia, & singula peccata mortalia confitenda, vt patet ex Tridentino *locis citatis*, ergo etiam ex iure diuino obligantur ad examen conscientiæ, quod est medium prærequisitum ad omnia,& singula peccata mortalia confitenda. Ita Sotus *in* 4.*distinct.*18. *quæst.*2.*artic.*4. *ad finem.* Nauarrus *cap.* 9 *num* 13. Henriquez *lib.* 5 *cap.* 5. Suarez *de pœnitentia disp.*23. *sect.*10. Petrus Ledesma *de pœnitentia cap.*16. *concl.*6. [Filliucius *tract.*7.*cap.*4.*quæs.*10.*num.*114.] & alij Doctores statim citandi.

SECVNDA PROPOSITIO.

Qualénã examen requiratur, & sufficiat ad confessionem. 2 POEnitens circa peccata mortalia tenetur tantam inquisitionem præmittere, quantam adhiberet in negotio arduo, seu quanta iudicio prudentis viri iudicatur sufficiens ad omnia peccata in memoriam reuocanda. Ratio est, quia cùm opus confessionis magnum censeatur negotium, tantam diligentiam requirit, quanta requiritur in negotio magni momenti, ita dictante recta ratione, & rationibus in prima propositione allatis. Ita Nauarrus *cap.*9.*n.* 10.Sotus *loco cit.* Valentia *tom* 4.*disp.*7.*qu.*11.*punct.*1.Zerola *de pœnitentia cap.*7. *quæs.*35. Vasquez *qu.*91.*art.*1. *dub.*6. Suarez *loco citato nu.*3.Henriquez *loco citat.*Coninchus *disp.*7.*dub.*9.*num.*71. Reginaldus *lib.*4.*num.*9.*&* 10. Nugnus *in additionibus ad* 3. *part. qu.*9 *art.*2. *dub.*1. *difficultate vnica, vers. Circa octauam conclusionem*, Pesant. *in addit.ad* 3. *part. qu.*10 *de integr. confess.disp.*5.Sayrus *de pœnit.c.*15.*n.* 4. [Filliucius *num.* 114.] & alij.

An ad examen sufficiat mediocris diligentia. 3 Ex quo fit primò, vt qui mediocrem præstitit diligentiam in indagandis, & inquirendis proprijs peccatis, non teneatur maiorem inquisitionem adhibere, etiam si probabiliter conijciat fore, vt facta prolixissima inquisitione occurrerent aliqua peccata eiusdem rationis cum ijs, quæ tunc in mentem venerunt. Ratio est, tum quia non tenetur maximam, sed mediocrem diligentiam adhibere: tum quia si maiorem diligentiam adhibere teneretur, semper angeretur, semperque dubitaret, an sufficientem adhibuerit diligentiam, sicque multis vexaretur scrupulis : tum quia nemo tenetur totum omnino facere,quod potest, cùm ad hoc faciendum nulla sufficiens ratio, vel auctoritas conuincat, nullus enim tantam diligentiam adhibet, quin adhuc absolutè valeat maiorem adhibere, sed tenetur tantum efficere, quantum decet pro rei qualitate, & conditione legis Christi, cuius iugum suaue est, & onus leue. Quamobrem qui diutius confessionem differre consueuit, quique negotia exercet periculosa, licèt maiorem diligentiam adhibere teneatur in inquirendis peccatis, quàm qui sæpiùs confitetur, aut negotia non exercet periculosa, nihilominus non tenetur maximam diligentiam adhibere. Ita Nauarrus *dist.*5.*nums.*71. Reginaldus *loco citato,nu.*11. & alij Doctores citati.

4 Secundò,

4 *An habens lubricã memoriã peccata scribere teneatur.*

4 Secundò, colligunt aliqui Doctores eum, qui lubricam & debilem habet memoriam, non teneri scribere peccata, vt illa confiteatur sicut neque tenetur statim confiteri, si præuideat fore, vt nisi statim confiteatur peccatorum obliuiscatur. Ratio est, quia non tenemur maximam diligentiam adhibere, sed mediocrem, nec extat præceptum diuinum retinendi memoria peccata, sed dum adest tempus confessionis, tenemur ea confiteri, quorum recordamur facto debito examine. Quamobrem fideles non tenentur iure diuino præuenire tempus confessionis aut sua peccata scribere, sed solùm superueniente tempore obligationis, aut voluntate confitendi, tenentur moralem diligentiam adhibere, vt peccata renocent in memoriam, & integrè confiteantur, neque maior obligatio colligitur ex Scriptura, vel Ecclesiæ traditione, alioquin homo semper teneretur secum instrumenta scribendi deferre, quod non videtur admittendum. Ita Henriquez *lib.4 cap.4.num.8.* Cominchus *loco citato*, Reginald. *lib.6.* Pelant. *loc.cit. ad finem, nu.* 31. & 82. Vasquez *q.90. art.1 dub.4.n.22.* Tabiena *verb. Conf.1.n.45.* Valentia *loc.cit.q.9.p.4 & q.11.p.1. circa finem* Pelant. *loc.cit* Suarez *d.36. sect.5.n.6.* Nugnus *loc.cit.* Zerola *de pœnitentia cap.14. qu.2.* [Filliucius *tract.7 c.4.q.10 n.115.*] & alij contra Medinam, Caietanum, & alios apud Vasquez *loco cit. num.24.* apud Suarez, apud Henriquez & apud Nugnum *locis citatis.* Verum quid nobis in hac re sentiendum sit, constabit ex infrà dicendis *p. 5. ad finem.*

5 *An ad nouã Confessionẽ teneatur qui conscientiæ examen non præmisit.*

5 Tertiò colligo cum aliquibus Doctoribus, eum, qui confessus est, non præmisso examine conscientiæ, teneri ad nouam confessionem peccatorum, etiam si suam negligentiam aperuerit in confessione, & à Confessario absolutionem obtinuerit, nam hic peccauit mortaliter non adhibendo debitam diligentiam, nec eam censetur adhibuisse aperiendo negligentiam in confessione. Ita Nauarrus *cap 9.num 6.* & alij contra Sotum *dist.18 q.3. art.3.* & alios.

6 *Quid si confessarius suppleuit examen per diligentem interrogationem.*

6 Hoc tamen limita cum Nauarro, Suarez, & Henriquez *locis cit.* modò Confessarius non suppleuerit defectum examinis per diligentem interrogationem, nam huiusmodi defectus suppleri potest ope Confessarij, vt sæpiùs accidit in rudibus, & rusticis, qui peccata sua præmeditati nesciunt.

Ex quo fit, vt non dicantur indignè accedere ad confessionem, qui adhibita modica indigentia, accedunt ad Confessarium, animo respondendi ad quæsita, & interrogationes ipsius Confessarij, cui exiguam in examine diligentiam aperiunt. Ita Suarez *disp. 23. sect.10.n.5.* Zerola *de pœnitentia c.9. quæsito 2.* Nauarrus, Reginald. [Filliucius,] & alij *locis citatis.*

Verùm si Confessarius aduertat pœnitentem notabiliter defecisse circa examen conscientiæ, & ipse Confessarius non possit defectum examinis per interrogationes supplere, remittat pœnitentem, eiq; imperet, vt debitam præstet diligentiam, eaq; præstita redeat.

Hoc tamen intelligitur, modò non adsit periculum, vel articulus mortis: Confessarius enim in tali periculo debet eam diligentiam adhibere, quam ipse pro circunstantia temporis, & qualitate personę iudicauerit expedire, eaque adhibita beneficium absolutionis impendere debet, ne pœnitentem in statu damnationis relinquat. Ita Doctores citati.

7 *An Confessarius teneatur pœnitentẽ interrogare.*

7 Hinc patet solutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm Confessarius teneatur pœnitentem examinare, & interrogare.

Respondetur enim non teneri, si probabiliter, & prudenter iudicet pœnitentem integrè confessum fuisse sua peccata, tunc enim existimare potest suam interrogationem fore inutilem, & onerosam pœnitenti. Si verò Confessarius credat pœnitentem defectu examinis non integrè confessum fuisse, aut aliquod peccatum omisisse, debet illum dimittere ad discutiendam perfectiùs conscientiam, vel ipse debet per interrogationes defectum examinis supplere, habita ratione qualitatis, & status personæ, sicut etiam tenetur interrogare pœnitentem, & ipsius defectum supplere, si aduertat pœnitentem silere aliquod peccatum per inaduertentiam, vel per obliuionem inculpabilem. Ratio est, tum quia cap. *omnis vtriusque sexus*, habetur, Confessarium debere diligenter inquirere, & peccatoris, & peccati circunstantias. Tum quia Confessarius exercet officium iudicis, ad iudicium autem pertinet causam rectè cognoscere, antequam reum absoluat. Ita Coninch. *de pœnit. disp.18 dub 17.nu.130.* Henriquez *lib.5.c.3.n.10.* Suarez *loco citat. sect.10 citata ad finem, & disp.32. sect.3.n.3.* Vasquez *q.93. art.2. dub.7.* Nauarrus *loco citat.* Nugnus *in additionibus, q.9 art.2.* post primum dubium, *verf. Circa octauã, pagina mihi 316.* Reginaldus *l.2.n.14* Sayrus *de pœnit.c.15.n.7. & 8.* Zerola *de pœnit.cap.9 quæsito 8. & c.13. quæsito 40. & c.18. verf. Tertium si verisimile,* & alij communiter cum Magistro *in 4. dist. 17. & 19.*

8 *An Sacerdos debeat illum absoluere, quẽ certò nouit mentiri, dicendo se cõscientiæ examen præmisisse.*

8 Si QVÆRES. Vtrùm Confessarius, qui certò nouit pœnitentem mentiri, dicendo se conscientiæ examen præmisisse, debeat illi absolutionem impendere.

Respondetur negatiuè, nam impenderet absolutionẽ indigno.

Ex quo patet, quid dicendum sit de pœnitente, qui mentitur in alia re graui.

Neque obstat tritum illud axioma: Confessarius tenetur stare dictis pœnitentis tam pro se, quam contra se, nam illud axioma explicandum est, nisi euidenter constet oppositum, & nisi nota sit pœnitentis indispositio. Ita Suarez *loco cit.n.9* Syluester *verb. Confessio, 1.quæsito 8.n.9.* & alij, quos infra referam, vbi de hac re iterum termo incidet.

§. II.

Vtrùm Confessio debeat esse simplex, humilis, &c.

EXplicandæ sunt in hoc paragrapho conditiones ad confessionem requisitæ, tã ex necessitate, quam ex vtilitate, decentia, & honestate, quas in præcedẽtibus diximus illis verbis cõtineri. *Sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis. Atque frequens, nuda, &c.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An confessio debeat esse simplex.*

1 CONfessio debet esse simplex, ita vt superflua prætermittantur, & amputentur inutilia, non enim diutius immorandum est in confessione, quàm par sit, neque necesse est circunstantias impertinentes confiteri, vt patebit ex infra dicendis. Quamquam pœnitens cutare debet, vt clarè, & distinctè fateatur sua peccata, ita vt Confessarius non solùm illa intelligat quoad numerum, verùm etiã quoad species. Hæc tamen conditio non est necessaria, sed conueniens, alioquin dicendum esset eos, qui prolixiores faciunt confessiones, facta suorum peccatorum nimis exacta narratione, inualidè confiteri, quod non est admittendum. Ita Henriquez *lib.5. c.3. n.2.* Sayrus *de pœnit.c.12.* Reginaldus *l.6.n.62* Nauarrus *cap fratres, nu.* 10. Pitigianus *2. part dist.17.q vnica art.10.* & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *An debeat esse humilis.*

2 CONfessio debet esse humilis, ita vt pœnitens peccata sua cum humilitate fateatur, & cum debita corporis compositione, verbi gratia, genibus flexis, & aperto capite, nisi aliud suadeat necessitas. Verùm si aliter absque necessitate fiat, non committitur peccatũ plusquã veniale, cùm fieri non videatur grauis iniuria Sacramẽto.

Ex quo patet hanc conditionem hoc modo explicatam, non esse de necessitate confessionis, cùm validè fieri queat confessio, non seruata prædicta conditione. Ita Nauarrus *loco citato, n 11.* Zerola *in praxi de pœn.c.11 quæsito 17.* Sayrus *loco citato.* Reginaldus *loco citato, n.63.* Pitigianus *loco cit* & alij communiter.

3 *An valida sit confessio illius, qui peccata sua fatetur se iactando.*

3 Maior difficultas est, vtrùm sit valida confessio illius, qui peccata sua fatetur se iactando, & gloriando in peccatis.

Respondeo inualidam esse tum defectu doloris, quomodo enim potest quis debitum habere dolorem de peccatis, in quibus gloriatur, & quomodo potest per detestationem retrahi à peccatis, quibus per affectum, & iactantiam actualiter adhæret? Tum defectu integritatis, cùm tunc nouum committat peccatum, quod non censetur in confessione expressum. Ita communiter Doctores.

Ex quo patet aliud esse confiteri sine humilitate, & aliud cum iactantia, & adhæsione ad peccatum.

TERTIA PROPOSITIO.

4 *An confessio debeat esse pura quoad intentionem.*

4 CONfessio debet esse pura quoad intentionem, ita vt non fiat ob prauum finem, sed potiùs spe remissionis obtinendæ, seu placandi Deum, &c. nam si confessio fiat ob prauum aliquem, & mortaliter peccaminosum finem, confessio redditur inualida, vt patet ex rationibus in præcedenti numero allatis. Si verò confessio fiat ob finem venialiter malum, exempli gratia ob vanam gloriam, confessio subsistit, nec suo caret fructu. Ratio est, tum quia causa impulsiua, & motiuum secundarium non excludit finem principalem, propter quem fieri debet confessio: tum quia non fit grauis iniuria Sacramento cõfessionis propter finem secundarium venialem, & propter affectum ad leuem culpam: tum quia gratia sacramentalis reperiri potest in homine affecto veniali culpa, vt constat ex supradictis. Ita Sanchez *in summa l.1.c.3.n.1.* Nauarrus *cap 21.nu.40* Henriquez *lib.4 c.3 n.3.* Sotus *in 4 d.18 q.3. art.3. ad tertium* Reginaldus *lib.6. nu.149.* Vasquez *q.92. art.3. dub.2 nu.3.* Pitigianus *loco cit.* & alij communiter contra Angelum *verb Vana gloria, num.1.*

5 *An mortaliter peccet, qui alteri confitetur peccata mortalia, vt retineat bonam famam apud priorẽ Cõfessarium.*

5 Hinc colligitur, illum non peccare mortaliter, qui, vt bonam retineat opinionem apud Confessarium virum grauem, & sibi notum, fatetur illi solùm leuia peccata. Verùm si fortè aliquoties incidat in mortale, accedit ad alium Confessarium relicto primo. Ratio est, quia finis propter quem alteri peccata sua confitetur, non est mortalis. Secus dicendum est de eo, qui hoc facit ob hypocrisim, & finem mortalem; hic enim grauiter peccat, cùm inferat grauem iniuriam Sacramento, quod assumit, & vsurpat in confirmationem falsitatis, & propter finem mortaliter peccaminosum. Ita Syluester *verb. Confessio 1.quæst.7.n.9.* Victoria *de Sacramentis n.196* Reginaldus, [Filliucius *tract.7.c.4 quæst.1.n.75.*] & alij *locis citatis.*

QVARTA PROPOSITIO.

6 *An confessio debeat esse fidelis.*

6 CONfessio debet esse fidelis, id est, vera, & sine fallacia, & deceptione. Hæc conditio necessaria est, vt clarè constabit ex sequenti quæsito.

7 *An mendacium in cõfessione sit peccatum mortale.*

7 QVÆRES vtrùm mendacium in confessione sit peccatum mortale, & consequenter irritum reddat Sacramentum.

Respondeo mendacium circa materiam necessariam confessionis esse peccatum mortale, & consequenter irritam reddere confessionem. Ratio est, tum quia Sacerdos qui est iudex in Sacramento pœnitentiæ, decipi censetur in re graui. Decipere autem aliquem in re graui, grauis culpa est: tum quia confessio non est integra, cùm mendacium in confessione commissum fileatur: tum quia deficit dolor necessarius ad confessionem, implicat enim aliquem habere debitum dolorem de peccatis, & actualiter peccare cum dolor dicat detestationem peccatorum, & propositum illa præcauendi. Ita Coninchus *disp.6 de pœnit dubio 1.* Suarez *tom.4 disp.22. sect.10.* Sylueſter *verb. Conf.1. quæsito 8.* Zerola *de pœnit.c.10.g.34. verſic. Dico sextò, & septimò.* Nauarrus *in Manuali c.21.nu.37* Vasquez *q.91. art.1. dubio 7.n.12.* Reginald. *l.6.n.68* Nugnus *in additionibus q.6. art.4 dubio 1.* Angelus Sayrus *de pœnit. c.13.* [Filliucius *tract.7.cap. 4 q.9.*] & alij Doctores statim citandi.

8 *An irrita sit confessio, si pœnitens mentiatur circa peccatũ mortale nunquam aliàs expressum in confessione.*

8 Hinc sequitur primò inualidam effici confessionem, si pœnitens mentiatur circa peccatum mortale, nunquam aliàs confessum. Ita Doctores statim citandi. Secus si peccatum aliàs sit ritè confessum; nam peccatum semel ritè confessum non est materia necessaria Sacramenti pœnitentiæ, hoc tamen intelligitur, modò Confessarius

de peccato semel ritè confesso non inquirat ex iusta causa ad cognoscendum pœnitentis statum, & ad debita remedia exhibenda; pœnitens enim tenetur respondere Confessario iusta de causa interroganti in ipsius pœnitentis vtilitatem. Quanquam pœnitens per se loquendo non peccat mortaliter, si à Confessario interrogatus, num tale peccatum aliquando commiserit, falsò negat se commisisse, nolens idem peccatum, quod antea confessus est, iterum confessioni subiicere: cum peccatum alias ritè confessum non sit materia necessaria, nec pœnitens ob id præsumat se grauem iniuriam inferre Sacramento. Ita Nauarrus, Reginaldus, & alij *locis citatis*.

9 *An mortaliter peccet, qui maiorē numerum peccatorū exprimit.*

9 Secundò eum peccare mortaliter, & consequenter inualidè confiteri, qui maiorem numerum peccatorum mortalium in confessione exprimit, quàm re vera commiserit: nam decipit iudicem circa materiam necessariam, de qua primariò ferendum est iudicium.

Per accidens tamen fieri potest, vt pœnitens in proposito casu non peccet mortaliter, & consequenter non sit inualida confessio, vt si pœnitens bona fide maiorem numerum fateatur. Quamobrem excusari possunt aliqui simplices, & rudes homines, qui nulla ratione credunt se mortaliter peccare: immo potiùs sibi persuadent se tutiorem viam eligere explicando maiorem numerum peccatorum, & consultius putant se maiori numero grauare, quàm exonerare expresso, iusto, & probabiliori peccatorum numero. Ita Nauarrus *in Manuali cap. 21. num. 37. & cap. fratres, num 27.* Sylvester *verb. Mendacium, n. 3.* Suarez *loco citato, num.* 11. Reginaldus *loco. cit. n. 67.* Sanchez *in summa lib. 1. cap.* 10. *num.* 68. Rodriquez *in summa tomo 1. cap.* 52. *num.* 5. Zerola *loco cit.* & alij communiter.

10 *An peccet, qui mortalia dubia pro certis exprimit.*

10 Tertiò eum peccare mortaliter, qui peccata mortalia dubia pro certis exprimit, & certa pro dubiis; tenetur enim peccata dubia, tanquam dubia, & certa tanquam certa explicare: alioquin mendacium committit, & Sacerdotem decipit in materia graui. Ita Suarez *loco cit sect.* 9 Henriquez *lib.* 2. *cap.* 4 *num.* 5. Coninchus *disput. 7. du 8 conclus* 4 Nugnus *loco cit. con.* 2 Pitigianus 2. *part. dist.* 17. *art* 7. *versùs finem*, Zerola *loco citato*, & alij.

An verò sit obligatio confitendi peccata dubia, constat ex supradictis de Eucharistia, & constabit ex infrà dicēdis §. *sequenti, diffi.* 4.

11 *An peccet, qui mentiturcirca peccatum, quod dubitat se commisisse.*

11 Quartò enm grauiter peccare, qui mentitur circa peccatum mortale, quod dubitat, vel scit se commisisse, sed non recordatur spiciei talis peccati: mentitur enim circa materiam necessariam: cùm pœnitens teneatur se accusare in genere de peccato mortali, prout dubitat, vel scit se commisisse: quamquam postea, si species peccati venerit in mentem tenebitur ipsius speciem in particulari explicare: quia priùs non plenè explicauerat peccatum mortale, quod expresse explicandum est, vt illius directa absolutio obtineatur. Ita Reginaldus *lib* 2. *num.* 9 Sanchez *in summa lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 64 Suarez, & alij, quos infrà referam *difficultate* 3.

12 *An valeat confessio, quando pœnitens mētitur circa venialia.*

12 Quintò, validam esse confessionem, quando pœnitens mentitur solùm circa peccata venialia: nam huiusmodi mendacium non censetur circa materiam necessariam; nec infert grauem iniuriam iudici: cum iudex non videatur decipi in materia graui. Ita Doctores citati quibus adharet Zerola *in praxi de penitent. cap 13. quæsito* 31. contra Caitanum, & alios apud Suarez *loco cit. num. 6.*

Hoc tamen limita, modò penitens non sit confessus vnum tantummodò peccatū veniale, & circa illud mentitus sit: quamuis enim peccatum veniale non sit materia necessaria Sacramenti: tamen posito, quòd aliquis velit tantummodò confiteri vnum peccatum veniale, fiet materia necessaria ex suppositione: consequenter si quis fateatur se commisisse peccatum aliquod veniale, quod non commisit, peccat mortaliter, & reddit Sacramentum inualidum, si ponamus aliud peccatum non exprimi in confessione: nam mendacium censetur circa materiam necessariam ex suppositione, cùm nullum aliud peccatum pro materia Sacramenti exhibeatur præter vnum peccatum veniale, circa quod contingit mendacium, vt supponimus. Ita Nauarrus *loco cit num.* 37 Angelus *verb. Confessio* 1. *num.* 16. Sylvester *eodem verbo, quæsito* 8. Suarez *loco cit. sect.* 10. *num.* 7 Saytus *de pœnit. cap.* 13. *num.* 5 Reginaldus *lib. 6. n. 67. & 68.* Zerola *loco cit.* Sotus *in 4. dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4 *conclus.* 3. Coninchus *disp. 6 dubio 2 num.* 9. Vasquez *loco cit. num.* 7. Nugnus & alij *locis citatis.*

Hinc patet, quid dicendum sit de peccatis mortalibus aliàs ritè confessis, si pœnitens ea velit iterum pœnitentiæ Sacramento subiicere.

13 *An pœnitēs possit absolutè confiteri peccatum cōmissum si dubitet, an illud confessus sit.*

13 Sextò eum qui scit se aliquid fecisse, sed dubitat an illud confessus sit, posse illud absolutè confiteri, nam absolutè confitendo non mentitur circa materiam, quam exponit, cùm dicat se tale peccatum commisisse, quod re ipsa commisit, non verò neget se illud esse confessum. Ita Coninchus *disput. 7. dub. 8. conclus.* 8. sicut etiam qui semel confessus est aliquod peccatum mortale, & certò novit se illud confessum fuisse, potest iterum confiteri, quamuis non dicat se illud aliàs confessum fuisse, non enim mentitur circa materiam quam exponit confessioni, cùm asserat tale peccatum à se fuisse commissum, non verò neget se illud fuisse confessum. Ita Coninchus *loco citato*, Sanchez, & alij quos suprà retuli *de Eucharistia*, & *infra* referam *difficultate* 3.

QVINTA PROPOSITIO.

14 *An confessio debeat esse frequens.*

14 Confessio debet esse frequens, non quia necesse sit necessitate medij, vel præcepti sæpiùs confiteri in anno, & extra mortis articulum, aut extra tempus suscipiendę Eucharistię, vt infrà explicabo de præcepto, & obligatione cōfessionis, sed quia opus consilij est, sæpius confiteri ob magnas vtilitates, & vberes fructus, qui ex frequenti confessionis Sacramento percipiuntur. Quamobrem homines perfectionem sectantes, si non habeant alia præter peccata ritè aliàs confessa, solent de peccatis aliàs confessis nouas confessiones instituere, ne fructibus vberrimis tanti Sacramenti careant. Ita communiter Doctores.

SEXTA PROPOSITIO.

15 *An confessio debeat esse nuda.*

15 Confessio debet esse nuda, id est, non palliata, neque verborum obscuritate velata. Ratio est, tum quia sicut peccata sunt nuda oculis Dei, ita debent esse manifesta Sacerdoti, qui vices Dei sustinet in administratione Sacramēti: tū quia peccata ita sunt manifestanda, vt Confessarius naturam, & qualitates ipsorum peccatorum valeat cognoscere, & diiudicare, an sint mortalia, aut venialia, &c. Confessarius autem non potest naturam, & qualitates peccatorum ritè cognoscere, & iudicium ferre, an sint mortalia, aut venialia, nisi pœnitēs illa fateatur nudè & sine verborum obscuritate.

16 *An Sacerdos teneatur de singulis peccatis determinatè iudicare an sint mortalia, an venialia.*

16 Obseruat tamen Tabiena *Verb Confessio 2. n.* 2. & alij, quos infrà referam, Sacerdotem de singulis, quæ audit in confessione, non teneri determinatè iudicare esse mortalia, aut venialia, nisi constet talia esse. Quamobrem pœnitens, si nesciat exprimere consensum, vel tempus circa aliquod peccatum, ita vt Confessarius nequeat cognoscere, an sit mortale, non est cur Confessarius determinatè iudicet esse mortale; sed de hac re infra.

SEPTIMA PROPOSITIO.

17 *An confessio debeat esse discreta, & quomodo.*

17 Confessio debet esse discreta hoc modo, primò vt pœnitens eligat Confessarium eruditum, & probum, qui sciat discernere inter lepram, & lepram, & debita remedia conferre.

Ex quo sequitur pœnitentem dubium de contractu fœneratitio, si Confessarium eligat, quem nouit indoctum, putans se propter ipsius insciitiam non obligandum ad restitutionem, non solùm non excusari à restitutione, verùm neque ab obligatione iterum confitendi, hic enim non videtur habuisse debitum dolorem cum firmo proposito vitandi peccata in futurum.

An verò pœnitens possit varios, & varios Doctores successiuè consulere donec aliquem inueniat, qui consilium in sui fauorem ferat, patet ex dictis de peccatis.

Secundò vt pœnitens caurè confiteatur peccata sua, præsertim impudica, & carnalia, adhibendo, quantum fieri potest, verba pudica, & honesta, & non descendendo ad singula, sufficit enim explicare species & circunstantias necessarias, neque necesse est explicare alios actus, qui tanquam media & principia ad peccata completa solent adhiberi, vt sunt tactus, & oscula respectu copulæ, consequenter sufficit explicare copulam tacitis osculis, & tactibus, qui copulam præcesserunt, modò non intercesserit moralis interruptio [inter tactus & copulam,] vt inferiùs explicabo. Ita Henriquez *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 5. & alij communiter.

OCTAVA PROPOSITIO.

18 *An confessio debeat esse libens.*

18 Confessio debet esse libens, ita vt voluntariè fiat. Hęc conditio dupliciter intelligi potest. Primò, vt adsit voluntas & intentio confitendi, & hoc pacto si explicetur propositio, constat hanc conditionem necessariam esse ad validitatem Sacramenti, cùm nullus suscipere valeat pœnitentię Sacramentum absque intentione illius suscipiendi.

Secundò, vt Confessio fiat cum omni voluntario excludente quodlibet inuoluntarium, & hoc pacto intellecta propositione dicendum est, hanc conditionem non esse simpliciter necessariam ad pœnitentiæ Sacramentum suscipiendum: nam si quis trahatur ad cōfitenda sua peccata timore excommunicationis, infamiæ, aut etiam verberum sibi à parentibus inferendorum, &c. validè confitetur, modò confiteatur omnia sua peccata cum debito, & sufficienti dolore, habet enim voluntatem, & intentionem sufficientem ad suscipiendum pœnitentiæ Sacramentum, quamuis cum aliquo inuoluntario peccata sua confiteatur, vt patet ex regulis generalibus traditis de legibus.

NONA PROPOSITIO.

19 *An confessio debeat esse verecunda.*

19 Confessio debet esse verecunda, non quia necesse sit, vt pœnitens, qui sua peccata confitetur erubescat, sed quia congruum, & conueniens est, ac fructuosum interiùs apud se ipsum erubescere de turpitudine, & fœditate animæ propriæ, & exteriùs apud Confessarium, cùm erubescentia, & verecundia prosit ad pœnę remissionem.

Hac occasione obseruare debet Confessarius, ne pœnitentem deterreat verbis duris, & aspetis, ne illum retrahat à confessione, sed potiùs illum allicere debet ad explicanda confidenter sua peccata, relata coarguitione, & reprehensione ad finem vsque confessionis, prout dictabit recta ratio, & prudentia. Videte Henriquez *lib. 2. de pœnitent c. 3. n. 6.* Summam Coronam *n. 23.* Nauarrum *loco cit. nu. 59.* Reginaldum *lib. 6. num. 75.*

DECIMA PROPOSITIO.

20 *An confessio debeat esse integra.*

20 Confessio debet esse integra, ita vt omnia peccata mortalia nunquam aliàs confessa sigillatim exprimantur, vt patebit ex dicendis §. *sequenti*, vbi hanc propositionem ex professo fusiùs explicabo, cùm hic eam vnica conclusione nequeam explicare.

UNDECIMA PROPOSITIO.

21 *An confessio faciendа sit secretò.*

21 Confessio per se loquendo facienda est secretò. Ratio est, tum quia licèt ex præcepto diuino non extet obligatio confitendi secretò, nihilominus rationi consentaneum est, & non alienum à præcepto diuino, & naturali, secretò confiteri, vt ait Tridentinum *sess. 14. cap.* 5. nam publicare peccata sine iusta causa, videtur iuri naturæ aduersari. Tum quia vsu receptum est, vt confessio secretò

cretò fiat: tum quia *c. omnis vtriusque sexus*, præcipitur confessio facienda soli Sacerdoti; confessio autem facta publicè non fit soli Sacerdoti.

22 *An tenentur quis confessionē facere per interpretē.*

22 Ex quo probabiliter inferri potest primò neminem teneri, per se loquendo, confessionem facere per interpretem. Tum quia confessio facienda est secretò: tum quia non est credendum præceptum confessionis, per se loquendo, obligare cum tanto incommodo. Ita Nauarrus *c.2.n.5.* Summa Coroea *n.29.* Caietanus *v. Confessio, conditione* 11 Valentia *d.7.q.11 puncto* 1. *columna mihi* 1350. Reginaldus *lo.c.n.80.* Pitigianus 2.*p.dist.17. q. vnica art.8.con.1.* Zerola *de pœn.c.14, quæst.4* [Suarez *sect.4.* Filliucius *tract.7.c.1.n.15*] & alij, quos infra referam.

23 *An liceat confiteri peccata alio audiente.*

23 Secundò illicitum esse saltem sub veniali confiteri peccata alio audiente, nam absque iusta causa prodigitur fama propria: prodigere autem propriam famam est peccatum saltem veniale, vt patet ex dictis de detractione.

Ex quo patet illos Sacerdotes illicitè agere qui multos pueros doli capaces in vnum congregatos simul audiunt, vt bene tradit Nauarrus *in Manuali c.8.n.13.* Sylvester *verb. Confessio 1.n.23.* Reginaldus *l.6.n.85.* & alij.

Dixi in propositione *per se loquendo*, vt aduerterem confessionem aliquando publicè fieri posse, & consequenter non esse de essentia confessionis, vt secretò fiat coram solo Sacerdote. Ita Sotus *dist.18. q.2.art.6.* Nauarrus *cap.2.n.5.* Valentia *lo.cit.* Suarez *disp.21 sect.2. n.9.* Nugnus *in additionibus q.9.art.3. diffi.1.* Pitigianus *dist.17 qu. vnic.art.7 con.2.* Zerola *de penitentia cap.14.q.1. & 4* Reginaldus *n.79.* Conmchus *disp.6.dubio 2.* Vasquez *q.91.art.3. dubio 1.nu.8.* [Filliucius *tract.7.c.1 quæs.7.n.11.*] contra Zerolam ex parte *c.14. q.5.vers. Dico secundò*, Angelum, & alios apud Vasquez *loco citato.* Ratio est, tum quia valida est confessio, si fiat per interpretem coram Sacerdote, præsēte pœnitente annuente, seu confirmante nutibus, quæ per interpretem exprimuntur, nulla enim sufficiens ratio potest afferri ad ostendendum, confessionem per interpretem factam irritam esse: tum quia valida est confessio facta ab existentibus in periculo naufragij, qui nequeunt sua peccata nisi alta voce confiteri, & nisi ab astantibus audiantur, vt communiter concedunt Doctores: tum quia illa est vera confessio, qua penitens manifestat sua peccata cum dolore, & proposito emendationis. Pœnitens autem potest cum dolore sua peccata Confessario publicè manifestare: tum quia non constat Christum prohibuisse, quin aliquis possit iusta de causa publice confiteri: tum ad vtilitatem, tum ad aliorum exemplum, & ædificationem.

Addo fieri posse, vt pœnitens aliquando teneatur publicè confiteri, vt quando pœnitēs in articulo mortis existens aduertit se non posse contritionis actum elicere de grauibus peccatis, quorum alias non obtinuit absolutionem directè, vel indirectè: tunc enim tenetur corā aliis confiteri si confiteri nequeat in aliorum absentia: nā periculum animæ præponderat iacturę famę, & aliorum bonorum externorum. Ita Canus apud Reginald. *n.78.* Nugnus *loco cit.propo 2.* Valquez *loco citato, dubio 3.n.6.* & alij [quos referam *sect.2.p.vlt.num5.*]

24 *An possit ferri lex generalis præcipiens confessionē publicam.*

24 QVÆRES primò, vtrùm ab Ecclesia ferri possit lex generalis, præcipiens confessionem publicè fieri.

RESPONDEO, huiusmodi legem per se loquendo non satis consultè ferri posse, vt ait Suarez *loco citato num.6.* Reginaldus *loco cit.n.79* & alij, nisi fortè hoc fiat ex graui aliqua necessitate. Ratio est, quia huiusmodi lex difficillima esset, nec per se valdè vtilis, lex autem humana non videtur præcipere res adeò difficiles & arduas.

Hinc patet à fortiori, Confessarium non posse penitenti præcipere, vt confiteatur coram teste, vt patet tum ex allata ratione: tum quia confessio fit Sacerdoti in persona Christi intimè cognoscentis omnia, & non indigentis teste. Ita Reginaldus, Caietanus, & alij *locis citatis.*

25 *An pœnitens teneatur confiteri peccata propria voce.*

25 QVÆRES secundò, vtùm penitens teneatur sua peccata confiteri propria voce, & propriis verbis.

REPONDEO per se loquendo teneri propria voce, & propriis verbis confiteri. Ratio est, quia modus confitendi propria voce est communi vsu receptus, non licet autem à communi vsu recedere absque iusta causa, tum quia modus manifestandi peccata propria voce, est omnium optimus, cùm verbis optimè exprimamus animi nostri sensa.

Dixi *per se loquendo*, quia per accidens fieri potest, vt liceat confiteri non adhibitis propriis verbis, non enim est de necessitate Sacramenti propriis verbis confiteri, cùm peccata possint sufficienter manifestari per nutus, signa, & scripturam. Immo vsu receptum est, vt mutus per signa confiteatur, quantum commodè potest. Quare si detur casus, vt quis nequeat loqui, aut nimia suffundatur verecundia confitendo propria voce, potest adhibitis signis doloris per signa confiteri Sacerdoti, vt patet ex allata ratione. Ita Suarez *disp.21. sect. 3.n.7.* Valentia *loco cit.puncto 1.ad finem, columna mihi* 1352. Reginaldus *loco cit. num.* 82. Vasquez *qu. 91 art.3.dubio 4.* Nugnus *lo.cit.difficult.1.* Coninchus *disp.6.dub.1.n.1.& 2.* Pitigianus 2.*parte dist.17.qu.vnica art.3.con.vnica*, [Filliucius *tract.7.cap.1 qu.8. num.13*] & alij communiter. Immo Sotus *in 4. dist.17.qu. vnica*, Reginaldus *loco cit num.* 83. & alij, putant non esse peccatum saltē mortale, secluso scandalo, confiteri in præsentia Sacerdotis per nutum, vel scripturam: cùm non solùm verba, verùm etiam nutus, & signa fuerint instituta ad exprimenda animi sensa.

Neque obstat Concilium Florentinum in Decreto Eugenij, vbi asseritur materiam huius Sacramenti esse confessionem oris: nam responderi potest primò per confessionem oris intelligi presentiā pœnitentis confitentis coram Sacerdote.

Secundò Concilium respexisse ad id quod ordinariè fieri solet, Confessio autem ordinariè, & regulariter loquendo fit ore proprio.

DVODECIMA PROPOSITIO.

26 *An confessio debeat esse lacrymabilis.*

26 CONfessio debet esse lacrymabilis, non quia adipsam requiratur exteriores lacrymæ, sed quia necessarius est internus animi dolor, vt patet ex supradictis de contritione, & attritione, seu de materia proxima Sacramenti pœnitentię.

DECIMATERTIA PROPOSITIO.

27 *Quomodo debent esse accelerata.*

27 CONfessio debet esse accelerata hoc pacto vt peccator sua crimina quàm primùm confiteatur: tum ne maneat in statu peccati, & damnationis: tum vt bona ipsius opera sint meritoria: non est tamen necesse, vt peccator statim post peccatum confiteatur, cum possit se per contritionem in gratia constituere, vt patet ex supradictis de contritione.

DECIMAQVARTA PROPOSITIO.

28 *An debeat esse fortis.*

28 CONfessio debet esse fortis, ita vt pœnitens non se sinat tentationibus superari ad negligendam, & omittendam confessionem, vel ad aliquid præ pudore, vel timore in confessione prætermittendum.

DECIMAQVINTA PROPOSITIO.

29 *An debeat esse accusans.*

29 CONfessio debet esse accusans, ita vt pœnitens se accuset, sibique imputet peccata, non verò ea laudet, aut excusat. Quamobrem fœmina, quæ fornicationis peccatum commisit, non debet suum peccatum excusationibus inuoluere, dicendo, se hoc fecisse ad subleuandam egestatem, vel se precibus importunis vexatam non potuisse resistere.

Hoc tamen limita, nisi necesse sit hoc exprimere ad famam tuendam apud Confessarium; tunc enim videtur iustam habere causam afferendæ excusationis, seu causæ exprimendæ, quæ ipsam vi sit, & impulit ad tam graue scelus perpetrandum.

DECIMASEXTA PROPOSITIO.

An pœnitens debeat Confessario obedire.

30 CONfessio talis esse debet, vt pœnitens paratus sit morem gerere, & obedire Confessario in his, in quibus tenetur obedientiam præstare, vt in vitandis occasionibus, in acceptanda pœnitentia, &c. Quamobrem pœnitens, dum accedit ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum debet esse animo paratus ad acceptandam satisfactionem. Ratio est, tum quia debet intentionem habere recipiendi Sacramentum perfectum, & integrum, quantum in ipso est; Sacramentum autem non censetur perfectum deficiente satisfactione, vt constat ex supradictis: tum quia in iudicio emendatiuo necesse est, vt reus paratus sit læso satisfactionem exhibere: sed pœnitentiæ Sacramentum exerceretur per modum iudicij emendatiui; ergo penitens debet esse animo paratus ad satisfaciendum Deo, quem suis læsit criminibus & peccatis.

§. III.

Vtrùm confessio debeat esse integra.

PRæsentem paragraphum, quem vnica propositione non potuimus in præcedentibus explicare, quatuor sequentibus difficultatibus, Deo fauente, dissoluemus.

Prima difficultas est, vtrùm confessio ita debeat esse integra, vt peccata mortalia explicentur quo ad speciem.

Secundò quo ad numerum.

Tertiò quo ad circunstantias.

Quartò quo ad dubia.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Vtrùm omuia peccata explicanda sint quoad speciem.

1 *Species quotuplex sit.*

1 PRæmittēdum est speciem aliam dici physicam, & aliam moralem. Præterea nō omnia, quę speciem physicam diuersam habent, habere etiam diuersam speciem moralem, & è contra nam si inimicus se præparet ad occidendum suum inimicum, & hac de causa gladium emat, illùmque lateri accomodet, ascēdat equum, suscipiat iter, &c. dicitur plures actiones specie physica diuersas exercere, non verò diuersas specie morali: cùm, emere gladium, illúmque lateri accomodare, ascendere equum, suscipere iter, &c. sint actiones quo ad entitatem, seu speciem physicam diuersæ, non vero quoad speciem moralem, cùm omnes istę actiones eandem cum recta ratione oppositionem habeant.

Ex opposito fieri potest, vt aliquis aliquam actionem vnam specie physica exerceat, sed diuersam specie morali. Quamobrem qui percutit Episcopum, exercet actionem vnam specie physica, sed multiplicem specie morali, habentem plures deformitates in genere moris, nam huiusmodi percussio non solùm aduersatur iustitiæ, verum etiam reuerentiæ debitæ ordini Clericorum, & opponitur honori debito superiori.

UNICA PROPOSITIO.

2 *An explicanda sint peccata in confessione quo ad species morales.*

2 IN confessione necessariò explicanda sunt peccata quo ad species morales. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia in confessione explicanda sunt omnia figillatim quo ad speciem, vt docet Tridentinum *sess. 14 cap.5. & canone 7.* Non possunt autem omnia peccata figillatim quoad speciem explicari, nisi explicentur quo ad species morales: ergo necessariò explicanda sunt peccata quo ad species morales.

Dixi *quo ad species morales*, vt adnerterem non opus esse singula peccata explicare quo ad species physicas, vt patet tum experientia, & communi vsu: tum quia aliquando vnus actus physicus plures habet malitias, & aliquando plures actus physici vnam habent malitiam: propterea sequeretur, non omnia peccata figillatim explicari, si necesse esset peccata explicare quo ad species tantummodo physicas: & aliquando sequeretur frustra explicari: cùm aliquando vno actu expresso peccatum sufficienter confiteatur explicatum. Quamobrem qui confecit venenum, illudque miscuit vino, & propinauit immo eo, non tenetur has omnes actiones explicare, nisi tanta inter vnum, & alium actum intercesserit mora, vt efficiat peccata numero distincta. Idem dicendum est de eo, qui ad occidendum inimicum emit gladium, ascendit equum, suscepit iter, &c. Ita Sotus *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *conc.* 6. Valentia *dis.* 7. *q.* 11. *puncto* 1. Azorius 1. *parte, lib.* 4. *c.* 4. Suarez *disp.* 22 *sect.* 2 *n.* 3. Conninchus *disp.* 7 *dubio* 2. *n.* 9 Henriquez *lib.* 5. *c.* 5. *n.* 3. & *c.* 6 *n.* 1. Valquez *q.* 91. *art.* 1 *dubio* 1. Pitigianus 2 *parte, dist.* 17 *q. vnic. art.* 11 *conc.* 1. [Filliucius *tract.* 7 *c.* 4. *quæst.* 2 *n.* 76. Molfesius *tract.* 7. *n.* 12] & alij communiter.

An explicandi sint actus non interrupti circa eundē finem.

3 Hinc sequitur primò cum, qui ad occidendum inimicum emit gladium, conscendit equum, suscepit iter, ensem euaginauit, vulnerauit, &c. satisfacere dicendo in confessione se hominem occidisse, modò illi actus non fuerint interrupti, nec adiunctam habuerint aliam circunstantiam moraliter diuersam. Propterea qui, dum iter susciperet ad occidendum inimicum, conculcauit segetes, vel furtum commisit, tenetur hanc circunstantiam in cōfessione explicare; quia conculcatio segetum adnexam habet malitiam distinctam ab homicidio. Cùm homicidium opponatur quinto Decalogi præcepto: furtum vero septimo.

An teneatur species animalium explicare, qui peccatū bestialitatis cōmisit.

4 Secundò sequitur eum, qui peccatum bestialitatis commisit cum diuersis specie animalibus, satisfacere in confessione dicendo in genere, se toties peccatum bestialitatis commisisse, non expressa specie animalium, qui buscum nefarium scelus admisit: nam diuersitas specifica animalium non immutat speciem moralem actus. Ita Doctores citati, & alij, quos retuli *de matrimonio q.* 4 *puncto* 12.

An satisfaciat, qui cōfitetur in communi numerum superstitionum.

5 Tertiò eum, qui peccatum superstitionis commisit, satisfacere per se loquendo iuxta Caietanum, Sotum, & alios apud Henriquez *lib.* 5. *c.* 5 *n.* 3. confitendo numerum superstitionum sub generico, & communi nomine. Vnde qui peccauit diuinando, satisfacere videtur dicendo se toties peccasse diuinando, quamuis non exprimat id, per quod diuinauit. Immo plures Doctores putant eum, qui lapsus est in hæresim, satisfacere dicendo se toties in hæresim lapsum fuisse, quamuis non exprimat qualitatem hæresis, vtrùm scilicet sit hæresis Lutheri, vel Caluini, vel alterius hæresiarchæ. hæc enim non videtur diuersitas moralis, sed physica. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 18 *q.* 2. *art.* 4. *conc.* 6. Reginaldus *lib.* 6. *n.* 114. Vasquez, & alij *locis citatis.* Sed quid nobis in hac re sentiendum sit patet ex dictis de superstitione, & de hæresi, & constabit ex dicendis *puncto* 3.

An aperiēda sit circunstantia, propter quā peccatum mortale sit veniale, & è contra.

6 Quartò in confessione aperiendam esse circunstantiam, propter quam peccatum mortale efficitur veniale, & è cōtra. Quamuis enim peccatum mortale, & veniale aliquo pacto non differant specie, quādo eidem virtuti opponuntur, tamen in ratione offensæ, & iniuriæ diuinæ differunt plus quàm specie, propterea furtum leuis momenti, quamuis aliquo pacto dici possit eiusdem speciei cum furto magni momenti, nihilominus in ratione offensæ Dei maximè differt, consequenter in confessione explicadum est, an furtum fuerit in magna, vel in parua quantitate. Ita Suarez *loco cit. n.* 7. Nauarrus *cap.* 17 *n.* 3. Ludouicus Lopez 1 *parte, c.* 5 *vers. Quarta propositio.* Henriquez *lib.* 5 *c.* 7. *n.* 2. Conninchus *loco citato, dubio* 3 *nu.* 10. Vasquez, & alij *locis citatis.*

An exponēs se periculo alicuius peccati teneatur illius circūstantiam fateri.

7 QVÆRES primò, vtrùm pœnitens qui se exposuit periculo peccandi, teneatur fateri circunstantiam illius peccati, cuius periculo se exposuit.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, quia omnia peccata in cōfessione sunt exprimenda quo ad species morales. In moralibus autem idem est exponere se periculo committendi aliquod peccatum, & illud committere; etenim ex eodem præcepto teneatur homo vitare peccatum, & illius periculum: præceptum enim quod obligat ad vitandum peccatum, obligat etiam ad vitandum proximum ipsius periculum: sicut ergo exprimendum esset in confessione peccatum completum, si peccatum completum commissum fuisset, ita exprimendum est peccatum, cuius periculo se pœnitens exposuit.

Puto tamen eum, qui commisit aliquod peccatum, cuius periculo se exposuit, & re ipsa commisit, satisfacere confitendo peccatū commissum, modò inter periculum, cui se pœnitens exposuit, & interactum completum non intercesserit mora, quæ constituat peccata numero distincta. Ita Suarez *tom.* 5. *de censuris, disp.* 18. *sect.* 3 *nu.* 16. Sanchez *in summa l.* 1. *c.* 8 *n.* 4. & alij.

An concupiscens fœminam in cōmuni, quomodo se gerere teneatur in confessione.

8 Ex hac doctrina bene colligit Sanchez *loco cit. num.* 5. eum qui concupiscit fœminam in communi, aut aliquam, cuius statum ignorat, teneri in confessione dicere se fœminam in communi concupiuisse, aut aliquam, cuius statum ignorabat, nam qui fœminam in communi concupiscit, aut aliquam, cuius statum ignorat, est affectus ad fœminam cuiuscunque status sit, consequenter exponit se periculo concupiscendi fœminam cuiuscunque conditionis existat, siue sit soluta, siue coniugata, nisi fortè excusetur ratione inaduertentiæ non aduertens ad huiusmodi malitiam, vel ad eius periculum, inaduertētia enim excusat à peccato, vt patebit ex dicēdis de peccatis.

An peccata mortalia distinctè explicanda sint quoad numerum.

9 QVÆRES secundò, vtrùm qui oblitus est alicuius circunstantiæ mortalis in confessione, teneatur illam in alia confessione iterum explicare.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, quia omnia peccata mortalia in confessione aperienda sunt secundùm speciem moralem, vt ostendimus in propositione: qui autem in confessione oblitus est alicuius circunstantiæ mortalis, nō dicitur cōfessus omnia sua peccata mortalia quo ad species morales, sufficit tamen eam solam circunstantiam aliàs in confessione per oblitionem prætermissam in noua confessione explicare, si pœnitens eam potest exprimere, non expresso peccato confesso, cuius est circunstantia. Quamobrē qui iurauit non percutere Clericum, aut ieiunare in vigiliis ex præcepto ieiunandis, sed postea Clericum percussit, aut ieiunium in vigiliis fregit, & in confessione solùm expressit se Clericum percussisse, aut ieiunium in vigiliis perfregisse, nullam habens iuramenti memoriā, satisfaciet in alia confessione dicendo, se iectum iuramentum perfregisse. Ratio est quia sufficienter exprimit peccatum oblitum. Sicut enim, qui oblitus est alicuius peccati, satisfacit exprimendo peccatum oblitum, & non tenetur cætera peccata repetere; ita nec tenetur, qui oblitus est prædictæ circunstantiæ. Idem dicendum est de eo, qui furatus est Calicem, sed in confessione ex inaduertentia dixit se rem tanti momenti surripuisse, non expressa circunstantia Calicis: hic enim in secunda confessione videtur satisfacere dicendo se mortale Sacrilegium commisisse. Ita Conninchus *disp.* 7 *dub.* 7 *n.* 60. Henriquez *l.* 5. *c.* 5. *n.* 4. Suarez *loco cit.* Zerola *in praxi de pœnit. c.* 13 *q.* 8. Valentia *tom.* 4 *disp.* 7 *q.* 11 *puncto* 1. *columna* 7. *versic. Iam verò.* Reginaldus *lib.* 6. *num.* 141. Clauis Regia *loco* mox *citando* contra Syluestrum *verb. Confessio* 1. *q.* 10 Nugnum *q.* 9. *art.* 2. *dubio* 2. *vers. sed adhuc dubium, pag.* 319. & *dubio* 3. *pagina* 324. [Filliucius ex parte *tract.* 7. *c.* 4. *q.* 2. *n.* 80]

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Vtrùm omnia peccata mortalia distinctè sint explicanda quoad numerum.

VNICA PROPOSITIO.

An peccata mortalia distinctè explicanda sint quoad numerum.

1 OMnia peccata mortalia post Baptismum commissa necessariò explicanda sunt in confessione, quo ad numerum, quantùm moraliter fieri potest. Hæc propositio verissima est, tum quia est definita in Concilio Florentino *in decreto Eugenij*, & in Tridentino *sess.* 14. *c.* 5. & *canone* 7. vbi habetur omnia peccata explicanda esse, non solùm in specie, verùm etiam figillatim, & illi, qui scienter aliquid retinet, nihil diuinæ bonitatis per Sacerdotem remittendum: tum quia vnum peccatum mortale non remittitur sine alio, *cap. sunt plures*, vbi dicitur, *impium est à Deo dimidiā sperare veniam*; ergo neque pœnitens potest ab vno absolui, quin ab alijs absoluatur, cōsequenter non potest vnum confiteri, quin alia confiteatur, cùm ipsa confessio dirigatur, & ordinetur ad absolutionem obtinendam Ita S. Thom. *in* 4 *dist.* 17 *q.* 3. *art.* 4. Suarez *disp.* 22. *sect.* 1. *n.* 6. Valentia *tom.* 4 *disp.* 7. *q.* 11 *punct.* 1. *c. lumna* 1 Vasquez *q.* 91 *art.* 1. *dub.* 2 *nu.* 17 & *dubio* 5 Henriquez *lib.* 5 *c.* 5. *n.* 8 Reginaldus *lib.* 6. *n.* 91. & 99. [Molfesius *tract.* 7. *c.* 12. Bellarminus *lib.* 3 *de pœnit. c.* 1. Filliucius *tract.* 7. *c.* 4. *n.* 73. & 81.] Conninchus *disp.* 7. *dub.* 1. *concl.* 1 Pitigianus 2 *part dist.* 17. *q. vnic. art.* 6 *concl.* & *art.* 11. *concl.* 1. & alij communiter, [contra hæreticos apud Bellarminum.]

An sufficiat vno verbo fateri numerum peccatorum vniusspeciei.

2 Obserua tamen non opus esse singula peccata figillatim successiuè recensere, sed sufficere vno verbo dicere numerum peccatorum vnius speciei, puta, toties peieraui, toties ieiunium ab Ecclesia præscriptum perfregi, toties Missam in die festo non audiui, &c. Ratio est, tum quia alioquin confessio nimis onerosa videretur: tum quia hoc pacto sufficienter manifestatur status pœnitentis, & peccata censentur figillatim recensiri: tum quia sic vsu receptum est in Ecclesia.

Dixi in propositione, *quantum moraliter fieri potest*, vt aduerterem dari aliquos casus, in quibus pœnitens potest aliquod peccatum in confessione reticere, vt inferius ostendam, dum agam de causis excusantibus ab integritate materiali confessionis.

An qui fornicatus est, debeat numerum fornicationē exprimere.

3 Ex dictis in hac propositione sequitur primò, cum qui sæpius fornicatus est, non satisfacere dicendo se fornicatum esse, sed debere numerum fornicationum exprimere. Idem dicendum est de eo, qui sæpius detraxit, aut in aliud graue peccatum incidit.

An qui multoties furatus est, satisfaciat dicendo se tantum surripuisse.

4 Secundò, cum qui decies furatus est decem nummos aureos, vnum singulis vicibus, non satisfacere dicendo se decem nummos aureos surripuisse: sed teneri dicere se decies surripuisse nummum aureum Ita Henriquez *lib.* 5. *c.* 5 *n.* 8. Conninchus *loc. cit. dub.* 7. *n.* 61. Suarez *loco citando*, & alij communiter.

An explicandi sint actus odij sæpius repetiti.

5 Tertiò, eum qui sæpius aliquem odio prosecutus est, debere numerum actuum odij repetitorum, & moraliter interruptorum, explicare, modò recordetur numeri certi: si verò facto examine non recordetur numeri certi, dicere potest se toties peccasse peccato odij plus, vel minus, hoc enim pacto sufficienter exprimit numerū peccatorum, quantum potest, & conscientiæ suæ statum sufficienter aperit Confessario.

An pœnitēs teneatur numerum certū peccatorum in alia confessione aperire, cuius nō recordabatur in prima.

6 Addo, eum qui cùm non recordaretur numeri certi, & distincti, confessus est se toties peccasse plus, vel minus peccato odij, vel alterius speciei, si postea facta confessione recordetur se bis, vel ter supra decies peccasse peccato odij, vel alterius speciei in confessione expressę, non teneri iterum confiteri se bis peccasse peccato odij, vel alterius speciei, nam eo ipso, quo in prima confessione dixit se decies plus, vel minus peccasse peccato odij, satis indicauit se duodecies peccasse. Secùs dicendum est, si postea recordetur numeri notabiliter maioris, vt si confessus sit se decies plus, vel minus peccato odij peccasse, & postea recordetur se vigesies peccasse: tunc enim tenetur in alia confessione explicare numerum, cuius oblitus erat in prima confessione, quia numerus denarius supra numerum in confessione explicatum, est numerus notabiliter maior, consequenter non censetur sufficienter explicatus in prima confessione. Ita Vasquez *de pœnit. q.* 91 *art.* 1. *dubio* 6. Nugnus *in additionib. q.* 9 *art.* 2. *dubio* 1. *diffic. vnica, vers. Deinde notandum.* Conninchus *loc. cit. nu.* 61. Suarez *disp.* 22. *sect.* 5. *ad finem.* Reginaldus *lib.* 6. *n.* 126. Pitigianus *loc. cit. conclusione* 2 Idem in simili tenet Zerola *in praxi de pœnitentia cap.* 13 *quæsito* 17. [Filliucius *tract.* 7. *cap.* 4. *nu.* 82.] & alij communiter.

An Sacerdos teneatur numerū personarum exprimere, quarū confessiones audiuit in peccato mortali.

7 Quartò, eum qui cum peccati mortalis conscientia plures successiuè

successiuè communicauit; aut plurium confessiones excepit, teneri numerum personarum, seu actuum, quantum potest, explicare, vt bene innuit Sylvester *verb. Clericus 2. n. 2. ad finem.* Azorius 1. *parte, lib. 4. c. 4. quæsito 6.* Suarez *tom. 4. disp. 22. sect. 5. n. 35.* & alij quos suprà retuli [*disp. 4. q. 5. punct. 2. n. 2.*] & alibi, contra Posseuinum *c. 5. n. 43.* Rodriquez, & alios suprà in simili recensitos. Ratio est, tũ quia tot sunt numero peccata, quot sunt actus, quando actio versatur circa terminum definitum, & in eo consummatur, & completur, vt cum Suarez tradidi *de censuris disp. 1. q. 1. punct. 5. n. 6.* contra Henriquez *lib. 5. cap. 5. num. 6.* Actus autem communicandi, vel excipiendi confessiones habet suum terminum definitum, in quo perficitur, & completur.

Ex quo sequitur Sacerdotem qui Sacramentum Eucharistiæ administraturus est, teneri, antequam illud administret, se in gratia Dei constituere per confessionem, vel per contritionem, vt constat ex dictis de Eucharistia: quod idem militat in eo, qui confessiones audit, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere.

8 *An audiens Confessiones in peccato peccet, etiam si habeat propositum pœnitendi, antequam pœnitentem absoluat.*

8 Obserua tamen cum Henriquez *lib. 6. cap. 18. in commentario litera V. ad finem*, Confessarium existentem in peccato, dum à principio audit confessionem, non peccare mortaliter, si propositum habeat pœnitendi, antequam impendat absolutionem. Idem sentire videtur Pater meus Hieronymus Bellius, eximiæ vir eruditionis, & doctrinæ, cùm in suis manuscriptis aliàs in Braidensi Collegio traditis constanter asseueret, se huic sententiæ adhæsurum, si aliquem Doctorem ita sentientem legisset.

Sed mihi dicendum videtur grauiter peccare Confessarium, qui à principio confessionis non se constituit in gratia, nisi fortè excusetur ratione paruitatis materiæ. Ratio est, quia tota illa actio auditionis est opus Sacramenti, & ministerium Sacerdotis pertinens ad functionem sacerdotalem, ad quam Sacerdos est specialiter deputatus, & consecratus: qui autem functiones sacerdotales exercet in peccato mortali, grauiter peccat, nisi excusetur ratione paruitatis materiæ. Ita in terminis Suarez *de Pœnitentia disp. 28. sect 1. n. 3.* Posseuinus *c. 5. n. 41.* & idem sentire videntur quàm plures Doctores, quos in simili retuli *de Sacramentis in genere.*

9 *An pœnitẽs teneatur numerum certum iterum in confessione aperire, quando post confessionem cognoscit numerum peccatorum fuisse maiorem, aut minorem, quàm confessus fuerit*

9 Quintò, eum qui confessus est numerum certum, & determinatum, non dicendo plus, vel minus, vt si dixit se decies furripuisse, sed postea facta confessione cognoscit se duodecies furripuisse, teneri in sequenti confessione fateri duplex peccatum furti prætermissum in antecedẽte confessione. Ita Coninchus, Suarez, & alijs *loc. cit.*

An verò, qui maiorem numerum peccatorum expressit, teneatur cognito errore, numerum verum, & certum iterum fateri, patebit ex dicendis *in sequenti puncto n. 7.*

10 *An pœnitẽs confiteri teneatur peccata nota Confessario extra confessionem.*

10 QVÆRES primò, vtrùm pœnitens teneatur confiteri illa peccata, quæ nota sunt Confessario extra confessionem.

RESPONDEO affirmatiuè cum Sylvestro *verb. Confessio 2. quæst. 3.* Henriquez *lib. 5. c. 4. n. 4.* Reginaldo *lib. 6. n. 100.* Pitigiano *2. parte dist. 17. q. vnic. art. 11. concl. 2.* Zerola *in praxi de pœnitentia, c. 10. quæst. 39.* & alijs communiter. Ratio est, tum quia hoc Sacramentum fuit institutum per modum iudicij, vt pœnitens tanquam reus absoluatur à Sacerdote tanquam iudice, & Vicario Dei: sicut autem reus non absoluitur ab ijs, quæ deducta non sunt in iudicium, ita pœnitẽs, vt à peccatis absoluatur, debet illa in iudicium adducere per confessionem: tum quia nisi pœnitens illa confiteatur, Confessarius non potest cognoscere pœnitentem habere propositum emendationis, & consequenter dignum esse absolutione.

Puto tamen sufficere, si pœnitens Confessario, cui nota sunt ipsius peccata, dicat: Pater, accuso me de illis peccatis, quæ nosti me commisisse, hoc enim pacto sufficienter aperit statum suum Confessario, cùm explicita peccatorum confessio præcipuè requiri videatur, vt Confessarius certior fiat de statu pœnitentis, illique congruam iniungat satisfactionem. Ita Medina *q. 8. Codice de Confessione*, Reginaldus *lib. 6. n 102.* Zerola *de pœnitentia cap. 13. quæst 9. vers. Dico secundo*, & alij communiter.

OBICIES contra quæsitum, Sacerdos, aut alius voto castitatis obstrictus, qui peccatum carnale commisit, satisfacit in confessione dicendo se peccatum carnale commisisse, & non tenetur circunstantiam voti exprimere Confessario, scienti ipsum esse voto castitatis adstrictum, vt ait Nugnus *q. 9 art 2. dubio 3. in additionibus.* Reginaldus *loco citat. nu. 101.* Coninchus *disp. 7. dubio 4. nu. 20.* Franciscus Pitigianus *tom. 2 dist. 16. qu. vnic. art. 5. §. quis, pag. mihi 330.* Azor. 1. *parte lib. 4. c. 4. quæst. 6. in medio* Henriquez *lib. 5. c. 7. num. 1.* & alij communiter; ergo pœnitens non tenetur in confessione peccata manifestare, quæ Confessarius nouit extra Confessionem.

RESPONDEO, concesso antecedente, negandam esse consequentiam. Ratio disparitatis est, quia pœnitens voto castitatis astrictus eo ipso quo in confessione exprimit actum principalem, censetur etiam exprimere circunstantiam illius actus, & sufficienter statum suum manifestare Confessario, qui cognito principali actu, cognoscit talem actum non solùm aduersari castitati, verùm etiam Religioni, quod non accidit quando pœnitens explicitè, vel implicitè non manifestat in confessione sua peccata, quamuis Confessarius extra confessionem illa nouerit.

11 *An necessariò explicãdus sit actus externus in confessione.*

11 QVÆRES secundò, vtrùm in confessionem sufficiat explicare actum internum, an etiam actus externus necessarius explicandus sit.

RESPONDEO explicandum esse actum externum. Ratio est, quia in confessione explicanda sunt sigillatim ipsa peccata, non explicarentur autem peccata ipsa, si actus exterior non manifestaretur, cùm actus externus sit peccatum. Ita Henriquez *lib. 4. c. 4. num 4.* & alij communiter. Ex opposito explicato actu exteriori non videtur explicandus actus interior, quia peccatum exterius non subsistit sine peccato interiori, consequenter explicato peccato exteriori censetur satis explicatus actus interior, modò adfuerit sufficiens aduertentia, & deliberatio, vt patet ex regulis generalibus traditis de peccatis.

Ex quo fit, vt qui fornicatus est, vel furripuit, non teneatur dicere se fornicatum fuisse cum animo fornicandi, vel furripiendi, sed satisfaciat dicendo, se toties fornicatum fuisse, vel furripuisse tantam quantitatem.

Hoc tamen intelligitur, modò non fuerint moraliter interrupti, & multiplicati actus interni, non coalescentes in vnum numerum peccatorum, quamobrem qui hesterna die habuit intentionem furandi, & hodie furatus est, non satisfacit dicendo se semel furatum esse, sed etiam tenetur exprimere intentionem furandi, quam habuit hesterna die. Ratio est, quia numerus peccatorum distinctè exprimendus est in confessione, qui autem dicit se vna vice furatum esse, non sufficienter exprimit numerum peccatorum, cùm prior illa intentio furandi elicita hesterna die, sit peccatum numero distinctum ab actuali furto. Ita Nauarrus *cap. consideret. de pœnitentia dist. 5. n. 43.* Coninchus *disp. 7 de pœnitentia dubio 1. nu. 7.* Henriquez *lib. 5. c. 5. nu. 7.* Valentia *loco citato, columna 8.* Reginaldus *lib. 6. nu. 118.* & alij communiter.

12 *An sufficiat explicare actum principalem relictis minus principalibus.*

12 QVÆRES tertiò, vtrùm in confessione sufficiat explicare actum principalem, an etiam explicandi sint actus minus principales, qui comitantur actum principalem, exempli gratia, vtrùm qui fornicatus est, teneatur non solùm dicere se fornicatum esse, verùm etiam teneatur exprimere tactus, & oscula libidinosa, quæ impinxit.

RESPONDEO non esse necessariò explicandos actus minus principales, seu circunstantias communiter comitantes, vel præcedentes actum. Ratio est, quia licet huiusmodi actiones singulæ sint malæ, & mortaliter peccaminosæ, nihilominùs cum ipsæ, vel æquiualentes soleant cum actu, & effectu principali coniungi, & ad illum ordinari, & cum eo constituant vnum numero peccatum explicato actu principali, censentur etiam huiusmodi actiones explicatæ.

Si verò principalis effectus, seu actus non fuerit secutus, ipsæmet actiones præuiæ exprimendæ sunt. Ratio est, quia ipsæ sunt peccaminosæ, & non possunt exprimi cum effectu principali, quia hic non subsistit; ergo exprimendæ sunt in se ipsis, cum omnia peccata mortalia, explicanda sint in confessione. Ita Vasquez *q. 91. artic. 1. dub. 5. n. 33.* Nauarrus *loco citato, num. 48.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. art. 4.* Valentia *loco citato punct. 1. assertione 4.* Nugnus *in additionibus q. 9. ar. 2. dub. 1. difficultate vnic. vers. Sed maior.* Coninchus *de pœnit. disp. 7. dub. 7. n. 56.* Reginaldus *loco citato n. 119.* Suarez *disp. 22. sect. 5.* Pitigianus *2. par. dist. 17. qu. vnic. ar. 5.* Azor. 1. *part. lib. 4. cap. 4. ad finem*, & alij communiter.

Idem dicendũ est de actionibus, quę non habent connexionem cum effectu principali, nisi ex intentione peccantis. Vnde qui ad obtinendam copulam à fœmina vsus est opera alterius, non satisfacit dicendo se copulam cum fœmina habuisse, sed tenetur adhuc exprimere actionem, qua socium induxit ad obtinendam copulam. Ratio est, quia cùm hæc actio non habeat connexionem cum effectu principali, non censetur sufficienter expressa per manifestationem solius copulę, seu principalis effectus, ad quem talis actio fuit ordinata. Secus dicendum est de eo, qui se periculo fornicationis exposuit, & non interposita mora fornicatus est, hic enim satisfacit dicendo se fornicatum esse; quia est vnum numero peccatum, & periculum, licèt malum sit, censetur explicatum explicato actu principali. Ita Azor *loco citato.*

Ex dictis in hoc quæsito constat, in confessione non opus esse explicare actum minus principalem, explicato actu principali, modò actus principalis subsecutus sit, nec mora inter actum principalem, & minus principalem intercesserit, & modò actus minus principalis connexionem habeat cum effectu principali.

13 *An explicandi sint actus, qui principalem actum subsecuti sunt.*

13 Sed modò maius DVBIVM est, vtrùm explicandi sint actus, seu circunstantiæ, quæ subsecutæ sunt actum principalem, quales sunt tactus, & oscula post finitam copulam.

RESPONDEO huiusmodi actus, seu circunstantias explicandas esse. Ratio est, quia huiusmodi actus subsequentes sunt principia alterius copulæ, & alterius peccati, consequenter efficiunt nouum peccatum, sicut nouum peccatum committit, qui habita copula cum vna, statim accedit ad aliam, vel etiam ad priorem, vt patet ex traditis *de censuris disput. 1. q. 1. punct. 5. num. 6.* Cùm ergo tales actus constituant distinctum numero peccatum, vtpote principia noui peccati, & cùm peccata quo ad numerum sint exprimenda, sequitur tales actus subsequentes exprimendos esse in confessione. Ita Vasquez *loc. cit. dub. 5. num. 35.* Coninchus *disp. 7. dubio 7. num. 59.* Suarez, & alij *locis citatis*, contra Nauarrum *cap. 6. num. 7.* Henriquez *lib. 5. cap. 5. num. 5. & cap. 8. num. 3.* Zerolam *in praxi de pœnitentia cap. 12. quæsito 47.* [Filliucium *tract. 7. cap. 4. quæst. 2. n 84.* Azorium,] & alios existimantes non solùm actus præambulos, seu præcedentes, aut comitantes, verùm etiam consequentes, non esse necessariò explicandos in confessione; quia explicato actu principali, censentur etiam ipsi sufficienter explicati. Quamobrem qui post copulam adhuc loquitur de re turpi, aut post peccatum commissum gaudet, vel loquitur de peccato commisso, & eius accessorijs, vel osculatur meretricem ad maiorem delectationem, non tenetur has circunstantias exprimere, modò hæc non fecerit ad iterandam fornicationem, inquiunt Henriquez, Azorius, [Filliucius,] & alij.

Sed mihi probabilius videtur, quod diximus cum Suarez, Vasquez, & alijs: tum propter rationem à nobis allatam: tum quia tales actus non videntur sufficienter explicati, explicato actu completo; cùm nesciam, an tales actus regulariter loquendo præcedentem actum completum subsequantur.

14 *An faciens confessionẽ generalem teneatur cõfiteri omnia mortalia aliàs ritè expiata.*

14 QVÆRES quartò, vtrùm faciens confessionem generalem peccatorum aliàs ritè confessorum, teneatur singula peccata mortalia, ritè aliàs expiata, iterum in confessione exprimere.

RESPONDEO negatiuè cum Angelo, *Confessio 1.* [Henriquez *de pœnitentia c. 12. num. 2.* Fillucio *tract. 7. c. 4 n. 98.*] Zerola *de pœnitentia c. 13. quæsito 28.* Tabiena *eodem verbo.* Medina, & alijs, quos retuli de materia Sacramenti pœnitentiæ. Ratio est, tum quia huiusmodi peccata non sunt materia necessaria Confessionis: tum quia pœnitens non tenetur magis huiusmodi peccata explicare, quàm venialia; sed qui confitetur peccata solùm venialia, non tenetur omnia exprimere, sed potest aliqua reticere: ergo qui generalem facit confessionem peccatorum rite aliàs expiatorum, potest aliqua reticere. Quapropter aliqui consueuerunt generales confessiones paulatim facere, obtenta quotidie absolutione ab illis peccatis, quæ paulatim &

tim & quotidie fatentur. Vide supradicta *quæst. 3 punct. 1. num. 10. & seq.*

15 *An carens mortalibus satisfaciat confitendo venialia in genere.*

15 QVÆRES quintò, vtrùm qui non habet peccata mortalia, sed tantummodò venialia, satisfaciat in genere dicendo se venialiter peccasse, non explicata specie, vel numero peccatorum venialium.

RESPONDENT aliqui Doctores satisfacere.

Ego verò cum Suarez *disp. 23. sect. 1. num. 10.* Conincho *disp. 7. dub. 1. num 6.* & alijs, existimo, in praxi explicandum esse aliquod peccatum. Ratio est, quia licèt non teneamur confiteri peccata venialia, tamen ex suppositione quòd velimus confiteri, tenemur materiam omnino certam exhibere, vt patet ex supradictis de materia Sacramentorum, consequenter tenemur in particulari aliquod genus, seu speciem peccati venialis explicare; quoties loqui, & illud in particulari exprimere possumus, quamuis non teneamur illa quoad numerum explicare. Quamobrem illi possunt absolui, qui cùm sola peccata venialia commiserint, solùm fatentur se otiosa verba protulisse; nam hoc pacto materiam exhibent satis certam explicantes speciem peccati loquacitatis, & indicantes se otiosum saltem verbum protulisse. Ex hac ratione.

16 *Potest absolui, qui scit se peccatum admisisse, sed dubitat, an illud mortale sit, aut veniale.*

16 Primò infertur solutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm ille possit absolui, qui scit se peccatum aliquod admisisse, sed dubitat, an illud mortale sit, aut veniale. Respondetur enim affirmatiuè, quia exhibet materiam certam, & determinatam, quamuis non sit determinata quo ad grauitatem peccati, vt patet ex supradictis cum Sanchez *in summa lib. 1. c. 10. num. 70.*

17 *An peccata venialia explicanda sint in confessione quo ad speciem, & quo ad numerum.*

17 Secundò colligitur, peccata venialia, non quo ad numerum, sed quo ad speciem explicanda esse in confessione, quoties pœnitens pro sacramentali absolutione aliam non exhibet materiam, quàm peccata venialia; par enim est, vt materia sacramentalis absolutionis sit certa, & determinata, quoties certa, & determinata exhiberi potest.

18 *Quomodo se gerere debeat pœnitens, qui propter consuetudinem peccandi non potest peccata sua quo ad certum & determinatũ numerum explicare.*

18 QVÆRES sextò, quomodo se gerere debeat pœnitẽs in exprimendis peccatis, quæ propter consuetudinem peccandi non potest quo ad certum, & determinatum numerum explicare, vt si sit meretrix, quæ fuit omnibus exposita, aut si sit periurus, qui consuetudinem habuit peierandi.

RESPONDEO satisfacere dicendo se talem peccandi consuetudinẽ tandiu habuisse, exempli gratia, peierandi, vel blasphemandi, vel furandi toties in die, vel in hebdomada, vel in mense plus, aut minus; nam pœnitens hoc pacto videtur omnia peccata distinctè exprimere, quantum moraliter potest, & Confessarius sufficienter ferre potest iudiciũ de statu pœnitẽtis. Ita Doctores statim citandi.

19 *Concubinarius satisfacit dicendo se tantùm vsum fuisse concubina loco vxoris.*

19 Ex quo sequitur primò, concubinarium satisfacere dicendo se tandiu vsum fuisse concubina loco vxoris, vel tandiu permansisse in concubinatu. Ita Coninchus *disp. 3. dub. 2. n. 52 64. & 65.* Caietanus *tom. 1. opusculorum tractatu 5. q. 3.* Sotus *dist. 18. q. 2. art. 4.* Reginaldus *lib. 6. n. 121.* Henriquez *lib. 5 pag. 5 num. 9.* Pitigianus *2 part. dist. 17. quæst. vnic. art 6. concl. 3.* & alij communiter.

20 *Meretrix satisfacit explicando tempus, quo fuit omnibus exposita, si non recordetur numeri certi.*

20 Secundò meretricem satisfacere explicando tempus, quo fuit omnibus exposita, si non recordetur numeri determinati, aut aliarum circunstantiarum. Tenetur tamen, quantum potest, exprimere, quoties admiserit viros coniugatos, aut Clericos habentes votum castitatis, aut consanguineos, &c. peccatum enim explicandum est non solùm quoad numerum, verùm etiam quoad species, & circunstantias speciem mutantes, quantum moraliter fieri potest. Ita Doctores citati, contra Zerolam *in praxi de pœnitentia c. 12 quæs. 40. vers. Dico secundò.*

21 *Retinens rem alienã, quam potuit domino restituere satisfacit explicando tempus quo rem detinuit, & domino non restituit.*

21 Tertiò, illum qui rem alienam detinuit, quam potuit domino restituere, satisfacere explicando tempus, quo rem detinuit, quam potuit domino restituere. Ratio est, quia præceptum explicandi numerum peccatorum non obligat ad impossibile, se ad id, quod fieri potest à pœnitente, & quantum fert ipsius conscientia, quæ explicatis hoc modo peccatis, sufficienter videtur innotescere Confessario ad iudicium de statu huiusmodi pœnitentis ferendum. Propterea Confessarius in prædictis casibus non debet se scrupulosum genere, cogendo pœnitentem ad exprimendum certum numerum; nam fieri potest, vt pœnitens proferendo certum numerum facilius erret, quàm explicando solummodò tempus consuetudinis, aut iniquæ detentionis, &c. Ita Nauarrus *cap. 6. dub. 14.* Reginaldus *loco citato, n. 122. & 124.* Victoria *de Sacramentis num. 178.* & alij.

22 *Quomodo cognosci possit numerus peccatorum exprimẽdus in confessione.*

22 QVÆRES vltimò, quomodo cognosci possit numerus peccatorum, quem in confessione diximus exprimendum esse, quantum moraliter fieri potest.

RESPONDEO numerum peccatorum cognosci posse ex multiplicatione actuum voluntatis moraliter interruptorum; actus autem voluntatis moraliter interrumpitur, quoties aliquis nec formaliter, nec virtualiter persistit in priori voluntate. Formaliter persistit in priori voluntate, quamdiu intendit, & vult aliquid facere. Virtualiter verò persistit in priori voluntate, quandiu aliquid facit virtute illius voluntatis, seu intentionis præcedentis; quamuis illa prior intentio, seu voluntas non amplius formaliter perseueret. Ex quo fit, vt si quis intendens occidere inimicum, paret gladium, conscendat equum, iter arripiat, & alia præstet ad occidendum inimicum, dicatur vnum numero peccatum committere, quia prior illa intentio, & voluntas occidendi inimicum virtualiter perseuerat in actionibus inchoatis virtute illius primæ intentionis: quamuis prima intentio, & voluntas non semper perseueret formaliter, nec semper adsit actualis intentio de morte inimici: quamdiu autem prior voluntas, & intentio virtualiter, aut formaliter perseuerat, censetur vnum numero peccatum; quamdiu verò non perseuerat formaliter, aut virtualiter, multiplicantur numero peccata multiplicatis actibus voluntatis. Vnde si quis elicito semel actu odij, & deinde aliqua mora interposita, nouum actum odij eliciat, dicitur nouum odij peccatum committere, quia prior actus odij nullo modo perseuerat formaliter, aut virtualiter. Qui verò intendit inimicum occidere, & ob id præparat ensem, suscipit iter ad illum occidendum, &c. vnum numero peccatum committit, quamuis sæpiùs in via repetat intentionem occidendi, quia prior intentio non fuit reuocata, sed virtualiter perseuerat in illa actione externa itineris suscepti ad occidendum inimicum. Hæc clariùs constabunt ex tradendis in tractatu de peccatis, cùm agemus de numerica peccatorum distinctione. Interim videte Suarez *disp. 22. de pœnit. sect. 5. num. 17.* Coninchum *disp. 7 de pœnit. dub. 7. n. 51. & 53.* Henriquez *lib. 5. c. 5. n. 5.* Valentiam *loco cit. assert. 4.* Nugnum *in additionibus q. 9. art. 1. dub. 1. difficultate vnica, vers. sed nimis.* Vasquez *de pœnit. qu. 91. art. 1. dub. 5. num. 12.* Aliqui tamen apud Henriquez *loco citato, littera D.* & apud Coninchum putant peccatum non interrumpi per moram valdè modicam, de qua re alibi.

TERTIA DIFFICVLTAS.

Vtrùm peccata necessariò sint explicanda in Confessione quo ad circunstantias.

1 *Circunstãtia peccati quid sit.*

1 NOtandum primò, circunstantiam peccati esse quandam conditionem non pertinentem ad substantiam actus peccati, sed aliquo modo attingentem ipsum actum. Quapropter inquiunt Angelus *verb. Circunstantia num. 1.* & Zerola *in praxi de pœnit. cap. 12. quæsito 1.* circunstantia dicitur id, quod circunstat actum, quasi extrinsecus extra actus substantiam, & dici potest accidens actus humani; quia sicut accidens est distinctum ab eo, cuius est accidens, ita circunstantia est aliquid quodammodò distinctum ab actu peccati, cuius est circunstantia, vt patet ex circunstantia sacrilegij afficientis furtum in Ecclesia commissum, quam circunstantiam constat esse quid extra substantiam actus furti: sicut etiam circunstantia sacrilegij in eo, qui copulam habet cum fœmina voto castitatis adstricta, est quid extra substantiam actus copulæ, quamuis attingat, & circunstet actum copulæ.

2 *Circunstãtiæ in quotuplici differentia sint.*

2 Notandum secundò, circunstantias esse in quadruplici differentia. Aliæ sunt impertinentes, quæ nec augent, nec minuunt peccatum, quales sunt furari dextera, vel sinistra manu, ante, prandium, vel à prandio, quas circunstantias constat non esse explicandas in confessione. Aliæ sunt augentes notabiliter, qualis est intentio actus, vt si quis cum magna intensione odij aliquem odio prosequatur. Aliæ sunt notabiliter minuentes, qualis est circunstantia metus alicuius mali impellentis ad furtum committendum, furtum enim metu alicuius mali commissum videtur habere circunstantiam notabiliter minuentem ob metum, ratione cuius furtum non est omnino voluntarium, sed aliquo pacto inuoluntarium, talis etiam est circunstantia odij, quod statim, ac fuit elicitum, fuit animo depositum. Aliæ sunt mutantes speciem, quales sunt primò, quæ de peccato mortali efficiunt veniale, & è contra, vt si quis ex inaduertentia alicui alapam impingat, aut furtum rei notabilis committat, nam inaduertentia excusat à mortali. Secundò quæ nouam peccati speciem addunt, vt est circunstantia voti castitatis in peccato luxuriæ, aut circunstantia loci sacri in homicidio, &c. Istæ circunstantiæ mutantes speciem ab aliquibus Doctoribus appellantur aggrauantes in infinitum, seu infinite, eo quòd homo ratione malitiæ mortalis ab infinito bono auertatur.

3 *Ad quam circunstantiam reuocentur illæ, ex quibus augetur, vel minuitur peccatum.*

3 Notandum tertiò circunstantias, ex quibus augeri, vel minui potest peccatum, vel illi noua species addi, posse ad has septem reuocari, quę hoc versu exprimuntur:

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

In explicatione istarum circunstantiarum non diutius immorabor, sed solùm breuiter attingam aliquas circunstantias mutantes speciem, ex quibus cuilibet facillimè licebit conijcere, quænam circunstantiæ dicantur minuere, vel augere.

Particula, *quis*, pertinet ad conditionem, & qualitatem personæ patrantis delictum, propter quam potest actui noua species peccati tribui, vt si committens copulam adstrictus sit voto castitatis, vel sit coniugatus, vel affinis complici, aut si quis aliquid omittat, vel faciat, ad quod præstandum, vel omittendum tenetur ex officio, vel iuramento, &c.

Particula, *quid*, pertinet ad quantitatem, vel conditionem obiecti, vel ad multitudinem materiæ, circa quam peccator suam actionem exercuit, vt si persona, cum qua quis copulam habuit, sit coniugata, aut voto castitatis adstricta, vel affinis, aut si quis percussit patrem, aut clericum, aut si quis multum, vel modicum furatus sit, aut si furatus sit rem sacram, exempli gratia, Calicem, &c.

Particula, *vbi*, continet circunstantiam pertinentem ad locum, in quo delictum fuit perpetratum, qualis est circunstantia Ecclesiæ respectu copulæ in ea habitæ, aut respectu iniustæ extractionis ab Ecclesia contra priuilegia concessa confugientibus ad Ecclesiam, aut respectu sanguinis in Ecclesia iniustè effusi: nam huiusmodi actus habent specialem malitiam contra reuerentiam loco sacro debitam, vt patet ex dictis *de matrimonio quæst. 4 puncto vltimo.*

Particula, *quibus auxilijs*, adhibetur ad exprimendam circunstantiam personæ, cuius opera, vel consortio vtitur quis in patrando delicto, vt si quis ad solicitandam fœminam ad peccatum vtatur aliquo mediatore; hunc enim constat nouum committere peccatum: cùm sit causa ruinæ proximi, vt bene tradit Nauarrus *cap. 16. num. 13.* & alij quos retuli *in tractatu de peccatis.*

Particula, *cur*, reducitur ad finem, propter quem actui noua species malitiæ tribui potest, vt si quis furetur gladium ad occidendum hominem, vel pecuniam ad adulterandum, &c. hic enim duo peccata committit; cùm finis diuersam specie malitiam habeat ab ea, quam habet actus furti ex sua natura.

Particula, *quomodo*, spectat ad modum, quo delictum committitur; nam circunstantia modi potest aliquando speciem malitiæ variare, vt constat in ablatione rei alienę facta domino nesciente, aut sciente, & renuente; quando enim aliquid accipitur domino nesciente, appellatur peccatum furti: quando autem accipitur domino sciente, & inuito, dicitur peccatum rapinæ, quod specie differre à furto explicauimus in septimo Decalogi præcepto.

Particula, *quando*, adhibetur ad explicandam circunstantiam temporis, propter quam fieri potest, vt aliquando mutetur peccati species, vt si quis celebret post prandiũ, aut bis comedat in die ieiunij, aut seruilia præstet opera in die festo. Nõ tamẽ omne peccatũ ratio-

catione temporis habet peculiarem malitiam; nam si quis in die festo peccatum furti, vel adulterij committat, non contrahit nouam speciem malitiæ: quia furtum vel adulterium non est specialiter prohibitum in die festo, consequenter pœnitens non tenetur in confessione dicere se furtum, vel adulterium in die festo commisisse, nisi forte noua superueniat circunstantia, peculiarem addens malitiam.

Hæc breuiter prænotauimus ad explicandas circunstantias in præcitato carmine relatas. Si quis ampliorem de his circunstantiis cupit explicationem, videat Valentiam *tom. 4. disp. 7. q. 11. puncto 1.* Suarez *d. sp. 22 sect. 4.* Nugnum *in additionibus ad tertiam partem q. 9. art. 2. dubio 3.* Coninchum *disput. 7. dubio 4.* Azorium 1 *parte lib. 2. cap 4* Clauem Regiam *lib 2 cap. 3.* Henriquez *lib 5. cap. 6. num. 3.* Graffium *in appendice ad decisiones.* Sanchez *in opere suo morali.* [Molfesium *tract 7 c. 12. n. 63. & seqq.*]& Pitigianum 2. *parte dist. 17 quæst vnic. art 5.*

In explicandis istis circunstantiis attuli exempla circunstantiarum mutantium speciem; non quia omnes circunstantiæ per illas particulas expressè mutent speciem, sed vt ex præcitatis exemplis cognoscere valeatis, quæ circunstantiæ speciem mutent, & quánam teneamur exprimere in confessione.

His præmissis, & prænotatis tria nobis principaliter quærenda sunt in hac difficultate. Primò vrùm in confessione sint exprimendæ circunstantiæ minuentes. Secundò aggrauantes. Tertiò mutantes speciem.

PRIMA PROPOSITIO.

4 *Circunstãtiæ notabiliter minuẽtes non sunt necessariò exprimendæ, nisi speciẽ mutent.*

4 Circunstantiæ notabiliter minuentes non sunt necessariò exprimendæ, nisi speciem mutent. Ratio est, tum quia in Tridentino generaliter asseritur, omnes circunstantias mutantes speciem confitendas esse; ergo licet inferre, circunstantias notabiliter minuentes non esse necessariò explicandas in confessione, nisi speciem mutent, alioquin Tridentinum videretur defecisse in traditione doctrinæ adeo necessariæ quod non videtur admittendum; tum quia cùm circunstantiæ minuentes adiuuent potius ad excusandum pœnitentem, quàm ad exprimenda peccata, necesse non videtur per se loquendo tales circunstantias exprimere, nisi forte Confessarius iusta de causa de illis pœnitentem interroget, aut nisi tales circunstantiæ ita minuant peccatum, vt peccati speciem mutent, vt si efficiant peccatum veniale, quod alioquin esset mortale præcisa tali circunstantia, vt contingit, quando quis graue damnum infert ex imperfecta aduertentia. Ita Henriquez *lib. 5. c. 7. n. 3.* Nauarrus *cap. 6. n. 6.* Victoria *de Sacramentis, num. 175* Reginaldus *lib. 6. num. 130.* Suarez *disp. 22. sect. 3 num 16.* Coninchus *disp. 67. dubio 3 concl. 2. num 16* Pitigianus 2. *part dist. 17 q. vnic. art. 5. conclus 4* Zerola *in praxi de pœnitentia cap 12. quæsito 4.* Pesantius *in additionibus quæst. 10. §. De integritate confessionis disp. 3. quæsito 3.* Sayrus *de pœnitentia cap. 8. nu. 1.* Sanctus Bonauentura, [Filliucius *tract 7 c. 4 quæst. 4 num 91.*]& alij contra Nugnum *in additionibus q. 9 art. 2. dubio 2. concl. 2* Sotum, & alios apud Suarez *loco citato.*

Neque obstat iudicem, seu sacerdotem ob tacitam circunstantiam minuentem induci ad credendum peccatum esse grauius; nam pœnitens nullum hac de causa graue subit incommodum, vel si quod incommodum subit, voluntariè subit, cedens iuri suo.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 *An explicandæ sint circunstantiæ notabiliter aggrauantes intra eandem speciem.*

5 Probabilissimum est circunstantias notabiliter aggrauantes intra eandem speciem non esse necessariò explicandas in Confessione Ita S. Thomas *in 4 dist. 16. q 3 art 2* Vasquez *q 91. art. 1. dubio 2. num 6.* Reginaldus *lib 6. num. 135.* Valentia *tom 4. disp. 7 q 11 puncto 1. assertione 5.* Medina *Codice de confessione, qu. de circunstantijs.* Zerola *in praxi de penitent cap 12 quæsito 5.* Pesantius *loco citato* Sayrus *de penitentia cap 8. num 3* Adrianus, Richardus, Paludanus, Nauarrus, & alij quam plures apud præcitatos Doctores contra Suarez *disp 22. sect. 3.* Sotum *in 4. dist 18. quæst. 2. art. 4 conclus. 7* Coninchum *disp. 7. dubio. 3. concl. 1 n 17.* Sanchez *in summa lib 4 c. 11. n. 24.* Victoriam *de Sacramentis, n. 176.* Nugnum *in additionibus q. 9. artic. 2. dubio 2. conclus 2.* Pitigianum 2 *parte dist. 17. q. vnic. artic 5 conclus. 5. vers Secundò dicimus.* Henriquez *lib 5. c. 7. n. 6.* vbi hanc sententiam vocat probabiliorem, sed *n 4* nostram vocat probabilem [Filliucium *tract 7. c. 4. quæst. 4 num 87*]

Ratio nostra est, tum quia Tridentinum *sess 14 cap. 5.* tradens exactam doctrinam eorum, quæ necessaria sunt ad pœnitentiæ Sacramentum, asserit illas circunstantias explicandas esse in confessione, quæ mutant speciem: ergo videtur virtualiter supponere, & implicitè iudicare non esse necessariò explicandas circunstantias tantummodò aggrauantes: tum quia non sunt necessariò explicandæ circunstantiæ notabiliter minuentes; ergo neque notabiliter aggrauantes intra eandem speciem: tum quia nimis angerentur fideles ex tali obligatione, cum pauci benè cognoscant, & ritè intelligant, quænam sint circunstantiæ aggrauantes: tum quia hæc sententia videtur magis vsu recepta, etiam ab hominibus probatæ, & timoratæ conscientiæ: tum quia fideles tenentur ad id quod fuit à Christo præceptum, & præscriptum: Christus autem non præcepit, nec præscripsit huiusmodi circunstantias explicare in confessione, cùm tale præceptum non habeatur in Scriptura aut ex traditione Ecclesiæ, aut saltè dubium sit, an exret tale præceptum, in dubio autem iuris, & præcepti fauendum est possidenti suam libertatem. consequenter asserendum videtur fideles non teneri ad exprimendas in confessione circunstantias notabiliter aggrauantes

Obiicies primò, in iure canonico maior aliquando iniungitur pœnitentia pro peccatis, ratione circunstantiæ aggrauantis, quàm iniungatur præcisa tali circunstantia: ergo necesse videtur huiusmodi circunstantiam explicare, vt congrua, & iuxta canones debita pœnitentia iniungatur.

Respondeo negando consequentiam: nam ex eo quòd grauior pœnitentia aliquãdo imponatur ratione circunstantiæ aggrauantis, non videtur inferendum aggrauantes circunstantias esse necessariò exprimendas in confessione, cùm in canonibus iniungatur etiam pœnitentia pro illis circunstantijs, quas omnino constat non esse necessariò confitendas, vt patet in pœnitentia, quę imponitur viro, accedenti ad suam vxorem post conceptionem, aut die Dominico quas circunstantias patet non esse necessariò explicandas in confessione.

Obiicies secundò circunstantiæ mutantes speciem exprimendæ sunt, vt confessarius statum pœnitentis intelligat, & in pœnis iniungendis æqualitatem seruet, vt patet ex Tridentino *sess. 14. cap. 5.* sed hęc eadem ratio valet in circunstantiis aggrauantibus; ergo circunstantię aggrauantes exprimendę sunt in confessione.

Respondeo hanc eandem obiectionem afferri posse ad probandum, circunstantias minuentes exprimendas esse in confessione; sicut autem hæc obiectio non conuincit in circunstantiis minuentibus, ita neque conuincere debet in aggrauantibus. Quare ad argumentum neganda est consequentia: sufficit enim vt Confessarius statum pœnitentis cognoscat, & æqualitatem seruet in pœnis imponendis iuxta numerum, & species peccatorum, quæ necessariò sunt explicandæ: non verò necesse est, vt eam seruet circa circunstantias aggrauantes, quæ non sunt ex obligatione aperiendæ in confessione.

Obiicies tertiò, qui peccat per vnam horam, ità grauiter peccat sicut qui bis, vel ter in eadem hora peccat: sed qui bis, vel ter peccat tenetur numerum peccatorum fateri: ergo etiam qui per vnam horam peccat, tenetur hanc circunstantiam temporis explicare: consequenter tenetur explicare circunstantias aggrauantes.

Respondeo cùm Vasquez *loco suprà citato*, eum, qui peccat per horam, grauius peccare ob circunstantiam durationis, quæ est circunstantia aggrauans: non tamen hinc sequitur ipsum teneri huiusmodi circunstantiam in confessione aperire: cùm huiusmodi circunstantia non efficiat peccatum numero, vel specie distinctum: sed tantummodò aggrauet intra eandem speciem: circunstantię autem, quæ necessariò exprimendæ sunt in confessione, sunt illæ, quæ pertinent ad numerum, & ad speciem: non verò, quæ peccatum intra eandem speciem aggrauant, vt patet ex rationibus in secunda propositione recensitis.

Obiicies quartò si circũstãtiæ aggrauantes nõ essent necessariò aperiendæ in confessione, sequeretur eum, qui tempore Quadragesimæ perfregit ieiunium, & carnes eodem die comedit, satisfacere dicendo se ieiunium semel perfregisse, sed tenetur dicere se ieiunium violasse, & carnes comedisse. Ratio est tum quia hoc est duplex peccatum, vnum oppositum præcepto affirmatiuo de vnica comestione sumenda in die ieiunij: alterum negatiuo de non comedendis carnibus in die ieiunij: peccata autem in confessione aperienda sunt quoad numerum: tum, quia comestio carnium tempore vetito in nostra diœcesi est casus reseruatus, non verò fractio simplex ieiunij. Casus autem reseruati exprimendi sunt in confessione, ne fortè Confessarius absolutionem impendat circa peccata, circa quæ ipsius facultas, & iurisdictio non se extendit, vt bene docet Nauarrus *cap 6 num. 8.* Henriquez *lib. 2. de penitentia c. 7. num. 2.* Valentia, & alij *locis citatis.*

Ex quo patet, circunstantiam carnium in die ieiunij non esse tantummodò circunstantiam aggrauantem, sed peculiare peccatum necessariò exprimendum in confessione.

TERTIA PROPOSITIO.

6 *An explicandæ sint circunstãtiæ mutantes speciem.*

6 Circunstantiæ mutantes speciem necessariò explicandæ sunt in confessione. Ratio est, tum quia sic expressè decernitur in Tridentino *sess 14. cap. 5* Tum quia cõmuni fidelium vsu, & vniuersali Ecclesiæ consuetudine receptum est, vt huiusmodi circunstantiæ aperiantur in sacramentali confessione: tum quia in confessione aperienda sunt omnia peccata, quantum moraliter fieri potest; non aperirentur autem omnia peccata tacitis circunstantiis mutantibus speciem: cùm huiusmodi circunstantiæ peculiarem habeant malitiam, & deformitatem Ita Suarez *disp. 21. sect. 2.* Petrus Ledesma *de pœnitentia cap. 18.* Reginaldus *libr. 6 numer. 112.* Valent *tom. 4 disp. 7. quæst 11 punct. 1. assertione 2.* Nugnus *in additionibus ad 3. partem quæst. 9. art 2 dub. 2. concl 1* Henriquez *lib. 5. cap. 6.* Coninch *loco suprà citato.* Lucas Pinellus *de pœnitentia tractatu 2. de confessione cap. 3.* & deinceps. Clauis Regia *lib 2. c. 3.* Pitigianus 2. *part. dist. 17 q. vnic. artic. 5. conc. 1.* Sayrus *de pœnitentia c. 8. n. 13. & 14.* & alij communiter.

Ex dictis in præcedentibus colligi potest solutio plurimorum casuum.

7 *An homo carnaliter peccans teneatur dicere se an tea virginẽ fuisse.*

7 Primò virum carnaliter peccantem non teneri in confessione dicere se fuisse, vel non fuisse virginem, antequam patraret illud delictum, quod exprimit in confessione Ratio est, quia licèt per talem actum amiserit laureolam debitam virginibus, non tamen commisit peccatum, quod habeat specialem malitiam, nam hæc specialis malitia non potest assignari: nec dicas habere specialem malitiam stupri. Respondetur enim hoc falsum esse, cùm stuprum committatur,

committatur, dum puella carnaliter cognoscitur cum violatione integritatis carnis, vt patet ex dictis *de Matrimonio q. 4. punct. 17. n. 1. & 2.* Et idem præter Doctores ibi citatos tenet Suarez *loco citato, sect. 4. num. 7.* Reginaldus *lib 6 nu. 128.* Coninchus *disp. 2. dub. 4. nu. 19.* Sotus *d. 18 q. 1. art. 4.* Henriquez ex parte *lib. 5. cap. 8. nu. 2.* Nauarrus *cap. 16. nu. 3.* Nugnus *in additionibus ad 3 part. quæst. 9. art. 2 dub. 3 concl. 6.* & alij

8 *An concupiscens virginem teneatur virginis circũstantiam explicare.*

8 Secundò cum; qui virginem concupiuit, aut defloravit, teneri circunstantiam virginis fateri, quamuis illam consentientem defloraverit, si sequamur communiorem Doctorum sententiam asserentium, stuprum habere specialem malitiam, siue puella consenserit, siue dissenserit, de qua re videte quę diximus *de Matrim. q. 4 punct. 8. & punct. 17. propositt. 2. n. 2.* non enim hic opus est singula persequi, quę ad alios tractatus pertinent.

9 *An cõfessarius carnaliter cognoscens pœnitentem teneatur istã circunstantiã aperire.*

9 Tertiò Confessarium, qui carnaliter cognouit pœnitentem, non teneri in confessione exprimere se copulam cum pœnitẽte habuisse, sed satisfacere dicendo se copulã cum fœmina coniugata, vel soluta habuisse, nam copula cum pœnitente non est incestus, neque habet adnexam circunstantiam sacrilegij, aut aliam circunstantiam necessariò exprimendam, modò Confessarius non solicitauerit pœnitentem in confessione, aut non sit Parochus, aut alius, cui ex officio incumbat onus procurandæ salutis pœnitentis, tunc enim in nostra sententia specialiter peccat ratione specialis circumstantiæ, de qua re videte, quæ diximus *quæst. 4. de Matrim punct. 18. propositt. 4.* cum Azorio, Petro Ledesma, & alijs contra Sanchez *loco ibi citato*, & contra Nugnum *quæst. 9. citato. art. 2 dub. 3. ad finem.* [Filliucium *tract. 10. part. 2. cap 5. quæst. 5 numer. 187.*] & alios asserentes, prædictam circunstantiam semper exprimendam esse in confessione.

10 *An exprimenda sit circunstãtia affinitatis, & cõsanguinitatis.*

10 Quartò illum, qui carnaliter cognouit consanguineam, vel affinem, teneri in confessione exprimere circunstantiam affinitatis, vel consanguinitatis, nam huiusmodi circunstantia addit specialem malitiam supra peccatum contra castitatem, ob reuerentiam cognatis debitam.

Addo explicandos esse gradus incestus, vtrùm scilicet habita sit copula cum consanguineo, vel affine in primo, vel in secundo gradu affinitatis, vel consanguinitatis. Ratio est, tum quia incestus in nostra diœcesi est casus reseruatus vsque ad secundum gradum: tum quia sicut explicanda est quantitas furti, vt inferiùs explicabo, ita etiam explicanda est persona, cum qua carnale peccatum fuit commissum, nam persona non est circunstantia actus, sed potiùs ipsius obiectum, & quid pertinens ad circunstantiam actus considerati in individuo, vt indicauimus *quæst. 4. de Matrimonio. puncto 16. propositione 4* cum Valentia, & alijs; & quamuis aliquibus non videatur improbabilis sententia Angeli, *verb. Confessio, n. 5.* dicentis, eum, qui habet copulam cum matre, satisfacere dicendo in confessione, se copulam cum consanguinea in primo gradu habuisse, nihilominus in praxi consulenda, & sequenda est nostra sententia, saltem quoties eam commodè sequi possumus, vt bene ait Henriquez *libr. 2. de pœnit. cap. 8. num. 1.* & patet ex allatis rationibus.

11 *An coniugatus, qui peccauit cũ soluta, teneatur hãc circunstantiã aperire.*

11 Quintò virum coniugatum habentem copulam cum soluta, teneri hanc circunstantiam exprimere, nam hæc circunstantia mutat speciem, & duplicem saltem habet malitiam, vnam contra fidem matrimonij alteram contra virtutem castitatis, prę scribentis abstinentiam à fornicatione. Immò si coniugatus copulam habeat cum coniugata, tenetur vtramque circunstantiam fateri, quia facit iniuriam pluribus, & hæc non dicitur propriè circunstantia, vt patebit ex sequentibus illationibus.

12 *An peccans cũ Moniali debeat hãc circunstantiam aperire.*

12 Hinc vlteriùs, patet, qxid dicendum sit de eo, qui copulam cum Moniali habet, aut cum alia votum castitatis habente; hic enim tenetur circunstantiam personę exprimere, cùm talis circunstantia speciem mutet, & nouam malitiam actui superaddat, vt bene obseruat Nugnus *quæst. 9. articul. 2. dub. 3. ad finem*, & alij communiter.

13 *An habens votum castitatis si peccet cum fœmina eodem voto adstricta, teneatur vtramque circunstantiam exprimere.*

13 Addo cum Vasquez *q. 91. art. 1. dub 4. num. 6.* obstrictum voto castitatis, si carnaliter congrediatur cum fœmina habente votum castitatis, teneri vtramque circunstantiam exprimere, vt diximus de coniugato carnaliter cognoscente coniugatam; si quis verò habeat duo vota castitatis, & carnaliter cognoscat fœminam solutam nullo voto castitatis adstrictam, satisfacit dicendo se fecisse contra votum castitatis cognoscendo carnaliter fœminam solutam, & non tenetur vtrumque votum exprimere, nam duo vota castitatis respectu eiusdem personæ se habent vt duo numero præcepta, modò vota sint eiusdem rationis, nam si vota sint diuersæ rationis, vt si vnum sit simplex, alterum solemne, vtrumque exprimendum est, iuxta sententiam, quam tradidimus *de matrimonio, q. 4. ad finem.*

14 *An qui fornicatus est cum tribus fœminis debeat exprimere numerum fœminarum.*

14 Sextò cum, qui commisit tria fornicationis peccata cum tribus fœminis, non teneri dicere se tres fœminas carnaliter cognouisse, sed satisfacere dicendo se ter fornicatum fuisse, nam actus fornicationis cæteris paribus eandem habent malitiam, siue committantur cum vna, & eadem fœmina, siue cum diuersis eiusdem rationis, & conditionis. Ita Azorius *1. part. lib 4. quæst 6.* & alij. Secus si fœminæ non sint eiusdem conditionis, vt si copulam habuit cum virgine, soluta & coniugata; tunc enim tenetur exprimere se toties copulam habuisse cum virgine, toties cum soluta, & toties cum coniugata, nam istæ circunstantiæ mutant speciem.

Idem dicendum est de illo, qui in actu mollitiei concupiuit virginem, aut coniugatam, aut monialem, &c. hic enim non satisfecit dicendo se in actu mollitiei toties concupiuisse fœminas, sed tenetur exprimere conditionem personarum, quæ diuersam speciem malitiam actui communicant. Ita Henriquez *loco citato, cap. 8 num. 3.* & alij communiter.

15 *An explicãda sit circunstantia iniuriæ illatæ patri vel Superiori.*

15 Septimò eum, qui intulit iniuriam patri, vel Principi, vel Superiori, teneri in confessione aperire circunstantiam personæ, & non satisfacere dicendo se iniuriam alteri intulisse. Ratio est, quia hoc peccatum specialem habet malitiam ob reuerentiam specialiter debitam patri, & Superiori, vt patet ex quarto Decalogi præcepto. Ita Henriquez *lib. 5. cap. 6. num. 3. in Commentario littera E.* Nauarrus *cap. 14 num. 11.* & alij communiter, quos retuli *in 4. Decalogi præcepto.*

iniuria illata patri vel Superiori.

Ob eandem rationem censeo cum Henriquez explicandam esse circunstantiam personæ, quando iniuria fuit illata Sacerdoti: Sacerdotibus enim peculiaris debetur reuerentia. Secus si iniuria illata sit viro nobili, vel cognato, vel etiam benefactori, nam huiusmodi circunstantia non ita videtur peccatum aggrauare, vt malitiam mortalem specie diuersam actui superaddat.

16 *An teneatur numerum personarum explicare, qui plures vno actu percussit.*

16 Octauò eum, qui vno actu plures percussit, aut infamauit, aut pluribus iniuriam intulit, teneri numerum personarum exprimere, non quia pluralitas personarum præcisè sit circunstantia mutans speciem, sed quia est obiectum terminans, & determinans ipsum actum, vt aliquid spectans ad ipsius substantiam, quasi individuam; cùm autem ipse actus individualis exprimendus sit confessione, & hic exprimi sufficienter nequeat non expresso numero personarum, sequitur numerum personarum exprimendum esse. Ita Suarez *disp. 3. sect. 5. num. 3.* Henriquez *lib. 5. cap. 5. num 4.* Vasquez *quæst. 91. art. 1. dub 4. num. 4.* & alij communiter.

Idem dicendum puto de eo, qui vno, & eodem actu furripit à pluribus quantitatem notabilem. Ratio est, tum quia facit iniuriam pluribus, & pluralitas personarum, quibus infertur iniuria, non est circunstantia actus, etiam si probabiliter sustineamus hoc esse vnum numero peccatum, iuxta tradita *de censuris, disp. 1. q. 1. punct. 5. n. 7.* Tum quia sicut qui vno actu vni familiæ, aut pluribus maleficit, aut plures occidit, plura peccata committit, ex sententia Vasquez *loco citat. num 4.* & aliorum contra Nauarrum à nobis relatum *de censuris loco citat. num 7.* ita qui vnico actu rem plurium abstulit, tenetur numerum personarum exprimere. Contrarium tamen non videtur improbabile in prædictis casibus, vt innuit Vasquez *q. 91. art. 1. dub. 4. num. 8. & 10.* vbi loquitur de eo, qui vno actu furripit à pluribus, quem ipse putat non teneri numerum personarum exprimere, cùm vnum numero peccatum committat.

17 *An explicanda sit quantitas furti, & dãni illati.*

17 Nonò explicandam esse quantitatem furti, & damni illati. Ratio est, tum quia hæc non videtur circunstantia aggrauans, sed potiùs aliquid ita coniunctum cum actu peccati, vt actus explicari non posse videatur sine tali circunstantia; quamuis enim maior pecunia sit quasi circunstantia minoris pecuniæ, non tamen est circunstantia ipsius actus furti considerati in individuo, sed potiùs est obiectum ipsius determinatum, & quid spectans ad substantiam ipsius actus, qui in suo esse constituitur per ordinem ad tale obiectum, & ad tantam quantitatem, & non est exprimendus in genere, sed iuxta suum esse individuale; exprimendum enim est ipsummet peccatum commissum quoad substantiam: tum quia si pœnitens non teneretur huiusmodi quantitatem exprimere; Confessarius non posset admonere pœnitentem de obligatione, & ordine, quo tenetur restitutionem facere: tum quia hic est communis timoratorum hominum vsus, & praxis. Ita Nugnus *in additionibus quæst. 9. art. 2. dub. 3.* Valentia *quæst. 11 puncto 1. columna 9* Henriquez *lib 5. cap. 7. n. 4.* Sanchez *in summa lib 4. cap. 11. n. 24.* Suarez *loco citato, n. 2.* Sayrus *de pœnit. cap 8. num 8.* & alij.

Non existimo tamen improbabilem sententiam Vasquez *quæst. 91. art 3. dub. 3. & dub. 4. num. 5.* & aliorum asserentium, non esse necessariò exprimendam circunstantiam quantitatis furti, seu nocumenti, modò Confessarius cognoscat an pœnitens peccauerit mortaliter, aut solùm venialiter peccato furti, vel damni. Sicut etiam probabilis est eorum sententia, qui sentiunt concupiscentem autem capientem res varias diuersi valoris, satisfacere dicendo se cõcupiuisse, vel accepisse res alienas in magna quantitate, etiamsi non exprimat quantitatem, aut qualitatem, vtrùm scilicet acceperit argentum, aut pannum in tanta quantitate; nam videtur vnum numero peccatum eiusdem rationis, ob id etiam probabile est eum, qui vno impetu ter, aut pluries aliquem appellauit furem, vel adulterum, non teneri in confessione dicere se tres appellasse furem, vel adulterum, sed satisfacere dicendo se aliquem affecisse graui iniuria, hoc enim est vnum numero peccatum, cùm tales actus moraliter continuentur. Quamobrem qui bis, vel ter aliquem appellauit furem, semel tantùm appellasse dicitur, sicut qui bis, vel ter eandem rem in testamento, vel codicillo legauit, semel tantum legasse videtur, vt docet Nauarrus *cap. 6. nu. 7.* Henriq. *cap. 8. num. 3.* Vasquez *loco citato art. 1. dub. 5. num. 31. ad finem.* Idem innuit Suarez, Vgolinus, & alij, quos retuli *de censuris loco suprà citat. n. 5.*

Addo non videri improbabile, cum qui sæpiùs aliquem affecit grauibus iniurijs eiusdem, aut etiam diuersæ rationis, satisfacere dicendo se aliquem grauibus iniuriis toties affecisse, non expressa qualitate iniuriæ, vt patet à simili ex dictis de furto, & patebit ex dicendis de peccatis.

Verùm quod nos asseruimus de quantitate furti, idem etiam probabilius asserendum puto in quantitate iniuriæ alteri illatæ, eodem tempore, vel successiuè per iniurias eiusdem, vel diuersæ rationis. Idem tenet Henriquez *libr. 5. cap. 8. num. 3.* Zerola *de pœnitentia cap. 12. quæsito 48. de iniurijs diuersis.* vt si quis eundem hominem appellauit furem, adulterum, sacrilegum, &c. Quamquam opposita sententia non caret probabilitate, & in praxi tutò sustineri posse videtur.

18 *An occidẽs hominem satisfacias dicendo se hominem percussisse.*

18 Decimò, eum qui aliquem occidit, non satisfacere dicendo se aliquem percussisse, aut vulnerasse, vt patet, tum ex rationibus superiùs allatis: tum quia non videtur sufficienter exprimere actum externum, quem in præcedentibus diximus exprimendum esse in confessione. Qui verò hominem occidit, & adhuc post occisionem prosequitur vulnerare mortuum, vel in frusta secare ex odio, seu ex vindicta, non videtur committere peccatum necessariò exprimendum in confessio. Ratio est, tùm quia hæc non est circunstantia mutans speciem, nec videtur adiunctum habere maius nocumentum: secus dicendum videtur si hoc faciat non ex vindicta, sed ex feritate,

feritate, si videlicet vulnerãs non infligat vulnera in vindictam, sed simpliciter delectationem capiat in vulneribus infligendis. Ita S. Thomas 2.2. *quæst.* 159 *art.* 2. Suarez *loco citato, sect.* 4. *num* 17. Reginaldus *lib.* 6. *num.* 137. Vasquez *de pœnitentia quæst.* 91. *art.* 1. *dub.* 2 *numero* 33 & alij: nam feritas est peccatum specie distinctum.

19 An qui fuit causa scãdali, teneatur circunstantiã inductionis explicare.

19 Vndecimo, eum qui fuit causa scandali, vt si peccauit publice cum ruina proximi, aut alia ratione alterum induxit ad peccatum, præsertim si alter non erat paratus, seu actualiter dispositus ad tale peccatum perpetrandum, teneri circunstantiam inductionis exprimere ratione scandali, & ruinæ cuius ipse fuit causa. Qui verò peccat cum alio non inducendo, sed solum cooperando peccato, ad quod alter iam paratus erat voluntate actuali aut virtuali, vel ad quod ipse fuit ab altero inductus, vt si carnaliter cognouit meretricem iam paratam, ex sententia aliquorum Doctorum, quos sequitur Suar. *loc. cit sect.* 4 *num.* 10. Coninch *disp.* 7. *dub.* 4. *num.* 23. Azor. 2 *part. lib.* 12. *cap.* 16. *quæsito* 5. Henriq. *lib.* 5. *cap.* 6. *num* 6. Salas *de vsuris*, & alij apud Sanchez *in summa lib.* 1. *cap.* 6. *nu.* 13. non tenetur explicare circunstantiam inductionis ad peccatum, seu an solus fuerit, vel socium delicti habuerit, quoties peccatum est eius rationis, vt absque alterius consortio committi possit. Ratio est, quia non videtur dare scandalum, seu causam ruinæ, saltem notabiliter, neque videtur grauem iniuriam Deo irrogare per hoc præcisè, quod concurrit ad actum externum cum altero ad quem actum alter paratus erat.

Sed mihi probabilius videtur explicandam esse circumstantiam inductionis ad peccatum, licèt alter paratus esset. Ratio est, quia re ipsa cooperatus est peccato alterius; qui autem cooperatur peccato graui alterius, grauiter peccat, non solùm peccato proprio, sed etiam alieno, quod imputatur ipsi cooperanti, vt patet ex dictis de peccatis cum Sanchez, *in summa lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 15. & alijs.

20 Circunstãtia inductionis, & cooperationis ad peccatum explicanda est, quoties explicato actu principali, non est sufficiẽter explicata.

20 Obserua tamen cùm præcitatis Doctoribus, circunstantiam inductionis, & cooperationis ad peccatum alterius explicandam esse quoties talis circunstantia non censetur sufficienter explicata explicato actu principali. Secus si sufficienter explicata censeatur explicato actu principali. Quamobrem non puto necessariò explicandam esse circunstantiam inductionis, cùm quis inuitat fœminam ad peccatum. Ratio est, tum quia hoc est medium ordinatum ad talem finem, tum quia non est circunstantia specialis scandali, cùm inuitans, vt suppono, non intendat formaliter ruinam proximi, vt bene ait Vasquez *qu.* 91. *artic.* 1. *dubio* 4. *num.* 7 Sanchez, & alij quos retuli *de peccatis* contra Nugn. *loco cit.* & alios: tum quia explicato actu principali, sufficienter explicata videtur prædicta circunstantia: qui verò inuitat fœminam, licèt paratam ad peccatum fornicationis, sed cum ea non fornicatur, tenetur circunstantiam inductionis fateri, & non satisfacit dicendo se fœminã concupiuisse, nam circunstantia inductionis non exprimitur expresso solo desiderio. Ita Sanchez *loc. cit. num.* 11.

21 Qui detrahunt coram pluribus, aut de rebus turpibus loquuntur, tenẽtur in confessione exprimere numerum personarũ, quibus cum detractionis peccatũ commiserunt.

21 Duodecimò, eos qui coram pluribus detrahunt, aut de rebus turpibus loquuntur, teneri in confessione exprimere numerum personarum, quibuscum detractionis peccatum commiserunt: tum quia explicato simpliciter peccato detractionis, non censetur sufficienter expressa circunstantia scandali, & ruinæ proximi, quæ ipsis imputatur: tum quia peccata præsentium personarum imputantur sociis cooperantibus. Sicut autem socij plura numero peccata contraxerunt, ita etiam detrahentes coram pluribus videntur plura peccata commisisse, vt benè docet Sanchez *in summa lib.* 1. *cap.* 6 *num* 8. Idem sentire videtur Syluester *verb. Scandalum quæsito* 2. *ad finem* Adrianus, & alij apud Sayrum *de pœnitentia cap.* 9 *n.* 11. pluralitas autem, & numerus peccatorum explicanda sunt in confessione. Addo eos qui de rebus turpibus loquuntur cum delectatione non solùs narrationis, sed rerum per verba repræsentatarũ, non satisfacere dicendo se de rebus turpibus cum delectatione sermonum coram pluribus, aut coram tot personis habuisse, sed teneri exprimere conditionem personarum astantium, vtrùm scilicet essent coniugatæ, vel solutæ, vel castitatis voto astrictæ, & c. Rursus addo teneri exprimere qualitatem sermonis, vtrùm scilicet sermo esset de rebus turpibus circa coniugatos, vel circa solutos, vel nefando vitio, &c. Delectatio enim malitiam sumit ab obiecto, & à motiuo, de quo sumitur delectatio, vt patet ex dictis *de Matrimonio*.

22 Consuetudo peccandi non est necessariò explicanda in confessione.

22 Decimotertiò consuetudinem peccati per se loquendo non esse necessariò explicandam in confessione. Vnde pœnitens non tenetur dicere se in peccatum, quod tunc fatetur, aliàs incidisse, nisi forte iusta de causa interrogetur à Confessario, aut nisi alia de causa teneatur eam fateri; ratio est, quia cùm huiusmodi circunstantia non mutet speciem, non potest afferri ratio, cur pœnitens obligetur ad huiusmodi circunstantiam explicandam, modò cum debito dolore sufficienter explicet numerum peccatorum, quæ commisit, & quorum periculo se exposuit, & modò Confessarius de consuetudine non interroget pœnitentem; si verò Confessarius iusta de causa pœnitentem interroget de consuetudine peccandi, vt pœnitentis dispositionem intelligat, pœnitens tenetur consuetudinem explicare. Ratio est, tum quia consuetudo peccandi arguit infirmum emendationis propositum. Tum quia Confessarius, qui medici, & iudicis vices gerit in hoc Sacramento, cognita peccandi consuetudine poterit pœnitenti diuersa remedia exhibere. Ita Suarez *loco cit. sect.* 4 *n.* 15. Reginaldus *loco suprà citato, num.* 138. Zerola *de pœnitentia cap.* 12. *quæsito* 7. Sotus & alij contra Sylueſtrum *verb. Confessio quæsito* 9. Henriquez *loc. cit. cap.* 8 *num.* 1. & alios absolutè existimantes peccandi consuetudinem exprimendam esse in confessione. Quoties verò peccet, qui peccandi consuetudinem habet, eamque non conatur extirpare, patet ex dictis de blasphemia, & de iuramento in explicatione præceptorum Decalogi.

23 Circunstãtia ingratitudinis non est necessario explicanda.

23 Decimoquartò, non esse necessariò explicandam circunstantiã generalis ingratitudinis, quam peccator commisit post remissionem priorum peccatorum. Ratio est, quia huiusmodi ingratitudo non habet specialem malitiam, quæ non censeatur sufficienter explicata expresso peccato principali. Ita Reginaldus *loc. cit. num.* 138. Vasquez, Valentia, Suarez & alij *locis citatis*.

24 Omittens Missã Sacrũm die festo duplicato satisfacit dicẽdo se Missã in die festo prætermisisse.

24 Decimoquintò, eum qui die Dominico in quem incidit dies festus alicuius Sancti, vt Diui Petri, vel Diui Martini, &c. Sacrem non audiuit, satisfacere dicendo se semel Missæ Sacrum in die festo culpabiliter prætermisisse; nam huiusmodi omissio est vnum numero peccatum nec habet circunstantiam mutantem speciem: quamuis opponatur duplici præcepto Ecclesiæ, diuersitas enim peccatorum non desumitur ex diuersitate præceptorum, & obligationum eiusdem rationis. Ita Vasquez *quæst.* 91. *art.* 2 *dicto* 4 *num* 9. Nugnus *in additionibus quæst.* 9 *art.* 2. *dub.* 3. *ad finem pag.* 12. Henriquez *lib.* 5 *cap.* 5. *num.* 6. *littera R & cap.* 6. *num.* 6. *ad finem.* Suarez *d sp.* 22. *sect* 4 *num.* 22 & alij apud Vasquez 1 2. *quæst.* 98 *art.* 8. & apud Sanchez *lib* 9. *de Matrim. disp* 15. contra Reginald. *loco cit. num.* 129. Coninch *disp.* 2. *de pœnitentia dub.* 6. *num.* 47.

Ex opposito, qui ieiunium prætermisit aliquo die Quadragesimæ, in quo tenebatur ieiunare, non solùm ex præcepto Ecclesiæ, verùm etiam ex voto, vt suppono, non satisfaciat in confessione dicendo se ieiunij præceptum semel perfregisse, nam commisit duo peccata, vnum contra temperantiam, seu contra præceptum Ecclesiæ, alterum contra Religionem: peccata autem contra temperantiam, & contra Religionem sunt specie diuersa, consequenter in confessione sunt explicanda. Ita Nauarrus. *capite* 11. *numero* 4. Suarez *loco cit.* & alij communiter.

25 Qui furatur ad mœchandum, tenetur hãc circunstãtiam explicare.

25 Decimosextò eum, qui furatus est ad mœchandũ non satisfacere dicendo se tantam rei alienæ quantitatem surripuisse, sed adhuc teneri exprimere circunstantiam finis, quæ superadditur furto, medium enim participat rationem finis Ita Reginald. *loc. cit num* 127 Nugnus *loc. cit. dub.* 3 *pag.* 324. Pitigianus 2 *part. dist.* 27. *quæst. vnica, art.* 5. & alij communiter.

26 Omittens Sacrum propter studium, non tenetur hãc circunstãtiam explicare.

26 Decimoseptimò, eum qui in die festo Missæ Sacrum non audiuit propter studium, non teneri in confessione dicere se Missam propter studium omisisse, sed satisfacere dicendo se toties Missæ Sacro in die festo non interfuisse, modò suum finem vltimum in studio non constituerit. Ratio est, quia cum studium non sit malum, sed malum sit quatenus est causa talis omissionis, sequitur totam malitiam consistere in omissione Sacri, consequenter explicata omissione Sacri, sufficienter censeri explicatam speciem peccati. Ita Azorius 1 *part. lib.* 4. *cap.* 3 *quæst.* 7. Sanchez *in summa lib.* 1. *cap.* 5. *nu.* 15. Clauis Regia *lib.* 2. *cap.* 6. *num* 10. Coninchus *disp.* 7 *dub.* 4. *n.* 24. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 7. *littera B* nec dissentire videtur Nugnus *in additionibus ad tertiam partem, quæst.* 9 *art.* 2. *pag.* 323. *versic.. Adhuc dubium.* Suarez *disp.* 21. *sect.* 4 *num.* 11. & alij contra Almainum, & alios apud præcitatos Doctores. Si verò finis vltimus constituatur in studio, explicanda est ista circumstantia finis: nam peccatum veniale efficitur mortale, quoties in ipsius obiecto constituitur vltimus finis, vt cum Sua. & Sanc. docui in tracta. de peccatis.

27 Qui furãtus est calamum, vt inuitaret alterum ad blasphemãdum, tenetur circunstantiã finis manifestare.

27 Decimooctauò, eum qui furatus est calamum, vt inuitaret alterum ad blasphemandum, non satisfacere dicendo se alteri calamum surripuisse, sed teneri exprimere circunstantiam finis, propter quem surripuit calamum; satisfaceret tamen exprimendo circunstantiam finis mortaliter malam, non expresso furto calami, vt tradit Reginald. *loco citato, num.* 129, *ad finem & numero* 145. nam furtum calami non habet adnexam malitiam mortalem, nisi quatenus dirigatur, & ordinetur ad finem mortaliter malum: ergo explicata circunstantia finis, censetur sufficienter explicatum peccatum necessariò exprimendum in confessione. Idem innuit Sanchez *lib.* 1 *cap* 6. *num.* 10. *ad finem*, & clariùs *cap.* 5. *num.* 10. Secus dicendum est de eo, qui rem magni momenti surripuit, præuidens, aut intendens alterum ad blasphemiam, aut ad aliud graue peccatum trahere, huic enim imputantur saltem duo peccata mortalia specie diuersa, consequenter, necessariò exprimenda in confessione, vt patet ex dictis de peccatis.

28 Circunstãtia loci, tẽporis, modi, durationis &c nõ sũt necessariò exprimẽdæ.

28 Decimonono, circunstantiam temporis, aut durationis, loci, aut modi, per se loquendo, non esse necessariò explicandam in confessione, quia huiusmodi circunstantia non addit malitiam specie diuersam, sed tantũmodò videtur aggrauare, vel minuere. Ita Vasquez *loc. cit. dub.* 4. *num.* 5. Valentia, & alij *locis citatis*.

29 Qui peccauit in die festo, non tenetur hãc circunstantiam exprimere.

29. Vigesimò, illum, qui committit aliquod peccatum in die festo, vt si fornicetur, vel furetur, non teneri hanc circunstantiam exprimere. Ratio est, quia circunstantia diei festi non superaddit peccato distinctam specie malitiam, cùm non sit specialiter prohibitum in die festo fornicari, vel furari, vel aliud peccatum committere, modò non exerceatur opus seruile, aut Missæ Sacrum non prætermittatur: nam specialiter vetitum est opus seruile in die festo exercere, aut Missæ Sacrum prætermittere. Ita Sotus *in 4. dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. Nauarrus *cap.* 6. *num.* 10. Vasquez *quæst.* 91. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 24. Nugnus *in additionibus quæst.* 9. *artic.* 2. *dub.* 3 *sub finem, pagina* 325. & alij Doctores citati in explicatione illius particulæ, *quando*, contra Angelum *verb. Feria. num.* 35. & alios apud Vasquez *lo. c.*

30 Quando explicanda sit circunstantia, Quis, quid vbi, &c.

30 Vltimò patet, quid dicendum sit de casibus propositis *in* 1. *notabili*, quando scilicet in confessione explicanda sit circumstantia, quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur quomodo, quando.

QVARTA DIFFICVLTAS.

Vtrùm peccata dubia explicanda sint in confessione.

VNICA PROPOSITIO.

1 An dubitãs se peccatũ mortale cõmisisse teneatur illud confiteri.

1 QVi dubitat se peccatum aliquod mortale commisisse, vel scit se commisisse peccatum aliquod, quod dubitat esse mortale, tenetur illud confiteri. Ratio est, tum quia in dubijs

dubiis tutior pars est eligenda, quando possessio stat pro lege, & non fauet dubitanti, sed in proposito casu tutius est confiteri: nam qui non confitetur, exponit se periculo non faciendi confessionem integram, præterea possessio non fauet dubitanti: nam communi Doctorum consensu constat, peccata dubia esse confitenda, vt patebit ex Doctoribus mox citandis; immò potiùs possessio videtur stare pro lege, vt colligitur ex Concilio Tridentino *loco statim citando*; ergo dicendum est, eum, qui dubitat se commisisse aliquod peccatum mortale, vel scit se commisisse aliquod peccatum, quod dubitat esse mortale, teneri illud in confessione manifestare: tum quia lex fauorabilis extendenda est, lex autem confessionis est fauorabilis, vtpote lata in remedium peccati commissi post Baptismum, & ad præcauenda peccata in futurum: tum quia Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 5. & canone 7.* excipit ab obligatione confitendi sola peccata venialia; ergo supponere videtur peccata mortalia dubia esse necessariò explicanda in confessione. Ita Reginaldus *lib. 2. n. 9. & lib. 29. cap. 6. num. 99. ad finem.* Henriquez *lib. 5. cap 4. n. 5 littera H.* Valentia *tom 4. disp. 7. quæst. 9. p. 3. ver. Quod si quis dubitaret.* Emmanuel Sà *verb. Confessio, num. 7.* Nugnus *in additionibus qu. 6. art. 4. dub. 1. concluf. 1.* Coninchus *de pœnit. disp. 7. dubitatione 8.* Suarez *de pœnit. disp. 22. sect. 9. num. 2.* Nauarrus *c. 9. num. 14.* Azorius 1 *part. lib. 11. cap. 4. quæsito 3.* Sanchez *in summa lib. 1. cap. 10 num. 66.* [Filliucius *tract. 7. cap. 4 quæst. 8 num. 108.*] & alij, quos suprà retuli *disp. 4. de Eucharistia, quæst. 6. punct. 1. dubio primo numero vndecimo.*

OBIICIES primò, Qui dubitat, an votum emiserit vel damnum intulerit, non tenetur votum adimplere, vel damnum resarcire; ergo neque tenetur confiteri qui dubitat se mortaliter peccasse.

RESPONDEO, eum qui dubitat se votum emisisse, vel damnum intulisse, non teneri ad voti adimpletionem, vel ad restitutionem, quia possessio stat pro dubitante, qui suam libertatem possidet: in proposito autem casu possessio stat pro lege confessionis, quam constat obligare ad peccata dubia exprimenda, vt patet tum ex communi Doctorum sententia: tum ex communi Ecclesiæ praxi: tum ex Tridentino *loco cit.* excipiente sola venialia ab obligatione confessionis.

OBIICIES secundò, In dubiis melior est conditio possidentis; pœnitens autem possidet suam libertatem, ergo non videtur obligandus ad peccata dubia exprimenda in confessione.

RESPONDEO iuxta dicta in præcedenti responsione, pœnitentem in proposita materia non possidere suam libertatem, quia constat latam esse legem obligantem ad peccata dubia confitenda.

2 *An dubitãs se veneream delectationem habuisse, teneatur il lam confiteri.*

2 Ex dictis sequitur primò, illum qui propriè dubitat, an habuerit delectationẽ veneream, vel aliquid fecerit, quod est peccatum mortale, teneri ad confessionem illius dubij, explicatis simul eo modo quo recordatur circunstantiis personæ, de qua dubitat delectationem extitisse. Ita Sanchez. & alij *locis citatis*, contra Coninchum *loc. cit. num. 99.*

3 *An pœnitẽs teneatur peccatum confiteri, quod dubitat an aliàs sit confessus.*

3 Secundò à fortiori illum teneri ad confessionem, qui scit se peccatum mortale commisisse, sed dubitat an illud confessus sit, vel an validè confessus sit, constat enim de obligatione, & dubitatur de excusatione: quoties autem constat de obligatione, & dubitatur de excusatione, possessio stat pro obligatione. Ita Doctores citati.

4 *An idem militet in opinione, quod in dubio.*

4 Quæ diximus intelligenda sunt de dubio proprie dicto, non verò de opinione: nam si quis probabiliter opinetur aliquod peccatum non esse mortale, seu se non peccasse mortaliter, non tenetur tale dubium in confessione explicare, quia liberum est cuilibet opinionem probabilem sequi. Ita Suarez *disp. 22. sect. 9. num. 6.* Pitigianus 2 *part. dist. 17. quæst. vnic. 11. verse. Tertiò obseruandum.* Sanchez, Henriquez, Coninchus, [Filliucius,] & alij *locis citatis.*

5 *An consitens peccatum certũ, de quo dubitat, an aliàs confessus sit, teneatur hoc dubium in confessione explicare.*

Idem dicendum puto de illo, qui scit se mortaliter peccasse, sed probabiliter opinatur se illud confessum fuisse, vel illius confessionem validam fuisse, vt patet ex proximè allata ratione. Ita Sanchez, & alij *locis citatis*, contra Coninchum *loc. cit. num. 68.* Videte, quæ diximus *loc. suprà cit. de Eucharistia, num. 11. & seqq.*

5 Sed modò dubium est, vtrùm qui confitetur aliquod peccatum certum, de quo dubitat, an aliàs confessus sit, teneatur in confessione dicere se dubitare, an confessus sit.

RESPONDEO solutionem huius dubij constare ex dictis *in præcedenti* §. vbi diximus satisfacere dicendo se tale peccatum commisisse; cùm enim constet de peccato commisso, nihil referre videtur ad præsentem confessionem, illud aliàs confessum fuisse, quia pœnitens confitetur peccatum vt commissum, nec mentitur circa materiam, quam exponit, cùm dicat id, quod re ipsa fecit, & non neget se id confessum fuisse. Ita Sanchez *loc. cit.* Coninchus *disp. 7. dub. 8. concluf. 8.* & alij, qui ex eadem ratione colligunt, pœnitentem in confessione non teneri dicere se tale peccatum commisisse post vltimam confessionem, nisi ob aliquam peculiarem circunstantiam mutantẽ speciem necesse sit hoc exprimere: sicut enim scies, vel dubitans se tale peccatum confessum fuisse, non tenetur sub mortali dicere se aliàs confessum fuisse, vel dubitare, an tale peccatum confessus sit: ita qui commisit aliquod peccatum, non tenetur dicere se tale peccatum post vltimam confessionem commisisse, nisi adsit aliqua peculiaris circunstantia. Vtrùm verò peccatum mortale nunquam aliàs confessum sit materia necessaria confessionis, constat ex supradictis.

§. IV.

De causis excusantibus ab explicandis omnibus peccatis mortalibus, seu ab integritate confessionis.

EX supradictis constat, omnia peccata mortalia subiicienda esse confessioni, non solùm iure positiuo Ecclesiastico, *cap. omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.* verùm etiam iure diuino incluso in ipsa institutione Sacramenti pœnitentiæ: Christus enim, dum Sacramentum pœnitentiæ instituit, absolutè dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. quibus verbis Christum voluisse obligare fideles ad confessionem omnium mortalium, quorum pœnitens habet conscientiam, patet tum ex Tridentino *sess. 14. cap. 5.* tum ex natura remissionis peccati: sicut enim vnum peccatum mortale non remittitur sine alio; ita neque pœnitens potest confiteri vnum peccatum per se loquendo sine alio.

Dico *per se loquendo*, vt aduertam aliquando fieri posse, vt Sacramentum pœnitentiæ validè suscipiatur sine integritate materiali confessionis, vt quando pœnitens obliuiscitur alicuius peccati, aut quando in extremo vitæ periculo non potest omnia sigillatim confiteri, aut quando inuincibiliter ignorat confessionem integrè faciendam esse, aut quando Sacerdos, pœnitente non animaduertente, & bona fide suam confessionem prosequente, subitò confert absolutionem, antequam pœnitens integrè sua peccata mortalia fateatur. Ita Suarez *disp. 23.* Nugnus *in additionibus quæst. 9. art. 2. dub. 1.* Reginaldus *lib. 6. num. 150.* Pitigianus 2 *part. dist. 14. quæst. 3. art. 3. concluf. 2.* & alij Doctores citandi.

His positis dubium est, quibus de causis excusari possint fideles ab integritate confessionis, seu ab explicandis omnibus peccatis mortalibus in confessione.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Quot sint causæ excusantes pœnitentem ab integritate confessionis.*

1 IN tribus saltem casibus, seu tribus de causis excusari potest pœnitens ab integritate confessionis: consequenter validè potest pœnitentiæ Sacramentum suscipere, non explicatis omnibus peccatis mortalibus.

Prima causa est ignorantia, vel obliuio.

Secunda est impotentia loquendi.

Tertia est notabilis vtilitas Sacerdotis, vel pœnitentis, &c. Ratio cur pœnitens in his tribus casibus excusetur ab integritate confessionis, & validè recipiat pœnitentiæ Sacramentum, est, tum quia præceptum Christi positiuum de integritate confessionis est consentaneum rationi, nec adeò strictè obligat, vt pœnitens semper teneatur illud seruare, iugum enim Christi suaue est, & onus ipsius leue. Tum quia concurrente aliqua ex prædictis causis, potest adesse debita forma cum debita intentione ministri, & debita materia remota cum materia proxima: consequenter validè confici potest Sacramentum, cùm Sacramentũ tribus perficiatur, materia, forma, & intentione Ministri.

OBIICIES, Christus absolutè præcepit confessionem integram: ergo pœnitens nunquam videtur excusandus ab integritate confessionis.

RESPONDEO Christum simpliciter, & absolutè præcepisse confessionem integram formaliter, non verò materialiter. Pro cuius rei explicatione:

Obseruandum est, confessionem dupliciter appellari posse integram Primò materialiter. Secundò formaliter.

Confessio dicitur integra materialiter, quando explicantur omnia peccata mortalia, quæ sunt materia necessaria confessionis.

Dicitur integra formaliter, quando explicantur omnia peccata mortalia, quæ mortaliter explicari possunt, ita vt nulla reticeantur absque iusta, & sufficienti causa: Christus igitur præcepit absolutè confessionem integram formaliter, non verò materialiter, vt patet ex rationibus in propositione relatis.

Quamobrem si quis omittat aliquod peccatum ex obliuione, aut ex alia iusta causa, dicitur integrè formaliter confiteri, & satisfacere diuino præcepto, quamuis non confiteatur integrè materialiter. Ita Coninchus *de pœnitentia disput. 7. dub. 1. num. 4.* & alij communiter.

Ex dictis in hac propositione colligitur solutio plurimorum casuum.

2 *An excusetur pœnitẽs qui in puerili ætate conticuit aliquod peccatum ignorans se teneri ad illius confessionem.*

2 Ex prima causa, seu casu, id est, propter ignorantiam, vel obliuionem, sequitur ab integritate confessionis excusari primò pœnitentem, qui peccatum aliàs commissum dum adhuc rudis esset, aut dum in puerili existeret ætate, conticuit ignorans se teneri ad illius confessionem, modò autem acquisita maiori ætate, aut saniori iudicio cognoscit esse peccatum necessariò subiiciendum confessioni. Ita Nauarrus *cap 9. num. 12.* Henriquez *lib. 2. cap 12.* & alij communiter. Ratio est, quia præceptum diuinum non præsumitur adeò strictè obligare, & sicut ignorantia excusat ab alijs præceptis, ita etiam excusat ab integritate materiali confessionis.

3 *An excusetur, qui inculpabiliter obliuiscitur alicuius peccati.*

3 Secundò excusari pœnitentem, qui ex obliuione non culpabili mortaliter prætermisit in confessione peccatum mortale. Ita Coninchus *disputatio 7. dubio. 9. numero 70.* Zerola *in praxi de pœnit. c. 13. quæ 31. versi Dico secundo, & quæ. 32.* & alij communiter. Ratio est, tum quia præceptum integritatis confessionis non obligat ad impossibile, impossibile autem est, pœnitentem fateri peccata oblita: tum quia cùm adsit debita materia, & forma cum intentione ministri, non est cur pœnitens priuetur fructu Sacramẽti. Quare hic satisfaciet exprimẽdo postea in alia confessione peccatũ, cuius antea oblitus fuerat, nec tenetur iterũ repetere priora peccata semel

semel ritè confessa, vt patet ex supradictis, & constabit ex dicendis de absolutione à reseruatis.

4 *An excusetur pœnitẽs cui subitò Confessarius contulit absolutionem, nõdum finita confessione.*

4 Tertiò excusari pœnitentem, cui Sacerdos subitò contulit absolutionem antequam pœnitens integrè fateretur sua peccata. Ita Doctores citati.

5 *An excusetur Confessarius, qui non potest confiteri peccatum in confessione commissum, nisi complicem manifestet.*

5 Ex secunda causa, videlicet ex impotentia loquendi, sequitur primò Confessarium, qui aliquem defectum commisit in confessione, quem non potest explicare, nisi suo Confessario manifestet peccatum complicis in confessione auditum, excusari à tali defectu confitendo, si necessitatem habeat confitendi, nec copiam habeat alterius Confessarij, cui sit ignotus complex. Ratio est, quia cùm præceptum figilli confessionis strictius obliget, quam obliget præceptum confitendi integrè materialiter, sequitur Confessarium censeri moraliter impotentem ad explicandum tale peccatum, quod explicare nequit absque violatione figilli confessionis. Ita Vasquez *quæst 91. art. 2. dub. 3. numer. 29. & quæst 93. art. 4. dub. 4.* Sylvester *Confessio 1. num. 13.* Caietanus *verb. Confessio, conditione 10.* Reginaldus *lib. 6 num. 162.* Coninchus *loco cit. numer. 98.* Henriquez *cap. 12. num 7.* Zerola *in praxi de pœnitentia, cap. 13. quæsito 38.* Onuphrius *de figillo confessionis, sect. 4. quæst. 7. dub. 3. folio mihi 309.* & alij communiter, omissis ijs, quos refert Henriquez *loc. cit. in commen. littera T.* & ego referam de figillo confessionis.

An verò manifestari possit complex in confessione.

Respondeo affirmatiuè, quoties non adest copia alterius Confessarij, cui sit ignotus complex, vt multis rationibus ostendi *de restitut. disp. 2. quæst 4 part. 4. num. 2.* & præter Doctores ibi citatos, idem tradit Reginaldus *lib 6. numer. 156.* Vasquez *quæst. 91. dub. 3. num 28. art. 2.* Coninchus *disp. 7. dub. 9 n. 89.* [Suarez *disp. 34. sect. 2.* Filliucius *tract. 7. c. 11. quæsito 9. & 10 nu. 343.*] Nugnus *in additionib quæst. 9. art. 2. dub 2. ad finem*, contra Navarr. *cap 7. n. 2* Valent. *tom 4. disp. 7 quæst. 11 punct. 1. versic. Quartus casus*, & alios, quos retuli *de restit. loc cit.*

6 *An absoluendus sit mutus, qui signis, & nutibus cõfitetur peccata sua.*

6 Secundò mutum, qui sua peccata nutibus confitetur, absoluendum esse saltem tempore præcepti, quamuis Confessarius ipsius peccata percipere nequeat: nam impotentia loquendi excusat ab integritate materiali confessionis.

Idem dicendum puto de extraneo loquente eo idiomate, quod à Confessario non satis bene percipitur, modò non adsit alius Sacerdos, qui bene percipiat ipsius idioma. Ita Ludouicus Lopez *cap. 27. fol. mihi 98.* Emanuel Sa *verb. Absolutio, n. 9.* Nauarrus *consil. 10 de pœnit. & rem ff.* Henriq *c. 12. n. 3.* Regin. *l. 6 n. 155* & alij. Ratio est, tum quia laborat impotentia loquendi, & censetur existere in necessitate, necessitas autem caret lege: tum quia pœnitens moraliter facit, quod in se est, cùm manifestet peccata quantum potest, quorum aliqua percipiuntur à Confessario, alijs non perceptis.

Contrarium tenet Medina *lib 2 cap. 7. ad finem*, vbi asserit istos solùm in articulo mortis esse absoluendos: sed quod nos asseruimus, probabilius videtur propter necessitatem confessionis, ad cuius integritatem materialem non constat Christum obligasse tum tanto incommodo.

7 *An sit absoluendus, qui pœnitentiæ Sacramẽtum petijt, sed adueniente Confessario obmutuit.*

7 Tertiò illum absolui posse, qui petito pœnitentiæ Sacramento, sed postea adueniente Confessario non potest amplius loqui, vel aliquod peccatum exprimere in particulari propter infirmitatem; sed tantummodò exprimit aliquid in genere, vel solùm ostendit signa pœnitentiæ, & peccatorum in communi. Ratio est, tum quia impotentia excusat ab integritate materiali confessionis, tum quia in Sacramento confessionis, exprimenda sunt peccata, quantum fieri potest; cùm ergo in proposito casu peccata nequeant aliter exprimi, & explicari, quàm petendo in genere confessionem, aut dando signa contritionis, pœnitens excusatur ab integritate materiali confessionis: tum quia id expressè docet Arausicanum, & Carthaginense III & IV apud Doctores statim citandos: tum quia adest vera accusatio, & materia Sacramenti cum debita forma, & intentione ministri, vt suppono; ergo est validum Sacramentum. Quòd adsit vera accusatio, & materia, patet à simili de eo, qui peccauit mortaliter, & oblitus est speciei sui peccati, hic enim tenetur tale peccatum in genere confiteri, vt docet Nauarr. *cap 10 num. 5.* & alij, & dicitur exhibere materiam Sacramenti, ergo etiam in nostro casu censetur adesse materia Sacramenti, & cùm alia materia exhiberi non possit, dicendum est esse materiam sufficientem. Ita Vasquez *quæst 91. art. 2. dub. 1.* Valentia *disp 7. quæst. 11. punct. 1. versic. Primus casus.* Medin. *Cod. de confessione, quæst. de peccatis oblitis.* Sylvester *Confessio 3 quæsito 3.* Nauarr *cap. 26 num. 27.* Bellarminus *lib. 2. de pœnitentia, cap. 7. ad finem.* Suarez *disp. 23 sect. 1. num 5* Nugnus *in additionibus quæst. 9. art. 2. post dub. 1. pagina mihi 314.* Henriquez *lib. 6. cap. 10 num. 7.* Coninch. *de pœnitentia, disp. 7. dub. 10. num. 97.* Emanuel Sa *verb. Absolutio, num. 10.* Toletus *lib. 3. cap. 8.* Franciscus Pitigianus *2 part. distinct. 17. quæst. vnic. art. 8. conclus. 4* Corduba, & alij apud præcitatos Doctores, contra Sotum *in 4. distinct. 18. quæst. 2 art. 5* Lopez *1. part. cap. 8.* Videtur etiam contra Nugnum *loc cit. pag. 316* & alios apud Nugnum *loc. citat.* apud Henriquez *lib. 4. cap. 1. ad finem, & lib 6. cap. 10. num. 7.* apud Suarez, apud Emanuelem Sa, & apud Coninchum *locis citatis*, & apud Vivaldum *cap. de absolutione, num 70.* asserentes non posse pœnitentem absolui qui solummodò dedit signa contritionis.

8 *An Confessarius illũ absoluere teneatur, qui ita sẽsibus destitutus est, vt nullum dare possit cõtritionis signum*

Addo cum Suarez *loc. citat num. 10.* Henriquez *lib. de pœnitentia, cap. 9.* Pesantio *in additionibus ad tertiam partem de integritate confessionis, quæst. 10. disp 11.* & alijs, Confessarium non solùm posse, verùm etiam teneri saltem ex charitate absoluere pœnitentem, qui dat signa contritionis in periculo mortis, & non potest vllum peccatum in particulari explicare. Ita Pitigianus, & alij DD. citati, & patebit ex rationibus statim afferendis.

8 Rursus addo cum eodem Suarez, & alijs, Confessarium teneri sub conditione absoluere pœnitentem, qui in absentia Confessarij exhibuit signa contritionis; sed adueniente Confessario ita sensibus est destitutus, vt nullum exhibere possit signum, quo indicet se peccasse, & velle sibi pœnitentiæ Sacramentum administrari; astantes tamen fatentur ipsum dedisse signa contritionis, aut confessionem petisse. Ratio cur debeat Confessarius illum in præsentia absoluere sub conditione, est, tum quia videtur adesse sufficiens materia, cùm attestatio aliorum astantium vicem confessionis suppleat; nam aliquando licet peccata per interpretem confiteri: tum quia nisi Confessarius in tali euentu beneficium absolutionis impendat, fieri potest, vt infirmus periculo damnationis exponatur, à quo eximeretur per absolutionem, tum quia Sacerdos non facit iniuriam Sacramento impendendo absolutionem sub hac conditione, si materia est sufficiens, vel si pœnitens est capax; nam adest iusta causa impendendi absolutionem sub conditione, & melius est infirmum decedere cum dubio Sacramento, quàm sine vllo Sacramento, vt in simili dixi *de Baptismo.*

Eodem pacto absolui posse amentem, qui antea dederat signa contritionis, seu doloris, testatur Emanuel Sa *loc. cit. num. 10.* Vasquez *loc. cit. n. 33.* & patet ex rationibus allatis.

Ex quo videtur inferendum cum Vasquez *loc. cit nu. 38.* & alijs, non solùm sequentem nostram sententiam, verùm etiam sequentem oppositam non posse licitè sacramentalem absolutionem in propositis casibus denegare: cùm enim nostra sententia sit probabilis, & probabilior, quam opposita, Confessarius non debet relinquere pœnitentem in statu damnationis, cùm fieri possit, vt per absolutionem efficiat illum de attrito contritum, illumque constituat in statu salutis.

Obiicies, Non est impendenda absolutio, nisi adsit confessio, sed quando pœnitens dat solummodò signa contritionis, seu quando non exprimit vllum peccatum in particulari, non adest confessio, cùm peccata pœnitentis non magis cognoscantur, quàm antea cognoscerentur, scimus enim quemlibet esse peccatorem, quamuis nesciamus statum cuiusl bet peccatoris: ergo non videtur impendenda absolutio, quando pœnitens dat solummodò signa contritionis, & non exprimit vllum peccatum in particulari.

Respondeo in proposito casu talem adesse confessionem, qualis fieri potest in tali euentu, & pœnitentem cognosci peccatorem, quantum in tali euentu sufficit ad confessionem: nam antea non cognoscebatur vt peccator se accusans; modò autem cognoscitur, vt peccator se accusans per petitionem confessionis, aut per signa contritionis, aut per attestationem hominum præsentium affirmantium petisse confessionem, aut dedisse signa contritionis directa ab ipso pœnitente ad confessionem peccatorum, vt suppono.

9 *An pœnitens, si conualuerit, teneatur iterum integrè confiteri in casu proposito.*

9 Obserua tamen, illa peccata in genere tantummodò explicata per petitionem confessionis, aut signa contritionis iterum in particulari subijcienda esse confessioni, si pœnitens conualuerit: nam in particulari non fuerunt exposita, peccata autem mortalia figillatim exponenda sunt in confessione, vt constat ex supradictis.

Hinc patet in articulo mortis absolui posse pœnitentem, qui petiit confessionem, aut signa doloris ordinata ad confessionem exhibuit coram alijs, qui adueniente Confessario fidem faciunt petitæ confessionis, seu doloris exhibiti per ordinem ad confessionem. Præterea patet à fortiori absolui posse pœnitentem, qui expresso aliquo peccato non potest præ morbo alia explicare, aut qui solùm in genere dat signa contritionis, stringendo manum, aut percutiendo pectus, aut manus, vel oculos in cælos eleuando, aut aliud simile signum exhibendo per ordinem ad confessionem.

In praxi tamen, quando pœnitens nequit omnia sua peccata explicare, aut quando periculum est, vt pœnitens inchoata confessione decedat nondum facta integra confessione, Confessarius curet proferri sibi materiam certam, quamuis illa sit tantummodò peccatum veniale, debet enim exhiberi materia certa, quantum fieri potest, ne forma certa cadat super incertam, vel indebitam materiam; quòd si pœnitens habeat peccata mortalia, & venialia, Confessarius curet sibi potius aperiri mortalia, quàm venialia: nam mortalia sunt materia necessaria. Verùm si pœnitens inchoata confessione ob probabilem mortis metum absoluatur, antequam integram & perfectam faciat confessionem, sed postea obtenta absolutione statim non moriatur, debet, si per tempus illi concedatur, prosequi confessionem, vt integre sua peccata fateatur: nam omnia peccata mortalia subijcienda sunt confessioni, quantum moraliter fieri potest. Perfecta verò confessione impendenda est noua absolutio, modò pœnitens nouum attritionis actum eliciat: nam forma non potest iterari super eadem materia proxima. Ita Suarez *disp. 23 sect. 1* Reginaldus *lib. 8. num. 19.* Pitigianus *de pœnitentia, dist. 17. quæst. vn. art. 8. conclu. 5.* & alij.

10 *An Confessarius possit infirmum absoluere, si ipso adueniente nulli adsint, qui fidem faciant petitæ confessionis.*

10 Sed modò suboritur difficultas, vtrùm Confessarius possit impendere sacramentalem absolutionem illi, qui ante aduentum Confessarij, petijt confessionem, vel dedit signa contritionis in absentia Confessarij, postea verò adueniente Confessario ita est sensibus destitutus, vt exprimere nequeat vllum peccatum in particulari, vel in genere, aut non posit nutus, vel signa doloris exhibere, nec vlli adsint, qui petitæ confessionis, vel doloris exhibiti fidem faciant.

Respondeo, si adueniente Confessario nulli sint præsentes qui fidem faciant petitę confessionis, vel signorum contritionis, Confessarium non posse sacramentalem absolutionem impendere, iuxta communiorem Doctorum sententiam, quam sequitur Henriquez *lib. 6. c. 10. num 9.* Nauarrus *cap. 26. num. 27.* Coninchus *loco c. n. 99.* Nugnus *in additionibus quæst. 9. art. 2. dub 1. difficultate vnica, versic. Sed quid. pagina mihi 316.* Vasquez *quæst. 91. art 2. dub. 1. n. 36.* & alij. Ratio est, tum quia ex decreto Clementis VIII quod superiùs retuli de forma Sacramenti pœnitentiæ non impendenda absenti, colligi videtur inualidam esse confessionem inter absentes, sicut inualida est absolutio absenti data: sicut ergo non est valida absolutio absenti data, ita neque videtur valida confessio facta in absentia Sacerdotis, alioquin sequeretur validam esse confessionem inter

inter absentes per literas, vel per nuntium absque ratificatione facta in præsentia: tum quia in Florentino dicitur materiam Sacramenti pœnitentiæ esse confessionem oris: per confessionem autem oris debemus saltem intelligere confessionem aliquo modo factam in præsentia Sacerdotis per signa ipsius pœnitentis coram Sacerdote, vel per aliorum attestationem coram pœnitente,& Sacerdote.

[Oppositum sustinent Valentia *tom. 4.disput.7.quæst. 11. part. 1.sub finem vers. Atque hæc quidem.* Zerola *in praxi de pœnitentia,cap.13.quæs.2.vers. Dico* 2. Suarez *disp. 19.sect. 3. & disp.21. sect.4.num.9* Filliucius *tract.7 cap.1.quæs.10.num.18.* Reginaldus *lib.8 num. 28.* cum S. Antonio, Lambrano & alijs, asserentibus, confessionem posse iusta de causa fieri inter absentes per nuncium, vel scripturam, modò Sacerdos non nisi postea præsens absolutionem impendat.

Ex quo fit primò, vt Sacerdos impendere possit absolutionem morienti, quem nouit absolutionem in absentia petiisse, vel dedisse signa contritionis per ordinem ad confessionem. Hæc sententia ab aliquibus putatur probabilis,tum propter Doctores illi adhærentes; tum propter auctoritatem Concilij Arausicani,& aliquorum Canonum, in quibus habetur absoluendum esse infirmum, qui accersito Confessario obmutuit, si ipse det nutum suæ voluntatis, aut illi, qui audierunt,dent testimonium illius voluntatis.

Idem censuit sacra Cardinalũ Congregatio, declarans posse pœnitentem absolui qui confessionis indicia dedit coram eo, qui statim ad Confessarium accurrit, sed pœnitens adueniente Confessario ita sensibus destitutus est, vt nullum doloris, vel contritionis signum exhibere possit. Idem etiam ex Romano rituali colligi videtur.

Secundò fit infirmum absolui posse,si aliquo pacto innuat,seu petat absolutionem à Sacerdote per signa doloris, vel per confessionem peccati in genere, aut per testes præsentes, manifestantes ipsius dispositionem, nam testium præsentium manifestatio supplere potest vicem confessionis in præsentia facię, & moribundus videtur per attestationem præsentium, tamquam per interpretes, confiteri Sacerdoti præsenti, sicque materiam sufficientem exhibere, quantum fert circumstantia temporis,& personæ. Ita Clementem VIII. viuæ voc is oraculo respondisse ferunt Bellarminus, & alij apud Coninchum *nu* 105.

Ad rationes primæ sententiæ, quam ego aliàs sustinui, nixus decreto Clementis VIII. respondeo non idem esse absoluere absentem, & absoluere pœnitentem in articulo mortis existentem, qui signa doloris antea dederat, sed adueniente Confessario, omnino obmutuit. hæc enim non dicitur confessio, vel absolutio facta in absentia.

Ad auctoritatem Florentini respondetur, nomine confessionis oris intelligi eam peccatorum expressionem, quæ fit coram Confessario,eo pacto, quo fieri potest, modo Confessarius non nisi præsens realiter absoluat.]

An pœnitẽs possit peccatum reticere ad euitandum graue incõmodũ proprium, vel alienum.

11 11 Ex tertio casu,seu causa in propositione proposita, quæ est vtilitas pœnitentis, vel Sacerdotis, excusans pœnitentem ab integritate confessionis, sequitur primò pœnitentem posse aliquod peccatum mortale reticere in confessione ad vitandum proprium, vel alienum graue incommodum,& detrimentum; præceptum enim confessionis integræ faciendæ non obligat cum tanto incommodo. Immò si pœnitens habeat necessitatem confitendi, & non habeat copiam Confessarij, cui possit absque periculo confiteri, debet reticere peccata, quorum est periculum: nam præceptum confessionis non obligat cum graui incommodo, & ex alio capite vnusquisque debet sibi, & alijs consulere, vt patet ex dictis de scandalo in tract. de peccatis Ita Nauarr. *cap.7.num.3.* Sotus *dist. 18.dub 2. articul. 5.ad tertium.* Suarez *disp.23.sect. 2.* Henriq. *lib.5.cap.12.numer.5.* & alij. Ex quo patet pœnitentem non posse manifestare peccatum, quando ex ipsius manifestatione sibi vel alteri probabiliter timet morbum corporalem,aut spiritualem. Quamobrem si fœmina confitendo peccatum timeat Confessarium scandalizandum, aut se ab eo solicitandam, tenetur abstinere à confessione talis peccati, si non habeat copiam alterius Confessarij, aut non speret fore, vt breui aduenturus sit Confessarius, à quo non timet hæc incommoda. Ita Henriquez *loc.cit num.6.* Coninchus *disp.7 dub.9.nu.75.* Nugnus *quæst.9.in additionibus,art.2.post dubium primum, vers. Circa alterum* Pitigianus *2.part.dist.17.q.vnic. art. 5. in explicatione particulæ, Quis,concl.1.& art 13.concl 2.* & alij.

Ex quo vlterius patet, prædictam fœminam teneri abstinere à manifestatione peccati, cuius est periculum, quoties adstringitur ad confessionem faciendam ratione vitandi scandali, quod probabiliter timetur ex dilatione aut omissione confessionis. Ita Suarez *loc.cit.num.7* Nauarrus, Henriquez,& alij *loc.cit.*

An pœnitẽs possit reticere peccatũ si timeat sibi infamiæ periculum.

12 12 Secundò sequitur, pœnitentem posse peccatum in confessione reticere, quando ex illius manifestatione probabiliter timet extra confessionem graue periculum grauis infamiæ, vel alterius similis incommodi temporalis. Quamquam in hoc casu non tenetur saltem sub mortali illud peccatum reticere, quia pœnitens potest cedere iuri suo, nisi fortè charitas proximi aliter postulare videatur iuxta regulas alibi traditas.

Qui verò non probabiliter timet graue periculum, sed tantummodo dubitat, aut leuiter suspicatur, non potest peccatum in confessione reticere, vt bene tradit Sotus *loc. cit.* Vasquez *quæst 91. art.2.dub.3.* Reginaldus *loc.citat.num.157.* Valentia *loc.cit.vers.Secundus casus.* Henriquez *cap.12.num.5.* Coninchus *loc cit.* & alij. Ratio est, quia cùm præceptum integrè confitendi possideat, in dubio iudicandum est in ipsius fauorem, vt patet ex dictis de legibus. Præterea qui non timet periculum grauis damni, sed tantummodò leuis,vt si timeat leuem infamiam,non potest vllum peccatum mortale reticere,vt si Parochus, cui pœnitens sua peccata confitetur habiturus sit in futurum prauam de pœnitente opinionem ob peccatum in confessione auditum. Ratio est, tum quia hęc incommoda quasi per se, & immediatè sequuntur ex confessione, & nihilominus, iis non obstantibus, Christus præcepit confessionem: tum quia præceptum obligat,quoties seruari potest absque graui incommodo. Ita Reginald. *lib 6.n 157.* Coninchus *loc.cit.n.89.* Vasquez *loc cit.dub. 3.n 28.* Suarez, & alij.

An infirmus morbo contagioso laboras excusetur à confessione.

13 13 Tertiò sequitur, quando infirmus laborat morbo contagioso, & Confessarius non potest ipsum etiam à longè absque periculo audire, diutius immorando in peccatis audiendis, Confessarius potest auditis aliquibus peccatis absolutionem statim impendere. Ita Vasquez *loc.cit.dub.2.n.2.* Coninchus *loc.cit.n.75.ad finem,* & alij.

An pœnitẽs possit in necessitate cõfiteri reliqua peccata, eo tacito, de quo graue periculum probabiliter timet.

14 14 Quartò sequitur pœnitentem imminente præcepto annuæ confessionis, aut necessitate suscipiendi Eucharistiam, vel celebrandæ Missæ,posse confiteri sua peccata,tacito peccato,de quo probabiliter timet graue incommodum. Ita Doctores statim citandi contra Vasquez *loco cit.dub.8.art.3 num.4.& dub.9. num.22. art item 3.* & nonnullos alios apud Henriquez *cap.12.num.5.in commentario littera X.* asserentes,licitum esse omissa tota confessione contritum communicare. Sed ratio nostra est, tum quia tunc etiam extat præceptum confitendi, vt patet ex dictis de Eucharistia; ergo tenetur confiteri tacito illo peccato, cuius tacendi iustam habet causam: tum quia sicut qui credit se facto examine, non manifestaturũ omnia sua peccata propter obliuionem, tenetur adhuc ea confiteri, quorum recordatur, vt adimpleat præceptum: ita pœnitens tenetur in prædictis casibus sua peccata confiteri, tacito illo, cuius est periculum, non enim simpliciter excusatur à confessione, sed ab integritate materiali confessionis. Ita Suarez *loc.cit.num.6. & 7.* Nugnus *loc.cit.vers. Sed circa.* Henriquez *lib.5.c.12.n 5.* Coninchus *de pœnitent.d.7.dub.9.n.77.*& alij.

An habens vnum tantummodò peccatum, de quo timet periculum, possit illud in genere confiteri.

15 15 Sed modò DVBIVM est,primò vtrùm si detur casus, vt pœnitens habeat tantummodò vnum peccatum, de quo probabiliter timet, possit illud peccatum in genere confiteri.

RESPONDEO præciso mortis articulo non posse tale peccatum in genere confiteri, quia non potest vllam excusationis causam afferre Confessario, cur ita in genere confiteatur peccatum, sicut potest afferre, qui nouit se mortaliter peccasse, sed non amplius recordatur speciei peccati. Ita Suarez *disp. 23. sect.2. num.6.* Idem à fortiori sentire videtur Vasquez & alij apud Henriquez *locis paulo antè præallegatis.*

An teneatur in prædictis casibus confiteri venialia, tacito eo,de quo graue periculum timet.

16 16 Secundò DVBIVM est, vtrùm pœnitens qui vnum solum habet peccatum mortale, de quo probabiliter timet graue periculum, sed præter illud peccatum mortale habet peccata venialia, teneatur in prædictis casibus ante sumptionem Eucharistię peccata venialia confiteri tacito peccato mortali, de quo graue periculum probabiliter timet.

RESPONDEO non teneri peccata venialia confiteri per se loquendo. Ratio est, quia non est præcepta confessio peccatorum venialium,sed mortalium. Ita Suarez, & Reginald. *loc. citat.* & alij, quos retuli *de Eucharistia, quæst. 6. punct. 1. dub. 3. ad finem.*

An Confessarius possit existentes in naufragio absoluere non auditis omnibus peccatis.

17 17 Quintò sequitur, Confessarium posse existentes in periculo naufragij,aut in domo igni conflagrante absoluere, etiamsi non omnia ipsorum peccata mortalia audierit: immò potest audito à singulis vno peccato simul omnes absoluere, dicendo,vos absoluo: nam pœnitentes excusantur ab integritate materiali confessionis propter magnas ipsorum pœnitentium vtilitatem, & necessitatem, cùm sit periculum in mora decedendi sine Sacramento, nisi hoc pacto absoluantur. Ita Sylvest. *verb. Confessio 1.n.23.* Angelus *eodem verb.n. 28.* Sotus *dist 18.q.2.art.5.* Suarez *disp.23.sect.1.* Coninchus *disp.7. dub 9.n.74.* Nugnus *loc.cit.vers.Circa ea, pag. mihi 316.* Nauarr. *consil.10.de pœnit.* Henriquez *loc.cit.n.3.* Reginaldus *loc.cit. nu.155.* Vasquez *q 91.art 2.dub.2.n.3* & alij.

An Confessarius possit absoluere infirmum, quem credit statim moriturum, audito vno tantũ peccato.

18 18 Sextò Confessarium, qui dubitat fore,vt infirmus morte corripiatur,& decedat sine absolutione, posse talem infirmum audito vno peccato,antequam perficiat integram confessionem, absoluere, vt patet ex supradictis, & deinde reliqua audire, vt confessio fiat integra, quantum fieri potest. Confessarius tamen curet in tali euentu. Primò, vt pœnitens fateatur ptiùs aliquod peccatum mortale, cùm peccatum mortale sit materia necessaria. Secundò curet pœnitentem fateri aliquod peccatum certum, sic enim postulat reuerentia Sacramenti Ita Suarez *disp 23.sect.1* Nugnus *loc.cit.* Reginald. *lib.8.num. 29.*& alij communiter.

An idẽ dicendum sit quando infirmus nimis fatigatur in explicatione peccatorũ.

19 19 Septimò quod diximus de periculo mortis, idem dici posse, quando infirmus nimis fatigatur in explicatione peccatorum, vt bene docet Henriquez *loc.cit.in comment,littera L.*

Addo hoc idem fieri posse, quando Sacerdos inter audiendam confessionem infirmi præuidet se morte corripiendum, & timet se morte præoccupandum, antequam pœnitẽs omnia sua peccata mortalia explicet. Ita Sotus *loc.cit.pag.mihi 880.* Nugnus *loc.cit. vers. Circa ea.* Medina *l 2.c 8.* Vasquez *loc cit.n.1.* Henriq. *l.5 c.12.nu.3. littera N.* Reginald. *l.6 n.155.* Coninchus,& Suarez *loc.cit.*

An pœnitẽs possit plura peccata reticere, quã postulet iusta causa.

20 20 Obserua tamen circa casus, & illationes in præcedentibus recensitas,eum, qui habet iustam causam reticendi aliquod peccatum, non posse plura reticere, quàm postulet iusta causa, seu periculum probabiliter imminens. Quamobrem si quis habeat iustam causam reticendi actum externum, non verò internum, tenetur actum internum manifestare, vt si furtum commisit, & iustam habeat causam reticendi furtum externum, tenetur saltem in confessione dicere se voluntatem surripiendi habuisse,si nullum impendeat periculum ex manifestatione voluntatis surripiendi. Ratio est quia confessio integrè facienda est, quantum moraliter fieri potest In proposito autem casu integrè fieri potest, saltem quoad actum internum, de quo nullum probabiliter impendet periculum. Ita Coninchus *disp 3.dub.9. num. 95.* & alij, quos retuli *quæst. 6. punct 1. de Eucharistia,illatione 12* Ex quo patet, eum, qui solum habet peccatum reseruatum, posse in necessitate communicandi confiteri actum internum, & ab eo absolui, quamuis pœnitens adhuc retineat obligationem præsentandi se coram Superiore pro reseruatione.

21 Si

21 An pœnitēs teneatur statim oblata opportunitate peccatū iustā de causā prætermissum confessioni subijcere.

21 Si quæras vtrùm pœnitens, qui peccatum aliquod ex iusta causa conticuit in confessione, teneatur statim oblata opportunitate illud confiteri.

RESPONDEO solutionem istius difficultatis desumendam esse ex infrà dicendis de oblitis in confessione, vbi ostendam non teneri statim, sed suo tempore confiteri, vt tempore mortis, aut instante præcepto annuæ confessionis. Ita Suarez *disp.23.sect.2.* Coninchus *disp.5.de pœnitentia num.66.* Reginald.*lib.6.numer.159.* Valentia *loc.cit.col.12. vers. tenebitur autem.* contra Sotum apud Suarez, quod videtur etiam contra Henriquez *c.15.n.1.*

PVNCTVM III.

Quandónam iteranda sit confessio.

EX duplici capite oriri potest obligatio iterandæ confessionis. Primo ex defectu pœnitentis. Secundò ex defectu Confessarij. Loquemur in primis de prima, tum de secunda causa iterandæ confessionis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quandónā teneātur pœnitens confessionē iterare.

1 EX defectu pœnitentis iteranda est confessio, quoties pœnitens culpabiliter mortaliter non confitetur integrè, aut quoties confitetur sine dolore requisito saltem ad substantiam; aut quoties confitetur culpabiliter sine dolore ad fructum requisito; aut quoties mortaliter peccat in actuali susceptione Sacramenti. Ratio est, tum quia Christus instituit, & præcepit confessionem integrè fieri saltem formaliter. In prædictis autem casibus deficit integritas formalis, [consequenter confessio inualida videtur, consequenter est iteranda.] Tum quia illa non est vera, & valida confessio, in qua committitur mortale sacrilegium, & in qua desideratur dolor, qui est pars essentialis. In prædictis autem casibus committitur mortale sacrilegium, & desideratur dolor, vt patet ex supradictis de contritione. Ita Medina *quæst. de confessione dimidiata iteranda.* Vasquez *quæst.92.art.3.dub.1.num.4.* Sayrus *de pœnitentia, cap.14.num.1.* & alij Doctores statim citandi, contra Nugnum *in additionibus quæst.9.art.1.dub.1.* & multos alios Doctores, quatenus asserunt confessionem esse informem, & validam, quando pœnitens reticet aliquod peccatum mortale, ob negligentiam mortalem commissam in examine faciendo, sed reliqua peccata, quorum recordatur, confitetur, cum sufficienti dolore.

2 An pœnitēs teneatur iterare confessionem, quādo mortale peccatū voluntariè omisit.

2 Ex dictis in hac propositione sequitur primò pœnitentem teneri ad iterandam confessionem, quando voluntariè conticuit aliquod peccatum mortale, aut non præmisit debitum examen conscientiæ: grauiter enim peccat, qui absolutionem intendit obtinere, non præmissa debita conscientiæ discussione, cùm faciat contra præceptum diuinum de integritate confessionis. Ita Valentia *tom.4.q.11.punct.3.* Nauarrus *cap.9.n.12.* Reginaldus *lib.6.n.147.* & alij, quos suprà retuli *de examine conscientiæ.*

3 An illā teneatur iterare, quoties debitū dolorem nō habuit.

Idem dicendum est, quando pœnitens Sacerdoti dormienti, aut surdo non audienti confessus est sua peccata, hic enim non censetur integrè confessus, sed perinde est ac si confessus non fuisset. Ita Syluester *Confessio 1.num.6.* Reginaldus *loc.cit.num.149.* Henriquez *loco statim citando.* Vasquez *loc.cit.dub.2.ad finem.* Zerola *in praxi c.21 quæsito 4.vers.dico secundò,* & alij communiter.

3 Secundò, quando non habuit debitum dolorem, loquor autem hic non solùm de dolore, qui est pars essentialis, verùm etiam de illo, qui est pars integralis, & culpabiliter prætermittitur, grauiter enim peccat, qui dolorem ad confessionem requisitum propria culpa prætermittit, cùm ponat obicem ad Sacramentum, & deficiat in materia Sacramenti.

4 An teneatur iterare confessionē, qui noluit deserere occasionem proximam peccandi.

4 Tertiò, quando pœnitens noluit deserere statum, & occasionem proximam peccandi mortaliter, censetur enim voluisse permanere in statu peccati mortalis, & non habuisse debitum dolorem.

5 An pœnitēs teneatur repetere cōfessionē quoties voluntariè prius absolutus fuit à peccatis, quàm ab excommunicatione.

5 Quartò, quando pœnitens voluntariè fuit prius absolutus à peccatis, quàm ab excommunicatione: nam excommunicatus priuatur susceptione Sacramentorum, consequenter grauiter peccat, qui prius recipit absolutionem peccatorum, quam excommunicationis, cùm faciat contra prohibitionem censuræ in re graui, consequenter inualidè confitetur, vt patet ex rationibus superiùs allatis. Qui verò absque culpa mortali prius absoluitur à peccatis, quàm ab excommunicatione, non tenetur confessionem iterare, vt si pœnitens ignorabat se excommunicatum esse, aut obtinendam esse prius absolutionem excommunicationis, quàm peccatorum, &c. Ratio est, quia excommunicatus non est incapax Sacramentorum, quamuis prohibeatur illa recipere, vt patet ex dictis de excommunicatione. Ita Valentia *loc. citat. punct. 3 col. 2.* & alij quàm plures, quos retuli de effectibus excommunicationis contra nonnullos alios.

6 An excusetur ab iteranda confessione, qui aliquod peccatum mortale in confessione prætermisit putans non esse mortale.

6 Quintò, cum, qui aliquod mortale peccatum in confessione prætermisit, putans non esse mortale (etiam si fortè ob ignorantiam vincibilem non fuerit excusatus à mortali, quando peccatum commisit) excusari ab iteranda confessione, & satisfacere repetendo peccata in confessione prætermissa. Ratio est, quia non adest vlla ex causis recensitis in propositione, propter quam repetere teneatur confessionem, cùm ignorantia, quæ respectu actus peccati fuit vincibilis, posit esse inuincibilis respectu omissionis in confessione. Hac de causa excusari possunt à repetenda confessione pueri, & puellæ, quæ in confessione aliquod mortale tacuerunt, ignorantes esse mortale, sed grandiores factæ agnoscunt esse mortale. Hoc idem procedit in circunstantiis non expressis, aut in numero non explicato, sufficit enim, vt pœnitens cognita obligatione explicandi numerum, & circumstantias, fateatur numerum, & circumstantias, alias in confessione prætermissas. Ita Nauarrus *cap.12.num.1.* Syluester *verb. Confessio 1 quæsito 3.* Reginald. *lib.6.n.153.* & alij apud Vasquez *q.92.art.3.dub.1.n.7.*

Ex quo licet inferre cum eodem Vasquez *loc.cit.num.9* pœnitentem, qui cogitur repetere confessiones, non semper teneri omnes, & singulas confessiones repetere, non enim tenetur eas repetere, quas bona fide fecit præmisso debito examine, cùm non deliquerit in confessionibus bona fide factis.

7 Sed modò dubium est, vtrùm, qui maiorem peccatorum numerum expressit in confessione, teneatur, cognito errore, numerum certum fateri, seu confessionem repetere, vt si quis in confessione dixit se decies in peccatum periurij incidisse, sed postea cognoscit se quinquies, tantummodò peierasse, teneatur iterum confiteri, seu in noua confessione dicere se quinquies tantummodò peccasse peccato periurij. 7 Qui bona fide confessus est maiorē numerum peccatorum, non tenetur cognito numero iterū confiteri.

Ad quam difficultatem, quam nullus, quem ego viderim, expressis verbis adhuc declarauit; respondeo distinguendo, aut expressit maiorem numerum peccatorum mortalium, aut venialium. Rursus, vel expressit bona, vel mala fide. Si maiorem numerum peccatorum venialium bona, aut etiam mala fide expressit, non tenetur iterum numerum verum, & certum aperire, quia non decepit Confessarium in materia necessaria. Si verò expressit maiorem numerum peccatorum mortalium mala fide, tenetur non solùm iterum aperire numerum verum, & certum, verùm etiam tenetur repetere confessionem, vtpote inualidam, ob deceptionem mortaliter peccaminosam, in materia graui & necessaria.

Si verò bona fide maiorem numerum peccatorum mortalium expressit, non solùm non tenetur repetere confessionem, vtpote validam, & integram formaliter, verùm neque tenetur errorem maioris numeri confiteri. Ratio est, tum quia peccata sua confessioni semel subiecit, eorúmque absolutionem obtinuit à Confessario iudicium ferente circa minorem numerum in maiori contentum: tum quia secunda confessio esset potius excusatio, quàm accusatio.

OBIICIES primò, qui decipit Confessarium in materia graui, tenetur confessionem repetere, hic autem decipit Confessarium in materia graui.

RESPONDEO, eum, qui decipit Confessarium formaliter in materia graui, teneri confessionem repetere: hic autem non decepit formaliter, sed tantummodò materialiter in sui præiudicium, & incommodum, cùm fieri possit, vt ratione maioris numeri expressi, maior pœnitentia fuerit illi à Confessario iniuncta, propterea videtur habere iustam, & rationabilem causam petendi commutationem pœnitentiæ, si ratione maioris numeri grauiorem, satisfactionem præstandam accepit à Confessario, sed non tenetur commutationem petere, aut minorem numerum certum aperire.

OBIICIES secundò, qui dubia pro certis, & certa pro dubiis aperuit in confessione, tenetur comperto errore, certa tanquam certa, & dubia tanquam dubia iterum fateri, ergo à fortiori qui maiorem peccatorum mortalium numerum aperuit, tenetur cognita veritate minorem certum aperire.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia in primo casu interuenit error circa substantiam materiæ confessionis necessariam, aliud enim est peccatum dubium, & aliud certum; aliud est iudicium materiæ dubiæ, & aliud certæ. In secundo verò casu non interuenit error circa materiam necessariam, cùm minor numerus fuerit clauibus subiectus expresso maiori numero, in quo minor continetur.

SECVNDA PROPOSITIO.

8 CONfessio iteranda est, ob defectum Confessarij absoluentis, quoties Confessarius defecit in essentialibus: Sacramentum enim non subsistit sine sua essentia, & sine ijs, quæ ad ipsius substantiam requiruntur. Quamobrem confessio iteranda est. 8 Quandónā iteranda sit confessio ob defectum Confessarij.

Primò, si Confessarius careat iurisdictione: nam sententia lata sine iurisdictione, iudicium vsurpatum est, & non subsistit.

Secundò, si non habeat debitam, & sufficientem intentionem: nam Sacramenta non solùm perficiuntur materia, & forma, verùm etiam intentione ministri.

Tertiò, si non vtatur forma à Christo determinata, vt constat ex supradictis.

9 Hinc sequitur primò, Confessarium, qui nondum initiatus est Baptismo, vel Sacerdotio, inualide absolutionem impendere, quia caret potestate absoluendi, quæ fundatur in charactere sacerdotali, quem characterem necessariò supponere Baptismum tanquam ianuam omnium Sacramentorum, superiùs ostendimus. 9 An Cōfessarius nondum initiatus Baptismo, vel Sacerdotio possit absolutionē cōferre.

10 Secundò, eum, qui non habet iurisdictionem ordinariam, aut delegatam absoluendi, inualide absoluere, quia sine iurisdictione non potest sentētia absolutionis validè pronuntiari, & nullus absolui potest ab eo, qui non habet potestatem absoluendi, nisi fortè communi errore, & titulo colorato credatur habere iurisdictionem, & potestatem. Ita Pitigianus *2.part.dist.17.q.vnic.art.7.ad finem,* & alij quàm plures, quos in simili retuli *de matr. loco statim citando.* 10 An non habens iurisdictionem ordinariā, vel delegatam, possit absolutionē impendere.

11 Hac occasione obserua, Sacerdotem, qui communi errore, & titulo colorato putatur habere iurisdictionem, validè absoluere, quia Ecclesia supplet iurisdictionem, quam supplere potest, vt ex *l. Barbarius, ff de officio Prætoris.* tradunt communiter Doctores, quos retuli *de matrim. loco statim citando.* sicut etiam supplet, quando adsunt duę contrariæ opiniones probabiles de iurisdictione, quarum vna defendit Sacerdotem habere potestatem absoluendi, illique opinioni adhæret Sacerdos: tunc enim Ecclesia supplet iurisdictionem, quam Confessarius antea re ipsa non habebat. Ratio est, quia non est maior ratio, cur Ecclesia suppleat iurisdictionem, quando adest 11 An validè absoluat, qui cōmunī errore, aut titulo colorato idoneus iudicatur.

adest error communis, & titulus coloratus sine impedimento iuris diuini, & naturalis, & non suppleat quando Sacerdos sequitur opinionem probabilem, asserentem Confessarium habere iurisdictionem, alioquin in hoc casu eadem incommoda sequerentur Ecclesia non supplente iurisdictionem, quando adest titulus coloratus cum errore communi, vt bene docet Leonardus Lessius *lib. 2. cap. 29 dubitatione* 8. Henriquez *lib. 2. de pœnitentia, cap. 14.* Sanchez *in summa lib. 1. cap. 9. num.* 35. Zerola *in praxi cap. 21. quæst. 2. versic. Dico tertiò.* Suarez *3. part. tom. 4. disp. 26. sect. 6.* & alij, quos magno numero retuli *de matrim. quæst 2 punct 8 quæsito 6.*

Ex quo patet, quid dicendum sit de confessione facta Confessario excommunicato vitando, qui communi errore & titulo colorato præsumebatur legitimus Confessarius in loco, vbi facta est confessio. De qua re videte, quæ diximus *de matrim. loc cit.*

12 *An iterãda sit confessio quoties Cõfessarius nõ habuit intentionem absoluendi.*

12 Tertiò iterandam esse confessionem, quoties Sacerdos non habuit sufficientem intentionem absoluendi, vt per se patet.

13 *An iterãda sit confessio quãdo prætermittitur aliquod verbũ necessarium in forma.*

13 Quartò repetendam esse confessionem, quoties Sacerdos verbum aliquod formæ necessarium prætermisit, aut morte præuentus non potuit absolutionem impendere, vt patet ex regulis generalibus Ita Valentia *loc cit. sub finem*, & alij communiter.

14 *An teneatur confessionem iterare, qui bona fide cõfessus est Sacerdoti indocto.*

14 QVÆRES primò, vtrùm pœnitens, qui bona fide confessus est Sacerdoti indocto, & minus idoneo, ac sufficienti ad ipsius confessionem excipiendam, quem post confessionem cognouit nesciuisse distinguere inter peccata mortalia, & venialia, vel inter reseruata, & non reseruata, teneatur iterum confessionem repetere.

RESPONDEO negatiuè, modò pœnitens bona fide confessus fit, & modò Confessarius facultatem haberet absoluendi ab huiusmodi peccatis reseruatis, Ratio est, quia obtinuit absolutionem sacramentalem ab habente facultatem absoluendi, & plenè sua peccata in confessione manifestauit, vt suppono, nec obicem posuit valori Sacramenti. Ita Henriquez *loco cit. num. 5.* Syluester *verb. Confessio 1. num. 3.* Zerola *in praxi cap. 21 quæst. 3. vers. Dico secundò.* Corduba, & alij apud Sanchez *in summa lib. 1. cap. 10. num. 69.* contra Vasquez *quæst. 93. art. 3. dub. 2.* & alios apud Suarez *loc. cit.*

Idem dicendum est de pœnitente, qui integrè confessus est peccatum, quod ipse dubitabat esse mortale, & postea certò cognoscit esse mortale, vt patet, tum ex allata ratione: tum quia ad validitatem confessionis non requiritur, vt pœnitens, aut Confessarius sciat determinatè peccatum manifestum esse mortale, alioquin nullus reperiretur aptus ad confessiones excipiendas, aut faciendas, cùm nullus plenè sciat omnes circumstantias, & grauitatem omnium peccatorum. Ita Sanchez *loc. cit.* & alij, quos infrà referam de scientia in ministro Sacramenti pœnitentiæ requisita.

OBIICIES, qui confitetur Sacerdoti valdè indocto, perinde est, ac si confiteatur dormienti, aut non aduertenti; sed qui confitetur dormienti, aut non aduertenti, tenetur repetere confessionem: ergo qui confitetur Sacerdoti valdè indocto, tenetur confessionem repetere.

RESPONDEO maiorem propositionem veram esse, quoties Sacerdos, qui pœnitens sua peccata confitetur, adeò rudis, & indoctus est, vt nulla omnino ratione cognoscat peccati grauitatem. Secus si Confessarius peccati grauitatem aliqua ratione cognoscat, quamuis in particulari nesciat discernere, & distinguere species in particulari. Ita innuit Suarez, & clariùs Vasquez *loc. cit.*

15 *An repetens cõfessionem teneatur sigillatim omnia peccata repetere.*

15 QVÆRES secundò, vtrùm, qui confessionem inualidè factam repetit, teneatur sigillatim omnia peccata repetere, & recensere.

RESPONDEO affirmatiuè, quoties confessio iteratur apud distinctum Confessarium. Ratio est, quia, vt Confessarius iudicet, & sacramentalem absolutionem impendat, debet causam, & omnia delicta cognoscere, cùm sententia non sit ferenda causa non cognita. Confessarius autem non potest cognoscere omnia delicta, nisi pœnitens sigillatim omnia peccata repetat.

Si verò confessio iteretur coram eodem Confessario, qui priùs eadem peccata in confessione audierat, sufficit pœnitentem dicere, confiteor tibi omnia peccata, quæ antea dixeram, subiunctis tamen peccatis in prima confessione prætermissis, & alijs post illam confessionem commissis, sic enim sufficienter inducit Confessarium in cognitionem sui status, ita vt valeat de ipso iudicare.

Hoc tamen limitandum est, modò Confessarius aliquo modo saltem in confuso, & in genere recordetur status pœnitentis, vel saltem recordetur pœnitentiæ iniunctæ, iuxta ea, quæ tradam sectione sequenti. Secus si oblitus sit status pœnitentis, vel pœnitentiæ antea iniunctæ, tunc enim pœnitens tenetur singula peccata repetere, cùm præcedens confessio perinde se habeat, ac si facta non fuisset. Ita Nauarrus *cap. 9 numer.* 19. Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 11. punct. 3. sub finem, pag. mihi* 1364. Sylvester *verb. Confessio 1. quæsito 3.* Vasquez *quæst 91. artic. 3. dub. 3.* Coninchus *disp. 7. dub. 11. num. 109 & disput. 10 dub. 12. num* 101. Reginald. *lib. 8. num. 33.* Suarez *disp 22. sect. 6. ad finem.* Henriquez *lib. 5 cap. 4. nu. 4* Zerola *in praxi cap. 16. quæsito 14* & expressiùs *cap. 21. quæsito 10.* & alij contra Medinam *quæst. 24. de confessione*, & alios asserentes sufficere, vt pœnitens se accuset in genere de peccatis eidem Confessario antea manifestatis in alia confessione, etiamsi Confessarius oblitus sit status pœnitentis

16 *An valida sit cõfessio, quæ nõ potuit vna vice perficì.*

16 Hinc colligi potest primò validam esse confessionem, quam pœnitens non potuit vnica vice perficere, sed eam iteratis vicibus perfecit spatio multorum dierum, & in fine obtinuit absolutionem à Sacerdote, cui notus erat status pœnitentis, quamuis Sacerdos tempore absolutionis non recordaretur omnium peccatorum in particulari. Ita Graffius *1. parte decisionum lib. 1 cap. 32 num.* 11. vbi refert D. Antonium *de confessione tractatu 2. cap. 4. sub finem.* Idem tenet Suarez *disp 18 sect. 4. num 3. & 10.* Henriquez *lib. 4. cap. 6.* Reginaldus *lib. 8. cap. 1. nu. 11 pag. mihi* 367. Zerola *in praxi de pœnitent. cap. 13. quæsito 27.* & alij.

OBIICIES, partes Sacramenti debent simul esse saltem moraliter: Confessio autem facta præcedentibus diebus non est simul moraliter cum reliquis partibus.

RESPONDEO Confessionem esse simul moraliter cum reliquis partibus, quatenus Sacerdos cognouit statum pœnitentis sibi præsentis, & implicitè repræsentantis suam confessionem. Ita Suarez *loc. cit.*

17 *An confitẽs peccata Sacerdoti facultatẽ non habẽti, satisfaciat, si eidem habenti postea facultatem eadem peccata in genere confiteatur.*

17 Secundò colligi potest eum, qui priùs confessus est peccata Sacerdoti non habenti facultatem absoluendi, si confessionem repetat coram eodem Sacerdote, postquam idem Sacerdos obtinuit facultatem absoluendi, satisfacere accusando se in genere de peccatis aliàs eidem confessis, modò confessarius aliquo pacto recordetur status pœnitentis. Ratio est, quia confessio ideireo sigillatim repetitur, vt Confessarius in sacramentali foro veniat in cognitionem status pœnitentis, sufficienter autem venit in cognitionem status pœnitentis, si prædicto modo peccata explicentur Confessario cognoscenti saltem in confuso statum ipsius pœnitentis. Ita Vasquez *loc. cit. num. 2.* Zerola *in praxi cap. 16. quæsito 14.* & alij contra Paludanum *in 4 distinct. 17. q. 5. art. 1.* & alios apud eundem Vasquez.

OBIICIES, Confessio debet esse sacramentalis, sed Confessio facta Sacerdoti non habenti facultatem absoluendi non est sacramentalis; ergo repetenda est sigillatim, vt fiat Sacramentalis, etiam si priùs facta fuerit eidem Sacerdoti.

RESPONDEO cum Vasquez *loc. cit.* confessionem fieri sacramentalem, repetita confessione in genere eidem Sacerdoti, & simul explicatis alijs peccatis post primam confessionem commissis.

PVNCTVM IV.

De obligatione ad Confessionem.

QVatuor principaliter quæram in hoc puncto. Primò quinam teneantur ad Confessionem. Secundò quo iure. Tertiò quo tempore. Quartò cui facienda sit confessio.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Quinam teneantur confiteri.*

1 OMnes fideles baptizati habentes peccata mortalia commissa post Baptismum, aut in ipsa susceptione Baptismi, tenentur confiteri. Hæc propositio patet tum ex supradictis *de materia Sacramenti pœnitentiæ*: tum ex Tridentino *sess. 14. cap 5.* tum *ex cap. omnis vtriusque sexus, de pœnitentijs, & remissionibus*; tum ex communi Doctorum sententia: tum quia peccata mortalia commissa post Baptismum, aut in ipsa susceptione Baptismi, non possunt aliter expiari, quàm per confessionem, vel saltem per contritionem in ordine ad confessionem, vt patet ex supradictis *de necessitate Sacramenti pœnitentiæ.* Ita DD. statim citandi.

2 *An puerî vsus rationis compotes teneãtur confiteri.*

2 Hinc sequitur primò, non solùm adultos, verùm etiam pueros compotes vsus rationis, habentes conscientiam peccati mortalis, teneri ad confessionem non solùm ex præcepto diuino, verum etiam ex præcepto Ecclesiastico, quod obligat fideles ad confessionem semel in anno faciendam. Ratio est, tum quia omnes fideles tenentur confiteri sua peccata post Baptismum commissa; ergo tenentur etiam pueri compotes vsus rationis, cùm etiam ipsi in numero fidelium recenseantur, tum quia huiusmodi pueri tenentur ad reliqua præcepta obseruanda, vt in die festo ad sacrum Missæ audiendum, ad abstinendum à carnibus in die veneris; ergo etiam tenentur ad confessionem semel in anno faciendam, postquam ad rationis vsum peruenerunt, postquam scilicet bonum à malo discernere, seque grauiter peccare norunt, quod communiter accidere consueuit completo septennio. Ita Nauarrus *cap. 21. num* 88. Sotus *in 4. distinct. 18. quæst. 1.* Henriquez *lib. 4 cap. 5. numer. 2.* Coninch. *disp 5. dub 5. numer. 50. conclus. 1.* Nugnus *in additionibus quæst. 6. art. 5 dub 1 pag. 249.* Vasquez *quæst. 90. art. 2. dub. 4.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 9. punct. 4. ad finem*, Pitigianus *2. part. dist 17 quæst. vnica, artic. 1. art. 2 principalis conclus. 1.* Pesantius *in additionibus quæst. 10. disp. 4.* [Filliucius *tract. 7 cap. 3. quæs. 10. num. 66.* Molfesius *tract. 7. cap. 10 num. 9.*] & alij communiter. Quamuis D. Antoninus *2. part. tit. 9. nu. 2.* putet masculos obligari ad confessionem solùm completo anno decimo cum dimidio, fœminas verò completo vndecimo cum dimidio.

3 *An pueri non confitentes possint puniri ea pœna, qua puniũtur cæteri.*

3 Obseruant tamen Doctores communiter pueros, qui ante duodecimum annum non confitentur, non esse puniendos ea pœna, qua puniuntur cæteri, *cap. 1. & 2. de delictis puerorum*, vbi sic habetur: *In pueris relinqui solet inultum, quod in alijs proiectiores ætatis humanæ leges ducunt seuerius puniendum.*

Ex quo loco occasionem arripiunt aliqui Doctores benignè explicandi leges circa pœnas graues, qualis est excommunicatio, quam negant contra pueros ferendam esse, si transgrediantur legem continentem excommunicationem ferendam. Ita Suarez *de pœnitentia disp. 36. sect. 8. ad finem.* Nugnus *loco cit.* Summa Corona *num. 32 folio mihi 162.* Sanchez *in summa lib. 1. cap. 12. numer. 7.* Henriq *lib. 4. cap. 5. num. 2. in commentario littera M.* Reginaldus *lib. 6. num* 50. Vasquez *quæst. 90. artic. 2 dub. 4. num. 3.* Valentia *loco cit. ad finem*, [Filliucius *tract. 7. n. 72.*] & alij communiter.

Neque obstat, pueros ante duodecimum quartum annum affici excommunicatione, si manus violentas iniiciant contra Clericum, *cap. 1. & vltimo, de sententia excommunicationis.* nam ibi sermo est de pœna, quæ ipso facto incurritur; nos verò loquimur de pœna incurrenda, & imponenda, qualis est illa, quæ continetur in capite, *omnis vtriusque sexus*, contra trangressores præcepti annuæ confessionis, quam præcitati Doctores negant esse ferendam contra puetos præceptum annuæ confessionis non adimplentes ante duodecimum annum.

4 *Quo iure Summus Pontifex confiteri teneatur.*

4 Secundò, Papam teneri, non solùm iure diuino confiteri, cùm diuinis

diuinis legibus sit subiectus verum etiam præcepto Ecclesiastico, quod fideles obligat ad confessionem peccatorum mortalium semel in anno faciendam. Ratio est, quia Summus Pontifex licèt ex vi coactiua non sit subditus legibus Ecclesiasticis, nihilominus ex vi directiua, & ex honestate tenetur ad obseruantiam legum propria auctoritate constitutarum, vt constat ex dictis de legibus. Ita Azorius *cap.* 40. *quæsito* 11. Suarez *loc. cit. n.* 5. Henriquez *lib.* 1. *de sacramento pœnitentiæ cap.* 3. *num.* 2. Clauis Regia *lib* 3. *cap.* 4. *num.* 14. Vasquez *loco cit. art.* 1 *dub.* 5 *sub finem*, Nugnus *in additionibus, quæst.* 6. *articul.* 5. *difficultate* 3 *pag.* 250. Couarruuias *cap. Alma mater. de sententia excommunicationis in* 6. *parte* 1. §. 1. *nu.* 5. Reginaldus *lib.* 6. *num.* 49. Pitigianus 2. *parte dist.* 17. *quæst. vnic. art.* 2. & *art.* 1. *dub* 3. *art.* 3. *principalis fol.* 343. [Filliucius *tract.* 7. *cap* 3. *quæs.* 11. *num.* 67. & *seqq.* Molfesius *tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 10.] & alij quos retuli *de legibus, & de Simonia.*

5 *An obligẽtur ad confessionẽ infideles, & Cathecumeni.*

5 Tertiò, Infideles, aut Catechumenos non obligari ad sacramentalem confessionem iure ecclesiastico, vel diuino, vt patet ex suprà dictis *de Sacramentis in genere.* Ita Henriquez *lib* 4. *cap.* 5. *num.* 3. Nugnus *loc. cit. art.* 3. *dub.* 1. *pag.* 241: Medina *Codice de Confessione, quæst.* 5. *sub fin.* Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 3. *conclus.* 1. Reginal. *lib.* 6 *num.* 42. Sanchez *in opere morali lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 15. Zerola *de pœnitentia cap.* 10 *quæsito* 18. Vasquez *quæst.* 90. *art.* 2 *dub.* 2. *nu.* 8. [Suarez *disp.* 35. *sect.* 2. *n.* 2 Filliucius *tract.* 7. *cap* 2. *qu.* 2. *nu* 29.] Ratio est, tum quia cum Sacramentum pœnitentiæ fuerit à Christo institutũ per modũ iudicij: Ecclesia autẽ non exerceat iudicium, nisi in eos, qui prius per Baptismi ianuam ingressi sunt Ecclesiam, vt patet ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 2. sequitur infideles, aut Catechumenos non obligari ad confessionem sacramentalem iure diuino, vel Ecclesiastico: tum quia in Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. habetur hoc Sacramentum necessarium esse lapsis post Batipsmum; ergo inde licet inferre, non esse necessarium infidelibus, qui nondum Baptismum susceperunt.

6 *An habens peccata opere externo perpetrata, aut etiam solùm interna, teneatur ad illorum cõfessionem.*

6 Quartò fideles habentes peccata mortalia opere externo perpetrata, aut etiam habentes sola peccata interna, commissa post Baptismum, teneri ad illorum Confessionem. Ratio est, tum quia huiusmodi peccata non possunt aliter expiari, quàm per Sacramentum, vel Sactamenti votum: tum quia *in cap. omnis vtriusque sexus*, dicitur omnia peccata saltem semel in anno confitenda esse, necibi fit distinctio inter peccata interna, & externa: vbi autem ius non distinguit, neque nos distinguere debemus: tum quia Christus præcepit integram peccatorum mortalium confessionem, vt patet ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. & *canone* 7. & ex iis, quæ superiùs tradidimus: Confessio autem non esset integra, si peccata interna in confessione prætermitterentur: tum quia hæc est communis praxis, & vsus Ecclesiæ. Ita Henriquez *lib.* 4 *cap.* 5. *num.* 2. Reginaldus *lib.* 6. *num.* 32. & 48. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 9. *punct.* 1. Suarez *disp.* 35. *sect.* 1. Coninch. *disp.* 5. *de pœnitentia dub.* 1. Vasquez *quæst.* 90. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 45. & *art.* 3. *dub. vltimo* [Filliucius *tract.* 7 *c.* 2 *quæs.* 1. *num.* 27. Molfesius *tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 12. & *seqq.*] quidquid dicat Margarita Confessorum *verb. Confessio.* Quare licèt Ecclesia non possit directè præcipere actus internos, vt dolorem peccatorum, &c. Nihilominus indirectè potest dolorem præcipere, quatenus præcipit confessionem, quæ iure diuino subsistere non potest sine dolore & sine expressione omnium peccatorum mortalium, etiam internorum, vt bene tradit Vasquez *loco citato*, & alij quàm plures, quos in simili *in tractatu de legibus* adduxi contra Martinum Becanum 2. *p. tract.* 3 *cap.* 6 *quæst.* 5 *nu.* 4.

7 *An probabiliter dubitans se mortaliter peccasse, teneatur fateri peccatũ, de quo dubitat.*

7 Quintò, cum qui probabiliter dubitat se mortaliter peccasse, teneri ad confessionem, vt præcepto confessionem satisfaciat, nam omnes fideles tenentur confiteri peccata post Baptismum commissa; peccatum autẽ dubiũ est commissum post Baptismũ, vt suppono, & est materia necessaria Sacramenti, vt patet ex suprà dictis, sicut etiã ex suprà dictis constat, eum qui dubitat se mortaliter peccasse teneri confiteri peccatum, tanquam dubium eo modo, quo dubitat se peccasse: sicut etiam, qui nouit se mortaliter peccasse, sed oblitus est speciei peccati, tenetur peccatum confiteri in genere eo modo, quo nouit, & Confessarius debet illum absoluere, adest enim materia necessaria cum vera accusatione. Quanquã Confessarius curare debet, quãtum potest, vt materiã certam, & determinatã extorqueat vt superiùs ostendi. Ita Nauarrus *cap.* 10 *num.* 7. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 9. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 9. *punct.* 3. *versicul. Quòd si quis* Nugnus *in additionibus quæst.* 6. *art.* 3. *dub.* 2. *versicul. Ad quintum.* Paludanus, Maior, & alij apud Henriquez *loco cit. in commentario littera X.*

8 *An habens solùm peccata venialia teneatur confiteri.*

8 Sextò, habentem tantummodò peccata venialia, non teneri ad illorum confessionem. Ratio est, tum quia ex rationibus in propositione allatis non colligitur obligatio confitendi venialia: tum quia in Trident *sess.* 14. *cap.* 5. habetur, Christum reliquisse Sacerdotes sui ipsius Vicarios tanquam Præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferrentur, in quæ Christi fideles inciderint: tum quia habens peccata solùm venialia non tenetur confiteri ex præcepto diuino, cùm hoc præceptum nullibi reperiatur. Neque tenetur ex præcepto Ecclesiastico, cùm Ecclesia non imponat præceptum confitendi, sed determinet tempus adimplendi præceptum diuinum. Præterea, si fideles tenerentur ex præcepto Ecclesiæ confiteri peccata venialia, tenerentur omnia confiteri, cùm *in cap. omnis vtriusque sexus*, habeatur omnia peccata semel in anno confitenda esse, sed non est credibile Ecclesiam præcepisse confessionem omnium venialium, cùm suprà dictum sit huiusmodi confessionem ab Ecclesia præcipi non posse: ergo habens sola venialia non tenetur illa confiteri. Ita Suarez *disp.* 36. *sect.* 2. *n.* 8. Azorius 1 *parte cap.* 2. *quæsito* 3. Nugnus *loco* statim *citando*, & probabilem putant hanc opinionem Henriquez *loco cit. cap.* 5 Reginald. *lib.* 6. *num.* 22. Coninchus *disp.* 5 *dub.* 5. *num.* 52. Pitigianus 2 *parte dist.* 17. *quæst. vnica. artic. cit. conclus.* 2. & *art.* 2. *conclus. vnica, artic. tertij principalis fol.* 344. Vasquez *quæst* 90. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 11. & alij contra Syluest. Bonauenturam, & alios apud Vasquez *loco cit. num.* 21. quos sequitur Nugnus *in additionibus quæst.* 6. *art.* 3. *dub.* 2. & *art.* 6. *diffic.* 1. *pag.* 255. [Filliucius *tract.* 7. *num.* 66.]

Obserua tamen, fideles debere coram proprio Sacerdote comparere tempore Paschatis, etiam si habeant sola venialia, vt euitent scandalum, & non excommunicentur, vel interdicantur, nam qui confessionis attestationem non deferunt, solent ab Ecclesia interdici. Ita Vasquez *loc. cit. num.* 19. & alij *loc. cit.* Vtrùm verò habens sola venialia validè interdicatur, vel excommunicetur, si tempore Paschatis non confiteatur, constat ex dictis *de censuris.* [vbi explicaui, vtrùm excommunicatio iniusta valida sit.]

SECUNDA PROPOSITIO.

9 *Quo iure fideles peccata sua fateri teneantur.*

9 Fideles tenentur peccata mortalia, commissa post Baptismum, confiteri, non solùm ex iure diuino, verùm etiam Ecclesiastico.

Hæc propositio duas habet partes. Prima est, fideles teneri ex præcepto diuino confiteri, & hæc pars constat tum ex Tridentino *sess.* 14 *cap.* 4. tum ex *Iacobi* 5. vbi dicitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* quem locum Beda, & alij explicant de necessitate confessionis: tum ex Ioannis 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Ex quo loco sic argumentor, qui commisit aliquod peccatum mortale [ex dispositione diuina,] non obtinet illius remissionem, nisi absoluatur à Sacerdote, cùm ad Sacerdotem pertineat remittere, & non remittere, seu retinere peccata, vel saltem, nisi per actum contritionis habeat votum obtinendi absolutionem suo tempore, sed non potest absolui à Sacerdote, nisi peccata sua confiteatur Sacerdoti, ergo tenetur peccata sua confiteri Sacerdoti, alioquin retenta remanebunt peccata. Ita Bellarminus *de pœnit. l.* 3. *c.* 12. & alij *DD.* statim citandi.

Secunda pars propositionis est, fideles teneri ad confessionem, etiam ex præcepto Ecclesiastico, & hæc pars probatur tum ex Trid. *sess.* 14 *cap.* 5. & *canone* 8. vbi habetur, in Ecclesia extare præceptum annuæ confessionis: tum ex *cap. omnis vtriusque sexus. de pœnitentijs, & remissionibus*, vbi annua confessio præcipitur sub pœna priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ, & priuationis ab ingressu Ecclesiæ. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 3. *art.* 1. Suarez *disp.* 36. *sect.* 1. Azor 1 *parte lib.* 2. *cap.* 39. Valentia, Coninch. & Vasquez *locis* statim *citandis*, [Suarez *disp.* 35. Filliucius *tract.* 7. *c.* 2 *q.* 1. Molfesius *tract.* 7. *c.* 9 *n* 23. & *seqq.*] Sotus, Medina, Caietanus, & alij apud præcitatos Doctores.

10 *Ecclesia quomodo præcipiat confessionẽ.*

10 Hic tamen aduertendum est, cum Suarez *loco cit. num.* 5. Azorio *loco cit. cap.* 4. *quæsito* 9. Henriquez *lib.* 4 *cap.* 3. *num.* 2. Valentia *tomo* 4 *disp.* 6. *quæst.* 9. *punct.* 5. [Filliucio *tract.* 7. *cap.* 3. *quæst.* 1. *nu.* 46.] & alijs, præceptum annuæ confessionis esse Ecclesiasticum, non simpliciter, sed quoad determinationem temporis, quia Ecclesia solùm determinauit confessionem semel in anno fieri, non verò absolutè præcepit confessionem, cùm fideles adhuc tenerentur confiteri, quamuis tempus ad confessionem faciendam non esset ab Ecclesia præfixum, & determinatum.

11 *An Ecclesia possit temporis determinationẽ auferre.*

11 Ex quo infertur, Ecclesiam posse huiusmodi determinationem auferre, sicut enim potest condere, ita etiam potest abrogare leges à se conditas, non tamen potest Ecclesia cum aliquo dispensare, vt nunquam confiteatur, vel vt non confiteatur in articulo mortis, nam confessio est de iure diuino, in quo non potest Ecclesia dispensare, vt patet ex dictis de legibus, neque huiusmodi dispensatio expediret ad ædificationem Ecclesiæ. Ita S. Thom. *in additionibus quæst.* 6 *art.* 6. Nugnus *ibidem* Zerola *de pœnitentia cap.* 10 *quæsito* 24 *versic. Dico secundò*, Azorius 1. *parte, lib.* 2. *cap.* 29 Suarez *disp.* 36. *sect.* 1. Coninchus *loco cit. dub.* 4. *num.* 48. Reginaldus *lib.* 6 *num.* 32. Vasquez *quæst.* 90. *art.* 1. *dub.* 5. *num* 4. & 11. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7 *quæst.* 9. *punct.* 5. [Bellarminus *l. de pœnitent. cap.* 14. Filliucius *tract.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 2. & *cap* 3. *quæst.* 2. Molfesius *tract.* 7. *c.* 10. *nu.* 19.] & alij communiter. Idem innuit Pitigianus 2. *parte, dist.* 17. *quæst vnica artic.* 6. dum asserit, Papam posse ex iusta causa cum aliquo dispensare ne teneatur ad annuam confessionem.

TERTIA PROPOSITIO.

12 *Quo tempore fideles confiteri teneantur.*

12 Omnes fideles, postquam ad annos discretionis peruenerunt, tenentur confiteri: primò semel in anno, vt patet ex *cap. omnis vtriusque sexus*, modò conscientiam habeant peccati mortalis. Secundò quoties volunt Sacramentum Eucharistiæ sumere, si conscientiam habeant peccati mortalis, vt patet ex supradictis de Eucharistia, vbi ante sumptionem Eucharistiæ necessariam esse peccatorum confessionem, probauimus auctoritate Apostoli: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*, &c. Ita Suarez *disput.* 35. *sect.* 3. Reginaldus *loco cit. num* 20. Vasquez *quæst.* 90. *art.* 3. *dub.* 3. Zerola *de pœnitentia c.* 10. *q.* 7. Henriquez, [Filliucius, Molfesius,] & alij *loc. cit.*

Tertiò, quoties existunt in articulo mortis, etiamsi eodem anno confessi fuerint. Ratio est, quia præceptum diuinum confessionis, si vnquam obligat, certè obligat in probabili mortis periculo, quando scilicet talis superuenit casus, in quo mors sequi consuecuit, & timetur probabiliter secutura: quilibet enim tenetur præcauere periculum damnationis, suæque magnæ necessitati consulere; & sicut præceptum eleemosinæ obligat saltem in extrema necessitate, ita præceptum confessionis videtur à fortiori in articulo mortis obligare, in quo magna imminet salutis spiritualis necessitas. Ita communiter Doctores.

13 *An suscipiens periculosam nauigationem confiteri teneatur.*

13 Hinc sequitur, suscipientes periculosas nauigationes teneri ad confessionem, sicut etiam tenentur milites, quando instat prælium, tunc enim probabiliter imminet probabile mortis periculum. Ita

Nauarrus *cap* 2 *num.* 90. Sotus *dist* 18. *quæst.* 1. *art.* 4 Reginaldus *lib.* 6. *num.* 22. Vasquez *quæst.* 90. *art.* 3. *dub.* 2. *num.* 21. Zerola *de pœnitentia cap.* 10. *quæsito* 6. [Filliucius *tract.* 7. *c* 2 *quæs* 4.] Angelus, Cornaruuias, & alij apud Henriq. *lib.* 4. *cap* 3. *num.* 3. *littera X.*

14 *An fœmina, quæ primò paritura est, teneatur confiteri.*

14 Præterea sequitur, fœminam, quæ primò paritura est, aut quæ aliàs peperit magna cum difficultate, seu vitæ periculo, teneri ad confessionem, vt inquiunt Doctores citati.

15 *An infirmus, qui post confessionẽ mortaliter peccauit, teneatur iterum confiteri.*

15 Rursus sequitur, infirmum grauiter laborantem, qui peccauit mortaliter post confessionem, teneri adhuc confiteri, adhuc enim censetur existere in periculo damnationis, & tenetur huic necessitati spirituali, quantum potest, debito confessionis remedio consulere.

Dices, qui mortaliter peccauit sumpta semel in articulo mortis Eucharistia, non tenetur iterum communicare: ergo neque tenetur confiteri, qui facta confessione grauiter peccauit. Respondeo negando consequentiam, nam Sacramentum confessionis est magis necessarium, & est medium per se institutum ad remittendum peccatum mortale, & ad conferendam primam gratiam, vt patet ex supradictis.

16 *An dãnatus ad mortem teneatur confiteri.*

16 Denique sequitur, damnatum à iudice ad mortem, teneri ad confessionem, existit enim in probabili mortis periculo, & tenetur propriç saluti consulere. Ita Doctores citati.

Vtrùm verò præter casus recensitos extet obligatio confessionis faciendæ, constat à simili ex supradictis de contritione, & in tractatu de fide, & charitate, sicut etiam ex dictis de voto, & iuramento constat, vtrum qui iurauit, vel vouit confessionem, teneatur confiteri.

17 *Quo tempore obligaret præceptũ diuinum, si Ecclesia tempus confessionis non determinasset.*

17 QVÆRES primò, quo tempore facienda esset confessio ex prçcepto diuino, si Ecclesia tempus confessionis non determinasset.

RESPONDEO, faciendam esse iuxta prudentis viri iudicium quatenus confessio non diceretur nimium differri, nimium autem differri videretur, si vltra quatuor, vel quinque annos differretur. Ita Henriquez *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 4. *littera H.* cum Soto, Lessio & alijs, contra Coninchum *disp.* 5. *dub.* 2. *num* 38. [Suarez *disp.* 35. *sect.* 3 *nu* 9. Filliucium *tract.* 7. *cap.* 2. *quæs.* 5.]

Ex quo infertur, præceptum confessionis ex vi sua non solùm obligare in articulo mortis, verùm etiam aliquoties extra mortis periculum Ratio est, tum quia ex vi sua obligat, vt nimium non differatur iuxta prudentis viri iudicium, tum quia Sacramentum pœnitentiç institutum est ad salutem animç, vt curentur morbi ipsius spirituales, curam autem morborum animæ, non solùm necessariam esse in morte, verùm etiam in vita quilibet vir prudens iudicabit. Ita Reginaldus *lib.* 6. *num* 28. Coninchus *loco cit. num.* 32. Suarez *disp.* 35. *sect.* 3. Zerola *de pœnitentia, cap.* 10 *quæsito* 6. & alij

18 *Quot peccata committat prætermittens eodem anno Confessionem & communionem.*

18 QVÆRES secundò, vtrùm qui eodem anno prætermittit Confessionem, & Communionem, committat vnum tantummodò peccatum, vel plura.

RESPONDEO, committere plura peccata, quia diuerso tempore violat plura præcepta de re diuersa. Ita S. Thomas *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art* 1. Azorius *loco cit. cap.* 39. *quæsito* 9. Suarez *disput* 36. *sect.* 1. Reginaldus *lib.* 6. *num.* 34. & alij, quos in simili retuli *de legibus.*

19 *Quomodo computatus sit annus.*

19 Sed modò dubium est, quomodo computandus sit annus, in quo semel ex præcepto Ecclesiastico diximus faciendam esse confessionem iuxta determinationem Ecclesiç.

Respondent aliqui Doctores, computandum esse à prima die Ianuarij, cùm annus eo die communiter incipere videatur. Ita Vasquez *de pœnitentia. quæst.* 90 *art.* 3. *dub.* 1. *num* 15. & alij.

Alij verò ferè communiter existimant, annum computandum esse ab vno Paschate ad sequens Pascha, quamuis enim annus profanus incipiat à prima die Ianuarij, attamen annus præfixus ad istius præcepti obseruationem ex communi vsu, & praxi videtur inchoandus ab vno Paschate ad sequens Pascha circiter, seu ab vna Quadragesima ad aliam Quadragesimam. Ita Syluester *verb Confessio* 1. *num.* 2 Azorius *loco citato cap.* 38 *quæsito* 6 Suarez *disput.* 36 *sect* 3. *n.* 8. Coninchus *disp.* 5. *dub.* 6. *conclus.* 2 *n.* 56 Henriquez *lib.* 4 *cap.* 4. *n.* 1. Reginaldus *libro* 6 *num.* 35. & 37. Nugnus *in additionibus, q* 6. *art.* 5. *difficultate* 4 [Filliucius *tract.* 7. *cap.* 3. *quæs* 4.]

20 *An satisfaciat præcepto confessionis, qui cõfitetur in Natiuitate Domini.*

20 Hinc sequitur eum, qui in Natiuitate Domini, aut alio die confitetur, satisfacere præcepto annuç confessionis, nec postea teneri ex vi istius præcepti in Quadragesima confiteri, cùm iam adimpleuerit præceptum, fieri tamen potest, vt alio titulo teneatur confiteri, vt si suscepturus sit Eucharistiam aduertens se conscientiam habere lethalis culpæ, aut si mortis articulus superueniat, vt patet ex dictis *in* 3 *propositione.* Ita Nauarrus *cap.* 2. *num.* 9. Medina *de confessione quæst.* 14. Azorius *loco cit. quæsito* 7. Suarez *loco cit. num* 4. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 9. *punctum* 4. Vasquez *loco cit. num.* 5. Reginaldus *loco cit. num.* 33. S. Antonin Zerola *de pœnitentia, c.* 10. *quæs.* 9. Victoria, Syluest & alij apud Henriquez *loco cit. num.* 1. *in commentario littera I.* & apud Coninchum *loco cit. dub.* 7. *num* 58.

21 *An teneatur Confessionem præmittere, qui dubitat se non habiturum copiam Confessarij in articulo mortis, aut tempore cõstituto.*

21 QVÆRES tertiò, vtrùm qui præuidet fore vt non sit habiturus copiam Confessarij in articulo mortis, aut sequenti tempore præsentis anni teneatur prçuenire confitendo, antequam adueniat mortis articulus, vel antequam elabatur annus in quo tenetur confiteri.

RESPONDEO affirmatiuè cum Syluestro *Confessio* 1. *nu.* 2. Tabiena *eodem verbo, num.* 41. Suarez *loco cit. sect* 5. Azorio *lo. cit. cap* 49. *quæsito vltimo,* Henriquez *lib* 4. *cap.* 3. *num* 3. & *cap.* 4. *nu.* 7 Reginaldo *lib.* 6. *num.* 25. Conincho *disput.* 5. *dub.* 2. *num.* 36. Nugno *in additionibus quæst.* 6. *art.* 5 *difficultate* 7. Vasquez 3 *parte quæst* 90 *art.* 3. *dub.* 2 *num.* 10 & 16. Pitigiano 2. *parte dist.* 17. *quæst. vnica, art.* 9. *versic. quartus casus.* Zerola *de pœnitentia cap.* 10. *quæs.* 17 [Filliucio *tract.* 7. *cap* 2. *quæs.* 4. & *cap.* 3 *quæs.* 7. *num.* 58.] & aliis. Ratio desumitur à simili.

Primò de eo qui tempore Paschatis præuidet se vltimis diebus Paschatis impediendum à sumptione Eucharistiæ, quem constat teneri primis diebus communicare, cùm adhuc extet præceptum communionis, quod potest adimpleri preueniendo.

Secundò de eo, qui præuidet in die festo, se non reperturum Missam si eam differat vsque ad meridiem, quem supra de Eucharistia diximus teneri manè præuenire, quamuis non teneatur ante diem festum audire: cum ante diem festum nondum extet præceptum audiendi Missam, sicut extat in die festo.

Tertiò de eo, qui debet aliquid creditori soluere, hic enim si aduertat, se non posse elapso prçfixo tempore soluere, tenetur præuenire solutionem, iuxta Henriquez *loco cit.* & alios.

OBIICIES, qui præuidet fore, vt vesperi nequeat recitare vesperas ob febrim, aut grauem infirmitatem, non tenetur illas manè recitare, iuxta Nugnum *in additionibus ad* 3. *partem quæst.* 6. *art.* 5. *difficultate* 7 *folio mihi* 253 & Canum apud Vasquez 3. *parte quæst.* 90. *art.* 3. *dub.* 2 *num* 18. Pitigianum *loco cit versic.* & *si dicas,* ergo neque tenetur præuenire confessionem, qui præuidet fore, vt sequenti die nequeat confiteri.

RESPONDEO, negando antecedens cum Vasquez *loco cit.* & aliis, vt patet, tùm ex fundamentis à paritate deductis: tum ex iis, quç tradidimus *de horis Canonicis.* Quidquid in contrarium in hac parte sentiat Nugnus, Pitigianus, & Canus, quatenus asserunt eum, qui prçuidet fore, vt vesperi nequeat recitare vesperas ob grauem infirmitatem, non teneri illas manè persoluere. Teneretur verò eas manè persoluere, si præuideret vesperi subsecuturum aliquod impedimentum, excepta infirmitate: sed non video qua ratione infirmitas potius excuset, quàm legitimum aliud impedimentum, & cur Sacerdos potius in vno, quàm in altero casu prçuenire teneatur.

22 QVÆRES quartò, vtrùm faciens confessionem informem satisfaciat præcepto confessionis. 22 *An faciens cõfessionem, informem satisfaciat præcepto cõfessionis.*

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, quia Ecclesia precipit sumptionem Sacramenti pœnitentiæ, sed qui facit confessionem informem, recipit Sacramentum pænitentiæ: cùm Sacramentum informe sit validum, vt patebit ex dicendis; ergo faciens confessionem informem, satisfacit præcepto confessionis sicut etiam, ille satisfacit præcepto sumendæ Eucharistiæ qui recipit Eucharistiam indignè, & sine fructu, nam præceptum Ecclesiæ obligat ad substantiam actus, non verò ad modum Ita Suarez *disput.* 36. *sect.* 7 *num.* 6. Henriquez *lib* 4. *cap.* 5. *numer.* 1. & *lib.* 5. *cap* 15. Pitigianus *loco cit. art.* 7. *conclus.* 1. Pelantius 3 *parte quæst.* 10. *de dolore, disp.* 3. Zerola *de pœnitentia in praxi cap* 13. *quæsito* 35. Nugnus *in additionibus quæst.* 6 *art.* 5. *difficultate* 2. & 6. & *quæst.* 9 *dub.* 2 Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 11 *punct.* 2. & *punct.* 3 *vers. Non autem erit,* [Filliucius *tract* 7. *cap.* 2. *quæs.* 8. & *cap.* 3. *numer* 65.] contra Vasquez *quæst.* 92. *artic* 3 *dub.* 5. *numer.* 5. post Ioannem Medinam *de confessione quæst. de confessione sine pœnitentia cordis.* Concedit tamen idem Vasquez non incurrere censuras latas contra non confitentes.

23 QVÆRES quintò, vtrùm præceptum confessionis adimpleatur ab eo, qui non facit confessionem perfectam, vtpote, quia non confitetur omnia sua peccata mortalia ex malitia, vel ex ignorantia crassa, aut quia non habet debitum dolorem, aut quia non absoluitur ex malitia Confessarij, aut alia de causa. 23 *An adimpleatur præceptum ab eo, qui non facit cõfessionem perfectam.*

RESPONDEO præceptum confessionis non adimpleri. Ratio est, quia præceptum confessionis est præceptum diuinum, quod determinatum est ab Ecclesia ad tale tempus, vt patet ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. & *canone* 18. Qui autem facit confessionem imperfectam non confitendo omnia sua peccata mortalia ex malitia, aut ex ignorantia crassa, aut sine debito dolore, aut non obtenta absolutione, non implet præceptum diuinum, cùm pœnitentes debeant ex Christi institutione omnia sua peccata mortalia, quorum habent conscientiam, post diligentem examinis inquisitionem Confessario aperire, nec possint pœnitentiç Sacramentum recipere sine materia proxima, & forma: ergo qui confessionem facit imperfectam, non implet prçceptum Ecclesiæ. Ita Nauarrus *cap.* 10. *num.* 4. Medina *de confessione quæst.* 16 *in fine* Sotus *dist.* 18. *quæst.* 3. *art.* 5. Suarez *loco cit. num* 3 Henriquez *loco citato.* Azorius 1. *parte lib.* 7 *cap.* 40. *quæsito* 4 Reginaldus *loco citat. num* 53 & 54. & 58. Coninchus *disp.* 5. *dub.* 9. *num.* 70. Nugnus *loco cit. difficultate* 6 *ad finem,* Pitigianus *loco cit. vers. sed dubitatur primò,* [Filliucius *tract.* 7. *cap.* 2. *quæs.* 7 & *cap* 3. *quæs.* 9. *n.* 64 Molfesius *tract.* 7. *c.* 10. *n.* 26. & *seqq.*] & alij, contra Zerolam *c.* 21. *ad finem.*

24 Addit tamen Azorius *loco cit.* aliquos Doctores asserere, eum satisfacere præcepto, qui peccata confitetur, & sua culpa non absoluitur, vt si publicus vsurarius, aut meretrix accedat ad confessionem, & Confessarius illi deneget absolutionem defectu dispositionis necessariæ in pœnitente. 24 *An satisfaciat præcepto, qui sua peccata confitetur, sed propria culpa non absoluitur.*

Sed contrarium mihi videtur asserendum, nam sua culpa non recipit Sacramentum pœnitentiç, cùm non obtineat absolutionem, consequenter non satisfacit præcepto Ecclesiç prçscribentis annuam confessionem, & sumptionem Sacramenti pœnitentiæ.

25 Sed modò dubium est, vtrùm qui non facit confessionem perfectam voluntariè prætermittens aliquod peccatum mortale sine causa, aut debito carens dolore, incurrat censuras, si quæ infligerentur contra eos, qui non sunt confessi. 25 *An qui voluntariè nõ facit confessionem perfectam subijciatur censuris quæ latæ essent contra eos qui confessionem prætermittunt.*

Respondent Nauarrus *cap.* 10. *num.* 4. Henriquez *lib* 4. *cap.* 5. & *lib.* 2. *cap.* 14 *num.* 8. Canus, Medina, Ledesma, & alij apud Henriq. non incurrere censuras. Ratio est, quia quamuis hic non adimpleat præceptum ob cuius violationem lata est censura, tamen iste defectus adeò est occultus ob sigillum confessionis, vt non videatur cadere sub pœnas Ecclesiæ.

Sed mihi dicendum videtur incurrere censuras. Ita Suarez *disp.* 36 *sect* 8. *num* 4 Nugnus *in additionibus quæst* 6 *art.* 6 *difficultate vltima.* Corduba *quæst.* 15. & alij. Ratio est, quia censetur contumax contra Ecclesiam, cùm non adimpleat præceptum, ob cuius transgressionem imposita est censura.

Neque obstat, delictum esse occultum, alioquin sequeretur eum, qui

qui solus in angulo submissa voce profert hæresim, non affici excommunicatione contra hæreticos lata, quod est contra communem Doctorum sententiam.

26 An teneatur quàm primùm confiteri ex præcepto annuæ confessionis, qui confessionem anno præterito prætermisit.

26 QVÆRES sextò, vtrùm qui non est confessus anno præterito, teneatur hoc anno quàm primùm confiteri ex præcepto annuę confessionis.

RESPONDEO affirmatiuè iuxta communiorem Doctorum sententiam, quam sequitur Sotus *disput. 18. quæst. 1 art. 8.* Nauarrus *cap. 21. num. 45.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 9. punct. 4 sub finem, versic. Tertiò notandum.* Henriquez *lib. 4. cap. 4. num. 6* Suarez *disp. 36. sect. 4.* Azorius *loco suprà citat. cap. 39. quæsito 8.* Reginaldus *lib. 6. num. 37.* Coninchus *disp. 5. dub. 8. conclus. 1 num. 63.* Zerola *de pœnitentia cap. 10 quæsito 12. versic. Dico secundò.* Pesantius *in additionibus quæst. 10 disp. 4 sub finem* Nugnus *in additionibus q. 6 art. 5. difficultate 5.* Valquez *quæst 90. artic. 2. dub 2. num. 3.* [Filiucius *num. 55.* Molfesius *num. 35*]& alij contra Syluest. *Eucharistia 3. num. 15.* Tabienam *verb. Communicare num. 10.* Antoninum *3 parte tit. 9. cap. 6.* & alios.

Ratio est, quia annus non præfigitur ad finiendam, sed ad solicitandam adimpletionem præcepti confessionis Pro intelligentia

27 Quotupliciter aliquid præcipiatur tali tempore faciendũ.

27 Aduertendum est, aliquid dupliciter præcipi posse faciendum tali tempore. Primò ob circunstantiam, & conditionem, seu honorem talis temporis. Secundò absolutè, & simpliciter non spectata circunstantia, & conditione temporis, sed ne diutiùs differatur.

Quando aliquid præcipitur primo modo, elapso tempore determinato cessat obligatio, vt patet à simili de obligatione diuini officij singulis diebus recitandi, & de Missæ Sacro in diebus festis audiendo, &c. quæ tali die præcipiuntur ob circunstantiam determinati temporis, in honorem videlicet talis Sancti, vel talis diei, vt elapso tali die cesset obligatio. Quando verò aliquid præcipitur secundo modo, id est, absolutè, & simpliciter, non spectata propriè circunstantia temporis, sed potiùs, ne diutius executio differatur, elapso tempore determinato non cessat obligatio, vt patet à simili in debitore non soluente termino constituto, quem nullus excusat ab obligatione soluendi elapso termino, nam terminus non fuit appositus ad finiendam obligationem solutionis, sed ne solutio diutius differatur: cùm ergo præceptum confessionis absolutè, & simpliciter latum sit non spectata propriè circunstantia, & conditione temporis sequitur præceptum confessionis adhuc adimplendum esse quàm primùm elapso anno.

28 An teneatur quàm primùm cõfiteri, qui non est confessus in periculo mortis.

28 Ob eandem rationem addit Henriquez *lib. 4 cap. 4. num. 5.* eum, qui non est confessus in periculo mortis, cùm haberet conscientiam peccati mortalis, teneri postea quàm primùm confiteri.

Ego verò probabilius puto non teneri, nisi periculũ mortis adhuc perseueret. Ratio quę me mouet ad hoc asserendum, saluo meliori iudicio, est, tum quia præceptum confessionis in articulo mortis obligat, vt occurratur periculo damnationis; sublato autem periculo mortis non adest periculum damnationis: tum quia sicut qui pauperi in extrema necessitate existenti non præbuit eleemosynam, non tenetur transacta necessitate tradere: ita, qui præceptum confessionis in extrema vitæ necessitate non adimpleuit, non videtur obligandus ad illud adimplendum transacta necessitate: tum quia nullus sibi solet peccati scrupulum iniicere, si elapso mortis periculo, quàm primùm non faciat confessionem, quam in mortis periculo prætermiserat.

29 Differentia inter præceptum annuæ confessionis, & obligationẽ confitendi in articulo mortis.

29 Ex quo patet differentia inter præceptum confessionis annuæ faciendæ, & obligationem confitendi in articulo mortis, quod præceptum confessionis obligat quàm primùm elapso anno ad confessionem anno præcedenti prætermissam, cùm terminus ab Ecclesia non fuerit appositus ad finiendam, sed ad solicitandam obligationem: præceptum verò confitendi in articulo mortis non obligat elapso mortis articulo, quia latum videtur ob circunstantiam, & conditionem talis temporis, videlicet ob periculum imminens damnationis.

OBIICIES, fideles, qui tempore Paschatis non communicarunt, non tenentur ex vi præcepti Ecclesiastici transacto Paschali tempore communicare; ergo neque tenentur confiteri elapso anno qui anno antecedente peccata sua non sunt confessi.

RESPONDENT aliqui, concesso antecedente negandã esse consequentiam Ratio disparitatis est, quia præceptum communionis non est latum absolutè, sed respicit circunstantiam determinati temporis, cùm Ecclesia determinauerit sumptionem Eucharistiæ in Paschate, quia Paschali tempore solemniter celebratur Christi passio, cuius memoria recolitur, præsertim per Eucharistiæ sumptionem. Ita Medina, & Valentia *loco cit.* & alij, quos suprà retuli *de præcepto Eucharistiæ sumendæ.*

Nos verò cum Vasquez *quæst. 90. art. 3. dub. 2. num 13.* Zerola *de pœnitentia cap. 10. quæsito 14.* & alijs, quos magno numero suprà retulimus de Eucharistia, negamus præceptum Eucharistiæ non obligare transacto tempore Paschali, & hanc opinionem censuimus probabiliorem *loco cit. de Eucharistia.* Ex quo patet, propositum argumentum nihil contra nos inferre.

30 An omittẽs vno anno confessionẽ toties peccet, quoties non confitetur oblata opportunitate.

30 QVÆRES septimò, vtrùm qui vno anno prętermisit confessionem, toties peccet mortaliter, quoties elapso anno non confitetur oblata opportunitate confitendi.

RESPONDENT Valentia *loco cit. ad finem,* [Molfesius *tract. 7. c. 10. n. 37.*] non toties peccare, quoties confessionem oblata opportunitate prętermittit.

Sed contrarium mihi probabilius videtur, quomodo enim fieri potest, vt aliquis teneatur quàm primùm ad confessionem, & nihilominus non peccet eam prætermittendo oblata post annum confitendi opportunitate? alioquin dicendum esset, facientem contra præceptum in re graui non peccare mortaliter, quod nullus audebit asseueranter affirmare.

31 An differẽs confessionẽ anni præteriti vsque ad præsentem annum, vnica confessione satisfaciat non solùm præcepto anni præteriti, verùm etiam præsentis.

31 QVÆRES octauò, vtrùm qui distulit confessionẽ anni præteriti vsque ad præsentem annum, vnica confessione satisfaciat non solùm præcepto anni præteriti, verùm etiam præsentis.

Ratio dubitandi est, quia vnico actu possumus aliquando duobus præceptis satisfacere, vt patet ex traditis de legibus.

His tamen non obstantibus, respondeo, vnica confessione non satisfacere vtrique obligationi, cùm ad vnam confessionem teneatur ratione anni præteriti, & ad alteram ratione præsentis anni; sicut enim qui tenetur singulis annis soluere nummum aurcum, si anno præterito non soluit, non satisfaciet suo muneri, & obligationi, si hoc anno vnum tantummodò nummum soluere intendat; ita præcepto confessionis non satisfacit vnica confessione, qui anno præterito non est confessus, sed ad duas tenetur confessiones, vt satisfaciat obligationi præteriti, & præsentis anni, consequenter, si vnam tantummodo fecit confessionem, & iterum nolit pro anni præsentis obligatione confiteri, potest per censuras ab Episcopo compelli ad confitendum. Ita Suarez *disp. 36 sect. 4. num. 5* Coninch *disp. 5. du. 8. num. 65.* Nugnus *in additionibus quæst. 6. art. 5. difficultate 5 ad finem,* [Filliucius *tract. 7. cap. 3. quæs 5. num. 56.*] & alij. Hoc tamen limita, modò vtroque anno habeat peccata mortalia necessariò subiicienda confessioni, iuxta suprædicta.

Ad rationem dubitandi responderi potest vnico actu satisfieri posse pluribus præceptis quando præcepta non respiciunt plures actus per se faciendos, vt patet ex dictis *de legibus & de indulgentijs.* Opposita tamen sententia alicui forsitan non videbitur improbabilis cùm vsu receptum videatur, vt qui multis præcedentibus annis non est confessus, vnicam in sequentibus annis faciat confessionem.

32 An pœnitens teneatur quàm primùm eodem anno confiteri peccata in confessione oblita, quorum recordatur post Communionem.

32 QVÆRES nonò, vtrùm qui per obliuionem, vel aliam causam in confessione prætermisit aliquod peccatum, cuius recordatur post sumptionẽ Eucharistiæ, aut post Pascha, teneatur ex vi præcepti annuæ confessionis illud peccatum quàm primùm confiteri, aut confiteri intra illum annum, si nondum annus sit elapsus.

RESPONDEO negatiuè, si recordetur post communionem. Ratio est, quia iam satisfecit præcepto confessionis, cùm re ipsa semel in anno validè confessus sit. Quamobrem differre potest confessionem illius peccati, donec ex vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur Ita Nauarr *cap 1 num 9.* Reginald. *lib. 6. nn. 40. & n. 159.* Suarez *disp. 23 sect. 2.* Coninch. *loco cit. num. 66. & 71.* Valent. *tom. 4. disp. 7. quæst. 11 punct. 1 col. 13. versf. Tenebitur autem.* Nugnus *loco cit. difficult. 6* Zerola *de pœnit. cap. 10. quæs. 10.* [Filliucius *tract. 7. c. 2. quæs. 6. num. 57* Molfesius *n 38.*]& alij Do. statim citandi, contra Henriq. *lib. 4. c. 4 n. 5. in commentario littera D c. 15 n. 1.* Sotum *in 4. dist. 18 q. 2 art. 5. ad tertium.*

Si verò recordetur ante communionem, tenetur, per se loquendo peccatum mortale oblitum confiteri, antequam ad communionem accedat, vt patet ex suprædictis de Eucharistia, nullus enim potest ad Eucharistiam accedere, nisi confessionem peccatorum, quorum habet conscientiam, prætermittat. Ita Sotus *loco cit* Nauarrus *loco cit. num. 10.* Syluester *Confessio 1. num. 3.* Henriquez *cap. 4 cit. num. 6.* Suarez *disp. 36 sect. 4. num 6.* Victoria *num. 137.* Reginaldus *loco cit.* & alij.

33 An cõmittẽs intra eundem annũ aliquod peccatum mortale post confessionem, & communionem, teneatur illud statim cõfiteri.

33 QVÆRES decimò, vtrùm, qui post confessionem, & communionem commisit aliquod peccatum mortale nondum elapso anno, in quo priùs confessus est teneatur illud peccatum confiteri, vt satisfaciat præcepto annuæ confessionis, quo præcipitur omnia peccata confiteri.

RESPONDEO probabiliter sustineri posse non teneri. Ratio est, quia cùm semel integrè confessus sit peccata, quorum tunc conscius erat, iuxta *cap. omnis vtriusque sexus*; videtur satisfecisse præcepto Ecclesiæ, quo præscribitur confessio semel in anno. Ita Victoria *in summa num. 137.* Ledesma 2. *part. quarti. quæst. 6. art. 5. dub 6* Reginald. *lib 3. num 38.* & alij, quamuis opposita sententia tutior sit, illàmque sequitur Henriquez *loco cit. cap. 4. n. 2. & 6.* Suarez *disp. 36. sect 3. num 9. & sect. 4. num 7.* & alij.

Existimo tamen cum Vasquez *quæst 9. art. 3 dub. 1. ad finem* Zerola *loco cit. quæsito 11.* Reginaldo & Suarez *locis citatis,* eum, qui confessus est hoc anno peccata solùm venialia, cùm non haberet conscientiam peccati mortalis, si post confessionem committat aliquod peccatum mortale nondum elapso anno, teneri eodem anno iterum confiteri, quia nunquam hoc anno confessus est peccata mortalia Præceptum autem confessionis *in cap. omnis vtriusque sexus,* obligat ad mortalia confitenda semel in anno, si pœnitens intra annum conscius sit alicuius peccati mortalis.

QVARTA PROPOSITIO.

34 Cuinã facienda sit confessio.

34 CONfessio facienda est Sacerdoti approbato ad excipiendas confessiones. Ratio per se patet, quia non quilibet Sacerdos est legimus iudex in foro sacramentali, vt constabit ex infrà dicendis *de ministro Sacramenti pœnitentiæ.* Quamobrem qui sua peccata confitetur Religioso approbato, non satisfacit præcepto confessionis, satisfacit verò, si Religioso approbato suorum peccatorem confessionem faciat, cùm huiusmodi Religiosus sufficientem habeat iurisdictionem.

35 An Parochus possit suos subditos prohibere ne confiteantur probato Sacerdoti.

35 Addo cum Suarez *disp. 6. sect 1. num. 12.* & aliis Doctoribus statim citandis, Parochum non posse suis subditis prohibere ne confiteantur huiusmodi Sacerdoti, seu Religioso, quia facultas concessa Sacerdoti, seu Religioso approbato, censetur quasi relatiua, ita vt eo ipso, quo Religiosus fuit ab Episcopo approbatus, & admissus ad confessiones audiendas, censeatur etiam data facultas Parochianis, vt possint huiusmodi Sacerdoti sua peccata confiteri, nec amplius teneantur eadem peccata proprio Parocho in confessione aperire. Ita Suarez *disp. 36. sect. 1. & 2.* Coninch. *disp. 8. dub. 9 n. 66* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 10 punct. 2.* Reginaldus *lib. 1. num. 16* Zerola *in praxi de Sacramento pœnitent. cap. 15. quæsito 3.* Pesantius *in additionibus ad 2. part. quæst. 10. de dolore, disp. 7* Henriquez *lib. 4. cap. 4. num. 3.* [Molfesius *tract 7. cap. 10. num 24.*]Nugnus *in additionibus quæst. 8. art. 4. conclus 3. dub. 3. versic. Deinde notandum*

dum, & expressiùs *art.* 5. *dub.* 1. vbi dicit, hanc esse communẽ Summistarum opinionem.

OBIICIES, *in cap. omnis vtriusque sexus*, habetur peccata confitenda esse proprio Sacerdoti, aut alteri de licentia proprij Sacerdotis; ergo qui confitetur alteri, quàm proprio Parocho, non videtur satisfacere præcepto annuæ confessionis, cùm proprius Parochus sit proprius Sacerdos.

RESPONDEO primò fideles iure communi præcisis priuilegiis teneri suis Parochis confiteri, non verò positis priuilegiis. Vnde *cap. omnis vtriusque sexus*, intelligendum est de proprio Parocho præcisis priuilegiis, quibus gaudent Sacerdotes approbati ad cõfessiones audiendas, iuxta ipsorum facultatem, & approbationem.

RESPONDEO secundò non solùm Parochum, verùm etiam Episcopum esse proprium Sacerdotem, vt bene docet Vasquez *de pœnitentia quæst.* 93. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 2. *& dub.* 6. *n.* 13. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 2. Sayrus *de pœnitentia cap.* 19. *n.* 2. Coninchus & alij Doctores citati, quod etiam procedit in Summo Pontifice; cùm autem Summus Pontifex, vel Episcopus approbando aliquem Sacerdotem ad confessiones audiendas, det etiam facultatem suis subditis vt confiteantur Sacerdoti à se approbato, sequitur eum, qui confitetur huiusmodi Sacerdoti approbato, satisfacere præcepto, quia censetur confiteri de licentia proprij Sacerdotis, vt dicitur *in cap. omnis vtriusque sexus.*

Hoc tamen intelligendum est, habita ratione approbationis, & licentiæ amplæ, vel restrictæ illius Sacerdotis, cui fit confessio.

36 *An Parochus possit denegare Eucharistiam illi in Paschate qui se dicit confessũ approbato Sacerdoti.*

36 Hinc sequitur, à Parocho non esse denegandam in Paschate Eucharistiam illi, qui se dicit confessum approbato Sacerdoti, modò sit fide dignus, & non sit peccator publicus, nam viro fide digno fides præstari potest.

Obseruandum tamen est, alicubi per decreta, vel per consuetudinem receptum esse, vt Parochi iis fidem non præstent, qui se dicunt confessos, nisi schedulam, & attestationem confessionis afferant, quanquam si persona grauis, & honesta dicat se schedulam amisisse aut se illius oblitam fuisse, Parochus potest, per se loquendo, illi fidem præstare, illámque ad Eucharistiam admittere, quia viro fide digno fides præstari potest Ita Henriq. *lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 3. *& cap.* 16. *n.* 10. *& lib.* 6. *c.* 6. *n.* 9. Gambatupta *cap.* 2. *de casibus reseruatis, folio mihi* 22. *num.* 34. & alij Doctores citati.

PVNCTVM VLTIMVM.

Quibus de causis excusentur fideles à Confessione.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Quandònã excusentur fideles ab obligatione confessionis.*

1 FIdeles excusantur ab obligatione confessionis quoties absolutè aut sine graui detrimento nequeunt sua peccata confiteri. Ratio est, tum quia nemo tenetur ad impossibile, nec Christus, aut Ecclesia obligat cum graui incommodo, vt à simili constat ex supradictis de integritate confessionis.

2 *An excusetur, qui non habet copiam Cõfessarij.*

2 Hinc sequitur primò, eum qui non habet copiam Confessarij, nec eius copiam habere potest, nisi longum iter suscipiat, excusari ab obligatione confessionis, si nequeat iter suscipere absque graui incommodo, iudicio prudentis viri, vt à simili constat ex supradictis de dispositionibus requisitis in Sacerdote Missæ sacrum celebraturo.

3 *An excusetur, qui probabiliter timet reuelationem peccati.*

3 Secundò eùm, qui sibi, aut alteri probabiliter timet reuelationem peccati, aut aliud graue detrimentum, excusari à confessione eorum peccatorum, ex quorum manifestatione probabiliter timet reuelationis periculum, aut aliud graue detrimentum, quamuis non excusetur à confessione aliorum peccatorum mortalium, quæ probabiliter non timet manifestanda, vt bene docet Suarez *disp.* 36. *sect.* 6. *n.* 1. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 4. *& lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 2. Reginaldus *lib.* 6. *num.* 51. Coninchus *dub.* 10. *num.* 76. *disp.* 8. Nugnus *in additionibus quæst.* 6. *artic.* 6. *versic. Agendum est etiam*, [Filliucius *tractatu* 7. *cap.* 3. *quæs.* 8.] & alij quos suprà retuli *de causis excusantibus ab integritate confessionis* vbi etiam ostendimus, vtrùm pœnitens habens peccata mortalia, & venialia, teneatur confiteri peccata venialia, tacitis mortalibus, ex quorum manifestatione probabiliter timet graue periculum; diximus eum excusari non solùm à confessione mortalium, verùm etiam venialium, quia non est præceptum confitendi venialia. Ita Henriquez *cap* 4. *num.* 4. Suarez, & alij, quos suprà retuli *de causis excusantibus ab integritate materiali confessionis*, quamuis contrarium sentiat Nugnus *loco citato* §. *difficultas prima.* Concedimus quidem posse confiteri venialia, si velit, & consequenter iustificari, cùm habeat causam excusantem ab explicandis mortalibus peccatis negamus tamen teneri ad confessionem peccatorum venialium, vt patet ex allata ratione.

4 *An excusetur, qui non potest secretò confiteri.*

4 Tertiò sequitur, illum excusari à præcepto non solùm Ecclesiastico, verùm etiam diuino, qui non potest sua peccata confiteri sub secreto sigilli confessionis, vt si Confessarius vitio surditatis laboret, aut pœnitens in naui cum aliis existens peccata sua nequeat explicare, nisi ab aliis exaudiatur; præceptum enim confessionis non obligat cum tanto incommodo, & hoc ab aliquibus Doctoribus admittitur, non solùm quando pœnitens susceperus est Eucharistiam, verùm etiam quando in periculo mortis existit, iugum enim Christi suaue est, & onus ipsius leue. Ita Suarez, Henriquez, [Filliucius,] & Vasquez *locis suprà citatis*, in explicatione conditionum requisitarum ad confessionem, contra Nugnum *in additionibus ad* 3 *partem. qu.* 9. *art.* 3. *difficultate* 1. Hoc autem, quo pacto intelligendum sit, constat ex supradictis in explicatione conditionum confessionis, occasione illius particulæ, *secretò*, & ex ijs, quæ statim subiungam in sequenti illatione.

5 *An excusetur, qui non potest nisi per interpretem confiteri.*

5 Quartò, eum qui non nisi per interpretem confiteri potest, excusari à præcepto confessionis non solum Ecclesiastico, verùm etiã diuino, non solum tempore communionis, verùm etiam mortis, nisi forte pœnitens in tali euentu nequeat actum contritionis elicere Ratio cur excusetur est, tum quia *in capite omnis vtriusque sexus*, præcipitur confessio facienda soli Sacerdoti, non fieret autem soli Sacerdoti, si pœnitens teneretur sua peccata per interpretem confiteri: tum quia iure diuino fideles non obligantur ad confessionem publicam, vt patet ex citato *cap. omnis vtriusque sexus*, & ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. sed obligantur ad confessionem secretam, & auricularem: confessio autem, quæ fit per interpretem, non est secreta, sed potiùs publica, quatenus contradistinguitur à secreta: tum quia ius diuinum, & Ecclesiasticum non obligat cum tanto incommodo ad confessionem faciendam præciso mortis articulo: in articulo verò mortis, si peccator nequeat obtinere absolutionem à peccatis, nisi publicè, vel per interpretem confiteatur, nec possit actum contritionis elicere, aut dubitet de sua contritione, tenetur publicè, vel per interpretem confiteri, quia tenetur quantum potest adhibere media ad salutem propriam, & cauere debet, ne se periculo damnationis exponat: non adhiberet autem media ad salutem propriam si non confiteretur peccata, saltem ea, quę cum minore infamia potest explicare, Secus dicendum est, si habeat actum contritionis, nec de illo probabiliter timeat, aut si aliàs aduertat, se directè, vel indirectè absolutionem ab illis peccatis obtinuisse, tunc enim non videtur obligandus ad confessionem publicè, aut per interpretem faciendam, vt patet ex allatis rationibus, quamuis possit confiteri, si velit, & confessio illi consulenda sit, cùm habeat iustã causam prodigendi propriam famam. Ita Suarez *disput.* 36. *sect.* 6. *num.* 5. Syluester *verb. Confessio* 1. *num.* 15. Vasquez *quæst.* 91. *art.* 3. *dub.* 3. Valent. *disp.* 7. *q.* 11. *punct.* 1 Sayrus *de pœnitentia. cap.* 12. *n.* 17. Henriquez *lib.* 4. *cap* 4 *n.* 4. *& lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 8. Reginaldus *loco cita. num* 51. Coninchus *disp.* 5. *dub.* 10. *num* 77. Nugnus *loco cit. qu* 6. *art.* 6. *difficultate* 2 & alij, quos supra retuli [*punct.* 2. §. 2. *num.* 21.] in explicatione illius particulæ, *secretò*, contra nonnullos alios apud Henriquez *loco cit. in comment. littera O.*

6 *An teneãtur confiteri, qui non potest aliter, quàm per scripturam confiteri.*

6 Sed modò dubium est, vtrùm qui non potest aliter confiteri, quàm per scripturam, teneatur per scripturam confiteri, vt si pœnitens careat lingua, vel Confessarius sit surdus, aut pœnitens non possit nutibus, aut alia ratione, quàm per scripturam, explicare sua peccata.

Respondetur duplicem esse Doctorum sententiam in hac difficultate.

Prima negat teneri per scripturam confiteri extra mortis periculum. Ita Nauarrus *cap.* 21. *n.* 36. Victoria *n.* 137. Henriquez *locis citatis*, Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 11 *punct.* 1. *folio mihi* 1352. Zerola *c.* 14. *quæsito* 5. Sayrus *loco citato*, *cap.* 13. *num.* 18. Medina, Sotus, & alij apud Suarez *disp.* 36. *sect* 6 *num.* 6. Ratio est, quia nemo tenetur ad confessionem cum suo graui incommodo, & cum periculo, vt peccata ab aliis cognoscantur.

Secunda sententia affirmat teneri. Ita Caietanus *verb. Confessio, conditione* 1. Syluester *verb. Confessio* 1. *quæsito* 15. Coninchus *disp.* 5. *dub.* 10. *num.* 18. Pelantius *in additionibus ad* 3. *pa. quæst.* 10 *sub finem disp.* 2 *pag* 976. [Filliucius *tract* 7. *cap.* 3. *quæs.* 8. *num* 63.] & alij apud Suarez *loco cit.* apud Henriquez *lib.* 4. *cap.* 4 *n.* 4. *in commentario littera A, & B*, apud Nugnum *loco cit difficultate* 3. & apud Vasquez *quæst.* 91 *art.* 3. *dub.* 5.

Sed mihi distinguendum videtur, vel pœnitens commodè potest per scripturam confiteri, vel non potest, sine graui incommodo. Si commodè, & sine periculo non potest confiteri per scripturam, non tenetur per scripturam confiteri, & hoc pacto adhæremus primæ sententię. Si verò commodè, & sine periculo potest per scripturam confiteri, tenetur per scripturam confiteri, quoties instat præceptum confitendi. Ratio est, quia qui tenetur ad finem tenetur etiam ad media ordinaria saltem, & commoda, conducentia ad talem finem; ergo qui tenetur confiteri, tenetur etiam adhibere media commoda conducentia ad confessionem. Sed pœnitens commodè potest absque periculo, & damno per scripturam confiteri, vt suppono, potest enim scribere sua peccata coram Sacerdote, & statim perfringere chartam, in qua scripta erant peccata. Præterea potest habere librum typis impressum, in quo digitis indicet peccata Confessario, descripto in alia charta numero peccatorum, ita vt non incurrat periculum infamiæ, aut grauis damni; ergo pœnitens tenetur per scripturam confiteri, quoties per scripturam potest confiteri absque periculo, & damno. Ita sentire videntur Doctores secundæ sententiæ.

Ad argumentum primę sententiæ, respondeo inde solùm colligi pœnitentem non teneri ad confitendum per scripturam, quoties graue periculum imminet, non verò probatur pœnitentem non teneri per scripturam confiteri, præciso periculo, vel graui incommodo.

7 *An habens lubricam memoriam teneatur peccata scribere.*

7 Vtrùm verò, qui lubricam habet memoriam teneatur peccata scribere, vt suo tempore confiteatur, aut teneatur illa statim confiteri, ne memoria excidant, constat ex supradictis *disp.* 5 *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 2. vbi diximus habentem debilem memoriam non teneri peccata scribere, vt suo tempore confiteatur, aut statim confiteri ne obliuiscatur, quia hæc non sunt media ordinaria, & fieri potest vt scriptura deperdatur cum periculo infamiæ. Neque constat vllo iure peccatorem teneri ad confessionem statim faciendam, ne peccatorum obliuiscatur. Secus dicendum est, si possit sua peccata absque probabili periculo scribere tempore confessionis, aut etiam antea, & hoc pacto limitanda est sententia Doctorum §. 2. citato relatorum, absolutè negantium, pœnitentem teneri peccata scribere.

SECTIO.

SECTIO III.

De satisfactione.

SAtisfactio tripliciter accipitur. Primo pro actione, qua quis facit quantum debet, qualis est actio soluendi respectu debitoris soluentis debitum creditori; dicitur enim satisfactio, quia debitor per eam actionem facit quantum debet.

Secundò accipitur pro compensatione iniuriæ illatæ, quæ fieri solet per contritionem, & per actus virtutis pœnitentiæ, vt patet ex supradictis de virtute pœnitentiæ, & de contritione.

Tertiò, pro compensatione pœnæ temporalis debitæ propter iniuriam Deo illatam per peccata.

In hac sectione sermo nobis est de satisfactione, quatenus importat compensationem pœnæ temporalis debitæ propter iniuriam Deo illatam, quæ est tertia pars Sacramenti pœnitentiæ, quatuor autem precipuæ differemus.

Primò definitionem, & necessitatem explicabimus.

Secundò obligationem Confessarij circa pœnitentiam iniungendam.

Tertiò eiusdem potestatem circa pœnitentiam commutandam.

Quartò obligationem pœnitentis circa pœnitentiam acceptandam, & adimplendam.

PVNCTVM I.

De definitione, & necessitate satisfactionis.

DVo breuiter quæram in hoc puncto. Primò quid sit satisfactio. Secundò vtrum Sacramentum pœnitentiæ sine satisfactione sit validum.

PRIMA PROPOSITIO.

Satisfactio quid sit.

1 SAtisfactio est compensatio pœnę temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam, consistens in operibus pœnalibus, & laboriosis taxatis à Confessario. Ita Valentia *tom. 4 disp. 7 quæst. 14. punct. 1.* Bellarminus *de pœnitentia lib. 4. cap. 2.* [Suarez *disp. 33.* Filliucius *tract. 8. cap. 1. num. 1.* Molfesius *tract. 7. cap. 75. num. 22.*] & alij communiter.

Dicitur *compensatio pœnæ temporalis*, vt aduerterem pœnitentiam sacramentalem iniungi in satisfactionem pro reatu pœnæ temporalis remanente post culpam iam deletam.

Dicitur *debitæ ob iniuriam Deo illatam*, quia, cùm homo per peccatum inferat Deo iniuriam, dignus est aliqua pœna, in cuius satisfactionem imponitur pœnitentia in confessione.

Consistens in operibus pœnalibus, & laboriosis, &c. vt ostendatur, quęnam opera iniungantur in satisfactionem. Hæc omnia clariùs constabunt ex dicendis in sequentibus punctis.

An satisfactio à confessario imposita sufficiat ad remittendam omnem pœnam peccatis debitam.

2 Sed modò dubium est, vtrùm satisfactio imposita a Confessario quam diximus esse compensationem pœnæ temporalis, sufficiat ad remittendam omnem pœnam peccatis debitam, ita vt peracta satisfactione pœnitenti nihil luendum remaneat in Purgatorio.

Respondet Medina *Codice de effectu pœnitentiæ iniunctæ.* Sotus *dist. 20. q. 2. artic. 3.* & alij apud Vasquez *de pœnitent. q. 94. art. 2. d. 6. n. 3.* omnẽ remittere pœnam, si Confessarius imposuit pœnitentiam, quam ipse arbitratus sit iustam, cùm enim impositio pœnitentiæ posita sit in prudenti arbitrio Confessarij, par est, vt pœnitentia iuxta prudentis Confessarij arbitrium imposita tollat omnem pœnam.

Ego verò censeo non semper remittere omnem pœnam. Ita Vasquez *loc. cit.* Nugnus *in additionibus q. 18. artic. 4. difficultate 2.* Valentia *tom. 4. disp. 7. qu. 14 punct. 4. vers. Duo tamen.* Reginaldus *lib. 7. num. 47.* Pitigianus *2. part dist. 15. in 2. part. q. 1 art. 5. vers. Quoad secundum.* Bellarmin *loco cit.* Zerola *in praxi c. 25. qu. 4* & alij. Ratio est, tum quia, vt aliquis pœnam peccatis debitam imponat ad æqualitatem, cognoscere debet, quanta pœna peccatis debeatur: sed Confessarius non cognoscit quanta pœna peccatis debeatur: ergo non imponit pœnam ad æqualitatem, consequenter per satisfactionem non tollitur omnis pœna peccatis debita, ita vt pœnitenti, peracta satisfactione, nihil in Purgatorio luendum remaneat: tum quia proprium est Sacramenti Baptismi tollere omnem culpam, & pœnam; ergo per satisfactionem sacramentalem non semper remittitur omnis pœna.

Ad rationem in contrarium: respondeo, liberum esse Confessario imponere satisfactionem, & illam satisfactionem censeri iustam, quę Confessario attenta peccatorum quantitate & qualitate pœnitentis iusta videtur: non tamen hinc sequitur per huiusmodi satisfactionem tolli omnem pœnam, cùm ipse Confessarius non cognoscat, quanta pœna peccatis debeatur.

Neque obstat, quod aliqui dicunt, pro peccato mortali deberi pœnam septem annorum, nam hoc gratis asseritur, cum non constet illam septennalem pœnitentiam pertinuisse ad forum Sacramenti pœnitentiæ, nec appareat vbinam sancita fuerit pro singulis mortalibus septennalis pœnitentia in foro Sacramenti pœnitentiæ iniungenda. Ita Suarez *disp. 38 sect. 4, n. 2.* Valentia *loco cit.* Nauarrus *c. 26. n. 27.* Beia *part. 3. casu 1. vers. Aduertendum tertiò.* Nugnus, & Reginaldus *locis citatis.*

SECVNDA PROPOSITIO.

An Sacramentum pœnitentiæ sine satisfactione validum sit.

3 VAlidum est pœnitentiæ Sacramentum, in quo Sacerdos nullam iniungit satisfactionem (modò pœnitens malitiosè non concurrat ad omissionem iniungendæ pœnitentię,) etiamsi fortè Sacerdos peccet non iniungendo pœnitentiam absque rationabili causa. Ratio, cur Sacramentum sit validum, quando Sacerdos nullam iniungit pœnitentiam absque malitia pœnitentis est, tum quia, si pœnitens non adimpleat satisfactionem acceptatam, non redit inualidum pœnitentiæ Sacramentum antea susceptum cum animo adimplendæ pœnitentiæ: ergo validum est etiamsi Sacerdos eam non iniungat: tum quia iniunctio pœnitentiæ, seu satisfactionis non est pars essentialis Sacramenti, vt constat ex suprad. dictis: ergo Sacramentum potest esse validum non iuncta pœnitentia, cùm ei tantummodò desideretur pars integralis, non verò essentialis. Ita Nugnus *in additionibus quæstio. 18. articulo 4 difficulta. 2.* Reginaldus *lib. 7. num. 47.* & alij.

PVNCTVM II.

De obligatione Confessarij circa pœnitentiam iniungendam.

QVatuor principaliter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm Confessarius teneatur iniungere pœnitentiam.

Secundò, quænam opera teneatur pro pœnitentia imponere.

Tertiò, quantam pœnitentiam possit, vel teneatur impendere.

Quartò, quando eam teneatur iniungere.

PRIMA PROPOSITIO.

An Confessarius teneatur iniungere pœnitentiam

1 COnfessarius, per se loquendo, tenetur satisfactionem, seu pœnitentiam iniungere. Ita Suarez *disp. 38 sect. 3.* Henri. *lib 5. c. 20 n. 5. & c. 21 in principio.* Tolet. *lib. 3. cap. 11.* Valentia *tom. 4 dis. 7 q. 14 punct. 4* Comitolus *lib 1. responsionum moralium, q. 35. nu. 2.* Beia *3. part. casu 1.* Coninchus *de pœnitentia disp. 10. dub. 8. num. 62 & 64.* Regin. *lib. 7. num. 11.* Nugnus *in additionibus q. 13. art. 2. diffic. 1. verso. Ex dictis sequitur.* [Filliucius *tract. 8. c. 2. quæs. 3. nu. 36.* Molfesius *tract. 7. cap 25.*] & alij.

Ratio desumitur tum ex *cap. omnis utriusque sexus:* tum ex Tridentino *sess. 14 c 3. & 8. de Sacrament. pœnitentiæ*, vbi dicitur, Sacerdotes Domini debere, quantum spiritus, & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, & pœnitentum facultate salutares satisfactiones iniungere: tum quia Confessarius curare tenetur, vt Sacramentum sit integrum: ad integritatem autem Sacramenti pœnitentię pertinet satisfactio, cùm superiùs ostenderimus satisfactionem esse partem Sacramenti pœnitentiæ: tum quia ad iudicem pertinet curare, vt seruetur æquitas inter læsum, & lædentem: sed Sacerdos est iudex inter Deum, & hominem: ergo ad Sacerdotem pertinet curare, vt seruetur æquitas: seruatur autem æquitas, si Sacerdos condonando iniuriam Deo factam curet hominem Deo satisfacere. Quamobrem Suarez, & alij *loctscitatis* asserunt Confessarium teneri sub mortali pœnitentiam iniungere, per se loquendo, alioquin peccaret contra proprium officium in re graui.

Obserua tamen aliquos casus excipi, in quibus Sacerdos excusatur ab iniungenda pœnitentia, vt benè docet Nauarrus *c 26. nu. 21. & 31.* Caietanus *verb. satisfactio.* Henriquez *lib. 5. cap. 10. num. 6.* Suarez *disp. 38 sect. 3.* Reginaldus *lib 7. nu. 11.* Nugnus *in additionibus loco cit. & q. 18. art. 3 difficultate 1. pag mihi 388.*

An iniungenda sit pœnitentia quando infirmus est morti proximus.

2 Primus casus est, quando pœnitens ita est proximus morti, vt nihil percipiat, tunc enim impendenda est absolutio absque satisfactione, cùm in tanta necessitate non sit omittenda absolutio, & satisfactio non sit de essentia. Immo si pœnitens proximus morti sit sui compos, sed non speretur fore, vt pœnitentiam possit adimplere, Sacerdos non tenetur illam imponere: quia nullus obligatur ad opus inutile, vtiliter tamen, & prudenter aget Confessarius non iniungendo grauem, sed leuem aliquam pœnitentiam, vt percussionem pectoris, aut breuem orationem, aut inuocationem nominis Iesu, aut aliquem actum bonum, vel aliquid præstandum infirmo sub conditione, si valetudinem recuperauerit aut aliquid aliud præstandum ante mortem, habita ratione status pœnitentis in extremo vitę periculo existentis, nam curare tenetur, vt Sacramentum sit perfectum quoad omnes partes, etiam integrales, quantum fieri potest.

An iniungenda sit pœnitentia scrupuloso frequenter intra eãdem horam accedenti ad Confessarium.

3 Addit Nauarrus *de pœnitentia dist. 7. cap. si quis autem num. 13. fol. mihi 651* iniungi posse penitenti, vt patienter ferat infirmitatem. Verùm hæc pœnitentia videtur mihi rarò iniungenda, quia fieri potest, vt magnam afferat molestiam infirmo timenti se non ritè satisfacere pœnitentiæ iniunctæ.

3 Secundus casus est, quando scrupulosus intra eandem horam frequenter accedit ad Confessarium aliquid noui semper confitens, in quo casu Sacerdos potest iniungere pœnitentiam iam alias iniunctam, nam opus aliàs debitum potest in satisfactionem sacramentalem iniungi, vt inferiùs explicabo. Hic tamen casus non est propriè exceptio à regula generaliter tradita de obligatione penitentię iniungendę, cùm aliqua pœnitentia imponatur.

An sit iniũgenda pœnitentia, quando Cõfessarius adeò contritum videt pœnitẽtẽ, vt credat integrè Deo satisfeciſſe.

4 Tertius casus est, quando Confessarius ex signis aduertit, pœnitentem ad pœnitentiæ Sacramentum cum tanto dolore accedere, vt credat ipsum integrè Deo satisfeciſſe. Ratio est, quia qui iam integrè satisfecit, non videtur obligandus ad nouam satisfactionem.

Verùm cùm Sacerdos difficilè valeat cognoscere, pœnitentem integrè satisfeciſſe, meliùs, & tutiùs aget iniungendo aliquam pœnitentiam, ne se periculo exponat relinquendi pœnitentiæ Sacramentum, quo ad satisfactionem, imperfectum. Ita Henriquez, Nauarrus

Caietanus, Henriquez, Suarez, Reginaldus, & alij *locis citatis*

5 *An possit absolui pœnitens nulla iniuncta pœnitentia quando probabiliter creditur nullam acceptaturus.*

5 Addunt aliqui Doctores posse pœnitentem absolui, nulla iuncta pœnitentia, quando pœnitens probabiliter creditur nullam acceptaturus pœnitentiam. Ratio est, ne Sacramentum, quod in medicinam, & fauorem pœnitentis est institutum, vertatur in ipsius laqueum, & ruinam.

Sed hunc casum ratò puto admittendum, quia pœnitens qui animum habet non acceptandi vllam pœnitentiam, non censetur dispositus ad recipiendum beneficium absolutionis. Ita Nugnus *loco cit. art.* 3. Reginaldus *loco cit. num.* 12. & alij.

6 *An Confessarius teneatur pœnitentiam iniungere per modum præcepti.*

6 QVÆRES primò, vtrùm Confessarius possit, vel teneatur iniungere pœnitentiam per modum præcepti.

RESPONDEO Sacerdotem non solùm posse præcipere satisfactionem pœnitenti, quod tanquam de fide docet Nauarrus *c.* 26 *num.* 20 ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. *& canone* 25. verùm etiam, regulariter loquendo, teneri satisfactionem præcipere, vt patet ex rationibus in propositione relatis. ita Coninchus *loc. citat. dub.* 8. *n.* 64. vbi asserit satisfactionem per modum consilij impositam non esse sacramentalem. Idem asserunt præcitati Doctores: fieri tamen potest, vt Confessarius aliquando non teneatur præcipere satisfactionem, sed possit eam consulere, vel imponere sub forma quasi conditionata, hoc modo, si tale opus feceris, seruiat tibi in satisfactionem, vel si reincideris in tale peccatum, ieiunabis, aut recitabis tales orationes, &c. Ita Suarez *disp.* 38. *sect.* 3. Pesantius *in additionib. ad* 3. *part. q.* 18. *de satisfactione sacramentali disp.* 1. [Filliucius *tract.* 8. *cap.* 2. *quæs* 3. *num.* 37. Molfesius *num.* 62.] & alij contra Coninch. *loc. cit. num* 64. Nugnum *loc. cit. verf Ex dictis, & qu.* 18. *art.* 3. *difficult.* 2. *pag.* 388. Ratio est, quia satisfactio iniungitur in medicinam quatenus Sacerdos iudicauerit expedire; si ergo Sacerdos iudicauerit expedire, vt pœnitentia non iniungatur per modum præcepti sed sub forma quasi conditionata, potest eam sub forma quasi conditionata iniungere.

7 *An Confessarius possit iniungere pœnitentiam sub disiunctione.*

7 QVÆRES secundò, vtrùm Confessarius possit iniungere pœnitentiam sub disiunctione.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, tum quia Confessarius tenetur pœnitentiam iniungere, vt satisfactio præstetur Deo, pœnitens autem potest Deo satisfacere per pœnitentiam sibi sub disiunctione impositam. Tum quia hoc idem fieri potest in aliis iudiciis; ergo etiam fieri potest in Sacramento pœnitentiæ, quod per modum iudicij fuit institutum. Quamobrem Confessarius potest dicere pœnitenti, tantam impende eleemosynam pauperibus, vel si maluerit, toties recitabis coronam, aut si coronam vno die omiseris, repetes bis sequenti die. Ita S. Thomas, Paludanus, & alij apud Suarez *loco citat.* apud Henriquez *lib.* 2. *c.* 21. *n.* 5 & apud Reginaldum *lib.* 7. *n.* 40.

SECUNDA PROPOSITIO.

8 *Quænam opera iniungenda sint pro pœnitentia.*

8 OPus, quod in satisfactionem iniungitur, debet esse opus bonum pœnale, vt benè docet Valent *tom.* 4. *disp.* 7 *qu.* 14. *pun.* 3. *versic Tertiò sequitur*, & alij Doctores communiter sta tim citandi, cum S. Thomas *in additionibus ad* 3. *partem qu.* 15. *artic.* 3. quibus nouissimè adhæret Pitigianus 2. *part. dist.* 15. *q.* 1. *art.* 3. *con.* 1. [Filliucius *tract* 8. *cap.* 1. *quæs* 7. *num.* 17.] & Pesantius *in additionibus ad* 3. *pa. q.* 18. *disp.* 6. Ratio est, quia homo non satisfacit pro pœna, nisi opus pœnale exhibeat, & præstet; ergo iniungendum est illi opus bonum pœnale in satisfactionem.

9 *Quænam sint opera pœnalia à Confessario iniungenda.*

9. SIQVÆRAS quænam sint bona opera pœnalia, quæ sunt iniungenda à Confessario, vt pœnitens satisfaciat Deo pro pœna peccatorum.

RESPONDETVR ad tria capita reuocari.

Primum caput est oratio ad quam reducuntur alia bona interna opera, qualis est contritio, gratiarum actio &c.

Secundum caput est ieiunium, ad quod reducitur quælibet maceratio carnis, vt verbera, cilicium, &c.

Tertium caput est eleemosyna, ad quam reducuntur alia opera misericordiæ in proximum. Ratio autem, cur aliquod ex prædictis operibus in satisfactionem iniungatur, est, tum quia in Tridentino *sess.* 14. *Canone* 13. decernitur satisfactionem præstari posse ieiuniis, orationibus, & eleemosynis: tum quia prædicta opera sunt bona, & pœnalia: tum quia pœnitentia debet peccatis respondere: omne autem peccatum, vel in Deum committitur, & contra hoc datur oratio vel contra proximum, & contra hoc imponitur eleemosyna, vel contra seipsum, & huic respondet ieiunium, vt argumentantur S. Thomas *l. cit. art.* 1. & 3. Pitigian. *loco* mox *citando, verf. Sufficientia autem.* & Bellarm. *de pœnit. lib.* 4. *cap.* 6. *verf. Quod igitur.* Sayrus *de pœnit. c.* 36. *num.* 5. tum quia licèt homo per quodlibet istorum operum possit Deo satisfacere, tamen si satisfactio consideretur, quatenus imponitur vt Medicina, per diuersa opera imponenda est; nam peccantibus ex auaritia imponitur eleemosyna, peccantibus ex carnis concupiscentia iniungitur ieiunium, pro aliis verò peccatis, præsertim pro peccatis omissionis contra laudem Dei, præcipitur oratio: tum quia tres sunt radices peccatorum, 1. *Ioannis* 4. Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Contra concupiscentiam carnis dirigitur ieiunium; contra concupiscentiam oculorum, eleemosyna; contra superbiam vitæ, oratio. Ita S. Thomas *in addition. q.* 15. *art.* 1 & 3 Nugnus *ibid.* Valentia *loco cit.* Henriquez *lib.* 5. *c.* 19. *n.* 8. Zerola *de pœnit. cap.* 25. *quæsito* 8. Reginaldus *lib.* 7. *n.* 4. 5. & 22. Suarez *disp.* 38. *sect.* 6. *n.* 4. Victoria *nu.* 208. Sotus *dist.* 19 *quæst.* 2. *art.* 3. Pitigianus 2. *part. dist.* 15. *in* 2. *p. qu.* 1. *art.* 2. [Molfesius *tract* 7. *c.* 25. *n.* 35. & *seq.*] & alij communiter.

10 *An possint iniungi meditationes in satisfactionem.*

10 Ex dictis colligi potest primò, in satisfactionem iniungi posse aliquam meditationem, aut aliqua proposita vitandi peccata: hæc enim sunt bona opera pœnalia in primo capite recensita, cùm fiant cum fatigatione corporis propter attentionem, & quamuis isti actus sint interni, nihilominus sunt sensibiles per accidens, quatenus exterius imponuntur, & acceptantur. Ita Suares *loc. cit.* [Filliucius *n* 45.] & alij communiter.

11 *An opus aliàs præceptum iniungi possit in satisfactionem.*

11 Secundò in satisfactionem iniungi posse opus aliàs præceptum, vt Missæ auditionem in die Dominico, aut ieiunium in Quadragesima, &c. nam hæc sunt bona opera pœnalia, & pendent a voluntate Confessarij, consequenter pœnitens potest aliquando eodem actu satisfacere obligationi, qua tenetur ex pœnitentia, & ex alia obligatione. Ita Suarez *loc. cit.* Bcia 3. *part. casu* 7. Coninch *disp.* 10. *de pœnitentia, dub* 8. *num.* 67. *&* 68. Nauarrus *c.* 26 *n.* 14. Valquez *q* 94. *art.* 1. *dub.* 6 Valentia *loco cit. verf. Secundò sequitur.* Viualdus *de satisfactione num.* 10. Pitigianus *loc. cit. art.* 6 *conclu.* 4. Sanchez *in summa lib.* 1. *c* 14 *num.* 5. Zerola *de pœnitentia. c.* 25. *quæsito* 12. Syluester *verb. Satisfactio n.* 8. Sayrus *de pœnitentia, c.* 36. *n.* 6. Victoria *n.* 203. Reginaldus *lib* 7. *num.* 28. & alij contra Nugnum *in additionibus quæst.* 15. *art.* 2. *difficultate* 2. vbi asserit, Confessarium posse quidem validè iniungere opera aliàs debita, sed grauiter peccare, si eainiungat pro peccatis mortalibus in confessione manifestatis Idem asserunt quam plures alij Doctores apud Vasquez *loco citato.*

OBIICIES, non potest aliquis vnica solutione satisfacere pluribus creditoribus quibus tantundem debetur; ergo neque pœnitens satisfaciet obligationi, qua tenetur ex pœnitentia, & ex voto, vel ex alio præcepto.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio differentiæ est, quia debitor tenetur satisfacere creditoribus ex debito iustitiæ, pœnitens verò ex debito legali. Hæc autem est differentia inter debita realia iustitiæ commutatiuæ, & inter legalia, vt voti, ieiunij, pœnitentiæ, &c. quod in debitis iustitiæ commutatiuæ spectatur æqualitas rei ad rem, quæ æqualitas non seruatur vnica solutione, quando in singulis creditoribus tantundem, vel aliquid particulare debetur: in debitis verò legalibus attenditur voluntas legislatoris. Ita Sanchez *loc. cit. n.* 5. Medina *de satisfactione q.* 4. *verf. Corollariè sequitur*, & alij.

12 *An imponens pœnitentiæ, & nihil aliud exprimens censeatur iniungere opus aliàs ex præcepto debitum.*

12 Obserua tamen, Confessarium imponentem pœnitentiam, si nihil aliud exprimat, non censeri iniungere opus aliàs debitum ex præcepto, consequenter pœnitentem, cui iniunctum est, exempli gratia, ieiunium, non satisfacere pœnitentiæ ieiunando eo die, quo tenetur ex Ecclesiæ præcepto ieiunare, nisi fortè aliter constet de Confessarij voluntate, vt bene docet Nauarrus *cap.* 1 *de pœnitentia, dist.* 6. *n.* 44. Azor. 1. *part. lib.* 11. *cap* 14 *quæsito* 1 *ad finem.* Victoria *de satisfactione n.* 205. Henriquez *lib.* 5. *c.* 16. *n.* 5. Reginaldus *lib.* 7. *n.* 30. Suarez *loc. cit.* [Molfesius *n.* 63.] & alij statim citandi.

Ex quo fit, vt si Confessarius dicat pœnitenti, vt duplicem Missam audiat in die festo, pœnitens satisfaciat tam obligationi præcepti Ecclesiastici, quàm confessionis duas Missas audiendo, quia, Confessarius ex modo imponendi pœnitentiam videtur vnam Missam aliàs debitam ex præcepto Ecclesiæ imposuisse, & aliam aliunde non debitam consequenter contentus videtur vna Missa præter eam, quæ ex Ecclesiæ præcepto audienda est in die festo. Ita Coninchus *loco cit. num.* 69. & Sanchez *loc. cit. num.* 5. Item si Confessarius dicat pœnitenti, vt vno mense singulis diebus vnum Missæ Sacrum audiat, pœnitens videtur satisfacere auditione vnius sacri in die festo. Præterea si pro pœnitentia iniuncta sit eleemosyna, pœnitens satisfaciet tradendo eleemosynam pauperi extremè indigenti, cui aliàs tenebatur ex præcepto charitatis succurrere. Ratio est, tum quia hæc censetur Confessarij voluntas, ne pœnitens eleemosinarum multitudine nimis grauetur, tum quia cùm eleemosyna dirigatur ad subleuandam pauperis indigentiam, sequitur potiori ratione dici eleemosynam, quo maior est indigentia, consequenter satisfieri menti confessoris tradendo eleemosynam illi, cui pœnitens adhuc tenebatur ex præcepto charitatis tradere eleemosynam. Secus si tenebatur illi tradere ex voto vel ex iustitia, aut ratione restituendi incerta; hæc enim non esset eleemosyna, sed debitum iustitiæ, aut voti. Ita Sanch. *loc. cit. n.* 6. Suarez *loc. cit. n.* 5. Coninch. *loc cit. num.* 68. Henriq. *cap.* 19 *n.* 5 *& cap.* 21. *n.* 3. Nauarr. *c* 3. *num.* 4 Summa Corona *de pœnit n* 4. Emanuel Sà *verb. Sanctificatio n.* 9. Sanchez *loco citat. n.* 6. Azorius *loc. cit.* Sot. *dist.* 19 *q.* 2, *art* 4. Zerola *de pœnitentia quæsito* 12. *&* 16. Viualdus *loc. cit. n.* 10. & alij contra Clauem Regiam *lib.* 6. *c.* 3. *n.* 22. & alios.

Quando verò dubitatur de mente Confessarij adeundus est ipse Confessarius si adiri potest; si vero nequeat adiri, ferendum est iudicium ex æquo, & bono, inquit Suares *loc. cit. num.* 5. & Coninchus *loc. cit.* Confessarius enim præsumitur velle prudenter ex æquo, & bono operari.

Hæc tamen sit regula generalis, quando non constat de mente Confessarij, neque ex circunstantiis colligitur mens ipsius, pœnitens non satisfacit pœnitentiæ iniunctæ præstando opus aliàs debitum. Ratio est, quia cùm satisfactio sit opus voluntarium, & non sit alligatum dici, Confessarius præsumitur iniunxisse opus voluntarium & aliàs non debitum, vt bene docet Sanchez *loc. cit. num.* 6. & alij Doctores citati.

Ab hac regula excipe eleemosynam, modò pœnitens ad illam teneatur ex solo titulo charitatis, nec Confessarius aliter expresserit vt patet ex duplici ratione mox allata.

13 *An possint iniungi opera in generali.*

13 Tertiò colligi potest, non solùm iniungi posse opera in particulari, verùm etiam in generali, vt si Confessarius absoluendo dicat *Quidquid boni feceris. & mali fusstinueris, sit tibi in remissionem peccatorum*, &c. nam iniunguntur opera bona pœnalia. Ita Nauarrus *c.* 26. *n.* 24. Beia 3 *part. casu* 7. Henriquez *c.* 29. *n.* 5. Reginaldus *loc. cit. num.* 25. Suarez *disp.* 38. *sect.* 6. *num.* 6. & alij communiter, asserentes, huiusmodi opera sic iniuncta eleuari ad satisfactionem ex opere operato pro peccatis in illa confessione manifestatis: quia per huiusmodi iniunctionem fiunt pars Sacramenti. Propterea ob-

seruant

seruant Nauarrus, Regin. & alij vsu receptum esse vt modicę pœnitentiæ iniungantur: quia id, in quo deficiunt pœnitentiæ iniunctæ, suppleri potest per bona opera, quę communiter, & vt plurimum ab hominibus præstantur.

14 *An possit iniungi pœnitentia publica.*

14 QVÆRES vtrùm in Sacramento pœnitentiæ iniungi possit opus publicè faciendum, id est, pœnitentia publica.

RESPONDEO pro peccatis occultis non esse iniungendam pœnitentiam publicam Ratio est, non quia frangatur sigillum, vt aliqui Doctores censuerunt, cùm de consensu pœnitentis iniungatur, & acceptetur, sed quia sine sufficienti causa periculo exponitur fama pœnitentis. Pro peccatis verò publicis iniungenda est publica pœnitentia. Ratio est, tum quia hoc expedit ad aliorum ædificationem, & satisfactionem Ecclesiæ, vt qui alios ad malos mores suo exemplo prouocauit, suę emendationis testimonio ad rectam reuocet vitam: tum quia expresè cautum est in nostris Conciliis, vt Confessarij publicè peccantibus publicam imponant pœnitentiam, iuxta decretum Concil. Trident *sess.* 14. *c.* 8 Ita Sotus *dist.* 19. *q.* 2. *art.* 5. Suarez *loc. cit. n.* 3 Henriquez *c.* 21. *num.* 6 [Filliucius *tract.* 8. *c.* 2. *qu.* 6 *n.* 45. Molfesius *tract.* 7 *c.* 25. *n.* 49.] Coninchus *loc. cit. dub.* 8. *n.* 74. Vasquez *q.* 94. *artic.* 2. *dub.* 2. *n.* 2 vbi refert D. Thom. Medinam, & alios, contra Nauarrũ *c.* 8. *n.* 10. Emanuelem Sà *verb. Satisfactio, n.* 12. Reginaldum *lib.* 7. *n.* 32. Onuphrium *de sacro Sigillo sect.* 4. *q.* 7. *vers. Sequitur tertiò.* Beia 3 *part. casu.* 1 *vers. Infertur præterea*, & alios explicantes Decretum Tridentini de foro exteriori. Verùm ratio, & textus Trid. si bene perpendatur, non solùm pro foro exteriori, verùm etiam pro conscientiæ foro valere videtur.

TERTIA PROPOSITIO.

15 *Quantam pœnitentiã teneatur Cõfessarius iniungere.*

15 CONfessarius potest, & tenetur iuxta suum prudens arbitrium iniungere pœnitentiam considerata peccatorum grauitate, & qualitate pœnitentis. Hæc propositio patet tum ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 8 Tum quia cùm in iure non sit determinata quantitas pœnæ iniungendæ, & Confessarius teneatur iniungere, dicendum est, teneri eam iniungere iuxta suum prudens arbitrium, habita ratione peccatorum, & qualitatis pœnitentis, alioquin ius præscripsisset qualitatem, & quantitatem pœnæ iniungendæ.

16 *An Cõfessarius possit magis contrito, leuiorem pœnitentiã iniungere.*

16 Ex quo sequitur, Confessarium posse magis contrito leuiorem pœnitentiã imponere, & homini fragili posse iniungere pœnas iuxta ipsius fragilitatem, & conditionem, & tempore subito, aut indulgentiarum posse mitiorem pœnitentiam præscribere, cùm per indulgentias tollatur debitum ad pœnam: caueat tamen Confessarius, ne pro grauissimis peccatis leuissimas iniungat pœnitentias, ita vt fiat particeps alienorum peccatorum præbendo pœnitenti occasionem facilè relabendi. Propterea Confessarius præcipuè studebit imponere pœnitentiam aptam ad curationem, & præseruationem à peccatis, sic enim facilè euitabit peccatum mortale in pœnitentia iniungenda.

17 *An iniungens leuissimas pœnas pro mortalibus teneatur pœnitentem admonere de leuissima, & non sufficienti pœna illi imposita.*

17 Obserua tamen primò cum Nauarro *c.* 26 *n.* 20. Suarez *sect.* 4. *citata, n.* 4. Conincho *dub* 8 *n.* 73. Viualdo *de satisfactione n.* 10. Zerola *loc. cit. quæsito* 13. *vers. Dico quartò, & quæsito* 33. Reginaldo *lib.* 7 *n.* 38. & 47. [Filliucio *tra.* 8. *c.* 2. *n.* 41.] Emanuele Sa, & aliis, Confessarium, qui valde modicam imponit pœnitentiam ob peccata mortalia, debere per se loquendo certiorem facere pœnitentem se propter ipsius fragilitatem multo leuiorem pœnitentiam cõferro, quàm ipsius peccata mereantur, illámque pœnitentiam non esse sufficientem. Ratio, cur teneatur hanc admonitionem præmittere, est, vt pœnitens cognita leuitate pœnitentiæ sibi impositæ occasionem voluntariè arripiat alias satisfactiones præstandi.

Hoc tamen dupliciter limitarem.

Primò, modò Confessarius speret admonitionem profuturam, vt ex regulis generalibus de correctione constat.

Secundò nisi credat pœnitentem satisfacturum, etiamsi non admoneatur, tunc enim frustra fieret admonitio.

18 *Cur mitior pœna iniũgatur.*

18 Obserua secundò, in praxi receptum esse, vt mitior pœna iniungatur, ne pœnitens grauitate pœnæ terreatur, sed potius leuitate pœnitentiæ alliciatur ad Sacramentum, vt obseruat Vasquez *loco citato art.* 2. *n.* 14 & alij.

QUARTA PROPOSITIO.

19 *Quo tempore teneatur Sacerdos satisfactionem iniungere.*

19 CONfessarius per se loquendo potest satisfactionem iniungere tam ante, quàm post absolutionem sacramentalem. Hæc propositio patet ex supradictis: tum quia satisfactio est pars integralis Sacramenti, Sacramentum autem constituitur integrum, siue satisfactio præcedat, siue subsequatur absolutionem: tum quia quæ in continenti fiunt inesse videntur, *cap præterea de testibus cogendis*: ergo satisfactio, quæ iniungitur statim post absolutionem, censetur in ipso Sacramento iniuncta. Ita Nauarrus *c.* 26. *n.* 10 Beia 3. *par. casu* 3. *in principio.* [Filliuc. *tract* 8. *c.* 2. *n.* 38. Molfesius *tract* 7. *c.* 25. *n.* 58.] Suarez, Henriquez, & alij quos suprà retuli *q.* 3. *p.* 2. *ad finem.* Quamuis Nugnus *in additionibus q.* 18. *art.* 4 *difficul.* 2. putet Cõfessarium peccare venialiter iniungendo pœnitentiam post absolutionem, etiamsi statim iniungat.

20 *An Sacerdos possit obligare pœnitentem ad satisfactionem adimplendam ante absolutionem.*

20 QVÆRES, vtrùm Confessarius sicut potest satisfactionem iniungere, antequam sacramentaliter absoluat, ita etiam possit obligare pœnitentem ad pœnitentiam implendam ante absolutionem.

RESPONDEO negatiuè per se loquendo, si pœnitentia confideretur, vt est compensatio pro pœna temporali, nam huiusmodi compensatio exhibetur post remissionem peccatorum, cùm satisfactio præstetur vt tollatur reatus pœnæ temporalis, hic autem non tollitur nondum deleta culpa. Si verò pœnitentia consideretur vt medicina, Confessarius potest obligare pœnitentem ad pœnitentiam ante absolutionem adimplendam, quoties ita iudicauerit expedire, consequenter pœnitens tenetur eam acceptare, cámque ante absolutionem adimplere, nam Confessarius tanquam iudex, & Medicus habet ius præcipiendi ea quæ ad curationem, & medicinam pœnitentis iudicauerit expedire: si ergo expediat pœnitenti persoluere pœnitentiam ante absolutionem, vt si Confessarius timeat pœnitentem non adimpleturum satisfactionem, nisi eam curet adimpleri ante absolutionem, aut si cognoscat pœnitentem sæpius prætermisisse pœnitentiam præcedentium confessionum, poterit Confessarius eam præcipere faciendam, antequam sacramentalem conferat absolutionem Ita Suarez *disp.* 38 *sect.* 7 *num.* 7. Reginaldus *lib.* 7. *num* 83. [Filliucius *tract.* 8. *c.* 2. *qu.* 5. *n.* 56.] & alij.

21 *An pœnitẽtia adimpleta ante absolutionem statim habeat suũ effectum ex opere operato.*

21 Sed modo DVBIVM est, vtrùm pœnitentia adimpleta antequam pœnitens absolueretur, statim suum habeat effectum ex opere operato.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, tum quia Sacramentum non producit suum effectum, nisi in vltimo instanti, in quo est perfectum quo ad materiam, & formam, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere: Sacramentum autem non est perfectum ante sacramentalem absolutionem: tum quia remissio pœnæ, quæ per satisfactionem obtinetur, est effectus secundarius coniunctus alteri effectui principali, qui est remissio culpæ, sed remissio culpæ non obtinetur ante absolutionem; ergo neque remissio pœnæ ante absolutionem obtinetur: tum quia contritio quæ est pars principalior Sacramenti pœnitentiæ, non producit suum effectum ex opere operato ante absolutionem; ergo neque satisfactio, vt bene argumentatur Suarez *disp.* 38 *sect.* 2. *num* 5.

PVNCTVM III.

De potestate Confessarij circa commutationem pœnitentiæ.

IN hoc puncto principaliter quæremus, vtrùm Confessarius possit pœnitentiam à se, vel ab alio Confessario impositam commutare, deinde solutionem nonnullarum difficultatum ad hanc rem facientium subiungemus.

VNICA PROPOSITIO.

1 *An Confessarius possit commutare vel minuere pœnitentiam.*

1 CONfessarius ex iusta, & rationabili causa potest in confessione diminuere, & commutare pœnitentiam à se, vel ab alio Confessario inferiori, vel æquali, vel etiam superiori iniunctam. Ita Suar. ex parte. *d. sp* 38 *sect.* 10 Reginald. *lib.* 7. *n.* 88 Nauarrus *c.* 26. *n.* 22. Vasquez, Coninchus, Nugnus, [Filliucius, Molfesius,] & alij *locis statim citandis*; quamuis non omnes isti Doctores conueniant circa pœnitentiam commutandam ab æquali, vel à superiori, imposita, vt patebit ex dicendis. Ratio propositionis est, tum quia licèt Confessarius à Deo potestatem habeat imponendæ pœnitentiæ, nihilominus ipsum præceptum est humanum, vtpote ab hominis voluntate pendens. sicut etiam præceptum Summi Pontifices est humanum, quamuis Sũmus Pontifex suam habeat potestatem a Christo: in præceptis autem humanis admittitur dispensatio, vt patet ex dictis *de legibus*. tum quia hic est vsus, & praxis communis Ecclesiæ: tum quia si Confessarius non potest pœnitentiam ab alio impositam commutare, maximè quia non potest ferre iudicium circa peccata aliàs confessa: sed hoc est falsum, cùm eadem peccata iterũ subiici possint clauibus. & possint esse materia nouæ confessionis, non per modũ appellationis, sed per modum noui iudicij: tum quia Sacramentum pœnitentiæ est institutum ad bonum animarum: cùm autem bono animarum aliquando expediat pœnitentiam à se vel ab alio iniunctam commutare, sequitur Confessarium posse pœnitentiam à se, vel ab alio iniunctam mitigare, diminuere, & commutare iusta, & rationabili de causa.

Absque causa verò rationabili Confessarius non potest pœnitentiam commutare, nam sicut ad dispensationem legum humanarum iusta causa requiritur, ita multo magis iusta, & rationabilis causa requiritur ad commutationem satisfactionis, quę est pars Sacramenti à Christo instituti: iusta autem causa commutandæ pœnitentiæ est necessitas, vel notabilis vtilitas, vel difficultas pœnitentis in præstanda pœnitentia, vel obliuio pœnitentiæ aliàs iniunctæ. Ita Doctores citati.

2 *An Confessarius possit commutare pœnitentiã quam ipse imposuit.*

2 Hinc sequitur primò, Confessarium posse aliquando pœnitentiam à se iniunctam commutare, vt patet tum ex allatis rationibus: tum quia sicut Confessarius semel iniunxit; ita etiam videtur posse commutare, cùm alienam non vsurpet iurisdictionem, nec vlli faciat iniuriam. Ita Doctores citati.

3 *An Confessarius possit pœnitentiã ab æquali Cõfessario iniunctam commutare.*

3 Secundò, Confessarium posse commutare pœnitentiam ab alio Confessario æquali iniunctam, vt patet tum ex allatis rationibus: tum quia Confessarius æqualis eandem habet facultatem, quam qui absoluit; si ergo qui absoluit posset mitigare, vel commutare pœnitentiam, quare etiam alter æqualis non poterit? Ita Doctores citati contra Sotum *dist.* 20. *q.* 2. *art.* 3. Victoriam *in summa, nu.* 323. Nugnum *in additionibus q.* 13 *art.* 2. *dubio* 4. & alios.

4 *An Confessarius pœnitentiam à suo superiore impositã cõmutare possit.*

4 Tertiò sequitur, Confessarium posse pœnitentiam à superiore impositam commutare, vt patet ex iam dictis, præsertim quia Confessarius potest circa pœnitentem, quod expedit pœnitenti sibi subiecto: cùm ergo aliquando expediat pœnitenti pœnitentiam commutari, sequitur Confessarium posse eam commutare, quamuis iuncta fuerit à superiore. Ita Doctores citati contra Nugnum *loco citato, artic.* 20 *parag. dubitatur etiam.* Sotum, & Victoriam *locis citatis.*

Neque ob id Confessarius in foro interiori commutans pœnitentiam dicitur exercere auctoritatem, & iurisdictionem circa Confessarium æqualem, vel superiorem, vt bene obseruant Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 14 *punct.* 4. Henriquez *loco cit. num.* 2. Reginaldus *lib.* 7 *num.*

.7.*num*.9.Suarez *sect*.10.*n*.7. & Nauarrus *c*.26.*n*. 22. sed circa pœnitentem sibi subiectum, in quem habet iurisdictionem, cùm pœnitens non habeat peccata reseruata, quæ non sint deleta, vt inppono,quamuis Suarez *loco citat.n*.14 Henriquez *c*.22.*n*.1. *&* 2. Valentia. *loc cit.* & alij nobiscum in his omnibus non conueniant.

5 An Cõfessarius possit pœnitentiam præseruatiuã cõmutare.

5 Quod eximus de facultate commutandi pœnitentias,aliqui Doctores putant non procedere in pœnitentia præseruatiua. Cum enim huiusmodi pœnitentia imponatur non in destructionem,sed in ædificationem per modum medicinæ, vt pœnitens retrahatur, & præseruetur, & medicina non profit, nisi suscipiatur, sequitur Confessarium non posse pœnitentiam præseruatiuam commutare. Ita *S.* Gregorius *homilia supra c*. 16.*Matthæi*,in ea verba: *Si quis vult venire post me*,&c. Hastensis *lib*. 1.*nu*.21.*columna* 3.*vers sciendum*. quos sequitur Zerola *de pœnitentia cap*. 25. *quæsito* 12. Suarez *disputat*. 38. *sect*.10.*num*.11. Reginaldus *lib*.7.*num*.92. Idem innuit Beia 3.*parte*, *casu* 1.*in principio*. Hoc tamen ego, saluo meliori iudicio putarem limitandum, nisi Confessarius iusta, & rationabili de causa pœnitentiam præseruatiuam commutet in aliam præseruatiuam,& salutarem; ad hoc enim faciunt rationes à nobis in propositione allatæ;neque obstat argumentum mox propositum, cùm supponam huiusmodi pœnitentiam commutari ex rationabili causa, & in ædificationem animę.

6 An carens facultate absoluendi à reseruatis, possit pœnitentiã pro reseruatis à superiore impositam cõmutare.

6 Sed modò Dvbivm est primò, vtrùm qui nõ habet facultatem absoluendi à reseruatis,possit non solùm pœnitentiam pro non reseruatis,verùm etiã pro reseruatis, impositã à superiore cõmutare.

Respondent Nauarrus *c*. 26. *num*. 22. *ad finem*. Valentia *tom* 4.*disput*.7.*quæst*.14 *punct*.4. *ad finem*. Emanuel Sà *verb*.*Satisfactio*.*num*.5.Summa Corona *de pœnitentia num*.46.*quæsito* 8. Egidius Coninchus *disput*. 10.*de satisfactione*,*dubio*,12.*num*. 108. Suarez *de pœnitentia disp*.38.*sect*. 10.*n*.14.Beia 3.*part*.*casu* 1.*vers*. *Hæc tamen opinio*, Reginaldus *lib*.7.*num* 91 Sylvester *verb*. *Confessio quæsito* 27.Rodriquez 1.*part*.*c*.56.*num*.8. Henriquez *lib*.5.*c*. 22.*num*.5.Didacus Nugnus *de partibus pœnitentiæ quæst*.13.*artic*. 2.§.*dubitatur etiam*,*vers*.*dubium igitur*,*pagina mihi* 363 *& dubio* 4.*pag* 367 [Filliucius *tract*.8.*cap*.4 *quæs*.7.]& alij,non posse commutare Ratio est quia Confessarius non potest commutare pœnitentiam, nisi ferat iudicium circa peccata, ac si pœnitens nunquam confessus fuisset, sed si pœnitens nunquam fuisset confessus , deberet accedere ad superiorem habentem facultatem reseruatorum ; ergo pœnitens debet ad superiorem accedere, & non potest commutationem pœnitentiæ pro reseruatis impositæ, obtinere ab inferiori Confessario.

Ego verò , saluo meliori iudicio , censeo Confessarium inferiorem posse pœnitentiam pro reseruatis à superiore iniunctam commutare iusta interueniente causa , qualis est pia vtilitas pœnitentis,vel necessitas, vel magna difficultas in perficienda pœnitentia arbitio prudentis Confessarij , qui non debet se facilem præbere in mutanda,& minuenda pœnitentia ,ne pœnitentes occasionem arripiant non adimplendi pœnitentias, vt cõmuniter obseruant DD.

Multis rationibus ducor ad hoc asserendum : tum quia Confessarius , sicut potest pœnitentiam peccatorum non reseruatorum commutare , ita etiam potest pœnitentiam reseruatorum commutare,cùm adempta sit reseruatio per absolutionem superioris,& ipse Confessarius inferior non exerceat iurisdictionem in superiorem, sed in pœnitentem sibi expositum,& subiectum,non habentem amplius casus superiori reseruatos : tum quia superior præsumitur rationabiliter velle , quod expedit saluti pœnitentis , iuxta fragilem ipsius naturam ; si ergo salus, vel fragilis natura pœnitentis postulet pœnitentiam commutari , consentaneum est , vt commutetur, non solùm à superiore, verùm etiam ab inferiore ; cùm semel casuum reseruatio per superiorem fuerit adempta & sublata : tum quia si pœnitens confessus sit superiori habenti facultatem circa peccata reseruata,remanet absolutus quoad reseruationem,nec amplius superiorem pro reseruatis adire tenetur , etiamsi confessio fuerit inualida,& illa eadem peccata subiicienda iterum sint claubis , ac si nunquam delata fuissent ad iudicium , vt testatur idem Suar. *disputatione* 31. *sect*.4,*numero* 6.Sylvester *verb*.*Confessio* 1 *quæsito* 19. & alij: ergo a fortiori tenet absolutio validè collata à legitimo superiore , nec pœnitens amplius tenetur superiorem pro reseruatis adire:tum quia quando Summus Pontifex commutauit votum reseruatum sedi Apostolicæ in aliud non reseruatum , potest Episcopus in hoc secundo voto non reseruato dispensare,vt bene docet Lessius *loco citato*,*capite*.40.*dubio* 13. *de voto*.Suarez *tom*.2.*de religione libro* 6. *capite* 10.*numero* 15. & Sanchez *in Summa lib*. 4.*capite* 40 *num*. 46.Ergo etiam Confessarius inferior potest pœnitentiam pro reseruatis impositam à superiore commutare. Ita sentire videtur Ledesma,Glossa,& alij apud Suarez *disputatione* 38. *sectione* 10. *numero* 13. Sed expressiùs hanc nostram sententiam sequi videtur Vasquez *de pœnitentia quæst*. 94. *articulo* 2.*dubio* 3.*num*. 9. Zerola *c*.25 *de pœnitentia quæsito* 10.*versic*. *Dico secundò*. Valentia *tom*.4. *disput*. 7.*q*. 14.*punct*o 4.*versùs finem*.[Molfesius *tract*. 7.*c*.25.*n*.70.]

Ad rationem contrariæ sententiæ respondetur , Confessarium debere iudicium ferre circa peccata, quatenus expedit ad pœnitentiam rationabilem iniungendam , & commutandam iuxta grauitatem peccatorum , & fragilitatem pœnitentis , ac si pœnitens nunquam confessus fuisset illa peccata.

Non tamen hinc sequitur pœnitentem teneri adire superiorem causa commutandę pœnitentiæ pro reseruatis impositę,cùm peccatorum reseruatio semel per legitimum superiorem fuerit adempta, alioquin huiusmodi pœnitens deterioris esset conditionis eo , qui sua peccata reseruata inualidè confessus est superiori, quem fatetur ipse Suarez cum aliis , non teneri se iterũ corã superiore præsentare.

7 An Cõfessarius possi pœnitentiã extra confessionẽ cõmutare.

7 Secundum Dvbivm est, vtrùm Confessarius possit pœnitentiam extra confessionem commutare

Respondeo negatiuè . Ratio est ,quia in foro pœnitentiali eadem est potestas ligandi,& soluendi:sicut autem superior non potest ligare, seu imponere pœnitentiam extra confessionem , ita neque potest relaxare,seu commutare:tum quia cùm satisfactio sit sacramentalis, & sit actus iurisdictionis clauium in foro sacramentali, sequitur pœnitentiam non posse extra confessionem commutari. Ita Vasquez *quæst*.94.*art*.2.*dub*.3 *num*.7.Sylvester *verb*.*Confessio*, *quæsito* 27.Coninchus *disp*.10.*de satisfactione dub*.12.Nugnus *loco cit*.*art*.2.*dub*.3.Henriquez *lib*.5.*c*.22.*n*.1 Reginaldus *lib*.7.*n*.42. *&* 93.Suarez *disp*.38.*sect*.10. *num*.4. Beia *loco citato*,*pagina mihi* 12.loquens de Sacerdote,qui est inferior Papa,& Episcopo,[Filliucius *tract*.8.*cap*.2.*num*.49.] & alij contra Nauarrum *c*.26 *num*.22. *ad finem*.Valentiam *tom*.4.*disp*. 7.*quæst*.14 *punct*.4.*ad finem*.*pag*. *mihi* 1394.Emanuelem Sà *verb*. *Satisfactio num*. 5. Summam Coronam, & Rodriquez *locis citatis* , asserentes , pœnitentiam extra Confessionem commutari posse.

Obiicies Confessarius potest iniungere pœnitentiam post absolutionem sacramentalem: ergo potest etiam post absolutionem commutare, & consequenter extra Sacramentum.

Respondeo Confessarium posse quidem pœnitentiam imponere,vel commutare non solùm ante absolutionem, verùm etiam statim post absolutionem, antequam pœnitens discedat, nam adhuc censetur idem iudicium,cùm ea , quæ fiunt incontinenti , inesse videantur.*l*. *legem*. *C*, *de pactis*. *& cap præterea*, *de testibus cogendis*: quamuis melius sit eam imponere ante absolutionem : ne pœnitens obtenta peccatorum absolutione occasionem arripiat recusandæ pœnitentiæ,vt docet Suarez *disp*.38.*sect*. 3 *num*. 6. Coninchus *loco citato*,*dub*.8.*ad finem* Sylvester *verb*. *Confessor* 4.*n*.1. Nauarrus *c*. 1.*de pœnitentia dist*.6.*num*.35. *& in Manuali c*.26.*num*.10.Reginaldus *lib*.7.*num*.10 Beia,& alij,quos retuli *punct*.*antecedenti*,*propositione* 4.

Non tamen hinc sequitur pœnitentiam commutari posse extra Sacramentũ, cùm pœnitentiæ cõmutatio sit actus iurisdictionis clauium.

8 An pœnitẽs oblitus pœnitentiæ teneatur etiam peccata sua cõfiteri,vt cõmutationẽ obtineat.

8 Tertiò Dvbivm est,vtrùm quando pœnitens oblitus est totius pœnitentiæ alias iniunctę nesciens,an confiteretur in ieiunio, vel oratione , in magna , vel parua quantitate , teneatur iterum peccata confiteri,vt pœnitentia commutetur.

Respondeo teneri saltem præcipua peccata confiteri , vt congrua pœnitentia iniungatur. Ita Coninchus *dubio* 12.*num*.101. Suarez *loco citato*,*sect*. 10.*num*.8.Vasquez Nugnus: & alij *locis citatis*. Immo Suarez *loco citato* Reginaldus *lib*. 7 : *num*. 42. *&* 93. Pesantius *in additionibus qu*.18.*de satisfactione sacramentali disp*. 2.*conclu*.2 *&* 4.Zerola *cap*.25.*quæsito* 12.[Filliucius *tract*.8.*cap*.2. *num*. 50.] & alij putant confessionem repetendam esse, quoties pœnitentia permutanda est.

Mihi verò cum Victoria *de Sacramentis num*.211. Rodriquez 1. *part*.*cap*.56.*num*. 8. Nauarro *loco citato*.Summa Corona *de pœnitentia n*.45.*dub*.8.Nugno *in additionibus q*.18.*art*.3.*ad finem* Valentia *loco citato punct*.4 *ad finem* , & aliis , dicendum videtur non opus esse, vt singula peccata repetantur,sed sufficere vt pœnitens exprimat pœnitentiam commutandam , quoties illius recordatur : sic enim Confessarius cognoscit statum pœnitentis, quantum sufficit ad commutandam pœnitentiam: quoties verò pœnitens non recordatur pœnitentię impositæ, sufficere videtur, si exprimat præcipua peccata, vt patet ex mox allata ratione.Quamuis enim pœnitentia imponenda sit iuxta qualitatem criminum, vt optimè docet Tridentinum *loco suprà citato* : nihilominus ob pœnitentum fragilitatem mitior pœnitentia solet iniungi , ne iugum pœnitentiæ penitentibus graue nimis videatur , vt obseruat Vasquez *loco citato* , & alij communiter , consequenter non est necesse ,vt pœnitens singula omnino peccata repetat , sed quatenus opus est , vt congrua imponatur pœnitentia,quantum fert fragilitas pœnitentis.

Hinc patet solutio illius difficultatis , qua quæritur , vtrùm pœnitens qui omnino oblitus est pœnitentiæ , teneatur iterum confiteri. Ad quam difficultatem negatiuè respondent Beia 3. *part*. *casu* 1. *pag* 11.*versic*.*quod verò* Nauarrus *c*.9.*num*.17.vbi refert Adrianum & Paludanum:Sotus *dist*.20.*q*.2.*artic*.2.Nugnus *quæst*.18.*artic*. 3. *ad finem in additionibus*. Caietanus *in summa verb*. *Confessio iteranda* §.*ex satisfactionis*. Vasquez *quæst*.94. *art*.2.*dub*. 4. & alij quos refert,& sequitur Coninchus *loco citato*,*dubio* 9.*n*.86. Ratio est,quia vel tenetur confiteri iterum, vt obtineat remissionem peccatorum quo ad culpam , aut pœnam,vel ob præceptum Confessarij, sed non tenetur confiteri,vt obtineat remissionem peccatorum quo ad culpam,cùm peccata iam fuerint absolutè remissa quo ad culpam per absolutionem præcedentem. Neque vt obtineat remissionem quo ad pœnam , cùm aliis piis operibus, aut Indulgentiis , possit huiusmodi remissionem obtinere . Neque tenetur ob præceptum Confessarij , quia Confessarius non præcepit Confessionem iterari , sed præcepit aliud opus , à cuius executione pœnitens excusatur propter impotentiam, cùm impossibile sit, vt aliquis adimpleat id cuius non recordatur ; ergo pœnitens , qui omnino oblitus est pœnitentiæ , nulla ratione tenetur iterum sua peccata confiteri, & hoc verum videtur , etiamsi obliuio contigerit ob culpam ipsius pœnitentis in adimplenda pœnitentia : pœnitens tamen tenetur hanc negligentiæ culpam in dilatione pœnitentiæ commissam confiteri.

Ego verò cum S. Antonino 3.*part*.*tit*.14 *cap*.19.§.19. Siluestro *verb*.*Confessio* 1. *quæsito* 3. & aliis apud Nauarrum, & Coninchum *locis citatis*, existimo pœnitentem teneri eadem peccata iterum cõfiteri, quatenus opus est ad commutationem pœnitentiæ, vt dictum est *in responsione ad tertium dubium*.nisi fortè pœnitens aduertat se aliis piis operibus , aut Indulgentiis satis fecisse pro pœnis debitis. Ratio est , tum quia pœnitens curare tenetur , quantum commodè potest , vt pœnitentiæ Sacramentum sit integrum ; sed Sacramentum non est integrum , & omnino completum non adimpleta pœnitentia , sit verò integrum , si adimpleatur pœnitentia, quæ fuit in prima , aut in secunda confessione per commutationem iniuncta : ergo pœnitens tenetur iterum confiteri vt satisfaciat perfectæ;

perfectę integritati Sacramenti, nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media: tum quia hic videtur communis vsus, & praxis fidelium, qui pœnitentiæ à Confessario iniunctæ obliuiscuntur.

9 *Quænam peccata teneatur pœnitens in proposito ea suo confiteri.*

9 Hinc sequitur primò, pœnitentem, qui oblitus est pœnitentiæ iniunctæ, teneri iterum confiteri. Præcipua saltem peccata, non solùm ex suppositione, quod velit pœnitentiam commutari, vt ostendimus in responsione ad tertium dubium, verùm etiam quatenus curare tenetur, vt Sacramentum sit omninò perfectum, & integrum. Quamobrem si pœnitens credat primum Confessarium adhuc esse memorem pœnitentiæ iniunctæ, tenetur ipsum adire, si commodè potest, vt satisfaciat integritati Sacramenti, & pœnitentiam iniunctam adimpleat, vt fatentur etiam Coninchus, Nauarrus, & alij Doctores citati. Si verò credat Confessarium non esse memorem pœnitentiæ iniunctæ, tenetur eidem, aut alteri Confessario præcipua saltem peccata confiteri, vt pœnitentiæ commutationem obtineat, & integritati Sacramenti satisfaciat.

Ad rationem contrariæ sententiæ respondeo, pœnitentem, qui oblitus est pœnitentiæ iniunctæ teneri iterum confiteri, vt omnino satisfaciat integritati Sacramenti, modò aduertat se huic obligationi non satisfeciisse per alia pia opera, vt in sequenti puncto explicabo.

10 *An qui oblitus est pœnitentiæ possit aliam quam ipse voluerit, adimplere.*

10 Secundò sequitur non esse audiendum Nugnum *loco citato*. vbi asserit pœnitentem, qui non potest amplius adire primum Confessarium, postquam oblitus est pœnitentiæ iniunctæ, posse pœnitentiam adimplere secundùm proprium arbitrium, habita ratione pœnitentiæ, quæ pro huiusmodi peccatis imponi solet. Ratio cur non sit audiendus, est, quia pœnitens satisfacere debet integritati Sacramenti: non satisfacit autem integritati Sacramenti, adimplendo pœnitentiam secundum proprium arbitrium, cùm pœnitentia secundùm proprium arbitrium suscepta, non sit satisfactio sacramentalis, vt clarius constabit ex sequenti dubio.

11 *An pœnitēs possit authoritate propria pœnitentiam in æquale, aut in melius cōmutare.*

11 Quartò DVBIVM est, vtrùm pœnitens possit propria auctoritate pœnitentiam in æquale, aut in melius commutare.

RESPONDEO negatiuè. Ratio est, tum quia, sicut præcepto ieiunij non satisfacit, qui aliquod aliud opus exhibet, ita non satisfacit præcepto pœnitentiæ, qui propria auctoritate aliquid aliud præstat: tum quia commutatio pœnitentiæ est actio sacramentalis, & est actus iurisdictionis, qui fit à Confessario tanquam à superiore; pœnitens autem non potest in se actionem iurisdictionis sacramentalis exercere, cùm nullus sit sibi superior. Ita Reginaldus *lib. 7. n. 85.* Coninchus *disp. 10. de pœnitentia dub. 12. n. 103.* [Molfesius *tract. 7. c. 25. n. 61.*] Henriquez *c. 20 n. 5. ad finem* & idem à fortiori sentire videntur Doctores asserentes pœnitentiam non posse extra pœnitentiæ Sacramentum à Confessario commutari.

OBIICIES, vorum potest auctoritate propria in opus æquale, aut melius commutari, vt docet Henriquez *loco citato*. Lessius, & alij à nobis relati *de voto*; ergo etiam pœnitens commutare potest pœnitentiam in opus æquale, vel in melius.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio disparitatis est, tum quia commutatio voti in melius non semper est actus veræ iurisdictionis, sicut est commutatio pœnitentię: tum quia sicut vouens sua voluntate se obstrinxit, & obligauit, ita etiam potest obligationem in opus æquale, vel in melius commutare: tum quia in voto attenditur id, quod magis vergit in honorem Dei; in pœnitentia verò non solùm hoc spectatur, verùm etiam quod magis conducit pœnitenti iuxta prudentis Confessarij iudicium, vt constat ex supradictis.

12 *An facta commutatione pœnitētiæ liberū sit pœnitenti, quā voluerit eligere.*

12 Quintò DVBIVM est, vtrùm facta commutatione pœnitentię liberum sit pœnitenti eligere, quam pœnitentiam voluerit, primam scilicet, aut secundam.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio est, quia commutatio fit in fauorem pœnitentis: pœnitens autem cedere potest iuri, & fauori suo. Ita Suarez *de pœnitentia disputat. 38 sect. 10 col. 3. numero septimo. ad finem* Reginaldus *libro septimo numero 89. ad finem* Lessius, Sanchez, & alij, quos in simili retuli *de commutatione voti.*

PVNCTVM IV.

De obligatione pœnitentis circa pœnitentiam acceptandam, & acceptatam adimplendam.

QVatuor principaliter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm pœnitens teneatur acceptare penitentiam. Secundò, vtrùm peccet non adimplendo pœnitentiam acceptatam. Tertiò, vtrùm per alium possit pœnitentiam adimplere. Quartò, quo tempore debeat pœnitentiam præstare, & persoluere.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An pœnitēs acceptare teneatur pœnitentiam.*

1 POEnitens tenetur pœnitentiam tolerabilem, & humanæ fragilitati accomodatam acceptare, acceptatámque adimplere. Hæc propositio adeò certa est, vt hoc tempore sine temeritate negari nequeat. Ita Suarez *disputatione trigesima octaua, sectione septima, numero 2.* Coninchus *loco citato, dub. 9, numero 79.* Valentia *tom. 4. disputatione septima, quæstione decima quarta, puncto quarto,* Vasquez *quæstione 94 articulo secundo dubio primo, numero quinto,* [Filliucius *tract 8. capite secundo, quæst. octaua numero 53.* Molfesius *tractatu septimo, capite vigesimo quinto, numero 56.*] Nugnus *quæst. decima quinta, articulo primo, & q. 13. art. 2 diffi. conclus. 1* vbi dicit opinionem contrariam esse improbabilem, Sotus, Paludanus, Canus, & alij apud præcitatos Doctores. Immò Victoria, & alij dicunt hanc propositionem esse de fide contra Medinam *Codice de satisfactione. q. 6.* Reginaldum *lib. 7. n. 15.* Nauarrum *cap. 26. num. 10* Caietanum, & alios apud Coninchum, apud Nugnū, & apud Vasquez *locis citatis.* quorum sententiam probabilem putat Zerola *de pœnitentia cap. 25. quæsito 9.* asserentes pœnitentem non teneri ad acceptandam, pœnitentiam sed posse electionem sumere luendi pœnitentiam, vel in hac vita per alia pia opera, vel in Purgatorio.

Fundamentum nostræ propositionis desumitur tum ex Trident. *sess. 14. c. 9* tum ex rationibus efficacissimis.

Prima est, quia Confessarius tenetur iniungere pœnitentiam, vt dictum est puncto præcedenti, ergo etiam pœnitens tenetur acceptare, & acceptatam adimplere.

Secunda est, quia pœnitens tenetur parere iudici rectè iudicanti: iudex autem est Confessarius, qui pœnitentiam iniungit.

2 *An pœnitēs rogare possit Confessariū, vt rigorosam pœnitentiā mitiget, & minuat.*

2 Obserua tamen pœnitentem, cui nimia videtur pœnitentia, posse rogare Confessarium, vt eam mitiget, quantum potest; sicut enim hoc absque culpa fieri potest à reo in foro externo, ita etiam fieri posse videtur in foro Sacramenti pœnitentiæ. Immò Confessarius in tali euentu debet pœnitenti annuere, quantum potest, vt suauius efficiatur iugum confessionis. Ita Nauarrus *loco citat.* Henriquez *c. 10. num. 5.* Reginaldus *lib. 7 num. 37* Sotus, Caietanus, & alij apud eundem Henriquez *in commentario littera P.*

3 *An pœnitens possit alium Cōfessarium adire nolente primo pœnitentiā mitigare.*

3 Addo pœnitentem posse absque peccato mortali ante acceptatā absolutionem, si Confessarius nolit pœnitentiam moderari, dicere se malle alteri Sacerdoti confessionem facere, quàm adeò grauem pœnitentiam acceptare; hic enim non habet affectum ad peccatum mortale, cùm intendat alteri legitimo Sacerdoti confiteri: & sicut ab initio non tenebatur ei confiteri, ab eoque petere, & obtinere absolutionem, ita neque tenetur eam obtinere inchoata, aut perfecta confessione; cùm ex nullo capite colligatur talis obligatio sub mortali, nec Confessario tenentur in hac parte sub mortali obedire, nisi quatenus ab ipso intendit absolutionem obtinere. Ita Suarez *loc cit. sect. 7. num. 4.* Coninchus *loc. cit num. 80.* & alij.

SECUNDA PROPOSITIO.

4 *An pœnitens peccet non adimplendo pœnitentiam acceptatā.*

POEnitens peccat mortaliter non adimplendo pœnitentiam grauem acceptatam, siue grauis illa pœnitentia fuerit iniuncta pro mortalibus aliàs non confessis siue pro mortalibus aliàs confessis, siue etiam pro venialibus. Ratio est, quia faciens contra obligationem in re graui, peccat mortaliter. Ita Zerola *in praxi cap. 21 quæsito 8 vers. Dico tertiò.* & expressiùs *c. 25. quæsito 36.* Sayrus *de pœnitentia loco* statim *citando* Valentia *loco citato, quæst. 14. puncto 4.* & alij Doctores statim citandi. Qui verò non adimplet pœnitentiam leuem, non peccat mortaliter: etiamsi pœnitentia iniuncta fuerit pro peccato mortali nunquam aliàs confesso.

Idem dicendum est de omittente partem leuem magnę pœnitētiæ, nam paruitas materiæ excusat à peccato mortali, vt patet in voto, & in aliis rebus, vt in quibus paruitas materiæ assignari potest. Ita Coninc. *loc. cit. dubio 9. n. 80.* & 81. Reginald. *loco citato n. 77* Nauarrus *capite vigesimo primo, numero 44.* Rodriquez *capite 46. numero nono, conclusione octaua.* Zerola *loco citato, quæsito 36.* Henriquez *capite vigesimo, numero tertio,* [Molfesius *tractatu septimo, capite vigesimo quinto. numero 67.*] Sotus & alij apud Henriquez *loco citato in commentario littera M.* contra Caietanum 2. 2. *qu. 89. articulo septimo.* Nugnus *loco citato*, & alios. Idem tenet ex parte Suarez *disputatione 38. sectione septima numero quinto.* vbi etiam addit, probabilem esse sententiam Medinæ asserentis pœnitentem non peccare mortaliter omittendo grauem pœnitentiam, quam Confessarius declarauit se illi imponere sub obligatione peccati tantùm venialis.

Sed probabilius est, Confessarium non posse grauem pœnitentiam iniungere tantum sub veniali, cùm enim nomine Dei satisfactionem imponat, & non proprio nomine, non est in ipsius Confessarij potestate temperare actionem suam, prout voluerit, sed iuxta institutionem, & naturam Sacramenti: cùm autem natura Sacramenti postulet, vt pœnitētia præcipiatur, & præceptum in re graui obliget sub mortali, sequitur Confessarium non posse grauem pœnitentiam imponere sub veniali. Ita Coninchus *dub. 8. n. 65.* Nugnus *loco cit. concl. 4.* & alij.

5 *An pœnitēs teneatur statim post confessionē pœnitentiā adimplere.*

5 QVÆRES primò, vtrùm pœnitens teneatur statim post confessionem adimplere pœnitentiam.

RESPONDEO pœnitentem, cui tempus adimplendæ pœnitentiæ præfixum fuit à Confessario, debere intra tempus præfixum pœnitentiam adimplere, alioquin grauiter peccare valde diu pœnitentiæ adimpletionem differendo. Ratio est, quia facit contra obligationem in re graui, vt patet à simili de obligatione restituendi, vel adimplendi votum: si verò intra tempus præfixum pœnitentiam non adimpleuit, tenetur adhuc elapso eo tempore pœnitentiam adimplere: quia tempus non fuit præfixum ad finiendam obligationem, sed ad solicitandam, & non differendam absque iusta causa, & præceptum cadit directè circa substantiam operis: in tempus verò tanquam in circunstantiam accidentalem. Quamquam fieri potest aliquando, vt pœnitentia alligetur tempori, & terminus iusta de causa apponatur ad finiendam obligationem, præsertim quando pœnitentiæ diuturnæ sunt, & certis temporibus definitæ, vt si in honorem festorum Beatissimæ Virginis præscribatur ieiunium in eorum vigiliis seruandum, aut si præscribatur ieiunium singulis hebdomadis in die Veneris, aut sumptio Eucharistiæ singulis diebus Sabbati, aut confessio singulis diebus festis, &c. Ita Nauarrus *capite 12. numero 54.* Reginald. *nu. 79. 43.* Caiet. & *verb. Satisfactio §. 1. in fine.* Coninchus *disputatione 10. dubio 9. numero 85.* Sanchez *libro 8. de Matrimonio disputatione trigesima quarta, numero quinquagesimo septimo* [Filliucius *tractatu octaua, capite secundo, numero 55.*] & alij, quos in simili retuli *de voto.* Idem sentire videtur Emmanuel Sà *verb. Satisfactio n. 14.* Suarez *disp. 38. sect. 7.* & alij communiter.

6 *Quandònam pœnitens teneatur pœnitentiã adimplere, si Confessarius nullũ præfixit terminum.*

6 Maius DVBIVM est quandònam pœnitens teneatur adimplere pœnitentiam, dum Confessarius non præfixit terminum adimplendæ pœnitentiæ.

RESPONDEO teneri quàm primùm commodè potest. Ratio est, quia hæc censetur rationabilis voluntas confessarij, vt pœniens quàm primùm satisfaciat pro pœnis debitis, & retrahatur à peccatis futuris. Quamobrem si pœnitens valdè diù iudicio prudentis viri differat pœnitentiam grauem adimplere, grauiter peccat, cùm faciat contra voluntatem Confessarij, & finem Sacramenti in re graui. Secus si non multum differat, vel pœnitentia non sit grauis, vt patet à simili in aliis obligationibus. Ita Reginaldus *loco citato numero 79.* Coninchus *loco citato*, *numero* 84. Suarez *loco citato numero 6.* Sayrus *de Sacramento pœnitentiæ capite 36. num.* 8. [Molfesius *tract. 7. cap. 25. num. 66.*] & alij.

7 *An pœnitẽs possit pœnitentia satisfacere per susceptionem Indulgentiæ.*

7 QVÆRES secundò, vtrùm pœnitens possit iniunctæ sibi pœnitentiæ satisfacere per susceptionem Indulgentiæ. Exempli gratia, vtrùm pœnitens, cui à Sacerdote iniunctum fuit, vt pro satisfactione suorum peccatorum recitet circulum Beatissimę Virginis Mariæ, excusetur ab eo recitando per susceptionem Indulgentiæ plenariæ.

RESPONDEO satisfacere, modò reipsa suscipiat Indulgentiam respondentem satisfactioni pro pœnis debitæ.

Ratio est, tum quia si pœnitens susceptа Indulgentia tenetur adhuc pœnitentiam adimplere, seu coronam recitare, maximè vt satisfaciat pœnæ sibi debitæ pro peccatis, sed pœnæ pro peccatis debitæ satisfecit per susceptionem Indulgentiæ, vt constabit ex definitione Indulgentiæ; ergo pœnitens non tenetur amplius satisfactionem sibi iniunctam adimplere: sicut enim debitor non tenetur soluere creditori debitum, quod sibi condonatum & remissum est à creditore, ita neque pœnitens tenetur *Deo* satisfacere pro pœna alias debita, cuius remissionem obtinuit per Indulgentias: tum quia, qui obtenta Indulgentia plenaria moritur, statim in cælum euolat, cùm nullam habeat pœnam in Purgatorio luendam, ipsumque remorantem à consecutione gloriæ; ergo sequitur illum, qui plenariam Indulgentiam consecutus est, satisfecisse pœnitentiæ sibi a Confessario iniunctæ, alioquin in cœlum non statim euolaret: tum quia Confessarius intendit solùm iniungere pœnitentiam, vt pœnitens satisfaciat pro pœna: cùm autem pœnitens per Indulgentiam plenariam, vel per alia integrè pro pœna satisfecerit, sequitur pœnitentem non amplius teneri ad pœnitentiam iniunctam adimplendam. Ita Doctores statim citandi.

8 *An pœnitens possit iniunctã sibi pœnitentiã satisfacere per alia pia opera satisfactoria.*

8 Addo cum aliquibus Doctoribus contra Nauarrum *de Indulgentijs notabili 21 num. 10* Reginaldum *lib. 7 num. 125.* Viualdum *tit. 9. num 37* Valentiam *tom. 4 disp. 7. quæst. 20 punct 3 vers. Sunt autem.* vbi refert Paludanum *in 4. distinctione 20 quæst quarta articulo secundo*, obligationem pœnitentię cessare non solùm per Indulgentias, verùm etiam per remissionem pœnæ alia via obtentam, vt per alia pia opera satisfactoria propria, vel aliena sibi applicata: nam eædem rationes militant in Indulgentiis, & aliis operibus piis satisfactoriis.

9 *Quot modis iniũgi possit pœnitentia à Cõfessario.*

9 Obserua tamen primò pœnitentiam dupliciter iniungi posse à Confessario

Primò in satisfactionem peccatorum pro pœna peccatis debita. Secundò in medicinam, remedium, & præseruationem a peccatis. Pœnitentię primò modò iniunctæ, in satisfactionem videlicet peccatorum, pœnitens satisfacit per susceptionem Indulgentiæ, & per alia pia opera satisfactoria.

Pœnitentiæ verò secundo modo iniunctæ, in remedium scilicet, & præseruationem, pœnitens non satisfacit per susceptionem Indulgentiæ: Quamobrem si pœnitenti luxurioso iniunctum sit ieiunium pro remedio, & præseruatione peccatorum, pœnitens non satisfacit susciendo Indulgentiam plenariam: cùm Indulgentia non ita inseruiat ad præseruandum ab huiusmodi peccato, sicut ieiunium Ita S. Thomas *in 4 distinct* 29. Syluester *verb. Indulgentia num. 9* Tabiena *eodem verbo, num.* 13 Angelus *eodem verbo, num* 1 Nauarrus *loco citato num.* 43. Beia 1. *parte casu* 38 Sanchez *in summa lib. 1. cap. 14. num.* 8. Suarez *disp.* 50. *sect. 2. num.* 5. Toletus *lib 6. cap.* 23. *num* 10 Coninchus *disp.* 12 *dubio* 3. *num.* 21 & 40 Reginaldus *lib. septimo, numero* 150. & 170. [Filliucius *tract. 8. capite 7. quæst. 2. num.* 174.]

10 *An frequẽter omitti possint pœnitentiæ ob Indulgentias.*

10 Obserua secundò, rarò remittendas esse pœnitentias sacramentales ob susceptionem Indulgentiarũ, vel ob alia pia opera. Ratio est, quia pœnitentiæ sacramentales iuuant ad maius meritum, & ad maiorem gloriam: tum quia non constat, an pœnitens plenè satisfecerit pœnis pro peccatis debitis: tum quia pœnitentiæ sæpius imponuntur, vt medicinæ præseruatiuæ à peccatis in futurum: tum quia integritas Sacramenti postulare videtur, vt pœnitentia à Confessario imposita adimpleatur, nisi moraliter constet pœnis debitis satisfactum esse. Ita Nugnus *artic. 2. dub. 3. ad finem* & alij apud Henriquez *lib. 5. cap. 22 num. 6. littera B.* quos sequitur Suarez *disp 38 sect. 10.* Reginaldus *lib 7. num. 92 &* 170.

Posset tamen pœnitens excusari, si constaret totam pœnam per Indulgentias, vel alia opera satisfactoria sublatam esse, sicut prudenter coniicere potest remissum esse per Indulgentiam plenariam, quam pœnitens probabiliter credit se fuisse consecutum: quamquam consulendum cuique est, ne satisfactiones prætermittat per Indulgentias, vel ob alia opera: sic enim certior via eligitur, & magna percipitur vtilitas ex satisfactione ad peccata in futurum præcauenda. Ita Nauarrus *loc. cit. num.* 44. Reginaldus *num.* 170. Coninchus, Toletus, & alij *locis citatis.*

TERTIA PROPOSITIO.

11 *An satisfactio à Confessario iniuncta possit per alium adimpleri.*

11 SAtisfactio iniuncta à Confessario non potest per alium adimpleri, sed per ipsummet pœnitentem adimplenda est, nisi Confessarius aliud expresserit. Ita Caietanus *verb. satisfactio, numero secundo.* Sotus *dist. 19. quæstio 2. articulo 4.* Suarez *loco citato. sect. 9.* Reginaldus *libro 7. numero 81.* Coninchus *loco* statim *citando.* Vasquez *loco suprà citato, articulo secundo, dubio 1. num. 21.* Zerola *capite 25. quæsito 22.* & alij communiter teste Nugno *in additionibus ad tertiam partem, quæst. 13. articulo 2. vers. Pro maiori intelligentia.* Ratio est, tum quia obligatio personalis implenda est per ipsum: qui huiusmodi obligatione tenetur: obligatio autem pœnitentiæ est personalis, vt patet in aliis actibus pœnitentis, qui sunt personales, & nequeunt per alium suppleri: tum quia pœnitens tenetur adimplere, quod sibi præceptum est à Confessario: sed pœnitenti præceptum est à Confessario, vt pœnitentiam per se ipsum adimpleat: ergo tenetur pœnitentiam per se ipsum adimplere.

In propositione dixi, *satisfactio iniuncta à Confessario:* vt aduerterem me hic loqui de satisfactione sacramentali, non verò de satisfactione aliàs debita: nam si loqueremur de satisfactione, quæ non est iniuncta a Confessario, vel alias debetur pro pœna temporali, dicendum esset hominem iustum posse pro alio satisfacere: nam vnus homo potest satisfacere non solùm pro alio homine in hac vita degente, verùm etiam pro animabus in Purgatorio existentibus, vt patebit ex dicendis de suffragijs. Ita Sanctus Thomas *in additionibus quæstio. 13. articulo 2* Nugnus *ibid. conclu. 2. & quæst. 20. de satisfactione, difficultate 1 folio 437.* Zerola *quæsito 24.* Reginaldus *loco citato.* Coninchus *dubio 7.* [Molfesius *tract. 7 capite 25. numero 84.*] Catechismus Pij V. *in fine* & alij quos referam *de suffragijs.*

Dixi, nisi Confessarius aliud expresserit: nam si Confessarius iniungat pœnitenti aliquod opus, exempli gratia, ieiunium faciendum per alium, vel sub disiunctione per se, aut per alium, pœnitens satisfacit faciendo vt alter ieiunet, seu præstet opus præscriptum: sic enim adimplet præceptum Confessarij.

12 *An pœnitẽs qui pœnitẽtiam per se ipsum adimplere nequit, satisfaciat per alium adimplendo.*

12 Ex dictis colligitur primo, pœnitentem non satisfacere, si pœnitentiam sibi iniunctam præstet per alium, etiam si illam nequeat per se ipsum adimplere: nam obligatio adimplendę pœnitentiæ est personalis. Ita Coninchus *loco citato dubio 9 numero 82*, contra Viualdum *de satisfactione numero 12.*

Hoc tamen intelligitur, modò pœnitentia consistat in actione personali, secus si pœnitentia non consistat in actione personali, sed in illis operibus, quæ per alium tanquam per merum instrumentum fieri possunt, qualis est traditio eleemosynæ, quæ per alium fieri potest cum eadem bonitate. Quamobrem pœnitens, qui tenetur ex præcepto Confessarij elemosynam facere, potest eam per alterum facere Qui verò tenetur ieiunare, aut orationes recitare, aut seipsum verberibus, & flagellis petere, non potest hæc per alium facere, quia sunt opera personalia Ita Nugnus *loco citato, vers. pro maiori.* Suarez, Coninchus, & alij *locis citatis.*

13 *An teneatur in casu proposito pœnitentiã per alium adimplere.*

13 Secundò, colligitur pœnitentem, qui non potest satisfactionem per se ipsum adimplere, non teneri eam per alium adimplere. Ita Nugnus, & alij *locis citatis.*

14 *An satisfactio per alium facta sufficiat ad satisfaciendum ex opere operato pro pœnitente.*

14 QVÆRES vtrùm satisfactio, seu opus de consensu Confessarij factum per alium, sufficiat non solùm ad satisfaciendum præcepto Confessarij, verùm etiam ad satisfaciendum ex opere operato pro pœnitente, pro quo exhibetur.

RESPONDEO sufficere ad satisfaciendum præcepto Confessarij, non verò prodesse ad satisfaciendum ex opere operato pro pœnitente.

Quòd sufficiat ad satisfaciendum præcepto Confessarij, patet, quia voluntas Confessarij adimpletur.

Quòd verò non sufficiat ad satisfaciendum ex opere operato, probatur, quia satisfactio, quæ valet ad satisfaciendum ex opere operato, est pars, seu materia Sacramenti pœnitentiæ, vt suprà dictum est: satisfactio autem, seu opus exhibitum ab alio pro pœnitente, non est pars, seu materia Sacramenti: cùm Florentinum & Tridentinum dicant, materiam Sacramenti esse tres actus pœnitentis. Cùm ergo illud opus non sit actus pœnitentis, non potest dici materia Sacramenti, consequenter neque dici potest prodesse ad satisfaciendum ex operato. Concedo quidem ipsam actionem, qua pœnitens curat ab altero præstari opus præscriptum iuxta mentem Confessarij, esse actum ipsius pœnitentis, & consequenter esse partem Sacramenti, & vt sic prodesse ex operato ad remissionem pœnæ, vt benè docet Henriquez *lib. 5. cap. 20. numer. 7.* Viualdus *de satisfactione numer. 13.* Coninch. *loc. citat. dub. 10. numer. 92.* Suarez *disp. 38. sect. 9. numer 4.* [Filliucius *numer. 58.*] & alij. Sed nego opus præstitum ab alio esse partem Sacramenti, & valere ad satisfaciendum ex operato, vt patet ex allata ratione. Ita Coninchus *disput 10 dubio 8. num. 66.* Vasquez *loco citato num. 11.* Ledesma *quæst 14. art. 4.* & alij contra Nugnum *loco citato artic. 2.* Henriquez *lib. 5 cap. 21 num. 4.* Suarez *loco citato*, Sotum, Bonauenturam, & alios apud Nugnum, & apud Henriquez *locis citatis.*

QVARTA PROPOSITIO.

15 *Quo tempore pœnitens adimplere teneatur pœnitẽtiam.*

15 PŒnitens debet pœnitentiam adimplere in statu gratiæ, non verò in statu peccati. Vnde si eam in statu peccati adimpleat, peccat, quamuis obligationi pœnitentiæ sibi à Confessario iniunctæ satisfaciat.

Quòd

Quòd satisfaciat obligationi, patet, quia ille dicitur præceptum & obligationem adimplere, qui facit id quod sibi præceptum est: pœnitens autem adimplendo pœnitentiam in statu peccati mortalis facit quod sibi præceptum est à Confessario: cùm ipse Confessarius non imposuerit pœnitentiam adimplendam in statu gratiæ, sed absolutè non præscripto modo. Ita Suarez *disputat. 38. sect. 8. numero prim.* Henriquez *libro quint. capit. vige. num. septim* Sylvester *verb. Satisfactio numero septimo* Emmanuel Sà *eodem verbo, num sept.* Toletus *lib. 3. capite nono*, Nauarrus *capite tert. numer. 5.* Sotus *distinct. 19. quæstio prima, articulo quarto.* Valentia *tom. 4. disputat. septim. quæst. 14. punct. tertio, versicul. Neneſt tamen negandum.* Vasquez *quæst. 94. articul. secundo dubio quint.* Nugnus *in additionibus, quæst. 14 art. secund. versicul. & sic.* Reginaldus *libro septimo, numer. 9. & 84.* Coninchus *disput. 10. dubio 11 numer. 95.* Zerola *capit. 25 quæsito 18.* Sayrus *de pœnitentia capit. 37 numer. 1.* [Filliucius *tractat. octa. capite 2 quæst. 9. numer. 57.*] & alij communiter.

Quòd verò pœnitens, qui pœnitentiam adimplet in statu peccati mortalis, peccet: ratio est, quia ponit obicem effectui satisfactionis quæ est pars Sacramenti pœnitentiæ, illamque indignè tractat. Non tamen puto mortaliter peccare: tum quia adimpletio pœnitentiæ in statu peccati mortalis, non videtur tractatio istius partis adeò indigna, & grauis, vt efficiat pœnitentem lethalis culpæ reum: tum quia nullus ferè consueuit se de hoc peccato in confessione accusare: ergo signum est communiter non censeri peccatum mortale Ita Suarez *loco citato, numero septimo*, Nugnus *loco citato, versi Nihilominus.* Reginaldus *loco citato numer. 84.* Vivaldus *de satisfactione num. 12.* Henriquez *capite 18. numer 3. & capite 20 num. 7.* [Filliucius *num. 57*]. & alij communiter, teste Nugno.

16 *An pœnitentia in peccato facta remittat pœnam durante statu mortalis peccati.*

16 QVÆRES primò, vtrùm pœnitentia facta in statu peccati mortalis prosit ad remittendam pœnam durante statu peccati mortalis.

RESPONDEO negatiuè cum Suarez *loco citato.* Coninicho *loco citato, numero 96* Henriquez *capite 8. numero 3. & capit. 20. numer. 7.* Victoria *numer. 201.* [Filliucio *tract. 8. capit. 1 quæs. 3. numer. 4* Molfesio *tractat 7. capit. 25. numer. 76.*] & alijs contra Vasquez *quæst. 94. articul. 2. dub. 5. numer. 8.* Nauarrum *distinct. 6. de pœnitentia, capite 1. numer. 46.* Medinam, & alios apud Henriquez *cap 18. & 20* Ratio est, quia peccatum mortale nondum remissum, est obex, & impedimentum ad remissionem pœnæ: sicut enim Sacramentū nō prius remittit pœnā, quam culpā, ita neque satisfactio quæ est pars sacramentalis, tollit pœnam, antequam ablata sit culpa: indignus enim est vt pœnæ remissionem obtineat, qui dignus est æterna pœna Secus dicendum est, si pœnitentia in peccato tantùm veniali adimpletur: nam habens solùm veniale non est inimicus Dei, & peccatum veniale non impedit opera meritoria, & satisfactoria: neque est obex ad remissionem pœnæ, & sicut peccatum veniale non tollit fructum Sacramenti susceptì cum peccato veniali, ita neque tollit fructum, & valorem, quem satisfactio sacramentalis habet ex opere operato. Ita Henriquez *loco citato cap. 20. num 7* & alij.

17 *An pœnitentia in peccato mortali facta prosit sublato obice.*

17 QVÆRES secundò, vtrùm pœnitentia facta in statu peccati mortalis sortiatur suum effectum, & prosit ad remissionem pœnę sublato obice, id est, statu peccati mortalis.

RESPONDEO affirmatiuè cum Suarez *disput. 38. sect. 8 numero 5.* Zerola *loco citato quæsito 18.* Reginaldo *libro septi numero 9. 10. & 84.* Henriquez *capite 10 numero 7.* Victoria *numero 201.* Emanuele Sà *verb. satisfactio numero 7.* Rodriquez *in summa capit. 56. numer. 10.* [Filliucio *numer. 57.* Molfesio *numer. 77.*] & aliis contra Sotum *dist. 19. qu. 1. articulo 5.* Valentiam *tom. 4. disp. 7. quæstio. 14. punct. 3. vers. Mihi tamen.* & alios. Ratio est, tum quia Sacramenta recedente fictione suum sortiuntur effectum, vt superius ostendimus: ergo etiam satisfactio sacramentalis facta in peccato mortali suum sortitur effectum recedente fictione, seu statu peccati, cùm satisfactio sit pars Sacramenti, nec sit maior ratio, cur Sacramentum operetur recedente fictione, non verò pars: tum quia satisfactio est pars Sacramenti: non potest autem esse pars Sacramenti, quin significet, & efficiat aliquid ex operato: cum autem non efficiat gratiam, cùm gratia conferatur in eo instanti, in quo perficitur absolutio, sequitur debere ex opere operato efficere remissionem peccatorum, saltem recedente obice, seu statu peccati. Sic argumentatur Vasquez, quamuis ipse velit satisfactionem producere suum effectum, non recedente fictione, sed quando ipsa satisfactio exhibetur, licèt fiat in statu peccati mortalis.

18 *Differētia inter pœnitentiam sacramentalē & reliqua bona opera in statu peccati mortalis præstita.*

18 Hinc patet differentia inter pœnitentiam sacramentalem, & reliqua bona opera in statu peccati mortalis facta: nam reliqua opera in statu peccati mortalis facta sunt mortua, & non reuiuiscunt, vt infrà explicabo: pœnitentia verò, cùm sit opus sacramentale, est opus ex se viuum, licèt quodammodo mortificatum ob indispositionem, & statum peccatoris: sicut autem opera mortificata reuiuiscunt aduenientе gratia, ita satisfactio sublato obice quodammodo reuiuiscit ad suum effectum: & sicut Indulgentia iuxta nonnullos Doctores, quos referam de indulgentiis, prodest recedente peccato ita multo magis prodest satisfactio. Ita Vasquez *q. 94. art. 1. dub. 4. num. 10.* Reginaldus, & alij *locis citatis.*

QVÆSTIO VI.

De effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

SAcramentum pœnitentiæ multos parit effectus.
PRIMVS est remissio peccatorum mortalium.
SECVNDVS est remissio peccatorum venialium.
TERTIVS est irreuocabilitas peccatorum.
QVARTVS recuperatio virtutum, meritorum, & gratiæ.
QVINTVS est obligatio sigilli.

Hos singulos effectus sigillatim examinabimus exordium sumentes ab effectu circa remissionem peccatorum mortalium.

SECTIO I.

De effectu Sacramenti Pœnitentiæ circa remissionem peccatorum mortalium.

QVinque nobis præcipuè quærenda sunt in hac sectione.
Primò, vtrùm Sacramentum pœnitentiæ conferat gratiam, & remittat peccata mortalia.
Secundò, vtrùm remittere possit omnia peccata.
Tertiò, vtrùm possit vnum peccatum mortale remittere sine alio.
Quartò, vtrùm remittat peccata, non solùm quoad culpam, verùm etiam quoad pœnam.
Quintò, vtrùm Sacramentum pœnitentiæ susceptum cum obice producat suum effectum recedente obice, seu fictione.

PVNCTVM I.

Vtrùm Sacramentum pœnitentiæ conferat gratiam, & remittat peccata mortalia.

VNICA PROPOSITIO.

1 SAcramentum pœnitentię confert gratiam habitualem, quia Sacerdos ostendit non solùm pœnitentem esse absolutum, verùm etiam vt Dei minister, & Vicarius Christi verè absoluit à peccatis Hæc propositio duas habet partes.

2 *An pœnitentiæ Sacramentū conferat gratiam, & peccata mortalia remittat.*

Prima est, Sacramentum pœnitentiæ conferre gratiam habitualem & hæc constat ex dictis de Sacramentis in genere: cùm omnibus Sacramentis communè sit gratiam conferre.

Secunda est, Sacerdotem non solùm declarare pœnitentem absolutum, verùm etiam absoluere à peccatis, & hæc pars probatur: tum quia *Ioannis* 10. dicitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. quæ verba intelligenda sunt in propria significatione, cùm inde nullum sequatur inconueniens: tum ex *Matthæi* 18. *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Tum quia in Florentino dicitur, absolutionem à peccatis esse effectum istius Sacramenti: & in Tridentino *sess* 14 *cap.* 3. habetur effectum huius Sacramenti esse reconciliationem cum Deo, sed reconciliatio cum Deo fit per absolutionem peccatorum, cùm homo, quamdiu in statu peccati mortalis existit, sit Dei inimicus; ergo huius effectus Sacramēti est absolutio peccatorū, consequenter Sacerdos verè absoluit à peccatis. Præterea idem Concilium dicit pœnam æternam vnà cum culpa remitti per Sacramentum pœnitentię, vel Sacramenti votum: cùm ergo Sacerdos sit minister istius Sacramenti, dicendum est ipsum verè à peccatis absoluere, & non tantùm ostendere pœnitentem absolutum Ita S. Thomas 3. *part quæst* 84 *art.* 3. *ad quintum.* Nugnus *ibid. dub. 2. concluſ. 2.* Vasquez *ibid. dub. 2 num* 12. Coninchus *disp. 4. de pœnit. dub. 2.* Valentia *tom. 4. disp. 7. qu. 1 punct. 3.* Pitigianus 2 *part. dist. 14. q. 4. art. 3.* [Suarez *disp. 8 sect. 1.* Filliucius *tract. 6. c. 4. quæs. 1. num. 85.*] & alij quos supra retuli *q. 3 punct. 1. q. 3.* & idem tenent quàm plures Patres apud Valentiam *loco citato*, contra Magistrum *in 4. distinct. 18.* vbi asserit Sacerdotem illis verbis: *Ego te absoluo*, non absoluere à peccatis, seu remittere peccata, sed ostendere pœnitentem à peccatis diuinitus absolutum esse.

OBIICIES primò, solus Deus remittit peccata, iuxta illud Lucę 5. *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?*

RESPONDEO, solum Deum conferre gratiam, & remittere peccata principaliter, Sacerdotem verò ministerialiter, & instrumentaliter conferre gratiam, & remissionem peccatorum, & pœnæ: nam per eandem absolutionem, seu actionem absolutiuam, & iustificatiuam Deus absoluit, & homo absoluit, sed Deus principaliter, & homo ministerialiter & instrumentaliter, modò non accipiamus actionem absolutionis pro ipsa prolatione verborum, quatenus est actio vitalis: vt sic enim principaliter prouenit à Sacerdote tanquam à causa secundaria principali: si verò accipiamus actionem absolutionis pro absolutione peccatorum, quæ est quid consequens ad prolationem verborum, dicendum est talem absolutionem principaliter à Deo prouenire, ministerialiter verò & instrumentaliter à Sacerdote. Ita Coninchus *loco citato numero decimoseptimo* & alij.

OBIICIES secundò, Lazarus, qui à morte fuit excitatus à Christo clamante, *Lazare*, &c. & traditus Apostolis soluendus, exemplum, & typus est peccatoris, vt inquiunt communiter sancti Patres: sicut ergo Lazarus priùs à morte ad vitam fuit à Christo

reuocatus, & deinde traditus Apoſtolis, vt ſolueretur,. ita peccator videtur priùs recipere vitam ſpiritualem a Chriſto,& deinde oſtenditur abſolutus a Sacerdote vel a Sacerdote obtinet ſolùm remiſſionem pœnæ,non culpæ.

Pro Solvtione iſtius obiectionis præmittendum eſt vitam ſpiritualem dupliceꝫ eſſe : vna dicitur fundamentalis , & remota, ſeu inchoata: altera formalis, proxima, & perfecta.

Vita fundamentalis conſiſtit in gratia præueniente, & excitante qua Deus per internas inſpirationes, & auxilia excitat, & mouet hominem ad vitam perfectam, & formalem.

Vita verò,formalis,& perfecta conſiſtit in gratia habituali ſanctificante hominem

Vita fundamentalis eſt à ſolo Deo, qui interius excitat, & mouet hominem ad vitam, & ad gratiam ſanctificantem obtinendam.

Vita verò formalis , & perfecta , non ſolum eſt à Deo , verum etiam à Sacerdote, qui confert Sacramentum, & ſimul cum Deo, iuſtificat, & abſoluit à peccatis Hoc poſito:

Ad obiectionem Respondeo, Lazarũ eſſe typum,& exemplar pœnitentis , conſequenter ſicut Lazarus priùs à Chriſto fuit viuificatus, deinde traditus Apoſtolis ſoluendus: Ita pœnitentem priùs à Deo per gratiam excitantem viuificari, deinde formaliter, & perfectè à Sacerdote in perſona Chriſti per Sacramentum pœnitentiæ viuificari, & hoc ſolùm voluit D. Auguſtinus *tract.22.& 49.in Ioannem*,vt bene docet Coninchus *loc.cit.num.24.ad primum argumentum*. Vaſquez *loco citato, num.* 19. & alij recentiores.

Obicies, tertiò Actio Chriſti,qua decem leproſos ſanauit eóſque miſit ad Apoſtolos,figura fuit Sacramenti pœnitentiæ: ſicut ergo leproſi à lepra mundati fuerant antequam ſe preſentarent, & oſtenderent Sacerdotibus , ita pœnitens priùs obtinere videtur remiſſionem peccatorum, quàm à Sacerdotibus abſoluatur.

Respondeo , illam Chriſti actionem non fuiſſe figuram Sacramenti pœnitentiæ , ſed potiùs eorum , qui extra Sacramentum iuſtificantur per contritionem, quos conſtat adhuc teneri Sacerdotibus confiteri peccata , quorum remiſſionem extra pœnitentiæ Sacramentum per contritionem obtinuerant , vt patet ex ſupradictis.

Responderi poſſet ſecundò , ex illa Chriſti actione nihil contra nos concludi, etiamſi admitteremus , illam actionem Sacramenti pœnitentiæ figuram extitiſſe ; nam ſicut Sacerdotes antiquæ legis mundabant leproſos ab immunditia legali,ita noſtri Sacerdotes eos , quos pœnitet ſui peccati , mundant,& purgant à maculis peccatorum. Ita D. Chryſoſtomus *lib. 3.de Sacerdotio*. VValdenſis *cap.146.part.2.* Coninchus *loco citato ad ſecundum argumentum* & alij.

Obicies primò,Blaſphemia in Spiritum ſanctum eſt irremiſſibilis, *Marci* 3. Ergo pœnitentia non videtur ſufficiens ad delenda omnia peccata mortalia,alioquin poſſet etiam delere blaſphemiam in Spiritum Sanctum.

Respondeo, blaſphemiam in Spiritum ſanctum dici irremiſſibilem , non quia ſimpliciter non ſit remiſſibilis , ſed quia difficilè remittitur.

Nomine *blaſphemiæ in Spiritum ſanctum*,aut intelligitur finalis impœnitentia, vt ex S. Auguſtino tradit D. Thom. *quæſt.86.art.1.ad tertium*.& ſic certum eſt , huiuſmodi blaſphemiam eſſe irremiſſibilem, vt conſtabit ex reſponſione ſequentis obiectionis: aut intelligitur peccatum ex certa malitia, & ſic dicitur irremiſſibile; quia difficile remittitur ; cùm non habeat in ſe cauſam excuſationis. Ita S. Thomas *loco citato*. Nugnus *ibidem.dub. 2. ad primum*. Henriquez *lib.4.cap.13.num.6.* [Molfeſius *num.19.*] & alij;aut per blaſphemiam in Spiritum ſanctum intelligitur ea , qua quis agnitam fidei veritatem malitioſè oppugnat,& miracula,quibus fidei veritas comprobatur,ad artem magicam refert,iuxta ea,quæ tradit Bellarminus *lib.2.de pœnitentia cap.16.*& Coninchus *diſp. 2.de pœnitentia,dub. 1 num.9.* [Suarez & Filliucius *locis citatis & num. 88.* Molfeſius *tract.7.cap.6. num.* 18.] & hoc peccatum dicitur irremiſſibile ,non quia ſimpliciter ſit irremiſſibile : ſed quia cum difficultate remitti conſueuit, eo quòd committentes huiuſmodi peccatum rarò conuertantur, reſpuentes fundamentum conuerſionis, quod eſt fides.

Neque obſtat dicere , has noſtras expoſitiones eſſe nimium extortas,& impropriας, cùm in ſcriptura non habeatur verbum, *difficile*, ſed *irremiſſibile* , &c. Reſpondetur enim, Scripturam conſueuiſſe aliquando adhibere verbum impoſſibile pro difficile , & difficile pro impoſſibile, vt oſtendunt præcitati Doctores.

Obicies ſecundò, *Ioannis 1. cap.* 5. dicitur eſſe peccatum ad mortem , pro quo non eſt orandum : ergo datur aliquod peccatum , quod remitti non poteſt , alioquin nullum daretur peccatum, pro quo non eſſet orandum.

Respondeo, nomine *peccati ad mortem*, intelligi peccatum cum quo ex hac vita homo decedit , & in inferno damnatur : cùm autem in inferno nulla ſit redemptio , ſequitur eſſe aliquod peccatum, pro quo non eſt orandum. Non tamen hinc ſequitur, dari aliquod peccatum , quod in hac vita remitti non poſſit , ſi pœnitentiæ remedium legitimè adhibeatur. Ita Henriquez *loco citato*. Bellarminus *loco citato cap.15*, Coninchus *loco cit. num.* 10. & alij.

2 QVÆRES, vtrùm homo ſemper poſſit à peccatis reſurgere, ſéque ad Deum conuertere. 2 *An homo à peccatis ſemper reſurgere poſſit.*

Respondeo affirmatiuè, etiamſi ſæpiùs,& ſæpiſsimè peccauerit. Ita S. Thomas 3 *part.quæſt.86.art.1.* Nugnus *ibid.dub.1.* Bellarminus *de pœnitentia, cap.15.* Sotus, Medina, & alij, quos citat,& ſequitur Suarez *diſput.8.ſect.2. num.6.* Henriquez *lib.4.cap 13.num.* 4 Ratio eſt, tum quia *Ezechielis* 18. & 33.dicitur : *Nolo mortem peccatoris , ſed vt conuertatur*, & c.2. Petri 3. *ſecundùm benignitatem ſuam tolerat peccatores , vt tandem illos pœniteat:*& Matthæi 9 *Non veni vocare iuſtos,ſed peccatores ad pœnitentiam*.Tum quia Deus, quantum eſt ex parte ſua,non denegat auxilia ſufficientia ad reſurgendum cuilibet peccatori:cùm enim Deus velit omnes homines ſaluos fieri,ſequitur, ipſum dare auxilia ſufficientia ſaltem remota,quibus homines ſaluari poſsint:alioquin non diceretur velle omnes homines ſaluari:tum quia quamdiu homo viuit, eſt viator:cùm autem viator habere debeat potentiam ad obtinendum terminum, nec terminum obtinere poſsit ſine diuinis auxiliis , ſequitur, hominem habere diuina auxilia ad conſequendum terminum , & conſequenter poſſe à peccatis reſurgere, quę termini conſecutionem impediunt.

3 Hinc colligi poteſt ſolutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm dari poſsit certus peccatorum cumulus , quo poſito nequeat homo à peccatis reſurgere. Reſpondetur enim huiuſmodi cumulum non dari:quamuis enim multi re ipſa non reſurgant à peccatis, & aliqui poſtquam certum aliquod peccatum commiſerunt, grauiſsimè puniantur, non tamen ſequitur hoc fieri cum omnibus,& reſpectu omnium aſsignatum eſſe certum peccatorum numerum , quo poſito , Deus noluit amplius homines tolerare, eiſque auxilium ad reſurgendum concedere. Ita Suarez *loc.cit.ſect.2.* Henriquez *loc.cit. num.4.* Bellarminus *lib.2.de pœnit.cap.12.* S. Thomas *loc.cit.* [Filliucius *tract. 6. cap. 4. quæſt. 2.*] Cyprianus , Cyrillus, & alij apud Henriquez *loc.cit. littera R.* 3 *An dari poſsit certus peccatorũ cumulus, quo poſito nequeat homo à peccatis reſurgere.*

PVNCTVM II.

Vtrùm pœnitentiæ Sacramentum remittere poſſit omnia peccata mortalia.

VNICA PROPOSITIO.

1 *An pœnitẽtia poſſit omnia peccata mortalia delere.*

1 POEnitentia ſufficiens eſt ad delenda peccata mortalia , licèt grauia & multa, toties, quoties homo peccauerit, & legitime pœnitentiam ſuſceperit. Hæc propoſitio eſt de fide, vt oſtendit S. Thom. *q.86.art* 1. Nugnus *ibidem.dub.2.* Suarez *diſp.8.ſect.* 1. Valentia *tom.4.diſp.7.quæſt.3.punct.* 1. Coninchus *diſp.2. de pœnit.dub.1.num.7.* Pitigianus 2.*part.diſt.20.quæſt.vnic.art.1.verſ. Dicendum eſt ergo,& diſt.14. quæſt.3.art.2.concluſ.3.* Bellarminus *de pœnitentia,cap.15.* [Filliucius *tractat. 6.cap.4.quæſt.1.num.83.* Molfeſius *tract.7. cap. 6 num.* 15.] ſiue loquamur de Sacramento pœnitentiæ ; ſiue de perfecta virtute pœnitentię, quam in ſuperioribus diximus eſſe contritionem.

Quòd pœnitentiæ Sacramentum ſufficiens ſit ad delenda omnia peccata, patet, tum ex verbis, quibus Chriſtus conceſſit facultatem abſoluendi : *Quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis*, Ioan. 10. quę verba cùm ſint generalia , generaliter accipienda ſunt de omnium peccatorum remiſſione : tum quia certum eſt de fide,omnia Sacramenta conferre gratiam habitualem : gratia autem habitualis incompoſſibilis eſt, cum omni peccato mortali , & delet omnia peccata mortalia , niſi ponatur obex : nam homo per gratiam conſtituitur amicus Dei, & hæres gloriæ cæleſtis : peccatum verò mortale efficit hominem Deo inimicum, & reum pœnæ æternæ; cùm autem impoſſibile ſit, aliquem eſſe amicum Dei , & inimicum, dignum æterna gloria,& æterna pœna, ſequitur, gratiam, quæ confertur in Sacramento , eſſe incompatibilem cum omni peccato mortali, & conſequenter delere omnia peccata mortalia, modò non ponatur obex ad gratiam in Sacramento recipiendam.

Quod virtus perfecta pœnitentiæ ſit ſufficiens ad delenda omnia peccata, probatur, tum ex Ezechielis 18. *Quoties ingemuerit peccator , omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* & Pſalm. 15.*Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Tum ex Pio V. & Gregorio XIII. qui damnarunt ſententiam cuiuſdam Louanienſis aſſerentis per contritionem infundi gratiam, ſed non remitti peccata ante actualem Sacramenti ſuſceptionem : tum quia perfecta pœnitentia , id eſt , contritio in nouа lege non eſt deterioris conditionis contritione in antiqua lege:in lege autem antiqua peccata delebantur per contritionem.

Quòd denique pœnitentia ſit ſufficiens ad delenda peccata toties, quoties homo peccauerit , ſi peccatori applicetur pœnitentia poſt peccatum, patet tum ex locis,& rationibus allatis:tum quia *Matthæi* 18.dicitur : *Non dico tibi ſepties , ſed vſque ſeptuagies ſepties* Tum quia quotieſcunque pœnitentia applicatur , non eſt minoris virtutis, & efficaciæ vltima vice, quàm antea. Cùm ergo antea ſufficiens eſſet ad delenda peccata, ſequitur, pœnitentiã, quotieſcunque applicetur, ſufficientè eſſe ad delenda peccata toties, quoties homo peccauerit.

PVNCTVM III.

Vtrùm pœnitentiæ Sacramentum poſſit remittere vnum peccatum mortale ſine alio.

VNICA PROPOSITIO.

1 *An pœnitentiæ Sacramentum poſſit vnum peccatum mortale remittere ſine alio.*

1 SAcramentum pœnitentiæ non poteſt vnum peccatum mortale remittere ſine alio , non ſolùm de potentia Dei ordinaria, verùm etiã de abſoluta. Hæc propoſitio, ſi loquamur de poteſtate ordinaria Dei,eſt de fide,vt patet ex Tridentino *ſeſſ.6.cap.7.& ſeſſ. 5 canone* 5.ſi verò loquamur de poteſtate non ſolùm ordinaria, verùm etiam de abſoluta. Ratio eſt, quia peccator non iuſtificatur ſine receptione gratiæ habitualis: gratia autem habitualis formaliter ita opponitur omnibus peccatis mortalibus , vt cum omnibus omnino ſit incompoſsibilis: cùm primarius peccati mortalis effectus ſit efficere hominem inimicum Dei,& filium diaboli , &c. Primarius verò effectus gratiæ ſit facere amicum Dei , filium Dei & hæredem gloriæ Implicat autem eſſe amicum Dei , & eius inimicum , eſſe filium Dei , & filium diaboli , eſſe hęredem gloriæ æternę , & dignum æterna pœna : cùm ergo Deus non poſsit huiuſmodi effectus prima-

primarios peccati, & gratiæ impedire, sequitur vnum peccatum mortale remitti non posse sine alio, alioquin posset quis esse amicus Dei, & eius inimicus, filius Dei, & filius diaboli, &c. quod est absurdum, magnáque inuoluit implicantiam. Ita S. Thom. 3. *part. quæst.* 86. *art.* 3. Vasquez *ibid. num.* 8. Sotus *dist.* 15. *quæst.* 1. *artic.* 1. Valentia *tom.* 4 *disp.* 7. *quæst.* 3 *punct.* 3. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 13. *nu.* 4. *in commentario littera* O Caietanus 1. 2. *quæst* 113. *art.* 3. Zerola *de pœnitentia, cap.* 2, *quæsito* 15. & *cap.* 25. *quæsito* 26. & 27. Petrus Ledesma *de pœnitent. cap.* 6. *concluſ.* 14. & alij contra Suarez *disp.* 9. *sect.* 4. & *disp.* 10. *num.* 6. Coninchum *disp.* 2. *de pœnitentia, dub* 10. *num* 93. & *dub.* 11. *nu* 103 Nugnum 3. *part. quæst.* 86. *art.* 3. *verſic. ſit concluſio.* [Molfesium *tract.* 7. *c.* 6. *n.* 40.] & alios.

Hinc patet, quid dicendum sit de contritione, & de reliquis Sacramentis primam gratiam conferentibus.

OBIICIES, Deus potest vnum peccatum condonare alio non condonato: ergo potest vnum peccatum remittere sine alio.

RESPONDEO negando antecedens, cùm enim peccatum includat priuationem sanctitatis, & nitoris animæ; priuatio autem non possit auferri, nisi per formam positiuam, qualis est gratia quæ incompossibilis est cum omnibus peccatis mortalibus, sequitur, vnum peccatum mortale non posse remitti, & condonari sine alio.

DICES, Deus potest producere qualitatem in anima incompossibilem cum vno peccato, & non cum alijs; ergo Deus potest remittere, & condonare vnum peccatum mortale non remissis, nec condonatis alijs.

RESPONDEO, non posse produci qualitatem incompossibilem cum vno tantùm peccato mortali, quin etiam sit incompossibilis cum alijs, cùm enim peccatum dicat priuationem nitoris, & sanctitatis animæ, non potest peccatum mortale expelli, nisi per qualitatem, quę sit nitor animę, sicut impossibile est expelli tenebras, nisi per lucem; sicut autem quælibet lux tollit tenebras, ita quælibet qualitas, quę sit nitor, & sanctitas animæ, tollit peccata mortalia.

PVNCTVM IV.

Vtrùm Sacramentum pœnitentiæ remittat peccata, non solùm quoad culpam, sed etiam quoad reatum pœnæ.

IN precedentibus ostendimus peccata remitti per Sacramentum pœnitentiæ, modò dubium est, vtrùm per Sacramentum pœnitentiæ tollatur etiam reatus, qui est obligatio ad pœnam. Duplex autem est reatus, vnus æternus, quo peccator est dignus æterna pœna propter peccatum mortale nondum remissum, alter temporalis, quo peccator dignus est pœna ad tempus propter veniale, aut propter mortale remissum, pro quo nondum exhibuit debitam satisfactionem.

Hoc posito duo principaliter quærenda sunt in hoc puncto. Primò, vtrùm remisso peccato mortali quoad culpam, remittatur etiam reatus pœnæ æternæ. Secundò, vtrùm remittatur etiam reatus pœnæ temporalis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An Sacramẽtum pœnitentiæ nõ solùm remittat peccata quoad culpam, verùm etiam quoad reatum æternæ pœnæ.*

1 REmisso peccato mortali quoad culpam, necesse est de potentia Dei ordinaria remitti etiam reatum pœnæ æternæ. Ratio est, tum quia in Tridentino *sess.* 6. *cap.* 14. dicitur, pœnam æternam vnà cum culpa remitti per Sacramentum pœnitentiæ, vel eius votum, tum quia peccator recipit remissionem peccati mortalis per gratiam, per quam ex inimico Dei fit ipsius amicus, ex iniusto iustus, & hæres vitæ æternæ, iuxta illud Pauli ad Romanos 8. *Si filij, & hæredes*; sed impossibile est, aliquem esse hęredem vitę ęternæ, seu dignum vita æterna, & esse dignum æterna pœna; ergo impossibile est remitti peccatum mortale, & remanere reatum pœnæ; ergo remisso peccato mortali necesse est, de potentia Dei ordinaria remitti etiam reatum pœnæ ęternæ.

Dixi, *de potentia Dei ordinaria*, vt aduerterem, de potentia Dei absoluta remitti posse culpam remanente reatu æternæ pœnæ; quia Deus posset de potentiâ absoluta remittere peccatum per aliam qualitatem, quàm per gratiam, quæ non efficeret hæredem vitæ æternę, sicut efficit gratia. Ita Medina *tract.* 1. *quæst.* 7. *art.* 2. Bellarminus *lib.* 4. *de pœnitentia.* Henriquez *lib.* 4. *de pœnitentia, cap.* 14 *lib.* 1. *in commentario.* Coninchus *disp.* 2. *de pœnitentia, dub.* 12. & 13. *nu.* 118. [Suarez *disp.* 10 *sect.* 3 Filliucius *tract* 6 *cap.* 4. *quæst.* 6. *nu.* 95.] & alij. Præterea sicut non implicat de potentia Dei absoluta reatum pęnę pro vno mortali debitæ remitti sine reatu pœnæ alijs peccatis debitæ, vt asserit Medina, Scotus, & alij apud Henriquez *lib.* 4. *c.* 13. *nu.* 4. ita neque implicat, remitti culpam de potentia Dei absoluta remanente reatu pœnę æternæ.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *An totus reatus pœnæ temporalis semper remittatur.*

2 REmisso peccato quoad culpam non semper remittitur totus reatus pœnæ temporalis. Hæc propositio patet: tum quia est de fide definita in Tridentino *sess.* 6 *cap.* 14. vbi habetur, in Sacramento pœnitentiæ iniungi satisfactionem non pro pœna ęterna, quæ simul cum culpa remittitur per Sacramentum, vel Sacramenti votum, sed pro pœna temporali; ergo pœna temporalis non semper remittitur remisso peccato quoad culpam: tum quia ex multis exemplis Scripturæ constat, Deum voluisse pro delicto, quamuis dimisso, pœnam sumere, vt ex Dauid 2. *Regum cap.* 12. & 14 & de Moyse & Aaron *Num.* 14. & 20. Tum quia sic habetur ex diuina ordinatione, quæ nobis per fidem manifestatur, & est conformis rationi: par enim est, vt illi, qui deliquit, aliqua imponatur pœna, vt melùs in futurum à delictis retrahatur. Ita S. Thom. 3 *part. quæst.* 86. *art.* 4. Nugnus *ibidem, verſic. In hoc articulo.* Bellarminus *lib.* 4. *de pœnitentia, cap.* 2 Henriquez *loco citato, numer.* 1. Suarez *disp.* 10. *sect* 3 *num* 5 & Zerola *de pœnitentia, cap.* 2. *quæsito* 16. [Filliucius *tract.* 6. *c.* 4. *quæſ.* 7. *n.* 97. & 100.] & alij communiter

OBIICIES primò, per Sacramentum pœnitentiæ applicantur nobis merita Christi: Christus autem infinitè meruit, & pro nobis satisfecit: ergo remisso peccato per pœnitentiam nulla remanet pœna, cùm ad remissionem pœnæ sufficiat Christi satisfactio, quæ est infinita.

RESPONDEO, satisfactionem Christi esse infinitam, sed non semper eodem modo nobis applicari, ita vt deleat totum reatum pœnæ nobis debitæ, vt bene docet Suarez *loco citato, num.* 6. Coninchus *loc. cit. dub* 12. *n.* 113. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 3 *punct.* 4. *in princip.* & alij Doctores citati.

OBIICIES secundò, omnis reatus pœnæ fundatur in culpa: culpa enim est ratio, & fundamentum, propter quod aliquis reus pœnæ constituitur: cùm autem culpa remittatur per Sacramentum pœnitentiæ, vel per contritionem, sequitur etiam per Sacramentum pœnitentiæ, vel per contritionem remitti omnem pœnam.

RESPONDEO, fundamentum reatus pœnæ ęternæ esse culpam nondum deletam, sed adhuc habitualiter perseuerantem, per quam homo remanet inimicus Dei, & dignus æterna pœna: fundamentum verò reatus pœnæ temporalis esse culpam, quæ præcessit, & pro qua nondum est satisfactum: cùm ergo recipiens Sacramentum pœnitentiæ, aut eliciens actum contritionis post peccatum commissum, non semper plenè satisfaciat pro peccato commisso, dicendum est, dimissa culpa, non semper remitti totum pœnæ temporalis reatum.

OBIICIES tertiò, *Ezech.* 18. dicitur: *Quoties peccator ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*; si autem dimissa remaneret adhuc reatus pœnæ temporalis, Deus recordaretur adhuc iniquitatum.

RESPONDEO, Deum dimissa culpa non recordari peccatorum quoad pœnam æternam; recordari verò quoad pœnam temporalem. Præterea dici potest Deum non recordari peccatorum quoad reditionem ipsorum peccatorum, vt infrà explicabo: nam peccata semel dimissa non redeunt.

OBIICIES quartò, Sacramentum pœnitentiæ tollit pœnam æternam: ergo etiam tollit temporalem, quæ est minor.

RESPONDEO negando consequentiam. Pro intelligentia: Notandum est cum Suarez *disp.* 10 *sect.* 3. *num* 15. [& Filliucio *n.* 96] Deum ab æterno præfinisse pœnas luendas pro diuersitate status peccati, ita vt pro peccato mortali nõ deleto, infligatur ęterna pœna: homo enim, quamdiu remanet in peccato mortali, est inimicus Dei, & indignus vita æterna, consequenter ex Dei institutione debet æterna pœna puniri, si in statu peccati mortalis permanserit. Pro peccato verò mortali commisso, sed postea deleto, Deus præfixit pœnam temporalem, nisi pro illa plenè satisfecerit in hac vita; deleto igitur peccato mortali per Sacramentum, aut alia ratione, tollitur reatus pœnæ æternæ, quia homo non est amplius inimicus Dei, nec permanet in statu peccati mortalis, non tamen tollitur reatus pœnæ temporalis, nisi homo plenè satisfecerit pro pœna peccatis debita.

Ex quo patet, quomodo sublata pœna ęterna adhuc remaneat pœna temporalis, & quomodo intelligendi sint Doctores Scholastici, dum asserunt, pœnam æternam mutari in temporalem; cùm enim peccator ante susceptionem Sacramenti esset dignus æterna pœna; susceptо verò Sacramento, aut elicito actu contritionis dignus sit tantummodo pœna temporali, pœna æterna dicitur mutari in temporalem, quatenus pœna æterna non ita remittitur per Sacramentum pœnitentiæ, vel per actum contritionis, quin adhuc remaneat obligatio subeundi pœnam temporalem. Quanta verò pœna temporalis, pro peccatis dimissis luenda sit, nobis non constat, vt supèriùs diximus.

3 *An reatus pœnæ temporalis relictus post remissum peccatum, semper sit æqualis.*

3 QVÆRES, vtrùm reatus pœnæ temporalis, qui dimisso peccato remanet, semper sit æqualis.

RESPONDEO negatiuè, sed esse maiorem, aut minorem, iuxta maiorem, vel minorem contritionem. Ita S. Thom. *quæst.* 86. *art.* 4. *ad tertium.* Valentia *loc. cit.* Henriquez *lib.* 4. *cap.* 14. *num* 1. Suarez *disp.* 10 *sect.* 3. *num.* 7. [Filliucius *num.* 98.] Victoria, Sotus, Ledesma, & alij apud Henriquez *loco cit. in commentario littera C.* Ratio est, tum quia recta ratio dictat, vt qui maiorem habet contritionem, maiorem etiam pœnæ remissionem obtineat: tum quia sicut magis disposito maior gratia infunditur; ita magis disposito per contritionem maior pœnæ quantitas videtur relaxari. Immò tanta esse potest contritio, vt totam pœnam exhauriat, & auferat, vt suprà innui de obligatione imponendæ satisfactionis in Sacramento pœnitentiæ.

4 *Differentia inter Baptismum, & pœnitentiam.*

4 Hinc colligi potest differentia inter Baptismum, & pœnitentiam, quòd Baptismus remittit totam pœnam, etiam temporalem; non verò pœnitentia. Ratio differentiæ est, quia homo per Baptismum regeneratur ad nouam vitam, & totus renouatur, consequenter liber esse debet ab omni pœna: per pœnitentiam verò sanatur quidem à peccatis, sed non regeneratur, consequenter neque remittitur omnis pœna Ita S Thom. & alij *loc. citat.*

PVNCTVM V.

Vtrùm pœnitentiæ Sacramentum susceptum cum obice, conferat suum effectum recedente obice.

SOlutio istius difficultatis facilè colligi potest ex traditis de Sacramentis in genere, vbi quæsiuimus, vtrum Sacramentum informe susceptum sine debita dispositione, seu cum fictione suum sortiatur effectum adueniente dispositione, seu recedente fictione; nihilominus eandem hic duxi breuiter explicare, cùm peculiaris de pœnitentiæ Sacramento difficultas existat. Pro cuius difficultatis intelligentia præmittendum est.

1 *Quódnam dicatur Sacramentum informe.*

1 Primò illud dici Sacramentum informe, quod est sine gratia, & charitate; charitas enim consequitur gratiam, & ratione ipsius sicut virtutes & cætera dona dicuntur formata si cùm ipsa charitate coniungantur, dicuntur verò informia deficiente charitate, ita Sacramentum dicitur informe, quoties non producit gratiam quam charitas consequitur.

2 *Quotupliciter cõtingat fictio.*

2 Secundò præmittendum est, fictionem, aut contingere cum mortali culpa, aut sine culpa suscipientis Sacramentum.

His positis, vt proposita difficultas clarè dissoluatur, tria propono quærenda in hoc puncto. Primò vtrùm detur Sacramentum informe. Secundò quandónam detur. Tertiò vtrùm Sacramentum pœnitentiæ informe conferat suum effectum recedente obice, seu fictione, id est, posita attritione.

PRIMA PROPOSITIO.

3 *An detur Sacramentum pœnitentiæ informe defectu attritionis.*

3 DAtur Sacramentum pœnitentiæ informe defectu attritionis. Ratio est, tum quia Doctores communiter asserunt, dari Sacramentum Baptismi informe, ergo etiam dari potest Sacramentum pœnitentiæ; cùm nulla possit sufficiens disparitatis ratio assignari: tum quia nihil obstat, quin dari possit Sacramentum pœnitentiæ informe; cùm possit aliquid esse in rerum natura, & non operari, plura enim requiruntur ad operandum, quàm vt aliquid in rerum natura existat.

Præterea gratia, & charitas sunt effectus Sacramenti: ergo non pertinent ad essentiam Sacramenti, cùm effectus sit posterior causa, illámque supponat perfectam, & completam: potest ergo dari Sacramentum pœnitentiæ informe, ita vt Sacramentum sit validum, sed non operetur producendo gratiam, & charitatem, vt quando ponitur integra confessio, & dolor essentialis cum absolutione, in quo casu validum est Sacramentum pœnitentiæ, sed informe, si bona fide suscipiatur sine attritione supernaturali ad fructum requisita: nihil enim desideratur quod ad essentiam, & substantiam Sacramenti requiratur, facta integra confessione, & dolore essentiali cum absolutione. Ita S. Thom *in 4. distinct. 17. articul. 4.* Nugnus *in additionibus ad tertiam partem quæst. 9. art. 1.* Suarez *disp. 20 sect. 5.* Valentia *tom. 4. quæst. 11 punct. 2.* Petrus Sotus *lect. 8 de confessione.* Hentiquez *lib. 4. cap. 24. num. 2 & lib. 5. cap. 11. num. 1.* Zerola ex parte *de pœnitentia cap. 25. quæsito 30.* Sayrus *de pœnitentia cap. 14. num. 2.* Pesantius *id additionibus, quæst. 10. de dolore disp. 2.* [Filliucius *tract. 6. cap. 6. quæs. 11.*] Caietanus, Ledesma, Sotus, Sylvester, Nauarrus, Couarruuias, Capreolus, Durandus, Paludanus, & alij apud Suarez *loc. cit. numer. 3.* & apud Vasquez *de pœnitentia quæst. 92. art. 2. num. 2.* Quamuis non omnes admittant, dari Sacramentum pœnitentiæ informe eodem modo, contra Maiorem, Medinam, Gabrielem, & alios, quos sequitur Vasquez *loco citato num. 13.* asserentes nunquam dari pœnitentiæ Sacramentum informe, & nullam confessionem esse validam in substantia Sacramenti, quæ non sit cum effectu.

SECUNDA PROPOSITIO.

4 *Quandónã detur Sacramẽtum pœnitentiæ informe.*

4 TVnc solùm datur Sacramentum pœnitentiæ informe, quando pœnitens bona fide, & inculpabiliter recipit pœnitentię Sacramentum sine dolore requisito ad fructum istius Sacramenti, vt patet tum ex rationibus præcedentis propositionis: tum quia quando nihil aliud desideratur in Sacramento pœnitentiæ præter dolorem bona fide prætermissum, adsunt omnia necessaria ad essentiam, & substantiam Sacramenti, consequenter Sacramentum subsistit: tum quia Sacerdos tunc verè absoluit: ergo pœnitens recipit absolutionem, sed non recipit gratiam: cùm non adsit dispositio ad gratiam, quæ est contritio, vel attritio supernaturalis: ergo recipit absolutionem informem, seu Sacramentum informe.

Si verò mala fide recipiat hoc Sacramentum sciens, vel dubitans, aut ignorans ignorantia mortaliter culpabili se non habere debitum dolorem, non recipit Sacramentum validum, & informe. Ratio est, tum quia Sacramentum non potest esse validum cum actuali peccato mortali, vt docet Sotus *lectione 8. de confessione*, Suarez *disp. 20.* contra Pesantium *loco citato, concluf. 2.* & patet ex supradictis: tum quia Sacramentum non est validum, quoties confessio est dimidiata, & non integra formaliter: quando autem recipitur absolutio cum peccato mortali, quod in ipsa Sacramenti susceptione committitur, confessio non est integra, sed dimidiata: cùm pœnitens non explicet illud peccatum in confessione, aut saltem non sufficienter explicet: nam hoc peccatum committitur, vel continuatur cum absolutione: pœnitens autem non potest dici fecisse confessionem illius peccati, quod committitur tempore absolutionis, cum peccatorum confessio sit de præteritis, non de futuris: cùm autem pœnitens, quando confessus est, nondum commisisset hoc peccatum, sed adhuc esset commissurus, vel continuaturus, non potest dici integrè, & sufficienter confiteri sua peccata: tum quia Sacramentum pœnitentiæ non subsistit sine dolore requisito ad essentiam ipsius Sacramenti, vt in præcedentibus ostendimus; non adest autem dolor essentialis, dum pœnitens mala fide recipit Sacramentum cum peccato mortali actuali. Quomodo enim potest ab eo abhorrere, cui actualiter per affectum voluntatis adhæret? Ita plures Doctores relati in præcedenti propositione.

TERTIA PROPOSITIO.

5 *An Sacramẽtũ pœnitentiæ informe conferat suum effectum sublato obice.*

5 SAcramentum pœnitentiæ informe confert suum effectum sublato obice, seu fictione, id est, posita attritione, seu dolore peccatorum qui sine culpa mortali prætermissus fuerat in susceptione Sacramenti. Ratio est, tum quia Sacramentum pœnitentię non est minoris efficaciæ, quàm sit chirographum respectu solutionis; sicut autem debitor, licèt intuitu chirographi non statim semper debitum persoluat ob aliquod impedimentum: nihilominus sublato impedimento soluet; ita Sacramentum pœnitentiæ, licet ob aliquem defectum non statim suum conferat effectum, nihilominus sublato defectu, seu impedimento conferet: tum quia peccata manifestata in Sacramento informi remittenda sunt per aliquod Sacramentum pœnitentiæ, sed non remittuntur per aliud, quàm per ipsummet Sacramentum informe: pœnitens enim non tenetur peccata in tali confessione manifestata iterum confiteri, & potest habere propositum nunquam illa de nouo confitendi: ergo remittuntur per ipsum Sacramentum informe, posita dispositione necessaria ad fructum, vt benè argumentatur Suarez *disp. 20. sect. 5. num. 14.* Nugnus *loco citato dub. 5. concluf. 1. pag. 300.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 11. puncto 2.* Franciscus Pitigianus *tom 2. dist. 17 quæst. vnic. artic. 7. vers. Dico secundò, pag. mihi 253.* Pesantius *loco citato parag. de dolore disp 4 concl. 2.* Sayrus *de pœnitentia cap. 37 num. 3.* [Filliucius *tract 6. cap. 5. quæs 11. num. 131.*] & alij, contra Vasquez *de pœnitentia quæst. 92. art. 3. dub. 4 pag. mihi 287.* & alios apud eundem Vasquez. [Idem sentiendum putant Henriquez *lib. 4. cap. 16. numer. 2.* Filliucius *tract 6. cap 5. quæs 11. nu. 132.* & alij de pœnitentia à confessario iniuncta, de satisfactione Missarum, vel respectu offerentium, vel eorum, pro quibus offeruntur: ac denique de indulgentia, sed de hac re alibi.

6 *An sufficiat attritio, vt Sacramẽtũ præcedens informe, cõferat suum effectum.*

6 QVÆRES, vtrùm sufficiat attritio, vt Sacramentum præcedens informe conferat suum effectum.

RESPONDEO distinguendo, vel post susceptum pœnitentiæ Sacramentum informe commissum est aliquod peccatum mortale, vel non: si nullum mortale peccatum commissum est, sufficit attritio: quia posita attritione sufficienter tollitur obex, & fictio præcedens, ratione cuius Sacramentum fuit informe: sicut autem Sacramentum cùm attritione produxisset effectum, ita illum modò producit posita attritione, nisi aliud ponatur impedimentum.

Si verò post susceptum pœnitentiæ Sacramentum informe commissum est aliquod peccatum mortale, non sufficit attritio, sed requiritur contritio, vel nouum pœnitentiæ Sacramentum formatum: cùm enim vnum peccatum mortale non remittatur sine alio, & præcedens Sacramentum non habeat efficaciam circa peccata post ipsum commissa, sequitur necessariam esse talem dispositionem quæ sufficiens sit ad delenda priùs confessa, & simul ad delenda commissa post susceptum Sacramentum informe: hæc autem dispositio est contritio, aut pœnitentiæ Sacramentum cum attritione susceptum. Ita Nugnus *loco citat. concluf. 3. & 4.* Henriquez *lib. 4. de pœnitentia cap. 24. numer. 3 & lib. 5. cap. 11. numer. 4.* vbi *in commentario littera Y.* refert Paludanum, Petrum Sotum, & alios, Suarez *disp. 20. sect. 5. numer. 15.* [Filliucius *tract. 6. cap. 6. quæs. 12.*] & alij, quos supra retuli *de Sacramentis in genere, & de Baptismo.*

SECTIO II.

De effectu pœnitentiæ quo ad remissionem peccatorum venialium.

MVltis modis peccata venialia remittuntur, aliquando enim tolluntur per Sacramenta, aliquando per Sacramentalia, & aliquando per aliquos virtuosos actus.

In hac sectione principaliter nobis agendum est de remissione peccatorum venialium, quatenus est effectus Sacramenti pœnitentiæ. Occasione autem istius effectus explicandi explicabimus etiam alia media, quibus peccata venialia delentur.

PVNC-

PVNCTVM I.

Vtrùm per Sacramentum pœnitentiæ remittantur peccata venialia.

VNICA PROPOSITIO.

1 *An peccata venialia remittãtur per Sacramentũ pœnitentiæ.*

1 PEccata venialia remittuntur per Sacramentum pœnitentiæ. Ratio est, tum quia peccata venialia possunt esse materia Sacramenti pœnitentiæ, vt patet ex supradictis. Peccata autem, quę sunt materia Sacramenti pœnitentiæ, posità attritione supernaturali delentur per Sacramentum pœnitentiæ, Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Tum quia peccata venialia remittuntur per reliqua Sacramenta; ergo etiam per Sacramentum pœnitentiæ, quod directè fuit institutum ad remissionem peccatorum. Quòd venialia remittantur per reliqua Sacramenta, patet inductione.

Primò in Baptismo, qui tollit omnem pœnam, & culpam, ita vt baptizatus, si moriatur statim post Baptismum nulla interposita mora, euolet in cœlum, vt patet ex Tridentino *sess. 6. c. vltimo*. si autem Baptismus non remitteret peccata venialia, adultus baptizatus non statim euolaret in cœlum, si suscepto Baptismo statim moreretur, cùm pœna peccatis venialibus debita luenda sit in Purgatorio, si debita satisfactio præstita non fuerit in hac vita.

Secundò in Eucharistia, vt patet ex Tridentino *sess. 6. c. 11. & sess. 13. c. 2. & ex cap cùm omne crimen dist. 2.*

Tertiò in Extrema vnctione, vt colligitur ex Tridentino *sess. 14. c. 2.* & ex Innocentio III. *cap. 2. de sacra vnctione.*

Quartò in omnibus alijs Sacramentis, quia homo attritus, & benè dispositus, si bona fide recipiat Sacramenta, obtinet remissionem peccatorum mortalium, vt superiùs ostendimus de Sacramentis in genere; ergo multò magis cum attritione supernaturali recipiet remissionem peccatorum venialium, quæ magis remissibilia sunt. Ita S. Thomas *3. parte quæst. 87. art. 3.* Nugnus *ibidem difficultate 2.* Sotus *dist. 15. quæst. 2 art. 3.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 4. punct. 1. versic. Tertiò asserimus*, Suarez *disp. 12. sect. 1. numer. 3.* Henriq. *lib. 4. cap. 15. num. 3.* Valq *disp. 87. art. 3. dub. 2. & 3.* & alij communiter.

2 *An per Sacramenta remittãtur omnia venialia.*

2 QVÆRES, vtrùm per Sacramenta remittantur omnia venialia

RESPONDENT aliqui Doctores, non remitti omnia infallibiliter, excepto Baptismo, sed plura, vel pauciora remitti iuxta dispositionem suscipientis. Ita Nugnus *quæst. 87. art. 3. difficultate 1. conclus. 4.* [Filliucius *tract. 6. c. 5. n. 126.*]

Ego verò cum Henriquez *loco citato, num. 4.* Suarez, & alijs censeo, omnia remitti, nisi ponatur obex. Ratio est, tum quia per Sacramenta remittuntur omnia mortalia, nisi ponatur obex; ergo etiam remittuntur omnia venialia, quæ sunt magis remissibilia, modò adsit debita, & sufficiens dispositio: tum quia non est maior ratio cur potiùs aliqua venialia remittantur, & non omnia, modò non ponatur obex: tunc censetur poni obex ad remissionem venialium, quando pœnitens actu venialiter peccat in susceptione Sacramenti, aut habet complacentiam aliquorum peccatorum venialium, &c.

PVNCTVM II.

Vtrùm peccata venialia remittantur per Sacramentalia.

1 *Nimine Sacramentalium quid intelligatur.*

1 VT proposita difficultas intelligatur, præmittendum est. Primò nomine *Sacramentalium* intelligi res sacras, seu sacras actiones quibus obtinetur remissio peccatorum. Hæc autem Sacramentalia, seu res sactæ sunt sex, quæ hoc carmine continentur.

Orans, tinctus, edens, confessio, dans, benedicens.

Per verbum, *orans*, intelligitur oratio Dominica, aut illa, quæ fit in Ecclesia consecrata, aut illa quæ fit cum tunsione pectoris.

Per verbum, *tinctus*, intelligitur aqua benedicta.

Per verbum, *edens*, intelligitur Eucharistia, aut etiam panis benedictus, & alia huiusmodi.

Per verbum, *confessio*, non solùm intelligitur confessio sacramentalis, verùm etiam non sacramentalis, qualis est illa, quæ publicè fit ante Missam.

Per verbum, *dans*, intelligitur eleemosyna, vel etiam alia opera misericordiæ corporalia, aut spiritualia.

Per verbum, *benedicens*, intelligitur benedictio, quam Episcopus, vel Abbas consecratus impendit. Ita Paludanus *in 4. dist. 16. quæst. 1. artic. 2.* Hostiensis *in summa, titulo de pœnitentia, & remissione*, Henriquez *lib. 4. cap. 15. numer. 8.* Reginaldus *lib. 5. num. 43.* Valent. *tom. 4. disp. 7 quæst. 4 punct. 1. vers. Secundò asserimus*, Suarez *disp. 12. sect. 2.* [Filliucius *tract. 6. cap. 5. quæs. 10. num. 127.*] & alij.

Obserua tamen cum Suarez *disp. 12. sect. 2. numer. 14.* numerum Sacramentalium ab Ecclesia augeri posse, quia non implicat Sacramentalia augeri ab Ecclesia, quamuis ab ea non possint institui Sacramenta, vt testantur Doctores, quos suprà recensuimus *de causa efficiente Sacramentorum*, & idem tenet Valentia *tom. 4. disp. 7. puncto 5.*

2 Præmittendum est secundò, peccata dupliciter remitti posse. Primò ex opere operato. Secundò ex opere operantis, vt superiùs explicatum *de Sacramentis in genere.* 1 *Quotupliciter remittãtur peccata.*

Hoc posito tria breuiter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm peccata venialia remittantur per Sacramentalia. Secundò, vtrùm remittantur ex opere operato. Tertiò, vnde Sacramentalia vim habeant ad remittenda venialia.

PRIMA PROPOSITIO.

3 *An peccata venialia remittãtur per Sacramentalia.*

3 PEccata venialia remitti per Sacramentalia in primo notabili recensita, perspicuum est apud omnes Christi fideles, sic enim communi vsu, & traditione Ecclesiæ receptum est, vt benè docet Valentia, Nugnus, [Suarez, Filliucius,] & alij Doctores citati.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 *An Sacramentalia remittant venialia ex opere operato.*

4 SAcramentalia non remittunt peccata ex opere operato, sed ex opere operantis. Ratio est, quia, vel remittunt producendo gratiam habitualem, & hoc non, alioquin essent Sacramenta, & non Sacramentalia, consequenter Sacramenta plura essent, quam septem, quod non est admittendum, vel remittunt excitando hominem ad eliciendum actum contritionis, vel amoris, per quem deleantur, & hoc non est remittere peccata ex opere operato, sed ex opere operantis, cùm remittantur immediatè ob dispositionem subiecti, id est, ob actum contritionis, seu amoris, qui disponit ad gratiam, simúlque remittit peccata venialia. Quare Sacramentalia non remittunt peccata ex opere operato, sed ex opere operantis excitando ad actum contritionis, seu amoris, per quem peccata venialia immediatè delentur: per Sacramentalia verò delentur mediatè. Ita Sanct. Bonauentura *in 4. distinction. 21. articul. 1. quæst 2.* Paludanus *loco citato*, Coninchus *quæst. 71. art. 3. numer. 28.* Suarez *loco citato, numer. 10.* Vasquez *de pœnitentia quæst. 87. artic. 3. numer. 9.* Idem innuit Reginaldus *loco citato*, Nugnus ex parte *quæst. 87. articul. 3.* Zerola *cap. 2. de pœnitentia quæsito 19.* Pesantius *3 part. quæst. 87. articul. 3. disp. 1.* [Filliucius *num. 130.*] & alij contra Sotum *dist. 15. quæst. 2. artic. 3.* Valentiam *disp. 7. quæst. 4 puncto 1. versic. Est autem*, Henriquez *lib. 4 de pœnitentia cap. 15. num. 8.* Nugnum ex parte *loco citato*, Canum, & alios arbitrantes, peccata venialia remitti ex opere operato per Sacramentalia.

TERTIA PROPOSITIO.

5 *Quot modis Sacramentalia vim habeãt remittendi peccata venialia.*

5 SAcramentalia vim habent remittendi peccata venialia duobus modis, vt benè docet Suarez *loco cit. numer. 24.* Coninchus *num. 31.* Vasquez *num. 17.* [Filliucius *num. 130.*] & alij. Primò ex promissione, vel ex institutione Christi, qualem vim habet oratio Dominica, vt constat ex illis verbis, *Dimitte nobis debita nostra*, &c qualem vim etiam habent opera misericordiæ, Lucæ 11. *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.*

Secundò ex oratione Ecclesiæ, quæ meretur exaudiri à Deo, vt hæc Sacramentalia, quæ ab Ecclesia consecrata sunt, vel benedicta, vim habeant impetrandi diuinum auxilium, quo homo excitetur ad tales actus, per quos peccata venialia deleantur. Hanc vim habet confessio generalis, panis benedictus, aqua benedicta, & alia, & quamuis re ipsa huiusmodi auxilium non semper impetretur, hoc prouenit ex indispositione *ipsius* suscipientis Sacramentalia, qui non est dispositus ad ea suscipienda, aut non vult cooperari, & vti auxiliis sibi præstitis ad delenda peccata venialia, quæ omnia deleri possent posita dispositione, & voluntate efficaci vtendi auxiliis à Deo præstitis.

6 *An obtineat venialium remissionem qui aquam non benedictã pro benedicta bona fide accipit.*

6 Ex dictis colligi potest primò, eum qui accipit aquam non benedictam credens esse benedictam, non obtinere remissionem venialium, quia remissio venialium obtinetur per Sacramentalia, huiusmodi autem aqua nõ est sacramentale, consequẽter non excitat ad actum, per quem peccata venialia deleantur. Ita Graffius *l. 1. decisionum cap. 6 num. 11.* Sotus *loco citato art. 3.* & alij.

7 *An obtinere possit omnium venialium remissionem, qui assumit aquam benedictam.*

7 Secundò, illum qui aquam benedictam assumit, posse remissionem omnium venialium obtinere, si cooperetur gratiæ, & diuino auxilio excitanti ad delenda venialia per actus incompossibiles cum peccatis venialibus: nam Sacramentale excitat ad actum perfectum charitatis incompossibilem cum omnibus venialibus, vt clariùs constabit ex sequenti puncto.

PVNCTVM III.

Vtrùm peccata venialia deleantur per actum contritionis, & dilectionis, & per alios virtutum actus.

TRia quærimus in hoc puncto. Primò vtrùm peccata venialia deleantur per contritionem. Secundò per dilectionem Dei. Tertiò per alios virtutum actus.

PRI-

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An peccata venialia deleantur per contritionem.*

1 CONtritio formalis, qua quis dolet de peccatis venialibus, vt sunt aliqua Dei offensa, sufficit ad delenda omnia venialia quoad culpam, modò contritio sit vniuersalis, & generalis de omnibus peccatis venialibus. Ita Caietanus 3. *parte*, *quæst.* 87. *artic.* 1. Vasquez *ibidem*, *dubio* 1. Suarez *disp.* 11. *sect.* 3. *num.* 5. & 7. Henriquez *lib* 4. *cap.* 15. *num.* 5 Reginaldus *lib.* 5. *num.* 45. Coninchus *tom.* 2. *disp.* 2 *dub.* 14 *num.* 123. [Filliucius *tract.* 6. *cap.* 5. *numer.* 109. & 111.] & alij communiter. Ratio est, tum quia contritio sufficit ad delenda mortalia; ergo etiam sufficit ad delenda venialia, si de venialibus eliciatur: tum quia si venialia non tollerentur per contritionem, dicendum esset, per nullum actum tolli, cùm nullus aliarum virtutum actus sit adeò præstans, & perfectus, vt est contritio, quæ est actus charitatis; habétque perfectam cum venialibus oppositionem, & sufficit ad satisfactionem pro huiusmodi peccatis, cùm ipsa contritio sit maius bonum, quàm sint mala ipsa peccata venialia

Dixi in propositione, *quæ quis dolet de peccatis venialibus, vt sunt aliqua Dei offensa.* vt aduerterem, non quemlibet contritionis actum esse dispositionem sufficientem ad delenda venialia, nam dolor de peccatis, vt sunt grauis offensa Dei non solùm non sufficit ad delenda peccata venialia, verùm etiam fieri potest, vt cum huiusmodi actu committantur aliqua venialia. Ratio est, quia actus contritionis, quo quis dolet de peccatis, quatenus sunt grauis offensa Dei, non habet oppositionem cum peccatis venialibus, quæ sunt tantummodò leuis offensa Dei Immò fieri potest, vt aliquis doleat de peccatis, quatenus sunt grauis offensa Dei, & simul aliquid faciat, quod sit leuis offensa Dei.

2 *An ad remissionẽ venialium requiratur detestatio venialium, quatenus sunt leuis offensa Dei.*

2 Hinc sequitur primò, ad delenda peccata venialia requiri detestationem venialium, vt sunt leuis offensa Dei, aut requiri voluntatem placendi Deo etiam in minimis, nam tales actus sufficientem habent cum peccatis venialibus oppositionem.

3 *An actus sufficiens pro delendis mortalibus, sufficiat ad delenda venialia.*

3 Secundò, actum sufficientem pro delendis mortalibus non semper sufficere ad delenda venialia.

4 *An actus perfectior requiratur ad delenda venialia.*

4 Tertiò, ad delenda peccata venialia requiri actum perfectiorem, quàm ad delenda mortalia, nam ad delenda mortalia sufficit detestatio peccatorum, vt sunt grauis offensa Dei, aut voluntas placendi Deo in rebus grauibus, & non displicendi in grauibus: ad delenda verò venialia requiritur detestatio venialium, quatenus sunt aliqua offensa Dei, aut voluntas placendi Deo, etiam in minimis.

DICES peccatum mortale maius malum est, quàm peccatum veniale: ergo actus sufficiens ad delenda mortalia, sufficiet ad delenda venialia. Consequentia probatur, quia qui potest maius, potest etiam minus.

RESPONDEO negando consequentiam: Ad probationem consequentiæ respondetur, non quodcunque potest maius, potest etiam minus, vt patet inductione, nam quatuor gradus caloris possunt producere quatuor gradus, non verò quintum, qui est quid minus, quàm sint quatuor gradus.

Rursus, Angelus potest intelligere, non verò potest videre, quamuis intellectio sit actus perfectior visione: & homo potest hominem generare, non verò muscam, aut murem Quare ad axioma, qui potest maius, potest etiam minus, dicendum est, qui potest maius, posse etiam minus, quando minus est eiusdem generis cum maiori, illique subordinatum, & continetur in maiori.

Dixi in propositione, *contritionem esse sufficientem ad delenda omnia peccata venialia, modò contritio sit vniuersalis*, vt aduerterem, non per quemlibet actum contritionis deleri omnia peccata venialia, sed requiri actum vniuersalem ad delenda omnia venialia. Ratio est, quia ad delenda peccata venialia requiritur actus qui oppositionem habeat cum peccatis venialibus, actus autem contritionis non habet oppositionem cum omnibus venialibus, nisi sit vniuersalis, cùm enim peccata non sint connexa, potest aliquis speciali ratione detestari vnum genus peccati, quamuis non detestetur aliud. Vnde potest detestari mendacium non detestando curiosum aspectum, &c. consequenter non obtinet remissionem illius peccati, de quo detestationis actum non elicit Qui verò detestatur omnia sub hac ratione, quatenus sunt aliqua offensa Dei, obtinet remissionem omnium, quia talis actus non minorem habet repugnantiam cum omnibus, quàm cum aliquibus.

Dixi in propositione, *quoad culpam*, vt aduerterem, per contritionem remitti omnia peccata venialia quoad culpam, si sit vniuersalis contritio, non verò semper remitti quoad omnem pœnam, nisi contritio sit feruens, & intensa. Ratio est, quia ad tollendam omnem pœnam requiritur sufficiens satisfactio, & compensatio pro pœna peccatis debita, sed non quilibet actus contritionis continet compensationem pro pœna omnibus peccatis debita; ergo non quælibet contritio remittit omnia venialia quoad pœnam. Hoc idem confirmari potest à simili de Sacramentis, in quibus, excepto Baptismo, fieri potest aliquando, vt omnia peccata deleantur quoad culpam, sed non quoad omnem pœnam. Ita Doctores citati.

OBIICIES primò contra propositionem: Nullus habere potest contritionem de omnibus peccatis venialibus; ergo frustra diximus, contritionem sufficere ad delenda omnia venialia Antecedens probatur, quia contritio includit propositum vitandi peccata in futurum: nullus autem habere potest propositum vitandi omnia peccata venialia in futurum, quomodo enim potest quis habere propositum vitandi illud, quod vitare non potest? Quare cùm nullus vitare possit omnia peccata venialia sine speciali Dei priuilegio, quale concessum fuit Beatissimæ Virgini, inquit Tridet. *sess* 6. *canone* 23. sequitur, nullum posse contritionem de omnibus venialibus habere.

RESPONDEO cum S. Thom. *quæst.* 87. *articu.* 1. *ad primum*, Henriquez *loco citato*, *num.* 6. Reginaldo *loco citato*, *numer* 45. & 60. Coninchо *num.* 130. Suarez *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 5. & aliis negando, neminem posse actum contritionis, & propositum vitandi peccata venialia habere. Ad contritionem autem primò sufficit propositum virtuale vitandi singula peccata venialia, singula enim peccata venialia vitari possunt, licèt non omnia. Secundò sufficit propositum vitandi omnia peccata, quantum fert humana fragilitas, quamuis omnia simpliciter, & efficaciter vitari non possint absque speciali auxilio. Tertiò sufficit propositum inefficax vitandi omnia peccata venialia. Neque obstat, quòd de lege ordinaria impossibile sit vitare omnia peccata venialia, nam tantus esse potest charitatis actus, & affectus, vt homo propter Dei amorem feratur in id, quod est impossibile non solùm moraliter, verùm etiam simpliciter. Quamobrem, sicut potest aliquis ex magnitudine amoris Dei optare damnationem, si hoc gratum foret Deo, vt constat exemplo Apostoli ad Romanos 9 *Cupio anathema esse à Christo pro fratribus meis*; ita licèt impossibile sit de lege Dei ordinaria vitare omnia peccata, tamen aliquis potest ex magnitudine affectus habere propositum vitandi omnia peccata venialia.

OIICIES secundò, si contritio sufficeret ad delenda omnia venialia, sequeretur, hominem iustum frequenter esse sine vllo peccato veniali, cùm vir iustus frequenter actus contritionis eliciat: falsum autem videtur, hominem iustum frequenter esse sine vllo peccato veniali, iuxta illud D. Ioannis Epist 1 cap. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, &c.

RESPONDEO cum S. Thoma 3. *parte*, *quæst.* 70. *art.* 4. *ad secundum*, Henriquez *loco citato*, *num.* 5. Suarez *loco citato*, post Caietanum, Sotum, & alios, non esse inconueniens, vt vir iustus ad breue tempus maneat absque vllo peccato. Ad auctoritatem D. Ioannis respondeo, hunc esse illius loci sensum, neminem videlicet posse asserere, se nunquam peccasse, vel nunquam peccare, vel esse sine peccato, cùm nullus omnino certò sciat, se tam perfectum actum elicuisse, qui sufficiat ad delenda omnia peccata venialia. Vnde non sequitur, contritionem non sufficere ad delenda peccata venialia, quamuis nullus omnino certò possit affirmare, se peccatum non habere, vel non peccasse.

SECUNDA PROPOSITIO.

5 *An peccata venialia deleantur per dilectionem Dei.*

5 PEccata venialia non solùm delentur per contritionem formalem, verùm etiam per dilectionem, seu amorem Dei perfectum. Ita S. Thomas *quæst.* 87. *art.* 1. Sotus *dist.* 15. *quæst.* 2. *art. prim.* Suarez *dispution.* 11. *section. tertia*, *numer. octau.* Henriquez *cap* 15. *num* 6. Vasquez *quæst.* 87. *artic.* 1. *dubio* 1. [Filliucius *tract* 6 *cap* 5. *numer.* 110. & 114.] & alij communiter. Ratio est, quia huiusmodi actus dilectionis est præstantissimus, habétque cum peccatis venialibus sufficientem oppositionem, cùm virtualiter includat detestationem peccatorum venialium, quatenus, si peccata commissa, vel committenda venirent tunc temporis in mentem, necessariò ex vi talis actus odio haberentur, quamdiu talis actus durat.

Dixi, *per dilectionem, seu amorem Dei perfectum*, vt aduerterem, non per quemcunque dilectionis actum deleri peccata venialia, sed per dilectionem perfectam, quamuis enim per quemlibet actum dilectionis Dei remittantur peccata mortalia, cùm quilibet actus dilectionis sit dispositio ad gratiam, quę est forma incompossibilis cum omnibus peccatis mortalibus, vt in simili dixi de contritione formali, nihilominus peccata venialia non remittuntur per quemlibet actum dilectionis, sed per talem actum, qui sit incompossibilis cum ipsis peccatis venialibus qui est actus perfectus dilectionis, qualis actus est velle placere Deo etiam in minimis, aut detestari venialia, vt sunt leuis offensa Dei. Ita Doctores citati.

TERTIA PROPOSITIO.

6 *An venialia per alios virtutum actus remitti possint.*

6 PEr nullos alios actus peccata venialia remittuntur extra Sacramentum, quàm per actus contritionis, & dilectionis, vt dictum est in præcedentibus propositionibus. Ita Petrus Sotus *de pœnitentia lectione* 18. Vasquez *in manuscriptis in articulum* 1 *quæstionis* 87. *dubio* 1. & in libris postmodum in lucem editis *ibidem num.* 14. vbi quamplures alios Doctores refert contra Suarez *disp.* 11. *sect.* 3. *assertione* 3. *num.* 11. Henriquez *cap.* 15. D. Bonauenturam *in* 4. *dist.* 21. *art.* 1. *quæst.* 2, & alios. Ratio est, quia nullus actus remittit venialia nisi cum ipsis oppositionem habeat, sed nullus præter actus charitatis debitam habet oppositionem cum venialibus, vt patebit ex sequentibus illationibus; ergo nullus alius actus præter actus charitatis remittit venialia extra Sacramentum.

7 *An actus naturalis sufficiat ad remissionem venialium.*

7 Hinc sequitur primò, actum naturalem non sufficere ad remissionem peccatorum venialium. Ratio est, tum quia actus naturalis non est actus charitatis: tum quia actus naturalis non est dispositio sufficiens ad dona supernaturalia, vt constat ex supradictis, [dispositio enim debet esse proportionata formæ] Ita Suarez *loco citat. sect.* 1. *assertione* 1. *num.* 4. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 2. Coninchus *disp.* 2. *dub.* 14. *num.* 122. Nugnus *qu.* 87. *art.* 2. *difficultate* 3. [Filliucius *tract.* 6. *c.* 5. *quæs.* 1. *n.* 104.] & alij contra Durandum apud Suarez.

8 *An peccata venialia deleantur per attritionem.*

8 Secundò, per attritionem non deleri peccata venialia. Ratio est, quia attritio non est actus charitatis, nec debitam habet cum peccatis venialibus oppositionem; alioquin sequeretur, nunquam remitti peccata venialia per Sacramentum pœnitentiæ, cùm enim ad Sacramentum pœnitentiæ requiratur attritio, sequeretur antè sus-

ceptionem

ceptionem Sacramenti peccata venialia esse deleta, quòd est contra Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. vbi dicitur, peccata venialia expiari per Sacramentum pœnitentiæ, & per alia remedia. Ita Vasquez *loco citato num.* 6. & alij contra Suarez *loco citato sect.* 3. *assertione* 3. *num.* 11. Henriquez *loco citato*, Coninchum *loco citato num.* 124. [Filliucium *tract.* 6. *cap.* 5. *quæst.* 6. *num.* 116] & alios asserentes, peccata venialia deleri per attritionem hominis iusti, & per alios actus aliquo modo oppositos peccato veniali, & illius complacentiam excludentes.

9 *An venialia deleãtur per quodlibet opus meritorium hominis iusti.*

9 Tertiò sequitur, peccata venialia non deleri per quodlibet opus meritorium hominis iusti. Ratio est, tum quia non quodlibet opus meritorium habet sufficientem cum peccatis venialibus oppositionem, cùm opus meritorium simul fieri possit, dum committitur aliquod peccatum veniale, vt quando vir iustus orando, seu celebrando committit peccatum veniale ambitionis, nam ipsius actio meritoria est, quamuis ei peccatum veniale adiungatur: tum quia sequeretur contra Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. per Sacramentum pœnitentiæ susceptum ab homine iusto nunquam deleri peccata venialia, sed iam supponerentur deleta per opera bona, quæ requiruntur ad Sacramentum pœnitentiæ suscipiendum, nam huiusmodi opera ab homine iusto facta sunt meritoria. Ita Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 1. *vers. Contra est*, Vasquez *loco citato*, & alij contra Suarez *loco citato num.* 11. Coninchum *num.* 129 [Filliucium *tract.* 6. *c.* 5. *quæs.* 7.] & alios.

PVNCTVM IV.

Vtrùm per Sacramentalia, vel per alios actus possit vnum peccatum veniale sine alio veniali, aut mortale sine veniali, aut veniale sine mortali remitti.

IN præcedenti sectione *punct.* 3. disputauimus, vtrùm vnum peccatum mortale remitti possit alio non remisso. Modò superest explicandum: Primò, vtrùm vnum veniale possit remitti sine alio veniali. Secundò, vtrùm mortalia remitti possint absque remissione venialium. Tertiò, vtrùm remitti possint venialia absque remissione mortalium.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Quandònam remittantur venialia per Sacramentalia; seu per contritionem.*

1 OMnia peccata venialia remittuntur per Sacramentalia, seu per actum dilectionis, vel contritionis, quando actus dilectionis, vel contritionis est ita perfectus, vt cum omnibus peccatis venialibus oppositionem habeat, quando scilicet est ex motiuo vniuersali, vt est actus quo quis vult placere Deo simpliciter in omnibus, etiam in minimis, aut actus, quo quis detestatur omnia peccata, vt sunt aliqua offensa Dei. Ratio est, quia talis actus continet detestationem omnium venialium, habètque sufficientem cum omnibus oppositionem, consequenter delet omnia peccata venialia, quamuis de peccatis venialibus nihil actu cogitetur.

Quando verò actus amoris, vel contritionis non est ita perfectus, vt oppositionem habeat cum omnibus venialibus, sed cum aliquibus tantum, potest vnum peccatum deleri sine alio, nam ea solùm delentur, quibus cum talis actus oppositionem habet. Propterea per actum, quo quis vult placere Deo etiam in minimis circa aliquam virtutem, vt circa temperantiam, remittuntur ea solùm peccata venialia, quæ sunt contra illam virtutem, non verò alia, quia cum aliis peccatis venialibus talis actus non habet oppositionem, Ita Reginaldus *loco citato num.* 46. Coninchus *num.* 123. Vasquez *quæst.* 87. *art.* 2. *num.* 32. Idem sentire videtur S. Thom. *quæst.* 83. *artic.* 1. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 1. Suarez *disp.* 11. *sect.* 3. Henriquez *loco citato*, *cap.* 15. Petrus Ledesma *de pœnitentia cap.* 6. *conclus.* 14. & alij.

2 *An remitti possit vnũ veniale sine alio.*

2 Hinc sequitur, vnum peccatum veniale remitti posse sine alio, si actus amoris non sit ita perfectus, vt habeat oppositionem cum omnibus. Secus si ita perfectus sit, vt debitam cum omnibus habeat oppositionem.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 *An mortalia peccata possint remitti absque remissione venialium.*

3 PEccata mortalia remitti possunt absque remissione peccatorum venialium. Ratio est, quia non omnis dispositio sufficiens ad remissionem peccatorum mortalium, sufficit ad remissionem venialium; ergo mortalia remitti possunt absque remissione venialium. Antecedens patet ex supradictis, nam actus, quo quis detestatur peccata, quatenus sunt grauis offensa Dei, est dispositio sufficiens ad remissionem mortalium; non verò ad remissionem venialium, cùm huiusmodi actus detestationis non habeat sufficientem incompossibilitatem cum venialibus, sed possit simul cum venialibus permanere; ergo non omnis dispositio sufficiens ad remissionem peccatorum mortalium sufficit ad remissionem venialium; ergo peccata mortalia remitti possunt absque remissione venialium. Ita Doctores citandi *in tertia propositione*.

4 *An remitti possint venialia sine remissione peccatorum mortaliũ.*

TERTIA PROPOSITIO.

4 DE potentia Dei absoluta possunt peccata venialia remitti absque remissione mortalium. Ratio est, quia Deus posset peccatori elicienti actum contritionis incompossibilem cum venialibus denegare gratiam, consequenter per talem actum contritionis delerentur peccata venialia, vtpote incompossibilia cum tali actu, non verò delerentur mortalia, quia peccata mortalia licèt dispositiue, & mediatè deleantur per actus charitatis, nihilominus formaliter delentur solùm per gratiam, quam in tali casu supponimus denegari, & sine qua peccata mortalia deleri non possunt, cùm omnis priuatio excludi debeat per formam oppositam. Si verò loqeamur de potentia, & lege Dei ordinaria, non possunt peccata venialia remitti sine remissione peccatorum mortalium. Ratio est, quia de potentia Dei ordinaria non remittuntur peccata venialia sine infusione, vel augmento gratiæ, cùm remittantur per actum contritionis, vel dilectionis, qui est dispositio sufficiens ad gratiam, vt superius probauimus; sed gratia est incompossibilis cum peccatis mortalibus; ergo peccata venialia non possunt de potentia Dei ordinaria remitti absque remissione peccatorum mortalium. Ita S. Thom. 3. *parte quæst.* 87. *art.* 4 Nugnus *ibidem*, Vasquez *eòdem dubio* 3. *nu.* 16 Suarez *loco suprà citato*, Coninchus *disp.* 2. *de pœnitentia dubio* 15. *num.* 132. Pelantius 3. *parte quæst.* 87. *art.* 4. *disp. vnica*, Valentia *loco cit. punct.* 3. & alij communiter contra Durandum *in* 4 *dist.* 16. *quæst.* 2.

5 *An peccata venialia remittantur sine gratia habituali.*

5 Hinc obiter solui potest illa DIFFICVLTAS, qua quæritur, vtrùm peccata venialia remittantur sine gratia habituali.

RESPONDEO, remissionem venialium in hac vita nunquam fieri sine infusione, vel augmento gratiæ habitualis. Ratio est, quia in nostra sententia peccata venialia non remittuntur sine actu contritionis, vel dilectionis Dei; sed per actum contritionis, & dilectionis Dei semper infunditur, vel augetur gratia, nam vel talis actus elicitur ab homine in statu peccati existente, & sic est dispositio ad iustificationem, & infusionem gratiæ, vel elicitur ab homine in gratia existente, & habente solùm peccata venialia, & sic est meritorius augmenti gratiæ, cùm sit actus bonus, liber, supernaturalis, & fiat ab homine in gratia existente, quæ sunt conditiones requisitæ ad meritum. Ita Suarez *disp.* 11. *sect.* 2. *num.* 20. & 28. Vasquez *disp.* 87. *art.* 2. *num.* 31. Coninchus *disp.* 2. *dub.* 16. *num.* 133. [Filliucius *tract.* 6. *cap.* 5. *quæs.* 2. *num.* 107. & alij contra D. Thom *quæst.* 87. *articul.* 2. Valentiam *loco cit punct.* 2. asserentes, peccata venialia remitti sine infusione gratiæ.

6 *An ad remissionem venialium requiratur per se formaliter gratia, qua expellantur peccata venialia.*

6 Aduertendum tamen est, ad remissionem peccatorum venialium non requiri per se formaliter gratiam, quæ expellat peccata venialia, quamuis in hac vita remissio venialium nunquam fiat sine infusione, vel augmento gratiæ Ratio est, tum quia gratia habitualis quamuis intensa, non pugnat per se, & formaliter cum peccato veniali, cùm possit esse simul cum peccato veniali; vt patet in homine iusto habente sola venialia: tum quia peccata venialia per se formaliter expelluntur per actum charitatis, nam eliciens actum contritionis de peccatis venialibus obtinet illorum remissionem, cùm talis actus sit per se incompossibilis cum venialibus, etiamsi Deus de potentia absoluta habenti actum contritionis non conferret gratiam habitualem; ergo ad remissionem venialium non requiritur per se, & formaliter gratia, quasi per ipsam formaliter tollantur peccata venialia. Ita Suarez *loco citato num.* 20. & alij contra D. Bonauenturam, & alios.

OBIICIES contra tertiam propositionem. Si peccata venialia de potentia Dei ordinaria non remittuntur absque remissione mortalium, sequitur morientem in peccato mortali simul cum venialibus nunquam obtinere remissionem venialium, sicut nunquam obtinet remissionem peccati mortalis post mortem, consequenter eum, qui decessit cum peccato mortali, & veniali, puniendum esse pœna æterna non solùm ob mortale, verùm etiam ob veniale, cùm enim semper duratura sit culpa, sequitur etiam semper duraturam esse pœnam, quia culpa includit debitum ad pœnam.

RESPONDEO peccatorem morientem in peccato mortali, & veniali nunquam obtinere remissionem peccati venialis, consequenter perpetuò puniendum esse ob peccatum veniale, cum quo decessit, non quia peccata venialia digna sint æterna pœna, sicut dignum est peccatum mortale, sed quia merentur pœnam, quamdiu non auferuntur, cùm autem ex accidenti contingat, vt nunquam auferantur ob coniunctionem cum peccato mortali, sequitur etiam, vt ex accidenti puniantur æterna pœna. Ita Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 4. *punct.* 1. *vers. Illud fundamentum* Henriquez *lib.* 4. *cap.* 15 *nu.* 2. Coninchus *disp.* 2. *dubio* 15. *num.* 132. Nugnus *quæst.* 87. *artic.* 2 *difficultate* 3. *versic. Ad quartum argumentum*, & *artic.* 4. *vers. Ad secundum*, Vasquez 1. 2. *disp.* 141. & 3 *parte disp* 87. *art.* 3. *dubio* 4. *ad finem*, *n.* 16. [Molfesius *tract.* 7. *c.* 6 *n.* 34.] & alij.

7 *An possit quis decedere cum solis venialibus.*

7 QVÆRES vtrùm dari possit casus, vt quis decedat cum solis peccatis venialibus.

RESPONDEO affirmatiuè cum communiori Doctorum sententia contra Durandum *distinct.* 11. *quæst.* 1. & alios. Ratio est, quia si vir iustus commisso peccato veniali repentina morte corripiatur, negari non potest, quin decedat cum solo veniali, cùm illud veniale non sit remissum, non enim simul potest committi, & remitti; ergo dari potest casus, vt quis decedat cum solo veniali.

DICES, si quis decedere posset cum solo veniali, sequeretur decedentem cum huiusmodi peccato nunquam perfruiturum gloria cœlesti, quia nihil coinquinatum potest introire in cœlum, *Apocalypsis* 13. nec potest quidquam assignari, per quod deleantur peccata venialia post mortem, nam si aliquid assignari potest, maximè gratia, cum qua decessit; hæc autem non est remissiua peccatorum venialium, cùm non sit incompossibilis cum peccatis venialibus, alioquin etiam abstulisset peccata venialia ante mortem, sed non videtur admittendum, decedentem cum solo veniali nunquam perfruiturum gloria cœlesti, cùm per gratiam habeat ius ad gloriam; ergo non videtur dari posse casus in quo quis cum solo veniali decedat.

RESPONDEO cum D. Thom. *quæst.* 7. *de malo*, *articul.* 11. Suarez *disp.* 11. *sect.* 4. *num.* 13. Coninchо *loco citato*, *dub.* 17. *nu.* 137.

Henriquez

Henriquez *lib.4.cap 15.num 9.* Vasquez *3 parte quæst.87 art 1.dubio 2.num.11.* [Filliucio *tract. 6 cap 5 quæs.8. numer. 121.& 123.* Molfesius *tract.7.cap.6 num. 137.*] & alius, decedentem cum solo veniali posse frui gloria, deleto peccato veniali, quod iuxta citatos Doctores aufertur per actum dilectionis Dei, & contritionis, quem animam in primo instanti separationis à corpore elicit, cùm enim anima in eo instanti benè cognoscat suum statum, habeatque auxilium efficax ad huiusmodi actum eliciendum, re ipsa elicit talem actum, & per illum, vtpotè incompossibilem cum peccatis venialibus, obtinet remissionem peccati venialis.

Alij aliter respondent, nam Scotus *in 4. dist. 21. quæst 1.* dicit peccata venialia deleri per solutionem pœnæ debitæ. Sed hoc mihi non probatur, quia peccatum duo continet, culpam scilicet, & obligationem ad pœnam, quę tamdiu perseuerat, quamdiu culpa per aliquid incompossibile auferatur.

Scotus verò *dist.15 quæst.2.art.2.* & Valentia *tom.4.disp. 7. quæst. 4 punct. 1.ad finem*, putant, deleri per actum charitatis, quo anima acceptat, & subit pœnas. Sed hoc mihi non placet, quia non constat talem actum habere sufficientem incompossibilitatem cum peccato veniali.

Mihi ergo placet opinio D. Thomæ, Suarez, Coninchi, Henriquez, & aliorum, ob rationem in responsione allatam: ex qua opinione infertur, peccata venialia post hanc vitam remitti posse per actū contritionis, vtpote incompossibilem cum peccatis venialibus, non tamen per talem actum tollitur pœna illis peccatis debita, non enim tollitur per modum meriti, cum post hanc vitam non sit tempus merendi, Ioannis 6. *Venit nox, quando nemo potest operari*, id est, meritorie, neque tollitur per modum satisfactionis, quia post hanc vitam, sicut non est tempus merendi, ita neque satisfaciendi, sed satispatiendi. Præterea si per huiusmodi actus tolleretur pœna peccatis venialibus debita, animæ in Purgatorio existentes plures huiusmodi actus elicerent, quibus se ab illis pœnis citò expedirent: hoc autem videtur contra communem Ecclesiæ opinionem, cùm constet plures animas in pœnis Purgatorij diutiùs detineri. Quamobrem huiusmodi pœna tollitur per satispassiones, & suffragia, vt patebit de Indulgentiis, & suffragiis. Ita Vasquez *loco citato, nu.11.* Coninchus *loco citato*, & alij communiter.

SECTIO III.

De effectu pœnitentiæ quoad irrenocabilitatem peccatorum semel dimissorum.

IN præcedentibus ostendimus per Sacramentum pœnitentiæ deleri peccata non tolum mortalia, verum etiam venialia: quærendum modò est, vtrùm peccata per pœnitentiam ita deleantur, vt non amplius redeant in se formaliter, vel æquialenter, tam quoad culpam, quàm quoad pœnæ reatum.

PVNCTVM I.

Vtrùm peccata ita deleantur per pœnitentiam, vt per subiequens peccatum non redeant in se formaliter quoad culpam.

VNICA PROPOSITIO.

1 *An peccata per pœni ẽtiam semel deleta redire possint de potentia Dei per subsequens peccatum.*

1 PEccata ita delentur per pœnitentiam, vt de lege ordinaria non redeant, nec etiam redire possint de potentia Dei absoluta, etiam si noua peccata multiplicentur. Ita S. Thom. *3.parte q.88. art.1.* Nugnus *ibidem difficultate 1.& 2.* Sotus *dist.16 quæst.1 art. 1* Valentia *disp.7.quæst.5 punct. 1.* Suarez *disp. 13. sect. 1.* Coninch. *disput 2 de pœnitentia dubio 18.num. 140 & 145.* Henriquez *cap.32. num.4.* Valquez *3 parte disput.88 art.1.dubio vnico num.5.* Zerola *cap 2. de pœnitentia quæsito 21.* Paludanus, Ricardus, Maior, & alij apud Henriquez *loco cit. in Commentario littera S.* & apud Vasquez *loco citato.*

Hæc propositio patet, tum ex *cap. vltimo de pœnitentia dist 4.* vbi habetur, diuinam clementiam non pati peccata semel dimissa iterum redire: tum quia, si peccata semel dimissa reuiuiscunt, dicendum est miraculosè reuiuiscere, nam idem numero effectus non potest viribus naturę reparari, & reproduci, vt communis est Philosophorum & Theologorum opinio. Cum autem opera miraculosa principaliter fiant à Deo, illique principaliter tribuantur, sequitur reuiuiscentiam peccatorum, si datur, principaliter tribuendam esse Deo: cùm autem absurdum sit, reuiuiscentiam peccati principaliter Deo tribuere, & asserere Deum esse peccati auctorem: Deus enim odio habet impium, & impietatem eius, & intentator malorum est, inquit D. Iacobus, sequitur peccata semel dimissa non posse reuiuiscere, & hæc ratio probat peccata non solùm de potentia Dei ordinaria non posse reuiuiscere, verùm neque de absoluta.

OBICIES primò, si peccata non possunt reuiuiscere saltem de potentia Dei absoluta, maximè quia Deus diceretur peccare, sed posita reuiuiscentia peccatorum non dicitur peccare: Deus enim non dicitur peccare, dum concurrit cum homine peccante, exempli gratia, cum furante, vel blasphemante; ergo neque dicetur peccare, si concurrat ad reuiuiscentiam peccatorum; ergo peccata possunt saltem de potentia Dei absolura reuiuiscere.

RESPONDEO, Deum, dum concurrit cum homine peccante ad actionem, quæ est fundamentum malitiæ, & peccati, non dici peccare, quia concurrit iuxta exigentiam causæ secundæ, quæ sine concursu causæ primæ, nihil operari potest. In nostro verò casu peccatum tribueretur Deo, quia Deus non concurreret iuxta exigentiam causæ fecundæ, cùm causa secunda non exigat, vt idem numero effectus redeat, & reuiuiscat: cùm autem absurdum sit peccata Deo principaliter tribuere, non est concedendum, eadem peccata posse per subsequentia peccata reuiuiscere, & redire.

OBICIES secundò, peccatum habituale mortale, quod semel fuit remissum, & condonatum, consistebat in priuatione gratiæ, & auersione à Deo, sed per subsequens peccatum mortale, redit priuatio gratiæ, & auersio à Deo; ergo idem peccatum redit, & reuiuiscit.

RESPONDEO per subsequens peccatum redire priuationem gratiæ, & auersionem à Deo, vt est communis omnibus peccatis mortalibus, & vt prouenit ex tali actu commisso post remissionem; sed nego redire priuationem gratiæ, & auersionē à Deo, quatenus consequebatur ex priori actu, & ex priore transgressione, cuius remissio iam fuit obtenta, vt suppono. Ita Valentia *loco citato, punct. 1.in principio*, & alij Doctores citati.

PVNCTVM II.

Vtrùm peccata semel remissa per subsequens peccatum redeant saltem æquialenter.

QVærendum est in hoc puncto, vtrùm peccata commissa post obtentam aliorum peccatorum remissionem grauiora sint, nam inde constabit, vtrùm aliqua ratione quoad culpam redire dicantur.

VNICA PROPOSITIO.

1 *An peccata commissa post remissionē aliorū sint grauiora.*

1 PEccata commissa post obtentam aliorum peccatorum remissionem, grauiora sunt, habentque maiorem deformitatem ratione ingratitudinis contrà beneficium prius acceptum, consequenter priora peccata dicuntur aliquo pacto redire, non in se, & formaliter, vt in præcedenti puncto explicauimus, sed ratione maioris deformitatis, quæ in peccato post remissionem aliorum commisso continetur. Ratio est, quia peccatum, seu offensa grauior est cæteris paribus, quo maiora fuerunt auxilia, & dona à Deo recepta, nam Deus videtur aliqua ratione virtualiter contemni, cùm de nouo offendatur post tanti beneficij collationem, nec ipsius ratio haberi videatur. Ita S. Thom *quæst.88.art.2.& 4.* Nugnus *ibidem difficultate vnica versùs finem*, Suarez *disput.13.sect.3* Zerola *de pœnitentia cap 2.quæsito 21.versic. Dico secundò*, Valentia *tom.4.disput. 7.quæst.5 punct.2.in principio*, Henriquez *lib.4.cap.32. numer 4.* Coninchus *disp.2.dubio 19 num. 151.* Vasquez *de pœnitentia disp. 88 art.1.dubio vnico*, [Filliucius *tract.6.cap.6 quæs.10 num. 163.*] & alij. Pro maiori intelligentia eorum, quæ in hac propositione diximus.

2 *Ingratitudo quotuplex sit.*

2 Aduertendum est primò duplicem esse ingratitudinem, vna dicitur circunstantia, seu conditio generalis peccatorum commissorum post remissionem aliorum, & dicitur ingratitudo materialis, & est circunstantia aggrauans, & consequens generaliter omne peccatum mortale peccatoris lapsi post remissionem præcedentium peccatorum. Altera dicitur ingratitudo specialis, seu speciale peccatum ingratitudinis, quod contingere consueuit, quoties peccator eo animo committit peccatum, vt vilipendatur beneficium acceptum in remissione priorum peccatorum, & hæc specialis ingratitudo specialem habet malitiam, & est grauior ingratitudine materiali, & est necessariò explicanda in confessione, cùm sit peccatum specie distinctum à reliquis peccatis.

3 *An aperiēda sit in confessione ingratitudo materialis.*

3 Vtrùm verò in confessione aperienda sit ingratitudo materialis, dissensio est inter Doctores, nam Scotus *in 4. dist inct. 22.quæst 1. art.3.* putat explicandam esse saltem in genere, dicendo se aliàs peccata commisisse, quorum se credit absolutionem obtinuisse, & hanc sententiam probabilem putat Nugnus *quæst.88.art.4. difficultate 1. ad finem.*

Sotus verò *distinct.16 quæst.1.art.4.* Zerola *loco citato*, Coninchus *loco citato, num.156.* Valentia *loco citato punct.2.* & alij, quibus ego adhæreo, negant explicandam esse, nisi fortè post frequentissimam, & grauissimam reincidentiam in peccatum. Ratio est, tum quia huiusmodi reincidentia notabiliter solùm aggrauat peccata subsequentia, & non mutat speciem, vt fatetur etiam Henriquez *loco citato, num.4.* & innuit Nugnus *loco citato*, & Vasquez *loco citato art. 2.& 4.* Circunstantiæ autem aggrauantes, & non mutantes speciem in nostra sententia non sunt necessariò explicandæ in confessione: tum quia huiusmodi ingratitudo vagari videtur per omnia peccata quatenus homo, quoties peccat, facit quodammodo contra beneficium diuinum, consequenter expresso peccato principali, censetur etiam sufficienter expressum peccatum, quod omnia peccata comitari consueuit, vt à simili patet in alus exemplis superiùs adductis.

4 *An peccata commissa post præcedentia remissa grauiora sint peccatis antea remissis.*

4 Aduertendum est secundò, peccata commissa post præcedentia remissa, esse quidem grauiora ratione ingratitudinis, quàm alioquin essent præcisa circunstantia ingratitudinis, non tamen semper esse grauiora, vel æqualia peccatis antea remissis, Quamobrem si quis committat furtum post obtentam remissionem adulterij, vel homicidij; non ita grauiter peccat ratione ingratitudinis, sicut peccauit adulterando, vel occidendo, quanquam ipsius furtum grauius est ratione ingratitudinis, quàm alioquin esset præcisa ingratitudine, tamen non ascendit ad grauitatem adulterij, vel homicidij. Ita Coninchus *loco citato n 151.ad finem*, & alij Doctores citati.

5 QVÆRES

5 *An peccatum ingratitudinis cernatur tã in mortalibus, quàm in venialibus.*

5 QVÆRES primò, vtrùm peccatum ingratitudinis non solùm cernatur in peccatis mortalibus, quæ post obtentam aliorum remissionem committuntur, verùm etiam in venialibus cum deliberatione factis, obtenta aliorum remissione.

RESPONDEO affirmatiuè. Ratio enim, quę affertur pro mortalibus, potest cum proportione applicari venialibus. Ita Valentia *loco citato, punct. 2. vers. Est autem*, Henriquez *loco citato, nu. 9 ad finem*, Coninchus *loco citato, dub. 19 ad finem num. 157.* Sotus, Ledesma & alij apud Henriquez.

6 *An peccatũ ingratitudinis sit maius, quo quis peccat post maiora, & plura beneficia.*

6 QVÆRES secundò, vtrùm peccatum ingratitudinis sit maius, quo quis peccat post plura, & maiora beneficia, exempli gratia, post plura & plura peccata dimissa.

RESPONDEO affirmatiuè, vt patet tum ex illo loco Lucæ 7. *Cui plus dimittitur, plus debet diligere*; tum quia videtur magis Deus contemni. Ita Doctores citati.

7 *An peccatũ commissum post innocentiam sit maius peccato cõmisso post pœnitentiam.*

7 QVÆRES tertiò, vtrùm peccatum commissum post innocentiam, id est, post gratiam baptismalem sit maius peccato commisso post pœnitentiam.

RESPONDET Scot. *in 4 dist. 22. q. 1. art. 3.* maius esse peccatũ, quod committitur post innocentiam baptismalem, quia peccator facit contra maius beneficium, cùm innocentia sit maius beneficium quàm sit remissio peccatorum.

Verùm iuxta D. Thomam *quæst. 88. art. 2* Henriquez *loco citato, num 4.* Sotum *in 4 dist. 15. quæst. 2. art. 2.* Valentiam *loco citato, puncto 2 ad finem*, Zerolam *loco citato, quæsito 22.* & alios, quorum sententia mihi probabilior videtur, grauius peccatum esse, quod committitur post remissionem peccatorum, quia post remissionem peccatorum, est maior obligatio gratitudinis, cùm beneficium remissionis conferatur in minus dignum, quam beneficium innocentiæ, consequenter maior est ingratitudo peccare post obtentam peccatorum remissionem. Videte Suarez *loco citato à num. 11. vsque ad 18.* Henriquez *loco citato nu. 4. & 5.* Valentiam *loco citato, punct. 2. ad finem*, Nugnum *loco citato, §. sed circa hoc ipsum. versic. Pro explicatione*, Coninch. *loc. cit. dubio 19 n. 154* Vasq. *loc. cit. art. 2.*

PVNCTVM III.

Vtrùm peccata ita deleantur per pœnitentiam, vt semel remissa non redeant quoad reatum pœnæ per subsequens peccatum.

QVæram primò, vtrùm peccata semel dimissa redeant de potentia Dei ordinaria. Secundò vtrum redire possint de potentia Dei absoluta.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An peccata priùs remissa possint de potentia ordinaria quo ad reatum pœnæ redire per subsequens peccatum.*

1 PEccata priùs remissa non redeunt, nec etiam redire possunt de potentia Dei ordinaria quoad reatum pœnæ per subsequens peccatum, quamuis aliquo modo, ratione scilicet maioris ingratitudinis dici possint redire, tamen in se formaliter non redeunt quo ad reatum pœnæ per subsequens peccatum. Ita S. Thom. *quæst. 88. art. 3 & 4.* Nugnus ibidem Suarez *disp 13. sect. 2.* Henriquez *lib. 4. cap. 32. num. 8. ad finem* [Molfesius *tract. 7. cap. 6. num. 56.* Valentia *loco suprà citato, puncto 3.* Vasquez *loco suprà citato, art. 1 num. 52 & 75* Zerola *loco suprà citato*, Pesantius *3. parte quæst. 88. art. 1. disp. vnica*, Filliucius *tract. 6 cap 6. quæs. 10. num. 161.* & alij communiter Doctores. Ratio est, tum quia reatus pœnæ sequitur culpam, sed culpa non redit in se formaliter, sed solùm aliquo modo ratione ingratitudinis; ergo neque reatus pœnę redit in se, & formaliter, sed solùm quatenus peccatori ratione ingratitudinis maior pœna debetur: tum quia debitum absolutè extinctum non potest iterum reuiuiscere per solam creditoris voluntatem: reatus autẽ pœnæ est quoddã debitũ, quod absolutè, & simpliciter aufertur à Deo; ergo reatus pœnæ æternæ nõ redit per subsequens peccatum.

OBIICIES primò Priuatio beatitudinis redit per subsequens peccatum mortale, cùm homo per peccatum mortale fiat dignus æterna pœna; ergo peccata non ita delentur per pœnitentiam, quin per subsequens peccatum redeat reatus pœnæ, saltem pœnæ damni, quem reatum in priuatione beatitudinis consistere communiter asserunt Doctores.

RESPONDEO, per subsequens peccatũ non redire priuationem beatitudinis, seu reatum, quatenus proueniebat à priori peccato remisso, sed quatenus prouenit ab hoc actu malo commisso post remissionem præcedentium peccatorum. Hinc tamen non sequitur, peccata priùs remissa per pœnitentiam redire in se, & formaliter quoad reatum per subsequens peccatum.

OBIICIES secũdò. Qui offendit in vno, factus est omnium reus, *Iacobi 2.* ergo reatus omnium præcedentium peccatorum semel per pœnitentiam remissorum redit per subsequens peccatum: alioquin peccator reus omnium fieri non diceretur.

RESPONDEO primò offendentem in vno fieri reum omnium aliquo modo ratione ingratitudinis, non verò fieri reum omnium formaliter, & per se.

Secundò fieri reum quo ad priuationem gratiæ, & auersionem à Deo, cùm peccator per vnum peccatum mortale incurrat priuationem gratiæ, & auersionem à Deo, quæ peccatis omnibus mortalibus communis est; non tamen incurrit priuationem, & auersionem, quatenus proueniebat à priori peccato remisso, consequenter peccatum priùs remissum per pœnitentiam non redit in se formaliter per subsequens peccatum.

2 *An grauius puniẽdus sit in Inferno, qui post obtentam remissionem labitur in mortale peccatum.*

2 Ex dictis sequitur eum, qui post obtentam præcedentium peccatorum remissionem lapsus est in aliquod peccatum, grauius puniendum esse in Inferno ob huiusmodi peccatum ratione ingratitudinis, quàm alioquin puniendus fuisset, præcisa ingratitudinis circunstantia, nam peccatum semel per pœnitentiam remissum, quamuis in se formaliter non redeat quo ad reatum pœnę, tamen dicitur aliquo modo redire ratione ingratitudinis.

3 Sed modò difficultas est, vtrùm peccator, qui damnatur ob aliquod peccatum mortale, in quod prolapsus est post obtentam peccatorum præcedentium remissionem, perpetuò puniendus sit, non solùm pro peccato, in quod relapsus est, verùm etiam pro peccatis antea dimissis.

3 *An peccator, qui damnatur pro peccato post remissionem commisso, perpetuò puniendus sit pro tali peccato, & pro peccatis antea dimissis.*

RESPONDEO, puniendum esse, non solùm pro mortali, in quod lapsus est post obtentam aliorum remissionem, verùm etiam pro peccatis quo ad culpam dimissis, pro quibus nondum in hac vita satisfecit, vt patet à simili ex supradictis de eo, qui decedit cum veniali, & cum mortali peccato. Ratio est, quia licèt pro peccatis mortalibus quo ad culpam dimissis debeatur pœna tantummodò temporalis, tamen per accidens pœna fit æterna, quia, cùm pœna tollatur satisfaciendo, & in inferno non sit satisfactio, sequitur, damnatum ob peccatum commissum post obtentam aliorum præcedentium remissionem perpetuò puniendum esse, non solùm pro peccato, in quod relapsus est post remissionem, verùm etiam pro peccatis antea remissis, pro quibus in hac vita non satisfecit. Secus si pro ipsis in hac vita satisfactionem præstitit, nulla enim debetur pœna pro peccatis, quo ad culpam, & quo ad pœnam remissis, nisi forte ratione ingratitudinis, ea ratione, qua explicauimus. Ita S Thom 1.2 *quæst. 87 art. 5. ad tertium*, Henriquez *loco citat. cap 32. nu. 6.* Suarez, & alij communiter.

SECUNDA PROPOSITIO.

4 *An reatus peccatorum præcedentium possit de potentia Dei absoluta redire per subsequens peccatum.*

4 PEccata non ita delentur per pœnitentiam, quin reatus peccatorum præcedentium de potentia Dei absoluta redire possit per subsequens peccatum. Ratio est, quia peccata possunt remitti sub conditione, vt si peccator denouo peccet, redeat idem pœnæ reatus, ac si peccata remissa non fuissent. Cum ergo non implicet, peccata remitti sub hac conditione, sequitur, eundem pœnæ reatum posse de potentia Dei absoluta per subsequens peccatum redire. Ita Suarez *disp. 23. sect 2. nu. 5.* Valentia *tom. 4 disp. 7. quæst. 5. punct 3.* Henriquez *lib. 4 c 32. nu 4 in commentario littera T.* Coninchus *loco citato num 148* & alij.

5 *An hoc idem dici possit de culpa.*

5 An verò hoc idem inferri possit de culpa, dissensio est inter Doctores: nam Valentia affirmat. Coninchus verò *loco citato*, Vasquez *loco citato num 81.* Sotus & alij *locis citatis* negant, quorum sententia valdè probabilis est, vt patet perpendenti non solum rationes ab iisdem Doctoribus relatas, verum etiam illas, quas nos puncto 1. adduximus.

SECTIO IV.

De effectu pœnitentiæ, quoad recuperationem meritorum gratiæ, & virtutum.

IN hac sectione quærendum est primò, vtrum recuperentur opera facta ante pœnitentiam, ita vt superueniente pœnitentia, valeant ad vitam æternam. Secundò vtrum per pœnitentiam restituatur gratia præcedens, & virtutes, quarum peccator iacturam fecerat per mortale peccatum.

PVNCTVM I.

Vtrùm opera facta ante pœnitentiam recuperentur superueniente pœnitentia, ita vt valeant ad vitam æternam.

1 *Quotuplex sit genus bonorũ operum.*

1 NOtandum bona opera esse in triplici genere. Prima dicuntur mortua priuatiuè, quia carent vita gratiæ, vt est eleemosyna, ieiunium, & alia pia opera facta à peccatore, quandiu caret diuina gratia, quæ vita animæ meritò nuncupari potest.

Secunda dicuntur mortua effectiuè, seu mortifera, quia mortem inferunt spiritualem, vel ad illam disponunt, & hæc sunt peccata mortalia, quæ animam spiritualiter enecant, vel etiam peccata venialia, quæ ad mortalia quodammodò disponunt.

Tertia dicuntur mortificata, & hæc sunt bona opera præstita à peccatore, antequam in grauem culpam prolaberetur: dicuntur autem mortificata, quia mortificantur per subsequens peccatum, nec prosunt ad vitam æternam eo nondum remisso.

De operibus secundi generis, quæ mortifera nuncupantur, nõ est nobis disputandum in præsenti sectione, quia inter omnes constat, huiusmodi opera non solùm non valere ad vitam æternam, verùm etiam potius traducere ad mortem, & ad æternam damnationem, iuxta illud Apostoli ad Romanos 6. *Stipendium peccati est mors.* Immò tantum abest, vt huiusmodi opera valere possint per pœnitentiam, vt potiùs per pœnitentiam ipsa destrui necesse sit, sicut albedine destruitur nigredo, & calore frigus.

DIFFICVLTAS igitur est primò, vtrum opera prima generis, quæ dicuntur mortua priuatiuè, per subsequentem pœnitentiam reuiuiscant.

Secundò, vtrum reuiuiscant opera tertij generis, quæ dicuntur mortificata.

PRIMA PROPOSITIO.

2 *An opera mortua priuatiuè reuiuiscant per subsequentem pœnitentiam.*

2 OPera mortua priuatiuè non reuiuiscunt, nec fiunt meritoria vitæ æternæ per subsequentem pœnitentiam. Ita S. Thom. 3 *parte q 89. art. 6.* Vasquez *ibidem*, Nugnus *ibidem, & in additionibus quæst. 14. art. 2.* Suarez *ibidem in Commentario articuli 6.* Henriquez *lib 4. cap. 16. num 4. & cap. 33. num. 1.* Coninchus *disp. 2. de pœnitentia dubio 20. num. 178.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst 6. puncto 3* [Molfesius *tract. 7. c. 6. n. 47.*] & alij communiter. Ratio est, tum quia, vt aliquod opus sit meritorũ vitæ æternæ, necesse est, vt fiat ab homine existente in gratia, ex Tridentino *sess. 6. c. 16.* sed opera mortua priuatiuè non sunt facta ab homine existẽte in gratia: ergo non sunt meritoria vitæ æternæ: ergo non reuiuiscũt, nec fiunt

N meritoria

meritoria per subsequentem pœnitentiam. Tum quia reuiuiscere est remoto impedimento peccati accipere vitam, & valorem, quem habebant opera, quando facta sunt; sed opera mortua priuatiuè, quando facta sunt, non habebant meritum vitæ æternæ, cùm is, qui ea fecit, non haberet gratiam; aut charitatem, sine qua nostræ actiones ad vitam æternam non prosunt, iuxta illud 1. Corinthiorum 13. *Si dedero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest*; ergo opera mortua priuatiuè non reuiuiscunt, nec fiunt meritoria vitæ æternæ per subsequentem pœnitentiam.

OBIICIES, si opera mortua priuatiuè non reuiuiscerent per subsequentem pœnitentiam, sequeretur, opera bona facta à peccatore, nihil prodesse: hoc autem videtur falsum; ergo etiam falsum videtur opera bona non reuiuiscere per subsequentem pœnitentiam.

RESPONDEO, huiusmodi opera bona nihil prodesse ad vitam æternam promerendam, multum verò prodesse ad alios fines vt primò ad obtinenda bona temporalia. Secundò ad humiliationem. Tertiò ad vitanda maiora tormenta in Inferno, quatenus per huiusmodi bona opera adimplentur diuina præcepta, quorum violatione maiora tormenta subeunda essent in Inferno, quæ omnia his duobus versibus comprehendit Glossa *cap. quod quidam. de pœnitentia, & remissione.*

Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ:
Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.

Idem sentit Sotus *dist. 19 quæst. 1. art. 5.* Henriquez *loco citato, nu. 3. ad finem*, Coninchus *loco citato*, Nugnus *in additionibus q. 14. art. 2. ad finem.* Zerola *in praxi de Sacramento pœnitentiæ cap. 25. quæs. 28.* & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 *An opera mortificata per peccatum valeant per subsequentem pœnitentiam.*

3 OPera mortificata per peccatum valent per subsequentem pœnitentiam ad vitam æternam consequendam. Ita S. Thomas 3. *parte q 89. art. 5.* Nugnus *ibidem.* Hentiquez *c. 33. nu. 1. in commentario*, Coninchus *de pœnitentia disp. 3. dub. 20. numer. 167.* Pesantius *3 parte quæst. 89. disput. 1. & 2.* Vasquez 3. *parte quæst. 8 artic. 5. dubio 1.* Valentia *loco citato*, [Suarez *in opusc. de reuiuiscent. merit. disput. prim. sect. 1.* Filliucius *tract. 6. cap. 6. quæs 3.* Molfesius *tract. 7. cap. 6. conclus. 9.*] & alij communiter. Hæc propositio patet, tum ex *locis 2.* vbi Dominus alloquens pœnitentes ait: *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca*, tum ex 33. *Ezechielis*, vbi dicitur: *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua*; si autem peccator per pœnitentiam non recuperaret merita, & gratiam, impietas, seu peccatum ipsius peccatoris multum ei noceret in æternum: tum ex D. Ambrosio *libro 2. in Lucam*, vbi in hæc verba loquitur: *Videquàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis, non solùm ablata restituit, verùm etiam insperata concedit*; tum quia ad infinitam Dei misericordiam spectare videtur, vt dum peccatorem in gratiam, & reconciliationem recipit, in eandem gratiam, & in priora merita restituat: tum quia sublata causa cessat effectus, sed causa, propter quam bona opera remanebant mortificata, fuit peccatum illis superueniens; ergo sublato peccato iterum incipiunt valere: vtpote sublato impedimento, sicut Sacramentum Baptismi, pœnitentiæ, &c. sublato obice suum præstat effectum.

OBIICIES primò, opera bona per subsequens peccatum fiunt mortua, & omnino destruuntur, sicut enim gratia superueniens destruit omnino peccata præcedentia, ita peccatum subsequens destruit omnino merita antecedentia; ergo merita præcedentia reuiuiscere non possunt per subsequentem pœnitentiam, cùm semel extinctum non reuiuiscat.

RESPONDEO, negando opera bona facta in gratia mori, & omnino destrui per subsequens peccatum, peccatum enim non est ita efficax respectu præcedentium meritorum, sicut est gratia respectu peccatorum, quæ per ipsam destruuntur, ac delentur, vt clariùs patebit ex sequentis obiectionis responsione.

OBIICIES secundò, peccata antea delera non reuiuiscunt in se formaliter per subsequens peccatum, vt superiùs ostendimus; ergo neque bona opera reuiuiscunt per gratiam.

RESPONDEO negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia peccata absolutè extinguuntur, nec possunt reuiuiscere, nam si reuiuiscerent, miraculosè reuiuiscerent, & talis reuiuiscentiæ auctor esset Deus, quod est absurdum; bona verò opera non absolutè extinguuntur, sed retinentur in acceptatione Dei, ex cuius misericordia reuiuiscunt, & præmiantur ex iustitia: Deus enim confert vitam æternam tanquam mercedem bonis operibus debitam, vt ait Tridentinem *sess. 6. cap. 16.* vbi eam appellat coronam iustitiæ. Ita S Thom. *quæst 89 art. 4* Nugnus *ibidem ad finem*, Henriquez *cap. 33 num. 1.* Vasquez *loco citato num. 41.* [Suarez *loco citato sect. 3.* Filliucius *tract. 6. cap 6 n. 144.*] & alij.

4 *An omnia merita per subsequentem gratiæ reuiuiscat.*

4 Ex dictis colligi potest, non solùm aliqua, verùm etiam omnia merita per peccatum mortificata reuiuiscere per gratiam subsequentem, vt patet tum ex allatis rationibus: tum quia non est maior ratio vnius meriti, quàm omnium.

Ex quo etiam infertur, Deum collaturum visionem beatificam non solùm propter merita facta post resipiscentiam, verùm etiam propter merita, quæ per subsequentem pœnitentiam reuiuiscunt; cum enim hæc merita, quando facta fuerunt, digna essent vitæ æterna, & modò reuiuiscant, sequitur, Deum collaturum præmium etiam intuitu meritorum, & bonorum operum reuiuiscentium. Quamobrem Tridentinum testatur ita præmianda esse merita antecedentia, sicut alia quælibet bona opera, modò homo moriatur cum gratia. Videte Suarez *in opusculis de reuiuiscentia meritorum*, Henriquez *lib. 4. cap. 16. num. 5. & cap. 33. & 34.* [Filliucium *tract. 6. cap. 6. quæs. 5. pu 150.*] & alios prædictos Doctores.

PVNCTVM II.

Vtrùm per subsequentem pœnitentiam restituantur gratia præcedens, & virtutes.

1 *Quot modis recipiatur gratia.*

1 PRo intelligentia istius puncti præmittendum est primò, gratiam aliquando recipi per merita, & dispositiones subiecti, seu ex opere operantis: aliquando vltra merita, & dispositionem subiecti, seu ex opere operato, vt patet ex dictis de Sacramentis in genere.

2 *Virtutes in quotuplici differentia sint.*

2 Præmittendum est secundò, virtutes alias esse morales, & acquisitas, alias supernaturales, & infusas. In hoc puncto difficultas non est de virtutibus moralibus, cùm non amittantur per peccata, sed simul cum peccatis stare queant. Difficultas solùm est de virtutibus supernaturalibus infusis, quæ gratiam comitantur, simulque cum gratia per peccatum amittuntur, vt est virtus charitatis.

3 *An omnes virtutes supernaturales infusæ amittãtur per quodlibet peccatum mortale.*

3 Obserua tamen, non omnes virtutes supernaturales infusas amitti per quodlibet peccatum mortale, fides enim & spes non amittuntur per singula peccata mortalia, licèt fides amittatur per peccatum infidelitatis, & spes per peccatum desperationis, vt suo loco explicaui.

His præmissis, quærendum est primò, vtrùm gratia per peccatum amissa restituatur per subsequentem pœnitentiam, siue gratia obtenta esset ex opere operantis, siue ex opere operato. Secundò, vtrùm per subsequentem pœnitentiam restituantur virtutes, quæ gratiam consequuntur, & cum gratia simul amittuntur.

PRIMA PROPOSITIO.

4 *An per pœnitentiam non solùm recipiatur noua gratia, verùm etiam restituatur tota præcedentibus meritis respondens.*

4 PEr pœnitentiam non solùm recipitur noua gratia, verùm etiam restituitur tota gratia præcedens, quæ præcedentibus meritis respondebat. Hæc propositio duas habet partes. Prima est, noua gratiam recipi per pœnitentiam, & hæc patet, quia homo instificatur per nouam gratiam, quæ vel illi confertur intuitu dispositionum, vt contritionis, quam peccator elicuit, vel intuitu Sacramenti, quod suscepit.

Secunda pars est, restitui gratiam præcedentibus meritis respondentem, & hæc etiam constat, tum ex rationibus allatis in secunda propositione puncti præcedentis: tum quia ipsa merita præcedentia reuiuiscunt, vt superius ostendimus; ergo etiam restituitur gratia præcedentibus meritis respondens, cùm enim opera mortificata valere incipiant per pœnitentiam ad vitam, & gloriam æternam, ad vitam autem, & gloriam æternam de lege ordinaria non valeant, nisi mediante gratia, quæ est ius ad gloriam, sequitur reuiuiscentibus operibus, seu meritis reuiuiscere, & recuperari gratiam illis operibus, seu meritis respondentem. Ita Coninchus *loc. citat. num. 169. & 170.* Vasquez *quæst. 89. art. 5. dub. 3. num. 7. & dub. 2. num. 64.* Zerola *cap. 2. quæsito 24* Pesantius *loc. citat. disp. 3.* Scotus, Durandus, & alij apud Vasquez *loc. citat.* & apud Henriquez *lib. 4. cap. 33. num. 8.* quamuis ipse cum nonnullis aliis oppositum sentiat *cap. 34.* putans non restitui totam gratiam, quod idem sensit Ledesma *quæst. 30 art. 2.* Bannes 2. 2. *quæst. 24. art. 6.* Paludanus, Sotus, & alij apud eundem Henriq *cap. 34 n 1. in commentario littera B.*

5 *An recipiatur gratia respondens non solùm præcedentibus meritis, verùm etiam respondens Sacramentis.*

5 Sed modò difficultas est, vtrùm non solùm recipiatur gratia respondens præcedentibus meritis, verùm etiam respondens Sacramentis, & ex opere operato. Circa quam difficultatem. S. Thom. *loc. citat. artic 5* Nugnus *ibid.* Valentia *loc. cit. punct. 1. versùs finem, & punct. 3.* etiam *vers. finem* Henriquez *lib 4. cap. 16. num 5. & cap. 34 num. 3. & 4.* & alij apud Zerolam *cap. 2. de pœnitentiæ quæsito 24.* & apud Vasquez *3. parte. quæst. 89 art. 5. dub. 2. & dub. 3. n. 17.* negant semper restitui totam gratiam præcedentem, sed iuxta dispositionem, qua homo se ad Deum conuertit, ita vt quando conuertitur, recipiat quidem gratiam respondentem meritis præcedentibus, vt probaui in secunda parte propositionis, gratiam verò respondentem Sacramentis, & operi operato recipiat maiorem, vel minorem, iuxta maiorem, vel minorem dispositionem præsentem: propterea, in sententia D. Thom. & aliorum homo non semper resurgit in meliori statu, quàm esset, quando per peccatum cecidit.

Scotus verò *distinct. 22. artic. 2. quæstiuncula 1.* Medina *de pœnitentia quæst. 8.* Coninchus *loco citato.* Nauarrus *cap. diuina, de pœnitentia dist. 4 num 3.* Durandus, [Suarez *de reuiuiscent. merit. disput. 2. sect. 3.* Filliucius *tract. 6. cap. 6. quæs. 8. num. 157.*] & alij apud Henriquez *lib. 4. cap 33. num. 8. in commentario littera X* & apud Vasquez *loc. citat.* putant hominem semper resurgere in meliori statu, quia pœnitens recuperat totam gratiam præcedentem, quæ impediebatur per peccatum, simulque recipit eam gratiam, quæ respondet Sacramento, vel dispositioni, ratione cuius resurgit, consequenter resurgere videtur in meliori statu. Videte Valentiam *tom. 4. disp. 7. quæst 6. punct. 1.* & alios prædictos Doctores.

OBIICIES primò. In Tridentino *sess. 6. cap. 7.* habetur, iustificato gratiam infundi iuxta propriam ipsius dispositionem, & cooperationem; ergo falsum videtur, totam gratiam restitui per pœnitentiam.

RESPONDEO Concilium ibi loqui de gratia, quæ per se, & præcisè respondet ipsismet actibus, & dispositionibus, non verò de gratia, quæ respondet meritis præcedentibus, quæ reuiuiscit per pœnitentiam, non tanquam per propriam dispositionem, sed per accidens, tanquam per remouens prohibens, contritio enim, exempli gratia, per quam peccator resurgit, duo gerit officia, disponit enim ad gratiam, & ad viuificanda merita. Ita Coninchus *loco citat. num. 173.* Suarez *in commentario articuli 5. num. 4. vers. Nullus potest*, & alij.

OBIICIES

OBIICIES secundò: si peccator resurgeret in meliori statu, aut reciperet gratiam respondentem meritis, & Sacramentis præcedentibus, sequeretur peccatorem reportare commodum ex suo delicto, quod non videtur admittendum.

RESPONDEO negando hoc sequi: tum quia peccator per peccatum fit inimicus Dei: tum quia quandiu extitit in peccato mortali, non exercuit opera meritoria vitæ æternæ: tum quia per peccatum acquisiuit prauas inclinationes, & dispositiones. Ita Conin-chus *loc. cit.* & alij.

Ex dictis ergo sequitur, per pœnitentiam restitui gratiam præcedentem, quæ meritis, & Sacramentis præcedentibus respondebat: non enim est maior ratio, cur vna pars gratiæ potiùs, & non tota recuperetur.

SECVNDA PROPOSITIO.

6 *An per pœnitentiam recuperentur virtutes, quæ cũ gratia amittuntur.*

6 VIrtutes infusæ, quæ ita connexæ sunt cum gratia, vt simul cum ea amittantur, beneficio pœnitentiæ subsequentis recuperantur iuxta gradum gratiæ respondentem. Ita S Thom. *quæst. 89. art. 1. & 2.* Valentia *tom 4. disp. 7 q. 6. punct 1.* Henriquez *loco cit cap. 34.* Suarez *3. part. q. 89. in commentario articuli 1.* Zerola *cap 2. quæsito 24 de pœnitentia.* Coninchus *loc. citat nu. 172.* [Filliucius *tract. 6. cap. 6. q. 1. n. 123.* Molfesius *tract. 7. cap 6 n. 51.*] & alij communiter. Ratio est, tum quia accessorium sequitur principale, sed principale est gratia, quam in prima propositione diximus restitui per pœnitentiam, accessorium sunt virtutes, quæ ita connexæ sunt cum gratia, vt simul amittantur; ergo recuperata gratia recuperantur etiam virtutes comitantes gratiam iuxta gradum respondentem gratiæ, quam comitantur: tum quia, supposita infinita Dei misericordia, pœnitentia non est minoris efficaciæ, quàm peccatum, sed per peccatum amittuntur virtutes infusæ, Iacobi 2. *Qui unque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*; ergo etiam per gratiam recuperantur virtutes infusæ.

7 *Quænam virtutes restituantur per pœnitentiam.*

7 Hinc sequitur per pœnitentiam restitui virtutem charitatis, virtutem pœnitentiæ infusæ, virtutem virginitatis, modò nondum cõmissum sit peccatum cõtra virginitatem, virginitas enim semel per peccatum contra virginitatẽ amissa, nõ amplius recuperatur per subsequentem pœnitentiam", restituitur tamen virtus illi respondens. Videte Suarez *loc. citat. in commentario articuli 3.* & alios præcitatos Doctores.

SECTIO V.

De effectu Sacramenti pœnitentiæ quoad obligationem sigilli.

SIgillum confessionis est obligatio, qua Confessarius tenetur ea reticere, quæ sibi per confessionem manifestata fuerunt.

Dicitur, *sigillum*, quia sicut ea, quæ in litteris sigillo munitis continentur, non possunt legi, alijsque manifestari: ita neque possunt verbis, aut signis, aut factis directè, vel indirectè manifestari ea quæ audita sunt in confessione, vel aliquo modo pertinent ad ipsam quatenus est confessio.

Ex quo patet, obligationem sigilli esse effectum ex confessione consurgentem, de quo agendum est in præsenti sectione, inquirendo primò quo iure Confessarius ad sigillum teneatur. Secundò quænam sub sigillum cadant. Tertiò quinam ad sigillum teneantur. Quartò vtrum Confessarius loqui possit de auditis in confessione, aut vti scientia confessionis.

PVNCTVM I.

Quo iure Confessarius teneatur ad sigillum confessionis.

IN hoc puncto explicabimus, vtrùm Confessarius teneatur ad sigillum iure naturæ, iure diuino, & Ecclesiastico.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An confessarius ad sigillum confessionis iure naturæ teneatur.*

1 COnfessarius tenetur iure naturæ ad sigillum confessionis. Ratio est, tum quia ille, cui reuelatum est aliquid extra confessionem sub secreto, tenetur iure naturæ secretum seruare, & violando secretum facit contra fidem datam, & tenetur ad restiturionem damni, quod ex iniusta secreti manifestatione nascitur, vt suo loco probaui; ergo multo magis Confessarius iure naturæ tenetur audita in confessione sub secreto retinere: tum quia iure naturę tenemur cauere infamiam proximi; ergo tenemur etiam iure naturæ audita in confessione reticere, cùm ex illorum manifestatione infamia pœnitenti possit exoriri. Ita Menochius *de arbitrarijs lib. 2. centuria 5. casu 414.* Nauarrus *cap. sacerdos de pœnitentia dist. 6 numer. 33.* Reginaldus *libr 3. numer. 3.* Vasquez *de pœnitentia quæst. 93. artic. 4 dub 1. num 9.* Nugnus *in additionibus quæst. 11. artic 1. difficultate post conclusionem vers tertia ratio.* Sayrus *de pœnitentia cap. 26 numer. 11.* Hieronymus Onuphrius *de sacro sigillo sect. 1 quæst. 3. concl. vnica*, Pesantius *in additionibus ad tertiam partem loco citando disp. 1.* [Filliucius *tract. 7. cap. 11 quæsito primo*, Molfesius *tractatu 7. cap. 23. numero 15.*] & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 *An teneatur iure diuino.*

2 CONfessarius iure diuino tenetur ad sigillum confessionis. Ratio est, tum quia Confessarius vices Dei gerit; sicut ergo Deus ita remittit peccata, vt ea tegat, eorumque obliuiscatur, Psalm. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & tecta sunt peccata.* & Ezechielis 18. *Omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Ita Confessarius tenetur peccata in confessione audita omnino tegere, & celare, cùm Vicarius Christi ea solùm præstare debeat quæ Christo placent: tum quia Christus Confessionis Sacramentum instituendo cessetur confessionem eo modo præcepisse, quo ab hominibus faciè posset exerceri, & vsurpari: difficile autem ab hominibus vsurparetur, si Confessarius ad sigillum non teneretur. Immo confessio efficeretur odiosa, & onerosa, & ab ea fideles multum retraherentur, & abhorrerent. Ita Sanct. Thom *in additionibus, quæst. 11. artic primo.* Valentia *tom quarto, disput. 7. quæst. 13. puncto primo.* Henriquez *lib. sexto, cap 19. num. 3.* Coninchus *disput. 9. numer. quarto, & dub. secundo, numer. 34.* Sotus *in quarta, distinct. 18 quæst. quarta, art. quinto* Vasquez *loc. citat. numer decimo.* Suarez, Nauarrus, Sayrus, Reginaldus, Onuphrius, [Molfesius,] & alij *loc. citat.*

TERTIA PROPOSITIO.

3 *An teneatur iure Ecclesiastico.*

3 CONfessarius ad sigillum confessionis non solùm tenetur iure naturæ, & diuino, [vt probatum est;] verùm etiam Ecclesiastico, vt colligitur ex *cap. omnis vtriusque sexus. de pœnitentijs, & remissionibus*, vbi hoc strictissimè præcipitur Confessario sub pœna comminatoria depositionis, & perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monasterio faciendæ: quanquam hæc pœna extenditur solùm ad Confessarium, & non ad alios. Alij tamen arbitrio iudicis puniendi sunt, vt docet Menochius *loc. citat. numer. 9.* Graffius *prima parte, lib. 1. cap. 23. ad finem numer. 45* Mascardus *tom. 1. de probationibus conclus. 377.* Coninchus *loco citato, dub quarto, ad finem* Henriquez *loc citat. cap. 20. num. primo*, Reginaldus *loco citato, numer. 27* Nugnus *loco citato, difficultate prima, vers. Circa iura.* Zerola ex parte *in praxi de pœnitentia cap. 20 quæs. quinto*, Onuphrius *loco cit & sect. 5 quæst. secunda, concl. vnica* [Molfesius *tract. 7. cap. 23. numer. 60.*] & alij. Obserua tamen cum Nugno *loc. citat.* Primò pœnam peregrinationis, quæ olim iniungebatur frangenti sigillum confessionis mutatam fuisse in pœnam perpetuæ reclusionis in Monasterio, ne Sacerdotes cum dedecore status Ecclesiastici stipem mendicando quærere cogerentur.

Secundò improbabilem esse illorum opinionem, qui asserunt, Sacerdotem infringentem sigillum Confessionis incurrere irregularitatem, nam irregularitas non incurritur nisi in iure sit expressa, vt bene Onuphrius *de sigillo sect. 5. quæst. vltima, conclus. vnica.* [Filliucius *tract. 7. cap 11 quæsito 8. num. 338.* & alij contra Maiolum *lib. 5 cap. 19.*]

4 *Quot peccata cõmittantur ab eo, qui sigillum confessionis perfringit.*

4 QVÆRES, quot peccata committat qui sigillum confessionis perfringit.

RESPONDEO, duo saltem peccata committere. Primò peccat contra iustitiam, vt patet ex prima propositione, & ex dictis de violatione secreti in tractatu de restitutione, consequenter tenetur ad restitutionem damni inde secuti, cùm ex violatione iustitiæ consurgat obligatio restituendi damna.

Secundo peccat contra Religionem peccato sacrilegij, facit enim iniuriam Sacramento pœnitentię, quod cum obligatione sigilli à Deo institutum fuit.

5 *An violatio sigilli semper inducat peccatum mortale.*

5 Addo, peccatum violationis sigilli esse mortale, non solùm si deliberatè detegatur peccatum mortale, verùm etiam si peccatum veniale cum sufficienti deliberatione manifestetur, etiamsi audientes non intelligant illud peccatum veniale auditum fuisse in confessione. Ratio est, quia per manifestationem peccati in confessione auditi violatur sigillum, & fit grauis iniuria Sacramento, etiamsi detegatur peccatum solùm veniale.

Ex quo patet, in hac re non dati paruitatem materiæ excusantem à mortali peccato, præsertim cùm ex manifestatione cuiuslibet rei in confessione auditæ grauia sequi possint incommoda, & confessio reddi possit odiosa, & onerosa. Ita Suarez *disput. 33. sect. prima, num. 12. & sect. 3. num. secundo*, Sotus *in quarta, dist. 18. quæst. quarta, articul quinto.* Nauarrus *loco citat. numer. 39.* Reginaldus *loc. citat. numer. 4. & 24.* Henriquez *loco citat. cap. 19. numer. tert.* Vasquez *loco citat. numer. 14. & dub. 12. ad finem.* Nugnus *loco citato vers. Ad octauum argumentum.* Hieronymus Onuphrius *de sigillo sect. quinta, quæst. prima, versic. Notandum secundò.* [Filliucius *numer. 316. & 317.*] & alij communiter.

6 *[Cognitio fractionis sigilli ad quem pertineat]*

6 [QVÆRES secundò, ad quem pertineat cognitio fractionis sigilli.]

RESPONDEO, pertinere ad iudicem ordinarium ipsius Confessarij, quia ipsi subiectus est. Hoc tamen intelligendum est, modò huiusmodi crimen non sit coniunctum cum hæresi; tunc enim cognoscendum esset in tribunali S. Inquisitionis, vt fusè docet Molfesius *tractat septimo, cap. 23. num. 68. & sequent.* sed de hac re in Bulla Cœnæ.

PVNCTVM II.

Quænam cadant sub sigillum confessionis.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Quænam cadant sub sigillum cõfessionis.*

1 EA omnia cadunt sub confessionis sigillum, quæ manifestata sunt Sacerdoti per ordinem ad confessionem sacramentalem, factam animo se accusandi. Ratio cur hæc omnia cadant sub sigillum est, quia ex horum manifestatione Confessarius censetur sacrilegus sigilli violator, & confessio redditur odiosa. Secus dicendum est de iis, quæ non sunt manifestata per ordinem ad confessionem sacramentalem, vt patet ex contraria ratione. Ita Nauarrus *cap.* 18. *num.* 4. Vasquez *quæst.* 93. *art* 4. *dub.* 2. *num.* 6. Martinus Delrius *tom.* 3. *magicarum disquisitionum, lib.* 6 *c* 1. Lazarius *in monitorijs sect.* 2 *quæst.* 17 *n.* 18. *&* 24. Suarez *disput.* 33. *sect* 2 Henriq. *l.* 9. *cap.* 19. *numer.* 8. Reginaldus *libr.* 3. *numer.* 5. Coninchus *de pœnitentia disp.* 9. *numer. quart.* Hieronymus Onuphrius *de sigillo sect. quart. quæst. prim. conclus. vnic.* Zerola *in praxi de Sacramento pœnitentiæ cap.* 20 *quæs.* 10. Pesant. *in additionibus ad* 3. *partem q.* 11. *disp* 2. [Filliuc. *tract.* 7 *c.* 11. *quæs.* 2. *n.* 316. Molfesius *tract.* 7. *c.* 23. *n.* 19.] & alij communiter.

Hinc colligi potest solutio multorum casuum.

2 *An oriatur obligatio sigilli, quãdo pœnitens sciẽter manifestat peccata sua laico, vel clerico, quẽ scit non esse Sacerdotem.*

2 Primò, non oriri obligationem sigilli, quando quis scienter manifestat sua peccata laico, vel clerico, quem manifestans nouit non esse Sacerdotem, etiamsi credat ex tali confessione oriri obligationem sigilli, hic enim non dicitur manifestare sua peccata Sacerdoti in ordine ad confessionem sacramentalem. Ita Coninchus *loco citato, num.* 6. Vasquez *loco citato num.* 5. Graffius 1. *parte lib* 1. *cap.* 23 *num.* 45. Nugnus *in additionibus quæst* 11. *art.* 1. *difficultate* 1. *vers. Notandum est.* Suarez, Reginaldus, [Filliucius, Molfesius,] & alij *locis citatis.*

Verùm qui se finxit Sacerdotẽ, & ob talem fictionem causa fuit, cur pœnitens manifestauerit sua peccata, tenetur ad obligationem sigilli. Ratio est, tum quia pœnitens manifestauit illi sua peccata animo se accusandi, & in ordine ad sacramentalem Confessionem, alioquin Confessio redderetur odiosa: tum quia fraus non debet patrocinari delinquenti. Ita Suarez *loc. citat. vers. Maius dubium.* Reginaldus *loc. citat. num* 6. *&* 16. Coninchus *num.* 8. Nugnus *loc. cit. art.* 3. Graffius *loc. citat.* [Filliucius *nu* 319. *&* 321.] & alij contra Onuphrium *de sigillo sect.* 3. *q. vnica dub* 4 *pag.* 184.

3 *An is teneatur ad sigillũ, cui aliquid manifestatum est sub sigillo ab eo, qui nõ habebat intentionem confitendi.*

3 Secundò, illum, cui aliquid sub sigillo confessionis manifestatum est ab eo, qui non habebat intentionem confitendi, non teneri ad sigillum confessionis, nam quod de iure non subsistit, nullum præstat effectum, effectus autem sigilli prouenit à confessione facta animo se accusandi, & per ordinem ad confessionem sacramentalem: & hoc verum est, etiamsi manifestans dixerit sub sigillo se illud manifestare, aut etiam si hoc manifestauerit flexis genibus vel præmissa confessione generali, quam aliqui præmittere consueuerunt, dicendo, *Confiteor Deo Patri*, &c. nam hæc protestatio, seu actio non efficit manifestationem sacramentalem, seu per ordinem ad confessionem sacramentalem. Verum tamen est, eum, cui aliquid hoc pacto fuit manifestatum, teneri ad secretum naturale, vt per se patet. Ita Vasquez *loco cit. dub.* 2 *nu.* 13. Nugnus *loc. citat. vers. Sed quid dicendum* Graffius *loc. citat. nu* 26. Coninchus *num.* 6. Reginaldus *nu.* 5 *&* 67. Henriquez *c.* 21. *nu.* 3. *littera P.* Valentia *disp* 7. *quæst.* 13 *punct.* 3 Lazarius *loc. citat.* Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio, disp.* 13. *num* 6. [Filliucins *num.* 319.] & alij.

4 *An Confessarius teneatur ad sigillũ confessionis, quando dubitat aliquid sibi reuelatum fuisse per ordinem ad confessionem.*

4 SI QVÆRAS, vtrùm Confessarius teneatur ad sigillum confessionis, quando dubitat, an aliquid sibi reuelatum fuerit à pœnitente per ordinem ad confessionem.

RESPONDETVR affirmatiuè, quia rationabiliter præsumẽdum est in fauorem confessionis, & pœnitentis, ne confessio fiat odiosa. Ita Graffius *loco citat.* Suarez, *loco citato*, *sect.* 2 Reginaldus *loc. cit. nn.* 7 Onuphrius *de sigillo sect.* 2. *quæst.* 1. *conclus vnica.* & alij. Immo Syluester *verb. Confessio* 3. *num.* 9. Henriquez *lib* 6. *cap.* 19 *ad finem*, Nugnus *in additionibus q.* 11. *art.* 1. *difficultate* 1. *vers. Sed quid dicendum.* Suarez *de pœnitentia disp.* 33. *ad finem* & alij. contra Reginaldum *lib.* 3 *cap.* 5. *ad finem, n.* 65. [& alios proximè citandos] aduertunt, quando pœnitens obiicit Confessario reuelationem confessionis, incumbere Confessario onus probandi se reuelasse ex licentia pœnitentis, saltem quando ex reuelatione sequitur detrimentum pœnitenti, aut alteri, nam præsumptio videtur esse contra Confessarium, vt sigillum confessionis seruetur illæsum. Quidquid Vualdus *cap. de sigillo confessionis num* 39 [Reginaldus *num.* 68. Menochius *lib* 2 *de arbitr. casu* 499. Molfesius *tract.* 7. *c.* 23. *num.* 69] & Zerola *loc. citat* in contrarium sentire videantur. Si verò, qui obiicit reuelationem confessionis, non sit pœnitens, sed tertius, ipsi tertio incumbit onus probandi, Confessarium, reuelasse absque licentia, vt patet ex doctrina generali. Hoc autem probabit ostendendo, Sacerdotem reuelasse simpliciter coram pluribus nihil addendo de habita reuelandi licentia, vt ex Decij *in cap.* 1. *nu.* 17. *de exceptionibus*, & aliorum doctrina tradit Graffius 1 *parte decisionum lib.* 1. *c.* 23. *nu.* 16. *&* 27. Confessarius verò poterit se ipsum tueri attestatione ipsius pœnitentis, aut ostendendo se illud, quod manifestauit, accepisse ab aliis extra confessionem. Ita [Suarez *sect.* 8.] Graffius, Reginaldus & alij *loc. cit.*

5 *An Confessarius teneatur obligatione sigilli, quãdo quis ad ipsum accessit, vt ipsum pertraheret ad peccatum.*

5 Tertiò, colligi potest, Confessarium non teneri obligatione sigilli, quando quis ad ipsum accessit, non vt confiteretur, sed vt ipsum pertraheret ad peccatum. Ita Coninchus *nu* 7. Nauartus *c.* 8. *nu.* 18. Suarez *loc. cit.* Reginaldus *n* 66. Vasquez *dub.* 3. *ad finem.* Onuphrius *de sacro sigillo sect.* 4. *q.* 6. *versic. sequitur tertiò.* [Molfesius *tract.* 7. *c.* 23 *n.* 27. *&* 54.] & alij.

Hinc patet, quid dicendum sit de eo, qui aliquid aperit Confessario, non animo se accusandi, sed illudendi, aut decipiendi, &c. vt si fur aliquid dicat Confessario, vt faciliùs possit furtum retinere, & non possit ab eo denuntiari. Ita Vasquez *dub* 7. *n.* 4. & alij.

6 *An Confessarius teneatur ad sigillum, etiamsi pœnitentem non absoluerit.*

6 Quartò colligitur, Sacerdotem teneri obligatione sigilli ad ea reticenda, quæ in confessione audiuit, etiamsi pœnitentem ob aliquem defectum non absoluerit, nam illa audiuit per ordinem ad confessionem. Ita Graffius *loco cit. num* 3. Reginaldus *num.* 13. Zerola *in praxi cap.* 20 *quæs* 12. Coninchus, Nugnus, Valentia, [Filliucius Molfesius,] & alij *loc. cit.*

7 *An propositum committendi aliquod peccatũ cadat sub sigillũ.*

7 Quintò propositum committendi aliquod peccatum cadere sub sigillum, quoties pœnitens illud manifestauit Confessario animo se accusandi, seu per modum accusationis coram *Deo*, vt patet ex sæpiùs repetita ratione. Secus si pœnitens declarauit non animo se accusandi, sed potiùs peruertendi Confessarium, illumque incitandi ad malum. Quamobrem quidam Cardinalis, teste Soto, mulctatus fuit à Summo Pontifice, eo quòd non manifestauerit conspirationem in Summum Pontificem, quam alter ipsi aperuerat in confessione, non intentione se accusandi, sed animo ipsum trahendi ad eandem coniurationem. Ita Sotus *in* 4 *d.* 18. *q* 4. *art.* 5. Henriquez *cap.* 21 *num.* 3. *littera L.* Reginaldus *loc. citat. num.* 66. Onuphrius *de sigillo sect.* 4. *q* 6. *conc. vnica. & versic. sequitur secundò.* Coninchus, Nauarrus, Vasquez, & alij *loc. citat.* contra Syluestrum *verb. Confessio* 3. *quæsito* 5. Angelum *Confessio vltimo n.* 7.

8 *An Parochus sub sigillo teneatur reticere impedimentum in cõfessione cognitum.*

8 Sextò, Parochum, qui in confessione nouit aliquod impedimentum, teneri huiusmodi impedimentum sub sigillo reticere, consequenter non posse matrimonium pœnitenti denegare, quem in confessione nouit obstrictum esse impedimento dirimente. Ita Coninchus *loco citato nu* 67. Henriquez *lib* 6. *cap* 19 *num.* 5. Reginaldus *num.* 23 Guttierez *de matrimonio cap* 61. *num* 11 Lazarius, Suarez, & alij *locis cit* Quamuis Guttierez Sanchez, & alij aliter existiment de ministro qui non tenetur ex officio ministrare Sacramenta, vel interesse matrimonio, quod idem putant de Parocho, à quo petuntur Sacramenta, quando non tenetur ea ministrare; sed de hac re infrà [*punct.* 4 *nu* 17.]

9 *An sub sigillum cadant peccata, tam venialia, quã mortalia, quamuis publica.*

9 Septimò, peccata non solùm mortalia, verùm etiam venialia, non solùm occulta, verùm etiam publica, quę aliàs ignota erant Confessario, reticenda esse sub sigillo: consequenter Confessarium non posse loqui de re publica in confessione audita, cuius ipse aliunde non habebat cognitionem. Si verò aliunde nouerat, potest extra confessionem loqui eo modo, quo antea nouerat, modò non addat aliquid propter cognitionem in confessione habitam. Ita Nauarrus *cap.* 8. *num.* 10 Coninchus *loco citat. num.* 9 *&* 12. Nugnus *loc. cit. versic. ad duodecimum pag.* 345 Onuphrius *de sigillo sect.* 4 *quæst.* 3 *conclus. vnica.* [Suarez *nu.* 7 Filliucius *tract.* 7. *c.* 11. *q.* 3. *n.* 321] & alij DD citati.

Ex quo infert Sotus, si quis mihi surripuit res meas, & ego noui extra confessionem, ipsum mihi surripuisse, possum ipsum denunciare postquam mihi confessus fuerit hoc furtum, modò non vtar scientia confessionis nec maiora adducam indicia ob audita in confessione, neque ostendam me alla scire ex confessione.

Eodem modo Parochus potest à communione repellere publicum concubinarium, quem extra confessionem nouit esse publicum concubinarium, etiamsi hoc idem in confessione cognouerit: caueat tamen, ne ostendat, se illum repellere ex scientia in confessione habita, hic enim perfringeret sigillum. Ita S Thom. *in additionibus quæst.* 11. *art* 5. Nugnus *ibidem art.* 1. *difficultate* 1. *post responsionem ad octauum argumentum, versic. Tandem notandum, &* in commentario *art.* 5 Graffius *loco citat num.* 78, Vasquez *quæst.* 93. *art.* 4. *dub* 7 *num.* 2 Nauarrus *cap. Sacerdos dist.* 6. *n.* 161. Reginaldus *numer* 63. Onuphrius *loco citat. vers. Dixi vt audita*, & alij.

10 *An sub sigillum cadant omnes circunstantiæ quamuis inutiles in confessione manifestata.*

10 Octauò, non solùm peccata, verùm etiam circumstantias, & ea omnia, quæ dicta sunt in confessione ad declaranda peccata, cadere sub sigillum confessionis, etiamsi non essent vtilia ad ea declaranda: vt si pœnitens ad manifestandum aliquod peccatum dixit se esse spurium, aut pauperem, aut si defectum naturalem manifestauit. Quidquid in oppositum sentiat Vasquez *dub.* 3. *nu.* 3. Secus dicendum est de iis, quæ incidenter tanquam nullo modo spectantia ad confessionem narrantur. Ita Suarez *loc. cit. sect* 2. *nu.* 5. Coninchus *nu.* 13 Reginaldus *nu* 38. Zerola *in praxi cap* 20. *quæsito* 10 Onuphrius *de sigillo sect.* 4 *q.* 7. *conclus. vnica*, *& dubitat* 2. *pag. mihi* 277 [Filliucius *tract.* 7. *c.* 11 *quæs.* 3. *n.* 321.] & alij.

11 *An confessarius vi sigilli teneatur ad occultanda bona, & virtutes pœnitentis.*

11 Nonò colligitur, inquit Emanuel Sa, *verb. Confessio, num.* 32. Nauarrus *cap. Sacerdos de pœnitentia dist.* 6 *nu.* 51. Henriquez *loc. citat. c* 21 Confessarium non teneri ex vi sigilli confessionis ad occultanda bona, & virtutes pœnitentis, sed solùm teneri ex vi secreti naturalis iuxta intentionem pœnitentis. Ratio est, quia huiusmodi dona non solent in confessione manifestari animo se accusandi, & ex ipsorum manifestatione confessio effici non consueuit odiosa.

12 *[An ea subijciãtur sigillo quæ quis aperuerit Sacerdoti, animo se accusandi in foro sacramentali.]*

12 [Decimò ea subiici sigillo, quæ quis aperit Sacerdoti, animo se accusandi in foro sacramentali, vt si pœnitens aperuit peccatum superiori, vt ab ipso vel ab eius delegato absolutionem obtineat. Ita Filliucius *tract.* 7 *cap.* 11 *quæs.* 2. *numer.* 320. & alij, quos referam *punct. seq. num.* 3.]

PVNC-

PVNCTVM III.

Quinam teneantur ad sigillum confessionis.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Quinam teneantur ad sigillum confessionis.*

1 ILli tenentur ad sigillum confessionis, qui aliquid norunt occasione confessionis Ratio est, quia sicut ea cadunt sub sigillum, quæ manifestata sunt alicui per ordinem ad confessionem Sacramentalem, ita illi tenentur ad sigillum, qui aliquid norunt per ordinem ad confessionem, vt inquiunt Doctores statim citandi. Itaque ad sigillum confessionis.

2 *An Confessarius teneatur ad sigillum.*

2 Primò tenetur Confessarius sub grauissimis pœnis in 1. puncto recensitis: pœnitens verò non tenetur ad celanda, quæ sibi dicta sunt à Confessario, exempli gratia, ad celandam pœnitentiam, vel quid simile, modò Confessarius non exegerit secretum, aut nisi inde oriatur infamia, vel aliud damnum Confessario, nam ex manifestatione pœnitentis non redditur confessio onerosa, pœnitens tamen tenetur alio titulo reticere, quæ sibi dicta sunt à Confessario, vt si Confessarius exegit secretum, vel periculum sit alicuius incommodi, nam iure naturæ seruandum est secretum, & vitanda est proximi infamia, aliaque detrimenta. Ita Nugnus *in additionibus q. 11. artic. 1. difficultate 1. ad finem.* Suarez *loc. cit sect. 4.* Henriquez *libr. 6. cap. 20. num. 1.* Coninchus *disput. 9 dub. 3. nu. 37.* Onuphrius *de sigillo sect. 3. quæst. vnica dub. 1. versic. communis tamen sententia, & conclus. 3.* Zerola *de pœnitentia cap. 20. quæsito 4.* Pesantius *loco citato.* Reginaldus *lib. 3. num. 35.* Valquez *loco suprà citat. num. 13.* [Molfesius *tract. 7 c. 23. n. 20.*] & alij communiter.

3 *An teneãtur superiores, quibus Confessarius aliquid in cõfessione auditũ legitima de causa manifestauit.*

3 Secundò ad sigillum confessionis obligantur superiores, quibus Confessarius aliquid in confessione auditum aperuit, vt facultatem absoluendi à reseruatis obtineret. Ratio est, quia superior in hac parte gerit vices Confessarij, cùm ad ipsum causa deferatur: tum quia res ad quemcumque perueniat cum suo transit onere, *cap. pastoralis. de decimis*: tum quia alioquin Confessio tederetur odiosa. Ita Nauarrus *cap. Sacerdos de pœnitentia dist. 6. n. 105.* Lazarius *loco suprà citato.* Coninchus *disp. 6. dub. 3. n. 50.* Reginaldus *l. 3. n. 25.* & alij contra Vasquez *de pœnitentia quæst. 93. art. 4. dub. 2. nu 10.* & 12. vbi nostras rationes conatur impugnare, Henriquez *lib 6. c. 2. num. 3.* Hieronymum Onuphrium *de sigillo sect. 3. quæst. vnica dub. 6. versic.* Respondeo secundò, loquentem de Consiliario, non verò de Prælato superiore, nam de hoc contrarium tenet *vers. Tertiò sequitur*, & alios ex parte

4 *An illi teneantur ad sigillũ, quibus Confessarius, dum Cõsilij gratia aliquid manifestauit, imprudenter manifestauit pœnitentis personam.*

4 Tertiò obligantur illi quibus Confessarij, consilij gratia aliquid manifestantes imprudenter, manifestarunt personam ipsius pœnitentis. Ita Graffius *loco suprà citato, n. 45.* Nauarrus, Lazarius, Vasquez, Nugnus, [Suarez, Filliucius,] & alij *loc. cit.*

Idem dicendum est de aliis, qui personam pœnitentis indicarunt de licentia ipsius pœnitentis, vt docet Nauarrus, Lazarius, [Suarez, Filliucius,] & alij contra Vasquez *loco citato.* Nugnum *loco citato, parag dubitatur*, Onuphrium *loc. cit. pag mihi 229.* Pesantium *loco citato, disput. 3 ad finem*, & alios existimantes, eum, cui aliquid reuelatum est de consensu pœnitentis, etiam consilij capiendi gratia, non teneri sigillo confessionis.

Idem dicendum est de alijs, quibus Confessarij aliquid in confessione auditum detexerunt. Quamobrem Princeps, qui aliquid accepit à Confessario de aliquo pœnitente, non potest huiusmodi scientia vti contra reum absque sacrilegio, & perfractione sigilli.

5 *An interpretes ad sigillum teneantur.*

5 Quartò obligantur interpretes, quibus pœnitens vtitur in confessione, sicut enim interpres concurrit ad confessionem, & cognoscit peccatum pœnitentis per ordinem ad confessionem, ita afficitur effectu confessionis, eiusque sigillo tenetur. Ita Vasquez *dub. 2. n. 2.* Reginaldus *loco cit. n. 26.* Nugnus *loc. cit. parag. dubitatur tamen, in commentario artic. 3.* Suarez *disp. 33. sect. 4.* Onuphrius *de sigillo sect. 3. quæst. vnica dub 2. vers. Respondeo omnino, & versic Respondeo vltimò.* Nauarrus, Henriquez, Medina, [Filliucius, Molfesius,] & alij contra Caietanum, & Sotum apud Coninchum *num. 35.* apud Vasquez *loc. cit.* [& alios.]

6 *An, qui ex malitia, vel casu peccata pœnitẽtis audierunt, ad sigillũ confessionis teneantur.*

6 Quintò tenentur, qui ex malitia, vel casu peccata pœnitentis audierunt, vt si aliquid audierunt à Confessario, vel pœnitente alta voce loquente, vel dum astarent prope confessionalia. Ita Vasquez *quæst. 93. art. 4. dub. 2 nu. 3.* Nugnus *loc cit.* Graffius *loc. cit. nu. 45.* Onuphrius *loco cit. dub. 3. vers. Respondeo, & dub. 5.* DD. citati, & alij. [contra Coninchum ex parte *n. 46.* & Molfesium *n. 28.*]

Ex quo patet, quid dicendum sit de iis, qui aliquid audierunt, dum pœnitens alta voce confiteretur peccata sua, cùm aliter non posset confiteri, vt contingit in periculo naufragij, &c.

7 *An, qui chartã inuenit in qua expressa erant alicuius peccata per ordinem ad confessionem, teneatur ad sigillum.*

7 Sextò, qui inuenit chartam, in qua expressa erant alicuius peccata per ordinem ad confessionem, tenetur saltem ad secretum naturale Ita Nauarrus *cap. 18. numer. 34.* Henriquez *cap 20. numer. 2.* Coninchus *loc. citat. num. 50.* Pettus Nauarrus *lib 2. de restitutione cap. 4 nu. 450.* Nugnus *quæst. 11. art. 1. versic. Ad decimumsextum.* Graffius *loc. citat. num. 43.* Sotus *dist. 18. quæst. 4. art. 5.* Sayrus *de pœnitentia cap. 26. vers. Infertur secundò.* Onuphrius *de sigillo sect. 3. quæst. vnica dub. 6. vers. Sequitur quintò.* Pesantius *loc. cit. disp. 3.* & alij communiter.

Dixi *saltem teneri ad secretum naturale*, vt aduerterem non propriè astringi ad sigillum confessionis, cùm obligatio sigilli confessionis propriè dependeat ex inchoata confessione, & ex iis, quæ pœnitens aperuit Confessario per ordinem ad confessionem animo se accusandi

8 *An teneatur saltem dicta peccata perpetuo silentio tegere.*

8 Addo primò cum Soto *loco citato*, iudicem, qui legit repertam paginam, in qua descripta continebantur peccata pœnitentis, non posse de huiusmodi peccatis inquirere, sed debere ea perpetuo silentio tegere Ratio est, tum quia licèt propriè non tenetur ad sigillum, tamen tenetur ad secretum naturale, nisi fortè aliter postulet commune bonum, iuxta doctrinam alibi tradi tam de obligatione secreti, tum quia reuerentia Sacramento debita postulare videtur, vt instrumenta confessionis non deducantur ad extremum forum cum periculo odij, & oneris in confessione.

Idem tenet Menochius *lib. 1. de præsumptionibus, præsumptione 89 num. 26.* vbi cum Baldo, & Gomezio loquitur de cognitione habita per reuelationem sigilli, & Martinus Delrius *lib. 6 c. 1. sect. 2.* Sotus *loc. cit.* Reginaldus *nu. 31.* & alij testantur, illum esse absoluendum, & dimittendum, qui fuit accusatus, & conuictus de crimine ob notitiam tantùm habitam per fractionem sigilli, nam cognitio in confessione habita, cùm censeatur facta Sacerdoti vicem Dei gerenti, non debet humano iudicio deseruire.

9 *An peccet legendo aliquid, postquam cognouerit in ea charta contineri peccata.*

9 Secundò addo cum Coninchо *loco cit. num. 50.* eum, qui chartam inuenit, in qua peccata alicuius continentur, grauiter peccare, si aliquid ex ea legat, postquam cognouit in ea contineri peccata, nam grauem infert iniuriam pœnitenti inuito, sicut etiam grauem facit iniuriam, qui alterius confessionem audit ipso nesciente Ita Nauarrus *cap. Sacerdos de pœnitentia dist. 6. num. 113.* Reginaldus *lib. 3. nu. 34.* & alij communiter.

PVNCTVM IV.

Vtrùm Confessarius loqui possit de auditis in confessione, aut vti scientia confessionis.

QVatuor breuiter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm Confessarius loqui possit de auditis in confessione sine fractione sigilli. Secundò, vtrùm vti possit scientia confessionis ad aliquid faciendum. Tertiò, quomodo se gerere debeat, quando interrogatur de auditis in confessione. Quartò, quid agere debeat, quando pœnitens reticet aliquod peccatum aliunde notum ipsi Confessario.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *An Confessarius possit de auditis in confessione loqui sine fractione sigilli.*

1 COnfessarius loquens de auditis in confessione absque manifestatione personæ, & sine periculo, vt audientes veniant in cognitionem, vel suspicionem personæ, non dicitur frangere sigillum. Ratio est, quia ex huiusmodi locutione non reuelatur peccator, nec vlli fit iniuria, nec ob id confessio redditur odiosa, & onerosa Si verò Confessarius loquatur de auditis in confessione manifestando personam, vel cum periculo, vt audientes veniant in cognitionem, vel suspicionem personæ, videtur perfringere sigillum; nam reuelat peccatorem, illique facit iniuriam, & confessione efficit odiosam, & onerosam.

Hoc limita, nisi fortè tantummodò in genere manifestet peccata venialia, nam pœnitens per huiusmodi manifestationẽ non magis cognoscitur peccator, quàm antea cognosceretur, vt patebit ex 2. illatione. Ita Doctores statim citandi.

2 *Quomodo se gerere debeat Cõfessarius dũ loquitur de rebus in cõfessione auditis.*

2 Hinc colligi potest primò Confessarium, dum loquitur de rebus in confessione auditis, debere se prudenter gerere, ne suspicionem ingerat alicuius particularis personæ de graui aliquo delicto. Itaque cauere debet, ne de rebus in confessione auditis loquatur coram multis, præsertim in eodem oppido, & statim post confessionem.

Item cauere debet, ne vnum pœnitentem nimium laudet, quoties ex illius laude sumi potest suspicio de reliquis pœnitentibus, qui eidem Sacerdoti peccata sua confiteri consueuerunt.

Præterea caueat, ne dicat aliquem sibi confessum fuisse tali occasione, vel se talia peccata in confessionibus audiendis excepisse, quoties periculum imminet, vt audientes occasionem arripiant malè de aliquo opinandi. Ita Coninchus *loco suprà citato, nu. 10.* Nauarrus *cap. Sacerdos, dist. 6. nu. 56. & in Manuali c. 8. num. 9* Reginaldus *loco suprà citato, num. 46. 50. & 54* Suarez, Onuphrius *de sigillo sect. 4. q. 2. versic. sequitur secundò, & versic. sequitur tertiò,* & alij communiter.

3 *An Confessarius frãgat sigillũ testando in tali ciuitate multos improbos adesse.*

3 Secundò colligi potest, non frangi sigillum confessionis, si Confessarius dicat in tali ciuitate adesse multos improbos, vel talia crimina perpetrari, nulli enim pœnitenti fit iniuria, cùm non sit periculum, vt auctor illorum peccatorum cognoscatur, vt suppono Secus si loquatur de aliquo loco non valde amplo, aut si de aliquo Monasterio dicat, grauia scelera in eo committi, vt patet ex dictis de detractione, nam fieri potest, vt non leuis suspicio de aliquo particulari concipiatur, & aliqui iacturæ famam patiantur. Ita Coninchus *loc. cit. n. 16.* Vasq *loc. cit. dub. 3. n. 3.* Henriq *lib. 6. c. 21. n. 6* Nauarr. *cap. Sacerdos n. 54.* Suarez *loco suprà citato sect. 2. n. 9.* Reginald. *lib. 3. n. 4.* Onuphrius *de sigillo sect. 4. q. 4. versic sequitur vltimò.* Nugnus *loc. cit. art. 1. vers. 13. argumentum*, & alij.

4 *An frangat sigillum, qui dicit, Absolui Petrum.*

4 Tertiò colligi potest, non frangi sigillum confessionis si Confessarius dicat, *Absolui Petrum*, aut si dicat, *Petrus confessus est mihi peccata venialia, aut sua peccata*, modò Confessarius nõ exprimat aliquod peccatum veniale in particulari Idem dicendum est, si Confessarius hoc modo loquatur, *Petrus graui morbo detentus signa peccati dedit in genere, & ob id ipsum absolui, dedique leuem hanc pœnitentiam.* Ratio est, quia Confessarius hoc modo loquendo non videtur quidquam aperire, quo pœnitens reueletur, aut cognoscatur magis peccator, quàm antea, nec vllus pœnitens hoc sibi adscribet iniuriæ, vel ob id à confessione retrahetur. Ita Vasquez *quæst. 93. art. 4 dub. 3. n. 1.* Reginald. *loc. cit. n. 43 & 53* Onuphrius *de sigillo sect. 4. q. 2. vers. Dixi secundò.* Sayrus *de Sacramento pœnit. c. 30. n. 5.* Suarez *loc cit.* Coninch. *disp 9 dub 1. n. 10.* & alij communiter. Secus dicendum est, si Confessarius, qui plurium confessiones audiuit, de vno dicat, hic mihi confessus est sola venialia, nam hoc modo loquendo

tacitè indicat alios in confessione aperuisse peccata mortalia. Ita Vasquez *loc.cit.n.*1. Onuphrius *de sigillo sect.2.q.6.vers. sequitur ex Soto*,& alij.

5 *An frangat sigillū, qui dicit*, Titius confessus est mihi casum reseruatum.

5 Quattò,frangi sigillum confessionis, si Confessarius dicat, *Titius mihi confessus est casum reseruatum, vel grauia peccata*, & hoc verum est, etiamsi Confessarius non explicet peccatum aliquod in particulari, uam efficit, vt pœnitens magis peccator cognoscatur, quàm antea cognoscereturIta Coninchus *loc. cit. n.* 12. Emanuel Sà *v.Confessio.*Reginaldus *loc.cit.num.*48. Vasquez *dub. 3.num.*1. Onuphrius *de sigillo sect.4.q.2.vers.sequitur primò*, & *q.4.versic. sequitur tertiò*, & alij communiter.

6 *An frangat sigillum, qui dicit*, nondum absolui Titium.

6 Quintò,non frangi sigillum confessionis, quando Confessarius dicit,*nondum absolui Titium*,iuxta sententiam Caietani *verb. Confessori necessaria,versic. Quintum*, Armillæ,Henriquez,& aliorum. nam absolutio potest multis de causis denegari. Verùm hęc opinio absolutè intellecta mihi non probatur. Quamobrem existimo frangi sigillum confessionis, si Confessarius dicat; *non absolui Titium*, quoties ex circunstantiis, ingeri potest audientibus suspicio grauis alicuius defectus, vt benè docet Nauarrus *cap* 8.*nu.*10. Onuphrius *de sacro sigillo sect.4 quæst.7. dub* 1. *vers Respondeo ad dubitationem.*Coninchus *loc.cit.dub.*1.*n.*14 Suarez *disp.*33 *sect.*6.Sotus & alij. Ratio est,quia absolutio denegari solet graui de causa,& ob prauam pœnitentis dispositionem. Quamobrem si Confessarius interrogetur,num aliquem absoluerit, exempli gratia, vtrùm absoluerit Titium publicum vsurarium,quem re ipsa non absoluit,dicat se functum fuisse munere suo, vel transmittat interrogantem ad ipsum pœnitentem, vel vtatur amphibologia, ne periculum subeat frangendi sigillum, absolutè dicendo se illi beneficium absolutionis denegasse. Ita præter Doctores mox citatos Victoria *de Sacramentis nu.*186. Sotus *in* 4.*dist.*18.*q.*4.*art.*5.Reginaldus *n.*49.Vasquez *loc.cit.dub.* 30.*n.*9 Onuphrius *de sacro sigillo sect.*4.*quæst.*3.*concl.vnic.vers.sed quid faciendum.*Graffius *loc.suprà citato n.*37. Henriquez *cap.*20. *num.*4.

Si verò Confessarius dicat confessionem non fuisse perfectam ob superuenientes incommodum,aut pœnitentem non potuisse sufficientem materiam exhibere,non videtur frangere sigillum confessionis, quia nullum peccatum in confessione auditum manifestat, nec pœnitens magis cognoscitur peccator, quàm antea cognosceretur, cùm fieri possit, vt peccata tantummodò venialia confessus sit

Hinc ergo patet, sigillum à Confessario perfringi, dicendo se Titium non absoluisse, quoties ex circunstantiis, & coniecturis ingeri potest suspicio grauis defectus. Secus si nullius suspicionis periculum impendeat.

7 *An cõfessarius teneatur schedulam confessionis præbere illi, quem ob aliquā causā non absoluit.*

7 Addit Coninch. *disp.*9. *dub.*1. *num.*14. Confessarium teneri schedulam, & attestationem confessionis præbere illi quem ob indispositionem,vel ob aliam causam non absoluit,vt si audiuit tamulos alicuius Principis, qui factæ confessionis testimonium inquirere consuevit.Ratio est, quia Confessarius alioquin videretur aliquo pacto prodere peccatum, & indispositionem pœnitentis. Nec dicas à Confessario committi mendacium, nam Confesarius verum dicit testando illos sibi confessos fuisse. Ita Coninch. *loc.citat.num.*14. *ad finem.*

Sed hoc mihi non probatur, tum quia Confessarius [denegans schedulam] nihil facere videtur, ex quo alter directè, vel indirectè possit cognoscere delicta pœnitentis: tum quia alioquin via fraudibus aperiretur,nam multi improbi deciperent Parochos, in Paschate allato testimonio confessionis.

SECVNDA PROPOSITIO.

8 *An Cõfessarius possit liberè vti scientia cõfessionis ad aliquid faciẽdum extra cõfessionem absque pœnitentis licentia.*

8 CONfessarius non potest extra confessionem sine libera pœnitentis licentia vti scientia confessionis ad aliquid faciendum, vel omittendum, quoties periculum imminet reuelationis directè, vel indirectè alicuius peccati in confessione auditi, sed perinde se debet gerere, ac si nihil sciret in iis rebus, ex quibus pudor, seu confusio, aut damnum pœnitenti sequeretur. Ita Suarez *tom.*4 *disp.*33.*sect.*1.& 7. Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio, disp.*16. *nu.*3.Cardinalis Tuscus *tem.*2.*littera C. concl.*686.& 687. Menochius *lib.*6 *præsumptione* 95. *& de arbitrarijs lib.* 2. *centuria* 5. *casu* 414.Coninchus *disp.*9.*dub.*1.*nu.*22. Reginald. *lib.*6,*n.*4.51.& 55.Vasq.*q.*93.*art.*4 *dub* 5 Onuphrius *de sigillo sect.* 2.*qu.*2.*dub.*2. *vers.sequitur vltimò.* [Filliucius *tract.*7.*c.*11.*quæst.*7.*num.*333.] & alij. Ratio est,tum quia Clemens VIII. in motu proprio,quem pro Regularibus edidit anno 1594. die 26 Maij,præcepit, ne Confessarij ad superioritatis gradum euecti, scientia de aliorum peccatis habita in confessione vtantur ad externam gubernationem, & in Societate Iesu prohibitum est contrarium publicè, vel priuatim docere; ergo signum est non licere extra confessionem vti scientia in confessione habita,tum quia confessio redderetur odiosa:tum quia sigillum læditur,quoties directè vel indirectè verbis,aut factis reuelantur peccata pœnitentis in confessione audita: si autem liceret vti scientia in confessione habita, reuelarentur peccata pœnitentis saltem indirectè, nam alij, aut saltem pœnitens coniicere posset hoc fieri ob peccatum in confessione auditum.

Dixi, *extra confessionem*, nam Confessarius potest in confessione vti scientia ab ipso pœnitente habita in alia confessione, consequẽter Confessarius potest in confessione, in qua pœnitens narrat peccata eiusdem rationis cum peccatis aliàs sibi ab eodem pœnitente confessis, reprehendere pœnitentem ob peccata sæpiùs perpetrata, vt benè docet Onuphrius *de sacro sigillo sectio.*4 *quæst.*5. *vers.sequitur quartò.*Sanchez *loco citato*, cum Nauarro, & Henriq. non enim frangit sigillum confessionis, cùm extra confessionem non loquatur de auditis in confessione.

Immò Vasquez *quæst.* 93. *art.* 4. *dub.* 10 *num.* 9. cum Medina *quæst.de ijs,quæ à Confessore celanda sunt vers.Inde vltrà*, putat,illum non peccare contra sigillum, qui extra confessionem loquitur cum pœnitente de peccatis in confessione auditis animo illum adiuuandi,aut reprehendendi,aut peccata exprobrandi, etiamsi a pœnitente non petierit licentiam loquendi de auditis in confessione,nulli enim manifestat secretum confessionis, quamquam facit irreuerentiam Sacramento,cùm inde confessio reddi possit odiosa.

Ego verò puto, huiusmodi Sacerdotem aliqua ratione violare sigillum,cùm extra Sacramentum confessionis vtatur scientia confessionis, & loquatur de auditis in confessione absque licentia pœnitentis,fortasse cum pudore,& confusione ipsius pœnitentis,quamquam propriè non dicitur reuelare confessionem, aut frangere secretum confessionis, cùm non alloquatur alios de auditis in confessione. Idcirco Confessarius alloquens pœnitentem extra confessionem de peccatis in confessione auditis non videtur puniendus eadem pœna, qua puniuntur reuelantes confessionem. Ita Sotus *in* 4.*dist.*18.*q.*4.*art.*6.Victoria *de Sacramentis, num.*185 [Filliucius *nu.*324 Suarez *sect.*5.*num.*2.] Nugnus *in additionibus ad tertiam partem,quæst.*11 *art.*1.*paragrap dubitatur tamen,circa medium,pag mihi* 346 *& in commentario artic.*3. Quibus in locis addit idem Nugnus cum aliis Doctoribus, si pœnitens nolit facultatem concedere loquendi secum de rebus ad confessionem pertinentibus,posse adhuc de illis loqui, modò non sit periculum iniuriæ respectu tertij.

Sed hoc mihi non probatur, quia extra confessionem non licet vti scientia confessionis absque licentia pœnitentis, vt patet à simili ex dictis *de matrimonio* cum Sanchez, & Guttierez.

Dixi, *absque licentia pœnitentis*, vt aduerterem, Confessarium posse de licentia pœnitentis liberè obtenta in confessione, aut extra confessionem vti scientia confessionis. Ratio est, tum quia pœnitens potest iuri, & fauori suo cedere concedendo facultatem Confessario loquendi secum,aut cum aliis de peccatis in confessione auditis,sigillum enim est inductum in gratiam, & fauorem pœnitentis, & habet naturam secreti: secreti autem natura postulat, vt ipsius obligatio tollatur de consensu illius, qui commisit secretum: tum quia interuenientę pœnitentis licentia nullum per se loquendo sequitur inconuenientes.

Caueat tamen pœnitens, ne licentiam loquendi cum aliis de auditis in confessione Confessario concedat absque honesta, & graui causa, nam infamia pœnitentis non est permittenda absque graui causa,vt benè obseruat Nugnus *loc. citat.art.*4. Martinus Delrius *tom.*3.*disquisitionum magicarum lib* 6 *cap.*1.*sect.*2.Graffius *loc.suprà citat. num.* 13 & 15 Medina *quæst.* 40. *ad finem* Reginaldus *lib.*3 *num.*58 Hieronym. Onuphrius *de sigillo sect.*2.*quæst.*5. *concl. vnica.*Sayrus *de pœnitentia c.*21.*n.*1.*de sigillo*,& alij.

9 *An quando pœnitẽs dat facultatem Confessario loquendi de auditis in confessione, censeatur etiam facultatem concedere reuelandi personam sui ipsius.*

9 Obserua tamen, pœnitentem, qui facultatem dedit Confessario loquendi de auditis in confessione, non censeri concessisse facultatem reuelandi personam ipsius pœnitentis, nisi aliter constet de mente pœnitentis: quilibet enim præsumitur velle sibi quam minimum præiudicium afferre, nisi aliter constet de ipsius voluntate. Ita Delrius *loco citat.* Lazatius *canonicarum quæstionum sect.*2 *quæst* 17 *num.*6.

10 *An licentia loquendi de auditis in confessione, debeat esse expressa, an sufficiat tacita.*

10 SI QVÆRAS, vtrùm licentia, quam pœnitens concedit Confessario ad detegenda audita in confessione, debeat esse expressa, vel sufficiat tacita,& præsumpta, quam pœnitens concederet, si rogaretur.

RESPONDETVR primò non sufficere licentiam tacitam, & præsumptam,quam pœnitens actu concederet, vel concedere deberet, si rogaretur: nam reuelans confessionem ex sola licentia præsumpta redderet confessionem odiosam, quia fieri potest, vt aliquis sibi persuadeat, pœnitentem concessurum licentiam, quam re ipsa non concederet. Ita Reginaldus *lib.* 3.*num.*59 Nugnus *in additionibus quæst.*11.*art.* 1. *ad finem* [Filliucius *num.* 327. Coninchus, Suarez,& alij *locis cit.*

RESPONDETVR secundò non requiri, vt licentia expressè detur dicendo, concedo tibi facultatem loquendi de auditis in confessione. Ratio est, quia sicut prælatus potest alteri dare facultatem audiendi confessiones,etiamsi non vtatur his verbis: Do tibi facultatem audiendi confessiones; ita pœnitens potest Confessario dare facultatem loquendi de peccatis in confessione auditis, etiamsi in concedenda facultate non vtatur his verbis,concedo tibi facultatem loquendi de auditis in confesione.Ita Reginaldus *num.*59.Graffius *lib.*1.*decisionum cap.*23.*num.*13 & alij, quamuis Coninchus, Lazarius,& alij *locis citat* oppositum sentire videantur.

11 *An Cõfessarius frangat sigillũ, si cũ pœnitẽte loquatur de auditis in cõfessione, de quibus pœnitens Confessarium alloqui cœpit.*

RESPONDETVR ergo tertiò requiri, vt facultas verbis, vel factis exprimentibus facultatis concessionem,vel saltem æquiualentibus actu concedatur, nam per huiusmodi concessionem confessio non redditur odiosa,nec fit iniuria pœnitenti,si Confessarius de auditis in confessione loquatur obtenta hoc modo facultate.

11 Ex quo infertur, Confessarium non esse infractorem sigilli, si cum pœnitente loquatur de peccatis in confessione auditis, quibus pœnitens incepit ipsum Confessarium alloqui, nam pœnitens hoc pacto sufficienter indicat, se confesario facultatem dare loquendi de auditis in confesione,cùm non solùm verbis,verùm etiam factis animus indicetur.

12 *An Confessarius perfringat sigillum admonendo pœnitentis hæredes iuxta pœnitentis præscriptũ*

12 Præterea infertur, Confesarium non esse reum fractionis sigilli, si admoneat hæredes pœnitentis iuxta præscriptum pœnitentis, vt si pœnitens Confesario mandauerat post suum obitum admonere hæredes de re aliqua restituenda pro suæ conscientię exoneratione, nam vtitur scientia confesionis de licentia pœnitentis. Ita Nauarrus *in manuali cap.* 12. *num.* 13. quem citat, & sequitur Graffius *loco citat.* Reginaldus *num.* 59. Hieronymus Onuphrius *de sigillo confessionis sectio.*2. *quæst.*5.*vers. tertiò sequitur.* & alij DD. citati.

13 Ex

13 *Quomodo se gerere debeat Cõfessarius circa ea quæ in confessione audiuit.*

13 Ex dictis ergo in secunda propositione constat Confessarium circa audita in confessione perinde se debere gerere, ac si nihil sciret in iis rebus, ex quibus sequeretur pudor, confusio, aut damnum pœnitenti, Confessario aliter se gerente. In aliis verò rebus Confessarius non tenetur ita se gerere: cum inde non timeantur incommoda in propositione recensita.

14 *An Cõfessarius ob peccatum in confessione audiũ possit priuare pœnitentem officio.*

14 Ex qua doctrina sequitur primò, non licere Confessario ob peccatum in confessione cognitum priuare pœnitentem officio, quamuis officium sit ad arbitrium, & nutum amouibile, vt patet ex rationibus in propositione allatis. Ita Suarez *loco citato sect.* 7. Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio disp.* 16. *num* 4 Reginaldus *lib.* 3. *nu.* 16. Nugnus ex parte *loco cit. art.* 1 *pag. mihi* 344. Onuphrius *de sigillo sect.* 10. 2. *quæst.* 2. *dub.* 2. *vers. sequitur secundò* vbi plures Doctores refert, & alij communiter, teste Coninch. *disp.* 9. *dub* 4. *num.* 51 & 60. contra Medinam *quæst.* 45. *vers. Supereſt.* Guttierez *de matrim. cap.* 61. *num* 10. Vasquez *dub.* 8. *num.* 5. & alios apud Sanchez *loco citat. n.* 2 aliter sentientes quando officium est ad nutũ amouibile.

15 *An possit famulum dimittere, quem per solam confessionem nouit esse furacem.*

15 Secundò, Sacerdotem qui ex confessione nouit suum famulum furem esse, non posse ex sola scientia confessionis ipsum dimittere: nam inde sequeretur pudor, & damnum pœnitenti. Ita Reginaldus *loco citato*, *n.* 17. quidquid Medina, Guttierez, & alij in prima illatione prædicti in oppositum sentire videantur, quibus adhæret Hieronymus Onuphrius *de sacro sigillo, sectio.* 2. *quæstio.* 2. *dub.* 2. *vers. sequitur septimò*

16 *An Cõfessarius possit electionem ad beneficium denegare pœnitenti, quem improbum & indignũ tantummodò per confessionẽ cognouit.*

16 Tertiò, Confessarium non posse denegare suffragium aut electionem ad beneficium pœnitenti, qui exteriùs communi hominum opinione probus existimatur, sed Confessarius ipsum per confessionem cognoscit improbum, & indignum: ita Sanchez, Suarez, [Filliucius] & alij *locis citat.* contra Reginaldum *lib.* 3. *num.* 33. Sylueſtrum, Sotum, & alios apud Sanchez *loco cit n* 6 quibus adhæret Guttierez *cap.* 61. *de matrimonio num.* 10 Vasquez *de pœnitentia q.* 93 *art.* 4. *dub.* 8. *num* 5. & 7. Nugnus *in additionibus qu.* 11. *artic.* 1. *difficultate* 1. *versic. Ad sextum, & septimum argumentum* Pesantius *in additionibus ad tertiam partem quæst.* 11. *ad finem disp.* 6. Graffius *loco citato artic.* 8. & alij.

17 *An quilibet Confessarius possit pœnitenti Eucharistiam denegare ob peccatum in confessione auditum.*

17 Quartò sequitur, Confessarium, siue sit Parochus, siue alius, non posse Eucharistiam denegare ob peccatum in confessione auditum: sicut nec Episcopus potest clericum ob crimen in confessione auditum repellere ab ordinibus suscipiendis. Ratio est, quia inde sequeretur pudor, & confusio pœnitenti, & hæc esset virtualis reuelatio peccati, per quam confessio redderetur odiosa. Ita Sanchez *loco citat.* Lazarius *loco citat. n.* 11. Coninch. *loco citat. num.* 67. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 19 *num.* 5. *littera V.* Reginald. *loco citat. num.* 23. Hieronym. Onuphr. *de sigillo sect.* 4. *quæst.* 7 *dub.* 4 *pag* 312. & 318. [Suarez *sect* 6 *num.* 4. Filliucius *tract.* 7. *c.* 11. *n.* 319] & alij, quamuis Guttierez *de matrimonio cap.* 61. *num.* 11. & alij apud Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio disp.* 16. *num* 11. aliter sentiant de Sacerdote, qui non tenetur ex officio ministrare Sacramenta, aut etiam de Parocho, dum petitur, & non tenetur administrare.

Ex quo vlteriùs patet, Parochum non posse à matrimonio repellere pœnitentem ob solum peccatum, vel impedimentum in confessione cognitum; quamuis enim teneatur illum in confessione admonere, vt desistat à tali matrimonio contrahendo, tamen extra confessionem non tenetur illum repellere, aut etiam admonere, saltem si commodè nequeat admonere, quamquam potest admonere si velit, petita prius ab eo licentia, vt cum Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 16. *ad finem.* Hieronymo Onuphrio *de sacro sigillo sectio* 4 *q.* 7 *dub.* 4 *pag. mihi* 317. Sayro *de pœnitentia capite* 32 *numero* 10. Guttierez, Coninchо, & aliis traditi *de matr. q.* 3. *p. vlt. vers. finem, in* 2. *editione*

18 *An Confessarius possit vti scientia cõfessionis cum reuelatione pœnitentis ad tuendũ bonum tẽporale.*

18 Quintò, Confessarium non posse vti scientia confessionis cum reuelatione, seu periculo reuelationis alicuius pœnitentis ad tuendum bonum temporale, non solùm alicuius particularis hominis, verum etiam totius mundi, aut etiam ad tuendum commune bonum spirituale. Ita Suarez *disp.* 33 *sect.* 1. *n.* 7. & 11. Reginaldus *loco cit. n.* 613 & 14. Henriq. *lib.* 3. *cap.* 19. *n.* 5. & *c.* 22. Onuphrius *de sigillo. sect.* 2. *q.* 2. *dub.* 2. & 3. Zerola *in praxi de Sacramento pœnitentiæ c.* 20. *q* 9. Martinus Delrius *loco cit.* Lazarius *loc. cit. n.* 23. [Filliucius *tract.* 7. *cap.* 11. *q.* 1 *n.* 316.] & alij communiter contra Altisiodorensem. Ratio est, tum quia iniuria fieret Sacramento, confessio redderetur odiosa, & fideles retardarentur in perpetuum ab hoc Sacramento suscipiendo, si vnquam sigillum confessionis violare liceret [tum quia sic colligitur ex *c. Sacerdos. de pœ. & remiss.*]

Addo nullum esse tam graue malum, quod præponderet fractioni sigilli confessionis, quæ ex Dei præcepto necessaria est ad reconciliationem hominis cum Deo

19 *An Cõfessarius possit proditionẽ ciuitatis, aut alterius necem, quam in confessione cognouit manifestare.*

19 Ex quo patet, Confessarium, qui ex confessione nouit necem alicui parari, aut proditionem imminere ciuitati, non posse proditionem ciuitati futuram, aut necem alteri impendentem manifestare, quoties periculum est, vt auctor detegatur & rei deprehendantur. Præciso verò huiusmodi periculo admonendus est in genere is, cui periculum imminet, vt sibi consulat cauendo peccata, quæ solent euenire. Hoc tamen intellige, si Confessarius nequeat delinquentem à peccato retrahere, nam si valeat ipsum à peccato retrahere non est, cur vllam admonitionem faciat illi, cui malum impendet, cùm esset periculum damni per correctionem Confessarij factam pœnitenti, vt suppono. Ita Lazarius *loc. citat.* Reginaldus *libr.* 3. *numer.* 9. 12. 14. 18. & 19. Graffius *loc. citat. numer. quint.* Nauarrus *cap. Sacerdos, num* 124. Hieronymus Onuphrius *de sigillo, sect.* 2. *quæst.* 2. *dub.* 2. *ver. sequitur quartò, & sect* 4. *q.* 6. *versic. sequitur secundò.* Zerola *de pœnitentia, cap.* 20. *quæsito* 9. Lazarius *loc. cit.* Martinus Delrius *lib.* 6. *disquisitionũ magicarum c.* 1. *sect.* 3. *versic. Quoad secundam limitationem.* Sayrus *de pœnitentia, cap.* 32. *n.* 2. *de sigillo, vers. Alij ergo omnes.* [Suarez *in tract. de fidei defensione, lib.* 6. *cap.* 3. *num* 11.] & alij communiter.

20 *Differẽtia inter secretum cõfessionis, & secretum in alia materia.*

20 Præterea patet differentia inter secretum confessionis, seu sigillum, & secretum in alia materia, quòd secretum confessionis nunquam licitè violari potest, etiamsi summus Pontifex præciperet confessionem reuelari: nam præceptum sigilli strictiùs obligat alio quouis præcepto, vt tradit Martinus Delrius *loc. cit. sect.* 2. Suarez *disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 11. Reginald. *loc. cit. num.* 11. Onuphr. *de sacro sigillo, sect.* 2. *quæst.* 3. *conclus. vnic. & quæst* 4. *in princ.* Zerola *in praxi cap.* 20. *quæsit.* 11. & alij. Aut etiamsi Confessarius metu mortis cogeretur sigillum reuelare: nam fractio sigilli est intrinsecè mala nec vlla de causa cohonestari potest, vt docet D. Thom. *in additionibus quæst.* 11. *artic.* 1. Nugnus *ibid difficultate* 1. *versic Ad secundam partem, & in commentario articuli* 3. Martinus Delrius *loco cit sect.* 2. *ad finem.* Mascardus *de probationibus. conclu.* 377 *nu.* 6. Henriq *lib.* 6 *cap.* 19. *nu.* 6. Reginaldus *lib.* 3 *n.* 19. Vasq. *q.* 93. *art.* 4 *dub* 9. *n.* 7. *& dub.* 10. *n.* 7 *& dub* 12. *ad finem* Graffius 1 *p. decisionum lib.* 1 *cap* 23 *num* 4 & 5. & alij. Secretum verò in alia materia licitè potest aliquando violari, vt propter periculum mortis, &c. Ita Nugnus *loc. cit. art.* 5. Vasquez. Reginaldus, & alij *locis citat.* præter eos, quos de secreto *in tractatu de restitutione* adduxi.

21 *An Cõfessarius possit peccatũ in audienda confessione commissũ manifestare, quando periculum est, vt alter Confessarius veniat in cognitionem peccati alterius pœnitentis.*

21 Sextò, Confessarium non posse suum errorem commissum in audienda pœnitentis confessione, manifestare, quoties ex illius erroris manifestatione imminet periculum, vt proprius Confessarius veniat in cognitionem peccati pœnitentis: nam maior est obligatio sigilli, quam integritatis confessionis. vt patet ex ratione in præcedenti illatione allata. Ita Nauarrus *cap* 8 *num.* 6. Nugnus *loc. cit. difficultate* 1. *ad nonum argumentum.* Vasquez *quæst* 93. *artic.* 4. *dub.* 4. Corandus *in responsionibus* 1. *part quæst.* 36. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 19 *num* 5 Reginaldus *loco cit num.* 20. Lazarius *loc. cit. nu.* 13. Coninchus *loco cit. num.* 21. [Suarez *disp.* 33. *sect* 1 *num.* 18. Filliucius *tract* 7 *cap.* 11 *quæsit.* 1. *num* 318.] & alij contra Onuphrium *de sigillo, sect.* 4. *quæst* 7 *dub.* 3. *vers. Respondeo ad dubitationem*, & nonnullos alios apud Henriquez, apud Vasquez, & apud Nugnum *loc. cit.*

22 *An Confessarius possit ex scientia in confessione habita, admonere Episcopum vel Prælatum alicuius Monasterij.*

22 Septimò, Confessarium ex scientia in confessione habita non posse admonere Episcopum, vel Prælatum Monasterij, vel alium, qui peccata impediat, si periculum sit, vt delinquens aliqua ratione cognoscatur, alioquin confessio facili negotio redderetur odiosa, & subditi à confessione retraherentur. Ita Azorius 2. *part. lib.* 12. *cap.* 15. *quæsito* 6. *fol.* 719. & alij Doctores citati. Secus dicendum putant Graffius *loco citato*, *num.* 7. Nauarrus *consil* 11 *de pœnitentia, & remissione.* Coninchus *loco cit. num.* 68. & alij. si hoc fiat absque reuelatione pœnitentis, & periculo, vt delinquens cognoscatur, nec inde sequatur pudor, & confusio pœnitenti. Consultum tamen est in huiusmodi casibus, in quibus imminet periculum peccatorum, petere licentiam ab ipso pœnitente, antequam absoluatur: hoc enim pacto occurritur omni periculo fractionis sigilli, & pœnitens tenetur hanc facultatem concedere Confessario: nam vnicuique mandatum est de proximo suo, & quilibet tenetur proximi peccata præcauere, iuxta tradita de charitate, & de peccatis Idem dicendum est de aliis casibus, in quibus agitur de damno proximi, quod præcaueri potest habita ab ipso pœnitente facultate loquendi de auditis in confessione, quam facultatem tenetur pœnitens Confessario concedere nisi graue damnum sibi probabiliter timeat, seruatis regulis amoris & charitatis in seipsum, de quibus egimus de charitate.

23 *An qui per confessionẽ nouit Ecclesiam esse pollutam, possit detegere vt reconcilietur.*

23 Octauò, cum, qui per confessionem nouit pollutam esse Ecclesiam, non posse hoc detegere, vt reconcilietur, non enim vti potest scientia confessionis, nec Ecclesia præsumitur velle obligare Sacerdotem, ne celebret in loco, quem ex sola confessione nouit esse pollutum, cùm scientia confessionis habita sit loco Dei. Ita Sylueſter *verb. Confessio* 3. *quæsito* 41 Lazarius *loco citato, num.* 12. Onuphrius *sect.* 4. *q* 7. *dub* 4 *pag. mihi* 315 & alij.

24 *An Cõfessarij qui eiusdẽ pœnitẽtis confessiones exceperũt, possint ad inuicem de peccatis in confessionibus auditis loqui.*

24 Nonò, Confessarios qui eiusdem pœnitentis confessiones exceperunt, non posse de peccatis illius pœnitentis in confessione auditis sermonem adinuicem habere; nullus enim vti potest scientia confessionis extra confessionem cum manifestatione pœnitentis, ita postulante sigilli natura. Ita Suarez *tom.* 4. *disput.* 33 *sect* 1. Lazarius *loco citato, num.* 13. [Filliucius *tract.* 7. *cap.* 11. *quæsito* 5. *num.* 324.] & alij.

25 *An Confessarius possit ex notitia in cõfessione habita corrigere complicem pœnitentis.*

25 Decimò, Confessarium non posse ex notitia in confessione habita corrigere complicem pœnitentis, aut eius delicta extra confessionem impedire, aut alloqui complicem de peccato, nisi hoc faciat de licentia pœnitentis. Ita Suarez *disp.* 34. *sect.* 4. *num.* 19. Henriquez *cap.* 10. *num.* 1. *littera D.* Sylueſter *verb. Confessor* 3 *quæsito* 6. Onuphrius *de sigillo, sect.* 4. *quæst.* 7. *dub.* 3. *pag.* 309 Reginaldus *lib.* 3. *cap* 6 *num.* 73. [Filliucius *tract.* 7 *cap.* 11. *quæsito* 11. *n.* 346. & *seqq*] & alij apud Nugnum *loc. cit. art* 2. & apud Suarez *loc. cit.* qui bene addunt fieri posse aliquando, vt Confessarius ratione vrgentis necessitatis teneatur ad correctionem complicis, obtenta prius licentia à pœnitente, à quo eam petere tenetur saltẽ in confessione.

26 *An Confessarius possit faciẽ asperiorem pœnitẽti præbere ob peccata in cõfessione audita.*

26 Vndecimò, Confessarium non posse ob peccata in confessione audita faciem, & vultum asperiorem præbere pœnitenti, quàm antea soleret; nam inde sequeretur confusio pœnitenti. Ita Graffius *loco citat. num.* 26. & alij.

27 *Quomodo se gerere debeat Cõfessarius, qui in confessione nouit sibi insidias ab alio parari.*

27 Duodecimò Confessarium qui nouit in confessione sibi ab aliquo insidias parari, posse domi se continere, ne occidatur, sicut etiam ab eo loco, in quo per confessionem nouit sibi necem parari, potest recedere, & fugere occasione aliunde susceptа. Præterea potest denegare petenti gladium suum apud ipsum Confessarium depositum, si mortem sibi ab eo intentari sciat, occasione aliunde arrepta, seu adhibita amphibologia, ita vt pœnitens nequeat iudicare gladium sibi ob audita in confessione denegari

Item si Confessarius in confessione nouit aliquem non esse Sacerdotem, potest abstinere à confessione illi faciẽda, quamuis Confessarius antea consueuisset, illi quem per confessionem nouit non esse Sacerdotem, sua peccata confiteri: in his enim casibus nullus pudor, nulla confusio, aut nullum damnum sequitur pœnitenti, nec ob id pœnitens retrahetur à confessione, sed hoc potiùs

Confessario laudi & prudentiæ adscribitur, vt ait Sanchez *loco citato in responsione ad quartum.* Henriquez *lib. 6. cap. 24 num. 5.* Silvester *Confessio. 3. quæsito 19.* Reginaldus *lib. 3. num. 19.* Coninchus *dub. 4 num. 54.* Onuphrius *de sacro sigillo sect. 2. q. 2. dub. 2. versic. tertiò sequitur.* & alij.

28 *An Cõfessarius possit Missã prætermittere, quando per confessionẽ nouit vinũ esse veneno infectũ.*

28 Addo cum Sylvestro *loco citato, quæsito 2.* Conincho *loco citato,* Nugno *quæst. 11. art. 1. versic. ad 15. argumentum,* [Molfesio *tract. 7 cap. 23. num. 55.*] & aliis contra Suarez *loco citato, n. 7.* Nauarrum, & Sotum apud præcitatos Doctores, Sacerdotem, qui per confessionem nouit vinum ad Missam paratum esse veneno infectum, posse Missam prætermittere, vtitur enim iure suo, nec inde sequitur pudor, & confusio pœnitenti, nec confessio redditur odiosa, occasione tamen aliunde accepta dimittendę Missæ.

Immò addo cum Coincho, probabiliter sustineri posse in casu proposito, Sacerdotem teneri Missam omittere, vt mortem euadat & simul euitet irreuerentiam, quæ Sacramento irrogaretur consecrando in vino infecto veneno.

29 *An Cõfessarius possit Missam omittere, si præuideat fore, vt delinquens occidatur.*

29 Addunt etiã aliqui Doctores Sacerdotẽ posse Missam omittere, sibique fugiendo consulere etiamsi præuideat fore, vt pœnitens, à quo nouit appositum fuisse venenum, vel sibi necem ab ipso, & aliis parari, occidatur, vel graue detrimentum recipiat ab aliis sociis ob manifestationem delicti. Quamuis enim laudabile sit mortem pro tuenda alterius vita subire, tamen non tenemur eam subire, nisi proximus existat in extrema necessitate salutis spiritualis, aut nisi eam subire teneamur ratione officij, aut peculiaris obligationis, vt patet ex dictis de homicidio.

Sed contrarium probabilius videtur; quia ex scientia confessionis sequeretur damnum pœnitenti, & confessio fieret odiosa, [vt suppono.]

30 *An Cõfessarius ob audita in confessione cautior, & vigilãtior reddi possit.*

30 Decimotertiò, Confessarium posse ob audita in confessione reddi cautiorem ad custodiendas res proprias, vel attentiorem fieri ac vigilantiorem circa suum gregem modo ab aliis vsitato, ob id enim confessio non redditur odiosa, nec pudor, aut damnum sequitur pœnitenti. Ita Reginaldus *loco suprà citato, num. 32.* Sotus *loco suprà citato, art. 5.* & alij.

Ex quo etiam patet, Confessarium qui per confessionem nouit suum famulum esse furacem, posse seruatis prudentiæ regulis à pecuniis in posterum illi committendis abstinere, vt in simili dixi de eo, qui nouit sunm Confessarium, non esse Sacerdotem: nam inde non sequitur pudor, & damnum pœnitenti. Ita Hieronymus Onuphrius *sect. 2. quæst. 2. dub. 2. vers. sequitur septimò* Guttierez, Medina, & alij in prima illatione relati contra Regnaldum *num. 27.* & alios.

Sed hinc transeamus ad tertiam propositionem, in qua explicandum proposuimus, quomodo se gerere debeat Confessarius, dum interrogatur de peccato in confessione audito.

TERTIA PROPOSITIO.

31 *An Cõfessarius de peccato in confessione audito respondere possit iuxta interrogãtis mentẽ.*

31 COnfessarius, qui de peccato in confessione audito interrogatur, non potest interroganti respondere iuxta ipsius interrogantis mentem. Ratio est, quia non potest vti scientia confessionis extra confessionem, & confessionis sigillum perfringere. Quamobrem Confessarius in tali euentu negare debet se quidquam scire, etiam si interrogetur de peccato, vt audito loco Dei, seu in sacramentali confessione, habet enim iustam tergiuersandi & amphibologicè loquendi causam etiam cum iuramento, dicendo se nihil scire, quod videlicet interroganti teneatur manifestare, vt patet ex dictis *in octauo Decalogi præcepto.* Ita Martinus Delrius *tom. 3. disquisitionum magicarum lib. 6. cap. 1. sect. 2* Graffius *1. part. decisionum lib. 1. cap. 23. num. 2.* Nugnus *in additionibus quæst. 11. art. 1. difficultate 1. vers. Ad quartum argumentum.* Vasquez *qu. 93. art. 4 dub. 12. n 4. 5. & 7.* Suarez *de pœnitentia. disp. 33 sect. 6 num. 6* Reginaldus *loco cit. num. 22.* Lazarius *loc. cit.* Coninchus *de pœnitentia, disp. 9 dub. 1. num. 25.* Onuphrius *de sigillo sect. 2. quæst. 2. dub. 1. versic. Respondeo dubitationi.* [Filliucius *tract. 7. cap. 11 qu. 6. num. 330.*] & alij.

32 *Quomodo se gerere debeat Cõfessarius erga huiusmodi interrogãtes.*

32. Si Confessarius nequeat se alia industria, & arte libertate ab huiusmodi interrogatione, reprehendat interrogantes, simúlque aperiat, quàm grauiter hac in re peccent.

Addo non solùm Confessarium interrogatum de auditis in confessione posse audacter respondere se nihil scire, verùm etiam ipsum pœnitentem, si interrogetur à Confessario de iis, quæ in confessione manifestauit, posse respondere, & negare se nihil ei dixisse, addita scilicet debita restrictione; habet enim iustam tergiuersandi causam. Ita Reginaldus *lib. 3. n. 24.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 4. art. 5.* Graffius *loc. cit. num. 35.* & alij.

Agendum modò est, quomodo se gerere debeat Confessarius erga pœnitentem, cuius delictum aliunde nouit, sed pœnitens illud non fatetur. Vnde sit

QVARTA PROPOSITIO.

33 *Quid præstare teneatur Sacerdos erga pœnitentẽ, cuius delictum aliũde nouit, sed pœnitẽs illud renuit confiteri.*

33 SI Confessarius certò sciat delictum pœnitentis extra confessionem, & pœnitens rogatus à Confessario nolit peccatum suum manifestare, & explicare, debet illum repellere. Ratio est, quia pœnitens indignè petit absolutionem, consequenter Confessarius debet illum repellere, cùm peccatori indignè petenti denegandum sit Sacramentum, si illud occultè petat, vt constat ex supradictis de Sacramentis in genere. In praxi tamen Confessarius obseruare debet vtantequam pœnitentem dimittat, dicat orationem aliquam deprecatoriam, vel aliquid aliud faciat, ne adstantes veniant in cognitionem denegatæ absolutionis, prauámque de pœnitente concipiant opinionem.

Si verò Confessarius non est certus de delicto pœnitentis, aut illud nouit in confessione à complice, debet pœnitentem in genere interrogare, num habeat conscientiam alterius peccati, aut etiam petere in particulari, modò complicem non manifestet, nec sit periculum, vt pœnitens suspicetur, complicem hoc ipsum crimen in confessione manifestasse, vt ait Nauarrus *c. 8. num. 16.* Reginaldus *lib. 3. n 29.* Zerola *in praxi cap. 14. quæsito 6* Graffius *loc. cit. n. 41.* vbi refert Sylvestrum, & alios: hac verò interrogatione præmissa si pœnitens adhuc non fateatur delictum, Confessarius tenetur absolutionem impendere. Ratio est, quia vti non potest scientia confessionis, præsertim cum periculo, vt complex in cognitionem veniat alterius complicis. Præterea existimare potest pœnitentem reticere peccatum rationabili de causa, aut complicem deceptum fuisse. Ita Henriquez *loc. cit cap. 20* Martinus Delrius *loc. cit sect. 2.* Lazarius *canonicarum quæstionum in tractatu de monitoriis. sect. 2. qu. 17. num. 8* & alij quàm plures, quos infrà referam, vbi iterum quæram, quomodo se gerere debeat Confessarius, qui nouit aliquem pœnitentem reticere peccatum in confessione.

QVÆSTIO VII.

De Ministro Sacramenti pœnitentiæ.

QVæ de Ministro Sacramenti pœnitentię disputari possunt, ad septem capita reuocabimus Quæremus enim. Primò quis sit minister Sacramenti pœnitentiæ in genere.

Secundò, quis sit minister Sacramenti pœnitentiæ, seu parochus vagorum, aliorúmque in diuersis locis successiue habitantium.

Tertiò, quinam habeant à iure facultatem eligendi Confessarium.

Quartò, quænam requirantur in Confessario, seu ministro Sacramenti pœnitentiæ.

Quintò, quis possit à casibus reseruatis absoluere, vbi etiam incidenter quæram, vtrùm absolutus tempore Iubilæi censeatur à casibus reseruatis oblitis absolutus.

Sextò, ad quid teneatur Confessarius, qui malè absoluit.

Septimò, quas cæremonias seruare teneatur Sacerdos in administratione Sacramenti pœnitentiæ.

PVNCTVM I.

Quis sit minister necessarius, & sufficiens Sacramenti pœnitentiæ.

DVo explicanda sunt in hoc puncto. Primò, vtrùm solus Sacerdos sit minister huius Sacramenti.

Secundò, vtrùm omnis Sacerdos sit huius Sacramenti minister.

PRIMA PROPOSITIO

1 *An solus Sacerdos sit minister Sacramenti pœnitentiæ.*

1 SOlus Sacerdos est minister huius Sacramenti, vt constat tum ex definitione Tridentini *sess. 14. cap. 6.* Florentini *in literis Eugenij,* Constantiensis, & aliorum apud Doctores statim citandos: tum quia hic semper fuit totius Ecclesiæ sensus: tum quia ille est minister huius Sacramenti, qui potestatem habet remittendi peccata, seu potestatem clauium, nullus enim potest iudiciales actus exercere sine facultate & potestate; potestas autem clauium, & remittendi peccata penes solos Sacerdotes residet, Ioannis 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* &c. quibus verbis potestas absoluendi collata est Apostolis, non solùm quatenus repræsentabant Episcopos, verùm etiam quatenus vicem Sacerdotum sustinebant; cùm enim pœnitentiæ Sacramentum sit maximè necessarium, & frequenter suscipiendum, æquum fuit, vt huius Sacramenti administrandi potestas non solùm conferretur Episcopis, qui modicam habent audiendi confessiones opportunitatem, verùm etiam aliis Sacerdotibus communicaretur. Itaque sicut illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, dicta sunt Apostolis repræsentantibus Sacerdotes, ita etiam iisdem Apostolis Sacerdotes repręsentantibus hæc dicta sunt, *Accipite Spiritum sanctum,* &c. Ita S. Thomas, Onuphrius, Suarez, Valentia, & alij communiter *locis statim citandis.*

2 *An laicus possit esse minister huius Sacramenti.*

2 Hinc colligi potest primò, laicum non esse ministrum Sacramenti pœnitentiæ, quia non est Sacerdos, & caret potestate ordinis, & iurisdictionis. Neque obstat illud Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Respondetur enim primò, locum illum ab aliquibus explicari de confessione non sacramentali facta humiliationis gratia, quam confessionem non solùm coram Sacerdote, verùm etiam coram laico fieri posse constat. Ita Coninchus *disput. 8. dub. 1. num. 6.* Sotus *in 4 distinct. 18. quæst. 4. artic. 1* Reginaldus *lib. 1. n. 6.* Onuphrius *de sigillo, sect. 3. quæst. vnic. dub. 5. versic. prima concl. pag. mihi 198* Sayrus *de pœnitentia, cap. 24. num. 1. & 2.* Medina, Sylvester, [Filliucius *tract. 7. cap. 7. quæs. 4. & 5. num. 182.*] & alij apud Vasquez *quæst 93 art 1. dub. 1.*

3 *An Cõfessio facta Subdiacono vel Diacono, valida sit.*

Respondeti potest secundò, in eo loco, si intelligatur de confessione sacramentali, indicari peccata esse alterutrum confitenda inter Sacerdotes, ita vt illa particula, *alterutrum*, referatur ad personas approbatas, & sufficientes, nõ verò ad laicos, vel ad alios non approbatos Ita Vasquez, [Suarez, Filliucius,] & alij *locis citatis.*

4 *Quid intelligatur per potestatem clauiũ per quam Sacerdos cõstituitur minister huius Sacramẽti.*

3 Secundò colligitur, confessionem factam Subdiacono, vel Diacono, etiam in mortis articulo non subsistere; quia solus Sacerdos est minister Sacramenti pœnitentiæ Ita Doctores citati.

4 QVÆRES primò, quid intelligatur per potestatem clauium, per quam Sacerdos constituitur minister Sacramenti pœnitentiæ.

RESPONDEO, nomine *clauis* intelligi potestatem collatam Sacer-

Sacerdoti, qua tollitur impedimentum intrandi gloriam cœlorum: sicut enim per claues aperitur ianua, & ingressus patet in cubicula, ita per clauium potestatem aperitur ianua cœli, quod per peccatum originale, aut per actuale clauditur, vt docet Victoria *de clauibus, num.*1. S. Thomas *in additionibus qu.* 17 *art.*3. Nugnus *ibid. difficultate* 2. Sotus *in* 4. *distinct.* 20. *quæst.*1. *art* 2. Reginaldus *lib.*1 *n.* 3. *vers. Sed autem.* Valentia *tom.*4. *disp.*7. *quæst.*16 *punct.* 1. Suarez *de Sacramentis, disput.*16 *sect.*4. [Filliucius *tract.*7. *cap.*7. *quæs* 2.] & alij communiter.

5 *Quotuplex sit clauium potestas.*

5 Obserua tamen, clauem, seu clauium potestatem duplicem esse, ordinis scilicet, & iurisdictionis.

Clauis ordinis consistit in charactere, qui in ordinatione sacerdotali confertur, & hæc clauis non est sufficiens ad auferendum peccatum, & ad impendendam absolutionem, sed huic addi debet clauis iurisdictionis, non enim quilibet Sacerdos sacris Ordinibus initiatus potest à peccatis mortalibus nunquam alias confessis absoluere, nisi simul iurisdictione delegata, vel ordinaria fulgeat, vt ex dicendis *in* 2. *propositione* constabit. Ita Suarez *disp.*16 *sect.*3. *num.*7. Medina *Cod. de pœnit. tract.*2. *quæst.*35. *concl.* 3. Valentia *loc. cit. punct.*2. *in princip* Coninchus *disp.* 8. *dub.*2. *num* 10. & 11. [Filliuc *loc. cit. n.*171.] Vasquez *qu.*93. *art.*1 *dub.*2 *n.*5. & 8. & 31. vbi refert. Ledesmam, Canum & alios.

Aduerte tamen, nomen clauis non solùm extendi ad iurisdictionem fori conscientiæ, verùm etiam ad potestatem fori externi, per quam superiores censuris ligare, & absoluere possunt, aut indulgentias concedere. Ex his ergo constat, potestatem, qua Sacerdos potest à peccatis absoluere, cõsistere in claue ordinis, & iurisdictionis.

6 *Per quid conferatur potestas clauium.*

6 QVÆRES secundò, per quid conferatur potestas clauium.

RESPONDEO, potestatem clauium ordinis conferri per ea verba ab Episcopo post ordinationem prolata, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis*, &c.

Ex quo patet, Sacerdotem, cui Episcopus post ordinationem non dixit *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata*, &c. non posse validè à peccatis absoluere, quia caret potestate clauium, potestas enim clauis absoluendi non confertur principaliter per eadem verba, quibus confertur potestas consecrandi, sed magis præcipuè confertur per illa verba *Accipe Spiritum sanctum*, &c. vt constat ex supradictis. Ita S. Thom. *in additionibus ad* 3. *partem quæst.* 8. *art.*3. Nugnus *ibid.* Coninchus *loc. cit. dub.*2. *num.*12 Reginaldus *lib.*1. *n.*2. Vasquez *de panit. quæst.* 93 *art.* 1. *dub.*2. Suarez, & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

7 *An omnis Sacerdos sit sufficiẽs minister huius Sacramenti.*

7 NOn omnis Sacerdos per se loquendo est sufficiens minister istius Sacramenti. Ita Suarez, Coninchus, [Filliucius,] & alij communiter *locis cit.* Hæc propositio patet tum ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 7. tum quia, vt validè administretur Sacramentum pœnitentiæ, requiritur iurisdictio, cùm nullus possit iudiciales actus exercere sine iurisdictione; sed non omnis Sacerdos habet iurisdictionem, non enim omnis Sacerdos habet iurisdictionem ordinariam, quæ competit illis, qui ex officio sunt pastores animarum, vt per se patet. Neque habet delegatam, quæ committitur, & conceditur ab habente potestatem ordinariam: ergo non omnis Sacerdos per se loquendo est sufficiens minister istius Sacramenti. Extraordinarie verò, & quasi per accidens omnis Sacerdos potest in aliquo casu absoluere, nempe in articulo mortis, *cap. ea noscitur, de sententia excommunicationis.* & idem habetur in Tridentino *sess.*14. *cap.*7. Ita Valentia, Henriquez, Suarez, Medina, Coninchus, Vasquez, Reginaldus & alij *locis statim citandis.*

8 *An quilibet Sacerdos possit absoluere à peccato mortali nunquam aliàs ritè confessio.*

8 Hinc colligi potest primò, non quemlibet Sacerdotem posse præciso mortis articulo absoluere à peccatis mortalibus nunquam aliàs ritè confessis: nam ad absoluendum requiritur iurisdictio ordinaria, vel saltem delegata: quilibet autem Sacerdos, licet habeat potestatem ordinis, quæ in omnibus Sacerdotibus est æqualis, cùm hæc potestas fundetur in charactere, quem singuli Sacerdotes in ordinatione sacerdotali indelebiliter recipiunt, nihilominus non quilibet Sacerdos habet iurisdictionis potestatem ordinariam, vel delegatam absoluendi à peccatis mortalibus nunquam ritè confessis, à mortalibus verò aliàs confessis, aut etiam à venialibts nunquam confessis quilibet Sacerdos potest absolutionem impendere, cùm ab Ecclesia, vel à iure diuino, vt docet Vasquez *dub.*6 *num.*5. & alij Doctores citandi, concessa sit cuilibet Sacerdoti iurisdictio absoluendi quoscunque, etiam Religiosos ab huiusmodi peccatis, modò Sacerdos non sit excõmunicatus vitandus, vel degradatus, iuxta dicta *de censurit.* Ita Vinaldus *de absolutione. n.* 18. Vasquez *quæst.* 93. *artic.*1. *dub.*3. & *dub.*6 *num.*5. Reginaldus *lib.*1. *num.*65. & *lib.* 8. *num.*35. Suarez *disp.*26. *sect.*5. *nu.*5. & 6. [Filliucius *tract.*7. *cap.* 7 *quæsit.*6. *num.*186. 209. & 223.] Zerola *in praxi de pœnit. cap.* 15. *quæs.*9. & 10. Pesantius *in additionibus ad tertiam partem quæst.*10. *disp* 6. Coninchus *disp.*8. *dub.*2. *num.*17. Valentia *tom.*4. *disp.*7. *quæst.*10. *punct.*2. *sub finem.* Henriquez *lib.*6. *cap* 8. *num.*6. *cap.*5. *num.*4. *littera S.* & *cap.*9 *num.*2. & alij contra Sotum apud Suarez *loco cit.*

9 *An quilibet Sacerdos possit à peccatis etiã reseruatis in articulo mortis absoluere.*

9 Secundò colligitur, quemlibet Sacerdotem in probabili periculo, seu articulo mortis posse à quibuscunque peccatis absoluere, etiamsi Sacerdos sit excommunicatus, vel hæreticus, vel degradatus, &c. nam summus Pontifex concedit cuilibet Sacerdoti facultatem absoluendi in probabili periculo, seu articulo mortis, vt constat ex *cap. ea noscitur, citato.* & ex Tridentino *loco citato.* Ita Valentia *loco citato, punct.*3. *vers. Excipimus.* Suarez *loco citato. sect.*4. Vasquez *loco citato, dub.*3. *num.*4. & *dub* 4. *num.*8. & *dub.*1 Henriquez *loco citato, cap.*11. Medina *tract.*2 *de pœnitentia, quæst.*18. *sub finem* Nauarrus *cap.*27. *num* 271. Coninchus *loco citato, num.* 15. Reginaldus *lib.*1. *num.*56. Sayrus *de pœnitentia, cap.* 24. *num.* 3. [Filliucius *loco citato.*] Sanchez, Suarez, & alij, quos retuli *de censuris, disput.*1. *quæst.*3. *punct.*3. *num.*4.

10 *An distinguatur articulus mortis à probabili vitæ periculo.*

10 Obserua tamen cum præcitatis Doctoribus contra Sotum *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 4. Zerolam *in praxi cap.* 15. *quæsito* 7. Conarruuiam, & alios apud Vasquez *num.*1. articulum mortis in hac materia non distingui à probabili vitæ periculo circa facultatem absoluendi, consequenter quod licitum est in articulo mortis, licitum etiam est in probabili mortis periculo Ratio est, tum quia non est credibile, piam matrem Ecclesiam velle in periculo mortis suis filiis deesse: tum quia hoc priuilegium videtur concessum fidelibus pro eo mortis tempore, quo quis teneretur proprio Sacerdoti confiteri, si copiam illius haberet, sed teneretur confiteri non solum in extremo vitæ articulo, verùm etiam in probabili vitæ periculo, ergo.

Neque obstat, aliquos canones loqui solùm de mortis articulo: nam canones periculum mortis vocant etiam articulum mortis, vt patet ex *cap. eos. qui de sententia excommunicationis.* de qua re videnda sunt, quæ diximus tota q. 3. citata *de censuris*, præsertim *punct.*3.

Hinc ergo patet, quemlibet Sacerdotem posse Sacramentalem absolutionem impendere existentibus in probabili vitæ periculo, vel articulo.

Hoc tamen limitandum est, modò non adsit alius Sacerdos, qui possit ex officio, aut ex facultate delegata extra mortis articulum absoluere, & tunc velit absoluere: nam præsente huiusmodi Sacerdote, qui possit extra mortis periculum absoluere, & tunc velit absoluere, non potest simplex Sacerdos aliàs non approbatus absoluere: nam, vt bene obseruat Vasquez *loco citato. dub.*4. *num.*18. [Filliucius *tract.*7. *c.*8 *punct.*8.] Suarez, & alij statim citandi, moribundus non dicitur in necessitate confitendi simplici Sacerdoti præsente aliquo approbato volente absolutionem impendere: ius autem concedit simplici Sacerdoti facultatem absoluendi in articulo mortis ratione necessitatis ipsius moribundi. Quamobrem præsente parocho, vel alio Sacerdote approbato ad confessiones excipiendas extra mortis articulum, non potest simplex Sacerdos in articulo mortis absoluere Ita Vasques *loco cit.* Suarez *disp.* 26. *sect.* 4 *nu.*4. Reginaldus *lib.*1. *num* 61. Henriquez *lib.*6. *cap* 8 *num.*2, *cap.*11. *n* 3, & *cap.*12. *num.*1. Coninchus *loco citato, num.*16. & alij quos retuli *de censuris*, & infrà referam *de casibus reseruatis*, contra Zerolam *in praxi de pœnitentia, cap.*15. *quæsito.*4. & 5.

11 *An simplex Sacerdos toleratus possit absoluere præsente Sacerdote excõmunicato vitando, vel suspenso aliàs facultatem habente.*

11 An verò præsente Sacerdote excommunicato vitando, aut suspenso debeat simplex Sacerdos toleratus absoluere, etiamsi antea non haberet iurisdictionem absoluendi, patet ex dictis *de censuris disp.*1 *qu.*3 *punct.* 3. *n.*7. vbi ostendi posse absoluere cum Sanchez & Suarez *loco tbi citato de censuris*; quod idem Suarez asserit etiam *de pœnitentia. disp.*26. *sect.*4. *num.*4. Ratio est, quia Sacerdos vitandus arcetur ab Ecclesia, & priuatur hoc ministerio, ita vt non possit hoc ministerium exercere, nisi in articulo extremę necessitatis, qualis non est præsens, cùm ponamus adesse alium Sacerdotem, qui potest, & vult hoc munus adimplere.

12 *An Sacerdos vitandus, vel degradatus, &c. possit in articulo mortis absoluere, si alius Sacerdos non reperiatur.*

12 Vtrùm verò, si nullus Sacerdos toleratus adsit, possit Sacerdos excommunicatus vitandus, suspensus, degradatus, aut hæreticus in articulo mortis absoluere, constat ex dictis de censuris, vbi respondimus, posse absoluere, & infirmum posse ab eo petere absolutionem præciso peruersionis periculo: nam in Concilio Tridentino *loc. cit* habetur, quemlibet pœnitentem posse in mortis articulo à quibuscunque peccatis absolui à quolibet Sacerdote. Videte Vasquez *loc. cit dub.*4. Henriquez *lib.*6. *cap.*9 *num.*2. Sayrum *lib.*3. *de censuris, cap.*18. *num.*26. Suarez *locis citatis*, præsertim *sect.* 4. *citata, n.* 8 Zerolam *in praxi de Sacramento pœnitẽtiæ, cap.* 15. *quæsito* 13. Sanchez, & alios, quos retuli *de censuris loco citato*, vbi plures quæstiones ad hanc rem facientes explicaui, quas non opus est hic iterum repetere.

13 *Facultas absoluendi in articulo mortis, quomodo Sacerdotibus sit concessa.*

13 Hic solùm aduertendum est, facultatem absoluendi in articulo mortis, concessam cuilibet Sacerdoti, esse absolutam, & directam per se loquendo, ita vt pœnitens in huiusmodi casu absolutus non teneatur lapso eo periculo iterum eadem peccata licet reseruata confiteri, cùm ab illis directè fuerit absolutus.

Hoc tamen intellige de peccatis reseruatis, non habentibus adnexam censuram: nam si peccata adnexam habeant censuram, pœnitens absolutus à simplici Sacerdote aliàs non habente facultatem absoluendi à censuris, tenetur se elapso mortis periculo, quàm primùm commodè potest, coram superiore præsentare, non vt iterum ab eo absoluatur, sed vt ostendat se absolutum, obedientem, & paratum ad maiorem pœnitentiam suscipiendam, & faciendam si illi à superiore iniungatur, alioquin si se coram superiore præsentare neglexerit, in easdem censuras reincidit, *cap. eos, qui de sententia excommunicationis.* Propterea Confessarius admonere debet pœnitentem quem in periculo mortis à censuris absoluit, vt elapso mortis periculo adeat superiorem quàm primùm oblata opportunitate. Videte, quæ diximus *puncto citato* 3. *de censuris.*

PVNCTVM II.

Quis sit minister Sacramenti pœnitentiæ respectu vagorum, aliorumve successiuè commorantium in diuersis locis.

QVadruplicem propono difficultatem explicandam in hoc puncto Prima est circa eos, qui vnum habent domicilium.
Secunda est circa eos, qui duobus gaudent domiciliis.
Tertia est circa vagos, qui nullibi firmam sedem, domicilio habẽt.
Quarta est circa iter agentes, aut peregrinos.

PRIMA

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Quis sit Minister eorum, qui vnũ tantũ habent domicilium.*

1 HAbentes vnum solùm domicilium in aliquo loco possunt sua peccata confiteri parocho loci, in quo domicilium habent: nam parochus illius loci est proprius eorum Sacerdos

Addo etiam posse confiteri alteri in ea diœcesi approbato ad confessiones omnium ad se recurrentium excipiendas, tum quia sic communi vsu, & praxi receptum est, tum quia huiusmodi Sacerdos vices gerit parochi in hac parte. [Addo etiam posse confiteri Episcopo, aut Papæ, summo Pœnitentiario, Legato à latere, & his similibus, quia isti omnes sunt proprij Sacerdotes. Ita Suarez *disp.* 25. *sect.* 1 Filliucius *tract.* 7. *cap.* 7. *quæs.* 7. & 8. & alij]

SECUNDA PROPOSITIO.

2 *Quis sit Minister eorum, qui duo habent domicilia vel vnum solùm in vno loco, & quasi domicilium in alio.*

2 HAbentes duo domicilia, in quibus æquè habitant pro diuersa anni parte, possunt vtrique parocho, in quorum parochia habent domicilia, confiteri. Ratio est, tum quia vterque illorum est proprius parochus, & Sacerdos; quilibet autem potest confiteri proprio parocho, seu Sacerdoti: tum quia possunt in vtroque loco sepeliri, aut in vtroque matrimonio contrahere. ergo etiam possunt confiteri Ita Nauarr. *cap. placuit n.* 71. Suarez *de panit. disp.* 25. *sect.* 2. *n.* 5. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 2. [Filliucius *loc. cit. nu.* 192.] & alij quos in simili retuli *de matrim.* contra Nugnum *in addit. q.* 8 *art.* 8 *dub.* 1. *sub finem, vers. Circa quod sunt pag.* 271 vbi refert Paludanum, & D. Antoninum.

Idem dicendum est de iis, qui in vno loco domicilium habent, in alio verò loco habent quasi domicilium, qui scilicet in aliquo loco habitant maiori anni parte, licèt alibi domicilium habeant, vt sunt scholares, milites litigantes, & mercatores, qui diu in aliquo oppido commorantur. Ratio desumitur ex consuetudine, quæ potuit introduci & iure optimo fuit introducta, ne huiusmodi personæ Sacramento valde necessario diutius carerent, consuetudo enim potest iurisdictionem conferre, non ratione sui, sed ratione taciti consensus, & approbationis superioris, quam superior eo ipso, quo scit aliquos actus fieri, & non contradicit, cùm possit commodè contradicere, censetur approbare, & facultatem iuxta consuetudinem receptam conferre. Ita Suarez *disp.* 23. *sect.* 3 *& disp.* 25 *sect.* 2. Reginaldus *lib.* 1. *num.* 74. *&* 79. Valquez *quæst.* 93. *art. art.* 1 *dub.* 4. *num* 4. Nauarrus *loc. cit. num* 85. Coninchus *disp* 8 *dub.* 3 *num.* 21. *& dub.* 6. *num.* 38. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 23 *num.* 13. Henriquez *cap.* 8 *num.* 5. [Filliucius *num.* 193.] & alij communiter. Ex quo patet in hac re spectandam esse consuetudinem, non solùm circa propositos casus, verùm etiam circa alios, vnde in hac diœcesi vsu receptum videtur, vt parochus loci absoluat eos qui recreationis causa, vel ad aliquos dies in sua parochia reperiuntur.

An verò scholares ab Episcopo loci, in quo studiorum causa commorantur, promoueri possint ad ordines, aut in irregularitate dispensari, constat ex dictis de irregularitate, & patebit ex dicendis de ordine.

3 *Cuinam debeatur portio Canonica, seu quarta emolumentorum in funerali.*

3 Occasione argumenti allati de sepultura posset aliquis inquirere, cui debeatur portio canonica, seu quarta emolumentorum in funerali, quando quis moritur in sua parochia, aut extra parochiã vt si quis moriatur ruti, ad quod profectus fuerat causa recreationis, vel negotij.

Respondeo deberi parocho illius loci, in quo mortuus habebat domicilium, seu recipiebat Sacramenta *cap. cùm quis de sepultu-ris, in* 6. & hoc verum est, etiamsi elegerit alibi sepulturam relicta Ecclesia, in qua maiores ipsius sepeliri consueuerunt: si verò haberet domicilium in diuersis locis, æquitas postulat, vt canonica portio diuidatur *cap cùm quis, citato.* Quamquam Angelus loco statim citando putat præcisa æquitate portionem canonicam dandam Ecclesiæ, in qua moritur. Videte Reginaldum *lib.* 1. *num.* 77. Angelum *verb. Canonica portio, num.* 16. *&* 17. Sylvestrum *eodem verbo, quæsito* 13. *&* 14. Praxim Neapolitanam *cap.* 61. Guttierez, & Sanchez *de matrimonio*, & Panormitanum *de quarta funerali*, vbi plura differit, quæ hic nos prætermittimus, cùm ad alium pertineant locum, [vbi de hac re fusius agemus Deo fauente.]

TERTIA PROPOSITIO.

4 *Proprius Sacerdos vagorum quis sit.*

4 PRoprius Sacerdos vagorum est parochus loci, in quo vagi reperiuntur Ita reginaldus *lib.* 1. *num.* 64. Vasquez *quæst.* 93. *art.* 1. *dub.* 4 *num.* 4. Coninchus *disp.* 8. *dub* 8 *num* 67 Suarez *loco cit.* [Filliucius *num.* 194.] Sylvester, Sotus, & alij, quos in simili retuli *de legibus* contra Nauarrum *loco citato num.* 79. & alios apud Coninchum, quos sequitur Nugnus *loco citato, dubio* 1. *ad finem*, existimantes, vagos posse, quem voluerint, Confessarium eligere.

Ratio nostra est, tum quia cùm vagi careant domicilio, actualis habitatio loci, quam pro tempore habent, succedit in locum domicilij; proprius autem Sacerdos est parochus, in cuius loco quis habet domicilium, vel quasi domicilium, vel domicilium eo modo quo habere potest: tum quia si vagi indigeant Sacramentis, parochus loci, tenetur ea ministrare; ergo parochus loci, in quo vagi reperiuntur, est proprius ipsorum Sacerdos, consequenter vagi possunt peccata sua confiteri parocho illius loci.

Addo etiam posse peccata sua confiteri alteri Sacerdoti approbato ad excipiendas confessiones in eo loco in quo vagi reperiuntur: sicut enim habentes domicilium, vel quasi domicilium, in eo loco possunt non solùm parocho illius loci, verùm etiam alteri Sacerdoti approbato ad confessiones in eo loco excipiendas confiteri, ita etiam vagi possunt sua peccata confiteri Sacerdoti approbato in eo loco, in quo vagi pro tempore reperiuntur. Ita Doctores citati.

QUARTA PROPOSITIO.

5 *Quis sit Minister iter agentium, & peregrinorum.*

5 ITer agentes possunt sua peccata confiteri parocho loci, ad quem perueniunt, aut etiam alteri Sacerdoti approbato ad confessiones in eo loco audiendas. Ratio desumitur ex consuetudine, qua mediante conferri potest iurisdictio, seu potiùs fundatur in concessione summi Pontificis, qui dicitur iurisdictionem mediante consuetudine conferre, consuetudo enim potest conferre iurisdictionem, non ratione sui præcisè, sed ratione taciti consensus, & approbationis superioris, quam superior eo ipso, quo scit aliquos actus fieri, & non contradicit, cùm possit contradicere, censetur approbare. Ita Suarez *disp* 23 *sect.* 3. *& disp.* 25. *sect.* 2. Reginaldus *lib.* 1. *num* 74. *&* 79. Valquez *quæst.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 4. Sotus *dist.* 18 *quæst.* 4. *art.* 2 Henriquez *loco citato, cap.* 8 Sylvester *Confessio* 1. *num* 11. Coninchus *disp.* 8. *dub* 8. *num* 61. [Filliucius *tract.* 7. *cap.* 7. *quæs* 9. *num.* 195.] & alij contra Nauarrum *loc. cit. num.* 68. & alios.

6 *An qui fa-cit iter, vt proprios Parochos euitet, possit cõfiteri Sacerdotibus illius loci, in qua reperitur.*

6 Hoc tamen limita [contra Filliucium, *num.* 195] modò iter agant bona fide, id est, modò iter non faciant in fraudem legis ea solum de causa, vt possint alijs confiteri Itaque qui solum ad hunc finem iter agit vt euitet proprium parochum, & alteri confiteatur, non potest valide confiteri coram parocho, seu Sacerdote illius loci ad quem peruenit, vt bene obseruat Coninchus *loc. cit.* Valquez *loc. cit.* Valquez *loc. cit num.* 6. Suarez *disp* 25 *sect.* 2. *num.* 9. Reginaldus *lib.* 1. *num* 80. & alij recentiores, hoc enim non fieret iuxta intentionem, & concessionem summi Pontificis, seu iuxta consuetudinem, per quam à summo Pontifice confertur iurisdictio ad absoluendum iter agentes, qui ad aliquem locum bona fide peruenerunt absque animo euitandi proprium parochum, seu proprium Sacerdotem.

7 *An Sacerdos approbatus in aliqua diœcesi possit omnes illius diœcesis ad se cõcurrentes audire.*

7 Obserua tamen, Sacerdotem generaliter approbatum ad omnes audiendos in aliqua diœcesi, posse omnes illius diœcesis ad se concurrentes audire, etiamsi ad ipsum accedant animo vitandi proprium parochum: nam huiusmodi Sacerdos iurisdictionem habet absoluendi quoscunque illius diœcesis ad se venientes, vt suppono, quod non accidit in præcedenti casu, in quo Sacerdos non habet iurisdictionem, nisi iuxta receptam consuetudinem, seu concessionem summi Pontificis; iuxta mus autem Pontifex non concessit parocho loci, aut alteri in eo loco approbato facultatem audiendi confessiones eorum, qui ad eum locum se transferunt vt proprium euitent parochum, consequenter, Sacerdos diœcesis Mediolanensis, qui fuit approbatus ab Episcopo ad confessiones omnium audiendas, licèt possit confessionem alicuius existentis in aliquo oppido posito in diœcesi Mediolanensi audire, quamuis ad ipsum accedat animo euitandi proprium parochum, non tamen potest homines alterius diœcesis audire, si ad ipsum accedant hoc animo, vt euitent proprium parochum, & alteri confiteantur, non enim habet facultatem absoluendi extraneos alterius diœcesis ad ipsum hoc animo accedentes, nisi forte facultatem habeat à Sede Apostolica, vel à legitimo superiore, vt infra ostendam.

8 *Quam facultatem habeant Religiosi circa extraneos.*

8 Quam verò facultatem habeant Religiosi circa extraneos, qui scire cupit, inspiciat eorum priuilegia. Hic solum

Obserua, Sixtum IV. concessisse Religiosis facultatem audiendi confessiones extraneorum, si ad ipsos Confessarios accedant causa confessionis, modò Religiosi sint approbati ab Episcopo loci; ipsi verò Religiosi non possunt ad aliam diœcesim proficisci, vt ibi confessiones audiant, nisi speciali priuilegio gaudeant. Videte Suarez *dist inct* 28 *sect* 7 *num.* 11. Zerolam *in praxi de Sacramento pœnitentiæ, cap.* 16 *quæsito* 3. *vers. Dico quinto.* Reginaldum *lib.* 1. *nu.* 204 Rodriquez *in quæstionibus regularib. quæst.* 40. *&* 62. Mirandam *in Manuali Prælatorum.* [Beiam 4 *part. casu* 4. & Filliucium *tract.* 7 *num* 285.]

9 *An parochus teneatur Eucharistiã illis denegare, qui dedita opera ad alios Sacerdotes extra diœcesim abierunt, illisque peccata sua cõfessi sunt.*

9 Sed hic oritur DVBIVM primò, vtrùm parochus possit tempore Paschatis Eucharistiæ Sacramentum administrare pœnitentibus, qui dedita opera sese contulerunt ad Confessarios extra diœcesim existentes, ipsisque sua peccata confessi sunt.

RESPONDEO, non posse administrare, si confessionem fecerunt Sacerdotibus, aut Religiosis non approbatis ab Episcopo ipsiusmet Confessarij, & pœnitentis. Ratio est, tum quia sic decernitur in nostro Concilio Prouinciali III *pag. mihi* 458. *vers. Colui, il quale*, &c Tum quia huiusmodi Confessarij non habent facultatem absoluendi pœnitentes ad se dedita opera accedentes, vt superiùs ostendimus, consequenter confessio prædictorum pœnitentiũ non est valida; parochus autem non potest tempore Paschatis administrare Sacramentum Eucharistiæ illis, qui non sunt validè confessi. Si verò pœnitentes non accesserunt ad huiusmodi Confessarios dedita opera possunt à Confessarijs loci in quo reperiuntur absolui, sicut etiam absolui possunt à Religiosis habentibus priuilegium absoluendi quoscunque cuiuscunque diœcesis, etiamsi ad ipsos dedita opera accedant, consequenter non potest parochus tempore Paschatis Eucharistiæ Sacramentum huiusmodi pœnitentibus denegare: nam parochus, aut Episcopus non potest derogare priuilegijs à Sede Apostolica concessis, vt in specie tradit Rodriquez *tom.* 1. *quæstionum regularium, quæst.* 60. *art.* 6. *pag. mihi* 347. *&* 348. & Ludouicus Miranda *in Manuali Prælatorum tom.* 1. *quæst.* 45. *art.* 14. *pag.* 371. [Beia *loc. cit* Filliucius *tract.* 7. *capite nono, quæstione* 6. *num* 210

10 *An parochus seu alter Confessarius, qui iurisdictionem in aliquem habet, possit ipsum extra propriã diœcesim audire, & absoluere.*

10 Secundò DVBIVM insurgit, vtrùm Episcopus, aut parochus, aut alter Sacerdos alias habens iurisdictionem in aliquem quoad forum Sacramenti pœnitentiæ possit eundem audire, & absoluere extra diœcesim, in qua fuit approbatus.

RESPONDEO, Episcopum, aut parochum posse absoluere suos

suos subditos inuentos, vel secum ductos extra diœcesim. Ratio est, tum quia iurisdictio, quæ absque strepitu iudicij exercetur, potest extra proprium territorium, & diœcesim exerceri, argumento textus *de officio legati, cap. vltim.* Episcopus autem, & parochus per absolutionem exercent iurisdictionem absque strepitu iudicij, cùm sacramentalis absolutio sine iudicij strepitu fieri dicatur: tum quia, cum *in cap. omnis vtriusque sexus*, mentio fiat Sacerdotis, cui peccata confitenda sunt, non verò fiat mentio loci, sequitur non esse determinatum locum, & territorium, in quo subditi possint suo Episcopo vel parocho sua peccata confiteri.

Istæ rationes non solùm militant in Episcopo, & parocho, verùm etiam in alio Confessario facultatem delegatam in aliquas personas habente. Quamobrem Sacerdos, qui facultatem generalem absoluendi habet hîc Mediolani, potest quemlibet Archiepiscopo Mediolanensi subditũ in aliena diœcesi absoluere, modò Archiepiscopus non concesserit facultatem absoluendi limitatam cum hac clausula, *in diœcesi tantùm*, vt ex stylo nostræ Curię Archiepiscopalis in rescriptis ad confessiones audiendas concessis hoc tempore seruari consueuit. In prædictis consentit Sotus *in 4. distinct. 18. art. 3. versic. aliud verò dubium.* Victoria *numero* 151. Zerola ex parte *cap. 16. quæsito 3. versic. Dico quartò, &, Dico quintò* Suarez *disp. 25. sect. 1. num 17.* Henriquez *lib. 3. de pœnitentia, cap. 7. nu. 1.* Summa Corona *num. 52.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 34. nu. 2.* Reginaldus *lib. 1. n. 93.* Coninchus *disp 8. dub. 3. n. 22* [Filliucius *tract. 7. cap. 7. quæsito 7. num. 189.*] Ledesma, & alij apud Suarez *loco citat.* contra Syluestrum *verb Confessor 1. quæsito 14.* Zerolam *de Sacramento pœnitentiæ, in praxi cap. 16. quæsito 3.* & nonnullos alios aliter existimantes de Sacerdote delegatam facultatem habente, quem putant non posse extra diœcesim absoluere.

PVNCTVM III.

Quinam facultatem habeant à iure eligendi sibi Confessarios.

VNICA PROPOSITIO.

1 *Quinã habeat facultatem eligendi sibi Confessarium.*

1 QVàm plures facultatem habent eligendi sibi Confessarium. Primò Summus Pontifex, vt per se patet: nam si alicui competit priuilegium eligendi sibi Confessarium, certè summo Pontifici competere debet.

Addunt Doctores hoc idem priuilegium competere iis, qui sunt de familia summi Pontificis, qua in re attendendum est summi Pontificis priuilegium, vel legitima consuetudo.

Secundò, Cardinales, vt ex consuetudine docet Caietanus *in summa, verb. Absolutio à peccatis 2.*

Tertiò, Episcopi iam confirmati, & Patriarchæ, *cap. vlt. de pœnitentijs, & remissionibus.* [Nomine Episcopi intelligitur is, qui iam electus, & confirmatus est, hic enim Episcopali gaudet authoritate, consequenter venit nomine Episcopi, etiamsi fortè suspensus sit, vel depositus verbaliter; hic enim non priuatur quodlibet priuilegio Episcopali, nisi exprimatur, licèt priuetur vsu iurisdictionis, & officij. Secus dic de Episcopo realiter degradato; hic enim priuatur omnibus priuilegiis concessis ratione dignitatis. Ita Suarez *de pœnit. disp. 27 sect. 2 n. 5.* Filliucius *tract. 7. c. 9. n. 231.*]

Quartò, Prælati exempti, qui summum Pontificem tanquam immediatũ superiorem agnoscunt, illique immediatè subiiciuntur, vt docet Angelus, Panormitanus, & alij apud Doctores statim citãdos.

Quintò, habentes sola venialia, vel mortalia ritè aliàs confessa, vt *in 2 propositione 1. puncti* ostendimus. Videte Suarez *disp. 21. sect. 2. ad fin. & disp. 27 sect. 2. & 3.* Caietanus *in summa, verb. Absolutio à peccatis 2.* Coninchus *disp. 8. dub. 8.* Vasquez *quæst. 93. artic. 1. dub. 4* Reginaldus *lib. 1. num. 31. 32. & 33.* Nugnum *in additionibus q. 8. art. 5. dub. 2. pag. 281.* [Filliucium *tract. 7. c. 7. quæs. 6. & c. 9. quæs. 2.*]

2 *An obtinẽs à Sede Apostolica, vel ab Episcopo facultatem eligẽdi Cõfessarium, possit sibi eundem eligere mortuo concedente.*

2 QVÆRES primò, vtrùm qui obtinuit à Sede Apostolica, vel ab Episcopo facultatem eligendi sibi Confessarium, possit sibi Confessarium eligere mortuo summo Pontifice, vel Episcopo concedente.

RESPONDEO affirmatiuè iuxta communiorem Doctorum sententiam, etiamsi obtinuerit facultatem eligendi Confessarium pro reseruatis ipsi summo Pontifici, vel Episcopo. Ratio est, tum quia hæc censetur gratia facta, gratia autem facta non exspirat morte concedentis, vt ostendi de priuilegiis *in tract. de legib.* & præter Doctores ibi citatos, ita docet Nugnus *in additionibus quæst. 8. art. 5. dub 2. conclus 1. ad finem.* Sayrus *de pœnitentia, cap. 22. nu 3.* & alij Doctores statim citandi, quidquid sentiat Syluester *verb. Confessor. 1. quæsito 7.* & alij apud Sayrum *loco citato.* Tum quia sicut Sacerdos absque limitatione temporis approbatus ad confessiones audiendas, potest confessiones audire mortuo vel excommunicato Episcopo, qui facultatem concessit, & approbauit, vt bene tradit Suarez *disp. 26. sect. 3 num 7. & disp. 7 sect. 4.* Vasquez *quæst. 93 art. 3. dub 5 nu 2.* Emmanuel Sà *verb Gratia, num. 4.* Coninch. *disp. 8. dub. 10 num. 71.* Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3.* Sanchez *de matrim lib 8. disput. 28. num. 75* Henriquez *lib. 7. cap. 21. nu. 6.* Reginaldus *lib. 1. num. 95.* [Filliucius *tract 7. cap 8. quæsito 7 n. 216.*] & alij. Ita qui facultatem eligendi Confessarium obtinuit, potest eum eligere mortuo concedente.

3 *An hoc priuilegiũ extendatur ad iurisdictionem Vicarij, aut Visitatorij.*

3 Hæc tamen doctrina non est applicanda iurisdictioni Vicarij, aut Visitatoris: nam hæc exspirat mortuo Episcopo, & gesta per Vicarium Episcopi mortuo Episcopo sunt inualida, vt aliàs ostendi, nisi forte facta fuerint cum ignorantia mortis Episcopi longè distantis: tunc enim suppletur iurisdictio per errorem communem, & titulum coloratum, ex Henriquez *lib 6. cap 13. num. 3. & 12.* Sanchez *de matrim.* & alijs, quos retuli *de legibus, & de matrim.* vbi hanc doctrinam fusiùs explicaui.

Quid verò dicendum sit, quando facultas conceditur sub hac forma, *vsque ad nostrum beneplacitum*, vel *donec reuocauero*, satis constat ex dictis de priuilegiis, quibus præter Doctores ibi citatos adhæret Zerola *in praxi de pœnitentia, cap. 16. quæs. 2.* Emmanuel Sà, & Reginaldus *locis cit.*

4 *An facultas eligendi Confessarium finiatur per primam electionem.*

4 QVÆRES, secundò, vtrùm facultas eligendi Confessarium finiatur per primam electionem.

RESPONDEO negatiuè, nisi aliter ex circumstantiis colligatur de mente concedentis. Ratio est, tum quia, licèt sermo simpliciter peculatus in odiosis, & onerosis intelligatur de primo actu, qua de causa promissio dotis facta alicui cùm nupserit, intelligitur solùm de primo matrimonio, *l. dotis promissio, ff. de iure dotium.* nihilominus in parum onerosis, & satis fauorabilibus fieri potest extensio ad iteratos actus, nisi aliter conijciatur de mente concedentis, argumento *l. placet, ff. de liberis, & posthumis.* Tum quia facultas eligendi Confessarium videtur fauorabilis, fauores autem ampliandi sunt. Ita Reginaldus *lib 1. num 96.* vbi refert Nauarrum, Syluestrum, & alios, Sayrus *de pœnitentia, cap 22. num. 1.* Azorius, Salas, & alij, quos in simili referam *de legibus.* Idem innuit Nugnus *in additionibus quæst. 8. art. 5. dub. 2. col. 4. versic. Dubitant etiam.* vbi etiam addit, eum, qui facultatem obtinuit eligendi pro vna vice Confessarium, si aliquid in ea confessione obliuiscatur, posse vi illius facultatis peccatum oblitum confiteri Confessario electo, quia facultas non videtur finita, nisi actus sit completus. Sed de hac re *in tractatu de legibus.*

5 *Quem Sacerdotem possit eligere qui facultatem habet eligendi Confessarium.*

5 QVÆRES tertiò, vtrùm qui facultatem habet eligendi Confessarium, possit eligere, quem voluerit Sacerdotem, an potius eligere debeat approbatum ab Ordinario.

RESPONDEO, debere Confessarium ab Episcopo approbatum eligere: nam in generali confessione non veniunt ea, quæ superior non concederet, si specialiter rogaretur: summus autem Pontifex non concederet in specie facultatem confitendi cuicunque Sacerdoti, cùm periculum sit, vt pœnitens Sacerdoti rudi, & indocto confiteatur. Ita [Sacra Cardinalium Congregatio ad *sess. 23. c. 15.*] Vasquez *quæst. 93. art. 1 dub 5. num. 3. & art. 3 dub. 4. num. 2.* Suarez *loco suprà citato, sect. 4 num. 9.* Vivaldus *in cap. de conf fione, num. 26.* Reginaldus *lib. 1. num. 178.* [Filliucius *numero 256.* Angelus Vancius *libro 1. ad fin.* vbi plures alios refert contra nonnullos alios.]

Ex quo patet primò à fortiori, illum qui facultatem habet eligendi Confessarium idoneum, debere Confessarium ab Episcopo approbatum eligere: nam Concilium Tridentinum requirit approbationem, vt aliquis iudicetur Confessarius idoneus, non obstantibus priuilegijs, & consuetudine etiam immemorabili exceptis habentibus beneficium parochiale, cuius nomine non solùm venit beneficium, quod communiter vocatur Curatum, verùm etiam alia superiora beneficia, quibus est adnexa facultas audiendi confessiones, vt est Episcopatus, Archidiaconatus, & aliquæ Abbatię: nam obtinentes huiusmodi beneficia censentur approbati ad confessiones, cùm obligatio audiendi confessiones sit onus talibus beneficijs adnexum. [Consequenter in huiusmodi beneficiarijs non requiritur specialis approbatio, consequenter habens facultatem eligendi sibi Confessarium, potest eligere quemlibet parochum, seu curatorem animarum: quia hic susceptione officij censetur approbatus ad confessiones, modò parochiale beneficium adhuc retineat. Ita Suarez *de pœnitent. disput. 28. sect. 4. num 18. & seqq.* Reginaldus *lib. 1 num. 191.* Filliucius *tract. 7. cap. 9 quæsito 9. num. 257.* & alij Doctores citati.

Secundò patet Episcopum non posse eligere, nisi Sacerdotem ex approbatis: nisi fortè eligat sibi subditum, illumque tunc approbet, & Sacerdos sit idoneus, qui approbetur, iuxta decretum Tridentini *sess. 23. cap 15.*

Tertiò patet, quid dicendum sit de Cardinalibus, alijsque Prælatis, vt pluribus tradit Angelus Vancius *de disciplina Clericorum lib. 1. ad fin. pag. 51. & seqq.*]

PVNCTVM IV.

Quænam requirantur in Confessario, seu Ministro Sacramenti pœnitentiæ.

DVo principaliter quærenda sunt in duplici §. sequenti.

Primò quid requiratur in Confessario ad validam Sacramenti pœnitentiæ administrationem.

Secundò quid ad diguam, & licitam.

§. I.

Quid requiratur ad validam Sacramenti pœnitentiæ administrationem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 *Quid requiratur in Sacerdote ad validam Sacramenti pœnitentiæ administrationem.*

1 AD validam Sacramenti pœnitentiæ administrationem in Sacerdote requiritur potestas ordinis, & iurisdictionis. Ratio est, quia nullus potest pœnitentię Sacramentum administrare, nisi potestatem habeat illius administrandi, hæc autem potestas consistit in ordine, & in iurisdictione, vt constat ex dictis *in hac quæst. punct. 1.*

2 *An Sacerdotes improbus possit hoc Sacramentũ validè administrare.*

2 Hinc sequitur primò, Sacerdotem improbum per se loquendo posse pœnitentiæ Sacramentum validè administrare, quia fieri potest, vt potestatem habeat ordinis, & iurisdictionis, quę non amittitur per peccatum, vt constat ex Tridentino *sess. 14. canone 10.* & ex dictis *de Sacramentis in genere de conditionibus requisitis in ministro Sacramentorum.* [Ita Suarez *disp. 24. sect. 1.* Filliucius *tract. 7. c. 7. quæs. 4. n. 181.*]

2 Secundò

3 *An cõfessio facta coram Sacerdote non approbato ab Episcopo, extra mortis articulum valida sit.*

3 Secundò, non esse validam confessionem factam extra mortis periculum coram Sacerdote non approbato ab Episcopo, vel ab alio facultatem Episcopalem sustinente in hac parte, caret enim iurisdictione, vt clarius infrà explicabo. [Licèt Beia 3 *p. cas.* 2. conetur ostendere captiuum apud Turcas posse peccata sua simplici Sacerdoti confiteri, dum caret spe probabili habendi proprium Confessarium, dum in captiuitate detinetur.]

4 *An quilibet possit proprio parocho confiteri.*

4 Tertiò, quemlibet fidelem posse peccata sua proprio parocho initiato ordine sacerdotali confiteri, hic enim habet potestatem ordinis, & iurisdictionis, quæ illi competit ex officio ratione beneficij parochialis.

5 *An confessio facta Sacerdoti, qui facultatem obtinuit ab Episcopo administrandi omnia Sacramenta, valida sit.*

5 Quartò, validam esse confessionem factam illi Sacerdoti, qui facultatem obtinuit ab Episcopo administrandi omnia Sacramenta, aut exercendi curam animarum, hic enim potestatem habet non solùm ordinis, verùm etiam iurisdictionis, cùm verbo generali omnia comprehendi videantur. *cap. si Romanorum, dist.* 19. § *dicendum.* Ita Reginaldus *lib.* 1 *num.* 71. Sanchez, & alij, quos in simili retuli *de matrimonio.*

Existimo tamen, prædictum Sacerdotem non posse vi prædictæ facultatis absoluere a reseruatis, nam in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis in specie verisimiliter confessurus, *cap. si Episcopus, de pœnitentijs, & remissionibus in* 6. Ita Suarez *disp.* 27 *sect.* 4. *num.* 4. Reginaldus *lib.* 1. *num.* 72. & alij quos infra referam de facultate absoluendi à reseruatis.

6 *Quid, & quotuplex sit iurisdictio.*

6 QVÆRES primò, quid, & quotuplex sit iurisdictio.

RESPONDEO primò, iurisdictionem esse potestatem, quam quis habet in alios ad eos regendos, & gubernandos, seu dirigendos ad regnum calorum, Molina *tract.* 5 *de iurisdict. disp.* 2 & alij, quos suprà retuli *punct.* 1. dum loquerer de potestate clauium.

RESPONDEO secundò, iurisdictionem esse triplicem, ordinariam scilicet, delegatam, & ex concessione iuris.

Ille dicitur habere iurisdictionẽ ex concessione iuris, qui absoluit cum, cui a iure, vel ex priuilegio concessa est facultas eligendi Confessarium, vt docet Henriquez *lib.* 3. *cap.* 5. Suarez *disp.* 25 *sect.* 2. *num.* 3. & alij.

Ille dicitur habere iurisdictionem ordinariam, cui competit iurisdictio ex officio. Quamobrem ille dicitur habere iurisdictionem ordinariam, cui competit cura animarum, qualis cura competit Summo pontifici, cui facta electione per Cardinales Christus confert iurisdictionem vniuersalem, qualis etiam cura, & iurisdictio adscribenda est Episcopo, cui confertur iurisdictio à Christo mediante Summo Pontifice, [id est, ex vi muneris quod habet a Summo Pontifice,] qualem denique iurisdictionem, & curam habet Parochus, qui proximam habet obligationem administrandi pœnitentiæ Sacramentum, de qua re videndus est Suarez *loco citat.* Vgolinus *de potestate Episcopi.* Bellarminus, & Suarez *de potestate Summi Pontificis, & Episcopi.* [& Filliucius *tract.* 7 *cap.* 7. *q.* 7.

An verò Episcopus dicatur ordinarius, & possit iurisdictionem delegare, & ea facere [in sua diœcesi,] quæ potest Summus Pontifex [in toto orbe,] constat ex dictis de matrimonio cum Sanchez *lib.* 3. *disp.* 29. & aliis.

Ille dicitur habere iurisdictionem delegatam, qui facultatem obtinuit ab habente iurisdictionem ordinariam, qualem habent Sacerdotes deputati ad confessiones audiendas, quibus non competit ius ex officio audiendi confessiones, [sed ex deputatione.]

7 *Per quid amittatur iurisdictio ordinaria, vel delegata ad absoluendum.*

7 QVÆRES secundò, per quid amittatur iurisdictio ordinaria, vel delegata ad absoluendum.

RESPONDEO primò, iurisdictionem ordinariam amitti priuatione dignitatis, seu officij, cui adnexa erat iurisdictio, nam destructo principali cecidit accessorium. Ob id resignans alteri beneficium Parochiale, amittit iurisdictionem tali beneficio adnexam.

RESPONDEO secundò, iurisdictionem delegatam cessare primò lapsu temporis, ad quod vsque fuerat concessa, nam facultas non extenditur vltra voluntatem concedentis. Secundò per reuocationem concedentis: nam res, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur; sicut autem facultas obtenta fuerat à concedente, ita etiam cessat per reuocationem concedentis, vt bene tradit Suarez *disp.* 28 *sect.* 3 Zerola *in praxi de pœnitentia cap.* 16. *quæsito* 2. *vers. Tertiò si verò,* & deinceps [Filliucius *tract.* 7 *cap.* 8. *quæst.* 7.] & alij, quos retuli *de priuilegijs.*

8 *An iurisdictio cesset per excommunicationẽ, degradationem, vel mortẽ Episcopi, remissiuè.*

8 An verò iurisdictio cesset per excommunicationem, vel degradationem, vel mortem Episcopi, qui iurisdictionem concesserat, constat ex dictis *puncto præcedenti,* & ex dictis *de legibus,* cum multis Doctoribus, quibus adhæret Suarez *disp.* 26. *sect.* 3. & *disp.* 27. *sect.* 4 *num.* 8. & 9 Nauarr. *in c. placuit, num.* 35 & alij, & constabit ex dicendis *in tertia responsione.*

RESPONDEO tertiò, iurisdictionem, tam ordinariam quàm delegatam impediri per superuenientem excommunicationem, vel suspensionem, aut etiam per interdictum ab officio, vel iurisdictione, modò qui huiusmodi censura detinetur, vitandus sit. Quamobrem, si Sacerdos, qui antea fuerat approbatus, incidat in censuram excommunicationis, vel suspendatur, aut interdicatur ab officio, vel iurisdictione, & sit vitandus, non potest actus iurisdictionis tam ordinariæ, quàm delegatæ exercere, nam acta excommunicati, vel suspensi, vel interdicti vitandi, sunt inualida, iuxta tradita de censuris, consequenter inualida est absolutio extra mortis articulum collata ab eo Sacerdote, qui huiusmodi censura detinetur, nisi adsit error communis, & titulus coloratus per quem conferatur iurisdictio, vt constat ex dictis *de matrimonio.* Idem dicendum est de Sacerdote degradato, & deposito.

SECVNDA PROPOSITIO.

9 *An Sacerdos debeat per examẽ, vel alio modo ab Episcopo iam confirmato approbari ad confessiones.*

9 SAcerdos, vt validè administret pœnitentiæ Sacramentum laicis, aut Clericis, debet esse per examen, aut alia ratione approbatus ab Episcopo iam confirmato, & habente subditos, iuxta Tridentinum *sess* 23. *cap.* 15. aut à Vicario generali, qui personam Episcopi sustinet, & ipsius vices gerit, aut à Capitulo sede vacante, quod succedit in iurisdictionem Episcopi, *cap. cùm olim, de maioritate, & obedientia,* aut ab alio habente iurisdictionem Episcopalem in populum exemptum à iurisdictione ordinaria: hic enim habet iurisdictionem Episcopalem, consequenter ad ipsum pertinet approbare Sacerdotes in suo territorio.

Ratio, cur Sacerdos debeat esse hoc modo approbatus ab Episcopo, vel a Vicario generali, & est, quia Sacerdos non potest validè administrare Sacramentum pœnitentiæ, nisi iurisdictionem habeat: iurisdictio autem non conceditur, antequam Sacerdos approbetur idoneus per examen, aut etiam alia ratione: quamobrem in Tridentino *loco citato* habetur, nullum posse confessiones sæcularium audire, nisi sit approbatus, vbi notanda est illa particula, *non posse,* quæ, cùm sit negatio potentiæ, indicat carentiam iurisdictionis, vt bene tradit Sanchez *lib.* 6. *de matrimonio, disp* 38. *num.* 20. vbi etiam *lib* 3. *disp.* 29. *num.* 14 nostram sustinet propositionem. Idem tenet Vasquez *quæst.* 93. *art* 3. *dub.* 3. Suarez *disp.* 28. *sect.* 5. & 6. Reginaldus *lib.* 1 *num.* 180. [Filliucius *tract.* 7. *cap.* 9. *quæs.* 9 *nu.* 257. Alterius *lib.* 4. *d.* 4. *cap.* 4. *dub. vltim.* quamuis ex parte sibi contrarius sit *in vers. sed postulabit.*] & alij Doctores statim citandi.

10 *An Sacerdos sufficienter approbatus censeatur, dũ Episcopus illi curam animarum imponit.*

10 Obserua tamen, Episcopum censeri sufficienter aliquem approbare eo ipso, quòd sciens, & volens mandat alicui curam animarum ad tempus, vt si instituat aliquem Parochi Vicarium ad tempus, vel mandet vt confessiones audiat, etiam si illum non subiecerit examini, modò ipsum credat idoneum, & sufficientem ad hoc munus sustinendum, vt docet Reginald. *num* 197. Coninch. *disp.* 8. *de pœnitentia. dub.* 7. *num* 49. Quamobrem in propositione dixi, *aut alia ratione approbatus.* Episcopus enim, cui constat aliquem esse Theologię professorem, aut laurea Doctoratus insignitum, & in rebus Theologicis satis instructũ, potest absque præuio examine approbare, quia Episcopo notorie constat de huiusmodi Sacerdotis doctrina, & sufficientia, & in Tridentino habetur approbationem faciendam esse per examen, aut alia ratione; vsu tamen receptum est, vt etiam ipsi Doctores examini subiiciantur, & in praxi per se loquendo æquum est, vt nullus ad confessiones audiendas admittatur absque præuio examine. Ita Suarez *disp.* 28. *sect.* 4. *nu.* 3. Reginaldus *lib.* 1 *num.* 177. & alij,

Dixi in propositione, *vt pœnitentiæ Sacramentum administret Laicis, vel Clericis,* vt aduerterem ad confessiones Regularium audiendas non requiri approbationem Episcopi, sed sufficere licentiam Superioris communis enim Religiosorum vsus hoc indicat, & Tridentinum nihil imminuit de iure antiquo circa Regulares, vt etiam constabit ex infrà dicendis. Ita Vasquez *quæst* 93 *art* 3. *dub.* 3 *num.* 4. Suarez *disp* 28 *sect.* 3. & 4. Coninch. *loco suprà citato,* Reginald *lib.* 1. *n.* 175 Nauarr. *cap.* 4 *nu.* 7.

11 *An qui facultatem audiendi confessiones obtinuit à parocho, censeatur sufficienter approbatus ad audiendas confessiones.*

11 Hinc colligi potest, illum Sacerdotem non esse idoneum audiendis confessionibus, qui solùm fuit à Parocho loci approbatus, Tridentinum enim requirit approbationem Episcopi.

12 *An parochus possit iure communi aliquem admittere ad audiendas confessiones suorũ subditorum.*

12 Ex quo etiam colligi potest solutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm Parochus possit alteri Sacerdoti dare facultatem absoluendi suos subditos.

Ad quam difficultatem aliqui Doctores respondent, Parochum, etiamsi nondum sit initiatus ordine sacerdotali, posse iure communi dare alteri Sacerdoti facultatem absoluendi suos subditos, nam licèt ipse defectu potestatis ordinis non possit suos subditos absoluere, nihilominus habet potestatem iurisdictionis, quæ est adnexa beneficio, & quam potest alteri committere, vt docet Nauarrus *cap. placuit, de pœnitentia dist* 6. *nu.* 140. Reginaldus *lib.* 1 *nu.* 56. [Filliucius *tract.* 7. *cap.* 8. *quæs.* 1. *num.* 199.] Coninchus, & alij statim citandi, omissis iis quos innuere videtur Nugnus *loco* statim *citando.*

Nobis verò sustinendum est, Parochum non solùm iure communi, verùm etiam iure particulari, non posse alicui Sacerdoti aliàs non approbato dare facultatem audiendi confessiones suorum subditorum, nam in Tridentino habetur, neminem posse confessiones audire, nisi approbatus ab Episcopo, nisi fortè beneficium parochiale habeat, cui adnexum sit onus confessiones audiendi. Ita Nugnus *in additionibus quæst.* 8. *art.* 5. *dub.* 6. Vasquez *loco citat. art.* 1. *dub.* 5. *ad finem.* nec dissentire videtur Coninchus *disp.* 8. *dub.* 4. *num.* 28. Reginaldus *lib.* 1 *num.* 67. & 68. aut alij in contrarium adducti. nam vel ipsi loquuntur ante Tridentinum, vel de facultate à Parochis concedenda, suppositа approbatione Episcopi.

Addo, Parochum non posse Parocho alterius parochiæ, aut etiam Sacerdoti approbato ad audiendas confessiones in aliena parochia, dare facultatem audiendi confessiones in sua parochia, vt infrà ostendam ex Conciliis nostris Prouincialibus, quidquid in hac re aliqui sentiant de iure communi. [Vel ex consuetudine, nam consuetudine aliquibus in locis receptum est, vt in confinibus diuersam diœcesim subditi vnius Parochi confiteantur alteri Parocho, vel vt vnus Parochus accersat & aduocet vicinum alterius diœcesis Parochum, vt opem sibi ferat in confessionibus ouium sibi subditarum excipiendis. Ratio est, quia consuetudo potest iurisdictionem conferre, & fieri potest, vt huiusmodi consuetudo nota sit Episcopis, & ab ipsis permittatur, & toleretur. Ita Vualdus *in candelabro, titul. de confessione, numero* 28. Beia *pag. quarta, casu* 5. *columna tertia, versic. tum quod* Suarez *disput.* 26. *sect.* 3. *num.* 12. Filliucius *n.* 217. Barbosa *in remiss. ad consil. vers.* 23. *cap.* 15. *n.* 14.

OBIICIAS,

OBIICIES, Concilium Trident. *sess.23. cap.15.* non vult confessiones excipi, nisi ab approbatis ab ordinario, non obstante quauis consuetudine in contrarium.

Respondeo huiusmodi Parochum esse approbatum à suo ordinario, consequenter ei non obesse decretum Tridentini, consequenter posse confessiones iuxta consuetudinem excipere, modò non obstent decreta locorum particularia.]

12 An Sacerdos, qui probabiliter credit Episcopũ, vel Papam ratam habiturum absolutionem sufficienter approbatus censeatur.

13 Quæres primò, vtrùm Sacerdos censeatur sufficienter approbatus, & consequenter habere iurisdictionem ad absoluendum, dum probabiliter credit Episcopum, aut summum Pontificem ratam habiturum ipsius absolutionem. Respondeo distinguendo, vel Sacerdos credit superiorem ratam habere absolutionem de futuro, vel de præsenti. Si credit superiorem de futuro ratam habiturum absolutionem antea collatam, non validè absoluit. Ratio est, quia absolutio non est valida pro tempore prolationis formæ, cùm Sacerdos tunc temporis careat iurisdictione; neque efficitur valida per subsequentem ratihabitionem, quia adueniente ratihabitione iam præcessit forma absolutionis, quæ fuit inualida, & ratihabitio non retrotrahitur ad absolutionem antea datam, vt in simili argumentatus sum *de Sacramentis in genere, & de Baptismo.*

Neque obstat regula decima iuris in *6.* in qua dicitur, ratihabitio retrotrahitur & comparatur mandato: nam responderi potest, primò ratihabitionem comparari mandato in iis, quæ sunt in iure expressa: non est autem in iure expressum, ratihabitionem in nostro casu comparari mandato.

Secundò, ratihabitionem comparari mandato in iis, in quibus ratihabitio potest retrotrahi, quod non accidit in nostro casu, cùm ad validitatem Sacramenti requiratur forma, quam supponimus non adesse tempore ratihabitionis. Si verò superior ratam habet absolutionem de præsenti, adhuc distinguo, vel ratam habet signo aliquo externo, vel sine vllo signo. Si superior signo aliquo externo ratam habeat absolutionem de præsenti, absolutio valida est, quia scientia, & patientia in iis, quæ sunt modici præiudicij, inducit consensum, consequenter ratihabitio de præsenti signo aliquo externo expressa tribuit iurisdictionem, quæ per consensum superioris obtinetur ab eo, qui cognoscit per talem ratihabitionem consensum præstari, & iurisdictionem conferri, eamque ipse acceptat. Ita Vasquez *quæst.93. art.2.dub.2.* Nugnus *in additionibus quæst. 8. artic.5. dub.2.* Nauarrus *in Manuali, cap.9.num.5.& cap.placuit, num.105.* Sylvester *verb.Confessio 1. quæsito 6.* Sanchez *lib. 3. de matrimonio disp.35. num.20.* Pesantius *in additionibus ad tertiam partem quæst. 10. disput. 5.* Reginaldus *lib.1.num.70.89.& 90.* Henriquez *lib.6.cap.13.num.13.* & alij, contra Capreolum, & alios, arbitrantes sufficere ratihabitionem de futuro probabiliter præsumptam tunc temporis, quo impenditur absolutio, quod nos non admittimus, nisi superior ratam habeat de præsenti absolutionem signo aliquo externo. Si verò superior ratam habeat absolutionem absque signo externo, absolutio non est valida, vt si Sacerdos audiat confessiones sciente superiore absente, & tacente; nam absolutio censetur collata absque iurisdictione, vtpote concessa absque vllo actu externo sufficienter indicante voluntatem; nam concessio iurisdictionis est actus, qui humano modo ad alterum dirigitur, vt ab eo acceptetur; non potest autem acceptari, nisi aliqua ratione exprimatur, vt patet ex dictis de promissione, & donatione, & præter Doctores ibi citatos idem tenet Coninch. *de pœnitent. disp. 8. dub.5.concl.2.* Suarez *disp.26.sect.1.num.16.* Reginaldus *lib.5. num.90.* Nugnus *in additionibus quæst.8.art.5.dub.2.ad finem.* [Filliucius *tract. 7.cap.8.quæst.4.num.208.*]

14 An censeatur sufficienter approbatus ab Episcopo qui videnti, & non cõtradicente absoluit.

14 Ex dictis sequitur, inquit Henriquez, & alij Doctores statim citandi, Episcopum, qui videt Sacerdotem sibi familiarem audientem confessiones, nec prohibet cùm facilè possit prohibere, censeri eo silentio approbare non simpliciter, sed pro eo tempore, seu pro illis vicibus, quibus hoc permittit; nam talia concurrunt signa, vt huiusmodi silentium habeatur pro expresso consensu; cùm enim superior possit, & teneatur impedire, nisi velit approbare, censetur non impediendo approbare: tum quia non præsumitur delinquere: tum quia in re modici præiudicij præsumitur liberalis cum suo familiari. Idem tenet Reginaldus *loco citato num.173.* Sanchez *lib.3. disp.35. num.20.* Salas *de legibus disp.20.sect.9.num.86.* & alij, quos retuli *de legibus, & de voto.* de qua re ibi. Hic solum aduerte eum, qui non contradicit, non censeri per se loquendo sufficienter signum interni consensus exhibere, & consequenter iurisdictionem non conferre: tum quia qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur: tum quia fieri potest, vt superior non contradicat, aut quia credit talem Sacerdotem aliunde habere iurisdictionem, aut quia sibi persuadet pœnitentem, qui confitetur illi Sacerdoti, non habere materiam necessariam confessionis, vt docet Coninchus *loco citato, num.35.* & idem in simili docet Menochius *lib.2.præsumpt.20. num.32.* Sayrus *de censuris lib. 7.cap.14. num.16.* & alij apud Sanchez *lib.8. de matrimonio, disput. 4. num.25.* Quamobrem, vt Sacerdos validè absoluat, non sufficit per se loquendo taciturnitas, & patientia superioris, sed requiritur signum aliquod externum, ex quo sufficienter colligatur, superiorem ratam habere absolutionem, seu facultatem concedere ad absoluendum: vt Suarez *sect.4.num.16.* & Filliucius *tract.7. cap.9. num.242.* quamuis contrarium sentire videatur Sanchez *loco citato, nu. 26.* & Salas *de legibus disp.24.sectione 9. num.85.* vbi multis relatis Doctoribus docent, Prælatum censeri tacitè dispensare, quoties prælatus facilè, & commodè potest contradicere, & non contradicit; putant enim talem taciturnitatem locum habere ratihabitionis, & iurisdictionem conferre; sed de hac re *in tractatu de legibus, de voto, & de matrimonio.*

15 An Sacerdos approbari debeat ab Episcopo pœnitentis, vel ipsius Sacerdotis.

15 Quæres secundò, à quo Episcopo debeat Sacerdos approbari, an ab Episcopo pœnitentis, vel ipsius Confessarij.

Respondeo omissis aliorum sententiis approbandum esse ab Episcopo ipsiusmet Confessarij, vt patet tum ex duplici Cardinalium declaratione apud Coninchum *disp.8.dub.7.num.50.& 51.* apud Suarez *disp.28.sect.6.nu.10.vers.inter has duas opiniones*, quibus etiam adhæret Reginaldus *lib.1.num.184.* [Filliucius *tract.7.cap.9.quæs.10. num. 260.*] & alij contra Nugnum *in additionibus quæst.8. art.5.post dubium nonum, pag. mihi 293.* Tum quia approbatio est actus iurisdictionis, qui exercetur in subditum; ergo approbatio facienda est ab Episcopo, cui subditus est Confessarius, qui approbatur.

16 An Episcopus Sacerdotem non subditum approbare possit.

16 Ex qua ratione facilè potest expediri illa quæstio, qua quæritur, vtrùm Episcopus possit approbare Sacerdotem non subditum.

Respondetur enim negatiuè, quamdiu talis Sacerdos non est subditus. Ratio est, tum quia approbatio est actus iurisdictionis; actus autem iurisdictionis exercetur à superiore in subditum: tum quia Episcopus non potest eligere subditum alterius Episcopi in sui Confessarium, [nisi à suo Episcopo approbatus sit:] vt patet ex testimonio Gregorij XIII. apud Suarez *disp.28.sect.6.n.13.* ergo neque potest subditum alterius Episcopi approbare in Confessorem suorum subditorum. Secus dicendum est, si Sacerdos alterius diœcesis fiat aliqua ratione subditus ipsi Episcopo, vt si fiat ei subditus ratione alicuius ministerij, ad quod obligatur in ipsius Episcopatu, aut ratione domicilij, aut habitationis pro aliquo tempore: tunc enim Episcopus potest saltem pro tempore, quo illi fuerit subditus, approbare. Ratio est, tum quia hoc nullo iure prohibetur: tum quia hoc iure antiquo licitum erat; ergo etiam nunc licitum est, cùm non sit veritum in Tridentino, vel in alio loco: tum quia sic vsus & praxis indicat, vt patet in Regularibus, qui licet sint exempti à iurisdictione Episcopi; nihilominus fiunt ipsi aliquo modo subditi ratione domicilij, vel habitationis in territorio Episcopi, quæ subiectio sufficiens est, vt approbẽtur, alioquin Religiosi exempti à nullo Episcopo possent approbari, quod est contra Concilium. Ita Suarez *loco citato, num.13. & 14.* Reginaldus *lib.1.num.187.& num.203.*

Qui etiam obseruant Religiosum, qui semel fuit generaliter approbatus, si recedat à diœcesi, in qua fuit simpliciter approbatus, & postea iterum redeat, non teneri nouam quærere approbationem, & licentiam, etiamsi interim mutati fuerint Episcopi in illa diœcesi; nam facultas fuit concessa absque temporis limitatione: facultas autem absque temporis limitatione concessa, durat etiam mortuo concedente. Ita Nugnus *in additionibus q. 8. art. 3. dub.1. concl. 2.* Zerola *in praxi de Sacramento pœnitent. cap.16. quæsito 2. vers. Quintò, si verò.* [Filliucius *num.263.*] Suarez, & alij *locis* statim *citandis.*

Hoc tamen limitandum est, modò Episcopus facultatem non reuocet, potest enim Episcopus, aut eius successor iusta de causa reuocare approbationẽ, seu facultatem, modò approbatus non habeat beneficiũ parochiale; hic enim habet approbationẽ à iure, & facultatem annexã beneficio; quamquã hic etiã post suspendi ob insciticã, aut ob iustam causam, par enim non est, vt imperitus curam animarũ exerceat, & sicut potest quis ob crimina priuari beneficio, ita etiã potest iusta cõcurrẽte causa priuari vsu illius, vt bene tradit Vasq. *loc cit. dub. 5.n.1.* Suarez *disp.18.sect.2.& 8.* Zerola *loc.cit.* Reginaldus *loc.cit.n.201.* [Filliucius *tract.7.c.9.q.2.n.266.*] Et quãuis Vasquez *loco citato nu.3.* putet, approbationem Religiosorum semel simpliciter approbatorũ non posse reuocari; hoc tamen nos non admittimus supposita iusta causa reuocationis, iuxta tradita de reuocatione priuilegiorum *in tractatu de legibus*, & ex supradictis *propositione 1.quæs.2.*

17 An Sacerdos ab Episcopo approbatus nouam licentiam à parocho obtinere debeat, in cuius parochia confessiones audire intendit.

17 Quæres tertiò, vtrùm Sacerdos, qui fuit ab Episcopo approbatus, ab eoque facultatem obtinuit audiendi confessiones, petere debeat nouam licentiam à parochis, in quorum parochia prædictus Sacerdos vult confessiones iuxta facultatem sibi ab Episcopo concessam audire.

Respondeo negatiuè, nisi Episcopus concesserit facultatẽ sub conditione, vel cum onere facultatis à Parocho impetrandæ. Ratio est, quia Episcopus iurisdictionem habet concedendi facultatem dependenter, & independenter à Parocho. Ita Doctores statim citandi.

18 Quid in hac re vsu receptum sit in Curia Archiepiscopali Mediolanensi.

18 Obserua tamen in Curia Archiepiscopali Mediolanensi vsu receptum esse, vt facultas sæpissimè concedatur sub hac forma: Concedimus tibi facultatem audiendi quoscumque ad te accedentes, de licentia tamen Rectorum in Ecclesiis eorum, seu consentiente Rectore Ecclesiæ, quam formam aliqui putant esse conditionatam, & hunc sensum efficere, si Parochus consenserit; nam ablatiuus absolutus importare videtur conditionem.

Alij verò probabilius existimant, facultatem audiendi confessiones non reddi propriè conditionatam per hanc loquendi formam. Ratio est, quia Sacerdos approbatus per hunc loquendi modum certior tantummodò fit de modo, quem debet saltem ex æquitate seruare, etiamsi non admoneretur ab Episcopo, vt in simili docui de matrimonio contracto ab eo, qui mandatum acceperat ad contrahendum matrimonium seruata Tridentini forma. Neque obstat ratio in contrarium; nam ablatiuus absolutus non semper importat conditionem ad aliquid validè agendum, sed aliquando connotat modum ad aliquid licitè præstandum.

Hinc ergo constat Sacerdotem, qui facultatem obtinuit ab Episcopo audiendi confessiones in alterius parochia independenter à voluntate, & consensu parochi, non indigere de rigore iuris, sed solum ex quadam æquitate, consensu parochi: Episcopus enim habet iurisdictionem in tota sua diœcesi independenter à parochis, & potest inuitis parochis saluti suarum ouium consulere. Ita Suarez *disput. 27.* Henriquez *lib.3.de pœnitentia cap.12.* Reginaldus *lib.3.num.46.& 67.* Zerola *in praxi cap.15.quæsito 3.* Sayrus *de pœnitentia cap. 22. nu. 1.* vbi refert Panormitanum, & alios in contrarium. Coninchus *disp.8. dub. 3.num.2.& 29.* vbi in simili loquitur de Confessario, qui postquam fuit approbatus ab Episcopo ad audiendas confessiones, obtinet priuilegium à Summo Pontifice audiendi confessiones omnium fidelium: hic enim, inquit Coninchus, non indiget ampliùs Episcopi aut Parochorum licentia ad audiendas confessiones existentium in ipsorum parochia, vel diœcesi, alioquin inutile redderetur priuilegium obtentum à Sede Apostolica; cùm sine facultate Pontificia posset de licentia Episcoporum confessiones audire.

19 An quãdo duo præsunt eidem parœciæ possit vterque independenter ab altero admittere aliquem ab Episcopo approbatũ ad confessiones.

19 Sed modò supereſt dubium, vtrùm ſi duo Parochi eidem parœciæ in ſolidum præſint, vterque poſſit independenter ab altero concedere alicui Sacerdoti facultatem audiendi confeſſiones, & adminiſtrandi Sacramenta.

Reſpondeo affirmatiuè (modò Sacerdos iam fuerit ab Epiſcopo approbatus ad confeſſiones audiendas, cùm Parochus non poſſit aliquem approbare ad confeſſiones audiendas.) Ratio iſtius reſponſionis eſt, quia ſicut vterque Parochus poteſt altero inuito adminiſtrare Sacramenta; ita etiam poteſt dare facultatem alicui ad illa adminiſtranda, etiam independenter ab altero Parocho; cùm par in parem non habeat imperium. *cap. innotuit. de electione.* Ita Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio, diſp.* 24. *in fine.* Reginaldus *lib.* 1. *nu.* 49. & 67. Gutierrez *de matrimonio, cap.* 64. *num.* 6. & alij.

20 Quid in hac re ſentiendum ſit de coadiutoribus.

20 Si verò quæras, quid in hac re ſentiendum ſit de Coadiutoribus. Reſpondebo ſtandum eſſe fundationi, & priuilegio, cum quo aſſumpti ſunt ad curam animarum in adiutorium principalis.

Vtrùm verò ſaltem in aliquo particulari caſu poſſint facultatem ad aliquem actum exercendum concedere, conſtat ex dictis *de Priuilegiis*, & ex dictis *de matrimonio celebrato coram Sacerdote de conſenſu Coadiutoris, quæſt.* 2. *punct.* 8. *num.* 10.

21 An habens priuilegium eligendi Cõfeſſarium poſſit eligere Sacerdotem approbatum ab Ordinario alterius diœceſis.

21 Quæres quartò, vtrùm pœnitens, qui virtute Iubilei, vel alterius priuilegij facultatem habet eligendi Confeſſarium approbatum ab Ordinario, poſſit eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinario alterius diœceſis, & hæc quæſtio coincidit cum ea, qua quæritur, vtrùm Sacerdos, qui ab vno Epiſcopo fuit approbatus in vno oppido, vel diœceſi, cenſeatur ſufficienter approbatus, ita vt poſſit in Confeſſarium vbique eligi tempore Iubilei, quo vnicuique conceditur facultas eligendi Confeſſarium approbatum ad obtinendam peccatorum, & cenſurarum abſolutionem.

Reſpondent multi Doctores affirmatiuè. Ratio eſt, quia Bulla non requirit Sacerdotem approbatum ab Ordinario illius loci, ſed ſimpliciter, & in communi requirit Sacerdotem approbatum: vbi autem lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, & verba generaliter prolata, generaliter intelligenda ſunt. Ita Henriquez *lib.* 3. *de pœnitentia cap.* 6. *num.* 7. *& lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 4. Corduba *in ſumma q.* 10. *ad ſecundum dubium*, Suar. *diſp.* 28. *ſect.* 4. *num.* 18. *& ſect.* 7. *num.* 6. & 10. Coninchus *diſp.* 8. *dub.* 7. *num.* 53. Reginaldus *lib.* 1. *num.* 186. & 188. Nugnus *in additionibus q.* 8. *art.* 5. *dub.* 9. Rodriquez *in expoſitione Bullæ cruciatæ, §.* 9. *dub.* 2. Idem ſenſerunt Iuriſperiti Salmanticenſes, & omnes Magiſtri Dominicani, vt Bannes, Medina, & alij apud Henriquez *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 7.

Sed contrarium nobis ſuſtinendum eſt cum Quaranta, *verb. Confeſſor.* Beia 4. *parte, caſu* 20. Zerola *in praxi de Sacramento pœnitentiæ cap.* 16. *quæſ.* 8. & aliis Doctoribus ſtatim citandis poſt declarationem Cardinalium, vt innuimus *de cenſuris, diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 6. *num.* 12. *quæſito* 3. Ratio eſt, tum quia extat declaratio Cardinalium apud Quarantam *loc. cit.* apud Rodriquez *loc. cit. num.* 5. & apud Nugnum *loco citato*, in qua dicitur approbatum ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo in diœceſi Valentina non cenſeri approbatum; ex qua declaratione euidenter colligitur, eligendum eſſe Confeſſarium approbatum ab Epiſcopo loci, in quo quis intendit ſua peccata confiteri; cùm Sacerdos in vna diœceſi approbatus, non cenſeatur approbatus pro alia; tum quia Religioſi Societatis Ieſu priuilegium obtinuerunt à Gregorio XIII. vt ſemel approbati, & à ſuperioribus expoſiti poſſint excipere confeſſiones fidelium dum per alias diœceſes tranſeunt; ergo ſignum eſt ipſos non potuiſſe confeſſiones in alia diœceſi audire præciſo tali priuilegio, conſequenter Confeſſarium approbatum in vna diœceſi, non cenſeri approbatum pro alia, conſequenter tempore Iubilei non poſſe confeſſiones ſubditorum alterius diœceſis excipere abſque peculiari priuilegio: tum quia vſu receptum videtur, vt qui fuit in vna diœceſi approbatus, ſi ad aliam diœceſim transferatur, iterum approbetur ab Ordinario loci in cuius diœceſim transfertur; ergo per primam approbationem non cenſetur ſufficienter pro omnibus in quocumque loco approbatus: tum quia ſicut Epiſcopus ſucceſſor poteſt, mortuo anteceſſore, Confeſſarios ab anteceſſore approbatos iterum ſubiicere examini, ſi voluerit, vt docet Suarez *diſp.* 28. *ſect.* 7. Reginald. *lib.* 1. *num.* 201. Coninchus *loco cit. num.* 57. ex Pio V. *in extrauagant. Romani Pontificis*, edita 8. Idus Auguſti anni 1571. ita etiam iterum ſubiici debent examini, & iterum approbari Confeſſarij, qui in vna diœceſi fuerunt approbati ad confeſſiones ſæcularium audiendas, modò confeſſiones intendant audire in alia diœceſi, conſequenter pœnitens, qui virtute Iubilei vel alterius priuilegij, facultatem habet eligendi Confeſſarium approbatum ab Ordinario, non poteſt eligere aliquem Sacerdotem ibi exiſtentem, approbatum tantummodò ab Ordinario alterius diœceſis, & hanc ſententiam præter Doctores iam citatos tutiorem putat Suarez, & Reginaldus *loc. cit.* eamque ſequitur Vaſquez *q.* 93. *art.* 3. *dub.* 4. *num.* 3.

22 An femina poſſit eligere Cõfeſſarium approbatũ ad confeſſiones tantummodò virorum.

22 Maius dubium eſt primò, vtrùm femina, quæ virtute Iubilei, vel alterius priuilegij facultatem habet eligendi Confeſſarium ab Ordinario approbatum, poſsit eligere Confeſſarium ab Ordinario propriæ diœceſis approbatum ad certum numerum perſonarum; vt ſi Confeſſarius ob immaturam ætatem, vel iuuenilem aſpectum approbatus ſit tantummodò ad confeſſiones virorum, etiamſi alioquin in quæſtionibus ad mores pertinentibus non mediocriter verſatus ſit.

Aliqui Doctores valdè probabiliter reſpondent negatiuè. Ratio eſt, quia huiuſmodi Confeſſarius non cenſetur ſimpliciter approbatus ab Ordinario; ergo non poteſt à femina eligi tempore Iubilei, aut virtute alterius priuilegij.

Ex quo patet à fortiori non poſſe eligi Confeſſarium approbatum pro aliqua ſolùm familia. Ita Suarez *de pœnit. diſp.* 27. *ſect.* 7. *nu.* 3. Rodriquez *tom.* 1. *cap.* 60. *num.* 4. *concl.* 4. & alij.

Contraria tamen opinio probabilis eſt, eamque ſequitur Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 6. *num.* 8. *& lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 4. referens Medinam, & Angel. *in commentario littera Q.* Coninchus *diſp.* 8. *de pœnitentia dub.* 7. *num.* 57. Nugnus *in addit. ad* 3. *partem q.* 8. *art.* 5. *dub.* 9. *verſ. ad* 10. *argument.* Sanchez *de matrimonio lib.* 8. *diſp.* 34. *num.* 16. & alij, quorum opinionem probabilem putat P. Ledeſma *de pœnitentia cap.* 13. *dub.* 8. Ratio eſt, tum quia verum eſt dicere hunc eſſe approbatum ab Ordinario: tum quia verſamur in materia fauorabili, conſequenter extendenda: tum quia ſequeretur, feminam non poſſe virtute Iubilei eligere Parochum alterius parœciæ, quem conſtat ab Epiſcopo non admitti ratione beneficij parochialis ad confeſſiones omnium audiendas, ſed ad paſcendas oues illius parœciæ: tum quia non eſt idem omnino approbatio, & iuriſdictio, quia iuriſdictio ſupponit approbationem; ad confeſſionem autem alicui faciendam tempore Iubilei, non requiritur, vt eligatur Confeſſarius alias habens iuriſdictionem in ipſum pœnitentem; ſed ſufficit, vt eligatur Confeſſarius ab Ordinario approbatus, cui Summus Pontifex confert iuriſdictionem.

Hinc à fortiori patet Clericum in diœceſi Mediolanenſi, in qua ſpecialiter deputantur Confeſſarij ad confeſſiones Clericorum excipiendas, poſſe tempore Iubilei eligere Confeſſarium alias non habentem facultatem audiendi confeſsiones Clericorum. Idem dici poteſt de Monialibus.

Hæc opinio probabiliter ſuſtineri poteſt: quamquã oppoſitam in praxi cõſulere cõſueui, quia tutior eſt, & non leui fundamẽto munita.

23 An parochus Iubilei tempore poſſit eligi ad confeſſiones ſubditorum alterius parœciæ audiendas.

23 Secundò, dubium eſt, vtrùm Parochus poſsit Iubilei tempore eligi ad confeſsiones ſubditorum alterius parœciæ audiendas in eadem diœceſi.

Reſpondeo affirmatiuè, quia cenſetur ſufficienter approbatus eo ipſo, quo beneficium parochiale obtinuit, cùm Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. in habente beneficium parochiale non requirat aliam approbationem. Ita Suar. *diſp.* 28. *ſect.* 4. & alij contra Nugnum *dub.* 9. *ad fin.*

24 An cenſeatur ſufficienter approbatus ad confeſſionem tẽpore Iubilei, quia alias habuit beneficium parochiale.

24 Tertiò, dubium eſt, vtrùm ille Sacerdos cenſeatur idoneus, & ſufficienter approbatus ad audiendas confeſsiones tempore Iubilei, aut alia occaſione, qui alias habuit beneficium parochiale, ſed modò eſt illo priuatus, aut iuſtè ſuſpenſus ab illius vſu.

Reſpondeo non cenſeri ſufficienter idoneum, & approbatum ad audiendas tempore Iubilei, aut alia occaſione confeſsiones, excepto mortis articulo; nam Concilium Tridentinum *loco cit.* illum reputat idoneum, qui beneficium habet parochiale; aut eſt approbatus per examen, &c. ſed hic non retinet parochiale beneficium, vel ſaltem ipſius vſum, nec ipſius approbatio durat; cùm cenſeatur tantummodò approbatus, quamdiu non priuatur officio, vel illius vſu. Ita Suarez *loco citato num.* 20. *& ſect.* 6. *num.* 13. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 3. & 4. Reginaldus *lib.* 1. *num.* 190. & alij. Hinc patet, quid dicendum ſit de eo, qui alias fuerat approbatus, ſed modò iuſta de cauſa fuit reprobatus.

25 An approbatio Epiſcopi requiratur etiam ad abſoluendos religioſos.

25 Quæres quintò, vtrùm approbatio Epiſcopi requiratur non ſolùm ad abſoluendos ſæculares, aut Clericos, verùm etiam ad abſoluendos Religioſos.

Reſpondeo negatiuè, præciſo ſaltem Iubilei tempore, vt docui *in 2. propoſitione.* Ratio eſt, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *cap.* 15. requirit approbationem ad abſoluendos ſæculares, non verò Religioſos; cùm nihil decreuerit, vel immutauerit circa Regularium confeſsiones.

Ex quo patet Religioſum, qui facultatem à ſuo ſuperiore obtinuit eligendi Confeſſarium, poſſe Religioſum alterius Ordinis, aut etiam Sacerdotem ſæcularem nondum ab Epiſcopo approbatum eligere; nam Sacerdos electus accipit iuriſdictionem extraordinariam ex conceſsione iuris, quatenus pœnitens Religioſus facultatem habet eligendi, quem voluerit Sacerdotem.

Dixi in reſponſione, *præciſo ſaltem Iubilei tempore*, vt aduerterem peculiarem extare difficultatem inter Doctores, vtrùm Religioſi tempore Iubilei teneantur eligere Confeſſarium ab Epiſcopo loci approbatum.

Suarez enim *de pœnitentia diſp.* 28. *ſect.* 6. *num.* 11. Reginaldus *lib.* 1. *num.* 175. & alij putant, Religioſum teneri tempore Iubilei eligere Confeſſarium ab Epiſcopo approbatum, conſequenter non lucrari Iubileum; niſi peccatorum ſuorum confeſsionem faciat Sacerdoti ab Epiſcopo loci approbato.

Mihi verò oppoſitum valdè probabiliter ſuſtinendum videtur. Ratio eſt, tum quia illa verba, quæ in Bulla Iubilei exprimuntur, videlicet, & poſsit eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinario, non apponuntur priuatiuè, quaſi ſuperior velit priuare pœnitentem iure ſuo, quo poteſt confiteri Sacerdoti approbato à ſuo Prælato, ſed potius apponi videntur accumulatiuè, & ampliatiuè in fauorem ipſius pœnitentis, ita vt pœnitens non ſolùm poſsit confiteri ſuo Parocho, aut alteri Sacerdoti, ſicut poterat ante Iubileum, verùm etiam poſsit alium quemlibet Sacerdotem approbatum ob Ordinario eligere; quamuis aliàs ante Iubilei conceſsionem non poſsit illi confiteri: tum quia ſequeretur multos Religioſos defraudari fructu Iubilei, cùm multa extent Religioſorum monaſteria, in quibus nullus Confeſſarius ab Epiſcopo loci approbatus reperitur, aut ſaltem ſequeretur cogi Religioſum è Clauſtris exire ad emendicandum ſibi Confeſſarium, quod non videtur iuxta benignam Summi Pontificis intentionem: tum quia Prælatus Religioſorum, inquiunt aliqui Doctores, appellatur Ordinarius reſpectu ipſorum Religioſorum, excepta cauſa Ordinis, ſicut Epiſcopus appellatur Ordinarius reſpectu laicorum, aut Clericorum ſæcularium ſibi ſubditorum; ergo Religioſi poſſunt eligere Confeſſarium approbatum tantummodò à ſuo ſuperiore. Verùm contra hanc rationem obſtat, quod in Bulla dicitur eligendum eſſe Confeſſarium approbatum ab Ordinariis locorum; ſuperior autem Religioſorum non cenſetur Ordinarius locorũ: tum quia hoc eſt conforme voluntati Clementis VIII. in quadam cõſtitutione edita die 3. Nouẽbris, anno 1590. quam refert Quaranta *verb. Confeſſor, pag. mihi* 197. Ita ſentit Zerola *de pœnitentia cap.* 15. *quæſito* 1. *verſ. Dico quinto, & cap.* 16. *quæſ.* 8. *verſ. Dico tertiò.* Sorbus & alij.

Verum,

Verùm, quia sermo incidit de Religiosis, hac occasione duxi solutionem nonnullorum dubiorum ad Religiosos pertinentium proponere, & breuiter explicare.

26 An religiosi exempti possint de consensu sui superioris absolui & dispensari ab Episcopis, si eis se subiiciant.

26 Primum dubium est, vtrùm Religiosi exempti possint de consensu sui superioris absolui, & dispensari ab Episcopis iuxta Episcoporum facultates, si ei se subiiciant.

Respondeo affirmatiuè cum Henriquez *lib.6.cap.16.num.8.* Reginaldo *lib.8.num.39.* Sanchez & aliis, quos retuli *de commutatione votorum in secundo Decalogi præcepto*, vbi hanc doctrinam efficacissimis rationibus comprobaui.

27 An religiosi, qui possunt quoscumq; ad se accedentes audire, possint absoluere religiosum alterius Ordinis.

27 Secundum dubium est, vtrùm Religiosi, qui gaudent generali priuilegio absoluendi quoscumque ad se accedentes, possint absoluere Religiosum alterius Ordinis, non habentem à suo superiore facultatem eligendi quemlibet Sacerdotem in Confessarium.

Respondeo, præcisis aliis priuilegiis, non posse absoluere; nam superior non præsumitur concedere priuilegium in præiudicium alterius. Præiudicium autem afferretur Religioni, si Religiosus per generale priuilegium approbatus ad excipiendas omnium ad se accedentium confessiones, posset audire confessiones Religiosorum alterius Ordinis: perturbationes enim inde possent suboriri inter Religiosos, quorum institutio ad proprios superiores pertinet. Ita Vualdus *cap.de absolutione,num.18.* Henriquez *loco citato,num.7.in commentario litera P.* [Suarez *disp.26.sect.1.* Filliucius *tract. 7.num.203.*] Reginaldus *lib.8.num.37.* qui sic ferunt Pium V. respondisse, dum interrogaretur, an Religiosi Mendicantes possent virtute Bullæ cruciatæ Confessarium eligere.

28 An Nouitius possit absolui à censuris reseruatis in religione, à quibus possunt absolui professi.

28 Tertium dubium est, vtrùm Nouitius possit in Religione absolui à censuris reseruatis, à quibus absolui possunt Professi.

Respondent aliqui Doctores posse absolui; sed in illos reincidere, si egrediatur: nam absolutio censetur illi concessa, quatenus est in via ad Religionem, iuxta Viualdum *loco citato, num. 23. & 24.* Reginaldum *loco citato num. 58.* & alios. Sed nos de hac re alibi, *in tract. de voto disp.4.quæst.2.punct.7.§.4.num.21.*

29 An censeatur sufficienter approbatus, qui fuit admissus ab Episcopo sciente illum non esse idoneum.

29 Quæres sextò, vtrùm ille censeatur approbatus, & consequenter idoneus audiendis confessionibus, qui fuit approbatus, & admissus ab Episcopo sciente illum non esse idoneum.

Respondeo negatiuè iuxta probabiliorem sententiam: nam Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 15.* exigit vt Confessarius, qui non habet Parochiale beneficium, iudicetur idoneus; hic autem verè non iudicatur idoneus, sed fictè, cùm Episcopus interiùs sentiat, & iudicet non idoneum. Vnde Concilium videtur requirere approbationem cum iudicio, & iudicium cum approbatione. Ita Suarez *disp. 28.sect.5.num.7.vers.Et fortasse.* Reginaldus *lib.1.num.197.* & alij.

30 An valeat approbatio, qua Episcopus aliquē approbat, tāquam idoneum, qui re ipsa idoneus non est.

30 Quæres septimò, vtrùm valida sit approbatio, quando Episcopus aliquem iudicat, & approbat tamquam idoneum, sed re ipsa non est idoneus.

Respondeo validam esse. Ratio est, tum quia Concilium requirit talem approbationem, qua Sacerdos idoneus iudicetur. Hic autem iudicatur idoneus, cùm Episcopus credat ipsum esse idoneum, quamuis re ipsa non sit idoneus: tum quia aperiretur via scrupulis circa validitatem Sacramenti; cùm sæpiùs contingat deceptio in approbatione. Ita Suarez, & Reginaldus *locis citatis.*

31 An requiratur approbatio distincta à iudicio, quo Sacerdos iudicatur idoneus.

31 Hinc colligi potest solutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm præter iudicium, quo Sacerdos iudicatur idoneus, requiratur etiam approbatio distincta à iudicio. Ratio dubitandi est, quia in Concilio Tridentino *loco citato*, habentur hæc verba: *Aut iudicetur idoneus, & approbationem obtineat.*

Respondeo vtrumque requiri, quatenus Episcopus debet Confessarium non solùm interiùs iudicare idoneum, verùm etiam exteriùs approbare, & iurisdictionem concedere, vt patet ex verbis Tridentini citatis. Ita innuit Suarez, & Reginaldus *locis citatis*, & idem tenet Sanchez *lib. 6. de matrimonio, disput. 38. num.20.* Vasquez *quæst. 93. art. 3. dub. 4. num. 5.* Coninchus *disput. 8. de pœnitentia, dub. 7. num. 49.*

32 An approbatio danda sit in scriptis.

32 Quæres octauò, vtrùm approbatio danda sit in scriptis.

Respondeo, ad validitatem approbationis non requiri, vt detur in scriptis. Ratio est, tum quia scriptura (per se loquendo) non est de necessitate gratiæ, & priuilegij, vt cum communi Doctorum sententia docui *in tractatu de legibus, quæst. 1. punct. 5.* tum quia Concilium ad approbationem non requirit scripturam. Ita Doctores citati.

Idem dicendum est de facultate absoluendi à reseruatis, vt patet ex viuæ vocis oraculo Clementis VIII. circa decretum, quod incipit: *Sacra Congregatio*, quod refertur in libello casuum reseruatorum in Ecclesia Mediolanensi ad finem, illudque adducit Quaranta *verb. casus reseruatus*, & Gambarupta *cap. 3. num. 5.*

Consultum tamen est, prædictam approbationem in scriptis dari, vt Confessarius possit eam exhibere, quoties expedierit, aut opus esse iudicauerit.

Immò in Concilio nostro Prouinciali IV. titulo, *Quæ pertinent ad Sacramentū pœnitentiæ*, lata est excommunicatio ipso facto contra eum, qui confessiones audit sine approbatione scripta, quamuis sit regularis.

Hoc tamen procedere non videtur in Parochis, qui per collationem beneficij parochialis, cui adnexum est onus animarum, censentur sufficienter approbati.

33 An approbatio gratis dari debeat.

33 Quæres vltimò, vtrùm approbatio dari debeat gratis.

Respondeo approbationem validam esse, si gratis non concedatur; illicitè tamen concedi. Ratio est, quia in Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 15.* non irritatur approbatio aliter concessa, sed tantummodò præcipitur gratis dari. Ita Suarez *loco citato, num.10.* Reginaldus *lib.1. num.189. dub. 3.* & alij quàm plures à nobis relati in simili *in tractatu de legibus.*

§. II.

Quid requiratur ad dignam, & licitam Sacramenti Pœnitentiæ administrationem.

1 Quid requiratur in Confessario, vt Pœnitentiæ Sacramentum licitè administret.

1 TRes saltem, aut quatuor conditiones requiruntur in Confessario, vt ritè, & licitè pœnitentiæ Sacramentum administret: Probitas scilicet, scientia, prudentia, & debita sollicitudo; de quibus in triplici propositione sequenti breuiter disseremus.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An requiratur probitas.

2 IN Confessario requiritur probitas ad licitè administrandum pœnitentiæ Sacramentum. Ratio est, tum quia Sacerdos est minister consecratus ad hoc Sacramentum administrandum; minister autem consecratus ad Sacramenta administranda grauiter peccat administrando sine probitate: tum quia Sancta sanctè tractanda sunt, vt fusiùs probaui *de Sacramentis in genere.*

3 Administrans hoc Sacramentū in peccato mortali mortaliter peccat.

3 Hinc sequitur, Sacerdotem administrantem pœnitentiæ Sacramentum in peccato mortali, peccare mortaliter. Secus, si post mortale peccatum commissum disponat se ad gratiam per confessionem, vel per contritionem, antequàm se ingerat administrationi huius Sacramenti; iuxta ea, quæ diximus *de Sacramentis in genere. quæst. 3. punct.2.* Ita Suarez *tom.3.disp.16.* Reginaldus *lib.1. num.161.* Sayrus *de pœnitentia, cap. 26. num. 3.* [Filliucius *tract. 7. cap. 9. quæs.8.*] & alij quamplures, quos de Sacramentis *loc. cit.* retuli.

An verò peccet mortaliter Sacerdos, qui pœnitentem audit, dum habet conscientiam peccati mortalis; sed ad gratiam se disponit per contritionem, antequam beneficium absolutionis impendat, constat ex supradictis.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An in Confessario requiratur scientia.

4 IN Confessario requiritur scientia, vt pœnitentem imperitum docere, & peccata sufficienter discernere valeat. Ratio est, quia sicut Medicus, vel iudex debet artem callere, vt ritè medeatur, vel iudicet; ita Confessarius, qui personam Christi, iudicis, Medici, Pastoris, & Doctoris sustinet, ea nosse debet, quæ ad proprium officium pertinent, vt bene obseruat Suarez *tom.4.disp.28.sect.2. num.6.* Reginaldus *lib.1.num.139.* Sayrus *loco citato, num.2.* Nauarrus, [Filliucius *loco cit. num.254.*] & alij Doctores statim citandi.

5 Exercens hoc officiū extra necessitatem absque sufficienti scientia, grauiter peccat.

5 Hinc sequitur primò, Sacerdotem exercentem officium Confessarij extra necessitatem sine decenti scientia, grauiter peccare; exponit enim se periculo non ritè administrādi pœnitentię Sacramentū.

6 An superior, qui scienter illum tolerat, & permittit, grauiter peccet.

6 Addo non solùm ipsummet Sacerdotem grauiter peccare, verùm etiam superiorem, qui ipsum scienter tolerat & permittit, vt benè docent communiter Doctores.

Obserua tamen fieri posse, vt Sacerdos, qui dubitat se idoneum ad audiendas confessiones, excusetur à mortali, si confessiones audiat, fidem præstans superiori affirmanti ipsum esse idoneum; nam habet sufficientem rationē deponendi scrupulos, seu dubia de propria imperitia. Ita Suarez *disp.28.sect.2.dub.7.* Henriquez *lib.6.cap.26.* Rodriquez *cap.61.* Nauarrus *cap.4.num.9.* Reginaldus *loco citato,* Vasquez *q. 93.art.3.dub.1.ad finem*, & alij communiter.

7 Quænam scire debeat Confessarius.

7 Secundò sequitur Confessarium debere nosse, quæ necessaria sunt ad materiam, & formam Sacramenti, quot, & quales circumstantiæ in confessione sint explicandæ, quoties iteranda sit confessio, quandonam facienda sit restitutio, quodnam sit peccatum mortale, quænam excusent à mortali, necnon alia, quibus censeri possit idoneus iudex, & medicus spiritualis, vt lepram à lepra discernat.

8 An Confessarius ciuitatis debeat esse instructior eo, qui extra vrbem confessiones rusticorum excipit.

8 Addo, sicut maior scientia requiritur in Medico, qui medendis grauioribus morbis adscribitur, ita Sacerdotem, qui confessiones excipit in ciuitate, debere instructiorem esse eo, qui in rure confessiones rusticorum audit; nam grauiores difficultates, & magis implicatæ quæstiones in vrbe, quàm in rure contingunt. Non est tamen necesse Confessarium exactè nosse omnes excommunicationes, vel irregularitates, aut omnes rationes peccatorum, & circumstantiarum; sed sufficit vt ea calleat, quæ frequentiùs accidunt, sciatque de aliis dubitare. Ratio est, tum quia pauciſſimi alioquin reperirentur idonei, cùm pauciſſimi reperiantur, aut nulli, qui rationes, & circumstantias omnium peccatorum discernere valeant: tum quia in casibus particularibus Confessarius posito dubio poterit consultationem à sapientibus petere, aut veritatem inquirere studendo, & sic muneri suo poterit satisfacere.

9 An maior scientia circa Canones requiratur in excipiente confessiones Clericorū, quàm in eo, qui laicos audit.

Caueat tamen Confessarius, ne posito rationabili dubio alicuius excommunicationis pœnitentem absoluat, antequam consilium à sapientibus capiat, vel antequam libros reuoluat ad rei veritatem indagandam; nam fieri potest, vt absolutionem impendat absque iurisdictione; grauiter autem peccat, qui se periculo exponit absoluendi sine iurisdictione. Ita Vasquez *quæst.93.artic.3. dubio1.* Henriquez *lib.6.cap.26.num.1.& 2.* Suarez *disput.28.sect.2.* Coninchus *disput. 8. dub.8. num. 125.* Nauarrus *cap.4. num. 8.* Reginaldus *lib. 1. num. 150.* Zerola *de pœnit. cap. 17. quæsito vnico, vers. Dico quartò*, & alij communiter.

10 Quomodo se gerere debeat Cōfessarius circa difficiles casus, si tunc tēporis consultationē capere nequeat.

9 Addo etiam maiorem scientiam circa Canones, irregularitatem continentes, requiri in Confessario, cui munus incumbit excipiendi confessiones Clericorum, quàm in eo, qui ad confessiones laicorum deputatus est. Quamobrem Confessarius, qui Clericorum confessiones audit, nosse debet casus irregularitatis, aut de illis dubitare, vt admoneat Clericos, quinam actus ipsis prohibeantur, vt patet ex superius allatis rationibus. Ita Nauarrus *loc cit.* Vasquez *loc. cit. num. 3.* & alij contra Caietanum *in summa verb. Confessori necessaria.*

10 Quæres primò, quomodo se gerere debeat Cōfessarius, si difficilis casus accidat in confessione, quem ipse nequeat statim dissoluere, sed indigeat maturiori indagine, aut sapientum virorum consilio. Confessarius autem non possit tunc temporis consultationem capere, aut sufficientem inquisitionem adhibere.

Respondeo Confessarium posse absolutionem impendere, si pœnitens promittat se facturum, quod iudicatum fuerit: pœnitens enim in tali euentu censetur sufficienter dispositus ad beneficium absolutionis recipiendum. Ita Nauarrus *cap.26.num.3.* Sylvester *Confessio 3. num.12.* Henriquez *cap. 26.num.9.* Angelus *verb. Confessio 4. num.4.* Coninchus *disput.8.de pœnitentia dub.16.num.126.* Suarez *disput. 28. sect. 2.* & alij.

11 An Confessarius attendere debeat ad peccata, vt de illis iudicium ferat.

11 Quæres secundò, vtrùm Confessarius debeat inter audiendas confessiones attendere ad peccata, vt de illis iudicium ferat.

Respondeo affirmatiuè; nam hoc Sacramentum exercetur per modum iudicij: sicut autem iudex causam cognoscere debet, vt ea cognita iudicialem sententiam ferat, ita Sacerdos debet crimina pœnitentis cognoscere, vt per modum iudicis sacramentalem absolutionem impendat. Ita Doctores statim citandi.

12 An Cõfessarius audito quolibet peccato teneatur iudicare, an sit mortale, aut veniale.

12 Maior difficultas est, vtrùm Confessarius non solùm debeat attendere ad peccata, verùm etiam teneatur audito quolibet peccato, iudicare, an sit mortale, aut veniale.

Respondeo non teneri in particulari audito quolibet peccato explicitè iudicare esse mortale, aut veniale, sed satis esse, vt audiat, & intelligat peccatum commissum, licèt non posit omnino determinatum ferre iudicium. Ita Suar. *disp.28. sect.2.nu.2.* Nauar. *cap.4. num.9.* Vasq. *q.93. art.3. dub.1.nu.1.* Sylvester *verb. Confessor.3.q.9.nu.13.* Reginaldus *lib.1.nu.147. vers. Itaque*, & alij. Ratio est, tum quia sicut non tenetur Confessarius nosse omnes rationes, & circumstantias peccatorum, vt superiùs diximus, ita non tenetur determinatum de singulis peccatis ferre iudicium; cùm iudicium supponat cognitionem grauitatis peccati, alioquin nullus reperiretur aptus, & idoneus confessionibus audiendis, cùm nullus ferè cognoscat omnes peccatorum rationes, & omnes casus difficiliores. Quamobrem Confessarius in peccatis difficilioribus potest suspendere iudiciũ, dato pœnitenti remedio opportuno, ne incidat, vt bene docet Sylvester *loco citato nu. 13. circa principium.* tum quia Confessarius non tenetur, nec potest in dubiis firmum ferre iudicium, vt si pœnitens dubitet, an consenserit, an sufficientem habuerit deliberationem, &c. nam iudicium ferendũ est iuxta allegata. Cùm ergo pœnitens afferat aliquando materiam dubiam, non tenetur Confessarius firmiter iudicare, sed videtur satisfacere attendendo ad singula peccata, quibus auditis, & intellectis videtur virtualiter ferre iudicium eo modo, quo ea cognouit.

13 An valide absoluatur pœnitens, qui bona fide confitetur Confessario nescienti discernere inter peccatum mortale, & veniale, inter reseruatum, & non reseruatum, validè absoluatur.

13 Quæres tertiò, vtrùm pœnitens, qui bona fide confitetur Sacerdoti nescienti discernere inter peccatum mortale, & veniale, inter reseruatum, & non reseruatum, validè absoluatur.

Respondeo iuxta suprà dicta validè absolui. Ratio est, tum quia concurrunt omnia necessaria ad validam absolutionem; adest enim forma cum iurisdictione, & intentione Confessarij: adsunt etiam tres actus pœnitentis capacis absolutionis, vt suppono; ergo valida est absolutio: tum quia sequeretur pœnitentem, qui bona fide confessus est sua peccata Sacerdoti nescienti discernere circumstantias mutantes speciem, obligari ad iterum confitenda eadem peccata, quod non videtur admittendum, cùm iam confessus sit actum, & peccatum, quod subiicere tenebatur confessioni. Ita Vasquez, Coninchus, Nugnus, & alij Doctores statim citandi.

14 An valeat confessio, quãdo Confessarius iniustè absoluit, vel errat in imponenda salutari pœnitẽtia.

14 Hinc sequitur primò, cõfessionem pœnitentis bona fide factam Sacerdoti ignoranti, & absolutionem ab huiusmodi Sacerdote collatam validam esse. Quamuis Confessarius iniustè absoluat, aut erret in imponenda pœnitentia salutari, & in peccatis ob inscitiam discernendis. Ita Vasquez *quæst. 93. art. 3. dub. 2.* Petrus Sotus *lectione 9. de confessione*, Medina *Codice de confessione iteranda ob defectum Confessarij*, Coninch. *disp.6.dub.5.num.18.* Nugnus *in additionibus quæst. 8. art. 5. dub.4. ad finem.* Suarez *disp.22. sect.6. num. 4. & disp.28. sect.2.* Reginaldus *lib.1.num.141. & num.161.* & alij, omissis iis, quos suprà retuli de peccatis, & circumstantiis in confessione aperiendis. Quidquid dicat Sylvester *Confessio 1. num. 3.* Victoria & alij apud Suarez *loco citato.*

15 An pœnitens teneatur iterũ confiteri peccatum alias confessũ, quod nunc cognoscit esse mortale, sed ipsius grauitatem antea ignorabat.

15 Secundò sequitur, eum, qui confessus est peccatum, quod ipse pœnitens, aut etiam Confessarius nesciebat, vel dubitabat esse mortale, & postea consultis viris doctis, vel acquisita maiori peritia cognoscit esse mortale, non teneri illud iterum subiicere confessioni. Ratio est, tum quia pœnitens sufficienter manifestauit suum peccatum: tum quia adsunt omnia necessaria ad substantiam Sacramenti, ad cuius valorem non requiritur vt Confessarius manifestè sciat peccatum sibi explicatum esse mortale. Ita Suarez *disp.28. sect.2. num.14.* Sanchez *loco statim citando.* Coninchus *disp.6.dub.5.num.18.* Nugnus *loco citato, vers. Aduertendum est*, & alij. Secus dicendum est, si pœnitens sub dubio confessus sit aliquod peccatum, vt si dixit se dubitare, an aliquem percusserit, vel aliquam feminam concupierit, vel in aliam tentationem consenserit: hic enim si post confessionem certò cognoscat se feminam concupiuisse, vel aliquem percussisse, vel in certam aliam tentationem consensisse, tenetur iterum confiteri; quia non plenè manifestauerat suum peccatum, vt à parte rei commissum fuerat. Ita Sanchez *in summa lib.1.cap.10.* & alij, quos suprà retuli *de conditionibus ad confessionem requisitis.*

TERTIA PROPOSITIO.

16 An in Confessario requiratur prudentia, & diligentia.

16 IN Confessario requiritur prudentia, solicitudo, & diligentia in præbendis pœnitenti opportunis, & debitis remediis, & in iis ritè præstandis, quæ ad proprium ipsius Confessarij officium pertinent. Hæc propositio per se clara est, lumine naturæ dictante, iudicem, Medicum spiritalem, Pastorem, & Doctorem debere ea præstare, quæ ad proprium munus spectant, sumpta similitudine à Medico ad corporis morbos deputato, à iudice in causis temporalibus pro tribunali sedente, ab Aduocato, &c.

17 An Cõfessarius teneatur instruere pœnitentem.

17 Ex hac propositione sequitur, Confessarium teneri ea docere pœnitentem, quæ prudenter iudicauerit saluti pœnitentis expedire, & ad proprium officium pertinere. Vtrùm verò teneatur admonere pœnitentem, quando non sperat ex admonitione fructum, constat ex dictis *de matrimonio q.3.punct.vltimo*, ad quæ vos remitto.

18 Quo tẽpore Confessarius pœnitẽtiã absoluere debeat.

18 Secundò sequitur, Confessarium debere pœnitenti absolutionem impendere, postquam pœnitens in confessione sua peccata manifestauit, nisi prudentia, vel ratio proprij officij aliter dictet. Ratio est, tum quia iudex audita causa debet reo, quem absolutione dignũ existimat, absolutionem conferre: tum quia Confessarius imprudenter ageret, iniustè onerando pœnitentem ad eadem peccata alteri Sacerdoti explicanda. Ita Sotus *distinct.18.quæst.2. art. 5.* Nauarrus *de pœnitentia dist. 7. cap. si quis, num.16.* Henriquez *lib. 6. cap. 27.num.5.* Suarez *disput.32. sect.2.num.3.* Reginaldus *lib.2.nu.n.23.* & alij communiter.

Non nego tamen, quin Confessarius aliquando possit absolutionem differre, vt interim probetur pœnitens iuxta regulas prudentiæ, vt à simili patet in iudice, qui iusta interueniente causa potest libertatem reo denegare.

19 An Cõfessarius possit absoluere pœnitentẽ, nondum facta restitutione.

19 Quæres primò, vtrùm Confessarius impendere possit absolutionem habenti obligationem restituendi, vel aliquid aliud faciendi, antequam actualis restitutio, vel aliquid aliud fiat à pœnitente.

Respondeo affirmatiuè, modò pœnitens firmum habeat propositum faciendi quàm primùm, quod facere tenetur. Ratio est, tum quia præceptum restitutionis non obligat ad restitutionem statim metaphysicè faciendam, sed moraliter, vt diximus de restitutione: tum quia fieri potest, vt pœnitens sit sufficienter dispositus ad beneficium absolutionis recipiendum, etiam si suæ obligationi nondum satisfecerit.

Dixi, *modò habeat propositum firmum*, &c. nam si Confessarius credat pœnitentem non habere firmum propositum satisfaciendi quàm primum suæ obligationi, denegare debet absolutionem, quia pœnitens non censetur sufficienter dispositus, cùm inter ceteras pœnitentis dispositiones requiratur propositum vitandi peccata in futurum, & consequenter satisfaciendi quàm primùm præceptis, & obligationibus. Quamobrem si Confessarius aduertat, pœnitentem aliàs data opportunitate, non satisfeciſſe suæ obligationi, debet vtplurimum denegare absolutionem, tum quia denegatio absolutionis prodesse solet pœnitentibus, qui tardiores sunt in restitutionis onere persoluendo, vt me longa docuit experientia in pœnitentiarij munere obeundo; tum quia sufficientem habet præsumendi rationem, pœnitentem in futurum suæ obligationi non satisfacturum, vel saltem propositum pœnitentis non esse firmum, & efficax. Ita Suarez *de pœnitentia disp.3. sect.2. num.3.* Nauarrus *cap.26.num.5.* Reginaldus *lib.8.num.16.* Caietanus *verb. Restitutio cap.6.* & alij apud Suarez *loco citato*, omissis iis, quos in simili retuli *in tractatu de restitutione*, vbi hanc doctrinam fusius explicaui, & in simili *de matrimonio*, dum loquerer de concubinatu.

20 An Pãrochus possit à Sacramentis eos repellere, qui decimas non soluunt.

20 Ex doctrina in præcedenti quæsito tradita colligi potest solutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm Parochus, cui soluendæ sunt decimæ, oblationes, vel primitiæ, possit à perceptione Sacramentorum repellere, aut Ecclesiastica sepultura priuare eos, qui decimas, oblationes, vel primitias Parocho non soluunt.

Respondetur enim Parochum posse, & debere non tamquam iudicem, sed tamquam ministrum Sacramentorum à susceptione Sacramentorum repellere non soluentes decimas, oblationes, &c. si cognoscat eos animo paratos esse ad non soluendum data opportunitate. Ratio est, quia pœnitens non est sufficienter dispositus ad dignè suscipienda Sacramenta; Parochus autem non potest indignè petenti Sacramenta administrare, iuxta dicta *de Sacramentis in genere.*

Parochus tamen, cui competit ius decimarum, &c. vt euitet scandalum, & suspicionem vsurpatæ sibi alienæ potestatis, debet coram aliis protestari pœnitentem repelli à Sacramentis, non quia pœnitens deneget, quod Parocho debetur; sed quia non vult suæ conscientiæ consulere, seque ad dignè suscipienda Sacramenta præparare. Si verò pœnitens paratus sit ad decimas, & oblationes data opportunitate præstandas; Parochus non potest Sacramenta denegare. Ratio est, tum quia pœnitens censetur dispositus ad sumenda Sacramenta; pœnitenti autem ad sumenda Sacramenta dispositio Parochus non potest Sacramenta denegare: tum quia Parochus non potest vsurpare sibi iurisdictionem, & potestatem superioris: ad superioris autem potestatem pertinet priuare susceptione Sacramentorum: tum quia nullus est iudex in propria causa.

Ex quo patet à fortiori, Parochum non posse pœnitentem Ecclesiastica sepultura priuare ob decimas non solutas. Hoc enim ius competit superiori, & iudici in foro externo. Ita S. Thom. *2.2.q.76.art.1.* Caietanus *ibidem*, Nauarrus *cons. 2. de Decimis.* Genuensis *in Praxi Neapolitana cap.61. in annotationibus num.10.* & alij.

21 An Cõfessarius teneatur pœnitentẽ de obligatione restitutionis admonere.

21 Quæres secundò, vtrùm Confessarius teneatur pœnitentem de obligatione restitutionis faciendæ admonere.

Respondeo teneri admonere, quoties iudicauerit expedire, iuxta dicta in propositione, & iuxta ea, quæ tradidi *de matrimonio q. 3. punct. vltimo.*

22 An Cõfessarius teneatur reſarcire dãna, si non admoneat pœnitentẽ de obligatione restitutionis.

22 Maius dubius est, vtrùm Confessarius, qui pœnitentem non admonuit de restitutione facienda, teneatur resarcire damnum, quod tertius patitur ob prætermissam à Confessario admonitionem.

Respondeo, solutionem huius quæsiti constare ex dictis de restitutione *disp.1. quæst.2. punct.11. nu.13.* vbi ostendi Confessarium, qui non admonet pœnitentem de restitutione facienda, non teneri ad restitutionem; quia Confessarius nullam actionem iniustam exercet contra tertium, cui pœnitens restitutionem facere tenetur. Quamquam Confessarius peccat contra proprium officium erga pœnitentem, non adhibendo debitam solicitudinem, & diligentiam in sacro ministerio exercendo. Ita præter Doctores citatos *loco citato de restitut. disp.32. de pœnitentia sect.6.num.9.* Coninchus *disput.8. dub.17. nu. 144.* Reginaldus *lib.2.nu.43.* Henriquez *loco citato cap.18.num.4.* [Filliucius *tract.7.cap.12. quæs.7.num.375.*] & alij contra Nugnum *in additionibus quæst.8.artic.4.dubio 5. ad finem, pag.276.* & alios antiquiores Doctores, quos adduxi *loco prædallegato de restitutione.*

Hoc

Hoc tamen intelligitur, modò Confessarius prætermiserit solùm admonitionem; nam si non solùm prætermisit admonitionem, verùm etiam ex culpa lata, seu ex ignorantia crassa, aut scienter dixit, seu consuluit pœnitentem non teneri, tenetur ipse ad restitutionem damni, quod tertius patitur; nam culpabiliter exercuit actionem damnificatiuam tertio, vt benè docet Vasquez *de pœnitentia quæst.* 93. *dub.* 8. *ad finem.* Suarez, [Filliucius,] & alij Doctores citati; ex iniusta autem damnificatione oritur obligatio restituendi.

Hanc tamen limitationem adhuc sublimita, nisi Confessarius iterum opportunè admoneat pœnitẽtem de restitutione facienda; nam opportunè admonendo retrahit influxum, quem exhibuerat in damnum tertij, vt inquiunt Doctores citati, præter alios, quos adduxi *de irregularitate, & de restitutione*, tum in genere, tum propter homicidium.

Ex quo infertur Confessarium, qui non admonuit pœnitentem de restitutione facienda, vel malè admonuit, vel malè consuluit, posse pœnitentem iterum admonere, aut consilium reuocare tum in sequenti confessione, tum etiam extra confessionem, petita priùs licentia alloquendi ipsum pœnitentem de auditis in confessione, vt patet ex dictis *de sigillo*. Ita Coninchus *loco citato*, & alij, quos retuli *de sigillo confessionis*.

23 Quando nam Parochus teneatur confessiones pœnitentis audire.

23 Quæres tertiò, vtrùm Parochus, aut alius curam animarum habens, teneatur pœnitentis confessionem toties audire, quoties pœnitens vult confiteri.

Respondeo regulariter teneri quoties pœnitens rationabiliter petit, & expedit saluti pœnitentis, nisi fortè Parochus tunc temporis seriis detineatur negotiis, ita vt pœnitentem audire nequeat. Ratio est, tum quia subditus habet ius petendi: & Sacerdos tenetur ex officio Sacramenta administrare, & subditorum saluti consulere; ergo tenetur toties audire, quoties expedit saluti pœnitentis. Ita Nauarrus *cap. placuit. dist. 6. num.* 151. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *artic.* 2. Franciscus Pitigianus *dist.* 17. *quæst. vnica art.* 4. Suarez *disput.* 32. *sect.* 1. *num.* 4. [Filliucius *cap.* 7. *nu.* 352. *& seq.*] Henriquez *lib.* 6. *cap.* 27. Nugnus *in additionibus q.* 8. *art.* 4. *dubio* 3. Vasquez *q.* 93. *art.* 3. *dubio* 6. Zerola *in praxi de Sacramento pœnitentiæ cap.* 16. *quæsito* 5. Saytus *de pœnitentia cap.* 23. *num.* 2. & alij, quos in simili retuli *de Eucharistia* [*disput.* 4. *quæst.* 5. *punct.* 1. *num.* 14.] contra Fumum *verb. Absolutio num.* 28. Syluestrum *verb. Confessor* 1. *nu.* 54. Medinam *Codice de cõfessione quæst.* 38. Armillam *verb. Absolutio n.* 27. Reginaldum *lib.* 1. *nu.* 81. & alios apud Suarez *num.* 3. & apud Nugnum *loco citato*, asserentes, non teneri, nisi quoties pœnitens tenetur sub mortali confiteri, quod accidit semel in anno, aut in periculo mortis, aut quando confessio est pœnitenti necessaria ad aliquod mortale peccatum præcauendum; & Nugnus *loco citato concl.* 3. à mortali peccato excusat Parochum, qui semel aut iterum denegat confessionem petenti rationabiliter; nam hæc videtur materia leuis, inquit Nugnus.

Sed hoc mihi difficilè persuadeo; nam si omissio vnius confessionis censeretur materia leuis, sequeretur illum, qui semel in anno confessionem prætermittit, quam ex præcepto Ecclesiæ facere tenetur, vel qui confessionem ex voto, vel ex iniuncta pœnitentia semel, aut iterum omittit, non peccare mortaliter, quod non videtur admittendum, vt patet ex dictis *de promissione, & de voto.*

Non existimo tamen improbabilem Nugni, & aliorũ opinionem, potius ob auctoritatem, quàm propter rationem; sicut etiam probabiliter censeo excusari posse Parochum, qui præcisa pœnitentis necessitate, aut magna vtilitate semel, aut iterum negat, aut differt hoc Sacramentum conferre, præsertim si pœnitens importunè, & nimis frequenter confiteri velit; nam habenda etiam est ratio aliorum negotiorum, & obligationum, quibus premuntur Parochi, qui non tenentur maximum laborem, & diligentiam adhibere, sed moderatam iuxta prudentis iudicium. Ita Suarez *loco citato, num.* 5. & alij, quos in simili retuli *de restitutione*, dum quærerem, ex qua culpa teneantur superiores, & consulentes.

24 An teneatur audire tempore Paschatis, & Indulgentiæ.

24 Hinc sequitur primò, Parochum teneri, per se, vel per alium idoneum Confessarium audire pœnitentem volentem confiteri tempore Paschatis, aut ratione Indulgentiarum, aut quia solet tali tempore confiteri, aut quia cupit ab onere peccatorum liberari, &c. Parocho enim ex officio incumbit cura ministrandi Sacramenta subditis, & ipsorum saluti consulendi cum debita solicitudine, & diligentia.

25 Quando nam Episcopus teneatur cõfessiones subditorũ audire.

25 Secundò sequitur, Episcopum teneri confessiones subditorum audire, saltem in graui necessitate, si petatur: sicut enim Parocho, ita etiam Episcopo incumbit ex officio cura procurandæ salutis suorum subditorum. Præcisa verò graui necessitate, facilè potest Episcopus excusari; cùm habeat vniuersalius regimen, & alia quàm plura negotia, quibus detinetur. Quamobrem, si Episcopus petatur ad audiendas confessiones, potest remittere petentem ad proprium Parochum, vt ab ipso, vel ab alio substituto audiatur; nam obligatio audiendi confessiones regulariter pertinet ad Parochos, qui à fidelibus alimenta recipiunt, vt Sacramenta administrent, & Episcopi non adeò strictè obligantur Sacramentum pœnitentiæ subditis administrare, quin præcisa subditorum necessitate possint à mortali excusari, vt patet ex allata ratione. Ita Suarez *loco citato num.* 2. Reginaldus *num.* 81. Nugnus *loco citato dub.* 4. [Filliucius *tract.* 7. *cap.* 12. *quæst.* 1. *num.* 351.] & alij.

26 An Cõfessarius teneatur absoluere pœnitentẽ habentem opinionem probabilẽ, cuius contrariam Confessarius sequitur.

26 Sed modò dubium est, vtrùm Confessarius, siue sit Parochus, siue Episcopus, siue alius, teneatur absoluere pœnitentem habentem opinionem probabilem, cuius contrariam sequitur ipse Cõfessarius.

Respondeo affirmatiuè cum Suarez *disp.* 32. *sect.* 5. *num.* 4. Sayro *de Sacramento pœnitentiæ cap.* 35. *num.* 2. Nugno *in additionibus q.* 8. *art.* 4. *dub.* 4. *ad finem.* Henriquez *lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 26. *pag.* 319. Coninchо *disp.* 8. *dub.* 17. *nu.* 135. Sanchez *in summa lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 29. Azorio 1. *parte lib.* 2. *cap.* 17. *quæsito* 10. Vasquez 1. 2. *d.* 62. *cap.* 7. *n.* 40. Claue Regia *lib.* 1. *cap.* 9. Zerola *de pœniten. cap.* 22. *quæsito* 3. *versic. Dico secundò, ad finem.* [Filliucio *tract.* 7. *cap.* 12. *quæst.* 5. *n.* 368.] & alijs. Ratio est, tum quia Confessarius non potest pœnitenti ritè dispositò absolutionem denegare, sed tenetur ex officio cum debita solicitudine, & diligentia ipsum ad Sacramenta susciptenda promouere: pœnitens autem, qui sequitur opinionem probabilem, non dicitur minus dispositus, cùm licitè, & tutè sequi possimus opinionem probabilem, vt ostendi in tractatu de peccatis: tum quia pœnitens cogeretur coram alio confessionem repetere, quod per se loquendo videtur grauiter onerosum, nisi paruitas materiæ excuset, sicut excusare potest quando confessio est breuis, & non est de peccatis mortalibus satis grauibus, in quorum explicatione pœnitens grauiter erubescat.

27 Differẽtia inter Confessarium, qui tenetur ex officio; & eum, qui non tenetur ex officio confessiones audire.

27 Hæc tamen est differentia inter Confessarium, qui tenetur ex officio audire pœnitentem, & alterum, qui non tenetur audire, quòd licèt Cõfessarius, qui non tenetur ex officio audire pœnitentẽ, possit eum non audire, illiq; dicere, quoties ita iudicauerit expedire, se amplius ipsius confessionẽ non auditurum, nisi talem sententiã deferat; nihilominus vterque tenetur auditis peccatis pœnitentis opinionẽ probabilem sequentis absolutionem impendere, alioquin iniuriam illi inferre videretur; denegaret enim absolutionem ritè dispositò, & esset causa, vt pœnitens iterum cogeretur eadem peccata alteri Sacerdoti aperire. Ita Coninchus, Nugnus, & alij *locis citatis*; quamuis nonnulli Doctores existiment Confessarium, qui non tenetur confessiones excipere, posse prædicto pœnitenti absolutionem denegare.

28 An confessarius possit absoluere pœnitentem, antequam deserat peccandi occasionem.

28 Quæres vltimò, vtrùm Confessarius possit absoluere pœnitentem, antequam deserat peccandi occasionem, exempli gratia, antequam dimittat concubinam, quam domi retinet, aut alibi.

Respondeo, hanc difficultatem à me hic aliàs explicatam fuisse. Verùm quia eius solutio sufficienter colligi potest ex dictis *de matrimonio q.* 4. *puncto* 14. *num.* 11. *de concubinatu*, duxi eam hic prætermittere, vt consuetam breuitatem amplectar.

PVNCTVM V.

De absolutione à casibus reseruatis.

CAsus reseruatus, de quo nobis hic agendum est, dicitur à cadendo, & accipitur pro crimine mortali exteriori, in quod qui labitur, non potest à quolibet Confessario absolui; cùm facultas absoluendi à crimine reseruato adimatur, aut non concedatur omnibus Sacerdotibus. In hoc puncto explicabimus,

Primò, vtrùm superior sibi reseruare possit peccata, & quænam.

Secundò, quis possit à casibus reseruatis absoluere.

Tertiò, vtrùm superior possit auditis solis reseruatis absoluere, & inferior, auditis omnibus, absoluere à non reseruatis, remisso pœnitente pro reseruatis ad superiorem.

Quartò, vtrùm Confessarius, qui dubitat aliquod peccatum esse reseruatum, aut se illius absoluendi facultatem habere, possit absolutionem conferre.

Quintò, vtrùm pœnitens, qui tempore Iubilei, aut virtute alterius facultatis absoluitur à reseruatis, remaneat absolutus a peccatis reseruatis, si quæ per obliuionem prætermisit in confessione, aut si non præstitit opera, quæ ad consecutionem Iubilei requiruntur.

§. I.

Vtrùm superior possit sibi reseruare peccata, & quænam.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An legitimus superior possit sibi reseruare peccata.

1 LEgitimus superior potest reseruare sibi aliquorum grauiorum criminum absolutionem. Ratio est, quia superior potest id, quod saluti animarũ expedire iudicat; reseruatio autem expedire potest ad salutem animarũ, vt pœnitentes à peccatis faciliùs retrahãtur.

2 An valeat reseruatio, si superior illicitè reseruet.

2 Addo reseruationem, etiamsi fortè superior aliquando illicitè reseruet, validam esse, & absolutionem datam post reseruationem inualidam esse. Ratio est, tum quia, cùm inferior iurisdictionem accipiat à superiore, & non possit validè absoluere absque iurisdictione, sequitur inferiorem non posse validè absoluere, posita reseruatione, cum superior per reseruationem adimat inferiori facultatem absoluendi, vt benè obseruat Coninchus *disp.* 8. *dubio* 11. *num.* 78. nec dissentire videtur Suarez *disput.* 29. *sect.* 4. [Filliucius *tract.* 7. *cap.* 10. *quæst.* 3. *num.* 280.] quidquid dicat Reginaldus *lib.* 1. *num.* 127. cum Soto: tum quia sicut pœnitens non censetur absolutionem, aut facultatem confitendi cui voluerit, obtinuisse quoties Parochus ipsi malitiosè negat facultatem confitendi, aut quoties non vult ipsum audire, vt asserit Suarez *disput.* 27. *sect.* 4. *num.* 20. cum S. Thom. Nugnus *in additionibus q.* 8. *art.* 5. *dub.* 2. *ad finem.* Reginaldus *lib.* 1. *num.* 84. Victoria *de Sacramentis num.* 145. & alij contra Paludanum; ita non censetur absolutus, qui absolutionem obtinuit post reseruationem illicitè factam à superiore.

In propositione dixi, *legitimus superior*, vt aduerterem casuum reseruationem non ad quemlibet superiorem pertinere; nam ad eum pertinet casuum reseruatio, ad quem spectat approbatio, & iurisdictionis concessio; ad quem enim pertinet facultatem absoluendi concedere, ad eumdem videtur pertinere absoluendi facultatem auferre, aut limitare. Hæc autem facultas competit Summo Pontifici in toto orbe: Episcopo in sua diœcesi: Concilio Prouinciali in Prouincia: Generali in sua Religione: & sic de ceteris.

[Obserua tamen saluti animarum expedire, vt superiores non multos casus reseruent, tam respectu Regularium, quam sæcularium, ne confessio nimis onerosa efficiatur, ob id Clemens VIII. certos prascripsit casus, qui pro Religiosis reseruari possunt. Vide Suarez *disp.* 29. *sect.* 3. *num* 12. Filliucium *tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 275. *& seq.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Quænam peccata reseruari possint.

3 PEccata, quæ reseruari consueuerunt, non sunt peccata interna, aut venialia, sed peccata mortalia externa. Hæc propositio tres habet partes. Prima est non reseruari peccata interna. Ratio est, quia

quia cùm Ecclesia præcipuè spectet externa, non est necesse vt reseruet peccata merè interna, sed aliqua mortalia externa. Ita Suarez *disput.29.sect.3.nu.3.* Coninchus *loco citato nu.79.* & alij. Quamquam superiores de potestate absoluta possunt reseruare peccata merè interna denegando Sacerdotibus facultatem absoluendi peccata interna, vt docet Graffius *in appendice ad decisiones lib.1.cap.7.n.24.* Nugnus *in additionibus q.8.art.5.dubio 10.* Reginaldus *lib.1.nu.128.* Sotus *in 4. dist.18.q.2.art.5.* Suarez *loco citato.* Vasquez *de pœnitentia q.91.art.3. dub.3.n.2.* Bartholom. Medina *1.2.q.91.art.4.* Homobonus *de casibus reseruatis 1.parte c.3.assert.2.* [Filliucius *tract.7.cap.10.quæst.2.nu.271. & seq.*] Ratio est, quia non potest vlla sufficiens ratio afferri ad ostendendum hoc fieri non posse, cùm iurisdictio pendeat à voluntate concedentis, qui potest sibi facultatem absoluendi peccata interna reseruare.

Secunda pars propositionis est, peccata venialia non reseruari. Ratio est, quia fortè non expedit ea reseruari ob facilem lapsum in peccata venialia, non tamen repugnat etiam venialia reseruari saltem à Summo Pontifice, ita vt non possint à quolibet Sacerdote sacramentaliter remitti, dum aliquis ea confitetur, vt patet ex ratione allata de peccatis internis. Ita Suarez *loco citato.* Coninchus *loco citato num.80.* Nugnus *loco citato dubio 10. ad finem.* Miranda *loco* statim *citando.* Graffius *lib.1.decis.cap.10.* Homobonus *parte 1.cap.3.assert.1.ad finem.* [Filliucius *loc. cit.*] & alij contra Vasquez *quæst.91.artic.3. dub.2.* Reginaldum *lib.1.num.126.* & alios.

Tertia pars propositionis est, aliqua solùm peccata mortalia externa reseruari. Ratio est, quia hæc cadunt sub iudicium Ecclesiæ, & eorum reseruatio saluti animarum conducere potest.

4 An incurrat casum reseruatum, qui facit opus externum non sufficiens ad mortale.

4 Hinc sequitur eum, qui facit aliquod opus externum, quod non est sufficiens ad mortale peccatum, non incurrere casum reseruatum, etiamsi animus internus fuerit peccaminosus mortaliter, vt in simili ostendi de excommunicatione, de incestu, & de peccato nefando; nam ad incurrendum casum reseruatum requiritur opus externum: immo etiam completum, quatenus ex verbis reseruationis colligatur; tum quia verba accipienda sunt cum effectu, *l.1.§. hæc verba. ff. quid quisque iuris.* tum quia versamur in materia odiosa. Ita Suarez *loco citato.* Nauarrus *cap.27.nu.62.* Graffius *lib.4.decis. cap.18. num.62.* Homobonus *loco citato assert.2.verf.insuper.* Henriquez *lib.6.cap.14. num.6.in commentario.* Miranda *in Manuali Prælat. tom.2.q.34.art.4.* & alij communiter.

§. II.

Quinam potestatem habeant absoluendi à casibus reseruatis.

IN prima propositione loquemur de habentibus potestatem ordinariam, in secunda de iis, qui delegatam habent facultatem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quinam habeant facultatem ordinariã absoluendi à reseruatis.

1 SVperior, qui reseruauit, & superior ipsius reseruantis habet facultatem ordinariam, & directam absoluendi à casibus reseruatis. Ratio est, quia qui potest ligare, potest etiam soluere: [& res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur.]

2 An inferior possit à reseruatis absoluere, remissiuè.

2 Vtrùm verò inferior possit à casibus reseruatis absoluere, constat ex dictis de censuris, & ex dictis de dispensationibus in tractatu de legibus.

3 An Summus Pontifex possit reseruationem ab Episcopo positam tollere.

3 Hinc sequitur absolutionem reseruatorum impendi posse, non solùm ab Episcopo, qui peccatum reseruauit, verùm etiam à Summo Pontifice, nam quæ potest Episcopus in sua diœcesi, potest etiam Summus Pontifex in toto orbe.

Idem dicendũ est de Generali alicuius Religionis respectu casuum reseruatorum à Prouinciali, & de Episcopo respectu casuum reseruatorum à suo subdito, & inferiore, si fortè detur casus, vt aliquis Episcopo inferior facultatem habeat reseruandi. Archiepiscopus verò non potest absoluere à casibus reseruatis ab Episcopo, licèt suffraganeo, nam Archiepiscopus non est superior in hoc foro, exceptis quibusdam casibus, quos sequenti quæsito enumerabo, & enumerauí *in tract.de censuris disp.1.q.3.punct.2.num.7.* Ita Suarez *disp.30.sect.1.* Coninchus *disp.8. dub.12.* & alij Doctores statim citandi, omissis iis, quos in simili retuli *de legibus.*

4 Differentia inter reseruationẽ Summi Pontificis, & Episcopi.

4 Hic tamen obiter notanda est differentia inter reseruationem Summi Pontificis, & reseruationem Episcopi, vel Archiepiscopi, quòd Summus Pontifex nullum peccatum reseruare consueuit, nisi ratione excommunicationis, seu censuræ adiunctæ, cuius censuræ absolutione obtenta pœnitens à quolibet Confessario absolui potest, nam per absolutionem censuræ obtentam à Summo Pontifice, vel ab alio facultatem habente tollitur reseruatio. Ita Nauarrus *cap.27.nu.261.* Reginaldus *lib.1.nu.129.* Coninchus *disp.8.dub.11.nu.82.* Suarez *de pœnitentia disp.29.sect.2.nu.11.* Sanchez *in opere morali lib.2.cap.8. num.5.* Henriquez *lib.6.cap.14. num.1.* & alij communiter. Quamuis contrarium asserere videatur Vasquez *de pœnitentia, q.91.art.3. dubio 1. num.15.*

5 An Archiepiscopus possit subditos suffraganeorum à reseruatis absoluere.

5 Quæres, vtrùm Archiepiscopus possit subditos suorum Suffraganeorum à casibus reseruatis absoluere.

Respondeo negatiuè, excepto casu visitationis Prouinciæ, vel causa appellationis ad ipsum, vt patet tum ex dictis de censuris, tum ex *cap.vltimo de censibus in 6.* In his enim casibus censetur superior, consequenter potest per seipsum absoluere, & absoluendi facultatem aliis delegare, cùm habeat potestatem ordinariam tempore visitationis Prouinciæ, vel appellationis ad ipsum. Ita Henriquez *lib.6. cap.7.nu.5.& cap.16.* Graffius *loco citato cap.9. num.19.* Suarez *disput.25.sect.1. num.14.& disp.30.sect.2.num.8.* Coninchus *disp.8. dubio 3. num.21.* Reginaldus *lib.1.num.33.& 34.* [Filliucius *tract.7.cap.7. quæst.9.num. 196.& cap.10.nu.281.*] & alij, quos in simili retuli *de censuris.*

6 An Episcopus absolui possit ab Archiepiscopo.

6 Addit Henriquez *loco cit.n.5.in commentario littera A.* Episcopum absolui posse ab Archiepiscopo, quia Archiepiscopus est ipso superior, si ei se subiiciat, vt patet à simili ex dictis *in secundo Decalogi præcepto de commutatione voti, quam Religiosi ab Episcopis obtinent*; quamquam Archiepiscopus non est immediatus superior subditorum Episcopi suffraganei, excepto casu visitationis, vel appellationis.

7 An Episcopus incidens in casum Summo Pontifici reseruatũ, possit à proprio Confessario absolui.

7 Ex qua doctrina Henriquez, & alij, quos retuli *loco citato de voto*, colligunt solutionem illius difficultatis, qua quæritur, à quo possit absolui Episcopus incidens in casum occultum Papæ reseruatum. Respondent enim primò absolui posse ab Archiepiscopo, si Archiepiscopus facultate fulgeat absoluendi ab huiusmodi casu, vt patet ex ratione allata.

Secundò Episcopum incidentem in casum reseruatum Summo Pontifici, absolui posse à Confessario, quem Episcopus elegerit, si Episcopus facultatem habeat absoluendi alios in eumdem casum incidentes. Ratio est, tum quia Episcopus non est deterioris conditionis aliis: alij autem non cogũtur adire Sedem Apostolicam in casibus occultis Summo Pontifici reseruatis, sed possunt ab Episcopo absolui, vel ab alio Confessario ab Episcopo deputato iuxta formam decreti Concilij Tridentini *sess.24. cap.6.* Tum quia sic censuit Cardinalium Congregatio, in qua declaratum fuit Episcopum posse proprium Confessarium deputare ad sibi conferendam absolutionẽ cum ea facultate, quam Episcopus potest in suos subditos exercere. Ita Sanchez *in summa lib.2.c.11.n.11.& lib.8.de matrimonio disput.3.num.3.* Henriquez *lib.6.c.7.num.5.littera A.* Nugnus *in additionibus quæst.8.artic.5.dub.11.conclus.2.* [Filliucius *tract.7.c.10. quæs.5.nu.287.*] & alij, quos retuli in simili *de voto, & de irregularitate q.5.puncto 1. nu.8.*

Quam verò facultatem habeat Episcopus ad impendendam absolutionẽ censurarum Summo Pontifici reseruatarum, constat ex dictis *de censuris disp.1.q.3.punct.2.* sicut etiam ex dictis *de legibus q.1.punct.6.* patet, vtrùm Episcopus incurrat casum reseruatum à se latum.

SECVNDA PROPOSITIO.

8 Quinam habeãt facultatem delegatam absoluendi.

8 ILle facultatem habet delegatam absoluendi à reseruatis, qui facultatem obtinuit à superiore habente ordinariam. Hæc propositio patet à simili ex dictis de censuris. Ratio est, quia qui facultatem habet ordinariam, potest eam per se loquendo alteri committere. Ita communiter Doctores.

9 An Confessarius Mediolanensis habens facultatem delegatam, possit peregrinos ad se accedentes à peccatis absoluere.

9 Quæres primò, vtrùm Confessarius Mediolanensis, qui facultatem habet hic Mediolani absoluendi à reseruatis possit ab iisdem absoluere iter agentes, aut peregrinum.

Respondeo Confessarium Mediolanensem, etiam si non habeat facultatem absoluendi à reseruatis, posse absolutionem impendere iter agentibus, aut peregrinis habentibus casus reseruatos proprio ipsorũ peregrinorum Episcopo, modò non sint reseruati hic Mediolani. Ita Suarez *disp.30.sect.1.n.4.* Vasquez *q.93.art.1.dub.4. ad finem.* Reginaldus *lib.8.n.68.* Caietanus *verb.Absolutio 2.* Nauarrus *cap.27. nu.275.* Henriquez *lib.6.cap.14.n.9.* [Filliucius *c.7.n.283.* Molfesius *tract.7.c.21.n.53.*] & alij recentiores contra Medinam *lib.1.cap.10.* Nugnum *in additionibus q.8.artic.5.dub.10.* Sotum *in 4.dist.18.q.2.art.4.* Graffium *loco suprà citato nu.56.* Zerolam *in praxi de pœnitentia cap.15. quæsito 8.* [Comitolum *cap.1.quæst.28.*] & alios. Ratio est, tum quia Confessarius non tenetur scire casus aliis Episcopis reseruatos, alioquin multis premeretur scrupulis ferè semper dubitans aliquem casum esse aliis Episcopis reseruatum: tum quia reus iudicari solet iuxta leges, & consuetudines loci, in quo reperitur.

10 Quid fiet, si peregrinus habeat casus reseruatos vtrique Episcopo.

10 Ex qua ratione sequitur primò, iter agentem, si habeat casus reseruatos vtrique Episcopo, videlicet Episcopo proprij domicilij, & Episcopo loci, in quo reperitur, non posse absolui, nisi a Confessario habente facultatem absoluendi à reseruatis, nam iudicandus est iuxta leges loci, in quo reperitur. Ita Nauarrus *loco citato, num.261.* Suarez *loco citato num.15.* & alij.

11 An simplex Sacerdos possit absoluere peregrinũ habentem casum reseruatum in loco vbi confitetur, sed non reseruatum Episcopo proprij domicilij.

11 Secundò sequitur iter facientem, vel peregrinum, si casus habeat reseruatos Episcopo loci, in quo cõfitetur, qui non sint reseruati Episcopo proprij domicilij, non posse à quolibet simplici Confessario absolui, quia iudicãdus est iuxta leges loci, in quo reperitur. Si verò habeat casus reseruatos Summo Pontifici, non potest absolui, nisi ab habente facultatem absoluendi à reseruatis, seu à censuris Papæ reseruatis, nam Summus Pontifex habet totum orbem pro territorio, & ipsius leges vbique obligant, modò sint acceptatæ, vel non sint per contrariam consuetudinem abrogatæ, vt patet ex dictis de legibus.

12 An committens peccatum in alieno loco, possit ibi absolutionem reseruatorũ obtinere.

12 Quæres secundò, vtrùm committens peccatum in alieno loco acquirat fauorabile forum, ita vt obtinere possit absolutionem peccatorum reseruatorum, aut aliorum à Parocho, vel ab ordinariis ministris, vel ab aliis habentibus facultatem delegatam in eo loco, in quo peccauit.

Respondeo, committentem peccatum in alieno loco, non posse per se loquendo à reseruatione, vel à culpa peccati in alieno territorio commissi, absolui à ministris illius loci, in quo peccauit, nisi adsit aliquis titulus ex suprà recensitis *puncto 2.* vt si ibi sit causa negotiorum, seu itineris, habita ratione consuetudinis, iuxta quam vsu receptum sit, vt aliquis in alieno territorio possit absolui.

Ratio, cur non possit, per se loquendo, absolui à reseruatione, vel à culpa peccati in alieno territorio commissi, est, tum quia *in cap. omnis vtriusque sexus*, dicitur, peccata confitenda esse proprio Sacerdoti, vel alteri de ipsius licentia: ministri autem alterius loci, seu territorij, non sunt proprius Sacerdos: tum quia peccata mortalia debent simul remitti, sed à ministris illius loci, in quo quis peccauit, non possunt omnia remitti, cùm ipsi non habeant iurisdictionem in omnia, vt suppono; ergo neque possunt remitti peccata in alio loco commissa: tum quia sequeretur Titium qui hodie commisit peccatum in parochia, exempli gratia, S. Carpophori, in qua Titius non degit, posse à Parocho dictæ parochiæ absolui, quod non videtur admittendum. Ita Nauarrus *cap.placuit.de pœnitentia dist.6. num.83.* Sylueſter *verb.Confessor 1. quæsito 3.* Suarez *disp.25.sect.1. nu.18.* Coninchus *disput.3.dub.3.num.22.* Henriquez *lib.6.c.7.nu.2.* Reginaldus *lib.1.nu.92.* Rodriquez *tom.2.quæstionum Regularium, q.60.art.6.post quatuor lineas ab initio.* [Filliucius *tract.7.cap.7.quæs.7.nu.189.*] Couarruuias,

Panor-

Panormitanus, & alij apud præcitatos Doctores contra D. Antoninum, & Adrianum apud Henriquez *loco citato*, *in commentario littera L.*

Obiicies, qui committit delictum in alieno territorio, fit subditus superiori illius territorij ratione delicti in illo commissi; ergo potest absolui à superiore loci, cùm factus sit ipsius subditus.

Respondeo negando consequentiam. Quamuis enim delinquens ratione delicti in alieno territorio commissi in foro externo, & contentioso efficiatur subditus superioris illius loci, non tamen fit subditus in foro conscientiæ, cùm forum contentiosum respiciat bonum publicum, & rectam loci gubernationem, quæ postulat vt delicta in tali loco commissa in eodem loco puniantur, quod non militat in foro Sacramenti pœnitentiæ. Ita Henriquez, & alij *locis citatis.*

13 Quid sentiendū sit de excommunicatione.

13 Quid verò sentiendum sit de excommunicatione, constat ex dictis de censuris, vbi ostendimus eum, qui contraxit excommunicationem in alieno territorio, posse absolui à superiore illius loci, in quo contraxit excommunicationem, imò si excommunicatio sit publica, & reseruata superiori loci, in quo fuit contracta, non potest delinquens absolui à proprio Episcopo absque licentia Episcopi, in cuius diœcesi deliquit. Si verò excommunicatio non sit reseruata, aut sit occulta, licet sit reseruata, Episcopus, vel alius ab ipso specialiter delegatus absoluere potest ex decreto Tridentini *sess.24.ca.6.* Ita Hieron Llamas *1.parte, c.6.§.3.* [Molfes. *n.54.*] Auila, Sanchez, Suarez, & alij, quos retuli *de censuris disp.1.q.4.puncto 2.n.6.*

14 An qui à Sede Apostolica obtinuit facultatem absoluendi ab omnibus censuris, possit absoluere à reseruatis contentis in Bulla Cœnæ Domini, aut ab Episcopo loci reseruatis.

14 Quæres tertiò, vtrùm qui priuilegium obtinuit à Sede Apostolica absoluendi ab omnibus censuris, & casibus reseruatis, possit absoluere à censuris in Bulla Cœnæ contentis, & à casibus ab Episcopo loci reseruatis.

Respondeo, solutionem huius quæstionis constare ex dictis *de censuris disp.1.q.3.punct.1.n.10.& 12.& punct.2.nu. 4.* Itaque breuiter hic respondeo, nec validè, nec licitè posse à censuris in Bulla Cœnæ contentis, & à casibus Episcopo loci reseruatis absoluere. Ratio est, tum quia verba generaliter prolata generaliter accipienda sunt, quatenus patitur voluntas concedentis, in generali autem concessione superior non vult quæcumque generaliter concedere, iuxta *regulam 18.iuris in 6.* vbi dicitur, in generali concessione non venire ea, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus; tum quia sic decreuit Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit: *Sacra Congregatio*, apud Quarantam *verb.Casus reseruatus*, & apud Gambaruptam *c.3.num.5* vbi Summus Pontifex sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, aliisque grauissimis pœnis priuationis officij, &c. præcipit, ne quis extra mortis articulum prætextu cuiuscumque priuilegij absoluat à casibus in Bulla Cœnæ contentis, & ab excommunicatione contracta ob percussionem clericorum, vel ob violationem Clausuræ Monialium ad malum finem, vel ob violationem immunitatis Ecclesiæ, iuxta Constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit: *Cùm alias nonnulli*, vel ob prouocationem, & pugnam in duello, iuxta Decretum Sacri Concilij Tridentini, & Constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit: *Ad tollendum*, vel ob simoniam realem scienter contractam, vel ob confidentiam beneficialem.

15 An Sacerdos, absoluēs pœnitentem in articulo mortis, nondū facta satisfactione, aut præstita debita cautione, ligetur excommunicatione.

15 An verò per hoc decretum Clementis VIII. reuocatum sit priuilegium Episcopis concessum in Tridentino *sess.24.cap.6.* constat tum ex dictis *de censuris q.3.punct.2.n.4.* vbi ostendimus non esse reuocatum, tum ex dictis *de legibus, de reuocatione priuilegiorum.*

Quod sancitum fuit à Clemente VIII. in præcitata Bulla, idem ferè sub iisdem pœnis prius constitutum fuerat à Sixto IV. in extrauaganti, quæ incipit: *Etsi Dominici, de pœnitentijs, & remissionibus lib.1. Extrauagantium communium*, contra eos, qui extra mortis articulum absoluunt à casibus Bullæ, aut ab interdicto à Sede Apostolica impositio, aut ab excommunicatione contracta ob occisionem, vel mutilationem alicuius in sacris Ordinibus constituti, aut à simonia occasione Ordinum vel beneficiorum contracta. Imò Nugnus *in additionibus ad 3.partem q.8.art.6.dub.6.ad finem*, ex Constitutione Sixti IV. citata, putat Sacerdotem absoluentem in articulo mortis nondum facta satisfactione, aut nondum præstita cautione idonea in casibus, in quibus satisfactio fuerit impendenda, ligari excommunicatione.

Ego verò, saluo meliori iudicio, puto excommunicationem latam à Sixto IV. *in prædicta extrauaganti* ad hunc casum non extendi, nam Summus Pontifex ibi excipit articulum mortis, simulque certiorem facit Confessarium, quo pacto se gerere debeat in absolutione in articulo mortis impendenda, ita vt, si extra mortis articulum prætextu alicuius facultatis aliquem absoluat, ligetur excommunicatione, quamquam in articulo mortis potest absoluere præstita satisfactione, aut idonea cautione à pœnitente in iis casibus, in quibus pœnitens tenetur satisfacere, aut idoneam cautionem præstare.

Addo etiam in nostro Concilio Prouinciali V. titulo, *Quæ pertinent ad pœnitentiæ Sacramentum, cap.cùm pro temporum.* latam esse excommunicationem contra eos, qui absoluunt à casibus in eo loco reseruatis Episcopo, vt benè obseruat Gambarupta *loc. cit. nu. 4. pag. mihi 39.* & contra eos, qui prætextu alicuius priuilegij absoluunt à casibus Episcopo reseruatis, imposita est ipso facto suspensio in Synodo Diœcesana I. *c.18.* & in Concilio Prouinciali V. titulo, *Quæ ad pœnitentiæ Sacramentum pertinent.* Videte, quæ diximus *de censuris disp.1.q.3.puncto 1.propositione 3.& puncto 2.n.4.* vbi ostendimus, quinam possint à censuris absoluere.

16 An habens facultatem absoluendi à reseruatis spatio aliquorum dierum, possit absoluere pœnitentem, qui intra tale tempus incurrit casū reseruatū.

16 Quæres quartò, vtrùm Sacerdos qui facultatem habet absoluendi à reseruatis spatio aliquorum dierum, exempli gratia, quindecim dierum tempore Iubilei, possit absoluere pœnitentem, qui intra tale tempus commisit peccatum aliquod reseruatum.

Respondeo affirmatiuè, modò pœnitens intentionem habeat præstandi ea, quæ ad consecutionem Iubilei sunt necessaria. Ratio est, quia toto eo tempore durat facultas absoluendi à reseruatis; ergo Sacerdos, qui potest absolutionem à peccatis antea commissis impendere, potest etiam à peccatis intra tale tempus perpetratis. Ita Nauarrus *lib.5.de sententia excommunicationis, consilio 43.num.2.* Graffius *lib.9.decisionum, cap.15.num.44.& in appendice lib.1.cap.7.numer.51.* Henriquez *lib.3.cap.16.num.5.& lib.7.cap.65.nu.6.* Reginaldus *lib.8. num.34.* Clauis Regia, Azorius, & alij, quos in simili retuli *de commutatione votorum.* Idem innuit Corduba *lib.5. quæst.37. propos. 3. pagin.472.* Bellarmin. & alij apud Emanuelem Sà *verb. Indulgentia, post num.18.*

Addo hoc procedere, etiamsi pœnitens peccatum commiserit spe absolutionis obtinendæ, vt patet ex allata ratione. Ex qua etiam infertur eum, qui obtinuit priuilegium, quo posset à casibus reseruatis absolui, posse ab illis absolui, etiamsi occasione priuilegij libentiùs se præcipitauerit incasus reseruatos, non enim amittit priuilegium ob peccatum eo animo commissum. Ita Viualdus *cap.42. de confessione.* [Filliucius *tract.8.num.262.*] Graffius, Henriquez, & Reginaldus *locis citatis*, & alij, quos adduxi *de commutatione votorum.*

17 An si concedatur Iubileus obtinendus in vna ex duabus hebdomadis, qui illum in prima obtinuit, possit adhuc in secunda absolui à casibus reseruatis, si in eos inciderit.

17 Sed modò dubium est, vtrùm, si concedatur Iubileus obtinendus in vna ex duabus hebdomadis, qui illum obtinuit prima hebdomada, possit adhuc absolui à reseruatis in secunda hebdomada, si obtento Iubileo incidat in casus reseruatos, antequam elabatur secunda hebdomada.

Respondent affirmatiuè Henriquez *lib.9.cap.16.n.3.& c.11. de Indulgentiis n.1.* Reginaldus *lib.8.num.64.* Nauarrus *de Indulgentiis notabili 32.num.46.* Graffius *de Indulgentiis cap.5.numer.32.* Rodriquez *cap.184.in summa.* Angelus, Rosella, & alij apud citatos Doctores. Ratio est, tum quia in Iubileo non exprimitur, vt quis vna tantùm vice possit à casibus reseruatis intra tempus Iubilei absolui: tum quia aduersamur in materia fauorabili nulli perniciosa; res autem fauorabilis latam interpretationem admittit. *c. beneficium, de constitutionibus in 6.* Tum quia absolutio reseruatorum potest sæpiùs obtineri ante consecutionem Iubilei; ergo etiam potest obtineri obtento Iubileo, modò nondum transactum sit tempus Iubilei: tum quia qui non curauit vota tempore Iubilei commutari, potest illorum commutationem obtinere transacto Iubilei tempore, iuxta ea quæ tradidi de voto; ergo potest etiam absolutionem obtinere, qui casum reseruatum contraxit nondum transacto Iubileo.

Opposita sententia mihi probabilior videtur cum Sanchez *lib.4. de voto c.54.num.30.* & Suarez *tom.2.de Religione, lib.6. de voto cap.16. nu.17. ad finem vers. sed quia, pag.766.* [Filliucio *tract.8.c.10. n.278.*] Ratio est, tum quia qui Iubileum obtinuit prima hebdomada, non potest iterum illum lucrari in secunda, cùm in Iubileis, qui hoc tempore concedi consueuerunt, concedatur facultas lucrandi Iubileum sub forma disiunctiua, in prima scilicet, aut secunda hebdomada, non verò copulatiuè, aut indefinitè, vt patet ex Iubileis iam ter, aut quater à Sanctissimo Domino nostro Paulo V. concessis: ergo etiam qui Iubileum obtinuit, non potest iterum virtute Iubilei à casibus reseruatis contractis post Iubileum absolui, quamuis nondum elapsum fuerit tempus Iubilei: tum quia facultas absoluendi à reseruatis conceditur per ordinem ad obtinendum Iubileum, sed Iubileus iam fuit obtentus, & iam sortitus est suum effectum, reseruatio autem contracta est obtento Iubileo; ergo reseruatio non potest ampliùs auferri virtute Iubilei.

Ad primam rationem in contrarium, respondeo ex forma concessionis Iubilei sufficienter colligi, absolutionem reseruatorum contractorum tempore Iubilei, non posse adepto Iubileo amplius obtineri, nam in forma Iubilei dicitur hac vice tantùm, id est, vna vice in vna, vel altera hebdomada, vt benè ait Suarez *loco citato.*

Ad secundam respondeo, priuilegium, seu rem fauorabilem esse latè explicandam, quantum patitur intentio concedentis, quæ verbis exprimitur; ex verbis autem Iubilei non colligitur, Iubileum posse bis obtineri, consequenter neque colligitur absolutionem reseruatorum posse virtute Iubilei recipi, obtento simul Iubileo.

Ad tertiam respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia absolutio reseruatorū cōtractorum ante Iubilei consecutionem, necessaria est, vt obtineatur Iubileus, cùm ad Iubilei cōsecutionem prærequiratur confessio peccatorum; non est autem necessaria ablatio reseruatorum post Iubilei consecutionem contractorum.

Ad quartam neganda est consequentia. Ratio disparitatis est, quia obtinens Iubileum acquisiuit ius ad commutationem votorum ante Iubileum emissorum, non verò acquisiuit ius ad obtinendam absolutionem casuum reseruatorum, in quos pœnitens incidit post consecutionem Iubilei; sicut neque acquisiuit ius commutationis votorum, quæ, adepto Iubileo, emisit, vt benè docet Suar. *loco cit. ad finem*, & patet ex rationibus à nobis traditis.

Ex dictis igitur [in præcedentibus] constat eum posse à casibus reseruatis absoluere, qui facultatem habet ordinariam, aut delegatam circa casus reseruatos.

18 Quomodo se gerere debeat Sacerdos circa pœnitentes habentes casus reseruatos, quos ipse non potest absoluere.

Sed modò duplex dubium in sequentibus quæsitis explicandum supereſt circa eos, qui facultatem absoluendi à casibus reseruatis non habent.

18 Quæres igitur quintò, quo modo se gerere debeat Confessarius, postquam aduertit pœnitentem irretitum esse casibus reseruatis, circa quos ipse non habet facultatem, nec vllo gaudet priuilegio.

Respondeo cum Vasquez *q.91.art.3.dubio 9.n.26.* Zerola *de pœnitentia c.13.quæsito 13.vers. Tertiò, vt ipse*, & aliis communiter, debere pœnitentem remittere ad superiorem pro absolutione reseruatorum, nisi fortè ipse Confessarius velit petere facultatem à superiore, qua possit pœnitentem absoluere: cùm enim Confessarius nequeat pœnitentem defectu iurisdictionis absoluere, debet pœnitentem ad superiorem transmittere, vel ipse superiorem adire.

19 An superior teneatur concedere facultatem pœnitenti per se, vel per alium, qua possit alteri peccata reseruata confiteri.

19 Sed modò difficultas est primò, vtrùm superior teneatur concedere facultatem pœnitenti petenti per se, vel per alium facultatem, qua possit alteri confiteri casus reseruatos, & ab eo absolui.

Respondeo teneri, per se loquendo. Ratio est, quia casuum reseruatio inducta videtur in vtilitatem pœnitentum, vt resipiscant, & melius in via spirituali dirigantur: facilius autem resipiscunt concessa facultate, quàm ea denegata.

Dixi, *per se loquendo*, vt aduerterem facultatem denegari posse, si bonum proximi, aut ipsius pœnitentis postulet facultatem denegari, nam ad superiorem pertinet consulere bono subditorum. Ita Reginaldus *lib.* 8. *num.* 43. Sylvester *verb. Confessor* 1. *num.* 13. Sotus *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. *versic. Circa tertiam.* Coninchus *tom.* 2. *disput.* 8. *dubio* 14. [Suarez *disp.* 30. *sect.* 4. *num.* 5. Filliucius *tract.* 7. *ca.* 10. *quæs.* 7. *n.* 291. *& seqq.*] & alij, quos in simili retuli *de dispensationibus.*

20 An pœnitens possit absolui, quando superior iniustè denegat facultatem.

20 Secundò difficultas est, vtrùm, quando superior iniustè denegat facultatem absoluendi à reseruatis, pœnitens possit absolui.

Respondent multi Doctores in tali euentu iudicandum esse, ac si superior esset absens, consequenter pœnitentem absolui posse in iis casibus, in quibus pœnitens absolui potest absente superiore. Ita Rodriquez 1. *parte cap.* 55. *numero* 11. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 15. *numero* 6. & alij.

Ego verò hanc doctrinam non approbo, tum quia iniusta denegatio facultatis valida est, sicut est valida iniusta reseruatio, tum quia pœnitenti patet aditus ad superiorem, tum quia non licet à reseruatis absoluere extra mortis articulum, vt patet ex Tridentino, & ex aliis constitutionibus à nobis relatis *quæsito* 3.

Hoc tamen intellige de absolutione directa à casibus reseruatis, quam Sacerdos extra mortis articulum non potest impendere, nisi peculiarem habeat facultatem; quid verò de indirecta sentiendum sit, constabit ex dicendis puncto sequenti, & patet ex nonnullis casibus traditis de Eucharistia.

21 Quomodo se gerere debeat Confessarius erga pœnitentem quem nouit commisisse peccatum reseruatum, quod interrogatus reticet.

21 Quæres vltimò, quomodo se gerere debeat Confessarius erga pœnitentem, quem nouit commisisse peccatum reseruatum, quod pœnitens interrogatus reticet.

Respondeo cum Suarez *disp.* 52. *sect.* 3. *ad finem num.* 9. Reginaldo *lib.* 8. *num.* 20. & aliis, quos in simili retuli *de sigillo confessionis punct.* 4. *ad finem*, Confessarium per se loquendo debere absolutionē impendere, quoties ipsi non certò constat pœnitentem mentiri. Ratio est, quia in hoc foro credendum est pœnitenti tam pro se, quàm contra se, vt communiter testantur Doctores cum S. Thoma *quæsito* 1. *artic.* 12. Si verò Confessarius omninò certus sit pœnitentem mentiri circa casum reseruatum, aut etiam in alio peccato mortali, seu in re graui, non potest illi beneficium absolutionis conferre. Ratio est, quia non potest absque peccato sacrilegij Sacramentum administrare indignè petenti, & ponenti obicem ad Sacramentum, vt patet ex regulis generalibus supra traditis *de Sacramentis in genere.*

Neque contra hanc secundam partem obstat dicere, in hoc foro credendum esse pœnitenti, cōsequenter ipsi præstandam esse fidem, quoties negat se in casum reseruatum vel in aliud peccatum incidisse. Respondetur enim credendum esse pœnitenti, nisi veritas in contrarium euidenter constet.

22 An Confessarius debeat absolutionē pœnitenti denegare, quoties certò nouit incestū commississe.

22 Hinc sequitur primò, Confessarium debere absolutionem pœnitenti denegare, quoties certò nouit incestū commississe in primo, vel in secundo gradu, etiamsi pœnitens hoc neget, incestus enim in primo, & in secundo gradu est casus reseruatus in nostra diœcesi.

Idem dicendum est, quoties Confessario constat pœnitentem esse in statu peccati mortalis, vt in concubinatu, etiamsi pœnitens hoc neget.

23 An Cōfessarius denegare possit absolutionē pœnitenti, quem non certo nouit absolutionem indignè petere.

23 Secundò sequitur, non esse denegandam absolutionem pœnitenti, quem Confessarius non certò nouit indignè beneficium absolutionis petere, etiamsi Confessarius à viris fide dignis acceperit peccatum pœnitentis, nam in hoc foro credendum est pœnitenti tam pro se, quàm contra se, nisi aliter euidenter constet. Ita Doctores citati.

24 An Cōfessarius possit absolutionē denegare pœnitenti, quem vidit peccantem, sed credit alteri ritè confessum fuisse.

24 Tertiò, non esse denegandam absolutionem pœnitenti, quem Confessarius alias vidit peccantem, sed credit ipsum hoc peccatum ritè confessum esse, ipsumque hac de causa hoc peccatum in præsenti confessione reticere: non enim constat pœnitentem indignè petere. Ita Doctores citati.

§. III.

Vtrùm superior possit, auditis solis peccatis reseruatis absoluere à reseruatis, & inferior auditis omnibus absoluere à non reseruatis.

IN hoc paragrapho quæremus, vtrùm habens peccata reseruata, & aliqua non reseruata, possit confiteri legitimo superiori sola reseruata, & deinde mitti ad inferiorem pro non reseruatis, & vtrùm confiteri possit inferiori omnia sua peccata etiam reseruata, deinde accedere ad superiorem pro reseruatis, & consequenter vtrùm superior possit auditis solis reseruatis absolutionem impendere, remittendo pœnitentem ad inferiorem pro nō reseruatis, & vtrùm inferior possit auditis omnibus peccatis absolutionem impendere, iniuncto pœnitenti onere accedendi ad superiorem pro reseruatis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An aliquis possit præcisa necessitate confiteri sola reseruata superiori, vt illorum sacramentalem obtineat absolutionem.

1 POenitens habens peccata reseruata, & non reseruata, non potest, præcisa necessitate, seu rationabili causa, confiteri sola reseruata superiori, vt à reseruatis sacramentalem absolutionem obtineat, consequenter neque superior potest auditis solis peccatis reseruatis absolutionem impendere, transmittendo pœnitentem ad inferiorem pro non reseruatis. Ita Sylvester *verb. Confessio* 1. *quæs.* 9. Rodriquez *c.* 55. *num.* 13. *concl.* 12. Suarez *disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 2. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 14. *& cap.* 15. *numer.* 4. Coninchus *disput.* 2. *dubio* 9. *numer.* 82. Valentia *tom.* 4. *disput.* 7. *quæst.* 11. *punct.* 1. *versf. sextus casus.* Nugnus *in additionibus ad tertiam partem, quæst.* 9. *artic.* 2. *dubio* 4. *ad finem.* Vasquez *quæst.* 91. *artic.* 3. *dubio* 10. *num.* 2. Reginaldus *lib.* 8. *num.* 77. Zerola *in praxi ca.* 13. *quæsito* 23. Pesantius *in additionibus ad tertiam partem q.* 16. *de integritate confessionis disput.* 9. Sayrus *de pœnitentia cap.* 16. *num.* 7. [Filliucius *tract.* 7. *cap.* 10. *quæs.* 9.] Medina, Victoria, & alij apud citatos Doctores contra Nauarrum *de pœnitentia disp.* 5. *cap. consideret.* §. *cautus, num.* 12. *pag. miki* 567. Sotum *dist.* 18. *quæst.* 2. *artic.* 5. Graffium *in appendice ad decisionis lib.* 1. *cap.* 7. *numer.* 30. & 31. Caietanum *verb. Confessio, conditione* 10. Paludanum, Richardum, & alios apud Coninchum, [Molfesium *tract.* 7. *cap.* 21. *n.* 23.] & Henriquez *locis citatis.*

Ratio est, tum quia integritas confessionis est de iure diuino: ius autem diuinum seruandum est, nisi aliter permittat iusta, & rationabilis causa: ergo non licet absque iusta, & rationabili causa dimidiare confessionem manifestatis superiori solis peccatis reseruatis; tum quia superior non potest audire peccata grauiora pœnitentis non reseruata, & deinde transmittere pœnitentem ad inferiorem Confessarium pro peccatis minùs grauibus, nec pœnitens potest grauiora crimina non reseruata aperire superiori cum intentione manifestandi reliqua inferiori; ergo neque potest, præcisa iusta, & rationabili causa, confiteri sola reseruata superiori cum intentione manifestandi reliqua inferiori, nec Confessarius potest absoluere à reseruatis remittendo pœnitentem ad inferiorem pro non reseruatis, reseruatio enim non tribuit superiori, aut alteri nouum ius.

Obiicies, Romæ per consuetudinem receptum est, vt peccata reseruata tollantur à superiore, iniuncto onere pœnitenti accedendi ad inferiorem, illíque omnia confitendi, quam consuetudinē hic etiam Mediolani apud aliquos viguisse noui.

Respondeti potest primò, consuetudinem absoluendi priùs à reseruatis non esse passim introductam, sed solùm quando Confessarij adeò grauibus negotiis premuntur, vt nequeant omnia pœnitentis peccata audire, quòd si fortè passim apud aliquos introducta est consuetudo sacramentaliter absoluendi priùs à reseruatis absque iusta causa, corrigenda est, quia non potest consuetudo legitimè introduci contra ius diuinum, vt constat ex dictis *de consuetudine.*

Respondeti potest secundò, prædictam consuetudinem Romæ receptam esse in casibus Papalibus, qui adnexam habent excommunicationem Papæ reseruatam, constat autem excommunicationem auferri posse non auditis omnibus peccatis.

2 An superior, dū absoluit à reseruatis non auditis non reseruatis, dicatur sacramentaliter absoluere.

2 Quæres primò, vtrùm superior, dum absoluit à reseruatis non auditis peccatis non reseruatis, dicatur sacramentaliter absoluere, & gratiam conferre.

Respondeo sacramentaliter absoluere, & primam gratiam conferre homini attrito, qui intendit sacramentaliter absolui. Ita Sotus *loco citato, ad secundum argumentum, folio mihi* 880. Coninchus, Suarez, & alij *loc. citatis*, contra Sylvestrum *verb. Confessio* 1. *numer.* 19. Tabienam, & alios asserentes, huiusmodi absolutionem non esse sacramentalem: & contra Nauarrum, *loco citato, num.* 19. dicentem, absolutionem esse quidem sacramentalem, sed gratiam conferri solùm in secunda absolutione: putat enim Nauarrus ex vtraque absolutione perfici vnum Sacramentum, sicut fit in Sacramento extremæ vnctionis, in quo ex pluribus vnctionibus, & partialibus formis vnum constituitur Sacramentum.

Sed ratio nostra est, quia concurrunt omnia requisita ad conferendam gratiam: adest enim sufficiens materia ex parte pœnitentis, & sufficiens iurisdictio ex parte absoluentis cum intentione absoluendi, & confessio est integra formaliter, quamuis non sit integra materialiter ob iustam aliquam causam, & pœnitens in bona fide existit: ergo absolutio valida est, & sacramentalis, confertque gratiam, & directè remittit peccata reseruata; indirectè verò, & consequutiuè non reseruata, vt patet à simili de confessione, in qua, si aliquod peccatum mortale per obliuionem reticeatur, directè remittuntur peccata exposita in confessione, indirectè verò remittitur peccatum oblitum.

3 An duplex Sacramentū, & duplicē effectum recipiat, qui à superiore à reseruatis, & ab inferiore à non reseruatis absoluitur.

3 Hinc colligi potest, eum, qui obtinuit priùs à superiore absolutionem pro reseruatis, & deinde nouam obtinet ab inferiore pro non reseruatis, recipere duplex Sacramentum, & duplicem effectum. Ita Suarez *loco citato, sect.* 1. *num.* 9. & alij.

Hoc tamen intelligitur, modò superior intendat sacramentaliter absoluere: Episcopus enim, vt benè obseruant Henriquez *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 10. *ad finem.* Coninchus *disp.* 8. *dub.* 12. *numer.* 84. Reginaldus *lib.* 8. *num.* 77. potest reseruationem peccati absque sacramentali absolutione auferre. Imò ego non video, quare etiam alij Confessarij inferiores non possint huiusmodi reseruationem auferre absque sacramentali absolutione, si facultatem habeant ab Episcopo: qua in re respicienda est facultas cuilibet Confessario concessa.

4 An obtinens à superiore absolutionem reseruatorum, teneatur inferiori Sacerdoti peccata tam non reseruata, quàm reseruata manifestare.

4 Quæres secundò, vtrùm qui obtinuit à superiore absolutionem reseruatorum, teneatur inferiori Sacerdoti peccata tam non reseruata, quàm reseruata manifestare.

Respondent Nauarrus & Caietanus *locis supra citatis.* Henriquez *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 4. *& cap.* 12. *lib.* 6. *& cap.* 15. *numer.* 5. Reginaldus *lib.* 8. *num.* 90. & alij, teneri omnia manifestare. Ratio est, quia confessio peccatorum integrè facienda est, & Christus præcepit omnia peccata manifestari vni Sacerdoti.

Sed mihi placet sententia Suarez *disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 10. Coninchi *loco citato, n.* 80. Nugni *loco citato, in* 2. *parte ad finem, versf. Ex dictis pag.* 327. Vasquez *quæst.* 91. *art.* 3. *dub.* 10. *num.* 3. Zerolæ *in praxi de pœnitentia, ca.* 13. *q.* 15. & aliorum apud præcitatos Doctores asserentium, non esse necessariò explicanda reseruata, à quibus pœnitens directè fuit sacramentaliter absolutus. Ratio est, tum quia sicut in aliis casibus, in quibus pœnitens licitè, & ex iusta causa dimidiat confessionem, non tenetur repetere peccata priùs ritè confessa, à quibus directè fuit absolutus; ita neque videtur obligandus ad confitenda peccata reseruata inferiori, quorum sacramentalem absolutionem obtinuit à superiore: tum quia, sicut ille, qui iusta de causa fuit absolutus ab inferiore, non tenetur omnia peccata aperire superiori, sed tantummodò reseruata, cùm non sit obligatio bis subiiciendi eadem peccata confessioni, vt docet Nauarrus *cap.* 9. *num.* 7. & alij communiter contra Vasquez *quæst.* 91. *art.* 3. *dub.* 9. *num.* 27. Ita qui confessus est peccata reseruata superiori, ab eoque sacramentaliter fuit absolutus, non tenetur iterum eadem peccata inferiori aperire. Tum quia directè fuit absolutus coram Deo, & Ecclesia, ab habente iurisdictionem, & facultatem reseruatorū: ergo non potest afferri ratio, cur pœnitenti onus imponatur iterum aperiendi eadem peccata inferiori.

Ex

Ex quo patet à fortiori, illum, qui ab inferiori directè fuit absolutus a non reseruatis, & pro reseruatis mittitur ad superiorem, non teneri omnia peccata etiam non reseruata, sed solum reseruata, manifestare superiori, vt innui in secunda ratione. Idem dic de illo, qui iusta de causa conticuit aliquod peccatum in confessione, vt innui in prima ratione. Ita communiter Doctores contra Canum, teste Henriquez *lib.7.cap.15.lib.3.in commentario littera M.*

SECVNDA PROPOSITIO.

5 An simplex sacerdos possit pœnitentem à non reseruatis absoluere, illumque postea pro reseruatis ad superiorem transmittere.

5 SAcerdos, qui non habet facultatem absoluendi a reseruatis, non potest præcisa necessitate, vel rationabili causa absoluere pœnitentem a non reseruatis, ipsumque mittere ad superiorem pro reseruatis. Ita Henriquez *lib.1.num.70.& lib.8.num.80.* Suarez *disput. 31. sect.2.* Coninchus *disput.7.dubio 9.numer.103.* Nugnus *loco cit. versic. Pater Suarez*, Vasquez *loco citato.* [Filliucius *numer.303.*] Canus, Ledesma, & alij apud præcitatos Doctores contra Nauarrum *de pœnitentia dist.5.§.cautus, num.12.13.& seqq.fol.mihi 178.* Caietanum *verb. confessio, conditione 10.* Emanuel Sa *verb. Absolutio num.24.* Valentiam *tom.4.disp.7.quæst.11.punct. 1.pag. mihi 1349.* Summam Coronam *de pœnitentia num.24.folio 156.* Zerolam *de pœnitentia cap.13. quæsito 13. versicul. Tertiò vt ipse.* Sayrum *de pœnitentia c.16.num.7.* Medinam, & alios apud Vasquez *quæst.91.art.3.dub.9.nu.1.& 2.* dicentes, inferiorem posse audita omnium peccatorum confessione absolutionem a non reseruatis impendere, & deinde pœnitentem transmittere ad superiorem pro reseruatis, modò pœnitens non sit obstrictus vinculo alicuius excommunicationis, a qua inferior Confessarius absoluere nequeat, nam in sententia omnium Doctorum rectè sentientium constat excommunicatum priuari perceptione Sacramentorum, & consequenter debere prius absolui ab excommunicatione, quam absoluatur a peccatis.

Ratio nostræ propositionis est, tum quia, si inferior poset pœnitentem a non reseruatis absoluere, ipsumque pro reseruatis ad superiorem transmittere, etiam simplex Sacerdos posset a peccatis venialibus absoluere pœnitentem habentem peccata venialia, & mortalia, illumque ad Confessarium approbatum ad confessiones pro peccatis mortalibus excipiendas remittere, sed non videtur admittendum simplicem Sacerdotem posse a peccatis venialibus absoluere hoc modo; ergo neque videtur admittendum inferiorem Confessarium posse a non reseruatis absoluere, mittendo postea pœnitentem ad superiorem pro reseruatis: tum quia Confessarius inferior non potest ab vno peccato mortali absoluere, quin absoluat ab omnibus, cum vnum peccatum mortale non remittatur sine alio. Cùm autem Confessarius inferior nequeat a reseruatis absoluere, vt patet ex Tridentino, sequitur etiam non posse a non reseruatis absoluere: tum quia confessio debet esse accusatio coram legitimo iudice, confessio autem reseruatorum facta inferiori non est accusatio coram legitimo iudice, quoties pœnitens præcisa necessitate confitetur peccata sua Sacerdoti non habenti facultatem reseruatorum.

Dixi in propositione, *præcisa necessitate, vel rationabili causa*, vt adueterem Confessarium inferiorem vrgente necessitate, seu rationabili causa concurrente, posse a non reseruatis absoluere: habet enim iurisdictionem directam circa non reseruata, & habet iustam causam exercendæ iurisdictionis circa huiusmodi peccata, vt suppono, & patet ex dictis de integritate confessionis, quamuis aliqui Doctores existiment, Confessarium inferiorem non posse absolutionem impendere præciso mortis articulo, eò quòd in Tridentino dicatur, Sacerdotem inferiorem nihil posse circa casus reseruatos, præciso mortis articulo. Verum de hac re sermo nobis erit in prima obiectione.

6 An Sacerdos, qui necessitatè habet celebrandi, sed caret copia Sacerdotis approbati pro reseruatis, debeat inferiori Confessario reseruata cõfiteri.

6 Ex dictis sequitur, Sacerdotem obstrictum peccatis reseruatis, si necessitatem habeat celebrandi, nec habeat copiam Sacerdotis approbati pro reseruatis, posse, & debere Sacerdoti non habenti facultatem reseruatorum peccata sua confiteri, vt directè a non reseruatis, indirectè verò, & consecutiuè a reseruatis absoluatur cum onere, & obligatione adeundi superiorem pro absolutione directa reseruatorum, nam iure diuino ante sumptionem Eucharistiæ præmittenda est confessio ab eo, qui conscientiam habet peccati mortalis, vt patet ex dictis de Eucharistia; ergo Sacerdos obstrictus peccatis reseruatis, si necessitatem habeat celebrandi, nec copiam Confessarij habeat, præter Sacerdotem non habentem facultatem absoluendi a reseruatis, potest, & tenetur absolutionem petere a non reseruatis, cum onere adeundi superiorem pro absolutione reseruatorum. Ita Valentia *loco suprà citato.* Suarez *loco citato sect.3.* Coninchus *disp.8. nu. 13.* Reginaldus *loco citat. num.63. ad finem.* [Filliucius *nu.304.*] & alij contra Vasquez *quæst.91.art.3.dub.8.numer.5.* & alios, quos referam *in sequenti difficultate.*

Vtrum verò laicus absolutus a non reseruatis ab inferiore Confessario, teneatur quam primùm sumpta communione, sub mortali accedere ad superiorem pro directa absolutione reseruatorum, constat ex dictis de Eucharistia, ex quibus etiam patet, quid dicendum sit de Sacerdote communionem more laicorum sumpturo.

Obiicies primò, in Tridentino habetur Sacerdotem nihil posse præciso mortis articulo circa peccata reseruata; ergo non potest indirectè absoluere a reseruatis præciso mortis periculo, seu articulo, quamuis necessitas vrgeat, aliaue superfit causa.

Respondeo Sacerdotem non approbatum pro reseruatis nihil posse directè circa peccata reseruata præciso mortis articulo, quia pœnitens hoc modo absolutus tenetur adhuc se legitimo superiori præsentare, vt directam a reseruatis obtineat absolutionem, posse verò aliquid indirectè, vt patet à simili de eo qui confitetur inferiori Confessario peccata non reseruata oblitus peccatorum reseruatorum, quem constat directè recipere absolutionem, & remissionem peccatorum non reseruatorum, indirectè verò remissionem reseruatorum. Ita Coninchus *loco citato, num.105.* & alij citati.

7 An pœnitens, qui

7 Obserua tamen eum, qui confessus est peccata sua inferiori, sed oblitus est alicuius censuræ, vel peccati reseruati, à quo non poterat Confessarius inferior absoluere, teneri, postquam peccatum oblitum venerit in mentem, adire superiorem, vt absolutionem obtineat, nam directè non fuit absolutus a peccato oblito, non tenetur tamen superiori repetere omnia peccata, etiamsi oblitus sit alicuius peccati habentis adnexam excommunicationem, vt constabit ex solutione secundæ difficultatis: sicut enim excommunicatio non reddit pœnitentem inhabilem ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum, vt patet ex dictis de censuris, ita neque reddit Sacramentum inualidum, modò Sacerdos, qui absoluit, sit legitimus Confessarius, & pœnitens bona fide confiteatur cum debitis dispositionibus. Ita Medina *Codice de confessione, quæst.22.* Suarez *disp.31. sectione 3.numer.6.* Henriq. *lib.6. cap.15.num.3.& cap.16.num.9.* Zerola *de pœnitentia cap.13.quæsito 26.* Armilla, & alij apud præcitatos Doctores.

per oblitionem peccatum aliquod reseruatũ, aut censuram prætermisit, teneatur cognito peccato, aut censura superiorem adire.

Obiicies secundò. Pœnitens obstrictus venialibus, & mortalibus non reseruatis, si habeat necessitatem communicandi, nec habeat copiam alterius Sacerdotis præter simplicem Sacerdotem, non potest a simplici Sacerdote absolui à venialibus, & mitti ad Confessarium approbatum pro mortalibus, vt innuit Henriquez *in additionibus quæst.8.art.5.dubio 1.ad finem.* Ergo neque poterit pœnitens vrgente necessitate absolui a non reseruatis a simplici Confessario, & pro reseruatis mitti ad superiorem.

Responderi potest primò negando antecedens cum Suarez *disp.31. sect.2.ad finem.* vbi asserit absolui posse à simplici Sacerdote, nec omnino reprobant Coninchus *disp.8.dub.10.numer.107.* [Filliucius *cap. 10.numer.306.*] contra Nugn. *loco citato.* cùm eadem videatur vtriusque ratio.

Respondeo secundò cum eodem Suarez *loc.cit.sect.3.num.10.* Coninchо *loco citato.* & aliis, concesso antecedente negandam esse consequentiam. Ratio disparitatis est, quia vsu receptum non est, vt simplex Sacerdos absoluat à venialibus habentem peccata mortalia, nullus enim absoluere potest pœnitentem habentem peccata mortalia, nisi habeat iurisdictionem saltem circa mortalia, quam iurisdictionem constat non residere penes simplicem Sacerdotem extra mortis articulum.

Neque obstat quemlibet Sacerdotem ex concessione Ecclesiæ, vel etiam ex iure diuino, habere facultatem absoluendi à venialibus. Dico enim simplicem Sacerdotem non habere facultatem absoluendi à venialibus, quoties pœnitens putat se peccata mortalia simul cum venialibus habere: si verò pœnitens obstrictus sit aliquo mortali, cuius non recordatur, & existimet se peccatis solùm venialibus irretitum esse, remanet absolutus indirectè, & consecutiuè à peccato mortali confitendo peccata venialia simplici Sacerdoti. Ratio est, quia per absolutionem sacramentalem consequitur gratiam, cum autem gratia sit incompossibilis cum omnibus peccatis mortalibus, sequitur pœnitentem, qui sola peccata venialia cõfitetur oblitus mortalium, remanere absolutum à peccato mortali, cuius non recordatur. Ita Suarez *disp.3.sect.2.numer.8.* Coninchus, & alij quos in simili retuli *de Eucharistia.* dum loquerer de eo, qui necessitatem habet communicandi, nec potest contritionis actũ de mortalibus elicere.

8 An obstrictus necessitate communicandi, possit ante communionem, vel celebrationem confiteri peccata etiam reseruata, si non habeat facultatem Cõfessarij, qui a reseruatis, & censuris absoluat.

8 Sed modò difficultas est primò, vtrùm obstrictus necessitate communicandi, vel celebrandi ad vitandum, exempli gratia, graue damnum, seu scandalum, vel grauis infamiæ periculum; possit ante communionem, vel celebrationem confiteri peccata etiam reseruata, vel habentia adnexam excommunicationem, si non habeat copiam Confessarij habentis facultatem absoluendi à casibus reseruatis, vel censuris.

Respondeo affirmatiuè iuxta sententiam satis probabilem, cum onere præsentandi se superiori pro absolutione reseruatorũ, vel censuratum. Ratio est, tum quia, si non haberet copiam vllius Confessarij, posset interueniente graui necessitate communicare, vel celebrare non præmissa confessione, vt patet ex dictis de censuris; ergo intercedente graui necessitate potest etiam confiteri Confessario non habenti facultatem reseruatorum, vel censurarum, cum ad Eucharistiam iure diuino præmittenda sit confessio ab eo, qui conscientiam habet peccati mortalis: tum quia in tanta necessitate præsumitur adesse tacitus Summi Pontificis consensus ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum onere præsentandi se superiori, tum quia sicut licitum est dignius Eucharistiæ Sacramentum in tanta necessitate celebrare, vt vtar verbis Henriq. *lib.6.ca.15.ad finem*; ita licitum videtur in tanta necessitate confiteri peccata Confessario inferiori, ab eoque absolutionem obtinere: tum quia celebraturus, vel communicaturus per reseruationem, vel excommunicationem non magis arcetur à susceptione Sacramenti pœnitentiæ, quod ex iure diuino præmittendum est ante sumptionem Eucharistiæ ab habẽte conscientiam peccati mortalis, quam arceatur ab Eucharistia sumenda, cùm per eamdem excommunicationem priuetur communicatione diuinorum, & Sacramentorum; sed per excommunicationem non ita priuatur Eucharistia, quin possit eam vrgente graui necessitate recipere; ergo potest etiam recipere Sacramẽtum pœnitentiæ, quod iure diuino præmittendum est ante sumptionem Eucharistiæ: tum quia videntur adesse omnia requisita ad validitatem Sacramenti, adest enim confessio integra, adest pœnitens, qui non est incapax Sacramenti pœnitentiæ, vt in simili ostendimus *de censuris disp. 2. q. 2. punct.2.§.1.n.1.* & constat de eo, qui inculpabiliter obliuiscitur alicuius casus reseruati, adest etiam Confessarius cum iurisdictione absoluendi sacramentaliter; ergo, &c. Ita Medina *de confessione q.22.* Suarez *disp.31.sect.3.n.8.* Coninchus *disp.8.dubio 13.n.106.* Henriquez *lib.6.cap.15.num.7.* Angelus, quem citat, & sequitur Nugnus *loco citato, dubio 2.2.partis, pag.338.* & alij contra Valentiam *tom.4. disp.7.q. 11.punct.1.columna mihi 1356.* Vasquez *loco citato, art.3.dubio 8.nu.5.& dubio 9.num.22.* Sotum *disp.18.quæst.2.arti.5.* Summam Coronam, & alios, hoc solum admittentes, quando casus est reseruatus simpliciter, non verò quando habet adnexam excommunicationem. Imò aliqui Doctores videntur etiam hoc negare, quando peccatum solum habet

bet adnexam reseruationem, innixi auctoritate Tridentini, ad quam nos respondimus in prima obiectione.

9 An pœnitens tali necessitate obstrictus teneatur inferiori Sacerdoti, si superiorem non habeat, confiteri omnia tam reseruata, quam non reseruata.

9 Secundò difficultas est, vtrùm pœnitens habens necessitatem communicandi, vel celebrandi, seu confitendi ob grauem necessitatem, si non habet copiam alterius Sacerdotis, præter Sacerdotem non habentem facultatem absoluendi à reseruatis, possit illi confiteri sola reseruata, vel potiùs teneatur confiteri omnia tam non reseruata, quàm reseruata.

Respondeo iuxta probabiliorem sententiam teneri omnia confiteri. Ratio est, quia Confessarius realiter absoluit etiam à reseruatis; ergo pœnitens debet omnia confiteri, etiam reseruata: tum quia licet huiusmodi Confessarius non sit absolutè legitimus iudex, nec habeat iurisdictionem absoluendi directè ab omnibus, tamen cognoscere debet, an pœnitens verè paratus sit, & dispositus ad recipiendam omnium absolutionem. Confessarius autem non cognoscit pœnitentem paratum esse ad recipiendum omnium peccatorum absolutionem, nisi pœnitens fateatur omnia, quantum potest: tum quia confessio integrè facienda est ex iure diuino, non fieret autem integrè, si liberum esset pœnitenti absque iusta causa peccata reseruata reticere: tum quia reseruatio ponitur in grauamen pœnitentis, vt meliùs retrahatur à peccatis; sicut ergo pœnitens teneretur illa peccata, quibus adnexa est reseruatio, confiteri tali Sacerdoti, si peccata carerent reseruatione: ita etiam tenetur posita reseruatione in grauamen ipsiusmet pœnitentis: tum quia *in c. omnis vtriusque sexus, de pœnitentiis, & remissionibus*, dicitur, *omnia sua peccata solus proprio Sacerdoti confiteatur*, & *cap. consideret. de pœnitentia, dist. 5. §. cautus.* habetur. *Cautus sit pœnitens, ne verecundia ductus diuidat apud se confessionem, & diuersa velit diuersis Sacerdotibus manifestare.* Ita Nauarrus *in cap. consideret, citato.* Suarez *disp. 31. sect. 3. num. 8.* Reginaldus *lib. 6. numer. 150.* Henriquez *lib. 6. cap. 15. num. 5.* Angelus *verb. Confessio 1. numer. 29.* Nugnus *loco citato, dubio 3.* Valentia *loco citato, vers. Notant. columna 13. à principio puncti.* Coninchus *disp. 7. de pœnitentia, dub. 9. num. 86. & dub. 13.* [Filliucius *tract. 7. cap. 10. quæst. 10. numer. 305.*] & alij, quos in simili retuli *de Eucharistia*, contra Petrum Sotum *de confessione, lectione 10.* & alios apud Coninchum *loco citato, nu. 85.* & apud Vasquez *quæst. 91. art. 3. dub. 9. num. 17.*

10 (An vna reseruatio auferri possit, alia remanente.)

10 [Tertiò difficultas est, vtrùm vna reseruatio auferri possit, alia remanente.

Respondeo affirmatiuè, non solùm si loquamur de reseruatione cum censura, (ex dictis enim de censuris, & de legibus, cõstat vnam censuram auferri posse alia remanente, sicut vna contrahi potest sine alia;) verùm etiam de reseruatione sine censura, vt patet à simili de censuris. Verum tamen est inferiorem habentem facultatem delegatam absoluendi à casibus reseruatis, non posse, per se loquendo, in confessione sacramentali absoluere ab vno casu reseruato, & non ab alio: sicut enim confessio debet esse integra; ita etiam absolutio, cùm vnum mortale peccatum remitti non possit sine alio. Vide Suarez *de pœnit. disp. 31. sect. 4. num. 25. & seqq.* Nauarrum *cap. 27. nu. 261.* Filliucium *tract. 7. cap. 10. n. 314.* & alios, quos in simili retuli *de dispensationibus, & de censuris.*]

§. IV.

Vtrùm qui dubitat aliquod peccatum esse reseruatum, vel se circa peccata reseruata facultatem habere, possit absolutionem impendere.

IN hoc §. non quærimus, vtrùm qui dubitat latam esse aliquam legem reseruantem aliquod peccatum, possit ratione istius dubij absolutionem impendere, constat enim posse, si adhibita sufficienti diligentia adhuc perseueret dubium, illudque Confessarius practicè deponat, nam possessio stat pro Confessario dubitante se facultatem habere ad absolutionem peccatorum impendendam, vt pluribus ostendi in tractatu de peccatis. Sed quærimus primò, vtrùm aliquis in dubio facti possit absoluere, vt quando pœnitens dubitat se aliquem occidisse, (homicidium enim voluntarium hic Mediolani est reseruatum:) aut quando dubitat se compleuisse peccatum, quod constat esse reseruatum, dum est completum & consummatum: aut quando dubitat an sufficienter compleuerit actum externum, nam peccata, quæ reseruantur, sunt peccata externa, vel quando dubitat, an mortaliter peccauerit. Secũdò quærimus, vtrùm qui scit aliquod peccatum esse reseruatum, sed dubitat se facultatem absoluendi à reseruatis habere, possit ab huiusmodi peccatis absoluere.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An quilibet Sacerdos approbatus ad confessiones audiendas, possit in dubio facti cadentis sub reseruationem absoluere.

1 QVilibet Sacerdos approbatus ad confessiones audiendas, potest in dubio facti cadentis sub reseruationem absoluere, nisi aliter in iure decernatur in aliquo casu, aut nisi adsit sufficiens præsumptio in contrarium de reseruatione facti. Ita Suarez *de cẽsuris tom. 5. disp. 40. sect. 6. n. 5.* Sanch. *in summa lib. 1. ca. 10. n. 23.* Henriquez *lib. 6. c. 26. n. 7.* & alij quam plures, quos in simili retuli *de restitutione disp. 1. q. 1. punct. 2. §. incidenti.* contra Armillam *verb. Casus, n. 13.* & alios apud Sanchez *loco cit.*

Ratio propositionis est, tum quia in dubiis melior est conditio possidentis: Confessarius autem approbatus est in possessione suæ iurisdictionis: tum quia reseruatio est odiosa, odia autem non sunt amplianda, sed restringenda: tum quia in foro externo non iudicabitur contra delinquentem, nisi adsit sufficiens præsumptio in contrarium; ergo neque in foro pœnitentiæ iudicandum est contra pœnitentem, nisi contra ipsum extet præsumptio, & sufficientes coniecturæ: idem enim est iudicium fori externi, & interni, quãdo forum externum non nititur falsa præsumptione.

Secus dicendum est, si adsit sufficiens præsumptio in contrarium, qualis est, si quis exterius proferat hæresim, & postea dubitet, an illam ex animo protulerit, hic enim præsumitur incurrisse excommunicationem Papæ reseruatam, latam contra hæreticos, nam possessio stat pro hæresi, quam constat prolatam esse, & forum exteriùs iudicat hunc hæreticum, præsumens propositionem hæreticam protulisse animo consentiente, cùm nullus præsumatur dicere, quod in corde non habet; quando autem forum exterius non innititur falsæ præsumptioni, idem iudicandum est in vtroque foro.

Ex quo patet, quare dixerim in propositione, *nisi adsit sufficiens præsumptio.*

Dixi etiam, *nisi aliter decernatur in iure*, constat enim superiorem posse aliter in aliquo casu particulari decernere, vt quãdo dubitatur, an percussio Clerici fuerit leuis, mediocris, vel enormis, in quo casu percussio præsumitur enormis, & consequenter Sedi Apostolicæ reseruata, vt patet ex dictis *de censuris disp. 2. quæst. 4. punct. 5. num. 3.*

Obiicies primò, in dubio tutior pars est eligenda; ergo qui dubitat aliquod peccatum esse reseruatum, præsumere debet esse reseruatum, vt tutiorem eligat partem.

Respondeo non semper eligendam esse ex obligatione partem tutiorem, sed aliquando eligi posse partem tutam relicta tutiore, vt patet ex dictis de peccatis.

Obiicies secundò, qui dubitat aliquod peccatum esse mortale, tenetur illud confiteri Confessario approbato ad confessiones excipiendas; ergo etiam qui dubitat aliquod peccatum esse reseruatum, tenetur illud confiteri Confessario pro reseruatis approbato.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia reseruatio, cùm sit odiosa, & pœnalis, nõ extenditur ad casus dubios: obligatio verò, seu lex confessionis est fauorabilis, vtpotè lata tamquam medicina ad delenda omnia peccata commissa post Baptismum, & ad præcauenda futura, nec solum lata est pro mortalibus certis, verùm etiam pro dubiis, vt patet ex supradictis cum Sanchez *loco citato, num. 28.* & pluribus aliis.

2 & 3 An dubitans se compleuisse peccatum, quod constat esse reseruatum, possit à quolibet absolui.

2 Ex dictis ergo constat eum, qui dubitat se homicidium commisisse, vel compleuisse peccatum, quod constat esse reseruatum, vel mortaliter, vel sufficienter compleuisse actum externũ, posse à quolibet Confessario approbato in confessione audiri, & absolui, etiamsi Confessarius reseruatorum facultatem non habeat.

3 Quæ diximus in hac propositione, intelligenda sunt de dubio propriè dicto, & nõ solùm de dubio, quod est coniunctum cum opinione probabili, nam opinanti probabiliter peccatum non esse reseruatum, liberum est sequi suam opinionem relicta contraria, licet probabiliori, vt patet ex dictis de peccatis: sicut enim opinans probabiliter se peccatum aliquod non commisisse, vel illud non fuisse mortale, vel se illud aliàs confessum fuisse, vel illius confessionem fuisse validam, non tenetur illud iterum confiteri, vt superiùs ostendi; ita etiam qui probabiliter opinatur peccatum aliquod non esse reseruatum, non tenetur illud Confessario pro reseruatis deputato confiteri, quilibet enim sequi potest opinionem probabilem. Ita Doctores citati prætermissis quam pluribus, quos *in tractatu de peccatis* retuli.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An Sacerdos dubitans de iurisdictione, possit directè absoluere à reseruatis.

4 SAcerdos, qui propriè dubitat se iurisdictionem habere circa peccata reseruata, non potest absoluere: nam Sacerdos sciens peccatum aliquod esse reseruatum, sed dubitans sibi competere ius absoluendi, exponit se periculo impendendi inualidam absolutionem, quia fieri potest, vt verè careat iurisdictione, & possessio stat pro peccatis, quæ constat esse reseruata. Quamobrem Sacerdos, qui ita propriè dubitat, vt ipsius intellectus maneat suspensus, & anceps circa reseruatorum facultatem, non potest absque lethali culpa extra mortis periculum directè absoluere, nisi nouam obtineat facultatem, vt patet ex allata ratione.

Dixi, *directè absoluere*, vt aduerterem Confessarium interueniente necessitate, seu iusta, & rationabili causa posse indirectè, & sub conditione absoluere; quamuis enim simplex Sacerdos, vel etiam approbatus Confessarius non possit directè præciso mortis periculo absoluere, nihilominus potest aliquando absolutionem indirectè, vel sub conditione conferre, vt constat ex supradictis, vtiliter enim gerit negotium pœnitentis, nullique facit iniuriam, indirectè absoluendo, vel sub conditione, quoties iustam habet causam. Quamquam Confessarius in tali euentu admonere debet pœnitentem, vt oblata opportunitate alicuius Confessarij pro reseruatis deputati confiteatur eadem peccata: nam fieri potest, vt primus Confessarius dubius de iurisdictione reseruatorum non haberet iurisdictionem circa reseruata, consequenter directè non absoluerit: peccata autem mortalia confitenda sunt, vt ipsorum obtineatur directa absolutio.

Dixi in propositione, *Sacerdos, qui propriè dubitat*, nam si loquamur de Sacerdote, qui non propriè dubitat, sed potiùs opinionem habet probabilem de iurisdictione, potest absolutionem conferre, etiamsi fortè adsit opinio probabilis in contrarium: nam interueniente probabili opinione, Ecclesia supplet iurisdictionem, sicut eamdem supplet, quando aliquis titulo colorato, & errore communi vulgi habetur pro legitimo iudice, vel parocho, quamuis re ipsa non sit iudex, vel parochus, *l. Barbarius. ff. de offic. Prætoris.* Ita Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 8.* Suarez *disp. 76. sect. 6.* Reginaldus *lib. 1. numer. 102. & 103.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 26. num. 6.* Henriquez *lib. 2. cap. 14. n. 3. & 4.* Coninchus *disp. 8. dub. 3. concl. 6. num. 22. & dub. 6. num. 47.* [Filliucius *tract. 7. cap. 8. quæst. 10. num. 227.*] & alij contra Nugnum *in additionibus, quæst. 8. art. 5. dub. 3. vers. Ista sententia, pag. mihi 280.*

5 An sequens opinionem probabilẽ circa facultatem absoluẽdi validè absoluat.

5 Ex quo infertur eum, qui sequitur opinionem probabilem Doctorum sentientium, ipsum habere iurisdictionem absoluendi à reseruatis, seu priuilegium absoluendi non esse reuocatum, validè agere, quæ agit, ac si re ipsa iurisdictionem haberet, & priuilegium nondum esset reuocatum, etiamsi fortè opinio illa probabilis à parte rei non subsistat, sed falsis realiter nitatur fundamẽtis: nam Ecclesia supplet iurisdictionem, alioquin sequerentur eadem incommoda, quæ sequerentur Ecclesia non supplente iurisdictionem, quando adest error communis & titulus coloratus.

Addo

Addo cum Panormitano, & aliis Doctoribus citatis, valida esse acta in prædictis casibus, etiamsi populus dubitet superiorem priuatum esse officio, cùm enim antea pro vero superiore haberetur, non est priuandus iure suo ob dubium populo superueniens, cùm in dubio melior sit conditio possidentis, & alioquin periculum sit faciendi iniuriam Sacerdoti, si reiiciatur ob solum dubium. Videte quæ tradidi *de matrim. quæst.* 2 *punct.* 8. *quæsito* 6.

§. V.

Vtrùm pœnitens, qui tempore Iubilei, aut virtute alterius facultatis absoluitur à reseruatis, maneat absolutus à casibus reseruatis, dum aliquos per obliuionem in confessione prætermittit, vel non præstat cetera, quæ ad consecutionem Iubilei requiruntur.

DVo principaliter quæram in hoc §. Primò, vtrùm pœnitens absolutus maneat à peccatis per obliuionem in confessione prætermissis. Secundò, vtrùm absolutus maneat, si non præstet reliqua ad consecutionem Iubilei necessaria.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An absolutus tempore Iubilei à Confessario approbato remaneat absolutus à reseruatis etiam habentibus annexas censuras.

1 ABsolutus tempore Iubilei à Confessario approbato, vel etiam ab alio extra Iubilei tempus facultatem habente circa casus reseruatos, remanet absolutus à peccatis reseruatis, quæ per obliuionem prætermisit in confessione. Hæc propositio absolutè admittitur ab aliquibus Doctoribus. Sed melùs ab aliis, vt à Suarez *disput.* 31. *sect.* 4. Pesantio *in additionibus ad tertiam partem quæst.* 10. *de integritate confessionis disput.* 10. *concluf.* 1. Sayro *de pœnitentia, cap.* 16. *numer.* 9. Vasquez *loco statim citando*, & aliis conceditur solùm cum hac distinctione, & limitatione, modò Confessarius intentionem habuerit absoluendi etiam à reseruatis.

Ratio nostræ propositionis est, tum quia, quando peccatum habet adnexam excommunicationem, excommunicatio tollitur per generalem absolutionem, quæ communiter ante absolutionem peccatorum præmitti consueuit, dicendo: Absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, quantum possum, &c. Ergo etiam tollitur reseruatio peccatorum per formam consuetam, & absolutam, Ego te absoluo, &c. Tum quia Confessarius iurisdictionem habet absoluendi, & vult absoluere, vt suppono, & pœnitens facit, quod in se est, seque constituit præsentem Sacerdoti facultatem reseruatorum habenti, vt ab eo recipiat absolutionem, & satisfactionem, quam Confessarius iudicauerit iniungendam iuxta pœnitentis dispositionē: ergo Confessarius validè absoluit, & pœnitens absolutionem consequitur. Ita Henriquez, Suarez, Emanuel Sà, & alij Doctores statim citandi.

2 An remaneat etiam absolutus à reseruatis non habentibus annexas censuras.

2 Hinc sequitur primò, pœnitentem habentem casus reseruatos, & censuras, si sua peccata confiteatur legitimo Sacerdoti facultatem censurarum, & casuum reseruatorum habenti, non solùm remanere absolutum à censuris, vt patet tum ex allatis rationibus: tum quia Confessarius tenetur absoluere pœnitentem ab excommunicatione, quantum potest, cum absolutio peccatorum nequeat absque iusta causâ impendi excommunicato, verùm etiam remanere absolutum à casibus reseruatis non habentibus annexas censuras, modò Confessarius intentionem habeat absoluendi ab omnibus peccatis etiam reseruatis. Ita Emanuel Sà *verb. Confessio nu.* 5. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 5. Nauarrus *cap.* 26. *num.* 13. Angelus *verb. Confessio* 1. *numer.* 22. Syluester *Confessio* 1. *quæsito* 4. Rodriquez *cap.* 184. *num.* 15. Suarez *loco citato, sect.* 3. *num.* 14. Reginaldus *lib.* 6. *num.* 152. Sanchez *in summa lib.* 2. *cap.* 121. *num.* 9. Coninchus *disput.* 8. *dub.* 12. *num.* 93. Vasquez 3. *part. quæst.* 91. *art.* 3. *dub.* 5. *n.* 10. & 11. Nugnus *in additionibus ad tertiā partem quæst.* 9. *art.* 2. *ad finem, dub.* 4. Sayrus *de pœnitentia, cap.* 34. *num.* 3. [Filliucius *tract.* 7. *cap.* 10. *quæs.* 12. *num.* 313. Molfesius *tract.* 7. *cap.* 21. *num.* 26. *& seqq.*] Couarruuias, & alij apud Doctores citatos.

3 An remaneat absolutus à reseruatis obliris, si Confessarius non habuit intentionem absoluēdi.

3 Secundò sequitur, inquit Suarez, & Vasquez *loco cit.* pœnitentem non remanere absolutum à reseruatione peccatorum oblitorum, si Confessarius intentionem non habuit absoluendi à reseruatis, forma enim absolutionis non operatur vltra intentionem proferentis, & actus agentium non operatur vltra intentionem eorum, *l. non omnis. ff. de rebus cred. & cap. fin. de præbend.*

Ex quo fit, vt pœnitens, postquam recordatus fuerit peccatorum reseruatorum, teneatur iterum adire superiorem, seu Confessarium habentem iurisdictionem circa reseruata, vt ab illis directam obtineat absolutionem: nam reseruatio peccatorum non tollitur per quamcumque absolutionem, sed per absolutionē factam à legitimo superiore habente facultatem absoluendi à reseruatis.

4 An reseruatio tollatur per quamcumque absolutionem collatam à legitimo superiore facultatem reseruatorum habente.

4 Addo reseruationem non tolli per quamcumque absolutionem collatam à legitimo superiore facultatem reseruatorum habente, sed per absolutionem datam à superiore, cognito peccato reseruato, vel habente intentionem auferendi reseruationem: in hoc enim posita videtur obligatio reseruationis, vt sicut pœnitēs tenetur omnia peccata etiam non reseruata subiicere clauibus, & confiteri in particulari, postquam venerint in mentem, ita multò magis teneatur reseruata confiteri, non cuicumque Sacerdoti, sed habenti legitimam facultatem circa reseruata, vt ab eo iudicium feratur, & debita pœna, seu satisfactio imponatur. Quamobrem pœnitens, qui fuit absolutus à Confessario habente solum communem, & generalem intentionem absoluendi, licet remaneat absolutus à peccatis oblitis quoad culpā, non tamen liber est ab obligatione confitendi peccata reseruata legitimo superiori: nam perinde est ac si fuisset absolutus ab inferiore, & peccata non reseruantur, vt tollantur per quamcumque absolutionem, aut gratiæ infusionem, cùm hoc etiam fiat ab inferiore, quando pœnitens alicuius peccati reseruati obliuiscitur inculpabiliter in confessione, sed reseruantur, vt ipsorum reseruatio tollatur à legitimo superiore, volente illam auferre: superior autem non præsumitur velle peccata reseruata auferre per communem intentionem conferendi Sacramentum, cùm superior per huiusmodi intentionem non magis operetur circa casum reseruatum, quàm operetur intentio alterius Sacerdotis, qui non intendit auferre reseruationem, sed censetur velle conferre gratiam, per quam peccata reseruata non remittuntur quoad obligationem exponendi illa legitimo superiori, qui de illis iudicium ferat, & debitam pœnitentiam imponat, vt benè in hac parte tradit Vasquez *quæst.* 91. *artic.* 5. *dub.* 5. *numer.* 10. Quare optimum remedium ad euitandos scrupulos, inquiunt Suarez *loc. cit.* Vgolinus, Sayrus, & alij, quos retuli *disp.* 1. *de censuris, quæst.* 3. *punct.* 6. *num.* 3. est, vt pœnitens, dum confitetur Confessario habenti auctoritatem absoluendi à reseruatis, petat absolutionem à reseruatis, & à censuris ad cautelam, si videlicet aliquo peccato reseruato, vel censura obstrictus fortè tenetur, hic enim consequitur absolutionem censuræ, & casus reseruati, si quo fortè detinetur, quia Confessarius præsumitur habere intentionem absoluendi pœnitentem iuxta ipsius intentionem.

5 An pœnitens remaneat absolutus à reseruatis, etiamsi illorum absolutionē expressè, & explicitè non petat.

5 Obserua tamen non improbabiliter sustineri posse, pœnitentem remanere absolutum à reseruatis, etiamsi non petat expressè, & explicitè absolutionem à reseruatis, dum confitetur Sacerdoti priuilegium habenti circa reseruata. Ratio est, tum quia multi ex Doctoribus citatis absolutè putant reseruationem tolli, quoties pœnitens bona fide confitetur superiori facultatem reseruatorum habenti: tum quia etiam si pœnitens non petat explicitè, nihilominus censetur implicitè, & interpretatiuè petere absolutionem reseruatorum, quatenus accedit ad Confessarium, vt, quantum fieri potest, absoluatur, & à peccatis liberetur: cum autem Confessarius censeatur velle pœnitenti prospicere, ipsumque à peccatis liberare, quātum licitè potest, censetur etiam velle reseruationem peccatorum tollere. Ita Coninchus *loc. cit. dub.* 12. *ad finem*, [Molfesius *tract.* 7. *cap.* 21. *numer.* 26. *& seqq.*] & alij, quorum opinio probabilis est, sed tutius est vti remedio iam assignato, cùm nobis non constet de voluntate Confessarij, nisi ex signis, & sufficientibus coniecturis colligatur.

6 An pœnitens, quē Confessarius intendit absoluere virtute Iubilei, vel similis priuilegij, remaneat absolutus à reseruatis.

6 Tertiò sequitur illum remanere à casibus reseruatis absolutum, quem Confessarius intendit absoluere virtute Iubilei, vel similis priuilegij, absoluens enim in virtute Iubilei, vel huiusmodi priuilegij censetur habere intentionem absoluendi iuxta facultatem in Iubileo, vel simili priuilegio contentam: in Iubileo autem, vel simili priuilegio continetur facultas absoluendi à reseruatis, vt suppono. Ita Doctores citati.

Idem dicendum censeo, si superior intendat absoluere iuxta plenitudinem suæ facultatis, seu quantum potest.

7 An pœnitens, qui petit a superiore absolutionē reseruatorum, si quibus detineatur, remaneat absolutus a reseruatis oblitis.

7 Quartò sequitur illum censeri à casibus reseruatis, etiam oblitis absolutum, qui petiit à superiore absolutionem reseruatorum, vel censurarum, si quibus detinebatur, modò Confessarius facultatem habens circa censuras, & casus reseruatos nulla facta contradictione absolutionem impenderit, præsumitur enim habuisse intentionem auferendi censuras, & reseruationem peccatorum.

8 & 9 An pœnitens, qui confessus est superiori habenti facultatem reseruatorum, remaneat absolutus a peccatis quoad reseruationē, ita vt possit illa cōfiteri cuicumque simplici Confessario.

8 Quintò sequitur eum, qui virtute Iubilei absolutionem obtinuit à Confessario approbato, sed oblitus est alicuius peccati reseruati, posse deinde cuilibet simplici Confessario peccatum oblitum confiteri: nam per confessionem tēpore Iubilei, & virtute Iubilei factam censetur ablata reseruatio, vt superiùs innui.

Hoc tamen limita, modò obliuio fuerit inculpabilis, seu non fuerit ita culpabilis, vt Sacramentum sit inualidum: nam si Sacramentum est inualidum, & nullum, inualida etiam, & nulla est absolutio à reseruatis, facultas enim absoluendi à reseruatis tempore Iubilei conceditur in ordine ad consequendum Iubileum, ad consecutionem autem Iubilei prærequiri solet confessio tamquam conditio. Si ergo confessio non est valida, neque valida videtur absolutio à reseruatis, cum pœnitens non videatur conditionem, & intentionem superioris concedentis facultatem absoluendi à reseruatis adimplere, vt clarius constabit ex solutione subsequentis difficultatis. Secus dicendum est, si confessio valida sit, licet informis, tunc enim valida est absolutio à reseruatis obtenta virtute Iubilei, cum virtute illius absolutionis directè remitti possint peccata recedente fictione propter quam illa confessio fuit informis. Ita Suarez, [Filliucius,] & alij *locis citatis*, contra Nugnum *loc. cit. vers. sed potest esse dubium.*

9 Sed modò difficultas est, vtrum pœnitens, qui confessus est inualidè superiori habenti facultatem reseruatorum, remaneat absolutus à peccatis quoad reseruationem, ita vt possit illa confiteri cuicumque Confessario non habenti facultatem reseruatorum.

Respondeo negatiuè, si loquamur de peccatis confessis Sacerdoti habenti facultatem absoluendi à reseruatis virtute Iubilei, vt patet ex dictis in quinta illatione. Ita Suarez *disput.* 31. *sect.* 4. *num.* 22. Reginaldus *lib.* 8. *num.* 63. [Molfesius *tract.* 7. *cap.* 21. *num.* 31.] & alij. Ratio est, tum quia tempore Iubilei non conceditur absolutè facultas absoluendi à reseruatis quoslibet pœnitentes, sed verè pœnitentes: qui autem inualidè confitetur defectu doloris, vel integritatis, non est verè pœnitens, vt bene docet Rodriquez *loco statim citando*, & alij Doctores citati: tum quia deficit opus, & conditio, sub qua conceditur facultas absoluendi, & lucrandi Iubileum, vt diximus in antecedenti illatione. Hoc tamen non videtur procedere in absolutione censurarum obtenta ab eo, qui inualidè confessus est, sed nihilominus intentionem habebat iterum validè confitendi ad obtinendum Iubileum: nam absolutio censurarum per se loquendo potest extra confessionem obtineri, nisi aliter decernatur, vt docuimus de commutatione voti, & idem tradit Rodriquez *loco statim citando.*

Si verò loquamur de pœnitente, qui confessus est superiori facultatem circa casus reseruatos habenti extra Iubileum, dicendum est remanere absolutum quoad reseruationem peccatorum in confessione manifestatorum, licet confessio fuerit inualida. Ita Caietanus *verb. Casus reseruatus.* Reginaldus *loc. cit. num.* 62. Coninchus *disp.* 8. *dub.* 12. *numer.* 91. Syluester *Confessio* 1. *quæsito* 19. *ad finem.* Rodriquez *tom.* 1. *quæstionum regularium quæst.* 21. *artic.* 8. *& in summa cap.* 188. *nu.* 13. Nugnus *loco cit. dub.* 4. *in princip. pag. mihi* 338. Pesantius *loco cit. concl.* 3.

*cõncl.*3.[Suarez *sect.*4.*num.*9.Filliucius *numer.*311.] Vasquez ex parte *loco cit.dub.*5.*num.*37.quatenus dicit posse absolui ab inferiore, modò illi aperiat omnia peccata, & explicet pœnam, quam superior imposuerat, vt Confessarius inferior eam iterum imponat virtute clauium, Suarez *disp.*31.*sect.*4.*n.*9.Henriquez *lib.*6.*cap.*16.*num.*5. & alij. Ratio est, tum quia pœnitens videtur satisfeciſſe fini reseruationis, & Confessarius videtur satisfeciſſe suo muneri iniungendo debitam satisfactionem, & medicinam: tum quia Confessarius absoluens intendit absoluere, quantum potest, cùm autem possit absoluere ad tollendam reseruationem, censetur auferre reseruationem. Præterea si pœnitens petiisset absolutionem à sola reseruatione, eam obtinuisset, & esset liber à reseruatione, si absolutionem à reseruatione à legitimo superiore petiisset, sed confitendo sacramentaliter petiit liberationem, & absolutionem à reseruatione simul cum absolutione sacramentali: ergo videtur remanere liber à reseruatione, & hanc doctrinam quamplures Doctores non improbabiliter admittunt.

Primò, non solùm quando absolutio impenditur à legitimo superiore habente facultatem ordinariam circa casus reseruatos, verùm etiam quãdo confertur ab habente delegatã. Ratio est, tum quia pœnitens videtur satisfeciſſe fini reseruationis, finis enim reseruationis videtur esse, vt pœnitens, qui casum reseruatum contraxit, aperiat illud legitimo superiori, ab eoque debitam recipiat satisfactionem: tum quia cùm hoc à multis Doctoribus asseratur, & superiores non contradicant, superiores censentur approbare, consentire, & supplere iurisdictionem: nam in opinione probabili superior præsumitur supplere iurisdictionem, vt alibi sæpius ostendi.

Secundò admittunt hanc doctrinam non solùm quando confessio fuit inualida defectu contritionis, vel attritionis, verùm etiam quando culpabiliter, & malitiosè prætermissum fuit in confessione aliquod peccatum mortale, pœnitens enim videtur adhuc absolutus à reseruatione peccatorum manifestatorum, modò Confessarius habuerit iurisdictionem circa reseruata, & protulerit formam absolutionis, vt patet tum ex rationibus proximè allatis: tum quia quod non valet vt agitur, valet saltem vt valere potest; cùm autem illa absolutio non valeat, quoad remissionem culpæ, videtur saltem valere quoad ablationem reseruationis.

Obiicies, Absolutio reseruatorum est sacramentalis, sed in propositis casibus Sacramentum est inualidum: ergo etiam videtur inualida, & nulla absolutio reseruatorum: non enim præstat effectum, quod de iure non subsistit.

Respondeti potest primò, absolutionem reseruatorum non semper esse sacramentalem, cùm reseruatio possit aliquando auferri extra Sacramentum, vt patet ex supradictis.

Respondeti potest secundò, absolutionem reseruatorum esse sacramentalem, & aliquando producere suum effectum, quoad ablationem reseruationis, quamuis Sacramentum sit inualidum, & non producat effectum remissionis culpæ.

10 An pœnitens, qui virtute Iubilei confessus est sua peccata Confessario approbato, remaneat absolutus a peccatis cum ipso Confessario commissis, siue illa aperuerit, siue oblitus sit.

10 Quæres, vtrùm pœnitens, qui tempore Iubilei, aut alia occasione confessus est sua peccata Confessario facultatem habenti circa casus reseruatos, remaneat absolutus à peccato, quod ipse commiserat cum Confessario, siue illud aperuerit in confessione, siue oblitus sit.

Hæc quæstio coincidit cum ea, qua quæritur, vtrùm Confessarius habens facultatem casuum reseruatorum vel censurarum, vel approbatus ad audiendas confessiones tempore Iubilei possit socium culpæ, seu complicem absoluere.

Ratio dubitandi est, quia inter casus Mediolani reseruatos solet enumerari decretũ, quo prohibetur, ne Confessarius culpæ socium, seu participem in confessione audiat, vel absoluat: cùm autem Confessarius possit à reseruatis virtute Iubilei, vel alterius facultatis absoluere, vt suppono, videtur etiam posse socium culpæ in confessione audire, vel absoluere virtute Iubilei, aut facultatis absoluendi à reseruatis.

Hac ratione aliqui ineptè ducti sunt ad asserendum Confessarium posse, saltem Iubilei tempore, complicem in confessione audire, & absoluere. Verùm in hac re, quam nullus hactenus, quem ego legerim, explicauit, nobis constanter, & indubitanter dicendum est, prædictum Confessarium nulla ratione posse virtute Iubilei, vel alterius facultatis reseruatorum, socium in confessione audire, vel absoluere. Moueor his rationibus, tum quia in Concilio Prouinciali VII. *titul. de Sacramento pœnitentiæ, versic. Qui crimina alicuius*, expressè prohibetur, ne socius, aut particeps alicuius criminis, seu culpæ mortalis complicem audiat in confessione. Imò in Conciliis Synodalibus Synodo diœcesana XI. *titulo, Monita executionis decretorum, quæ ad sacramentalia, versic. Confessario, pag. mihi* 409. non solum habetur prohibitio audiendi confessiones sociorum, vel absoluendi socios, & complices in peccato mortali, verùm etiam adempta est iurisdictio, ita vt confessio facta Confessario culpæ socio irrita sit, & nulla. Imò Confessarius socium audiens, vel absoluens ipso facto subit excommunicationem Episcopo reseruatam: tum quia nullus Confessarius potest alium absoluere, nisi sit approbatus ab ordinario ad confessiones audiendas; Confessarius autem culpæ socius non censetur approbatus ad confessiones complicis audiendas, sed censetur omninò positiuè reprobatus, vt patet ex verbis Concilij Prouincialis, vbi dicitur, interdictum sciat sibi munere audiendi confessiones illorum quos socios, &c. & ex verbis Synodi citatæ, in qua prædictus Confessarius priuatur iurisdictione, iniuncta excommunicationis pœna, & ex fine, & conditionibus confessionis, confessio enim fieri debet cum pudore, & verecundia, cum animo præcauendi peccata in futurum: confessio autem facta Confessario complici non fit cum pudore, & verecundia: imò fortè ex ea accipi potest occasio liberiùs peccandi: tum quia sicut femina tempore Iubilei non potest absolui a Confessario approbato ad confessiones tantummodò virorum audiendas, iuxta Rodriquez *tom.*1.*cap.* 60. *num.* 4. *conclus.*4. Suarez, & alios, quos supra retuli *quæst.*7.*punct.*4.§.1.*versic. maius dubium*, contra Henriquez, Coninchum, Nugnum, Sanchez, & alios supra relatos, ita multò minus socius culpæ poterit absolui a Confessario complice, cùm Sacerdos culpæ socius non censeatur approbatus, sed omnino reprobatus ad confessiones complicis audiendas: tum quia sequeretur etiam Confessariũ excommunicatum, vel suspensum posse Iubilei tempore Sacramentum pœnitentiæ administrare, cùm par ratio videatur; sed hoc est absurdum: ergo etiam absurdum videtur, Confessarium posse complicem absoluere: nam quod in illo efficit excommunicatio, in hoc efficit prohibitio sub excommunicatione, tum quia prohibitio qua cauetur, ne Cõfessarius sociũ culpæ audiat, vel absoluat, non est propriè reseruatio, cùm reseruatio directè imponi soleat in pœnam peccati pœnitentis; in nostro autem casu hæc prohibitio non solùm posita est in pœnam pœnitentis, verùm etiam directè in pœnam Confessarij, qui cum pœnitente delictum commisit. Præterea reseruatio importat obligationem præsentandi se legitimo superiori habenti facultatem pro reseruatis: hæc autem prohibitio non importat talem obligationem, cùm pœnitens possit absolui à quolibet Confessario ordinariam iurisdictionem habente, licet non possit absolui à Confessario complice; ergo hæc non est propriè reseruatio; consequenter Confessarius non potest virtute Iubilei, vel alterius facultatis circa reseruata absoluere complicem delicti.

Obiicies primò. Hæc prohibitio numerari solet inter casus reseruatos, vt innuimus in ratione dubitandi superiùs allata, sed Confessarius habens facultatem casuum reseruatorum, vel approbatus ad confessiones audiendas tempore Iubilei, potest à casibus reseruatis absoluere; ergo etiam potest absoluere socium culpæ.

Respondeo, hanc prohibitionem non esse propriè reseruationem, vt iam probaui, consequenter Confessarium non posse complicem absoluere virtute Iubilei, vel facultatis reseruatorum: sicut enim Confessarius habens facultatem reseruatorum, vel approbatus ad confessiones audiendas, non potest tempore Iubilei, aut virtute facultatis reseruatorum dispensare in decreto, quo reseruatur Episcopo facultas distribuendi bona titulo incertorum obnoxia restitutioni, aut sicut non potest sine pœna suspensionis audire confessiones mulierum non reseruata forma confessionalium, aut sicut multa alia præstare non potest, quorum prohibitio in libello casuum reseruatorum hic Mediolani refertur, & recensetur inter casus reseruatos, ita neque Confessarius habens facultatem reseruatorum, vel approbatus ad confessiones audiendas potest confessionem complicis audire, quamuis hæc prohibitio recenseatur in libro casuum reseruatorum.

Obiicies secundò, si Confessarius non potest socium culpæ in confessione audire, vel absoluere virtute Iubilei, vel alterius facultatis, maximè quia non censetur approbatus; sed hæc ratio militat etiam in aliis casibus reseruatis, in quibus Confessario videtur adempta iurisdictio: sicut ergo Confessarius potest virtute Iubilei, vel alterius facultatis absoluere à reseruatis, ita etiam poterit virtute iubilei, vel alterius facultatis complicem in confessione audire, vel absoluere.

Respondeo negando minorem. Ratio disparitatis est, quia in hac prohibitione adest positiua, & specialis reprobatio sub pœna peculiaris excommunicationis, quæ non reperitur in aliis casibus reseruatis, nisi eo generali modo, quem superius explicaui in explicatione illius decreti, quod incipit, Sacra Congregatio.

11 & 12 An prohibitio audiendi, vel absoluendi cõplicem in confessione, respiciat peccata tantummodo carnalia.

11 Sed modò dubium est primò, vtrùm prohibitio audiendi, vel absoluendi complicem in confessione respiciat tantummodò peccata carnalia, an etiam alia.

Respondeo respicere quælibet peccata mortalia: nam in Concilio Prouinciali VII. citato, & in Synodo Diœcesana XI. habentur verba generalia, quæ generaliter accipienda sunt.

12 Hinc sequitur eum, qui dedit alteri consilium occidendi, vel furandi, vel qui cum alio grauiter detraxit, vel pactum iniit patrandæ alicuius turpitudinis mortaliter peccaminosæ, non posse eum, cui consilium dedit, vel cum quo detraxit, vel pactum iniit, in confessione audire, vel absoluere, modò peccatum fuerit mortale, cuiuscumque sit speciei, & hoc pacto intelligenda est Synodus XI. citata, vbi Confessario adimitur facultas absoluendi à delicto etiam leui, quod videlicet sit leue, & non enorme, habita ratione aliorum grauiorum, modò contineatur intra latitudinem culpæ mortalis.

13 An Confessarius ita prohibeatur cõplicis confessionem audire, vt numquam possit illũ audire.

13 Secundò dubium est, vtrùm Confessarius, qui peccatum cum aliquo commisit, ita prohibeatur confessionem complicis audire, vt numquam possit ipsum audire.

Respondeo non posse complicem audire in ea confessione, in qua pœnitens aperire debet peccatum cum ipso Confessario commissum. Ratio est, tum quia sic expressè colligitur ex Synodo Diœcesana citata, in qua Confessarius videtur tantummodò prohiberi, & impediri quoad illam culpã, cuius aliquo modo particeps fuit. Idem colligitur ex Concilio Prouinciali VII. cùm vtatur verbis Synodi Diœcesanæ: tum quia Confessarius quoad alia peccata non dicitur socius, vel particeps, consilium autem prohibet audire confessiones illorum, quorum quis fuit socius: tum quia sic vsu receptum est apud Confessarios.

14 Confessarius potest audire pœnitentem, postquam alteri confessus est peccata cũ ipso Confessario patrata.

14 Hinc sequitur, Confessarium non posse pœnitentem complicem audire in prima confessione, quam pœnitens facit post peccatum cum Confessario commissum, semel verò ablata culpa, cuius fuit particeps Confessarius, potest complicem ab aliis peccatis absoluere, & in sequentibus confessionibus audire, cùm hæc non sit amplius materia necessaria.

15 Confessarius potest complicẽ peccati audire, & absoluere dum existit in articulo mortis.

15 Tertiò dubium est, vtrùm Confessarius possit complicem peccati mortalis in articulo mortis existentem absoluere.

Respondeo negatiuè præsente alio Sacerdote, vt patet ex rationibus superius allatis. Secus si non adsit alius Sacerdos, vt constat ex supradictis de ministro Sacramenti pœnitentiæ in articulo mortis, & ex dictis *in tract. de censuris, disp.*1.*quæst.*3.*punct.*3.*num.*3.*&* 7.

SE-

SECVNDA PROPOSITIO.

16 Pœnitẽs remanet absolutus à reseruatis, etiãsi post absolutionem non præstet reliqua ad consecutionem Iubilei necessaria.

16 QVi tempore Iubilei fuit absolutus à censuris, & à peccatis reseruatis, remanet directè absolutus, etiamsi postea non præstet cetera, quæ ad Iubilei consecutionem præscribuntur, modò confessus sit animo præstandi cetera ad Iubilei consecutionem necessaria. Ita Sanchez *de matrim. lib.8. disp.55.n.25.* Vasquez *de pœnitentia quæst. 91.art.7.dub.6.nu.5.* Reginaldus *lib.8.n.59.* Suarez *de pœnitentia disp. 35.sect.4.n.24.* [Filliucius *tract.7.cap.10.num.309.*]& alij, contra Nugnum *loco cit. vers.Sed tamen.* Rodriquez & alios à me relatos *de censuris disp.1.quæst.3.punct.6. num.13.* Ratio est, quia absolutio non fuit data sub conditione, sed absolutè, nec data fuit ad reincidentiam, vt pœnitens reincidat, si non præstet ea quæ præscribuntur ad consequendum Iubileum. Pœnitens ergo remanet absolutus, modò confessus sit bona fide cum intentione præstandi cetera ad Iubileum obtinendum requisita, cùm enim Summus Pontifex concedat facultatem absoluendi à reseruatis per ordinem ad cõsequendum Iubileum, sequitur deficiente intentione præstandi necessaria ad cõsequendum Iubileum, absolutionem à reseruatis non valere: ita Zerola *in praxi de pœnitent. cap.10. quæsito 40.* Nugnus, Suarez, Sanchez, & alij communiter.

17 Pœnitẽs non reincidit in casus reseruatos, & censuras, licèt voluntariè prætermittat ea quæ ad Iubileũ consequẽdum præscribuntur.

17 Hinc sequitur absolutum à reseruatis, vel à censuris tempore Iubilei non reincidere in casus reseruatos, vel in censuras, etiamsi postea voluntariè prætermittat ea, quæ ad lucrandum Iubileum præscribuntur. Ita Sanchez *loco cit.n.20.* Henriquez *lib.6.c.16.* Emanuel Sà *verb.Indulgentia, sub finem, & verb.Absolutio, num.18.* & alij communiter contra Rodriquez, & alios, quos retuli *de censuris loc.cit.*

18 An grauiter peccet, qui mutata voluntate nõ præstat ea, quæ necessaria sunt ad consecutionem Iubilei.

18 Si quæras, vtrùm grauiter peccet pœnitens, qui tempore Iubilei absolutus fuit à reseruatis cum animo præstandi cetera ad Iubileum necessaria, sed mutato animo ea nõ præstat, nec cõsequitur Iubileum.

Respondet Suarez *disp.31.sect.4.n.5.* grauiter peccare.

Sed mihi probatur sententia Henriquez *lib.3. de pœnitentia cap.16. num.6.* Sanchez *lib.8. de matrim. loco cit. nu.24. & disp.43. num.9. & in summa lib.4. de voto cap.54.* & aliorum, quos in simili retuli *de voto*, asserentium non grauiter peccare. Ratio est, quia nulli grauem facit iniuriam, sibique tantùm nocet.

PVNCTVM VI.

Ad quid teneatur Confessarius qui malè absoluit.

DVbium est primò circa censuras. Secundò circa peccata.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Ad quid teneatur Confessarius, qui defectu iurisdictionis malè absoluit pœnitentem à censuris.

1 CONfessarius, qui à censuris malè absoluit pœnitentem, quem absoluere non poterat defectu iurisdictionis, debet absentem absoluere obtenta facultate absoluendi. Ratio est, tum quia absolutio censurarum ferri potest in absentem, & ignorantem, & existentem in mortali peccato, vt patet ex dictis *de censuris*: tum quia Confessarius, nisi hoc pacto pœnitentem absolueret, in causa esset, cur pœnitens priuaretur suffragiis, cùm excommunicatus etiam contritus, in nostra sententia, priuetur suffragiis Ecclesiæ, vt patet ex dictis *de censuris.* Ita Suarez *disp.32.sect.6.num.3.* Nauarrus *cap.26.num.14.* Vasquez *q.93.art.3.dub.8.n.6.* Coninch. *disp.8.dub.17.n.541.* [Filliucius *tract. 7.c.12.quæs.6.num.370.*] & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Ad quid teneatur Confessarius, qui malè absoluit pœnitentem à peccatis.

2 CONfessarius, qui malè absoluit pœnitentem à peccatis, non potest pœnitentem absentem iterum absoluere, non solùm à peccatis non reseruatis, verùm neque à reseruatis. Ratio est, quia absolutio sacramentalis non potest dari absenti, vt constat ex supradictis. Secus dicendum est, si pœnitens non sit absens: Confessarius enim, qui pœnitentem nondum absoluit, vel dubitat absoluisse, potest, si facultatem habeat absoluendi, beneficium absolutionis impendere pœnitenti qui nondum recessit à conspectu Confessarij, seu qui non est ita remotus, vt Confessarius dubitet de ipsius præsentia, tunc enim adsunt omnia requisita ex parte pœnitentis, & ex parte Confessarij, vt suppono, adest enim materia & intentio ex parte pœnitentis, cùm pœnitens videatur adhuc retinere voluntatem accipiendi absolutionem, donec absoluatur, vt à simili patet in amente, qui petierat Baptismum, aut extremam vnctionem ante phrenesim, & amentiam. Adest etiam intentio, debita forma, & iurisdictio ex parte confessarij, vt suppono; ergo Confessarius potest absolutionem conferre. Ita Reginaldus, & alij DD. statim citandi. Quamuis contrarium sentire videatur Vasquez *dub.8.num.5.* quando pœnitens putat se absolutum, & Confessarius semel illi inualidam impendit absolutionem.

3 Quid facere teneatur Confessarius erga pœnitentem malè absolutum, qui iam recessit à conspectu Cõfessarij.

3 Si quæras, quid facere teneatur Confessarius erga pœnitentem malè absolutum, qui iam recessit à conspectu Confessarij.

Respondeo Confessarium debere pœnitentem admonere, vel saltem curare, vt iterum sibi confiteatur ea peccata, quæ commisit ab vltima confessione sibi facta, simul etiam curando, vt pœnitens se accuset de peccatis aliàs confessis, pœnitens enim per huiusmodi accusationem censetur iterum eadem peccata confiteri, modò Confessarius adhuc memor sit status pœnitentis, vt patet ex supradictis. Ratio est, quia Confessarius consulere debet saluti pœnitentis, consulit autem saluti pœnitentis, si ipsum admoneat, vel saltem curet, vt iterum sibi confiteatur eo modo, quo recensuimus. Ita Suarez, Coninchus, Onuphr. [Filliucius] & alij *locis* statim *citandis.*

4 Quid facere debeat Confessarius, qui nõ validè absoluit pœnitentẽ à reseruatis, vel etiã non reseruatis ex malitia, vel ignorãtia.

4 Hinc patet Confessarium, qui ex malitia, vel ex ignorantia, vel ex inaduertentia non validè absoluit pœnitentem à peccatis reseruatis, vel etiam non reseruatis, debere modò iam dicto pœnitentem admonere, vel obtenta debita facultate reuocare pœnitentem ad confessionem, modo hoc facere possit sine scandalo, vel graui suo detrimento, sicut enim iudex, qui malè iudicauit in damnum rei, tenetur sententiam reuocare, vel declarare, & efficere, ne reus damnum iniustè patiatur, ita Confessarius tenetur pœnitentem admonere, cum ipsius admonitio possit illi prodesse, & illius damnum impedire. Ita Angelus *verb.Confessio 5.n.13.* Nauarrus *cap.26.n.14.* Coninchus *loco suprà citato n.143.* Henriquez *lib.4.cap.12.n.5.ad finem.* Reginaldus *lib.8.n. 30.* Suarez *disp.32.sect.6.* Onuphrius *de sigillo sect.4.quæst.5.vers.secundò sequitur.* Victoria, Syluester, & alij apud Henriquez *loc.citat.*

Si verò Confessarius nequeat admonere pœnitentem, aut illum ad se reuocare absque graui offensione, videlicet absque scandalo, vel graui detrimẽto, non tenetur admonere, vel reuocare. Ratio est, tum quia, si ad hoc tenetur, maximè, vt pœnitens integrè confiteatur, sed Confessarius non tenetur cum tanto incommodo curare pœnitentem integrè confiteri: sicut enim pœnitens similibus de causis excusatur ab integritate confessionis, vt constat ex supradictis; ita etiam Confessarius excusari potest ab obligatione admonendi pœnitẽtem, vel illum reuocandi ad confessionem, vt fateatur peccata antea manifestata: tum quia pœnitens constituetur in gratia per nouam confessionem, quam creditur postea facturus, & per quam ex attrito fiet contritus, consequenter pœnitens non patitur damnum ex absolutione priùs inualidè collata.

Secus dicendum videtur, si pœnitens non credatur facturus aliam confessionem, aut fortè non sit susceptурus aliud Sacramentum, tunc enim Confessarius tenetur pœnitentem admonere, etiamsi timeat sibi graue detrimentum; nam pœnitens censetur esse in extrema necessitate, in qua salutem proximi tenemur nostris commodis temporalibus præferre, vt patet ex dictis de charitate. Ita Suarez *loco cit.n.2.ad finem*, [Filliucius *num.373.*]& alij.

Obiicies contra limitationem, in qua diximus Confessarium non teneri pœnitentem admonere de absolutione inualidè collata, quoties admonere nequit sine suo graui detrimento. Qui inualidè baptizauit, vel ordines contulit, tenetur inualidè baptizatum, vel ordinatum admonere; ergo etiam Confessarius tenetur admonere pœnitentem inualidè absolutum, quamuis inde sequatur grauis infamia, vel graue detrimentum Confessario.

Respondeo negando consequentiam cum Vasquez *loco cit.dub.8. num.8.* Suarez, & aliis DD. citat. Ratio disparitatis est, quia ex inualida collatione Baptismi, vel ordinum sequuntur grauissima incommoda, nam inualidè baptizatus non potest valide recipere cetera Sacramenta, consequenter patitur grauissima, & ineuitabilia damna, inualidè ordinatus inualidè conficit Sacramenta, consequenter ex inualida ordinatione sacerdotali nascuntur grauissima incommoda, & detrimenta, quibus alia ratione occurri non posse videtur, quàm admonendo inualidè ordinatum. Ex inualida verò absolutione non sequuntur damna adeò grauia, consequenter inualidè absoluens potest ob leuiorem causam excusari ab admonitione facienda pœnitenti, quàm excusetur inualidè baptizans, vel ordinans, quamuis hic etiam possit aliquando ob imminens grauissimum damnum ineuitabile excusari, iuxta Suarez *loco cit.num.7.* & alios.

5 An Confessarius teneatur admonere pœnitentẽ de re aliqua ob audita in cõfessione, remissiuè.

5 Vtrùm verò Confessarius teneatur admonere pœnitentem de re aliqua ob audita in confessione, patet ex dictis *de matrimon. quæst.3. punct.vlt.* vbi respondimus negatiuè, saltem si nequeat commodè admonere, & licentiam loquendi de auditis in confessione obtinere. Ita præter DD. ibi citatos in prima editione, Coninch. Vasq. Regin. & alij, quos ibidem retuli in secunda editione.

PVNCTVM VLTIMVM.

Vtrùm Confessarius in conferendo pœnitentiæ Sacramento teneatur aliquos ritus, & cæremonias adhibere.

DVo principaliter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm ex parte pœnitentis requiratur aliqua cæremonia. Secundò, ex parte Confessarij.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An ex parte pœnitentis requiratur aliqua cæremonia.

1 NVlla cæremonia accidentalis in pœnitente necessaria est necessitate Sacramenti, vel præcepti. Ratio est, quia Concilia Tridentinum, & Florentinum, quæ tradiderunt nobis necessaria ad substantiam Sacramenti, non meminerunt vllius cæremoniæ necessariæ, nec vllo iure constat aliquam cæremoniam per se loquendo in pœnitente requiri. Ita Suarez *disp.18.q.6.* & alij communiter.

2 An requiratur vt necessarij sint tres actus pœnitentis.

2 Obserua tamen nos hìc non loqui de actibus pœnitentis, qui sunt partes, & materia Sacramenti, hos enim constat necessarios esse ad pœnitentiæ Sacramentum, sed non veniunt nomine cæremoniæ accidentalis, de qua in præsenti puncto sermo nobis est.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An aliqua cæremonia accidẽtalis requiratur ex parte Cõfessarij.

3 EX parte Confessarij non videtur vlla cæremonia accidentalis necessaria necessitate Sacramenti, aut præcepti, vt patet inductione; nam vel loquimur de cæremonia crucis, vel de manuum impositione, vel de orationibus.

Si loquamur de cæremonia crucis quæ consistit in signo crucis, & adhiberi solet in fine absolutionis, certum est hanc cæremoniam non esse necessariam, cùm nullum extet de hac re præceptum, & liberum videatur Sacerdoti hoc signum adhibere, vel omittere, licet consultum sit adhibere.

Si verò loquamur de cæremonia quæ consistit in manuum impositione tangendo caput pœnitentis, dico hanc cæremoniam non esse necessariam: imò non esse adhibendam cum feminis, præsertim vbi non seruatur debita confessionalium forma, nam facilè suboriri potest periculum alicuius carnalis commotionis. Ita Petrus Ledesma *de pœnitentia, cap.4. vers.Alsin deste*, & alij DD. statim citandi.

Si loquamur de ea, quæ fit cum sola manuum extensione, qua denotatur potestas Sacerdotis, Victoria *in summa num.106.* censet adhibendam esse, Suarez verò *loco cit.num.5.* putat liberum esse Sacerdoti eam omittere: ego verò cum Soto *dist.14.quæst.1. artic.4.* [Vasquez *quæst.84.* Molfesius *tract.7.cap.5.n.33.* Jassero in hac re seruandam esse locorum consuetudinem.

Si denique loquamur de orationibus, & verbis deprecatoriis, quæ

antecedunt, vel subsequuntur formam, eorum omissio non est peccatum mortale præciso scandalo, & contemptu. Ratio est, tum quia paruitas materiæ excusat à mortali: tum quia nullum extat de hac re præceptum, Concilium enim Trident. *sess.*14.*c.*3. dicit has preces, & orationes laudabiliter dici, ex quo loquendi modo satis colligitur, nullum extare præceptum de orationibus præmittendis, vel ad finem recitandis. Quamquam laudabile, expediens, & vtile videtur huiusmodi verba deprecatoria præmittere, quia huiusmodi orationibus impetrari potest maior dispositio, aut perseuerantia, & maior fructus. Ita DD. citati, & alij, quos retuli *de forma Sacramenti pœnitentiæ*. Et hæc de pœnitentiæ Sacramento.

DISPVTATIO VI.

De Indulgentiis, & Suffragiis.

QVÆSTIO PRIMA.

De Indulgentiis.

IN hac disputatione quærendum est:
Primò, quid sit Indulgentia.
Secundò, quotuplex.
Tertiò, quis possit eam concedere.
Quartò, vtrùm ad illius concessionem necessaria sit causa.
Quintò, quid desideretur in susceptore Indulgentiæ.
Sextò, vtrum Indulgentiæ prosint defunctis.
Septimò, quantum valeant Indulgentiæ.
Octauò, quamdiu durent. Ad quorum omnium explicationem antequam accedamus,

Præmittendum est Indulgentiam venire à verbo *Indulgeo*, quod licet à Latinis scriptoribus aliquando accipiatur in bonam partem, quatenus importat lenitatem, & clementiam, aliquando in malam, quatenus connotat blandam, & licentiosam permissionem. A nobis tamen in bonam partem accipitur, quatenus significat condonationem debiti, seu pœnæ, eiusque definitionem primo loco inquiremus.

PVNCTVM I.

Quid sit Indulgentia.

VNICA PROPOSITIO.

1 Indulgentia quid sit.

1 INdulgentia est relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimissis, concessa homini existenti in gratia à Prælato per applicationem thesauri Ecclesiastici. Ita colligo ex Corduba *de Indulgentiis quæst.*1. Soto *in* 4.*dist.*21.*quæst.*1.*art.*2. Valentia *tom.*4. *disp.*7.*quæst.*10.*punct.*1.*vers.Nos autem*, Nugno, Suarez, Coninch. Reginald. [Filliucio,] & aliis *locis* statim *citandis*. Vt hæc definitio clarè innotescat, singulas ipsius partes sigillatim explicabo.

Dicitur *relaxatio pœnæ*, quia per Indulgentias homo absoluitur à pœna, quam pro peccatis luere deberet in Purgatorio, cùm remissa culpa non remittatur tota pœna, vt patet ex dictis *de pœnitentia q.*6. *sect.*1.*punct.*4.*n.*3.

Dicitur *pœnæ*, vt aduertamus per Indulgentias non remitti culpam mortalem, aut venialem, sed pœnam, nam si per Indulgentias remitterentur peccata quoad culpam, sequeretur Indulgentiam esse Sacramentum remittens peccata ex opere operato, quod non est admittendum, cùm Ecclesia non agnoscat, nisi septem Sacramenta. Ita Nauarrus *de Indulgentiis notabili* 10.*num.*12. Suarez *tom.*4. *disp.*50.*sect.*1. *num.*11. [Filliucius *tract.*8.*cap.*7.*quæs.*5.*num.*181.*& seqq.* Sanctarellus *de Iubileo cap.*6.*dub.*5.] & alij quàm plures contra D. Antoninum 1. *part.tit.*20.*c.*3. & alios.

Non nego tamen, quin Ecclesia possit instituere, vt per Indulgentias impetretur bonus motus, quo homo se disponat ad remissionem peccati: nam Ecclesia potest suis orationibus mereri, vt homo excitetur ad detestationem, & emendationem suorum peccatorum, vt patet ex dictis *de Sacramentalibus ab Ecclesia institutis*. De facto tamen Indulgentiæ non remittunt peccata quo ad culpam, vt patet ex allata ratione.

Neque obstat *in Clementina* 1. *de Indulgentiis*, concedi Indulgentiam à culpa, & à pœna, sensus enim est per huiusmodi Indulgentiam concedi facultatem eligẽdi Confessarium, qui absolutionem impendat à quolibet peccato, non verò per ipsammet Indulgentiam peccata immediatè deleri. Ita Valentia *loco cit.punct.*3.*vers.Ac notandum*. Emanuel Sà *verb.Indulgentia*, & alij communiter.

Dixi *pœnæ temporalis*, quia per Indulgentias non remittitur pœna æterna, sed temporalis, cùm enim pœna æterna debeatur peccatis mortalibus nondum deletis, & per Indulgentias non deleantur peccata mortalia, sequitur per Indulgentias non deleri pœnam æternam, cuius reatus tamdiu remanet, quamdiu peccatum non deletur quoad culpam, vt patet ex dictis *de pœnitentia, quæst.*6.*sect.*1.*punct.*14.*n.*2.

Dixi, *debitæ pro peccatis actualibus*, vt indicarem Indulgentiam sumi pro remissione pœnæ debitæ peccato actuali, non autem originali. Ratio est, tum quia peccatum originale remittitur per Baptismum, per quem aufertur omnis reatus, & pœna, vt constat ex dictis de Baptismo: tum quia per Indulgentias aufertur pœna sensus: peccato autem originali non respondet pœna sensus, sed pœna damni, quæ consistit in carentia diuinæ visionis. Ita Graffius *de Indulgentiis num.*31. & alij, quos referam *de peccato originali*.

Dicitur *iam dimissis*, vt ostenderem per Indulgentias non posse pœnam auferri, nondum ablata culpa, in qua fundatur pœna.

Ex quo sequitur virum iustum, si peccatum habeat veniale nondum remissum, non posse remissionem pœnæ illius peccati obtinere, donec peccatum quoad culpam deleatur. Ita Emanuel Sà *verb.Indulgentia num.*19. Suarez *disp.*52.*sect.*2.*n.*4. Corduba *lib.*5.*quæst.*8.*versic. Secunda pars*, Valentia *loco cit.punct.*3. & alij communiter.

2 An Indulgentia extendi possit ad remissionem peccatorũ non solùm commissorum ante, verùm etiã post ipsius concessionem.

2 Si quæras, vtrùm Indulgentia extendi possit ad remissionem peccatorum non solùm commissorum ante concessionem Indulgentiæ, verùm etiam commissorum post concessionem Indulgentiæ.

Respondetur affirmatiuè, alioquin sequeretur, infantes natos post concessionem Indulgentiæ perpetuæ, non obtinere fructum Indulgentiæ postquam adoleuerint. Ita Nauarrus *de Indulgentiis notabili* 34. Reginaldus *lib.*7.*num.*139. & alij, quos in simili retuli *de censuris, & de legibus*.

Dicitur *concessa homini existenti in gratia*, vt colligeretur Indulgentiam existenti in peccato mortali non prodesse non solùm pro remissione pœnæ debitæ tali peccato mortali, verùm neque pro remissione aliorum peccatorum mortalium aliàs remissorum, iuxta communiorem sententiam D. Thom. *in additionib.ad* 3.*part.quæst.*27.*art.*1. Nugni *ibid.* & aliorum communiter, quos referam de susceptore Indulgentiæ. Ratio est, quia homo existens in peccato mortali indignus est huiusmodi remissione, cùm sit inimicus Dei, & dignus æterna pœna: impossibile autem videtur, hominem, quamdiu inimicus Dei est, & dignus æterna pœna, pœnæ remissionem obtinere.

Dicitur *concessa à Prælato*, primò ad distinctionem satisfactionis priuatæ, quam quisque potest sibi imponere in satisfactionem peccatorum, nam homo iustus potest pro se, vel pro alio satisfacere, applicando sibi, vel alij satisfactionem sui boni operis, vt ieiunij, eleemosynæ, &c. cùm applicatio propriæ satisfactionis dependeat à propria ipsius satisfactoris voluntate, vt benè docet Sotus *in* 4.*disp.*21.*quæst.* 1.*art.*4. Graffius *in appendice lib.*2.*cap.*1.*num.*14. Henriquez *lib.*7.*c.*1. & alij quos infrà referam *de suffragiis*; thesaurus verò Ecclesiæ non dependet à volũtate hominis priuati, sed à voluntate legitimi Prælati ad quem thesauri distributio spectat. Ita S. Thom. *in* 3.*distinct.* 10. Graffius *loco cit.cap.*5.*n.*62. & alij communiter.

Secundò, vt aduerterem Indulgentias non à quolibet concedi posse, sed ab eo solùm qui potestatem habet illas concedendi, qualem habent Prælati Ecclesiæ, iuxta illud Matth.16. *Quodcumque solueris super terram*, &c.

Dicitur, *per applicationem thesauri*, quia sicut in Republica seruatur thesaurus, id est, aceruus, & copia pecunię ciuibus distribuendę iuxta necessitatem Reipublicæ, ita in acceptatione Dei conseruatur thesaurus, constans non solùm ex infinitis meritis Christi, qui in Scripturis dicitur nobis datus, & pro nobis passus, *Ioannis* 9.*ad Roman.*8. & alibi, verùm etiam ex Sanctorum satisfactionibus, ipsis superfluis, nam plures Sancti multa opera satisfactoria sibi non necessaria præstitere, & etiam hoc tempore homines iusti exuberantes operationes, & satisfactiones præstant, quibus ipsi non indigent, sed reponuntur in thesauro Ecclesiæ, cuius distributio, & applicatio pertinet ad Ecclesiasticos Prælatos. Hac occasione

3 Quid cõsideretur in operibus hominis iusti.

3 Obserua in operibus hominis iusti duo considerari, meritum scilicet, & satisfactionem: meritum non communicatur aliis, [excepto Christi merito,] satisfactio verò potest communicari, vt benè docet Reginaldus *lib.*6.*n.*96. [Filliucius *tract.*8.*cap.*3.*n.*67.] & alij Doctores scholastici communiter *de incarnatione, & de gratia*. Cùm igitur multi Sancti plus satisfecerint, quàm ipsi indigerent, ipsorum satisfactiones superabundantes in thesauro Ecclesiæ conseruantur distribuendę per Ecclesiæ Prælatum, sicut bona ciuium decedentium sine herede deuoluuntur ad Rempublicam.

4 Quanta sit thesauri abundãtia.

4 Huius autem thesauri tanta est copia, & abundantia vt superet & superabundet pœnas hominibus debitas, cùm tanta sit præstantia, & excellentia sanguinis Christi effusi, vt vna ipsius gutta sufficiat ad delenda omnia peccata. Quamobrem licet absumeretur Sanctorum satisfactio, numquam tamen per Indulgentias absumetur satisfactio Christi, quam constat esse valoris infiniti. Ita Graffius *loco citato*, *n.*41. Henriquez *loco cit.cap.*2.*n.*2. & alij Doctores statim citandi.

5 An detur thesaurus Indulgentiarum in Ecclesia.

5 Hinc colligi potest in Ecclesia dari thesaurum, id est, abundantiam meritorum Christi, & Sanctorum exuberantium satisfactiones ipsismet Sanctis, & hominibus iustis debitas, simulque in Ecclesia residere potestatem concedendi Indulgentias, & remittendi pœnas debitas, quod tamquam de fide docet Bellarminus *de Indulgentiis*. Vualdus *tit.*9.*n.*6. Suarez *disp.*49.*sect.*1. *& disp.*51.*sect.*1. Corduba *lib.*5. *quæst.*4.5.6. *&* 7. Nugnus *in additionibus, q.*15.*art.*1. Valentia *tom.*4. *disp.*7.*q.*20.*punct.*1. *&* 2. Reginaldus *lib.*7 *n.*98.99. *&* 101. Henriquez *loco cit.* [Sanctarellus *de Iubileo c.*3.*dub.*3. Filliucius *tract.*8.*cap.*3.*quæs.* 4. *&* 8.] & alij, tum ex Trident. *sess.*21.*c.*9. *& sess.*25.*ad finem*, ex Concilio Nicæno, Lugdunensi, Constantiensi, Lateranensi, Viennensi, & aliis apud cit. Doctores: tum ex 1.*Pauli ad Corinth.*4. vbi dicitur, Apostolos, siue Prælatos esse dispensatores mysteriorum Dei: tum ex Matth.16. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* quæ verba possunt Indulgentiis accommodari, cùm pœna temporalis debita peccatis sit verum vinculum, & tollatur per Indulgentias, vt docet Sanchez *in summa lib.*4.*cap.*37.*n.*3. Coninchus *disp.*12.*dub.*1. & alij Doctores citati.

6 An thesaurus satisfactionũ extiterit in veteri lege.

6 Quæres, vtrùm thesaurus satisfactionum extiterit in veteri lege ante passionem, vel aduentum Christi.

Respondeo thesaurum satisfactionum ante Christi aduentum inchoatum fuisse, nam aliqui ante Christi aduentum magnas, & exuberantes satisfactiones præstiterunt, sicut aliqui testantur de Abel, vsus tamen istius thesauri non fuit in veteri lege, tum quia in veteri lege nondum erat aperta ianua cæli, ita vt ad ingressum cæli necessaria esset applicatio thesauri: tum quia Christus nondum contulerat facultatem distribuendi thesaurum, sed hanc facultatem postea communicauit Petro, & eius successoribus, Ioannis 21. *Pasce oues meas*, quibus verbis continetur omnis actus iurisdictionis, conducens ad claudendum, vel aperiendum cælum: vnus autem ex actibus quibus cælum aperitur, est Indulgentiarum concessio. Ita Henriquez *loco cit.c.* 3.*n.*1. *& cap.*7.*n.*4. Nugnus *quæst.*25.*art.*1.*concl.*2.*vers.Tandem nota*, *pag.*472. Suarez, & alij *loc.cit.*

PVN-

PVNCTVM II.

Quotuplex sit Indulgentia.

VNICA PROPOSITIO.

1 Indulgentia quotuplex sit.

1 INdulgentia duplex est, plenaria, & temporalis Plenaria est illa, qua remittitur tota pœna simpliciter, vel in aliquo certo genere. Illa dicitur remittere totam pœnam simpliciter, quæ conceditur sine additione particulæ, *De iniunctis pœnitentiis*; illa verò dicitur remittere totam pœnam in certo genere, quæ confertur cum additione, de pœnitentiis iniunctis. Cùm enim Indulgentia tantum valeat, quantum sonat, sequitur Indulgentiam simpliciter concessam sine additione prodesse ad remittendam totam pœnam simpliciter, concessam verò cum additione, *De pœnitentiis iniunctis*, valere ad delendas pœnas respondentes pœnitentiis iniunctis, & consequenter remittere pœnas in certo genere.

Indulgentia temporalis dicitur illa, qua non remittitur tota pœna, sed tanta, quanta in Bullis exprimitur, & hæc diuidi potest in Carenam, Quadragenam, & Septenam.

Carena dicitur à *carendo*, quatenus peccatores, quibus iniungebatur Carena in pœnam peccatorum, carebant cibo, & potu, is enim, cui carena, iuxta canones, iniungebatur, ducebat vitam in pane, & aqua quadraginta diebus, & septem annis sequentibus. Carena igitur accipitur pro Indulgentia, qua remittuntur tot pœnæ, quot fuissent remissæ peragendo pœnitentiam in pane, & aqua quadraginta diebus cum septem annis.

Quadragena est Indulgentia, qua remittitur pœna respondens pœnitentiæ quadraginta dierum, ac si pœnitentia quadraginta dierum facta fuisset iuxta canones pœnitentiales.

Ex quo patet, quid dicendum sit de Indulgentia septena. Videte Henriquez *de Indulgentiis cap.*15. Cordub. *lib.*5. *quæst.*9. Toletum *lib.* 6. *c.*24. *n.*4. Valentiam *to.*4. *disp.*7. *quæst.*20. *punct.*3. *ad finem*, [Suarez *sect.*4. Filliucium *tract.*8. *cap.*7. *quæs.*7. 8. & 9. Sanctarellum *de Iubileo c.*15. *dub.*10.] & alios Doct. statim citandos.

2 Quid significetur, quando in Bullis conceditur Indulgentia septem annorum.

2 Hinc colligi potest primò, quando in Bullis conceditur Indulgentia septem annorum, vel quadraginta dierum, &c. non esse hunc sensum, hominem per consecutionem talis Indulgentiæ liberari à pœnis in Purgatorio luendis spatio septem annorū, & quadraginta dierum, sed potius significari, hominem, qui consequitur talem Indulgentiam, obtinere tantam pœnæ remissionem, quantam obtinuisset, si tanto tempore pœnitentias iuxta canones egisset, non habita ratione, quòd breui, aut longiori tempore commoraturus fuisset in Purgatorio, nam in ipsa forma Indulgentiarum non dicitur, *Relaxamus tot annos pœnæ, sed pœnitentiæ.*

3 An omnes eodē tempore in Purgatorio commorentur.

3 Hac occasione obserua non omnes eodem tempore in Purgatorio commorari, sed aliquos diutius, aliquos breuius, nam aliqui diutius cum leui pœna ibi commorantur, aliqui breuius, sed cum maiori cruciatu, & afflictione, habita ratione grauitatis delictorum, iuxta illud Apocalypsis 18. *Quantum quis se glorificauit, & in deliciis fuit, tantum detur illi tormentum*; & iuxta illud Matthæi 5. *Non exeat inde, donec reddat vltimum quadrantem.*

Ex quo sequitur, aliquos ita grauiter in Purgatorio puniri, vt Indulgentiæ multorum annorum fortasse respondeant pœnis vno die luendis. Ita Coninchus *disp.*12. *dub.*5. *n.*27. Sotus *dist.*21. *quæst.*1. *art.*3. Tabiena *verb. Indulgentia num.*13. Toletus *lib.*6. *c.*23. *num.*4. *vers. secundò notandum, & vers. tertius modus.* Henriquez *loc. cit. c.*15. *num.*4. Reginaldus *lib.*7. *n.*140. & 150. Emanuel Sà *verb. Indulgentia, num.*8. Corduba *loco cit.* Graffius *loco cit. cap.*7. *nu.*7. Valentia *loco cit. punct.*3. *vers. Alterius autem generis.* Nauarrus *de Indulgentiis notabili* 11. *nu.*8. & alij Theologi communiter, teste Nugno *quæst.*25. *art.*2. *difficultate* 2. *post quartam concluf.*

4 Quanta pœnæ remissio cōcedatur, quando alicui conceditur Indulgentia *De pœnitentiis iniunctis.*

4 Secundò colligitur, quando alicui conceditur Indulgentia de pœnitentiis iniunctis, tantam concedi pœnæ remissionem, quanta respondet pœnitentiis taxatis à Confessario, & à sacris Canonibus pro talibus peccatis. Vide Nauarr. *loco cit. n.*9. & 12. Reginaldum *loco cit. n.*150. & 151. [Suarez, Filliucium,] & alios præcitatos Doctores.

5 An Iubileus differat ab Indulgentia plenaria, pleniore, & pleniſſima.

5 Si quæras, vtrùm Iubileus differat ab Indulgentia plenaria, & pleniſſima.

Respondetur negatiuè, quia Indulgentia plenaria idem valet, quod plenior, & pleniſſima, & dicitur pleniſſima solùm amplificationis gratia. Ita Graffius *loco citato, cap.*1. *num.*2. Toletus *lib.*6. *c.*24. *n.*2. Valentia *tom.*4. *disp.*7. *q.*20. *punct.*3. *vers. primi generis.* Bellarminus *lib.*1. *de Indulgentiis cap.*9. Coninchus *disp.*12. *n.*5. *ad finem.* Sotus, & Nugnus *locis* statim *citandis*, contra Nauarrum *de Indulgentiis notabili* 9. & Reginald. *lib.*7. *n.*141. Iubileus autem per hoc differt ab Indulgentia plenaria, pleniore, & pleniſſima, quod in Iubileo concedi solet facultas commutandi vota, & absoluendi à casibus reseruatis. Ita Sotus *dist.* 21. *quæst.*2. *art.*1. Corduba *loco cit. quæst.*9. & 11. Toletus *loco cit. c.*24. *n.*6. Reginaldus *lib.*7. *cap.*13. *sect.*2. *n.*146. Graffius *loco citato*, Canus, Victoria, & alij apud Nugnum *quæst.*25. *artic.*2. *difficultate* 2. *concl.*3. & apud Valentiam *loco citato.*

[Hic obiter circa Iubileum obseruanda sunt nonnulla.

Primò Iubilei nomē desumptum esse ab Hebræo vocabulo, *Iabal*, & adhiberi ad significandam remissionem, sicut aliàs anno Iubilei remittebantur debita, & agri ac domus priori domino restituebantur, & serui libertate donabantur. Vide Bellarminum *lib.*1. *de Indulg. cap.*1. *vers. porrò Iubileus.* Filliucium *tract.*8. *cap.*10. *quæs.*1. Sanctarellum *de Iubileo cap.*1. *dub.*1.

Secundò Iubileum inchoari à primis Vesperis Natiuitatis Domini, post apertas portas, & perseuerare vsque ad annum subsequentem post clausas portas, nisi prorogatio à Summo Pontifice concedatur. Ita Nauarrus *notab.*2. *de Iubileo.*

Tertiò in anno Iubilei suspendi reliquas Indulgentias, vt ostendam *puncto* 8. *num.*2. Imò etiam suspenduntur facultates absoluendi à casibus Summo Pontifici reseruatis.

Quartò ad consecutionem Iubilei præstanda esse pia opera, quæ ad illius consecutionem à Pontifice præscribuntur, vt est visitatio Ecclesiarum certo numero taxata, ita vt incolæ Romæ toties visitent, ceteri verò toties prout in Bulla exprimitur; visitandæ tamen sunt eadem die. Qui autem dici possint incolæ, vel peregrini, seu exteri, colligitur ex dictis *de legibus*; & videri potest apud Nauarrum *de Iubileo notab.*32. *n.*42. & *seqq.* & apud Sanctarellum *de Iubileo cap.*4. *dub.*4. & *seqq.* Præscribuntur etiam alia pia opera, quorum cognitio desumenda est ex Bullis Summorum Pontificum, ipsorum verò declaratio ex iis petenda est, quæ in hoc tractatu disseruimus, & ex dictis *de censuris*; non enim opus est hic singula repetere.

Quintò in anno Iubilei dari facultatem eligendi Confessarium ab ordinario approbatum, qui poterit à casibus, & censuris reseruatis absoluere, & vota commutare, exceptis votis castitatis, & religionis.

An autem impendi possit absolutio excommunicationis ob hæresim contractæ, multi Doctores, testibus Filliucio *tract.*8. *cap.*10. *quæs.* 10. *n.*265. & Sanctarello *de Iubileo cap.*7. *dub.*3. affirmant, quia Summus Pontifex generaliter loquitur, & cupit ab omnibus Iubileum capi. Contrarium sustinent Suarez & alij, quos retuli *de censuris in genere*; quia in generali concessione non veniunt ea, quæ superior non concederet, si specialiter peteretur: quamquam ad hanc rationem respondere posset in hoc Summum Pontificem generaliter loqui, & specialiter concessurum istam facultatem, quia cupit Iubileum ab omnibus obtineri.

An autem tempore Iubilei non possint vlla vota religionis, aut castitatis commutari, patet ex dictis *de voto in tract. de leg.* sicut etiam ex supradictis constat quid sentiendum sit de casibus reseruatis.

Sextò Iubileum obtineri posse in anno sancto toties, quoties eo anno præstantur opera præscripta: tum quia beneficium Principis latè explicandum est: tum quia ita declarauit Summus Pontifex Vrbanus VIII.]

PVNCTVM III.

Quisnam Indulgentias concedere valeat.

IN hoc puncto inquirendum est. Primò, vtrùm Summus Pontifex concedere possit Indulgentias. Secundò, vtrùm Episcopi. Tertiò, vtrum alij.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quis possit primariò concedere Indulgentias.

1 SOlus Summus Pontifex potest primariò concedere Indulgentias: alij verò, quatenus ipsis conceditur à Summo Pontifice. Ratio est, tum quia facultas distribuendi bona publica principaliter conuenit supremo Principi, & vniuersali Ecclesiæ Rectori: Summus autem Pontifex est Summus Princeps, vniuersalis Rector Ecclesiæ, & custos thesauri: tum quia Christus Petro, eiusque successoribus, qui sunt Summi Pontifices, *Ioannis* 21. dixit, *Pasce oues meas*; quibus verbis explicatur etiam concessio Indulgentiarum, quibus oues, id est, Christi fideles indigent. Ita S. Thom. *in additionibus quæst.*26. *art.* 3. Nugnus *ibidem*, Bellarminus *lib.*1. *de Indulgentiis cap.*55. Toletus *lib.* 6. *cap.*25. *num.*1. Suarez *disp.*49. *sect.*1. *n.*13. Coninchus *disput.*12. *dub.*1. *num.*8. [Filliucius *tract.*8. *c.*3. *quæs.*4. *n.*64. & *c.*4. *quæs.*1.] & alij contra Graffium, & Cordubā *locis* statim *cit.* Valentiam *punct.*3. & alios, quorum sententiam probabilem putat Nugnus *q.*26. *art.*1. *concl.*5. & alios asserentes etiam Episcopos posse iure diuino Indulgentias conferre, de qua re agam *prop. seq.* [Ex quo sequitur Concilium generale absque capite, id est, absque Summo Pontifice non posse Indulgentias concedere, quia nullibi constat huiusmodi facultatem collatam fuisse Concilio generali absque facultate Summi Pontificis: quamquam nonnulli Doctores putant Concilium generale Sede Apostolica vacante, posse iure diuino Indulgentias concedere, quia huiusmodi Concilium repræsentat totam Ecclesiam. Ita Nauarr. *de Indulgentiis notab.*31. Henriquez *de indulgentiis cap.*31. *n.*1. Filliucius *tract.*8. *cap.*4. *quæs.*3. Felinus, Cordnba, & alij apud Suarez *loc. cit.* Sed quid ego sentiam alibi explicabo.]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Episcopus quomodo possit concedere Indulgentias.

2 EPiscopus non habet primariò facultatem concedendi Indulgentias, sed eam accipit à Summo Pontifice, vt patet ex prima propositione, consequenter potest tantum Indulgētiæ concedere, quantum illi permissum fuerit à Sede Apostolica; sicut enim mediante Summo Pontifice accipit potestatem circa suos subditos, ita etiam accipit potestatem Indulgentiarum; & sicut Summus Pontifex limitat potestatem Episcoporum quoad absolutionem, & reseruationem, ita etiam quoad Indulgentias, vt notat Corduba, & alij *locis citatis.* Quamobrem facultas concedendi Indulgentias concessa est Episcopis cum limitatione, & restrictione, vt patet in dedicatione Ecclesiæ, in qua Episcopi concedunt Indulgentiam vnius tantùm anni, & in anniuersario dedicationis, aut aliàs concedunt solùm Indulgentiam quadraginta dierum, *cap. cùm ex eo, de pœnitentiis, & remissionibus.* Ex quo patet, quid dicendum sit de Archiepiscopis.

Obserua tamen Archiepiscopis *cap. à nostro, eodem titulo*, dari facultatem concedendi Indulgentias per totam suam prouinciam, & Archiepiscopatum, etiamsi non sint in actu visitationis, iuxta Cordubam *quæst.*14. [Suarez *sect.*3. Filliucium *n.*89.] Nugnum *q.*26. *art.*1. *vers. Difficultas tamen*, Paludanum, & alios, nam *in cap. nostro*, non ponitur vlla restrictio.

3 An valeat Indulgētia ab Episcopo cōcessa vltra limites ipsi præscriptos.

3 Ex dictis sequitur primò, inquiunt Suarez *disp.*55. *sect.*3. *n.*11. Nauar. *de Indulgentiis notabili* 31. *n.*16. Reginaldus *loco cit. n.*120. Riccius *decis.*117. *n.*5. Nugnus *loc. cit. concl.*5. [Sanctarellus *de Iubileo c.*3. *dub.*2.] & alij, irritam esse concessionem Indulgentiæ factam ab Episcopo vltra limites sibi præscriptos, nullus enim potest aliquid concedere sine facultate.

4 An prædicta Indulgentia irrita sit in totum, an solum quoad excessū.

4 Obserua tamen irritam esse solùm quoad excessum, non verò quoad quantitatem intra latitudinem facultatis contentam, nam vtile per inutile non vitiatur, *de regulis iuris in 6.*

5 An Episcopi possint concedere Indulgentiã pro mortuis.

5 Secundò, Episcopos non posse Indulgentiam concedere pro mortuis, tum quia ipsorum facultas videtur a Sede Apostolica restricta ad subditos Episcoporum degentes in hac vita, cum Indulgentia ex regula generali non censeatur pro defunctis concessa, nisi Summus Pontifex consenserit: tum quia Episcopi numquam concesserunt Indulgentias pro defunctis; ergo dicendum videtur in iuribus citatis restrictam esse ipsorum facultatem, quoad defunctos. Ita Nauarr. *notabili 22. de Indulgentiis nu.4.* Bellarminus *de Indulgentiis lib.1. cap.11.* Suarez *disp.55.sect.3.n.23.* Reginald. *lib.7.n.114. in in summario, & nu.193.* Emanuel Sa *verb. Indulgentia num.18.* Nugnus *loco citato concl.5.* [Filliucius *n.89.*] Corduba, & Medina apud Suarez *loco citato.*

6 An Episcopus tãtùm electus, & nõdum consecratus possit Indulgentias concedere

6 Quæres primò, vtrùm Episcopus possit Indulgentias concedere etiamsi nondum sit consecratus, sed tantummodò electus, & confirmatus.

Respondeo affirmariuè, quia concessio Indulgentiarum est actus iurisdictionis, actus autem iurisdictionis potest ab Episcopo non consecrato exerceri, & alteri demandari. Ita Suarez *disp.49.sect.3.n.3.* Graffius *loco suprà citato cap.2.num.2.& 5.* Reginaldus *loco cit nu.123.* Nugnus *in additionibus quæst.25.art.1.quæstiunc.3. vers. secunda conclus. pag. mihi 453. & quæst.26.art.1 post quintam conclusionem.* [Filliucius *n.65.*] Caietanus, Sotus, & alij apud Suarez, & apud Graffium.

7 An Abbas, Summus Pontifex electus possit Indulgentias concedere, si nõdum sit consecratus.

7 Hinc sequitur à pari, Summum Pontificem electum posse Indulgentias concedere, licet nondum sit consecratus. Ita Suarez *loco citato num.5.* [Filliucius *num.65.*] & alij.

8 An Episcopus excommunicatus possit Indulgentias concedere.

8 Maior difficultas est, vtrum Episcopus excommunicatus possit Indulgentias concedere.

Respondeo Episcopum excommunicatum denuntiatum seu vitandum non posse Indulgentias concedere, nam excommunicatus vitandus caret vsu iurisdictionis, consequenter inualida sunt ipsius acta ad iurisdictionem pertinentia, vt constat ex dictis de censuris. Secus dicendum est, si Episcopus non sit excommunicatus vitandus, nam acta excommunicati non vitandi valida sunt.

9 An graviter peccet Episcopus concedendo Indulgentias in peccato mortali.

9 Ex quo patet a fortiori, Episcopum, qui concedit Indulgentias, dum in peccato mortali existit, validè concedere, quia peccatum mortale præcisè non tollit iurisdictionem.

Addo Episcopum, qui concedit Indulgentias in statu peccati mortalis, non grauiter peccare, nam actus concedendi Indulgentias non est actus ordinis, sed iurisdictionis; actus autem iurisdictionis per se loquendo, possunt [in statu peccati mortalis] sine mortali peccato exerceri, vt ostendimus in octauo Decalogi præcepto. Ita Graffius *loco cit. num.24.* Suarez *disp.55.sect.3.n.20.* Henriquez *loco suprà citato cap.32.num.4.* Valentia *loc. cit. punct.3. vers.3. assertmus,* Emanuel Sa *nu.16.* Reginaldus *lib.7.nu.118.* Corduba *lib.5. quæst.13. circa principium pag. mihi 390.* Nugnus *in addit. quæst.27.art.9.concl.1.* & alij communiter.

10 An Vicarius Generalis possit Indulgentias cõcedere.

10 Quæres secundò, vtrum non solum Episcopus, verum etiam Vicarius Generalis possit Indulgentias concedere.

Respondeo Vicarium Generalem non posse absque speciali facultate Indulgentias concedere, nam facultas concedendi Indulgentias est quasi reseruata dignitati Episcopali, vt inquit Nauarrus, Corduba, & alij apud Suarez *disp.55.sect.5.num.5.* Reginaldus *loco cit.n.122.* Nugnus *in addit. quæst.26.art.1.ad finem,* [Filliucius *num.92.*] & alij. Idem dicendum videtur de Capitulo sede vacante: cum enim non succedat in dignitate, neque succedere videtur in iurisdictione Indulgentiarum, quam iura volunt esse reseruatam dignitati Episcopali. Ita Doctores citati, vbi etiam agunt, an facultas concedendi Indulgentias acquiri possit per consuetudinem, de qua re nos alibi.

11 An Episcopus possit facultatem concedendi Indulgentias demandare Vicario Generali.

11 Maius dubium est vtrum Vicarius generalis possit saltem de Episcopi licentia Indulgentias concedere, & vtrum Episcopus possit facultatem Indulgentiarum suo Vicario demandare.

Respondeo Episcopum posse hanc facultatem non solùm suo Vicario, verum etiam Clerico demandare. Ratio est, quia facultas concedendi Indulgentias spectat ad Episcopum iure ordinario, iuxta restrictionem, & limitationem Sedis Apostolicæ, vt benè tradit Suarez *disp.55.sect.3.n.3.* Corduba *quæst.12. propositione 2.* Valentia, & alij *locis statim citandis* facultas autem, quæ alicui iure ordinario competit, potest aliis delegari, nisi adsit in contrarium prohibitio. Ita Graffius *lib.2.cap.2.num.21. in appendice.* Bellarminus *de Indulgentiis lib.1. cap.11.* Nugnus *quæst.26.art.2.ad finem.* Emanuel Sa *v. Indulgentia nu.16.* Valentia *tom.4.disp.7.q.20.punct.3.* Suarez *disp.55.sect.6.n.6.* Reginaldus *lib.7.n.116.* & alij

12 An Episcopus possit hanc facultatem laico concedere.

12 Hæc tamen potestas non potest ab Episcopo concedi laico, cum laicus iure humano remoueatur à muneribus Ecclesiasticis, vt in simili ostendi de censuris. Ita Graffius *loc. cit. n.27.* Suarez, [Filliucius,] & Reginaldus *loco citato.*

13 An Summus Pontifex possit de plenitudine suæ potestatis hoc permittere laico.

13 Vtrum verò Summus Pontifex possit de plenitudine suæ potestatis delegare laico facultatem concedendi Indulgentias.

Respondetur affirmatiue cum Nugno *loco cit.* Suarez *loco cit nu.3.* Reginaldo *loco cit. num.117.* [Filliucio *tract.8.cap.4.quæs.10.num.101.*] & alijs, quos in simili retuli *de censuris,* nulla enim sufficiens implicantiæ ratio potest afferri ad ostendendum Summum Pontificem non posse saltem de plenitudine suæ potestatis facultatem dare laico ad concedendas Indulgentias: Episcopus verò non potest huiusmodi facultatem laico demandare, quia non potest per se loquendo in iure communi dispensare, potest verò huiusmodi facultatem suo Vicario, aut alteri Clerico delegare, vt iam ostendimus.

14 An Episcopus cẽseatur suo Vicario Generali facultatem Indulgentiarũ concedere in commissione generali, remissiue.

14 An verò Episcopus censeatur suo Vicario Generali facultatem Indulgentiarum concedere in commissione generali, constat ex dictis *de censuris, disput. præsertim 7. quæst. vltima, punct.1.* si benè memini.

15 An Episcopus possit Religiosis Indulgentias concedere iuxta suam facultatem.

15 Quæres tertiò, vtrùm Episcopus possit Religiosis Indulgentias concedere iuxta suam facultatem.

Respondeo affirmatiue, nam Religiosi in hac parte possunt se subiicere Episcopis, & frui priuilegio Episcoporum, cum exemptio Religiosorum non sit ipsis concessa in damnum, sed in fauorem. Ita Paludanus *in 4. dist.20. quæst.4. art.4.* Reginaldus *loco cit. num.119.* [Sanctarellus *de Iubileo cap.3. dub.2. lit.I.*] Sanchez, & alij, quos in simili retuli *de voto.*

16 An Episcopus gaudere, & frui possit Indulgentiis, quas aliis concessit.

16 Quæres quartò, vtrùm Episcopus gaudere, & frui possit Indulgentiis, quas aliis concessit.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia Episcopus non est deterioris conditionis aliis, tum quia sicut ex vi saltem directiua tenetur suis legibus, *cap. cùm omnes, de constitutionibus,* vbi dicitur, patere legem, quam tuleris: ita etiam frui potest priuilegiis à se concessis. Ita S. Thom. *in addit. quæst.27.art.4.* Nugnus *ibid.* Suarez *disp.52.sect.1.dub.3.* Sotus *in 4. dist.21. quæst.1.art.4. sub finem.* Reginaldus *lib.7. num.199.* Nauarrus *de Indulgentiis notabili 20. num.91.* Corduba *quæst.31. propositione 2.* Emanuel Sa *verb. Indulgentia num.17.* Henriquez *cap.32.* [Filliucius *tract.8.cap.6. quæs.2.num.131.*] & alij, quos in simili retuli *de voto,* & de absolutione a censuris, & casibus reseruatis contra Syluestrum *verb. Indulgentia n.21.*

17 An Prælatus possit sibi immediatè concedere Indulgentias concedere.

17 Vtrum verò Prælatus possit sibi immediatè concedere Indulgentias, dissensio est inter Suarez, Nugnum, & alios Doctores citatos; sicut etiam controuersia est, vtrùm Prælatus ad consequendam Indulgentiam teneatur præstare opus communiter ab ipso impositum. Qua in re mihi placet opinio D. Thom. *in 4. distinct.20. art.5. quæst.4.* Cordubæ *lib.5. quæst.31. post secundam propositionem,* & aliorum asserentium, Prælatum non teneri opus generaliter iniunctum præstare, sed posse in hac parte secum dispensare, faciendo aliud opus pium loco pij operis generaliter præscripti, nam impositio talis operis pij dependet ab ipsius concedẽtis voluntate; sicut ergo concedens potest cum aliis dispensare aliud opus iniungendo, ita etiam secum in hac parte dispensare posse videtur.

TERTIA PROPOSITIO.

18 An inferior Episcopo possit absque licentia superioris concedere Indulgentias.

18 NVllus Episcopo inferior potest Indulgentias concedere absque Summi Pontificis, vel Episcopi licentia, vt patet ex ratione primæ propositionis.

Dixi, *absque licentia,* nam de licentia ipsorum concedi possunt Indulgentiæ ab inferioribus, potestas enim conferendi Indulgentias est potestas iurisdictionis, quam constat aliis delegari posse ab habentibus ordinariam potestatem. Quapropter Abbates, & Prouinciales religionum, quamuis per se loquendo, nequeant Indulgentias concedere, eas tamen concedere possunt Summo Pontifice consentiente; cum ad Summum Pontificem iure ordinario pertineat thesauri distributio. Ita DD. cit.

19 An Abbas Religiosorum possit alios efficere participes satisfactionum, & orationum, quæ fiunt in Religione.

19 Si quæras, vtrum Abbas religiosorum possit alios efficere participes satisfactionum, & orationum, quæ fiunt in religione.

Respondetur affirmatiuè, vt patet tum ex communi religiosorum praxi, qui benemeritos de suo ordine omnium bonorum sui ordinis participes efficere consueuerunt: tum quia Prælati possunt præcepto, & intentione reseruare partem satisfactionis subditorum conferendam iis, quos ipsi designant; sicut enim quilibet potest suas satisfactiones, cui voluerit applicare, antequam constituantur in thesauro, vti benè docet Nugnus *quæst.25.art.1.quæstiuncula 2. vers. tandem notandum. pag. mihi 452.* cum quilibet sit dominus suæ satisfactionis, ita superior religiosorum, cuius voluntati subsunt religiosi, potest religiosorum satisfactiones, antequam in thesauro Ecclesiæ reponantur, cui voluerit applicare. Ita Graffius *in appendice lib.2.cap.2.num.18.19. & 21.* Corduba *lib.5. de Indulgentiis, q.42. vers. quartum dictum, pag. mihi 489. & vers.8. dictum.* Nauarrus *de Indulgentiis notabili 31.nu.18.* Reginaldus *loco cit. num.124.* Suarez *disp.48.sect.8.num.26. & disp.55. sect.5.num.3.* Sotus *in 4. dist.21. quæst.1.art.4. sub finem.* Nugnus *in addit. quæst.25.art.3. difficultate 1. vers. Ad nonum argumentum, & quæst. 26.art.1.concl.6.* [Filliucius *n.95.*] Henriquez, & alij.

20 Cui prosit satisfactio, quãdo subditus eam applicuit vni, & superior alteri.

20 Obserua tamen cum Nugno *loco citato,* primò, si subditus applicet suam satisfactionem vni, & Prælatus alteri, satisfactionem prodesse illi, cui subditus applicat, nam subditus in hac parte videtur primum locum obtinere, vt patet à simili in sacrificio Missæ; quamuis oppositum sentiat Rodriquez *in summa 1.part.cap.251. conclusione 10.* Corduba *lib.1.q.3. notabili 5.* Armilla *verb. Missa, num.33.* & alij apud Paulum Fraxinellum *de obligationibus Sacerdotum sect.7.§.7.* Sed ratio nostra est, tum quia Prælatus non videtur dominus actus merè interni principaliter dependentis à voluntate subditi applicantis suffragium: tum quia consecratio facta a subdito, inuito Prælato valida est, ergo etiam videtur valida sacrificij applicatio. Idem præter Nugnum sentire videtur Suarez *3.part tom.3.disp.79.sect.9.*

21 An Prælatus possit satisfactionẽ subdito necessariam alteri applicare.

21 Obserua secundò cum eodem Nugno contra Sotum *in 4. dist. 20. quæst.1.art.4.* Prælatum non posse satisfactionem subdito necessariam applicare alteri, nam Prælatus non videtur posse damnum subdito inferre in spiritualibus, nisi subditus consentiat. Idem tenet Corduba *q.42. de Indulgentiis, vers. secundum dictum.*

22 Quinam prohibeantur concedere Indulgentias.

22 Ex dictis in præcedentibus constat laicos, aut Clericos, aut etiam Cardinales, qui non sunt Episcopi, non posse Indulgentias concedere, quia non sunt dispensatores thesauri Ecclesiastici, nisi facultatem aliquam obtineant. Ita Graffius *loco citato, num.27.* Valentia *tom.4. disp.7. quæst.20. punct.3. vers. nedum legati.* Suarez *disp.55. sect.4. & 5.* Corduba, & alij.

23 An Capitulũ Ecclesiæ Cathedralis possit sede vacante Indulgentias concedere.

23 Secundò, Capitulum Ecclesiæ Cathedralis non posse Sede vacante Indulgentias concedere, vt patet tum ex allata ratione: tum quia Capitulum Sede vacante, non succedit Episcopo in potestate iurisdictionis extraordinariæ saltem in iis, quæ sunt reseruata dignitati Episcopali. Ita Graffius *loco citato, num.9.* Henriquez *cap.31.* Suarez, Reginaldus, [Sanctarellus,] & alij *suprà citati quæsito 2.* contra Syluestrum *verb. Capitulum, nu.10.* Lazarum *verb. Indulgentia n.47.* Zerolam *in praxi Episcopali verb. Indulgentia n.2.* quorum opinionem non puto improbabilem.

24 An quis suas satisfactiones repositas in thesauro Ecclesiæ, possit eas sibi applicare, postquam indiguerit.

24 Tertiò, illum qui suas satisfactiones in thesauro Ecclesiæ posuit, non posse eas sibi applicare, postquam indiguerit, itaque si vir iustus multa præstet opera, quibus ipse non indiget, deinde incidat in peccatum

peccatum mortale, illiusque remissionem obtineat, non potest satisfactiones antea præstitas sibi accipere, & applicare. Ratio est, tum quia ad ipsum non pertinet dispensatio thesauri, cùm sit inferior Episcopo, & Summo Pontifice: tum quia, si eas posset sibi accipere, posset etiam alteri applicare, cùm sit eadem ratio; cùm autem non possit aliis applicare satisfactiones in thesauro Ecclesiæ positas, vt docet Nugnus *in addit. q. 25. art. 1. quæstiunc. 3. vers. istam quæstionē, pag. 432.* & alij communiter, sequitur nec eas posse sibi accipere, & applicare.

25 An parochus possit Indulgentias cōcedere.

25 Quartò, Parochum non posse Indulgentias concedere, est enim inferior Episcopo, & Summo Pontifice, nec est dispensator thesauri, nec iurisdictionem habet in foro externo. Ita Corduba *lib. 3. q. 12. propositione 5.* Henriquez *loco cit. nu. 8.* [Suarez *n. 7.* Filliucius *n. 93.*] & alij communiter.

25 (An Abbas Episcopo inferior possit Indulgentias cocedere)

[26 Quintò, nullum Abbatem Episcopo inferiorem posse indulgentias concedere, etiamsi iurisdictionem Episcopalem in suis locis habeat. Ratio est, tum quia huiusmodi facultas non est ipsis concessa iure naturali, diuino, vel humano: tum quia *in cap. accedentibus, de excess. prælat.* redarguuntur Abbates, qui hoc munus sibi vsurpabant. Ita Suarez *loco cit. sect. 3.* Filliucius *tract. 8. cap. 4. quæs. 6. n. 90.* & alij.]

PVNCTVM IV.

Vtrùm ad concedendas Indulgentias necessaria sit causa.

VNICA PROPOSITIO.

1 An necessaria sit causa ad concedendas Indulgentias.

1 AD concedendas Indulgentias necessaria est causa. Ratio est, tum quia Summus Pontifex non est dominus, sed dispensator, & distributor thesauri Indulgentiarum; cùm autem distributor nequeat pro suo libito rem sibi commissam distribuere, sed iuxta voluntatem domini rationabilē, (nam intentio Christi, & Sanctorum fuit, vt Ecclesiæ thesaurus non dispensaretur, nisi ob honorē Dei, & Ecclesiæ vtilitatem, &c.) sequitur Summum Pontificem non posse, nisi ob rationabilem causam, Indulgentias concedere, qualis causa est honor Dei, vtilitas Ecclesiæ, bonum commune, aut etiam priuata causa, &c. Tum quia *in cap. Vnigenitus, de pœnitentiis, & remissionibus*, habetur, thesaurum Indulgentiarum concessum fuisse Ecclesiæ à Christo dispensandum per Summum Pontificem propriis, & rationabilibus de causis: tum quia Innocentius III. *cap. cùm ex eo.* damnat Indulgentias indiscretas, quales censentur, quę sine causa conceduntur. Ita S. Thomas, S. Bonauentura, Caietanus, & alij apud Suarez *tom. 4. disput. 54. sectione 1.* Nugnus *quæst. 25. art. 3. vers. prima concluſ.* Coninchus *disp. 12. dub. 6. concluſ. 1. num. 30.* Corduba *lib. 5. de Indulgentiis quæst. 20. pag. mihi 419.* Reginaldus *lib. 7. cap. 12. n. 126.* Valentia *tom. 4 disp. 7. quæst. 20. punct. 4.* [Filliucius *tract. 8. cap. 5. n. 105.*] & alij communiter.

2 Quænam causa sufficiat ad cōcedendas Indulgentias.

2 Obserua tamen, causam iustam concedendi Indulgentias contineri posse in quolibet actu pio, ex quo aliqua Ecclesiæ vtilitas, & gloria diuina redundet, siue sit actus internus, siue externus, siue fiat tunc, siue futurus sit, siue fiat ab eo qui consequitur Indulgentiam, siue fiat ab alio, vt contingit in Indulgentiis, quæ per modum suffragij defunctis applicantur.

Addo hoc verum esse, etiamsi fortè præter intentionem postea sequatur aliquod damnum, vt si Summus Pontifex cōcedat Indulgentiam plenariam recitāti certas quasdam preces, aut facienti pium aliquod opus ad pacem inter aliquos Principes obtinendam, quæ videtur cedere in vtilitatem Ecclesiæ, sed postea in detrimentum vergit. Ita Caietanus *tom. 1. tract. 15. cap. 8.* quem citat, & sequitur Valentia *loco cit. punct. 4. vers. de primo breuiter.* Corduba *loco citato quæst. 21.* Reginaldus *loco citato num. 128.* & alij.

3 Quare cōcedantur Indulgentiæ.

3 Ex dictis colligitur primò, Indulgentiam concedendam esse ob iustam causam.

4 Quænam sit iusta causa concedendi Indulgentiā.

4 Secundò, iustam causam concedendi Indulgentias esse honorem Dei, Ecclesiæ vtilitatem, bonum commune, vel priuatum, &c.

5 An valeat Indulgētia si concedatur per quodcumque leuissimum opus.

5 Tertiò, in quolibet pio actu inueniri posse iustam causam ad concedendam Indulgentiam, consequenter validam esse Indulgētiarum concessionem factam à Summo Pontifice per quodcumque pium opus, etiam leuissimum, vt si concedatur Indulgentia plenaria recitanti orationē Angelicam, & Dominicam. Ratio est, tum quia Summus Pontifex iustam respexit causam in concedenda pro leui opere Indulgentia: tum quia Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant: tum quia experientia constat plenarias Indulgentias aliquando pro leuissimo opere concedi, vt pro Dominica, & Angelica oratione, &c. consuetudo autem non facilè damnanda videtur. Tum quia sicut Deus per nimium contritionis actum æternam pœnam condonat, ita etiam condonare potest reatum pœnæ temporalis per quemcumque actum præscriptum ad consequendam Indulgentiam: tum quia frustra concederentur Indulgentiæ si ad ipsarum valorem, & consecutionem necessarium esset opus æquiualens, & æquipollens Indulgentiæ, quę conceditur; quid enim operaretur Indulgentia, si ad consecutionem Indulgentiæ, exempli gratia, viginti dierum tale pium opus requireretur, quod remissionem tantæ pœnæ mereatur, quanta per viginti dies luenda esset? Ita Valentia *loco cit. punct. 4. vers. est igitur quarta sententia.* Coninchus *loco citato n. 34.* Emanuel Sà *verb. Indulgentia, n. 1.* Reginaldus *loco cit. n. 132.* Graffius *loco cit. n. 44. & 47.* Henriquez *cap 14.* Durandus, Medina, Sylueſter, & alij apud præcitatos Doctores contra Coninchum ex par. *disp. 52. dub. 6. n. 31.* Suarez *disp. 54. sect. 3. & 4.* Nugnum *q. 25. art. 1. difficultate 1. ad duodecimum, & difficultate 2. concluſ. 1.* Cordubam *loco citato, vers. secunda pars.* [Filliucium *c. 5. quæsito 106. & seqq.*]

6 An Summus Pontifex possit absolutè Indulgentias concedere nullū opus requirendo.

6 Addo Summum Pontificem aliquando posse Indulgentias absolutè concedere nullum opus requirendo, nam adesse potest iusta causa concedendi Indulgentiam nullo iniuncto opere, vt si defuncto optimè de Ecclesia merito Indulgentiam concedat, vt alios hoc pacto trahat ad consimilia merita; sicut enim Princeps potest bona communia ex rationabili causa dignis applicare, ita etiam Summus Pontifex, qui est Princeps Ecclesiæ, potest homini iusto optimè merito de Ecclesia, & bonis Ecclesiæ communibus digno Indulgentias applicare. Ita Valentia *loco citato punct. 4.* Reginaldus *lib. 7. num. 196.* Coninchus *disp. 12. dub. 6. n. 34.* Nugnus *quæst. 27. art. 3. concl. 2.* Suarez *disp. 52. sect. 4. num. 3.* & alij.

7 Quando dubitatur, an Sūmus Pontifex iustam habuerit causam concedendi Indulgentias, censendus est iustam habuisse causam.

7 Si quæras, vtrùm quando dubitatur, an Summus Pontifex rationabilem habuerit causam concedendi Indulgentias, censendus sit iustam causam habuisse.

Respondetur affirmatiuè, nam in facto Principis præsumitur causa, saltem quando non vergit in præiudicium tertij. Ita Molina Iurisconsultus *lib. 1. de primogeniis n. 32.* Graffius *loco cit. cap. 6. n. 26.* Corduba *lib. 5. q. 22. propositione 1. in principio.* Reginaldus *loco cit. nu. 134.* Coninchus *loco cit. n. 36.* Suarez *disp. 56. sect. 3. n. 7.* Nugnus *loco cit. versic. tertia concluſ. pag. mihi 459.* Toletus *lib. 6. cap. 28. n. 6.* & alij, quos in simili retuli de tributis, & vectigalibus in tractatu de restitutione.

PVNCTVM V.

Quænam requirantur in eo, qui susceperus est Indulgentiam.

TRia principaliter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm in eo, qui susceperus est Indulgentiam, requiratur Baptismus, & fides. Secundò, vtrùm necessaria sit gratia.

Tertiò, vtrùm præstare debeat opera ad consequendam Indulgentiam præscripta.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An susceptor Indulgentiarum debeat esse fidelis viator baptizatus.

1 NEcesse est, vt susceptor Indulgentiarum sit homo fidelis viator. Ratio est, quia concesio Indulgentiarum est actus iurisdictionis; actus autem iurisdictionis exerceri non potest in eos, qui non sunt viatores, aut qui sunt infideles nondum baptizati: cùm ipsi nondum sint subditi Ecclesiæ, aut Ecclesiæ membra.

2 An infidelis baptizatus sit capax Indulgentiæ.

2 Addo non solùm infideles nondum baptizatos, verùm etiam infideles baptizatos non videri capaces Indulgentiæ; nam participatio Indulgentiarum pertinet ad articulum communionis Sanctorum; huius autem communionis non videtur particeps, qui non est membrum Ecclesiæ, quomodo enim influxum Ecclesię percipiet, qui non est coniunctus, & vnitus Ecclesiæ per fidem, quæ est primum vinculum, quo Ecclesiæ membra connectuntur?

Ex quo patet hæreticos, & apostatas à fide non esse capaces Indulgentiæ, videte S. Thom. *in addit. ad tertiam partem quæst. 27. art. 1.* Nugnum *ibid.* Suarez *disp. 52. sect. 2.* Coninchum *disp. 12. dub. 7. nu. 37. & dub. 10. ad finem*, [Filliucium *tract. 8. c. 6. q. 5. n. 136.*]

Obiicies contra propositionem, Indulgentiæ prosunt defunctis, & Catechumenis, sed defuncti, & Catechumeni non sunt viatores, fideles baptizati; ergo non est necesse, vt susceptor Indulgentiarum sit homo fidelis viator.

Respondent Henriquez *lib. 7. cap. 18. num. 3.* Corduba, Nauarrus, & alij apud Henriquez, quos etiam sequi videtur Emanuel Sà *verb. Indulgentia, num. 2.* Indulgentias prodesse Catechumenis non per modum absolutionis, & iudicij directi, tamquam subditis Ecclesiæ, cùm nondum sint subditi, sed per modum suffragij. Idem docent de Catechumenis in Purgatorio existentibus, cùm enim Catechumeni in Purgatorio existentes computari possint inter membra Christi, inferendum videtur Catechumenos posse frui satisfactione Christi, & Indulgentiis per modum suffragij. Hac de causa, inquit Henriquez, offerri possunt Missæ, & suffragia pro Catechumenis in Purgatorio existentibus, cum etiam ipsa Ecclesia tempore Paschatis, & Pentecostes pro Catechumenis oret.

Ego verò cum Suarez *disp. 53. sect. 4. num. 8.* Nugno *in addit. q. 27. artic. 3.* Conincho *loco citato dubio 10. ad fin* [Filliucio *tract. 8. cap. 8. quæs. 10. num. 214.*] & aliis censeo, Indulgentias non prodesse catechumenis. Ratio est, tum quia non est recepta consuetudo, & praxis concedendi Indulgentias catechumenis, aliisve Baptismi charactere carentibus, sed tantummodò fidelibus, quorum nomine illi propriè veniunt iuxta communem loquendi modum Ecclesiæ, qui fidei professionem in Baptismo fecerunt: tum quia nullus videtur capax remissionis culpæ ex opere operato, nisi susceperit Baptismum; ergo neque videtur capax remissionis pœnæ per Indulgentias, quæ prodesse videntur ex opere operato, nisi prius susceperit Baptismum.

Quid verò sentiendum sit de Indulgentiis, quę applicantur defunctis, constabit ex infrà dicendis, hic enim nobis sermo est de Indulgentiis, quæ hominibus in hac vita existentibus applicantur.

3 An Indulgentię prodesse possint excōmunicato.

3 Quæres, vtrùm Indulgentiæ prodesse possint excommunicato. Respondeo negatiuè, quamuis excommunicatus sit contritus. Ratio est, quia excommunicatus licet cōtritus, afficitur pœnis excommunicationis: vna autem ex pœnis excommunicationis est priuatio communium Ecclesiæ suffragiorum, & bonorum, quales sunt Indulgentiæ, vt constat ex dictis *de censuris disp. 2. quæst. 2. punct. 1. num. 12.* Ita Suarez *disp. 52. sect. 2. de Indulgentiis tom. 4. & tom. 5. de censuris disp. 12. sect. 3. num. 7.* Vgolinus *de censuris tabula 2. cap. 9. in principio.* Nugnus *in additionibus quæst. 27. art. 1. post secundam conclusionem, vers. disputant*, & alij; quamuis Henriquez *lib. 7. cap. 18.* & alij putant, Indulgētias prodesse excommunicato non existenti in peccato mortali. Idem sentire videtur Emanuel Sà *verb. Indulgentia, num. 2.*

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An susceptor Indulgentiarum debeat esse in gratia.

4 IN susceptore Indulgentiarum requiritur gratia. Ratio est, tum quia non potest remitti pœna, nondum remissa culpa, obligatio enim ad pœnam æternam remanet, quamdiu culpa mortalis manet, cùm peccator dignus sit æterna pœna, quamdiu peccati mortalis conscientiā habet: tum quia de regulis iuris in 6. dicitur, venia non datur, nisi correcto: tum quia sic habetur in Bulla Leonis X. *de Indulgentiis*

edita anno 1518. Ita Nauarrus *de indulgentiis notabili* 17. *nu.* 1. S. Thom. 3. *part. in additionibus quæst.* 27. *art.* 1. Nugnus *ibid. concl.* 1. Reginaldus *loco citato, num.* 168. Emanuel Sà *verb. Indulgentia, num.* 2. Valentia *loco suprà citato puncto.* 5. Corduba *de Indulgentiis lib.* 5. *quæst.* 23. *in principio.* Toletus *lib.* 6. *cap.* 27. *num.* 2. Viualdus *de Indulg. num.* 11. *&* 20. Graffius, Henriquez, Coninchus, Suarez, [Filliucius,] & alij Doctores statim citandi.

5 An debeat esse in gratia per cõfessionem.

5 Quæres primò, vtrùm susceptor Indulgentiarum debeat esse in gratia per confessionem.

Respondeo non esse necessariam confessionem, sed sufficere, vt susceptus Indulgentiam existat in gratia per contritionem, modò in Bulla non exprimatur confessio. Ratio est, quia existens in gratia per contritionem est capax Indulgentiarum, nec superior concedens Indulgentias requirit confessionem, vt suppono; ergo non est necessaria confessio. Ita Suarez *disp.* 52. *sect.* 3. Nauarrus *notabili* 18. Reginaldus *lib.* 7. *num.* 171. & alij DD. statim citandi.

Ex quo sequitur, contritum lucrari Indulgentiam, quæ hoc modo conceditur: Qui hoc, vel illud fecerit, consequatur tantam Indulgentiam: nam in huiusmodi concessione non exprimitur confessio.

Si verò in Bulla exprimatur confessio, vt si dicatur contritis, & confessis, non sufficit susceptorem esse in gratia per contritionem, sed necessaria est confessio, saltem si susceptor commisit peccatum mortale post confessionem. Ita Glossa *in extrauaganti cap. Vnigenitus.* Nauarrus *loco cit.* Graffius *de Indulgentiis c.* 5. *num.* 5. Coninchus *disp.* 12. *dub.* 7. *num.* 38. Reginaldus *loco citato, num.* 171. Emanuel Sà *verb. Indulgentia nu.* 3. Caietanus, Durandus, & alij contra Suarez *disp.* 50. *sect.* 3. *num.* 4. *& disp.* 52. *sect.* 3. *num.* 13. Panormitanum *in cap. omnis, de pœnitentia, & remissione,* [Filliucium *n.* 148.] & alios asserentes sufficere contritionem cum proposito confitendi.

Sed ratio nostra est, tum quia Indulgentiæ explicandæ sunt, vt in Bullis exprimitur; cùm ergo in Bullis exprimatur confessio, & contritio, necessaria est confessio, & contritio: tum quia in dubio non est recedendum à proprietate verborum: tum quia particula, *&*, non est disiunctiua, sed coniunctiua, & copulatiua: dispositio autem copulata exigit vtriusque partis veritatem, seu existentiam vtriusque termini, *l. si heredi plures, ff. de conditionibus.*

6 Quandónam teneamur confessionem facere, vt Indulgentiam consequamur.

6 Dixi, *saltem quando susceptor commisit aliquod peccatum mortale post confessionem.* nam si nullum mortale commisit post vltimam confessionem, aliqui Doctores existimant susceptorem Indulgentiæ non obligari ad confessionem, nisi Summus Pontifex aliter declaret. Ratio est, tum quia susceptor Indulgentiæ in proposito casu dici potest contritus, & confessus ad effectum consequendi Indulgentiam, cùm habitualiter perseueret in prima contritione, & confessione: tum quia constat experientia aliquos Sacerdotes probos, & doctos non semper præmittere confessionem ad consequendam indulgentiam, licet in Bulla concedatur Indulgentia plenaria contritis, & confessis. Quamobrem non est necesse, ex sententia multorum Doctorum, confiteri eo die, vel tempore, quo suscipienda est Indulgentia, sed satis est, vt post vltimam confessionẽ pœnitens non commiserit peccatum mortale, nec recordetur alicuius peccati mortalis nondum manifestati in confessione. Ita S. Antoninus 1. *parte titulo* 20. *cap.* 3. *nu.* 5. Graffius *loco citato, num.* 9. Nauarrus *loco citato.* Reginaldus *loco citato n.* 172. Suarez *disp.* 52. *sect.* 2. Coninchus *dubio* 7. *num.* 38. & alij contra Nugnum *in addit. quæst.* 27. *art.* 3. *dub.* 2. Bellarminum, Caietanum, & alios apud Emanuelem Sà *verb. Indulgentia num.* 3. Quorum sententia in praxi videtur consulenda, ne pœnitens se periculo exponat non lucrandi Indulgentiam.

7 An habẽs peccata tãtummodò venialia teneatur ea confiteri, quoties in Bulla præscribitur confessio ad consequendas Indulgentias.

7 Sed modò dubium est primò, vtrùm ad consequendam Indulgentiam facienda sit confessio peccatorum venialium, & peccatorum aliàs ritè confessorum, quando in Bulla exprimitur confessio ad consequendam Indulgentiam, sed susceptus Indulgentiam existit in gratia, habetque peccata tantummodò venialia.

Respondeo negatiuè cum Henriquez, Suarez, Nauarro, [Filliucio,] Reginaldo, & aliis *loc.* statim *cit.* contra Nugnum *q.* 27. *artic.* 3. *dubio* 2. Rodriquez *in summa cap.* 184. *nu.* 12. & alios, quos tacito nomine refert Emanuel Sà *verb. Indulgentia num.* 19. modò in Bulla non exprimatur confessio venialium. Ratio est, quia quando in Bulla exprimitur confessio, sermo est de confessione respectu illius, qui conscientiam habet peccati mortalis, nisi aliud exprimatur, cõfessio enim simpliciter dicta ex communi vsu, & sensu Ecclesiæ censetur confessio mortalium. Ob id Ecclesia, sicut non solet præcipere confessionem venialium, ita neque consueuit confessionem venialium requirere ad consequendam Indulgentiam.

Hoc tamen limita, modò Summus Pontifex aliter non declaret, nam Indulgentiarum concessio vim habet à voluntate concedentis, & Indulgentia tantum valet, quantum sonat.

8 Differentia inter Confessionem, & Cõmunionem in Bulla expressam.

8 Hinc patet differentia inter confessionem, & communionem quando in Bulla exprimitur communio, & confessio, nam qui habet sola venialia, consequitur Indulgentiam, si Confessione omissa Eucharistiam sumat; non verò consequitur Indugentiam, si omissa Eucharistia, confiteatur venialia. Ratio est, quia sumptio Eucharistiæ requiritur tamquam conditio ad consequendam Indulgentiam, confessio verò venialium non est necessaria, vt dictum est, nisi Summus Pontifex aliter declaret. Ita Henriq. *c.* 12. Suarez *disp.* 52. *sect.* 3. & alij.

9 An teneatur iterum confiteri, vt consequatur Indulgentiã, qui tempore Iubilei confessus est, sed postea cõmittit peccatum, antequam cetera in Iubileo præscripta adimpleat.

9 Secundò dubium est, vtrùm, qui tempore Iubilei confessus est peccata, sed incidit in aliquod peccatum mortale, vel recordatur alicuius peccati mortalis, antequam cetera opera in Iubileo præscripta adimpleat, teneatur iterum confiteri peccatum post primam confessionem commissum, vel in præcedenti confessione oblitum, vt Indulgentiam consequatur.

Respondeo iuxta sententiam nonnullorum Doctorum, quæ mihi probabilis videtur, non obligari ad nouam confessionem ex vi illius Indulgentiæ obtinendæ, nam videtur adimpleuisse cõditionem præscriptam in Iubileo, cùm semel ritè confessus sit, cõsequenter videtur Indulgentiam consequi, si de peccato mortali post vltimam confessionem commissio contritionis actum eliciat. Ita Nugnus *in additionibus quæst.* 27. *art.* 3. *dub.* 4. & alij contra Suarez *loco citato.* [Filliucium *c.* 6. *quæs.* 8. *n.* 147.] Graffium, & alios *locis citatis.* Quorum sententiam censeo consulẽdam in praxi, ne quis exponat se periculo non lucrandi Indulgentiam. Quamquam prima sententia speculatiuè probabilior videtur, & intelligenda est, quantum est ex vi Indulgentiæ consequendæ præcisè, non verò ratione alterius tituli, vt ratione sumptionis Eucharistiæ, constat enim susceptorum Eucharistiam teneri ex præcepto diuino confessionem mortalium præmittere, vt patet ex dictis de Eucharistia.

tequam cetera in Iubileo præscripta adimpleat.

10 An præstans opera præscripta ad consequendam Indulgentiã debeat esse in gratia toto tẽpore, quo singula opera præstat.

10 Quæres secundò, vtrùm qui præstat opera præscripta ad consequendam Indulgentiam, debeat esse in gratia toto tempore, quo singula opera præstat.

Respondeo negatiuè, sed communiter sufficere, vt in gratia existat dum facit vltimum opus, quo posito conceditur Indulgentia. Quamobrem qui tempore Iubilei, in quo præscribitur ieiunium, & communio, ieiunat, dum existit in peccato mortali, consequitur Iubileum, si deinde communicet in gratia.

Rursus qui ad consequendam Indulgentiam plures Ecclesias visitare debet, sed dum aliquas visitat, est in peccato, aut tunc committit aliquod mortale peccatum, lucratur Indulgentiam, si constituatur in gratia, dum vltimam visitat. Ratio est, tum quia alioquin sequeretur paucos percipere Indulgentias: tum quia communi vsu constat hanc esse Summi Pontificis intẽtionem; cùm Summus Pontifex non præcipiat omnia opera fieri in gratia: tum quia opus præscriptum ad consequendas Indulgentias non debet necessariò esse satisfactorium, aut applicare ipsas Indulgentias, sed est conditio, qua posita, Summus Pontifex applicat Indulgentias; ergo non est necesse, vt quodlibet opus fiat in gratia, sed sufficit vltimum opus in statu gratiæ fieri, vt eo posito, Indulgentiæ applicentur: tum quia opus præscriptum, licet in statu gratiæ non exerceatur, potest esse vtile per ordinem ad finem intentum in concessione Indulgentiæ, cùm possit excitare ad pietatem, & deuotionem, & ad obtinendum id, quod Summus Pontifex ab eo intendit obtineri; Deus enim frequenter etiam exaudit peccatores volentes se ad Deum conuertere; ergo non est necesse omnia opera ad consequendum Iubileum præscripta præstari in statu gratiæ. Ita Suarez *disp.* 52. *sect.* 2. *n.* 7. *& sect.* 5. *n.* 8. Nauarrus *de Indulgentiis notabili* 19. *num.* 17. *& notabili* 32. *n.* 47. Graffius *de Indulgentiis c.* 5. *n.* 48. Henriquez *de Indulgentiis cap.* 9. Naldus *verb. Indulgentia nu.* 7. Corduba *lib.* 5. *quæst.* 24. *col.* 1. *pag. mihi* 446. Valentia *loco citato puncto* 5. *ad fin.* Emanuel Sà *verb. Indulgentia n.* 2. Viualdus *de Indulgentiis tit.* 9. *n.* 23. Toletus *lib.* 6. *cap.* 27. *n.* 3. vbi refert Syluestrum, & alios, Nugnus *q.* 27. *art.* 1. *vers. aliud dubium, & art.* 3. *dub.* 5. *sub finem, & dub.* 8. Coninchus *loco cit. dub.* 7. *n.* 37. *&* 39. Reginaldus *loco cit. n.* 173. *ad finem, & n.* 180. [Filliucius *tract.* 8. *c.* 6. *quæs.* 6. *n.* 139.] Armilla, Canus, & alij apud præcitatos Doctores contra Caietanum *to.* 1. *opusculorum tract.* 10. *quæst.* 2. *& tract.* 15. *cap.* 9.

Obiicies, opera facta in peccato mortali non videntur apta ad applicanda merita Christi; ergo necesse est, vt omnia opera præscripta ad consequendam Indulgentiam præstentur in statu gratiæ.

Respondeo opera facta in peccato mortali ex se non sufficere ad applicanda merita, & satisfactiones Christi, sufficere verò, quatenus coniunguntur cum vltimo opere præstito in statu gratiæ.

11 An ieiunãs in peccato obtineat Indulgentiam, si in fine diei, peccati remissionem obtineat.

11 Hinc sequitur ieiunantem obtinere Indulgentiam, quæ conceditur ieiunanti tali die, etiam si contingat ieiunantem illo die peccare mortaliter, vel perseuerare in peccato antea commisso, modò in fine diei sufficienter doleat de peccato, illiusque remissionem obtineat. Ratio est, tum quia cùm perficiat opus in gratia, censetur adimplere conditionem, sub qua concessa est Indulgentia, & censetur sufficienter dispositus ad recipiendam Indulgẽtiam, quamuis obtineat remissionem peccati in eo solùm instanti, in quo mortaliter consummatur opus requisitum ad Indulgentiam; tum quia Summus Pontifex non requirit gratiam toto ieiunij die. Ita Suarez *disp.* 52. *sect.* 2. *n.* 9. Nugnus *loc. cit. vers. in hoc dubio, pag.* 471. [Filliucius *n.* 139.] & alij, quibus cum

12 Quandónã censeatur moraliter consummatũ opus ieiunij.

12 Obserua, opus ieiunij tunc censeri moraliter consummatum, quando ventum est ad eum statum, vt non amplius superfit tantum temporis, quo naturaliter exerceri possit actio comestionis sufficiens ad frangendum ieiunium, consequenter in eo instanti obtineri videtur Indulgentia concessa ieiunantibus, vt patet in simili de martyrio, quod diximus conferre suum effectum in eo instanti, in quo recipitur cruciatus illatiuus mortis, quæ naturaliter euitari nõ potest. Idem aliqui docent de Religioso, quem plenariam Indulgentiã concessam morientibus in Religione consequi putant in eo instanti, in quo peruenit ad eum statum, in quo mortem naturaliter euitare nequit; tunc enim censetur cõpleta conditio, seu effectus in ordine ad consequendam Indulgentiam. Alij verò consequi dicunt in eo instanti, in quo desinit, quia tunc solùm completur conditio, & decedens est capax Indulgentiæ, licet in eo instanti anima separata non possit recipere primam gratiam, & remissionem peccatorum, iuxta supradicta de Baptismo, & de Sacramentis in genere.

13 An qui præstitit omnia opera bona, vel saltẽ vltimum opus in peccato mortali, cõsequatur Indulgentiã remoto peccato per pœnitentiam.

13 Quæres tertiò, vtrùm, qui præstitit omnia opera bona, vel saltem vltimum opus præscriptum in Bulla ad cõsequendam Indulgentiam, dum existeret in peccato mortali, consequatur Indulgentiam remoto peccato per pœnitentiam.

Respondent affirmatiuè Syluester *verb. Indulgentia, n.* 7. Paludanus *dist.* 20. *quæst.* 4. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 9. *n.* 3. & alij. Ratio est, quia sicut per pœnitentiã reuiuiscit quodammodo satisfactio sacramẽtalis facta in statu peccati, ita reuiuiscere videtur Indulgentia quatenus pendet ex opere operato Christi, & Sanctorũ, quod applicatur viatoribus per Indulgentias. Hæc opinio probabilis est, sed non certa, cùm non constet applicationem Indulgentiæ remanere in acceptatione Dei, donec tollatur peccatum.

Quamobrem oppositam sententiam censeo probabiliorem, quam sequitur Suarez *disp.* 52. *sect.* 2. *num.* 13. Coninchus *disp.* 12. *dub.* 7. *num.* 37. Nauarrus *de Indulgentiis notabili* 17. *num.* 2. *& notabili* 19. *sub finem.*

Regi-

Reginaldus *lib.7.nu.169.* Nugnus *in additionibus q.27.art.1.ad finem.* Emanuel Sà *verb. Indulgentia n.2.* [Filliucius *tract.8.cap.7.num.141.*] & alij. Ratio est, tum quia thesaurus Indulgentiarum solis Dei amicis aperiri videtur, vt patet ex secunda propositione: tum quia Indulgentiæ tantum valent, quantum exprimitur, sed in confessione Indulgentiæ non exprimitur eam obtineri recedente fictione, seu peccato; ergo recedente fictione, seu peccato, non recipitur Indulgentia: tum quia Indulgentia conceditur per applicationem thesauri; thesaurus autem applicatur pro tempore, quo adimpletur opus præscriptum, non verò pro tempore, quo fictio recedit, nisi Summus Pontifex aliter intendat applicare: tum quia reuiuiscentia videtur propria Sacramentorum, quibus efficacius applicantur merita Christi, quàm per Indulgentias: tum quia sicut Sacramenta non reuiuiscunt quando in ipsorum susceptione appositum fuit impedimentum repugnans substantiæ Sacramenti, ita neque reuiuiscit Indulgentia, cuius essentiæ repugnat existentia in statu peccati mortalis; cùm Indulgentia tota consistat in remissione pœnæ, quam implicat auferri remanente culpa. Hinc patet responsio ad rationem Henriquez, & aliorum.

TERTIA PROPOSITIO.

14 An susceptur us Indulgentiam debeat omnia præstare, quæ præscribuntur in concessione Indulgentiæ.

14 NEcesse est, vt qui suscepturus est Indulgentiam, præstet ea quæ præscripta sunt à superiore in concessione Indulgentiæ. Ratio est, quia superior concedit Indulgentiam sub conditione talis operis; si ergo opus præscriptum non adimpleatur, non obtinetur Indulgentia, cùm dispositio non subsistat non adimpleta conditione, sub qua facta fuit. Ita S. Thom. *in addit. q.27. artic.3.* Nugnus *ibid.* Nauarrus *de Indulgentiis notabili 19.num.1.* Henriquez *de Indulgentiis cap. 10.num.3.* Graffius *de Indulgentiis cap.5.numer.32.* Corduba *lib.5.q.23.* Valentia *loco suprà citato punct.5.sub finem.* Viualdus *loc.citat.* Toletus *loco cit.cap.27.numer.2.* [Filliucius *cap.6.quæs.9. & 10.*] Paludanus, & D. Antoninus apud Reginaldum *loco cit.num.176. & 177.*

Hinc sequitur solutio multorum casuum.

15 An consequatur Indulgentiam qui opus honestum præscriptum non facit.

15 Primò eum non consequi Indulgentiam, qui non facit opus honestum præscriptum ad consequendam Indulgentiam (opus enim, quod præscribitur ad consequendam Indulgentiam, debet esse honestum, alioquin non esset aptum ad consequendum finem intentum.) [Suarez *sect.6.* Filliucius *tract.8.cap.6.quæs.12.*]

Ex quo fit, vt faciens eleemosynam solùm ob vanam gloriam non consequatur Indulgentiam concessam facienti eleemosynam, nam talis actus non est honestus, neque redundat in honorem Dei, seu ad finem intentum. Ita Corduba *lib.5.q.12. & q.25. versic. tertia propositio.* Valentia *tom.4.disputat.7.q.20.punct.5.ad finem.* Nauarrus *de Indulgentiis notabili 19.num.6. & notabili 32.num.45.* Coninchus *loco cit. dubio 8.* Reginaldus *lib.7.numer.188.* Nugnus *q.27.art.3.dub.5.conclusione 2.* Suarez, & alij communiter. Secus dicendum est, si eleemosyna, vel alius actus honestus præscriptus ad consequendam Indulgentiam fiat non solùm ob vanam gloriam, seu cum peccato veniali, verùm etiam ob finem honestum, vt si quis det eleemosynam, vel Missam audiat, non solùm ob vanam gloriam, verùm etiam in Dei gloriam, & ad obtinendam Indulgentiam; sicut enim talis actus sufficeret ad satisfaciendum præcepto: ita sufficere videtur ad obtinendam Indulgentiam, cùm præstari videatur id, quod præscriptum est ad obtinendam Indulgentiam. Ita Coninchus, Corduba, Suarez, & Nugnus saltem ex parte: quamuis aliqui oppositum sentire videantur.

16 An adolescens nõ ieiunans cõsequatur Indulgentiam concessam ieiunanti.

16 Secundò adolescentes, qui nondum peruenerunt ad vigesimum primum annum, nondumque ex præcepto Ecclesiæ tenentur ad ieiunium, non consecuturos Iubileum, nisi ieiunent, quoties in Iubileo præscribitur ieiunium.

Obserua tamen licitum esse vesci ouis, & lacticiniis, iuxta locorum consuetudinem, quoties pro consequendo Iubileo præscribitur ieiunium extra Quadragesimam. Ratio est, tum quia abstinentia ab ouis, & lacticiniis non est de essentia ieiunij, nisi alibi contrarium per consuetudinem receptum sit: tum quia sicut qui vouit ieiunium singulis diebus Lunæ, aut Sabbati, adimplet obligationem ieiunij, licet illis diebus vescatur ouis, & lacticiniis, ita sufficienter adimplet ieiunium in Iubileo præscriptũ, qui nõ abstinet ab ouis, & lacticiniis, sed à multiplici refectione iuxta locorum consuetudinem. Ita Henriquez *cap. 10.num.4. & cap.13.ad finem.* Caietanus *2.2.quæst.147.art.7.* Medina, & alij, apud Henriquez *loco citato*, contra Couarruuiam *lib.4.variarum cap.20.num.75.* Graffium *loco cit.num.35.* & alios.

17 An prætermittẽtes confessionem, vel aliud opus ob iustam causam tẽpore Iubilei, consequantur Iubileum.

17 Tertiò sequitur eos, qui non confitentur tempore Iubilei, vel prætermittunt aliud opus præscriptum, non consequi Iubileum, licet illud prætermittant ex iusto impedimento, vel impotentia, modò aliud in Bulla non exprimatur, aut modò non fiat commutatio in aliud opus pium, iuxta mentem, & concessionem Summi Pontificis verbis expressam. Ita Doctores citati cum Bellarmino, & aliis apud Emanuelem Sà *verb. Indulgentia sub finem*, quamuis oppositum ex parte sentire videatur Reginaldus *lib.7.num.172. & 185.* Nauarrus *in Miscellaneo de oratione num.92. & 94.*

18 An pro qualibet parua eleemosyna obtineatur Indulgentia, si eleemosyna præcipiatur.

18 Quartò, Indulgentiam, quando in Bulla præscribitur eleemosyna, non solùm obtineri ab eo, qui magnam impendit eleemosynam, verùm etiam ab eo, qui modicam, & exiguam erogat per se, vel per alium, siue eroget extremè indigenti, siue alteri non tanta egestate laboranti.

Hoc tamen limita, nisi in Bulla demandetur eleemosyna pro cuiusque facultate, tunc enim constat maiorem eleemosynam impendendam esse à diuite, quàm ab egeno, alioquin non adimpleretur opus, seu conditio, sub qua concessa est Indulgentia. Ita Graffius *loco citato, num.30.* Suarez *disput.52.sect.7. & sect.8.num.5. & 6.* Corduba *lib.5.q. 29.in principio.* Emanuel Sà *verb. Indulgentia num.4.* Henriquez *cap. 10.* [Filliucius *tract.8.cap.6.quæs.14.num.166.* Sanctarellus *cap.5.dub. 6.*] & alij, contra Nauarrum *notabili 31. de Indulgentiis num.34. & 35.* & Reginaldum *lib.7.num.187.* aliter sentientes de eleemosyna, putant enim diuitem, quando præscribitur eleemosyna indeterminata, teneri multum erogare iuxta suæ personæ statum.

Nos verò dicimus, quando ad consecutionem Indulgentiæ non præscribitur eleemosyna pro cuiusque facultate, sed simpliciter, Indulgentiam ita obtineri ab eo, qui modicam tradit eleemosynam, ac ab eo, qui præbet ingẽtem, quatenus tamen spectat ad meritum, non æqualiter meretur, qui exiguam, & qui magnam facit eleemosynam, vt per se patet.

19 An ciuis ita consequatur Indulgẽtiam in ciuitate positus, ac suscipiens lõgum iter.

19 Quintò sequitur, ciuem Mediolanensem ita consequi Indulgentiam visitando Ecclesiam Metropolitanam, in qua exposita est Indulgentia, sicut eam consequitur, qui longum suscipit iter ad eam Ecclesiam visitandam, vterque enim facit opus præscriptum ad consequendam Indulgentiam; ciuis tamen Mediolanensis non æqualiter meretur, vt per se patet. Ita Graffius *de Indulgentiis cap.5.num.60. & cap.7.num.3.* Suarez *disputat.52.sect.8.num.3. & 6.* Corduba *lib.5.q.31. propositione 1.pag.mihi 463.* [Filliucius *tract.8.cap.6.quæs.14.num.164.* Sanctarellus *de Iubileo cap.5.dub.5.*] Maior, Felinus, & alij apud Graffium *loco citato*, contra nonnullos alios apud Cordubam *qu.29.pag. mihi 459.*

Ex quo patet, visitantem Ecclesiam, ita Indulgentiam lucrari, licet prope Ecclesiam commoretur, ac qui longè distat, & longum carpit iter ad Ecclesiam visitãdam, cùm vterque præstet opus præscriptum. Ita S. Thom. *in additionibus q.25.art.2.ad quartum.* Nugnus *ibi.art.3. dub.6.* Suarez, Corduba, & alij *locis citatis.*

20 An qui partem iuncti operis præstitit aliis omissis, consequatur Indulgẽtiam.

20 Sextò eum qui partem operis iniuncti adimpleuit aliis omissis, non consequi Indulgentiam in totum, vel in partem, nisi aliter in Bulla exprimatur. Ratio est, quia superior non concedit partem Indulgentiæ pro parte operis, sed ad consequendam Indulgentiam totum opus requirit; ergo qui totum opus non adimplet, nullam consequitur Indulgentiæ partem. Sicut relictum, vel promissum sub pluribus conditionibus non debetur non adimpletis omnibus conditionibus. *l. cui fundus ff. de conditionibus, & demonstrationibus.* Ita Nauarrus *de Indulgentiis notabili 9.nu.4. & notab.19.nu.17.* Suarez *disp.52.sect.5.nu. 3.* S. Antonin. Paludanus, & alij apud Nauarrum *loc. citat.* Reginaldus *lib.7.num.177. & 184.* Coninchus *disp.2.dub.7.num.38.* contra nonnullos alios, quorum sententiam improbabilem putat Coninchus *loco citato.*

Dixi, *nisi aliter in Bulla exprimatur*, constat enim aliter dicendum esse, si aliter in Bulla exprimatur, cum Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, & vim habeant à voluntate concedentis, vt in simili patet in extrauaganti, *vnigenitus*, de pœnitentiis, & remissionibus, de illis, qui anno Iubilei, postquam arripuerunt iter Romam versus causa consequendæ Indulgentiæ, legitimè impediti, non potuerunt Romam peruenire, aut Ecclesias præscriptas visitare.

21 An consequatur fructum Indulgẽtiæ, qui leuem partẽ operis iniuncti prætermittit.

21 Grauior difficultas est, vtrùm prætermittens leuem partem operis iniuncti consequatur fructum Indulgentiæ, vt si ad consequendam Indulgentiam iniunctum sit ieiunium, & aliquid modicum degustetur, quod non est sufficiens ad peccatum mortale contra præceptum ieiunij. Vel si ad consequendam Indulgentiam iniunctum sit Missæ Sacrificium, sed omittantur aliquæ cœremoniæ, vel pars aliqua minima Missæ.

Respondeo cum Suarez *disp.52.sect.5.num.3.* rem dubiam esse; tamen probabilius sustineri posse, non impediri fructum Indulgentiæ, prætermissa tantummodò parte, quæ leuis sit in se, & respectu operis iniuncti. Ratio est, tum quia parũ pro nihilo reputatur: tum quia posita leui omissione præceptũ simpliciter adimpleretur si de tali re conditum esset præceptum; ergo censetur etiam sufficienter adimpleri opus iniunctum ad obtinendam Indulgentiam: tum quia Summi Pontificis benignitas & clementia ferre non videtur, vt Indulgentiæ fructu defraudetur, qui leuem iniuncti operis partem prætermittit, modò pars sit leuis in se, & respectu operis iniuncti; paruitas enim materiæ non solùm consideranda est secundùm se, & absolutè, sed etiam respectiuè ad opus iniunctum, vt benè docet Suarez *loco citato.* Sanchez, & alij, quos in simili retuli in tractatu de legibus; fieri enim potest, vt omissio aliqua sit in se absolutè leuis materia, nihilominus grauis censeatur si respectiuè ad opus iniũctum consideretur. Quamobrem si concedatur Indulgentia recitanti orationem Dominicam, & Angelicam post communionem, prætermittens orationem Angelicam, absque dubio non consequitur Indulgentiam, quia omissio orationis Angelicæ, vel Dominicæ, licet in se sit leuis, nihilominus per ordinem ad opus iniunctum censetur pars magna, & notabilis.

22 An præcipiens famulo, vt daret eleemosynam, consequatur Indulgentiam, famulo eleemosynam non impendente.

22 Septimò sequitur eum, qui mandauit, seu præcepit famulo, vt daret eleemosynam pauperi, non consequi Indulgentiam concessam tradentibus eleemosynam, si famulus eleemosynam non impendat, non enim præstat opus præscriptum ad consequẽdam Indulgentiam. Ita sentire videntur DD. suprà citati contra Emanuelem Sà *verb. Indulgentia num.4.*

23 An obtineatur Indulgẽtia, inchoato, sed non completo opere præscripto.

23 Octauò, Indulgentiam non obtineri inchoato, sed non completo opere præscripto ad consequendam Indulgentiam, non enim censetur factum opus præscriptum ad consequendam Indulgentiam, & dispositio conditionalis non sortitur effectum nondum adimpleta conditione.

Et quo fit, vt Indulgentia, quæ conceditur, exempli gratia, traiicientibus mare cum vexillo crucis, non obtineatur ab eo, qui non transfretat, sed tantummodò sumit crucem, aut aliquam itineris partem peragit: si verò Indulgentia concedatur sumẽtibus crucem, eam statim consequitur, qui crucem sumit, etiam si vltrà non progrediatur, censetur enim sufficienter præstare opus præscriptum. Idem dicendum est, si concedatur Indulgentia euntibus, hæc enim obtinetur in via ob allatam rationem, nisi ex coniecturis appareat requiri effectum, seu terminum viæ, vt si dicatur euntibus Domum Lauretanam, concedimus Indulgentiam plenariam. Ita Nauarrus *notabili 32. de Indulgentiis num.49.* Reginaldus *lib.7.num.178.* Nugnus *q.27.art. 1.versic. in hoc dubio*, & alij.

24 An cupiens Indulgẽtiam sumere,

24 Nonò, eum, qui cupit Indulgentiam sumere, debere opus præscriptum per se ipsum adimplere; nam superior censetur sub hac conditione Indulgentiam concedere, & verba accipienda sunt prout so-

debeat opus præscriptum per se ipsũ adimplere.

nant, nec sunt extendenda vltra sui tenoris metas. Quamobrem qui coronam curat per alterum recitari, aut Ecclesiam visitari, non consequitur Indulgentiam concessam recitantibus Beatissimæ Virginis coronam, aut visitantibus Ecclesiam: nam istæ sunt actiones personales. Secus dicendum videtur de eleemosyna, quę si per alium fiat, censetur facta per eum, cuius nomine fit, vt patet à simili ex dictis de satisfactione. Ita Nauarrus *in Miscellaneo de Rosario Beatissimæ Virginis*, quem sequitur Reginaldus *lib.7.nu.*183. & alij quos retuli *illatione* 4.

25 An cupiens Indulgẽtiam obtinere concessam visitãtibus quinque Altaria, teneatur singula Altaria accedere.

25 Decimò, eum, qui cupit obtinere Indulgentiam concessam visitantibus quinque altaria, non teneri ad singula accedere, sed posse, dum existit in eadem Ecclesia, & in eodem loco, Indulgentiam consequi orando versus quinque altaria, sic enim sufficienter adimplet opus præscriptum. Ita Graffius *loco citato, nu.*54. Emanuel Sà *loco cit. num.*6. Azorius, & alij, quos in simili retuli *de horis Canonicis.*

26 An orans ante fores Ecclesiæ obtineat Indulgentiam, si Ecclesiam ingredi nequeat.

26 Vndecimò, Indulgentiam concessam visitantibus Ecclesiam, vel orantibus in Ecclesia, obtineri ab eo qui accedit ad Ecclesiam, sed cùm nequeat ingredi corporaliter præ hominum concursu, & multitudine, orat ante fores Ecclesiæ, nam iuxta communem loquendi modum censetur Ecclesiam visitare, vel orare in Ecclesia, etiam si oret in Cœmeterio. Ita Suarez *disp* 52.*sect.*1. Corduba *quæst.*21. Rodriquez *cap.*184.*num.*9. Graffius *loco citato.* [Sanctarellus *de Iubileo cap.*4. *dub.*3.] & alij contra Pinellum *de Indulgentiis*, & nonnullos alios.

27 An prætermittens aliquem actum, quẽ credebat non esse necessariũ, consequatur Indulgentiam.

27 Duodecimò, eum, qui prætermittit aliquem actum, quem iuxta probabilem, vel etiam iuxta probabiliorem opinionem credebat non esse necessarium ad consequendam Indulgentiam, non consequi Indulgentiam, si talis actus reipsa necessarius est ad lucrandam Indulgentiam. Ratio est, quia non præstat opus præscriptum ad consequendam Indulgentiam, nec communis error supplet defectum; cùm nullum graue incommodum publicum sequatur, ratione cuius dicendum sit, Summum Pontificem rationabiliter consentire, & supplere defectum, sicut constat supplere iurisdictionem interueniente communi errore, & titulo colorato, aut probabili opinione. Ita Graffius *cap.*5. *num.* 65. Marianus Socinus *in cap. nostro num.*77. Sanchez, Suar. Lesius, Gutierez, Coninchus, & alij quos retuli *de matrimonio*, cui astitit Sacerdos, qui communi errore existimabatur Parochus.

28 An Indulgentia obtineri possit per opus internum.

28 Decimotertiò, Indulgentiam obtineri posse per opus aliquod internum, si Summus Pontifex Indulgentiam concedat sub onere præstandi opus internum. Ratio est, tum quia qui præstat opus à superiore præscriptum, consequitur Indulgentiam concurrentibus aliis conditionibus: tum quia experientia constat Summum Pontificem concedere aliquando Indulgentiam facientibus examen conscientię, aut iis, qui in mortis articulo nomen Iesus interiùs inuocant, cùm ore nequeunt inuocare: tum quia si Summus Pontifex non potest concedere Indulgentiam elicienti actum internum, maximè quia Ecclesia non potest iudicium de internis exercere; sed hæc ratio non obstat, cùm Ecclesia in proposito casu non exerceat iudicium de actu interno, sed illum requirat tamquam conditionem ad consecutionem Indulgentiæ, & sufficiat, vt adimpletio talis conditionis sit nota Deo; ergo per actum internum Indulgentia potest obtineri. Ita Suarez *disp.*52.*sect.*5.*num.*5. & alij.

29 An vno, & eodem actu, seu eadem oratione consequi possimus Indulgentias diuersis viis concessas.

29 Quæres primò, vtrùm vno, & eodem actu, seu eadem oratione consequi possimus Indulgentias diuersis viis concessas, vt si quis habeat plura grana benedicta in diuersis benedictionibus, & in singulis benedictionibus concessus sit annus Indulgentiæ recitanti Dominicam orationem, vtrùm possit Dominicam orationem semel recitando lucrari plures annos Indulgentiæ iuxta numerum granorum benedictorum in diuersis benedictionibus.

Respondet Corduba *quæst.*35.*de Indulgentiis pag. mihi* 469. Graffius *loco citato, num.*55. Astensis, & Hostiensis apud præcitatos DD. lucrari Indulgentias diuersis viis concessas. Idem sentire videtur Emanuel Sà *verb. Indulgentia num.*18. vbi asserit facientem opus, pro quo duo Summi Pontifices concesserunt Indulgentiam viginti dierum, consequi Indulgentiam quadraginta dierum. Ratio est, tum quia hæc videtur intentio concedentis: tum quia sicut habens plures Bullas, quibus conceditur facultas obtinendæ plenariæ absolutionis in articulo mortis præsumpto, potest in vno mortis articulo præsumpto frui priuilegio virtute vnius Bullæ, & in alio articulo frui priuilegio alterius, ita habens plura grana potest plures Indulgentias lucrari.

Suarez verò *disputat.* 52. *sect.*8. *nu.*10. Gabriel *dist.*45.*quæst.*3.*nu.*3. [Filliucius *tract.*8.*cap.*6.*quæs.*14.*nu.*168.] & alij putant vno, & eodem actu obtineri non posse plures Indulgentias diuersis viis concessas.

Mihi dicendum videtur, standum esse intentioni concedentis Indulgentias. Cùm enim hæc quæstio ferè coincidat cum illa, qua quęritur vtrùm aliquis possit vno actu satisfacere pluribus obligationibus, & ad illam quæstionem responderimus standum esse intentioni legislatoris, vt cum Sanchez *in summa lib.*1.*cap.*14.*numero* 8. & aliis, ostendimus *in tractatu de Legibus*; ita etiam in proposito casu standum esse censeo intentioni concedentis, à quo pendet concessio Indulgentię; intentionem autem concedentis existimo esse, vt pro qualibet Indulgentia consequenda singuli actus, & singula opera præstentur, vt patet à simili de eo, cui à Confessario sæpius eadem oratio, vel idem opus imponitur in satisfactionem, quem non posse vna, & eadem orationis recitatione, vel eodem opere semel tantùm præstito satisfacere obligationi sibi iniunctę superius ostẽdimus. Ita Coninch. *loco cit. dub.*9.*num.*42. Suar. *loc cit.* Gabriel, & alij. Idem sentire videntur Scotus, Paludanus, Panorm. & alij, quos in simili citat, & sequitur Paulus Fraxinellus *de obligationibus sacerdotum sect.*6.*argumento* 6.

Ad primam rationem in contrarium patet responsio ex opposita ratione à nobis allata: illa enim non videtur intentio Summi Pontificis.

Ad secundam negatur consequentia, nam inde non infertur vnico actu obtineri plures Indulgentias, sed potiùs plures obtineri ob diuersos actus.

30 Cuius grani consequatur

30 Rogabis cuiúsnam grani consequatur Indulgentiam, qui plura habet grana benedicta cum priuilegio eiusdem Indulgentiæ.

Respondeo cum Suarez *loco cit. numer.*10. lucrari Indulgentiam, ad quam consequendam suam determinauit intentionem, cùm enim Indulgentia concessa sit in gratiam, & fauorem nostrum, liberum nobis est illam lucrari. Qui verò ad nullam particularem Indulgentiam determinauit intentionem, lucratur ratione omnium simul eamdem quantitatem: cùm enim præstet opus præscriptum ad consequendam Indulgentiam cum intentione consequendi Indulgentiam, vt suppono, nec sit maior ratio, cur potius ratione vnius grani, quàm alterius consequatur Indulgentiam, dicendum videtur lucrari ratione omnium, si præstet opus in singulis granis præscriptum ad consequendam tantam Indulgentiam. Idem sentire videtur Sanchez *in summa lib.*1.*cap.*14.*numero* 8. Videte, quæ in simili dixi *de legibus quæst.*1. *punct.*9. dum loquerer de intentione requisita ad satisfaciendum præceptis. Ex ibi dictis licebit etiam colligere quámnam Indulgentiam consequatur qui plura habens grana cum priuilegio diuersarum Indulgentiarum præstat aliquod opus animo consequendi omnes Indulgentias, sed opus non est sufficiens ad consequendas omnes Indulgentias, sed diuersa opera requiruntur, vt suppono.

Indulgentiam, qui plura habet grana benedicta cũ priuilegio eiusdem Indulgẽtię.

31 An aliquis vno, & eodem tempore possit diuersis actibus consequi plures Indulgentias.

31 Quæres secundò, vtrùm aliquis possit vno, & eodem tempore diuersis actibus consequi plures Indulgentias, exempli gratia, vtrùm qui eodem tempore Missam audit, & simul recitat horas Cononicas, possit percipere Indulgentias concessas audientibus Missam, & recitantibus diuinum officium.

Solutio istius difficultatis, quam nullus adhuc, quem ego legerim, pertractauit, colligi potest ex illa quæstione, qua quæritur vtrum aliquis possit vno, & eodem tempore diuersis actibus satisfacere pluribus præceptis. Ad quam difficultatem sicut aliàs respondimus affirmatiuè, ita etiam ad præsentem affirmatiuè respondendum videtur, quoties vnus actus non impedit alium, sed vterque simul subsistere potest. Ratio est, tum quia sicut aliquis potest tempore Missæ in die festo recitare preces, ad quas tenetur ratione voti, vel ordinis, vel pœnitentiæ, vel alterius præcepti, vt patet ex dictis de præcepto Missæ, & de horis Canonicis, & sicut inquit Sanchez *loco citato*, *num.*12. & alij, quos retuli *de horis Canonicis*, potest aliquis eodem tempore plures Missas audire, quę in diuersis altaribus in eadem Ecclesia existentibus eodem tempore celebrantur, cùm possit moraliter omnibus assistere cum deuotione, & attentione ad Deum; ita etiam potest eodem tempore consequi plures Indulgentias pluribus actibus respondentes, si eodem tempore plures actus præstet, dicitur enim præstare opera præscripta ad plures Indulgentias cõsequendas, tum quia sicut se habet vnum opus ad vnam Indulgentiam, ita duo ad duas. Nec obstat circumstantia eiusdem, vel diuersi temporis, cum hæc sit extrinseca actibus, qui præstantur.

32 An aliquis possit sæpius eodem die consequi Indulgentiam concessam visitãtibus Ecclesiam tali die.

32 Quæres tertiò, vtrùm aliquis possit sæpiùs eodem die consequi Indulgentiam concessam visitantibus Ecclesiam tali die, vt scilicet visitantibus Ecclesiam Metropolitanam feria sexta, vel à primis vesperis vsque ad secundas.

Respondeo affirmatiuè, modò Indulgentia concessa sit absque temporis determinatione, vt si in concessione Indulgentiæ absolutè dicatur: quicumque visitauerit Ecclesiam Metropolitanam, consequatur talem Indulgentiam. Ratio est, quia, qui præstat opus prescriptum ad consequendam Indulgentiam, illam consequitur; cùm autem sæpiùs possit quis eodem die opus præscriptum ad obtinendam Indulgentiam præstare, sequitur aliquem posse sæpiùs eodem die Indulgentiam consequi; quamuis aliqui ex Doctoribus statim citandis oppositum sentiant.

Ex quo sequitur eum, qui sæpiùs eadem die visitat Ecclesiam, toties Indulgentiam consequi, quoties prudenter, & deuotè adit Ecclesiam, ita vt dicatur illam visitare. Secus si tantummodò Ecclesiam ingrediatur, & statim exeat. Ratio est, tum quia alioquin posset millies Indulgentiam lucrari ingrediendo, & egrediendo, quod videtur superfluum, & irrisorium: tum quia moraliter loquendo, non videtur Ecclesiam visitare.

Dixi in responsione tertij quæsiti, *quando Indulgentia concessa est absque temporis determinatione*; nam si Indulgentia concessa sit cum determinatione, & explicatione temporis, exempli gratia, ad vnum, vel paucos dies, censeo huiusmodi Indulgentiam concessam esse pro vna tantùm vice, nisi aliud exprimatur. Ratio est, quia breue tempus præscribitur, vt ostendatur non posse sæpiùs eamdem Indulgentiam obtineri. Ita S. Thom. *in addit. quæst.*25.*art.*2.*ad quartum.* Nauarrus *de Indulgentiis notabili* 31.*numer.*36. Corduba *lib.*5.*quæst.*33.*propositione vnica.* Toletus *lib.*6.*c.*28.*ad finem.* Emanuel Sà *verb. Indulgentia n.*7. Reginaldus *lib.*7, *num.*155. Nugnus *in additionibus quæst.*27.*art.*4.*post tertiam difficultatem §. alia difficultas.* Henriquez *cap.*11.*num.*1. Graffius *in additionibus cap.*5.*nu.*53. Suarez *disp.*57.*sect.*2. [Filliucius *tract.* 8.*cap.*8.*quæs.*2.] Sanchez, & alij, quos in simili suprà retuli de absolutione casuum reseruatorum, dum quærerem, an aliquis posset, obtento semel Iubileo intra quindecim dies, illud iterum lucrari intra quindecim dies, & iterum absolui à casibus reseruatis contractis post Iubileum prima vice obtentum.

33 An qui non est consecutus Indulgẽtiã propter aliquem actũ, possit iterũ actum præscriptũ facere ad eam consequẽdam.

33 Quæres quartò, vtrùm qui non est consecutus Indulgentiam per aliquem actum, possit iterum actum præscriptum facere ad consequendam Indulgentiam.

Respondeo affirmatiuè, modò nondum elapsum sit tempus ad consequendam Indulgentiam. Ratio est, quia adhuc est capax Indulgentiæ, & præstat actum ad illam consequendam, vt suppono; ergo illam consequitur. Ita Nauarrus *de Indulgentiis notabili* 52.*n.*47. & alij.

34 An volẽs Iubileum obtinere, debeat omnia pia opera præscripta vna, & eadem hebdomada præstare.

34 Sed modò difficultas est primò, vtrùm volens Iubileum obtinere debeat omnia pia opera ad consequendum Iubileum præscripta præstare vna, & eadem hebdomada, ita vt si aliqua præstet in prima, & aliqua in secunda hebdomada, non consequatur Indulgentiam.

Prima opinio est Henriquez *lib.*7.*de Indulgent. cap.*11.*numer.*2. vbi loquitur in hæc verba: *Si quis prima hebdomada ieiunauit, & dedit eleemosynam, non satis est, vt in secunda hebdomada solùm communicet, sed omnia opera intra vnam hebdomadam expleri debent.* Idem innuere videtur

detur Sanch. *in opere morali lib. 4. c. 54. n. 28.* & Didacus Nugnus *3. parte in additionibus quæst. 27. artic. 3. dub. 5. ad finem.* [Sanctarellus *de Iubileo c. 7. dub. 1.*] & alij. Ratio est, tum quia Iubileus non obtinetur, nisi præstentur ea, quæ in Bulla præscribuntur à Summo Pontifice: Summus autem Pontifex præscribere videtur, vt hæc omnia fiant vna, & eadem hebdomada, dicitur enim, qui feria quarta, sexta, & Sabbato alterius ex duabus hebdomadis ieiunauerint, pariterque peccata sua confessi, & à Sanctissima Communione refecti fuerint, &c. vbi notanda est illa particula, *pariter*, & illa particula, *&*, quę significant coniunctionẽ, & vnionem in eadẽ hebdomada: tum quia non licet vno, vel altero die vnius hebdomadæ ieiunare translato secundo, & tertio ieiunio in sequentem hebdomadam; ergo neque licet aliqua pia opera præstare in vna hebdomada, & alia in secunda.

Secunda opinio est, vt audiui, nonnullorum Patrum doctissimæ Societatis Iesu, asserentium non opus esse, vt omnia pia opera præstentur in vna, & eadem hebdomada. Multis rationibus, meo iudicio, cõprobari potest hæc opinio: tum quia iuxta communem sentẽtiam licitũ est in prima hebdomada ieiunare, eleemosynã facere, Ecclesias visitare, dilata confessione, & communione in proximè sequentem Dominicam diem, quamuis hæc præcipuè in Iubileo præscribantur, vt docet Nauar. *de oratione miscel. 95.* Rodriq. *in summa 1. part. c. 184. n. 14.* Sanchez *loc. cit.* ex parte, & ita vsu receptum videtur: ergo necessum non est, vt omnia opera præstentur in vna, & eadem hebdomada.

Neque obstat dicere hoc esse speciale in communione ob peculiarem Sũmi Pontificis concessionem, nam Summus Pontifex peculiariter, & expresè concedit hoc solùm recipientibus Iubileum Romæ, non verò alibi, & tamen fideles extra vrbem nullo eos remorãte scrupulo differre solent cõmunionem in sequentem hebdomadam. Præterea quid respondebitur ad id, quod dictum est de Confessione, quæ est opus principaliter præscriptum in Iubileo: tum quia licet interesse processioni prima hebdomada, & in secũda præstare reliqua pia opera à Summo Pontifice præscripta, vt clarè constat ex illis verbis, qui processioni interfuerint, vel Ecclesiam, seu Ecclesias saltem semel visitauerint, &c. ergo non est necesse, vt omnia pia opera fiant eadem hebdomada: tum quia, qui facit aliquid secunda hebdomada, dicitur illud facere altera ex duabus hebdomadis, vt præscribitur in Bulla; ergo consequitur Iubileum: tum quia Summus Pontifex validè cupit fideles participes fieri huius pretiosissimi thesauri: ergo possumus ipsius mentem benignè, & amplè interpretari quantum fieri potest seruata verborum proprietate, vt fideles Summi Pontificis voluntati morem gerere, & commodius obedire possint; facta autem hoc modo interpretatione seruatur verborum proprietas, & commodius Summi Pontificis voluntas adimpletur: tum quia non potest sufficiens ratio in contrarium afferri.

Ad primam rationem in contrarium respondetur, sufficienter præstari opera præscripta, quauis hebdomada fiant. Neque obstant illæ particulæ, *&*, *pariter*: nam explicari debent disiunctiuè, & relatiuè ad particulas, *vel*, ita vt sit sensus, qui prima, vel secunda hebdomada interfuerit processioni, vel Ecclesiam, aut Ecclesias visitauerit altera ex duabus hebdomadis, consequatur Indulgentiam, &c. Præterea si illa particula, *pariter*, connecteret opera in eadem hebdomada, connecteret etiam in eadem die, in qua ieiunandum est, quod nullus admittit. Rursus non obstat illa particula, *altera*, non enim apponitur restrictiuè, & limitatiuè ad restringendam facultatem præstandi pia opera in vna, & eadem hebdomada, sed ampliatiuè, vt in prima, vel secunda hebdomada fiant, & ne vltra primam, vel secundam hebdomadam differantur.

Ad secundam respondetur primò, hoc esse peculiare in ieiunio, quod præscribitur ad modum sacrorum temporum, quæ ieiunio eiusdem hebdomadæ coluntur.

Secundò respondetur hoc idem dici posse de ieiunio, quod de reliquis operibus asseritur, quæ non necessariò præstanda sunt vnica hebdomada.

Hæc opinio probabiliter sustineri posse videtur, quamquam oppositam in praxi, præcisa aliqua necessitate, vel rationabili causa, censeo consulendam: tum quia tutior est: tum quia grauissimorum Doctorum auctoritate fulcitur: tum quia in materia Indulgẽtiarum non prodest opinio probabilis ad consequendam Indulgentiam, si veritas sit in oppositum, vt patet ex supradictis *illatione 12. num. 27.*

35 Ciuis Mediolanensis, qui primis duabus hebdomadis non obtinuit Iubileum, potest illud capere in loco, vbi Iubilei tẽpus nondũ est elapsũ.

35 Secundò difficultas est, vtrùm, qui Iubileum hic Mediolani (vbi prius publicari consueuit, quàm extra vrbem) non obtinuit, si transactis duabus hebdomadis, quibus hic Mediolani consecutus non est Iubileum, existat extra vrbem in loco, vbi nondum elapsum est tempus lucrandi Iubilei, possit ibi Iubileum capere.

Respondeo iuxta dicta de legibus *quæst. 1. punct. 5.* & ex dictis *de matrimonio quæst. 3. punct. 7.* posse Iubileum capere. Ratio est, tum quia versamur in materia fauorabili: tum quia sicut incola illius loci, in quo nondum promulgatum est Iubileum, potest illo frui hic Mediolani, si prima hebdomada, qua hic Mediolani publicatum est, præstet necessaria ad consecutionem Iubilei; ita, &c. Immò si hic Mediolani ieiunet prima hebdomada, & subsequenti hebdomada, in qua publicatur Iubileum, trãsferat se extra vrbem, ibique communicet, & præstet reliqua pietatis opera præscripta, probabiliter censeo gaudere fructu Iubilei, vt patet tum ex rationibus allatis: tum ex supradictis difficultate 1.

36 Qui legitimè fuit impeditus primis duabus hebdomadis, potest Iubileum consequi transactis duabus hebdomadis.

36 Tertia difficultas est, vtrùm, qui aliquo impedimento detentus, non præstitit opera præscripta, & consequenter non obtinuit Iubileum primis duabus hebdomadis, possit illud consequi transactis duabus hebdomadis.

Respondeo affirmatiuè, si opera pietatis in proximum tempus prorogentur à Confessario, seruata formula à Summo Pontifice in Iubileo præscripta, à qua non est recedendum.

Cùm reliqua ad Iubileum spectantia explicauerimus de Censuris, de Voto, & de Pœnitentia, ab ipsorum explicatione hic supersedeo.

PVNCTVM VI.

Vtrùm Indulgentiæ prosint defunctis.

RAtio dubitandi est, quia in puncto præcedenti diximus susceptorem Indulgentiarum debere esse hominem fidelem viatorem, defuncti autem non sunt homines viatores. Sed hæc ratio facilè dissoluetur in sequentibus. Ad quorum explicationem antequam accedamus:

1 An detur Purgatorium.

1 Præmittendum est primò, dari Purgatorium, in quo animæ detinentur, donec persoluerint pœnas peccatis debitas, pro quibus in hac vita debitam non præstitere satisfactionem, vt benè docet Suarez *disp. 45. sect. 1.* Valentia *tom. 4. disp. 11. quæst. 1.* Coninchus *de pœnitentia disp. 11. dub. 1.* Bellarminus *lib. de Purgatorio.* Corduba *lib. 5. quæstionarij q. 2.* Viualdus *tit. 10. n. 2 & 3.* & alij communiter. Hunc autem Purgatorij locum dari constat, tum ex vnanimi Doctorum sententia, & consensu Ecclesię, quæ pro defunctis orare consueuit, vt à peccatis soluantur, id est, liberentur à pœnis debitis peccatis, 2. Machab. 12. *Sãcta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Tum ex 1. *Corinth.* 3. vbi dicitur, *Vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit.* Tum ex ratione diuinæ iustitiæ, quę postulat, vt aliquis non euolet ad cœlum cum obligatione ad pœnam; cùm autem remissis peccatis quoad culpam non semper tollatur obligatio, seu reatus ad pœnam, æquitas postulat, vt qui pro reatu in hac vita non satisfecit, puniatur post hanc vitam in Purgatorio; consequenter dandum est Purgatorium, quod aliquando appellatur ignis, quia sicut proprium est ignis purgare, ita etiam animæ in Purgatorio torquentur igne, vt purgentur; quamquam non omnes torquentur igne, cum Purgatorij locus duplex sit, vnus dicitur iuxta legem ordinariam, alter iuxta dispositionem Dei quasi extraordinariam. Primus ab aliquibus censetur pars superior inferni versus centrum terræ. Secundus est ille, qui à Deo decernitur, & deputatur ad Purgatorium; Deus enim aliquando ad extraordinarium Purgatorij locum constituit aliquas animas, non solum vt ibi purgentur, verùm etiam ad instructionem viuorum, vel ad vtilitatem defunctorum. Ita S. Gregorius 4. *Dialogorum*, quem sequitur Graffius *in appendice c. 4. n. 12.* Suarez *tom. 4. disp. 45. sect. 1. &* 2. Coninchus *loco cit. num. 49.* & alij communiter.

2 Quotuplex sit pœna, quam animæ patiuntur.

2 Præmittendum est secundò, animas duplicem pœnam pati, vna dicitur pœna damni, & est pœna præcipua, consistitque in priuatione visionis Dei; cùm enim Deus sit summum bonũ, sequitur pœnam damni esse præcipuam, & maximam inter eas, quas animæ patiuntur, cum in pœnam suorum peccatorum summo bono Deo careant. Altera dicitur pœna sensus, quam animæ in Purgatorio existẽtes luunt, tum quatenus tristantur ob carentiam diuinæ visionis, tum quatenus vero igne torquentur. 1. Corinthiorum 3. *Vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit*; & ibidem, *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem.*

3 Quomodo verus ignis agat in animas corporibus exutas.

3 Si quæras, quomodo verus ignis agere possit in animas corporibus exutas.

Respondetur non constare, varios tamen varia respondere. Aliqui putant hunc torquendi modum latere, & non cognosci; alij sentiunt animas per ignem pati, quatenus inuolũtariè alligatæ sunt ad ignem. Alij denique asserunt ignem agere in animas producendo qualitatem ipsis disconuenientem, & doloris causatiuam. Istæ opiniones probabiles sunt, sed non certæ, cùm Deus nondum hoc reuelauerit. Vide Suarez *tom. 4. disp. 46. sect. 2. n. 14. & sect. 3.* Bellarminum *lib. 2. de Purgatorio, cap. 12.* Coninchum *disputat. 11. dub. 3.* & alios Doctores infrà citandos.

His positis difficultas est primò, vtrùm animabus in Purgatorio existentibus prosint Indulgentiæ ad obtinendam pœnæ, quam alioquin paterentur, remissionem. Secundò, quantum illis prosint.

PRIMA PROPOSITIO.

4 An animabus in Purgatorio existẽtibus prosint Indulgentiæ ad obtinẽdam pœnæ remissionẽ, quam alioquin patẽtur.

4 INdulgentię, quamuis plenarię, concessæ à Summo Pontifice pro defunctis, prosunt defunctis per modum suffragij, non per modum iudicij, & auctoritatis, modò applicentur defunctis in gratia existentibus. Hæc propositio patet tum ex communi sensu, & vsu Ecclesiæ: tum quia defuncti indigent suffragiis ad tollẽdas pœnas, quas alioquin luere deberent in Purgatorio, & suffragia possunt illis à viuentibus applicari; ergo si applicentur, proderunt.

5 An inferiores Summo Pontifice possint plenarias Indulgentias pro defunctis concedere.

5 Obserua tamen, inferiores Summo Pontifice non posse Indulgentias plenarias pro defunctis concedere, vt superiùs ostendi *punct. 3.* Ita Innocentius *in cap. quod autem, de pœnitentiis, & remissionibus.* Graffius *de Indulgentiis cap. 4. num. 75.* Suarez *disputat. 55. sect. 3. num. 9.* Nauar. *de Indulgentiis notabili 22. nu. 4.* Reginaldus *lib. 7. num. 193.* Corduba *lib. 5. quæst. 19. versic. Quoad primum dubium.* Tolet us *lib. 6. cap. 26. n. 1.* Viualdus *tit. 10. num. 23.* Medina *de Indulgentiis, cap. 37.* & alij communiter.

Dixi in propositione, *per modum suffragij, & non per modum iudicij, & auctoritatis.* Ratio est, tum quia Ecclesia non potest animas in Purgatorio existentes per modum iudicij soluere; non enim habet iudiciariam potestatem in animas in Purgatorio existentes, cùm sint extra forum Ecclesiæ: tum quia sicut Ecclesia non potest animas defunctorum directè ligare, ita neque potest per modum iudicij, & directè soluere: tum quia Christus tradens Petro potestatem dixit: *Quodcumque solueris super terram*; non verò dixit: *Quodcumque solueris super terram, & sub terra.* Sed animæ in Purgatorio existentes non sunt super terram, sed sub terra, vt patet ex iis, quæ primo loco præmisimus; ergo non possunt directè solui.

6 An Indulgentiæ prosint defunctis eõcessæ per modum iudicij an verò suffragij.

6 Hinc ergo patet Indulgentias prodesse defunctis non per modum iudicij, & auctoritatis, sed per modũ suffragij, id est, per modũ auxilij, & adiutorij Ecclesiastici illis applicati; sicut enim vir iustus potest suam satisfactionem alteri applicare, ita etiam potest Indulgentiam, id est, satisfactionem Christi, & Sanctorum, positam in thesauro Ecclesiæ applicare defunctis iuxta intentionem ipsius applicantis, modò ex intentione concedentis constet huiusmodi satisfactionem, seu

seu Indulgentiam posse defunctis applicari. Ita Viualdus *tit.10. de Purgatorio n.27.* Toletus *lib.6.cap.27.n.1.* Corduba *quæst.16.in principio.* Suarez *disp.53.* Nauarrus *de Indulgentiis notabili 22.nu.23.* Coninchus *loco citato, dub.10.num.45.* Valentia *tom.4.disp.7.quæst.20.punct.1.& 5.versic. Neque verò.* Reginaldus *lib.7.num.152.& 193.* omissis iis, quos refert Corduba *quæst.15.circa principium, & quæst.16.* [Filliucius *tract.8.cap.8.num.202.& seqq.* Sanctarellus *de Iubileo cap.3.dub.6.*]

7 An Summus Pontifex concedens Indulgentiam pro omnibus fidelibus, censeatur eam etiam concedere pro defunctis.

7 Obserua tamen, quando Summus Pontifex concedit Indulgentiam pro omnibus fidelibus, non comprehendi defunctos: tum quia nomine fidelium simpliciter veniunt viuentes: tum quia quando Indulgentia conceditur pro defunctis, hęc verba apponi consueuerunt, *fidelibus viuis, & defunctis.*

Dixi, *modò applicentur defunctis in gratia existentibus,* iis scilicet, qui detinentur in Purgatorio; nam animæ in gratia decedentes transferuntur in Purgatorium, modò in hac vita plenè non satisfecerint pro pœnis debitis, vt patet ex iis, quæ primo loco præmisimus.

8 Quomodo applicẽtur Indulgentiæ animabus in purgatorio existẽtibus.

8 Ex dictis colligitur primò responsio ad rationem dubitandi in principio propositam, nam animabus in Purgatorio existentibus non applicantur Indulgentiæ directè, sicut applicantur viatoribus, sed per modum suffragij.

9 An Indulgentiæ prosint damnatis.

9 Secundò, Indulgẽtias prodesse defunctis in Purgatorio existentibus, non verò defunctis ad inferna loca detrusis; cùm in inferno nulla sit redemptio, nec remitti possit pœna, nisi prius deleatur culpa.

10 An prosint Beatis.

10 Tertiò, Indulgentias non prodesse Beatis, nam Beati non solùm non habent culpam, verùm neque reatum, & obligationem ad pœnam, pro qua satisfaciendum sit per Indulgentias. Ita Coninchus *loco citato, num.46.* Reginaldus *num.196.* [Suarez, Filliucius,] & alij Doctores citati.

11 Differentia inter defunctum, cui applicatur Indulgentia, & inter eum, qui facit opus ad consequendam Indulgentiam pro defuncto.

11 Quartò colligitur differentia inter defunctum, cui applicatur Indulgentia, & inter eum, qui facit opus ad consequendam Indulgentiam pro defuncto; nam vt defunctus fruatur Indulgẽtiis, debet esse in gratia, cùm non possit remitti pœna, nondum remissa culpa. Qui verò facit opus ad consequendam Indulgentiam pro defuncto, non est necesse, vt sit in gratia; quamuis enim existens in peccato mortali non possit suis operibus satisfacere pro se, aut pro alio, vt constabit ex dicendis de suffragiis, nihilominus potest Indulgentiam pro defuncto lucrari, si faciat opus præscriptum ad obtinẽdam Indulgentiam pro defuncto; tunc enim ipse non dicitur satisfacere, sed facere opus, quo posito, Summus Pontifex applicat defuncto Indulgentiam, id est, satisfactionem Christi, & Sanctorum; nam Indulgentia, inquit Corduba *lib.5.quæst.17.dub.3.* Naldus *verb. Indulgentia, n.6.* & alij Doctores citandi, suum habet valorem ex opere operato, & non dependet à gratia illius, qui pro defunctis Indulgentiam lucratur. Ita Suarez *disp.53.sect.4.num.5. & 6.* Toletus *lib.6.cap.26.num.5.* Coninchus *disp.12.dubio 7.num.39.* Reginaldus *lib.7.num.183.& 195.* Corduba *lib.5.quæst.26.propositione 7.* Henriquez *cap.9.n.6.* Nauarrus *notabili 17.de Indulgentiis, nu.4. & notabili 19.n.6.* Graffius *loco citato, num.21.* [Filliucius *tract.8.cap.8.quæs.9.nu.213.*] & alij contra Angelum *verb. Indulgentia, num.21.* Bellarminum, & alios, quos sequitur Emanuel Sa *verb. Indulgentia, num.2.*

12 An homo in hac vita degens possit alteri homini adhuc viuẽti, Indulgẽtiã lucrari.

12 Quintò colligi potest, hominem in hac vita degentem posse Indulgentiam alteri homini in hac vita existenti lucrari, si hoc in Bulla exprimatur. Ratio est, quia viuis aliquando conceditur facultas consequendi Indulgentias pro defunctis; ergo etiam fieri potest, vt homines in hac vita existẽtes pro aliis hominibus in hac vita degẽtibus Indulgentias lucrentur, ita concedente Summo Pontifice; cùm enim Sũmus Pontifex potestatẽ habeat concedendi huiusmodi Indulgentias, nihil obstat, quominus possint huiusmodi Indulgentiæ obtineri, & applicari viatoribus, ita concedente Summo Pontifice; & hoc verum est, etiamsi non adsit consensus, & scientia illius, cui applicantur; cùm enim hic passiuè se habeat, non videtur necessarius ipsius consensus, vel scientia, vt patet à simili de animabus Purgatorij. Ita Suarez *disp.52.sect.7 num.6. & disp.53.sect.4.nu.10.* & alij contra Coninchum *loco cit.nu.47.* & Didacum Nugnum *in additionibus, quæst.27. art.4.difficultate 2.*

13 An Indulgentiæ possint aliis applicari, quando in concessione habẽtur hæc verba, *Qui hoc fecerit, tantam Indulgẽtiam consequatur.*

13 Si quæras, vtrùm Indulgentiæ possint aliis applicari, quando in concessione Indulgentiæ habentur hæc verba, *Qui hoc fecerit, tantam Indulgentiam consequatur.*

Respondeo negatiuè, nam Indulgentiæ tantum valent, quantum exprimitur; in prædicta autem concessione non exprimitur facultas, & potestas applicandi aliis. Ita Doctores citati.

SECVNDA PROPOSITIO.

14 Quãtum prosit Indulgentia pro defuncto accepta.

14 INdulgentia pro defuncto accepta tantum illi prodest, quantum prodesset accipienti, si eam pro seipso accepisset. Ratio est, quia Indulgentia tantum valet, quantum sonat, vt infrà explicabo.

Ex quo patet Indulgentiam plenariam, quæ accipitur pro defuncto, prodesse defuncto ad remissionem omnis pœnæ, modò Deus eam acceptet.

15 Cur Indulgentiæ pro eodem defuncto multoties accipi consueuerint.

15 Rogabis, qua de causa consueuerint homines accepta vna Indulgentia plenaria pro vno defuncto, aliam de nouo, vel noua suffragia pro eodem defuncto accipere, si Indulgentia plenaria applicata defuncto prodest illi ad remissionem omnis pœnæ, sicut prodesset ipsi accipienti.

Respondeo multis de causis hoc fieri. Primò, quia fieri potest, vt aliquis defectus interceserit in concessione Indulgentiæ, vt si concessa sit Indulgentia absque vlla omnino causa: nam ad concessionem Indulgentiarum necessaria est causa, vt superiùs ostendi. Nec Summus Pontifex, licet acceperit à Domino potestatem ad ædificationem, & regimen Ecclesiæ, potest ad suum libitum animas Purgatorij, vtpote sub alieno tribunali existentes, eripere, & Purgatorium exhaurire, & euacuare, vt docet S. Thomas *in 4.dist.45.art.10.* Nauarrus *de Indulgentiis, notabili 22.n.37. & notabili 31.n.48.* Reginaldus *lib.7.n.196.& 198.* Henriquez *cap.4.num.1.* Graffius *cap.4.num.38.* Corduba *quæst.18.* Cum enim Indulgentiæ applicentur defunctis per modum suffragij, in potestate Dei est eas acceptare, si velit; Deus autem numquam videtur acceptaturus Indulgẽtias pro omnibus animabus Purgatorij, cùm non videatur adesse causa sufficiens, propter quam Summus Pontifex debeat huiusmodi generales Indulgentias concedere, & Deus illas acceptare ad euancuandum Purgatorium.

Secundò, quia fieri potest, vt ex parte accipientis Indulgentiam pro defuncto contigerit defectus, propter quem Indulgentia efficiatur irrita, & inualida. Ita Nauarrus *notabili 22.num.50.* Reginaldus *num.198.* & alij.

Tertiò, quia fieri potest, vt Deus non acceptarit Indulgentiam: nam Indulgentia iuxta Cordubam *quæst.16.dub.3.* & alios Doctores statim citandos, non habet infallibilem effectum respectu animæ defuncti, sed liberum est Deo illam acceptare. Sicut enim, si Princeps, qui cupit aliquem in vinculis alterius Principis detentum liberari, offerat Principi cõdignam satisfactionem, liberum est Principi, sub cuius ditione reus detinetur, satisfactionem, & compensationem ab alio Principe oblatam acceptare: ita licet Summus Pontifex cupiat animam defuncti per Indulgentiam, id est, per compensationem æqualem liberari, tamen Supremo Principi Deo liberum est Indulgentiam pro defuncto acceptare, & fieri potest, vt illam non acceptet, vt ait Corduba *loco citato,* Caietanus, quem citat, & sequitur Henriquez *cap.7. n.4.* & alij, licet contrarium teneat Valentia *loco citato, disp.20.quæst.7. punct.5.* [Sanctarellus *de Iubileo cap.4.dub.11.*] Coninchus *disp.10.dub. 7.num.58.* & alij.

Hinc colligi potest consultum esse sæpiùs pro defunctis Indulgentiam percipere, Missas, & orationes applicare, vt illos repetitis suffragiis à pœnis eruamus.

16 An animæ in Purgatorio existentes cognoscant sibi suffragia, & Indulgentias applicari.

16 Sed modò dubium est, vtrùm animæ in Purgatorio existentes cognoscant sibi suffragia, & Indulgentias applicari.

Respondeo affirmatiuè: nam per Angelos custodes certiores fiunt de suffragiis pro se oblatis, necnon memores existunt accepti beneficij orando Deum pro nobis, non solùm postquam cęlestem gloriam adeptæ fuerint, verùm etiam dum in Purgatorio commorantur. Ita S. Thomas *in 4.dist.15. quæst.4.* Henriquez *cap.8. nu.4.* Graffius *loco cit.num.26.* Coninchus *loco citato, num.46.* & alij.

PVNCTVM VII.

Quantum valeant Indulgentiæ.

VNICA PROPOSITIO.

1 Quantum valeant Indulgentiæ.

1 INdulgentiæ tantum valent, quantum sonant. Ratio est, tum quia superior facultatem habet concedendi Indulgentias ad remittendam tantam pœnam, & tantam pœnam vult remitti, quantam sonant Indulgentiæ; ergo Indulgentiæ ab eo concessæ tantum valent, quantum sonant: tum quia sequeretur eos peccare, qui dicunt per Indulgentias tantum pœnæ remitti, quantum in Bullis exprimitur, deciperent enim audientes cum mendacio. Ita Graffius *de Indulgentiis c.7.num.3.* Coninchus *disp.12.dub.6.num.36.* Suarez *disp.56.sect.3.* Nugnus *in additionibus quæst.27.art.4.difficultate 3.* Corduba *lib.5.quæst. 23.in principio.* Viualdus *tit.9.de Indulgentiis, num.11.* [Filliucius *tract. 8.cap.9.quæs.5.num.230.*] & alij communiter.

2 An moriens accepta Indulgentia plenaria, statim in cælum euolet.

2 Hinc colligitur primò, eum qui moritur statim obtenta Indulgentia plenaria in cælum euolare absque dilatione, & mora: nam Indulgentia tantum valet, quantum sonat, Indulgentia autem plenaria sonat remissionem omnis pœnæ.

[Secundò colligitur, eum qui alienam habet coronam seu granum benedictum inuentum vel sibi commodatum posse eam consequi Indulgentiam, quam dominus illius coronæ, vel grani benedicti obtinere posset. Ratio est quia apud se habet id cui tale priuilegium concessum fuit, & præstat opus præscriptum, & indulgentiæ tantum valent, quantum sonant: hoc tamen intelligendum est modò re ipsa coronam, seu granum benedictum apud se habeat, non verò domi tantum. Ratio est, quia summus Pontifex Indulgentiam concedit habenti: is autem in proprio casu habere dicitur, qui apud se retinet. Ita Pinellus *de Indulgentiis cap.11.* Sanctarellus *de Iubileo cap.15.dub.11.* quidquid alij in contrarium sentiant.

Tertiò colligitur, Indulgentiam ab eo obtineri, qui præstat opus præscriptum ad obtinendam Indulgentiam, etiamsi ipse nesciat summum Pontificem tantam concedere Indulgentiam præstanti tale opus. Ratio est, quia applicatio Indulgentiæ seu meritorum Christi prouenit à summo Pontifice, seu legitimo superiore, non autẽ à scientia, seu voluntate præstantis opus, & Indulgentiæ tantũ valent, quantum sonant. Ita Gratianus *de Iubileo parte 1.cap.25.* & Sanctarellus *loco citato dub.4.*

Quartò colligitur, Indulgentias prodesse ad remittendas pœnas consequentes ipsummet peccatum, non verò pœnas debitas pro foro externo, quia Indulgentiæ conceduntur ad remittendas pœnas fori interni, non autem externi, & tantum valent, quantum sonant. Ita Nauarr. *de Iubileo notab.11.num.147.* Sanctarellus *loco citato dub.16.* & alij communiter.]

3 An Indulgentiæ strictè, vel latè sint explicandæ.

3 Quæres primò, vtrùm Indulgentia strictè, vel latè sit explicanda.

Respondent Suarez *disp.52.sect.2.* [& Filliucius *tract.8.c.9.quæs.4.n. 227. & seq.*] potestatẽ concedendi Indulgentias strictè explicandam esse. Ratio est, quia sicut potestas dispensandi in iure diuino est odiosa, & cõsequenter restringenda; ita restringenda, & strictè explicanda videtur potestas cõcedendi Indulgẽtias. Sed mihi probabilius dicendum videtur, potestatem Indulgentiarum latè explicandam esse. Ratio est, quia potestas dispensandi videtur fauorabilis, nullique affert præiudicium, vt cum Molina, Gomezio, Couarruuia, Henriquez, Emanuele Sa, Lopez, & quampluribus aliis docet Sãchez *lib.8. de matrimonio, disp.2.numer.1.* quorum sententiam amplexi sumus *in tractatu de legibus:* fauores autem sunt ampliandi.

4 Quomodo explicãda sit concessio Indulgentiæ.

4 Sed modò difficultas est, vtrum ipsæ Indulgentiæ latè, vel strictè sint explicandæ.

Respondeo, probabiliter sustineri posse concessionem Indulgentiæ, quando

quando constat de potestate concedentis, latè explicandam esse, quantum verborum sensus patitur. Ratio est, tum quia concessio Indulgentiarum regulariter loquendo dirigitur, & ordinatur non ad bonum priuatum, sed ad publicum totius Ecclesiæ ad subueniendum publicæ necessitati, vt argumentatur Suarez *loco* statim *citando*. Quæ autem conceduntur ad publicam Ecclesiæ vtilitatem, latè sunt explicanda: tum quia huiusmodi concessio est fauor pendens à voluntate superioris potentis illum concedere. Fauor autem, & beneficium Principis latè explicandum est, quantum verborum sensus patitur, & quantum fieri potest sine præiudicio tertij. *l. vlt. ff. de constitutionibus Principum.* Ita Suarez *disp. 52. nu. 2.* Henriquez *lib. 7. cap. 30. & lib. 6. cap. 16. nu. 3.* Nugnus *quæst. 27. art. 4. difficultate 3.* Lopez, & alij apud Sanchez *in opere morali lib. 4. cap. 54. nu. 7.* vbi hanc opinionem probabilem censet contra eumdem Sanchez *lib. 8. de matrimonio, disp. 2. n. 7.* Nauarrum *lib. 2. consiliorum de iuramento, consil. 1. n. 6.* Reginaldum *lib. 7. c. 13. n. 142. & c. vlt. nu. 138. & 139.* Ex quo patet, quid dicendum sit quando dubitatur de quantitate, vel duratione Indulgentiæ.

Quæres secundò, vtrùm Indulgentia cum clausula consueta, *Volumus autem*, &c. concessa Ecclesiæ, in qua aliæ extãt Indulgentiæ, prosit visitantibus illam Ecclesiam. Casus frequens, & consuetus est hic. Gregorius XV. exempli gratia, Pontifex Maximus Indulgentiã concessit visitantibus quamdam Ecclesiam 19 die S.N. cum hac clausula, Volumus autem, vt si aliàs Christi fidelibus dictam Ecclesiã visitantibus aliquam aliam Indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, præsentes nullæ sint.

Quæritur, vtrùm huiusmodi Indulgentia teneat, & prosit eo die visitantibus illam Ecclesiam, cùm in ea nonnullæ aliæ Indulgentiæ aliis diebus concessæ reperiantur.

Respondendum est huiusmodi Indulgentiam non tenere, nec prodesse accedentibus eo die ad illam Ecclesiam, quoties idem Pontifex alias Indulgentias adhuc perseuerantes eidem Ecclesiæ concessit. Ratio est, primò, quia gratia concedentis voluntatẽ verbis expressam non excedit: voluntas autem Summi Pontificis verbis expressa est, vt rescriptum Apostolicum nullius roboris sit, si aliæ Indulgẽtiæ in eadem Ecclesia reperiantur, vt ex verbis cõcessionis clarissimè constat.

Quia licet magna cum probabilitate sustineri possit, concessionem Indulgentiæ latè explicandam esse, iuxta Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto, cap. 16. numer. 3. versic. Ego verò. & de Sacramentis tom. 4. disput. 56. sect. 2. num. 8.* Henriquez *in summa lib. 7. cap. 30.* Nugnum *de Indulgentiis q. 27. art. 4. difficultate 3.* & alios, quos citaui, & sequutus sum *de Sacramentis disp. 6. quæst. 1. punct. 7. n. 4.* est enim fauor, & priuilegiũ Principis, quod latam interpretationem admittit. Hoc tamen intelligendum est solùm in dubiis, & dum propria verborum significatio strictiorem expositionem non postulat, alioquin liberum cuique esset confingere quam vellet interpretationem, vt benè Suarez *de Sacramentis loco citato*: in proposito autem casu propria verborum significatio hanc interpretationem non admittit, vt Indulgentia solùm non prosit, si aliæ visitantibus Ecclesiam eodem die concessæ fuerint: summus enim Pontifex non ita limitatè loquitur, sed generaliter, & indefinitè, vt patet ex ipso verborum contextu; *Volumus autem, vt si aliàs Christi fidelibus*, &c. propositio autem generalis, & indefinita generaliter intelligenda est, *iur. vulg.*

Quia dum summus Pontifex Indulgentiam concedit valituram, modò non adsint aliæ pro eo die, vel tali occasione, id exprimere consueuit adhibita hac, vel simili verborum forma, *Volumus autem*, &c. *tali die*, &c. *vel præmissa facientibus*, &c. In nostro autem casu generalibus verbis simpliciter indicat velle præsentes irritas, & inanes esse, si aliæ ab eodem concessæ reperiantur. Quia hic est vsus, & sensus Cancellariæ; immò extat in hanc rem regula Cancellariæ 57. Innocentij VIII. quæ est 52. Pauli V. in hæc verba, *Volumus autem, vt si alia*, &c.

Item, voluit, quòd in litteris Indulgentiarum ponatur clausula, quòd si Ecclesiæ, seu Capellæ, vel aliàs aliqua Indulgentia fuerit per ipsum concessa, de qua inibi specialis mentio facta non est, huiusmodi litteræ sint nullæ.

Præfata limita, modò Indulgentiæ, quæ in eadem Ecclesia reperiuntur, ab eodem summo Pontifice concessæ fuerint: quamobrem si extent aliæ ab antecessoribus obtentæ, præsens non corruit, sed iure meritò sustinenda est. Ratio est, quia actus agentium non operatur vltra intentionem eorum verbis expressam. Intentio autem summi Pontificis verbis expressa solùm est, vt Indulgentia, quam ipse concedit, irrita sit, & inanis, si alię Indulgentiæ ab ipso concessę in eadem Ecclesia reperiantur: non enim nomine dignitatis Indulgentiam concedit, sed nomine personæ, cùm illud verbum *cõcesserimus*, sit personale. *cap. literis, & cap. si gratiosè, de rescriptis, in 6.* Confirmatur ex præfata Cancellariæ regula, in qua habetur clausula, *quòd si Ecclesiæ, seu Capellæ, vel alias aliqua Indulgentia fuerit per ipsum concessa*; vbi notanda est illa particula, *per ipsum*, quæ personam, & non dignitatem prædemonstrat. Ita Garzias *de benef. part. 5. c. 1. n. 651.* Alfonsus Soto *in reg. Cancell. 52. de Clausulis ponendis in literis Indulgentiarum*, quæ regula apud ipsum est 57. Ioan. Chollier in commentariis ad regulam Cancellariæ 57. in ordine, & alij recentiores communiter.

Neque obstat dicere summum Pontificem Gregorium XV. eadem auctoritate, & potestate gaudere, & eamdem dignitatem, & locum sustinere, quem prædecessores Sedis Apostolicæ Pontifices habuerunt; consequenter Indulgentiam censeri nomine dignitatis concessam, & moderationẽ, quam ipse suis rescriptis adhibet, non solùm extendi ad Indulgẽtias à se ipso, verùm etiã ab antecessoribus concessas.

Respondetur enim hinc solùm inferri summum Pontificem posse rescripta cum hac moderatione concedere. In concedendis tamen Indulgentiis nõ solet hac moderatione vti: sed solũ Indulgentiis à se ipso concessis limitationem, & conditionem adiungit, cum eas non conferat nomine dignitatis, sed personæ: tunc enim gratia nomine personæ facta præsumitur, dum in eius concessione nomen personæ exprimitur, etiamsi nomen dignitatis non fileatur, *cap. litteris, & cap. si gratiosè, iam citatis.* & optimè Abbas *cap. relatum, num. 3. de offic. deleg.* Couar. *practic. quæst. cap. 11. nu. 2. ad finem.* Garzias, & Glossator Soto *locis citatis.* Decianus, Ancharanus, Barbosa, & alij, quos citat & sequitur Sãchez *lib. 8. de matrim. disp. 28. n. 46.* Gutierez *de matrim. c. 128.* Ioan. Salas *de legibus disp. 20. sect. 17. nu. 124.* & ego nouissimè in meo *tract. de legib. disp. 1. quæst. 3. part. 1. nu. 15.* In concessionibus autẽ Indulgentiarum non solum dignitatis nomen, sed etiam personæ exprimitur: nam initiò literarum sic dicitur: Gregorius XV. &c. ad tempus nondum elapsum concesserimus, &c. quæ verba non ad dignitatem, sed ad personam referri præfati Doctores ritè obseruant.

PVNCTVM VIII.

Quamdiu durent Indulgentiæ.

VNICA PROPOSITIO.

1 Quamdiu durent Indulgentiæ.

1 INdulgentiæ tamdiu durant, quamdiu concedens eas durare voluerit, & non vltrà. Ratio est, quia gratia dependet à voluntate concedentis, ipsiusque voluntatem verbis expressam non excedit, & actus agentium non operatur vltra intentionem ipsorum. Ita Glossa *in cap. nostro, de pœnitentiis, & remissionibus.* Graffius *in addit. c. 8.* Corduba *lib. 4. quæst. 36. propositione 2.* [Suarez, Filliucius,] & alij Doctores statim citandi.

2 An Indulgentia simpliciter concessa, semper duret.

2 Ex hac propositione colligitur primò, Indulgentiam absolutè, & simpliciter concessam per se loquendo perpetuò durare; cùm enim superior non limitet, non est cur nos limitemus, consequenter non exspirat morte concedentis: nam gratia non exspirat morte cõcedentis; *reg. decet, de regul. iur. in 6.* vbi dicitur concessum à Principe beneficium esse mansurum. Ita Syluester *verb. Indulgentia, n. 16.* Angelus *eodem verb. num. 7.* Suarez *disp. 57. sect. 2. num. 2.* Emanuel Sà *verb. Indulgentia, num. 9.* Reginaldus *lib. 7. nu. 159.* Coninchus *disp. 12. dub. 12.* Nugnus *quæst. 27. art. 4. post tertiam difficultatem, §. alia difficultas, pag. 481.* Viualdus *tit. 9. nu. 40.* [Filliucius *tract. 8. c. 9. quæs. 6. nu. 236.*] & alij communiter.

Dixi, *per se loquendo*, vt aduerterem aliquando Indulgentias non esse perpetuas, vt si lege aliqua caueatur Indulgentiam non esse perpetuam, vt accidit, primò in Indulgentiis plenariis, quæ anno Iubilei suspendũtur, ex Xisto IV. *in extrauaganti, Quemadmodum, de pœnit. & remiss.* quod factũ est, vt fideles eo tempore occasionem arripiant adeundi Romam ad conseqeundas Indulgentias. Ita Suarez *loc. cit. nu. 5.* Reginaldus *n. 161.* & alij apud Suarez. [Obserua tamẽ summum Pontificem Vrbanum VIII. viua voce declarasse anno Iubilei 1625. non suspendi vllas vrbis Indulgentias: idem docet Filliucius *tract. 8. cap. 10. quæs. 3.* præterea non suspendi vsquam Indulgentias, quibus aliàs frui possint constituti in articulo mortis. Item non suspendi vllas Indulgentias, quæ aliàs collatæ erant pro defunctorum suffragio in toto terrarum orbe, sicut etiam declarauit non tolli à priuilegiatis facultates, & priuilegia absoluendi, exceptis illis, quæ concedi aliàs solent ratione Indulgentiarum. Idem docet Filliucius *nu. 254.* Bensonius *lib. 4. de Iubileo cap. 8. dub. 3. & 5.* & alij.] Secundò, in Indulgentiis pro tali festo concessis in singulis annis, quæ ex regula 57. Cãcellariæ restringuntur ad viginti annos, ex Nauarro *de Indulgentiis, notabili 9. num. 8.* & aliis. Tertiò, quando ex regula Cancellariæ constat Sedem Apostolicam declarasse, & limitasse verba quibus conceduntur Indulgentiæ; tunc enim summus Pontifex censetur loqui iuxta talem regulam, nisi aliter expressè declaret in concessione, vt docet Suarez *disp. 57. sect. 1. num. 5.* Reginaldus *lib. 7. n. 159.* & alij, quos in simili retuli *de legibus.*

3 An Indulgentia duret vltra præfixum tempus.

3 Secundò colligitur, Indulgentiam ad aliquod præfixum, & determinatum tempus concessam non durare vltra præfixum tempus. Ex quo fit, vt Indulgentia alicui concessa desinat eo destructo; censetur enim concessa ad ipsius vitam, Indulgentia verò concessa communitati, perseuerat quamdiu manet communitas, nec desinit destructa aliqua persona particulari, licet desinat quoad illã personam particularem, neque possit illi applicari, nisi concessa sit etiam pro defunctis, vt superiùs ostendi. Ita Suarez *disp. 57. sect. 2. n. 11.* Nauarrus *de Indulgentiis, notabili 31. num. 27.* Reginaldus *lib. 7. num. 158.* Nugnus *in additionibus quæst. 27. art. 4. §. aliud dubium, ad finem.*

4 Quamdiu duret Indulgentia concessa alicui loco absque limitatione temporis.

4 Tertiò colligitur, Indulgentias concessas alicui loco absque limitatione temporis, tamdiu durare, quamdiu durat locus; nam Indulgentiæ tamdiu durant, quamdiu superior vult eas durare; superior autem præsumitur velle Indulgentias alicui loco absque limitatione temporis concessas durare, quamdiu durat locus. Quamobrem Indulgentia concessa alicui templo, quod paulatim destruitur, & reædificatur, non cessat per reparationem, & reædificationem; adhuc enim censetur idem locus, & eadem numero Ecclesia perseuerare. Ita Corduba *quæst. 56. in princip.* Suarez *loco citat.* Pinellus *de Indulgentiis.* [Filliucius *tract. 8. cap. 6. quæs. 3. num. 134. & 244.*] & alij communiter, teste Nugno *quæst. 25. art. 4. dub. pen. pag. mihi 482.*

Si verò tota Ecclesia destruatur, & iterum in eodem loco ædificetur, adhuc Indulgentiam durare puto cum Imola, & multis aliis Doctoribus apud Suarez *locis statim citandis*, (modò templum non fuerit destructum auctoritate superioris, vel domini sine spe refectionis.) Ratio est, tum quia quando templum non destruitur ex instituto ab habente ius, & auctoritatem, censetur adhuc permanere in iure, & spe; consequenter ipso reparato consurgit priuilegium, quod censebatur suspensum pro tempore, quo templum non fuerat reædificatum: tum quia ad hoc facit *l. 39. ff. de Religiosis, & sumptibus funerum, & cap. pastoralis, & cap. quia monasterium, de Religiosis domibus*, & alia iura apud Suarez *de legibus lib. 8. cap. 5. num. 7.* contra Nugnum *loco citato.*

5 An Indulgentia alicui templo concessa perseueret, si templum debita auctoritate aliò transferatur.

Dixi, *modò templum destructum non fuerit auctoritate superioris sine spe refectionis, seu intentione reædificationis*, vt aduerterem priuilegium cessare, si templum destructum sit absque prædicta spe, & intentione; nam priuilegium censetur veluti quoddam accidens mortale; accidens autem destruitur destructo subiecto. Ita Doctores citati.

5 Sed modò dubium est, vtrum Indulgentia, quæ alicui templo fuerat

fuerat conceſſa, adhuc perſeueret, ſi templum debita auctoritate aliò transferatur.

Aliqui Doctores putant adhuc perſeuerare, & transferri ſimul cum loco, ſeu templo.

Sed mihi diſtinguendum videtur hoc pacto: vel Indulgentia, & priuilegium conceſſum eſt ipſi ſitui, ſeu ſolo; vel directè conceſſum eſt ipſi templo, & ſub nomine eius. Si Indulgentia conceſſa eſt ſitui, & ſolo, puto Indulgentiam non transferri, ſed adhuc remanere affixam ſolo, priuilegium enim eſt veluti quoddam accidens, quod ſubiecto adhæret.

Ex quo fit, vt cùm conſecratio deſtructo templo adhuc adhæreat ſolo, locus conſecratus, vel benedictus ſemper retineat ſua priuilegia, quæ ex loci conſecratione, vel benedictione ſequuntur, quale priuilegium eſt locum non eſſe venalem, non poſſe conuerti ad profanos vſus, & gaudere immunitate, ſi immunitas primariò conceſſa ſit areæ, & non ratione ædificij. Priuilegium igitur conceſſum ſolo, ſeu ſitui non transfertur, ſed remanet ſolo affixum, quando templum auctoritate ſuperioris aliò transfertur.

Si verò priuilegium, ſeu Indulgentia conceſſa ſit ipſi templo, ſicut ordinariè præſumendum eſt ipſi templo conceſſam fuiſſe; cùm ordinariè præſcribatur aliquid intra talem locum, vel templum fieri; cenſeo Indulgentiam transferri cum loco, in eoque perſeuerare: nam cenſetur adhuc eadem Eccleſia, & idem templum, quod comparari poteſt perſonæ, quæ ſecum defert priuilegium perſonale. Vide Suarez *de Indulgentiis diſputat.52. ſect.1. & diſput.57. ſect.2. num.21. & lib. 8. de legibus cap.5. nu.4. vſque ad finem.* Pinellum *de Indulgentiis.* Graſſium *loco cit. cap.8.* Nugnum *loco cit. §. aliud dubium, ad finem, & dub. penult.* Quamquam ipſe Nugn. cum Paludano *in 4. diſt.20. quæſt.4.* contra Suarez, & alios putat, deſtructa prima Eccleſia deſinere Indulgentiam, ſiue reædificetur, ſiue non.

6 An Indulgentia deſinat per reuocationem concedentis.

6 Quintò colligitur, Indulgentias deſinere per reuocationem concedentis; nam Indulgentiæ tamdiu durant, quamdiu concedens voluerit durare; ſuperior autem poteſt non ſolùm validè, verùm etiam licitè per ſe loquendo, etiam abſque cauſa Indulgentias pro ſuo arbitrio reuocare. Indulgentia enim eſt beneficium gratuitum, quod ſicut liberè potuit negari, ita etiam poteſt non conſeruari, iuxta illud axioma, res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, & Indulgentia tamdiu durat, quamdiu voluerit concedens.

7 An ſucceſſor concedentis poſſit Indulgentias reuocare.

7 Addo non ſolùm concedentem, verùm etiam ipſius ſucceſſorem in dignitate poſſe Indulgentias ab anteceſſore conceſſas reuocare: nam ſucceſſor reputatur vna perſona moraliter cum cõcedente, cum ſuccedat cum eadem auctoritate; inferior verò non poteſt reuocare Indulgentias à ſuperiore conceſſas, conſequenter Indulgentiæ à Sede Apoſtolica conceſſæ non ceſſant per reuocationem ab inferiore Prælato factam. Quamobrem Epiſcopus non poteſt reuocare Indulgentias à ſummo Pontifice conceſſas. Ipſe verò Summus Pontifex poteſt Indulgentias à ſe, vel ab alio conceſſas reuocare. Ita Suarez *diſput.57. ſect.51. & 52.* Nugnus *loco cit. §. aliud dubium.* Reginaldus, & Coninchus *loco cit.* [Filliucius *num.239.*]

8 An extinguatur Indulgẽtia, antequam reuocatio perueniat ad aures eorum, quibus cõceſſa fuerat Indulgẽtia.

8 Rogabis, vtrùm, ſi Summus Pontifex Indulgentiam reuocet, Indulgentia ſtatim extinguatur, antequam reuocatio perueniat ad aures eorum, quibus conceſſa fuerat.

Reſpondeo negatiuè cum Sylueſtro *verb. Gratia, num.4.* Emanuel Sà *verb. Indulgentia, num.9.* Graffio *cap.8. n.18.* Reginaldo *lib.7. num.167.* Corduba *quæſt.36. propoſitione 3. pag.471.* Suarez *diſp.57. ſect.2. n.8.* Soto *de iuſtitia quæſt.1. art.4.* [Filliucio *num.241.*] & aliis, quos in ſimili retuli de reuocatione priuilegiorum, & mandatorum. Ratio eſt, quia ſummus Pontifex non præſumitur reuocare, donec cognitio reuocationis perueniat ad aures eorum, quibus conceſſa fuerat Indulgentia; alioquin fieri poſſet, vt multi defraudarentur, præſtantes opera præſcripta ad conſequendam Indulgentiam, & nihilominus Indulgentiam non conſequentes.

Ex quo ſequitur eum, qui inuincibiliter ignorans reuocationem indulti ſibi conceſſi confeſſus eſt bona fide peccata reſeruata, vel cenſuras, remanere abſolutum virtute indulti, in quo continebatur facultas abſoluendi à reſeruatis, & cenſuris in ordine ad Indulgentiam, quam ignorabat eſſe reuocatam.

9 An ceſſante cauſa, ob quam Indulgẽtia fuerat conceſſa, ceſſet Indulgẽtia.

9 Quæres primò, vtrùm ceſſante cauſa, propter quam conceſſa fuit Indulgentia, ceſſet Indulgentia.

Reſpondeo negatiuè cum Suarez *diſput.57. ſect.2. num.14.* Nugno *quæſt.27. art.4. dub. vlt.* Reginaldo *lib.7. nu.165.* [Filliucio *tract.8. c.9. quæſito 9. num.145.*] & aliis. Ratio eſt, tum quia Indulgentia perpetua concedi poteſt ob cauſam temporalem; ergo Indulgentia non ceſſat ceſſante cauſa; alioquin fruſtra concederetur Indulgentia perpetua pro cauſa temporali: tum quia ſicut diſpenſatio voti, & iuramenti ſemper durat, quamuis ceſſet cauſa, ob quam conceſſa fuit diſpenſatio, iuxta multos Doctores, quos retuli de diſpenſatione, ita etiam durat conceſſio Indulgentiæ ceſſante cauſa conceſſionis.

Obiicies primò, ceſſante cauſa ceſſat effectus; ergo ceſſante cauſa conceſſionis, vel diſpenſationis, ceſſat conceſſio, vel diſpenſatio.

Reſpondeo, ceſſante cauſa ceſſare effectum, ne gratia concedatur ab initio, ſi ab initio non adeſt cauſa ſufficiens ad gratiam concedendam; non verò ceſſare, poſtquam facta fuit conceſſio, ſeu poſtquam conceſſa fuit gratia.

Obiicies ſecundò, Indulgentia conceſſa ſine cauſa eſt nulla; ergo etiam eſt nulla non perſeuerante cauſa.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam plura requiruntur ad producendum effectum, quàm ad conſeruandum iam productum.

Obiicies tertiò, Tributum ceſſat ceſſante cauſa, propter quam fuit impoſitum, vt oſtendi de reſtitutione; ergo ceſſat etiam Indulgentia ceſſante cauſa propter quam fuit conceſſa.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, tum quia onus tributi dependet à cauſa non ſolùm in fieri, verùm etiam in conſeruari: conceſſio verò Indulgentiæ dependet à cauſa ſolùm in fieri, & non in conſeruari: tum quia impoſitio tributi eſt onoroſa, conſequenter ſtrictè explicanda; conceſſio verò Indulgentiæ eſt fauorabilis, & gratuita, conſequenter latè accipienda.

10 An ceſſet Indulgentia per renuntiationem factam ab eo, in cuius fauorem conceſſa fuerat, remiſſiuè.

10 Vtrùm verò Indulgentia ceſſet per renuntiationem Indulgentiæ factam ab eo, in cuius fauorem conceſſa fuerat, patet ex dictis *de legibus, de ceſſatione diſpenſationis, & priuilegiorum.* [Quidquid in contrarium ſentire videantur Suarez *loc. cit.* & Filliucius *num.234.*]

11 An Indulgentia pro mortis articulo conceſſa ceſſet, ſi ſemel obtineatur.

11 Quæres ſecundò, vtrùm Indulgentia pro mortis articulo conceſſa ſemel tantùm accipi poſſit, ita vt poſtquam ſemel fuit accepta, non amplius duret.

Reſpondent aliqui Doctores Indulgentiam pro mortis articulo conceſſam ſemel tantùm accipi poſſe, conſequenter expirare, ſi ſemel accepta ſit, niſi ſuperior in conceſſione Indulgentię aliter expreſſerit. Ita Fumus *verb. Indulgentia, num.23.* Emanuel Sà *verb. Indulgentia, num.5.* & alij apud Cordubam *lib.5. quæſt.39. verſic. Prima eſt.*

Sed mihi probabilius videtur oppoſitum cum eodem Corduba *loc. cit. verſic. Tertia opinio,* & aliis apud eumdem Cordubam. Ratio eſt, tum quia propoſitio indefinita æquiualet vniuerſali, ſed conceſſio Indulgentiæ ſimpliciter facta pro mortis articulo videtur indefinita; ergo videtur vniuerſaliter valere pro quolibet mortis articulo: tum quia facultas abſoluendi à reſeruatis in articulo mortis non exſpirat per vnum mortis articulum; ſed adhuc licet ea frui ſuperueniente nouo mortis articulo; ergo, &c.

Occaſione præſentis quæſiti nonnulla emergunt dubiola, quorum ſolutionem hic afferemus.

12 Quandonam percipi poſſit Indulgentia conceſſa vna tãtùm vice pro mortis articulo.

12 Dubium eſt primò, quandónam percipi poſſit Indulgentia pro mortis articulo conceſſa.

Reſpondeo eam percipi ſolùm in articulo mortis vero, quando in conceſſione Indulgentiæ nullum præſcribitur, ſen requiritur Confeſſarij miniſterium. Ratio eſt, tum quia Indulgentiæ tantùm valent, quantum ſonant: cum autem ſonent verum mortis articulum, dicendum eſt poſſe tantummodò in vero mortis articulo, & non in præſumpto accipi: tum quia finis, & intentio concedentis eſt, vt infirmus decedat ex hac vita abſque onere luendi pœnas in Purgatorio; huic autem fini ſatisfit ſolùm in vero mortis articulo.

Si verò in conceſſione Indulgentiæ præſcribitur, ſeu requiritur miniſterium Confeſſarij, cenſeo huiuſmodi Indulgẽtiam accipi poſſe non ſolùm in vero, verùm etiam in præſumpto, & probabili mortis periculo, vt quando infirmus iudicio medicorum confiteri debet ad ſuſcipiendum viaticum, alioquin ſæpiùs inanis redderetur huiuſmodi conceſſio; cùm ſæpius mors ſuperueniat, antequam conſtare poſſit de vero mortis articulo; conſequenter multi defraudarentur hoc priuilegio. Ita Nauarr. *de Indulgentiis, notabili 30. n.3.* Reginaldus *lib.6. n.156.* Nugnus *in additionibus quæſt.27. art.4. difficultate 2.*

13 An habens facultatem eligendi Cõfeſſariũ qui vigore Indulgentiæ poteſt illũ abſoluere, ſit capax Indulgentiæ, & abſolutionis, ſi ſenſibus deſtituatur.

13 Secundò dubium eſt, vtrùm qui facultatem habet eligendi Confeſſarium, qui vigore Indulgentiæ poteſt ipſum abſoluere in articulo mortis, ſit capax Indulgentiæ, & abſolutionis, ſi ſenſibus deſtituatur.

Reſpondeo capacem eſſe, etiam ſi ſenſibus deſtituatur, poſtquam petiit cõfeſſionem, & abſolutionem, ſicut enim eſt capax Sacramenti Pœnitentiæ, vt dictum eſt de pœnitentia, ita etiam Indulgentiæ, adhuc enim eſt viator, & ceteras habet conditiones, quæ in ſuſceptore Indulgentiæ prærequiruntur, vt ſuppono. Ita Nauarrus *loc. cit. num.12.* quem ſequitur Reginaldus *loco citato, num.157. ad finem.*

14 An præſcripta ſit certa verborum forma ad concedendam Indulgentiam in articulo mortis, aut alia occaſione.

14 Tertiò dubium eſt, vtrùm præſcripta ſit certa verborum forma ad concedendam Indulgẽtiam in articulo mortis, aut alia occaſione.

Reſpondeo negatiuè, ſed Indulgentiam concedi poſſe quibuſcumque verbis Indulgentiæ conceſſionem exprimentibus, vt ſi dicatur: *Cõcedo tibi Indulgentiam, prout in hac Bulla exprimitur.* Ratio eſt, quia non eſt in iure præſcripta, & determinata forma ad concedendas Indulgentias. Ita Nugnus *in additionibus quæſt.25. art.4. difficultate 2.* Corduba *lib.5. quæſt.38. & 39.* Reginaldus, & alij *locis citatis.* Et hæc de Indulgentiis.

QVÆSTIO II.

De Suffragiis.

NOmen ſuffragij, quod à ſuffragando dicitur, aliquando ſignificat votum quod in fauorem alterius fertur, vt accidit in electionibus ad officia, & beneficia; aliquando indicat auxilium, quod alteri præbetur, quo pacto nos hoc loco accipimus nomen ſuffragij pro auxilio, quod vnus fidelis præbet alteri ad conſequendam remiſſionem pœnæ temporalis: vt autem gradatim, & ordine conſueto progrediamur, tria quæremus in præſenti quæſtione.

Primò vtrùm vnus fidelis poſſit alteri ſuffragium ferre.

Secundò quænam requirantur in ferente ſuffragium.

Tertiò quid requiratur in eo, cui fertur.

PVNCTVM I.

Vtrùm fideles poſſint præſtare ſuffragia, quibus ſe inuicem iuuent.

VNICA PROPOSITIO.

1 An fideles non ſolùm ſe ipſos inuicem, verùm etiam defunctos ſuffragiis adiuuare poſſint.

1 FIdeles, dum in hac vita degunt, non ſolùm poſſunt ſe inuicem iuuare ſuffragiis, verùm etiam adiuuare poſſunt defunctos ſatisfaciendo pro pœna ipſis debita. Hæc propoſitio colligitur tum ex Pſalmo 118. *Particeps ſum ego omnium timentium te, & cuſtodientium mãdata tua;* tum ad Romanos 15. *Obſecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum;* tum ex 2. Machabæorum 12. *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio,* & c. tum ex articulo in Symbolo, *Communionem Sanctorum*, cuius articuli ſenſus eſt, in Eccleſia eſſe communicationem bonorũ operũ inter homines iuſtos, quatenus vnus alteri prodeſſe, & auxiliũ ferre poteſt; nam homines iuſti ſunt mẽbra vnius corporis Eccleſiæ ſub vero capite Chriſti, vnita principaliter per charitatem; ſicut autem vnum membrum alteri præbet auxilium, ita poteſt vir iuſtus alteri opem ferre per ſuffragia, per Indulgentias,

&

& per opera satisfactoria : tum ex lege naturæ dictante alteri faciendum, quod nobis optamus fieri. Matth. 7. *Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis* Ita Nugnus *in addit. q. 20. art. 3. de satisfactione diffic. 1. pag.* 437. S. Thom. *in 4. dist. 20. q. 1. art. 2.* Suarez *disp. 48. sect. 1. & 2.* Coninchus *de pœnit. disp. 10. dub. 7. numer. 59.* & alij communiter, teste Coninchо *loco cit. & disp. 11. dub. 1. & 7. num. 51.*

Obicies, *Ecclesiastici 9.* habetur, mortuos non habere partem in opere, quod geritur sub sole; ergo mortui non iuuantur suffragiis viuorum; alioquin mortui dicerentur habere partem in opere, quod geritur sub sole.

Respondeo mortuos non habere partem in opere, id est, non concurrere ad opus ipsum; habere tamen partem in fructu operis, qui est satisfactio. Ita Sotus *dist. 45. q. 2. art. 1. concl. 2.* Marianus Socinus *de oblatione, n. 17.* Graffius *in appendice lib. 2. c. 9. n. 10.* & alij communiter.

2 An suffragia, quæ à fidelibus in hac vita fiunt pro defunctis, prosint ipsis ea offerentibus.

2 Sed modò dubium est primò, vtrùm suffragia, quæ à fidelibus in hac vita fiunt pro defunctis, prosint ipsis fidelibus ea suffragia offerentibus. Pro solutione

Respondeo, bonum opus dupliciter considerari posse. Primò, vt satisfactorium. Secundò, vt meritorium. Si opus consideretur, vt satisfactorium, non prodest facienti, quoties alteri applicatur; nam opus bonum non habet satisfactionem infinitam, sed limitatam, vt suppono, quidquid sit de valore sacrificij, de quo supra disputauimus. Si ergo satisfactio, quæ limitata est, alteri applicetur, prodest illi, cui applicatur; non verò applicanti, & tantum prodest alteri formaliter loquendo, quantum prodesset ipsi applicanti, si eam sibi applicaret: hæc enim communicabilis est, vt patet ex rationibus in propositione allatis, & bene docet Suarez *disp. 48. sect. 6. num. 8. & sect. 8. numer. 23. & 24.* & alij Theologi communiter *in tractatu de Gratia.*

Ex quo patet opus bonum applicatum pluribus minus singulis prodesse, quàm prodesset, si totum vni applicaretur; quod enim habet virtutem finitam, si distribuatur in multos, minus prodest singulis, quàm si vni tantùm communicaretur, vt pluribus Doctoribus relatis ostendi de sacrificio Missæ.

Si verò opus consideretur secundo modo, id est, vt meritorium, prodest ipsi applicanti ad meritum vitæ æternæ, iuxta illud Psalmi, *Oratio mea in sinum meum conuertetur.* Ita S. Thomas *in 4. distinct. 45. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 4.* Graffius *loco citato, num. 13.* Suarez *loco citato, sect. 7. num. 7.* Nugnus *in additionibus quæst. 20. art. 3. difficultate 5. sub finem, pag. 444.*

3 An satisfactio habeat effectum infallibilem in eo, cui applicatur.

3 Secundò dubium est, vtrùm satisfactio habeat effectum infallibilem in eo, cui applicatur.

Respondent Suarez *disp. 48. sect. 5. num. 7.* prodesse ex iustitia, & infallibiliter acceptari pro illo, pro quo offertur.

Sed mihi probabilior videtur sententia Medinæ *de pœnitentia, tract. 3. quæst. 2. & 3.* Coninchi *disput. 10. num. 59.* & aliorum asserentium, non prodesse infallibiliter illi, cui applicatur. Ratio est, tum quia non satis nobis cōstat Deum infallibiliter acceptare satisfactiones pro aliis: tum quia aliqui tardiores redderentur ad satisfactiones per se ipsos præstandas, scientes sibi ab amicis satisfactiones applicari.

PVNCTVM II.

Quid requiratur in eo, qui suffragia, & satisfactiones aliis offert.

1 Quotuplici in differentia sint suffragia.

1 PRæmittendum est suffragia esse in duplici differentia; alia sunt satisfactoria ex opere operato, vt est sacrificium, & Indulgentia: alia ex opere operantis, vt sunt orationes, quæ ab homine iusto offeruntur.

Hoc posito quærendum est in hoc puncto, quid requiratur in eo, qui offert alteri suffragia, & satisfactiones.

VNICA PROPOSITIO.

2 An offerens debeat habere intentionem offerendi pro eo, cui suffragium prodest.

2 VT suffragium prosit alteri, requiritur primò, vt offerens habeat intentionem offerendi pro eo, cui prodest. Ratio est, quia si satisfaciens non dirigat intentionem suam in alium, retinet sibi suffragium, cum sit opus ipsius; ergo vt alteri prosit, requiritur, vt per suam intentionem dirigat suffragium in alterum, illique intendat suffragium applicare. Ita Coninchus *disput. 11. dub. 8. num. 62.* S. Thomas, Paludanus, & alij, apud Nugnum, *q. 20. art. 3. ad finem.* & apud Emanuelem Sà *verb. Indulgentia, ad finem.*

3 An opus satisfactorium fieri debeat ab homine viatore in hac vita existente.

3 Secundò, vt opus fiat ab homine viatore in hac vita existente. Ratio est, tum quia sicut post hanc vitam non possumus mereri, ita neque satisfacere, Ioannis 9. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Ad Corinthios 5. *Vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit,* &c. Ad Galatas, *Dum tempus habemus operemur bonum; tempore enim suo metemus*; tum quia animæ in Purgatorio existentes citò satisfacerent pro maximis pœnis, cùm frequentissimè, & cum magno feruore charitatis, & contritionis actus eliciant, vt benè tradit Coninchus *loco statim citando, dub. 11. n. 47.* Emanuel Sà *verb. Indulgentia, ad finē.* [Filliucius *loco cit. n. 9.*] & alij communiter.

4 An opus satisfactorium voluntariè præstandū sit.

4 Tertiò, vt opus voluntariè fiat, seu sustineatur; ob id enim satisfactio differt à satispassione. Quamobrem qui casus, & infortunia aliunde prouenientia voluntariè non acceptat in satisfactionem, aut illa non refert ad Deum, non dicitur condignè satisfacere. Ita Doctores citati.

5 Quodnā opus satisfactorium voluntariè præstandū sit.

5 Quartò, vt opus sit bonum saltem ratione intentionis, siue sit opus internum, siue externum; opus enim, nisi bonum sit, Deo non placet; consequenter non habet vim reconciliandi nos Deo, & obtinendi remissionem pœnæ. Ita [Suarez *disp. 37. sect. 3.* Filliucius *tract. 8. cap. 1. num. 11.*] Coninchus *num. 27.* & alij communiter.

6 An operans debeat esse in gratia, vt opus satisfactorium ex opere operantis prosit alteri.

6 Quintò, vt opus satisfactorium ex opere operantis factum ab aliquo in persona propria prosit alteri ad satisfactionem, requiritur, vt operans sit in gratia. Ita S. Thom. *in 4. dist. 14. quæst. 5. artic. 3.* Nugnus *in additionibus quæst. 20. art. 3. difficultate 5.* Caietanus *tom. 1. opusculorum, tractatu 5. quæst. 2.* [Filliucius *num 4.*] S. Antoninus, & alij apud Suarez *disp. 48. sect. 7. num. 3.* apud Coninchum *disp. 10. dub. 4. num. 23.* Ratio est, tum quia existens in peccato mortali est indignus remissione tam culpæ, quàm pœnæ; consequenter est impotens ad obtinendam alteri remissionem pœnæ, seu ad satisfaciendum pro altero: tum quia opus factū in statu peccati nihil prodest apud Deum, 1. Corinthiorum 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; tum quia sic apertè colligitur ex Tridentino *sess. 14. cap. 8.* Ita Suarez *disp. 48. sect. 7. num. 3.* Coninchus *de pœnitentia, loc. cit.* & alij Doctores citati.

ex opere operantis prosit alteri ad satisfactionem.

Vtrùm verò opera bona facta in statu peccati aliqua ratione prosint, constat ex dictis *de pœnitentia.* [Sicut etiam ex dicendis *de gratia* constabit, vtrùm opera nostra sint satisfactoria de condigno, & quid ad ipsa requiratur.]

Dixi, *opus satisfactorium ex opere operantis*, quia si loquamur de opere satisfactorio ex operato, dicendum est prodesse aliis, etiamsi offerens sit improbus, & non existat in gratia; valor enim illius suffragij, cùm non dependeat à bonitate & probitate offerentis, non potest impediri per ipsius improbitatem. Propterea supradictum est Indulgentias prodesse defunctis, etiamsi qui facit opus pro consecutione Indulgentiarum in suffragium mortuorum, sit in statu peccati mortalis.

Dixi, *factum ab aliquo in persona propria*; nam si loquamur de suffragio nomine Ecclesiæ facto ab improbo, dicendum est prodesse; ideò sacrificium oblatū ab improbo sacerdote habet suum fructum, non solùm si consideretur vt sacrificium; verùm etiam si consideretur secundùm preces, quatenus offeruntur à sacerdote in persona Ecclesiæ. Hoc item valet in suffragiis publicis, quæ fiunt à ministris, Ecclesiæ nomine. Ratio est, tum quia malitia ministri non nocet operi boni actoris; tum quia sicut si Rex petat aliquid per nuntium, dignitas petitionis pendenda est ex dignitate petentis, non ex dignitate nuntij; ita dignitas orationis consideranda est secundùm dignitatem Ecclesiæ, cuius nomine offertur; non iuxta dignitatem improbi ministri. Ita Nauarrus *de oratione, cap. 19. concl. 4. num. 59.* Graffius *lib. 2. cap. 10. numer. 10.* Sotus *dist. 45. quæst. 2. art. 1.* S. Thom. *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 1.* Nugnus *in additionibus quæst. 20. art. 4. diffic. 5. pag. 443.* contra Suarez *disp. 48. sect. 8.*

7 Quandonam aliquis censeatur orare nomine Ecclesiæ.

7 Sed modò dubium est primò, quandonam aliquis censeatur orare nomine Ecclesiæ.

Respondeo tunc censeri orare nomine Ecclesiæ, quando preces, & orationes institutas ab Ecclesia recitat vt minister deputatus ad hoc ex præcepto, vel ordinatione. Si verò eas recitat, non vt minister ab Ecclesia deputatus, non dicitur orare nomine Ecclesiæ.

8 An opus quod ab vno mandatur, & ab altero adimpletur, sit satisfactorium, dum vterque, vel alter eorum existit in peccato mortali.

8 Secundò dubium est, vtrùm vnum, & idem opus, quod ab vno mandatur, & ab altero adimpletur, sit satisfactorium, dum vterque, vel alter eorum existit in peccato mortali.

Respondeo non prodesse ad satisfactionem, si vterque existat in peccato mortali, dum opus præstatur; nam existens in peccato mortali indignus est remissione pœnæ: imò est dignus æterna pœna. Quando verò vterque est in gratia, opus prodest ad satisfactionem, vt patet ex dictis.

9 An opus valeat, & prosit, si præcipiens sit in gratia, exequens verò sit in peccato mortali.

9 Dubium est tertiò, vtrùm opus adhuc valeat, & prosit, si præcipiens sit in gratia, exequens verò, seu adimplens opus sit in peccato mortali.

Respondeo affirmatiuè, modò exequens non sit causa proxima illius operis. Ratio est, quia opus est satisfactorium, quatenus prouenit à principali agente; si ergo præcipiens, qui est agens principale, sit in gratia, opus valet & prodest ad satisfactionem; & hoc verum esse puto, quamuis præcipiens incidat in peccatum mortale, postquam opus fieri mandauit, modò esset in gratia, quando præcepit opus. Ratio est, tum quia opus est satisfactorium, quatenus prouenit à principali agente, sed à principali agente prouenit, quatenus voluit, & præcepit illud fieri; igitur opus valet, etiamsi præcipiens postea incidat in peccatum, modò esset in gratia, dum voluit, & præcepit opus fieri.

Dixi, *modò exequens non sit causa proxima, & principalis illius operis.* nam si exequens sit causa principalis operis, opus ab eo præstitum in peccato mortali non videtur prodesse. Quod vt intelligatur:

10 Quot modis fieri possint opera, quæ per alium præstantur.

10 Notandum est, opera, quæ per alium fiunt, duobus modis fieri posse. Primò fieri possunt per alium tamquam per instrumentum. Secundò tamquam per causam propriam & proximam illorum operum; quando fiunt per alium tamquam per instrumentum, sunt satisfactoria, quamuis ille, qui ea facit, sit in peccato mortali; nam principaliter fiunt à præcipiente existente in gratia, vt si dominus in gratia existens præcipiat per seruum, vel famulum, vel etiam per amicū fieri eleemosynam suo nomine; quando verò fiunt per alium tamquam per causam propriam, & proximam, non sunt satisfactoria; si ille, qui ea facit, existat in peccato mortali. Quamobrem si Prælatus præcipiat subdito improbo ieiunare, vel orare in satisfactionem aliorum, voluntas Prælati est quidem accepta Deo, sed ipsum opus ieiunij, vel orationis non est satisfactorium; nam ieiunium, & oratio est actus meræ personalis, cuius causa propria, & proxima est ieiunans, vel orans, quem supponimus existere in peccato mortali. Ita colligo ex Soto *dist. 45. quæst. 2. art. 1. concl. 6.* Suarez *de Indulgentiis, disput. 52. sect. 7. num. 2.* & aliis Doctoribus citatis.

11 An qui ex iniuncta pœnitentia, seu alio titulo tenetur suffragium applicare defuncto, debeat iterum opus præstare, si semel cum peccato præstitit.

11 Quartò dubium est, vtrùm qui ex iniuncta pœnitentia, aut alia de causa tenetur defuncto suffragium offerre, obligandus sit ad illud iterum præstandum, si semel illud in peccato mortali præstitit.

Aliqui respondent negatiuè, quia videtur adimplere substantiam præcepti, & obligationis. Ita Emanuel Sà *verb. Indulgentia, num. 2.* & alij, quos in simili retuli *de sacrificio Missæ, & de satisfactione.*

Sed hoc mihi ita generaliter loquendo non probatur, quoties tenetur suffragium applicare in persona propria; non enim videtur adimplere substantiam præcepti, cum opus præstitum in peccato mortali nomine proprio non sit satisfactorium, vt patet ex supradictis. Secus si loquamur de suffragio, quod habet vim ex opere ope-

operato, aut quod offertur nomine Ecclesiæ, vt diximus de Sacrificio Missæ, & de satisfactione sacramentali. Ex quo patet, quid dicendum sit de illis Sacerdotibus, qui ad anniuersaria, & officia mortuorum conducuntur, illaque persoluunt, dum in statu peccati mortalis existunt, videntur enim satisfacere, cum illa Ecclesiæ nomine persoluere videantur.

PVNCTVM III.

Quænam requirantur ex parte eius, cui suffragia offeruntur.

VNICA PROPOSITIO.

1 Quotnã conditiones requirantur ex parte eius, cui suffragia offeruntur.

1 EX parte illius, cui suffragium offertur, tres saltem conditiones requiruntur.

2 An is cui suffragium offertur, suffragio indigere debeat.

2 Prima conditio est, vt indigeat suffragio, alioquin sequeretur suffragia prodesse Beatis, quod non est dicendum; cum ipsi non indigeant suffragio, vt in simili ostendi de sacrificio Missæ.

3 An prosit aliquando suffragium applicatũ non indigenti.

3 Addo suffragia, quæ applicantur alicui tunc temporis quo non indiget, illi non prodesse non solùm pro eo tempore, verùm neque pro tempore subsequenti: non enim pro subsequenti, quo illis indigebit; cùm non constet huiusmodi suffragia à Deo acceptari pro subsequenti; sicut neque acceptatur à Deo satisfactio præstita à iusto pro se ipso, si tunc temporis, quo illam præstitit, non indigebat satisfactione; quomodo enim potest aliquis soluere debitum, quod nondum contraxit? vt patet à simili ex supradictis *de Indulgentiis.*

4 An Deus huiusmodi suffragium acceptet pro futuro tempore.

4. Addo consentaneum esse rationi, & naturæ rerum, vt Deus non acceptet huiusmodi suffragia, non solùm pro tunc, cùm viator non indigeat; verùm neque pro futuro tempore, ne detur aliquibus occasio peccandi, credentibus se liberos fore à pœna, si peccent, quamuis nouam satisfactionem non exhibeant. Ita Suarez *disput.* 48. *sect.* 7. *num.* 5. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 20. *punct.* 5. *in princip.* & alij.

5 An is cui suffragium applicatur debeat esse in gratia.

5 Secunda conditio est, vt sint in gratia. Hæc conditio patet, tum ex dictis *de Indulgentiis, punct.* 1. Tum quia qui non existit in gratia, non censetur membrum vnius corporis vnitum per charitatem, consequenter non potest recipere influxum ab altero membro, cui non est coniunctum: tum quia existens in peccato mortali, quamdiu perseuerat in eo statu, dignus est æterna pœna; ergo non potest pœnæ remissionem obtinere per suffragia. Ita Suarez *disp.* 48. *sect.* 7. *numer.* 3. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 20. *punct.* 5. *in princip.* Nugnus *loc. cit difficultate* 5. & alij, quos in simili retuli *de Indulgentiis.*

6 An satisfactiones applicatæ existenti in peccato mortali, conuertantur in vtilitatem offerentis, si iis indigeat.

6 Hinc colligitur primò, inquit Graffius *loco cit. num.* 14. cum Soto, satisfactionem, & opera, quæ fiunt ab aliquo in satisfactionem alterius existentis in peccato mortali, vel non indigentis illa satisfactione, conuerti in vtilitatem ipsius offerentis, si indigeat, iuxta illud Psalmi 34. *Oratio mea in sinum meum conuertetur*; aut aggregari thesauro Ecclesiæ, vt dictum est *de Indulgentiis.* Idem tenet Medina *loco statim citando.* Coninchus *num.* 56. Suarez, & alij.

7 An suffragia prosint damnatis, aut pueris mortuis cum solo originali.

7 Secundò suffragia non prodesse damnatis in inferno existentibus, aut pueris decedentibus cum solo originali. Ita Bellarminus *lib.* 2. *de Purgatorio, cap.* 18. Coninchus *de pœnitentia, disp.* 11. *dub.* 8. *num.* 61. Ratio est, quia non sunt in gratia. Imò Sotus *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 2. aduertit eum grauiter peccare, qui orat pro mortuis damnatis, sciens ipsos damnatos esse; peruertit enim ordinem Ecclesiæ, & facit contra finem, & honorem suffragiorum, quæ non debent indigno subiecto applicari. Excusari tamen consueuerunt, qui pro mortuis offerunt suffragia, cùm nesciant illos, quibus applicant suffragia, constitutos esse in statu damnationis.

8 An suffragia prosint Beatis quoad satisfactionẽ.

8 Tertiò colligi potest suffragia non prodesse Beatis quoad satisfactionem; quia non indigent satisfactione, prosunt tamen, quatenus in ipsis coluntur & honorantur, & ad gaudium quoddam accidentale, vt dictum est de sacrificio Missæ. Ita Coninchus *dub.* 8. *numer.* 60. Nugnus *difficultate* 3. *versicul. Tertium fundamentum*, & alij Doctores citati.

9 An suffragium applicatũ existenti in peccato, prosit remisso peccato.

9 Quartò suffragium applicatum existenti in peccato, illi non prodesse remisso postea peccato. Ita Graffius *n.* 14. & Suarez *loco cit. n.* 4. [Filliucius *tract.* 8. *cap.* 1. *quæst.* 3. *num.* 6.] & alij, quos in simili retuli *de Indulgentiis.* Ratio est, tum quia vna ex conditionibus requisitis in eo, cui ofteruntur suffragia, est, vt existat in gratia; hic autem non existebat in gratia, quando suffragium fuit applicatum; tum quia non potest afferri ratio sufficiens ad ostendendum prodesse, vt in simili diximus de operibus mortuis priuatiuè, aut remanere in acceptatione Dei, ita vt postea prosint sublato peccato.

10 An peccata, pro quibus exhibetur satisfactio, debeant esse deleta quoad culpam.

10 Tertia conditio est, vt peccata, pro quibus exhibetur satisfactio, iam sint deleta quoad culpam.

Ex quo fit, vt satisfactio exhibita ab homine iusto pro se, habente peccatum veniale, vel pro alio habente item culpas veniales nondum remissas, non prosit pro venialibus nondum remissis. Ratio est, quia non remittitur pœna, antequam culpa remittatur, cùm manente culpa semper remaneat dignitas, & obligatio ad pœnam. [Ita Suarez *sect.* 2. Filliucius *num.* 5. Coninchus *loco proximè citando.*]

Addo nec prodesse pro futuro tempore, quia non constat huiusmodi suffragia acceptari à Deo pro futuro tempore. Ita ferè communiter DD. teste Conincho *disp.* 10. *de pœnitentia, dub.* 6. *num.* 41. prodest verò pro peccatis iam deletis quoad culpam; nam adsunt omnes conditiones iam recensitæ, vt suppono.

11 An necesse sit, vt ille pro quo satisfactio exhibetur, acceptet satisfactionem, & cognoscat eam pro se exhiberi.

11 Quæres, vtrum necesse sit, vt ille, pro quo satisfactio exhibetur, acceptet satisfactionem, & cognoscat eam pro se exhiberi.

Respondeo negatiuè, vt patet à simili ex dictis de Indulgentiis. Ratio est, tum quia, cùm iste passiuè se habeat, non potest afferri ratio sufficiens ad ostendendum requiri formalem aliquam voluntatem acceptandi satisfactionem: tum quia vsu Ecclesiæ receptum est, vt offerantur suffragia pro amicis absentibus, & ignorantibus sibi suffragia offerri. Ita Suarez *disp.* 38 *sect.* 7. *n.* 7. & alij contra nonnullos alios, quos in simili retuli *de Indulgentiis.*

Ex dictis in hoc puncto constat, tres conditiones in eo requiri, cui suffragium offertur. Prima est Indigentia. Secunda status gratiæ. Tertia remissio culpæ, pro qua exhibetur satisfactio. Et hæc de Suffragiis.

DISPVTATIO VII.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

QVÆSTIO VNICA.

SAcramentum Extremæ Vnctionis hoc nomine appellatur, tum quia est vltima vnctio, quam homo viator recipit. Primam enim recipit in Baptismo, secundam in confirmatione, tertiam in collatione ordinis sacerdotalis, quartam, & vltimam in Sacramento Extremæ Vnctionis: tum quia hoc sacramentum confertur homini existenti in extremis. Ita Magister *in* 4. *dist.* 23. Sotus *ibidem*, *quæst.* 1. *art.* 3. & alij communiter.

In huius Sacramenti explicatione hoc ordine procedam.

Primò quæram an detur, & quid sit sacramentum Extremæ Vnctionis.

Secundò quænam sit huius sacramenti materia.

Tertiò quænam sit forma.

Quartò quis sit minister.

Quintò quodnam sit subiectum.

Sextò quinam sint effectus.

PVNCTVM I.

De existentia, institutione, & definitione istius Sacramenti.

QVatuor breuiter quæram in hoc puncto.

Primò an detur sacramentum Extremæ Vnctionis.

Secundò à quo sit institutum.

Tertiò quandonam sit institutum.

Quartò quid sit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An detur Sacramentum Extremæ Vnctionis.

1 CErtum est dari sacramentum Extremæ Vnctionis, vt de fide constat, tum ex Tridentino *sess.* 13. *can.* 1. [ex Florentino *in decreto Eugenij.*] Tum ex *Iacobi* 5. vbi dicitur, *Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei.* Ex quo loco sic licet argumentari: Per Extremam Vnctionem remittuntur peccata: nam *Iacobi* 5. dicitur, *& si in peccatis sit, remittentur*; ergo Extrema Vnctio est sacramentum, cùm proprium sit sacramenti remittere peccata; ergo datur sacramentum Extremæ Vnctionis. Ita S. Thomas 3. *part. quæst.* 29. *art.* 1. Suarez *tom.* 4. *disp.* 39. Valentia *tom.* 4. *disp.* 8. *quæst.* 2. Coninchus *tom.* 2. *disp.* 19. Reginaldus *lib.* 28. *num.* 43. & deinceps. Rodriquez *quæstionum regularium tom.* 3. *quæst.* 79. *art.* 1. Bellarminus *tom.* 3. *de Sacramento Extremæ Vnctionis lib. vnic. cap.* 2. 3. 4. 5. & 6. Franciscus Pitigianus *dist.* 23. *quæst. vnic. artic.* 1. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 7. Acta Ecclesiæ Mediolanensis 4. *part. de Sacramento Extremæ Vnctionis, in princip. pag. mihi* 540. *primæ impressionis.* & Coninchus *tom.* 2. *disp.* 19. *dub.* 1. [Filliucius *tract.* 3. *cap.* 4. *quæs.* 2.]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Sacramẽtum Extremæ Vnctionis à quo fuerit institutum.

2 SAcramentum Extremæ Vnctionis fuit à Christo institutum, sicut enim Christus auctor fuit ceterorum Sacramentorum, vt constat ex Tridentino *sess.* 7. *can.* 1. & ex dictis *de Sacramentis in genere*, ita etiam auctor, & institutor fuit sacramenti Extremæ Vnctionis. Ita communiter Doctores, teste Francisco Pitigiano *loco cit. art.* 2. & aliis Doctoribus præallegatis contra Magistrum *in* 4. *dist.* 23. & alios asserentes hoc sacramentum fuisse ab Apostolis institutum.

TERTIA PROPOSITIO.

3 Quandonam institutum fuerit.

3 SAcramentum Extremæ Vnctionis insinuatum fuit *Marc.* 6. Sed non constat quandonam fuerit institutum. In hac propositione non conueniunt omnes Doctores: nam aliqui putant hoc sacramentum institutum fuisse *Marci* 6. quando Christus Apostolos misit, vt vngerent oleo infirmos, & sanarent. Suarez verò *tom.* 4. *disp.* 39. *sect.* 1. cum Soto, & aliis existimat *Marci* 6. fuisse insinuatum, vt etiam asserit Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. Quando verò institutum fuerit non constat, nec Euangelistæ meminerunt: nam Euangelistæ solliciti præsertim fuerunt in iis percensendis, quæ ad salutis necessitatem pertinent, & ad Ecclesiæ dispositionem; hoc autem sacramentum non est necessarium ad salutem, sicut neque necessaria est confirmatio, constat tamen Extremam Vnctionem perpetua Ecclesiæ traditione, & vsu apud Græcos, & Latinos esse sacramentum à Christo institutum, vt bene tradit Bellarminus *loco cit. cap.* 2. Henriquez *cap.* 7. *nu.* 4. [Suarez *sect.* 7.] & alij, quos retuli *propositione* 1.

QVARTA PROPOSITIO.

4 Quid sit Sacramentum Extremæ Vnctionis.

4 SAcramentum Extremæ Vnctionis est signum rei sacræ, quo aliquæ partes corporis infirmi vnguntur oleo benedicto sub præscripta verborum forma, iuxta Christi institutionem ad salutem animæ, & corporis. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 1. *art.* 1. Nauarrus *in summa cap.* 22. *num.* 12. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 3. §. 88. [Suarez *sect.* 4. Filliucius *num.* 68.] & alij Doctores citati. Hæc definitio satis constat ex dictis *de Sacramentis in genere.*

Dicitur enim *signum rei sacræ* loco generis, in quo Extrema Vnctio conuenit cum reliquis Sacramentis.

Dicitur, *quo aliquæ partes corporis*, &c. loco differentiæ, cùm per

per has particulas Extrema Vnctio differat à ceteris sacramentis, vt patebit ex dicendis in sequentibus punctis.

PVNCTVM II.

Quænam sit materia Sacramenti Extremæ Vnctionis.

1 Quotuplex sit materia Sacramentorum.

1 MAteria Sacramentorum duplex est, remota, & proxima. Priùs agemus de remota, deinde de proxima.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Quænam sit materia remota Extremę Vnctionis.

2 MAteria remota sacramenti Extremæ Vnctionis est oleum ex oliuis expressum. Ratio est, quia illa est materia huius sacramenti, quam Christus instituit. Christus autem pro materia remota huius sacramenti instituit oleum oliuarum, vt patet ex *Iacobi* 5. vbi dicitur, *vngentes oleo*; oleum autem oliuarum est propriè oleum, & cetera sunt impropriè olea. Ita communiter Doctores.

3 An oleũ oliuarum non benedictum sit materia huius Sacramenti.

3 Obserua tamen oleum oliuarum non esse materiam huius sacramenti, nisi sit benedictum, vt constat, tum ex traditione Apostolorum: tum ex Florentino in instructione Armenorum, vbi dicitur materiam huius sacramenti esse oleum oliuarum benedictum ab Episcopo. Ita sentire videtur S. Thomas *in 4. distinct. 23. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 3.* Sotus *ibidem.* [Suarez *tom. 4. disp. 40. num. 3.* Filliucius *tract. 3. cap. 4. quæs. 6.* & alij communiter. Qui obseruant oleum benedicendum esse ab Episcopo, vt patet ex rationibus allatis. Quamquam probabile videtur Sacerdotem simplicem posse de consensu summi Pontificis consecrare oleum, & Chrisma, vt ait Caietan. 3. *part. quæst. 72. artic. 3.* & alij apud Henriquez *lib. 3. cap. 8. numer. 2.* & apud Bartholomæum ab Angelo *dialogo 3. §. 98.* & apud Coninchum *loc. cit. dub. 2. num. 6.*

4 An oleũ benedictũ ab Episcopo alia benedictione quam consueta sit materia sufficiens.

4 Sed modò dubium est primò, vtrùm oleum oliuarum sit materia sufficiens huius sacramenti, si benedictum sit ab Episcopo alia benedictione, quam benedictione consueta Ecclesiæ.

Respondeo affirmatiuè: nam vnctus hoc oleo verè dicetur vnctus oleo benedicto ab Episcopo, iuxta doctrinam Florentini, nec Christus præscripsit formam, iuxta quam facienda sit benedictio olei.

5 An valeat Sacramentum, si per errorem adhibeatur aliud oleũ benedictũ ab Episcopo.

5 Hinc fortè aliquis posset inferre validum esse Sacramentum Extremæ Vnctionis, si aliud oleum per errorẽ adhibeatur præter oleum infirmorum, modò benedictum sit ab Episcopo.

Sed contrarium in praxi tutius est, vt patet ex Actis Ecclesiæ Mediolanensis 4. *par. citata, versic. si per errorem, pagina* 542. Ratio est, quia tale oleum non est materia huius sacramenti, cùm careat benedictione ordinata ad hoc sacramentum: nam materia huius sacramenti est oleum benedictum ab Episcopo per ordinem ad hoc Sacramentum, vt habetur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *loco cit.* 4. *part. pag.* 542. *vers. si per errorem.* Idem docet Naldus *n.* 4. & idem sentire videtur Didacus Nugnus 3. *part. quæst. 29. artic. 6.* Reginaldus *lib. 28. cap. 9. num. 50.* Bellarminus *loc. cit. cap. 7.* Pitigianus *loc. cit. artic. 3. vers. Debet.*

6 An necesse sit vt oleum fuerit eo anno benedictum.

6 Secundò dubium est, vtrùm ad validitatem Sacramenti necesse sit, vt oleum fuerit eo anno benedictum.

Respondeo negatiuè, nullo enim iure constat hoc requiri ad validitatem sacramenti. Ex consuetudine tamen, & ex præcepto debet esse benedictum eo anno, *cap. litteris, de consecr. dist 3.* Nec parochus videtur à peccato excusandus, si oleum alterius anni adhibeat, nisi aliud suadeat necessitas. Ita Posseuinus *numer. 1.* & alij, [quos in simili supra retuli *de Sacramento Confirmationis disp. 3. punct. 3. num. 3.*]

7 An oleũ sit materia sufficiens, si alius liquor illi admisceatur.

7 Tertiò dubium est, vtrum oleum oliuarum sit materia sufficiens huius sacramenti, si admisceatur illi alius liquor.

Respondeo iuxta dicta de sacramentis in genere, de Baptismo, & de Eucharistia esse materiam sufficientem, si admixtio sit modica: nam oleum non exuit naturam propriam per modicam admixtionem alterius liquoris. Ita Pitigianus *loc. cit. art. 3.* S. Thomas 4. *sententiarum dist. 23. quæst. 1. art. 3.* Sotus *ibidem.* Nauarrus *cap. 22. numer. 13.* Naldus *num. 4.* Henriquez *cap. 8. num. 2.* Victorellus *de Extrema Vnctione.* Posseuinus *cap. 9. num. 2.* & alij Doctores citati. Quibus etiam adhæret Bartholomæus Ab Angelo *dialogo 3. §. 92 & 101.*

8 An parochus oleum cõsecratum cum non consecrato licitè miscere possit.

8 Addo parochum posse licitè oleum non consecratum miscere consecrato, quando timet fore, vt oleum consecratum non sufficiat, vtrumque enim censetur consecratum per admixtionem, modò quod additur sit minoris quantitatis consecrato: nam extrema olei non consecrati ita iunguntur, & permiscẽtur cum extremis olei consecrati, vt simul vtrumque censeatur consecratum, melius tamen est addere consecratum, si olei consecrati copia possit haberi. Ita Posseuinus *cap. 9. num. 2.* & alij. Hinc patet quid dicendum sit de aqua benedicta, cui admiscetur alia non benedicta.

Quid verò sentiendum sit de vino consecrato, cui admiscetur non consecratum, constat ex dictis *de Eucharistia.*

SECVNDA PROPOSITIO.

9 Quænam sit materia proxima Extremæ Vnctionis.

9 MAteria proxima Extremæ Vnctionis est vnctio. Hæc propositio patet tum ex Iacobi 5. *Vngentes oleo*; tum a simili ex dictis *de Baptism. punct. 3. propositione 2.* tum quia sacramenta, quæ consistunt in vsu habent pro materia proxima actionem. Ita Coninchus *disp. 19. dub. 2. nu. 3.* Pitigianus, & alij DD. præcit.

Non est tamen necesse necessitate sacramenti Vnctiones fieri in formam crucis, cùm hoc nulla sufficienti ratione probetur. Ita Syluester *verb. Vnctio. §. 2.* Tabiena, & Ledesma, quos citat, & sequitur Henriquez *lib. 7. cap. 8. numer. 2. in commentario littera M.* Posseuinus *num. 5.* & alij.

[Dixi, *ex necessitate Sacramenti*: nam si loquamur de necessitate præcepti, perspicuum est vnctiones faciendas esse in formam crucis. Ita Syluester *verb. Vnctio. nu. 2.* & alij. Multi tamen Doctores negant peccatum mortale committi ab eo, qui extremam vnctionem confert prætermisso crucis signo: tum quia non constat de præcepto sub mortali obligante: tum quia materia grauis non videtur. Ita Suarez *tom. 4. disp. 40. sect. 2. num. 3.* Filliucius *tract. 3. cap. 4. quæs. 8. n. 75.*]

PVNCTVM III.

Quænam sit forma Sacramenti Extremæ Vnctionis.

VNICA PROPOSITIO.

1 Quænam sit forma Sacramenti Extremæ vnctionis.

1 FOrma huius Sacramenti sunt hæc verba, quæ proferuntur à Sacerdote, *Per istam sanctam Vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum. Amen.* Sic habetur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis 4. *part. de Sacramento Extremæ Vnctionis, pag. 541. versic. forma verò.*

Hæc eadem forma adhibetur in Vnctionibus aliorum sensuum expresso nomine singulorum sensuum, id est, per auditum, quando inunguntur aures, per odoratum, quando inunguntur nares, per oris vitium, quando inungitur os, per tactum, quando vnguntur manus, sicut etiam dicitur per incessum, quando inunguntur pedes, & per ardorem libidinis, quando inunguntur renes.

2 An inuocatio Sanctissimæ Trinitatis sit de essentia huius Sacramenti.

2 Hinc colligi potest, inuocationem Sanctissimæ Trinitatis non esse de essentia istius formæ, tum quia non continetur in verbis formæ: tum quia nulla est specialis necessitas inuocandi Sanctissimam Trinitatem, cùm hoc sacramentum non sit professio fidei, sicut est Baptismus: tum quia nulla specialis ratio cogit ad asserendum inuocationem Sanctissimæ Trinitatis necessariam esse, cùm hæc ratio non colligatur ex Conciliis, aut ex Rituali, aut ex communi consuetudine. Ita Pitigianus *loco citato, artic. 4. ad finem.* Coninchus *disp. 19. dub. 4. num. 15. versic. obserua.* [Filliucius *nu. 86.*] & alij apud Bartholomæum ab Angelo *dialogo 3. §. 106.*

3 Cur forma huius Sacramenti fiat modo deprecatiuo.

3 Si quæras qua de causa forma Extremæ Vnctionis fiat modo deprecatiuo.

Respondeo rationem esse, tum quia infirmus eget deprecatione aliorum, vt ait S. Thomas *in 4. distinct. 23. quæst. 1. art. 4. quæstiuncula 2.* Sotus *ibid.* Bartholomæus ab Angelo *loc. cit. §. 104.* Philiarcus *tom. 1. lib. 12. cap. 12.* Henriquez *c. 8. n. 3.* Bellarminus *loc. cit. cap. 7. vers. Tertiò nota, pag. mihi 1162.* Pitigianus *dist. 23. quæst. vnic. art. 4. vers. Quod autem sit congruentior.* Acta Ecclesiæ Mediol. 4. *par. citata, vers. forma adhibetur, pag. 542.* Tum quia infirmus transit ex foro Ecclesiæ ad forum diuinæ maiestatis, cui per hoc sacramentum cõmendatur: tum quia Christus ita instituit Iacobi 5. *Inducat Presbyteros, & orent super eum.*

Ex quo deducitur inualidum esse sacramentum administratum forma indicatiua. Ita communiter DD. Quamuis Suarez *tom. 4. disp. 40. sect. 3.* Sotus *loco cit.* [Filliucius *tr. 3. c 4. quæs. 10. nu. 81.*] & alij apud Bartholomæum ab Angelo §. 108. asserunt hanc formam sufficere, *Vngo te oleo sancto, vt Deus tibi remittat quidquid deliquisti per visũ.* &c. Ratio est, quia verbo indicatiuo adiungitur sufficiens deprecatio.

Sed hoc mihi non probatur, nam modus iste loquendi non videtur continere formam deprecatiuam versus Deum, vt benè aduertit Nugnus *loco cit. art. 8.*

4 An omnia verba sint de essentia huius Sacramenti.

4 Vtrum verò omnia verba sint de essentia huius sacramenti, satis constat ex dictis de sacramentis in genere, vnde illa verba, *per sanctam & piissimam*, non videntur de essentia, cùm sensus verborum sit completus, & subsistat illis omissis, vt bene ait Coninchus *loco citato*, Reginaldus *loco cit. nu. 50.* vbi etiam ostendunt illa verba, *per visum, auditum*, &c. non esse de substantia formæ, nullo enim iure colligitur, hæc verba adeò necessaria esse, vt illis prætermissis non subsistat Sacramentum, cùm per alia verba satis indicetur remitti peccata originem trahentia a quolibet sensu. Verùm in praxi nulla ratione recedendum est a communi forma.

5 Quomodo se gerere debeat Sacerdos in proferenda forma in extrema necessitate.

5 Addit Victorellus *de Extrema vnctione §. de singulis vnctionibus*, cum Suarez *tom. 4. disp. 41. sect. 2.* quos sequitur Posseuinus *numer. 19.* [Filliucius *tract. 3. numer. 129.*] Parochum, quando periculum est in mora, posse inuncta singulorum sensuum vnica parte vnicam formam proferre complectentem plures partiales formas. Quamobrem poterit Sacerdos, dum vngit aurem, nares, oculum, & os, dicere: Per istam sanctam Vnctionem, & suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti. Hæc opinio non videtur improbabilis, sed in praxi non est facile recedendum a communi vsu, & consuetudine, nisi aliter postulet, & cogat euidens necessitas, qua posita Sacramentum poterit sub conditione administrari, vt patet ex dictis *de Sacramentis in genere, & de Baptismo.*

PVNCTVM IV.

Quisnam sit minister huius Sacramenti.

VNICA PROPOSITIO.

1 Quis sit proprius minister sacramenti Extremæ vnctionis.

1 PRoprius minister huius sacramenti est solus Sacerdos. Hæc propositio patet tum ex Tridentino *sess. 14. cap. 3. de Extrema vnctione*; tum ex illis verbis Iacobi, *inducat Presbyteros*, id est, aliquem ex Presbyteris.

Nomine *Presbyteri* in nouo testamento significatur Sacerdos, vt ostendit Chrysostomus *lib. 3. de Sacerdotio q. 2.* & alij, quos citat, & sequitur Valentia *loco supra citato*, Suarez *disp. 43. sect. 1. nu. 5.* Bellarminus *tom. 3. de Extrema vnctione, cap. 9. in principio.* Pitigianus *loco cit. art. 7.* Coninchus *disp. 19. dub. 9.* Syluester *verb. Vnctio extrema, nu. 4.* Angelus *eodem verbo num. 3.* Tabiena *eodem verbo num. 6.* [Filliucius *tract. 3. cap. 5. quæs. 1.* Molfesius *num. 32.*] & alij communiter.

2 An hoc sacramentum administratum a Diacono, vel Subdiacono validum sit.

2 Hinc sequitur primò, sacramentum Extremæ vnctionis administratum a Diacono vel Subdiacono esse inualidum, etiamsi administretur de licentia Episcopi, vel Papæ, nam Christus pro ministro huius sacramenti instituit sacerdotem, & non alium: Summus autem Pontifex non dispensat in iis quæ sunt de iure diuino. Ita Didacus Nugnus *loco citat. quæst. 2. artic. 1.* & alij cum S. Thoma 3. *parte quæst. 31. art. 2.*

Neque obstat, quòd aliqui præter Sacerdotes legantur inunxisse, nam illorum Vnctio non fuit sacramentalis.

3 An quilibet Sacerdos possit hoc Sacramentum validè administrare.

3 Secundò, quemlibet sacerdotem posse validè administrare hoc sacramentum, nam in verbis Iacobi nulla fit exceptio, sed absolutè dicitur, *Inducat Presbyteros*, &c. Ita DD. citati.

Ex quo patet validum esse sacramentum Extremæ vnctionis, si conferatur à Sacerdote excommunicato, vel degradato, vt patet à simili ex dictis *de Baptismo*, [*de confirmatione*,] *& Eucharistia*. idemque tradit Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 3. §. 153.

4 An quilibet Sacerdos licitè possit hoc Sacramentum administrare.

4 Obserua tamen, non quemlibet Sacerdotem posse licitè administrare hoc sacramentum, nisi habeat iurisdictionem, & ab Ecclesia non impediatur. Quamobrem Sacerdos excommunicatus, vel degradatus grauiter peccat administrando, vt patet ex dictis *de censuris*, quia impeditur administrare. Ita Henriquez *lib.* 3. *cap.* 13. Bartholomæus ab Angelo *loco citato* §. 150. & alij DD. cit.

5 Quinam prohibeantur hoc Sacramentum extra necessitatem administrare.

5 Præterea qui non est proprius Sacerdos, vel Parochus, aut qui facultatem non habet à proprio Parocho, grauiter peccat administrando hoc Sacramentum, quia nullus mittere debet falcem in messem alienam, sibique alienam iurisdictionem vsurpare, vt à simili patet ex dictis *de Baptismo, & Eucharistia*. Ita Syluester *verb. Vnctio Extrema num.* 4. Armilla *eodem verbo num.* 4. Tabiena *eodem verbo nu.* 6. Sotus *in* 4. *distinct.* 23. *q.* 2. *artic.* 1. Coninchus *dubio* 9. *numer.* 28. Idem habetur in actis Ecclesiæ Mediolanensis 4. *parte citata*, *titulo de Sacramento Extremæ vnctionis*, *versicul. Atqui*.

6 Quam pœnam incurrant Religiosi exemoti administrantes hoc Sacramentum sine licentia.

6 Addo, Religiosos licet exemptos, qui sine Parochi licentia, vel sine priuilegio Sedis Apostolicæ administrant sacramentum extremæ Vnctionis, incidere in excommunicationem, *Clementina* 1. *de priuilegiis*, vt benè ostendit Suarez *tom.* 5. *de censuris disput.* 22. *sect.* 4. Nauarrus *in summa lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 101. Reginaldus *lib.* 18. *numer.* 40. Henriquez *in summa lib.* 3. *c.* 13. *num.* 4. & alij. Hæc tamen excommunicatio non incurritur à Religiosis, administrantibus cum ratihabitione Parochi, vel quando infirmus est in mortis articulo, quia tunc præsumitur adesse consensus, & licentia Episcopi, vel Summi Pontificis, cum non sit credibile Ecclesiam velle priuare infirmum tanto sacramento, qno potest ex attrito fieri contritus, & consequenter saluari. Ita Valentia *tom.* 4. *disput.* 8. *quæst.* 1. *punct.* 2. Reginaldus *lib.* 18. *numer.* 408. *& lib.* 28. *num.* 61. Suarez *tom.* 4. *disput.* 44. *sect.* 2. *num.* 3. *& tom.* 5. *de censuris disp.* 22. *sect.* 4. Nauarrus *cap.* 17. *numer.* 101. Sotus *loco citato*. Henriquez *loc. citato*. & alij apud Didacum Nugnum *quæst.* 31. *art.* 3. & apud Bartholomæum ab Angelo *dialogo* 3. §. 149.

7 An plures Sacerdotes possint eodem tempore vrgente necessitate vni, & eidē conferre Sacramentum Extremæ vnctionis.

7 Quæres primò, vtrum sacramentum Extremæ vnctionis licitè possit a pluribus Sacerdotibus conferri, ita vt vnus vngat vnam partem, & alius aliam, prolata in singulis Vnctionibus debita forma.

Respondeo, conferri posse vrgente necessitate, modò vnusquisque vngat independenter ab alio, vt diximus de Baptismo. Ratio est, tum quia hoc Sacramentum non necessariò requirit vnitatem ministri, cum habeat plures partiales materias, & formas, quarum singulæ habent suam partialem significationem per ordinem ad suum effectum, quamuis à pluribus proferantur: tum quia sicut sacramentum Corporis, & sanguinis Christi potest confici à duobus sacerdotibus, quando peracta consecratione corporis moritur primus sacerdos, ita potest confici sacramentum Extremæ Vnctionis.

Dixi *vrgente necessitate*, nam extra necessitatem non potest hoc sacramentum à pluribus sacerdotibus administari absque peccato mortali, alioquin fieret contra vsum, & ptaxim Ecclesiæ in re graui.

Neque obstat locus Iacobi dicentis, *Inducat Presbyteros*, sensus enim est, inducat Presbyteros, id est, aliquem ex Presbyteris, vt vsus Ecclesiæ indicat, & patet à simili ex illo *Matthæi* 27. vbi dicitur latrones improperasse Christum, id est, vnum ex latronibus, constat enim duos tantummodò latrones cum Christo fuisse crucifixos, & vnum tantum improperasse, vt patet *Lucæ* 23. Vide Suarez *disput.* 43. *sect.* 1. Reginaldum *lib.* 28. *num.* 62. Henriquez *lib.* 3. *cap.* 13. Emanuelem Sa *verb. Extrema Vnctio numer.* 10. Coninchum *dub.* 9. Didacum Nugnum *q.* 31. *artic.* 3. Posseuinum *num.* 8. Pitigianum *dist.* 23. *quæst. vnica*, *art.* 3. *vers. quoad caput tertium*. Naldum *verb. Extrema Vnctio num.* 6. Valentiam *loco citato*, [Filliucium *loco cit. quæ.* 3.] & Bartholomæum ab Angelo *dialogo* 3. §. 153.

8 An vnus possit vngere, & alter formā proferre.

8 Ex dictis patet primò, vnum sacerdotem posse vrgente necessitate vnam partem vngere, & alium aliam, modò sacerdos, qui vngit, simul etiam proferat formam tali vnctioni debitam, non enim potest vnus sacerdos vngere, & alter formam proferre, vt patet tum à simili ex dictis *de Baptismo*; tum ex verbis Iacobi, *orent super eum vngentes*, ex quibus patet eumdem sacerdotem debere vngere, & orare, id est, formam proferre. Ita communiter Doctores ex Didaco Nugno *loco citato*.

9 An alius Sacerdos debeat perficere Sacramentum inchoatum si primus morte præoccupetur.

9 Secundò, si Parochus morte, aut morbo, aliove impedimento corripiatur, dum vngit, ita vt nequeat sacramentum inchoatum perficere, reliquas partes inungendas esse ab alio sacerdote præsente; aut aliunde vocato, partes verò vnctas non esse iterum vngendas. Ita Acta Mediolanensis Ecclesiæ *tom.* 1. *part.* 4. *de Sacramento Vnctionis*, *pag.* 542. *vers. si ager*. Posseuinus *numer.* 8. S. Thomas *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 1. *art.* 1. *quæstiuncula* 2. *ad* 3. Sotus *ibidem*, [Filliucius *num.* 134. Molfesius *num.* 54.] & alij.

10 An Sacerdos incurrat irregularitatem, si moriatur infirmus dum reuoluitur ad Vnctionem impendendā.

10 Quæres secundò, vtrum sacerdos incurrat irregularitatem, si ægrotus ex hac vita decedat, dum sacerdos curat illum reuolui ad vnctionem impendendam.

Respondeo negatiuè cum Soto 5. *de iustitia quæst.* 1. *art.* 9. *circa medium*. Posseuino *cap.* 9. *numer.* 17. & aliis quos in simili retuli de irregularitate. Ratio est, tum quia nullum est delictum: tum quia hæc irregularitas non est in iure expressa, irregularitas autem non incurritur nisi sit in iure expressa.

PVNCTVM V.

Quodnam sit subiectum huius Sacramenti, & quænam partes vngendæ sint in collatione istius Sacramenti.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quodnā sit subiectū Extremæ Vnctionis.

1 SVbiectum Extremæ vnctionis sunt soli fideles de vita periclitantes, qui ratione vtantur, vel certè antea vsi sint, hocque Sacramentum recipere optauerint. Ratio est, tum quia sic habetur in Concilio Florentino in instructione Armenorum: tum quia, cùm hoc sacramentum sit extremum, & vltimum remedium, quod adhibetur à fidelibus, consentaneum est, vt non adhibeatur, nisi extremè laborantibus, qui videantur ex hac vita migraturi. Ita S. Thomas *distinct.* 23. *quæst.* 2. *art.* 2. [Catechismus Pij V.] Sotus *ibidem*, Syluester *verb. Extrema vnctio num.* 5. S. Antoninus 3. *parte titulo* 14. *cap.* 15. §. 6. Bartholomæus ab Angelo §. 129. *dialogo* 3. Coninchus *disp.* 19. *dubio* 7. Posseuinus *cap.* 9. *num.* 4. Bellarminus *ca.* 9. Pitigianus *loco citato art.* 5. Zerola *in praxi de Sacramento pœnitentiæ cap.* 15. *quæsito* 7. *vers. Dico secundò*, Suarez [*tom.* 4. *disput.* 42. *sect.* 1. Filliucius *tract.* 3. *cap.* 5. *quæ.* 6. *num.* 101. Molfesius *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 35.] & alij *locis citatis*.

Ratio verò, cur hoc sacramentum conferri debeat iis, qui ratione vtuntur, vel antea vsi sunt, est, tum quia alioquin falsa redderetur forma, in qua dicitur, *Quidquid deliquisti*, constat enim eos, qui numquam habuerunt rationis vsum, non deliquisse: tum quia, qui nondum vsi sunt ratione, quales sunt infantes, & perpetuò amentes, non sunt capaces sacramenti pœnitentiæ; ergo neque sunt capaces Extremæ vnctionis, quæ est sacramentum consummatiuum sacramenti pœnitentiæ, vt patet ex Trid. *sess.* 14 *in principio*. Illis verò, qui ante lapsum in amentiam, vel phrenesim desiderauerunt hoc sacramentum, conferri potest, etiamsi tempore amentiæ videantur contradicere, modò non speretur conualescentia, aut non sit periculum irreuerentiæ, aut modò ante phrenesim non essent in peccato notorio, nam existentes in peccato notorio, & postea incidentes in phrenesim, si nullum dederunt doloris signum, non sunt sufficienter dispositi ad hoc sacramentum recipiendum, quia sacramenta non sunt administranda indignis. Ita Suarez *loco citato num.* 8. Posseuinus *num.* 4. Pitigianus *art.* 5. *versic. Dico nonò*. [Filliucius *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 135.] Acta Mediolanensis Ecclesiæ *parte* 4. *citata*, *titulo*, *quibus ministratur*, quidquid dicat Henriquez *cap.* 11.

2 An phreneticus hoc Sacramentum recipere possit.

2 Hinc sequitur primò, laborantes phrenesi posse recipere sacramentum Extremæ Vnctionis cum fructu, si ante phrenesim optauerunt hoc sacramentum, modò præmiserint saltem actum attritionis, nam sacramentum operatur suum effectum, si recipiatur sine obice, sed phreneticus, qui ante phrenesim habuit actum attritionis, dicitur recipere sacramentum sine obice, vt patet ex dictis de sacramentis in genere; ergo recipit sacramentum cum fructu, consequenter obtinet remissionem peccatorum. Vbi

Notandum est, non eamdem dispositionem sufficere ad recipiendum sacramentum Extremæ Vnctionis cum fructu, quando recipitur ab eo qui est compos rationis, ac quando recipitur ab eo, qui non vtitur ratione, nam in primo casu non sufficit attritio, si recipiens sacramentum aduertat se habere conscientiam peccati mortalis, alioquin ponit obicem ad gratiam; in secundò verò casu sufficiat attritio, vt patet ex dictis de sacramentis in genere. Ita Henriquez *lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 2. *& cap.* 11. *n.* 9. Didacus Nugnus *quæst.* 32. *art.* 3. *ad finem*. & alij, quos retuli *de Sacramentis in genere*. quidquid in contrarium sentiant Posseuinus *num.* 2. [Filliucius *num.* 132.] & alij.

3 An hoc Sacramentum possit conferri iis, qui optarunt.

3 Secundò sequitur, hoc sacramentum posse conferri illis, qui hoc sacramentum optarunt, id est, habuerunt intentionem illud suscipiendi saltem interpretatiuam, qualem habent qui Christianè vixerunt, vel qui dederunt signa contritionis, vel qui semel habuerunt intentionem suscipiendi hoc sacramentum, illamque non retractarunt, vel qui sunt dispositi ad hoc sacramentum suscipiendum. Quilibet autem præsumitur esse dispositus, nisi constet oppositum, quia nullus præsumitur malus, nisi probetur. Ita Suarez *disput.* 42. *sect.* 1. *n.* 6. Nauarrus *cap.* 22. *num.* 13. Reginaldus *loco citato*. Henriquez *lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 3. *& lib.* 3. *c.* 13. *n.* 1. Pitigianus *art.* 5. Bellarminus *loco citato cap.* 9. *ad finem*, & alij apud Nugnum *quæst.* 32. *artic.* 3.

4 Quibus conferendum sit Sacramentū Extremæ Vnctionis.

4 Tertiò sequitur hoc sacramentum non esse conferendum iis, qui non laborant infirmitate, licet in magno vitæ periculo versentur, vt patet ex rationibus in propositione allatis, & ex verbis Iacobi, *Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros*. Ita Henriquez *lib.* 3. *cap.* 11. Bellarminus *loco citato*. Pitigianus *loco citato art.* 5. *ad finem*. Suarez, & alij DD. communiter.

Ex quo patet, hoc sacramentum non esse conferendum gerentibus bellum, aut existentibus in mari, cum periculo mortis, aut damnatis ad mortem per supplicium à iudice, aut mulieribus in partu existentibus, quia non laborant infirmitate corporali. Secus dicendum est, quoties isti ex morbo in periculo mortis versantur, ex actis Mediolanen. Ecclesiæ *parte* 4. *citata*, *titulo*, *Quibus ministratur*, & aliis DD. citatis.

5 An valeat hoc Sacramentum, si cōferatur sano.

5 Quartò sequitur, sacramentum Extremæ Vnctionis inualidum esse, si conferatur sano, vt colligitur ex verbis *Iacobi* 4. & ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. Sicut etiam probabilius videtur, inualidum esse si conferatur infirmo nondum existenti in periculo mortis, nam hoc sacramentum confertur ægrotis de vita periclitantibus, & ob id appellatur vltimum remedium, quamuis contrarium sentiat Coninchus *disp.* 19. *dubio* 7. *num.* 25.

6 An hoc Sacramentum conferri possit tam adolescentibus, quam senibus.

6 Quintò sequitur, hoc sacramentum conferri posse non solùm adolescentibus post vsum rationis ægrotantibus, verum etiam senibus, qui senectute conficiuntur absque alia infirmitate, nam senectus ipsa est morbus: præterea conferri posse omnibus morti propinquis ob morbum, ob pestem, ob tactum viperæ, ob morbum ex partu prouenientē (quamuis partus præcisè non sufficiat) ob vulnus, & ob rabidum morsum: caueat tamē sacerdos, ne rabidi hominis spu-

tum,

tum, seu saliuam attingat, nam inficit attingentem. Ita Suarez *loco citato sect.* 2. Naldus *verb. Extrema vnctio num.* 4. Posseuinus *num.* 4. & 22. acta Mediolanensis Ecclesiæ 4. *parte citata* §. *Quibus ministratur.* Sylvester *verb. Extrema vnctio num.* 5. Armilla *eodem verbo nu.* 6. Tabiena *eodem verbo nu.* 5. & alij apud Bartholomæum ab Angelo *dialogo* 3. §. 137. & 138. Idem dic de periculosè vulneratis. Ita DD. cit.

7 An expectandum sit extremum vitæ periculum.

7 Addo non esse expectandum extremum vitæ periculum, aut tempus, quo infirmus sensu prorsus careat, aut quo omnino eius sit desperata salus, sed hoc Sacramentum administrandum esse si fieri potest quando infirmus adhuc rationis vsu gaudet, vt se magis ad fructum Sacramenti recipiendum disponat, & sit capax alacritatis, quæ conferri solet in hoc Sacramento. Ita Henriquez *lib.* 3. *cap.* 11. *numer.* 3. Catechismus Romanus *cap.* 8. Sotus *dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 4. Coninchus *disp.* 19. *dub.* 7. *num.* 24. Posseuinus *cap.* 9. *nu.* 5. Naldus *verb. Extrema vnctio num.* 1. acta Mediolanensis Ecclesiæ *parte* 4. *citata pag.* 542. *versic. vt autem in tempore.* [Filliucius *tract.* 3. *n.* 107.] & alij apud Henriquez *loco citato in commentario litteræ* E.

8 Quomodo se gerere debeat Parochus, si dum vngit, infirmus moriatur.

8 Obserua tamen primò, si infirmus, dum vngitur, ex hac vita decedat, Parochum debere ab vnctionibus desistere, nam sacramenta conferuntur viatoribus, vt habetur in actis Mediolanensis Ecclesiæ *loco citat. colum.* 2. *vers. si æger.* & patet ex dictis *de Sacramentis in genere.* Idem docet Sylvester *verb. Extrema vnctio num* 5. Armilla *eodem verbo num.* 7. Tabiena *eodem verbo numer.* 8. S. Antoninus 3. *parte tit.* 14. *cap.* 15. §. 6. & alij communiter.

9 Quomodo se gerere debeat Parochus, si dubiret infirmum mortuum esse.

9 Obserua secundò, hoc sacramentum, quando administratur infirmo, de quo dubitatur, an sit mortuus, administrandum esse sub conditione, si adhuc viuit, ne sacramentum conferatur subiecto incapaci, vt ait Emanuel Sà *verb. Extrema vnctio numer.* 15. Posseuinus *num.* 19. Suarez, & alij, quos in simili retuli *de Sacramentis in genere,* & *de Baptismo.*

Ex quo licet inferre, Sacerdotem in tali euentu non peccare sacramentum administrando sub conditione, adest enim necessitas administrandi sub conditione, & fieri potest, vt infirmus ex attrito fiat contritus, si adhuc viuit. Ita Suarez *disp.* 42. *sect.* 1. Henriquez *loc. citato cap.* 12. Posseuinus *numer.* 19. acta Mediolanensis Ecclesiæ *loc. citat. vers. ministrabit,* & alij.

10 An peccet infirmus non suscipiendo Sacramentum Extremæ vnctionis.

10 Quæres primò, vtrùm peccet mortaliter ægrotus non suscipiendo Sacramentum Extremæ vnctionis.

Respondeo per se loquendo non peccare mortaliter. Ratio est, quia nullum extat præceptum obligans sub mortali ad hoc sacramentum suscipiendum, per accidens tamen fieri potest, vt omittendo peccet mortaliter, vt si omittat cum scandalo aliorum, vel contemptu paruipendendo Sacramentum Extremæ vnctionis, vt per se patet. Ita Suarez *lib.* 4. *disp.* 44. *sect.* 1. Henriquez *lib.* 3. *cap.* 10. *numer.* 3. Nugnus *quæst.* 33. *art.* 2. *difficultate* 1. Emanuel Sà *num.* 5. Coninchus *tom.* 2. *disp.* 19. *dub.* 10. *num.* 30. [Molfesius *num.* 33. Filliucius *nu.* 112.] Posseuinus, & alij, [contra Sotum, & alios.]

11 An peccet mortaliter, qui hoc Sacramentum omittit ex negligentia.

11 Hinc sequitur eum, qui omittit tantummodò ex negligentia, non peccare mortaliter.

12 An Parochus teneatur hoc Sacramentum conferre.

12 Vtrùm verò Parochus teneatur hoc Sacramentum conferre, constat ex supradictis, vbi diximus teneri, cùm illi ex officio incumbat consulere saluti suorum subditorum. Ita præter DD. ibi citatos Coninchus *loco citato, num.* 31. [Suarez *tom.* 4. *d.* 44. *sect.* 2. *numer.* 1. Filliucius *tract.* 3. *cap.* 5. *quæs.* 4. *num.* 96. & patet à simili ex dictis de confirmatione.]

13 An hoc Sacramentum dandum sit illi, qui nũquam actualiter peccauit.

13 Quæres secundò, vtrùm infirmo, qui numquam actualiter peccauit, possit hoc Sacramentum cõferri, si fortè detur casus, vt aliquis numquam actualiter peccauerit.

Respondet Didacus Nugnus *quæst.* 32. *art.* 2. non posse, vt patet ex forma sacramenti, in qua dicitur, *Quidquid deliquisti per visum,* quæ verba significant actuale peccatum.

Sed mihi probabilius videtur cum Henriquez *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 4. & *cap.* 11. *num.* 8. Suarez *loco citat. num.* 5. Pitigiano *dist.* 13. *quæst. vnica art.* 5. *vers. his tamen non obstantibus.* Coninchо *disp.* 19. *dub.* 7. *num.* 23. [Filliucio *tract.* 3. *num.* 108.] conferri posse. Ratio est, tum quia infirmus adhuc capax est effectus istius sacramenti: tum quia *Iacobi* 5. dicitur, *si in peccatis sit, dimittentur ei*; ergo Apostolus supponit, hoc sacramentum posse conferri cuicumque infirmo, & non opus esse vt actualiter peccauerit, sed peccata suscipientis remitti, si in peccatis existat.

14 An hoc Sacramentum conferri possit adulto, qui statim post susceptum Baptismũ incidit in morbum lethalem.

14 Hinc colligi potest solutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm hoc sacramentum conferri possit adulto, qui statim post susceptum Baptismum incidit in morbum lethalem.

Respondetur enim conferri posse saltem sub conditione, quamuis nullum peccatum commiserit post susceptum Baptismum, nam est capax effectus huius sacramenti, & forma verificatur saltem sub conditione, si deliquit. Ita Henriquez *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 3. Sylvester *verb. Extrema vnctio, in fine.* Naldus *verb. Extrema vnctio num.* 9. Posseuinus *num.* 4. Lopez, & alij apud Didacum *q.* 32. *articul.* 4. apud Bartholomæum ab Angelo *dialogo* 3. §. 139. contra ipsum Didacum Nugnum *loco citato.*

Hac occasione agendum esset de dispositionibus requisitis in eo, qui susceperus est hoc sacramentum, verum quia de hac re sufficienter egimus in præcedentibus, ab explicatione in particulari supersedebo.

15 An sit peccatum mortale conferre Sacramentum Extremæ Vnctionis ante Sacramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ.

15 Hic solùm supereſt dubium, vtrùm sit peccatum mortale conferre sacramentum Extremæ vnctionis infirmo, antequam susceperit sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ.

Respondeo negatiuè. Ratio est, tum quia infirmus potest per contritionem se disponere ad suscipiendum hoc sacramentum: tum quia aliquando fieri potest, vt quis recipere possit Extremam vnctionem, non verò pœnitentiam, vel Eucharistiam, vt quando aliquis patitur vomitum, aut ita repente morbo præuenitur, vt non dederit signa sacramenti pœnitentiæ; per se tamen seruanda est praxis, & consuetudo, ita vt recipiatur sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, antequam recipiatur sacramentum Extremæ vnctionis. Vnde quando infirmus ita morbo præuenitur, vt non supersit tempus ad suscipiendam pœnitentiã, Eucharistiam, & extremam vnctionem, danda est opera suscipiendæ pœnitentiæ, & postea Eucharistiæ, nam præceptum suscipiendæ pœnitentiæ, & Eucharistiæ obligat in articulo mortis, vt constat ex supradictis. Vnctio verò, per se loquendo, danda est infirmo post viaticum, quoties infirmus potest viaticum recipere, & post absolutionem sacramentalem. Ita Suarez *tom.* 4. *disp.* 44. *sect.* 1. Acta Mediolanensis Ecclesiæ *parte* 4. *de Sacramento Extremæ vnctionis* §. *quæ præparatio.* Bellarminus *cap.* 9. *citato ad finem.* Posseuinus *num.* 10. Emanuel Sà *verb. Extrema vnctio num.* 3. Henriquez *cap.* 10. *ad finem.* S. Antoninus 3. *parte titulo* 14. *cap.* 15. §. 6. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 3. §. 126. & alij. Sed hinc gradum faciamus ad secundam propositionem, in qua explicandum proposuimus quænam partes vngendæ sint.

SECVNDA PROPOSITIO.

16 Quænã partes de necessitate huius Sacramenti inungendæ sint.

16 DE necessitate & essentia huius sacramenti est, vt inungantur quinque sensus corporis, oculi scilicet, aures, os, & manus, repetita ad singulos forma. Ita Valentia *tom.* 4. *disp.* 8. *q.* 2. *punct.* 2. Coninchus *disp.* 19. *dub.* 3. *num* 11. Didacus Nugnus 3. *parte q.* 32. *artic.* 6. Suarez *tom.* 4. *disp.* 41. *sect.* 2. Victorellus *de Extrema vnctione.* Henriquez *lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 1. Posseuinus *numer.* 15. Bellarminus *loco citato cap.* 10. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 3. §. 110. [Filliucius *tract.* 3. *num.* 110.] & alij contra nonnullos alios, quos tacito nomine refert Bellarminus, arbitrantes sufficere quouis in loco ægrotus vngatur: nos verò asserimus omnes quinque sensus vngendos esse. Quamobrem si aliquis ex quinque sensibus non inungatur, inualidum est sacramentum, nec confertur gratia. Ratio est, quia sacramentum Extremæ vnctionis institutum est non solùm ad remittenda peccata mortalia, quæ trahunt originem ab vno sensu, sed etiam ad remittenda alia quæ originem ducunt ab aliis sensibus; cùm autem peccata quæ trahunt originem ab vno sensu, non remittantur, nisi etiam remittantur alia omnia, (nam peccata mortalia remittuntur per gratiam, quæ est incompossibilis omnibus peccatis mortalibus, vt dictum est de pœnitentia:) sequitur vngendos esse quinque sensus, & sacramentum non sortiri effectum, nec conferre gratiam non inunctis quinque sensibus, alioquin sequeretur vnum peccatum mortale, quod trahit originem ab vno sensu, posse remitti sine alio, quod trahit originem ab alio sensu.

Obiicies. Si necessaria esset vnctio omnium quinque sensuum, sequeretur eum, qui vno caret corporis membro, in quo viget aliquis sensus, non posse recipere sacramentum Extremæ vnctionis, cum non possit in ea parte vngi, sed hoc non videtur admittendum; ergo non videtur necessaria vnctio omnium quinque sensuum.

Respondeo, quando aliquis caret vno membro corporis, exempli gratia, aure, &c. vngendam esse partem magis propinquam, vt ait S. Thomas *in* 4. *dist.* 23. *art.* 3. *q.* 3. Naldus *verb. Extrema vnctio numer.* 8. Sotus *in* 4. *dist.* 23. *q.* 2. *art.* 3. Pitigianus *artic.* 6. *dub.* 5. Sylvester *verb. Extrema vnctio num.* 6. Angelus *eodem verbo num.* 5. & alij apud Bartholomæum ab Angelo *dialogo* 3. §. 112. Ratio est, tum quia amputatus aliquo membro est capax huius sacramenti, eoque indiget; ergo facienda est vnctio in partibus propinquis illi membro, quo infirmus caret, tum quia licet exterius non peccauerit in ea parte, fieri tamen potest, vt peccauerit per potentias illi membro respondentes, cùm fortè aliquando voluerit loqui, aut videre, aut audire contra regulam rationis; ergo indiget sacramento in ea parte. Idem habetur in actis Ecclesiæ Mediolanensis 4. *part. citata pagin.* 541. & *pag.* 543. *vers. Cæcis, surdis.*

Ob id aduertit Emanuel Sà *verb. Extrema vnctio num.* 3. Naldus *loco citato.* & alij, cæcum vngendum esse in oculis, quia concupiscentia solet originem ducere ab oculis, & quamuis cæcus numquam malè vsus sit oculis, cùm illis orbatus sit, tamen fieri potest, vt peccauerit per internam potentiam illi respondentem.

17 Cur nõ vngatur totum corpus.

17 Quæres primò cur istæ partes vngantur, & non totum corpus. Respondeo rationem esse, quia hoc sacramentum applicatur per modum medicinæ corporalis; sicut autem medicina corporalis non applicatur toti corpori, sed iis tantum partibus, ex quibus morbus suam trahit originem, ita hoc sacramentum, quod est medicina quædam spiritualis, applicari debet illis partibus, à quibus spiritualis infirmitas dependet, vt benè ait S. Thom. 3. *parte quæst.* 32. *artic.* 5. acta Mediolanensis Ecclesiæ *titulo de Sacramento Extremæ vnctionis* §. *ceremonia, & ritus, versic. Præterea corporis partes.* [Catechismus Pij. V. *eod. tit.*] & alij communiter.

Neque obstat dicere non omnia peccata committi per sensus exteriores, sed aliqua interius perpetrari.

Respondetur enim omnia peccata originem trahere à sensu, quia cùm nullum peccatum committatur sine aduertẽtia, & cogitatione, & cogitatio dependeat à sensu, iuxta illud commune axioma Philosophorum, nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu, sequitur omnia peccata originem trahere a sensu, & cõsequenter quinque sensus esse inungendos. [Suar. *disp.* 41. *sect.* 2. *n.* 14.]

18 An Vnctio in renibus, & pedibus adhibenda sit.

18 Quæres secundò, vtrum vnctio in renibus, vel pedibus adhibenda sit.

Respondeo adhiberi, vel prætermitti posse iuxta loci consuetudinem. Ratio est, quia possunt inungi quinque sensus corporis, etiamsi non vngantur renes, & pedes: imò vnctio in renibus, vel vmbilico semper omittenda est in feminis propter decentiam, & honestatem. Ita Posseuinus *n.* 15. Pitigianus *art.* 6. *dub.* 2. Suarez *loc. cit. artic.* 2. Bellarminus *cap.* 10. *ad finem.* [Filliucius *num.* 76. Molfesius *num.* 28.] & alij contra nonnullos alios.

Ex quo licet inferre vnctionem renum, & pedum non esse de necessitate sacramenti, sicut est vnctio quinque sensuum. Sic habetur in actis Mediolanensis Ecclesiæ *loco citato pag.* 541. Idem tenet Valentia, Posseuinus, Sotus, Emanuel Sà, [Suarez,] & alij *locis citatis.*

Neque obstat Concilium Florentinum, in quo præter sensus dicitur vngendos esse pedes, & renes, nam Florentinum intendit asserere omnes has partes vngendas esse, non de necessitate, sed iuxta cuiusque loci consuetudinem. Ita Sotus *in 4. dist. 23. q. vltima, art. vltimo.* Naldus *loco citato num. 3.* Henriquez *lib. 3. cap. 12. nu. 2.* [Suarez, Filliucius, & alij *locis citatis*]

19 An necesse sit vngere palmam Sacerdotis.

19 Quæres tertiò, vtrùm necesse sit vngere palmam Sacerdotis.

Respondeo Sacerdotes non vngi in palma, sed in superiori versa parte, quia semel in palma fuerunt inuncti in susceptione sacerdotalis Ordinis. Vide Suarez *loco citato sect. 2. & 3.* Possevinum *n. 15.* Acta Mediolanensis Ecclesiæ *loc. cit.* & alios DD. citatos.

20 An seruandus sit aliquis ordo in vngendis quinque sensibus.

20 Quæres quartò, vtrùm necesse sit aliquem ordinem seruare in vngendis quinque sensibus.

Respondeo cum Suarez *loco citato sect. 2. num. 9.* Emanuele Sà *n. 12.* Pitigiano *art. 6. dubio 3.* Posseuino *num. 14.* [Filliucio *n. 79.*] ordinem in vngendis quinque sensibus non esse necessarium necessitate Sacramenti, quia mutato ordine adhuc completa manet significatio, nec vllum peccatum remittitur sine alio.

21 An vngendum sit vtrumque organum vnius sensus.

21 Si quæras, vtrùm necessariò vngendum sit vtrumque organum vnius sensus, exempli gratia, vterque oculus, vel vtraque manus, &c.

Respondetur negatiuè, quia significatio istius Sacramenti saluatur per vnctionem vnius organi, ex præcepto tamen seruanda est locorum consuetudo, quæ vim habet legis. Ita Suarez *tom. 4. disp. 44. sect. 2.* Naldus *verb. Extrema vnctio num. 2.* Emanuel Sà *loco citato*, & alij, quorum nonnulli obseruant consuetudine receptum esse, vt in dictis organis duplex crux adhibeatur vnica forma prolata. Ita Posseuinus *num. 16.* & alij.

PVNCTVM VI.

De effectu Sacramenti Extremæ vnctionis.

TRia principaliter quæram in hoc puncto.

Primò quinam sit effectus Sacramenti Extremæ vnctionis.

Secundò quandonam conferatur.

Tertiò vtrùm hoc Sacramentum iterari possit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quinam, & quotuplices sint effectus Extremæ vnctionis.

1 EFfectus huius Sacramenti est gratia habitualis, quæ habet adiuncta specialia auxilia ad expellendas habitudines, & procliuitates ad malum, ad delenda venialia, & ad conferendam sanitatem, quatenus expedierit. Quapropter & Bellarminus *loco citato cap. 8.* S. Thomas *in 4. dist. 23. quæst. 1. artic. 2. quæstiuncula 1. & 2.* Sotus *ibidem.* Coninchus *disput. 19. dubio 5.* Henriquez *lib. 3. cap. 9.* Pitigianus *articul. 8.* Acta Mediolanensis Ecclesiæ *4. parte, pag. 541.* [Catechismus Pij V. Suarez *tom. 4. disp. 4.* Filliuc. *tract. 3. c. 6.*] aliique DD. statim citandi asserunt effectum huius Sacramenti triplicem esse.

Primus est abstergere reliquias peccatorum, id est, expellere habitudines, & procliuitates ad malum.

Secundus est subleuare infirmum à corporali ægritudine, & sanitatem conferre, si animæ saluti expedierit, vt aiunt communiter Doctores cum S. Thoma *3. parte quæst. 30. art. 2.* & Soto *loco cit.* & constat ex testimonio Iacobi iis verbis, *Alleuiabit eum Dominus*, & hunc effectum habet Extrema vnctio ex sua natura, licet non semper sequatur, vt docet Bartholomæus ab Angelo §. 127. [Suarez *disput. 41. sect. 4.* Filliucius *tract. 3. cap. 5. quæs. 6. numer. 131.* Molfesius *tract. 4. ca. 3. numero 24.*]

Tertius effectus est gratia non solùm sanctificans, verùm etiam delens peccata venialia, & habens adnexum auxilium contra tentationes, & Dæmonis incursus, qui eo præsertim tempore solent esse vehementes. Vide Pitigianum *loco supra cit.* Suarez *disp. 41. sect. 1.* Didacum Nugnum *q. 30. art. 1.* Valentiam *3. part. disput. 8. q. 1. punct. 3.* [& Filliucium *cap. 6. cit.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quo tempore Extrema vnctio suum conferat effectum.

2 SAcramentum Extremæ vnctionis impendit suum effectum in vltima vnctione virtute omnium præcedentium. Ita Emanuel Sà *loc. cit. n. 6.* Azorius *cap. 19. folio mihi 1252. columna 1. littera A.* Suarez *loco citato*, [*sect. 2. num. 12.* Filliucius *tract. 3. n. 126.*] Pitigianus *artic. 6. dub. 4.* Sotus *in 4. d. 23. quæst. 1. artic. 1.* Bartholomæus ab Angelo §. 116. Coninchus *disp. 19. dub. 6.* & alij contra Medinam, Adrianum & alios apud Henriquez *lib. 3. cap. 12. n. 3.* apud Pitigianum *art. 6. dub. 4.* [& apud Suarez, existimantes producere partialem effectum in singulis vnctionibus, & contra Molfesium *nu. 29.* existimantem producere in prima vnctione. Sed ratio nostra est, tum quia proprium est Sacramentorum consistentium in vsu, vt vnicam gratiam producant in eo instanti, in quo perficiuntur, vt patet ex dictis *de Sacramentis in genere.*] tum quia peccatum vnius sensus non remittitur sine peccato alterius, & omnes vnctiones institutæ sunt ad eumdem effectum completum, & ordinantur ad vnam integram totius hominis vnctionem.

3 In quanam vnctione infirmus recipiat gratiam.

3 Ex quo sequitur infirmum solùm in vltima Vnctione consequi effectum, nam effectus non impenditur, nisi adsit significatio remissionis peccatorum: significatio autem remissionis peccatorum non completur in prima, vel in secunda, sed in vltima vnctione; ergo effectus impenditur in vltima vnctione, & hoc verum est à fortiori, si infirmus non tollat obicem, nisi in vltima vnctione, vt per se patet, & ita docet Sotus *loco citato*, Bartholomæus ab Angelo §. 118. & alij Doctores citati.

TERTIA PROPOSITIO.

4 An Sacramentũ Extremæ vnctionis iterari possit.

4 SAcramentum Extremæ vnctionis iterari potest. Ita S. Thomas *3. parte q. 33.* Suarez *disput. 40. sect. 4.* Emanuel Sà *loco citato nu. 4.* & alij Doctores statim citandi. Ratio est, quia Sacramentum extremæ vnctionis non imprimit characterem, sicut imprimit Baptismus, Confirmatio, & Ordo: Sacramenta autem, quæ non imprimunt characterem, iterari possunt. Quamobrem Sacramentum Extremæ vnctionis, quamuis in eadem infirmitate, seu in eodem statu infirmitatis iterari non posit, cùm semel susceptа sit medicina sufficiens ad conferendum effectum, quo infirmus indiget, nihilominus, si status infirmitatis mutetur, potest iterari. Itaque si existẽs in periculo mortis percepit Extremam vnctionem, deinde per aliquos dies euasit mortis periculum, vt si per mensem conualuit à mortis periculo, potest iterum recipere hoc Sacramentum, si incidat in graue periculum mortis, vt bene ait S. Thomas *in 4. dist. 18. q. 1. artic. 3. quæstiunc. 2. ad quartum.* Syluester *verb. Extrema vnctio num. 4.* Tabiena *eodem verbo num. 9.* Armilla *eodem verbo num. 9.* Suarez *loco citato.* Philiarchus *loco citato ad finem.* Reginaldus *loco citato num. 49.* Nugnus *quæst. 33. art. 2.* Henriquez *cap. 19. num. 4.* Acta Mediolanensis Ecclesiæ 4. *parte citata, titulo, Quoties hoc Sacramento vtendum.* Sotus *dist. 13. q. 2. art. 3. conclusione 3.* Coninchus *disp. 19. dub. 8.* Posseuinus *c. 9. num. 18.* & alij. Ratio est, quia nihil obstat, quominus iterari possit, cùm Sacramentum sit iterabile, & subiectum sit huius Sacramenti capax.

5 Quo ritu, & ceremoniis administrari debeat extrema vnctio, remissiuè.

5 Circa ritus, & ceremonias, quibus cum administrandum est hoc Sacramentum, & deferenda est Extrema vnctio ad infirmum, standum est Rituali, consuetudini, & legibus Episcoporum.

6 An Parochus debeat habere ministrum, qui respõdeat.

6 Obserua tamen primò, non opus esse, vt Parochus, dum Extremæ vnctionis Sacramentum administrat, adhibeat alium ministrum respondentem, nisi aliter alicubi receptum sit per decreta Episcoporum, vel Sedis Apostolicæ. Ita Posseuinus *nu. 11.* & alij quamplures, quos citat, & sequitur Bartholomæus ab Angelo *dialogo 3. §. 153.*

7 An peccet Sacerdos administrando hoc Sacramentum prætermissis orationibus, quæ ab Ecclesia in ipsius administratione præscribuntur.

7 Obserua secundò, Sacerdotem peccare, quoties administrat Extremam vnctionem prætermissis orationibus, quæ in huius Sacramenti administratione præscribuntur ab Ecclesia, modò periculum non sit in mora, nam orationes necessariæ sunt ex præcepto Ecclesiæ, quod ex regulis generalibus de peccatis constat obligare præcisa necessitate,

Excipi possunt septem Psalmi Pœnitentiales, quos puto ex præcepto Ecclesiæ non esse necessarios, nisi alicubi aliter per Episcopos decernatur. Ratio est, tum quia nonnulli Sacerdotes illos sine mortalis peccati scrupulo prætermittunt: tum quia in aliquibus Ritualibus præscribitur, septem Psalmos ab astantibus, & in aliquibus à Sacerdote recitari; quod indicio est, ab Ecclesia non præscribi sub mortali.

8 An Sacerdos possit aliquando conferre hoc Sacramentum nondum recitatis orationibus.

8 Obserua tertiò, sacerdotem instante mortis articulo, posse Sacramentum Extremæ vnctionis conferre, nondum recitatis Psalmis, & orationibus, quæ ex vsu, & præscripto Ecclesiæ præmitti consueuerunt, si periculum sit in mora, nullum enim præceptũ violatur, cùm vtrumque simul præstari nequeat; supplendæ tamen erunt postea orationes prætermissæ, si administrato Sacramento, infirmus superstes maneat, seruatis ritibus in vnaquaque Ecclesia, vt à simili patet ex dictis de Baptismo. Ita Suarez *tom. 4. disput. 44. sect. 2.* Henriquez *cap. 8. ad finem, & cap. 12. ad finem.* Naldus *verb. Extrema vnctio n. 1.* Acta Mediolanensis Ecclesiæ *4. parte citata, pag. 542. columna 2.*

9 An liceat in necessitate hoc Sacramentum administrare nõ adhibitis verbis ab Ecclesia præscriptis.

9 Maius dubium est, vtrùm liceat hoc Sacramentum in necessitate administrare, non adhibitis vestibus ab Ecclesia præscriptis.

Respondeo negatiuè, vt in simili probauimus de Eucharistia. Ita Naldus, & Suarez *locis citatis*, & alij, quos in simili retuli *de Eucharistia.*

DISPVTATIO VIII.

De Sacramento Ordinis.

QVÆSTIO VNICA.

DAri Sacramentum Ordinis res certa est de fide, vt ex Florentino *in instructione Armenorum*, & ex Tridentino *sessione 23. canone 2.* docent Valentia *tom. 4. disput. 9. quæst. 1. puncto 2.* Bellarminus *tom. 3. libro vnico de Sacramento Ordinis.* Petrus Ledesma *in summa 1. parte de Sacramento Ordinis ca. 1. concl. 1.* Vasquez *disp. 235. c. 2.*

Hoc autem Sacramentum nomen Ordinis sibi vindicat, eo quòd ordinatus constituatur in certo quodam ordine dignitatis Ecclesiasticæ ad conficiendum Christi Corpus.

In explicatione Ordinis hoc ordine procedam.

Primò quæram, quid, quotuplex, & quandonam Ordo fuerit institutus.

Secundò, vtrùm singuli Ordines sint Sacramenta.

Tertiò, quænam sit materia, & forma Sacramenti Ordinis.

Quartò, quis sit minister.

Quintò, quodnam sit subiectum, & quænam conditiones in eo requirantur.

Sextò, quo tempore conferendi sint Ordines, & quos effectus pariant.

Septimò, de obligationibus Clericorum, & eorum immunitate breuiter disputabo.

PVNCTVM I.

Quid, & quotuplex sit Ordo, & quandonam fuerit institutus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sit Ordo.

1 ORdo est Sacramentum, quo specialis potestas traditur ad conficiendum corpus, & sanguinem Christi. Hæc definitio accommodari potest singulis Ordinibus, si aduertamus potestatem, quæ per Ordines confertur ad Eucharistiam, duplicem esse, mediatam scilicet, & immediatam. Potestas immediata est illa, qua directè confici potest Eucharistia, & hæc cõfertur in Ordine sacerdotali; potestas verò mediata est illa, per quã exercetur aliquod ministeriũ, quod

quod dirigitur, & ordinatur ad Eucharistiam tamquam ad finem, quod ministerium in singulis ordinibus reperiri constabit considerantì singulorum ordinum officium, & functiones.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quotuplex sit Sacramentũ Ordinis.

2 ORdines sunt septem, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Hæc propositio patet ex Tridentino *sessione.23.cap.2.* eamque sequuntur communiter Theologi, vt videri potest apud Vasquez 3. *parte tomo 3.disputat.236.* Nugnum 3.*parte quæst.37.* & 40. *num.2.* Henriquez *lib.10. cap.2.* Valentiam *tom.4. disp.9. q.1. punct.2. columna 14.* Coninchum *tom.2.disp.20.dub.2.* Reginaldum *lib.30. tract.5. num.5.* [Filliucium *tract.9.cap.1.quæs.9.num.11.*]

3 An Episcopatus sit Ordo.

3 Quæres vtrùm Episcopatus sit Ordo. Respondeo duplicem esse sententiam. Prima est Valentiæ *tom.4. disp.9. q.1. puncto 4.* Martini Fornarij *cap.1. de Ordine.* Bellarmini *loco citato tractatu de Sacramẽto Ordinis cap.5.columna mihi 1173.* Michaëlis Medinæ *lib.1.de celebratione cap.16.* Emanuelis Sà *verb. Ordo nu.7.* Coninchi *disp.20.dub.2.num.9.* Vasquez *disput.240.cap.3.* & aliorum apud Valentiam affirmantium esse ordinem. Ratio est, quia per Episcopatum confertur peculiaris potestas & character, per quem creari possunt sacerdotes.

Secunda sententia est S. Thomæ 3.*parte q.40. artic.5.* Nugni *ibidem.* Philiarchi *lib.1.cap.10.* Reginaldi *lib.30. tract.1. num.5.* [Filliucij *num.11.*] & aliorum apud Henriquez *lib.10. cap.2.* negantium Episcopatum esse Ordinem, loquendo propriè de Ordine, per quem cõfertur peculiaris potestas ad conficiendum Christi Corpus, & ad sacrificandum, seu loquendo de Ordine propriè distincto à sacerdotio. Ratio est, tum quia sequeretur esse octo Ordines, quod videtur contra communem sententiam admittentem septem tantummodo Ordines: tum quia Sacerdos habet eamdem potestatem circa sacrificiũ quam habet Episcopus, quamuis per Episcopatum conferatur peculiaris potestas, & character sacerdotalis quodammodo extendatur ad creandos Sacerdotes. Tamen character Episcopatus & character sacerdotalis propriè non dicuntur duo Ordines, sed vnus, qui dicitur extendi & perfici in Episcopatu, vnumque integrum, ac perfectum Ordinem constituit, sicut non dicuntur duo Ordines, quando Sacerdos accipit potestatem conficiendi Corpus Christi, & potestatem absoluendi à peccatis; sed prior dicitur extendi & perfici.

Hęc secunda sententia mihi probabilior videtur, & ex illius secunda ratione constat solutio ad rationem primæ sententiæ. Videte præciatos Doctores & Sayrum *de Sacramentis in genere lib.1. cap.2. quæst.3. art.5. vers. de consecratione.* Comitolum *in responsionibus moralibus parte 1.q.48.num.11.* Vasquez *loco citato, disp.240.* & Coninchum *tom.2.disp.20.num.43.*

4 An validè conferri possit Episcopatus nõ Sacerdoti, vel infanti.

4 Hinc sequitur primò, Episcopatum non posse validè conferri alicui non Sacerdoti, vel infanti, nam Episcopatus non est ordo distinctus ab ordine sacerdotali, sed illum extendit & supponit. Ita Sylvester *verb. Ordo à num.1.* Vasquez *disp.240. cap.5. num.54.* Henriquez *lib.10.cap.14.* contra Fornarium *cap.6.num.5.* Panormitanum *in cap. vnico de Clerico per saltum promoto.* Vasquez *loco citato, cap.4.* & alios asserentes Episcopatum esse Ordinem distinctum ab Ordine sacerdotali, quorum sententiam probabilem putat Toletus *lib.1.cap.71.*

5 An Archiepiscopatus, & Papatus sint Ordines.

5 Secundò, Archiepiscopatum, & Papatum non esse propriè Ordines, vt ait Sotus *in 4.dist.24.q.2.art.4.concl.2.* & patet ex rationibus secundæ sententiæ.

6 An prima tonsura sit Ordo.

6 Tertiò, primam tonsuram non est Ordinem, tum quia alioquin essent octo Ordines: tum quia per illam non datur aliqua potestas specialis ad conficiendam Eucharistiam, quamuis per ipsam homo fiat capax iurisdictionis Ecclesiasticæ, & beneficiorum: tum quia est tantummodò præambulum, seu dispositio ad Ordines, sicut nouitiatus ad Religionem. Ita communiter DD. cum S.Thom.3.*parte q.40.art.2.* Vasquez *disp.236.cap.1.nu.9.* & *disp.237. cap.2.* [Bellarmin. *lib.1.de Clericis cap.11.* Filliucio *tract.9.c.1. quæs.9.n.13.*] contra Maiorẽ *in 4.dist.24.q.1.* cuius sententiã aliqui DD. appellant temerariam; [in iure tamen lato nomine vocatur Ordo, vt docui *de irregular.*]

TERTIA PROPOSITIO.

7 Quo tẽpore institutum fuerit Sacramentum Ordinis.

7 SAcramentum Ordinis fuit institutum in vltima Cœna, Luc.22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis Christus contulit Apostolis auctoritatem sacerdotalem, eisque, ac eorum successoribus in Sacerdotio dedit præceptum conferandi, vt patet ex Trid. *sess.22. c.1.* & quamuis *Lucæ* 22. videatur tantũmodò institutus Ordo sacerdotalis, nihilominus dicendum est, etiam alios Ordines institutos fuisse, cùm ordo sacerdotalis cõtineat eminenter alios Ordines inferiores, qui ordinantur ad Ordinem sacerdotalem, illique subseruiunt. Ita Valentia *disp.9.q.1.punct.4.* Henriquez *lib.10. c.3. n.6.* Reginald. *lib.30.num.6.* [Filliucius *tract.9.cap.1.quæs.3.*] & alij.

PVNCTVM II.

Vtrùm singuli Ordines sint vera Sacramenta.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An Ordo sacerdotalis sit verè, & propriè Sacramentum.

1 ORdo sacerdotalis est verè, ac propriè Sacramentum. Hæc propositio certa est apud fideles, nam in Concil. Trident. *sess.23. cap.3.* habetur, Ordinem esse Sacramentum; cùm ergo Concilium appellet Ordinem Sacramentum, necesse est, vt hoc verificetur de omnibus Ordinibus, vel saltem de Ordine sacerdotali, qui est omnium præstantissimus. Præterea *canone* 4. habetur per sacram ordinationem conferri Spiritum sanctum, & imprimi characterem, hoc autem proprium est Sacramenti. Vide Bellarminum *libro vnico de Sacramẽto Ordinis cap.2.* Valentiam *disp.9 quæst.1. punct.4.* Vasquez *disp.239.cap.1.* & alios Doctores statim citandos.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An alij singuli Ordines sint Sacramenta.

2 NOn solùm Ordo sacerdotalis, verùm etiam alij singuli sunt Sacramenta. In hac propositione non conueniunt omnes Doctores, sed diuisi sunt in tres classes, seu sententias.

Prima est Durandi *in 4.dist.24.q.2.* asserentis, solùm Sacerdotium esse Sacramentum. Ratio est, tum quia difficilè intelligi potest, quomodo ab Ecclesia numeretur Ordo, tamquam vnum Sacramentum, si concedamus omnes esse Sacramenta: tum quia actus aliorum Ordinum exerceri possunt à non ordinatis; ergo alij Ordines non sunt Sacramenta.

Secunda sententia est Nauarri *in Manuali cap.22.num.8.* Soti *in 4. dist.24.q.1.art.4.* Vasquez *disp.237.cap.2.in principio*, & aliorum asserentium, tres Ordines maiores esse Sacramenta, minores verò esse Sacramentalia. Ratio est, tum quia tres maiores appellantur sacri ad distinctionem minorum Ordinum; ergo tres soli maiores videntur Sacramenta; tum quia si minores Ordines essent Sacramenta, sequeretur eos peccare, qui accedunt ad eos suscipiendos cum conscientia peccati mortalis, aut qui illos exercent in peccato mortali; hoc autem videtur nimis durum, & rigorosum.

Tertia sententia, cui tamquam veriori, & probabiliori adhæreo, est S. Thom. *3.parte quæst.22.art.2.* S. Bonauenturæ *in 4.dist.24.art.2.* Victoriæ *de Sacramentis quæst.226.* Bellarm. *tom.3. lib. vnico de Sacramento Ordinis cap.6.7.* & 8. Coninchi *disput.28.dub.6.* [Filliucij *tract. 9.cap.1.quæs.11.* Molfesij *tract.2.cap.1. nu.29.*] & aliorum apud Valentiam *tom.4.disp.9.q.1.punct.4.* apud Emanuelem Sà *verb. Ordo num.1.* & apud Nugn. *q.27.art.2.concluſ.1.* asserentium omnes Ordines esse Sacramenta, & conferre gratiam.

Fundamentum istius sententiæ desumi potest, tum ex Florentino, quòd postquam dixit, Ordinem esse Sacramentum, statim subdit, materiam huius Sacramenti esse rem, quæ traditur ab Episcopo, & formam esse verba, hocque non solùm applicat tribus Ordinibus maioribus, verùm etiam aliis minoribus; si ergo Ordines maiores sunt Sacramenta, in quibus reperitur materia, & forma, cur etiam minores non erunt Sacramenta, cùm in ipsis reperiatur materia, & forma? Tum ex Trident. *sess.23.cap.3.* quod postquam recensuit nomina singulorum Ordinum, absolutè dicit, Ordinem esse Sacramentum: [tum quia nulli iterantur, & per ipsos constituitur ordinatus in certo gradu Ecclesiæ circa ministerium Ecclesiæ.]

Ad primum argumentum primæ sententiæ respondeo, Ordines ab Ecclesia numerari tamquam vnum Sacramẽtum propter respectum, quem singuli Ordines dicunt ad sacerdotium, quod est præcipuum Sacramentum, dicique potest omnes Ordines simul sumptos esse vnum Sacramentum completum, & sic omnes Ordines appellari vnum Sacramentum. Ita Valent. *loc. cit.* Henriq. *lib.10. cap.4.* [Filliucius *tract.9.cap.1.quæs.9.num.15.*] & alij.

Ad secundum respondeo, posse quidem actus aliorum Ordinum exerceri à non ordinato, sed non solemniter, & quasi ex officio, cum hoc competat solis ordinatis. Ex hoc tamen non licet inferre, Ordines minores non esse Sacramenta.

Ad primum argumentum secundæ sententiæ respondeo cum eodem Nauarro *loco cit.* Martino Fornario *cap.1.num.3.* & aliis communiter, maiores Ordines appellari Sacros, non quia minores non sint Sacri, sed quia maiores Ordines habent adnexum votum castitatis, propter quod homo dicatur, & sacratur Deo magis peculiari quadam ratione, quàm sacretur per Ordines minores. Addo appellari Sacros, quia propiùs accedunt ad Eucharistiam, quæ maximum, & augustissimum Sacramentum appellatur.

Ad secundum argumentum respondeo, accedentem ad Ordines cum peccato mortali, peccare mortaliter, quia ponit obicem ad gratiam, quam conferunt singuli Ordines, cùm sint Sacramentum.

Neque hoc durum videri debet, cùm suscipiens Sacramentũ Ordinis possit se per actum contritionis disponere ad recipiendam gratiam Ordinum, non enim necessaria est confessio peccatorum in susceptione Ordinis, sed sufficit, vt Ordo suscipiatur sine conscientia peccati mortalis, siue peccatum deletum sit per confessionem, siue per contritionem; exercere verò actus maiorum, vel minorum Ordinum in peccato mortali, excepto Sacerdotio, non videtur mortale peccatum, vt ait Valentia *loc.cit.* Sotus *in 4.dist.24.q.15. art.4.* Henriquez *lib.10.cap.13.* & alij, contra Nauarrum *cap.25.num.72.* Emanuelem Sà *verb. Ordo num.31.* Reginaldum *lib.30. num.37.* & patet ex regulis generalibus suprà traditis *de Sacramentis in genere.*

PVNCTVM III.

De materia, & forma Sacramenti Ordinis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quænam sit materia remota, & proxima Sacramenti Ordinis.

1 MAteria remota Sacramenti Ordinis est res illa, quæ traditur suscipienti Ordines; materia proxima est traditio materiæ remotæ. Hæc propositio patet ex dictis in reliquis Sacramentis. Ratio est, quia illa est materia Sacramenti, per quam conficitur Sacramentum: Sacramentum autem Ordinis cõficitur re, & traditione rei.

Res, quæ traditur suscipienti, dicitur materia remota, quia circa illam versatur materia proxima, id est, traditio: traditio verò dicitur materia proxima, quia versatur circa remotam. Ita Reginaldus *loc. suprà citat.num.7.* Bellarminus *tom.3.de Ordine, cap.9.* Henriquez *lib. 10.cap.8.nu.2.* Coninch. *dub.7.concl.3.* Vasquez *disp.239.cap.3.* [Filliucius *tract.9.c.2.quæs.1.n.29.* & 30.] & alij, qui ex Scriptura, Patribus, & Conciliis ostendunt cõtra Valentiam *tom.4.disp.9. q.1.punct.5.* manuum impositionem esse de essentia sacerdotalis Ordinis. Quamobrem Græci Ordinationem appellarunt manuum impositionem.

2 Quænam sit materia remota, & proxima sacerdotalis Ordinis.

2 Hinc colligi potest primò, materiam remotam sacerdotalis Ordinis esse calicem cum vino, & patenam cum hostia, materiam verò proximam esse traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia, quia traditione calicis cum vino, & patenæ cum hostia perficitur ordinatio

dinatio sacerdotalis, consequenter Sacerdos remanet initiatus Ordine sacerdotali, si his peractis Episcopus moriatur antequam illa verba proferat, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis*, &c. quamuis, his verbis prætermissis, imperfecta sit sacerdotalis protestas, cùm Sacerdos à peccatis nequeat absolutionem impendere prætermissis ab Episcopo præcitatis verbis, [quia per illa verba cum impositione manuum, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis*, &c. confertur potestas absoluendi, consequenter his verbis cum impositione manuum prætermissis Sacerdos caret potestate absoluendi, licèt habeat facultatem cõseruandi.] Ita Suar. *tom.5.disp.42.art.4.& 13.* Bellarminus *cap.9. de Ordine.* Henriquez *lib.10. cap.7.* Martinus Fornarius *cap.2. num.1. ad finem.* Valentia *tom.4.disp.9.q.1.punct.5.* & alij.

3 An validè conferatur Ordo sacerdotalis, si ex obliuione tradatur vas cum vna tantùm specie.

3 Addo probabiliter dici posse cum Henr. & aliis contra nonnullos alios recentiores, validè conferri Ordinem sacerdotalem, nec esse necessariò iterandum, si ex obliuione tradatur vas cum vna tantùm specie, nam potestas consecrandi vtramque speciem non traditur diuisim, sed qui potest vnam speciem cõsecrare, potest & aliam, cùm Christi Corpus coniunctum sit cum sanguine, & sanguis cum Corpore.

4 Quænam sit materia Diaconatus.

4 Secundò colligi potest materiam Diaconi esse librum Euangeliorum, quia traditione Euangelij perficitur Ordinatio Diaconi. Ita Coninchus, [Filliucius, Henriquez,] & alij Doctores citati.

Obiicies, tempore Apostolorum Diaconatus conferebatur per manuum impositionem; ergo liber Euangeliorum non est materia Diaconatus. Respondeo primò, hoc concessum fuisse Apostolis ex peculiari facultate Christi, cùm nondum editum esset Euangelium. [Ita Bellarminus *cap.9.* Filliucius *tract.9.cap.2.quæst.7.num.44.*]

Secundò, credibile esse Christum non vnicam omnino materiam instituisse pro Sacramento Ordinis, sed Apostolis, & consequenter eorum successoribus contulisse potestatem conferendi ordines per traditionem instrumentorum, quibus indicatur potestas, quæ in vnoquoque ordine confertur.

Ex quo fit, vt Ordo in traditione primæ materiæ conferatur, & character extendatur in traditione aliarum materiarum, quoties Ecclesia consueuit aliquem Ordinem conferre traditione plurium instrumentorum. Ita Henriquez *lib.10.cap.26.& 28.* Suarez *tom.3.disp.11.sect.3.* Valentia *tom.3. loco cit.* & alij quos citat, & sequitur Martinus Fornarius *cap.2.num.2.ad finem.* [Filliucius *num.46.*]

5 Quænam sit materia Subdiaconatus.

5 Tertiò materiam Subdiaconatus esse propriè Calicem vacuum, cum patena, vt constat tum ex Concilio Florentino: tum quia traditione Calicis vacui cum patena perficitur ordinatio Subdiaconi: tum quia illa est vniuscuiusque ordinis materia, per cuius vsum ordinatus præcipuè deseruit sacrificio: Subdiaconus autem præcipuè deseruit sacrificio per Calicem, & patenam, in quibus sacrificium celebrandum est. Nec est necesse Calicem esse consecratum, vt ait Sotus, Ledesma, & Emanuel Sà, quos sequitur Henriquez *lib.10.cap.5. in commentario littera F. & cap.8.num.3.* & Filliucius *tract.9.cap.2.quæst.2.num.31. & quæst.8.num.45.*] contra Syluestrum *verb. Ordinatio, num.2. §.4. versicul.3.* & alios, quibus adhæret Fornarius *cap.20.ad finem.* Ratio est, tum quia nullo iure constat, necessariam esse Calicis consecrationem, tum quia sicut validè confici potest Sacramentum in Calice non consecrato, ita validè conferri potest character ordinis per traditionem Calicis non consecrati. [Aliqui Doctores addunt etiam librum Epistolarum esse materiam Subdiaconi. Sicut enim materia Diaconi est liber Euangeliorum; ita Subdiaconi liber Epistolarum: & sicut Diaconus deseruit Sacerdoti per vsum Euangeliorum, ita Subdiaconus per vsum Epistolarum, licèt calix & patena sint materia præcipua subdiaconatus; liber verò Epistolarum secundaria; ob id Consilia & Doctores illius meminerunt, non huius. Ita Filliucius *num.45.* & alij.]

6 Materia Acolytatus quænã sit.

6 Quartò, materiam Acolytatus esse vrceolos, nam isti traduntur in ordinatione Acolytatus.

Ex quo sequitur characterem imprimi in traditione vrceolorum, quando vrceoli seorsim traduntur, nam per traditionem vrceolorum confertur potestas per ordinem ad Eucharistiam, & per vsum vrceolorum Acolytus propiùs accedit ad Missæ sacrificium, quamuis denominatio sumatur ab actu minus principali, & in traditione candelabri dici possit extendi character, vt ex Carthaginensi IV. *cap.6.* & Toletano IV. *cap.27.* docet Fornarius *cap.2.num.1.& 2.* Henriquez *cap.9.num.1.in commentario littera B.* & alij, quos retuli post secundã responsionem ad obiectionem. [Non est tamen necesse, vt vterque vrceolus tangatur, sed sufficit vnum tangi, quia tacto vno censetur etiam moraliter alter tangi. Ita communiter DD. apud Henriquez *cap.10.littera E.* & apud Filliucium *tract.9.cap.2.quæst.4.num.38.*]

7 Quænam sit materia Exorcistatus.

7 Quintò, materiam Exorcistatus esse librum exorcismorum, vt patet ex ratione sæpiùs repetita.

8 Quænam sit materia Lectoratus.

8 Sextò, materiam Lectoratus esse librum lectionum.

9 Quænam sit materia Ostiariatus.

9 Septimò, materiã Ostiariatus esse cymbalũ, & claues, hic enim Ordo perficitur traditione cymbali, vt ordinatus conuocet populum ad sacrificium, & traditione clauium, vt custodiat Ecclesiam.

Neque obstat dicere, de huiusmodi materiis nihil haberi in Scriptura, sufficit enim traditio Apostolorum, quæ colligitur ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, & vsu, vt docet Valentia *tom.4. disp.9. quæst.1.punct.4.ad primum argumentum.*

10 (Quæ materia Episcopatus.)

10 [Octauò colligitur impositionem manuum esse materiam essentialem Episcopatus: tum quia ex Scriptura colligere non possumus aliam materiam præter impositionem manuum, *1.Tim.4. Actor.6.* & alibi: tum quia illa est materia Episcopatus, per quem confertur potestas Episcopalis. Hæc autem confertur per manuum impositionem, & prolationem illorum verborum, *Accipe potestatem*, &c. *ergo*, &c. Ita Filliucius *tract.9. cap.2. quæst.5.* & alij contra nonnullos alios, asserentes materiam Episcopatus in aliis etiam consistere, vt in vnctione capitis, impositione mitræ, traditione baculi in manu, & annuli in digito, libro Euangeliorum, & impositione manuum super caput. Cùm enim Episcopus varia munera accipiat, par est vt Episcopalem accipiat traditionem multiplicis materiæ.

Obiicies, in ordinatione Episcopi assignanda est materia proxima, & remota, sicut etiam in aliis ordinibus ex Florentino *loco citato*, ergo sola manuum impositio non est materia Episcopatus.

Respondeo primò manus ipsas esse materiam remotam, impositionem manuum proximam. Addo Concilium eo loco loqui de ordine Episcopali, vt est idem cum sacerdotio, non verò vt est quid distinctum.]

11 An contactus materiæ sit de essentia.

11 Quæres primò, vtrùm contactus materiæ sit de essentia, ita vt non censeatur ordinatus qui materiam realiter, & physicè non contigit.

Respondeo cum communi Doctorum sententia, S. Th. *3.parte q.38.art.5.* Valentiæ *loc.cit.punct.5.* Syluestri *verb. Ordo 2. quæst.5.* Coninchi *disp.20.dub.7.nu.7.* & aliorum apud Henriquez *lib.10. cap.10.* Emanuelem Sà *verb. Ordo*, & apud Martinum Fornarium *c.2.num.4.* contra Henriquez *loco citato littera D.* Vasquez *disp.246.nu.19.* Reginaldum *lib.36.tract.1.nu.8.* [Filliucium *tract.9.cap.2. quæst.3. nu.32. & seqq.* Molfesium *tract.2.c.1.n.42.*] & alios apud Coninchum *disp.20. dub.7. nu.57.* contactum materiæ esse de essentia. Ratio est, quia in quolibet Sacramento habente materiam, necesse est, vt suscipiens contingat illam, sicut patet in Baptismo, Confirmatione, & aliis.

Non est tamen hæc sententia scrupulosè intelligenda, ita vt in Sacerdotio necesse sit hostiam, & vinum immediatè attingere, sed sufficit attingere calicem, & patenam, nam qui vas, seu calicem attingit, moraliter censetur attingere vinum in eo contentum, & qui attingit patenam, censetur etiam attingere hostiam in ea contentam; immo aliqui putant non esse necessarium contactum patenæ; quia tangens calicem, censetur etiam tangere patenam illi impositam; tutius tamen est attingere ipsam patenam & hostiam immediatè iuxta ritum Ecclesiæ, ne ordinandus periculo se exponat non recipiendi Ordinem.

12 An necesse sit tãgere materiam, dum verba proferuntur.

12 Quæres secundò vtrùm necesse sit contingere materiam quando verba proferuntur, ita vt sint simul contactus & verba, seu forma.

Respondeo non opus esse, vt mathematicè sint simul, sed sufficere, vt sint simul moraliter, id est, sine mora interposita, sicut patet à simili in Baptismo, in quo non est necesse, vt in eodem instanti, quo infans abluitur, proferantur verba, sed sufficit ablutionem, & prolationem esse simul moraliter, quia cum simultate morali subsistit significatio Sacramentorum. Ita Valentia *loc. citat.* Emanuel Sà *num.5.* Didacus Nugnus *quæst.34.artic.5.difficultate 2.* Henriquez *cap.10.* Reginaldus *num.9.* & alij, quos supra retuli.

SECVNDA PROPOSITIO.

13 Quænam sit forma Sacramenti Ordinis.

13 FOrma sacramenti Ordinis sunt verba, quæ ab Episcopo proferuntur imperatiuo modo cum expressione potestatis, quæ cõfertur. Hæc propositio est de fide, & patet ex dictis de sacramentis in genere, vbi diximus omnia Sacramenta constare rebus, & verbis, rebus vt materia, verbis vt forma. Ita Sotus *disp.25. q.1. artic.2.* Bellarminus *lib.1.de Sacramentis cap.18.* Vasquez *disp.240.cap.5.nu.58.* [Filliucius *num.49.*] & alij communiter.

14 An variari possit forma, remissiuè.

14 Vtrùm verò variari possit forma, satis constat ex dictis de sacramentis in genere. Ex quibus etiam constat, inuocationem sanctissimæ Trinitatis non esse de essentia formæ sacramenti Ordinis, sicut est in sacramento Baptismi, & Confirmationis, nam, prætermissa inuocatione sanctissimæ Trinitatis, non mutatur substantialiter sensus formæ. Ita Henriq. *lib.3.cap.2.nu.4.* Martinus Fornarius *cap.2. nu.3.* [Filliucius *num.49.*] & alij communiter.

15 Cur forma Sacramenti Ordinis adhibeatur imperatiuo modo.

15 Quæres primò, qua de causa forma istius sacramenti imperatiuo modo adhibeatur.

Respondeo rationem esse, tum vt ostendatur ordinatum debere fungi munere suscepto, ne videatur illud inutiliter suscepisse, vt ait Henriquez *lib.10.cap.5.* tum quia institutio huius sacramenti, non est per se ordinata ad sanctificationem hominis suscipientis hoc sacramentum, quatenus est persona priuata, & particularis, sicut fit in Baptismo, qui cùm ordinetur ad abluendam animam, per verba indicatiui modi administratur; sed est ordinata ad populum, & Christianam rempublicam, in qua Sacerdos instituitur minister, & persona publica; sicut enim creatio Regis, vel alterius Principis fit per modum imperatiuum cum traditione sceptri, vel claui, quia fit per ordinem ad regimen, & administrationem; ita actio, qua aliquis constituitur, & determinatur minister Ecclesiæ, debet imperatiuo modo cum traditione materiæ adhiberi. Ita S. Th. *3.parte q.34. art.4.* & alij, quos citat, & sequitur Henriquez *in summa lib.10. cap.5. littera B. in commentario.*

16 An Episcopus proferens formã debeat exhibere materiam tangendam

16 Quæres secundò, vtrùm Episcopus, qui profert formam, debeat etiam exhibere materiam tangendam.

Respondetur affirmatiuè, vt patet ex dictis *de Sacramentis in genere*, & *de Extrema Vnctione.* Idem præter Doctores ibi citatos, tenet Suarez *tom.5.disp.42.sect.3.num.12.* Martinus Fornarius *de ordinatione cap.2.num.4.* [Filliucius *tract.9.cap.2.quæst.3.num.33.*]

17 An valeat ordinatio, quãdo plures initiantur Ordine sacerdotali, & Episcopus prolata semel vnica forma in plurali, præbet materiã pluribus succeßiuè tangẽdam.

17 Quæres tertiò, vtrùm valida sit ordinatio, quando plures initiantur Ordine sacerdotali, & Episcopus, prolata semel vnica forma in plurali, præbet materiam pluribus succeßiuè tangendam, non repetita forma.

Respondeo, validam esse, quia materia, & forma censentur simul moraliter. Ita Martinus Fornarius *loco citato num.5.* vbi testatur Romæ ita fuisse definitum in quadam Congregatione.

18 Quodnã sit munus, & officium singulorũ Ordinum.

18 Ex dictis in his duabus propositionibus colligi potest, quodnam sit munus, & officium singulorum Ordinum cognita ipsorum materia, & forma, officium enim Sacerdotis est conficere Sacramentum Eucharistiæ, vt patet tum ex ipsius materia, tum ex forma, in qua dicitur, *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis, & mortuis.* Præterea officium Sacerdotis est administrare Sacramenta, excepta Confirmatione, & Ordine, quorum administratio pertinet ad Episcopos.

Addo

Addo ad Sacerdotem pertinere curam prædicandi verbum Dei, & docendi populum: quamquam hoc tempore perenda est ab Episcopis facultas, iuxta locorum consuetudines, & decreta, vt patet ex vsu, & praxi hic Mediolani recepta in concionatoribus, qui concionibus ad populum in Quadragesima habendis exponuntur.

Officium Diaconi est publicè legere Euangelium in Ecclesia, assistere, & ministrare in sacrificiis, & aliis huiusmodi.

Rursus Diaconus vrgente necessitate in absentia Episcopi, & Presbyteri, baptizare potest solemniter, iuxta Suarez *tom.3. disput.23. sect.1.* & alios, contra Henriquez *lib.8. cap.54.* Martinum Fornarium *cap.7. num.4.* & alios, sed de hac re supra. Potest etiam concionem ad populum habere ex facultate Episcopi. Olim etiam administrabat Eucharistiam, eamque ad absentes deferebat, vt patet ex dictis *de Eucharistia*, cum Suarez *tom.3. disp.69. sect.1.* Henriquez *loco citato.* Toleto *lib.2. cap.28.* & aliis. Vide quæ supra dixi *de Eucharistia.*

Officium Subdiaconi est proximè assistere Diacono, illique ministrare in sacrificio Missæ deferendo Calicem, & patenam ad Altare: [aut etiam canendo Epistolam, vt dictum est *num.5.*]

Officium Acolyti est porrigere Subdiacono vrceolos cum vino, & aqua, præparare lumina ad sacrificium, & transferre cereum accensum ad Altare.

Officium Exorcistæ est imponere manus super energumenos, illisque exorcismos legere ad fugandos Dæmones.

Officium Lectoris est legere prophetias, & scripturas in Ecclesia.

Officium Ostiarij est claudere, aperire, & custodire Ecclesiam, admittendo dignos ad sacra, & excludendo indignos. Vide Valentiam *loco citato puncto* 3. Nugnum *q.37. art.5.* Henriquez *lib.10. cap.8. & 9.* Vasquez *disp.236. cap.2.* Coninchum 2. *parte disput.20. dubio 3.* Reginaldum *lib.30. tractatu 1. num.11. & sequentibus.*

PVNCTVM IV.

De Ministro Sacramenti Ordinis.

VNICA PROPOSITIO.

1 Quis sit Minister Ordinarius Sacramenti Ordinis.

1 ORdinarius Minister Sacramenti Ordinis est proprius Episcopus, vt patet ex Trid. *sess.23. & can.4. & can.7.* [Ratio est, quia Ordo est quædam dignitas Ecclesiastica; ergo illius collatio pertinet ad Episcopum ad quem spectat dignitates Ecclesiasticas conferre. Hanc autem] potestatem accipiunt Episcopi in sua ordinatione, & consecratione, nec illam amittunt per censuras, cum fundetur in charactere Episcopali, quem ex supradictis indelebilem esse constat.

2 An hæc potestas resideat penes Episcopos excommunicatos, suspensos, &c.

2 Ex quo sequitur hanc potestatem residere penes Episcopos, licèt sint excommunicati, vel interdicti, vel suspensi, aut priuati Episcopatu, adhuc enim retinent characterem, & potestatem conferendi Ordines, quamuis eam illicitè exerceant in excommunicatione, suspensione, &c. & Ordinatus ab excommunicato vitando incurrat suspensionem, vt patet ex dictis de censuris. Ita Sotus *dist.25. q.1. art.10.* Coninchus *dub.9.* Henriquez *lib.10. cap.21.* Fornarius *cap.4. num.2. ad finem.* Vasquez *disp.243. & 245.* [Filliucius *tract.9. cap.5. quæs.1. nu.92.*] & alij communiter.

3 An alius præter Episcopum possit Ordines conferre, & quosnam conferre possit.

3 Dixi in propositione, *Ordinarius minister*, vt aduerterem Ordines posse ex facultate Summi Pontificis conferri ab aliis, quàm ab Episcopis, vt docet Henriq. *lib.10. c.23.* Bellarmin. *lib.1. de Clericis cap.27.* Valentia *tom.4. disp.9. q.2. punct.1.* [Filliucius *tract.9. c.5. quæs.2.*] Didacus Nugn. *in 3. part. q.38.* S. Th. *art.1.* Couar. *1. variarum c.10.* contra Coninchum *dub.9. concl.2. nu.86.* nam Ordines minores, ex facultate Summi Pontificis, à Cardinalibus Presbyteris conferri possunt, vt patet ex consuetudine. Præterea Abbates habentes ius mitræ, & baculi benedicti ab Episcopis, possunt conferre primam tonsuram & Ordines minores suis subditis regularibus, aliis verò saltem absque speciali consensu Ordinarij loci, cum litteris dimissoriis, conferre nequeunt, [de qua re agam *in tract. de censuris in particulari.*] Idem tradit Quaranta *verb. Ordo, versicul. Abbatibus pag.393.* ex Cardinalium Congregatione, & patet ex *dist.69. cap. quoniam.* & ex Tridentino *sessione 23. cap.10.* Immo quilibet alius simplex Sacerdos posset de licentia Papæ Ordines minores conferre, vt ostendit Victoria *de Sacramentis nu.222.* Henriquez *lib.10. cap.23. num.1.* Reginaldus *loco suprà citato.* Caietanus, & alij apud Henriquez, nulla enim afferri potest sufficiens ratio cur hoc à Sede Apostolica concedi nequeat.

Ordo verò Subdiaconatus, Diaconatus, aut Presbyteratus, non videtur posse à simplici sacerdote, etiam de consensu Papæ, vel ab alio, quàm ab Episcopo, conferri, nam iure diuino determinatus videtur Minister sacri Ordinis, vt docet Bellarminus *de Sacramento Ordinis cap.7. ad finem.* Henr. *lib.10. cap.23.* Couarruuias *1. variarum cap.10. num.10.* Suarez *tom.1. disp.11. sect.2. num.6.* & alij, quos citat, & sequitur Martinus Fornarius *de Sacramento Ordinis cap.5. nu.2.* [contra Filliucium *num.94.* asserentem Subdiaconatum conferri posse à simplici sacerdote de consensu Papæ.]

Obiicies, Subdiaconi ordinari poterant à Coëpiscopis, ex Concilio Antiocheno *canone 10.* Sed Coëpiscopi erant simplices sacerdotes; ergo Subdiaconatus, aut etiam alij maiores Ordines conferri possunt à simplici sacerdote.

Respondeo, Coëpiscopos, de quibus sermo est in Concilio Antiocheno, non fuisse simplices sacerdotes, sed Episcopos suffraganeos, vt ex Damasi *epistola 4.* docet Bellarminus *loco citato*, & alij Doctores citati.

4 An Summus Pontifex possit non Sacerdoti dare facultatem conferendi Ordines.

4 Ex dictis colligi potest solutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm Summus Pontifex possit illi, qui non est Sacerdos, dare facultatem conferendi Ordines. Ad quam difficultatem respondendum est cum D. Thom. *3. parte quæst.38. artic.1.* Nugno *ibidem.* Victoria *loco citato.* Sylvestro *verb. Ordo 3. quæs.2.* [Henriquez *loc. citat. num.3.* Filliucio *tract.9. cap.5. num.95.*] simplicem sacerdotem posse ex facultate Summi Pontificis, Ordines minores conferre, vt constat ex dictis; eum verò, qui non est Sacerdos, non posse. Ratio est, tum quia collatio Ordinum est actus Ordinis, actus autem Ordinis non potest exerceri ab eo, qui caret Ordine: tum quia potestas conferendi Ordines supponit potestatem supra corpus Christi verum, *cap. ex litteris, de excessibus Prælatorum*; sed solus Sacerdos habet potestatem supra corpus Christi verum: ergo solus Sacerdos potest Ordines conferre.

5 An Episcopus, qui non est Sacerdos, possit conferre Ordines.

5 Ex quo patet primò Episcopum, qui non est Sacerdos, non posse valide Ordines conferre, nam collatio Ordinis est actus Ordinis; actus autem Ordinis non potest ab eo conferri, qui caret Ordine. Ita Sylvester *verb. Ordo 2. num.1. & Ordo 3. quæsito 1.* Martinus Fornarius *cap.4. num.2. versic.7.* & alij Doctores citati.

6 Quibusnam Episcopus concedere possit facultatem conferendi Ordines tam minores, quàm maiores.

6 Secundò patet à fortiori, Episcopum non posse facultatem conferendi Ordines illi conferre, qui non est Sacerdos. Addo Episcopum non posse illi, qui non est Episcopus, dare facultatem conferendi Ordines minores, vel maiores, vt patet tum ex dictis *de legibus*; tum quia Episcopus non potest aliis demandare functiones Ordinis. Ita Henriquez *lib.10. cap.23. num.3.* Victoria, & alij, quos magno numero refert Henriquez *loc. cit. littera K.*

7 Episcopus non potest subditis alterius diœcesis, sine licentia proprij Episcopi, Ordines conferre.

7 Dixi in propositione, *proprius Episcopus*, vt obseruarem Ordines, aut primam tonsuram conferri non posse ab eo, qui non est proprius Episcopus, consequenter Episcopum non posse subditis alterius sine licentia proprij Episcopi Ordines conferre. Ita Sanchez *de matrimonio lib.3. disp.23.* Nugnus *3. parte quæst.28. artic.1.* Lessius *lib.2. cap.44. dub.19. num.92.* & hoc constat ex *cap.eos, qui. de temporibus ordinationum in 6.* & ex Tridentino *sess.23. canone 7.* [& ex dictis *de censuris in particulari.*]

8 Quinam dicatur proprius Episcopus.

8 Quæres primò: Quinam dicatur proprius Episcopus.

Respondeo cum Lessio *loco citato*, Savro *lib.7. cap.10. num.30.* Fornario *cap.5. num.6.* Quaranta, Riccio, Henriquez, & aliis Doctoribus statim citandis, illum appellari proprium Episcopum, qui est Episcopus originis, vel domicilij, vel beneficij.

9 Episcopus domicilij quis sit.

9 Episcopus domicilij dicitur Episcopus loci, in quo quis habitat, vel incipit habitare cum animo ibi semper manendi.

10 An sufficiat animus manendi alicubi ad contrahendum domicilium.

10 Ex quo sequitur, animum manendi per aliquod tempus in aliquo loco, non sufficere ad contrahendum domicilium, alioquin Scholares contraherent domicilium in ea ciuitate, in qua studiorum causa decreuerunt ad octo, vel decem annos commorari.

11 An requiratur actualis habitatio, vt quis verè dicatur habere domicilium.

11 Secundò sequitur, ad contrahendum domicilium, non sufficere solum animum manendi in aliquo loco, sed requiri simul actualem habitationem. Quamobrem qui solùm mente statuit in aliquo loco habitare, & reipsa nondum incœpit habitare, non contrahit domicilium in eo loco, in quo statuit habitare, sicut neque amittit domicilium ibi acquisitum per solam intentionem inde discedendi, vt ostendi in tractatu *de legibus.*

12 Forum externum quandoque præsumat adesse animum perpetuo alicubi manendi.

12 Addo cum Henriquez *lib.10. cap.22. num.2.* Angelo, Cyno, & aliis apud Henriquez, in foro externo tamen præsumi animum perpetuò manendi in aliquo loco, nisi quis ibi permanserit per decem annos. *l.2. C. de incolis lib.10.* aut nisi per aliquem externum actum sufficienter indicauerit se ibi domicilium constituere, vt si emit domum, vel eò transtulit maiorem bonorum partem animo ibi perpetuò manendi, de qua re videndus est Menochius *de arbitrariis lib.2. centuria 1. casu 86.* Mascardus *de probationibus conclusione 534.* Quaranta *verb. Ordo, vers. Circa tertium, pag.373.* Riccius *decisione 297. 298. & 305.* Coninchus *disput.20. dubio 9. ad finem.* Reginaldus *lib.30. tractatu 1. c.5. nu.23.* [Filliucius *tract.9. c.5. quæs.6.* Molfesius *tract.2. c.2. nu.6.*] & alij Doctores quos in simili retuli *de legibus*, de subiecto legum.

13 Quisnam dicatur Episcopus originis.

13 Episcopus originis est Episcopus loci, in cuius diœcesi natus est is, qui ordinandus est, & in quo parentes habent domicilium. Non tamen sufficit, vt natus sit alicubi fortuitò, vt si fortè natus sit, dum parentes ibi essent causa itineris, vel negotij, vt ex *l. filius, C. mancipium lib.10.* probat Henriquez *loco cit. in commentario littera D.* [Vasquez *3. part. disput.243. num.56.*]

14 Episcopus beneficij quis sit.

14 Episcopus beneficij est Episcopus loci, in quo quis habet beneficium, præsertim residentiale, quamuis tenue, licet fortè non resideat, ex dispensatione. Ita DD. citati.

Dixi, *præsertim residentiale.* nam Henriq. *lib.10. cap.24. nu.1. in commentario.* Quaranta *verb. Ordo, vers. circa secundum*, & alij putant etiã sufficere beneficium non residentiale, modò sit sufficiens ad victum, quia *cap. cùm nullus. de tempor. ordin. in 6.* generaliter loquitur. Et hoc mihi probatur, modò beneficium sit Ecclesiasticum, vt dicitur *in dicto cap. cùm nullus*, & ita obseruat glos. *ibid.*

Ex dictis patet quinam sit proprius Episcopus in conferendis Ordinibus, & tonsura, aut etiam in concedendis litteris dimissoriis.

15 An Episcopus Ordinarius possit Ordines conferre suo familiari, non subdito.

15 Hic tamen obseruandum est primò Episcopum ordinarium posse ex priuilegio Tridentini *sessione 23. cap.9.* conferre Ordines suo familiari non subdito, qui per triennium commoratus sit cum ipso Episcopo, modò Episcopus statim conferat illi beneficium. Vide Auilam *3. parte disp.6. dub.7. fol.233.* Henriquez *lib.10. cap.22.* Rodriquez *in summa cap.14. nu.10.* Suarez *de censuris disput.31. sect.1. nu.25.* Sayrum *lib.7. cap.10. versicul.30.* Riccium *decis.310.* Quarantam *pag.375. verb. Ordo, versic. Limita in eo.* Martinum Fornarium *cap.5. ad finem.* Genuensem *in praxi Neapolitana cap.181. nu.3.* Petrum Ledesmam *in summa de Sacramento Ordinis cap.5. concluf.9.* Zerolam *in Praxi verb. Ordo, vers.5.* Reginaldum *lib.32. num.69.* Quorum aliqui cum Aug. Barbosa *in cap.9.* Trident. *sess.23.* obseruant

16 Quo tempore possit Episcopus suum familiarẽ triennalem ordinare.

16 Primò ex declarationibus Cardinalium, Episcopum posse suum familiarem triennalem ordinare ad titulum patrimonij, vel pẽsionis, si Episcopus ita iudicauerit expedire ob necessitatem, vel vtilitatem proprię Ecclesiæ, etiamsi triennium inceperit, antequam fuisset Episcopus, nam Tridentinum absolutè dicit, Episcopum posse familiarem suum non subditum ordinare, si per triennium secum fuerit commoratus. Ita Gamma, Riccius, Garzias, Auila, Henriquez & alij, quos paulo antè citaui, apud Barbosam *loc. cit.*

17 An hoc procedat in omnibus Ordinibus, & prima tonsura.

17 Secundò, hoc procedere non solùm in Ordinibus sacris, verùm etiam in prima tonsura, & in minoribus Ordinibus, modò Episcopus statim

ſtatim conferat beneficium, vt ex Deciſione Rotæ teſtatur Quaranta *loc. citat.* & alij DD. citati.

18 An hoc valeat in quocũque familiari Epiſcopi.

18 Tertiò, hoc locum non habere in quocumque familiari, ſed in eo, qui aſſiſtit ipſi Epiſcopo circa ipſius obſequia. Quamobrem inſeruiens Epiſcopo in remota regione non videtur gaudere hoc priuilegio, quamuis alatur expenſis Epiſcopi, nam Concilium hunc terminum præfixit, quia Epiſcopus tanto temporis ſpatio ritè noſſe poteſt mores ſui familiaris: Epiſcopus autem non poteſt ritè cognoſcere mores abſentis. Ita Maiolus *lib.4.de irregularitate cap.2. num.5.* & alij apud Quarantam *loc. cit.*

19 An hoc procedat tam in Epiſcopis Ordinariis, quàm Titularibus.

19 Quartò, hoc procedere in Epiſcopis ordinariis, non verò in Titularibus, quia Titulares non habent diœceſim, in qua ordinandus acquirat domicilium.

20 (De ſubdito ratione originis, vel domicilij, aut alio modo quid.)

20 [Obſeruandum eſt ſecundò, eum qui eſt ſubditus ratione originis, vel domicilij, aut alio modo, non poſſe ordinari ab alio Epiſcopo, quàm ab eo, à quo priùs ordinatus fuerat, niſi facultas ab eo ſibi concedatur. Ratio eſt, quia factus eſt illius ſubditus, & illi Epiſcopo incumbit onus promouendi eum ad beneficium, & alia Epiſcopalia iura in ipſum exercendi. Ergo par non eſt, vt alium Epiſcopum eligat in præiudicium primi ordinantis. Ita Achilles Graſſis *de penſionib.deciſ.*13. Riccius *in praxi deciſione* 306. Quaranta *verb.Ordo.* Molfeſius *tract.2.cap.2.num.*10.]

21 Epiſcopus nõ ſolùm poteſt per ſeipſum Ordines conferre, verùm etiã poteſt facultatem conferendi alteri Epiſcopo concedere.

21 Obſeruandum eſt tertiò, Epiſcopum poſſe non ſolùm per ſe ipſum Ordines conferre, verùm etiam poſſe alteri Epiſcopo dare facultatem conferendi Ordines ſuis ſubditis, concedendo litteras dimiſſorias, & commendatitias, quarum conceſſio iure nouo pertinet ad ſolum Epiſcopum, vel etiam ad Vicarium abſente Epiſcopo, ex Trident. *ſeſſ.23.cap.*10.

22 Quãdonam extinguantur dimiſſoriæ.

22 Vtrum verò dimiſſoriæ extinguantur morte concedentis, aut finita ipſius poteſtate, conſtat ex dictis de priuilegijs non extingui, quia gratia non expirat morte concedentis.

23 An Capitulum poſſit, Sede vacante, dimiſſorias concedere.

23 Sed modò dubium eſt vtrùm Capitulum poſſit Sede vacante litteras dimiſſorias concedere.

Reſpondeo in Tridentino *ſeſſione 7.cap.*10. permitti, vt Capitulum Sede vacante concedat dimiſſorias in duobus caſibus. Primus eſt quando Epiſcopatus vacauit per annum. Secundus eſt quando quis eſt arctatus, vt ſi perderet beneficium receptum, vel recipiendum, ſi tunc temporis non promoueretur ad Ordines. Vide Auguſtinum Barboſam *in Trident. ſeſſ.7. cap.*10. Henriquez *lib.*10. *cap.*22. *num.*3. Quarantam *verb.Capitulum, Sede vacante, verſ.*14. *& verb. Ordo, verſ. Vertitur tamen.* Riccium *deciſ.*30. Toletum *lib.*1. *cap.*49. *nu.*2. Nauarrum *conſil.* 44. *de temporibus ordinationum.* Zerolam *in Praxi verb. Capitulum, verſ.ſecundum.* Azorium 2. *part.lib.*3. *cap.*49. *quæſito* 5. Suarez *tom.*5. *diſp.*31. *ſect.*1. *nu.*20. Fornarium *cap.*4. *nu.* 4. Emanuelem Sà *verb.Ordo num.*29. [Filliucium *num.*102.] & Concilium Tridentinum *ſeſſ.7.cap.*10. vbi interdicit Capitulum violans hoc decretum, & Clericos ſic minoribus initiatos vult priuari priuilegio clericali, præſertim in criminalibus, initiatos verò maioribus ſuſpendit ipſo facto vſque ad beneplacitum futuri Prælati.

24 An priuilegium Clericale amittatur ipſo facto.

24 Hic tamen obſerua, priuilegium clericale non amitti ipſo facto, quia Tridentinum vtitur verbo *gaudeat*, quod eſt futuri temporis, vt cum Nauarro obſeruant Sanchez *lib.7.diſp.46. nu.*18. *verſ. Quæritur primò*, & alij apud Fornarium *c.5.nu.*4. apud Barboſam *loc.cit. num.*8.

25 Quas litteras concedere poſſit Capitulum, Sede vacante.

25 Obſerua tamen, Capitulum poſſe Sede vacante concedere litteras teſtimoniales, licèt concedere nequeat dimiſſorias, nam litteræ teſtimoniales non ſunt dimiſſoriæ. Ita Nauarrus *conſilio* 27. *de temporibus ordinat.*

26 An accipiens Ordines ab alieno Epiſcopo abſque Summi Pontificis auctoritate, incurrat pœnam ſuſpẽſionis.

26 Quæres ſecundò, vtrùm qui Ordines accepit ab alieno Epiſcopo abſque Summi Pontificis auctoritate, aliquam pœnam incurrat.

Reſpondeo ſi accipiat abſque Summi Pontificis auctoritate, vel abſque litteris dimiſſoriis ſui Ordinarij, incapacem eſſe beneficij, remanere ſuſpenſum, carere priuilegio Ordinis, & ordinationem eſſe irritam, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad executionem Ordinis. *cap.illud, primo, & cap.ſi quis auſus, terzo, diſt.*71. & Trid. *ſeſſ.*23. *cap.*8. *de reformatione.*

Ad hoc tamen, vt fiat capax, & poſſit beneficium retinere, ſufficit ratihabitio proprij Epiſcopi, vt docet Nauarrus *conſil.* 24. *&* 25. *de temporibus ordinationum.* Maiolus *de irregularitate lib.*1. *cap.*10. *num.*1. Leſſius *loc.citat.* ex *cap.Salonitana, diſtinct.*93. contra Rebuffum, *§. formula dimiſſoriarum.*

Suſpenſio verò, quam quis contraxit recipiendo Ordines ſine litteris dimiſſoriis, poteſt ab Epiſcopo auferri ob priuilegium Epiſcopis conceſſum in Tridentino *ſeſſ.* 24. *c.* 6. modò delictũ ſit occultum.

Neque obſtat Conſtitutio Xiſti V. quæ incipit, *Sanctum, & ſalutare*, in qua Summus Pontifex ſibi reſeruat abſolutionem prædictæ ſuſpenſionis, nam rigorem iſtius conſtitutionis moderatus eſt Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit, *Romanum Pontificem decet*, eamque ad diſpoſitionem Concilij Tridentini reuocauit, vt benè docet Quaranta *verb. Ordo, verſic. Secundò limita, & verſic. Tertius caſus.* Sayrus *de cenſuris lib.*7. *cap.*10. *num.*36. *& lib.*4. *cap.*14. vbi vtramque conſtitutionem refert, quam etiam refert Quaranta *verb. Ordo, verſ. an verò*, in ſimili de eo, qui promotus eſt ad ſacerdotium ficto titulo. *pag.* 383. *&* 387.

27 An hac ſuſpenſione afficiantur etiam conferẽtes, & recipiẽtes primã tonſuram.

27 Si quæras, vtrùm hæc ſuſpenſio referatur etiam ad conferentem, & recipientem primam tonſuram.

Leſſius *loco cit. num.*91. Azorius 2. *parte lib.*3. *cap.* 49. *quæſit.*4. Rebuffus 1. *parte de litteris dimiſſoriis num.* 5. Fornarius *cap.*5. *num.*3. *verſic. Tertiò*, putant extendi.

Toletus verò *lib.*1. *cap.*49. *num.*4. *ad finem.* Zerola 1. *parte verb. Dimiſſoriæ*, & alij putant non extendi, quia in prædictis locis ſermo eſt de recipiente, & conferente Ordines, & in materia pœnali non eſt facienda extenſio.

Sed mihi placet ſententia Leſſij, Azor. & aliorum, ob rationes, quas in ſimili adduxi *de cenſuris diſput.*7. *quæſt.*1. *punct.*1. *nu.*4. & ex ibi traditis conſtat reſponſio ad rationem in contrarium.

Occaſione eorum, quæ tradidimus in propoſitione, & in præcedentibus quæſitis, nonnulla ſunt adhuc obſeruanda.

28 An obtinens à Summo Pontifice priuilegiũ, quo poſſit à quolibet Epiſcopo ordinari, indigeat nouis litteris dimiſſoriis.

28 Primò, eum qui à Sede Apoſtolica obtinuit priuilegium, quo recipere poſſit Ordines à quolibet Epiſcopo, non indigere nouis litteris dimiſſoriis, indigere verò teſtimonialibus proprij ordinarij de vita, & moribus, alioquin, ſi ad Ordines ſine litteris teſtimonialibus proprij ordinarij promoueatur, remanet ſuſpenſus ab executione ſuſceptorum Ordinum, & ordinans incurrit ſuſpenſionem à collatione Ordinum per annum, vt patet ex Tridentino *ſeſſ.23. de reformatione cap.* 8. *ad fin.* Ita Henriquez *lib.*13. *cap.*28. *num.* 2. Toletus *lib.* 1. *cap.*49. *num.*4. Fornarius *de Ordine cap.*4. *num.*3. Quaranta *verb. Ordo, verſic. Suſpenſionis pœnam*, & alij.

29 Quoſnã Epiſcopus poſſit ordinare, qui in aliena diœceſi cum licentia confert Ordines.

29 Secundò, Epiſcopum, qui in aliena diœceſi confert Ordines de conſenſu Epiſcopi illius diœceſis, non poſſe Ordines conferre Clericis, qui non ſunt ſubditi ipſimet Epiſcopo ordinanti, vel illi Epiſcopo, de cuius conſenſu in aliena diœceſi confert Ordines, nam Ordines conferendi ſunt à proprio Epiſcopo, vel de licentia proprij Epiſcopi.

Hoc tamen limita primò, niſi ordinet habentes litteras dimiſſorias à ſuis Ordinariis, nam habentes litteras dimiſſorias cuiuſcumque ſint diœceſis, poteſt Epiſcopus ordinare, vt patet ex ſupradictis, modò adſit conſenſus Epiſcopi illius diœceſis, in qua Ordines confert, nullus enim poteſt in aliena diœceſi exercere Pontificalia ſine licentia Ordinarij illius loci, vt declarauit Illuſtriſſima Cardinalium Congregatio, & ita colligitur ex Tridentino *ſeſſ.7. cap.* 10. & conſtat à ſimili ex dictis *de Confirmatione.*

Secundò, ab aliquibus limitatur, vt à Maiolo *lib.4. de irregularitate cap.2. num.* 3. & aliis apud Suarez *de cenſuris diſp.* 31. *ſect.*1. *num.*17. niſi Epiſcopus ordinet extraneum bona fide ſub ratihabitione proprij Epiſcopi, vt patet ex facto Epiphanij, qui ſubditum alterius in aliena diœceſi ordinauit, *cap.vlt.quæſt.*2.

Verùm hæc limitatio non facilè admittenda eſt, præſertim ante factum, tum quia in iis, quæ ſunt contra ius, & iuriſdictionem alterius, non facilè præſumenda eſt ratihabitio: tum quia datur anſa Epiſcopis promouendi extraneos ad Ordines hoc quæſito colore.

Neque obſtat factum Epiphanij, nam excuſari poteſt in foro conſcientiæ ratione bonæ fidei, & inaduertentiæ. Ita Mandoſius, Rebuffus, & Lopez apud Quarantam *verb. Ordo, verſic. Amplia hanc extrauagantem.*

Tertiò limitatur ab aliquibus in prima tonſura, quam Henriq. *lib.*3. *cap.*6. *num.*6. & alij, quos ſuprà in ſimili retuli *de Confirmatione*, putant ab Epiſcopo conferri poſſe ſuis ſubditis extra diœceſim, quia hæc non videtur ad actus Pontificales pertinere, cùm priuatim conferri poſſit in cubiculo.

30 An Epiſcopus, qui cõfert primam tonſuram alieno ſubdito ſine licentia ſui Ordinarij, incurrat ſuſpenſionẽ.

30 Vtrùm verò Epiſcopus, ſi alieno ſubdito conferat primam tonſuram ſine licentia ſui Ordinarij in aliena, vel etiam in propria diœceſi, incurrat ſuſpenſionem à collatione primæ tonſuræ, conſtat incurrere ex *cap.final.de temporibus ordinand.lib.*6. ſicut etiam vtrùm initiatus prima tonſura ſine licentia ſui Ordinarij, careat priuilegio tonſuræ, conſtat ex *cap.illud quoque, & cap.ſi quis auſus, diſt.* 71. ex quibus locis colligi videtur carere priuilegio, iuxta Leſſium *loco ſuprà citato*, Azorium *tom.*3. *lib.*3. *cap.*4. *quæſito* 4. Fornarium *cap.*5. *num.* 4. *verſic.* 3. & Rebuffum, quem ſuprà retuli.

31 An qui furtiuè ſuſcipit Ordines, incurrat ſuſpenſionẽ.

31 Tertiò, eum qui furtiuè, id eſt, Epiſcopo non approbante, vel abſque examine Ordines ſuſcipit, incurrere ſuſpenſionem, vt cum Vgolino, Sayro, Henriq. & aliis docui *diſput.*7. *de cenſuris q.* 3. *punct.* 4. *num.*5. Quamquam Suarez *tom.*5. *diſp.*42. *ſect.*3. *num.* 5. putat incidere in irregularitatem.

32 An qui ſine dimiſſoriis, vel furtiuè cõtra prohibitionem ordinantis, accedit ad Ordines, incurrat ſuſpenſionem.

32 Maior difficultas eſt, vtrùm, qui ſine litteris dimiſſoriis, aut furtiuè contra prohibitionem ordinantis, accedit ad Ordines, incurrat excommunicationem.

Reſpondeo: Iure antiquo contrahebat excommunicationem, quam Epiſcopi ferebant ante ordinationem, ſed hoc tempore in nouo Pontificali non videtur ipſo iure lata, ſed ferenda, vt ex nouo Pontificali obſeruat Suarez *tom.*5. *diſp.*42. *ſect.*3. *num.*2. *ad fin.* & alij recentiores. Immo talem excommunicationem non debere ab Epiſcopis ipſo facto ferri, admonet Henriquez *lib.*10. *cap.*20. *num.*1. cum Maiolo, & aliis *in commentario littera D.* ne ſit occaſio iniiciendi nouos laqueos. Verùm ego non video quare iuſta de cauſa nequeat ipſo facto infligi, ſicut poteſt comminatoriè ferri.

33 Supra quos cadat excommunicatio lata ab Epiſcopo ante Ordinationem.

33 Aduerte tamen cum Fornario, & aliis hanc excommunicationem ab Epiſcopo latam in accedentes contra ipſius prohibitionem non ſolùm cadere in ſubditos ipſius Epiſcopi, verùm etiam in exemptos. Ratio eſt, quia ſequeretur aliquando talem excommunicationem fruſtrà ferri, vt ſi Epiſcopus ordinaret ſolùm extraneos, & exẽptos: tum quia poteſtas Epiſcopi in hac parte videtur amplè interpretanda, cum ordinandi aliàs exempti videantur in hac re ſubditi Ordinario, à quo recepturi ſunt Ordines, vt probat Henriquez *loco cit. lit.H.* Idem ſentire videtur Nauarr. *cap.*25. *num.*70. *ad finem, verſ. Sextò peccat*, dum abſolutè nulla facta diſtinctione dixit, Ordinatos contra prohibitionem Epiſcopi continentem ipſo facto excommunicationem, incidere in excommunicationem. Vide, quæ dixi *de Suſpenſione punct.*5. *& de irregularitate quæſt.*3. *punct.*4.

34 An Epiſcopus examini ſubiicere teneatur ordinandum, qui ad ipſum accedit cum dimiſſoriis.

34 Quartò, Epiſcopum, ad quem aliquis mittitur cum dimiſſoriis ad ſuſcipiendum Ordinem ſacrum, non teneri ordinandum ſubiicere examini, modò ſciat ipſum non eſſe indignum, vt promoueatur.

Aliqui tamen Epiſcopi nolunt extraneos cum dimiſſoriis ad ſe accedentes promouere, niſi ipſos per examen idoneos repererint. Ita vſu receptum eſt hic Mediolani, & ita Neapoli ſeruari teſtatur Quaranta *verb.Ordo, verſ. Obligationem Epiſcopi, pag.* 385.

An verò Epiſcopus teneatur iuſta interueniente cauſa dimiſſorias concedere, patet ex dictis *de Legibus.* Ex quibus etiam patet, quid dicendum ſit de interſtitiis, [& à ſimili conſtat ex ſupradictis de facultate abſoluendi à caſibus reſeruatis.]

PVN-

PVNCTVM V.

De subiecto Ordinis, & conditionibus in eo requisitis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quodnã sit subiectũ capax Sacramenti Ordinis.

1 OMnis masculus baptizatus est subiectum capax Ordinis, quamuis sit infans carens vsu rationis, aut insanus, aut hæreticus. Ita S. Thom. *3. parte quæst. 39. art. 2.* Valentia *loco citato, quæst. 4. punct. 1.* Coninchus *disp. 20. dub. 10. num. 94. & 97.* Sotus *dist. 25. quæst. 1. art. 2.* Nugnus *quæst. 39. art. 2.* Vasquez *disp. 246. cap. 1.* [Filliucius *tract. 9. cap. 4. quæs. 2.*] Ratio est, tum quia *cap. vnico, extra de iis, qui per saltum ordinantur*, habetur illos non esse reordinandos, qui ante discretionis annos acceperunt minores Ordines; ergo supponitur masculos rationis vsu carentes esse capaces Sacramenti Ordinis: tum quia vsus rationis videtur solummodò requiri in suscipientibus Sacramenta, quæ consistunt in aliquo actu ipsius suscipientis, sicut est matrimonium, quod consistit in mutuo contrahentium consensu; & pœnitentia, ad quam necessarius est dolor, & confessio, qui sunt actus pœnitentis. Non videtur verò necessarius vsus rationis in suscipiente Sacramenta, per quæ datur aliqua potestas, quæ est prior actu, sed sufficit capacitas potentiæ, seu potestatis, quæ confertur. Ob id communiter Doctores asserunt non requiri vsum rationis in Baptismo, per quem confertur infanti rationis vsu carenti potestas ad alia Sacramenta recipienda.

2 An qui ante vsum rationis initiatus est ordine sacro, teneatur ad votum castitatis.

2 Vtrum verò initiatus Ordine sacro, antequam ad rationis vsum peruenerit, teneatur vi voti ad seruandam castitatem postquam peruenerit ad vsum rationis? Ex dictis de voto constat non teneri, nisi votum ratificauerit, quia votum est deliberata promissio, carens autem vsu rationis non potest deliberatè promittere. Ita Toletus *lib. 1. cap. 61.* Henriquez *lib. 10. cap. 14. nu. 3.* Azorius *lib. 13. cap. 14. quæsito 9.* Fornarius *de Ordine cap. 3. num. 6.* & alij, quos retuli *in tract. de voto.*

3 Differentia inter pueros rationis vsu carentes, & amentes.

3 Obserua tamen hanc esse differentiam inter pueros vsu rationis carentes, & interamentes, quòd pueris validè conferri possunt Ordines, etiamsi illos numquam expetierint, vt patet ex allatis rationibus; illis verò, qui post vsum rationis inciderunt in amentiam, non validè conferuntur Ordines, si Ordines nullo modo prius expetierunt, censentur enim habitualiter nolle Ordines suscipere. Ita Coninchus *nu. 100. ad finem*, & alij, quos in simili retuli *de Eucharistia, & extrema Vnctione.* quamuis contrarium sentire videatur Valentia *tom. 4. disp. 9. quæst. 4. punct. 1.* Reginald. *lib. 3. num. 3.* & alij.

Obiicies contra propositionem: Ad suscipiendum Sacramentum requiritur intentio, sed infans, vel insanus, qui rationis vsu caret, non potest habere intentionem suscipiendi Sacramentum; ergo, &c.

Respondeo ad validè suscipiendum Ordinis Sacramentum in infante non requiri intentionem suscipientis, sed sufficere intentionem Ecclesiæ, iuxta Valentiam *loco citato*, & Sotum *in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 2. ad secundum*, & alios, quos in simili retuli *de Baptismo.*

4 An Episcopatus conferri possit ante rationis vsum.

4 Vtrum verò Episcopatus possit conferri ante vsum rationis, negant communiter Doctores cum S. Th. *q. 39. artic. 2.* eo quòd in Episcopatu conferatur potestas circa corpus mysticum Christi, & consequenter requiratur actus ipsius suscipientis talem potestatem.

Sed mihi probabilius videtur contrarium, tum propter rationem allatam pro reliquis Ordinibus: tum quia non potest sufficiens ratio in contrarium afferri, nam multi sunt Episcopi titulares, qui nullam habent animarum curam, & Ecclesiæ administrationem; ergo Episcopatus videtur validè conferri posse ante rationis vsum. [Ita Sotus *dist. 25. q. 1. art. 2. concl. 2.* Filliuc. *tract. 9. cap. 4. quæs. 2. num. 76.*]

5 An feminæ possint ad Ordines promoueri.

5 Quæres primò vtrum feminæ possint ordinari.

Respondeo negatiuè. Ratio est, tum quia, si feminis in Ecclesia loqui non licet, *1. ad Tim. 2.* multo minus licebit Sacramenta administrare, consequenter non licebit illas promouere ad Ordines, qui pro fine habent administrationem Sacramẽtorum, quod est quid maius, quàm loqui in Ecclesia: tum quia nusquam legitur Christum alios ministros instituisse, quàm viros; ergo soli viri sunt capaces Sacramenti Ordinis. Ita Vasquez *disp. 245. n. 12. c. 2. versic. Ego verò.* Coninchus *disp. 20. dub. 10. nu. 94.* Reginald. *nu. 29.* [Filliucius *tract. 9. cap. 4. quæs. 1. num. 73.*] & alij communiter cum S. Thom. *quæst. 39. art. 1.*

Obiicies, Canone *Diaconissam 27. q. 1. & Canon. mulieres num. 32.* fit mentio mulierum Presbyterarum, & Diaconissarum, quæ prohibebantur ordinari ante quadragesimum ætatis annum; ergo mulieres possunt ordinari, saltem post quadragesimum ætatis annum.

Respondeo nullibi extare mulieres ad Ordines assumptas fuisse, quamobrẽ dico Diaconissas illas, de quibus in prædictis locis fit mẽtio, non fuisse verè initiatas Ordine Diaconatus, sed fuisse destinatas ad quædam obsequia diuina, in instruendis mulieribus catechumenis ad Baptismum, & Presbyteras illas non fuisse insignitas sacro Presbyteratus Ordine, sed habuisse curã quarũdam rerũ Ecclesiæ. Ita Valentia *tom. 4. disp. 9. q. 4. punct. 1. ad finem*, vel dicas cum Conincho *n. 96.* Vasquez *loc. cit. c. 3.* Henriquez *lib. 14. c. 8. n. 6.* [& Filliucio *n. 73.*] appellatas fuisse Diaconissas, eò quòd essent vxores Diaconorum.

6 An Hermaphroditus validè possit ordinibus initiari.

6 Quæres secundò, vtrum Hermaphroditus validè possit Ordinibus initiari.

Respondeo, si æquè, aut magis participat femineum, quàm virilem sexum, non posse validè Ordinibus initiari, quia non magis dici potest masculus, quàm femina, subiectum autem Ordinis sunt masculi. Ita Valentia *tom. 4. disp. 9. q. 4. punct. 1.* Suarez *tom. 5. disp. 51. sect. 2.* Henriquez *lib. 10. cap. 16.* Fornarius *de Ordine cap. 3. nu. 1.* [Filliucius *nu. 73.*] Vgolinus, Sanchez, Auila, Molina, Sayrus, & alij, quos retuli *de censuris disp. 7. q. 2. punct. 2. num. 13.*

Si verò præualeat sexus virilis, validè potest ordinari, cùm dicatur vir, seu masculus, licitè tamen non potest ordinari, cùm sit irregularis, iuxta Suarez *loc citat.* & alios, quos retuli *de censuris*, contra Toletum *lib. 1. cap. 63. nu. 6.* & Martinum Fornarium *de Ordine cap. 3. nu. 1.* arbitrantes non esse irregularem, modò res non sit notoria, quando verò res est notoria, etiam ipsi concedunt non posse ad Ordines promoueri ratione scandali.

SECVNDA PROPOSITIO.

MVltæ conditiones requiruntur ad validè, aut licitè suscipiendos Ordines.

7 An susceptus ordines debeat esse baptizatus.

7 Prima conditio est, vt suscipiens sit baptizatus, nam character Ordinis necessariò supponit characterem Baptismi, vt suo loco diximus, & constat ex *cap. veniens, de Presbytero non baptizato.* Ita communiter DD.

8 An debeat esse confirmatus.

8 Secunda est, vt sit cõfirmatus, vt patet ex Tridentino *sess. 23. cap. 4.*

9 An Sacramentũ Ordinis non confirmato valide conferatur.

9 Sed modò dubium est, vtrum Sacramentum Ordinis validè conferri possit illi, qui non est confirmatus.

Respondeo cum Suarez *disp. 38. sect. 1.* Reginaldo *lib. 28. nu. 24.* Nauarro *cap. 26. nu. 9.* Coninchо *tom. 1. q. 72. art. 8. num. 90. & tom. 2. disp. 20. dubio 10. num. 102.* Soto *dist. 22. q. 2. art. 4. versus finem.* Henriquez *lib. 10. cap. 14. in commentario littera P.* validè, sed non licitè conferri posse.

Quòd validè conferri possit, ratio est, quia Ordo non necessariò supponit characterem Confirmationis, vt pater ex dictis *de Confirmatione.*

Quòd verò non possit licitè conferri, patet est Trid. *sess. 23. cap. 4.* vbi prohibentur initiari tonsura, qui Sacramentum Confirmationis non susceperunt.

10 An suscipiens, vel administrans ordines ante Confirmationem peccet.

10 Obseruat tamen Sotus, Coninchus, & alij, eum qui suscipit, aut ministrat Ordinem ante Confirmationem, non peccare mortaliter, sed venialiter.

Sed hoc ego non facilè admiserim, cùm faciat contra Tridentini decretum, & contra consuetudinem Ecclesiæ in re graui.

11 An susceptus Ordines debeat esse initiatus prima Tõsura.

11 Tertia conditio est, vt susceptus Ordines initiatus sit prima tonsura, vt patet ex communi vsu, & praxi, valida tamen est ordinatio ante primam tonsuram, cum nullo iure colligatur necessariò requiri primam tonsuram ad validam Ordinis susceptionem. Ita Tolet. *lib. 1. cap. 71.* Fornarius *de Ordine cap. 3. num. 2.* & alij.

12 Quænã ætas requiratur ad Ordines susc piendos.

12 Quarta conditio est legitima ætas, nam ad primam tonsuram, & minores Ordines requiruntur saltem septem anni completi, ad Subdiaconatum viginti duo inchoati, ad Diaconatum viginti tres inchoati, ad Presbyteratum viginti quinque, etiamsi per medium tantùm diem inchoati sint, vt patet ex Bulla Pij II. quam refert Quaranta *verb. Ordo, in principio, & ex cap. nullus, de temporibus ordinandorum*; ad Episcopatum verò requiruntur triginta anni completi, *cap. cùm in cunctis, de electione*, & nihil iure nouo fuit cautum in contrariũ.

13 Quã pœnam incurrant initiati Ordine sacro mala fide ante legitimam ætatem.

13 Addo, initiatos Ordine sacro mala fide ante legitimam ætatem affici suspensione, donec absoluantur, vt ex prædicta Bulla, & Toleto obseruat Quaranta *loc. cit. vers. Colligitur.* Immo probabiliter videtur incurrere irregularitatem, si post ordinationem consecret cum Episcopo, Sacerdos enim suspensus incurrit irregularitatem per exercitium Ordinis sacri, vt patet ex dictis *de censuris.* Ita Nauarr. 5. *consilio de Clericis non ordinatis fol. mihi 510.* Sorbus *in compendio Priuilegiorum verb. Ordines sacri, vers. item notandum secundò*, & alij, quos adducit Quaranta *verb. Ordo, vers. Colligitur.* contra Auilam *3. parte disput. 5. dub. 7. vers. Dico secundo.* Henriq. *lib. 13. cap. 10. littera F. & lib. 14. cap. 3. num. 6.* Suarez *tom. 5. de censuris disp. 31. sect. 1. num. 70.* Sayr. *lib. 4. cap. 15. num. 23. & lib. 6. cap. 12. num. 11.* Rodriquez *in summa 1. parte cap. 68. concl. 2.* Quarantam *loc. cit. vers. Ampliatio illa*, & alios hac ratione ductos, quia hæc videtur vnica actio ordinationis. Sed de hac re *de censuris disp. 3. q. 6. punct. 5.*

Verum qui testimonio suorum parentum bona fide ordinatus est ante legitimam ætatem, non remanet suspensus, cùm non peccet recipiendo Ordines bona fide, vt ex Nauarro, & Couarruuia obseruat Toletus *lib. 1. cap. 49. vers. Quartò habetur.* Quaranta *verb. Ordo, versic. Quibus sic specialiter.* consequenter non fit irregularis celebrando, cùm non dicatur violare censuram, quamuis peccet mortaliter celebrando, sciens se non habere legitimam ætatem, vt colligitur ex Bulla præcitata. Ita Nugnus *3. parte q. 39. art. 20.* Rodriq. *2. parte cap. 10. concl. 2.* Suarez *tom. 5. de censuris disp. 51. sect. 2. num. 4.* Toletus *loco citato, num. 4. ad finem.* Quaranta *loc. cit. vers. Notandum*, & alij.

Quomodo autem legitima ætas probetur, videri potest apud Menoch. *de præsumptionibus, præsumptione 51.* & apud Mascardum *de probationibus tom. 2. concl. 667.*

14 An dies bissextilis computandus sit cum ætate legitima.

14 Si quæras, vtrum dies bissextilis computandus sit pro ætate legitima, quam iura in promouendis ad Ordines requirunt.

Respondent aliqui DD. negatiuè, vt in simili docere videtur Sayrus, Vgolinus, & alij, quos retuli *de censuris disp. 3. q. 6. punct. 3. num. 5.* Ratio est, tum quia annus à iure præfixus in odiosis constat 365. diebus, tum quia sicut ille annus 1582. ex quo Gregorius XIII. abstulit decem dies à mense Octobris iuxta Calendarium nouum, censebatur annus integer, ita sentientibus Theologis, & Iurisperitis apud Henriquez *loco* Iatim *citando*, contra Fornarium *cap. 3. num. 5.* & alios.

15 Quid dicendum sit de anno probationis, seu Nouitiatus, &c.

15 Ex quo deduci potest quid dicendum sit de anno probationis, seu nouitiatus, aut de anno suspensionis, quando quis per annum suspenditur. Idem præter DD. relatos *de censuris disp. 3. punct. 3. num. 5.* tenet expressè Syluester *verb. Ætas, quæsito 3. & verb. Religio 3. quæsit. 10.* Henriq. *lib. 10. c. 19. in commentario littera K.* Martinus Fornarius *de Ordine c. 3. n. 4.* [fauet Suar. *de censuris disp. 29. sect. 1. n. 6. & seqq.*]

[Sed contrarium mihi probabilius videtur, tum quia dies illa bissexti est complementum quatriennij præcedentis quæ deerat ad cõplementum integri circuli Solis per Zodiacum: tum quia duo illi dies pro vno computantur. *cap. quod sicut. de verbor. significat. & l. 3. §. minorem. ff. de min. & l. cùm bissextus. ff. de verb. significat.* tum quia anni computandi sunt iuxta ritum & vsum Ecclesiæ, vt in simili tradunt communiter DD. *de interstitiis*; vsu autem Ecclesiæ receptum est, vt dies bissexti computetur; alioquin non solùm non esset computandus dies præsentis anni bissextilis, verum neque annorum præcedentium] bissextilium, quod puto contra vsum, & praxim hic Mediolani receptam, vbi ad Sacerdotium non admittitur qui eadem hora, in qua habetur sacra ordinatio, complet 24. annum: non habita ratione annorum

norum biſſextilium. [Vide Molinam *de contract. diſp.* 573. *num.* 3. Sanchez *in ſumma lib.* 4. *cap.* 35. *num.* 3. & 4. Monetam *de Conſeruator. cap.* 7. *ad fin. nu.* 619. Sfortiam Oddum *loc. ſuprà cit. num.* 55.]

16 An requiratur ſcientia in ordinando.

16 Quinta conditio eſt ſcientia ſufficiens ad vſum vniuſcuiuſque ordinis. Quamobrem Concilium Trident. num *ſeſſ.* 26. *c.* 11. in promouendis ad minores requirit ſaltem linguam Latinam, in iis verò, qui promouendi ſunt ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, exigit cognitionem eorum, quæ pertinent ad iſtos Ordines, & *c.* 13. & 14. docet initiandum Ordine ſacerdotali debere eam ſcientiam habere, qua poſſit populum docere neceſſaria ad ſalutem, riteque adminiſtrare Sacramenta. Vide, quæ diximus *de cenſuris diſp.* 7. *q.* 2. *punct.* 1. *num.* 3.

17 An requiratur teſtimoniũ morum.

17 Sexta, ſunt teſtimonia morum, quæ ſolent exhiberi tempore ſcrutinij, antequam aliquis ad Ordines promoueatur, vt patet tum ex praxi: tum ex Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 5.

18 An qui ad ſacros Ordines promouetur titulũ habere debeat.

18.19 [Septima conditio eſt, vt habeat titulum, dum promouetur ad ſacros Ordines. Imò recipiens ſacros Ordines abſque vllo titulo ſuſpenditur ab executione Ordinum. Probatur;

19 Ordinatus ordine ſacro abſque vllo titulo ſuſpẽſus eſt.

Primò ex *cap. neminem diſt.* 70. vbi decernitur, vt nullus abſque titulo ordinetur, deinde ſubiungitur, *eos autem, qui abſolutè* (id eſt, ſine titulo) *ordinantur, decreuit Sancta Synodus vacuam habere manus impoſitionem, & nullum tale factum valere ad iniuriam ipſius, qui eum ordinauit.* idem decernitur *in cap. ſanctorum, eadem diſtinctione.* vbi dicitur, *decernimus vt ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur.*

Dices, iſti duo textus abrogati fuerunt *in cap. Epiſcopus, & cap. cùm ſecundùm, de præbendis.* Reſpondeo primò non fuiſſe ſimpliciter abrogatos in præfatis textibus, vt *infrà* probabo. Reſpondeo ſecundò confirmatos, & innouatos fuiſſe in Concilio Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *ad finem, de reformat.* vt conſtabit ex dicendis in ſecunda ratione.

Secundò igitur probatur ex Concilio Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 2. *cit. ad finem de reformat.* vbi prohibetur Ordines ſacros ſine titulo ſuſcipere, deinde innouatur pœna antiquitus impoſita, ibi, *antiquorum canonum pœnas ſuper his innouando.* perſpicuum autem eſt *cap. neminem, & c. ſanctorum,* eſſe canones antiquos, cùm editi fuerint in Concilio Chalcedonenſi, & ab Vrbano II. qui obiit anno 1099. die 29. Iulij. antiqui ergo canones, quorum pœnas Concilium innouat, non ſunt *cap. cùm ſecundùm Apoſtolum,* neque aliæ Epiſtolæ, quæ in Decretalibus compilatæ ſunt, ſed *cap. neminem, & cap. ſanctorum,* aliique textus conſimiles, qui in Decretis cõtinentur, ex Gabriele Vaſquez 3. *parte tom.* 3. *diſput.* 146. *num.* 6. & aliis *infrà* citandis.

Tertiò probatur ex Bulla 75. Pij V. edita anno 1568. die 12. Nouẽbris, incipit, *Romanus Pontifex Sãctorum,* in qua Bulla Summus Pontifex ſupponens in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. innouatam fuiſſe ſuſpenſionem cõtra Clericos ſæculares ſine Titulo promotos, extendit diſpoſitionem eiuſdem Concilij ad Religioſos ante profeſſionem promotos abſque titulo, ipſoſque inhabiles reddit ad Ordines exercendos, & exercentes efficit irregulares, quod etiam militat in nulliter profeſſis, vt benè ſacra Cardinalium Congregatio declarauit, teſte Garzia *de beneficiis* 2. *p. c.* 5. *n.* 10. & *ſeqq.* Nauarr. *de regul. comment.* 4. *nu.* 72. *verſ. non obſtat.* & Sanch. *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 37. *nu.* 43. Ratio eſt, tum quia non habent titulum; tum quia carent litteris dimiſſoriis legitimi Prælati. Patriarchis verò, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, qui præfatos religioſos ad ſacros Ordines ante validam profeſſionem ſine titulo admittunt, ſuſpenſionem à collatione talium Ordinum per annum imponit idem Pius V. cuius Bulla videri poteſt, eamque in hac parte retuli *quæſt.* 2. *punct.* 10. *de cenſuris in particulari.*

Quartò probatur ex Bulla Sixti V. cõtra Clericos malè promotos, in qua ſuſpenſionem imponit Clericis Ordines ſacros ſuſcipientibus abſque titulo beneficij, vel patrimonij, & hæc Bulla non videtur in hac parte abrogata à Clemente VIII. quia Clemens VIII. reduxit illam Bullam ad terminos iuris communis; iure autem communi lata eſt ſuſpenſio contra Clericos, & religioſos, qui ſine titulo ſacris Ordinibus initiantur.

Prædictis adde pro diœceſi, & prouincia Mediolanenſi in Concilio Prouinciali VI. *tit. quæ ad Ordines,* extare ſpecialem ſuſpenſionem ab Ordine ad arbitrium Epiſcopi contra eum, qui ad patrimonium in Prouincia Mediolanenſi malè promouetur.

20 Ordinatus cũ pacto non petendi ſuſtentationem, vel quid aliud ab ordinãte, vel præſentante incurrit ſuſpenſionẽ ab executione ordinis ſuſcepti.

20 Ex dictis ſequitur primò à fortiori, eum, qui ad aliquem ſacrum Ordinem promouetur, irrito pacto cum ordinante, vel cum præſentante non petendi ſuſtentationem, aut beneficium, aut aliquid aliud, vnde ali poſſit, ſuſpenſionem incurrere ab executione Ordinis ſuſcepti. Ratio eſt, tum quia hic recipere videtur ſacros Ordines ſine titulo: tum quia etiamſi titulus reipſa validus eſſet, nihilominus hic caſus expreſsè definitus eſt *in cap. pen. de ſimonia,* vbi dicitur, eum, qui ſic ordinatur, manere ſuſpenſum ab Ordine ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc obtinere meruerit. Idem habetur *in cap. per tuas nobis* 3. *de ſimonia,* vbi ordinatus hoc pacto repellitur ab executione Ordinis ſic ſuſcepti, & ab aliis ſuſcipiendis. Imò Gloſſa *in dicto cap. per tuas, verbo intellexit.* Alterius *de cenſuris tom.* 2. *diſp.* 10. *cap.* 3. *colum.* 6. *verſ. poteſt,* exiſtimant iſtum à ſuſpenſione non excuſari, etiamſi ignorantiam iuris haberet, id eſt, etiamſi neſciret vetitum eſſe ab Eccleſia Ordines hoc præuio pacto ſuſcipere; nam in præfato capite ſuſpenſio extenditur ad illum, qui nec ſe in hoc aliquid illicitum egiſſe intellexerit, vt in præfato textu dicitur. Ego verò probabilius arbitror in foro conſcientiæ excuſari poſſe, ſi re vera ignorantia interceſſit, quicquid ſit de præſumptione fori externi: tum argumento *cap. ſi qui à ſimoniacis*; tum quia cenſura grauis ſupponere ſolet grauem culpam. Ita Suarez *de cenſuris diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 34.

21 Ordinatus ſine titulo, ficto patrimonio ſuſpenſionem incurrit.

21 Maior difficultas eſt, vtrùm Clericus, qui nullo præuio pacto cum ordinante vel præſentante, Ordines ſine titulo accipit, ſuſpenſione afficiatur: vt ſi quis titulum patrimonij confingat, mentiendo, aut falsò probando habere, quod non habet, vel plus habere, quàm habeat; cùm tamen id quod habet ad ſuſtentationem non ſufficiat, aut ſi fictam donationem ab aliquo accipiat. Reſpondeo duplicem in hac re Doctorum ſententiam extare.

Prima eſt nonnullorum negantium Clericum ordinatũ ſine titulo, vel patrimonio affici ſuſpenſione, quoties nullum init pactum cum ordinante vel præſentante petendi quidquam. Ratio eſt, tum quia nullo iure probari poteſt huiuſmodi ſuſpenſio: nam *cap. neminem, & cap. Sanctorum, diſt.* 70. reuocata fuerunt *in cap. cùm ſecundùm Apoſtolum, de præbendis,* nec innouata ſunt in Tridentino *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. cum in eo innouari tantummodo videatur *cap. cùm ſecundùm Apoſt.* quod nondum ſublatum erat, vt ex declarationibus Illuſtriſſ. Cardinalium docet P. Marzilla in Tridentino *loco cit. verſ. antiquorum.* tum quia quamplures ſacræ Congregationis deciſiones pro hac parte adducuntur à Gonzales *ad regulam* 8. *Cancellariæ gloſſa* 5. §. 10. *num.* 22. & ab aliis, eidem opinioni adhæret Gutierez *lib.* 2. *practicar. quæſt.* 65. *num.* 11. *verſ. nec opinio.* Henriquez *in ſumma lib.* 13. *cap.* 37. *num.* 2. vbi pro hac ſententia duodecim auctores allegat Emanuel Sà *verbo ſuſpenſio, num.* 10. Auila 3. *parte diſp.* 5. *dub.* 5. *concluſ.* 2. Toletus *lib.* 1. *cap.* 49. *nu.* 5. Fornarius *de ordine cap.* 8. *num.* 8. & alij apud Stephanum Quarantam *verb. Ordo, verſic. & conſtitutio,* & apud Garziam *de beneficiis* 2. *parte cap.* 5. *num.* 21. & *ſeqq.*

Secunda ſententia ſimpliciter affirmat dolosè ordinatum abſque titulo ſuſpenſionem ipſo facto incurrere ab Ordine ita ſuſcepto. Hæc opinio ſufficienter probatur, tum rationibus allatis ad probandam ſeptimam conditionem, tum quia in Bulla Summi Pontificis Vrbani VIII. quæ incipit, *ſecretis æternæ prouidentiæ,* edita 11. Decembris 1624. impoſita eſt ſuſpenſio perpetua contra promotum ficto, falſo, ſeu fiduciario patrimonio, ibi, *Promoti verò perpetuæ ſuſpenſionis pœnam abſque ſpe diſpenſationis à Sede Apoſtolica obtinendæ incurrant, eo ipſo inſuper promotos huiuſmodi, ac etiã eos, qui cum falſis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonij titulis ſcienter ſe ad ordines huiuſmodi promoueri fecerint, non ſolùm prædictis, verùm etiam maioribus arbitrio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis afficiendos pœnis*; quamquam in præfatis verbis ſermo videtur eſſe tantũmodo de Hiſpanis, Luſitanis, Gallis, vel Germanis, aliiſque vltramontaneis. Hanc ſecundam ſententiã ſequitur Nauarr. *conſil.* 14. & 46. *de temporibus ordinationum*; & *in Manuali cap.* 27. *nu.* 158. Bernard. Diaz *in pract. cap.* 18. *in princip.* Suarez *de cenſuris diſp.* 1. *ſect.* 1. *nu.* 31. & *ſeqq.* Maiolus *lib.* 4. *de irregularit. cap.* 15. Graffius *lib.* 2. *deciſ. cap.* 97. *num.* 56. Alterius *tom.* 2. *diſp.* 10. *cap.* 3. *col.* 3. Sanchez *de matrim. lib.* 6. *diſp.* 32. *num.* 8. Rodriquez, Comitolus, Zerola, & alij, quos hic aliàs retuli: omiſſis aliis quampluribus, apud Garziam *num.* 24. & apud alios præcitatos Doctores.

Si quæras quiſnam dicendus ſit titulus fiduciarius. Reſpondeo illum dici, quem quis alteri aſſignat extorta promiſſione reſtituendi bona poſt ordinationem. *l. Seius Saturninus, ad Treb. & l. dotem. de collat. bonorum.*

Ad primam rationem primæ ſententiæ reſponſio patet ex rationibus allatis ad probandam ſeptimam conditionem. Neque obſtat *cap. cùm ſecundùm Apoſtolum*; quamuis enim admitterem in eo cap. reuocari diſpoſitionem *cap. neminem, & cap. Sanctorum,* (quamquam Nauarr. & Alterius *locis citatis* conantur pluribus oſtendere præfatos textus in eo cap. non reuocari reſpectu eorum, qui dolosè promouẽtur ficto patrimonio, ſed ſolùm decerni, vt ordinatus non afficiatur ſuſpenſione, ſi abſque fraude, & malitia fateatur ſe titulum non habere, ſicque permittat ſe ordinari. Ordinator verò ſi in tali euentu Ordines ſacros illi ſponte cõferat, obligetur ad alendum ordinatũ, donec ei beneficium conferat;) nihilominus aſſerimus præfatos textus in Concilio Tridentino innouari, quia illi ſunt verè Canones antiqui.

Ad ſecundam reſpondeo primò declarationes ſacræ Congregationis non facere ius, & non ſemper omnibus caſibus accõmodari poſſe.

Reſpondeo ſecundò, iuxta ſacram Cardinalium Congregationem innouari in Concil. Trid. *cap. cùm ſecundùm,* non tamen excludi videtur, quin etiam innouentur alia præcitata iura, quæ maximè antiqua ſunt, ita tamen, vt contrarietas non admittatur. Propterea ordinans aliquem, ſciens ipſum non habere titulum, tenetur ipſum alere, & ſuſtentare, & hoc pacto admitti poteſt in Concilio innouari *cap. cùm ſecundùm Apoſtolum, de præbendis,* iuxta declarationem ſacræ Congregationis.

Ordinatus verò mala fide ſine titulo ſuſpenſionem incurrit, & hoc pacto innouatur *cap. neminem, & cap. Sanctorum, diſt.* 70. ita Nauarr. & Alterius *locis citatis.*

22 Subdiaconus ordinatus ſine titulo, & obtenta ſuſpenſionis abſolutione, iterum incurrit ſuſpenſionem ſi ad Diaconatũ, vel ſacerdotium ſine nouo titulo promoueatur.

22 Secundò ex dictis in ſeptima conditione ſequitur Subdiaconum, qui Subdiaconatus ordine inſignitus fuit abſque vero titulo, & poſtmodum obtenta ſuſpenſionis abſolutione accedit ad Diaconatum, vel ad ſacerdotium ſine nouo titulo patrimonij, vel beneficij, iterum affici ſuſpenſione. Ratio eſt, quia hic dicitur ſacros Ordines ſuſcipere ſine vero titulo, & iura abſolutè ſuſpendunt ſuſcipientem ſacros Ordines ſine titulo. Ita ſacra Cardinalium Congregatio, teſte Fornario *de ordine cap.* 8. Suarez *loco citato, num.* 39. Alterius *loco citato cap.* 3. *ad finem,* Stephanus Quaranta *verb. Ordo, verſic. an verò,* Henriquez & alij.

23 Ordinatus ſine titulo duplicem incurrit ſuſpenſionem, ſi ficto titulo litteras dimiſſorias obtinuit.

23 Tertiò ſequitur ſuſcipientem ſacros Ordines abſque titulo affici ſuſpenſione, ſiue ordinetur à proprio, ſiue ab alieno Epiſcopo, etiam cum litteris dimiſſoriis proprij Epiſcopi; adhuc enim militat eadem ratio, & eadẽ iuris diſpoſitio, nec litteræ dimiſſoriæ conferunt titulũ.

23 Addo eum, qui ficto titulo obtinuit litteras dimiſſorias, recipiendo ſacros Ordines affici duplici ſuſpenſione, vnam quia recipit Ordines abſque titulo, alteram, quia dicitur ordinatus ab alieno Epiſcopo ſine litteris dimiſſoriis, huiuſmodi enim litteræ irritæ ſunt, vtpote per dolum obtentæ, quo dolo cognito ſuperior dimiſſorias non conceſſiſſet. Ita Suarez *diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 36. Alterius *tom.* 2. *diſp.* 10. *cap.* 3. *colum.* 12. *dub.* 7. Idem probabiliter dicendum arbitror de eo, qui ſacros Ordines recipit cum licentia ſui Epiſcopi, impetrata ad titulum patrimonij donati: ſed ordinandus illud ante ordinationem renuntiauit, hic enim incurrit ſuſpenſionem, tum quatenus ordinatur abſque litteris dimiſſoriis (cenſetur enim licentiam, ſeu dimiſſorias per dolum, dantẽ cauſam licentiæ, obtinuiſſe:) tum quatenus ordinatur abſque titulo ſufficienti, cùm probabile ſit renuntiationem illius tituli factam ante ordinationem validam eſſe, iuxta Suarez

num.

*num.*37. Garziam *loco citato num.*170. & Sanchez *lib.*6. *de matrimonio disputat.* 32. *numero* 8. & alios contra Nauarrum *in manuali cap.* 27. *nu.*158. Felinum, & alios apud Alterium *loco citat.* An autem renuntiatio facta post ordinationē teneat, constabit ex dicendis *illatione* 5.

24 Ordinatus sine titulo incurrit irregularitatem exercendo functiones ordinis antequā absoluatur.

24 Quartò sequitur suscipientem sacrum Ordinem absque titulo, incidere in irregularitatem, si functionem Ordinis susceepti exerceat antequam absoluatur, nam hic contraxit suspensionem, vt probatum est: violans autem suspensionem per exercitium Ordinis sacri pœnam irregularitatis incurrit, vt suo loco probaui.

25 Ordinatus cum vero patrimonio non incurrit suspensionē, si suseepto sacro ordine patrimonium retrodonet, & renunciet.

25 Quintò sequitur, eum non affici suspensione, qui assignato sibi vero pattimonio sacrum Ordinem suscipit, eoque suscepto retrodonat, & renuntiat patrimonium donatori, aut alteri, aut victum non petit ab eo, qui titulū sibi assignauerat, & hoc militat etiāsi facta huiusmodi retrodonatione, & renuntiatione ad superiores Ordines ascendat. Ratio est, quia hic non dicitur sacros Ordines suscipere sine titulo, nam illa retrodonatio irrita est, & inualida, ex decreto Tridentini *sess.*21. *cap.*2. vbi dicitur, talem titulum sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus posse, vbi notanda est illa particula, *nullatenus*, quæ tollit potentiam, & nullitatem actus ipso iure inducit. *l. vlt. C. de testamento milit. Authent. si qua mulier, & ibi glossa verb. nullatenus. C. ad senatusconsultum Velleianum. Clement. vnica, verbo, nullatenus, de sequestrat.* Idemque in terminis tradunt Nauar. *consil.*21. *de tempore ordinat.* Henriquez *lib.*13. *cap.*37. *num.*2. Auila *de censuris* 3. *part. disp.* 5. *dub.* 5. Quaranta *loco citato*, Garzias *de benef.*2. *part. c.*5. *num.*175. *& seq. & num.*182. Addens limitationem, quæ mihi non valdè probatur, Molina *tom.*1. *de iustitia tract.*2. *disp.*238. *ad finem.* Gratianus *discept. forens. cap.*159. *n.*18. Sayrus *de censuris lib.*4. *cap.*15. *nu.*23 & alij, contra Sanchez *lib.*6. *de matrim. disp.*32. *num.*8. & alios.

26 Ordines suscipiens assignato sibi patrimonio cū pacto restituendi patrimonium donatario, seu non petendi quicquam, nō videtur affici suspensione, modò non restituat ante ordinationem, & non inierit hoc pacto cum ordinante, vel præsentante ad ordines.

26 Maior difficultas est, vtrum suspensione afficiatur is, cui facta fuit assignatio patrimonij cum pacto, & iuramento restituendi patrimonium donatori, seu non fruendi bonis donatis, seu non petendi quidquam.

Respondeo probabiliter sustineri posse, non affici suspensione, modò non restituat ante ordinationē, vt dictum est *illatione tertia n.*5. & modò pactum non inierit cum ordinante, vel præsentante ad ordines, vt dictum est *illatione prima ex cap. per tuas, & cap. penult. de simonia.* Ratio est, quia cum assignatio valida sit (dominium enim translatum est in donatarium, vt suppono) non dicitur ordinatus sine titulo. Ita Toletus *lib.*1. *c.*49. *vers.*5. *n.*5. Auila *loco cit.* Garzias *n.*161. & alij, quos retuli *de Sacramentis disp.*8. *quæst. vnica part.*5. *n.*20. contra Sanchez *de matrimonio lib.*6. *disp.*32. *nu.*8. & Suarez *nu.*37. & alios apud Garziam *n.*153. quorum opinionem hoc tempore approbo post constitutionem Vrbani VIII. quia titulus videtur fiduciarius; si verò patrimoniū fictè assignatum fuit, vt si quis fictè recepit patrimonium à Caio non habente intentionem donandi, seu assignandi, perspicuum est ordinatū cum huiusmodi titulo suspensum esse, quia hæc non est donatio, sed donationis fictio, cōsequenter ordinatus dicitur Ordines sine titulo suscepisse; imò si fidem dedit, seu promisit assignāti reddere bona, cùm promotus fuerit, Sanchez *loco cit.* putat teneri ad restitutionem patrimonij eo pacto assignati; cùm enim Clericus ad illa bona ius non acquisierit, non potest illa retinere. Neque obstat Decretum Tridentini *loco cit.* quia loquitur de obtinentibus patrimonium, seu pensionem; in nostro autem casu hic numquam obtinuit patrimonium, cùm illa non fuerit vera donatio; sed fictio donationis. Ita Sanchez *loco cit.* & quamplures alij apud Garziam *n.*166. quorum opinio mihi non displicet, quoties constat donationem fictè factam fuisse, secus si constet, vel etiam dubitetur illam validam fuisse, tunc enim iudicandum est in fauorem actus, & status Ecclesiastici, vt patet ex dictis aliàs in hoc loco *n.*20. cum Toleto *lib.*1. *c.*49. *n.*5. Auila, & aliis, quibus adde Ledesmam, Henriquez, & alios apud Garziam *nu.*164.

An verò, qui in vera patrimonij assignatione iurauit se nihil petiturum, aut resignaturum patrimonium, teneatur iuramentum seruare, patet ex dictis *de contractibus disp.*3. *q.*1. *puncto* 1. *de iuramento firmanti contractum.* & nobiscum præter DD. ibi citatos sentire videtur Henriquez *lib.*13. *c.*37. *n.*2. asserens huiusmodi pactum irritū esse, & hanc conditionem pacti, quamuis iuratam, reiici tamquam turpem. Toletus verò *loc. cit.* cum Panormitano putat non posse quicquam petere, quia iuramentum obligat. Vide Garziam 2. *part cap.*5. *dub.*14. *num.*230. *& seqq.*

Sextò illum non affici suspensione, qui promouetur ad titulum beneficij, cuius fructibus potiri, & frui non poterit, nisi post obtentum presbyteratum; hic enim non dicitur promotus sine titulo. Ita sacra Cardinalium Congregatio, teste Garzia *de beneficiis* 2. *parte cap.*5. *num.*110.

27 Ordines minores suscipiens sine titulo non ligatur suspēsione.

27 Septimò sequitur, eum qui ad minores Ordines promouetur absque titulo, non ligari pœna suspensionis: tum quia Concil. Trid. *sess.*21. *c.*2. Pius V. & Sixtus V. loquuntur solùm de recipientibus Ordines sacros, tum quia vsu, & praxi receptum est, vt titulus ad minores Ordines non requiratur. Ita Petrus Ledesma *de Sacramento ordinis c.*7. *ad finem.* Parisius *de resignat. lib.*2. *q.*6. *n.*4. Salcedo apud Diaz *c.*18. *n.*5. Vgolin. *de irregularitate c.*61. *nu.*2. Garzias *de benef.*2. *parte c.*5. *nu.*4. Comitolus *lib.*6. *q.*38. Alterius *loco cit. col.*7. *dub.*1. & alij contra Glossam *in cap. non liceat, de præbendis.*

Nec obstat *cap. neminem, & cap. sanctorum, distinct.*70. in quibus simpliciter præscribitur titulus in suscipiente Ordines; respondetur enim consuetudinem addidisse illis textibus moderationem, vel interpretationem; consuetudo enim est optima legis interpres. *cap. cum dilectus, de consuetudine, & l. si de interpretatione. ff. de legibus.*

28 Ordinatus ad titulum patrimonij, vel pensionis non est suspensus.

28 Octauò eum, qui ad patrimonium, vel pensionem sufficientem ad sustentationem ordinatus est, à pœna suspensionis liberari, quia non dicitur ordinatus sine titulo, pensio enim, & patrimonium rationem habent sufficientis tituli. *c. tuis, de præbendis.* Addit Surdus *de alimentis tit.*7. *q.*37. *nu.*2. aliquem ordinari posse absque titulo, si partem diuitem habeat. Sed hoc ego non approbo, quia Concil. Trid. *loc. cit.* non vult quemquam ad titulum patrimonij, vel pensionis promoueri, nisi patrimonium, vel pensio, verè ab eo obtineatur. Ita Garzias *de benef.*2. *p. cap.*5. *n.*92.

29 Ordinatus ad titulū beneficij quod actu non possidet, sed solum impotentia, pœnam suspensionis contrahere:

29 Nouò eum, qui promouetur ad titulum beneficij, quod actu non possidet, sed solum impotentia, pœnam suspensionis contrahere: tum quia ordinatur sine titulo: tum quia Concilium Tridentinum *sess.*21. *cap.*2. non vult quemquam ad Ordines promoueri, nisi beneficium pacificè possideat. Propterea non potest quis Ordinibus initiari ad titulum de futuro, & in spe certa, vt si iam præsentatus, postulatus, seu nominatus fuit, sed pacificam beneficij possessionem nondum accepit. Ita Ledesma *loco cit. post octauam conclusionem.* Sayrus *de censuris lib.*4. *c.*14. *nu.*19. Garzias *de beneficiis loco cit. nu.*130. Cenedus *pract. qq. lib.*1. *quæst.*4. *n.*23. Barbosa *in remiss. sess.*21. *cap.*2. *n.*4.

30 Coadiutor cum futura successione incurrit suspensionem suscipiendo sacros ordines absque alio titulo.

30 Probabile tamen est eum, cui beneficium collatum fuit, sed eius possessionem nondum cepit, non affici suspensione recipiendo Ordines ad titulum illius beneficij. Ratio est, quia hic non dicitur absolutè ordines recipere sine titulo, & licet Concilium præscribat beneficiarum non admitti ad sacros Ordines ante pacificam possessionem; nihilominus nullam pœnam imponit, sed pœnas iuxta dispositionem antiquorum canonū innouat; in sacris autem canonibus non est imposita suspensio beneficiario sacros Ordines recipienti ante pacificam benficij possessionem. Ita Parisius *lib.*2. *q.*6. *n.*7. Salcedo apud Diaz *in pract. c.*18. *n.*7. Garzias *loc. cit. nu.*133. & alij. Secus dicendum est de eo qui coadiutoriam perpetuam obtinuit cum futura successione: hic enim non dicitur beneficium pacificè possidere, consequenter si Ordines sacros sine alio titulo accipiat, afficitur suspensione, nisi fortè in constitutione coadiutoriæ perpetuæ assignata ei fuisset certa quantitas sufficiens ad sustentationem; tunc enim potest Ordinibus initiari, non tamquam ad titulū beneficij, sed potiùs tāquam ad titulum pensionis in eo beneficio fundatæ, vt benè Garzias *loc. cit. n.*132. P. Ledesma *loc. cit. c.*7. *concl.*11. *dub.*2. & alij apud Garziam *loco cit.* & apud Barbosam *num.*13.

Decimò sequitur eum, qui beneficium inualidè obtinet, affici suspensione, si ad illius titulum promoueatur. Ratio est, quia hic reuera non habet beneficij titulum, sed est intrusus, vt suppono: ergo non euadit pœnam suspensionis, etiamsi fortè beneficium pacificè, & absque lite possideat. Contrarium sustinet Garzias *loco cit. num.*148.

Sed modò nonnullæ supersunt difficultates in sequentibus quæsitis explicandæ.

31 Titulus ad quem aliquis ordinari possit quotuplex sit.

31 Quæres igitur primò, quotuplex sit titulus, ad quem aliquis promoueri potest, ne suspensionis pœnam incurrat.

Respondeo triplicem esse.

Primus est beneficij Ecclesiastici, vt patet ex Concilio Trid. *sess.*21. *c.*2. ex quo sequitur aliquem promoueri posse ad titulum parochialis Ecclesiæ, aut Canonicatus, aut Capellaniæ fundatæ auctoritate Episcopi, & collatæ in titulum perpetuum. Idem dic de patrimonio in titulum perpetuum collato, & habente adnexum obsequium spirituale; hæc enim sunt beneficia Ecclesiastica.

Secundus titulus est patrimonij, seu pensionis, vt patet ex eodem Concil. Trid. *loc. cit.* quamquam Episcopus non potest quemlibet pro suo libito ad titulum patrimonij seu pēsionis ordinare, sed requiritur Ecclesiæ necessitas, vel vtilitas, vt in eodem Concilio iure optimo sancitur. Regulariter tamen loquēdo adesse solet necessitas, vel commoditas Ecclesiæ, præsertim dū vir doctus, & probatæ vitæ ad Ordines promouendus est; consequenter potest quis regulariter loquēdo ad titulum patrimonij, vel pensionis promoueri. Ita Flaminius Paris. *de resignat. lib.*2. *quæst.*6. *num.*8. Garzias *loco cit. num.*75. & alij.

Addo eum, qui ad verum patrimonij, vel pensionis titulum sine causa necessitatis, vel vtilitatis promouetur, nullam censuram incurrere, quia hæc in iure expressa non reperitur. Ita Garzias *num.*89.

32 Patrimonij nomine quid intelligatur.

32 Rogabis primò, quid nomine patrimonij intelligatur.

Respondeo intelligi tam bona, propria arte, vel hereditate, quàm donatione acquisita, modò donatio sit vera, & non ficta.

Ex quo sequitur eum, cui certa bona frugifera pro titulo ab aliquo assignantur, posse Ordinibus sacris initiari, hæc enim veniunt nomine patrimonij. Idem dicendum arbitror si assignetur pensio, seu stipendium super re frugifera, ad modum census duraturi ad vitam ordinandi, seu donec ordinandus beneficium Ecclesiasticum, aut alia bona sufficientia obtinuerit. Ratio est, tum quia huiusmodi stipendium, seu pēsio, seu annuus redditus est ius reale proprium illius, cui assignatur, consequenter ad illius titulum ordinari potest, tum quia sicut clericus ordinari potest ad titulum census non solum perpetui, verum etiam vitalitij: (nam annui redditus inter bona immobilia recēsentur, *Clement. exiui. §. cumq; annui redditus, de verb. significatione;*) ita etiam ordinari potest ad titulū annui redditus, sibi ab aliquo assignati super suis bonis, modò bona sint frugifera, & certis finibus definita, vt innuit sacra Cardinalium Cōgregatio, cuius declarationem citat, & sequitur Garz. 2. *part. c.*5. *n.*96. Imò Garzias *loc. cit.* & alij arbitrantur titulum constitui posse super censu temporali, & redimibili, adhibita tamen cautione, vt si cōtingat censum redimi, pecunia collocetur apud idoneas personas, & in res frugiferas conuertatur.

Ego verò id facilè non admitterem, quia dari potest casus, vt redempto censu, pecunia otiosa remaneat, aut pereat, & consequenter ordinatus debitis alimentis careat. Ita Vgolinus *de officio Episcopi cap.* 26. §. 10. *n.*2. *&* §. 12. *n.*3.

33 Patrimonium alicui assignās hoc pacto, vt ordinatus illud restituat adepto beneficio, nō videtur grauiter peccare.

Ex quo licet etiam inferre, non posse aliquem habentem solùm bona mobilia ordinari ad titulum illorum bonorum: tum quia bona mobilia fructus reddere non solent: tum quia facilè consumuntur, & pereunt; propterea recipiens ordines ad titulum huiusmodi bonorum, suspensione ligatur, vtpote ordinatus sine legitimo titulo. Ita Azorius 2. *parte lib.*3. *cap.*4. *q.*7. Garzias *num.*105. & alij.

33 Rogabis secundò, vtrum donans alicui patrimonium, vt ad illius titulum ordines suscipiat, opponere possit pactum restituendi sibi præfatum patrimonium, cum ordinatus adeptus fuerit beneficium, aut aliunde habuerit, quo se valeat sustentare.

Respondeo affirmatiuè, quia huiusmodi pactum non videtur aduersari

uersari disposition Concilij Tridentini. Ita Garzias *de beneficiis 2.p. cap.5.num.169.* hoc tamen limitari debet, modò adsit consensus Episcopi iuxta dicenda *n.24.*

34 Ordinatus ad titulum patrimonij quãdonam ligetur suspensione si ære alieno ita grauatus sit, vt solutis debitis non remaneant illi bona ad titulum sufficiẽtia.

34 Rogabis tertiò, vtrùm qui ad titulum patrimonij ordinatur; sed ære alieno ita grauatus est, vt soluto debito ei non remaneat patrimonium sufficiẽs ad ipsius sustentationem, seu ad titulũ constituendum, incidat in pœnã suspensionis, si ad titulum patrimonij promoueatur.

Respondeo distinguendo, si patrimonium, ad cuius titulum promouetur, hypothecæ subiectum est pro debito, afficitur suspensione, quia non dicitur habere legitimum titulum, nam bona transeunt cum onere hypothecæ; posito autem onere hypothecæ non potest ordinatus ali, & sustentari ex iis bonis, si creditor velit solutionem sibi fieri, nec Concil. Trid. *sess.21.cap.2.* prohibens alienationem patrimonij, ad cuius titulum, quis promotus est, tollit obligationem antea contractam, aut iuri alteri quæsito derogat. Ita Nauar. *consil.18. de temp. ordinat.* & alij DD. statim citandi; si verò bona non sunt hypothecæ subiecta, arbitror titulum in huiusmodi bonis validè constitui posse; consequenter ordinatum ad illorum titulum suspensionis vinculo non ligari. Ratio est, quia ordinatus habet dominium illorum bonorum, & ius ad fructus: ergo titulus in præfatis bonis validè constituitur: sicut enim valida esset illorum bonorum alienatio; ita valida est tituli constitutio, quamuis fortè fieri possit, vt grauiter peccet, vt si aliunde nequeat creditoribus satisfacere, vt alibi docui. Ita Suarez *de censuris disp.4.sect.3.n.25.vers. contraria*, cui adde Nauarrum ex parte *loc.cit.* Garziam *de benef.2.p.cap.5.n.139. & seq.* Parisium *loc.cit.q.6.n.12.* loquentes sub variis distinctionibus.

Hinc patet quid dicendum sit de bonis alicui donatis, vt ad illorum titulum ordinari possit; censeo enim in ipsis validè constitui posse titulum, etiamsi fortè donatarius ære alieno detineatur. Ita Garzias *loco citato, num.143.* vbi refert Genuensem, & plures alios in additionibus, apud quos hæc ego non inueni.

Obiicies contra secundam partem distinctionis à me allatæ, bona alicuius dicuntur ea, quæ supersunt deducto ære alieno: *l. mulier bona. ff. de iur. dot. l. non possunt. ff. de iure fisci, & l. subsignatum. §. bona. ff. de verb. signific.* Sed deducto ære alieno non supersunt huic bona sufficientia ad sustentationem, & ad titulum; ergo titulus fundari, & constitui non potest super huiusmodi bonis, quæ deducto ære alieno non sufficiunt ad sustentationem, & ad legitimum titulum constituendum.

Respondeo illud axioma intelligendum esse moraliter, & non physicè, perspicuum enim est bona illius esse physicè, & naturaliter, quorum habet ius, & dominium, alioquin ea validè in alios transferre non posset.

35 Professio est titulus ad quem Religiosus promoueri potest.

35 Tertius titulus est professionis; religiosus enim professus promoueri potest ad sacros Ordines, quia religio ipsum alere tenetur; ob id etiam Patres Societatis Iesv ad sacros Ordines promoueri possunt, peracto probationis biennio; quamuis enim statim post biennium non emittant professionem solemnem, sed simplicem; nihilominus professio illa cum triplici voto simplici in hac parte sufficit, & sufficientem titulum præbet ex priuilegio, & concessione Gregorij XIII. cuius meminit Suarez *de censuris disp.31.sect.1.n.38.* Fornarius *de ordine c.8.n.8.* Reginald. *lib.3.n.34.* Sayr. *lib.4.c.12.n.21.* Alterius *tom.2. disp.16.cap.1.colum.7.* Emanuel Rodriquez *quæst.regul.tom.3.q.23.art. 3. & in summa 2.p.cap.15.n.1.* Garzias *de beneficiis 2 parte cap.5.num.13.* Augustinus Barbosa *in remiss. ad sess.21.c.2.num.3.*

36 Ordines susci pi non possunt sub titulo doctoratus, litteraturę, vel gradus.

36 Ex dictis in hoc quæsito sequitur primò, Doctorem, aut Bachalaureum non posse sub titulo litteraturæ, seu sui gradus ordinari, quia hic non est titulus beneficij, patrimonij, aut professionis. Ita S. Cardinalium Congregatio, teste Garzia *loco cit.nu.128.* contra Gonzales *ad regulam 8.glossa 4.n.36.* & alios apud Garziam *loc.cit.* & apud Barbosam *num.24.*

Secundò sequitur Clericum non posse hoc tempore ordinari ad titulum alieni beneficij, aut stipendij ab Episcopo sibi assignandi super fructibus suæ mensæ: tum quia hic non est titulus ex præfatis tribus: tum quia sic declarauit sacra Cardinalium Congregatio, teste Garzia *nu.93.* tum quia Episcopus non potest pensionem imponere.

37 Ordines susci pi non possunt ad titulum cuiuslibet beneficij, pensionis, vel patrimonij.

37 Quæres secundò, vtrùm quodlibet beneficium, seu quælibet pensio, & patrimonium sufficiat pro titulo promouendorum ad sacros Ordines.

Respondeo negatiuè, sed requiri eam patrimonij, pensionis, aut beneficij quantitatem, quæ ad vitæ sustentationem sufficiat; ius enim præscribit titulũ, ne Clericus cum dedecore status Ecclesiastici mendicare cogatur. Ideo sacra Cardinalium Congregatio, teste Garzia *nu.121.* censuit habentem beneficium, etiam curatum, non sufficiens ad honestam sustentationem non posse nec teneri ad eius titulum sacros Ordines suscipere.

38 Titulus ad quem aliquis ordinatur quanam bonorum quantitate constare debeat.

38 Rogabis primò, quænam quantitas ad vitæ sustentationem sufficiat.

Respondeo quantitatem arbitrio Episcopi diiudicandam esse; nam determinatio eorum, quæ à iure præscribuntur, sed non definiuntur, prudentis viri iudicio relinquuntur: *c.de causis, de offic.delegat. & l.1.ff. de iur.delib.* Ita sacra Cardinalium Congregatio, teste Fornario *de ordine cap.8.n.10.*

Obserua tamen hanc quantitatem non esse definiendam iuxta gradum, nobilitatẽ & statum ordinandi; sed simpliciter, ita vt talis quantitas assignetur, qua quis sustentari posset, si vellet. Ita Petrus Ledesma *de Sacramento ordinis cap.7.concluf.7.* Garzias *loc.cit.n.114. & 206.* Parisius *lib.5.quæst.vlt.n.155.* & alij contra Salzedo *in pract.c.18.nu.4.* Rebuffum, Zerolam, & alios apud Garziam, existimantes attendendam esse qualitatem ordinandi.

39 Ordines susci pi possunt ad titulum conflatum ex beneficio, & patrimonio simul quãdo alterum eorum non est sufficiẽs ad sustentationem.

39 Rogabis secundò vtrùm, qui non habet titulum beneficij, ex se sufficientem, possit nihilominus ad sacros ordines promoueri, si habeat patrimonium, quo beneficij defectum supplere possit.

Respondeo affirmatiuè, quia ex beneficio, & patrimonio, vel pensione conflari potest vnus titulus sufficiens. Ita sacra Cardinalium Congregatio, testibus Quaranta *verbo ordo vers. secundò extend.e*, & Garzia *locis* statim *citandis.*

Hoc tamen intelligitur, modò patrimonium, seu redditus, qui pro titulo assignantur, sint certi, & ab aliorum voluntate non pendeant, vt colligitur ex Trident. *sess.21.cap.2.* vbi statuit posse aliquem ad patrimonij, vel pensionis titulum promoueri, si reuera constet ipsum possidere patrimonium, vel pensionem: redditus autem, & prouentus incerti reuera non possidentur. Idem sacra Cardinalium Congregatio declarauit, testibus Quaranta *loco cit.* Garzia *num.111. & 126.* & aliis; ob id non potest quis promoueri ad titulum eleemosynæ, vel anniuersariorum, vel alterius stipendij suo labore, & industria obtinendi, vt quia Musicam, picturam aliamve licitam artem, vel professionem exercet. Ratio est, quia isti sunt redditus incerti; ita communiter Doctores.

40 Titulus ad quem aliquis ordinatur perpetuus esse debeat.

40 Rogabis tertiò vtrùm titulus, ad quem clericus ordinatur, perpetuus esse debeat.

Respondeo debere esse perpetuum respectu ipsius clerici, sic enim colligitur ex Tridentino *sess.21.cap.2.* vbi decernitur beneficium, ad cuius titulum quis promouetur, resignari licitè, aut validè non posse, nisi constet resignantem aliunde habere, quo viuere commodè valeat. Ibidem etiam sancitur patrimonium, vel pensionem, ad cuius titulum promotus est, alienari non posse absque licentia Episcopi, donec beneficium obtineat, aut aliunde habeat, vnde viuere possit. Imò aliqui Doctores putant præfatum patrimonium, obtento beneficio, alienari non posse absque facultate Episcopi. Ita Cenedus *pract.lib.1. quæst.11.num.9.* & alij.

41 Patrimonium ad quod aliquis ordinatur an possit obtento beneficio alienari absque licentia Episcopi.

41 Sed oppositum sustinet Garzias *loc.cit.* Ceual. *com.op.q.527.num. 8. & 561.n.30.* Menochius, Gratianus, & alij apud Garziam *loc.citat.* & apud Barbosam *in remiss. sess.21. cap.2.num.2. & de dictionibus dict.76. num.2.* Ratio est, quia illa particula *donec*, est restrictiua temporis, & suspendit facultatem ad tempus. *l. legatum. ff. de annuis legat.* Nomine alienationis intelligitur etiam permutatio; res enim quæ cum alia permutatur, dicitur alienari, cùm alteri traditur. Ita Gonzales *ad regul.8.gloss.5.§.10.num.35.* Barbosa *loco cit.n.18.* Garzias *2.part.cap.5.nu. 216.* vbi plura differit de resignatione patrimonij, vel beneficij, ad cuius titulum quis promotus fuit.

42 Vicaria temporalis, aut beneficium annuale nõ est sufficiẽs titulus ad quem aliquis promoueri possit.

42 Ex dictis sequitur vicariam temporalem, & alia beneficia manualia, seu non perpetua, pro titulo non sufficere, secus dic de vicaria perpetua, hæc enim legitimum titulum inducit. *c.constitutus, cap. Michael, de filiis Presbyterorum, & cap. postulasti, de rescriptis.* Ita Bernardus Diaz *in pract.canonic.cap.18.num.8.* Garzias *loco citato.* Alterius *tom.2. disp.10.cap.3.colum.8.dub.3.* Parisius *de resignat.lib.2.q.6.* Gonzales *ad regul.8.glossa 5.§.3.num.42.* Quid autem dicendum sit de coadiutoria, patet ex dictis *illatione 9.*

Hic agendum esset primò, an bona patrimonij, ad quorum titulum quis promotus fuit, gaudeant priuilegio bonorum Ecclesiasticorum, sed de hac re alibi sæpius egi, videri potest Menochius *de recuperanda possessione remed.15.nu.21.* Gratian. *discept.forens.cap.159.* Cenedus *pract.lib.1.q.11.nu.9.* Ceuallos *q.527.num.4.* Carolus de Grassis *de effectu clerical.* Alterius *loc.cit.colum.10. quæst.7.*

Secundò agendum esset, an bona à patre in titulum assignata, adducenda, & computanda sint in diuisione paternæ hereditatis, sed de hac re egi *in tractatu de contract.disp.3.q.6.punct.6.§.vnic.n.3. & 4.* vbi affirmatiuè respondi. Idẽ tradit Couar. *c.Rainaldus, de testam.§.2.n.7.* Salzedo apud Diaz *in pract.c.18.num.16.* Rodriquez, Gutierez & alij apud Garziam *loco cit.num.159.* & apud Barbosam *nu.25.* contra Ant. Gomez *in l.24. Tauri n.21.* Stephanum Gratianum, & quamplures alios apud præcitatos Doct.

43 Ordinãs religiosum vel alium absque titulo quãdã suspensionem incurrat.

43 Quæres tertiò, quas pœnas incurrat conferens ordines absque titulo.

Respondeo ordinantem religiosum nondum professum suspendi per annum à collatione talis ordinis, vt docui de censuris in particulari. Item ordinans aliquem absque titulo cum pacto, vt ordinatus nihil ab eo petat, suspenditur per triennium à collatione ordinum; præsentator præsentans cum prędicto pacto suspenditur per triennium ab executione ordinum, sic enim expressè decernitur *in c.si quis ordinauerit, de simonia*, vbi suspensio in detestationem criminis simoniæ imponitur. Præterea ordinans aliquem sine titulo tenetur eum alere donec ei de competenti beneficio prouideatur per ipsum ordinantem, vel per alium, etiamsi ordinans nullum pactum cum ordinato inierit. *cap.cum secundum Apostolum, de prabend. & dignitat.*

44 Episcopus ordinãs aliquẽ sine titulo quã obligationem contrahat.

44 Sed modò dubium est primò, vtrùm Episcopus teneatur eum, quem sine titulo ad sacros ordines promouit, alere, si ordinatus patrimonium habeat, quo se valeat sustentare.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia *in cap. Episcopus si aliquem, de prabend. & dignit.* decernitur, teneri ei quem sine titulo ordinauit, necessaria subministrare, nisi ordinatus de sua vel paterna hereditate subsidium vitæ possit habere. Ita Hostiensis *c.postulasti, rescriptis,* & alij, quos citat glossa *c.si Episcopus, vers. titulum, de prabend. lib.6.* contra Innocentium, & alios, asserentes, ordinatum habere actionem petendi necessaria ad victum ab ordinante.

45 Episcopus quandonã alere tenetur eũ cui cõtulit beneficiũ, quod postea euictũ fuit.

45 Secundò dubium est, vtrùm Episcopus, qui beneficium alicui contulit, & ad eius titulum sacris ordinibus insigniuit, teneatur illum alere, sustentare, seu prouidere, si beneficium euictione, aut alia ratione amittatur.

Respondeo distinguendo, vel Episcopus mala fide contulit sacros ordines, sciens beneficium euincendum, seu amittendum esse, vel bona fide cõtulit; si bona fide contulit non tenetur alere, & sustentare: tum quia nullam in hoc ipse culpam admisit, cõsequenter neque pœnam luere debet: tum quia sic colligitur ex *l. ad res donatas. ff. de ædilitio edicto. & l. quæritur. §. vlt. eodem titul.* Si mala fide contulit, tenetur alere, & prouidere, quia censetur ordinasse sine sufficienti titulo; & sicut recipiens sacros ordines conscius conditionis beneficij euincendi ligatur suspensione iuxta probabiliorem sententiam, ita conferens ordines, conscius eiusdẽ conditionis, obstringitur onere alendi.

alendi. Ita Gloſſa *in cap. cùm ſecundum, cit. ad finem.* Nauar. *lib. 1. conſil. 14. de temp. ordinat.* Alterius *tom. 2. diſp. 10. c. 3. dub. 4.* contra Hoſtienſem *in ſum. lib. 3. tit. de præbend.* & alios apud Alterium *loco cit.* & apud Garziam *de benef. 2. part. cap. 5. num. 33.*

46 Ordinatus ſine titulo de licentia proprij Epiſcopi à quonam alendus ſit.

46 Tertiò dubium eſt, quiſnam prouidere teneatur ordinato ſine ſufficienti titulo, quoties quis ordinatur ab alieno Epiſcopo de licentia proprij Epiſcopi.

Reſpondeo illi onus alendi, & prouidendi competere, qui licentiam dedit promouendi aliquem in particulari, quia ipſi onus incumbebat inſpiciendi, an titulum haberet, ſecus ſi proprius Epiſcopus dedit alteri licentiam generalem conferendi ordines in ſua diœceſi, nullis perſonis in particulari explicatis; in hoc enim caſu tenetur ordinans, quia ipſius erat proſpicere, & præuidere, an titulum haberet. Hic caſus cum allatis rationibus expreſsè habetur *in cap. Epiſcopus, de præbend. in 6.*

47 Ordinatus ſine titulo, mortuo Epiſcopo ordinante alendus eſt a ſucceſſore.

47 Quartò dubium eſt, vtrùm ordinatus ſine titulo mortuo Epiſcopo ordinante, alendus ſit à ſucceſſore, vel potiùs ab heredibus Epiſcopi mortui.

Reſpondeo alendum eſſe à ſucceſſore, quia ſic decernitur *in ca. cum ſecundum Apoſtolum, de præbend.* ibi, *nos tamen benignius agere cupientes, tamdiu per ordinatores, vel ſucceſſores eorum prouideri volumus ordinatis, donec per eos Eccleſiaſtica beneficia conſequantur:* contrarium tenet Abbas, *in c. cum ſecundum, cit. num. 11.* putans cum Hoſtienſi, potius teneri heredes defuncti, quàm ſucceſſores in dignitate.

48 Abſolutio iſtius ſuſpenſionis à quonam impẽdi poſſit.

48 Quæres quartò, quis poſſit abſolutionem iſtius ſuſpenſionis conferre.

Reſpondeo abſolutionem iſtius ſuſpenſionis contractæ, ſuſcipiendo ordines abſque titulo impendi poſſe ab Epiſcopo. Ratio eſt, quia iure communi non eſt reſeruata.

Hæc tamen propoſitio limitatur primo modo, cùm Clericus non fecerit pactum cum ordinante, vel præſentante non petendi quidquam: nam ſi huiuſmodi pactum iniit, abſolutio conferenda eſt à Papa, quia ei reſeruatur *in cap. ſi quis ordinauerit, de ſimonia*, vbi ordinans cum huiuſmodi pacto ſuſpenditur à collatione ordinum per triennium, præſentator ab executione ordinum per triennium. Ordinatus verò perpetuò ſuſpenditur ab ordine, niſi à ſede Apoſtolica diſpenſetur, vt in præcitato textu dicitur, ibi, *Ordinatus ab ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc per ſedem Apoſtolicam obtinere meruerit.*

Hæc tamen limitatio ſublimitari poſſe videtur, modò delictum ſit publicum, nam Epiſcopus in delicto occulto diſpenſare poteſt, ex Concil. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.*

An autem præfatus Epiſcopus ordinans cum pacto ſuperiùs expreſſo, elapſo triennio ſtatim remaneat abſolutus, patet ex dictis *de cenſuris in genere*, vbi doctrinam generalem tradidi, & affirmatiuè reſpondi, quia cenſura non ligat vltra voluntatem conditoris, neque obſtat conſtitutio Sixti V. contra malè promotos, in qua abſolutio ſuſpenſionis ſtrictè reſeruatur Papæ; reſpondetur enim, illam Bullam ad terminos iuris communis à Clemente VIII. reuocatam fuiſſe, vt alibi ſæpiùs adnotaui.

Limitatur ſecundò, in ſuſpenſione contracta poſt conſtitutionem ſummi Pontificis Vrbani VIII. incipit, *ſecretis diuinæ prouidentiæ:* hæc enim eſt reſeruata Papæ. Ratio eſt, quia ſummus Pontifex in præfata conſtitutione contra promotos, cum falſo patrimonij titulo, eas pœnas imponit, quas impoſuerat vltramontanis ordinatis, ſine litteris dimiſſoriis recognitis à Nuntiis, vel collectoribus, vel etiam à Vicario Summi Pontificis in Vrbe, dum in Italiam ſe conferunt; vltramontano autem ordinato, ſine præfatis litteris impoſita erat perpetua ſuſpenſio abſque ſpe diſpenſationis à Sede Apoſtolica obtinendæ; ergo, &c. quamquam hæc reſtrictio, & reſeruatio afficere videtur ſolum vltramontanos, de quibus Papa ibi loquitur.

49 Confeſſarius generalem habens facultatem abſoluendi a cenſuris, an validè poſſit abſoluere a ſuſpenſione contracta ob defectum tituli, vel ob malam ordinum ſuſceptionẽ.

49 Maior difficultas eſt, vtrum Confeſſarius generalem habens facultatem abſoluendi à cenſuris, poſſit abſoluere à ſuſpenſione contracta ob defectum tituli, ſeu ob malam ordinum ſuſceptionem. Reſpondent multi Doctores affirmatiuè, quia ſuſpenſio eſt cenſura; ergo habens facultatem generalem abſoluendi à cenſuris poteſt etiam abſoluere in foro conſcientiæ à ſuſpenſione, etiamſi contracta ſit ob defectum tituli, vel ob malam ordinũ ſuſceptionem. Ita Medina, Lopez, Bannes, & alij quamplures, quos citat Henriq. *in ſum. lib. 7. cap. 13. n. 3. in commento littera Y, & Z.* & ſequitur Ledeſma *de Sacramento Ordinis cap. 7. dub. 5.* Garzias *de beneficiis 2. part. cap. 5. num. 48. & ſeqq.* Contrarium ſuſtinent Emanuel Rodriq. *in ſumma 1. par. cap. 164. num. 3.* Henriquez *loco citato, in textu*, & alij, quia Pontifex magna cum difficultate huiuſmodi abſolutionem confert. Verùm ad hanc rationem reſponderi poſſet, ſummum Pontificem magna cum difficultate diſpenſare in vtroque foro, Confeſſarium verò abſoluere ſolùm in foro conſcientiæ. Ita Garzias *num. 52.*

Hinc gradum faciamus ad explicandam octauam conditionem.]

50 An requirantur temporum interſtitia, tam in minoribus, quam in maioribus ordinibus.

50 Octaua conditio ſunt temporum interſtitia, non ſolùm in maioribus, verùm etiam in minoribus Ordinibus ſuſcipiendis, ita vt qui ſuſcepit vltimum minorum Ordinum, debeat per annum expectare, donec ad ſacros Ordines promoueatur, niſi fortè aliter Epiſcopo expedire viſum fuerit, vt docet Maiolus *cap. 24. nu. 13.* Nauar. *de temporibus ordinandorum concl. 27. in antiquis*, & Reginald. *loco citato, nu. 28.* Menochius *de arbitrariis lib. 2. centuria 5. caſu 64.* [Filliucius *tract. 9. nu. 83.*]

51 Quomodo computanda ſint temporum interſtitia.

51 Obſerua tamen primò, interſtitia non eſſe mathematicè computanda, ita vt ordinandus nequeat ad ordines promoueri, niſi inter vnum, & alterum Ordinem traxerit moram duodecim menſium completorum; ſed moraliter, & iuxta ritum Eccleſiæ, videlicet ab vna Quadrageſima ad aliam, à Pentecoſte ad Pentecoſten, &c. quamuis inter primam, & ſecundam Pentecoſtis ſolemnitatem nondum ſint elapſi duodecim menſes. Ita Quaranta *verb. Ordo, ſub fin.* Fornarius *c. 3. n. 4.* vbi teſtatur ita fuiſſe declaratum à Xiſto V. Idem aſſerit Barboſa ex Cardinalium Congregatione, *ſeſſ. 23. cap. 11.*

52 Ad quem pertineat

52 Obſerua ſecundò, diſpenſationem interſtitiorum pertinere ad Epiſcopum, etiam reſpectu Religioſorum, quibuſcum diſpenſare poteſt ex cauſa ſibi per atteſtationem ſuorum ſuperiorum manifeſtata. Ita ex Congregatione Concilij docet Riccius *deciſ. 81.* Barboſa *loc. cit. ſeſſ. 24. cap. 11.* Quaranta *verb. Ordo, verſ. quæritur, pag. 387. & verſ. Addito, pag. 393.* [Molfeſius *tract. 2. cap. 1. num. 56. & 57.*]

diſpenſatio interſtitiorum, etiam reſpectu Religioſorum.

53 Obſerua tertiò, ſuſcipientem Ordines non ſeruatis interſtitiis nullam incurrere cenſuram, vel irregularitatem, quia non eſt in iure expreſſa, iuxta Suarez *tom. 1. diſp. 31. ſect. 1. num. 43.* Zerolam *in praxi, part. 2. verb. Ordo, n. 8.* Riccium *in collect. deciſ. part. 3. collect. 576.* & alios contrà Henriquez *libr. 6. cap. 10. numer. 3. littera Q.* [vide dicta *de cenſuris in particulari diſputat. 3. quæſt. 1. punct. 4.* Vtrum verò Epiſcopus poſſit ex quauis cauſa diſpenſare in interſtitiis, vide *infrà punct. 6. num. 2.*]

53 An ſuſcipiẽs Ordines non ſeruatis interſtitiis, incurrat aliquam cenſuram, vel irregularitatem.

54 Obſerua quartò, de conſenſu Epiſcopi poſſe alicui vna, & eadem die omnes Ordines minores conferri, non verò primam tonſuram, & minores Ordines præciſa legitima conſuetudine, aut minores cum aliquo Ordine ſacro, aut duos Sacros abſque Summi Pontificis diſpenſatione: *cap. dilectus, de temporibus ordinandorum*, aliter ordinatus remanet ſuſpenſus ab executione Ordinum, donec obtineat abſolutionem à Sede Apoſtolica, vt bene Gutierez *lib. 1. canonicarum quæſt. cap. 26. num. 31.* Sylueſt. *verb. Ordo 2. n. 7.* Reginald. *n. 28.* Armilla *verb. Ordo, n. 6.* Emanuel Sà *verb. Ordo, n. 17.* Suarez *tom. 1. diſp. 31. ſect. 1. n. 41.* & alij. [vide dicta *de cenſuris in particul. diſp. 3. quæſt. 1. punct. 3.*]

54 An poſſit quis vna & eadem die de conſenſu Epiſcopi omnes minores Ordines recipere.

55 Nona conditio eſt, vt ſuſcipiẽs non ſit irregularis: nam irregularitas eſt inhabilitas ad ſuſcipiendos Ordines, vt patet ex dictis de irregularitate. Quamobrem ſpurius non poteſt licitè Ordines recipere, ſed grauiter peccat Ordines ſuſcipiendo, & ſuſpenſus eſt ab Ordinum executione, vt conſtat ex dictis de irregularitate.

55 An irregularis ad Ordines promoueri poſſit.

Præterea carens debita membrorum integritate, qualis eſt amputatus naſo, aut habens inſignem maculam in oculo, quę horrorem inſpicientibus incutiat; aut carens digitis ad hoſtiam perfringendam adhibendis; aut habens manus mobiles, & tremulas, ita vt periculum ſubeat effuſionis ſanguinis in eleuando calice; aut qui ad mortem alterius cooperatus eſt, non poteſt licitè ad Ordines promoueri, cùm ſit irregularis.

56 Decima eſt, vt non ſit irretitus aliqua cenſura, præſertim excommunicatione: nam excommunicatio priuat ſuſceptione Sacramentorum. Ita Nauarr. *cap. 25. n. 69.* & patet ex dictis *de cenſuris*, cum Suarez *tom. 5. diſput. 31. ſect. 1. num. 57.*

56 An irretitus aliqua cenſura ordinibus initiari poſſit.

57 Vndecima, eſt intentio, quæ neceſſaria eſt in adulto, vt patet ex dictis *de Sacramentis in genere.* In carente verò vſu rationis ſufficere videtur intentio Eccleſiæ, vt ſuprà dictum eſt ex Didaco Nugno *quæſt. 38. art. 2.*

57 An intentio requiratur in adulto ſuſcipiente Ordines.

58 Si quæras, vtrùm ordinatus per metum validè recipiat Ordines.

Reſpondeo affirmatiuè, vt patet ex dictis *de matrimonio, & de legibus.* nam cum inuoluntario mixto ſubſiſtit intentio ſufficiens ad ſuſcipiendos Ordines, ſicut ſufficit ad ſeruanda præcepta, vt docet Henriquez *lib. 10. cap. 14. n. 3.* Secus ſi per vim abſolutam nolens Ordines ſuſcipere promoueatur; caret enim intentione ſuſcipiendi Ordines.

58 An validè recipiantur Ordines per metũ.

59 Vtrùm verò ordinatus per metum grauem teneatur ad caſtitatem, vel ad preces canonicas, aut poſſit vxorem ducere; conſtat ex dictis *de matrimonio q. 3. punct. 9.* vbi plures difficultates huc ſpectantes propoſui, & explicaui.

59 An ordinatus per metũ grauem, teneatur ad caſtitatem, ad preces Canonicas, &c.

60 Duodecima conditio eſt, vt ſuſcipiens ſit in gratia per confeſſionem, aut per contritionem, niſi fortè ſuſcipiens Ordines ſimul etiam ſuſcepturus ſit Euchariſtiam, tunc enim, ſi habeat conſcientiam peccati mortalis, præmittere debet confeſſionem, vt patet ex dictis de Euchariſtia. Ita Toletus *lib. 6. cap. 16.* Fornarius *cap. 3. ad finem*, Reginaldus *num. 3.* & alij DD. citati.

60 An ordinandus debeat eſſe in gratia.

61 Vltima conditio eſt, vt cum debitis veſtibus ad Ordines ſuſcipiendos accedat.

61 Ordinãdus in Ordinibus ſuſcipiendis debitis veſtibus vti debet.

62 Occaſione iſtius conditionis poſſet aliquis quærere quibus veſtibus indui debeat Sacerdos, dum ad ſacram ordinationem accedit, aut dum Miſſæ ſacrum facit.

Reſpondeo, ſex veſtibus indui debere Sacerdotem, qui ad ſacram ordinationem accedit, aut Miſſæ ſacrum facit, videlicet albam, cingulum, amictum, manipulum, ſtolam, caſulam. Ita Valentia, & alij, quos magno numero ſuprà retuli *diſp. 4. quæſt. vlt. punct. 9. n. 25.*

62 Quibus veſtibus indui debeat Sacerdos dum ad ſacram Ordinationem accedit, aut dũ Miſſæ Sacrum facit.

63 Sed modò dubium eſt primò, quare ſenarius veſtium numerus, & non maior adhibeatur.

Reſpondeo, ſenarium numerum adhiberi tum ad indicandam huius orbis creationem, quæ ſex diebus facta fuit, tum ad ſignificandam mundi redemptionem, quæ ſexta ætate contigit, vt obſeruat Alexander de Ales *4. parte q. 36. membr. 6.* Toletus *lib. 2. cap. 2. num. 4.* & alij Summiſtæ.

63 Cur ſenarius numerus veſtium, & non maior adhibeatur.

64 Secundò dubium eſt, quam ſignificationem ſingulæ veſtes habeant.

Reſpondeo primò, Albam, ſi ſpectetur per ordinem ad Deum, ſignificare ſummum diuinitatis ſplendorem, ex D. Germano *in Theor. rerum Eccleſiaſticarum*; aut ſignificare Reſurrectionis gloriam, iuxta illud Apoſtoli 1. Cor. *15. cùm mortale hoc induet immortalitatem*, ex Pinello *de Miſſa ſacrificio cap. 14. verſ. Hor ſe conſideriamo*; aut ſignificare veſtem, qua per iocum Chriſtus mundi Saluator indutus fuit, vt irrideretur à Iudæis, ex Durando *in Rationali lib. 3. cap. 3.* Toleto *loco cit. verſ. 1.* Pinello *loco cit.* [Filliucio *tract. 5. cap. 5. quæſt. 3.*] Si verò conſideremus Albam per ordinem ad mores, ſignificat innocentiam, ſanctitatem, & iuſtitiam, qua Sacerdos in omni opere præfulgere debet: quapropter, dum Albam induit, hanc orationem recitare conſueuit iuxta ritum Ambroſianum: *Induc me Domine veſtimento ſalutis, & iuſtitiæ tunicæ me ambire dignare.* Iuxta ritum verò Romanum, hæc verba profert: *Dealba me Domine, & munda cor meum, vt in ſanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar ſempiternis.*

64 Quam ſignificationem ſingulæ veſtes habeãt.

Alba non breuis, ſed talaris, & ad pedes vſque profluens adhibetur, ad indicandam perfectam totius vitæ ſanctitatem vſque ad extremum

mum vitæ ſpiritum, iuxta illud Matthæi 24. *Qui autem perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit.* Ita ex Alcuino notat Pinellus *loco cit.* Nugnus *3.part.quæſt.83.art.3.dubio vltimo.*

Reſpondeo ſecundò, Cingulum, ſi ſpectetur per ordinem ad Chriſtum, ſignificare Chriſti fortitudinem, iuxta illud Pſalmi 17. *Præcinxit ſe virtute.* Ita D. Germanus apud Pinellum *loco citato.* Aut etiam ſignificare vinculum, ſeu funem, quo Chriſtus à Iudæis in horto deuinctus eſt. Ita Toletus *loco citato*, Nugnus *loco citato*, [Filliucius *numero* 144.] & alij communiter. Vt refertur ad mores, ſignificat caſtitatem, quam ſummo ſtudio amplecti debet Sacerdos.

Quapropter Eccleſiæ vſu receptum eſt, vt à Sacerdote, dum cingulo renes circumcingit, proferantur hęc verba: *Præcinge Domine cingulo fidei, & virtute caſtitatis lumbos mei cordis, & corporis, & extingue in eis humorem libidinis, vt iugiter in eis maneat vigor caſtitatis.*

Reſpondeo tertiò, amictum per ordinem ad Chriſtum repræſentare velamen, quo Chriſti oculi tecti, & cooperti ſunt à Iudæis, ex Toleto *loco citat.* & aliis: [aut humanitatem qua tecta fuit diuinitas, ex Filliucio *tractat.5.cap.5.q.3.numero* 144.] Per ordinem verò ad mores, quatenus amictus ſeſe ad humeros protendit, aut etiam collum circumcingit, indicat robur, & fortitudinem, qua Sacerdos diaboli audaciam, & impetum retundere, & propulſare debet. Ita Vgo de S. Victore *lib.2. de Sacramentis part.4.* Nugnus *loco cit.* Propterea Sacerdos dicit: *Pone Domine in capite meo galeam ſalutis ad expugnandas diaboli fraudes.*

Reſpondeo quartò, manipulum per ordinem ad Chriſtum vſurpari ad indicandum funem, quo ſanctiſſimæ Chriſti manus, ſeu brachia ad columnam alligata ſunt. Ita Toletus *loco citat.num.8.* Nugnus *loco citato.*

Apponitur autem manipulus in brachio læuo, & ſiniſtro ad oſtendendum Chriſti amorem, quo dira ſuſtinuit tormenta, cor enim, in quo amor vulgò reſidere dicitur, læuam partem reſpicit.

Per ordinem verò ad mores denotat, tum veram cordis pœnitentiam, & contritionem, tum fructum, & retributionem bonorum operum, quæ metaphoricè manipulorum nomine ſignificantur, ſumpta ſimilitudine à faſciculis ſegetum, quos agricola multis laboribus ſuperatis Autumni tempore colligit. Ad hoc faciunt illa Dauidis verba Pſal.125. *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.* Quamobrem, dum Sacerdos manipulum brachio accommodat, hanc orationem [ritu Ambroſiano] recitat: *Merear precor Domine, manipulum portare mente flebili, vt cum exultatione portionem cum iuſtis accipiam.*

Reſpondeo quintò, ſtolam per ordinem ad Chriſtum ſignificare vinculum, quo Chriſtus ad Caluarium raptatus eſt, aut Chriſti obedientiam, qua mortem ſubire voluit, inquit Innocentius III. *lib.1.de myſteriis Miſſæ.* Quatenus verò ad mores refertur, indicat iugum Dominicæ legis, quam ferre debet Sacerdos memor Chriſti, qui legibus ſubiici voluit, licet legibus ſolutus eſſet. Hac de cauſa ſtola collo Sacerdotis imponitur, & in ipſius pectore in formam crucis adaptatur his verbis, *Stola Domini iuſtitia circumda ceruicem meam, & à corruptione peccati meam purifica mentem.*

65 Quomodo Diaconus ſtolam adhibeat

65 Addit Toletus *numer.9.* ſtolam non ſolùm à Sacerdote, verùm etiam à Diacono adhiberi, ſed non eodem modo; nam Sacerdos ſtolam vtroque humero defert, vt indicetur, ipſi peculiari quadam ratione incumbere onus imitandi Chriſtum, ipſiuſque legis iugum deferendi vita tam actiua, quàm contemplatiua. Diconus verò ſtolam defert læuo humero, ad ſignificandam vitam actiuam, quia Diaconus ſolùm adhibetur ad miniſtrandum.

Ego dicerem, Diaconum adhibere ſtolam à læua ad ſiniſtram, ad oſtendendũ Chriſtianæ legis iugum, quod ſtola ſignificatur, deferendum eſſe in hac vita; læua enim præſentem vitam ſignificat, vt innuit Gabriel Biel *in expoſitione canonis cap.2.verſic.Manipulus.*

Reſpondeo ſextò, caſulam, ſeu planetam, per ordinẽ ad Chriſtum ſignificare purpuream veſtem, qua Chriſtus indutus ab Herode ad Pilatum tranſmiſſus eſt. Vt ad mores dirigitur, indicat charitatem, & gratiam ſanctificantem, quæ veſtis nuptialis nuncupatur, qua ſi careat Sacerdos in tenebras eiicietur exteriores: quapropter Sacerdos, dum planetam ſibi imponit, hanc orationem recitat; *Iugum tuum Domine ſuaue eſt, & onus tuum leue, præſta, vt illud ſic portare valeam, quatenus tuam conſequi poſſim gratiam.* Ita Toletus *loco citat. num.10.* Gabriel Biel *loc.cit. verſic. Planeta fol.7.* Rupertus *lib.1.de diuinis Officiis cap.22.* Innocentius *lib.1. de myſteriis Miſſæ cap 58.* Pinellus *loc.cit. cap.14.verſ. lapianeta.*

66 Diaconus, & Subdiaconus non induunt Planetam, ſed Dalmaticam.

66 Diaconus, & Subdiaconus non induunt Planetam, ſed Dalmaticam, quæ hoc nomine appellatur, quia in Dalmatiæ regione primò fuit in vſu, vt docet S. Thomas *4.ſentent.diſt.25.quæſt.3.art.3.* Sotus *ibid.diſt.13.quæſt.2.art.4.* & alij.

Dalmatica, vt ad Chriſtum refertur, iuxta morem hoc tempore in Eccleſia receptum, ſignificat Chriſti crucem; nam in figuram crucis efformatur. Vt ad mores ſpectat, indicat Chriſti paſſionẽ, quam contemplari, & ex qua, qui ad Diaconatus, & Subdiaconatus ordinẽ promouetur, fructus vberrimos percipere debet, patienter ferendo iniurias, & opprobria Chriſti Seruatoris exemplo. Ita Sotus *loc.citat.* & alij, quos citat, & ſequitur Bartholomæus ab Angelo *in Examine ordinandorum, §.309.*

Hæc circa veſtium explicationem breuiter prænotaſſe ſufficiat: qui longiorem deſiderat expoſitionem, conſulat Sotum, Durandum, Rupertum, Bartholomæum ab Angelo, Gabrielem Biel, Nugnum, & alios Doctores citatos.

Quid verò veſtibus Pontificalibus, quibus vtuntur Epiſcopi, ſignificetur, tradit Henriq. *lib.9.de Miſſæ ſacrificio, cap.29.*

Quam verò ſignificationem habeant veſtes, quæ pro diuerſis feſtis, & anni temporibus ex quinque coloribus, albo, rubro, viridi, violaceo, & nigro, adhibentur tum ad ſignificandas virtutes, quibus præfulgere debent Sacerdotes, tum ad indicandum myſterium, cuius memoria pro diuerſis anni temporibus recolitur, videri poteſt in Rubricis noſtri Miſſalis Ambroſiani, §. *de coloribus paramentorum*, aut in Rubricis Miſſalis Pij V. §.18. *de coloribus paramentorum.*

PVNCTVM VI.

Quo tempore conferendi ſint, & quos effectus pariant Ordines.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quo tempore conferendi ſint Ordines.

1 PRima Tonſura conferri poteſt quolibet die, vt conſtat ex generali conſuetudine Eccleſiæ. Conſecratio Epiſcopi fieri poſſe videtur quolibet die Dominico. Ordines verò cõferendi ſunt in Sabbatis quatuor Temporum, vel in Sabbato ante Dominicam paſſionis, vel in Sabbato ſancto tempore Miſſæ, *cap.3. de temporibus ordinationum:* niſi aliud per priuilegium à Sede Apoſtolica concedatur. Videte Rebuffum *in praxi beneficiorum, part.2.tit.de Clericis ad ſacros Ordines malè promotis.* Gloſſam *part.1.num.2.* & 3. Graſſium *tom.2.lib.3.deciſ. cap.12.num.20.* Henriq. *lib.1.cap.12.nu.2.* Rodriquez *in ſumma 1 part. cap.16.num.3.* Viualdum *de Sacramento Ordinis, num.36.* Quarantam *verb.Ordo.* Emanuel Sà *verb.Ordo, num.13.* Sylueſtrum *eod.verb.num.6.* Vaſquez *diſp.246.cap.5.*

Vtrum verò ſeruanda ſint interſtitia, conſtat ex dictis puncto præcedenti.

2 Quænam cauſa requiratur ad diſpenſandum in interſtitiis.

2 Hic ſolùm obiter ſolui poteſt dubium, quod mihi modò propoſitum fuit à viro eruditiſſimo, vtrùm Epiſcopus poſſit ſimpliciter ex quauis cauſa in interſtitiis diſpenſare.

Reſpondeo primò, non poſſe ex quauis cauſa diſpenſare, vt pluribus oſtendi de diſpenſationibus in tractatu de legibus, vt patet ex Tridentino *ſeſſ.23.cap.11.13.* & 14. Ratio eſt, quia ad diſpenſandum requiritur iuſta cauſa: ergo Epiſcopus non poteſt ex quauis cauſa diſpenſare.

Secundò, grauiorem cauſam requiri in diſpenſatione interſtitiorum inter Diaconatum, & Sacerdotium, quàm inter ceteros Ordines: nam Tridẽtinum in diſpenſationibus interſtitiorum inter minores Ordines requirit ſolum arbitrium Epiſcopi, in diſpenſationibus interſtitiorum inter minores, & maiores Ordines exigit neceſſitatem, aut Eccleſiæ vtilitatem. In diſpenſatione verò interſtitiorum, inter Diaconatũ, & Preſbyteratum poſtulat Eccleſiæ vtilitatem, & neceſſitatem; ita vt non ſufficiat Eccleſiæ vtilitas, verùm etiam requiratur neceſſitas, quia Concilium Trid. *c.14.* in hac parte videtur vtramque cauſam requirere, cùm loquatur per particulam coniunctiuam &, vt obſeruat Hieronymus Sorbus *in Compendio priuilegiorum, §. Ordines ſacri, ſub fin.pag.279.* Emanuel Rodriq. *tom.3.quæſtionum regul. quæſt. 24.art.6.* & alij. Quamuis nonnulli recẽtiores oppoſitũ ſentiant. Puto tamen non requiri cauſam vtilitatis, aut neceſſitatis extraordinariam, aut publicam; quia Concilium Tridentinum remittere videtur hoc negotium arbitrio, & prudentiæ Epiſcoporum, poſita vtilitate Eccleſiæ, & neceſſitate, quam Epiſcopus iuxta circumſtantiam loci, & temporis, aut iuxta conditionem perſonæ, ſufficientem iudicauerit. Ita Sorbus *loco citat.* Menochius *de arbitrariis, lib.2.centuria 5.caſu 427.num.30.* Rodriquez *loco cit.art.7.* & alij, quos in ſimili adduxi *de legibus.* Videte Rodriq. *loc.cit.art.7.* Sanchez *lib.8.diſp.19.* Salas *de legibus diſp.20.ſect.8.* Suarez *de legibus lib.6. cap.18.* Quarantam *verb.Ordo, pag.393.verſ.Additio in ordinante,* Sorbum, & Menochium *locis cit.* Nauarrum, Maiolum, & alios, quos adduxi *numer.32. in præcedenti punct.* [quæ ego tradidi *de cenſuris in partic.diſp.3.quæſt.1.punct.4.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Quotuplex ſit effectus Sacramenti Ordinis.

3 EFfectus Sacramenti Ordinis duplex eſt. Primus eſt gratia habituales: nam Ordo eſt Sacramentum, effectus autem Sacramenti eſt gratia habitualis, vt conſtat ex dictis *de Sacramentis in genere*, & ex Tridentino *ſeſſ.23. cap.3.* & *canone 3.*

Secundus effectus eſt character, vt conſtat ex Trident. *ſeſſ.23. cap.4.* Hic autem ſecundus effectus confertur eodem tempore, quo confertur primus. Ita S. Thomas, Sotus, & alij apud Valentiam *loco citato*, apud Reginaldum *lib.30.num.3.* & 16. apud Vaſquez *tom.3.in tertiam partem, diſputat.243.* & 244. Coninchum *diſp.20.dub.8.* Henriquez *lib.10.cap.7.* & *cap.14. num.2. in Commentario littera P.* Bellarminum *1.parte, lib.4.cap.10. verſic.Septimus Ordo Sacerdotum eſt,* & *tom.2.lib. vnico de Sacramento Ordinis, cap.10.* Sayrum *de Sacramentis in genere, lib.5.cap.1.quæſt.vnica, art.2.verſ. De Sacramento Ordinis.* [Filliucium *tract.9.cap.3.quæſt.2.* & *ſeqq.*] De obligatione verò, qua Clerici ſacris Ordinibus initiati tenentur ad caſtitatem, & ad recitationem diuini officij, infrà diſputabo *puncto ſeq.* [& fuſiùs egi *in octauo Decalogi præcepto,* & *in expoſitione Bullæ Cœnæ.*]

PVNCTVM VLTIMVM.

De obligatione Clericorum, & eorum immunitate.

DVo principaliter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm Clerici peculiarem habeant obligationem. Secundò, vtrùm exempti ſint à laica poteſtate.

1 Quid Clerici nomen ſignificet, & quandónam quis Clericus efficiatur.

1 Sed prius præmittendum eſt, Clericum ſignificare ſortem, ſeu hereditatem, eò quòd Deus peculiariter ſit illius ſors, ſiue pars; vel eò quòd Clericus ſit peculiariter de ſorte, ſiue hereditate Domini. Fit autem Clericus per ſuſceptionem primæ Tonſuræ, quæ conferenda eſt à proprio Epiſcopo per tonſionem capillorum, vel ab alio de licentia proprij Epiſcopi, vt ſuprà dictum eſt de Miniſtro Sacramenti Ordinis. Verum ſi conferatur ab alio Epiſcopo abſque licentia proprij Ordinarij, valida eſt, nec eſt iteranda, vt in ſimili dictum eſt de Ordine, & idem docet Nauarrus *conſil.11. de temporibus ordinationum.*

Forna-

Fornarius *cap.7.num.1.* Lesius, & alij, quos in simili retuli *de Ordine.*

Dicitur, *prima Tonsura*, eo quòd per capillorum tonsionem conferatur, dum Episcopus nonine tonsurandi illa verba enuntiat: *Dominus pars hereditatis meæ.* Quamquam validè conferri posset, illis verbis prætermissis: nam prima tonsura non est propriè Ordo, seu Sacramentum, consequenter non est illi necessaria materia, & forma. Ita Sotus *in 4.dist.24.quæst.1.art.1.* Henriquez *lib.10.c.9.* Nauarrus *consil. 4. de Sacramentis non iterandis.* Martinus Fornarius *de Ordine, cap.7. numero 1.*

PRIMA PROPOSITIO.

2 An Clerici habitū, & tonsurā gestare debeant.

2 CLerici multas habent obligationes.

Prima est, vt gerent habitum, & tonsuram, vt docent communiter Doctores *in cappenult. de vita, & honestate Clericorum, cap. quoniam. eod. tit. & cap. Ioannes, de Clerico coniugato.*

3 An initiatus maioribus Ordinibus peccet mortaliter non gestando primam Tonsuram.

3 Ex quo sequitur primò, Clericum initiatum maioribus Ordinibus, aut habentem beneficium, peccare mortaliter non gestando tonsuram, vel habitum a longum tempus absque iusta causa. Ita Nugnus *2.parte, cap.17. concluſ.3.* Reginaldus *libr.30. numer.20.* Riccius *deciſ.368.* Nauarr. *comment. 4. de regularibus, numer.27.* Henriq. *lib.13.cap.39.num.3.* Vasquez *disp.250.cap.3.* & alij communiter. Ratio est, tum quia violatege m in materia graui: tum quia potest affici suspensione, vt habetur in Tridentino *sess.14.cap.6. de reformatione.*

Existentes verò in maioribus Ordinibus facilius excusari possunt à peccato, si non deferunt habitum, & tonsuram: possunt enim ad statum laicalem transir. Immò Riccius *loco citato*, cum aliis asserit de iure communi Clericum non posse cogi ad ferendum habitum clericalem, nisi quatenus ei velit priuilegio clericali: *cap. fin. de Clerico coniugato.* Quamquan si habitum deferre velit, potest cogi, vt habitum decentem, & honestum ferat, *cap. nullus 21. quæst.2.*

4 Cur prima Tōsura à Clericis deferatur.

4 Si quæras, qua de causa deferatur tonsura à Clericis.

Respondeo, pluribus de causis deferri. Primò, ad significandam vitam puram, & apetam, quam viri Ecclesiastici habere debent. Secundò ad repræsentandam coronam Christi spineam, cuius memiusse debent fideles & præsertim Clerici.

5 An Clerici peccent gestando arma absq; iusta causa.

5 Secundò sequitur à fortiori, Clericos peccare gestando arma absque iusta, & ratiouabili causa, vel absque Sedis Apostolicæ dispensatione, vel absque legitima consuetudine. Ratio est, tum quia arma non decent statum, & habitum Clericalem: tum quia vsus armorum Clericis prohibetur, *cap. Clerici, & Clementina 1. de vita, & honestate Clericorum.* Tum quia deferentes arma possunt excommunicari, vt ex Felino, & aliis docet Riccius *in sua praxi decisione 371. tom.3.* Immo in nostra diœcesi lata est excommunicatio contra deferentes genus illud tormenti, quod vulgò sclopum appellamus.

6 An excommunicatio lata contra gestātes arma sit per modum sententiæ, vel statuti, remissiuè.

6 Vtrum autem ista excommunicatio lata sit per modum sententiæ, vel statuti, & vtrum afficiat deferentes sclopum extra diœcesim, patet ex dictis *de censuris in genere.*

Dixi, *absque iusta causa*, nam si Clericus deferat arma iusta de causa, exempli gratia, ad defensionem vitæ propriæ, aut rerum suarum, excusari potest, si aliter commodè nequeat res proprias, aut vitam tueri, & defendere.

7 An Episcopus possit alicui Clerico dare facultatem deferendi arma.

7 Vtrùm verò Episcopus possit alicui Clerico deferendi arma facultatem dare, patet ex dictis de legibus, per se loquendo, non posse, quatenus iure communi vetitum est Clericis arma deferre, Episcopus enim, per se loquendo, non potest dispensare in iure communi, potest verò dispensare in suis edictis, & statutis, & in casibus particularibus declarare potest, competere Clerico iustam causam deferendi arma. Ita innuit Riccius *loco cit.num.4.* & alij.

8 An Clerici maioribus Ordinibus initiati teneantur ad castitatem, & ad Horas canonicas.

8 Secunda obligatio est, vt Clerici initiati sacris Ordinibus recitent horas Canonicas, vt dictum est *de Horis Canonicis.* Præterea castitatem seruent, nam Ecclesia voluit sacris Ordinibus annexum esse castitatis vorum: hoc autem tacitè cēsetur emitti per susceptionē sacrorum Ordinum, nam qui vult antecedens, vult etiam consequens, & qui vult statum aliquem, vult etiam onera illi statui annexa. Ita Nauarrus *cap.12.num.32.* Emanuel Sà *verb. Ordo, num.28.* Henriquez *lib.10.cap.11.* Toletus *libr.4.cap.18.* Bellarminus *controuersia 5. libr.1.cap.18.* & alij communiter. Vide quæ dixi *de voto* [*in tractat. de legib. & de matrimonio quæst.3. punct.9.*]

Plura de obligationibus Clericorum videri possunt apud Reginaldum *lib.30. tract.3. tit.1. cap.7. & 8.* apud Henriquez *lib.10.* & apud Beletum *in suo tract. de Clericis*, apud Coninchum *disp.30. in vltimis dubiis*, & apud alios commentatores S. Thomæ *3.parte quæst.40.* [de qua re etiam ipse agam *in tract. de beneficiis.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

9 An Clerici à laica potestate sint exēpti.

9 CLerici exempti sunt à laica potestate. Hæc propositio patet ex dictis *de legibus punct.5. de subiecto legum*, & ex dictis *in 8. Decalogi præcepto quæst.2. punct.1.* Sicut etiam ex dictis de restitutione patet, vtrùm Clerici sint exempti à soluendis tributis, & vectigalibus. Plura videri possunt apud Valentiam *tom.4. disp.9. q.5. punct.4.* Lessium *lib.2.cap.33. dub.4. & 5.* Molinam *disp.620.* & Salonium *de tributis, & vectigalibus*, vbi etiam ostendunt quo iure Clerici sint exempti: [& ego de hac re satis egi in expositione Bullæ Cœnæ.]

10 An Clericus, qui primam Tonsuram eo tantùm fine recipit, vt fruatur priuilegio clericali, mortaliter peccet.

10 Quæres, vtrùm Clericus recipiens primam tonsuram eo tantùm fine, vt fruatur priuilegio Clericali, vel vt gaudeat exemptione fori, non verò intentione seruiendi Ecclesiæ, peccet mortaliter.

Respondeo negatiuè, vt patet ex dictis *de matrimonio quæst.3. punct.9. quæsito 2. num.3. in secunda editione*, cum Sanchez *lib.7. de matrimonio, disput.21. num.16. & 17.* Valentia, & aliis ibi citatis, quos sequitur Coninchus *tom.2. de Sacramentis, disput.20. dub.10. num.104. & 105.* contra Bannem *2.2. quæst.12. artic.1. in 2. difficultate ad finem.*

Quæ de matrimonio hîc disputari possent, sufficienter explicata videntur *in tractatu de matrimonio*, iamdiu in lucem edito.

TRACTATVS DE MAGNO MATRIMONII SACRAMENTO.

In quo difficultates, ac quæstiones ferè omnes ad hanc rem pertinentes, breui oratione disseruntur.

ARDVVM sanè, ac perdifficilem totius Matrimonij Tractatum quatuor quæstionibus complectemur. In I. disputabimus de sponsalibus, quæ præcedunt matrimonium, & sunt ad ipsum via, & media. In II. naturam, & proprietates matrimonij explicabimus. In III. agemus de impedimentis dirimentibus, & non dirimentibus, eorumque dispensatione. In IV. sermo nobis erit de iis, quæ pertinent ad vsum matrimonij, & de peccatis contra fidem matrimonij, & contra virtutem castitatis.

QVÆSTIO PRIMA.

De Sponsalibus.

SPONSALIA, quæ dicta sunt à *spondendo* ex Vlpiano *l.2.ff. de verbor. oblig.* aliquando significant munera, quæ sponsi mutuò sibi tradunt, aliquando matrimonium de præsenti nondum consummatū, quo pacto Beatissima Virgo appellabatur sponsa Ioseph, vt constabit ex dicendis *quæst.2.* aliquando significant mutuam promissionem futuri matrimonij, seu contractum inter sponsos. Nos in hac quæstione loquemur de sponsalibus, quatenus significant mutuam promissionem matrimonij.

PVNCTVM I.

Quid sint sponsalia, & quid requiratur ad illorum valorem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sint sponsalia.

1 SPonsalia sunt mutua promissio futuri matrimonij; ex quo fit, vt quando vterque sponsus dixit, ducam, vel accipiam te in coniugem, vel, promitto tibi matrimonium, censeatur celebrasse sponsalia, eo quòd adsit mutua promissio, *leg.1.ff. de sponsalibus.* Hæc propositio constabit ex dicendis in secunda illatione.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quænam conditiones ad spōsalia requirantur.

2 AD validitatem sponsaliorum tres conditiones requiruntur ex communi DD. sententia, Perez §.1. *de sponsalibus, &* §.24. *fol.*82. Reginaldi *lib.*31. *cap.*34. *à num.* 244. Henriquez *lib.*11. *cap.*13. Speculi 1. *parte art.*2. *&* 3. Garziæ 1. *parte de contract. cap.* 3. Gutierez *de matrimonio c.*4.5. *&* 6. Coninch. *de matrimonio disp.*21. *dub.*2. Sanchez, Rebelli, Vasquez *loc.* statim *citandis*, Mol. *de contract. disp.*254. & aliorum.

Prima est, vt adsit promissio voluntaria.

Secunda, vt promissio sit mutua, & accepta.

Tertia, vt sit aliquo signo externo sufficienter manifestata. Vt istæ conditiones melius intelligantur, nonnulla sunt aduertenda.

3 An in spōsalibus requiratur promissio, vel an sufficiat propositum.

3 Circa primam conditionem aduertendum est primò, ad validitatem sponsaliorum requiri, vt adsit promissio: non enim sufficit propositum, cùm propositū nullam inducat obligationem, vt dictum est de voto, quamobrem qui dicit feminæ, volo te accipere, habere, aut ducere in vxorem, præcisè non contrahit sponsalia, vt bene sentiunt multi Doctores apud Rebel. *lib.4. quæst.*3. apud Cardinalem Tuscum *tomo* 5. *concl.*122. *num.*1. apud Couarr. 1. *parte cap.* 4. Valent. *tom.*4. *disp.* 10. *puncto* 5. *in fine.* Speculum 1. *parte art.* 17. contra Sanchez *lib.*1. *disp.* 18. *num.*25. Gutierez *de matrimonio cap.*3. *num.*9. & Menochium *lib.*3. *præsumpt.*3. *num.*6. vbi refert Corneum, & alios: nam hæc verba non significant promissionem, sed propositum promissionis. Possunt tamen tales circumstantiæ concurrere, vt illa verba sufficiant ad sponsalia, vel etiam ad matrimonium, si proferens intendat verè promittere, vel contrahere matrimonium, & alter similia verba adiungat, cognoscens intentionem primi proferentis, & promittentis, vt benè tradit Sanchez *loco citato*, & Coninchus *num.*26.

4 Qualis deliberatio ad sponsalia requiratur.

4 Aduertendum est secundò cum Vasquez *de matrimonio disp.*5. *cap.* 1. *num.*3. & aliis communiter, promissionem debere esse deliberatam, cùm enim sponsalia obligent sub mortali, requiritur deliberatio, quæ tanta debet esse, quanta sufficit ad peccatum mortale, vt benè ait Sanchez *lib.*1. *disp.*8. Reginaldus *loco citato*, *numer.*246. Gutierez *cap.*7. *de matrimonio num.*6. Less. *lib.*2. *de iustitia cap.*40. *num.*2. Coninchus *loco citato*, *num.*13. [Filliucius *tract.*10. *cap.*7. *q.*3.] & alij communiter, quos retuli *de promissione.* Præterea promissio sponsaliorum debet esse voluntaria: nam sponsalia inducunt obligationem vis autem obligandi nascitur ex voluntate. Hinc sequitur primò promissionem factam animo fictonullam inducere obligationem ex vi promissionis: quamuis possit eam aliunde inducere, vt ratione damni, &c. vt infrà dicam.

5 An sponsalia obligent, quando promittens ignorabat obligationem sequi ex promissione: & an requiratur expressa voluntas se obligandi.

5 Secundò sequitur, promittentem non teneri adducendam eam, cui ex animo promisit, ignorans obligationem sequi ex promissione. Ratio est, quia non habuit voluntatem promittendi, cùm ignoraret naturam promissionis. Immò non tenetur ducere, si sciebat obligationem sequi ex promissione, sed ipse promittēs expressè noluit obligari. Ratio est, quia non habuit voluntatem verè promittendi, seu se obligandi, promissio enim est lex priuata, quæ obligat iuxta intentionem legislatoris, seu promittentis; cùm autem promittens positiuè noluerit se obligare, reuera non remanet obligatus. Verum tamen est, ad sponsalia non requiri expressam voluntatem se obligandi: sed sufficere tacitam & implicitam, quamobrem ille tenetur ad implendam promissionem, qui promisit sciēs naturam promissionis, quamuis non habuerit explicitam intentionem se obligandi, vt in simili dictum est de voto. Ratio est, quia qui vult antecedens, censetur etiam velle consequens, quod naturaliter sequitur ex antecedenti; ergo qui vult promittere, sciens naturam promissionis, vult etiam se obligare; cùm obligatio naturaliter sequatur ex promissione. Ita Sanchez *lib.*1. *disp.*9. Rebel. *lib.*4. *qu.*3. *n.*10. Reginald. *lib.*31. *n.*252. & alij cōmuniter.

[Ex quo fit, vt qui promisit, & postea dubitat an promiserit animo se obligandi, teneatur adimplere promissionem, quia obligatio naturaliter consequitur promissionem, & possessio stat pro ipsa: vide infrà dicta *puncto* 2. *num.*13.]

6 Sponsalia an obligent antequam promissio accepetur

6 Circa secundam conditionem aduertendum est primò, ad validitatem sponsaliorum requiri, vt promissio sit acceptata; nam promissio regulariter non obligat, antequam acceptetur; habet enim hanc tacitam conditionem, si alter acceptauerit, vt benè ait Sanch. *lib.* 1. *disp.*6. Regin. *loc. cit. n.*246. Vasq. *disp.*3. *de matrim. c.*2. *n.*21. Coninch. *loc. cit. n.*17. *& disp.*22. *dub.*6. *n.*35. Less. *lib.*2. *c.*18. *dub.*6. *n.*34. Gutier. *de matrim. c.*5. *n.*2. & alij, quos retuli *de contract.*

Dixi, *regulariter*, quia promissio non acceptata in aliquibus casibus obligat, eo quòd ius positiuum in illis suppleat defectum acceptationis, vt accidit quando aliquid promittitur infanti, *l. iubemus. C. de emancip. liber.* & patet ex dictis *de donatione.* Ita Sanchez *lib.*1. *disput.*6. Gutierez *c.*6. *n.*10. *&* 11. quamuis Vasquez *de matrim. disputat.*4. *c.*4. *n.* 48. excipiat hunc casum in promissione matrimonij facta infanti.

7 An in spōsalibus promissio esse debeat mutua.

7 Aduertendum est secundò, promissionem debere esse mutuam; nam sponsalia nihil aliud sunt quàm mutua promissio futuri matrimonij, propterea ad validitatem sponsaliorum non sufficit, vt vnus tantùm promittat, sed vterque debet promittere, & promissionem acceptare. Quòd si vnus non promittat, sed solùm acceptet promissionem alterius, vt si dicat, Placet, vel, accepto, vel, gratias ago de tanto beneficio, non dicitur celebrare sponsalia, consequenter non tenetur stare promissioni ratione sponsaliorum, quæ postulant mutuam obligationem, & non claudicant; alter verò qui promisit, tenetur stare promissioni ex vi simplicis promissionis, modò intenderit se obligare indepēdenter à repromissione alterius, vt bene tradit Gutierez *cap.*5. [Filliucius *n.*235.] Sanchez, & alij, secus si intendit obligare se tantum dependenter à repromissione alterius, tunc enim non tenetur stare promissioni, sed potest recedere à promissione, vt patet in omni alio contractu oneroso, in quo promittens potest recedere, antequam promissio ab altero acceptetur cum repromissione; nam contractus onerosus habet hanc tacitam conditionem, si alter vicissim repromiserit; si ergo alter non repromittit, non tenetur promittens stare promissioni; sed potest ab illa resilire, vt patet ex dictis *de contractibus.*

8 An possit aliquis se obligare independenter ab alterius repromissione.

8 Hinc colligitur contra Vasquez *disp.*4. *cap.*3. posse aliquem simplici, & gratuita promissione promittere, & obligare se independenter à repromissione alterius, ita vt sit liberum alteri cōtrahere matrimonium. Si tamen detur casus, vt aliquis dubitet, an promiserit absolutè cum

cum animo se obligandi independenter, aut dependenter ab alterius repromissione, iudicandum est promisisse dependenter; nam præsumitur promisisse iuxta naturam sponsaliorum, quę solent habere promissionem respectiuam, vt in simili dicam *puncto* 2. *n.* 15. [& patet ex dictis *num.* 7. *ad finem.*

9 An promissio in spōsalibus debeat exteriùs manifestari.

9 Circa tertiam conditionem aduertendum est primò, promissionem sponsaliorum debere exteriùs manifestari; nam promissio fit homini; homo autem non potest acceptare promissionem, & eius obligationem acquirere, nisi aliquo signo externo sibi manifestetur. Ex quo patet differentia inter promissionem, quæ fit Deo per votum, & inter promissionem, quæ fit homini; promissio enim quæ fit Deo, sufficit vt sit interna: cùm Deus intueatur cor, 1. *Regum* 16. non verò sufficit, si fiat homini. Ita Sanchez *lib.* 1. *disp.* 3. Coninchus *disp.* 21. *n.* 17. & 22. & *disp.* 22. *dub.* 6. *num.* 34. Gutierez *de matrimonio cap.* 4. *num.* 5. Reginaldus *lib.* 3. *n.* 3. [Filliucius *tract.* 10. *cap.* 7. *quæs.* 2. *n.* 234.] & alij communiter, quos retuli *de contractibus.*

10 Quomodo exprimendus sit consensus in sponsalibus.

10 Aduertendum est secundò, ad sponsalia non sufficere vt promissio, & consensus alteri manifestetur quouis modo, sed debere sufficienter manifestari per signum aliquod externum: siue hoc signum sit verbum, siue aliquid illi æquiualens; vnde aliquando sufficit aliquod factum ad manifestandam promissionem, & consensum; quale factum est missio annuli in digitum, vel missio torquis ad collum, vbi consuetudine receptum est, vt sponsalia hoc modo celebrentur; quare quando agitur de sponsalibus, missio annuli in digitum, vel torquis ad collum sufficit ad sponsalia; eò quòd illud factum sufficienter exprimat consensum, & promissionem; sicut etiam quando agitur de matrimonio, missio annuli in digitum, vel torquis ad collum sufficere potest ad matrimonium, vbi talis est consuetudo. Dico, *vbi talis est consuetudo*, quia missio annuli in digitum, vel torquis ad collum secundùm se non significat sponsalia, vel matrimonium, sed alia de causa fieri potest, sicut etiam traditio arrharum secundùm se non sufficit ad significandam promissionem coniugalem; eò quòd alia de causa fieri possit, nihilominus ex consuetudine alicubi recepta fieri potest, vt traditio arrharum sufficiat ad significandam promissionem coniugalem, vt ait Sot. *in* 4. *d.* 27. *quæst.* 2. *art.* 1. *concl.* 3. Gut. *c.* 63. *n.* 23. [Sanchez *disp.* 22. & Filliucius *tract.* 10. *c.* 7. *q.* 6. *n.* 248.] & alij, sufficit etiam aliquando porrectio manus ad significandum consensum, vt si sponsus petat sibi manum a sponsa porrigi ad celebranda sponsalia, vel matrimonium, & ipsa sponte porrigat. Ita Syluester *verb. Sponsalia.* Tuscus *to.* 5. *concl.* 111. & alij Doctores communiter, quos refert Sanchez *lib.* 1. *disp.* 18, & Gut. *de matrim. c.* 3. & eos sequitur Coninch. *loco citato, n.* 23. & 28. Cardin. Tuscus *tom.* 7. *concl.* 401.

11 An consensus exprimatur per taciturnitatē.

11 Taciturnitas verò non sufficit ad manifestandam promissionem, & consensum, ex quo fit, vt si Caius promittat Bertæ matrimonium, & ipsa taceat, non fiant sponsalia, etiamsi Berta interius consentiat. Ratio est, quia promissio, & consensus Bertæ non sufficienter manifestatur per taciturnitatem.

Obiicies. In *c. fin. de desponsatione impub. tit.* 2. habetur, valida esse sponsalia, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus contrahunt ipsis præsentibus, & non contradicentibus; ergo sufficit taciturnitas ad celebranda sponsalia.

Respondeo, hoc esse peculiare in dicto casu; eò quòd in eo casu ius accipiat taciturnitatem pro expressione consensus. Imò plurimi DD. sentiunt, esse valida sponsalia contracta a patre, vel matre pro filiis absentibus, si filij, vbi hoc intellexerint, non contradicant, vt colligitur ex *dicto c.* Ita Gut. *c.* 13. *n.* 1. Coninch. *dub.* 3. *n.* 34. *vsque ad* 4. Card. Tuscus *tom.* 7. *concl.* 400. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 1. Ledesma *q.* 41. *art.* 2. Nauarr. *c.* 22. *n.* 58. Perez, & alij apud Sanchez *lib.* 1. *d.* 23. contra ipsum Sanchez, [*loco cit.* Filliucium *tract.* 10. *n.* 249.] & alios. Si ergo pater, & mater, vel alius curam filiorum habens contrahat sponsalia, vel matrimonium pro filiis tacentibus, & non contradicentibus, validè contrahit, modò filij interius consentiant; ius enim in hoc casu accipit taciturnitatem pro consensu. Si verò alius, qui non est pater, vel mater, vel qui non habet curam, promittat pro filio tacente, non contrahit sponsalia; etiamsi filius tacens interius consentiat. Ratio est, tum quia taciturnitas non habetur pro expressione consensus, tum quia valet in hoc casu regula iuris in sexto: *Qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur.* Ita Speculum 1. *parte art.* 5. *in fine*, & alij apud Coninchum *loco citato.* apud Sanchez *loco citato, num.* 7. & apud Gutierez *loco citato.* contra Henriquez *lib.* 11. *c.* 13. *num.* 6. *in commentario littera S.* vbi plures alios refert.

Dices, qui tacet consentire videtur, *de regulis iuris in sexto*; ergo, quando extraneus non habens curam filij promittit pro filio tacente, censetur tacens consentire, consequenter taciturnitas videtur sufficere ad expressionem consensus requisiti in sponsalibus.

Respondeo, tacentem censeri consentire quantum est in sui fauorem, non verò quantum est in sui præiudicium, iuxta aliam reg. iuris in sexto: *Qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur*; cum autem repromissio, & consensus traditionis sui corporis non sit in sui fauorem, sed in fauorem alterius, tacens non censetur consentire; nisi fortè alicubi constet ex consuetudine, vel lege, taciturnitatem accipi pro expressione consensus. Ita Sanchez *lib.* 1. *disp.* 23. *num.* 14. Gutierez *c.* 13. *num.* 10. & alij.

12 An consensus exprimendus sit per aliquod signū externum.

12 Ex his patet, ad celebranda sponsalia requiri, vt consensus sufficienter manifestetur per aliquod externum signum, siue illud sit nutus, siue factum, siue verba quæcumque; non verò sufficere taciturnitatem per se loquendo.

Sed modò supersunt aliquæ difficultates examinandæ circa intelligentiam verborum, quibus exprimitur consensus.

13 An consensus exprimatur per hæc verba *non ducam aliam* præter te.

13 Quæres primò, quomodo intelligendæ sint istæ propositiones, non ducam aliam præter te, vel nisi te, vel, non ducam aliam a te; difficultas enim est, an ista verba sufficienter exprimant consensum requisitum ad sponsalia.

Respondeo cum Rebello *lib.* 4. *q.* 3. *num.* 7. Gutierez *cap.* 3. *num.* 13. Coninchо *disp.* 21. *dub.* 3. *n.* 29. Chamerota *de matrimonio cap.* 2. *dub.* 5. Reginaldo *lib.* 31. *num.* 51. Nauarro *cap.* 22. *nu.* 25. Valentia *loco citato.* Emanuele Sà *verb. Sponsalia num.* 7. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 12. *num.* 7. Speculo 1. *parte art.* 17. *dub.* 5. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 19. *n.* 3. [Filliucio *tract.* 10. *cap.* 7. *quæs.* 4. *n.* 245.] & aliis communiter, per illa verba non sufficienter exprimi consensum requisitum ad sponsalia, consequenter ex vi verborum non contrahi sponsalia. Ratio est, quia hæc verba in contractibus faciunt sensum conditionatum, nec sufficienter exprimunt consensum de præsenti, vel de futuro; nisi adsint aliæ circumstantiæ, & coniecturæ, id est, nisi ex coniecturis appareat, contrahentes voluisse per ea verba contrahere sponsalia, vel matrimonium. Ita Doctores citati contra Syluest. *verb. Sponsalia.* Cardinalem Tuscum *tom.* 5. *concluſ.* 122. *num.* 20. & alios existimantes, per huiusmodi verba contrahi sponsalia, si verba accipiantur, vt communiter accipi debent; non enim (inquiunt isti Doctores) verba allata faciunt sensum conditionatum, sed exceptiuum, quasi cōtrahens dicat, nullam aliam ducam, sed te ducam. Sed verius videtur, quod nos asseruimus, sicut patet in voto facto hoc modo, non ero nisi Carthusianus; nam hæc verba non faciunt sensum exceptiuum, sed conditionalem; vnde vouens non tenetur simpliciter ingredi religionem Carthusianorum, sed ex suppositione, quod voluerit fieri Religiosus, vt patet ex dictis *de voto*, cum communi DD. sententia.

14 Quomodo in sponsalibus explicanda sint verba, quando habent duplicē sensum.

14 Quæres secundò, quomodo sint explicanda verba, quibus celebrata sunt sponsalia, quando verba habent duplicem sensum.

Respondeo, in foro conscientiæ standum esse intentioni, secundùm quam verba proferuntur, *cap. intelligentia. de verborum significatione*; forum enim conscientiæ non innititur præsumptioni, sed intentioni, ex qua per se primò nascitur obligatio sponsaliorum. Ita Sanchez *lib.* 1. *disp.* 18. Gutierez *cap.* 3. *num.* 18. Molina *tract.* 2. *disp.* 162. *n.* 1. & alij Doctores citati. Concedo quidem, in foro interiori seruandum esse idem, quod seruatur, & iudicatur in foro externo, quando forum externum non innititur falsæ præsumptioni, at quando innititur falsæ præsumptioni, & manifesta est veritas in oppositum, non est idem seruandum in foro interiori, secluso damno, vel scandalo.

15 Quid faciendum sit, quando dubitatur, an adfuerit animus se obligandi.

15 Hinc sequitur, quando dubitatur, vtrum in sponsalibus adfuerit animus se obligandi, iudicandum esse in foro interiori adfuisse animum se obligandi, nam forum exterius iudicaret animum adfuisse, non adhærendo falsæ præsumptioni. Quòd autem forum exterius in hoc casu non adhæreat falsæ præsumptioni, ratio est, tum quia obligatio naturaliter consequitur promissionem, nisi voluntas expressè renuat obligationem; tum quia nemo præsumitur dicere, quod in corde non habet. Ita Sanchez *lib.* 1. *disp.* 8. *n.* 10. Gutierez *de matrim. c.* 7. *n.* 8. & *c.* 9. *n.* 3. & alij, quos in simili retuli *de voto.* Vide, quæ dixi de conscientia dubia *in tractatu de peccatis.*

16 An matrimoniū, vel sponsalia valida sint, quādo verba significant consensum de futuro, & sponsi adhibent illa ad significandū consensum de præsenti, & è contra.

16 Quæres tertiò, vtrum celebrentur sponsalia, vel matrimonium, quando verba significant consensum de futuro, & sponsi adhibent illa ad significandum consensum de præsenti; vel quando verba significant consensum de præsenti, sed sponsi adhibent illa ad significandum consensum de futuro.

Respondeo, illa verba valere ad illud, ad quod significandum vsurpantur ex consensu contrahentium; vnde quando ex intentione contrahentium adhibentur ad significandum consensum de futuro, valent ad contrahenda sponsalia, etiamsi ipsa de se repræsentent consensum de præsenti. Ratio est, quia ad contrahenda sponsalia non requiruntur determinata verba, sed sufficiunt quæcumque signa, quibus sufficienter manifestetur consensus internus, vt benè ait Vasquez *disp.* 3. *cap.* 2. *n.* 19. ex *l. sufficit. ff. de sponsalibus.* Sanchez *lib.* 1. *disp.* 18. *n.* 2. Gutierez *cap.* 3. *n.* 18. consensus autem internus sufficienter manifestari potest per quæcumque verba ex intentione, & consensu contrahentium prolata, etiamsi aliud communiter significent. Verum tamē est, quando verba accipiuntur ab altero contrahentium iuxta communem significationem, non esse valida sponsalia, aut matrimonium, si verba secundùm se, & secundùm communem significationem non significent consensum de præsenti, vel de futuro; etiamsi proferens illa protulerit intentione præstandi consensum de præsenti, vel de futuro. Ratio est, quia in eo casu consensus non est sufficienter manifestatus. Ita Rebell. 2. *parte lib.* 4. *q.* 3. Nauar. *c.* 22. *n.* 79. Perez §. 24. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 18. & alij.

17 Quid faciendū sit, quādo verba dubia sunt.

17 Quæres quartò, quid faciendum sit, quando verba dubia sunt, & non constat de intentione proferentium.

Respondeo primò, contrahentes compellendos esse ad seruanda verba in eo sensu, quem rectè intelligentes solent communiter ex iis verbis percipere, vt ait Alex. III. *cap. ex litteris* 1. *de sponsalibus*, & benè ostendit Sanchez *lib.* 1. *disp.* 18. Speculum 1. *part. art.* 17. *dub.* 2. Gutier. *de matrim. c.* 3. *n.* 14. & 15. Chamerota *de matrim. c.* 2. *dub.* 5.

Secundò, spectandam esse regulam Hilarij 4. *de Trinitate*, vt videlicet verborum dubiorum significatio desumatur ex causis, de quibus agitur *extrà de verb. signif. c. intelligentia.* consequenter inspiciendum est, vtrum ageretur de sponsalibus, vel de matrimonio, & sic pro negotio, seu causa, quæ agitur, explicanda sunt verba dubia.

Tertiò, standum esse iudicio fori externi, modò non innitatur falsæ præsumptioni, vt dictum est *q.* 2. Ita Paludan. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *art.* 4. *concl.* 5. Specul. 1. *part. art.* 17. *vers. restat inquirendum.* Sanchez *lib.* 1. *disp.* 18. *n.* 8. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 46. [Filliucius *tract.* 10. *c.* 7. *quæs.* 4. *num.* 240.] & alij.

18 Quomodo explicanda sint hæc verba, *habebo te in vxorē.*

18 Quæres quintò, quomodo sint intelligenda hæc verba, *habebo te in vxorem.*

Respondeo cum Rebel. *lib. de sponsalibus q.* 3. *n.* 5. Palud. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *art.* 4. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 18. *n.* 18. Speculo 1. *part. art.* 17. *concluſ.* 2. in foro externo explicanda esse pro sponsalibus; in foro verò interno standum esse intentioni contrahentium: nam si contrahentes intendebant per illa verba cōtrahere matrimonium de præsenti, explicanda sunt pro matrimonio, modò adsint cetera requisita. Si verò contrahentes intendebant tantummodo sponsalia celebrare, explicanda sunt pro sponsalibus. Illa verò verba, *ex hoc tempore*, vel, *semper*, vel, *deinceps*, vel, *omnibus diebus vitæ meæ habebo te in vxorem*, explicāda sunt

pro matrimonio de præsenti, consequenter sufficiunt ad contrahendum matrimonium, modò adsint cetera requisita. Ita Speculum *loco citato post 3.conclusionem.* Sanchez *n.*20. Gutierez *de matrim.c.*3.*n.*4.

PVNCTVM II.

De obligatione, quæ consurgit ex sponsalibus.

VNICA PROPOSITIO.

1 An sponsalia obligent sub mortali.

1 EX veris sponsalibus oritur obligatio sub mortali ad ipsa adimplenda. Ita Regin.*lib.*31.*n.*250. Coninch.*disp.*22.*dub.*1. Riccius *decis.*331.*&*233.*n.*6.P.Ledes.*q.*43.*art.*1. Vasquez *disp.*3.*c.*2.*n.*22. Rodriquez *c.*244.*n.*1.Henriquez *lib.*11.*c.*13.Speculum *art.*16.*in principio.* Sanchez *lib.*1.*disp.*27.*n.*2.[Filliucius *tract.*10.*c.*7.*quæs.*2.*n.*236.]Ratio est, quia ex contractu oritur obligatio iustitiæ sub mortali, quando materia est grauis, vt patet ex dictis de cõtractibus; sed sponsalia sunt contractus inter sponsum, & sponsam in materia graui; ergo ex sponsalibus oritur obligatio sub mortali, ex quo fit vt sponsus, qui non adimplet sponsalia, grauiter peccet, & grauem inferat iniuriam alteri sponso, & hoc verum est, etiamsi statim post sponsalia contracta pœniteat sponsum illa celebrasse; nam pœnitentia post contracta sponsalia non tollit obligationem eorum, cùm antea validè celebrata fuerint, vt patet ex dictis de contractibus, & de voto.

2 An obligent sponsalia celebrata à nobili, vel diuite cum ignobili, vel paupere.

2 Ex quo sequitur, sponsum, vel sponsam nobilem, & diuitem, quæ iniit voluntariè sponsalia cum aliquo ignobili & paupere, cuius conditionem non ignorabat, teneri stare sponsalibus, & cum illo matrimonium contrahere, cùm enim esset conscia conditionis alterius, & adhuc voluerit sponsalia contrahere, tenetur adimplere promissionem, ex qua oritur obligatio sub mortali. Ita Molina *tom.*2.*de Iustitia d.*271.Sanchez *lib.*1.*disp.*14.*n.*2.Rebel.*lib.*4.*quæst.*1.Vasquez *d.*6.Azor. 3.*p.lib.*5.*c.*5.*q.*3.*diffic.*2. Gutierez *c.*4.*de matr.n.*3.*&c.*9.*n.*10. [Filliuc. *tract.*10.*c.*7.*quæs.*8.*n.*255.]& alij communiter.Hoc tamen intelligendum est, modò ex adimpletione promissionis, seu ex illo matrimonio non sequatur graue malum, vel magnum scandalum, vt graues rixæ inter parentes contrahentium, vel aliud graue incommodum, nam iustitia non obligat ad faciendum malum; est autem malum celebrare matrimonium cum scandalo aliorum. Ita Sanchez *loco citato.* Emanuel Sà *v.Restitution.*24. Vasquez *de restit. cap.*3.*§.*1.*dub.*2 *n.*17. Reginaldus *lib.*31.*n.*255.*&*264.Coninchus *disp.*23.*dub.*8.*n.*68.Azor. 3.*part.lib.*5.*quæs.*3.Lessius *lib.*2.*c.*10.*n.*26.[Filliucius *tract.*10.*c.*7.*quæs.* 8.*n.*255.] & alij apud Gutierez *c.*4.*n.*4.*&c.*10.*n.*8.

Addo cum Nauar.*c.*16.*n.*10.& Rodriq.*cap.*208.*n.*8.*ad fin.*sponsum non teneri adimplere promissionem futuri matrimonij, quando præuidet fore, vt matrimonium sortiatur prauum exitum; habet enim iustam causam resiliendi à sponsalibus, vt infrà dicam.

Dixi in propositione, *ex veris sponsalibus,* quia ex sponsalibus non veris, sed fictis, id est, factis absque intentione promittendi, vel se obligandi, non inducitur obligatio ex vi sponsaliorum; nam iustitia, aut fidelitas non obligat ad seruandum id, quod verè non est promissum; ficta autem promissio est promisio solo nomine, & non vera promissio. Ita Speculum 3.*parte cap.*19.*concl.*5. Henriquez *lib.*11,*cap.*11.*n.*12. Sanchez *lib.*11.*disp* 10.*nu.*26.Vasquez *loco citato de restitutione.* Clauis Regia *loco citato num.*34.*ad finem.*Lessius *lib.*2.*cap.*18.*dub.*1.*nu.*5. Coninchus *disp.*21. *dub.*2.*n.*7. [Filliucius *tract.*10.*c.*7.*quæs.*7.*num.*251.] cum aliis contra Petrum Ledesmam *de matrimonio quæst.*3 *ar.*1.*dub.*4. Molin.*disp.*106.*n.*3.*vers. Ex parte.*Vasquez *de matrimonio disp.*6.*cap.*3. & alios. Peccauit quidem sponsus fictè promittendo, & decipiendo alterum sponsum, qui non facilè poterat cognoscere rem ioco agi; non tamen tenetur stare promissioni, aut complere sponsalia ex vi promissionis, seu sponsaliorum: ratione verò alterius damni, quod alter patitur, aut ratione scandali vitandi, si aliter euitari non potest, tenetur stare promissioni, & complere sponsalia.

3 Quænam dicatur ficta promissio.

3 Si quæras, quid nomine *fictæ promissionis* intelligatur.

Respondetur, illam intelligi, quæ fit sine animo promittendi, aut cum animo non se obligandi, vt benè ait Sanchez *lib.*1.*disp.*9. multis DD.relatis, Coninchus *loco citato disp.*22,*num.*37. Reginaldus *lib.*31. *n.*250.quamquam Gutierez *cap.*9.*num.*1.cum aliis dissentiat. [Ratio nostra est, quia vera promisio non subsistit sine animo promittendi, aut sine intentione tacita, vel expressa obligandi se, vt dictum est *punct.*1.*num.*5.]

4 An seruanda sit ficta promissio facta cum iuramento.

4 Sed modò difficultas est, vtrùm seruanda sit ficta promisio facta cum iuramento.

Respondeo, seruandam esse, quando iuramentum factum fuit animo iurandi, & se obligandi; nam ex iuramento hoc modo facto consurgit obligatio. Quando verò iuramentum factum fuit absque animo iurandi, vel cum animo non se obligandi, non est obligatio seruandi promissionem præcisè ex vi iuramenti, vt dictum est *de iuramento puncto* 8.cum Sanchez *disp.*9.*nu.*9.& pluribus aliis contra Gut. *cap.*9.*n.*2.& alios; nam obligatio iuramenti oritur ex vero iuramento, nec Deus acceptat iuramentum, nisi secundùm hominis intentionem, *cap.humanæ aures* 22.*q.*5.*cap.* 11. Dico, *ex vi iuramenti,* quia fieri potest, vt ob aliam rationem seruanda sit promissio, vt ratione vitandi scandali, si aliter euitari non potest, quam per adimpletionem promissionis; imò fictè promittes cogetur in foro externo stare promissioni, aut iuramento; quia præsumetur iurasse cum intentione iurandi, & se obligandi. Similiter fieri potest, vt obligetur stare promisioni non solùm ratione scandali vitandi, sed etiam ratione damni præcauendi, vt quando quis ficta promissione matrimonij, aut ficto iuramento aliquam decepit, illam deflorando; quamuis enim non teneatur ex vi promissionis, aut iuramẽti seruare promissionem, celebrando matrimonium cum decepta, (quidquid dicat Vasquez *disp.*6.*c.*4.) nihilominus tenetur ratione damni iniustè illati: qua de causa vir tenetur ducere virginem, quam deflorauit ficta promissione matrimonij: [nisi fortè vir sit conditionis longè superioris, iuxta dicenda *n.*9.] Similiter tenetur ducere viduam bonæ famæ, quam ficta promisione matrimonij carnaliter cognouit, si ipsa infamiam pateretur ex illa copula, & ob id inepta redderetur matrimonio. Ratio est, tum quia censeretur causa iniusta illius damni, si illam non duceret, tum quia mille fraudibus via in contractibus aperiretur. Ita P.Ledesma *q.*45. *art.*4.Rebel.1.*parte lib.*3.*q.*8. Lessius *loco* statim *citando.* Vasquez *loco cit.de rest.n.*26.Gut.*de matrim.c.*9.*n.*6.*&c.*10.*n.*17.*&*19.Reginaldus *lib.*31.*n.*255.*&*256.[Filliucius *tract.*10.*cap.*7.*quæs.*3.*n.*239.*&*252.] & alij apud Sanchez *lib.*1. *disp.*10.*n.*24.*lib.*1. & apud Gutierez *cap.*10.*n.* 2.*&* 3.neque satisfaciet dotando prædictam virginem, aut viduam, si ipsa non est contenta dote. Ratio est, tum quia promissio non fuit de dote, sed de matrimonio; tum quia, cùm ipsa adimpleuerit contractum, do, vt facias, par etiam est, vt fictè promittens adimpleat illum ex parte sua, ne commodum reportet ex suo delicto. Ita Molina *loco* statim *citato.*Gutierez *c.*10.Rebel.& alij *locus cit.* Quamuis probabilis sit sententia Cordubæ, & aliorum apud Vasquez *de rest.* asserentium non teneri ducere, sed satisfacere resarciendo damnum, & iniuriam.

5 An vir teneatur ducere feminam malæ famæ, cum qua sub ficta promissione matrimonij habuit copulam.

5 Quæres primò, vtrum vir teneatur ducere feminam malæ famæ, cum qua sub ficta promissione matrimonij habuit copulam.

Respondeo non teneri; non enim tenetur ratione promisionis, quia promisio ficta non inducit obligationem, neque tenetur ratione damni, nam illa femina nullum damnum patitur; quare satisfaciet soluendo pretium copulæ, si illa femina consueuerat corpus suum locare, vt benè ait Molina *tom.*4.*disp.*106.*n.*11.*concl.*8.Propter dictam rationem existimo, virum non teneri ducere virginem, aut viduam bonæ famæ, quam deflorauit ficta promisione matrimonij, quando copula est adeò occulta, vt nullum sit infamiæ periculum in femina; etiamsi credam, hoc ratò posse contingere, si tamen contingat, non tenebitur ducere, vt dictum est; quamuis teneatur iniuriam feminæ factam compensare ad arbitrium prudentis viri. Ita Speculum *loc.cit.* Sanchez *lib.*1.*disp.*10. *n.*23. Reginald.*loco cit.n.*256.*ad fin.* Molina *loco citato.*Lessius *lib.*2.*c.*10.*dubitat.*2.*n.*15. [Filliucius *tract.*10.*c.*7.*quæs.*7. *n.*252.]& alij apud Clauem Regiam *loco cit.n.*56. & apud Gutierez *de matrimonio c.*10.*n.*19.

6 An vir teneatur ducere feminam, quæ simulabat se virginem, vel diuitem, cùm non esset, & vir illam decepit ficta promissione, extorquendo copulam.

6 Quæres secundò, vtrùm vir teneatur ducere feminam, quæ simulabat se virginem, vel diuitem, cùm non esset, & vir illam decepit ficta promissione, extorquendo copulam.

Respondeo non teneri. Ratio est, tum quia in hoc casu habet sufficientẽ causam dissoluendi spõsalia, si vera essent, vt infrà dicam; ergo multò minus tenetur stare sponsalibus fictis: tum quia fictio feminæ compensatur cum fictione viri. Ita Speculum 3.*parte art.*19.*concluſ.*6. Vasquez 3.*parte de matrim.disp.*6.*cap.*3.*n.*19.*&de restitut.loc.cit.dubio* 4.*n.*22.*&*24.Gutierez *c.*9.*n.*6.*&c.*10.*n.*9.*&*10. Reginaldus *loco cit.n.*255. Petr.Ledesma *quæst.*45. *art.*4. Sanchez *lib.*1.*disp.*10.*num.*11. Molina *tom.*4.*disp.*106.*num.*8. Lessius *lib.*2.*c.*10.*dub.*3.*nu.*29. Rebel. 1.*parte,lib.*3.*quæst.*8.

7 An vir, qui fictè promisit, extorquendo copulã, teneatur ducere feminã, quæ est nobiliter impar nobilitate, aut diuitiis.

Addo cum Gutierez, Sanchez *locis citatis.* contra Rodriquez *loco citato,* & alios apud Vasquez, virum non solùm non teneri ad ducendam prædictam feminam, sed neque teneri ad vllam restitutionem, quando femina se virginem simulabat, & postea comperta est corrupta; nullum enim damnum vir illi censetur intulisse.

7 Quæres tertiò, vtrùm vir, qui ficta promissione extorsit copulam a femina, teneatur eam ducere, quando vir est notabiliter impar nobilitate, aut diuitiis, aut potentia.

Respondeo non teneri, si mulier sciebat disparitatem, & inæqualitatem, ex qua facilè poterat aduertere, virum non habere animum verè promittendi, sed decipiendi. Ratio est, tum quia in hoc casu præsumitur feminam se voluntariè decepisse, & potius fingere se deceptam, quàm re vera decepta sit, vt ait Vasquez *de matrimonio d.*6.*c.*6. *&in opusc.de rest.loco cit.n.*16.Lessius *lib.*2.*cap.*10.*dub.*3.*n.*24. Molina *tom.*4.*d.*106.Sanchez *lib.*1.*disp.*10. Clauis Regia *loco citato n.*35. Gutierez *cap.*9.*n.*8.*&cap.*10.*n.*5.Nauar.*c.*16.*n.*18. [Filliucius *tract.*32.*n.* 220.]tum quia vir nõ tenetur illam ducere ratione deceptionis; nam ipsa potius decipi voluit, quàm sit decepta. Neque tenetur ratione copulæ; nam copula non est digna tanto pretio, vt vir cogendus sit illam ducere, [& cum illa perpetuò manere;] ergo non tenetur ducere.

Ex hac ratione colligitur, virum non solum non videri cogendum ad illam feminam ducendam, sed neque ad illam dotandam; imò neque ad aliquid restituendum, ex Sanchez *d.*10.*n.*19.Sylvest.*matrimonium* 4.*quæst.*8. Molina *tom.*4.*disp.*106.*concluſ.*1. Less.*loco citato n.*25. Vasquez *de restit.loco cit.num.*19. & aliis contra Nauarr. *cap.*12.*n.*76. Henriquez *lib.*11.*cap.*11.*num.*2.Azor.*loco citato q.*3.*diffic.*3. Speculum 3.*parte art.*19.*concl.*3. & alios apud Gutierez *c.*10.*n.*17. vir enim non censetur illi feciſſe iniuriam, cum femina videatur sciens consensisse; scienti autem & volenti non fit iniuria, vt in simili dicam *q.* 4.*punct.* 17.*de stupro.*

8 An vir, qui nobilis teneatur ducere filiã agricolæ, cui fictè promisit, extorquendo copulã.

8 Ex his sequitur, virum nobilem non teneri ducere filiam agricolæ à se deceptam ficta promisione, si ipsa consci erat notabilis disparitatis. Idem dicendum est, quando ambo sunt pares genere; sed notabiliter impares diuitiis, vt ait Nauar.*cap.*16.*n.*18.Sanchez *loco cit. num.*6. Gutierez *cap.*9.*nu.*9. Speculum 3.*parte art.*19.*concl.*13. & alij. Secus dicendum est, quando quis ex animo promisit, siue copulam extorserit, siue non; tunc enim certum est teneri ducere non solùm ratione damni illati, sed etiam ratione promisionis; propterea non satisfacier dotando, nisi ipsa liberè consentiat; nam promisio non fuit de dote, sed de matrimonio. Si tamen detur casus, vt non possit eam ducere ob aliquod impedimentum, vt quia factus est illi affinis, aut quia suscepit sacros Ordines, aut quia matrimonium cum alia contraxit, tenetur resarcire damnum, quod puella patitur, denegato sibi matrimonio, [nam causa iniusta damni tenetur ad restitutionẽ.] Ita Lessius *loco cit.n.*25.Molina *loco cit.concl.*3.*vers.*3.*pa.te.* Reginaldus *lib.*10.*num.*131.Rebellus *loco cit.q.*8.*n.*15. & alij apud Gutierez *de matrimonio,c.*10.*num.*1.*&* 2.

9 An vir teneatur ducere eam, quam de-

9 Sed maior difficultas est, vtrùm vir, qui est multò dignioris conditionis, teneatur ducere feminam notabiliter inferiorem conditione à se deceptam ficta promisione, si femina decepta nesciebat inæqualitatem

cepit, quãdo femina ignorabat inæqualitatẽ ſtatus.

litatem ſtatus, aut ſi feminæ, ſcienti inæqualitatem viri, vir adeò aſſeueranter promiſit, vt ipſa prudenter, & rationabiliter potuerit credere, promiſſionem non fictè, ſed verè fieri.

Reſpondeo adhuc non teneri. Ita Sanchez *d.*10.*n.*20. Chamerota *de matrimonio cap.*2.*dub.*15.*ad finem.* Emanuel Sà *v.Promiſſio num.*5. Gutierez *cap.*10.*n.*6. Reginaldus *loco citato nu.*256. Mich.Salon.2.2. *quæſt.*62.*art.*2.*controuerſ.*5. Rodriquez 1.*parte*,*c.*208.*n.*8. & alij contra Leſſ.*lib.*2.*cap.*10.*dub.*3.*nu.*22. Vaſquez *diſp.*6.*cap.*4.*& in opuſc.de reſtitut. loco citato dub.*3.*nu.*21. Molinam *loco citato concluſ.*2. Petrum Nauarrum *lib.*2.*c.*3.*parte* 4.*nu.*427. & Azor.*loco citando*,& alios apud Sanchez. Ratio eſt, tum quia non tenetur vi promiſsionis; nam ex promiſsione ficta non oritur obligatio. Neque tenetur ratione damni ipſius feminæ; nam hoc damnũ aliter vitari poteſt, exempli gratia, dotando, vel augendo dotem, qua poſsit æquè bene nubere, ac ſi defloratа non fuiſſet; tum quia iactura inferioris feminæ non videtur compenſanda cum tanto viri diſpendio; tum quia nullus tenetur plus reſtituere, quàm æſtimetur damnum illatum; iuſtitia enim obligat ad æqualitatem; damnum autem amiſſæ virginitatis non tanti æſtimatur, nec conferendum eſt cum damno, quod pateretur vir longè ſuperioris conditionis ducendo feminam multò inferiorem.

10 Ad quid teneatur vir, qui vult ducere feminam, cui fictè promiſit, ſed parentes aut ipſa recuſat.

10 Quæres quartò, ad quid teneatur vir, qui poſtquam fictè promiſit feminæ, vult illam ducere, ſed parentes, aut ipſa recuſat.

Reſpondeo cum Sanchez *loco.cit.* Leſſio *lib.*2.*cap.*10. *dubitatione* 3. *num.*27. Gutierez *cap.*10.*n.*13. Molina *loco cit.* & aliis contra Nauarrum *c.*16.*n.*18. Henriquez *lib.*11.*cap.*11.*n.*2. ad nihil teneri; nam ſatis eſt, vt ſit paratus ad illam ducendam, & ad promiſsionem adimplendam, & per ipſum non ſtet quin promiſsio adimpleatur. Vtrùm verò teneatur ad aliquid reſtituendum, quando abſque promiſsione matrimonij copulam obtinuit, dicam infrà de ſtupro.

11 An feminа teneatur ducere virum, à quo extorſit copulam ficta promiſsione matrimonij.

11 Quæres quintò, vtrùm femina teneatur ducere virum, à quo extorſit copulam ficta promiſsione matrimonij.

Reſpondeo, vtplurimum non teneri; non enim tenetur ratione promiſsionis, cùm fuerit ficta; neque ratione damni, cùm vir non ſoleat damnum pati ex copula habita cum femina.

12 An teneatur ſtare ſponſalibus, qui dubitat an promiſerit, vel an verba contineant promiſſionẽ.

12 Quæres vltimò, an qui æqualiter dubitat, vtrùm promiſerit, vel ſponſalia contraxerit, vel vtrum verba contineant promiſsionem, obligandus ſit ſtare ſponſalibus.

Reſpondeo negatiuè, ſi dubium adhuc perſeuerat poſt adhibitam diligentiam ad cognoſcendam veritatem. Ita Henriquez *lib.*11.*c.*11.*n.*5. Rebel.*de ſponſalib.q.*3.*nu.*10. Sanchez *lib.*1.*diſp.*9.*& diſp.*18.*num.*6. Reginaldus *lib.*25.*n.*93.*& lib.*31.*n.*254.& alij. Ratio eſt, tum quia in dubio melior eſt conditio poſsidentis; dubitans autem poſſidet ſuam libertatem; tum quia hoc eſt in fauorem ſponſalium, quæ debent eſſe libera; tum quia facienda eſt ſtricta interpretatio, quando agitur de obligatione facienda, *c.*1.*de iureiurando in* 6. Idem cenſet Henriquez *lib.*11.*c.*13.*n.*4. in æquali dubio matrimonij, eò quòd ſit melior conditio poſsidentis, contra Rebel.2.*parte lib.*4.*q.*3.*n.*9. Gutierez *de matrim.c.*3.*num.*16.

13 An teneatur adimplere ſponſalia, qui dubitat, an promiſerit animo ſe obligandi.

13 Rogabis vtrùm, qui promiſit, ſeu ſponſalia contraxit, teneatur ſtare promiſsioni, ſeu ſponſalibus, quando dubitat, vtrùm promiſerit, animo ſe obligandi.

Reſpondeo teneri, vt in ſimili dictũ eſt de voto. Ratio eſt, tum quia poſſeſſio ſtat pro ſponſalibus, ſeu promiſſione, quam conſtat factam fuiſſe, ſed dubitatur de illius excuſatione, tum quia actus præſumitur factus ſecundùm ſuam naturam, nec vllus præſumitur dicere quod non habet in mente. Ita Sanchez *diſp.*9.*num.*12.*& diſp.*18.*num.*5. Rebellus *loco cit.* Reginaldus *locis cit.* Gutierez *cap.*3.*num.*16. & alij communiter.

Ex dictis in hoc puncto colligi poteſt primò, virum qui ex animo promiſit ducere feminam longè inferioris conditionis, teneri illam ducere, niſi magnum ſcandalum & malum inde oriatur, vel probabiliter timeatur iudicio prudentis viri.

Qui verò fictè promiſit, non tenetur ex vi promiſsionis factæ, aut etiam vi iuramenti, ſi fictè iurauit animo non iurandi, aut non ſe obligandi. Fieri tamen poteſt, vt ratione ſcandali, aut damni vitandi teneatur ducere, vt ſi ficta promiſsione matrimonij extorſit copulam à virgine, aut à vidua bonæ famæ, quæ alioquin pateretur infamiam, & inepta redderetur matrimonio, niſi duceretur: tenetur enim ex iuſtitia illius damnũ præcauere, vt benè ait Leſsius *lib.*2.*c.*10.*dub.*4.*n.*31. P.Ledeſma *q.*45.*art.*4.*dub.*1. Henriquez *loco citato.* Sanchez *num.*24. & alij. Contrarium dicendum eſt de illo, qui ficta promiſsione extorſit copulam à femina malæ famæ, aut ab ea, quæ ſimulabat ſe virginem, aut diuitem, cùm reuera non eſſet diues, aut virgo. Addo virum, qui copulam extorſit à femina longè inferioris conditionis, non teneri illam ducere, aut dotare, aut aliquid eidem reſtituere, ſi femina ſciebat inæqualitatem viri, imò neque tenetur ſecundùm nos illam ducere; quamuis femina inæqualitatem viri ignoraret: nam poteſt illius damno occurrere dotando, vel augendo dotem, qua poſsit æquè benè nubere, nec tenetur cum tanto ſuo damno compenſare damnum inferioris feminæ.

Secundò patet, feminam regulariter non teneri ad ducendum virum, à quo ficta promiſsione matrimonij copulam extorſit.

Tertiò patet, virum qui fictè promiſit feminæ, ad nihil aliud teneri, ſi parentes renuant illam tradere, vel ſi ipſa recuſet eum recipere; nam per virum non ſtat, ne promiſsio adimpleatur.

[Quartò, eum qui dubitat ſe promiſiſſe, non teneri ſtare promiſſioni, quia poſſeſsio ſtat pro libertate; ſecùs ſi promiſit, & dubitat ſolùm, an habuerit intentionem ſe obligandi.]

PVNCTVM III.

Vtrùm ſponſalia incerta ſint propriè, & perfectè ſponſalia, & ex ipſis conſurgat obligatio.

1 Quænam dicantur ſponſalia incerta.

1 NOtandum, nomine *incertorum ſponſalium* intelligi ea, quę fiunt cum perſona incerta, & indeterminata, ſeu quæ fiunt cum pluribus ſub diſiunctione, vt quando Caius promittit tribus, vel quatuor filiabus Titij, ſe vnam illarum ducturum, & ipſæ ſimiliter repromittunt.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An ſponſalia incerta ſint vera ſponſalia.

2 SPonſalia incerta non ſunt propriè, & perfectè ſpõſalia. Ratio eſt, tum quia ſicut matrimonium neceſſariò debet eſſe cum determinata perſona, ita etiam ſponſalia quæ ſunt inchoatio matrimonij: tum quia ex veris, & perfectis ſponſalibus naſcitur impedimentum publicæ honeſtatis, ſed hoc impedimẽtum non oritur ex ſponſalibus incertis, vt habetur *cap.vnico, de ſponſalibus in* 6. ergo ſponſalia incerta non ſunt propriè, & perfectè ſponſalia, ſed potius ſunt conditionata, ad eligendum ſcilicet in futurum vnam ex illis, quibus ſub diſiunctione facta eſt promiſsio. Ita Ioan. Andreas, Cardinalis, & alij, quos citat, & ſequitur Ferdinandus Perez *fol.*8.*in ſuis manuſcriptis*, quæ extant in alma Bibliotheca Ambroſiana, quam vigilantiſsimus Mediolanenſis Eccleſiæ Paſtor, & Cardinalis eximius ad perpetuam rei memoriam inſtituit, & erexit. Coninchus *diſp.*21.*dubio* 2.*nu.*16. Gutierez *de matrimonio cap.*16. Chamerota *de matrimonio cap.*2. *dubio* 3. *&* 6. [Filliucius *tract.*10.*c.*7.*quæſt.*6.*n.*250.] contra Sylueſtrum *verb. Matrimonium* 7.*num.*11. & Couarruuiam *in Epitome de matrimonio* 1. *part.lib.*4.*cap.*17.

3 Quomodo ſpõſalia incerta fiãt perfecta, & certa.

3 Quæres quomodo ſponſalia incerta reddantur certa, & perfecta.

Reſpondeo, reddi certa, & perfecta per determinationem & electionem promiſſoris, qua poſita, ſtatim inducitur impedimentum publicæ honeſtatis, poſt Concilium Tridẽtinum *ſeſſ.*24.*c.*1. ſufficienter præſumuntur determinari ſponſalia cum ea, cum qua promiſſor habet copulam; præſumitur enim acceſsiſſe animo eligendi illã, quam carnaliter cognouit, cùm per copulam fiat affinis reliquis ſororibus, ita vt non poſsit vnam aliarum ducere. Ita Rebellus 2.*part. lib.*4.*de ſponſalibus*,*n.*2.*&* 6. Sylueſter *verb. Matrimonium* 2.*n.*11. Coninchus *loco cit.* contra Sanchez *lib.*2.*diſp.*26.*n.*22.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An ſponſalia incerta obligẽt.

4 EX ſponſalibus incertis conſurgit obligatio adimplẽdi ſponſalia, nam ex promiſsione non ficta oritur obligatio ex vi promiſsionis, conſequenter poteſt promiſſor compelli ad ducendam vnam ex illis, quibus ſub diſiunctione promiſit, poteſt enim compelli ad ſeruandam promiſsionem. Verùm ſi vna illarum renuat, promiſſor non tenetur aliam ducere, niſi fortè obligauerit ſe ad alteram ducendam, vna recuſante, aut niſi electio relicta ſit in poteſtate illarum. Ratio, cur non teneatur vna recuſante, aliam ducere, eſt, quia promiſſor quantum in ſe eſt, paratus eſt ad promiſsionem adimplendam, id eſt, ad ducendam illam, quæ renuit, nec per ipſum ſtat, ne vnam illarum ducat, ſed ſtat per illam, quæ recuſat, ad quam non pertinet electio, ſed pertinet ad promiſſorem in promiſsione alternatiua, *regula in alternatiuis.de regulis iuris in* 6. Ita Sanchez *lib.*1.*diſp.*26.*n.*2. Gutierez *loco cit.n.*2. Coninchus *diſp.*22.*dub.*8.*num.*56. & alij apud Sanchez, & apud Gutierez *locis citatis.*

5 An pater, qui promiſit Caio vnam ex quatuor filiabus ſuis, teneatur aliquã tradere, ſi interim Caius copulam habeat cum vna earum.

5 Quæres, quando pater promiſit Caio cum iuramento tradere in matrimonium vnam ex quatuor filiabus, quas habet, vtrùm teneatur aliquam tradere, ſi Caius interim copulam habeat cum vna earum.

Reſpondeo negatiuè cum Sanchez *lib.*1.*diſp.*26.*num.*4. Coninchо *diſp.*22.*dub.*8.*num.*55. & aliis contra Henricum *cap.ad audientiam.de ſponſalibus.* Ratio eſt, quia non tenetur tradere illam, cum qua Caius copulam habuit; liberum enim erat patri tradere, quam vellet, nec pater debet priuari iure, & libertate ſua ob copulam Caij delinquentis. Neque tenetur aliam tradere, eò quòd per copulam habitam cum vna ſuboriatur impedimentum affinitatis cum reliquis impediens, & dirimens matrimonium.

6 An pater, qui Caio promiſit vnam ex quatuor filiabus ſuis, teneatur alteram tradere, ſi Caius vnã à patre electam reſpuat.

6 Addo, ſi Caius vnam illarum electam à patre reſpuat, patrem non teneri ad tradendam alteram, etiamſi Caius nullam carnaliter cognouerit, nam electio pertinet ad patrem, qui promiſit, nec per ipſum ſtat, ne aliquam tradat. Si verò antequam pater elegerit vnam tradere, reliquæ tres moriantur, obligandus videtur pater ad tradẽdam ſuperſtitem, vt benè oſtendit Sánchez, Gutierez *locis citatis.* Coninchus *diſp.*22.*dub.*8.*n.*54. Rebellus *loco cit.n.*6. ex *lib.*11.*tit.*1.*part.*4. alioquin pater non ſtaret promiſsioni, quam adhuc adimplere poteſt. Idem tenent in ſimili Molina *tract.* 2. *diſp.*366. *num.*11. Azorius, Emanuel Sà, & alij, quos retuli *punct.*8.*de vend.quæſ.*1.

PVNCTVM IV.

De ætate requiſita ad ſponſalia, & ad matrimonium.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quænam ætas ad ſponſalia requiratur

1 ÆTas ſeptem annorum requiritur, tam in maſculo, quàm in femina, ad celebranda ſponſalia. Hæc propoſitio patet ex *cap. litteris, & ex cap.acceſsit, de deſponſatione impuberum.* Ratio eſt, quia ſponſalia ſunt mutua promiſsio, ad promiſsionem autem, & ad contractum neceſſarius eſt vſus rationis, qui ferè ſemper tam in feminis, quàm in viris adeſſe ſolet in ſeptennio, nec obſtat quin poſsit aliquãdo vſus rationis citius alicui aduenire, nam ius poſitiuum conſtituit ætatem ſeptem annorum ad celebranda ſponſalia, eò quòd reſpexerit quod vtplurimum accidit, non quod rarò contingit, nam de rarò contingenti lex non curat, *leg.iura.ff.de legibus.*

2 An valida ſint ſponſalia ante ſeptennium celebrata.

2 Hinc ſequitur, eſſe inualida ſponſalia, celebrata ante ſeptennium, nam deficit tempus à iure requiſitum, niſi fortè malitia ſuppleat ætatem, tunc malitia dicitur ſupplere ætatem in ſpõſalibus, quando ante ſeptennium adeſt ſufficiens vſus rationis, quo contrahentes intelligunt id, quod agunt. In matrimonio verò malitia dicitur ſupplere ætatem, quando contrahentes cognoſcunt naturam coniugalis contractus, & habent potentiam generandi. Dico igitur ſponſalia eſſe valida in foro conſcientiæ, quando malitia ſupplet ætatem, etiamſi multo tempore ante ſeptennium celebrẽtur. Ita S. Thom. 3.*parte q.*42.*art.*2. Sotus *in* 4.*diſt.*27.*quæſt.*2.*art.*2. Sanchez *lib.*1.*diſp.*16.*n.*9. Coninchus

de

de matrimonio disp.21.dubio 5.n.52. Reginaldus *lib.31.nu.248.* Naldus *verb.sponsalia,n.3.* Chamerota *de natura,cap.2.dubio 12.* Card. Tuscus *tom.7.concl.401.nu.12.* vbi refert Baldum *consil.41.* Emanuel Sà *verb. sponsal.n.1.* [Filliucius *tract.10. cap.7.quæs.9. nu.258.* Molfesius *tract.4. cap.5.n.18.*] & alij contra Durandum *in 4.distinct.27.quæst.3.art.2.* & alios. Ratio desumitur à simili de matrimonio, in quo si potentia generandi acceleretur in masculo ante 14. annum, & masculus habeat sufficientem discretionem, & prudentiam, validè potest contrahere matrimonium, eò quòd malitia dicatur supplere ætatem, vt habetur *cap.iuuenis 7.de sponsalibus, & c.vnico, de desponsatione impub.in 6.* & benè ostendit Sanchez *lib.7.d.104.n.5.* ergo multo magis erunt validæ sponsalia celebrata ante septennium, malitia supplente ætatem, matrimonium enim est strictius vinculum, quàm sponsalia.

3 An sponsalia ante septenniũ celebrata valida sint in foro externo.

3 Addunt aliqui Doctores, sponsalia celebrata ante septennium non solùm esse valida in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo, si paulò ante septennium contracta sunt, nam parum, & nihil in iure æquiparantur, & quod parum distat, nihil distare videtur, inquit Aristot. 1. *Physicorum.* Vnde Sot. *in 4.dist.27.q.2.art.2.* Henriquez *lib.11. cap.13.n.9.* & alij quamplures apud Gutierez *c.2.n.7.* existimãt, sponsalia facta octo, vel decem dies ante septennium completũ, iudicanda esse valida, contra Sanchez *lib.1.disp.16.n.4. & lib.7.disp.104.* Coninchum *loco cit.nu.51.* Reginald. *loco cit.* Perez *in manuscriptis, fol.8.* Riccium *in praxi decis.656.n.2.* & alios. Sed hoc non facilè admiserim.

Obiicies primò contra id, quod dictum est de validitate sponsaliorum celebratorum ante septennium malitia supplente ætatem. Idem iudicandum est in foro conscientiæ, quod iudicandum est in foro externo; in foro autem externo sponsalia celebrata multo tempore ante septennium iudicantur inualida, [vt dictum est *n.1.*] ergo etiam iudicanda sunt inualida in foro cõscientiæ, etiamsi malitia suppleat ætatẽ.

Respondeo, in foro conscientiæ idem iudicandum esse, quod iudicatur in foro externo, quando forum exterius non nititur falsa præsumptione, in præsenti autem casu nititur falsa præsumptione, præsumendo ante septennium deesse vsum rationis. Si ergo constet adesse vsum rationis, præsumptio cessat, & cedit veritati, consequenter in foro interno sponsalia iudicanda sunt valida. Concedo tamen, quando dubitatur, an adsit vsus rationis, præsumendum esse ante septennium non adesse, & tunc standum esse determinationi requirenti septennium; præsumendum verò adesse vsum rationis post septennium, sicque seruandum esse iudicium fori externi, quod in hoc casu non nititur falsa præsumptione, nam ferè semper post septennium adest vsus rationis sufficiens ad celebranda sponsalia, vt in simili ostendit Sanchez *disp.104.n.4.* loquẽs de ætate requisita ad matrimonium.

Obiicies secundò. Professio facta in religione ante 16. annum completum, inualida est, ex Trident. *sess.25.c.15.* ita vt professus vno die ante 16. annum inualidè professus sit. Similiter testamentum factum ante 14. annum inualidum est, nisi factum sit inchoato vltimo die 14. anni, *leg.qua ætate, ff.qui testamenta facere possunt.* Idem dicendum est de testamẽto facto à femina ante inchoatum vltimum diem 12. anni; ergo etiam sponsalia celebrata ante inchoatum vltimum diem septimi anni sunt inualida, etiamsi adsit malitia.

Respondeo negando consequentiam, quia matrimonium, & sponsalia sunt magis fauorabilia, quàm sit professio, & testamentum; natura enim magis inclinat ad nuptias, quàm ad alios actus politicos: propterea iura aliter disposuerũt de professione, & testamentis, quàm de matrimonio, & sponsalibus; quamobrem ius expressè irritat professionem, & testamentum factum ante dictum tempus, non verò irritat matrimonium, & sponsalia, quando malitia supplet ætatem. Ita Perez *loco citato*, & alij.

4 An ad sponsalia requiratur maior vsus rationis, quàm ad peccatum mortale.

4 Quæres primò, vtrùm maior vsus rationis requiratur ad sponsalia, quàm ad peccatum mortale.

Respondeo, maiorẽ rationis vsum requiri ad sponsalia. Ita S. Thomas *3.part.q.43.art.2.* Henriquez *lib.11.c.13.n.9.* Gutierez *cap.2.n.12.* Petr. Ledesma *q.43.art.2.* Rebellus *2.part.lib.4.qu&st.5.n.1.* & alij contra Sanchez *lib.1.disp.16.n.15.* & alios. Ratio est, quia ad peccatũ mortale sufficit consensus, & aduertentia mali præsentis, ad sponsalia verò requiritur cognitio futurorum, cùm sponsalia sint promissio futuri matrimonij; negari autẽ non potest, quin requiratur maior vsus rationis ad prouidentiam futurorum, quam ad consensum alicuius actus præsentis.

5 An valida sint sponsalia post septenniũ celebrata, si desit vsus rationis.

5 Quæres secundò, vtrùm sponsalia contracta post septennium sint inualida, quando vterque sponsus, vel alter illorum nondum peruenit ad rationis vsum tempore sponsaliorum.

Respondeo esse inualida. Ita Sanchez *loco citato, n.3.* S. Thomas, Antoninus, & alij, quos citat, & sequitur Ferdinandus Perez *loco citato.* Gutierez *de matrimonio, c.2.n.3.* Reginaldus *lib.31.num.247.* Naldus *verb.sponsalia, n.2.* Chamerota *loco cit.dub.12.* [Filliucius *n.257.*] Ratio est, quia ad validè contrahendum, & promittendum requiritur vsus rationis; contractus enim, & promissio est actus humanus, qui rationis vsum supponit. Concedo tamen huiusmodi sponsalia posse postea fieri valida, si post legitimã ætatem, & vsum rationis expressè, vel tacitè ratificentur à sponsis, quod fit consentiendo de nouo, vel simul habitando, vel sibi oscula tamquam sponsis impingẽdo, vel mittendo munera, quæ à sponsis mitti consueuerunt, modò sponsi sciant à seipsis inita fuisse sponsalia, illaque fuisse inualida: quòd si nesciant sponsalia fuisse inualida, non fient valida per ratificationẽ, vt in simili dictum est de voto, quia nihil est magis contrarium consensui, quàm ignorantia & error, *leg.si per errorem, ff.de iurisdictione omniũ iudicum.*

6 An contrahentes sponsalia ante septẽnium peccent mortaliter.

6 Quæres tertiò, vtrum contrahentes sponsalia ante septennium, peccent mortaliter.

Respondeo affirmatiuè cum Nauarro *cap.22.n.31.* Syluestro *matrimonium 5.q.6.* Henriquez *lib.11.c.13.n.13.* & aliis, contra Sanchez *lib.1. disp.17.n.4.* Gutierez *c.2.n.14. &* 15. [Filliucium *tract.10.c.7.quæs.9.n.259.* Coninchum *n.54.* Molfesium *tract.4.c.5.n.31.*] & alios. Ratio est, quia faciunt contra legem in re graui, nam in *cap.2. de desponsatione impuberum,* non solùm prohibentur parentes coniungere filios ante ætatem in iure determinatam, sed etiam prohibentur ipsi infantes celebrare sponsalia ante dictam ætatem, nisi vrgentissima necessitas illos excuset, qualis est bonum pacis, vel alia similis necessitas. Peccant igitur grauiter contrahentes ante legitimam ætatem, nisi excusentur ob ignorantiam legis, vel ob vrgentissimã causam, vt dictum est, quamuis oppositum sentiat Sanchez *loco citato.* Coninch. *disp.21.dub.5.n.54.* Gutierez *loco citato*, & alij.

7 An peccẽt mortaliter contrahentes matrimonium ante pubertatem.

7 Ex quo patet à fortiori contra Sanchez *loco cit.n.5.* impuberes peccare mortaliter contrahendo matrimonium ante pubertatem malitia non supplente ætatem, faciunt enim contra prohibitionem in re graui, *cap.vbi non est.de desponsatione impub.* Ita Rebellus *lib.3.q.16.* Coninchus *n.54.* [Filliucius *nu.259.*] & Henriquez *in summa lib.11.c.13. n.13. & lib.12.c.7. in commentario littera E.* vbi plures alios refert, quos etiam refert Gutierez *num.16.*

8 An parẽtes, aut alij possint cõtrahere sponsalia pro filiis, qui nondum peruenerunt ad septennium.

8 Quæres quartò, vtrùm parentes possint contrahere sponsalia pro filiis, qui nondum peruenerunt ad septimum annum.

Respondeo non solùm parentes, sed etiam tutores, curatores, & consanguineos, curam gerentes infantum posse ex graui necessitate pro dictis filiis contrahere sponsalia, *cap.infantes.de desponsatione impuberum in 6.* Verum tamen est, vt huiusmodi sponsalia sint valida, requiri postea consensum expressum vel tacitum filiorum, cùm peruenerint ad vsum rationis, qui consensus in foro externo sufficienter præsumitur adesse, si filij taceant, & non contradicant, postquã peruenerunt ad septennium scientes contracta fuisse sponsalia à parentibus, & c. iuxta reg. iur. *Qui tacet consentire videtur.* Secùs dicendũ est, quando sponsalia celebrata fuerunt ab aliquo extraneo pro filiis septennio minoribus, tunc enim sponsalia non fiunt valida, quando filij tacentes audiunt sponsalia fuisse celebrata suo nomine ab extraneis, nam taciturnitas non accipitur pro expressione cõsensus, sed vlteriùs requiritur consensus signo aliquo expressus, aut saltem tacitus per acceptationem munerum, vel per mutuos amplexus, vel per missionem annuli in digitum, & c. vt dictum est *punct.1.* Ita Sanchez *lib.1.disp.27. n.17.* Gutierez *c.13.n.11.* Chamerota *dubio 7.* Coninchus *disp.21.dub.3* & alij communiter.

9 An filij teneantur stare sponsalibus pro se cõtractis à parentibus, vel tutoribus.

9 Rogabis vtrùm filij teneantur consentire in sponsalia contracta pro se à parentibus, vel à curatoribus.

Respondeo, regulariter non teneri, quia filij non tenentur per se loquendo obedire suis parentibus in iis, quæ pertinent ad statum matrimonij, vt ostendi *in quarto præcepto Decalogi punct.3. & infrà q.4. punct.17. num.10.*

Neque obstat *cap.primum.de desponsatione impub.* vbi dicitur, filium debere adimplere matrimonium, quod pro se necdum adulto pater promisit, nam ille textus intelligitur de debito honestatis, non verò de necessitate, & debito præcepti. Addo admonendos esse parentes, ne compellant suos filios ad consentiendum sponsalibus, alioquin facerent illis grauem iniuriam, cùm filij in materia matrimonij sint sui iuris. Ita Sanchez *lib.1.disp.23.* Rebel. *loco citato, quæst.6.* Perez *loco cit.* Henriquez *lib.11.c.13.n.13.* & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

10 Quęnam ætas ad matrimonium requiratur.

10 AD validitatem matrimonij, iure Ecclesiastico requiritur in masculo ætas quatuordecim annorum, & in femina ætas duodecim. Hæc propositio patet ex *c.fin.de desponsatione impuberum, & c.2.eod.tit.* vbi ad contrahendum matrimonium requiritur pubertas, quæ in masculo est ætas quatuordecim annorum, & in femina duodecim.

Dixi, *iure Ecclesiastico,* quia iure naturæ non requiritur illa ætas ad validitatem matrimonij, sed matrimonium ante illam ætatem celebratum validum est, nam impotentia temporalis iure naturali non dirimit matrimonium, sicut nec dirimit morbus, qui reddit hominẽ inhabilem multos annos ad copulam. Ita Henriq. *lib.12.c.7.n.1.* Perez *loco citato.* Sanchez *lib.7.disp.104.n.10.* [Filliucius *tract.10. part.2.c.3. quæst.7.n.85.*] Speculum, & alij. Hæc doctrina intelligitur, nisi malitia suppleat ætatem, quando enim malitia supplet ætatem, id est, quando adest potentia generandi, & sufficiens discretio ad se obligandum, validè celebratur matrimonium ante dictam ætatem non solùm iure naturæ, sed etiam iure Ecclesiastico, vt ostendi in prima propositione. Quando verò ante dictam ætatem dubitatur, an malitia suppleat ætatem, præsumendum est non supplere, consequenter non posse matrimonium validè celebrari: quamobrem asserenti, malitiam supplere ætatem, incumbit onus probandi, cùm habeat præsumptionem contra se. Ita communiter DD. quos citat Rebel. *lib.3.q.16.* & Sanchez *lib. 7.disp.104.n.4.* vbi *à n.24.* cum Henriquez *lib.11.c.13.n.11.* & Sylvest. *matrimonium 5.q.3.* affert aliquas coniecturas ad cognoscendum malitiam supplere ætatem, qualis coniectura est habitus corporis, & copula aliàs habita, de quibus etiam videri potest Tuscus *tom.5. conclus. 125.n.4.* [Sanchez *disp.104.q.5.* & Filliucius *n.88.*]

11 An requiratur, vt annus decimusquartus sit completus.

11 Quæres primò, vtrùm ad validitatem matrimonij requiratur, vt annus 14. sit completus, quando non cõstat, malitiam supplere ætatẽ.

Respondent Sanchez *loco cit.n.2.* Coninchus *loco cit.n.51.* [Filliucius *n.84.*] & alij, ita debere esse completum, vt saltem inchoatus sit vltimus dies, quapropter iuxta Sanchez inualidum est matrimonium celebratum ante illum diem inchoatum, vt patet à simili de testamento, & professione. Verùm mihi probabilius videtur cum Speculo *1.parte art.16.* Rebello *loco cit.* Ledesma, & aliis apud Gutierez *loco cit.n.7. &* 20. & apud Card. Tuscum *tom.5. concl.125. n.8.* sufficere completam esse moraliter illam ætatem quatuordecim annorum; censetur autem moraliter completa, quando duo, vel tres dies deficiunt, imò secundùm Ledesmam *2.part.quarti q.60.art.1.* censetur moraliter completa, etiamsi desint decem dies. Sed hoc non facilè admiserim.

12 Cur duodecim anni sufficiant in femina ad matrimonij validi-

12 Quæres secundò, quare duodecim anni sufficiant in femina ad validè contrahendum matrimonium, quatuordecim verò requirantur in masculo.

Respondeo hoc pendere ex dispositione iuris, quod respexit potentiam generandi, quæ videtur requiri ad matrimonium, potentia autem

tatem, in masculo verò quatuordecim requiratur.

autem generandi tardius reperitur in viris, quàm in feminis, vt ait Sanchez *lib.1.disp.17.n.2.* & Naldus *loco cit.n.2.*

13 An Episcopus dispẽsare possit, vt matrimoniũ ante pubertatem celebretur.

13 Vtrùm verò Episcopus possit in casu vrgentissimæ necessitatis dispensare, vt matrimonium contrahatur ante dictam ætatem, patebit ex dicendis de dispensationibus, posse dispensare, [dum Papa adiri non potest;] quia ius præsumitur concedere Episcopo facultatem dispensandi in huiusmodi casu. Ita Henriquez *lib.11.c.13.n.12.* & alij.

PVNCTVM V.

Vtrùm sponsalia dirimantur per ingressum in religionem, per votum simplex castitatis, religionis, & sacrorum Ordinum.

1 Quibus de causis sponsalia rescindantur.

1 CErtum est, obligationem in sponsalibus contractam aliquando cessare ob aliqua impedimenta superuenientia, seu ob aliquam iustam causam, qualis est

Primò, ingressus in religionem.
Secundò, votum simplex castitatis, aut religionis.
Tertiò, votum simplex sacrorum Ordinum.
Quartò, ætas.
Quintò, lapsus terminí.
Sextò, discessus in longinquum.
Septimò, dolus.
Octauò, metus.
Nonò, matrimonium subsequens cum alia celebratum, aut impedimentum dirimens matrimonium.
Decimò, fornicatio superueniens.
Vndecimò, mutuus consensus.
Duodecimò, conditio non adimpleta. De quibus singulis nobis agendum est in sequentibus punctis, & in hoc puncto de primis tribus agemus.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An sponsalia dirimantur per ingressum religionis.

2 SPonsalia per ingressum religionis dirimuntur, tam ex parte ingredientis religionem, quàm ex parte manentis in sæculo. Ita communiter DD. quos citat Henriquez *lib.11.cap.14.n.3.in commentario.* Sanchez *lib.1.disp.42.num.5.* quamuis aliqui non ita absolutè loquantur, quos sequitur Gutierez *de matrimonio, c.25.n.1.*

Quòd sponsalia dirimantur ex parte ingredientis religionem per solum ingressum, etiam secluſa professione; ratio est, quia sponsalia non obligant vltra intentionem promittentis, promittens autem non habet intentionem obligãdi se superueniente ingressu in religionem, nam promissio censetur facta cum hac tacita conditione, nisi melior status eligatur; cùm ergo melior status eligatur per ingressum religionis, cessat obligatio promissionis matrimonij per ingressum religionis. Ita Chamerota *de matrim.cap.2.dub.14.* Menochius *de arbitrariis lib.2.centur.5.casu 455.num.10.* Nauarrus *cap.22.n.62.* Sanchez *loco cit.* & alij apud Henriquez *loco cit.* contra ipsum Henriquez *locis citatis.* contra Coninch. *disp.23.dub.3.n.22.* [Filliucium *tract.10.cap.8. quæs.5.n.280.*] & alios asserentes ex parte ingredientis solui solùm per professionem.

Quòd sponsalia dirimantur etiam ex parte sponsæ manentis in sæculo, ingrediente sponso in religionem; ratio est, quia promissio non obligat vltra intentionem promittentis, promittens autem non censetur habuisse intentionem promittendi, & se obligandi superueniente aliqua notabili mutatione, aut aliquo euentu, nõ annexo promissioni, qui iudicio prudentis fuisset exceptus, si menti occurrisset, vt dictum est de promissione in contractibus, & in simili de cessatione obligationis voti, huiusmodi euentus, seu notabilis mutatio censetur ingressus sponsi in religionem, nulla enim est mulier honesta, quæ in sponsalibus voluisset se obligare ad contrahendum matrimonium cum eo, cui potest obiici religio derelicta. Ita Sotus *in 4.dist. 27.quæst.2.art.5.* Sanchez *lib.1.d.42.* P. Ledesma *quæst.43.art.3.* Henriquez *loco citato.* [Filliucius *n.280.* & alij contra Rebel. *2.part.lib.3.q. 8.sect.6.n.36.concl.1.* Speculum *1.parte art.21. in principio. folio mihi 69.* Gutierez *loco citato*, & alios apud Sanchez existimantes, sponsalia non dirimi solo ingressu, sed per professionem.

3 An sponsus ingrediens religionem teneatur ducere sponsam, si postea egrediatur.

3 Quæres primò, vtrum sponsus ingrediens religionem teneatur postea, si egrediatur, contrahere matrimonium cum sponsa, cum qua ante religionis ingressum contraxerat sponsalia.

Respondeo, non teneri. Ratio est, quia obligatio semel extincta non reuiuiscit, sed obligatio sponsaliorum fuit extincta per ingressum in religionem, vt dictum est in propositione; ergo non tenetur cum ea matrimonium contrahere, modò bona fide ingressus fuerit religionem, nam si mala fide ingressus est, vt scilicet sponsam deciperet, non cessat obligatio ex parte ingredientis religionem. Ratio est, tum quia fraus, & propria culpa non debet patrocinari delinquenti, *cap. ex tenore, de rescriptis*; tum quia in hoc casu non eligitur melior status, sed fingitur eligi: cessat tamen obligatio ex parte sponsæ manentis in sæculo, tum ob rationem dictam in propositione, tum quia ingrediens religionem renuntiauit sponsalibus, quantum est ex parte sua. Ita Reginaldus *lib.31.n.258.* Sanchez *loco cit.nu.3.* & 5. & alij, apud eumdem Sanchez, & apud Gutierez *loco citato, n.1. ad finem.*

4 An qui contraxit sponsalia cum iuramẽto, possit ingredi religionẽ.

4 Quæres secundò, vtrum qui contraxit sponsalia cum iuramento, possit ingredi religionem ante contractum matrimonium.

Respondeo cum Sanchez *lib.1.disp.43.n.3.* Henriquez *lib.11.cap.13. n.3.* & *cap.14. nu.3.* P. Ledesma *loco citato dubio 1.disp.2.* Rodriquez *1. parte cap.244.n.5.* Gutierez *cap.25.num.2.* Reginaldo *lib.31.num.258.* Coninchо *disp.23.dub.2.* [Filliucio *tract.10.cap.8.quæsito 5.num.281.*] & aliis, contra Molin. *1.de iustit.d.149.* & Rebel. *loco cit.quæst.8.sect.6. n.38.* posse ingredi, nisi aliud obstet. Ratio est, quia accessoriũ sequitur naturam & conditionem principalis, vt patet ex dictis *de iuramento punct.14.* & ex *cap. quemadmodum. de iureiurando.* sed principale est promissio, accessorium sunt sponsalia; ergo sicut promissio matrimonij censetur facta cum hac tacita conditione, nisi melior status eligatur, ita censetur factum iuramentum; consequenter sicut promittens sine iuramento potest religionem ingredi, ita etiam potest, qui promisit cum iuramento, & hoc pacto liber erit à sponsalibus celebratis cum priori, sicut etiam liber erit sponsus remanens in sæculo.

Dixi in responsione quæsiti, *nisi aliud obstet*, quia fieri potest, vt aliquid obstet, ratione cuius non possit religionem ingredi, siue celebrauerit sponsalia cum iuramento, siue sine iuramento, vt accidit, quando quis virtute sponsaliorum copulam habuit cum sponsa, tunc enim sponsus non potest religionem ingredi, sed debet contrahere matrimonium cum spõsa. Ratio est, tum quia in hoc casu obstat vinculum iustitiæ, cùm sponsus teneatur resarcire iniuriam, quam non videtur moraliter loquendo posse aliter resarcire, quàm contrahendo matrimonium cum sponsa, tum quia obligatio naturalis præferenda est consilio; sed ingressus in religionem est de consilio, & reparatio famæ est ex obligatione naturali; ergo sponsus tenetur ingressui religionis præferre reparationẽ famæ, quæ aliter non videtur posse commodè reparari, quàm per matrimonium. Idem dicendũ est, si deflorauit viduam bonæ famæ, quæ alioquin grauem infamiam pateretur, nisi duceretur in matrimonium. Idem etiam dicendum est, quando sponsus tantam habuit cum sponsa familiaritatem, vt inde oriatur sponsæ infamia, si sponsus ingrediatur religionem, & nolit sponsam in matrimonium ducere. Ita Sanchez *lib.1.disp.44.n.3.* Henriquez *lib.11. c.13.n.3.* Reginaldus *lib.31.n.258.* Rodriquez *c.245.n.11.* & plures alij apud P. Ledes. *q.43.art.3. difficultate 2. folio mihi 123.* [Molfesius *tract. 4.c.5.n.47.*] & apud Gutierez *cap.25.n.3.* & *6.*

5 An sponsus, qui copulam habuit cum sponsa, possit ingredi religionẽ, quã vouit post copulam habitam.

5 Quæres tertiò, vtrùm sponsus, qui factis sponsalibus copulam virtute sponsaliorum extorsit à femina, possit ingredi religionem, quam vouit post copulam extortam.

Respondeo cum Sanchez *loco cit.n.7.* & 8. Lessio *lib.2.c.10.dubio 4.* [Filliucio *n.283.* Molfesio *n.48.*] nõ posse ingredi. Ratio est, tum quia ingressus religionis in hoc casu est illicitus, cum fiat cum iniuria alterius; votum autem, vel iuramentũ non est vinculũ iniquitatis, nec obligat ad aliquid illicitum, tum quia sponsus ante votum tenebatur impedire infamiam sponsæ contrahendo matrimonium, nec fuit exemptus ab obligatione per votum superueniens; ergo tenetur adhuc post votum illam ducere, consequenter non potest religionem ingredi: neque sufficit in hoc casu, vt sponsus matrimonium celebret cum sponsa, sed ante consummationem matrimonij religionem ingrediatur, nam celebrando solum matrimonium, non impedit infamiam, neque resarcit iniuriam virginitatis ablatæ; ergo debet matrimonium consummare, & cum vxore permanere. Ita colligo ex Ledesma, & Sanchez *locis citatis.*

6 An validũ sit votum Religionis factum à spõso, postquam à sponsa copulam extorsit.

6 Aduerto tamen cum Sanchez *num.8.* Reginaldo *loco cit.num.258.* [Filliucio *n.284.*] votum religionis, quod sponsus emisit, postquam virtute sponsaliorum copulam extorsit, non esse irritum, & inualidum, sed esse validum, & obligare post dissolutionem matrimonij, vt sic enim est de re licita, & habet tractum successiuum, consequenter sponsus dissolutis sponsalibus, seu matrimonio per mortem vxoris, vel ob aliam iustam causam, tenetur ingredi religionem; quia votum ex parte sponsi videtur esse validum, nec eius obligatio extinguitur per matrimonium, sed suspenditur.

7 An qui facto voto religionis, vel castitatis virginẽ deflorauit, teneatur potiùs cum ea matrimonium cõtrahere, quàm votũ adimplere.

7 Sed maior difficultas est, vtrùm qui facto voto religionis, vel castitatis virginem deflorauit cum promissione matrimonij, teneatur potius ad matrimonium contrahendũ, quàm votum adimplendum.

Respondeo cum Sanchez *lib.1.disp.45.n.3.* Azorio *3.part.cap.5.difficult.vlt.* Gutierez *cap.25.n.7.* Reginaldo *lib.25.n.95.* & *lib.31. n.158. ad finem.* Lessio *lib.2.cap.10.dub.4.* Coninchо *disp.23.dub.3. num.24.* [Filliucio *n.284.*] & aliis, contra Nauarrum *lib.4.consiliorum cons.21.* Rodriquez *cap.108.n.11.* & alios, sponsum adhuc teneri ad matrimonium contrahendum cum femina, quam deflorauit, si femina ignorabat ipsius votum. Ratio est, tum quia vinculum iustitiæ fortius est vinculo charitatis; sed propter vinculum charitatis quilibet tenetur suspendere votum religionis, vt accidit, quando post votum religionis parentes vouentis incidunt in indigentiam, in quo casu consulendum est indigentiæ parentum ante ingressum in religionem, vt suo loco ostendi: ergo multo magis sponsus propter vinculum iustitiæ, quo obstrictus est erga sponsam, tenetur suspendere votum religionis, contrahendo matrimonium cum virgine, quam defloraurit, aut etiam cum vidua bonæ famæ, quæ alioquin graue damnum famæ pateretur: tum quia votum non obligat aduenientе notabili rerum mutatione, vt patet ex dictis de voto; hic autem aduenit notabilis mutatio, eò quòd superueniat vinculum iustitiæ, & grauissimum proximi damnum, quod ex iustitia impediendum est: tum quia pressus ære alieno non potest ingredi religionem, quam anteà vouerat, si adsit spes, vt sit soluendo creditoribus non ingrediendo religionem, iuxta communiorem sententiam ex Sanchez *loco cit.num.3. ad finem.* & aliis, quos retuli de restitutione; ergo neque tenetur ingredi in præsenti casu.

Dixi in responsione difficultatis, *si femina ignorabat ipsius votum*; nam si femina nouerat eius votum, sponsus non tenetur ad illam ducendam, sed potiùs tenetur ad ingressum religionis, quia femina non censetur decepta, sed seipsam voluisse decipere, vt patet à simili ex dictis *de ficta promissione punct.2.* Ita Sanchez *loco citato n.5.* Gutierez *cap. 25.n.7. ad finem.* Reginaldus *lib.31.n.258. ad finem.*

Obicies primò: Promissio facta Deo est grauior, & est prior promissione facta feminæ; ergo est potior iure, & irritat posteriorem promissionem.

Respondeo cum Sanchez, promissionem factam Deo cedere posteriori propter notabilem rerum mutationem, & propter grauissimum iustitiæ vinculum superueniens.

Obiicies secundò: Si sponsus celebret sponsalia cum vna, & postea de nouo celebret alia cum altera, cum qua etiam habeat copulam, tenetur adhuc stare primis sponsalibus, & matrimoniũ contrahere cum illa, cum qua priora sponsalia celebrauit sine copula; eò quòd iniuria illata posteriori non auferat ius acquisitum priori, & fides posteriùs data in præiudicium prioris irrita sit in contractu oneroso, vt benè

tradit

tradit Sanchez *lib.1.diſp.49.*Rodriquez *cap.245.n.8.* Gutierez *cap.26. n.5.* Henriquez *lib.11.cap.13.* ergo etiam qui prius fecit votum ingrediendi religionem, & poſtea defloravit virginem cum promiſsione matrimonij, tenetur potius adimplere votum ingrediendi religionē, quàm adimplere promiſsionem matrimonij factam poſt votum.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia votum eſt contractus quidā gratuitus, ſponſalia ſunt contractus oneroſus; contractus autem gratuitus in hoc caſu cedit oneroſo, eò quòd Deus non ita exactè velit promiſsionem ſibi factam adimpleri cum præiudicio tertij, ſecus dicendum eſt de promiſsione facta hominibus, qui exactè volunt promiſsionem ſibi factam adimpleri, nec volunt ſibi ius auferri per iniuriam alteri factam. Verum tamen eſt priorem ſponſam, cum qua priora ſponſalia celebrata fuerant, non teneri ſtare ſponſalibus, ſed ab illis poſſe reſilire, & liberam eſſe ab obligatione contrahendi cum eo, qui alia ſponſalia iniit, nam eo ipſo, quòd ſponſus iniit alia ſponſalia cum altera, cenſetur renuntiaſſe primis ſponſalibus celebratis cum priori femina, vt benè ait Sanchez *lib.1. diſp.49.*& alij Doctores citati.

8 An ſecunda ſponſalia ſeruāda ſint, quando habita eſt copula cum ſecūda ſponſa.

8 Addo tamen cum Sanchez *loco cit.n.6.* Coninchо *n.3.*[Reginaldo *n.260.*Molfeſio *tract.4.cap.5.n.55.*] Henriquez, & aliis contra Gutierez *c.27.n.7.* ex quadam æquitate ſeruanda eſſe ſecunda ſponſalia facta cum femina, quæ defloratа fuit, quando femina defloratа graue damnum, aut iniuriam ſubiret, prior verò ſponſa pateretur tantummodò leue damnum, ſi non duceretur. Ratio eſt, quia quilibet tenetur leue damnum pati ad impediendum, & vitandum grauiſsimum proximi detrimentum, quod impediri, & vitari poteſt ſine proprio graui incommodo, vt patet ex dictis de charitate: imò Azor. Reginaldus, & Coninchus *locis citatis* exiſtimant, ſponſum teneri ſtare ſecundis ſponſalibus, contra Gutierez *loco citato.*

9 An priora ſponſalia diſſoluātur per poſteriora.

9 Ex dictis colligi poteſt primò, priora ſponſalia non diſſolui per poſteriora, etiamſi copula ſubſecuta ſit cum ſecunda ſponſa.

10 An priora ſpōſalia diſſoluantur per poſteriora facta cum iuramento.

10 Secundò, priora ſponſalia non diſſolui per poſteriora, etiamſi poſteriora facta ſint cum iuramento. Ratio eſt, quia ſecunda ſponſalia ſunt de re, quæ non poteſt ſine peccato adimpleri, & ſunt in præiudicium alterius, promiſſio autem de re, quæ non poteſt adimpleri ſine peccato, aut quæ eſt in præiudicium alterius, non obligat, etiamſi fiat cum iuramento, iuramentum enim non eſt vinculum iniquitatis, *cap.cùm contingat.de iureiurando.* Ita Henriquez *lib.11.cap.13.num.3.* Sanchez *lib.1.diſp.50.n.2.* Philiarcus *to.1.lib.2.cap.1.* & alij apud Sanchez *loco citato*, apud Gutierez *cap.28.n.1.* contra Innocentium *c.veniens n.1.*& alios apud Gutierez *loco cit.* Hoc tamen intelligitur modò quando celebrata fuerunt ſecunda ſponſalia, non adeſſet iuſta cauſa diſſoluendi priora, tunc enim poſteriora valida ſunt, quia ſunt de re licita quæ poteſt ſine peccato, & præiudicio tertij adimpleri. Ita Sanchez, Gutierez, & alij *locus citat.* Vide, quæ dixi de voto caſtitatis, & religionis *in ſecundo Decalogi præcepto.*

11 An habēs votū ſimplex caſtitatis, vel religionis peccet mortaliter contrahendo matrimonium, animo ingrediendi religionē, antequam matrimonium conſummet.

11 Quæres quartò, vtrùm ille peccet mortaliter, qui facto voto ſimplici religionis vult contrahere matrimonium animo ingrediendæ religionis, antequam conſummet matrimonium.

Reſpondeo cum Sylueſtro *v.matrimonium 7.quæſt.5.*Nauarr.*c.16. n.30.*Sanchez *diſp.43.n.7.*Henriquez *lib.12.cap.2.n.8.* Gutierez *c.25. n.4.*Rodriquez *1.parte cap.344.n.5.* Coninchо *de matrimonio diſp.23. dubio 3.n.11.&13.*[Filliucio *tract.10.cap.8.q.5.n.282.*Molfeſio *tract.4. cap.5.n.50.*] & aliis contra Caiet. *in ſumma verb. matrimonium cap.1.* P.Ledeſm.*quæſt.43.art.3.dub.1.* & alios, mortaliter peccare per ſe loquendo. Ratio eſt, tum quia facit grauem iniuriam alteri coniugi, qui cogeretur alterius profeſſionem expectare, antequam poſſet matrimonium cum alio contrahere, aut ſaltem cogeretur manere cum deſertore religionis, ſi poſtea ille egrederetur religione; tum quia exponit ſe graui periculo non adimplendi votum & conſummandi matrimonium contra obligationem voti.

12 An peccet mortaliter contrahēs matrimoniū animo ingrediendi religionē, antequam cōſummetur matrimonium.

12 Hinc ſequitur illum per ſe loquendo peccare mortaliter, qui voto caſtitatis ſtrictus, aut etiam nullo voto ſtrictus vult contrahere matrimonium cum animo ingrediendi religionem poſt contractum matrimonium, ſed nondum conſummatum. Ita Sanchez *loco cit.diſp. 43.ad finem.*Rodriquez *loco cit.n.5.* Gutierez *loco.cit.nu.5.* Reginaldus *n.258.&259.* contra nonnullos alios apud Sanchez.

Obiicies, Contrahens matrimonium cum intentione ingrediendi religionem nulli facit iniuriam, ſed vtitur iure ſuo: nam Eccleſia poſt contractum matrimonium, ſed nondum conſummatum concedit bimeſtre ad deliberandum de ſtatu eligendo, & capeſſenda religione, quo tempore liberum eſt coniugi denegare debitum ante conſummatum matrimonium, vt religionem ingrediatur.

Reſpondeo, Eccleſiam concedere bimeſtre ad deliberandum de ſtatu eligendo: ſed non concedit, vt hoc fiat cum præiudicio alterius, & cum deceptione, ſed cum bona fide, vnde non ſequitur illum non peccare mortaliter, qui contrahit matrimonium cum intentione ingrediendi religionem, antequam conſummet matrimonium. Ita Coninchus *loco citato, n.13.*& alij DD.citati.

SECVNDA PROPOSITIO.

13 An ſponſalia diſſoluantur per votum ſimplex caſtitatis.

13 SPonſalia non ſolùm dirimuntur per actualem ingreſſum in religionem: ſed etiam per votum ſimplex caſtitatis, factum poſt ipſa ſponſalia. Ratio eſt, quia in ſponſalibus ſubintelligitur iſta conditio, niſi perfectior vitæ ſtatus eligatur: non enim debet impedire perfectionem: cum autem per votum caſtitatis eligatur perfectior vitæ ſtatus; ſtatus enim cœlibatus perfectior eſt ſtatu matrimonij, vt eſt de fide, ſequitur ſponſalia dirimi per votū ſimplex caſtitatis, eorumq; obligationem ceſſare, vt in ſimili dictum eſt de ingreſſu in religionē. Ita Sotus *in 4.diſt.27.quæſt.2.ar.5.*Angelus *verb.Sponſalia n.5.*Naldus *verb.Sponſ.*Gutierez *cap.26.* Henriquez *lib.11.cap.14.n.4.* Rodriquez *cap.245.n.2.* Speculum *1.parte art.21.caſu 12.* & alij, quos citat, & ſequitur P.Ledeſm.*quæſt.42.art.3.diffic.3.* contra Sanchez *lib.1.diſp.46. n.9.* Nauarr.*cap.22.n.27.* Rebel.*de ſponſ.q.8.ſect.2.n.47.* Reginaldum *lib.31.n.259.* Coninchum *loco citato n.25.* [Filliucium *tract.10.cap.8. quæſ.6.num.286.* Molfeſium *tract.4.cap.5.nu.52.*] & alios, quos citat Gutierez *cap.26.num.1.* Chamerota *dub.14.num.2. de matrimonio.*

14 An aliquis poſſit vouere caſtitatem, animo diſſoluendi ſponſalia.

14 Hinc ſequitur primò, aliquem poſſe vouere caſtitatem animo, & intentione diſſoluendi ſponſalia, nam vtitur iure ſuo eligendo meliorem vitæ ſtatum, ſub cuius eligendi conditione celebrauerat ſponſalia. Idem dic de voto ingrediendi religionem, vt ait Sanchez, Gutierez, & alij *locis citatis.*

15 An ſint inualida ſponſalia facta poſt votum ſimplex caſtitatis.

15 Secundò ſequitur, eſſe inualida ſponſalia facta poſt votum ſimplex caſtitatis, vt concedunt communiter DD.[Filliucius *num.286.* Molfeſius *n.52.*]Sanchez *lib.1.diſp.46.n.3.*& Gutierez *loco cit.num.4.* Coninchus *diſp.23.dub.3.n.13.*Ratio eſt, tum quia ſponſalia facta ante votum caſtitatis irritantur per votum factum poſt ipſa ſponſalia; ergo multo magis ſunt inualida, ſi facta ſint poſt votum, cùm ſint promiſsiones de re illicita, quæ non obligant, *reg.non eſt obligatorium.de reg. iuris in 6.* tum quia promiſsiones de eadem re incompatibiles ita ſe habent, vt quæ prior eſt tempore, potior ſit iure; ſed in hoc caſu promiſsio voti, quo traditur corpus Deo, eſt prior promiſsione ſponſaliorum, quibus promittitur corpus homini; ergo promiſsio voti eſt potior iure, conſequenter ipſa ſeruanda eſt, non verò ſeruāda eſt promiſsio ſponſaliorū, & hoc valet etiamſi dicta ſponſalia facta ſint cum iuramento, adhuc enim ſunt inualida, cùm iuramentum non ſit vinculum iniquitatis ſeu promiſsionis iniquæ. Vtrùm verò ſeruanda ſint ſponſalia, quando ſponſus facto voto caſtitatis, vel religionis defloraуit virginem, aut viduam bonæ famæ, quæ alioquin graue damnum pateretur, patet ex ſupra dictis *quæſito 3.n.5.*

16 An qui factis ſpōſalibus vouit caſtitatem, ſed poſtea voti diſpenſationem obtinuit, teneatur ſtare ſponſalibus.

16 Quæres primò, vtrùm qui factis ſponſalibus vouit caſtitatem, ſed poſtea diſpenſationem voti obtinuit, teneatur ſtare ſponſalibus, ducendo ſponſam, cum qua priùs celebrauerat ſponſalia.

Reſpondeo contra Rebel. *2.parte lib.4. quæſt.8.ſect.7. concl.5. n.49. circa finem.* non teneri ſtare ſponſalibus. Ratio eſt, quia ſponſalia omnino diſſoluta erant per votum ſubſequens, illorumque obligatio extincta erat, obligatio autem ſemel extincta non reuiuiſcit, *reg.non firmatur. de reg.iur.in 6. & reg.quod ab initio.ff. eod.tit.* Idem dicendum eſt, vt benè ait Sanchez *lib.1.diſp.50.n.6.* de eo, qui priùs facto voto caſtitatis contraxit ſponſalia, & poſtea diſpenſatus eſt in voto, hic enim non tenetur ſtare ſponſalibus, vtpote omnino inualidis, cùm eſſent contra votum caſtitatis, & de re illicita ſuppoſito voto.

17 An ſecūda ſpōſalia inualida ſeruanda ſint, ſi priora valida diſſoluantur.

17 Ex hac doctrina colligi poteſt cum Sanchez *lib.1.diſp.50.nu.6.* Gutierez *cap.28.n.2.* [Filliucio *tract.10.cap.8.quæſ.2.n.273.*] Coninchо *n.29.* contra Couarr.*4.decr.1.part.cap.4.§.1.* ſponſum non teneri ſtare ſecundis ſponſalibus contractis eo tempore, quo valida erant priora, etiamſi poſtea illa priora diſſoluantur, non enim firmatur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit, [*reg.non firmatur.de regul. iur.in 6.& reg.quod ab initio.ff.eod.tit.*] ſed ſecunda ſponſalia celebrata eo tempore, quo priora erant valida, non ſubſiſtebāt, id eſt, non erant valida; ergo nō fiunt valida, ſi poſtea diſſoluantur priora, conſequenter ſponſus non tenetur ſtare ſecundis ſponſalibus, niſi fortè per accidens ratione damni, vt ſi defloravit ſponſam, quæ erat virgo, aut vidua bonæ famæ, quæ alioquin magnam infamiam pateretur, modò illi ſatisfactum non fuerit aliunde. Ita Sanchez *diſp.48.*Gutierez *c.27. n.3.*Coninchus *diſp.23.dub.4.n.29.*[Filliucius *n.373.*]

18 An ſpōſus, qui poſt celebrata ſponſalia cum vna, contrahit matrimonium cum alia, teneatur, mortua vxore, ducere priorem ſponſam.

18 Hinc etiam colligi poteſt, ſponſum, qui poſt prima ſponſalia, celebrata cum vna, contrahit matrimonium de præſenti cum alia, non teneri, mortua vxore, ſeu diſſoluto matrimonio ſtare primis ſponſalibus, vt patet ex dicta ratione contra Coninchum *nu.32.*& alios. Et hoc verum eſt iuxta multos DD. apud Henriquez *lib.11.cap.14.n.4.* apud Sanchez *diſp.48.n.3.*& apud Gutierez *cap.27.n.3.* etiamſi ſponſalia celebrata fuerint cum iuramento, nam iuramentum adhibitum fuit ad confirmandam obligationem ſponſaliorum: ſicut autem obligatio promiſſionis ceſſauit per ſequens matrimonium, ita etiam ceſſaſſe videtur iuramentum, conſequenter ſponſus non tenetur ſtare primis ſponſalibus ratione ſponſaliorum, vel iuramenti. Sed de hac re *punct.7.*[vbi contrariam ſententiam dicam eſſe probabiliorē.]Vtrùm verò teneatur ratione damni, vt ſi virginem defloraуit, illique aliunde nondum ſatisfecit, iam dictum eſt. Ita Sanchez *diſp.48.*Henriquez *cap.13.n.3.*& alij, quos ſequitur Gutierez *cap.27.n.3.*

19 An ſpōſalia reſcindi poſſint, ſi vnus ex ſponſis voueat caſtitatem, ſaluo iure alterius.

19 Quæres ſecundò, vtrùm ſponſa poſſit reſilire à ſponſalibus, non ſolùm quando ſponſus poſt facta ſponſalia vouit caſtitatem abſolutè, ſed etiam quando vouit ſaluo iure ſponſæ, id eſt, quando vouit tantummodo non petere debitum, intentione tamen reddendi.

Reſpondeo poſſe. Ita Rebel.& alij *locis cit.* Ratio eſt, quia promiſſio non obligat vltra intentionem promittentis; promittens autem non cenſetur habuiſſe intentionem obligandi ſe in eo caſu, quo ſponſus votum emiſiſſet, ſuperuenit enim notabilis mutatio, ratione cuius matrimonium redditur ſponſæ valdè oneroſum propter innatam, & naturalem in petendo verecundiam.

TERTIA PROPOSITIO.

20 An ſpōſalia dirimantur per votū ſuſcipiendi ſacros Ordines.

20 SPonſalia nō ſolùm dirimuntur per ingreſſum religionis, aut per votum ſimplex caſtitatis, & religionis, ſed etiam per votum ſuſcipiendi ſacros Ordines. Ratio eſt, quia per votum ſuſcipiendi ſacros Ordines cenſetur eligi perfectior ſtatus; ſponſalia autem habent hanc tacitam conditionem, niſi perfectior ſtatus eligatur. Ita Gutierez *cap.26.n.2.*Sylueſt.*verb.Sponſalia, quæſt.7.* Henriquez *lib.11.c.14. n.4.*Corduba *quæſt.136.*& alij contra Sanch.*lib.1.diſp.47.n.3.*Reginal. *lib.31.n.160.*Coninch.*loco citato, n.25.*[Filliucium *tract.10.c.8. q.6.n. 287.*Molfeſium *n.53.*]& alios apud Sanchez *loco cit.*

21 An qui vouit ſacros Ordines, teneatur ſeruare caſtitatem, antequam illos ſuſcipiat.

Dixi, *per votum ſuſcipiendi ſacros Ordines*, vt aduerterem, ſponſalia non dirimi per votum ſuſcipiendi minores Ordines, ſicut enim non dirimuntur per realem eorum ſuſceptionem, cùm minores Ordines non repugnent ſtatui matrimonij, ita neque dirimuntur per votum illorum; maiores verò Ordines repugnant ſtatui matrimonij, conſequenter eorum voto, vel eorum ſuſceptione ſponſalia dirimuntur, vt colligitur ex *Extrauagant. Antiqua.de voto.* Ita Valentia *tom.4. diſp.10.quæſt.2.punct.5.cauſa 11.*

21 Quæres vtrum, qui vouit ſacros Ordines, teneatur ſeruare caſtitatem, antequam illos ſuſcipiat.

Reſpondeo

Respondeo non teneri, quia castitas est quid annexum statui maiorum Ordinum, sed nullus obligatur ad annexa statui, nisi postquam statum assumpsit, alioquin qui vouit ingredi religionem, teneretur ad ieiunia, & ad alia onera religionis, antequam religionem ingrediatur; ergo qui vouit Ordines sacros suscipere, non tenetur seruare castitatem, ante illorum susceptionem, quantum est ex vi voti, vt patet ex dictis *de voto religionis, & castitatis in secundo Decalogi Præcepto.*

PVNCTVM VI.

Vtrùm sponsalia dissoluantur ob defectum ætatis, ob lapsum termini, & ob discessum in longinquum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An sponsalia dissolui possint ob defectum ætatis.

1 SPonsalia dissolui possunt propter defectum ætatis impuberis. Ratio est, quia ius concedit, vt filij possint statim acquisita pubertate resilire à sponsalibus celebratis tempore impubertatis. Ita cõmuniter DD. *in cap. 1. de illis. in cap. à nobis, & in cap. attestationes, de desponsatione impuberum.* Ratio, cur hoc sit concessum à iure, est, quia quæ fiunt ab impuberibus, non videntur fieri cum perfecta discretione, & iudicio. Ita Nauarr. Coninchus, Reginaldus, Gutierez, Sanchez, [Filliucius, Molfesius,] & alij *locis* statim *citandis.*

Dixi, *acquisita pubertate*, quia filij ante pubertatem non possunt resilire à sponsalibus; quamobrem si duo impuberes simul sponsalia contraxerunt, non possunt ante pubertatem, etiamsi adsit mutuus eorum consensus, resilire à sponsalibus, vt patet ex *cap. de illis. de desponsatione impuberum*, vbi hoc sancitum est, ne impuberes ob debile iudicium passim contraherent sponsalia, & per inconstantiam ab illis resilirent. Possunt igitur à sponsalibus tantummodò resilire acquisita pubertate, nisi fortè antea interuenerit carnalis copula: immò vbi vnus peruenit ad pubertatem potest statim resilire, modò statim resiliat, id est, intra breue tempus, vt si intra triduum reclamet, & contradicat sponsalibus factis ante pubertatem, nam statim dicitur fieri, quod intra triduum fit. *l. finali, C. de iudiciis.* Quòd si statim non resiliat, non poterit postea resilire, cùm enim sponsalia ab initio essent valida, remanent valida, & irreuocabilia, nisi sponsus, qui recordatur sponsaliorum, & non ignorat se acquisiuisse pubertatem, statim acquisita pubertate contradicat, ius enim noluit sponsalia perpetuò manere reuocabilia, sed concessit posse reuocari vsque ad pubertatem præcisè, vnde impubes potest statim ac factus est pubes, dissoluere sponsalia facta ante pubertatem, nec tenetur expectare, donec alter sponsus fiat pubes, nam frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus, *cap. cùm contingat. de officio delegati*; sed expectatio pubertatis alterius nullum parit effectum; ergo qui peruenit ad pubertatem, non tenetur expectare alterius pubertatem, sed ipse potest statim acquisita pubertate recedere à sponsalibus. Ita Sanchez *lib. 1. disp. 51.* Couarr. *loco* statim *citando*, Gutierez *cap. 29. num. 2. & 3.* Coninchus *disput. 23. dub. 2. num. 8.* [Filliucius *tract. 10. cap. 8. quæs. 4. num. 276.* Molfesius *tract. 4. cap. 5. num. 43.*] contra Antonium Naldum *verb. Sponsalia num. 1.*

2 An sponsalia à pubere contracta cum impubere, possint à pubere rescindi.

2 Rogabis primò, vtrùm quando duo contraxerunt sponsalia, quorum vnus tempore sponsaliorum erat pubes, & alter impubes, possit pubes resilire à sponsalibus.

Respondeo, illum, qui erat pubes tempore sponsaliorum, non posse ratione ætatis præcisè resilire à sponsalibus, quia nullo iure hoc illi conceditur. Et hoc verum est, etiamsi impubes consentiat, nam impubes non videtur habere sufficiens iudicium, & consensum ad dissolutionem sponsaliorum propter fragilem ætatem. Solus igitur impubes poterit à sponsalibus resilire, quando factus erit pubes, quia hoc illi conceditur à iure, in quo casu contractus dicitur claudicare in fauorem minoris ætatis, vt benè ait Henriquez *lib. 11. cap. 14. nu. 7.* Sanchez *loco citato num. 10.* Gutierez *num. 8.* Reginaldus *lib. 3. nu. 261.* Couarr. *de sponsal. 1. parte, cap. 5.* quem citat, & sequitur Menoch. *de arbitrariis, lib. 2. centur. 5. casu 455. num. 12.* [Filliucius *tract. 10. cap. 8. quæs. 4. num. 276.*] & alij communiter.

3 An sponsalia dissoluantur, quando impubes ante pubertatē dissensit, non verò acquisita pubertate.

3 Addo sponsalia remanere dissoluta, quando impubes ante pubertatem reclamauit, & dissensit, & postea factus pubes non mutauit voluntatem, nec ampliùs recordatus est post pubertatem. Ratio est, quia, quamuis illa prior reclamatio, facta tempore impubertatis, non dissoluerit sponsalia tempore impubertatis; nihilominus dissoluit illa post pubertatem, eo quòd sponsus, factus pubes, censeatur permanere in priore voluntate, & tacitè reclamare, consequenter si sponsus non mutauit voluntatem, sponsalia videntur remanere dissoluta, saltem in conscientia. Ita Sanchez *loc. cit. num. 17.* Coninchus *loc cit. num. 7.* & alij DD. citati.

4 An sponsalia impuberum cũ iuramento celebrata, dissolui possint, acquisita pubertate.

4 Rogabis secundò, vtrùm sponsalia impuberum ita confirmentur iuramento, vt non sit liberum sponsis, postquam peruenerunt ad pubertatem, resilire à sponsalibus.

Respondeo, iuxta probabiliorem sententiam non esse liberum illis resilire à sponsalibus ratione ætatis præcisè. Ita Sanchez *lib. 1. disp. 51. num. 22.* Couarr. *4. decis. 1. part. cap. 5. §. 1.* Rebell. *2. part. lib. 4. quæst. 8. sect. 8.* Henriquez *loco citat.* Gutierez *loc. citat. num. 12.* Reginaldus *loco citato.* Coninchus *loco citat. nu. 9.* [Filliucius *num. 278.*] & alij, & colligitur ex *cap. ex litteris*, vbi expresè dicitur, impuberes iurantes sponsalia cogendos esse illa perficere. Vtrùm verò possint ob alias iustas causas resilire, certum est, posse, vt constabit ex dicendis.

Obiicies, iuramentum sortitur conditiones actus, & contractus, super quem cadit, *l. fin. C. de non numerata pecunia.* sed sponsalia impuberum, super quæ cadit iuramentum, ex iuris dispositione habent hanc tacitam conditionem, nisi facti puberes resilierint; ergo iuramentum additum sponsalibus impuberum censetur factum sub hac conditione, nisi resilierint; consequenter si impuberes possunt à sponsalibus non iuratis resilire propter dictam conditionem, poterunt etiam à iuratis.

Respondeo, maiorem propositionem veram esse, nisi aliud in iure statuatur, & conditio non reiiciatur: ex quo sequitur, iuramentum in hoc casu non sortiri conditionem sponsaliorum, quia sponsalia impuberum, sicut habent illam conditionem ex dispositione iuris, ita iuramentum illis additum ex eiusdem iuris dispositione non habet illam conditionem, *cap. ex litteris, citato.* Ita Henriquez *loco citato.* Couarruuias *in 4. 1. part. cap. 5. §. 1.* & alij.

5 Apud quem fieri debeat reclamatio ad dissoluenda sponsalia.

5 Quæres, apud quem fieri debeat reclamatio, & contradictio ad dissoluenda sponsalia.

Respondeo fieri debere apud Episcopum, vel eius Vicarium, vel ipsis deficientibus apud personas honestas, vt constat ex *cap. 1. de desponsatione impuberum*, vbi habetur, *Si reclamauerint, iudicio Ecclesiæ separentur.* Hoc tamen videtur tantummodò necessarium in foro externo, vt iudex ferat sententiam pro sponsalibus dirimendis; in foro verò conscientiæ videtur sufficere, vt pubes statim acquisita pubertate interiùs dissentiat. Ratio est, quia reclamatio requiritur in foro externo, ne pubes videatur ratificare sponsalia priùs facta, sed quando interiùs dissentit, verè non ratificat: ergo in foro conscientiæ videtur sufficere, si interiùs dissentiat, quamuis in foro externo præsumatur ratificasse, non reclamando apud iudicem, vel alias personas suprà dictas. Videndus est Sanchez *lib. 1. de sponsalibus disput. 51. num. 17.* Rebellus *loco citato num. 63.* Couarruuias *loco citato num. 2.* Gutierez *loco citato, num. 71.* Nauarrus *cap. 22. num. 27.* & Henriquez *loco citato, num. 7.*

SECVNDA PROPOSITIO.

6 An sponsalia dirimantur per lapsum termini constituti ad celebrandum matrimoniũ.

6 SPonsalia dirimuntur per lapsum termini constituti ad contrahendum matrimonium, *cap. sicut, de sponsalib.* Ratio est, quia promissio facta fuit pro tali tempore. Ita Valentia *tom. 4. disp. 10. quæst. 2. punct. 5.* Speculum *1. part. art. 2. casu 10.* Syluester *verb. Sponsalia, quæst. 10.* Petrus Ledesma *quæst. 43. art. 3.* & alij, qui sine distinctione loquuntur, eosque citat, & sequitur Menochius *de arbitrariis lib. 2. centuria 5. num. 8. fol. mihi 367. pag. 2. casu 455.* Sed mihi placet vti hac distinctione: Aut terminus appositus fuit ad limitandam obligationem, aut ad illam tantummodo sollicitandam. Si terminus appositus fuit ad limitandam obligationem, elapso termino exspirat obligatio; nam promissio non obligat vltra intentionem promittentium: promittentes autem habuerunt intentionem obligandi se solùm pro tali termino, qui terminus ordinariè solet apponi in ipso contractu sponsaliorum, antequam contractus sit perfectè celebratus. Si verò terminus fuit appositus ad sollicitandam obligationem, obligatio non cessat elapso termino. Ita Sanchez *lib. 1. disp. 53.* Reginaldus *lib. 31. nu. 261.* Coninchus *disp. 23. dub. 6. num. 46.* Gutierez *de matrimonio cap. 24. num. 6.* Rebellus *lib. 4. quæst. 8. sect. 4. num. 20.* [Filliucius *tract. 10. cap. 8. quæs. 9. num. 293.*] & alij. Quando igitur terminus fuit appositus primo modo, sponsalia lapsu termini soluuntur ex parte eius, per quem non stetit, quominùs celebraretur matrimonium statuto tempore. *cap. à nobis, de desponsatione impuberum, & cap. sicut, de sponsalibus*; terminus enim in ipsomet sponsaliorum contractu appositus censetur adiectus ad eximendum eum ab obligatione, per quem non steterit, ne matrimonium celebretur. Ille verò, per quem stat, ne tempore statuto matrimonium contrahatur, non liberatur ab obligatione, volente altero stare sponsalibus; non enim æquum est, vt dilator commodum reportet. Ita Reginaldus *loco citato, num. 262. ad finem.* Sanchez, & alij Doctores citati. Hoc tamen intelligitur, modò ipse dilator fuerit in culpa; nam si ipse non fuit in culpa, & non celebrauit matrimonium statuto tempore ob iustum impedimentum, sponsalia ex vi termini transacti, præcisè non dissoluuntur; nam legitimè impedito non currit tempus, *l. 1. de annali exceptione.* Quidquid in contrarium sentiat Coninchus *loco citato, num. 47.* Idem dicendum est, quando vterque legitimo impedimento detentus non perfecit sponsalia tempore præfixo. Ita Coninchus *num. 49.* Sanchez, [Filliucius,] & alij *locis citatis.* Quando verò stetit per vtrumque, ne matrimonium celebraretur tempore statuto, censeo sponsalia solui ex parte vtriusque, vt ait Sanchez *loco citato, num. 3. & 6.* Coninchus *loco citat.* [Filliucius *num. 293.* & Gutierez *num. 10.* nam terminus fuit appositus ad finiendam obligationem, & sponsalia non obligant vltra intentionem promittentium; [& cùm per vtrumque stet ne sponsalia compleantur, vterque censetur cedere sponsalibus.] Quando verò sponsalia celebrata sunt, appositio termino secundo modo, id est, ad sollicitandam obligationem sponsaliorum, existimo sponsalia non solui per lapsum termini, qui terminus solet apponi post contractum absolutè initum. Ratio est, quia in hoc casu interueniũt diuersæ obligationes: vna, contrahendi absolutè matrimonium; altera, contrahendi intra tale tempus, vt patet ex *l. Celsus, §. 1. ff. de receptis arbitris*, & patet à simili ex dictis *de iuramento, & voto*, quæ non fuerunt adimpleta statuto tempore: cessante autem obligatione contrahendi matrimonium statuto tempore, non propterea cessat prima obligatio contrahendi absolutè, consequenter, quando per aliquem stat, ne matrimonium contrahatur tempore præfixo, non propterea cessat obligatio, nisi fortè mora, & dilatio tanta sit, vt constituat dilatorem reum lethalis culpæ; tunc enim frangenti fidem fides seruanda non est. Ita Doctores citati.

7 An sponsalia dissolui possint ob moram & dilationem alterius, quando nullus terminus fuit præfixus ad perficienda sponsalia.

7 Quæres, vtrùm sponsalia possint dissolui per moram & dilationem alterius, quando nullus terminus fuit præfixus ad perficienda sponsalia.

Respondeo, dissolui posse, quando dilator requisitus ab altero sponso ad perficienda sponsalia, & ad matrimonium contrahendum, ita differt, & prorogat, vt iudicio prudentis censeatur mortaliter peccare differendo adimpletionem promissionis; tunc enim valet illa regula, *Frangenti fidem*, &c. Ita Coninchus *de matrimonio disput. 23. dub. 6. num. 43.* & alij Doctores citati.

Si quæras, quandonam sponsus, vel sponsa peccet differendo celebrationem contractus matrimonij.

Respondeo cum Sanchez *lib. 1. disp. 28. num. 2.* Gutierez *de matri-*

monio cap.15. num.5. & aliis, quos in simili retuli *de contractibus disp.2. quæst.6. punct. vnico, num.2.* peccare, quoties alter petit, modò non fuerit præfixus terminus adimplendis sponsalibus. Secus si alter non petat, nisi fortè non petat ob verecundiam, vel impotentiam, vel obliuionem, vt *ibidem* ostendi.

TERTIA PROPOSITIO.

8 An rescindi possint sponsalia per discessum spō si in longinquas partes.

8 SPonsalia, quamuis facta sint cum iuramento, dissolui possunt per discessum alterius sponsi in longinquum absque licentia alterius, *cap. de illis, extrà de sponsalibus.* Ita Sanchez, Coninchus, Gutierez, [Filliucius,] & alij *locis* statim *citandis.*

Dixi, *absque licentia*, quia si de licentia alterius discessit, expectandus est, quantum inter ipsos conuentum est de tempore absentiæ. Ita Doctores statim citandi.

Dixi, *in longinquum*, quia si se transtulit in locum propinquum, & breui speratur rediturus, expectandus est, vel requirendus, vt intra certum tempus matrimonium contrahat. Quòd si intra illud tempus nolit contrahere, dissolui poterunt sponsalia, quia sponsus requisitus censetur cedere sponsalibus, recusando contrahere matrimonium intra tempus assignatum, nisi fortè hoc faciat ex iusta causa; nam si iusta de causa non potest contrahere, non sunt temerè dissoluenda sponsalia, sed potiùs attendenda est qualitas sponsæ, quæ potest persuadere dissolutionem sponsaliorum, vt accidit, quando sponsa ex dilatione periculum fornicandi patitur. Ita Speculum 1. *parte art.* 21. Coninchus *disp.*23. *dub.*6. *num.*50. Gutierez *cap.*3. *num.*6. Reginaldus *lib.*31. *num.*261. Sanchez *lib.*1. *disp.*54. Rebellus *loc.cit. sect.*3. *nu.*15. Valentia *loc.citat.* [Filliucius *tract.*10. *cap.*8. *quæs.*9. *nu.*294.] & alij apud Gutierez *loco citato.* Aliqui tamen Doctores, vt Petrus Ledesma *loco citato, causa* 7. Henriquez *lib.*11. *cap.*14. *num.*5. Couarruuias *in Epitome de sponsalibus, part.*1. *cap.*5. *num.*8. Menochius *de arbitrariis. lib.*2. *centuria* 5. *casu* 455. *num.*7. Cardinalis Tuscus *tom.*5. *conclus.*126. *num.*7. volunt in his casibus seruãdum esse ius ciuile, quod præscribit, vt sponsus, qui est extra prouinciam, vel nescitur vbi sit, expectetur per tres annos, *l.*2. *C. de repudiis.* si verò sit in prouincia, expectetur per biennium. Verùm ego existimo has leges tantummodò seruandas esse in foro externo, non verò in foro conscientiæ, [vel potiùs dicendum est, illas leges correctas fuisse per ius canonicum. Ita Sanchez & alij *locis citatis.*]

PVNCTVM VII.

Vtrùm sponsalia dissoluantur per matrimonium subsequens, aut per impedimentum dirimens.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An sponsalia dissoluantur per matrimonium cum alia persona celebratum.

1 SPonsalia irritantur per subsequens matrimonium validè celebratum cum alia persona. Ita habetur *cap. sicut ex litteris, cap. si inter virum, cap. adolescens, de sponsalibus*, & alibi. Ratio est, quia res tradita vni per contractum indissolubilem, non potest amplius tradi alteri, cui tantummodò promissa est; propterea in solutione is, cui res tradita fuit, præfertur illi, cui promissa est, vt patet ex dictis de ordine restitutionis, sed per matrimonium de præsenti corpus traditum est vni; ergo non potest amplius tradi sponsæ, cui antea tantummodò promissum fuerat per priora sponsalia. Ita Sanchez *lib.*1. *disp.* 48. Valentia, Henriquez *locis suprà citatis.* Lessius *lib.*2. *cap.*40. *num.*74. Coninchus *disp.*23. *dub.*4. *num.*28. Gutierez *cap.*27. *nu.*1. Menochius *de arbitrariis, lib.*2. *centuria* 5. *casu* 455. *num.*9. [Filliucius *tract.*10. *cap.*8. *quæs.*1. *num.*271.] & alij.

Dixi, *per matrimonium subsequens validè celebratum*, quia priora sponsalia non dissoluuntur per matrimonium subsequens inualidum; non enim præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, *regul. non præstat, de regul. iur. in 6.* sed matrimonium inualidum non sortitur effectum: ergo non præstat impedimentum, consequenter non sufficit ad dissoluenda priora sponsalia. Ita Gutierez, Sanchez, & alij *locis citatis.*

2 An dissoluto matrimonio adimplenda sint priora sponsalia.

2 Quæres primò, vtrùm priora sponsalia ita extinguantur per subsequens matrimonium validum, vt eo dissoluto sponsus non teneatur adimplere priora sponsalia.

Respondeo iuxta supradicta, [*punct.* 5. *num.* 18.] non teneri, quia obligatio semel extincta non reuiuiscit, *l. qui res, §. aream, ff. de solutionibus.* Ita Rodriquez 1. *part. cap.*245. *num.* 8. Henriquez *lib.*11. *cap.*13. *num.*3. Sanchez *disp.*48. *num.*3. [Filliucius *num.*271.] & alij contra Petrum Ledesmam *quæst.*43. *art.*3. *dub.*2. & alios, quos citat, & sequitur Coninchus *disp.*23. *dub.*4. *num.*32.

3 An dissoluto matrimonio adimplenda sint priora sponsalia iurata.

3 Sed modò maior difficultas est, vtrùm per subsequens matrimonium dissoluantur sponsalia facta cum iuramento, ita vt sponsus dissoluto matrimonio ob mortem coniugis non teneatur adimplere sponsalia priora cum iuramento facta.

Respondeo duplicem esse sententiam. Prima est Sanchez *lib.*1. *disp.* 48. Henriquez *lib.*11. *cap.*13. *num.*3. [Filliucij *tract.*10. *cap.*8. *quæs.*1. *nu.* 272.] & aliorum asserentium ita dissolui, vt non teneatur adimplere priora sponsalia, nisi fortè teneatur ratione damni, vt si defloraurit sponsam bonæ famæ, nec illi antea satisfecit. Ratio est, quia iuramentum adhibitum fuit ad confirmandam promissionem; sicut autem obligatio promissionis ita extinguitur per subsequens matrimonium, vt sponsus non teneatur dissoluto matrimonio stare primæ promissioni, seu sponsalibus, ita etiam extinguitur obligatio iuramenti.

Secunda sententia est Petri Ledesmæ *quæst.*43. *art.*3. *causa* 2. *fol. mihi* 128. & aliorum dicentium, teneri ratione iuramenti, mortua coniuge, stare sponsalibus celebratis [cum iuramento.] Ratio est, tum quia iuramentum erat validum, nec eius obligatio erat extincta per subsequens matrimonium, sed tantummodò suspensa: tum quia qui vouit religionem, & postea vxorem duxit, tenetur mortua vxore religionem ingredi, eo quòd votum religionis non fuerit planè extinctum per matrimonium subsequens postea celebratum, sed tantummodò suspensum, vt concedit ipse Sanchez. Ergo etiam sponsalia iurata non dissoluuntur per subsequens matrimonium, sed suspenduntur; consequenter sponsus ratione iuramenti tenetur mortua coniuge ducere sponsam, cum qua prius contraxerat sponsalia cum iuramento.

Hæc secunda sententia mihi probabilior videtur.

Neque obstat doctrina Sanchez dicentis sponsalia, & matrimonium esse obligationes eiusdem rationis, & obligationes eiusdem rationis hoc habere, vt prior extinguatur per aduentum posterioris fortioris, vt patet in simili de eo, qui vouit religionem laxiorem, & postea rursus vouit aliam arctiorem, & perfectiorem: in quo casu votum laxioris extinguitur per votum strictioris. Votum verò religionis, & matrimonium, inquit Sanchez non sunt obligationes eiusdem rationis, propterea mirum non est, votum religionis non extingui per matrimonium subsequens, sicut extinguuntur antecedentia sponsalia per subsequens matrimonium: non, inquam, obstat iste discursus, sed potiùs fulcire, & corroborare videtur nostram sententiam; nam iuramentum & matrimonium sunt obligationes diuersæ rationis: ergo illius obligatio non extinguitur per matrimonium subsequens, sed tantummodò suspenditur.

Præterea falsum est, generaliter loquendo, obligationes eiusdem rationis hoc habere, vt prior extinguatur per aduentum posterioris fortioris, vt bene ait Ferdinandus Perez, alioquin sequeretur matrimonium ratum dissolui per subsequens matrimonium consummatum, quod est fortius vinculum.

Ad id, quod dicitur de voto laxioris religionis; respondetur illud extingui, quia natura voti postulat, vt non impediat maius bonum.

4 An priora sponsalia dirimãtur per posteriora, sicut per matrimonium.)

4 [Quæres secundò, vtrùm priora sponsalia dirimantur per posteriora, sicut dirimuntur per matrimonium.

Respondeo non dirimi, etiamsi posteriora facta sint cum iuramento. Ratio est, quia nullus obligari potest ad id quod sine peccato præstare non potest. Ita Sanchez *disp.*50. Filliucius *num.*274. & alij, quos in præcedentibus adduxi, præsertim *puncto 5. num.*16.]

SECVNDA PROPOSITIO.

5 An sponsalia dissoluantur ob impedimẽtum dirimens matrimoniũ.

5 SPonsalia etiam iurata dissoluuntur per impedimentum dirimẽs matrimonium, quale impedimentum est error personæ, affinitas superueniens, &c. Ratio est, tum quia non est obligatio ad id, quod fieri non potest, esset autem obligatio ad id, quod fieri non potest, si sponsalia non dissoluerentur superueniente impedimento dirimente: [tum quia minus vinculum sunt sponsalia, quàm matrimonium; ergo impedimentum dirimens matrimonium, potest etiam dirimere sponsalia.]

6 An spõsalia dirimantur per copulam habitam cum consanguinea sponsæ.

6 Ex quo sequitur, sponsalia dissolui, quando sponsus copulam habet cum consanguinea sponsæ in primo, vel secundo gradu; nam per huiusmodi copulam fit affinis sponsæ, affinitas autem dirimit matrimonium vsque ad secundum gradum, quando procedit ex copula illicita; verum tamen est requiri copulam naturalem, & perfectam, saltem ex parte viri, vt inducatur huiusmodi impedimentum dirimens, vt dictum est *in sexto Decalogi præcepto.* Ita Sanchez *lib.*1. *disput.* 56. *num.*1. Gutierez *cap.*32. *num.* 1. Coninchus *disp.* 23. *dubio* 5. Reginaldus *lib.*31. *nu.*263. Chamerota *dub.*14. Petrus Ledesma *loco citato, causa* 3. Valentia *loco citato, cap.*6. Speculum *loco citato, casu* 9. [Filliucius *tract.*10. *cap.*8. *quæs.*8. *num.*291. & 295.] Henriquez, & alij *locis citatis.*

7 An scandalum, aut fama impedimenti sit causa sufficiens dirimendi sponsalia.

7 Addo, non solùm impedimentum dirimens matrimonium esse causam sufficientem ad dissoluenda sponsalia, sed etiam famam publicam de impedimento, aut scandalum, *cap. super eo, de consanguin.* Ita Sanchez *lib.*1. *disp.*71. *num.*13. Emanuel Sa *verb. Sponsalia, num.* 4. Petrus Ledesma, & Speculum *locis citatis.* Gutierez *cap.* 36. *nu.*15. qui in hac re videndi sunt, cum Conincho *disp.*23. *dubio* 11. *num.*8.

Hinc colligi potest solutio sequentis casus.

Titius copulam habuit cum Berta virgine, eam deflorando cum mutua promissione futuri matrimonij. Sed postea Titius cognoscens se consanguineum in quarto gradu, vult à matrimonio resilire.

Quæritur, vtrùm hoc possit Titius facere, etiam inuita Berta.

Respondeo, Titium non teneri ad perficienda sponsalia, sed posse, etiam inuita Berta, recedere à promissione. Ratio est, tum quia promissio non obligat ad rem illicitam: tum quia sponsalia etiam iurata dissoluuntur ob impedimentum superueniens; ergo à fortiori sunt inualida ob impedimentum dirimens antecedens ipsa sponsalia, cùm plura requiri videantur ad auferendam obligationem iam inductam, quàm ad impediendum, ne inducatur: tum quia inualidum est matrimonium contractum cum consanguinea in quarto gradu, vt patet ex traditis *quæst.*3. *punct.*5. *§.*1. *num.*6. ergo etiam sunt inualida sponsalia, quæ non sunt tanti roboris & firmitatis, sicut matrimonium.

Neque obstat copula, quia copula non efficit contrahentes habiles, nec obligare potest ad rem illicitam.

Hæc limita, præciso scandalo, vel fraude Titij: nam ratione vitandi scandali fieri potest, vt Titius obligetur ad petendam à Sede Apostolica dispensationem. Idem dic de fraude, quia fraus non debet patrocinari delinquenti.

8 An sponsalia dissoluantur ob impedimẽtum impediens matrimoniũ.

8 Quæres primò, vtrùm sponsalia dirimantur per impedimentum impediens, sed non dirimens, quod superuenit sponsalibus iam celebratis, quale impedimentum est votum simplex castitatis, Catechismus, Interdictum, &c.

Respondeo, non dirimi per impedimentum impediens superueniens sponsalibus, excepto impedimento voti simplicis, de quo suprà dictum est *punct.*5. Ita Sanchez *lib.*1. *disp.*56. *nu.*3. Coninchus *disp.*23. *dub.*5. *num.*36. Reginaldus *loco citato.* & alij contra Gutierez *de matrimonio cap.*32. *num.*2. & alios. Ratio est, quia non adest sufficiens ratio, propter quam debemus dicere sponsalia contracta dissolui: tum quia multi Doctores sentiunt, illa impedimenta non videri in vsu, nec indigere dispensatione, sed de hac re *infrà.*

9 Quæres

9 An sponsus, qui post celebrata sponsalia contrahit impedimentũ, teneatur illius dispensationem impetrare.

9 Quæres secundò, vtrùm sponsus, qui post sponsalia contraxit impedimentum dirimens, teneatur impetrare dispensationem impedimenti.

Respondeo cum Petro Ledesma *de matrimonio quæst.43.art.3.causa 3.* Sanchez *loco citato, num.4.* Coninco *loco citato num.37.* Gutierez *cap.32.num.2.* [Filliucio *num.291.*] & aliis, teneri, quando commodè potest impetrare, aut quando alioquin sequeretur sponsæ graue damnum, vt accidit, quando defl orata fuit a sponso, aut quando grauem famæ iacturam pateretur. Ratio est, quia par non est, vt spõsus commodum, & immunitatem reportet ex suo delicto; commodum autem, & immunitatem reportaret, si non teneretur impetrare dispensationem illius impedimenti. [Vide tradita *de legib.disp.1.quæst.2.punct.11.* vbi explicaui cuius expensis impetranda sit dispensatio.]

10 An valida sint spõsalia contracta sub cõditione, *si Papa dispensauerit in impedimento.*

10 Quæres tertiò, vtrùm sint valida sponsalia inter personas habentes aliquod impedimentum dirimens, contracta sub conditione, si Papa dispensauerit.

Respondeo esse valida non tamquam omnino absoluta, sed tamquam conditionalia. Ita Rodriquez *cap.244.* Petrus Ledesma, & alij communiter apud Sanchez *lib.5.disp.8.num.10.& disp.5.nu.24.* quos sequitur Coninchus *disp.24.dubio1.num.18.* & Gutierez *de matrimonio cap.78.ad finem.* Ratio est, quia quamuis tempore contractus adsit impedimentum dirimens, nihilominus contractus cum hac cõditione celebratus differtur, & prorogatur ad tempus, quo sponsalia erunt licita, nec aderit impedimentum; actus enim factus tempore inhabili, sed relatus ad tempus habile, valet pro tempore habili, vt inquiunt communiter Iurisperiti. Verum tamen est, non esse licitos tactus, & oscula inter huiusmodi sponsos ante obtentam dispensationem, nondum enim sunt sponsi. Ita Sanchez *loco citato, num.38.* cum aliis Doctoribus, & Gutierez *loco citato ad finem.*

11 An obtenta dispensatione rescindi possint spõsalia.

11 Sed modò difficultas est, vtrùm obtenta dispensatione in dicto casu possit alter recedere à promissione.

Respondet Gutierez *loco citato, num.1.* Rodriquez *loco citato.* posse etiam altero inuito. Idem sentiunt multi Doctores apud Gutier. *disp.5.* apud Genuensem *in praxi Neapolitana cap.13.num.5.* & Naldum *verb. Sponsalia, num.4.* qui putant obtenta dispensatione requiri nouum consensum. Sed mihi dicendum videtur non posse recedere altero inuito, quia obtenta dispensatione cessat impedimentum, & adimpleta est conditio, sub qua celebrata fuerant priora sponsalia, non est autem liberum contrahenti recedere à contractu post illius conditionem adimpletam.

12 An spõsalia clandestina valida sint.

12 Quæres quartò, vtrùm defectus præsentiæ Parochi, aut testium sit impedimentum dirimens sponsalia, sicut est impedimentum dirimens matrimonium, hoc est, vtrùm sponsalia clandestina sint valida.

Respondeo, valida esse. Ratio est, quia Concilium Tridentinum irritat tantummodò matrimonium clandestinum, non verò sponsalia, sed illa reliquit in dispositione iuris communis, quamuis modò sponsalia clandestina non amplius trãseant in matrimonium per subsequentem copulam, sicut transibant tempore antiquo, nisi fortè copula animo maritali habeatur coram Parocho, & testibus. Ita Valentia *loco citato, causa 5.* Cardinalis Tuscus *tom.7.concl.406.* Emanuel Sà *verb.Sponsalia num.1.* & alij communiter.

13 An contrahentes sponsalia clandestina peccent mortaliter.

13 Aliqui dicunt, contrahentes sponsalia clandestinè peccare mortaliter. Ita Chamerota *de matrim.cap.2. dub.9.* Syluester *verb. Matri. 6.quæst.7.* & alij. Sed contrarium mihi probabilius videtur per se loquendo. Ratio est, tum quia vsu receptum est, vt multi promittant sibi matrimonium nullo alio præsente, nec vllus solet illis ingerere scrupulum grauioris culpæ, tum quia ex sua natura non sunt illicita, nec vllo iure sunt prohibita, quamuis dissuadenda sint, cùm sæpius fiant sine debita circumspectione, & prudentia. Ita Emanuel Sà *loco citato.* Sanchez *lib.1.disput.13.num.2.* Coninchus *disput.21.dub.2. num.20.* & alij apud Gutierez *cap.4.num.2.* contra Syluest. & alios apud Coninchum.

PVNCTVM VIII.

Vtrùm sponsalia dissoluantur per fornicationem subsequentem, aut per notabilem mutationem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An sponsalia dissoluantur per fornicationem subsequentem.

1 SPonsalia, quamuis confirmata iuramento, dissoluuntur per fornicationem alterius sponsi. Ita colligitur ex *cap. quemadmodum.de iureiurando.* Ratio est, tum quia fornicatio superueniens matrimonio dirimit matrimonium, quo ad torum; ergo multò magis fornicatio superueniens sponsalibus dissoluit sponsalia, per quæ inducitur obligatio ad ineundum matrimonium, & ad cohabitandum; tum quia promissio non obligat, quando superuenit notabilis mutatio, qua præuisa promissio facta non fuisset, sed si sponsus præuidisset fornicationem alterius, non promisisset, nec se voluisset obligare; ergo tum quia in sponsalibus, & in iuramento intelligenda est ista conditio, promitto tibi matrimonium, nisi contra regulam coniugij, & desponsationis veneris; sed qui fornicatur, facit contra regulam coniugij, & desponsationis, & eo ipso quo fornicatur, fit suspectus de fide in futurum seruanda; ergo alter non tenetur stare sponsalibus, consequenter sponsalia dissoluuntur propter fornicationem ipsis superuenientem. Ita Sanch. *lib.1.disp.55.* Rebel. *quæst.8.sect. 2.num.8.* Card. Tuscus *tom.5.concl.126.nu.5.* Coninch. *disput.23.dub. 7.* Henriquez *lib.11.cap.14.num.6.* Menoch. *de arbitrariis lib.2. cent.5. casu 455.nu.5.* Couarruuias *in epitome de sponsalibus 1.parte cap.5. nu.2.* Gutierez *cap.31.num.1.* [Filliucius *tract.10. cap.8. quæs.7. num.288.*] Reginaldus *lib.31.num.262.* Valentia, P. Ledesma, & alij *locis suprà citatis.* Et hoc non solùm verum est in sponsa, sed etiam in sponso fornicante post sponsalia: militant enim eædem rationes in vtroque.

Dixi, *in sponso fornicante post sponsalia*; quia si tantummodò sponsus fornicatus sit ante sponsalia, illius fornicatio non est causa sufficiens ad dissoluenda sponsalia, quamuis illius fornicatio detegatur solum post sponsalia. Ratio est, quia illius fornicatio præcedens sponsalia, non est contra fidem desponsationis, nec graue dedecus infert sponsæ, sicut fornicatio ipsius sponsæ, etiamsi commissa fuerit ante sponsalia, grauem infert ignominiam sponso; quamobrem fornicatio sponsæ, non solùm commissa ante sponsalia, verùm etiam cõmissa post sponsalia, est sufficiens causa, ob quã sponsus possit illa dissoluere, si ante contractum sponsaliorum ignorabat fornicationem sponsæ; fornicatio verò sponsi commissa ante sponsalia, non est sufficiens causa, ob quam possit sponsa resilire à sponsalibus; vt patet ex rationibus allatis. Ita Petr. Ledesma *loco cit.causa 6.* & alij quos ipse citat, eosque refert, & sequitur Sanchez *loc.cit.& disp.63.n.2.* Henriquez *loc.cit.* Coninch. *loco citato nu.57.& 62.* Molina *tract 2.disp.272. vers. Deinde si mulier.*

2 An sponsus possit resilire à spõsalibus, quando sponsa permittit se ab alio impudicè tangi per oscula, amplexus, &c.

2 Addo cum Sanchez *loc.cit.* Gutierez *loc. citat. num.1.* & Reginaldo *loc. cit.* Coninco *loc. cit.num.56.* sponsum posse resilire à sponsalibus, non solùm si femina fornicetur, sed etiam si permittat se ab alio impudicè tangi, vt per amplexus, oscula, &c. hæc enim censetur notabilis mutatio, vergẽs in magnum viri dedecus, qua mutatione præuisa sponsus non promisisset. Secus dicendum est de sponso, qui hos actus patitur ab alia, nam inde nullum dedecus sequitur sponsæ, nec ista censetur notabilis mutatio, qua præuisa præsumatur, sponsam noluisse promittere, seque obligare. Ita Sanchez *loco citato nu.5.* Reginaldus *loc.cit.* & alij, quamuis in hac parte dubitet Gutierez *loco cit. nu.1. ad finem.* & in hanc partem propendeat Coninchus *loco citato num.56.*

3 An dissoluantur sponsalia, quando sponsa per vim ab alio cognita est.

3 Quæres primò, vtrùm dissoluantur sponsalia, quando fornicatio est inuoluntaria, vt quando femina per vim cognita est.

Respondeo cum Henriquez *lib.11.cap.14.* Sanchez *lib.1. disp.55.nu. 7.* Gutierez *loc.cit.* Reginaldo *loc.citat.* Coninco *loco citato nu.55.* Nauarr. *cap.22.nu.27.* P. Ledesma *loco citato causa 6.* Rodriq. *cap.245.nu. 6.* [Filliucio *nu.288.*] & aliis, contra Couarr. *4.decret. 1.parte cap.5.nu. 3.* Tabienam *verb. Sponsalia q.9.* & alios, sponsalia dissolui, etiamsi femina per vim fuerit carnaliter cognita, nã ista censetur notabilis mutatio ex parte sponsæ, ex qua vir potest graue dedecus pati, præsertim cùm non ita facilè constare possit, sponsam per vim, & omnino inuoluntariè cognitam esse. Secus dicendum videtur, si vir omnino inuitus, & culpæ expers fornicationẽ patiatur, tunc enim non dissoluuntur sponsalia, quia femina nullam incurrit infamiæ notam, nec aliud damnum patitur ducendo sponsum, qui omnino inuitus, & sine culpa fornicationem passus est. Ita Sanchez *loc.cit. nu.8.* Reginaldus *loc. cit. nu.262.* & alij contra Glos. *cap. sic quippe 27.q.2.* Gutierez *loc.cit.nu.3. vers. Contrarium*, & alios.

4 An sponsi sint pares quo ad dissoluenda sponsalia.

4 Hinc patet, sponsos esse pares quo ad dissolutionem sponsaliorum, primò, quando fornicatio superuenit spõsalibus. Ita Sanch. Menochius, Reginaldus, Gutierez, Couarruuias, & alij *locis citatis.* Secundò, quando fornicatio est culpabilis, non verò quando fornicatio est inculpabilis, aut quando præcessit sponsalia, vt dictum est de fornicatione sponsi commissa ante sponsalia.

5 An sponsalia dirimantur ex parte vtriusque, quãdo vnus tãtùm fornicatur.

5 Quæres secundò, vtrùm sponsalia dissoluantur ex parte vtriusque sponsi, quando alter eorum fornicatur post sponsalia.

Respondeo, ex parte fornicantis non dissolui, nam ipse non debet commodum ex delicto reportare in damnum alterius. Ex parte verò innocentis dissoluuntur, consequenter ipse liber remanet à contrahendo matrimonio, si nolit cõtrahere, vt patet ex rationibus suprà allatis in propositione. Si verò ipse velit contrahere, tenetur fornicans contrahere, & adimplere promissionem. Ratio est, tum quia nemo priuari debet iure suo sine sua culpa, tum quia, quod in fauorem alicuius introductum est, non debet in eius damnum retorqueri, *leg. quod fauore, C.de leg.* cùm autem fauore sponsi innocentis introductũ sit, vt ipse possit matrimonium contrahere, postquam alter sponsus fornicatus est, tenetur fornicans contrahere, & adimplere sponsalia, ita volente sponso innocente. Ita Nauarrus *loco suprà citato num.27.* Henriquez *loco citato num.6.* Rebellus *loco citato num.12.* Sanch. *loco citato num.6.* Rodriquez *loco citato.* Gutierez *cap.31.num.2.& cap.32. nu.4.* Reginald. & Coninch *locis citat.* & alij communiter.

6 An vterque sponsus resilire possit à spõsalibus, quando vterque fornicationem commisit post sponsalia.

6 Quæres tertiò, vtrùm liceat vtrique sponso à sponsalibus resilire, quando vterque fornicationem commisit post sponsalia.

Respondeo neutrum posse resilire. Ita Paludanus *in 4. dist. 27.q.1. art.3.num.17.* contra Sanchez *lib.1. disput.15. num. 8.* Henriquez *loco citato nu.6.* Gutierez *loco citato nu.4.* Reginaldum *loc. cit.* [Filliucium *num.288.*] & alios existimantes, solum virum posse in eo euentu à sponsalibus resilire. Sed ratio nostra est, tum quia delictum vnius compensatur cum delicto alterius, tum quia quado vterque coniux, post contractum matrimonium commisit adulterium, vir non potest facere diuortium, quamuis adulteriũ feminæ sit grauius adulterio viri; ergo neque sponsus potest facere diuortium, seu dissoluere sponsalia, quando vterque fornicationem commisit post sponsalia, quamuis sponsus maiorem subeat ignominiam per fornicationem sponsæ, quàm subeat sponsa per fornicationem sponsi.

7 An sponsalia dissolui possint ob hæresim.

7 Quæres quartò, vtrùm sicut sponsalia dissolui possunt ob fornicationem corporalem, ita etiam dissolui possint propter fornicationem spiritualem, videlicet ob hæresim, vel apostasiam.

Respondeo cum Sanchez *loc. citat.num.3.* Gutierez *loc. cit. num. 5.* Reginald. *lib.31.num.262.* Coninch. *loco citat. dub.8. num. 67.* Rebel. *loc.cit.num.9.* [Filliucio *num.288.*] & aliis, posse dissolui. Ratio est, quia fornicatio spiritualis censetur notabilis mutatio, quæ tacitè censetur excepta in contractu sponsaliorum, immò tenetur sponsus in eo casu resilire à sponsalibus, nam contrahere matrimonium cum hæretico est peccatum mortale, vt infrà dicam de impedimento disparitatis cultus.

SECVNDA PROPOSITIO.

8 An rescindi possint sponsalia, quando notabilis mutatio superuenit.

8 QVoties aliqua notabilis mutatio, seu causa de nouo superuenit sponsalibus, qua cognita contrahentes iudicio prudentis viri iudicantur non habuisse voluntatem, saltem implicitam se obligandi, eadem superueniens sponsalibus sufficit ad illa dissoluenda, ex parte illius, qui cognita tali mutatione non contraxisset, etiamsi

etiamsi sponsalia celebrata sint cum iuramento. Ratio est, tum quia promissio, & iuramentum intelligitur factum rebus in eodem statu permanentibus; quando autem notabilis mutatio superuenit, res non permanent in eodem statu: tum quia promissio non obligat vltra intentionem promittentis, promittens autem non censetur habuisse intentionem promittendi superueniente notabili mutatione, seu causa, qua præuisa iudicio prudentis non promisisset. Ita DD. statim citandi, & communiter Theologi, & Iurisperiti, teste Petro Ledesma *q.43.art.3.causa* 12. Gutierez *cap.33.nu.*8. Sanchez *lib.*1. *disp.62. nu.*2. [Filliucio *tract.*10.*cap.*8.*quæs.*4.7.*&* 8. Molfesio *tract.*4.*c.*5. *num.*56.]

Ex hac propositione sequitur solutio multorum casuum.

9 An quælibet infirmitas sit causa sufficiens ad dirimenda sponsalia.

9 Primò sequitur, sponsum non teneri contrahere matrimonium cum sponsa, quæ post sponsalia incidit in lepram, vel paralysim, vel in morbum Gallicum, vel in grauem infirmitatem, vel quando amisit nasum, vel oculos, sicut neque sponsa tenetur ob easdem causas ducere sponsum. Ita Sanchez *lib.*1.*disput.*57. Tuscus *conclus.*126. *num.*6. Coninchus *loco citato, dub.*8.*nu.*66. *&* 67. Riccius *in Praxi decis.*232. Molina *disp.*272.*num.*4.*&* 5. Gutierez *cap.*32.*num.*3. Reginaldus *lib.* 31.*num.*263. [Filliucius *tract.*10.*cap.*8.*quæs.*7.*num.*289. Molfesius *nu.* 57. [Petrus Ledesma, Speculum, Valentia, & alij *locis suprà citatis.*

10 An sponsus teneatur ducere sponsam, quæ deformis euasit.

10 Secundò sequitur, sponsum non teneri contrahere cum sponsa, quæ ex pulchra deformis notabiliter euasit; hæc enim censetur notabilis mutatio. Ita Emanuel Sà *verb.Sponsalia, num.*7. Reginaldus *loco citato.* Coninchus *loco citato.* Sanchez *loco citato.* contra Gutierez *loco citato, num.* 5. & alios. Idem dic de sponsi deformitate, modò sit valdè magna, vt bene ait Coninchus *loco citato,* cùm in viris non habeatur tanta ratio pulchritudinis, sicut in feminis; nihilominus si deformitas sit notabilis, qualis videtur amissio totius nasi, videtur inducere mutationem notabilem, quidquid in contrarium sentire videatur Gutierez *loco citato, num.* 5. [Idem dicendum putant Sanchez *disp.*57. *num.*2. & alij, si os malè oleat, nec fœtor arte medicinæ auferri possit. Hoc tamen in praxi non facilè admittendum puto, nisi fœtor oris valde magnus sit; mutatio enim non censetur magna, nisi fœtor notabilis sit.]

11 An rescindi possint sponsalia, superueniente paupertate.

11 Tertiò sequitur, paupertatem superuenientem sponsalibus esse causam sufficientem ad dissoluenda sponsalia, vt si femina incidat in paupertatem, ita vt non possit soluere dotem promissam; hæc enim censetur notabilis mutatio, & sponsalia censentur celebrata cum hac conditione, si dos tradatur, deficiente autem conditione, etiam sine culpa feminæ, non tenetur sponsus stare sponsalibus celebratis sub conditione. Ita Sot. *in* 4. *dist.*27.*q.*2. *art.*5. Reginaldus *loco citato. num.*264. Coninchus *loco citato, num.* 69. Gutierez *cap.*23. *num.*3. Riccius *decisione* 232. Petrus Ledesma *loco citato, causa* 9. Rodriquez *cap.*245. *num.* 5. Rebellus *quæst.* 8. *sect.* 8. *num.* 2. Sanchez *lib.*1. *q.*59. & alij. Addo, sponsalia dissolui posse quando sponsa, aut eius parentes recusant soluere dotem, etiamsi in sponsalibus nulla præcesserit promissio, vel mentio dotis, iuxta Menochium *loco citato de arbitrariis, num.* 6. Sanchez *disput.*60. *num.*2. Gutierez *cap.* 33. *num.* 5. [Filliucium *num.*292.] & alios contra Couarruuiam *loco citato.*& Rodriquez *cap.* 97. *num.* 8. Ratio est, tum quia sponsus iudicio prudentis non censetur habuisse intentionem obligandi se ad contrahendum matrimonium in eo euentu, tum quia promissio censetur facta sub conditione dotis. Et hæc vera sunt. Primò, etiamsi sponsalia celebrata fuerint cum iuramento, nam iuramentum sortitur conditiones actus, super quem cadit. Secundò, vera sunt, non solùm quando paupertas superuenit ex parte sponsæ, sed etiam quando sponsus in paupertatem incidit; tunc enim sponsa poterit à sponsalibus resilire, quia paupertas sponsi censetur notabilis mutatio, & promissio censetur facta rebus in eodem statu permanentibus, *cap.quemadmodum, de iureiurando.* Ita Coninchus *loco citato, num.* 70. Menochius *de arbitrariis lib.*2.*centuria* 5.*casu* 455.*num.*6. Couarruuias *de sponsalibus* 1. *parte cap.*5.*num.*4.

12 An dissolui possint sponsalia, quando sponsa non potest soluere dotem.

12 Quartò, sponsam non teneri contrahere cum sponso, qui post sponsalia damnatus est alicuius criminis turpis, vt furti; hæc enim censetur notabilis mutatio. Ita Gutierez *loco citato, num.*3. & alij.

13 Maior difficultas est, vtrùm quando vnus sponsus in eodem statu permanet, sed alter fit valdè diues, teneatur valdè diues stare sponsalibus.

13 An sponsus teneatur stare sponsalibus, quando fit valdè diues.

Respondeo, teneri; nam ipse non est effectus deterioris conditionis propter illam mutationem, quàm esset, quando sponsalia celebrauit, nec ipse dicitur deceptus in conditione sponsæ, aut errasse circa conditionem sponsæ, sed circa propriam, in quam non fertur consensus. Ita Sanchez *loco citato, num.*7. Coninchus *loco citato, num.* 69. Reginaldus *num.*264. [Molfesius *num.*59.] Gutierez *cap.*33. *num.* 4. *&* 10.

14 An possint dissolui sponsalia, quando vterque incidit in paupertatem.

14 Adhuc est difficultas, vtrùm sponsalia possint dissolui, quando vterque sponsus in paupertatem incidit post sponsalia.

Respondeo contra Rebellum *lib.* 4. *de sponsalibus q.*8. *sect.*8.*nu.*70. non posse dissolui absque mutuo consensu. Ratio est, tum quia paupertas vnius compensatur cum paupertate alterius, tum quia non adest sufficiens ratio, ob quam dicamus sponsos non habuisse intentionem contrahendi superueniente vtriusque paupertate; nam etiam pauperes contrahunt sponsalia.

15 An dissolui possint sponsalia, quando superuenit capitalis inimicitia inter sponsos.

15 Quartò sequitur, sponsalia posse dissolui per aduentum grauis, & capitalis inimicitiæ inter sponsos; nam hæc censetur notabilis mutatio superueniens. Ita Valentia, Speculum, Ledesma, Riccius, Molfesius, & alij *locis suprà citatis.* Idem dic, si periculum sit, vt graues inimicitiæ oriantur inter partium affines, aut inter parentes sponsorum, vt bene tradit Coninchus *loco citato, dubio* 8. *num.*67. Menochius *loco citato, num.* 3. vbi etiam tradit cum Felino, & Abbate, Summum Pontificem aliquando posse hac de causa dispensare in matrimonio nondum consummato. Idem sentire videtur Sanchez *lib.*1. *disputat.*58. *num.*3. Gutierez *cap.*33.*num.*2.& Reginaldus *num.* 264.

6 An rescindi possint sponsalia, quando sponsa non potest soluere dotem.

16 Quintò, sponsalia posse dissolui, non solùm quando notabilis aliqua mutatio, seu causa superuenit sponsalibus, sed etiam quando post sponsalia incipit apparere, & cognosci aliqua causa, quæ si cognita fuisset tempore sponsaliorum, sponsalia, iudicio prudentis, non fuissent celebrata, quamuis illa causa tempore sponsaliorum adesset, sed probabiliter ignoraretur. Ratio est, tum quia promittentes non censentur voluisse se obligare in huiusmodi euentu ad contrahendum matrimonium cognita tali causa, vel mutatione, tum quia sponsalia dissolui possunt, quando superuenit notabilis mutatio; ergo etiam possunt dissolui, quando aliqua mutatio, seu causa de nouo cognoscitur, quæ tempore sponsaliorum latebat, paria enim sunt in iure aliquid superuenire, seu de nouo apparere, & incipere cognosci; sicut è contrario paria sunt, non esse, & non apparere, vt colligitur ex *leg.*77.*ff.de contrahend.emptione.* [*& cap.pastoralis, de excep.*] Ita Sanchez *lib.*1.*d.*63. P. Ledesm. *loc. cit.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.*7.*num.*34. Rebel. *loc cit. num.* 6. *&* 73. Coninch. *disp.* 23. *dub.* 7. *num.*58. *&* 70. Reginald. *loc.cit.num.*265. [Filliuc. *tract.*10.*cap.*8.*quæs.* 11.*num.*296. & alij.

sint sponsalia, quando post sponsalia incipit cognosci aliqua causa, qua cognita nõ fuissent celebrata.

17 An sponsalia rescindi possint, quando sponsa putabatur virgo, vel diues, sed postea cognoscitur esse ab alio defforata, aut egestate laborare.

17 Ex quo patet, sponsum non teneri stare sponsalibus celebratis cum ea, quæ putabatur virgo, vel diues, sed postea cognoscitur esse ab alio defforata, aut egestate laborare.

18 An rescindi possint sponsalia ob sæuitiã sponsi.

18 Præterea patet, sponsalia posse dissolui per morum asperitatem, & sæuitiam alterius sponsi de nouo cognitam. Ita Henriq *lib.*12.*c.*14. *num.*6. Speculum 1.*part.artic.*21.*casu* 13. Sanchez *lib.*1.*disp.*58. *num.*3. Nauar.*cap.*22.*nu.*27. P. Ledesm.*q.*43.*art.*3. *causa* 11. Molina *loc. citat. vers.si enim.* Coninch.*loc.cit.nu.*57.*&* 67. Gutierez *cap.*33. *num.*1.

19 An ille possit à sponsalibus resilire, qui tempore celebrationis sponsaliorũ ignorabat vitiũ, quo cognito adhuc ea celebrasset.

19 Quæres vtrùm ille possit à sponsalibus resilire, qui tempore celebrationis sponsaliorum ignorabat vitium, seu causam sufficientem ad illa dissoluenda, sed ita erat animo affectus, vt si vitium, seu mutationem cognouisset, nihilominus sponsalia contraxisset.

Respondeo cum Sanchez *disp.*65.*n.*2. Perez *de sponsalibus* §.6. Molina *loc.cit.* Coninchо *loco citato dub.*7.*num.*60. Reginaldo *loco cit. nu.* 265.*&* 267. Gutierez *cap.*33.*num.*9. [Filliucio *tract.*10. *cap.* 8. *quæs.*11. *num.*296.] & aliis, non posse resilire. Ratio est, quia illa mutatio, seu vitium sufficit ad dissoluenda sponsalia, quod censetur saltem tacitè contra voluntatem promittentis, sed in præsenti casu mutatio, seu vitium non censetur contra promittentis voluntatem, cùm absolutè promiserit, & adhuc promisisset cognito eo vitio; ergo non potest à sponsalibus resilire propter illud vitium tempore sponsaliorum ignoratum, si ita erat affectus, vt eo cognito promisisset; quocirca sponsus, qui promisit matrimonium Bertæ pauperi, aut defforatæ, quam credebat esse diuitem, aut virginem, tenetur stare sponsalibus, si tempore sponsaliorum ita erat animo dispositus, vt sponsalia contraxisset, etiamsi illam cognouisset pauperem, aut defforatam.

20 An teneatur stare sponsalibus, qui dubitat, an tempore sponsaliorũ ita esset affectus, seu haberet voluntatem habitualem promittendi, si cognouisset mutationem, seu vitiũ.

20 Sed modò difficultas est, an ille teneatur stare sponsalibus, qui dubitat, an tempore sponsaliorũ ita esset affectus, seu haberet voluntatem habitualem promittendi, si cognouisset mutationem, seu vitiũ.

Respondeo, inspiciendam esse grauitatem vitij, & mutationis, nam si vitium seu mutatio est grauis, præsumitur non habuisse affectum, seu voluntatem habitualem se obligandi, nam fortissima præsumptio desumitur ex communiter accidentibus, vt benè ostendit Menoch. *lib.*1. *de præsumptionibus q.*18. *num.*1. *folio mihi* 15. *pag.* 2. sed homines communiter nolunt promittere, vel se obligare interueniente notabili mutatione, aut cognito graui vitio; ergo. Ita Sanchez *loc. cit. nu.* 4. Nauar. *cap.*18.*nu.*7. Gutierez *cap.*33.*nu.*9.*& cap.*34. *num.*8. & alij.

21 Ex quo deducitur, eum, qui sponsalia celebrauit cum sponsa, quæ credebatur diues, cùm esset pauper, vel quæ simulabat se virginem, cùm esset defforata, non teneri stare sponsalibus, si postea dubitet, an tempore sponsaliorum ita esset affectus, vt eam sibi desponsisset, si cognouisset illam esse pauperem, vel defforatam; [hæc enim est notabilis mutatio.]

voluntatẽ promittendi, si cognouisset aliquod vitium. Vide num.21.

PVNCTVM IX.

Vtrùm Sponsalia dissoluantur per dolum, aut metum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An valida sint sponsalia per dolum celebrata.

1 SPonsalia celebrata per dolum dissolui possunt, immò sunt ipso facto inualida, si celebrata fuerint per dolum, dantem ipsis causam, adhibitum ab altero contrahente. Pro intelligentia huius propositionis,

Aduertendum est, dolum aliquando dare causam contractui, aliquando incidere tantùm in contractum. Dolus dans causam contractui dicitur ille, qui si cognitus fuisset tempore contractus, non fuisset celebratus contractus. Incidens in contractum dicitur ille, qui si cognitus fuisset tempore contractus, nihilominus contractus fuisset celebratus, sed non fortasse cum eadem conditione, vel eodem pretio, &c.

Rursus aduertendum est, dolum aliquando adhiberi ab altero contrahente, aliquando à tertia persona distincta ab ipsis contrahentibus. Hoc posito:

Dico, dolum dantem causam contractui sponsaliorum adhibitum ab altero contrahente conscio, & participe doli, facere sponsalia ipso iure irrita, & inualida. Ita Sanchez *lib.*1.*disput.*64.*art.*2. Regin. *lib.*31. *num.*266. Gut. *cap.*34.*nu.*8. Molin. *de contract. disp.*352. *concl.*1. *num.*7. vbi plures alios refert, [Filliucius *tract.*7.*cap.*8.*quæs.*11. *nu.*297.] contra Coninch. *disput.*23.*dubio* 9.*nu.*73. & Lessium, quem retuli *de contractibus disp.*3. *quæst.*1.*punct.*2.§.2.*nu.*3. Ratio est, quia sponsalia sunt contractus bonæ fidei, contractus autem bonæ fidei celebrati per dolum, dantem ipsis causam, sunt irriti, si dolus adhibitus sit ab altero contrahente, *leg.*57.*titulo* 5.*parte* 5.*l. & eleganter* 7. *ff. de dolo.*

Dixi, *per dolum dantem causam contractui sponsaliorum*, quia si dolus solum incidit in sponsalia, non sunt sponsalia ipso iure irrita. Ratio est, tum quia adest sufficiens consensus ad contractum, tum quia sicut alij contractus celebrati cum huiusmodi dolo sunt validi, ita etiam valida sunt sponsalia. Vide, quæ dixi *de contractibus puncto* 2. §. 2.

Dixi,

Dixi, *adhibitum ab altero contrahente*, quia si dolus dans causam sponsalibus, adhibitus sit à tertia persona sine participatione alterius sponsi, sponsalia non sunt ipso facto irrita, sed deceptus habet ius illa dissoluendi. Ratio, cur non sint ipso facto irrita, est, quia, sicut alij contractus, cum huiusmodi dolo celebrati, non sunt irriti, ita neque irrita sunt sponsalia, vt benè ait Syluester *matrimonium 3. quæst. 12.* Molina *num.11.* Sanchez *num.5.* Gutierez *loco cit. num.8.* Reginaldus *loc. cit.* [Filliucius *nu.297.*] & alij contra Medinam *q. 33. de restitutione.* Ratio verò, cur deceptus habeat ius dissoluendi sponsalia, videtur esse, quia adest talis causa, seu mutatio, quam si deceptus præuidisset, iudicio prudentis non se obligasset ad illa perficienda. Rursus

Dixi, *adhibitum ab altero contrahente*, quia quando aliquis deceptus est ex sua falsa existimatione, nullo alio dante causam contractui per dolum, valida sunt sponsalia, vt patet ex dictis *de contractibus punct. 2. §. 2. num. 3.* Ita Molina, Sanchez, & alij, quos ibi retuli.

2 An decipiens cogi possit à decepto stare sponsalibus.

2 Quæres primò, vtrùm decipiens possit cogi à decepto stare sponsalibus, quibus decipiens dedit causam per dolum.

Respondeo posse, si sequamur sententiam Lessij, Molinæ, & aliorum, quos retuli *de contractibus loc. citat. q. 2.* modò decipiens veram haberet intentionem promittendi, quando celebrauit sponsalia. Ratio est, tum quia par non est, vt decipiens commodum reportet ex suo delicto, tum quia hoc idem accidit in aliis cõtractibus, tum quia cùm decipiens præstiterit suum consensum, potest deceptus consensum illũ acceptare, & consequenter cogere decipientem stare sponsalibus. Si verò sequamur sententiã Sanchez *lib. 1. disp. 64. n. 3. & lib. 4. disp. 15.* quam de contractibus *loc. cit.* retuli, dicendũ est, tam deceptum, quàm decipientem liberum esse à sponsalibus, modò non cogatur illis stare ratione damni, aut per sententiam iudicis in pœnam fraudis.

Ratio est, quia sponsalia non claudicant, cùm sint mutua promissio futuri matrimonij, consequenter si valida sunt ex parte decipientis, valida etiam sunt ex parte decepti, & è contra, alioquin claudicarent, nec possunt mutua promissio appellari. Vide quæ dixi *de contractibus loco citato.*

3 An valida sint sponsalia per dolum incidentẽ celebrata, si sponsus cognito dolo adhuc illa celebrasset.

3 Quæres secundò, vtrùm qui celebrauit sponsalia per dolum tantummodò incidentem, sed ita erat affectus vt adhuc sponsalia celebrasset, possit adhuc à sponsalibus resilire, postquam cognouit dolum. e.g. Titius celebrauit sponsalia cum Berta defloratã, quæ se virginem simulabat, sed ita erat affectus tempore sponsaliorum, vt illa celebrasset, etiamsi illã cognouisset defloratã, quæritur modò, vtrùm possit à sponsalibus resilire, postquã cognouit illam esse defloratam.

Respondeo non posse resilire, vt patet ex dictis puncto antecedenti ad finem.

4 An publica honestas oriatur ex sponsalibus celebratis per dolum dãtem ipsis causam.

4 Ex dictis in hac propositione sequitur, primò impedimentum publicæ honestatis non induci ex sponsalibus celebratis per dolum dantem ipsis causam, & adhibitum ab altero contrahente, nam huiusmodi sponsalia sunt inualida, sponsalia autem inualida non inducunt impedimentum publicæ honestatis, consequenter sponsus poterit contrahere matrimonium cum matre, vel sorore illius, cum qua priùs celebrauerat sponsalia per dolum dantem causam sponsalibus. Ita Sanchez, Gutierez, & alij *locis citatis.*

5 An publica honestas oriatur ex sponsalibus per dolum incidentem celebratis.

5 Secundò sequitur, induci impedimentum publicæ honestatis, quando sponsalia celebrata sunt per dolum tantummodò incidentem. Ita DD. citati.

SECVNDA PROPOSITIO.

6 An validà sint sponsalia per metum celebrata.

6 Sponsalia celebrata per metum leuem, incussum ad illa extorquenda, dissolui possunt in foro conscientiæ. Hæc propositio constat ex dictis *de contractibus puncto 2. §. 3.* alioquin qui metum incussit, commodum reportaret ex suo delicto, & ex iniuria alteri illata.

Dixi, *per metum leuem*, quia sponsalia facta per metum grauem sunt ipso facto irrita: vt *infrà* dicam *de matrimonio.*

Dixi, *in foro conscientiæ*, quia in foro externo non datur actio ad dissoluenda sponsalia facta per metum leuem, nam in iure non habetur ratio metus leuis, *l. nec timorem. ff. de eo quod metus causa.* alioquin daretur occasio multis litibus: vt bene ait Sanchez *disp. 4. num. 4.* Vtrùm verò, qui metu graui celebrauit sponsalia cum iuramento, teneatur ratione iuramenti stare sponsalibus, dicam *infrà de matrimonio per vim celebrato.*

PVNCTVM X.

Vtrùm sponsalia dissoluantur per mutuum consensum, aut per conditiones non adimpletas.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An sponsalia mutuo cõsensu dissolui possint.

1 Sponsalia dissolui possunt mutuo consensu, & mutua remissione ipsorum sponsorum, etiamsi facta fuerint cum iuramento, [nisi fortè sint impuberes.] Ratio est, quia sponsalia sunt contractus dissolubilis, contractus autem dissolubilis dissolui potest ex voluntate contrahentium, res enim per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur.

Dixi, *etiamsi facta fuerint cum iuramento*; quia iuramentum non tollit facultatem remittendi, vt patet ex dictis *de iuramento punct. 16.* [cum enim factum sit in gratiam alterius, censetur habere hanc tacitam conditionem, nisi condonaueris obligationem, seu cesseris iuri tuo.] Et hoc verũ est, etiamsi sponsalia iurata sint principaliter in honorem Dei, seu per modum voti, vt accidit, quando quis intuitu pietatis, cum iuramento promisit feminæ pauperi se contracturum cum ea matrimonium. Ratio est, quia ille, in cuius fauorem factum est iuramentum, potest cedere iuri suo, & iuramentum censetur factũ sub conditione, si ille, in cuius fauorem factum est, velit acceptare, & nolit cedere iuri suo, vt patet ex dictis *de iuramento loc. cit.* Ita Lessi. *lib. 2. cap. 42. dub. 12. nu. 57.* Emanuel Sà *verb. sponsalia num. 1.* Couinchus *de matrimonio disput. 23. dub. 1. num. 2.* Naldus *verb. sponsalia, nu. 4.* Gutierez *cap. 24.* Henriq. *lib. 11. cap. 14.* [Filliucius *tract. 10. cap. 8. quæs. 3. nu. 275.* Molfesius *tract. 4. cap. 5. num. 42.*] Sanchez *lib. 1. disp. 52. num. 8. & in summa lib. 3. cap. 20.* vbi alios refert, contra Sotum 8. *de iustitia quæst. 1. art. 9. ad 2.*

2 Quid requiratur, vt sponsalia mutuo cõsensu dissoluantur.

2 Verum tamen est, vt dissoluantur sponsalia, remissionem debere esse liberam, sicut etiam libera esse debet remissio aliorum debitorum, nam huiusmodi remissio est veluti quædam donatio, quæ debet esse libera, vt patet ex dictis de donatione. Ita Sanchez, Gutierez, Coninchus, & alij *locis citatis.*

3 An sponsalia dissoluantur, quando ex metu alter remittit obligationem.

3 Ex quo patet, sponsalia non dissolui, quando alter sponsus remittit obligationem ex metu sibi incusso ab altero contrahente ad extorquendam remissionem: secus dicendum est de remissione facta ob timorem parentum, vel ob viri asperitatem, nam hic metus, cum non sit incussus ad extorquendam remissionem, non tollit libertatem sufficientem ad validitatem remissionis, vt in simili dictum est *de voto punct. 3.* [An autem sponsalia impuberum mutuo consensu dissolui possint, constat ex dictis *punct. 6.* non posse ante acquisitam pubertatem.]

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An sponsalia dissolui possint, quãdo non adimplentur conditiones.

4 Sponsalia dissolui possunt, quando non adimplentur conditiones, sub quibus celebrata fuerunt. Immo sponsalia non sunt valida, nec obligant, donec adimpleatur conditio expressa in contractu sponsaliorum. Ratio est, quia sponsalia non obligant vltra intentionem promittentium, promittentes autem non habent intentionem obligandi se, nisi sub talibus conditionibus.

Dixi, *donec adimpleatur conditio expressa in contractu sponsaliorum.* nam quando sponsalia non fuerunt celebrata sub aliqua conditione expressa, sed tantummodò sub aliqua conditione tacita, valida sunt absolutè, & non censentur propriè conditionalia. Ratio est, tum quia conditio tacitè subintellecta non reddit actum conditionalem, *l. conditiones, quæ extrinsecus. ff. de condit. & demonstr.* tum, quia sequeretur ex sponsalibus factis à Titio cum Berta sub tacita conditione, si non fuerit fornicata, &c. iisque postea dissolutis, non induci impedimentum publicæ honestatis, sicut non inducitur ex sponsalibus verè conditionalibus, ex *cap. vnico. de sponsalibus in 6.* consequenter spõsus posset postea cõtrahere matrimonium cum sorore, vel matre Bertæ, cum qua dissoluit sponsalia, celebrata sub tacita conditione, si non fuerit fornicata, sed hoc falsum est; ergo sponsalia celebrata sub tacita conditione sunt absolutè valida, & non censentur propriè conditionalia. Ita Sanch. *lib. 1. disp. 67. num. 3.* Coninchus *disp. 23. dub. 9. ad fin.* & alij communiter, teste Sanchez *loc. cit.*

Occasione eorum, quæ dicta sunt in præcedentibus punctis, remanent aliquæ difficultates examinandæ.

5 An ad dirimenda sponsalia necessaria sit iudicis auctoritas.

5 Prima est, vtrùm ad dirimenda sponsalia necessaria sit iudicis auctoritas, quando occurrunt aliquæ causæ sufficientes ad illa dissoluenda.

Respondeo, si natura rei spectetur, nullam requiri iudicis auctoritatem, quando certò constat de causa sufficiente ad dissoluenda sponsalia. Ita Chamerota *cap. 2. de matrimonio ad finem*, Gutierez *cap. 35. num. 4.* Coninchus *disp. 23. dub. 8.* Reginald. *lib. 31. nu. 268.* Syluest. *v. sponsalia, num. 10.* Emanuel Sà *verb. spons. num. 12.* Specul. *1. part. art. 21.* Henriq. *lib. 11. cap. 14. nu. 1.* Sanchez *lib. 1. disp. 69.* & Perez §. 6. [Filliucius *tract. 10. cap. 8. quæs. 12. num. 299.* Molfesius *tract. 4. c. 5. nu. 61.*] cõtra S. Thom. *quæst. 3. in addit. art. 3.* & alios. Ratio est, quia sponsalia celebrata fuerunt sub cõditione tacita, vel expressa illius causæ; ergo deficiente tali conditione dissolui possunt ex natura rei propria auctoritate, quamuis facta fuerint cum iuramento, iuramentum enim sequitur conditiones actus, super quem cadit.

6 An opus sit relaxatione iuramenti, quãdo sponsalia cum iuramento celebrata dissoluuntur.

6 Ex quo patet, non esse opus relaxatione iuramenti. Ita Hostiensis, Gutierez *cap. 35. num. 1.* & alij contra Lopez, & alios apud Sanchez *disp. 67. num. 2.*

Dixi, *si natura rei spectetur*, quia per accidens, vt ratione scandali vitandi, fieri potest, vt necessaria sit iudicis auctoritas. Ita Sanchez *disput. 69. num. 3.* Gutierez *loc. cit. num. 4.*

7 Quandonam sponsalia auctoritate propria rescindi possint.

7 Hinc patet, posse propria auctoritate dissolui sponsalia à sponso innocente in sequentibus casibus.

Primò, quando causa dissolutionis est publica, tunc enim non est periculum scandali, cùm causa sufficiens ad dissoluenda sponsalia sit publica.

Secundò, quando causa est occulta, & simul etiam sunt occulta sponsalia, tunc enim non est periculum scandali, & dissoluens vtitur iure suo, cùm habeat iustam causam dissoluendi sponsalia, vt aiunt communiter DD. ex P. Ledesma *quæst. 43. art. 3. ad finem.*

Tertiò, quando sponsalia sunt publica, sed causa dissolutionis ita est occulta, vt non possit probari in iudicio, & hoc verum est, nisi fortè magnum scandalum inde timeatur. Ita communiter DD. sequentes Paludanum *loco citando concluſ. 4.* Vtrùm verò, quando sponsus non potest propria auctoritate dissoluere sponsalia, possit detegere in iudicio causam ad illa dissoluenda cum periculo notæ, & infamiæ sponsæ, dictum est de detractione, posse detegere quando sponsa admonita non vult à sponsalibus desistere: [vtitur enim iure suo, & sponsa sibi debet damnum imputare.] Vide P. Nauarr. *lib. 3. de restitutione cap. 1. num. 357.* Sanch. *lib. 1. disp. 69. & 70.* P. Ledes. *loc. cit.* & Henriq. *lib. 11. cap. 14. num. 1.* Gutierez *loc. cit.* Rodriq. *1. parte, cap. 45. nu. 11.* [Filliucium *num. 30.*]

8 Corã quo iudice dissoluenda sint sponsalia.

8 Si quæras, quinam sit iudex, coram quo dissoluenda sunt sponsalia, quando ad dissoluenda requiritur auctoritas iudicis.

Respondeo, esse iudicem Ecclesiasticum ordinarium, vel delegatum, vt Episcopum, vel delegatum ab ipso Episcopo. Ratio est, quia hæc est materia spiritualis, materia autem spiritualis pertinet ad iudicem Ecclesiasticum. Parochus verò non est competens iudex, cùm ipse non habeat iurisdictionem in foro externo. Ita Sanchez *lib. 1. disp. 69. num. 10.* Palud. *in 4. dist. 27. quæst. 1. num. 38. quæs. 1. ad finem concl. 5.*

fol.mihi 143. Gutierez *loc. cit.num.*8. Reginald.*lib.*31.*nu.* 268. Riccius *deciſ.* 245. & alij.

9 An ſponſalia reſcindi poſſint propria auctoritate, quãdo dubitatur, an adſit iuſta cauſa.

9 Secunda difficultas eſt, vtrùm ſponſalia diſſolui poſſint propria auctoritate, quando dubitatur, vtùm cauſa diſſoluendi ſponſalia ſit ſufficiens ad illa diſſoluenda, aut quando moraliter non conſtat, adeſſe cauſam ſufficientem ad illa diſſoluenda.

Reſpondeo, non poſſe abſque iudicis auctoritate diſſolui. Ratio eſt, quia diſſoluens propria auctoritate in hoc caſu exponeret ſe periculo committendi iniuſtitiam contra alterum ſponſum, qui non debet ſpoliari iure ſibi acquiſito per ſponſalia. Ita P. Ledeſ. *loc. cit. concl.* 4. Lopez 2.*part.cap.*38. Coninch.*diſp.*23.*dub.*8.*num.*70. *ad fin.* Gutierez *cap.*35.*num.*7. Reginald.*loc.cit.num.*268. Sanchez *diſp.*69. *num.*9. [Filliucius *tract.*10.*cap.*8.*quæſ.*12.*num.*299.] & alij.

10 An quãdo adeſt iuſta cauſa, ſponſalia diſſolui poſſint, ſi ſpõſus carnaliter cognoſcat ſponſam.

10 Tertia difficultas eſt, vtrùm ſponſus ſciens adeſſe iuſtam cauſam diſſoluendi ſponſalia, poſſit adhuc ratione illius prioris cauſæ reſilire à ſponſalibus, ſi poſtea carnaliter cognoſcat ſponſam.

Reſpondeo, non poſſe reſilire, ſi tempore copulæ conſcius erat illius cauſæ, & ſponſalia præcedentia erant valida. Ratio eſt, quia ſponſus cognoſcens ſponſam, cenſetur remittere ius diſſoluendi ſpõſalia ratione illius cauſæ, & conſequenter amittit ius, quod habebat ad diſſoluenda ſponſalia ob præcedentes cauſas, quarum conſcius erat tempore copulæ: ſicut enim coniuges ſcientes fornicationem ab altero coniuge commiſſam, amittunt ius petendi diuortium, quando ſe carnaliter cognoſcunt, poſtquam cognouerunt fornicationem ab altero coniuge commiſſam; ita ſponſus amittit ius diſſoluendi ſponſalia, quando cognoſcit carnaliter ſponſam, ſciens præceſſiſſe cauſam ſufficientem ad diſſoluenda ſponſalia; hoc tamen intelligitur, modò illa ſponſalia fuerint valida, nam ſi fuiſſent inualida, non teneretur ſponſus ſtare ſponſalibus, & ex vi ſponſaliorum contrahere matrimonium cum ea, quam carnaliter cognouit, nam ſponſalia inualida, non inducunt obligationem, nec fiunt valida per copulam habitam, niſi fortè ſponſus tunc habuerit animum permanendi in prioribus ſponſalibus. Ita Reginaldus *lib.*31. *num.*267. Coninch. *diſput.*23. *dub.*10. Rodriquez 1.*parte*, *cap.*208.*num.*10. Gutierez *cap.*34. *num.*9. Sanchez *lib.*1.*diſp.*66. [Filliucius *tract.*10. *cap.*8.*quæſ.*11. *num.*298.] & alij, quorum ipſe Sanchez meminit.

11 Quanta certitudo cauſæ requiratur ad dirimenda ſponſalia.

11 Quarta difficultas eſt, quanta certitudo delicti, ſeu cauſæ ſufficientis ad diſſoluenda ſponſalia requiratur, vt licitè diſſolui poſſint, aut impediatur matrimonium, nec contrahatur ratione alicuius impedimenti.

Reſpondeo, in foro conſcientiæ ſufficere dictum vnius teſtis, qui certò ſciat, & deponat cum iuramento, aut etiam ſine iuramento, modò teſtis ſit fide dignus, & teſtetur de certa ſcientia. Vide Sanchez *lib.*1.*diſp.*71.72.73. & Reginald. Gutierez, & Coninch. *locis citandis*, vbi etiam oſtendunt ad diſſoluenda ſponſalia ſufficere in foro externo, vt vterque ſponſus fateatur impedimentum, ſeu iuſtam cauſam illa diſſoluendi, immò ſufficit, ſi ille, qui optat matrimonium iniri, fateatur impedimentum, non tamen ſufficit, ſi ille tantùm fateatur, qui optat non initi matrimonium, tunc enim non creditur illius aſſertioni. 14.*q.*2. Videndus etiam eſt Maſcard. *de probat. concl.* 409. & 410. & 1035. Gutierez *cap.*36. Speculum 3.*part.art.*8. Coninch.*dub.*11. Reginald. *num.*268.

[Quinta difficultas eſt, vtrùm ſponſus habens defectum occultum, propter quem ſi alter conſcius eſſet, iuſtam haberet cauſam diſſoluendi ſponſalia, poſſit cogere alterum per iudicem vt ſtet ſponſalibus.

Reſpondeo affirmatiuè, tum quia nemo tenetur propria ſponte pœnam ſubire: tum quia ſicut adulter occultus non priuatur iure petendi debitum ob adulterium occultum; ita neque ſponſus priuatur iure petendi executionem ſponſaliorum ob defectum occultum, quo cognito alter ſponſus recederet à ſponſalibus. Ita Sanchez *diſp.* 68. Filliucius *tract.*10.*cap.*8.*quæſ.*11. *num.*298. & alij, quos infrà referam *quæſt.*4.*punct.*5.*num.*22.]

12 An habens copulam cum ſponſa alterius, teneatur iſtam circumſtantiam in confeſſione aperire.

12 Quæres vtrum habens copulam cum ſponſa alterius, teneatur iſtam circumſtantiam in confeſſione aperire.

Reſpondeo, eſſe tres ſententias in hoc caſu. Prima eſt Couarr. 1. *parte cap.*1. *num.*13. Viualdi *de ſponſalib.cap.*1. *num.*10. dicentium non teneri, quia hęc videtur circumſtantia tantùm aggrauans, & non mutans ſpeciem, circumſtantiæ autem aggrauantes, & non mutantes ſpeciem non ſunt neceſſariò explicandæ in confeſſione.

Secunda ſententia eſt Rebelli *lib.*4.*de ſponſalib.quæſt.*8.*ſect.*2. *nu.*9. Gutierez *cap.*1.*num.*20. Coninch.*diſput.*22.*dub.*1.*num.*6. P. Ledeſma *q.*43.*art.*1.*dub.vlt.* Naldi *verb.ſponſalia num.* 11. & aliorum affirmantium, circumſtantiam ſponſæ explicandam eſſe in confeſſione, ſicut etiam explicanda eſt circumſtantia ſponſi, qui copulam habuit poſt celebrata ſponſalia. Ratio eſt, quia in vtroque caſu violatur fides ſpõſaliorum, & infertur grauis iniuria alteri ſponſo. Ex qua ratione patet, tam ſponſum, quam ſponſam fornicantem poſt ſponſalia teneri in confeſſione exprimere circumſtantiam ſponſaliorum.

Tertia ſententia, quæ probabilior videtur, eſt Sanchez *lib.*1.*diſput.* 2.*num.*6. Rodriq.1.*parte cap.*53.*num.*3. [Filliucij *tract.*10. *cap.*7. *quæſ.* 1.*num.* 233.] & aliorum dicentium, explicandam eſſe tantummodò circumſtantiam ſponſæ, quando ſcilicet copula habetur cum ſponſa, & quando ipſa ſponſa fornicatur, non verò quando ſponſus fornicatur. Ratio eſt, quia fornicans cum ſponſo non facit grauem iniuriam illius ſponſæ, ſed leuem tantùm, & venialem; fornicans verò cum ſponſa alterius facit grauem iniuriam ſponſo, qui cogetur cum ſuo graui incommodo, aut reſilire à ſponſalibus, ne contrahat cum fornicaria ſponſa, aut ducere fornicariam in vxorem, ex quo patet copulam habitam cum ſponſa alterius duas turpitudines, & deformitates continere, vnam contra caſtitatem, alteram contra iuſtitiam, propter iniuriam quæ irrogatur ſponſo. Et hinc patet reſponſio ad rationes aliarum ſententiarũ. Ad primam dic, non eſſe tantummodò circumſtantiam aggrauantem. Ad ſecundam dic, non inferri grauem iniuriam in vtroque caſu.

PVNCTVM VLTIMVM.

Vtrùm poſſit apponi pœna aliqua ſoluenda per frangentem fidem ſponſaliorum.

VNICA PROPOSITIO.

1 An ſponſalibus apponi poſſit aliqua pœna ſoluenda ab eo, qui fregerit fidem ſponſaliorum.

1 SPonſi, vel propinqui ſponſorum, vel ſtricti ipſorum amici non poſſunt pœnam apponere grauem, aut leuem ſoluendam ab eo, qui non ſteterit ſponſalibus, immò ſi pœnam aliquam appoſuerint, non tenentur illam ſoluere, non ſolùm in foro externo, ſed neque in interno. Ita Cardinal. Tuſcus *tom.* 7. *concl.* 401. *num.* 3. Chamerota *cap.*2.*de matrim.dub.*9. Naldus *verb.ſponſalia, num.* 10. Antonius Gomez 1.*var.cap.*12.*num.*79. [Filliucius *tract.*10.*cap.*7. *quæſ.*10.*nu.*263. Molfeſius *tract.*4. *cap.*5. *num.*37.] & alij ferè communiter apud Sanchez *lib.*1.*diſput.*30. & apud Gutierez *de matrim.cap.*17.*num.*2. quamquam Molina *de iuſt. & iure diſput.*151.*verſic. Dubium*, Coninch.*diſp.* 22.*dub.*5.*num.*29. & alij ſentiant, poſſe pœnam apponi ſoluendam ab eo, qui iniuſtè diſſoluerit ſponſalia. Ratio noſtra eſt, quia huiuſmodi conuentio, ſeu conſtitutio pœnę eſt irrita, *l.fin.C.de ſponſalibus, & cap. gemma.de ſponſalibus.* Ex conuentione autem, ſeu contractu inualido non conſurgit obligatio. Ratio verò, cur huiuſmodi conuentio irritetur à iure, eſt; quia repugnat libertati matrimonij, poſſet enim aliquis timore pœnæ à ſe, vel ab amico, vel à propinquo ſoluendæ contrahere matrimoniũ, conſequenter coactè, & non liberè contrahere.

Dixi, *ſponſi, vel propinqui*, quia conuentiones pœnales non prohibentur inter extraneos, vel non propinquos, vel non amicos, nam conuentiones extraneorum non compellunt ſponſos ad implendum matrimonium: cùm nihil ad ſponſos pertineat, quòd extraneus aliquis pœnam ſoluat, ſi non ſteterint ſponſalibus celebratis; nec iura loquuntur de extraneo. Ita Sanchez *diſput.* 30. *num.* 4. Gutierez *nu.* 10. [Filliucius *num.* 226.] & alij communiter. Non nego tamen, quin amici ſponſorum, vel eorum propinqui, aut parentes poſſint pœnam apponere, qua ſe obligent ad curandum, vt matrimonium celebretur, nam huiuſmodi conuentio non prohibetur à iure; ſed illa tantummodò prohibetur, qua imponitur ſponſis neceſſitas contrahendi matrimonium; in hoc autem caſu non imponitur ſponſis vlla neceſſitas, cùm ex ſuppoſitione, quòd amici, vel parentes curauerint matrimonium celebrari, ad nihil ſoluendum obligentur, cõſequenter neque ſponſi per hoc compelluntur ad cõtrahendum matrimonium, nec tollitur libertas matrimonij. Ita Couarr. 2.*part. cap.* 3. §. 2. *num.*5. Rebell. *loco citato, quæſt.*7.*nu.*1. Gutierez *loc citat. nu.*9. Sanchez *lib.*1. *diſp.*30.*num.*3. vbi plures alios refert, quamuis aliqui DD. vt Coninchus, & Molina *locis citat.* velint conuentionem pœnalem eſſe tantummodò prohibitam quando facta fuit indiſtinctè, hoc eſt, quãdo facta fuit, vt ſoluatur, ſi ſponſalia diſſoluta fuerint ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè, non verò quando apponitur, vt pœna ſoluatur ab eo, qui diſſoluerit ſponſalia ſine cauſa. Verùm iura loquuntur abſolutè, & ſine vlla diſtinctione; vbi autem ius non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus.

Obiicies primò. Licitum eſt contrahentibus ſponſalia tradere arrhas, id eſt, pignora, e.g. annulum, & torquem aureum, ea conditione, vt tradens amittat illas, ſi fregerit fidem ſponſaliorum, accipiens verò reſiliendo à ſponſalibus ob ſuam culpam teneatur reſtituere in ea quantitate, in qua conuentum fuerit inter ipſos ſponſos, vt in duplo, triplo, vel quadruplo; ergo poteſt in ſponſalibus apponi pœna ſoluenda à frangente fidem ſponſaliorum.

Reſpondeo, poſſe tradi arrhas, vt habetur *l. vlt. C. de ſponſalibus*, non tamen inde ſequitur, licitum eſſe ponere pœnas. Ita Coninchus *diſp.*22.*dub.*2.*num.*13. Naldus *v.Sponſalia, nu.*15. Sanch. *lib.*1. *diſp.*35. [Filliucius *tract.*10.*cap.*7.*quæſ.*11.] Gutierez *cap.* 18. *num.* 2. Rebellus & alij *locis citatis.* Ratio, cur poſſint hoc modo tradi arrhæ, & non poſſint imponi pœnæ, eſt, inquit Couarr. *loc. citat.* quia arrhæ maturiori conſilio traduntur, cùm ſtatim, & ipſo facto tradantur, pœnæ verò non ſtatim ſoluuntur, ſed promittuntur ſoluendæ in futurum, ob id ius aliter diſpoſuit in arrhis, quàm in pœnis, eò quòd quilibet procliuior ſit, vt ait Bartolus, ad verba de ore, quàm ad pecuniam ex crumena depromendam. Verum tamen eſt, arrhas non eſſe ſoluendas, quando ſponſalia diſſoluuntur auctoritate iudicis, aut per ingreſſum in religionem, hic enim caſus prudentis viri iudicio cenſetur exceptus in promiſſione arrharum, [& vbi abeſt culpa, debet etiam abeſſe pœna.] Ita Emanuel Sà *verb. Sponſalia num.* 2. & 3. Coninchus *dub.*3.*num.*14. Sanchez *diſp.*35.*num.*9.

Obiicies ſecundò. Qui iniit ſponſalia cum iuramento, vel etiam ſine iuramento, poteſt per cenſuras cogi ſtare ſponſalibus, vt habetur ex Alexand.3.*cap.ex litteris*, vt bene tradit Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 29. Gutierez *cap.* 15. & alij DD. citati, omiſſis iis, quos refert Riccius *verb. Praxis matri. deciſ.* 231. *num.* 5. ſed excommunicatio non eſt minor pœna, quàm ſit alia quæuis pœna pecuniaria, & temporalis; ergo poteſt in ſponſalibus apponi pœna ſoluenda ab iniuſtè diriment ſponſalia.

Reſpondeo, poſſe aliquando aliquem auctoritate iudicis cogi per cenſuras ſtare ſponſalibus iuratis ad vitandum periurium, & iniurias proximi, non tamen inde ſequitur permittendas eſſe alias conuentiones pœnales, præter permiſſas à iure, ſic poſtulante matrimonij libertate. Vide Genuenſem *in praxi Neapol. cap.*13. Riccium *in praxi deciſ.*231. Sanchez, & Gutierez *loco citat.* [An autem pater poſſit filiam exheredare, aut aliam priuare legato, ſi matrimonium cum extraneo ineat, conſtat ex dictis *de legibus diſp.*6.*punct.*6. Vide Molfeſium *num.* 38. & Sanchez *locis citatis.*]

2 An pœna cum iuramento apposita in ſponſalibus ſoluenda ſit ratione iuramenti.

2 Quæres primò, vtrùm pœna appoſita in ſponſalibus cum iuramento, ſoluenda ſit ſaltem ratione iuramenti.

Reſpondeo negatiuè, quia iuramentum non obligat ad rem illicitam, & prohibitam; prohibita eſt autem ſolutio dictæ pœnæ propter oppoſitionem, quam habet cum libertate matrimonij. Ita

Sanchez

Sanchez *lib.1.disp.32.nu.21.* [Filliucius *num.264.*]& alij plures apud ipsum Sanchez,& apud Gutierez *num.19.&21.* quamuis aliqui sentiant oppositum,quos sequitur Lessius *lib.2.cap.17.dub.7.numer.56.* Coninchus *loco cit.num.24.*& alij.

3 An sit mortale peccatum apponere pœnas in sponsalibus.

3 Quæres secundò,vtrum sit peccatum mortale apponere in sponsalibus huiusmodi pœnas.

Respondet Caietan. *verb. Sponsalia,*Sanchez *disp.30. num.2.* Gutierez *cap.17.num.1.*Couar.& alij apud Coninch.*disp.22.dub.5.nu.23.* esse tantummodò veniale peccatum. Ratio est,quia appositio pœnæ non valet,consequenter non compellit ad matrimonium celebrandum.Imò Coninch.& Less.*locis citat.* putant nullum esse peccatum soluere huiusmodi pœnam.

Sed mihi probabilius videtur,esse peccatum mortale, nam apponentes pœnam faciunt contra legem in materia libertatis matrimonij,quæ videtur esse res grauis; qui autem facit contra legem in materia graui,peccat mortaliter, nisi excusetur ratione ignorantiæ,& inaduertentiæ,vt patet ex dictis *de legibus.*

4 An recipiens pœnam in sponsalibus appositam,teneatur ad restitutionem illius ante sententiam iudicis.

4 Quæres tertiò,vtrum recipiens solutionem pœnæ teneatur ante sententiam iudicis restituere pœnam sibi ex conuentione solutam à dirimente sponsalia.

Respondeo,non teneri. Ratio est,quia leges irritantes hos contractus pœnales, non impediunt translationem dominij aut retentionem,consequenter recipiens acquisiuit dominium, nec tenetur ad restitutionem ante sententiam iudicis.Ita Sanchez *lib.1.disp.31.nu.2.* Rebell.*lib.4.quæst.7.num.2.*Lessius *loco citat.*Coninch.*loco citat.n.26.* Gutierez *cap.17.num.15.*& alij plures, quos retuli *in octauo Præcepto Decalogi,*cum in simili loquerer de procuratore,& notario.

5 An valida sit hæc promissio, *promitto tibi sub tali pœna me non contracturum matrimonium cum Titio.*

5 Quæres quartò, vtrum sit valida hæc promissio: Promitto sub tali pœna, & promissione,me non contracturum matrimonium cum Titio.

Respondeo cum Alciato,& aliis apud Sanch.*disp.30.nu.8.*& apud Gutierez *cap.17.num.7.*non esse validam.Ratio est,quia aufert libertatem matrimonij contrahendi, sicut etiam est inualida pœna apposita de matrimonio non dissoluendo, vt si quis dicat: Promitto me non dissoluturum matrimonium per ingressum religionis, vel ob aliam iustam causam.Ita Sanch.*loc.cit.n.9.*Gut.*n.6.*& alij.

6 An peti possit interesse ab eo,qui dissoluit sponsalia.

6 Quæres vltimò,vtrum peti possit interesse ab eo, qui dissoluerit sponsalia.Pro solutione

Notandum est,interesse dupliciter dici, aliud dicitur interesse lucri cessantis, aliud damni emergentis. Interesse damni emergentis in hac materia sunt expensæ factæ in sponsalibus. Interesse lucri cessantis est illud lucrum,quod quis percepisset, si matrimonium contractum fuisset.Hoc posito,

Respondeo primò, interesse damni emergentis peti posse, non virtute conuentionis pœnalis,seu promissionis illius pœnæ; cum illa conuentio, promissio, & constitutio pœnæ fuerit inualida, sed peti potest sub nomine interesse,seu nomine iniustitiæ commissæ ab iniuste violante fidem sponsaliorum.Ratio est, quia iniustus violator sponsaliorum tenetur ad reparandum damnum, seu interesse damni emergentis,etiamsi nulla præcessisset conuentio, qua de causa posset conueniri coram iudice ad soluendum dictum interesse,si absque iusta causa recessit à sponsalibus,vt inquiunt communiterDD.ergo peti potest interesse damni emergentis, & potuit fieri conuentio illius soluendi,cum per huiusmodi conuentionem iniustus violator sponsaliorum non magis astringatur ad celebrandum matrimoniũ quàm astringeretur non facta conuentione, nec magis obligetur ad restitutionem, posita conuentione,quàm ea seclusa.

Respondeo secundò, conuentionem soluendi interesse lucri cessantis non esse validam. Ratio est,tum quia minuit libertatem matrimonij, nam timore soluendi interesse lucri cessantis fieri potest,vt sponsus cogatur stare sponsalibus, quibus alioquin non staret, nec matrimonium perficeret, tum quia sponsus non habet ius ad illud lucrum nisi celebrato matrimonio; cum autem matrimonium nondum celebratum sit,non potest pactum inire soluendi interesse lucri cessantis.Ita Rebel.*num.5.*Sanchez *disp.30.num.14.* Gutierez *cap.17. num.14.*& alij apud Sanchez *loco citato.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De natura, & proprietatibus matrimonij.

PVNCTVM I.

Quid sit matrimonium.

1 Vndenã matrimonij nomen desumptũ sit.

1 NOmen matrimonij desumptum est à *matre*, eò quòd femina matrimonium ineat, vt fiat mater. Dicitur etiam matrimonium quasi *matris munium,* eò quod fœminæ per contractum matrimonij imponatur officium,& munus educandæ prolis. Denique dicitur matrimonium quasi *matrem muniens*, quia vxor per matrimonium acquirit virum, quo defendatur, & muniatur. *Matrimonium* alio nomine appellatur *connubiũ*,aut *nuptiæ*,ab obnubendo, eò quòd vxor in benedictionibus velo quodam quasi nube tegatur. Appellatur etiam *coniugium*,eo quod sponsi strictissimo matrimonij vinculo coniungantur,fiantque vna caro.Ita Vasquez *de matrimonio disp.1.c.1.* Henriquez *lib.11.cap.1.num.1.*Cardin.Tuscus *tom.5.conclus.116.* Couar.*in Epitome,lib.4.part.1.cap.1.*Sanchez *in proœmio*, & alij.[Matrimonium communiter hoc pacto definitur, est coniunctio maritalis, legitima,viri ac fœminæ in vsum coniugij, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. *cap. illud. de præscript. & l. 1. ff. de rit. nupt.* Verum, quia hæc definitio potiùs conuenit matrimonio, vt est contractus in officium naturæ; ideo aliam ego assignabo.]

VNICA PROPOSITIO.

2 Quid sit matrimonium.

2 MAtrimonium est legitimus,& indissolubilis contractus inter virum,& feminam,quo traditur,& acceptatur mutua corporum potestas,& confertur gratia sanctificans. Hæc definitio non solùm conuenit matrimonio,vt est contractus, verùm etiam vt est Sacramentum; matrimonium enim fidelium nõ solùm est contractus, sed etiam est sacramentum propriissimè dictum: tum quia est signum sacrum efficax gratiæ, tum quia hoc est de fide definitum in Concilio Florentino *in instructione Armenorum*; in Tridentino *sess. 7.can.1.*& patet ex Apostolo *cap. 5. ad Ephesios,* vbi relatis iis verbis, *Propter hoc relinquet homo,* &c. subiungit, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo,& Ecclesia,* hoc est,coniugium magnum Sacramentum est, ac mysterium, cum sit signum vnionis Christi cum Ecclesia. Ita explicant Doctores Ecclesiæ, Hieronymus, Ambrosius,& alij apud Valentiam *tom.4.disp.10.q.1.*apud Sanchez *lib.2. disp.10.*& apud Henriquez *lib.11.cap.2.*

Obiicies primò: Si matrimonium esset sacramentum, non liceret accipere pecuniam pro matrimonio; nam committitur Simonia, quando accipitur aliquid pretio æstimabile pro re spirituali, & pro sacramento; ergo signum est matrimonium non esse Sacramentum, cùm in matrimonio accipiatur pecunia.

Respondeo non accipi pecuniam pro matrimonio, vt est sacramentum,sed vt est contractus ciuilis, ad sustinenda onera matrimonij; sicut enim non est Simonia accipere aliquid pro Codice ratione materiæ,aut pro celebratione ratione laboris extrinseci, vt dictum est in tractatu de Simonia; ita non est Simonia aliquid accipere pro sustinendis oneribus matrimonij, quæ sunt pretio æstimabilia.Ita Coninchus *disp.24.dub.2.num.21.*& alij Doctores citati.

Obiicies secundò: Ecclesia in matrimonio apponit aliqua, quæ sunt de ipsius necessitate,& validitate; facit enim personas inhabiles ad contrahendum,& facit,vt matrimonium sit validum, si celebretur coram Parocho, & testibus, secus si absque illorum præsentia contrahatur: ergo matrimonium non est sacramentum, nam Ecclesia non potest variare sacramenta, nec potest circa illa aliquid apponere,quod sit de ipsorum necessitate.

Respondeo cum Vasquez *disp.3.cap.5.*Sanchez *lib. 3. de matrimonio disput.4.num.6.concl.3.*Coninch*o disp.27.de matrimonio dub. 1. nu. 8.* Valentia *tom.4.disp.10.quæst.5.part.1.*[Filliucio *tract. 10. cap.1.nu.10.* & 171.] & aliis communiter,hoc esse peculiare in matrimonio, vt Ecclesia possit circa illud aliquid apponere; nam Ecclesia habet peculiarem potestatem circa matrimonium, quatenus habet ius constituendi contractum,quem Christus eleuauit in sacramentum.Cùm igitur Ecclesia possit variare contractum,ita vt sit validus,si fiat cum talibus circumstantiis ab ipsa præscriptis,& sit inualidus, si celebretur sine illis circumstantiis; consequens est,vt Ecclesia dicatur posse aliquid apponere de necessitate sacramenti, quatenus contractus est materia sacramenti matrimonij, quod non accidit in reliquis sacramentis,in quibus Christus non constituit aliquid pro eorum materia,quod sit in potestate Ecclesiæ: quamobrem Ecclesia non potest in Baptismo,exempli gratia,loco aquæ naturalis substituere aliquid aliud, cum Christus pro materia Baptismi determinauerit aquam, quæ non potest ab Ecclesia variari,& sic de ceteris sacramentis.Non tamen hinc licet inferre, Ecclesiam mutare substantiam, seu materiam,& formam Sacramenti matrimonij, cum illius materia, & forma adhuc sit contractus,qui subditur imperio Ecclesiæ.

In definitione dicitur,*contractus legitimus,* quia matrimonium celebrari debet iuxta leges ab Ecclesia præscriptas absque vllo impedimento.

Dicitur, *indissolubilis,* quia matrimonium semel contractum non potest dissolui per consensum ipsorum contrahentium,sicut dissolui possunt ceteri contractus, propterea in contractu matrimonij non valet illa regula, *res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur*, vt dictum est de contractibus.Ita Mascardus *de probationib. conclus. 102. num.5.*Reginaldus *lib.31.num.3.*Sanchez *lib.2.disp.13.*

Dicitur,*inter virum,& feminam,*id est, inter vnũ, & vnam.Vtrum verò matrimonium contrahi possit cum pluribus feminis, dicam infra de impedimento ligaminis.

Dicitur,*quo mutua potestas traditur,& acceptatur,*vt ostẽdatur materia, & forma huius sacramenti.

Dicitur,*& confertur gratia sanctificans,* vt ostendatur effectus matrimonij,vt sacramentum est,gratia enim non solùm est effectus reliquorum sacramentorum,sed etiam matrimonij, vt ostendit Bellarminus *de matrimonio ca.2.*Valentia *tom.4.disp.10.quæst.1.punct.5.*Coninchus *de matrimonio disp.24.dub.2.*Sanchez *lib.2.disp.10.*Quomodo verò gratia huius sacramenti differat à gratia aliorum sacramentorum,satis patet ex dictis de sacramentis in genere,ex quibus etiam patet,quandonam gratia conferatur in hoc sacramento.

3 An in matrimonio requiratur consensus externus.

3 Quæres primò, vtrum ad celebrandum matrimonium sufficiat consensus internus viri, & fœminæ, vel vtrum consensus debeat aliquo signo externo manifestari.

Respondeo,solutionem huius quæstiõis colligi ex dictis *de sponsalibus puncto 1.* quare hic breuiter dico non sufficere consensum internum,nisi exprimatur verbis,vel signis.Ratio est,tum quia matrimonium est contractus; contractus autem necessariò debet aliquo signo externo manifestari, cùm homines non percipiant interiora, tum quia matrimonium est sacramentum: de ratione autem Sacramenti est,esse signum externum sensibile; non est tamen necesse, vt consensus exprimatur per verba determinata, sed sufficit, si per nutus, & signa sufficienter manifestetur; nam verba requiruntur, vt manifestetur consensus.Sed consensus sufficienter manifestari potest per signa,per nutus,aut facta; factis enim magis exprimitur voluntas,*l.quibus ff. de legibus.*ergo non est necesse, vt consensus exprimatur per verba,sed sufficit,vt exprimatur per signa, vel facta. Ita Coninchus *loco citato,dub.4.num.33.*Gutierez *de matrimonio cap. 63. numer. 25.*[Sanchez *lib.2.disputat.30.*Filliucius *tract.10. cap. 3. quæs. 4.*] & alij.

4 An ad contrahendum ma-

4 Ex quo sequitur,ad contrahendum matrimonium sufficere copulam animo maritali,& non fornicario habitam coram Parocho,& testibus,

trimoniũ sufficiat copula coram Paroco, & testibus habita.

testibus, modò Parochus, & testes intelligant copulam haberi animo maritali, & intentione contrahendi matrimonium. Ita Sanchez *lib.3.disp.40.num.7.& lib.5.disp.8.num.26.* Petrus Ledesma *de matrimonio quæst.46.art.2.dub.2.* Gutierez *cap.40.num.13.& cap.81.nu.11.* Coninchus *disp.22.dub.9.num.57.ad finem.*

5 An matrimoniũ sub mortali celebrãdum sit verbis.

5 Addo cum Sanchez *lib.1.disp.21.* [Filliucio *num.82.* & aliis,] nullum extare præceptum obligans sub mortali ad contrahendum matrimonium verbis, quamuis sit aliquod peccatum non exprimere consensum verbis, quando non subest iusta causa contrahendi matrimonium sine verbis; non enim recedendum est à communi vsu, & à regula certa, & ordinaria, absque iusta causa. Vide Gutierez *c.63. num.22.* & Sanchez *loco citato.*

6 An consensus matrimonij exprimatur per taciturnitatem.

6 Rogabis, vtrùm taciturnitas sufficiat ad exprimendum consensum matrimonialem.

Respondeo, regulariter non sufficere, quia taciturnitas non habetur pro expressione consensus, iuxta *regul.iuris, Qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur.*

Dixi, *regulariter*, quia ius aliquando accipit taciturnitatem pro expressione consensus, vt accidit, quãdo quis promittit feminæ, quæ tacet coram patre, vel matre, vel alio curam ipsius gerente, & pater, vel mater, vel alius curam ipsius gerens pro ea repromittit; in quo casu validè contrahitur matrimonium, si femina interius consentiat de præsenti, vt patet à simili ex dictis suprà *de sponsalibus.* Ita Cardinalis Tuscus *tom.5.conclus.121.num.10.* Couarruuias *2.part.cap.4.nu.4.* & alij à nobis relati *punct.1.quæst.1.num.11.*

7 An validum sit matrimoniũ, quando femina tacet, sed interius consentit.

7 Ex his colligitur primò, non esse validum matrimonium, quando puella tacet, & nullus pro ea respondet, quamuis ipsa interius consentiat. Ratio est, quia consensus ipsius non sufficienter exprimitur per taciturnitatem.

8 An sit validum matrimoniũ quando extraneus respondet pro femina tacente.

8 Secundò colligitur, non esse validum matrimonium, quando aliquis promittit de præsenti puellæ tacenti, & extraneus pro ipsa respondet, & repromittit; non enim sufficienter exprimitur consensus puellæ, quando ipsa tacet, & extraneus pro ipsa repromittit, vt dictum est *quæst.1.punct.1.num.11.*

Obiicies: Qui tacet, consentire videtur; ergo puella tacens censetur consentire, altero pro se loquente, & repromittente.

Respondeo, tacentem censeri consentire in rebus sibi gratis, aut quando tenetur loqui; quando autem extraneus pro tacente respondet, ipsa non tenetur loqui, nec promissio alterius est illi simpliciter grata, consequenter taciturnitas illius non accipitur pro expressione consensus: quando verò parentes, vel tutor, vel alius curam ipsius gerens pro puella tacente repromittit, censetur tacens consentire, tum quia puella in eo casu tenetur loqui, si ipsa non consentit: tum quia quæ parens, vel tutor agit, censetur agere in gratiam, & fauorem puellæ, cuius curam gerit, consequenter tunc valet illa regula, *Qui tacet, consentire videtur.* Ita Menochius *de præsumptionib.lib.3.præsumpt.42.num.4.* vbi refert Ripam, Alciatum, & alios, Gutierez *ca.5. num.2.* Sanchez *lib.1.disp.5.n.5.* Mascardus *de probationib. conclus.359. num.23.* vbi refert Ruinum, & alios.

9 An inter beatam Virginem & S. Ioseph interceserit verum matrimonium.

9 Quæres secundò, vtrùm inter Beatissimam Virginem, & S. Ioseph interceserit verum matrimonium.

Respondeo interessisse verum matrimonium ratum, sed non consummatum. Ratio est, quia verba Scripturæ propriè accipienda sunt, nisi aliud obstet; sed in Scriptura Ioseph appellatur vir, & Maria coniux; ergo S. Ioseph fuit vir Beatissimæ Virginis, & ipsa fuit illius coniux, consequenter verum matrimonium interessit inter Beatissimam Virginem, & Sanctum Iosephum. [Maior propositio, quod scil. Ioseph in Scriptura dicatur vir, & Maria cõiux, probatur Lucæ 1. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.* & Lucæ 4. *Ascendit Ioseph in Bethlehem, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore.* & Matthæi 1. *Ioseph autem vir eius*; & infrà, *Ioseph fili Dauid, noli timere, accipere Mariam coniugem tuam.*] Ita Sancti Patres, quos citat Sotus *in 4.dist.26.q.2.art.vlt.* Quòd verò non interceserit matrimonium consummatum, est de fide, cùm Beatissima Virgo semper fuerit Virgo.

10 An B. Virgo peccauerit cõtra votum contrahendo matrimonium.

10 Rogabis, vtrùm Beatissima Virgo peccauerit contrahendo matrimonium, cùm haberet votum castitatis.

Respondeo, non peccasse, tum quia illius votum non erat absolutum, sed factum erat sub hac conditione, nisi Deus aliter sibi placere reuelauerit. Ita Paludanus, Capreolus, & alij, quos citat, & sequitur Henriquez *lib.11.cap.18.* tum quia, etiamsi daremus votum Beatissimæ Virginis fuisse absolutum, nihilominus non fecit contra votum contrahendo, eo quòd haberet reuelationem, sibique constaret matrimonium non esse consummandum.

Dices: Ad matrimonium requiritur consensus in copulam, ad quam coniux per matrimonij contractum se obligat, sed consensus in copulam repugnat voto castitatis; ergo Beatissima Virgo fecit contra votum castitatis. [Responderi potest primò negando ad subsantiam matrimonij requiri consensum in copulam; sed sufficit traditio corporum, quæ potest subsistere absque copula, & vsu corporis: nam tria distinguenda sunt in matrimonio, primò vinculum matrimonij, quod contrahitur ex mutua corporum traditione, & acceptatione. Secundò mutua cohabitatio in eadem domo. Tertiò vsus matrimonij, per carnalem copulam. Hæc duo posteriora non sunt de essentia matrimonij, sed primum, quod subsistere potest absque duobus posterioribus; sicut enim in rebus, quæ vsu non consumuntur, distinguitur dominium ab vsu, & potest dominium haberi absque vsu; ita in matrimonio dari potest dominium corporis sine copula, & vsu corporis. Ita Becanus *de Incarnat.cap.28. quæst.5.num.3.* & alij quos infra referam *quæst.2.punct.10.num.13.*]

Respondeo, ad contractum matrimonij non requiri consensum expressum in copulam, sed sufficere tacitum, qui in hoc consistit, vt contrahens paratus sit ad reddendum debitum, quem consensum etiam Beatissima Virgo habuit; sed hic consensus non repugnat voto castitatis, quando certò constat alterum coniugem non petiturum, & matrimonium non fore consummandum, sicut Beatissimæ Virgini constabat per reuelationem. Vide S Thomam *3.part.quæst.29.artic.2.* Suarez *3.part.quæst.29.art.2.sect.1.* Sanchez *lib.2.disp.28 num.4.* Rebellum *2.part.lib.2.quæst.13.sect.5.* Perez §.23. *fol.79.* Petrum Ledesmam *quæst.53.art.1.* Henriquez *lib.11.cap.1.numer.5.in commentar. littera D.* [Filliucium *tract.10.cap.3.quæs.2.numer.72.*] Reginaldum *lib.31.num.6.* Gutierez *de matrimonio cap.82.nu.12.* [Becanum *de Incarnatione cap.28.quæst.5.*]

PVNCTVM II.

Quandonam fuerit institutum matrimonium, & vtrùm matrimonium infidelium sit Sacramentum.

NOtandum, nos dupliciter posse loqui de institutione matrimonij. Primò, possumus loqui de ipsius institutione ante nouam legem, quatenus matrimonium fuit institutum in officium naturæ, & remedium concupiscentiæ. Secundò, quatenus in noua lege fuit eleuatum in Sacramentum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quo tẽpore matrimoniũ fuerit institutum.

1 SI loquamur de institutione matrimonij primo modo, [quatenus scilicet institutum fuit in officium naturæ, mihi videtur] valde probabilis sententia Sanchez *lib.2.disp.4.num.3.* Speculi *1.part.art.1.* citati post decem lineas à principio. Petri Ledesmæ *quæst.42. art.2.* Gutierez *de matrimonio cap.39.num.5.* Reginaldi *lib.31.num.9.* Henriquez *lib.11.cap.1.num.3.* [Filliucij *tract.10.cap.1.quæs.5.num.7.*] & aliorum asserentium, institutum fuisse à Deo *cap.1. Genesis*, quando Deus tradidit potestatem communicandi corpora, iis verbis, *Crescite, & multiplicamini.* Probabile etiam est, quod asserit Vasq. *de matrimonio disp.1.cap.20.* matrimonium institutum esse solo iure naturæ absque diuina voluntate. Si verò loquamur de institutione matrimonij secundo modo, quatenus scilicet matrimonium in nouo Testamento eleuatum fuit in Sacramentum, secundùm aliquos Doctores dicendum est institutum fuisse *Ioann.2.* quando Christus interfuit nuptiis. Secundùm alios institutum fuisse post Resurrectionem, quando Christus loquebatur magnalia de Regno Dei, id est, Ecclesia. Secundùm alios verò institutum fuisse *Matth.19.* quando Christus dixit: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Ita Ferdinandus Perez §.10. *ad finem.* Henriquez *lib.11.ca.2.pag.638.* Sanchez *lib.2. disp.4.* Rebellus *lib.2.quæst.3.num.10.* Speculum *1 part.art.1.* Reginaldus *lib.31.num.10.* & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An matrimoniũ infidelium sit sacramentum.

2 MAtrimonium infidelium est quidam contractus, quem infideles celebrando non peccant; est enim in officium, seu propagationem, & cõseruationem naturæ humanæ, atque in remedium concupiscentiæ. Non tamen est Sacramentum, loquendo de Sacramento propriè accepto. Ratio est, quia infideles carent Baptismo, qui est ianua omnium Sacramentorum. Ita Petrus Ledesma *quæst.59. artic.2.dub.1.vers. Quo posito.* Speculum *3.part.art.35.* Sotus *in 4.dist.26. quæst.2.art.3.* & alij, apud Sanchez *lib.2.disp.8.*

3 An matrimoniũ contractũ à fideli cũ catechumena sit Sacramentum.

3 Quæres primò, vtrùm matrimonium contractum ex dispensatione Summi Pontificis à fideli cum catechumena, sit Sacramentum.

Respondeo, esse sacramentum ex parte fidelis volentis illud suscipere. Ratio est, tum quia fidelis est capax sacramenti, tum quia si duo fideles contrahant matrimonium, & vnus illorum intendat non recipere sacramentum, verè illud non recipit, vt infra dicam, altero illud recipiente: ergo etiam fidelis contrahens cum catechumena recipit sacramentum matrimonij, nisi intendat illud non recipere. Ita Sotus *loco citato.* Vasquez, & alij contra Sanchez *lib.2.disp.8.* Coninchum *quæst.64.art.8.dub.3.num.91.& disp.24.dub.2.num.24.* Reginaldum *lib.31.num.2.* Gutierez *de matrimonio cap.42.num.4.* Henriquez *lib.11.cap.1.* [Filliucium *tract.10.c.1.quæs.9.numer.20.*] Petrum Ledesmam, & alios. Vide quæ dixi de hac quæstione *puncto 5.corollario 2.num.4.*

Obiicies cum Sanchez, matrimonium in vtroque contrahente debet esse vnum numero Sacramentum, sicut est vnum numero matrimonium: si ergo ex parte infidelis catechumenæ non est sacramentum, cum catechumena careat Baptismo, qui est ianua omnium sacramentorum, neque erit sacramentum ex parte fidelis.

Respondeo matrimonium appellari vnum numero sacramentum adæquatum, sicut omnes Ordines appellantur vnum numero Sacramentum; quare hinc non sequitur, quin vnus contrahentium possit recipere Sacramentum, altero non recipiente, vt patet ex secunda ratione, cum vnus non recipiat Sacramentum, & effectum alterius.

4 An matrimoniũ infidelium fiat Sacramentum post susceptum Baptismũ.

4 Quæres secundò, vtrùm matrimonium infidelium fiat sacramentum post Baptismi susceptionem.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia isti non videntur priuandi gratia sacramentali matrimonij, qua concupiscentiam reprimant, & munia coniugalia ritè obeant, qui sunt effectus Sacramenti matrimonij. Ita Sanchez *lib.2.disp.9.* Gutierez *cap.42.num.5.* & alij apud Sanchez *loco citato* contra Petrum Ledesmam *quæst.59.art.2.ad tertium.* Coninchum *disp.24.dub.2.num.25.* & alios.

5 Quandonam matrimoniũ infidelium fiat Sacramentum.

5 Sed maior difficultas est, quandonam matrimonium illorum fiat Sacramentum.

Respondet Sanchez *lib.2.disp.9.num.5.* Speculum *2.parte artic.36.* Gut. *loco cit.* & alij apud Sanch. effici sacramentum, & conferre gratiam, quando infideles baptizantur.

Sed mihi probabilius videtur, matrimonium illorum effici sacramentum, quando post Baptismum interueniunt noui consensus, vel præcedentes rati habentur per aliqua signa externa, vt per verba, per nutus, aut per copulam maritalem. Ratio, cur matrimonium non fiat sacramentum, quando suscipitur Baptismus, sed quando noui consensus, vel ratificatio præcedentium interuenit, est, quia non subsistit

subsistit nouum sacramentum, nisi adsit noua forma, & materia; sed matrimonium est nouum, & distinctum sacramentum à Baptismo: ergo matrimonium non subsistit, nisi adsit noua forma, & materia distincta à materia, & forma Baptismi; noua autem forma & materia sunt noui consensus, vel ratificatio præcedentium: ergo tunc fit Sacramentum, quando interueniunt noui cõsensus, seu ratificatio præcedentium. Ita Rebell. *lib.2.q.6.n.2.* Henriquez *lib.11.c.8.* Petrus Ledesma *q.59.art.2.dub.33.folio mihi 598.* Bellarminus *lib.1. de matrimonio c.5.* [Filliucius *tract.10.c.1.num.10.*] & alij.

Obiicies: Ad sacramentum matrimonij requiritur mutua traditio corporum, & mutuus contractus; sed infideles coniugati non ineunt mutuum contractum post susceptum Baptismum, nec mutuò sibi tradunt corpora; ergo matrimonium infidelium non fit Sacramentum post susceptum Baptismum.

Respondeo, hoc argumento solùm probari, ad sacramentum matrimonij requiri contractum, non verò probari opus esse, vt hic contractus fiat simul eodem omnino tempore, quo fit sacramentum; sufficit enim, si eo tempore, quo fit sacramentum, adsit expressio consensus, vel ratificatio præcedentis consensus per signa externa. Quare ad maiorem propositionem respondeo, ad Sacramentum matrimonij non requiri, vt adsit mutua traditio corporum, quando fit sacramentum, sed sufficere, vt præcesserit, & adsit expressio consensus, aut illius ratificatio.

6 An requiratur præsentia Parochi, & testium, vt matrimonium infidelium fiat Sacramentum.

6 Rogabis, vtrùm expressio, vel ratificatio consensus fieri debeat coram Parocho, & testibus, vt matrimonium infidelium fiat Sacramentum.

Respondeo probabiliter defendi posse non opus esse, vt hæc fiant coram Parocho, & testibus. Ratio est, quia Concilium Tridentinum requirit præsentiam Parochi, & testiũ, vt contractus validè celebretur: nos verò supponimus, contractum infidelium validè celebratum fuisse ante Baptismum, consequenter non videtur necessaria præsentia Parochi, & testium, vt matrimonium infidelium post susceptum Baptismum fiat sacramentum, sed videtur sufficere expressio noui consensus, vel ratificatio præcedentis, qua posita fit sacramentum matrimonij, & recipitur sacramentalis gratia ad ritè obeunda munia coniugalia. Ita Rebellus *q.6.citata, n.5.* Sanchez *loco citato, n.1.* Rodriquez *in summa 1.part.cap.130.num.1.* Gutierez *de matrimonio cap.42. num.6.* & alij.

PVNCTVM III.

Vtrùm homines teneantur ex præcepto contrahere matrimonium.

VNICA PROPOSITIO.

1 An homines teneantur contrahere matrimonium.

1 SInguli homines non tenentur hoc tempore ad contrahendum matrimonium. Hæc propositio est de fide definita tum à Siricio Papa *epistola ad Episcopos Africæ*, tum in Tridentino *sess.14.c.9. & 10.* tum in aliis Conciliis, præterea constat ex *1.Corinth.7.* vbi Paulus dicit: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* & infra: *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; qui autem non iungit, melius facit.*

Dixi, *hoc tempore*, quia in principio mundi extitit præceptum naturale contrahendi matrimonium propter necessitatem propagationis humanæ; nam si vmquam fuit necesitas propagandæ prolis, ea certè fuit in principio mundi, vt benè ait Rebellus *lib.2.q.2.nu. 3.* vbi citat D. Bonauenturam, & alios. [Sanch: *lib.2.disp.3.* Filliuc. *tract.10. c.1.quæs.5.num.8.*]

2 Quandonam homines ex præcepto teneantur contrahere matrimonium. Vide num. 4.

2 Addo, ex præcepto contrahendum esse matrimonium in articulo necesitatis; nam sicut sumptio cibi est necessaria sub præcepto naturali ad conseruationem indiuidui, ita in articulo necesitatis, ex præcepto contrahendum est matrimonium ad conseruandam debito modo speciem humanam. Hoc præceptum principaliter obligat rectores Communitatum, vt bene ait Valentia *tom.4.disp.10. quæst.1. punct.4.* nam regenti Communitatem, sicut specialiter incumbit procurare bonum Communitatis, ita etiam propagationem humani generis. Verum hoc tempore non est necesse, Rectores Communitatis esse solicitos, vt matrimonia contrahantur, nam homines valde proni sunt, & procliues ad matrimonia.

3 An religiosi, & habentes votum castitatis aliquando possint, & teneantur matrimonium contrahere.

3 Quæres primò, vtrùm religiosus, vel alter, habens votum castitatis, possit in articulo necesitatis contrahere matrimonium, vt si daretur casus, quo ceteri homines essent bello, vel peste extincti, & non inuenirentur alij præter religiosos, aut alios votum castitatis habentes.

Respondeo, in tali casu posse, & teneri contrahere. Ratio est, tum quia, sicut nullus potest vouere abstinentiam continuam, e.g. quatuor, vel quinque dierum, ita neque potest vouere abstinentiam à matrimonio in casu necesitatis, præceptum enim matrimonij non minus obligat in articulo necesitatis, quàm obliget præceptum proprij indiuidui conseruandi per comestionem: tum quia votum, quod vim habet à propria voluntate, non potest præiudicare præcepto naturali de conseruanda specie. Ita Sanchez *lib.2.disp.3.numer.4.* Sot. *in 4.dist.26.quæst.1.* Reginald. *lib.31.numer.8.* [Molina *de iustitia disp.22.* Filliucius *tract.10.cap.1.quæs.5.*] & alij contra Rebellum *loco citato q.2.num.6.* Henriquez *lib.11.cap.1.* & alios arbitrantes, in dicto casu religiosos non teneri matrimonium contrahere, etiamsi constaret, mundum perituru, nam religiosi deberent in eo casu existimare, numerum electorum esse completum. Sed hoc gratis dicunt, alioquin idem dicendum esset, quando quis vouerit abstinentiam continuam. Hinc patet, quid dicendum sit, si daretur casus, vt omnes viri essent extincti præter aliquos habentes vxores steriles, tunc enim possent alias non steriles ducere, si aliquæ feminæ fœcundæ reperirentur.

4 Quæres secundò, vtrùm obligatio contrahendi matrimonium possit contingere in alio casu, quam ob necesitatem conseruandæ speciei humanæ.

Respondeo, posse contingere, vt quando est vnicus heres, quo non nubente, exorirentur seditiones, & bella in Republica, tunc enim ille heres non teneretur quidem nubere ex præcepto matrimonij, sed ea ratione teneretur, qua tenetur impedire damna, & incommoda Reipublicæ. Ita Sanchez *loco citat. ad finem.* Rebellus, Reginaldus, & alij.

Quæres tertiò, vtrùm post resurrectionem futurus sit vsus, & status matrimonij.

Respondeo negatiuè, vt patet ex Lucæ 20. *In resurrectione non nubent, neque ducent vxores*; quia cessabit causa finalis matrimonij, quæ est conseruatio speciei humanæ; ergo etiam cessabit vsus, & status matrimonij. Ita Henriquez *loc.cit.num.6.* & alij communiter.

PVNCTVM IV.

Quæ sit materia, forma, & minister essentialis Sacramenti matrimonij.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quænam sit materia, & forma Sacramenti matrimonij.

1 MAteria huius sacramenti est traditio corporum ipsorum contrahentium; forma est acceptatio eorumdem expressa per verba, vel signa. Pro intelligentia huius propositionis:

2 Quotuplex sit materia, & forma matrimonij.

2 Notandum est primò, nos hic non loqui de materia, & forma matrimonij completè sumpti, sed de materia, & forma materialis matrimonij, cùm enim sacramentum sit quid artificiosum, debent in eo esse duæ formæ, & duæ materiæ, quarum vna dicitur materia, & forma totius, altera dicitur materia, & forma partis, vt patet ex dictis *de Sacramentis in genere, q.3.punct.1.*

3 Quomodo cognosci possit materia, & forma matrimonij.

3 Notandum secundò, vt cognoscatur, quæ sit materia, & forma sacramenti matrimonij, quatenus est sacramentum, inspiciendum esse, quænam sit illius materia, & forma, quatenus est contractus, matrimonium enim consistit in contractu, qui à Christo fuit eleuatus in sacramentum ad conferendam gratiam, materia autem contractus matrimonialis est traditio corporum, forma est acceptatio qua perficitur, & completur matrimonium.

4 Quodnã sit propriũ formæ.

4 Notandum tertiò, proprium esse formæ perficere, complere, & determinare materiam, materia enim de se est quid imperfectum, quod perficiendum est per formam, propterea in contractu illa dicenda est forma, quæ determinat, & complet contractum, illa dicenda est materia, quæ est veluti quid imperfectum, & determinatur, ac completur per formam; cùm autem in contractu matrimonij mutua traditio corporum sit quædam inchoatio contractus, & aliquid imperfectum, acceptatio verò sit illius perfectio, & complementum, sequitur, mutuam corporum traditionem esse materiam sacramenti matrimonij, eò quod traditio corporum sit imperfecta, & inefficax, donec acceptetur, ipsam verò acceptationem vtriusque coniugis esse formam sacramẽti matrimonij, eò quod per acceptationem perficiatur matrimonium. Ita communiter recentiores. Rodriq. *cap.216.* Sanch. *lib.2.disp.5.* Suar. *tom.1.de Sacr.disp.2.sect.1.* P. Led. *q.42.artic.1. dub.4.* Gut. *c.41.n.1. ad finem.* Reg. *lib.31.num.42.* Coninch. *disp.24. de matrim.dub.4.n.33.* [Henriq. *lib.11.c.2.n.5.* Filliucius *tract.10.c.1.quæsit.7.n.10. & seqq.*] & alij, quamuis alij aliter senserint. Aliqui enim, vt Canus 8. *de locis Topicis, cap.5.* existimarunt, materiam matrimonij esse consensum coniugum expressum per verba, vel signa, formam verò esse verba Sacerdotis. Alij, vt Nauarrus *c.22.n.20.* & Rebel. *q.4. n.12.* existimarunt, materiam esse consensum, formam verò esse verba, quibus consensus exprimitur. Alij, vt maior, asseruerunt, materiam esse verba, formam verò esse consensum. Alij dixerunt, ipsos contrahentes esse materiam, verba verò esse formam. Ita Vasquez *de matrimonio disput.3.c.5.* Coninchus *q.60.art.5.nu.29.* Alij, vt Henriquez *lib.11.c.20.* & Perez §.11. putarunt materiam esse verba, quæ proferuntur à priore contrahente, sed istorum opiniones optimè refellit Sanchez, & sufficienter refelli possunt ex dictis in tribus notabilibus, & de sacramentis in genere, in quibus explicandis non immoror, vt breuitati consulam.

Obiicies cum Vasquez, materia contractus est res illa quæ traditur, vt patet in venditione, sed in matrimonio traditur corpus; ergo corpus est materia matrimonij.

Respondeo corpus esse materiam circa quam; non verò esse materiam proximam, ex qua conficitur contractus: nos autem hic loquimur de materia proxima, ex qua conficitur contractus. Ita Coninch. *n.33. citato.* [Sanchez, Henriquez, Filliucius,] & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Quisnam sit minister Sacramenti matrimonij.

5 MInister essentialis huius sacramenti non est Sacerdos, sed sunt ipsi contrahentes. Ratio est, tum quia matrimonium clandestinum, quod sine Sacerdote celebrabatur ante Concil. Trid. *sess.24. c.1.* erat verum matrimonium, & sacramentũ, vt patet ex ipso Tridentino; ergo Sacerdos non est minister essentialis sacramenti matrimonij, alioquin matrimonium clandestinum non fuisset verum matrimonium, & sacramentum ante Concil. Trid. Sacramentum enim tribus perficitur, materia, forma, & ministro, tum quia ille est minister sacramenti matrimonij, qui est minister contractus; sed ministri contractus sunt ipsi contrahentes, qui contractum ineunt, & perficiunt, non verò Sacerdos; ergo. Confirmari potest hęc ratio auctoritate Concil. Florent. *in instruct. Armenorum*, asserentis, mutuum consensum esse causam matrimonij, ex quo loco sic argumentor: ille est minister essentialis huius sacramenti, qui efficienter celebrat contractum matrimonij: sed ipsi contrahentes efficienter celebrant contractum matrimonij; ipsi enim exhibẽt consensum, qui est causa matrimonij; ergo ipsi contrahentes sunt minister essentialis, nõ verò Sacerdos: quare Sacerdos nõ est minister essentialis, sed accidentarius, quatenus ex officio iungit, & benedicit contrahentibus, quod pertinet ad perfectionem accidentariam matrimonij. Ita Rodriq. *1.part. cap.216.*

*cap.*216.Reginald.*lib.*31.*num.*52. Coninchus *de matrimonio disp.* 24. *dub.*3.*num.*34.Sanchez *lib.*2.*disp.*6.Rebel. *loco citato n.* 6. Henriquez *lib.*11.*c.*2.*num.*7.Suarez 3.*parte tom.*1.*de Sacr.disp.*16.*sect.*1. Gutierez *cap.*41.*num.*2. [Filliucius *tract.*10. *cap.*1.*quæsito* 9.*numer.*19.] & alij communiter.

6 An Sacerdos existens in peccato mortali peccet mortaliter assistendo matrimonio.

6 Ex his deduci potest, Sacerdotem, habentem conscientiam peccati mortalis, non peccare mortaliter assistendo matrimonio. Ratio est, quia ipse non ministrat, nec conficit sacramentum matrimonij, sicut neque mortaliter peccat benedicendo, dum existit in peccato mortali, vt patet ex dictis *de Sacram. in genere disput.*1.*q.*3.*punct.*2.§.1. *prop.*2.Ita Sanch.*loc.cit.n.*5.Coninch.*loc.cit.n.*34.Henriq. *lib.*11.*cap.*2. Suarez *de Sacr.tom.*1.*disp.*15.*sect.*4.Gutier.*c.*41.*n.*3.Reginald.*nu.*54.& alij, quos retuli *de Sacram.loc.cit.*

Obiicies contra secundam propositionem, si contrahentes essent ministri matrimonij, sequeretur eos dupliciter peccare contrahendo matrimonium in peccato mortali, primò, quatenus recipiunt, secundò, quatenus administrant, sed hoc non videtur admittendum; ergo neque videtur admittendum, ipsos esse ministros huius Sacramenti.

Respondeo cum Suarez *tom.*1.*de Sacramentis disp.*16.*sect.*4.*versic. nihilominus.*Coninchо *disp.*24.*n.*34.Sanchez *loco citato.* Filliucio *numer.*21.]& aliis contra P.Ledesm.*q.*42.*art.*3.*ad vltimum*, contrahentes peccare grauiter tantummodò, quatenus recipiunt, quia ponunt obicem ad gratiam, non verò peccare mortaliter, quatenus administrant, quia ipsi non sunt ministri consecrati ad hoc, vt patet ex dictis *de Sacram.loco citato.*

PVNCTVM V.

Vtrùm matrimonium celebratum inter absentes per Procuratorem, vel per litteras sit validum.

VNICA PROPOSITIO.

1 An matrimonij celebrari possit inter absentes per litteras, vel Procuratorem.

1 VAlidè contrahi potest matrimonium inter absentes per litteras, vel Procuratorem, siue Procurator sit masculus, siue femina. Ratio est, tum quia natura contractus postulat vt possit celebrari per litteras, vel Procuratorem inter absentes; ergo matrimonium qui est contractus eleuatus à Christo in Sacramentum, celebrari potest inter absentes per litteras, vel Procuratorem, tum quia iura non irritant huiusmodi contractum; ergo validè celebrari potest. Ita Cardin. Tuscus *tom.*5.*concl.*124.& alij statim citandi.

2 Quomodo matrimonium differat à ceteris sacramentis.

2 Hinc colligi potest primò differentia inter sacramentum matrimonij, & reliqua sacramenta, quòd sacramentum matrimonij celebrari potest inter absentes, non verò reliqua sacramenta, vt Pœnitentia, Eucharistia, &c. Ratio differentiæ desumitur ex natura contractus, qui potest inter absentes celebrari. Ita Henriquez *lib.* 11. *cap.*2. *num.*2.*ad finem.*Perez §.13.Molina *de contract.disp.*51.*& disp.*254.Speculum 1.*part.art.*16.Reginald.*lib.*31.*n.*2.Coninch.*disp.*24.*dub.*2.*n.*23. *& dub.*9.*num.*3.Gutierez *cap.*69.*num.* 6. Sanchez *lib.* 2. *disp.*12.*nu.*3. [Filliuc.*tract.*10.*cap.*1.*quæs.*10.*num.*23 *& seqq.*] & alij communiter.

3 An matrimonij per litteras, vel Procuratorem celebratij sit sacramentum.

3 Secundò colligi potest matrimonium contractum per litteras, vel Procuratorem, esse sacramentum, vt ait Syluester *verb. matrimonium* 5.§.*fin.*P.Sotus, & alij apud Henriquez *lib.*11.*cap.*2.*num.*2.apud Rebel.*lib.*2.*quæst.*5.apud Coninch.*loco citato.*apud Gutierez *cap.* 43. *num.*10.& Sanchez *lib.*2.*disp.*11.contra Caietan. *tom.*1.*opusc.tract.*12. *quæst.*2. & alios. Ratio est, quia matrimonium inter præsentes celebratum est sacramentum: ergo etiam celebratum inter absentes: cùm etiam tunc concurrat materia, forma, & intẽtio ministri, id est, contrahentium intendentium recipere sacramentum, vel saltem facere, quod intendit S.mater Ecclesia. Sanchez alia ratione hoc probat, quia Ecclesia non agnoscit vllum matrimonium fidelium, quod non sit sacramentum, cum Christus contractum fidelium eo ipso, quod est legitimus, eleuauerit ad rationem sacramenti, faciendo, vt repræsentet vnionem Christi cum Ecclesia.

4 An aliquis possit contractũ matrimonij celebrare, quin fiat sacramentum.

4 Ex quo fit, inquit Sanchez, vt nullus fidelis possit contractum matrimonij celebrare, quin suscipiat sacramentum: quamobrem si quis intendat matrimonium inire, tamquam contractum, respuens rationem sacramenti, nihil facit, sicut etiam, qui intendit recipere sacramentum matrimonij, intendens non inire contractum, nihil facit, nam ratio contractus inseparabilis est ex Christi institutione à sacramento matrimonij, & ratio sacramenti inseparabilis est à contractu, nec Ecclesia vnum agnoscit sine alio. Sed hæc ratio mihi non probatur, existimo enim cum Caietano, & aliis, quos citat P. Ledesma *q.*42.*artic.*1.*post septimam difficultatem.* contra Sanchez *locis citatis.*Coninchum 3.*part.quæst.*64.*art.*8.*dub.*3.*num.*91.*& disp.*24.*de matrim.dub.*2.*num.*22.Suarez *tom.*1.*de sacramentis disp.* 13.*sect.* 2. P. Ledesmam *loco citato conclusione* 2.rationem contractus separabilem esse à ratione sacramenti, etiam inter fideles. Ratio est, quia qui habet intentionem contrahendi, sed non recipiendi sacramentum, init contractum, sed non recipit sacramentum. Quòd nõ recipiat sacramentum, patet, quia sacramentum non est validum, quoties deest intentio illius recipiendi, vel conficiendi, sacramenta enim tribus perficiuntur, materia, forma, & intentione ministri, vt patet ex Tridentino *de Sacramentis sess.* 7. *can.* 11. sed in hoc casu deest intentio ministri, id est, contrahentium, qui non habent intentionem sufficientem recipiendi, seu conficiendi sacramentum matrimonij, vt suppono; ergo non recipiunt sacramentum matrimonij. Quod verò habens intentionem contrahendi, sed non recipiendi sacramentum ineat contractum; ratio est, tum quia adsunt omnia requisita ad contractum, adest enim consensus mutuus, &c. tum quia nullo iure irritatur, quando celebratur coram Parocho, & testibus; & absque impedimento dirimente, tum quia ratio sacramenti est posterior ratione contractus, cùm illi adueniat, in illoque fundetur, sicut ratio Baptismi aduenit lotioni, in illaque fundatur: sicut autem lotio non desinit esse actio naturalis, quando baptizans non habet sufficientem intentionem baptizandi; ita neque contractus matrimonij desinit esse contractus, quando contrahentes non habent intentionem faciendi sacramentum, sed habent intentionem ineundi tantummodò contractum, tum quia matrimonium contractum inter fidelem, & infidelem secluſa prohibitione Ecclesiæ esset validum, sed huiusmodi matrimonium etiam secundùm Sanchez non esset sacramentum; ergo ratio sacramenti separari potest à ratione contractus; ergo qui intendit contrahere, sed non recipere sacramentum, validè contrahit, quamuis non recipiat sacramentum. Secus dicendum est de illo, qui intendit recipere sacramentum, sed non contrahere, hic enim neque recipit sacramentum, neque contrahit matrimonium propter defectum materiæ, & formæ, quæ consistit in contractu.

Obiicies contra propositionem. Si matrimonium inter absentes celebratum esset sacramentum, non opus esset postea coniungere sponsos præsentes in facie Ecclesiæ: sed hoc est falsum, nam sponsi præsentes de nouo coniunguntur in Ecclesia; ergo dicendum est, matrimonium inter absentes celebratum nõ esse validum sacramentum, aut saltem dicendum esset, sacramentum matrimonij iterari posse.

Respondeo cum Sanchez *loc.citat.* contractum iterari tantummodò ad tollendos scrupulos, sicut possunt iterari contractus. Vel dicas, sacramentum matrimonij non iterari, sed suppleri solemnitates omissas; vel saltem dicas, contractum confirmari, vt si primus defectu consensus non fuit validus, validus fiat secundus, & sacramentum recipiatur. Ita P. Ledesma *loco citat. vers. Primò est aduertendum.* Sotus, Caietanus, & alij, quos citat Sanchez *lib.*2.*disp.*11.*n.*31. & Gutierez *cap.*43.*num.*22.

5 Quænam requiratur, vt matrimonium inter absentes celebratum per litteras, vel Procuratorem sit validum.

5 Quæres primò, quid requiratur, vt matrimonium celebratum per litteras, vel Procuratorem, sit validum.

Respondeo, tria saltem requiri. Primò requiritur præsentia Parochi, & testium, vt scilicet Procurator celebret matrimonium coram Parocho, & testibus, alioquin inualidè celebrat; sicut etiam est inualidum matrimonium contractum per litteras, quando illud non innotescit Parocho, & testibus, quando verò illis innotescit per litteras traditio, & acceptatio vtriusque contrahentis, validum est. Ita Sanchez *lib.*2.*disp.*12.*num.*3. *& lib.*3.*disp.*8.*num.*24. Gutierez *cap.*45. Coninchus *disp.*24.*dub.* 9. *num.*78.Henriquez *lib.*11.*cap.*2. *numer.*6. [Filliucius *num.*23.] & alij.

6 An validum sit matrimonium inter absentes celebratũ, quando litteræ sunt fictæ, aut Procurator fictè constitutus fuit.

6 Secundò requiritur, vt litteræ non sint fictæ, id est, vt non sint factæ sine animo contrahendi, & vt Procurator non sit fictè constitutus, propterea qui fictè constituit Procuratorem ad contrahendum suo nomine matrimonium, & tempore contractus matrimonij non abstulit fictionem, nec interius consensit, non censetur validè celebrasse matrimonium in foro conscientiæ, nam contractus celebratus sine consensu, non est validus, *cap. fin. de proc. in* 6.Idem dicendum est, quando matrimonium celebratũ fuit fictis litteris, & tempore contractus matrimonij nondum erat ablata fictio. Ita Sanch.*lib.*2.*disp.*11. Henriquez *loc.cit.*Gutierez *c.*43.*numer.*15. quidquid dicat Coninch. *disp.*24.*dub.*9.*num.*29.

7 An validum sit matrimonium nomine alterius celebratum, quando mandator reuocauit cõsensum.

7 Hinc patet, quid dicendum sit, quando quis ex animo litteras scripsit, aut constituit Procuratorem ad contrahendum matrimonium, vel sponsalia, sed postea reuocat consensum; tunc enim Procurator, vel litteræ nihil operantur, consequenter matrimonium, aut sponsalia non sunt valida in foro conscientiæ; quamuis ille, qui misit Procuratorem, iurauerit se non reuocaturum. Ratio est, quia deficiente consensu, non potest matrimonium validè celebrari, *cap. suffi-ciat* 23.*quæst.*2.& hoc verum est, etiamsi reuocatio mandati, seu consensus non innotuerit Procuratori, aut sponsæ, adhuc enim matrimonium est inualidum defectu consensus, sine quo non subsistit matrimonium, quidquid sit de reuocatione mandati in aliis materiis, vt dictum est *in tractatu de restitutione.*Ita Sanchez *disp.*11. *num.* 6. Gutierez *cap.*43.& alij apud Sanchez *loc.citat.*Coninchus *disp.*24. *dub.*9. Tuscus *conclus.*150.*num.*2.[Filliucius *num.*24.*& seqq.*]

8 Quænam agere debeat Procurator qui nomine alterius celebrat matrimonium.

8 Tertiò requiritur, vt habeat speciale mandatum ad contrahendum cum certa persona. *c. fin. de proc. num.* 6. Præterea, vt procurator agat per seipsum; non enim ipse potest alium subst ituere, nisi habeat speciale mandatum ad substituendum, vt ait Gloss. *c. vlt. de proc.* quam communiter DD. sequuntur, eò quod agatur de re maximi momenti. Rursus requiritur, vt Procurator non excedat fines mandati, nam quæ mandatarius agit vltra fines mandati, inualidè agit, dicitur enim illa agere sine potestate. *l. diligenter ff. mandati.* Ita P. Ledesm. *loc. citat. vers. Tertiò est aduertendum.* Speculum 1. *parte, art.* 17. Tuscus *concl.* 124. *num.*1. Coninchus *disp.*24. *dub.*9. *num.*67. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 11. *num.*87. Gutierez *cap.*43. *de matrim. num.*4. *&* 19. Menochius *consil.* 69. *num.*74. *pag. mihi* 230. [Filliucius *num.* 24.] & alij, quos retuli *de mandato.*

9 An validè celebretur matrimonium nomine alterius sine præmissis denuntiationibus, quando Procurator electus fuit ad ineundum matrimonium seruata forma Trid.

9 Rogabis, vtrùm sit validum matrimonium sine præmissis denuntiationibus contractum à Procuratore nomine Titij, qui concesserat Procuratori facultatem contrahendi matrimonium suo nomine, seruata forma Tridentini, vel præmissis denuntiationibus.

Respondeo cum Sanchez *lib.*2.*disp.*11.*num.*18.Nauarr.*cap.* 27. *numer.*37.Gutierez *de matrim.cap.*43.*nu.*20. Coninchо *disp.* 27. *dub.* 3. *num.*33. *& dub.*5.*num.*49.Reginaldo *lib.*31.*numer.*179.*vers. similiter.* [Filliucio *tract.*10.*cap.*6.*quæs.*6.*nu.*216.]& aliis, validum esse, etiamsi denuntiationes fuerint omissæ absque licentia Episcopi. Ratio est, quia qui in mandato addit formam iuris communis, non intendit nouam formam, & conditionem inducere, sed tantummodò intendit certiorem facere mandatarium, vt contrahat iuxta formam iuris communis; cum autem ius commune non ita præcipiat denuntiationes, vt velit matrimonium esse inualidum illis omissis, sequitur, validum esse matrimonium contractum à Procuratore absque denuntiationibus præmissis, etiamsi Procurator mandatum haberet contrahendi matrimonium seruata Tridentini forma, seu præmissis denuntiationibus.

10 Hinc

10 An validum sit matrimonium, cui assistit Sacerdos sine præmissis denuntiationibus, cui Parochus concessit facultatem assistendi, modò præmitteret denuntiationes.

11 Quænã verba adhibenda sint à Procuratore, quando contrahit matrimonium nomine alterius.

12 An Procurator peccet mortaliter contrahendo matrimonium nomine alterius in peccato mortali.

13 An qui matrimonium per Procuratorem celebrat, debeat sub mortali esse in gratia, quando celebratur matrimonii.

14 An dormiens recipiat gratiam, si matrimoniũ nomine illius celebretur, quando dormit, & an peccet mortaliter, si tunc non sit in gratia.

10 Hinc sequitur, validum esse matrimonium sine præmissis denuntiationibus celebratum coram eo Sacerdote, cui Parochus concessit facultatem assistendi; modò præmitteret denuntiationes. Idem dic, si data fuit facultas, modò admoneret contrahentes, ne matrimonium consummarent ante denuntiationes, vel si contrahentes non haberent impedimentum, vt benè ait Sanchez *lib. 3. disp. 33. nu. 3.* Gutierez *cap. 56. num. 14.*

11 Quæres secundò, quænam verba adhibenda sint à Procuratore, quando contrahit matrimonium nomine alterius.

Respondeo, adhibenda esse ista verba: Recipio te in vxorem nomine Titij, vel, Titius accipit te in vxorem me mediante, similiter femina respondere debet: Ego te mediante duco Titium; hoc enim pacto sufficienter exprimitur consensus de præsenti. Ita Couar. 2. *part. cap. 4. num. 8.* Rebel. *lib. 2. q. 5. nu. 16.* Henriquez *lib. 11. cap. 2.* Sanchez *lib. 2. disp. 11. n. 16.* [Filliucius *num. 25.*] & alij.

12 Quæres tertiò, vtrùm Procurator peccet mortaliter, contrahendo matrimonium nomine alterius in peccato mortali.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia non pertinet ad ipsum ex officio ministrare huiusmodi sacramentum, nec ipse est minister consecratus ad hoc munus. Ipsi verò contrahentes, qui matrimonium principaliter contrahunt, grauiter peccant, quatenus recipiunt sacramentum in peccato mortali, nam illud indignè recipiunt, ponendo obicem ad gratiam, quam alioquin recepissent. Ita DD. statim citandi.

13 Hinc sequitur, eum, qui mittit procuratorem ad contrahendum suo nomine matrimonium, teneri sub mortali esse in gratia tunc temporis, quo probabiliter credit, procuratorem contracturum matrimonium, tunc enim ipse suscipit sacramentum, siue vigilet, siue dormiat, siue factus sit amens. Ita Sanchez *lib. 2. disp. 6. num. 4. & disput. 11. num. 12.* Rebel. *lib. 2. quæst. 5. num. 11.* Coninch. *de matrim. disput. 24. dub. 2. num. 23.* Gutierez *cap. 43. numer. 23.* Henriquez *lib. 11. cap. 4. nu. 4.* & alij apud Sanchez, & hoc patet à simili de eo, qui ante phreneſim petierat Extremam vnctionem, vel Eucharistiam, &c.

14 Hinc colligitur, dormientem posse recipere gratiam, si matrimonium ipsius nomine contrahatur, dum ipse dormit. Falsum tamen est, quod asserit Sanch. *disp 11. n. 32.* [& Filliuc. *n. 27.*] dormientem peccare mortaliter, si habeat conscientiam peccati mortalis eo tempore quo ipse dormit, & alter ipsius nomine contrahit matrimonium, certum enim est ad peccandum mortaliter requiri aduertentiam, & deliberationem, quare dicendum est, illum peccasse ante somnum, quando præuidit matrimonium suo nomine contrahendum, & noluit se disponere ad sacramentum dignè recipiendum; [non verò peccare dum dormit.]

PVNCTVM VI.

Vtrùm matrimonium clandestinum sit validum.

1 Notandum, matrimonium aliud dici solemne, eò quod fiat coram parocho, & testibus, & dicitur fieri in facie Ecclesiæ; non quia fiat in ipsâ materiali Ecclesia; sed quia fit coram aliqua multitudine fidelium. Aliud dici clandestinum, quod duobus modis saltem contingere solet.

Primò contingit, quando fit sine parocho, & testibus.

Secundò, quando celebratur omissis denuntiationibus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quòd nã dicatur matrimonium solemne, & clandestinum.

2 An validum sit matrimonium clandestinum quod sine Parocho, & testibus celebratur.

3 An contrahens matrimonium sine Parocho, & testibus, peccet mortaliter.

4 An matrimoniũ, quod domi celebratur, sit clandestinum, & inualidum.

5 An Parochus teneatur notare tempus, & locum matrimonij, ac nomina testium, & contrahentium.

2 Matrimonium clandestinum primo modo, quod videlicet contrahitur sine parocho, & duobus, vel tribus testibus, est inualidum, quamuis alias validum fuerit. Ita statuit Concil. Tridentin. *sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij.* Ex quo sequitur, copulam animo maritali habitam absente parocho, & testibus non sufficere ad contrahendum matrimonium post constitutionem Tridentini cit. Ita Menochius *lib. 3. præsumpt. 1. numer. 99.* vbi refert Nauarrum, Henriquez *lib. 11. cap. 13.* Valentia *tom. 4. disput. 10. quæst. 2. punct. 4.* & alij apud Riccium *decis. 234.*

3 Quæres primò, vtrùm contrahens matrimonium sine parocho, & testibus peccet mortaliter.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia inualidè contrahit, & facit irritum sacramentum: tum quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, cùm Ecclesia prohibeat huiusmodi matrimonia clandestina, tamquam causas multorum malorum. Ita communiter DD. apud Sanchez *lib. 3. disp. 5.* & apud Gutierez *cap. 56. num. 4.* quos sequitur Coninchus *disp. 30. dub. 2. numer. 18.* [Filliuc. *tract. 10. cap. 5. quæs. 3. num. 166.*]

4 Quæres secundò, vtrùm matrimonium, quod domi celebratur, sit clandestinum, & inualidum.

Respondeo, non esse clandestinum, nec inualidum, modò celebretur coram parocho, & testibus. Ratio est, quia illud dicitur matrimonium clandestinum, quod sine parocho, & testibus celebratur, sed hoc non contrahitur sine parocho, & testibus, vt suppono; ergo non est inualidum, nec clandestinum. Ita declarauit Cardinalium Congregatio, vt inquit Rebel. *2. part. lib. 2. quæst. 7. numer. 11.* Sanchez & alij.

5 Quæres tertiò, vtrùm Parochus teneatur notare tempus matrimonij, nomina testium, &c.

Respondeo, in Concil. Trident. *sess. 24. cap. 1.* præcipi, vt Parochus habeat librum, in quo referat nomina testium, & contrahentium. Præterea scribat locum, & tempus contractus matrimonij, quod præceptum, cùm sit de re grauis momenti, eo quòd ordinetur ad cauendas lites, & vt matrimonium notũ sit Ecclesiæ, obligat sub mortali, sicut etiam obligat præceptum habendi librum baptizatorum. Ita Henriquez *lib. 11. cap. 7. num. 4.* Speculum *in Appendice dubio 12. concluſ. 3.* Reginald. *lib. 31. num. 242.* Coninch. *disp. 27. dub. 8. num. 74.* Rodriquez *1. part. cap. 217.* Sanchez *lib. 3. disp. 15. num. 22.* & alij apud Gutierez *de matrimonio. cap. 60. numer. 9.* apud Sanchez *loc. citat.* [& apud Barbosam *in remissionibus sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim. numero 74.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

6 An validum sit matrimonium sine denuntiationibus celebratũ.

7 An sit mortale peccatum omittere denuntiationes.

6 Matrimonium clandestinum secundo modo, quod videlicet contrahitur absque præmissis denuntiationibus, validum est. Ratio est, quia iure antiquo validum erat; ergo etiam nunc est validum, non enim recedendum est à iure antiquo; nisi quatenus contrarium statuitur iure nouo, sed iure antiquo matrimonium celebratum sine denuntiationibus erat validum, nec vllum nouum ius extat in contrarium; ergo etiam nunc validum est matrimonium clandestinè contractum sine denuntiationibus. Ita Rodriquez *c. 217. num. 2.* Nauarrus *cap. 22. num. 7.* Philiarcus *tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 2.* Henriquez *lib. 11. cap. 5. num. 1.* Gutierez *de matrim. cap. 56. nu. 2.* Vgolinus *de potest. Episcopi c. 15. §. 11.* Riccius *loco citando.* Coninchus *disput. 27. dub. 5. num. 49.* Reginaldus *lib. 31. num. 222.* [Filliucius *tract. 10. cap. 5. quæs. 5. num. 172.*] & alij apud Sanchez *lib. 3. disp. 5. num. 3.*

7 Quæres primò, vtrùm contrahere matrimonium sine denuntiationibus sit peccatum mortale.

Respondeo, esse peccatum mortale, quando denuntiationes omittuntur sine facultate, aut legitima causa, quamuis nulla censura incurratur. Ratio est, quia violatur præceptum in re grauissima; cùm ex omissione denuntiationum sequi possint grauissima mala, quibus diligentia parochi supplere non solet, propterea parochus peccat mortaliter assistendo, sicut etiam coniuges peccant mortaliter contrahendo absque præmissis denuntiationibus. Ita Henriquez *loco cit. cap. 7.* Rodriquez *loc. citat.* Nauarrus *cap. 16. num. 36.* Rebellus *quæst. 7. num. 10.* Sanchez *lib. 3. disp. 5. num. 6.* Gutierez *loc. cit. num. 3.* Riccius *in praxi decis. 257. num. 2.* Coninchus *num. 51.* Reginaldus *loc. citat. numer. 223.* [Filliucius *tract. 10. cap. 5. quæs. 5. num. 173.*] & alij contra Sot. *in 4. dist. 28. q. 1. art. 2. ad primum*, & alios asserentes non esse peccatum mortale quando parochus adhibuit sufficientem diligentiam ad inquirendum, an aliquod adesset impedimentum. Sententiam Soti, & aliorum probabilem existimant aliqui Doctores, quando parochus omittit vnam tantummodò denuntiationem, & moraliter certus est, nullum subesse impedimentum, tunc enim parochus videtur à mortali excusandus ratione paruitatis materiæ, quamuis reprehendendus, si hoc faciat. Ita Syluester *verb. Matrimonium 6. q. 7.* Rebel. *loc. cit.* Sanchez *loc. citat. nu. 7.* P. Ledesm. *q. 45. art. 5.* Speculum *1. part. art. 10. contluſ. 3.* [Filliucius *num. 173.*] & alij, quos citat, & sequitur Gutierez *de matrimonio cap. 57. num. 1.* contra Coninchum, *numer. 51.* existimantem mortaliter peccare.

Dixi, *quando omittuntur sine facultate*, vt aduerterem non committi peccatum, quando omittuntur ex facultate, quam non potest parochus concedere, cùm ipse non sit Ordinarius, nec habeat facultatem delegatam ab Ordinario, vt suppono; in Tridentino autem facultas dispensandi in denuntiationibus ante, & post matrimonij consummationem conceditur Ordinario, id est, Episcopo, aut alteri Prælato qui habeat iurisdictionem quasi Episcopalem, & non sit subditus Episcopo, aut etiam Vicario Generali, nisi Episcopus hanc facultatem sibi reseruet; nam Vicarius Generalis venit nomine Ordinarij, *cap. Romana. de appellationibus in 6.* quamuis multi DD. oppositum sentiant apud Riccium *decis. 259.* apud Sanchez *lib. 3. disput. 7.* & apud Gutierez *cap. 56. num. 12.* Potest igitur Ordinarius propter causas, quæ sibi iustæ videbuntur, dispensare, nam Tridentinum remisit hoc negotium prudentiæ Episcoporum, vt bene aduertit Henriquez *cap. 5. num. 5.* Riccius *decis. 258.* [Sanchez, Filliucius,] & alij. Existimo tamen Episcopum non posse concedere, vt denuntiationes fiant diebus ferialibus, nam huiusmodi dispensatio videtur odiosa contra ius commune, in quo non potest Episcopus dispensare. Ita Segura apud Gutierez *c. 56. num. 10.* Vgolin. *de potest. Episcopi ca. 15. §. 11.* & alij asserentes, ita declaratum fuisse in congregatione Cardinalium; quamuis Sanchez *disp. 7. num. 6.* Gutierez *num. 10.* & alij dicant, Episcopum posse, eò quod sicut Episcopo maius conceditur, ita etiam videatur concedi minus. Sed hæc ratio soluitur ex nostro fundamento. Hic obiter aduerto, Episcopum teneri dispensare, vt matrimonium celebretur sine denuntiationibus, quando alioquin sequeretur aliquod damnum publicum, aut damnum notabile priuatum, tenetur enim succurrere grauibus damnis & incommodis. Ita Sanchez *lib. 3. disp. 10. num. 6.* Coninchus *disp. 27. dub. 6. numer. 59.* Gutierez *cap. 57. num. 5.* [Filliucius *tract. 10. c. 5. quæs. 8. num. 179. & seqq.*] & alij apud Sanchez, quos sequitur Reginald. *lib. 31. n. 236.* [Episcopo verò iniustè recusante dispensationem dari potest appellatio ad superiorem Episcopo, vt ipse superior dispenset, vel cogat inferiorem ad concedendam dispensationem. Felinus *in cap. exceptionem. de except. in 6.* Filliucius *num. 181.* & alij.]

Dixi, *quando omittuntur sine facultate, aut legitima causa*, possunt enim aliquando ob legitimam & iustam causam omitti, & matrimonium sine denuntiationibus celebrari, etiamsi non adsit facultas Ordinarij, vt accidit, quando periculum est in mora, ita vt non possit Episcopus adiri, & alioquin Episcopus teneretur dispensare, si posset adiri. Vnde quando aliquis diu distulit matrimonium, quod tenebatur cum aliqua celebrare, & postea in grauem morbum incidit, eoque tempore petit absolutionem, sed timetur fore, vt postea non celebret matrimonium, si tunc absoluatur ante contractum matrimonium, potest parochus in eo casu, absque facultate Episcopi, quæ commodè non potest haberi, celebrare matrimonium omissis denuntiationibus, illas faciendo post contractum matrimonium. Ita Sotus *in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 2.* Sylueſter *quæst. 7.* Sanchez *lib. 3. disp. 8. & disp. 10.* Henriquez *lib. 11. c. 5. num. 5. ad finem.* Gutierez *c. 56. num. 3. & cap. 57. num. 6.* Coninch. *loc. cit. n. 2.* Reginald. *lib. 31. nu. 224. & 236.* [Filliucius *tract. 10. cap. 5. quæs. 8. num. 181.*] & alij. Ratio desumenda est ex benignitate Ecclesiæ, quæ non præsumitur obligare cum tanto incommodo, [& necessitas caret lege.]

Sed

Sed modò dubium eſt primò, vtrùm Epiſcopus alterutrius contrahentis, poſſit cum vtroque contrahente diſpenſare in denuntiationibus, quando contrahentes ſunt diuerſæ diœceſis.

Reſpondeo affirmatiuè cum Sanchez *lib.3.de matrimonio diſput.7. num.7.verſic.Vltima concluſio.* Gutierez *de matrimonio cap.46.nu.10. ad finem.* Reginaldo *lib.31.num.232.verſic. ſecunda propoſitio.* Ægidio Coninchо *de matrimonio diſp.27.dub.6.num.54.verſ. nota quando.* Ratio eſt, quia ſicut alteruter Epiſcopus poteſt vtrumque coniungere in matrimonium, vt infra oſtẽdam cum Rebello, Sanchez, & aliis, ita etiam poteſt cum vtroque diſpenſare in denuntiationibus; hoc tamen ego contra prædictos Doctores puto reſtringendum ad Epiſcopum, in cuius diœceſi celebrandum eſt matrimonium, ita vt Epiſcopus, in cuius diœceſi celebrandum eſt matrimonium, poſſit cum vtroque contrahente in denuntiationibus diſpenſare; is verò, in cuius diœceſi celebrandum non eſt matrimonium, poſſit tantummodò diſpenſare cum ſibi ſubdito. Ratio eſt, tum quia Epiſcopus, in cuius diœceſi non eſt celebrandum matrimonium, nullam habet iuriſdictionem directam, aut indirectam erga ſubditum alterius Epiſcopi, in cuius diœceſi celebrandum eſt matrimonium, tum quia in tantum poteſt diſpenſare in denuntiationibus cum vtroque contrahente, in quantum ipſe debet aſſiſtere matrimonio ſui ſubditi, aut in quantum alter ab ipſo delegatus, aut ei ſubditus debet aſſiſtere; cùm autem in propoſito caſu ipſe non aſſiſtat, nec alter ab ipſo delegatus, aut ei ſubditus aſſiſtere debeat, vt ſuppono, ſequitur, Epiſcopum, in cuius diœceſi non eſt celebrandum matrimonium, non poſſe cum vtroque contrahente in denuntiationibus diſpenſare, tum quia alioquin facilè confunderentur iuriſdictiones Epiſcoporum.

Secundò dubium eſt, vtrùm Epiſcopus poſſit facultatem diſpenſandi in denuntiationibus alteri delegare.

Reſpondeo affirmatiuè cum Sanchez *lib.3.diſp.7.n.20.* Coninchо *diſp.27.dub.6.num.55.* Reginaldo *lib.31.n.235.* Gutierez *c.56.num.13.* [Filliucio *nu.175.*] Ceuallo, Lopez, & aliis apud Gutierez, apud Coninchum, & apud Sanchez *locis citatis.* Ratio eſt, quia habens iuriſdictionem ordinariam poteſt eam alteri delegare, præterea quando fuit Ordinariis conceſſa poteſtas diſpenſandi in denuntiationibus, non fuit electa induſtria perſonæ, cùm non cenſeatur eligi induſtria perſonæ, quando delegatio fit perſonæ incognitæ, & indeterminatæ, vt quando fit Prælatis præſentibus, & futuris, ſicut accidit in facultate conceſſa Ordinariis ad diſpenſandum in denuntiationibus, vt multis DD. relatis tradit Sanchez *loc.citat.numer.20.* & Gutierez *loc.citat.*

Ex quo ſequitur, etiam Vicarium Generalem poſſe facultatem diſpenſandi in denuntiationibus delegare, non quidem generaliter, nam quamuis non poſſit conſtituere alium Vicarium generalem, *ca. Clericos.de officio Vicarij.* nihilominus poteſt vnam, vel alteram cauſam delegare. Ita Sanchez, Gutierez, Reginaldus, Filliucius *locis citatis.* & alij quos retuli *de legibus.*

Tertiò dubium eſt, vtrùm Epiſcopus debeat iuſtam habere cauſam ad diſpenſandum in denuntiationibus.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia hoc negotium relictum eſt iudicio, & prudentiæ Ordinariorum in Trident. *ſeſſ.4.c.1.* Ordinarij autem non prudenter agunt remittendo denuntiationes abſque iuſta cauſa. Ita Gutierez *c.57.num.1.* Coninchus *diſp.27.dub.6.numer.55.* Henriquez *lib.11.cap.5.* Rodriquez *1.part.c.217.num.3.* Sanchez *lib.3. diſp.8.num.1.* [Filliucius *num.177.*] & alij, quos retuli *de legibus*, non tamen neceſſe eſt, vt iudex cognoſcat iudicialiter cauſam diſpenſandi ſubeſſe, ſed ſufficit, etiamſi nouerit extra iudicium, nam Concilium remiſit hoc negotium conſcientiæ, & prudentiæ Epiſcoporum. Ita Sanchez *loc.citat.numer.4.* Gutierez *num.2.* & alij contra Henriquez & alios.

Rogabis, quænam ſint iuſtæ cauſæ remittendi denuntiationes.

Reſpondeo plures à DD. aſſignari. Prima eſt, quando creditur matrimonium iniuſtè impediendum, vt per maleficia, aut parentum, vel aliorum fraudes.

Secunda eſt, quoties denuntiationes fieri non poſſunt abſque detrimento, aut notabili incommodo, in fama, vel in corpore, vel in bonis fortunæ, vel abſque ſcandalo. Quamobrem ſi quis longiùs debeat ſtatim proficiſci, aut exiſtat in periculo mortis, & opus ſit prius contrahere matrimonium, vt proles legitimetur, poterit Epiſcopus circa denuntiationes diſpenſare. Idem dic, ſi matrimonium prius publicè contractum fuit, ſed inualidè ob occultum aliquod impedimentum, aut ſi contrahentes in concubinatu viuentes cenſebantur coniuges, nam ſi fiant publicationes, iudicabuntur in prauo ſtatu permanſiſſe. Idem dic, ſi contrahentes ſint inæqualis conditionis, vt ſi diues contracturus ſit cum paupere, aut ſenex cum iuuencula, aut nobilis cum ignobili, aut vterque contrahens ſit valdè ſenex, tunc enim ſuperior poteſt in denuntiationibus diſpenſare ob periculum irriſionis, vel ob nimium pudorem ipſorum contrahentium. Item ſi periculum ſit, vt dilatio matrimonij occaſionem præbeat peccati, vt ſi concubinarius paratus ſit ad contrahendum cum concubina, ſed timeatur fore, vt ſi matrimonium differatur, vir mutet voluntatem, & perſiſtat in peccato.

Tertia, quando tempus, quo nuptiæ prohibentur, inſtat, ita vt nequeant omnes denuntiationes præmitti, vt ſi inſtet tempus Quadrageſimæ, vel Aduentus.

Quarta eſt notabilis ſponſorum commoditas, modò non timeatur periculum alicuius occulti impedimenti.

Quinta eſt, quando magnates contracturi ſunt matrimonium. Ratio eſt, tum quia (vt ridiculo vtar argumento Coninchi *diſp.27. num.57.*) magnatibus ſemper eſt aliquid largiendum, tum quia matrimonia magnatum ſunt valdè publica, conſequenter ſi aliquod inter ipſos impedimentum extaret, facilè detegeretur non præmiſſis denuntiationibus, & hæc ratio procedit etiam in aliis, quoties non eſt timor alicuius impedimenti. Ita Sanchez *lib.3. diſp.9.* Riccius *deciſione 258.* Gutierez *loco citato num.3.4.& 5.* Reginaldus *lib.31.n.235.* Coninchus *diſp.27.num.57.* Menoch. *conſil.69.numer.7.* Henriquez *lib.11.cap.16.* [Filliucius *tract.10.c.5.quæſt.7.n.178.*] Nauarrus *cap.22. n.70.* quamuis ipſe Nauarrus diſſentiat in hoc vltimo caſu.

Obſerua tamen primò, Epiſcopo incumbere curam indagandi primò an verè ſubſit cauſa diſpenſandi in denuntiationibus. Secundò, vt probabiliter credat nullum ſubeſſe impedimentum; ad hoc autem credendum adduci poteſt præmiſſa inquiſitione, quam ad hoc iudicauerit expedire. Tertiò, vt denuntiationes celebrato, ſed nondum conſummato matrimonio fiant, ſi cauſa ſolum poſtulet, vt denuntiationes omittãtur ante celebrationem matrimonij, vt quando nuptiæ benedici non poſſunt ob vicinitatem temporis, in quo benedictiones nuptiales prohibentur, & ex alia parte non omninò conſtat nullum ſubeſſe impedimentum. Ita Coninchus *loc. cit. num.58.* Reginald. *lib.31.n.227.& 237.* Sanchez *lib.3.diſp.11.* & alij DD. citat. innixi Decreto Trid. *ſeſſ.cit.c.1.*

8 Quæres ſecundò, vtrùm, ſicut eſt peccatum mortale contrahere matrimonium ante præmiſſas denuntiationes, ita ſit peccatum mortale conſummare matrimonium illis non præmiſſis. 8 An ſit mortale peccatum, conſummare matrimoniũ abſque denuntiationibus celebratum.

Reſpondeo affirmatiuè cum Sanchez *lib.3.diſp.11.n.3.* Nauar. *c.22. num.38.* Riccio *loc.cit.* Coninchо *num.51.& 58.* Reginaldo *num.237.* Gut. *c.57.num.2.* [Filliucio *tract.10.c.5.quæſt.9.n.183.*] & aliis, contra Rodriquez *1.part.c.222.* P. Ledeſm. *q.45.art.5.punct.3.* Lopez *1.part. cap.87.* & alios, negantes mortaliter peccare, quando Parochus, & contrahentes adhibuerunt debitam diligentiam, ad inueſtigandum impedimentum, & moraliter ſunt certi, nullum impedimẽtum ſubeſſe. Sed ratio noſtra eſt: tum quia contrahentes exponunt ſe periculo fornicationis, non adhibendo diligentiam ab Eccleſia præſcriptam in Tridentino *loco citato*; tum quia ſicut parochus tenetur ſub mortali curare vt denuntiationes fiant, antequam matrimonium conſummetur, ita ipſi contrahentes tenentur eas præmittere ante conſummationem matrimonij.

9 Addo cum eodem Sanchez *loco cit.n.4.* Coninchо *n.58.* [Filliucio *n.183.*] & aliis contra Henriquez *lib.11.c.16.num.1.* ſponſos mortaliter peccare, non tantùm prima vice, conſummando matrimonium abſque præmiſſis denuntiationibus, ſed etiam toties, quoties habent copulam, cùm adhuc incurrant periculum fornicationis, conſummando matrimonium abſque præmiſſa debita, & ſufficienti diligentia, quam Eccleſia præſcribit in indagandis impedimentis. 9 An coniuges toties peccẽt mortaliter, quoties conſummant matrimoniũ, abſque denuntiationibus celebratum.

10 Quæres tertiò, vbi faciendæ ſint denuntiationes.

Reſpondeo, faciendas eſſe in propria parochia, immo quando ſponſi ſunt diuerſarum parœciarum, faciendæ ſunt in vtraque parœcia. Ratio eſt, quia illi, qui ſunt de parœcia mulieris, fortaſſe neſciunt impedimentum viri, & è contra; ergo faciendæ ſunt in vtraque parœcia, vt detegantur impedimẽta ſi quæ ſubſunt. Ita declarauit Cardinalium Congregatio, & patet ex Tridentino *loc.cit.c.1.* Ita Henriquez *lib.11.c.7.n.1.littera D.* Reginaldus *n.225.* Coninchus *diſput.27. dub.5.n.46.* Sanchez *lib.3.diſp.6.num.4.* Gutierez *c.56.n.5.* Vgolin. *loc. cit.* P. Ledeſm. *quæſt.45.art.3.* [Filliucius *tract.10.c.5.quæſ.5.n.174.*] & alij apud Riccium *loc.cit.n.4.* & apud Gutierez *loc.cit.* 10 Vbi faciendæ ſint denũtiationes.

11 Rogabis, in quo loco faciendæ ſint denuntiationes, quando contrahentes habent plura domicilia, ſeu parœcias.

Reſpondeo, faciendas eſſe in ea parochia, in qua diutius habitant, & principaliorem habent larem, nam ibi facilius detegi poſſunt impedimenta, vel potiùs dicam, faciẽdas eſſe in ea parœcia ſponſorum, in qua veriſimilius eſt ſciri impedimenta, vt in parochia, in qua fuit antiqua parentum habitatio, nam ibi melius ſciri poſſunt impedimenta. Quare qui modò incepit habitare in aliquo loco, non tenetur in eo facere denuntiationes, ſed ſolum tenetur eas facere in eo loco, in quo habet antiquius domicilium, ius enim non præſcribit denuntiationes multiplicari, quamuis fortè in aliis locis ſint plures, qui norint impedimenta. Ita Sanch. *lib.3.diſp.6.à n.4.* Rodriquez *cap.217. n.6.* P. Ledeſm. *q.45.art.5.* Gutierez *c.56.n.6.* Coninchus *diſp.27.dub. 5.n.50.* Reginald. *loc.cit.n.225.* 11 Vbi faciendæ ſint denuntiationes, quando contrahentes habent plures parœcias.

12 Quæres quartò, à quo faciendæ ſint denuntiationes.

Reſpondeo, faciendas eſſe à Parocho, vel ab alio de licentia ipſius Parochi. Ratio eſt, quia, cui licet quod plus, licet etiam quod minus, *reg.cui licet, de regulis iuris in 6.* Sicut autem ad validitatem matrimonij ſufficit præſentia parochi, vel alterius Sacerdotis de licentia ipſius parochi, ex Trident. *loc.cit.* ita etiam ſufficit, denũtiationes fieri à Parocho, vel ab alio de licentia ipſius parochi, nam ius non prohibet denuntiationes fieri ab alio de licentia Parochi. Ita Sanchez, Gutierez, Coninchus, Reginaldus, Rodriquez, [Filliucius,] & alij *locis cit.* 12 A quo faciendæ ſint denũtiationes.

13 Rogabis, qua pœna plectendus ſit Parochus, qui propria auctoritate denuntiationes omiſit.

Reſpondeo, ſuſpendendum eſſe ab officio per triennium, *c.cùm inhibitio.* Hoc tamen intelligendum eſt, modò Parochus eas omiſerit abſque legitima, & iuſta cauſa. Ita Henriquez *lib.11.c.5.n.6.* & alij. 13 Quam pœnam incurrat Parochus omittens denuntiationes.

14 Quæres quintò, quibus diebus faciendæ ſint denuntiationes.

Reſpondeo, faciendas eſſe tribus diebus feſtis continuis. Ita Tridentinum *ſeſſ.24.c.1.de Reformatione matrimonij.* 14 Quibus diebus faciendæ ſint denuntiationes.

15 Rogabis, vtrùm parochus peccet mortaliter non faciendo denuntiationes tribus diebus feſtis continuis. 15 An Parochus mortaliter peccet, non faciendo denuntiationes tribus diebus feſtis continuis.

Reſpondeo cum Sanch. *lib.3.diſp.6.n.8.* Riccio *loc.cit.* Gut. *c.56.n.4. ad finem.* Coninchо *diſp.27.dub.5.n.47.* Reginaldo *lib.31.num.226.* & aliis contra Henriq. *c.7.n.1.loc.cit.* in commentario, non peccare mortaliter, ſi vno, vel altero die feſto omittat, videtur enim a mortali excuſandus ratione paruitatis materiæ. Secus ſi multos dies feſtos inter vnam, & alteram denuntiationẽ interponat; tunc enim grauiter peccat, tum quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re graui, tum quia ob magnum temporis interuallum, ſeu moram fieri poteſt, vt parochiani tardiores euadant ad deferenda impedimenta, & interim obliuiſcantur præcedentium denuntiationum.

16 Aduertendum tamen eſt, quando de licentia Ordinarij vna tantùm denuntiatio præmittitur, non ſtatim ea facta contrahendũ eſſe matrimonium, ſed per aliquod tempus arbitrio prudentis viri differendum 16 Quid faciendum ſit, quando de licentia ordinarij vna tantũ denuntiatio præmittitur.

rèndum esse, vt deferri possint impedimenta, si quæ extant inter contrahentes. Ita Sanchez, Riccius, Gutierez, & alij *locis cit.*

17 Quo tẽpore in die festo faciẽdæ sint denuntiationes.

17 Quæres sextò, quo tempore in die festo, & qua occasione faciendæ sint denuntiationes.

Respondeo, ex præscripto Concilij Tridentini faciendas esse in Ecclesia inter Missarum solemnia. Addo probabiliter cum Sanchez *disp.7.n.9.* & aliis apud Gutierez *loc.cit.num.7.* cum Reginald.*n.227.* Gutierez, Coninch. & aliis, fieri posse extra Ecclesiam in loco, ad quem magna populi copia confluit, vt accidit in prædicationibus, etiamsi locus ille non sit sacer. Ratio est, tum quia sicut ipsum matrimonium fieri potest extra Ecclesiam, ita etiam fieri possunt denuntiationes, tum quia sufficienter seruatur finis, & intentio Concilij.

18 An denuntiationes fieri possint alio die, quàm festo.

18 Rursus probabiliter addo, eas fieri posse alio die, quàm festo, eo scilicet die, quo ingens hominum multitudo ad Ecclesiam accedit, vt accidit, quando insignis concionator concionem habiturus est. Ratio est, quia finis Concilij Tridentini præscribentis fieri denuntiationes, est, vt multi sciant matrimonium contrahendum, & facilius detegant impedimenta, quæ norunt; sed huic fini sufficienter satisfit, quando denuntiationes fiunt extra Ecclesiam in loco, ad quem confluit magna populi copia, aut quando magna hominum multitudo ad Ecclesiam accedit, etiamsi non sit dies festus; ergo denuntiationes possunt aliquando fieri alio die, quàm festo, aut etiam alia occasione, quàm inter Missarum solemnia, vt tempore concionis, ad quam magna confluxit populi copia. [Ita Sanchez, Filliucius, & alij Doctores citati.]

19 An denuntiationes fieri possint in festo alicuius particularis Ecclesiæ.

19 Hinc patet, denuntiationes fieri posse in festo alicuius particularis Ecclesiæ, ad quam magnus hominum cœtus concurrit.

20 An sit obligatio detegendi impedimẽta matrimonij.

20 Quæres sextò, vtrùm sit obligatio detegendi, & denuntiandi impedimenta.

Respondeo affirmatiuè, modò [conscij impedimentorum] possint hoc facere absque graui suo incommodo, & absque aliorum scandalo, & hoc verum est, etiamsi impedimenta sint occulta, nec probari possint; quamobrem qui nouit, aliquos velle matrimonium contrahere cum aliquo impedimento, tenetur denuntiare, præmissa tamen prius correctione, si ex ea speratur fructus. Ratio patet ex dictis *de censuris disput.2.quæst.6.num.7.* quia in hoc casu non agitur de pœna alteri infligenda, sed de vitãdo damno spirituali ipsorum contrahentium, & eorum filiorum, qui alioquin illegitimè nascerentur; quando autem agitur de damno alterius vitando, denuntiandum est delictum, etiamsi sit occultum, & probari minimè possit, & hoc verum est, quamuis impedimentum acceptum sit sub secreto, aut auditum sit ab aliis, modò auditum sit à persona fide digna, quæ nondum detulerit illud impedimentum, nam dictum hominis fide digni facit fidem, & veram notitiam, secus si audiuit a persona nil certum sciente, vel si non meminit, à qua persona audierit. Ita Sanchez *lib. 3. disput.13.num.7.* Coninchus *loco citato dubio 7.num. 61.* Gutierez *de matrimonio cap.59.num.2.* Genuensis *in praxi Neapolitana c.2.n.2.* Regin. *lib.31.num.228.* Rodriquez *cap.217.num. 9.* Filliucius, & alij, quos retuli *loc.cit.*

21 An habens impedimentum teneatur desistere à matrimonio contrahendo, illudque iudici interroganti manifestare.

21 Addit Sanchez *disp.14.* Coninch.*num.64.* [Filliucius *num.187.*] Gutierez *num.13.* Reginald.*lib.31.num.238.ad finem*, obstrictum impedimento teneri desistere à matrimonio contrahendo, vt per se patet. Præterea teneri ad illud manifestandum iudici interroganti, vt etiam nos ostendimus *in octauo Decalogi præcepto*, modò iuridicè interrogetur. [Vide infrà dicenda *q.3.punct.vlt.n.13.*]

PVNCTVM VII.

Vtrùm matrimonium contractum sine Parocho, & testibus in iis locis, in quibus Concilium Tridentinum non est acceptatum, sit validum.

VNICA PROPOSITIO.

1 An matrimoniũ valide celebretur sine parocho, & testibus in iis locis, vbi Concilium Tridentinum non est acceptatum.

1 VAlidum est matrimonium contractum sine Parocho, & testibus in eo loco, in quo non est promulgatum Concil. Trident. vel in quo non est acceptatum, saltem quoad hoc particulare decretum. Ratio est, quia lex non obligat, nisi sit promulgata, & acceptata, vt inquiunt communiter DD. *cap.1. de Treuga, & pace*, & patet ex dictis de legibus; ergo validum est matrimonium contractum sine parocho, & testibus, in iis locis, in quibus Conc. non est promulgatum, vel saltem non est acceptatum, quoad hoc particulare decretum, sicut erat validum huiusmodi matrimonium ante Conc. Trid. Ita colligitur ex Tridentino *sess. 24. c. 1. ad finem.*

2 An trãsferens se ad locum, vbi Tridẽtinum non est acceptatum, possit ibi matrimonium sine parocho, & testibus valide celebrare.

2 Quæres primò, vtrùm incola vnius loci, in quo promulgatum, & acceptatum fuit Trident. transferendo se eò loci, v.g. in Græciam, vbi non fuit promulgatum Concil. possit ibi matrimonium absque parocho, & testibus validè celebrare.

Respondeo, posse validè contrahere sine præsentia parochi, & testium. Ita Sanchez *lib.3.disp.18.num.8.* Henriquez *lib.11.ca. 8. num.8.* P. Ledesma *quæst.45.art.4.punct.3.* Rebel. *2.parte lib.2. q.7.numer.15.* Reginald. *lib.31.num.176.* Coninch. *disp.27.dub.1. num.14.* Gutierez *cap.61.de matrimonio num.12.* [Filliucius *tract.10.cap.6.n.199.*] & alij communiter. Ratio est, tum quia leges non cadunt absolutè super personas subditas, sed super personas existentes in loco, vbi leges receptæ sunt; cùm ergo hic non existat in eo loco, vbi receptum sit Tridentinum, sequitur posse validè contrahere absque præsentia parochi, & testium, quæ est forma à Tridentino præscripta, tum quia hoc est conforme illi axiomati: *Si fueris Romæ, Romano viuito more*, &c. tum quia hoc est speciale in contractu, vt celebretur iuxta solemnitates receptas in eo loco, vbi celebrandus est, *l. si fundus. ff. de euictionib.* cùm ergo matrimonium sit contractus, validè celebrari potest iuxta formam receptam in eo loco, in quo celebratur, consequenter potest validè celebrari sine parocho, & testibus in iis locis, in quibus Tridentinum non est receptum, etiamsi contrahens sit ibi tantum per modum transitus: imò etiamsi eò se transtulerit, vt posset liberè contrahere matrimonium absque parocho, & testibus, vtitur enim iure suo, qui autẽ vtitur iure suo non dicitur fraudem committere, ita vt effectus, & valor matrimonij impediatur. *l. nullus. ff. de regul. iur.* Ita Sanch. *loco citato.* [Filliucius *n.199.*] & alij contra Ledesmam, Henriquez, & Rebel. *locis citatis*, arbitrantes non validè contrahi matrimonium ab eo, qui eò se transtulit intentione contrahendi sine Parocho, & testibus. Ratio ipsorum est, quia fraus nulli debet patrocinari. Sed hæc ratio non est firma, dico enim non fraudem illi patrocinari, sed ius, quod habet ad contrahendum sine parocho & testibus in loco vbi Conc. Trident. receptum non est.

3 An captiui apud Turcas possint validè matrimonium celebrare absque parocho, & testibus.

3 Hinc sequitur primò, conta P. Ledesm. *q.45. artic. 5. dub. vlt.* captiuos apud Turcas posse validè contrahere matrimonium sine Parocho, & testibus, etiamsi non habeant animum ibi perpetuò manendi. Idem dicendum est de mercatoribus, & aliis, qui sunt apud Turcas, vel apud hæreticos, in quorum territoriis Tridentinum non est acceptatum, quamuis ipsi mercatores sint incolæ illorum locorũ, in quibus Concilium est acceptatum, & obligat.

4 An extraneus validè celebret matrimonium sine parocho, & testibus, in eo loco, vbi non est acceptatum Tridentinum.

4 Secundò sequitur, extraneum, qui in Græcia reperitur, vel in Germania, posse ibi matrimonium contrahere sine parocho, & testibus, si Concilium non est ibi acceptatum: non enim obligatur seruare leges in sua patria receptas, nisi etiam illæ leges seruentur in eo loco, in quo pro tempore commoratur. Qua de causa Sacerdos Latinus transiens per Græciam potest celebrare in fermentato iuxta morem Græcorum, & extraneus, exempli gratia, Romanus potest hic Mediolani non ieiunare, & iis cibis vesci, quibus Mediolanenses vescuntur quatuor diebus antecedentibus Quadragesimã iuxta morem Ambrosianum. Vide quæ diximus *de legibus quæst.1.punct.6.*

5 An incola illius loci, in quo Tridentinum non est acceptatum possit celebrare matrimoniũ sine parocho, & testibus, si diuertat ad eum locũ, in quo nõ est acceptatum.

5 Quæres secundò, vtrùm incola illius loci, in quo non est acceptatum Concil. Trident. possit contrahere matrimonium absque parocho, & testibus, si diuertat ad eum locum, in quo est acceptatum Concil. Trident. vt si Græcus se transferat huc Mediolanum.

Respondeo cum Sanchez *lib.3.disp.18.numer.26.* Reginald. *lib. 31. nu.176.* Coninch. *disp.27 dub.1.ad finem*, P. Ledesm. *quæst. 45. punct.3. ad finem*, non posse contrahere absque parocho, & testibus. Ratio est, quia licet sit regula generalis, extraneum non teneri legibus loci, ad quem diuertit absque intentione ibi manendi maiore anni parte, vt ostendi *de legibus punct. 6.* nihilominus ab ea regula excipitur primò lex generalis, qualis est hæc, vt ostendi *de legib.* cum Suarez, quidquid dicat Sanch. *loc.cit.*

Secundò excipitur contractus, qui celebratur iuxta conditiones præscriptas in eo loco, in quo contractus celebratur, *l. si fundus. ff. de euiction.* Ex quo fit, vt si dubium aliquod oriatur circa celebrationem contractuum, iudicandum sit, contractus celebratos esse iuxta consuetudinem regionis, vt inquiunt communiter DD. Cum igitur matrimonium sit verus contractus, & lex præscribens matrimonium celebrari coram parocho, & testibus, sit generalis, sequitur matrimonium celebrandum esse coram parocho, & testibus in iis locis, in quibus Tridentinum est acceptatum, quamuis contrahens sit incola illius loci, in quo non est acceptatum Tridentinum. Vide quæ diximus *de legibus loco citat. dub.3.num.55.*

PVNCTVM VIII.

Quis debeat assistere matrimonio, vt validè contrahatur.

SOlutio huius puncti facilè colligi posset ex præcedentibus, nihilominus maioris perspicuitatis gratia fusius hanc doctrinam explicabo.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quinam Sacerdos debet assistere matrimonio.

1 AD validè contrahendum matrimonium requiritur præsentia proprij parochi, vel alterius Sacerdotis de licentia parochi, vel Ordinarij. Ita Trident. *sess. 24. cap. 1. de Reform. matrimonij.* Proprius parochus dicitur ille, in cuius parochia contrahens habitat. Vnde parochus alienigenarum est ille, in cuius parochia alienigenæ habitant, seu commorantur maiore anni parte, vt patet ex declaratione Cardinalium, & benè ostendit Sanchez *lib. 3. disput. 23.* Gutierez *cap. 63. num.19. & 20.* Coninch. *disp.27.dub.2.num.18.* Riccius *in praxi decis. 244.* & Menochius *lib.4.consil.398.num.33.*

2 An recedens à propria parochia validè contrahat coram parocho, ad cuius parœciam se recepit.

2 Ex quo fit, vt ille, qui ad aliquem locum diuertit, intentione ibi manendi maiori anni parte, possit matrimonium contrahere coram Parocho illius loci, in quo incipit habitare cum intentione manendi ibi maiori anni parte, seu cum intentione gerendi aliquod negotium, quod maiorem anni partem postulat. Ratio est, tum quia contrahit ibi domicilium parochiale ad suscipienda Sacramenta, ex cepto Ordine, & Tonsura, tum quia potest ibi sepeliri, & astringitur legibus illius loci; ergo potest etiam coram parocho illius loci matrimonium celebrare.

3 An amasia validè celebret matrimonium coram parocho concubinarij ad cuius domicilium se transtulit.

3 Hinc patet primò solutio cuiusdam casus, de quo aliàs consultus fui, videlicet validum fuisse matrimonium cuiusdam amasiæ, quæ transtulit se ad domicilium concubinarij, intentione ibi commorandi maiori anni parte, ibique coram parocho illius domicilij celebrauit matrimonium, non cum amasio, sed cum alio extraneo, nam ipsa contraxerat domicilium parochiale in eo loco. Ita Sanchez *loco citato, num.12.* & multi Patres eruditissimi Consultores Pœnitentiariæ, quamuis aliqui contrarium sensisse videantur, & Venetus aliter definitum esse testetur quidam Treuisanus apud Sanchez *loco citato numer.11. ad finem*, & apud Riccium *loco citato.*

4 An femina, quæ inualidè cõtraxit corã proprio parocho, satisfaciat coram eodem contrahendo, postquam mutauit proprium domicilium.

4 Secundò patet, feminam, quæ coram parocho suæ parœciæ contraxit matrimonium inualidũ, seque inde transtulit ad domũ sponsi commorantem in alia parœcia cum intentione ibi perpetuò manendi, non posse postea coram eodem parocho matrimonium de nouo validè celebrare, nam ille non dicitur amplius proprius parochus, seu Sacerdos, cùm femina mutauerit, & amiserit primum domicilium, statim ac incepit habitare in parœcia sponsi cum intentione ibi perpetuò manendi. Ita Sanchez *lib.3.disp.23.num.15.*

5 An validè possit contrahi ma-

5 Tertiò patet, non posse matrimonium validè contrahi corã paro-

trimonium coram Parocho, ad cuius parœciam aliquoties in anno quis diuertit relaxationis gratia.

cho illius oppidi, ad quod sponsus contracturus matrimonium aliquoties in anno diuertit recreationis gratia, vel causa colligendorum fructuum, cum alibi habeat principale domicilium. Ratio est, quia non dicitur ibi propriè commorari, & habitare, vt patet ex dictis de legibus, & ita sæpius declaratum fuit in Rota Romana, teste Riccio *decis.*224. Menoch. *lib.* 4. *consil.*394. *num.*53. *fol.miki* 361. in prima editione, vbi plurimorum Doctor. refert opiniones in toto illo consil. [Sanch. *disp.*23. Filliucius *num.*209.]

6 An diuertens ad aliquem locum possit matrimonium celebrare coram Parocho illius loci.

6 Quartò patet, inualidum esse matrimonium celebratum ab incola ciuitatis coram parocho ruris, ad quod solet aliquoties in anno causa recreationis accedere, vel ad rusticalia exercenda, vt dictum est *illatione* 3. Idem dic de eo, qui causa pestis, vel belli fugit à sua parochia ad aliam quàm primùm reuersurus, vt ex Nauarr. & aliis tradit Gutierez *de matrim. cap.*63. *num.*7. Sanchez *disp.*23. *num.*13.

7 An validum sit matrimonium eorũ, qui alio se conferunt vt euitent proprios Parochos.

7 Si quæras, vtrum sit validum matrimonium alienigenarum, qui data opera incipiunt alibi habitare, vt euitent proprios Parochos, & sine illorum facultate contrahant matrimonium.

Respondeo, hoc sufficienter colligi posse ex dictis in præcedenti puncto, *num.*2. videlicet matrimonium illorum esse validum; tum quia vtuntur iure suo: tum quia proprius eorum parochus est ille, in cuius parochia commorantur. Ita colligo ex Sanch. *lib.*3. *disp.*18. *numer.*29. *& disput.*23. *numer.*13. *&* 14. *& disput.*25. *numer.*11. Gutierez *disp.*65. *n.*11. cõtra Rebel. *lib.*2. *q.*8. *n.*6. Rodriq. *c.*219. *n.*2. & alios apud Gutierez *de matrim. c.*63. *n.*33. *& c.*65. *n.*12.

8 Quinam Parochus debeat assistere matrimonio eorum, qui duplicem habent parœciam.

8 Quintò patet solutio illius quæstionis, qua quæritur, quisnam parochus possit coniungere in matrimonium eos, qui duplicem habent parœciam habitationis, qui scilicet æqualiter ferè habitant in vno loco, ac in alio, vt qui hyeme habitant in vno loco, æstate verò in alio.

Respondeo enim, quemlibet parochum ex duabus illis habitationibus posse illos validè coniungere. Ratio est, quia vterque est illorum proprius parochus; sicut enim potest acquiri duplex domicilium, ita etiam duplex parœcia habitationis, vt constat ex *cap.* 2. *de sepulturis in* 6. Ita Gutierez, *cap.*62. *num.*4. *& cap.*64. *n.*2. Sanch. *lib.*3. *disput.*24. *num.*2. Riccius, & Rebell. *locis* statim *citandis*, Coninch. *loco citato, num.*19. contra Nauarr. *de sponsalibus consil.* 52. vbi asserit, requiri assistentiam illius parochi, in cuius parochia matrimonium contrahitur. [Hinc colligunt Sanchez, Gutierez, & alij *locis cit.* si habens duas parochias eligat sepulturam in diuerso loco, canonicam portionem inter vtrumque parochum diuidendam esse.

Dixi in responsione, quemlibet parochum ex duabus illis habitationibus posse validè coniungere, vt innuerem valde probabilẽ esse nonnullorum Doctorum sententiam, asserentium posse quidem validè coniungere, sed non licitè: nam sacra Cardinalium congregatio declarauit, eum qui matrimonio assistit, debere esse parochum illius parœciæ, in qua contrahitur matrimonium. Ita Henriquez *lib.*11. *c.*3. *num.*2. Nauarr. *loc.cit.* Filliucius *tract.*10. *cap.*6. *quæst.*3. *num.*202 contra Sanchez *disp.*19. *quæst.*3. excusantem à peccato.]

9 Quinam Parochus possit interesse matrimonio vagorum.

9 Sextò patet solutio illius quæstionis, qua quæritur, quisnam parochus possit interesse matrimonio vagorum.

Respondeo enim, quemlibet posse validè interesse; sicut enim quilibet parochus potest illorum confessiones audire, & sacramenta administrare, ita potest validè illorum matrimonio interesse. Caueat tamen parochus, ne illorum matrimoniis assistat; antequam adhibuerit debitam diligentiam in indagandis impedimentis, & antequa m obtinuerit ab Ordinario licentiam assistendi illorum matrimonio, vt patet ex Tridentino *sess.*24. *cap.*7. Ita Sanchez *lib.*3. *disp.*25. P. Ledesm. *quæst.*45. *art.*5. *post. dubium quartum, versic. Dico secundo, fol.mihi* 205. Henriq. *lib.*11. *cap.*3. *num.*3. *ad finem*, Coninch. *loco citato num.*20. Gutierez *ca.*65. *num.*6. [Filliucius *num.*212.] & alij communiter; nam periculum est, ne nouum matrimonium contrahant relicta prima vxore, & hoc valet etiam in iis, qui alibi habentes domicilium volunt contrahère in eo loco, vbi ignoti sunt.

10 An matrimoniũ celebrari possit corã Parocho siue viri, siue feminæ.

10 Septimò patet, ad validitatem matrimonij sufficere, si matrimonium contrahatur coram parocho, siue viri, siue feminæ, quando vir est vnius parœciæ, & femina alterius. Ita declarauit Congregatio Cardinalium teste Rebel. *lib.*2. *quæst.*8. [*& lib.*4. *in declar. Cardin. sect.*3. *num.*34.] Idem tenet Riccius *decis.*244. Reginald. *lib.*31. *num.*277. [Nauarr. *lib.*4. *consil.*52. Sanchez *lib.*3. *disput.*19. Marzilla *in declarat. Card.* & alij apud Doctores cit.] Ratio est, tum quia Tridentinum dicit, matrimonium contrahendum esse coram parocho, & non magis expressit parochum viri, quàm feminæ; tum quia quilibet parochus habet ordinariam potestatem administrandi Sacramenta suis subditis; ergo potest etiam illos in matrimonium cõiungere; etiamsi aliquis illorum contrahere velit cum extraneo, aut alter, vel vterque sint diuersi idiomatis, quod non percipiatur à parocho, sufficit enim, vt consensum contrahentium intelligat per interpretem; sicut enim reliqui contractus celebrari possunt per interpretem, ita etiam matrimonium. Ita Sanchez *lib.*3. *disp.*39. *num.*3. Gutierez *cap.* 69. *num.*5. & alij communiter, [vide dicta *num.*5.]

11 An matrimoniũ vrgente necessitate celebrari possit sine Parocho, & testibus.

11 Octauò, matrimonium contractum in articulo mortis sine parocho inualidum esse, quamuis contractum fuerit quacumque vrgente necessitate. Ratio est, quia matrimonium contractum sine forma substantiali est inualidum in omni casu, sed matrimonium factum absque parocho, & testibus dicitur factum sine forma substantiali, eo quòd in Trid. irritetur, quãdo enim apponitur particula irritans, inducitur forma substantialis, vt dictum est in tractatu de legibus. Concilium autem Tridentinum irritat matrimonium clandestinum in quolibet casu ex defectu præsentiæ parochi, & testium, vt patet ex illa particula, *omninò inhabiles sint.* Ita Sanchez *lib.*3. *disp.*17. P. Ledesma *quæst.*45. *artic.* 5. Henriquez *lib.*11. *cap.*3. *numer.*5. Rodriquez *cap.*119. Coninch. *disp.*30. *dub.*2. *num.*20. Riccius *decis.* 243. *numer.* 3. Reginaldus *lib.*31. *num.*176. Gutierez *cap.*61. *num.*4. [Filliucius *tract.* 10. *cap.*6. *quæs.*1. *num.*196.] & alij contra Vegam, & alios apud Sanchez, & apud Gutierez *locis citatis.* Neque excusare potest conscientia inuincibilis huiusmodi decreti, nam ignorantia excusat à peccato, sed non ab inaliditate actus, vt alibi ostendimus. Neque in hoc potest Episcopus dispensare, vt benè tradit Gutierez, & Sanchez, & patet ex dictis *de legibus.* [quia Episcopus dispensare non potest in iure communi irritante actum aliter factum.]

Neque obstat, si dicas, præceptum Ecclesiæ non obligare cum tanto rigore, ita vt non liceat in tanta necessitate contrahere absque parocho, & testibus, nam verum est, præceptum Ecclesiæ non obligare cum tanto rigore, quando præceptum non inducit formam substantialem, vt est præceptum præmittendi denuntiationes. Secus dicendum est, quando inducit formam, seu solemnitatem substantialem, & reddit contrahentes inhabiles, vt patet in nostro casu. Ita Sanchez *loco cit. num.*5. Suarez *de legibus, lib.*5. *cap.*23 *n.*2. Salas *de legibus disp.*11. *sect.*1. *n.*9. Gutierez, & alij *locis cit.*

12 Quænã licentia requiratur, vt quilibet Sacerdos possit assistere matrimonio.

12 Hinc colligi potest solutio sequentis casus, de quo aliàs interrogatus fui. Titius in articulo mortis existens, absente proprio parocho contraxit coram parocho alterius oppidi cum Berta consanguinea in quarto gradu, quam antea carnaliter cognouerat, & ex ea filium susceperat. Quæritur, an validè contraxerit ante executionem dispensationis, quam Summus Pontifex per Vicarium Generalem obtinendam concesserat, peractis quibusdam operibus, quorum aliqua præstita fuerant ab ipso Titio, sed Vicarius nondum concesserat dispensationem iuxta facultatem sibi præscriptam à Sede Apostolica.

Ratio dubitandi [in fauorem matrimonij] est, tum quia, quamuis matrimonium contractum inter consanguineos, vel alios impedimento dirimente obstrictos sit inualidum, nihilominus hic casus videtur per Epicheiam exceptus ob grauem, & vrgentem prolis illegitimæ necessitatem, tum quia dispensatio iam obtẽta erat à Sede Apostolica. [Ita Vega *in summa lib.*3. *casu* 361. Grassius *lib.*2. *decis. cap.*86. *num.*4. & alij.]

Nihilominus firmiter, constanterque tenendum est, Titium inualidè matrimonium contraxisse. Ratio est primò, quia matrimonium celebratum coram alio Sacerdote, quàm coram proprio parocho, vel alio absque licentia proprij parochi, inualidum est, etiamsi contrahatur in articulo mortis, vt patet ex Trident. *sess.*24. *cap.*1. iis præsertim verbis, *omnino inhabiles*, &c. sed Titius non contraxit coram proprio parocho, sed coram alio absque licentia proprij Parochi; ergo inualidè contraxit.

Addo, proprium parochum non potuisse in hoc euentu facultatem assistendi concedere alteri Sacerdoti; sicut enim ipse parochus non potuisset validè assistere, vt patebit ex secunda ratione, ita neque potuit assistendi facultatem alteri concedere. Secundò, quia vt matrimonium coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote validè contrahatur, celebrari debet inter personas habiles; cùm autem consanguinei non sint habiles ad contrahendũ, nisi fiant habiles per actum, & executionem dispensationis, sequitur, Titium inualidè matrimonium cum Berta consanguinea contraxisse. Ita expresè tradit Suarez *lib.*5. *de legibus, cap.*23. *num.*2. 3. *&* 4. [Filliucius *tract.*10. *cap.*6. *quæs.*1. *num.*196. Barbosa *in remissionibus sess.*24. *cap.*1. *num.*59.] Sanchez *lib.*3. *disp.*17. *num.*4. P. Ledesma, & alij, quos refert Sanchez *loco cit. num.*4. Suarez *loco cit. n.*4. & Riccius *in praxi decis.*241.

Ad primam rationem dubitandi,

Respondeo cum Suarez *loco cit. num.*3. & Sanchez *loco citat. num.*5. inhabilitatem impositam, & inductam per legem, non tolli per modum Epicheiæ, sed tolli per actum positiuum superioris, vel alterius habentis vim, & auctoritatem auferendi dictam inhabilitatem, & inducendi facultatem, & potestatem ablatam per impedimentum, quamuis Epicheia possit in aliquo casu excusare ab obligatione, & à peccato; cùm autem in proposito casu nondum fuerit ablata inhabilitas contrahendi matrimonium inter Titium, & Bertam, sequitur, Titium inualidè contraxisse matrimonium cum Berta.

Ad secundam respondeo, rescriptum à Sede Apostolica obtentum esse potiùs mandatum ad dispensandum, quàm dispensationem. Ita Sanch. *lib.*8. *disp.*30. *num.*12.

Hinc colligitur, filium susceptum nõ censeri legitimum, vel enim est legitimus propter dispensationem Summi Pontificis, vel propter matrimonium. Non primum, quia dispensatio Summi Pontificis nondum fuit obtenta, sed solùm Vicario Generali data fuit commissio, & mandatum ad eam concedendam; neque secundum, tum quia proles non fit legitima per matrimonium sequens, nisi matrimonium sit validum, vt tradit Couarruuias, & alij apud Sayrum *lib.*6. *de censuris, cap.* 10. *numer.*22. *&* 27. tum quia matrimonium subsequens non efficit prolem legitimam, nisi contrahentes tempore conceptionis, vel natiuitatis prolis essent habiles ad contrahendum: Titius autem tempore conceptionis, vel natiuitatis filij non erat habilis ad contrahendum matrimonium cum Berta propter impedimentum consanguinitatis, quod nondum sublatum erat, *cap. tanta. qui filij sint legitimi.* Ita Suarez, Sayrus, Henriquez, & alij, quos ego adduxi *in meo tractatu de censuris disput.*7. *quæst.*2. *punct.*3. *num.* 6. *pagin.*330. in prima editione, & alij, quos refert Sanchez *lib.* 8. *disp.*7. *& disp.*34. *à num.*45. qui videndus est.

Nonò patet, ad validitatem matrimonij sufficere præsentiam alterius, qui non sit parochus, modò sit Sacerdos, & licentiam habeat à Parocho, vel eius Vicario, licet amouibili habente facultatem administrandi Sacramenta, & assistendi matrimoniis. Imò non solùm sufficit ad validitatem matrimonij, si alienus Sacerdos licentiam habeat à proprio Parocho, vel eius Vicario permanente, vel amouibili: sed etiam si illam habeat ab Episcopo, vel à Vicario Generali, aut ab alio Prælato habente auctoritatem quasi Episcopalem, qualem habent Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum, & aliqui Abbates in suis Abbatiis, si habeant iurisdictionẽ quasi Episcopalem in Ecclesia nulli Episcopo subiecta. Ratio est, quia Tridentinum requirit præsentiam parochi, vel alterius Sacerdotis assistentis de licentia parochi, vel ordinarij, nomine autem ordinarij veniunt omnes dicti. Ordinarius enim hoc loco dicitur ille, cui subiectus est parochus

illius

illius loci. Ita Sanchez *lib.3.disp.28.* & deinceps, Reginald. *num.178.* Henriq. *lib.11.cap.3.num.4.* Coninch. *dub.2.num.17.* Gutier. *cap. 62. 64. 66. & 68.* [Filliuc. *n 214.*]

13 An sufficiat facultas tacita assistendi matrimonio.

13 Aduertunt tamen aliqui Doctores contra Coninchum *num.31.* Reginaldum *num.181.* Sanchez *disp.35.* [*quæst.3.* & Filliucium *n.219.*] licentiam non debere esse tacitam, qualis est illa, quæ oritur ex tolerantia, vel ex ratihabitione, sed debere esse expressam, qualis est licentia ad assistendum specialiter matrimonio, vel ad exercenda omnia parochi officia, vel ad omnia Sacramenta administranda, hæc enim sufficit, quia cùm generalis sit, generaliter accipienda est, quatenus etiam comprehendit assistentiam matrimonij, nisi aliter probabiliter credatur de voluntate parochi. Ita declarauit Illustrissima Cardinalium Congregatio, quam declarationem citat, & sequitur Rebell. post *lib.4. in declarationibus Cardinalium sect.3.* illam etiam citat, sed non sequitur Sanchez *lib.3.disp.35.num.9.* Idem tenet Reginaldus *lib.31.num.178. & 180.* [Filliucius *nu.218.*] contra Henriquez ex parte *lib.11.c.3.n.5.* Coninch. *loc.cit.dub.3.num.30.*

14 An requiratur licentia in scriptis.

14 Addit Rebellus *lib.2. quæst.3.* istam facultatem debere dari in scriptis; sed hoc mihi non placet. Ratio est, tum quia Tridentinum non exigit licentiam in scriptis; tum quia scriptura non est de essentia gratiæ, & priuilegij, ex Decio *in rubricis de Const.* Ita Rodriquez *c.219.n.13.* Sanchez *loco cit.n.10.* Henriquez *lib.11.c.3.n.5.* Vgolinus *de irregularitate, c.6.§.7.n.3.* Reginaldus *lib.31.n.180.*

15 Quam pœnam incurrat assistens matrimonio sine licentia.

15 Si quæras, quam pœnam incurrat assistens matrimonio sine licentia Parochi, vel Ordinarij.

Respondetur, Sacerdotem sæcularem, aut regularem, qui audet coniungere non sibi subditos, aut ipsis benedicere sine parochi, vel ordinarij facultate, incurrere ipso iure suspensionem, donec absoluatur ab ordinario illius Parochi, vt patet ex Tridentino *sess. 24. cap. 1.* Ita Sanchez *lib.3.disp.52.num.4.* Gutierez *ca.75.num.25.* [& alij communiter,] iure antiquo incurrebat excommunicationem, *Clem.1. in fine de priuilegiis*; sed illam modò sublatã esse sustinet Rebell. *in decl. Cardinal. post.4.lib.sect.3.num.83.* & plures alij, quos infrà referam sequens illorum sententiam.

16 An possit concedi facultas assistẽdi matrimonio extra paroeciam.

16 Decimò patet, parochum vel ordinarium posse concedere facultatem alteri Sacerdoti coniungendi sponsos in matrimonium, non solùm in propria parochia, verum etiam extra propriam parochiam. Ita Rodriquez *ca.218. concluf.6.* Rebell. *lib.2. quæst.8.* Sanchez *lib.3.disp.19. & 24.* Reginaldus *lib.31.num.180.* Coninch. *de matrim. disp.27.dub.2.num.23. & dub.3.num.38.* [Filliucius *num.217.*] Gutierez *cap.62.num.10.* & alij contra Nauarr. *lib.4.tit. de spons. consilio 47.* & alios apud Sanchez, & Rodriquez. Ratio est, tum quia Trident. dicit, alium Sacerdotem sufficere ad assistendum matrimonio de licentia parochi, vel ordinarij, & non dicit in propria parochia; ergo non potest sufficiens ratio assignari, quare addenda sit limitatio contra fauorem, & validitatem matrimonij, ita vt parochus solùm possit concedere Sacerdoti licentiam coniungendi sponsos in propria parochia; tum quia huiusmodi licentia non est actus iurisdictionis contentiosæ, & litigiosæ; sed gratiosæ, ac voluntariæ: actus autem iurisdictionis gratiosæ, ac voluntariæ exerceri potest extra locum propriæ iurisdictionis, vt concedunt communiter Doctores.

17 An possit concedi facultas assistendi matrimonio extra diœcesim.

17 Ex quo vlterius patet à fortiori, proprium parochum posse sine peccato coniungere suos subditos in matrimonium, non solùm extra propriam parochiam, sed etiam extra propriam diœcesim, vt patet tum ex rationibus allatis, tum quia proprius parochus potest administrare Sacramenta suis ouibus, vbicumque existant; ergo potest etiam interesse Sacramento matrimonij, vbicumque illæ existant, etiamsi non obtinuerit facultatem ab eo parocho, in cuius parochia sponsi coniunguntur. Ita Rebell. *loco citat. numero 5* & alij, quos in simili retuli *de Sacramento Pœnitentiæ*, eosque sequitur Sanch. *lib.3. quæst.19.num.11. & 14.* Reginald. *lib.31. numer.177.* Coninch. *loc. cit.* Gutierez *cap.62.num.4.*

18 An Archiepiscopus possit coniungere subditos suffraganeorum.

18 Si quæras, vtrùm Archiepiscopus possit coniungere in matrimonium subditos suorum suffraganeorum, vel dare licentiam illos coniungendi.

Respondetur non posse, quia ipse non est ordinarius illorum, nec est eorum superior, nisi in gradu appellationis, iuxta dicta *de voto quæst.2.punct.20. & de censuris disp.1.quæst.3.punct.2.num.7.* vbi nonnullos alios casus excepi. Vide Sanchez *lib.3.disp.26. vsque ad 32.* vbi ostendit quinam Sacerdotes, præter parochum, possint assistere matrimonio, vel dare licentiam assistendi. Videri etiam potest Reginaldus *num.178.* Coninchus *num.17.* Henriquez *cap.3.* & Gutierez *cap. 62. 64. & 68.*

19 An parochus, qui nondum est Sacerdos, possit matrimonio assistere.

19 Vndecimò patet validum esse matrimonium contractum coram parocho, qui nondum est Sacerdos. Ita Sanch. *disput.20.* Nauarr. *lib.4.consil.conf.30.* P. Ledesm. *q.45.art.5.* Henriquez *lib.11. cap.3.* Reginaldus *lib.31.num.177.* Coninchus *dub.2.num.21.* [Filliucius *tr.10. c.6.quæs.3 num.203.*] & alij contra Rodriquez *cap.219.nu.9.* & alios apud Gutierez *cap.62.num.16. & 17.* Ratio est, tum quia Tridentinum requirit solùm præsentiam parochi; potest autem aliquis esse parochus, etiamsi nondum sit Sacerdos, tum quia præsentia parochi non requiritur in hoc casu ad exercendam functionem sacerdotalem. Verum tamen est, alterum, qui de licentia parochi assistit, debere esse Sacerdotem, ita enim præscribit Tridentinum *loco citato.* [ibi, *qui aliter, quam præsente parocho, vel alio Sacerdote,* & c.]

20 An validè assistat matrimonio, qui licentiam extorsit per metũ, dolum, &c.

20 Rogabis, vtrùm sit validum matrimonium, contractum coram eo sacerdote, qui licentiam assistendi extorsit per metum grauem, vel illam impetrauit per dolum, & mendacia, quam licentiam non impetrasset, nisi dolum, & mendacia adhibuisset.

Respondeo primò, matrimonium esse validum, quando licentia extorta est per metum leuem, aut grauem. Ratio est, quia iurisdictio metu extorta validè transfertur, iuxta communiorem sententiam, vnde dici solet metu gesta valere, exceptis aliquibus casibus, vt absolutione ab excommunicatione, & c. de quibus dictum est, de contractibus per metum celebratis; ergo etiam est validum matrimonium, quando licentia extorta est per metum, præsertim cum huiusmodi licentia non sit actus iurisdictionis, sed sit actus parochi, non in quantum formaliter habet iurisdictionem, sed in quantum est testis à iure institutus ad testificandum de matrimonio, & ad substituẽdum alium ad hunc effectum. Ita Sanchez *lib.3.disp.39.num.13. & disp.21. num.7.* Reginaldus *lib.31.num.182.* Coninchus *disp.27. dub.3. nu.37.* Gutierez *c.69.num.14.* & alij.

Respondeo secundò, matrimonium esse inualidum, quando licentia extorta fuit per dolum, & mendacia versantia circa causam finalem. Pro intelligentia huius rei,

Aduertendum est, dolum, & mendacia aliquando versari circa causam finalem, aliquando circa impulsiuam tantùm. Tunc versantur circa causam finalem, quando concedens licentiam mouetur ad eam concedendam ob causam sibi dolosè narratam, sed ita est affectus, vt si nosset, causam illam non subsistere, non concederet licentiam. Tunc verò versantur circa causam tantùm impulsiuam, quando concedens non principaliter mouetur ad cõcedendam licentiam ob illam causam sibi dolosè narratam, licet aliquo modo ob illam moueatur, & impellatur. Hoc posito,

Dico, quando dolus, & mendacia sunt causa finalis concessionis, seu licentiæ, inualidam esse concessionem, seu licentiam, consequenter inualidum esse matrimonium contractum coram eo Sacerdote, qui licentiam extorsit per dolum, & mendacia, versantia circa causam finalem. Ratio est, tum quia dispositio facta per dolum versantem circa causam finalem est inualida, vt ostẽdi de contractibus cum communi Doctorum sententia, tum quia nihil est magis contrarium consensui, quàm error, *l. si per errorem. ff. de iurisdictione omnium iudicum.* Secus dicendum est, quando licentia fuit extorta per dolum, & mendacia versantia tantummodò circa causam impulsiuam. Sit exemplum: Aliquis Sacerdos accedit ad parochum, à quo petit fictè, nomine alicuius Illustris viri, facultatem assistendi matrimonio, parochus compulsus ficta petitione concedit illi facultatem assistendi matrimonio, quæritur modò, vtrùm valida sit ista facultas, & consequenter validum sit matrimonium coram eo Sacerdote celebratum.

Respondendum est, validum esse, quia dolus versatur circa causam impulsiuam, & non circa finalem, nam parochus, concedens licentiam, non videtur principaliter moueri ad illam concedendam ob petitionem Illustris viri, quæ videtur impertinens ad concessionem illius facultatis; & hoc videtur verum, etiamsi concedens ita fortè sit habitualiter affectus, vt si nosset fictionem, non concederet licentiam assistendi, alioquin nullæ dispositiones essent firmæ, & validæ, cùm ferè semper aliquid lateat disponentem, quo cognito non disposuisset, vt patet ex dictis de contractibus per dolum celebratis ad finem, ad quæ remitto lectorem. Ita Sanchez *disp.39. nu.15.* [Filliucius *num.227.*] Reginald. *num.182.* Coninchus *num.37.* Gutierez *cap.69.num.15.* & alij.

21 An parochus interdictus, seu prohibitus, valide assistat matrimonio.

21 Duodecimò patet solutio illius quæstionis qua quæritur, vtrùm valida sit matrimonium, cui astitit parochus interdictus, seu prohibitus ab Episcopo assistere matrimonio.

Respondeo enim, validum esse. Ratio est, tum quia posito eo interdicto, seu prohibitione, parochus adhuc retinet iurisdictionem, seu potestatem: tum quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, tum quia ita declarauit Cardinal. Congregatio. Idem dicendum est, quando huiusmodi prohibitio facta fuit coadiutori, vel Vicario parochi. Ita Sanchez *lib.3. disp.32.* Rebell. *2.p.lib.2.quæst.9.n.9.* Henriquez *lib.11.cap.3.num.4.* P. Ledesm. *quæst.45. art.5.* Rodriquez *1.parte, c.219.n.10.* Reginald. *lib.3.num.179.* Riccius *decis.143.* [Filliucius *tract.10.c.6.quæs.6.num.215.*] Coninchus *dub.2.num.28.* Ceuall. *pract.quæst.commun.contra communes quæst.604.num.71.* quem citat, & sequitur Gutierez *de matrim.cap.62.n.25. & c.67.n.3. & 4.* & alij apud Sanch. *loco cit.n.2.* & Gutierez *loco cit.*

22 An parochus, cui vetitum est ministrare Sacramenta possit assistere matrimonio.

22 Decimotertiò, parochum cui vetitum fuit à superiore administrare Sacramenta propter infelicitam, posse validè assistere matrimonio: tum quia huiusmodi assistentia non est propriè administratio Sacramenti, sed auctorizatio, vt ita dicam, & conualidatio consensus contrahentium, quæ non censetur comprehensa in dicta prohibitione, tum quia posita illa prohibitione, adhuc est parochus, & potest testimonium ferre de contractu matrimonij. Si verò vetitum sit parocho administrare Sacramenta, eò quòd mente captus sit, non potest validè assistere matrimonio, nam parochus debet esse præsens moraliter & humano modo, ille autem est præsens humano modo, qui videt, & aduertit, quod fit. Secus si non aduertat, nec intelligat, quod agitur. *l. coram Titio 209. ff. de verborum significatione.* sufficit tamen, si parochus externo sensu percipiat consensum contrahentium, siue consensus exprimatur verbis, siue signis, siue percipiat consensum per immediatè, siue percipiat per interpretem, quando ipse non intelligit sermonem contrahentium, modò tamen sit compos sui, ita vt non sit ebrius, nec dormiat, & c. alioquin non esset præsens moraliter, & humano modo. Ita Sanchez *lib.3.disp.39.num.1.* Speculum *in appendice, dub.5.concl.4.fol.14.* Rodriquez *cap.219.num.11.* P. Ledesma *quæst.45.art.5.* Riccius *loco cit.* Henriquez *loco cit.* [Filliucius *tr.10.c.6.quæs.9.n.224.*] & alij.

23 An matrimoniũ sit validũ, quando parochus affectat nõ intelligere.

23 Rogabis, vtrùm matrimonium sit validum, quando parochus sui compos adest, sed affectat non intelligere.

Respondeo, validum esse, modò verè intelligat. Ita declarauit Illustrissima Cardinal. Congregatio, quam citat Rebell. *sect.3. num.51. & 73.* Riccius *loco citato.* Gutier. *cap.69. numer.8.* & Sanchez *lib.3.disp.30.num.6.* in qua declaratione habetur, parochum ita debere interesse, vt appareat ipsum hac de causa fuisse adhibitum, tunc autem Parochus intelligitur adhibitus, quando est adhibitus ad illum actum, etiamsi ex alia causa vocatus sit, aut adductus sit ad illum actum per dolum, aut per metum, & sit inuitus, aut contrariam habeat intentionem. Secus dicendum est, quando parochus casu adest, vt si conuiuij & confabulationis, vel alterius negotij gratia adsit ibi,

& interim audiat fieri contractum, tunc enim inualidum est matrimonium, eò quod Parochus dicatur præsens casu, & non formaliter adhibitus ad hunc contractum. Ita declarauit prædicta Congregatio, quamuis contrarium sentire videantur Sanchez *disp.* 38. *à num.* 9. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 182. [Filliucius *num.* 225.] Gutierez *num.* 12. *loco citat.* vbi dicunt validum esse matrimonium, etiamsi celebretur coram Parocho, & testibus casu transeuntibus, nam isti dicũtur præsentes cum sufficienter aduertant ad id, quod agitur, possintque de hoc ferre testimonium, nec vlla alia præsentia requiratur in Tridentino: sed contrarium nobis videtur probabilius, tum ob declarationem Cardinalium, tum quia matrimonium non dicitur formaliter, & propriè celebratum coram Parocho, sed solùm materialiter.

24 An affectus censura, vel irregularitate, valide assistat matrimonio.

24 Decimoquartò validum esse matrimonium, cui astitit Parochus, vel Sacerdos excommunicatus, aut suspensus ab officio, aut irregularis: vt hoc melius intelligatur,

Aduertendum est, excommunicatũ alium esse toleratum, & non vitandum, alium esse non toleratum, & vitandum. Vitandus dicitur, qui est denuntiatus excommunicatus, vel qui est notorius percussor Clerici, nam post Concil. Constantiense non tenemur euitare quemcumque excommunicatum, sed illum tantummodò, qui est nominatim denuntiatus, vel qui est notorius Clerici percussor. Hoc posito;

Dico, Parochum non solùm excommunicatum toleratum, vel suspensum ob officio, vel irregularem, posse validè assistere matrimonio, sed etiam excommunicatum non toleratum, seu vitandum, aut suspensum, aut irregularem. Ita Henriquez *lib.* 11. *ca.* 3. Coninch. *dub.* 2. *num.* 24. Reginaldus *loco cit. num.* 177. Riccius *decis.* 243. Gutierez *c.* 62. *n.* 23. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 21. *n.* 4. Rebell. *lib.* 2. *q.* 9. *nu.* 9. P. Ledesm. *q.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *dub.* 3. *in fine*, [Filliuc. *nu.* 204.] & alij contra Stephanum de Auila 2. *part. c.* 6. *disp.* 3. *dub.* 1. *concl.* 5. & alios. Ratio nostra est, tum quia hæc assistentia auctoritatiua non est propriè actus iurisdictionis, ita vt non possit validè ab excommunicato vitando exerceri, sicut ab eo non possunt exerceri actus iurisdictionis, tum quia Conc. Tridentinum solummodò requirit præsentiam Parochi, sed parochus excommunicatus, vel suspensus non desinit esse parochus propter censuras; ergo validè assistit. Idem dicendum est de Vicario parochi excommunicato, vel suspenso, quamuis peccet communicando in diuinis cum aliis extra casum necessitatis.

25 An excommunicatus possit dare facultatem assistendi matrimonio.

25 Addo cum DD. citatis, non solum ipsum parochum excommunicatum vitandum posse validè assistere matrimonio, sed etiam posse concedere licentiam alteri Sacerdoti ad assistendum, nam huiusmodi licentia non est propriè actus iurisdictionis, & sicut parochus excommunicatus non est priuatus auctoritate assistendi, ita nec potestate dandi prædictam licentiam. Ob eamdem rationem constat parochum posse validè dare huiusmodi licentiam Sacerdoti excommunicato, vel irregulari, vel suspenso ad assistendum matrimonio. Ita Sanchez *loco citat.* [Filliucius *numer.* 204.] & alij contra Coninchum *loco citat. num.* 25. & Auilam *loco citat.* Vide Doctores citatos, præsertim Sanchez *disp.* 20. & 21. & 30. *num.* 10.

26 An Sacerdos degradatus valide assistat matrimonio.

26 Addo cum Sayro *de cens. lib.* 5. *ca.* 22. *nu.* 26. & aliis, validum esse matrimonium, cui de licentia parochi astitit Sacerdos degradatus. Ratio est, tum quia versamur in materia matrimonij, quæ fauorabilis est, tum quia Sacerdos degradatus est adhuc Sacerdos.

27 An Parochus inualide habens beneficium, valide assistat matrimonio.

27 Decimoquintò patet solutio illius quæstionis qua quæritur, vtrùm parochus, habens iniustum titulum beneficij, validè assistat matrimonio, vt accidit quando parochus commisit aliquod delictum, ratione cuius est ipso iure priuatus beneficio, vel quando habet beneficium incompatibile, vel quando acceptauit beneficium in excommunicatione.

Respondeo enim, validum esse, etiamsi ipso iure sit priuatus beneficio, modò in iudicio nondum fuerit illo legitimè spoliatus. Ratio est, quia adhuc est parochus cum titulo colorato, & errore communi vulgi, vt suppono, quæ autem fiunt ab aliquo cum titulo colorato, & errore communi, valida sunt. *l. Barbarius. ff. de officio Prætoris.* Pro maiori intelligentia huius quæsitionis,

Aduertendum est solutionem pendere ab ea quæstione, qua quæritur, vtrùm valida sint ea, quæ fiunt ab aliquo iudice, qui verè non est iudex, sed existimatur iudex, e.g. Vtrùm acta per seruum, qui existimatur Prætor, cùm verè non sit Prætor, valida sint, ac si gesta fuissent à vero Prætore. Ad quam difficultatem responderi solet, valida esse, modò tria concurrant.

Primum est, vt adsit titulus coloratus, seu putatiuus, vt communiter testantur DD. statim citandi contra Genuensem *in praxi Neapol. cap.* 50. *num.* 3. vbi refert Bartolum, & alios.

Secundum, vt adsit error communis.

Tertium, vt nullum adsit impedimentũ iuris diuini, vel naturalis.

Primò igitur requiritur titulus coloratus, qui censetur adesse, quando superior legitimus cõfert alicui dignitatem, vel beneficium, sed collatio est inualida ob occultum aliquod impedimentum recipientis collationem, vt accidit quando confertur beneficium excommunicato, collatio enim beneficij facta excommunicato inualida est, vt ostendimus de censuris. Præterea titulus coloratus adest, quando aliquis recipit dignitatem, vel beneficium à legitimo superiore, sed postea committit aliquod delictum, ratione cuius est ipso iure priuatus illa dignitate, vel beneficio. Rursus adest titulus coloratus, quando superior occultè reuocat dignitatem, vel facultatem. Quando igitur adest titulus coloratus aliquo ex his modis, valida sunt gesta per iudicem, prætorem, vel parochum, qui non est verus iudex, prætor, vel parochus, ius enim humanum supplet defectum veri tit. *l. Barbarius. ff. de offic. prætoris.*

28 An valida sint gesta eius, qui se intrusit in aliquod officium.

28 Hinc sequitur, gesta per eum, qui absque legitima auctoritate intrusit se in officium iudicis, parochi, vel Confessarij, esse inualida in vtroque foro, quia intrusus non habet titulum verum, vel coloratum, ad hoc autem vt valida sint gesta alicuius iudicis, parochi, &c. qui verè non est iudex, parochus, &c. requiritur titulus coloratus collatus ab eo superiore, qui potest illum conferre, alioquin si titulus habeatur ab eo, qui non potest illum conferre, non sunt valida gesta, propterea si aliquis simplex Capellanus, & simplex Sacerdos constitueretur parochus à laicis, inualidè assisteret matrimonio, inualidè absolueret, &c. quamuis communiter haberetur pro vero parocho, nam deest titulus coloratus collatus à legitimo superiore, vel saltem collatus ab eo superiore, qui & ipse habeat titulum coloratum. Ita Syluest. *v. Confessor* 1. *q.* 19. Nauarr. *c.* 9. *n.* 7. Gut. *c.* 62. *n.* 26. Reginald. *lib.* 1. *n.* 99. Salas *de legibus disp.* 10. *sect.* 3. *n.* 14. *vers. Confirmatur.* [Filliucius *tract.* 10. *c.* 6. *q.* 4. *num.* 205.] Tabiena, Caiet. Medina, & alij, quos cit. & sequitur Sanch. *lib.* 3. *disp.* 22. *nu.* 29. & Auila 2. *part. c.* 6. *disp.* 6. *dub.* 7. *pag.* 129. Idem innuit Coninch. *de pœnit. disp.* 8. *dub.* 3. *ad fin. & de matrim. disp.* 27. *dub.* 2. *num.* 26.

Secundò, præter titulum coloratum requiritur error communis, id est, error, quo aliquis communiter habeatur pro vero titulari, beneficiario, prætore, &c. non tamen sufficit error vnius, vel duorum, sed debet esse error communis, nec sufficit quicumque error communis, sed debet esse probabilis, id est, non crassus, vel supinus, nam huiusmodi error æquiparatur scientiæ, *c.* 2. *de constit. in* 6. Ita Angelus, & alij apud Sanchez *loc. cit. numer.* 8. & apertè patet ex *leg. Barbarius*, citata.

Tertiò requiritur, vt non adsit impedimentum iuris diuini, vel naturalis, nam quando huiusmodi impedimentum adest, Prælatus, vel Ecclesia non potest huiusmodi defectum supplere, cùm non habeat potestatem in superiorem, sicut potest supplere defectum iuris humani, & illum re ipsa supplet quando adest titulus coloratus, & error communis, alioquin si Ecclesia illum non suppleret, sequerentur multa incommoda, multæ perplexitates, multa dubia, & multi scrupuli. Ita Caietanus *in summa verb. Confessionis iteratio.* Palud. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 6. *artic.* 1. Reginald. *lib.* 1. *numer.* 97. & alij apud Sanch. *lib.* 3. *disput.* 22.

29 An Ecclesia suppleat iurisdictionem, quando adest opinio probabilis.

29 Addo huiusmodi defectum etiam suppleri ab Ecclesia, quando adest opinio probabilis, tunc enim censetur adesse error communis, & titulus coloratus, vt accidit, quãdo est opinio probabilis, aliquem posse absoluere à reseruatis, aut à censuris, aut posse assistere matrimonio, tunc enim sequens opinionem probabilem, validè absoluit, validè assistit matrimonio, &c. vt patet ex allata ratione. Et hoc verum est, etiamsi populus dubitet superiorem esse priuatum suo officio, nam melior est conditio superioris possidentis. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *disp.* 8. Henriquez *lib.* 5. *de pœnit. ca.* 14. *num.* 4. Sanchez *loco cit. n.* 65. & alij, quos retuli *quæst. vlt. de pœnit. punct.* 7. *quæst.* 1.

Ex dictis colligi potest solutio non solùm casus propositi in quæsito, sed etiam multorum aliorum, quorum doctrina non solùm est vera in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ, nec solùm militat in iudice ordinario, sed etiã in delegato, vt patet ex *cap. infamis.* 3. *q.* 7. Ita Sanchez *loco cit. num.* 16.

30 An Parochus habens beneficium incompatibile, valide assistat matrimonio.

30 Primò colligi potest, validum esse matrimonium, cui astitit parochus, habens titulum inualidum ob vitium aliquod occultum, aut habens beneficium incompatibile sibi collatum à legitimo superiore. Ratio est, quia adest titulus coloratus cum errore communi absque impedimento iuris naturalis, aut diuini. Ita Coninch. *disp.* 27. *de matrim. dub.* 2. *n.* 26. Sanchez & alij DD. cit.

31 An Sacerdos, qui habetur pro Parocho, valide absoluat.

31 Secundò sequitur, validam esse absolutionem datam ab eo Sacerdote, qui communiter habetur pro parocho, cuique Episcopus contulit beneficium parochiale, sed collatio fuit inualida ob occultum aliquod illius Sacerdotis impedimentum dependens ab Ecclesia, vt ob excommunicationem, cuius effectus est, irritam facere collationem. Ita communiter Doctores.

32 An facultas absoluendi valeat ipso termino.

32 Tertiò, videtur sequi iuxta Henriq. *lib.* 6. *cap.* 6. eum, qui facultatem ab ordinario acceperat absoluendi per annum, licet ipso anno non sit amplius approbatus, validè absoluere, modò communi errore adhuc censeatur approbatus. Sed contrarium mihi dicendum videtur, eò quod non videatur adesse sufficiens titulus coloratus, cùm potiùs sit contra formam datam, vt optimè tradit Mascard. *tom.* 2. *concl.* 1383. *numero* 5. vbi refert Gomez, & alios, multaque disserit pertinentia ad forum externum circa probationem tituli in foro externo.

33 An laicus, qui pro Parocho habetur, valide assistat matrimonio.

33 Quartò, validum esse matrimonium contractum coram laico, cui parochus concessit facultatem assistendi matrimonio, si communi errore habetur Sacerdos. Ratio est, quia adest titulus coloratus, adest error communis, & non interuenit impedimentum iuris naturalis, vel diuini, sed est defectus qui suppleri potest ab Ecclesia, quæ sicut statuit inualidum esse matrimonium sine parocho, vel alio Sacerdote, ita potest facere, vt sit validum matrimonium celebratum coram laico, qui communi errore, & titulo colorato, existit natur parochus, vel Sacerdos.

34 An affectus censura valide assistat matrimonio in alio loco, vbi id ignoratur.

34 Quintò, illum esse validè absolutum, qui parocho nominatim denuntiato, vel notorio Clerici percussori confessus est peccata sua, vel in eo loco, in quo communi errore, & titulo colorato habeatur pro vero parocho, nec credebatur excommunicatus, nec ipse pœnitens sciebat illum esse excommunicatum, in hoc enim casu Ecclesia supplet iurisdictionem, qua caret excommunicatus denuntiatus, vel notorius Clerici percussor. Idem dicendum est de suspenso, & irregulari. Ita Sanchez *loc. cit. n.* 46. & Reginald. *loco* statim *cita ndo*, & alij, quos retuli *de censuris disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 2. §. 4. *num.* 3.

35 An remaneat absolutus, qui Sacerdoti excommunicato vitando confitetur in eo loco, vbi ignoratur.

35 Verum tamen est, illum pœnitentem non esse validè absolutum, qui confessus est parocho, quem pœnitens sciebat esse excommunicatum vitandum, quamuis ille parochus communiter in illo loco haberetur pro legitimo superiore, & non excõmunicato. Ratio est, quia confitens peccata sua illi Sacerdoti, peccat mortaliter participando in diuinis, absque necessitate, vel alio iusto titulo cum excommunicato vitando, consequenter non recipit beneficium absolutionis, eò quòd dicatur ponere obicem ad absolutionem, & ad gratiam per participationem in diuinis cum excommunicato vitando.

Ex quo patet, illam absolutionem esse inualidam, nõ defectu iurisdictionis,

dictionis, cùm Sacerdos illam habeat per errorem communem cum titulo colorato, sed ratione participationis in diuinis cum excommunicato vitando, participans enim cum excommunicato in diuinis peccat mortaliter, nisi excusetur ratione necessitatis, vel alio iusto titulo, vt patet ex dictis de censuris. Ita Sanchez *loco citato*. Reginaldus *lib.1.n.117.vers.his addendum.*

36 An validè absoluat Sacerdos, cui ficte data fuit facultas.

36 Sextò, validam esse absolutionem, datam ab eo Sacerdote, cui Episcopus verbis tantummodò, sed absque vera intentione, & cum fictione, concessit facultatem absoluendi, nam interuenit error communis, & titulus præsumptus collatus à legitimo superiore, & facultas, seu iurisdictio, quam Episcopus fictè concessit, potest ab Ecclesia suppleri. Ita Sanchez, Gutierez, & alij *locis citatis.* contra Petr. Ledesm. *q.45.art.5.punct.3.dub.4.* & Ceuallos *q.604.num.121.*

37 An validè assistat matrimonio, quãdo Sacerdoti facultas fictè data fuit.

37 Septimò, validum esse matrimonium contractum coram eo Sacerdote, cui Parochus fictè concessit facultatem assistendi, vt patet ex proximè allata ratione. Ita Sanchez *loco citato, nu.64.* & alij contra P. Ledesm *q.45.art.5.punct.3.dub.4.*

38 An gesta cum errore communi valida sint respectu ignorantis.

38 Octauò, gesta per eum, qui caret vero titulo, sed communi errore, & titulo colorato habetur titularis, esse valida non solùm respectu eorum, qui nesciebant illum carere vero titulo, verùm etiam respectu illius qui sciebat, ei verum titulum deesse. Ratio est, quia, vt dictum est in secunda conditione, sicut requiritur error communis, & non sufficit error particularis ad hoc, vt sint valida alicuius gesta, ita etiam requiritur scientia communis, & non sufficit scientia particularis carentiæ veri tituli ad hoc, vt sint inualida gesta per habentem titulum coloratum cum errore communi.

39 An valide absoluat, qui creditur Sacerdos, cum non sit.

39 Nonò, non esse validam absolutionem collatam ab eo, qui verè non est Sacerdos, quamuis errore communi & titulo colorato habeatur pro vero Sacerdote. Ita Caietanus, & alij, quos citat Sanchez *loc.cit.num.6.* & Auila *loc.citat.* Ratio est, quia adest impedimentum iuris diuini, quod ab Ecclesia suppleri non potest, nam facultas absoluendi iure diuino competit tantummodò veris Sacerdotibus.

40 An valida sint gesta iudicis mente capti.

40 Decimò, non esse valida gesta per eum iudicem, qui mente captus est, quamuis communi errore credatur sanæ mentis, nam interuenit defectus naturalis, qui non potest ab Ecclesia suppleri, ob id sententia lata ab insano iure naturæ non obligat. Ita Reginald. *lib.1. num.97.* Sanch. & alij *locis citatis.*

Quæres primò, vtrùm Sacerdos possit præstare fidem asserentibus, se habere veniam contrahendi matrimonium coram ipso.

Respondeo negatiuè: nisi sint personæ valde dignæ fide, nam in iis, quæ pertinent ad externam Ecclesiæ gubernationem, non creditur testantibus in propria causa, præsertim si hoc vergere possit in præiudicium alterius. Ita Sanchez *lib.3.disp.37.numer 2.* Regin. *lib.31. n.181.* Coninchus *disp.27.dub.3.ad finem.* [Filliucius *num.221.*]

41 An Parochus assistens matrimonio debeat vti aliquibus verbis.

41 Quæres secũdò, vtrùm ad validitatem matrimonij requiratur, vt Parochus, vel alius Sacerdos, assistens matrimonio, vtatur aliquibus verbis in celebratione matrimonij.

Respondeo, ad validitatem matrimonij hoc non requiri. Ratio est, quia Tridentinum *in clausula irritante* non facit vllam mentionem verborum; ergo verba Sacerdotis non requiruntur ad validitatem matrimonij. Ita Sanchez *lib.3.disp.38.num. 4.* Reginaldus *lib. 31. num.175.* Riccius *decis.243.* Coninchus *disp.27.dub.4.n.45.* Gutierez *c.69.n.3.* [Filliucius *tract.10.c.6.quæs.8.n.222.*] Verum tamen est, Sacerdotem teneri ex præcepto eiusdem Tridentini *sess.24.ca. 1.* vti his verbis, *ego vos coniungo in nomine Patris,* &c. vel saltem vti aliis iuxta ritum, & consuetudinem patriæ. Ita Speculum *in Append. dub. 4. cons.3.* & alij communiter.

42 An Parochus peccet mortaliter, omittendo verba, *Ego vos coniungo.* &c.

42 Rogabis, vtrùm omissio prædictorum verborum sit peccatum mortale, an veniale tantùm.

Respondeo iuxta multos DD. vt Rebellum *sect.1.n. 4.* Henriquez *lib.11.ca.2.* & alios, esse peccatum mortale, quia violatur præceptum Concil. Trident. Sed mihi probabilius videtur cum Sanchez *lib. 8. d. 38.n.7.* Coninch. *n.45.* Gutierez *loc.cit.n.16.* & aliis, esse tantummodò peccatum veniale ob paruitatem materiæ, nam violare præceptum in re parua est peccatum tantummodò veniale, vt communiter asserunt Doctores.

43 An parochus teneatur interrogare contrahentes de consensu.

43 Addo cum eodem Sanch. & Regin. *locis cit.* Coninch. *dub.5.n.74.* [Filliucio *n.223.*] Gut. *c.69.ad finem*, ex Tridentino, Parochum teneri interrogare contrahentes de mutuo consensu, vtrùm scilicet femina velit ducere virum, & vir feminam. Omissio tamen istius interrogationis videtur esse peccatum tantummodò veniale, quando Parochus certus est de mutuo consensu illorum, tunc enim omissio istius interrogationis videtur res parua.

SECVNDA PROPOSITIO.

44 Quot, & quales testes requirantur ad validitatem matrimonij.

44 AD validè contrahendum matrimonium, præter assistentiam Parochi, necessaria est duorum, vel trium testium præsentia, vt constat ex Tridentino *loco citato*; horum autem præsentia debet esse moralis, & humano modo, vt scilicet aduertant, & intelligant id quod agitur. *l. coram Titio. ff. de verborum, & rerum significatione.* Præterea debet esse simultanea, & non sufficit successiua, vt colligitur ex eodem Tridentino, vbi requirit testes per copulam *&*, quæ particula est copulatiua. Hæc sunt verba Concilij, & aliter quàm præsente Parocho, & duobus, vel tribus testibus. Ita Speculum *in appendice dub.6. concl.4.pag.14.* Sanchez *lib.3.disp.41.num.3.* [Filliucius *tract.10. cap.6. quæs.10.num.229.*] & alij communiter.

45 An testis amens, ebrius, &c. validè assistat matrimonio.

45 Hinc colligi potest primò, dormientes, amentes, ebrios, furiosos, quamdiu carent lucido interuallo, non esse testes idoneos ad matrimonium, quia non possunt esse præsentes humano modo. Ita Sanchez *loco cit.* Gutierez *c.69.n.2.* Coninchus, & alij communiter.

46 An quilibet doli capax, etiã impubes, possit esse testis in matrimonio.

46 Secundò, quascumque personas doli capaces posse esse testes in matrimonio cuiuscumque ætatis, conditionis, & status existant, propterea non excluduntur impuberes, vsum rationis habentes, neque feminæ, neque cõsanguinei, neque pater, vel mater, neque familiares, neque infideles, neque excommunicati, quamuis enim istæ personæ non admittantur tamquam testes idonei in aliis rebus, nihilominus admitti possunt in matrimonio. Ratio est, tum quia possunt esse præsentes moraliter, tum quia Tridentinum nullos testes excipit; ergo non est ratio cur nos excipiamus, illosque exigamus ad seueram, & exactam iuris normam, fauores enim sunt ampliandi, & materia matrimonij fauorabilis est. Ita communiter DD. teste Petro Ledesma *q.45.art.5.* cum Riccio *decis.255.* Reginald. *lib.31. n.183.* Sanch. *lib.3.disp.40.* Coninch. *disp.27.dub.4.* [Filliucio *n.230.*]

47 An testes matrimonij debeant esse rogati.

47 Addo cum Sanchez *lib.3.disp.40.* Gutierez *cap.55.numer.9.* non esse necessarium, vt testes sint rogati, nullo enim iure requiritur ista solemnitas in matrimonio, sed sufficit, vt sint adhibiti ad contractum matrimonij.

48 An sufficiat testis præsens per violentiam.

48 Tertiò colligitur, validum esse matrimonium contractum coram testibus præsentibus per violentiam, nam isti dici possunt præsentes moraliter, si aduertant quod agitur. Ita declarauit Cardinalium Congregatio, quam citat, & sequitur Ledesm. *quæst. 45. artic. 5. dub.5.vers.Tertia verò pars.* Speculum *in append.pag.mihi 68.* Sanchez *lib.3.disp.39.num.9.* Henriquez *lib.11.cap.13.* Coninch. *disp.27.dub.4. n.44.* Gutierez *c.69.n.13.* [Filliucius *n.226.*] quamuis aliqui Doctores oppositum sentiant.

49 An Parochus, & testes trãseuntes validè assistant matrimonio.

49 Quartò, non videri validum matrimonium coram Parocho, & testibus transeuntibus, nam transeuntes non videntur præsentes humano modo, nec videntur præsentes formaliter, vt in simili dixi de Parocho *num.20.* contra Sanchez *num.11.* & contra Gutierez *loco cit.num.12.* quorum sententiam existimo probabilem cum Petr. Ledesm. *loco citato.*

50 An contrahens matrimonium sine Parocho, & testibus reddatur inhabilis ad contrahendum aliud matrimonjũ.

50 Quæres primò, vtrùm qui sine Parocho, & testibus inualidè contraxerunt, possint postea inter se, vel cum aliis iterum cõtrahere, adhibito Parocho & testibus.

Respondeo, posse, sic enim declarauit Card. Congregatio, nec Tridentinum hoc prohibet, neque reddit huiusmodi contrahentes inhabiles ad iterum contrahendum seruata debita forma, sed tantummodò irritat matrimonium contractũ sine Parocho, & testibus. Ita Rebellus *q.8.* Petr. Ledesm. *q.45. artic.5.* & alij, quos citat, & sequitur Gutierez *de matrim.cap.61.num.2. & cap.75.numer. 4.* contra Maiolum.

51 An matrimoniũ clandestinum inducat aliquam obligationẽ, aut impedimentũ.

51 Quæres secundò, quid operetur matrimonium clandestinum contractum sine Parocho, & testibus, vtrùm videlicet inducat aliquam obligationem.

Respondeo, nullam obligationem inducere, nec solùm non habere vim matrimonij, sed neque sponsaliorum, nisi fortè contrahentes habuerint animum obligandi se eo modo, quo possent. Ratio est, quia Tridentinum reddit irritum, & nullum matrimonium clandestinum: si autem huiusmodi contractus clandestinus induceret aliquam obligationem, & haberet vim spõsaliorum, matrimonium non esset irritum, & nullum, sed esset aliquo modo validum. Et hoc verum est, etiamsi matrimonium clandestinum celebratum sit cum iuramento, nam iuramentum est de re illicita, vtpote contra legem nolentem ex illo cõtractu obligationem induci, & resistentem illi contractui. *reg.non est obligatorius, de reg.iur.in 6.* Ita Sanchez *lib.1. disp.20. num.3.* Rodriquez *c.220.num.1.* Emanuel Sà *verb. Matrimon.nu. 42.* Riccius *decisione 250.* Gutierez *de matrimonio cap. 11.* Petr. Ledesm. *quæst.45.art.1.* [Filliucius *tract.10.cap.6.quæsito 9.nu.228.* & alij communiter contra Henriquez *lib.11. cap.5.num.4.* & Speculum *in appendice dub.9.propositione 2.folio mihi 25.* asserentes matrimonium clandestinum habere vim sponsaliorum, & obligare ad iterum publicè contrahendum. Sed nostra sententia probabilior est, & est intelligenda, quantum est præcisè ex vi contractus matrimonij clandestini, nam aliunde, e. g. ratione damni illati, vt si sponsus defloraut feminam, cum qua clandestinè contraxit matrimonium, fieri potest, vt inducatur obligatio saltem restituendi damnum illatum arbitrio prudentis viri, iuxta Gutierez *loco citato, numer.3.* iuxta Rodriquez *1. part.c.220.* Petr. Ledesmam *q.45.art.5.punct.2.* & alios, contra Sanchez *loco citato num.5. & 6.*

Obiicies primò; quando actus non valet vt agitur, valet eo modo, quo valere potest, *l. tam anguste. ff. de seruitutibus.* Si ergo matrimonium clandestinum non valet, vt matrimonium, valebit saltem vt sponsalia, & obligationem sponsaliorum inducet, cùm sponsalia clandestina possint validè celebrari.

Respondeo, actum valere eo modo, quo valere potest, quando defectus prouenit ex parte causæ efficientis, non verò quando prouenit ex parte causæ efficientis, & ex parte formæ; in præsenti autem casu defectus non solùm prouenit ex parte causæ efficientis, (causa enim efficiens sunt ipsi contrahentes, qui ex decreto Tridentini reddutur inhabiles ad clandestinè contrahendum) sed etiam ex parte formæ, quæ est solemnitas à Tridentino requisita, quam solemnitatem constat deesse, quando matrimonium clandestinè contrahitur.

Obiicies secundò, matrimonium clandestinè contractum inter impuberes, seu inter puberem, & impuberem valet, vt sponsalia; ergo matrimonium clãdestinum inducit obligationem sponsaliorũ.

Respondeo hoc esse peculiare in matrimonio clandestino impuberum, vt patet ex declaratione Cardinalium, & ex *c. fin. de desponsatione impub.cap.vnico.* Ratio est, quia ius præsumit, impuberes se voluisse obligare eo modo, quo possunt; cùm autem impuberes non possint se obligare vinculo matrimonij (matrimonium enim inter impuberes celebratum est inualidum) ius præsumit eos se voluisse obligare vinculo sponsaliorum, & ita in vtroque foro iudicandum est, quando non constat de intentione ipsorum contrahentium, aut quando impuberes non habuerunt intentionem expressam contrahendi tantummodò matrimonium, nam quando habuerunt expressam intentionem contrahendi tantummodò matrimonium, nulla obligatio sponsaliorum consurgit in foro conscientiæ ex matrimonio inter impuberes contracto. Ita Rebel. *lib.2.quæst.9.nu.7.* Speculum *art.11.* Rodriquez *loc.cit.* Henriquez *lib.11.c.13.* Sanchez *lib.1.disp. 21.num.2. & disp.51.n.7.* Gutier. *c.29.n.11.* Card. Tuscus, Valentia, Reginald.

ginald. & alij, quos referam *q.3.punct.11.n.17.* & alij contra P. Ledesm. *quæst.45.art.5.punct.2.* [& alios apud Barbosam in remissionibus *sess. 24.c.1.num.55.*]

Hinc patet differentia inter matrimonium clandestinum contractum inter impuberes, & contractum inter puberes.

Dices, Tridentinum irritat matrimonium clandestinum, sed matrimonium irritum non inducit vllam obligationē matrimonij, vel sponsaliorum; ergo matrimonium clandestinum inter impuberes, non inducit vllam obligationem.

Respondeo, Tridentinum irritare solummodò matrimonium clandestinum, quod alias erat validum, illique formam, & solemnitatem assignare, non verò irritare matrimonium clandestinum, quod alias erat inualidum, sicut erat matrimonium impuberum, quod iure antiquo erat inualidum defectu ætatis, & resoluebatur in sponsalia, vt inquiunt communiter DD. & patet ex declaratione Card. & ex *cap. vnico citato.*

50 Ex quo deducitur, ex matrimonio clādestinè celebrato inter impuberes oriri impedimentum publicæ honestatis, nam huiusmodi matrimonium resoluitur in vera sponsalia; ex veris autem sponsalibus oritur impedimentum publicæ honestatis. Ita Sanch. *loco citato*, & alij quos infra referam de impedimento publicæ honestatis.

De pœnis latis contra contrahentes matrimonium clandestinum, aut contra Parochum assistentem matrimonio clandestino, aut contra Sacerdotem assistentem matrimonio absque proprij Parochi licentia, videri potest Sanch. *lib.3.disp.45.* Gutierez *c.75.* Coninch. *disput.27.dub.9.* [Filliucius *tract.10.c.5.quæs.10.& seqq.*

Hic tamen breuiter dico primò, contrahentes matrimonium clandestinum puniendos esse arbitrio Episcopi, iuxta decretū Trid. *sess.24.cap.1.de reform. matr.* Idem sentiendum videtur de testibus assistentibus matrimonio clandestino: cùm enim peccent præstando auctoritatem actui prohibito, par est vt condigna peccato pœna puniantur.

Dico secundò, Sacerdotem sæcularem, vel regularem assistentem matrimonio clandestino, ligari suspensione, donec absoluatur ab Ordinario illius Parochi, ad quem pertinebat assistere, vt patet ex dictis *n.12.* Quem autem effectum operetur suspensio absolutè prolata, constat ex dictis *de censuris in genere.*

Dico tertiò, Parochum, qui non astitit matrimonio clandestino, sed facultatem assistendi dedit, aut sciens tale matrimonium nō prohibuit, suspendendum esse per triennium ab officio. *cap. fi. §. fi. de clandest. desponsa.* Ita Sanch. *disp.48.* Henriquez *c.5.n.6.* Filliucius *num.191.*

Dico quartò, filium ex clandestino matrimonio natum esse illegitimum, vtpote susceptum ex coniuge non sua. Vide Sanchez *disputat.43.& 44.*]

PVNCTVM IX.

Quid requiratur ad conualidandum matrimonium inualidè celebratum ob defectum consensus, vel ob aliud impedimentum.

NOtandum, matrimonium aliquando esse inualidum defectu præsentiæ Parochi, & testium: aliquando defectu consensus, vt si ambo sponsi, vel alter eorum promisit fictè, vel cum metu graui, aliquando ratione impedimenti dirimentis, quod impedimentum aliquando potest esse publicum, aliquando secretum, vel saltem periculum est, vt publicetur. In hoc puncto quærimus, quomodo fiat validum matrimonium, alias inualidum ob defectum cōsensus contrahentium, vel ob aliquod impedimentum. Vtrùm verò matrimonium contractum sine Parocho, & testibus possit fieri validum non adhibitis testibus, & Parocho, constat ex dictis puncto præcedenti *numero* 8.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quomodo fiat validum matrimoniū inualidum defectu consensus.

1 AD faciendum validum matrimonium, quod re vera est inualidum defectu consensus interni, vel ratione grauis metus, sufficit si consensus de nouo præstetur ab eo, qui consenserat fictè, aut per metum grauem, modò alter sponsus, qui antea verè consenserat, non reuocauerit suum consensum. Ratio est, quia ex parte alterius sponsi adsunt omnia requisita ad contrahendum matrimonium, & deest tantummodò consensus eius, qui fictè, vel cum metu consensit; ergo accedente nouo consensu ex parte istius validum fit matrimonium, tunc enim adest mutuus consensus, quo perficitur matrimonium, & nihil aliud deest. Ita Nauarr. *c.22.n.51.* Rodriquez *1.part. c.208.* Henriq. *lib.11.c.3.num.6.* Coninch. *disp.24.dub.10. nu. 89.* Gutierez *de matrim.c.46.n.14.* [Filliucius *tract.10.c.3.quæst.6.num.84.*] & alij apud Sanchez *lib.2.d.32.num. 9.* contra Felinum, & alios apud eumdem Sanchez requirentes nouum vtriusque consensum.

2 An necesse sit aliquid dicere alteri, qui verè consenserit.

2 Addo primò cum Sanchez *num.10.* Coninco, & Gutierez *locis citatis*, & aliis, non esse necessarium in hoc casu aliquid dicere alteri coniugi, qui verè consensit, nam ex parte ipsius non requiritur nouus consensus.

3 An consensus denuo exterius exprimi debeat.

3 Addo secundò cum prædictis Doctoribus non esse necessarium, aliquo signo externo exprimere consensum, qui de nouo præstatur; sed sufficere internum consensum: quidquid dicat Henriquez *lib.11. cap.12.n.2.* Rebel. *lib.2.quæst.9. num.1.* & alij. Ratio est, quia signum externum iam fuit exhibitum in contractu solemni, cui tantummodò deerat internus consensus; ergo sufficit de nouo exhibere internum consensum absque expressione cōsensus externi, cùm nihil aliud desideretur; sicut patet à simili de eo, qui fictè Procuratorem constituit, & postea fictionem interius reuocat, sufficienter enim supplet id, quod deerat, per reuocationem fictionis, vt patet ex supradictis *punct. 5.*

Hoc tamen non valet, quando matrimonium fuit inualidum defectu consensus vtriusque contrahentis, vel propter metum vtrique incussum, tunc enim ad validandum matrimonium non sufficit, vt consensus internus ab vtroque præstetur, sed requiritur, vt aliquo signo externo manifestetur. Ita Henriquez, Gutierez, Sanchez, & alij *locis citatis.* Perez §.34. *folio* 117. contra Syluestrum *verb. Matrimonium 2.q.11.* & alios asserētes, sufficere nouum consensum internum; sed ratio nostra est, quia matrimonium inualidè celebratum defectu consensus vtriusque contrahentis fuit omnino irritum, ac si non fuisset celebratum; ergo de nouo celebrandum est, ac si antea non fuisset celebratum, sed si antea non fuisset celebratum, necessarius esset mutuus consensus vtriusque contrahentis, signo externo expressus; ergo ad validandum matrimonium, inualidum defectu consensus vtriusque contrahentis, necessarius est mutuus consensus vtriusque signo externo expressus.

4 An matrimoniū inualidum defectu cōsensus denuo sit celebrandum coram Parocho, & testibus.

4 Addo tertiò, non esse necessarium, vt de nouo contrahatur coram Parocho, & testibus, quia Parochus, & testes fuerunt præsentes externo contractui, & eorum præsentia requiritur, quando matrimonium contrahitur secundùm omnes partes, nō verò quando suppletur aliquis defectus occultus. Ita Henriquez *loco citato nu. 2.* Rodriquez *c.208.num.7.* Gutierez *c.46.num.15.* Sanchez *loc.cit.num.13. & disp.37.n.4.* Riccius *decis.246.* Nauar. *in Manuali ca.22.numer.70.* Reginald. *lib.31.num.183. ad fin.* [Filliucius *tract.10.c.3.quæs.9.nu.93.*] & alij apud Gutierez *c.46.n.15.* contra eumdem Gutierez *c.76.n. 32. 33.& 34.* & alios, aliter existimantes in matrimonio celebrato per metum, vel cum aliquo impedimento.

5 Quantū temporis requiratur ad præstandum consensum, ob cuius defectum matrimoniū fuit inualidum.

5 Quæres, quantum temporis requiratur ad præstandum consensum, defectu cuius matrimonium inualidè fuit celebratum.

Respondeo, secundùm Sanchez *loc.cit. nu.* 2. hoc relinqui iudicio prudentis viri: secundùm Henriquez sufficere, si biennium intercessit, secundùm Nauar. *c.22.n.80.* & Gutierez *c. 46. ad finem*, sufficere quodlibet temporis interuallum, modò alter non reuocauerit consensum.

Sed mihi placet sententia P. Ledesm. *q.45. artic.3. dub.* 3. Coninchi *disp.24.dub.7.n.56.* [Filliucij *tr.10.c.3.quæs.6.n.83.*] & aliorum asserentium, requiri simultatem moralem ad validè contrahendum matrimonium; sicut enim in reliquis sacramētis requiritur, vt materia, & forma sint simul moraliter, ita etiam in contractu matrimonij debent esse simul moraliter cōsensus contrahentium, qui vicem gerunt materiæ, & formæ. Verum tamen est, quantum spectat ad naturam, & exigentiam Sacramenti matrimonij, materiam, & formam illius censeri simul moraliter, quamuis consensus alterius præstetur post multum temporis, modò alter non reuocauerit suum consensum. Hoc modo conciliari possunt inter se Doctores citati, & ita non videntur à nobis dissentire.

SECVNDA PROPOSITIO.

6 Quomodo validū fiat matrimonium inualidū ob impedimentum dirimens.

6 AD validandum matrimonium quod initio contractus fuit inualidum propter aliquod impedimentum dirimens, necessarius est post impetratam impedimenti dispensationem, aut post illius cessationem, nouus vtriusque consensus signo externo expressus, nec sufficit consensus eius, qui nouit impedimentum. Ita Henriquez *lib. 12.cap.11.* Gutierez *cap.47.num.3.& c.76. n. 32.* Coninchus *disp. 24. dubio 10.num.95.* P. Ledesm. *quæst.45.art.3.dubio vltimo.* Speculum *in appendic.dubio 10.* Nauarr. *cap.22.num.47.* Sanchez *lib. 2. disputat. 35.* Perez *loco citato.* [Filliucius *tract.10.cap.3.quæsito 6. num. 84. & 89.*] & alij apud Petrum Ledesm. & Gutierez, & Sanchez *locis citatis.* Ratio est, quia consensus antea præstitus fuit omnino irritus ex parte vtriusque contrahentis, cùm versaretur circa materiam illegitimam, & inualidam, contrahentes enim erant inhabiles ad contrahendum matrimonium ratione impedimenti dirimentis; ergo de nouo præstandus est ab vtroque contrahente cum signo externo, nam sicut à principio requirebatur consensus vtriusque, exteriùs manifestatus, ita etiam modò requiritur, cùm priùs matrimonium perinde se habeat, ac si nullo modo celebratum fuisset.

Ex quo patet, non sufficere consensum illius tantùm, qui nouit impedimentum.

7 An coniux conscius impedimenti possit rogare alterum, vt iterum consentiat.

7 Quæres primò, vtrùm quando matrimonium fuit inualidum ob impedimentum dirimens, possit coniux conscius impedimenti rogare alterum coniugem, inscium illius impedimēti, vt de nouo consentiat, non detegendo impedimentē, nec inualiditatem matrimonij.

Respondeo, duplicem esse sententiam.

Prima est Caiet. *in opusc.* Rebel. *lib.2.q.9.art.4.* & aliorum asserentium sufficere, vt coniux conscius impedimenti obtineat de nouo consensum ab altero coniuge inscio impedimēti, modò impedimentum sublatum sit per dispensationem, vel alia ratione.

Ex quo fit, vt si coniux conscius impedimenti nolit reuelare impedimentum alteri coniugi inscio illius, eò quod sit periculum alicuius grauis incommodi, reuelando impedimentum, possit hoc modo loqui; consensus, quem habui in contractu matrimonij, non fuit sufficiens ad valorem matrimonij, quæso de nouo consentiamus, & ita accedente de nouo mutuo vtriusque consensu matrimonium coalescit. Ratio est, quia illi coniuges sublato impedimento sunt habiles ad contrahendum, & mutuum præstant consensum; ergo matrimonium coalescit, & fit validum, cùm ad illius validitatem nihil aliud requiri videatur, quàm vt contrahentes sint habiles, & mutuò consentiant, etiamsi alter eorum sit inscius impedimenti præterriti, nec illi deregatur.

Secunda sententia est Petr. Ledesm. *q.45. art.3.* Sanchez *lib. 2. disp. 36.n.4.* Gutierez *c.47. de matrimonio, n.4.* & aliorum existimantium, manifestandum esse impedimentum coniugi ignoranti, seu illi notificandam esse matrimonij inaliditatem. Ratio est, quia nihil est magis contrarium consensui, quàm error, *leg. si per errorem ff. de iurisdictione omnium iudicum*; sed ignorans impedimentum consentit ex errore, quo credit alterum esse suum coniugem; ergo verè nō consentit, cùm intendat consentire in suum coniugem, qui verè non est, consequenter manifestandum est impedimentum.

Sed mihi dicendum videtur impedimentum manifestandum esse coniugi illud ignoranti, quando manifestari potest absque graui periculo, hoc enim modo tollitur omne dubiū inaliditatis matrimonij, cùm vterque de nouo consentiat habita cognitione inaliditatis matri-

matrimonij. Ita Sanchez, Gutierez, Filliucius, & alij *locis citatis*. Non nego tamen, quin matrimonium possit coalescere, & validari, etiamsi impedimentum non manifestetur, modò alter inscius impedimenti ita consentiat, vt velit matrimonium esse validum, quamuis antè fuerit inualidum, vt si dicat, consentio, quantum possum, vel quantum debeo, vel quantum necesse est ad validitatem matrimonij. Ratio est, quia nihil deest ratione cuius matrimonium debeat dici inualidum, cùm adsit sufficiens consensus. Hoc modo intelligenda est prima sententia. Secùs dicendum est, si coniux inscius inualiditatis prioris matrimonij, intendat solummodò ratificare præteritum matrimonium, quod credit fuisse validum, vt patet ex rationibus secundæ sententiæ, quæ si hoc modo procedat, vera est. Hinc igitur constat, vtrùm semper detegendum sit impedimentum, & vtrùm coniux ignarus impedimenti admonendus sit de inualiditate matrimonij, respondetur enim detegendum esse, quando commodè manifestari potest, vt dictum est. Secus si commodè, & absque periculo nequeat manifestari, & hoc pacto intelliguntur clausulæ dispensationum, in quibus præscribitur, coniugem admoneri de inualiditate matrimonij, non enim credibile est, Summum Pontificem obligare cum tanto incommodo. Ita Sanchez *lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 61. Reginald. *lib.* 31. *num.* 220. & alij.

Maior difficultas est, quodnam remedium adhibendum sit, quando nullitas matrimonij est ignota alteri, nec potest ei manifestari absque graui periculo, nec vllus consensus potest extorqueri seruata regula à nobis tradita, vt si vir non sit hilaris, nec velit respondere, & ex alia parte petat debitum, & vxor nequeat negare absque scandalo. Respondet Sanchez *lib.* 2. *disput.* 36. *num.* 9. Gutierez *cap.* 47. *num.* 4. *vers. Vltima conclusio.* Rodriquez 1. *part. cap.* 220. *num.* 2. Coninchus *disp.* 24. *dub.* 10. *num.* 86. [Filliucius *num.* 92. *ad fin.*] & alij sufficere, vt ipsa copulam habeat affectu maritali, sic enim ipsa videtur consentire, sicut etiam vir censetur consentire, cùm habeat copulam affectu maritali, putans matrimonium esse validum. Verùm hæc doctrina magnam habet difficultatem, nam matrimonium est inualidum, & cùm vir copulam habeat ignorans inualiditatem matrimonij, non videtur de nouo consentire, vel tantùm censetur consentire in suam coniugem: hunc autem consensum non sufficere testatur idem Sanchez *num.* 4. quare prædicta doctrina sustineri potest, vt probabilis potius ob auctoritatem Doctorum, quàm ob rationem.

8 An validũ sit matrimoniũ cum falso errore impedimenti celebratũ.

8 Quæres secundò, vtrùm sit validum matrimonium contractum cum falso errore impedimenti, vt quando sponsi existimabant subesse impedimentum dirimens, quod verè non suberat, scientes matrimonium, cum huiusmodi impedimento celebratum, esse inualidum.

Respondeo cum Petr. Ledesm. *q.* 55. *art.* 9. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 33. *nu.* 2. Gutierez *cap.* 47. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 11. *num.* 5. Rodriquez 1. *parte, cap.* 233. *nu.* 3. Nauarr. *cap.* 22. *nu.* 66. & Sylvest. *verb. Matrimonium* 8. *q.* 13. [Filliucio *tract.* 10. *cap.* 3. *quæst.* 7. *nu.* 87.] & aliis, quos referam *q.* 3. *punct.* 10. *ad finem.* contra Coninch. *disput.* 24. *dub.* 6. & nonnullos alios apud Sanchez *loc. cit. num.* 1. validum esse, si contrahentes intendant contrahere, quantum in ipsis est. Ratio est, quia matrimonium validè celebratur, quando contrahentes sunt habiles, & habent sufficientem consensum; sed in hoc casu contrahentes sunt habiles, & habent sufficientem consensum ad contrahendum, cùm intendant contrahere quantum possunt; ergo matrimonium validè celebratur. Cõfirmatur à simili de eo, qui credit Baptismum nihil valere, sed nihilominus baptizando intendit facere quod potest, & quod intendit sancta Mater Ecclesia, certum enim est, illum validè baptizare, vt testantur communiter DD. quos retuli *de Sacramentis*; ergo idem dicendum videtur in casu proposito.

9 An validũ sit matrimonij eorum qui credũt adhuc viuere priorẽ coniugẽ, cùm mortuus sit.

9 Hinc sequitur, validum esse matrimonium, quod duo contraxerunt cum intentione contrahendi, quatenus possunt, existimantes priorem alterius coniugem superstitem esse, scienteque matrimonium contractum superstite alterius coniuge inualidum esse.

10 An ad validandũ matrimonium inualidum ob impedimẽtum dirimens, requiratur præsentia Parochi, & testium.

10 Quæres tertiò, vtrùm ad validandum matrimoniũ quod prius fuit inualidum defectu alicuius occulti impedimenti, non solùm requiratur, vt de nouo vterque consentiat, verùm etiam vt matrimonium de nouo celebretur coram Parocho, & testibus.

Respondeo, non requiri, vt de nouo celebretur coram Parocho, & testibus, modò impedimentum esset occultum, & iam sublatum fuerit, nec sit periculum, vt impedimentum probetur in iudicio, & matrimonium dissoluatur in foro externo, & modò impedimentum ignotum fuerit Parocho, & testibus, nam si Parochus, vel aliquis testium sciebat, impedimentum subesse eo tempore, quo fuit contractum matrimonium, non potest esse testis valoris, sed nullitatis matrimonij, cùm sciat, matrimonium esse inualidum ratione impedimenti dirimentis, consequenter matrimonium in eo casu de nouo celebrãdum est coram Parocho, & testibus, nam præsentia Parochi, & testium requiritur, vt testari possint de validitate matrimonij, de qua non possunt testari, si consci erant impedimenti eo tempore, quo celebratum fuit matrimonium. Verum tamen est, nos hic non loqui de scientia Parochi habita in sola confessione, nam illa scientia non est Parochi, vt Parochus, sed est illius, quatenus vicem Dei gerit, nec potest illa vti extra confessionem, consequenter si Parochus in sola confessione nouit impedimentum dirimens matrimonium inter aliquos, potest eorum matrimonio validè assistere. Ad quęsitum igitur dico, vt validum fiat matrimonium antea inualidè celebratum defectu alicuius occulti impedimenti, quod plenè probari non potest, non requiri, exceptis casibus dictis, vt de nouo contrahatur coram Parocho, & testibus, etiamsi prius matrimonium mala fide fuerit celebratum. Ratio desumitur, tum ex praxi & vsu, vt ait Nauarr. *cap.* 22. *num.* 70. tum ex declaratione Cardinalium, quam citat P. Ledesm. *quæst.* 45. *art.* 5. *conclus.* 2. *ante vlt. dubium*, tum ex motu Pij V. quem refert Sanchez *lib.* 2. *disput.* 37. Nauarr. *cap.* 22. *num.* 70. *dub.* 10. *num.* 8. Reginald. *lib.* 31. *num.* 183. *ad finem*, & Coninchus *disp.* 24. *dub.* 4. *num.* 83. [Filliucius *num.* 93.] tum quia decretum Tridentini requirentis præsentiam Parochi, & testium non se extendit ad hunc casum, seu non comprehendit hunc casum, cùm eius ratio finalis sufficienter saluetur, etiamsi matrimonium de nouo non contrahatur coram Parocho, & testibus, ratio enim finalis Tridentini *sess.* 24. *cap.* 1. requirentis præsentiam Parochi, & testium, est, vt vitentur grauia peccata, quæ ex clandestinis nuptiis prouenire solent; hæc autem peccata sufficienter euitantur, quando matrimonium semel fuit contractum coram Parocho, & testibus, quamuis inualidè fuerit celebratum, defectu alicuius occulti impedimenti, nam peccata, & incommoda, quæ ex clandestino matrimonio nascuntur, sunt periculum celebrandi nouum matrimonium dissoluto primo, quibus incommodis, & peccatis sufficienter occurritur, quãdo matrimonium fuit celebratum coram Parocho, & testibus, nam contrahentes per attestationem Parochi, & testium impedientur, ne nouum contrahant matrimonium. Ita P. Ledes. *loc. cit.* Sanchez *lib.* 2. *disp.* 37. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 3. Reginald. & Nauarr. *locis cit.* Coninch. *num.* 83. Rodriq. *cap.* 220. *nu.* 2. Rebel. *loc. cit. nu.* 5. [Filliucius *loc. cit.*] & alij, quos suprà retuli *in* 1. *propos. vers. Addo tertiò.* Vide *infr. q.* 3. *p.* 25. *ad fin.* contra Gutierez *cap.* 48. *nu.* 6. & *cap.* 76. *nu.* 32. & alios, quos ipse refert, indistinctè, & absolutè arbitrantes, matrimonium inualidè celebratum ob occultum aliquod impedimentum, iterum celebrandum esse coram Parocho, & testibus obtenta dispensatione.

Sed horum Doctorum sententia refellitur ex nostris rationibus, præterquàm quod ad praxim difficilè reuocari posset.

11 An denuò recipiendæ sint benedictiones.

11 Rogabis, vtrùm contrahentes debeant de nouo recipere benedictiones, postquam matrimonium iterum occulte celebrarunt.

Respondeo, non teneri de nouo benedictiones recipere. Ratio est, tum quia benedictiones non sunt de substantia matrimonij, tum quia semel antea fuerunt receptæ, tum quia periculum esset scandali illas de nouo recipiendo. Ita Gutierez *cap.* 48. *ad finem*, Corduba, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *loc. cit. num.* 23. quosque ego infrà referam *quæst.* 4. *punct.* 6. *ad fin.* 1. *propositionis.*

PVNCTVM X.

Vtrùm matrimonium celebratum sub conditione sit validum.

1 Quandonam contractus celebretur sub demõstratione, sub causa, sub modo, sub conditione.

1 NOtandum primò, contractum, seu dispositionem aliquando fieri cum demonstratione, aliquando cum causa, aliquando cum modo, & aliquando sub conditione. Tunc fit cum demonstratione, quando denotatur aliqua qualitas personæ, cum qua contrahitur, vt si in contractu dicatur, *Duco te, quæ es virgo.* Tunc fit cum causa, quando contractus fit explicando motiuum, quo quis adducitur ad contrahendum, vt si dicatur, *contraho tecum, quia es diues.* Tunc fit sub modo, quando in contractu adiicitur aliquod onus, vt si in contractu matrimonij dicatur: *Duco te, vt mihi inseruias.* Tunc verò fieri solet cum conditione, quando apponitur aliqua conditio ad suspendendum consensum.

2 Quænam sit differentia inter causam, modũ, demõstratiõnẽ, &c.

2 Ex quo patet differentia inter causam, demonstrationem, modum & conditionem, quòd conditio propriè sumpta per se suspendit contractum; causa verò, demonstratio, & modus non suspendunt per se, sed solùm aliquando per accidens, quando interuenit aliquod impedimentum dirimens, vt accidit, quando quis contrahit cum aliqua, quam credit liberam esse, sed est lętua, vt si dicatur, *contraho tecum, qua es libera*, vel *quia es libera*, aut quando adiicitur onus repugnans substantiæ matrimonij, vt si dicatur, *Contraho tecum, vt sumas venenum sterilitatis.* Vide Sanchez *lib.* 1. *disput.* 19. Valentiam *tom.* 4. *disp.* 10. *q.* 3. *punct.* 3. *versus finem.* P. Ledes. *quæst.* 47. *art.* 5. Speculum 1. *parte art.* 18. Coninchum *disput.* 29. *dub.* 4. Rebel. *lib.* 2. *quæst.* 12. [& Filliucium *tract.* 10. *cap.* 4. *quæs.* 11. *num.* 135. & 157.] Præterea vide, quę diximus in contractibus de dispositione modali, causali, &c.

3 Quotuplex sit cõditio.

3 Notandum secundò, conditiones, quæ in contractu matrimonij apponi possunt, alias esse necessarias, alias turpes, alias impertinentes, alias impossibiles, alias honestas, alias de præterito, alias de præsenti, & alias de futuro.

4 Quænam sint bona matrimonij, & quænam conditiones sint contra illa.

4 Notandum tertiò, aliquas conditiones turpes esse contra substantiam matrimonij, & hæ sunt, quæ repugnant præcipuis bonis matrimonij, id est, proli, fidei, seu fidelitati, & Sacramento, seu indissolubilitati, hæc enim sunt tria bona matrimonij.

Proles dicitur bonum matrimonij, seu de ratione, & substantia matrimonij, quia contrahentes matrimonium debent saltem interpretatiuè obligare se ad non euitandam, vel non impediendam prolem per media illicita, vt per receptionem veneni, aut per abiectionem seminis recepti, aut per procurationem abortus; per media verò licita, vt per votum castitatis mutuo consensu emissum, vel per ingressum religionis, potest proles impediri. Ex quo patet bono prolis repugnare hanc conditionem: *Contraho tecum, si partum impedieris, aut venenum sterilitatis sumpseris.*

Bonum fidei, seu fidelitatis importat obligationem ad reddendum debitum, si petatur, & ad non communicandum corpus suum alieno. Huic bono repugnat ista conditio: *Contraho tecum, si pro quæstu adulterandam te tradas*, vel *si permiseris copiam tui illis, quos ego voluero.* Ita Sanchez *lib.* 5. *disput.* 9. *num.* 11. Gutierez *cap.* 82. *num.* 8. & alij communiter.

Bonum Sacramenti significat indissolubilitatem matrimonij, quæ repræsentat vnionem Christi cum Ecclesia, propterea matrimonium quantum est ex se, non potest solui, nisi per mortem coniugis, aut per professionem, vt infrà dicam. Huic bono aduersatur ista conditio: *Contraho tecum vsque ad obitum patris*, vel *donec inueniam aliam ditiorem, vel formosiorem.* Ita Rebel. *lib.* 2. *quæst.* 12. Sanchez *loco citato*, Valentia *loc. citat. quæst.* 4. P. Ledesm. *quæst.* 47. *art.* 5. & alij.

[His positis explicandum est, vtrum matrimonium validum sit quando celebratur primò sub conditione necessaria: secundò sub conditione turpi contraria substantiæ matrimonij: tertiò sub conditione quidem turpi, sed non contraria substantiæ matrimonij, aut sub conditione impossibili: quartò sub conditione honesta: quintò sub

conditione impertinente; quamquam horum cognitio potius spectat ad forum externum, quàm ad internum: nam in foro interno standum est intentioni contrahentium.]

PRIMA PROPOSITIO.

5 An validū sit matrimoniū celebratū sub conditione necessaria. Vide num. 6. & 7.

5 MAtrimonium celebratum sub conditione necessaria validum est ante expectationem euentus conditionis, non solùm in foro externo, sed etiam in interno, modò contrahentes non habuerint intentionem suspendendi consensum vsque ad conditionis euentum. Ita Sanchez *lib.5.disp.2.* Couarr. 2. *parte, cap.3.§.2.num.10.* Antonius Gomez 1. *var.cap.12.nu.63.* Coninchus *disput.29.dub.1.nu.8. vers.idem.* Rebell. *loco citato quæst.10. num.11.* P. Ledesm. *loco citato* [Filliucius *tract.10.cap.4.quæs.11.num.139.* & alij. Ratio est, quia matrimonium tunc est validum, quando adest mutuus consensus de præsenti inter personas habiles, signo externo sufficienter manifestatus; sed in hoc casu adest mutuus consensus inter personas habiles, signo externo sufficienter manifestatus, vt suppono; ergo, &c.

Neque obstat conditio, quæ apponitur, nam cùm sit necessaria, habetur pro impleta. Secus dicendum est, quando vterque contrahens, vel alter eorum intendit suspendere suum consensum vsque ad conditionis euentum, tunc enim matrimonium, sub necessaria conditione celebratum, non est validum de præsenti, cùm non adsit mutuus consensus de præsenti; sicut neque est validum de præsenti matrimonium, quando apponitur conditio necessaria, sed non cognoscitur necessaria, tunc enim apponens conditionem necessariam, credens illam esse contingentem, non contrahit statim matrimonium, cùm non habeat consensum de præsenti, sed intendat tantummodò contrahere dependenter ab euentu illius conditionis, quam credit esse contingentem.

6 Hinc patet validum esse matrimonium de præsenti, sub his conditionibus celebratum: *Duco te in vxorem, si cras sol orietur*, aut *si stellæ erunt in cœlo*, aut *si elementum ignis erit supra elementum aëris*, modò contrahens non intendat suspendere consensum vsque ad conditionis euentum, vt benè art Valent. *loco citato quæst.3.punct.3.* & alij communiter.

Aduertendum tamen est cum Sanchez *lib. 5. disp. 2. num.3.* Henriquez *lib.11.cap.12.num.4.* Coninchо *dub.1. num.8.* & aliis, conditiones necessarias sæpiùs apponi non tamquam conditiones, sed tamquam præfinitiones, & determinationes temporis, quo contrahentes intendunt matrimonium celebrare, in quo casu contractus non censetur statim factus, sed faciendus, cùm illa conditio sit posita tamquam terminus ad illum contractum celebrandum, vt accidit, quando quis dicit, *cõtraham tecum, si pater meus è vita migrauerit*, hic enim intendit contrahere, quando pater migrauerit è vita.

7 Vlteriùs patet, matrimonium celebratum sub his conditionibus esse statim validum, *contraho tecum, si Antichristus nascetur*, vel sub aliis conditionibus, quæ certò sciuntur euenturæ: nam huiusmodi conditiones reduci possunt ad naturam conditionum, quæ sunt absolutè necessariæ. Ob id matrimonium contractum sub hac conditione, *Si Antichristus nascetur*, est statim validum, eò quòd ex infallibili Scripturæ testimonio certũ sit Antichristum nasciturum. Idem dicendum est de conditionibus necessariis de præsenti, & de præterito, vt, *contraho tecum, si es virgo*, vel *si fuisti Romæ*. Ita Sanchez *loco citato num.7.* Perez *§.26.fol.6.* Rebell. *loco citato, num.14. & 15.* & alij. Verum tamen est huiusmodi conditiones non esse à Parochis admittendas in celebratione matrimonij.

Neque opus est, vt contrahentes sciant aduenire conditionem, sed eo ipso, quo adimpleta fuit conditio, matrimonium remanet absolutum: sicut patet à simili de matrimonio contracto per Procuratorem. Verum tamen est contrahentes non posse matrimonium consum[illegible]mare, nisi cognouerint conditionem adimpletam, alioquin exponerent se periculo fornicandi. Ita Sanchez *loco citato num. 6.*

SECVNDA PROPOSITIO.

8 An validū sit matrimoniū celebratum sub conditione turpi.
9 In quonā consistat substantia matrimonij.

8.9 MAtrimonium celebratum sub aliqua conditione turpi, quæ sit contra substantiam matrimonij, seu quæ tribus præcipuis illius bonis aduersetur, irritum est si conditio adiungatur, vt de futuro præstanda. Hæc propositio patet, tum ex *cap.fin. de condit. appositis*, vbi hoc decernitur, tum quia conditio contra substantiam contractus destruit contractum; ergo etiam conditio contra substantiam matrimonij destruit matrimonium. Substantia matrimonij consistit in consensu, & obligatione ad societatem coniugalem, ad fidem mutuò seruandam, prolemque suscipiendam, quæ sunt tria bona matrimonij; cùm autem prædictæ conditiones repugnent his bonis, sequitur naturam, & substantiam matrimonij destrui per illas conditiones, consequenter matrimonium esse inualidum. Ita Sanchez *lib.5.disput.10.num.3.* Lessius *lib.2.cap.18.dub.15. num.122. ad finem*, Coninchus *disput.29.dub.3.* Gutierez *cap.82.num.22.* P. Ledes. *de matrim.q.47.art.5.dub.4.* [Filliucius *tract.10.cap.3.quæs.3.num.74. & cap.4.quæs.14.num.147.*] & alij communiter. Hoc tamen intelligitur, modò huiusmodi conditiones adhibeantur in ipso contractu matrimonij, nam si adhibeantur post contractum matrimonium, non efficiunt illud inualidum, cùm iam supponatur esse validè celebratũ, sicut neque illud efficiunt inualidum, quando huiusmodi conditiones non adiunguntur vt de futuro præstandæ, sed apponũtur de præterito, vel de præsenti, propterea, si Titius dicat Bertæ, *contraho tecum, si adulterium commisisti*, validè statim matrimonium contrahit, si Berta adulterium commisit. Secus si non commisit adulterium. Ratio est, tum quia conditio de præsenti, vel de præterito non suspendit actum, *l. institutio talis. ff. de conditionibus*; tum quia non censetur contra bona matrimonij, cùm supponatur præcessisse ipsum matrimonium. Ita Couar. 2. *parte Epit. cap.3.§.1. num.9.* Perez *§.27. fol.91.* & alij apud Sanchez *lib.5. disp.9.* & apud Gutierez *cap.82. num.5.*

10 An validū sit matrimonium

10 Hinc sequitur primò, matrimonium celebratum sub his conditionibus, esse inualidum, *contraho tecum, si filios occidas, vel mutiles*, nam istæ conditiones sunt contra bonum matrimonij, id est, contra prolem, [seu contra obligationem quæ inesse debet matrimonio.] Ita Lopez *de matrimonio, cap.42.* & hoc videtur verum, etiamsi contrahentes consummarint matrimonium, nam matrimonium celebratum sub conditione contra substantiam matrimonij, est inualidum, nec fit validum præcisè per copulam. Ita P. Ledes. *quæst.47. art.7. vers. Nihilominus*, & alij.

celebratũ sub hac cõditione, *si filios occidas.*

11 An matrimonium validè celebretur sub hac conditione, *si prolem abiicias.*

11 Secundò sequitur, validum esse matrimonium contractum sub hac conditione, *Contraho tecum, si prolem abiicias, & aliis exponas alendam*, nam hæc conditio non videtur esse contra substantiam matrimonij, nec omninò repugnat bono prolis, cùm proles possit adhuc ab aliis ali. Ita P. Ledesm. *loc.cit.art.5.dub.4. ad quintum argumentum.* Gutierez *loc. cit. num.10.* & Sanchez *num.13.*

12 An sit validũ matrimoniũ sub his cõditionibus celebratũ, *si domi sẽper manseris*, aut, *si vestes nigri coloris semper gesseris.*

12 Tertiò, inualidum esse matrimonium sub his conditionibus celebratum, *contraho tecum, si domi semper manseris, aut vestem nigri coloris semper gesseris*, nam istæ conditiones sunt contra indissolubilitatem matrimonij, si contrahens non habeat intentionem contrahendi, nisi alter coniux reuera semper domi maneat, vestemque nigri coloris semper gerat. Secus dicendum est, si absolutè intendat cõtrahere, & imponere alteri coniugi obligationem non exeundi domo, tunc enim est validum matrimonium, cùm censeatur factum sub dispositione modali, quæ non suspendit actum, non verò sub conditionali contra indissolubilitatem matrimonij. Ita Sanchez *lib.5.disp.9.* Gutierez *cap.82.num.6.* & alij DD. cit.

13 An matrimoniũ validè celebretur sub hac cõditione, *duco te, si ad seruandam castitatem vel ad ingrediendam Religionem te obliges.*

13 Quartò, validum esse matrimonium contractum cum his conditionibus: *Duco te, si te ad seruandam perpetuò castitatem obliges, vel ad professionem in religione faciendam.* Ita P. Ledes. *quæst.47. art.5. vers. Quod verò attinet*, Rebel. *lib.2. quæst.10. num.19.* Coninchus *disput. 24.dub.4.num.43.* & alij contra Sanchez *lib. 5. disput.10.* Henriquez *lib.11.cap.5.* Gutierez *cap.82. num.11.* [Filliucium *num.150.*] & alios asserentes, huiusmodi conditiones repugnare substantiæ matrimonij, eo quòd matrimonium requirat consensum, saltem tacitum in copulam, qui consensus non adest, quando matrimonium sub dictis conditionibus celebratur. Sed ratio nostra est, tum quia essentia matrimonij videtur consistere in mutuo dominio, & subiectione corporum per ordinem ad vsum matrimonij, vt patet ex dictis *quæst. 2.punct.1.* sed potest subsistere dominium, & subiectio corporum cum prædicta obligatione, seu conditione, [seruandæ castitatis;] cùm enim dominium distinguatur ab vsu, potest verum dominium subsistere cum obligatione, seu conditione non vtendi re ipsa; ergo, &c. tum quia si huiusmodi conditiones repugnant substantiæ matrimonij, maximè quia repugnant eius præcipuis bonis, fidei, & indissolubilitati, sed non repugnant his bonis; ergo non repugnant substantiæ matrimonij. Minor probatur, non enim repugnant proli, quia contrahentes non se obligant ad impediendam prolem per media illicita. Neque repugnant fidei, quia contrahentes non se obligant ad communicandum corpus alieno. Neque repugnant indissolubilitati, quia matrimonium adhuc erit indissolubile, & vinculum perpetuum; ergo non repugnant præcipuis bonis matrimonij. Hinc patet responsio ad argumentum Sanchez, falsum enim est, dictas conditiones repugnare substantiæ matrimonij, & obligationem in copulam & in vsum matrimonij requiri quando contrahentes cedunt iuri suo, vt ait Rebell. *loco citat.* Coninchus & alij.

14 An sit validũ hoc matrimonium, *contraho tecum hoc pacto, vt numquam petam debitum, reddam tamen tibi petenti.*

14 Quintò, validum esse matrimonium contractum hoc modo, *contraho tecum hoc pacto, vt numquam petam debitum, reddam tamen tibi petenti.* Ita Sylvest. *matrimonium 4. dubio 6.* contra P. Ledesm. *loco citato, vers.circa hanc solutionem.* [Filliucium *nu.150.*] Ratio est, quia posita hac conditione potest adhuc proles suscipi, reddendo debitum petenti, consequenter illa conditio non est contraria proli. Similiter existimo contra eumdem P. Ledesm. validum esse matrimonium sub hac conditione, *contraho tecum, si neges mihi debitum, quoties illicitè petiero*, vt patet ex dicta ratione.

15 An sit validũ matrimonium celebratum cum pacto non cohabitandi.

15 Sextò, esse inualidum matrimonium contractum cum pacto numquam cohabitandi simul, vt benè ait P. Ledesm. *loco cit. vers.ad confirmationem*, Gutierez *cap.82.num.14.* Sanchez *disp.10. nu.5.* [Filliucius *tract.10.cap.4.quæs.14.num.150.*] nam hæc conditio simpliciter repugnat proli, quæ videtur illicitè impediri, præcisa rationabili causa.

TERTIA PROPOSITIO.

16 An sit validũ matrimonium celebratum sub conditione impossibili, aut turpi, quæ non est contra substantiã matrimonij. Vide num.17.18. & 19.

16 VAlidum est matrimonium celebratum sub conditione turpi, modò conditio non sit contra substantiam matrimonij, vt si dicatur, *contraho tecum, si patrem occideris.* Similiter est validum matrimonium celebratum sub conditione impossibili, vt si dicatur, *contraho tecum, si montem istum in mare transtuleris.* Hæc propositio intelligitur; modò adsit consensus contrahentium absolutus. Ita Valent. *tom.4.disput.10.quæst.3.punct.3.* Sanchez *lib.5. disput.15.* & alij communiter, teste Molina *tract.2.disput.208. vers. modus impossibilis*, Gutierez *cap.82.num.21. & 38.* [Filliucius *tract.10. cap.4. quæs.11. nu. 140.*] Ratio est, tum quia, si non est validum, maximè quia deest consensus, & illius expressio: sed neutrum deest, vt suppono; ergo validum est, tum quia huiusmodi conditiones in matrimonio habentur pro non adiectis, *cap.fin.de cond. appos.* sed si non fuissent adiectæ, validum esset matrimonium; ergo est validum, quamuis fuerint adiectæ dictæ conditiones, modò adsit consensus absolutus contrahentium signo externo sufficienter expressus. Secus dicendum est, si non adsit consensus absolutus, & contrahentes non consentiant, nisi sub conditione turpi, vel impossibili, tunc enim non est validum matrimonium, eò quòd non adsit consensus de præsenti, qui necessarius est ad validitatem matrimonij. Ita Sanchez *loco citato*, P. Ledes. *quæst. 47. artic.5. concl.2. & 3. de condit. turpibus.* Lessius *lib.2. cap.18. dub.15. num.122.* Gutierez *cap.82. nu.22.* Rebell. & Valent. *locis citat.* & alij apud Henriq. *lib.11.cap.12.num.5. & 6.*

17 Hinc sequitur primò, validum esse matrimonium celebratum sub his conditionibus, *contraho tecum, si solem manu clauseris*, vel si

contra-

contrahens cum paupere dicat, *contraho tecum, si dederis mihi ducentos mille aureos.* Hoc tamen intelligitur, modò adsit consensus absolutus. Secus si contrahens nolit consentire, nisi sub ea conditione impossibili, nam qui non vult se obligare, nisi sub conditione impossibili, cognita vt impossibili, simpliciter non se obligat, nec habet intentionem se obligandi, cùm impossibilium non sit obligatio, obseruat tamen Sanchez, conditionem impossibilem putatam possibilem non reiici à matrimonio, & à sponsalibus. Vide Sanchez *lib.5. disp.3. num.* 8. & Gutierez *cap.82. num.42.*

18 Secundò sequitur, matrimonium contractum cum his conditionibus esse validum, *contraho tecum, si occideris tuum patrem*, vel *si furatus fueris mille aureos*, modò adsit consensus exterius sufficienter expressus.

19 Tertiò, validum esse matrimonium contractum sub conditione impossibili de præterito, vt si dicatur, *contraho tecum, si heri non est ortus sol.* nam huiusmodi conditio habetur pro non adiecta. Similiter validum est matrimonium contractum sub conditione turpi de præterito, stante conditione: seus ea non stante, vnde si dicatur, *contraho tecum, si patrem occidisti*, validum est matrimonium, si patrem occidit. Ratio est, quia conditio de præterito non est propriè conditio, nec suspendit actum, nec illa est propriè conditio turpis, cùm non inducat ad peccatum, sed supponat illud iam esse patratum. Ita P. Ledesm. *loco citato*, & alij apud Sanchez *lib.5. disp.15. num.5.* & apud Gutierez *cap.82. num.27.*

Quartò, consanguineos contrahentes matrimonium sub conditione turpi, vel impossibili, incidere in excommunicationem latam *in Clementina vni. de consang. & affinit.* vbi excommunicantur consanguinei contrahentes matrimonium; hoc tamen intelligitur, modò non haberent intentionem contrahendi solùm dependenter ab illa conditione, tunc enim, cùm matrimonium non subsistat ante conditionis euentum, sequitur, eos non affici excommunicatione nondum adimpleta conditione, vt bene tradit Sanchez *lib.5. disput.3. num.21. & disput.5. num.17.* P. Ledesma *quæst.47. art.5.* & alij contra Gutierez *de matrimonio.*

QVARTA PROPOSITIO.

20 An validum sit matrimonium celebratū sub conditione honesta.

20 MAtrimonium celebratum sub conditione honesta de præsenti, vel de præterito, validum est, si res ita est. Ita DD. statim citandi. Ratio est, quia huiusmodi conditio non est propriè conditio, nec suspendit actum, quocirca si quis dicat, *contraho tecum, si es diues*, vel *si patri placet*, validè contrahit ipso facto matrimonium, si re vera alter est diues, vel patri placet. Secus si non est diues, vel patri non placet. Si tamē detur casus, vt patri neque placeat, neque displiceat, standum erit intentioni contrahentium, secundùm quam celebrarunt contractum sub ea conditione. Regulariter tamen iudicandum erit, matrimonium esse validum, eò quòd illa conditio videatur adhiberi ad hunc sensum, si patri non displicet. Hac de causa validum videtur matrimonium sub hac conditione celebratum, *si patri placet*, sed postea cognoscitur patrem mortuum esse, tunc enim patri non displicet. Ita Henriquez *lib.11. cap.12. num.5.* Coninchus *disp.29. dub.1. num.8. & dub.2. num.29.* Sanchez *lib.5. disp.6. & 7. num.19.* Gutierez *cap.81.* [Filliucius *tract.10. cap.4. quæs.13. nu.143. & seq.*] & alij apud Perez §.29. *fol.98.* in manuscriptis.

Dixi in propositione, *validum esse matrimonium celebratum sub conditione de præterito, vel de præsenti*; quia si matrimonium celebretur sub conditione honesta de futuro, non est validum ante conditionis euentum. Ratio est, quia contrahentes non intendunt contrahere, nisi dependenter ab illa conditione; ergo verè non contrahunt ante illius conditionis euentum. Existimo tamen, matrimonium fieri validum adueniente illa conditione absque alio consensu, modò contrahentes permanserint in eodem consensu, saltem virtualiter, vt patet à simili in reliquis contractibus. Ita Paludanus *in 4. disp.29. quæst. 2. art.5.* Coninchus *num.11.* Nauarr. *cap.22. nu.95.* Sanchez *lib. 5. disp. 8. num.5.* Perez §.29. *fol.100.* [Filliuc. *tract. 10. cap. 4. q.13. num. 145.*] contra Valentiam *loco citato.* Henriquez *loco citato, num. 3.* Rebellum *loco citato, nu.44.* Petr. Ledesm. *quæst.47. art.5. concluf.2.* & alios apud Riccium *decis.248.* quos sequitur Gutierez *cap.81. num.7.*

21 Quodnā matrimonium validum sit, quando cū duabus celebratur sub conditione.

21 Hinc colligi potest, eum qui per verba de præsenti contraxit matrimonium cum duabus sub conditione de futuro, fieri maritum illius, cuius conditio prius adimpletur. Ita Syluester *verb. matrimonium 3. quæst.10.* Sanchez *loco citato, num.15.* Coninchus *dub.1. nu.20.* [Filliucius *num.146.*] & Petrus Ledesma *loco citato, vers. In hac definitione.* Si verò vtriusque conditio simul adimpleatur, existimo neutrum matrimonium valere, quia incertitudo vitiat matrimonium, *cap. in litteris*; sed in hoc casu matrimonium est incertum, perinde ac si cum duabus eodem tempore contractum esset; ergo est inualidum. Ita Sanchez, & Coninchus *locis citatis*, & alij.

22 An conditio debeat adimpleri corā Parocho, & testibus.

22 Quæres primò, vtrùm necesse sit, vt conditio adimpleatur coram Parocho, & testibus, qui præsentes fuerunt matrimonio celebrato sub conditione honesta de futuro, & vtrùm, quando matrimonium celebratum fuit sub conditione de præsenti, vel de præterito, debeat Parocho, & testibus constare verificatio conditionis: exempli gratia, matrimonium celebratum fuit sub conditione, si patri placet, quæritur modò, vtrùm Parochus, & testes scire debeant, an patri placeat, vel displiceat.

Respondeo cum Petro Ledesma *quæst. 47. art. 5. dub. 7. concluf. 3.* Coninch o *locis citatis, num.15. & dub.2. num.33.* Gutierez *de matrimonio cap.81. num.7.* & aliis contra Sanchez *loco citato, num. 24.* & alios, requiri, vt conditio adimpleatur coram Parocho, & testibus, vel vt Parochus, & testes cognoscant conditionem de præsenti, vel de præterito esse adimpletam. Ratio est, quia Tridentinum requirit assistentiam Parochi, & testium, vt possint testari de validitate veri matrimonij, & impediant, ne matrimonium de nouo contrahatur; sed nisi Parocho, & testibus constet adimpletio conditionis, non possunt testari de validitate matrimonij, nec secundum matrimonium impedire; ergo conditio debet adimpleri coram ipsis, vel illis constare debet eius conditionis adimpletio. Contraria tamen sententia Sanchez est probabilis.

23 An validū sit matrimonium inter habētes impedimentum celebratū sub conditione, *si Papa dispensauerit.*

23 Quæres secundò, vtrùm sit validum matrimonium contractum inter consanguineos, vel affines, vel inter alios habentes aliquod impedimentum sub conditione, *si Papa dispensauerit.*

Respondeo cum Rebello *loco citato, num.4.* Conincho *disp. 29. nu. 18.* Sanchez *lib.5. disput.5. num.24. & disp.8. num.10.* Perez *loco citato,* [Filliucio *num.142.*] & aliis contra Sotum *in 4. dist. 29. quæst.2. art.1.* & alios apud Genuensem *in Praxi Neapolit. loc. cit.* & apud Riccium *decis.248. verb. Praxis matrimonialis*, validum esse adimpleta conditione, seu adueniente dispensatione. Ratio est, tum quia sponsalia celebrata cum huiusmodi conditione valida sunt, quando impedimentum est dispensabile; ergo etiam validum est matrimonium: tum quia huiusmodi conditio non est turpis, sed honesta: tum quia contrahentes sub illa conditione non contrahunt pro tunc, sed pro tempore futuro, videlicet pro tempore conditionis adimpletæ, quo tempore sunt habiles, & nihil obstat, quominus perficiatur matrimonium; ergo verè perficitur matrimonium tempore illius conditionis adimpletæ per dispensationem: tum quia ita deducitur ex *l. si tempus*, vbi habetur, factum tempore inhabili, sed relatum ad tempus habile, validum esse: qua de causa sponsalia contracta à fideli cum infideli sub conditione, *si infidelis conuertatur*; valida sunt posita conditione. Vide Petrum Ledesmam *loco citat. vers. Est secundum dubium.* Genuensem *in Praxi Neapolitana cap.13. num.5.* Riccium *loco citato*, & Sanchez *lib.5. disput.5.*

An verò contrahentes matrimonium cum affinibus, vel consanguineis sub conditione incurrant excommunicationem, patet ex suprà dictis ad finem tertiæ propositionis.

QVINTA PROPOSITIO.

24 An conditio impertinens vitiet matrimoniū. Vide num. 25.

24 MAtrimonium contractum sub conditione impertinenti de futuro non est validum, antequam verificetur conditio; validum verò est ea verificata, & adimpleta. Ita Sanchez *lib.5. disp. 18. num.3.* Gutierez *cap.82. num.31.* [Filliucius *tract.10. cap.4. quæs.16. nu. 156.*] & alij contra Sotum *loc. cit. art.3.* & alios. Ratio, cur non sit validum ante conditionis euentum, est, quia contrahentes intendunt tantummodò contrahere dependenter ab euentu illius conditionis; ergo non validè contrahunt ante conditionem, alioquin contractus obligaret vltra intentionem contrahentium. Ratio verò, cur sit validum verificata, & adimpleta conditione, est, quia si est inualidum, maximè quia illa conditio non potest apponi, & improbatur à iure; sed potest apponi, nec improbatur à iure, cùm non sit conditio turpis, quæ idcirco improbatur, & reiicitur, eo quòd inducat ad peccatum, *cap. finali de condit. appos.* conditio autem impertinens non inducit ad peccatum; ergo matrimonium validum est, verificata, & impleta conditione, modò contrahentes non reuocauerint consensum ante conditionis euentum.

25 Hinc patet, matrimonium celebratum sub hac conditione, *duco te in vxorem, si cognouero te bene morigeratam esse*, vel *pulchram haberi*, non esse validum ipso facto, fieri verò validum verificata conditione. Vide quæ dixi de donatione *punct.8.* & de voto *punct.2.* & Sanchez, & Gutierez *locis citatis.*

25 An spōsalia celebrata sub conditione valida sint. Vide num. 27 & 28.

26 Ex dictis in hoc puncto colligitur, quid dicendum sit de sponsalibus sub conditione celebratis. Dicendum enim est sponsalia celebrata sub conditione necessaria esse statim valida, & inducere impedimentum publicæ honestatis, modò illa conditio cognoscatur vt necessaria, & non adsit intentio suspendendi consensum vsque ad conditionis euentum, vt patet ex prima propositione. Præterea dicendum est, sponsalia contracta sub conditione turpi, contraria substantiæ matrimonij, non esse valida, nec obligare; nam si matrimonium sub ea conditione celebratum non obligat, neque obligare debent sponsalia, *l. oratio. ff. de sponsalibus.* Ita communiter Doctores. Aduertit tamen Gutierez *cap.82. num.19. ad finem*, Henriquez *lib. 11. cap.12. num.7.* Petrus Ledesma *quæst.47. artic.5, dub. 6.* Rebellus *loco citato, num.32.* Sanchez *lib.5. disp.14.* [& Filliucius *num. 152.*] sponsalia esse valida, quando talis conditio adiicitur implenda, antequam contrahatur matrimonium; tunc enim illa conditio non est contraria matrimonio, cùm non referatur ad tempus matrimonij. Secus si apponatur implenda post matrimonium.

27 Hinc sequitur, valida esse sponsalia contracta sub his conditionibus: *Contraham tecum matrimonium, nisi inuenero aliam ditiorem, vel formosiorem*: aut, *si forniceris ante matrimonium*: aut, *si venenum sterilitatis sumas ante matrimonium*: aut, *si per fornicariam copulam te virginem inueniam.* Verum tamen est, contrahentes hoc modo sponsalia peccare, nec teneri ad huiusmodi conditiones adimplendas, nihilominus iis adimpletis astringi ad seruādam fidem datam, eo quòd præcesserit promissio de re, quæ possibilis est, & honesta, postquàm patratum fuerit delictum, licèt supponatur aliquid inhonestum, vt patet à simili ex dictis de voto, & de restitutione. Rursùs dicendum est, quando conditio, quæ apponitur in sponsalibus, est turpis, vel impossibilis, sed non est contraria substantiæ matrimonij, sponsalia censeri statim valida saltem in foro externo, ac si celebrata fuissent purè, & absolutè. Ratio est, quia sicut hæc conditio habetur pro non apposita in matrimonio, *cap. fin. de conditionibus appositis*, ita habetur pro non apposita in sponsalibus, quæ sunt initium matrimonij, ex *l. oratio. ff. de sponsalibus*, [*& cap. fin. de cond. appos.*] & ex communi Iurisperitorum sententia, teste Petro Ledesma *loco citato ad finem*; sed si hæc conditio non esset apposita sponsalibus, sponsalia statim essent valida; ergo etiam sunt valida statim apposita ea conditione, consequenter inducunt impedimentum publicæ honestatis. Ita Nauarrus *cap.22. num.65.* Lessius *lib.2. cap.18. dub.15. num.122.* Gutierez *loco citato, num.30.* [Filliucius *num.153.*] & plures alij Doctores apud Sanchez *lib.5. disp.17.* contra Rebellum *lib.2. quæst.10.* Perez §.28. *fol. 95.* & alios.

28 Ex quo sequitur iuxta nostram sententiam, sponsalia celebrata hoc modo, *contraham tecum, si te virginem inuenero per fornicationem:* vel, *si permiseris coitum*, esse statim valida saltem in foro externo. Ita Sanchez *lib.5.disp.16.num.3.* Gutierez *cap.82.num.28.* [Filliucius *nu.* 154.] & alij apud Sanchez.

Dixi, *saltem in foro externo*, quia in foro conscientiæ verè non sunt valida ante conditionis euentum, si contrahentes habebant intentionem promittendi solummodò dependenter ab illa conditione; nam obligatio contractus non excedit intentionem contrahentium, cùm suam vim habeat à voluntate, & intentione contrahentium. Si ergo contrahentes noluerunt se obligare, nisi sub conditione impossibili, vel turpi, certè non obligantur, nisi ea conditione posita, consequenter ante illam conditionem adimpletam non consurgit impedimentum publicæ honestatis in foro conscientiæ. Similiter dicendum est, sponsalia celebrata sub conditione honesta de præsenti, vel de præterito, esse statim valida; sponsalia verò celebrata sub conditione de futuro, non esse valida ante conditionis euentum, vt patet ex dictis in quarta propositione; sicut etiam ex dictis in quinta propositione patet, quid dicendum sit de sponsalibus celebratis sub conditione impertinenti.

PVNCTVM XI.

De indissolubilitate matrimonij.

IN hoc puncto duo quæremus. Primò, vtrùm matrimonium sit indissolubile.

Secundò, quo iure.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An matrimonium sit indissolubile.

1 MAtrimonium est indissolubile. Hæc propositio patet, tum quia indissolubilitas est vnum ex tribus præcipuis bonis matrimonij, & est de substantia matrimonij, *cap. fin. de conditionibus appositis:* tum quia ita deducitur ex lumine naturæ, & ex auctoritatibus Scripturæ adducendis in secunda propositione.

[Hinc sequitur inualidè contrahi matrimonium ab eo, qui intendit contrahere solùm ad tempus; matrimonium enim est vinculum perpetuum, & indissolubilitas est de substantia matrimonij. Ex quo infertur ab aliquibus differentia inter bona matrimonij, videlicet inter bonum Sacramenti, seu indissolubilitatem, bonum prolis, & bonum fidei, quòd is, qui non intendit saltem implicitè bonum Sacramenti, id est, indissolubilitatem, non validè contrahit; validè verò contrahit, qui alia duo bona non intendit, etiam non implicitè; modò non deducat in pactum aliquid huiusmodi bonis contrarium, vt dictum est *puncto præcedenti num.* 8. Quamobrem celebrãs matrimonium intentione non reddendi debitum, aut impediendi prolem, aut non alendi prolem susceptam, validè contrahit, modò illam intentionem in pactum non deducat. Ratio est, quia huiusmodi intentio non tollit substantiam contractus, cùm ex vi contractus adhuc obligetur ad illa, consequenter illa bona quoad obligationem pertinent ad substantiam matrimonij, non verò quoad executionem, excepto bono Sacramenti, id est, indissolubilitate. Ita Sanchez *lib.* 2. *disput.* 28. *quæst.* 2. Filliucius *tract.* 10. *cap.* 3. *quæs.* 3. *& cap.* 4. *quæs.* 14. *num.* 148.]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quo iure matrimonium sit indissolubile.

2 MAtrimonium est indissolubile iure naturali, & diuino.

Quòd sit indissolubile iure naturali, patet, quia lumine naturæ cognoscimus, posita indissolubilitate matrimonij coniuges mutuum fauere amorem, magisque solicitos esse in rebus domesticis, & in fugiendis adulteriorum occasionibus.

Quòd verò matrimonium, etiam non consummatum, sit indissolubile iure diuino, patet, tum ex Genesis 2. *Quamobrem relinquet homo,* &c. *& adhærebit vxori,* &c. tum ex Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* tum ex 1. Corinth. 7. *His, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam.* Ita cõmuniter Theologi, quos citat Sanchez *lib.*2.*disp.*13.& P. Ledesma *quæst.*67.*art.*1. Ferdin. Perez *in manuscriptis* §.15. [Filliucius *tract.*10.*c.*2.*quæs.*2.*n.*40.*& 54.& c.*10.*quæs.*1.]

Obiicies primò. Contractus per eas causas dissoluitur, per quas celebratur, vt habetur *in reg. iur.* sed contractus matrimonij celebratur mutuo consensu; ergo potest etiam mutuo consensu dissolui, consequenter matrimonium non est indissolubile.

Respondeo, ex illa regula iuris excipiendum esse matrimonium, tum propter bonum commune, cùm dissolutio matrimonij vergat in detrimentum commune, tum propter ius diuinum, cùm iure diuino matrimonium sit indissolubile. Ita Sanchez *lib.*2. *disp.*13. *nu.*9. & alij, quos retuli *punct.* 1.

Obiicies secundò. Hebræis permissa fuerunt repudia, & diuortia; ergo matrimonium non est indissolubile iure naturæ, & diuino, alioquin non fuissent illis permissa repudia.

Respondeo, repudia fuisse permissa Hebræis tamquam minus malum, ne scilicet occiderent vxores, & à vero Dei cultu recederent, vt ait Magister *in* 4. *dist.*33. & alij apud Perez §.18. Aut dici potest, Hebræis permissa fuisse repudia ex dispensatione diuina. Ita Medina *de cœlibatu lib.* 4. *cap.* 10. & alij apud P. Ledesm. *quæst.* 67. *art.*3. [quomodo autem Deus possit dispensare in iure naturali, explicaui *in tract. de legib.*]

3 An matrimonium dissolui possit propter adulterium.

3 Ex dictis colligi potest, matrimonium non posse dissolui propter adulterium. Ratio est, tum quia matrimonium est indissolubile viuente altero coniuge, tum quia hoc est de fide definitum in Florentino, *in Armenorum instructione*, & habetur ad Romanos 7. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit*; igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.

[Dices, Matthæi 5. & 19. dicitur, *qui vxorem suam dimiserit, nisi ob fornicationem, facit eam mœchari.* ergo matrimonium dissolui potest ob fornicationem, seu potius ob adulterium.

Respondeo illum locum variè à Doctoribus explicari. Primò enim ab aliquibus Doctoribus ita explicatur: qui dimiserit vxorem, dumtaxat ob fornicationem, præbet illi causam adulterij. Hæc explicatio nobis fauet, & probat matrimonium non dissolui ob adulterium. Secundò ab aliis exponitur hic locus, non de dissolutione quoad vinculum, sed de diuortio, de quo *infrà quæst.*4. *punct.*5. Christus enim innuit dari posse diuortium ob adulterium solùm, si respiciamus causam desumptam ex natura & ratione coniugij. Tertiò, alij putant Christũ eo loco loqui ad hominem contra Iudæos, apud quos etiam tunc temporis licita erant repudia, cùm lex vetus adhuc vigeret, & cessauerit solùm in morte Christi, vt alibi docui. Ex hac expositione nihil contra nos infertur, sed solùm colligitur apud Hebræos permissum fuisse repudium ob adulterium, quod nos non negamus, sed asserimus repudium & matrimonij dissolutionem post Christi mortem non dari etiam ob adulterium, vt probatum est *nu.* 2. *&* 3. Vide Sanchez *lib.*10. *de matrimonio disp.*2. *num.*1.2. *&* 3.]

4 An Summus Pontifex dispensare possit in matrimonio, vt dissoluatur.

4 Quæres, vtrùm Sum. Pont. possit aliquando dispensare in matrimonio, vt dissoluatur.

Respondeo primò, Summum Pontificem posse aliquando dispensare in matrimonio rato: [vt ad tollendas graues discordias, vel ad vitandum peruersionis periculum.] Ratio est, tum quia aliqui Sum. Pontifices de facto dispensarunt, vt Paulus III. Martinus V. Adrianus IV. Pius IV. teste S. Antonino 3. *parte tit.*1.§.3. Nauarr. *loco citato.* Henriquez *loco citato,* & aliis: tum quia sicut potest dispensare in voto solemni, ita etiam in matrimonio rato: tum quia existimandum est, à Christo collatam fuisse suo Vicario potestatem, & auctoritatem ad ea, quæ necessaria sunt bono regimini Ecclesiæ; potestas autem dispensandi in matrimonio rato aliquando necessaria est bono regimini Ecclesiæ, vt ad tollenda scandala, &c. propterea Sum. Pont. potest dissoluere matrimonium ratum, propter periculum peruersionis contractum inter feminam fidelem cum hæretico. Ita Nauarr. *cap.*22. *nu.* 1. Sanchez *lib.*2. *disp.*14. *num.*2. Rebell. *lib.*2. *quæst.*15. *num.*4. Perez *de matrimonio* §.19. Tuscus *tom.*5. *concl.* 153. Gutierez *de matrimonio cap.* 54. *nu.*3. Coninch. *disp.*26. *dub.*3. *nu.*33. Reginaldus *lib.*31. *nu.*38. Henriquez *lib.*11. *cap.*8. *nu.*11. Bellarm. *lib.*2. *de Monachis cap.*38. [Filliucius *tract.*10. *cap.*2. *quæs.*9.] & alij contra Sot. 2. *de iustitia quæst.*2. *art.*5. P. Ledesm. *quæst.*67. *art.*2. & alios apud Henriquez *loco citato.*

Neque obstat dicere, matrimonium esse indissolubile iure naturę, & diuino, consequenter Sum. Pont. non posse dispensare, vt matrimonium ratum dissoluatur, cùm Summus Pontifex non possit dispensare in iure naturæ, & diuino.

Respondetur enim, Summum Pontificem posse diuina auctoritate dispensare in aliquibus, quæ non deducũtur proximè ex principiis iuris naturæ, sed remotè, & quæ habent admixtum aliquid obligationis humanæ, modò interueniat iusta & legitima causa, cõsequenter non est mirum, Summum Pontificem posse ex iusta causa dispensare in matrimonio rato. Ita Sanchez *disp.*15. *&* 16. Rebell. *loc. cit. sect.* 7. *nu.*6. Henriquez [Filliucius *num.*56. *& seqq.*] & alij. Vide quæ dixi *de legibus quæst.*1. *punct.*2. cum Azorio, Angelo, & aliis contra Suarez, Valentiam, Clauem reg. & alios.

Respondeo secundò ad quæsitum, Sum. Pont. non posse dispensare vt matrimonium consummatum dissoluatur. Ratio est, quia matrimonium consummatum repræsentat vnionem hypostaticam Verbi cum natura humana, quæ vnio sicut est indissolubilis, ita etiam indissolubile est matrimonium consummatum, quod illam repræsentat. Ita Philiar. *tom.*1. *lib.*2. *c.*16. Sanch. *disp.*14. P. Ledesm. *loco cit.* vbi dicit hoc esse de fide, Gutierez *cap.*54. *ad finem,* [Filliucius *nu.*57.] & alij.

Obiicies primò contra primam responsionem quæsiti, matrimonium ratum repræsentat vnionem Christi cum Ecclesia per gratiam; sed vnio Christi cum Ecclesia per gratiam est inseparabilis; ergo etiam matrimonium ratum est inseparabile, & insolubile, consequenter Summus Pontifex non potest in eo dispensare.

Respondeo, vnionem Christi cum Ecclesia, quam repræsentat matrimonium ratum, esse inseparabilem respectu totius Ecclesiæ, respectu verò singulorum hominum esse separabilem, nam de facto separatur à multis, amissa charitate per peccatum mortale.

Obiicies secundò. Episcopus non potest dispensare in matrimonio rato; ergo neque Papa potest in eo dispensare: nam Episcopus potest in sua diœcesi, quidquid potest Papa in toto orbe.

Respondeo negando consequentiam: falsum enim est simpliciter Episcopum posse in sua diœcesi, quidquid potest Papa, nam certum est Episcopum non posse ea præstare, quæ sunt illi reseruata, aut circa quæ dubitatur, an potestas Papæ se extendat, vt ait Sanchez *disput.*14. *ad octauum argumentum.* [Salas *de legib. disput.*20. *sect.* 3. *num.*20.]

Vtrùm verò matrimonium possit dissolui per professionem in religione, aut quando coniux infidelis non vult habitare cum altero coniuge conuerso, dicetur infrà.

QVÆSTIO III.

De impedimentis matrimonij, eorumque dispensatione.

PVNCTVM I.

A quo possint induci impedimenta, & quot ea sint.

1 Quænam impedimenta iure naturæ matrimonium impediant.

1 CErtum est extare aliqua impedimenta iure naturæ dirimentia matrimonium, qualis est defectus vsus rationis, error circa personam, impotentia perpetua ad coëundum, &c. In præsenti puncto difficultas est, vtrum aliqua impedimenta possint ab Ecclesia induci, & quot sint impedimenta impedientia, vel dirimentia matrimonium.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An Ecclesia possit impedi-

2 ECclesia potest statuere aliqua impedimenta, non solùm impedientia, sed etiam dirimentia matrimonium. Hæc propo-

positio

menta matrimonij statuere.

sitio est de fide, definita in Tridentino *sessione* 24. *canone* 4. Ratio est, quia Ecclesia potest irritare contractus, quando non fiunt sub certis conditionibus, & sub certa forma; sed matrimonium est contractus, vel fundatur in contractu; ergo Ecclesia potest irritare, & dirimere matrimonium, statuendo aliqua impedimenta dirimentia, quando deest aliqua conditio, aut non seruatur certa quædam forma. [Vt hoc melius intelligatur,]

3 Quot modis Ecclesia possit irritare cõtractus.

3 Aduertendum est, Ecclesiam posse irritare contractus dupliciter, primò mediatè reddendo personas inhabiles ad contrahendum matrimonium: secundò immediatè irritando contractum matrimonij, qua ratione potest etiam irritare matrimonia infidelium, modò illa irritet, non tamquam Princeps Ecclesiasticus (Ecclesia enim non habet potestatem supra infideles, iuxta illud, Quid mihi de iis, qui foris sunt?) sed tamquam Princeps sæcularis erga subditos, vt benè ait Sanchez *lib.* 7. *disp.* 1. [Filliuc. *tract.* 10. *cap.* 5. *quæst.* 4. *nu.* 169. *p.* 1.] & alij.

4 An Papa, & Episcopi possint inducere impedimẽta.

4 Hinc sequitur primò, Sum. Pont. posse inducere impedimenta matrimonij; immò etiam Episcopus posset huiusmodi impedimenta statuere in sua diœcesi, vt videre est apud Sanchez *loc. citat.* [*disp.* 3. *num.* 9. Filliucium 2. *p. num.* 10.] contra Coninch. *disp.* 30. *dub.* 1. *num.* 8. sed hoc non est in vsu.

5 An principes sæculares possint constituere impedimenta.

5 Secundò, Principes sæculares posse secluſa prohibitione Ecclesiæ, constituere impedimenta matrimonij, quatenus matrimonium est quidam contractus, Principes enim sæculares habent potestatem supra contractus, & possunt præscribere formam sub qua celebrandi sint. Verum tamen est, istam potestatem supra matrimonium illis ablatam esse ab Ecclesia *in cap. Ecclesia S. Mariæ, extra de constitutionibus.* [*cap. tuam. de ord. cognit. & cap.* 1. *de sponsal.*] & ratio est, quia matrimonium non tantùm est contractus, sed etiam res spiritualis, & Sacramentum supra quod non se extendit potestas sæcularis, vt patet ex Tridentino *sess.* 24. *can.* 12. Excipitur causa dotis, & matrimonium infidelium, nam Principibus sæcularibus relicta est potestas circa contractum dotis, & circa matrimonia infidelium, cùm isti contractus non sint Sacramenta, nec res spiritualis. Ita Perez *loco* statim *citando*. Coninch. *loco citato num.* 5. [Sanchez *lib.* 7. *disp.* 3. *num.* 8. Filliucius *tract.* 10. *p.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 2. *num.* 4.] & alij.

6 An principes possint statuere impedimenta, quibus matrimonia infidelium sibi subditorũ dirimantur.

6 Ex quo patet, Principes posse apponere aliqua impedimenta, per quæ dirimatur infidelium sibi subiectorum matrimonium; matrimonium enim apud infideles non habet rationem Sacramenti, sed contractus, supra quem Principes habent potestatem, Ita P. Ledesm. *q.* 50. *art.* 1. *post* 2. *concluſ.* Valentia *tom.* 4. *disp.* 10. *q.* 5. *part.* 1. Perez §. 33. *fol.* 111. Victoria *in relectione de matrimonio part.* 2. *sect.* 1. & alij, & patet ex *cap. cùm secundùm Apostolum.* & ex Tridentino *sessione* 24. *cap.* 9.

7 An per consuetudinem induci, & auferri possint impedimenta.

7 Tertiò colligi potest, per consuetudinem legitimè præscriptam posse noua impedimenta induci, & inducta auferri, vt patet ex dictis *de legibus*; consuetudo enim vim habet inducendi legem, & inductam abrogandi. Ita Sanchez *lib.* 7. *disp.* 4. Coninch. *loc. cit. nu.* 13. Filliucius *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 5. *num.* 15. & 17. Vtrum verò requiratur, vt Sum. Pontifex sciat illam consuetudinem, vt per illam impedimenta inducta abrogentur, patet ex dictis *de legibus.*

8 An requiratur consuetudo mixta Clericorum, & laicorum ad inducẽda impedimenta.

8 Addo cum Sanchez *lib.* 7. *disp.* 4. [Filliuc. 2. *part. nu.* 16.] & aliis relatis *in tertio Decalogi præcepto, punct.* 1. & de consuetudine *in tractatu de legibus*, requiri consuetudinem mixtam laicorum, & clericorum, vt inducantur impedimenta matrimonij, nam laici non possunt per se solos immutare aliquid spectans ad leges Ecclesiasticas; matrimonium autem spectat ad forum, & leges Ecclesiæ, cum non sit tantummodò contractus, sed etiam res spiritualis.

SECVNDA PROPOSITIO.

9 Quot sint impedimẽta dirimẽtia matrimonium.

9 Impedimenta, quæ non solùm impediunt matrimonium, sed etiam dirimunt, secundùm ius antiquum sunt duodecim; secundùm verò ius nouum sunt quatuordecim; nam Concil. Trident. duo addidit, scilicet raptum, & defectum præsentiæ Parochi, & testium, quæ omnia impedimenta his versibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Hæc impedimenta dicuntur dirimere contractum, non quia dirimant matrimonium, quando illi iam contracto superueniunt, sed quia faciunt, vt inualidè contrahatur, & contrahentes separari possint, eò quòd inualidè contraxerint. Ita Nauar. *cap.* 22. 29. Valentia *loco citato punct.* 2. & alij communiter.

10 Quot sint impedimenta non dirimentia.

10 Quæres vtrùm præter impedimenta impedientia, & dirimentia, extent alia tantummodò impedientia, sed non dirimentia.

Respondeo, extare: hæc autem sunt interdictum, votum, sponsalia, Catechismus, crimen, quæ omnia his versibus comprehenduntur à S. Thom. *in tertia parte quæst.* 50.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, sponsalia, iungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

11 Quot sint impedimenta ex crimine prouenientia.

11 Sunt & alia septem impedimenta non dirimentia, quæ proficiscuntur ex crimine, & his versibus referuntur.

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris:
Susceptus propriæ sobolis, mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat, prohibent hæc coniugium sociandum.

His præmissis in primis agemus de impedimentis dirimentibus; deinde loquemur de impedimentis impedientibus.

PVNCTVM II.

De impedimento erroris.

1 Quotuplex sit error.

1 Notandum, errorem, qui potest in matrimonio concurrere, esse triplicem.

Primus dicitur circa substantiam, seu circa personam, vt si quis ducat Bertam, credens esse Catharinam, in quam intendit consentire.

Secundus dicitur error conditionis; nomine autem *conditionis* non intelligo illam conditionem, quæ modificat, vel suspendit contractum, sed intelligo statum seruilem, aut liberum, vt accidit, quando liber ducit seruam, quam putabat esse liberam.

Tertius dicitur error qualitatis, quando scilicet erratur circa qualitatem personæ, vt accidit quando quis ducit Bertam, credens esse diuitem, nobilem, virginem, &c. sed postea comperit illam pauperem, vel ignobilem, vel defloratam, &c. In hoc puncto loquimur de primo, & tertio errore. De secundo agemus in sequenti puncto.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An error personæ dirimat matrimoniũ.

2 Matrimonium contractum cum errore circa substantiam personæ inualidum est, non solùm iure humano, sed etiam iure naturali.

Quòd sit inualidum iure humano, patet ex *cap. vnico*, 29. *q.* 1. & *cap. tua nos. de sponsalibus* 26.

Quòd verò sit inualidum iure naturæ, probatur, quia matrimonium iure naturæ non subsistit absque consensu circa personam, cum qua contrahitur, sed quando error versatur circa substantiam personæ, non adest consensus circa illam personam, sed circa aliam, quæ mente concipitur: nam *l. si per errorem. ff. de iurisd. omnium iudic.* dicitur, nihil est magis contrarium consensui, quam error, & *leg. cùm testamentum.* dicitur, errantis nullus est consensus; ergo matrimoniũ celebratum cum errore circa substantiam personæ, est inualidum iure naturæ. Ita communiter DD. præsertim Discipuli S. Thom. apud P. Ledes. *quæst.* 50. *artic.* 2. *dubio* 2. apud Sanchez *lib.* 7. *disp.* 18. & apud Gutierez *de matrimon. cap.* 89. *num.* 2. quos sequitur Coninchus *disp.* 31. *de matrimon. dub.* 1. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 92. [Filliucius *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 2. *quæsito* 1. *nu.* 32.] & Cardinal. Tuscus *tomo* 5. *concluſ.* 150. *num.* 6. & 9.

3 An error personæ irritet matrimonium inter infideles.

3 Hinc sequitur, matrimonium contractum cum errore circa substantiam, non solùm esse inualidum inter fideles, sed etiam inter infideles; nam huiusmodi matrimonium est inualidum iure naturæ, cui non solùm fideles, sed etiam infideles subditi sunt. Ita Doctores citati.

4 Quinam dicatur error comitans, & an irritet matrimoniũ.

4 Quæres, vtrùm matrimonium celebratum cum errore comitante, sit inualidum. Pro intelligentia

Notandum, errorem comitantem in re proposita contingere, quando aliquis contrahit. e. g. cum Berta, quam putat esse Catharinam, sed ita est habitualiter dispositus in voluntate, vt si sciret illam esse Bertam; nihilominus illam libenter, vel fortè etiam libentius duceret, quàm Catharinam. Hoc posito:

Respondeo, matrimonium esse inualidum. Ratio est, quia vt aliquis legitimè, & validè matrimonium contrahat, requiritur voluntas, & consensus, sed quando adest error comitans, non adest voluntas, & consensus positiuus; nihil enim est volitum, nisi sit cognitum; ergo qui cum errore comitante contrahit, non validè contrahit; quamuis enim error comitans non faciat actum inuoluntarium positiuè; facit tamen non voluntarium, cùm autem sine voluntario non subsistat matrimonium, sequitur, matrimonium celebratum cum errore comitante circa personam, esse inualidum. Ita Sanchez *lib.* 2. *disput.* 34. & *lib.* 7. *disput.* 18. Gutierez *cap.* 47. *num.* 2. Coninchus *disput.* 31. *dub.* 1. *num.* 9. Speculum 1. *part. artic.* 28. *dub.* 1. [Filliucius *tract.* 10. *cap.* 3. *quæsito* 7. *num.* 88. & *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 31.] Henriquez *lib.* 11. *cap.* 10. *num.* 1. Rebell. *lib.* 3. *quæst.* 2. *num.* 2. Perez §. 35. *fol.* 114. P. Ledesm. *quæst.* 51. *artic.* 2. & alij. Addo non esse validum matrimonium, etiamsi contrahens dicat, ducerem Bertam, si nollem hanc esse Bertam; nam hoc modo solùm indicat intentionem, & voluntatem eius quod facturus esset, si illam nosset; non verò positiuè consentit de præsenti. Secus si errans intendat contrahere cum tali persona, qualiscumque illa sit; in hoc enim casu non deficit consensus circa personam præsentem, vt patet ex dictis *de censuris disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 21. cum Suarez, Auila, & aliis.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 An error qualitatis dirimat matrimoniũ.

5 Matrimonium contractum cum errore qualitatis non est inualidum. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia matrimonium cum huiusmodi errore, & dolo celebratum est simpliciter voluntarium, quo ad naturam, & substantiam rei; quamuis quo ad accidentia non sit voluntarium, sed matrimonium voluntarium simpliciter quo ad substantiam, est validum; quamuis desit consensus secundùm quid, id est, quo ad accidentia; ergo matrimonium celebratum cum errore qualitatis est validum.

6 An validũ sit matrimonium celebratũ per dolum dantem ipsi causam.

6 Hinc patet, quid dicendum sit de matrimonio celebrato per dolum dantem causam ipsi matrimonio, quod alioquin celebratum non fuisset; dicendum enim est, esse validum, cùm adsit voluntarium simpliciter, & consensus positiuus. Ita communiter DD. Gutierez *cap.* 89. *num.* 3. Molina *tract.* 2. *disp.* 352. *vers. illud est obseruandum.* Couarruuias 1. *var. cap.* 5. *num.* 1. Sanchez *loco citato*, & alij. Nec est eadem ratio matrimonij, & aliorum contractuum, qui sunt ipso facto irriti ex dispositione iuris, quando celebrantur per dolum dantem ipsis causam, vt patet ex dictis de contractibus.

Hæc propositio intelligenda est cum duplici limitatione.

Prima est, vt qualitas, circa quam erratur, non fuerit apposita per modum conditionis, tunc enim si contingeret error circa qualitatem, dicendum esset, matrimonium inualidum esse. e. g. si quis dicat, duco te in vxorem, si es diues, vel nobilis, inualidè contrahit, si ipsa non est diues, vel nobilis, deest enim qualitas, quæ apposita fuit tamquam conditio, cuius defectu contractus est inualidus; nam contractus vim suam habet à voluntate contrahentium, sed contrahentes non habent voluntatem contrahendi, nisi subsistente tali qualitate; ergo non subsistente tali qualitate inualidus est cõtractus, validus verò est ea subsistente. Ita Coninchus *nu.* 6. & 11. Reginal. *loco citato.*

Perez

Perez *loco citato.* & alij apud Sanchez *lib.*7. *disp.*18. *num.*21. apud Gutierez *cap.*89.*num.*6.

Secunda est, vt error qualitatis non transeat in errorem personæ, tunc enim, cùm erretur circa personam, inualidum est matrimonium defectu consensus absoluti. Ita Petr. Ledesma *loco citato dub.* 3. *post secundam concl.* Perez *loco citato fol.*115. Gutierez *loco citato, num.* 7. Coninchus *loco citato num.*11. Sanchez *loco citato.* & Henriquez *loco citato, num.*2. vbi refert Sotum, Nauarrum, Couarruiam, & alios.

7 Quando nam error qualitatis transeat in errorem personæ.

7 Quæres primò, quomodo possimus cognoscere errorem qualitatis transire in errorem personę, aut esse tantummodò errorem qualitatis personæ.

Respondeo cum Sanchez *lib.*7. *disp.*18. *num.*25. P. Ledesm. *loco citato.* Conincho *loco citato num.*12. Nauar. *cap.*22. *nu.* 32. Reginaldo *lib.* 31. *num.*95. [Filliucio 2. *part. num.*34.] & aliis, hanc regulam posse assignari. Quando qualitas in qua erratur, respicit aliquam certam, & determinatam personam, distinctam ab ea quæ præsens est, error qualitatis redundat in errorem personæ. e. g. Berta contraxit matrimonium cum Titio, qui se fingebat filium Regis Hispaniarum, cuius verè non erat filius, nihilominus Berta filium Regis sibi in mente proposuit, in illumque consentire directè voluit, in hoc casu error qualitatis dicitur redundare in errorem personæ; consequenter matrimonium contractum inter Bertam, & Titium est inualidum. Ratio est, quia Berta consensit in eam personam, quam sibi in mente proposuit; cùm autem sibi proposuisset personam filij Regis Hispaniarum, & non personam Titij, sequitur ipsam consensisse in filium Regis, non verò in Titium, quamuis Titius sit ibi præsens. Secus dicendum est, quando qualitas non respicit, neque determinat certam aliquam, & indiuiduam personam [distinctam à præsente, seu quando consensus directè ac formaliter fertur in præsentem;] tunc enim error qualitatis est propriè error qualitatis, nec refunditur in errorem personæ; consequenter matrimonium cum tali errore celebratum est validum, cùm adsit consensus absolutus circa illam personam.

8 Validè cõtrahitur matrimonium cum eo, qui se fingit filiũ Regis, non explicans cuius Regis filius sit.

8 Ex quo patet, Bertam validè contrahere matrimonium cum eo qui se fingit nobilem, aut diuitem, aut Ducem, aut filium Regis, non explicans cuius Regis filius sit: in his enim casibus error Bertæ est error solius qualitatis, cùm qualitas apposita non determinet certam & indiuiduam personam distinctam ab ea, quæ præsens est. Similiter patet Bertam validè contrahere matrimonium cum eo qui se fingit filium vnigenitum Regis, cùm tamen re vera ipse habeat alios fratres: nam error qualitatis, in qua erratur, non respicit certam personam, distinctam ab ea, quæ præsens est. Secus dicendum est, si Berta contrahat cum eo qui se fingit primogenitum, cùm verè sit secundogenitus; [tunc enim consentit in personam distinctam à præsente, cum ipsius consensus directè feratur in personam, cui illa qualitas primogenituræ ineſt; materialiter verò in personam præsentẽ, quæ putatur primogenita.] Ita Sanchez *loc. citat. num.* 26. Emanuel Sà *verb. matrimonium, num.*1. Speculum *loc.cit. dub.*2. [Filliucius *num.* 34.] & alij.

9 Validum est matrimonium, quãdo non interuenit error personæ, sed qualitatis.

9 Quæres secundò, vtrùm validum sit matrimonium in hoc casu: Titius contracturus matrimoniũ cum primogenita Caij, vult prius illam inspicere, num sit formosa, sibique placeat, verùm quia primogenita Caij est deformis, loco illius ostenditur secundogenita formosa, vel alia alterius hominis filia, quæ illi formosa videtur, & placet, postmodum Titius contrahit matrimonium cum primogenita Caij, non aduertens, an sit illa, quæ sibi priùs fuerat ostensa (non enim poterat aduertere, quia fortasse velo tecta erat, vel quia celebrauit matrimonium per Procuratorem, vel quia ob aliam causam non aduertit.)

Respondeo, validum esse matrimonium, quia non interuenit error personæ, sed qualitatis: Titius enim duxit primogenitam Caij, quam intendebat ducere, & quæ sibi fuerat promissa, quamuis erraverit in qualitate pulchritudinis. Secus dicendum est si Titio fuit promissa vna ex filiabus Caij indeterminatè absque nota singulari, videlicet non denotando primam, vel secundam, vel tertiam, tunc enim si contingat casus, vt Titio volenti videre sponsam, an sibi placeat, ostendatur vna formosa, sed postea in contractu matrimonij supponatur, & substituatur alia æquè formosa, vel formosior, non est validum matrimonium, nam interuenit error personæ; cùm Titius credat se contrahere cum ea quam vidit, & ad quam dirigit intentionem suam in contractu matrimonij. Vide Sanchez *loco citato, num.*35. Coninch. *disp.*31. *dub.*1. *num.*19.

Obiicies primò contra secundam propositionem, in qua dictum est, matrimonium non dissolui per errorem qualitatis. Sponsalia celebrata cum errore circa qualitatẽ personæ sunt inualida; ergo etiam inualidum est matrimonium.

Respondeo negando antecedens. Dico enim valida esse sponsalia cum errore qualitatis celebrata; quamuis dissolui possint interueniente notabili mutatione, vt supra dictum est.

Obiicies secundò, sponsalia celebrata per dolum dantem causam ipsis, sunt inualida; ergo etiam est inualidum matrimonium, cum huiusmodi dolo celebratum.

Respondeo negando consequentiam, hoc enim peculiare est in matrimonio, vt non irritetur per dolum dantem illi causam, quamuis irritentur sponsalia, & ceteri contractus bonæ fidei, vt dictum est de contractibus, cum communi DD. sententia. Ratio est, quia natura, & indissolubilitas matrimonij postulat, vt non irritetur per dolum dantem causam matrimonio. Ita Molina *de contractibus disp.* 352. *versic. illud est*, & alij communiter, quos retuli *de contractibus, disp.*3. *quæst.*1. *puncto* 2. §. 2. *num.*3. eosque sequitur Gutierez *de matrimonio, cap.*89. *num.*3. & Sanchez *lib.*10. *disput.*9. *num.*20. *&* 21. *& lib.* 7. *disput.*18. *num.*18. vbi refert Valentiam, Molinam, & alios contra Medinam *de restit. quæst.* 33. & Coninchum *de matrimonio disput.* 23. *dub.* 9. *num.* 73.

PVNCTVM III.

De impedimento conditionis, id est, seruitutis.

In præcedenti puncto egimus de errore circa substantiam, & circa qualitatem personæ. In præsenti agemus de errore conditionis personæ, id est, seruitutis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An error cõditionis irritet matrimonium quãdo persona, cum qua cõtrahitur, non est deterior.

1 Matrimonium contractum cum errore conditionis, non est inualidum, quando persona, cum qua contrahitur, est æqualis, aut melioris conditionis. Ita communiter DD. quos sequitur Sanchez *lib.*7. *disp.*19. *num.*23. P. Ledesm. *quæst.*64. *art.*2. Henriquez *lib.*11. *cap.*10. *num.*4. Speculum 1. *parte art.*29. *dubio* 1. *pagina* 86. Perez §. 36. *folio* 120. Coninch. *disp.*31. *dub.*2. *num.*24. & Gutierez *cap.*90. *nu.* 27. *&* 28. [Filliucius *tract.*10. *q.*2. *cap.*2. *num.*40. *&* 44.]

2 An seruus contrahens cum serua, quam credebat liberam esse, validè contrahat.

2 Ex quo fit seruum contrahentem cum serua, quam credebat esse liberam, aut contrahentem cum libera, quam putabat seruam, validè contrahere, vt habetur *cap. si quis, & cap. ad nostram. de coniugio seruorum.* Ratio est, quia Ecclesia apposuit hoc impedimentum, vt tollatur inæqualitas, & ne fiat iniuria personis liberis; sed nulla est inæqualitas, vel iniuria, quando persona cum qua cõtrahitur, est æqualis, aut melioris conditionis, vt accidit in proposito casu; ergo matrimonium contractum cum conditionis errore est validum, quando persona, cum qua contrahitur, est æqualis, aut melioris conditionis.

3 An validũ sit matrimonium à libero celebratum cum serua, quæ contrahendo fit libera.

3 Hinc sequitur, validum esse matrimonium, contractum à libero cum serua, quæ contrahendo fit libera, vt accidit quando dominus ducit seruam suam in eo loco, in quo fit libera per huiusmodi contractum. Ita Sylvest. *verb. matrimonium* 8. *q.*2. Rebel. *loc. citat. nu.*29. Emanuel Sà *verb. matrimonium, de impedimentis matrimonij, num.* 1. Perez §. 37. *folio* 127. Coninch. *loc. citat.* [Sanchez *num.* 12. Filliucius *num.*47.] Henriquez *lib.*11. *cap.*10. *num.*4. vbi citat S. Thom. Sotum, & Nauarrum contra Couarruiam 2. *parte, cap.* 3. §. 7. & alios apud Gutierez *loco citato, num.*16. Ratio est, quia in hoc casu nulla intercedit inæqualitas: [quando autem seruus fiat liber, videri potest apud præcitatos Doctores.]

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An error cõditionis irritet matrimoniũ, quãdo conditio errãtis fit deterior.

4 Matrimonium contractum cum errore conditionis, est inualidum, quando conditio errantis fit deterior, vt quando liber contrahit cum serua, quam credebat liberam. Hæc propositio patet, tum ex iuribus citatis in præcedenti propositione; tum quia hoc impedimentum ab Ecclesia fuit inductum ad tollendam inæqualitatem, & ne fieret iniuria alteri contrahenti: magna autem inæqualitas adesset, si validum esset matrimonium, quando fit deterior conditio errantis, id est, quando liber contrahit cum serua, quam credebat liberam esse. Ita communiter DD. Validum tamen esset matrimonium, quod liber contraheret cum serua, sciens, vel opinans, vel probabiliter dubitans esse seruam: in hoc enim casu non fit illi iniuria, eò quòd inæqualitas videatur esse voluntaria. Ita Rebell. *lib.* 3. *quæst.* 3. *sect.*2. *num.*12. [Sanchez *num.*20. Filliucius *num.*42.]

5 An liber validè contrahat cum serua, cum qua adhuc contraheret, cognita seruitute.

5 Sed maior difficultas est, vtrùm sit validum matrimonium, quando liber contrahit cum serua nesciens illam esse seruam, sed ita est affectus, vt si cognosceret illam esse seruam, nihilominus cum ea contraheret.

Respondeo cum Soto *in* 4. *dist.* 35. Rebello *loco citato.* Henriquez *lib.*11. *cap.*10. Perez *loco citato*, & aliis contra Nauarrum *cap.* 22. *num.* 33. Sylvest. *verb. matrimonium* 8. *q.*3. & alios, non esse validum. Ratio est, tum quia ad validitatem matrimonij non sufficit error comitans, seu consensus negatiuus, sed requiritur voluntas, & consensus positiuus, vt dictum est in puncto præcedenti, tum quia iura citata in præcedenti propositione dirimunt matrimonium contractum cum errore conditionis, quando fit deterior conditio errantis, vt accidit in præsenti casu. [Oppositа tamen sententia valde probabilis est.]

6 An matrimoniũ inter liberum, & seruam celebratum fiat validum, si liber cognito errore copulam habeat cũ serua.

6 Quæres primò, vtrùm matrimonium, quod liber contraxit cum serua nesciens esse seruam, fiat validum quando liber, post cognitam seruitutem, habet copulam cum ea.

Respondeo, fieri validum, si adsit nouus mutuus consensus, & copula animo maritali habeatur, matrimonium enim antè inualidum fit validum per mutuum consensum, signo externo expressum, vt dictum est *disputat.* 2. *punct.* 9. vbi etiam ostensum est, an matrimonium inualidè celebratum, debeat de nouo coram Parocho, & testibus celebrari. Ita Coninchus *loco citato num.*25. Gutierez *cap.*90. *num.*9. Rebell. *loco citato, num.*17. Speculum 1. *parte, art.*29. Perez *loco citato*, & alij, qui secus dicendum existimant, quando post contractum cognoscunt se affectu maritali, sed nesciunt conditionem seruitutis, in hoc enim casu non fit validum matrimonium, eo quòd liber ex errore seruitutis consentiat in eam, quam credit esse suam, & censeatur tantummodò ratificare priorem consensum, & contractum, qui est inualidus, propter errorem conditionis.

7 An seruus possit inuito domino matrimonium celebrare.

7 Quæres secundò, vtrùm seruus possit, inuito domino validè contrahere matrimonium cum serua, vel cum libera.

Respondeo, posse validè contrahere, modò seruitus sit nota personæ liberæ. Ita Sanchez *lib.*7. *disp.*22. Gutierez *cap.*92. [Filliucius *tract.* 10. *p.*2. *cap.*2. *quæs.* 6. *num.*49.] & alij communiter. Ratio est, quia matrimonium concessum fuit à iure naturali, & diuino in remedium concupiscentiæ, & ad propagationem naturæ humanæ; hoc autem ius non potest seruis à dominis auferri, immò grauiter peccarent domini contra iustitiam positiuè impediendo seruos, ne matrimonium ineant, aut impediendo eorum maritale commercium post contractum matrimonium, facerent enim contra ius tributum illis à natura. Verum tamen est dominos non teneri consentire, ne sibi præiudicium afferant. Ita Henriquez *loco citato.* Rebel. *lib.* 3. *quæst.*3. *num.* 2. Emanuel Sà *loco citato.* & Sanchez *lib.* 7. *disput.* 21. Cauere tamen debet seruus, ne dominũ priuet debitis obsequiis, nam per matrimonium

nium non eximitur ab obligatione erga dominum. Verùm si detur casus, vt seruus non possit simul satisfacere domino, & vxori, ceteris paribus præferendum est debitum coniugale; nam matrimonium est fauorabile. Ita Speculum *1 parte art.30.* Petr.Ledesm.*quæst.52.art.1. versus finem.* Perez §.38.*folio* 125. Sanchez *disp.21.num.11.* Emanuel Sà *loco citato.* [Filliucius *num.51.*] & alij contra Gutierez *cap.92.num.7.* & alios.

8 An domini possint vendere seruos in locis distantibus, in quibus serui non possint reddere debitum.

8 Quæres tertiò, vtrùm domini possint absque peccato mortali vendere seruos in locis distantibus, in quibus serui non poterunt sibi debitum reddere.

Respondeo, quando matrimonium contractum est de consensu dominorum, non posse dominos absque peccato mortali vendere seruos in locis distantibus, in quibus serui non poterunt sibi debitum reddere. Ratio est, quia sicut domini non possunt positiuè impedire, ne serui matrimonium contrahant, ita non possunt facere, ne vtantur matrimonio contracto, quantum æquitas postulat, alioquin facerent contra ius illis à natura tributum.

9 An domini peccent mortaliter vendendo seruos qui sine eorum licētia matrimoniū contraxerunt.

9 Sed maior difficultas est, an domini peccent mortaliter, si in paruis remotis vendant seruos, qui sine ipsorum consensu matrimonium contraxerunt.

Ad hanc difficultatem Iurisperiti communiter respondent negatiuè; quia sicut dominus ante matrimoniū poterat seruos suos in partes distantes obligare, ita etiam potest post contractum matrimonium; dominus enim nō amittit ius suum in seruum; nec fit deterioris conditionis ex eo, quòd seruus, insciente domino, matrimonium contraxit. Theologi verò, vt S.Thom. *in additionibus ad 3. partem, quæst. 52. art.2.* Sotus *in 4. dist.35. art.4.* Rebel. *loco citato n.10.* Sanchez *lib.7. disp.21.& 23.n.11.* [Filliucius *n.54.*] & alij asserunt mortaliter peccare, quando alter coniux non potest commodè sequi alterum. Ratio est, quia domini peccant positiuè impediendo matrimonium seruorum, eò quòd faciant contra ius illorum; ergo multo magis peccant impediendo perpetuò matrimonij vsum: maius enim damnum subeunt serui, si impediantur in vsu matrimonij contracti, quàm si impediantur, ne contrahant matrimonium. Secus dicendum est, quando dominus vendit seruos in locis solùm ita distantibus, vt nihilominus possint sibi debitum reddere, & vti matrimonio, nam rationes allatæ militant solùm in casibus, in quibus serui impediuntur, ne possint vti matrimonio: in quibus casibus domini peccant contra iustitiam: eò quòd violent ius seruorum in vsu matrimonij, nisi fortè excusentur ratione magnæ necessitatis, vt ait Sanchez *disp.22. num.12. & 13.* Petr.Ledesm.*quæst.52.art.2.* Perez §.38.*folio* 133. vbi citat plures alios DD. [Filliucius *loco cit.*] Coninchus ex parte *loco citato, n.38.*

10 Cuius conditionem filij sequantur.

10 Quæres quartò, vtrùm filij sequantur conditionem matris, id est, seruitutem, quando mater est serua: vel libertatem, quando mater est libera.

Respondeo, sequi illius conditionem, nisi contrarium receptum sit per consuetudinem in aliquo loco; ob id filius remanet seruus, si mater est serua. Ita habetur *l. partum 7. C. de rei vendicatione.* Ratio est, quia mater grauida non est satis apta obsequiis domini sui, & pariendo subit periculum mortis; ergo æquitas postulat, vt domini, qui priuantur obsequiis, & subeunt periculum damni, & incommodi, sentiant commodum ex partu illius, iuxta illud axioma, qui sentit incommodum, par est vt sentiat commodum. Ita Baldus, Salicetus, & alij apud Gutierez *c.93.n.5.* & apud Sanchez *lib.7. disp.24.*

Quamuis tamen filius sequatur conditionem matris, quoad seruitutem, & libertatem: non tamen illam sequitur quoad honores, & nobilitatem; in hoc enim sequitur patrem, *l. cùm legitimè. ff. de statu hominum.* Ita communiter DD. quos citat Sanchez *lib.7. disp.24.* [Filliucius *n.29.*] & Gutierez *c.93. de matrim.*

11 An filius remaneat seruus toto tempore, quo mater erit serua.

11 Rogabis primò, vtrùm filius ita sequatur conditionem matris, vt fiat seruus, quouis tempore mater fuerit serua.

Respondeo, filium sequi conditionem matris, & esse seruum, si mater eius non erat libera tempore conceptionis, vel tempore partus, vel quocumque tempore medio inter conceptionem, & partum. Si verò mater erat libera tempore conceptionis, vel partus, vel medio tempore, filius non remanet seruus, vt habetur *Inst. de ingenuis. § sed si quis.* Vnus casus excipitur ab hac doctrina, videlicet, quando mater grauida fit serua iure belli, in quo casu fœtus fit seruus cum matre; quamuis mater tempore conceptionis esset libera. Ita Sanchez, Gutierez, Filliucius, & alij *locis citatis.*

12 An quādo femina grauida se vendit, filius sit liber.

12 Rogabis secundò, vtrùm quando serua grauida se vendit, filius conceptus ante venditionem sit liber.

Respondeo, esse liberum, & non seruum. Ratio est, tum quia mater tempore conceptionis erat libera: tum quia filius non potuit vendi, cùm nondum esset in potestate matris. Vide Sanchez *disp.24.* Henriquez *loco citato.* & Petr.Ledesm. *loco citato, art.3. & 4.* [& Filliucius *num.55. & seqq.*

13 (An vxor aut vir cōstante matrimonio possit seipsum vendere.)

13 Vtrum verò vxor, aut vir constante matrimonio possit seipsum vendere.

Respondeo breuiter vxorem non posse absque viri consensu. Ratio est, quia viro subiecta est, ideo vir vocatur caput vxoris: tamen vir potest seipsum vendere, etiam inuita coniuge, dum vxor ex huiusmodi venditione non patitur damnum circa coniugales actus. Ratio est, quia vir non est subiectus vxori, nisi circa redditionem debiti.]

PVNCTVM IV.

De impedimento voti.

1 Quòdnā dicatur votum solemne, & votū simplex.

1 NOtandum, votum castitatis aliud esse simplex, aliud solemne. Votum solemne est illud, quod emittitur in susceptione sacrorum Ordinum, vel in professione Religionis. Votum simplex est illud, quod fit ad libitum cuiuscumque. In hoc puncto non agemus de voto simplici, cùm cōstet votum simplex non dirimere matrimonium, sed tantùm impedire, ne cōtrahatur: propterea qui vouit castitatem, vel religionem, vel sacros Ordines, validè contrahit matrimonium; quamuis grauiter peccet contrahendo, vt patet ex dictis *de voto castitatis, & religionis puncto §.8.5. & 6. de voto.* Præterea non agemus in hoc puncto de voto solemni, quod præstatur in susceptione sacrorum Ordinum, cum hoc pertineat ad octauum impedimentum: sed solùm hic loquemur de voto solemni, quod fit in professione religionis, & tria præcipuè quæremus. Primò, vtrum votum castitatis solemne dirimat matrimonium sequens.

Secundò, vtrùm professio dirimat matrimonium nou consummatum, antecedens ipsam professionem.

Tertiò, vtrùm professio dirimat matrimonium consummatum, antecedens ipsam professionem.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An validū sit matrimonium celebratū post votum solemne castitatis.

2 VOtum castitatis, emissum in professione valida religionis approbatæ, dirimit matrimonium, etiam cōsummatum, factum post ipsam professionem: consequenter religiosus professus inualidè contrahit matrimonium. Hæc propositio est de fide definita in Concilio Viennensi, *Clementina vnica, de consanguinitate.* in Tridentino *sess.24. can.9.* & in aliis Conciliis relatis à Sanchez *lib.7. disp.26. nu.1.* Idem dicendum est de voto simplici, quod emittunt Patres Societatis Iesu peracto biennio, vt patet ex motu proprio Gregor.XIII. qui incipit, *Ascendente Domino.* De quo videri potest Valentia *tom.4. disp.10. quæst.5. punct.3.* Henriquez *lib.11. cap.8. num.7.* Gutierez *cap.54. num.4.* Idem asserendum esset de quolibet voto solemni castitatis, si aliquod votum solemne institueretur ab Ecclesia extra professionem religionis, & extra Ordines sacros, illud enim esset verè votum solemne, consequenter haberet effectum irritandi matrimonium, vt benè tradit Gutierez *cap.54.* & Sanchez *lib.2. disp.18.* Vtrum verò matrimonium celebratum post professionem sit inualidum iure naturę, vel tantummodò Ecclesiastico, fusius disputādum aliis relinquimus. Nobis sufficit dicere, esse inualidū iure tantum Ecclesiastico, & non iure naturæ. Ratio est, tum quia votum simplex non dirimit matrimonium; ergo neque votum solemne: votum enim solemne nihil habet supra votum simplex, ratione cuius magis dirimat matrimonium, quàm simplex, excepto decreto Ecclesiæ; sicut enim in voto solemni traditur persona Deo, ita etiam in simplici: tum quia ita videtur definitum à Gregorio XIII. in Bulla, quæ incipit, *Ascendente Domino.* Ita Sanchez *lib.2. disp.19. & lib.7. disp.25. n.24. & disp.26. n.4.* Reginald. *lib.31. num.123.* Coninch. *disp.31. dub.6. num.67.* Gutierez *cap.94. n.6.* Lessius *de iust. & iure lib.4. c.41. n.68.* Speculum *1. part. art.31.* Bellarminum *lib.2. de Monachis cap.34.* Rebel. *lib.3. q.4. n.5.* [Filliucius *tract. 10. p.2. n.118.*] & alij apud P. Ledesm. *q.53. art.2. vers. In hac difficultate;* contra ipsum P. Ledesm. Henriquez *lib.12. c.3. n.3.* & alios.

3 Quo iure votum irritet matrimoniū.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An professio facta in religione dirimat matrimonium.

4 PRofessio facta in approbata religione, dirimit matrimonium, celebratum ante ipsam professionem, modò matrimonium sit tantummodò ratum, & non consummatum; consequenter coniugatus, si ante consummatum matrimonium, professionem faciat in approbata religione, remanet liber ab obligatione matrimonij, eò quòd ipsius matrimonium dissoluatur per sequentem professionem. Ita definitum fuit, tum in Trident. *sess.24. c.4.* ab Alex.III. *c. verùm.* tum ab aliis Pontificibus. Ratio est, quia hic effectus ex priuilegio diuino concessus fuit professioni, vt ostendit Lessius *lib.4. cap.41. dub.8. n.69.* Sanchez *loco cit.* [& Filliucius *tract.10. p.1. cap.2. quæs.11. n.64. & seqq.*] Pro maiori huius propositionis intelligentia:

Notandum est, vtrique coniugi posse contractum matrimonium, sed nondum consummatum, cōcessum fuisse spatium duorum mensium ad deliberandum de ingressu religionis, quo tempore vterque coniux potest alteri petenti negare debitum, & licitè potest religionem ingredi, etiam altero inuito: elapso verò bimestri peccat non reddendo debitum petenti, nihilominus si elapso bimestri religionem ingrediatur, & profiteatur ante consummatum matrimonium, validè profitetur, & matrimonium antecedens dissoluitur; nam matrimonium ratum, non consummatum dissoluitur per solemnem professionem religionis approbatæ; ergo etiam dissoluitur in proposito casu, cùm matrimonium sit tantummodò ratum, quamuis deliberatio ingrediendæ religionis facta fuerit post bimestre, vt benè ait Perez *de matrimonio, §.18.* Coninch. *disp.26. dub.4. n.49.* Sanchez *lib.2. disp.24. n.27.* Gutierez *c.54. n.19.* & alij communiter.

5 An facta professione ab altero, coniux manens in sæculo possit cū alio contrahere matrimonium.

5 Ex dictis sequitur primò, licitum esse Bertæ, in sæculo manenti, contrahere matrimonium cum alio, si coniux, cum quo prius matrimonium contraxerat, ingressus est religionem, & fecit professionem, ante consummatum matrimonium. Verum tamen est, manentem in sæculo non posse cum alio matrimonium contrahere ante professionem coniugis, consequenter si coniux, qui religionem ingreditur, sit tantùm 14. annorum, tenetur coniux manens in sæculo expectare, donec ille compleat 16. annum, quod est tempus ad validitatem professionis requisitum in Concil. Trident. *sess.25. cap.15. de regularibus.* Ita Sanchez *lib.2. disp.24. num.8.* Henriquez *lib.12. cap.5. n.8.* & Gutierez *c.54. num.12.*

Secundò sequitur, matrimonium ratum, & non consummatum dissolui per solemnem professionem Equitum militarium, vt sunt Equites S. Ioannis, etiam si non viuant in communi. Ratio est, tum quia sunt veri religiosi; tum quia alioquin neque dirimeretur matrimonium contrahendum. Ita Henriquez *lib.11. cap.8. nu.6.* P. Ledesm. *quæst.61. art.2. ad 4.* & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.2. disp.18. n.8.* Gutierez *c.45. n.7.* [Filliucius *n.62.*] contra Sotum.

6 An matrimoniū sit irritetur, aliter coniux fiat Episcopus, aut suscipiat sacros Ordines.

6 Quæres, vtrum matrimonium ratum, non consummatum, dirimatur per consecrationem alterius coniugis in Episcopum, aut per susceptionem Ordinum sacrorum, sicut dirimitur per professionem?

Respondeo negatiuè, nam professio dirimit matrimonium ratum ex priuilegio diuino, quod Ecclesia accepit per Apostolos, & confirmatum retinet perpetuo vsu, & sanctorum Patrum exemplis, sicut testantur communiter DD. apud Henriquez *loco cit.* apud Rebel. *lib. 1. sect. 2. n. 12.* Valent. *tom. 4. disp. 10. q. 3. punct. 3.* & apud Perez *§. 18.* hoc autem priuilegium non constat fuisse concessum consecrationi Episcopi, vel susceptioni Ordinis sacri.

Vtrùm verò matrimonium celebratum post susceptionem Ordinis sacri, sit inualidum, constabit ex dicendis infra *de impedimento Ordinis.*

TERTIA PROPOSITIO.

7 An matrimoniũ consummatum dirimatur per professionẽ subsequentẽ.

7 MAtrimonium consummatum celebratum ante professionem, non dirimitur per sequentem professionem. Ratio est, tum quia nullo iure constat ipsum dirimi, tum quia sic habetur *27. quæst. 2. can. si quis coniugatus.* Tum quia hoc constat ex multis Scripturæ locis, qui saltem de matrimonio consummato intelligendi sunt, vt Matth. *19. Qui dimiserit vxorem, facit eam mœchari,* & alibi.

8 An matrimoniũ intra bimestre cõsummatũ dirimatur per subsequentem professionem.

8 Addo matrimonium consummatum non dirimi per professionem subsequentem, non solùm si fuit consummatum post bimestre, sed etiamsi fuit consummatum intra bimestre, quamuis consummatum fuerit per vim, coniuges enim per matrimonij consummationem facti sunt vna caro, quæ non est separanda, nisi per mortẽ alterius, iuxta dictum Apostoli, mulier alligata est viro, quamdiu vir eius viuit, &c. Ita Rebel. *loco cit. n. 17.* Perez *§. 18.* Tuscus *tom. 5. concl. 146.* Reginald. *lib. 31. n. 39.* Coninch. *disp. 26. dub. 3. & 4. n. 53.* Gutierez *c. 54. n. 22. & 26.* Sanchez *lib. 2. disp. 21.* & alij apud Couar. *2. parte epitomes c. 7. §. 4.*

An verò sponsa cognita per vim, aut metum intra bimestre possit adhuc ingredi religionem.

Dissensio est inter DD. nam Sanchez, & Reginaldus *locis citatis,* & alij putant posse; par enim non est, vt sponsa damnum patiatur ob alterius culpam, & ob iniuriam sibi illatam.

Gutierez verò *cap. 54. num. 28. & 29.* Henriquez *lib. 11. cap. 8. n. 10.* & alij censent non posse. Ratio est, tum quia iura absolutè dicunt, consummato matrimonio neutri coniugi esse licitum transitum ad religionem altero inuito: tum quia ex illa copula potest nasci proles, quæ non facilè poterit educari matre ingrediente religionem; vtraque opinio probabilis est.

Sed opinio Sanchez mihi probabilior videtur, vt dictum.

Ad primum argumentum Gutierez, & aliorum respondeo, iura intelligenda esse præcisa iniuria.

Ad secundum respondeo, per accidens sequi in tali euentu, vt proles commodè nequeat educari matre religionem ingrediente.

9 An vnus coniugum post matrimonium consummatum valide professionem emittat, altero inscio, vel consentiente per metũ, &c.

9 Quæres primò, vtrùm alter coniugum, post matrimonium consummatum, validè professionem emittat, altero coniuge insciente, vel consentiente per dolum, aut per metum, vel dissimulante.

Respondeo, non validè professionem emittere, secluſa causa perpetui diuortij, vt patet ex *cap. notificasti 35. q. 1. & cap. veniens. de conuersione coniugatorum.*

10 An valida sit professio, quã vterque coniux emisit credens alterũ periisse.

10 Ex quo sequitur, inualidam esse professionem, quam vterque emisit, credens bona fide alterum periisse, propterea professus, postquam cognouit alterum esse superstitem, debet ad illum reuerti, illique reddere debitum, nam inualidè professus est, non tamen poterit in hoc casu petere debitum, vt benè aduertit Rebel. *lib. 3. quæst. 4. n. 15.* & Sanchez *lib. 7. disp. 34.* & *35. n. 2.* Gutierez *c. 95. n. 19. & 24.* tum quia ita habetur *cap. placet. de conuersione coniugatorum*; tum quia votum castitatis factum in dicta professione, licet sit inualidum secundùm solemnitates ab Ecclesia institutas: nihilominus habet vim, & rationem simplicis voti, nec non obligat, in quantum vouens se poterat obligare ad non petẽdum debitum; ergo non potest petere debitum.

Dixi in responsione, *secluſa causa perpetui diuortij,* quia quãdo vnus coniugum potest facere perpetuum diuortium propria auctoritate, potest etiam ingredi religionem, & validè profiteri, aut etiam sacros Ordines susc ipere, altero coniuge inuito remanente in sæculo; sicut enim coniux innocens potest in sæculo abstinere à perpetuo consortio alterius, ita etiam potest ingredi religionem. Ita DD. citati.

11 An coniuges de communi consensu possint ingredi Religionẽ post consummatũ matrimoniũ.

11 Quæres secundò, vtrùm vterque coniux, post consummatum matrimonium, possit de communi consensu ingredi religionem, & profiteri, aut continentiam vouere.

Respondeo, posse, vt patet, tum ex *cap. qui vxorem 33. quæst. 5.* & ex multis aliis iuribus relatis à Sanchez *lib. 7. disp. 33.* tum quia vterque potest cedere iuri, quod habet circa matrimonium. Neque necessarium est, vt vterque simul ingrediatur, & profiteatur, sed potest vnus prior ingredi, & validè profiteri, post cuius professionem tenetur etiam alter profiteri, imò compellendus est ad ingressum religionis, cùm non possit licitè in sæculo remanere post validam professionem alterius, vt benè Sanchez *loco cit. num. 14.* Henriquez *lib. 11. cap. 8. n. 9.* & alij apud Henriquez.

12 An aliquãdo vnus coniugum possit ingredi religionẽ post cõsummatum matrimoniũ, altero manente in sæculo.

12 Rogabis vtrùm dari possit casus, in quo alter coniugum possit licitè, & validè religionem ingredi post consummatum matrimonium, altero remanente in sæculo.

Respondeo cum Henriquez *lib. 11. cap. 8. num. 9.* Conincho *disp. 25. dubio 6.* Gutierez *cap. 95.* Sanchez *lib. 7. disp. 32.* Cardin. Tusco *tom. 5. concl. 147. n. 8.* Perez *§. 40. fol. 140.* [Filliuc. *n. 132.*] & aliis, posse concurrentibus tribus conditionibus.

Prima est, vt manens in sæculo sit prouectæ ætatis, e.g. sexagenarius, vel eam ætatem habeat, quæ ex praua valetudine respondeat illi ætati, ita vt à periculo incontinentiæ credatur ratione ætatis abesse. Dico *ratione ætatis,* quia non sufficit, si credatur à periculo incontinentiæ abesse ob virtutem. *cap. cùm sis, cap. vxoratus,* & alibi. [*de conuers. coniugat.*]

Ex quo patet, non posse vnum coniugem ingredi religionem, quando alter coniux iuuenis vult in sæculo remanere. [Secus si non sit iuuenis, sed senex, vt si vir sit sexagenarius, aut femina, quæ in sæculo relinquitur, sit quinquagenaria; cùm enim in huiusmodi ætate iuuenilis calor sit ferè extinctus, iure merito existimare possumus virum senem, qui sexaginta annos agit, & feminam senem, quæ quinquaginta. Vide Sanchez *disp. 32. n. 16.*]

Secunda conditio est, vt manens in sæculo emittat votum continentiæ. Verum tamen est, validam esse professionem vnius coniugis, factam de licentia spontanea alterius, qui post matrimonium consummatum manet in sæculo cum voto castitatis, vel absque voto, modò ante professionem non fuerit reuocata licentia. Ita Sanchez *disp. 33. num. 2.* Henriquez *loco citato,* Sylvester *Matrimonium 8. q. 12.* [Filliucius *nu. 136.*] & alij. Ratio est, quia iura non irritant huiusmodi professionem; quamuis requirant, vt manens in sæculo votum castitatis emittat, vt patet ex *cap. cùm sis, & cap. vxoratus, de conuersione coniugatorum.*

Tertia est, consensus Episcopi, non quidem de necessitate professionis, sed de præcepto obligante sub mortali, vt ait Rebellus *loco cit. num. 18.* Perez *loco cit.* & alij, agitur enim de re graui, quidquid dicat Sanchez *loco cit. n. 3.* Gutierez *c. 95. nu. 4.* [& Filliucius *n. 132.* negantes licentiam Episcopi ex præcepto requiri.]

13 An ingrediens religionem post consummatũ matrimonium committat adulterium, si cum alia copulam habeat.

13 Quæres vltimò, vtrùm validè professus post matrimonium consummatum dicatur adulterium committere, si copulam habeat cum alia.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia cùm per professionem non dissoluatur matrimonium consummatum, sequitur religiosum coniugatum committere adulteriũ, eò quòd carnaliter cognoscat aliam personam distinctam à propria vxore, & dicatur facere contra fidem datam in matrimonio. Circa prædicta videri possunt plura apud Sanchez *disp. 21. vsque ad 35.* & apud Perez *loco citato,* quæ hic prætermitto, quia non multum faciunt ad nostrum institutum.

PVNCTVM V.

De impedimento cognationis.

1 Quotuplex fit cognatio.

1 TRiplex est cognatio, naturalis, legalis, & spiritualis. Priùs agemus de cognatione naturali. Postea de spirituali: postremò de legali.

§. I.

De impedimento cognationis naturalis.

TRia principaliter quæram in hoc loco. Primò quid sit consanguinitas.

Secundò, per quid distinguatur.

Tertiò, vtrùm dirimat matrimonium, & quo iure. Sed prius

2 Vndenam consanguinitas dicatur.

2 Aduertendum est, consanguinitatem dici quasi sanguinis vnitatem, eò quòd consanguinei ab eodem sanguine originem ducant, & in eodem sanguine vniantur.

PRIMA PROPOSITIO.

3 Quid sit consanguinitas, per quid contrahatur, & quinam sit illius stipes.

3 COnsanguinitas est vinculum personarum, ab eodem proximo stipite descendentium, carnali propagatione contractum. Ita P. Ledesm. *q. 54. art. 1.* Sanchez *lib. 7. disp. 50.* Gutierez *de matrim. c. 98. n. 1.* [Filliuc. *tract. 10. p. 2. c. 5. quæs. 1. n. 171.*] & alij communiter.

Dicitur *vinculum,* tum quia consanguinei, cùm ab eodem sanguine oriantur, connectuntur maiori affectus, & amoris nexu; tum quia communicant in eodem sanguine, & in eo tamquam in vinculo constringuntur: sanguis enim est causa consanguinitatis.

Dicitur *vinculum personarum,* id est, hominum, & non animalium; homines enim sunt capaces veri amoris, & amicitiæ, cuius non sunt capacia cetera animantia, vt ait Arist. *8. Ethicorum c. 11.*

Dicitur *ab eodem stipite proximo,* id est, propinquo; nam si stipitis remoti rationem haberemus, omnes essent consanguinei; cùm omnes ab Adamo, tamquam à remoto stipite, descendant, vt benè ait Sanchez *lib. 7. disp. 51.* Reginald. *lib. 31. n. 110.*

Stipes dicitur ea persona, à quà descendunt illi, de quorum coniunctione, & gradu consanguinitatis quæritur. e.g. Caius habet filios, nepotes, & alios descendentes: stipes istorum est Caius, eò quòd filij, & nepotes Caij descendant ab eo, tamquam à stipite proximo.

Dicitur *carnali propagatione*; quia consanguinitas non contrahitur per quamcumque dependentiam ab alio: sed per carnalem copulam: propterea Angeli non sunt consanguinei Deo, eò quòd Angeli processerint à Deo per creationem, non per carnalem propagationem. Præterea Adam non habet consanguinitatem cum Eua, licet enim Eua ex Adami osse formata sit; non tamen formata est per carnalem propagationem: Christus verò fuit consanguineus B.V. eò quòd ex purissimo ipsius sanguine, quo ad naturam humanam, conceptus fuerit, & acceperit, quod ceteræ matres communicare solent ex parte sua.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Per quid consanguinitas distinguatur, & quid sit linea, & gradus.

4 COnsanguinitas distinguitur per lineas & gradus. Nomine *lineæ* intelligo seriem, seu collectionem personarum, seu ipsasmet personas, tam ascendentes, quàm descendentes ab vno stipite. Nomine *gradus* intelligitur distantia maior, vel minor vnius personæ ab alia, secundùm lineam consanguinitatis, vt benè ait Valentia *tom. 4. disp. 10. q. 5. punct. 3. vers. Cognatio,* vel intelligitur, inquit Sãchez, mensura personarum, qua cognoscitur, quanta sit propinquitas consanguinitatis, vel distantia inter ipsas personas, quæ in linea includuntur, ad similitudinem graduum scalæ, per quam sursum ascendimus, & deorsum descendimus. e.g. Caius habet filios, nepotes, pronepotes, abnepotes. Omnes istæ personæ constituunt lineam. Gradus verò est distantia, seu mensura, qua cognoscitur, quanta sit distantia inter Caium, & filios, vel nepotes, &c. vtrùm scilicet sint in primo, an in secundo, vel tertio, vel quarto gradu, ad modum scalæ, in qua possumus cognoscere, quantum distet primus gradus à reliquis: quo modo autem ista mensura facienda sit, dicemus *quæsito 2.*

5 Quæ-

5 Quotuplex sit linea.

5 Quæres primò, quotuplex sit linea. Respondeo duplicem esse, rectam scilicet, & collateralem. Linea recta est illa, secundùm quam multæ personæ ita descendunt ab vno stipite immediatè, vel mediatè, vt vna sit genita ab altera, vt filius à patre, nepos à filio, pronepos à nepote, &c. Verum tamen est, lineam rectã, aliam esse ascendentium, aliam descendentium. Linea ascendentium est illa, qua progredimur à genitis ad genitores, quærendo illorum stipitem, numerando patrem, auum, proauum, abauum. Linea verò descendentium est illa, qua progredimur à genitoribus ad genitos, scilicet à patre ad filium, nepotem, pronepotem, &c.

Linea collateralis, & transuersa est illa, secũdùm quam multæ personæ ab vno stipite immediatè, vel mediatè procedunt, ipsæ tamen personæ à se inuicem non descendunt. Vnde filij Caij, qui sunt fratres inter se, constituunt lineam collateralem, eò quòd vnus frater non descendat ab altero fratre, sed ambo ab eodem patre immediatè procedant. Idem dicendum est de filiis vnius fratris cum filiis alterius fratris, sunt enim omnes in linea collaterali, si filij vnius fratris comparentur cum filiis alterius fratris, eò quòd mediatè descendant ab eodem stipite: stipes enim illorum est Caius, pater duorum illorum priorum fratrum, à quibus isti descendunt. Idem dicendum est de reliquis descendentibus.

6 Quomodo computandi sint gradus cõsanguinitatis.

6 Quæres secundò, quomodo computandi sint gradus consanguinitatis, vt cognoscatur in quo gradu vnus consanguineus existat cum alio.

Respondeo, triplicem regulam assignari à D. Thom. *in 4. dist. 40. quæst. 1. art. 2.* quem sequuntur ceteri DD. communiter, testeSanchez *lib. 7. disp. 50. num. 4.* Valentia *loco citato.* Couar. *in Epitome parte 2. c. 6.* P. Ledesm. *loco cit. art. 2.* Henriquez *loco cit.* Perez §. 40. *folio* 146. Coninch. *disp. 32. dub. 1. num. 2.* Reginald. *lib. 31. n. 141. & 142.* [Filliucius *num.* 173.]

Prima regula in linea recta ascendentium, & descendentium hæc est. Tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempta vna persona, scilicet stipite; propterea cùm pater, & filius sint duæ personæ, si stipitem demas, id est, patrem, pater, & filius erunt in primo gradu, eò quòd dempto stipite remaneat vna persona. Similiter pater, & nepos sunt in secundo gradu, eò quòd tot sint gradus, quot sunt personę, dempta vna persona; personæ autem in hoc casu sunt tres connumeratæ, videlicet pater, filius, & nepos. Idem dicendum est de matre respectu filij, vel filiæ, vel nepotis, vel neptis.

Secunda regula pro linea transuersali, & collaterali est ista. Personę eo gradu distant inter se, quo gradu distant à communi stipite, consequenter quia duo fratres vno tantùm gradu distant à communi ipsorum patre, distãt etiam vno tantùm gradu inter se; filius verò vnius fratris, quia duobus gradibus distat à communi stipite, duobus etiam gradibus distat à filiis alterius fratris, seu à patre immediato illorum filiorum, vt constabit ex sequenti regula.

Tertia regula adhuc pro linea transuersali, & collaterali hæc est. Consanguinei in linea collaterali eo gradu distant inter se, quo gradu alter magis remotus distat à communi stipite. Sit exemplum: Caius habet duos filios Titium, ac Seium: & rursus Titius habet filium, & nepotem; si quæratur in quo gradu sit nepos Titij cum Seio, dicendum est esse in tertio gradu, nam eo gradu sunt inter se, quo alter magis remotus distat à communi stipite, sed nepos Titij distat tribus gradibus à communi stipite, id est, à Caio (nam dempto stipite remanent tres personæ;) ergo sunt in tertio gradu inter se.

Dices. Seius vno tantùm gradu distat à Caio, ergo vno tantùm gradu videtur etiam distare à nepote Titij.

Respondeo negando consequentiam, vt patet ex dicta regula, non enim sunt enumerandi gradus pro ratione distantiæ, quæ est inter personam propinquiorem Caio stipiti, sed numerandi sunt gradus distantiæ, quæ est inter personam remotiorem cum stipite, remotior enim gradus trahit ad se minus remotum: ob id minus remotus est in eo gradu cum magis remoto, in quo gradu est ipse magis remotus cum stipite, non verò est in eo gradu, in quo minus remotus est cum stipite.

Istæ regulæ veræ sunt secundùm computationem iuris Canonici, & seruandæ sunt in materia matrimonij, tam in foro sæculari, quàm Ecclesiastico, omissa computatione iuris Ciuilis, quæ non facit ad rem nostram, vt benè ait Speculum 1. *parte art.* 45. Sanchez *loco cit.* [Filliucius *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *quæs.* 2. *num.* 174. & alij communiter; ius enim ciuile tot gradus in linea transuersali constituit, quot sunt personæ, dempto stipite, ob id duo fratres iure ciuili in secundo gradu existunt, & sic de ceteris; in computatione tamen graduum in linea recta ius Canonicum conuenit cum ciuili.] Consuli potest Arbor consanguinitatis apud Syluestrum *matrimonium* 8. *quæs.* 7. apud Reginald. *lib.* 31. *num.* 141. *& in* 6. *lib. decret. in prine.* Vt istæ regulæ faciliùs percipiantur, sit

TERTIA PROPOSITIO.

7 An consanguinitas dirimat matrimonium, & vsque ad quem gradum.

7 INualidum est, saltem iure Ecclesiastico, matrimonium celebratum inter personas consanguineas intra quartum gradum inclusiuè, tam in linea recta, quàm in linea transuersali. Ita habetur *cap. non debet. de consanguinitate*, & in Tridentino *sess. 24. de Sacramento matrimonij canon. 3.*

Dixi *saltem iure Ecclesiastico*, quia vtrùm matrimonium in aliquo gradu lineæ rectæ, vel transuersæ sit irritum iure naturæ, patebit ex sequentibus quæsitis.

8 An matrimoniũ celebratũ in linea recta consanguinitatis inualidum sit iure naturæ.

8 Quæres primò, vtrùm matrimonium contractum cum aliqua persona consanguinea in linea recta ascendentium, non solum sit irritum iure Ecclesiastico, sed etiam iure naturali.

Respondeo iuxta Sylvest. *Matrimonium* 8. *quæs.* 6. Nauarr. *cap.* 22. *n.* 84. Couarr. 4. *Decret. parte* 2. *cap.* 6. §. 10. Reginald. *lib.* 31. *num.* 119. Coninchum *disp.* 32. *dub.* 1. *n.* 16. Rebell. *lib.* 3. *quæst.* 5. *num.* 12. & plures alios apud P. Ledesm. *quæst.* 54. *art.* 3. esse inualidum iure naturæ in quoliber gradu ascendentium, & descendentium. Ratio est, quia cùm omnes ascendentes habeant rationem principij, & superioris, sequitur, inualidum esse matrimonium inter huiusmodi personas celebratum, ob reuerentiam superioribus debitam, cui reuerentiæ valdè aduersatur contractus, & actus matrimonialis.

Sed iuxta Caietanum, & plures alios apud Emanuelem Sà *verb. Matrimonij impedimenta n.* 4. apud Speculum 1. *parte, art.* 43. *concluſ.* 6. apud Perez *verb. Consanguinitas*, Sanchez *lib.* 7. *disp.* 51. *n.* 19. [& apud Filliucium *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 1. *quæs.* 4. *n.* 180.] quorum sententia mihi probabilior videtur, dicendum est, matrimonium in linea recta esse irritum iure naturæ in primo tantùm gradu. Ratio, cur sit irritum iure naturæ in primo gradu lineæ rectæ, est, tum quia maxima reuerentia debetur principio per se, cui reuerentiæ repugnat actus matrimonialis, actus enim matrimonialis habet coniunctam quamdam turpitudinem, & irreuerentiam alterius ad alterum, oppositam reuerentiæ parentibus debitæ, iuxta illud Leuitici 18. *Turpitudinem patris tui, vel matris ne discooperias; mater* enim *tua est*: tum quia lumine naturæ omnes gentes benè institutæ nefandas existimant nuptias in primo gradu lineæ rectæ. Qua de causa etiam ipsæ belluæ consueuerunt huiusmodi coniunctiones effugere, & ab illis abhorrere, vt constat ex miris quibusdam exemplis relatis à Sanchez, & ab aliis DD. Ratio verò, cur matrimonium in linea recta ascendentium, & descendentium sit inualidum iure naturæ in primo tantùm gradu, est primò, quia ascendentes non habent rationem principij per se respectu omnium descendentium, sed solum respectu filiorum ab ipsis immediatè procedentium; consequenter respectu aliorum descendentium habent rationem principij tantummodò per accidens, cùm nepos possit esse sine auo, & filij Adæ fuerint ipsius filij, quamuis non haberent auum; ratio autem principij per accidens non videtur sufficiens ad reddendum matrimonium inualidum iure naturæ; sicut sufficit ratio principij per se. Secundò, quia participatio sanguinis, quæ prouenit à stipite, & transfunditur in descendẽtes, debilior redditur, quo pluribus successiuè communicatur, consequenter non videtur sufficiens eo modo ad reddendum matrimonium inualidum in omnibus descendentibus, quo sufficit in primo gradu. Concedo tamen cum Sanchez *loco cit. n.* 20. & Perez §. 40. *fol.* 150. contra Reginald. *lib.* 31. *n.* 140. *vers. Aduerte tertiò*, matrimonium cõtractum absque iusta causa cum consanguinea in quocumque gradu lineæ rectæ, illicitum esse, sed nego esse inualidum iure naturæ, excepto primo gradu.

Hinc patet primò responsio ad argumentum Syluest. & aliorum, nam ratio principij per accidens non sufficit ad faciendum inualidum matrimonium.

9 An validũ sit matrimonium contractũ ab infidelibus in secundo, tertio, & quarto gradu.

9 Secundò patet, matrimonium contractum ab infidelibus in secundo, tertio, & quarto gradu lineæ rectæ, validum esse. Ratio est, tum quia infideles non afficiuntur impedimentis iure Ecclesiastico inductis; tum quia matrimonium contractum in secundo, tertio, & quarto gradu, non est irritum iure naturæ.

10 An validum sit matrimonium celebratum extra quartũ gradum.

10 Tertiò patet, validum esse matrimonium contractum à fidelibus consanguineis in linea recta extra quartum gradum; nam huiusmodi matrimonium non est inualidum iure naturæ, vt ostendimus, neque irritatur ab Ecclesia, cùm ipsa constituerit tantummodò quatuor gradus, in quibus matrimonium inualidè celebratur, *cap. non debet. extra de consanguinitate, & affinitate*; quamuis Ecclesia olim constituerit septem gradus, in quibus irritum erat matrimoniũ, vt ostendit Speculum *art.* 44. *concl.* 1. *ex cap. ad sedem* 36. *quæst.* 5. neque potest dici inualidum iure diuino; quia hoc ius non potest assignari, vt benè ait Speculum *loco citato, art.* 43. *concl.* 6. Solùm posset esse difficultas, vtrùm matrimonium contractum in primo, & secundo gradu sit irritum iure diuino. Ad quam difficultatem respondetur *Leuitici* 18. prohibitum fuisse matrimonium in primo, & secundo gradu lineę rectæ, & transuersalis. Sed modò non est inualidum iure diuino, quia lex illa antiqua cessauit, vt patet ex dictis de legibus. De qua re videri potest P. Ledesm. *quæst.* 54. *versus finem*, Rebel. Gutierez, & Sanchez *locis citatis.*

11 An matrimoniũ contractũ in primo, & secundo gradu consanguinitatis irritum sit iure diuino.

11 Quæres secundò, vtrùm, sicut matrimonium in primo gradu lineæ rectæ est inualidum iure naturæ, ita etiam sit inualidum in primo gradu æquali lineæ transuersæ, videlicet inter fratrẽ, & sororem.

12 An iure naturæ inualidum sit matrimonium in primo gradu lineæ transuersę, nempe inter fratrẽ, & sororẽ.

12 Respondeo cum Valentia *locis citatis, fol.* 1692. *vers. Sed tamen.* Gutierez *cap.* 98. *n.* 20. Henriquez *lib.* 12. *c.* 9. *n.* 4. P. Ledesm. *loco citato*, Perez *fol.* 153. Rebell. *loco cit. n.* 13. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 52. *n.* 11. [Filliucio *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *quæs.* 4. *n.* 182.] & aliis, contra Caietan. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 9. Coninch. *loco cit. n.* 19. & alios inualidum esse iure naturæ in primo gradu. Ratio est, tum quia inter frattem & sororem est maximus pudor naturalis, cui maximè aduersatur actus coniugalis: tum quia gentes benè institutæ ab huiusmodi nuptiis abhorrent; tum quia Summus Pontifex requisitus ad dispensandum in primo gradu numquam voluit dispensare: ergo signum est, ipsum non posse dispensare, consequenter matrimonium celebratum in primo gradu lineæ transuersę esse inualidum, non solum iure Ecclesiastico, sed etiam iure naturæ.

Dixi *in primo gradu*, quia in reliquis gradibus non videtur esse inualidum iure naturæ, nam *cap. gaudemus. de diuortiis.* deciditur, infideles, qui in aliis gradibus, præter primum, contraxerunt, non esse separandos, cùm ad fidem conuertuntur: ergo signum est, matrimonium celebratum in gradibus lineæ transuersæ, non esse inualidum iure naturæ, excepto primo: alioquin infideles, dum conuertuntur, separandi essent; sicut secundum nostram sententiam separandi sunt, quando matrimonium contraxerunt in primo gradu lineæ transuersæ, & multo magis quando contraxerunt in primo gradu lineæ rectæ.

Obiicies cum Caietano. Fratres initio mundi contrahebant matrimonium cum sororibus, nec constat cum illis dispensatum fuisse à Deo; ergo signum est, matrimonium in primo gradu lineæ transuersæ non esse inualidum iure naturæ.

Respondeo cum P. Ledesm. *loco citato*, Reginaldo *num.* 117. & aliis, matrimonium illorum fuisse validum propter necessitatem conseruandæ naturæ humanæ; sicut enim necessitas facit vt licitum sit

accipere rem alienam, ita etiam facere potest, vt matrimonium sit validum. Quamobrem in casu extremæ indigentiæ non solùm posset frater contrahere cum sorore ad conseruandam speciem humanam, sed etiam pater cum filia, vel mater cũ filio; nam in huiusmodi euentu malum priuatum, & inferioris ordinis cohonestatur propter bonum commune, & superioris ordinis; & desinit esse illicitum propter extremam indigentiam naturæ humanæ, vt ait Valentia *loco citato*, Gutierez *loco cit. n.*14. & Sanchez *disp.* 51. contra P. Ledes. *art.* 3. Reginaldum *n.*116. & alios. [Ob id sancti Patres à culpa excusant filias Loth carnaliter cognitas in patre, quia nullum alium superstitem esse arbitrabantur. Ita S. Chrysost. & S. Ambrosius apud Valentiam *loco citato*, & apud Sanchez *num.*10.]

Dices. Ita est intrinsecè malum matrimonium patris cum filia, sicut est mendacium, sed mendacium in nullo euentu potest cohonestari: ergo neque matrimonium patris cum filia.

Respondeo falsum esse, matrimonium patris cum filia, vel matris cum filio, ita esse intrinsecè malum, sicut mendacium: matrimonium enim potest cohonestari ob necessitatem generis humani, sicut occidere innocentem non est ita intrinsecè malum, quin possit in aliquo casu cohonestari, vt patet ex dictis *de homicidio, in quinto Decalogi præcepto.* Ita P. Ledes. *art.* 3. & alij.

13 An Papa dispensare possit, vt matrimonium celebretur cum filia fratris aut sororis.

13 Ex dictis sequitur primò, validum esse matrimonium cõtractum ex dispensatione Summi Pontificis inter patruum, seu auunculum cum filia fratris, vel sororis, non enim isti sunt consanguinei in primo gradu, sed in secundo, in quo gradu matrimonium non est inualidum iure naturæ. Ita Sot. *dist.* 40. *quæst.* 1. *art.* 4. P. Ledesma *loco cit.* & Emanuel Sà *verb. Impedimenta matrimonij, num.* 4. [Sanchez & Filliucius *locis cit.*]

14 In quibus gradibus consanguinitatis Papa dispensare possit.

14 Secundò colligitur, in quibus gradibus consanguinitatis possit Papa dispensare; colligitur enim ipsum posse dispensare in secundo, tertio, & quarto gradu, cùm in his gradibus matrimonium non sit irritum iure naturæ. Vtrùm verò requiratur iusta causa ad dispensandum, ex dictis de dispensatione *in tractatu de legibus, quæst.* 3. *punct.* 2. cum Suarez, Claue Regia, & aliis, constat requiri iustam causam.

§. II.

De impedimento cognationis spiritualis.

QVatuor principaliter quæram in hoc loco.
Primò, quid sit cognatio spiritualis.
Secundò, inter quas personas contrahatur.
Tertiò, quid requiratur ad illam contrahendam.
Quartò, an dirimat matrimonium.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sit cognatio spiritualis.

1 COgnatio spiritualis est propinquitas, seu attinentia quarumdam personarum ex statuto Ecclesiæ consurgens, propter collationem Baptismi, aut Confirmationis, & propter susceptionem recipientis hæc Sacramenta. Ita Couarr. 2 *parte, cap.* 6. §. 4. Sylvest. *loco cit. n.*7. & alij, quos citat, & sequitur Henriquez *loco cit. cap.*11. Sanchez *lib.* 7 *disp.* 54. Gutierez *cap.*100. [Filliucius *tract.*10. *part.* 2. *cap.* 5. *q.* 5. *n.*185.] & Reginald *lib.* 31. *n.*148.

Dicitur, *propinquitas*, quia cognatio est veluti quoddam vinculum connectens, & coniungens certas personas.

Dicitur, *quarumdam personarum*, quia non omnes personę contrahunt istam cognationem, & propinquitatem, sed aliquæ tantùm, vt constabit ex secunda propositione.

Dicitur, *ex statuto Ecclesiæ consurgens*, quia cognatio spiritualis non est inducta à iure diuino, vel naturali, sed ab Ecclesia. Ratio autem, cur Ecclesia constituerit cognationem in Sacramento Baptismi, & Confirmationis, fundatur in quadam congruentia, & similitudine generationis naturalis; sicut enim per generationem naturalem contrahitur cognatio naturalis, ita per generationem spiritualem, factam in his Sacramentis, contrahitur cognatio spiritualis ex statuto Ecclesiæ; & sicut cognatio naturalis dirimit matrimonium propter reuerentiam debitam consanguineis, ita conueniens est vt matrimonium dirimatur per cognationem spiritualem, inter aliquas personas, referendas in secunda propositione, ob reuerentiã cognationis spiritualis.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Inter quas personas cõtrahatur cognatio spiritualis.

2 COgnatio spiritualis in Baptismo cõtrahitur inter baptizantem, & baptizatum, inter susceptores, & baptizatum, inter baptizantem, & patrem, ac matrem naturalem baptizandi, & inter susceptores, & patrem, ac matrem baptizati. Ita Concil. Trid. *sess.* 24. *de reformatione matrimonij, cap.* 2. Pro maiori huius propositionis intelligentia:

3 Quotuplex fuerit cognatio spiritualis antiquo tempore.

3 Aduertendum est, antiquitus fuisse triplicem cognationem, videlicet paternitatem, compaternitatem, & confraternitatem.

Paternitas erat inter baptizantem, vel confirmantem, vel susципientem, & inter baptizatum, & confirmatum, ob id patrinus ille dicebatur, qui cõfirmabat, vel susципiebat, vel baptizabat, *can. de eo* 30. *quæst.* 1.

Compaternitas erat inter baptizantem, vel confirmantem, vel susципientem, & inter patrem, & matrem carnalem baptizati, vel confirmati, *cap. veniens. de cognatione spirituali.*

Confraternitas erat inter filios baptizantis, vel confirmantis, vel susципientis, & inter baptizatum, vel confirmatum. Sed Concil. Trid. *loco cit.* sustulit confraternitatem, & reliquit paternitatem, & compaternitatẽ, cum quadam restrictione, & limitatione, ita vt velit vnum tantum esse susceptorem, siue sit vir, siue mulier, vel ad summũ vnam, & vnum, qui baptizatum de Baptismo susципiant.

4 An cognatio spiritualis cõtrahatur inter susceptores.

4 Hinc colligitur primò, non contrahi cognationem inter ipsos susceptores, nullo enim iure constat, huiusmodi cognationem induci inter ipsos, propterea si vir, & vxor simul alienum puerum de sacro Fonte susципiant, non contrahũt inter se cognationem, consequenter non priuantur iure exigendi debitum, quo priuantur cognati cognatione spirituali. Ita Nugnus 3 *parte quæst.* 67 *art.* 8. *versus fin.* Sanchez *lib.* 7 *disp.* 54 *n.*12. *& disp.* 57 *n.*5. Reginald. *lib.* 31. *num.*150. [Filliucius *tract.* 2. *cap.* 7. *quæs.* 9. *n.*162.]

5 An vir, & vxor peccent, susципiendo alienum puerum in Baptismo.

5 Si verò quæras, vtrùm vir, & vxor peccent, susципiendo alienum puerum in Baptismo.

Respondeo iuxta Nauarrum *in Manuali, cap.* 22. *n.*39. & alios apud Sanchez *lib.* 7 *disp.* 57. *n.*5. contra Suarez 3 *parte quæst.* 67. *art.*8. non peccare, alioquin hoc non permitteretur. Verum ego existimo prohibitum esse marito, & vxori susципere simul alienum puerum in nostra diœcesi, quamobrem sententia Nauarri videtur vera tantùm de iure communi. [iuxta *cap. quod autem.* 30. *quæst.* 4.]

6 An patrinus possit matrimonium contrahere cũ patrina.

6 Hinc vlterius patet, patrinum posse matrimonium contrahere cum ea, cum qua simul suscepit alienum filium, vt ait Pius V. in Bulla, quæ incipit, *cùm illius vicem.* Ratio est, quia inter ipsos susceptores nulla contrahitur cognatio. Ita Rodriquez 2 *parte cap.* 229. *num.*1. Nugnus 3 *parte, quæst.* 67 *art.* 8. *vers. Sequitur.* Suarez *loco cit.* Sanchez *lib.* 7 *disp.* 54. *n.*12. & alij communiter.

7 An matrimoniũ celebrari possit inter eos, qui ante Concil. Tridentinum contraxerunt cognationem confraternitatis.

7 Secundò colligitur, illos qui contraxerunt cognationem confraternitatis ante Conc. Tridentinum, posse modò cõtrahere cum confratre absque alia dispensatione, impedimentum enim confraternitatis sublatum est per Conc. Ita declarauit Pius V. *in Extrauag. sub titul. Declaratio Concilij.*

TERTIA PROPOSITIO.

8 PLura requiruntur ad contrahendam cognationem in Baptismo, vel in confirmatione.

8 Quænam requirãtur ad contrahendam cognationem spiritualem.

9 Primò requiritur, vt teneatur infans in Baptismo, propterea quando puer est domi baptizatus, & in Ecclesia supplentur solemnitates, non contrahitur cognatio ab eo, qui illum susципit in Ecclesia, quia non dicitur susceptor in Baptismo, cùm Baptismus antea esset administratus. Vtrùm verò in eo casu contrahatur impedimentum Catechismi, quod non dirimit matrimonium, sed tantùm impedit, dicam infrà *quæst.* 3. *punct.* 14. *prop.* 3. in huiusmodi tamen casu Parochus debet in libro, in quo nomina patrinorum referũtur, scribere hunc non fuisse patrinum in Baptismo, sed in Catechismo. Ita Sanchez *lib.* 7. *disp.* 10. *n.*13. Gutierez *cap.* 84. *nu.*7. Nugnus 3 *part. quæst.* 67. *art.*8. & alij Doctores citati.

9 An contrahatur cognatio, quãdo supplentur solemnitates.

10 Secundò requiritur, vt puer susципiatur, quando primò baptizatur, ob id si infans rebaptizetur, non contrahitur cognatio, nam secundus Baptismus non est verus Baptismus, consequenter non affert impedimentum, iuxta *reg. iuris*, non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. Ita Sanchez *lib.* 7. *disp.* 62. *num.*5. Gutierez *cap.*100. *n.*9. [Filliucius *tract.*10. *c.* 5. *q.* 7. *n.*197.] & alij DD. citati contra nonnullos alios apud Gutierez. Si verò dubium sit de priori Baptismo, & infans rebaptizetur sub cõditione, præsumendum est contrahi cognationẽ, & consequenter non posse contrahi matrimonium inter eas personas, inter quas ex vero Baptismo solet oriri cognatio spiritualis, nam quando iteratur Baptismus sub conditione, cùm non constet vtrùm Baptismus antea collatus fuerit validus, fieri potest, vt secundus sit validus, non existente primo valido, consequenter impedimentum cognationis oriatur ex secundo.

10 An cognatio contrahatur in Baptismo priuatim administrato, & quid si adsit necessitas.

11 An contrahatur cognatio si infans rebaptizetur, aut baptizetur sub conditione.

11 Tertiò requiritur, vt susципiens puerum in Baptismo, illum teneat, quando Baptismus solemniter administratur, propterea susципiens puerum in Baptismo, priuatim administrato, non contrahit cognationem spiritualem. Ita Suarez *loco citato*, Sanchez *lib.* 7. *disp.* 62. *nu.*14. Nugnus *loco cit.* Rebell. *quæst.* 6. *n.*16. Rodriquez *cap.*226. [Filliucius *n.*197. *vers. tertiò.*] & alij contra Nauar. *c.* 22. *n.*40. & Gutierez *n.*7. Ratio est, tum quia Ecclesia instituit susceptores solùm in Baptismo solemni, non verò in priuato, vt constat ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 1. tum quia susceptores in Baptismo priuato, non vocantur compatres, nec patrini, nec tales communiter habẽtur. Verum tamen est, baptizantem priuatim, & non solemniter contrahere cognationem; consequenter laicus, baptizans in extrema necessitate, & sine solemnitate, contrahit cognationem spiritualem, siue baptizans fuerit vir, siue femina. Ratio est, quia laicus in eo casu confert verum Baptismum, ex vero autem Baptismo consurgit cognatio spiritualis, quæ impedit, & dirimit matrimonium. Ita Sanchez, Nauarr. [Filliucius,] & alij *locis citatis.*

Ex quo fit, vt pater baptizans filium propriæ cõcubinæ, non possit postea cum ea matrimonium contrahere, quamuis baptizet in necessitate, nam baptizando contraxit cognationem spiritualem cum matre filij baptizati, cognatio autem dirimit matrimonium contrahendum, vt benè ait Gutierez *loco citato, n.*12. Sanchez *nu.*10. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 12. & alij communiter. Vtrùm verò cognatio sequens post matrimonium contractum impediat petitionem debiti, patebit ex dicendis, [*q.* 4. *punct.* 2. *n.*3.]

12 An infans susципiendus sit de manibus baptizantis.

12 Quartò, vt compater, & commater contrahant cognationem, requiritur, vt puer susципiatur de manibus baptizantis statim, ac baptizatus est, alioquin non dicentur susципere, seu leuare puerum de sacro Fonte, seu de Baptismo, vt patet ex *cap. post susceptam* 30. *quæst.* 3. *& cap. omnes* 30. *quæst.* 1. *& cap. si quis vnus* 30. *quæst.* 4. Ita Nugnus, Coninchus, Sanchez, [Filliucius,] & alij *locis citatis.*

13 An contrahatur cognatio, quando commater susципit infantem de manibus compatris.

13 Ex quo sequitur, commatrem, quando susципit infantem de manibus compatris, non contrahere cognationem, eò quòd non dicatur susципere de Baptismo, seu de sacro Fonte.

14 An requiratur tactus, vt contrahatur cognatio, & an necesse sit, vt patrinus respõdeat.

14 Quintò requiritur contractus, ita vt susципiens, seu tenens verè dicatur susципere, seu tenere. Vnde qui tantummodò assistit baptizato, vel confirmato, ipsumque non tangit, vel ipsum tangit tantùm extremitate digiti, non contrahit cognationem, eò quòd verè non dicatur tenere, vel susципere, vt patet ex iuribus citatis, & ex declaratione Cardinalium. Ita Speculum 1 *parte, art.* 56 *concl.* 7. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 11. *n.*3. Reginald. *n.*151. [Filliucius *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *quæs.* 7. *n.*191.] & alij contra Emanuelem Sà *loco citato, num.* 5. & alios apud Sanchez *lib.* 7. *disput.* 56. *num.* 5. Non est tamen necesse, vt patrini respondeant, dum fit Catechismus, vt inquiunt Sanchez *loco citato*, Reginald.

Reginald.*nu.*150. & alij communiter contra Sylueſt. apud Coninch. *num.*33. & alios apud Sanchez. Ratio eſt, quia ille contrahit cognationem, qui ſuſcipit de ſacro Fonte, vt patet ex iuribus citatis, quæ ſolam mentionem ſuſceptionis faciunt, ſed poteſt aliquis ſuſcipere de ſacro Fonte, etiamſi non reſpondeat; ergo qui ſuſcipit de ſacro Fonte, contrahit cognationem, etiamſi non reſpondeat.

15 Quænam intentio requiratur, vt contrahatur cognatio ſpiritualis.

15 Sextò requiritur intentio expreſſa, vel tacita, præſtandi munus patrini, ſeu ſuſcipiendi de ſacro Fonte: ſicut enim qui baptizat abſque intentione baptizandi, vel faciendi, quod facit Eccleſia, non verè baptizat, neque contrahit cognationem, ita qui ſuſcipit infantem abſque intentione ſuſcipiendi, vel faciendi officium patrini, vel exercendi illam cæremoniam, ab Eccleſia præſcriptam, non verè dicitur ſuſcipere de ſacro Fonte, aut cognationem contrahere. Ita Sanchez, & alij ſtatim citandi.

Qui verò habet prædictam intentionem, dicitur ſuſcipere, & cognationem contrahere, acceſſorium enim ſequitur principale, & qui vult principale, vult etiam acceſſorium, quod ex eo ſequitur, *l. is qui. ff. commodati.* imò ſi detur caſus, vt aliquis velit ſuſcipere de ſacro Fonte, & munus patrini exercere, contrahit cognationem, quamuis eam non intendat contrahere, nam cognatio non dependet ab ipſius voluntate, ſed ab officio patrini, illiq́ eſt adnexa ex ſtatuto Eccleſiæ; ergo eo ipſo, quo aliquis exercet officium patrini, ſtatim contrahit cognationem, quamuis intendat illam non contrahere. Ita Speculum *art.*56. Coninch. *diſp.*32. *dub.*2. *n.*28. Reginald. *lib.*30. *n.*155. [Filliuc. *n.*191.] & alij apud Sanchez *diſp.*58.

16 An contrahat cognationem, qui ſuſcipit infantem abſque intentione fungendi munere patrini.

16 Hinc colligi poteſt primò, eum qui tenet puerum non intentione fungendi munere patrini, ſed ne puer humi iaceat, vel vt rem gratam faciat parentibus, fingens ſe vt patrinum tenere, non contrahere cognationem. Ita DD. citati.

17 Quænam ætas in patrino requiratur.

17 Secundò, puerum cuiuſcumque ætatis poſſe eſſe legitimum ſuſceptorem, & contrahere cognationem ſuſcipiendo, modò vſu rationis gaudeat. Ratio eſt, quia eſt capax huiuſmodi cognationis, & poteſt habere ſufficientem intentionem ſuſcipiendi de ſacro Fonte, ſeu faciendi, quod faciunt ceteri patrini. Secus dicendum eſt, ſi careat vſu rationis, tunc enim non poteſt habere ſufficientem intentionem. Ita Sanchez *diſp.*61. *n.*4. Reginald. *n.*157. Henriquez *lib.*12. *cap.*11. *n.*2. *ad finem.* Rodriquez *cap.*226. [Filliucius *tract.*10. *part.*2. *cap.*5. *quæſt.*7. *num.*196.] & alij.

18 An contrahatur cognatio, quando adeſt error perſonæ.

18 Septimò requiritur, vt non adſit error perſonæ, ex quo fit, vt qui per errorem ſuſcipit filium Caij, credens eſſe filium Titij, non contrahat cognationem cum parentibus Titij, aut Caij. Ita Sylueſt. *verb. matrimonium* 8. *quæſt.*7. Sanchez *diſp.*58. *n.*7. Reginald. *num.*155. & alij contra Perez. *folio* 169. & contra Coninchum *loco cit. n.*34. Ratio eſt, quia non habet intentionem exercendi officium patrini circa filium Caij, ſed circa filium Titij; ergo non contrahit cognationem cum parentibus Caij. Imò neque contrahit cognationem cum parentibus Titij, quia re vera non ſuſcipit filium Titij. Secus dicendum eſt, ſi habeat intẽtionem ſuſcipiendi præſentem, quicumque ille ſit, tunc enim contrahit cognationem cum parentibus ſuſcepti, quicumque ille ſit. Ita Sanchez *diſp.*58. *n.*7. & alij contra Lopez 2. *parte, c.*62. & alios. Nec eſt eadem ratio de baptizante, qui validè confert Baptiſmum baptizando filium Caij, credens eſſe filium Titij, nam baptizans intendit baptizare perſonam præſentem, quæcumque illa ſit, & tenetur huiuſmodi intentionem habere, ne irritum faciat Sacramẽtum. Suſcipiens verò non tenetur habere intentionem ſuſcipiendi perſonam præſentem, quæcumque illa ſit.

19 An contrahatur cognatio, quando baptizans, aut ſuſcipiens non eſt baptizatus.

19 Octauò requiritur, vt baptizans, aut ſuſcipiens ſit baptizatus, alioquin non contrahit cognationem ſpiritualem. Ita Rebell. *loco cit. n.*7. Coninchus *diſp.*32. *dub.*2. *n.*25. Nugnus *loco citato*, Valentia *to.*4. *diſp.*4. *quæſt.*2. *puncto* 3. Sotus *in* 4. *diſt.*42. *art.*3. Henriquez *lib.*12. *cap.*3. *n.*4. Speculum 1. *parte, art.*56. *concluſ.*6. Sanchez *lib.*7. *diſp.*60. P. Ledeſma *quæſt.*56. *art.*1. [Filliucius *tract.*10. *part.*2. *cap.*5. *quæſt.*7. *nu.*193.] & alij contra Archidiaconum *de cognatione, cap.*1. *in* 6. Quamobrem infidelis non contrahit cognationem baptizando, vel ſuſcipiendo. Ratio eſt, quia cognatio ſpiritualis eſt ex inſtituto & lege Eccleſiæ, infidelis autem non eſt ſubiectus legibus Eccleſiæ. [Addo cognationem in tali euentu neque contrahi ab ipſo baptizato, & parentibus baptizati; ergo baptizantem.] quia cognatio eſt veluti quædam relatio, quæ reſpicit terminum, proprium autem eſt relationis mutuæ, vt ſi relatio non ponatur in vno extremo, neque ponatur in alio. Cùm ergo in noſtro caſu cognatio ſpiritualis non ponatur in infideli, eò quòd illius non ſit capax, neque ponetur in baptizato, vel parentibus baptizati erga baptizantem infidelem.

20 An fidelis poſſit contrahere cognationem ſpiritualẽ cum infideli.

20 Hinc ſequitur primò, fidelem baptizantem, vel confirmantem, vel tenentem filium infidelis, non contrahere cognationem cum patre, vel matre infideli, nam infidelis illam non contrahit; ergo neque illam contrahit fidelis, cognatio enim eſt veluti quædam relatio, quę non ponitur in vno ſubiecto, niſi adſit terminus illius, infidelis autem non eſt terminus huius relationis. Ita DD. cit.

21 An fidelis qui baptizauit filium infidelis, poſſit contrahere matrimonium cum eo ſi conuertatur ad fidem

21 Ex quo vlteriùs patet, fidelem, qui baptizauit filium infidelis, poſſe cum ipſo infideli contrahere matrimonium, poſtquam infidelis conuerſus fuerit ad fidem, nullum enim præceſſit impedimentum cognationis, vt dictum eſt, nec huiuſmodi impedimentum poſtea reſultat ex illius conuerſione ad fidem, cùm non firmetur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit, *reg. non firmatur. de regulis iur. in* 6. Ita Sanchez *diſp.*60. *n.*11. & 15. Coninch. & alij.

Obiicies primò, non confirmatus, recipiendo puerum in Sacramento confirmationis, contrahit cognationẽ ſpiritualem cum puero, & cum parentibus pueri; ergo etiam infidelis contrahit huiuſmodi cognationem, baptizando, aut ſuſcipiendo.

Reſpondeo primò negando eum, qui non eſt confirmatus, contrahere cognationem, ſuſcipiendo puerum in Sacramento confirmationis, vt apertè probatur ex *cap. in baptiſmate, de conſecratione diſt.*4. vbi habetur, in Baptiſmate, vel Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filium ipſe, qui non eſt baptizatus, vel confirmatus, vbi notanda eſt illa particula, *non*, quæ poſita ante verbum, *poteſt*, tollit potentiam, & efficit actum nullum.

Ex quo patet falſum eſſe antecedens, & conſequentiam propoſiti argumenti. Ita Henriquez *lib.*3. *cap.*3. *n.*3. Rebel. *n.*8. Sanchez *loco cit. n.*20. Coninchus *loco citato n.*32. Reginaldus *n.*157. [Filliucius *n.*195.] Valentia, & alij contra Rodriquez 1. *part. cap.*27. *n.*10. Emanuelem Sa *de impedimentis matrimonij n.*5. Perez §. 44. *folio* 169. & alios.

Reſpondeo ſecundò, quamuis demus, non confirmatum contrahere cognationem, ſuſcipiendo puerum in Sacramento Confirmationis, contra Toletum *cap.*24. *n.*11. & Angel. quem refert Sylueſt. *matrimonium* 8. *n.*7. Rodriquez *verb. matrimonium, loco citato*, nihilominus adhuc neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis eſt, quia non confirmatus eſt membrum Eccleſiæ, & eſt capax cognationis, cuius non eſt capax infidelis, qui non eſt membrum Eccleſiæ.

Obiicies ſecundò, infidelis poteſt baptizare; ergo poteſt etiam ſuſcipere, & ſuſcipiendo contrahere cognationem.

Reſpondeo, negando infidelem poſſe ſuſcipere, ſicut poteſt baptizare, poteſt enim baptizare, eò quòd Baptiſmus ſit Sacramentum neceſſitatis, de cuius eſſentia eſt miniſter, qui baptizat, quicumque ille ſit; ſuſcipiens verò nõ eſt de eſſentia, nec de neceſſitate Baptiſmi, conſequenter quamuis infidelis poſſit baptizare, non tamen hinc ſequitur, ipſum poſſe ſuſcipere, & ſuſcipiendo contrahere cognationem.

22 An hæreticus cõtrahat cognationem ſpiritualẽ.

22 Secundò ſequitur, hæreticum, ſuſcipiendo, vel baptizando contrahere cognationem. Ratio eſt, quia hæreticus eſt baptizatus, & ſubiectus Eccleſiæ, conſequenter eſt capax cognationis ſpiritualis, vt benè Sanchez *diſp.*60. *n.*2. Reginald. *lib.*31. *n.*157.

23 An religioſi contrahant cognationem ſpiritualem.

23 Tertiò ſequitur, religioſos contrahere cognationem ſuſcipiendo alios in Baptiſmo, vel in confirmatione, nam religioſi ſunt capaces cognationis ſpiritualis, quamuis prohibitum ſit illis ſuſcipere, *c. non licet, de conſecratione diſt.*4. Ita Rebel. *loco cit. n.*9. & 10. Reginald. *loco cit.* & alij apud Sanchez *diſp.*60. *n.*21. contra Nugnum *loco citato.*

24 Quinam contrahant cognationem ſpiritualem quando plures tangunt puerum in Baptiſmo. Vide n. 25. 26. 27. 28. 29. & 30.

24 Quæres primò, quinam contrahant cognationem ſpiritualem, quando plures tangunt puerum in Baptiſmo. Pro ſolutione huius quæſiti:

Diſtinguendum eſt ſimul videndum eſſe, vtrùm omnes qui tangunt, fuerint deſignati ad ſuſcipiendum. Rurſus an fuerint deſignati à parentibus, ſeu ab habentibus curam ſuſcepti, ſeu à Parocho. Præterea an omnes tangant ſimul, aut ſucceſſiuè. Denique an aſſignati à parentibus reiecti fuerint à Parocho. His poſitis,

Reſpondeo primò: Quando multi non deſignati tangunt ſimul, omnes contrahunt cognationem. Ratio eſt, quia ſtandum eſt iuri antiquo, quando aliter non decernitur iure nouo, *l. præcipimus. Cod. de appellationibus*; ſed iure antiquo omnes contrahebant cognationem, tangendo ſimul, *cap. fin. de cognatione ſpirituali in* 6. & iure nouo nihil eſt decretum in hac parte, & innouatum; Trident. enim *ſeſſ.*24. *cap.*2. ſtatuit ſolùm, ſi aliqui vltra deſignatos contrahant, non verò ſtatuit, vt nullus contrahat cognationem, quando nulli deſignati ſunt; ergo omnes contrahunt cognationem, quando multi non deſignati tangunt ſimul. Ita Nauarr. *cap.*22. *n.*39. Reginald. *lib.*31. *n.*152. Henriquez *lib.*11. *cap.*11. *num.*3. Emanuel Sà *loco cit. nu.*5. contra Suarez *loco* ſtatim *citando*, Gutierez *cap.*100. *num.*7. Sanchez *diſp.*57. *num.*12. [& Filliucium *num.*191.]

Quando verò non omnes tangunt ſimul, ſed ſucceſſiuè, ſolus primus vir, vel prima mulier tangens contrahit cognationem. Ratio eſt, tum quia, cùm primus functus ſit munere patrini, & contraxerit cognationem, non eſt cur dicamus, cognationem contrahi ab aliis ſucceſſiuè tangentibus, qui non ſunt deſignati, tum quia hoc eſt conforme Decreto Tridentini, requirentis vnum tantummodò ſuſceptorem, vel ad ſummum vnum & vnam. Ita Perez §. 45. *fol.*171. & ita expreſsè habetur in declar. Cardinalium apud Rebel. *ſect.*4. *n.*95. contra Nauar. *loco cit.* & alios arbitrantes omnes contrahere cognationem, ſiue tangant ſimul, ſiue ſucceſſiuè, & contra Sanchez *lib.*7. *diſp.*57. *n.*12. Suarez 3. *parte quæſt.*57. *art.*8. *verſ. Sed quæres, pag. mihi* 245. [Filliucium *tract.*10. *part.*2. *c.*5. *quæſ.*7. *n.*191.] & alios exiſtimantes, neminem contrahere cognationem, ſiue tangat ſimul, ſiue ſucceſſiuè.

25 Reſpondeo ſecundò: Quando plures deſignati à parentibus, vel ab aliis curam infantis habentibus tangunt, omnes contrahunt cognationem, modò tangant ſimul. Ita communiter DD. contra Suarez *loco cit.* & alios. Ratio eſt, quia actus, geſtus contra legem, validus eſt, quando lex illum actum non irritat, ſed lex Tridentini non irritat actum quando plures deſignati admittuntur, ſed ſolum imponit pœnam arbitrio ordinarij contra Parochum, qui plures admittit; ergo actus validus eſt; ergo quando plures deſignati à parentibus, vel ab aliis curam infantis habentibus tangunt, omnes contrahunt cognationem, modò tangant ſimul. Si verò tangãt ſucceſſiuè, ſolus primus qui baptizatum ſuſcipit, vel ad ſummum duo, ſi fuerint maſculus, & femina, contrahunt cognationem. Ratio eſt, quia illi duo verè ſunt ſuſceptores, ergo verò contrahunt cognationem, alij verò non contrahunt, quia quando accedunt ad ſuſcipiendum, ſeu tangendum, iam abſolutum eſt miniſterium ſuſcipiendi, iuxta formam Concilij Trid. *loco cit.* Ita Suarez *loco cit.* Sanchez *n.*14. Emanuel Sà *verb. impediment. matrimonij n.*5. Coninchus *n.*35. Reginaldus *n.*152. Rebell. *loco citato*, & alij, qui citant declarationem Cardin.

26 Reſpondeo Tertiò. Quando plures deſignati ſunt à parentibus, ſed Parochus admittit vnum tantum, & vnam, cognatio contrahitur tantummodò ab iis, qui fuerunt à Parocho admiſſi. Ratio eſt, quia ex decreto Tridentini pertinet ad Parochum inquirere, quinam deſignati ſint, & deſignatos admittere, vt ſeruetur decretum Tridentini circa numerum patrinorum: ſi ergo non omnes fuerunt à Parocho admiſſi, cognatio contrahitur tantummodò ab admiſſis, non verò ab aliis, perinde enim eſt, ac ſi alij non fuiſſent deſignati. Ita Reginaldus *num.*153. & alij DD. cit. cum Sanchez *loco citato.*

27 Sed maior difficultas eſt, vtrum cognatio contrahatur ab omnibus, quando parentes deſignarunt tantummodò duos, ſed Parochus plures admiſit ad ſuſcipiendum baptizatum.

Reſpondetur, cognationem contrahi ſolùm à deſignatis à parentibus, non verò à ceteris, qui fuerunt admiſſi à Parocho. Ratio eſt, quia non pertinet ad Parochum deſignare, quando parentes deſignarunt, vt patet ex ipſo Tridentino *loco citato*.

28 Rurſus eſt difficultas, vtrùm cognatio contrahatur, quando duo diuerſi ſexus deſignati ſunt à parentibus, ſed Parochus non vult illos admittere.

Reſpondetur, contrahi cognationem à deſignatis, quamuis ſuſcipiant puerum contra Parochi voluntatem. Ratio eſt, quia iſti verè deſignati ſunt iuxta formam Tridentini à parentibus, ad quos pertinet deſignare. Hoc tamen intelligitur modò Parochus non reiiciat ex iuſta cauſa deſignatos à parentibus, nam ſi ex iuſta cauſa illos reiiciat, exiſtimo cum Sanchez, cognationem ab illis non contrahi, vt accidit, quando deſignati ſunt hæretici, vel religioſi, quibus vetitum eſt munus patrini exercere erga non religioſos, vel quando duo deſignati ſunt eiuſdem ſexus, in his enim caſibus, cùm Parochus illos reiiciat ex iuſta cauſa, perinde eſt, ac ſi deſignati non fuiſſent, conſequenter non contrahunt cognationem.

29 Reſpondeo quartò, deſignatos à Parocho contrahere cognationem, quando nullus fuit deſignatus à parentibus. Ratio eſt, tum quia, qui non ſunt ab vllo deſignati, contrahunt cognationem tangendo ſimul, vt dictum eſt in prima reſponſione; ergo multo magis eam contrahunt, quando fuerunt à Parocho deſignati, ad Parochum enim pertinet curare, vt Baptiſmus celebretur ritè, & iuxta Eccleſiæ cæremonias, quarum vna eſt deſignatio patrini, quam deſignationem validè præſtat Parochus, quando parentes, vel alij, ad quos pertinet deſignare, non deſignarunt; tum quia hoc idem euenit in confirmatione, in qua Epiſcopus deſignat patrinum, non verò parentes; tum quia hoc non irritatur à Tridentino. Ita Coninchus *loco cit. n.*30. Sanchez *diſp.*57. Reginaldus *lib.*31. *num.*153. *ad finem.* [Filliucius *n.*191.] & alij.

30 Hinc ſequitur, eum qui tangit baptizatum, cùm non ſit deſignatus à parentibus, vel ſaltem à Parocho, quando Parochus poteſt deſignare, non contrahere cognationem, ſi adſint alij deſignati à Parocho, vel à parentibus. Ita colligitur tum ex Trident. *loco cit.* tum ex decl. Cardinal. apud Rebell. *num.*95.

31 Quid requiratur ad contrahendam cognationem in Sacramento Confirmationis, & quot patrini adhiberi poſſint.

31 Ex dictis colligi poteſt, quid dicendum ſit de ſuſceptore in Sacramento confirmationis, nam declarationes Cardinalium, & decretum Trident. ſicut militant in cognatione orta ex Baptiſmo, ita etiam in cognatione orta ex confirmatione; Tridentinum enim ſicut reſtrinxit cognationem ortam ex Baptiſmo, ita reſtrinxit ortam ex confirmatione, vt patet ex ipſomet Tridentino *loco citato*. Verum tamen eſt, in confirmatione adhibendum eſſe vnum tantummodò patrinum, *cap. fin. de cognatione ſpirituali*; quamuis in Baptiſmo poſſint duo adhiberi, ſi vnus ſit maſculus, & alter femina. Ita Suarez *quæſt.*62. *n.*2. Tolet. *lib.*2. *cap.*23. *n.*11. Sanchez *diſp.*57. *n.*9. Rebellus *lib.*3. *quæſt.* 6. *n.*6. *ad finem*, Perez *fol.*176. & alij.

32 An ſit mortale peccatum adhibere plures patrinos.

32 Rogabis primò, vtrùm ſit mortale peccatum adhibere, vel admittere plures patrinos.

Reſpondeo affirmatiuè cum Rodriquez 1. *part. cap.*226. *nu.*1. Vega 1. *part. cap.*33. *caſu* 39. & aliis contra Sanchez *lib.*7. *diſp.*57. *nu.*6. Ratio eſt, quia violatur præceptum Eccleſiæ in re magni momenti, ex cuius tranſgreſſione multiplicantur cognationes, ſufficientes ad dirimendum matrimonium.

33 An Epiſcopus diſpẽſare poſſit, vt duo viri, aut duę feminę ſuſcipiant infantem in Baptiſmo.

33 Rogabis ſecundò, vtrùm Epiſcopus diſpenſare poſſit, vt duo viri, vel duæ feminæ ſimul ſuſcipiant infantem in Baptiſmo.

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris, ſed Epiſcopus eſt inferior Summo Pont. ſeu Conc. Tridentino, in quo lata eſt lex circa patrinos; ergo non poteſt diſpenſare, vt duo viri, vel duæ feminæ ſimul ſuſcipiant, ita declaratum eſt à Congregatione Cardinalium, vt refert Rebell. *in declarat. Cardinal. n.*82. Sanchez *diſp.*57. *n.*7. & Reginaldus *n.*154.

34 A quo contrahatur cognatio, quando aliquis mittit Procuratorem ad ſuſcipiendum infantem.

34 Quæres ſecundò, vtrùm qui mittit Procuratorem ad ſuſcipiendum infantem, contrahat cognationem, vel illam potius contrahat ipſe Procurator.

Reſpondeo iuxta Sanchez *lib.*7. *diſp.*59. *num.*4. Reginaldum *lib.*31. *num.*156. Henriquez *loco cit. num.*4. [Filliucium *tract.*10. *part.*2. *cap.*5. *quæſt.*7. *num.*192.] Speculum, & alios, cognationem non contrahi ab ipſo mittente, aut à Procuratore; iuxta verò Toletum *lib.*7. *cap.*4. Perez §.43. *fol.*269. & alios, contrahi ab ipſo Procuratore, modò ipſe intendat contrahere.

Sed mihi probabilius dicendum videtur cum Rebell. *quæſt.*6. *n.*12. Emanuele Sà *loco cit. num.*5. Galeto *verb. Cognatio.* Verallo *deciſ.*147. *parte* 3. Rota *deciſ.*533. *in antiquis, & in nouis deciſ.*669. Coninchо *loco citato, num.*40. & aliis apud P. Ledeſm. *quæſt.*56. cognationem contrahi à mittente, non verò à Procuratore. Ratio eſt, tum quia quæ agit Procurator, non agit proprio nomine, ſed nomine mittentis, illique imputantur acta per procuratorem, nam qui per alium facit, per ſe ipſum facere cenſetur, *l. licet. de conſtitut. pecunia*; tum quia ipſe fuit deſignatus, non verò Procurator, tum quia ita declarauit Card. Congregatio, teſte Nauarr. *lib.*5. *conſ. in fine*, P. Ledeſma *loco cit.* Coninchо *loco cit.* & Rebell. *ſect.*4. *n.*90.

Obiicies primò, ad contrahendam cognationem requiritur contactus, ſed mittens Procuratorem non tangit infantem; ergo non contrahit cognationem.

Reſpondeo, requiri contactum proprium, vel alienum, & ſicut ſufficit per alium ſuſcipere, ita etiam per alium tangere.

Obiicies ſecundò, conſtituens alium, qui ſuo nomine baptizet, non contrahit cognationem: ergo nec is, qui per alium ſuſcipit.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia nemo poteſt alterius nomine baptizare, ſed qui baptizat, immediatè ſuſtinet perſonam Chriſti, & eſt verus miniſter Baptiſmi, conſequenter ipſe contrahit cognationem. Ita Coninchus *loco citato, num.* 40.

QVARTA PROPOSITIO.

35 An cognatio ſpiritualis dirimat matrimonium.

35 COgnatio ſpiritualis dirimit matrimonium iure Eccleſiaſtico, inter perſonas recenſitas in ſecunda propoſitione. Hæc propoſitio certa eſt apud omnes, & expreſsè habetur *cap.*1. *de cognatione ſpirituali in* 6. *cap. veniens*, & conſtat ex Tridentino *ſeſſ.*24. *de matrimonio cap.*2. Ratio verò, propter quam Eccleſia conſtituit, vt per huiuſmodi cognationem dirimatur matrimonium, eſt, quia ſicut in generatione carnali contrahitur impedimentum dirimens matrimonium, propter reuerentiam debitam conſanguineis, ita æquum fuit, vt aliquod impedimentum induceretur in generatione ſpirituali, dirimens matrimonium, propter reuerentiam debitam cognatis ſpiritualibus. Ita Sanchez *lib.*7. *diſp.*54. Suarez 3 *parte quæſt.*67. *in comment. art.*8. *pag. mihi* 243. & alij communiter.

§. III.

De cognatione legali.

TRia principaliter quæremus in hoc loco.
Primò, quid ſit cognatio legalis.
Secundò, inter quas perſonas contrahatur.
Tertiò, vtrùm dirimat matrimonium.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid ſit cognatio legalis.

COgnatio legalis eſt propinquitas quarumdam perſonarum, conſurgens ex adoptione. Ita communiter DD. *in* 4. *diſt.*42. & *in cap.*1. *extra de cognatione legali*, teſte Valentia *tom.*4. *diſp.*10. *quæſt.*5. *punct.*3. *verb. Cognatio, col.*3. Hæc definitio conſtat à ſimili ex dictis de conſanguinitate, & de cognatione ſpirituali.

2 Quid ſit adoptio.

2 Dicitur, *cognatio legalis*, eò quòd ſit à lege introducta, ſunt tamen aliquæ difficultates circa dictam definitionem, ſeu propoſitionem explicandæ.

Prima eſt, quid ſit adoptio.

Reſpondeo cum S. Thom. *in* 4. *diſt.*42. *quæſt.*2. *art.*1. Sanchez *lib.*7. *diſp.*63. Reginaldo *lib.*31. *num.*158. Coninchо *diſp.*32. *dub.*3. *num.*42. Gutierez *de matrim. cap.*102. *num.*2. [Becano *de Incarnat. c.*18. *quæſt.*1. Filliucio *tract.*10. *part.*2. *cap.*5. *quæſ.*8. *num.*198.] & aliis communiter, eſſe legitimam aſſumptionem extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem, &c. vel in filiam, aut neptem, &c.

Dicitur, *in filium, vel nepotem*, &c. quia nemo poteſt adoptari in fratrem, vel parentem, ſicut poteſt in filium, vel nepotem, &c. *l. nec apud. C. de hered. inſtituend.*

Dicitur *legitima*, id eſt, ſecundùm formam legum.

Dicitur *aſſumptio*, id eſt, electio.

Dicitur *extraneæ perſonæ*, vt excludantur ij, qui ſunt in poteſtate adoptantis, vt eſt filius, vel heres, qui verò non eſt filius, vel heres poteſt adoptari, cùm videatur eſſe perſona extranea: [caret enim illo gradu coniunctionis, ad quem adoptatur.] Ita DD. citati, qui benè obſeruant, duplicem eſſe adoptionem, aliam perfectam, & aliam imperfectam. Perfecta dicitur arrogatio, ſeu aſſumptio, qua adoptatus interueniente Principis auctoritate tranſit in poteſtatem adoptantis, & fit ipſius heres neceſſarius ſaltem in quarta bonorum, id eſt, in legitima. Per imperfectam verò adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis, nec fit ipſius heres neceſſarius, neque neceſſariò fit auctoritate Principis, ſed fieri poteſt per Magiſtratus inferiores. Nos hic non loquimur de adoptione imperfecta, cùm per ipſam, iuxta probabiliorem ſententiam Sanchez, Coninchi, Reginaldi, Filliucij, & aliorum contra Gutierez *n.*5. & alios, non inducatur impedimentum, matrimonium enim eſt materia fauorabilis, conſequenter impedimenta reſtringenda ſunt, & iura, quæ Gutierez in contrarium adducit, explicari poſſunt de cognatione perfecta, vt eſt caput vnicum de cognatione legali.

3 Quid requiratur, vt aliquis poſſit adoptare.

3 Secunda difficultas eſt, quænam conditiones requirantur, vt aliquis poſſit adoptare.

Reſpondeo, ex *Inſtitut. de adoptionibus*, has conditiones requiri.

Prima eſt, vt adoptans ſit ſui iuris, & maior 25. annis, nam vſque ad 25. annos iure communi non habet adminiſtrationem bonorum, exceptis caſtrenſibus, vel quaſi.

Dixi, *iure communi*, quia iure particulari non idem tempus requiritur vbique, vt hic Mediolani.

Secunda eſt, vt adoptans non ſit femina, nam femina non poteſt adoptare abſque priuilegio. *Inſtitut. loco cit. § femina.*

Tertia eſt, vt adoptans habeat potentiam naturalem ad generandum, nam adoptio inſtituta fuit ad ſupplendum defectum filiorum. Hanc tamen potentiam habent ſecti gladio, aut facti eunuchi per morbum, cùm ſint impotentes tantummodò ex accidenti, non ex defectu naturali, ſicut ex defectu naturali ſunt impotentes frigidi, *l.*2. *de adoptionibus.*

Quarta, vt adoptans adeò ſit prouectæ ætatis, vt excedat adoptatum decem, & octo annis, & poſſit eſſe pater carnalis adoptati. His poſitis conditionibus, quilibet poteſt adoptare, etiamſi ſit ſacerdos, & quilibet poteſt adoptari, modò ſit præſens, nam abſens non poteſt adoptare, neque adoptari, *l. neque, & l. poſt mortem. § fin. de adoptionib.* vbi etiam habetur, adoptionem non poſſe fieri per Procuratorem. Vide Sylueſt *verb. Adoptio num.*2. Sanchez *lib.*7. *diſp.*63. vbi recenſet modos, quibus adoptio ſoluitur, & præterea differentiam aſſignat inter adoptionem perfectam, & imperfectam.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Inter quas perſonas contrahatur cognatio legalis.

4 COgnatio legalis contrahitur primò inter adoptantem, & adoptatum, & adoptati deſcendentes vſque ad quartũ gradum.

Secundò, inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & è conuerſo, id eſt, inter vxorem adoptati, & adoptantem.

Tertia eſt inter filios adoptantis, & adoptatum. Ita communiter DD.

DD. cum S. Thom. *in 4. dist. 42. q. 2. artic. 3.* & Sanchez *lib. 7. disput. 63.* quos sequitur Regin. *lib. 31. n. 162.* Gutierez *cap. 102. n. 4. & 6.* [Filliucius *n. 204.*] Coninchus *loco citato.* qui distinguunt triplicem lineam in cognatione legali.

Prima est recta inter adoptantem, adoptatum, & descendentes adoptati.

Secunda est transuersalis inter adoptatum, & filios carnales adoptantis.

Tertia est per modum cuiusdam affinitatis legalis inter adoptantem, & vxorem adoptati, & inter adoptatum, & vxorem adoptantis.

TERTIA PROPOSITIO.

5 An cognatio legalis dirimat matrimonium.

5 COgnatio legalis impedit, & dirimit matrimonium inter personas in secunda propositione recensitas, *cap. per adoptionem 3. q. 3. & cap. vnico, de cognatione legali.* Ob id inualidum est matrimonium.

Primò, inter adoptantem, & adoptatum, & descendentes adoptati vsque ad quartum gradum: & hęc cognatio inter has personas semper impedit, etiamsi adoptio dissoluta fuerit, *cap. diligere 30. q. 3.*

Secundò, inualidum est inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter vxorem adoptati, & adoptantem. Hæc etiam secunda cognatio perpetuò dirimit, sicut prima, etiamsi adoptio sublata sit. *l. adoptiuus. ff. de ritu nuptiarum.* Ita Sanchez, Syluester, Coninchus, Filliucius, & alij DD. citati.

Tertiò, inualidum est inter filios, seu filias adoptantis, & adoptatum, seu adoptatam. Hæc cognatio impedit quamdiu durat, quamdiu scilicet filij, vel filiæ adoptantis existunt sub illius potestate, *cap. 1. extra de cognatione legali.*

Ex quo patet, hoc impedimentum non perpetuò durare, nam si filij adoptantis emancipentur, vel si pater eorum moriatur, poterunt contrahere cum adoptata, &c. *leg. fin. de adoptionib.* Ita DD. citati.

6 An filius adoptantis possit matrimoniū contrahere cum filia adoptati.

6 Ex dictis colligi potest primò, filium adoptantis posse matrimonium contrahere cum filia adoptati. Ratio est, quia nulla intercedit cognatio inter has personas. Ita Emanuel Sà *loco citato, num. 6.* Sanchez *disputat. 63.* Reginaldus *num. 162.* [Filliucius *num. 203.*] & alij communiter.

7 An adoptati possint inter se matrimonia celebrare.

7 Secundò, quando plures adoptati sunt ab vno, & eodem, posse adoptatos inter se matrimonium inire, vt patet ex dicta ratione. Ita Emanuel Sà *loc. cit.* & alij.

8 An adoptatus possit matrimonium contrahere cū filia illegitima adoptantis.

8 Tertiò, adoptatum posse celebrare matrimonium cum filia illegitima adoptantis, iuxta Perez *§. 46. fol. 179.* Nauarr. *cap. 22. num. 45.* Sanchez *disp. 63. num. 30.* Coninch. *loco citat. num. 4.* Henriquez *lib. 12. cap. 12.* Emanuelem Sà *loco cit.* [Filliucium *num. 203.*] & alios contra Ang. *v. Matrimonium 3. impedimento 8.* & alios. Ratio est, quia tantummodò filij legitimi contrahunt cognationem, nam cognatio contrahitur inter filios adoptantis, & adoptatum, quando filij adoptantis sunt sub potestate adoptantis, sed filij illegitimi non transeunt in potestatem patris, *Instit. de nuptiis, §. vltimo*; ergo filij illegitimi non contrahunt cognationem cum adoptato, consequenter adoptatus potest contrahere cum filia illegitima adoptantis. Hac etiam de causa adoptans potest contrahere cum filia filię adoptatæ, quia mulier neminem habet in sua potestate. *Instit. de adoptionib. §. femina.* Ita Sanchez *loco cit. num. 35.* Rebellus *q. 7. num. 11.* Sylvest. *matrimonium 8. q. 8.* Reginald. *n. 163.* Nauar. *cap. 22. num. 45.* & alij.

9 An validū sit matrimonium ab infidelibus celebratum in cognatione legali.

9 Quartò, validum esse matrimonium contractum ab infideli in cognatione legali, nam infideles non sunt subiecti iurisdictioni Ecclesiæ, à qua inductum est impedimentum cognationis legalis, proterea si infideles, post contractum matrimonium cum adoptante, vel adoptata, conuertantur ad fidem, non sunt separandi, nam illorum matrimonium est validum. Vide Sylvest. *verb. Adoptio.* Sot. *in 4. d. 42. q. 2. art. 1.* Sanchez *loco cit.* Rebellus *lib. 3. quæst. 7.* Henriquez *loco citat.* & Couar. *2. part. cap. 6. §. 5.* Gutierez, Coninchum, & Reginaldum, *locis citatis.*

Quintò, sponsalia dissolui, si cognatio legalis ipsis superueniat. Ita Sanchez *disp. 63. n. 20.* Gutierez *loco citato, num. 10.* & alij.

An verò cognatio legalis superueniens matrimonio contracto impediat debiti petitionem.

Respondent Sanchez *loco citato, num. 19.* Gutierez *loco citato, num. 9.* & alij apud P. Ledesm. *quæst. 57. artic. 2. ad finem*, negatiuè. Ratio est, quia nullo iure constat, vbi debiti petitio in eo casu interdicatur. Hęc sententia est probabilis, quamuis etiam contrarium non sine probabilitate possit sustineri.

PVNCTVM VI.

De impedimento criminis.

1 Quotuplex sit crimen dirimens matrimoniū, & quid requiratur ad hoc vt cōtrahatur.

1 CRimen, quod impedit, & dirimit matrimonium, est duplex, videlicet homicidium, & adulterium. Vt autem gradatim procedamus, tria principaliter quæremus in hoc puncto.

Primò, vtrùm crimen homicidij, & adulterij dirimat matrimonium.

Secundò, quid requiratur, vt crimen homicidij dirimat matrimonium.

Tertiò, quid requiratur, vt crimen adulterij dirimat matrimonium.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An crimē dirimat trimoniū, & quo iure.

2 CRimen, siue sit adulterij, siue homicidij, impedit, & dirimit matrimonium iure Ecclesiastico. Hæc propositio constat ex *cap. 1. de conuersione infidelium.* & ex *cap. 11. si quis viuente 31. quæst. 1.* & *cap. 1. 2. 3. 4. 5.* & *6. titul. de eo, qui duxit in matrimonium eam quam polluit per adulterium.* Ratio, cur hoc impedimentum ab Ecclesia inductum sit, est, vt vitentur cædes, & adulteria inter coniuges, quæ vitari possunt sublata spe contrahendi inter delinquentes.

Dixi, *iure Ecclesiastico*, quia iure naturæ, aut diuino non est inualidum matrimonium, celebratum inter personas affectas huiusmodi crimine.

3 An crimē extendatur ad infideles.

3 Ex quo sequitur, infideles, qui crimen homicidij, vel adulterij commiserunt, posse valide contrahere matrimonium, vt paulò post clariùs ostendam.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Quid requiratur, vt crimen homicidij dirimat matrimonium. Vide num. 5. 6. 7. & num. 14.

4 VT crimen solius homicidij inducat impedimentum dirimens, requiruntur istæ conditiones.

Prima est occisio coniugis, videlicet, vt maritus occidat vxorem, vel vxor occidat maritum, siue occidat per se immediatè, siue per alium, siue occidat ferro, siue veneno. Ita colligitur ex *c. 1. de conuersione infidelium.*

5 Ex hac conditione sequitur, ad inducendum hoc impedimentum, non sufficere ratihabitionem homicidij absque cooperatione, nam ratihabitio non est homicidium, sed est posterior homicidio, nec in ipsum influit. Ita Speculum *1. parte art. 33.* Gutierez *de matrimonio cap. 105. num. 8.* Sanchez *lib. 7. disput. 78. num. 61.* Henriquez *lib. 12. cap. 12.* Emanuel Sà *loco citato, num. 7.* Valentia *tom. 4. disputat. 10. q. 5. punct. 3. §. crimen.* [Filliucius *tract. 10. p. 2. cap. 8. quæsito 2. num. 252.*] & alij communiter.

Secunda conditio est, vt vir, & femina, qui matrimonium contrahunt, conspirauerint in mortem coniugis occisi. Vnde si vnus illorum machinatus sit mortem absque conspiratione alterius, non contrahit impedimentum dirimens matrimonium: modò non intercesserit adulterium cum homicidio, *cap. super hoc, de eo, qui duxit in matrimonium*, &c.

Tertia est, vt machinatio, seu conuentio occidendi alterum coniugem, facta sit ad hunc finem, vt mortuo coniuge machinantes, seu conspirantes possent inter se matrimonium contrahere, *cap. si quis 31. quæst. 1.* Vnde qui conuentionem fecit cum Berta occidendi illius virum ex odio, seu vindicta, & non ex intentione contrahendi matrimonium inter se, non contrahit impedimentum dirimens matrimonium, consequenter poterit matrimonium cum Berta validè contrahere, ex *cap. si quis, citato.* Ratio est, quia hoc impedimētum inductum fuit ab Ecclesia, ne alter cōiux priuaret alterū vita ad contrahendum matrimonium cum eo, cum quo fecit conuentionem occidendi alterum coniugem. In hoc autem casu non priuat alterum vita ad hunc finem. Ita Ledesma. *q. 60. art. 2.* Coninchus *dubio 5.* Emanuel Sà, Henriquez, Valent. *locis citatis*, & alij, quos magno numero citat Sanchez *lib. 7. disput. 78. num. 13.* Non existimo tamen requiri, vt vterque machinator habuerit hunc finem, sed existimo sufficere, vt vnus tantùm habuerit istam intentionem contrahendi, nullo enim iure probatur, istam intentionem requiri ex parte vtriusque. Immò multi Doctores, vt Caietanus *verb. Matrimonium cap. 1. impedimento 5.* & alij existimant, non requiri huiusmodi intentionem ex parte vllius. Sed contrarium nobis sentiendum est, vt patet ex dicto *cap. si quis*, & ex allata ratione.

Quarta, vt mors sequatur, nam ex *cap. si quis 31. q. 1.* colligitur, requiri effectum consummatum.

6 Hinc patet, eum, qui dedit mandatum occidendi, sed postea reuocauit mandatum, cuius reuocatio innotuit mandatario ante mortem coniugis, non esse reum huius impedimenti, sicut nec est reus ille, qui dedit consilium, quod nihil influxit, vt patet ex dictis *de homicidio, & irregularitate.* Ita Sanchez *loco citat. num. 7.* Rebel. *loc. citato.* [Filliuc. *nu. 253.*] & alij. Ratio est, quia homicidium non imputatur mandanti, vel consulenti in dictis casibus.

7 Rogabis, vtrùm crimen homicidij inducatur, non solùm quando vir occidit vxorem per se, vel per alium, sed etiam quando vxor ipsa occidit virum, intentione contrahendi matrimonium.

Respondeo induci, vt constat ex *cap. si quis viuente 31. q. 1.* Ita Coninch. *disp. 31. dub. 5. num. 55.* Gutierez *loco citato, num. 10.* Sanchez *disp. 78. num. 8.* Emanuel Sà, Henriquez, Filliucius, & alij *locis citatis:* contra Victoriam *de matrimonio num. 292.* Speculum *1. parte art. 23. concl. 3. fol. 19.* & alios apud Sanchez *loco citato.*

TERTIA PROPOSITIO.

8 Quid requiratur, vt crimen adulterij irritet matrimoniū. Vide num. 9. & 14.

8 VT crimen adulterij inducat impedimentum dirimens matrimonium, requiritur vnum ex his tribus delictis. [Primum est adulterium cum homicidio. Secundum adulterium cum matrimonio. Tertium adulterium cum promissione matrimonij: quæ singula crimina, seu peccata, clariùs explicanda sunt.]

Primum igitur peccatum est, vt præter adulterium adsit homicidium coniugis, commissum ab aliquo, cum intentione contrahendi matrimonium cum illo, cum quo commisit adulterium. Vnde si Caius occidat Titium hac intentione, vt possit contrahere matrimonium cum vxore Titij, cum qua commisit adulterium, vel si vxor Titij occidat Titium hoc animo, vt contrahat matrimonium cum Caio, cum quo adulterata est, non poterit validè matrimonium cum eo celebrare, vt patet ex *cap. si quis 31. q. 1.* [& licet in foro conscientiæ fides præstetur ipsimet delinquenti, asserenti occidisse, vel occidisse intentione contrahendi; temen in foro externo præsumitur occidisse animo contrahendi, si postea matrimonium ineat cum adultera.] Verum tamen est, ad incurrendum hoc impedimentum non requiri, vt vterque adulter cooperatus sit morti coniugis, sed sufficit, vt vnus sit conscius homicidij, per hoc enim distinguitur crimen adulterij à crimine solius homicidij, recensito in secunda propositione, quod in crimine solius homicidij requiritur, vt vterque cōtrahens fuerit particeps homicidij secuti; in crimine verò adulterij sufficit, vt alter eorum occidat inscio altero, cum quo contracturus est. Existimo tamen ad inducendum hoc impedimentum, requiri

[Primò, vt semen receptum sit intra vas feminæ, quouis modo receptum sit. Ratio est, quia ad inducendum huiusmodi impedimentum requiritur peccatum consummatum, vt benè docet Sanchez

lib.7.disput.79.num.2. Coninch.*disp.31.num.62.* Filliucius *num.256.* Gutier.*de matrim.cap.96.num.28.* & satis constabit ex dicendis de incestu, & sodomia; adulterium autem non est consummatum ante seminis receptionem.

Secundò requiritur, vt vterque norit adulterium,] alioquin non contrahitur impedimentum dirimens matrimonium, vt patet ex *cap.1.& cap.veniens de eo, qui duxit in matrimonium.* Quare si Titius coniugatus commisit adulterium cum Berta soluta, quæ credebat Titium non esse coniugatum, poterit validè contrahere matrimonium cum ipso Titio, etiamsi Titius occiderit propriam vxorem intentione contrahendi matrimonium cum Berta, nam copula respectu Bertæ non fuit adulterium formaliter, sed tantummodò materialiter, eò quòd ipsa ignoraret Titium esse coniugatum, consequenter ex illa copula non inducitur impedimentum dirimens, cùm hoc impedimentum inducatur ex adulterio formali vtriusque, vt patet ex iuribus citatis, & ex *cap.significasti.[de eo qui duxit.]* Ita Rebel.*lib.3.q.8. num.10.* Sanchez *loco citato, num.12.* Valent.*tom.4.disput.10.q.5.punct. 3.* Emanuel Sà *loco cit.num.7.* Coninch.*disputat.31.dub.5.num.53.* [Filliucius *num.253.*] & alij.

Secundum peccatum, per quod potest induci impedimentum, est, vt præter adulterium intercedat matrimonium, viuente coniuge alterius. Ob id si Titius viuente vxore copulam habuit cum Catharina, & cum ea matrimonium contraxit, non poterit mortua vxore matrimonium contrahere cum Catharina, vt constat ex *cap.cùm haberet, & ex cap.fi.[de eo qui duxit.]* Et hoc verum est, siue adulterium præcesserit contractum matrimonij, siue secutum sit. Vnde si Titius contraxit publicè, aut clàndestinè matrimonium cum vxore Caij, illamque carnaliter cognouit ante, vel post contractum matrimonium, non poterit mortuo Caio matrimonium cum ipsius vxore validè contrahere.

Verum tamen est, vt adulterium cum matrimonio inducat impedimentum dirimens, requiri, vt vterque contrahens sciat copulam, quam habet, esse adulterium, videlicet vt vterque sciat, superstitem esse coniugem alterius. Nam si vterque ignorat superstitem esse alterius coniugem, vterque poterit post mortem coniugis celebrare simul matrimonium. Ita Perez *loco citato.* Si verò vnus tantùm nouit superstitem esse coniugem altero ignorante, & inscio, poterit inscius cogere conscium ad cõtrahendum matrimonium post mortem coniugis, vt patet ex *c.significasti, cit.* Existimo tamen ad inducendum hoc impedimentum non sufficere, vt aliquis contrahat matrimonium, vel copulam habeat, credẽs superstitem esse coniugem, qui verè non sit superstes, *c.1.de eo qui duxit.* Ratio est, quia ad inducendum hoc impedimentum requiritur crimen adulterij cum matrimonio; in hoc autem casu non interuenit crimen adulterij quo ad actum, cùm coniux alterius non sit superstes. Ita Coninch.*nu.61.* Sanchez, Filliucius, & alij *locis citatis.*

Tertium peccatum est, vt præter adulterium adsit promissio matrimonij cum eo, cum quo verè commissum est adulterium. Vnde qui adulterium committit, & promittit illi, cum quo adulteratur, se contracturum cum eo matrimonium post mortem coniugis, non poterit mortuo coniuge validè cum eo contrahere matrimonium, vt si Caius adulteretur cum Berta vxore Titij promittens se cum ea contracturum matrimonium mortuo Titio, non poterit mortuo Titio validè contrahere matrimonium cum Berta. Et hoc verum est, siue promissio facta fuerit ante adulteriũ, siue post adulteriũ, siue facta sit cum iuramẽto, siue non. Secus dicẽdum est, si promissio facta fuit animo decipiendi, nam promissio facta animo decipiendi in foro conscientiæ non inducit impedimentum, cùm promissio ficta non sit promissio. Ita Henriquez *lib.12.c.14.n.3.* Rebel.*loco cit.* & alij, quamuis Sanchez *lib.7.disp.79.n.12.* Gutierez *loco citato, num.28.* [Filliucius *n.255.*] & Coninch.*dub.5.num.57.* existiment sufficere fictam promissionem, eò quòd huiusmodi promissio det occasionẽ captandæ mortis coniugis, ad quam vitandam inductum est hoc impedimentum. Sed hęc ratio facilè soluitur, quia ius requirit promissionem; ficta autem promissio appellatur promissio solo nomine, nec est vera promissio, consequenter non sufficit ad inducendũ hoc impedimentum.

9 Sed maior difficultas est, vtrùm ista promissio debeat esse mutua, vt inducatur impedimentum.

Respondeo negatiuè, quia potest esse vera promissio, quamuis non adsit repromissio, nec iura requirũt promissionem reciprocam, vt patet ex *cap.significasti.de eo, qui duxit.* Ita Syluester *loco citato, quæst.9.* Perez §.49. Rebellus *quæst.8. num.6.* Coninchus *numer. 62.* Sanchez *loco citato,* & alij contra Henriquez *loco citato, numero 2.* & alios. Obserua tamen ad promissionem duo requiri, vt patet ex dictis *de contractibus.*

Primò, vt promissio sit expressa signo aliquo externo, nam promissio facta absque signo externo, non habet vim promissionis, nec habet adiunctum periculum machinandæ mortis alterius, ad quam præcauendam ius induxit hoc impedimentum.

Secundò requiritur, vt promissio sit acceptata, nam ante acceptationem non est propriè promissio, sed pollicitatio. Addo non sufficienter acceptari per taciturnitatem, cùm huiusmodi promissio non sit simpliciter grata acceptanti, & sit de re onerosa. Ita Sanchez *loc.cit.* Gutierez *loco cit.n.28.* [Filliucius *num.256.verf.quinta.*] & alij contra Rebell. ex parte *loco citato.* Coninchum *num.58.* & alios.

10 An sit mortale peccatum promittere matrimonium celebrandum post mortẽ coniugis. Viden.11.

10 Quæres primò, vtrùm peccet promittens matrimonium post dissolutionem præsentis matrimonij, seu post mortem coniugis.

Respondeo, non solum promittentem, verum etiam acceptantem mortaliter peccare. Ratio est, tum quia datur ansa captandæ mortis alterius coniugis, tum quia sic habetur *in c.fin. de eo,* &c. Ita Sanchez *loco citato, num.40.* Rebel.*q.8.numero 9.* [Filliucius *tract.10.p.2.cap.8. quæs.4.num.255.*] & alij.

11 Rogabis vtrum dicta promissio non solùm sit illicita, verùm etiam inualida.

Respondeo, illicitam esse, & inualidam. Ratio est, tum quia ius resistit illi promissioni, tũ quia si esset valida, obligaret promittẽtem ad illius adimpletionẽ, sed falsum est, ipsum obligari ad adimpletionem illius promissionis, quam non potest adimplere, cùm ex huiusmodi promissione cum adulterio consurgat impedimentum dirimens matrimonium; ergo non est valida. Ita Sanchez *loco cit.num.4.* Abbas *in cap.fin.* & alij.

12 An impedimentũ criminis inducatur, quando Titius copulã habet cum Berta, viuente eius viro, post cuius mortem promittit matrimoniũ eidem Bertæ.

12 Quæres secundò, vtrùm contrahatur impedimentum dirimens matrimonium, si Titius copulam habeat cum Berta coniugata viuente eius viro, post cuius mortem promisit matrimonium Bertæ.

Respondeo, non contrahi. Ratio est, quia adulterium & promissio matrimonij debent fieri viuẽte coniuge illius, qui est complex adulterij. Idem dicendum est de adulterio cum matrimonio, vt expressè habetur *in cap.fin.de eo, qui,* &c. Ita Sotus *in 4.dist.37.quæst.vnica art. 4.* Coninch.*num.54.* & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *loco citat. num.5.* [Filliucius *num.255.*] Perez §.50.*fol.188.* Rebell.*loco citato, nu. 8.* qui etiam colligunt ex eodem capite, requiri, vt vtrumque intercesserit durante eodem matrimonio, & non sufficere, vt interceserit in diuersis coniugiis, seu matrimoniis. Vnde si Titius promisit matrimonium Bertæ mortua sua vxore, sed postea mortua vxore contraxit cum Simplicia, & viuẽte Simplicia carnaliter cognouit Bertam absque noua promissione, poterit mortua Simplicia contrahere cum Berta, eò quòd promissio, & adulterium non interceserint durante eodem matrimonio.

13 An inducatur crimen, quãdo duo coniugati promittũt sibi matrimoniũ: sed postea pœnitẽtia ducti resiliunt à promissione, & postea sequitur inter eos copula.

13 Quæres tertiò, vtrùm contrahatur impedimentum, quando duo promiserunt sibi matrimonium, aut matrimonium simul inierunt durante eodem matrimonio, sed postea pœnitentia ducti resilierunt à promissione, vel à matrimonio, ante secutam culpam, quæ deinde secuta est absque noua promissione, vel matrimonio post dissolutionem promissionis, vel matrimonij.

Respondeo, non contrahi, quia non concurrit adulterium cum promissione, vel cum matrimonio, fides enim antea data soluta est, & extincta ante secutam copulam. Secus dicendum est, si secuta promissione, & copula velint resilire à promissione, seu à matrimonio iam contracto, nam impedimentum iam inductum est eò quòd concurrerit adulterium cum promissione, vel matrimonio, consequenter isti non poterunt inter se contrahere absque Summi Pontif. dispensatione. Ita Coninch.*num.60.* Sanchez, & alij *locis citatis.*

14 Ex dictis in hoc puncto elicitur ista conclusio. Crimen homicidij inducit impedimentum dirimens matrimonium inter illos, qui in mortem alterius coniugis conspirarunt hoc fine, vt eo mortuo inter se contraherent, modò reuera secuta sit mors, & imputetur conspirantibus. Crimen verò adulterij inducit impedimentum dirimens matrimonium, quando habet adiunctum homicidium illius, cum cuius coniuge contrahendum est matrimonium, & hoc dicitur crimen adulterij cum homicidio, vel quando habet adiunctum matrimonium, & hoc dicitur crimen adulterij cum matrimonio, vel quando habet adiunctam promissionem matrimonij secuturi post mortem illius, cum cuius coniuge commissum est adulterium, & hoc dicitur crimen adulterij cum promissione futuri matrimonij.

15 An inducatur crimen quando aliquis occidit vxorem, vt contrahat cum alia quæ non fuit particeps homicidij.

15 Hinc colligi potest primò, non oriri impedimentum dirimens matrimonium, quando aliquis occidit coniugem suam, vel alterius, vt possit contrahere matrimonium cum alia, quæ non fuit particeps homicidij, vel adulterij.

16 An inducatur crimen, quando quis occidit vxorẽ, nõ vt contrahat cum alia, sed ob alium finẽ.

16 Secundò, non oriri impedimentum dirimens, quando duo conspirant in mortem alterius coniugis, vel quando adulter occidit alterum coniugem non intẽtione contrahendi matrimonium cum adultero, sed ob alium finem. e.g. vt liberiùs possit libidinem explere, vel ne occidatur à coniuge illius, cum quo commissum est adulterium, vel ad alium finem, quàm ad contrahendum matrimonium cum adultero.

17 An crimen inducatur, quãdo quis vxorẽ occidit, animo ducẽdi aliam indeterminatam.

17 Tertiò, non oriri impedimentum dirimens, quando adulter occidit vxorem animo ducendi aliquam indeterminatam, vel ducendi aliquam determinatam, modò non habeat intentionem ducendi illam, cum qua peccauit. Idem dicendum est, quando adulter occidit vxorem animo ducendi illam, quam Titius designauerit, quamuis postea Titius designet ipsam adulteram. Ita Sanchez *lib.7.disput.78.* Rebellus *lib.3.quæst.8.* Gutierez *num.20.& 22.* Henriquez *lib.12.cap. 14.* [Filliucius *num.256.*] & alij.

18 An crimen inducatur, quãdo quis occidit vxorem in flagranti crimine adulterij deprehensam.

18 Addo cum Rebello *num.15.* & Henriq. *loco citato*, contra Reginald. *lib.31.cap.19.num.137.ad finem,* & alios, non incurri hoc impedimentum ab eo, qui occidit vxorem in flagranti crimine adulterij deprehensam, aut quando aliter occidit impunè per leges, (nisi fortè per dolum dederit causam adulterij, vt eam posset occidere, & ea mortua posset contrahere cum alia complice talis machinationis, seu proprij adulterij.) Ratio est, quia huiusmodi homicidium non imputatur tamquam crimen, cùm leges impunè permittant occidi coniugem adulterum ab altero in flagranti deprehensum, quamuis in foro conscientiæ committatur peccatum, vt cum Speculo, & aliis dicam in simili de vxoricidio, quod impedit matrimonium.

19 An occidens vxorem suam, vt aliam ducat, possit matrimonium inire cum alia cum qua non peccauit.

19 Quartò, eum qui occidit propriam vxorem, vt contrahat matrimonium cum adultera, posse validè contrahere matrimonium cum alia, quamuis non possit validè contrahere cum ipsa adultera, nam hoc impedimentum inductum est, ne matrimonium validè contahatur cum persona adultera, non verò cum alia. Ita Sanchez *disp.78. num.21.* Gutierez *loco citato, nu.25.* & alij. Verum tamen est, occidentem propriam coniugem incurrere impedimentum impediens matrimonium cum quacumque persona, vt *infrà* dicam. Ita Sanchez *disputat.79.num.41.* Coninchus *num.64.* Gutierez *nu.12.* & alij Doctores citati.

20 An impedimentum criminis extendatur ad infideles. Vide n. 21.

20 Quæres, vtrùm impedimentum criminis contrahatur non solùm à fidelibus, verùm etiam ab infidelibus.

Respondeo, contrahit tantummodò à fidelibus. Ratio est, quia hoc impedimentum inductum est ab Ecclesia, cui non sunt subiecti infideles. Quamobrem infideles, qui se tanto scelere coinquinarunt tempore infidelitatis, poterunt non solùm ante conuersionem validè contra-

contrahere matrimonium cum complice, sed etiam post conuersionem. Si tamen vnus complex esset fidelis, & alter infidelis, fidelis contraheret hoc impedimentum, cùm ipse sit subditus Ecclesiæ, infidelis verò non contraheret, cum ipse non sit subditus Ecclesiæ, vt benè obseruat Sanchez *num.*3. Henriquez *lib.*12.*c.*14.*n.*2. Gut. *de matrim.c.* 105.*n.*6. [Filliucius *tract.*10.*p.*2.*c.*8.*quæs.*4.*num.*255.]

21 Neque militat in hoc casu ratio dicta de cognatione spirituali *num.*19.

Addo cum Sanchez *loco citato, num.*43. [& Filliucio] contra Henriquez *lib.*12.*cap.*14.*n.*3. Rebel. *loco cit. nu.*14. Speculum 1.*parte art.*34. & alios, requiri, vt totum delictum contractum sit post Baptismum; consequenter non sufficere promissionem, aut matrimonium fuisse factum ante Baptismum, & adulterium commissum fuisse post Baptismum; quare si infidelis contraxit matrimonium ante Baptismum, & post Baptismum commisit adulterium, non incurrit hoc impedimentum, quia impedimentum criminis non incurritur ob vnum tantummodò delictum, sed propter vtrumque, id est, propter adulterium cum matrimonio, vel cum promissione matrimonij, vel cum homicidio; cùm autem infidelis non esset subiectus Ecclesiæ ante Baptismum, non est ratio, cur dicamus illum subiacere huic impedimento, si vnum tantummodò delictum ante Baptismum, & alterum post Baptismum commisit, nam ratione delicti commissi ante Baptismum non punitur ab Ecclesia, eò quòd tunc temporis non esset subditus Ecclesiæ.

PVNCTVM VII.

De impedimento disparitatis cultus.

1 Inter quos reperiatur disparitas cultus.

1 DIsparitas cultus reperitur inter fidelem, & infidelem, seu inter baptizatum, & non baptizatum. Vnde difficultas est in hoc puncto, vtrùm matrimonium contractum inter baptizatum, & non baptizatum sit validum.

VNICA PROPOSITIO.

2 An disparitas cultus dirimat matrimonium, & quo iure.

2 MAtrimonium baptizati, seu fidelis contractum cum infideli, seu non baptizato, inualidum est iure Ecclesiastico. Hæc propositio patet tum ex Concil. Toletano III. *cap.*14. tum ex vsu, & consuetudine vniuersali Ecclesiæ, quæ sufficiens est ad inducendum impedimentum, quamuis non sit in iure expressum. Ita Valent. *loco citato verb. Cultus disparitas.* P. Ledes. *quæst.*59. *art.* 1. Henriquez *lib.* 12.*cap.*13. Reginald. *libr.*31.*num.*167. Gutierez *de matrim.cap.*104. Coninch. *de matrim. disput.*31.*dub.*3.*num.*43. Perez §.51.*fol.*192. Sanch. *lib.* 7.*disp.*71. [Filliucius *tract.*10.*cap.*7.*num.*125.]

Dixi, *matrimonium baptizati cum non baptizato*, id est, cum infideli, qui nondum recepit Baptismum, quamuis sit Catechumenus nondum baptizatus; matrimonium verò inter fidelem, & hæreticum, vel apostatam, vel excõmunicatum validum est, cùm nullo iure irritetur. Ita P. Ledesma, Sanchez, Eman. Sa, Perez, Gutier. Reginaldus, Filliucius, & alij *locis citatis*, non enim intercedit disparitas cultus inter fidelem, & hæreticum, vel apostatam, vel excommunicatum, cùm omnes isti sint baptizati: committitur tamen graue peccatum, quando contrahitur matrimonium cum hæretico, tum propter prohibitionem Ecclesiæ, *cap. non oportet, & cap. caue* 28. *quæst.* 1. tum propter periculum peruersionis. Ita Gutierez *loco citato, num.*7. Reginald. *nu.* 169. Sanchez *disp.*72.*nu.*4. vbi plures alios refert, additque hoc non procedere in iis locis, in quibus consuetudine receptum est, vt matrimonium contrahatur cum hæreticis excommunicatis toleratis, vt accidit in Germania, & Gallia, modò tamen non sit periculum peruersionis, & non adsit scandalum aliorum, vt benè obseruat Coninch. *loco citato, num.*45. [& docet idem Sanchez *in summa lib.*2.*cap.*9.*num.* 9. Molfesius *tract.*4.*cap.*10.*num.*62.] Vtrùm verò sit peccatum mortale contrahere matrimonium cum excommunicatis toleratis, aut vitandis, constat ex dictis de censuris de participatione cum excommunicatis.

Dixi, *iure Ecclesiastico*, quia iure diuino, vel naturali non est inualidum matrimonium contractum inter fidelem, & infidelem, non enim probari potest iure naturæ, vel diuino inualidum esse; quamuis sit illicitum propter periculum prolis, quam quilibet coniugum contendet trahere ad suam fidem. Ita Sanchez *disput.*71.*n.*7. Gutierez *loco citato, num.*1. Coninchus *disp.*31.*num.*41. [Filliucius *num.*226. Ex quo præcitati Doctores inferunt, Summum Pontificem posse iusta concurrente causa dispensare, vt fidelis contrahat cum infideli, imò validum esse matrimonium fidelis cum infideli, etiamsi Summus Pontifex absque causa dispenset, nam Papa validè dispensat in iure communi, etiam sine causa.

Ex quo patet à fortiori Papam dispensare posse, vt Catholicus matrimonium contrahat cum hæretica, si spectemus prohibitionem Ecclesiæ præcisè, quamquam hoc à Papa non permittatur absque graui causa: tum quia proles & coniux Catholicus periculum peruersionis subeunt, nisi debita remedia adhibeantur: tum quia cùm ipsimet contrahentes sint ministri essentiales Sacramenti matrimonij, sequitur coniugem fidelem recipere Sacramentum ab hæretico, & Catholicum administrare Sacramentum hæretico, quem constat indignè suscipere Sacramentum, consequenter Catholicum cooperari ipsius peccato, consequenter Papam non posse licitè huiusmodi connubia permittere absque graui causa; tum quia in sententia Sanch. Coninch. & aliorum, quos retuli *quæst.*2.*punct.*5.*num.*4. ratio Sacramenti inseparabilis est à contractu matrimonij, & ratio contractus inter Christianos celebrati inseparabilis est à Sacramento. Ideo si quis intendat matrimonium inire, tamquam contractum, respuens rationem Sacramenti, nihil agit, iuxta præcitatos Doctores: sed hæreticus respuere solet rationem Sacramenti; ergo nihil agit; ergo matrimonium inualidè contrahit defectu debitæ intentionis, iuxta sententiam prædictorum Doctorum; (quamuis ego contrarium in hac parte superiùs senserim:) ergo huiusmodi matrimonium non est permittendum absque graui causa.

Dices, Summus Pontifex facultatem aliquando concessit feminæ fideli contrahendi cum hæretico; ergo non videtur illicitum contrahere cum hæretico.

Respondeo, Summum Pontificem id permisisse ex causa boni communis, adhibitis remediis necessariis ad matrimonium licitè & validè contrahendum, & ad præcauendum peruersionis & prolis periculum; his enim remediis non adhibitis illicitum esset matrimonium cum hæretico iure naturali diuino. Videri potest Sanchez *libr.*7.*disp.* 72. Filliucius *tract.*10.*part.*2.*cap.*7.*num.*209. & alij Doctores citati.]

3 An infideles coniugati separandi sint, quando conuertuntur ad fidem.

3 Quæres primò, vtrùm infideles, qui contraxerunt matrimonium in infidelitate, separandi sint, quando conuertuntur ad fidem.

Respondeo non esse separandos, nisi adsit aliquod impedimentum, propter quod matrimonium illorum fuerit inualidum iure naturæ, vel nisi adsit aliqua causa ob quam dissolui possit, vel nisi contraxerint cum aliquo impedimento dirimente, inducto ab eorum Principibus, possunt enim Principes infidelium inducere impedimenta, & constituere formam sub qua celebretur contractus matrimonij, vt ait P. Ledes. *quæst.*59.*art.*3. Henriquez *lib.*12.*cap.*13.*numero* 1. [Sanchez, Filliucius, & alij] communiter, & constat ex dictis *puncto* 1.

4 Quibus de causis dissolui possit matrimoniũ infideliũ, quando cõuertuntur ad fidem. Vide num.5.6.7. & 8.

4 Rogabis, quænam sint causæ, propter quas dissolui possit matrimonium, quando vnus infidelium conuertitur ad fidem, altero persistente in infidelitate.

Respondeo, has causas posse assignari cum Conincho *disp.*26.*dub.* 5.*num.*58. & aliis DD. cit.

Prima est, quando infidelis non vult habitare cum fideli, vt patet ex 1. *Corinth.*7.

Secunda, quando infidelis vult quidem habitare, sed non absque iniuria Creatoris, tunc enim fidelis conuersus potest dissoluere matrimonium, & cum fideli contrahere. Ratio est, quia cùm fidelis in eo casu non possit habitare cum infideli, æquum est, vt possit dissoluere matrimonium saltem ex priuilegio diuino, quod ex verbis D. Pauli 1. *Corinth.*7. colligitur, *Si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi*, &c. [Ita Doctores citati.]

5 Si quæras, quandónam contingat iniuria Creatori.

Respondeo, tunc contingere, quando infidelis compellit fidelem ad peccatum, vel quando infidelis non vult nomen Dei, aut Christi audire, nisi cum despectu, vel quando nomen Dei blasphemat, vel impedit, quominus debitus honos, aut laudes Deo exhibeantur, vel quando retrahit familiam à Christi fide. Ita Rebel. *lib.*3.*quæst.*10. *sect.* 2.*num.*2. Sanchez *lib.*7.*disput.*74.*num.*6. Valent. *tom.*4.*disp.*10.*quæst.* 1.*punct.*3. Henriq. *lib.*11.*cap.*8. [Filliucius *num.*237.] & alij, & ita colligitur ex *cap. quanto.* & ex *cap. gaudemus, de diuortiis.*

6 Sed maior difficultas est, vtrùm fidelis possit dissoluere matrimonium cum infideli, quando infidelis vult habitare sine iniuria Creatoris, sed non vult conuerti ad fidem. Circa quam difficultatem est duplex sententia.

Prima sententia negat posse dissoluere, propter auctoritatem Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam.* Ita Valentia *loco cit.* Nauarr. *cap.*22.*num.*49. Tolet. & alij apud Sanch. *loco cit.* Omnes tamen concedunt licitum esse diuortium.

Secunda probabilior affirmat, eò quòd in Concil. Tolet. III. *c.* 4. vetitum sit fideli habitare cum infideli, propter periculum peruersionis, quod vt plurimum accidere solet. Vnde in aliquibus locis certum quoddam tempus præscribitur infideli, vt conuertatur ad fidem, & eo elapso fiat separatio, nisi conuertatur. P. Ledes. *quæst.*59.*art.*3.*ad fin.* Sanchez *loco citato, numero* 9. *& disputat.* 73. [Filliucius *tractat.*10. *part.*2.*cap.*7.*quæs.*6.*nu.*239. Sotus, Victoria, Lopez, & alij apud Sanchez *numero* 9.] Ad locum Apostoli respondeo, illum intelligi secluso alia prohibitione, & peccato.

7 Hinc colligi potest primò, infidelem persistentem in infidelitate, posse matrimonium cum alia contrahere, quando vxor conuersa dissoluit prius matrimonium, vt benè ait Sanchez *disput.*77. Prius matrimonium secundùm aliquos DD. dissoluitur, statim ac infidelis admonitus recusat legitimè habitare. Secundùm alios dissoluitur, quando elapsus est terminus ab Ecclesia constitutus ad determinandum, an infidelis velit legitimè habitare. Secundùm alios dissoluitur per matrimonium fidelis cum alia fideli, vt ait Emanuel Sà *loco cit. num.* 8. & alij. [colligitur ex *cap. gaudemus. de diuort.*] De qua re latiùs disputat Sanchez *disput.*75. Rebel. *lib.*3.*quæst.*10.*sect.*2. & P. Ledes. *quæst.*59. Coninch. *disput.*26.*num.*63. [Filliucius *num.*242.].

8 Secundò, conuersum ad fidem, non solùm posse matrimonium cum alia celebrare, sed etiam posse, postquam infidelè admonuit, an velit conuerti, transire ad religionem, Ordines sacros suscipere, & votum castitatis emittere; sicut enim potest matrimonium cum alia inire, ita etiam videtur posse transire ad religionem, &c. Et sicut ista licita sunt facienti diuortium ob adulterium, ita etiam licita sunt conuerso ad fidem, qui debet facere diuortium cum infideli recusante conuerti. Ita Henriq. *lib.*11.*cap.*17.*num.*8. [Sanchez *disput.*76. Filliucius *num.*244.] & alij DD. cit.

9 An matrimoniũ infidelis conuersi ad fidem dissoluatur per professionem factam in Religione. Vide n.10.

9 Rogabis, vtrùm matrimonium non solùm ratum, sed etiam consummatum dissoluatur per professionem conuersi factam in religione.

Respondeo, dissolui. Ratio est, quia sicut matrimonium ratum fidelium dissoluitur per professionem alterius coniugis; ita etiam dissoluitur matrimonium consummatum tempore infidelitatis, quod est minus insolubile, cùm non sit Sacramentum. Ita Sanchez *disputat.* 76.*num.*9. Henriquez *lib.*11.*cap.*8.*num.*4. Petr. Ledesm. *disput.*59.*art.* 5. [Filliucius *num.*246.] & alij contra Abulens. 1.*Reg.cap.*8.*quæst.*68.

10 Ex quo fit, vt si infidelis conuertatur post professionem alterius coniugis antea cõuersi, non possit petere, vt conuersus professus sibi restituatur. Secus dicendum est, si nondum professus est; [si verò conuersus suscepit Ordines sacros ante alterius conuersionem, adhuc tenet matrimonium;] nulla enim ratione probari potest, ipsum dissolui

solui per Ordines, & sicut Ordines sacri non dirimunt matrimonium ratum fidelium, ita neque dirimunt consummatum infidelium. Verum tamen est, fidelem conuersum, qui suscepit sacros Ordines, non esse restituendum alteri coniugi, qui conuertitur, postquam fidelis initiatus est Ordinibus; nam ille debet sibi imputare, quòd tarde conuersus sit, quamuis matrimonium non sit dissolutum per susceptionem sacrorum Ordinum; sicut remanet dissolutum per professionem in religione. Ita Sanchez *loco citato, num.* 6. & 7. Coninch. *loco cit. num.* 66. [Filliucius *num.* 246.] & alij communiter.

[Ex quo fit, vt infidelis nequeat matrimonium cum alio inire, dum fidelis conuersus Ordines suscepit; cùm enim per susceptionem sacrorum Ordinum non dissoluatur matrimonium, sequitur infidelem adhuc vinculo prioris matrimonij obstrictum teneri, nec in ipsius potestate positum esse matrimonium dissoluere; priuilegium enim dissolutionis concessum est fideli in fauorem fidei; non verò infideli. *cap. quanto. de diuort. & cap. fin.* 28. *quæst.* 1.]

11 Quemnam sequantur filij, quando vnus conuertitur ad fidem, altero persistente in infidelitate.

11 Queres secundò, quémnam sequantur filij, quando parens conuertitur ad fidem altero persistente in infidelitate.

Respondeo, sequi conditionem parentis fidelis, quando filij nondum sunt doli capaces. Ita deciditur *in cap. Iudæi* 28. *quæst.* 1. in fauorem fidei.

Dixi, *quando filij nondum sunt capaces doli*, nam filij capaces doli relinquendi sunt in propria libertate, nec sunt cogendi ad fidem, vt patet ex dictis *de Baptismo*, cum Suarez, & aliis, ex Concilio Toletano IV. *cap.* 56. *& cap. de Iudæis* 45. *distinct.* Ita communiter DD. quos citat Sanchez *disp.* 73. *num.* 16 [Filliucius *num.* 235.] P. Ledesm. *loco cit. art.* 4. Coninch. *num.* 67. Perez. §. 16. & Emanuel Sà *loco citat. num.* 8. vbi addit, in dubio, an filij sint capaces doli, præsumendum esse in fauorem fidei.

PVNCTVM VIII.

De impedimento vis.

1 Quinam dicatur metus intrinsecus, & extrinsecus.

1 SVpponendum est primò, metum alium esse intrinsecum, alium extrinsecum, vt patet ex dictis de voto, *quæst.* 1. *punct.* 3. Metus intrinsecus dicitur ille, qui à causa intrinseca, vel naturali infertur, qualis est metus grauis mortis prouenies ex periculosa infirmitate, aut ex feris, & animalibus. Hic metus dicitur intrinsecus, seu à causa intrinseca, vt distinguatur à metu extrinseco, qui fit à causa extrinseca libera, id est, ab homine. In præsenti puncto non est nobis difficultas de metu intrinseco, sed de metu extrinseco, constat enim matrimonium celebratum per metum incussum à causa intrinseca, & naturali, esse validum, sicut est validum votum.

2 Quinam dicatur metus cadens in constantem virum, seu grauis & probabilis.

2 Supponendum est secundò, metum alium esse cadentem in constantem virum, qui alio nomine appellatur grauis, vel probabilis, alium esse cadentem in virum inconstantem: metus cadens in constantem virum dicitur ille, qui cogit eligere minus malum, vt maius malum probabiliter imminens euitetur. Metus cadens in virum inconstantem est ille, quo aliquis maius malum, & inconueniens elegit ad fugiendum minus.

3 Quinam dicatur metus iustus & iniustus.

3 Supponendum tertiò, metum cadentem in constantem virum, aut esse iustum, aut iniustum. Iustus est, quando aliquis comminatur malum, quod iustè potest inferre, vt quando comminatur iustam accusationem criminis.

4 Quibus modis metus incutiatur.

4 Supponendum quartò, metum qui est ab extrinseco, id est, ab homine, aliquando incuti ad extorquendum matrimonium, & tunc dicitur incussus ad hoc; aliquando incuti ad alium finem, quàm ad contrahendum matrimonium, & tunc non dicitur incussus ad hoc.

5 An metus semper tollat voluntarium.

5 Supponendum quintò, vim, & metum adhuc esse duplicem, vnus est, qui aufert omnino consensum, & voluntarium, vt accidit, quando homo per metum, seu per vim re vera non consentit, sed fingit se consentire; alter est, qui non tollit omnino consensum, sed solum tollit secundum quid, quatenus contrahens re vera consentit, sed non liberè. In hoc puncto sermo nobis erit de matrimonio contracto per vim, & metũ secundo modo; non verò de matrimonio contracto per vim, & metum primo modo: matrimonium enim contractum per vim, & metum primo modo, est omnino inualidum, non solùm iure Ecclesiastico, sed etiam iure naturæ; nam contractus matrimonij non subsistit sine consensu, vt constat apud omnes.

6 Quænam reducantur ad metum grauem.

6 Supponendum est sextò, ad metum grauem, & cadentem in constantem virum reuocari metum mortis, metum mutilationis, vel cruciatus atrocis, vel longi carceris, vel exilij diuturni, vel seruitutis, vel stupri siue in viro, siue in femina, vel amissionis status honorifici, vt expressè habetur *Cod. de iis, quæ metus causa fiunt, cap. cùm dilectus. de iis, quæ vi, & l. nec timorem. ff. quod metus causa.* Ad eumdem metum reducitur metus amissionis omnium bonorum, vel saltem magnæ partis, aut amissionis rei magnæ, & notabilis. Similiter metus infamiæ iuris, vel facti; sicut enim ad metum grauem reducitur metus amissionis bonorum, ita etiam reduci debet metus infamię, cùm melius sit bonum nomen, quàm diuitiæ multæ, *Prouerb.* 12. Idem dic de metu iniustæ excommunicationis, nam excommunicatio est grauis pœna, qua homo separatur ab Ecclesia, & grauissima patitur incommoda, vt bene tradit Sanchez *disp.* 5. *n.* 17. Gut. *de matrim. c.* 78. *n.* 12.

Dixi, *metus iniustæ excommunicationis*, quia metus iustæ excommunicationis non reducitur ad metum grauem; quia excommunicatio iusta facilè caueri potest aliis mediis, videlicet sublata contumacia, & est medicina, quæ exhibetur ad tollendam inobedientiam. Addo, metum cadentem in constantem virum, non solùm censeri, quando aliquod ex prædictis malis nobis imminet, verum etiam quando aliquod ex prædictis malis timemus aliis nobis coniunctissimis, vt coniugi, parentibus, auis, filiis, fratri, sorori, nepoti, vel alteri arctissimo necessitudinis vinculo nobis coniuncto, vt benè ait Sanchez *lib.* 4. *disp.* 4. Less. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. Rebel. *lib.* 2. *quæst.* 9. *num.* 3. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 9. *n.* 5. Gutierez *n.* 16. Coninch. *disp.* 28. *dub.* 2. *nu.* 36. & alij. Ratio est, quia mala istorum reputantur nostra.

Addo cum aliquibus Doctoribus, ad metum cadentem in constantem virum reduci timorem reuerentialem: non quemcumque, sed graue, quo scilicet aliquis timet offensam patris, vel alterius sui superioris diuturnam cum vultus asperitate, cum verberibus, aut cum aliqua mala tractatione. Quare non quilibet metus reuerentialis censetur grauis, sed ille tantùm, qui coniunctus est cum minis, vel cum timore malæ tractationis, vel cum alio graui incommodo, vel etiam cum precibus importunis vehementer, & sæpiùs repetitis à patre, vel à superiore. Ita Lessius, & Rebell. *locis citatis.* Henriquez *lib.* 11. *cap.* 9. Valent. *tom.* 4. *disputat.* 10. *quæst.* 3. *punct.* 2. Petr. Ledesm. *quæst.* 16. & Sanchez *lib.* 4. *disputat.* 6. & 7. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 85. & plures alij apud Menochiũ *de arbitrariis lib.* 2. *Centuria* 2. *casu* 136. Addo etiam cum Sanchez *lib.* 4. *disputat.* 3. & 5. Conincho *num.* 33. Rebel. & aliis, relinquendum esse arbitrio prudentis viri iudicare, quinam sit metus cadens in constantem virum, & qui non cadens, nam metus non est pendendus, & metiendus ex causa, ex qua nascitur, & ex natura rei, sed potiùs ex persona, cui incutitur: non enim omnes homines æqualiter mouentur, etiam seruata virtute constantiæ; cùm possit aliquando contingere, vt aliquis maius malum reputet colaphum: aut leuem verberationem, aut victus priuationem per aliquot dies, aut patriæ priuationem, quàm contrahere matrimonium. Vnde, qui contrahit matrimonium cum huiusmodi metu, censetur contrahere cum metu cadente in constantem virum. Idem tenet Menochius *loco citato, casu* 135. cum Decio, Tiraquello, & aliis.

7 Quid requiratur, vt metus dirimat matrimoniũ.

7 Supponendum est vltimò, vt metus grauis dirimat matrimonium, requiri, vt malum, quod timetur, probabiliter immineat; nam vir constans timet malum, quod sibi probabiliter imminet, non verò timet malum, quod sibi non imminet. Vnde, qui contrahit matrimonium ob minas illius, qui non solet exequi minas, aut quibus ipse potuisset aliter occurrere, quàm contrahendo, validè contrahit, vt benè ait Sanchez *lib.* 4. *disput.* 4. *conditione vltima*, Henriquez *loco citato, nu.* 4. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 77. & 84. Coninchus *num.* 23. & alij. Secus dicendum est, quando incutiens minas solet eas exequi, vel quando incutiens minas est vir potens, sed dubitatur, an sit illas executioni mandaturus: quamdiu enim non constat de more viri potentis, adest iusta causa timendi minas, & prudentis est cauere periculum executionis minarum. Ita Sanchez *disput.* 6. *num.* 21. & alij.

His positis, difficultas nobis est in præsenti puncto, quænam vis, seu metus dirimat matrimonium.

PRIMA PROPOSITIO.

8 An, & quomodo metus grauis dirimat matrimonium.

8 MAtrimonium, celebratum per metum grauem, seu cadentem in constantem virum, est inualidum iure Ecclesiastico, modò metus sit iniustè incussus à causa libera ad hoc, id est, ad extorquendum consensum. Ita Nauar. *cap.* 22. *n.* 5. P. Ledes. *quæst.* 16. Valent. *loco cit.* Sotus *dist.* 29. *quæst.* 1. Perez §. 52. *fol.* 197. Sanchez *lib.* 4. *disput.* 14. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 1. Gutierez *de matrim. cap.* 76. *n.* 8. Reginald. *lib.* 31. *num.* 76. & 78. Coninchus *disp.* 28. *dub.* 1. *n.* 5. & 16. Riccius *decis.* 253. [Filliucius *tract.* 10. *cap.* 4. *quæs.* 1. *n.* 104.] & alij communiter, & constat ex *cap. veniens.* 2. *de spons. & cap.* 2. *de eo, qui duxit in matrimonium*, &c. & sic vsu receptum est in Ecclesia.

Dixi, *celebratum per metum grauem*, quia matrimonium celebratum per metum leuem non est inualidum, tum quia in iure non habetur ratio metus leuis, vt dictum est de sponsalibus, & de voto; tum quia sicut ceteri contractus celebrati per metum leuem non sunt irriti, ita neque est irritum matrimonium, cum huiusmodi metu celebratum; nullus enim textus extat illud irritans, nec ius naturæ ipsum irritat. Non nego tamen, quin sit probabilis sententia eorum, qui asserunt, matrimonium per metum leuem celebratũ irritari coram Deo, & in conscientia, eò quòd metus leuis tollat libertatem necessariam ad istum contractum, iuxta P. Ledesm. *loco cit.* Nauar. *cap.* 17. *num.* 3. Speculum, & alios apud Sanchez *lib.* 4. *disp.* 17. & apud Lessium *loco citato, num.* 47. Imò certum est, matrimonium inualidum esse in foro conscientiæ, quoties metus leuis tollit omnino consensum: nam ad validitatem matrimonij iure naturæ requiritur consensus. Ita Gutierez *loco cit. nu.* 20. Rebell. *lib.* 2. *de matrim. quæst.* 11. *sect.* 1. Less. & alij *locis cit.* per se tamen loquendo metus leuis non irritat matrimonium, vt patet ex nostris rationibus, alioquin omnia plena essent litibus, & controuersiis, cùm metus leuis frequenter adesse soleat.

Dixi, *iure Ecclesiastico*, quia iure naturæ videtur validum matrimonium, celebratum per metum, quamuis multi DD. vt D. Bonauent. Molina, & alij apud Less. *loco citato*, & apud Rebell. *lib.* 2. *quæst.* 9. *n.* 8. velint esse, irritum iure naturæ. Sed mihi probabilius videtur irritum esse tantummodò iure Ecclesiastico, vt ait Sanchez *loco cit. disp.* 14. *n.* 2. P. Ledes. *quæst.* 47. *art.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 7. *n.* 47. [Filliucius *num.* 109.] & alij. Ratio est, tum quia ceteri contractus, celebrati cum metu graui, non sunt inualidi iure naturæ, vt suo loco dictum est: ergo neque matrimonium videtur inualidum iure naturæ, tum quia si iure naturæ inualidum esset matrimonium celebratum per metum grauem, esset etiam iure naturæ inualidum matrimonium celebratum per metum leuem, quod tamen videtur falsum ex communiori DD. sententia contra Ledesm. *quæst.* 49. *art.* 3. Speculum 1. *part. art.* 2. *concl.* 7. & alios apud Sanchez, & Lessium *locis citatis.*

9 An metus dirimat matrimonium inter infideles.

9 Hinc sequitur, matrimonium celebratum per vim, & metum grauem inter infideles, validum esse, nisi extet aliqua lex ciuilis irritans matrimoniũ celebratum inter infideles cum metu graui. Ratio est, quia matrimonium celebratum per metum grauem non est inualidum iure naturæ, sed iure Ecclesiastico, cui non sunt subiecti infideles. Ita Sanchez *lib.* 4. *disp.* 14. *n.* 3. P. Ledes. *quæst.* 47. *art.* 3. *dub.* 1. & alij contra Henriquez *lib.* 11. *cap.* 6. & alios.

Dixi, *modò metus sit iniustè incussus*, quia si matrimonium celebretur per metum iustè incussum, validum est, vt testantur præcitati

cati Doctores, [contra nonnullos alios.] quod vt meliùs intelligatur,

10 Quibus modis metus incutiatur.

10 Aduertendum eſt, metum dupliciter incuti poſſe. Primò iuſtè, ſecundò iniuſtè. Rurſus metum, qui iuſtè incutitur ob vnum finem, non ſemper licitè incuti ob alium. Vt ob extorquendum matrimonium, exempli gratia, aliquis habet ius accuſandi Titium ob iniuriam ſibi illatam per contumeliam, vel per furtum, vel per homicidium; iſte poteſt metum accuſationis incutere Titio, vt ab eo extorqueat debitam ſibi ſatisfactionem, & in hoc caſu dicitur metum iuſtè incutere, non tamen poteſt ob iniuriam ſibi illatam per contumeliam, &c. minari accuſationem, vt extorqueat conſenſum matrimonij. Vnde ſi minetur accuſationem, vt extorqueat conſenſum matrimonij, dicitur metum iniuſtè incutere; nam iſte metus repugnat libertati matrimonij, & eſt iniurioſus Sacramento, cùm per huiuſmodi metum Titius cogatur inuitus celebrare matrimonium, quod debet eſſe liberum, & non coactum; quamuis igitur ille metus accuſationis poſſit eſſe iuſtus ob alios fines, nihilominus ob finem extorquendi matrimonium eſt iniuſtus. Ita Coninch. *num.* 15. & alij DD. cit.

11 Quandonam metus iuſtè, & iniuſtè incutiatur.

11 Ex quo ſequitur, eum qui minatur accuſationem alteri cum periculo longæ detentionis in carcere, vel exilij, niſi ducat propriam filiam, quam conſentientem carnaliter cognouit, dici metum iniuſtè incutere per ordinem ad matrimoniũ; nam qui carnaliter cognouit aliquam conſentientem, non tenetur præcisè ratione copulæ matrimonium cum ea contrahere, conſequenter ſi matrimonium cum ea contrahat per metum longæ detentionis in carcere, vel exilij, inualidè contrahit; eò quòd contrahat per metum, iniuſtè ſibi incuſſum ad extorquendum matrimonium. Secus dicendum eſt, ſi ille, cui metus incutitur, dedit cauſam incutiendi ſibi metum ob culpam, propter quam iure licito compelli poteſt ad matrimonium, tunc enim validum eſt matrimonium, eò quòd metus ſibi iuſtè incutiatur. Explico rem exemplis.

Primum exemplum eſt. Pater minatur accuſationem Titio, niſi ducat propriam filiam, quam conſtuprauit, videndum eſt in hoc caſu, an filia voluntariè conſenſerit, vel inuoluntariè violata eſt; ſi inuoluntariè violata eſt, validum eſt matrimonium, celebratum cum metu accuſationis; nam hic metus iuſtè incutitur ob cauſam, propter quam ſtuprator iure licito compelli poteſt ad contrahendum matrimonium. Si verò filia voluntariè conſenſit, non videtur validum matrimonium, celebratum cum metu accuſationis, ex qua timeatur graue damnum; nã ſtuprator virginis cõſentientis non dedit cauſam incutiendi ſibi metum ob culpam, propter quam licitè compelli poſſit ad matrimoniũ, ſtuprator enim virginis cõſentientis non tenetur illam ducere, niſi alius titulus adſit, qualis titulus eſſet ſi ibi recepta eſſet lex præcipiens contrahere matrimonium cum ſtuprata, vel ſi præceſſiſſent ſponſalia, vel promiſſio matrimonij, vt benè ait Sanchez *lib.* 4. *diſp.* 14. *num.* 7. & patebit ex infrà dicendis; quare pater puellæ, quæ cõſentiens cognita fuit carnaliter, habet quidem cauſam accuſandi ſtupratorem, aut incutiendi metum accuſationis ad obtinendam ſatisfactionem iniuriæ ſibi illatæ per ſtuprum filiæ, non tamen habet iuſtam cauſam incutiendi metum accuſationis ad extorquendum matrimonium, niſi habeat alium titulum, qualem habet pater in iis locis, in quibus receptum eſt, vt ſtuprator ducat puellam violatam, vt habetur *cap.* 1. *de adulteriis*. Ita Henriq. *lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 1. Rebell. *loco cit.* & alij.

Secundum exemplum eſt. Aliquis Princeps habet iuſtam cauſam inferendi bellum Titio ob iuſtas prætenſiones in illius regnum. Si minetur bellum Titio, niſi propriam filiam ducat, iniuſtè minatur, & iniuſtè metum incutit; quamuis enim minæ ſint iuſtæ ob prætenſiones iuſtas in regnum; non tamen ſunt iuſtæ ad extorquendum matrimonium. Titius enim non dedit cauſam incutiendi ſibi minas propter culpam aliquam, ob quam iure licito compelli poſſit ad matrimonium, cõſequenter matrimonium, cum huiuſmodi metu celebratum, eſt inualidum, quamuis aliqui Doctores oppoſitum ſentire videantur.

Tertium exemplum eſt. Aliquis minatur accuſare furem de furto, niſi talem mulierem ducat, iniuſtè minatur accuſationem per ordinem ad extorquendum conſenſum, cõſequenter matrimonium, cum huiuſmodi minis, ſeu metu celebratum, videtur inualidum. Ita Reginaldus *num.* 79. & alij DD. citati, quamuis multi DD. oppoſitum aſſerant, vt Summa Corona *de matrimonio num.* 29. *corollario* 3. & 5. & alij [apud Sanchez] *diſput.* 13.

12 An ſtuprator validè contrahat matrimoniũ cum ea, quam violauit, ſi cõtrahat ob metum excommunicationis, aut mortis.

12 Ex dictis ſequitur primò, validum eſſe matrimonium, quod ſtuprator doloſus contraxit cum ſtuprata per metum excommunicationis, vel mortis, vel alterius grauis mali, incuſſum ſibi à iudice ad extorquendum conſenſum, quando ſcilicet lex ſtatuit ſub pœna excommunicationis, vel mortis, vel alterius mali, vt qui doloſè ſtuprauit virginem, cogatur cum ea matrimonium inire. Ita Rodriquez 1. *parte cap.* 231. *nu.* 5. Henriquez *loco citato*, [Sanchez *diſp.* 13. Filliucius *tractat.* 10. *cap.* 4. *quæſ.* 3. *num.* 107.] & alij communiter. Ratio eſt, tum quia ſic habetur *cap.* 1. & 2. *de adulteriis*, tum quia iudex iuridicè procedens non dicitur inferre metum, *l. continet.* §. *ſed vim. ff. de eo, quod metus cauſa:* tum quia ſtuprator ſponte ſua ſe illi pœnæ ſubiecit per delictum, cui impoſita eſt à iure huiuſmodi pœna, conſequenter nullam patitur iniuriam ſi cogatur matrimonium inire cum ſtuprata.

13 An validè celebretur matrimoniũ ab eo, qui à iudice cogitur ſub graui pœna ſtare ſponſalibus.

13 Secundò ſequitur, validum eſſe matrimonium contractum ab eo, qui ſub graui pœna cogitur à iudice contrahere matrimonium, & ſtare ſponſalibus antea celebratis, quæ ille recuſabat adimplere, nam iuſtè cogitur ob culpam, propter quam iure licito compelli poteſt ad matrimonium, cùm teneatur matrimonium inire, & perficere ſponſalia, [& metus magis proueniat à cauſa intrinſeca, quàm ab extrinſeca, cùm proueniat ex lege, & natura delicti, & metus ex lege, ſeu delicto conceptus auferatur offerendo matrimonium. [Ita Henriquez *loco citato, num.* 2. & alij DD. cit.

14 An validum ſit matrimonium, quãdo quis cogitur celebrare matrimonium per ſententiam materialiter iniuſtam.

14 Sed maior difficultas eſt, vtrùm validum ſit matrimonium, quando iudex ſecundùm allegata, & probata iuſtè cogit aliquem ad contrahendum matrimonium cum aliqua, ſed coactio materialiter, & à parte rei eſt iniuſta, vt quando iudex cogit Titium inire matrimonium cum ſponſa, quæ poſt ſponſalia fornicata eſt, ratione cuius fornicationis Titius licitè poteſt à ſponſalibus reſilire, ſed cogitur illis ſtare, & inire matrimonium, eò quòd non poſſit in iudicio probare fornicationem ſponſæ.

Reſpondeo cum Sanchez *lib.* 4. *diſp.* 14. *num.* 8. Speculo 1. *parte, art.* 8. *ad finem*, & aliis, validum eſſe. Ratio eſt, tum quia huiuſmodi compulſio, & coactio eſt iuridica, & iuſta formaliter, & ſecundùm ordinem iuris; tum quia nõ eſt credibile, ius poſitiuũ, quod irritat matrimonium, celebratum per metum grauem, velle in propoſito caſu matrimonium inualidum eſſe, cum iudex iuridicè procedat ſecundùm allegata, & probata. Secus dicendum quando iudex iniuſtè cogit, quando ſcilicet non procedit ſecundùm allegata, & probata.

15 An validum ſit matrimonium celebratum ob metum iuſtæ accuſationis, aut carceris, aut mortis.

15 Tertiò ſequitur, validum eſſe matrimonium contractum per metum iuſtæ accuſationis, vel carceris, vel mortis iuridicè per iudicem infligendę, incuſſum Titio à patre, niſi ducat filiã ſuam, cũ qua Titius celebrauerat ſponſalia, vel quam deflorauerat ficta promiſſione matrimonij; nam metus iuſtè incutitur per ordinem ad matrimonium. Secus dicendum eſt, ſi incutiatur metus mortis priuata auctoritate inferendæ, tunc enim inualidum eſt matrimonium, eò quòd Titius non compellatur iure licito, ſed illicito, & iniuſto, vt quando pater dicit, occidam te, niſi filiam ducas.

16 An validum ſit matrimonium celebratum per metum incuſſum à cauſa libera.

SECVNDA PROPOSITIO.

16 Matrimonium celebratum per metum incuſſum à cauſa libera, non ad hunc finem, vt matrimonium ineatur, ſed ob aliam cauſam, validum eſt. Ita DD. ſuprà citati cum P. Ledeſm. *quæſt.* 47. *artic.* 3. Conincho *num.* 9. Ratio eſt, tum quia adeſt ſufficiens voluntarium ad matrimonium, quod ſponte eligitur, & eſt gratum contrahenti, tum quia nullo iure conſtat irritari, vnde validum eſt matrimonium celebratum cum meretrice ad vitandam mortem in iis locis, in quibus conſuetudine receptũ eſt, vt morti damnatus, ſi velit matrimonio iungi cũ aliqua meretrice, donetur vita. Ratio eſt, quia metus mortis non incutitur ad extorquendum matrimonium, ſed iam incuſſus propter delictum antea commiſſum aufertur oblata occaſione ducendæ meretricis.

Neque obſtat, quod matrimonium celebratum per metum incuſſum ad alium finem, quàm ad extorquendum conſenſum, ſit aliquo modo inuoluntarium; nam illud inuoluntarium non cenſetur cauſa conſenſus, ſed tantùm occaſio, conſequenter non ſufficit ad reddendum irritum matrimonium, ſicut in ſimili dictum eſt de voto.

17 An validum ſit matrimonium contractum ad euitandum periculum animæ.

17 Ex his ſequitur primò, validum eſſe matrimonium, quod quis contraxit cum aliqua ad euadendũ periculum animæ. Ratio eſt, quia metus non eſt incuſſus à cauſa libera ad extorquendum conſenſum. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 1. *art.* 3. Valent. *to.* 4. *diſp.* 10. *quæſt.* 3. *punct.* 2. [Sanchez *lib.* 4. *diſp.* 12. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 9. *n.* 1. Filliucius *tract.* 10. *cap.* 4. *quæſ.* 1. *n.* 103.] & alij.

18 An validè celebretur matrimonium cum concubina metu inferni, vel infamiæ, vel mortis, &c.

18 Ex quo vlterius patet, validum eſſe matrimonium, quod quis contraxit cum concubina metu inferni, vel infamiæ, vel mortis, vel naufragij.

19 An validè celebretur matrimonium ab eo, quẽ medicus dixit periturum ob humoris abundantiam, niſi ducat vxorem.

19 Secundò ſequitur, validum eſſe matrimonium contractum ab eo, quem medicus dixit periturum ob humoris abundantiam, niſi duceret vxorem, nam hic metus oritur à cauſa naturali intrinſeca, & non eſt incuſſus à cauſa libera ad extorquendum conſenſum. Ita Sotus, & Ledeſm. *locis citatis*.

20 An validum ſit matrimoniũ, quod contraxit damnatus ad mortẽ, cui iudex promiſit liberationẽ, ſi propriã filiam duceret.

20 Tertiò, validum eſſe matrimonium contractum ab eo, qui iuſtè, vel iniuſtè damnatus erat ad mortẽ à iudice, ſed iudex, vel alius liberationem à morte promiſit, ſi filiam propriam duceret in matrimonium. Ratio eſt, quia hic metus non eſt incuſſus ad extorquendum matrimonium, ſed iam incuſſus aufertur, oblata conditione matrimonij, & tradito modo, quo ille ſe poſſit à morte liberare. Ita Couarruuias *loco cit.* Valentia *loco cit. verſ. Decimus*, Sotus *diſt.* 29. *quæſt.* 1. *art.* 3. Henriquez *num.* 2. Coninchus *num.* 10. [Filliucius *tract.* 10. *c.* 4. *quæſ.* 1. *n.* 103.] & alij communiter.

21 An validum ſit matrimoniũ, quod obſeſſus contraxit cum filia obſidentis, vt obſeſſionem euaderet.

21 Quartò, validum eſſe matrimonium, quod obſeſſus contraxit cum filia obſidentis, vt euaderet moleſtiam obſeſſionis, modò obſidens non obſederit ad hunc finem, vt obſeſſus duceret propriam filiam. Ita DD. citati.

22 An validè celebretur matrimoniũ à defloratore, qui ſe obtulit ad contrahendum cum deflorata, vt mortem euaderet.

22 Quintò, validum eſſe matrimonium contractum à defloratore puellæ, quem pater, vel frater puellæ volebat occidere, ſed ipſe deflorator ſua ſponte obtulit ſe ad celebrandum matrimonium, vt mortem euitaret. Ratio eſt, quia metus non eſt incuſſus ad extorquendum matrimonium, pater enim, vel frater puellæ defloratæ intendebat defloratorem occidere, non verò metum incutere ad coniungendam filiam, vel ſororem in matrimonium cum defloratore, & deflorator ſponte obtulit matrimonium, vt tolleret metum ſibi alio fine incuſſum. Secus dicendum eſt, ſi metus mortis fuit incuſſus ad extorquendum matrimonium. Ita Henriquez *n.* 2. Reginaldus *n.* 79.

23 An matrimoniũ validè contrahatur ab ægroto, quem medicus curare nolebat, niſi propriã filiam duceret.

23 Sextò, validum eſſe matrimonium contractum inter filiam Medici, & ægrotum, quem Medicus curare nolebat, niſi duceret propriam filiam, nam metus mortis non eſt incuſſus à Medico, ſed à morbo. Ita Rebellus *loco cit. num.* 15. Sanchez *diſp.* 12. *nu.* 15. Coninchus *numero* 11. Emanuel Sà *loco citato, numero* 9. [Filliucius *nu.* 103.] & alij communiter.

24 An matrimoniũ per metum celebratũ ſit validũ, ſi contrahens coga-

24 Quæres primò, vtrùm ſit validum matrimonium, quando contrahens metu mortis cogitur, non ſolum contrahere matrimonium, ſed etiam per copulam conſummare.

Reſpondeo, inualidum eſſe. Ita Nauar. *cap.* 22. *num.* 52. Rebell. *loco cit. num.* 20. Henriquez *loco cit. num.* 7. Gutierez *cap.* 76. *nu.* 41. Reginald. *lib.* 31. *n.* 90. Coninchus *dub.* 4. *num.* 42. Sanchez *lib.* 4. *diſp.* 18. *n.* 5. Emanuel Sa *num.* 9. Valent. *loco cit. verſ. Quartò ſequitur*, [Filliucius *n.* 114.] & alij contra Paludanũ, & alios. Ratio eſt, quia non poteſt eſſe

validum

tur illud per copulā consummare.

validum matrimonium, nisi validus sit consensus; sed consensus per metum grauem extortus est inualidus; ergo etiam inualidum est matrimonium, quamuis consummatum sit per metum, copula enim nihil operatur ad validitatem matrimonij, nisi adsit consensus validus, & liber.

Obiicies. Solus metus cadens in constantem virum irritat matrimonium, sed metus, quo quis cogitur consummare matrimonium, celebratum per metum grauem, non potest dici cadens in constantem virum; metus enim, quo quis eligit aliquod peccatum, non potest applari cadens in constantem virum, eò quòd non eligatur minus malum ad euitādum maius, sed potius eligatur maius, vt euitetur minus, maius enim malum est peccatum veniale, aut mortale quolibet malo temporali, quamtumuis magno, vt benè ait Nauar. *cap.* 22. *num.* 51. Couar. *in Epitome parte* 2. *cap.* 2. *numer.* 2. Valentia *loco citato*, Sanchez *lib.* 4. *disp.* 2. & alij: ergo validum est matrimonium, quando contrahens metu mortis cogitur non solùm contrahere, sed etiam consummare.

Respondeo, ih prædicto casu non adesse metum grauem & cadentem in constantem virum respectu copulæ, sed respectu consensus in matrimonium, qui debet esse liber, vt validè celebretur matrimonium. Quare in proposito casu, matrimonium est inualidum, non quatenus metus cadit supra copulam, sed quatenus cadit supra consensum, cui deficit libertas, requisita ad matrimonium, vt in simili dictum est de causis excusantibus à censuris.

25 An validum sit matrimonium contractum per metū incussum non ab altero contrahente, sed à tertia persona.

25 Quæres secundò, vtrùm matrimonium celebratum per metum cadentem in constantem virum, sit inualidum, non solùm quādo metus incutitur ab altero contrahente, verùm etiam quando incutitur ab alio absque scientia, & copula contrahentis.

Respondeo matrimonium esse inualidum, siue metus incutiatur ab altero contrahente, siue ab alio. Ratio est, tum quia ita expressè colligitur ex *c. veniens* 2. *de sponsalibus*; tum quia metus idcirco irritat matrimonium, quia tollit libertatem cōsensus requisiti ad matrimonium, *cap. cùm locum. de sponsalibus*; sed hæc ratio militat, non solùm quando metus incutitur ab altero contrahentium, sed etiam quando incutitur ab alio: ergo inualidum est matrimonium, siue metus sit incussus ab altero contrahente, siue ab alio. Et hoc verum est, siue metus incutiatur ad contrahendum cum aliqua certa, & determinata persona, siue cum indeterminata. Ita Sanchez *lib.* 4. *disput.* 12. *num.* 19. Gutierez *cap.* 76. *num.* 12. Coninchus *loco citato*, *numer.* 6. [Filliucius *num.* 104.] & patet à simili ex dictis de contractibus per metum celebratis.

26 An validum sit matrimonium per metū grauem celebratum, adiuncto iuramēto.

26 Quæres tertiò, vtrùm matrimonium celebratum cum metu cadente in constantem virum adiuncto iuramento sit validum.

Respondeo negatiuè. Ita P. Ledesm. *quæst.* 47. *art.* 3. Sanchez *lib.* 4. *disput.* 20. *num.* 12. & 15. Emanuel Sà *de impedim. nu.* 9. Rodriquez *loc. cit. num.* 4. Henriquez *loco citato*, *num.* 6. Reginaldus *lib.* 31. *n.* 87. Gut. *c.* 76. Coninchus *disp.* 28. *dub.* 4. *nu.* 44. Rebellus *loco cit. n.* 17. [Filliucius *num.* 121. *& seqq.*] & alij contra Summam Coronam *loco citato ad finem*, & alios. Ratio est, tum quia sic colligitur ex *cap.* 2. *de eo, qui duxit in matrimonium*; tum qui per iuramentum non suppletur defectus consensus requisiti ad matrimonium, tum quia iuramentum sequitur naturam actus, super quem cadit, & sortitur conditiones illius, *l. fin. Cod. de non numerata pecunia*; sed matrimonium ex dispositione iuris videtur habere hanc tacitam conditionem, si adsit liber consensus: ergo eamdem conditionem habet iuramentum, cōsequenter iuramentum nihil operatur, nullamque inducit obligationem, si non adsit liber consensus, sicut neque inducit matrimonium, celebratum absque iuramento cum metu graui.

27 An opus sit relaxatione iuramenti, quando matrimonium celebratū fuit cum iuramento.

27 Ex quo sequitur iuxta communiorem DD. sententiam, non esse opus relaxatione iuramenti, quando matrimonium per metum grauem celebratum fuit addito iuramento, non enim est opus relaxatione, vbi non adest vinculum, & obligatio. Ita Rodriquez 1. *part. cap.* 131. *num.* 4. Gutierez *cap.* 76. *num.* 9. & 44. P. Ledesm. *loco citato*, *dub.* 2. Sanchez *lib.* 4. *disputat.* 20. *num.* 15. & alij. Idem dicendum est de sponsalibus per metum grauem celebratis cum iuramento, vt benè ait Emanuel Sà *verb. Sponsalia n.* 1. [Sanchez, Filliucius & alij. Nam quando contractus ob publicam vtilitatem prohibetur, si iuramento confirmetur, iuramentum nullam inducit obligationem, neque eget relaxatione, vt alibi probaui.]

28 An matrimoniū celebratū per metū resoluatur in sponsalia.

28 Sed maior difficultas est, vtrùm matrimonium, celebratum cum metu graui, resoluatur in sponsalia, & inducat obligationem sponsaliorum. Ad quam difficultatem respondendum est negatiuè. Ratio est, tum quia huiusmodi contractus est irritus iure positiuo; si autem resolueretur in sponsalia, non esset irritus: tum quia sicut matrimonium requirit consensum liberum, ita etiam sponsalia. Ita Henriquez *loco cit. num.* 6. [Filliucius *num.* 111.] & alij.

29 An qui iurauit stare matrimonio per metum celebrato, teneatur illi stare ratione iuramenti.

29 Sed adhuc difficultas est, vtrum, qui iurauit non contrauenire, seu stare matrimonio, celebrato per metum grauem, teneatur illi stare ratione iuramenti.

Respondeo, non teneri, vel enim habet intentionem non contraueniendi priori matrimonio absque nouo consensu, & sic certum est, non teneri, nullus enim obligatur ad peccatum; peccatum autem est vti matrimonio inualido, quale est matrimonium, celebratum per metum grauem. Vel habet intētionem non cōtraueniendi, sed ratum habendi prius matrimonium cum nouo consensu libero, & tunc perinde est, ac promittere matrimonium, seu inire sponsalia; sicut autem ex sponsalibus per metum factis non consurgit obligatio, etiamsi iuramentum illis accedat, ita neque consurgit ex dicto iuramento. Ita Sanchez *loco citato*, *numer.* 20. Couar. 4. *decret. parte* 2. *cap.* 3. §. 5. Reginaldus *num.* 88. & alij quos citat, & sequitur P. Ledesm. *quæst.* 47. *art.* 3. *vers. Conclusio tamen sit*, contra Henriquez *libr.* 11. *cap.* 9. *num.* 6. Coninchum *disput.* 28. *dubio* 4. *nu.* 45. & alios.

30 An peccet contrahens matrimonium per metū.

30 Quæres quartò, vtrum mortaliter peccet, qui matrimonium contrahit per metum grauem.

Respondeo, non peccare. Ratio est, quia nulli facit iniuriam; non enim facit iniuriam alteri, qui metum sibi iniustè incussit, sed ipse potius patitur iniuriam ab eo, nec facit iniuriam Sacramento, cum matrimonium non sit irritum defectu ipsius; ipse enim intendit contrahere, quantum est ex parte sua, sed est irritum ex decreto Ecclesiæ.

Neque dicas, ipsum mentiri dicendo se consentire; nam quantum est ex parte sua intendit consentire. Ita Rodriquez *loco citato*, *num* 2. Emanuel Sà *n.* 9. Valent. *loco citato*, *ad primum argumentum*. Coninch. *disp.* 28. *dub.* 3. Gutierez *num.* 18. Reginaldus *nu.* 80. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 6. Sanchez *lib.* 4. *disput.* 16. *num.* 6. [Filliucius *num.* 112.] & alij, qui hoc idem asserunt, quando matrimonium contrahitur per metum grauem cum iuramento.

31 An validæ sint sponsalia cum metu graui celebrata.

31 Quæres quintò, vtrùm sicut matrimonium, metu graui celebratum, est irritum, ita etiam sint irrita sponsalia cum metu graui celebrata.

Respondeo, iuxta dicta de sponsalibus, esse irrita. Ita Petr. Ledesm. *quæst.* 47. *art.* 3. Rodriquez *loco cit.* Sanchez *disp.* 19. Gutierez *num.* 42. Reginald. *n.* 88. Emanuel Sà *loco citato*. [Filliucius *n.* 118.] & alij plures contra Henriquez *loco citato*, & alios. Ita colligitur ex *cap. ex litteris de desponsatione impub.* Et hoc verum est, etiamsi sponsalibus addatur iuramentum, vt benè ait Sanchez *disput.* 21. Gutierez *num.* 47. & alij multi recentiores contra P. Ledesm. *q.* 47. *art.* 3. *difficultate* 3. & Henriquez *loco citato*, & patet ex dictis *quæsito* 3.

32 An sponsalia per metum celebrata inducant impedimentum publicæ honestatis.

32 Ex quo patet, sponsalia celebrata per metum grauem non inducere impedimentum publicæ honestatis: nam hoc impedimentum inducitur ex sponsalibus validis vt infrà dicam, sed sponsalia celebrata per metum grauem non sunt valida; ergo non inducunt impedimentum publicæ honestatis. Secus dicendum est de sponsalibus celebratis per metum leuem, sunt enim valida iuxta supradicta.

33 An sponsus, qui alteri metum incussit, possit resilire à matrimonio, antequam alter, qui per metum consensit, ratificet cōsensum.

33 Quæres sextò, vtrùm sponsus, qui metum incussit, possit resilire à matrimonio, antequam alter, qui metum passus est, ratificet priorem consensum qui non fuerat sufficiens ad validitatem matrimonij.

Respondeo, solutionem huius quæsiti colligi posse ex dictis de contractibus celebratis per dolum, propterea hic breuiter dicendum est iuxta Sanchez *lib.* 4. *disp.* 15. Gutierez *c.* 76. *n.* 7. [Filliuc. *nu.* 111.] & alios, in foro cōscientiæ posse resilire, nisi aliud damnum secutum sit, vel nisi iudex cogat stare matrimonio. Ratio est, quia vel tenetur stare matrimonio, & non resilire ratione delicti coactionis, vel ratione iniuriæ illatæ, sed ratione neutrius tenetur, non enim tenetur ratione delicti in pœnam ipsius: nam pœna supponit sententiam iudicis, consequenter non tenetur stare matrimonio ante sentētiam iudicis. Neque tenetur ratione iniuriæ, nam iniuria non videtur tanta, vt necessariò debeat per matrimonium resarciri, nisi aliud damnum intercedat.

Dixi, *iuxta Sanchez & alios*, nam iuxta Nauar. *cap.* 22. *n.* 51. Syluest. *verb. Matrimonium* 8. *q.* 2. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 10. *num.* 5. & alios non potest resilire; quia naturalis æquitas postulat, vt teneatur stare contractui ante omnem iudicis sententiam: cum fraus non patrocinetur fraudanti, nec decipiens debeat commodum ex suo delicto reportare: nam iura deceptis, non deceptoribus subueniunt, *l.* 2. §. *verba. ff. ad SC. Velleian.* Sententia Nauarri, Sylueſtri, & aliorum intelligitur, quando ipse contrahens metum incussit, vel fuit conscius metus, nam si ipso nesciente, & immuni culpæ incussus fuit metus ab alio, certum est ipsum posse resilire alio inuito. Ratio est, tum quia ipse est immunis culpæ, & doli, nec contra ipsum militat ratio Nauarri, tum quia ipse non censetur se voluisse obligare, nisi altero se ei obligante; si ergo ille, cui metus incussus fuit, non censetur se obligasse ratione metus, ita neque alter.

Vtraque sententia probabiliter defendi potest, sed sententia Sanchez in rigore verior videtur, vt eius ratio ostendit, & patet ex dictis *de contractibus disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 2. §. 2. *num.* 5.

34 An cōpellens aliquem ad matrimonium contrahendum incurrat aliquam pœnam.

34 Quæres septimò, vtrum compellens alios ad matrimonium contrahendum incurrat aliquam pœnam.

Respondeo, in Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 9. latam esse excommunicationem contra dominos temporales, Magistratus & alios cuiuscumque gradus, qui subditos, vel alios quoscumque directè, vel indirectè cogunt, ne matrimonia liberè contrahant. Circa quod decretum

Aduertendum est primò, in hac excommunicatione non comprehendi dominos cogentes sua mancipia contrahere matrimonium, sicut neque comprehenduntur patres, qui prohibent, vel cogunt filios inuitos ad matrimonium: nam Conc. loquitur de cogentibus, qui habent iurisdictionem in foro externo, vt patet ex præfatione illius capitis, iuxta quam intelligendum est decretum *l. fin. ff. de heredib. instituend.* Ita Rebell. *lib.* 3. *q.* 9. *n.* 1. Henriquez & Coninch. *locis* statim *citandis*. Gutierez *cap.* 79. *num.* 11. Sanchez *lib.* 4. *disp.* 22. [Molina *disp.* 176. *col.* 11. *vers. ad secundam partem.* & alij contra Suarez *de censuris disp.* 23. Filliucium *tract.* 14. *cap.* 6. *quæs.* 4. Lopez 1. *part. cap.* 44.]

Secundò, in hac excommunicatione non includi eos, qui prohibent matrimonium contrahi: Concilium enim non loquitur de prohibentibus, sed de cogentibus. Ita Perez *fol.* 201. Henriq. *lib.* 11. *c.* 6. *n.* 5. quamuis multi DD. velint includi prohibentes, vt videri potest apud Sanchez *lib.* 4. *disp.* 22. Nauar. *cap.* 27. *n.* 150. Henriquez *lib.* 11. *c.* 6. Rodriquez *loco cit. num* 7.

Vtrum verò filius peccet contrahendo matrimonium contra voluntatem patris, aut pater peccet cogendo filium absque iusta causa ad matrimonium contrahendum, aut prohibendo illi matrimonium, constabit ex *q.* 4. *punct.* 17. *quæst.* 4. peccare, si hoc iniustè faciat, vt benè tradit Menoch. *consil.* 69. *num.* 41.

Vtrum verò filia nubens inuitis parentibus, possit à patre exheredari, videri potest Sanchez *lib.* 4. *disputat.* 24. 25. & 26. Gutierez *cap.* 80. & Rebel. *lib.* 2. *q.* 14. Molina, Azorius, & alij, quos referam *in quarto Decalogi præcepto*, vbi hanc quæstionem explicabo [*q.* 3. *punct.* 8.]

PVN-

PVNCTVM IX.

De impedimento Ordinis.

QVæremus in hoc puncto, vtrùm Ordines maiores, vel minores dirimant matrimonium.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An Ordines minores dirimãt matrimonium.

1 ORdines minores non dirimunt matrimonium. Ratio est, quia nullo iure probari potest Ordines minores dirimere matrimonium. Ita Sot. *lib.7.q.6.*Rodriquez *cap.225. num.1.* Sanchez *lib.7.disp.31.*Gutierez *de matrimonio cap. 94. nu.19.*Nauar. *cap.25. nu.* 120.[Filliucius *tract.10.p.2.c.4.quæst.4.nu.129.*]& alij communiter.

2 An ille, qui accedit ad minores Ordines, credens illis adnexũ esse votum solemne castitatis, teneatur votum seruare.

2 Quæres primò, vtrùm accedens ad Ordines minores, credens illis adnexum esse votum solemne castitatis, teneatur seruare castitatem ex voto solemni, aut simplici, ita vt non possit postea contrahere matrimonium, relicto habitu clericali.

Respondeo neutra ratione teneri; non enim tenetur voto solemni, quia votum solemne non est adnexum minoribus Ordinibus, sed sacris ex statuto Ecclesiæ. Neque tenetur voto simplici, quia recipiens Ordines non intendebat emittere votum castitatis, nisi quatenus credebat, illud adnexum esse Ordinibus; cùm autem re ipsa votum non sit illis adnexum, sequitur, ipsum non remanere vllo voto obstrictum. Ita Sanchez *lib.7.disp.31.num.5.* [Filliucius *num.129.*]& alij contra multos alios Doctores. Ex quo sequitur, ipsum non impediri, quominus possit postea contrahere matrimonium, vt clarius patebit ex sequenti quæstione.

3 An peccet clericus, qui susceptis Ordinibus minoribus, contrahit matrimonium.

3 Quæres secundò, vtrùm peccet clericus, qui susceptis Ordinibus minoribus contrahit matrimonium.

Respondeo, non peccare mortaliter. Ratio est, tum quia vtitur iure suo, nec facit contra vllam legem, [sub mortali obligantem;] tum quia sicut licitum est nouitio recedere à religione tempore nouitiatus: ita non videtur vetitum clerico sub mortali recedere per matrimonium ab Ordinibus minoribus, seu à statu clericali, qui erat via ad perfectum Ordinis statum, sicut est Nouitiatus ad professionem.

4 An peccet venialiter.

4 Addo, neque venialiter peccare contrahendo ex iusta causa, etiam si ducat viduam, vel contrahat bis matrimonium. Peccat verò venialiter, si hoc faciat absque iusta causa. Ratio est, tum quia videtur inconstans, tum quia reddit se ineptum ad exequenda Ordinum munera, nam qui ducit viduam, vel bis contrahit matrimonium, fit irregularis propter bigamiam. Ita Valentia 2.2. *disput.1. quæst.12. punct.1.* Tolet. *lib.4. cap.18. num.4.* Bannes 2.2.*q.12. art.1.* Rodriquez *loco citato.* Sanchez *lib.7.q.31.à num.9.*[Filliucius *nu.130.*]& alij.

5 An peccet qui recipit tonsuram, vel minores Ordines animo non ascendendi ad maiores.

5 Hinc colligi potest primò, eum non peccare, qui recipit primam tonsuram, vel minores Ordines animo non ascendendi ad maiores. Ratio est, tum quia nullo iure probatur, requiri intentionem ascendendi ad maiores, tum quia sicut clericus retrocedens à dictis Ordinibus non peccat mortaliter, ita neque peccat mortaliter suscipiens cum animo non ascendendi ad maiores, aut non perseuerandi in minoribus; non enim est magis peccaminosa intentio, quàm ipsum factum.

6 An peccet qui tõsuram, vel Ordines minores recipit ad vitandum fotum sæculare.

6 Secundò, eum non peccare mortaliter, qui recipit minores Ordines, vel primam tonsuram cum intentione euitandi forum sæculare, videtur enim vti iure suo. Hoc tamen intelligitur, modò non adsit fraus, vel parua aliqua intentio mortalis; qualis esset si susciperet Ordines, vt illorum occasione liberius posset vlcisci iniurias. Ita Sanchez *loco citato num.17.* [Nauarr. *cap.7.num.15.* & Filliucius *num.131.*]

7 An Episcopus peccet, conferendo Ordines minores illi qui non habet intẽtionem recipiendi maiores.

7 Tertiò, Episcopum non peccare mortaliter, conferendo Ordines minores illi, qui eos recipit animo non recipiendi maiores. Ita Sanchez *loco citato.* contra Petr.Ledesm. *de Sacramento Ordinis dub.5. conclusione 2.* Vtrùm verò peccet recipiens beneficium intentione non recipiendi sacros Ordines, aut animo fruendi illo, sed postea dimittendi: constat ex dictis de beneficiis, vbi etiam ostendi, an clericus amittat beneficia, & pensionem per matrimonium. Vide Sanchez *lib.7.disp.44.* Gutierez *lib.2.q.104.* Nauarr. *cap.25. num.120.* Tolet. *lib.5.cap.5.* Less. *lib.2.cap.34.dub.21.&26.* Rodriquez *1.part. cap.30.*& Azorium *1.part.lib.7. cap.18.q.5.*

SECVNDA PROPOSITIO.

8 An Ordines sacri dirimant matrimonium subsequens.

8 ORdines maiores, validè, & sine graui metu susceptí, dirimunt iure Ecclesiastico matrimonium subsequẽs. Hæc propositio est de fide definita in Trid. *sess.24.can.9.cap.vnic. de voto in 6.* & alibi. Ita Valent. *tom.4.disp.10.quæst.5.punct.3.§. Ordo.* Eman. Sà *de imped.matrim.num.10.*Henriquez *lib.12.cap.5. num.9.* Sanchez *lib.7. disp.28.*Coninch. *de Sacramento Ordinis, disp.20.dub.11.num.116.* Gutierez *de matrim.cap.94.num.10.*[Filliucius *tract.10.p.2.cap.4.quæs.2. num.121.*] Petr.Ledesm. & alij *locis citandis.*

Dixi, *Ordines maiores*, quia Ordines minores non dirimunt, nec impediunt matrimonium, iuxta dicta in prima propositione.

Dixi, *validè susceptí*, quia si Ordo sit inualidè susceptus propter aliquem defectum essentialem, matrimonium validum est, vt accidit quando Ordo collatus est ab eo, qui se finxit Episcopum, cum non esset, vel quando suscipiens Ordines habuit intentionem non suscipiendi. Ita Sanchez *disp.27.*Gutierez *loco citato num.13.* & alij. Ratio est, quia destructo principali corruit accessorium, sed votum castitatis, per quod dirimitur matrimonium, est accessorium Ordinibus sacris ex decreto Ecclesiæ; ergo destructo Ordine inualidè suscepto, destruitur etiam, & corruit votum, consequenter nullum adest impedimentum dirimens matrimonium.

9 An inualidè suscipiens Ordines sacros, teneatur seruare votum castitatis.

9 Addo, eum qui Ordines sacros inualidè suscepit, non solùm non teneri voto solemni castitatis, per quod dirimitur matrimonium, sed neque teneri voto simplici, vt patet ex primo quæsito præcedentis propositionis. Nec est eadem ratio, ac de illo, qui inualidè professus est, quem voto simplici castitatis teneri suprà dictum est, nam professus principaliter intendit vouere, qui verò suscipit Ordines, intendit vouere tantummodò accessoriè, accessorium autem non subsistit non subsistente principali.

10 An validum sit votum, quando quis recipit sacros Ordines, nesciens illis adnexum esse votum.

10 Vtrùm verò sit validum votum, & consequenter sit inualidum matrimonium, contractum ab eo, qui Ordines suscepit nesciens, illis adnexum esse votum castitatis, patet ex dictis de voto, *q.1.punct.1.* vbi diximus votum validum esse, nam qui vult statum aliquem, vult etiam ea, quæ sunt illi statui adnexa, quale est votum adnexum sacris Ordinibus. Ita Sanchez *disput.27.*& alij contra Vasquez *3.part.disput.* 247. *num.98.*

11 An suscipiens sacros Ordines cum intentione non vouẽdi teneatur voto castitatis.

11 Vtrùm verò suscipiens sacros Ordines, cum intentione positiua non vouendi, teneatur voto castitatis, patet etiam ex ibidem dictis, vbi ostendimus, non teneri ratione voti præcisè, sed ratione præcepti Ecclesiastici, & consequenter illius matrimonium esse inualidum, non ratione voti, cùm votum non sit validum, (votum enim est lex priuata, quam quisque sibi voluntariè imponit;) sed ratione præcepti Ecclesiastici, quo cauetur, ne initiatus sacro Ordine validè contrahat matrimonium.

Dixi in propositione, *& sine graui metu susceptí*, quia facti Ordines susceptí per metum grauem, seu cadentem in constantem virum, non dirimunt matrimonium, si metus fuit incussus à causa libera, vt patet ex dictis *de voto punct.3.* Ita Sanchez *lib.7. disput.29. num.5.* Coninch. *loco citato num.145.*Gutierez *num.14.& 16.*[Filliucius *tract.9. cap.4.num.74.& tract.10.p.2.cap.4.quæs.3.num.124.*]Henriquez *loco citato*, contra plures alios apud Sanchez, & apud Coninch. Ratio est, quia aut obstat constitutio Ecclesiæ, aut votum solemne, sed neutrum obstat; ergo nil obstat: minor probatur, non enim obstat constitutio Ecclesiæ, quia Ecclesia intendit eos obligare, qui voluntariè suscipiunt sacros Ordines, non verò eos, qui suscipiunt per metum grauem. Neque obstat votum solemne, cùm sit inualidum, vt patet ex dictis de voto *loco citato.*

12 An promotus ad sacros Ordines per metũ grauem, teneatur seruare votum castitatis, & diuinum Officium recitare.

12 Ex quo fit, votum continentiæ esse adnexum Ordini sponte suscepto, sicut etiam est adnexum onus recitandi Officium. Qua de causa, inquit Sanchez *disput.29.*[Azor *1.part.lib.13.cap.14.quæs.8.* Filliucius *tract.10.cap.4.quæsito 3. nu.126.*]& Coninch. *num.150.* qui ad Ordines promotus est per metum grauem, non tenetur ad seruãdam castitatem, vel ad recitandum diuinum Officium, modò non ratificauerit sponte ordinationem verbis, aut facto, vt semel vel pluries liberè vtendo Ordine suscepto. Addit Nauarrus, hoc verum esse, etiamsi metus non sit cadens in constantem virum, modò fuerit causa, cur Ordines susceptí sint, qui alioquin susceptí non fuissent. Sed Nauarri sententiam reiecimus *punct.3. de voto.*

Dixi, *iure Ecclesiastico*, quia votum non dirimit matrimonium iure naturali, sed tantummodò impedit, vt patet in voto simplici, per quod certum est matrimonium non dirimi; votum autem solemne nihil aliud superaddit voto simplici, quàm solemnitatem ab Ecclesia inductam, vt patet ex dictis *de voto puncto 2. ad finem.* Ita Sanchez *lib. 7.disp.27.*Henriquez *loco citato*, Gutierez *loc. cit. num.11.* [Filliucius *num.122.*]& alij DD. cit.

Hac de causa, si Summus Pontif. dispensaret cum Sacerdote absque legitima causa, validum esset matrimonium ab eo Sacerdote celebratum; nam censeretur ablatum impedimentum dirimens, ab Ecclesia inductum. Esset tamen illicitum huiusmodi matrimonium; nam votum castitatis, quamuis iure naturæ non faciat inualidũ matrimonium, facit tamen illicitum; quia matrimonium includit obligationem ad copulam; votum verò abstinentiam à copula. Ita ferè communiter DD. teste Coninchо *num.114.* contra nonnullos alios apud Vasquez *3.parte, quæst.149.cap.1.*

Dixi, *matrimonium subsequens*, quia matrimonium antea contractum, non dirimitur per susceptionem sacri Ordinis, sic enim definitum est in quadam Extrauaganti Ioannis XXII. *de voto.* Præterea nullo iure probatur matrimonium antea celebratum dissolui per susceptionem sacrorum Ordinum. Et hæc est differentia inter Ordines maiores, & professionem, quòd professio dissoluit matrimonium non solum sequens, sed etiam antecedens, modò non fuerit consummatum; Ordines verò maiores dissoluunt tantummodò matrimonium, quod contrahitur post susceptionem ipsorum Ordinum. Ita Petr.Ledesm. *q.53.art.4.*Rebel. *loco citato q.12.*& alij communiter.

13 An Græci sacerdotes possint contrahere matrimonium.

13 Vtrùm verò Orientalibus, vt Græcis Sacerdotibus, licitum sit, vel fuerit contrahere matrimonium, certum est, numquam licuisse, aut permissum esse, vt benè ostendit Azor. *1.parte lib.13. cap.13.* Sanchez *lib.7.disp.28.*Bellarmin. *lib.1.de Clericis cap.19.* Coninchus *loco citato nu.108.*Rebel. *2.parte lib.3.quæst.12.nu.3.* [Filliucius *tract.9. cap. 3.quæs.8.& tract.10.p.2.n.121.*]ex Concilio Romano *cap.8.* & ex aliis Conciliis contra Caietan. *tomo 1. opusc. tract.27.* quare si Græcus aliquis Sacerdos contraheret matrimonium, inualidè contraheret, permissum tamen est Græcis iam coniugatis suscipere sacros Ordines, & vti matrimonio ante sacros Ordines celebrato, vt patet ex *cap. aliter. dist.31.* Vt hæc melius intelligantur, aduertendum est, Ordines sacros dirimere matrimonium iure Ecclesiastico, non solum ratione voti solemnis, quod est adnexum sacris Ordinibus ex Decreto Ecclesiæ; quod Decretum non est acceptatum à Græcis, vt inquit Innocentius III. *cap.cùm olim,*[alioquin non possent vti matrimonio;] sed etiam ratione ipsorum Ordinum, & hoc ius viget in Ecclesia Græcorum, ita vt initiatus Ordine sacro non valide contrahat matrimonium; quamuis iam coniugatus possit Ordines suscipere; & vti matrimonio antea contracto, vt dictum est.

14 An ordinatus ante rationis vsum, teneatur voto castitatis.

14 Quæres primò, vtrùm puer, ordinatus ante rationis vsum, teneatur seruare castitatem, ita vt matrimonium ab ipso postea celebratum sit inualidum.

Respondeo cum Syluest. *Matrimonium 8.q.10.*Sanch. *lib.7. disput. 30.*Henriquez *lib.10.c.14.*Rodriquez *c.96.nu.4.*[Filliucio *n.128.*]& aliis contra Rebell. *q.12.nu.9.*P. Ledesm. *q.55.art.4.*& alios, non teneri ad seruandam castitatem; non enim tenetur ratione præcepti, quia

non est credibile, Ecclesiam velle ipsum suo præcepto obligare ad seruandam castitatem, nisi Ordines susceptos ratificauerit. Neque tenetur ratione voti; nam votum est voluntaria promissio facta Deo, infans autem ante rationis vsum non potest Deo promissionem voluntariè facere; ergo non tenetur ad seruandam castitatem.

15 An suscipiēs sacros Ordines ante rationis vsum, possit validè contrahere matrimoniū.

15 Ex quo sequitur, ipsius matrimonium esse validum, si postquam peruenit ad rationis vsum, non ratificauit votum liberè, sponte, dicto, vel facto; quare huiusmodi infanti postquam ad rationis vsum peruenit, danda est optio, num velit in Ordine suscepto permanere, vel an velit resilire. Si ostenderit se velle in Ordine suscepto permanere, remanebit vinculo castitatis astrictus, nam satis indicat se votum ratificare; si verò indicauerit se nolle in eo permanere, remanebit suspensus ab vsu Ordinis, vt alibi dictum est.

16 An ordinatus ante pubertatem, vel ante decimumsextū annum teneatur seruare castitatem, & an possit matrimonium cōtrahere.

16 Quæres secundò, vtrùm ordinatus Ordine sacro ante pubertatem, vel ante 16. annum, teneatur seruare castitatem, & possit matrimonium contrahere.

Respondet Sanchez *lib.7.disp.30.nu.8.* [Filliuc. *tract.10.part.2.cap.4.quæs.3.nu.128.*] & plures alij, quos pro se citat Sanchez, non teneri seruare castitatem. Ratio est, quia sicut professio facta ante 16. annum non obligat; ita neque videtur obligare votum castitatis, adnexum Ordinibus sacris, susceptis ante 16. annum. Quare, inquit Sanchez, non tenetur ad castitatem nisi post 16. annum ratificet votum, consequenter potest matrimonium contrahere, nisi votum ratificauerit. Ob eamdem rationem dici potest, istum non teneri ad recitandas horas Canonicas, nisi post legitimam ætatem ratificauerit Ordines.

Sed mihi probabilius dicendum videtur, teneri voto castitatis, & onere recitandi diuinum Officium. Ita Sotus *de iustitia, lib.7.q.2.art.5.* Clauis Regia *lib.6.cap.5.nu.9.* Coninch. *loco citato dub.14. num.136.* Caietanus 2.2.*q.88. art.9.* & alij. Ratio est, quia qui vult principale, vult etiam accessorium, sed principale est Ordo, accessorium est votum, & aliæ obligationes consequentes Ordinem; ergo adolescens, qui vult Ordines suscipere ante 16. annum, vult etiam obligationes Ordini sacro adnexas, videlicet votum castitatis, & onus recitandi diuinum Officium.

Ex quo patet istum non posse matrimonium validè contrahere.

Neque obstat ratio Sanchez; nam aliter sancitum est de professione, quàm de susceptione sacrorum Ordinum, vnde non valet argumentari ab vno disparato ad aliud.

17 An initiatus Ordine sacro incurrat aliquam pœnā, contrahendi matrimonium.

17 Quæres tertiò, quam pœnam incurrant initiati sacris Ordinibus contrahendo matrimonium.

Respondeo, incurrere primò excommunicationem, vt habetur *Clementina vnica, de consanguinitate.* Ita Henriquez *loco citato num.9.* Nauarr. *cap.27.num.141.* & alij communiter: [de quare fusiùs egi *in tract. de censuris in particulari.*]

Secundò, incurrere irregularitatem *cap. quotquot 27. quæst. 1.* quæ irregularitas incurritur etiam ante consummatum matrimonium, iuxta Sotum *in 4. dist.22. artic.3.* Sanchez *lib.7. disput. 48.* Couarr. 2. *parte cap.6.§.3.num.1.* Rebel. *quæst.12. num.1.* & alios contra Nauarr. *cap.27.nu.195.* & alios negantes incurrere irregularitatem ante consummationem matrimonij.

18 An vir coniugatus possit aliquando licitè sacros Ordines suscipere.

18 Quæres quartò, vtrùm vir coniugatus possit aliquando licitè sacros Ordines suscipere.

Respondeo cum Perez *de impedimento Ordinis*, [& aliis Doctoribus statim citandis,] posse. Primò, quando potest facere diuortium quoad torum, & habitationem, aut religionem intrare, etiam inuita vxore. Vide *q.4.p.5.num.23.*

Secundò, quando suscipit cum libero, & legitimo vxoris consensu; legitimus autem vxoris consensus est, si ipsa, existens iuuenis, ingrediatur religionem, aut saltem voueat castitatem, si sit senex, *cap. Agatosa 27. quæst.2.* & patet ex dictis *de voto professionis*, & ex dicendis *de diuortio.* Ita Sanchez *lib.7. disp.39. nu.6.* Henriquez *lib. 12. cap.5. nu.10.* Coninch. *disp.35. dub.6. num.32.* [Perez *loco citat.* Filliucius *tract. 10.p.2.nu.148.*] & alij statim citandi. [Vide dicta *punct.4. num.12.*]

19 An vir coniugatus recipiens sacros Ordines possit petere, & reddere debitum.

19 Hinc deducitur, eum qui cum legitimo vxoris consensu sacros Ordines suscepit, non posse petere, aut reddere debitum, [quia voto castitatis tenetur;] qui verò suscepit sacros Ordines absque legitimo vxoris consensu, non potest petere debitum, quia per votum castitatis sacris Ordinibus adnexum obligauit se ad abstinendum ab omni actu venereo, vt benè ait Valent. *tom.4. disputat.11. quæst.5. punct.3.* potest tamen reddere vxori petenti, [& ab ea reuocari, etiamsi vir ad Papatum euectus sit:] nam ipsa non fuit priuata suo iure propter Ordines susceptos à viro absque legitimo ipsius vxoris cōsensu. Vide Sanchez, P. Ledesm. Rebellum *locis citatis.* Nauarr. *cap.22. num.52.* Henriquez *lib.12. cap.5. num.10.* Rodriquez 1. *parte cap.225. concluf.4.* Gutierez *de matr.96.* [Filliucium *num.147. & seqq.*]

20 Quam pœnam incurrat cōiugatus, recipiendo sacros Ordines absque vxoris consensu.

20 Rogabis, quam pœnam incurrat coniugatus recipiendo Ordines absque legitimo vxoris consensu.

Respondeo, incurrere irregularitatem, vt patet ex *Extrauagant. Antiquæ. de voto.* Ita Rebell. *loco citato nu.13.* Henriquez *lib.13. cap.39. nu.1.* Sayrus *lib.4. cap.14. nu.28.* [Filliucius *nu.159.* Sanchez *disput.42.*] & alij, dicentes, remanere suspensum ab Ordinibus susceptis, & suscipiendis, nec posse beneficium, vel officium obtinere, vt patet ex dicta Extrauaganti; [vbi tamen requiritur præsumptio ad hanc pœnam incurrendam: ibi, *non præsumat.*]

Vtrum verò coniugatus, qui recepit sacros Ordines post contractum matrimonium, sed nondum consummatum, teneatur ingredi Religionem, patet ex dictis *de voto Religionis in Decalogo*, vbi dictum est non teneri, vt ait Sanchez *disputat. 99.* Henriquez *lib. 12. cap. 5. num.10.* Petr. Ledesm. *loco citato.* & alij contra Nauarrum *cap.13. num. 79.* & alios.

21 An vir coniugatus possit promoueri ad Episcopatū

21 [Quæres quintò, vtrum vir coniugatus possit ad Episcopatum promoueri.

Respondeo posse his concurrentibus conditionibus. Prima est, vt ipsa vxor consentiat; nullus enim inuitus iure suo priuandus est. Secunda est, vt ipsa religionem ingrediatur, & in ea professionem emittat. *cap. sanè de conuers. coniug.* ibi, *prohibemus, ne vxoratum præsumatis in Episcopum ordinare, nisi vxor priùs professa cōtinentiam, sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem, vel vitam assumat.* Ita Couar. 4. *decret. part.2. cap.6.§.3. nu.3.* Petr. Ledesma *de matrim. quæst.64. art.4. dubio 5. concluf.6.* Azorius *tom.1. lib.13. cap.13. quæs.7.* & alij communiter, teste Sanchez *de matrim. lib.7. disp.41. num.2.* contra Sotum *in 4. dist.27. q.1. art.4. ad fin.* & alios asserentes satis esse, vt vxor in sæculo remaneat cum voto castitatis, modò ipsa sit senex: si verò est iuuenis, opus esse vt in religione professionem emittat.

Hinc patet quid dicendum sit, dum maritus ad Cardinalatus apicem promouetur; opus enim est consensu vxoris, & ipsius professione in religione, iuxta Maiolum *lib.1. de irregularit. cap.34. num.2.* Filliucium *tract.10.p.2.cap.4.quæs.7.num.152.* Ioan. Andream, Ancaranum, Abb. & alios apud Sanchez *nu.4.* Imò idem Sanchez *nu.4.* putat non requiri professionem vxoris, nisi ipsa sit iuuenis, iuxta dicta de viro coniugato, qui ad sacros Ordines promouetur, quia nihil in hoc casu specialiter in iure sancitum fuit; sed hac de re agam *in tract. de benef. & de elect. Pontif.*

22 An vxor, quæ voto castitatis emisso, licentiam coniugi dedit suscipiendi sacros Ordines, seu ascendendi ad Episcopatus, vel Cardinalatus dignitatem, valdè possit, mortuo coniuge, nouum matrimonium inire.

22 Quæres sextò, vtrum vxor, quæ voto castitatis emisso, licentiam coniugi dedit suscipiendi sacros Ordines, seu ascendendi ad Episcopatus, vel Cardinalatus dignitatem, valdè possit, mortuo coniuge, nouum matrimonium inire.

Respondeo nec licitè, nec validè posse. Quòd licitè non possit, patet, quia detinetur vinculo castitatis. Quòd verò validè non possit, probatur ex dispositione iuris irritantis huiusmodi matrimonium. *cap. quia sunt. dist.28.* vbi iubetur separari à viro. Idem habetur *in cap. si se dist.28.* Ita Abbas *in cap. constitutus num.6. de conuers. coniugat.* Sanchez *lib.7. disp.40. num.2.* Azor. *tom.1. lib.14. cap.14. quæs.11.* Filliucius *tract.10.p.2.cap.4. quæs.7. num.151.* & alij contra Sotum *lib. 7. de iustitia quæst.5. art.3. ad secundum*, & alios.]

PVNCTVM X.

De impedimento ligaminis.

1 Quid sit bigamia, & polygamia.

1 NOtandum primò, polygamiam dici, quando simul plures habentur vxores; bigamiam verò propriam, & veram esse, quando plures vxores successiuè habentur, quando scilicet mortua prima ducitur secunda. [Vide dicta *de censuris disp.7. quæst.2. punct.5.*]

2 Quid sit ligamen.

2 Notandum secundò, ligamen esse vinculum prioris matrimonij, quo durante, posterius matrimonium est inualidum, vt benè ait Perez *de impedimento ligaminis.* Henriquez *lib.12. cap.6. num.1.* & alij communiter.

VNICA PROPOSITIO.

3 An ligamen dirimat matrimonium, & quo iure.

3 LIgamen dirimit matrimonium posterius, non solùm iure Ecclesiastico, sed etiam iure naturali, & diuino.

Quòd dirimat iure Ecclesiastico patet ex *cap. 1. 3. & vlt. de sponsa duorum, & cap. gaudemus. de diuort.* Imò grauis pœna imponitur ei, qui contrahit cum pluribus simul viuentibus, & præsumitur malè sentire de fide contra Sacramenta, vt tradit Simancas *de Cathol. institut. cap.40.* Henriquez *loco citato num.3.* ob id in Trid. *sess.24. canon.2.* excommunicatur, qui dixerit, licere Christianis habere simul plures vxores.

Quòd verò dirimat iure naturæ, & diuino, si contrahatur cum pluribus, patet, [tum quia res vni tradita, non potest amplius alteri tradi; sed corpus viri traditum est primo vxori; ergo non potest amplius alteri tradi viuente prima vxore;] tum quia contrahere matrimonium cum pluribus, ita repugnat quieti, & paci domus, ac familiæ, vt ratio dictet posterius matrimonium debere esse inualidum, vt vitentur hæc incommoda, tum quia *Matth.19.* vbi dicitur, *Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur*; ex quo loco desumitur hoc argumentum, si dimittens vxorem mœchatur aliam ducendo, multò magis mœchatur ducendo aliam retenta prima, cōsequenter matrimonium cum secunda est inualidum, alioquin non mœcharetur. Præterea hoc patet ex Tridentino *sess.24. canone 3.*

4 An Papa dispensare possit in pluralitate vxorum, & an hoc fuerit licitum in veteri lege.

4 Hinc colligitur primò, Summum Pontificem non posse dispensare in pluralitate vxorum, cùm non possit dispensare in iure naturæ, vel diuino. Obserua tamen, in veteri lege licitam fuisse pluralitatem vxorum ob dispensationem Dei, ex Innocentio *cap. gaudemus. de diuortiis*; quamuis enim iure naturæ prohibitum sit simul habere plures vxores, nihilominus hoc non est primarium ius naturæ, sed secundariū, in quo Deus potest dispensare. [sicut alias dispensauit ob multiplicationem populi:] nam Deus posita sua dispensatione potest consulere incommodis, quæ alioquin sequerentur, vt patet ex dictis *de legibus.* Ita P. Ledesm. *quæst.65. art.2. concl.3.* Sanchez *lib.7. disput.80. num.8.* Valentia *tom.4. disput.10. q.1. punct.3.* Henriquez *lib.12. cap.6.* Coninch. *disp.26. dub.2. num.20.* Gutierez *cap.106.* Reginaldus *lib.31. num.4.* [Filliucius *tract.10. cap.5. quæs.9. nu.161. & seqq.*] & alij.

5 An primū matrimonium dirimatur per secundum cōsummatum.

Aduertendum tamen est, dispensationem, quæ concessa fuit in veteri lege, non perseuerare ad hoc vsque tempus, nam reuocata fuit à Christo *Matth.19.*

6 An infideles validè contrahere possint matrimonium cum pluribus.

5 Secundò sequitur, eum qui post matrimonium cum Berta contractum, ipsa viuente contrahit cum alia, inualidè contrahere, etiamsi matrimonium cum secunda consummet, nam adest impedimentum ligaminis, quod inducitur à priore matrimonio adhuc durante.

6 Tertiò sequitur, infideles, contrahentes matrimonia cum multis feminis, inualidè contrahere, & illorum matrimonium validum esse tātummodò cum prima, non verò cum aliis. Ita Doctores citati.

7 Quid faciendum sit, quando infidelis conuertitur ad fidem, postquam plures duxit vxores.

7 Ex quo vlterius patet, infidelem, quando conuertitur, cum antea plures duxisset vxores, debere permanere cum prima, si ipsa voluerit cum eo permanere absque Saluatoris iniuria, vt patet ex supradictis, consequenter non posse aliam ducere præter primam, permanentibus aliis in infidelitate, nam adest impedimentum disparitatis cultus dirimens matrimonium. Præterea, si omnes vxores, quas vir habebat tempore infidelitatis, conuertantur, præter primam nolen-

nolentem cum ipso permanere, aut volentem quidem permanere, sed cum pertractione ad peccatum, & cum iniuria Creatoris, vir non tenetur vllam ex conuersis ducere in rigore loquendo, quia nulla ex ipsis est eius coniux, excepta prima. Vide Speculum 2. *parte art.* 14. Rebel. *lib.* 3. *quæst.* 20. Petr. Ledesm. Henriquez, Valent. & Sanch. *locis citatis.* [& Filliucium *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 7. *quæs.* 2. *num.* 232.]

8 An per consuetudinem possit fieri licita pluralitas vxorũ.

8 Quartò sequitur, non solum Papam non posse dispensare in pluralitate coniugum, sed nec posse consuetudinem legitimè introduci, per quam fiat licita pluralitas vxorum, non enim potest introduci consuetudo contra ius naturæ, & diuinum. [Ita Doctores citati.]

9 An femina possit matrimonium contrahere cũ pluribus viris.

9 Quintò sequitur à fortiori, inualidum esse iure naturæ matrimonium vnius feminæ cum pluribus viris, tum quia hoc repugnat primario fini matrimonij, qui est prolis procreatio, impeditur enim proles per commistionem seminum, vel si proles nascetur, non benè educabitur propter illius incertitudinem, tum quia in hac re numquam fuit dispensatum, sicut dispensatum fuit, vt vnus vir plures vxores haberet. Ita Sanchez *loco citato nu.* 4. Speculum 2. *parte art.* 17. *fol.* 327. Henriq. *loco citato num.* 3. [Filliucius *num.* 164.] & alij.

10 An licitũ sit plures vxores succesiuè ducere.

10 Queres primò, vtrum licitũ sit plures vxores succesiuè ducere.

Respondeo affirmatiuè, nam coniux, qui superstes manet mortuo primo coniuge, potest transire ad secundas nuptias, & inire matrimonium cum alio coniuge, quo mortuo potest de nouo transire ad tertias, & sic deinceps, vt patet tum experientia, tum quia *ad Rom.* 7. dicitur, *Si mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Ita Sanchez *lib.* 7. *disp.* 81. *num.* 2. Rebell. & alij *locis citatis.* quibus addi possunt alij quamplures, quos citat, & sequitur Gutierez *cap.* 106. *num.* 10.

11 An secũdæ nuptiæ sint Sacramentum, & an inducãt irregularitatem.

11 Quæres secundò, vtrum non solùm primæ, verùm etiam secundæ, & tertiæ nuptiæ sint Sacramentum.

Respondeo affirmatiuè, nihil enim deest, ratione cuius non sint Sacramentum, cùm in illis reperiantur omnia, quæ pertinent ad Sacramentum matrimonij. Ita DD. citati. Verum tamen est, per secundas, vel tertias nuptias cum non significetur perfectè coniunctio vnius Christi cum vna Ecclesia, induci irregularitatem, modò, copula sit consummata cum seminis emissione intra vas, vt patet ex dictis *de irregularitate*, vbi dictum est, irregularitatem non solùm induci per bigamiam, qua plures succesiuè habentur vxores, sed etiam per eam bigamiam, quæ incurritur per contractum matrimonij celebratum cum vidua, vel cum alia ab alio carnaliter cognita; ad ibi dicta vos remitto.

12 Qualis certitudo requiratur de morte coniugis, vt superites possit cum alio matrimonium cõtrahere.

12 Quæres tertiò, qualis certitudo de morte coniugis requiratur, vt superites possit cum alio matrimonium inire.

Respondeo cum Soto *in* 4. *dist.* 22. *quæst. vnica art.* 5. Sanchez *lib.* 2. *disput.* 46. *num.* 6. Speculo 1. *parte art.* 42. Rodriquez *cap.* 233. Valentia *tom.* 4. *disp.* 10. *q.* 2. *punct.* 2. *folio* 1673. Gutierez *de matrim. cap.* 51. *num.* 1. Perez *de imped. ligaminis fol.* 210. & aliis, requiri certitudinem moralem, seu tantam certitudinem, quanta iudicio prudentis sufficit ad credendum, priorem coniugem certò mortuum esse. Ratio est, quia nisi adsit tanta certitudo, contrahentes exponunt se periculo adulterij, cum fieri possit, vt prior coniux sit superstes, huic autem periculo non se exponunt, qui abstinent à matrimonio contrahendo, quando non adest prædicta certitudo.

13 An vxor possit aliũ ducere, quando ipsius vir abfuit per multos annos.

13 Hinc sequitur primò, vxorem non posse matrimonium cum alio contrahere, quando ipsius vir abfuit per multos annos, nam certitudo moralis non habetur per absentiam multorum annorum, sicut nec habetur per solam famam, cùm fama oriri soleat ex auctore incerto, & plerumque fallaci, nisi fortè cum fama existant tanta indicia, vt nullus dubitandi locus relinquatur de morte illius. Ita Speculum *loco citato, concl.* 1 Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio disput.* 46. Sylvester *matrimonium* 8. *quæsito* 13. Nauarr. *cap.* 22. *nu.* 53. Gutierez *cap.* 51. *num.* 3 Rodriquez, & Valentia *locis citatis.*

14 An vxor possit cum alio contrahere matrimoniũ, quãdo eius vir ingressus prælium non amplius comparuit.

14 Secundò sequitur, vxorem posse cum alio matrimonium cõtrahere, quando ipsius vir ingressus prælium non amplius comparuit, & fama est ipsum periisse, aut quando per litteras eorum, qui prælio interfuerunt, acceptum est, ipsum mortuum esse. Ita Henriquez *num.* 3. & alij DD. cit.

15 Quãdonam adsit certitudo moralis, & sufficiens ad contrahendum cũ alio matrimoniũ.

15 Tertiò, relinquendum esse iudicio prudentis viri iudicare in casibus particularibus, an adsit certitudo moralis, & coniecturæ sufficientes ad contrahendum nouum matrimonium, vt ait Couarr. *in Epit. part.* 2. *cap.* 7. §. 3. quem alij communiter sequuntur.

16 An mors alterius coniugis probetur per vnum testem.

16 Existimo tamen cum Sanchez *loco citato nu.* 10. cõtra Speculum, Rebell. Gutierez, & alios *locis citatis*, mortem alterius coniugis non sufficienter probari per vnum testem; sicut enim vnus testis non sufficit in causis pecuniariis, ita neque sufficit in causa secundi matrimonij, in qua agitur de periculo animæ, nisi fortè adsint aliæ coniecturæ, vel nisi coniux mortuus sit in loco ita distante, vt non possint facilè haberi aliæ probationes, & hoc modo intelligendum est caput in præsentia de sponsalibus, vbi præcipitur Prælatis, ne permittant matrimonium contrahi, donec certum nuntium de morte percipiant, ob id cauere debent Parochi ne aliquos coniungant, non obtenta facultate ab Ordinario, apud quem fieri solent probationes de morte alterius coniugis. Vide Sanchez *locis citatis.* Mascardum *de probationibus concl.* 749. & 1705. Gutierez *cap.* 51. *num.* 2. *de matr.* & Riccium *decis.* 265. Non nego tamen, quin mulier possit matrimonium contrahere, secluso scandalo, quando ipsa sola nouit certò mortuum esse virum, quamuis eius mortem probare non possit, vt accidit, quando ipsa sola fuit præsens morti sui mariti. Ita Rebell. 2. *parte lib.* 3. *q.* 13. Gutierez *cap.* 51. *ad fin.* & alij. Ratio est, quia tunc cessat periculum adulterij.

17 An vxor quæ celebrauit matrimonium cum secundo, credens priore virum esse mortuum, teneatur recedere à secundo, si cognoscat priorem virum superstitem esse.

17 Quæres quartò, vtrum vxor, quæ contraxit matrimonium cum secundo, credens priorem virum mortuum esse, teneatur recedere à secundo postquam cognouit, priorem virum superstitem esse.

Respondeo, teneri recedere à secundo, alioquin exponit se periculo adulterij, & peccat mortaliter petendo, vel reddendo debitum post huiusmodi notitiam, nam secundum matrimonium est inualidum, *can. si virgo* 34. *q.* 2. Si verò non certò nouit, priorem virum superstitem esse, sed tantummodò dubitat, non potest existente dubio petere debitum, *cap. inquisitioni. de sententia excommunicationis*, alioquin exponit se periculo adulterij, nam ille dicitur adulterium committere, qui alium carnaliter cognoscit viuente proprio coniuge. Tenetur tamen alteri coniugi petenti reddere, quamdiu non constat, priorem coniugem superstitem esse, nam alter coniux habet ius petendi, nec tenetur credere coniugi dubitanti inualidum esse matrimonium, nisi dubitans ita probet, vt alter propter eius motiua, & probationes teneatur credere, vel ita dubitare, vt nequeat deponere dubium. Ita Valentia *loco citato.* Speculum, & Rebel. *locis citatis.* Nauarr. *cap.* 22. *num.* 53. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 13. & *cap.* 6. *nu.* 7. & 8. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 52. Gutierez *de matrimon. cap.* 49. *num.* 36. & 37. Perez *loco citato.* & Couarr. *loco citato*, §. 2. & clarius constabit ex infrà dicendis *q.* 4. *punct.* 4. *versus finem.*

18 An validũ sit matrimonium cõtractum ab eo qui credebat superstitẽ esse priorẽ coniugem, sed re vera mortua erat.

18 Quæres quintò, vtrum sit validum matrimonium contractum ab eo, qui falsò credebat superstitem esse priorem vxorem, sed re vera mortua erat.

Respondeo, validum esse, si contrahens credebat se posse validè contrahere, aut si habebat intentionem contrahendi, quantum poterat. Ratio est, quia adest sufficiens consensus inter personas habiles. Secus dicendum est, si non habuit intentionem contrahendi, quantum poterat, tunc enim matrimonium est inualidum, eò quòd non habuerit animum contrahendi.

19 An validè celebretur matrimonium ab eo, qui credebat adesse impedimentum dirimens, quod re vera non adest.

19 Hinc patet, quid dicendum sit de eo, qui contrahit matrimonium, credens adesse impedimentum dirimens, quod re vera non adest. Ita Nauarr. *cap.* 22. *num.* 56. Sylvestr. *loco citato q.* 13. Couarr. 2. *part. Epit. cap.* 3. §. 7. Eman. Sa *de impedimentis num.* 11. Sanchez, Rebell. Speculum *locis citatis.* Petr. Ledesm. *q.* 55. *art.* 9. Gutierez, & alij quos retuli *q.* 2. *punct.* 9. *propos.* 2. *quæsito* 2.

PVNCTVM XI.

De impedimento publicæ honestatis.

1 Vndenam dicatur publica honestas, & quid sit.

1 NOtandum, impedimentum publicæ honestatis ita appellari, eò quòd æquum sit, propter publicam honestatem, & decentiam, vt matrimonium impediatur inter aliquas personas, quæ factæ sunt sibi propinquæ, ob sponsalia, vel ob matrimonium. Hac de causa appellatur propinquitas consurgens ex sponsalibus, vel ex matrimonio, de qua re duo principaliter quæremus in hoc puncto.

Primò, vtrum impedimentum publicæ honestatis consurgat ex sponsalibus.

Secundò, vtrùm consurgat ex matrimonio rato.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An publica honestas oriatur ex spõsalibus, & ad quem gradum extẽ datur.

2 EX sponsalibus validis, & certis oritur iure Ecclesiastico impedimentum publicæ honestatis, dirimens matrimonium cum consanguineis alterius sponsi in primo gradu. Vnde, si quis post spõsalia celebrata cum Berta, matrimonium contraheret cum illius sorore, vel matre, vel filia, inualidè contraheret, vt patet ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 3. vbi hoc impedimentum in sponsalibus restrictum est ad primum gradum, quamuis ante Concilium extenderetur vsque ad quartum, *cap. ad audientiam. de sponsalibus.*

Dixi, *ex sponsalibus validis*, quia ex sponsalibus inualidis non consurgit impedimentum publicæ honestatis, quamuis iure antiquo consurgeret, *cap. ad audientiam, citato.* [non enim præstat impedimẽtum quod de iure non sortitur effectum.] Ita Henriquez *lib.* 12. *cap.* 10. *nu.* 2. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 68. Gutier. *de matrimonio cap.* 103. *num.* 5. Coninch. *disp.* 32. *dub.* 5. *num.* 63. Regiuald. *lib.* 31. *nu.* 126. [Molfesius *tract.* 4. *cap.* 10. *nu.* 92. Filliucius *tract.* 10. *p.* 2. *cap.* 6. *quæs.* 6. *num.* 220.]

Dixi, *ex sponsalibus certis*, quia ex sponsalibus celebratis cum persona incerta non oritur impedimentum publicæ honestatis, *cap. vnico, de sponsalibus in* 6. Ita Perez *de impedimentis publicæ honestatis*, & alij communiter.

Dixi, *dirimens matrimonium cum consanguineis alterius sponsi*, quia cum affinibus non dirimit, [cùm nullo iure probetur dirimere;] vnde, qui post sponsalia facta cum Berta, contrahit matrimonium cum affine Bertæ, vt cum ea, quæ fuit vxor fratris Bertæ, validè contrahit, vt benè ait Sanchez *lib.* 7. *disp.* 68. *num.* 3. Gutierez *de matrim. cap.* 103. *num.* 4. & alij.

3 An publica honestas oriatur ex spõsalibus fictis.

3 Ex dictis sequitur impedimentum publicæ honestatis non induci, quando aliquis fictè consensit. Ita Speculum *art.* 53. *ad finem.* P. Ledesm. *q.* 55. *art.* 4. *vers. Nihilominus.* Nauarr. *cap.* 22. *nu.* 57. contra Sanchez *lib.* 7. *disput.* 68. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 2. Rodriquez *locis citatis*, & alios. Rario est, quia Cõcilium Tridentinũ *loco citato* statuit, ex sponsalibus, quacumque ratione inualidis, non oriri impedimentũ publicæ honestatis; sed in hoc casu sponsalia sunt inualida, cùm ad sui valorem postulent interiorem consensum; ergo non inducitur impedimentum publicæ honestatis, quando aliquis fictè consensit.

4 An publica honestas cõsurgat ex spõsalibus celebratis cum sorore prioris sponsæ.

4 Secundò sequitur, illum qui cum Berta validè contraxit sponsalia, sed postea celebrat alia cum sorore Bertæ, non affici impedimento publicæ honestatis, ratione cuius non possit amplius cum Berta contrahere matrimonium. Ratio est, tum quia sponsalia cum sorore Bertæ sunt inualida, ex sponsalibus autem inualidis non consurgit impedimentum publicæ honestatis, vt patet ex Tridentino *loco citato*, sicut consurgit ex sponsalibus prius celebratis cum Berta, ratione cuius impedimenti efficitur, non valida esse posteriora sponsalia celebrata cum sorore Bertæ, tum quia hoc expressè habetur *cap. vnico, de sponsalibus in sexto.* Ita Sanchez *lib.* 7. *disput.* 68. *nu.* 23. & alij communiter.

5 An ille afficiatur publica honestate, qui cõtraxit sponsalia sub conditione cum Berta, & ante conditionẽ alia celebrat cum sorore Bertæ.

5 Ex quo vlteriùs patet, eum qui contraxit sponsalia sub conditione de futuro cum Berta, & postea absolutè celebrat alia cum Maria sorore Bertæ, non affici impedimento publicæ honestatis dissoluente priora sponsalia celebrata sub conditione cum Berta, vt benè Sanchez *loco citato disp.* 69. *num.* 3. Reginald. *num.* 129. Gutierez *num.* 20.

Ratio est, quia posteriora sponsalia non possunt inducere obligationem ad aliquid illicitè faciendum; illicitè autem fieret matrimoniũ cum Maria sorore Bertæ, nam ex vi prioris promissionis adest obligatio expectandi euentum conditionis, ante quem euentum non potest sponsus rem vni sub conditione promissam, tradere alteri; matrimonium tamen esset validum, si celebraretur cum Maria ante conditionis euentum, nam ante conditionis euentum non est inductum impedimentum publicæ honestatis, ratione cuius dissoluatur matrimonium. Ita P. Ledesm. *loc. cit.* Sanchez *disput. 69. num. 2.* Gutierez *loc. cit. num. 19.* [Molfesius *num. 93.* Filliucius *num. 224.*]& alij communiter.

6 An publica honestas extendatur ad infideles.

6 Tertiò sequitur, infidelem, qui tempore infidelitatis contraxit sponsalia cum Berta, posse validè matrimonium inire cum eius matre, vel sorore, non solum ante Baptismum, verùm etiam post susceptum Baptismum. Ratio est, quia impedimentum publicæ honestatis non est inductum iure naturæ, vel diuino, sed iure Ecclesiastico, cui non sunt subiecti infideles. Ita DD. cit.

7 An cesset publica honestas, quãdo sponsalia mutuo consensu dissoluuntur.

7 Quæres primò, vtrùm impedimentum publicæ honestatis, contractum ex sponsalibus validis, & certis cesset, quando sponsalia dissoluuntur mutuo consensu contrahentium.

Respondeo, non cessare. Ratio est, tum quia impedimenta matrimonij, non dependent à voluntate contrahentium, sed ab Ecclesia, quæ constituit, vt impedimentum publicæ honestatis consurgat ex sponsalibus validis; sponsalia autem non ob id non fuerunt valida, eò quòd postea dissoluantur, tum quia sequeretur, impedimentum publicæ honestatis non esse perpetuum, quod est contra *cap. sponsam, & cap. si quis desponsauerit 27. quæst. 2.* tum quia ratio motiua, propter quam inductum est ab Ecclesia impedimentum publicæ honestatis, adhuc militat, quando sponsalia mutuo consensu dissoluuntur, eò quòd non deceat matrimonium contrahi inter aliquas personas, quæ sibi factæ sunt propinquæ per sponsalia; tum quia sequeretur hoc impedimentum posse etiam cessare per mortem alterius sponsi, non enim sponsalia videntur magis dissolui per mutuum consensum, quàm per mortem, per quam perpetuò dirimuntur; sed falsum est impedimentum publicæ honestatis cessare per mortem alterius coniugis, vt passim tradunt DD. ex *cap. sponsam. de sponsalibus, & cap. si quis vxorem*; ergo neque cessat per dissolutionem sponsaliorum mutuo consensu factam. Ita Sanchez *lib. 7. disput. 68. num. 21.* & nonnulli recentiores Magistri peritissimi Societatis Iesu à me in hac re consulti contra Gutierez *loco citato, num. 11.* Emanuel Sà *loco citato num. 12. folio mihi 396.* Rebell. *2. part. lib. 3. quæst. 14. num. 2.* & in declar. Cardin. *sect. 5. num. 99.* & nonnullos alios recentiores pro se citantes declarationem Cardinalium, quorum sententiam in prima editione existimaui valdè probabilem, & tutam in praxi, suppositа Cardinalium declaratione, sed modò non videtur ad praxim reuocanda post nouam Cardinalium declarationem.

8 Quandonam publica honestas concurrat cum impedimento affinitatis.

8 Quæres secundò, vtrùm impedimentum publicæ honestatis possit aliquando concurrere cum impedimento affinitatis, ita vt inualidum reddatur matrimonium, contrahendum cum propria sponsa, aut cum illa, cum qua habita fuit copula.

Respondeo, vtrumque impedimentum posse simul concurrere, vt habetur *cap. litteras. de desponſ. impub.* Ex quo fit, vt qui celebrauit sponsalia cum Berta, & postea copulam habet cum sorore Bertę, neutram possit ducere, non enim potest ducere sororem Bertæ, propter impedimentum publicæ honestatis, consurgens ex sponsalibus cum Berta celebratis, dirimens matrimonium cum consanguineis Bertæ in primo gradu. Neque potest ducere ipsam Bertam, propter impedimentum affinitatis, ortum ex copula habita cum sorore Bertæ, & dirimens matrimonium vsque ad secundum gradum, vt patebit ex dicendis puncto sequenti. Ita Nauarr. *cap. 22. num. 57.* Henriquez *lib. 12. cap. 10.* Summa Corona *de matrimonio num. 32.* Sanchez *lib. 7. disp. 68. ad finem*, & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

9 An publica honestas oriatur ex matrimonio.

9 Impedimentum publicę honestatis non solùm consurgit ex sponsalibus validis, sed etiam ex matrimonio rato. Ita colligitur ex *cap. sponsa, ex cap. ad audientiam, de sponsalibus*, & patet argumento, à minori ad maius, nam si impedimentum publicæ honestatis consurgit ex sponsalibus quæ sunt via ad matrimonium, multò magis consurget ex matrimonio rato. Vbi aduerte, hoc impedimentum non consurgere ex matrimonio ratione affinitatis, nulla enim est affinitas ante matrimonium consummatum, sed præcisè ratione matrimonij rati. Ita Specul. *in append. ad art. 53. concl. 1.* Sot. *in 4. dist. 4. quæst. vnica art. 2.* Sanchez *lib. 7. disp. 70. num. 1.* Gutierez *loco citato num. 23.* Coninch. *loco citato num. 70.* Reginald. *lib. 31. num. 128.* [Sanctarellus *lib. var. resol. q. 56.* Molfesius *tract. 4. cap. 10. num. 95.* Filliucius *tract. 10. p. 2. cap. 6. quæst. 6. num. 221.*] & alij.

10 Ad quę gradum extendatur publica honestas consurgens ex matrimonio.

10 Quęres primò, ad quem gradum extendatur impedimentum publicæ honestatis, consurgens ex matrimonio rato.

Respondeo, extendi vsque ad quartum gradum. Vnde vir mortua vxore ante consummatum matrimonium, non potest ducere consanguineam vxoris vsque ad quartum gradum. Sic declarauit Pius V. *in motu proprio*, qui incipit, *Ad Romanum spectat.* Ita P. Ledesm. *q. 55. art. 1. versus finem.* Sanchez *lib. 7. disput. 70. num. 16.* Perez *de impedimento publicæ honestatis.* Rodriquez *cap. 234.* Nauar. *loco citato num. 58.* Valentia, Henriquez, & alij *locis citandis.*

Ex quo patet, falsum esse quod asseritur à Toleto *lib. 7. cap. 10. in fine.* & a Lopez *2. parte cap. 50.* dicentibus, matrimonium ratum inducere impedimentum publicæ honestatis tantummodò vsque ad primum gradum, nam isti DD. decepti sunt ex inaduertentia decreti editi à Pio V. anno 1568. quod incipit, *Ad Romanum.*

11 An matrimonium inualidum inducat impedimentũ

11 Quæres secundò, vtrùm ex matrimonio rato inualido consurgat impedimentum publicæ honestatis.

Respondeo affirmatiuè, modò non sit inualidum defectu consensus. Ratio est, tum quia non est recedendum a iure antiquo, nisi quatenus aliter decernitur iure nouo, sed iure antiquo, *cap. sponsam. de sponsalibus, & cap. accessit, de desponſ. impub.* impedimentum publicæ honestatis consurgebat ex matrimonio inualido, [& extendebatur vsque ad quartum gradum,] modò non esset inualidum defectu consensus, & iure nouo non est aliter decretum, vt patet ex motu proprio Pij V. *Ad Romanum spectat*; ergo ex matrimonio rato inualido consurgit impedimentum publicæ honestatis, tum quia sic habetur in declarationibus Cardin. Ita Speculum *in appen. ad art. 53.* vbi hoc comprobat multis rationibus. Rebel. *lib. 4. sect. 5.* in decl. Card. *nu. 101. & lib. 3. disp. 14. num. 2.* Card. Tuscus *tom. 5. conclus. 140. num. 5.* Henriquez *lib. 12. cap. 10. num. 2.* Valentia *tom. 4. disp. 10. q. 5. punct. 3. §. honestas. fol. 1697.* Sanch. *lib. 7. disp. 70. num. 5.* & alij contra Nauarr. *cap. 22. num. 58.* Emanuel Sà *de impedimentis matrimonij num. 12.* & alios existimantes, ex matrimonio inualido non oriri impedimentum publicæ honestatis: quorum ratio est, quia impedimentum publicæ honestatis non consurgit ex sponsalibus inualidis; ergo neque consurgit ex matrimonio inualido. Sed hæc ratio facilè dissoluitur dicendo, aliter sancitum esse iure nouo in sponsalibus, quàm in matrimonio, vt patet ex motu Pij V. citato.

publicę honestatis.

12 An ex matrimonio amentium, vel puerorum consurgat publica honest. s.

12 Ex dictis sequitur primò, ex matrimonio rato amentium, vel puerorum, non consurgere impedimentum publicæ honestatis, nam illorum matrimonium est inualidum defectu debiti consensus. Ita communiter Doctores.

13 An publica honestas oriatur ex matrimonio celebrato per metum, vel errorem.

13 Secundò, hoc impedimentum non oriri ex matrimonio celebrato per metum grauem, vel per errorem personæ, vt patet ex dicta ratione. Ita Sanchez *disput. 70. num. 9. & 10.* [Molfesius, Filliucius, & alij.]

14 An publica honestas cõsurgat ex matrimonio fictè celebrato.

14 Tertiò, hoc impedimentum non induci, quando aliquis alteri fictè consensit, matrimonium enim est inualidum defectu consensus, quamuis fictè consentiens cogendus sit stare matrimonio ratione scandali, vel alterius incommodi vitandi, vnde ratione istorum incommodorum debet ex animo contrahere. Ita P. Ledesm. *q. 55. art. 4. vers. Nihilominus.* Specul. *art. 53. ad finem.* Nauarr. *cap. 22. nu. 57.* & alij loquentes in simili de sponsalibus inualidis defectu consensus, contra Sanchez *lib. 7. disp. 70. num. 11.* Henriquez *lib. 12. cap. 10. nu. 2.* Rodriquez *1. part. cap. 234. num. 3.* [Filliucium *num. 224.*] & alios.

15 An publica honestas oriatur ex matrimonio celebrato cum persona incerta.

15 Quartò, impedimentum publicæ honestatis non oriri ex matrimonio, celebrato cum persona incerta, & indeterminata, nam hoc non est propriè matrimonium, eò quòd non adsit consensus sufficiens ad matrimonium, nam ad matrimonium requiritur consensus circa personam determinatam, vt patet à simili ex dictis de sponsalibus, per *cap. vnicum de sponsalibus in 6.* Ita Sanchez *loco cit. num. 13.* Coninchus *num. 61.* Gutierez *num. 18.* & alij.

16 An matrimonium celebratũ sub conditione inducat publicam honestatem.

16 Quintò, ex matrimonio celebrato sub conditione de futuro, non oriri impedimentum publicæ honestatis, antequam adimpleatur conditio. Ratio est, quia contractus non obligat ante conditionis euentum, non enim obligat vltra consensum, & intentionem ipsorum contrahentium, contrahentes autem non intendunt contrahere, & se obligare, antequam adimpleatur conditio, vnde iste contractus dici potest inualidus defectu consensus, antequam conditio adimpleatur, ex matrimonio autem inualido defectu consensus non oritur impedimentum publicæ honestatis. Ita Sanchez *disput. 69. num. 21.* Gut. *num. 26.* Henriq. *loc. cit. nu. 2.* [Molfesius *nu. 93.* Filliuc. *nu. 224.*] & alij; adimpleta verò conditione statim inducitur impedimentum absque nouo consensu, eo quòd matrimonium valeat absque nouo consensu, iuxta suprà dicta, quidquid alij asserant.

17 An publica honestas oriatur ex matrimonio impuberum.

17 Sextò, ex matrimonio celebrato inter impuberes non consurgere impedimentum publicæ honestatis, nisi malitia suppleat ætatem, nam matrimonium inter impuberes irritatur à iure eò quòd præsumatur non adesse iudicium, & consensus sufficiens ad contrahendum. Verum tamen est, ex matrimonio impuberum consurgere impedimentum publicæ honestatis vsque ad primum gradum, ex sententia eorum, qui dicunt matrimonium impuberum resolui in sponsalia, vt colligitur ex *cap. tua nobis. de desp. impub.* Ita Nauarr. *loco citat.* Valentia *tom. 4. disput. 10. q. 5. punct. 3. §. honestas.* Sanchez *loco cit. num. 8.* Regin. *num. 129.* Card. Tuscus *tom. 7. concl. 402. num. 3.* & patet ex dictis *q. 2. punct. 8. vers. finem.*

18 An matrimonium clandestinum inducat publicam honestatem.

18 Septimò, impedimentum publicæ honestatis oriri ex matrimonio contracto sine Parocho, & testibus, nam huiusmodi matrimonium non videtur inualidum defectu consensus, sed defectu solemnitatis ab Ecclesia præscriptæ. Contrarium tenet Sanchez *lib. 7. num. 13. disp. 70.* in cuius sententiam inclinant nonnulli recentiores Magistri, [Molfesius & Filliucius *locis citat.*] sed nobiscum sentire videtur Coninchus *loco citato, num. 70. ad finem.*

19 An matrimonium celebratũ cum impedimento dirimente inducat impedimẽtum publicæ honestatis.

19 Octauò, impedimentum publicæ honestatis oriri ex matrimonio inualido propter aliquod impedimentum dirimens, vnde consanguinei Titij, qui matrimonium cum Berta inualidè contraxit ob aliquod impedimentum non poterunt eo mortuo contrahere cum Berta, modò sint consanguinei intra quartum gradum. Ratio est, quia matrimonium non fuit inualidum defectu consensus, sed ratione impedimenti; ex matrimonio autem alia ratione inualido, quàm defectu consensus, oritur impedimentum publicæ honestatis vsque ad quartum gradum. Ita Card. Tuscus *tom. 5. concluſ. 140. nu. 4.* & alij Doctores citati.

20 An matrimonium inualidum inducat impedimẽtum publicę honestatis dirimẽs priora sponsalia.

20 Nonò videtur sequi, Titium, qui contractis sponsalibus cum Berta, contrahit matrimonium ratum, sed non consummatum cum eius sorore, vel matre, non posse postea contrahere matrimonium cum ipsa Berta. Ratio est, tum quia ex matrimonio inualido ex alio defectu, quàm consensus, oritur impedimentum publicæ honestatis, vsque ad quartum gradum, in hoc autem casu matrimonium non est inualidum defectu cõsensus, sed ratione impedimẽti publicæ honestatis ortæ ex sponsalibus cum Berta celebratis, tum quia qui post sponsalia facta cum Berta contraxit matrimonium cum sorore vel matre Bertæ, non potest validè contrahere matrimonium cum alia quacumque consanguinea illius sororis, vel matris vsque ad quartum gradum,

gradum, vt communiter concedunt DD. ergo neque videtur posse contrahere cum ipsa Berta.

Neque obstat *cap. vnicum, de sponsalibus in 6.* vbi habetur, per impedimentum publicæ honestatis ortum post sponsalia non dissolui præcedentia sponsalia, vel matrimonium, nam illud c.loquitur tantummodò de sponsalibus, videlicet per secunda sponsalia non induci impedimentum publicæ honestatis dissoluens priora sponsalia, non verò loquitur de matrimonio post sponsalia celebrato, quod inducit impedimentum publicæ honestatis, quamuis sit inualidum.

Hæc mihi videntur vera in rigore loquendo. Verùm, ne recedamus à communi Doctorum sententia, dicendum est, ex matrimonio rato inualido non induci impedimentum publicæ honestatis dissoluens priora sponsalia valida, argumento desumpto ex *cap. vnic. citato*; sicut enim ex sponsalibus modò non inducitur, nec inducebatur iure antiquo impedimentum publicæ honestatis, dirimens prius matrimonium, aut priora sponsalia, ita neque videtur induci ex matrimonio rato, celebrato post sponsalia.

21 Quomodo impedimentũ publice honestatis differat à ceteris impedimentis.

21 Hinc patet differentia inter impedimentum publicæ honestatis, & cetera impedimenta, quòd cetera impedimenta superuenientia sponsalibus dirimunt sponsalia, vt patet in casu affinitatis recẽsito *in 2. quæsito* 1. propositionis; publica verò honestas superueniens sponsalibus non dissoluit illa. Ita Sanchez *disput. 68. num. 24.* Nauarr. *loco citato*, & alij.

22 Quis dispensare possit in impedimẽto publicæ honestatis.

22 Quæres tertiò, ad quem pertineat dispensare in impedimento publicæ honestatis.

Respondeo, pertinere ad Summum Pontificem, ad ipsum enim pertinet dispensare in iure communi, vt ostẽdi in tractatu de legibus. Verum tamen est, quando impedimentum publicæ honestatis simul concurrit cum impedimento affinitatis, vtrumque impedimentum explicandum esse explicitè, vel saltem implicitè in petitione dispensationis, vt patet ex dictis de legibus. Ita P. Ledesm. *quæst. 55. art. 4. ad fin.* Couarr. 2. *parte cap. 6. §. 7.* Henriquez *lib. 12. cap. 10. num. 3.* Perez *de impedimentis affinitatis, ad finem.* Rebell. *loco cit. num. 9.* Toletus, & alij communiter. Ratio est, quia sunt duo impedimenta, quæ non sunt subordinata.

PVNCTVM XII.

De impedimento affinitatis.

TRia principaliter quæram in hoc puncto.
Primò, quid sit affinitas.
Secundò, quotuplex.
Tertiò, vtrùm dirimat matrimonium.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sit affinitas, quando, & inter quas personas contrahatur.

1 AFfinitas est vinculum, seu propinquitas, vel attinentia quarumdam personarum prouenies ex carnali copula licita, vel illicita; nam quando duo sese carnaliter cognoscũt, fiunt affines cum consanguineis alterius in eo gradu, in quo sunt ipsi consanguinei inter se, vt si Caius copulam habeat cum Berta, fit affinis cum consanguineis Bertæ, in eo gradu, in quo sunt ipsi consanguinei Bertæ cum ipsa Berta, vnde si ipsi sunt consanguinei in primo gradu cum Berta, fiunt affines cum Caio in primo gradu. Idem dicendum est de consanguineis Caij respectu Bertæ, nam Berta, per copulam habitam cum Caio, fit affinis consanguineis Caij in eo gradu, in quo ipsi consanguinei sunt cum Caio. Ita communiter Doctores, Henriquez, Reginaldus, Sanchez, Gutierez, Filliucius, & alij locis statim citandis.

2 An consanguinei Caij, qui copulã habuit cum Berta, fiant affines cum consanguineis Bertæ.

2 Quæres primò, vtrùm consanguinei Caij, qui copulam habuit cum Berta, fiant affines cum consanguineis Bertæ.

Respondeo negatiuè, [*cap. quod super his. de consang. & affinit.*] licèt enim Caius fiat affinis cum consanguineis Bertæ, & Berta fiat affinis cum consanguineis ipsius Caij, nihilominus consanguinei Caij, & consanguinei Bertæ non fiunt affines inter se, nullo enim iure probari potest huiusmodi affinitas, propterea duo fratres possunt ducere duas sorores, & filius potest ducere illam, cuius matrem pater eius duxit, *cap. super his, de consanguinitate, & affinitate.* Ita Emanuel Sà *de impedimentis, num. 4.* Reginaldus *lib. 31. num. 145.* Henriquez *lib. 12. cap. 10. num. 1.* Sanchez *lib. 7. disput. 67. num. 2.* Gutierez *de matrim. cap. 99. num. 8.* Coninchus *de matrim. disput. 32. dub. 4. nu. 56.* [Filliucius *tract. 10. part. 2. cap. 6. quæst. 3. num. 219.* Molfesius *tract. 4. cap. 10. num. 100.*] & alij communiter apud Henriquez *loco citato in comm. litt. I.*

3 An ex affinitate oriatur affinitas, seu vtrùm Titius maritus Bertæ possit ea mortua ducere illam, quæ fuit vxor fratris Bertæ.

3 Quæres secundò, vtrùm Titius, qui duxit Bertam in vxorem, possit, ea mortua, ducere illam, quæ fuit vxor fratris Bertæ, mortuo fratre Bertæ.

Respondeo, posse. Ratio est, quia Titius per copulam habitam cum Berta, factus est affinis consanguineis Bertæ, non verò affinibus Bertæ; vxor autem fratris Bertæ non est consanguinea Bertæ, sed affinis, consequenter Titius poterit illam ducere mortua Berta, & eius fratre, affinitas enim non generat affinitatem. *cap. quod super his, de consanguinit. & affinit.* Ita Sanchez *loco citato*, Gutierez *loco cit. nu. 6.* [Filliuc. *num. 212. & 219.*] & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Quotuplex sit affinitas, & quomodo computandi sint illius gradus.

4 DVplex est affinitas, alia dicitur in linea recta, & æquali, alia in linea transuersali. In linea recta affinitatis constituuntur ascendentes, vel descendentes illius personæ, cum qua copula fuit habita. Ascendentes sunt socer, vitricus, nouerca. Descendentes sunt gener, nurus, priuignus, & priuigna. In linea verò transuersa cõstituuntur consanguinei in linea transuersa illius, cum qua copula habita fuit. e. g. Titius cognoscit Bertam suam cõiugem habentem fratres, sorores, patrem, & matrem. Frater, & soror Bertæ fiunt affines Titij in linea transuersa, pater verò, & mater Bertæ fiunt affines in linea recta. Videte arborem affinitatis descriptam à Syluest. *Matri-*

monium 8. quæst. 15. & ea, quæ diximus *de consanguinitate*, nam in affinitate computandi sunt gradus eodem modo quo in consanguinitate, vt benè ait Speculum 1. *parte art. 47.* Gutier. *loc. cit.* [Filliucius *nu. 207.*] & Petr. Ledesm. *quæst. 55. art. 8.* vbi citat Sot. Couarr. & alios.

5 Quinam sit stipes in affinitate.

5 Quæres, quinam sit stipes in affinitate.

Respondeo, stipitem esse duas illas personas, quæ se carnaliter cognoscunt, vnde duæ illæ personæ non dicuntur affines, sed principiũ affinitatis, vt si Titius carnaliter cognoscat Bertam, Titius, & Berta sunt stipes affinitatis consurgens ex ipsorum copula. Ita communiter DD. apud Henriquez *loco cit. num. 1. ad finem in comm. littera Q.* apud Sanchez *lib. 7. disput. 64. num. 5.* & apud Gutierez *de matrimon. cap. 99. num. 6.* [quibus adde Filliucium *tract. 10. part. 2. cap. 6. quæst. 1. num. 206.*]

TERTIA PROPOSITIO.

6 An affinitas dirimat matrimonium, & vsque ad quem gradum.

6 AFfinitas dirimit matrimonium saltem iure Ecclesiastico, siue consurgat ex copula licita, siue ex illicita. Ita Henriquez *lib. 12. cap. 3.* & alij DD. citati. Hæc tamen est differentia inter copulam licitam, & illicitam, quòd ex copula licita oritur impedimentum, dirimens matrimonium vsque ad quartum gradum. Ex illicita verò oritur impedimentum, dirimens matrimonium tantummodò vsque ad secundum gradum, vnde qui fornicatus est cum aliqua, potest contrahere matrimonium cum consanguinea illius in tertio, vel quarto gradu, vt patet ex Tridentino *sess. 24. cap. 4.* Ita Henriquez *lib. 12. cap. 10.* P. Ledes. *quæst. 55. art. 3.* Rodriquez *cap. 228.* Sanchez *lib. 7. disp. 67. num. 8.* Coninchus *loco citato num. 56.* Reginaldus *lib. 31. num. 147.* Gutierez *de matrimonio cap. 99. num. 12.* [Filliucius *tract. 10. part. 2. cap. 6. quæs. 3. num. 112.*] & alij.

7 An affinitas dirimat matrimonium iure naturæ.

7 Dixi in propositione, *saltem iure Ecclesiastico*, quia difficultas est inter DD. vtrùm affinitas dirimat matrimonium iure naturæ in aliquo gradu. In qua re est duplex sententia.

Prima est Soti *in 4. dist. 41. art. 3.* Couarr. 2. *parte, cap. 6.* Valentiæ *tom. 4. disput. 10. quæst. 5. punct. 2.* Vasquez 3. *parte quæst. 91. art. 1. dub. 4. num. 12.* [Filliucij *num. 217.*] Coninchi *disput. 32. dub. 4. num. 53.* Petr. Ledesm. *loco citato art. 6.* & aliorum dicentium, affinitatem iure naturæ dirimere matrimonium celebratum cum affine in primo gradu lineæ rectæ, quando affinitas oritur ex matrimonio. Ratio est, quia omnes nationes ab huiusmodi matrimonio videntur abhorrere.

Dixi, *quando affinitas oritur ex matrimonio*, quia quando oritur ex fornicatione, non videtur dirimere matrimonium iure naturæ, quia nulla sufficienti ratione probari potest dirimere matrimonium iure naturæ, propterea iure naturę validum est matrimonium celebratum à filio cum concubina sui patris, quamuis huiusmodi matrimonium illicitè cõtrahatur propter naturalem quamdam indecentiam, & turpitudinem, vt benè ait Petr. Ledesm. *quæst. 55. art. 6. concl. 3.* Rebell. *quæst. 15. num. 9.* Perez *de affinitate*, & alij.

Dixi, *in primo gradu linea rectæ*, quia si loquamur de linea transuersa, certum est affinitatem non dirimere matrimonium iure naturæ, vel diuino, consequenter vxor potest mortuo viro ducere fratrem viri mortui, interueniente Summi Pontif. dispensatione. Ex hæc fuit magna illa controuersia, quæ suborta fuit tempore Henrici VIII. Angliæ Regis, qui repudiauit Catharinam vxorem fratris mortui, quam cum dispensatione Summi Pontif. duxerat: eam autem repudiauit hac fictione, quòd Summ. Pontif. non potuisset dispensare, quod tamen ab eo fieri potuisse sentiunt ferè omnes DD. apud P. Ledesm. *quæst. 55. artic. 6. vers. His non obstantibus*, & apud Sanchez *loco cit.* Ratio est, tum quia Iacob vir magnæ sanctitatis duxit duas sorores, *Genes. 29.* ergo signum est, affinitatem in linea transuersali non dirimere matrimonium iure naturæ, vel diuino, tum quia multi Summi Pontif. in hoc dispensarunt, vt Alexand. VI. cum Rege Lusitanię, & Iulius II. cum Henrico VII. tum quia non apparet tanta indecentia, ob quam debeamus dicere, affinitatem in linea transuersa dirimere matrimonium iure naturæ. Vide Rodriquez *cap. 228.* Perez *de impedimento affinitatis.* Petr. Ledesm. Gutierez, Rebell. Filliucium, & Sanchez *locis citatis.*

Obiicies, matrimonium contractum cum affine in primo gradu lineæ transuersæ prohibitum fuit in Leuit. *cap. 18.* vbi dicitur, turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis. Præterea reprehensum fuit à D. Ioan. Baptista, Matthæi 14. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*; ergo signum est, affinitatem in primo gradu lineæ transuersæ dirimere matrimonium iure naturæ, vel saltem diuino.

Respondeo, negando consequentiam. Ad Leuiticum dico, legem illam cessasse per nouam legem in morte Christi, vt dictum est *de Legibus, & de Baptismo*, nam translato sacerdotio, legis translatio facta fuit, *Hebr. 7.*

Ad auctoritatem D. Ioan. Baptistæ dici potest primò, huiusmodi matrimonium ab eo reprehensum fuisse, quia Herodes duxerat vxorem fratris sui viuente fratre, vt benè explicat D. Thom. & alij apud Sanchez *disput. 66. num. 22.*

Dici potest secundò, reprehensum fuisse huiusmodi matrimoniũ, quia nondum sublata erat lex vetus, qua prohibebantur huiusmodi matrimonia, lex enim vetus cessauit in morte Christi, qui nondum mortuus erat, quando Ioannes nuptias Herodis reprehendebat.

Secunda sententia, quę mihi probabilior videtur, est Caiet. 2. 2. *quæst. 154. art. 9.* Henriquez *lib. 12. cap. 9. num. 5. & cap. 10. num. 1. ad finem*, Gutierez *loco cit. num. 9.* Sanchez *lib. 7. disp. 66. num. 7.* [Filliucij *tract. 10. part. 2. cap. 6. quæs. 4. nu. 215.* vbi hanc sententiam probabilem vocat.] & aliorum negantium affinitatem dirimere matrimonium iure naturæ in vllo gradu, etiam lineæ rectæ. Ratio est, quia aliquando celebrata fuerunt matrimonia cum nouercis, cum quibus intercedit affinitas in primo gradu lineę rectę, tum quia non apparet tanta indecentia inter has personas, quanta est inter consanguineos in primo gradu, nec tanta turpitudo reperitur quæ videatur sufficiens ad irritandum matrimonium iure naturæ, vel diuino in primo gradu affinitatis. Hinc patet responsio ad rationem primæ sententię, dicen-

dum enim est, non adesse tantam indecentiam, & turpitudinem, quæ videatur sufficiens ad irritandum matrimonium iure naturæ, quamuis adsit turpitudo reddens matrimonium iure naturæ illicitum.

8 An filius iure naturæ valide contrahat matrimonium cum concubina patris.

8 Ex his sequitur primò, validum esse matrimonium iure naturæ, contractum cum concubina patris, vt cõcedit etiam prima sententia.

9 An iure naturæ validum sit matrimonium celebratũ cum vxore fratris mortui.

9 Secundò, validum esse matrimonium iure naturæ contractum cum vxore fratris mortui, vt concedit etiam prima sententia.

10 An iure naturæ validum sit matrimonium celebratum in primo gradu lineæ rectæ.

10 Tertiò, validum esse iure naturæ matrimonium contractum in primo gradu lineæ rectæ, iuxta secundam sententiam.

11 (An infidelis, qui aliquã fornicatie cognoscit, possit, suscepto Baptismo, cõtrahere cũ aliqua consanguinea suæ concubinæ.)

11 [Quartò infidelem, qui aliquam fornicariè cognoscit, posse, sucepto Baptismo, contrahere cum aliqua consanguinea suæ concubinæ matrimonium, quia affinitas dirimit iure solum Ecclesiastico, cui non subiicitur infidelis; consequenter dum infidelis cognouit concubinam, non contraxit istud impedimentum, neque illud postea contrahit per susceptionem Baptismi, quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit, *l. non firmatur. de reg. iur.* Ita Nauarr. *de consanguinit. consil. 12. nu. 6.* Henriquez *lib. 12. cap. 1. n. 2. & cap. 3. nu. 4.* Sanchez *lib. 7. disp. 65. num. 11.* Filliuc. *loco citat. num. 216.* contra Speculum 1. *part. art. 50. concl. 3. & 4.* Vegam *tom. 2. cap. 34. casu 129.* Secus dicendum est, si fidelis fornicetur cum fideli, vel infideli femina, cuius soror, vel filia suscipiat postea Baptismum, hic enim non poterit postea matrimonium contrahere cum eius sorore, vel filia, quia fidelis dum copulam habuit subiiciebatur Ecclesiæ, & Ecclesia voluit affinitatem induci ex copula cum consanguineis alterius, quandocumque nati fuerint, vel baptizati. Ita Sanchez *loco citat. num. 12.* Filliucius *num. 216.*

Obiicies, affinitas est veluti quædam relatio; relatio autem non resultat, nisi adsit vtrumque extremum habile & idoneum; ob id in præcedentibus dictum est, fidelem baptizantem filium feminæ infidelis non contrahere cum illa cognationem, consequenter posse cum illa post susceptum Baptismum matrimonium inire.

Respondeo affinitatem esse veluti quamdam relationem iure Ecclesiastico inductam; consequenter illam oriri, quando Ecclesia vult eam oriri; ex vsu autem, & praxi constat Ecclesiam velle huiusmodi relationem ex copula oriri, postquam consanguinea feminæ cognitæ Baptismum susscepit; non verò postquam baptizata est femina, cuius filius baptizatus fuit antequam ista baptizaretur. Ita Sanchez *loco cit. num. 12.*]

12 Quid requiratur ad inducendã affinitatẽ.

12 Quæres primò, quid requiratur ad inducendum impedimentum affinitatis.

Respondeo, requiri copulam cum seminis emissione intra claustrum feminæ. Ita Emanuel Sà *de impedimentis nu. 13.* P. Ledesm. *quæst. 57. art. 3.* Sanchez *lib. 7. disp. 64. nu. 11.* Speculum 1. *parte art. 47.* Henriquez *cap. 10. num. 1.* Reginaldus *lib. 31. num. 147.* Coninchus *disput. 32. de matrimonio dubio 4. num. 46.* Gutierez *de matrimonio cap. 87. num. 15.* Angelus *verb. matrimonium 8. quæst. 15.* Sotus *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4.* [Filliucius *tract. 10. part. 2. cap. 6. quæs. 2. num. 208.*] & alij communiter contra M. Medinam *de continentia sacrorum hominũ cap. 76.* Ratio est, quia ad contrahendam affinitatem requiritur ea copula quæ sit sufficiens ad generationem, seu qua vir, & femina efficiantur vna caro, *c. fraternitatis 35. quæst. 1.* seu qua efficiatur sanguinis commistio, *c. lex diuina 27. q. 2.* Sed vir, & femina non efficiuntur vna caro, nisi adsit seminis emissio intra vas feminæ; ergo ad contrahendam affinitatem requiritur seminis emissio intra vas feminæ.

13 An inducatur affinitas, quando sola femina, vel solus vir emittit semen.

13 Hinc sequitur primò, non oriri affinitatem, quando sola femina semen emittit, nam illius semen non est sufficiens ad generationem, & ad sanguinis commistionem; emissio verò seminis virilis sufficit, quia semen viri est sufficiens ad generationem, cum memoriæ proditum sit, aliquas feminas concepisse sine congressu, & coitu viri [recepto alia ratione semine.] Ita Paludanus, Sylu. Sotus, & alij apud Sanchez *lib. 7. disp. 64. num. 1.* & apud Gutierez *cap. 54. num. 25.* [contra nonnullos alios existimantes requiri etiam semen feminæ.]

14 An inducatur affinitas si quouis modo semen recipiatur.

14 Hinc patet, affinitatem oriri, quando semen intra vas femineum recipitur quacumque arte, siue recipiatur arte humana, siue Diabolica, siue cum violatione clausti, siue absque clausti violatione, siue sponte, siue casu, nam inde sequi potest generatio, quamuis aliquando impediatur. Ita Angelus *verb. Matrimonium 8. quæst. 15.* Sot. *in 4. dist. 27. q. 1. art. 4.* Specul. 1. *parte art. 47. ad finem*, Sanchez *loco citat. nu. 15.* P. Ledesm. *quæst. 55. nu. 5.* [Filliucius *tract. 10. part. 2. cap. 6. quæs. 2. num. 209.* Molfesius *nu. 101.*] & alij apud Gutierez *cap. 54. num. 23.*

15 An ex congressu spadonum oriatur affinitas.

15 Secundò sequitur ex congressu spadonum non oriri affinitatem, quia spadones non emittunt semen aptum ad generationem, vt benè ait P. Ledesma *loco citato*, Sanchez *disp. 64. num. 11.* & alij quos referam *punct. sequenti.*

16 An inducatur affinitas ex actu præpostero, vel ex pollutione extra vas femineum.

16 Tertiò, affinitatem non oriri ex actu præpostero extra vas debitum, sicut neque oritur ex pollutione extra vas femineum. Ita communiter DD.

17 An affinitas oriatur ex copula habita cum femina inuita, vel dormiente, vel insana, vel ebria.

17 Quartò, affinitatem oriri ex copula habita cum femina omnino inuita, vel ignorante, vel dormiente, vel insana, vel ebria, nam ex huiusmodi copula sequi potest generatio, & commistio sanguinis, *cap. discretionem, de eo, qui cognouit consanguineam vxoris.* Ita communiter Doctores.

18 An oriatur affinitas ex matrimonio non consummato.

18 Quintò, affinitatem propriè non oriri ex matrimonio tantummodò rato, sed non consummato, nam ex matrimonio rato non oritur aliqua affinitas, sed publica honestas, & ad inducendam affinitatem requiritur seminis emissio intra vas femineum. Ita Sanchez, Gutierez, Coninchus, & alij *locis citat.* contra nonnullos alios apud Sanchez *loco citato num. 24.*

19 Quam pœnam incurrãt contrahentes matrimonium cum Monialibus, & contra Religiosos, & Moniales, atque Clericos sacris initiatos. De qua re videndus est Sanchez *lib. 7. disp. 32.* Reginald. *num. 145.* [& quæ ego tradidi in meo tractatu *de censuris in particulari.*]

19 Quæres tertiò, quem effectum pariat affinitas superueniens matrimonio contracto, vt accidit, quando quis, post matrimonium cum Berta contractum, copulam habet cum sorore Bertæ, ratione cuius copulæ fit affinis cum ipsa Berta.

Respondeo, duplicem effectum parere. Primus est, vt coniux, qui commisit incestum cum consanguinea alterius coniugis in primo, vel secundo gradu, non possit ab ea petere debitum, priuatur enim iure petendi, *cap. 1. de eo, qui cognouit*, &c. Ita Sanchez *lib. 7. disput. 15.* Gutierez *de matrim. cap. 87. num. 2. & 6.* & alij apud Sanch. *num. 1.* vbi etiam *num. 3. ex cap. 1. de eo, qui cognouit consang.* ostendit, non solùm eum, qui cognouit consanguineam suæ vxoris, prohiberi, ne contrahat matrimonium, verùm etiam illos consanguineos coniugis, cum quibus alter coniux incestum admisit, [prohiberi matrimonium cum aliis contrahere. Vide infrà dicenda de impedimentis impedientibus.]

Dixi, *in primo, vel secundo gradu*, quia ex copula illicita non oritur impedimentum, nisi vsque ad secundum gradum, vnde qui cognoscit consanguineam suæ vxoris in tertio, vel quarto gradu, non priuatur iure petendi, nam impedimentum petendi oritur ex affinitate, quæ in copula illicita non extenditur vltra secundum gradum, vt declarauit Card. Congregatio. Ita Nauarrus, Rodriquez, & alij apud P. Ledesm. *quæst. 55.* & apud Sanchez *lib. 9. disp. 67. num. 14.* & apud Gutierez *loco citato num. 16.*

Aduertendum tamen est, eum qui cognouit consanguineam suæ vxoris in primo, vel secundo gradu, teneri reddere debitum alteri petenti, vt habetur *cap. discretionem, de eo qui cognouit consanguineam.* Ratio est, quia par non est, vt innocens damnum patiatur ob culpam delinquentis.

Secundus effectus est, vt coniux nocens non possit alium coniugem ducere, mortuo illo, quem de præsenti habet, *cap. 1. de eo, qui cognouit consanguineam.* Quòd si eo mortuo ducat, non potest ab eo debitum petere absque dispensatione, iuxta Azor. 3. *part. lib. 3. cap. 20.* Less. *lib. 4. cap. 3. dub. 11. nu. 81.* & alios contra Henriquez *lib. 12. cap. 2. num. 3.* Cordub. *lib. 1. quæst. 12. art. 1.* Sanchez *loco citato*, & alios, ex *cap. transmissæ, de eo, qui cognouit*, &c.

Obiicies: Qui habuit copulam cum sua propria consanguinea post celebratum matrimonium, potest à propria vxore petere debitum; ergo etiam qui cognouit consanguineam propriæ vxoris, potest ab ea petere debitum.

Respondeo cum Sanchez *loco citato num. 7.* & aliis, negando consequentiam, nam iura loquuntur de incestu cum consanguineis vxoris, non verò de incestu cum propriis consanguineis, sicut neque loquuntur de copula, quæ habetur cum affinibus coniugis.

21 An vterque coniux priuetur iure petendi debitũ, quãdo vterque copulã habuit cum consanguineis alterius coniugis.

21 Ex dictis colligi potest primò, vtrumque coniugem priuari iure petendi, quando vterque copulam habuit cum alterius consanguineis, aut etiam quando vnus tantùm habuit, sed de consensu alterius. Ratio est, quia ius relinquit potestatem petendi tantummodò coniugi innocenti.

Si tamen detur casus, vt vterque coniux copulam cum alterius consanguineis habuerit malitiosè, vt alterum coniugem defraudaret debito coniugali, tenetur reddere alteri petenti, nam fraus non debet illi patrocinari, fraus autem illi patrocinaretur acquirendo libertatem à reddendo debito, *cap. si vir. de cognatione spirituali*; vnde ius in hoc casu restringit suam prohibitionem, qua priuauerat delinquentem iure petendi, vultque coniugem reddere debitum alteri petenti, quãdo copulam commisit, eo malo fine; quando verò hoc non fecit eo fine, neuter potest alteri petenti reddere, quia vterque est priuatus iure petendi, & petens peccat petendo, petit enim copulam ab affine. Ita DD. statim citandi.

22 An maritus contrahens affinitatẽ cũ propria vxore, teneatur illi reddere debitum.

22 Secundò colligi potest, eum qui per copulam contraxit affinitatem cum suo coniuge innocente, teneri reddere debitum illi petenti, nam innocens non priuatur iure suo ob delictum alterius.

23 An maritus possit petere debitum ab vxore, cui factus est affinis.

23 Tertiò, eum qui per copulam contraxit affinitatem cum sua coniuge priuari iure petendi, etiamsi copula fuerit occulta, nam affinitas oritur tam ex copula occulta, quàm ex publica, *cap. discretionem, [de eo, qui cognouit consang.]* vbi nulla fit distinctio inter publicam, & occultam. Ita Sanchez *lib. 7. disp. 15. num. 13. & lib. 10. num. 30.* Reginald. *loco citato*, Gutierez *de matrim. cap. 87. num. 18. & 19.* & alij, quidquid aliqui apud Sanchez sentiant in contrarium.

Addo, non requiri sententiam iudicis ad hanc pœnam incurrendam, cum hæc sit pœna priuatiua, non requirens auctoritatem iudicis, & ita sit vsu recepta, vt benè ait Sanchez *lib. 7. disp. 64. num. 18. & lib. 9. disp. 30.* Reginald. *lib. 31. num. 294.* & patet ex dictis *de legibus.*

24 An maritus, qui factus est affinis cum vxore ante matrimonium consummatũ, teneatur Religionẽ ingredi.

24 Si quæras vtrum, qui contracto matrimonio rato, sed nondum consummato, cognouit consanguineam vxoris, ex qua copula factus est affinis cum vxore, teneatur ingredi religionem.

Respondetur iuxta dicta de voto religionis, & castitatis in Decalogo, non teneri. Ratio est, tum quia nullo iure probatur ad hoc teneri, tum quia per illam copulam non est priuatus obligatione reddendi, tum quia ita colligitur ex *cap. discretionem, & cap. tuæ fraternitatis. de eo, qui cognouit*, &c. Ita communiter DD. teste P. Ledesm. *quæst. 55. art. 6. vers. nihilominus.*

PVNCTVM XIII.

De impedimento impotentiæ.

TRia principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, quænam dicatur impotentia perpetua.

Secundò, ex quibus causis oriatur.

Tertio, vtrum dirimat matrimonium.

PRIMA

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quænam dicatur impotentia perpetua coeundi.

1 ILla dicitur impotentia perpetua coëundi, quæ non potest remoueri arte humana, vel absque probabili vitæ periculo, *cap. fraternitatis. de frigidis, & maleficiatis.* Ita P. Ledesm. *quæst.* 58. *art.* 1. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 7. *num.* 5. *&* 8. Coninchus *disp.* 31. *dub.* 7. *num.* 85. Nauarrus *cap.* 22. *num.* 59. Perez *de impotentia*, Sanchez *lib.* 7. *disp.* 93. *numer.* 8. Emanuel Sà *de impedimentis, num.* 18. [Filliucius *tract.* 10. *cap.* 3. *quæs.* 3. *num.* 68.] & alij communiter.

2 An impotentia dicatur perpetua, quando nō potest auferri absque arte magica, vel absque peccato.

2 Hinc sequitur primò, illam esse impotentiam perpetuam, quæ non potest auferri absque arte Magica, vel absque peccato, e. g. sine copula cum aliis viris, hæc enim censetur impotentia perpetua, eò quòd non videatur posse licitè auferri arte humana, iuxta illud axioma Iurisp. Illud non possumus, quod iure non possumus; iure autem, & licitè non possumus aliquid cum peccato, consequenter maleficium censetur impedimentum perpetuum, quando non potest auferri absque alio maleficio. Ita Henriquez *numer.* 9. *ad finem.* Gutier. *cap.* 112. *num.* 23. *& cap.* 113. Sanchez *loco cit.* [Filliucius *num.* 69.] & alij communiter.

3 An impotentia, quæ solo miraculo auferri potest, dicatur perpetua.

3 Secundò, illam esse impotentiam perpetuam, quæ solo miraculo potest auferri, nam illa non potest arte humana auferri.

4 An validum sit matrimonium contractū cum impotente, qui post matrimonium miraculo se liberatus est ab impotentia.

4 Ex quo patet, inualidum esse matrimonium contractum cum impotente perpetuo, sed post mattrimonium facto potente miraculosè, nam impotentia perpetua, antecedens matrimonium, dirimit matrimonium, talis autem est dicta impotentia, cùm non possit arte humana auferri, sed tantummodò per miraculum. Voco *miraculum* in præsenti casu id, quod fit modo extraordinario, & insueto, & hoc diligenter aduertendum est propter maleficium, quod licet auferri non possit, nisi per orationes, non tamen dicitur auferri per miraculum, cùm auferatur modo consueto, sicut etiam remissio peccatorum, quæ obtinetur per Sacramenta, non dicitur effici miraculosè, cùm efficiatur modo consueto, quamuis fiat virtute supernaturali. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 34. *quæst. vnica, art.* 3. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 93. Gutierez *cap.* 112. *num.* 22. Coninchus *num.* 85. [Filliucius *num.* 68. 69. *&* 81.] & alij *locis* statim *citandis.*

5 An perpetua sit impotentia, quæ tolli non potest absque periculo.

5 Tertiò, illam esse impotentiam perpetuam, quæ tolli potest ope humana, sed non sine corporali periculo: vnde quando femina ita est arcta, vt non possit absque vitæ periculo reddi apta, dicitur habere impotentiam perpetuam; quando verò potest iudicio Medicorum per incisionem reddi apta viro, vel per medicinam, non dicitur habere impotentiam perpetuam, consequenter validum est matrimonium cum ea celebratum, quamuis ipsa renuat incisionem, vel medicinam, nam attendenda est rei natura, secundùm quam in præsenti casu impedimentum non est perpetuum, sed temporale; cùm possit arte humana auferri absque probabili vitæ periculo. Ita Henriquez *loco citato n.* 9. Gutierez, Sanchez, [Filliucius,] & alij *locis citatis.*

SECVNDA PROPOSITIO.

6 Ex quibus causis oriatur impotentia.

6 EX triplici capite oriri potest impotentia perpetua. Primò ex improportione naturali, vt quando femina ita est arcta, vt non possit à viro carnaliter cognosci. Verum tamen est posse aliquando contingere impotentiam perpetuam respectu vnius, quæ non erit respectu alterius, vt quando femina est arcta vni, & non alteri, nec est vllum remedium, quo reddatur lata, & apta priori, [tunc enim matrimonium est irritum cum illo, cum quo est impotentia, quia cum illo saluari non potest essentia matrimonij, Sanchez *disp.* 98. *n.* 5. & alij communiter.] Idem dicendum est de viro respectu feminæ, propterea quando constat de impotentia hoc modo perpetua, potest Ecclesia declarare matrimonium inualidum: Ecclesiæ autem potest huiusmodi impotentia constare per testimonium hominum honestorum, qui virum inspexerint, & per testimonium honestarum mulierum, quæ feminam explorauerint, vt ait Rebell. *quæst.* 16. *numer.* 5. Sanchez *lib.* 7. *disput.* 109. [Filliucius *tract.* 10. *part.* 2. *ca.* 3. *quæs.* 3. *n.* 66. *& seqq.*] & alij.

7 An femina arcta teneatur pati incisionē, vt apta reddatur.

7 Si quæras, vtrùm femina arcta, quæ potest fieri apta proprio viro per incisionem, teneatur pati incisionem, vt apta reddatur.

Respondetur, teneri etiam cum graui dolore, quia hoc videtur necessarium ad copulam, cuius potestatem, & ius trāstulit in maritum. Non tenetur tamen huiusmodi incisionem pati cum grauissimo morbi incommodo, quia non videtur obliganda ad debitum coniugale reddendum cum suo tanto incommodo; matrimonium tamen cum ea celebratum, validum est, eò quòd non adsit impotentia perpetua, nam illa femina potest arte humana fieri apta per incisionem, [absque vitæ periculo, vt suppono;] quamuis ipsa nolit eam pati, aut non teneatur pati. Ita Henriquez *lib.* 12. *c.* 6. *num.* 8. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 93. *num.* 32. Gutierez *cap.* 112. *num.* 31. [Filliucius *num.* 70.] Emanuel Sa *loco citato, num.* 14. & alij communiter.

8 An, & quomodo impotētia oriatur ex frigiditate.

8 Secundò, impotentia potest oriri ex frigiditate, quando scilicet copula propter frigiditatem cōsummari, & semen emitti non potest, [*c.* 2. *de frig. & malef.*] & hoc impedimentum prouenire solet à viro, & non à femina, propterea femina, dissoluto matrimonio causa frigiditatis, potest alium virum ducere, *cap. requisiuisti* 33. *quæst.* 1. Ratio est, quia ipsa non est impotens, sed eius vir, ex opposito vir, facta separatione, non potest cum alia matrimonium inire, quod si ineat, inualidè init, cùm enim separatus sit à prima per sententiam Ecclesiæ (separatio enim facienda est per sententiam iudicis) præsumitur adhuc ineptus ad matrimonium propter frigiditatem. Ita Sanchez *disput.* 93. *num.* 37. Coninchus *disp.* 31. *dub.* 7. *numer.* 81. & alij DD. citati. Si verò post separationem probet se non esse frigidum, vt quia fornicatus est, vel quia secundas nuptias consummauit, separandus est à secunda vxore, & restituendus est primæ, nam validum est matrimonium celebratum cum prima, eò quòd verè non fuerit impotens impotentia perpetua, sed tantummodò separatus sit à prima vxore ex præsumptione impotentiæ perpetuæ. Idem dicendum est de muliere, quæ separata fuit à viro propter præsumptionem impotentiæ prouenientis ex arctatione, nam si postea cognoscatur apta, restituenda est priori viro, modò non sit reddita apta per fornicationem, nam quando femina ita arcta est, vt non possit reddi apta viro, nisi per fornicationem cum alio, censetur habere impotentiam perpetuam, vt patet ex prima propositione. Ita Gutier. *cap.* 112. *nu.* 7. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 7. *num.* 9. Sanchez *lib.* 7. *disp* 93. *numer.* 10. [Filliucius *num.* 69.] & alij, qui addunt, impotentiam non solùm oriri ex frigiditate, verùm etiam ex nimia caliditate, qua vir semen effundit, antequam debitum vas naturale ingrediatur. Secus si possit aliquam saltem seminis partem intra vas effundere, sic enim coniuges efficiuntur vna caro. Ita Sanchez *disp.* 92. *num.* 10. Gutierez *num.* 9. Reginaldus *num.* 101. [Ex dictis igitur constat impotentiam oriri posse ex frigiditate, vel nimia caliditate.]

9 An, & quomodo impotētia oriatur ex maleficio.

9 Tertiò, impotentia perpetua potest oriri ex maleficio perpetuo, facto ad impediendum congressum, & copulam maritalem, vt benè ait Speculum 1. *part. art.* 60. P. Ledesm. *quæst.* 58. *art.* 2. Rodriquez *cap.* 235. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 94. *num.* 8. [Filliucius *num.* 79.] & Henriquez *lib.* 12. *cap.* 8. vbi etiam ostendit, quomodo possimus cognoscere, an impotentia sit naturalis, vel proueniat ab arte Dæmonis, quod idem tradit Reginald. *lib.* 31. *num.* 104. *vers. Quartum dubium.* [& Sanchez *loco citat.*]

Tunc maleficium dicitur perpetuum, quando coniuges post experientiam triennalem non potuerunt copulam habere præmissis precibus, & aliis remediis pro maleficio amouendo, *cap. laudabilem. de frigidis, & malefic.* Ita Perez *loc. cit.* [Sanch. *num.* 9. Filliuc. *num.* 81.] & alij communiter.

Aduertendum tamen est, vt in simili dictum est de arctatione, quando maleficium perpetuum factum est tantummodò respectu coniugum præsentium, & non respectu aliorum omnium, coniuges posse facto diuortio matrimonium contrahere cum aliis. Ratio est, quia respectu aliorum non censetur adesse impotentia perpetua. Verum si coniuges post celebratum secundum matrimonium, cognoscant sibi redditam esse potentiam consummandi matrimonium cum priori coniuge, tenentur redire ad prius matrimonium, in quo perstendum est, nam illud est validum, nec irritatur per impotentiam præsumptam perpetuam, sed per veram impotentiam.

10 An coniux teneatur redire ad priorem coniugem, quando nō constat, an sublatum sit maleficium.

10 Maior difficultas est, vtrum coniux teneatur redire ad priorem coniugem, quando non constat, an sublatum sit maleficium, propter quod reddebatur impotens ad consummandum matrimonium, & propter quod facta est separatio.

Respondeo, non teneri redire ad primam coniugem, quia potest bona fide iudicare, nondum esse sublatum maleficium respectu prioris coniugis, quamuis experiatur se aptum ad consummandum cum secunda, *cap. si per sortiarias. 33. quæst.* 1. Ita Henriquez, Emanuel Sà, & alij *locis cit.*

11 Quid faciendum sit, quando dubitatur, an maleficium præcesserit matrimonium.

11 Adhuc difficultas est, quid faciendum sit, quando dubitatur, an maleficium, seu impedimentum præcesserit matrimonium, vel factum fuerit post celebratum matrimonium.

Respondet Sanchez *lib.* 7. *disp.* 103. *num.* 5. Gutierez *cap.* 116. [Filliucius *num.* 104.] & Reginald. *lib.* 31. *num.* 105. præsumi maleficium factum post matrimonium, consequenter non esse impedimentum dirimens. Ratio est, tum quia impotentia dirimens matrimonium debet præcedere matrimonium, & non subsequi, vt dicetur in tertia propositione, tum quia in dubio iudicandum est in fauorem matrimonij, vt tradit Sanchez *loco citat. & lib.* 1. *disp.* 18. *numer.* 5. Coninch. *disp.* 29. *num.* 42. Reginald. *num.* 19. *&* 46. Mascard. *de probationib. conclus.* 1027. *numer.* 1. vbi refert Riccium, Abbatem, & alios, Gutierez *cap.* 3. *num.* 16. *& cap.* 63. *num.* 30. *&* 31. nam matrimonij causa fauorabilis est.

Sed mihi probabilius dicendum videtur cum Angelo de impedimento impotentiæ, Speculo 1. *part. art.* 40. Rebell. *lib.* 3. *quæst.* 16. *sect.* 4. *num.* 22. Mascardo *de probat. conclus.* 816. *& concl.* 1027. *num.* 3. Emanuele Sà *num.* 14. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 8. *num.* 3. & aliis, præsumi maleficium fuisse factum ante matrimonium, & consequenter esse impedimentum dirimens matrimonium. Ratio est, tum quia hoc modo fauetur proli, tum quia in dubiis iudicandum est in fauorem matrimonij, quando matrimonium potest sortiri suum effectum, id est, procreationem prolis, vel saltem fugam fornicationis, ne quod fauore alicuius inductum est, in eius damnum retorqueatur, *reg. quod gratia. de reg. iur. in* 6. Hunc autem effectum non potest matrimonium sortiri, iudicando maleficium fuisse factum post matrimonium, nam cum hoc maleficio non stat procreatio, & generatio. Secus dicendum existimo cum ipso Sanchez *loc. cit. n.* 7. [Filliuc. *n.* 104.] quando dubitatur, an impotentia sit vera, & adhibita sufficienti diligentia adhuc remanet dubium, tunc enim iudicandum existimo in fauorem matrimonij, cùm matrimonium possideat, & dubitetur, an adsit impedimentum, quod non præsumitur adesse, nam potentia ad copulam est naturalis homini, consequenter quilibet præsumitur esse ad illam aptus, nisi aliud constet, & asserenti se esse impotentem ad generationem, incumbit onus probandi suam impotentiam, cùm habeat præsumptionem in contrarium.

TERTIA PROPOSITIO.

12 An, & quomodo impotentia dirimat matrimonium.

12 IMpotentia perpetua coëundi, antecedens matrimonium, dirimit matrimonium non solùm iure Ecclesiastico, verùm etiam iure naturæ ex quacumque causa proueniat. Ita communiter DD.

Quòd dirimat iure Ecclesiastico, patet ex *cap. quod sedem. de frigidis, & maleficiatis, & cap.* 1. 33. *quæst.* 1.

Quòd verò dirimat iure naturæ, ratio est, quia [ad valorem matrimonij requiritur vt coniuges possint copulari, & fieri vna caro; dicuntur enim duo in carne vna: sed cum impotentia perpetua non possunt fieri vna caro; ergo cum impotentia perpetua matrimonium non est validum. Confirmatur, quia de ratione matrimonij est vt tradatur potestas corporis ad vsum coniugalem; sed perpetuò impo-

tens non potest potestatem sui corporis alteri tradere ad copulam, & vsum coniugalem, cùm nullus tradere possit quod non habet, & impossibilium non sit obligatio; ergo matrimonium cum impotentia perpetua celebratum, irritum est, cum nihil subsistat sine sua essentia.] Ita Sanchez *lib.7.disp.98.* P. Ledesma *quæst.58.artic.1.* Valent. *loco cit.§.impotentia,* Specul.*art.* 38. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 7. Gutierez *de matrimonio cap.*112.*num.*2. Coninchus *disp.*31.*num.* 77. *dub.* 7. Reginald.*lib.*31.*num.*99. [Filliucius *tract.*10.*part.*2.*cap.*3.*quæs.*1. *numer.*61. & 71. & alij contra nonnullos alios asserentes dirimere iure solùm Ecclesiastico.]

Dixi, *impotentia perpetua,* quia impotentia temporalis non dirimit matrimonium, excepta impotentia ratione ætatis, quando matrimonium celebratum fuit inter impuberes, nondum aptos ad generationem, vt patet ex supradictis. Impotentia igitur temporalis, etiamsi ignorata sit, non dirimit matrimonium. Ratio est, tum quia morbus secundùm omnes DD. non dirimit matrimonium, quamuis reddat infirmum inhabilem, & impotentem per multos annos ad copulam; [aut etiam contrahatur ab infirmo morti proximo, qui numquam consummaturus sit matrimonium;] ergo impotentia temporalis non dirimit matrimonium, tum quia nullo iure probatur impotentiam temporalem dirimere matrimonium, etiamsi ignoretur, nam error, vel ignorantia impotentiæ non tollit simpliciter finem matrimonij, adhuc enim matrimonium ordinatur ad copulam, saltem pro tempore, quo aderit potentia coëundi. Verum tamen est, conscium suæ impotentiæ temporalis posse aliquando mortaliter peccare, non detegendo impotentiam, vt quando impotentia diu duratura est, in hoc enim casu censetur adesse deceptio grauis. Ita Sanchez *lib.* 7. *disput.* 92. *numero* 5. Gutierez *cap.* 112. *numer.* 4. & alij apud Sanchez *loco citat.*

Dixi in propositione, *impotentia antecedens matrimonium,* quia impotentia perpetua superueniens matrimonio, siue rato, siue consummato, non dirimit matrimonium, nam indissolubilitas matrimonij postulat, vt matrimonium non dirimatur per impotentiam superuenientem. Matrimonium igitur dirimitur per impotẽtiam perpetuam antecedentem ipsum matrimonium, siue impotentia sciatur, siue ignoretur. Ratio est, tum quia coniuges non possunt fieri vna caro, & matrimonium ex sua natura ordinatur ad copulam quæ redditur impossibilis per impotentiam perpetuam, quamuis enim copula ipsa actualis non sit de essentia matrimonij, nihilominus potestas ad illam est de essentia, tum quia sicut inualidè promittit in aliis contractibus, qui promittit aliquid, quod non est in ipsius potestate, ita inualidè init matrimonium qui non potest reddere debitum. Et hoc verum est, siue impotentia perpetua sciatur, siue ignoretur, [vt patet ex allatis rationibus.] Ita communior DD. sententia, Nauarr.*ca.*22. *n.*60. Valentiæ *loco cit.* [Sanchez *disp.*97.*numer.*2. Filliucij *numer.*92.] Coninchi *num.*79. & aliorum recentiorum contra Speculum 1. *part. art.*38.*concl.*7. Palud.*distinct.* 34. *quæst.* 2. arbitrantes, matrimonium esse validum, quando impotentia non ignorabatur.

13 An validum sit matrimonium celebratum cũ femina arcta quæ potest fieri apta per incisionem.

13 Ex dictis colligi potest primò, validum esse matrimonium, contractum cum femina arcta, quæ fieri potest apta per incisionem, nam huiusmodi matrimonium non censetur celebratum cum impotentia perpetua. Secus dicendum est, quando femina non potest semen recipere, & adeò arcta est, vt non possit iuuari. Ita DD. citati.

14 An validum sit matrimonium celebratum cũ femina inepta ad seminandum.

14 Secundò, validum esse matrimonium contractum cum femina, quæ potest semen recipere, quamuis ipsa sit impotens ad seminandum, [vel ad retinendum semen susceptum,] nam huiusmodi matrimonium non censetur celebratum cum impotente, cùm semen femineum non sit necessarium ad generationem, iuxta veriorem sententiam. Ita Henriquez *lib.*12.*cap.*7.*num.*4. Sanchez *disp.* 92. *num.* 9. Gutierez *cap.*112.*num.*8. [Filliucius *num.*63.]

15 An validum sit matrimonium celebratum cũ leproso.

15 Tertiò sequitur, validum esse matrimonium, contractum cum leproso, quamuis enim sit periculum ægritudinis contrahendæ in congrediendo, nihilominus adest potentia congrediendi, *cap.* 2. *de coniugiis leprof.* Ita Gutierez *numero* 5. Sanchez, [Filliucius,] & alij *locis citatis.*

16 An validum sit matrimoniũ, quando femina non potest reddere debitum sine graui sanitatis periculo, vel quando non potest parere, aut filios viuos in lucem edere.

16 Quartò, validum esse matrimonium, quando femina potest reddere debitum, sed non nisi cum grauissimo sanitatis periculo, vel quando non potest parere absque graui periculo vitæ, vel quando credit fore, vt filij mortui in lucem edantur, [hæc enim non est impotentia perpetua, cùm ipsi coniuges possint fieri vna caro. Ita Emanuel Sà *num.*14. Coninchus *num.*86. Gutierez *ca.*112.*num.*17. Rebel. *quæst.*16.*sect.*1.*num.*1. & 10. & Sanchez *lib.*7.*disp.*92. & 102. quidquid dicat Rodriquez *cap.*235.*num.*6. [Filliucius *num.*65.] & alij.

17 An validum sit matrimonium celebratum inter steriles.

17 Quintò, validum esse matrimonium contractum inter steriles, nam inter istos intercedit vera copula, apta ex sua natura ad generationem. Ita communiter DD. ex Henriquez *lib.* 12. *cap.* 7. *num.* 4. *in commentario littera D.* Reginald.*num.*103. Sanchez *disp.* 92. Gutierez *loco cit.num.*16. Coninchus *num.*86. [Filliucius *tract.*10.*part.*2.*cap.*3. *quæs.*5.*num.*78.]

18 An matrimoniũ validè celebretur à sene decrepito.

18 Sextò, validum esse matrimonium contractum à sene decrepito, qui saltem aliquando aliqua arte iuuari possit ad consummationem matrimonij. Secus dicendum est de sene omnino impotente ad habendam copulam. Vide Sanchez *lib.*7.*disp.*92. Summam Coronam *de impedimento impotentiæ num.*33. Nauarrum *cap.* 2. *num.* 59. Rodriquez, Gutierez *cap.*112.*num.*15. [Filliucium *tract.*10.*cap.*3.*quæs.*5.*numer.*94.] Valentiam *locis cit.* & Henriquez *lib.*12.*cap.*7.*num.*3. vbi dicit, validum esse matrimonium cum sene proiectæ ætatis, eò quod semper retineat intrinsecam potentiam suam seminandi, quæ tantùm per accidens per senectutem impeditur; idem tenent plures Doctores apud Gutierez *loco citato.*

Sed contrarium verius videtur, si senex sit omnino impotens ad habendam copulam; hic enim dicitur habere veram impotentiam perpetuam. Ita Sanchez *loco citato numero* 24. Gutierez *numero* 15. vbi plures alios refert. [Secus dicendum videtur de femina, licet vetula; hæc enim, licet frigida, recipere potest semen. Syluester *Matrimonium* 8. *quæst.*16. *dicto* 4. Sanchez *disputat.*92. *numero* 22. & alij.]

19 An validè celebretur matrimoniũ cum eunucho, vel spadone, vel cum habente testes obtusos.

19 Septimò, inualidum esse matrimonium contractum cum eunucho perfecto, vel spadone, qui scilicet caret semine. Ita communiter DD. quamuis aliqui antiquiores aliter senserint ante declarationem Sixti V. Ratio est, quia isti censentur impotentes, vnde Sixtus V. declarauit, inualidum esse matrimonium eunuchorum, [etiam scienter contractum;] cùm enim careãt vtroque teste, non possunt emittere verum semen intra vas femineum, quamuis illud ingrediantur. Idem dicendum est de illis, qui non sunt enuchi perfecti, sed nihilominus habent vtrumque testem ita contusum vt sint inepti ad verum semen emittendum. Secus dicendum est de eunuchis, qui carent vno tantùm teste, nam isti validè contrahunt, cùm sint apti ad generationem, imò etiam alij eunuchi, qui semen aptum ad generationem emittunt, si qui emittunt, validè contrahunt. Dico, *aptum ad generationem*; quia multi fortasse semen emittunt, sed improlificum, & ineptum ad generationem. Vide Sanchez *lib.*7.*disp.*92.*numer.*17. Rodriquez 1.*parte c.*235. Petr. Ledesm.*q.*58.*art.*1.*dub.*3. Rebell.*lib.*3.*q.*16. *sect.*3.*n.*17. Henriquez *lib.*12.*c.*8.*num.*1. Gutierez *de matrimonio c.*112. *num.*11. Reginaldum *lib.*31.*num.*102. [Filliucium *tract.* 10.*p.*2.*cap.*3. *quæsit.*5.*num.*76.]

20 Quid faciendum sit, quando coniuges sunt impotentes.

20 Quæres primò, quid faciendum sit à coniugibus, quibus constat adesse impotentiam perpetuam.

Respondeo, non posse debitum petere, vel reddere, nec posse delectari tangendo, osculando, &c. [imò dissoluendum est matrimonium non expectato triennio, si omnino constet adesse impotentiam perpetuam, qualis est amputatio virilium.] Ratio est, quia matrimonium celebratum cum impotentia perpetua est inualidũ, actus autem coniugales, quales sunt reddere, tangere, oscular, &c. non possunt exerceri existente matrimonio inualido. Ita Rebel, *q.*16.*n.*5. Emanuel Sà *num.*14. Henr.*lib.*12.*c.*7.*num.*7. Petr. Ledesm.*q.*58.*art.*2. [Filliuc.*n.*106.] & alij communiter. Si verò non constet adesse impotentiam perpetuam, sed tantummodò dubitetur, permittuntur coniuges simul cohabitare per triennium, vt matrimonium consummẽt, quo tempore si nequeant consummare, non amplius permittuntur cohabitare ad consummandum matrimonium, quia iudicatur adesse impotentia perpetua, & consequenter inualidum esse matrimonium, propterea facienda est separatio propter periculum incontinentiæ. Seclusò verò periculo incontinentiæ, iura permittunt vt vir habeat tamquam sororem, quam non potest habere vxorem, *cap.laudabilem, & cap.requisiuisti,*33.*q.*1. Ita Sanchez *disp.* 97. Henriquez *c.*7.*citato,n.*7. Gutierez *c.*114. Coninch.*n.*83. [Filliucius *nu.* 94. & alij communiter; quid autem seruandum sit à iudice, dum matrimonium declarandum est irritum ratione impotentiæ, videri potest apud Sanchez *disput.*108. *& seqq.* Filliucium *numer.* 105. *& seqq.* Panormit. & alios.]

21 Quando an incipiat triennium quo permittuntur coniuges simul cohabitare per triennium, vt matrimonium consummẽt, non amplius permittuntur cohabitare.

21 Rogabis, quandonam incipiat triennium, quo permittuntur coniuges simul habitare, vt experiantur, an possint consummare, quando dubitatur de impotentia perpetua.

Respondeo, incipere à die copulæ attentatæ, quando impotentia prouenit ex frigiditate, vel maleficio, quando verò prouenit ex arctatione, incipit, quando incipiunt remedia adhiberi. Ita Henriquez *c.*8.*n.*1. [Filliuc.*n.*112.] Reginald.*lib.*31.*n.*107. Sanchez *disp.*110. P. Ledesm.*loco citato,* & alij, qui addunt non requiri, vt hoc tempus ita sit continuum, vt sponsi die, ac nocte cohabitauerint, sed sufficere, si maiori anni parte cohabitauerint; [hæc enim, moraliter loquendo, censetur triennalis cohabitatio.] Ita Henriquez *cap.*7. *num.* 2. & alij. Vide Sanchez *lib.*7.*disp.*107. Gutierez *de matrimonio c.* 120. *& ca.*121. Coninch.*num.*83. Reginaldum *loco cit.* & Riccium *decis.*239. [Henriquez *loc.cit.* & Filliucium *num.*113.]

22 Quid faciendum sit, quando vnus coniugum incidit religionem ex præsumptione impotentiæ, sed postea cognoscitur error.

22 Quæres secundò, quid faciendum sit, quando matrimonium dissolutum fuit ab Ecclesia, quæ iudicabat adesse impotentiam perpetuam, & vir facta dissolutione matrimonij ingressus est religionẽ, in eaque professionem emisit, sed postea compertus est error, & deceptio iudicis, eò quod verè non fuerit impotentia perpetua, sed tantummodò temporalis. Difficultas est in præsenti casu, vtrùm professus cognito errore teneatur redire ad vxorem.

Respondeo cum Couarr.2.*parte cap.*3.§.4. Petr. Ledesm. *q.* 58. *artic.*2. Sanchez *disp.*99.*n.*37. Henriquez *lib.*12.*cap.* 7. Gutierez *de matrimonio c.*105. [Filliucio *tract.*10.*p.*2.*cap.*3.*quæs.*9.*num.*100.] & aliis, distinguendo hoc modo: Aut vir professus est ante consummatum matrimonium, aut post consummatum matrimonium. Si professus est ante consummatum matrimonium, non debet redire ad vxorem, *cap.expublico, de conuer.* Ratio est, quia matrimonium ratum dissoluitur per professionem. Si verò professus est post consummatum matrimonium, debet redire ad vxorem, quia matrimonium consummatum non dissoluitur per professionem. Consummatum matrimonium hoc loco appello, quando vxor recepit semen viri quacumque arte, quamuis nulla interceserit violatio clausti virginei, vt docet Sanchez *lib.*2.*disputat.*21.*numer.*6.7. & 8. Gutierez *cap.*54.*numer.*21. & deinceps.

23 An validè dissoluatur matrimoniũ, quando vterque coniux incidit religionẽ ob errorẽ impotentiæ.

23 Hinc colligi potest primò, vtrùm sit valida professio, & matrimonium dissoluatur, quando vterque coniux facta separatione ingressus est religionem, in eaque professus est, sed postea cognitum fuit impedimentum, propter quod facta fuit separatio, non esse perpetuum, dicendum enim est, validam esse professionem, & matrimonium dissolui, si professio facta fuit ante consummatum matrimonium, nam matrimonium nondum consummatum dissoluitur per professionem, matrimonium verò consummatum non dissoluitur. Ita DD. citati.

24 An suscipiens sacros Ordines ob præsumptionẽ impotentiæ.

24 Secundò colligi potest, vtrùm vir, qui ex præsumptione perpetuæ impotentiæ sacros Ordines suscepit remanente vxore in sæculo, restituendus sit vxori petenti, postquam cognoscitur, impotentiam non esse perpetuam, dicendum enim est restituendum esse, quia vinculum matrimonij adhuc perseuerat, eò quòd non sit irritum propter impotentiam præsumptam, nec sit dissolutum per susceptionem

tiæ, restituendus sit vxori si cognoscatur error.

nem sacrorum Ordinum, propterea vir tenebitur reddere debitum vxori, cum ipsa non sit priuata iure petendi. Non tamen ipse poterit petere propter votum castitatis emissum in susceptione sacrorum Ordinum. Ita Sanchez *lib.7.disp.99.n.40.* Rebell. *loco citato sect. 4. numero 22.* Henriquez *cap.8.* [Filliucius *num.100.*] & alij contra non nullos alios

25 An validæ sint secundæ nuptiæ, quando vnus coniugum iniit secundas nuptias, & alter professionem emisit in religione, credens inualidum fuisse prius matrimonium ob impotentiam præsumptam perpetuam, quæ re vera non erat perpetua, in quo casu distinguendum est hoc modo: aut matrimonium erat consummatum, aut non: si erat consummatum, inualidæ sunt secundæ nuptiæ, adhuc enim perseuerat vinculum prioris matrimonij, quod non fuit dissolutum per professionem alterius. Si verò non erat consummatum, videndum est, num inierit secundas nuptias ante professionem, vel an inierit post professionem alterius coniugis. Si eas iniit post professionem, validæ sunt secundæ nuptiæ, quia prius matrimonium non consummatum dissolutum fuit per professionem alterius coniugis in religione, consequenter vxor remanens in sæculo potuit post viri professionem validè celebrare matrimonium cum alio. Si verò iniit secundas nuptias ante professionem alterius coniugis, secundæ nuptiæ inualidæ sunt propter impedimentum ligaminis, eò quòd celebratæ fuerint adhuc subsistente vinculo prioris matrimonij, vnde, vt validæ fiant istæ secundæ nuptiæ, requiritur nouus consensus post professionem prioris coniugis. Vide San hez *loc.cit.n.38.*

25 An validæ sint secundæ nuptiæ, quando vnus illas celebrauit, & alter religionem ingressus est, credens adesse impotentiam perpetuã, quæ tamen nõ aderat.

26 An matrimoniũ validè celebretur ab hermaphrodito.

26 Quæres, vtrùm hermaphroditus possit validè matrimonium inire, & iuxta quem sexum.

Respondeo primò, hermaphroditum, in quo præualet vnus sexus, posse matrimonium inire iuxta sexum, qui in ipso præualet, vnde si præualet sexus virilis, potest contrahere cum femina, si præualet sexus femineus, potest contrahere cum viro. Ratio est, quia censetur esse illius sexus, qui in eo præualet, vt ait Baldus *in l. quæritur 10. ff. de statu hominum.* Sanchez, Gutierez, [Filliucius,] & alij statim citandi.

27 An hermaphroditus validè celebret matrimonium iuxta sexũ inferiorẽ.

27 Ex quo sequitur, matrimonium esse inualidum, si celebretur iuxta sexum inferiorem; sicut enim matrimonium celebratum inter personas eiusdem sexus est inualidum, ita inualidum est iure naturæ matrimonium, celebratum iuxta sexum inferiorem, nam si in hermaphrodito præualet sexus femineus, censetur femina; consequenter non potest cum femina contrahere. Si præualet virilis, non potest cum viro nuptias celebrare, eò quod censeatur illas celebrare cum persona eiusdem sexus.

Respondeo secundò, hermaphroditum, in quo sexus est æqualis, & neuter præualet, posse eligere, quem sexum ipse voluerit, & secundum illum contrahere matrimonium. Ita Henriquez *lib.14.ca.8.n.6.* Sanchez *lib.7.de matrim.disp.106.* Coninch. *disp.31.dubio 7.n.89.* Gutier. *de matrim.cap.119.* Nauarr. Sylvest. [Filliuc. *tract.10.part.2.cap.3. quæst.6.num.91.*] & alij apud Vgolinum *de irregularitate cap. 48. §. 1. num.3. folio mihi 192.*

An verò valida sit professio facta ab hermaphrodito in religione, dictum est de irregularitate, prouenient ex defectu corporis, *quæst. 2. punct.2.* [& de clausura *quæst.2. punct.10. §.5.*]

28 Ad quẽ spectet iudicare, quinam sexus in hermaphrodito præualeat.

28 Rogabis primò, ad quem pertineat iudicare, quinam sexus præualeat, & quid faciendum sit in dubio.

Respondeo, iudicium pertinere ad medicos, vel ad matronas peritas, quæ ex pudendarum partium inspectione iudicium ferre debent, vt ex Turrecremata tradit Sanchez *loco citato num.2.* In dubio tamen iudicium ferendum est ex ipsius hermaphroditi assertione, nullus enim magis valet hunc statum discernere, quàm ipsemet, vel quàm valeat Medicus innixus assertioni ipsius hermaphroditi.

29 An hermaphroditus, qui semel contraxit matrimoniũ iuxta vnũ sexum, possit mortuo coniuge iuxta alium sexum matrimonium cõtrahere.

29 Rogabis secundò, vtrùm hermaphroditus, in quo vterque sexus est æqualis, facta semel electione sexus, & contracto semel iuxta illum sexum matrimonio, possit mortuo coniuge mutare electionem, & secundum alium sexum contrahere matrimonium.

Respondeo cum Vgolino, Coninchо, Gutierez, Sanch. Filliucio, & aliis *locis citatis*, non posse absque graui peccato, variaret enim electionem in re grauissima, cùm sit valdè indecens vti modò vno sexu, modò altero. Si tamen contraherer, validè contraheret, quia nullum ius irritat illius matrimonium, nec illius potentia naturalis aufertur per electionem, aut per iuramentum antea præstitum non variandi electionem sexus.

30 An parochus possit assistere matrimonio hermaphroditi.

30 Rogabis tertiò, vtrùm Parochus possit assistere matrimonio hermaphroditi.

Respondeo, Parochum non posse assistere matrimonio illius, in quo vterque sexus est æqualis, donec hermaphroditus coram iudice Ecclesiastico protestatus sit cum iuramento, quem sexum sequi velit, cùm enim hæc pertineant ad forum externum, non debet Parochus sese in his immiscere, antequam hæc peracta fuerint coram iudice Ecclesiastico. Ita Sanchez *loco citat.* Maiolus *lib.3. de irregularitate cap.27. numer.16.* Gutierez *loco citato num 2.* [Filliucius *loco citat.*] & alij.

Atque hæc dicta sufficiant de impedimentis impedientibus, & dirimentibus matrimonium. De impedimento raptus videnda sunt ea, quæ infra tradam *quæst.4. punct.8. de raptu.* De impedimento verò absentiæ Parochi, & testium sufficienter egimus in præcedentibus. [*quæst.2. punct.6. & seqq.*]

PVNCTVM XIV.

De impedimentis non dirimentibus.

1 Quot sint impedimenta non dirimentia.

1 QVinque sunt impedimenta, quæ non dirimunt, sed tantùm impediunt matrimonium contrahendum: interdictum, sponsalia, Catechismus, votum, crimen, quæ omnia his versibus continentur, excepto crimine.

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque Catechismus, sponsalia, iungito votum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Quid nomine *interdicti* intelligatur.

2 INterdictum est prohibitio, qua certo anni tempore interdicitur matrimonium ab Ecclesia, *cap. non licet. cap. nec vxorem 33. quæst.1. & cap. Capellanus. de feriis.* Nomine *interdicti* intelligitur etiam prohibitio Episcopi, aut Vicarij, aut iudicis, aut Parochi interdicentis alicui, ne matrimonium contrahat donec aliqua causa, vel impedimentum examinetur.

3 An mortaliter peccet contrahens matrimoniũ tempore vetito.

3 Ex quo sequitur, contrahentem cum huiusmodi interdicto, vel prohibitione peccare mortaliter, facit enim contra prohibitionem superioris in re graui. Ita Sylvest. *verb. matrimonium 7. quæst.1.* Sanchez *lib.7. disput.7.* P. Ledesm. *quæst.50. art.1. concl.4.* Nauarr. *cap.22. n.68.* Emanuel Sà *de impedimentis impedientibus numer.1.* Coninch. *disp.30. de matrim. dub.3. num.23.* Reginald. *lib.31. nu.189.* [Filliucius *tract.10. p.2. cap.9. quæst.1. num.267.*]

4 Quo tẽpore vetitum sit celebrare matrimoniũ.

4 Quæres, quonam tempore vetitum sit celebrare matrimoniũ.

Respondeo, ex Tridentino *sess.24. cap.10.* vetitum esse à primo die Aduentus Domini vsque ad diem Epiphaniæ, & à quarta feria Cinerum vsque ad octauam Paschæ inclusiuè, quod tempus incipit à media nocte præcedenti Dominicæ Aduentus, & à media nocte feriæ quartæ Cinerum, tunc enim incipit Aduentus, & Quadragesima ritu Romano, vt obseruat Sanchez *lib.7. disput.7. numer.2.* Reginald. *lib.31. num.188.* Henriquez *lib.11. cap.16. num.2.* vnde contrahens his temporibus mortaliter peccat, facit enim contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, nisi aliter receptum sit alicubi per consuetudinem legitimè præscriptam, vt hic Mediolani, vbi videtur vsu receptum, vt nuptiæ non interdicantur quarta feria Cinerum, sed tantùm die Sabbati proximè antecedente primam Dominicam Quadragesimæ, vsque ad Octauam Paschæ inclusiuè. Verum tamen est, de licentia Ordinarij posse dictis temporibus celebrari sponsalia, & matrimonia sine solemnitate, vt ait Glossa communiter recepta *in cap. Capellanus. de feriis.* [Sylvester, Caietanus, Paludanus, & alij apud Sanchez.] Secluſa verò licentia prohibitum est his temporibus matrimonium celebrare, & præsertim prohibitæ sunt ex Sanchez *num.12.* Regin. *num.188.* Coninch. *num.36.* solemnitates matrimonij, vt accipere benedictionem in Ecclesia, aut solemniter traducere sponsam domum, propterea hic Mediolani in Concilio Prouinciali V. *tit. quæ ad matrimonium, cap. ne quis,* imposita est pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda ab iis, qui temporibus prohibitis sponsam domum traducunt, aut nuptialia conuiuia celebrant, aut alia eius generis vetita faciunt, aut quouis modo huius culpæ participes sunt per se, vel per alium. Non est tamen vetitum his temporibus consummare matrimonium antea contractum, nam iura non loquuntur de consummatione matrimonij. Ita Sanchez *lib. 7. disput.7. num.21.* Nauarr. *cap.22. num.71.* Emanuel Sà *loc.citat.* Bellarm. *lib.1. de matr. cap.31.* Coninch. *disput.30. dub.3. ad finem.* Regin. *num.189.* & alij communiter.

[Ex dictis sequitur primò, eum grauiter peccare, qui sponsam tempore vetito traducit domum cum solemnitate, id est, conuiuiis, saltationibus, aliisque lætitiæ signis, quæ in huiusmodi casibus fieri solent. Qui verò priuatim traducit, nõ videtur grauiter peccare. Sicut enim licitum est consummare matrimonium; ita etiam domum traducere vt consummetur, nisi fortè alicubi obstet consuetudo, quam nemo dubitat introduci posse, vt benè Sanch. *lib.7. disp.7.* Filliuc. *tr.10. p.2. cap.9. quæs.3.* & alij, existimantes etiam matrimonium præfatis temporibus celebrari posse, ex *c. Capellanus, de feriis.* vbi habetur matrimonium quouis tempore celebrari posse, quem textum Doctores communiter intelligunt, modò matrimonium celebretur sine solemnitate, & modò non exstet consuetudo in contrarium, vt Mediolani, & alibi pluribus in locis.

Secundò sequitur non posse præfatis temporibus benedictionem solemnem absque lethali culpa fieri, quia violatur Ecclesiæ præceptum in re graui; consequenter Sacerdos tunc temporis benedicens graiuiter puniendus esset, pœna tamen iudicis Ecclesiastica arbitraria, cùm nulla in iure præscripta sit; ipsi verò sponsi in pœnam criminis separandi essent ad tempus. *c. non oportet, 2.33. quæst.4.* nisi fortè sponsi periculum incontinentiæ subirent ob separationem: tunc enim ad euitandam incontinentiam pœna arbitraria ipsis imponenda esset. Ita Sylvester *Matrimonium 7. quæs.2.* Rosella *verb. Impedimentum 17.* Sanch. *lib.7. disp.7. num.5.*] & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 An sponsalia sint impedimẽtum impediens.

5 SEcundum impedimentum impediens matrimonium contrahendum sunt sponsalia prius celebrata cum alia persona. Ita P. Ledesm. *loco cit. concl.3.* Nauarr. *c.22. n.74.* Coninch. *disp.30. dub.3. numer.23.* Sanch. *lib.1. disp.27. n.2.* Reg. *lib.31. n.187.* Eman. Sà *loc. cit. n.2.* Rebel. *lib.3. q.18.* [Filliuc. *num.274.*] Henriquez, & alij, quos retuli *de sponsalibus.* Ratio est, quia qui contraxit sponsalia cum vna persona, contraxit grauem obligationem standi sponsalibus, nam sponsalia sunt promissio matrimonij, quæ obligationem inducit sub mortali. Vtrum verò licitum sit aliquando resilire à sponsalibus, patet ex dictis *quæst.1.*

[Hinc sequitur sponsum, qui vni promisit matrimonium, non posse matrimonium cum alia inire, nisi dissoluta fuerint priora sponsalia.]

TERTIA PROPOSITIO.

6 An Catechismus impediat matrimonium, &

6 TErtium impedimentum impediens matrimonium contrahendum, est Catechismus, qui dicitur à catechizo, id est, instruo; catechismus enim est instructio fidei, quæ fit solemniter ante ianuam Ecclesiæ super baptizando, vel iam baptizato, ex qua tenens puerum contrahit cognationem spiritualem imperfectam, quæ non dirimit, sed

quando-nam hoc impedimẽtum contrahatur.

sed impedit matrimonium, *cap. per Catechismum. de cognatione spirituali in 6.* nisi velimus dicere cum Sanchez *lib.7.disp.10.n.12.* Gutierez *c.84.n.6.* Coninch. *n.24.* Reginald. *n.190.* Henriquez *lib.12.cap.2.* Emanuele Sà *loc.cit.* [Filliucio *tract.10.p.2.c.9.n.273. ad fin.*] & cum aliis, sublatum esse istud impedimentum in Tridentino *sess.24.cap.2.* vbi Concilium restrinxit cognationem spiritualem ad eas tantum personas quas ibi enumerat; cum autem ibi nullam faciat mentionem tenentis in Catechismo, signum est huiusmodi cognationem sublatam esse.

Posito verò quòd hoc impedimentum non fuerit sublatum, vt asserit Vgolin. *de matrim. cap.20.* Nauar. *cap.22.n.72.* & alij quàm plures apud Gutierez *loc. citat.* dicendum est, istam cognationem, seu impedimentum contrahi ab eo qui gerit personam infantis, respondendo ad interrogationem factam à Sacerdote circa fidei articulos, præterea istam cognationem iuxta Sanchez *loc.cit.n.7.* Rebel. & alios non solùm contrahi à tenente puerum, dum baptizatur, sed etiam ab eo, qui puero iam baptizato præstat hoc officium dum suppletur Catechismus, & aliæ solemnitates in Ecclesia, adhuc enim iste dicitur tenere puerum in Catechismo, consequenter contrahi cognationem, iuxta restrictionem à Tridentino factam in cognatione, quæ contrahitur in Baptismo, vt ostendit Nauarr. *cap.22. numer.72.* Sanchez *loc. cit. num.10.* [& Filliucius *num. 292.*]

Hinc facilè dissolui potest illa quæstio de qua interrogatus fui: Vtrùm Titius, qui in Catechismo suscepit filium Bertæ domi antea priuatim baptizatum, contraxerit impedimentum cognationis cum matre filij, & à quo debeat illius dispensationem obtinere.

Responderi potest iuxta Nauarr. Rebellum, Valentiam, & alios statim citandos, contraxisse impedimentum, iuxta alios verò, quorum sententiam probabilem existimo, nullum contraxisse impedimentum, quod indigere videtur dispensatione. Ratio est, quia impedimentum cognationis, quod iure antiquo consurgebat ex Catechismo, videtur sublatum per Tridentinum *sess.24.cap. 2. de reformatione*, vbi sancta Synodus volens occurrere incommodis, & periculis, restrinxit impedimentum cognationis ad eas tantummodò personas, quarum ibi mentionem facit, vt patet ex ipso contextu, iis verbis: volens itaque sancta Synodus huic incommodo prouidere, &c. Cùm autem sancta Synodus nullam ibi faciat mentionem tenentis in Catechismo, sequitur tenentem in Catechismo nullum contrahere cognationis impedimentum. Ita Emanuel Sà *verb. matrimonij impedimenta non dirimentia num.4. fol.382.* Henriquez *lib.12.cap.2.num.1.* Sanchez *lib.7.disp.10.num.12.* Petr. Ledesm. *de matrim. q.56. artic.3. folio mihi 530. col.2. littera B. versic. In huius expositionem.* Speculum *de matrimonio, artic.22. ad finem versicul. resp. folio mihi 75.* Idem tenent multi discipuli S. Thomæ, teste Petr. Ledesma *loco citato.* contra Nauarr. *c.22.num.72.* Rebell. *de matrim. lib.3. quæst.18. num.20. folio 360.* Valentiam *tom.4. disp.10. q.5. punct.4. col.1701.* & alios apud Sanchez *loc.citat.*

Obiicies, Tridentinum *loco citato*, intentionem habuit restringendi tantummodò illa impedimenta, cum quibus matrimonium dirimitur, vel quo contracto perseueratur in peccato, vt patet ex prioribus verbis illius capitis; cùm autem matrimonium non dirimatur per impedimentum Catechismi, nec contrahentes contracto matrimonio cum huiusmodi impedimento persistant in peccato, sequitur impedimentum Catechismi non fuisse sublatum per Tridentinum.

Respondetur, Tridentinum in prioribus illis verbis loqui in genere de impedimentis, non distinguens de impedimentis dirimentibus, vel non dirimentibus, sed postea in specie descendere ad cognationem, quam cùm restrinxerit ad personas tantummodò ibi recensitas nulla facta mentione tenentis in Catechismo, signum est, tenentem in Catechismo nullum contrahere cognationis impedimentum.

Ex dictis colligitur responsio ad secundam partem propositi casus, à quo sit obtinenda dispensatio, respondetur enim, non esse opus dispensatione. Ratio est, tum quia vsu receptum videtur, vt non petatur eiusmodi dispensatio, vt mox dicam cum Sanchez: tum quia non est necessaria dispensatio, seu relaxatio, vbi non est vinculum.

Sed posito, quòd hoc impedimentum non fuerit sublatum in Tridentino *loco citato*, dicendum adhuc videtur tenentem in solo Catechismo non cogi ad petendam illius impedimenti dispensationem à Sede Apostolica, sed sufficere, si eam petat ab Episcopo, nam consuetudine receptum est, vt impedimentorum impedientium dispensatio non obtineatur à Sede Apostolica, excepto voto castitatis, & religionis, vt tradit Nauarr. *in Manuali, cap.22. num.85.* Imò Sanchez *lib.7. disp.17. n.9.* existimat, absque vllo peccato contrahi posse matrimonium non obtenta dispensatione, eò quòd existimet, per consuetudinem introductum esse, vt dispensatio non petatur in impedimentis impedientibus, excepto voto, sponsalibus, & interdicto Ecclesiæ.

QVARTA PROPOSITIO.

7 An votũ simplex sit impedimẽtum impediens.

7 QVartum impedimentum est votum simplex castitatis, vel ingrediendæ religionis, vel suscipiendi sacros Ordines, vel non nubendi. Ratio est, quia matrimoniũ repugnat adimpletioni huiusmodi voti, & astrictus huiusmodi voto, grauiter peccat contrahendo matrimonium, cùm faciat contra votum in re graui, quamuis matrimonium ab eo factum validum sit. *cap. consuluit, cap. si quis votum 27. q.1. & cap. vnic. de voto in 6.* Ita Perez *de impedimentis non diriment.* Sanchez *lib.7. disp.11. num.4.* Gutierez *cap.85. num.1.* Coninch. *loco citato num.24. & 28.* Reginald. *lib.31. cap.24. n.184.* [Filliucius *tract.10. p.2. c.9. quæs.5. num.275.*] & alij communiter. Quòd verò matrimonium, non obstante voto simplici, validum sit; ratio est, quia res vni promissa potest alteri validè tradi; promittens enim non abdicauit à se dominium rei, sicut abdicat in ipsa rei traditione, vt in matrimonio.

Non nego tamen Summum Pontificem posse legem concedere, qua matrimonium ob simplex votum irritetur, vt statuit in votis simplicibus Societatis Iesu, vt alibi ostendi.

Ex dictis colligitur obstrictum voto castitatis, vel religionis grauiter peccare, celebrando matrimonium, vt patet ex ratione superius allata. Idem militat in eò, qui matrimonium scienter celebrat cum eo, qui voto castitatis detinetur; quia cooperatur peccato alterius; hoc tamen limitari posse videtur, nisi contrahant sub conditione dispensationis obtinendæ, quam Summus Pontifex agitatis stimulis carnis concedere consueuit.]

Vtrùm verò habens votum castitatis, vel religionis possit petere debitum, vel teneatur reddere intra bimestre contracti matrimonij, vel teneatur ingredi religionem, patet ex dictis in Decalogo de voto castitatis, & religionis, ad quæ remitto lectorem.

8 An vxor, quæ vouit castitatem, possit adulteriũ condonare viro, vt liberetur vinculo voti.

8 Si quæras, vtrùm vxor, quæ vouit castitatem, teneatur gratiam reconciliationis non concedere viro adulteranti, vt ea non concessa possit seruare votum, non reddendo debitum.

Respondet Rebell. *lib.3. quæst.12. sect.2. num.8.* & alij, posse concedere gratiam reconciliationis, eaque concessa debere viro petenti debitum reddere; quamuis enim vir per adulterium amiserit ius petendi, nec femina teneatur reddere debitum, nihilominus facta reconciliatione cum illo, vir denuò acquirit ius ad petendum debitum, & consequenter vxor debet illi petenti debitum reddere.

Sed mihi dicendum videtur, vxorem non posse licitè gratiam reconciliationis concedere viro adulteranti. Ratio est, quia astrictus voto tenetur adhibere media necessaria ad voti executionem; si ergo vxor non potest votum castitatis exequi, nisi gratiam reconciliationis deneget viro adulteranti, debet gratiam reconciliationis denegare. Vide, quæ diximus de voto castitatis *loc.cit.*

Si quæras, qua ratione respondendum sit astricto voto castitatis, aut alio simili voto impediente contractum matrimonij, si roget, an validum sit matrimonium cum huiusmodi voto celebratum.

Respondetur, præciso periculo peccati in interrogante, veritatem aperiendam esse, nulla enim subest ratio celandæ veritatis. Si verò periculum sit, vt interrogans, audita rei veritate contrahat matrimonium, respondendum est verbis ambiguis, vel cum æquiuocatione, ne detur occasio ruinæ, & scandali, quilibet enim tenetur proximi ruinam euitare. Si verò non possimus interrogantem eludere cauta responsione, nec cautè possimus veritatem reticere, possumus veritatem aperire, explicata tamẽ grauitate delicti, & sacrilegij, quod admittitur ab eo, qui cum huiusmodi voto audet ad nuptias aduolare, hoc enim pacto non est imputandum peccatum respondenti, cùm ipse non dicatur dare occasionem ruinæ, sed potiùs cauendi ruinam proposita grauitate peccati. Ita Sanchez *lib.7. quæst.11. numer.12.* Gutierez *de matrimonio, cap.85. n.5.* Coninch. *disput.30. dub.3. nu.32.* Reginald. *lib.31. cap.24. num.186.* & alij apud Sanchez, & apud Gutierez *locis citatis.*

QVINTA PROPOSITIO.

9 Quotuplex sit crimen impediens matrimonium.

9 QVintum impedimentum impediens matrimonium est crimen complectens plura delicta, quæ his versibus comprehenduntur.

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat: Prohibent hæc coniugium sociandum.

10 Quomodo incestus impediat matrimonium.

10 Primum crimen est incestus, qui in præsenti est fornicatio cum affine in gradu prohibito, vnde vir, qui scienter commisit incestum cum affine, id est, cum consanguinea vxoris vsque ad quartum gradum, & vxor, quæ copulam habuit cum consanguineo viri vsque ad quartum gradum, non potest mortuo altero coniuge contrahere matrimonium, quamuis incestus sit occultus, [ius enim generaliter loquitur. *cap. transmissa. de eo qui cognouit consang.*] Secus dicendum est, quando incestus commissus fuit cum affine, quæ ignorabatur esse affinis, *cap.1. de eo, qui cognouit consanguineam.* Ratio est, quia sicut ignorantia excusat à culpa, ita etiam à pœna. Ita Nauarr. *cap.22. num.74.* Sanchez *lib.7. disput.15. num.9. & lib.10. disput.32.* Gutierez *cap.87. num.11.* & alij. Verum tamen est, hoc crimen non extendi ad copulam habitam cum persona cognata cognatione legali, vel spirituali, cùm hoc non sit in iure expressum; imo neque extenditur ad copulam habitam cum propriis consanguineis, cùm iura videantur loqui tantummodò de incestu cum affine, & versemur in materia pœnali, quæ restringenda est, iuxta Sanchez *lib.7. disput.15. num.16.* P. Ledesm. *quæst.58. art.4.* Gutierez *cap.87. num.10. & 20.* Perez *§. incestus. fol.242.* [Filliucium *tract.10. par.2. c.9. quæs.6. nu.283. & 284.*] & alios contra Nauar. *cap.22. num.74.* Angel. *verb. Incestus numer.5.* Rebell. *lib.3. quæst.18. num.7.* Rodriq. *cap.222.* & alios apud Sanch. & apud Gutierez.

11 An impedimentum incestus extendatur ad copulam habitam cum consanguinea sponsæ de futuro ob publicam honestatẽ.

11 Grauior difficultas est, vtrùm hoc impedimentum extendatur ad copulam habitam cum consanguinea sponsæ in primo gradu. Ad quam difficultatem

Respondetur, iuxta communiorem sententiam extendi, vt patet ex *cap.2. de eo, qui cognouit*, &c. Ratio est, quia ratione publicæ honestatis consurgentis ex sponsalibus consurgit aliquod genus affinitatis, quamuis non sit propriè affinitas, vt suprà dictum est, vnde sponsus de futuro, copulam habens cum consanguinea sponsæ in primo gradu, non potest transire ad matrimonium de præsenti absque dispensatione non solùm cum sua sponsa propter affinitatem, sed neque cum alia. Ita Gutierez *cap.87. num.7.* Sanchez *loc. cit. num.5.* vbi plures alios Doctores citat contra Angelum *verb. Incestus num.5.* Perez *eodem verbo*, & Specul. *1. parte, art.23. columna mihi 3. versic. Hic potest esse dubium.* Aduertit tamen Sanchez cum Couarr. & aliis, hoc impedimentum consurgens ex copula habita cum cõsanguinea suæ sponsæ in primo gradu non esse perpetuum, sed temporale, ita vt sponsus, qui copulam habuit, non possit transire ad matrimonium viuente complice, cum qua copulam habuit, mortua verò complice possit contrahere. [*ca. duo pueri. de despons. impub.*] Ratio est, quia cum huiusmodi delictum non sit propriè incestus, par est, vt non puniatur pœ-

na

na perpetua, sed tantummodò temporali, quamdiu scilicet viuit altet complex. Idem tenet Gutierez *loc.cit.num.7.* cum Lopez, & aliis.

12 An impedimentum incestus contrahatur ab eo, qui mortua propria vxore copulam habet cum consanguinea illius.

12 Adhuc est difficultas, vtrum, qui mortua vxore copulam habet cum vxoris consanguinea, contrahat hoc impedimentum. e.g. Titius mortua Berta sua vxore carnaliter cognoscit sororem Bertæ, quæritur vtrum contrahat impedimentum criminis, ratione cuius impediatur inire matrimonium cum alia. Ad quam difficultatem

Respondetur affirmatiuè cum Sanchez *loc.cit.num.* 12. P. Ledesm. *quæst.58.art.*4. Rebell. *lib.3.quæst.*18.*num.*10. Gutierez *cap.* 87. *nu.* 17. [Filliucio *tract.*10.*part.*2.*cap.*9.*quæs.*6.*nu.*278.] & aliis contra Henriq. *lib.*12.*cap.*2.*n.*1. Sotum *in* 4.*dist.*27.*quæst.*1.*art.*1. & alios apud Gutierez, & apud Sanchez *locis cit.* Ita colligitur *ex cap. transmissa. de eo, qui cognouit consanguineam.* Ratio est, quia committens incestum cum affine contrahit impedimentum criminis, impediens matrimonium, sed copulam habens cum vxoris consanguinea committit incestum, etiamsi cum ea copulam habeat mortua vxore; ergo contrahit impedimentum criminis impediens matrimonium.

13 An raptus alienæ sponsæ impediat matrimoniū.

13 Secundum crimen est raptus alienæ sponsæ, nam qui rapit alienam sponsam, siue sit sponsa de futuro, siue de præsenti, contrahit impedimentum, ita vt non possit non solùm contrahere cum rapta, sed neque cum alia, *cap.statutum* 27.*quæst.*2. Ipsa etiam sponsa, quæ suum consensum præbuit raptori, impeditur, ne possit cum alio contrahere matrimonium. [*cap.statutum, cit.*] Ita Nauarr.*cap.* 22. *nu.* 74. Speculum 1.*parte, artic.*25. Rebell. *loc.cit.num.*4. Henriq. *lib.*12. *cap.*2. Sanchez *lib.*7.*disput.*12.*num.*43. Gutierez *cap.*86.*numer.*5. Coninch. *num.*25. [Filliucius *tract.*10.*part.*2.*cap.*9.*quæs.*7. *nu.* 285. & alij communiter; quamuis Sanch. & alij oppositum sentiant in raptu sponsæ de futuro; versamur enim in materia pœnali, quæ non facilè amplianda est.]

14 An homicidium vxoris, aut viri impediat matrimonium.

14 Tertium crimen est homicidium vxoris, ita vt qui propriam vxorem occidit, non possit matrimonium inire cum alia. [*cap. quicumque* 33.*q.*2.] Hoc crimen ab aliquibus DD. extenditur ad homicidium viri patratum ab vxore. Ita Nauarr. *loc. citat.* Paludanus *in* 4. *dist.*34. Henriq. *loc.cit.num.*1. Perez *§.vxoricidium, fol.*242. Rebel. *loc. cit.num.*5. & Gutierez *cap.*88.*num.*4.

Sed contrarium mihi dicendum videtur cum Speculo 1.*part. art.* 24.*concluf.*2. vbi plures DD. refert, Tolet. *lib.*7.*cap.*15. Sanchez *lib.*7. *disp.*16.*num.*6. [Filliucio *num.*288.] & aliis. Ratio est, quia nullus textus loquitur de homicidio viri patrato ab vxore, sed tantummodò de homicidio vxoris patrato à viro.

15 Quænā differentia sit inter crimen impediens, & dirimēs.

15 Hinc patet differentia inter crimen homicidij dirimens matrimonium, & inter crimen homicidij tantummodò impediens, quòd illud non solùm inducit impedimentum, quando vir occidit vxorem, verùm etiam quando vxor occidit virum, quod non accidit in præsenti crimine.

16 An inducatur impedimentum impediens, quādo vxor occiditur in flagranti delicto adulterij.

16 Addo cum Palud. *disput.*57.*quæst.*22. Speculo *loco citato*, & Emanuele Sà *de imp.non dirim.* contra Sanchez *lib.*7.*disput.*19.*num.*2. Gutierez *de matrim.cap.*88. [Filliucium *nu.*287.] Perez, Rebell. & Henriquez, & alios, hoc impedimentum non induci, quando vxor occiditur in flagranti delicto adulterij, tunc enim vir impunè per leges occidit, quamuis peccet in conscientia, vt dictum est *disput.*2. *de restit.quæst.vlt.punct.*2.*num.*5.

17 Quomodo baptizans, vel suscipiens proprium filium contrahat impedimentum impediens.

17 Quartum crimen contingit, quando quis suscipit proprium filium, vel filium alterius coniugis in Baptismo, vel in Confirmatione, aut illum baptizat malo animo, vt contrahat cognationem cum altero coniuge, ne debitum reddat, hic enim contrahit impedimentum, ne mortuo coniuge possit cum alio matrimonium inire: *can. de eo.*30.*quæst.*1. [Ita Henriquez *loc.cit. num.* 1. Sanchez *disput.* 6. *numer.*2. & alij.]

18 An homicidium Sacerdotis inducat impedimēt um impediens.

18 Quintum crimen est homicidium Sacerdotis, modò homicida fuerit de crimine conuictus in iudicio. [*cap.qui presbyterum. de pœn. & remiss.*] Ita Sylvest. *verb.matrim.*7.*part.*16. Rebell. *loco cit. num.* 6. Nauarr. *cap.*22.*num.*74. Emanuel Sà *loco cit.* [Sanchez *disp.* 6. *num.* 9. Filliuc. *num.*290. & alij communiter.]

19 An publica pœnitentia impediat matrimonium.

19 Sextum crimen est pœnitentia publica; nam quamdiu quis facit publicam pœnitentiam, impeditur, ne matrimonium contrahat, *can.de his.*33.*quæst.*2. Ita Sanchez *lib.*7.*à disput.* 6. Coninch. *num.* 24. Nauar. Perez, *locis cit.* & alij communiter, vtrùm verò hoc propriè appelletur crimen, parum refert.

20 An cōtrahens matrimonium cum Moniali incurrat impedimentum impediēs.

20 Septimum est crimen, quo quis matrimonium contraxit scienter cum Moniali professa, in hoc enim casu contrahens non solùm inualidè contrahit matrimonium cum Moniali, verùm etiam impeditur, ne possit cum alia contrahere. [*c.hi ergo.*27.*quæst.*1.] Vtrùm verò excommunicatio impediat contractum matrimonij, satis constat ex dictis de censuris.

21 An peccet mortaliter contrahens matrimonium cum impedimento non dirimente.

21 Quæres, qualem culpam committat contrahens matrimonium cum dictis impedimentis non dirimentibus.

Respondeo cum Nauarr. *cap.*22.*num.*74. Sylvest. *Matrimonium* 8. *quæst.* 6. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 18. & aliis, peccare mortaliter, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui; quamuis Sanch. *lib.* 7. *disput.*17.*num.*8. P. Ledes. *quæst.*50.*artic.* 1. *conclusione vltima*, & alij sentiant non peccare mortaliter, præterquam in voto, sponsalibus, & interdicto, cò quòd consuetudine receptum esse videatur, vt obstrictus aliquo ex his impedimentis soleat matrimonium contrahere absque dispensatione, nec puniatur aliter faciendo. Verùm sententia Sanch. & aliorum admittenda est tantummodò, vbi consuetudo inualuit, vt dispensatio dictorum impedimentorum non petatur, nec transgressores puniantur. Secus dicendum est, vbi lex est in suo robore; nam lex in materia graui obligat sub mortali. Ita sentire videtur Gutierez *cap.*87.*num.*23. & Reginaldus *lib.*31.*num.*192.

PVNCTVM XV.

Quis possit in impedimentis matrimonij dispensare.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An Papa dispensare possit in omnibus impedimentis matrimonij.

1 NVllus, neque Summus Pontifex, potest dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium iure naturali. Ratio est, tum quia non constat huiusmodi facultatem Summo Pontifici concessam esse, tum quia si hæc facultas relicta esset in Ecclesia, multa consurgerent pericula fornicationum, vt inter fratres, & sorores, spe obtinendæ dispensationis ad contrahendum matrimonium, quæ pericula, cùm præponderent cuicumque bono, quod in aliquo casu sequi possit in dispensatione obtenta in impedimentis dirimentibus iure naturæ, dicendum est, nullum, neque Summ. Pontif. posse dispensare in impedimentis iure naturæ dirimentibus: tum quia ita colligitur ex *cap.litteras. §. sanè, in fine, de restit. spoliatorum.* Ita Gutierez *cap.*122. Pet. Ledesm. *quæst.*55.*artic.*6. Specul. *art.*46.*concl.vnica*, Sanchez *lib.*8.*disput.*6.*num.*10. [Filliucius *tract.*10.*part.*2.*cap.*10. *quæs.*2. *num.*301.] Rebell. Valentia, & alij *locis citandis.*

2 In quibus gradibus consanguinitatis Papa dispensare possit.

2 Hinc patet, vtrùm Sum. Pontif. possit in aliquo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, aut transuersalis dispensare, aut in aliquo gradu affinitatis, nam ex sententia eorum, qui dicunt, matrimonium inualidum esse iure naturæ in quocumque gradu consanguinitatis lineæ rectæ, aut in primo gradu lineæ transuersæ, dicendum est Sum. Pontif. non posse validè dispensare in vllo gradu lineæ rectæ, vel in primo gradu lineæ transuersæ.

Dixi in propositione, *Summ. Pontificem non posse dispensare in impedimentis dirimentibus iure naturæ*, quia in impedimentis dirimentibus matrimonium solùm iure humano, certum est, ipsum posse dispensare, nam ipse est superior, & supremam in terris habet potestatem, superior autem potest in sua lege, & in legibus inferiorum sibi subditorum dispensare. Vtrum verò debeat dispensare tantum quando iusta causa interuenit, patet ex dictis de dispensationibus in tractatu de legibus, debere ex iusta causa dispensare, quamuis alioquin validè dispenset.

[Hinc sequitur Summum Pontificem posse in voto Sacrorum Ordinum, aut religionis dispensare; quia huiusmodi votum irritat matrimonium iure Ecclesiastico; quamquam non licitè dispensat, nisi adsit iusta causa, vt alibi docui, & bene Sanchez *lib.* 2. *disput.* 40. Filliucius *tract.*10.*cap.*10.*part.*2.*num.*303. *& seqq.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An Episcopus dispensare possit in impedimentis dirimentibus.

3 IN impedimentis non dirimentibus potest Episcopus dispensare, excepto voto castitatis, & Religionis absoluto & perfecto. Ratio est, quia quamuis inferior non possit dispensare in lege superioris per se loquendo, nihilominus, inquit Nauarr. *cap.*22.*num.* 85. [Sanchez & Filliucius *locis* proximè *citandis.*] consuetudine receptum est, vt dispensatio istorum impedimentorum non obtineatur à Papa, excepto voto castitatis, & Religionis. Idem à fortiori tenet Sanch. Ledesma, & alij quos retuli *puncto antecedenti ad finem.*

4 An, & quando Episcopus dispensare possit in impedimentis dirimentibus.

4 Addo Episcopum posse aliquando dispensare in impedimentis dirimentibus, quando scilicet impedimentum est occultum, & matrimonium publicum, nec coniuges possunt separari absque magno scandalo, nec ad Summum Pontificem, vel ad eius Nuntium patet recursus propter paupertatem, aut propter locorum distantiam, aut ob alia legitima impedimenta. Ita Valentia *tom.* 4. *disput.* 10. *quæst.* 5. *punct.*5. Rebell. *lib.*3.*quæst.*18.*num.*15. [Vasquez 1.2.*disp.*178.*cap.*2.*numer.*16. Azorius *tom.*1.*lib.*5.*cap.*15.*quæs.*7.] P. Ledes. *quæst.* 58.*artic.*8. Perez *§.*42.*fol.*162. Emanuel Sà *loc.cit.numer.*11. Gutierez *de matrim. cap.*123.*num.*7. & fusiùs *cap.*49.*num.*6.7.8. *&* 9. Sanch. *lib.* 2. *disp.* 40. *& lib.*8.*disp.*5. Riccius *decis.*261. [Filliucius *num.*302. & alij apud Sanchez *loc.cit.* & apud Salas *de legib.disp.*20.*sect.*3. *num.* 24. contra Cordubam, Medinam & alios.] Ratio est, quia non est credibile, Summum Pontificem velle reseruare sibi dispensationem in casu tantæ necessitatis, & cum tanto periculo animarum, consequenter præsumitur Episcopo concessa tacita facultas dispensandi in foro conscientiæ, modò matrimonium contractum fuerit bona fide, vt inquiunt communiter Doctores; si verò mala fide contractum sit, præsumitur, Summ. Pontif. in eo casu reseruasse sibi facultatem dispensandi, & nolle fauere iniquitati contrahentium, iuxta Tridentinum *sess.* 24. *cap.*5. asserens separandos esse sine spe dispensationis obtinendæ.

5 An Episcopus dispensare possit in impedimentis, quæ superueniunt matrimonio, & impediunt petitionem debiti.

5 Addo etiam, Episcopum posse dispensare in impedimentis, quæ superueniunt matrimonio, & impediunt debiti petitionem, vt quando matrimonio iam contracto superuenit impedimentum cognationis spiritualis, vel affinitatis, ratione cuius coniux, qui est effectus affinis, priuatur iure petendi, vt suprà dictum est. Ita Valentia *loc. cit.* Sanchez *lib.*8.*disp.*12.*num.*16. Henriq. *lib.*11.*cap.*15. Emanuel Sa *loc. cit.* [Filliucius *num.*308.] & alij communiter; quatenus verò possit Episcopus dispensare inter coniuges in voto castitatis, patet ex dictis de voto in secundo Decalogi præcepto.

6 An in casu necessitatis Episcopus possit per se, vel per alium dispensare in impedimentis dirimentibus.

6 Rursus addo cum Sanchez *loc.cit.num.*7. *& lib.*2. *disp.* 40. [Vasquez & Salas *locis cit.*] Henriq. *lib.*12.*cap.*3.*num.*2.*fol.*707. & Valentia *loc.cit.* Episcopum posse ex vrgentissima necessitate in impedimentis dirimentibus dispensare per se, vel per alium delegatum non solùm post cōtractum matrimonium, verum etiam ante, præsumitur enim habere tacitam facultatem Summi Pontificis in vtroque casu. Vnde, inquit Sanchez, Episcopus potest in foro conscientiæ dispensare cum illa, quæ manè accedit ad confitendum, & inuenitur habere impedimentum dirimens, cuius manifestatio esset illi causa grauis infamiæ; sed iam parata sunt omnia ad nuptias, eo mane, aut vespere celebrandas, nec adest alia via euadendi infamiam, vel suspicionem grauis delicti in Confessione manifestati, si tunc non celebrentur nuptiæ, quamuis hoc non approbetur à Gutierez *cap.*49.*num.*11.

Sed obserua pro praxi cum Sanchez *lib.* 2 *disputat.* 40. Gutierez

cap. 49.

*cap.94.num.*11. & aliis, quando Confessarius in confessione detegit aliquod impedimentum dirimens, posse hoc remedio vti ad vitandam suspicionem alicuius criminis, vel infamiæ inter sponsos, vt videlicet femina, vel sponsus voueat castitatem ad mensem, deinde dicat consanguineis, aut etiam aliis, se voto castitatis obstrictum esse, sibique à Confessario mandatum esse, vt abstineat à matrimonio, donec obtineatur dispensatio à Sede Apostolica, caueat tamen ne dicat votum esse ad tempus, ne audientes asserant, sufficere dispensationem Episcopi, sicque remedium deludatur.

Longa hic esset instituenda disputatio de iis, quæ pertinent ad dispensationem. Verùm, quia hæc sufficienter pertractata sunt in tractatu de Legibus, ne hic eadem frustrà repetam, ad ibi dicta te remitto. Hic solùm breuiter adnotabo quædam circa priuilegia, seu Bullas, quibus aliquando à Sacra Pœnitentiaria conceditur Confessario facultas dispensandi cum aliquo in impedimentis matrimonij.

7 Quid faciendum sit à Confessariis, quibus aliquando conceditur facultas dispensandi in impedimentis matrimonij.

7 Aduertendum est primò, Confessarium debere diligenter inquirere, num res ita sit, sicut exposita fuit Summo Pontifici. Sufficit tamen, si hoc inquirat ab ipso pœnitente, cui fidem præstabit, nisi contrarium sciuerit extra Confessionem, aut nisi tacitum sit aliquid, quod erat explicandum.

Secundò, non esse necessarium iuxta Sanchez *lib.8.de matrim. disput.34.num.29.* & Gutierez *cap.128.num.18.* vt pœnitens, cui concedenda est dispensatio, præmittat confessionem, nam in commissione Sum. Pont. non exigitur confessio tamquam conditio.

Tertiò, relictum esse prudentiæ Confessarij, vt iniungat pœnitentiam, quando pœnitentiæ non sunt taxatæ à Sacra Pœnitentiaria, de qua re videndus est Sanchez *lib.8.disp.34.num.41.*

Quartò, delictum debere esse occultum in ratione delicti. Tunc delictum dicitur occultum, quando non laborat publica infamia, aut quando non est deductum ad forum contentiosum, vt ostendit Sanchez *loc.cit.num.55.* Reginald. *lib.31.num.219.* & nos cum multis DD. ostendimus *in tract. de irregul.*

Quintò, huiusmodi dispensationem prodesse solùm in foro conscientiæ, ita enim exprimitur in ipsa facultate.

Sextò, pœnitentem, qui obtinuit facultatem à sacra Pœnitentiaria, vt possit à Confessario dispensari, posse vno Confessario negante dispensationem, adire alium Confessarium, nam pœnitens non tenetur acquiescere opinioni vnius Cõfessarij tantùm, sed potest alium adire, vt patet ex dictis de peccatis. Vide Sanchez *lib.8.disp.27.nu.38. 39.& 40.* & Gutierez *de matrim.cap.125.num.18.*

Septimò, non esse validum matrimonium contractum, antequam ordinarius, vel Confessarius virtute mandati Summi Pontificis, vel Pœnitentiarij dispenset, aliud enim est mandatum, aliud dispensatio, vt bene ait Couarr. *2.parte cap.6.§.9.num.vlt.* Sanch. *lib.8.disp.30.numer.12.* & alij.

Octauò, matrimonium inualidum ob occultum aliquod impedimentum, iterum celebrandum esse coram Parocho, & testibus, quando semel celebratum fuit coram Parocho, & testibus consciis illius impedimenti, aut quando impedimentum probari potest in iudicio, vt patet ex supradictis, *quæst.2.punct.9.* Secus dicendum est, quando delictum est omnino occultum, in quo casu non obstat, quominus Confessarius possit virtute Pontificiæ facultatis dispensare, quamuis in Bulla soleat hæc clausula apponi, si ita est, cum eis dispensa, vt inter se publicè, & seruata Trident. forma contrahant, nam Confessarius, licet non possit virtute illius facultatis concedere, vt occultè contrahant, nihilominus potest dispensare in impedimento, quo per dispensationem sublato, potest matrimonium [celebrari seruatis seruandis ; consequenter matrimonium celebrandum est iterum coram Parocho, & testibus ; si impedimentum erat notum priori parocho, vel testibus, aut si probari poterat in iudicio ; econtra verò matrimonium potest] occultè inire absque parocho, & testibus, quando impedimentum est omnino occultum, nec est periculum, vt detegatur, nec parochus, vel testes erant conscij illius. Ita Sanchez *lib.2. disput.37.num.9.* & alij contra Gutierez *cap.47.num.6.7.8.& 9.* Vide Suarez *de legibus lib.6.* Salas *de legibus disput.19.& 20.* Gutierez *à c.22.* Sanchez *lib.8.* vbi fusius agunt de dispensationibus, de quibus etiam à nobis sufficienter actum est [*in tract. de legib.* vbi etiam explicaui quæ pertinent ad dispensationes in impedimentis matrimonij, præsertim in vltimis editionibus.]

PVNCTVM VLTIMVM.

Vtrùm Confessarius, vel Parochus, vel Episcopus, qui nouit aliquos inualidè contraxisse, vel contracturos, teneatur illos admonere, aut denegare matrimonium contrahendum cum impedimento dirimente.

1 Quotuplex sit ignorantia.

1 NOtandum, ignorantiam aliam esse vincibilem & culpabilem, aliam inuincibilem & inculpabilem.

Rursùs aliam esse ignorantiam iuris, aliam facti.

Ignorantia iuris est, quando ignoratur lex prohibens, vt quando quis contrahit cum affine, nesciens ex affinitate oriri impedimentum dirimens.

Ignorantia facti est, quando nescitur tale factum sub lege comprehendi, quamuis sciatur lex prohibens, vt quando quis scit, affinitatem dirimere matrimonium, sed nescit illam, cum qua contrahit, esse affinem. Hæc latiùs explicata sunt in tractatu de peccatis de ignorantia excusante, ad quæ vos remitto.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An Confessarius, vel Parochus teneatur admonere pœnitentẽ,

2 COnfessarius tenetur admonere pœnitentem, qui ex ignorantia vincibili, & culpabili matrimonium inualidè contraxit. Ratio est, quia Confessarius tenetur ex officio instruere, & admonere pœnitentes. Confessarius enim vel est proprius Pastor, vel gerit vices proprij Pastoris ; proprium autem Pastoris est instruere subditum, quando indiget instructione, & admonitione, vnde Confessarius infideliter agit non instruendo pœnitentem ignorantia vincibili laborantem.

qui ex ignorantia culpabili inualidè celebrauit matrimonium

3 Hinc colligunt multi DD. Confessarium teneri admonere pœnitentem, etiamsi non speretur fructus emendationis. Ratio est, tum quia Confessarius tenetur munus suum persoluere, munus autem Confessarij est repellere pœnitentem minus dispositum, illumque admonere, tum quia admonitio fortasse proderit aliquando, cum fieri possit, vt pœnitens, cognito prauo statu stimulis agitetur, & respiscat. Ita Sotus *in 4.dist.18.quæst.2.art.4.* Arragonius 2.2. *quæst.33. art.6.* Coninch. Filliucius, & alij statim citandi.

1 An Confessarius teneatur admonere pœnitentẽ, quando nullum sperat fructum.

Sed quomodo istorum sententia intelligenda sit, ex sequenti propositione constabit.

[Idem sentiendum est, si pœnitens laboret ignorantia inuincibili, & speretur fructus ex admonitione, vt patet ex ratione superius allata.]

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An Cõfessarius, vel Parochus teneatur admonere pœnitentem, quando imminet scandalũ, aut infamia, &c.

4 COnfessarius non tenetur admonere pœnitentem, qui inualidè contraxit matrimonium ex ignorantia inuincibili iuris, vel facti, quando nullum sperat fructum ex admonitione, aut quando videt remedium difficillimum esse, ita vt scandalum, vel notabilis infamia, vel damnum inde sequatur, modò tamen non sit periculum damni communis. Hæc propositio probatur, tum ex *cap. quia circa. de consanguinitate*, [*& cap.si quis autem. de pœnit.*] tum quia præceptum correctionis non obligat, quando non speratur fructus, vt dictum est de correctione, tum quia nulli debemus laqueum iniicere, *cap.de viduis 2.27.quæst.1.* sed quando nullus speratur fructus, iniicimus laqueum admonendo, nam qui non peccabat ratione ignorantiæ, peccabit posita admonitione : ergo non tenemur admonere laborantem ignorantia inuincibili, quando nõ speratur fructus. Quando verò speratur admonitio profutura, sine graui scandalo, vel detrimento, tenetur Confessarius admonere, vt patet ex ratione primæ propositionis. Ita Med. C. *de confess.tract.2.quæst.19.dub.2. vers. corrol. sequitur.pag.*207. Coninch. *disp.8.de pœnit.dub.17. num.*136. Sanchez *lib.2.disput.38.* Suarez *de pœnit.disput.32.sect.4.num.4.* Reginald. *lib.2. num.45.& lib.31.n.229.* Vasquez *de pœnit.quæst.95.art.3. dub.9.* Henriquez *lib.6.cap.27.num.4.littera H.* Gutierez *de matrim.cap.48.nu.3.* Conradus 1.*p.q.*141. in responsione casuum conscientiæ, Lazarius *de monitoriis sect.2.q.17.n.9.* [Filliucius *tract.10 cap.3. quæs.10.n.97.*]

5 An Cõfessarius possit absoluere pœnitentem ignorantem matrimonium esse inualidum, quando alia de causa nõ vult reddere debitum.

Dixi in propositione, *modò non sit periculum damni communis*, quia quando imminet periculum damni communis, Confessarius tenetur admonere, etiamsi nullus ex admonitione speretur fructus, [ipsius delinquentis,] vt accidit, quando populus scit huiusmodi impedimentum, & scandalum sumit. Ratio est, quia illa ignorantia est contra bonum commune ratione scãdali, bonum autem commune præferendum est priuato. Hac de causa Concionator, vel Doctor publicus debet docere veritatem, quamuis inde sequatur damnum, & ruina aliquorum, nam illa doctrina dirigitur ad bonum publicum, à quo non debet Concionator abstinere, propter priuatum aliquod damnum, quod ab ipso nõ intenditur, sed permitttitur ex iusta causa. Ita Sanchez, Gutierez, Filliucius, & alij *locis citatis.*

6 An Cõfessarius possit in proposito casu præcipere pœnitenti, vt reddat debitum.

5 Rogabis, vtrùm Confessarius possit absoluere coniugem inuincibiliter ignorantem impedimentum dirimens matrimonium, quando idem coniux ita est actualiter affectus, vt nolit reddere debitum ob iram, indignationem, vel ob aliam causam iniustam, sed Confessarius non sperat fructum admonendo illum de inualiditate matrimonij.

Respondeo, non posse absoluere, quia pœnitens est in statu peccati, cum credat se iniustè denegare debitum.

6 Sed maior difficultas est, vtrùm Confessarius in proposito casu possit præcipere, vel monere, vt reddat.

Respondeo cum Soto *loco cit. ad secundum*, contra Sanchez *lib.7. disput.38.num.8.* Coninch. *loc.cit.num.139.* Henriquez *loco cit.num.5.* vbi citat Pennam, [Filliucium *num.98.*] & alios, non posse. Ratio est, tum quia Confessarius mentiretur dicendo pœnitenti, illam, cui pœnitens non vult reddere debitum, esse suam vxorem, tum quia inciteret illum ad peccatum, id est, ad copulam, quæ est intrinsecè mala, cum non intercedat verum matrimonium propter impedimentum dirimens inuincibiliter ignoratum. Quare in eo casu Confessarius non poterit monere pœnitentem, vt reddat, sed poterit in genere admonere, vt firmiter proponat non offendere Deum in vllo casu, aut poterit dicere in genere coniuges teneri debitum reddere, sicut in simili diximus de irregularitate.

7 An Confessarius non habẽs spem emẽdationis teneatur admonere pœnitentem qui ex ignorantia inuincibili iniustè possidet primogenituram, aut exercet contractũ illicitum, aut ignorat ea, quæ sunt de iure diuino, aut naturali.

7 Ex dictis in hac secunda propositione colligi potest primò, Confessarium, nulla existente spe emendationis, non teneri admonere pœnitentem, qui ignorantia inuincibili iniustè possidet primogenituram, quæ de iure alteri cedit. Idem dicendum est de pœnitente, qui exercet aliquem contractum vsurarium, quem ex ignorantia inuincibili nescit esse vsurarium. Idem dicendum est de pœnitente, qui tenetur ad restitutionem, ad quam inuincibiliter ignorat se teneri, sed non speratur fructus ex admonitione. Idem dicendum est in genere, quando pœnitens laborat ignorantia inuincibili in iis, quæ sunt circa ius diuinum, vel naturale, modò non ignoret ea, quæ sunt necessaria necessitate medij ad salutem, vt dictum est de fide. Ita Henriquez *lib.6.cap.27.num.4.fol.320.* Gutierez *loc.cit.numer.4.* Medina *loc.cit.* & alij apud Sanchez *lib.7.disp.38.nu.10.* contra Couarr. 4. *Decret.2.parte cap.6.§.10.num.15.* & alios, qui non admittunt hanc doctrinam in ignorantia iuris diuini, aut naturalis.

8 An Confessarius teneatur admonere pœnitentẽ de inualiditate matrimonij quando credit non posse obtineri dispensationem, aut periculum est, vt adhuc ad vxorem accedat.

8 Secundò, Confessarium non teneri admonere pœnitentem de inualiditate matrimonij, quando post admonitionem credit fore, vt pœnitens laborans ignorantia inuincibili facilè non possit dispensationem impetrare, & sit periculum, vt admonitus adhuc accedat ad vxorem, sciens illam non esse suam. Ita Coninch. Vasquez, Sanchez, & alij *locis citatis.*

9 An Confessarius,

9 Tertiò, Confessarium, qui nouit in confessione aliquos contracturos inualidè matrimonium cum ignorantia inuincibili impedimenti,

qui in cõfessione nouit aliquos inualidè contracturos esse matrimonium, teneatur illos admonere.

menti, non debere illos admonere, quando non sperat admonitionem profuturam. Ita Sanchez *loco cit. n.6.* Gutierez *n.4.* & alij. Quid verò faciendum sit à Confessario, qui hoc nouit extra confessionem, dicam in tertia propositione.

10 Quomodo Confessarius possit cognoscere, aliquem laborare ignorantia inuincibili.

10 Quæres primò, quomodo Confessarius possit cognoscere aliquem laborare ignorantia inuincibili.

Respondeo, posse cognoscere prudenter curando intelligere, an pœnitens credat se esse in bono statu, vel an habeat dubiam conscientiam. Hoc tamen prudenter faciendum est, ne Confessarius ingerat pœnitenti dubium aliquod malæ fidei, quando non sperat admonitionem profuturam Ita Sanchez *loc.cit.num.3.* & alij.

11 An Confessarius, vel alius teneatur aperire veritatem, quando à pœnitente dubio interrogatur de aliquo impedimento.

11 Quæres secundò, vtrum Confessarius, vel alius teneatur aperire veritatem, quando pœnitens dubius interrogat ipsum de aliquo impedimento.

Respondeo teneri, quamuis credat se nihil profuturum manifestando veritatem. Ratio est, tum quia pœnitens non dicitur in eo casu laborare ignorantia inuincibili, sed potiùs vincibili, cùm dubitet de impedimento, tum quia Confessarius non manifestando veritatem censetur approbare errorem. Ita Henriquez *lib.6.cap.27.num.5. pag.*321. Arragonius *loco cit.* Suarez *loco cit.num* 2. Coninch. *loco citato, n.*140. Sanchez *nu.*14. Reginaldus *loco cit.n.*44. Vasquez *loc.cit.nu.*2. Gutierez *loco cit.n.*4. Lazarius *in tract. de monit.quæst.*17. *sect.*2. *nu.*9. [Filliucius *num.*99.] & alij.

12 An Confessarius teneatur admonere pœnitentẽ, quãdo credit admonitionem nõ statim, sed breui profuturã.

12 Quæres tertiò, vtrum Confessarius teneatur admonere pœnitentem laborantem ignorantia inuincibili impedimenti, quando credit admonitionem non statim profuturam, sed futurum, vt breui tempore prosit.

Respondeo teneri, vt patet ex dictis de correctione. Melius tamen est admonere pœnitentem post absolutionem, quàm antè, ne turbetur, & ponat obicem ad gratiam. Ita Medina *C. de Confess. quæst.*19. *dub.*2. *dicto* 3. Gutierez *num.*4. *ad finem*, [Filliucius *n.*99.] & alij apud Sanchez *loco citato, numer.*16. Similiter quando Confessarius in actu confessionis credit pœnitentem, qui inuincibiliter ignorat impedimentum, ægrè laturum admonitionem, & putat ipsum meliùs susceperum, si alia vice admoneatur, potest differre admonitionem ad tempus opportunum, modò pœnitens laboret ignorantia inuincibili prædicta, iuxta Sanchez *loc.cit.n.*10. & patet dictis de correctione.

Quæ diximus de Confessario, dicenda sunt etiam de Pastore, & Parocho.

TERTIA PROPOSITIO.

13 An Parochus teneatur negare matrimoniũ illi, quem scit extra confessionem, vel in confessione habere aliquod impedimẽtũ.

13 PArochus, vel alius Sacerdos potest, & tenetur negare matrimonium illi, quem scit extra confessionem irretitum esse aliquo impedimento etiam occulto, quamuis ille publicè petat matrimonium, aut neget impedimentum, quod notum est Parocho. Ita Sanchez *lib.3. disp.*15. Coninchus *disp.*27. *dub.*7. *n.*66. Gutierez *c.*60. *n.*2. Reginaldus *lib.*31. *n.*240. Henriquez *loco cit.* & alij. Ratio est, tum quia ad Parochum non spectat discutere de impedimẽtis *cap.1. de consanguinitate*; sed pertinet ad superiorem habentem iurisdictionem in foro externo, tum quia ipse non debet assistere matrimonio inualido, sed valido, ne contrahentes maneant in perpetuo damnationis statu, tum quia ita colligitur ex *cap. finali de cland. desponsationibus:* vnde quando aliquis vult coniungi in matrimonium, & solus Parochus nouit impedimentum, Parochus debet admonere Episcopum, ne matrimonium contrahatur, nam sicut alij tenentur manifestare impedimentum, ita multo magis tenetur Parochus, cui ex officio incumbit consulere saluti suarum ouium, & inquirere impedimenta, præsertim cùm per ipsius testimonium sufficienter probetur impedimentum; quando enim non agitur de pœna inferenda, sed de vitando damno, vel iniuria alterius, aut peccato, quilibet tenetur denuntiare alterum, & vnus testis sufficit, *c. præterea 2. de sponsalibus, & c. super eo 2. de testibus, & attestationibus*, & patet ex dictis *in octauo Decalogi præcepto, & suprà quæst.2. punct.6. ad finem.* Vtrùm verò ad probandũ impedimentum matrimonij testis debeat esse omni exceptione maior, affirmat Riccius *verb. praxis matrim.* vbi hoc multis auctoritatibus, & decis. Rotæ comprobat, & præterea ostendit non sufficere, vt testis dicat se audiuisse impedimentum, nisi etiam illud probare possit.

Si tamen Parochus facta denuntiatione compellatur ab Episcopo assistere matrimonio, eò quòd contracturus matrimonium ostenderit Episcopo, se non esse obstrictum impedimento, non peccat assistendo, quamuis sciat adesse impedimentum, tunc enim, cùm ex iusta causa fungatur suo munere, non debet illi imputari peccatum contrahentis. Ita Henriquez *lib.1. cap.30. num.6.* Sanchez *lib.3. disp.*15. *num.*12. & alij.

Obiicies, peccatori occulto publicè petenti Eucharistiam, non est deneganda Eucharistia; ergo neque denegandum est matrimonium petenti publicè matrimonium cum impedimento occulto.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est; tum quia non pertinet ad Parochum discutere de impedimentis matrimonij; tum quia Parochus cauere debet, ne contrahentes maneant in perpetuo damnationis statu: tum quia ex denegatione matrimonij non sequitur grauis infamia, sicut sequitur ex denegatione Eucharistiæ. Ita Coninchus *loco cit. num.* 68. & alij DD. cit.

Dixi in propositione, quem scit extra confessionem irretitum esse aliquo impedimento, quia si Parochus nouit in Sacramento confessionis aliquem habere impedimentum dirimens matrimonium, non potest illi denegare matrimonium; non enim potest extra confessionem vti scientia in confessione habita, ne confessio reddatur odiosa, & onerosa, vnde Confessarius extra confessionem perinde se debet gerere, ac si nihil sciret, in iis scilicet casibus, in quibus pœnitens posset subire pudorem, & confusionem, si Confessarius non ita se gereret, pœnitens autem subiret pudorem, & confusionem, si denegaretur sibi matrimonium propter impedimentum in confessione cognitum, vt patet ex dictis de sigillo confessionis. Quare Parochus in dicto casu debet intra confessionem admonere pœnitentem, ne contrahat, extra cõfessionem verò non potest illum admonere, nisi priùs à pœnitente obtinuerit facultatem loquendi de auditis in confessione, quamuis enim non frangat sigillum loquendo cum ipso pœnitente extra confessionem de auditis in confessione absque eius licentia, nihilominus offendit sigillum, vt benè ait Sotus *in 4. dist.18. quæst.4. art.6.* & patet ex dictis *de pœnitentia.*

14 An Confessarius teneatur petere licentiam à pœnitente, vt illum admoneat extra confessionem de impedimento dirimente.

14 Rogabis, vtrùm Confessarius teneatur petere licentiam à pœnitente, vt illum admoneat extra confessionem de impedimento dirimente.

Respondeo, non teneri, saltem si commodò nequeat petere, vel admonere. Ita S. Thom. *in 4. dist.21. quæst.3. art.1.* Syluest. *verb. Confessio 3. quæsito* 14. Sanchez *lib.3. disp.16. num.16.* Coninchus *disp.27. dub. 7. num.7.* & *de pœnitent. disput.9. dub.4. num.67.* Gutierez *cap.60. ad finem*, & alij. Ratio est, tum quia ex auditis in confessione non cogitur Confessarius ad aliquod præstandum, vel omittendum, vel ad remedium exhibendum extra illam, notitia enim confessionis ordinatur solum ad forum confessionis, & pœnitentiæ, tum quia pœnitentes ægrè ferunt à se peti huiusmodi licentiam, nec vellent sibi quemquam loqui de peccatis confessis. Vide quæ dixi de sigillo confessionis *in Sacramento Pœnitentiæ.*

15 An Parochus possit in matrimonium coniungere illos, quos nouit obtinuisse dispensationem in foro conscientiæ.

15 Quæres, vtrum Parochus possit dissimulare, & coniungere illos in matrimonium, quos nouit obtinuisse dispensationem in foro conscientiæ.

Respondeo posse, quando nullus est, qui impedimentum apud ipsum denuntiet, & sibi aliunde constat de impedimento. Ita Sanchez *lib.3. disp.16. num.*14. Coninchus *disp.27. dub.7. num.64.* Gutierez *cap. 60. num.6.* Reginaldus *lib.31. nu.*241. Ratio est, quia ipsi contrahentes non peccant contrahendo; ergo neque peccat Parochus dissimulando, & illos coniungendo: nam ratio, cur teneatur Parochus inquirere impedimenta, est, ne subditi peccent contrahendo cum impedimento; ergo quando illi constat contrahentes non peccare, potest ipsos coniungere in matrimonium.

Hinc sequitur à fortiori, conscium impedimenti occulti, qui nouit contrahentes impetrasse dispensationem pro solo conscientiæ foro, non teneri ad denuntiandum, vt benè tradit Sanchez *lib.3. disp.*13. *n.*8. Gutierez *cap.59. n.*13.

Dixi, *quando nullus est, qui impedimentum apud ipsum denuntiet*, nam quando aliquis denuntiauit impedimentum apud Parochum, non potest Parochus dissimulare, & eos coniungere, quamuis sciat, ipsos obtinuisse dispensationem in foro conscientiæ. Ratio est, quia non pertinet ad Parochum discutere impedimenta, & de illis cognoscere, sed spectat ad Ordinarium, qui habet iurisdictionem in foro externo, *cap. fin. de clandestinis desponsationibus*; propterea Parochus debet, facta sibi denuntiatione, impedimentum deferre ad Ordinarium, volentibus sponsis vlteriùs procedere ad contrahendum matrimonium. Ita Sanchez *lib.3. disputat.15. num.*15. Coninch. *disput.27. dub.7. num.64.*

Sed modò difficultas est, quid faciendum sit quando contrahentes matrimonium celebrarunt obtenta dispensatione impedimenti occulti in foro interno, sed postea contracto matrimonio deregitur, & publicatur impedimentum.

Respondeo, impetrandam esse ratificationem dispensationis in foro externo, & contrahentes per iudicem separandos esse, donec obtineant in foro externo dispensationem, nam dispensatio in foro conscientiæ non prodest, nec admittenda est in foro externo, cùm actus non operentur vltra intentionem agentium. *l. non omnis. ff. si certum petatur.* Ita Sanchez *loco citat. num.*15. vbi refert Nauarr. & alios, Coninchus *disp.27. dub.7.*

QVÆSTIO IV.

De iis, quæ pertinent ad vsum matrimonij.

CVm actus matrimonialis sit licitus, & sit opus virtutis iustitiæ, ad quod tenentur coniuges ex contractu matrimonij, operæ pretium est in hac quæstione agere de iis, quæ pertinent ad huiusmodi actum, & obligationem, vt sciatur, quandónam licitè fiat, & quando illicitè.

PVNCTVM I.

Vtrùm coniuges peccent non reddendo sibi debitum coniugale.

VNICA PROPOSITIO.

1 An, & quãdo coniuges peccent mortaliter, non reddendo debitum alteri petenti.

1 COniuges regulariter peccant mortaliter non reddendo debitum alteri coniugi petenti expresè, aut tacitè, nisi habeant iustam causam denegandi debitum. Ita communiter DD. Ratio est, tum quia contrahentes matrimonium obligantur ex contractu matrimonij, seu ex iustitia ad reddendum debitum, nam vterque coniux in matrimonio tradit alteri potestatem sui corporis, sed qui facit contra iustitiam, peccat mortaliter ex suo genere; ergo coniuges peccant mortaliter non reddendo debitũ, tum quia sicut negans debitum ex iustitia in aliis rebus magni momenti peccat mortaliter, & facit grauem iniuriam creditori, ita negans debitum coniugale grauiter peccat, & facit grauem iniuriam coniugi petenti, tum quia 1. *Corinth.7.* dicitur, *Vir vxori debitum reddat.*

Dixi, *regulariter*, quia fieri potest aliquando, vt coniux, negando debitum, non peccet mortaliter, vt quando coniux petit beneuolè, & amicè, non tamquam sibi debitum ex iustitia, nec intendens obligare alterum ad reddendum sibi debitum, sicut amicus solet aliquando petere ab amico res sibi debitas absque intentione obligandi. Ita Sotus *in 4. dist.32 quæst. vnica*, Sylvest. *verb. Debitum coniugale, quæst.8.* Rebell. *lib.2. quæst.16. num.3.* Rodriquez *cap.243.* Emanuel Sà *verb. Debitum, num.8.* Perez *de redditione debiti fol.261.* Sanchez *lib.9. disp.12. n.9.* Henriquez *lib.11. c.15. n.7.* [Filliucius *tract.10. c.9. n.305.*]

& alij, quorum aliqui excuſant à mortali coniugem, qui rarò negat debitum, non enim videtur facere grauem iniuriam alteri ob paruitatem materię. Similiter excuſant eum, qui petitus non ſtatim reddit, ſed differt per aliquod breue ſpatium. Excuſant etiam negãtem debitum, quando alter coniux frequẽtius petit, quàm par ſit, nam in omnibus ſeruandus eſt modus. Hæc tamen intelligenda ſunt, modò non ſit periculum incontinentiæ, vel grauis morbi in petente ob denegatum ſibi debitum, [alioquin petenti grauis irrogari videretur iniuria.] Addo cum Sanchez coniugem negando debitum alteri non peccare mortaliter, quando alter remiſsè, & frigidè petit, aut rogatus facilè acquieſcit, tunc enim petens non videtur obligare alterum coniugem ad reddendum ſub mortali. Secus dicendum eſt, quando inſtanter petit, nec adeſt cauſa ſufficiens denegandi debitum, [tunc enim obligatio iuſtitiæ violatur.]

Dixi in propoſitione, *petenti expreſsè, aut tacitè*, quia vir non ſolùm tenetur reddere vxori expreſsè petenti, ſed etiam petenti tacitè, vt accidit, quando cognoſcit, ipſam habere voluntatem petendi, & non petere propter verecundiam, aut quando rationabiliter cognoſcit naturam hoc appetere, ſed ob verecundiam non peti. Vxor verò ordinariè non tenetur reddere debitum viro, niſi expreſsè petat, quia ordinariè non ita pudet virum petere, ſicut pudet feminam. Ita Eman. Sà *loco citat. num.* 8. P. Ledeſm. *quæſt.* 64. *art.* 3. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 10. *q.* 6. *punct.* 2. [Sanchez, Filliucius,] & alij. Si tamen detur caſus, in quo vir non audeat petere ob pudorem, aut puſillanimitatem, tenetur vxor reddere debitum viro; quamuis enim non petat expreſsè, petit tamen tacitè, taciti autem, & expreſſi eadem videtur obligatio.

2 An peccet mortaliter, qui ſe reddit impotentem ad reddendum debitum.

2 Ex dictis colligi poteſt primò, illum coniugem peccare mortaliter, qui ſe mediis illicitis reddit impotentem ad reddendum coniugale debitum, vt ſi crebrò ſe polluat, vel ad alias accedat, aduertens ſe inde reddi impotentem ad ſatisfaciendum propriæ vxori, facit enim contra obligationem contractus matrimonij, in quo ſe obligauit ad reddendum debitum, conſequenter tenetur iſtam circumſtantiam in confeſſione exprimere, vt benè ait Sãchez *lib.* 9. *diſp.* 3. Coninchus *diſp.* 34. *dub.* 2. *num.* 18. Reginald. *lib.* 31. *num.* 285. [& Filliucius *num.* 305.] Verum tamen eſt virum qui ſe totum reddit impotentem ad habendam copulam, non peccare tunc, quando petitus non reddit, tunc enim excuſatur ratione impotentiæ, alioquin ferè ſemper eſſet in ſtatu peccati, vt patet ex dictis de peccatis, ſed peccauit, quando ſe fecit impotentem, quia tunc voluntariè ſe ſubiecit illi impotentiæ contra obligationem contractus matrimonij.

3 An coniux poſſit ieiuniis, vel aſperitate extenuare vires quibus indiget ad reddẽdum debitum.

3 Secundò, coniugem non poſſe immoderata vitæ aſperitate, & notabili ieiunio extenuare vires, quibus indiget ad commodè reddendum debitum, ſicut etiam vxor non debet ſe ita vigiliis tradere, vt deformis, & exoſa viro efficiatur, ne det occaſionem viro quærendi ſibi alias feminas. Vtrum verò licitum ſit coniugi frangere ieiunium quando aliter non poteſt reddere debitum, & vtrum licitum ſit vxori frangere ieiunium de mãdato viri timentis, illam deformẽ euaſuram, patet ex dictis de ieiunio, licitum eſſe, vt etiam teſtatur Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 3. *n.* 11. Reginald. *loco citat.* Coninch. *n.* 18. [Filliucius *num.* 306.] & alij, quos retuli *de ieiunio.*

Tertiò, coniugem non poſſe diu abeſſe ab altero coniuge, niſi alter coniux conſentiat, aut neceſſitas exigat; nam per abſentiam impeditur vſus matrimonij. Ita Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 4. & Coninch. *loc. cit. n.* 19.

Dixi in propoſitione, *niſi habeant iuſtam cauſam denegandi debitum*, quia obligatio debiti non eſt tanta, vt coniux ſemper obligetur reddere, ſed ex iuſta cauſa poteſt excuſari à reddendo debito, qualis cauſa eſt probabile periculum vitæ, vel notabilis infirmitatis; periculum verò leuis infirmitatis non eſt cauſa ſufficiens, præſertim quando petens alioquin ſubiret periculum incontinentiæ, ſi debitum ſibi denegaretur, [quilibet enim tenetur ſatisfacere ſuo creditori, ſaltem cum leui incommodo.]

4 An laborans febri, capite, vel dentibus teneatur reddere debitum.

4 Hinc ſequitur primò, coniugem febri laborantem non teneri reddere debitum. Secus ſi tantùm doleat capite abſque febri, vel ſi doleat dente molari; ſicut enim in aliis obligationibus iuſtitiæ debitor tenetur ſatisfacere, quamuis ſibi timeat leue aliquod detrimentum, ita cõiux in præſenti caſu tenetur, non verò tenetur cum ſuo graui detrimento, [vt dum febri laborat, dum ſanguinem à vena extraxit, vel dum ſtatim à balneo exiit, & his ſimilibus:] nam ordo charitatis, & naturæ non obligat ad conſulendum magis alteri, quam ſibi ipſi. Quapropter obligatio ad reddendum debitum intelligitur, ſalua incolumitate perſonæ, ſeu ſalua ſubiecti conſiſtentia, vt ait Emanuel Sà *loc. citat. num.* 15. Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 24. *nu.* 2. Perez, Valentia, & Henriquez *locis citatis.*

5 An cõiux teneatur cum periculo reddere debitum ad vitandum periculum incontinentiæ in petente.

5 Addo cum Sanchez *loco citato, nu.* 12. Conincho *num.* 21. Reginaldo *loco citato, num.* 283. & aliis contra Pet. Ledeſm. *quæſt.* 64. *art.* 1. Rodriquez *loco cit. num.* 2. & alios, coniugem non teneri cum graui detrimento ſui corporis reddere debitũ, ad vitandum graue periculum incontinentiæ in coniuge petente. Ratio eſt, tum quia obligatio reddendi debitum intelligitur, ſalua ſanitate, & ordine naturæ, tum quia petens debitum non cenſetur eſſe in extrema neceſſitate ſpirituali, in qua charitas obligat ad præferendam proximi ſalutem ſpiritualem propriæ ſaluti corporali.

6 An coniux excuſetur à reddendo debito ſtatim poſt prandium.

6 Secundò, ſæpe coniugem excuſari à reddendo debito ſtatim poſt prandium, quia copula tunc temporis habita ſolet eſſe cauſa grauis detrimenti, vt teſtatur Sanchez ex Phyſicorum dictis.

7 An excuſetur vxor negando debitũ, quando moreretur in partu, ſi conciperet.

7 Tertiò, excuſari feminam, quæ moreretur in partu, ſi reddendo debitum conciperet.

8 An periculum infectionis morbi excuſet à debito reddendo.

8 Quartò, coniugem ſanum non teneri reddere debitum alteri coniugi leproſo, quoties iudicio Medicorum ſubit periculum grauis infectionis. Ita Perez *loco citato.* Henriquez *lib.* 11. *cap.* 5. *n.* 7. Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 24. Coninchus *diſp.* 34. *n.* 221. Reginaldus *lib.* 31. *n.* 303. & 284. [Filliucius *n.* 340.] & alij communiter. Idem dicendum eſt de morbo Gallico; nam coniux ſanus non tenetur reddere debitum alteri, quoties ex redditione debiti timet ſibi contractionem morbi, niſi fortè ante matrimonium ſciuerit, coniugem eſſe infectum illo morbo, tunc enim tenetur reddere, quia per contractum matrimonij ſcienter ſe ad hoc obligauit. Ita P. Ledeſm. *q.* 64. *art.* 1. Rodriquez *loco cit. num.* 2. Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 14. *num.* 18. & 22. Verum tamen eſt coniugem, quamuis non teneatur reddere debitum alteri coniugi infecto lepra, vel morbo Gallico, ſi neſciebat ante matrimoniũ ipſum infectum eſſe huiuſmodi morbo, poſſe nihilominus reddere, licet periculũ ſubeat illius morbi, nam, cùm huiuſmodi morbus non tendat ad mortem, regulariter ſaltem loquendo, non impedit, quominus coniux poſſit reddere debitum ad fouendum coniugalem amorem, & ad vitandam incontinentiam, alioquin grauiſſimum onus eſſet, ſi coniux ſanus in his morbis ita diuturnis teneretur abſtinere ab actu coniugali, præſertim cum periculo incontinentiæ.

9 An ſublato infectionis morbo reddẽdum ſit debitũ.

9 Quintò, coniugem, ſublato periculo infectionis lepræ, vel morbi Gallici, teneri reddere debitum, quamuis ſit periculum infectionis in prole naſcitura; non enim adeſt iuſta cauſa negandi debitum, cùm melius ſit prolem naſci cum huiuſmodi infectione, quàm nullo modo naſci. Ita Rebell. *lib.* 2. *quæſt.* 16. *nu.* 4. [Sanchez *nu.* 25. Filliucius *num.* 341.] & alij.

10 An vxor poſſit negare debitum viro petenti tempore furoris, vel ebrietatis.

10 Quæres primò, vtrùm coniux peccet non reddendo debitum alteri coniugi petenti tempore furoris, vel ebrietatis.

Reſpondeo iuxta alibi dicta, per ſe loquendo non peccare; quia ebrius, vel furioſus non petit humano modo, cõſequenter coniux negans debitum, non cenſetur illi facere iniuriam, per accidens tamen fieri poteſt, vt coniux teneatur illi reddere, vt ſi ebrius alioquin expleturus ſit libidinem modo illicito. Ita Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 23. Pet. Ledeſ. *q.* 58. *art.* 3. Coninchus *diſputat.* 34. *dub.* 9. *num.* 70. & 80. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 347. Emanuel Sà *loco cit. num.* 16. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 10. [Filliucius *tractat.* 10. *cap.* 9. *quæſ.* 10. *num.* 338.] & alij. Addo cum Petr. Ledeſm. & aliis, virum compotem mentis peccare reddendo debitum vxori amẽti, dum adeſt periculum abortus, ſi ipſa concipiat. Si verò vxor ſit ſanæ mentis, & vir amens, vxor poteſt reddere debitum viro amenti, tunc enim periculum prolis præcaueri poteſt. Ita DD. citati.

11 An vir peccet, petendo debitum ab vxore lactante ſobolem, & an vxor poſſit negare.

11 Quæres ſecundò, vtrùm vir peccet mortaliter petendo debitum à coniuge lactante ſobolem, & vtrùm vxor, quæ ſobolem lactat, excuſetur negando debitum viro petenti.

Ad primam difficultatem reſpondeo, virum non peccare petendo. Ratio eſt, tum quia proles non ſolet inde pati damnum notabile: tum quia matrimonium eſſet viro iugum duriſſimum, ſi nõ poſſet petere: tum quia etiamſi demus, lac futurum pernicioſum infanti, nihilominus vir videtur habere rationabilem cauſam exponendi filium huic periculo, pater enim non intendit perniciem & damnum filij, ſed cenſetur illud permittere ex iuſta cauſa. [Ita Filliucius *n.* 337. & alij Doctores proximè citandi.]

Ad ſecundam difficultatem reſpondeo; quando coniuges ſunt pauperes, ita vt non poſſint aliis tradere prolem lactandam, vxorem excuſari negando debitum viro, ſi aduertat, lac futurum valdè pernicioſum proli, aut vbera exſiccari, tunc enim graue damnum prolis æquiparari poteſt graui damno proprio, cum cuius periculo non tenetur coniux reddere debitum. Ita P. Ledeſ. *q.* 64. *art.* 1. *dub.* 4. Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 22. *num.* 15. & alij.

12 An coniux poſſit negare debitum, ne multiplicẽtur filij.

12 Quæres tertiò, vtrùm coniux poſſit negare debitum, ne multiplicentur filij.

Reſpondeo cum Nauar. *c.* 16. *n.* 14. Sylueſter *loco cit. q.* 8. Coninchо *loc. cit. n.* 24. Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 25. Reginal. *lib.* 31. *n.* 289. & aliis, non poſſe, ſed grauiter peccare negando debitum, quidquid nonnulli ſentiant in oppoſitum. Concedo quidem, coniuges poſſe de communi conſenſu abſtinere à copula, ne plures filij generentur, (ſecluſo tamen periculo incontinentiæ,) eò quòd vterque voluntariè cedat iuri ſuo, ſed nego vnum coniugem poſſe negare debitum alteri, ne plures filios ſuſcipiat. Ratio eſt, tum quia facit iniuriam alteri petenti debitum, tum quia facit contra finem matrimonij, nam finis matrimonij eſt procreatio prolis.

13 An excuſetur, qui negat debitum ob inopiam alendi filios.

13 Non nego tamen, quin à mortali excuſari poſſit coniux negans debitum, quando coniuges non habent facultates ſufficientes ad filios alendos, modò non ſit periculum incontinentiæ. Ratio eſt, quia magna incommoditas, & difficultas in alendis filiis videtur cauſa ſufficiens ad illum excuſandum, ſicut excuſat in reſtitutione. Ita Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 25. *n.* 3. Petr. Ledeſma *q.* 64. *art.* 1. Rodriquez 1. *part. cap.* 243. *num.* 1. Emanuel Sà *verb. Debitum coniugale, num.* 18. contra Coninchum *loco citato.* Secus dicendum eſt, ſi coniuges habeant facultates ad alendos filios, quamdiu vterque, vel alter eorum vixerit, licet poſt eorum mortem non ſuperſit filiis, quo ſe alant, tunc enim non adeſt prædicta incommoditas, & mortuis parentibus pertinebit ad prolem ſibi victum comparare, & melius eſt proli naſci cum illa incommoditate, quàm nullo modo naſci.

14 An peccet vxor, quæ negat debitum, quando experta eſt, ſe non poſſe filios viuos parere.

14 Quæres quartò, vtrum femina peccet negando debitum, quando experta eſt, ſe non poſſe filios viuos in lucem edere.

Reſpondeo non peccare. Ratio eſt, quia coniux non tenetur reddere debitum cum probabili periculo vitæ: vxor autem magnum vitæ periculum ſubit ex morte fœtus in ventre. Poteſt tamen petere cum dicto periculo ad vitandum graue periculum incontinentiæ, nam eligit minus malum ad vitandum maius. Vide Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 102. *num.* 9. Rodriquez *c.* 235. *num.* 6. vbi citat Victoriam, Petr. Ledeſm. *q.* 58. *art.* 1. *ad finem.* & Reginaldum *lib.* 31. *num.* 287. & 288.

PVNCTVM II.

Vtrùm coniuges poſſint reddere debitum ſuperueniente inter ipſos affinitate, vel cognatione ſpirituali.

VNICA PROPOSITIO.

1 An poſſit reddi debitum quando

1 QVi ſcienter contraxit affinitatem, vel cognationem ſpiritualem cum propria vxore poſt celebratum matrimonium, non poteſt

post contractum matrimoniũ orta est affinitas, vel cognatio spiritualis inter coniuges.

potest petere debitum. Ita communiter DD. Ratio est, quia caret iure petendi, *c.1. de eo, qui cognouit*, &c. & patet ex supradictis de affinitate, vbi etiam dictum est, vtrùm teneatur reddere alteri petenti. Quod vt meliùs intelligatur:

2 An cõiux nocens possit reddere debitum innocenti, cum quo affinitatem contraxit.

2 Quæres primò, vtrum coniux nocens, qui contraxit affinitatem cum propria vxore, possit reddere coniugi petenti.

Respondeo, transacto bimestri teneri reddere, nam alter habet ius petendi. Hoc tamen intelligitur, modò matrimonium nondum fuerit consummatum intra bimestre, id est, intra primos duos menses, vt in simili dictum est de voto, nam coniuges, intra duos menses post contractum, sed nondum consummatum matrimonium, habent ius non reddendi, eò quòd illis concessum sit bimestre, quo possint deliberare de statu religionis assumendo, *cap. expublico. de conuersione coniugatorum.* Ita Valentia *tom.4. disp.10. q.6. punct.2.* Eman. Sà *verb. Debitum, n.8.* Sanchez *lib.9. disp.6. num.14.* & alij communiter.

3 An baptizans vel suscipiens proprium filium ex Baptismo priuetur iure petendi, aut reddendi debitum.

3 Quæres secundò, vtrum iure petendi, vel reddendi priuetur coniux, qui post contractum matrimonium, cõtraxit cognationem cum altero coniuge, baptizando, vel suscipiendo filium communem, aut filium alterius coniugis.

Respondeo distinguendo, aut illum baptizauit ex necessitate, aut extra necessitatem, & ex malitia. Si baptizauit in necessitate, quando scilicet non aderat alius, qui illum baptizaret, & alioquin erat periculum, vt filius discederet sine Baptismo, non priuatur iure petendi, vel reddendi debitum. Probatur tum ex *cap. si vir. de cognatione spirituali*; tum quia necessitas caret lege; ergo excusat à pœna legis, tum quia æquum non est, vt quis subeat pœnam priuationis debiti absque sua culpa, & ex eo quòd satisfecit suæ obligationi. Ita Reginaldus *lib. 31. num.291.* Valentia *tom.4. disputat.4. quæst.2. punct.3. ad finem.* Henriquez *lib.2. cap.28.* Emanuel Sà *verb. Baptismus, numer.15. ad finem*, [Sanchez, Filliucius,] & alij DD. statim citandi. Secus dicendum videtur de illo, qui functus est munere patrini in necessitate, quando non aderat alius, qui hoc munus obiret, ex Petr. Ledesm. *quæst.56. art.1. dubio 1. post 10. lineas à principio.* Henriquez *lib.11. cap.15. num.11.* & aliis contra Suarez *3. part. de Baptismo, q.67. art.8.* Speculum *1. part. art.57. conclus.4.* Sanchez *lib.9. disput 26. num.3.* Emanuelem Sà *verb. Baptismus, num.8.* Coninchum *disp.34. dub.8. num.69.* & alios. Ratio est, quia non adest necessitas suscipiendi puerum, consequenter non est ratio, cur suscipiens excuseretur, sicut excusatur baptizans in necessitate. Si verò scienter baptizauit extra necessitatem, iuxta probabiliorem sententiam priuatur iure petendi ratione cognationis, seu compaternitatis, inde ortæ: tenetur tamen reddere petenti. *cap. si vir. de cognatione spirituali.* Ratio, cur non possit petere, est, quia contraxit cognationem cum proprio coniuge, ratione cuius priuatur iure petendi. Ratio verò, cur teneatur reddere petenti, est, tum quia fraus, seu malitia non debet patrocinari delinquenti, tum quia æquum non est, vt alter innocens absque sua culpa priuetur iure suo, *cap. discretionem. de eo, qui cognouit*, &c.

4 An priuetur iure petendi, qui extra necessitatẽ vt patrinus suscepit proprium filium.

4 Hinc patet à fortiori, eum qui extra necessitatem tamquam patrinus suscepit filium communem, vel alterius coniugis, priuari iure petendi. Ita Gutierez *cap.100. nu.6.* Speculum, & Henriquez *locis cit.* Rodriquez *cap.243. nu.10.* P. Ledesm. *loc. cit. dicto 5.* Nauar. *cap.16. nu.34.* Sanchez *loc. cit. num.7.* & alij. Obserua tamen, valde probabilem esse sententiam Sanchez *3. part. loc. cit.* Coninch. *disp.34. dubio 8. num.69.* & aliorum apud Sanchez *loc. cit. num.6.* afferentium, eum qui contraxit cognationem scienter baptizando, aut tenendo communem filium, aut alterius coniugis in Baptismo, vel confirmatione, non priuari iure non solùm reddendi, sed neque petendi, cùm hoc clarè non constet ex vllo iure, & in odiosis mitior pars accipienda sit.

5 An priuetur iure petendi vxor, quæ per vim cognita fuit à consanguineo viri.

5 Quæres tertiò, vtrùm vxor committens incestum cum affine, id est, cum consanguineo viri in primo, vel secundo gradu, sed à viro coacta, priuetur iure petendi.

Respondeo primò, non priuari iure petendi, quando per vim absolutam cogitur habere copulam, vt patet ex *cap. discretionem.* [*de eo qui cogn. consang.*] vbi redditur ratio, quia æquum non est, vt qui caret culpa, subeat pœnam priuationis debiti. Ita communiter DD.

Respondeo secundò, non priuari iure petendi debitum, quando commisit incestum ex metu graui incusso à viro, vel ab alio. Ratio est, quia huiusmodi metus excusat ab incurrendis censuris; ergo etiam excusat ab incurrenda pœna priuationis debiti, non enim credibile est, Ecclesiam velle punire hac pœna eos, qui ex metu graui non seruant suam legem, vt patet ex dictis de causis excusantibus à peccatis, & à censuris. Ita Nauarr. *c.27. n.63.* Rebell. & alij contra Sanchez *lib.9. disp.31. num.4.* Reginaldum *num.295.* & alios. Secus dicendum est quando vxor commisit incestum ex metu leui; tunc enim vxor priuatur iure petendi propter incestum, ratione cuius facta est affinis coniugi, siue vir consenserit, siue non. Ratio est, tum quia metus leuis non excusat à culpa; ergo neque à pœna, tum quia in iure nõ habetur ratio metus leuis, *l. nec timorem. ff. de eo, quod metus causa*; tum quia ita colligitur ex *cap. discretionem, citato.* De hoc metu intelligendum videtur *c. sacris. de iis, quæ vi.* Ita Graffius *1. part. decis. cap.8. lib.2. num.14.* Henriquez *lib.12. cap.2.* [Filliucius *tract.10. cap.9. quæs.13. num.349.*] & alij apud Sanchez *disp.31.* qui addunt, non solum ipsam vxorem priuari iure petẽdi debitum, sed neq; posse reddere debitum viro petenti, qui fuit particeps delicti: nam vir per participationem delicti priuatur iure petendi, *cap. discretionem, citato.* Vide quæ suprà diximus de affinitate.

6 An contrahens affinitatẽ ex ignorantia priuetur iure petendi.

6 Quæres quartò, vtrùm coniux, qui contraxit affinitatem, vel cognationem spiritualem cum altero coniuge ex ignorantia iuris, vel facti, vel pœnæ, priuetur iure petendi debitum. Pro solutione huius quæsiti:

Supponendum est aliam esse ignorantiam iuris, aliam facti, & aliam pœnæ. Ignorantia iuris contingit, quando aliquis accedit ad consanguineam vxoris nesciens latam esse legem positiuam humanam prohibentem accessum ad consanguineam vxoris; quamuis enim iste sciat prohibitum esse iure naturæ, accedere ad consanguineam vxoris, nihilominus dicitur habere ignorantiam iuris humani, eo quòd nesciat speciali lege humana prohibitum esse, accedere ad consanguineam vxoris.

Ignorantia facti est, quando aliquis scit latam esse legem ab Ecclesia specialiter prohibentem accessum ad consanguineam vxoris, sed nescit illam, ad quam modò accedit, esse consanguineam. Idem dicendum est, quando aliquis baptizat proprium filium, nesciens illum esse proprium filium, licet sciat ex Ecclesiæ statuto contrahi cognationem baptizando.

Ignorantia pœnæ est, quando aliquis nescit pœnam latam contra transgressores talis legis, quamuis fortasse habeat scientiam legis, & facti, vt accidit quando quis scit legem Ecclesiasticam, prohibentem accessum ad consanguineam vxoris, & præterea scit illam, cum qua modò congreditur, esse consanguineam vxoris in primo, vel secundo gradu, sed nescit congredientem cum consanguinea vxoris in primo, vel secundo gradu priuari iure petendi. Idem dici potest de baptizante, qui nescit, baptizantem proprium filium extra necessitatem, prohiberi, ne possit petere debitum. His positis:

Respondeo primò, coniugem, qui post contractum matrimonium factus est affinis, vel cognatus spiritualis alterius coniugis ex ignorantia inuincibili iuris, vel facti, non priuari iure petendi. Ratio est, tum quia iura prohibent debiti petitionem, quando contracto matrimonio scienter contrahitur affinitas, vel cognatio spiritualis, non verò, quando contrahitur ex ignorantia iuris, vel facti, *cap.1. de eo, qui cognouit consanguineam, & cap. si vir. de cognatione spirituali*; tum quia ignarus legis sicut excusatur à culpa, ita excusandus est à pœna. Ita Emanuel Sà *num.13.* Nauarrus *c.16. num.33.* Henriquez *lib.12. cap.15.* Sanchez *lib.9. disp.32. num.47. & 48.* P. Ledesm. *loc. cit. dub.4.* Reginal. *lib.31. num.298.* Suarez *3. part. disput.67. in comm. art.8. pag. mihi 245.* & alij.

Respondeo secundò, eum qui factus est affinis, vel cognatus spiritualis alteri ex ignorantia pœnæ, non priuari iure petendi, quamuis fortè haberet scientiam iuris, vel facti, iuxta Sanchez *lib.9. disput.32.* & Nauarr. *c.13. n.47.* & alios, quorum sententiam valdè probabilem existimo, vnde qui copulam habuit cum consanguinea vxoris in primo, vel secũdo gradu, nesciens ex huiusmodi copula cõsurgere priuationem iuris petendi debitum ab vxore, non priuatur iure petendi, iuxta dictam sententiam. Ratio est, tum quia ignorantia pœnæ excusat ab incurrenda excommunicatione, irregularitate proueniente ex delicto, & aliis censuris, vt suo loco probaui; ergo etiam excusat ab incurrenda priuatione iuris petendi debitum, tum quia quantitas pœnæ proportionari debet quantitati delicti, *cap. felicis. de pœnis in 6.* sed minus est delictum, & minor est contemptus contra legem, quando frangitur lex continens graues pœnas pœnis ignoratis, quàm illis cognitis; ergo eqũ non est, vt transgressor subiiciatur eisdem pœnis, quas ignorauit, quibus subiicitur, qui eas non ignorauit, alioquin quantitas pœnæ non videretur proportionari quantitati delicti. Ita Nauarr. & Sanchez *locis citatis.*

PVNCTVM III.

Vtrùm coniux possit & teneatur reddere debitum coniugi petenti illicitè.

1 Quibus modis debitum cõiugale illicite petatur.

1 NOtandum est primò, coniugem posse dupliciter illicitè petere. Primò potest illicitè petere propter aliquam circumstantiam, seu defectum tenentem se ex parte ipsius personæ petentis, vt accidit, quando coniux qui petit debitum, est obstrictus voto castitatis, vel quando petit animo fornicario, vel alio prauo fine. Secundò potest illicitè petere propter circumstantiam tenentem se ex parte actus, vt accidit, quando quis petit debitum in Ecclesia, aut in loco publico, aut cum periculo impediendi generationem, aut cum periculo mortis fœtus.

2 An sit idẽ petere illicitè, & iniustè.

2 Notandum secundò, non idem esse petere illicitè, & iniustè; nam aliquis potest aliquando petere illicitè, sed non iniustè, vt accidit, quando coniux obstrictus voto castitatis petit debitum; hic enim illicitè petit propter votum, sed non petit iniustè, cùm adhuc ratione matrimonij retineat ius petendi, nec illud amiserit per votum castitatis, vt patebit ex dicendis *num.8.* qui verò iniustè petit debitum, petit etiam illicitè.

His positis, duo principaliter quærenda sunt in hoc puncto.

Primò, vtrùm reddendum sit debitum petenti illicitè ob circumstantiam personæ.

Secundò, vtrùm reddendum sit illicitè petenti ob circumstantiam actus.

PRIMA PROPOSITIO.

3 An reddendum sit debitum petenti illicitè ob circũstantiam personę.

3 CONiux potest, & tenetur reddere debitum alteri coniugi petenti illicitè ob solam circumstantiam personæ. Ita Doctores citandi *ad finem numeri 3.* Ratio est, primò quia si non tenetur reddere, maximè, quia reddendo cooperatur peccato petentis illicitè; sed non cooperatur peccato petentis; quantum enim est ex se, exercet actum ex sua natura licitum coniugatis; ergo tenetur reddere.

Secundò, quia petens cum huiusmodi circumstantia tenente se ex parte petentis, non amisit ius petendi, quamuis illicitè petat; ergo si alter coniux non reddat, facit contra ius petentis.

Tertiò, quia si quis depositasset apud me pecuniam, & eam postea peteret, vt ea luxuriosè abuteretur, tenerer ex iustitia reddere pecuniam, præmissa priùs correctione, ne abutatur, vt suppono ex dictis de restitutione cum communi DD. sententia; ergo etiam coniux tenetur reddere debitum illicitè petenti, facta priùs fraterna correctione, vt illum à petendo auertat; quòd si correctio non prosit, vel non speretur profutura, tenetur illi reddere debitum. Secus si alter coniux

petat non solùm illicitè, verùm etiam iniustè, aut sine iure petendi, vt accidit quando petens contraxit affinitatem cum altero coniuge per copulam habitam cum cõsanguineo alterius cõiugis in primo, vel secundo gradu, aut quando petens adulteratus est, & nondum obtinuit gratiam reconciliationis ab altero coniuge; aut quando contraxit cognationem spiritualem, baptizando filium communem extra necessitatem, vel illum suscipiendo in Baptismo, vel Confirmatione, in his enim casibus, cùm petens sit priuatus iure petendi, non tenetur coniux petitus reddere petenti. Ratio est, quia non facit illi iniuriam non reddendo, nec violat ius illius, cùm non habeat ius petendi: quando enim actor perdit ius petendi, reus habeat ius non debendi: poterit tamen coniux petitus reddere petenti, si voluerit, cùm ipse non commiserit delictum, ratione cuius sit priuatus iure, & possessione petendi, vel reddendi, argumento ex *cap. transmissæ, & cap. tuæ, de eo, qui cognouit consanguineam.* Ita Sanch. *lib. 9. disp. 6. n. 12.* & alij contra Speculum *in append. ad 1. partem art. 15.* & alios.

Obiicies primò, contra propositionem, cooperans peccato alterius peccat, sed reddens debitum petenti illicitè, cooperatur peccato petentis; ergo peccat. Minor probatur, quia agentes, & consentientes pari pœna puniuntur.

Respondeo, coniugem reddentem petenti illicitè ob circumstantiam personę, non cooperari peccato petentis: sed cooperari actui coniugali, qui coniugatis licitus est ex natura sua: quare neganda est minor propositio.

Obiicies secundò, quilibet tenetur quantum potest, euitare offensam Dei; ergo tenetur abstinere à reddendo debito coniugi petenti illicitè, alioquin non euitaret offensam Dei.

Respondeo, quemlibet teneri euitare offensam Dei, quantum potest sine peccato in se ipso; coniux autem petitus non potest continere se à reddendo debito sine peccato in se ipso: peccaret enim non reddendo petenti illicitè ob solam circumstantiam personæ: cum petens habeat ius petendi.

Obiicies tertiò, si quis suum gladium apud me depositum peteret ad occidendum iniustè alterum, non possem illi tradere gladium; ergo neque possum reddere debitum petenti illicitè.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia tradendo gladium petenti, facerem iniuriam alteri, quem iste vult occidere, in nostro verò casu coniux reddens debitum petenti illicitè, nulli facit iniuriam; immò potius faceret iniuriam petenti negando debitum, quia coniux petens habet ius petendi, & petit illicitè ob solam circumstantiam personæ, vt suppono.

Obiicies quartò, bonum spirituale præferendum est bono corporali, sed propter bonum corporale non licet reddere debitum, vt si reddendo sequeretur graue malum petenti, vel proli; ergo multò minus licet reddere propter bonum animæ petentis, cuius peccatum cauetur non reddendo.

Respondeo cum Sanchez *loc. cit. num. 12.* posse aliquando reddi debitum cum periculo animæ ipsius petentis, quamuis non possit reddi cum periculo corporis. Ratio est, tum quia sicut coniux non potest petere cũ graui damno sui corporis, ita nec alter potest reddere cum periculo corporis alterius; tum quia homo non habet dominium supra corpus suum, vel alterius; circa animam verò suam quilibet habet dominiũ morale, eò quòd Deus reliquerit animam in manu consilij hominis, consequenter coniux petitus non tenetur negare debitum coniugi petenti illicitè cum damno spirituali animæ suæ, cuius dominium morale habet, quamuis non possit reddere cum periculo grauis damni corporis.

Ex dictis ergo patet petenti illicitè ob solam circũstantiam personæ reddendum esse debitum, modò petens habeat ius petendi. Ita Henriquez *lib. 11. c. 15. n. 8.* Rodriquez *c. 90.* Sanchez *loco citato*, Couarr. 3. *part. Epit. cap. 3. §. 1. num. 6.* Rebel. 2. *part. lib. 3. q. 17. art. 3. num. 10.* Coninchus *disp. 34. dub. 4. nu. 28.* [Filliucius *tract. 10. cap. 9. quæsito 3. num. 309.*] & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An reddendum sit debitum petenti illicitè ex parte actus.

4 NOn potest coniux reddere debitum alteri coniugi petenti illicitè, non ob solam circumstantiam personæ, sed ob circumstantiam actus. Ita communiter DD. Ratio est, quia huiusmodi circumstantia cùm sit adnexa actui, prout pendet ab vtroque coniuge, reddit illum actum illicitum respectu vtriusque coniugis: sed quilibet tenetur continere se ab actu illicito; ergo tenetur abstinere à reddendo, quando actus est illicitus ob circumstantiam, quæ afficit ipsum actum, consequenter in huiusmodi casu, sicut vnus illicitè petit, ita alteri illicitè r reddit.

5 An reddẽs toties peccet reddẽdo, quoties petens peccat petẽdo.

5 Ex dictis colligi potest primò, reddentem non toties peccare reddendo, quoties petens peccat petendo, vt patet *ex 1. propositione.*

6 An reddendum sit debitum iure petẽti in loco sacro.

6 Secundò, non esse reddendum debitum coniugi petenti in loco sacro; nisi fortè adsit magna necessitas, vt benè ait Pet. Ledesm. *q. 64. art. 7.* Ratio est, quia circumstantia loci sacri afficit ipsum actum, qui repugnat sanctitati loci sacri, prout pendet tam ex parte petentis, quam ex parte reddentis. Vide quæ diximus *de Sacrilegio infrà q. 4. puncto vltimo num. 6.*

7 An vir possit petere, & reddere debitum vxori, quam scit obstrictam esse voto castitatis.

7 Tertiò, coniugem posse petere, & reddere debitum suæ vxori, quam scit esse obstrictam voto castitatis, etiamsi ipse consenserit in illius votum, modò non intenderit renuntiare iuri suo, sed solum permiserit eam facere, quidquid vellet; vt patet ex dictis *de voto.* Ratio est, quia vir non amisit ius petendi debitum per votum castitatis factum ab vxore, nec cessit iuri suo per consensum in eius votum; ergo potest petere, & reddere, immò tenetur reddere vxori petenti, nam illicitè petit solùm ob circumstantiam personæ, id est, ob votum castitatis, quo se astrinxit.

8 An coniux petitus teneatur reddere petenti, quando

8 Hinc vlterius patet, coniugem petitum teneri reddere petenti, quando vterque coniux est obstrictus voto castitatis. Ita Reginaldus *lib. 31. nu. 252.* Speculum 1. *part. art. 15. ad finem.* Sotus *dist. 38. q. 2. art. 1.* [Filliucius *nu. 313.*] & alij contra Nauarr. *cap. 16.* & alios apud Sanch. *lib. 9. disp. 37. num. 10.* Ratio est, quia petens illicitè petit ob circumstantiam personæ, id est, propter votum, propter quod non amisit ius petendi, nam per votum non amisit dominium, quod per matrimonium acquisiuit supra corpus alterius coniugis, vt benè obseruat Coninchus *loc. cit. num. 31.* & alij DD. citati; quamuis peccet faciendo contra fidem datam Deo in voto; ergo coniux petitus tenetur reddere petenti, ne violet ius illius, quamuis ipse simile votum habeat. Et hoc verum est, quamuis vterq; emiserit votum castitatis de communi consensu, modò ipsi cõiuges non intẽderint remittere sibi obligationem reddendi debitum: nam si habuerunt intentionem remittendi sibi obligationem reddendi, non potest coniux petitus reddere debitum absque peccato, facit enim contra votum reddendo, cùm alter non habeat ius petendi ob remissionem factam. Ita Sanchez *lib. 9 disput. 36. & 37.* Henriquez *lib. 11. cap. 15.* Rodriq. 2. *part. c. 90.* quidquid dicat Sylu. *verb. Matrimonium 6. q. 5.* Lessius *lib. 2. c. 40. de voto, dub. 10. num. 85.* Emanuel Sà *loc. cit. nu. 2.* & alij.

vterque habet votum castitatis.

9 An debitum reddendum sit petenti cũ peccato veniali.

9 Quæres, vtrum coniux teneatur reddere debitum alteri petenti cum peccato veniali.

Respondendum mihi videtur contra Sanchez *lib. 9. disp. 6. num. 6.* [Filliucium *tract. 10. c. 9. quæs. 3. num. 308.*] & alios, distinguendo eodem modo, quo distinxi in præcedenti propositione, vel petens illicitè petit cum peccato veniali ob circumstantiam personæ, vel propter circumstantiam actus. Si petit illicitè propter circumstantiam personæ, reddendum est debitum, vt patet ex rationibus in prima propositione allatis. Si verò petit illicitè cum peccato veniali ob circumstantiam actus, non est reddendum debitum, vt patet ex rationibus 2. *propositionis.*

10 An reddendum sit debitum petenti illicitè, quoad situm, intra vas tamen naturale.

10 Hinc sequitur primò, coniugem non debere reddere debitum alteri coniugi, qui petit modo indebito, quoad situm, nisi adsit iusta causa, ob quam excusetur à petendo tali modo: nam petit illicitè ob circumstantiam actus. Ita Armilla *verb. Debitum, nu. 6.* & alij contra Sanchez *lib. 9. disp. 17. num. 8.* Henriquez *lib. 11. cap. 16. num. 6.* & alios.

Dixi, *nisi adsit iusta causa, ob quam excusetur à petendo tali modo,* quia potest aliquando adesse causa vel necessitas, propter quam neque sit peccatum veniale ita petere, vel reddere, vt quãdo vir retrò accedens cognoscit vxorem in vase ordinario naturali, eò quòd fit periculum fœtus, si ordinario situ congrediatur. Idem dicendum est, quando vir est nimis pinguis.

Non nego tamen, quin sit probabilis sententia Sanchez, Filliucij, & aliorum dicentium simpliciter, non esse negandum debitum coniugi, petenti solùm cum peccato veniali, nam, inquiunt isti DD. semper adest iusta causa, excusans redditionem, qualis causa est, ne displiceat petenti, & ne oriantur lites & discordiæ.

11 An reddendum sit debitum viro petẽti tempore menstrui.

11 Secundò sequitur, non esse reddendum debitum viro petenti tempore menstrui, vt infrà dicam contra Sanchez.

Tertiò, non esse reddendum debitum nondum factis benedictionibus ex sententia eorum, qui putant, coniuges peccare consummando matrimonium ante benedictiones, sed de hac re infra *puncto 6.*

PVNCTVM IV.

Vtrùm coniuges teneantur reddere debitum, quando adest scrupulus, vel dubium, vel opinio, vel certitudo de inualiditate matrimonij.

1 Quid sit scientia, opinio, dubium, & scrupulus.

1 PRo intelligentia huius puncti præmittendum est, quid sit scientia, quid opinio, quid dubium, & quid scrupulus.

Scrupulus est assensus ortus ex leuibus coniecturis.

Dubium est, quando intellectus, non magis in vnam partem, quam in aliam inclinat, sed pendet in vtramque.

Opinio est assensus vnius partis cum formidine alterius.

Scientia est cognatio certa, saltem moraliter.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An possit peti, & reddi debitũ, quando laboritur scrupulus de inualiditate matrimonij.

2 VTerque coniux potest petere, & reddere, quando post matrimonium bona fide ab vtroque contractum suboritur scrupulus ex leuibus indiciis de validitate matrimonij, vt habetur *in cap. inquisitioni. de sentent. excõmunic.* Ratio est, tum quia iudex in foro exteriori ita iudicaret per sententiam; ergo idem iudicandum est in foro conscientiæ, nam idem est iudicium fori interni, & externi, quando forum exterius non nititur falsa præsumptione, tum quia scrupulus non est sufficiens ratio ad priuandum hominem iure suo: immo licitum est operari contra scrupulos, vt patet ex dictis *de peccatis quæst. 6. punct. vltim.* Ita Pet. Ledesm. *q. 45. art. 1. dubio 2. conclus. 1.* Henriquez *lib. 11. cap. 15. num. 13.* Sanchez *lib. 2. disput. 41. num. 42.* Gutierez *de matrimonio cap. 49. num. 23.* Coninch. *disputat. 34. dub. 10. numer. 100.* & alij, quos retuli *de peccatis loco citato.*

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An possit petere, vel reddere debitum, qui dubitat, inualidum esse matrimonium.

3 CONiux, qui bona fide contraxit matrimonium, & postea dubitat de valore matrimonij, non potest petere debitum antequam adhibuerit debitam diligentiam ad assequendam veritatem. Hæc propositio patet ex *cap. Dominus, §. 2. de secundis nuptiis, & c. inquisitioni, §. fin. de sententia excomm.* Ratio est, tum quia ageret contra conscientiam petendo debitum ante adhibitam debitam diligentiam ad cognoscendam rei veritatem, tum quia petendo exponeret se periculo fornicationis, nam fieri potest, vt matrimonium sit inualidum, & cognoscat feminam, quæ non sit sua vxor, vnde qui bona fide contraxit matrimonium, & post illud contractum dubitat, superstitem esse priorem coniugem, non potest petere debitum ante præmissam debitam diligẽtiam. Verùm tamen est, ipsum dubitantem teneri reddere debitum alteri coniugi petenti, qui non dubitat de validitate matrimonij, nam alter habet ius petendi, & est in possessione; melior enim est conditio possidentis.

4 An dubitans de inualiditate matrimonij teneatur reddere debitum non dubitanti.

4 Addo coniugem dubitantem de validitate matrimonij, teneri

neri alteri coniugi non dubitanti reddere, non solùm post adhibitam diligentiam ad assequendam veritatem, sed etiam ante illam adhibitam. Ratio est, tum quia alter coniux, qui non dubitat, habet ius petendi, & est in possessione; ergo non reddendo coniugi non dubitanti, facit contra ius illius, & peccat contra iustitiam, tum quia de duobus malis minus est eligendum, quādo alioquin aliquis peccaret; sed minus malū est reddere, quàm nō reddere; ergo tenetur reddere. Minor probatur, quia reddendo est periculum fornicationis, quæ opponitur castitati, non reddendo est periculum iniuriæ, & iniustitiæ, sed maius malum est per se loquendo peccatum contra iustitiam, quàm peccatum contra castitatem; ergo minus malum est reddere, quàm non reddere. Ita Petr. Ledesm. *loco cit. concl.* 3. Sanchez *loco cit.* Reginal. *lib.* 31. *n.* 299. [Filliuc. *tract.* 10. *c.* 9. *quæs.* 12. *n.* 343. & 344.] & alij *loco cit.*

3 An dubitans de valore matrimonij possit petere, & reddere debitum, quando veritas non est comperta.

5 Quæres primò, vtrùm coniux dubitans de valore matrimonij bona fide, & absque dubio contracti possit non solùm petere, verùm etiam reddere, quando post dubium adhibuit debitam diligentiam ad assequendam veritatem, sed veritas comperta non est.

Respondeo posse non solùm reddere, verùm etiam petere. Ita Sot. 4. *de iustitia quæst.* 5. *art. vltimo.* Coninchus *loco citato, nu.* 105. Reginaldus *nu.* 299. Rodriquez *cap* 243. *n.* 4. Valentia *tom.* 4. *disp.* 10. *q.* 6. *punct.* 2. [Filliucius *num.* 343.] & alij apud Spec. 3. *part. art.* 18. & apud. Sanch. *lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 46. contra Rebel. *lib.* 2. *q.* 16. *sect.* 2. *nu.* 11. Petr. Ledes. *q.* 41. *art.* 1. Gutierez *num.* 28. & alios asserentes, posse reddere, non verò petere. Ratio est, tum quia in aliis contractibus, qui bona fide rem accepit, & postea incipit dubitare, num sua sit, vel aliena, iustè potest rem illam retinere, & consumere, quando facta sufficienti inquisitione, & examine, non inuenit veritatem, sed adhuc dubitat, an res sit sua, melior enim est conditio possidentis bona fide, vt patet ex dictis de restitutione; ergo etiam coniux dubitans de valore matrimonij bona fide contracti, si præmisso sufficienti examine adhuc perseuerat dubium speculatiuum, potest vti matrimonio, petendo, & reddendo; tum quia coniux, adhibita sufficienti diligentia, laborat ignorantia inuincibili: nam ignorantia inuincibilis est illa, quæ vinci non potuit adhibita sufficienti diligentia; ignorantia autem inuincibilis excusat à peccato.

6 An quādo vterque cōiux dubitat de valore matrimonij, neuter possit petere debitū.

6 Hinc colligitur, quando vterque coniux post matrimonium bona fide contractum, dubitat de valore matrimonij, neutrum posse petere ante diligentiam sufficientem adhibitam, sicut neque potest delectari de copula cogitata, aut de tactibus, qui licitè exercentur inter coniugatos. Ita Sanchez, Gutierez, & alij *locis citatis.* Reginald. *lib.* 31. *nu.* 300. Ratio est, quia vterque exponeret se periculo fornicationis, seu actuum ad fornicationem pertinentium: post diligentem verò inquisitionē, vterque potest delectari, petere, & reddere, etiamsi veritas nondum comperta sit, & dubium speculatiuum perseueret. Ita Sanchez *lib.* 9. *disp.* 44. *num.* 24. Filliucius, & alij DD. citati.

7 An ante adhibitam diligentiā vxor possit reddere debitum viro petēti, quando vterque dubitat de valore matrimonij.

7 Rogabis, vtrum alter possit reddere debitum coniugi petenti, quando vterque dubitat de validitate matrimonij, sed nondum est adhibita debita diligentia.

Respondeo non posse reddere, quia obligatio reddendi supponit ius petendi in petente; sed petens cum tali dubio non habet ius petendi ante adhibitam debitam diligentiam; ergo alter potest non reddere, immo tenetur non reddere; nam reddendo se ipsum, & petentem exponeret periculo fornicationis; non reddendo verò non exponit se periculo fornicationis, aut periculo faciendi alteri iniuriam, nam alter non habet ius petendi ante adhibitam diligentiam. Ita Sanchez *loco citato, num.* 55. & 56. Gutierez *loco citato, nu.* 30. [& Filliucius *tract.* 10. *cap.* 9. *num.* 344.]

8 An ille qui non dubitat, possit reddere debitum petenti, qui est dubius de valore matrimonij.

8 Sed maior difficultas est, vtrùm, quando solus petens habet dubium de valore matrimonij, teneatur alter coniux, qui nullum habet dubium, reddere petenti habenti dubium.

Respondeo, non teneri, quando petens dubius de validitate matrimonij nondum præmisit debitam inquisitionem. Ratio est, quia coniux qui scit alterum habere dubium, scit etiam ipsum propter tale dubium, non habere ius petendi ante præmissam sufficientem inquisitionem; ergo non tenetur reddere: potest tamen reddere, si velit, quia, cùm ipse non dubitet de validitate matrimonij, vt suppono, adhuc est in pacifica possessione, & adhuc retinet ius reddendi, & petendi, prout voluerit. Ita Sanchez *loco citato, num.* 56. Gutierez *loco cit. numero* 30.

9 An dubitans de valore matrimonij nondum consummati, possit priori bimestri reddere debitum petēti.

9 Quæres secundò, vtrùm coniux dubius de valore matrimonij bona fide contracti, sed nondum consummati, possit priori bimestri reddere debitum coniugi petenti.

Respondeo distinguendo hoc modo; vel dubitans nondum adhibuit debitam diligentiam ad assequendam veritatem, vel illam adhibuit. Si non adhibuit diligentiam, non potest reddere in illo primo bimestri, ante consummatum matrimonium. Ratio est, quia si potest reddere, maximè ne faciat iniuriam petenti, sed non facit illi iniuriam, negando debitum in primo bimestri, quando nondum fuit consummatum matrimonium, nam liberum est coniugi negare debitum primis duobus mensibus, cùm Ecclesia concesserit bimestre coniugatis ad deliberandum de statu religionis assumendę, quo tempore liberum est cuique coniugi negare debitum, modò matrimonium non fuerit antea consummatum; ergo non potest reddere. Si verò debitam diligentiam adhibuit, potest etiam in priori bimestri petere, & reddere, quia possessor bonæ fidei, adhibita sufficienti diligentia, potest vti re aliena; ergo potest etiam vti matrimonio. Ita Sanchez *locis citatis*, & alij.

Hactenus locuti fuimus in hac secunda propositione de dubio superueniente post matrimonium bona fide contractum, modò superest agendum de matrimonio mala fide contracto.

TERTIA PROPOSITIO.

10 An coniux, qui mala fide contraxit, dubius de aliquo impedimento dirimente, possit petere debitum, [nisi postea cognoscat, vel probabiliter opinetur, nullum subesse impedimentum.]

10 CConiux, qui mala fide contraxit, dubius de aliquo impedimento dirimēte, non potest petere debitum, [nisi postea cognoscat, vel probabiliter opinetur, nullum subesse impedimentum.]

Ratio est, tum quia nullum ius petendi acquisiuit per matrimonium cum tali dubio contractum, possessio enim mala fide incepta non tribuit ius, vt patet ex dictis de contractibus, tum quia qui incipit rem alienam mala fide possidere, non potest illa vti, vel retinere, vt dictum est *de restitutione, disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 2. *numer.* 11. ergo qui mala fide contraxit matrimonium, non potest illo vti. Verum tamen est, ipsum teneri reddere debitum alteri coniugi petenti, qui bona fide contraxit, nec vllum habet dubium de valore matrimonij, nam alter coniux, qui bona fide contraxit, habet ius petendi, nec potest suo iure spoliari ob malam fidem alterius, donec constet inualidum esse matrimonium. Ita Sanchez *lib.* 2. *disp.* 42. *num.* 2. Reginald. *loco citato*, Gutierez *de matrimon. cap.* 50. *nu.* 1. Coninch. *loco citato, num.* 101. [Filliucius *n.* 345.] Nauar. Syluest. & alij apud Sanchez *loc. cit.*

aliquo impedimento dirimente, possit reddere debitum.

11 Sed modò difficultas est, vtrum peti possit, vel reddi debitum, quando vterque coniux mala fide contraxit, dubius de aliquo impedimento dirimente, seu de validitate matrimonij.

11 An possit peti, vel reddi debitum, quando vterque coniux mala fide contraxit matrimonium dubius de matrimonij validitate.

Respondeo, neutrum posse petere, vel reddere. Ratio est, quia incipiens possidere rem aliquam mala fide non acquisiuit vllum ius in illam, sed quando vterque coniux mala fide contraxit, incepit possidere matrimonium mala fide; ergo nullum ius in illud acquisiuit, consequenter neuter potest petere, vel reddere: nam petere, vel reddere supponit ius ad petendum, vel reddendum. Ita Speculum 3. *part. art.* 3. Sanchez *disput.* 42. Gutierez *cap.* 50. *num.* 2. Coninch. *loc. citat.* Nauarr. *cap.* 22. *n.* 54. Sotus *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. & alij contra Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *loc. citat.* & alios asserentes, neutrum posse petere, sed teneri reddere, quando post diligentiam potest dubium practicè deponi.

12 An vterque coniux priuetur iure petendi, quando contraxit cum opinione inualiditatis matrimonij.

12 Hinc patet à fortiori, neutrum posse petere, vel reddere, quando vterque contraxit matrimonium cum opinione inualiditatis matrimonij.

Sed maior difficultas est, vtrùm coniuges possint petere debitum, quando contraxerunt matrimonium bona fide, & postea incipiunt opinari, matrimonium inualidum esse. Circa quam difficultatem sit

QVARTA PROPOSITIO.

13 An possit petere debitum coniux, qui opinatur, matrimonium esse inualidū.

13 CConiux, qui bona fide contraxit matrimonium, & postea incipit opinari, matrimonium inualidum esse, non potest petere debitum. Ratio est, quia si potest petere, maximè quia est in possessione matrimonij bona fide contracti; sed possessio non suffragatur opinanti, sed dubitanti post debitam diligentiam, vt patet ex dictis de contractibus; ergo coniux qui bona fide contraxit matrimonium, & postea incipit opinari, matrimonium inualidum esse, non potest petere, adhibita quacumque diligentia, si adhuc perseuerat opinio de inualiditate matrimonij, nisi fortè habeat opinionem probabilem pro vtraque parte, videlicet pro validitate, & nullitate, tunc enim potest petere, & reddere, eò quòd possit amplecti opinionem probabilem, quamuis altera sit probabilior, vt patet ex dictis *de peccatis q.* 6. *punct.* 3. Ita Reginaldus *lib.* 31. *num.* 301. Gutierez *cap.* 50. *num.* 2. Sanchez *lib.* 2. *disputat.* 44. [Filliucius *numer.* 346.] & alij contra Coninchum *loco citat. num.* 103.

14 An possit petere debitum, qui opinatur matrimonium mala fide contractū, inualidum esse.

14 Hinc patet à fortiori, illum non posse petere debitum, qui post matrimonium mala fide contractum, opinatur matrimonium inualidum esse.

15 An coniux, qui opinatur, matrimonium esse inualidū, teneatur reddere debitum alteri coniugi bonæ fidei.

15 Sed modò difficultas est, vtrùm coniux, qui opinatur matrimonium esse inualidum, teneatur reddere alteri coniugi bonæ fidei.

Respondeo teneri. Ratio est, tum quia nullus potest priuare alterum iure suo, & possessione illi acquisita, nisi certò constet rem suam esse; in hoc autem casu coniux, qui habet opinionem de inualiditate matrimonij, priuaret alterum iure, & possessione sua, non reddendo debitum, tum quia sic habetur *in cap. inquisitioni* 44. [*de sent. excommunic.*] Ita Speculum *loc. cit.* Sanchez *lib.* 2. *disp.* 44. *num.* 3. & alij apud Gutierez *cap.* 49. *n.* 1. & 31. & *cap.* 50. *num.* 4. contra Sylueſtrum *verb. matrim.* 4. *q.* 9.

QVINTA PROPOSITIO.

16 An ille qui certò scit, matrimoniū esse inualidū, possit petere vel reddere debitum.

16 CConiux, qui certò moraliter nouit adesse impedimentum dirimens, non potest petere, vel reddere debitum. Ita colligitur ex *cap. inquisitioni, citato, & cap. Dominus: de secundis nuptiis.* Ratio est, quia cognoscens carnaliter feminam alienam, peccat mortali peccato fornicationis, sed qui petit, vel reddit debitum, certò sciens adesse impedimentum dirimens, cognoscit alienam feminam, quæ non est sua vxor; ergo mortaliter peccat peccato fornicationis. Et hoc verum est, siue matrimonium contractum sit bona fide, siue mala, [militat enim eadem ratio.] Ita Speculum *loco cit. conclus.* 3. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 44. Gutierez *cap.* 50. *n.* 4. Coninch. *disp.* 34. *dub.* 10. *num.* 96. [Filliucius *num.* 342.] & alij communiter.

17 An coniux sciens, matrimonium esse inualidū, possit reddere debitum coniugi ignoranti inualiditatem matrimonij.

17 Quæres primò, vtrùm coniux, sciens matrimonium esse inualidum ob impedimentum dirimens, possit reddere debitum coniugi ignoranti impedimentum, seu inualiditatem matrimonij.

Respondeo non posse, etiamsi per excommunicationem compellatur ab Ecclesia reddere, aut etiam si sequantur grauissima incommoda, scandala, & vitæ periculum. Ita colligitur ex *cap. inquisitioni. de sententia excommunicationis.* Ratio est, quia si posset reddere, sequeretur fornicationem esse aliquando licitam, quod est falsum, & erroneum, cum fornicatio sit intrinsecè mala; qui autem reddit debitum sciens inualidum esse matrimonium, committit fornicationem, cùm accedat ad non suam.

Neque obstat excommunicatio, qua compellitur ab Ecclesia reddere, cùm iuxta veriorem sententiam huiusmodi excommunicatio non liget coram Deo. Ratio est, tum quia excommunicatio iniusta, quæ nititur falsa præsumptione, non ligat, vt dictum est suo loco; tum quia excommunicatio supponit peccatum mortale; in hoc autem casu non adest peccatum mortale, cum quilibet teneatur iure naturæ abstinere à fornicatione, quæ est intrinsecè mala, tum quia præceptum Ecclesiæ non obligat contra ius naturæ. Ita Specul. *loco cit.*

Nauarr.*c.*16.*num.*39.Sanchez *lib.*2.*disp.*39.*nu.*5.*&*7.& alij apud Gutierez *c.*49.*de matrim.num.*1.

Addo contra Henriquez *lib.*12.*c.*3.*n.*2.*in commentario litteraK.* hoc verum esse, etiamsi matrimonium sit inualidum, ob impedimentum iure humano introductum, vt patet, tum ex *cap.litteras, de restitutione spoliatorum*, tum ex rationibus allatis. Ita Sanchez, Gutierez, & alij *locis citatis.*

18 Quódnā remedium adhibendū sit, quando constat matrimonium esse inualidū: sed hoc non potest manifestari absque periculo.

18 Quæres secundò, quódnam remedium adhibendum sit, quando constat matrimonium esse inualidum propter impedimentum dirimens, quod non potest manifestari sine infamia, vel sine vitæ periculo, vel quando eo manifestato, adhuc compelletur coniux ab Ecclesia per censuras permanere in eo matrimonio, eò quòd non possit probare impedimentum.

Respondeo, quatuor remedia assignari à DD. quos citat Rodriquez *tom.*2.*cap.*92. Henriquez *lib.*11.*cap.*11.*numer.*3.& Sanchez *lib.*9. *disp.*39.*num.*13.

Primum remedium est, vt coniux conscius impedimenti petat dispensationem, quando impedimentum est dispensabile, vel ingrediatur religionem, quamuis non teneatur ingredi, vt in simili dictum est de voto.

Secundum est, vt fugiat in locum vbi cesset scandalum.

Tertium est, vt petat diuortium, si adest causa petendi diuortium, qualis causa est sæuitia, adulterium, &c.

Quartum est, vt habitet cum coniuge, ac si esset frater, & soror, modò non sit periculum alicuius carnalis peccati, quod vtplurimum adesse solet.

19 An coniux teneatur credere alteri dicenti, matrimonij esse inualidum.

19 Quæres tertiò, vtrùm coniux teneatur credere alteri coniugi, dicenti se fictè consensisse in celebratione matrimonij, vel habere aliud impedimentum dirimens.

Respondeo, regulariter non teneri credere, quamuis alter hoc asserat cum iuramẽto. Ratio est, quia verisimilius est, ipsum modò mentiri, quàm mentitus fuerit in contractu principali, nam *cap.tuas, de protestatione*, dicitur, valdè indignũ est, vt quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare. Potest tamen illi cedere in illius præiudicium, ne petenti reddat, [tunc enim non facit illi iniuriam.] Ita Nauarr.*c.*22.*n.*82. Speculum 3.*part. artic.* 13. Henriquez *loco citato.* Emanuel Sa *verb. debitum n.*7. Rebel.*lib.*2.*quæst.*16.*num.*22. Sanchez *lib.*2.*disput.*45.*n.*3.*& disp.*41.*n.*52. Valentia *tom.*4.*disp.*10.*quæst.*6.*punct.*2. Gutierez *loco cit. num.*32.34.*&*41.[Filliucius *n.*343.*& seq.*] & alij.

Dixi, *regulariter*, quia fieri potest aliquãdo, vt adsint aliæ sufficientes circumstantiæ, & coniecturæ, quibus teneatur credere, & consequenter non possit petere vel reddere. Ita P. Ledes.*q.*47.*art.*4. Gutierez *n.*37. Speculum, Henriquez, & Nauarrus *locus citatus.* Immò poterit in hoc casu aliud matrimonium inire, modò sufficienter probetur, prius matrimonium fuisse inualidum, vt per se patet.

20 An coniux teneatur abstinere à matrimonio contracto, quando impedimentum adesse cognouit ab amico, vel à Parocho.

20 Quæres quartò, vtrùm coniux teneatur credere adesse impedimentum dirimens, & abstinere à matrimonio contracto, quando audiuit huiusmodi impedimentum adesse non ab altero coniuge, sed ab alio viro fide digno, vel ab amico, vel Parocho cum iuramento attestante.

Respondeo, non teneri credere, si vnus tantùm attestetur. Ratio est, quia licet dictum vnius fide digni sufficiat, vt iustè credere possit, tamen vni tantum necessariò non creditur, sed duobus fide dignis credendum est, *cap.cùm à nobis, de testibus, & attest.* Verum tamen est, coniugem qui hoc audiuit à viro fide digno, teneri abstinere à matrimonio contrahendo, si nondum contraxit, ne se exponat periculo fornicationis, & inualidè contrahendi. Si verò iam contraxit, tenetur dubitare de validitate matrimonij, consequenter non potest petere, donec adhibuerit debitam diligentiam, iuxta dicta *in* 2. *propositione.* Si non audiuit à viro fide digno, potest petere, quia dictum viri, qui non est fide dignus, non exhibet sufficientem rationem dubitandi. Ita Eman.Sa *n.*7.Nauar.*cap.*22.*n.*82.Gut.*c.*49.*n.*23.32.*&*33.&alij apud Henr.*loc.cit.n.*13.*littera H.in commentario.*& apud Sanch.*lib.*2.*disput.* 46.*q.*3.*à n.*25.vbi latè de his differit.

PVNCTVM V.

De causis propter quas licitum est, non solùm negare debitum, verùm etiam facere diuortium quoad habitationem.

1 Quid, & quotuplex sit diuortium.

1 NOtandum, diuortium, quod significat legitimam viri, & vxoris separationem, tripliciter accipi posse.

Primò pro dissolutione matrimonij quoad torum, id est, quoad carnalem copulam.

Secundò pro dissolutione matrimonij quoad torum, & habitationem.

Tertiò pro repudio, & pro dissolutione matrimonij quoad vinculum, ita vt omnino dissoluatur, ac si nullum esset. Rursus notandum est, diuortium quoad torum, & habitationem, aut esse perpetuum, aut ad tempus.

In præsenti puncto non loquimur de diuortio quoad vinculũ, nam ex supradictis patet, matrimonium esse indissolubile, vt benè tradit Sanch.*lib.*10. *disput.*2.*n.*2. Farinacius *tom.*4.*q.*143.*§. separatio.num.*33. quamuis matrimonium ratum dissoluatur per professionem in religione, aut etiam aliquando per dispensationem Summi Pont. neque hic loquimur de diuortio quoad torum tantum, nam ex dictis in præcedentibus punctis constat, quatenus liceat facere diuortium quoad torum, denegando debitum; loquimur ergo de diuortio quoad torum, & habitationem perpetuò, vel ad tempus.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An adulterium sit causa sufficiens faciendi diuortium.

2 QVamuis adulterium non sit causa sufficiens faciendi diuortium quoad vinculum, vt dictum est de indissolubilitate matrimonij, nihilominus est causa sufficiens diuortij perpetui quoad torum, & habitationem, tam in femina, quam in viro. Sic habetur *cap. gaudemus, & cap. ex litteris, & Matth.*5. vbi dicitur, *Qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Ratio est, quia coniuges ex natura contractus matrimonij tenentur sibi seruare fidem quoad torum, & habitationem; ergo si vnus eorum non seruat fidem adulterando, nec alter innocens tenetur eam seruare, nam frangenti fidem fides seruanda non est, *l. si cum venerit.ff. pro socio, & cap. peruenit* 2. *de iureiurando*; fides autem data in matrimonio, perfectè violatur per fornicationem, & commixtionem carnalem cum alio, quam cum proprio coniuge, coniuges enim ineunt matrimonium, vt per illud fiant vna caro, & non vt caro diuidatur, iuxta illud Genes. 2. *Erunt duo in carne vna.* Ille dicitur perfectè violare fidem datam in matrimonio, & perfectè diuidere carnem suam, qui commiscetur cum alio cum seminis emissione, sicut coniuges fiunt vna caro, quando carnalis copula habetur cum seminatione in vase debito.

3 An fieri possit diuortium ob animũ fornicandi, vel ob actus impudicos.

3 Hinc sequitur primò, animum fornicandi, aut alios actus impudicos non esse causam sufficientem diuortij, quia per solum animum fornicandi, aut per alios actus impudicos non diuiditur caro. Ita Coninch.*disp.*35. *dub.*1.*num.*5. & alij DD. statim citandi.

4 An fieri possit diuortium ob Sodomiam, aut bestialitatem.

4 Secundò Sodomiam [actiuam, vel passiuam,] & bestialitatem esse causam sufficientem diuortij tam in femina, quam in viro, nam per Sodomiam, & bestialitatẽ diuiditur caro coniugis cum carne bestiæ, vel alterius, [iuxta probabiliorem sententiam,]modò hoc peccatum cõmittatur cum alio, quàm cum proprio coniuge, nam quando committitur cum proprio coniuge, non est causa sufficiens diuortij perpetui, quia caro coniugum non diuiditur, nisi per copulam cum alia habitam. [Ita Sanchez *disp.*4.*num.*8. Filliucius *tract.*10.*cap.*10.*quæs.*3. & alij.] Verum tamen est, vxorem posse quando sollicitatur à viro ad Sodomiæ peccatum, discedere ad tempus propter periculum animæ, donec vir resipiscat, eamque nolit ad huiusmodi peccatum prouocare, non tamen habet causam sufficientem faciendi diuortium perpetuum. Vtrùm verò in foro externo credendum sit mulieri asserenti, se à viro tentatam fuisse de nefando vitio, dissensio est inter Doctores, de qua Farinacius *in decisione* 178. *Rota Romana.* Menochius *cons.*286.& Riccius *decis.*237. [Probabilior tamen est sententia negatiua, tum ne detur occasio feminis accusandi viros, & impediendi vitam coniugalem: tum quia nullus est idoneus testis in propria causa. *l. nullus.ff. de testib.* ita decisum fuit in Rota Rom. apud Farinacium *decis.*178. in Rota Bonon. & alibi, teste Riccio *verb. praxis matrimonialis. decis.*237. Hæc tamen sententia intelligitur modò præter feminæ assertionem non extent alia indicia, quibus iudex inducatur ad credendum assertioni mulieris, tunc enim non creditur mulieri præcisè. Plotus *consil.*143.*part.*1. Riccius *loc.cit.* & alij.]

5 An diuortium fieri possit ob pollutionem, aut propter cõcubitum cũ femina mortua, aut cum bestia mortua.

5 Tertiò, pollutionem extraordinariam cum alia, vel secum tantùm non esse causam sufficientẽ diuortij, quia caro propriè non diuiditur. Ita P. Ledes.*quæst.*62.*art.*1.*dub.*4. quidquid dicat Eman. Sà *verb. Diuortium.* Idem dicendũ est de concubitu viri cum femina mortua, aut cum bestia mortua, nam iste concubitus similis est illi, qui cum statua habetur, quem constat non esse sufficientem ad dissoluendum matrimonium, nam exercens huiusmodi actus non propriè vnitur alteri, nec diuidit carnem suam cum tertia persona.

6 An vir, & vxor sint pares in causa faciendi diuortium.

6 Quartò, sequitur virum, & vxorem esse pares in causa diuortij, *cap. Christiana* 32.*q.*5. Ita Sanchez *lib.*10.*disput.*3.*n.*6. Gutierez *de matrim.cap.*129.*num.*2.[Filliucius *num.*365.*cap.*10.*tract.*10.]&alij communiter.

7 Quænam notitia adulterij requiratur ad faciendum diuortium.

7 Quæres primò, quæ notitia adulterij requiratur ad faciendum diuortium.

Respondeo requiri, vt coniux, volens facere diuortium ob alterius adulterium, certus sit moraliter de adulterio, nam possessio stat pro altero, & nemo in dubio priuandus est sua possessione.

8 Quinam dicatur certus moraliter de adulterio alterius.

8 Rogabis quinam dicatur certus moraliter de alterius adulterio.

Respondeo, illum dici certum moraliter, qui non habet leuem suspicionem, sed maximè fundatam, vel, vt dicitur, violentam, qualis in foro externo sufficeret ad cõuincendam vxorem de adulterio, vt accidit, quando ipsa adultera confitetur propriũ adulterium, vel quando inuenta est nuda cum nudo, vel sola cum solo in lecto, *cap. litteris, de præsumption.* non tamen sufficiunt verba amatoria, aut xenia missa vxori ab adultero, aut oscula, & amplexus, nisi adsint aliæ circumstantiæ loci, temporis, vel personarum.

9 An requiratur, vt adulteriũ probetur.

9 Addo, ad faciendum in foro conscientiæ diuortium non requiri, vt adulterium probetur, nam probatio videtur tantummodò requiri pro faciendo diuortio in foro externo. Ita Sanch.*lib.*10.*disputat.*12.*à num.*40. Emanuel Sà *loc.cit.num.*3. Petr. Ledesm.*quæst.*62.*art.*3. Farinacius *tom.*4.*quæst.*143.*§. separatio.num.*10. Gutierez *cap.*129.*num.*4. *&*12.[Filliucius *num.*388.]

10 An coniux innocens propria auctoritate possit facere diuortium.

10 Quæres secundò vtrùm coniux innocens possit propria auctoritate facere diuortium ab adultero, siue delictum sit publicum, siue occultum.

Respondeo, posse secluso scandalo, *cap. dixit Dominus.*32.*quæst.*1. Ratio est, quia iurè naturæ frangenti fidem fides seruanda non est; cum ergo adulter fregerit fidem adulterando, sequitur innocentem non teneri fidem illi seruare, sed posse propria auctoritate facere diuortium, negando debitum, & in longinqua recedendo, quamuis in foro externo cogendus sit redire, donec constet de adulterio. Ita P. Ledesm.*loco cit.art.*3. Sotus *dist.*36.*quæst.vnica.art.*2.*cap.*3. Emanuel Sa *loco cit.num.*1. Nauarr.*cap.*22.*num.*23. Sanchez *lib.*10.*disp.*12.*num.* 31. Reginald.*lib.*31.*num.*324. Henriquez *lib.*11.*cap.*17.*num.*2. Coninchus *disputat.*35. *dub.*1.*numero* 2. [Filliucius *tractat.*10. *cap.*10.*quæs.*8. *num.*385.]

11 An innocens, qui cum adultero fecit diuortium, teneatur cum eo habitare, si per cẽsuras ad id impellatur.

11 Rogabis, vtrum coniux innocens, qui propria auctoritate fecit diuortium, teneatur reddere debitum, & habitare cum adultero, quando per excommunicationem, vel præceptum à iudice cogitur reddere, vel habitare cum vxore, eò quòd delictum sit secretum.

Respondeo iuxta probabiliorem sententiam, ex natura rei non teneri, quia præceptum superioris non obligat in conscientia, quando procedit ex falsa præsumptione, vt patet ex dictis *de Legibus*, & *Cen-*

Censuris. Ita Sanchez *loco citato, n.*34. Reginald. *n.*287. Sotus *in* 4. *dist.* 36. *q. vnica, art.* 4. [Filliucius *loco cit.*] & alij.

Dixi, *ex natura rei non teneri*, quia ratione scandali vitandi, quod inde sequeretur non obediendo, tenetur obedire, recipiendo vxorem, & cum ea habitando.

12 An diuortium fieri possit priuata auctoritate.

12 Ex dictis in hoc quæsito colligi potest, coniuges, qui contraxerunt matrimonium inualidum propter impedimentum dirimens, vt propter consanguinitatem, affinitatem, &c. posse in conscientia facere diuortium priuata auctoritate, modò non adsit scandalum, quod facilè potest euitari, si vnus coniugum in longinqua se recipiat.

13 An coniux innocens teneatur aliquando facere diuortiū.

13 Quæres tertiò, vtrùm maritus innocens teneatur aliquando facere diuortium cum vxore adultera.

Respondeo, aliquando teneri sub mortali. Primò, quando per diuortium sperat emendationem, & fructum, *cap. si vir. de adulteriis.* vir enim est caput mulieris, illamque cohibere & retrahere debet à peccato. Si verò non sperat emendationem, non tenetur facere diuortium, sicut neque tenetur, quando timet maiora incommoda secutura occasione diuortij, vt si periculum adsit, vt ipsa liberiùs vacet libidini, vel vt sequantur rixæ, & cædes inter ipsum, & parentes vxoris, vel sibi timeat lapsum incontinentiæ, tunc enim non tenetur facere diuortium, eò quòd non teneatur cum tanto incommodo corrigere delinquentem, non existentem in extrema necessitate salutis spiritualis, vt patet ex dictis *de correctione.*

Secundò, tenetur facere diuortium, quando imminet scandalum, vt ipse existimetur conscius, & fautor delicti, nec alia ratione possit occurrere scandalo, quàm per diuortium. Si verò maritus potest alia ratione occurrere scandalo, non tenetur facere diuortium: potest autem occurrere scandalo manifestando sibi adulterium displicere, reprehendendo vxorem, verberando, &c. Ita Sylvest. *verb. Debitum, num.*15. Toletus *lib.*2. *cap.*20. Nauarrus *cap.*16. *num.*28. Coninchus *disp.*35. *dub.*3. Reginaldus *lib.*31. *num.*329. Gutierez *cap.*129. *num.*15. Caietan. *verb. Matrimonium ad finem*, Sanchez *lib.*10. *disp.*13. *num.*10. Rebell. *lib.*2. *quæst.*17. *n.*11. P. Ledesm. *quæst.*62. *art.*2. *concluf.*2. [Filliucius *num.*389. & alij.]

Hinc patet, quid dicendum sit de vxore, cuius vir adulteratur, quamuis enim ipsa non teneatur ex officio corrigere virum, cùm ipsa non sit eius caput, nihilominus tenetur præcepto correctionis, sicut ceteri, quando adest spes emendationis, & fructus. Præterea tenetur præcauere scandalum, quamuis vxor rarò censeatur causa scandali, eò quòd communiter credatur vxori displicere adulterium mariti.

Addo, vxorem rarò teneri denegare debitum viro adultero, vt ipsum corrigat, nam denegatio debiti, vt plurimum erit occasio maioris mali. Ita Emanuel Sà *loco citato, num.*6. P. Ledesm. *loco cit. concl.*1. [Sanchez, Filliucius,] & alij DD. cit.

14 An dentur aliqui casus, in quibus nō liceat facere diuortium.

14 Quæres quartò, vtrùm dentur aliqui casus, in quibus non liceat facere diuortium ob coniugis adulterium.

Respondeo, plures dari. Primus est *in cap. fin. de adulteriis*, quando vterque coniux commisit adulterium. Ratio est, quia paria delicta mutua compensatione abolentur, non tamen refert, vtrùm vnus commiserit adulterium propriè, & alter Sodomiam, vel bestialitatem: modò certò constet de adulterio, & delicto, nec refert, vtrùm vnus deliquerit antea, vel deliquerit pòst, vel vtrùm vnus sæpius adulteratus sit, & alter tantùm semel, vel vtrum delictum sit publicum, vel occultum, nam in foro conscientiæ non requiritur probatio, sed sufficit, vt caro coniugum diuisa sit. [Ita Sanchez *lib.*10. *disput.*6. & alij communiter.]

Secundus est, quando vir dedit vxori causam proximam adulterandi, vt quando expressè, vel tacitè concessit vxori facultatem adulterandi, aut quando conscius adulterij vxoris, non vult prohibere, cùm possit absque suo graui detrimento.

Dixi, *quando vir dedit causam proximam*, quia quando vir fuit tantummodò causa remota, & occasio adulterij vxoris, potest ab eo facere diuortium, vt accidit, quando vxor adulteratur, eò quòd vir iratus eam expulerit domo, aut necessaria alimenta denegauerit, aut debitum recusauerit. Ita P. Ledesm. *quæst.*62. *art.*1. Sanchez *lib.*10. *disp.*5. *num.*7. Coninch. *disp.*35. *num.*7. Henriquez *lib.*11. *cap.*17. *nu.*4. Reginald. *lib.*31. *n.*321. [Filliucius *n.*371.] Gutierez *cap.*129. *num.*8. contra Emanuel. Sà *loco cit. n.*10.

Tertius casus est, quando vxor commisit adulterium tantùm materialiter, credens illum, cum quo cōmisit adulterium, esse proprium virum, aut credens mortuum esse priorem virum. Ita Emanuel Sà *loco cit.* Henriquez *num.*4. Sanchez *lib.*10. *disp.*5. Gutierez *cap.*129. *n.*5. [Filliucius *num.*373.] & alij communiter *cap. ita ne, & cap. proposito* 33. *quæst.*5. Ratio patebit ex 5. casu.

Quartus est, quando vxor carnaliter cognita est per violentiam, vt patet ex iuribus citatis. Dico *per violentiam*, quia si cognita fuit non per violentiam, seu per vim præcisam, sed per metum grauem, grauis controuersia est inter DD. vtrùm vir possit ab ea facere diuortium, quæ controuersia facilè dissolui potest ex supradictis de vxore, quæ facta est affinis viro per vim, aut metum, *quæst.*4. *punct.*2. *quæs.*3. quamuis contrarium sentiat Reginald. *lib.*31. *n.*323. & Sanchez *lib.*10. *disp.*5. *num.*10. & 16. nobiscum autem sentit Henriquez *lib.*11. *cap.* 17. *num.*3. & 5.

Quintus casus est, quando vnus coniugum commisit adulterium inuincibiliter, ignorans illum, cum quo adulteratus est, non fuisse proprium coniugem: sicut enim ignorantia excusat à culpa, ita & à pœna, & ad hunc quintum casum reduci potest tertius. Ita DD. cit.

Sextus est, quando coniux innocens condonauit alteri adulterium expressè per verba, aut tacitè per signa, vt quando vir probabiliter sciens vxorem commisisse adulterium, adhuc illi sponte debitum reddit, vel petit, vel illam adhuc retinet, vel recipit, cum illam antea dimisisset, nam per illam condonationem cedit iuri suo, quamdiu alter coniux reconciliatus non relabitur in adulterium, eo verò relabente reuiuiscit ius diuortij, vt benè ait Sanchez *disp.*5. *n.*19. Henriquez *lib.*11. *cap.*17. Coninch. *disp.*34. *dub.*2. *n.*11. Reginaldus *num.*331. & 332. Speculum 3. *part. art.*1. P. Ledesm. *loco citato*, [Filliucius *n.*372. & 392.] & alij.

15 An quādo vterque coniux cōmisit adulterium, sed vnus emēdatus est, possit emēdatus petere diuortium.

15 Quæres quintò, quando vterque coniux commisit adulterium, sed alter iam emendatus est, vtrùm possit emendatus petere diuortium ab altero non emendato.

Respondeo posse, quando emendatus admonuit alterum, vt se corrigeret, & nihilominus noluit se corrigere, sed denuo lapsus est in adulterium. Ratio est, quia si ambo coniuges in adulterium lapsi essent, & post adulterium reconciliati fuissent, vno eorum relabente, posset alter facere diuortium, ex communi Doct. sententia; sed hoc idem accidit in præsenti casu, nam quando coniux emendatus admonet alterum, offert illi reconciliationem; ergo si post admonitionem non vult emendari, potest emendatus ab eo diuertere. Ita Sanchez *lib.*10. *disp.*7. *n.*4. P. Ledesm. *quæst.*62. *art.*1. *dub.*2. Henriquez *num.*5. Coninch. *n.*17. Reginald. *lib.*31. *n.*321. [Filliucius *loco cit.*] & alij.

16 An coniux innocens possit facto diuortio cogere adulterum, vt ad se redeat.

16 Quæres sextò, vtrùm coniux innocens possit facto diuortio, cogere adulterum, vt ad se redeat.

Respondeo affirmatiuè cum P. Ledesm. *quæst.*62. *art.*6. Spec. 3. *part art.*6. Emanuel. Sà *loco cit. n.*2. Sanchez *lib.*10. *disp.*10. *nu.*3. Reginald. *n.*325. Gutierez *cap.*120. *n.*14. [Filliucio *tract.*10. *cap.*10. *quæs.*7. *n.*381.] & aliis. Ratio est, quia sententia diuortij facta est in pœnam adulteri, & in fauorem innocentis; ergo coniux innocens potest alterum reuocare facto diuortio propter adulterium, & adulter tenetur ad illum redire, alioquin sententia diuortij vergeret in pœnam innocentis. [Hoc tamen intelligitur modò status alterutrius non sit mutatus per professionem in religione, vel per susceptionem sacrorum Ordinum; cùm enim status assumptus immutabilis sit, coniux non habet ius reuocandi, iuxta dicenda *n.*23.]

17 An innocēs possit reuocare adulterum in amicitiam.

17 Hinc patet primò, innocentem posse reuocare adulterum in amicitiam, *cap. si vir. de adult.* quamuis non teneatur illum reuocare, *cap. admonere* 33. *quæst.*2. Ita Azor. 1. *part. lib.*13. *cap.*14. *quæsito* 13. *col.*1688. Henriq. *loco cit. n.*3. Coninch. *disp.*35. *dub.*2. *ad fin.* Reginald. *li.* 31. *n.*328. Sanchez *lib.*10. *disp.*13. Gutierez *de matrim. c.*129. *n.*13. & alij.

18 Quænam differentia sit inter incestuosum, & adulterum.

18 Secundò patet differentia inter incestuosum, & adulterum, quòd coniux innocens potest gratiam reconciliationis concedere adultero ad petendum debitum, non verò potest concedere incestuoso, qui copulam habuit cum consanguinea coniugis innocentis in primo vel secundo gradu.

19 An facto diuortio, adulter habeat rationem cōtra alterum, qui post factum diuortium lapsus est in adulterium.

19 Quæres septimò, vtrùm adulter, facto diuortio, habeat actionem repetendi innocentem, qui lapsus est in adulterium post diuortium.

Respondeo, posse quidem iudicem sua auctoritate illos coniuges recōciliare, nam sententia diuortij non abstulit ius superiori, ne possit coniuges separatos quoad torum, & habitationem iterum coniungere ad vitanda pericula incōtinentiæ, imò tenetur hoc facere, quando adest scandalum, vel manifestum incontinentiæ periculum: ipse verò adulter non habet propriè actionem ad repetendum. Ratio est, tum quia res iam transiit in iudicatum, nec est retractandum, quod semel benè fuit definitum, *cap. quod bonæ* 6. *quæst.*4. tum quia sententia diuortij non fertur sub conditione in fauorem rei, sed absolutè fertur in ipsius odium. Ita P. Ledesm. *quæst.*62. *art.*6. *concl.*2. Henriquez *lib.* 11. *cap.*17. *n.*3. Sanchez *lib.*10. *disp.*9. *n.*30. Reginald. *nu.*330. [Filliucius *n.*375. & 377.] Gutierez *cap.*129. *n.*18. & alij.

20 An adulter occultus possit petere debitum à coniuge ignorante adulterium suum.

20 Quæres octauò, vtrùm coniux adulter occultus possit petere debitum ab altero coniuge ignorante suum adulterium.

Respondeo posse. Ratio est, quia priuatio iuris petendi est pœna imposita propter delictum adulterij, nullus autem tenetur pœnam subire ante sententiam iudicis, vel alterius coniugis, nisi aliter constet ex dispositione iuris, sed iudex, aut coniux innocens non potest adultero iniungere pœnam priuationis debiti, nisi delictum sibi sit cognitum, nec ipse adulter occultus tenetur suum delictum manifestare; ergo coniux adulter occultus potest petere debitum ab altero coniuge ignorante suum adulterium. Ita Sotus *in* 4. *dist.*36. *quæst. vn. art.*4. Sanchez *lib.*1. *disp.*68. *n.*4. [*& lib.*10. *disp.*6. *n.*9. Filliucius *num.* 375.] Henriquez *lib.*11. *cap.*15. *n.*6. Emanuel Sà *verb. adulterium nu.*3. Coninchus *disp.*35. *dub.*1. *num.*4. *& disp.*23. *dub.*12. *num.*89. Gutierez *cap.*34. *num.*10. P. Ledesm. *quæst.*62. *art.*1. *dub.*1. contra Nauar. *cap.*23. *num.*23. Rebell. *lib.*2. *quæst.*17. *num.*3. Rodriquez 1. *part. cap.*243. *n.*14. & alios, quorum sententia à nobis sustinenda esset, si lex priuationis debiti constituta contra adulteros vsu recepta esset ante sententiam iudicis, vel coniugis innocentis, iuxta dicta *de lege pœnali priuatiua.*

21 An facto diuortio adulter possit amicabiliter petere debitum, vt recuperet ius amissum.

21 Addo non solùm adulterum occultum, seu etiam publicum, aut eum, qui per sententiam fuit separatus, posse amicabiliter petere debitum; quamuis enim sit priuatus iure petendi, nihilominus potest debitum petere, vt acquirat ius amissum, quod potest acquirere per reconciliationem sibi concessam à coniuge innocente. Ita Nauarrus *loco citato*, & alij.

22 An habens occultum vitium, quo cognito alter recederet à sponsalibus, possit cogere sponsum ignarum vitij, vt stet sponsalibus.

22 Hinc colligi potest solutio alterius difficultatis, qua quæritur vtrùm sponsus habens vitium occultum, ratione cuius alter sponsus, si nosset illud vitium, posset resilire à sponsalibus antea validè celebratis, possit cogere alterum sponsum ignarum illius vitij, aut leuiter dubitantem de vitio, vt stet sponsalibus. Ad quam difficultatem

Responderi potest cum Sanchez *lib.*1. *disp.*68. *n.*7. Coninch. *disp.* 23. *dub.*12. *concl.*4. *num.*97. Henriquez *lib.*11. *cap.*15. *num.*6. Gutierez *cap.*34. *num.*10. Reginald. *lib.*31. *num.*267. & Perez *de sponsalibus.* §. 6. posse cogere, vt patet a simili ex ratione allata in responsione quæsiti, militat enim eadem ratio. Hoc tamen intelligitur, modò sponsalia sint valida, alioquin non posset cogere alterum sponsum stare sponsalibus, nullum enim haberet ius cogendi. Ita Doctores citati.

Obiicies. Habens occultum aliquod vitium non potest ob simile vitium alterius petere dissolutionem spōsaliorum, vnde sponsa, cuius fornicatio est occulta, non potest petere dissolutionem sponsaliorum ob fornicationem sponsi sibi notam, nec femina laborans morbo Gallico potest ob similem morbum viri resilire à sponsalibus, nec coniux occultè adulter potest facere diuortium ob adulterium alterius coniugis sibi notum; ergo neque adulter potest petere debitum à coniu-

ge ignorante suum adulterium, nec sponsa habens vitium occultum sufficiens ad dissoluenda sponsalia, potest cogere alterum sponsum stare sponsalibus.

Respondeo, concesso antecedente negandam esse consequentiam. Ratio, propter quam concedendum sit antecedens, est, quia paria delicta mutua compensatione abolentur. Ratio verò, cur neganda sit consequentia, est, quia reus non tenetur sponte pœnam subire, sed potest expectare, donec sibi inferatur à iudice, vel ab altero coniuge, cõsequenter coniux adulter occultus potest petere debitum ab altero coniuge ignorante suum adulterium, & sponsus habens vitium occultum potest cogere alterum sponsum stare sponsalibus.

23 An facto diuortio cõiux possit recipere sacros Ordines, aut religionem ingredi, altero manente in sæculo.

23 Quæres vltimò, vtrùm coniux adulter, vel innocens possit post sententiam diuortij susc ipere sacros Ordines, vel profiteri in religione, manente altero coniuge in sæculo.

Respondeo, virum innocentem posse inuita vxore profiteri in religione, vel sacros Ordines suscipere, vt patet ex *cap. Agatosa 27. quæst. 2. & cap. constitutus. de conuersione coniugatorum.* Caueat tamen innocens, ne Ordines sacros suscipiat, aut religionem ingrediatur, quando delictum alterius est occultum, fieri enim potest, vt non probato delicto restituatur vxori adulteræ, aut sequatur scandalum. Ita DD. statim citandi cum Azor. *loco cit.*

[Addo cum Sanchez *disp.19. num.47. & seq.* Nauarro *cons.5. de diuort.* Henriquez *in summa lib.12. cap.5. num.10.* Filliucio *tract.10. cap. 10. quæst.14. num.107.* transitum ad religionem, vel Ordines licitum esse, non solùm ob diuortium factum ob adulterium, verum etiam ob diuortium factum ob sæuitiam: tunc enim coniux innocens, & sanæ mentis, potest Ordines suscipere, vel professionem emittere, cùm militer eadem ratio ac in diuortio ob adulterium, vel hæresim; modò tamẽ diuortium sit absolutum, & perfectum, nec adsit spes, vt coniux furens, vel sæuus ad pristinum redeat statum; par enim non est vt alter coniux ob temporale impedimentum priuetur simpliciter iure matrimonij, nisi Summus Pontifex iusta de causa aliter decernat.]

Respondeo secundò, coniugem adulterum non posse absque licentia innocentis Ordines suscipere, aut profiteri in religione, nam innocens habet ius concedendi reconciliationem coniugi adultero, & illum repetendi, quo iure non potest inuitus priuari: de licentia verò coniugis innocentis tacita; vel expressa potest coniux adulter sacros Ordines suscipere, aut professionem facere in religione: imò si post sententiam diuortij adulter sæpius petat ab innocente reconciliationem, & innocens nolit eam concedere, potest adulter eligere statum religionis, quia coniux innocens censetur tunc dare licentiam, consequenter non poterit postea reuocare adulterum, qui sacros Ordines suscepit, aut professionem, aut votum emisit. Ita Sanchez *lib.10. disp.11. num.16.* Henriquez *num.6. ad finem,* Coninchus *disp.35. dub.5. n.36.* Reginald. *lib.31. n.326.* Gutierez *c.129.* P. Ledesm. *quæst.53. art.4.* [Filliucius *num.382. & 383.* & alij.]

24 An manens in sæculo teneatur votum castitatis emittere.

24 Addo, coniugem innocentem remanentem in sæculo, postquam adulter suscepit sacros Ordines, aut postquam ingressus est religionem, non teneri religionem ingredi, aut votum castitatis emittere, nullo enim iure probatur, ipsum ad hoc teneri, nam *in cap. sanè, & c. significasti, de conuersione coniugatorum,* sermo tantum est, quando matrimonium est integrum, & illæsum, non verò quando factum est diuortium. [Ita DD. cit.] Idem dicendum est, quando innocens facto diuortio ingreditur religionem, tunc enim adulter manens in sæculo non tenetur emittere votum castitatis, aut ingredi religionem. [Ita Doctores citati.

SECVNDA PROPOSITIO.

25 Quibus de causis fieri possit diuortium ad tempus.

25 MVltæ sunt causæ sufficientes ad faciendum diuortium non perpetuum, quoad torum, & habitationem, quamdiu ipsæ causæ durant.

Prima causa est sæuitia mariti, [seu periculum grauis damni, seu tractationis,] nisi ab ipso sufficiens cautio exhibeatur de non offendenda coniuge, vt patet ex *cap. litteras. de restitut. spoliatorum.* Ita Sanchez, Reginald. Nauar. Coninch. Henriq. & alij *locis* statim *cit.* cum Gutierez *de matrim. cap.129. num.28.* [Filliucius *tract.10. cap.10. quæst.13. n.402.*] & cum Riccio *verb. Praxis matrim. decis.235.*

Addo cum Sanchez *disp.18. n.19.* non solùm sæuitiam præteritam præbere iustam causam diuertendi, sed etiam timorem futuræ sæuitiæ, & malæ tractationis. Hæc sæuitia præsumi potest, quamdiu vir retinet concubinam domi, vel etiam extra domum, consequenter vxor potest à viro recedere, donec vir dederit sufficientem cautionem pignoratitiam, & fideiussoriam, vel saltem iuratoriam expellendi concubinam, illamque non recipiendi in futurum, nam retentio concubinæ est causa sæuitiæ, & multarum molestiarum inter coniuges. Verum tamen est, virum præstita cautione adhuc posse moderatè percutere vxorem, sicut antea licitè poterat percutere, par enim non est, vt vxor impunè dimittatur delinquere. Vide, quæ dixi *in quarto Decalogi præcepto*, de reuerentia coniugum, & præterea Ricc. *decis.254.* vbi tradit, qualis cautio præstanda sit à viro, vt vxor cogi possit ad cohabitandum cum eo.

[Circa quam difficultatem ego breuiter respondeo cum Sanchez *lib.10. disp.18. num.40.* Vega *in summa tom.1. c.89. casu 4.* Ceuallo *commun. opin. quæst.63. num.9. & 10.* & aliis, per se loquendo, requiri pignoratitiam, vel fideiussoriam cautionem, vt vxor probabiliter timens sæuitiam teneatur cum illo habitare. Ratio est, quia *in cap. litteras, & cap. transmissa. de restit. spol.* præscribitur cautio sufficiens, cautio autem sufficiens est pignoratitia, vel fideiussoria.

Dixi, *per se loquendo*, quia per accidens sufficere potest iuratoria. Primò, quando vir maximè timet iuramenti transgressionem, tunc enim sufficit cautio iuratoria, si iudex præstatione cautionis iuratoriæ credat sufficienter consultum periculo vxoris, cautio enim exigitur, vt vxor tuta reddatur. Secundò quando vir adeò pauper est, & derelictus, vt fideiussoriam, vel pignoratitiam cautionẽ præstare non possit, tunc enim sufficit iuratoria: tum quia possibilium non est obligatio, *l. impossibilium. ff. de reg. iur.* tum quia *in c. litteras cit.* exigitur cautio sufficiens (nempe pignoratitia, vel fideiussoria,) si fieri potest; ergo sufficiet iuratoria, dum alia fieri non potest, contrarium tenet Riccius *loco cit.*]

Secunda causa est furor alterius coniugis, quando furor est ita vehemens, vt alter coniux periculum subeat cohabitando.

Tertia est, quando vnus coniugum tentauit alterum occidere, vt benè ostendit Sanchez *disp.18. n.22.* Couar. *4. decret. part.2. cap.7. §.6.* Riccius *disp.236.* & alij communiter, videtur enim sufficientem causam diuortij exhibuisse.

Quarta est, quando alter coniux instigat alterum ad peccatum, & præmissa correctione non desistit ab instigando, in quo casu coniux instigatus timens sibi lapsum potest recedere, quia non tenetur cum altero coniuge permanere cum tanto periculo.

Quinta est, quando delictum vnius coniugis potest esse alteri causa grauis damni, vt quando vxor est venefica interficiens filios, aut quando timetur, ne enecet virum.

Sexta causa est lapsus vnius in infidelitatem, vel hæresim, lapsus enim in hæresim, vel infidelitatem, est quędam fornicatio spiritualis, ob quam licitum est facere diuortium, sicut est licitum ob fornicationem carnalem, *cap. idololatria, & cap. quanto, de diuortiis.* [& ius naturale confert ius vitandi proprium animæ periculũ.] Ita Henriquez *loco cit. n.6.* Nauarrus *cap.12. n.21.* & alij apud Henriquez *loco cit.* Coninchus *disp.35. num.24.* Reginald. *n.314.* [Filliucius *num.395. & seq.* vide Sanchez *disp.15.*]

Septima causa potest esse votum communi consensu emissum, in quo casu possunt coniuges separari quoad torum, si remiserunt sibi obligationem reddendi debitum, imò possunt ambo religionem ingredi, & in ea profiteri, vt patet ex suprà dictis. Vide Rebell. *locis citatis.* Sanchez *disp.17. & 18.* Valentiam *tom.4. disp.10. quæst.4. punct.2.* Nauar. *c.22. n.22.* Sylvest. *verb. diuortium.* Henriq. *lib.11. cap.17. nu.6. & 7.* & P. Ledesm. *quæst.62. part.1. ad finem.*

26 Quemnam sequatur filij, facto diuortio.

26 Quæres, quémnam sequantur filij facto diuortio.

Respondeo, iure ciuili sequi partem innocentem. Ita Emanuel Sà *verb. Diuortium n.12.* [Sanchez *disp.21. n.2.* Filliucius *num.407.*] nam potior videtur conditio innocentis, [per se loquendo.]

Vtrum verò vir teneatur facto diuortio alere vxorem, [aut filios,] aut saltem possit in foro conscientiæ alimenta denegare vxori adulteræ occultæ.

Videri potest Sanchez *lib.10. disp.8. num.25.* Surdus *de alimentis. tit.1. quæst.118.* Rodriquez *1. part. cap.240. num.4.* Gutierez *c.129. nu.21. & sequentibus,* Menoch. *cons.853.* Riccius *decis.235.* [& patet ex dictis *in 4. Decalogi præcepto.*]

PVNCTVM VI.

De peccatis contingentibus in celebrando contractu matrimonij, & in vsu matrimonij iam celebrati.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quibus modis peccare possint coniuges in contrahendo matrimonio.

1 MVltis modis peccare possunt coniuges in contractu matrimonij. Primò, defectu consensus, quando scilicet interiùs non consentiunt, in quo casu matrimonium est inualidum, quamuis in foro externo præsumatur validum, vt patet ex supradictis.

Secundò, ex parte alicuius impedimenti dirimentis, aut defectu absentiæ Parochi, & testium, vt patet ex supradictis.

Tertiò, defectu ætatis, vel temporis, vt dictum est de ætate requisita ad matrimonium, & de impedimento impotentiæ.

Quartò, defectu denuntiationum, de quibus suprà. Hìc tamen vnum aduertẽdum est, videlicet eum, qui intra quatuor menses post peractas denuntiationes non contraxit matrimonium, non posse matrimonium inire, nisi nouas denuntiationes præmittat arbitrio Episcopi. Ita Cardinalium Congregatio apud Rebell. *in declarationibus* Cardinalium *sess.2. n.8.* imò hìc Mediolani existimo repetendas esse omnes denuntiationes, quando matrimonium non est celebratum intra mensem, vt patet ex decretis Prouincialibus, vel saltem intra duos menses iuxta consuetudinem.

Quintò, ex parte finis, quando contrahentes in contractu matrimonij sibi proponunt malum finem: nam peccant iuxta grauitatẽ, vel leuitatem finis propositi, vt patet ex regulis generalibus, *de peccatis* & benè tradit Nauar. *cap.22. n.79.*

Sextò, ratione alicuius peccati mortalis nondum deleti per confessionem, vel per contritionem: nam recipiens Sacramentum indignè, peccat mortaliter; sed qui matrimonium contrahit cum peccato mortali nondum deleto per confessionem, vel per contritionem, indignè recipit Sacramentum; ergo peccat mortaliter. Ita Sanchez, Rodriquez & alij apud Gutierez *cap.83. n.13.*

Septimò, defectu benedictionum omissarum, coniuges enim post contractum matrimonium debent benedici debito tempore, quamuis non peccent mortaliter consummando matrimonium ante benedictionem. Ita Henriquez *lib.11. cap.16. n.3.* Sanchez *lib.3. disp.12.* Gutierez *cap.106. n.13.* & alij communiter apud Henriquez *loco citato.*

2 An peccet mortaliter, qui benedictiones matrimonij omittit.

2 Rogabis primò, an peccet mortaliter qui benedictiones omittit sine contemptu.

Respondeo cum Sanchez *lib.7. disp.82.* Gutierez *loco cit. n.12.* Spec. *1. part. art.12.* Emanuel. Sà *verb. Matrimonium, num.6.* & aliis, contra Henriquez *lib.11. cap.16. n.2.* [Filliucium *tract.10. part.2. cap.5. quæst.10. num.165.*] & nonnullos alios, non peccare mortaliter, nam benedictiones sunt tantummodò sacramentalia quæ non videntur tanti momenti, quanti sunt ea, quæ baptizato præmittuntur, consequenter illarum omissio non videtur sufficiens ad peccatum mortale, [licet illarum susceptio in iure præscribatur, *c. nostrates, & c. sponsus. 30. q.5.*]

3 A quo fieri debeant benedictiones.

3 Rogabis secundò, à quo fieri debeant benedictiones.

Respondeo, fieri posse ab Ordinario, vel à Parocho sponsi, vel sponsæ,

sponsæ, vel ab alio sacerdote de ipsius licentia. Si verò alius sacerdos absque licentia Parochi, vel Ordinarij, benedicat sponsis, incurrit ipso facto suspensionem ab officio, donec ab Ordinario Parochi absoluatur: vt patet ex Trident. *de reformat. matrim. sess.* 24. *cap.* 1. Vtrùm verò religiosus benedicendo absque licentia, præter suspensionem incurrat etiam excommunicationem latam *in Clementina* 1. *de priuilegiis*, patet ex dictis *disp.* 2. non incurrere iuxta Rebell. *ibi* citatum. Idem tenet Henriquez *lib.* 13. *cap.* 38. *num.* 2. Suarez *de cens. disp.* 12. *cap.* 4. *nu.* 13. Sayrus *lib.* 4. *c.* 15. *num.* 2. contra Nauarrum *to.* 2. *consil. consil.* 1. *de pœnis, lib.* 5. Probatur, tum ex declaratione Cardin. tum ne duplex pœna incurratur pro vno delicto, per tradita à Decio *cap. de causis. de officio delegati.* Vide Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 52. *n.* 4. *& lib.* 7. *disp.* 82. An verò quilibet Parochus contrahentium possit benedictiones impendere, patet ex supradictis *de assistentia Sacerdotis in matrimonio*, cum Sanchez, & aliis, quibus addi potest Farinacius *in* 4. *part. declar. cum decis.* quem citat [Filliucius *num.* 166.] & sequitur Gutierez *cap.* 106. *n.* 8. contra nonnullos alios.

4 An benedictiones recipiendæ sint in secundisnuptiis.

4 Rogabis tertiò, vtrùm qui semel contraxit matrimonium, & mortuo primo coniuge aliud matrimonium iniit, teneatur in secundo matrimonio recipere benedictiones.

Respondeo, non teneri, etiamsi fortè primum matrimonium fuerit inualidum, nam benedictiones non respiciunt nuptias, sed personas; si ergo personæ semel eas receperunt, non est ratio cur astringantur ad illas de nouo recipiendas. Ita Sanchez *lib.* 7. *disp.* 82. *num.* 15. Henriquez *loco cit.* Gutierez *num.* 14. *& cap.* 48. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 50. Coninchus *disp.* 27. *dub.* 8. *num.* 72. Rebell. *lib.* 3. *q.* 20. *n.* 3. Nauar. *cap.* 22. *num.* 83. [Filliucius *nu.* 167.] & alij, non nego tamen, quin coniux, qui semel in primo matrimonio accepit benedictiones, possit eas iterum recipere iis locis, vbi consuetudine receptum est, vt vterque eas recipiat, nam consuetudo potest abrogare legem. Ita Sanchez *disp.* 82. *num.* 24. & alij apud Henriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 2. [quibus adde Filliucium *num.* 168. & alios asserentes consuetudine receptum esse vt in secundis nuptiis conferantur benedictiones, quando alter coniux non suscepit benedictionem.]

Rogabis quartò, vtrùm peccent coniuges petentes, aut reddentes debitum ante benedictiones.

Respondeo cum Sanchez *lib.* 3. *disp.* 12. *num.* 4. Coninchо *disp.* 27. *dub.* 8. *num.* 74. Gutierez *cap.* 58. *num.* 3. Reginald. *lib.* 31. *num.* 238. & aliis apud Sanchez *loco citato* contra nonnullos alios, non peccare saltem grauiter, quia nullo præcepto constat grauiter peccare, vt colligitur ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 1. vbi hortatur coniuges, ne cohabitent ante benedictiones.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Quibus modis peccent coniuges in vsu matrimonij iam contracti.

5 MVltis modis peccare possunt coniuges in vsu matrimonij iam contracti, vt patet ex his duobus versibus, in quibus exprimitur, quid seruandum sit in vsu matrimonij, vt actus matrimonialis licitus sit, ac meritorius.

Sit modus, & finis, sine damno, solue, cohære,
Sit locus, & tempus, tactus, nec spernito votum.

6 Quomodo coniuges in actu matrimonij peccẽt contra modum.

6 Circa particulam, *sit modus*, videnda sunt, quæ infrà dicam de coniunctione naturali facta modo indebito, de pollutione, & Sodomia; peccatur enim contra modum, quando non seruatur situs, & modus congrediendi, aut quando non seruatur debitum vas, aut quando semen voluntariè extra vas funditur, vt benè obseruat Henriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *n.* 6. & alij communiter.

7 Quomodo peccent coniuges contra finem.

7 Circa particulam, *sit finis*, aduertendum est coniuges debere sibi constituere finem honestum. e.g. procreationem filiorum, fugam incontinentiæ, &c. alioquin peccant pro ratione mali finis, quem sibi constituunt, vnde vir accedẽs ad vxorem causa delectationis peccat, sed non mortaliter, nam huiusmodi finis non habet tantam oppositionem cum ratione, vt inter coniuges constituat culpam lethalem, vt benè ait Nauar. *c.* 16. *n.* 23. Sanchez *lib.* 9. *disp.* 11. *nu.* 4. Emanuel Sà *verb. Debitum, ad finem*, Coninchus *disp.* 34. *dub.* 1. Reginaldus *lib.* 31. *n.* 340. Coniux verò, qui reddit alteri petenti ob delectationem, non peccat, nam reddit, quod tenetur petenti illicitè ob circumstantiam personæ; qui verò accedit ad propriam vxorem cum cogitatione alterius personæ, grauiter peccat pro qualitate personæ, quam mente reuoluit, vnde si mente reuoluat vxorem alterius, committit adulterium mentale exprimendum in confessione. Similiter vir accedens ad suam vxorem animo accedendi, etiamsi sua non esset, grauiter peccat peccato adulterij interni, nam habet delectationem morosam, & prauam intentionem de re mortaliter mala. Ita Valentia *loco cit.* Sanchez *lib.* 9. *disp.* 14. Reginald. *lib.* 31. *n.* 333. *concl.* 2. & alij communiter.

8 Quandónam non liceat accedere ad vxorem ob damnum illius.

8 Circa particulam, *sine damno*, patet ex suprà dictis, quatenus liceat negare debitum cum periculo grauis morbi, vel detrimenti. Hic solùm supersunt nonnullæ difficultates breuiter explicandæ.

9 An sit peccatum accedere ad vxorem tempore menstrui.

9 Prima difficultas est vtrum sit peccatum accedere ad vxorem tempore menstrui.

Respondetur, accedere ad vxorem tempore menstrui naturalis, quod feminæ pati solent singulis mensibus, vt plurimum esse peccatum veniale. Ratio est, quia videtur esse quædam inhonestas, & turpitudo naturalis accedere tempore menstrui ad vxorem, quæ tunc temporis est inepta ad retinendum semen. Ita Petr. Ledesm. *quæst.* 64. *art.* 1. *dub.* 3. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *n.* 7. Sanchez *lib.* 9. *disp.* 21. *num.* 5. Rodriquez 1. *part. cap.* 243. [Filliucius *tract.* 10. *c.* 9. *quæs.* 10. *num.* 336.] Speculum 3. *part. art.* 19. *concl.* 4. vbi citat Paludanum, Almainum, & alios. Quando verò vir patitur fluxum seminis, non peccat neque venialiter petendo, tum quia proles nullum inde patitur damnum, tum quia hoc esset onus nimis graue. Ita Sanchez *loco citato, n.* 9. & alij.

Dixi, *menstrui naturalis*, quia quando fluxus menstruorum est innaturalis, & continuus, non peccat vir accedendo ad vxorem, alioquin rarò posset vti iure suo. Ita Reginaldus *lib.* 31. *n.* 342. Nauarr. Antoninus, [Filliucius *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 9. *quæs.* 10. *n.* 336.] & alij apud Sanchez *lib.* 9. *disp.* 21. *n.* 8. contrà Caietan. Sylvest. & alios, existimantes esse peccatum mortale, eò quòd afferatur præiudicium proli, quæ monstruosa solet nasci, quando coniuges congrediuntur tempore menstrui: sed hæc ratio facilè dissoluitur dicendo prolem rarò monstruosam nasci ex hoc præcisè, quòd copula tempore menstrui habeatur.

Addo melius esse proli, vt ita nascatur, quàm vt nullo modo nascatur.

10 An vxor teneatur reddere debitum viro petenti tempore menstrui.

10 Rogabis, vtrùm vxor teneatur reddere debitum viro petenti tempore menstrui.

Respondeo cum Sylvest. *verb. Debitum num.* 12. Rebell. *lib.* 3. *quæst.* 19. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *n.* 71. & aliis contra Sanchez *loco cit. n.* 15. Coninch. *disp.* 34. *dub.* 9. *n.* 76. [Filliucium *loco cit.*] & alios, non teneri reddere, quia non est obligatio reddendi, quando adest turpitudo tenens se ex parte actus, & faciens actum illicitum, sed in hoc casu adest quædam turpitudo tenens se ex parte actus, faciensque actum illicitum; ergo vxor non tenetur reddere debitum viro petenti tempore menstrui, imò peccat venialiter reddendo, eò quòd actus habeat quamdam turpitudinem. Hoc tamen intelligitur, nisi adsit iusta causa reddendi tunc temporis.

11 An sit peccatum mortale accedere ad vxorem grauidam.

11 Secunda difficultas est, vtrùm sit peccatum mortale accedere ad vxorem cum periculo abortus.

Respondetur affirmatiuè cum Nauar. *cap.* 16. *num.* 53. Sylvest. *verb. Debitum, num.* 8. Valentia *tom.* 4. *disp.* 10. *quæst.* 6. *punct.* 2. Rebell. *lib.* 3. *quæst.* 19. Sanchez *lib.* 9. *disp.* 22. *num.* 1. Coninch. *disp.* 34. *dub.* 9. *nu.* 77. Reginald. *lib.* 31. *num.* 286. [Filliucio *num.* 337.] & aliis. Ratio est, quia repugnat rectæ rationi, vt aliquis velit delectationem capere cum graui damno, & periculo alterius.

Dixi, *cum periculo abortus*, quia secluso abortus periculo, non videtur illicitum accedere ad vxorem grauidam, nulla enim sufficienti ratione probatur hoc esse illicitum, alioquin coniuges essent obnoxij innumeris peccatis, cùm vtplurimum vxores sint grauidæ. Ita Speculum *loco cit. concl.* 3. Henriquez *loco citato*, Sanchez *lib.* 9. *disp.* 22. *n.* 6. [Filliucius,] & alij, quamuis multi oppositum sentiant.

12 Quandónam sit periculum abortus.

12 Rogabis primò, quandónam sit periculum abortus.

Respondeo, periculum abortus adesse, primò tempore coagulationis, & formationis fœtus; quando autem formetur fœtus, seu animetur, dictum est de homicidio *in tract. de restitutione*. Secundò, adest periculum fœtus, quando coniuges congrediuntur proximè ante partum, nam eo tempore periculum est, vt fœtus ob seminis abundantiam suffocetur: rarò tamen constat, coniugibus hic, & nunc subesse tale periculum, vt teneantur illud sub mortali euitare. Ita Sanchez, Coninchus, Reginaldus, & alij *locis citatis*.

13 An qui est causa abortus fiat irregularis.

13 Rogabis secundò, vtrùm vir incurrat irregularitatem, quando est causa abortus accedendo ad vxorem.

Respondeo affirmatiuè, quando est causa abortus fœtus animati anima rationali, vt patet ex dictis de irregularitate ob homicidium. Concedo tamen, eum qui cum femina congrediendo, est causa abortus masculini ante 40. diem, non teneri se gerere tamquam irregularem, nam ante 40. diem rarissimè foi matur fœtus.

Neque obstat, in dubio facti quemlibet debere se gerere tamquam irregularem.

Respondetur enim cum Rebell. *loco cit. n.* 17. Perez *de abortu fol.* 259. Henriquez *lib.* 14. *c.* 14. *n.* 3. quemlibet teneri se gerere tamquam irregularem, quando dubium est pro vtraque parte probabile; in hoc autem casu non est dubium probabile pro vtraque parte, sed est tantummodò leue dubiũ, nam rarissimè formatur fœtus ante 40. diem, consequenter non adest probabile dubium, fœtum animatum fuisse anima rationali ante 40. diem.

14 An necesse sit coniuges in actu matrimoniali simul seminare.

14 Circa particulam *solue*, satis dictum est suprà de obligatione reddendi debitum: hìc solùm supersunt aliquæ difficultates breuiter examinandæ.

Prima difficultas est, vtrùm necesse sit coniuges in actu matrimoniali simul seminare.

Respondetur negatiuè, quia secundùm probabilissimam sententiam semen feminæ, nec actiuè, nec passiuè concurrit ad generationem. Expedit tamen, vtrumque coniugem simul seminare, nam semen feminæ iuuat saltem ad formandam formosiorem fœtum, qua de causa coniux tardior ad seminandum potest se tactibus præparare ad copulam, vt possit simul cum viro seminare, vt patebit ex infrà dicendis, *punct.* 9. præterea potest vir, postquam seminauit, continuare copulam, vt femina, quæ nondum seminauit, seminare possit, hoc enim pertinet ad completam vxoris copulam. Ita Caietanus 2. 2. *quæst.* 15. *art.* 11. & alij apud Henriquez *lib* 11. *cap.* 16. *num.* 7. vbi ostendit, virum, postquam seminauit, non teneri expectare tardantis feminæ seminationem, quia periculum est, vt hoc pacto impediatur generatio.

15 An vxor possit se tactibus excitare, donec semineт, quando vir iam seminauit.

15 Ex quo fit, vt si vir, postquam seminauit, se retrahat ante seminationem vxoris, vxor se possit tactibus excitare donec seminet. Ratio est, tum quia grauem alioquin sentiret afflictionem, si cogeretur ita remanere libidine excitata, tum quia illi tactus ordinantur ad completum actum coniugalem, qui consistit in vtriusque seminatione, tum quia quamuis semen vxoris non sit necessarium ad generationem, nihilominus est valdè vtile, cùm iuuet ad formãdum pulchriorem fœtum, tum quia sicut licitum est coniugi præparare se ad copulam, ita etiam perficere actum copulæ. Hoc tamen non valet in viro, qui tactibus se polluit postquam femina se retraxit, vt patet ex contraria ratione, [prodigeret enim semen à natura institutum ad generationem.] Ita Sanchez *lib.* 9. *disp.* 17. *n.* 10.

16 An vir peccet mortaliter, quando copula incepta se retrahit.

16 Secunda difficultas est, vtrum peccatum mortale committatur à viro, qui copula incepta desistit a seminando, quando vxor iam seminauit.

Respondeo cum Sanchez *lib.* 9. *disp.* 19. *n.* 4. Henriquez *loco cit.* contra nonnullos alios, peccare mortaliter, quia hoc est contra finem generationis, quæ postulat, vt consummato coitu ex parte feminæ, consummetur etiam ex parte viri, alioquin frustraretur, ac prodigeretur semen

semen feminæ. Secus dicendum est quando vir, postquam seminauit, se retrahit de consensu vxoris, antequam ipsa seminet, secluso tamen periculo incontinentiæ in femina.

17 An copula maritalis licita sit seni, qui semen extra vas prodigit.

17 Tertia difficultas est, vtrum maritalis copula licita sit seni, qui dum congreditur cum sua vxore, fundit semen extra vas, nec potest seminare intra vas femineum.

Respondetur cum Nauarr. *loco cit.* Reginaldo *lib.31.n.334.concl.6.* & aliis apud Sanchez *lib.9.disp.17.n.20.* senem, quando habet probabilem spem seminandi intra vas, posse coire, conando seminare intra vas debitum, [vtitur enim iure suo,] quamuis semen fortasse extra vas fundatur præter intentionem, vt patet à simili in frigidis, quibus concessum est triennium ad experiendum, an sint potentes; si verò senex sciat se non posse effundere semen intra vas, non potest vti copula, [quia semen voluntariè prodigit, cum sciat illud effundēdum,] quamuis possit vti osculis, & amplexibus secluso periculo pollutionis extra vas, iuxta dicenda *punct.9.*

18 Quando non copula licita sit seni, & an peccet mortaliter femina, quæ statim post copulam mingit, vt semen effundatur.

18 Hinc ergo patet senem habentem spem probabilem seminandi intra vas posse vti copula, dat enim operam rei licitæ possibili, & sibi permissæ: vt patet à simili, quando quis post matrimonium consummatum ita detruncatur pudendis, vt vix seminare possit intra vas, aut quando vxor post matrimonium ita fit arcta ob aliquem morbum, vt vix carnaliter cognosci possit. Ita Henriq. *lib.11.cap.16.n.7.* & alij.

Rogabis vtrum sit licita copula vxori, quæ post coitum non potest semen retinere intra vas.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia ista seminis expulsio euenit per accidens, & præter intentionem, tum quia vxor sæpè retinebit semen necessarium ad generationem expulso superfluo. Verum tamen est, feminam, quæ post copulā statim mingit, vel aliquid aliud facit, vt receptum semen effundat, peccare mortaliter, facit enim contra finem, ad quem institutum est semen à natura, vt benè ait Sanchez *locis cit. disp.20.n.3.* Rebell. *lib.3.quæst.19.n.15.* Henriquez *loco cit.cap.16.n.8.* Reginald. *lib.31.n.334. ad finem,* & alij.

19 Quam malitiæ speciem habeat pollutio inter coniuges extra vas debitum.

19 Quarta difficultas est, quam malitiæ speciem habeat pollutio inter coniuges extra vas debitum.

Respondetur, habere speciem adulterij, quia coniux non seruat fidem alteri datam de corpore illi caste custodiendo. Addo cum Sanchez *disp.18.n.4.&5.* Reginald. *n.333.* hanc circumstantiam necessariò explicandam esse in confessione, videlicet pollutionem eommissam fuisse cum propria vxore, alioquin pœnitens non sufficienter explicaret peccatum, vt benè ostendit idem Sanchez *locis citatis.*

20 An coniuges teneantur cohabitare.

20 Circa particulam *cohare*, consurgunt aliquæ difficultates breuiter hìc examinandæ.

Prima est, vtrum coniuges teneantur simul cohabitare.

Respondetur affirmatiuè, vt patet tum ex *cap. literas, de rest. spoliat.* tum quia matrimonium initur ad suscipiendam prolem, & ad vitandam fornicationem, proles autem non susciperetur, nec fornicatio euitaretur, si coniuges non cohabitarent.

21 An vxor teneatur sequi virū.

21 Ex quo patet, vxorem teneri sequi virum, quando nullum extat pactum in contrarium, *cap. vnaquæque 13. quæst.2.* Concedo tamen, vxorem non teneri sequi virum, aut cum illo cohabitare, quando adest iusta causa non cohabitandi, seu non sequendi virum, vt accidit, quando vxor non potest illum sequi, absque graui damno animæ, vel corporis; aut quando habet iustam causam faciendi diuortium quoad torum, & habitationem, iuxta supradicta, aut quando vnus coniugum timet sibi infectionem lepræ, vel alterius contagiosi morbi cohabitando cum altero coniuge infecto, coniuges enim non obligantur cohabitare cum tanto incommodo. Ita Emanuel Sa *verb. Diuortium coniugale, n.15.* Nauarrus *cap.16.n.25.* Sanchez *lib.9.disp.24.n.29.* Valentia *tom.4.disp.10.q.5.punct.3.* & alij. Verum tamen est, coniugem sanum in hoc casu non debere ab altero coniuge ita longè recedere, vt non possit al eri coniugi cetera obsequia exhibere, nō enim eximitur ab aliis obsequiis præstandis. Ita Reginaldus *lib.31.nu.303.* Sanchez *loco cit.* & alij.

22 An vir possit aliò transferre habitationem.

22 Secunda difficultas est, vtrùm vir, qui cum vxore fecit conuentionem non transferendi aliò suam habitationem, possit eam aliò transferre.

Respondetur, non posse; nam tenetur seruare promissionem & fidem alteri coniugi datam, imò tenetur soluere pœnam adiectam promissioni, si non seruet promissionem, vt bene docet Sanchez *lib.1. disp.4.n.5.* citans alios DD. Concedo tamen superueniente noua, & iusta causa transferendi aliò habitationem, posse aliò transferre, vt accidit, quando vir compellitur aliò se transferre per exilium, aut ad defendendas res familiares, aut ob inimicitias capitales, aut propter aëris intemperiem, nam promissio non transferendi aliò domicilium censetur facta sub hac conditione, nisi iusta causa superueniat transferendi. Ita Rodriquez *1.part.c.15.n.2.* & alij apud Sanchez *lib.1.disp. 40.num.3.*

23 An vxor teneatur sequi virū, qui in exilium pellitur.

23 Hinc sequitur vxorem teneri sequi maritum, qui pellitur in exilium, aut excommunicatur, quamuis antea pactum fecerit non transferendi aliò domicilium, iuxta Sanch. *loco cit.n.12.* Gutierez *c.23.n.11.* Reginald. *nu.309.* & alios, contra Henriquez *lib.11.c.10.n.4.* & alios, & patet, tum ex dicta ratione, tum quia *l. si cum dotem, §. sin autem, ff. soluto matrim.* dicitur, vxorem debere sequi viri infortunium, non quidem per modum pœnæ, sed tamquā onus adnexum matrimonio.

24 An vxor teneatur sequi virū solitum vagari.

24. & 25. Tertia difficultas est, vtrum vxor teneatur sequi virum, si vir tempore contracti matrimonij solebat vagari.

25 An vxor teneatur sequi virū solitum vagari, quādo vxor hoc ignorabat.

Respondetur affirmatiuè, si hoc notum erat vxori; nam vxor censetur se voluisse ad hoc onus obligare, modò vir non vagetur ex turpi aliqua causa. Si verò femina ignorabat, virum solitum esse vagari, non tenetur illum sequi, quia non tenetur tantum onus subire, sequendo virum vagantem, nisi forte possit illum sequi absque suo notabili incommodo. Ita Sanchez *loco cit.nu.6.* Regin. *loco cit.n.311.* Gutierez *de matrim.c.23.*

26 An vir teneatur sequi vxorem.

26 Quarta difficultas est, vtrum vir debeat sequi vxorem aliò transferentem domicilium.

Respondetur affirmatiuè, quando transfert ex causa necessaria, vt patet tum ex ratione dicta in prima difficultate, tum quia coniuges sunt pares quoad mutua obsequia coniugalia.

Dixi, *quando transfert ex causa necessaria*, quia secluſa necesitate vxor non potest cogere virum ad sequendum se ipsam, ipsa enim est subdita viro, & vir est caput vxoris, consequenter vxor non potest cogere virum ad sequendum se, sed potius vir potest eligere domicilium, & cogere vxorem ad sequendum seipsum, nisi adsit pactum in contrarium, vt dictum est, aut nisi adsit iusta causa non cohabitandi simul. Ita Sanchez *loc.cit.n.14.* Gutierez *c.23.n.14.* & alij communiter.

27 An vir possit abstinere ab habitatione vxoris ob dotem non solutam.

27 Vtrum verò maritus possit abstinere à cohabitatione vxoris propter dotem sibi promissam, sed non solutam, dissensio est inter DD. Mihi videtur probabilius dicendum, non posse, quia obligatio cohabitandi non oritur ex dote soluta, sed ex ipso matrimonij contractu. Poterit tamen maritus cogere promittentem, vt sibi promissam dotem soluat. Ita Sanchez *lib.9.disp.5.* Reginald. *n.304.* & alij.

28 An copula maritalis haberi possit in Ecclesia.

28 Circa particulam *sit locus*, satis constabit ex infrà dicendis, vbi agam de sacrilegio in materia luxuriæ *q.4.punct.vlt.*

29 An licitum sit cōgredi cum vxore, quādo sumēda est Eucharistia.

29 Circa particulam *tempus*, difficultas est primò, vtrùm licitum sit congredi cum vxore eo die, quo sumenda est Eucharistia. De qua difficultate dictum est de Eucharistia, ideo remitto vos ad ibi dicta.

30 An vsus matrimonij licitus sit die festo, vel tēpore Quadragesimæ.

30 Secundò, vtrùm die festo, vel tempore Quadragesimæ licitus sit vsus matrimonij.

Respondetur affirmatiuè, quia nullo iure prohibetur, nec est opus seruile. Ita Emanuel Sa *loco cit.n.14.* Nauar. *c.16.n.24.* Sanchez *lib.9. disp.12.n.5.* P. Ledesm. *q.66. art.1.* Henriquez *lib.11.c.16.n.5.* Reginald. *lib.31.n.344.* Coninch. *loco suprà cit.* Rebel. *loco cit.n.6.* & alij.

31 An tactus, & oscula licita sint coniugibus.

31 Circa particulam *tactus*, difficultas est, vtrùm tactus, & oscula licita sint inter coniuges: de qua re dicam *infrà punct.9.*

32 An habens votū possit petere, vel reddere debitum.

32 Circa particulam *nec spernito votum*, difficultas est, vtrùm licitum sit coniugi astricto voto castitatis petere vel reddere debitum: de qua re satis dictum est in secundo Decalogi præcepto, *de voto castitatis*, [vbi docui non posse petere; quia votum castitatis inducit obligationem abstinendi ab omni actu venereo: potest tamen & tenetur reddere petenti, quia alter petens habet ius, & obligatio iustitiæ præualet obligationi castitatis. Vide tradita in secundo Decalogi præcepto *de voto castitatis.*]

PVNCTVM VII.

Vtrùm motus sensualitatis sint peccata.

1 An sensualitas, & concupiscentia sit peccatum.

1 SVpponendum est primò, concupiscentiam, & sensualitatem secundum se non esse peccatum, appellatur autem à S. Paulo ad Rom.7. non quia ipsa sit formaliter peccatum, sed causaliter; eò quòd ad peccatum inclinet. Difficultas igitur in præsenti non est de concupiscentia secundùm se, sed de motibus ipsius, vtrùm scilicet omnes motus sensualitatis sint peccata. Pro cuius difficultatis intelligentia:

2 Quotuplices sint motus sensualitatis.

2 Supponendum est secundò, motus sensualitatis alios esse primò primos, alios secundò primos. Motus primò primus dicitur ille, qui repentè consurgit, & omnem præuenit rationis consideratione, ita vt nulla sit apprehensio, vel suspicio malitiæ. Motus secundò primus dicitur ille, qui succedit motui primò primo; cùm autē in hoc motu secundo primò adsit aliqua malitiæ aduertentia, sequitur, ipsum esse peccaminosum, interueniente cōsensu voluntatis, vt statim probabo.

PRIMA PROPOSITIO.

3 An motus sensualitatis primò primi sint peccata.

3 MOtus primò primi, qui rationem omninò præueniunt, non sunt peccata. Ratio est, quia non sunt in nostra potestate, nec sunt voliti in se ipsis, aut in causa; nullum autem est peccatum, quod non sit voluntarium, & quod non sit in nostra potestate euitare cum Dei auxilio. Ita Valentia *tom.2.disp.6.q.4.punct.2.* Vasquez *1.2.disp. 106.* Martinus Becanus *2.part.tract.2.c.5.q.4.&5.* & alij communiter, & hoc valet non solùm in primis motibus sensualitatis: verùm etiam in primis motibus volūtatis, & intellectus, vt accidit quando aliquis subitò malè suspicatur de proximo. Ita Vasquez *loco cit.cap.3.* vbi citat Capreolum, & alios, & hæc est communis Doctorum sententia.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An motus secūdo primi sint peccata.

4 MOtus sensualitatis secundò primi, qui præuideri, & caueri potuerunt, non sunt peccata, quando proueniunt ex causa habente aliquam honestatem, vel vtilitatem, vt quando proueniunt ex auditione peccatorum turpium in confessione. Ratio est, quia, vt isti motus sint peccaminosi, non sufficit quodlibet voluntarium, quod sufficit in aliis rebus; sed requiritur maius voluntarium, tamquam circumstantia, fine qua dicti motus, vel nō sunt peccata, vel sunt tantummodò venialia. Cur autem maius voluntarium requiratur in his motibus: ratio est, quia sunt nobis valdè connaturales, & in nobis facilè oriuntur ex infirmitate naturæ, quæ nos multum excusat; consequenter non ita facilè imputantur ad culpam, sicut imputantur aliæ actiones prauæ, vt homicidium, &c. hæc enim non requirunt tantùm voluntarium, nec ita excusantur ob infirmitatem naturæ, sicut excusantur motus sensualitatis, vt benè tradit Vasquez *in opusc. de restit.c.3.dub.6.n.24.*

Dixi in propositione, *quando proueniunt ex causa habente aliquam honestatem, vel vtilitatem*; quia si proueniant ex causa non habente vllam honestatem, vel vtilitatem, sunt peccata, repugnant enim rationi, & incitant ad vlteriorem libidinem.

5 Quandónam motus sensualitatis sint peccatum veniale.

5 Verum tamen est, motus, qui proueniunt ex causa tantummodò venialiter mala, in qua præuideri, & caueri potuerunt, esse peccata venialia, vt quando proueniunt ex iocosis verbis, ex curioso aspectu, lectione curiosa, &c. isti enim motus sunt sufficienter voluntarij, ita vt imputentur ad culpam venialem, non sunt tamē peccata mortalia, quia, vt imputentur ad mortalem culpam, requiritur maius voluntarium, quàm sit voluntarium in causa venialiter mala, in qua præuisi sunt. Hæc doctrina intelligēda est, modò in motibus non intendatur delectatio, nec sit periculum consentiendi; nam quando adest huiusmodi

modi periculum, vel quando turpis delectatio intenditur, absque dubio motus sunt peccaminosi mortaliter. Ita Vasquez, Henriquez, & alij quos referam *punct.10.proposit.1.*

6 Quænam aduertētia requiratur vt motus sint peccata.

6 Quæres primò, vtrùm, vt motus sensualitatis sint peccata, requiratur aduertentia.

Respondeo cum Vasquez 1.2.*disp.*107. Martino Becano *loco citato, n.*5. Lessio *lib.*4.*c.*3.*dubio* 5.*n.*116. & pluribus aliis, quos citaui *de peccatis q.*2.*punct.*3. requiri actualem aduertentiam ipsorum motuum secundùm rationem malitiæ, vel saltem requiri expressam aliquam dubitationem, seu scrupulum de malitia, vel periculo eius, quapropter si mens nihil aduertat ad malitiam horum actuum, non imputantur ad culpam. Ratio est, quia sine aduertentia non potest aliquid esse voluntarium; voluntas enim non fertur in incognitum; sed nullum est peccatum, nisi sit voluntarium; ergo isti motus non sunt peccata, nisi adsit aduertentia malitiæ. Hæc ratio non solùm valet in motibus sensualitatis, verùm etiam in aliis actionibus externis, quæ non imputantur ad culpam, quando exercentur absque vlla aduertentia malitiæ, quam habent. Ex quo fit, vt si aliqua actio plures habeat malitias, & vna tātùm aduertatur, illa solum imputetur ad culpam; & hoc potissimùm habet locum in iis, quæ mala sunt, quia prohibita, id est, in iis quæ prohibita sunt iure positiuo, vt in comestione carnis tempore ieiunij, & in aliis præceptis. In iis verò, quæ sunt per se mala, id est, quæ prohibita sunt iure naturali, non consueuit contingere inaduertentia, nisi in subitis quibusdam casibus, seu motibus, vt accidit quando quis ira correptus statim alium percutit, vel quando quis sagittam iacit ad vulnerandam feram, nihil cogitans de periculo homicidij secuturi. Ita Vasquez *loco cit.n.*13. [Reginald.*lib.*15.*n.*75. *ad fin.*] & alij. Vide quæ diximus *de peccatis quæst.*2.*punct.*3. vbi ostēdi ad peccatum mortale requiri plenam aduertentiam; & non sufficere semiplenam, qualis est, quæ reperitur in semiebriis, semidormientibus, aut in iis, qui non plenè à somno excitati sunt, aut etiam in iis, qui plenè vigilant, sed aliò distrahuntur, vt benè ait Nauarrus *in summa præludio* 9. Caietan. *verb. Delectatio in summa.* Vasquez *loco citato, num.*11. & alij communiter.

7 Quotuplex sit cōsensus, & qualis requiratur, vt motus sensualitatis sint peccata mortalia.

7 Quæres secundò, qualis consensus requiratur, vt motus sensualitatis sint peccata mortalia.

Pro solutione huius quæsiti notandum est, consensum duplicem esse, vnum directum, & expressum, alterum indirectum, seu interpretatiuum, ac virtualem. Expressus, & directus est, quando voluntas directè tendit in obiectum sensualitatis, volendo illud idem, quod appetit sensualitas, vel quando fertur in ipsos motus sensualitatis, volendo, vt motus illi sint in sensualitate. Indirectus verò consensus dupliciter contingit. Primò, quando aliquid voluntariè fit, quod est causa motus, vt curiosè legere, iocosè loqui, immoderatè aspicere, &c. Secundò, quando voluntas negatiuè se habet, non impediendo, vel non reprimendo motus, quos potest reprimere, quod præcipuè potest fieri animum aliò diuertendo sine vllo gestu, & motu corporis exteriori. Hoc posito:

Respondeo primò, motus sensualitatis esse peccata mortalia, quando interuenit cōsensus directus, & expressus. Ratio est, quia sunt sufficienter voluntarij interueniente consensu directo, ergo sunt peccata mortalia, nisi paruitas materiæ aliquando excuset. Ita Martinus Becanus *loco citato quæst.*4. Lessius, Vasquez, & alij Doctores citati.

Respondeo secundò, motus sensualitatis volitos indirectè primo modo esse peccata venialia, quando scilicet aliquid fit venialiter malum, quod est causa motus, vt quando adest immoderatus aspectus, &c. Ratio, cur sint peccata venialia, est, quia adest voluntarium sufficiens ad hoc, vt imputentur ad peccatum veniale, vt dictum est *in* 2. *propositione.* Quando verò motus sunt voliti indirectè secundo modo, quando scilicet voluntas negatiuè se habet, non impediendo, vel non reprimēdo motus, quos potest reprimere, existimo esse peccata mortalia, nam vt motus sensualitatis sint peccata mortalia, nihil aliud requiritur, nisi vt sint voliti in tanta quantitate, quanta sufficit ad peccatum mortale; sed motus sensualitatis posita aduertētia sunt voluntarij per solum interpretatiuum consensum, quo voluntas negatiuè se habet; ergo motus sensualitatis sunt peccata mortalia suppositā tanta quantitate, quanta sufficit ad peccatum mortale: non enim existimo, quemcumque motum esse peccatum mortale ratione paruitatis materiæ. Minor probatur, quia quando voluntas non facit, quod debet in moralibus, perinde est ac si illud positiuè vellet, sed quando motus sunt positiuè voliti, sunt sufficienter voliti, & sunt peccata mortalia; ergo etiam sunt sufficienter voliti, & sunt peccata mortalia, quando sunt voliti per consensum interpretatiuum, quo voluntas se habet negatiuè. Ita Lessius *lib.*4.*cap.*3.*dubio* 15.*nu.*117. Becanus *quæst.*5. Nauar. *loco* statim *citando.* [Reginald.*lib.*11.*n.*49. & 51. Sanchez *in opere morali lib.*1.*cap.*2.*n.*13. Filliucius *tract.*30.*n.*204.] & alij recentiores.

8 An motus sensualitatis sint peccata mortalia, quando voluntas illos non reprimit.

8 Ex dictis ergo patet, motus sensualitatis esse peccata mortalia, quando posita aduertentia, & quantitate sufficienti motuum, voluntas illos non reprimit, censetur enim illos positiuè velle, vt benè ait Martinus Becanus 2.*part.tract.*2.*c.*5.*q.*5. Sylvest. *verb. Delectatio q.*1. *dicto* 4. vbi citat S. Thom. & alios.

Aduertendum tamen est primò, maiorem quantitatem motuum requiri ad peccatum mortale, quando consensus est virtualis, & interpretatiuus, quàm quando est directus, & expressus, vt asserit S. Thom. 1.2.*q.*74.*art.*6. & alij.

Aduertendum est secundò, non esse improbabilem sententiam eorum, qui asserunt necessariam esse positiuam complacentiam in motibus sensualitatis, vt imputentur ad peccatum mortale, & non sufficere interpretatiuum consensum, modò in interpretatiuo consensu non sit periculum expressi consensus. Ita Caietan. *verb. Delectatio morosa*, & alij quos citaui *de peccatis q.*5.*punct.*2.

Aduertendum est tertiò, licitum esse pati delectationem, quoties periculum est, vt si quis eam expellat, incidat in turpiores delectationes, vel vt præcedens magis augeatur: nam permittens hoc modo delectationem non ei consentit, sed potius illi consentiret resistendo. Ita Graff. 1.*part.lib.*2.*c.*78.*n.*4. Valentia *tom.*1.*disp.*6.*q.*4.*punct.*3.*vers. Quamquam.* Nauar.*c.*11.*n.*12. S. Thom. 2.2.*quæst.*35.*art.*1.*ad quartum.* quem citat, & sequitur Becanus *loco cit.q.*5.*n.*6. [Reginald.*lib.*11.*n.*50. & alij.]

PVNCTVM VIII.

Vtrùm delectatio morosa de re venerea, vel turpi sit peccatum.

1 Quid sit morosa delectatio, & vndenam dicatur.

1 NOtandum primò, morosam delectationem non dici à mora temporis, eò quòd aliquis in ea immoretur, sed dici à mora rationis, eò quòd homo posita aduertentia malitiæ actus adhuc delectationem admittat, illiq́ue consentiat, vnde si quis per multum temporis delectationem capiat, non aduertens ad illius malitiam, non dicitur habere delectationem morosam, consequenter non grauiter peccat, peccat verò, quando posita aduertentia adhuc in delectatione perseuerat, tunc enim dicitur morosam delectationem capere.

2 Quotuplex sit delectatio.

2 Notandum secundò, delectationem duplicem esse, alia dicitur de cogitatione, alia de re cogitata. Delectatio de cogitatione, tunc contingit, quando obiectum delectationis est ipsa cogitatio, [seu quando delectatio oritur ex solo affectu ad cogitationem:] vt si Titius cogitet mira quædam stratagemata, quæ fieri possunt in bello, & delectetur de ista cogitatione, dicitur delectari de cogitatione immediatè, & principaliter. Rursus si Titius concionaturus, vel scripturus de rebus carnalibus, aut de furto, vel homicidio, delectationem aliquam percipiat de argumentis inuentis contra res turpes, dicetur delectari de cogitatione. Delectatio verò de re cogitata contingit, quando aliquod obiectum venit in mentem, & de illo sumitur delectatio, [seu quando delectatio oritur ex affectu ad rem ipsam:] vt accidit, quando quis cogitationem habens de furto, aut copula delectatur de ipsis. Vide Valent. *tom.*2.*disp.*6.*q.*4.*punct.*3.*in princ.* [Reginald. *lib.*11.*c.*4.*n.*41. & 45.]

3 Quotuplex sit actus voluntatis.

3 Notandum tertiò, actum internum voluntatis duplicem esse, vnum efficacem, alterum inefficacem. Actus efficax dicit ordinem ad executionem, vnde quando aliquis delectatur de fornicatione, intendens illam actu committere, dicitur habere actum efficacem. Actus inefficax non dicit ordinem ad executionem, qualis est actus, quo quis delectatur de copula absque desiderio illam committendi. Hæc differentia inter actum internum efficacem, & inefficacem diligenter est aduertēda, nam actus internus efficax, cùm respiciat actum externum, vt executioni mandandum, necessariò fertur in illum secundùm conditiones, & circumstantias, quas habet actus externus, ob id intentio committendi copulam cum vxore alterius habet easdem conditiones, & circumstantias, seu malitias, quas habet actus externus adulterij, etiamsi ille, qui habet huiusmodi intentionem, reiiciat hanc conditionē alienæ, id est, licet habeat intentionem committēdi copulam cum ea, non vt est vxor alterius, sed vt soluta. Ratio est, quia quando aliquis vult aliquid efficaciter, vult etiam illa, quæ aduertit esse illi annexa; cùm autem actui externo sit annexa malitia adulterij, sequitur hanc eamdem malitiam esse adnexam intentioni committendi copulam cum vxore alterius, quamuis in mente reiiciatur conditio alieni. Ex oppositō, cùm actus inefficax, qualis est delectatio, tristitia, gaudium, & desiderium, non feratur in obiectum, vt executioni mandandum, sed quatenus repræsentatur intellectui, sequitur, actum internum habere solùm illas conditiones, seu malitias, secundùm quas obiectum intellectui repræsentatur; & cùm possit secundùm vnam rationem repræsentari absque eo, quòd repræsentetur secundùm aliam, sequitur actum internum inefficacem habere solùm eam malitiam, secūdùm quam repræsentatur. Imò si actus internus repræsentetur secundùm bonam conditionem, seu secundùm bonum motiuum, erit bonus, iuxta motiuum. Vide Vasquez 1.2.*c.*3.*disp.*111. Coninch. *de matrim.disp.*34.*dub.*11.*n.*108. & 109.

PRIMA PROPOSITIO.

4 An delectatio morosa de sola cogitatione rei illicitæ sit peccatum.

4 DElectatio morosa de sola cogitatione rei illicitæ non est ex se peccatum. Ita communiter DD. cum S. Thom. 1.2.*quæst.*74. *art.*8. Ratio est, quia delectatio est actus inefficax, qui bonitatem, & malitiam sumit ex motiuo, sub cuius ratione fertur in obiectum; sed quando quis delectatur de cogitatione rei illicitæ, non habet delectationem ex malo motiuo, vt suppono; ergo huiusmodi delectatio non est mala ex se.

Dico *ex se*, quia si careat bono fine, erit otiosa, & venialis; si habeat motiuum mortaliter malum, vel sit cōiuncta cum periculo peccandi mortaliter, erit mortalis; si verò habeat motiuum bonum, erit bona, quia speciem sumit à motiuo.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Quale peccatum sit delectatio de re turpi.

5 DElectatio de re turpi, & mala iuxta motiuum ipsius delectationis, seu iuxta rationem formalem, ratione cuius delectatio fertur in obiectum. Ratio est, quia delectatio, cùm sit actus inefficax, totam suam bonitatē, & malitiam sumit à motiuo; si ergo motiuum est malum, mala est delectatio, sicut etiam est bona, si bonum est motiuum, & est venialis, si motiuum est otiosum. Ita multi DD. apud Clauem Regiam *lib.*8.*c.*7. contra Sanchez *in summ.lib.*1.*cap.*2.*n.*8. & Azor. 1.*part.lib.*4.*c.*6.*quæs.*2. absolutè arbitrantes, delectationem de opere mortali esse mortalem.

6 An delectatio de actu carnali sit mortale peccatum.

6 Hinc sequitur primò, delectationem de aliquo actu carnali, vt de fornicatione, tactibus, vel osculis esse peccatum mortale, si delectatio ex affectu carnali capiatur ab eo, qui non est coniugatus.

7 An exculetur à mortali delectatio de subtili modo quē quis adhibuit in furando, occidēdo, &c.

7 Secundò, eum excusari à peccato mortali, qui delectatur, & ridet de subtili aliquo modo, & dexteritate, quam quis ingeniosè adhibuit in furando, in parandis insidiis, in gerendo bello, licet iniusto: modò huiusmodi delectatio non capiatur ex malo motiuo.

8 An excusetur, qui delectatur

8 Tertiò, excusari eos, qui ob bonum finem delectantur de homicidio alias secuto, licet iniusto, vel de furto, quatenus est vtile ad subleuandam miseriam innocentis: vel de fractione ieiunij ob bonum finem.

de homicidio vel furto aliàs secuto, vel qui pollutionem desiderat ex bono motiuo.

finem. Ita Vasquez *disp.*115.*c.*2.*&*3. Lessius *lib.*4. *cap.*3.*nu.*106.& alij contra Sanchez *loco cit. nu.*16. & alios. Similiter excusatur, qui pollutionem desiderat ob bonum finem, modò eam non procuret, & desiderium non sit ita intensum, vt possit esse causa pollutionis. Ita Vasquez *loco cit.c.*1.*n.*2.& alij quos infrà referam *punct.*10.

9 An peccet mortaliter, qui delectatur de malo proximi.

9 Quartò, eum peccare mortaliter, qui delectatur de malo proximi, vt est malum ipsius, nam hoc motiuum est malũ, & est motiuum odij; similiter peccat, qui gaudet de malo proximi, eò quòd ex illius bono credat proprium bonum imminui, hoc enim est peccatum inuidiæ, sicut etiam peccat peccato inuidiæ, qui tristatur de bono proximi, putans ex illo proprium bonum imminui.

10 Quomodo peccet, qui se laudat, & iactat de aliquo peccato, aut de bono opere.

10 Quintò, eum peccare venialiter, qui se laudat, vel iactat de peccato aliquo veniali, habet enim motiuum veniale, sicut etiam venialiter peccat, qui se iactat in bono opere, aut qui facit bona opera ob vanam gloriam. vt si administret, aut recipiat Sacramenta ob vanam gloriam, modò tamen ex ea laude, aut vana gloria non sit periculum grauis damni proximi, & modò non constituatur vltimus finis in illa laude, & vana gloria, alioquin peccaret mortaliter, sicut etiam peccat mortaliter, qui se laudat de peccato mortali, imò nouum peccatum scandali committit, si ob suam laudem, & approbationem sit causa, vt etiam astantes approbent peccatũ, est enim causa peccati astantium.

Aduertendum tamen est, fieri posse, vt aliquis laudet se, vel alium, non de peccato simpliciter, sed tantùm de aliquibus illi adnexis, vt de industria, de fortitudine, ingenio, &c. in quo casu, cùm nõ approbet, nec habeat affectum ad peccatum mortale, non peccat mortaliter; vt si aliquis laudet se eodem tempore inuasum fuisse à decem hominibus, eosque armatos in fugam coniecisse, seque incolumem seruasse, in hoc enim casu, si solùm intendat se laudare de fortitudine, & virilitate, absque affectu ad illum actum iniustum, non peccat mortaliter. Ita Lessius *lib.*4.*c.*47.*dub.*6.*n.*42. Sylvest. *verb.Vana gloria, quæsito* 2. Nauar. *cap.*23.*n.*13.& alij.

11 An peccet qui delectatur de cibis.

11 Sextò, eum qui delectatur de cibis ob gustum, qui ex ipsis percipitur, non peccare mortaliter, quamuis delectetur in die ieiunij; nam huiusmodi motiuum non est mortaliter malum, & Ecclesia non prohibet simplicem delectationem, sed solùm indirectè prohibet voluntatem efficacem comedendi in diè ieiunij, & directè prohibet ipsam externam comestionem. Vide Vasquez *loco cit.disp.*105.*cap.*3.*num.*7. Coninch. *loco cit.n.*110.

Obiicies, si quis habeat voluntatem furandi, nisi pœnam timeret sibi à iudice infligendam, peccat mortaliter, quamuis huiusmodi voluntas sit actus inefficax, & eius motiuum non videatur grauiter malum; ergo actus inefficax non sumit suam malitiam à motiuo, sed potius ab opere externo, & consequenter habet eas malitias, quas habet opus externum.

Respondeo, habentem voluntatem furandi, vel adulterandi, nisi pœnam timeret sibi à iudice infligendam, peccare mortaliter, nam ille actus quamuis sit simpliciter inefficax, est tamen efficax sub conditione, vellet enim furari & adulterari, nisi parata esset sibi pœna. Deinde respondeo, actum illum includere affectum ad peccatum mortale, & consequenter esse peccatum mortale, sicut peccat mortaliter, qui timet pœnas, sed ita est affectus, vt peccaret si pœna non esset. Ita Clauis Regia *c.*7.*n.*8. & patet ex dictis *de peccatis.*

Ex dictis facilè possunt expediri aliquæ difficultates.

12 An peccent mortaliter cõiuges, qui in absentia alterius delectantur de actu cõiugij præterito aut futuro.

12 Prima est, vtrùm coniuges, qui in absentia alterius coniugis delectantur de actu coniugij præterito, vel etiam futuro, ac si actus præsens esset, peccent mortaliter.

Respondeo, non peccare mortaliter. Ita Caiet.& Armil. *verb.Delectatio.*[Reginald. *lib.*11.*c.*5.*n.*52. Filliucius *tract.*10.*cap.*9.*quæs.*12.*nu.*353.*& tract.*30.*num.*205.] & alij apud Vasquez *disp.*113.*cap.*2. & apud Sanchez *lib.*9.*de matrimonio disp.*45.*n.*41. contra Nauar. *cap.*16.*n.*10. Ratio est primò, quia delectatio sumit bonitatem, & malitiam à motiuo, sed motiuum in hoc casu est actus externus coniugij, seu venerea delectatio externa, quæ in coniugatis licita est ratione matrimonij; ergo sicut actus matrimonialis licitè consummatur inter coniuges, & excusatur à peccato mortali, ita etiam interna delectatio susceptа in absentia alterius coniugis, excusatur à peccato mortali propter præsens matrimonium. Secundò, quia si hæc delectatio damnanda est de peccato mortali, maximè quia non ordinatur ad finem generationis; sed hæc ratio non obstat, alioquin deberent etiam damnari tactus, & oscula, quibus coniuges mutuò delectantur sine ordine ad copulam, quod est falsum, cum tactus, & oscula inter coniuges à nullo damnentur sub mortali, quando non est periculum pollutionis extra vas: & hoc verum est, inquit Vasquez *loco cit.* etiamsi ex illa delectatione sequatur aliqua commotio, & alteratio in partibus pudendis, absque periculo pollutionis extra vas. [Idem tradit Sanchez *disp.*45.*n.*38.]

Aduertendum tamen est, cum eodem Vasquez, quòd licet tactus, quibus coniuges delectantur, non sint peccata mortalia: nihilominus tactus, quibus aliquis coniux se prouocat ad libidinem in absentia coniugis, non excusantur à mortali, quia non sunt actus coniugales, cùm non ordinentur ad copulam. Verùm si aliquis, etiam in absentia alterius coniugis, eos ordinaret ad copulam mox futuram ad præsentiam coniugis, quem expectat, excusaretur à mortali; nam coniuges possunt per tactus præparare se ad copulam, secluso periculo pollutionis extra vas. Vide Sanchez *lib.*9.*de matrim.disp.*45.*à n.*34.

13 An peccet mortaliter vidua, quæ delectatur de copula præterita; aut sponsa, quę de futura.

13 Secunda difficultas est, vtrùm vidua, quæ de actu coniugij præterito, & sponsa, quæ de actu matrimonij futuro carnaliter delectatur, peccet mortaliter, quatenus scilicet delectatur de actu coniugij, vt est aliquid sensui conueniens, & delectabile, hæc enim dicitur delectatio venerea.

Respondetur affirmatiuè. Ratio est, quia delectatio sumit bonitatem, & malitiam ab obiecto formali, & a motiuo, sed motiuum istius delectationis est actus venereus coniugalis, apprehensus sub ratione delectabili; ergo sicut actus externus venereus respectu sponsæ, aut viduæ non est licitus, ita neque licita est delectatio, quæ de illo actu capitur, non constante matrimonio. Ita Sanchez *lib.*9.*disp.*47.*n.*4.*&* 7. Graff. 1.*parte lib.*2.*cap.*74.*n.*8. Vasquez *disp.*114.*c.*2.[Filliucius *tract.* 10.*c.*9.*n.*359.*& tract.*30.*n.*205.]contra Palud. *in* 4.*dist.*9.*quæst.*3.*art.*1. Valent. ex parte *tom.*2.*disp.*6.*quæst* 4.*punct.*4. Caiet. *in sum.verb.Delectatio*, Sylvest.& alios, quos citat Vasquez *loco cit.*

14 An semper peccet mortaliter vidua, & sponsa, quę de actu cõiugij delectatur.

14 Quæres vtrùm semper peccet mortaliter vidua, vel sponsa, quæ de actu coniugij delectatur.

Respondeo, non peccare mortaliter, quando delectatur de actu coniugij, non apprehenso sub ratione delectabili, seu ex affectu venereo, sed ob finem aliquem honestum, vel ob commoditatem, aut vtilitatem aliquam honestam. Ratio est, quia cùm delectatio sit actus inefficax, sumit bonitatem, vel malitiam ex motiuo; sed motiuum non est peccatum, & malum, vt suppono; ergo neque delectatio est peccaminosa, & mala. Ita Lessius *lib.*4.*cap.*3.*dub.*15.*n.*120. [Reginald. *lib.*11.*n.*52.]Vasquez *loco citato, cap.*2.*n.*3. vbi *nu.*6.*&* 7. benè assignant hæc discrimina inter delectationem, & desiderium.

15 Quæ differentia sit inter desiderium, & delectationem.

15 Primò, desiderium fertur in rem futuram, vt futuram, delectatio verò in obiectũ aliquo modo præsens. Ex quo fit, vt delectatio sponsæ de actu coniugij, apprehenso sub ratione delectabili, sit peccatum mortale, quia secũdùm apprehensionẽ habet motiuum aliquo modo præsens, quod est illicitum, sicut est illicita externa delectatio venerea, nondum constante matrimonio; desiderium verò copulæ futuræ tempore matrimonij non est peccatum mortale, consequenter qui desiderat copulam futuram, etiamsi illam cupiat, vt tempore matrimonij possit venereè delectari, non peccat mortaliter, quia non fertur nisi in actum, & rationem bonitatis futuram, vt futuram, & in actum licitum ratione matrimonij futuri. Ita Lessius *lib.*4.*cap.*3.*dub.* 15.*n.*120. Vasquez, Filliucius, & alij.

Secundò, ex delectatione interna sequitur etiam delectatio in sensu, vi cuius excitatur ardor in corpore, & vndique materia libidinis conuocatur, hoc autem de desiderio dici non potest.

16 An peccet mortaliter, qui cupit coniungi in matrimonium, vt possit venereè delectari.

16 Ex quo sequitur, eum qui desiderat coniungi in matrimonium, vt possit constante matrimonio venereè delectari, non peccare mortaliter, sicut neque peccat mortaliter, qui habet voluntatem efficacem, aut propositum habendi copulam tempore matrimonij: nam bonitas, & malitia voluntatis efficacis, aut propositi, desumitur ex obiecto: obiectum autem est copula coniugalis habenda tempore matrimonij, quæ erit licita.

Hæc tamen intelliguntur, modò illa voluntas, vel propositum, vel desiderium, nõ sit coniunctũ cum actuali cõplacentia, & delectatione venerea: hãc enim diximus esse peccaminosam. Vide Vasq. *loco cit.*

17 (An dari possit paruitas materiæ excusans venereã delectationem à mortali peccato.)

17 [Tertia difficultas est, vtrùm dari possit paruitas materiæ excusans veneream delectationem à mortali peccato.

Respondeo duplicem esse Doctorum sententiam.

Prima sententia negat dari posse paruitatem materiæ, excepta venerea delectatione inter coniugatos. Ratio est, quia quilibet tactus & motus, seu delectatio venerea ex sua natura tendit ad seminis emissionem: sicut autem ipsa seminis emissio est mortale peccatũ; ita quælibet morosa delectatio, seu tactus, vel motus sensualitatis est mortale peccatum. Et quamuis semen re ipsa nõ effundatur, nec ab homine intendatur, adest tamen ipsius periculum, seu finis operis, cùm opus ipsum talem finem respiciat, licet ab operante non intendatur, alius enim est finis operantis, alius operis. Nec est eadem ratio furti, & delectationis venereæ, quia non quælibet actio furtiua respicit grande obiectum, nec damnum graue infert; quælibet verò delectatio venerea tendit ad seminis emissionem, quæ ex sua natura est mortaliter culpabilis, nisi inter coniugatos in vase debito fiat. Ita S. Thomas, quem pluribus in locis refert, & sequitur Rebellus 2.*parte de oblig. iustitiæ lib.*3.*de matrim.quæst.*19.*sect.*3. Filliucius *tract.*30. *cap.*9. *quæs.*1. *n.*166.& alij recentiores Magistri Societatis Iesv.

Secunda sententia affirmat dari posse paruitatem materiæ in re venerea, quia non potest assignari sufficiens ratio, cur in aliis præceptis detur paruitas materiæ, non verò in hac. Ita Armilla *verb.impudicitia n.*1. Nauar. *cap.si cui.de pœnit.dist.*1.*n.vlt.* Sairus *lib.*8.*c.*6.*n.*1. Sanchez *de matrim.lib.*9.*disp.*46.*n.*9. Vasquez 1.2.*disp.*108.*n.*3. & alij, quorum opinio speculatiuè probabilis à multis Doctor. existimatur. In praxi tamen tutior est & consulenda prima sententia, tum propter periculum, ad quod quilibet tactus impudicus, seu venerea delectatio inducit: tum quia impossibile est, moraliter loquendo, in re tam lubrica, & periculosa distinguere materiam leuem à graui, & mortalem delectationem à veniali, dum adest aduertentia, & consensus. Quamobrem ad rationem istius secundæ sententię, respondeti potest non in omnibus præceptis dari paruitatem materiæ vt in infidelitate, iuramento falso, blasphemia, simonia, & in aliis casibus, in quibus tota ratio malitiæ reperitur in qualibet materiæ quantitate, vt etiam accidit in nostro casu.

Ex dictis colligitur tutius esse iuxta primam sententiam in praxi asserere, primò quemlibet sensualitatis motum plenè voluntarium esse mortale peccatum, licet cõtrarium probabile censeam, vt dictum est *num.*7. cum Vasquez, & aliis, præsertim dum in ipsum motum sensualitatis non adest consensus directus, & expressus.

Secundò tutius esse in praxi asserere quamlibet distillationem seminis voluntariam cum carnis commotione esse mortale peccatum; quamuis Sanchez oppositum sentiat, vt patebit ex dicendis *punct.*10. *num.*13.

Tertiò dari non posse paruitatem copulæ, excusantem à mortali, vt concedit etiam Sanchez, & alij DD. communiter.]

18 An delectatio morosa sit eiusdem speciei cum opere externo.

18 Quarta difficultas est, vtrùm delectatio morosa sit eiusdem speciei cum opere externo, & consequenter vtrùm in confessione explicandæ sint circumstantiæ operis, de quo sumitur delectatio.

Respondendum est, non esse eiusdem speciei: sed esse tantùm illius speciei, cuius est motiuum, seu ratio formalis, ob quam sumitur delectatio, excepta delectatione venerea, de qua est specialis difficultas, quam in sequenti quæst. explicabo. Ratio, cur sit eius speciei tantùm, cuius est motiuum, est, quia delectatio totam suam malitiam sumit à

motiuo,

motiuo, & non respicit opus externum, vt executioni mandandum; si ergo sumatur delectatio ex vno motiuo habente vnam tantùm deformitatem, & malitiam, etiam ipsa delectatio eamdem solùm malitiam habebit, non verò habebit easdem malitias quas habet opus externum, consequenter in confessione sufficit accusare se de illa malitia, quam habebat motiuum delectationis, vnde delectatio, quam quis habet de homicidio Titij, non ex displicentia personæ Titij, sed quia eo secuto data est illi facultas cognoscendi carnaliter Bertam aliàs vxorem Titij, habet solùm malitiam fornicationis. Ita Vasquez *disp.* 112. Clau. Reg. *loco cit.* & alij.

19 An delectatio venerea sit eiusdem speciei cum opere externo.

19 Quæres, vtrum saltem delectatio venerea sit eiusdem speciei cum opere externo.

Respondeo, venereas delectationes esse eiusdem speciei cum opere externo, id est, habere eamdem speciei malitiam, quam habet opus externum. Ita Nauarr. *cap.* 16. *num.* 9. S. Antoninus 2. *part. tit.* 5. *cap.* 1. §. 6. Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 119. & 123. Tabiena, & alij, quos citat Vasquez 1. 2. *disp.* 112. *cap.* 1. & Sanchez *in sum. lib.* 1. *cap.* 2. contra ipsum Vasquez, & alios. Ratio est, quia delectatio venerea non solùm est mala ex malo motiuo; sicut sunt cetera delectationes, vt dictum est de peccatis, *quæst.* 5. *punct.* 1. sed etiam est mala ex causalitate, quam ex natura sua habet in opus externum, nam quando adest delectatio venerea in voluntate, sequitur etiam delectatio in appetitu, in quo vim habet excitandi ardorem corporis, & conuocandi materiam libidinis ex diuersis partibus, vsque ad perfectionem delectationis, & actus.

20 An in confessione explicanda sit circumstantia personæ, circa quam sumitur delectatio.

20 Hinc sequitur, in confessione explicandam esse circumstantiam personæ, circa quam fuit delectatio, nam delectatio de vxore alterius habet malitiam adulterij contra castitatem, & contra iustitiam: delectatio de consanguinea non solùm habet malitiam simplicis fornicationis, sed etiam incestus, & delectatio de moniali non solùm habet malitiam stupri, aut fornicationis, sed etiam sacrilegij.

Non existimo tamen improbabilem sententiam Vasquez *loco citato, cap.* 2. & nonnullorum recentiorum, qui putant, delectationem de re venerea non esse eiusdem speciei cum opere externo, sed esse illius tantùm speciei, cuius est motiuum, vnde secundùm istos DD. delectatio, quam quis sumit de vxore aliena, vel consanguinea, vel virgine Deo dicata ex solo affectu libidinis, habet tantummodò malitiam simplicis fornicationis. Ratio est, quia delectatio sumit speciem à motiuo; cùm ergo motiuum delectationis sit solus affectus venereus, qui habet oppositionem cum sola castitate, sequitur, illam delectationem habere solam malitiam fornicationis contra castitatem. Excipiuntur tamen duo casus ab istis Doctoribus.

Primus casus est coniugatorum, qui non solùm corpus, verùm etiam internum affectum videntur coniugi obligasse, quapropter coniugatus habens delectationem veneream peccat, non solùm contra castitatem, verùm etiam contra fidem in matrimonio datam.

Secundus casus est habentium votum absolutum castitatis, cùm enim votum complectatur omnes internos affectus, sequitur, obstrictum voto absoluto castitatis peccare contra religionem, & castitatem, si delectetur de re aliqua turpi.

Dixi, *votum absolutum castitatis*, quia qui vouit castitatem solùm in opere, id est, qui votum emisit abstinendi solùm ab opere externo, non peccat contra religionem, sed solùm contra castitatem, quando interius delectatur, quando verò efficaciter vult opus externũ, peccat etiam peccato sacrilegij, quia voluntas efficax desumit malitiam ab opere externo, sed opus externum habet malitiam sacrilegij; ergo voluntas efficax operis externi habet malitiam sacrilegij.

Addit Vasquez consultum esse circumstantiam personæ, de qua fuit delectatio, confiteri, tum quia sententia opposita, quam nos sequimur, est tutior, & ex eius ratione constat responsio ad fundamentum Vasquez, tum quia confessio illius circumstantiæ confert ad meritum, & emendationem propter verecundiam, quæ sentiri solet ex eius manifestatione.

21 An sit mortale desiderare rem illicitam sub cõditione, *si liceret.*

21 Quinta difficultas est, vtrùm aliquis absque peccato mortali possit actum velleitatis, vel desiderij, vel delectationis de re mortaliter mala, & illicita habere sub conditione, *si liceret*, &c.

Notandum primò, actum internum desiderij, & velleitatis esse actum inefficacem, qui bonitatem, vel malitiam sumit à motiuo, & à ratione formali, sub qua talis actus elicitur, ad distinctionem actus efficacis, qui malitiam sumit ab obiecto, & easdem habet conditiones, quas habet opus externum, vt dictum est paulo antè.

Notandum secundò, esse differentiam inter hos duos modos, *vellem*, & *volo*: nam *vellem* denotat actum desiderij inefficacem, *volo* est actus voluntatis efficax, quo quis tendit in obiectum, per ordinem ad executionem. Hoc posito:

Respondeo, non esse peccatum habere actum desiderij, & velleitatis de re aliqua illicita ex motiuo honesto, vel sub conditione, qua per impossibile, vel possibile posita, actus ille non esset peccatum. Ita Valentia 1. 2. *disp.* 6. *q.* 4. *punct.* 4. Vasquez *disput.* 26. *cap.* 2. Emanuel Sà *verb. Peccatum num.* 2. Clau. Reg. *lib.* 8. *cap.* 7. [Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 13. *num.* 10.] & alij recentiores. Ratio est, quia actus inefficax totam suam malitiam habet à motiuo: si ergo motiuum non est malum, neque malus est actus: motiuum autem dictum in responsione, non est malum: cùm actus non feratur simpliciter, & absolutè in obiectum: sed ex motiuo, & sub conditione, *si liceret*; licet ergo de facto obiectum non sit licitum, nullum committitur peccatum, quia voluntas non censetur velle obiectum illicitum, sed ab illo refugit.

22 An exeusetur, qui habet propositũ sumendi vindictam de inimico, si liceret, vel nisi esset peccatum.

22 Hinc patet solutio multorum casuum.

Primò, excusari eos, qui habent propositum, & desiderium sumendi vindictam de inimico sub conditione, *si liceret*, vel *nisi esset peccatum*, vel *nisi esset offensa Dei*: non enim est voluntas peccandi, sed potiùs est actus, quo quis refugit ab illo opere præstando, ob vitandum peccatum.

23 An excusetur, qui cupit suspendere latrones, si esset iudex, aut qui dicit, *vellem Bertam esse meam vxorem, aut vellem copulam habere cum Berta, si esset mea vxor*, modò cum desiderio non habeat adiunctam delectationem sensualem.

23 Secundò, excusari eum, qui habet desiderium suspendendi latrones si esset iudex, aut qui dicit, *vellem Bertam esse meam vxorem*, dex, aut qui cupit habere copulam cũ Berta, si esset sua vxor.

24 Tertiò, eum excusari, qui in die ieiunij dicit, *ego comederem carnes, si liceret*, vel *nisi prohibitum esset ab Ecclesia.*

24 An excusetur, qui dicit in die ieiunij, *ego comederem carnes, si liceret*, vel *nisi prohibitum esset ab Ecclesia.*

25 Quartò, excusari à mortali Sacerdotem, qui habet desiderium ducendi vxorem, si nõ esset religiosus, vel si votum castitatis, & prohibitionem non haberet, vel si vetitum sibi non esset.

25 An excusetur Sacerdos, qui habet desiderium ducendi vxorem, si liceret.

26 Quintò, eum non excusari à peccato, qui dicit, *si Titius moreretur, ego magno perfunderer gaudio*, desiderat enim illi malum absque bono motiuo.

26 An excusetur, qui dicit, *si Titius moreretur, ego maximè gauderem.*

27 Sextò, religiosum, aut Sacerdotem non excusari à mortali, si hoc modo loquatur, *nisi rationem mei status haberem*, seu *nisi meum statum inspicerem*, seu *nisi meum statũ æstimarem, profectò te occiderem, vel furarer*, &c. hic enim grauiter peccat, si verè habeat propositum, & voluntatem committendi illa mala, nisi talem statum haberet. Ratio est, quia desiderium elicitur de re turpi, sub ea conditione, qua posita desiderium adhuc esset malum: nam siue spectetur status Religionis, siue non, homicidium, & furtum est peccatum, consequenter si adsit voluntas illa præstandi, nisi talis status adesset, committitur peccatum, cùm sit affectus, & voluntas committendi peccatum, absque motiuo honesto, & à peccato excusante.

27 An excusetur religiosus, aut Sacerdos, qui dicit, *nisi rationem mei status haberem te occiderem, vel furarer*, &c.

28 Septimò, Religiosum, vel Sacerdotem non excusari quando dicit, *nisi essem Religiosus, vel presbyter, vellem committere fornicationem.* Ratio est, tum quia non adest motiuum sufficienter honestum, quo posito feratur turpitudo fornicationis, tum quia huiusmodi actus includit affectum ad peccatum, quod adhuc esset peccatum, si ipse non esset Religiosus, vel Sacerdos, vt dictum est *corollario* 2.

28 An excusetur, qui dicit, *nisi essem religiosus, vel presbyter, committerem fornicationem.*

Addit tamen Sanchez *in sum. lib.* 1. *cap.* 2. huiusmodi actum habere solùm malitiam simplicis fornicationis, quia præscindit à voto, & hoc est conforme doctrinæ à nobis traditæ *n.* 5. & 17. *difficult.* 3.

29 Octauò, eos non excusari à mortali, qui dicunt, *ego occiderem, vel adulterarer*, &c. *nisi esset infernus, vel supplicium*, nam hoc motiuum non est ita honestum, vt eo posito homicidium, vel furtum sit licitum, [vt bene Suarez *loco cit. num.* 10. & alij DD. citati.] Deinde intercedit timor seruilis cum seruilitate, qui timor est peccatum, nam timor seruilis cum seruilitate est, quando aliquis timet aliquod malum ob aliquam pœnam, sed ita est affectus, vt si pœna illa non esset, nihilominus peccatum committeret.

29 An excusetur, qui dicit, *nisi status haberem te occiderem, vel furarer*, &c.

30 Hinc vlteriùs patet, quid dicendum sit de eo, qui dicit, *nisi esset timor Dei, nollem hodie ieiunare*, nam si iste intendat desistere à peccato ob pœnas, quas sibi timet à Deo infligendas, peccat mortaliter, quia habet timorem seruilem cum seruilitate; si verò intendat desistere à peccato ob timorem filialem, ob reuerentiam Dei, non peccat, quia hoc est bonum motiuum, absque affectu ad peccatum, imo est fuga à peccato.

30 An excusetur, qui dicit, *nisi esset timor Dei, ego non ieiunarem*, &c.

31 Nonò, eum non excusari, qui dicit, *si Titius hoc mihi feciisset in adolescentia*, aut *antequam me reciperem ad religionem*, vel *ante præsentem statum, certè de illo vindictam sumpsissem*, hoc tamen intelligitur, modò, quando hæc dicit, habeat affectum vindictæ sumendæ, si esset in tali statu, si verò non habeat affectum vindictæ, sed tantùm ostendat, quid feciisset in tali statu, non peccat mortaliter, cùm non habeat affectum ad peccatum.

31 An peccet, qui dicit, *si Titius hoc mihi feciisset in adolescentia, vel ante præsentem statum illum occidissem.*

32 Decimò, eamdem rationem esse delectationis, ac desiderij, seu velleitatis, & propositi inefficacis, sicut enim excusatur à mortali desiderium, quod elicitur de obiecto malo sub conditione, *si liceret*, vel *nisi esset peccatum*, vel *nisi esset offensa Dei*, &c. ita excusatur delectatio elicita sub eadem conditione. Ratio est, quia sicut desiderium est actus inefficax, qui habet suam bonitatem, vel malitiam à motiuo, vt dictum est, ita etiam delectatio; consequenter sicut desiderium elicitum sub conditione, *si liceret*, non est mortale, ita neque mortalis est delectatio sub eadem conditione elicita. Ob id religiosus, non habens dominium pecuniarum, si delectetur de distributione illarum inter pauperes, sub conditione, *si liceret*, excusatur à peccato, delectatur enim de illa distributione, quatenus est ei licita, honesta, & laudabilis. Idem dic de delectatione, quæ ob vtilitatem, vel ob aliud bonum motiuum capitur de multis peccatis factis ignoranter, vel in somno, vt benè ait Vasquez 1. 2. *disp.* 115. *num.* 5.

32 An eadem ratio desiderij, & delectationis.

33 Ab hac tamen doctrina excipienda est delectatio carnalis, & sensualis, quæ sub conditione, *si liceret*, capitur ab eo, qui nõ est coniugatus; ratio istius exceptionis est, quia delectatio carnalis non solùm est mala pro ratione motiui, propter quod elicitur ipsa delectatio, sed etiam est mala ob causalitatem, quam habet ad libidinem explendam, nam delectatio carnalis vndequaque accersit, & conuocat materiam libidinis, & ex sua natura disponit ad consummationem actus, vnde qui delectatur de copula cogitata cum femina sub conditione, *si liceret*, qua conditione scit huiusmodi copulam esse verè destitutam, non excusatur à peccato mortali, quia illa delectatio, quæ est intrinsecè mala, sumit suam malitiam non solùm à motiuo, sed etiam à causalitate, vt dictum est, consequenter est damnanda, cùm non adsit sufficiens causa illam permittendi. Ita Valentia *parte* 2. *disput.* 6. *quæst.* 4. *punct.* 4. Sanchez *in sum. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 31. Clauis Reg. *lib.* 8. *cap.* 7. Nauarr. *cap.* 16. *num.* 9. Graffius 1. *part. lib.* 2. *c.* 78. *numer.* 9. [Reginald. *lib.* 11. *num.* 53.] & alij communiter.

33 An excusari possit delectatio carnalis sub cõditione, *si liceret.*

PVNCTVM IX.

De oscula, tactibus, turpiloquio, & aspectu.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An oscula, & amplexus licitè fiant, quando fiunt causa amicitiæ secundùm consuetudinem patriæ.

1 Oscula, & amplexus licitè fiunt, quando fiunt causa amicitiæ secundùm consuetudinem patriæ. Ita communiter Doct. Ratio est, quia sunt signa mutuæ beneuolentiæ, pacis, & debiti obsequij, nec in ipsis apparet turpitudo; ergo licitè fiunt.

2 An excusetur delectatio prouenies ex osculis, & amplexibus.

2 Addunt multi Doctores, delectationem ex ipsis sequentem non esse licitam, nam licitum est delectari de amicitia, pace, & obsequio ami-

amicorum; ergo licitum etiam est delectari de eius signo quod est osculum, vel amplexus secundùm consuetudinem patriæ, [modò non sit periculum consensus in motus sensualitatis inde consurgentes.] Ita Nauarr. *cap.16. numero* 11. Caietanus *verb. Impudicitia.* Reginaldus *tom.2. lib.22. numero 6.* Lessius *lib.4. cap.3. dub.8.* Sanchez *lib.9. disput.46. numero 3.* [Filliucius *tractat.30. numero* 171.]

Dixi, *causa amicitiæ*, quia si oscula, vel amplexus fiant [inter solutos] causa delectationis carnalis, seu animo fruendi delectatione venerea, sunt peccata mortalia illius speciei, ad quam ordinantur, nam ordinantur ad coitum tamquam ad finem, vt patet in brutis, quæ huiusmodi tactibus, vel amplexibus præparant se ad Venerem. Ita Sanchez *lib.9. de matrimonio disp.46. num.7.* [Lessius *num.* 57. Filliucius *num.*172. & 178. Comitolus *lib.4. quæs.*20.] Vasquez, Valentia, & alij *locis suprà citatis.*

3 An committat incestum, qui osculatur consanguineam.

3 Ex quo sequitur eum, qui osculatur cõsanguineam animo fruendi delectatione venerea, peccare mortaliter peccato incestus, & sic de ceteris.

4 Quotuplex delectatio percipiatur ex tactibus, & osculis.

4 Pro maiori intelligentia dictorum aduertunt Doctores, duplicem delectationem percipi posse ex tactibus, vel osculis. Prima consistit in quadam proportione, & conformitate rei tactæ cum organo tactus aut visus. Altera est libidinosa, quæ sentitur in carne, cũ quadam commotione carnis, aut spirituum vitalium incitãtium ad pollutionem. Hæc secunda delectatio est illicita, prima verò, inquiunt, non videtur illicita in prædictis casibus, quando capitur ex amplexibus causa amicitiæ iuxta consuetudinem patriæ: modò non sit periculum, vt ex prima fiat transitus ad secundam, [& adsit consensus in ipsam delectationem.] Ita Sanchez, Reginaldus, Lessius, Filliucius *locis cit.* & alij.

5 Quandonam oscula, tactus, & amplexus sint mortale peccatũ.

5 Hinc igitur patet, oscula, tactus, & amplexus, qui fiunt causa delectationis sensus, quæ percipitur in ipsis, esse peccatũ mortale, quia hanc delectationem natura instituit, vt medium ordinatum ad generationem, & ad copulam; cum autem copula non sit licita inter eos qui non sunt coniugati, sequitur neque licitam esse huiusmodi delectationem sensualem.

Dixi, *qui fiunt causa delectationis sensus*, quia tactus, & amplexus, qui fiunt causa amicitiæ, iuxta consuetudinem patriæ, non sunt peccata, imò si fiant ioco, vel causa vanitatis, seu leuitatis, non videntur peccata plusquam venialia, modò non adsit periculum consensus in delectationem sensualem, seu veneream. [Posito verò periculo consensus in delectationem sensualem, censeo esse mortale peccatum: vt si vir nudus amplexetur feminam nudam, præsertim in loco clauso, & remoto. Secus si hoc faciat ex causa honesta & necessaria sine periculo consensus: vt si feminam nudam in flumine periclitantem nudus arripiat, & asportet. Idem à fortiori sentiendum est de amplexibus, quibus se adstringunt homines nudi in signum amicitiæ post luctam. Ita Filliucius *tract.30. cap.9. quæs.4. num.*174.]

6 An tactus, & oscula in cõiugatis, & sponsis excusentur.

6 Sed difficultas est, vtrum tactus, & oscula in coniugatis excusentur à mortali.

Respondetur, tactus, & oscula in coniugatis excusari à mortali, etiamsi capiantur ob delectationem absque intentione copulæ coniugalis, modò non adsit periculum pollutionis extra vas. Ex quo fit, vt etiam à mortali excusentur verba obscena, & aspectus inter coniuges secluso periculo pollutionis, desiderio, aut delectatione alterius sponsæ. Ita Sanchez *lib.9. disputat.46. numero* 7. Azor. *3. part. lib.3. cap.25. quæsito* 2. Lessius *lib.4. cap.3. dub.15. numero* 121. Henriquez *lib.* 11. *cap.16. numero* 7. Coninch. *de matrimonio disput.34. dub.* 11. *numero* 113. & alij.

Præterea difficultas est, vtrùm tactus, & oscula in sponsis de futuro excusentur à mortali.

Respondetur, tactus impudicos inter sponsos non excusari à mortali, quia proximè disponunt ad copulam, quæ non est illis licita. Oscula verò, & tactus non impudici, qui post sponsalia absoluta fiunt causa delectationis, excusantur à multis Doct. modo non fiant in partibus pudendis, & non sit periculum pollutionis, vel consensus in copulam. Ita Sanch. *loco cit. num.*50. Tolet. *lib. 5. cap.* 14. Nauar. *cap.* 16. *num.*12. [Filliuc. *tract.*10. *num.*357.] & alij apud Azor. *loc. cit. quæst.3.* Ratio ipsorum est, quia sicut matrimonium facit copulam licitam, ita sponsalia, quæ sunt via ad matrimonium, faciunt hos tactus licitos: modo non sit periculum pollutionis, &c. Contrariũ tenet Henriquez *lib.*11. *cap.*19. *num.* 4. [Rebellus *lib.3. de matrimonio, quæst.* 19.] Lessius *loco citato numer.*120. & alij, quia hæc delectatio est à natura instituta ad copulam, quæ cùm sit illicita inter sponsos, fit vt illicita sit hæc delectatio. Vtraque sententia probabilis est. Prima mitior. Secunda tutior, & probabilior.

7 An tactus, & oscula licita sint inter eos, qui sponsi non sunt.

7 Ex his patet à fortiori, tactus impudicos inter marẽ & feminam, inter quos non sunt celebrata sponsalia, esse illicitos, etiamsi fiant absque delectatione, quia sunt luxurioſi ex obiecto, & ex natura sua habent adiunctam delectationem sensualem, & inducunt ad complementum actus, multo magis sunt illiciti, si fiant causa delectationis.

8 An licitum sit tãgere propria pudenda cum venerea delectatione,

8 Addo, non solùm illicitum esse mari impudicè tangere feminam, & è contra: verùm etiam illicitum esse tangere propria pudenda cum venerea delectatione, aut cum periculo delectationis venereæ.

Dico, *cum venerea delectatione*, quia si quis ea tangat ex curiositate, vel leuitate, vel causa calefaciendi manus, non peccat mortaliter, nam in huiusmodi contactu non adest tanta turpitudo, quanta est in contactu alieno, quamuis contactus alienus fiat absque delectatione. Ita Sanchez *loco cit. num.*25. & 28. Lessius *num.* 60. [Filliucius *tract.*30. *cap.*9. *num.*194.] & alij.

9 An aliquando liceat tangere pudenda propria, aut aliena.

9 Sed maior difficultas est, vtrùm liceat aliquando tangere pudenda propria, vel aliorum absque peccato mortali.

Respondeo, licitum esse interueniente iusta causa, aut necessitate, tunc enim tactus est moraliter honestus, & consentaneus rectæ rationi, vt accidit quando adest necessitas medendi, quamuis inde præter intentionem consurgat aliquis turpis motus. Mulieres tamen, præsertim virgines, non tenentur à viris admittere hoc genus medendi in partibus secretioribus, nemo enim tenetur admittere curationem, à qua non minus abhorret, quàm ab ipso morbo, vel à morte; multæ autem virgines non minus abhorrent ab huiusmodi curatione, quàm à morbo, & ab ipsa morte. Ita Nauarr. *de pœnitentia cap. si cui. num.*13. Less. *lib.4. cap.3. dub.8. num.*60. & alij.

10 An femina mortaliter peccet quando ab alio tangitur, & se non retrahit.

10 Quæres primò, vtrum femina mortaliter peccet, quando aduertit se ab alio libidinosè tangi, & se non retrahit, vel non impedit contactum, cùm tamen ipsa tangat iuxta consuetudinem patriæ, vt in aduentu amici, vel consanguinei.

Respondeo, feminam peccare mortaliter non se retrahendo, quando actus sunt impudici, [seu quando actus non nisi inter impudicos fieri solent, vt tactus verendarum partium, aut mamillarum, aut oscula furtiua, morosa, & similia,] concurrit enim ad actum intrinsecè malum, & nimis periculosum incitantem ad res venereas. Quando verò actus sunt extrinsecus honesti, & fiunt iuxta consuetudinem patriæ ad indicandam beneuolentiam, &c. distinguendum est hoc modo, vel isti actus fiunt in aliorum præsentia, & in publico, vel fiunt in secreto. Si fiunt in publico, femina non peccat mortaliter se non retrahendo, & non repellendo alterum, nam repellendo ingereret animis adstantium suspicionem peccati, & periculo exponeret famam alterius. Si verò fiunt in secreto, peccat mortaliter contra charitatem non impediendo, si commodè potest, nam quilibet ex charitate tenetur curare, quantum commodè potest, nec alter peccet. Ita Graff. *1. part. lib.2. cap.75. num.*12. & alij apud Azor. *loco citat. quæst.* 4. apud Less. *loco citat. numer.*64. apud Emanuelem Sà *verb. Luxuria num.*14. [& apud Filliucium *tract.*30. *cap.*9. *quæs.* 9. Quando verò tactus seu actus non sunt impudici, & femina dubitat, an bono vel prauo animo fiant, Filliucius *num.*197. putat feminam non teneri se retrahere, quia in dubio nullus præsumi debet malus. Ego verò oppositum sentio probabilius, dum huiusmodi tactus, seu amplexus in secreto fiunt, & femina rationabiliter dubitat prauo animo fieri; tunc enim iure suo vtitur, & saluti proximi consulit.]

11 An leuis tactus manuum, aut pedum feminæ, aut vellicatio, aut digitorum intorſio sit peccatum mortale.

11 Quæres secundò, vtrum leuis tactus manuum, vel pedum feminæ, aut vellicatio, aut digitorum intorsio sit peccatum mortale.

Respondet Sanchez *lib.9. disputat.46. numero* 16. & Caietanus 2.2. *quæst.*154. *artic.* 4. regulariter loquendo non esse peccatum mortale, nam huiusmodi tactus potius fiunt ex leuitate, & ioco, quàm ex delectatione venerea, [ob id Nauarrus *cap.*14. *numero* 42. & Filliucius *tractat.*30. *numero* 200. à mortali excusant virum, qui feminæ mamillas iocosè attingit absque praua delectatione.] Imò Sanchez excusat à mortali, etiamsi [præfati tactus] fiant ob delectationem, quæ in ipsis sentitur, videtur enim parua materia, modò non sit periculum alterius peccati.

Ego tamen sentio, in hac materia non esse laxandas habenas, cùm sit materia valdè periculosa, nec facilè prædictum contactum, si fiat cum delectatione venerea, excusarem à mortali, cum Caietano *loco citat.* Lopez 1 *part. cap.*58. *vers. Atque idem dicendum.*

12 An sit mortale peccatum tangere, vel osculari pueros cum magna suauitate.

12 Quæres tertiò, vtrum sit peccatum mortale tangere, vel osculari pueros, & eorum carnes cum magna suauitate.

Respondeo, non esse peccatum mortale, quia hoc non fit ex venerea voluptate, sed ex amore puro illius teneræ ætatis, alioquin damnandæ essent infinitæ nutrices, & matres. Ita Sanchez *loco cit.* Rebell. *loco* statim *citando*, [*sect.3. sub. fin.* Filliucius *num.* 171. & alij.] Hoc tamen intelligitur iuxta doctrinam traditam de duplici delectatione *num.*2. [vt benè Rebell. *lib.3. de matr. quæst.19. sect.3.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

13 An aspectus feminæ, aut viri natantis, sit mortale peccatum.

13 ASpectus feminæ, vel aliarum personarum ob curiositatem pulchritudinis, non est peccatum mortale, etiamsi fiat propter delectationem, quæ sensu capitur, modo non adsit periculum turpis, & venereæ delectationis, vel alterius luxuriæ. Ita Graffius *loco citato*, Nauarr. *de pœnitentia distinct.1. cap. si cui, num.* 11. [Lessius *lib.4. cap.4. num.*63. Filliucius *tract.*30. *cap.*10. *quæs.7. n.*215. *& seq.*] Caietanus, Armilla, & alij apud Sanchez *loco cit. disp.46. nu.* 22. & apud Clauem Regiam *lib.8. cap. vltimo.* Ratio est, quia non reperitur tanta turpitudo in aspectu, quanta in tactu, nec aspectus ita prouocat ad libidinem, sicut tactus. Sunt tamen aliqui aspectus de se impudici, qui sunt peccaminosi mortaliter, etiamsi non fiant ob malum finem, vt quando vir aspicit pudenda feminæ, aut quando femina aspicit pudenda viri, vel partes vicinas, nam huiusmodi aspectus multum incitat ad libidinem, consequenter non excusatur à graui peccato, nisi fortè ob curiositatem fiat tam breui tempore, vt non sit periculum magnæ commotionis in corpore, vel nisi fiat erga puerum absque dictæ commotionis periculo, tunc enim facilius excusari potest à mortali, sicut etiam potest vir excusari, qui absque periculo peccati inspicit pudenda natantis hominis, aut femina, quæ inspicit pudenda feminæ, nam talis aspectus inter personas eiusdem sexus non videtur proximè ad libidinem prouocare. Hoc tamen intelligitur, modo non adsit periculum consensus in libidinem, vel magna indecentia, qualis esset inter duos Episcopos, qui se nudos cernerent. Ita Sanchez *loco citato num.*12. 24. *&* 27. [Filliucius *num.*218.]

14 An sit mortale peccatum cernere cõcubitum viri cum femina, aut coitũ brutorum, aut verendas eorum partes turpiter commotas.

14 Ex dictis colligi potest, esse peccatum mortale cernere concubitum viri cum femina, etiamsi fiat ex sola curiositate, nam hic aspectus est impudicus, nimisque prouocat ad libidinem, & ad res venereas: non existimo tamen ordinariè loquendo, esse peccatum mortale aspicere coitum brutorum, vel eorum partes turpiter commotas, modo aspiciens inde non capiat notabilem delectationem sensualem, vel non sit periculum capiendi dictam delectationem. Ita Sanchez *loco citat.* Reginald. *tom.2. lib.22. cap.1. numer.7. versus finem,* [Filliucius *num.*219.] & alij.

15 An peccet mortaliter fricãs inhonestas brutorum partes.

15 Addit Sanchez *disput.46. num.*15. confricantem inhonestas brutorum partes excusari à mortali, etiamsi hoc faciat intentione inspiciendi seminis. Ego vero non facilè excusarem à mortali, tum quia est actus nimis obscœnus, & inhonestus, valdè repugnans rectæ rationi, tum quia valdè disponit ad vlteriorem libidinem, vt me docuit

cuit aliquorum atteſtatio, dum Pœnitentiarij munus obirem in Metropol. Eccleſia.

16 An in Confeſſione explicanda ſit circumſtãtia perſonæ, circa quam habita fuit delectatio mortalis in aſpiciẽdam.

16 Quæres, vtrùm aperienda ſit in confeſſione circumſtantia perſonæ, circa quam habita fuit delectatio mortalis in aſpiciendo.

Reſpondeo cum Sanchez *loco citato*, & aliis, communiter aperiendam eſſe, quia hæc delectatio eſt eiuſdem malitiæ, cuius eſt actus conſummatus, tendit enim ad conſummandum actum; ſicut ergo aperienda eſt perſona, cum qua conſummatus fuit actus, ita etiam circumſtantia perſonæ, circa quam habita fuit delectatio mortalis. Idem dic de tactibus, & verbis turpibus.

17 An graviter peccet puella, quæ ſe præbet conſpiciendam adoleſcenti, à quo ſe credit turpiter concupiſcendam.

17 Quæres, vtrùm graviter peccet puella quæ ſe præbet conſpiciendam adoleſcenti, à quo ſe credit turpiter concupiſcendam.

Reſpondeo peccare mortaliter peccato generali ſcandali, quando data opera ſe præbet illius conſpectui, abſque vlla neceſſitate, ſeu potiùs ex quadam vanitate, non ignorans illius turpem amorem. Si verò hoc faciat ex aliqua neceſſitate, vel vtilitate, aut ne priuet ſe ſua libertate, vel iure exeundi domo, vel ſtandi ad oſtium domus, vel ad feneſtram, non videtur peccare mortaliter. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 4. Azorius *loco citato cap.* 16. *quæſ.* 6. *regula* 2. Sanchez *in ſumma lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 16. & alij. Ratio eſt, tum quia feminæ nimiis premerentur ſcrupulis dubitantes ferè ſemper, vtrum domo exire poſſint, vel feneſtram adire, &c. & priuarentur ſua libertate, & ſuo iure, tum quia hoc eſt potius ſcandalum acceptum, quàm datum, ſicut cenſetur ſcandalum acceptum, quando feminæ, ſe ſuperfluè ornantes, præuident fore, vt turpiter amentur ab aliis, modò hoc non faciant intentione incitandi eos ad libidinem, vt ait Nauarr. *cap.* 23. *num.* 18. & 19. Azorius *cap.* 18. *quæſito* 11. Sanchez *loco citato*, & alij.

TERTIA PROPOSITIO.

18 An turpiloquium ſit mortale peccatum.

18 TVrpiloquium, ſi fiat animo oblectandi ſe rebus ipſis turpibus narratis, & obiectis imaginationi, eſt peccatum mortale, vt patet ex 1. *propoſitione*. Si verò fiat propter delectationem, quæ ex narratione præcisè capitur, abſque alia praua intentione, vel abſque affectu venereo, eſt peccatum tantummodò veniale, vt patet ex dictis de aſpectu, nam hæc delectatio remotè ſolùm diſponit ad turpia, conſequenter non videtur mortalis, niſi adſit alia circumſtantia, quæ ſit cauſa mortalis peccati, qualis eſt circumſtantia ſcandali adſtantium, vt accidit, quando audientes non ſunt probatæ virtutis, & verba, aut cantiones ſunt valdè laſciuæ, & inhoneſtæ, tunc enim credi poteſt ſcandalum inde ſubortiri. Ita Toletus *lib.* 4. *cap.* 14. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 148. *art.* 5. Graff. 1. *par. dec. lib.* 2. *c.* 75. *num.* 9. Rebell. *lib.* 3. *de matrim. quæſt.* 19. *ſect.* 3. *verſ. Nec verum*, Nauarrus *cap.* 16. *num.* 14. [Filliucius *tract.* 30. *cap.* 10. *quæſ.* 3. *num.* 208. *& ſeqq.*] & alij apud Sanch. *loco cit. diſp.* 46. *num.* 32. & apud Azor. 3. *part. lib.* 3. *cap.* 25. *quæſ.* 1.

[Dixi, ſi fiat animo oblectandi ſe rebus narratis, vt innuerem locutionem turpium ex ſe eſſe rem indifferentem: ſicut etiam eſt pictio, ſcriptio, & auditio earum, alioquin præceptor de iis loqui non poſſet, nec pœnitens de illis examen facere; & ſic de ceteris.]

19 An nutus, & geſtus turpes ſint mortale peccatũ.

19 Hinc patet primò, quid dicendum ſit de nutibus, & geſtibus.

20 An lectio rerum turpium ſit mortale peccatum.

20 Secundò, quid dicendum ſit de lectione turpium: [vt bene Sanchez *num.* 45.]

21 An ſit mortale peccatum intereſſe comœdiis turpibus.

21 Tertiò, vtrùm intereſſe comœdiis ſit peccatum mortale, nam ſi comœdiæ turpia repræſentent, eſt peccatum mortale illis intereſſe cum delectatione rerum narratarum, vel cum periculo delectationis, vel alterius peccati grauis; non eſt verò peccatum mortale intereſſe comœdiis ob ſolam delectationem in verbis, quæ ob ſolam vanam curioſitatem audiuntur. [Ita Sanchez *num.* 42. Filliucius *numer.* 210. *&* 212. & alij communiter.]

22 An Clerici aſſiſtẽtes comœdiis peccẽt mortaliter.

22 Si quæras, vtrùm Clerici, qui aſſiſtunt comœdiis, peccent mortaliter.

Reſpondetur, ſecluſo ſcandalo, vel alio periculo peccati, non peccare mortaliter. Ita Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 46. *num.* 41. [Filliucius *numer.* 212.] Verum tamen eſt, Eccleſiaſticos debere ab huiuſmodi nugis abſtinere, nam prohibitum eſt illis intereſſe, *de conſecratione diſt.* 5. *cap. non oportet* 2. *& cap. Clerici* 2. *de vita, & honeſtate Clericorum*; nihilominus iſtæ prohibitiones non obligant ſub mortali, vt notat Sanchez cum Caietano.

23 An componentes, & repræſentantes comœdias turpes peccent mortaliter.

23 Quartò patet, componentes, & repræſentantes comœdias, quæ continent res valdè turpes, & excitantes ad libidinem, peccare mortaliter, quia dant cauſam ruinæ, quamuis illam non intendant. Idem dic de ſcribentibus turpia, & de iis, qui pingunt feminas cum nudatis pudendis, vel cum velo diaphano, quia hæc multum ad veneream voluptatem incitant. Ita Angelus *verb. Ludus. numero* 3. [Filliucius *tractat.* 30. *numero* 211.] & alij apud Sanchez *numero* 42.

Quintò patet à fortiori, illos peccare mortaliter qui pudenda abſque iuſta & rationabili cauſa oſtendunt, aut cooperiunt veſte ita diaphana, & tenui, vt ab aliis conſpiciantur, præbent enim occaſionem ruinæ; feminæ verò vtentes veſte ita tenui, vt pectora, & mamillæ ſolum conſpiciantur, excuſari poſſunt à mortali, ſi hoc faciant iuxta conſuetudinem patriæ, & abſque praua intentione, nam pars illa videtur honeſta, & feminæ videntur habere ius accommodandi ſe conſuetudini iam receptæ, quam non facilè conſtat trahere ad peccatum, eſſet tamen peccatum mortale introducere huiuſmodi morem, quia inſolita magis mouent, & excitant. Heluetij verò, & alij, qui iuxta conſuetudinem patriæ vtuntur certo genere veſtis præ ſe ferentis formam virilis membri, videntur excuſandi, cum Nauarr. *cap.* 23. *numero* 18. Azor. 2. *parte lib.* 12. *cap.* 18. *quæſt.* 13. Sylueſter *verb. Ornatus, quæſito* 7. & aliis apud Leſſium *lib.* 4. *ca.* 4. *dub.* 14. contra Angelum *eodem verb. num.* 7. hoc enim non videtur directè ad libidinem excitare, cum experientia, & conſuetudo indicet aſpectu harum veſtium homines non induci ad peccatum. Occaſione doctrinæ in hoc puncto propoſitæ tria ſuperſunt quæſita examinanda.

24 An choreæ ſint peccata mortalia.

24 Quæres primò, vtrùm choreæ ſint peccata mortalia.

Reſpondeo negatiuè, quia ex ſe non ſunt illicitæ, niſi fiant illicitæ ex aliqua circumſtantia, vt ex circumſtantia loci, ſi fiant in loco ſacro, aut ex circumſtantia temporis, ſi fiant tempore celebrationis diuinorum Officiorum, & impediant diuina Officia, aut ſi adſit aliqua ſpecialis prohibitio, aut ſi fiant modo inhoneſto, aut mala intentione, aut ſi à Clericis ducantur. His ſublatis circumſtantiis, & ſublata peccandi occaſione, non peccant mortaliter, qui eas ducunt, etiamſi eas ducant diebus feſtis. Ratio eſt, tum quia choreæ ſunt ſigna publicæ lætitiæ, tum quia ſunt recepta per conſuetudinem, quæ in hac re non videtur corruptela, niſi reſpectu mali euentus, tum quia ex his arripitur occaſio celebrandi matrimonia. Ita Syluest. & Ang. *verb. Chorea*, Ludouicus Lopez 2. *part. cap.* 31. *verſ.* 3. *concl.* 3. [Filliucius *numer.* 223.] & alij.

25 An mulier fucans faciem peccet mortaliter.

25 Quæres ſecundò, vtrùm mulier fucans faciem peccet mortaliter.

Reſpondeo, non peccare, ſi hoc faciat ob cauſam rationabilem; ſi verò hoc faciat abſque cauſa rationabili, exiſtimo peccare venialiter peccato vanitatis, & leuitatis, [non verò mortaliter, etiamſi aliquis occaſionem peccandi ſua malitia arripiat,] nam ornatus non eſt per ſe malus, ſed indifferens, nec repugnat charitati Dei, vel proximi. Peccat verò mortaliter, ſi hoc faciat ex fine mortaliter malo, vt per ſe patet. Ita Azor. *loco citato*, Nauarr. *cap.* 16. *numer.* 14. Emanuel Sà *verb. Ornatus, numer.* 1. Graffius 1. *part. lib.* 2. *cap.* 77. *num.* 5. Beia *in* 1. *& 3. caſu*, definito *feria* 5. *die* 26. *Maij*, vbi loquitur de vendentibus fucos, & de patre permittente filiabus ſuperfluum ornatum, [Filliucius *tract.* 30. *num.* 220.] & alij apud Leſſium *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 14.

26 An peccet mortaliter femina, quæ vtitur alienis capillis, aut veſtibus pretioſis, & odoriferis.

26 Quæres tertiò, vtrum femina peccet mortaliter vtendo alienis capillis, aut veſtibus pretioſis, & odoriferis.

Reſpondeo negatiuè, niſi hoc faciat intentione incitandi alios ad libidinem, aut niſi adſit lex aliqua particularis, quæ hoc prohibeat ſub mortali, nam in hac re non videtur adeſſe tanta inordinatio, quæ faciat reum lethalis culpæ; non excuſatur tamen à veniali, ob ſuperfluum ornatum, ob delicias, aut animi leuitatem. Ita Azor. *loco citato*, & alij apud Leſſium *loco citat.* apud Emanuelem Sà *loco citato*, & apud Graffium *loco citato*.

PVNCTVM X.

De pollutione, ſeu mollitie.

1 Quodnã dicatur peccatum contra naturam, & quoruplex ſit.

1 NOtandum primò, peccatum contra naturam eſſe actum luxuriæ contra ordinem, quem natura etiam in brutis requirit, ſeu eſſe actum contra ordinem, quem natura illius actus poſtulat, vt ſequi poſſit generatio, quod peccatum multis modis contingit.

Primò, quando ſemen emittitur, & quæritur voluptas carnalis abſque coniunctione naturali per ſui corruptionem, & hoc peccatum dicitur mollities, ſeu pollutio.

Secundò, quando non ſeruatur ſexus, vt quando maſculus congreditur cum maſculo, vel femina cum femina, & hoc peccatum dicitur Sodomia, vel quando nõ ſeruatur debitum vas, ſeu inſtrumentum ordinatum à natura ad copulam, vt quando quis congreditur cum femina extra vas naturale, & hoc peccatum dicitur quidem Sodomia, ſed non eſt omnino propriè Sodomia.

Tertiò, quando non adhibetur perſona debita eiuſdem generis, vel ſpeciei, vt quando quis congreditur cum beſtia, vel cũ dæmone.

Quartò, quandò coniunctio eſt naturalis, & in vaſe naturali cum perſona eiuſdem generis, ſed coniunctio fit modo indebito, vt quando maſculus congreditur cum femina in vaſe naturali, ſed præpoſterè retrò accedendo, &c. De his omnibus modis, quibus contingit peccatum contra naturam, agendum nobis eſt in ſequentibus punctis, incipiendo à mollitie, ſeu pollutione.

2 Quotuplex ſit cauſa, ex qua oritur pollutio.

2 Notandum ſecundò, cauſam, ex qua pollutio ſequitur, aut eſſe neceſſariam, vel vtilem, vel honeſtam, aut non eſſe neceſſariam, nec vtilem, nec honeſtam. Rurſus cauſam, quæ nec eſt neceſſaria, nec vtilis, nec honeſta, aut eſſe cauſam proximam pollutionis, vt ſunt tactus, vel aſpectus impudici, vel turpia verba, aut eſſe cauſam remotam, vt eſt crapula, & ebrietas, cuius occaſione ſequitur pollutio. Rurſus cauſam proximam, aut notabiliter influere in pollutionem, vt accidit quando vir aſpicit partes pudendas feminæ, vel alium luxuriosè tangit; aut parum influere, vt quando quis curioſè aſpicit, vel curioſè legit. In hoc puncto quatuor principaliter quæram.

Primò, vtrum pollutio voluntaria ſit peccatum mortale.

Secundò, vtrùm licitum ſit illam procurare ob ſanitatem.

Tertiò, vtrùm licitum ſit illam deſiderare, vel de illa gaudere.

Quartò, vtrùm omnes pollutiones ſint eiuſdem ſpeciei.

PRIMA PROPOSITIO.

3 An pollutio ſit mortale peccatum.

3 POllutio voluntaria eſt peccatum mortale. Ratio eſt, tum quia pollutio eſt contra ordinem naturæ, & contra naturam generationis, vt paulò poſt oſtendam, tum quia *ad Corinth.* 6. dicitur, *neque molles Regnum Dei poſſidebunt*. Ex quo deducitur mollitiem, ſeu pollutionem voluntariam eſſe peccatum mortale, cùm excludat à Regno Dei, à quo non excludit veniale per ſe.

Dixi, *pollutio voluntaria*, quia pollutio, quæ contra, vel præter voluntatem ſequitur, non eſt peccatum, nullum enim eſt peccatum, niſi ſit voluntarium.

4 An pollutio in ſemidormiẽte ſit mortale peccatum.

4 Ex quo ſequitur, pollutionem in ſemiexpergefacto non eſſe peccatum mortale, eò quòd non ſit ſufficienter voluntaria defectu pleni iudicij, & aduertentiæ. Ita Nauarr. *c.* 16. *num.* 8. Valent. *tom* 3. *diſput.* 9. *q.* 3. *punct.* 3. *col.* 1676. Eman. Sà *verb. Luxuria*. [Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 14. *num.* 94. *&* 163. in prima editione,] & alij communiter.

5 Quandonam pollutio dicatur ſufficienter voluntaria.

5 Sed modò magna difficultas eſt in cognoſcendo, quandonam pollutio dicatur ſufficienter voluntaria, ita vt imputetur ad peccatum mortale. Ad quam difficultatem

Reſpondeo, tunc non cenſeri ſufficienter voluntariam, quantũ pertinet

tinet ad præsentem materiam, quando prouenit ex aliqua causa necessaria, vel vtili, vel honesta; quando verò prouenit ex causa, quæ neque necessaria est, neque vtilis, neque honesta, existimo pollutionem censeri voluntariam, & imputari ad peccatum mortale, modò proueniat ex causa proxima notabiliter influente in pollutionem; si verò proueniat ex causa remota, aut ex causa, quæ non influit notabiliter in pollutionem, pollutio non censetur sufficienter voluntaria, ita vt imputetur ad peccatum mortale, nisi adsit periculum consensus, vel intentio pollutionis. Ita colligo ex Suar. 3. *part. q.* 80. *artic.* 7. *in comm. folio mihi* 825. Sanchez *de matrimonio lib.* 9. *disput.* 45. Lessius *lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 14. Vasquez 1.2. *disp.* 115. *cap.* 3. *num.* 9. *& in opusc. de restit. c.* 3. §. 2. *dub.* 6. *n.* 24. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *numer.* 6. [Azorio *tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 23. *quæsito* 4. *&* 5. Filliucio *tract.* 30. *cap.* 8. *quæs.* 6. *numer.* 152. Lessio *lib.* 4. *cap.* 3. *dubio* 14. *num.* 97.]

Ratio, cur pollutio non sit peccatum, quando prouenit ex causa honesta, &c. est tum, quia qui eam patitur, dicitur potius pati, quàm agere, tum quia quamuis concedamus, illam esse intrinsecè malam, non tamen ita est mala, sicut est homicidium, & mendacium, consequenter non sufficit in hac materia volũtarium, quod sufficit in aliis rebus malis, nec homo tenetur illam ita euitare, sicut tenetur vitare alia peccata intrinsecè mala. Hæc doctrina militat, etiam quando pollutio sequitur ex causa remota ipsius pollutionis, ad quam illa causa non disponit, nam pollutio inde sequens, nõ censetur sufficienter voluntaria, cùm non proueniat ex causa proxima, vel ex dispositione propinqua, sed proueniat per accidens, & præter voluntatem ex miseria naturæ nostræ, contracta per peccatum originale, quæ multum nos excusat in hac materia, vt dictum est de motibus sensualitatis.

6 Quando nam pollutio excusetur a mortali.

6 Hinc sequitur primò, non committi peccatum mortale, quando pollutio sequitur vi naturæ, vel quando sequitur ex aliqua causa, quæ habet alium effectum, nam pollutio inde sequens non censetur sufficienter voluntaria, vt quando sequitur ex ebrietate, [vel ex comestione ciborum calidorum,] vel ex aspectu, vel ex locutione cum femina, modò non sit intentio pollutionis, vel periculum consensus in illam. Ita Nauar. *c.* 16. *n.* 6. & alij. Multò minus est peccatum, quando pollutio sequitur ex causa, quæ habet alium effectum, quæque assumitur propter vtilitatem, vel bonum finem, vt quando quis audit confessiones, vel studet propter concionem prævidens inde secuturam pollutionem. Hoc tamen intelligitur, modò non sit periculum consensus in pollutionem. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 7. Emanuel Sà *verb. Luxuria, n.* 8. Lessius, & alij communiter.

7 An a mortali excusetur pollutio, quæ sequitur ex agitatione itineris, vel cursu equi, vel ex positione corporis supini.

7 Secundò sequitur, excusari à mortali pollutionem, quæ sequitur ex agitatione itineris, vel cursu equi, modò equitans non se componat ad eum finem, vel non subeat periculũ consensus in pollutionem. Ita Sanch. *loc. cit. n.* 7. Nauarr. [Lessius,] & Vasq. *locis cit.* Similiter excusari potest à mortali pollutio, quæ sequitur ex positione corporis supini, quando scilicet aliquis cognoscit ex tali modo iacendi seuturam in somnis pollutionem. Ita Sotus, & Vasquez *locis citatis.*

8 An excusetur pollutio, quæ sequitur ex tactu licito.

8 Tertiò, excusari à mortali pollutionem, quæ sequitur ex tactu licito, vt ex amplexu iuxta patriæ cõsuetudinem, iuxta dicta de motibus sensualitatis. Aliqui etiam excusant pollutionem prouenientem ex fricatione pudendorum, facta ad sedandum magnum prurium, vel ex lotione partium pudendarum feminæ, facta ab ipsa ad purgandum fœtorem, nam istæ causæ sunt ex sua natura licitæ, & fiunt ex magna necessitate: vnde pollutio inde sequens censetur sequi præter intentionem, vt ait Sanchez *loco citato numero* 8. & alij, quorum doctrinam ego admitto, vt probabilem, modò non adsit periculum consensus, nam qui amat periculum, peribit in illo, *Ecclesiastici* 3.

9 An pollutio, prouenies ex causa veniali, sit mortale peccatum.

9 Quartò, pollutionem non esse peccatum mortale, quando prouenit ex causa venialiter luxuriosa, & leuiter influente in pollutionem, vt ex aspectu curioso, vel ex lectione curiosa. Ratio est, quia huiusmodi causa leuiter cõcurrit ad pollutionem, consequenter non est simpliciter causa pollutionis, nec pollutio inde sequens censetur sufficienter volita, ita vt imputetur ad peccatum mortale. Ita Vasquez *loc. cit.* [Lessius *loc. cit.*] & alij apud Henriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *nu.* 6. modò non sit periculum consensus in pollutionem, vel delectationem, [vt sæpiùs dictum est.]

10 An vxor grauiter peccet, emittendo semen statim post copulam.

10 Vtrùm verò vxor grauiter peccet emittendo semen è vase statim post copulam, ne filios concipiat, patet, ex supradictis peccare, hoc enim est contra naturæ, & generationis ordinem, cùm prodigatur semen à natura institutum ad prolem suscipiendã. Aduertendum tamen est in prædictis casibus comprimendam esse delectationem, ita vt, qui patitur pollutionem, non se negatiuè habeat, vt dictum est de motibus sensualitatis, [*punct.* 7. *num.* 7.]

SECVNDA PROPOSITIO.

11 An liceat procurare pollutionem ob sanitatem.

11 NOn est licitum procurare pollutionem propter sanitatem, nec Medicus potest præbere medicinã, quæ nihil aliud operetur, quàm incitare naturam ad pollutionem. Ita Nauarr. *loco citato.* Emanuel Sà *verb. Luxuria num.* 11. Vasquez, Lessius, & Rebell. *loco citato.* & alij communiter.

Ratio est, tum quia hoc est contra naturam generationis, nam semen est à natura institutum ad copulam coniugalem, vt proles inde suscipiatur, & educetur, tum quia, si licitum esset ob sanitatem procurare pollutionem, homo sæpius sibi persuaderet licitum esse procurare pollutionem, & semen prodigere, sicque pateret via infinitis peccatis.

12 Cur excusetur membri amputatio ob sanitatem, non vero pollutio.

12 Obiicies primò, licitum est excrementa & alias corporis superfluitates eiicere, & egerere: ergo etiam licitum est semen expellere, cùm semen sit portio sanguinis superflua.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, tum quia semen non est pars superflua, sed est alimentum virtutis generatiuæ; consequenter ea solum ratione egeri & eiici debet, quam virtus generatiua in debito concubitu coniugali requirit; aliæ verò superfluitates cum suo munere functæ sint, expelli possunt, seruata humani conuictus decentia. Ita Lessius *lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 14. *num.* 95. in prima editione. Filliucius *tract.* 30. *c.* 1. *quæs.* 11. *n.* 28. & alij communiter.

Obiicies secundò, licita est membri amputatio ob corporis sanitatem; ergo à fortiori licita erit pollutio, dum eius emissione consulitur sanitati corporis.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, tum quia pollutio non est necessaria ad corporis sanitatem, cùm extent alia remedia loco pollutionis, & natura onerata soleat se in somnis exonerare: tum quia] in amputatione membri ob sanitatem, cùm sentiatur magnus dolor, non est periculum, vt via aperiatur amputationibus, sicut est periculum, vt via aperiatur infinitis peccatis, si licitum esset procurare pollutionem, in cuius emissione non sentitur dolor, sed magna voluptas, vt ait Sanchez *lib.* 9. *disp.* 17. *num.* 16. vbi duo subiungit.

Primò, licitum esse sumere medicinam resoluentem semen in sanguinem, vel in alium humorem, hoc enim non est contra naturam generationis, nam aliud est procurare pollutionem, quod non est licitum, aliud resoluere semen in sanguinem, vel alium humorem.

Secundò, feminam, quæ propter semen corruptum patitur accidentia venenosa, posse conari fricando, vel adhibendo medicamenta ad expellendum semen corruptum, quod est noxium sanitati, etiamsi inde sequatur aliqua veri seminis emissio. [Ita Sanchez *loco citato*, contra Rebellum *lib.* 3. *de matrim. quæst.* 19. *sect.* 3. *ad fin.*] nam illa emissio sequitur per accidens ad expulsionem seminis corrupti, quod est sanitati noxium, modò non sit periculum consensus in delectationem, vel in pollutionem, & modò constet semen illud corruptum esse; [securior tamen est & castitatis amatoribus consulenda sententia Rebelli, vt homines ab his abstineant, & vitam potius affectu castitatis profundant exemplo aliquorum illustrium virorum, præsertim cùm non tenemur vitam mediis extraordinariis & castitati contrariis tueri. Et hoc à fortiori sustinendum est etiam cum Sanchez, quando dubitatur sine probabili opinione, an semen sit corruptum, tunc enim] non licet conari ad illud expellendum, quia præsumendum est in fauorem seminis, quod sit aptum ad generationem, & non corruptum.

13 An sit mortale peccatum procurare magnam commotionem spirituum.

13 Rogabis, vtrùm sit peccatum mortale procurare magnam commotionem spirituum ordinatorum ad pollutionem, vel ad magnam distillationem.

Respondeo, esse peccatum mortale, quia huiusmodi actio est causa proxima pollutionis, & notabiliter in eam influit; sicut autem non licet procurare pollutionem, ita neque licet procurare dictam commotionem, vel distillationem.

Pro maiori intelligentia istius rei aduertit Sanchez *lib.* 9. *disp.* 45. *num.* 2. ex membro pudendo exire vrinam, semen, & distillationem, quæ similis est semini, quamuis non sit ita mordax: hæc distillatio aliquando exit in magna quãtitate, cum magna carnis commotione, aliquando exit in parua quantitate, & cum nulla vel exigua carnis commotione. De distillatione, quæ exit in exigua quantitate cum nulla, vel leui commotione, dicit Sanch. contra Rebellum *lib.* 3. *de matrim. q.* 19. *sect.* 3. *vers. idem quoque*, non esse curandum, cùm sit veluti quidam sudor fluens. Secus dicendum est de pollutione, & distillatione in magna quãtitate cum magna carnis commotione, hæc enim est mortalis ob veneream delectationem, [&. seminis effusionem: sed de hac re *supra punct.* 8. *num.* 16.]

TERTIA PROPOSITIO.

14 An liceat desiderare pollutionem, aut de illa iam secuta gaudere.

14 NOn est licitum desiderare pollutionem, vel de illa iam secuta gaudere ex affectu libidinis, vel propter delectationẽ ipsius. Ratio est, quia hoc esset consentire directè in pollutionem, quod est peccatum: cùm pollutio voluntaria sit peccatum mortale. Ob finem verò honestum licitum est gaudere de pollutione, vt ob sanitatem, vel ob sedatam tentationem, &c. vt patet ex supradictis de delectatione; non tamen licitum est illam procurare ob sanitatem, vel ob alium finem, vel aliquid facere intentione pollutionis, vel facere aliquid aliud mortaliter luxuriosum, aut notabiliter influens in pollutionem, vt sunt tactus, aspectus impudici, &c. de quibus supradictum est. Ita Nauarr. *loc. cit.* Emanuel Sà *verb. Luxuria, nu.* 12. Caiet. 2. 2. *q.* 154. *art.* 4. & alij apud Eman. Sà *loco citato.* apud Less. *lib.* 4. *cap.* 3. *dubio* 14. apud Sanchez *in sum. lib.* 1. *cap.* 2. *nu.* 17. [& apud Filliucium *tract.* 30. *cap.* 8. *quæs.* 5. *num.* 144.]

QVARTA PROPOSITIO.

15 An omnes pollutiones sint eiusdem speciei.

15 POllutiones sunt eiusdem speciei, si secundùm se sumantur. Ita Caietanus *loco citato artic.* 2. Nauarr. *c.* 16. *num.* 6. Azor. 3. *part. lib.* 3. *c.* 23. *q.* 2. [Filliucius *nu.* 155.] & alij. Ratio est, quia eamdem habent contrarietatem, & deformitatem contra rectam rationem. Per accidens tamen possunt esse diuersæ speciei ratione circumstantiæ adiunctæ, habentis diuersam speciei malitiam, nam si quis se polluendo habeat delectationem morosam, vel desiderium alicuius personæ solutæ, vel coniugatæ, vel obstrictæ voto, præter malitiam pollutionis contrahit culpam iuxta qualitatem personæ, circa quam capit delectationem, vel desiderium, & ista circumstantia est in confessione explicanda, vt aiunt communiter Doctores.

[Ratio est, quia talis est specie malitia, qualis est finis, motiuum, seu obiectum.

Addo in confessione explicandam esse circumstantiam personæ, cum qua, vel cuius ope commissa fuit pollutio, vt patet ex dictis de peccatis; cooperatio enim, vel inductio ad peccatum est nouum peccatum in confessione aperiendum. Qui verò se polluit inter crura alterius, inter mamillas, vel brachia, seu manus, vel in ore, seu alia corporis parte, non tenetur illam corporis partem aperire; cùm istæ materialiter se habeant. Sed satis est aperire intentionem, seu finem & qualitatem personæ, cuius ope perpetrata fuit pollutio, non seruata debita circumstantia sexus, aut vasi debiti, absque concubitu.]

16 Quæ-

18 An maritus desistere possit à copula incepta.

16 Quæres, vtrùm maritus, qui incepit copulam cum vxore, possit ab ea desistere, antequam ipse, aut vxor seminauerit.

Respondeo primò, maritum non posse absque peccato mortali desistere contra voluntatem vxoris ab inchoata copula. Ratio est, quia faceret iniuriam vxori, quæ habet ius petendi completam copulam. Ita Caietan. *loc. citat. art.* 1. Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 17. n. 9.* & alij.

Respondeo secundò, maritum non peccare mortaliter retrahendo se à seminando de consensu vxoris, quamuis ipsa vxor non seminauerit, modò non sit periculum pollutionis extra copulam. Ratio est, quia nulli facit grauem iniuriam, scienti enim, & volenti non fit iniuria. Verum tamen est hoc non esse permittendum, quia frequenter est periculum pollutionis in altero coniuge, vel in vtroque, vt ait Speculum *loco* statim *citando fol.* 346.

Respondeo tertiò, maritum non posse absque peccato mortali desistere à copula, quando ipse non seminauit, & vxor iam seminauit, nisi fortè adsit vrgentissima causa desistendi. Ita Speculum *3. part. art. 15. conclus.* 5. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 7. Sanchez *loco cit.* & alij. Ratio est, quia si maritus desisteret, prodigeretur semen feminæ, & fieret contra finem generationis, cùm semen ordinatum sit ad generationem, quæ in præsenti casu sequi non posset. Non esset tamen peccatum mortale, si femina ipsa se retraheret, vel conaretur non seminare, postquam maritus seminauit, quia nulli facit grauem iniuriam se retrahendo, nec facit contra finem generationis in re grauí, cùm semen feminæ non sit necessarium ad generationem, vt iuxta communiorem sententiam supra dictum est de debito coniugali.

Dixi, *nisi fortè adsit vrgentissima causa*, quia ex causa vrgentissima potest maritus relinquere imperfectam copulam, etiamsi femina seminauerit, vt si graue periculum vitæ superueniat perficiendo, vel ita exigat naturalis honestas, eò quòd interim aliqui superueniant aduertentes ad illum actum, & hoc verum est, etiamsi alioquin secutura sit pollutio extra vas, nam hæc pollutio non censetur voluntaria, sed præter intentionem, vt bene ait Sanchez *loco cit. num.* 6. Speculum *3. part. art. 15. cons.* 5. Eman. Sà *verb. Debitum coniugale.*

17 An fornicans desistere possit ab inchoata copula.

17 Rogabis, vtrùm fornicans possit desistere ab inchoata copula.

Respondeo posse, etiamsi femina renuat, aut etiamsi illa seminauerit, aut etiamsi adsit periculum effusionis seminis, aut alterius peccati in muliere. Ratio est, quia quilibet tenetur se retrahere à peccato. Idem dic de femina fornicante, potest enim se retrahere, antequam vir seminet, etiamsi ipsa seminauerit, vt patet ex dicta ratione. Ita Sanchez *loco cit. num.* 7. & alij

PVNCTVM XI.

De nefando Sodomiæ vitio.

QVamuis me pudeat nefaria luxuriæ delicta, non solùm percurrere scribendo, sed etiam mente reuoluere cogitando, nihilominus necesse est, vt pudorem vincat necessitas, & verecundiam superet vtilitas, vtile enim, ac necessarium est Confessariis nosse huiusmodi crimina, vt eorum grauitate perspecta, terrorem incutiant pœnitentibus, illisque remedia præbeant opportuna. Quare in hoc puncto duo principaliter quæram.

Primò, quid sit Sodomia.

Secundò, quale sit peccatum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sit Sodomia.

1 SOdomia propriè accepta est coitus inter personas eiusdē sexus. Ita colligo ex Caietano 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. Azor. *3. p. lib. 3. q.* 18. Valentia *tom. 3. disp. 1. q. 3. punct. 3. col.* 1676. Nauarr. *cap.* 16. *n.* 3. Capeauilla *cap. 15. vers. Triginta species*, Lactantio, Finellio *casu 9. num.* 1. [Filliucio *tract. 30. num.* 159.] & ex aliis discipulis S. Thom. 2. 2. *q.* 152. *art.* 11.

Dixi, *propriè accepta*, quia quamuis masculus, cognoscendo feminam extra vas naturale, dicatur committere Sodomiam, nihilominus hæc non est propriè Sodomia: sed est peccatum distinctæ speciei, vt ait Caietanus, Azor. & alij *locis cit.* [Filliucius *tract.* 30. *cap.* 8. *quæs. 9. n.* 158.] contra Menoch. *lib. 2. de arbitrariis*, vbi refert Sotum, Decium, & alios, Antonium Gomez *in leg. Tauri* 80. *n.* 33. & Iulium Clarum *lib. 5. §. Sodomia, n.* 2. nam in Sodomia propriè accepta peccatur contra sexum, & debitum instrumentum; sed quando masculus præpostere congreditur cum femina, dicitur seruare sexum, licet non seruet debitum vas; ergo non committit propriè Sodomiam.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quale peccatum sit Sodomia, & quænam sint illius pœnæ.

2 PEccatum Sodomiæ turpissimum, & grauissimum est, vt patet tum ex Paulo ad Romanos 1. tum ex grauissimis pœnis à iure Ciuili inductis, vt mortis per flammas inferendæ, vt ostendit Couarr. *ad Clement. de homicidio 1. p. §. 1. n. 6.* Gomez, & Iulius Clarus *locis cit.* & constat experientia, tum ex pœnis ab Ecclesia impositis, præsertim contra Clericos, Clericus enim committens hoc peccatū, quod antonomasticè nefandum dicitur, meretur pœnam depositionis. Imo Pius V. *in extrauaganti*, quam refert Nauarr. *cap.* 27. *num.* 249. sanxit vt Clericus cuiuscumque sit dignitatis, Sodomiam exercens, priuetur omni priuilegio Clericali, omni beneficio, & dignitate Ecclesiastica. Circa quam extrauagantem

Aduertendum est primò, Clericum non incurrere has pœnas, si solùm bis, vel ter hoc detestabile crimen admisit, vt benè aduertit Nauarr. *cap.* 27. *nu.* 250. Quaranta *verb. Sodomia*, & alij, nam hæc pœna sancita est contra Clericos Sodomiam exercentes; illi autem in iure dicuntur exercentes, qui aliquid frequenti vsu, & quasi ex consuetudine faciunt. Idem tenet Suarez *disp. 31. de censuris sect. 4. nu.* 22. Azor. *loc. cit. c.* 19. Riccius *in sua praxi decis.* 353. Praxis Neapolit. *c.* 67. [Martha *de iurisd. 2. part. casu* 16. Duardus *can* 15. *quæst.* 11. *numer.* 60. Garzias *de benef. part.* 11. *cap.* 10. *§. 2. num.* 198. vbi quamplures allegat. Licet contrarium pluribus defendant Sallèdo apud Diaz *cap.* 86. *vers. verum tamen.* Alterius *tom. 2. disp. 15. cap. 3. sub. finem*, & alij, asserentes vnicum actum sufficere, quia Pius V. in prima Bulla, quam de hac re ediderat, non vtitur verbo, *exercere*, sed *perpetrare*, quod etiam de vnica vice verificatur; sed cùm prima opinio communior sit, responderi potest ad argumentum Salsedo, Alterij, & aliorum, primò dicendo Pium V. in secunda Bulla satis indicare quo pacto velit primam intelligi. Secundò dicendo primam afficere perpetrantes: secundam verò in qua grauiores pœnæ iniunguntur, afficere exercentes. Ita Garzias *n.* 200. & alij.]

Aduertendum est secundò, ad incurrendam hanc pœnam necessarium esse, vt peccatum sit in sua specie consummatum; non enim sufficit quælibet pollutio, vel immunditia cum aliquo, nisi intercedat coitus intra vas ordinarium illius delicti, in quo delictum consummatur. Ita Suarez *loco cit. numer.* 21. Finellius *loco cit. in Summario. n.* 7. Praxis Neapol. Iulius Clarus *loc. cit. vers. finem*, Nauarr. *loc. citat.* Vgolin. *de irregularitate, cap.* 43. Rodriquez 1. *part. ca.* 209. & alij apud Quarantam *verb. Sodomia*, & apud Riccium *loco cit. num.* 2. Ratio, cur hoc peccatum debeat esse in sua specie consummatum, est, quia lex puniens delictum requirit, vt delictum sit consummatum, præsertim quando verba legis sunt generalia, & absoluta de illo delicto, vt in simili dicam de incestu. Hoc idem necessarium esse credo ad incurrendum casum reseruatum in nostra diœcesi, nam reseruatio, cùm sit odiosa, strictè explicanda est, consequenter videtur supponere ad peccatum in se completum cum effusione seminis intra vas illius delicti, & non sufficere quamlibet pollutionem, quamuis ad actus sodomiticos reducatur, vt ait Riccius *loco citato.* Obserua tamen, hanc reseruationem extendi non solùm ad agentē, verùm etiam ad patientem, tum iuxta illud, in correlatiuis dispositum in vno, censetur etiam dispositum in alio: tum argumento *leg. cùm vir nubit in feminam. C. de adulteriis*; tum quia tam peccatum patientis, quàm agentis dicitur propriè sodomiticum. Ita Iulius Clarus *loco cit. vers. Sed quæro*, Finel. *loc. cit. n.* 5. & alij apud Iulium Clarum.

Aduertendum est tertiò, propter has pœnas Pij V. Clericum non teneri in foro conscientiæ cedere beneficio, officio, & dignitati, aut restituere fructus ante sententiam iudicis, licet in dicta extrauaganti dicatur, præsentis Canonis auctoritate priuamus. Ratio est, tum quia hoc modo recepta videtur illa Bulla Pij V. Imò Henriquez apud Auilam *part. 2. disput. 4. conclus.* 2. asserit, hanc Bullam non esse receptam in foro conscientiæ, tum quia est lex pœnalis, ad cuius executionem requiritur actio iudicis, vt patet ex dictis de legibus, & optimè docet Gomez *3. variar. cap. vlt. num.* 3. & Sanchez *in summa lib. 2. ca. 22. num.* 20. & alij apud Capeauillam *cap. 15. ad finem.* Puto igitur requiri sententiam iudicis, ita tamen vt retrotrahatur ad diem commissi criminis, possitque ab altero beneficium impetrari, ac si vacasset à die commissi criminis, necnon alteri possit conferri tamquam vacans, cùm primum delinquens fuerit condemnatus a iudice. Ita Azorius, Quaranta, & alij, quos citaui *de legibus.* An verò dictum pueri, cum quo patratum fuit delictum, sufficiat ad torturam, dissensio est inter DD. de qua Praxis Neapolit. *loc. cit.* & Farinacius *de iudicijs, & tortura quæst.* 43.

3 An Clericus Sodomita incurrat suspensionē, vel irregularitatem.

3 Si quæras, vtrùm Clericus propter huius criminis atrocitatem incurrat suspensionem, vel irregularitatem, quamdiu delictum est occultum.

Respondeo, non incurrere. Ita Nauarr. *cap.* 27. *numer.* 249. Rodriquez 2. *part. cap.* 210. *n.* 1. Lazarius *de Sodomia num.* 3. contra Couarr. *in Clement. si furiosus. 1. part. §.* 1. Azor. *loco cit.* Riccium *loco cit.* & Suarez aliter sentientes *de irregularitate.* Ratio nostra est, quia suspensio, & irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressa. Vtrùm verò Sodomita publicus sit irregularis, patet ex dictis *de irregularitate*, vbi dictum est, crimen infame, & enorme inducere irregularitatem. Ita Nauarr. *loc. cit.* Sayrus *lib. 7. de censuris cap.* 12. Rodriquez *loc. citat.* Capeauilla *loc. cit.* Suarez *de cens. disput. 48. sect.* 1. & alij apud Lactantium & Finellium.

4 Quomodo se gerere debeat Confessarius erga Sodomitas.

4 Ex his colligitur, Confessarios debere esse valdè sollicitos in hoc vitio extirpando, cùm sit grauissimum, & grauissimis pœnis meritò puniatur. Caueat tamen Confessarius, ne ab hoc crimine absoluat, nisi facultatem habeat ab Episcopo, cùm sit Episcopo reseruatum [in diœcesi Mediolanensi.]

5 An peccatum Sodomiæ sit reseruatū, quando masculus abutitur femina.

5 Vtrùm verò sit casus reseruatus, non solùm quando masculus abutitur masculo, verùm etiam quando abutitur femina. Respondetur litem adhuc esse sub iudice; aliqui enim affirmant esse reseruatum, vt ait Gambarupta *de casibus reseruatis*, accedente præsertim responsione Illustrissimi nostri Cardinalis Borrhomæi, quem de hac re interrogatum respondisse ferunt, esse casum reseruatum. Alij verò negant, eò quòd abusus masculi cum femina non sit propriè Sodomia, & reseruatio fit odiosa, & consequenter strictè explicanda. Ita sentire videntur DD. relati *in 1. propositione.*

Ad responsionem Illustrissimi Cardinalis, cuius virtus tam præclara est, & probitas tam singularis, vt vniuersum ferè orbem in sui traxerit admirationem, dici posset primò ipsum respondisse tamquam priuatum Doctorem, adhærendo sententiæ Couarr. & aliorū, non verò tamquam legislatorem reseruantem, vt in simili tradunt Doctores *de legibus*, & patet ex similibus casibus, quos Nauarrus refert se audiuisse à Summis Pontificibus. Et ex alio simili apud Azorium *3. part. lib. 9. cap. 3. quæsito 7. ad finem.* [Salas *de leg. d.* 21. *numer.* 31. Emanuelem Sà *v. lex. n.* 23. Sayrum *lib. 4. cap.* 14. *num.* 16.]

Secundò, non constare nobis Illustrissimū Præsulē ita respondisse.

Tertiò, ad summum hinc sequi, hic Mediolani esse reseruatum. Crimen ergo Sodomiæ est casus reseruatus, quando masculus abutitur masculo, aut quando feminæ sese supergrediuntur, & medio aliquo instrumento, vel sine instrumento recipiunt semen intra vas naturale, vel præposterum, nam hæc est propriè Sodomia completa, quæ sufficit etiam ad diuortium, vt testatur Sanchez *lib. 10. disput. 4. n. 7.* multis citatis Doctoribus.

6 An peccatum Sodomiæ habeat aliam malitiam.

6 Quæres primo, vtrùm peccatum Sodomiæ habeat aliam malitiam, præter malitiam Sodomiæ.

Respondeo, aliquando habere aliam malitiam, vt sacrilegij, quando committitur cum religioso, vel Sacerdote, vel cum habente vo-

tum caſtitatis, aut malitiam iniuſtitiæ, quando fit cum violentia contra alium, aut adulterij, quando fit cum coniugato, aut contra pietatem, & reuerentiam debitam cognatis, quãdo perpetratur cum maſculo cognato intra primum, vel ſecundum gradum affinitatis, vel conſanguinitatis, quod peccatum, quamuis non ſit verè inceſtus, cùm non committatur intra vas debitum debiti ſexus, eſt tamen inceſtuoſum, cùm ſit abuſus luxurioſus inter cognatos iure naturali prohibitus propter pietatem, & reuerentiam debitam cognatis. Ita Azor 3.*part.lib.*3.*c.*18. Finellius *de caſibus reſeruatis, caſu* 10.*nu.*10.

7 An in confeſſione explicanda ſit perſona, cũ qua patrata fuit Sodomia.

7 Hinc colligi poteſt, explicandam eſſe perſonam in confeſſione, cùm qua perpetrata fuit Sodomia, videlicet vtrùm habita ſit à maſculo cum femina, vel à maſculo cum maſculo, vel cum habente votum caſtitatis, vel contra voluntatem alterius, vel cum affine, aut conſanguinea intra primum, & ſecundum gradum.

8 An explicanda ſit linea conſanguinitatis, aut cognationis legalis, vel ſpiritualis.

8 Addo, quando Sodomia commiſſa eſt cum aliquo conſanguineo in linea recta, explicandum eſſe in confeſſione, Sodomiam habitam fuiſſe cum conſanguineo, etiamſi gradus ſit valdè remotus, nam talis actus repugnat reuerentiæ debitæ conſanguineis, conſequenter habet malitiam inceſtuoſam, cuiuſcumque gradus ſit perſona conſanguinea in linea recta, vt patet ex ſupradictis *de conſanguinitate.*

Si verò commiſſa eſt cum perſona cognata cognatione legali, non videtur neceſſariò explicanda circumſtantia cognationis, vt ſi quis congreſſus ſit cum perſona à ſe baptizata, vel leuata ex Baptiſmo, vel cum adoleſcente ſibi in filium adoptato. Ratio eſt, quia nulla lex ſpecialis extat, quæ hos congreſſus ſpecialiter prohibeat, præter legem naturalem, aut etiam poſitiuam generaliter prohibentem nefarium peccatum. Ita Azor 3.*part.lib.*3.*cap.*18.*q.*4.*&cap.*20.*ad finem.*

9 An in confeſſione explicandum ſit, Sodomiam cõmiſsã eſſe cum virgine.

9 Addunt aliqui valdè probabiliter, non eſſe neceſſariò explicandum in confeſſione Sodomiam commiſſam fuiſſe cum virgine, ſed ſufficere ſi dicatur commiſſam fuiſſe cum femina, nam per hoc peccatum non violatur clauſtrum virginale; conſequenter non videtur committi ſpeciale peccatum ſtupri quod explicandum ſit in confeſſione.

10 An in confeſſione explicandus ſit tertius, & quartus gradus.

10 Rogabis primò, vtrùm in confeſſione ſit explicandus tertius, vel quartus gradus affinitatis, vel conſanguinitatis in linea tranſuerſa, quando peccatum Sodomiæ commiſſum eſt cum affine, vel conſanguineo in tertio, vel quarto gradu lineæ tranſuerſæ.

Reſpondeo negatiuè, quia iſti gradus ſolùm inſtituti ſunt iure poſitiuo humano ad impediendum matrimonium, ius autem humanum ſolùm prohibet in his gradibus ordinarios concubitus cum debito ſexu, non extraordinarios, qui non impediunt matrimonium.

11 Cur in confeſſione explicãdus ſit primus & ſecundus gradus, nõ vero tertius & quartus.

11 Rogabis ſecundò, quare potius explicandus ſit primus, vel ſecundus gradus affinitatis, vel conſanguinitatis, quando copula nefaria habita eſt cum conſanguineo, vel affine in primo, vel ſecundo gradu, quàm ſit explicandus tertius, & quartus gradus, quando habita eſt cum conſanguineo in tertio, vel quarto gradu.

Reſpondeo, rationem diſparitatis colligi ex iam dictis, quia nefaria copula in primo, & ſecundo gradu affinitatis, vel conſanguinitatis eſt ſpecialiter contra ius naturale, ſeu contra naturalem reuerentiam debitam cognatis intra primum, & ſecundum gradum, ex qua ratione colligitur, nos hic loqui de conſanguineis in linea tranſuerſa, nam ſi loquamur de conſanguineis in linea recta, conſtat explicandam eſſe circumſtantiam conſanguinitatis, quando Sodomia commiſſa eſt cum conſanguineo lineæ rectæ, in quocumque gradu conſanguineus exiſtat, vt conſtat ex dictis.

12 An peccet mortaliter vir cõiugatus, qui præpoſtero actu incipit cognoſcere vxorem, ſed poſtea actum perficit in vaſe naturali.

12 Quæres ſecundò, vtrùm vir coniugatus, qui præpoſtero actu incipit cognoſcere ſuam vxorem, ſed actum perficit, & ſeminat in vaſe naturali, peccet mortaliter.

Reſpondeo affirmatiuè cum Sanchez *lib.*9. *de matrimonio diſp.*17. *num.*4. & aliis contra Nauarr.*c.*27.*verſ.quintò.* Angel.*verb.Debitum, n.*25. Ratio eſt, tum quia vtitur vaſe indebito, & illegitimo, à quo natura ipſa abhorret, tum quia coniuges poſſunt alia via minus turpi præparare ſe ad copulam, vnde Confeſſarius præcipere debet coniugatis, vt à tali actu deſiſtant, quia Canones, *cap. omnes cauſationes* 32. *q.*7. expreſsè ſentiunt, propter attentationem huius peccati poſſe vxorem petere diuortium à marito, gloſſa communiter recepta *in c. omnes* 32.*quæſt.*2. Graff.1.*parte deciſ.lib.*2.*c.*90.*nu.*14. Menochius *loco citato num.*14. Riccius *deciſ.*237. Iulius Clarus *loc.citat.verſ. item propter*, vbi refert Couarruuiam, Lambertinum, & alios, quod bene limitatur à Sanchez *lib.*10.*diſp.*4.*n.*6. modò Sodomia ſit conſummata in vaſe, & vir corrigi nolit, vt patet ex ſupra dictis *puncto* 5.

PVNCTVM XII.

De beſtialitate.

VNICA PROPOSITIO.

1 Quid ſit beſtialitas.

1 BEſtialitas eſt coniunctio carnalis cum re alterius ſpeciei, e.g. cum bruto, vel cum dæmone, &c. Circa hoc peccatum

2 Quot fiant congreſſus cũ dæmone.

2 Aduertendum eſt primò, congreſſum cum dæmone diuerſis modis fieri poſſe, vel enim fit dæmone comparente in forma bruti, vel in forma hominis, vel in forma feminæ, ob id dici ſolet fieri, vel cum dæmone incubo, vel cum dæmone ſuccubo. Ita Philiarcus *de offic.Sacerdotis tom.*1.*part.*2.*lib.*3.*c.*8. & alij DD. ſtatim citandi.

3 Quam malitiam habeat peccatum cum dæmone cõmiſſum.

3 Aduertendum ſecundò, hoc peccatum cum dæmone commiſſum, præter malitiam beſtialitatis, habere malitiam ſuperſtitionis, quatenus includit ſocietatem cum dæmone, quæ circumſtantia explicanda eſt in confeſſione, vt cõmuniter inquiunt Doctores. Addo, quando in congreſſu cum dæmone transfertur ab ipſo ſemen alicuius hominis in vas naturale mulieris, committi non ſolùm peccatum beſtialitatis, & ſuperſtitionis, ſed etiam ſpeciem aliquam fornicationis, quatenus recipitur humanum ſemen, ex quo fœtus aliquis generari poteſt. [Idem dic ſi copula cum dæmone habeatur ſub ſpecie feminæ, aut viri ſoluti, vel coniugati: nam præter malitiam beſtialitatis & irregularitatis committitur etiam culpa pro qualitate perſonæ quę apprehenditur, & ad quam dirigitur affectus.] Ita Caietan. 2.2.*q.*15.*artic.*11. quem citat, & ſequitur Eman. Sà *verb.Luxuria, n.*6. Capeauilla *c.*15.*verſ.ad hanc ſpeciem.* [Filliuc. *num.*162.]

4 An beſtialitas differat ſpecie pro diuerſitate belluarum.

4 Aduertendum tertiò, peccatum beſtialitatis non differre ſpecie pro diuerſitate belluarum cum quibus perpetratur, diuerſitas enim belluarum infert tantummodò differentiam materialem, ſed habet turpitudinem eiuſdem rationis, cùm ſit concubitus cum re alterius generis, vel ſpeciei. Ex quo ſequitur, non eſſe neceſſarium in confeſſione exprimere belluam, cum qua fuit habita copula, ſufficit enim dicere ſe congreſſum fuiſſe cum re alterius ſpeciei, vt bene ait Azor.3. *part.lib.*3.*cap.*22. Eman. Sà *loc.cit.* Capeauilla *c.*15.*verſ.ſecunda eſt.* Lactant. Finellius *caſu* 8.*num.*5. [Filliuc.*tract.*30.*num.*161.] & alij.

5 An beſtialitas ſit caſus reſeruatus.

5 Aduertit Rodriquez 2.*part.cap.*220. & Quaranta *verb. Sodomia*, beſtialitatem eſſe caſum reſeruatum in iis locis, in quibus eſt reſeruata Sodomia; quia eſt peccatum grauius Sodomia, & illam inéludit. Ego verò nulla ratione ſentio eſſe caſum reſeruatum ex eo tantùm, quòd Sodomiæ peccatum eſt reſeruatum. Ratio eſt, tum quia beſtialitas non eſt propriè Sodomia, cùm non fiat cum perſona eiuſdem ſexus; reſeruatio autem cùm ſit odioſa, ſtrictè accipienda eſt ſecundum proprietatem verborum, tum quia aliàs in noſtris Synodis diœceſanis reſeruata erat beſtialitas ſeorſim & diſtinctè à Sodomia, quæ reſeruatio non amplius exprimitur; ergo ſignum eſt, beſtialitatem non eſſe reſeruatam ex eo tantùm, quòd Sodomiæ peccatum eſt reſeruatum.

PVNCTVM XIII.

De coniunctione naturali facta modo indebito.

DVo breuiter quæremus in hoc puncto. Primò, quot modis hæc coniunctio contingat.

Secundò, an ſit peccatum mortale.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quot modis cõiunctio naturalis fiat modo indebito.

1 COniunctio naturalis, quæ fit modo indebito, multis modis contingit. Primò, quando maſculus ſuccumbit feminæ, & femina ſupergreditur. Secundò, quando copula fit præpoſterè, tetro accedendo, ſed in vaſe naturali. Tertiò, quando copula fit ſedendo. Quartò, quando fit ſtando.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An huiuſmodi coniunctio ſit mortale peccatum.

2 COniunctio naturalis facta modo indebito eſt peccatum mortale, quoties interuenit tanta inordinatio, vt ſequi non poſſit generatio, fruſtratur enim finis generationis, ad quem inſtituta eſt copula, & ad quem ordinatum eſt ſemen à natura, quia tamen generatio in prædictis caſibus rarò impediri poteſt, rarò etiam contingit peccatum mortale in prædicta coniunctione, niſi adſit aliqua praua intentio, vel alia circumſtantia addens malitiam mortalem. Ita Sylu. Sot. Angel. Caiet. apud Sanchez *lib.*9.*diſp.*16.*num.*3. apud Henriquez *lib.*11.*c.*16.*n.*6. & apud Azor.3.*part.* [Filliucium *tract.*30.*ca.*8.*quæſ.*8. *n.*137.142.*&*157.] & Perez *locis citatis*, ordinariè tamen eſt grauiſſimum peccatum veniale, niſi aliqua neceſſitas excuſet, ſicut excuſat, quando vir propter pinguedinem non poteſt congredi cum femina, niſi retrò accedat, aut quando femina eſt grauida; & non poteſt cognoſci carnaliter, niſi ea ratione; ſecluſa verò neceſſitate, vel iuſta cauſa grauiter reprehendendi ſunt coniuges ſic peccantes, quamuis non ſit iniiciendus ſcrupulus peccati mortalis, quando non eſt periculum peccati mortalis. Ita Coninchus *diſp.*34.*dub.*9.*nu.* 80. Regin. *lib.*31.*n.*335. Henriquez, Sanchez, Filliucius, & alij *loc.cit.*

PVNCTVM XIV.

De fornicatione ſimplici, & concubinatu.

1 Quid ſit luxuria, & quot ſint eius ſpecies.

1 NOtandum caſtitati, & virginitati non ſolùm opponi peccata contra naturam, de quibus hactenus locuti ſumus, ſed etiam alia peccata, quæ ſeruato naturæ ordine committuntur, vt eſt fornicatio ſimplex, & alia quæuis peccata luxuriæ. Nomine *luxuriæ* in præſenti intelligitur exceſſus in re venerea, qui eſt peccatum mortale ex ſuo genere. Ratio eſt, tum quia notabiliter repugnat rectæ rationi, tum quia *ad Gal.*5. dicitur, *qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*; ex quo loco colligitur, luxuriam, ſeu exceſſum in re venerea eſſe peccatum mortale ex ſuo genere; cùm homo à regno cœlorum non excludatur, niſi ob peccatum mortale. Species luxuriæ ſunt ſeptem, fornicatio, adulterium, inceſtus, ſtuprum, raptus, ſacrilegium, & peccata contra naturam. Omiſſis peccatis contra naturam, de quibus actum eſt in præcedentibus, agemus in hoc puncto de fornicatione, & concubinatu. De reliquis agemus *in ſequentibus punctis.*

PRIMA PROPOSITIO.

2 Quid ſit ſimplex fornicatio

2 FOrnicatio ſimplex eſt cõcubitus ſoluti cum ſoluta. Ita communiter Doctores. Soluti dicuntur, qui ſunt liberi à coniugio, à voto, ab Ordine ſacro, à religione, & à cognatione.

3 An fornicatio ſit mortale peccatum.

3 Quæres primò, vtrùm fornicatio ſit peccatum mortale.

Reſpondeo affirmatiuè, tum quia hoc apertè habetur *ad Galat.*5. tum quia valdè repugnat rectæ rationi, & iuri naturali, & eſt contra bonam educationem, & inſtitutionem prolis. Ita Graffius 1.*parte lib.* 2.*c.*7. Valentia *loco cit.* [Leſſius *lib.*4.*c.*4.*dub.*7. Filliuc. *tract.*30.*n.*39. & alij communiter. Ex dictis ſequitur fornicationem numquam licitam eſſe, quia eſt intrinſecè mala, ſicut mendacium & periurium; neque neceſſaria eſt ad corporis ſanitatem, vt dictum eſt de pollutione; an verò inuitans meretricem etiam paratam ad peccandum peculiari quadam ratione peccet, conſtat ex dictis *de peccatis.*]

Dices, Dominus præcepit Oſeæ Prophetæ, vt ſibi ſumeret vxorem fornicationum, & filios de fornicatione ſuſciperet; ergo ſignum eſt, fornicationem non eſſe peccatum; alioquin Deus non hoc præcepiſſet Oſeæ.

Reſpondeo primò, ex hac obiectione ad ſummum ſequi fornicationem fieri poſſe licitam diſpenſatione diuina, iuxta S. Thomam, [& Durandum *in* 4.*diſt.*33.*q.*2.*n.*10.]

Reſpondeo ſecundò, Deum præcepiſſe Prophetæ, vt ſumeret illã, quæ

quæ antea fuerat fornicaria, vt de impudica fieret pudica & honesta.

Respondeo tertiò cum Nicolao de Lyra, vxorem dici fornicariam, eò quòd esset mulier Gentilis; quæ dicebatur fornicaria ob fornicationem spiritualem, id est, propter idololatriam. Ex his omnibus responsionibus constat, ex illa obiectione non inferri fornicationem simpliciter esse licitam.

4 An liceat permittere meretrices. 4 Quæres secundò, vtrùm liceat Principibus permittere meretrices in aliquo loco ciuitatis.

Respondeo affirmatiuè cum S. Thom. 2.2. *q.* 100. *art.* 2. Graff. *loco citato*, & aliis communiter. Ratio est, quia etiam Deus permittit aliqua mala, vt vitentur maiora, vel vt sequantur maiora bona. Addo cũ Rodriquez, permitti posse meretricibus patronos, qui eas defendant ab earum lenonibus, & curent, ne contagioso morbo inficiantur, [hęc enim est actio licita ex sua natura.]

5 An peccent locantes domos meretricibus. 5 Quæres tertiò, vtrùm locantes domos meretricibus excusari possint à mortali.

Respondeo excusari posse, etiamsi eas possint aliis commodè locare, modò locent ad habitandum, non ad meretricandum. Ratio est, tum quia vtuntur iure suo, nullus autem peccat vtendo iure suo: tum quia non censentur cooperari peccato illorum, nam locus se habet extrinsecè, & remotè ad peccatum; cùm ex loco non soleat sumi occasio peccandi, vt benè ait Valentia *tom.* 3. *disput.* 5. *q.* 20. *punct.* 5. *fol.* 1133. *& q.* 21. *punct.* 4. *folio* 1171. Lopez 1. *part. q.* 59. *vers. item liceat.* Azorius 2. *parte lib.* 12. *cap.* 18. *quæsito* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 7. *num.* 40. Rebell. *lib.* 14. *q.* 17. *num.* 8. & alij communiter.

Hæc tamen doctrina limitanda est, modò in domo, quæ locatur, non sit aliqua specialis commoditas, & aptitudo ad peccandum ratione situs, aut alteriùs causæ, & modò inde non immineat aliquod graue detrimentum personis honestis, quæ domos vicinas inhabitant, in his enim casibus non licet locare domos meretricibus, absque graui causa, vt bene ait Sanch. *in summa lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 20. Lessius *loco citato num.* 39. vitandũ enim est proximi scandalum, & damnum.

6 An excusentur famuli comitantes herum, euntem ad meretricandum. 6 Quæres quartò, vtrùm excusari possint famuli comitantes herum, euntem ad meretricandum.

Respondeo excusari posse, quando non possunt ab huiusmodi comitatu desistere absque graui damno. Ratio est, tum quia vtuntur iure suo; tum quia ex iusta causa exercent actionem ex se honestam. Idem dicendum est de famula, quæ comitatur concubinam in domũ amasij, cum quo turpiter concubitura est, aut quæ aperit ostium in aduentu amasij. Idem dicendum est de famulo, qui mittitur ad ducendam concubinam in domum heri, aut qui defert munera, vel epistolam, vel internuntium, vel qui scribit litteras, quibus continetur, vt meretrix ad se veniat tali tempore, seu qui facit aliquid aliud indifferens. Verum tamen est, famulum non posse deferre litteras, vel scripta, quibus expresè petitur concubina ad copulam; hoc enim est intrinsecè malum coniunctum cum cooperatione ad actum turpem. Addo, famulum, quando dubitat, quid in litteris contineatur, posse rationabiliter præsumere aliquid turpe contineri, quando sibi notus est turpis amor inter herum, & amasiam; consequenter in eo casu non posse deferre litteras. Vide Nauarrum *cap.* 20. *num.* 16. Petr. Nauarr. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 62. *folio* 212. Azor. 2. *part. lib.* 12. *cap.* 18. *quæsito* 8. Sanchez *loco citato.* Rebell. 1. *parte lib.* 2. *quæst.* 14. *num.* 53. Zerolam *de pœnitent. cap.* 25. *quæsito* 17. [& Filliucium *tract.* 30. *cap.* 10. *quæsito* 10. *num.* 222.]

7 An excusetur auriga, qui meretricem aduehit. 7 Quæres, vtrùm excusari possit auriga, qui defert meretricem ab vno loco ad alium.

Respondeo affirmatiuè, quamuis sciat ipsam malè suo corpore vsuram, modò auriga deferat ex iusta causa. Ratio est, quia ex iusta causa facit opus indifferens, quod aurigæ non imputatur ad culpam. Ita Sanchez *loco citato*, & alij. Immo Petrus Nauarrus *lib.* 3. *cap.* 4. *nu.* 62. *fol.* 212. videtur illum absolutè excusare, eò quòd faciat opus indifferens.

SECVNDA PROPOSITIO.

8 Quid sit concubinatus. 8 COncubinatus est frequens, & consueta fornicatio cum eadem persona. Dicitur, *frequens, & consueta*, vt aduertamus ad cõcubinatum non sufficere vnum, vel alterum actum fornicarium, sed requiri consuetudinem, qua aliqui quodammodo ita cohabitant, ac si essent simul coniugati. Vnde notat Syluester *verb. Concubinarius num.* 1. [Riccius *decisione* 361. *in antiquis. verb. praxis pœnarum.*] & Toletus *lib.* 1. *cap.* 47. concubinarium dici illum, qui copulam habet cum femina soluta, vel coniugata, tenendo eam [in propria vel aliena domo] ad Venerem, ac si esset vxor; fornicarium verò dici illum, qui copulam habet modò cum vna, modò cum alia.

9 An concubinæ, quæ leguntur in sacris litteris, fuerint veræ vxores. 9 Quæres primò, vtrùm concubinæ, quæ leguntur in sacris litteris, fuerint veræ vxores.

Respondeo affirmatiuè cum Azorio 3. *parte lib.* 3. *cap.* 5. Speculo 2. *parte art.* 19. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 2. [Filliucio *tract.* 30. *cap.* 2. *num.* 57.] & aliis. Concubinæ dicebantur, quæ sine publica solemnitate, & ritu consueto ducebantur, & non admittebantur ad domesticam familiæ gubernationem.

10 An Hebræis permissæ fuerint duæ vxores. 10 Ex quo patet, permissum fuisse Hebræis duas vxores ducere, vnam solemni ritu, alteram absque ritu solemni, quod hoc tempore non est permissum, vt patet ex dictis *de impedimento ligaminis.*

11 An absolui possit concubinarius, antequam eiiciat concubinam. 11 Quæres, vtrùm Confessarius possit absoluere pœnitentem, antequam dimittat concubinam, quam domi retinet.

Pro solutione huius quæsiti, quod dependet ab ea quæstione de pœnitentia, in qua quæritur vtrum possit pœnitens absolui, antequam reliquerit occasionem proximam, notandum est ad iudicandum, vtrùm aliqua sit moralis occasio proxima peccati, duo requiri.

Primum est, vt vel ex suo genere talis sit, quæ ferè semper inducat homines similis conditionis ad tale peccatum, vel saltem per experientiam cognoscatur solere hunc hominem ferè semper inducere ad tale peccatum, quoties hic homo vtitur illa occasione. Si verò non solet inducere ad peccatum, non dicitur occasio proxima, etiamsi fortè aliàs sæpiùs induxerit, vnde non censetur occasio proxima, quando ea cautio adhibetur, aut res ita mutatæ sunt, vt cesset periculum peccati, vt benè ait Nauarr. *cap.* 3. *num.* 15. Sanchez *loco* statim *citando*, & alij.

Secundum est, vt huiusmodi occasio sit voluntaria; nam occasio non est culpabilis, nisi sit voluntaria; cùm nullum sit peccatum, nisi sit voluntarium; censetur autem non esse voluntaria, quando moraliter vitari non potest, aut quando grauis causa vrget ad exponendum se tali periculo. Ita Suarez *de pœnit. disp.* 32. *sect.* 2. *nu.* 4. Henr. *lib.* 4. *cap.* 24. *nu.* 4. *circa medium.* Beia 3. *part. cas.* 9. Lopez 1. *part. cap.* 22. *vers. at verò.* Reginald. *lib.* 5. *num.* 63. *& lib.* 8. *num.* 19. Nauarr. *cap.* 3. *num.* 14. Emanuel Sà *verb. Absolutio num.* 12. Sanchez *in summa lib.* 1. *cap.* 8. & alij. His positis:

Respondeo, pœnitentem regulariter non esse absoluendum, antequàm dimittat concubinam, seu quamdiu persistit in proxima occasione peccandi, quam tenetur statim euitare, & quam potest relinquere. Ratio est, quia quamdiu pœnitens non dimittit concubinam, seu quamdiu persistit in proxima peccandi occasione, non censetur habere sufficientem dolorem, ac propositum vitandi peccata in futurum; sed qui non habet dolorem sufficientem, ac propositum vitandi peccata in futurum, non potest absolui, vt patet ex dictis de pœnitentia; ergo pœnitens concubinarius non potest absolui, quamdiu non dimittit concubinam. Ita Graffius *loco citato num.* 26. Azor *loco citato cap.* 6. Clauis Regia *lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 9. Nauarr. *loco citato nu.* 19. Beia *loco cit.* Coninchus *disp.* 8. *de pœnitent. dub.* 17. *num.* 134. Zerola *de pœnit. cap.* 25. *quæsito* 17. Lopez 1. *part. cap.* 78. [Filliucius *tract.* 30. *cap.* 2. *num.* 56.] & alij communiter.

Dixi, *regulariter*, quia fieri potest, vt Confessarius aliquando possit absoluere concubinarium, vt quando non potest dimitti concubina sine graui infamia, vel scandalo, vel alio graui incommodo; potest enim tantum incommodum, & tanta difficultas adesse in occasione relinquendâ, vt efficiat occasionem non voluntariam, ita vt non dicatur occasio proxima, iuxta secundam conditionem allatam in notabili. Verum tamen est, opus esse magna prudentia in Confessario, ne absolutionem impendat indigno.

Dixi, *seu quamdiu persistit in proxima occasione peccandi*, quia persistenti solùm in remota occasione non est deneganda absolutio, alioquin, aut absolutio deneganda esset omnibus, cùm omnes existant in occasione remota, qualis est valetudo, diuitiæ, parentes, liberi, &c. aut necesse esset migrare ex hoc mundo, in quo quidquid est, potest esse occasio peccandi. Ita DD. citati.

12 Quandonam absolui possit concubinarius. 12 Hinc colligi potest primò, eum qui domi retinet concubinam, seu ancillam, cum qua peccare solet, non esse absoluendum, nisi concubinam dimittat, existit enim in occasione peccandi. Si verò rarò, vt ter, vel quater in anno peccauit repentina libidine correptus, sed modò sperat fore, vt non amplius relabatur, absolui potest iuxta Graffium *lib.* 1. *decisionum cap.* 28. *num.* 13. & alios, eo quòd non dicatur esse in occasione proxima. Similiter absolui potest concubinarius, qui in articulo mortis existens, non potest tunc concubinam eiicere, sed habet firmum propositum illam eiiciendi, quàm primùm poterit. Secluso verò mortis periculo non debet absolui, antequam eiiciat concubinam; etiamsi reuera non sit concubinarius, sed à populo credatur esse concubinarius; cùm enim quoad scandalum aliorum perinde sit, ac si reuera esset, non debet absolui, antequam diuulgetur, ipsum non esse concubinarium, vt bene ait Lopez 1. *part. cap.* 78. [cauendum enim est à scandalo.]

13 An absolui possit filiusfamilias, qui in domo patris retinet concubinã. 13 Secundò colligi potest, filiumfamiliàs, qui de domo patris non expellit concubinam, vel aliam, cum qua peccare solet, posse absolui, modò habeat firmum propositum non peccandi amplius in futurum, & non amplius solum cum sola versandi. Ratio est, quia hæc non dicitur occasio voluntaria respectu filiifamilias, qui non est sui iuris. Ita Graff. *num.* 12. Lopez *loc. cit.* & alij.

14 An sit deneganda absolutio adolescenti, qui ex carnis fragilitate sæpius committit pollutionem. 14 Tertiò, colligi potest, non cogi Confessarium ad denegandam absolutionem adolescenti, qui sæpius in mollitiem incidit ex carnis fragilitate, nam huiusmodi occasio non cẽsetur voluntaria; cùm adolescens non possit illam expellere. Verum tamen est, Confessarium debere salutares pœnitentias iniungere; præterea debere aliquando differre absolutionem, vt pœnitens cum maiori proposito proponat euitare huiusmodi turpia peccata. Ita Henriquez *loc. cit. littera M.* Coninchus *de pœnitent. disp.* 8. *dubio* 17. *num.* 134. & alij DD. cit. Verum tamen est, denegandam esse absolutionem pœnitenti, quando potest occasionem mollitiei expellere, eamque non expellit, vt quando ex aspectu alicuius feminæ, cum qua versatur, solet in turpes cogitationes consentire, aut in voluntariam pollutionem incidere; hic enim censetur esse in occasione proxima, & voluntaria, quæ potest abscindi; consequenter illi deneganda est absolutio, nisi recedat à cohabitatione illius feminæ, & nisi proponat numquam se illam aspecturum, seque cum ea non amplius versaturum.

15 An absolui possit artifex, qui fraudibus vtitur in arte, quam non potest deserere. 15 Quartò, illum artificem, qui in omni confessione accusat se de fraudibus, & mendaciis commissis in arte, quam exercet, & quam non potest absque notabili incommodo sui, vel familiæ deserere, posse absolui, modò eliciat dolorem de peccatis præteritis, cum firmo proposito non committendi amplius cum Dei auxilio huiusmodi peccata, & modò habeat aliquam causam rationabilem non dimittendi illam artem, vt benè tradunt Beia 1. *part. casu* 39. Henriquez *loc. cit.* Rodriquez *cap.* 49. Graff. *loc. cit. num.* 25. & alij.

16 An absolui possit, qui modò cum vna, modò cum alia fornicatur. 16 Quintò, fornicatorem, qui modò cum vna, modò cum alia cõgreditur, posse absolui, modo firmo, constantique animo deliberauerit in posterum non peccare; & modò nullam domi, vel alibi retineat, aut alat. Ita DD. citati; idem sentire videtur Emanuel Sà *verb. Absolutio num.* 12.

17 Quandonam aliquis absolui possit, 17 Addit Nauarr. *cap.* 3. *num.* 15. Finellius *casu* 10. *nu.* 16. Lopez *loc. cit.* & Zerola *loc. cit.* posse aliquem absolui, etiamsi non relinquat occasionem concurrentibus his quatuor conditionibus. Prima est dolor de peccatis præteritis. Secunda est firmum propositum non pec-

antequam reiinquat occasionẽ peccati.

candi in futurum. Tertia est credulitas, qua credit se cum Dei auxilio non peccaturum, quando se in ea occasione inuenerit. Quarta est rationabilis causa non separandi se ab ea occasione. Verum hæc doctrina coincidit cum nostris principiis, si rectè perpendantur, & est vera per se loquendo.

18 An concubinarij puniri possint ab Episcopo.

18 Quæres tertiò, vtrùm concubinarij sæculares possint ab Ordinariis locorum puniri.

Respondeo, posse puniri, & excommunicari post trinam admonitionem, vt patet ex Trid. *sess.24.cap.8.* vbi subditur, mulieres concubinarias, siue solutas, siue cõiugatas posse extra oppidum, vel diœcesim eiici, si ter admonitæ noluerint obedire. Vide Riccium *decis.* 378. Azorium, & alios *locis citatis.*

19 Quam pœnam incurrant Presbyteri concubinarij.

19 Quæres vltimò, vtrùm sit lata specialis pœna contra Presbyteros notorios concubinarios.

Respondeo, suspendendos esse ab Episcopis, vt habetur in Trident. *sess.25.cap.14.* vbi notandum est, ius antiquum, quo notorius concubinarius erat ipso facto suspensus, correctum esse, seu abrogatum per ius nouum Tridentini *sess.25.cap.14.* vt patet à simili ex supradictis de eo, qui absque licentia Parochi benedixit sponsis, & à simili ex dicendis *de censuris.* Ita Auila *3.part.disp.5.dub.2.* Henriquez *lib.13. cap.36.* Lazar. in compendio Nauarri *verb. Irregularitas nu.28.* vbi citat Toletum *lib.1.cap.47.* [contra Garziam *loco* statim *citando*, vbi plures refert. Vide Riccium *in praxi decis.* 361. Augustinum Barbosam *sess.25. cap.14.* Garziam *de benefic.part.7. cap.14. num.7.20. & 21.* Toletum *loc. cit.* vbi plura de concubinariis disputant, simulque ostendunt, quisnam dicatur notorius concubinarius, vel adulter, & quibus pœnis puniatur clericus concubinarius, de qua re ego aliquid attingam *de degradat. in tract. de cens. in communi.*]

PVNCTVM XV.

De adulterio.

QVatuor principaliter quæremus in hoc puncto.
Primò, quid sit adulterium.
Secundò, quale peccatum.
Tertiò, quænam sint eius pœnæ.
Quartò, an persona adultera teneatur ad restitutionem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sit adulteriũ.

1 ADulterium nihil est aliud quàm accessus ad alienum torum, seu violatio alieni tori, &c. Ita habetur *cap. lex. §. adulterium 36. & cap. nemo, 32. q.4.*

2 Quid requiratur ad adulteriũ.

2 Ex quo patet, ad adulterium requiri, vt saltem vnus eorum, qui adulterium committit, sit coniugatus, alioquin non esset accessio ad alienum torum.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Quale peccatum sit adulterium.

3 ADulterium est grauissimum peccatum. Ratio est, tum quia *Deutero.27.* dicitur, *maledictus, qui dormierit cum vxore proximi sui*; tum quia hoc peccatum non solùm est contra charitatem, sed etiam contra iustitiam; includit enim grauem iniuriam contra alterum, cui data erat fides non communicandi corpus suum alteri. [Addo adulterium committi, etiamsi coniux consentiat, & iuri suo cedat; adhuc enim violatur obligatio vinculi matrimonij, quod vinculum est indissolubile; consequenter coniux non potest illius obligationi naturaliter inde consurgenti cedere. Ita Filliucius *tract. 29. nu.* 84. vbi aliam ipse affert rationem.]

4 An sit maius peccatũ, quando femina coniugata congreditur cum duobus viris non coniugatis, an quando vir coniugatus congreditur cum duabus feminis solutis.

4 Quæres, vtrum sit maius peccatum, quando femina coniugata congreditur cum duobus viris non coniugatis, an quando vir coniugatus congreditur cum duabus feminis solutis.

Respondeo cum Armilla *verb. Adulterium num.2.* [Azorio, Filliucio,] & aliis, grauius peccatum esse, quando femina congreditur cum duobus viris, tum quia femina non potest pluribus viris satisfacere, cùm ordinariè impediatur generatio ex admistione seminis, tum quia etiamsi demus non impediri generationem, nihilominus hoc vergit in præiudicium prolis, cùm sit incertum, cuinam sit assignanda, maritóne, an adultero.

5 An adulteriũ sit grauius, quando vterque est coniugatus.

5 Ex dictis colligi potest, adulterium multò grauius peccatum esse, quando est adulterium ex parte vtriusque congredientis, quando scilicet vterque qui copulam habet, est matrimonio iunctus, tunc enim duplex torus violatur, & duobus fit iniuria, consequenter vtraque circumstantia exprimenda est in confessione, vt patet ex dictis *de pœnitentia.* Ita Azor. *3.part.lib.3.cap.7.* [Lessius *lib.4.cap.4. nu.74.* Filliucius *tract.29.cap.4.num.85. & 89.*]

TERTIA PROPOSITIO.

6 Quot sint pœnæ adulterij.

6 MVltæ sunt pœnæ adulterij. Prima est, vt vxor adultera amittat dotem, quę propter adulterium adiudicatur marito post sententiam iudicis Ecclesiastici, vt patet ex *cap. plerumque. de donationę inter virum, & vxorem.* præterea amittit arrhas, & munera propter nuptias, non tamen amittit paraphernalia, sicut neque amittit dotem, arrhas, & munera dicta propter solos amplexus, vel oscula impudica, iuxta communiorem sententiam contra Couarr. *part.2.cap.7.§.6.*

Secunda est, vt possit fieri diuortium ab adultero, vt patet ex suprà dictis. Plura de his pœnis videri possunt apud Couarruuiam *loco citato*, Azor. *loco citato cap.8.* Syluestrum, & Tabienam *verb. Adulterium*, Molinam *loco citando*, & apud Cardin. Tuscum *tom.1. conclus.227. & 228.* Sicut etiam apud Menochium *de arbitrar. lib.2. centur.3. casu 290. fol. mihi 248.* videri potest, qua pœna puniendus sit Christianus coniugatus, vel solutus, qui carnaliter cognoscit Iudæam, vel aliam nondum Baptismi lauacro insignitam, & qua pœna plectendus sit Iudæus carnaliter cognoscens Christianam.

7 (An copula Christiani cum femina infideli sit adulterium, vel fornicatio simplex.

7 [Hic solùm obiter explicandum occurrit, vtrùm copula Christiani cum femina infideli sit adulterium, vel fornicatio simplex. Respondeo esse adulterium, si copula habeatur cum femina coniugata, vt per se patet; si verò habeatur cum soluta, est simplex fornicatio præcisis aliis circumstantiis, simplex enim fornicatio est concubitus soluti cum soluta. Ita Azor *3.part.lib.3. cap.29. quæs.3.* Filliucius *tract.30.cap.2.quæs.8.num.52.*]

QVARTA PROPOSITIO.

8 Ad quid teneatur adulter, qui filium ex adulterio suscepit.

8 ADulter, qui filium ex adulterio susceptum indubitantur credit esse suum, tenetur in solidum cum matre ad restitutionem damnorum, quæ patitur verus maritus, & filij legitimi, vel heredes, propterea adulter tenetur ad restitutionem alimentorum, quæ fecit maritus adulteræ in educanda prole spuria, saltem post tertium natiuitatis annum. Ratio est, tum quia pater filij tenetur filium alere saltem à tertio anno post natiuitatem, donec filius sibi alimenta procurare possit, tum quia pater, relinquendo filium inter filios legitimos veri mariti, est illi causa damni contra ipsius voluntatem, sed qui est causa damni alterius contra ipsius voluntatem, tenetur ad restitutionem; ergo adulter tenetur ad restitutionem.

Dixi, *saltem post tertium natiuitatis annum*, quia vsque ad tertium annum, iure communi spectat ad matrem alere filium, vt colligitur ex *l. nec filium.* [*C. de patr. pot.*] Ita Less. *lib.2.cap.10.dub.7.num.42.* Rebell. *lib.3.quæst.10.num.15.* Azor. *3.part.lib.5.cap.6.quæst.2.* Molina *loco* statim *citando*, & Filliuc. *tract.32.num.223.*

Dixi, *qui indubitanter credit*, quia si dubitet, illum esse suum filium, non tenetur ad restitutionem. Ratio est, tum quia possessio stat pro matrimonio, cuius fauor præualet, consequenter præsumendum est, prolem susceptam esse ex vero matrimonio; tum quia melior est conditio possidentis suam libertatem: adulter autem dubitans, an proles sit sua, possidet suam libertatem, ac pecuniam. Et hoc verum est, etiamsi mater cum iuramento dicat esse filium adulteri, & proles suscepta imaginem referre videatur adulteri; nam hæc sunt signa fallacia. Ita Molin. *disp.101.nu.3. ad finem*, Azor. *3.part.lib.5.cap.6. quæsito 8.* Less. *lib.2.cap.10.dub.6.nu.4.* Mascard. *de probat. conclus.738.* Riccius *decis.266.* Henriq. *lib.11.cap.21.num.2.* M. Salonius *2.2. quæst.62. art. 6. ad finem*, [Filliucius *num.223.*] & alij *locis citatis.*

9 Quandonam adulter excusetur à restitutione.

9 Hinc sequitur primò adulterum non teneri ad restitutionem, si probabiliter credat, prolem non esse suam, quamuis etiam probabiliter credat esse suam: [tum quia sequi potest opinionem probabilem; tum quia melior est conditio possidentis suam libertatem, & pecuniam.]

Secundò, adulterum [mortuo marito adulteræ] teneri restitutionem facere illis, quos maritus adulteræ instituisset heredes deficiente filio spurio, propterea si maritus adulteræ non habeat heredes ascendentes, qui necessariò succedunt, adulter debet restituere heredibus collateralibus, si nesciat, quosnam voluisset heredes instituere, [quia his damnum per iniuriam intulisse censetur;] deficientibus verò heredibus non solùm ascendentibus, & descendentibus, verùm etiam collateralibus, adulter non tenetur ad restitutionem, si non constet, quosnam maritus adulterę constituisset heredes, quia probabiliter credere potest fore, vt ipsam adulteram instituisset. Ita Anton. Gom. & alij apud Vasq. *de testamentis cap.5.§.1.dub.10. num.20.*

10 Quid faciendum sit, quando non cõstat, cuius sit proles.

10 Rogabis, quid faciendum sit quando duo carnaliter cognouerunt aliquam solutam, ex qua suscepta est proles, sed dubitatur, cuiusnam sit proles suscepta.

Respondeo, vtrumque teneri ad restitutionem, sicut etiam, quando duo adulteri cognouerunt vnam, & eamdem feminam coniugatam, quæ concepit tunc temporis, quo maritus absens erat, vterque tenetur alere, & restituere pro sua parte, & altero nolente, tenetur alter in integrum, vt patet ex dictis de restitutione. Ita Azor. *loco citato*, Rebell. *lib.3.quæst.10.num.21.* Molina *tom.4. tract.3. disp.103. num. 3. ad finem*, & alij.

11 An adulter teneatur ad restitutionẽ alimentorum, quæ facta fuerunt ab hospitali domo in alenda prole spuria.

11 Ex dictis infertur primò, adulterum teneri ad restitutionem alimentorum, quæ facta fuerunt ab hospitali domo in alenda prole spuria, modò adulter non laboret egestate. Ratio est, quia domus hospitalis instituta est ad alendos pauperes, vel filios pauperum, adulter autem non est pauper, vt suppono, consequenter non potest frui emolumentis domus hospitalis. Ita Rebell. *loco citato.* Nauarr. *cap.16. nu.48.* Syluest. *verb. Adulterium quæs.5.* Lessius *lib.2.cap.19.dub.6.nu.70.* Azor. *cap.6. quæsito 1.* Molin. *tom.4. tract.3. disp.103.* Vasquez *de testamentis cap.5.§.1.dub.10.num.23.*

12 An adulter teneatur restituere alimẽta facta tribus primis annis.

12 Addo cum ipso Molina, adulterum teneri ad restitutionem etiam pro tribus primis annis, quibus proles fuit expositа in domo hospitali, vel in domo alterius, ne manifestaretur mater, vel pater, nam mater tenetur alimenta lactis tribuere solùm, quando commodè potest tribuere; in hoc autem casu commodè non potuit tribuere ob periculum infamiæ, nec peccauit exponendo prolem hospitali ad celandum delictum, & ad impedienda alia damna. Idem sentire videtur Less. *loco citato.* cum Couarr. & aliis.

13 Ad quid teneatur adulter, qui spuriũ reliquit inter filios legitimos matris.

13 Secundò interfitur, adulterum, qui filium suscepit ex adulterio, illumque reliquit inter filios legitimos mariti adulteræ, præter alimenta teneri etiam occurrere damno hereditatis, quæ legitimis heredibus adimitur, vel damno dotis, quam pater putatiuus tradit puellæ spuriæ, credens eam esse propriam filiam. Ita Finellius *casu 10. nu.17.* Arragonius *2.2. quæst.62. art.6.* Nauarr. *cap.16. num.40.* Azor. *loco citato cap.6.* Less. *num.46.* Rebell. *nu.9.* Vasquez *loco citato*, [Filliucius *tract.32.num.223.*] Caietan. Syluest. & alij communiter contra Henriquez *lib.11.cap.21.num.3.* & alios existimantes non teneri, quando adulter non fuit auctor suppositionis. Sed ratio nostra est, quia adulter per suum adulterium est causa huius damni, quod vtplurimum sequitur ex huiusmodi facto iniurioso, quodque adulter prędidere poterat, & præcauere debebat. Idem dicendum est de ipsa adultera, non enim solus adulter tenetur ad restitutionem, sed etiam ipsa adultera æqualiter tenetur, cùm vterque sit causa damni. Ita Rebell. *num.9.* Less. *loco citato.* Azor. *quæsito 6.* Filliucius *num.224.* & alij communiter.

14 Hinc

14 Ad quid teneatur supponens partum.

14 Hinc patet, quid dicendum sit de illo, aut de illa, quæ partum suppositum cum præiudicio veri mariti, aut legitimorum heredum, militat enim eadem ratio in vtroque casu, vt bene Nauarr. *cap.16.nu.* 43. Suarez *tom.5.de cens.disput.50 sect.4. num.*8. Less.*nu.*41. Filliucius *num.*223.*&*224.& patet ex *cap.officij.de pœnit.& remiss.*

15 An adulter teneatur ad aliquam restitutionem, quamuis non susceperit prolē ex adulterio.

15 Quæres primò, vtrùm adulter teneatur ad aliquam restitutionem præcisè ratione adulterij, quamuis non susceperit filium ex adulterio.

Respondeo, duplicem esse sententiam. Prima est Rebell. *quæst.* 10. *num.*1.*&* 2. affirmantis teneri, quia maritus ob adulterium vilipenditur, & contemptibilis habetur apud alios conscios adulterij, consequenter patitur damnum, damnum autem resarciendum est.

Secunda sententia est Lessij *loco citato dub.*5. Molin.*disp.*100. Azorij *loco citato ad finem*, [Filliucij *tract.*32.*cap.*8.*quæs.*10. *num.*222.] & aliorum negantium ob adulterium præcisè deberi aliquam restitutionem. Ratio est, tum quia Confessarij non solent huiusmodi restitutionem iniungere, tum quia non pro omni iniuria debetur restitutio pecuniaria, sed debetur pro iniuria cum damno pecuniæstimabili, vt patet ex dictis de restitutione.

16 An adulter teneatur ad restitutionē pecuniariam.

16 Hinc patet, si maritus adulteræ petat restitutionem pecuniariam, adulterum non teneri illam exhibere, tenetur tamen exhibere aliam satisfactionem, vt per veniæ petitionem, &c. si aduertat hanc satisfactionem desiderari ab ipso marito, cui notum est adulterium. Secus si adulterium non sit illi notum, aut aduertat nullam optari ab ipso satisfactionem. Ratio est, tum quia nihil retinet inuito domino, tum quia non tenetur se prodere.

17 An adultera teneatur manifestare suum adulterium, ne filij legitimi damnum in hereditate patiantur.

17 Quæres secundò, vtrum adultera teneatur manifestare suum adulterium, ne filij legitimi damnum in hereditate patiantur.

Respondeo, adulteram, quæ est honestæ conditionis & passim pro tali habetur, non teneri manifestare adulterium cum periculo vitæ, vel famæ suæ ad impediendum damnum legitimis heredibus, quamuis ampla hereditas inter ipsos & spurium sit diuidenda, etiamsi credat fore, vt damnum impediretur manifestando adulterium. Ratio patet, quia vita, & fama sunt bona superioris ordinis, quæ non sunt exponenda pro reparandis damnis inferioris ordinis, quale damnum est damnum hereditatis, vel successionis, &c. vita autem, & fama est pretiosior auro, & diuitiis. Ita communiter DD. quos retuli *de restitutione d.*1.*quæstione vltima*, *punct.*1. *num.*11. quidquid dicat Couarr. *ad regulam peccatum parte* 1. *num.* 6. Valent. *tom.*3. *disput.* 5. *quæst.*6. *punct.*5. Salonius 2.2 *quæst.*62.*art.*2.*controu.*16.*concluſ.vltima*, *vers.* 3. & alij apud Finellium *casu* 10.*num.*17.

18 An adultera teneatur se manifestare, quādo dubitat, an damnum impediendum sit.

18 Hinc sequitur à fortiori, adulteram non teneri manifestare suum adulterium, quando dubitat, an damnum impediendum sit per manifestationem adulterij, nam ipsa possidet suam famam, & vitam, & melior est conditio possidentis. Verum tamen est, adulteram, quæ non potest suum adulterium manifestare sine vitæ, vel famæ periculo, conari debere, quantum potest, damnum heredibus compensare, relinquendo filiis legitimis bona paraphernalia, si habet, vel alia acquisita ex propria industria, vt benè ait Nauarr. *cap.*16. *nu.*47. Henriquez *loco cit.* Molina *disp.*102.*num.*15. [Lessius & Filliucius *locis cit.*] Vasq.*loco cit.num.*19. & alij, vnde si hac ratione damnum compenset, ad nihil vltra tenetur. Si verò hoc modo nequit compensare, debet filium inducere, si potest commodè, ad capessendam religionem, quę non sit capax hereditatis, modò filius ad eam aptus sit. Ratio est, quia tam ipsa, quàm adulter curare debet, quantum potest, ne legitimi heredes damnum patiantur, vterque enim tenetur ad ratam æquè primo impedire damna: immo vterque tenetur in solidum in defectum alterius, vt patet ex dictis de restitutione. Ita Vasq. *loco cit. nu.* 13. *&* 14. & alij DD. citati.

19 An mater teneatur prodere adulterium, quādo aliunde potest damno aliorum filiorum occurrere.

19 Hinc sequitur primò, matrem non teneri prodere suum adulterium, quando aliunde potest occurrere damno aliorum filiorum tradendo bona paraphernalia, aut inducendo spurium ad religionem.

20 An, & quando adultera teneatur manifestare adulterium cum periculo vitæ, aut famæ.

20 Secundò, non teneri prodere suum adulterium cum periculo vitæ, vel famæ, nisi fortè iuxta Rebell. Couarr. Salonium, Valent. *locis citatis*, Molinam *disput.*102.*num.*12. & alios, damna, quæ proueniunt marito, vel heredibus, iudicio prudentis præponderēt, vel sint æqualia famæ ipsius adulteræ; nam in eo casu iuxta sententiam istorum DD. teneretur adultera prodere suum delictum, si alia ratione non potest damna impedire, & probabiliter credit impedienda manifestando adulterium; quando verò dubitat, suam manifestationem non profuturam, non tenetur manifestare, nam possidet suam famam, & in dubio melior est conditio possidentis, [vt sæpius dictum fuit.]

21 An filius teneatur credere matri asserēti, ipsum esse spuriū.

21 Quæres tertiò, vtrùm filius teneatur credere matri asserenti ipsum esse spurium, & teneatur abstinere ab hereditate.

Respondeo, filium debere credere, nec se posse immiscere hereditati filiorum legitimorum, quando mater ita probat, vt filius conuincatur esse spurius, vt accidit, quando mater probat maritum fuisse impotentem, aut eum toto tempore, quo filius potuit concipi, fuisse absentem, in quo casu non potest adire hereditatem; quia est moraliter certus, eam sibi non deberi; quando verò filius non conuincitur, non tenetur credere matri etiam iuranti, quamuis sciat matrem fuisse solitam adulterari. Ratio est, tum quia melior est conditio possidentis bona fide; tum quia alleganti suam turpitudinem cum alterius præiudicio nulla debetur fides, vt ait Glossa ad *cap. officij. de pœnitentia, & remissione*, tum quia fauor matrimonij semper præualet. *l. miles.§.defuncta.ff.de adulteriis.* ita communiter Doctores apud Couarr. ad *reg.peccatum parte* 1.*num.*6. apud Vgolin. *tract. de irregul. cap.*44.§. 6. Sayrus *de cens.lib.*6.*cap.*10.*num.*37. Suarez *tomo* 5.*de cens.disput.*50. *sect.*4.*nu.*5. Riccium *decis.*266. apud Vasquez *loco cit. num.*21. & apud Henriquez *loco citato.*

22 An teneatur hoc credere in mortis articulo, aut si adsit iuramentu.

22 Hinc sequitur, filium non teneri credere matri asserenti ipsum esse spurium, etiamsi hoc asserat cum iuramento, aut in articulo mortis, si mater tempore conceptionis habitabat cum viro, consequenter filium non teneri abdicare à se hereditatem, sicut nec tenetur abdicare à se hereditatem, quam bona fide possedit tanto tempore, quanto opus est ad præscriptionem, etiamsi postea conuincatur, & credat se esse spurium, vt patet ex dictis de præscriptione. Ita Syluester *verb. Adulterium num.*5. Angelus *eodem verb.num.*6. Bannes 2.2. *quæst.*62. *art.* 6. Azorius *quæsito* 5. Henriquez *loco cit. num.* 2. Suarez *loco suprà citato*, & alij.

23 An Cōfessarius possit adulteram cōpellere, vt in mortis articulo detegat suū adulteriū.

23 Hinc vlteriùs patet, Confessarium debere vti magna prudentia, ne vltra modum compellat adulteram in articulo mortis detegere suum adulterium. Ratio est, tum quia filius non tenetur illi credere, tum quia fieri potest, vt ipsa liberetur ab infirmitate, & occidatur à marito, tum quia rarò prodest detectio, & manifestatio adulterij.

24 An Cōfessarius possit adulterium manifestare post mortē adulteræ.

24 Addo non esse consulendum, vt adultera detegatur post mortem per Confessarium, quia periculum est, vt proles adulterina, vel Confessarius ipse occidatur. Ita Henriquez *loco citato.* Azor *quæsito* 2. *versus finem*, & alij.

Si quæras, cuius fori sit causa adulterij.

Respondetur, esse fori Ecclesiastici, quando agitur de separatione quoad torum; hæc enim videtur causa spiritualis; quando verò agitur de pœnis ob adulterium debitis, videtur esse mixti fori, iuxta Iulium Clarum *in praxi crim.§.fin.quæst.*37.*num.*3. Tuscum *tom.*1.*concl.* 228. & alios.

PVNCTVM XVI.

De incestu.

SEx breuiter quæremus de incestu.

Primò, quid sit incestus.

Secundò, quale peccatum sit.

Tertiò, vtrùm omnes incestus, & omnes gradus sint eiusdem speciei.

Quartò, vtrùm gradus incestus exprimendus sit in confessione.

Quintò, an copula inter Confessariū, & pœnitentem sint incestus.

Sextò, quòsnam effectus pariat incestus commissus cum consanguinea vxoris.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sit incestus, & quando committatur.

1 INcestus est congressus cum persona cognata intra gradus, in quibus non potest celebrari matrimonium. Ita communiter Doctores.

Quæres cum quibus personis non possit matrimonium celebrari, ita vt copula cum ipsis habita sit incestus.

Respondeo, solutionem huius quæsiti colligi posse ex suprà dictis, vnde hic breuiter dico, matrimonium non posse contrahi cum cognatis cognatione legali, vel spirituali, vel cognatione consanguinitatis, vel affinitatis, non enim potest contrahi cum consanguineis vsque ad quartum gradum, aut etiam cum affinibus vsque ad quartum gradum, quandosunt affines ex copula licita, aut vsque ad secundum quando sunt affines ex copula illicita.

2 Cum quibus personis committatur incestus, & quid ad ipsum requiratur.

2 Ex quo fit, eum qui copulam habet cum persona descendente ab eodem stipite, à quo ipse descendit vsque ad quartum gradum, committere incestum propter consanguinitatem: vt si habeat copulam cum sorore, vel cum filia fratris, &c. immò videtur committere incestum, si copulam habeat cum persona consanguinea cuiuscumque gradus lineæ rectæ; quamuis non constet inter Doctores, an matrimonium contractum cum consanguinea lineæ rectæ extra quartum gradum sit inualidum, de qua re dictum est suo loco. Similiter si quis copulam illicitam habeat cum Berta, contrahit affinitatem cum consanguineis Bertæ vsque ad primum, & secundum gradum, ita vt cum illis non possit contrahere matrimonium, consequenter, si postea copulam habeat cum consanguineis Bertæ, vsque ad secundum gradum, committit incestum; nam ex copula illicita inducitur affinitas impediens, & dirimens matrimonium vsque ad secundum gradum. Qui verò copulam licitam, seu coniugalem habuit cum sua vxore, contraxit affinitatem cum consanguineis vxoris vsque ad quartum gradum, consequenter si postea copulam habeat cum aliqua consanguinea vxoris vsque ad quartum gradum, committit incestum. Verum tamen est, affinitatem non contrahi, nisi per copulam completam, id est, per seminis emissionem in loco naturali, vt [probatum est *quæst.*3.*punct.*12.*num.*11.] Ita Sanchez *lib.*7.*disp.*15.*num.*11. & alij communiter. Rursus, qui copulam habet cum cognato cognatione legali per adoptionem, aut cognato cognatione spirituali per susceptionem in Baptismo, vel in confirmatione in iis gradibus, in quibus dirimitur matrimonium, committit incestum, seu peccatum contra reuerentiam debitam cognatis, vt si quis copulam habeat cum filia, quam adoptauit, vel quam suscepit in Baptismo. Ita Emanuel Sà *num.* 2. Azor.3.*part.lib.*3.*cap.*9.*quæs.*3.*&* 4. Rodriquez & alij, quos citat Sanchez *lib.*7.*de matrim.disp.*5.*num.*9.*&*10.

3 (An incestus cōmittatur etiam per alios actus impudicos, contra naturā, quàm per copulam.)

3 [Sed modò difficultas est, vtrum incestus committatur non solum per copulam, verum etiam per alios actus impudicos contra naturam.

Respondeo incestum quoad malitiam committi etiam per alios actus; quia huiusmodi actus sunt luxurioſi, & repugnant reuerentiæ cognatis debitæ. Ita Caietan.2.2.*quæst.*154.*art.*12. Filliucius *tract.*30. *num.*106. & alij.]

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Quale peccatum sit incestus.

4 INcestus est grauissimum peccatum mortale, vt patet tum ex *Leuitici* 18. Omnis homo ad proximum sanguinis sui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius; tum quia hoc constat ex 1.*ad Cor.*5. sæpius citata; tum quia est contra reuerentiam debitam cognatis, vt benè ait S. Thom.*quæst.*154.*art.*9. & alij communiter.

5 An incestus sit peccatum grauius quàm commit-

5 Addo, hoc peccatum esse grauius, quò persona, cum qua copula habetur, est magis coniuncta, vnde grauius peccatum est ceteris paribus incestus cum consanguinea, quàm cum affine, & grauius si

ulus, quo persona est magis cognata, & quid requiratur, vt hoc peccatum sit reseruatum.

committatur in primo, quàm in secundo gradu; quamobrem iure optimo hoc peccatum propter suam grauitatem reseruatum fuit in nostra diœcesi vsque ad secundum gradum, non solùm in consanguinitate, vel affinitate, sed etiam in cognatione spirituali. Existimo tamen ad incurrendum casum reseruatum requiri, vt actus sit completus in loco naturali, hoc est, vt seminis emissio secuta sit intra vas. Ratio est, tum quia lex puniens delictum requirit, vt delictum sit consummatum in sua specie; copula autem, quæ fit sine seminis emissione intra vas, non dicitur propriè incestus, nec est actus consummatus in specie incestus, sed potiùs est immunditia, vel peccatum mollitiei contra naturam, quod præter malitiam peccati contra naturam, habet etiam malitiam incestus, sed non est propriè incestus in sua specie completus, tum quia reseruatio est odiosa, odia autem non sunt amplianda, sed potiùs restringenda ad actum consummatum, nisi aliter constet de mente reseruantis. Ita Suar. in simili *de peccato nefando tom.1.de cens.disp.31.sect.4.num.21.* Nauarrus *cap. 27. num. 250.* Azor. *3.part.lib.3. cap.19. quæs.4.* & in propriis terminis tradit Gambarupta *de cas. reseru. folio mihi 194. num. 7.* vbi hoc probat ex *canon. extraordinaria 35.quæst.5.* & citat S. Th. & Sotum multis in locis, & hanc doctrinam desumpsisse videtur ex Nauarr. *loco citato.* Idem tenet Lactantius, Finellius *de casibus reseruatis casu 10.num.9.*

TERTIA PROPOSITIO.

6 An omnes incestus sint eiusdem speciei.

6 NOn conuenit inter Doctores, vtrùm omnes incestus sint eiusdem speciei; nam in hac re est triplex saltem sententia.

Prima sententia asserit, omnes gradus consanguinitatis differre specie non solùm à gradibus affinitatis, & cognationis legalis, sed etiam inter se, & consequenter omnes incestus differre specie, prout differunt gradus. Ita Nauarr. *cap.16.* & Valentia *tom.3. disput.9. quæst. 3. punct. 3. vers. atque hic nota.* Idem ex parte tenet Vasquez *de pœnit. quæst.91.art.1.dub.4.num.15.*

Secunda sententia affirmat, gradus consanguinitatis differre specie à gradibus affinitatis, cognationis legalis, & spiritualis; gradus verò consanguinitatis non differre specie inter se, sicut nec inter se specie differunt gradus affinitatis, & ceteri gradus; consequenter ista sententia tenet, incestum commissum cum consanguinea, differre specie ab incestu cum affine, vel cum cognata cognatione legali, vel spirituali. Ita Less. *lib. 4. cap. 2. dub.11. num. 79. vers. dubium tamen est,* Azor. *3.parte lib.3.cap.9.quæs.1.* [Valentia *2.2.disput.9. quæst.3. punct.3.* Filliucius *tract. 30. cap. 5. num. 96.*] & alij. Ratio est primò, quia isti gradus habent diuersos effectus ex sua natura; nam aliqui gradus cõsanguinitatis irritant matrimonium iure naturæ, & aliqui reddunt illud illicitum etiam præcisa prohibitione Ecclesiæ. Secundò, quia longè diuersus, ac immanior reputatur incestus cum propria matre, quàm cum nouerca, vel alia cognata cognatione legali, vel spirituali; ergo signum est, gradus consanguinitatis differre specie à gradibus affinitatis, & ab aliis gradibus impositis iure positiuo, consequenter incestus differre specie.

Tertia sententia, cui tamquam probabiliori adhæreo, est Caietani *2.2.quæst.154.art.9.* & nonnullorum recentiorum asserẽtium, omnes gradus, & omnes incestus esse eiusdem speciei. Ratio est primò, quia isti gradus differunt tantùm secundùm magis, & minus, sicut maior quantitas rei ablatæ in furto respectu minoris quantitatis; magis autem, & minus non variant speciem, vt est commune axioma. Secundò, quia gradus introducti à iure positiuo instituti sunt ob idem motiuum, & finem, ob quem gradus consanguinitatis instituti sunt à natura; omnes enim primariò sunt instituti, vt reuerentia illis gradibus deferatur. Ergo signum est, omnes gradus esse eiusdem speciei; sicut enim peccata non diuersificantur specie, aut numero ob diuersitatem præceptorum iuris naturæ, diuini, & humani, ita neque gradus specie distinguentur, ex eo quòd sint à natura instituti, aut à iure positiuo ob eumdem finem. Tertiò, quia non potest vlla sufficiens ratio afferri ad ostendendam diuersitatem specificam inter hos gradus; ergo non differunt specie, consequenter neque ipsi incestus differunt specie.

Ad primam rationem secundæ sententiæ respondeo, ex ea non colligi diuersitatem specificam. Ratio est, tum quia diuersitas effectus non semper arguit diuersitatem specificam causæ, cum eadem causa possit aliquando producere diuersos effectus: tum quia eumdem effectum, quẽ præstant gradus consanguinitatis, & affinitatis, præstant etiam ceteri gradus ex dispositione iuris positiui.

Ad secundam rationem respondetur, ex ea colligi maiorem turpitudinem, & grauitatem, non verò diuersitatem specificam, sicut maior quantitas rei ablatæ in furto arguit maiorem iniuriam, quam arguat minor quantitas, & tamen est eiusdem speciei.

QVARTA PROPOSITIO.

7 An gradus incestus sit in confessione exprimendus.

7 GRadus incestus exprimendus est in confessione. Ita Valentia *loco citato, & tom.4.disp.7.quæst.11.punct.1.col.9.* Suarez *de pœnitentia disp.22.sect.3. num. 7.* Coninchus *de pœnitentia disp. 7. dub. 3. num.13. & 21.* Didacus Nugnus *in additionibus quæst. 9. artic. 2. dubio 3. vers. Ex dictis.* Rodriquez *in summa tom.1.cap.209.nu.3.* Clauis Regia *lib.8.cap.4.num.3.* vbi dicit hanc esse opinionem rectè sentientiũ, [Filliuc. *tract.30.num.97.*] contra Caietanum *loco citato,* & nonnullos recentiores dicentes, pœnitentem non debere circa hoc esse solicitum in confessione. Ratio mea est, quia licet circumstantia aggrauans non sit necessariò exprimenda in confessione, vt dictum est de pœnitentia, attamen qualitas personæ, cum qua commissa est copula, non est circumstantia actus, seu peccati, sed potius illius obiectum, & quid pertinens ad substantiam actus considerati in indiuiduo; nam circumstantia propriè dicitur illa, quę aduenit actui constituto in suo esse, gradus verò non est propriè quid aduenies actui constituto in suo esse, sed est quid constituens actum in suo esse indiuiduali, sicut patet de quantitate furti, vt bene ait Valentia *tomo 4.disput.7.quæst.11. punct.1.folio 1344.vers. In primis,* & patet ex dictis *de pœnitentia.*

QVINTA PROPOSITIO.

8 An copula inter Confessarium & pœnitentem sit incestus, vel sacrilegium: & an sit circumstantia explicanda.

8 COpula inter Confessarium, & pœnitentem non est incestus, neque est circumstantia necessariò explicanda in confessione. Ratio est, quia incestus committitur inter cognatos; Sacramentum autem confessionis non inducit propriè cognationem spiritualem, cùm in nullo iure expressa reperiatur. Vnde *cap. omnes 30. q.1.* intelligitur de incestu metaphorico, & improprio, quatenus Confessarius dicitur Pater spiritualis, consequenter peccatum carnis commissum cum pœnitente extra confessionem non habet malitiam incestus necessariò explicandam in confessione. Ita Azorius *3.part. lib.3.cap.9. quæs.5. & 6.* Petrus Ledesma *de matrimonio quæst.56.artic.2. dubio vlt.* Emanuel Sà *verb. Confessio, num.26. & verb. Luxuria. num.2.* [Filliucius *tract.10.part.2.cap.5.quæs.5.num.187.*] & alij contra Sanchez *lib. 7. de matrimonio disput.55.num.4.* Coninchum *disput.32. dub.2. nu.23.* Riccium *decis.* 376. vbi ostendit, Parochum fornicantem cum filia spirituali deponendum esse, & alios apud Sanchez *loco citato.*

9 An Parochus, vel alius committat incestum habendo copulam cum ea, quam baptizauit.

9 Dixi, *commissum cum pœnitente extra confessionem,* quia si Confessarius vtatur Sacramento tamquam medio ad sollicitãdam pœnitentem, vel eam sollicitet in confessione, non committit incestum, sed sacrilegium necessariò explicandum in confessione ob grauissimam irreuerentiam, quam irrogat tanto Sacramento, & de hoc crimine cognoscunt Inquisitores; nam tentans mulierem, incurrit vehementem suspicionem hæresis contra Sacramentum Pœnitentiæ, vt bene ait Pegna *in Directorio Inquisitor.part.2.quæst.55.* Henriquez *lib.6.cap. 22.num.6.ad finem,* Praxis Neapolit. *cap.66.* vbi refert sic fuisse declaratum à Clemente VIII. etiamsi Confessarius tentauerit prope actum confessionis ante vel pòst. Propterea iure optimo sancitum est, vt femina, quam Confessarius in confessione sollicitauit, deferat Confessarium ad Inquisitores Sancti Officij, vt colligitur ex edictis Inquisitorum, illis verbis, *Qui rebus sacris, vel Sacramentis abutuntur.* Idem sensit Frater Angelus Inquisitor Mediolani in Epistola ad Reuerendissimum Vicarium Generalem, cuius epistolæ exemplum apud me reperitur, & ita Romæ seruatur, vt obseruat Naldus *verb. Confessarius, num.26.* [sed de hac re plura *in tractatu variarum tractationum,* vbi de hac re ex professo agam.]

Quomodo autem edicta Inquisitorum intelligenda sint, constat ex dictis *de Censuris disp.2. quæst. 6. punct. 1.* Verum monuerim in hac re fidem præstari vnico testi, quia difficillimum est, vel impossibile, crimen aliter probare, vt benè aduertit [Riccius *decis.* 369.] Praxis Neapolitana cum Marsilio *in l. si quis, in fin. ff. de quæst.* Idem in simili tradit Henriquez *lib.6.cap.19.num.10.* cum Simanca, Aymone, Couarruuia, Gomezio, & aliis, de Confessario crimen in confessione auditum reuelante. Addit Naldus *loco citato,* non solùm denuntiandum esse illum, qui sollicitauit in cõfessione, vel paulò antè, vel pòst, verum etiam qui sollicitauit in confessionali, aut in loco ad confessiones deputato. [Vide quæ tradidi *in tract. variarum tractationum.*]

10 An Parochus habens copulam cum sua parochiana, cõmittat speciale peccatum.

10 Ex dictis igitur constat, Confessarium cognoscentem carnaliter pœnitentem non committere incestum, modò Confessarius non sit proprius Parochus, à quo receptus sit Baptismus; Parochus enim, aut alius cognoscens feminam, quam baptizauit, committit incestum ratione cognationis spiritualis consurgentis ex collatione Baptismi. Monuerim etiam, Parochum habentem copulam cum sua parochiana committere speciale peccatum, etiamsi eam non baptizarit; nam peccat contra proprium officium, eo quòd illi specialiter incumbat cura procurandæ salutis suorum parochianorum, & teneatur ex officio oues sibi subiectas bonis moribus imbuere. Idem censeo dicendum de patre copulam habente cum filia, vel nepte, ob rationem dictam de Parocho.

SEXTA PROPOSITIO.

11 Quos effectus pariat incestus à marito commissus cũ consanguinea suæ vxoris.

11 INcestus commissus cum consanguinea vxoris duos saltem parit effectus. Primus est, vt ille, qui commisit incestum, non possit petere debitum à suo coniuge; nam qui copulam habet cum consanguinea vxoris in primo, vel in secundo gradu, fit affinis vxori in eo gradu, in quo femina carnaliter cognita est consanguinea vxori; qui autem cognoscit affinem, committit incestum. Vtrum verò ignorantia huius pœnæ, aut affinitatis, aut legis excuset, ita vt delinquens possit petere, constat ex suprà dictis, [*punct.2.num.6.*] vbi etiam dictum est, quisnam possit in hac re dispensare ad petendum debitum. [*quæst.3.punct.14.*]

Secundus effectus est, vt post mortem vxoris non possit aliam ducere; quòd si ducat, multi Doctores volunt non posse debitum ab ea petere absque dispensatione, quam potest Episcopus cõcedere, vt supra dictum est [*quæst.3.punct.14.*] De pœnis propter incestum debitis videri potest Iulius Clarus *lib. 5. receptarum sententiarum, §. incestus.* Boërius *decis.218.* & Cardinalis Tuscus *tom.4.conclus.69.*

PVNCTVM XVII.

De stupro.

TRia principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, quid sit stuprum.

Secundò, vtrum habeat malitiam distinctam à fornicatione.

Tertiò, vtrum stuprator teneatur ad aliquam restitutionem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sit stuprum.

1 STuprum strictè acceptum, est concubitus viri cum virgine femina, quo virginalis carnis integritas violatur. [Ex quo sequitur stuprum committi solùm dum virginale claustrum violatur.]

Dixi, *strictè,* quia si latè loqui velimus, dicemus stuprum significare quemcumque concubitum legibus prohibitum, aut esse peccatum cum virgine, aut vidua, vt cum Alciato, & aliis tradit Menochius *de arbitrariis lib. 2. centuria 3. casu 288.* vbi plura pertractat de

pœnis

pœnis ſtupratorum, Cardinalis Tuſcus *tom. 7. concluſ. 709. & 710.* [Filliucius *tract. 30. cap. 3. quæſt. 1. & 2.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An ſtuprum habeat ſpecialē malitiam explicandam in confeſſione.

2 STuprum habet malitiam ſpecie diſtinctam à fornicatione, neceſſariò explicandam in confeſſione. In hac propoſitione non conueniunt omnes Doctores, ſed diuiſi ſunt in duas ſententias.

Prima ſententia negat habere ſpecialem malitiam, quando puella conſentit ſe violari, etiamſi parentes, vel tutores eius ſint inuiti. Ita Sotus ex parte *in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 10. dub. 1.* Vaſquez *in opuſc. de reſtitutionib. cap. 3. §. 1. dub. 1. num. 6.* Coninchus *de pœnitentia diſp. 7. dub. 4. num. 19.* [Suarez *tom. 4. diſp. 22. ſect. 4. num. 4.* Petr. Nauarrus *lib. 2. de retract. cap. 3. num. 433.*] & alij, quos citat Salas 1. 2. *tom. 2. tract. 3. diſp. 6. num. 59.* & Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſp. 14. num. 5.* Ratio huius ſententiæ eſt, quia non reperitur in ſtupro ſpecialis malitia, niſi adſit ſpecialis iniuria, ſed quando copula habetur cum puella conſentiente, non adeſt ſpecialis iniuria; ſcienti enim, & conſentienti non fit iniuria. Ergo in ſtupro non reperitur ſpecialis malitia, quando puella conſentit, ſecus ſi puella ſit inuita.

Neque obſtat dicere, in ſtupro ſemper reperiri iniuriam ſaltem contra parentes, vel tutores inuitos; hoc enim falſum eſt, eo quòd puella ſit domina ſuæ virginalis integritatis, inquit Sotus *loco citato*, nec parentes habeant maius ius in corpus filiæ inuiolatæ, quàm violatæ.

Non negant tamen Doctores iſtius ſententiæ, quin in ſtupro de conſenſu puellæ commiſſo adſit aliquando alia malitia mortalis, vt contra charitatem proximorum, & pietatem debitam parentibus, eo quòd ſæpiſſimè ſequantur ex ſtupro grauiſſima incommoda, vt inimicitiæ, cædes, &c.

Ex hac ſententia ſequitur primò, delectationes moroſas in puella virgine circa aliquem adoleſcentem non habere ſpecialem malitiam, ita vt puella teneatur in confeſſione dicere, ſe, cùm eſſet virgo, delectationem moroſam de adoleſcente ſuſcepiſſe; & hoc verum videtur, etiamſi puella ſe polluat concepto adoleſcente in mente, vt ait Vaſquez *loco citato num. 3.* & Caietanus 2. 2. *quæſt. 154. art. 6.* non enim tenetur exprimere circumſtantiam virginitatis, cùm per huiuſmodi pollutionem non violetur clauſtrum virginale, in cuius violatione conſiſtit ſtuprum, quamuis grauiter peccet, & amittat laureolam.

Secundò ſequitur, delectationes, & deſideria in adoleſcente circa virginem non habere ſpecialem malitiam mortalem ſupra alias delectationes, modò adoleſcens non habeat voluntatem inferendi violentiam virgini; quamobrem ſecundùm hanc ſententiam videtur ſufficere, ſi in confeſſione dicat ſe delectationem habuiſſe, vel deſiderium circa feminam ſoluram, vel etiam ſe copulam habuiſſe cum ſoluta, quantum eſt præcisè ratione copulæ, ratione verò alterius circumſtantiæ, vt mœroris, & triſtitiæ, quam pater concepit, tenetur pœnitens hanc circumſtantiam explicare. Vtrùm verò hæc circumſtantia poſſit explicari tamquam diſtincta à primo peccato, patet ex dictis *de Pœnitentia.*

Secunda ſententia probabilior, & tutior in praxi eſt, ſtuprum habere ſpecialem malitiam, ſiue puella conſentiat, ſiue ſit inuita. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt. 154. art. 6. ad primum dubium*, Graffius 1. *part. deciſ. lib. 2. cap. 79.* Azorius 3. *part. lib. 5. cap. 5. quæſito 1.* [Filliucius *tract. 30. num. 61. & 66.*] Rodriquez Suarez *de Pœnitentia diſp. 22. ſect. 4. nu. 6.* Nauarrus, & alij. Ratio eſt, tum quia ſi filia nubat inconſulto patre abſque iuſta cauſa, peccat grauiter contra pietatem paternam; ergo multo magis peccat, quando conſentit ſe violari; conſequenter violans virginem conſentientem committit nouum peccatum, vltra peccatum ſimplex fornicationis: tum quia puella non habet dominium ſuæ integritatis corporalis, [iuxta Caietanum, Azorium, & alios contra Leſſium, P. Nauarr. & alios.] Sicut neque habet dominium ſuæ vitæ: tum quia pater videtur habere ſpecialem curam corporis filiæ, vt dicitur Eccleſiaſtici 7. *Filia tibi ſunt, ſerua corpus illarum.* Ergo per ſtuprum fit iniuria patri, cui commiſſa eſt cura corporis ſuę filiæ, ſiue filia conſentiat, ſiue diſſentiat; nam per filiæ conſenſum non ſubtrahitur filia à cura patris, vel tutorum, qui gerunt vices patris.

3 An virgo, quæ delectatur de adoleſcente, & è cōtrà, teneatur hanc circumſtātiam virginitatis explicare.

3 Hinc ſequitur, in peccatis, quæ ſunt enumerata in primo, & ſecundo corollario primæ ſententiæ, explicandam eſſe circumſtantiam virginitatis feminæ; nam ſunt eiuſdem ſpeciei cum opere externo, vt ſupra dictum eſt, opus autem externum, præter malitiam ſimplicis fornicationis, habet malitiam ſtupri. Verum tamen eſt, feminam, quę ſe primò polluit, non teneri in confeſſione exprimere circumſtantiā ſuæ virginitatis, vt dictum eſt *de Pœnitentia.* Ratio eſt, quia non committit ſpeciale ſtuprum, ſed peccatum contra naturam, per quod non perdit virginitatem naturalem, ſed virtuoſam. Similiter vir perdens ſuam virginitatem per voluntariam delectationem, aut pollutionem, aut per copulam illicitam, non tenetur in confeſsione exprimere circumſtantiam amiſſæ virginitatis. Ita Caietanus *loc. cit.* Nauarrus *cap. 16. num. 2.* Vaſquez *in opuſculis loco cit. num. 12.* [Filliucius *num. 70. & ſeqq.*] & alij, quos refert Azorius *loco cit. cap. 11.* contra Sotum, & alios. Ratio eſt, quia hoc peccatum non habet malitiam ſtupri propriè accepti, ſed eſt peccatum contra naturam, etiamſi tunc amittatur virginitas.

4 An femina corrupta velari, aut ſacrari poſſit.

4 Quæres, vtrum puella corrupta per copulam, vel alia ratione, poſsit velari, & ſacrari.

Reſpondeo, poſſe velari, quando corrupta eſt per actus interiores, vt per delectationes venereas, aut per voluntariam pollutionem. Ratio eſt, quia adhuc eſt virgo virginitate naturali, cùm adhuc retineat naturalem corporis integritatem; non poteſt autem velari, ſi per copulam corrupta fuit, quia non eſt amplius virgo, non ſolùm virginitate virtuoſa, ſed neque naturali: [ſecus ſi per vim oppreſſa fuit, & copula eſt occulta, tunc enim velari poteſt, quia coram Deo eſt incorrupta, cùm non peccauerit. Ita Leſſius *lib. 4. cap. 4. num. 115.* Filliucius *tract. 30. cap. 1. quæſ. 10. num. 25.*] Emanuel Rodriquez *tom. 1. canonicarum quæſtionum, quæſt. 64. art. 3.*

5 An puella, quæ occultè corrupta fuit, teneatur poſt velum acceptum abſtinere ab iis officiis, quæ virginibus conferuntur.

5 Sed modò difficultas eſt, vtrùm puella occultè carnaliter cognita teneatur, poſtquam fuit velata, abſtinere ab officiis, quæ conferuntur virginibus conſecratis.

Reſpondetur, teneri abſtinere, ſi commodè poteſt abſque ſcandalo, & infamia; cum enim illa officia ſint inſtituta pro feminis virginibus, & non corruptis, puella debet ſe ab illis abſtinere, excuſando ſe aliquo titulo, ſi poteſt, non tamen tenetur prodere ſuum delictum cum periculo infamiæ, aut ſcandali, quia Eccleſia non obligat cum tanto incommodo.

6 Quale remedium in propoſito caſu adhibendū ſit.

6 Si quæras, quale remedium ſit adhibendum in propoſito caſu.

Reſpondetur, adhibendam eſſe diſpenſationem, quam ſolus Summus Pontifex concedit iuxta Rodriquez *loco citato, art. 4.* ſed iuxta Nauarrum *cap. 16. num. 3. verſ. Interrogatus*, Sylueſtrum *verb. Conſecratio 3. quæſt. 1. ad finem.* Emanuelem Sà *verb. Conſecratio, num. 6.* [Filliucium *loc. cit.*] & Azorium 3. *part. lib. 3. cap. 12. quæſt. 3. & 5.* Epiſcopus poteſt diſpenſationē concedere. Addo ego, hanc doctrinā valere in iis locis, in quibus vſu receptum eſt, vt diſpenſatio petatur; fieri enim poteſt, vt in aliquo loco tam corruptę, quàm virgines retineant officia abſque diſpenſatione, ita permittente conſuetudine.

TERTIA PROPOSITIO.

7 Ad quid teneatur ſtuprator.

7 QVi per vim, aut fraudem, aut metum, aut mendacia copulam à puella extorſit abſque promiſſione matrimonij, tenetur illam ducere in matrimonium, vel commodè dotare, vel curare, vt æquè bene nubat, ac ſi virgo eſſet. Ita Nauarr. *cap. 16. num. 16.* P. Nauarr. *lib. 2. cap. 3. num. 434.* Azorius 3. *part. lib. 5. cap. 5.* Vaſquez *de reſtit. cap. 3. §. 2. dub. 2. num. 2.* Gutierez *de matrim. cap. 10. num. 16.* Rebellus 1. *part. lib. 3. quæſt. 8. n. 1.* Molina *tom. 4. diſp. 106.* M. Salonius 2. 2. *quæſt. 62. art. 2. controu. 5.* Leſſius *lib. 2. cap. 10. dub. 2.* [Filliucius *tract. 32. cap. 8. quæſ. 9. num. 220.*] & alij communiter. Ratio eſt, quia contra iuſtitiā damnum feminæ intulit, ergo ex iuſtitia tenetur damnum illatum reparare; ſed alia ratione non poteſt reparare damnum, quàm ducendo illam in matrimonium, vel commodè dotando, vel curando, vt æquè bene nubat, vel reſtituendo, quanti damnum æſtimatur iudicio prudentis viri; ergo tenetur illam ducere, vel cōmodè dotare, &c.

Dixi, *abſque promiſſione*, quia intercedente promiſſione matrimonij certum eſt teneri eam ducere, ſaltem quando promiſſio non fuit ficta; fides enim alteri data ſeruanda eſt. Vtrùm verò teneatur, quando promiſſio fuit ficta, patet ex ſupra dictis *de ſponſalibus punct. 2.* contra Vaſquez *de matrimonio diſp. 6. cap. 4.*

Dixi, *per vim, aut fraudem*, &c. quia qui ſine vi, aut fraude copulam extorſit à femina liberè conſentiente, non tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia obligatio reſtituendi oritur ex violatione iuſtitiæ, & ex iniuria alteri illata, ſed qui copulam extorſit à femina conſentiente, non intulit iniuriam; nam volenti, & ſcienti non fit iniuria, ergo non tenetur ad reſtitutionem. Ita Sotus *lib. 4. de iuſtitia quæſt. 7. artic. 1. ad 2.* Finellius *caſu 10. num. 19.* Nauarrus *cap. 16. num. 16.* Rebellus, Petr. Nauarr. Vaſquez, Leſsius, [Filliucius] & Azorius *locis cit.* contra Medinam *in inſtruct. fol. 160.* Hoc tamen intelligitur, modò ſtuprator non manifeſtauerit copulam occultam; nam ſi iniuſtè detexit copulam occultam, tenetur ad reſtitutionem famæ, & damnorum incrementi dotis, & cuiuſuis alterius damni. Secus ſi copula fuit ab alio detecta abſque cooperatione ſtupratoris. Ita Molina *loco cit. concluſ. 2. verſ. Dixi.* Clauis Regia *lib. 11. cap. 2. ad finem*, & alij. Ratio eſt, quia obligatio reſtituendi oritur ex violatione iuſtitiæ.

Obiicies primò. Puella non eſt domina ſuæ virginitatis, ergo fit illi iniuria, etiamſi conſentiens violetur, ergo facienda eſt illi reſtitutio; nam obligatio reſtituendi oritur ex iniuria alteri illata.

Reſpondeo, negando vltimam conſequentiam; nam obligatio reſtituendi oritur ex iniuria alteri illata contra ipſius voluntatem, non verò ex illata cum ipſius conſenſu. Sicut mutilaror non tenetur quidquam reſtituere illi, cuius membrum amputauit de ipſius conſenſu, quamuis ille, cui membrum amputatum eſt, non ſit dominus membri, vt patet ex dictis de homicidio, & de reſtitutione.

Obiicies ſecundò. In iure habetur, ſtupratorem debere accipere ſtupratam in vxorem; ergo.

Reſpondeo cum Molina *loco citato, num. 7.* Rebello, & aliis, illos textus eſſe pœnales, & fundari in præſumptione deceptionis, conſequenter non obligare ante ſententiam iudicis.

8 An ſtuprator ad aliquid teneatur, quando femina æquè bene nupſit.

8 Ex dictis infertur primò, ſtupratorem non teneri ad reſtitutionem, quando femina per vim, vel fraudem deflorata æquè bene nupſit, ac ſi non fuiſſet deflorata, eo quòd ſtuprum fuerit occultum. Ita Molina *loco cit. num. 11 concluſ. 8.* Vaſquez *de reſtitut. loco cit. §. 2. dub. 3. nu. 8.* Leſsius *nu. 15.* [Petr. Nauarr. *lib. 2. cap. 3. nu. 451.* Filliucius *tract. 30. cap. 8. num. 221.*] & alij contra Clauem Regiam *lib. 11. cap. 2. nu. 29.* Ratio eſt, quia non eſt paſſa vllum detrimentum, niſi fortè dicamus teneri ad aliquid reſtituendum ratione iniuriæ, ſeu ratione violationis clauſtri; hoc enim videtur damnum pecunia æſtimabile, iuxta Nauarrum *cap. 16. num. 19.* & nonnullos alios contra Molinam *loco cit.* & alios. Sed de hac re ſatis dictum eſt de reſtitut.

9 Ad quid teneatur ille, qui copulam habuit cum femina corrupta, quæ tamen habebatur tamquam virgo.

9 Secundò infertur, violatorem teneri ad aliquam reſtitutionem, quando cognouit feminam per vim, vel fraudem, quæ alias fuerat quidem cognita ab alio, ſed publicè habebatur virgo; tenetur enim violator ad reſtitutionem faciendam arbitrio prudentis viri ratione damni, & infamiæ, ob quam illa non poteſt ita commodè nubere. Ita Azorius, & Molina *locis citatis.*

10 An ſtuprator ad aliquid teneatur, quando femina corrupta condonauit ei obligationem reſtituendi.

10 Tertiò, inferri poteſt ſtupratorem non teneri ad reſtitutionem puellæ, vel parentibus faciendam, quando puella condonauit ſtupratori obligationem reſtituendi. Ratio eſt, quia puella poteſt cedere iuri ſuo; ipſi enim facienda eſt reſtitutio, & non parentibus. Ita Leſsius *loco cit. nu. 19.* & Vaſquez *loco cit. nu. 13.* Idem dicendum eſt, ſi virgo deflorata obiit, antequā nubat. Ratio eſt, quia nullus ob id patitur damnum, & hæc videtur obligatio ſubſidiaria, qua aliquid debetur ipſi perſonæ, [ne damnum patiatur,] vt bene ait Vaſquez *loco citato, nu. 10.*

11 Ad quid teneatur,

11 Quartò, inferri poteſt à ſimili, illum qui vi, fraude, aut mendaciis ita

qui sollicitauit puellam ad copulam, & ob id fuit illi causa infam æ.

ita sollicitauit puellam, vt fuerit illi causa infamiæ, ac si violasset, teneri illam ducere, vel ita dotare, vt possit æquè bene nubere, ac si non fuisset sollicitata. Secus dicendum est, si sollicitauit puellam consentientem. Ita Azorius *loco citato, difficult.* 8. Salonius *loco citato, controuersia* 3. Rebellus *loco citato*, & alij.

12 Ad quid teneatur stuprator, quando puella corrupta, aut eius parentes nolunt eam tradere stupratori.

12 Quæres primò, ad quid teneatur stuprator, qui copulam à puella impetrauit vi, aut fraude, sed puellâ non vult ipsum in coniugem accipere, aut parentes nolunt eam illi tradere.

Respondeo, teneri ad honestam dotem puellæ tradendam, qua possit alteri iuxta sui status conditionem nubere. Ratio est, quia liberum illi est acceptare dotem, vel stupratorem in virum, nec tenetur magis vnam, quàm aliam satisfactionem recipere. Idem dicendum est, quando stuprator fœminam decepit mendaciis, fingens se nobilem, aut diuitem, cùm non sit. Ita Azorius *loco citato, quæsito* 3. *difficultate* 3. quidquid dicat Lessius *loco citato, nu.* 27. Quid verò dicendum sit, quando stuprator promisit matrimonium, patet ex dictis *quæst.* 1 *punct.* 2.

13 An ad aliquid teneatur, qui copulam extorsit precibus, muneribus, & blãditiis.

13 Quæres secundò, vtrùm stuprator teneatur ad restitutionem; quando copulam extorsit precibus importunis, vel muneribus, vel suasionibus, ac blanditiis assiduis.

Respondeo, duplicem esse sententiam.

Prima est Nauarri *loco cit.* Caietani 2.2. *quæst.* 154. *art.* 6. Cordubæ *lib.* 1. *quæst.* 13. & aliorum affirmantium teneri, quia preces importunæ comparantur coactioni.

Secunda sententia, cui tamquam probabiliori adhæreo, est Petri Nauarri *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 343. Vasquez *loco cit.* §. 2. *num.* 5. Clauis Regię *loco cit. num.* 28. Lessij *num.* 14. Azorij *loco citato, cap.* 5. *quæsito* 2. Sanchez *lib.* 4. *disp.* 10. Molinæ *tomo* 1. *de iustitia, tomo* 4. *disp.* 106. *concluſ.* 1. Rebelli *loco cit.* Salonij *loco cit.* & aliorum negantium teneri, modò non adsint minæ, vel metus, & modò femina non concesserit copiam sui animo repugnante, & quasi coacta. Ratio est, tum quia qui muneribus, vel precibus obtinet aliquod obsequium, vel officium, non tenetur ad restitutionẽ; ergo neque tenetur ad restitutionem, qui precibus, & muneribus copulam extorsit: tum quia huiusmodi preces non auferunt voluntarium. Quamuis enim puella non consentiret, nisi positis precibus, vel muneribus, non tamen inde sequitur ipsam non consentire voluntariè, sicut ille voluntariè consentit, qui muneribus alicui confert aliquod officium.

14 An facienda sit restitutio patri, cuius filia consentiẽs violata fuit.

14 Quæres tertiò, vtrùm stuprator teneatur ad aliquam restitutiõnem faciendam patri, sub cuius cura est ipsa puella, quæ defiorata fuit consentiens, & non inuita.

Respondeo negatiuè cum Molina *loco citato, concluſ.* 2. Emanuele Sà *verb. Restitutio, num.* 14. M. Salonio 2.2. *q.* 62. *art.* 2. *controuerſ.* 5. Petro Nauarro *lib.* 2. *cap.* 3. *nu.* 438. Azorio *loco cit. difficultate.* 9. Vasquez *loco citato, num.* 13. Rebello 1. *part. lib.* 3. *quæst.* 6. *num.* 6. & aliis contra Nauarrum *cap.* 16. *num.* 16. Sylueſtrum *verb. Luxuria, quæsito* 5. & alios apud Clauem Regiam *loco cit. num.* 26. & alios apud Molinam, quos sequitur Gutierez *de matrimonio cap.* 86. *num.* 20. Ratio est, tum quia obligatio restituendi non oritur ex sola iniuria, sed ex iniuria cum damno alterius; stuprator autem, quamuis intulerit iniuriam patri puellæ defloratæ, non tamen intulit damnum, cùm damnum illatum sit puellæ, cuius virginale clausſtrum fuit violatum: tum quia ipsa puella non tenetur ad restitutionem faciendam patri, aut fratribus; ergo neque tenetur stuprator, qui non videtur maiorem iniuriam patri intulisse, quàm intulerit puella.

Dices, patri illatum esse damnum, eo quòd cogatur augere dotem, vt puella æquè bene nubat.

Respondeo cum Molina, Vasquez, Claue Regia, & aliis *locis citatis*, hoc damnum esse per accidens, tum quia puella potest remanere innupta: tum quia non minus puella stuprata causa est illius damni, quàm stuprator; sicut ergo puella censetur causa per accidens illius damni, nec tenetur ad restitutionem, ita neque tenetur stuprator, nisi fortè stuprator iniustè detexerit stuprum, & fuerit causa iniusta, vt manifestaretur; tunc enim obligandus esset ad restitutionem non ratione stupri præcisè, sed ratione iniustæ detractionis; nam detractor tenetur ad restitutionem damnorum prouenientium ex illius detractione. Ita Molina *loco cit.* Rebellus *quæst.* 8. *num.* 17. & alij, quos retuli *de detractione.*

15 An filius possit, inuito, vel inscio patre, ducere eã, quam violauit, & in quibus rebus filius teneatur patri obedire.

15 Quæres quartò, vtrùm filiusfamilias possit, inuito, vel inconsulto patre, contrahere matrimonium cum ea, à qua copulam extorsit.

Respondeo, solutionem huius quæsiti colligi posse ex dictis in quarto Decalogi præcepto, vbi per sequentes conclusiones quæsiuimus, in quibus teneatur filius obedire patri.

16 An filius teneatur obedire patri aliquid præcipienti circa bonos mores, ad salutẽ animę, vel corporis, ad vitandas meretrices, & ludos, &c.

Prima conclusio. Filius tenetur obedire patri in iis, in quibus est illi subiectus. Hæc conclusio patet tum ex *Prouerb.* 1. vbi dicitur, *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* & ad Ephesios 6. *Filij, obedite parentibus vestris in Domino.* Tum ex Christi exemplo, qui erat subditus Beatissimæ Virgini, & sancto Ioseph, *Luc.* 2. Tum quia sicut tenemur obedire legibus, & præceptis Principum, ita etiam tenemur obedire parentum mãdatis, quæ vim habent legis.

16 Hinc colligi potest primò, filium teneri obedire parenti aliquid præcipienti circa bonos mores, & ad salutem animæ, vt ad euitandas prauas amicitias, ad deferendas meretrices, ad relinquendos ludos prohibitos, &c. nam in his est subditus patri, qui tenetur illum bonis moribus imbuere, & informare; consequenter filius grauiter peccat, quando in his non exhibet patri obedientiã. Ita Nauarrus *cap.* 14. *n.* 12. Caietanus *verb. Filij peccata.* Clauis Regia, *lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 9. Graffius 1. *part. lib.* 2. *cap.* 56. *nu.* 15. Reginaldus *tomo* 2. *lib.* 20. *sect.* 2. *n.* 16. & alij.

17 An filius grauiter peccet, non obediendo patri in iis, quæ pertinent ad domesticam gubernationem.

17 Secundò, filium grauiter peccare non obtemperando in iis, quæ pertinent ad domesticam gubernationem, modò sit inobediens in re graui. Ratio est, quia in his subiacet potestati patris. Ita Sylueſter *verb. Filij, num.* 25. Sanchez *in summa lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 22. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 8. *num.* 43. Nauarrus & Reginaldus *locis citatis.*

18 In quibus rebus filius non teneatur patri obedire.

18 Secunda conclusio. Filius non peccat, per se loquendo, non obediendo patri in iis, quæ pertinent ad vitæ statum, vt in materia Religionis, aut matrimonij; in his enim non est illi subiectus, quamuis per accidens fieri possit, vt in his etiam grauiter peccet, vt quando contra voluntatem patris contrahit cum aliqua indigna, quæ scilicet est notabiliter infra statum suum, ex cuius matrimonio magnũ infertur familiæ dedecus; filius enim tenetur infamiam familiæ euitare. Similiter peccat mortaliter ducendo dignam contra voluntatem patris, quando multum referret patri aliam ducere iuxta patris voluntatem, vt quando componerentur lites familiæ, aut quando pater magno ære alieno liberaretur, aut quando quid simile eueniret; filius enim tenetur ex pietate subuenire necessitati patris, consequenter tenetur assumere media necessaria ad illam subleuandam. Ita Sanchez *lib.* 4. *de matrimonio, disput.* 22. Nauarrus *cap.* 14. *num.* 15. Gutierez *cap.* 79. *num.* 16. Coninchus *disput.* 28. *dub.* 5. *num.* 50. *de matrimonio*, & alij apud Sanchez, & Gutierez *loco citato.*

19 An filius teneatur obedire patri præcipienti matrimonium, Religionem, Clericatũ, &c.

19 Hinc sequitur primò, filium non teneri obedire patri præcipienti matrimonium, vel ingressum Religionis, vel Clericatum, vt dixi *de voto* cum Sanchez *loco citato, num.* 22. Lessio *num.* 63. Suarez *tom.* 2. *de Religione, lib.* 4. *cap.* 8. & aliis.

20 An filius teneatur stare sponsalibus à patre celebratis.

20 Secundò, filium non teneri, ordinariè loquendo, complere sponsalia, quæ pater absque ipsius consensu celebrauit. Ratio est, tum quia cùm matrimonium sit vinculum, ac onus indissolubile, & quædam seruitus, necesse est, vt liberum sit filio adstringere se huiusmodi vinculo, prout voluerit, nisi necessitas aliqua ipsum cogat ad obediendum patri in huiusmodi eũctu: tum quia filij in hoc sunt sui iuris.

21 An filius possit, inuito patre, ducere eã, quam violauit.

21 Tertiò, filium posse, inuito patre, contrahere matrimonium cum ea, quam carnaliter cognouit, aut cui matrimonium promisit.

22 An parentes possint filios cogere, aut retrahere à matrimonio.

22 Quartò, parentes non posse absque iusta causa filium cogere, vel retrahere à matrimonio per metum; nam filius in hoc est sui iuris. Ita Sanchez *lib.* 1. *disp.* 14. *num.* 4. Gutierez *cap.* 4. *num.* 4. *& cap.* 79. *num.* 4.

23 An validũ sit matrimoniũ à filio celebratum, inuito patre.

23 Quintò, valida esse matrimonia, quæ fiunt inuitis, & insciis parentibus; nam filij in hac materia sunt sui iuris. Ecclesia tamen prohibuit matrimonium celebrari insciis, & inuitis parentibus, quia iure naturæ requiritur parentum consilium, cùm hoc conducat ad rectam domus, & familiæ gubernationem. Ita Clauis Regia *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 13. Sanchez *loco citato*, Couarruuias 2. *part. cap.* 3. §. 8. *num.* 5. Rebell. 2. *part. lib.* 2. *quæst.* 14. Bellarmin. *lib. de matrim. cap.* 19. *&* 20. & alij.

24 An filij ex honestate teneantur contrahere matrimonio.

24 Tertia conclusio. Valdè consentaneum est honestati, vt filij non ineant matrimonium absque patris consilio. Ratio est, tum quia ius ipsum naturæ dictat, filium non debere matrimonium inire, non præmisso patris consilio, alioquin facilè nascerentur discordiæ inter patrem & filium: tum quia pater potest multa significare filio in vtilitatem ipsius filij, & familiæ, ita vt expediat filio voluntatem mutare, & patris consilium sequi, vt bene ostendit Sanchez *lib.* 4. *de matrimonio, disputat.* 23. Coninchus *loco citato, nu.* 52. & Reginaldus *lib.* 31. *nu.* 24.

25 Hinc sequitur, filium mortaliter peccare contrahendo matrimonium, non præmisso patris consilio, nisi fortè habeat iustam causam contrahendi absque ipsius consilio. Ita Doctores citati.

25 An filius mortaliter peccet, cõtrahendo matrimonium absque patris consilio.

Obiicies. Filius non tenetur obedire patri, & sequi ipsius cõsilium in materia matrimonij; ergo neque tenetur petere ipsius consilium.

Respondeo, regulariter non teneri saltem sub mortali obedire patri, aut eius consilium sequi in materia matrimonij, vt patet ex allatis rationibus; tenetur tamen præmittere consilium, & aliquando tenetur illi obedire sub mortali, vt iam ostensum est.

26 An iudex possit interdicere matrimonium filiofamilias, quando periculum est magni scãdali.

26 Sed modò grauior difficultas est, vtrùm iudex possit interdicere matrimonium filiisfamilias, quando periculum est, vt magnum scandalum oriatur ex eo matrimonio.

Ad quam difficultatem à Reuerendissimo Mario Antonino Vicario Generali, viro prudentia, morum probitate, ac doctrina celeberrimo, interrogatus, dum hoc opus in lucem ederẽ, respondi hoc modo:

Si sumptis legitimis attestationibus, ac informationibus, constiterit adesse graue scandali periculum, potest & debet iudex Ecclesiasticus suam interponere auctoritatem, ne matrimonium cõtrahatur. Ratio est, tum quia ipsi incumbit saluti subditorum consulere, rixas tollere, & scandalum impedire: tum quia filius peccat ineundo matrimonium in tali euentu, vt asserit Clauis Regia *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 12. Nauarrus *cap.* 14. *num.* 15. & alij. Prælatus autem debet peccata impedire, tum quia parentes in proposito euentu possunt impedire matrimonium, vt pluribus ostendit Menochius *tom.* 1. *consil.* 69. *num.* 36. *folio mihi* 228. Cephalus *lib.* 3. *consil.* 421. & licitè possunt implorare superioris auxilium; ergo superior potest, ac debet suam interponere auctoritatem, non tamen facilè debet matrimonium impedire, nisi ex certis, aut vehementibus coniecturis præuiderit graue scandalum suboriturum, quod non facilè præsumendum est inter filium, & patrem, vt bene testatur Sanchez, multis aliis Doctoribus relatis, *lib.* 1. *disput.* 14. *num.* 3. & Gutierez *de matrimonio cap.* 4. *num.* 4.

Neque obstat primò Decretum Tridentini *sess.* 24. *cap.* 9. vbi videtur iniunxisse excommunicationem cogentibus, & prohibentibus matrimonium. Ratio est, tum quia Concilium loquitur de cogentibus ad matrimonium, non verò de prohibentibus, vt multi Doctores testantur, & patet ex ipso textu: tum quia, etiamsi admitteremus Concilium loqui de impedientibus, intelligendum esset de impedientibus absque iusta causa, vt bene tradit Coninchus *de matrimonio disput.* 28. *dub.* 5. *num.* 48. [Rebellus *loco* statim *citando, num.* 9. *versic. vnde cautè.*] & Menochius *consil.* 64. *n.* 41. in hoc autẽ casu matrimonium ex iusta causa impeditur ad vitandum graue scandalum.

Neque obstat secundò, inde impediri libertatem matrimonij, tum quia libertas matrimonij non debet familię, aut proximo nocere: tum quia per accidens impeditur, quatenus matrimonium celebrari non potest cum aliorum scandalo: tum quia non dicitur libertas alicuius impediri, nisi impediatur ad id, ad quod alter habet ius: sed filius non habet ius ad nuptias iniuriosas patri, & cum periculo grauis scandali, ergo non dicitur eius libertas impediri.

Neque obstat tertiò vinculum sponsaliorum præcedentium iam celebratorum, tum quia sponsalia non obligant ad rem illicitam: tum quia sponsus non tenetur perficere sponsalia, quando ex eorum adimpletione

pletione graue imminet malum, seu scandalum, vt benè ait Emanuel Sà *verb. Restitutio, num.* 14. *folio* 495. Sanchez *loco cit.* & alij communiter. Videri potest Menochius, & Cephalus *locis citatis.* Sanchez *lib.* 1. *disp.* 14. *n.* 3. & Rebellus 2. *part. lib.* 2. *q.* 14. *n.* 9. *folio* 292.

27 Quando Prælatus possit matrimonia impedire.

27 Ex dictis sequitur, Prælatum posse impedire matrimonium contrahendum à filiofamilias cum aliqua indigna, quando ex eius celebratione præuidet graue scandalum, ac rixas inter parentes, vel consanguineos secuturas; & hoc verum est, inquit Sanchez, etiamsi secuta sit copula sub ea spe matrimonij. Hoc tamen ego non facilè admiserim, nisi filius alia ratione valeat occurrere damno sponsæ defloratæ, cùm ex iustitia teneatur damnum sponsæ euitare, aut nisi tam graue sit scandali periculum, vt præponderet damno sponsæ.

Vtrum verò filius, vel filia possit exheredari, si contrahat matrimonium sine consensu patris, dissensio est inter Doctores. [Vide quæ tradidi *in* 4. *Decalogi præcepto.*]

PVNCTVM XVIII.

De raptu.

TRia principaliter quæram in hoc puncto.
Primò, quid sit raptus.
Secundò, quid requiratur ad raptum.
Tertiò, quænam pœnæ sint impositæ raptoribus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sit raptus.

1 RAptus propriè dicitur, quando persona aliqua inuita, vel resistentibus eius parentibus, seu illis, sub quorum cura est, abducitur per vim ad libidinem explendam, vel ad matrimonium contrahendum, vt patet ex 36. *q.* 1. *c. lex illa.* Ita Iulius Clarus *lib.* 5. *sentent.* §. *raptus.* Molina *tom.* 4. *disp.* 105. [Lessius & Filliucius *locis* proximè *citandis.*] & alij communiter.

Dixi, *raptus propriè*, quia si loquamur de raptu in genere, dicemus raptum esse violentiam feminæ factam, etiamsi non abducatur causa libidinis explendæ, vt ait Clauis Regia *lib.* 8. *c.* 5. *n.* 1.

2 An ille dicatur raptor, qui feminam abducit solùm causa explēdæ libidinis.

2 Hinc colligi potest, non solùm illum esse raptorem, qui abduxit feminam causa contrahendi, sed etiam qui abduxit tantùm causa explendæ libidinis, consequenter subiacere pœnis contra raptorem constitutis in Tridentino, [*sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat. matrim.*] vt benè ait Emanuel Sà *verb. Matrimonium, num.* 9. vbi asserit hoc ita declaratum esse ab Illustrissimis Cardinalibus contra Sanchez *lib.* 7. *disp.* 14. *num.* 4. Reginaldum *lib.* 31. *num.* 164. & alios recentiores apud Sanchez, quos etiam refert, & sequitur Gutierez *cap.* 86. *num.* 8. *de matrimonio.* quatenus cum Sanchez, & aliis asserit, matrimonium inter raptorem, & raptam esse inualidum, si rapta sit ad contrahendum matrimonium; secus si rapta sit ad explendam libidinem. Sed ratio nostra est, quia Tridentinum generaliter loquitur, cùm autem constet illum esse raptorem, qui abduxit causa explendæ libidinis, aut causa contrahendi matrimonij, sequitur etiam ipsum subiacere pœnis Tridentini.

3 An raptor incurrat pœnas, quando non expleuit libidinem.

3 Addo, *raptorem subiacere pœnis Tridentini*, quamuis postea non expleuerit libidinem ob superueniens impedimentum, aut eò quòd ipsum pœnituerit rapuisse; nam adhuc verè dicitur raptor. Ita Molina *loco citato, n.* 12. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 13. *n.* 21. Gutierez *cap.* 86. *num.* 13. Reginaldus *lib.* 31. *n.* 165.

4 An raptus habeat specialem malitiam.

4 Quæres, vtrum raptus superaddat fornicationi aliquam malitiam.

Respondeo, superaddere malitiam contra iustitiam, quia per raptum fit iniuria personæ, quæ per vim abducitur, aut illis, quorum custodiæ commissa est, qui sunt rationabiliter inuiti.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Quid requiratur ad raptum, idem n. 6.

5 AD raptum duo requiruntur. Primò, requiritur vis, vnde inquit Speculum *ad articulum* 25. Sanchez *lib.* 7. *disput.* 13. *num.* 9. Gutierez *cap.* 86. *num.* 12. quando nulla vis infertur in abducenda femina, sed femina ipsa sponte, aut etiam precibus discedit cum amatore, nescientibus parentibus, non est propriè raptus, sed potius est fuga voluntaria; nulli enim vis infertur. Secus dicendum est, quando parentes sciunt, & renuunt; vis enim infertur parentibus. Ita Henriquez *num.* 4. Gutierez *cap.* 86. *num.* 17. Tuscus *tom.* 6. *verb. Raptor, concl.* 5. *num.* 4. contra Sanchez *num.* 35. & Coninchum *num.* 48. aut quando discedit precibus adeò importunis, vt æquiparentur violentiæ, vt benè ait Sanchez *loco cit.* & Gutierez *n.* 14. [Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 9. *num.* 66. Filliucius *tract.* 30. *num.* 110.] Idem dic de dolo, quoties talis est, vt æquiparetur violentiæ, vt benè tradit Gutierez *num.* 15.

6 Quid ad raptum requiratur.

6 Secundò, requiritur abductio causa libidinis, vel matrimonij. Ex quo fit, vt si femina non abducatur causa libidinis, vel matrimonij, sed redigendi illam in seruitutem, non dicatur raptus, sed plagium. Ex dictis patet primò, ad raptum requiri abductionem causa libidinis, vel matrimonij, præterea requiri vim; vnde si persona aliqua solis precibus, vel promissis, vel etiam dolo abducatur è domo patris, non committitur raptus propriè acceptus, quia non interuenit vis.

7 An sit raptus, quando vir abducitur.

7 Secundò, raptum committi non solùm quando femina abducitur per vim, siue ipsa sit virgo, siue corrupta, siue coniugata, vt asserit Sanchez *num.* 14. Speculum, Reginaldus, & alij *locis citatis*; sed etiam quando vir abducitur per vim. Ratio est, quia in raptu viri concurrunt duo illa requisita ad raptum, videlicet vis, & abductio causa libidinis, vel matrimonij, vt suppono. Existimo tamen pœnas Concilij Tridentini non incurri per raptum viri, nam Tridentinum videtur tantummodò loqui de raptore feminæ. Ita Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio, disp.* 12. *num.* 25. & *disp.* 13. *num.* 16. [Lessius *num.* 66.] Gutierez *num.* 23. *loco citato.* Rebellus, & Speculum *locis citandis.* quamuis aliqui recentiores oppositum sentiant cum Henriquez *lib.* 12. *cap.* 14. *n.* 4. & Gutierez *de matrimonio c.* 88. *n.* 6.

8 An sit raptus, quādo quis virginem opprimit in domo patris, aut illam trahit de vno cubiculo in aliud.

8 Tertiò patet non committi raptum ab eo, qui virginem repertam in domo patris, vel in alia domo non educit de ea domo, sed illam ibi opprimit, aut trahit de vno cubiculo in aliud, vt ibi illam commodiùs violet. Idem dicendum est, si virginem in agro repertam inde trahat per aliquot passus, vt abutatur, secus si inde deducat in aliquam domum extra illum agrum, aut in alium locum, vt benè ait Molina *disp.* 105. *num.* 3. Rodriquez *in summa* 1. *part. cap.* 232. *num.* 2. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 13. *num.* 7. Gutierez *cap.* 86. *num.* 9. Tuscus *tom.* 6. *concluf.* 5. & 6. *num.* 1. *verb. raptor.* [Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dubio* 9. *num.* 66. & Filliucius *num.* 110.]

TERTIA PROPOSITIO.

9 Quænam pœnæ sint raptoribus impositæ.

9 OMissis variis pœnis, quæ habentur in iure ciuili, vt capitis, & amissionis bonorum, quas refert Iulius Clarus §. *raptus.* Molina *loco cit.* Azorius 3. *part. lib.* 3. *c.* 15. Menoch. *de arbitrariis lib.* 2. *centuria* 3. *casu* 291. [Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 9. Filliucius *num.* 116.] Cardinalis Tuscus *tom.* 7. *concluf.* 710. *num.* 5. & *tom.* 6. *verb. raptor, concl.* 6. tria pœnarum genera constituta sunt in Tridentino contra raptorem, *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformatione matrimonij.*

Prima est, vt raptor, & omnes consilium, auxilium, & fauorem præbentes sint ipso iure excommunicati, perpetuò infames, & omnium dignitatum incapaces. Verum tamen est, istam excommunicationem non esse reseruatam iure communi, cùm in Tridentino non fiat mentio reseruationis. [de hac excommunicatione vide quæ tradidi *de censuris in particulari.*]

10 An iuxta iusmodi pœnæ requirant iudicis sententiam.

10 Vtrum verò infamia, & incapacitas dignitatum, quæ à Tridentino iniungitur, incurratur ipso facto ante sententiam iudicis.

Respondetur affirmatiuè, vt patet ex dictis de legibus, & innuit Coninchus *de matrimonio disp.* 31. *dub.* 4. *num.* 48. nam ista pœna non requirit aliquam actionem ad sui executionem, quamuis Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio, disp.* 13. oppositum sentiat cum Molina *tom.* 1. *de iustitia, disp.* 96. *vers. Duo obserua, fol. mihi* 362. [An autem infamia & incapacitas ad dignitates per raptum contracta tollatur per subsequens matrimonium validè postea celebratum inter raptorem & raptam, dissensio est inter Doctores. Ego censeo non tolli, quia in Concilio inducitur infamia perpetua, &c. vt apertè constat ex verbis Concilij, ibi: Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta, illam in virum habere consenserit, eam raptor in vxorem habeat & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, fauorem præbentes, sunt ipso iure excommunicati, ac perpetuò infames, &c. Ita Lessius *num.* 69. & Filliucius *num.* 118. contra Henriquez *lib.* 2. *de matrim. cap. vlt.* & alios.]

Secunda est, vt raptor, siue matrimonium contrahat, siue non, teneatur ad decenter dorandam raptam arbitrio iudicis; quoad alia verò damna tenetur iure naturæ, etiam ante sententiam iudicis, vt benè ait Sanchez *loco cit. num.* 1. Henriquez *num.* 5. Coninchus *num.* 48. nam causa iniusta damni tenetur ad illius restitutionem ante sententiam iudicis.

Tertia est, vt sit inualidum matrimonium celebratum inter raptorem, & raptam, dum rapta est in potestate raptoris, etiamsi liberè consentiat. Idem dicendum est de sponsalibus, vt declarauit Congregatio Cardinalium apud Molinam *loco citato, num.* 22. Idem tenet Sanchez *disp.* 13. *num.* 17. Gutierez *num.* 24. & alij apud Sanchez. Ratio est, quia Concilium non sufficienter prouidisset malo vitando, si sponsalia, quæ inducunt obligationem ad matrimonium, essent valida; validum tamen erit matrimonium, si femina consentiat in matrimonium, postquam constituta fuerit in loco tuto, & libero, separata à raptore, [vt in Concilio dicitur.] Ita Sanchez *lib.* 7. *disp.* 13. *n.* 2. Gutierez *c.* 86. *num.* 7. & alij Doctores citati.

11 An validè celebretur matrimonium cum ea, cum qua celebrata fuerunt sponsalia, quādo per vim celebratur matrimoniū.

11 Ex quo patet primò, inualidum esse matrimonium contractum cum sponsa, quæ per vim fuit abducta post sponsalia liberè celebrata; nam verè interuenit raptus, & matrimonium celebratum inter raptorem & raptam inualidum est, quamdiu rapta est in potestate raptoris. Ita Rebellus 2. *part. lib.* 3. *q.* 11. *num.* 5. Azorius, & Sanchez *locis citatis, num.* 15. quamuis Henriquez *lib.* 12. *cap.* 14. & alij oppositum sentiant. [Secus dicendum est dum sponsa volens abducta fuit ad contrahendum matrimonium, etiamsi fortè ipsius parentes inuiti essent, hic enim iure quidem ciuili est raptus. *l. raptores. de Epiſcop. & cleric.* iure tamen Canonico non reputatur raptus: tum ob textum *cap. cum cauſa. de raptor.* tum quia femina est sui iuris in causa matrimonij: secus dic si volens abducatur ad turpem actum inuitis parentibus, vt dictum est *num.* 5.]

12 Quid requiratur, vt raptor possit contrahere cū rapta, & quid, si per alium fecit raptum.

12 Secundò patet, raptorem non posse contrahere cum rapta, quam rapuit per se, vel per alium, antequam constituatur in loco tuto, vt constat ex Tridentino; poterit tamen tertius, qui non rapuit, contrahere cum rapta, quia pœna Tridentini est contra raptorem, & raptam, non verò contra raptam, & alium, qui non rapuit. Ita Sanchez *disp.* 13. *n.* 7. Gutierez *c.* 186. *n.* 10.

13 An sit raptus, quādo maritus per vim abducit vxorem, quæ vult vti spatio duorum mensium sibi à iure concesso.

13 Quæres, vtrum ille dicendus sit raptor, qui puellam, cum qua contraxit matrimonium nondum consummatum, abducit inuitam per vim, quando ipsa vult vti spatio duorum mensium sibi concesso à iure ante consummationem matrimonij.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia abducit inuitam per vim, ad explendam libidinem, & facit illi iniuriam, cùm sponsa habeat ius denegandi debitum intra bimestre, vt interim deliberare queat de statu eligendo. Ita Azorius *loco citato, cap.* 14. Molina *loco citato, nu.* 7. vbi plures alios refert; [licet contrarium sentire videantur Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 70. & Filliucius *num.* 113. 114. & 115. vbi oppositam sententiam vocat solùm satis probabilem.]

PVNCTVM VLTIMVM.

De sacrilegio in materia luxuriæ.

TRia principaliter quæram in hoc puncto.
Primò, quid sit sacrilegium.
Secundò, quænam loca dicantur sacra, ita vt copula in ipsis habita malitiam habeat sacrilegij.
Tertiò, vtrùm committatur duplex sacrilegium, quando copula habetur ab eo, qui simul est sacerdos, & religiosus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sit sacrilegiũ.

1 SAcrilegium est peccatum luxuriæ, quo res sacra violatur, siue res illa sit persona Deo dicata per votum, siue sit locus consecratus, siue sit alia res sacra.

2 An committat sacrilegium, qui copulam habet cum moniali.

2 Hinc sequitur primò, eum qui copulam habet, aut desiderat habere cum moniali per votum Deo dicata, committere sacrilegium; nam violat, vel saltem cupit violare personam sacram. Ita Azorius *3.part.lib.3.cap.27.quæst.8.* [Filliucius *tract.30.cap.7. quæsito 3.n.122.*] & alij communiter.

3 An sit sacrilegium, quando habens sacros Ordines, aut religiosus committit aliquod luxuriæ peccatum.

3 Secundò, sacerdotem, aut religiosum professum, aut clericum sacris initiatum committere sacrilegium, peccando carnaliter cum femina, vel patrando aliquod luxuriæ peccatum externum, vel etiam internum. Verum tamen est, peccatum grauius esse, quando persona sacra consentit in delectationem internam, vel externam circa aliam personam sacram, quàm circa aliam non sacram. Addo hanc circumstantiam explicandam esse in confessione; eò quòd non sit propriè circumstantia, sed aliquid tenens se ex parte obiecti, vt patet ex dictis *de Pœnitentia, & de peccatis*, & à simili ex suprà dictis *de incestu.* [Ideo dici potest duplex sacrilegium, sicut est duplex adulterium dum vir coniugatus carnaliter cognoscit vxorem alterius, vnum ex parte propria, alterum ex parte alterius cui cooperatur, vt benè Lessius *lib.4.cap.4.num.84.* Filliucius *tract.30.cap.7.num.128.* & alij, quos retuli de multiplicitate numerica peccatorum, *in tractatu de legibus.*]

4 An sit sacrilegium, quãdo quis exercet aliquem actũ luxuriosũ circa rem sacram.

4 Tertiò, sacrilegium committit ab eo, qui polluit aliquam rem sacram per actum luxuriosum exercitum circa rem ipsam sacram; facit enim specialem iniuriam rei sacræ.

5 An sit sacrilegium copulam habere cũ femina habẽte sacras reliquias ad collum, aut tradere rem sacrã pro copula.

5 Vtrùm verò speciale sacrilegium committatur ab eo, qui copulam habet cum femina, dum habet reliquias ad collum appensas, patet ex dictis de reliquiarum veneratione, vbi responsum est negatiuè, quia non agit specialiter contra rem sacram; committeretur tamen sacrilegium ab eo, qui daret alteri res sacras ob actum luxuriosum; nam faceret specialem iniuriam rei sacræ, dando illam vt pretium, & illam conuertendo in vsus profanos.

6 An sit sacrilegium copulam habere in loco sacro.

6 Quartò, sacrilegium committi, quando copula habetur in loco sacro absque necessitate; nam per copulam polluitur Ecclesia, & fit specialis iniuria Ecclesiæ, seu loco sacro. Ita Syluester *verb.debitum, num.5.* Toletus *lib.5.cap.12.* Azorius *loco citato.* Sanchez *lib.9.de matrimonio, disput.15.* Nauarrus *cap.16.num.32.* & alij, quos refert Lessius *lib.4.cap.3.dubio 12.num.85.* Rebellus *2.part.lib.3.quæst.19.n.6.* Henriquez *lib.11. cap.16. num.4.* [contra Ludouicum Lopez *1. parte instruct.cap.82.vers.at verò.* Vasquez *1.2.quæst.72.art.6.disp.98. num.6.* & alios apud Sanchez *num.10.* aliter sentientes dum copula occultè habetur.]

Dixi, *absque necessitate*, quia iuxta communiorem sententiam sacrilegium non committitur, quando coniugalis copula occultè habetur ex legitima necessitate, vt accidit, quando periculum est incontinentiæ in aliquo coniuge, nec alibi adest opportunitas coëundi. Ita Azorius *part.2.lib.9.cap.5.* [Filliucius *tract. 30. num.121.* Lessius *lib.4.cap.4.num.86.*]& alij apud Finellium *casu 5.num.10.* apud Coninchum *quæst.83.artic.3.dubio 1.num.231.* apud Suarez *3.part.tom.3. disp.81.vers. Tertiò violatur, versus finem.* Reginaldus *lib.29.num.182.* & apud Henriquez *lib.9. cap.27. num.6.* contra Nauarrum *cap.16. num.32.* Graffium *loco citato, num.26.* & alios. Idem dic de nocturna pollutione, & de sanguinis effusione facta ad sui defensionem; nam vbi nulla est culpa contra loci sanctitatem, ibi nullum est sacrilegium contra locum sacrum. Ita Doctores citati.

7 An sit sacrilegium concupiscere feminam existentem in Ecclesia.

7 Quintò, non committi speciale sacrilegium ab eo, qui delectatur, vel concupiscit feminam existentem in Ecclesia, quia per huiusmodi delectationem non violatur directè locus sacer; delectans enim, vel concupiscens non habet intentionem habendi copulam in Ecclesia, sed eius appetitus iudicandus est iuxta cursum ordinarium, vt scilicet tendat in copulam extra locum sacrum habendam, nisi aliter constet de expressa intentione concupiscentis, ideo non tenetur hanc circumstantiam loci sacri exprimere in confessione. Secùs si habuit desiderium, seu intentionem habendi copulam in Ecclesia; nam hæc intentio est eiusdem rationis cum actu externo, actus autem externus habet specialem malitiam sacrilegij exprimendam in confessione, cùm sit sufficiens ad polluendam Ecclesiam. Et hoc verum est, non solùm quando actus est publicus, verum etiam quando est occultus, vt patet ex dicta ratione. Ita Rodriquez *cap.207.* Sanchez *loco cit. nu.10. & 11.* Azorius *loco cit.cap.27.quæst.15.* [Filliucius *num.133.*] & alij; quamuis casus reseruatus non incurratur, nisi post delicti publicationem contingentem per confessionem ipsius delinquentis, siue alia ratione.

8 An verba turpia, inspectiones, & tactus impudici, aut pollutio facta in Ecclesia sit sacrilegiũ.

8 Sextò, verba turpia, inspectiones inhonestas, & tactus etiam impudicos factos in Ecclesia, non habere specialem malitiam sacrilegij mortalis, necessariò explicandam in confessione, modò periculum pollutionis non habeant adiunctum; nam per tales actus non violatur specialiter locus sacer, sicut violatur per pollutionem, cum pollutio directè repugnet sanctitati loci, illumque violet, ac polluat, nisi fortè dicamus, illos actus proximè disponere ad pollutionem naturalem, & consequenter ordinari ad violationem, & pollutionem loci sacri, sicque habere specialem malitiam. Ita Sanchez *loco citato, nu.21.* Coninchus *disput.7. de pœnitentia, dubio 4. num.22.* [Filliucius *num. 133.*] & alij Doctores citati contra Suarez *tom.1. de religione lib.3. cap.7.pag.mihi 305.num.11.* & alios aliter sentientes de tactibus impudicis.

SECVNDA PROPOSITIO

9 Quid nomine *loci sacri* intelligatur.

9 NOmine *loci sacri* in hac materia intelligitur Ecclesia consecrata, vel benedicta, cœmeteria, & oratoria constituta auctoritate Episcopi, & deputata ad diuinũ cultum, vt benè ostendit Sanchez *loco citato.* [Syluester *verb.loca, num.4. & seq.* Reginaldus *lib.14. num.40.* Filliucius *num.134.* Mascardus, & alij.] vnde hæc oratoria non possunt ad libitum conuerti in prophanos vsus. Secus dicendum est de monasteriis, dormitoriis, cubiculis sacerdotum, vel religiosorum, & oratoriis priuatis, non constitutis auctoritate Episcopi; quamuis enim loca sint sacra, ita vt gaudeant immunitate Ecclesiæ, non tamen ita sunt sacra, vt copula, vel pollutio in illis habita specialem sacrilegij malitiam habeat, [nisi in ipsis extet altare ad facienda diuina.] Ita Syluester *verb.Ecclesia, num.1.* Azorius *loco citato, cap.27. quæst.13.* Nauarrus *cap.16. num.3.* & Sanchez *loco citato,* vbi etiam ostendit in dubio oratorium præsumi auctoritate Episcopi erectum, quando in eo publicè celebratur, admittendo omnes ad diuina officia; de qua re nos egimus *in tractatu de censuris.*

10 An sit sacrilegiũ habere copulam in Ecclesia destructa.

10 Ex dictis colligi potest, copulam habitam in Ecclesia auctoritate Episcopi destructa, non habere malitiam sacrilegij; non enim est locus sacer, nisi fortè sit destructa, vt iterum reædificetur; tunc enim adhuc est locus sacer, & gaudet immunitate. Ita Sanchez *loco citato,* & alij, quos retuli *de Indulgentiis.*

11 An quælibet pars Ecclesiæ sit locus sacer.

11 Quæres tertiò, vtrùm quælibet pars, seu spatium Ecclesiæ sit locus sacer.

Respondeo, illud spatium dici locum sacrum, quod spectat ad interius corpus Ecclesiæ à tecto interiori vsque ad pauimentum.

Hinc colligitur solutio multorum casuum cum Nauarro *nu.151.* Graffio *lib.2.cap.48.* Sanchez *loco citato.* Suarez *tom.1.de religione, lib.3. cap.9.num.7. & 3.parte de Eucharistia, disputat.81. sect.4.* Reginaldo *lib.29.num.182.* Didaco Nugno *3.part.quæst.83.artic.3.dubio 2.* Coninchо *ibidem, dub.1. num.227.* Finellio *casu 5.* [Filliucio *tract.30. num.135.*] & aliis.

12 An sit sacrilegiũ, & an polluatur Ecclesia, quãdo copula habetur, aut aliquis occiditur supra tectũ Ecclesiæ.

12 Primò, non esse sacrilegium, nec violari locum sacrum, quando copula habetur supra tectum Ecclesiæ, aut ibi aliquis occiditur.

13 An sit sacrilegiũ, quando copula habetur extra parietes Ecclesiæ.

13 Secundò, non esse sacrilegium, nec violari locum sacrum, quando copula habetur extra parietes Ecclesiæ, aut quando in parietibus Ecclesiæ exterioribus aliquis suspenditur, modò illi parietes non inseruiant pro muro cœmeterij; tunc enim esset sacrilegium, cùm sit locus sacer. Ita Doctores citati.

14 An sit sacrilegiũ, habere copulam in loco subterraneo Ecclesiæ.

14 Tertiò, non esse sacrilegium, quando copula habetur in aliquo loco subterraneo Ecclesiæ, vt in cauerna fabricata sub pauimento, modò locus ille subterraneus non sit sepultura. Ratio est, quia locus ille censetur esse extra Ecclesiam, nec spectat ad interius Ecclesiæ corpus à tecto interiori vsque ad pauimentum. Ita Doctores citati.

15 An sit sacrilegiũ, copulam habere in campanili, vel Choro, vel capella.

15 Quartò, non esse sacrilegium, copulam habere in turri, quod vulgò campanile dicitur, quia turris non spectat ad interius Ecclesiæ corpus. Idem dic de sacristia, & cameris Ecclesiæ adhærentibus. Contrarium dic de Choro, & Capellis; nam Chorus, & Capellæ spectant ad interius Ecclesiæ corpus. Ita Doctores citati.

16 An sit sacrilegiũ, copulam habere, aut aliquẽ interficere in porta Ecclesiæ.

16 Quintò, non esse sacrilegium copulam habere, aut aliquem interficere in porta Ecclesiæ extra limen, id est, extra lineam, quam attingunt valuæ, modò limen non spectet ad cœmeterium. Ita Suarez *loco citato, disput.81. sect.4. vers.c. Quintò violatur, ad finem.* Sanchez & Reginaldus *locis citatis,* & alij apud Finellium *loco citato, n.8.*

17 An sit sacrilegiũ, copulam habere in Ecclesia diruta.

17 Sextò, non esse sacrilegium copulam habere, aut aliquem occidere in Ecclesia diruta, quia non est ampliùs Ecclesia, neque nomen habet Ecclesiæ.

18 An committatur sacrilegiũ, quando copula habetur in loco, vbi extensa est prior Ecclesia.

18 Septimò, committi sacrilegium, quando copula habetur in Capella de nouo addita Ecclesiæ, aut in aliqua parte, secundùm quam prior Ecclesia laxata est, & extensa. Ratio est, quia pars addita fit vnum corpus cum priori, consequenter gaudet illius priuilegiis.

19 Quomodo polluatur Ecclesia per seminis effusionem.

19 Quæres, quandónam polluatur Ecclesia.

Respondeo primò, Ecclesiam pollui per voluntariam seminis humani effusionem in ea. [*cap. Ecclesiis. de consecr. dist.1. & cap. si Ecclesia. de consecr. Eccles. in 6.*] Dixi, *humani*, id est, hominis etiam pagani, aut feminæ, non autem bruti, siue effusio fiat per actum coniugalem, siue per alium actum. Dixi, *per voluntariam*, quia si effusio sit inuoluntaria, vt si contingat in somnis, aut etiam in vigilia, sed coactè, non polluit Ecclesiam. Immò Nauarrus, Syluester, Tabiena, & alij, quos refert Sayrus *lib.5.cap.16.num.21.* Henriquez *lib.9.cap. 27. num.5. littera P.* Finellius *casu 5.pag.171.* existimant Ecclesiam non pollui per pollutionem in somnis contingentem, etiamsi fuerit voluntaria in causa; nam eo ipso, quo fit in somnis, non est libera, consequenter non habet secum adnexam aliquam loci irreuerentiam ob quam Ecclesia pollui debeat. Requiritur ergo ad Ecclesiæ pollutionem, vt pollutio sit voluntaria, quamuis non sit necesse, vt semen in terram effundatur; nam loci sanctitas violatur, etiamsi semen in terram non decidat, sed recipiatur in vase naturali feminæ, vel in alio loco. Dixi, *effusionem*, vt aduertamus non sufficere paruam distillationem, & modicam humectationem, vt ait Graffius *loco citato, num.26.* Gambarupta *de casibus reseruatis.* Finellius *casu 5.pag. 166.* Suarez *3.part.tom.3. de Eucharistia, disput.81. sect.4.* Nugnus *loco citato.* Coninchus *loco citato, num.227.* & alij; nam effusio importat aliquam copiam. Vtrum verò polluatur Ecclesia per copulam coniugalem

galem habitam tempore necessitatis, quando scilicet timetur illicita seminis emissio in altero coniuge, nisi coniugalis copula habeatur, patet ex dictis *num.6.*

20 Quomodo polluatur Ecclesia per effusionem sanguinis.

20 Respondeo secundò, Ecclesiam pollui per iniuriosam sanguinis humani effusionem in ea, aut quando datur causa naturalis eius effusionis, aut mortis. [*cap.vnic.de consecrat.Eccles.in 6.*] Dixi, *per iniuriosam*, quia si fiat ad sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel ab amente, vel à furioso, vel à puero vsum rationis nondum attingente, vel casu à tegula cadente, non polluitur Ecclesia, cùm talis effusio non sit propriè iniuriosa. Pollueretur tamen Ecclesia, si aliquis per sui percussionem effunderet sanguinem in Ecclesia; nam talis effusio esset iniuriosa Ecclesiæ. Similiter pollueretur, si Martyr in ea occideretur; nam illa actio esset iniuriosa, & iniqua, licet passio esset grata Deo. Ita Graffius *loco citato, num.24.* Suarez *3.parte de Eucharistia, disput.81. sect.4.initio.* Reginaldus *lib.29. num.* 180. Finellius *loco citato, num.5.pagina* 168. & alij. Dixi, *per effusionem*, quia requiritur aliqua sanguinis abundantia, & non sufficiunt duæ, vel tres guttæ. Immò Graffius *loco citato, num.25.* Coninchus *loco citato, num.* 228. & alij putant non sufficere emissionem sanguinis è naso, vt accidit in rixa puerorum, saltem quando non sufficit ad peccatum mortale. Dixi, *sanguinis*, quia Ecclesia non polluitur, quando aliquis alterius carnes contundit, vel ossa frangit absque sanguine; immò, vt Ecclesia polluatur, requiritur, vt vulnus fiat in ipsa Ecclesia. Vnde non polluitur Ecclesia, quando aliquis vulneratur extra Ecclesiam, & postea sanguinem fundit in Ecclesia, vt in simili dictum est *de Censuris*, cum Suarez, & aliis. Dixi, *in ea*, quia si quis existens in Ecclesia vulneret alium existentem extra Ecclesiam, non ob id polluitur Ecclesia, etiamsi vulneratus postea se recipiat in Ecclesiam, vt mox dixi. Dixi, *aut quando datur causa naturalis eius effusionis*, vt aduertamus Ecclesiam pollui, quando aliquis vulneratur in Ecclesia, & statim se recipit extra eam, antequam in ea sanguinem emittat; nam in ea data est causa naturalis effusionis, vt ait Gambarupta *de casibus reseruatis casu 6.* Graffius *loco citato*, Suarez, & Coninchus *locis citatis*, Finellius *loco citato, num.5.* Nauarrus, & alij. Dixi, *aut mortis*, vt aduertamus Ecclesiam pollui, quando quis in Ecclesia per suffocationem occiditur absque sanguinis effusione, aut quando per carnificem suspenditur, vt habetur *cap.proposuisti.de consecrat.* [*& cap.Ecclesiis. de consecrat.dist.1.*] Ita Henriquez *lib.9. cap.47. num.5.* Graffius *loco citato, num.21.* Sylvester *verb.Consecratio 2.* Finellius, Suarez, Coninchus, *locis citatis*, & alij.

21 An polluta Ecclesia sit pollutũ cœmeterium, & è contrà.

21 Si quæras, an polluta Ecclesia censeatur etiam pollutum cœmeterium illi contiguum.

Respondetur affirmatiuè, quia cœmeterium consecratum gaudet eodem priuilegio, quo Ecclesia, & est accessorium Ecclesiæ, accessorium autem sequitur principale, & nobilius trahit ad se minus nobile; polluto verò cœmeterio, non censetur polluta Ecclesia, quia minus nobile non trahit nobilius. [*cap.vnic. de consecr. in 6.* vbi etiam habetur, polluto vno cœmeterio, non censeri pollutum alterum, quoties vnum cœmeterium est contiguum alteri, & ab eo seiunctum, medio pariete, licet de vno ad aliud per portam intermediam pateat accessus.] Ita Sayrus *lib.5. cap.16. num.18.* Suarez *loco citato, vers.Quintò violatur*, Henriquez *lib.9.cap.27.num.5.* Coninchus *loco citato, num.234.* & alij communiter.

22 An polluatur Ecclesia, quãdo benedicitur, vel cõsecratur ab Episcopo excommunicato, aut quando in ea sepelitur excommunicatus.

22 Respondeo tertiò, pollui Ecclesiam, quando benedicitur, vel consecratur ab Episcopo excommunicato publico, iuxta communiorem Doctorum sententiam contra Suarez & Coninch. *loco cit.* [& aliorum, quorum opinio probabilissima est, cùm opposita nullo claro textu innitatur, & in pœnalibus non sit facienda extensio, nisi in iure habeatur, vt pluribus ostendit Alterius *de censuris, lib.1. disp.* 10. *cap.6. sub finem.* quamuis ipse non recedat à communi sententia. Polluitur etiam Ecclesia quando in ea sepelitur excommunicatus vitandus, *cap.consuluisti. de consecr.* Imò Alterius *lib.1. disp.14. cap.1. col.6.* Panormit. & alij idem sentiendum putant de publico excommunicato, etiamsi denuntiatus non sit. Sed hoc mihi displicet, quia non teneor illum euitare post extrauag. *ad euitanda.* Verum tamen est quando sepelitur excommunicatus vitandus,] illius ossa proiicienda esse è loco sacro, modò dignosci possint ab ossibus fidelium; si verò non possint dignosci, non sunt abiicienda, ne simul cum ipsis abiiciantur ossa fidelium; non enim æquum est, vt iustus pro iniusto patiatur, vt patet ex dictis *de Censuris.*

23 An polluatur Ecclesia, quãdo in ea sepelitur paganus, vel infidelis, aut catechumenus, aut fidelis ante Baptismum.

23 Rursus polluitur Ecclesia, quando in ea sepelitur paganus, aut infidelis, [*cap.Ecclesiam.de consecr.dist.1.*] non verò polluitur, quando Catechumenus sepelitur ante susceptum Baptismum; nam præsumitur decessisse cum Baptismo flaminis. Ita Sayrus *loco cit. num.24.* vbi addit, Ecclesiam non pollui, quando sepelitur in ea filius alicuius fidelis ante Baptismum; quamuis enim ille filius reuera non sit fidelis, propriè tamen non est gentilis, vel infidelis, sicut est filius infidelis; filius enim infidelis si sepeliatur in Ecclesia, polluit Ecclesiam, ac si grandioris esset ætatis. Ego verò puto Ecclesiam pollui, si sepeliatur filius alicuius fidelis ante Baptismum. Ita Suarez *loco citato, vers. Quintò violatur*, Coninchus *loco citato*; nam filius ante Baptismum est infidelis saltem negatiuè, cùm non habeat fidem.

24 An filius sepeliri possit vnà cum matre, quæ in partu moritur cum filio.

24 Si quæras, an filius possit sepeliri cum matre, quæ moritur in partu vna cum filio, antequam filius susceperit Baptismum.

Respondetur cum Hostiense, Vgone, & aliis apud Sayrum *loco citato, num.26.* posse; tunc enim filius censetur pars matris, & pro honore matris Christianæ cum ea sepelitur. Existimo tamen vsu, & consuetudine aliter receptum esse, quando filius iam editus est in lucem, & nondum est baptizatus; videtur enim pars distincta à matre, & hoc magis confirmat sententiam Suarez, qui benè addit, Ecclesiam pollui, quando mater sepulta fuit cum filio adhuc viuo existente in vtero, & filius moritur in Ecclesia, eò quòd mater non fuerit aperta ob negligentiam, vel malitiam; nam ex homicidio culpabili in Ecclesia polluitur Ecclesia. [Idem concedit Coninchus *numero* 233. quamuis hic casus sit de rarò contingentibus.]

Respondeo quartò, Ecclesiam pollui, quando parietes Ecclesiæ maiori ex parte ita destruuntur, vt Ecclesia reædificari debeat; hoc autem non procedit primò in Ecclesia tantummodò benedicta, sed in Ecclesia consecrata, vt benè Coninchus *num.235.* Suarez, Nugnus, Reginaldus, & alij *locis citatis.* Ratio est, quia benedictio adhæret solo, consecratio verò fit in parietibus. Secundò, non procedit, si parietes non destruantur, sed permaneant combusto tecto, & aliis ornamentis, *cap.ligneis. de consecratione Ecclesiarum. & cap.si motum. de consecr.dist.1.*

Si quæras, quomodo se gerere debeat Sacerdos, quando inter celebrandum Ecclesia violatur.

Respondeo cum Suarez *disp.81.sect.4.* Reginaldo *num.179.* Nugno *loco cit.dub.2.ad finem*, Coninch. *loco cit.num.236.* & aliis communiter, quos in simili retuli *de Censuris*, debere Missam inchoatam intermittere, si nondum inchoatus est Canon; si verò Canon inchoatus sit, debet Missam absoluere; nam sacrificium inchoatum iure diuino perficiendum est; censetur autem inchoatum incepto Canone, iuxta præcitatos Doctores, cùm hostia tunc proximè præparetur ad consecrationem.

25 An & quomodo polluens Ecclesiam incurrat casum reseruatum.

25 Quæres tertiò, an polluens Ecclesiam incurrat casum reseruatum, & quando eum incurrat.

Respondeo, polluentem Ecclesiam incurrere casum reseruatum in nostra diœcesi, vt constat ex Concil. prouinciali I. *tit. quæ pertinent ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem.* Incurritur autem casus reseruatus, quando delicta facta sunt publica; nam casus reseruatus iucurritur ob pollutionem Ecclesiæ, Ecclesia autem non polluitur, nisi delictum sit publicum, consequenter Ecclesia non indiget reconciliatione, nisi delictum sit publicum. Ita Suarez *3.part.disp.81.sect.4. vers.Secundò dubitari solet*, Nugnus *loco cit.* Nauarr. *cap.27.* Coninch. Henriquez *loco cit.num.251.* & omnes alij Doctores citati. [Ratio autem, cur Ecclesia non sit reconcilianda, nisi publicè constet Ecclesiam pollutam esse, est, tum quia ita vsu & praxi receptum est: vsus autem & praxis est optima legis interpres: tum quia sicut ob occulta crimina iniungi non solet publica pœnitentia, ne delinquens iniuriosè diffametur; ita neque Ecclesia censenda est polluta, & reconcilianda, nisi publicè constet de pollutione, seu de crimine inducente pollutionem; alioquin Ecclesia diffamaretur. Publicè autem constare potest de pollutione Ecclesiæ, dum euidentia facti, aut confessione delinquentis, aut alia simili ratione pluribus innotuit delictum in Ecclesia perpetratum fuisse. Ita Nauarr. *in manual.cap.27.n.256.* Sotus *in 3.distinct.13. quæst.2. art.3.* Ægydius Coninchus *de Sacram. tom.1.quæst.83.art.3.dub.1.num.230.*]

26 An celebrans in Ecclesia polluta incurrat aliquam pœnam.

26 Si quæras, an celebrans in Ecclesia polluta incurrat aliquam censuram.

Respondetur, celebrantem in Ecclesia polluta ab eo die, quo delictum in ea commissum publicatum fuit, incurrere suspensionem, iuxta Azorium *2.part.lib.10.cap.26.* & Graffium *loco cit.num.28.* Sed iuxta communiorem sententiam Sayri *lib.5.de censuris cap.14.nu.36.* Henriquez *lib.9.cap.27.num.7.* Suarez *loco citato, vers.Sed quæret aliquis*, Finellij *loco citato, num.12.* & aliorum, quorum sententia mihi probatur, non incurrit suspensionem, vel irregularitatem celebrando Missas, vel sepeliendo aliquem, vel persoluendo diuina officia in Ecclesia polluta. Ratio est, quia nullo iure probatur, talem pœnam incurrere, præsertim cùm pollutio Ecclesiæ non sit censura; suspensio autem, vel irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressa.

27 A quónam Ecclesia polluta reconciliari possit.

27 Quæres quartò, à quónam possit Ecclesia polluta reconciliari.

Respondeo cum Azorio *2.part.lib.9.cap.5.* Sayro *loco citato*, Henriquez *lib.9.cap.7.num.6.* Suarez *loco citato, col.9.* Reginaldo *loco cit. num.179.* Conincho *loco cit.num.236.* Finellio *loco cit.num.7.* Posseuino *cap.2. num.44.* Graffio *1.part.lib.2.cap.28. num.30.* & aliis, Ecclesiam pollutam posse per aspersionem aquæ benedictæ reconciliari à simplici Sacerdote, si Ecclesia non erat consecrata. Expedit tamen, inquit Henriquez, obtinere licentiam ab Episcopo, vel eius Vicario Generali, immò ipse censeo necessarium esse petere facultatem, & licentiam ab Episcopo, vel eius Vicario Generali, sicut vsus indicare videtur in nostra diœcesi. Si verò Ecclesia erat consecrata, debet reconciliari ab Episcopo proprio, vel ab alio Episcopo de licentia proprij Episcopi, vel saltem Episcopus dispensare debet, vt interim in ea celebretur. [*cap.aqua per Episcopum. de consecr.*] Vide Sayrum *loco cit.* Posseuinum, & Azorium *locis cit.* Suarez *loco cit.col.9.& 10.* & Auilam *part.5.de censur.disp.7.dub.3.* vbi addit cum Henriquez, & aliis quos refert Henriquez *loco cit.* in comment. littera I, non esse necessariam reconciliationem, quando Ecclesia fuit occultè violata, & post violationem, antequam publicaretur violatio, confectum in ea fuit Missæ sacrificium, nam Ecclesia censetur sufficienter reconciliata per præsentiam Sanctiss. Corporis Christi.

TERTIA PROPOSITIO.

28 An duplex sacrilegiũ committatur ab eo, qui cùm sit simul Sacerdos, & religiosus, committit aliquod luxuriæ peccatum.

28 VAldè probabile est, vnum tantummodò sacrilegij peccatum ab eo patrari, qui cùm sit simul Sacerdos, & Religiosus professus, committit aliquod luxuriæ scelus; idem dici potest de femina copulam habente cum Sacerdote religioso professo. Hæc propositio non est æquè certa apud omnes, nam est duplex sententia. Prima [affirmat esse plura peccata,] videntur enim esse duæ rationes malitiæ, specie inter se distinctæ, eò quòd religiosus aliter dicatur persona sacra ratione voti religionis, & aliter ratione sacerdotij, vnde vt religiosus, agit contra votum, vt Sacerdos agit contra constitutionem Ecclesiæ, qua præscribitur, vt initiatus Ordine sacro seruet castitatem. Ita P. Ledesma *cap.19. de pœnitentia*, Coninchus *de Sacramento Ordinis disp.20.dub.13.num.131.* & alij.

Secunda ſententia, quæ mihi probabilior videtur, negatiua eſt. Ratio eſt, tum quia votum ſolemne caſtitatis adnexum Ordinibus ſacris eſt eiuſdem rationis cum voto emiſſo in profeſſione, tum quia diuerſitas peccatorum non deſumitur ex diuerſitate præceptorum, ſed ex virtutibus, aut ex motiuis ſpecie diſtinctis; ſed religioſus tenetur ſeruare caſtitatem propter idem motiuum, & propter eamdem virtutem, propter quam Sacerdos tenetur eam ſeruare; ergo non committit duplex ſacrilegium, tum quia, qui ſæpiùs idem votum ſimplex repetit, non committit plura peccata tranſgrediendo votum; ergo neque committit plura ſacrilegia, quia peccatum luxuriæ committit, quando tenetur voto ſolemni Religionis, & ſacrorum Ordinum. Ex his patet reſponſio ad rationem Ledeſmæ, Coninchi, & aliorum.

29 Quomodo ſe gerere debeat pœnitens in propoſito caſu.

29 Hinc ſequitur pœnitentem accuſantem ſe de copula, ſatisfacere dicendo in confeſſione ſe eſſe religioſum, vel Sacerdotem, vel Diaconum, vel habuiſſe copulam cum Sacerdote, &c. Ita Rodriquez *1. parte cap. 53. num. 5.* Henriquez *lib. 5. de Pœnitentia cap. 5. num. 6. littera G.* Sanchez *lib. 7. de matrimonio diſp. 27. num. 27.* [Pitigianus *diſt. 16. quæſt. vnic. art. 5. §. quis.* Filliucius *num. 124. & 125.*] & alij, quorum ſententiam valdè probabilem putat Leſſius *lib. 4. c. 3. dub. 12.*

30 An habens votũ ſimplex, & ſolemne ſimul, committat duplex ſacrilegium per aliquod luxuriæ peccatum, & quomodo ſe gerere debeat in Confeſſione.

30 Sed grauior difficultas eſt, vtrùm habens votum ſimplex, & ſolemne caſtitatis committat duplex ſacrilegium per peccatum luxuriæ, & ſatisfaciat in confeſſione dicendo ſe violaſſe votum caſtitatis. Ad quam difficultatem reſpondet Sanchez [*num. 31.* Filliucius *num. 127.*] & alij ſatisfacere dicendo ſe violaſſe votum caſtitatis, aut ſe habere votum, quia votum ſimplex, & ſolemne ſunt eiuſdem ſpeciei, & differunt tantummodò accidentaliter.

Ego verò cum Arragonio 2. 2. *quæſt. 88. art. 7.* Rodriquez *loco cit. num. 5. ad finem.* Azor. *3. part. lib. 3. cap. 27. quæſt. 10.* Conincho *de pœnitent. diſput. 7. dub. 4. num. 20.* & aliis, quos retuli *punct. 6. de Fide*, exiſtimo non ſatisfacere dicendo ſe violaſſe votum caſtitatis. Ratio eſt, tum quia votum ſolemne differt ſpecie à voto ſimplici, vt patet ex diuerſis effectibus, quos ſolemne votum parit; tum quia fornicatio, ſeu aliud peccatum luxuriæ habet priuationem perfectionis alio modo debitæ in aſtricto voto ſolemni, quam habeat fornicatio in aſtricto voto ſimplici; ergo aſtrictus voto ſimplici, & ſolemni committit duplex peccatum, cùm peccata diſtinguantur penes priuationes perfectionum diuerſarum. Hinc patet reſponſio ad rationem Sanchez.

31 An Sacerdos cõmittẽs peccatum luxuriæ teneatur dicere Confeſſario ſe eſſe ſacerdotẽ, quãdo Confeſſarius cognoſcit ipſum eſſe ſacerdotẽ.

31 Vtrùm verò Sacerdos committens peccatum luxuriæ, teneatur dicere Confeſſario ſe eſſe Sacerdotem, vel habere votum ſolemne caſtitatis, quando Confeſſarius cognoſcit, eum eſſe Sacerdotem, conſtat ex dictis de pœnitentia, non teneri, quia Confeſſarius ſciens, ipſum eſſe Sacerdotem, ſufficienter cognoſcit peccata ipſius carnalia habere oppoſitionem cum voto ſolemni caſtitatis. [Ita Pitigianus *tomo 2. diſt. 16. quæſtione vnica, artic. 5. §. quis. pagin. 330.* Azorius *1. parte, lib. 4. cap. 4. quæſito 6. vltra medium.* Toletus, & alij communiter.



TRACTA-

TRACTATVS DE CENSVRIS, ALIISQVE POENIS ECCLESIASTICIS.

TRACTATVM de Censuris septem disputationibus complectemur. In I. disputabimus de Censuris in communi. In II. de Excommunicatione. In III. de Suspensione. In IV. de Degradatione, & Depositione. In V. de Interdicto. In VI. de Cessatione à Diuinis. In VII. de Irregularitate.

DISPVTATIO I.

De Censuris in communi.

PRÆSENTEM disputationem in tres quæstiones diuidemus. In I. recensebimus naturam, & conditiones censuræ. In II. enumerabimus causas excusantes ab incurrenda censura. In III. sermo nobis erit de relaxatione, & absolutione censuræ. Sed antequam rem ipsam aggrediamur, circa nominis etymologiam aduertendum est, censuram iuxta multorum DD. sententiam, originem traxisse à verbo *censeo*, quod significat ferre sententiam, teste M. Tullio in Catilinam, vel à *censio*, quod est, castigo, ex Plauto, & aliis, vel à *censore*, cuius munus erat moribus aliorum præesse, ac delinquentes punire, ex Nauarr. *cap.* 27. *num.* 1. & aliis. Verum, quidquid sit de nominis origine, certum nobis est censuram, quantum spectat ad nostrum institutum, ab Ecclesiasticis scriptoribus accipi pro pœna, seu mulcta, quæ per se ac directè rationem habet pœnæ spiritualis impositæ propter aliquod crimen, qualis pœna est excommunicatio, suspēsio, & interdictum. Ita Nauarrus *loco cit.* Suarez *tom.* 5. *de censuris, disp.* 1. *sect.* 1. Sayrus *de censuris lib.* 1. *cap.* 1. Auila 1. *parte dub.* 1. [Alterius *de censuris lib.* 1. *cap.* 4. *vers. quantum ad nomen*] & alij communiter.

QVÆSTIO PRIMA.

De natura, causis, & conditionibus Censuræ.

PVNCTVM I.

Quid, & quotuplex sit Censura.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sit censura.

1 CEnsura est pœna spiritualis, infligta ab Ecclesiastica potestate, priuans hominem baptizatum vsu aliquorum spiritualium per ordinem ad salutem.

Dicitur, *pœna*, loco generis, in hoc enim conueniunt omnes censuræ.

Dicitur, *spiritualis*, quia est pœna animæ.

Dicitur, *infligta ab Ecclesiastica potestate*, vt ostēdatur causa efficiens censuræ, cùm enim censura sit pœna spiritualis, & Ecclesiastica, non potest imponi, nisi à persona Ecclesiastica, habente potestatem illius inferendæ.

2 An Ecclesia habeat potestatem ferēdi censuras.

2 An verò in Ecclesia existat potestas inferendi censuras, res de fide manifesta est, vt constat tum ex *Matth.* 18. vbi collata fuit Apostolis potestas ligandi, iis verbis: *Quodcumque ligaueritis super terram*, &c. quæ verba, cùm sint generalia, generaliter intelligenda sunt de qualibet censura, & de omni eo, quod ad bonum regimen necessarium iudicatur, vt benè Bellarm. *de Summo Pontifice lib.* 1. *cap.* 15. & alij, quos retuli de Indulgentiis; ad bonum autem regimen in foro externo facit potestas ferendi censuras: tum ex Concil. Constantiensi *sess.* 8. vbi damnatur error VViclef. Ita Suarez *de censur. disp.* 1. *sect.* 2. *fol.* 5. Auila 1. *p. disp.* 2. *fol.* 2. Henriquez *lib.* 13. *c.* 1. *fol.* 740. Sot. *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 1. *fol. mihi* 1555. Vasquez *tract. de excommunicatione dub.* 1. Vgolinus *de censuris tab.* 1. *cap.* 1. *n.* 2. *fol.* 1. Valentia 3. *p. disp.* 7. *quæst.* 17. Coninch. *tom.* 2. *disp.* 13. *dub.* 3. *num.* 24. Filliucius *tract.* 11. *c.* 2. *quæsito* 1. [Alterius *de censuris lib.* 1. *disp.* 1. *cap.* 1. *&* *disp.* 3. *cap.* 1. *& seqq.*] & alij communiter.

Dicitur, *priuans hominem baptizatum*, ad ostendendum subiectum censuræ debere esse hominem baptizatum: cùm enim infidelis non sit subditus Ecclesiæ, sequitur ipsum non subiici censuris ab Ecclesia impositis, sicut subiicitur homo baptizatus, qui est subditus Ecclesiæ.

Dicitur, *vsu aliquorum spiritualium*, ad ostendendam differentiam pœnarum ciuilium, quæ tantummodò positæ sunt in rebus temporalibus, vt in solutione pecuniæ, confiscatione bonorum, &c. Ecclesia verò per censuras priuat rebus spiritualibus, vt vsu Sacramentorum, participatione suffragiorum, exercitio munerum Ecclesiasticorum, &c. Vsu verò rerum corporalium priuat tantummodò secundariò per ordinem ad spiritualia.

Dicitur, *vsu aliquorum*, quia censura non priuat omnibus bonis spiritualibus, sed aliquibus tantum; non enim tollit virtutes infusas, neque priuat actibus virtutum. Ita Suarez *disp.* 1. *sect.* 1. *nu.* 6. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 1. *quæsito* 2. *num.* 5. *& cap.* 7. *quæsito* 2. *num.* 195. & alij communiter.

Dicitur, *ad salutem*, vt manifestetur finis censuræ; nam Ecclesia per censuras non intendit animæ perniciem, sed resipiscentiam à contumacia, & abstinentiam à peccatis, in quorum pœnam iniungit censuras. Ita Suarez *loco cit. lib.* 1. *cap.* 1. Sayrus *n.* 10. Auila *loco cit. disp.* 4. Vgolinus *tab.* 1. *c.* 15. *n.* 2. Coninch. *tom.* 2. *disp.* 13. *dub.* 1. *n.* 9. & alij.

3 An peccatum mortale sit cēsura.

3 Ex dictis colligi potest, peccatum mortale non esse censuram, quamuis priuet hominem gratia, & illum reddat indignum sumptione Eucharistiæ, & aliorum sacramentorum. Ratio est, quia censura est pœna Ecclesiastica, peccatum autem mortale non est pœna Ecclesiastica, [sed malum culpæ.] Ita Vasquez *tract. de excommunicatione, dub.* 1. *n.* 2. Reginald. *lib.* 9. *n.* 111. [Alterius *lib.* 1. *disp.* 2. *cap.* 3. *vers. ad hunc, & tom.* 2. *lib.* 1. *disp.* 1. *cap.* 1. *col.* 2.] & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Quot sint censuræ, & an differāt abirregularitate, cessatione à diuinis, & degradatione, seu depositione.

4 CEnsura triplex est: Excommunicatio, Suspēsio, & Interdictum. Ita Nauarrus *loco cit.* Suarez *loco cit. sect.* 3. Auila *loco cit. dub.* 5. Coninch. *n.* 5. Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 26. Filliucius *tract.* 11. *cap.* 1. *quæsito* 7. & alij apud Henriquez *lib.* 13. *c.* 2. Hæc propositio patet ex Innocentio III. qui interrogatus, quid per censuras intelligeretur, respondit intelligi interdictum, suspensionem, & excommunicationem. Quæ responsio manca fuisset, & imperfecta, si præter tres censuræ species aliæ possent assignari.

Obiicies cum Soto *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 3. *art.* 1. censura est pœna spiritualis, priuans hominem baptizatum vsu aliquorum spiritualium, sed hoc non solum conuenit excommunicationi, suspensioni, & interdicto, sed etiam cessationi à diuinis, irregularitati, degradationi, & depositioni; ergo signum est cessationē à diuinis, &c. esse species censuræ, consequēter species censuræ plures esse, quàm tres enumeratas.

Respondeo, cessationem à diuinis non esse censuram: tum quia non est pœna priuans hominem, &c. sed est simplex quædam prohibitio, vt ait Suarez *disp.* 39. *sect.* 1. *n.* 25. Tum quia sequeretur, violantem cessationem incurrere irregularitatem, quæ incurritur per violationem censuræ: tum quia censura directè fertur in pœnam delinquentis, cessatio verò non magis respicit delinquentem, quàm innocentem, cùm tempore cessationis officia cessent æqualiter omnibus.

Quantum spectat ad irregularitatem, certum est illam non esse censuram: tum quia non omnis irregularitas ponitur in pœnam delicti, sed aliqua ponitur ob defectum absque delicto: tum quia irregularitas non est principaliter instituta ad corrigendos fideles, sicut instituta est censura: tum quia sequeretur, irregularem ministrantem ex officio Sacramenta incurrere nouam irregularitatem; irregularitas enim incurritur, quando aliquis censura affectus solemniter, vel ex officio ministrat in Ordine sacro. Sed falsum est irregularem ministrantem Sacramenta ex officio incurrere nouam irregularitatem; ergo etiam falsum est, irregularitatem esse censuram.

Quantum pertinet ad depositionem, & degradationem, perspicuum est, constatque inter omnes, illas non esse censuras; nam censura ex sua institutione potest auferri posita resipiscentia, & emendatione delinquentis, depositio verò, & degradatio carent spe remissionis: ob id depositio & degradatio appellantur vinculum indissolubile, censura verò vinculum dissolubile nuncupatur. Ita Sayrus *loco cit.* Nauarrus *cap.* 27. *n.* 163. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 2. Auila *loco cit. disp.* 5. Suarez *disp.* 1. *sect.* 3. [Alterius *de censur. li.* 1. *c.* 2. *&* 3.] & alij cōmuniter.

5 Quotuplex sit cēsura excōmunicationis, suspensionis, & interdicti.

5 Quæres primò, quotuplex sit censura Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti.

Respondeo primò, aliam esse à iure, aliā ab homine. Censura à iure dicitur ea, quæ fertur à legislatore cum intentione condendi legem seu statutum generale perpetuum, iniuncta transgressoribus pœna censuræ. Censura ab homine dicitur, quæ fertur à superiore aliquid præcipiente, non intentione ferendi statutum, aut condendi legem perpetuam, sed intentione ferendi præceptum temporale, & transitorium, imposita contra inobedientes censura. Ita Syluester *verb. Excommunicatio* 3. Suarez *de censuris disp.* 3. *sect.* 1. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 7. *nu.* 11. *&* 12. Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 9. *§.* 4. *fol.* 76. Filliucius *cap.* 1. *quæsito* 7. *& c.* 3. *quæsito* 1. Coninch. *dub.* 2. *n.* 11. *& seq.* & alij, qui hanc differētiam inter censuram ab homine, & à iure constituunt, quòd censura ab homine cessat mortuo cōditore, censura verò à iure durat adhuc eo extincto, *cap. fin. de officio legati.* Præterea censura à iure ab iis solùm ferri potest, qui potestatem iurisdictionis habent condendi legem, qualem potestatem habet Summus Pontifex, Concilia generalia, Legatus Pontificis, Episcopus in sua diœcesi, Archiepiscopus in Cōcilio Prouinciali non solum respectu suæ diœcesis, sed etiam respectu eorum, qui subiiciuntur Episcopis suffraganeis. Eadem auctoritate fulgent alij iurisdictionem Episcopalem habentes. Ob id Capitulū Sede vacante potest condere statutum duraturū in perpetuum, nisi reuocetur per Episcopum successorem; nam Capitulum succedit in iurisdictionem Episcopi, nisi in aliquo casu impediatur. Verum tamen est Capitulum

viuente Episcopo non posse absque illius licentia, & facultate statutum aliquod sancire, quia tunc iurisdictione Episcopalem non habet: Ita Sayrus *loco cit.* Auila *loco cit. c.3. disp.3.* Suarez *tom.5. disp.2. sect.3. & disp.28. sect.1.* Vgolinus *loco cit.* Salas *de legibus quæst.95. tract.14. disp.8. sect.5. vsque ad 19.* Filliucius *tract.11. cap.2. quæsito 5. & cap.3. quæsito 1.* [& alij quos retuli *de legib. quæst.1. punct.3. n.29.*]

Respondeo secundò, censuram excõmunicationis, suspensionis, & interdicti aliam esse latæ sententiæ, aliam ferendæ. Censura latæ sententiæ dicitur, quæ ipso facto incurritur absque alia iudicis sententia. Censura sententiæ ferendæ dicitur, quę solummodò est comminatoria, nec ipso facto incurritur ante sententiam iudicis, vt in confesso est apud omnes Doctores.

6 Quomodo cognosci possit censura latæ, & ferẽdæ sententiæ.

6 Rogabis, quomodo possimus cognoscere censuram esse latæ, vel ferendæ sententiæ.

Respondeo primò, ex sequentibus regulis cognosci posse censuram esse latæ sententiæ.

Prima est, quando in lege ponuntur istæ particulæ, *ipso facto, ipso iure, aut latæ sententiæ.*

Secunda est, quando cum censura ponũtur hæc aduerbia, *confestim, statim, illicò, continuò, ex tunc, omninò, prorsus, incontinẽti, mox, protinus.*

Tertia est, quando censura ponitur per verbum præsentis, vel præteriti temporis, vt quando dicitur: Qui hoc, vel illud fecerit, excommunicatur, suspenditur, vel est excommunicatus, vel suspensus: aut sit excommunicatus, vel suspensus, aut nouerit se excommunicatum, vel suspensum; aut nouerit se excommunicari, vel suspendi; aut excommunico, vel suspẽdo; aut declaro, definio, iudico, volo hunc esse excommunicatum, vel suspensum, &c. vel etiam si dicatur, Sit anathema; idem enim est, ac si diceretur, sit excommunicatus; iuxta Suarez *disp.3. sect.3. n.4.* vbi oppositam sententiam vocat omninò falsam, iuxta Vgolinum *tab.1. cap.9. §.6. n.18.* Filliucium *cap.1. num.19.* contra Glossam *in cap. de foro competenti.* Baldum, & alios, quos citat, & sequitur Sanchez *de matrim. lib.7. disp.12. n.2.*

Quarta regula est, quando censura fertur per verba imperatiui modi, temporis præsentis. e.g. Qui hoc, vel illud fecerit, subiaceat excommunicationi, habeatur pro excommunicato, vel subdatur excommunicationi, vel incurrat, aut incidat in excommunicationem. Ita communiter Doctores paulò pòst citandi.

Respondeo secundò, ex sequentibus regulis facilè cognosci posse, censuram non esse latæ, sed ferendæ sententiæ.

Prima est, quando dicitur: Incurrat censuram comminatoriam, vel præcipimus [sub interminatione anathematis, vel] sub pœna excommunicationis, suspensionis, &c.

Secunda regula est, quando censura fertur per verbum futuri temporis, vt quando dicitur: Qui hoc fecerit, excommunicabitur, vel suspenderur, aut excommunicetur, vel suspẽdatur, quatenus verbum *excommunicetur*, vel *suspendatur*, continet præceptum alteri impositum ad ferendam censuram excommunicationis, vel suspensionis; cum enim ad incurrendam in hoc casu censuram actio iudicis requiratur, non est cur dicamus, censuram esse latæ sententiæ. Si verò superior per hæc verba *excommunicetur*, vel *suspendatur*, imperatiuo modo prolata intendat sua potestate suspendere, vel excõmunicare, censura dicitur ipso facto lata, vt patet ex quarta regula præcedentis responsionis. Idem dic, quando cum verbo futuri tẽporis adduntur illæ particulæ, *ipso facto, vel ipso iure*, vt si dicatur: Excommunicabitur ipso facto, vel eo ipso, vt dictum est in secunda regula primæ respõsionis.

Tertia regula est, quando dubium aliquod suboritur, an censura sit latæ, vel ferendæ sententiæ: tunc enim iudicandum est, censuram non esse latæ sententiæ, sed ferendæ; nam odia non sunt amplianda, sed restringenda, & in mitiorem partem accipienda, & interpretanda, vt est commune, ac vulgatum axioma omnium Iurisperitorum, & Theologorum, desumptum ex *reg.49. iuris in 6.* Ex quo fit, vt censura lata hoc pacto: Excommunicationem noueris te incursurum, censeatur comminatoria, quia dubium est, an Summus Põtifex velit ipso facto ligare, cùm verba sint futuri temporis. Ita Felinus *cap. Rodulfus, de rescript. n.28.* contra Coninch. *n.20.* Filliucium *n.18.* Suarez *sect.3.* Vgolinum *loco* statim *citando*, quibus pro præcedentibus casibus additur idem Suarez *loco cit. n.3. & de legib. lib.5. c.6. n.25. & 26.* Clauis Regia *lib.3. cap 8. & de censuris lib.1. cap.11.* Azorius *1. part. lib.5. cap.6. & 26.* Auila *1. p. dub.7.* Vgolin. *tab.1. cap.9. §.6.* Coninch. *disp.13. dub.2. n.20. & seq.* Filliucius *tract.1. cap.1. quæsito 8.* & alij.

PVNCTVM II.

Quænam sit causa efficiens censuræ, seu quinam possint infligere censuras.

1 Quot sint genera causarum.

1 NOtandum ex communi Philosophorum, & Theologorũ sententia, quatuor esse genera causarum, efficientem, formalem, materialem, & finalem. In hoc puncto disputandum nobis constituimus de causa efficiente, seu inferente censuras. Sed prius tria præmittenda sunt:

Primò, potestatem ferendi censuras esse de iure diuino, vtpote à Deo collatam, *Matth.18.* vt dictum est *punct.1. n.2.* & de Indulgẽtiis, vbi ostendi hanc potestatem in Summo Pontifice valide electo immediatè esse à Christo, in reliquis verò mediatè, id est, mediante Summo Pontifice, qui potestatem à Christo acceptam aliis confert, consequenter etiam illis auferre, vel moderari potest, vt re ipsa aufert excommunicato vitando. [Ita Doctores, quos *loco cit.* retuli, nec dissentiunt Caietanus *in tract. de auctoritate Papæ, cap.*... Alterius *lib.3. c.1. col.3.* Sotus *in 4. dist.20. quæst.1. art.2.* & alij]

2 An aliqua censura sit de iure diuino.

2 Secundò, nullam censuram esse à iure diuino impositã. Ratio est, tum quia tunc imponitur aliqua censura, quando specialiter præscribitur talis pœna, vel talis priuatio, vt est priuatio Communionis fidelium in ferenda excommunicatione, sed non potest ostendi, talem pœnam, vel priuationem esse præscriptam à iure diuino; ergo nulla censura est à iure diuino imposita: tum quia, si est aliqua censura iure diuino instituta, maximè est excommunicatio, *Matth.18.* illis verbis, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus*; sed in eo loco non est imposita excommunicatio; ergo excommunicatio non est instituta iure diuino. Minor probatur primò, quia *Matth.18.* subduntur illa verba, *Amen dico vobis, si quid ligaueritis super terrã, erit ligatum & in cælis*; quibus verbis satis ostẽditur, nondum fuisse latam aliquam censuram, sed collatam esse Apostolis potestatẽ ferendi censuras, vt communiter exponunt DD. Theologi. Secundò, quia illis verbis ostenditur grauiter peccare cos, qui non obediunt Ecclesiæ, propterea euitandos esse, non tamquam excommunicatos, sed tamquam graues peccatores, quales sunt Ethnici, & publicani. Idem dic ad illa verba ad Titum *3. Hæreticum hominem post primam & secundam admonitionem deuita*, & ad illa *2.* Ioan. *Si quis hanc doctrinam non affert, nec aue ei dixeritis.* Ita Suarez *disp.2. sect.1.* Vasquez *dub.1. n.8.* Henriq. *lib.13. c.1.* Auila *1. part. dub.2. & 2 part. disp.1. dub.6.* Vgolinus *tab.1. c.2. §.1.* Filliucius *tract.11. cap.2. quæsito 3.* [Alterius *lib.1. disp.3. c.3. col.6.* & alij contra Couarr. *cap. Alma mater. part.1. §.1. n.1. & seq.* & alios.]

3 Tertiò præmittendum est, aliquas conditiones requiri in ferente censuras.

3 Quænam requirãtur in ferente censuras.

Prima est, vt sit homo viator, id est, viuens in hoc mundo. Ratio est, tum quia homo extra viam non est capax iurisdictionis. Ob id beatus, aut Angelus non potest infligere censuras: tum quia censura Ecclesiastica est veluti quidam gladius Ecclesiæ militantis, vt benè ostendit Vgolinus *tabula 1. cap.2. §.2.* Filliucius *cap.2. quæs.4. & 7.* Reginald. *lib.9. n.114.* [Alterius *lib.3. disp.7. c.6. col.2.*]

Secunda est, vt habeat vsum rationis. Ratio est, quia carens vsu rationis non potest iurisdictionis actum exercere. Ita communiter DD. teste Conincho *tom.2. disp.13. dub.5. n.35.* Qua de causa sententia lata ab ebrio, vel à furioso, vel ab alio rationis vsu destituto irrita est, & inualida, vt patet ex *cap. sciscitatus*, [*de rescript. & c. inde eorum. de stat. & qual.*] & ex aliis locis apud Vgolinum *loco cit.* Suarez *sect.4. & 5.* Filliucium *n.40. & seqq.* [& Alterium *loco cit.* An autem carenti vsu rationis delegari possit facultas ferendi censuras, quam facultatẽ exercere valeat acquisito vel recuperato rationis vsu, dissensio est inter Doctores. Ego probabilius censeo validè delegari posse, ita vt delegatio valeat, dum adepto rationis vsu acceptata fuerit. Ratio est, tum quia potestas ferendi censuras conseruari potest in subiecto superueniente defectu vsus rationis; ergo etiam aliqua ratione acquiri potest: tum quia non potest vlla sufficiens ratio afferri, cur huiusmodi delegatio irrita sit. Ita Alterius *lib.3. disp.7. cap.6. col.3. vers. si quis.*]

Tertia conditio est, vt sit baptizatus, infidelis enim non est capax iurisdictionis Ecclesiasticæ, eò quòd Baptismus sicut est ianua Sacramentorum; ita sit Ecclesiasticæ iurisdictionis. Ita Henriquez *lib.13. c.23. n.1.* Filliucius *cap.2. quæs.7.* [Alterius *loco cit.*] & Vgolinus *tab.1. c.2. §.9.* vbi sub dubio asserit, Summum Pontificem posse facultatem ferendi censuras concedere, & conferre infideli.

Quarta est, vt non sit laicus. Ratio est, quia censura ferri debet ab eo, qui iurisdictionem habet Ecclesiasticam, *c. decernimus. de iudiciis, & cap. Ecclesia. de constitutionib.* Ita S. Tho. *in 4. dist.19. q.1. art.2.* Sotus *in 4. d.29. q.1. art.3.* Suarez *disp.2. sect.3. n.8.* Vgolinus, Reginald. *n.115.* [Alterius *lib.3. disp.7. cap.5. col.2. & cap.6. col.4. vers. quinta conditio.*] Filliucius, & alij *locis citatis.*

Ex hac conditione sequitur à fortiori, feminam non posse ferre censuras.

4 An feminæ possint ferre censuras.

4 Difficultas solùm est, vtrùm femina possit saltem ferre censuras de potestate absoluta Summi Pontificis.

Respondeo, non esse improbabile, feminã posse de absoluta Summi Pontificis auctoritate ferre censuras. Ita Paludanus *in 4. dist.19. quæst.2. art.1.* Sotus *dist.20. quæst.1. art.4.* Filliucius *tract.11. c.2. quæs.8.* Reginald. *n.116.* Nauarr. *consil.72. de sent. excommun.* Vgolinus *tab.1. c.2. §.7. n.5.* vbi plures alios refert. In eamdẽ sententiam inclinat Suarez *disp.2. sect.3. n.7.* [Alterius *lib.3. disp.7. c.5. col.3. & c.6. col.6. vers. tertio.*] contra Auilam *1. part. dub.6.* Coninch. *disp.13. dub.4. n.33.* & alios. Ratio est, quia non est contra ius diuinum, vel naturale, Summum Pontificem posse huiusmodi facultatem concedere: ergo non est improbabile, feminam posse de potestate Summi Pontificis absoluta ferre censuras; de iure verò ordinario non potest: tum quia ipsa est persona laica: tum quia *cap. noua. de pœnitentiis, & remissionib.* habetur claues regni non esse datas feminis, neque Beatissimæ Virgini: tum quia *in cap. de monialibus, de sent. excommun.* habetur Abbatissam non posse à censuris absoluere sibi subditas; ergo neque ferre potest.

Neque obstat, aliquas Abbatissas suspẽdisse; nam illa suspensio non erat censura, sed quædam prohibitio, ob cuius violationẽ non fuisset contracta irregularitas, quamobrem Valentia *tom.4. disp.7. quæst.16. punct.3. versus finem*, cum Soto rectè asserit prælatas mulierum religiosarum nõ habere propriè potestatem iurisdictionis spiritualis, sed solùm habere commissionem quorumdam actuum per ordinem ad correctionem, & disciplinam domesticam subditorum; cõsequenter non posse sub mortali præcipere id cuius transgressio non esset alioquin ex se peccatũ mortale. Nisi fortè aliquid præcipiant ex paterna, & domestica gubernatione, id est, ex potestate œconomica, & quasi dominatiua, vt cum Molina, Couar. & aliis docui *de legib. q 1. punct.3. n.3.* [quibus adde Alteriũ *loco cit. c.5. col.3. & to.2. de suspens. disp.7. c.3.*]

Quinta conditio est, vt ferens censuram non habeat iurisdictionis vsum impeditum, vt accidit dum iudex est excommunicatus vitandus, vel dum interposita fuit legitima appellatio: nullus enim censuram ferre potest sine potestate, hic autem perinde est, ac si potestatem non haberet. Ita Suarez *disp.2. sect.4. num.1. & 2.* & alij, quos referam *quæst.2. punct.5. n.10.* videnda sunt quæ ibi tradidi.

Sexta conditio est, vt non feratur in causa propria, in qua ipse actoris, & iudicis personam sustineat, *cap. inter querelas 23. quæst.4.* Ratio est, tum quia nullus potest esse actor, & iudex. *cap.1.4. quæst.4.* tum quia qua parte est actor, debet esse subditus, qua parte est iudex, debet esse superior: cùm autem nullus possit sibi ipsi esse subditus, & superior, sequitur nullum posse censuram ferre in causa propria, id est, in materia communi inter partes, inter quas causa agitur.

Excipitur casus defensionis, dum quis per modum defensionis censuram fert in eum, qui sibi violentiam infert, tũc enim licitum est

vti

vti suis armis ad propulsandam vim, & iniuriam, iuxta illud, *vim vi repellere licet.* Vide Pano. *c. cum venissent, de iudicijs, & c. t. de offic. deleg.* Suar. *de cẽsuris disp. 2. sect. 4. n. 7. & seq.* Filliuc. *tract. 11. c. 2. quæst. 9. n. 42.*

VNICA PROPOSITIO.

5 Quinam possint ferre censuras auctoritate ordinaria.

5 POtestas ferendi censuras iure ordinario residet in Summo Pontifice respectu omnium Christianorum [cuiuscumque gradus & cõditionis existant.] Præterea in Episcopis, in Archiepiscopis, & Patriarchis respectu sibi subditorum. Ratio est, tum quia Sũmus Põtifex, Episcopi, &c. habent iurisdictionem in foro externo necessariam ad continendos subditos in officio; sed ad iurisdictionem in foro externo exercendam, & ad contineudos subditos in officio, necessaria est potestas ferendi censuras, vt subditi per censuras retrahantur à peccatis; ergo potestas ferendi censuras residet in Summo Pontifice, in Episcopis, &c. habẽtibus proprios Episcopatus, & diœceses: tum quia *Matth. 18.* dicitur, *Quæcumque ligaueritis super terram*, &c. quibus verbis collata fuit potestas ferendi censuras Apostolis, & eorum successoribus, quales sunt Episcopi. [& licet *in cap. penultimo 15. q. 7.* habeatur Episcopos non posse causas cognoscere absque præsentia seu consilio Capituli seu Clericorum; nihilominus aliter vsu & consuetudine receptum est, exceptis quibusdam casibus, de quibus specialis mentio in iure habetur, vt est casus alienationis bonorum Ecclesiasticorum, *Clement. 2. de rebus Eccles. non alienand.*] Eadem iurisdictione, & potestate ordinaria ferendi censuras fruitur Legatus à latere Põtificis, *cap. legatus. de officio legati, in 6.* Eamdem habet Vicarius Papæ, aut Episcopi, vt inquiunt communiter DD. *in cap. licet, de officio Vicarij.* [modò iurisdictio Episcopi non sit suspensa, vt ostendam *disp. 2. q. 2. punct. 5. §. 2. nu. 12.*] Eamdem habet Capitulum Sede vacante, nam succedit in iurisdictionem Episcopi. Eadem gaudet Vicarius Capituli Sede vacante. Eamdem etiam habent alij, quibus ex officio, & statuto Ecclesiæ competit huiusmodi potestas, vt sunt Abbates, & Priores Ecclesiarũ habentes iurisdictionem in foro externo, Prælati religionum, vt Prouinciales, & Guardiani, vt benè ostendit Suarez *tom. 5. disp. 2. sect. 2.* ex *c. cũ in Ecclesiis. de maioritate, & obedientia*, & alij suprà citati *punct. 1. n. 2. & 5.* Idẽ militat in Cardinalibus respectiuè ad Ecclesias, in quibus iurisdictionẽ in foro externo habent.

Parochus verò non habet potestatem ferendi censuras. Ratio est, tum quia non cõstat, hanc potestatem illi competere ex iure diuino, aut humano; tum quia non est illi necessaria, cùm non habeat iurisdictionem in foro exteriori; quamuis Sylvest. *verb. Excommunicatio n. 1.* existimet, Parochum habere potestatem ferendę excommunicationis in furto, rapina, & similibus casibus. Verùm hoc est incertum, & contra communem praxim, vt benè ait Suarez *disp. 12. sect. 1. num. 3.* Nauar. *c. 27. n. 5.* Filliuc. *tract. 12. c. 1. quæst. 5. n. 11.* [Alterius *lib. 3. c. 3. col. 3. disp. 7.*] & Henriquez *lib. 14. c. 24. n. 3.* vbi asserit, huiusmodi facultatem reuocatam fuisse per Tridentinum *sess. 25. c. 3.* eamque concessam fuisse Episcopis. Non nego tamen, quin Parochi, vel alij per consuetudinem, aut prescriptionem possint acquirere iurisdictionem ferendi censuras in suos subditos, sicut etiam possunt acquirere potestatem absoluendi ab excommunicatione lata ab alio. Ratio desumitur, tum ex *cap. dudum 6. vers. Sed cum in iure*, tum ex natura consuetudinis, per quã sicut obligatio inducitur, ita iurisdictio acquiritur, non quia ipsa consuetudo conferat iurisdictionem, sed quia Summus Pontifex illam mediante consuetudine confert. Verum tamen est, illum, qui per consuetudinem, aut præscriptionem acquisiuit potestatem ferendi vnam censuram; non acquisiuisse potestatem ferendi aliam; quia consuetudo faciendi vnum, non inducit facultatem faciendi aliud ab eo distinctum. Ita Vgolinus *tab. 1. c. 2. §. 21. n. 4.* vbi citat Innocentium, Sayrus *lib. 1. c. 6.* Suarez *sect. 2. n. 6.* [Alterius *lib. 3. c. 1. col. 10. disp. 7. vers. sed dubitant.*] & alij, quos retuli *punct. 1. nu. 2. & 5.*

6 Quis delegari possit ad ferẽdas censuras.

6 Difficultas modò est, vtrùm aliqui possint ob facultatẽ sibi commissam ab habente ordinariam potestatẽ ferre censuras. Pro solutione præmittendum est potestatem aliam dici ordinariam, aliam delegatam, quid autẽ vnaquæq; sit, patet ex dictis *de legib. disp. 10. punct. 1.*

Hoc posito, ad difficultatem respondetur, Clericum posse ex commissione sibi facta à legitimo superiore, vel ex consuetudine legitimè introducta ferre censuras. Ratio est, quia clericus est capax Ecclesiasticæ iurisdictionis, etiamsi tantùm habeat primam tonsuram, vnde simplex clericus prima tonsura initiatus potest esse Vicarius Episcopi, & ferre censuras. Ita Vgolinus *tab. 1. c. 2. §. 9.* Suarez *disp. 2. sect. 3. nu. 11.* & alij communiter. Ille verò, qui non est clericus, non potest validè ferre cẽsuras, etiamsi sit religiosus; nam laicus caret iurisdictione, nec potest illam per consuetudinem, seu præscriptionem acquirere, eò quòd non possit per consuetudinem fieri capax iurisdictionis spiritualis, Vgolin. *lococit. §. 15.* cum Abbate *cap. finali n. 15. de consuet.* Suarez *disp. 2. sect. 3. n. 11.* Filliucius *c. 2. quæst. 2.* Auila *1. parte dub. 6.* Henriquez *lib. 13. c. 24.* [Alterius *lib. 3. disp. 7. cap. 6. col. 6. vers. quarto.*] & patet ex dictis de præscriptione. Concedo tamen laicum posse de potestate Summi Pontificis absoluta ferre censuras: nam Summus Pontifex dispensare potest in omni iure humano. De iure autem humano est vt potestas spiritualis iurisdictionis à clericis solùm exerceatur. De potestate verò Episcopi non potest laicus ferre cẽsuras; quia Episcopus non potest dispensare in lege superioris decernentis censuram ferendam non esse à laico, facientisque laicum huius iurisdictionis incapacem, *cap. præterea dist. 32.* Quod dictum est de laicis, extenditur à Panormitano, Alterio, & aliis ad clericos coniugatos, etiamsi habeant quatuor minores, *cap. fanè 1. de clerico coniugato*; nam clerici coniugati non possunt admitti ad negotia Ecclesiastica, vt patet ex *cap. fanè citato.* Idem dicendũ est de religiosis, & professis nondum initiatis prima tonsura. [Ita Victoria *relect. 2. q. 2. n. 4 de potest. Eccles.* Alterius *lib. 3. disp. 7. c. 6. col. 6.* & alij DD. citati, omissis iis quos retuli *in tract. de legib. punct. vlt. notab. 3. de dispensatione in voto.* vide *ibi* dicta.

7 (An collegium constans laicis & clericis, sit capax iurisdictionis ad ferendas censuras.)

7 Maior difficultas est, vtrùm collegium constans laicis & clericis, sit capax iurisdictionis ad ferendas censuras.

Respondeo collegium Ecclesiasticum esse capax, alioquin nec capitulum posset sede vacante, vicarium constituere. Secus dic si collegium sit laicum & sæculare; tunc collegium censetur Ecclesiasticum, dum plures sunt Ecclesiastici, quàm laici, secus si plures sint laici. Si verò æqualis esset laicorum & Ecclesiasticorum numerus, probabile est collegium censendum esse Ecclesiasticum, quia magis dignum trahit ad se minus dignũ. *c. in dubiis. de consecrat. Eccl.* ita Panormit. *in c. cum super. n. 11. de offic. de leg.* Alter. *lib. 3. disp. 7. c. 6. col. 7. vers. quinto.*] laicis & clericis, sit capax iurisdictionis ad ferendas censuras.)

PVNCTVM III.

De causa materiali proxima censuræ.

1 Quotuplex sit causa materialis cẽsuræ.

1 NOtandum, causam materialem censuræ duplicem esse, proximam, & remotam. Proxima est peccatum, propter quod incurritur censura. Remota est persona ipsa quæ ligatur censura. In præsenti puncto sermo nobis erit de causa proxima, & quinque principalit er quæremus.

Primò, vtrùm ad incurrendam censurã requiratur aliquod peccatũ.

Secundò, vtrùm peccatum debeat esse externum.

Tertiò, vtrùm debeat esse mortale.

Quartò, vtrùm debeat esse consummatum.

Quintò, vtrùm censura ferri possit pro peccato præterito.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An cẽsura supponat aliquod peccatum.

2 AD incurrendam censuram prærequiritur aliquod peccatum. Ratio est, quia censura est pœna spiritualis inflicta ab Ecclesia; pœna autem imponitur ob aliquod peccatum; ergo prærequiritur aliquod peccatum ad incurrendam censuram.

Ex quo patet, inquit Auila *1. part. dub. 9.* & alij communiter, ad incurrendam censuram non sufficere solam Prælati voluntatem, sed prærequiri delictum subditi.

3 An ad censuram requiratur peccatum proprium.

3 Quæres, vtrùm ad incurrendam censuram requiratur peccatum proprium, vel sufficiat alienum.

Respondeo, censuram excõmunicationis non incurri, nisi ob peccatum proprium, vt patet tum ex *cap. si habes. 24. q. 3.* & ex aliis textibus apud DD. statim citandos: ob id sancitum est, vt excõmunicatio non feratur in communitatem: tum quia excommunicatio est grauissima pœna imposita ob contumaciam illius, qui eam incurrit, & priuat grauissimis bonis. Cẽsura verò suspẽsionis potest ferri ob peccatum alterius, vnde ferri potest in communitatem ob delictum alicuius ex illa communitate, *c. si sententia. de excommunicatione in 6.* Similiter interdictum potest ferri ob peccatum alterius, *cap. si sententia. de sent. excommunicationis in 6.* in quo casu non propriè fertur in pœnã illius, qui non peccauit, sed in pœnã delinquentis, qui punitur in alio. Ita Couar. *cap. Alma 1. p. §. 9. nu. 3.* Suarez *disp. 4. sect. 2. n. 2. & disp. 36. sect. 2. n. 13.* Vgolinus *tab. 1. c. 17. §. 8.* Sayrus *lib. 1. c. 9. n. 29.* Henriq. *c. 50. art. 2.* Auila *part. 5. disp. 3. dub. 1.* Filliucius *cap. 6. n. 157. quæst. 2.* Regin. *lib. 9. n. 156.* [Alterius ex parte *tom. 2. disp. 7. cap. 1.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An ad cẽsuram requiratur actus exterior.

4 AD incurrendam cẽsuram requiritur peccatum exterius, & non sufficit peccatum purè internum, quod ita in mente lateat, vt aliter cognosci nõ possit, nisi per reuelationem. Ratio est, quia Ecclesia fert legem, vel censuram de iis, de quibus iudicare potest: Ecclesia autem non iudicat de merè internis, nisi indirectè, *c. erubescat, & cap. sicut tuis, de simonia*; solus enim Deus est iudex internorum & occultorum. Ita Sot. *in 4. dist. 22. q. 3. art. 3.* Sanch. *lib. 9. de matr. disp. 32.* Sylvest. *verb. excõmunicatio 7. q. 2.* Vasq. *tract. de excom. dub. 13. & 2. 2. disp. 160.* Valẽt. *2. 2. disp. 7. q. 3. punct. 2.* Coninch. *n. 71.* Reginal. *lib. 9. n. 158.* & alij apud Salas *disp. 9. de legib. sect. 1.* apud Vgolin. *tab. 1. c. 9. §. 10.* apud Auila *1. part. dubio 10.* apud Suar. *disp. 4. sect. 2. n. 6.* apud Sayr. *lib. 3. c. 1. & lib. 1. c. 9.* [Apud Alterium *lib. 3. disp. 1. c. 2. col. 2.*] & apud Filliucium *quæst. 3. nu. 162.* Verum tamen est Ecclesiam posse indirectè præcipere actum internum, vnde in diuino officio præcipit attentionem indirectè quatenus directè præcipit orationem, quę non potest subsistere sine attentione. Similiter *Clementina 1. §. verum. de hæreticis*, excõmunicantur Inquisitores, qui odio, vel spe lucri puniunt aliquem innocentem, non enim illos excommunicat, vel punit præcisè ob actum internum odij, sed per ordinem ad actum externum punitionis, qui prouenit ex actu interno odij: vt benè ait Suar. *disp. 4. sect. 2. nu. 17.* Alfonsus à Castro *lib. 2. de lege pœnali, cap. vltimo.* Vasq. *dub. 13. n. 4.* & alij communiter, & patet ex dictis *de legib. q. 1. punct. 5.* vbi diximus actum internum dupliciter considerari posse. Primò secundum se, & absolutè, secundò quatenus est vnitus, & informat actum exteriorem, vel omissionem actus externi. Verum quidem est, actum internum non posse puniri pœna cẽsurę, si secundùm se consideretur, quia non cadit sub sensum, nec subiicitur iudicio Ecclesiæ, sed Dei, qui corda intuetur, *1. ad Corinth. 4. & 1. Regum 16.* Si tamen cõsideretur per ordinẽ ad actum externum, vel ad omissionẽ, potest puniri, quia aliquo modo cadit sub sensum per actum externum, vel per eius omissionem. Hac de causa excommunicari possunt, qui non recitant Officium cum attentione, qui non confitentur cum dolore, qui ex contẽptu omittunt ieiunare, qui ex odio non inquirunt, &c. hoc enim modo non punitur actus internus per se, sed per ordinem ad actum externum, quem informat, quod idem est, ac punire actum externum, quatenus procedit à tali actu interno. Ita DD. statim citandi.

5 An Ecclesia possit præcipere, aut prohibere actum internum.

Hinc ergo patet, Ecclesiam posse præcipere, vel prohibere actum internum, non secundùm se, & directè, sed per ordinem ad actum externum, quẽ informat, vel qui nõ potest subsistere sine actu interno.

5 Ex hac doctrina colligi potest solutio illius quæstionis, qua quæritur, vtrum faciẽs actum externum sine actu interno incurrat censuram, e.g. vtrùm recitans Officium, vel audiens Missam sine vlla attentione incurrat censuram, si quæ lata esset contra non recitantes Officium, vel contra non audientes Missam.

Ad quam difficultatem respondetur affirmatiuè, quando deficit actus internus, qui est de substantia actus externi præcepti, qualis est attentio respectu diuini officij recitandi, & respectu Missæ audiendæ.

diendæ. Secus dicendum est, quando substantia actus externi potest subsistere absque actu interno, tunc enim non incurritur censura; quia actus externus adimpletur, quamuis aliàs possit committi peccatum contra ius naturæ, & diuinum, vnde communicans indignè in Pascha te, non incurrit excommunicationem, si quæ lata esset contra non communicantes eo tempore; nam indignè communicans adimplet substantiam præcepti Ecclesiæ, quæ præcipit externam communionem; quamuis non adimpleat modum, & faciat contra ius diuinum indignè communicando. Qui verò Missam audit, vel recitat Officium sine attentione, incurrit excommunicationem, si excommunicatio lata esset contra non audientes Missam, aut non recitantes horas canonicas; nã recitans canonicas preces sine attentione, aut audiens Missam sine attentione, non adimplet præceptum Ecclesiæ quoad substantiam, eò quòd oratio non subsistat sine attentione, quamuis adimpleat materialem actum orationis. Ita Suarez *disput.4. sect.2.n.27.sect.3.n.18.* Filliuc. *quæs.3.n.166.& quæsit.6.n.178.* & plures alij DD. quos retuli *in tract. de horis canonicis.*

Obiicies primò. Potestas ferendi censuras est spiritualis; ergo potest extendi ad peccata merè interna; ergo ad incurrendam censuram non requiritur peccatum externum.

Respondeo, potestatem ferendi censuras esse quidem spiritualem, sed residere in hominibus, qui non possunt illam exercere, nisi circa ea, de quibus ipsi possunt iudicare; cum ergo homines non possint iudicare de peccatis purè internis, non possunt ferre censuras de peccatis purè internis.

Hinc sequitur, illum qui malè sentit de fide, sed nullum signum manifestatiuum suæ prauæ opinionis, & hæresis exteriùs emisit, non subiacere excommunicationi latæ contra hæreticos. Ita Vasq. *tract. de excommunicat. dub.13. num.5.* Suarez, Coninch. & alij *loco cit.*

Obiicies secundò. Ecclesia potest reseruare sibi peccata interiora, & superior potest dispensare in voto purè mentali; ergo signum est Ecclesiam habere potestatem in actus internos, & posse ferre censuras ob peccata purè interna.

Respondetur, reseruationem non cadere directè in peccata interna, sed potiùs in hoc consistere, quòd Ecclesia non vult concedere omnibus sacerdotibus facultatem absoluendi à peccatis, vnde argumentum nihil ex hac parte concludit.

Ad id, quod dicitur de voto, respondeo superiorem dispensare in voto, dum sibi manifestatur, consequenter ratione illius manifestationis votum, quod erat sola mente conceptum, fit sensibile, & ita subiicitur superiori. Ita Suarez *tom.5.disp.4.sect.2.n.7.pag.60.* Filliucius *num.164.* [Alterius *loc.cit.cap.2. sub finem.*] & alij; quamuis hæc responsio reiiciatur à Vasq. *dub.13.num.3.*

TERTIA PROPOSITIO.

6 An incurratur censura, quando adest actus externus sine interno.

6 PEccatum, propter quod fertur grauis censura, debet esse mortale. Ita Rodriquez *2.part.c.67.* Nauarr. *cap.27.num.253.* Salas *de legibus disp.16.sect.9.ad finem, & disp.10.sect.9.n.64.* Suar. *disp.4.sect.4. n.2.* Coninch. *disp.13.dub.8.nu.66.* Filliucius *tract.11.c.6. quæsito 2. & tract.12.c.1.quæsito 8.* Regin. *lib.9.n.167.* Sayrus *lib.1.c.17.n.8.* & plures alij, quos citat Vasquez *dub.12.* [Alterius *lib.3.disp.1.cap.1.sub initium.*] & Sanch. *lib.9.de matrim. disputat.32.num.29.* Pro intelligentia huius propositionis:

Aduertendum est, censuram duplicem esse, grauem scilicet, & leuem, seu maiorem, & minorem, sicut etiam peccatum est duplex, mortale, & veniale. Pro peccato mortali potest ferri censura grauis, & maior: pro veniali verò non potest ferri censura grauis, & maior, sed solùm leuis, & minor, vt patet ex *c.1.de sentent. excommunic. in 6.* vbi licet sermo sit de excommunicatione, nihilominus eadem ratio militat in aliis censuris. Ratio est, quia contra iustitiam commutatiuam est, infligere grauem pœnam pro leui culpa, peccatum autem veniale habet leuem culpam in suo ordine, id est, in ordine peccati; ergo contra iustitiam commutatiuam est, pro peccato veniali infligere grauem censuram.

Ex quo deducitur, inualidam esse maiorem excommunicationem, vel maiorem suspensionem, vel graue interdictum latum pro veniali peccato, nam actus venialis videtur incapax tantæ pœnæ. Quare inualida est suspensio à beneficio, & officio lata ad longum tempus pro leui culpa, sicut etiam inualidum est interdictum alicuius prouinciæ inflictum pro veniali peccato. Valida verò esset suspẽsio ad leue tempus imposita pro peccato veniali, & validum esset interdictum ad aliquem particularem vsum, & ad breue tempus impositum, nam hæc censetur censura leuis, quæ proportionem habet cum delicto. Ita Suarez *disp.8.sect.4.n.7. & disp.18.sect.9.n.6.* Tolet. *lib.1.cap.44.* Coninch. *n.68.* Filliuc. *loco citato, & tract.11.cap.1.quæsito 8.* contra Caietanum *in summa verb.præceptum.* Nauarr. *c.27.num.165.* Auilam *3. part.disp.4.dubio 3.* & alios simpliciter asserentes suspensionem, & interdictum ferri posse pro culpa veniali propria.

7 An ad censuram incurrendam requiratur culpa mortalis.

7 Hinc colligi potest solutio illius difficultatis, an incurratur maior censura, quando aliquid prohibetur sub maiori censura, sed actio externa, qua violatur prohibitio, non est sufficiens ad peccatũ mortale.

Respondetur enim non incurri. Ita Sayrus *loco cit.n.8.* Suarez *disp. 4.sect.4.n.2.* Filliucius *loc.cit.* & alij. Ratio est, quia pœna proportionari debet delicto, ob quod fertur; quando ergo delictum est leue, non incurritur grauis censura, alioquin non esset proportio inter pœnam, & delictum.

Ex quo patet, eum qui intendit ex odio, & ex praua voluntate clericum percutere, quem re ipsa leuiter tantummodò tetigit, non subiacere excommunicationi, nam ille actus externus non est sufficiens ad mortale, quamuis internus affectus sit mortaliter peccaminosus; censura autem non incurritur ob affectum internum mortaliter peccaminosum, sed propter actum externum, cui censura commensuratur. Ita Valentia *loco citando,* & alij communiter.

8 An censura incurratur, quando exterior actus non est sufficiens ad mortale.

8 Addo non pro quolibet peccato mortali, quamuis externo, ferendam esse grauem censuram, sed solùm quando peccatum alia ratione corrigi, vel impediri non potest, vt constat ex Trid. *sess.25.c.3. de reform.* & ex Concil. Meldensi, quod refert Suar. *disp.4.sect.4.nu.4.* Existimo tamen validam esse censuram latam pro quolibet peccato mortali, nam peccator sicut per peccatum mortale excluditur à regno cælorum, ita etiam excludi potest ab Ecclesia per censuram. Ita Sotus *in 4.dist.22.q.1.art.2.* Vasq. *dubio 12.n.7.* Suarez *sect.4.& 6.n.9.* & Filliucius *c.8. quæsito 7.n.240. tract.11. & tract.12. c.1.quæsito 8. sub finem num.31.* [Nec dissentit Alterius *lib.7.disput.1.c.3.tom.1.& tom.2. disp.7. cap.1.*] A fortiori existimo ferri posse minorem excommunicationem pro peccato mortali; sicut enim dantur aliqua peccata mortalia, quæ graui maioris excommunicationis pœna plectuntur, & multa alia, quæ nulla pœna puniuntur, ita non videtur ratio sufficiens assignari posse quare peccatum mortale puniri non possit minore excommunicatione, ne impunitum remaneat, quamuis hoc non videatur in vsu, excepta excommunicatione, quę cõtrahitur aliquando cum peccato mortali participando cum excommunicato vitando, de qua infrà.

Obiicies primò contra tertiam propositionem, si grauis censura ferri non posset, nisi pro peccato mortali, sequeretur illum non affici censura, qui non obseruat decretum Episcopi præcipientis sub excommunicatione, vel alia graui censura aliquid de se indifferens, & non mortale, sed hoc est falsum; ergo & antecedens.

Respondeo cum Soto *in 4.dist.22.q.1.artic.3.* Vasq. *loc.cit.nu.3.* Valent. *tom.4.disp.7.q.17.punct.5.* Auila *2.p.q.5.circa finem.* Coninch. *nu. 70.* Suarez *disp.4.sect.6.num.11.* Filliucio *tract.12.c.1.quæsito 8.nu.30.* Sayro *lib.1.c.9.* [Alterio *lib.3.disp.1.c.1.*] & aliis, superiorem prohibentem, vel præcipientem aliquid sub maiori censura, eo ipso illud præcipere, vel prohibere sub mortali, quamuis secundùm se sit indifferens, & non mortale. Sit exemplum. Ferre arma ex suo genere non est mortale, nihilominus eo ipso, quo superior sub maiori aliqua censura prohibet, ne ferantur arma, prohibet sub mortali, quãuis hoc non exprimat in sentẽtia censurę. Ratio est, quia qui vult aliquid, censetur etiam velle omne necessarium ad illud, quod intendit: *cap.præterea.de officio delegati*; ergo qui vult transgressorem præcepti ligare maiori censura, vult etiam transgressionem illius præcepti esse peccatum mortale, modò posito illo præcepto materia præcepta, vel prohibita non remaneat adhuc leuis in se, & per ordinem ad finem, propter quem præcipitur, vel prohibetur sub maiori censura, nam quamdiu res illa remanet leuis in se, & per ordinem ad finem, non est sufficiens ad peccatum mortale, consequenter non est sufficiens ad incurrendam censuram, superior enim non magis potest obligare, quàm obliget ius naturale, vel diuinum; ius autem naturale, vel diuinum non obligat ad peccatum mortale in materia leui, & parua. Qua de causa furtũ in re parua non est peccatum mortale ratione paruitatis materiæ, & violatio voti in re parua est tantummodò venialis.

9 An ferri possit censura pro quolibet mortali peccato.

9 Hinc sequitur, non incurri excommunicationem ab eo, qui mendacium iocosum, aut verbum otiosum profert, quamuis superior illud prohibuerit sub graui excommunicatione, nam hoc peccatum est leue tam in se, quàm per ordinem ad finem, vt suppono, cõsequenter non est sufficiens ad incurrendam maiorem censuram. Secus dicendum est, quando superior sub cẽsura prohibet aliquid; quod licet secundùm se sit leue, nihilominus fit graue ob circumstantiam, vel ob finem à superiore intentum, vt accidit quando superior præcipit clerico, ne comam gestet, licet enim gestare comã, non sit de se mortale, nihilominus fit mortale per ordinem ad finem à superiore intentum, vt ob vitandum scandalum, &c.

10 An censura incurratur à proferente verbum iocosum, vel gestante comam, quando superior id prohibuit sub cẽsura.

10 Rogabis, quomodo possimus cognoscere materiam, quæ de se leuis est, fieri grauem per ordinem ad finem à superiore intentum in ferenda censura.

Respondeo cum Auila *loc.cit.dub.3.* hoc relinquendum esse iudicio prudentis viri, qui non debet æqualiter ferre sententiam in omnibus, nam quæ respectu laicorum leuia sunt, fieri potest, vt respectu clericorum ob status decentiam, & honestatem grauia censeantur.

Obiicies secundò. Potest aliquis excommunicari ob furtum, vel ob detentionem leuis materiæ, sed furtum, vel detentio leuis materię est peccatum veniale; ergo potest aliquis excommunicari ob peccatum veniale.

Respondeo, solutionem huius obiectionis constare ex iis, quæ dicta sunt *in septimo præcepto Decalogi punct. 3.* Quare breuiter hic dico, illum, qui furatus est leuem materiam, non ligari excõmunicatione lata contra fures. Ratio est, quia excommunicatio, cùm sit pœna grauis, supponit mortale peccatum, hic autem non peccauit mortaliter, nisi fortè commiserit furtum cum aliis, quorum singuli abstulerint rem leuem, quæ simul sumpta constituat materiam grauem, tunc enim subiacet excommunicationi, eò quòd particeps fuerit mortalis peccati, & furti grauis. Idem cum proportione dicendum est de excommunicatione lata contra iniustos detentores, nam sequendò sententiam, quæ asserit, eum qui materiam leuem vni aufert, sed nesciens, eidem ablatam fuisse aliam materiam, quæ simul sumpta constituit materiam grauem & notabilem quantitatem, teneri sub mortali suam partem restituere, postquam cognouit aliam rem ab aliis ablatam, asserendum etiam est, illum qui detinet rem leuem incurrere excommunicationem generaliter latam contra iniustos detentores, nisi restituat rem ablatam, quæ simul sumpta cum aliis constituit materiam notabilem, & graue detrimentum alteri infert. Ratio est, quia peccat mortaliter detinendo, & est causa iniusta grauis damni, censura autem incurritur ob mortalẽ aliquam detentionem, & ob graue damnum, quod alteri infertur detinendo. Si tamen facta restitutione per vnum, materia ab aliis retenta non remanet notabilis, existimo alios non peccare mortaliter, nec incurrere excommunicationem detinendo, quia illorum detentio non est mortalis, nec est causa grauis damni. Ita Corduba *in summa, q.70.* Sotus *in 4. dist.22.q.1.art.2.* Toletus, & alij apud Auilam *2.part.c.5.disp.2.dub.3.* quidquid ipse dicat *conclusione 3.* [& apud Sanchez in opere morali *lib.7.c.21.n.21.* Vide dicta *de contractibus disp.2.q.8.punct.2.num.6.*]

11 Quæ-

11 Quomodo materia de re leuis fiat grauis per ordinē ad finem à superiore intentum in ferenda censura.

11 Quæres vtrùm fur, qui abstulit acū Titio sartori, ob cuius ablationem sartor passus est notabile damnum, incidat in excommunicationem latā contra fures, id est, cōtra illos, qui res Titio abstulerunt.

Respondeo iuxta dicta *in septimo Decalogi præcepto punct. 2. q. 1.* non incidere in excommunicationem latam contra fures, seu contra eos, qui res Titio abstulerunt, nam ad incurrendam prædictam excommunicationem requiritur peccatum mortale furti; qui autē abstulit acum sartori, non commisit peccatum mortale furti, eò quòd abstulerit rem exigui momenti, quamuis fuerit causa notabilis damni, seu lucri cessantis, & ex hoc capite mortaliter peccauerit ratione iniustæ damnificationis, non verò ratione furti, vt sic, nam fur dicitur, qui rem alteri iniustè apprehendit, & aufert; qui autem furatus est acum Titio sartori, non apprehendit lucrū, quod cessauit sartori: ergo non incurrit excommunicationem latam contra eos, qui res Titio abstulerunt: sicut neque in eam excommunicationem incidunt vsurarij, aut alij debitores, qui iniustè differunt satisfacere creditoribus: non enim appellantur fures, sed potiùs iniusti damnificatores.

Dixi, *non incidere in excommunicationem latam contra fures*, nam si excommunicatio generaliter feratur contra iniustos detentores, aut damnificatores, certum est, eum qui surripuit acum Titio cum graui ipsius detrimento, ligari excommunicatione, nisi quàm primùm potest, restituat: peccat enim mortaliter detinendo, & non restituendo ob damnum alteri iniustè illatum. Ita Arragonius 2. 2. *q. 66. art. 6. dub. 4.* Suar. *disp. 4. sect. 6. n. 12.* Nauar. *c. 17. nu. 4.* Auila *loc. cit. ad finem.* Rebellus, Clauis Regia, & alij quos retuli *in Decalogo loco cit.*

QVARTA PROPOSITIO.

12 An fur, qui acum sartori abstulit, qui ob id damnum notabile passus est, afficiatur censura lata contra eos, qui res sartori surripuerunt.

12 AD incurrendam censurā requiritur effectus completus, quem legislator intendit sub censura prohibere. Ratio est, tum quia lex non ligat, nec operatur vltra legislatoris intentionem verbis expressam: tum quia versamur in materia odiosa, quæ strictè explicanda est: tum quia verba cum effectu accipienda sunt; vt bene ostendit Nauar. *de pœnit. dist. 1.* ex *c. cum autem verba, n. 11.* & patet ex *l. 1. §. hæc verba.* Quare diligenter perpendenda sunt verba, quibus censura fertur: nam quando verba significant, prohiberi effectum vltimum sub censura, certum est, censuram non incurri nisi secuto effectu: vnde si lata sit excōmunicatio propter homicidium, dicendum est, excommunicationem non incurri, si homicidium attentatum fuit, sed non secutum ob impedimentum aliquod naturale, & humanum, vel etiam ob impedimentum supernaturale, ac miraculosum.

Hæc tamen doctrina intelligenda est, nisi sub censura principaliter prohibeatur ipsa actio, vel conatus: vt benè Vgol. *tab. 1. c. 9. n. 1.* Nauar. *in commentario de datis, & acceptis, n 13.* & alij DD. statim citandi, nam quando principaliter prohibetur aliqua actio, statim ea posita incurritur censura, quia actus censetur sufficienter completus quantum lex requirit.

13 An censura requirat effectū completū.

13 Hinc sequitur primò, illum non incurrere censuram canonis, qui proiicit sagittam contra clericum, sed illum non attingit. Ratio est, quia non adest effectus, vel actio, quæ principaliter prohibetur sub censura: nam Ecclesia sub censura excommunicationis prohibet violentam manuum iniectionem in Clericum seu percussionē Clerici: qui autem sagittam proiicit, sed Clericum non attingit, non censetur manus violentas in Clericum iniicere, præsertim cum verba legis strictè accipienda sint in materia odiosa. Ita Vgolin. *tab. 1. de censuris, cap. 9. §. 13. fol. 90.* Auila 2. *part. c. 5. disp. 3. dub. 5.* Suarez *tom. 5. disp. 4. sect. 3. n. 4* Filliuc. *quæst. 4. & 5.* Coninch. *disp. 13. dub. 8. n. 75.* Reginald. *lib. 9. n. 216.* [Alterius *lib. 3. disp. 1. c. 1. col. 2. vers. eadem ratione.*] Card. Felin. & alij apud Vgolinum.

14 An ligetur censura qui sagittā proiicit in clericum, sed eum non attingit.

14 Secundò sequitur, censuram non incurri, quando actus exterior non habet eam malitiam, quę sub censura prohibetur. Ita Nauar. *c. 11. n. 25.* Auila 1. *part. dub. 11.* Vasquez *dub. 12. n. 5.* Suar. *loc. cit. n. 15.* Coninc. *n. 75.* & alij contra Caiet. 2. 2. *q. 12. art. 1.* vnde qui exterius profert hæresim, sed interius benè sentit, non subiacet excommunicationi latæ contra hæreticos, nam censura fertur ob actum externum habentem malitiā hæresis; qui autē exterius profert hæresim, sed interius benè sentit, non exercet actum habentem malitiam hęresis; quamuis exterius cēseatur illam habere, nam deficiente voluntate, & consensu, deficit etiam malitia, & delictum, cuius causa lata est cēsura. Posset quidem Ecclesia excōmunicationem ferre contra proferentem hæresim externam, sed de facto illam non tulit, cùm solùm excommunicet hęreticos, qualis non est, qui exterius profert hęresim, sed in mente non habet prauam opinionem. Idem nouissimè docet Filliucius *tract. 11. c. 6. quæsito 4. & quæsito 6. num. 176.*

15 An incurratur censura, quando actus exterior non habet eam malitiam, quæ sub censura prohibetur.

15 Tertiò sequitur, mandantes, vel cōsulentes non incurrere censuram nondum secuto effectu, quando scilicet effectus fuit principaliter prohibitus, mandatum verò, vel consilium prohibitum fuit tantummodò accessoriè, vt accidit in excōmunicatione lata contra percussores Clerici, in qua principaliter prohibetur percussio, & accessoriè prohibetur mandatum, vel consilium percutiendi, vnde qui mandauit percutere Clericum, non labitur in excommunicationem ante secutam percussionē, vt etiam in simili dictum est *in tractatu de fide, de receptatoribus hæreticorum.* Secus dicendum est, quando mandatum, vel consilium principaliter prohibetur, tunc enim mandans, vel consulens ligatur censura nondum secuto effectu, vt accidit in excommunicatione lata contra mandātes homicidium per assassinos: mandantes enim homicidium per assassinos incidunt in excommunicationem ante secutum homicidium, [iuxta nonnullos DD.] eòquòd sub censura ęquè principaliter prohibeatur mandatum, sicut homicidiū, *c. 1. de homicidio in 6.* Ita Valent. *tom. 4. disp. 7. q. 17. punct. 9. ad finem.* Suar. *loc. cit.* Nauar. *c. 27. n. 11.* Filliuc. *quæst. 5. n. 175.* Coninch. *loco cit. n. 76.* [Alterius *lib. 3. disp. 2. cap. 2. col. 4. dub. 2.*] & alij DD. citati. Verum tamen est, quando dubitatur, an mandatum vel consilium ęquè principaliter prohibeatur, præsumendum esse, prohiberi tantummodò accessoriè, eò quòd odia sint restringenda, & in pœnis mitior, ac benignior pars accipienda sit. Ita Nauar. *lib. 5. consiliorum, de sentent. excommunicat. cons. 5.* Auila 2. *part. cap. 5. disp. 3. dub. 6.* & alij communiter.

16 Quartò sequitur, non incurri censuram ab eo, qui actionem aliquam exercet, de se insufficientem ad effectum prohibitum sub censura. e. g. Titius vulnerat Caium non lethali vulnere, & Caius vulneratus perit, eò quòd magnam generosi vini quantitatē sumpserit, vel ob aliam causam contingenter occurrentem, Titius non ligatur censura si lata esset contra homicidas, quamuis Caius non periisset, si Titius non intulisset illi vulnus. Et hoc verum est, etiamsi Titius intentionem habuerit occidendi. Ratio est, quia ad incurrendam censuram requiritur talis actio, qualis prohibetur sub censura, sed in proposito casu sub censura prohibetur actio lethalis, seu homicidium, & non quælibet vulneratio; ergo Titius in proposito casu non incurrit censuram, cùm ipse non influxerit lethale vulnus, nec ipse propriè sit homicida; quamuis enim ad mortem aliquo modo cooperatus fuerit, nihilominus illius cooperatio censetur tantummodò causa remota mortis, quæ non prouenit propriè à vulnere, sed à causa superueniente, quæ interimit subiectum vulnere affectum. Ita Suarez *disp. 4. sect. 3. n. 6.* Filliuc. *c. 6. quæst. 4. n. 167. & quæst. 5. n. 173.* [Alterius *lib. 3. c. 2. col. 5. vers. respondeo.*] & alij, quos retuli *de homicidio*, & alibi.

16 An mādans & cōsulens ligetur censura ante secutum effectum.

17 An incurratur censura ab eo, qui exercet actionem insufficientem.

17 Quintò sequitur, excōmunicationem, vel aliam censuram latam sub conditione, non incurri ante cōditionis euentum, nam ante conditionis euētum nondum adest effectus, vel actio prohibita sub censura. Ita Suarez *disp. 3. sect. 4. & 5.* Sayrus *lib. 1. c. 11. num. 18.* & alij communiter.

18 An censura sub conditione lata incurratur ante conditionis euentū.

18 Sextò sequitur, censuram non incurri semper ob quodlibet voluntarium. Ratio est, quia ad incurrendam censuram requiritur talis actio, qualis prohibetur sub censura; cùm autem non per quodcumque voluntarium adsit talis actio, sequitur censuram non incurri, nisi adsit voluntarium requisitum ad eam incurrendam. Quare, vt cognoscatur, an censura contracta sit per aliquam actiōnem, perpendenda sunt verba legis. Quando verba legis absolute prohibent aliquod delictum sub censura, exempli gratia, homicidium, censura incurritur occidendo voluntariè, eo voluntario, quod sufficit ad mortale peccatum, & ad contumaciam contra censuram, tunc enim censura fertur absolutè ob tale delictum mortale, delictum autem est mortale, quando perpetratur cum voluntario sufficiente ad peccatum mortale. Quando verò verba legis non absolutè prohibent aliquod delictum sub censura, sed postulant perfectum, & directum voluntarium, certum est censuram non incurri per quodlibet voluntarium, sufficiens ad peccatum mortale, lex enim non operatur vltra illud, quod verbis exprimitur, & declaratur. Quocirca quando lex dicit: Qui temerè hoc fecerit, qui ausus fuerit, qui præsumpserit, qui scienter, vel ex contemptu hoc egerit, anathematis vinculo obstrictus sit; non incurritur censura ob delictum quouis modo voluntarium, sed ad eam incurrendam requiritur volūtarium directum, & ex certa scientia censuræ, vnde trāsgrediens præceptum ex negligentia quadam, vel ex inaduertentia, vel etiam ex ignorantia vincibili, & crassa, non incurrit excommunicationem in dictis casibus, quamuis concedamus mortaliter peccare contra præceptum. Ita Suarez *disp. 4. sect. 3. n. 9.* Sanchez *lib. 9. de matrimonio, disp. 32. à nu. 33. vsque ad 43.* Auila 2. *part. cap. 5. disput. 5. dub. 9. ad finem.* Salas *de legibus disp. 15. sect. 9. n. 114.* Molina ex parte, *tract. 5. disp. 71. nu. 13. pag. 441.* Filliucius *num. 166. & seqq.* & alij communiter.

QVINTA PROPOSITIO.

19 An quodlibet voluntarium sufficiat ad incurrendā censuram.

19 NOn potest pro peccato præterito commisso ferri censura, sed ad eam incurrendam requiritur contumacia: vnde qui Missam die præterita non audiuit, non potest excommunicari propter omissionem Missæ, si non erat impositum præceptum Missæ audiendæ sub excommunicatione. Ita Sotus *in 4. distinct. 22. quæst. 1. art. 2. concl. 2.* Hēriq. *lib. 13. c. 17.* Sayr. *lib. 1. c. 9. n. 25.* Vgol. *tab. 1. c. 9. §. 5.* Suar. *disp. 4. sect. n. 6.* Coninch. *nu. 13. & 78.* Auila 2. *parte, c. 5. disp. 1. dub. 10.* Filliuc. *c. 6. quæst. 8. n. 185.* [Marius Alterius *de censuris lib. 3. disp. 1. c. 4.*] & alij contra Caietanū 2. 2. *q. 69. art. 2.* & alios. Ratio est, tum quia ad incurrendam censuram requiritur admonitio; tum quia sequeretur, censuram non esse medicinam, sed puram vindictam; hoc autem est falsum, cùm censura feratur tamquam medicina ad auertendum hominem à peccato: quomodo autem posset homo auerti à peccato, si peccatum iam supponeretur commissum ante inflictionem censuræ? Hæc ratio idem probat, & ostendit in censura Interdicti, Suspensionis, & Excommunicationis, quamuis in excommunicatione res clarior sit, magisque manifesta, nam Ecclesia non habet facultatem excommunicandi, nisi rebelles & contumaces, qui nolunt ipsam audire, iuxta illud, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus*, Matth. 18. qui autem iam commisit peccatum, non fuit cōtumax, rebellis, & inobediens contra Ecclesiam, eò quòd Ecclesia nullam tulerit prohibitionem sub excommunicatione pro tali delicto, vt suppono.

20 An ferri possit censura propter peccatum prętęritū absque contumacia.

20 Non nego tamen quin possit pro peccato præterito imponi aliqua pœna, e. g. priuatio officij, dignitatis, vel accedendi ad Eucharistiam pro tanto tempore, &c. sed hæc pœna non est censura propriè dicta, [tum quia censura debet esse medicinalis, & solùm instituta est ad tollendam contumaciam: tum quia præfata pœna non affert] incommodum animæ, cùm non feratur sub ea ratione, vt incommodum spirituale afferat, sed per modū pœnæ vindicatiuæ, vnde quando Clericus ob delictum iam perpetratum priuatur officio, & beneficio in vindictam commissi criminis, talis priuatio non habet rationem censuræ, quamuis priuet diuinis officiis: sed habet rationem cuiusdam incommodi temporalis; & quamuis detrimentum animæ afferat, quatenus priuat diuinis officiis, hoc censetur per accidens, quia non fertur hac intentione, vt afferat huiusmodi detrimentum, sed sub hac intentione fertur censura, vt vltimatè delinquēs resipiscat, Suarez *n. 28.* Coninchus *nu. 83.* Filliucius *num. 184. & 190.* quidquid dicat Toletus *lib. 1. c. 44. de suspensione*, & Auila *disp. 3. dub. 4. concl. 1. de interdicto*, & alij apud Suar. *sect. 5.*

[An autem suspensus à diuinis ob peccatum præteritum incurrat irregularitatem celebrando, constabit ex dicendis suo loco]

PVN-

PVNCTVM IV.

De causa materiali remota, seu subiecto censuræ.

IN hoc puncto quæremus conditiones requisitas in eo, qui ligari potest censura, quæ appellatur causa materialis remota, seu subiectum censuræ.

VNICA PROPOSITIO.

1 Quænam cõditiones requirantur in eo, qui ligãdus est censura.

1 QVinque saltem conditiones requiruntur in eo, qui ligari potest aliqua censura.

2 An subiectum censuræ debeat esse homo viator.

2 Prima est, vt sit homo viator, id est, agens vitam in hoc mortali corpore. Ratio est, tum quia nullus habet iurisdictionem in defunctum, sed solùm in viatores, vt patet ex verbis Matth.18. *Quæcumque ligaueritis super terram, erũt ligata & in cœlis*: ille autẽ, qui non est viator, sed defunctus, non dicitur esse super terram: ergo non potest ligari censura: tum quia censura fertur ob contumaciam delinquentis, & ad illius emendationem, solus autem homo viator est contumax contra Ecclesiam, soluſque potest emendari, defunctus enim, cùm sit extra Ecclesiam, non potest esse contumax contra ipsam, nec amplius emendari potest, si iam condemnatus est, tum quia censura vel fertur in animam separatam à corpore, vel in corpus. Si fertur in animam inualida est censura, eò quòd anima sit extra forum Ecclesiæ: si fertur in corpus, inualida est censura, eò quòd corpus ipsum per se sit incapax censuræ, & illius effectus, nec possit emendari. Ita Nauar. *cap.*34. *n.*32. Suarez *disp.*5. *sect.*1. *n.*1. Sayrus *lib.*1. *c.*8. Vasquez *loco citando*. Vgolinus *tab.*1. *c.*17. §.2. Couar. *c. Alma mater.1. part. n.*8. Coninch. *disp.*13. *dub.*6. *n.*41. Filliucius *tract.*11. *c.*5. *quæsito* 2. Reginal. *lib.*9. *n.*133. [Alterius *lib.*3. *disp.*10. *c.*2. & 3.] & alij communiter apud præcitatos Doct.

Obiicies primò. Ecclesia potest publicum peccatorem mortuum priuare sepultura, & suffragiis, sicut re ipsa factum fuisse legimus à D. Greg. qui religiosum quemdam priuauit suffragiis, & sepultura, eò quòd inuenta fuerit apud ipsum pecunia; ergo signum est, mortuos posse ab Ecclesia excommunicari.

Respondeo negando consequentiam, nam ex illo antecedenti non infertur, mortuos ab Ecclesia excommunicari posse, & Ecclesiam habere circa mortuos directam iurisdictionem, sed tantummodò indirectam, quatenus præcipit viuis, ne pro mortuis suffragia ferant, illosque donent sepultura. Ita Doct. citati.

Obiicies secundò. Mortuus in excommunicatione potest absolui post mortem, ergo potest etiam excommunicari.

Respondeo, negando mortuum posse directè absolui; cùm Ecclesia non habeat in mortuum directam iurisdictionem, sed tantummodò potest mortuum indirectè absoluere, quatenus potest concedere fidelibus facultatem sepeliendi mortuum, & suffragia ferendi pro ipso, sicut etiam potest post mortem declarare ipsum excommunicatum, vel interdictum propter censuram contractam, dum viueret, vt patet ex praxi Inquisitorum, qui declarare solent, aliquem mortuum fuisse hæreticum, & excommunicatum; hinc tamen non sequitur, excommunicari posse mortuos, cum Ecclesia non habeat in ipsos directam iurisdictionem. Ita Couar. *1. relect. §.*11. *num.*8. Valent. *tom.*4. *d.*7. *punct.*17. Vasquez *tract.*3. *de excommunicatione dub.*17. *n.*6. Suarez, Filliucius, & alij *locis cit.*

3 An mortuus ligari possit censura.

3 Ex dictis colligitur primò, mortuum, qui commiserat in vita delictum, propter quod lata erat comminatoria censura, non ligari censura post mortem. Ita Sayrus *lib.*1. *c.*8. *num.*11. Vgolinus *loco cit. num.*5. Coninch. *loco cit. n.*43. [Alterius *lib.*3. *disp.*2. *c.*2. *col.*3. *vers. quæri potest. & disp.*10. *c.*3. *col.*6. *vers. altera dubitatio.*] & alij Doct. cit.

4 An mandans incurrat censuram, si mãdatarius exequatur mandatum post mortẽ mandãtis.

4 Secundò, non incurri excommunicationem ab eo, qui mandauit Titio Clericum occidere, & Titius occidit illum potest mortem mandantis. Ita Doct. citati.

5 An Dæmon censura ligari possit.

5 Tertiò, dæmonem ligari non posse censuris: tum quia non est homo viator, tum quia non est capax effectus censuræ, tum quia censura fertur ad retrahendum contumacem à contumacia: dæmon autem est obstinatus, & pertinax in sua contumacia. Ita Nauar. *c.*47. *nu.*13. Filliucius *cap.*5. *quæs.*1. [Alterius *lib.*3. *disp.*10. *cap.*1.]

6 An animalia irrationalia ligari possint censuris.

6 Quartò colligitur, animalia irrationalia non ligari censura. Ratio est, tum quia non sunt homines viatores, tum quia sicut animalia non sunt capacia delicti, propter quod censura incurritur, ita neque sunt capacia censuræ, quæ delictum supponit. Ita Suarez, & Nauar. *loc. cit.* Coninch. *num.*47. Filliucius *quæs.*1. *num.*121. [Alterius *loc. cit.*] Reginaldus *num.*134.

Neque obstat, quòd animalia in aliquibus sententiis feriantur anathemate, & excommunicatione, nam verbum *anathematis*, vel *excommunicationis* in eo casu accipitur pro detestatione, & execratione, quo pacto solent etiam dæmones, & hæreses anathematizari.

Quintò, locum non ligari censuris, tum quia non est homo viator, tum quia sicut non est capax delicti, ita neque censuræ, excepto interdicto locali, quod fertur in locum, non in pœnã ipsius loci, sed in pœnam hominis, *cap. si ciuitas. de sententia excomm. in* 6. Ita Auila *part.* 5. *disp.*2. *dub.*5. *concl.*2.

[Sed modò dubium superest, quandónam incurratur excommunicatio lata propter delictum quod in ipsa morte completur & perficitur, vt si lata sit excommunicatio contra eos qui non confitentur in articulo mortis.

Respondeo tunc incurri, dum salus corporis ita desperata est, vt mors naturaliter euitari nequeat, & non superfit tempus adimplendi præceptum, tunc enim infirmus moraliter loquendo censetur in articulo mortis. Ita Marius Alterius *lib.*3. *disput.*10. *cap.*3. *ad finem*, & alij quos in simili retuli *de indulgentiis*, & *de ieiunio.*]

7 An subiectum cẽsuræ debeat esse homo baptizatus.

7 Secunda conditio est, vt sit homo baptizatus. Ratio est, quia Ecclesia non habet iurisdictionem directam supra non baptizatos, etiamsi cathecumeni sint, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 5. *De iis qui foris sunt, nihil ad nos, quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare?* Ita Vgolinus *loc. cit.* Syluest. *verb. Excommunicatio* 1. *n.*7. Coninch. *nu.*44. Filliucius *quæs.*3. Suarez *loc. cit. n.*23. Reginald. *n.*135. [Alterius *lib.*3. *disp.*10. *cap.*4. *col.*5. & 6.] & alij communiter. Verum tamen est, Ecclesiam habere potestatem indirectam supra non baptizatos quatenus præcipere potest baptizatis, ne communicent cum non baptizatis; supra hæreticos verò Ecclesia directam habet iurisdictionem, ratione characteris in Baptismo susceptí, consequenter illos excommunicare potest, vt est communis Doctorum sententia.

8 An debeat esse adultus, & doli capax.

8 Tertia conditio est, vt sit adultus, id est, doli capax. Ita communiter Doct. Ratio est, quia filij nondum adulti peccare non possunt; ergo neque ligari possunt censuris, quæ supponunt peccatum, vnde si detur casus, vt aliquis non adultus priuetur Sacramento Confirmationis (potest enim puero nondum adulto conferri Sacramentum Confirmationis, vt inquit Suar. *tom.*5. *disp.*5. *sect.*1. *num.*17. S. Thom. Sylueſt. & alij, quos retuli *in Sacramento Confirmat. punct.*4. *propositione.*2.) non dicetur priuari per modum censuræ, alioquin esset intolerabilis error.

9 An impuberes ligentur cẽsuris.

9 Hinc sequitur primò, impuberem doli capacem validè ligari posse censuris, non tantùm à iure, sed etiam ab homine latis: sicut enim mortaliter peccare potest, ita etiam puniri potest censura, quæ fertur in pœnam peccati. Verum tamen est, impuberem, id est, masculum, qui nondum peruenit ad 14. annum, aut feminam, quæ nondum peruenit ad 12. non posse licitè excommunicari excommunicatione lata ab homine, [argumẽto *c.*1. & 2. *de delictis puerorũ.*] Glossa *ibidem*; quamuis validè excommunicari possit: nullum enim ius extat, quod inualidam reddat censuram latam contra impuberes: imo cõstat impuberem ligari interdicto, quando populus interdicitur: cùm etiam ipse teneatur seruare interdictum. Ita Suarez *disput.*5. *sect.*1. *n.*19. Coninch. *n.*45. Filliucius *c.*5. *quæs.*4. *num.*131. [Alterius *lib.*3. *disp.*1. *c.*3. *ad fin.* & alij, quos retuli *de Sacramentis disp.*5. *quæst.*5. *sect.*2. *punct.*4. *n.*3. & *disp.*10. *c.*4. *col.*1.] quidquid dicat Vgolin. *loco cit.* §.3. *num.*5. Sayrus *lib.*1. *cap.*8. *num.*4. & alij asserentes impuberem non posse à iudice excommunicari.

10 An amẽtes, furiosi, ebrij, & dormiẽtes subiaceãt censuris.

10 Secundò sequitur, perpetuò amentes, insanos, & furiosos non affici censuris; quia non sunt capaces doli, nec habent vsum rationis. Ita Coninch. *n.*47. & alij Doct. cit. Concedo tamen furiosos, & insanos posse affici censuris propter aliquod delictum perpetratum eo tempore, quo in ipsis rationis vsus vigebat: nam sufficienter censentur contumaces, & deliquisse contra legem continentem censuram: consequenter affici possunt censuris in pœnam delicti prohibiti sub censura. [Ita Alterius *lib.*3. *disp.*10. *c.*4. *col.*3. & alij Doct. cit.] Idem dicendum est de dormiẽtibus, aut ebriis, qui aliquod delictum sub censura vetitum committunt tempore somni, vel ebrietatis, modò præuiderint delictum secuturum, illudque noluerint præcauere: nam ad incurrendam censuram nihil aliud requiritur, quàm peccatum, & factum ipsum sub censura prohibitum: sed isti peccarunt, quando ante somnum, vel ebrietatem præuiderunt delictum secuturum tempore somni, vel ebrietatis, & nihil aliud deerat ad incurrendam censuram præter factum sub censura prohibitum; ergo incurrunt cẽsuram quando tempore somni, vel ebrietatis sequitur factum sub censura prohibitum, vnde qui mandauit alteri percutere Clericum, contrahit excommunicationem eo tempore, quo dormit, si tũc temporis mandatarius percutit Clericum: tunc enim consummatur delictum, propter quod lata est excommunicatio. Secus dicendum, si excitatus à somno ante secutam percussionem sufficienter impediuit, ne sequeretur, tunc enim deest actio, ob quam imposita est censura, quamuis præcesserit peccatum. Ita Suarez *disp.*5. *sect.*1. *n.*20. [Alterius *lib.*3. *disp.*2. *cap.*2. *col.*4. *vers. verùm dices.*] Vasquez, & alij, quos retuli *in tract. de peccatis omissionis, & commissionis*, quosque citat Sayrus *lib.*1. *cap.*8. *n.*3. & sequitur Coninch. *disp.*13. *dub.*6. *n.*46. Filliucius *quæsito* 4.

11 An subiectum cẽsuræ debeat esse homo determinatus.

11 Quarta conditio requisita ad incurrendam censuram excommunicationis est, vt sit homo determinatus, non enim tota aliqua vniuersitas, vel Collegium potest excommunicari, vt patet tum ex *cap. Romana. de sent. excomm. in* 6. tum quia huiusmodi censura contineret errorem intollerabilem, nam sæpe contingeret innocentes puniri grauissima excommunicationis pœna, quod à ratione videtur alienũ. Ita Couar. 2. *var. c.*8. *n.*9. Vasquez *tract. de excommun. dub.*17. *n.*8. Rodriquez 1. *part. c.*78. Sayrus *lib.*1. *c.*8. *à num.*17. Vgolinus *loco cit.* §.4. Suarez *disp.*5. *sect.*1. *nu.*29. Filliucius *tract.*11. *c.*5. *quæs.*6. *n.*138. & *tract.* 12. *c.*1. *quæs.*7. *n.*20. Reginald. *lib.*9. *n.*138. [Alterius *lib.*3. *disp.*10. *cap.*6. *col.*2.] Henriq. *lib.*13. *cap.*25. *n.*4. & alij.

Dixi, *ad incurrendam censuram excommunicationis*, quia censura suspensionis, & interdicti ferri potest in communitatem, Capitulum, & Collegium. [*cap. si sententia. de sent. excommunic. in* 6. & *cap. ne sede vacante. de sent. excommunic. in* 6.] Ratio differentiæ, cur suspensio, & interdictum ferri possit in communitatem, non verò possit excommunicatio, est, quia suspensio, & interdictum non sunt pœnæ ita graues, sicut excommunicatio, non enim priuãt hominem internis animæ bonis, id est, suffragiis, & auxiliis Ecclesiæ, sicut priuat excommunicatio, vnde non est absurdum innocentes aliquando ligari suspensione, & interdicto. Ita Suarez *disp.*28. *sect.*3. *n.*1. Rodriq. 1. *part. cap.* 78. *n.*2. Sayrus *loco cit. n.*2. & 20. Vgolin. *tab.*2. *cap.*26. §.1. Filliucius, & Coninchus *loc. cit.* [Alterius *tom.*2. *disp.*7. *cap.*5.] & alij.

Obiicies, excommunicatio fertur aliquando contra vniuersitatem, vel Collegium; ergo ad incurrendam censuram excommunicationis non est necesse, vt illius subiectum sit homo determinatus.

Respondeo, excommunicationem non ferri contra vniuersitatem absolutè, sed in singulos delinquentes illius vniuersitatis, & contra particulares personas, quæ sufficienter determinantur per delictum ab ipsis commissum, vnde si feratur excommunicatio contra Mediolanenses non obtemperantes Archiepiscopo, huiusmodi excommunicatio non cadit vagè, & absolutè supra omnes Mediolanenses, etiam supra obedientes, sed tantummodò cadit supra inobedientes, qui sufficienter determinantur per ipsorum inobedientiam, & hoc modo censura excommunicationis dicitur cadere supra personas determinatas,

natas, non verò supra vniuersitatem absolutè. Ita Suarez *disp.5.sect.2. num.2.* Couar. *loco cit.* Filliucius *quæsito 6.* [Alterius *loco citat.col.4.*] & alij communiter.

[Sed modò dubium supereſt, vtrùm ſuſpenſio lata in communitatem ſeu Capitulum, afficiat ſolùm communitatem & Capitulum vt ſic, quoad ea quæ illi competũt vt communitas & Capitulum eſt, vel etiam afficiat ſingulares perſonas, ita vt ſi feratur ſuſpenſio ab officio, vel beneficio in Capitulum, Collegium, ſeu vniuerſitatem, non ſolùm cenſeatur ſuſpenſa vniuerſitas ſeu collegium vel Capitulum collectiuè ab officio vel beneficio pertinente ad vniuerſitatem, collegium ſeu capitulum collectiuè, verùm etiam diſtributiuè, ita vt ſinguli ex quibus conficitur vniuerſitas, collegium vel Capitulum, cenſeantur ſuſpenſi à ſuis propriis & perſonalibus officiis & beneficiis.

Reſpondeo huiuſmodi ſuſpenſionem afficere ſolùm communitatem ſeu Capitulum quoad ea quæ Capitulo collectiuè ſumpto competunt, niſi aliud ex verbis, vel ex ſubiecta materia, vel ex circumſtantiis colligatur. Ratio eſt, quia verſamur in materia pœnali, in qua ſtrictior interpretatio facienda eſt, & cùm ſint aliquæ actiones, quæ Capitulo collectiuè ſumpto conueniunt, de illis ſolùm intelligenda eſt ſuſpenſio lata in Capitulum, ſeu communitatem, niſi aliud ex verbis ſuſpenſionis, vel ex ſubiecta materia, vel ex circumſtantiis colligatur. Ita Alterius *tom.2.disp.7.cap.5.* Suarez, & alij quos referam *de cenſ.in particulari.*

Obiicies primò, interdicto populo cenſentur interdicti ſinguli illius populi: ergo etiam ſuſpenſa vniuerſitate ſeu Capitulo, cenſentur interdicti ſinguli illius vniuerſitatis, ſeu Capituli.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis cur interdicto populo cenſeantur interdicti ſinguli, nõ verò ſuſpenſa vniuerſitate cenſeantur ſinguli ſuſpenſi, eſt, quia effectus interdicti non conueniunt populo vt ſic, ſed ſingularibus perſonis, nam auditio diuinorum, & perceptio Sacramẽtorum, quę per interdictum prohibentur, non competũt populo vt vniuerſis, vt expreſsè habetur *in c.ſi ſententia, de ſentent. excommun. in 6.* effectus verò ſuſpenſionis competere poſſunt vniuerſitati, ſeu Capitulo vt ſic, impediendo vſum officij, & priuando fructibus beneficij competentibus vniuerſitati, ſeu Capitulo ac collegio conficienti vnum corpus.

Obiicies ſecundò, ſuſpenſio lata in clerum Mediolanenſem, ſi tale delictum patrauerit, afficit ſingulares perſonas tale delictum facientes; ergo ſuſpenſio lata in vniuerſitatem, ſeu Capitulum, afficit ſingulares perſonas illius Capituli.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia ſuſpenſio lata in clerum Mediolanenſem, non dicitur lata in Capitulum, ſeu communitatem collectiuè, quia clerus alicuius ciuitatis vel prouinciæ in genere non habet beneficia, vel actiones, vel adminiſtrationes communes, quę communi conſenſu vel conſilio gerantur, & à ſuſpendi poſſit, vt benè obſeruant Alterius *loco citato.* Suarez *diſp. 28.ſect.3.num.7.* & alij.

Rogabis, vtrùm ſuſpenſio generaliter lata contra omnes qui hoc vel illud fecerint, extendatur etiam ad Capitulum faciens illud delictum ob quod ſuſpenſio lata fuit.

Reſpondeo, extendi. Ratio eſt, quia cùm cenſura generalis ſit, & Capitulum ſit capax talis ſuſpenſionis, non poteſt afferri ratio, cur huiuſmodi ſuſpenſio non cadat in Capitulum & vniuerſitatem ream criminis ſub cenſura prohibiti. Ita Suarez *loco cit.nu.8.* Alterius *tom.2. diſp.7.cap.5.ad finem.*]

12 An debeat eſſe ſubditus.

12 Quinta conditio eſt, vt qui ligatur cenſura, ſit inferior, & ſubditus ferenti cenſuram. Ratio eſt, quia poteſtas ferendi cenſuram pertinet ad iuriſdictionem coercitiuam, quæ poteſt tantummodò in inferiores, & ſubditos exerceri. Ita Vaſquez *loco cit.n.6.* Suarez *n.16.* Filliucius *quæſ.5.* [Alter. *lib.3.diſp.10.c.5.*] Nauarr. & alij communiter.

13 An Summus Pontifex ſubiici poſſit cenſuris.

13 Ex quo patet primò, Summũ Pontificem non poſſe ſuſpendi, excommunicari, vel interdici, quia nullum habet ſuperiorem, nec ipſe eſt vllo inferior, *cap.cuncta per mundum 9.quæſt.3.* Ita Doctores citati.

14 An quilibet baptizatus afficiatur cenſuris à Papa latis.

14 Secundò, quemcumque alium hominem baptizatum poſſe irretiri cenſuris latis à Summo Pontifice; nam quilibet homo eſt illo inferior. Ita Doctores citati.

15 An Epiſcopi ligentur cenſuris Summi Pontificis.

15 Si quæras, vtrùm Epiſcopi ligentur cenſura lata generaliter à Summo Pontifice.

Reſpondetur diſtinguendo. Vel iſta cenſura eſt excommunicatio, vel ſuſpenſio, vel interdictum: ſi eſt excommunicatio, Epiſcopi ligãtur, niſi illorũ fiat exceptio; lex enim generalis generaliter intelligenda eſt. Ita Suar. *diſp.5.ſect.4.nu.3.* Ratio eſt, tũ quia Epiſcopi ſunt ſubditi Summo Pontifici: tum quia vbi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Ita Nauar. *c.27.n.161.* Sylueſter *verb. Epiſcopus, in fine,* Auila *2.parte, c.5.diſp.3.dub.1.* Suarez *diſp.5.ſect.1.n.30.* Filliuc. *cap.5. quæſito 8.tract.11. & tract.12.c.1.quæſito 7.n.23.* Vgolinus *tab.1.c. 17.§.6.n.12.* [Alterius *lib.3.diſp.10.c.5.col.6.quæſ.1. & tom.2.diſp.7.cap. 4.dub.3.*] Si verò cenſura generaliter lata à Summo Pontifice eſt ſuſpenſio, vel interdictum, dicendum eſt Epiſcopos non ligari, niſi fiat illorum expreſſa mẽtio. *c.quia periculoſum, de ſententia excommunicationis in 6.* [Ita communiter Doctores; quorum aliqui hanc doctrinam extendunt non ſolùm ad Epiſcopum conſecratum, verùm etiam ad illum, qui tantummodo electus & confirmatus eſt, licet nondum conſecratus: quia *cap. periculoſum,* generaliter loquitur de Epiſcopis: nomine autem Epiſcopi venit etiam electus & cõfirmatus, licet nondum ſit conſecratus. Ita Alterius *tom.2.diſp.7.cap.4.colum.9. & ſeqq.* & alij quos alibi retuli.]

16 An Cardinales ſubiaceant cenſuris.

16 An verò Cardinales ligentur cenſuris generaliter latis, colligi poteſt ex dictis *de legibus, q.1.punct.6.verſ.13. Card.* & videri poteſt Azorius *1.part.lib.5.cap.19.quæſt.5.* Salas *de legibus diſput.14.ſect.14.* & Vgolinus *tab.1.de cenſuris, c.17.§.6.n.10.* vbi oſtẽdit, Cardinales ligari cenſuris generaliter latis, vt patet ex rationibus allatis de Epiſcopis, [contra Alterium *tom.2.diſp.7.cap.4.col.8.* & alios.]

Neque obſtat, inquit Vgolinus, ipſorum fieri aliquando expreſſam mentionem; hoc enim non tollit, quin cenſeantur comprehenſi in cenſura generaliter lata, etiamſi ipſorum non fiat expreſſa mentio; nam aliquando fit expreſſa mentio ad tollendum omne dubium, & abundans cautela non nocet, argumento ex *l.teſtamentum, C.de teſtamentis.*

17 An aliquis poſſit contra ſeipſum cenſurã ferre.

17 Tertiò patet, neminem poſſe poteſtate propria ſeipſum excommunicare, ſuſpendere, vel interdicere; nullus enim eſt inferior ſeipſo, nec habet poteſtatem coactiuam contra ſeipſum, *cap. quoties 1.quæſt. 7.* & ibi Doctores communiter, teſte Suarez *diſp.1.ſect.4.verſ.Secunda, & diſput.5.ſect.1.n.28.* Reginald. *n.140.* immò non videtur capax huiuſmodi poteſtatis; quia videtur contra naturam iuriſdictionis contentioſæ.

Neque obſtat primò *cap.faciliùs, de pœnit.diſt.1.* faciliùs Deum placabunt, qui ſeipſos excommunicabunt; nam verbum *excommunico* accipitur ibi pro verbo *redarguo*, & *remoueo:* ſenſus igitur eſt, Deum faciliùs placandum, ſi delinquens ſeipſum redarguerit, vel ab altari remouerit.

Neque obſtat ſecundò *cap. nunc autem, diſt.27. Tuo te ore condemna;* intelligitur enim non iudicialiter, ſed Papatum deponẽdo, & proprium errorem fatendo, vt ab Eccleſia iudiceris. Vide Suarez *loco cit.* Filliucium *c.2.quæſ.9.n.41.* Vgolinum, & alios Doct. ſtatim citandos.

Ex quo fit, vt accipiens à Summo Pontifice poteſtatem ferendi excommunicationem contra omnes furripientes rem alienam in notabili quãtitate, non incurrat excõmunicationem furripiendo. Secus dicendum eſt, ſi ipſe non ferat cenſuram, ſed illam denuntiet tãquam latam à ſuperiore; tunc enim denuntians incurrit cenſuram delinquendo contra præceptum ſuperioris, quia eſt inferior, & ſubditus. Vnde ſi Summus Pontifex ferat excommunicationem contra omnes furantes, & præceptum imponat Epiſcopo denuntiandi illam excommunicationem, certum eſt Epiſcopum furripiendo incurrere excommunicationem, ſicut eam incurrunt alij furripientes. Ita Nauarrus *cap.27.num.9.* Vgolinus *tab.1.cap.17.* Coninch. *num.44.* Suar. *loc.cit.* & alij communiter. Vide Salas *diſp.14.ſect.3.num.35.fol.319.* & quæ diximus *de legibus loco citato.*

Vtrùm verò ſuperior interdicens aliquem locum teneatur ad ſeruandum interdictum, dicam infrà teneri, & ſubiacere pœnis à iure communi latis contra violantes interdictum; verum tamen eſt in eo caſu non incurri illas pœnas quaſi à ſe latas, ſed vt latas à iure communi, præcipiente interdictum inuiolabiliter ſeruari, vt patebit ex dicendis *de interdicto.*

18 An æquales ligẽtur cenſuris.

18 Quartò patet, æqualem non poſſe ab alio excommunicari, ſuſpendi, vel interdici interdicto perſonali auctoritate propria; nam æqualis non eſt inferior, nec par in parem habet imperium, *cap.innotuit, de election.in 6.* ex commiſſione verò, & poteſtate delegata, accepta à ſuperiore poteſt aliquis ab æquali excommunicari, interdici, vel ſuſpendi, quia per commiſſionem, & delegationem factus eſt illo inferior, vnde Parochus, vel Epiſcopus, accepta poteſtate à Summo Pontifice, poteſt alium Epiſcopum, vel Parochũ excõmunicare, &c.

19 An exempti ab ordinarij poteſtate ligentur illius cenſuris.

19 Quintò patet habentes priuilegium à Summo Pontifice, per quod eximuntur ab Epiſcopi auctoritate, & iuriſdictione, non ligari cenſuris latis ab Epiſcopo, quale priuilegium habere ſolet Rex, & Imperator. Ratio eſt, quia habentes huiuſmodi priuilegium non cenſentur in hac re ſubditi Epiſcopo, [cùm priuilegio ſubtrahantur.

Obſerua tamen aſſerenti ſe priuilegium habere, incumbere onus probandi tale priuilegium; præſumptio enim eſt contra ipſum, cùm conſtet Epiſcopum generalem habere poteſtatem in eos, qui in ſua diœceſi exiſtunt, quacumque fulgeant dignitate, vt patet tum ex *cap. Valentinianus.63.diſt.c.ſolita, de maiorit. & obed.c.5.duo ſunt, 96.diſt. & c.ſi autem 11.q.3.* tum exemplo S. Ambroſij, qui Theodoſio ingreſſum Eccleſiæ interdixit, & exemplo D. Innocentij, qui Arcadium Imperatorem excommunicauit. Vide Alterium *lib.3.diſp.10.cap.col.7. & 8.*

20 (An exempti à iuriſdictione Epiſcopi poſſint abipſo excõmunicati in caſibus quibus ſũt exempti.

20 Sextò patet religioſos exemptos à iuriſdictione Epiſcopi non poſſe ab ipſo excommunicari vel ſuſpendi in iis caſibus, in quibus exempti ſunt, vt bene Alterius *loco citato*, & alij communiter. Quibus autem in caſibus religioſi aliæquæ perſonæ alias exemptæ ſubiiciantur Epiſcopo ſeu ordinario loci iuxta diſpoſitionem Concilij Trident. *ſeſſ.7.c.14. de reformat.* & alibi, videri poteſt apud Nauarr. *in Manuali c.25.n.13.verſ.quarto, & in commentar.2.de regul.num.63.* & apud Cochier *de iuriſdict.ordinarij in exemptos part.2. quæſt.40.* Quibus addi poſſunt nonnulla quæ ego innui in meo tractatu *de cenſuris in particulari,* dum explicarem Bullam Gregorij XV. contra regulares delinquentes contra curam vel clauſuram monialium.

21 An qui recipiuntur in Eccleſiæ Romanę filios ligari poſſint cenſuris ab ordinario loci.)

21 Maior difficultas eſt, vtrùm illi qui recipiuntur in proprios & peculiares Eccleſiæ Romanæ filios, ligari poſſint cenſuris ab ordinario loci.

Reſpondeo negatiuè; quamuis enim habentes huiuſmodi priuilegium non ſubtrahantur à iuriſdictione ordinarij, niſi aliud in priuilegio exprimatur, cenſuris tamen ab ordinario affici non poſſunt, *cap. 1.de verb.ſignificat. in 6.* Quo in loco licet expreſſa mentio fiat ſolùm excommunicationis & interdicti, nihilominus intelligendus eſt etiam de ſuſpenſione, iuxta communiorem Doctorum ſententiam, quia effectus ſuſpenſionis continentur aliqua ratione in cenſura excommunicationis & interdicti, cùm excommunicatio & interdictum ſint pœnæ grauiores, & pluribus bonis priuent quàm ſuſpenſio. Ita Geminian. *in cap.1.citato, num.2.* Francus & Ancharanus *ibid.* Alterius *tom.2.diſp.7.cap.4.colum.5. & ſeqq.*]

PVNCTVM V.

Vtrùm ligatus vna cenſura ſit adhuc capax alterius, & vtrùm tot cenſuras incurrat, quot ſunt actus contra præceptum continens cenſuram, vel quot ſunt ſuperiores, qui actum ſub cenſura prohibent.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An ligatus vna cẽſura ſit adhuc capax alterius.

1 QVi ſemel ligatus eſt vna cenſura, eſt adhuc ſubiectum capax alterius non tantùm diuerſæ rationis, ſed etiam eiuſdem.

dem. Ita Sylvest. *verb. Excommunicatio* 1. *num.* 10. Suarez *disp.* 5. *sect.* 2. Auila 2. *part. c.* 4. *disp. vnica dubio* 7. Filliucius *tract.* 11. *c.* 5. *quæs.* 7. [Alterius *lib.* 3. *disp.* 10. *cap.* 7.] & alij communiter. Ratio est, tum quia sic exprimitur *in cap. cùm pro causa. de sententia excommunicationis, & cap. Engeltrudam. 3. qu. 4. & c. ita quorũdam. de Iudæis:* tũ quia ligatus censura potest adhuc transgredi legem continentem censuram; ergo potest adhuc illam incurrere; vnde, qui semel Clericum percussit, & contraxit excommunicationem, potest nouo anathematis vinculo ligari iterum percutiendo eumdem, vel alium Clericum.

Dices, qui semel excommunicationem contraxit, priuatus est omnibus communibus bonis; ergo non potest nouam excommunicationem incurrere, qua iterum priuetur iisdem bonis.

Respondeo negando consequentiam: potest enim iterum subiici censuræ, quæ licet actu non priuet illis bonis, cùm cadat in subiectum illis iam priuatum: nihilominus vim habet priuandi, & obstrictus censuris dici potest priuatus bonis communibus variis titulis, vt in simili constat de peccatore, qui plura committit peccata mortalia, quorum singula apta sunt ad priuandum gratia.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An tot censuræ incurrantur, quot sunt actus contra præceptum.

2 TOt sunt censuræ, quot sunt moraliter, & formaliter actus contra præceptum, seu quot sunt transgressiones formaliter & moraliter, vnde vbi est moraliter, & formaliter vnus actus contra præceptum, seu vna transgressio, ibi est vna tantum cẽsura; vbi verò sunt plures transgressiones formaliter, ibi sunt plures censuræ. Ratio est, quia lex ponit censuram propter transgressionem ipsius legis; ergo vbi est vna transgressio, ibi est vna censura, & vbi multiplex transgressio, ibi etiam multiplex censura reperitur.

3 An Clericum sæpius succesſiuè percutiens ligetur vnica censura.

3 Ex quo sequitur, eum qui Clericum sæpius successiuè percutit, incurrere vnã tãtummodò excommunicationem, nam cõmittit vnam transgressionem, & illi plures actus reputantur vnus actus moraliter. Secus si percutiat sæpius cum interruptione morali, tunc enim contrahit plures excommunicationes propter multiplicem transgressionem.

4 An furãs in Ecclesia cõmittat peccatum duplex, & duplici afficiatur cẽsura, si lata sit.

4 Hinc etiam sequitur, furantem in Ecclesia (posito quòd furari in Ecclesia sit duplex peccatum mortale specie distinctum, videlicet iniustitiæ, & sacrilegij) ligari duplici excommunicatione, si lata esset excommunicatio contra fures, & contra sacrilegos. Ratio est, quia illa actio furti, quãuis sit vna numero entitatiuè, & physicè, nihilominus est multiplex formaliter, & moraliter; vbi autem est actio, vel transgressio multiplex formaliter, & moraliter, ibi etiam est multiplex peccatum. Verum quia hęc doctrina satis difficilis apparet, nec potest vno vel altero exemplo sufficienter explicari, referam aliqua quæsita in censura excommunicationis, quæ ceteris censuris applicata, omnes difficultates elucidabunt, omnesque nodos dissoluent.

5 An plures censuras incurrat verberans Clericum per aliquod tempus.

5 Quæres igitur primò, vtrùm verberans Clericum per aliquod tempus incurrat tot censuras quot sunt verbera, quibus illũ percutit.

Respondeo distinguendo: Aut verberat successiuè, & sine interruptione, aut verberat cum interruptione morali. Si verberat successiuè, & sine interruptione, incurrit vnam tantummodo censuram, vt colligitur ex *canon. pro causa, de sententia excommunicationis.* Ratio est, quia censetur vna tantum actio moraliter, vna percussio, vna transgressio, vnum delictum. Si verò verberat cum interruptione morali, tot censuras incurrit, quot sunt verbera moraliter interrupta, nam adsunt plures transgressiones formaliter. Ita Suarez *disputat. 5. sect. 3.* Vgol. *tab. 1. c. 16. §. 3. num. 5.* vbi citat Io. Andream. [Nauar. *c. 6. nu. 17.* & Alterius *lib. 3. disput. 10. cap. 9.*] Vide quæ diximus *quæst. 3. de peccatis punct. 4.* ex quibus facilè poteris colligere, quandónam actus moraliter interrumpantur.

6 An percutiès plures Clericos successiuè tot censuras incurrat quot sunt Clerici.

6 Quæres secundò, vtrùm percutiens plures Clericos successiuè incurrat tot excommunicationes, quot sunt Clerici, quos successiuè percutit absque interruptione.

Respondeo, incurrere tot excommunicationes, quot sunt Clerici, qui successiuè percutiuntur. Ratio est, quia istæ percussiones sunt plures formaliter, & numero distinctę, vnitas enim numerica percussionum non tantùm desumitur à continuatione temporis & actionis, verùm etiam ab obiecto, circa quod exercetur actio, & percussio, vt patet ex dictis *de peccatis loco citato*, & patet à simili de vnitate motus; cùm autem in proposito casu sint plura obiecta, id est, plures Clerici, qui percutiuntur, sequitur esse plures percussiones formaliter, & numero distinctas, quarum singulæ inducunt excommunicationem. Quare qui vnum occidit, & postea alium absque interruptione, non incurrit vnam tantummodò excõmunicationem, sed duas, non enim dicitur committere vnum homicidium, sed duo, sicut qui fornicatur cum vna, & statim ad aliam accedit, non dicitur vnam, sed duas fornicationes committere. Ita Suarez *loco cit. n. 6.* [Alterius *cap. 8. cit.*] & alij communiter.

Obiicies primò contra primum quæsitum. Qui fornicatur cum vna, & statim cum eadem de nouo fornicatur absque temporis interruptione, committit duo peccata fornicationis; ergo etiam qui vnum Clericum sæpius absque interruptione percutit, sæpius incurrit excõmunicationem, iuxta numerum verberum, & percussionum.

Respondeo, fornicantem successiuè cum eadem persona, plura fornicationis peccata committere, quia exercet plures actiones, quę habent terminum definitum, in quo perficiuntur, vt patebit ex dicendis in sequenti obiectione.

Obiicies secundò contra secundum quæsitum. Qui successiuè ab vno & eodem surripit pecuniam, & ligna toto vno die, non dicitur committere plura peccata furti, sed vnum tantùm; ergo pari ratione qui successiuè percutit plures Clericos, vnum tantũmodò peccatum cõmittit, consequenter contrahit vnam tantùm excõmunicationem.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia surripiens successiuè ab eodem, facit iniuriam successiuè vni, & eidem, & eius furtum non habet terminum definitum. Pro maiori intelligentia vtriusque obiectionis propositæ:

Aduertendum est cum Suarez *loco cit. nu. 7.* actionem, quæ exercetur, aut versari circa terminum definitũ, in quo perficitur ipsa actio, aut versari circa terminum, qui non est certus, nec definitus, sed habet extensionem & latitudinẽ. Quando actio versatur circa terminũ definitum, & in eo consummatur, multiplicata actione multiplicantur peccata, consequenter tot censuræ incurruntur, quot sunt actiones multiplicatæ, vt patet exemplo illius, qui sæpiùs successiuè fornicatur, quem cõstat tot peccata committere, quot sunt fornicationes, quamuis fornicationes fiant sine mora temporis cum vna, & eadem persona, nam actus fornicationis habẽt terminum definitum, in quo consummantur, ita vt fornicatio sequens non continuetur cum præcedente, nec cum ea faciat vnam actionem moralem. Secus dicendum est de furto, & de percussione facta successiuè contra vnum, & eumdem Clericum, cùm enim furtum, & percussio non habeant certum & definitum terminum, vel materiam, dicendum est furtum, & percussionem continuari, si fiant successiuè, & respectu eiusdem personæ, consequenter constituere vnum peccatum. Si verò fiãt successiuè contra diuersas personas, non dicuntur continuari, aut constituere vnum peccatum, sed multiplex, quia successiuè fit iniuria multis quibus aliquid successiuè surripitur, aut quibus iniuria infertur percutiendo.

7 An percutiès plures Clericos vnico actu, pluribus ligetur censuris.

7 Quæres tertiò, vtrùm percutiens, vel occidens simul vno actu plures Clericos incurrat plures excommunicationes, iuxta numerum Clericorum, qui percutiuntur, vel occiduntur.

Respondeo cum Suarez *loc. tit.* & aliis contra Nauarr. *c. 6. nu. 18.* & alios probabiliter defendi posse, incurrere vnã tantùm excõmunicationem. Ratio est, quia tot numero censuræ incurruntur, quot sunt numero peccata, & transgressiones: sed in proposito casu est vnũ tantummodò numero peccatũ, & vna transgressio; ergo est vna tantum numero censura; minor patet ex dictis de peccatis, nam qui vno actu malum imprecatur vni familiæ, committit vnum tantummodò peccatum, quamuis in ea familia plures existant personæ, vt concedit etiam ipse Nauar. *loc. cit.* & Hẽriquez *lib. 5. c. 8. n. 4.* Præterea proiiciens blasphemiam in duodecim Apostolos, vno tantùm blasphemiæ peccato se coinquinat, etiamsi eamdem blasphemiam sępius repetat sine interruptione, ac interuallo, quamuis cõtrariumsequatur Vasquez *de pœniten. quæst. 91. art. 1. dub. 4. n. 4.* Rursus versans eodem tẽpore cum pluribus excommunicatis committit vnum tãtummodò peccatum, & vnam minorem excommunicationem incurrit; ergo etiam percutiens vno actu plures Clericos, vnum peccatum committit, consequenter vnam tantummodò censuram incurrit.

Dixi, *probabiliter defendi posse*, quia contraria sententia tutior est, eamque tuetur Nauar. *loco cit.* Zerola *de pœnit. c. 12. quæsito 48.* Sayrus *lib. 1. c. 10. n. 9.* Vgolinus *tab. 1. cap. 16. §. 3. nu. 8.* vbi citat Io. Andream, eamque dicit Suarez videri sequendam in praxi. Idem sentire videtur Henriquez *lib. 5. c. 5. n. 4.* [Alterius *lib. 3. disp. 10. c. 8. col. 3. vers. sed quamuis.*] & Vasquez *loco cit. n. 4. & 7.*

Obiicies primò contra hoc tertium quæsitum. Vnitas peccatorum non desumitur tantùm ex vnitate actionis, sed etiã ex multiplicitate personarum, & subiectorũ, circa quæ versatur actio, vt dictum est in 2. quæsito: sed in proposito casu reperiuntur plures personæ, & plura subiecta circa quę versatur actus percussionis; ergo sunt plura numero peccata, consequenter etiam plures censuræ.

Respondeo, vnitatem, & multiplicitatem peccatorum desumi ex vnitate, vel ex multiplicitate personarum, & subiectorum, quando actio fit successiuè circa plures personas, non verò quando fit tota simul circa plures personas, vt patet exemplis adductis *in 3. quæsito.*

Obiicies secundò, quando plures vnum Clericum occidunt, omnes incurrunt excõmunicationem; ergo à pari quando vnus vno ictu plures Clericos occidit, plures excommunicationes incurrit.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia quando plures vnum Clericum occidunt, plura peccata committunt, iuxta numerum personarum concurrentium ad occisionem; quando verò vnus vno ictu plures occidit, committit tantùm vnum peccatum, vnam trãsgressionem, & vnicam actionem terminatã ad plures.

Obiicies tertiò. Si occidens vno actu plures Clericos ligaretur vna tantùm excommunicatione, sequeretur ipsum reportare commodum ex suo delicto: quia eodem modo incurreret vnam excõmunicationem occidendo plures, atque occidendo vnum tantùm; sed hoc non videtur admittendum: ergo neque videtur admittendum, percutientem vno actu plures Clericos ligari vna tantùm excommunicatione.

Respondeo, percutientem vno actu plures Clericos non reportare commodum ex suo delicto: sed vna excõmunicatione puniri propter vnam transgressionem, vnum actum, & vnum peccatum; tot enim censuræ incurruntur, quot sunt transgressiones, ac peccata.

Obiicies quartò. Occidens, vel percutiens plures Clericos successiuè, & distinctè, tot censuras contrahit, quot sunt personæ percussæ, vel occisæ; ergo etiam percutiens, vel occidens vno actu plures Clericos, tot cẽsuras incurrit, quot sunt personæ percussæ, vel occisæ: videtur enim eadem ratio.

Respondeo negando consequentiam: sicut non valet dicere, qui vnum Clericum sæpius cum morali interruptione percutit, multoties censuram incurrit: ergo etiam multoties incurrit percutiendo sine interruptione. Quare falsa est consequentia, quia percussio sine interruptione est vna actio moraliter: consequenter vnam tantùm inducit censuram: sicut etiam actio, qua plures simul occiduntur, potest dici vna actio moraliter, vna transgressio, vnum homicidium adæquatum, respiciens plures personas per modum vnius obiecti: consequenter vnam tantum inducit excommunicationem.

Obiicies quintò. Si actio, qua plures simul percutiuntur, censetur vnica transgressio, sequitur illum, qui plures Clericos vno actu percussit, vel occidit, satisfacere dicendo in Confessione, se commisisse vnum homicidium: vel semel percussisse, sequendo sentẽtiam illorũ, qui asserunt, circũstantias aggrauantes non esse necessariò exprimendas in Confessione: sed falsum est, eum qui percussit, vel occidit vno

actu

actu plures Clericos, satisfacere dicendo in Confessione, se commisisse vnum homicidium, vel semel percussisse; ergo etiam falsum est actionem, qua plures simul percutiuntur vnico actu, esse vnicam transgressionem, & vnicum peccatum.

Respondeo negando sequelam maioris. Dico enim, hanc non esse circumstantiam tantummodò aggrauantem, sed aliquid se tenens ex parte obiecti, & constituens actum in suo esse indiuiduali: consequenter assero, exprimendum esse numerum personarum in confessione, vt cognoscatur substantia actus: vt pluribus ostendi in Sacramento pœnitentiæ cum Valentia, & idem tenet Reginald. *lib. 6. num.* 129.

Quæ diximus in tribus præcedentibus quęsitis ad hanc vnam conclusionem reuocari possunt. Vbi est vna numero transgressio, ibi est vna numero censura: est autem vna numero transgressio moraliter, quando actio fit tota simul, vel etiam successiuè circa eamdem personam, modò actio non habeat certum, & definitum terminum, in quo ipsa compleatur: quando verò actio fit circa plures personas successiuè, censetur multiplex transgressio: consequenter multiplex censura incurritur. Secus si circa omnes personas fiat tota simul, tunc enim dici potest vna transgressio, & vnum delictum, consequenter probabiliter defendi potest, per ipsam incurri vnam tantummodò censuram.

1 An plures censuræ incurrantur ab eo, qui facit vnum actum habentē plures circūstantias, pro quibus singulis lata est censura.

8 Quæres quattò, vtrùm plures censuræ contrahantur ab eo, qui facit vnum actum habentem plures circumstantias, pro quibus singulis lata est excommunicatio. e. g. aliquis vno actu percutit Monachum initiatum prima tonsura, aut percutit Sacerdotem, qui simul est Diaconus, & Subdiaconus, aut furatur in Ecclesia, quęritur, vtrùm contrahat duplicem censuram, vnam, quia percutit Monachum, alteram, quia percutit Clericum, vnam, quia percutit Sacerdotem, alteram, quia percutit Diaconum, vnam quia committit furtum, alteram, quia committit sacrilegium, si ponamus furari in Ecclesia duplicem habere malitiam, vnam iniustitiæ, alteram sacrilegij, simulque ponamus, latam esse excommunicationem propter furtum, & propter sacrilegium.

Respondeo cum Suarez *loco cit. num* 13. Sayro *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 10. [Alterio *lib.* 3. *disp.* 10. *cap.* 8. *sub fin. vers. Sed potest quis.*] & aliis contrahi plures censuras, quando actus ille habet plures circumstantias mutantes speciem actus moralis, singulas sub censuris prohibitas. Secus, quando circumstantiæ non mutant speciem, sed sunt eiusdem speciei. Ratio, cur plures censuræ incurrantur, quando actus mutat speciem, est, quia quamuis sit vnicus actus materialiter, physicè, & entitatiuè, nihilominus formaliter sunt plura peccata, pluresque transgressiones, sed tot censuræ incurruntur, quot sunt actus, & peccata prohibita sub censura; ergo plures censuræ contrahuntur, quando actus plures habet circumstantias mutantes speciem actus moralis, prohibitas sub censuris. Secus quando circumstantiæ non mutant speciem, sed sunt eiusdem speciei, tunc enim est vna actio moraliter, vna transgressio, consequenter vna censura.

9 An percutiens Sacerdotem, qui simul est Diaconus, & Subdiaconus, aut Monachum initiatum prima tonsura, plures incurrat censuras.

9 Hinc sequitur primò, percutientem Sacerdotem, qui simul est Diaconus & Subdiaconus, non incurrere plures excommunicationes, quia committit vnum peccatum formaliter contra reuerentiam debitam statui Clericali, circumstantiæ enim Sacerdotis, & Diaconi, non sunt circumstantię mutantes speciem in hoc casu, sed accidentaliter tantùm se habent ad transgressionem legis, quæ solùm spectauit statum Clericalem, non verò ordinem, quo aliquis est initiatus, vt benè ait Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 16. §. 3. *ad finem.* Secus dicendum est [cum Alterio *loc. cit. vers. rem.* &] Suar. *loc. cit. num.* 9. de percutiente Monachum initiatum prima tonsura, nam illius percussio censetur duplex transgressio, vna contra reuerentiam debitam statui Clericali, altera contra reuerentiam debitam statui religioso, nam circumstantia Monachi diuersa est specie a circumstantia Clerici, cùm alia sit consecratio Clerici, & alia religiosi, consequenter alia ratione debeatur reuerentia, vt Clerico, & alia, vt religioso.

10 An faciens contra Clemētinam primam de sepulturis, incurrat plures censuras.

10 Secundò sequitur, facientem contra Clementinam 1. *de sepulturis*, posse vnica actione, plures malitias habente, incurrere plures censuras, nam in dicta Clementina quatuor prohibentur sub excommunicatione latæ sententiæ, videlicet sepelire scienter aliquem publicum excommunicatum, vel vsurarium, vel nominatim interdictum, vel tempore interdicti in casibus non concessis.

Ex quo fit, vt sepeliens in loco sacro vsurarium, qui simul sit excommunicatus publicus, & nominatim interdictus, incurrat tres excommunicationes, committit enim triplicem inobedientiam pro diuersis causis prohibitam, seu triplex sacrilegium formaliter diuersum, vnum sepeliendo vsurarium, facit enim contra prohibitionem factam sub excommunicatione. Secundum violando excommunicationem, sepelit enim excommunicatum publicum, qui priuatur Ecclesiastica sepultura ratione excommunicationis. Tertium violando interdictum, quod est censura specie diuersa ab excommunicatione, consequenter sepeliens dictum vsurarium excommunicatum, & interdictum, incurrit tres excommunicationes, quia facit contra tres prohibitiones diuersarum rationum, positas sub excommunicatione. Ita Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 16. *num.* 4. Suarez *loco citato*, & alij communiter contra quemdam Ioannem de sancto Georgio, quem citat Vgolinus, asserentem in prædicto casu vnam tantummodò censuram incurrere, sicut vnam tantum excommunicationem incurrit percutiens sæpius successiuè eumdem Clericum. Secus dicendum est de illo, qui sepelit hominem interdictum tempore interdicti, hic enim incurrit vnam tantum censuram, quia violat prohibitiones, & censuras eiusdem rationis, ita Suar. *loc. cit.* contra Sayrum *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 10.

TERTIA PROPOSITIO.

11 An tot censuræ incurrantur, quot sunt superiores

11 Faciens aliquem actum prohibitum à pluribus sub censura, non incurrit tot censuras, quot sunt superiores prohibentes illum actum sub censura, quādo superiores prohibentes habent eamdem potestatem: secus quando habent diuersam. Ita Suar. *disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 13. Coninch. *de pœnit. disp.* 7. *dub.* 6. *num.* 46. Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 16. §. 3. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. Paludanus *in* 4. *disp.* 18. *quæst.* 2. *ad fin.* Filliucius *cap.* 5. *quæsito* 7. *num.* 142. Nauarr. *in cap. ita quorumdam, de Iudæis. notabili* 11. [Alterius *lib.* 3. *disp.* 10. *cap.* 7. *col.* 3.] & alij. Quando igitur actus prohibetur à multis habentibus eamdem potestatem, incurritur vna tantummodò censura faciendo aliquem actum ab ipsis prohibitum, nam quamuis conditores censuræ multi sint materialiter, nihilominus formaliter in potestate videntur vnus, & non censentur velle ferre plura præcepta formaliter distincta, seu nouum ius. Quando verò actus prohibitus est ab habentibus diuersam potestatem, tot censuræ incurruntur, quot sunt superiores prohibentes, modò quisque tulerit censuram tamquā suam, & intenderit ferre nouum ius, & imponere nouam pœnam. Ratio est, quia committitur multiplex contumacia formaliter loquendo: quamuis sit vna materialiter, censuræ autem incurruntur ob contumaciam.

prohibentes.

Obiicies, qui facit contra plures leges, & præcepta ex eodem motiuo imposita à diuersis superioribus, committit vnum tantummodò peccatum, & vnam transgressionem; ergo incurrit vnam tantummodò censuram.

Respondeo negando consequentiam. Ratio est, quia censuræ non solùm desumunt vnitatem & multiplicitatem ab vnitate & multiplicitate peccatorum, sed etiam à contumacia; qui autem violat plura præcepta posita à pluribus superioribus prohibentibus aliquid sub censura, dicitur multipliciter contumax.

12 An deferēs arma Saracenis plures cōtrahat censuras.

12 Hinc sequitur primò, vnam tantummodò censuram excommunicationis incurri ab eo, qui defert arma Saracenis, quamuis à multis Pontificibus prohibitum sit sub excommunicatione, Saracenis arma deferre, & multi Pontifices illam excommunicationem reseruauerint, reseruatio enim non mutat speciem censuræ, vel transgressionis, vel contumaciæ. Ita Sayrus *loco citato*. Si verò Episcopus etiam ipse ferret censuram, tamquam suam contra deferentes arma Saracenis, deferens duplicem censuram incurreret, committeret enim duplicem contumaciam formaliter.

13 An ligetur duplici censura, qui facit aliquid prohibitū à iure communi, & à iure particulari.

13 Secundò, eum ligari duplici excommunicatione, qui facit aliquid sub excommunicatione prohibitum à iure communi, & à iure particulari, aut prohibitum à Papa, & ab Episcopo, modò Episcopus intenderit nouum ius ferre, nouamque censuram imponere. Ita Suarez *loco cit.* Filliucius & alij.

14 An plures incurrat censuras, qui non denuntiat blasphemum.

14 Tertiò, eum pluribus censuris ligari, qui non denuntiat blasphemum habentem blasphemandi consuetudinem, si ponamus sub excommunicatione deferendum esse blasphemum ex præcepto Archiepiscopi, & Inquisitoris S. Officij.

15 An contrahat plures censuras qui facit contra leges sæpius repetitas.

15 Quartò, eum non ligari pluribus excommunicationibus, qui facit contra leges sæpius repetitas, & innouatas ab eodem superiore sub excommunicatione. Ratio est, quia censetur violator vnius tantummodò legis, & reus vnius contumaciæ formaliter. Ita Vgolinus *loc. cit. num.* 9. *ad finem, vers. quartò excipitur.* quamuis *vers. quid igitur*, videatur dissentire.

PVNCTVM VI.

Vtrùm in censuris ita comprehendantur consulentes, & mandantes, sicut comprehenduntur facientes.

DVo principaliter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm in censura lata contra aliquid facientes comprehendantur mandantes, vel consulentes.

Secundò, vtrùm comprehendantur, etiamsi non influant in effectum prohibitum sub censura.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An censura lata contra facientes includat mādantes, & consulentes.

1 Censura lata contra facientes aliquid non ligat mandantes, vel consulentes, nisi in sententia censuræ exprimantur mandantes, vel consulentes. Ita Nauar. *cap.* 27. *nu.* 51. Auila 2. *part. cap.* 2. *disp.* 3. *dub.* 2. Caietanus *verb. Excommunicatio, in principio*, Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 9. §. *vltimo*, Couarr. *cap. Alma mater, parte* 1. §. 10. *num.* 15. Suarez *disput.* 4 *sect.* 3. *num.* 5. *ad fin.* Reginald. *lib.* 9. *num.* 214. [Alterius *lib.* 3. *disput.* 2. *cap.* 2.] & alij contra Sylvest. *verb. Excommunicatio* 10. *num.* 5. Ratio est, tum quia ad incurrendam censuram requiritur actus perfectus, quantum lex requirit; sed consilium, vel mandatum non est actus perfectus, quantum lex requirit, nisi exprimatur; ergo tum quia censura lata contra mandantes non includit facientes nisi in censura exprimantur facientes, cùm non liget vltra intentionem superioris; ergo à pari in censura lata contra facientes non includuntur mandantes, vel consulentes, nisi exprimantur: tum quia in odiosis facienda est stricta interpretatio. Quare si lata esset excommunicatio contra furantes, certum est, mandantem, vel consulentem furtum non incurrere excommunicationem, quia consulens, vel mandans non dicitur propriè furari, cùm mandatum, & consilium præcedant furtum. Secus dicendum est, quando in censura exprimuntur mandantes, & consulentes, vt accidit quando censura fertur iis verbis, quæ mandanti, vel consulenti possunt adaptari, vt sunt ista verba, quicumque fuerit causa talis delicti, vel qui directè, vel indirectè, aut qui mediatè, vel immediatè, aut qui per se, vel per alium fecerit, sit excommunicatus; quamuis aliqui recentiores velint in hoc vltimo loquendi modo comprehendi solùm iubentem, vel mandantem, non verò consulentem.

Obiicies. Agentes, & consentientes pari pœna puniuntur, sed censura est pœna, qua ligantur agentes; mandans verò, & consulens dicitur consentiens; ergo consulens, vel mandans punitur eadem pœna censuræ, qua punitur faciens; consequenter censura lata contra facientes afficit, & ligat consulentes, vel mandantes.

Respondeo, consentientes non semper puniri eadem pœna, qua puniuntur agentes, nisi consentientium fiat mentio; pœnæ enim restringendæ sunt.

Ex quo fit, vt quando dubium suboritur, an mandans, vel consulens comprehendatur in censura lata contra facientes, iudicandum sit non comprehendi. Ita Nauarrus *lib. 9. consiliorum, de sententia excommunicationis, consil. 55.* Auila *loco citato, dub. 2. & 6.* & alij. Ratio est, quia pœnæ restringendæ sunt, & in pœnis benignior pars accipienda est. [*cap. odia. de reg. iur. in 6.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An mandans ligetur censura, quando non influit in effectũ.

2 MAndans, vel consulens, qui aliquo modo exprimitur in sententia censuræ, non ligatur censura, nisi verè influat in effectum prohibitum sub censura. Ita Nauarrus *cap. 27. num. 51.* Auila *part. cap. 5. disp. 3. dub. 3.* & alij. Ratio est, quia non incurritur censura, nisi fiat opus prohibitum sub censura; mandans autem, vel consulens, qui non influit in effectum prohibitum sub censura, non facit opus prohibitum sub censura; ergo non ligatur censura.

3 An mandans aut consulens percussionẽ Clerici ligetur excommunicatione, quando nõ influxit in percussionem.

3 Hinc sequitur primò, consulentem, vel mandantem percussionem Clerici non ligari excommunicatione, quando per suum consilium, vel mandatum nihil influxit in percussionem Clerici, quando scilicet delinquens commissurus erat delictum absque illius mandato, vel consilio, vt in simili dictum est *in tractatu de restitutione, & de homicidio.*

4 An consulens ligetur excommunicatione, quando solùm auxit voluntatem delinquentis.

4 Secundò, consulentem ligari excommunicatione, quando per suum consilium auxit voluntatem delinquentis ad præstandum effectum prohibitum sub excommunicatione, quamuis delinquens paratus esset ad illum effectum præstandum; nam dicitur suo consilio influere in effectum prohibitum sub excommunicatione. Ita Syluester *verb. excommunicatio 8. num. 10.* & alij.

5 An ligetur excommunicatione, qui parato occidere Clericum suadet tantũ percutere.

5 Tertiò, consulentem non ligari censura, quando ipse dedit bonum consilium, vt quando parato occidere Clericum suasit tantummodò percutere. Ratio est, quia non dicitur culpabiliter influere in effectum prohibitum sub censura; nam ad incurrendam censuram requiritur peccatum prohibitum sub censura; qui autem consulit minus malum parato facere maius, non peccat, vt benè ait Sotus *6. de Iustitia, quæst. 1. art. 5.* Auila *loco cit. dub. 3.* Sanch. *de matrimonio,* & alij, quos retuli *in tract. de restitut. & de peccatis.*

6 An mandans ligetur censura, quando reuocauit mandatũ.

6 Quartò, mandantem effectum prohibitum sub censura non incurrere censuram, nec teneri ad restitutionem, si reuocauit mandatum, eiusque reuocatio innotuit mandatario; non enim censetur influere in effectum prohibitum sub censura, sed potiùs reuocasse influxum. Si verò reuocatio mandati non innotuit mandatario, mandans, sequuto effectu, ligatur censura, & tenetur ad restitutionem damni, iuxta communem sententiam, contra Innocentium, quem citat Syluester *verb. Excommunicatio 6. num. 5.* cuius sententiam valdè probabilem putat Auila *2. part. cap. 5. disput. 3. dub. 7.* loquens de excommunicatione, eamque sequitur Filliucius *cap. 8. quæsito 13. num. 162.* & alij apud Molinam *tom. 4. disp. 52. num. 2.*

7 An consulens ligetur censura, si consilium reuocet.

7 Quintò, consulentem ligari censura, etiamsi reuocauerit consilium, & illius reuocatio innotuerit ei, cui datum fuit consilium ad patrandum delictum prohibitum sub censura. Ratio est, quia non censetur reuocasse influxum, saltem quando consilium erat verum, vt dictum est de restitutione. Ita Nauarrus *cap. 27. num. 253.* Molina *loco citato,* & alij contra Syluestrum *verb. Homicidium 1. num. 11. & 12.* Auilam *loco citato,* Sayrum *lib. 3. cap. 26. num. 33.* Idem dicendum est de irregularitate.

8 Quomodo possit aliquis cognoscere, an suo cõsilio influxerit in factum prohibitum.

8 Rogabis, quomodo possit aliquis cognoscere, an suo consilio influxerit in factum prohibitum.

Respondeo, posse cognoscere primò ex dicto ipsius, cui datum est consilium, modò sit fide dignus, vnde si asserat se motum non fuisse consilio ad substantiam actus, vel ad illius accelerationem, potest credere se non influxisse. Ita Auila *loco citato,* Sayrus *lib. 7. cap. 3. num. 2.* Henriquez *lib. 14. cap. 16. num. 3.* Sanchez *in summa lib. 1. cap. 10. nu. 44.* & alij.

Secundò, ex coniecturis, vt si delinquens iam minatus fuerat delictum, exempli gratia, percussionem, vel homicidium, aut si omnia necessaria ad delictum iam parauerat. Ita Sanchez *loco cit.*

Quid verò faciendum sit, quando consulens, adhibita sufficienti diligentia, adhuc dubitat, an per suum consilium influxerit in factum prohibitum sub censura, dicam *quæst. 1. punct. 4. de Irregularitate.*

9 An ligetur censura, qui non prohibet aliquod delictũ, quod tenetur prohibere.

9 Quæres, vtrùm qui non prohibet aliquod delictum, quod tenetur ex officio prohibere, ligetur censura lata contra patrantes illud delictum.

Respondeo, hoc quæsitum soluendum infrà de excommunicatione, quæ incurritur ob violentam manuum iniectionem in Clericos.

PVNCTVM VII.

De forma, seu ritu seruando in ferenda censura.

EXplicatis iis, quæ pertinent tum ad causam efficientem, tum ad causam materialem proximam, & remotam censurarum, agendum modò est de iis, quæ pertinent ad causam formalem. Quare in præsenti puncto quatuor principaliter quæremus.

Primò, vtrùm censura debeat exprimi aliquo signo externo.

Secundò, vtrùm ad ferendam censuram requirantur certa, & determinata verba.

Tertiò, vtrùm exprimi debeat censura particularis.

Quartò, vtrùm exprimi, & determinari debeat persona, quæ ligatur censura.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An censura exprimi debeat aliquo signo externo, vel an sufficiat interna voluntas superioris.

1 AD incurrendam censuram necesse est, vt censura lata sit à iudice per signa exteriora, & non per solam voluntatem internam ipsius volentis aliquem ligare censura. Ratio est, quia censura non incurritur, nisi ob contumaciam contra præceptum superioris, seu contra censuram; nullus autem dici potest contumax contra superiorem, vel contra censuram, nisi præceptum superioris, vel censura fuerit expressa per signa exteriora; quamdiu enim censura non exprimitur, ignoratur: ignorantia autem excusat à contumacia, vt patebit ex dicendis. Ita Syluester *verb. Excommunicatio 1. num. 13.* Nauarrus *cap. 27. num. 1.* Sayrus *lib. 1. cap. 11. num. 1.* Suarez *disp. 3. sect. 2.* Filliucius *cap. 3. quæsito 2.* Vgolinus *tab. 1. cap. 2.* & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An ad ferendã censuram requirantur determinata verba.

2 AD ferendam censuram non requiruntur certa, & determinata verba, sed sufficiunt quæcumque verba, aut etiam scriptura, qua intentio iudicis sufficienter exprimatur. Ratio est, quia nullo iure cautum est, censuram per certa verba ferendam esse; ergo sufficiunt quæcumque verba, aut etiam scriptura, cùm per scripturam sufficienter possit exprimi censura, sicut potest per verba. Ita Syluester *loco citato, num. 12.* Nauarrus, & alij, quos citat, & sequitur Vgolinus *tab. 1. cap. 20. in principio, & tab. 2. cap. 28.* Auila *part. 2. cap. 2. dub. 1.* Coninchus *disp. 13. dub. 2. num. 23.* Suarez *loco citato, num. 5.* Filliucius *num. 53.* Reginaldus *lib. 9. num. 194. & seq.* [Alterius *tom. 2. de suspensione. disp. 7. cap. 2.*]

TERTIA PROPOSITIO.

3 An ferri possit censura in genere.

3 CEnsura ita ferri, & exprimi debet, vt verba, in quibus continetur, sint definita, & determinata ad aliquam particularem censuram: vnde qui fert censuram hoc modo: Qui tulerit arma, vinculo censuræ sit obstrictus; nihil operatur, eo quòd huiusmodi verba nullam determinent censuram. Ratio est, tum quia non potest effici effectus in genere, sed in specie: tum quia verba faciunt quod significant; ergo quando significant censuram in genere, nihil faciunt; debent enim facere, & operari illam censuram, quæ per verba exprimitur, per verba autem non exprimitur vlla censura particularis, sed tantummodò censura in genere, quæ non datur; signum ergo est, verba, quibus censura exprimitur, debere esse definita, & determinata ad particularem aliquam censuram.

Dices, si feratur excommunicatio in genere, dicendo, *Excommunico,* valida est excommunicatio, vt patet ex *cap. si quem. de sententia excommunicationis;* ergo etiam valida est censura in genere lata, & validus est iste modus loquendi: Qui tulerit arma, vinculo censuræ teneatur.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia primus ille modus loquendi, *Excommunico,* iuxta communem vsum, & peritorum intelligentiam, accipitur pro maiori excommunicatione, non verò pro excommunicatione in genere, quæ diuiditur in maiorem, & in minorem, [idem dic quando fertur suspensio absolutè; tunc enim intelligitur suspensio ab officio & beneficio, vt benè Alterius *loc. cit.*] quando verò fertur minor excommunicatio, solet apponi aliquod verbum sufficienter indicans minorem excommunicationem. Secus dicendum est, quando censura fertur in genere, tunc enim non est maior ratio, cur vna potius censura, quàm altera intelligatur. Ita Suarez *disp. 3. sect. 2. num. 9.* Filliuc. *cap. 3. quæsito 3. num. 55.* & alij communiter.

4 An incurratur censura lata sub disiunctione.

4 Ex dictis colligit primò Vgolinus *tab. 1. cap. 20. §. 3. num. 4.* vbi citat Nauarrum *cap. 27. num. 161.* & alios, Henriquez *lib. 13. cap. 32. nu. 4.* Sayrus *lib. 4. cap. 7. num. 3.* non incurri excommunicationem, vel suspensionem, quæ fertur sub disiunctione, exempli gratia: Qui tulerit arma, sit excommunicatus, vel suspensus; aut, Clericus, qui tulerit arma, sit suspensus ab officio, vel beneficio. Ratio est, tum quia verba, cùm non sint determinata ad aliquam particularem censuram, nihil operantur; non enim possunt operari effectum in genere: tum quia sententia sine certa quantitate prolata non meretur nomen sententiæ, *l. 3. C. de sententia, quæ sine certa quantitate profertur.* tum quia non est maior ratio, cur vna cẽsura potius incurratur, quàm alia; aut cur verba de vno potius effectu intelligantur, quàm de alio.

Sed contrarium mihi videtur probabilius cum Suarez *disput. 3. sect. 2. num. 12.* [Alterio *lib. 3. disp. 9. cap. 3. vers. his positis.*] & Filliucio *quæsito 5. num. 58.* videlicet, validam esse censuram latam sub forma disiunctiua; quamuis enim censura sub hac forma lata non sit absolutè determinata ad vnam partem, nihilominùs confusè saltem est definita, & determinata ad vnam; nam iudex intendit, vt delinquens vnam earum censurarum incurrat, ita vt liberum sit delinquenti sese applicare ad vtram ipse voluerit partem, sicut patet in simili in sententia à iudice lata hoc modo: Reus vel soluat ducentos nummos aureos, vel mittatur ad triremes per biennium; aut etiam quando Confessarius iniungit pœnitenti satisfactionem sub disiunctione, hoc modo: Vel contine te vno die à vino, & carne, aut duos Regales pauperi solue. In his casibus, sicut liberum est reo, & pœnitenti eligere quam voluerit partem, ita etiam liberum videtur delinquenti eligere quam voluerit censuram sub forma disiunctiua impositam.

5 Quid faciendum sit, quando delinquens non vult vnam partem eligere.

5 Rogabis, quid faciendum sit, quando delinquens non vult vnam partem eligere.

Respondeo, ipsum in eo euentu subiacere vtrique pœnæ; nam hæc videtur intentio ferentis pœnas sub disiunctione. Aut dici potest, delinquentem, qui vnam censuram non obseruat, censeri alteram elegisse; nam quando ex disiunctiua vna pars destruitur, manet altera. Ita Suar. & Filliuc. *locis citatis.*

Hinc patet responsio ad rationes Vgolini, Henriquez, & aliorum; dicendum enim est censuram esse confusè definitam ad vnam partem.

Secundò colligitur, validè ferri excommunicationem hoc pacto, *Excommunico, & absoluo,* modò superior distinctas sententias ferre intendat, vnam excommunicationis, alteram absolutionis. Ratio est, quia verba sufficienter indicant censuram, & eius absolutionem; ergo vtramque operantur iuxta superioris voluntatem. Si verò superior illis omnibus verbis intendat solùm censuram ferre, non validè fert, quia illa verba non sufficienter indicant censuram, nec efficiunt sensum à superiore intentum. Ex quo fit, vt superior in ferenda

censu-

censurâ non debeat hac verborum forma vti, cùm his verbis hoc pacto prolatis actum validum efficere nequeat. Immò etiam cauere debet, ne censuram primo modo fera, quia ferè inutilis esset hic ferendæ censuræ modus, cùm incontinenti absoluatur, qui vix erat censura ligatus. Ita Suarez *tom.5.de censuris, disp.3.sect.2. num.6.vers. Dico tamen.* Filliucius *tract.11.cap.3.quæsito 2.num.53.*

QVARTA PROPOSITIO.

6 An exprimi debeat persona, quæ ligatur cēsura.

6 VErba, quibus exprimitur censura, debent esse determinata ad aliquam personam, eam nominando, si cognoscitur, vel describendo aliquo modo, vel illam designando per ordinem ad delictum, vt si dicatur: Clericus, qui gestauerit comam, incidat in suspensionem. Hæc verba sunt sufficienter determinata ad Clerium, qui gestat comam, illumque sufficienter designant per tale delictum.

Ratio, cur censura debeat esse determinata ad aliquam personam, est, quia verba faciunt in censuris quod significant; ergo quando nullam personam significant, nullam afficiunt. Hac de causa non sufficit, inquit Suarez *loco citato, sect.2. nu.16.* & Filliucius *tract.11. cap.3. quæsito 4.num.56.* ferre excommunicationem hoc modo, *Ego excommunico*; cùm enim in istis verbis nulla persona exprimatur, dicendum est nullam personam subiacere excommunicationi.

7 An valida sit censura lata hoc modo, *Excōmunico vnum de duobus.*

7 Hinc sequitur, inquit Angelus *verb. Excommunicatio 2. num. 4.* nullum subiacere excommunicationi, quando superior dicit: *Excommunico vnum de duobus*, aut, *Excommunico vnum ex iis, qui furati sunt*, quando plures furati sunt; cum enim verba sint indeterminata, nec constet ad quem superioris intentio referatur, nullus remanet excommunicatus, nullusque tenetur eos euitare.

PVNCTVM VIII.

Vtrùm censura ferri debeat in scriptis.

TRia principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, vtrùm ferens **censuram** sine scriptura grauiter peccet, & incurrat aliquam pœnam.

Secundò, vtrùm aliquæ personæ **eximantur** ab incurrenda pœna constituta ferentibus censuram sine **scriptura**.

Tertiò, vtrùm censura lata sine **scriptura sit** vālida.

PRIMA PROPOSITIO.

3 An grauiter peccet ferens censuram sine scriptura, aut sine expressione causæ, & an incurrat aliquam pœnam.

1 FErens censuram solo verbo, sine scriptura, mortaliter peccat, & incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, & à diuinis; quam suspensionem etiam incurrit ferens censuram sine expressione causæ, aut qui parti petenti non concedit exemplar scripturæ intra mensem, si petatur. Hæc propositio patet ex *cap.1. cùm medicinalis, de sententia excommunicationis in 6.* vbi prædicta suspensionis pœna est imposita. Ita Nauarrus *cap.27.num.8.* Sayrus *lib.5.cap.13.num.17.* Angelus *verb. Suspensio 1.num.16.* Vgolinus *tab.1. cap.14.§.6.* Henriquez *lib.13.cap.34.num.4.* Auila *2.parte cap.2.disp. vnica, dub.3.& 3.parte.disput.3. dub.1. concluf. 4.* Suarez *de Censuris disput. 3. sect.13.& disput.37.sect.1.versus principium*, Coninch *disput.13.sect.1. dub.9.num.85.* Filliucius *cap.4.quæsito 9.* [Alterius *tom.2.disput.7.cap.2.*] & alij communiter.

Ratio, cur requiratur expressio causæ in scriptis, est, tum, vt iudex cautior fiat in ferenda censura, ne imprudens habeatur ferendo censuram ob quamcumque leuem causam: tum quia ligatus censura potest confugere ad superiorem, superior autem non potest facilè iudicare, nisi nota sibi sit causa, ob quam lata est censura. Ratio, cur peccet mortaliter, est, quia facit contra ius in materia graui præscripta sub pœna grauis censuræ.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quinam eximantur ab hac pœna.

2 AB ista pœna suspensionis recensita eximuntur Episcopi ferentes censuram, solo verbo. Ratio est, quia *in citato cap. 1. cùm medicinalis*, non fit mentio Episcoporum; quando autem in censura suspensionis, vel interdicti non fit mentio Episcoporum, certum est Episcopos non ligari, vt patet ex *cap. quia periculosum, de sententia excommunicationis.*

Secundò, eximuntur denuntiantes aliquem excommunicatum, quia in dicto cap. non fit mentio denuntiantis. Ita Nauarrus, quem citat, & sequitur Auila *3.part.disp.3.dub.1.concluf.4.*

Tertiò, eximuntur ferentes censuram sine scriptura, quando hoc faciunt ob vrgentem, & iustam aliquam causam, vt quando instat periculum, nisi censura statim feratur absque scriptura, [quia ista cēsura lata est contra temerarium violatorem: qui autem aliquid facit ex iusta causa, non est temerarius violator.]

Quartò, eximi possunt qui hoc **faciunt bona fide**, & ex quadam inaduertentia censuræ; nam *in cap. citato, cùm medicinalis*, sermo est de violatore temerario, qualis non est qui hoc **facit bona fide**, & ex inaduertentia censuræ, quamuis Glossa *in eodem cap.* oppositum sentiat.

Quintò, eximuntur ab aliquibus Prælati Religiosorum, ferentes censuras contra suos Religiosos sine scriptura; nimis enim durum esset ipsis seruare hunc ordinem iuris, cùm sæpe cēsuram ferre debeant. Ita Henriquez *loco citato*, Sayrus *lib.5.cap.9.* & alij. Alij verò, vt Nauarrus *cap.27.* & Vgolinus *loco citato*, probabiliùs non excusant Religiosos, nisi peculiare priuilegium habeant à Summo Pontifice. Ratio est, quia *c.cùm medicinalis*, absolutè loquitur, nec adest ratio sufficiens, propter quam excipiendi sint **Religiosi, qui non** debent temerè, & ex leui quacumque causa graues **censuras ferre**.

Hinc patet responsio ad rationem Sayri, **Henriquez**, & aliorum.

Sextò, eximuntur ferentes simplicem prohibitionem, qui non intendunt ferre censuram propriè dictam, vt quando Præfecti Chori abigunt, & repellunt aliquos Canonicos à Choro, sed non intendunt illos propriè suspendere à Choro. Ita Auila *loco citato*, & alij recentiores communiter.

[De hac suspensionis pœna fusiùs & clariùs agam *de censuris in particulari.*]

TERTIA PROPOSITIO.

3 An inualida sit cēsura lata sine

3 CEnsura lata sine scriptura, vel sine **expressione causæ non** est irrita, & inualida. Ratio est, tum quia omissio **scripturæ, seu** causæ non censetur omissio formę substantialis, sed tantummodò accidentalis, vt patet ex dictis *de legibus quæst.1 punct.4. versus finē, vers. Vnum superest dubium*; tum quia sic habetur *in cap. 1. de sententia excōmunicationis in 6.* iis verbis: Superior, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans, &c. ergo signum est censuram esse validam; nam si esset inualida, non esset opus relaxatione. Ita Suarez *de censuris disp.3.sect.13.nu.8.& lib.5.de legibus cap.32.* Filliucius *nu.109.* [Alterius *loc. cit.*] & alij communiter contra Ripam in rubricis *de Constitutionib. num. 48.*

ne scriptura, vel sine causæ expressione.

PVNCTVM IX.

Vtrùm in ferenda, vel incurrenda censura requiratur admonitio.

QVatuor principaliter quæremus in hoc puncto.

Primò, vtrùm necessaria sit admonitio.

Secundò, quotuplex admonitio necessaria sit.

Tertiò, cui facienda sit.

Quartò, vtrùm aliquæ personæ debeant interesse, quando fit admonitio.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An ad incurrendam censurā requiratur admonitio.

1 AD incurrendam censuram prærequiritur admonitio. Hæc propositio patet ex *cap. sacro, de sententia excommunicationis*, vbi sermo est de excommunicatione, ex *cap. reprehensibilis, de appellationibus*, vbi hoc exprimitur de suspensione, & ex *cap. statutum, de sententia excommunicationis in 6.* vbi hoc deciditur de interdicto. Ratio est, quia censura ex cōsuetudine Ecclesiæ ferri solet tantùm in contumaces contra Ecclesiam, vel contra superiorē, sed non potest esse cōtumacia cōtra Ecclesiam, vel superiorem, nisi præsupponatur admonitio; delinquens enim, si per admonitionem conscius esset censuræ, fortasse obediret, & non peccaret perterritus metu tantæ pœnæ; ergo præsupponenda est admonitio. Ita Sayrus *lib.1.c.12.* Suarez *disp. 3.sect. 12.nu.4.* [*& sect.8.nu.2.*] Nauarrus *loco cit.* Vasquez *tract.de excommun. dub.12.nu.4.* & Vgolinus *tab.1.c.18.* vbi alios refert, Coninchus *tom.2. disp.13.dub.9.n.79.* Reginald. *lib.9.n.180.* [Toletus *c.45.n.3.* Filliucius *tract.11.cap.4.quæs.1.* Alterius *lib.3.disp.3.cap.1.& tom.2. disp.7.cap.2.*]

Ratio allata ostendit admonitionem requiri in censura, siue lata sit ab homine, siue à iure, siue ob eamdē, siue ob diuersam causam, siue in genere, siue in specie, siue pro præteritis, siue pro futuris culpis. Hæc tamen est differentia inter censuras latas pro præteritis, & pro futuris culpis, quòd censuræ latæ pro futuris culpis non requirunt admonitionem distinctam ab ipsa lege, vel prohibitione. Ratio est, tum quia lex ipsa non ignorata admonet: tum quia sequeretur, nullam censuram incurri ipso facto propter aliquod delictum, si præter legem necessaria esset alia admonitio. Ita Vasquez *loco cit.* Filliucius *cap.4.quæsito 1.num.83.* Suarez *disp.3.sect.8. num.3.& seq.* Vgolinus *tab.1.cap.18.* [Alterius *tom.2.disp.7.cap.2.*]

Ex quo patet, excommunicationem ferri posse hoc modo, *Omnis Clericus, qui tulerit arma, sit excōmunicatus*, consequenter Clericū delinquentē excōmunicatione ligari absque alia admonitione. In cēsuris verò latis pro culpis præteritis, vel præsentibus requiritur admonitio distincta, vt patet ex *cap. Romana, de sentent. excōmun. in.6.* ex *cap. sacro, eod. tit.* & ex aliis iuribus relatis à Suarez, [& ab aliis Doctoribus.]

2 An censura lata contra non denuntiantes blasphemos incurratur absque noua admonitione.

2 Ex dictis sequitur primò, illum, qui non denuntiat blasphemos habentes consuetudinem proferendi blasphemias hæreticales, ligari absque alia admonitione censura excōmunicationis, lata ab Archiepiscopo contra non deferentes intra quindecim dies huiusmodi blasphemos; nam præceptum superioris latum sub censura incurrenda, nisi blasphemi deferantur, vicem gerit admonitionis, eamque sufficienter continet. Ita Angelus, & alij apud Sayrum *loco citato num. 6.* & apud Suarez *sect.8.num.5.*

3 An sit inualida censura, quando nulla præcessit admonitio

3 Secūdò, inualidā esse censurā, quando nulla præcessit admonitio.

Obiicies contra propositionem *cap. tam litteris, de testibus.* Summus Pontifex videtur aliquos suspendere ob delictum præteritum absque præuia admonitione; ergo ad incurrendam censuram non est necessaria admonitio.

Respondeo [cum Alterio *loco citato dub.2.* & aliis] negando consequentiam, concedo enim suspensionem, & interdictum posse aliquando ferri sine præuia admonitione pro præteritis culpis, [vt patet ex *cap. tam litteris. de testibus.*] sed tunc non feruntur per modum censuræ, & medicinæ, sed per modum simplicis pœnæ vindicatiuæ. Excommunicatio verò maior, cùm semper sit pœna medicinalis; non potest ferri absque admonitione pro culpis præteritis; propterea Summus Pontifex non potest, de potestate saltem ordinaria, aliquem validè excommunicare, nisi præmittat aliquam admonitionem. [Vide quæ tradidi *punct.3.num.19.*]

Sed modò dubium est primò, vtrùm in censuris comminatoriè latis pro futuris culpis, requiratur admonitio distincta à publicatione legis, seu edicti cōditi sub pœna excommunicationis, vt si excommunicatio hoc pacto feratur, Clerici, qui Moniales sine facultate superioris alloquuti fuerint, excommunicabuntur.

Respondent Couarruuias *1.part.§.9.num.5.* Suarez *disp.3.sect.8. nu.20.* Caietanus *in summa verb. Clericorum peccata, & verb. Præceptum*, & alij apud Couarruuiam, requiri admonitionem peculiarem distinctam à prohibitione legis, consequenter iudicem non posse censuram contra delinquentem statim absque vlla præuia monitione inferre. Ratio est, tum quia *in cap. reprehensibilis, de appellationibus*, ab onere denuntiationis faciendæ excipitur solùm, quando censura est ipso iure lata; exceptio autem firmat regulam in casibus non exceptis, vt multis probat Euerardus *in loco ab except. ad regul.* Tum quia de necessitate censuræ est, vt ipsam admonitio præcedat; præceptum autem latum sub pœna excommunicationis ferendæ non continet admonitionem: tum quia hæc sententia benignior est; & magis suauem reddit censurarum praxim.

4 An Ecclesia possit de plenitudine suæ potestatis ferre censuram absque vlla admonitione.

4 Sed oppositum mihi verius videtur. Ratio est, tum quia adest sufficiens admonitio ex parte iudicis, & sufficiens contumacia ex parte

parte delinquentis, qui nouit prohibitionem ſub pœna cenſuræ ferenda: tum quia non eſt maior ratio, cur ad ferendam[ipſo facto cenſuram antea comminatoriè latam]noua requiratur admonitio diſtincta à prohibitione, non autem requiratur, dum præceptum, vel prohibitio edita eſt ſub pœna cenſurę ipſo facto.[Sed ad hanc non requiritur noua publicatio; ergo neque ad illam.]Ita ex parte ſentit Filliucius *cap.3.quæſito 3.num.95.*

Ad primam rationem *cap. reprehenſibilis*, reſpondetur, illud loqui de ſuſpenſione, & poni loco exempli ad indicandum quid in ſimilibus ſentiendum ſit. Ad ſecundam, patet ex dictis ſufficientem admonitionem adeſſe. Ad tertiam reſpondeo me loqui, non iuxta benigniorem cenſurarum vſum, ſed iuxta rationis vim, & rigorem.

Secundò dubium eſt, vtrùm admonitio ita ſit de eſſentia cenſuræ, vt Eccleſia non poſſit de plenitudine ſuæ poteſtatis illam ferre ſine admonitione. Vaſquez *loco cit.* & Auila cum pluribus aliis Doctoribus, exiſtimant admonitionem eſſe de eſſentia excommunicationis, & Eccleſiam non poſſe de plenitudine ſuæ poteſtatis excommunicare ſine admonitione, vt colligitur ex illis verbis, *Si Eccleſiam non audierit, ſit vt Ethnicus, & Publicanus.* Suarez verò *diſp. 3.ſect.8.* Caiet.*2.2.q.69.art.2.* Filliucius *cap.4.quæſito 4.* [Alterius *lib.3. diſp.3. c.5. & tom.2.diſp.14. cap.1.col.2.*] & alij cenſent Eccleſiam poſſe de poteſtate abſoluta ferre cēſuras ſine admonitione, quamuis ordinariè non poſſit. Ratio eſt, tum quia ferre cenſuras ſine admonitione non ita repugnat iuri naturali, vel diuino, quin Eccleſia de plenitudine ſuæ poteſtatis poſſit hoc facere: tum quia ſic colligitur ex *cap. in cauſis, de ſent. & re iudic.* Sententia Suarez [& aliorum] mihi magis probatur, quare ad argumentum Vaſquez, & aliorum reſpondetur, in illis verbis ſermonem eſſe de correctione fraterna, aut de poteſtate ordinaria.

Tertiò, dubium eſt, cuius auctoritate facienda ſit admonitio.

Reſpondeo, faciendam eſſe auctoritate illius, qui laturus eſt cenſuram. Ratio eſt, tum quia huiuſmodi admonitio vices gerit citationis, legitima autem citatio facienda eſt auctoritate iudicis, ex Panormit. *in cap.1.de iudiciis. nu. 33.* tum quia cenſura fertur ob inobedientiam, & contumaciam contra præceptum ſuperioris; non dicitur autem quis inobediens, & contumax contra præceptum ſuperioris, niſi admoneatur auctoritate, & nomine ſuperioris. Ita Suarez *diſp. 3. ſect. 11.nu.1.* Filliucius *tract.11.cap.4.quæſito 6.* Panormit. & alij, qui etiam obſeruant, admonitionem, & citationem fieri debere ad inſtantiam partis, dum cenſura ferenda eſt ob commodum, & vtilitatem priuatæ perſonæ: iudex enim non debet proprio motu ſuam auctoritatem interponere ob priuatam vtilitatem. Quando verò cenſura ferenda eſt ob commune bonum, iudex ſicut poteſt ex officio procedere, ita etiam ex officio admonere, *cap. veritatis, de dolo, & contumacia, num.5. & cap. venerabilibus, §. porrò, de ſent. excom. in 6.* Vide Panormitan. *in cap. veritatis, cit.* Suarez, & Filliucium *locis cit.*

[Quartò, dubium eſt, vtrùm ſicut in ferenda cenſura requiritur aliqua admonitio, ita neceſſaria ſit citatio, dum declarandum eſt, aliquem incidiſſe in cenſuram.

Reſpondeo cum communi Doctorum ſententia, neceſſariam eſſe citationem, quia ſententia lata inaudita parte irrita eſt. Cùm enim iudicium inter iudicem & partes exerceatur, opus eſt vt pars in iudicium vocetur, ſeu citetur. *cap. inter quatuor, de maior. & obed.* citatio enim fit, vt pars ſciat cauſam quæ agitur in iudicio, & compareat ad ſe defendendum. Ita Panormit. *in cap. peruenit. 1.num.5.de appellat.* aſſerens non eſſe denuntiandum aliquem excommunicatum ob clerici percuſſionem, niſi ipſo antea citato, & receptis etiam probationibus ſuper veritate facti. *cap. cùm ſecundùm leges. de hæreticis in 6.* niſi fortè exceſſus adeò ſit notorius & manifeſtus, vt expreſsè conſtet abſque indagine nullam competere reo defenſionem aut excuſationem à delicto. Idem tradit gloſſa *in cap. ſacro. verb. conſtiterit. de ſent. excom.* Toletus *lib. 1. cap.45. num.3. verſ. aduerte.* Felinus *in cap. Rodulphus. num.9. de reſcript.* Nauar. *conſil.56. num.5. de ſent. excom.* Alterius *tom.2. de ſuſpenſ. diſput.7. cap.2. verſ. verum aduertendum. & verſ. tandem illud. colum.5. & 6. & de interdicto diſput.10. cap.3. colum. 5.* affirmantes ſententiam declaratoriam quòd aliquis inciderit in cenſuram, ferri non poſſe abſque citatione, & antequam audiatur, vel contumax iudicetur, & declarationem abſque citatione & auditione factam ipſo iure nullam eſſe; conſequenter non obeſſe, quominus acta facta per obſtrictum cenſuris ſubſiſtant, & valeant; niſi fortè delinquens eſſet excommunicatus ob notoriam clerici percuſſionem: nam huiuſmodi excommunicatus eſt vitandus, & non toleratus, conſequenter actus iuriſdictionis ab ipſo facti irriti videntur, vt alibi probaui. Vide quæ infrà tradam *puncto 13. propoſitione 5.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Quotuplex admonitio requiratur in ferenda cenſura.

5 Triplex admonitio præmittenda eſt formaliter, aut virtualiter, quando ſcilicet ſententia fertur per modum cenſuræ, niſi aliter cogat neceſſitas.

Quòd requiratur triplex admonitio, colligitur tum ex *Matth. 18.* vbi Chriſtus præcepit peccantem priùs corrigi ſecretò, deinde adhiberi teſtes, vltimò dici Eccleſiæ: tum ex *16. quæſt.7. cap. omnes decimæ,* & ex *cap. conſtitutionem, de ſententia excommunicationis in 6.*

Dixi, *quando ſententia fertur per modum cenſuræ*, quia poteſt aliquando ſuſpenſio, & interdictum ferri per modum pœnæ vindicatiuæ pro delicto commiſſo, abſque præuia monitione.

Dixi, *triplex formaliter, aut virtualiter*, vt aduerterem ſufficere aliquando vnam admonitionem pro tribus aſſignatis competentibus aliquorum dierum interuallis, niſi facti neceſſitas aliquando ſuaſerit interualla eſſe moderanda, *cap. conſtitutionem, de ſententia excommunicationis in 6.* vnde inquit Suarez, ſufficit, vt iudex concedat ſex dies abſolutè, eo quòd virtualiter tria interualla videantur in hoc termino contineri, modò iudex explicet hunc eſſe vltimum terminum; ſi verò non explicet hunc eſſe vltimum terminum, reus non dicitur ſufficienter contumax, eo quòd bona fide poſſit credere alium terminum ſupereſſe, ſeque illum velle expectare.

Dixi in propoſitione, *niſi aliter cogat neceſſitas*, nam vrgente neceſſitate fieri poteſt, vt vna monitio abſolutè ſufficiat, *cap. conſtitutionem, citato. de ſententia excommunicationis in 6.* Non tamen poteſt omitti omnis admonitio, etiamſi alioquin aliquis ſit diſpoſitus, & paratus ad patrandum delictum; nam vna ſaltem monitio præmittenda eſt, etiamſi neceſſitas vrgeat; nam poſita monitione cenſuræ, fieri poteſt vt delinquens ſeſe retrahat à delicto. Ita communiter Doctores.

6 Quæres primò, vtrùm ſit valida cenſura, quando præmittitur vna tantùm admonitio, abſque neceſſitate vrgente.

6 An valida ſit cenſura, quando vna tãtùm admonitio præmittitur.

Reſpondeo validam eſſe, quia nullo iure cauetur eſſe inualidam, quamuis iudex illam ferens ſine triplici admonitione, grauiter peccet, eo quòd faciat contra prohibitionem in re graui. Ita Suarez *diſp. 3. ſect.12. nu.4.* Vgolinus *tab.1. cap.18. in principio, num. 4.* & plures alij apud Sayrum *loco citato, nu. 26.* apud Suarez *num. 2.* & apud Filliucium *quæſito 8.* Excipitur tamen cenſura ab homine lata contra participantes cum excommunicatis, [ab ipſomet iudice,] quæ triplicem requirit admonitionem, alioquin ſi fiat ſine triplici admonitione, vel ſaltem ſine vna pro omnibus cum debito dierum interuallo, inualida eſt, *cap. conſtitutionem. de ſententia excommunicat. in 6.* Vide Sayrum *loco cit. num.29.* Suarez *loc. citat. num.3. & diſp.4. ſect.7. nu.39.* Vaſquez *dubio 12. num.16.* & Filliucium *cap.4. quæſito 8.* [Alterium *loco cit. cap. 6 & lib.1. diſp.12. cap.6.*]

7 Quæres ſecundò, quantum temporis ſpatium ſit conſtituendum pro ſingulis monitionibus.

7 Quantum temporis ſpatiũ requiratur in ſingulis admonitionibus.

Reſpondeo, conſtituendos eſſe duos ſaltem dies pro ſingulis monitionibus, vt colligitur ex *cap. conſtitutionem, citato,* vbi habetur obſeruanda eſſe aliquorum dierum interualla; qui modus loquendi importat diſtantiam duorum ſaltem dierum inter vnam, & alteram monitionem. Non nego tamen, quin iudex poſſit pro ſua prudentia interuallum ampliare, vel reſtringere, etiam ad vnum diem, vel ad breuius tempus, ſi opus fuerit, vt colligi videtur ex prædicto cap. Vide Vgolinum *tab.1. cap.18. §.2. num.4.* Filliucium *cap.4. quæſito 5.* Suarez *diſp.3. ſect.9. num.3.* Reginaldum *lib.9. num.181. & ſeq.* [Alterium *lib.3. diſputat. 3. cap. 3.*]

TERTIA PROPOSITIO.

8 Cui facienda ſit admonitio.

8 Qvando cenſura fertur contra perſonam aliquam particularem, & determinatam, admonitio facienda eſt coram illa perſona. Ratio eſt, quia ad incurrendam cenſuram requiritur contumacia, ſed nullus eſt contumax, niſi ſit admonitus; ergo quando cenſura fertur contra perſonam aliquam particularem, & determinatam, admonitio facienda eſt coram illa perſona. Ita Vgolin. *tab.1. cap.18. §. 1.* Suarez *ſect.11.* Coninch. *diſput.13. dub.9. num.79.* Filliucius *cap. 4. quæſito 7.* Reginaldus *loco citat.* [Alterius *lib.3. diſp.3. cap. 2. & 3.*] & alij communiter.

Dixi, *quando fertur contra perſonam aliquam particularem*, nam quando cenſura fertur generaliter, non poteſt hoc modo fieri admonitio, eo quòd ignorentur delinquentes, vnde tunc temporis ſufficit admonitionem fieri in loco publico, vt in Eccleſia coram populo; hac enim admonitione poſita delinquentes venient in cognitionem cenſuræ, ſufficienterque dicentur contumaces, faciendo contra prohibitionem, poſtquam habuerint illius cognitionem, vt benè ait Suarez *diſp.3. ſect.11. num.5.* [Alterius *cap.3.* & alij.]

9 Hinc colligi poteſt, in ferenda cenſura contra particularem aliquam perſonam, regulariter non ſufficere admonitionem fieri ad domum illius, contra quem cenſura fertur, tunc enim contingere poteſt, vt ipſe nihil ſciat, & conſequenter puniatur pœna cenſuræ, abſque contumacia, & inobedientia, quod fieri non poſſe conſtat ex dictis. Non nego tamen, quin ſufficiat in aliquibus caſibus admonitionem fieri ad domum illius, qui cenſura ligandus eſt: [ſicut iure communi admonitio, ſeu citatio dicitur legitimè facta, ſi fiat ad domum, illius qui citandus eſt. *l. ſcire oportet. §. qui autem. ff. de excuſ. tutor. & cap. cauſam. de dolo & contum.*]

9 An ſufficiat, ſi admonitio fiat ad domum delinquentis.

Primus caſus eſt, quando reus per dolum ſe abſcondit, vel impedit per vim, ne moneatur, in quo caſu dicitur ſufficienter contumax, etiamſi non fiat illi perſonalis admonitio; debet tamen priùs probari ipſum ſe abſcondere per dolum, vel impedire per vim, cùm non præſumatur factum, vel dolus, niſi probetur, *l. dolum, ff. de dolo.* Si contingat huiuſmodi delinquentem non habere domicilium, ſufficiet monitionem fieri in Eccleſia Cathedrali, vel principali illius loci. Ita Suarez *ſect. 11. num. 6.* Vgolin. *loc. cit. §.1.* [Alterius *loc. cit.*] & alij communiter.

Secundus caſus eſt, quando ſemel facta fuit perſonalis admonitio; tunc enim ceteræ fieri poſſunt ad domum, aut per edictum, aut in ipſo tribunali, vt oſtendit Vaſq. *num.10.* Vgolinus *loco cit.* cum aliis, & patet ex deciſione Rotæ in nouis, *deciſ.399.*

Tertius eſt, quando citatio facta ad domum innotuit delinquenti, tunc enim reliquæ fieri poſſunt ad domum. Ita Sayrus *loco cit. à num.12.* Vaſquez, Vgolinus, Alterius, & Suarez *locis citatis.*

[Quartus eſt dum quis malè fuit abſolutus ab excommunicatione, & agitur de reuocando ipſum ad priorem excommunicationem. Ita Rota *loco citato.* & alij Doctores citati.]

10 Quæres primò, vtrùm dentur aliqui caſus, in quibus non ſit neceſſe admonitionem facere delinquenti.

10 An admonitio aliquando non ſit facienda delinquenti.

Reſpondeo, meo iudicio nullum dari, abſolutè loquendo de admonitione, vt patet ex rationibus in prima propoſitione allatis, quãuis Toletus *lib. 2. cap. 9.* & Sayrus *cap. 12.* ſaltem in duobus caſibus, ſentiant non opus eſſe præmittere admonitionem.

Primus caſus eſt, quando aliquis à iudice ſedente pro tribunali admonetur, num parere velit; tunc enim, ſi dicat ſe nolle parere, poteſt abſque alia monitione ligari cenſuris, quia cenſetur ſufficienter contumax contra ſuperiorem. Sed hic caſus non videtur mihi abſolutè concedendus, quamuis enim ille ſit inobediens, & contumax contra præceptum ſuperioris, nihilominus non videtur contumax contra cenſuram, cùm ſuperior non pręceperit parere ſub ſententia

tia censuræ. Ita sentire videtur Suar. *disp. 3. sect. 10. num. 8.* Filliucius *quæsito 2. & 4.* [Alterius *lib. 3. disp. 3. cap. 4.*] & Vgolinus *tab. 1. cap. 18.*

Secundus casus, inquiunt isti Doctores, est, quando aliqua censura lata est à iure propter aliquod delictum; tunc enim inferior habens potestatem excommunicandi, potest ferre excommunicationem propter idem delictum absque alia admonitione. Sed neque hic casus videtur admittendus, nam delinquens, quamuis sit contumax contra censuram iuris, non est tamen contumax contra censuram latam ab inferiore iudice, nisi de illa certior fiat per aliquam admonitionem. Ita Suarez *loco citato, num. 18.* Vasquez *loco citato, nu. 14.* Filliucius *cap. 4. quæsito 2.* & alij.

11 Cui facienda sit admonitio, quando cēsura fertur contra communitatem.

11 Quæres secundò, cui facienda sit admonitio, quando suspensio, vel interdictum fertur contra communitatem.

Respondeo faciendam esse delinquenti, ob cuius delictum fertur interdictum, vel suspensio. Ratio est, quia ipse est inobediens, & contumax, non verò communitas; ergo admonitio facienda est delinquenti, non verò communitati, nisi fortè delinquens alia ratione non possit admoneri, & retardari à peccato. Ita Suarez *disput. 3. sect. 8. nu. 2.* [Alterius *lib. 3. disp. 3. cap. 3. col. 3.* & alij.]

QVARTA PROPOSITIO.

12 An requirantur vltes quādo fiunt admonitiones.

12 QVando fit admonitio alicui personæ, seu citatio, debent interesse aliquæ personæ idoneæ, quæ testentur, si opus fuerit, monitionem factam fuisse. Hæc propositio colligitur ex *cap. sacro, de sententia excommunicationis*, vbi superior, qui sine monitione, & sine hac circumstantia vulerit excommunicationem, interdicitur ab ingressu Ecclesiæ per vnum mensem. Ita Panormitanus *in cap. sacro.* Suarez *sect. 11. num. 4.* [Alterius *cap. 3. ad finem.*] Filliucius *num. 101.* & alij DD. citati.

PVNCTVM X.

Vtrùm in ferenda censura requiratur iusta causa.

1 Quot modis censura dicatur iniusta.

1 NOtandum est, sententiam tripliciter dici posse iniustam.

Primò, quando non prouenit ex amore iustitiæ, vel ex desiderio correctionis, sed potiùs ex odio, vel inuidia.

Secundò, quando non seruatur ordo iuris, qui duplex est: vnus appellatur substantialis, & necessarius ad validitatem sententiæ, seu censuræ, qualis videtur esse admonitio. Alter dicitur accidentalis, qualis videtur esse scriptura, vel expressio causæ. Quando deficit ordo substantialis in ferenda censura, censura dicitur formaliter iniusta.

Tertiò, quando causa, propter quam fertur censura, non est vera, vel non est æqua, licèt in iudicio per testes probetur vera, & in hoc casu censura dicitur materialiter iniusta.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An valida sit censura lata ex odio, vel inuidia.

2 CEnsura iniusta primo modo, quæ scilicet non prouenit ex amore iustitiæ, sed potius ex odio, valida est. Ratio est, tum quia prauus iudicis affectus, & mala ipsius intentio nulli nocet, sed soli nocet iudici, [nec ipsius tollit potestatem:] tum quia nihil essentiale deficit, ratione cuius irrita esse debeat censura. Ita Suarez *disput. 2. sect. 6.* Filliucius *cap. 2. quæsito 10.* & alij Doctores communiter, teste Vasquez *tract. de excommunicatione, dub. 11. num. 4. in opusculis.*

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An valida sit censura, quando prætermittitur ordo iuris.

3 INualida est censura iniusta secundo modo, quando scilicet prætermissus fuit ordo iuris necessarius; nam sententia lata non seruato iuris ordine necessario, non est sententia, nec conformis iuri, vt ostendi *de legibus, & in octauo Decalogi præcepto.* Ita Suarez *disp. 2. sect. 6.* Filliucius *tract. 11. cap. 2. quæsito 10. & cap. 8. quæsito 3. nu. 223. & quæsito 3. num. 230.* Coninchus *disp. 13. dub. 13.* [Alterius *lib. 3. disp. 2. cap. 1.*]

Hinc patet, quomodo intelligenda sit illa Gregorij sententia *homilia 26. in Euangelia*, vbi habetur, sententia Pastoris, siue iusta, siue iniusta sit, timenda est; intelligenda enim est de illa sententia, quæ fertur à Pastore, non seruato iuris ordine tantùm accidentali, aut de illa sententia, quæ prouenit ex prauo affectu, [seu de sententia valida, licèt aliqua ratione iniusta.]

TERTIA PROPOSITIO.

4 An censura sit inualida, quādo non est vera causa, propter quam fertur.

4 INualida est censura materialiter iniusta, quando scilicet causa, propter quam fertur, non subsistit. In hac propositione non cōueniunt omnes Doctores, nam iurisperiti communiter affirmant esse validam. Alij verò, præsertim Theologi, negant validam esse, & horum sententia mihi probabilior videtur. Ratio est, tum quia nemo ligatur censura maiori, nisi propter peccatum mortale; quando autem censura est materialiter iniusta, non adest peccatum mortale, cùm censura feratur ob causam, quæ non subsistit, & ob peccatum, quod verè non fuit commissum, quamuis in iudicio probetur commissum: tum quia iudex Ecclesiasticus non habet maiorem potestatem in spiritualibus, quàm habeat Princeps sæcularis in temporalibus, sed sententia Principis sæcularis materialiter iniusta non obligat, vt patet ex dictis *in octauo Decalogi præcepto*, & *de legibus*; ergo neque sententia, seu censura iudicis Ecclesiastici materialiter iniusta obligat: tum quia sententia in tantum est vera, & valida, in quantum est æqua, & iusta, cùm sit actus iustitiæ, cuius est tribuere cuique suum ad æqualitatem; sed quando causa, ob quam fertur, est materialiter iniusta, sententia non dicitur æqua, & iusta, cùm non habeat conformitatem rei ad rem; ergo censura materialiter iniusta non obligat. Ita Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. artic. 3. conclus. 1.* Nauarrus *cap. 27. num. 3.* Manuele Prælatorum *2. part. quæst. 35. art. 14.* Suarez *disput. 4. sect. 7.* Filliucius *cap. 8. quæsito 4. & 5.* Sayrus *lib. 1. cap. 17.* vbi plures alios Doctores citat, quos etiam nos retulimus *in octauo Decalogi præcepto*, & *in tractatu de legibus.* [Plures etiam enumerat Alterius *lib. 3. disp. 2. cap. 1.*]

5 An iniustè excommunicatus priuetur suffragiis Ecclesiæ, aut communione fidelium.

5 Ex dictis colligi potest primò, innocentem iniustè materialiter excommunicatum non priuari suffragiis Ecclesiæ, præterea non teneri in foro conscientiæ, quantum est ex vi excommunicationis, continere se ab hominum consortio, aut sese gerere tamquam excommunicatum, (modò non adsit scandalum, & non præsumatur contemptor censuræ,) [nec indigere absolutione in foro conscientiæ.] Ita Nauarrus *loco citato.* Sayrus *loco cit. num. 13.* Auila *part. 5. disput. 4.* Suarez *disput. 4. sect. 7. num. 14.* Henriquez *lib. 13. cap. 15.* Manuale Prælatorum *loco cit. art. 13. concl. 2. & artic. 14. ad finem.* Vasquez *nu. 7.* Filliucius *quæsito 6. & 7.* [& Alterius *loc. cit.*]

Hinc patet, quid dicendum sit de iniustè materialiter interdicto, vel suspenso, etiamsi causa in iudicio probata sit vera, cùm re ipsa vera non sit, quamquam iurisperiti ferè communiter putant seruandam esse huiusmodi censuram. Sed hanc sententiam censeo militare pro foro externo, & dum scandali periculum imminet.

6 An iniustè excommunicatus possit celebrare.

6 Secundò colligi potest, innocentem, contra quem lata est sententia censuræ materialiter iniustæ, posse priuatim, secluso scandalo, celebrare, & celebrando non incurrere irregularitatem, nam irregularitas incurritur, quando re vera violatur censura per exercitium ordinis sacri; in proposito autem casu non violatur censura per exercitium ordinis sacri, cum censura realiter sit inualida, quamuis in foro externo præsumatur valida, & celebrans præsumatur irregularis. Ita Suarez *loco citato num. 20.* Sayrus *loco citato.* Vasquez *tract. de excommunicatione dubio 11. num. 21.* Filliucius *num. 237.* Coninchus *disput. 13. dubio 13. num. 116.* [Alterius *lib. 3. disput. 2. cap. 1. col. 8. vers. dicerem.*] & alij contra Nauarrum, Couar. & alios apud Vasquez, asserentes iniustè excommunicatum subiacere pœnis, & effectibus censurarum, etiamsi occultè celebret.

Hinc patet eos, qui credunt illum esse innocentem, & iniustè materialiter excommunicatum, posse cum huiusmodi excommunicato communicare sine peccato, inseruire Missæ, &c. secluso tamen scandalo.

7 An iniustè excommunicatus priuetur iurisdictione, & an possit recipere beneficium, & alias dignitates.

7 Tertiò colligi potest, innocentem, contra quem lata est censura materialiter iniusta, non priuari iurisdictione in foro conscientiæ, sicut neque in eodem foro redditur inhabilis ad beneficia, dignitates, & alios honores Ecclesiasticos: [vt bene Alterius *col. 11. vers. ic. quæret aliquis*, & alij Doctores statim citandi.]

Ex quo patet, acta per huiusmodi personam ligatam censura materialiter iniusta, valida esse in foro conscientiæ, vt benè Suarez *loco citato, num. 23.* Vasquez *loco citato, num. 2.* Coninchus *loco cit.* & alij.

8 An inualida sit cēsura continens errorem intolerabilem.

8 Quartò colligi potest, sententiam continentem errorem intolerabilem inualidam esse. Vgolin. *cap. 20. §. vltimo*, Suarez *disp. 3. sect. 7. nu. 3.* Filliucius *c. 3. quæs. 7.* [Alterius *lib. 3. disp. 2. c. 1. vers. talis sententia.*]

9 Quandonam sententia contineat errorem intolerabilē.

9 Sed modò difficultas est in explicando, quænam sententia errorem contineat intolerabilem.

Respondeo sententiam errorem intolerabilem continere, quando iudex eam fert, non habens, neque indicans se habere rationem, & iustam causam ad censuram ferendam; vt si dicat, se Titium excommunicare sua voluntatè, aut se illum excommunicare, eò quòd aliquid rectè fecerit, aut eò quòd non fecerit aliquid illicitū, vel impossibile. Ita Sayrus *lib. 1. cap. 16. num. 32.* Suarez *disp. 4. sect. 7. num. 31.* Manuale Prælatorum *art. 13. concl. 1.* [Alterius *loc. cit.*]

10 An obliget lex præcipiens aliquid turpe, aut inutile, aut contra commune bonum.

10 Hinc patet, sententiam, seu legem præcipientem aliquid turpe, aut contrarium communi bono, vel inutile, non obligare in cōscientia, nec inducere censuram, vt ait Suarez *sect. 6. num. 5.* videtur enim errorem intolerabilem continere.

11 An in dubio iustæ causæ censura obliget.

11 Quæres vtrùm ille, contra quem lata est censura, debeat se tamquam ligatum censura gerere, quando causa, propter quam lata est censura, est dubia, quando scilicet non constat vtrùm materia, propter quam fertur censura, digna sit censura, seu quando dubitatur, an sententia sit valida.

Respondeo teneri se gerere tamquam ligatum censura. Ita Sayrus *loco cit. num. 14.* Suarez *sect. 6. num. 6.* Henriquez *lib. 13. cap. 15.* Vasquez *tract. de excommunicatione, dub. 11. num. 23.* Manuele Prælatorum *loco cit. art. 14. concl. 3.* Filliucius *cap. 8. quæs. 5. nu. 231.* [Alterius *loc. cit. col. 6. vers. quando verò.*] Ratio est, tum quia in periculo animæ tutior, & certior via eligenda est; tum quia in dubio standum est iudicio superioris, illiique parendum est, cum habeat ius ferendi censuras, vnde si duo litibus contendant circa fundum, Aduocatis peritis pro vtraque parte asserentibus, fundum spectare ad suum clientē, ille ligatur censura, contra quem iudex fert sententiam sub excōmunicatione, si fundum non cedat alteri, in cuius fauorem tulit sentētiam, & hoc verum est, quando ius partium litigantium est dubium, vt ait Auila *2. part. cap. 6. disp. 1. dub. 2. concl. 2.* Sayrus, & Henriquez *locis citatis*, quando verò probabilior est sententia affirmans causam, propter quam lata est censura, esse iniustam, valdè probabiliter sustineri potest subditos non ligari censura. Ita Suarez *loco cit.* nam sequi possumus opinionem probabilem. Vide quæ in simili dixi de iustitia vectigalium *in tractatu de restitutione, & in tractatu de peccatis de conscientia dubia, & de opinione probabili.*

PVNCTVM XI.

Vtrùm in ferenda censura seruanda sit aliqua circumstantia loci.

QVatuor principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, vtrùm seruanda sit circumstantia loci, ita vt superior debeat ferre censuras, dum existit in proprio territorio.

Secundò, vtrùm superior possit per statutum ligare censuris suos subditos in alieno territorio existentes.

Tertiò, vtrùm saltem hoc possit facere per sententiam.

Quartò, vtrùm possit ligare extraneos, ita vt extranei accedentes ad proprium ipsius territorium afficiantur censuris ab ipso impositis. Sed hic prius duo præmittenda sunt.

1 Quænam pertineant ad iurisdictionem gratiosam, & contentiosam.

1 Præmittendum est primò, ea, quæ fiunt extra proprium territorium, esse in duplici differentia; alia pertinent ad iurisdictionem gratiosam, & voluntariam, quæ scilicet non requirunt causæ cognitionem, seu processum, seu strepitum iudicialem; alia pertinent ad iurisdictionem contentiosam, & hæc fiunt cum causæ cognitione, & strepitu iudiciali.

2 Quænam dicatur cēsura lata per modū statuti, & per modū sententiæ.

2 Præmittendum est secundò, censuram aliquando ferri per modum sententiæ, aliquando per modum statuti. Hæc est differentia inter censuram latam per modum sententiæ, & latam per modum statuti, quòd sententia lata per modum statuti obligat solùm existentes, & delinquentes in territorio Legislatoris, nam statutum respicit directè territorium, [& dicitur lex territorij;] censura verò lata per modum sententiæ afficit personam subditam vbicumque sit, etiamsi extra territorium ferentis censuram existat, siue censura lata sit per sententiam generalem, siue per sententiam particularem, nam respicit personas secundùm se, consequenter illas afficit vbicumque existant. Ita [Panormitanus *in cap. à nobis. 1. de sentent. excomm.* Alterius *lib. 3. disp. 9. cap. 5. col. 12. versic. tota igitur.*] Suarez *de censuris disp. 5. sect. 5. nu. 17.* Vgolinus *tab. 1. cap. 9. §. 3. num. 4.* & alij contra Couarr. *cap. Alma mater 1. part. §. 10. num. 3.* Auilam *2. part. cap. 3. disp. 2. dub. 2. concluſ. 1.* Salas *de legibus, disp. 14. sect. 8. num. 90.* & alios asserentes, Episcopum non posse excommunicare sibi subditum existentem extra propriam diœcesim, non tantum per statutum, vt communiter concedunt DD. sed neque per sententiam generalem, vel particularem ob delictum commissum extra propriam diœcesim; ob delictum verò commissum in propria diœcesi, vel territorio posse ab Episcopo excommunicari subditum existentem in alieno territorio: [vt ostendam *num. 13.*]

PRIMA PROPOSITIO.

3 An censura ferenda sit in proprio territorio.

3 IN ferenda censura seruanda est circumstantia loci, seu proprij territorij, quando ad illam ferendam opus est iurisdictione cōtentiosa. [*cap. Episcopum 11. q. 3.*] Ratio est, quia iurisdictio contentiosa non potest exerceri extra propriū territorium absque licentia Ordinarij; sicut neque potest exerceri in loco exempto; *cap. fin. de constitutionibus, lib. 6. & cap. luminoso 18. quæst. 2.* Ita Coninchus *disp. 13. dub. 5. num. 39.* [Alterius *loc. cit. col. 13.*] & alij Doctores statim citandi.

Dixi, *quando ad illam ferendam opus est iurisdictione contentiosa*, nam quando non est opus huiusmodi iurisdictione, potest ferri censura in alieno territorio; nihil enim obstat quominus ferri possit in alieno territorio. Ita Nauarr. *cap. 27. num. 6.* Vgolinus *tab. 1. cap. 27. §. 1. nu. 4.* Sayrus *lib. 1. cap. 14. num. 4.* Paludanus *dist. 19. quæst. 2. art. 3.* Manuale Prælatorum *quæst. 3. art. 8. concluſ. 2.*

4 An Episcopus possit ferre censuram extra propriam diœcesim.

4 Hinc patet Episcopum non posse extra propriam diœcesim validè ferre censuram sedendo pro tribunali, & cum causæ cognitione, [*Clem. vnic. cit. & cap. nouit. de offic. delegati*;] sine causæ verò cognitione, seu non sedendo pro tribunali, posse, vnde potest ferre censuram per modum statuti, aut pro re manifesta, quæ non requirit causæ cognitionem, vel si eam requirit, facta est in proprio territorio, sicut etiam potest eam ferre, dum habet licentiam Ordinarij illius loci. Ita Sayrus *loco cit.* Auila *2. part. cap. 3. disp. 2. dub. 1.* Reginald. *lib. 9. nu. 155.* [Alterius *cap. 5. sub. fin.*] & alij, qui addunt quando Episcopus impeditur, ne iurisdictionem exerceat in proprio territorio, posse illam exercere in alieno, in loco vicino suo Episcopatui, vt patet ex *Clementina 1. de foro compet.*

Obiicies contra propositionem. Superior potest proprium subditum absoluere extra proprium territorium, ergo etiam potest extra proprium territorium ligare censuris.

Respondeo non posse iudicialiter absoluere, sicut neque potest iudicialiter ligare extra proprium territorium; extraiudicialiter verò, sicut potest ligare, ita etiam potest absoluere, vt sic enim exercet iurisdictionem voluntariam, & gratiosam, quæ potest in alieno territorio exerceri, sicut Parochus potest in aliena diœcesi excipere confessiones suorum subditorum, illosque absoluere, vt patet ex dictis *de pœnitentia*, cum communi DD. sententia.

5 An Religiosi possint extra sua monasteria ferre censuras.

5 Hinc colligi potest, vtrùm Prælati Religiosorum possint extra sua monasteria, & loca excommunicare Religiosos sibi subditos, cum etiam ipsi Prælati Religiosorum videantur habere propria territoria, vt ait Manuale Prælatorum *loco citato, concluſ. 3.* quamuis Coninchus *num. 64.* Sayrus *loco citato, num. 6. caſu 11.* cum Panormitano, velit Abbates, Priores, Prouinciales, & alios superiores habentes iurisdictionem sine territorio, posse vbicumque existant, ferre censuras, & consequenter ligare suos subditos, etiamsi delinquant extra monasteria. Vide Sayrum *loco cit.* Auilam *loco cit. dubio 5.* Sylvest. *verb. Excommunicatio 2. num. 15.* Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 5. sect. 5 num. 18.* Vgolinum *cap. 27. §. 1. nu. 6.* Rodriquez *tom. 2. quæst. reg. quæst. 59. art. 1.* Emanuele Prælatorum *loco citato*, & Emanuelem Sà *verb. Absolutio, num. 7.* Coninchum *num. 64.*

SECVNDA PROPOSITIO.

6 An ferri possit censura contra subditos in alieno territorio existentes.

6 SVperior non potest ferre censuras per statutum contra existentes in alieno territorio, ita vt delinquens extra proprium Episcopatum, vel territorium, incurrat censuram latam per modum statuti; vnde ciuis Mediolanensis, qui Bergomi non obseruat statutum Archiepiscopi Mediolanensis, non incurrit censuram, latam contra violantem statutum Archiepiscopi. Ita colligitur ex *cap. 2. §. Statuto Episcopi. de constitutionibus in 6.* Ratio est, quia extra territorium ius dicenti non paretur impunè, id est, nulla pœna imponitur non obedienti proprio superiori extra ipsius iurisdictionem, quando scilicet censura lata est per statutum, *leg. fin. ff. de iurisdict. omn. iudic.* Ita Suarez *loco cit. sect. 4. num. 4.* Filliucius *tract. 13. cap. 5. quæsito 9.* Reginaldus *lib. 9. num. 146.* & alij DD. communiter, teste [Alterio *propoſit. 3.* &] Couarr. *cap. Alma mater. parte 1. §. 10. num. 3.* contra Innocentium relatum ab Armilla *verb. Excommunicatio, num. 3.* [Salas *de legib. disp. 14. sect. 7. num. 89.* Vasquez *de excommunic. dub. 12. num. 21.*]

Quare licèt Episcopus intendat per statutum ligare sibi subditos existentes extra proprium territorium, re vera non ligat; ad ligandum enim, seu obligandum non sufficit intentio; sed requiritur iurisdictio; Episcopus autem non habet iurisdictionem obligandi per statutum suos subditos in alieno territorio existentes, modò reuera existant extra [territorium, & simul etiam res, circa quam ipsi delinquunt, sit extra territorium, & ipsi delinquant extra territorium:] vt inquiunt communiter Doctores apud Salas *loco citato, num. 70.* quibus adde Coninchum *disp. 13. dub. 7. num. 62.*

7 An Clericus existens in alieno territorio possit ligari censura, si non resideat, aut ad Synodū non accedat.

7 Hinc sequitur primò, Clericum existentem extra diœcesim posse à proprio Episcopo excommunicari etiam per statutum, quando non residet; quamuis enim ipse sit extra diœcesim; nihilominus potest excommunicari, non residendo, quia consummat actum non residendi in diœcesi, & censetur peccare in diœcesi. Item Clerici vocati à proprio Episcopo ad Synodum sub censura, possunt ligari censura, quamuis tempore Synodi sint extra diœcesim. Ratio est, quia delictum omissionis censetur ibi committi, vbi actus præceptus exercendus erat, *l. qui non facit, ff. de regul. iur.* Ita Salas *loco cit.* Suarez *sect. 4. num. 8.* Sayrus *lib. 1. cap. 7. num. 10.* Auila *loco citato, dub. 2. concluſ. 3.* Sylvest. *verb. Excommunicatio 2. num. 8.* Angelus *verb. Excommunicatio 1. num. 10.* Coninchus *loco cit. num. 62.* [Alterius *loc. cit. propoſit. 4.*] & alij.

8 An faciēs contra censuram in loco exempto ligetur censura.

8 Secundò sequitur, transgredientem statutum proprij Episcopi in parochiis exemptis, existentibus in diœcesi proprij Episcopi non incurrere censuram latam contra violantes statutum Episcopi. Ita Vgolinus *tab. 1. cap. 9. §. 3. num. 3.* Azor. *1. part. lib. 5. cap. 25. quæsito 4.* Salas *loc. cit. sect. 6.* Suarez *de leg. lib. 3. cap. 32. num. 9.* Coninch. *num. 63.* Filliucius *num. 149.* Reginald. *lib. 9. num. 154.* & alij [apud Salas *sect. 6. num. 83.*] Ratio est, quia huiusmodi locus censetur extra iurisdictionem Episcopi, & perinde est, ac si existeret extra illius diœcesim; vnde dicitur esse in illius diœcesi tantummodò materialiter, sed non formaliter, cùm non pertineat ad illius diœcesim quoad iurisdictionem. Ob eamdem rationem mihi dicendum videtur cum Auila *part. 2. cap. 3. disp. 2. dub. 5.* Sylvestro *verb. Excommunicatio 2. num. 12.* Vgolino *tab. 1. cap. 9. §. 3. nu. 3.* & aliis contra Suarez *loco cit. disp. 5. sect. 4. nu. 6.* Filliucium *nu. 149.* Salas *sect. 6. num. 85.* [Alterium *lib. 3. disp. 9. cap. 5. col. 8. versic. ex his.*] & alios, violantem statutum Episcopi in monasterio exempto non incurrere excommunicationem ab Episcopo latam. Et hoc verum est iuxta sententiam Auilæ, & aliorum, non solùm quando censura lata est per statutum, sed etiam quando lata est per sententiam. Sed de hoc quid nobis sentiendum sit dicam *in 3. propoſitione.*

9 An accedens ad monasteria exempta Monialiū ligetur cēsura.

9 Tertiò sequitur; [transferentem triticum extra territorium affici excommunicatione, si quæ lata esset contra transferentes triticum; quia hic delinquit in territorio, id est, in ipso termino & vltimo limite, vt bene Alterius *loco citato, versic. sed contra.* Præterea sequitur,] accedentem ad monasteria exempta Monialium incurrere censuram latam per statutum ab Episcopo contra accedentes ad illa monasteria: nam accessus fit in territorio; non verò incurrit censuram latam per modum statuti contra loquentes cum Monialibus, nam allocutio fit in loco exempto, vt suppono. Ita Angelus *verb. Statutum, nu. 3.* Vgolinus *tab. 1. de censur. cap. 9. §. 3. nu. 3.* Auila *loco cit. dub. 5.* [Alterius *loco cit.*] & alij apud Salas *loco cit. num. 86.*

10 An stuprator ligetur censura, si stuprū committat extra territorium.

10 Quartò, stupratorem virginis non incurrere censuram (si quæ lata esset per statutum hic Mediolani contra stupratores) trahendo virginem extra territorium Mediolanense, & consummando copulam cum ea extra territorium. Ratio est, quia delictum est inchoatum in territorio Mediolanensi, sed non est consummatum; censura autem lata est per modum statuti ob stuprum, vt suppono, id est, ob actum consummatum. Ita Suarez, Filliucius, & alij *locis citatis.*

Obiicies *l. 1. C. vbi de crimine agi oportet, in versic. vbi commiſſa, vel inchoata ſunt*, decernitur delinquentem, qui in vno loco delictum inchoauit, & in altero compleuit, subiici superiori vtriusque territorij, ab eoque puniri posse; ergo etiam subiicietur censuræ, qui delictum in vno loco in quo vetitum est sub censura inchoauit, licèt in altero compleuerit.

Respondeo negando consequentiam, quia non est facienda illatio à delictis iure ciuili veritis ad delicta sub censuris prohibita: nam delicta iure ciuili vetita superiori vtriusque loci subiiciuntur, iuxta *leg. 1. cit.* Bartolum *in l. dominium, ff. de furtis*, Suarez *disp. 5. sect. 4. num. 9.* Filliucium *tract. 11. cap. 5. quæsito 9. num. 150.* alios que apud præfatos DD. In delictis verò sub censura veritis hoc non militat, cùm ab Ecclesia sancitum non sit, consequenter attendendum est territorium vbi delictum consummatur, dum ad censuram incurrendam actus completus requiritur. Ita Suarez, & Filliucius *loc. cit.*

11 An existens in Ecclesia ligetur censura, occidendo hominē existentem extra Ecclesiam, aut è contrà.

11 Ex quo patet à simili, eum, qui dum existit in Ecclesia, iacit sagittam ad occidendum hominem existentem extra Ecclesiam, non incurrere censuram latam contra occidentem in Ecclesia: nam illius delictum consummatur extra Ecclesiam, licèt inchoētur in Ecclesia. E contra verò incurritur censura ab eo, qui dum extra Ecclesiam existit, sagittam iacit intra Ecclesiam, ibique hominem existentem occidit, nam homicidium completur in Ecclesia, licèt sit inchoatum extra Ecclesiam. Ita Suarez *disp. 5. sect. 4. num. 9.* & alij.

12 An vulnerans in Ecclesia, aut in territorio, in quo lata est censura, ligetur cēsura, si vulneratus moriatur extra Ecclesiam, aut extra territorium, in quo lata est censura.

12 Addo vulnerantem lethaliter alium in Ecclesia incurrere censuram latam contra occidentem in Ecclesia, etiamsi vulneratus non sit mortuus in Ecclesia, sed in propria domo, aut alibi. Ita probabilius censeo cum Suarez *disp. 5. sect. 4. num. 10.* [Alterio *loco cit. col. 9. versic. sed obiicere.*] & Filliucio *num. 151.* nam delictum censetur commissum in Ecclesia. Similiter vulnerans aliquem lethaliter in vno territorio, in quo lata est censura contra homicidas, ligatur censura; quamuis vulneratus recedens ab eo territorio moriatur in alia regione, vbi nulla censura posita est contra homicidas: nam homicidium quoad actum externum censetur consummatum in eo territorio, in quo lata est censura, & in eo conueniri potest; non verò potest conueniri in eo territorio, in quo vulneratus moritur; cùm vulnerans non deliquerit in eo territorio. Verum quidem est expectandum esse

esse effectum consummatum vulnerationis, vt incurratur censura; per accidens tamen est, effectū sequi magis in vno quàm in alio territorio. Ita Suarez *loco cit. nu.* 10. quem sequi videtur Salas *de legibus, disp.* 14. *sect.* 5. *num.* 73. [& Alterius *loco cit.*]

13 An ille, qui furatur extra propriam diœcesim ligetur cēsura.

13 Quintò sequitur, ciuem Mediolanensem, qui mutato domicilio furatur extra diœcesim Mediolanensem, non incurrere censuras latas ab Archiepiscopo Mediolani per modum statuti contra furantes, vel committentes in futurum aliud delictum, vt patet ex dictis rationibus. Imò non incurrit censuras, etiamsi latæ essent per modum sententiæ; nam censura est veluti quoddam præceptum, quod obligat, & afficit tantummodò subditos; qui autem mutauit domicilium, non remanet subditus superiori illius loci, à quo recessit; consequenter superior illius loci non potest in ipsum suam iurisdictionem extendere. [Marius Alterius *lib.* 3. *disput.* 9. *cap.* 5. *proposit.* 1. & alij communiter.

Dixi in quinto corollario, non incurrere censuras latas per modum statuti contra furantes, vel committentes in futurum aliud delictum: nam quando censura lata est nō propter delictum respiciens futurum, sed propter actum præteritum patratum eo tempore, quo delinquens erat subditus Archiepiscopo Mediolanensi, delinquens adhuc ligatur censura, etiamsi extra territoriū Archiepiscopi existat; e.g. Archiepiscopus Mediolanensis fert excommunicationem contra Titium sibi subditum, qui furtum commisit, nisi restituat intra mensem, Titius ligatur excommunicatione non restituendo intra mensem, quamuis nondum elapso mense, seu termino mutet domicilium. Ratio est, quia quamuis per mutationem domicilij desinat esse subditus Archiepiscopo Mediolanensi, simpliciter ratione domicilij; nihilominus remanet subditus secundùm quid, videlicet ratione delicti in illius territorio commissi, consequenter potest conueniri, & excommunicari, nisi restituat, *cap. fin. de foro compet.* Idem dicendum est, quando aliqua causa inchoata fuit sub vno tribunali, & interim reus mutat domicilium; adhuc enim potest conueniri, & excommunicari, *cap. proposuisti, de foro compet. & l. si quis. ff. de iudiciis.* Ita Suarez *disp.* 3. *sect.* 5. *num.* 5. & 6. Coninchus *num.* 57. Filliucius *cap.* 3. *quæs.* 10. *conclus.* 2. *num.* 76. & *cap.* 5. *quæsito* 10. *nu.* 152. Vgolinus *tab.* 1. *num.* 20. *cap.* 4. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 18. & alij.

TERTIA PROPOSITIO.

14 An superior possit per sententiam ligare suos subditos existentes in alieno territorio.

14 Superior potest censuris per sententiam ligare suos subditos existentes in alieno territorio; propterea fur committens furtum extra territorium sui superioris ligatur censuris ab eo superiore latis per modum sententiæ contra furantes. Ita Sayrus *loco citato, ca.* 7. *num.* 18. Suarez *loco citato*, & alij quos citat & sequitur Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 9. §. 3. *num.* 4. contra Auilam *loco cit.* Coninchum *num.* 61. Syluestrum *verb. Excōmunicatio* 2. *quæst.* 10. [Alterium *proposit.* 2.] & alios. Hæc propositio patet ex differentia allata inter statutum, & sententiam; nam statutum respicit territorium, seu personas subditas existentes in territorio superioris: sententia verò respicit personam, vt illius contumacia coërceatur, & puniatur.

15 An Clericus Mediolanensis ligetur excommunicatione gestando fclopum in diœcesi Bergomensi.

15 Hinc sequitur primò, Clericum Mediolanensem gestando fclopum in diœcesi Bergomensi, ligari excommunicatione lata ab Archiepiscopo Mediolani contra Clericos huiusmodi genus armorum gestantes, si ponamus illam excommunicationem latam esse per modum sententiæ: quamuis, meo iudicio, videatur potiùs lata per modum statuti; nam Archiepiscopus videtur voluisse ferre constitutionem conformem iuri communi canonum, quibus sese videtur velle accommodare in suo edicto; sicut autem illi canones perpetuò durant, & vim habent legis, ac statuti vniuersalis, ita præsens constitutio videtur perpetuò duratura, & vim statuti particularis habere respectu subditorum Archiepiscopo Mediolanensi; quare si ponamus hanc constitutionem latam esse per modum statuti, sicut mihi probabilius videtur asserendum, non incurretur excommunicatio à Clerico Mediolanensi deferente tormentum igneum extra diœcesim; [secus si ponamus eam latam esse per modum sententiæ.]

16 An quilibet Christianus ligetur censuris à Sūmo Pontifice latis.

16 Secundò sequitur, quemlibet Christianum, vbicumque existat, ligari censuris latis à Summo Pontifice, siue latæ sint per statutum, siue per sententiam; nam Christianus vbicumque existat, dicitur existere in territorio Summi Pontificis, cùm Summus Pontifex non habeat particulare territorium, sed totus mundus illi seruiat pro suo territorio. Hoc tamen intelligitur, modò lex continens censuram latam à Summo Pontifice sit acceptata, & non sit lata tantum pro aliquo loco, vt patet ex dictis *de legibus*. Ita Suarez *disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 3. Coninchus *disp.* 13. *dub.* 7. *num.* 49. & alij.

17 An Sacerdos Mediolanensis ligetur fuspensione, celebrando extra diœcesim.

17 Tertiò sequitur, Sacerdotem Mediolanensem, celebrando Missam extra diœcesim, incurrere suspensionem, si lata esset suspensio ab Archiepiscopo Mediolanensi contra Sacerdotes sibi subditos Missam facientes extra diœcesim; nam hæc censura fertur per modum sententiæ, quæ sequitur personam, vbicumque existat. Ita Suarez *sect.* 4. *num.* 12. Salas *loco citato, num.* 73. Filliucius *cap.* 5. *quæs.* 10. *nu.* 153. & alij contra Coninchum, & Auilam *locis citatis*.

18 An Archiepiscopus Mediolani possit ferre censuram contra fures, qui Mediolani furati sunt, si se recipiant in aliam diœcesim.

18 Quartò, Archiepiscopum Mediolanensem posse censuram ferre contra fures, qui Mediolani furripuerunt, nisi restituant, & eam censuram ligare fures non restituentes; quamuis sese recipiant in aliam diœcesim; nam hæc censura fertur per modum sententiæ in personas subiectas saltem ratione delicti. Ita Suarez *sect.* 5. *num.* 5. Coninchus *num.* 56. Filliucius *loco cit.* [Alterius *loco cit. col.* 8.] Auila *loco cit. dub.* 2. *conclus.* 2. vbi citat Sotum, Sylueſtrum, & alios.

19 An censura lata ab Archiepiscopo extendatur ad Suffraganeos, & ad subditos suorum Suffraganeorum.

19 Quæres, vtrùm censura lata ab Archiepiscopo extendatur ad Suffraganeos, & ad subditos suorum Suffraganeorum.

Respondeo, non extendi, nisi censura lata sit in Concilio Prouinciali, aut nisi delinquant in territorio ipsius Archiepiscopi, iuxta dicenda in quarta propositione. Ratio est, quia Archiepiscopus nō habet iurisdictionem ordinariam in Suffraganeos non existentes in proprio territorio, exceptis quibusdam casibus, quos refert Sylueſter *verb. Archiepiscopus*, quosque nos alias retulimus, & infra referemus; ergo Archiepiscopus non potest censuris ligare subditos suorum suffraganeorum, vel ipsos Suffraganeos existentes extra diœcesim Archiepiscopi. Si verò existant in territorio Archiepiscopi, subiiciuntur illius iurisdictioni; tunc enim censentur personæ subditæ, & priuatæ. Vide Vgolinum *tab.* 1. *cap.* 2. §. 15. & 16. Sayrum *lib.* 1. *cap.* 7. *numer.* 23. Auilam *loco citat. dub.* 6. vbi citat Couarruuiam, Toletum, & alios.

ad Suffraganeos, & eorum subditos.

QVARTA PROPOSITIO.

20 An extraneus ligetur censuris latis à superiore loci, vbi existit.

20 Extraneus non ligatur censuris latis à superiore loci, in quo pro breui tempore reperitur: exempli gratia, Ciuis Bergomensis veniens Mediolanum, non ligatur censuris latis hic Mediolani, quamuis, dum Mediolani reperitur, faciat aliquid prohibitum hic Mediolani sub censuris, nisi fortè decreuerit Mediolani permanere maiori anni parte, vt patet ex dictis *de legibus quæst.* 1. *punct.* 6. vbi dictum fuit, extraneum non ligari legibus loci, in quo reperitur. Ratio est, quia ad incurrendas censuras requiritur, vt delinquens sit subditus superiori loci, in quo reperitur; extraneus autem, qui non decreuit manere maiori anni parte in aliquo loco, non est subditus superiori illius loci.

21 An clericus extraneus ligetur excommunicatione, si Mediolani fclopum deferat.

21 Hinc sequitur primò, Clericum extraneum, qui non commoratur hic Mediolani, sed hic solùm existit causa transitus, si deferat tormentum igneum, non subiacere excommunicationi latæ contra deferentes huiusmodi tormentum.

Dices: Eo ipso, quo quis committit aliquod delictum prohibitum sub censura in territorio alicuius, fit subditus superiori loci, in quo reperitur, ratione delicti in eius territorio commissi; ergo ligari potest censuris latis à superiore illius loci.

Respondeo, ad incurrendam censuram prærequiri, vt faciens contra præceptum continens censuram, esset antea subditus; censura enim non fertur nisi in subditos, extraneus autem non erat subditus superiori loci, cuius præceptum non obseruauit, consequenter non ligatur censuris latis à superiore illius loci. Ita Suarez *disp.* 5. *sect.* 5. *numer.* 10. Filliucius *quæsito* 10. *ad finem*, Coninch. *disput.* 13. *dub.* 7. *numer.* 52. & 58. & alij.

Verum quidem est, ipsum Suarez *loco cit. num.* 8. Vgolinum *loco cit.* §. 2. Sayrum *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 22. Filliucium & alios existimare, extraneum ligari censuris latis per modum statuti in eo loco, in quo reperitur, non verò ligari censuris latis per modum sententiæ, quia sententia loquitur incontinenti, & directè fertur in personas subditas re, aut spe, id est, in eos, qui tunc sunt subditi, vel qui nascentur, vel eò transferent domicilium.

Ego verò existimo, extraneum non solùm non ligari censuris latis per sententiam, sed neque latis per statutum, vt patet ex ratione nostræ propositionis, nisi fortè ad aliquem locum perueniat intentione ibi manendi maiori anni parte. Vide quæ dixi *de legibus loco citato*.

22 An extraneus, qui erat Mediolani, quando lata fuit censura, teneatur ad illam seruādam.

22 Secundò sequitur, extraneum, qui præsens erat hic Mediolani, eo tempore, quo lata fuit sententia, seu decretum continens censuram, non teneri sub censura ad seruādum id, quod in eo decreto continetur, nisi fortè habuerit intētionem hic manendi maiori anni parte. Ita Auila *loco cit. post tertiam conclusionem dubij* 2. *disp.* 2. *cap.* 3. Suarez *loco cit. num.* 9. Reginaldus *lib.* 9. *num.* 153. [Alterius *loco cit. vers. dicet aliquis.*] & alij. Ratio est, quia sententia fertur in subditos, extraneus autem non est subditus superiori illius loci, in quo reperitur, nec tenetur illius leges seruare, nisi fortè intenderit ibi permanere maiori anni parte, tunc enim tenetur eius leges seruare, vt patet ex dictis *de legibus loc. cit.*

PVNCTVM XII.

Vtrùm censura liberè ferenda sit seruata temporis, & ordinis circumstantia.

TRia principaliter quæremus in hoc puncto. Primò, vtrùm sit valida censura lata per metum, & non omninò voluntariè.

Secundò, vtrum seruandus sit ordo in ferenda censura.

Tertiò, vtrùm seruanda sit temporis circumstantia.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An valida sit censura lata per metum.

1 Censura, quæ non omninò liberè, ac voluntariè fertur, sed potiùs per metum incussum iudici ad censuram extorquendam, valida est. Ita Glossa, Abbas, & alij, quos refert Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 2. §. 4. & sequitur Suarez *disp.* 2. *sect.* 5. *num.* 2. [& Alterius *lib.* 3. *disput.* 9. *cap.* 1.] contra ipsum Vgolinum *loc. cit. num.* 2. & alios. Ratio est, quia vel est inualida iure naturæ, vel iure positiuo; sed neutro iure est inualida; ergo non est inualida. Minor probatur, quòd non sit inualida iure positiuo, quia nullus textus afferri potest, qui asserat illam esse inualidam, sicut iure positiuo constat inualidam esse absolutionem censuræ extortam per metum. [*cap. vnic. de his quæ vi.*] Quòd non sit inualida iuræ naturæ probatur: tum quia gesta per metum iure naturæ valida sunt; alioquin contractus per metum celebrati essent iure naturæ inualidi: tum quia metus non tollit voluntarium simpliciter, quod sufficit ad validè contrahendum, & ad ferendas censuras; vnde dici solet, gesta per metum regulariter loquendo, valida esse, *l. si mulier. §. si metu, ff. de eo, quod metus causa*; nisi fortè aliud constet de intentione agentis.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quinam ordo seruandus sit in ferenda censura.

2 IN ferenda censura seruandus est ordo, vt videlicet prius feratur censura leuior, deinde grauior, vnde grauior debet omitti, quando censura leuior sufficit ad continendos subditos in officio. Cetèrùm relinquitur iudicio, & prudentiæ iudicis, vt habita ratione loci, temporis, & personæ, ferat censuras; propterea poterit omissa grauiori censura ferre leuiorem, & econtra; imò poterit omnes censuras simul ferre, si hoc consentaneum, & expediens iudicauerit. Ita Sayrus *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. & alij communiter.

TERTIA PROPOSITIO.

3 An censura ferri possit die festo.

3 IN ferenda censura seruanda est circumstantia temporis, ne scilicet feratur die feriato, videlicet eo die, qui ex institutione Summi Pontificis, vel Episcopi, vel ex consuetudine Ecclesiæ dicatus est honori, & cultui diuino. Ita Sayrus *loco citato, num.* 8. & alij contra Suarez *loco* statim *citando.* Ratio est, quia ad ferendam censuram prærequiri solet cognitio causæ, quæ fieri non potest die feriato.

4 An valida sit censura die festo lata.

4 Si queras vtrum censura lata die feriato sit valida.

Respondetur validam esse, quamuis enim censura postulet causæ cognitionem, nihilominus non semper, aut nō necessariò eam postulat, quæ autem non necessariò postulant causæ cognitionem, validè fiunt diebus feriatis: argumento *l. actus, C. de feriis.* Vide Sayrum *loco cit. & cap. 7. nu.* 17. Suarez *tomo* 1. *de religione tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 30. *numero* 9. & Vgolinum *tab.* 1. *cap. vlt.* §. 2. *numero* 3. vbi refert alios Doctores.

PVNCTVM XIII.

Vtrùm facienda sit denuntiatio illius, qui censuram contraxit.

QVinque explicabo in hoc puncto. Primò, vtrum qui censuram contraxit denuntiandus sit.

Secundò, à quo fieri debeat denuntiatio.

Tertiò, vtrum iudex teneatur obstrictum censura denuntiare.

Quartò, vbi facienda sit denuntiatio.

Quintò, quando, id est, an statim patrato delicto.

PRIMA PROPOSITIO.

QVi censuram contraxit, denuntiari debet. *cap. cura* 11. *quæst.* 3. & *cap. conquesti. de sententia excommunicationis*, & alibi. Ratio est, quia delinquens posita denuntiatione facilius resipiscet, cùm enim peracta denuntiatione vitandus sit à ceteris fidelibus, eliget potius conuerti, & obedire, quàm tantum damni, & incommodi subire. Ita communiter Doctores.

Obserua tamen denuntiationem fieri solere dumtaxat in censura lata contra determinatam personam, non verò in censura edita contra indeterminatas personas, dum notæ non sunt personæ, quæ deliquerunt; nam denuntiatio fit vt populus admoneatur, ne cum eo, qui censura ligatus est, communicet: hæc autem admonitio frustra fieret, cùm vitari nequeat is, qui nescitur an censura ligatus sit. Ita Suarez, Filliucius, [Alterius, & alij *locis* statim *citandis.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

DEnuntiatio facienda est à legitimo superiore, seu de auctoritate legitimi superioris, vt patet ex dictis *punct.* 9. *dub.* 3. tum quia denuntiatio est pœnæ executio: executio autem pœnæ facienda est à legitimo superiore, vel de ipsius mandato. Legitimus superior in hac re non solùm censetur is, qui censuram tulit, aliusue ab eo requisitus; verùm etiam Episcopus in cuius diœcesi patratū est delictum vetitum sub censura ipso iure imposita, nam delinquens factus est illi subditus ratione delicti, *Clement.* 2. *vers. locorum, de pœnis, & cap. de illu* 6. *quæst.* 1. Ita Suarez *disp.* 3. *sect.* 14. *num.* 7. [Alterius *lib.* 3. *disp.* 5. *ca.* 3. *dub.* 2.] Filliucius *cap.* 4. *quæsito* 10. *ad finem*, contra Vgolinum *loc. cit.* §. 2. *initio*, & alios arbitrantes à quocumque fieri posse denuntiationem dum crimen est adeò clarum, & notum, vt nulla tergiuersatione celari possit.

TERTIA PROPOSITIO.

IVdex non semper tenetur ad huiusmodi declarationem, & consequenter ad denuntiationem, (nisi aliud ratio boni priuati vel communis suadeat, vt quando pars instat, aut quando denuntiatio ita bono communi conducit, vt superior teneatur ex officio illi consulere.) Ratio est, quia nullum ius assignari potest quod rigorosam obligationem inducat, & *in cap. cura* 11. *quæst.* 3. nullum est verbum, quod strictum præceptum indicet, dicitur enim, *curæ sit*, &c. Ita Suarez *loco cit. n.* 4. & 6. Filliucius *num.* 111. & 112. An autem [superior, vel] executor, cui superior præcepit excommunicatum denuntiare, teneatur illum denuntiare dum ipse nouit illum esse innocentem, vel dubitat, constat ex dictis *in octauo Decalogi præcepto*, & in terminis hanc quæstionem fuisse prosequitur Suarez *disp.* 3. *sect.* 15. [Alterius *lib.* 3. *disp.* 5. *cap.* 4.] & Filliucius *cap.* 3. *quæsito* 11.

QVARTA PROPOSITIO.

DEnuntiatio facienda est publicè in Ecclesiis, & postea in scriptis affigi debet ad portas Ecclesiarum cum expressione causæ iuxta receptum loci morem, *cap. cùm medicinalis. de sententia excomm.* Ita Suarez *disp.* 3. *sect.* 14. *num.* 7. Sayrus *lib.* 1. *de censuris, cap.* 13. *numer.* 20. Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 21. Filliucius *tract.* 11. *cap.* 4. *quæsito* 10. [Alterius *lib.* 3. *disp.* 5. *cap.* 3.] & alij communiter.

QVINTA PROPOSITIO.

QVi censuram à iure, vel ab homine latam ipso iure contraxit, non est denuntiandus statim post delictum ante sententiam criminis declaratoriam, etiamsi delictum notorium sit, & publicum, sed præmittenda est [citatio, &] sententia criminis declaratoria, *cap peruenit* 1. *& cap. consuluit. de appellat.* Ratio est, tum quia denuntiatio est quædam executio pœnæ iniunctæ: iudex autem ad iuridicam pœnæ executionem procedere non debet ante sententiam criminis declaratoriam, etiamsi crimen notorium sit, tum quia fieri potest, vt reus probet innocentiam, & probabilem sui facti excusationem afferat, vt bene Couarr. *cap. Alma mater* 1. *part.* §. 2. *numer.* 9. Suarez *disp.* 3. *sect.* 14. *num.* 6. *vers. ex quo intelligimus.* Filliucius *cap.* 4. *quæsito* 10. *nu.* 111. [Alterius *loco cit. dub.* 3.] & alij apud Couarruuiam. [Vide tradita *supr. puncto* 8. *dub.* 4.

An autem citatus ad videndum fieri denuntiationem excommunicationis, possit appellare & impedire denuntiationem, & ad quem pertineat in tali euentu denuntiare, constabit ex infra dicendis *quæst* 2. *punct.* 2. Videri potest Abbas *in cap. Parochianos. de sent. excommun.* & Alterius *loco citato, cap.* 3. *dub.* 4. & 5.]

PVNCTVM VLTIMVM.

De fine, & effectibus censuræ.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quinam sit finis cēsuræ.

1 FInis censuræ est ille, quem superior in ferenda censura intendit, sibique proponit, qui est salus, vel emendatio, ac resipiscentia illius, contra quem censura fertur, iuxta illud 1. Corinth. 1. *Vt rejurgat à peccato, & saluus fiat in die Domini.* Ita communiter Doctores.

2 (An Prælatus ferre possit excommunicationem, certo sciēs, vel dubitās illam non profuturā delinquenti.)

2 [Quæres vtrum Prælatus possit excommunicationem ferre, dum certò scit vel dubitat non profuturam delinquenti.

Respondeo iudicem seu Prælatum non debere excommunicationem ferre, dum moraliter certus est delinquentem non obtemperaturum eius præcepto: cùm enim excommunicatio sit medicinalis & non mortalis, *cap.* 1. *de sent. excommun. lib.* 6. *cap. notandum* 24. *quæst.* 3. *& cap. multi.* 2. *quæst.* 1. sequitur illam non esse adhibendam nisi adsit spes fructus. Hoc tamen intelligitur nisi feratur ad terrorem aliorum, qui eius exemplo abstinebunt à crimine, tunc enim excommunicatio proderit aliis, illisque medicinalis erit. Ita Abbas *cap. ab excommunicato, num.* 20. *de rescriptis.* Couarr. *cap. Alma mater* 1. *part. initio.* Alterius *lib.* 3. *disp.* 6. *ca.* 2. & alij.]

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Quinam sint effectus censuræ.

3 EFfectus censuræ est priuatio aliquorum bonorū spiritualium. Ratio est, quia ille est effectus censuræ, qui per censuram inducitur, sed per censuram inducitur priuatio aliquorum bonorum spiritualium. Quomodo verò censura priuet aliquando bonis temporalibus, patet ex dictis *puncto* 1. *propositione* 1. & patebit ex dicendis suis locis; sicut etiam ex 2. *quæstione* patebit, vtrum effectus censuræ possint impediri ob aliquas causas.

4 An Summus Pontifex possit suspendere effectus cēsurarum.

4 Quæres vtrum Summus Pontifex possit suspendere effectus censurarum.

Respondeo affirmatiuè cum Suarez *disp.* 6. *sect.* 4. & aliis communiter. Ratio est, tum quia censura instituta est iure humano, vt supra dictum est; Summus autem Pontifex habet potestatem supra ius humanum: tum quia experientia docet aliquos effectus suspensos fuisse; cùm ante extrauagantem *Ad euitanda*, non esset licitum participare cum excommunicato occulto; sicut hoc tempore licitum est; ergo signum est à Summo Pontifice suspendi posse censuram effectus.

5 An Papa validè possit conferre beneficium excommunicato.

5 Hinc sequitur, Summ. Pontif. posse validè conferre beneficium excommunicato, quamuis vnus ex effectibus excommunicationis sit, facere collationem beneficij inualidam.

6 An Episcopi & alij Prælati possint suspendere effectus censurarū.

6 Episcopi verò, & alij Prælati non possunt, per se loquendo, censurarum effectus suspendere, cùm ipsi non possint dispensare in iure communi, nisi speciale priuilegium habeant, vel nisi consuetudo hoc eis permittat. Quare, cum iure communi inualida sit collatio beneficij facta excommunicato, sequitur Episcopum non posse validè conferre beneficium excommunicato ante absolutionem. Ita Suarez *loco cit. n.* 7. & 9. Vgolin. *tab.* 1. *c.* 10. §. 6. Filliucius *tract.* 11. *c.* 7. *quæs.* 10. *num.* 214. *& seqq.* & alij.

Vtrùm verò Episcopus possit aliqua ratione suspēdere, vel restringere effectus suspensionis, & interdicti, constabit ex dicendis infra suis locis.

QVÆSTIO II.

De causis excusantibus ab incurrenda censura, vel eius effectibus.

MVltæ referri possunt causæ excusantes, & impedientes, ne censura contrahatur. Prima est ignorantia.

Secunda appellatio.

Tertia metus, & impotentia.

Quarta est consensus illius, in cuius fauorem lata est censura. De quibus singulis agendum nobis est in præsenti quæstione.

PVNCTVM I.

Vtrùm ignorantia excuset ab incurrendis censuris.

1 Quenam dicatur ignorantia iuris, facti & pœnæ.

1 NOtandum primò, ignorantiam aliam esse iuris, aliam facti, & aliam pœnæ. Ignorantia iuris contingit, quando nescitur præceptum, vel prohibitio, vt accidit quando quis percutit Clericum, nesciens prohibitam esse ab Ecclesia percussionem Clerici. Ignorantia facti contingit, quando adest scientia, & notitia legis, seu iuris, sed ignoratur factum, quod prohibetur in dicta lege, vt accidit quando quis scit latam esse censuram contra percussores Clericorum, sed nescit hunc esse Clericum. Ignorantia pœnæ contingit, quando nescitur latam esse talem pœnam contra delinquentes, vt accidit quando quis percutit Clericum, sciens prohibitum esse ab Ecclesia percutere Clericum, & sciens hunc esse Clericum, sed ignorans prohibitum esse sub censura percutere Clericum.

2 Quænam dicatur ignorantia iuris communis, & iuris particularis.

2 Notandum secundò, ignorantiam aliam esse iuris communis, aliam iuris particularis. Ignorantia iuris communis contingit, quando ignoratur ius, seu lex vniuersalis, quæ vniuersaliter obligat. Ignorantia iuris particularis est illa, qua ignoratur ius obligans solum particulares aliquas personas, vel tantum in aliquo particulari territorio. Sit exemplum: Titius ignorans excommunicationes latas in Bulla Cœnæ, dicitur habere ignorantiam iuris communis. Si verò nesciat latam esse hic Mediolani excommunicationem contra Clericos gestantes sclopum, dicitur habere ignorantiam iuris particularis.

3 No-

1 Quænam dicatur ignorantia probabilis, seu inuincibilis, & inculpabilis, & improbabilis, seu vincibilis, & culpabilis.

3 Notandum tertiò ignorantiam, siue sit iuris, siue facti, subdiuidi in probabilem, quæ dicitur inuincibilis, & inculpabilis, & in improbabilem, quæ vincibilis, & culpabilis nuncupatur. Vincibilis est, quæ vinci potuit, sed ignorans non adhibuit sufficientem diligentiam iuxta qualitatem negotij ad illam vincendam: [vt si habens aliquod officium, diligentiam non adhibuit ad cognoscendum ea quæ pertinent ad proprium officium. *Instit. de lege Aquilia. §. præterea.* vbi habetur, imperitiam in re ad proprium officium pertinente non excusare, videlicet quoad præsumptionem fori externi, vel etiam in foro conscientiæ, modò ignorans aliquam habuerit aduertentiam suæ ignorantiæ, vel obligationis, & negligens fuerit in quærenda veritate.] Verum tamen est, ignorantiam vincibilem aliam esse, in qua grauis negligentia intercedit, aliam in qua leuis negligentia concurrit, non sufficiens ad mortale, sed tantùm ad veniale peccatum.

Ignorantia probabilis dicitur illa, quæ vinci non potuit, vnde qui nihil vmquam audiuit de censura, vel nihil vmquam dubitauit, vel cogitauit de censura, dicitur habere ignorantiam inuincibilem, seu probabilem censuræ; quis enim potest ignorantiam eius rei vincere, cuius nihil menti occurrit, per quod posset illam vincere, acquirendo scientiam oppositam? Dicitur etiam ignorantia probabilis, & inuincibilis, quando quis ignorat ea, quæ scire tenetur, & posito dubio debitam diligentiam adhibuit ad ea cognoscenda, sed nondum cognouit. e.g. aliquis incepit dubitare latam esse excommunicationem contra Clericos deferentes certum genus armorum, dicitur habere ignorantiam probabilem excommunicationis, si consultis peritis, & doctis Clericis rei veritatem non inuenit.

4 Quænam dicatur ignorantia affectata, crassa, & supina.

4 Notandum quartò, ignorantiam vincibilem aliam esse affectatam, aliam crassam, & supinam. Ignorantia affectata contingit, quando quis eligit nescire præceptum, vt liberiùs peccet, propterea si Clericus positiuè eligat, nolle scire latam esse censuram contra gestantes arma, vt illa liberiùs gestare possit, dicitur habere ignorantiam affectatam. Ignorantia crassa, & supina appellatur à Suarez loco citando ignorantia vincibilis; vnde, inquit ipse, ignorantia crassa, & supina quoad substantiam non distinguitur à vincibili.

Sed mihi probabilius dicendum videtur cum Auila 2. *part. cap. 5. dispu. 5. dubio* 8. Soto *dist. 28. quæst. vnic. art. 2.* Sanchez *lib. 9. de matrimonio, disp. 32. num. 33.* Henriquez *lib. 13. cap. 23. num. 2.* & aliis, ignorantiam crassam, & supinam distingui à vincibili, omnis enim ignorantia crassa, & supina est vincibilis, sed non omnis ignorantia vincibilis est crassa, & supina. Ignorantia vincibilis, quatenus distinguitur à crassa, & supina, contingit quando quis non adhibuit mediocrem diligentiam morali & humano modo ad sciendum id, quod scire tenetur; ignorantia verò crassa, & supina dicitur illa, quæ procedit ex lata culpa ignorantis, seu ex summa negligentia, vt accidit quando quis nullam, aut valde modicam adhibuit diligentiam ad cognoscendum id, quod scire tenetur, postquam de illo habuit aliquam cognitionem, vel dubium, vt patet ex dictis de peccatis.

5 Quænam dicatur ignorantia antecedēs, comitans & consequens.

5 Notandum quintò, ignorantiam aliquando appellari antecedentem, aliquando comitantem, & aliquando consequentem. Antecedens dicitur illa, quæ est probabilis, & inuincibilis, qua non posita actus malus non fieret. e.g. Titius percutit Clericum nesciens ipsum esse clericum, quem non percuteret, si sciret ipsum esse Clericum, aut specialiter prohibitum esse percutere Clericum, dicitur habere ignorantiam antecedentem. Ignorantia comitans dicitur illa, quæ si non adesset, actus nihilominus fieret: vt si Titius percutiat inimicum credens esse feram, sed nihilominus illum percussisset, si suum inimicum esse animaduertisset, dicitur habere ignorantiam comitantem. Ignorantia consequens dicitur illa, quæ quouis modo est voluntaria, & culpabilis.

Notandum vltimò, supradictas diuisiones accommodari posse inaduertentiæ, & obliuioni, & naturali inconsiderationi, quæ contingit, quando quis habuit cognitionem præcepti, sed hic, & nunc ad illud non aduertit. Et hoc diligenter est aduertendum, nam sicut ignorantia excusat à peccatis, & à censuris, ita etiam excusare potest inaduertentia, vt bene ait Suarez *de censuris, dispu. 4. sect. 8. num. 5.* & 11. Azor. 1. *part. lib. 1. cap. 16. quæst. 3.* Sanchez *in summa. lib. 1. cap. 16. numero* 8.

His prænotatis, quatuor nobis principaliter quærenda sunt in hoc puncto. Primò, vtrum ignorantia iuris excuset ab incurrendis censuris.

Secundò, vtrum ignorantia facti, seu qualitatis facti.

Tertiò, vtrum ignorantia pœnæ.

Quartò, vtrum ignorantia comitans, sufficientem exhibeat excusationis causam à contrahendis censuris.

PRIMA PROPOSITIO.

6 An ignorantia iuris excuset à censuris.

6 IGnorantia probabilis, tam iuris communis, quam particularis excusat ab incurrendis censuris. Hæc propositio patet tum ex *cap. 2. de constitutionibus in 6.* tum quia quantitas pœnæ proportionari debet delicto, *cap. fœlicis, de pœnis in 6.* Sed delictum est leuius, quando ignoratur lex continens grauissimam, & extraordinariam pœnam, quàm quando violatur lex cognita; ergo delictum non debet puniri eadem pœna, quando lex ignoratur, ac quando scitur. Minor patet ex dictis *de peccatis*, vbi ostendimus, ignorantiam probabilem excusare à peccato: tum quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, sed vbi reperitur ignorantia probabilis, non adest contumacia; ergo vbi reperitur ignorantia probabilis, non incurritur censura: tum quia ad incurrendam censuram requiritur aliqua monitio, sed ignorans latam esse censuram non censetur admonitus, alioquin non ignoraret; ergo non incurrit censuram. Ita Syluester *verb. excommunicatio 2. notabili 3.* Nauarr. *cap. 27. numer. 16.* & *cap. 23. num. 47.* Couarr. *cap. alma mater. 1. part. §. 10. numer. 6.* Henriq. *lib. 13. cap. 23.* Sanchez *loco citat. num. 18.* Vgolinus *tab. 1. cap. 9. §. 8.* Molina *tract. 5. disp. 71. num. 8.* Suarez *disput. 4. sect. 8. num. 6.* Filliucius *quæsito 10. num. 250.* Reginaldus *lib. 9. numer. 200.* Sayrus *lib. 1. cap. 18.* & alij apud Valent. *tom. 4. disput. 17. quæst. 17. puncto 7.* [apud Alterium *lib. 3. disp. 2. c. 3.*] & apud Salas *de leg. disp. 15. sect. 11.*

Dixi, *ignorantia probabilis*, nam vtrum ignorantia vincibilis, & culpabilis excuset ab incurrendis censuris, constabit ex dicendis in quæsito post sequentem propositionem.

7 An ille, qui scit aliquod delictum esse prohibitum iure naturæ, & diuino, sed nescit esse prohibitū ab Ecclesia, ligetur censuris.

7 Ex dictis colligi potest, illum, qui scit aliquod delictum prohibitum esse iure naturæ, vel diuino, sed nescit illud prohibitum esse ab Ecclesia, non incurrere censuras impositas ab Ecclesia contra patrantes huiusmodi delictum. Ratio est, quia quamuis huiusmodi delinquens peccet contra ius naturæ, vel diuinum, non tamen peccat contra præceptum Ecclesiæ, nec dicitur contumax contra Ecclesiam, cùm habeat ignorantiam iuris Ecclesiastici, cum qua non adest contemptus, nec contumacia. Ita Nauarr. *cap. 27. num. 272.* Syluest. *verb. excommunicatio vltimo, quæsito 3.* Sotus *loco cit.* Vasquez *dub. 16. nu. 6.* Filliucius *cap. 8. quæsito 10. num. 253.* Suarez *disp. 4. sect. 8. num. 20.* & alij DD. citati, contra Auilam 2. *part. cap. 5. disp. 5. dub. 10. concl. 2.* Couarruuiam *loco cit. num. 12.* & alios.

Obiicies, scire, & debere scire paria sunt, sed qui cōmittit aliquod delictum sciens prohibitum esse sub censura incurrit censuram; ergo illam etiam incurrit qui committit aliquod delictum, ignorans illud esse prohibitum sub censura.

Respondeo hanc obiectionem, quæ antiquiores DD. valdè torsit, soluendam esse in tract. de pecca. quamobrem hic breuiter dico. Primò scire & debere scire, paria esse, neminem autem teneri scire id, cuius nullam habuit cognitionem, seu de quo laborat ignorantia inuincibili. Secundò non esse vniuersaliter verum scire, & debere scire paria esse, vt patet in censuris impositis contra præsumentes aliquod delictum perpetrare, quas constat non incurri ab iis, qui laborant ignorantia vincibili.

SECVNDA PROPOSITIO.

8 An ignorantia facti excuset à censuris.

8 IGnorantia probabilis facti, aut qualitatis facti excusat à censuris incurrendis, propterea Titius occidens Clericum, quem credebat esse feram, excusatur à censura ratione ignorantiæ facti, aut potius qualitatis facti, si credebat esse laicum. Hæc propositio patet, tum ex *cap. si verò 2. de sententia excommunicationis*; tum quia sicut ignorantia excusat à peccato, ita etiam excusat à pœnis constitutis propter peccatum: tum quia interueniente ignorantia facti, vel qualitatis facti, non adest contumacia contra censuram, & Ecclesiam; quando autem non adest contumacia cōtra censuram, & Ecclesiam, non incurritur censura; ergo non incurritur censura interueniente ignorantia facti, vel qualitatis facti. Maior propositio patet, quòd scilicet non adsit contumacia cum ignorantia facti, vel qualitatis facti, nam delinquens cognito facto, vel qualitate facti forsan retraheretur à peccato, & à delicto patrando. Ita Molina *tom. 4. disput. 53. num. 1.* & 3. Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. artic. 2.* Bartholomæus Ab Angelo *dialogo 5. de Missa §. 545.* Salas *de legib. disputat. 15. sect. 9. n. 110.* Vasquez *tract. de excommunicatione, dubio 14. num. 2.* & 7. Filliucius *ca. 8. quæsito 9.* Reginaldus *lib. 9. n. 199.* [Alterius *lib. 3. disput. 2. cap. 3. col. 2.*] & alij Doctores citati. Et hæc vera sunt, etiamsi delinquens ex ignorantia facti, vel qualitatis facti, tunc temporis daret operam alteri rei illicitæ, vt patet ex allatis rationibus, & ex *cap. si verò, citato*, vbi excusatur ab excommunicatione occidens Clericum, quem ignorabat esse Clericum, eò quòd gestaret comam, vt benè aduertit Molina *loco citato.*

9 An occidens Clericum quē credebat esse feram, excusetur ab excommunicatione.

9 Hinc patet, occidentem Clericum, quem credebat esse feram, excusari ab excommunicatione ratione probabilis ignorantiæ facti. Similiter occidentem Clericum, quem putabat esse hominem quemdam laicum, excusari ab incurrēda excommunicatione ratione probabilis ignorantiæ qualitatis facti.

10 An ignorantia vincibilis excuset à censuris.

10 Quæres vtrùm ignorantia vincibilis, siue facti, siue iuris excusset à censuris incurrendis.

Respondeo ignorantiam vincibilem, & culpabilem facti, vel iuris, quæ crassa est, & non excusat à culpa mortali, non excusare ab incurrendis censuris, vel irregularitate proueniente ex delicto. Ita Molina *loc. cit. n. 4.* Sanchez *loco citato num. 31.* Auila *loco citato.* Salas *loco cit. n. 111.* Suarez *tom. 5. disp. 4. sect. 10. num. 10.* Coninchus *disputat. 13. dub. 11. n. 94.* & 95. Filliucius *quæsito 12.* Reginaldus *nu. 198.* [Alterius *loco cit. col. 8. vers. dico tertiò.*] & alij. Ratio est, tum quia *in cap. 2. vt animarum, de constitutionibus in 6.* generaliter asseritur ignorantiam, quæ non est crassa, nec supina, excusare ab omnibus sententiis quorumcumque ordinariorum, nomine autem *sententiæ* intelligitur excommunicatio, & ceteræ censuræ; ergo ignorantia iuris, vel facti, quæ ita est crassa, & supina, vt non excusset à culpa mortali, non excusat ab incurrendis censuris: tum quia censuræ dicuntur pœnæ contemptus; videtur autem sufficienter adesse contemptus, quando committitur aliquod delictum ex ignorantia, quæ adeò crassa, vel supina est, vt non excusset à mortali peccato; quando verò ignorantia ita leuis est, vt excusset à culpa mortali, excusat etiam à censuris, cum censura grauis non incurratur ob veniale peccatum.

Addo, non improbabiliter defendi posse cum Sanchez, & Nauarro, censuram non incurri, quando ignorantia est vincibilis moraliter, sed non est crassa, & supina, vt patet ex *c. vt animarum, citato*, vbi generaliter asseritur, ignorantiam, quæ non est crassa, vel supina, excusare ab omnibus sententiis quorumcumque ordinariorum. Ignorantia verò affectata non excusat ab incurrendis censuris. Ratio est, tum quia crassa, & supina non excusat; ergo multò minus excusat affectata: tum quia cum huiusmodi ignorantia reperitur maxima præsumptio, & contumacia: tum quia ignorantia affectata non minuit culpam, sed auget, cùm delinquens eligat illam ignorantiam, vt liberius peccet. Ita Suarez *disp. 4. sect. 10. num. 3.* & alij, quos magno numero refert Sanch. *loc. cit. num. 40.*

11 An ignorantia affectata excusset à censu-

11 Addit Suarez, ignorantiam affectatam non excusare ab incurrenda censura, etiamsi in sententia censuræ contineantur hæc verba, *qui scienter hoc fecerit, vel temerè, vel consultò, vel qui præsumpserit, vel qui*

ris latis contra scientes, præsumentes, vel temerè facientes, &c.

qui contempserit, vel qui temerarius violator extiterit, sit excommunicatus, suspensus, &c.

Sed contrarium mihi videtur probabilius, nam superior illo modo loquendi non videtur requirere quamlibet temeritatem, præsumptionem, vel contemptum, sed videtur exigere temeritatem, & præsumptionem prouenientem ex certa scientia, aut saltem coniunctam cum ingenti temeritate. Ita sentire videntur DD. quos retuli *puncto 3. quæst.* 1. [quibus adde Sanch. *in opere morali lib.* 2. *cap.* 10. *numer.* 38. sibi contrarium *lib.* 7. *de matrimon. disput.* 48. *numer.* 19. *& seqq. & lib.* 9 *disp.* 32. *num.* 37.]

12 An excuset ignorantia crassa, & supina.

12 Ex quo patet à fortiori, ignorantiam crassam, vel supinam non sufficere ad incurrendam censuram, latam contra eos, qui præsumpserint, vel temerè fecerint, &c. Sylvest. *verb. culpa, quæs.* 11. Angelus *verb. dolus num.* 1. & alij.

TERTIA PROPOSITIO.

13 An ignorantia pœnæ excusetà cēsuris.

13 IGnorantia pœnæ, id est, censuræ, excusat ab incurrenda pœna censuræ, vnde qui scit aliquod delictum prohibitum fuisse ab Ecclesia, sed nescit prohibitum fuisse sub censura, non incurrit censuram committendo illud delictum vetitum sub censura. Ita Nauarr. *cap.* 27. *nu.* 274. Lopez, & alij apud Sanch. *loc. cit.* [*de matr. lib.* 9.] *nu.* 13. apud Coninchum *tom.* 2. *disp.* 13. *dubio* 10. *num.* 90. & apud Carolum Macignum *de horis Canonicis cap.* 28. *num.* 32. eosque sequitur Suarez *disp.* 4. *sect.* 9. *num.* 19. & Filliucius *tract.* 11. *cap.* 8. *quæsito* 11. *numer.* 257. Idem sentire videtur Salas *de leg. disp.* 15. *sect.* 9. *numer.* 113. de censuris, non verò de irregularitate, contra Auilam *loco citato*, Couarruuiam & alios. Hæc propositio probatur iisdem rationibus, quibus comprobata fuit prima propositio, & hæc doctrina in his tribus propositionibus tradita extendi potest cum Sanchez ad irregularitatem prouenientem ex delicto, vt patet præsertim ex 1. *ratione* 1. *propositionis.* contra Auilam *loc. cit.* & alios.

Dico, *prouenientem ex delicto*, quia irregularitas non proueniens ex delicto, sed ex defectu, incurritur etiam ex ignorantia, cùm huiusmodi irregularitas nullam præexigat culpam, & non sit imposita tamquam pœna, vt dicam suo loco. Hæc eadem doctrina extenditur à Nauarro *cap.* 27. *num.* 274. non solùm ad censuras, sed etiam ad alias quascumque pœnas exorbitantes, & extraordinarias, nam pœna debet proportionari delicto, minus autem delinquit, qui nescit pœnam appositam esse tali delicto, quàm qui illam nouit; ergo qui nescit pœnam appositam esse tali delicto, non incurrit eamdem pœnam, quam incurrit sciens talem pœnam appositam esse. Hæc tamen doctrina non est extendenda, inquit Nauarrus, ad pœnas mediocres, & ordinarias, atque iuxta prudentis viri iudicium accommodatas delicto, nam delinquens, aut nouit pœnam mediocrem, aut scire debuit, & potuit, saltem lumine naturæ dictante, delicta mediocriter punienda esse; *l. ita vulneratus. ff. ad legem Aquiliam.* Quare ignorans pœnam delicto appositam, non excusatur à mediocri, & ordinaria pœna; excusari verò potest ab extraordinaria, qualis est censura, vel irregularitas ex delicto. Ita Nauarr. *loco citato*, cuius sententiam probabilem existimant Sanchez *num.* 21. & Suar. *disp.* 4. *sect.* 9. *num.* 22. in pœnis humanis.

QVARTA PROPOSITIO.

14 An ignorantia comitans excusat ab incurrendis censuris, & irregularitate proueniente ex delicto, vnde iaciens sagittam in suum inimicum, quem credebat esse feram, sed in mente sua ita erat actualiter affectus, vt illum occidisset, si sciuisset ipsum esse suum inimicum, non contrahit irregularitatem, vel excommunicationem, si lata esset excommunicatio contra homicidas. Ita Vasquez 1. 2. *q.* 76. *art.* 3. *disp.* 126. *à n.* 4. *& de excommunicatione dub.* 14. *n.* 4. Sanchez *loco citat. n.* 16. Molina *disp.* 53. *n.* 2. *tom.* 4. *& tom.* 6 *tract.* 5. *disp.* 71. *n.* 8. Filliucius *cap.* 8. *quæst.* 9. Suarez *disput.* 4. *sect.* 8. *num.* 8. & alij, quos retuli *de peccatis*, contra Couarr. *loc. cit. §.* 10. *num.* 15. & alios, quos citat, & sequitur Vgolinus, & Sayrus *loc. cit.* Ratio nostra est, quia censuræ incurruntur ob peccatum externum, opus autem externum factum cum ignorantia comitante, non est peccatum; non enim potest esse peccatum sine voluntario, nec voluntarium potest esse cum ignorantia, cùm voluntarium, inquit Aristoteles 3. *Ethicor. cap.* 1. sit a principio cognoscente singula, in quibus est actio. Cùm ergo actus ille externus non fuerit præcognitus, non potest dici voluntarius, nec imputari potest ad peccatum, vel ad censuram incurrendam, cùm ad incurrendam censuram requiratur, vt actus externus habeat malitiam prohibitam sub censura, qualem non habet actus factus cum ignorantia comitante; quamuis enim ille affectus prauus, & desiderium actuale homicidij sit peccatum, nihilominus actus ille externus homicidij non imputatur ad culpam, cùm non procedat ab illo interno desiderio, & prauo affectu contra inimicum, sed ab intentione occidendi feram. Vide quæ dixi *de peccatis*, *& de causis excusantibus à peccatis.*

14 An ignorantia comitans excusat ab incurrendis censuris.

15 An incurratur censura ab eo, qui percurit Clericum, nescíens hoc esse prohibitum ab Ecclesia.

15 Ex dictis in præcedentibus multa inferri possunt.

Primò, non incurri excommunicationem ab eo, qui percutit Clericum, nescíens prohibitum esse ab Ecclesia percutere Clericū. Idem dicendum est de eo, qui licet sciuerit prohibitam esse ab Ecclesia Clerici percussionem, nihilominus numquam sciuit prohibitam esse sub censura, vel nihil vmquam dubitauit, vel si dubitauit, adhibuit sufficientem, vel saltem mediocrem diligentiam ad cognoscendum, an lata esset censura contra percussores Clericorum, & non potuit ante percussionem, vel ante actum sub censura prohibitum, rei veritatem inuenire; hic enim dicitur ignorantia probabili laborare.

16 An percutiens Clericum, quem credebat esse laicum, ligetur excommunicatione.

16 Ex quo patet, virum indoctum non incurrere censuram, quando cōsuluit viros doctos professionis, & artis moralis, num lata esset censura, ipsíque responderunt nullam extare. Idem dicendum est, quando vir doctus, suborto dubio alicuius censuræ, mediocri saltem labore, & diligentia reuoluit libros, seu statuta, & leges, sed nullam censuram potuit inuenire.

Secundò, non incurri excommunicationem ab eo, qui percutit Clericum, quem ignorantia probabili credebat esse laicum: excusatur enim ob probabilem ignorantiam qualitatis facti.

Obiicies. Dans operam rei illicitæ incurrit censuram faciendo actum prohibitum sub censura, sed percutiens Clericum, quem credebat esse laicum, dat operam rei illicitæ; ergo percutiens Clericum, quem credebat esse laicum, incurrit censuram excommunicationis impositam propter Clerici percussionem.

Respondeo negando, eum qui dat operam rei illicitæ, incurrere censuram, quando laborat ignorantia probabili alicuius circumstantiæ, seu qualitatis facti, propter quam imposita est censura; nam *cap. si verò. de sententia excommunicationis*, deciditur, eum qui percussit Clericum ignarus clericatus, non ligari excommunicatione, & tamen constat hunc dedisse operam rei illicitæ. Ita Vasquez *loco citato, dubio* 14. *numer.* 3. *& dub.* 15. *numer.* 4. & alij, quos referam *de irregularitate.*

17 An naturalis obliuio, & inconsideratio excusetà censuris.

17 Tertiò, naturalem obliuionem, & inconsiderationem excusare ab incurrenda censura; nam obliuio, & inconsideratio comparatur ignorantiæ, cum qua deficit contumacia requisita ad incurrendas censuras.

18 An percutiens Clericum, quem dubitabat esse laicū, ligetur excommunicatione.

18 Quartò, percutientem Clericum, quem dubitat esse Clericum, ligari excommunicatione, si nullam, vel saltem valdè modicam adhibuit diligentiam ad cognoscendum, num esset Clericus; hic enim dicitur laborare ignorantia crassa, & supina, quæ non excusat ab incurrendis censuris. Ita Auila *loco cit.* & alij.

19 An exercens actum externum cū ignorantia comitante excusetur à censuris,

19 Quintò, exercentem actum externum cum ignorantia comitante excusari ab incurrendis censuris, & irregularitate proueniente ex delicto, imò etiam excusari à restitutione, vt patet ex dictis *de peccatis, & de restitutione*; nam ignorantia comitans excusat actionem externam à peccato; propterea occidens hominem, quem credebat esse feram, non tenetur ad restitutionem ratione homicidij, etiamsi commisisset homicidium, si cognouisset illum esse hominem. Ratio est, quia actio illa externa non habet malitiam iniustitiæ, quamuis affectus, & desiderium sit iniustum; obligatio autem restituendi oritur ex actione externa iniusta, non verò ex affectu, & desiderio præcisè.

20 An incurrat excommunicationem, qui proiicit saxum contra Caium Clericum, sed fortè percussit aliū Clericum trāseuntem.

20 Sextò, non incurri excommunicationem, vel irregularitatem ab eo, qui proiicit saxum ad verberandum Caium Clericum, sed fortè fortuna inculpabiliter percutit, vel occidit alium Clericum illac transeuntem; nam percussio istius Clerici est inculpabilis, vt suppono, excommunicatio verò incurritur ob culpam mortalem. Hac de causa Suarez *disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 54. excusat eum, qui loco vnius Clerici, quem intendebat percutere, percutit alium Clericum errore manus, modò diligentiam adhibuerit, ne actus peruenire ad illum, vel sufficienter inquisierit, an ille, qui errore manus percutitur, esset clericus, & cognouerit non esse Clericum. Vide Suarez *disput.* 22. *sect.* 1. *num.* 54. & Sayrum *lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 6. E contrà verò incurritur excommunicatio ab eo, qui percutit Caium Clericum, credens illum non esse Caium, sed Titium similiter Clericum. Ratio est, tum quia tam intentio, quam opus externum est iniuriosum statui clericali, propter cuius reuerentiam imposita fuit excommunicatio: tum quia nulla ignorantia excusat in hoc casu, cum habeat intentionem percutiendi Clericum, & re ipsa percutiat hunc Clericum, quamuis credat esse alium Clericum. Ita Molina *disp.* 30. *& 53. num.* 2. Sanchez *loco citato, numer.* 27. & patet à simili ex dictis *in quinto præcepto, punct. vlt. quæs.* 2. cum Iulio Claro, Rebello, Couarruuia, & aliis.

21 An ligetur excommunicatione percutiens Clericum, quem putabat esse laicum, sed si est Clericus, adhuc, inquit, volo percutere.

21 Septimò, percutientem Clericum cum hac intentione: Volo occidere hunc hominem, qui est laicus, aut si est Clericus, volo adhuc illum occidere, ligari excommunicatione, nam actus externus est malus, & efficaciter dependet ab illo actu interno, quo percutiens vult hunc hominem occidere, quod non accidit, quando adest ignorantia comitans, tunc enim actus externus non prouenit ab interno actu iniusto. Ita Auila 2. *part. c.* 5. *disp.* 5. *dubio* 6. *ad finem.* Sanchez *in summa, lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 14. Suarez *disp.* 4. *sect.* 8. *numer.* 10. Filliucius *tract.* 11. *c.* 8. *quæs.* 9. *n.* 247. & alij.

22 An incurrat excommunicationē percutiens laicum, si credat excommunicationem incurri ob percussionem laici.

22 Quæres, vtrùm percutiens laicum, credens ex percussione laici incurri excommunicationem, afficiatur excommunicatione.

Respondeo negatiuè. Ratio est, tum quia excommunicatio non incurritur, nisi sit in iure expressa; in iure autem non est expressa excommunicatio ob percussionem laici, nec erronea conscientia inducit excommunicationem, sed legitimus superior: tum quia actus, propter quem incurritur excommunicatio, non est sacrilegium internum, sed sacrilegium externum consummatum contra personam Clerici; in hoc autem casu non adest sacrilegium externum contra Clericum, quamuis adsit sacrilegium internum propter erroneam conscientiam. Ita Sanchez *lib.* 9. *de matrimonio, disp.* 32. *num.* 28. *&* 48. Suarez *disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 53. Vasquez *loco citato num.* 3. & alij communiter. Vide Salas *de leg. disp.* 13. *sect.* 4. *n.* 20. Rodriquez *quæst. reg. tom.* 1. *quæst.* 6. *art.* 7.

PVNCTVM II.

Vtrùm appellatio excusetab incurrendis censuris.

1 Quandonam censura ferat absolutè, & quando sub cōditione.

1 NOtandum censuram dupliciter ferri posse. Primò purè, & absolutè. Secundò sub conditione.

Censura fertur absolutè, quando aliquis, e.g. ipso iure excommunicatur propter delictum iam commissum, prohibitum sub excommunicatione comminatoria. Sub conditione fertur, quando iudex præcipit alicui sub censura, vt aliquid faciat, vel omittat.

In hoc puncto quatuor principaliter quæram. Primò, vtrùm appellatio excusetab incurrendis censuris.

Secundò, vtrùm excusetetiamsi postea deferatur.

Tertiò, vtrùm liceat appellare à sententia declaratoria.

Quartò, quænam requirantur ad legitimam appellationem.

PRI-

PRIMA PROPOSITIO.

2 An appellatio excuset ab incurrendis censuris.

2 LEgitima appellatio excusat ab incurrenda censura lata sub conditione, modò appellatio fiat ante conditionis adimpletionem. Ita Sylu. *verb. excommunicatio 2. quæsito* 1. Nauar. *cap. 27. numer. 159.* Auila *2. part. cap. 5. disp. 5. dubio* 11. *conclus. 3.* Sayrus *lib. 1. cap. 16. nu. 24.* Vgolinus *tab. 1. cap. 13. §. 18.* Henriquez *lib. 13. ca. 16.* Filliucius *tract. 11. cap. 3. quæsito* 11. [Alterius *lib. 3. disp. 5. c. 1.*] & alij. Quare si feratur excommunicatio hoc modo, præcipio tibi sub pœna excommunicationis ipso facto, vt compareas intra mensem, censura suspenditur per interpositam appellationem intra mensem, consequenter non comparens intra mensem, non afficitur censura. Ita expressè decidit *in cap. præterea 2. de appellationibus, & ca. pastoralis. eodem titulo.* Ratio est, quia per appellationem causa deuoluitur ad alium iudicem, & suspenditur iurisdictio prioris iudicis, qui tulerat censuram sub conditione: vnde si prior ille iudex post appellationem ferre velit censuram, inualidè ferret, cùm illius iurisdictio sit suspensa. [Idem asserunt Syluester *verb. suspensio*, §. 3. Alterius *tomo 2. disp. 6. c. 2. colum. 7.* & alij de suspensione à potestate rerum temporalium: tum quia hæc non est propriè suspensio, tum quia *in cap. is cui. de sent. excom.* sermo est de suspensione ab ingressu Ecclesiæ & diuinorum. Idem sentiendum putant Abbas *in cap. sæpe. de appellat. n. 15.* & Alterius *tom. 2. disp. 1. cap. 1. colum. 4.* de suspensione lata in pœnam, & non per modum medicinæ: nam ab huiusmodi suspensione in pœnam lata putant dari posse appellationem, quia non est censura, consequenter non trahit secum executionem. Sed contrarium probabilius est; tum quia *cap. is cui. de sentent. excommunicat. in 6.* generaliter loquitur: tum quia huiusmodi suspensio statim secum trahit executionem, alioquin suspensus à diuinis non fieret irregularis celebrando. Ita Alterius *tom. 2. disp. 7. cap. 2. colum. 9.* vbi hanc sententiam communem & magis probabilem vocat. An verò dum superior ad tempus abstulit seu suspendit censuram suspensionis, vel interdicti, & interim interponitur appellatio, censura etiam suspendatur, nec trahat secum executionem, infra tradam *disp. 3. punct. 1. sub finem.*]

Dixi in propositione, *excusare ab incurrenda censura lata sub conditione ante conditionis adimpletionem:* nam censura lata purè, & absolutè, non suspenditur per appellationem, sicut neque suspenditur lata sub conditione, post conditionis euentum, vnde si lata sit sententia continens excommunicationem contra gestantes arma, & Titius probetur in iudicio detulisse arma, non excusatur ab incurrenda censura; nam censura lata fuit purè, & absolutè, censura autem purè, & absolutè lata suum sortitur effectum, & mandatur executioni, nec datur appellatio à sententia iam mandata executioni. Ita Suarez *disput. 3. sect. 6. n. 5.* Nauarrus, Auila, Filliucius, [Alterius,] & Sayrus *locis citatis*, & patet ex *cap. pastoralis, de appellat.* vbi sermo est de excommunicatione, *& cap. ad hæc*, vbi sermo est de interdicto, *& cap. is cui*, vbi hoc definitur de suspensione [à diuinis, & ab ingressu Ecclesiæ. Multi tamen Doctores obseruant appellationem interpositam post sententiam excommunicationis latam purè, vel post adimpletam conditionem, habere vim deuoluendi causam, licet non habeat vim suspendendi, consequenter superiorem ad quem dirigitur appellatio, posse de iustitia excommunicationis cognoscere, *cap. sacro. de sentent. excommunic.* Ita Abbas *cap. ad reprimendam, de offic. ordin.* Alterius *loco citato*, & alij. Ego verò censeo hanc non esse veram appellationem, nisi nouum adsit grauamen, sed potiùs vocandum esse remedium per viam nullitatis, seu oppositionem de nullitate sententiæ, vt obseruat idem Abbas *cap. in litteris, de offic. delegat.* & Alterius *lib. 4. disp. 2. cap. 3. versicul. alio modo. & tomo 2. disp. 7. cap. 2. colum. 8.*]

Dixi in propositione, *legitima appellatio:* nam appellatio non legitima non suspendit sententiam latam sub conditione, consequenter non debet prodesse appellanti, *cap. consuetudinem. de appellationibus.* Ita Vgolinus *cap. 13. §. 18.* [Alterius *loco citato.*] Socinus, Panormitanus, & alij, quos citat Sayrus *loco citato num. 27.* & Suarez, vbi addit non concedi appellationem in causa fidei, vel in causa religiosi, appellantis, ne corrigatur secundùm regulam, vt patet *ex cap. ad nostram, & cap. reprehensibilis, de appellationibus.*

3 (An dari possit appellatio ab absolutione excommunicationis, quę suspendat effectũ absolutionis.)

3 [Sed modò dubium est, vtrùm dari possit appellatio ab absolutione excommunicationis, quæ suspendat effectum absolutionis, vt si quis excommunicatus fuerat ob iniuriam, & damnum alteri illatum, sed pars cui damnum illatum fuerat, appellat ab absolutione.

Respondeo huiusmodi appellationem non suspendere effectum absolutionis collatæ absolutè & sine conditione de futuro. Ratio est, tum quia appellatio non suspendit effectum censuræ absolutè latæ; ergo neque suspendit effectum absolutionis: tum quia absolutio vim habet ex intentione absoluentis: appellans autem non potest voluntatem & intentionem absoluentis irritare. Verum tamen est partem absentem, in cuius damnum lata fuerat absolutio, habere ius exigendi satisfactionem & reparationem damni sibi illati; absolutio enim superioris non tollit ius ipsius. Ita Innocentius *in cap. cùm ab Ecclesiarum, de offic. ordin. & in cap. per tuas, de sentent. excom.* Speculator *in tit. de Contumacia num. 12. vers. nunc dicamus.* Alterius *lib. 4. disput. 6. c. 2. ad finem.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An appellatio excusset à censuris, si postea deseratur.

4 APpellatio à sententia sub conditione lata excusat ab incurrenda pœna, etiamsi postea appellatio ipsa fuerit derelicta, vt si Titius citetur à iudice ad comparendum, vel restituendum intra mensem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & ipse interponat appellationem, excusatur ab incurrenda censura, etiamsi appellationem non prosequatur. Ita Couarr. *c. alma mater 1. p. §. 10.* Sayrus *n. 23.* Auila *loco cit.* Vgolinus *tab. 1. c. 13. n. 18.* [Alterius *lib. 3. disp. 5. c. 1. col. 4. vers. vlterius,*] & alij. Hæc propositio patet, tum ex *c. licet. de sententia excommunic. in 6.* tum quia legitima appellatio suspendit censuram sub conditione latam, & deuoluit causam ad alium iudicem.

5 An citatus ad comparendum intra mensem sub pœna censuræ, peccet non comparendo post factam appellationẽ.

5 Quæres primò, vtrùm citatus à iudice ad comparendum intra mensem sub pœna alicuius censuræ peccet non comparendo post factam appellationem.

Respondeo, non peccare, nec censuram incurrere. Ita Doctores citati. Ratio est, quia appellans à censura censetur etiam appellare à præcepto: cùm censura sit quid accessorium, & præceptum sit quid principale (modò appellans non declaret se tantùm appellare à censura, & non à præcepto;) consequenter qui non comparet intra mensem non peccat, cùm non faciat contra præceptum.

6 An in dubio præsumatur appellationem præcessisse sententiã, vel an præsumatur facta post sententiã.

6 Quæres secundò, quid iudicandum sit quando aliquis appellauit à sententia; sed dubitatur vtrùm appellatio præcesserit sententiam excommunicationis, vel vtrùm facta sit post sententiam excommunicationis absolutè latam.

Respondeo cum Couarruuia *loco citat. §. 2.* & aliis apud Sayrum *n. 30.* & apud Sanchez *in summa, lib. 1. cap. 10. nu. 59.* præsumi excommunicationem ipsam præcessisse, non verò appellationem. Ratio est, quia possessio stat pro excommunicatione, quam constat latam esse, & dubitatur de excusatione; in dubio autem fauendum est possidenti, vnde pars asserens appellationem præcessisse, debet probare ipsam præcessisse, nam ipsi incumbit onus probandi ad se defendendum.

TERTIA PROPOSITIO.

7 An liceat appellare à sententia declaratoria.

7 LIcitum est appellare à sententia declaratoria, vt si iudex declaret aliquem Clericum excommunicatum propter delationem sclopi, potest Clericus ab hac declaratione appellare, & probare sclopum à se delatum non fuisse, nam fieri potest, vt iudex iniustè declarauerit, consequenter competit reo ius se defendendi per appellationem. Ita Couarr. Angelus, Nauarr. & alij apud Suarez *loc. cit. num. 6.* apud Auilam *cap. 5. disputat. 5. dub. 11. conclus. 2.* apud Filliucium *cap. 3. quæsito 11. & cap. 4. quæsito 12. nu. 118.* [Alterius *lib. 3. disp. 5. cap. 3. dub. 4.* & alij.]

8 An excommunicatus vitãdus sit, facta appellatione, & an illius gesta valida sint.

8 Ex quo patet, declaratum, & denuntiatum excommunicatum non esse vitandum facta appellatione à sententia declaratoria, nam appellatio suspendit declarationem, consequenter etiam impedit denuntiationem, quam declaratoria præcedit. Ita Suar. *disp. 3. sect. 15. numer. 20.* Couarruuias, Filliucius, & alij *locis cit.* qui hoc limitant, modò delictum non sit adeò notum, vt nulla tergiuersatione celari possit: tunc enim non prodest appellatio, quia huiusmodi appellatio nihil aliud esse videtur, quàm elusio censuræ, aut virtualis appellatio à sententia canonis. Sed de hac limitatione infra *n. 8.* Vide Suarez *disp. 3. sect. 15. num. 20.* Couar. & Filliucium.

Hinc vlteriùs patet, gesta post appellationem ab huiusmodi excommunicato valida esse. *cap. pastoralis. §. verùm, de appellationibus.* Ratio est, quia huiusmodi excommunicatus censetur adhuc toleratus, gesta autem per excommunicatum toleratum valida sunt, vt infra ostendam.

QVARTA PROPOSITIO.

9 Quænã requirantur ad appellationẽ.

9 AD legitimam appellationem duo requiruntur. Primum est, vt appellatio fiat cum probabili, & sufficienti causa, vel saltem, vt appellans bona fide appellet, existimans se habere sufficientem, & probabilem causam; quare, qui mala fide appellat, credens se non habere sufficientem causam ad appellandum, non excusatur ab incurrenda censura per appellationem: par enim non est, vt ex dolo, & fraude commodum reportet.

Secundum est, vt appellatio fiat debito tempore. Debitum tempus ad appellandum in censura, iuxta Abbatem *in cap. præterea 2. de appellationibus*, est spatium decem dierum, nam spatium decem dierum, *in cap. quod ad consultationem, de re iudicata*, præscribitur ad appellandum in omnibus aliis sententiis.

Sed iuxta communiorem sententiam, tempus ad appellandum in censuris est quodcumque tempus intercedens ante cõditionis euentum: propterea si iudex ferat sententiam censuræ hoc modo: Præcipio, vt compareas intra duos menses sub pœna excommunicationis ipso facto, validè fieri potest appellatio quouis tempore intra duos illos menses, etiamsi iam fuerint elapsi decem, vel plures dies, vt patet ex dicto *cap. præterea 2. de appellationibus*, vbi habetur appellationem fieri posse medio tempore, & non limitatur ad decem dies.

Ex quo patet responsio ad argumentum Abbatis, hoc enim speciale est in censuris, vt quocumque tempore ante conditionis euentum fieri possit appellatio: quamuis in aliis sententiis fieri debeat intra decem dies. Ita Suar. *loc. citat. n. 4.* Sayrus *loc. cit. n. 24.* Couar. *in ca. alma mater. 1. p. §. 10. num. 4.* Filliucius *tract. 11. c. 3. quæs. 11.* [& Alterius *lib. 3. disp. 5. c. 1. dub. 5.*]

10 An superior possit ferre censuram contra subditum, si appellauerit.

10 Quæres vtrùm superior excommunicans inferiorem hoc modo, excommunico te si appellaueris, liget inferiorem facta appellatione ab ipso inferiore.

Respondeo non ligare. Ita Syluest. *verb. excommunicatio 2. nu. 16.* Auila *loc. cit. dub. 12.* & alij. Ratio est, quia huiusmodi excommunicatio videtur continere intolerabilem errorem, & videtur contra ius naturæ, cùm feratur contra eum, qui se defendit, cui à natura tributum est, vt seipsum tueatur, & defendat.

Quæ de appellatione dicta sunt militant etiam, quando aliquis nesciens appellare, se tradit Summo Pontifici protegendum, aut inchoat iter Romam versus, aut recurrit ad superiorem postulando eius iudicium; *cap. ad audientiam, de appellationibus, & cap. dilecti filij 2. de dolo, & contumacia.* Ratio est, quia hæc videntur æquiualere appellationi, modò seruentur ea, quæ necessaria sunt in appellatione, vt videlicet adsit iusta causa appellandi; vt appellatio fiat debito tempore ante conditionis euentum, & vt exprimatur in scriptis causa appellationis; vt si appellans dicat: Nolo coram te litigare, quia me grauasti, volo adire Papam, & peto Apostolos. Ita Suarez *loco cit. n. 7.* Sayrus *loc. cit. n. 19.* Filliucius *quæs. 11. n. 59.* & alij DD. supra citati.

PVN-

PVNCTVM III.

Vtrùm metus, & impotentia excusent ab incurrendis censuris.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An impotentia faciendi id, quod præcipitur, excuset à censura.

1 IMpotentia faciendi, quod præcipitur sub censura, excusat ab incurrenda censura. Ratio est, tum quia ad impossibile nemo tenetur, *l. impossibilium. ff. de regul. iur.* tum quia impotentia faciendi, quod præcipitur, excusat à peccato, & à contumacia; ergo etiam excusat ab incurrenda censura; cùm censura incurratur ob contumaciam, & ob peccatum. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 2. Graffius *lib.* 4. *decis. c.* 8. *numer.* 10. Reginaldus *lib.* 9. *n.* 206. Suarez *disp.* 20. *sect.* 2. *nu.* 14. Henriq. *cap.* 18. *numero* 4. Filliucius *tract.* 11. *cap.* 8. *quæsito* 8. *numer.* 241. & alij communiter.

Hinc patet eum, qui propter impotentiam non restituit, non affici excommunicatione lata contra detentores rei alienæ, aut contra non restituentes.

Idem dicendum est quando quis non potest præceptum adimplere sine graui incommodo, tunc enin censetur moraliter impotens, vt accidit quando cogitur sub excommunicatione pensionem soluere, vel aliquid restituere: ipse autem non potest sine longè maiori damno, vel sine detrimento bonorum superioris Ordinis. Ità Nauarrus, Sotus, Corduba, quos citat, & sequitur Suarez *disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 9. Filliucius *c.* 8. *n.* 241. & alij communiter, quos infra referam, & alios retuli *de restitutione, de peccatis*, & alibi.

Maior difficultas est, vtrùm debitor, cui certum tempus, e.g. mensis constitutum est ad soluendum sub pœna excommunicationis, incidat in excommunicationem si initio mensis soluere poterat, præuidens fore vt reliquo tempore fiat impotens ad soluendum.

Respondeo iuxta probabiliorem sententiam incurrere, nisi aliam causam excusantem habuerit. Ratio est, quia est sufficienter contumax contra præceptum, & illa omissio vetita sub censura imputatur illi ad culpam; ergo incurrit excommunicationem; antecedens patet, quia qui tenetur ad aliquod præceptum intra certum tempus, si præuideat subsecuturum impedimentum, tenetur anticipatè præstare opus præscriptum, alioquin omissio ad culpam imputatur, vt contingit quando quis summo manè sacrum non audit, præuidens fore, vt grauis superueniat occupatio, quæ sacri auditionem impediet, vel quando quis primis Paschatis diebus communicat, aduertens se postea sacerdotis copiam non habiturum, & similia, vt alibi sparsim multis in locis ostendi.

Obserua tamen hunc nõ eodem tempore subiacere culpæ, & vinculo censuræ, nam eo ipso quo aduertit se futurum impotentem, & culpabiliter non restituit, fit reus culpæ, & obligationis ad incurrendam censuram: eam tamen contrahit tantummodò in fine termini præscripti, quia tunc consummatur omissio vetita sub censura, vt in simili ostendi *de horis Canonicis, de peccatis*, & alibi, & præter ibi citatos idem in terminis tradit Suarez *disp.* 20. *sect.* 2. *nu.* 16. *versic. recolendum.* & Filliuc. *tract.* 11. *c.* 8. *quæsito* 8. *n.* 243. addens hanc limitationẽ, modò impotens, qui in termino sibi præfixo non soluit, non doleat de patrata culpa, hic enim non incurrit censuram in foro conscientiæ, quia tunc verè non est contumax, & verè est impotens. Sed hæc limitatio mihi displicet, quia est sufficienter contumax in causa, & dum incurritur censura, non est opus vt tunc reatus culpæ incurratur, sed satis est ipsum præsciuisse, vt bene Suarez *loco cit. n.* 16. Lessius, Reginaldus, & alij, quos alibi propriis nominibus appellaui contra Tabienam *ver. Excommunicatio* 5. *casu* 1. *n.* 35. Innocentium, & alios apud Filliucium *c.* 8. *quæsito* 13. *n.* 267. asserentes non incurri censuram ab eo, qui resipuit, & paratus est obedire eo tempore, quo actus, vel omissio vetita sub censura consummatur.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An metus excuset ab incurrendis cẽsuris.

2 METus grauis, seu cadens in constantem virum excusat ab incurrendis censuris. Ratio est, quia metus grauis excusat à transgressione, & contumacia contra legem Ecclesiasticam; cùm præcepta Ecclesiæ benignè sint accipienda, nec credibile sit Ecclesiam velle obligare cũ tanto rigore; ergo metus grauis excusat etiam ab incurrendis censuris, cùm censuræ incurrantur ob transgressionem, & contumaciam contra legem Ecclesiasticam. Ita Nauar. *c.* 27. *num.* 63. *& n.* 130. Suarez *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 13. Auila 2. *parte disp.* 8. *dubio* 5. Salas *de legibus, disp.* 11. *sect.* 1. Coninchus *disp.* 13. *dubio* 12. Filliuc. *tract.* 11. *cap.* 6. *quæsito* 4. *ad finem num.* 171. *& cap.* 8. *quæsito* 14. Leonardus Duardus in Bullam Cœnæ, *lib.* 1. *cap.* 1. *quæsito* 3. *num.* 49. *& ca.* 2. *quæst.* 2. *num.* 19. & alij quos retuli *in tractatu de peccatis*, quorum plures limitant hanc doctrinam, modò metus incutiatur in contemptum potestatis Ecclesiasticæ, aut religionis, seu fidei; tunc enim metus sicut non excusat à peccato, ita nec excusat à censura. Quod non excuset à peccato patet, quia agitur de vitando contemptu religionis, & agitur de eius graui bono; quilibet autem tenetur vitare contemptum religionis, & bonum commune præferre propriæ vitæ; consequenter mirum non est, Ecclesiã obligare sub censura cum tanto incommodo, & rigore ad conseruandam tuendamque religionem, & commune bonum. Quare, si Ecclesia præciperet ieiunium, & mihi metus mortis incuteretur ad frangendum ieiunium, non peccarem frangendo ieiunium, eò quòd Ecclesia non obliget cum tanto incommodo; si verò metus incuteretur ad frangendum ieiunium in contemptum religionis, & Ecclesiasticæ potestatis, peccarem frangendo ieiunium; teneor enim potius mortem obire ob seruandum bonum commune religionis, quàm frangere ieiunium; consequenter non euaderem censuram, si frangenti ieiunium constituta esset pœna censuræ. Sed de hac re satis dictũ est *in tractatu de peccatis*, de causis excusantibus à peccatis, *q. vlt p.* 2. quamuis contrarium ex parte sentire videatur Salas *loco citato num.* 5. *vers. ex hac coneluſ.* quatenus dicit, illum non affici excommunicatione, qui per grauẽ metum cogitur in contemptum Ecclesiæ, committere furtum prohibitum sub censura, hic enim cùm nõ peccet contra præceptum Ecclesiæ furripiendo per metum grauem, videtur excusandus à censura imposita ob violationem legis in tali materia, non pro tali modo contemptus. Quamobrem malitia contemptus videtur accidentaria, & præter intentionem superioris prohibentis furtum sub censura.

Sed contrarium mihi probabilius videtur iuxta tradita de peccatis: censeo enim Ecclesiam in tali euentu obligare, vt ostendi *loco citat. de peccatis*. Idemque præter DD. ibi citatos sustinet Coninchus *tomo* 1. *disput.* 13. *dub.* 12. *coneluſ.* 1. *&* 3. Suarez *tom.* 5. *disput.* 6. *sect.* 3. *numer.* 3. *& seqq.* & Filliucius *tractat.* 11. *cap.* 8. *quæsito* 14. vbi testatur de communi.

3 An Clericus Mediol. defe-rens telopũ metu mortis excuse-tur à pec-cato, & ab excommu-nicatione.

3 Ex dictis colligi potest primò, Clericum deferentem arma metu mortis non peccare mortaliter, nec affici excommunicatione lata hic Mediolani contra Clericos deferentes certum quoddam genus armorum.

4 An Chri-stiani capti à Turcis excusen-tur, si metu mortis im-pellant na-ues remis contra Christia-nos.

4 Secundò, Christianos captos à Turcis posse sine censura remis impellere naues contra Christianos: nam metu mortis hoc faciunt. Et hoc verum est, quamuis daremus illos peccare contra ius naturæ. Ita DD. citati contra Molinam *tom.* 1. *de iustitia, disp.* 105. & alios apud Sanchez *lib. de matrimonio, disp.* 31. *num.* 6. apud Auilam 2. *part. cap.* 6. *disp.* 8. *dub.* 5. *versus finem*, [apud Salas *de legib. disput.* 11. *n.* 5. *in fine*,] & alios, quos retuli *de restitutione, quæst.* 2. *punct.* 10. nam excommunicatio incurritur ob violationem legis humanæ.

5 An committens adulterium metu mor-tis excuse-tur à cen-sura, si cõ-tra adulte-ros lata esset.

5 Tertiò eos, qui metu mortis adulterium committunt, excusari ab incurrenda censura, si quæ lata esset contra adulteros; quamuis enim non excusentur à peccato contra castitatem, & contra iustitiam; nihilominus excusantur à peccato, & à contumacia cõtra Ecclesiam, quæ non obligat cum tanto periculo. Ita DD. citati, contra Suarez *loc. cit.* vbi negat illos excusari à censura. [Alterius *tom.* 2. *disput.* 10. *cap.* 6.]

6 An metus excuset ab incur-rendis ef-fectibus censuræ.

6 Quæres, vtrùm metus grauis sicut excusat ab incurrendis censuris, ita etiam excuset ab incurrendis earum effectibus.

Respondeo metum grauem excusare ab incurrendis effectibus mediatis censurarum, sicut etiam excusat ignorantia. Ratio est, quia Ecclesia non præsumitur obligare cum tanto incommodo; propterea ligatus excommunicatione non incurrit irregularitatem celebrando cum ignorantia suæ excommunicationis, aut cum metu grauis incommodi.

Dixi, *ab incurrendis effectibus mediatis*, illis scilicet, qui ratione censuræ præstari non possunt ab eo, qui vinculo censuræ detinetur, de quibus fusè Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 14. Suarez *disp.* 6. *sect.* 2. *num.* 7. Filliucius *cap.* 7. *quæs.* 5. nam, si loquamur de effectibus immediatis, non ita absolutè loquendum est; nam censura trahit secum executionem, & manente censura manent etiam ipsius effectus immediati, qui sunt quasi de intrinseca ratione ipsius censuræ; vnde excommunicatus eo ipso, quo lapsus est in excommunicationem, priuatur suffragiis Ecclesiæ, & afficitur effectibus immediatis excõmunicationis, quamuis aliquando excusari possit faciendo præter obligationẽ effectuum immediatorum, id est, non obseruando ipsam excommunicationem, seu censuram, potest enim excommunicatus accedente vi, vel metu graui facere aliquid, quod per censuram vetitum est, e.g. potest absoluere, vel alia Sacramenta ministrare ad vitandum graue scandalum, aut propriam infamiam, vel propter grauem proximi necessitatem, vel propter similem causam, absque peccato, & absque periculo irregularitatis. Item potest excommunicatus occultus audire sacrum, aut celebrare, vel quid simile facere ad vitandum scandalum, vel grauem detractionem, &c. nomine autem *scandali*, non intelligo admirationem hominum, cum frequenti sermocinatione de ea re, sed occasionem peccati, vt detractionis, iudicij temerarij, &c. Ratio est, tum quia, quando duo præcepta incompatibilia simul concurrunt, seruandum est præceptum maius; maius autem videtur esse præceptum non exhibendi scandalum populo, quàm faciendi præter obligationem censuræ, audiendo sacrum, celebrando, &c. Tum quia iugum Christi suaue est, & mandata eius grauia non sunt, teste Ioanne Apostolo; ergo par etiam est, vt præcepta Ecclesiæ non sint nimis onerosa, sed pie, ac benignè accipiantur, ita vt non obligent cum tanto incommodo. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 4. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 6. *num.* 3. Nau. *cap.* 27. *n.* 339. Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. ca.* 15. *n.* 7 Azor. 1. *par. lib.* 10. *cap.* 31. *quæst.* 6. Corduba *in summa, quæst.* 137. & 142. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 4. Suarez *loco cit. n.* 15. *& disput.* 6. *sect.* 3. Coninch. *num.* 103. Filliucius *c.* 7. *quæsito* 7. *& c.* 8. *quæsito* 14. *n.* 271. & alij apud Auilam *loco citato*, contra Caietanum 1. 2. *q.* 96. *artic.* 4. Syluest. *verb. Excommunicatio* 5. *num.* 1. & alios.

Vtrùm verò excommunicatus, vel suspensus toleratus possit actus iurisdictionis exercere ex metu graui, dicam infra.

PVNCTVM IV.

Vtrùm consensus illius, in cuius fauorem lata est censura, excusare possit ab incurrenda censura.

DVo principaliter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm consensus illius, in cuius fauorem lata est censura, excuset ab incurrenda censura, eamque suspendat.

Secundò, vtrum censura incurratur elapso termino concesso ab eo, in cuius fauorem lata erat censura.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An is, in cuius fa-uorem cẽ-sura ferꝛtur, possit illã suspẽdere.

1 VOluntas, seu consensus illius, in cuius fauorem concessa fuit censura, sufficit ad suspendendam censuram, ne incurratur; vnde si Titius obtenta a Summo Pontifice excommunicatione contra suos debitores non restituentes intra sex menses, proroget inscio Summo

Summo Pontifice terminum vsque ad annum, debitores elapsis primis sex mensibus non afficiuntur excommunicatione, modò Titius habeat ius, & dominium remittendi, aut prorogandi debitum, vel satisfactionem. Ita Angelus *verb. excommunicatio, num.* 2. Suarez *de censuris, disp.* 3. *sect.* 6. *num.* 8. Filliucius *tract.* 11. *c.* 3. *quæsito* 12. *nu.* 80. Coninchus *disp.* 14. *dub.* 16. *num.* 199. & alij contra Nauar. *cap.* 27. *numer.* 25. Saytum *libro* 1. *cap.* 11. *num.* 20. Vgolinum *tab.* 1. *ca.* 20. §. 6. *numer.* 5. *versus finem*, & alios. Ratio nostra est, tum quia si Titius condonaret absolutè debitum, censura cessaret ratione materiæ ablatæ, supra quam cadebat censura, vt concedunt etiam ipsi aduersarij; ergo si suspendatur obligatio debiti concessa prorogatione termini, suspenditur etiam ipsa censura; sicut enim se habet condonatio debiti ad tollendam censuram, ita se habet suspensio obligationis debiti ad suspendendam censuram; nam pro eo tempore, quo suspenditur obligatio debiti per dilationem termini concessi à creditore, debitores non sunt propriè debitores, sed sunt debitores elapso tempore dilationis, & prorogationis termini: tum quia excommunicatio obtenta à Titio contra debitorem, cēsetur hanc tacitam conditionem continere, nisi debitores restituant intra sex menses volente, & non inuito Titio; ergo Titio concedente dilationem ad soluendum, debitores non incurrunt excommunicationem, cùm nihil faciant contra voluntatem Titij: tum quia iudex non magis intendit obligare debitorem, quàm velit, & intendat ipse creditor: cùm iudex concedat censuram in gratiam, obsequium, & fauorem creditoris; sed creditor non vult obligare ante terminum à se prorogatum; ergo neque iudex intendit obligare ante illum terminum: tum quia censura fertur in contumaces, qui autem non restituit intra terminum concessæ dilationis, non est contumax.

Obiicies primò. Verba censuræ faciunt quod sonant, sed verba excommunicationis obtentæ à Titio contra debitores, sonant, & significant debitores ligari excommunicatione, si non soluant intra sex menses; ergo re vera ligantur excommunicatione, non soluendo intra sex menses, etiamsi dilatio, & prorogatio termini concedatur illis à creditore.

Respondeo verba censuræ facere quod sonant iuxta mentem, & voluntatem superioris; mens autem, & voluntas superioris hæc censetur, vt nolit ligare creditores, nisi iuxta intentionem creditoris, in cuius fauorem concessit excommunicationem.

Obiicies secundò. Suspendere censuram est actus iurisdictionis, sed creditor non habet iurisdictionem; ergo non potest suspendere censuram.

Respondeo suspendere censurā directè, & potestatiuè esse actum iurisdictionis, suspendere verò censuram per subtractionem materiæ, & condonationem debiti, non esse actum iurisdictionis, sed dominij, qui competit creditori, vnde creditor prorogando terminum, non exercet actum iurisdictionis, nec suspendit censuram directè, & potestatiuè, sed illam tantummodò suspendit indirectè, quatenus condonat solutionem debiti intra certum terminum.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An censura incurratur, elapso termino prorogato ab eo, in cuius fauorem lata fuit censura.

2 Debitor, elapso termino prorogato sibi à creditore, in cuius fauorem lata fuerat censura, ligatur censura. Ita Suarez *disput.* 3. *sect.* 6. *n.* 11. Filliucius *num.* 82. *& cap.* 8. *quæsito* 8. *num.* 244. & alij, contra Angelum *verb. Excommunicatio* 1. *num.* 2. Nauarrum *loco citato*, & alios. Ratio est, quia terminus præfixus in sententia censuræ non fuerat appositus ad finiendam obligationem solutionis, ita vt debitor non amplius teneretur soluere sub censura, si non soluisset intra terminum præfixum, sed fuerat appositus ad solicitandam solutionem, vt debitor solueret intra illum terminum, & ne vltra differret; quando autem apponitur terminus aliquis non ad finiendam, sed ad solicitandam obligationem, obligatio non cessat lapso illo termino, prorogatio enim fit sub eadem conditione, *l. sed etsi. ff. de precario, & l. si cum die. ff. de arbitris*; ergo debitor, elapso termino sibi prorogato à creditore, tenetur soluere, & non soluendo ligatur censura, quæ adhuc viget, & non est extincta ob lapsum termini; sicut etiam, qui non denuntiat intra quindecim dies blasphemos habentes consuetudinem blasphemandi, tenetur adhuc elapsis quindecim diebus denuntiare ex vi decreti hic Mediolani conditi, cum excommunicatione, nam terminus quindecim dierum non est constitutus ad finiendam obligationem denuntiandi, sed ad illam solicitandam, ne scilicet audientes blasphemantem per negligentiam differant vltra quindecim dies denuntiare, vt patet ex dictis *de voto, & in octauo Decalogi præcepto*, cum Nauarro, Sanchez, & aliis.

3 An sint aliæ causæ excusantes ab incurrendis censuris assignari, præter recensitas in hac secunda quæstione.

3 Quæres vtrum possint aliæ causæ excusantes ab incurrendis censuris assignari, præter recensitas in hac secunda quæstione.

Respondeo posse, qualis causa est voluntarium imperfectum, quando censuræ postulant directum voluntarium, & scientiam censuræ, qualis etiam est actio non sufficiens ad effectum prohibitum sub censura, innocentia subditi, iniustitia materialis censuræ, nullitas censuræ, siue illa proueniat ex defectu iurisdictionis, siue causæ. Verum nō immoror in his causis explicandis, quia sufficiēter explicatæ fuerunt *in* 1. *quæstione*, & colliguntur ex dictis in simili de peccatis, nam causæ excusantes à peccatis, excusant etiam saltem in foro interno a censuris, quæ peccatum supponunt.

QVÆSTIO III.

De absolutione censurarum.

PVNCTVM I.

A quo possit auferri censura.

NOtandum, censuram aliam dici à iure, seu à lege, vel per statutum, quod etiam nomine iuris comprehenditur, licet non sit ius vniuersale, sed particulare diœcesis, vel Prouinciæ, vt bene Suarez *disp.* 7. *sect.* 3. *n.* 21. aliam esse ab homine per sententiam generalem, vel particularem. Hoc posito tria principaliter nobis quærenda sunt in hoc puncto. Primò quis possit absoluere à censuris reseruatis, latis per sententiam generalem.

Secundò quis possit absoluere à censuris non reseruatis latis per sententiam generalem, vel particularem.

Tertiò, quis possit absoluere à censuris latis à iure, tam reseruatis, quàm non reseruatis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quis possit absoluere à censura ab homine lata reseruata.

1 Censura reseruata lata ab homine per sententiam generalem, vel particularem, iure communi potest auferri per eum, qui eam tulit, vel per eius superiorem, vel per successorem, aut per eum cui specialis facultas fuerit delegata. Hæc propositio conceditur ab omnibus DD. & patet ex *c. per tuas, & c. sacro. de sententia excommunicationis.* Ratio est, quia potestas ordinatia ferendi censuram etiam extenditur ad illam auferendam, iuxta illud Matth. 18. *Quodcumque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueritis super terram, erit solutum & in cœlis*; ergo censura reseruata potest auferri per eum qui eam potestate ordinaria tulit, vel per eius superiorem, vel per successorem; habens verò potestatem delegatam potest solùm censuram auferre, prout sibi concessum fuerit ex voluntate delegantis, cùm ipse non habeat iurisdictionem ordinariam. Verum tamen est, delegatum, qui potest ex facultate sibi commissa excommunicare, posse etiam ordinariè absoluere, quādiu durat ipsius iurisdictio delegata, vt communiter concedunt Doctores.

Addo dari vnum casum *cap. quærenti. de officio delegati*, in quo delegatus expleta delegatione, potest intra annum absoluere excommunicatum à se, volentem obedire: elapso verò anno non potest illum absoluere. Ita Suarez *disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 7. [Alterius *lib.* 4. *disp.* 2. *cap.* 2. *col.* 3.] & alij communiter.

Vtrum verò laicus, aut femina sit capax iurisdictionis ad absoluendum à censuris, sicut est capax simplex Clericus, colligi potest ex supradictis *q.* 1. *punct.* 2.

2 Quis possit absoluere, quando moritur, vel excommunicatur superior, antequam ligatus cēsura absoluatur.

2 Ex dictis colligi potest primò, quis possit absoluere à censura lata ab homine, quando moritur, vel excommunicatur, vel suspenditur superior, qui tulerat censuram, sed ligatus censura nondum fuit absolutus: dicendum enim est, cum qui succedit in locum mortui, vel excommunicati, vel suspensi, posse absoluere; propterea mortuo, vel excommunicato, vel capto Episcopo, potest Capitulum absoluere, nam Capitulum Sede vacante succedit in iurisdictionem Episcopi, *cap.* 1. *de obedientia in* 6. [Ita Marius Alterius *lib.* 4. *disp.* 2. *cap.* 2. *& disp.* 3. *cap.* 2. Suarez & alij.] Idem dicendum est de Episcopo successore, sicut etiam idem asserendum est de successoribus aliorum Prælatorum ordinariam facultatem habentium ferendi censuras.

3 An superior possit absoluere à censuris latis ab inferiore.

3 Secundò colligitur, Prælatum superiorem in iurisdictione, posse absoluere à censuris latis à suo inferiore; quapropter Episcopus potest absoluere à censuris latis ab Archidiacono, à Parocho, sibi subdito, &c. Ratio est, quia iurisdictio competens inferiori non datur illi priuatiuè, sed accumulatiuè & ampliatiuè, hoc est, non datur illi, priuando superiorem iurisdictione, sed illi datur, vt ea vti possit, non ablata auctoritate superioris. Ita Suar. *disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 12. Auila 2. *parte, cap.* 7. *disp.* 1. *dubio* 11. Angelus *verb. Absolutio* 2. *num.* 3. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 28. *num.* 3. Filliucius *cap.* 9. *quæsito* 5. *&* 9. Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 4. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 16. *num.* 233. [Alterius *lib.* 4. *disp.* 2. *cap.* 3.] & alij, contra Couarruuiam, *cap. Alma mater* 1. *part.* §. 12. *numero* 3. & alios.

4 An Summus Pœnitentiarius mortuo Papa possit absoluere à casibus Summo Pontifici reseruatis.

4 Addit Henriquez *lib.* 13. *cap.* 27. *num.* 3. Auila *loco cit. dub.* 5. Suarez *loc. cit.* mortuo Summo Pontifice, posse Summum Pœnitentiarium absoluere à casibus Pontificis, iuxta facultatem, quam habebat viuente Summo Pontifice, *Clementina. ne Romani. de electione.* Ratio videtur esse, quia priuilegium non videtur extingui morte concedentis. Collegium verò Cardinalium magna ex causa absoluit quos Summus Pontifex potuit absoluere, argumento ex *cap. vnico. de schismaticis, lib.* 6. Ita DD. cit.

5 (An censura cesset per obitū ipsius Prælati à quo censura lata fuerat.)

5 [Tertiò colligitur, censuram non cessare per obitum ipsius Prælati a quo censura lata fuerat; tum quia sic habetur *ca. si Episcopus.* 11. *quæst.* 3. *& cap. pastoralis. §. præterea. de offic. ordin.* tum quia censura ipso iure lata statim suum consequitur effectum, & comitatur personam vbicumque sit: tum quia censura non desinit morte ipsius obstricti censuræ, *cap. à nobis. 2. & cap. sacris. de sent. excom.* ergo neque desinit morte ipsius obstringentis, seu ferentis censuram: tum quia pœna ipso iure imposita non cessat morte imponentis, vt bene docet Alterius *lib.* 4. *disp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 2. *column.* 7.]

SECVNDA PROPOSITIO.

6 Quis possit absoluere a censuris non reseruatis ab homine latis.

6 Censura non reseruata lata per sententiam generalem iure communi tolli, & auferri potest à quocumque potestatem habente absoluendi à mortalibus. Ita Nauarr. *cap.* 27 *nu.* 44. Sotus, Couarruuias, & alij apud Auilam 2. *part. cap.* 7. *disput.* 1. *dubio* 8. Sayrum *lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 22. Coninch. *num.* 257. Reginald. *lib.* 9. *num.* 12. Valquez *dub.* 20. *numer.* 9. *&* 12. Valent *loco citando.* Henriquez *lib.* 13. *cap.* 28. contra Suarez *disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 23. Vgolinum *tab.* 1. *cap.* 4. Filliucium *num.* 302. [Alterium *lib.* 4. *disp.* 2. *cap.* 4.] & alios. Hæc propositio colligitur ex *cap. frequentibus. de institutionibus*, & ex *c. nuper de sententia excommunicationis.* Ratio est, tum quia sententia generalis in multis æquialet statuto, & canoni, &, vt ait Couarruuias, quamuis ipsa cesset per mortem conditoris; sed censura canonis, & statuti iure communi potest auferri ab habente potestatem absoluendi à peccatis mortalibus, vt dicam *in propos.* 3. ergo censura generalis iure communi potest auferri ab habente potestatem absoluendi à mortalibus, nam eo ipso, quo superior censuram non reseruauit, censetur aliis concessisse facultatem absoluendi, vt patet ex *cap. nuper, cit at.*

Dixi, *per sententiam generalem*, quia censura, lata per sententiā particularem contra particularem aliquam personam, auferenda est ab eo, qui eam tulit, vel ab eius successore, vel superiore, vel saltem ab habente facultatem delegatam, vt dictum est *in* 1. *propositione*, ne perturbetur

turbetur ordo iudicandi. Ita Vasquez *dub.20.nu.*8.Valentia *tom.* 4. *disp.7.quæst.*17.*punct.*8.Filliucius *num.*303. Coninchus *num.*254. & 258.Auila *loc.cit.disp.3.dub.*10.& alij.

Dixi, *iure communi*, quia in aliquibus locis, vt hic Mediolani, cautum est, ne Confessarij absolutionem à censuris impendant, nisi specialem habeant facultatem.

7 An qui contraxit censuram in vno loco, possit absolui à superiore illius loci, ad quem se transfert.

7 Ex dictis sequitur primò, eum qui in vno loco contraxit excommunicationem non reseruatam, latam ab Episcopo illius loci per sententiam generalem, si postea mutet domicilium, seque transferat ad aliam diœcesim, posse iure communi absolui à Confessariis illius diœcesis, ad quam se transfert; sicut enim ab eo potest absolui à peccatis mortalibus, ita etiam ab excommunicatione non reseruata lata per sententiam generalem, nisi obstet consuetudo, vel lex aliqua particularis illius diœcesis. Ita DD. cit. & alij apud Garziam *de benef.*11. *part.cap.*10. *num.*139.contra Vgolinum *tab.1.cap.*4. Filliucium *cap.9. quæs.*10.*num.*303.& alios.

8 An excommunicatus ingrediens Religionē possit absolui à superiore illius Religionis.

8 Secundò excommunicatum ingredientem religionem, posse à superiore illius religionis absolui ab excommunicatione lata per sententiam generalem. A censura verò lata per sententiam particularem non potest secluso speciali priuilegio. Ita Sotus *distinct.*22. *quæst.* 2.*artic.*3.*concl.*2.Auila *loc.cit.dubio* 13.Suarez *disp.7.sect.* 2.*numer.*26. *& sect.*3.*num.*6.Filliucius *cap.9.quæsito* 9.*num.*299. *& quæsito* 10.*numer.*305.[Alterius *lib.*4.*disp.*2.*cap.*5.*& disp.*3.*cap.* 2. An autem nouitius absolutus virtute priuilegiorum à censuris reseruatis, in easdem censuras reincidat dimittendo habitum ante professionem, Suarez *de cens.disp.*50.*sect.*5.*num.*14. & alij quos retuli *de Sacramentis*, affirmant reincidere iuxta quoddam priuilegium Clementis IV. Verùm quid ego in hac re sentiam, alibi explicaui cum Sanchez.]

9 An superior possit absoluere à censura, quam tulit contra eũ, qui à se appellauit.

9 Quæres vtrùm iudex possit impendere absolutionem censurarum, quas tulit contra eum, qui à se appellauit.

Respondeo affirmatiuè cum Suar. *loco cit.sect.*2.*num.* 32.[Alterio *lib.*4.*disp.*2.*cap.*5.*dub.*4.]& Filliucio *num.*306. Ratio est, quia iudex per appellationem non amisit iurisdictionem, ne possit absoluere, quamuis illam habeat quasi impeditam, ne possit impedire appellationem, & ligare censura; absoluendo autem à censura à se lata, non impedit appellationem, nec ligat censura, sed potius illam aufert, & facit quod pars intendit per appellationem.

TERTIA PROPOSITIO.

10 Quis possit absoluere à censuris à iure latis.

10 A Censuris iuris reseruatis ille potest absoluere, qui eas tulit, vel eius superior, vel successor in dignitate, vt patet ex 1. *propos.*it. A censuris verò iuris nemini reseruatis absoluere possunt omnes Prælati iurisdictionem habentes in foro externo, vt Episcopus, Priores, Guardiani, &c. Imo etiam Parochus, & alius quicumque Sacerdos potestatem habens absoluendi à mortalibus, potest iure communi absoluere à censuris iuris nemini reseruatis, vt patet ex *cap. nuper.de sententia excommunicationis*, vbi proprio Sacerdoti datur facultas absoluendi: qui autem facultatem habet absoluẽdi à mortalibus, dici potest proprius Sacerdos, vt alibi ostendi, quicquid nonnulli alij in oppositum sentiant, quos infra referam de absolutione à minori excommunicatione. Ratio est, quia dum superior non reseruat absolutionem, censetur cuicumque Confessario concedere facultatem absoluendi, teste communi consuetudine. Ita Nauarrus *cap.* 27. *num.*39.Suarez *disp.*7.*sect.*3.*& sect.*4.*num.*9.Sayrus *lib.*5.*cap.*15.*nu.*22. Auila 2.*part.cap.*5.*disput.*1.*dubio* 4.Henriquez *lib.*13.*cap.*27.Vgolinus *tab.*1.*cap.*18.Filliucius *cap.*9.*quæsito* 4. Coninchus *disp.* 14.*dub.*16.*numer.*230.Reginaldus *lib.*9.*num.*12.[Alterius *lib.*4.*disp.*3.*cap.*3.*&* 4.] & alij communiter asserentes hanc regulam non solùm valere in absolutione ab excommunicatione, sed etiam in absolutione aliarum censurarum, nisi fiat in ipsis specialis aliqua exceptio; quare bene aduertit Suarez *disp.*38.*sect.*2.*num.*6. quemlibet Sacerdotem habentem facultatem absoluendi à mortalibus, posse etiam absoluere ab interdicto personali speciali, non reseruato, quamuis non possit auferre interdictum locale, aut interdictum generale personale, vt infrà suo loco ostendam.

Dixi, *iure communi*, quia iure particulari sancitum est in aliquibus locis, ne Parochi, vel alij Sacerdotes absoluant à censuris excepta minore excommunicatione, vt patet ex actis Ecclesiæ Mediolanensis *parte* 4.*fol.mihi* 806.*col.*1.& Sayrus dicit ita vsu receptum esse, & Suarez *loco citat.sect.*3.*num.*30.*& sect.*4.*numer.*20. post Couar. & Vgolinum ait consuetudine introduci posse, vt oppositum in praxi seruetur, consuetudo enim sicut potest iurisdictionem conferre, ita & auferre.

11 An qui à Papa obtinuit facultatem absoluendi ab omnibus casibus, & cẽsuris, possit absoluere a casibus Episcopo reseruatis.

11 Quæres primò, vtrùm Summus Pontifex concedens in Iubileo, vel extra Iubileum facultatem absoluendi à censuris, & casibus reseruatis, censeatur etiam concedere facultatem absoluendi à censuris, & casibus, quos sibi Episcopi reseruarunt.

Respondeo negatiuè. Ita Nauarr. *in cap.quorumdam. de Iudæis, notabili* 11.*num.*71.*& in Manuali cap.*27.*num.* 261. Graffius *lib.* 4. *decisionum, cap.*15. *num.* 28. Farinacius *de hæresi quæst.* 92.*num.*63.& alij [contra Alterium *lib.*4.*disp.*4.*cap.*2.*dub.*2.&] Suarez *disput.* 7.*sect.*5. *num.*13. Ratio est, tum quia dum Pontifex condit aliquam legem, non intendit derogare statutis, & cõsuetudinibus particularibus locorum, [nisi exprimat.] *cap.*1.*de constitutionibus in* 6. & patet ex dictis *de legibus*: tum quia Clemens VIII. in Bulla quæ incipit, *Sacra Congregatio*, decreuit, ne vllus prætextu cuiuscumque priuilegij absoluat à casibus reseruatis Episcopo.

12 An habens facultatem absoluendi ab omnibus censuris, possit etiam absoluere a reseruatis.

12 Quæres secundò, vtrùm obtinens à Summo Pontifice facultatem absoluendi ab omnibus censuris, possit absoluere à censuris reseruatis.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia priuilegium redderetur inutile, si non posset absoluere à censuris Summo Pontifici reseruatis, quilibet enim Sacerdos approbatus iure communi potest absoluere à censuris non reseruatis; tum quia verba generalia generaliter intelligenda sunt. Ita Azor.1.*part.lib.* 8. *cap.* 10. *quæsito* 12. Emanuel Sà *verb. Absolutio, in fine*, Graffius *lib.* 4. *loco cit.* contra Suarez *loc.cit.num.*10.

13 An obtinens facultatem absoluendi a censuris Papæ reseruatis, possit absoluere à censuris in Bulla Cœnæ reseruatis.

13 Quæres tertiò, vtrùm obtinens facultatem generalem absoluendi ab omnibus casibus Summo Pontifici reseruatis, possit etiam absoluere à casibus contentis in Bulla Cœnæ, quando non est facta mentio illius Bullæ.

Respondeo negatiuè. Ratio est, tum quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verosimiliter concessurus, si specialiter peterentur. *cap.in generali, de reg.iuris in* 6. Si autem peteretur facultas absoluendi à casibus in Bullæ Cœnæ, non concederetur: tum quia casus Bullæ Cœnæ specialiter reseruantur, consequenter indigent speciali expressione in concessione facultatis absoluendi: tum quia vsu ita receptum est. Ita Sanchez *loco citando.* Suarez *disp.* 21.*sect.*3.*num.*3.*& disp.*7.*sect.*5.*num.*11.Vgolinus *tab.*1.*cap.*10.*§.*4.*numer.*8.Nauarr.Couarr.& alij apud Suarez, & apud Garziam *de benef.* 11.*part.cap.*10.*num.*109.

14 An habens facultatem absoluendi a censuris Bullæ Cœnæ, possit absoluere ab excommunicatione ob hæresim contracta.

14 Ex dictis rationibus patet, obtinentem facultatem absoluendi à casibus reseruatis, etiam contentis in Bulla Cœnæ, non posse absoluere ab excommunicatione ob hæresim contracta. Ita [Nauarr.*c.*27. *num.*275.Couarr.*cap.alma mater.*1.*part.*§.11.*numer.*15. Alterius *lib.*4. *disp.*4.*cap.*2.*col.*3.] Henriquez *lib.*8.*cap.*16.*num.*3.Auila 2.*part. cap.*2. *disp.*1.*dub.*7.*concl.*2.Sanch.*in summa, lib.*2.*cap.*12. Suarez *loco citat.* & alij apud Emanuelem Sà *verb. Absolutio, num.*25.Vasquez *tract.de excommun.dubio* 19.*numer.*5.Azor.1.*part.lib.*8.*cap.*10. *quæs.*12. quamuis Pegna *in direct.part.*3.*comment.*23.*vers.quod si*, [Sanctarellus & alij, quorum opinio probabilissima est,] tentiant oppositum, eò quòd beneficium Principis sit latè explicandum. Sed hæc ratio facili negotio dissoluitur, dicendo, beneficium Principis latè explicandum esse, quantum patitur intentio Principis.

15 An obtinens facultatem absoluendi a casibus reseruatis, possit etiã absoluere a censuris.

15 Quæres quartò vtrùm obtinens facultatem absoluendi à casibus reseruatis, possit etiam absoluere a censuris.

Respondeo eum, qui obtinet facultatem absoluendi a casibus Summo Pontifici reseruatis, posse absoluere a censuris illi reseruatis, nam peccata Summo Pontifici reseruata censentur illi reseruata solùm ratione censuræ, vnde sublata censura quilibet Sacerdos approbatus, potest ab illis absoluere, quamuis facultatem non habeat absoluendi a censuris, & casibus reseruatis. Obtinens verò ab Episcopo facultatem absoluendi a casibus reseruatis, non potest absoluere a censuris, nam casus, & censuræ apud Episcopum sunt res distinctæ, & diuersæ, & a diuersis non fit illatio Ita Nauarr.*cap.*27. *numer.* 261. Suarez *disp.*7.*sect.*4.*num.* 12.Sanchez *in summa, lib.*2.*cap.*11.*num.*1. & alij apud Clau.Reg.*lib.*1.*cap.*1.*num.*5.

PVNCTVM II.

De potestate Episcoporum circa absolutionem censurarum.

CErtum est Episcopos posse absolutionem impendere à censuris à se impositis. Modò difficultas est vtrùm possint absoluere à casibus, & censuris Papæ reseruatis, & vtrùm Archiepiscopi possint absoluere subditos suorum suffraganeorum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An Episcopus possit absoluere a cẽsuris Summo Pontifici reseruatis.

1 Episcopi non solùm possunt absoluere à censuris latis à se, vel à suis prædecessoribus, vt patet ex dictis puncto præcedente; sed etiam ab omnibus censuris, & casibus reseruatis Summo Pontifici, per seipsos, aut Vicarium ad hoc specialiter deputatum, vt per Vicarium generalem, aut per Pœnitentiarium, aut per alium, vt ait Sayrus *lib.*4.*cap.*12.*num.*19. ex declaratione Cardinalium. Hæc propositio patet ex Concilio Trident.*sess.*24.*cap.* 6. vbi prædicta facultas Episcopis concessa fuit. Hæc eadem facultas videtur concessa Capitulo Sede vacante, [iuxta probabilem nonnullorum Doctorum sententiam, quia Capitulum Sede vacante, succedit in iurisdictione Episcopi ordinaria, ex Sanchez *de matrimonio lib.*8.*disp.*2.*num.*10. Alterio *lib.*4.*disp.*3.*cap.*2.& aliis, contra Sanchez *de censuris disput.* 41.*sect.*2. *num.*13.& alios quos referam *disput.*7.*quæst.*5.*num.* 7. Idem sentiendum creditur de aliis Prælatis habentibus iurisdictionem Episcopalem. Ratio est, tum quia facultas ad dispensandum vel absoluendum fauorabilis est, consequenter extendenda: tum quia huiusmodi Prælati plenam habent Episcopalem iurisdictionem in suo territorio, & ab Episcopis sola consecratione differunt, & Confessarios in suo territorio approbant. Ita Rodriquez *tom.*1.*quæst.regular.quæst.*61.*art.* 9. Alterius *tom.*1.*lib.*4.*disput.* 3.*cap.*2.*col.*4.*& tom.*2.*disp.*8.*cap.*3.*quæs.*3.] Sanchez *in summa, lib.*2.*cap.*11.*num.*4.*&* 5.Clauis Regia *lib.* 6.*cap.*11. *num.*83.Auila *parte* 7.*disput.*10.*dub.*6. Henriquez *lib.* 6.*cap.*16. & alij contra Arragonium 2.2.*c.*88.*art.*12.*concl.*4.*col.*7. Toletum *lib.*1.*c.*83. *num.*5.*ad finem*, [Suarez *de censuris disp.*41.*sect.*2.] & alios apud Barbosam *in remissionibus, sess.*24.*cap.*6.*num.*2.

An verò Episcopus, aut alius ab eo delegatus, ad absoluendum à censuris, possit etiam à censuris latis à iure communi, vel ab alio per sententiam generalem ad certum tempus, vt à suspensione imposita ad triennium, absoluere intra terminum præfixum, id est, intra triennium, magna dissensio est inter Doctores.

Aliqui enim, vt Couar.4.*decr.*2.*parte c.*6.*nu.*14. *&* 15. Henriquez *lib.*13.*cap.*35.*num.*2.Rodriquez 2.*parte cap.*69.*num.*2.*concluf.* 2. Sanchez *lib.*3.*de matrimon.disp.*52.Gutierez *de matrim.cap.*75.*numer.* 22. [Alterius *tom.*2.*disp.*8.*ca.*3.] & alij negant posse absoluere ab interdicto, vel a suspensione lata ad tempus, posse verò absoluere ab excommunicat one lata ad tempus.

Alij verò, vt Hostiensis, & alij apud Sanchez, & apud Garziam *locis cit.* putant posse absoluere, non solùm ab excommunicatione, verùm etiam ab interdicto. Ratio colligitur tum ex argumento *cap nuper.de sententia excommunic.* Tum ex decreto Trident.*sess.* 24.*cap.* 6. neque ab hac opinione dissentire videtur Sanchez, cùm nõ loquatur de suspensione iam cõtracta, sed de contrahẽda ex iuris dispositione.

Hæc secunda opinio mihi probatur, modò delictũ sit occultum, &

& non deductum ad forum contentiosum, vt patebit ex dicendis *in hac eadem propositione, & disp. 3. quæst. 6. puncto vltimo.*

Occasione decreti Concilij Trident. aliqua sunt aduertenda:

Primò hoc decretum, quantum est ex se, extendi posse ad casus, & censuras reseruatas in Bulla Cœnæ, cùm generaliter loquatur, quamuis hæc facultas modò videatur Episcopis ablata, vt testatur Franciscus Molinus *in Aphorismis.* Coninchus *disput. 14. dubio 16. num. 243.* Sanchez *in summa, lib. 2. cap. 11. num. 26. & 27.* vbi in vtramque partem plures DD. refert, & quidem probabilior est affirmans ablatam esse: nam multi DD. testantur, ita declaratum esse à Pontifice & ab Illustriss. Cardinalium Congregatione. Idem multis DD. relatis asserunt Farinacius *de hæresi quæst. 92. §. 4. n. 52. & 61.* & Garzias *de benef. 11. parte cap. 10. num. 115.* vbi hanc rem fusissimè prosequitur. Quamuis Nugnus *in additionibus ad 3. partem, quæst. 8. art. 5. dub. 10. ad finem,* & alij quamplures apud Sanchez *loco cit.* & apud Augustinum Barbosam *in remissionibus, sess. 24. c. 6. nu. 25.* oppositum sentiant.

An verò hoc decretum extendatur ad delictum occultum contractum ob violationem clausuræ, constabit ex infra dicendis extendi, quamuis aliàs iuxta declarationem Illustrissimorum Cardinalium, non extenderetur, sicut etiam Suarez *tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 4. de simonia, cap. 61. numer. 11. ad finem,* Garzias, & alij Doctores ex declaratione eorumdem Cardinalium, & Gregorij XIII. putant decretum Tridentinum non habere locum in casibus post Tridentinum ex noua lege Sedi Apostolicæ reseruatis. Ego verò, saluo meliori iudicio, præcisa Summi Pontificis, & Illustrissimorum Cardinalium auctoritate oppositum sentirem: tum quia sic vsu receptum esse fatentur aliqui DD. tum quia Trident. decretum absolutè, & indefinitè loquitur; ita in simili sentire videntur aliqui DD. loquentes de excommunicatione contracta ob delictum in causa duelli occultum contra Bullam Sanctissimi Domini Clementis VIII. idem in simili docent Suarez, Rodriquez, & alij, quos referam *disp. 2. quæst. 6. punct. 1. num. 40.*

Secundò, prædictam absolutionem ab Episcopis datam tantùm extendi ad forum conscientiæ, vt ex prædicto Trid. decreto manifestè constat.

Tertiò, absolutionem debere ab Episcopo impendi in propria diœcesi, vt colligitur ex ipso Trident. vbi dicitur *in diœcesi*, & ponitur virgula inter verba antecedentia, & particulâ *in diœcesi.* Ita Henriquez *lib. 14. cap. 20. & cap. 7. num. 5.* Auila *parte 7. disp. 10. dub. 6.* Rodriquez *in summa 2. p. cap. 69. num. 1. ad finem,* Suarez & alij, quos infra referam de irregularitate contra Sanchez *loc. citat.* & Coninchum *num. 259.* Existimo tamen ipsum Episcopum posse, dum existit in diœcesi, absoluere suum subditum à censuris existentem extra propriam diœcesim. Ratio est, tum quia Tridentinum non requirit absolutionem sacramentalem, quæ impendenda est præsenti, tum quia absolutio ab excommunicatione conferri potest absenti, nec Tridentinum requirit præsentiam subditi, vel vt subditus existat in diœcesi. Ita Sanchez *loco cit. num. 17.* & Coninchus *loco cit.* contra Suarez *disp. 41. sect. 2. num. 10.* & alios, quorum opinio valdè probabilis est, præsertim ob declarationem Illustriss. Cardinalium, quam refert Garzias *de benef. 11. parte cap. 10. num. 139.*

Quartò, delicta habentia adnexam censuram Papæ reseruatam, debere esse occulta, id est, non publica, nec notoria, nec famosa, alioquin Episcopus non potest absolutionem impendere: potest verò si sint occulta, quamuis probari possint testibus, modò non sint publica, aut notoria in ratione delicti. Ita Henriquez *lib. 4. cap. 22. num. 4.* Auila *2. parte, cap. 2. disp. 1. dub. 11. concluſ. 1.* Sanchez *lib. 8. de matrimonio, disput. 34. num. 55. & in summa, lib. 2. cap. 11. num. 19.* Suarez *tomo 4. disp. 30. sect. 2. n. 2.* [Alterius *tom. 2. disp. 8. c. 3. col. 11.*] Reginaldus *lib. 1. num. 135.* Azor. *1. parte lib. 8. cap. 10. quæsito 9.* Delicta dicuntur publica, quando sciuntur in maiori parte viciniæ, vel Collegij, vel paræciæ, vel monasterij. Ita DD. citati, contra Graffium *lib. 1. decisionum, cap. 13. num. 45.* & alios apud Augustinum Barbosam, & apud Garziam *n. 142.* dicentes illud dici occultum, quod non potest probari.

Quintò, delicta non debere esse deducta ad forum contentiosum, etiamsi vno tantummodò teste probentur, alioquin Episcopus non potest absoluere ab huiusmodi delictis Papæ reseruatis, vt patet ex ipso Tridentino. Ita Henriquez *lib. 14. cap. 7. num. 5.* Sanch. z *loco citato, num. 11.* Auila, & alij. [quibus adde Alterium *loc. cit.* asserentem delictum censeri deductum ad forum contentiosum statim ac denuntiatio aut accusatio de illo coram legitimo iudice facta est.]

2 An Episcopus possit absoluere à casibus Papæ reseruatis, quando delictum fuit deductum ad forum contentiosum, sed reus purgauit se.

2 Quæres primò, vtrùm Episcopus possit absoluere à casibus Papæ reseruatis, quando delictum fuit deductum ad forum contentiosum, sed reus non fuit in eo conuictus, sed potiùs se purgauit, & defendit falsis testibus, aut via iniqua.

Respondeo posse cum Henriquez *loco citato,* Molina *tract. 3. disput. 79.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 27. numer. 12.* Prax. Neapolitana *cap. 66. num. 5. & 6.* & aliis apud Barbosam *loco citato, num. 14.* Auila *dub. 11. concluſ. 3.* Sanchez *in Summa loco citat. num. 21.* [Alterio *col. 11. verſ. poſtulabit.*] & aliis, quos referam de dispensatione irregularitatis, modò sese defenderit, & à iudice fuerit absolutus, siue absolutus sit definitiuè, siue ab instantia. Ratio est, quia in hoc casu cessat ratio, ob quam crimen dicatur deductum ad forum contentiosum, nam perinde est, ac si non fuisset deductum, [& reuocetur ad eum statum, in quo antea reperiebatur; consequenter] censetur occultum, & non deductum cum effectu, cùm non fuerit probatum.

Addo, illum posse absolui, cuius delictum non fuit deductum ad forum contentiosum, quamuis delictum alterius socij, seu complicis delatum sit ad forum contentiosum, nam res inter alios acta non potest præiudicium afferre aliis, quibus res iudicata non nocet, *l. 1. C. res inter alios acta.* Ita Sanchez *loco cit. num. 21.* & Nauarr. *lib. 2. conſiliorum, conſilio 2. de ſententia, & re iudicata.*

Vtrùm verò Episcopus, finito iudicio, possit suum subditum absoluere ab excommunicatione contracta ob delictum deductum ad forum contentiosum, quando delinquens fuito iudicio punitus est, controuersia est inter Doctores, nam Auila *part. 2. disp. 2. dub. 7.* Reginald. *lib. 30. num. 29.* Sanchez *loc. cit. numer. 21.* & alij contra Gutier. *lib. 1. Quæstionum Canonicarum, cap. 3.* Rodriquez *1. part. cap. 168. ad fin.* & alios affirmant posse. Sed de hac re sermo nobis erit, cùm loquemur de dispensatione irregularitatis, *quæst. 7. punct. 1. num. 6. quæsito 1.* vbi sequemur sententiam Gutierez, & aliorum.

3 An Episcopus possit absoluere eum, qui in vno loco commisit delictum publicum. sed postea se transtulit ad alium locum, vbi est occultum.

3 Quæres secundò, vtrùm Episcopus possit illum absoluere, qui in vno loco, in quo aliàs morabatur, commisit delictum ibi publicum, & notorium, Papæ reseruatum, & postea se transtulit ad alium locum, vbi delictum est occultum.

Respondet Auila *loco citato, dub. 11.* post secundam conclusionem, Sanchez *loco citato, num. 20.* & alij, Episcopum loci, ad quem delinquens se transtulit, posse absolutionem impendere, si fiat ibi subditus; vnde Hispanus veniens Mediolanum, hicque permanenter commorans, absolui potest ab Archiepiscopo Mediolanensi à peccatis Papæ reseruatis, commissis in Hispania, modò hic sint occulta. Similiter scholares hic Mediolani causa studiorum commorantes, possunt ab Archiepiscopo absolui à delictis Papæ reseruatis, in sua diœcesi commissis, modò hic sint occulta, quamuis in loco, in quo deliquerunt, fuerint publica, & notoria. Hæc sententia Sanchez, & Auilæ probabilis est.

Sed mihi videtur contrarium asserendum. Ratio est, tum quia viderentur confundi iurisdictiones: tum quia sequeretur, delinquentem posse etiam absolui à censura lata per sententiam particularem ab Episcopo loci, in quo antea commorabatur, quod videtur falsum, & contra ipsummet Auilam *part. 2. cap. 2. disput. 1. dub. 14.* Tum quia huiusmodi delicta sunt verè publica; Episcopus autem non potest absoluere à delictis publicis Papæ reseruatis, alioquin sequeretur Parochum habentem facultatem absoluendi ab omnibus casibus occultis, posse absoluere suum Parochianum, qui in alia paræcia eiusdem ciuitatis, vel diœcesis commisit peccatum reseruatum, occultum in propria paræcia, vel oppido, sed publicum in alia paræcia. Ita Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 30. sect. 2. num. 2.*

4 An Episcopus possit absoluere ab excommunicatione publica, quando delinquēs non potest Romam adire.

4 Quæres tertiò, vtrum Episcopus possit ab excommunicatione publica, & alia quacumque reseruata Papæ absoluere excommunicatum, habentem impedimentum legitimum, propter quod non potest Papam adire.

Respondeo posse, vt accidit quando excommunicatus laborat longa infirmitate, etiam non periculosa, aut senectute, aut paupertate, vel si persona excommunicata sit femina, vel impubes, aut si laboret alio simili impedimento, quod legitimum existimetur iuxta prudentis viri iudicium, quamuis postea cessante impedimento teneatur Papam adire. Ratio desumitur ex benigna Summi Pontificis voluntate, qui non præsumitur voluisse absolutionem reseruare cum tanto incommodo. Ita [Sanchez *in opere morali lib. 2. cap. 13. numero 36.*] Nauarrus *cap. 27. numero 90.* Henriquez *lib. 6. cap. 9. numero 7.* Auila *2. parte cap. 7. disputat. 1. dub. 6.* Reginaldus *lib. 9. numero 2.* & alij. Hoc idem de femina tradit Coninch. *de pœnitent. disput. 8. dub. 12. numero 88. & de censuris disputat. 14. dub. 16. numero 240. & ſeqq.* Vasquez *de pœnitent. quæst. 91. art. 3. dub. 8. num. 1. & 2.* Gutierez *loco cit.* & alij Doct. citati.

Addit Henriquez *loco cit. & lib. 12. c. 3. num. 1.* [Vgolin. *in Bulla Cœnæ. 3. part. fol. 465.* & Duardus *lib. 3. §. 2. quæſt. 8. num. 21.*] laborantem aliquo ex dictis impedimentis non teneri mittere Romam epistolam, vel Procuratorem pro absolutione obtinenda.

Ego verò existimo teneri mittere saltem epistolam, si commodè potest, pro absolutione obtinenda, vt patet a simili in impedimentis matrimonij, non enim credibile est, Papam velle ab Episcopo absolutionem impendi, quando patet recursus ad Sedem Apostolicam per Procuratorem, vel per epistolam.

Rursus addit Henriquez, & Auila *loco cit.* excommunicatum excommunicatione publica Papæ reseruata posse ab Episcopo absolui, etiamsi possit adire legatum, vel alium habentem priuilegium absoluendi. Sed hoc mihi non probatur, quia in eo euentu non censetur adesse iusta, & legitima causa, vel impedimentum, propter quod possit ab alio absolui. Ita Nauarr. *loco cit.* Coninch. *disp. 14. dub. 16. numero 242.* & Corduba *quæſt. 18.* & patet à simili ex dictis de impedimentis matrimonij.

Addit denique Auila cum Nauarr. & aliis quos sequitur Reginald. *lib. 1. num. 135.* Henriquez *de pœnitent. lib. 6. ca. 16. num. 1. & cap. 9. n. 7. & cap. 10. num. 1. & 2.* Gutier. *de matrim. cap. 19. numer. 8.* Episcopum posse in prædictis casibus absoluere, etiamsi in sententia reseruationis dicatur, neminem ab ea posse absoluere, præterquam in articulo mortis, vt patet à simili in excommunicatione contracta ob percussionem Clerici, & ex ratione nostra allata, & hoc mihi videtur probabile, quamuis Sylueſter *verb. Abſolutio 4. nu. 7.* oppositum sentiat. Secus dicendum est cum Suarez *tom. 5. disp. 25. ſect. 5. num. 27.* de illis, qui habent priuilegia à Sede Apostolica absoluendi à censuris, & casibus reseruatis, constat enim huiusmodi personas, his priuilegiis munitas, non posse citra mortis articulum virtute huiusmodi priuilegiorum absoluere à casibus, quos Episcopi reseruarunt, vel a casibus in Bulla Cœnæ, vel ab excommunicatione contracta ob percussionem Clericorum, vel ob violationem clausuræ Monialium ad malum finem, vel ob violationē immunitatis Ecclesiasticæ, iuxta Constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit, *Cum aliàs nonnulli.* Vel ob prouocationem, & pugnam in duello, iuxta Tridentinum, & constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit, *Ad tollendam.* Vel ob Simoniam realem scienter contractam, vel ob confidentiam beneficialem. In his casibus nullus potest virtute alicuius priuilegij Papalis aliquem absoluere, etiam vigente necessitate, vel impedimento, seclulo mortis articulo, vt patet ex decreto Clementis VIII. relato à Quaranta *verb. Caſus reſeruatus,* quod incipit, *Sacra Congregatio*; in hoc tamen decreto ego existimo non fuisse limitatam Episcopis auctoritatem expressam in Tridentino *sess. 24. ca. 6.* Ratio est, tum quia in dicto decreto nulla fit mentio Concilij, quando autem Pontifex

vult abrogare legem alicuius grauis Concilij, præsertim quando Concilium recens est, & nouum, quale est Tridentinum, solet hoc specialiter exprimere, vt aduertit Viualdus *in Candelabro, cap. de absolutione, num.* 13. Peregrinus *in tractatu de duello.* Regin. *lib.* 9. *num.* 2. & alij, quos retuli *de duello.* (Sed de veritate, & intelligentia istius rationis fusius disseram *in tract. de beneficiis*;) tum quia illud decretum factum videtur non ad minuendam, sed corroborandam Episcoporum auctoritatem.

5 An Episcopus possit absoluere religiosos ab excommunicatione Papæ reseruata.

5 Quæres quartò, vtrùm Episcopus virtute Decreti Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 6. possit absoluere religiosos exemptos in iis casibus, in quibus potest suos subditos absoluere.

Respondeo solutionem huius quæsiti constare ex dictis de dispensatione voti, ad ibi dicta vos remitto; sicut etiam ex dictis de pœnitentia patet, ab excommunicationibus Papæ reseruatis, posse vagabundos, peregrinos, Scholasticos, & mercatores absolui ab Episcopis, in quorum diœcesi reperiuntur, nam quoad Sacramentum confessionis, & Eucharistiæ sunt subditi Episcopo loci, in quo reperiuntur, ex consuetudine generali Ecclesiæ, vel ex interpretatiua voluntate Summorum Pontificum; ergo etiam sunt illis subditi quoad absolutionem excommunicationis, quæ requiritur ante absolutionem peccatorum, vt ait Sanchez *in summa, lib.* 2. *c.* 11. *n.* 8. & 9. Suarez *de pœnit. disp.* 30. *sect.* 2. *nu.* 3. Zerol. *in praxi Episcop.* 1. *p. verb. Vicarius.* §. 18. *dub.* 4. [Alterius *lib.* 4. *disput.* 3. *cap.* 1. *dub.* 1. 3. & 4.] Idem censuit Illustrissima Card. Congregatio, teste Petro Marzilla, & aliis, *sess.* 24. *cap.* 6. Conc. Trid.

6 An Episcopus possit absoluere suum subditum, qui in alia diœcesi fecit contra censuram latam ab Episcopo illius loci.

6 Quæres quintò, vtrùm Episcopus possit absoluere suum subditum, qui se transtulit ad aliam diœcesim, ibique fecit contra legem continentem censuram latam ab Episcopo illius diœcesis, ad quam se transtulit, e. g. vtrùm Archiepiscopus Mediolanensis possit absoluere ciuem Mediolanensem, qui se transtulit Nouocomum, ibique Moniales inuisit, cùm Nouocomi lata sit excommunicatio, vel suspensio contra visitantes, vel alloquentes Moniales, vt suppono.

Respondeo, extraneum non indigere absolutione, quando se transtulit ad aliam diœcesim absque intentione ibi manendi maiori anni parte, nam extraneus, qui non intendit alicubi manere maiore anni parte, non ligatur legibus illius loci; ergo neque ligatur cēsuris, quæ imponuntur ob transgressionem legum, vel præceptorum. Si tamen daremus extraneum incidisse in censuram reseruatam nō obseruando in alieno territorio leges, vel præcepta illius loci, dicendum esset, Archiepiscopum Mediolanensem, vel eum, qui habet specialem facultatem absoluendi à censuris hic Mediolani, posse prædicto ciui Mediolanensi absolutionem impendere, modò censura lata sit per statutum, vel per sententiam generalem. Ratio est, tum quia vsu videtur ita receptum, vsus autem, & consuetudo conferre solet iurisdictionem, & est legitima legum interpres, quando dubitatur de mente legislatoris: tum quia ita videtur expressum in Tridentino *loco cit.* iis verbis, *etiam Sedi Apostolicæ reseruatis.* ex quibus verbis à fortiori colligitur, Episcopis concessam esse facultatem absoluendi à casibus inferiorum Prælatorum.

Dixi, *modò illa censura lata sit per statutum, vel per sententiam generalem*, nam si lata esset per sententiam particularem, existimo absolutionem impendendam esse à Prælato, qui eam tulit, vel eius superiore, vel eius successore. Ratio est, tum quia Episcopus virtute Concilij Tridentini potest suos subditos absoluere à censuris, à casibus reseruatis Summo Pontifici, vel aliis inferioribus Prælatis, modò delictum sit occultum; quando autem censura lata est per sententiam particularem, delictum non est occultum, sed publicum; tum quia iurisdictio ratione causæ inchoatæ permanet apud illum, qui excommunicauit, alioquin iurisdictiones confunderentur. Ita Suar. *tom.* 5. *disput.* 7. *sect.* 2. *n.* 27. Hieronymus Lamas 1. *part. c.* 6. §. 3. Auila *loco citat. dubitat.* 24. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 16. *quæs.* 15. *num.* 258. [Alterius *lib.* 4. *disp.* 2. *c.* 5. *col.* 3. & *tom.* 2. *disp.* 8. *c.* 3. *quæs.* 2. & 4.] Reginald. *lib.* 9. *num.* 24. & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

7 An Archiepiscopus possit à censuris latis à suffraganeis, vel à Papa absoluere subditos suorum suffraganeorum.

7 ARchiepiscopus non potest à censuris latis à suffraganeis, vel à Sede Apostolica absoluere subditos suffraganeorum. Ratio est, quia non habet in ipsos iurisdictionem, propterea Archiepiscopus Mediolanensis non potest absoluere Brixienses ab excommunicatione lata ab Episcopo Brixiensi, vel à Summo Pontifice, exceptis quibusdam casibus, in quibus Archiepiscopus iudicare potest subditos suffraganeorum.

Primus est, quando facta fuit appellatio apud Archiepiscopum, & cognitum fuit de appellatione, & vocatæ fuerunt partes, vt patet ex *cap. venerabilibus.* §. 1. *de sentent. excom. in* 6. Ratio est, quia superior apud quem fit appellatio, per appellationem acquirit iurisdictionem, vt bene ait Suarez *tom.* 5. *disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 32.

Secundus est, quando Episcopus suffraganeus malitiosè, aut negligenter differt absolutionem, tunc enim par est, vt Archiepiscopus illum absoluat.

Tertius est, quando visitat diœcesim, tunc enim, ratione officij ordinariam habet facultatem ad absoluendum. Ita Sanchez *loc. cit. n.* 6. Couarruuias *cap. alma mater part.* 1. §. 2. Auila 2. *part. cap.* 7. *disp.* 1. *dub.* 10. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 24. Syluest. *verb. Absolutio* 2. *num.* 1. Suarez *tom.* 4. *disp.* 30. *sect.* 2. *num.* 8. Filliucius *cap.* 9. *quæstio* 5. Coninch. *n.* 254. [Alterius *lib.* 4. *disp.* 2. *cap.* 3. *col.* 2. & 3.]

PVNCTVM III.

Quis possit à censuris absoluere in articulo mortis.

CErtum est Clericum, qui tulit censuram, vel eius superiorem, vel eius successorem in dignitate, posse in articulo mortis censurarum absolutionem impendere. Difficultas modò est, vtrùm alij, qui extra mortis articulum non habent ordinariam, vel delegatam facultatem absoluendi, possint in mortis articulo absoluere, & qua ratione. Quare quinque principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, vtrùm laicus, aut Clericus, qui nondum est Sacerdos, possit in articulo mortis à censuris absoluere.

Secundò, vtrùm quiliber Sacerdos possit absoluere.

Tertiò, quis Sacerdos possit absoluere, quando plures adsunt Sacerdotes, quorum vnus est Confessarius approbatus, alter non approbatus, vnus excommunicatus, alter non excommunicatus, &c.

Quartò, à quibus censuris Sacerdos possit existentem in mortis articulo absoluere.

Quintò, quam cautionem ab eo debeat exigere.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An laicus, vel clericus, qui nō est Sacerdos, possit in articulo mortis absoluere à censuris.

1 LAicus, vel etiam Clericus qui non est Sacerdos, non potest à censuris absoluere in articulo mortis. Ita communiter Theologi, contra Syluestrum *verb. absolutio* 1. *n.* 8. *ad finem.* Angelum *verb. absolutio* 3. *num.* 39. & alios apud Sanchez *disp.* 7. *sect.* 7. *nu.* 3. apud Sanchez *in summa lib.* 2. *c.* 13. *n.* 13. apud Vasquez *tract. de excommunicatione dubio* 18. *num.* 9. apud Nugnum *in addit. ad* 3. *partem q.* 8. *art.* 6. *dub.* 5. apud Rodriquez 1. *parte cap.* 83. *numer.* 18. [apud Ruardum *lib.* 3. §. 2. *quæst.* 5. apud Alterium *lib.* 4. *disp.* 4. *c.* 1. *col.* 2. & 3. & *disp.* 5. *cap.* 1.] apud Reginaldum *lib.* 9. *num.* 9. asserentes laicum posse à censuris absoluere existentem in articulo mortis. Ratio nostra est, tum quia Sacerdos potest absoluere in articulo mortis, eò quòd absolutio à censuris debeat præcedere absolutionem à peccatis; sed absolutio à peccatis non potest impendi à laico, vel à Clerico nondum Sacerdote; ergo laicus, vel Clericus non potest in articulo mortis absoluere à censuris: tum quia odia non sunt amplianda, sed restringenda, nisi aliter in iure, vel vsu habeatur; sed odiosum est laicum exercere ministeria spiritualia, *ca. si verò de sent. excom.* ergo dicendum est laico non competere facultatem absoluendi à censuris in articulo mortis, quamuis contraria sententia non improbabilis ab aliquibus Doctoribus existimetur.

2 An Diaconus possit absoluere a censuris in articulo mortis.

2 Hinc patet, neque Diaconum, qui non excommunicauit, vel qui non habet specialem aliquam facultatem absoluendi, posse in articulo mortis absoluere. Ratio est, tum quia Diaconus non potest à peccatis absoluere: tum quia vsu ita receptum est: tum quia in Trident. *sess.* 14. *c.* 7. fit tantummodò mentio Sacerdotum. Ita Suar. *tom.* 5. *disp.* 7. *sect.* 7. *n.* 6. Auila 2. *p. c.* 7. *disp.* 1. *dub.* 1. Sanch. *loc. citat.* Filliucius *tr.* 11. *c.* 10. *quæs.* 5. [Alterius *loc. cit.*] & alij contra Henr. *lib.* 6. *c.* 9. *nu.* 3. Sylvest. *loc. citat.* & alios, [arbitrantes Clericum posse à quibuslibet censuris in articulo mortis absoluere.]

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An quilibet Sacerdos possit in articulo mortis absoluere a censuris.

3 IN articulo mortis quilibet simplex Sacerdos, quamuis sit degradatus, vel excommunicatus, vel irregularis, vel etiam hæreticus, potest absoluere à censuris, & peccatis reseruatis, quando non patet aditus ad superiorem, cui censuræ, & casus sunt reseruati, vel ad Confessarium approbatum, qui velit absoluere. Ita colligitur ex Trident. *sess.* 14. *c.* 7. & constat ex longo Ecclesiæ vsu, & ex communi DD. sententia, quamuis aliqui velint simplicem Sacerdotem posse in articulo mortis absoluere, licet adsit superior, vel alius Confessarius approbatus, cùm Tridentin. Concilium asserat omnes Sacerdotes posse in articulo mortis absoluere. Ita Eman. Sà *verb. absolutio, num.* 3. Rodriq. 1. *part. c.* 59. *concl.* 3. Sed contrarium probabilius videtur cum Vgolin. *de censuris, tab.* 1. *c.* 4. § 5. Sanch. *loc. cit. n.* 7. Molin. *tom.* 4. *disp.* 63. *nu.* 7. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 10. *punct.* 2. Conincho *de pœn. disp.* 8. *dub.* 12. *n.* 90. Nugno *loco cit. dub.* 2. [Alterio *lib.* 1. *disp.* 6. *cap.* 6. *sub finem.* Ruardo *lib.* 3. §. 2. *quæst.* 2. *n.* 24.] & aliis. Ratio est, quia quando patet aditus ad superiorem, vel ad alium Confessarium approbatum, non videtur adesse necessitas propter quam concessa fuit à iudice cuilibet Sacerdoti potestas absoluendi.

Obiicies cum Rodriq. & aliis DD. Trid. *loc. cit.* concedit quibuscumque Sacerdotibus facultatem absoluendi à casibus reseruatis in articulo mortis; ergo quilibet Sacerdos potest in articulo mortis absoluere, quamuis adsit proprius Sacerdos, vel superior, vel alter Confessarius approbatus.

Respondeo Conc. Trid. eo loci non statuere nouum ius, sed confirmare veterem consuetudinem Ecclesiæ; veteri autem consuetudine receptum erat, vt quilibet Sacerdos absolueret in articulo mortis, quando non aderat copia superioris, vel proprij Sacerdotis, vel alterius approbati ad audiendas confessiones, vt patet ex Concilio Carthaginensi III. *canone* 32. & *c. presbyter* 26. *q.* 6. Vnde ex Trident. non infertur, cuilibet Sacerdoti competere facultatem absoluendi à reseruatis in articulo mortis, quando patet aditus ad superiorem, vel ad Confessarium approbatum. Ita Sanchez *loc. cit. num.* 7. vbi plures alios refert.

Probabile tamen existimo, quod asserunt idem Sanch. *loc. cit. n.* 15. & Henr. *lib.* 6. *c.* 11. *n.* 8. Sacerdotem inferiorem, vel non approbatum, qui cœpit audire confessionem pœnitētis in articulo mortis existentis, antequam aduenire superior, vel alius Sacerdos approbatus, posse, aduenientе superiore, vel alio approbato Sacerdote, reliqua peccata audire, & absolutionem ab omnibus impendere. Ratio est, primò, quia sicut iurisdictio delegata non exspirat morte delegantis, re non integra, id est, quando delegatus incepit vti illa iurisdictione erga aliquem, *cap. relatum. de officio delegati*; ita non cessat illius iurisdictio in proposito casu, eò quòd res non sit integra.

Ex qua ratione aliqui deducunt, eum, qui habet facultatē audiendi confessiones ad tempus posse elapso eo tempore prosequi confessionem inchoatam ante tempus elapsum, & absolutionem impendere. Secus dicendum est, quando simplex Sacerdos semel absoluit, & postea aduenientе Confessario approbato, infirmus recordatur aliquorum peccatorum oblitorum, tunc enim confessio istorum peccatorum facienda est Confessario approbato, cùm ista sit noua confessio, & respectu istius confessionis res dicatur integra.

Secundò, quia Concil. Trid. *loc. cit.* indicat omnibus Sacerdotibus competere facultatem absoluendi ab omnibus peccatis, & censuris in articulo mortis, & non restringit istam facultatē vsque ad aduentum su-

superioris, vel alterius Confessarij approbati; ergo Confessarius potest impendere absolutionem à peccatis, quæ cœpit audire ante superioris, vel alterius Confessarij approbati aduentum, modò tamen illa peccata non habeant adnexam aliquam censuram reseruatam, tunc enim existimo adueniente superiore, cui censura est reseruata, petendam esse ab ipso facultatem absoluendi, vel ab eo priùs obtinendam esse absolutionem à censura. Ratio est, quia Confessarius, qui alias non habet priuilegium absoluendi à censuris, debet præcipere pœnitenti, vt si mortis periculum euaserit, sese præsentet legitimo superiori, quàm primùm commodè poterit; cùm ergo tunc temporis pœnitens possit se præsentare superiori aduenienti, debet se illi præsentare, vel saltem per Confessarium, vel per alium petere facultatem absolutionis obtinendæ. Si verò superior noluerit in eo casu facultatem, vel absolutionem concedere, nisi tota confessio sibi fiat, poterit simplex Sacerdos prosequi confessionem inchoatam, & absolutionis beneficium conferre, nam pœnitens censetur se præsentasse, suoque oneri satisfeciisse, nec superior, qui est inferior Summo Pontifice, potest simplici Sacerdoti iurisdictionem auferre circa illum, cuius confessionem incepit audire.

4 Quinam dicatur mortis articulus.

4 Quæres primò, quis dicatur mortis articulus, in quo simplex Sacerdos potest absoluere à censuris, & casibus reseruatis.

Respondeo cum Sylvest. *verb. absolutio* 1. *numer.* 8. Suarez *de pœnitent. disp.* 26. *sect.* 4. *num.* 3. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 1. Vasquez *de pœnit. q.* 93. *art.* 1. *dub.* 5. *num.* 2. Nugno *in addit. quæst.* 8. *artic.* 6. *dub.* 6. Reginald. *lib.* 9. *num.* 10. & aliis, dici non solùm periculum mortis proueniens ex infirmitate, sed quodlibet probabile periculũ mortis, quod contingit, quando adest probabile dubium de morte, quæ vtplurimum soleat in eo euentu contingere, vt accidit quando quis cogitur suscipere nauigationem periculosam, vel iter prædonibus expositum, aut quando femina est partui proxima, & nondum alias peperit, aut si alias peperit, experta est se parere cum periculo mortis, &c. in his casibus absolutio à censuris, & casibus reseruatis impẽdi potest à quolibet Sacerdote, nam Ecclesia concessit cuilibet Sacerdoti priuilegium absoluendi in articulo mortis, ne pœnitens in æternum pereat; posset autem in æternum perire, si quilibet Sacerdos non gauderet hoc priuilegio in articulo mortis proueniente tam ex infirmitate, quàm ex alio probabili periculo mortis.

Aliqui tamen Doct. distinguunt periculum mortis ab articulo, vt videre est apud Doct. cit. & apud Nugnum *in addit. ad* 3. *part. q.* 8. *art.* 6. *dub.* 6.

5 An quilibet Sacerdos possit absoluere a censuris in articulo mortis, quando pœnitens potest adire superiorem per litteras, aut per Confessarium.

5 Quæres secundò, vtrùm quilibet Sacerdos possit absoluere pœnitentem constitutum in probabili periculo mortis, quando pœnitens potest recurrere ad superiorem per Confessarium, vel per litteras, licet non possit per seipsum.

Respondeo cum Zambrano *de casibus articuli mortis. cap.* 4. *dub.* 4. *num.* 15. contra Sanchez *in summa, lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 14. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 9. *num. vltimo, in commentario littera O. & cap.* 11. *num.* 4. & alios, quos infra referam agendo de excommunicatione, quæ contrahitur ob violentam manuum iniectionem, quemlibet simplicem Sacerdotem non posse tunc temporis absoluere. Ratio est, primò, quia Sacerdos absoluens in articulo mortis debet præcipere pœnitenti, vt elapso eo periculo præsentet se, quàm primùm potest, superiori; si ergo pœnitens potest hoc per litteras, vel per Confessarium præstare ante absolutionem, videtur obligandus ad hoc præstandum, præsertim cùm etiam secundùm ipsum Sanch. *loc. cit. numer.* 33. & Henriq. *lib.* 6. *cap.* 9. *ad finem, & lib.* 23. *cap.* 29. *nu.* 13. contra Vgol. *cap.* 14. *tab.* 1. §. 5. Sayrum *lib.* 2. *cap.* 16. & alios, absolutus satisfaciat præsentando se per Procuratorem, nullo enim iure cauetur pœnitentem teneri se personaliter præsentare, præsertim cùm præsentans se per Procuratorem, dicatur se præsentare, *cap. Episcopus. dist.* 18. excepto casu percussionis Clerici, in quo absolutus tenetur se personaliter præsentare, nisi ex iusta causa præsentet se per alium.

Secundò, quia simplex Sacerdos potest in periculo mortis absoluere, quando deest copia superioris, vel alterius habentis facultatem absoluendi à reseruatis: sed in hoc casu non censetur deesse copia superioris, cùm pateat ad illum aditus per Confessarium, vel per alium, vel per litteras. Hoc tamen intelligitur, modò fieri possit absque nota infamiæ, vel absque alio graui periculo: alioquin non censetur moraliter adesse copia Confessarij, neque credibile est Ecclesiam velle pœnitentem obligare cum tanto incommodo.

Obiicies primò. Tridentinum non imponit pœnitenti obligationem mittendi aliquem ad superiorem, quando pœnitens non potest per seipsum adire.

Respondeo obligationem imponi pœnitenti per accidens, quatenus pœnitens non potest absolui à quolibet Sacerdote, dum habet copiam superioris, qualem censetur in proposito casu habere per litteras, vel Procuratorem, vel Confessarium.

Obiicies secundò. Pœnitens nõ obligatur scribere peccata, quamuis dubitet fore, vt illorum obliuiscatur; ergo non obligatur adire superiorem per litteras.

Respondeo falsam esse consequentiam, quoties pœnitens potest superiorem suum adire per litteras absque periculo infamiæ, vel alterius grauis incommodi, quod non accidit in primo casu, quando scribuntur peccata, fieri enim potest vt litteræ amittantur, vel ab alio aperiantur, &c. In nostro verò casu potest hoc periculum caueri, admonendo Confessarium, vt ipse scribat tacito nomine pœnitentis.

6 An simplex Sacerdos possit absoluere, quando dubitatur, an pœnitens sit in articulo mortis.

6 Quæres tertiò, vtrùm Sacerdos possit absolutionem casuum, vel censurarum impendere, quando dubitatur vtrùm pœnitens in articulo mortis existens possit expectare, & superuiuere, donec facultas obtineatur à superiore.

Respondeo absolui posse non expectata alia facultate, nam superior non censetur velle casus reseruare cum periculo damnationis alterius, pœnitens autem in proposito casu periculum damnationis subiret, expectando superioris facultatem, cum mors impendeat ex infirmitate. Ita Gambarupta *de casibus reseruatis, fol. mihi* 35. *colum-na* 2. Idem sentire videtur Henriquez *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 3. Sanchez *in summa, lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 8. Molina *tom.* 4. *de iustitia tract.* 3. *disput.* 63. Reginald. *lib.* 9. *num.* 10. & alij.

TERTIA PROPOSITIO.

7 Quis debeat absoluere, quando adsunt plures sacerdotes, quorum vnus est approbatus, non vero alius, vnus excommunicatus, non vero alius, &c.

7 QVando simul adest Sacerdos simplex & alius approbatus, absolutio reseruatorum impendenda est ab approbato, siue approbatus facultatem habeat absoluendi à reseruatis, siue non, nam in hoc casu cessat necessitas, propter quam Confessio fieri possit cuilibet simplici Sacerdoti. Et hoc verum videtur, etiamsi ille Sacerdos approbatus, fuerit approbatus in alia diœcesi, non verò in diœcesi pœnitentis, nam ipse potiori iure gaudet, quàm gaudeat Sacerdos nullibi approbatus, vt ait Suarez *de pœnit. d.* 26. *sect.* 4. *num.* 6. Similiter præsente simplici Sacerdote non excommunicato, & alio Sacerdote approbato excommunicato tolerato, non potest Sacerdos excommunicatus se sponte ingerere, cum ipse excommunicatus prohibeatur administrare Sacramenta, quamuis possit illa administrare, si petatur, vt infra dicam, nam pœnitens non tenetur illum euitare, nec ipse Sacerdos caret iurisdictione absoluendi, vt patebit ex dicendis de excommunicatione. Ita Sanchez *loco citato*, Nugnus *loco cit. dub.* 4. contra Suarez *disput.* 11. *sect.* 1. *n.* 12. Præsente vno Sacerdote approbato excommunicato, seu suspenso vitando, & alio simplici Sacerdote non excommunicato, nec suspenso, confessio facienda est simplici Sacerdoti, nam excommunicatus vitandus caret iurisdictione, & prohibetur ministrare Sacramenta, & repellitur à communicatione fidelium; sicut etiam ipsi fideles prohibentur cum eo participare, Sacerdos verò simplex tunc temporis non caret iurisdictione, nec prohibetur ministrare Sacramentum Pœnitentiæ. Ita Vasquez *de pœnit. quæst.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 19. & alij.

Rursus, præsente vno Sacerdote Catholico suspenso, vel interdicto, vel irregulari, & alio Sacerdote, qui sit excommunicatus vitandus, confessio potius facienda est irregulari, vel suspenso, vel interdicto, quàm excommunicato. Ratio est, tum quia irregularitas est minus impedimentum, quàm sit excommunicatio: tum quia cum excommunicato vitando prohibita est fidelibus communicatio. Item præsente Sacerdote irregulari, & alio suspenso, vel interdicto, confessio potius facienda est interdicto, vel suspenso, quàm irregulari, eò quòd irregularitas sit maius impedimentum. Denique præsente vno excommunicato, vel irregulari, vel suspenso, vel interdicto, & alio degradato, confessio potius facienda est Sacerdoti excommunicato, vel irregulari, &c. quàm degradato, eò quòd degradatio sit maius impedimentum. Vide Sanch. *in summa lib.* 2. *cap.* 13. *numer.* 10. Suarez *de pœnitentia, disp.* 16. *sect.* 4. *& disput.* 31. *sect.* 4. *& tom.* 5. *de Censuris, disp.* 11. *sect.* 1. *à nu.* 12. Sayrum *lib.* 2. *cap.* 2. Nugnum *in addit. ad* 3. *part. quæst.* 8. *artic.* 6. *dub.* 4. & Vasquez *loc. citat.* [Ruardum *lib.* 3. §. 2. *quæst.* 5. *numero* 11. *& seqq.*]

Ex dictis colligi potest, præsentibus duobus Sacerdotibus approbatis, quorum vnus tantùm habeat priuilegium absoluendi à reseruatis confessionem faciendam esse Sacerdoti habenti facultatem absoluendi à reseruatis. Ratio est, quia alter Sacerdos non habet facultatem absoluendi à reseruatis, nec adest necessitas, ob quam dicatur reseruatio cessare, eò quòd adsit alter facultatem habens reseruatorum. Ita Nauarr. *in Summa cap.* 27. *num.* 9. Sanch. *loc. cit. nu.* 11. *& lib.* 2. *de matrimonio disp.* 40. *num.* 8. Vasquez *de pœnit. quæst.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 18. Reginald. *lib.* 1. *num.* 61. & alij, contra Suarez *de pœnit. disp.* 30. *sect.* 3. *num.* 5. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 1. *in Comment. litt. D.* Emanuel Sà, & Rodriquez *locus supra citatis.*

QVARTA PROPOSITIO.

8 An pœnitens in articulo mortis absolui possit ab omnibus censuris.

8 EXistenti in articulo mortis potest quilibet simplex Sacerdos absolutionem earum censurarum impendere, quæ obstant susceptioni Sacramentorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, qualis est excommunicatio, interdictum personale, suspensio à susceptione Sacramentorum, & ab Ecclesiastica sepultura. Ratio est, quia Concil. Trident. *loco cit.* indicat facultatem absoluendi à reseruatis in articulo mortis concessam esse cuilibet, ne aliquis pereat: ergo mens Ecclesiæ videtur esse, vt existens in periculo mortis possit à quolibet simplici Sacerdote absolui ab iis casibus, & censuris, quarum occasione damnum pateretur, & periret, si tunc temporis non absolueretur, qualis est excommunicatio, interdictum personale, &c.

9 An pœnitens in articulo mortis possit absolui ab irregularitate, & suspensione ab ordine, officio, aut beneficio.

9 Ex quo patet à contrario sensu, existentem in articulo mortis, non posse absolui ab irregularitate, aut à suspensione ab ordine, officio, vel beneficio, nam irregularitas, vel suspensio ab ordine, officio, vel beneficio non retardat à consecutione gloriæ. Ita Sanch. in Summa *lib.* 12. *cap.* 13. *num.* 12.

10 An absolutio cẽsurarum impendi possit pœnitenti, qui illam non petiit.

10 Quæres vtrùm infirmo, qui non potuit petere absolutionem peccatorum, possit absolutio censurarum impendi.

Respondeo posse, vt recipiat reliqua Sacramenta, & non priuetur Ecclesiastica sepultura, vt patet ex ratione allata *numer.* 8. Ita Suarez *disp.* 7. *sect.* 7. *num.* 7. Sanch. *loco cit. num.* 12. Nauar. *cap.* 27. *numer.* 271. Reginald. *lib.* 9. *num.* 8. & alij, modò sit capax reliquorum Sacramentorum, iuxta dicta *de Sacramentis.*

QVINTA PROPOSITIO.

11 Quænã cautio exigenda sit à pœnitente, qui in mortis articulo absoluitur à censuris.

11 A Pœnitente non puero, qui in mortis articulo absoluitur à Sacerdote aliàs non habente facultatem absoluendi à censuris extra mortis articulum, extorquendum est, si fieri potest, iuramentum, sese, sublato impedimento non perpetuo, præsentandi quàm primùm commodè poterit coram superiore, qui de iure potest extra illum articulum absoluere, alioquin pœnitens reincidit in eamdem censuram. Hæc propositio patet ex *cap. eos. de sentent. excommun. in* 6. *& cap. ea noscitur. de sentent. excommun.* Ita Suarez *tom.* 5. *disput.* 7. *sect.* 8. *num.* 25. Vasq. *tract. de excommunicatione, dub.* 18. *nu.* 6. *& disput.* 20. *num.* 6. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 25. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 11. Sanchez *loco*

*loco cit.num.*24.Coninch.*disput.*14.*dub.*16.*nu.* 235.*&*241. Reginald. *lib.*9.*num.*11.[*& lib.*1.*num.*62.]& alij, quamuis Auila 2.*part. cap.* 7. *disp.*3.*dub.*4.dicat,iuramentum extorquendum esse in casu percussionis Clerici,non verò in aliis casibus.

Dixi, *à pœnitente non puero*, nam à puero non solet exigi iuramentum.

Dixi, *si fieri potest*, quia si pœnitens destitutus sit sensibus, ita vt non possit ab eo iuramentum extorqueri, impendenda est absolutio, nullus enim obligari potest ad impossibile. Idem dicẽdum est,quando mortis articulus ita instat,vt nulli satisfactioni, vel cautioni sit locus. Ita Sayrus *loc.cit.num.*4.Nauarr.*cap.*27.*num.*47. Sanchez *n.* 34. Auila *loc.cit.*& alij.

Dixi, *sublato impedimento non perpetuo*, nam ab habente perpetuum impedimentum se præsentandi non est exigenda huiusmodi cautio iuratoria, *cap.quamuis.de sentent.excommunic.* Ratio est, quia frustra petitur cautio ad id,quod fieri non potest.

Addo,pœnitentem laborantem perpetuo impedimento, cum quo non possit superiorem adire,non teneri eo impedimento miraculosè sublato præsentare se superiori,quamuis, dum laboraret illo impedimento,exactum ab eo fuerit iuramentum ad se præsentandum, nam pœnitens censetur se voluisse solùm obligare ad id, ad quod Confessarius intendit obligare; Confessarius autem intendit illum obligare, quatenus ius obligat; cum ergo ius non obliget, nisi quando impedimentum est temporale, *cap. quamuis. citato*, sequitur prædictum pœnitentem non teneri, impedimento miraculosè sublato, præsentare se coram superiore.Ita Suarez *loco cit.num.*30.

Hinc patet,iuramentum extorquendum esse, quando fieri potest ab eo solùm, qui laborat temporali impedimento, ratione cuius non potest tunc temporis se superiori præsentare, [ad petendam absolutionem censuræ.]

Addo in grauioribus delictis, vt in delictis Bullæ Cœnæ, non solùm extorquendum esse iuramentum, sed etiam extorquendam esse cautionem pignoratitiam, vel fideiussoriam,quando pœnitens tenetur satisfactionem pecuniariam præstare, quam tunc præstare non potest; quare à pœnitente, qui tenetur satisfactionem pecuniariam exhibere,exigenda est cautio pignoratitia,vel fideiussoria,vel saltem iuratoria, quando præstari non potest pignoratitia, vel fideiussoria: quando verò pœnitens non tenetur exhibere satisfactionem pecuniariam,non tenetur præstare pignoratitiam, vel fideiussoriam cautionem,sed satisfacit iurando se præstiturum satisfactionem,si quam præstare tenetur, vt accidit quando quis falsis dogmatibus aliquem decepit,& nondum satisfecit obligationi suæ, qua tenetur illum ab errore retrahere.Ita Suarez *tom.*5.*de censuris,disput.*21.*sect.*3.*n.*1.*&*2. Sanchez *loco cit.num.*23.& alij. Vide, quæ in simili dixi *de pœnitentia.*

12 An qui sublato morbo satisfecit parti læsæ, teneatur adhuc se præsentare superiori.

12 Quæres primò,vtrùm,qui sublato morbo,vel impedimento satisfecit parti læsæ, aut cum illa se composuit, teneatur adhuc se præsentare superiori,cùm fuerit absolutus cum onere præsentandi se.

Respondeo affirmatiuè cum Suarez *de pœnitent.disp.*30.*sect.*2.*n.*6. *folio mihi* 396.Couarr.*cap. Alma mater* 1.*part.*§.11.*num.*13. Sanchez *loco citat.num.*18.*&*29.contra Nauarr.*cap.*20.*num.*26. Henriquez *lib.* 13.*cap.*29.*num.*4.Auilam *loco citat.disp.*3.*dub.*4.*versic.Secundò nota,*& Gambaruptam *de casibus reseruatis fol.* 35.*&*36. Ratio est, tum quia huiusmodi obligatio imponitur tamquam pars pœnæ, vt pœnitens in posterum obediat; & melius abstineat ab huiusmodi delictis patrandis: tum quia non quælibet excommunicatio reseruata habet obligationem satisfaciendi adnexam, & nihilominus in qualibet absolutione excommunicationis contractæ ob graue delictum, imponitur in articulo mortis onus præsentandi se superiori; ergo pœnitens,qui in articulo mortis fuit absolutus à Sacerdote aliàs non habente facultatem censurarum reseruatarum,tenetur præsentare se superiori,etiamsi parti læsæ satisfecerit.

13 Cur pœnitenti imponatur onus se præsentandi superiori.

13 Si quæras, cur imponatur pœnitenti onus se præsentandi.

Respondetur huiusmodi onus non imponi, vt iterum absoluatur, cùm iam sit absolutus, vt constat ex *cap. non dubium. de sententia excommunicationis*; sed vt ostendat se obedientem ad recipiendam debitam medicinam,& ad exhibendam maiorem satisfactionem, si superior ipse maiorem iudicauerit imponendam. Ita Suarez *de pœnitentia disput.*30.*sect.*3.*& de censuris disput.*7.*sect.* 1. Auila *loc. cit. vers. Secundò nota,* Henriq.*lib.*6.*cap.*6.*num.*6.Sanch.*loc.cit. num.* 27.& alij communiter. Verum tamen est, pœnitentem eximi posse ab obligatione adeundi superiorem,si adeat Confessarium habentem facultatem absoluendi ab illis censuris extra mortis articulum, ab eoque obtineat absolutionem nouam absque vllo onere; tenetur enim pœnitens præsentare se superiori, inquantum vult vti priuilegio primæ absolutionis obtentæ in articulo mortis à simplici Sacerdote, aliàs non habente facultatem absoluendi à censuris, vt dicam *num.*15.*vers. Addo illum.*

14 An absolutus à censuris in articulo mortis teneatur se præsentare superiori,si Confessarius hoc illi non iniunxit.

14 Quæres secundò, vtrùm absolutus à censuris in articulo mortis remaneat absolutus, quando Confessarius ex obliuione, vel negligentia illi non explicauit onus se præsentandi [superiori,sublato periculo; aut iuramentum non extorsit.]

Respondeo affirmatiuè, nam Ecclesia non irritat aliter factum. Vide Sanchez *loco cit.num.*35.Vasquez *dub.*19.*num.* 4. & Henriquez *lib.*6.*cap.*10.*num.*11.vbi citat S. Antoninum, Armillam, Sylueſtrum, & Nauarrum.[Alterius *tom.*2.*disp.*8.*cap.*4.*col.*5.]

15 An ille, qui absoluitur à cẽsuris in articulo mortis vi alicuius priuilegij, vt Iubilei, teneatur

15 Quæres tertiò, vtrùm absolutus in articulo mortis vi alicuius priuilegij, vt Iubilei, vel Bullæ Cruciatæ, vel ab eo, qui extra illum articulum facultatem aliquam habebat absoluendi ab illis censuris, teneatur se præsentare elapso mortis periculo.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia huiusmodi onus iniungitur tantùm,quando aliquis absoluitur ob mortis articulum à Sacerdote aliàs non habente facultatem, non verò ob aliud priuilegium, quod solet concedi absque tali onere.Ita Sanchez *loco cit.n.*31.Suarez *de pœnitent.disp.*30.*sect.*1.*num.*6.Auila *loco cit.versic. Quartò maximè nota,* Reginaldus *lib.*1.*n.*62.& alij.

Addo, illum, qui fuit à censuris reseruatis absolutus in articulo mortis à Sacerdote aliàs non habente facultatem absoluendi, satisfacere adeundo Confessarium, qui ratione Iubilei, vel alterius priuilegij potestatem habeat absoluendi extra mortis articulum, ab eoque nouam absolutionem obtinendo absque alio onere, nam prior absolutio non obstat,quin pœnitens possit nouam absolutionem absolutam obtinere.Ita Sanchez *num.*32.Henriq.*lib.*6.*cap.*10.*nu.*5. *in Commentario lit.G.*& alij. tur se præsentare superiori.

16 An censura, in quam reincidit pœnitens, qui superiori se non præsentat,sit eadem cũ ea, quæ fuit ablata.

16 Quæres quartò, vtrùm censura,in quam pœnitens reincidit non præsentando se superiori quàm primùm cõmodè potest elapso morbo,vel impedimento,sit eadem cum ea, quæ fuit ablata.

Respondeo non esse eamdem numero,cùm prima iam fuerit ablata per absolutionem, & idem effectus non possit naturaliter redire, sed est noua censura,quæ contrahitur ex iuris dispositione,& auctoritate,non solùm propter primam causam, sed etiam ob inobedientiam admissam à pœnitente,non se præsentante quàm primùm commodè potest,habita ratione temporis,loci,& personæ; quare non dicitur reincidere in eamdem numero censuram, sed in eamdem similitudine,seu specie, quia contrahit aliam similem censuram reseruatam,sicut erat prior. Ita Suarez *de censuris,disp.*22.*sect.*1.*num.*62.Sanchez *num.*28.Sayrus *lib.*3.*ca.*28.Nauar. Coninch.& Auila *locis statim citandis*, & alij communiter. Verum tamen est, ad reincidendum in censuram,non semper requiri nouum peccatum mortale, vt patet in eo,qui beneficium obtinet à Papa sub his verbis, *Ad hunc effectum dumtaxat*, hic enim reincidit absque noua culpa, quamquam hæc non est vera, & perfecta absolutio: posita enim vera absolutione, probabilius arbitror in censuram non reincidi absque nouo peccato; quamobrem qui fuit absolutus cum onere satisfactionis præstandæ intra mensem, hicque eam præstare nequeat, in censuram non reincidit,cùm prima fuerit ablata, & non tantummodò suspensa, (perspicuum enim est inferiorem non posse effectus excommunicationis suspendere,quidquid sit de aliis censuris,de quibus infrà,) consequenter non potest iterum contrahi absque materia illius contrahendæ,id est,absque peccato,ex Nauarr.*cap.* 27.*num.*277.Henriq. *lib.*13.*cap.*28.*num.*2.Coninchо *disp.*14.*dub.*16.*num.* 216.[Alterio ex parte *lib.*4.*disp.*1.*c.*5.*sub finem.*]Reginaldo *num.*56.& aliis.

17 Quænã dicatur absolutio ad reincidentiam.

17 Hinc patet illam dici absolutionem ad reincidentiam, qua posita iterum inciditur in censuram: nisi præstentur ea, quæ præscribuntur,qualis absolutio est illa, quam Summus Pontifex impendit in collatione beneficiorum,vel in concessione alicuius priuilegij sub his verbis, *Ad hunc effectum dumtaxat*, quæ absolutio non est absoluta,& perfecta,sed tantummodò datur ad hunc effectum, vt collatio beneficij, & concessio priuilegij teneat, excommunicatus enim est incapax beneficij,consequenter indiget absolutione, vt illius fiat capax saltem per absolutionem ad reincidentiam, propterea obtento beneficio noua indiget absolutione. Talis etiam est absolutio data à Legato,vel Nuntio Summi Pontificis, vel à Summo Pœnitentiario cum obligatione præsentandi se suo Ordinario, vel alteri, vt ab eo pœnitentiam recipiat,vel vt parti læsæ satisfaciat, &c. vnde si pœnitens data opportunitate onus sibi iniunctum non præstet, reincidit in excommunicationem, à qua fuerat absolutus cum onere, *cap. eos qui,citato.*Ita Sayrus *lib.*2.*cap.*16.*num.*9.Nauar.*cap.*27.*num.*113.Auila 2.*parte,cap.*7.*disp.*3.*dub.*4.*concl.*2.Suarez *disp.*7.*sect.*8.*nu.*22. Filliucius *cap.*10.*quæsito* 4.Coninch.*loco citato*,& alij.

18 An absolutus ad reincidentiam, vitãdus sit, postquam neglexit se præsentare.

18 Sed modò dubium est,vtrùm vitandus sit Titius,qui fuit absolutus in articulo mortis ab excommunicatione ad reincidentiam, quam antea contraxerat,& erat nominatim excommunicatus.

Respondeo vitandum esse. Ratio est, tum quia, si post absolutionem in articulo mortis collatam periisset, non potuisset sepeliri, antequam superiori constitisset de absolutione; ergo multò minus potest ad participationem fidelium admitti post reincidentiam in eamdem specie censuram, quæ retinet eosdem effectus,& eamdem reseruationem,quam prior,vt patet ex traditis *num.*16.tum quia iura non intendunt patrocinari delinquenti, nolenti se post absolutionem in articulo mortis obtentam præsentare, ne censuræ illudatur, vt dicitur *in cap.eos qui.de sententia excommunicationis, lib.* 6. *decret. cap.* 22. Periculum autem est,vt qui fuit in articulo mortis absolutus,illudat censuræ, illamque paruipendat, nisi vitetur, postquam noluerit se coram superiore præsentare: tum quia, qui non se præsentat legitimo superiori,non dicitur absolutè reincidere in eamdem censuram, sed in eamdem sententiam, vt expressè habetur *in cap.eos qui, cit.* Sicut autem Titius fuerat per sententiam denuntiatus excommunicatus,ita etiam remanet excommunicatus denuntiatus,& consequenter vitandus postquam contempserit se præsentare oblata opportunitate, alioquin non diceretur reincidere in eamdem sententiam. Et hæc saluo meliori iudicio, cùm nullus hanc quæstionem expressè tractauerit: quamuis aliqui Doct. suprà citati videantur hanc doctrinam amplecti,& eamdem à fortiori supponere videatur Valentia, & alij,quos retuli *num.*3.

19 An in absolutione casuum reseruatorum tradita in articulo mortis articulo, exigenda sit cautio præsentandi se superiori.

19 Quæres vltimò, vtrùm in absolutione casuum reseruatorum tradita in articulo mortis, exigatur prædicta cautio præsentandi se superiori.

Respondeo negatiuè, modò casibus reseruatis non sit adnexa aliqua excommunicatio.Ratio est,quia nullo iure constat in absolutione casuum reseruatorum non habentium adnexam excommunicationem, imponendum esse huiusmodi onus. Ita Sanchez *loco citato, num.*14.Suarez *de pœnitentia,disp.*30.*sect.* 3.*num.* 6. Vasquez *de pœnit. qu&st.*93.*art.*1.*dub.*3.*num.*15.Coninch.*de pœnit.disp.*8.*dub.* 2. Henriq. *lib.*6.*cap.*15.*num.*3.Reginald.*lib.*1.*num.*62.*& lib.*8.*num.*24.vbi tradit absolutionem à reseruatis non dari ad reincidentiam,& alij recentiores communiter contra Vasquez *de pœnit. qu&st.*91.*artic.*3.*dub.*8.*numero* 7.

PVN-

PVNCTVM IV.

Quis possit à censuris absolui.

IN præcedentibus sermo nobis fuit de causa efficiente, potestatem habente auferendi censuras: in præsenti puncto agemus de causa materiali, seu subiecto, circa quod versatur absoluendi potestas, & quatuor breuiter quæremus.

Primò, vtrùm absoluendus debeat esse subditus absoluenti.

Secundò, vtrùm debeat esse persona distincta ab absoluente.

Tertiò, vtrùm inuitus possit absolui.

Quartò, vtrùm absens possit absolui.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An qui absoluendus est à censura, debeat esse subditus absoluenti.

1 ABsoluendus debet esse subditus absoluenti. Hæc propositio patet ex suprà dictis *quæst.*1. Ratio est, quia sicut censura fertur in subditos, ita etiam absolutio, cùm vtraque pertineat ad iurisdictionem, quæ nonnisi in subditos exerceri potest, siue subditi sint per potestatem ordinariam, siue per delegatam.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An aliquis possit se ipsum à censura absoluere.

2 ABsoluendus debet esse distinctus ab absoluente. Ratio est, quia nullus habet iurisdictionem in se ipsum. Vtrùm verò superior incidens in censuram possit alteri facultatem committere absoluendi se ipsum, patet ex dictis *de legibus, de voto, de pœnitentia,* & *de Indulgentiis,* posse. Ad ibi dicta vos remitto.

TERTIA PROPOSITIO.

3 An inuitus, vel insciens possit à censuris absolui.

3 INuitus positiuè aut ignarus, sublata contumacia, propter quam ligabatur censura, potest à censura absolui, si spectemus naturam censuræ. Ita Suar. *dub.*7 *sect.*7 *num.*5. Filliucius *cap.* 10. *quæsito* 6. *num.*325. Vasquez *dub.*18. *num.*14. Rodriq. *cap.*83. *num.*13. Auila 2. *par. cap.*7. *dub.*2. Coninch. *disp.*14. *dub.*16. *num.*224. Reginald. *lib.*9. *nu.*36. [Alterius *lib.*4. *disp.*6. *cap.*2. *& tom.*2. *disp.*8. *cap.*4.] & alij communiter. Ratio est, quia sicut censura ferri potest in inuitum, ita potest ab inuito auferri.

Dixi, *si spectemus naturam censuræ,* nam aliunde fieri potest, vt inuitus non possit absolui, habens enim facultatem limitatam ad absoluendum, e.g. in Sacramento pœnitentiæ, non potest absoluere inuitum, vt infrà ostendam. Idem tradunt Suarez, & Filliucius *loc. cit.*

Dixi, *sublata contumacia,* quia manente contumacia non debet absolui, nisi periculum impendeat, vt fiat peior, & deterior: qua de causa, hæreticus pertinax in delicto hæresis non debet absolui, tantum enim abest, vt beneficio absolutionis dignus sit, vt potiùs grauiorem pœnam mereatur. Ita Doct. cit.

Immo hic non posset validè absolui, nisi ab eo, qui legem hæreticos excommunicantem tollere potest; quamdiu enim lex durat, pœnam facienti contra legem semper infligit. Ita Coninch. *loco citato.*

QVARTA PROPOSITIO.

4 An absens absolui possit à censuris.

4 ABsens localiter validè potest absolui à censuris. Ratio est, quia sicut absens potest ligari, ita absolui, cùm fauores sint ampliandi. Ita Suarez *loco cit. num.*4. Filliucius *tract.*11. *cap.*10. *quæsito* 6. *num.*324. Reginald. *lib.*9. *num.*39. Auila *loco cit. cap.*7. *disp.*2. *dub.*1. Nauar. *cap.*26. *num.*18. Rodriquez *loco cit.* [Alterius *lib.*4. *disp.*6. *cap.*1. *& tom.*2. *disp.*8. *cap.*4. & alij.

Addo cum eodem Nauarro, Confessarium, qui aliquem absoluit à peccatis habentibus adnexam excommunicationem reseruatam, à qua ipse non poterat absoluere, posse obtenta facultate absoluendi, absoluere absentem ab excommunicatione, non enim necesse est vt absoluendus acceptet absolutionem, cùm hæc ab intentione absoluentis pendeat, statimque effectum suum pariat iuxta mentem absoluentis, vt bene Suarez *num.*4. Immò Nauar. *loco cit.* idem dicendum existimat de peccato reseruato. Sed hoc ipse non auderem asserere, vt patet ex dictis *de Sacram. pœnitentiæ,* nam absolutio peccatorum non potest impendi absenti.

5 (An absolutio sortiatur effectum statim ac forma absolutionis fuit pronuntiata.)

5 [Sed modò dubium est, vtrùm absolutio collata absenti suum sortiatur effectum statim ac forma absolutionis pronuntiata fuit, etiamsi nuntius vel epistola nondum peruenerint ad illum cui confertur absolutio.

Respondeo statim operari effectum, si absolutio absolutè & sine conditione de futuro collata fuit, etiamsi ad aures excommunicati nondum peruenerit. Ratio est, quia absolutio vim habet ex mente absoluentis, & sicut excommunicatio statim suum operatur effectũ, ita etiam absolutio, vt bene Alterius *lib.*4. *disp.*6. *cap.*1. *colum.*5. *vers. quare. & tom.*2. *disp.*8. *cap.*4. cõtra glossam *in cap. quanto.*2. *q.*5. *in verb. Epistolam.* An autem absolutio excommunicationis dari possit per procuratorem, & an procurator habere debeat executionem mandatam, videri poterit apud Alterium *loc. cit.* vbi requirit speciale mãdatum. Cùm enim res grauissima sit speciale mandatum, requiritur vt procuratori conferatur. Idem docent Panormit. *in cap. cùm consideres. num.*7. *de sent. excom.* Rota *decis.*25. *de sent. excom.* & alij.]

Ex dictis in hoc puncto patet, quænam requirantur ex parte subiecti, cui conferenda est absolutio: superest modò quærere quænam requirantur ex parte ipsius absolutionis, seu formæ, quæ à nobis in sequentibus punctis explicanda sunt.

PVNCTVM V.

De requisitis in forma absolutionis.

TRia breuiter quæram in hoc puncto.

Primò, vtrùm ad formam absolutionis censuræ requirantur verba determinata.

Secundò, vtrùm absolutio dari possit per nutus, & signa.

Tertiò, vtrùm in forma absolutionis exprimenda sit causa censuræ.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An ad absolutionem censuræ requiratur determinata forma.

1 AD absolutionem censuræ non est necessaria certa, & determinata forma verborum, sed sufficiunt quæcumque verba ore prolata, vel in scriptis expressa, & exarata, quibus sufficienter exprimatur absolutio. Ita Valent. *tom.*4. *disp.*7. *quæst.*17. *punct.*8. Sylueст. *verb. Absolutio* 3. *num.*2. Couarr. *cap. Alma mater.* §.11. *nu.*6. & 7. Suarez *disp.*7. *sect.*9. *num.*2. *vers. circa priorem partem,* Filliucius *tract.* 11. *cap.*10. *quæsito* 7. Coninchus *disp.*14. *dub.*16. *num.*202. [Alterius *lib.* 4. *disp.*1. *cap.*1. *ad finem, & disp.*7. *cap.*1.] & alij communiter apud Salas *de legibus, disput.* 20. *sect.*9. *num.* 85. & apud Suarez, contra Sanchez *loco mox citando.*

Quòd non requiratur certa forma verborum, patet, quia nullo iure probatur eam requiri.

Quòd verò requirantur aliqua verba ore expressa, vel in scriptis, patet, quia, cùm absolutio fiat inter homines, fieri debet humano modo, & sensibili, id est, per externa signa, homo enim non intuetur cor.

2 An sufficiant hæc verba, *Te absoluo.*

2 Hinc colligi potest primò, in absolutione censuræ sufficere hæc verba, *Te absoluo.*

3 An absolutio censurarum dari possit iisdem verbis, quibus datur absolutio peccatorum.

3 Secundò, absolutionem censurarum dari posse iisdem verbis, quibus datur absolutio peccatorum, eademque verba sufficere pro vtraque absolutione, nam superior absoluens potest ex intentione iisdem verbis vti ad vtrumque effectum, vt si dicat: *Ego te absoluo,* intendens simul absoluere à peccatis, & à censuris; quamuis enim vtraque absolutio sit simul tempore, nihilominus absolutio censurarum est prior natura. Certior tamen modus absoluendi est, si Confessarius dicat: *Ego te absoluo ab omnibus censuris, & peccatis tuis.*

4 An pœnitens possit absolui à peccatis, priusquam absoluatur a censuris, quãdo non superest tẽpus impendendi vtramque absolutionem.

4 Hinc patet solutio illius difficultatis, vtrùm excommunicatus possit priùs absolui à peccatis, quàm absoluatur ab excommunicatione, quando ita est morti propinquus, vt non vacet tempus ad impendendam vtramque absolutionem.

Respondetur enim hunc casum dari non posse, quia Confessarius iisdem verbis vti potest ad absoluendum à censuris, & à peccatis, vt bene ait Suarez *disput.*10. *sect.*2. *num.*7. Filliucius *tract.*12. *cap.*3. *quæsito* 4. *num.* 63. Si tamen dari posset prædictus casus, valida esset absolutio peccatorum data ante absolutionem excommunicationis, non enim credibile est Ecclesiam velle priuare pœnitentem beneficio absolutionis in eo euentu cum tanto ipsius detrimento. Ita Auila 2. *part. cap.*6. *disp.*3. *dub.*3. & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 An absolutio censurarum dari possit per nutus, & signa absque verbis.

5 EPiscopus, aut alij Prælati inferiores Summo Pontifice non possunt impendere absolutionem censuræ per nutus, & signa absque verbis, vel scriptura. Ratio est, tum quia huiusmodi signa sunt valdè incerta: tum quia Episcopi, & alij inferiores Prælati non possunt variare formam iuris communis, sed illam seruare tenentur; forma autem iuris communis est, vt absolutio detur per verba, vel scripturam, iuribus statim citandis: tum quia ita docet Glossa *in Clementina vltima, de sententia excommunicationis,* & constat ex *cap. cùm desideres, & cap. si aliquando. de sententia excommunicationis.* Ita Sanchez *de matrimonio, lib.*8. *quæst.*4. *nu.*24. Suarez *disp.*7. *sect.*9. *num.*13. Filliucius *cap.*10. *quæs.*8. [Alterius *lib.*4. *disp.*7. *c.*1. *dub.*3.] & alij Doct. contra Salas *de legibus, disp.*20. *sect.*9. *num.* 85. vbi innuit valere absolutionem censuræ, etiam ab inferioribus prælatis tacitè collatæ per nutus, & signa sensibilia, quibus sufficienter indicetur ligatum censuris liberari à vinculo censuræ.

6 An Papa saltem id præstare possit.

6 Dixi, *inferiores Summo Pontifice,* quia Summus Pontifex, si declarat se velle solo nutu, vel facto absoluere, potest absoluere, vt habetur *Clementina citata.* Ratio est, tum quia absolutio censuræ non postulat verba ad sui essentiam: tum quia Summus Pontifex supremam habet potestatem & facultatem absoluendi non seruata forma iuris communis. Ita Suarez *disput.* 7. *sect.* 9. *num.*14. Filliucius, [Alterius,] & alij.

TERTIA PROPOSITIO.

7 An in absolutione censurarũ requiratur expressio causæ.

7 IN absolutione censuræ, per se loquendo, non requiritur expressio causæ ipsius censuræ, propterea non est necesse dicere: Ego te absoluo ab ea suspensione, quam contraxisti ob tale delictum. Ratio est, tum quia expressio causæ nullo iure præscribitur in absolutione: tum quia intentio absoluentis ferri potest in aliquam determinatam censuram, etiamsi non exprimatur causa ipsius censuræ.

Dixi, *per se loquendo,* nam fieri potest aliquando, vt necesse sit causam censuræ exprimere, vt accidit quando quis pluribus censuris est irretitus, & superior intendit vnam tantùm per absolutionem auferre: tunc enim censuræ causa exprimenda est, vt constet quænam auferatur. Ita Suarez *disput.*7. *sect.*9. *num.*6. Filliucius *quæs.*7. *num.*329. Nauarr. *cap.*26. *num.*8. [Alterius *lib.*4. *disput.*5. *cap.*4. *& disp.*7. *cap.*1. *dub.*2.] & alij.

PVNCTVM VI.

Vtrùm vna censura possit auferri remanente alia, & vtrùm censuræ possint auferri extra confessionem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Vtrùm vna censura possit auferri remanente alia.

1 VNa censura potest auferri alia remanente. Hæc propositio manifestè constat ex dictis *de dispensatione in tract. de legibus.* Ratio est, quia inter censuras non est necessaria connexio, & sicut vna potest ferri ante aliam, ita etiam potest auferri. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.*18. *quæst.*18. *art.*5. Vgolinus *tab.*1. *cap.*19. §.3. *num.*10. Sayrus *lib.*2. *cap.*25. *num.* 13. Suarez *disput.*7. *sect.*9. *num.*4. & 6. Vasquez *dub.*18. *num.*14. Valent. *tom.*4. *disput.*8. *quæst.* 17. *punct.* 8. Filliucius *cap.* 10. *quæs.*6. *num.*327. Coninch. *disput.*14. *dub.*16. *num.*221. Reginaldus *lib.*9. *num.*49. [Alterius *lib.*4. *disput.*5. *cap.*4.] & alij, quos retuli *de dispensationibus.*

2 An petẽs absolutionem ab vna censura remaneat ab omnibus absolutus, quãdo superior generalem impendit absolutionem.

2 Quæres vtrùm petens absolutionem ab vna censura, remaneat ab omnibus absolutus, quando superior generalem impendit absolutionem.

Respondeo negatiuè, cùm [Alterio *lib.4.disp.5.cap.4.col.2.*] Suarez, Vasquez, & aliis: nam absolutio accommodari debet petitioni: si ergo petitio est limitata, limitata est etiam absolutio. Et hoc verum censeo præsertim in absolutione, quæ impenditur extra confessionem sacramentalem: non verò in absolutione, quæ conferri solet in Sacramento Pœnitentiæ, in quo solet Confessarius ante sacramentalem absolutionem præmittere generalem absolutionem censurarum, quantum licitè potest, & quantum pœnitens indiget: in quo casu pœnitens, quamuis censuram aliquam ex obliuione omiserit, remanet ab omnibus absolutus, modò Confessarius facultatem habeat absoluendi, intendatque omnes auferre.

3 An ille, qui obtinet absolutionem generalem censurarum, remaneat absolutus a censuris, quas tacuit ex obliuione.

3 Ex quo sequitur, eum, qui confitetur alicui Sacerdoti habenti facultatem absoluendi à censuris ex officio, vel ex priuilegio, remanere absolutum à censuris, etiam reseruatis, quas tacuit ex obliuione, modò generalem obtineat absolutionem ab omnibus, iuxta formam, quæ communiter hoc modo consueuit adhiberi: Absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quod incurristi, quantum possum, & tu indiges. Ratio est, quia Confessarius facultatem habet absoluendi ab omnibus censuris, vt suppono, quas pœnitens conticuit, & vtitur ea facultate generaliter, cum intentione auferendi omnes censuras, quantum potest; ergo illas re vera aufert, & pœnitens ab illis remanet absolutus: consequenter, si post confessionem recordetur alicuius peccati obliti, habentis adnexam aliquam censuram, tenetur tantummodò confiteri peccatum oblitum, cui erat adnexa censura. Ita Suarez *loco cit.* Coninch. *loco* mox *citando*, Sanchez *in Summa, lib.2.cap.2. num.9.* Filliucius *cap.9. quæsito 6.num.289.* Reginaldus *lib.9. num.6.* [Alterius *lib.4. disput.4. cap.2. dub.1.*] & alij communiter, quos retuli *de pœnitentia.* Secus dicendum est, quando Confessarius non impendit absolutionem generalem, aut non habuit intentionem auferendi omnes censuras, sunt enim aliqui Confessarij, qui consueuerunt tantummodò absoluere à censuris in confessione auditis, in quo casu certum est pœnitentem non remanere absolutum à censuris, quas in confessione per obliuionem prætermisit. Propterea bene aduertunt Nauarr. *cap.26.num.12.* Vgolinus *tab.1.cap.19.* & Sayrus *lib.2.cap.21.* optimum consilium esse pœnitenti, in confessione petere absolutionem generalem ab omnibus censuris, tunc enim remanebit ab omnibus absolutus per absolutionem generalem collatam à Confessario, facultatem habente illas auferendi. Idem dicendum est de casibus reseruatis, quorum reseruatio desinit per absolutionem traditam à Confessario, facultatem reseruatorum habente, etiamsi pœnitens per obliuionem aliquod peccatum reseruatum siluerit. Vide quæ dixi *de pœnitentia quæst. vlt. punct.* 8.

4 An pœnitens, qui oblitus est alicuius censuræ, a qua non poterat absolui, antequam satisfaceret parti, remaneat ab ea absolutus, si absolutionem generalem obtineat.

4 Ex hac doctrina infertur primò ab aliquibus Doct. pœnitentem, qui confessus est peccata sua, sed oblitus est alicuius peccati, habentis adnexam aliquam excommunicationem, à qua non poterat absolui, nisi præmissa satisfactione partis, remanere absolutum, si obtinuit absolutionem generalem ab eo Sacerdote, qui facultatem habebat absoluendi, etiam non præmissa satisfactione partis.

Sed mihi contrarium probabilius dicendum videtur cum Auila 2. *part.cap.7.disp.3.dub.9.* Coninch *de pœnitent.disp.8.dub.12.num.97.* & *disp.14.dub.16.num.226.* Ratio est, quia non est credibile Confessarium velle absoluere ab excommunicatione non manifestata, à qua, si manifestaretur, non posset sine mortali absoluere ante præmissam satisfactionem, quamuis ante præmissam satisfactionem validè posset absoluere.

5 An qui oblitus est alicuius censuræ possit à quolibet sacerdote absolui quãdo antea fuerat generaliter absolutus.

5 Secundò infertur, pœnitentem absolutum per absolutionem generalem à censuris, vel casibus reseruatis oblitis in confessione, si post confessionem recordetur alicuius censuræ, vel peccati obliti, posse absolui à quolibet simplici Confessario habente facultatem absoluendi à mortalibus, quamuis non habeat facultatem absoluendi à censuris, vel à casibus reseruatis. Ita communiter DD.

6 Cur pœnitens absolutus à censuris, quarum oblitus fuerat teneatur iterum confiteri peccata, non verò cẽsuras.

6 Si quæras, cur pœnitens absolutus à censuris oblitis in confessione, teneatur confiteri peccata oblita, vt ab ipsis directè absoluatur, non verò teneatur confiteri censuras illis peccatis adnexas, quando confessus est Sacerdoti habenti facultatem absoluendi ab illis censuris oblitis.

Respondeo cum Suarez *tom.5. disp.7.sect.1.nu.17.* [Alterio *loco cit. col.2.*] hanc esse rationem, quia confessio peccatorum integrè facienda est ex iure diuino, & ad satisfaciendum Deo; non verò iure diuino sancitum est, vt censuræ manifestentur in confessione, sed in tantum manifestandæ sunt, in quantum opus est, vt auferantur; si ergo semel aliqua ratione ablatæ sunt, non est necesse eas semel oblitas deinceps exprimere in Sacramento, sicut necesse est exprimere peccata mortalia oblita, siue haberent adnexam censuram, siue non.

SECVNDA PROPOSITIO.

7 An absolutio censuræ dari possit extra confessionem.

7 HAbens iurisdictionem ordinariam potest extra confessionem absolutionem censurarum conferre. Ratio est, tum quia nullo iure probatur ipsum obligari ad absoluendum in Sacramento confessionis: tum quia vsus, & praxis ita declarat: tum quia, sicut extra confessionem potest ligare, ita etiam absoluere.

Habens verò facultatem delegatam, potest absoluere iuxta concessionem sibi factam: quare, quando conceditur facultas absoluendi absolutè, potest absolutionem impendere extra confessionem, facultas enim absolutè, & generaliter lata, generaliter intelligenda est, nec est restringenda ad absolutionem impendendam in confessione, cum verba non importent huiusmodi restitutionem, sicut ex opposito habens facultatem limitatam absoluendi tantùm in sacramentali confessione, vel confessionibus diligenter auditis, vt communiter accidit in Iubileis, non potest absolutionem conferre extra confessionem, nam facultas, & iurisdictio exercenda est iuxta voluntatem concedentis. Ita Vasquez *de excomm. dub.20. num.9.* Suarez *locis* statim *citandis*, Filliucius *tract.11.cap.9.quæs.8.num.294.* [Alterius *lib.4. disp.4. cap.4. dub.3.*] & alij communiter. Si tamen daretur casus, vt Confessarius habens facultatem limitatam absoluendi in sacramentali confessione, collata absolutione censurarum moreretur, aut vocem amitteret, &c. ante impensam absolutionem peccatorum, valida esset absolutio à censuris, nam absolutio data fuisset simpliciter, & absolutè à Confessario habente intentionem absoluendi etiam à peccatis, vt suppono, quamuis morte præuentus non potuerit absoluere à peccatis. Ita Suarez *disput.7.sect.5.num.36.* Henriquez *lib.2.cap.30. num.6.* & alij apud Sanchez *lib.8. de matrimonio, disp.15. num.25.* & *disp.34.num.30.* vbi addit contra Vasquez *loco citato*, Nauarr. *cap.26. num.31.* Filliucium *loco citato*, & alios, probabile esse absolutionem censurarum impendi posse extra confessionem, quamuis in concessione facultatis dicatur: Auditis confessionibus absoluatur à peccatis, & censuris adnexis, nam illa particula, *Auditis confessionibus*, refertur ad absolutionem à peccatis, idem probabile censet Coninchus *disput. 14.dub.16.num.253.* Vide quæ dixi *quæst. vltima, de voto punct.7.§.3. dub.6.num.16.* & *seqq.* vbi hæc fusiùs explicaui.

8 An habẽs facultatem absoluendi a censuris in foro cõscientiæ, possit ab iis absoluere extra cõfessionem.

8 Quæres primò, vtrùm habens facultatem absoluendi à censuris in foro conscientiæ, possit illarum absolutionem impendere extra confessionem, etiamsi non absoluat à peccatis.

Respondeo affirmatiuè, aliud enim est forum conscientiæ, aliud forum Sacramenti pœnitentiæ, vt patet in parocho, cui potest concedi facultas absoluendi in foro conscientiæ suos subditos à censuris, quamuis nondum sit initiatus Ordine sacerdotali, nec possit confessiones audire, & sacramentaliter absoluere; ergo qui habet facultatem absoluendi in foro conscientiæ à censuris, potest absolutionem impendere extra confessionem, quamuis non absoluat à peccatis. Ita Sanchez *lib.8. de matrimonio, disput.34. num.2.* & Genuensis *in Praxi Neapolit. cap.66.num.18.* Auila *de censuris 1.parte, cap.7. disput.3. dubio 13.* Henriquez *lib.7.cap.13.num.2.* Suarez *de relig. tom.2. tract.6. lib.6. cap.16.num.4.* Rodriquez *tom.1. quæstionum regular. quæst.20. art.7.* Coninchus *disp.14.dub.16.quæsito 13.num.251.* & *253.* & alij.

Addo Confessarium habentem facultatem absoluendi in foro pœnitentiæ, posse absoluere extra sacramentalem confessionem, quoties absolutio cadit supra materiam, ad quam per se non requiritur absolutio sacramentalis, nisi aliter colligatur ex verbis concessionis. Ita Tabiena *verb. Absolutio 2. quæsito 4.num.7.* & alij, quos citat, & sequitur Suarez *lib.8. de legibus, cap.6.num.16.* contra Rodriquez *tom.1. quæstionum regularium quæst.61.art.10. folio mihi 356.* & contra Sanchez *loc. cit.* Quare, inquit Suarez, hæc est differentia inter forum conscientiæ, & forum pœnitentiæ, quòd quando conceditur priuilegium absoluendi in foro pœnitentiæ, iniungenda est salutaris pœnitentia, consequenter, quando in facultate, seu Bulla dicitur, absoluas in foro conscientiæ, iuncta salutari pœnitentia, sicut dicitur in Trident. *sess.24.cap.6.* perinde est ac dicere, absoluas in foro pœnitentię, vel pœnitentiali, quicquid in contrarium probare conetur Garzias *de benef.11.parte.cap.10.num.139.*

9 An habẽs facultatem absoluendi a censuris in foro pœnitentiæ, possit absoluere extra confessionem.

9 Hinc sequitur primò, habentem facultatem absoluendi à censuris in foro pœnitentiæ, posse extra confessionem absoluere iuncta salutari pœnitentia, nam censuræ sunt materia, ad quam per se non requiritur absolutio sacramentalis.

10 An absolutio casuum reseruatorum dari possit extra confessionem.

10 Secundò, habentem facultatem absoluendi à casibus reseruatis in foro pœnitentiæ, non posse extra confessionem absoluere, nam absolutio cadit supra materiam, ad quam per se requiritur sacramentalis absolutio, cùm reseruatio peccatorum tollatur per absolutionem sacramentalem. Idem dicendum est, quando ex aliis verbis, vel coniecturis constat superiorem velle absolutionem dari in Sacramento Pœnitentiæ.

11 An pœnitens absoluatur a censuris, quas voluntariè reticuit, si petat absolutionem generalem.

11 Quæres secundò, vtrùm pœnitens remaneat absolutus à censuris, dum accedit ad Confessarium, & voluntariè reticet in confessione peccatum, habens adnexam censuram, vel quando petit in genere absolutionem, si fortè indiget, cùm re vera indigeat, sciatque se indigere, sed nolit censuram exprimere.

Respondeo distinguendo hoc modo cum Suarez *disp.7.sect.5.num.20.* [Alterio *lib.4.disp.4.cap.3.*] & Filliucio *nu.290.* Vel Confessarius est iudex ordinarius, vel delegatus. Si est iudex ordinarius, & ita vult absoluere, validè absoluit, cùm potestatem habeat absoluendi, quamuis malè faciat non inspiciendo priùs, an pœnitens satisfecerit Ecclesiæ, &c. Si verò Confessarius facultatem habet tantummodò delegatam, videndum est, vtrùm habeat facultatem absoluendi tantùm in ordine ad Sacramentum confessionis, vel etiam extra Sacramentum. Si facultatem habet absoluendi extra confessionem, validè absoluit, quando ita intendit absoluere, vt dictum est de iudice ordinario. Si verò non habet facultatem absoluendi extra confessionem, non validè absoluit, nam in Sacramento Pœnitentiæ, per se loquendo, requiritur cognitio peccati, cui est adnexa censura, consequenter non tenet absolutio censuræ, quando censura voluntariè reticetur, sicut neque tenet absolutio peccati. Obserua tamen Confessarium per se loquendo, non præsumi habere intentionem absoluendi ab excommunicatione, quam pœnitens sponte sine iusta causa reticet, nam Confessarius præsumitur habere intentionem absoluendi quantum licitè potest, non videtur autem posse licitè absoluere à censura, quam pœnitens sponte sine iusta causa reticet. Ita Coninchus *loco citato num.97.* Secus dicendum videtur, quando censura reticetur solum ex obliuione, tunc enim tenet absolutio generaliter tradita, modò absoluens habeat facultatem absoluendi, si censura sibi fuisset manifestata, vt dictum est in præcedenti propositione. Vide, quæ dixi *quæst. vltima de pœnitentia punct. 8. quæsito 3.* vbi quæsiuimus, vtrùm pœnitens remaneat absolutus à censuris, quas expressit in confessione inualida ob aliquem defectum.

12 An habens facultatem eligendi Confessa-

12 Quæres tertiò, vtrùm pœnitens, qui virtute Iubilei, vel alterius priuilegij facultatem habet eligendi Confessarium approbatum ab Ordinario pro obsolutione censurarum, & peccatorum, possit eligere Confessarium approbatum ab Ordinario alterius diœcesis.

Respon-

riũ approbatum possit eligere Confessarium approbatum in aliadiœcesi.

Respondeo negatiuè, sed debere eligere Confessarium approbatum ab Ordinario propriæ diœcesis, nam approbatus ab Ordinario alterius diœcesis, non censetur approbatus, vt declarauit Cardinalium Congregatio apud Quarantam *verb. Confessor, folio* 197. quamuis multi Doctor. quos retuli in tractatu de pœnitentia, aliter sensérint ante declarationem Cardinalium, & aliqui aliter sentiant post declarationem.

13 An ille remaneat absolutus à censuris, qui tempore Iubilei confessus est, sed postea Iubileũ consecutus nõ fuit.

13 Quæres quartò, vtrùm pœnitens, qui tempore Iubilei confessus est censuras, & peccata reseruata cum intentione consequendi Iubileum, & præstandi cetera præscripta in Iubileo, remaneat absolutus, si obtenta absolutione aliquid omisit, ratione cuius omissionis non consequitur indulgentiam, vt accidit, quando aliquis omittit ieiunium, vel aliquod aliud pium opus à Summo Pontifice præscriptum pro lucranda indulgentia.

Respondeo iuxta dicta de pœnitentia *q. vltima punct.* 8. remanere absolutum, modò accesserit ad Confessarium cum proposito præstandi cetera requisita ad consequendum Iubileum. Ratio est, quia absolutio non fuit data sub conditione, sed absolutè, consequenter re ipsa sortita est effectum, & pœnitens remanet absolutus, quamuis non consequatur Iubileum, cuius intuitu concessa fuerat facultas absoluendi à censuris, & casibus reseruatis.

Ex quo sequitur, absolutum à censuris, & casibus reseruatis tempore Iubilei, non reincidere in censuras, vel in reseruationem, etiamsi postea voluntariè prætermittat cetera requisita ad consequendum Iubileum, vt ait Corduba, quem citat, & sequitur Suarez *de pœnitentia, disp.* 31. *sect.* 4. Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio disp.* 15. *n.* 20. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 16. Emanuel Sà *verb. Absolutio num.* 18. *& verb. indulgentia, versus finem*, vbi ex Bellarmino dicit hanc sententiam esse communem, [Alterius *lib.* 4. *disp.* 4. *cap.* 3. *col.* 7. *vers. tertio.* licèt sibi contrarius sit *cap.* 4. *col.* 5. *vers. sed oritur,*] & alij, contra Rodriquez *in Bulla Cruciata. §.* 2. *nu.* 8. Angles 1. *parte q.* 3. *de confessione, art.* 5. *difficultate* 4. & alios. Ratio est, quia absolutio data fuerat absolutè, & simpliciter, & non ad reincidentiam, nec in priuilegio facta erat mentio reincidentiæ, vt suppono. Vide, quæ dixi in simili *de commutatione voti, quæst. vltim. punct.* 7. §. 3. & *de Pœnitentia.*

14 An absolutus à censuris tẽpore Iubilei grauiter peccet, si non præstet cetera necessaria ad Iubileũ.

14 Si quæras, vtrùm absolutus à censuris tempore Iubilei grauiter peccet non præstando cetera requisita ad consequendum Iubileum.

Respondeo negatiuè, vt ostendi *de Pœnitentia quæst. vlt. propositione* 2. *quæsito* 1. cum Sanchez, & aliis, contra Suarez.

PVNCTVM VII.

Vtrùm absolutio censurarum dari possit sub conditione, vel ad cautelam.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An absolutio censurarũ dari possit sub cõditione.

1 ABsolutio censurarum, in rigore loquendo, potest validè ferri, non solùm sub conditione de præsenti, & præterito, sed etiam sub conditione de futuro.

Quod ferri possit sub conditione de præsenti, vel etiam de præterito, patet, nam huiusmodi conditio non suspendit actum, & æquiualet absolutæ, perindeque se habet, ac si esset absoluta, adimpleta conditione: ea verò non adimpleta nihil operatur, quia conditionalis nihil ponit in esse, quando conditio non est adimpleta, vt est commune axioma.

Quòd verò ferri possit sub conditione de futuro, ratio est, quia censura ferri potest sub conditione de futuro; ergo etiam eius absolutio. Ita Couarruuias *cap. Alma mater part.* 1. §. 11. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 7. Suarez *disp.* 7. *sect.* 8. *num.* 7. *& disp.* 3. *sect.* 7. *nu.* 3. Filliucius *cap.* 10. *quæsito* 2. Coninch. *loc.* ĩtatim *citando,* Reginald. *lib.* 9. *nu.* 52. [Alterius *lib.* 4. *disp.* 1. *cap.* 3. *col.* 3. *dub.* 1.] & alij contra Sylueſtrum *verb. Absolutio* 3. *in principio,* Angelum *eodem verbo,* & alios existimantes ferri non posse saltem licitè, quorum sententia videtur vera, si respiciamus vsum Ecclesiæ, non verò si spectemus iura, quia nullo iure prohibitum videtur absolutionem sub conditione impendere.

Obiicies. Absolutio sacramentalis data sub conditione de futuro inualida est; ergo etiam inualida videtur absolutio censuræ sub eadem conditione.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia non est in potestate Confessarij suspendere effectum Sacramenti, vt fatentur omnes, sicut est in potestate illius suspendere absolutionem censuræ, nam absolutio censuræ est quædam sententia humana, quæ humano modo fertur, iuxta voluntatem ferentis.

Vt ea quæ de absolutione, aut censura lata sub conditione dixi, clarè intelligantur, obseruandum est conditionem aut esse de præterito, aut de præsenti, aut de futuro. Item aut esse impertinentem, aut pertinentem ad causam censuræ. Si censura feratur sub conditione pertinente ad causam, censura valida est adimpleta conditione, siue conditio sit de præsenti, siue de præterito, siue de futuro: vt si dicatur, si non satisfeceris intra mensem, sis excommunicatus, quia nihil obstat quo minus adimpleta conditione teneat, vt patet in aliis actibus, aut contractibus. Si verò censura feratur sub conditione impertinente, vt si dicatur; excommunico Titium si habet dentes, vel si fuit in India, vel si ex Asia rediit, vel si habet pecuniam, vel si Ioannes consenserit, vel si post tres dies pluat, &c. videndum est vtrùm censura feratur sub huiusmodi conditione de præterito, seu de præsenti, vel de futuro. Si fertur sub conditione de præterito, vel præsenti, valida est censura, si re ipsa talis conditio subsistit, & sufficiens contumacia præcesserit. Ratio est, quia conditio de præterito, vel de præsenti non suspendit actum, eique robur, & vires non aufert, modò talis conditio subsistat: imprudenter tamen, & temerè fertur huiusmodi censura, cùm temerè, & imperitè agat qui aliquid sine ratione sub tali conditione agit. Si verò censura feratur sub cõditione impertinente de futuro contingente, communior Doct. opinio est huiusmodi censuram inualidam esse ab initio, & consequenter euentum conditionis casualis expectandum non esse: actus enim spiritualis potestatis non debet ita pendere à casuali conditione, quæ ad actum nihil pertineat. Ita Suarez *disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 3. Vgolinus *cap.* 20. *§. vltimo,* Filliucius *cap.* 3. *quæsito* 7. *num.* 65.

Sed mihi dicendum videtur validam esse. Ratio est, tum quia, licèt censura eo pacto illicitè feratur, tamen vires habet ex intentione ferentis: tum quia nihil quoad substantiam obstat quo minus valida sit, cùm censura non pendeat ab illa conditione tamquam à causa efficiente, sed ab ipso superiore, qui potestatem habet illius ferendæ, & eam re ipsa fert sub tali conditione, quamuis aliquo pacto potestate abutatur vsu talis conditionis, sicut etiam abutitur, qui eam fert sub conditione impertinente de præterito, & de futuro. Ita Coninch. *de Sacram. disp.* 13. *dub.* 2. *num.* 17. *& disp.* 14. *dub.* 16. *num.* 213.

Dices primò, huiusmodi censura videtur errorem intolerabilem continere, cùm sit abusus potestatis Ecclesiasticæ: censura autem continens intolerabilem errorem, inualida est, *cap. per tuas. de sent. excomm. & cap. solet. eodem tit. in* 6.

Respondeo negando errorem intolerabilem continere, cùm ob delictum tali censura dignum iustè lata sit ab eo, qui potestatem habet illam ferendi, vt suppono: quamobrem non quilibet abusus Ecclesiasticæ potestatis errorem intolerabilem continet irritantem actum, alioquin etiam censura lata sub conditione impertinente de præterito, vel de præsenti irrita esset, quod aduersarij non concedunt.

Dices secundò, inualida est Sacramenti administratio facta sub conditione de futuro impertinente; ergo etiam inualida est censura sub huiusmodi conditione lata.

Respondeo negando consequentiam, hoc enim non sequitur, alioquin enim sequeretur irritam esse censuram latam sub conditione honesta de futuro, cùm Sacramentum sub huiusmodi conditione inualidè administratur. Ratio ergo disparitatis est, quia non est in potestate ministri suspendere Sacramenti effectum, vt constat ex dictis de Sacramentis: in superioris autem potestate positum est censuram sub conditione de futuro ferre, cùm ab ipsius intentione, & iurisdictione pendeat, suamque iurisdictionem tam absolutè, quam sub conditione validè exercere possit.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An absolutio censurarum dari possit ad cautelã.

2 ABsolutio censurarum dari potest ad cautelam. Hæc propositio patet ex communi vsu, & praxi, nam vsu receptum est, vt quando nescitur, seu dubitatur, an contracta fuerit censura, [aut quãdo prætenditur esse inualida,] petatur absolutio ad cautelam ob maiorem conscientiæ tranquillitatem, & ita impendatur sub hac conditione, si pœnitens indiget, vel si contraxit, [abundans enim cautela non nocet. *l. testamentum. C. de testam.*] Immò absolutio ad cautelam communiter præmitti solet, antequam pœnitens absoluatur à peccatis, vt tollatur impedimentum, si quod fortè subest ad recipiendum Sacramentum, nam excommunicatio inter ceteros effectus priuat susceptione Sacramentorum. Vide Suarez *loc. cit. num.* 13. Sayrum *lib.* 2. *cap.* 17. Filliucium *cap.* 10. *quæsito* 2. *&* 3. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 16. *num.* 200. [Alterium *disput.* 1. *cap.* 3.] & Vgolinum *tabula* 1. *cap.* 20. de absolutione verò ad cautelam quantum pertinet ad forum externum videri potest Couarr. *cap. Alma mater* 1. *part.* §. 12. [Ruardus *in Bulla Cœnæ lib.* 3. §. 2. *q.* 13. & Alterius *loco citato cap.* 4.

An autem in dubio iuris vel facti censendus sit aliquis obstrictus censura vel irregularitate, patet ex disp. de contractibus, de legibus, & infrà de irregularitate, videri possunt quæ ibi tradidi, cum valde prosint ad pacandas scrupulosorum conscientias.

3 (An censura cẽseatur probata, dum quis petit absolutionem censuræ.

3 Sed modò dubium est, vtrùm censura censeatur probata, dum quis petit absolutionem censuræ.

Respondeo negatiuè, saltem dum agitur de magno præiudicio, quia petens absolutionem censuræ non fatetur censuram, sed solùm indicat se habere conscientiam læsam, & fortè petere absolutionem ad cautelam. Negandum tamen non est, quin adsit præsumptio contractæ censuræ, quæ præsumptio sufficit in iis quæ modicum afferunt præiudicium, non verò in iis quæ maioris sunt præiudicij, quia tunc probationes debent esse claræ. *l. sciant. C. de probat.* Ita Filliucius *in cap. litteras, num.* 19. *de præsumpt. & in cap. Apostolicæ. de except.* Panormit. *in cap. prudentiam. vers. sexta. num.* 36. *de offic. deleg.* Malcard. ex parte *tom.* 1. *concluſ.* 13. Alterius *lib.* 4. *disp.* 6. *cap.* 5. & alij.]

PVNCTVM VIII.

Vtrùm absolutio possit impendi, vel extorqueri per dolum, ac errorem, vel per vim, ac metum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An absolutio censurarum impendi, vel extorqueri possit per dolum, vel errorẽ.

1 SIcut censura impendi, & extorqueri debet sine dolo, vel errore, ita etiam eius absolutio. Ratio est, quia alioquin irrogaretur iniuria superiori, à quo censura per dolum, vel errorem extorquetur.

2 An absolutio per dolum, aut errorem extorta.

2 Sed maior difficultas est, vtrùm extorquens absolutionem per dolum, vel errorem, remaneat absolutus.

Respondeo negatiuè, quando absolutio extorta fuit per dolum versantem circa causam finalem. Ratio est, quia superior non intendit absoluere, nisi iuxta causam sibi propositam; ergo inualida est absolutio extorta per dolum, versantem circa causam finalem, quia non subsistit causa iudici proposita; propterea qui mentiendo dicit iudici se satisfeciſſe parti læsæ, vel qui Confessario dicit, se non habere facultatem satisfaciendi, cum re vera possit satisfacere, vel qui dicit se propositum habere obediendi Ecclesiæ, cum verè huiusmodi propositum non habeat, inualidè absoluitur, quia superior intendit absoluere subsistente causa finali sibi expressa, vt patet ex *cap. officij. de sententia excommunicationis.* Idem dicendum etiam est de hæretico, qui se fingens conuersum petit absolutionem, vt benè tradit Sanchez *in summa, lib.* 2. *cap.* 12. *nu.* 8. Suarez *disp.* 7. *sect.* 6. *nu.* 12. [Alterius

lib.

lib.4.disp.5.cap.3.]Filliucius *cap.10.quæsito 5.nu.321. & quæsito 6.ad finem*, & Reginald. *lib.9.nu.47.* Absolutio verò extorta per dolum versantem circa causam tantummodò impulsiuam, valida est, quia superior re vera intendit absoluere ob causam finalem, quam suppono subsistere, quamuis non subsistat impulsiua. Ita Suarez *loc. cit.* Emmanuel Sà *verb. Absolutio ab excomm.nu.14.* [Alterius *loc.cit. vers.4.*] & alij communiter. Vide quæ dixi de licentia per dolum extorta ad assistendum matrimonio *in tract. matrimonij, q.2.punct.8.q.3. & de contractibus per dolum celebratis, ad finem.*

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An absolutio censuratum extorqueri possit per vim, & metum.

3 SIcut censura ferri debet liberè sine vi, & metu, ita etiam eius absolutio, alioquin infertur iniuria superiori.

4 Sed maior difficultas est, vtrùm sicut censura lata per metum valida est, (cum metu enim subsistit voluntarium, nisi fortè metus tantus sit, vt rationis vsum perturbet, & internam voluntatem auferat, vt benè Suarez *disp.1.sect.5.* Vgolinus *cap.204.* Filliucius *cap.2.nu.44. tract.11.*) ita etiam valida sit absolutio.

4 An absolutio censuræ per vim, & metum data valida sit.

Respondeo absolutionem datam per vim, vel metum iniuriosum, cadentem in constantem virum, inualidam esse, siue metus incussus sit à masculo, siue à femina, siue à fideli, siue ab infideli, siue à quolibet alio per ordinem ad extorquendam absolutionem. Ratio est, quia huiusmodi absolutio irritatur à iure, *cap. vnico, de iis, quæ vi.in 6.* iis verbis, *Omnino viribus vacuamus.* Et hæc doctrina extenditur ad absolutionem cuiuscumque censuræ, etiam minoris excommunicationis. Ita Suarez *loco cit.num.13.* Nauar. *cap.27. num.12.* Vgolinus *tab.1.cap.20.§.4.nu.2.* Henriquez *lib.13.cap.30.nu.1.* Coninch. *tom.2.disp.13.dub.5.nu.36.& seq.& disp.14.dub.16.nu.223.* Filliucius *tract.11.cap.10.quæsito 5.nu.321.* Reginald. *lib.9. nu.48.* Sayrus *lib.2.cap.21. nu.30.* [Alterius *lib.4.disp.5.cap.2.*] & alij communiter. Immo tantum abest, vt extorquens absolutionem per vim vel metum remaneat absolutus, vt potius nouam contrahat excommunicationem, vt habetur *in dicto cap. vnico in 6.fol.mihi 202.*

Dixi, *per metum iniuriosum*, nam quando metus incutitur iustè, & sine iniuria, valida est absolutio, quia non dicitur propriè vis, vel metus incuti, nisi iniustè incutiatur.

5 An valida sit absolutio, quam iudex impendit, timens fore, vt pœnitẽs non conferat sibi beneficia cõsueta.

5 Hinc sequitur, validam esse absolutionem, quam iudex impendit, timens fore, vt pœnitens non conferat sibi in posterum solita gratuita beneficia, nam hic metus non est iniuriosus, vt benè ait Suarez *loc. cit.num.14.* & Coninch. *disp.14.dub.16.num.223.*

Dixi, *cadentem in constantem virum*, quia si absolutio extorqueatur per metum leuem, valida est, cùm in iure non habeatur ratio metus leuis. *l.nec timorem.ff.de eo, quod metus causa.* Verum tamen est huiusmodi metum debere incuti ab homine, vt sit inualida absolutio, nam quando metus à Deo, vel à causa naturali incutitur, valida est absolutio, vt patet ex dictis *de voto*, & *de matrimonio per metum celebrato*; potest enim Deus alicui grauem metum incutere, nisi absoluat eum, cui beneficium absolutionis iniustè denegat, in quo casu constat validam esse absolutionem, cùm ius humanum nihil decernat in iis, quæ diuina virtute fiunt.

Dixi, *siue à masculo, siue à quocumque alio*; nam vt sit inualida absolutio, non requiritur, vt metus fuerit incussus ab eo, cui absolutio impenditur, sed sufficit à quocumque fuerit incussus.

6 An ille subiaceat censuræ sub conditione latæ, qui ante cõditionis euẽtum per vim curauit reuocari censurã.

6 Quæres, vtrùm Titius subiaceat censuræ contra se latæ sub conditione, vel intra talem terminum, sed Titius ante conditionis euentum, vel ante terminum elapsum, per vim vel metum curauit reuocari sententiam, seu mandatum, in quo continebatur censura ab ipso incurrenda.

Respondeo Titium adhuc subiacere censuræ, adimpleta conditione, aut elapso termino præfixo. Ratio est, quia reuocatio sententiæ, seu mandati inualida est, nihilque operatur, vt patet ex *cap. vnico, citato.* Ita Suarez *loco citato, num.13.* Filliucius *num.231.* & plures alij, apud Sayrum *loco cit.num.31.* & apud Emmanuelem Sà *loco cit. nu.13.*

PVNCTVM IX.

Vtrùm valida sit absolutio censuræ collata pœnitenti, antequam satisfecerit parti læsæ.

NOtandum nomine *partis* non intelligi superiorem Prælatum conditorem censuræ, sed aliam personam distinctam, quæ læsa fuit, vt benè Sotus *in 4.dist.22.q.5.art.3.* Henriq. *lib.13.cap.28. num.2.* Auila *2.part.cap.7.disput.3.dub.7.* [Alterius *lib.4. disp.4. cap.4. dub.4. vers. deinde quando.*] & alij communiter: nomine verò *satisfactionis* intelligitur restitutio honoris, vel famæ, vel aliorum bonorum, vt benè Suarez *disp.7.sect.5.num.47.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 An habẽs potestatem ordinariam validè absoluat à censuris, nondum satisfacta parte.

1 HAbens potestatem ordinariam absoluendi, validè potest absoluere pœnitentem, qui nondum satisfecit parti læsę, quamuis antea potuerit satisfacere, aut cautionem satisfaciendi exhibere. Hæc propositio patet, tum ex communi Doct. sententia, Nauarri *cap.27.nu.37.* Sylu. *verb. Absolutio 3.num.3.* Caiet. *eodem verbo, cap.4.* Auilæ *loco cit.dub.9.* Filliucij *cap.9.quæsito 8.num.295.* & aliorum: tum ex *cap. venerabilem, §. Jane, de sent.excommunicationis in 6.* tum quia, cùm ordinarius non habeat iurisdictionem limitatam, validè vtitur iurisdictione, quoties ea vti voluerit, quamuis concedamus ipsum grauiter peccare absoluendo pœnitẽtem ante realem satisfactionem, quam præstare poterat. Immo Auila *loc.cit. disp.3. dub.5. concl.2.* Coninch. *disp.16.num.205.* & Henriq. *lib.13. cap.28. nu.2.* existimant iudicem ordinarium non solùm peccare contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, absoluendo pœnitentem ante exhibitam satisfactionem, cùm ex officio teneatur bonum partis procurare. Sed de hac re dictum est *de restitutione, quæst.2. punct.11.* cum Molina, Less. & aliis, [*& de pœnitentia disp.5.quæst.7.punct.4.§.2.num.22.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An possit absoluere, qui habet potestatem delegatam, nondum satisfacta parte.

2 HAbens facultatem delegatam, seu priuilegium absoluendi absque limitatione satisfactæ partis, validè absoluit pœnitentem, qui nondum satisfecit parti læsæ. Ratio est, tum quia habens ordinariam potestatem validè absoluit; ergo etiam validè absoluit, habens delegatam absque limitatione, nam vices gerit ordinarij: tum quia priuilegium accipiendum est, prout verba sonant, & significant; sed verba significant auctoritatem absoluendi absque limitatione satisfactæ partis; ergo habens priuilegium absoluendi absque limitatione satisfactæ partis, validè absoluit, etiamsi pœnitens nondum satisfecerit parti læsæ. Ita Nauar. *loco cit.* Suarez *disp.7.sect.5.num.42.* Auila *loco cit.dub.9.concl.2.* Filliucius *loco cit.* Emanuel Sà *verb. Absolutio ab excomm.num.4.* & alij, contra Graffium *lib.4.decis.cap.16.nu.6.* [Alterium *lib.4.disp.4.cap.4.col.9.*] & alios asserentes in priuilegiis subintelligi hanc conditionem, *satisfacta parte*, etiamsi in ipsis non fiat mentio istius conditionis; sed hoc gratis dicunt, cùm non ita subintelligatur, vt irritet aliter factum.

Dixi, *habens priuilegium absoluendi absque limitatione*, nam habens priuilegium limitatum sub conditione satisfactionis, non potest validè absoluere pœnitentem, qui nondum satisfecit, modò possit satisfacere. Ratio est, quia priuilegium, & iurisdictio limitata non extenditur vltra limites præscriptos, & concessos, tantum enim valet, quantum sonat; cùm ergo priuilegium absoluendi collatum sit cum limitatione, & conditione satisfactionis, non potest virtute illius dari absolutio, nisi expleta conditione & satisfactione. Pro maiori huius rei intelligentia:

Notandum est, priuilegium posse dupliciter limitatè concedi, vel enim ita limitatè conceditur, vt satisfactionem requirat, tamquam conditionem necessariam, & limitet potestatem; vel ita limitatè conceditur, vt non limitet potestatem, nec requirat satisfactionem tamquam conditionem necessariam, sed tantummodò iniungat præceptum, aut admonitionem, ne Confessarius absoluat sine præmissa satisfactione.

Quando priuilegium conceditur limitatè primo modo, inualida est absolutio collata ante satisfactionem, quia priuilegium tantum valet, quantũ sonat, & iurisdictio limitata non excedit suos terminos.

Quando verò priuilegium conceditur limitatè secundo modo, valida est absolutio data ante satisfactionem, quamuis Confessarius grauiter peccet absoluendo ante exhibitam satisfactionem.

3 Quando nam satisfactio imponatur tamquam conditio necessaria.

3 Quæres primò, quandonam satisfactio requiratur tamquam conditio necessaria, & limitet potestatem.

Respondeo attendenda esse verba, quibus conceditur priuilegium cum limitatione. Si priuilegium limitatè concedatur hac forma, non valeat, non possit absoluere, vel non possit dari absolutio, vel aliter non possit absolui, vel nullius sit roboris, vel momenti, satisfactio requiritur tamquam necessaria conditio, & limitat potestatem, ac iurisdictionem. Si verò dicatur, satisfacta parte, vel nullatenus detur absolutio, controuersia est inter Doct. vtrùm satisfactio requiratur tamquam conditio necessaria limitans potestatem, nam Suarez *disp.7.sect.5.nu.44. & lib.5.de legibus, cap.31.* Caiet. *verb. Absolutio*, Sayrus *lib.2.cap.18.nu.10.* Filliucius *loc.cit.* Coninch. *n.211.* [Alterius *loc.cit.*] & alij, sentiunt satisfactionem requiri tamquam necessariam conditionem, consequenter inualidam esse absolutionem datam ante satisfactionem partis, concessio enim censetur conditionata, si non formaliter, saltem æquipollenter.

Alij verò, vt Auila *2.part.cap.7.disp.3.dub.9.concl.2.* Sanch. *lib.2.de matrimonio disp.9. & lib.3.disp.33.* & alij apud Rodriquez *1.part. cap.83.num.4.* existimant satisfactionem non requiri tamquam necessariam conditionem limitantem iurisdictionem, nam superior apponens huiusmodi particulas, non intendit limitare iurisdictionem, aut nouam formam inducere, sed intendit certiorem facere Confessarium, vt seruet formam iuris communis, vt videlicet non absoluat pœnitentem absque satisfactione, vel antequam exhibeat condignam cautionem. Quocirca, nisi in priuilegio addatur particula expressè irritans absolutionem, vel præscribens nouam formam, valida est absolutio collata ante satisfactionem, etiamsi priuilegium concessum sit sub hac forma, *satisfacta parte*, vel *de consensu partis.* Sententiam Auilæ, & Sanchez existimo probabiliorem, magisque conformem iis, quæ diximus *quæst.2.punct.5. de matrimonio, & de legibus quæst.1. punct.7.§.5.* modò seruentur regulæ ibi traditæ.

Obiicies contra Auilam, & Sanchez. Ablatiuus absolutus importat conditionem, *l.à testatore.ff.de condit. & demonstr.* conditio autem importat formam, *l.qui hæredi, & l.Memmius. ff. eodem tit.* ergo priuilegium concessum cum hoc ablatiuo absoluto, præmissa satisfactione, importat conditionem, ac formam, limitatque potestatem, consequenter inualida est absolutio collata ante satisfactionem ab eo, qui priuilegium habet absoluendi satisfacta parte.

Respondeo cum Sanchez *lib.3.de matr.disp.5.nu.2. &* 4. ablatiuum absolutum importare conditionem, & formam faciendi aliquid licitè, aut validè; in hoc autem casu non importat conditionem faciendi validè, sed tantùm licitè, consequenter valida est absolutio data ante satisfactionem, quamuis non licitè detur.

4 An habens priuilegium absoluendi, satisfacta parte, possit absoluere eum, qui parti non potest satisfacere.

4 Quæres secundò, vtrùm Confessarius habens priuilegium absoluendi cum limitatione satisfactionis, possit absoluere pœnitentem, qui moraliter non potest satisfacere, aut qui non potest satisfacere sine graui damno famæ, vel status, vel bonorum.

Respondeo posse, modò creditor non sentiat æquale damnum, iuxta dicta de restitutione, de causis excusantibus à restitutione. Ratio est, quia benignè explicanda sunt verba priuilegij, non enim credibile est superiorem velle obligare pœnitentem ad impossibile, cùm ad impossibile nemo teneatur: *l.impossibilium, ff.de regulis iuris.* Ita Nau. *loco cit. num.45.* Auila *loco cit. dub.5.* Vasquez *tract. de excommun. dub.20.* Rodriq. *1.part.cap.83.nu.3.* Henriq. *lib.13. cap.28.* Suarez *disput.7. sect.5.nu.41.* Filliucius *loc.cit.* Coninch. *num.206.* Regin *lib.9.nu.65.*

[Alterius

[Alterius *lib.4.cap.4.dub.4.*]& alij quàm plures apud Sanchez *in summa, lib.2.cap.20.nu.19* contra Sotum *in 4.dist.22. quæst.2.art.3.* Cordub. *tract.de indulgentiis, quæst.43.* Immo Sanchez *loco cit.* idem asserere videtur, etiamsi in priuilegio solus mortis articulus excipiatur; posita enim impotentia innuit hos etiam extra mortis articulum absolui posse: sed de hoc suprà *punct.2.num.4.*

5 Quænam cautio exigenda sit ab eo, qui parti satisfacere non potest.

5 Hinc colligi potest primò, quando pœnitens non potest satisfacere, nec absolutio differri potest, nisi per multum temporis, vel cum graui damno, posse Confessarium absoluere, exhibita à pœnitente ea satisfactione, quam potest exhibere ante absolutionem, exhibendo videlicet cautionem pignoratitiam, vel fideiussoriam, vel saltem iuratoriam, quando non potest exhibere pignoratitiam vel fideiussoriam, simulque promittendo se satisfacturum prima oblata occasione, modò Confessarius probabiliter credat, pœnitentem oblata occasione satisfacturum.

6 An qui totam satisfactionem exhibere non potest, teneatur ad partem.

6 Secundò, colligi potest, pœnitentem, qui non potest totam satisfactionem realem exhibere, debere saltem ante absolutionem eam partem satisfactionis exhibere, quam potest, præstando pro reliqua parte debitam cautionem.

7 An Confessarius habens facultatem absoluēdi, satisfacta parte, possit absoluere eum, qui pecuniam Confessario tradidit.

7 Tertiò, Confessarium, qui potestatem habet absoluendi sub hac conditione, *satisfacta parte*, posse statim absoluere pœnitentem excommunicatum, qui dedit pecuniam Confessario, vel alteri viro probo, vt commodiùs restituatur parti læsæ, nam pœnitens hoc modo videtur satisfeciſſe. Ita Auila *loco cit. dub.5.* Henriquez *loco cit. num.4.* Sanchez *num.12.* [Alterius *loco cit.dub.4.ad finem,*] & alij. Similiter absente parte læsa potest excommunicatus deponere pecuniam in loco tuto, vt parti læsæ restituatur, consequenter hoc facto videtur statim posse absolui, etiamsi realis restitutio nondum facta sit parti læsæ. Idem dicendū est de eo, qui per fidelem campsorem transmittit pecuniam ad creditores, etiamsi pecunia ipsa actualiter nondum ad illos peruenerit. [Ita Doctores citati.]

8 An pœnitens possit absolui, quando per ipsum non stat, ne satisfaciat.

8 Quartò colligi potest, pœnitentem absolui posse ab habente legitimam facultatem absoluendi, quoties non stat per ipsum pœnitentem, ne satisfactionem præstet, sed potiùs stat per ipsam partem, quæ non vult satisfactionem acceptare. Ita Henriquez *lib.13. cap.38. num.4.* Caietanus *verb. Absolutio, cap.4.* Auila *loco cit. dub.10. vers. Ex dictis.*

9 An pœnitens, qui dubitat se teneri satisfacere, possit absolui antequam satisfecerit.

9 Quæres tertiò, vtrùm pœnitens, qui dubitat se teneri ad satisfaciendum, possit absolui ante præmissam satisfactionem.

Respondeo cum Nauarro *cap.26.num.7.* Auila *2.part.cap.7.disp.3. dub.5.* Filliucio *loco cit.* [Alterio *lib.4.disp.4.cap.4.dub.4.*] Reginaldo *num.67.& 92.* Suarez *disp.7.sect.5.num.45.* in foro externo posse absolui; nam quando Summus Pontifex dicit, *satisfacta parte absoluatur*, loquitur de satisfactione debiti certi, vt colligitur ex *cap.1. de verb. signific.* In foro verò interiori non ita absolutè loquendum est, cùm forum interius non innitatur præsumptioni, sed verbis ipsius pœnitentis: nam Confessarius iudicium ferre debet ex verbis pœnitentis, ita vt, si ex ipsius verbis iudicet ipsum teneri ad satisfactionem exhibendam, non debeat absolutionem impendere ante satisfactionem exhibitam. Secus si iudicet non teneri, aut etiamsi debita diligentia dubitetur, an pœnitens satisfactionem præstare teneatur: in dubiis enim reo fauendum est, vt patet ex regulis iuris.

10 An qui ligatur cēsura, donec satisfaciat, facta satisfactione remaneat absolutus.

10 Quæres quartò, vtrùm satisfactione, vel restitutione facta statim auferatur excommunicatio absque alia absolutione, quando aliquis fuit excommunicatus ob aliquod delictum, exempli gratia, ob furtū, hac forma: Sis excōmunicatus, donec satisfacias, vel restituas.

Respondeo cum Suarez *disp.19.sect.1.nu.9.* Emanuele Sà *verb. Absolutio ab excommunicatione, nu.12.* Filliucio *cap.9.quæsito 2. & cap.10. quæsito 1.* Conincho *disp.14.dub.16.num.201. & 220.* & aliis contra Couarruuiam *cap. Alma mater, 1.part.§.11.num.5.* Vasquez *cap.18. nu. mer.2.* [Alciatum & alios apud Marium Alterium *lib.4. disp.1. cap.1. dub.1.*] non statim auferri. Ratio est, tum quia, si quis satisfeciſſet, non haberetur apud Ecclesiam pro absoluto: ergo excommunicatio non statim aufertur facta restitutione, sed adhuc requiritur absolutio: tum quia *cap. quod in dubiis, cap. sicut nobis, & cap. cùm desideres, de sententia excommunicationis*, dicitur huiusmodi excommunicatum absoluendum esse: ergo excommunicatio non aufertur ante absolutionem. Quare sensus excommunicationis hoc modo latæ: Sis excommunicatus, donec satisfacias, hic videtur esse, vt excommunicatus non possit absolui ante satisfactionem, possit verò absolui ea posita. Non nego tamen, quin Summus Pontifex possit aliquem absolutè excommunicare, ita vt posita satisfactione, vel alia conditione, liber remaneat ab excommunicatione: nam excommunicatio ab ipso lata non aliter obligat, quàm ipse intendat, [vt benè Alterius *loc. cit. dub.3.col.9.* & alij communiter.] Quid verò sentiendum sit de suspensione, constabit ex dicendis *disp.3.punct.vlt.*

Si quæras, cui præstanda sit satisfactio ob percussionem Clerici.

Respondetur, hanc difficultatem soluendam esse, [dum loquar de excommunicatione quæ contrahitur ob percussionem clericorum.]

PVNCTVM X.

Quid sibi velit, aliquem absolui in foro interiori, vel conscientiæ.

VNICA PROPOSITIO.

1 Quis dicatur absolui in foro interiori, seu conscientiæ.

1 ILle dicitur absolui in foro interiori, seu conscientiæ, qui absoluitur ab eo, cui superior concessit facultatem absoluendi, saluo iure cognoscendi de illo delicto in foro exteriori, & de eo pœnam, & satisfactionem imponendi. Ita Suarez *disp.7.sect.5.nu.30.* Rodriquez *in summa 1.part.cap.83.num.9.* Auila *2.part.cap.7.disp.3.dub.12.* [Alterius *lib.4.disp.1.cap.2.& disp.4.cap.4.*] Sanchez *in summa, lib.2.cap.11. num.13. & lib.8.de matrim.disp.34.num.29.* Henriquez *lib.13.cap.27. num.5.* Filliucius *tract.11.cap.9.quæsito 7.num.292.* Coninchus *disp.14. dub.16.quæsito 10.num.227.* Reginald. *lib.9.num.5.* Barth. Med. *in instruct.lib.2.cap.12.ad finem,* Miranda *in Manuali Prælator. tom.1. q.46. art.7.* & alij, contra Garziam *11.part.cap.10. num.139.*

2 Quomodo possimus cognoscere, facultatem datā esse pro foro interiori, vel pro vtroque foro.

2 Quæres primò, quomodo possimus cognoscere facultatē datam esse ad absoluendum in foro tantùm conscientiæ, vel in vtroque foro.

Respondeo cognosci posse ex verbis ipsis, quibus facultas absoluendi conceditur; nam quando facultas absoluendi conceditur nulla addita limitatione, videtur concessa in vtroque foro; modò prius satisfactum sit parti, iuxta motum Pij V. nam verba generalia sunt generaliter intelligenda, modò ex circumstantiis non constet aliam fuisse superioris voluntatem. Quando verò dicitur in foro tantùm conscientiæ, vel in ordine ad sacramentalem Confessionem, facultas absoluendi censetur concessa tantummodò pro foro conscientiæ, nam priuilegium tantum valet, quantum sonat. Ita Nauarr. *cap.27. num.278.* Rodriquez *cap.83.num.9.* Suarez *loco cit.num.21.* Filliucius *num.291.* & alij contra Auilam *loco citato.* vbi plures alios refert, contra primam partem huiusmodi respōsionis, quibus adde Coninchum *disp.14.dub.16.quæsito 12.num.247. & seqq.*

3 An absolutus in foro conscientiæ denuò sit absoluendus, quādo eius crimen defertur ad iudicem.

3 Quæres secundò, vtrum pœnitens, qui fuit absolutus in foro conscientiæ ab aliqua censura contracta ob aliquod delictū, de nouo sit absoluendus, quando ipsius delictum defertur ad iudicem, & vtrùm quando fuit absolutus ab excommunicatione in foro conscientiæ, possit cum aliis communicare, nec non actus exercere, qui per censuram prohibentur.

Respondeo non indigere noua absolutione, vt possit cum ceteris communicare, aut actus per censuram prohibitos exercere; nam re vera fuit absolutus; consequenter potest se gerere tamquam absolutus; modò constet aliis ipsum fuisse absolutum, ita vt non subsit scandali periculum. Ita DD. cit. contra Valent. *tom.4. disput.7. q.17. punct.8.* & alios; hoc autem constare potest etiam in iudicio per attestationem Confessarij, asserentis, se illi beneficium absolutionis impendisse; [sicut enim creditur publico tabellioni circa ea quæ ad ipsius munus spectant, *cap. ad audientiam. de præscript.* ita multo magis credendum videtur Confessario. Ita Calderin. *consil.2. de test.* Paleot. *decis.220.* Nauarr. *cap.27. nu.42.* Alterius, Suarez & alij Doctores statim citandi contra Pegnam *lib.2. scholio 20. in 2. parte Directorij.*] Caueat tamen Confessarius, ne faciat prædictam attestationem, antequam obtinuerit à pœnitente facultatem istius attestationis faciendæ; Confessarius enim non potest extra confessionem loqui de auditis in confessione. Ita Nauar. *cap.27. num.41.* Suarez *loco cit. num.26.* Filliucius *num.292.* [Alterius *lib.4. disp.4. cap.4. col.2. & 3. & disput.5. cap.5.* vbi fusè egit quo pacto probari possit absolutio.] Vtrùm verò iudex possit adhuc de delicto cognoscere, & delinquentem punire, patet ex propositione.

4 An excōmunicatus absolutus in foro cōscientiæ possit se gerere tāquam non excommunicatus.

4 Hinc sequitur, cum, qui erat excommunicatus occultus, posse obtenta absolutione in foro conscientiæ, gerere se tamquam non excommunicatum, modò non constaret publicè ipsum fuisse excommunicatum, nam si fama publica constabat ipsum fuisse excommunicatum, non potest publicè vti absolutione obtenta in foro cōscientiæ, neque cum ceteris communicare propter scandalum, nisi etiam publicè constet ipsum fuisse absolutum; hoc autem constare potest, dum scitur pœnitentem confessum fuisse tempore Iubilei, in quo aderat facultas absoluendi ab illa excommunicatione: vel quando scitur, ipsum confessum fuisse Confessario facultatem habenti absoluendi, & exhibuisse condignam satisfactionem, aut quando ipse Confessarius hoc attestatur: tunc enim, cum esset scandali periculum, potest cum aliis communicare. Immò quando fuit absolutus in foro conscientiæ ab excommunicatione publica, potest occultè cùm iis participare, qui norunt ipsum fuisse absolutum; quamuis absolutio non publicè constet, tunc enim non videtur imminere scandali periculum. Vide Suarez *num.29.* Rodriquez, Nauar. Auilam, Henriquez, Filliucium *locis citatis*, & Vgolin. *tab.1. cap.24.* vbi agit de iis, quæ pertinent ad forum externum, & quanta fides præstanda sit Confessario dicenti se absolutionem impendisse, & clarius Mascard. *de probationibus, tom.1. concl.12. fol.28. pag.2.*

PVNCTVM VLTIMVM.

De solemnitate, & ritu in absolutione seruando.

PRiùs loquemur de iis, quæ absolutionem præcedunt: hæc autem sunt petitio absolutionis, & debita satisfactio. Postmodum de iis, quæ in absolutione seruanda sunt. Deinde de iis, quæ absolutionem subsequuntur.

PRIMA PROPOSITIO.

ANtequam absolutio censuræ impendatur, regulariter loquendo, præcedere debet petitio ipsius absoluendi, non quidem ex necessitate, & essentia absolutionis, sed ex congruitate. Ratio est, tum quia delinquens petitione absolutionis expressa, vel etiam tacita, indicat se paratum esse ad obediendum, & à contumacia recedendum: absolutio autem regulariter non confertur illi, qui paratus non est obedire, & à contumacia recedere: tum quia sic colligitur ex *cap. per tuas. de sent.excom.* ibi, nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam Ecclesiasticam contemnere videatur. Ita Suarez *disp.7.sect.10.nu.2.* Filliucius *tract.11. cap.10. quæsito 9.* & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

QVando censura cum alterius detrimento contracta est, non debet absolutio impendi ante præstitam satisfactionem, vel debitam cautionem de ea præstanda, cùm reus factus fuerit potens ad eam præstandam, vt patet ex dictis in præcedentibus: alioquin absolutio iustè non impenderetur, quamquam valida esset, nisi fortè is, qui absolutionem conferre debet, limitatam habeat iurisdictionem cum hac conditione præuiæ satisfactionis, vt *punct.9.* probatum est. [Ita Alterius *lib.4. disp.7. cap.2. dub.3.* & alij Doctores citati.]

Addo in excōmunicatione contracta ob enorme delictum, cuiusmodi

modi est Clerici percussio, aut crimen in Bulla Cœnæ contentum, extorquendum esse iuramentum à delinquente, quo iuret se non amplius patraturum tale delictum, *cap. ex tenore 10. de sent. excom.* Ita communiter DD. [teste Alterio *lib.4.disp.7.cap.2.dub.1.*

Obserua tamen huiusmodi iuramento opus non esse, dum absolutio impenditur solùm in foro pœnitentiæ virtute Iubilei, aut alterius priuilegij. Ratio est, quia sacri canones extorqueri volunt iuramentum, vt reus caueat ab huiusmodi criminibus in futurum patrandis, & vt iuramento abstinere cogatur, quod non militat in foro conscientiæ. Ita Alterius *lib.4.disp.7.cap.2.dub.4.& vlt.*

5 (An reo qui absoluitur imponi possit pœna pecuniaria soluenda si non potuerit.)

5 Rogabis, vtrùm reo qui absoluitur, imponi possit pœna pecuniaria soluenda si non paruerit.

Respondeo aliquando imponi posse, dum eam imponi expedit; per se tamen loquendo non est imponenda, quia redolet suspicionem auaritiæ, vt patet ex Concilio Narbonensi *cap.14.*]

TERTIA PROPOSITIO.

IN absolutione, quæ in foro externo impenditur, seruandæ sunt cæremoniæ præscriptæ *in cap. à nobis. de sent. excõmunicationis*, vbi vsu receptæ sunt, nec in desuetudinem abierunt, commodeque seruari possunt. Quamobrem inquiunt DD. statim cit. dum quis in foro externo ab excommunicatione absoluitur, super nudatos humeros (modò femina non sit: feminam enim nudatis humeris percutere honestas non suadet, præterquam quod id nullo iure statuitur in feminis, ex Nauarro *cap.26.num.9.*) leuiter cædi debet virga, fune, aut flagello dum recitatur Psalmus *Miserere*, aut alius pœnitentialis, postmodum dicto *Gloria Patri*, &c. *Kyrie eleison*, &c. *Pater noster*, &c. versiculis, *saluum fac*, &c. absoluens hanc orationem recitat.

Oremus. Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum quem excommunicationis sententia ligatum tenet, miseratio tuæ pietatis absoluat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde absolutionis verba subiungit. Auctoritate, qua fungor, absoluo te à vinculo excommunicationis, quod incurristi ob hanc vel illam causam, restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium. In nomine Patris, &c. Amen. Istæ tamen cæremoniæ non sunt de essentia absolutionis. Vide Nauar. *cap. 26. num. 8.* Toletum *lib. 1. cap.15.nu.9.* Sayrum *lib.2.cap.18.* Vgol. *tab.1.cap.19.§.3.* [Alterium *lib. 4.disp.7.cap.2.col.4.*] Auilam *2.parte cap.7.disp.3.dub.3.* Henriquez *lib. 13.cap.28.* Couar. *cap. Alma 1.par.§.12.* Reginald. *lib.9.num.73.& seq.*

Dixi, *in foro externo*, quia dum pœnitens absoluitur solùm in foro conscientiæ, opus non est has cæremonias obseruare, sed sufficit solùm adhibere verba consueta, quibus ligati censuris absolui consueuerunt. Ita DD. citati, quibus adde Suarez *disp.7.sect.10.nu.4.* Filliucium *cap.10.quæsito.9.* Coninch. *disp.14.dub.16.nu.203.* & alios quos suprà retuli *punct.5.*

QVARTA PROPOSITIO.

POst absolutionem, publicanda est absolutio si delictum publicum erat, & censura denuntiata. Ratio est, ne fidelibus cum eo participantibus scandali, & ruinæ occasio præbeatur. Ita Suarez *loc. cit.num.5.* Filliucius *loc.cit.num.333.* Vgolinus *tab.1.cap.24.* Reginald. *lib.9.num.83.* & alij.

DISPVTATIO II.

De Excommunicatione.

PRæsentem disputationem tribus quæstionibus complectemur. In I. agemus de essentia, & diuisione excommunicationis. In II. de illius effectibus. In III. de minori excommunicatione.

QVÆSTIO I.

De essentia & diuisione excommunicationis.

PVNCTVM I.

Quid sit excommunicatio quò ad nomen, & essentiam.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Vndenam excommunicatio dicatur, & quibus nominibus vocetur.

1 EXcommunicatio significat extra communionem, eò quòd homo per excommunicationem separetur à communione fidelium, & à participatione Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, quæ per antonomasiam Communio nuncupatur.

Excommunicatio alio nomine solet appellari *anathema*, quod ab excommunicatione differt solùm ratione cuiusdam maioris solemnitatis, cum qua ferri consueuit ab Episcopo; Episcopum enim ferentem anathema duodecim Sacerdotes circumstant cum candelis, quas ad finem proiiciunt, ac pedibus conculcant.

Nomen anathema desumptum est ab ἀνὰ, quod est sursum, & θέσις, quod est positio, sumpta similitudine ab antiquis, qui capta in bello appendebant separata, & seiuncta à ceteris.

Excommunicatio dicitur etiam *anathema Maranatha*, quod importat excommunicationem maiorem latæ sententiæ. Maranatha significat vsque ad Aduentum Domini. Quare, quando fertur hoc anathema, perinde est, ac si dicatur, sit excommunicatus vsque ad Aduentum Domini, id est, donec conuertatur & poeniteat. Ita Glossa, quam citat, & sequitur Gambarupta *de casibus reseruatis, fol. 58. num.10.* Suarez *tom.5.disp.8.sect.2.num.5.& 6.* Sotus *in 4. dist.22. q.1. art.1.* Filliucius *tract.12.cap.1.quæsito1.* [Alterius *lib.1.disp.2. cap.1.col. 4.& 5.*] Coninch. *disp.14.dub.1.* & alij.

Solet etiam excommunicatio aliquando nuncupari *mors*, *medicina*, *mucro Episcopi*, *virga ferrea*, *neruus Ecclesiastica disciplina*, &c. Vide Sayrum *lib.1.cap.3.* Vgolinum *tab.2.cap.33.§.1.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quid sit excommunicatio.

2 EXcommunicatio est censura Ecclesiastica, qua homo baptizatus priuatur aliquibus bonis communibus, videlicet consortio fidelium, participatione Sacramentorum, & communibus Ecclesiæ suffragiis. Ita Suarez *disp.7.sect.1.* Nauar. *cap.27.num.1.* Vasquez *tom.4.in 3.partẽ, tractatu de excõmunicatione dub.1.nu.7.* Valentia *tom. 4.disp.7.quæst.17.punct.1.* Filliucius *quæsito 3.* [Alterius *lib.1.disp.2.c.3.*

Dicitur, *censura*, loco generis, quia omnis excommunicatio est censura.

Dicitur, *qua homo priuatur bonis communibus*, loco differentiæ; per hoc enim differt excommunicatio ab aliis censuris, vt patebit ex dicendis.

Dicitur, *qua homo baptizatus*, vt ostendatur subiectum excommunicationis, infidelis enim nondum baptizatus non est subiectum excommunicationis, cùm non sit subditus Ecclesiæ.

Dicitur, *à consortio fidelium*, &c. vt ostendatur effectus excommunicationis maioris qui consistit in priuatione trium præcipuè bonorum, videlicet consortij fidelium, participationis Sacramentorum, & communium suffragiorum Ecclesiæ.

3 Quomodo excommunicatio maior differat à minori.

3 Ex quo patet differentia inter maiorem, & minorem excommunicationem, quæ non priuat tot bonis, quot priuat maior, vt patebit ex dicendis.

PVNCTVM II.

Quotuplex sit excommunicatio.

VNICA PROPOSITIO.

1 Quotuplex sit excommunicatio.

1 EXcommunicatio diuiditur primò in comminatoriam seu ferendæ sententiæ, & in excommunicationem ipso facto, seu latæ sententiæ, vt patet ex supradictis de diuisione censurarum.

Secundò diuiditur in maiorem, & minorem. Minor dicitur, tum comparatiuè ad maiorem, quæ simpliciter appellatur excommunicatio; minor verò secundùm quid: tum quia maior excommunicatio priuat pluribus bonis, quàm priuet minor: tùm quia maior incurritur ob mortale peccatum, minor aliquando ob veniale.

2 An excõmunicatio absolutè lata intelligatur de maiori, an de minori.

2 Hinc colligitur, quando fertur aliqua excommunicatio absque restrictione maioris, vel minoris, sermonem esse de maiori excommunicatione, quæ simpliciter, & absolutè dicitur excommunicatio; nam verba absolutè prolata accipiuntur in sua significatione simpliciter; *l. non aliter. ff. de legatis 3.* Ita Toletus *lib.1.cap.5.* Suarez *disput.8. sect.3.nu.3.* Couar. *cap. Alma mater 1.part.§.8.nu.5.* Filliucius *tract.12. cap.1.quæsito 3.nu.8.* Coninch. *disp.14.dub.1.num.5.* & alij [communiter, teste Alterio *lib.1.disp.2.cap.2.*] Potest etiam alia differentia inter maiorem, & minorem excommunicationẽ assignari, quòd minor excommunicatio ferri non solet ab homine, sed à iure, quamuis re ipsa ferri possit etiam ab homine; excommunicatio verò maior non tantùm fertur à iure, sed etiam ab homine. Ita Syluester. *verb. Excommunicatio 4.nu.2.* Nauar. *cap.27.nu.25.* Auila *2.parte cap.1.dub.vnico, versic. Rogabis*, & alij, quos infrà referam de minori excommunicatione.

Tertiò diuiditur in iustam, & iniustam, vt patet ex supradictis de diuisione censurarum.

Quartò diuiditur in excommunicationem latam à iure, & in latam ab homine. Rursus excommunicatio ab homine alia est per sententiam generalem, & alia per sententiam particularem, vt patet ex suprà dictis.

3 An censuræ latæ à Visitatoribus dicantur latæ à iure, seu per statutum, vel potius ab homine.

3 Quæres primò, vtrùm censuræ latæ à visitatoribus dicantur latæ à iure, seu per statutum, vel potiùs ab homine.

Respondeo censeri latas quodammodo per modum statuti, si latæ sunt intentione, vt perpetuò durent, seu donec reuocentur. Si verò latæ sunt ad tempus per modum præcepti, dicuntur latæ ab homine, vt sunt censuræ, quibus superiores præcipiunt aliquid sibi reuelari. Ita Nau. *cap.27.num.2.* quem citat, & sequitur Auila *loc. cit. versic. 3.* [Alterius *lib.1.disp.2.cap.5.col.3.* & alij.]

4 An censuræ, quæ continentur in Bulla Cœnæ, censeantur latæ per modũ statuti, an sententiæ.

4 Quæres secundò, vtrùm censuræ contentæ in Bulla Cœnæ censeantur latæ per modum statuti, vel sententiæ.

Respondeo censeri latas per modum statuti, seu potiùs à iure; nam Summus Pontifex illas tulit intentione condendi legem perpetuam, vt patet ex Pio V. Gregorio XIII. & Sixto V.

Neque obstat Bullam renouari singulis annis; hoc enim peculiare est in hac Bulla, vt non finiatur morte Pontificis, qui eam tulit; quamuis singulis annis publicetur in die Cœnæ Domini, vt patet ex declaratione Pij V. & aliorum; propterea, si Summus Pontifex moreretur, & alia Bulla de nouo non ederetur, vltima semper permaneret, & teneret; cùm censuræ latæ à iure non extinguantur morte conditoris. Ita Sayrus *cap.4.nu.23.* Auila *2.part. cap.1.dub. vnico, versic. Rogas*, & alij communiter, contra Sotum *in 4.dist.22.q.2. art.3.* & alios, quos citat, & sequitur Becanus *in tract. de fide cap.15.q.8. num.6.*

Hinc disputare possem de causis excommunicationis, videlicet efficiente, formali, materiali, & finali: sed ipsarum cognitio sufficienter colligitur ex supradictis *de censuris in genere.*

QVÆSTIO II.

De effectibus excommunicationis maioris.

DIsputabimus hoc loco de effectibus excommunicationis validæ omissa excommunicatione iniusta, & inualida, de qua sufficienter egimus in præcedentibus, cùm sermo nobis esset de censura iniusta.

Primus effectus maioris excommunicationis est priuatio communium suffragiorum Ecclesiæ,

Secun-

Secundus est priuatio participationis Sacramentorum actiuæ, & passiuæ.

Tertius est priuatio aliarum rerum sacrarum, & sepulturæ.

Quartus est priuatio, & inhabilitas ad beneficia.

Quintus est priuatio iurisdictionis Ecclesiasticæ, vocis actiuæ & passiuæ.

Sextus est priuatio communicationis ciuilis cum aliis fidelibus.

Septimus est priuatio forensis, & iudicialis communicationis.

Octauus est annullatio impetrationis gratiarum. De quibus singulis aggredior disputare in sequentibus punctis.

PVNCTVM I.

Vtrùm excommunicatus priuetur communibus Ecclesiæ suffragiis.

1 Quænam dicantur suffragia Ecclesiæ.

1 NOtandum primò, communia & generalia suffragia esse quædam auxilia spiritualia, quæ à Clericis, quatenus ministris Ecclesiæ, offeruntur pro fidelibus, qualia sunt Sacrificium Missæ, Orationes Canonicę, publicę supplicationes, seu processiones, &c. in quibus Clericus orat nomine, & in persona Ecclesiæ. Priuata verò suffragia sunt orationes particulares, quæ fiunt à Christianis, non tamquam Ecclesiæ ministris, sed tamquam à persona particulari; quales sunt orationes priuatæ, ieiunia, Eleemosynæ, &c. Est autē hæc differentia inter orationes publicas, & priuatas, quòd priuatę perdunt valorem ex indignitate offerētis, id est, ex culpa mortali ipsius orantis, publicæ verò non perdunt suum valorem ob indignitatem offerentis, quia non solum habent valorem ab ipso orante, sed etiam ab Ecclesia, cuius nomine offeruntur. Ita Vgolinus *tab. 2. c. 9. in principio, n.* 2. Auila 2. *part. c. 6. disp. 4. dub.* 1. Suarez, & alij, quos retuli *de horis Canonicis q.* 4. quibus adde Filliucium *tract. 12. c. 2. quæsito* 1. *n.* 33. [Alterium *lib. 1. disp. 5. c. 1. & disp. 10. c. 3.*] Reginald. *lib. 32. num. 9.*

2 Quotuplex sit cōmunicatio fidelium.

2 Notandum secundò, triplicem esse communicationem fidelium.

Prima est interior, in qua fideles communicant, videlicet in fide, charitate, & gratia.

Secunda est communicatio in Sacramentis, & suffragiis Ecclesiæ.

Tertia est communicatio in externa conuersatione, videlicet in contractibus, colloquiis, &c. In hoc puncto non loquimur de prima communicatione; nam Ecclesia non potest priuare communicatione interna: cum hæc non subsit potestati Ecclesię, & solùm mortale peccatum illam auferat; quamuis non omne peccatum mortale tollat fidem, vt constat ex dictis de fide, & benè ostendit Vgolinus *loc. cit.* §. 7. [Alterius *lib. 1. disp. 5. c. 6.*] loquimur ergo solùm de secunda communicatione, sicut de tertia infrà agimus.

VNICA PROPOSITIO.

3 An excōmunicatus priuetur suffragiis Ecclesiæ.

3 EXcommunicatus maiori excommunicatione priuatur communibus Ecclesiæ suffragiis. Hæc propositio certa est, & indubitata apud omnes Doctores, & habetur *cap. à nobis de sententia excom.* Ita Vasquez *tom. 4. in 3. partem, tractatu de excommunicatione, dub.* 2. Valent. *loco cit. punct.* 2. Vgolin. *loc. cit.* §. 1. Suar. *disp. 9. sect. 1. n.* 2. Filliucius *loco cit. quæsito* 2. *num.* 35. & alij communiter

4 An mortaliter peccet, qui excommunicato applicat suffragia Ecclesiæ.

4 Hinc colligi potest primò, applicantem excommunicato communia suffragia, vt horas canonicas, vel orationes Missæ, &c. peccare mortaliter. Ratio est, quia Ecclesia priuat excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragiis; non potest autem illum priuare, nisi prohibendo fidelibus, ne pro excommunicato publicè orent, applicentque suffragia communia; ergo publicè orans pro excommunicato, illique applicans communia Ecclesiæ suffragia, grauiter peccat, cum faciat contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui. Ita Nauarr. *cap. 27. num. 36.* Suarez *disput. 9. sect. 1. n. 4.* Filliucius *quæs. 3.* [Alterius *lib. 1. disp. 5. c. 1. ad finem*] & alij.

5 An orans pro excōmunicato vitando incurrat minorem excommunicationē.

5 Addo cum Nauarro, contra Auilam *dub. 4.* eum, qui publica oratione orat pro excommunicatis vitādis, incurrere minorem excommunicationem, eò quòd videatur cum illis communicare; communicanti autem cum excommunicato vitando imposita est minor excommunicatio; alioquin dicendum etiam esset non peccare.

Excipiēdus est vnus casus, in quo licitum est pro hæreticis excommunicatis publicè orare, videlicet in feria sexta Parasceues quo die hoc specialiter fieri solet ab Ecclesia: tum ad limitationem Christi, qui tempore suę passionis orauit pro inimicis: tum quia ad ostendendum valorem mortis Christi, qui pro omnibus mortuus est, & cuius mors ad omnes extēditur, quoad sufficientiam. Quare sicut Ecclesia priuat excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragiis, ita congrua ratione potest eo die non priuare. Ita Suarez *loco cit. nu.* 5. Sayrus *lib. 2. c. 4. n. 7.* Filliuc. *loc. cit. quæs. 3.* Reginal. *lib. 32. n. 17.* [Alterius *lib. 1. disp. 5. c. 2. & 3.*] & Vgolinus *tabula 2. c. 9. §. 2. n. 4.* vbi aliorum opiniones reiicit, ac refellit.

6 An excōmunicatus contritus priuetur suffragiis Ecclesiæ.

6 Secundò colligi potest excommunicatum non frui suffragiis Ecclesiæ, quamuis sit contritus, vt patebit ex dicendis §. 2.

7 An excommunicatus priuetur Missę sacrificio.

7 Tertiò excommunicatum non frui sacrificio Missæ, quatenus offertur in nomine Ecclesiæ. Vt hæc melius intelligantur tria nobis explicanda sunt.

Primò, vtrùm excommunicatus toleratus priuetur communibus Ecclesiæ suffragiis.

Secundò, vtrùm iisdem priuetur excommunicatus, licet contritus.

Tertiò, vtrùm sacrificium pro excommunicato oblatum prosit.

§. I.

Vtrùm excommunicatus toleratus priuetur omnibus Ecclesiæ suffragiis.

VNICA PROPOSITIO.

1 An excommunicatus tolleratus priuetur suffragiis Ecclesiæ.

1 QVilibet excommunicatus, quamuis toleratus, & non vitandus, priuatur communibus Ecclesię suffragiis. [*cap. à nobis 2. de sent. excom.*] Ita Suarez *loco cit. sect. 2. n.* 17. Auila *loco cit. disp. 4. dub. 1. concl. 3.* Valentia, & Vasquez *locis cit.* & alij communiter. Ratio est, quia Ecclesia excludit omnes excommunicatos ab huiusmodi suffragiis, & quantum est ex parte sua tradit excommunicatum potestati dæmonis, vt patet ex 1. *ad Timotheum* 1.

Obiicies. Fideles tenentur solùm euitare excommunicatos vitandos, & non toleratos; ergo possunt pro toleratis orare, & suffragia ferre, alioquin tenerentur etiam euitare excommunicatos toleratos.

Respondetur, Sayrum *lib. 2. cap. 4. num. 6.* Henriquez *lib. 13. cap. 11. num. 2.* Nauarrum *cap. 27. num. 36.* Coninchum *disp. 14. dubio 6. num. 40.* Reginaldum *lib. 32. num. 79.* & alios hoc argumento ductos, asserere ferentem suffragia pro excommunicato tolerato non peccare, eò quòd in Concilio Constantiensi permissum sit fidelibus participare cum excommunicatis toleratis. Immo Vgolinus *tab. 2. §. 2. numer. 3.* Coninchus *loco citato*, addunt, posse orari publicè pro excommunicato nondum notorio, nec denuntiato.

Sed mihi probabilius dicendum videtur cum Suarez *loco citato*, Filliucio *tract. 12. c. 2. quæsito 4. n. 40.* [Alterio *lib. 1. disp. 5. cap. 5.*] & aliis non licere fidelibus offerre suffragia pro excommunicatis, etiam toleratis. Ratio est, tum quia Concil. Cōstantiense ad euitanda scandala non concedit internam suffragiorum communicationem, sed externam, vt in audienda Missa, in recitando diuino officio, &c. tum quia alioquin destrueretur propria excommunicationis ratio, quæ in hoc consistit, vt excommunicatus priuetur communibus Ecclesiæ suffragiis: tum quia Concilium Constantiense nihil concessit in fauorem excommunicatorum; maximus autem fauor illis concessus fuisset, si fideles possent suffragia ferre pro excommunicatis toleratis: tum quia standum est iuri antiquo, nisi aliud decernatur iure nouo: iure autem antiquo excommunicati tolerati priuabantur communibus suffragiis, nec contrarium apparet fuisse dispositum *in extrauag. ad euitanda.*

2 Quis dicatur excommunicatus toleratus, & vitandus.

2 Quæres, quis dicatur excommunicatus toleratus, & non vitandus, & quis dicatur vitandus, & non toleratus.

Respondeo primò excommunicatum vitandum, & non toleratum dici eum, qui est nominatim denuntiatus excōmunicatus, vt si dicatur, Declaratur Petrus, seu Parochus talis loci excommunicatus. Ita Sylu. *verb. excommunicatio 5. n. 24.* Nauar. *c. 27. n. 35.* Auila *loco cit. disp. 2. dub. 3.* Couar. *c. alma mater 1. part. §. 6. n. 7.* [Alterius *lib. 1. disp. 6. c. 2.*] & alij communiter, apud Sayrum *lib. 2. c. 12. n. 16.* Vide, qua infrà dixi in simili de interdicto vitando *disp. 4. punct. 5. ad finem.* Hic tamen

Aduertendum est primò, illum non dici vitandum, qui nondum est denuntiatus; quamuis sit nominatim excommunicatus, aut publicè constet de censura excommunicationis ab ipso contracta: nam Concilium Constantiense non solùm requirit vt sit publicus, aut nominatim excommunicatus, quod fit exprimendo nomen proprium, vel aliqua signa, quibus sufficienter indicatur talis persona excommunicata, sed etiam, vt sit publicè denuntiatus. Ex quo sequitur, si Pontifex excommunicet [& denuntiet excommunicatum] Titium cum fautoribus suis, Titium vitandum esse, non verò fautores, quia non sunt nominatim denuntiati. Ita Sylu. *verb. excom. 5 nu.* 8. Regin. *lib. 1. n. 118.* & alij communiter. Item si quis citetur sub excommunicatione ipso facto nisi compareat, non est vitandus, quamuis non compareat, quia nondum est denuntiatus excommunicatus. Nauarr. *loco cit.* Filliuc. *quæs. 10. n. 76.* & alij. [Præterea sequitur, Catholicos posse cum hæreticis nondum denuntiatis loqui, & consuetudinem habere, præcisis aliis circumstantiis. Immo Nauar. *lib. 5. consil. tit. de hæreticis, consil. 10. & 12.* Azor. 1. *part. lib. 8. cap. 11. quæs. 4.* Sanchez *in opere morali lib. 2. c. 9. nu. 7.* putant licitum esse Missæ sacrum cum hæretico audire, & illius funus comitari ad sepulturam: quia cui communicamus viuo, possumus etiam mortuo. & *in Extrauag. ad euitanda*, vetitum est solùm participare cum denuntiatis, aut notoriis clericorum percussoribus.]

Secundò hanc denuntiationem debere fieri per iudicem competentem, vt patet ex eodem Concilio Constantiensi.

Tertiò denuntiationem fieri debere in loco publico, vt in Ecclesia tempore maioris Missæ, aut apponendo schedulam in loco publico, iuxta morem loci, & regionis. Ita Suarez *disput. 9. sect. 2. n. 8.* Filliucius *tract. 13. c. 4. quæsito 6. & 10.* Nauarr. *c. 25. n. 52.* [Reginaldus *lib. 1. num. 118.* Alterius *lib. 1. disp. 6. c. 2.*] & alij.

Quartò requiri, vt excommunicatus non appellauerit à declaratione excommunicationis, vel denuntiatione, nam facta appellatione, non est vitandus, vt dictum est de appellatione. Probabile tamen est illum censeri nominatim denuntiatum excommunicatum, qui à iudice competente denuntiatur commisisse delictum, quod constat habere adnexam excommunicationem; propterea qui publicè declaratur incidisse in hæresim, statim vitandus est, nam eo ipso, quo declaratur hæreticus, satis expressè declaratur excommunicatus; cum constet hæreticum esse excommunicatum. Ita Sotus *lib. 9. de iustit. q. 1. art. 8.* Auila *loco cit. verf. Sed est primò.* Henriquez *lib. 13. c. 5. n. 4.* Suar. *disp. 9. sect. 2. n. 10.* [Alterius *lib. 1. disp. 9. c. 2. col. 2.*] contra Graffiū 1. *part. lib. 4. c. 11. n. 5.* Sanchez *in summa lib. 2. c. 9. n. 4.* Nauar. *lib. 5. consi. tit. de hæreticis consil. 15. nu. 2.* Reginaldum *lib. 1. n. 118.* & alios, quorum sententia probabilissima est, existimantes hoc non sufficere, sed requiri, vt expressè, & specialiter denuntietur excommunicatus. [quia *in Extrauag. ad euitanda*, habetur neminem teneri euitare obstrictum censura, nisi censura denuntiata fuerit à iudice contra personam specialiter & expressè. Dum autem aliquis denuntiatur commisisse aliquod delictum, cui constat censuram annexam esse; censura non dicitur denuntiata contra personam specialiter & expressè, sed virtualiter, & implicitè, & per quandam consequentiam. Verum ad hanc rationem responsio patet ex dictis, quia dum iudex declarat aliquem reum talis criminis, vult etiam declarare ipsum obstrictum esse pœnis illi crimini annexis, & vno explicato, censetur etiam explicatum aliud ei certò & euidenter annexum.]

Hinc patet à fortiori illum esse excommunicatum vitandum,

qui declaratur, & denuntiatur incurriſſe omnes pœnas hæreticorum; quamuis Sanchez *loco citato*, ſentiat oppoſitum, cenſetur enim ſufficienter denuntiatus excommunicatus.

Reſpondeo ſecundò, notorium Clerici percuſſorem eſſe excommunicatum vitandum, & non toleratum, modò ſit notorius notorietate facti, vt patet ex Concilio Conſtantienſi, vbi hoc in deteſtationem huius criminis ſancitum eſt.

3 Quodnã dicatur notorium iuris, & notorium facti.

3 Aduertendum tamen eſt, aliquem dici poſſe notorium Clerici percuſſorem dupliciter. Primò notorietate iuris. Secũdò notorietate facti. Notorietas iuris contingit, quando quis confeſſus eſt in iudicio ſe Clericum percuſſiſſe, aut quando fama conſtat ipſum percuſſiſſe Clericum. Notorietas facti contingit, quando aliquis percuſſit Clericum in præſentia multorum, ita vt percuſſionem nequeat vlla tergiuerſatione celare, nec aliquo ſuffragio excuſare. Hoc poſito aſſero illum, qui notoriè percuſſit Clericum notorietate iuris, non eſſe excommunicatum vitandum, ſed illum dici vitandum, cuius percuſſio notoria eſt notorietate facti, ita vt non poſſit ſuam percuſſionem vlla tergiuerſatione celare. Si verò poteſt eam aliqua tergiuerſatione, ſeu titulo, ac ſuffragio celare, non dicitur excommunicatus vitandus, vt contingit, quando percutiens excuſat ſe, dicendo percuſſiſſe titulo defenſionis, vel neſciuiſſe illum eſſe Clericum, eò quòd habitum non geſtaret, vel ſe ioco percuſſiſſe. Debet tamen huiuſmodi excuſatio eſſe probabilis, aut probabile dubium ingerere; nam ſi contingeret eam fictam eſſe, adhuc eſſet excommunicatus vitandus, cùm ficta excuſatio non tollat certitudinem facti, & ex alia parte omnes delinquentes ſoleant ſuo delicto excuſationem adiungere, vnde ſequeretur nullum excommunicatum eſſe vitandum.

4 Cur requiratur notorium facti, vt Clerici percuſſor ſit vitãdus.

4 Rogabis primò, qua de cauſa Concilium Conſtantienſe requirat euidentiam, & notorietatem facti ad indicandum percuſſorem Clerici eſſe vitandum.

Reſpondeo, rationem eſſe, quia voluit auferre dubia ad pacandas innocentum conſcientias, ne pro quolibet dubio cogerentur euitare excommunicatos, ſubirentque peccandi periculum. Ita Suarez *loc. cit.* & alij communiter.

5 Quot teſtes requirantur ad notorium facti.

5 Rogabis ſecundò, quot teſtes requirantur, vt factum dicatur notorium notorietate facti.

Reſpondeo cum Menoch. *de arbitr. lib. 2. cent. 2. caſu 116. nu. 7.* Suarez *diſp. 9. ſect. 2.* Aulla *loc cit. dub. 2.* Filliucio *tra. 13. c. 3. quæſ. 5.* Coninch *diſp. 14. dub. 2. n. 11.* [Alterio *lib. 1. diſp. 6. c. 2.*] Molina, Vgolino, & aliis, quos infrà referam de irregularitate, hoc relinqui iudicio prudentis viri; non enim idem numerus requiritur reſpectu omnium; nam reſpectu magnæ communitatis videtur maior numerus requiri, quàm requiratur reſpectu alicuius collegij, quamuis Crauet. *conſ. 121. nu. 2.* poſt Cynum, & Baldum, Sot. *diſt. 12. q. 1. art. 6.* & alij requirant decem teſtes. Alij verò, vt Sylu. *verb. notorium*, dicant ſufficere ſex.

6 An delictum commiſſum coram decem ſit notoriũ facti.

6 Hinc ſequitur delictum commiſſum coram decem, non eſſe notorium reſpectu magnę ciuitatis; quamuis ſit notorium reſpectu collegij, aut viciniæ, nam delictum commiſſum coram decem videtur adhuc occultum habita ratione magnæ communitatis. Secus ratione collegij, aut viciniæ.

7 An ego teneat vitare eum, qui coram me percuſſit Clericũ.

7 Ex quo patet primò, me non teneri vitare eum, qui coram me percuſſit Clericum eo tempore, quo non aderant tot teſtes, qui ſufficiant ad faciendum delictum notorium, vt benè ait Auila *loco citat. n. 4.* & alij, [contra Suarez, Alterium & alios.] Ratio eſt, quia factum illud, quamuis mihi certum ſit, & notum, non appellatur abſolutè notorium.

Addit Arragonius 2. 2. *q.* 10. *art.* 9. hoc verum eſſe, etiamſi quatuor vel quinque interfuerint, vt patet ex ratione allata; quamuis Suarez, & Filliucius *loc. cit.* Duardus *lib. 2. in can. 1. Bulla quæſito 8. nu. 14.* [& Alterius *loc. cit.*] ſentiant oppoſitum, dicendo, eos, qui interfuerunt percuſſioni, teneri occultè vitare percuſſorem, quamdiu delictum non publicatur; nam ipſis notoriè conſtat cõmiſſum fuiſſe delictum, nec maiorem acquirunt delicti cognitionem, ac notitiam ex publicitate delicti. Sed hæc ratio facilè diſſoluitur dicendo non teneri euitare, eò quòd illa percuſſio non dicatur ſimpliciter notoria, & verſemur in materia odioſa; quamuis nota ſit, ac manifeſta iis, qui interfuerũt.

8 Quis dicatur ſuſpenſus, interdictus, & irregularis vitãdus.

8 Secundò patet, quis dicatur ſuſpenſus, vel interdictus, vel irregularis vitandus, ille enim dicitur, qui denuntiatus eſt ſuſpenſus, vel interdictus, vel irregularis. Ita communiter DD. Qui verò nondum eſt denuntiatus, dicitur toleratus, & non vitandus, vt expreſsè cõſtat ex Concil. Conſtantienſi, vbi hæc verba referuntur: ad cauenda animarum pericula ſtatuit Sancta Synodus, vt nemo deinceps teneatur aliquem, ratione alicuius ſententiæ, vel cenſuræ, vitare in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, vel in aliis quibuſcumque diuinis, niſi fuerit denuntiatus, & c. vel notorius percuſſor Clerici; ſed ſuſpenſio, & interdictum ſunt cenſuræ, & irregularitas eſt ſententia à iure lata; ergo ex decreto Concilij Conſtantienſis, non tenemur vitare ſuſpenſos, interdictos, & irregulares, niſi fuerint denuntiati; quapropter ego poſſum audire Miſſam ſacerdotis ſuſpenſi, vel interdicti nondum denuntiati; ſicut etiam poſſum petere abſolutionem ab eo Parocho, quem ſcio incurriſſe irregularitatem propter homicidium, modò nondum ſit denuntiatus homicida, vel irregularis. Ratio eſt, quia ſi non validè obtineo abſolutionem, vel hoc prouenit ex parte mea, qui pono obicem ad abſolutionem, vel ex parte Sacerdotis, qui caret iuriſdictione; ſed neutrum dici poteſt; ergo poſſum petere, & validè obtinere abſolutionem. Minor probatur, quia ego non pono obicem; cùm mihi non ſit vetitum communicare cum Sacerdote irregulari, vel excommunicato nondum denuntiato. Præterea Sacerdos habet iuriſdictionem abſoluendi, cùm ſit toleratus, & non vitandus; ergo ex parte neutrius poteſt abſolutio dici inualida. Ita Nauar. *c. 9. n. 9. & 10.* Sayrus *lib. 2. c. 2. n. 6.* Suar. *diſp. 40. n. 2.* Reginald. *lib. 1. n. 163. ad finem.* & alij communiter, quibus addi poteſt Filliucius *tract. 13. c. 4. quæſ. 12. n. 78. & ſequent.* [& Alterius *lib. 1. diſp. 9. c. 3.*]

9 An ſit valida confeſſio eius, qui confeſſus eſt peccata ſua Sacerdoti excommunicato, ſuſpenſo, vel irregulari nondum denuntiato, quem neſciebat eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, vel irregularem.

9 Obiicies contra ea, quæ diximus in hoc quæſito. Ex decreto Concilij Baſileenſis, vitandus eſt quilibet excommunicatus notorius, & hoc decretum factum eſt poſt Concilium Conſtantienſe; ergo non ſolum vitandus eſt excommunicatus nominatim denuntiatus, & notorius Clerici percuſſor, [ſed alius quilibet excommunicatus notorius.]

Reſpondeo hoc Concilium Baſileenſe quoad hoc decretum non fuiſſe approbatum à Nicolao V. immò à Leone X. ſeſſ. 11. vocatum fuiſſe conciliabulum. Suarez *diſp. 9. ſect. 2. n. 5.* Coninch. Filliuc. & alij.

Sed modò dubium eſt qualis notitia denuntiationis, vel notoriæ percuſſionis Clerici requiratur, vt obligationem inducat ad vitandum excommunicatum.

Reſpondeo cum Nauarro *lib. 5. conſil. tit. de ſent. excomm. conſil. 54.* Suarez *de cenſuris diſp. 9. ſect. 2. n. 9.* Filliucio *tract. 13. cap. 4. quæſ. 6. nu. 7.* [Alterio *lib. 1. diſp. 6. cap. 2. col. 4. & diſp. 11. cap. 1. & 3.*] & aliis, requiri teſtimonia fide digna, vel publicam famam, qua certò moraliter ſciatur denuntiationem excommunicationis factam fuiſſe, aut notoriam extitiſſe Clerici percuſſionem. Ratio eſt, tum quia ſic colligi poſſe videtur ex *cap. illud de Cler. excom. miniſt.* vbi iure antiquo ad vitãdum excommunicatum publicam famam ſufficere indicatur: ergo etiam iure nouo ſufficit publica fama denuntiationis, & à fortiori teſtimonia fide digna.

Ex quo ſequitur primò, me non teneri illum euitare, quem nonnulli, de quorum fide ambigitur, aſſerunt excommunicatum vitandum eſſe, vt in ſimili probaui de matrimonio cum Sanchez, & aliis, [non enim omnibus eſt fides adhibenda.]

Secundò illum non eſſe excommunicatum vitandum, de quo dubitatur an excommunicatus ſit, vel de cuius excommunicationis denuntiatione extat fama dubia, & non moraliter certa. Ratio eſt, tum quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem: tum quia mens, & intentio Concilij Conſtantienſis fuit [tollendi dubia, & obligandi ſolùm in re certa, vt benè Suarez *loco cit.*]

[Tertiò ſequitur illum eſſe vitandum, quem conſtat denuntiatum eſſe excommunicatum; niſi fortè appellauerit à denuntiatione, iuxta ſupradicta *num. 2. verſ. quartò requiri.* Ita Decius *in c. dilecti. num. 4. de appellat.* Felinus *in cap. prudentiam. n. 9. de appellat.* Alterius *lib. 1. diſp. 11. cap. 2. colum. 2.* & alij communiter. Ratio eſt, quia probatio excommunicationis eſt denuntiatio; & probato acceſſorio, intelligitur probatum principale. Vide Maſcardum *tom. 2. concl. 698. n. 21. & ſeq.* Rotam *deciſ. 8. de except.* & Alterium *loco cit.*

Quartò ſequitur confeſſarium non teneri illum euitare quem ex ſola confeſſione ſacramentali nouit eſſe denuntiatum excommunicatum. Ratio eſt, quia hic non dicitur ſcire illum eſſe excommunicatum, cùm humano modo ignoret, & ſciat ſolùm loco Dei. Ita Ricard. *diſputat. 21. art. 4. q. 2. ad 4.* Dominicus Sotus *in relect. de tegendo ſecreto memb. 3. quæſt. 4. dub. 2.* Alterius *lib. 1. diſp. 11. c. 2. col. 3.* Medina *C. de confeſſione qu. 51.* & alij quos retuli de ſecreto confeſſionis contra Adrianum & Sotum, exiſtimantes ſecretò vitandum eſſe, dum commodè vitari poteſt.

Quintò ſequitur illum eſſe vitandum, qui in iudicio vel extra iudicium fatetur ſe vitandum eſſe, nulla enim certior notitia haberi poteſt. Ita Doctores citati.]

§. II.

Vtrùm excommunicatus, qui iam reſipuit à delicto, priuetur communibus Eccleſiæ ſuffragiis, ſi nondum eſt abſolutus.

ALiqui Doctores, vt Nauarr. *cap. 27. num. 18.* Sayrus *lib. 2. cap. 4. n. 5.* Auila *2. part. cap. 7. diſputat. 4. dub. 2.* Valent. *tom. 4. diſputat. 7. quæſt. 17. punct. 8. ad finem*, & alij, ſentiunt huiuſmodi excommunicatum non priuari communibus Eccleſiæ ſuffragiis. Immò aliqui exiſtimant licitum eſſe ſecretò Miſſam applicare excommunicato iam contrito; quamuis illicitum ſit nominatim pro eo publicè orare. Ratio iſtorum DD. eſt, quia non eſt credibile piam Matrem Eccleſiam velle à ſuis ſuffragiis eum excludere, quem Deus recipit in ſui amicitiam, & qui iam receſſit à cotumacia, ob quam lata eſt cenſura; Deus autem in ſui amicitiam recepit excommunicatum contritus, quamuis nondum ſit abſolutus ab excommunicatione.

Sed mihi contrarium dicendum videtur; quare ſit

VNICA PROPOSITIO.

1 An excõmunicatus contritus priuetur ſuffragiis Eccleſiæ.

1 EXcommunicatus, qui nondum obtinuit abſolutionem excommunicationis, priuatur communibus Eccleſię ſuffragiis; quamuis ſit contritus, & iam reſipuerit à delicto. Ita Sot. *in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 1.* Vaſquez *tom. 4. in 3. partem, dub. 2. tract. de excommunicatione n. 2.* Suarez *diſput. 9. ſect. 9. num. 2.* vbi plures alios DD. recenſet, Garſias *de benef. 7. part. cap. 13. num. 96.* Vgolin. *tab. 2. cap. 9. §. 1.* Filliucius *tract. 12. cap. 2. quæſt. 6.* Coninch. *diſp. 14. dub. 6. n. 49.* Reginald. *lib. 32. num. 11.* [Alterius *lib. 1. cap. 6. diſp. 5.*] Ratio eſt, tum quia excommunicatus contritus adhuc remanet excommunicatus, donec abſoluatur, & excommunicatio ſuum habet effectum donec auferatur; ergo excommunicatus, quamuis contritus, afficitur effectibus excommunicationis; conſequenter priuatur cõmunibus Eccleſiæ ſuffragiis, ſi nondum obtinuit abſolutionẽ: tum quia alioquin inferri poſſet, licitum eſſe excommunicato contrito nondum abſoluto accedere abſolutè ad recipienda Sacramenta, vel ad occultè celebrandum, cùm ſit in gratia; hoc autem eſt falſum; ergo etiam falſum eſt excommunicatum contritum frui cõmunibus Eccleſię ſuffragiis; nam per eamdem excommunicationem priuatur ſuffragiis Eccleſiæ, & participatione Sacramentorũ. Quare ſi Eccleſia non dicitur minus pia excludendo excõmunicatum contritum à Sacramentis, neque dicetur minus pia

exclu-

excludendo illum à communibus suffragiis : [tum quia sic colligitur ex *cap. à nobis 2. de sent. excommun.*]

Hinc patet responsio ad argumentum Nauarri, & Sayri, & aliorum; nam illo probatur tantummodò, Ecclesiam posse non excludere excommunicatum contritum à communibus suffragiis, sed non probatur de facto non excludere. Immo potiùs ex ipsius decretis constat excludere; præsertim ex *c. à nobis. de sententia excommunicationis*, vbi nulla fit exceptio excommunicati contriti, aut non contriti: necessaria igitur est absolutio, vt suffragiorum fiat capax.

§. III.

Vtrùm sacrificium Missæ prosit excommunicato, si pro illo offeratur.

1 Quot modis Sacerdos in Missa consideretur.

1 NOtandum primò, Sacerdotem in Missa tripliciter considerari posse. Primò quatenus nomine Christi offert, & applicat effectum sacrificij, tamquam minister ab ipso immediatè deputatus.

Secundò quatenus est minister Ecclesiæ, ab ipsa constitutus ad sacrificandum, & applicandum effectum sacrificij Missæ fidelibus nomine Ecclesiæ.

Tertiò, quatenus orat in persona propria vt persona priuata, & particularis.

2 Quot sint effectus sacrificij.

2 Notandum secundò, inter ceteros effectus sacrificij Missæ istos duos recenseri.

Primus est, vt sacrificium Missę sit impetratorium remissionis peccatorum.

Secundus est, vt sit satisfactorium pro peccatis.

PRIMA PROPOSITIO.

3 An sacrificium nomine Christi oblatum prosit excommunicato.

3 SAcrificium Missæ oblatum à Sacerdote in persona Christi, & vt ministro ab ipso deputato prodest excommunicato, si ei applicetur à Sacerdote. Ratio est, tum quia malitia ministri operantis in nomine alterius non impedit valorem, & effectum actionis, vt patet in Sacramentis, quæ validè administrantur; quamuis sacerdos improbus sit, ac malus; ergo etiam in proposito casu malitia sacerdotis, qui prohibetur ab Ecclesia offerre sacrificium pro excommunicato, non tollit effectum sacrificij, quatenus offertur in persona Christi, nam Ecclesia per suam prohibitionem non aufert potestatem offerendi in persona Christi, & applicandi effectum sacrificij: tum quia sacrificium operatur, quoties adest capacitas in subiecto, & non adest impedimentum ex parte illius, cui applicatur; ergo sacrificium prodest excõmunicato, si illi applicetur, modò excõmunicatus non habeat impedimentum, quo frustretur, ac defraudetur effectu sacrificij.

4 An sacrificium Missę applicatum excõmunicato, ei prosit quò ad fructum prouenientem ex parte Ecclesiæ.

4 Ex quo fit, sacrificium Missæ, cuicumque excommunicato applicetur in persona Christi, prodesse, tum quoad impetrationem, tum quoad satisfactionem.

Quòd prosit quoad impetrationem, ratio est, quia sacrificium operatur id, ad quod à Christo fuit institutum, sed fuit institutum, vt sit impetratorium, & prosit peccatoribus ad impetrationem, sicut patet ex dictis de sacrificio Missæ; ergo sacrificiũ Missæ prodest excõmunicato quoad impetrationem remissionis peccatorum, nisi aliunde impediatur.

Quòd prosit quoad satisfactionem prouenientem ex virtute Christi, quando excommunicatus, cui sacrificium applicatur, est in gratia, ratio est, quia adsunt omnia requisita, vt sacrificium Missæ prosit quoad satisfactionem, adest enim sacerdos applicans nomine Christi, & adest subiectum dispositum; cùm excommunicatus iam in gratia existat, vt suppono. Ita Suarez *disp. 9. sect. 4. n. 3.* Sot. *in 4. disp. 22. quæst. 1. art. 4.* Auila *2. part. c. 6. disp. 4. dub. 1.* Filliucius *tract. 12. c. 2. quæ. 7. n. 48.* [Alterius *lib. 1. disp. 5. c. 8.*] Reginaldus *lib. 32. n. 13.* & alij.

Obiicies. Excommunicatus, etiamsi existat in gratia, est priuatus communibus Ecclesię suffragiis; ergo etiam remanet priuatus fructibus sacrificij; cùm sacrificium spectet ad cõmunia Ecclesiæ suffragia.

Respondeo sacrificium Missæ dupliciter considerari posse. Primò secundùm valorem, quem habet ex institutione Christi, & vt sic non potest computari inter communia Ecclesiæ suffragia. Secundò quatenus offertur nomine Ecclesię, & vt sic recẽseri, & enumerari potest inter suffragia Ecclesiæ, & vt sic excommunicatus priuatur sacrificio Missæ, vt patebit ex secunda propositione; sicut etiam priuatur aliis suffragiis communibus oblatis à Sacerdotibus, vt ministris Ecclesiæ, vt benè Suarez *loco cit. n. 7.* & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 An sacrificium à Sacerdote excommunicato oblatum pro se ipso, ipsi prosit.

5 SAcrificium Missæ, applicatum excommunicato, non ei prodest quoad fructum, & valorem prouenientem ex parte Ecclesię. Ratio est, quia Ecclesia priuat excõmunicatum suffragiis cõmunibus, quale est sacrificium Missæ, & prohibet illa applicari excõmunicato; propterea sacerdos applicando sacrificium excommunicato peccat mortaliter, cùm faciat contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui; quamuis Sayrus *lib. 2. c. 4. n. 6.* & alij, excusent sacerdotem offerentem sacrificium pro excommunicato tolerato, etiamsi non sit contritus. Ratio est, inquit Sayrus, quia in Conc. Constantiensi prohibitum est tãtummodò communicare in sacris, & sacramentis cum excommunicatis denuntiatis, & notoriis percussoribus Clericorum, non verò cum excommunicatis toleratis. Immò addit Nauarrus *c. 27. num. 36.* Vgolinus [*tab. 2. c. 9. §. 4.* Reginaldus *lib. 32. n. 14.*] & alij, posse publicè orari pro excommunicato tolerato, sicut idem excommunicatus potest publicè sepeliri.

Ex quo deducunt prædicti DD. posse sacerdotem accipere stipendium, & offerre sacrificium pro excommunicato non vitando. Sed Sayri, Nauarri, & aliorum sententia satis reiecta est suprà cum Suarez *disp. 9. sect. 1. n. 4.* quem sequitur Vasquez *loco cit. dub. 2. nu. 3.* [Alterius *lib. 1. disp. 1. c. 4. & disp. 12. cap. 4.* vbi loquitur de oblationibus,] Filliucius & alij.

Rogabis, vtrùm sacrificium à sacerdote excommunicato oblatum pro ipso prosit sibi ipsi.

Respondeo negatiuè; nam excommunicatus grauiter peccat celebrando, & ponit obicem ad fructum sacrificij, vt ait Suarez *loc. cit. n. 8.* & patet ex dictis de sacrificio Missæ, cum Toleto, & aliis.

TERTIA PROPOSITIO.

6 An Sacerdos possit in Missa tamquam persona priuata orare pro excommunicato.

6 SAcerdos potest in Missa, tamquam persona priuata, & particularis, orare pro quolibet excommunicato. Ita Auila *4. part. disp. 1. concl. 2.* Nauar. *loco cit.* Sot. *n. 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1.* Suar. *loco cit. sect. 5. num. 3. & 4.* Henriquez *lib. 13. c. 12. nu. 3.* Filliucius *tract. 12. c. 2. quæ. 8.* Coninch. *disp. 14. dub. 6. num. 37.* & plures alij apud Vgolinum *tab. 2. cap. 9. §. 3.* contra nonnullos recentiores. Ratio est, quia hoc non est prohibitum ab Ecclesia, cùm Ecclesia prohibuerit tantummodò applicari communia, & generalia suffragia; non verò priuata, & particularia, quæ valorem habent ex speciali intentione, & deuotione offerentis, quæque fiunt à fidelibus vt personis priuatis, non vt ministris Ecclesiæ; vnde quamuis sacerdos in sacrificio Missæ gerat personam publicam, & sacrificet nomine Ecclesiæ; non tamen ita exuit personam priuatam, quin possit, vt persona priuata, orare pro excommunicatis, & Missam, quatenus est opus proprium talis personæ priuatæ, offerre priuata intentione pro excommunicato.

7 An sacerdos possit orare pro excommunicato denuntiato.

7 Ex quo infertur primò, contra Ledesmam [*in 4. sent. p. 2. quæst. 23.*] Sacerdotem posse in publicis orationibus, vel in memento Missæ, tamquam priuatam personam, mentaliter, vel secretè orare pro excommunicato etiam denuntiato, eiusque orationes illi prodesse, quò ad valorem ex opere operantis ipsius offerentis, tamquam priuatæ personæ. Caueat tamen sacerdos, ne nominatim eum exprimat in canone, vel in aliis orationibus publicis. Ita Suarez *disp. 9. sect. 5. n. 5.* Auila *2. part. cap. 6. disp. 9. dub. 5.* Vasquez *tract. de excommunicatione dub. 2. num. 3.* Filliucius *loc. cit. n. 52.* [Alterius *lib. 1. disp. 5. cap. 7. & 9.*] & alij, vnde si Imperator, vel Episcopus esset excommunicatus, non esset nominatim exprimendus in canone, vt bene ait Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1.* Sayrus *lib. 2. cap. 4. n. 4.* & alij communiter. Ratio est, quia, quę exprimuntur, videntur fieri nomine Ecclesiæ.

8 An liceat recitare priuatas orationes, vel alia pia opera facere pro excommunicatis.

8 Secundò, licitum esse recitare priuatas orationes, vel alia pia opera facere pro excommunicatis, modò non fiant tamquam ab Ecclesię ministris.

9 An Indulgentiæ prosint excommunicato contrito.

9 Quæres, vtrùm Indulgentiæ prosint excommunicato contrito.

Respondeo negatiuè, iuxta dicta *de Indulgentiis punct. 6. quæsito 2.* Ratio est, quia indulgentiæ possunt recenseri inter suffragia Ecclesię, & pertinent ad thesaurum Ecclesiæ; excommunicatus autem priuatur Ecclesiæ suffragiis, & eius thesauro, etiamsi contritus sit, vt suprà dictum est. Ita Suarez *de Indulgentiis, disp. 52. sect. 2. & de censuris, disp. 12. sect. 3. num. 7.* [Alterius *lib. 1. disp. 5. cap. 6. dub. 3.*] Vgolinus *tab. 2. c. 9. in principio, §. 5. nu. 5.* & alij contra Henriq. *lib. 7. c. 18.* Filliucium *loco cit. c. 2. quæ. 1. num. 33.* & Nauarr. apud Vgolinum *loco cit. c. 9.* & alios [quorum memini *de Sacramentis disp. 5. quæ. 1. punct. 5. num. 3.*]

PVNCTVM II.

De priuatione participationis actiuæ, & passiuæ Sacramentorum.

QVatuor principaliter quæremus in hoc puncto.

Primò, vtrùm excommunicatus validè recipiat Sacramenta, aut peccet, aut incurrat aliquam pœnam illa recipiendo.

Secundò, vtrùm administrans sacramenta excommunicato grauiter peccet, & incurrat aliquam pœnam.

Tertiò, vtrùm sacramenta administrata excommunicato tolerato sint valida.

Quartò, vtrùm sint valida sacramenta administrata ab excommunicato vitando. His explicatis sufficienter remanebit explicatus effectus excommunicationis circa priuationem passiuam, & actiuam Sacramentorum.

§. I.

Vtrùm excommunicatus validè recipiat Sacramenta, aut peccet, vel incurrat aliquam pœnam recipiendo.

TRia principaliter quæram in hoc §.

Primò, vtrùm excommunicatus validè recipiat Sacramenta.

Secundò, vtrùm peccet recipiendo.

Tertiò, vtrùm aliquam pœnam incurrat.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An excõmunicatus validè recipiat sacramenta.

1 EXcommunicatus validè recipit sacramenta, quoad substantiam, nisi fortè quis excipere velit pœnitentiæ Sacramentum. Ita Suarez *loco cit. sect. 3. nu. 1.* Vasquez *dub. 4.* Henriquez *lib. 13. cap. 10. num. 1.* Auila *2. part. cap. 6. disp. 3. dub. 4.* Filliucius *tract. 12. cap 3. quæsito 3.* Reginaldus *lib. 32. num. 4.* Vgolinus, & alij communiter. Ratio est, tum quia sacramenta sunt valida, quoties adest debita forma, & materia cum intentione ministri, & suscipientis; sed quando excommunicatus recipit sacramenta, adest materia, forma, ac intentio ministri, & suscipientis, vt suppono; ergo excommunicatus validè recipit sacramenta quoad substantiam: tum quia multa fieri prohibentur, quę tamen facta tenent, vt patet ex regulis iuris: tũ quia versamur in materia odiosa, quæ strictè explicanda est; cùm autem iura repellant excommunicatum à sacramentis per verba prohibitoria, & non irritantia, non est ratio, cur nos dicamus sacramenta suscepta ab excommunicato esse irrita, quo ad substantiam.

Dixi, *quo ad substantiam*, quia si loquamur de effectu Sacramentorum, certum est excommunicatum non semper validè recipere sacramenta quo ad effectum, id est, quo ad gratiam [tum quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui: tum quia] quoties aliquis recipit Sacramentum, & in eius susceptione committit peccatum mortale, ponit obicem ad gratiam; qui autem ponit obicem, ad gra-

tiam, non recipit gratiam, vt est communis DD. sententia; qui verò absque peccato recipit Sacramẽtum, recipit etiam gratiam, cum non ponat obicem per peccatum ad illam.

Dixi, *nisi fortè quis excipere velit pœnitentiæ Sacramentum:* quia vtrùm excommunicatus validè recipiat Sacramentum pœnitentiæ, non solùm quo ad fructum, verùm etiam quo ad substantiam, grauissima difficultas est inter DD. Pro cuius difficultatis intelligentia

Præmittendum est nos hìc non loqui de excommunicato, qui confitetur peccata sua, sed ante absolutionem peccatorum obtinet absolutionem excommunicationis; hoc enim fieri posse constat quotidiano vsu, & praxi; nec Confessarius audiens huiusmodi pœnitentem incurrit minorem excommunicationem; cùm ex causa iusta cõmunicet cum excommunicato, vt benè ait Nauar. *c.10. n.3.* Auila *2. parte c.6. disp.3. dub.4. in principio, & disp.11. dub.2.* Coninchus *disp. 14. dub.5. num.22.* & alij communiter; sed loquimur solùm de eo, qui petit absolutionem à peccatis, antequam absoluatur ab excommunicatione, siue inuincibiliter ignoret se esse excommunicatum; siue vincibiliter, & culpabiliter. Hoc posito ad propositam difficultatem

Respondeo, quemcumque excommunicatum validè recipere Sacramentum pœnitentię, non solùm quoad substantiam, verum etiam quoad effectum, quoties inculpabiliter ignorat, se esse excommunicatum, aut quoties scit quidem se esse excõmunicatum, sed inuincibiliter ignorat esse peccatũ mortale accedere ad Sacramentum pœnitentiæ suscipiendum cum excommunicatione. Ita Vgolinus *tab. 2. cap.7.§.2.* Henriquez *lib.13.c.12. num.2.* Emanuel Sà *verb. Absolutio, num.16.* Filliucius *loco cit. quæs.3. num.59.* Coninchus *loco cit. num.26.* Suarez *sect.3. num.9.* Sayrus *lib.2. cap.2. num.5.* Valent. *tomo 4. disp.7. q. 11. p.3. circa principium, & quæst.17. punct.2. columna mihi 1410.* [Alterius *lib.1. disp.6. c.5. col.5. & 6.*] & alij, apud Vasq. *dub.4.* & apud Reginaldum *lib.6. nu.172.* contra Syluestrum *verb. Confessio 1. quæst.3.* Vasquez *loco citato, dub.9.* & alios, apud præcitatos DD.

Quòd validè recipiat quoad substantiam, patet, tum quia adsunt omnia de substantia sacramenti pœnitentiæ, adest enim materia, forma, intentio, & iurisdictio; ergo validè recipit Sacramentum pœnitentiæ, quoad substantiam: tum quia iura non magis reddunt excommunicatum incapacem sacramenti pœnitentiæ, quam reliquorum Sacramentorum; sicut ergo excommunicatus validè recipit alia sacramenta, ita etiam validè recipit Sacramentum pœnitentiæ.

Quòd verò recipiat etiam quoad effectum gratiæ, & remissionis peccatorum, patet, tum quia res, quæ culpa caret, in damnum vocari non debet, *cap.2. de constitutionibus*; tum quia, quando ponitur Sacramentum quo ad substãtiam, & non ponitur obex ad gratiam per peccatum, recipitur effectus Sacramenti pœnitentiæ, qui est gratia, & remissio peccatorum; in hoc autem casu supponimus excommunicatum non ponere obicem ad gratiam, eò quòd inculpabiliter ignoret se esse excommunicatum, vel esse peccatum mortale accedere ad Sacramentum pœnitentiæ cum excommunicatione.

Hinc patet primò, falsum esse, quod aliqui asseruerunt, inualidum esse Sacramentum ab excommunicato susceptum defectu iurisdictionis in absoluente: sacerdos enim non priuatur sua iurisdictione per censuram, & excommunicationem pœnitentis, alioquin censura pœnitentis esset pœna Confessarij absoluentis.

Secundò patet falsum esse, quod aliqui asseruerunt, Sacramentum pœnitẽtiæ susceptum ab excommunicato, inualidum esse ratione incapacitatis ipsius excommunicati; nam Ecclesia eo modo prohibet excommunicato recipere Sacramentum pœnitentiæ, quo prohibet recipere cetera sacramenta; sed non ita prohibet excommunicatum recipere cetera sacramenta, vt faciat illum incapacem ad ea recipienda, vt dictum est *in 1. propositione*; ergo neque facit illum incapacem sacramenti pœnitentiæ; ergo excommunicatus potest validè recipere Sacramentum pœnitentiæ, non solùm quoad substantiam, verum etiam, quo ad fructum; modò illud recipiat bona fide, inculpabiliter ignorans se esse excommunicatum, &c.

Si verò culpabiliter mortaliter ignorat se esse excommunicatum, non recipit Sacramentum pœnitentiæ. Ita Suarez *loco cit. concluſ.2.* Henriquez *lib.13. cap.12. num.2.* Vgolinus *tab.2. cap.7.§.2. n.6.* Sayrus *lib.2. cap.2. nu.2.* Filliucius *loco citat.* Coninchus *num.29.* & alij. Ratio est, quia recipiẽs Sacramentum pœnitentiæ, culpabiliter ignorans se esse excommunicatum, aut esse peccatum mortale, accedere cum excommunicatione ad Sacramentum pœnitentiæ, committit nouum mortale peccatum; qui autem committit mortale peccatum in susceptione sacramenti pœnitentiæ, non recipit sacramentum pœnitentiæ, vt ostendimus *de pœnitentia*; quamuis Nauarrus *cap.9. numero 3.* & alij, quos sequitur Auila *2. part. cap.6. disputat. 3. dub. 9. concluſ 2.* absque sufficienti fundamento existiment excommunicatum recipere sacramentum pœnitentię informe, dum illud recipit, ignorans culpabiliter mortaliter se esse excommunicatum, vel esse peccatum mortale accedere cum excommunicatione, modò ignorantia non sit affectata.

2 An aliquis possit aliquando absolui à peccatis, quamuis nondum fuerit absolutus à censura.

2 Ex dictis colligi potest primò, dari posse casum, vt aliquis absoluatur à peccatis, quamuis nondum fuerit absolutus à censura, vt accidit quando quis inculpabiliter confitetur peccata sua, nescíens se ligatum esse censura, vel quando in confessione inculpabiliter oblitus est censuræ, à qua non poterit per illum Confessarium absolui, vel quando Confessarius malitiosè absoluit pœnitentem à peccatis cum intentione non absoluendi à censuris; in his tamen casibus pœnitens, postquam cognouerit se irretitum esse censura, satisfacit petendo absolutionem censuræ, & confitendo peccatum cui est adnexa censura, quam per obliuionem prętermiserat in confessione; nisi fortè confessus sit Confessario habenti facultatem absoluendi ab illa censura, & ab eo obtinuerit generalem absolutionem, tunc enim non tenetur exprimere peccata, vt absoluatur à censura, sed vt integrè confiteatur peccata, vt patet ex supradictis [*disputat. 1. quæst.3. punct.6. num.6.*]

3 An valida sit confessio eius, qui accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, sciens se excommunicatum.

3 Secundò, eum, qui accedit ad Sacramentum pœnitentię, sciens se esse excommunicatum, sciensque esse peccatum mortale sic accedere, non recipere Sacramentum pœnitentiæ, nec illius confessionem validam esse. Ratio est, tum quia ponit obicem ad gratiam actualiter peccando; tum quia confessio non est integra formaliter, cùm taceat se accedere cum excommunicatione, vel, si hoc non tacet, saltem non habet debitum dolorem, & propositum, non enim sufficienter dolet de peccato, quod tunc committit; materia autem sacramenti pœnitentiæ est confessio integra formaliter, & dolor cum proposito cauendi peccata. Ita Suarez *disp.10. sect.3. numer.7.* Coninchus *loco cit.* & alij communiter, quos refert, & sequitur Sayrus *lib.2. cap.2. num.2.* & ego retuli *de pœnitentia.*

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An excõmunicatus peccet recipiendo Sacramẽta.

4 EXcommunicatus, etiam toleratus, regulariter loquendo, peccat mortaliter suscipiendo aliquod Sacramentum. Ita S. Thom. *2.2. quæst.49. art.1.* Nauarrus *cap.27. num.18.* Sayrus *lib.2. cap.1. nu.2.* Suarez *disput.10. sect.1. num.1.* Henriquez *lib.13. cap.7. nu.1.* Vgolinus *tab.2. c.7. num.1.2. & 3.* Filliucius *tract.12. cap.3. quæsito 1.* & alij. Ratio est, quia excommunicatus prohibetur suscipere sacramẽta; ergo grauiter peccat suscipiendo, cùm faciat contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, materia enim Sacramentorum grauis est; antecedens patet ex *cap. cùm illorum, & cap. si quem. de sentent. excomm. & cap. si celebrat, de Cler. excomm. miniſt.* [Quot autem peccata committat excommunicatus, suscipiendo sacramentum, constat ex dictis *de Sacramentis disp.4. quæst.6. punct.1. num.34.*]

Dixi, *regulariter loquendo*, nam aliquando potest excusari ob ignorantiam, vel necessitatem, vt ob vitandam infamiam, vel scandalum, vel mortis periculum, quod alia ratione, seu probabili excusatione vitare non potest. Ratio est, tum quia Ecclesia non obligat cum tãto incommodo; tum quia præceptum naturale præponderat præcepto Ecclesiæ. Ita Sayrus *lib.2. c.3. n.28.* Suarez *loco cit. n.4.* Coninch. *n.31.* Filliucius *nu.56.* [Alterius *lib.1. disp.6. cap.6.*] Nauarrus Sotus, & alij communiter.

Ex quo infertur, huiusmodi excommunicatum, suscipientem sacramenta in prædictis casibus, non solùm excusari à peccato, verùm etiam à pœna, quæ supponit peccatum mortale.

TERTIA PROPOSITIO.

5 An excõmunicatus incurrat aliquam pœnam recipiendo Sacramenta.

5 EXcommunicatus, recipiens sacramenta, non incurrit aliquam pœnam, excepta susceptione sacramenti Ordinis. Ratio est, quia nulla pœna extat in iure expressa contra recipientes sacramenta in excommunicatione.

Vtrum verò administrans sacramenta in excommunicatione afficiatur aliqua pœna, paulò post dicam.

Dixi, *excepta susceptione Sacramenti Ordinis*, nam excommunicatus suscipiendo sacros Ordines incurrit irregularitatem, vt infra ostendam. Ita Suarez *loco cit. sect.3. num.6.* Henriquez, Valent. Rodriquez, Auila, Vgolin. & alij, quos referam *de irregularitate*, quibus adde Filliucium *loc. cit. num.54.* Coninch. *num.32.* [& Alterium *lib.1. disput.6. cap.3. quæs.2. & cap.5. col.2.*]

§. II.

Vtrùm administrans Sacramenta excommunicato grauiter peccet, & incurrat aliquam pœnam.

TRiplex difficultas in hoc §. discutienda est.

Primò, vtrùm administrans sacramenta excommunicato tolerato peccet.

Secundò, vtrùm peccet administrando sacramenta excommunicato vitando.

Tertiò, vtrùm incurrat aliquam pœnam.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An minister Sacramenta excommunicato tolerato peccet.

1 SAcerdos administrans sacramenta excommunicato tolerato, seu non vitando, non peccat ex vi censuræ. Ratio est, quia nulla extat prohibitio Ecclesiæ, qua sacerdos prohibeatur sacramenta ministrare excommunicato tolerato: nam Concilium Constantiense facultatem fecit fidelibus cõmunicandi cum excõmunicatis toleratis in rebus sacris, & sacramentis; Concilium autem Constantiense non præsumitur facultatem fecisse ad aliquid illicitum.

Dixi, *ex vi censuræ*; nam si respiciamus ius naturale ac diuinum, grauiter peccat sacerdos præbendo sacramenta excommunicato, quamuis tolerato; nam quicumque excommunicatus indignè petit sacramenta: iure autem naturali diuino non sunt administranda sacramenta indignè petenti, nisi fortè petens sit peccator occultus, & publicè petat, vt patet ex dictis *de Sacramentis.* Ita Vasquez *dubio 2. ad finem*, [Alterius *lib.1. disput.6. cap.4. colum.4. & 5. & disput.7. cap.2. colum.3.*] Suarez, Filliucius, & alij *locis* statim *citandis*, & alij communiter.

Obiicies. Concilium Constantiense permittit communicare cum excommunicato tolerato in diuinis, & sacramentis; ergo ministrans sacramenta excommunicatis non vitandis nulla ratione peccat, alioquin nullus fauor fuisset ei collatus in Concilio Constantiensi.

Respondeo, Concilium abstulisse prohibitionem Ecclesiasticam, non verò naturalẽ, quam nõ poterat auferre, propterea sacerdos, ministrans sacramenta excõmunicato tolerato, non peccat contra prohibitionem Ecclesiæ, cùm hæc fuerit ablata in Concil. Cõstantiensi, sed peccat contra ius naturale diuinum, vt benè ait Suarez *disput.10. sect.2. n.12.* Vasquez *tractatu de excommunicatione dub.2. n.12.* Filliucius *num.65. versic. at dices*, [Alterius *cap.1. sub finem*,] & alij.

2 An ministrans Sacramenta excommunicato occulto incurrat aliquam pœnam.

2 Ex dictis colligi potest, sacerdotem ministrantem sacramenta excommunicato occulto, non incurrere aliquam censuram, vel pœnam. Ratio est, tum quia nulla censura, vel pœna incurritur, nisi sit in iure expressa; in iure autem non est expressa vlla pœna contra Sacerdotem ministrantem sacramenta excommunicato tolerato, & non vitando: tum quia censura supponit peccatum contra prohibitionem

tionem Ecclesiæ, administrans autem sacramenta excommunicato tolerato non facit contra prohibitionem Ecclesiæ, vt ostensum est.

3An Sacerdos possit credere excommunicato petēti Eucharistiam, & dicenti se esse absolutum.

3 Quæres primò, vtrùm sacerdos credere possit excommunicato occulto petenti Eucharistiam, & dicenti se absolutum esse.

Respondeo posse, modò excommunicatus sit fide dignus; immo, quamuis non asserat se ablolutum esse, potest sacerdos præsumere eum esse absolutum eo ipso, quo petit Eucharistiam, nisi manifestè constet contrarium, aut nisi periculum immineat scandali, vel alterius incommodi: nullus enim præsumitur velle delinquere. Ita Nauarr. *cap.* 27. *num.* 36. Suarez *disp.* 10. *sect.* 2. *num.* 12. Filliucius *tract.* 12. *cap.* 3. *num.* 65. & alij.

4An sacerdos peccet ministrādo sacramēta excommunicato, quando ipse excommunicatus non peccat petēdo.

4 Quæres secundò, vtrùm Sacerdos peccet administrando Sacramenta excommunicato tolerato, quando ipse excommunicatus non peccat petendo, vt quando petit ob necessitatem vitandæ infamiæ, vel scandali, &c.

Respondeo non peccare; nam ratio cur Sacerdos peccet contra ius naturale diuinum administrando sacramenta excommunicato tolerato, est, quia excommunicatus indignè petit; sed quando excommunicatus petit ex necessitate, non petit indignè; ergo sacerdos non peccat ministrando. Ita Suarez *disputat.* 10. *sect.* 2. *num.* 13. Filliucius *tract.* 12. *cap.* 3. *quæsito* 4. [Alterius *lib.* 1. *disp.* 6 *cap.* 4.] & alij contra Vasquez *dub.* 3. *num.* 8.

Vtrùm verò licitum sit administrare sacramenta excommunicato nescienti, vel non aduertenti se excommunicatum esse, aut esse peccatum mortale accedere ad sacramenta suscipienda in excommunicatione, patet ex dictis de sacramentis non esse licitum; cooperatur enim actioni illicitæ, licet excommunicatus excusetur à culpa ob ignorantiam.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 An sacerdos peccet ministrādo sacramēta excommunicato vitando.

5 SAcerdos peccat mortaliter ex vi censuræ, ministrando Sacramenta excommunicatis vitandis. Ita communiter DD. Ratio est, quia Ecclesia prohibet communicationem cum excommunicatis vitandis, *cap. significasti. de sententent. excommunicationis*, & alibi; sed sacerdos administrans sacramenta excommunicatis vitandis, communicat cum ipsis excommunicatis; ergo grauiter peccat, facit enim contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, nisi forte excusetur ob necessitatem, vel ob aliam iustam causam.

6 An sacerdos peccet ministrādo sacramēta excommunicato vitando ignoranti se esse excōmunicatū.

6 Quæres, vtrùm sacerdos administrans sacramenta excommunicato vitando ignoranti se esse excommunicatum, peccet.

Respondeo affirmatiuè, facit enim contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, cùm fidelibus prohibita sit communicatio cum excommunicato vitando; ipse verò excommunicatus, quia sacramenta recipit ignorans se excommunicatum, non peccat, nam ipsum ignorantia excusat.

TERTIA PROPOSITIO.

7 Quam pœnam incurrat ministrans sacramenta excommunicato vitando.

7 MInistrans sacramenta excommunicato vitando, præter mortale peccatum, incurrit primò minorem excommunicationem, hanc enim fideles incurrunt participando cum excommunicatis vitandis.

Secundò incurrit ipso iure interdictum ab ingressu Ecclesiæ, *cap. Episcoporum, de priuilegiis in 6.* vbi imponitur interdictum ab ingressu Ecclesiæ iis qui excommunicatos, [vel interdictos admittere præsumunt ad sacramenta, vel diuina officia, vel ad sepulturam Ecclesiasticam.] Ita DD. suprà cit. qui tamen excipiunt assistentem matrimonio excommunicati vitandi: Sacerdos enim assistens matrimonio, non dicitur strictè loquendo minister matrimonij, vt suo loco dictum est.

Addo, latam esse excommunicationem Papæ reseruatam *in cap. significasti. de sententia excommunicationis*, cōtra Clericos in diuinis officiis participātes cum excommunicatis a Papa; ad quam excommunicationem incurrendam nonnullæ conditiones requiruntur.

Prima est, vt participans sit Clericus.

Secunda, vt sciat illum, cum quo participat, esse excommunicatum à Papa.

Tertia, vt sponte participet, id est, sine metu, & timore; textus enim dicit, *scienter, & sponte*.

Quarta, vt participet cum excommunicato nominatim declarato, & denuntiato, nam post Concilium Constantiense non tenemur euitare excommunicatos nondum denuntiatos. Immò cum in præfato cap. sermo sit de nominatim excommunicatis, vel denuntiatis, non videtur hæc pœna extendenda ad eum, qui publicum Clerici percussorem, sed nondum denuntiatum admittit ad diuina. Ita Coninchus *loco* statim *citando*.

Quinta vt participet recipiendo illum in diuinis officiis, nam si Clericus non admittat excommunicatum ad diuina officia, sed tanquam vnus de populo simul cum eo interfit diuinis officiis, non incurrit prædictam excommunicationem, sed tantummodò minorem, sicut ceteri. Ita Nauarr. *cap.* 27 *num.* 93. Suarez *loco cit. num.* 9. Gambarupta *cap.* 6. *fol.* 136. Caietanus *verb. Excommunicatio cap.* 58. Auila 2. *part. cap.* 6. *disp.* 10. *dub.* 2. Coninch. *disp.* 14. *num.* 33. Filliucius *quæsito* 5. *num.* 66. Sylvest. Caietan. & alij communiter apud præcitatos DD.

§. III.

Vtrùm Sacramenta administrata ab excommunicato tolerato valida sint.

DVo principaliter quæram in hoc §. Primò, vtrùm sacramenta administrata ab excommunicato tolerato valida sint.

Secundò, vtrum petens sacramenta ab excommunicato tolerato peccet.

PRIMA PROPOSITIO.

1An sacramenta administrata

1 SAcramenta administrata ab excommunicato tolerato valida sunt. Ita Vasquez *tract. de excommunicatione dub.* 3. [Alterius *lib.* 1. *disp.* 8. *cap.* 1. *& seq.*] Suarez, & alij communiter *locis citatis*. Ratio est, quia sacramenta valida sunt, quoties adest materia, forma, & intentio ministri; sed hæc omnia adsunt, vt suppono, dum excommunicatus toleratus administrat sacramenta; ergo sacramenta ab excommunicato tolerato administrata, valida sunt. ab excommunicato tolerato valida sint.

2An validū sit matrimonium, cui astitit Parochus excommunicatus.

2 Hinc sequitur primò, validum esse matrimonium, cui astitit Parochus excommunicatus toleratus. Ita Vasquez *loco citat. dub.* 4. *nu.* 2. & alij communiter, quos retuli de matrimonio. Immo etiam validum est matrimonium, cui astitit Parochus excommunicatus, non solùm toleratus, verùm etiam vitandus, vt ostendi *de matrimonio quæst.* 2. *punct.* 8. *num.* 15. contra Auilam 2. *part. cap.* 6. *dub.* 1. *conclus.* 5.

3An validū sit Sacramentum Pœnitentiæ administratum ab excommunicato.

3 Secundò, Sacramentum Pœnitentiæ administratum à sacerdote, excommunicato tolerato, validum esse, non tantum ex parte iurisdictionis, cum sacerdos excommunicatus toleratus non priuetur iurisdictione, sed etiam ex parte pœnitentis, cùm pœnitens non peccet communicando cum excommunicato tolerato, [ob priuilegium Concilij Constantiensis.] Ita Henriquez *lib.* 13. *cap.* 6. *n.* 3. Saytus *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 8. Filliucius *quæsito* 7. [Alterius *cap.* 8. & alij.]

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An petēs sacramēta. ab excommunicato tolerato, mortaliter peccet.

4 PEtens sacramenta ab excommunicato tolerato non peccat mortaliter, non solùm quando ignorat illum esse excommunicatum (tunc enim certum est excusari à peccato, ratione ignorantiæ,) sed etiam quando scit illum esse excommunicatum, siue excommunicatus sit proprius Parochus, siue alius sacerdos, siue adsit necessitas petendi, siue non, siue ille sacerdos excommunicatus sit paratus administrare sacramenta, siue non. Ita Sanchez *de matrimon. lib.* 7. *disp.* 9. *num.* 8. [Alterius *lib.* 1. *disput.* 7. *cap.* 2. *col.* 2.] Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 4. Ledesm. Lopez, Driedo, & alij apud Vasquez *dub.* 2. & 3. & apud Sanchez *loco cit.* quorum sententia, quamuis sit contra Vasquez *dub.* 3. *num.* 2. Henriquez *loco cit.* Nauarrum *cap.* 9. *num.* 10. Suarez *disp.* 11. *sect.* 4. Sayrum *loco citato*, *num.* 9. Valentiam *tom.* 4. *disput.* 7. *quæst.* 11. *punct.* 3. *vers. aliàs autem*, & alios, probabilissima mihi semper visa est. Ratio est, tum quia petens vtitur iure suo: tum quia Cōcilium Constantiense facultatem fecit fidelibus cōmunicandi in sacramentis, & quibuscumq; diuinis cum excommunicatis, suspensis, interdictis vel irregularibus toleratis ad euitanda scandala, scrupulos, & animarum pericula; ergo fideles possunt petere sacramenta ab excommunicatis toleratis, siue sint proprij sacerdotes, siue alij, siue adsit necessitas, siue non, &c. alioquin non dicerentur habere facultatem communicandi cum excommunicatis toleratis in quibuscumque diuinis, nec euitarentur scandala, scrupuli, & animarum pericula, cùm petens ferè semper dubitare possit, an adsit necessitas petendi sacramenta, an sacerdos sit paratus administrare, &c.

5 An Parochiani possint petere celebrationem Missæ à Parocho excommunicato.

5 Hinc patet solutio illius difficultatis, quā quæritur, vtrùm Parochiani petere possint celebrationem Missæ à suo Parocho excommunicato occulto, vt Missam audiant in die festo; de qua re fusiùs disputat Suarez *disp.* 11. *sect.* 4. *n.* 13. & Filliucius *tract.* 12. *cap.* 3. *quæs.* 7. *n.* 73.

Obiicies contra secundam propositionem. Petens sacramenta ab excommunicato cooperatur peccato illius, eo quòd excommunicatus toleratus peccet administrando sacramenta; qui autem cooperatur peccato alterius, peccat; ergo petens sacramenta ab excommunicato tolerato peccat.

Respondetur petentem non cooperari peccato sacerdotis administrantis, cùm ipse sacerdos petitus non peccet ministrando, (modò præmittat dolorem de peccatis, nec possit absolutionem excommunicationis obtinere ante administrationem sacramentorum, nec ipse sese ingerat sua sponte ad ministranda sacramenta, sed potiùs administret.)

Ratio est, quia Concilium Constantiense, cùm tradat fidelibus facultatem communicandi cum excommunicato tolerato, videtur indirectè concessisse, ne excommunicatus toleratus peccet communicando, & administrando sacramenta, quando petitur ab aliis fidelibus, alioquin, si excommunicatus toleratus peccaret, tenerentur ceteri fideles abstinere à participatione cum excommunicato ad euitandum illius peccatum, consequenter non censeretur fidelibus concessa facultas communicandi cum excommunicato tolerato in sacramentis, & quibuscumque diuinis. Quare decretum Concilij Constantiensis videtur directè positum in fauorem fidelium, & indirectè in fauorem excommunicati tolerati quatenus expedit, & necesse est, vt fideles turè vtantur priuilegio participandi, & cōmunicandi cum excommunicato tolerato. Ita Doctores citati, & idem sentire videntur Suarez *disp.* 15. *sect.* 13. *n.* 12. *ad finem*. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 55. *num.* 2. Reginald. *lib.* 1. *num.* 166. vbi refert Sotum, & Nauarrum.

Vtrum verò recipiens sacramenta ab excommunicato tolerato non contrito, potente præmittere contritionem, aut obtinere absolutionem, peccet, [colligitur ex dictis *numer.* 1. &] patet ex dictis de sacramentis, de suscipiente sacramenta à sacerdote indignè administrante. Ad ibi dicta vos remitto, ne hic prolixior sim, aut eadem sæpiùs repetam.

6An peccet recipiens sacramēta ab excommunicato parato administrare

6 Rogabis vtrùm recipiens sacramenta ab excommunicato parato sua sponte administrare, peccet, eò quòd videatur cooperari peccato illius.

Respondeo cum Sanchez *loco citat.* Vasquez *dub.* 3. *num.* 4. & aliis, non peccare, nec dici cooperari peccato excommunicati, quia nemo censetur cooperari peccato alterius alias parati, quoties permittit peccatum illius, vt suo commodo, & vtilitati consulat; sicut neque peccat petens nummos ab vsurario parato dare ad vsuram nummos, quibus ipse petens indiget, nam petens dicitur potius permittere peccatum vsurarij, & vti iure suo, quàm cooperari peccato illius. Vide, quæ in simili dixi *de peccatis, & de pœnitentia*.

§. IV.

Vtrùm Sacramenta administrata ab excommunicato vitando valida sint.

QVatuor principaliter disputabo in hoc loco. Primò vtrùm Sacramenta ab excommunicato vitando administrata valida sint. Secundò, vtrùm excommunicatus vitandus incurrat aliquam pœnam administrando Sacramenta.

Tertiò, vtrùm petens, vel recipiens Sacramenta ab excommunicato vitando peccet.

Quartò, vtrùm incurrat aliquam pœnam.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An valida sint Sacramenta administrata ab excommunicato vitando.

1 QVælibet Sacramenta ab excommunicato vitando administrata valida sunt, excepto Pœnitentiæ Sacramento. Hæc propositio probatur eadem ratione, qua probata fuit prima propositio præcedentis §.

Dixi, *excepto pœnitentiæ Sacramento*, quia Sacramentum pœnitentiæ, administratum ab excommunicato non tolerato extra necessitatem, inualidum est. Ita Vgolinus *tab.1.c.13.§.16.* Suarez *loco cit.* Sayrus *lib.2.cap.2.num.11.* Henriquez *lib.13.c.10.n.2.* Vasquez *tractatu de excommunicatione dubio 4.* Filliucius *c.3.quæsito 9.* Reginald. *lib.32.nu.7.* Coninch. *disp.14.dubio 5.n.34.* & alij [communiter, teste Alterio *lib.1. disp.8.c.7.col.3.*] Ratio est, quia excõmunicatus vitandus caret iurisdictione; ad Sacramentum autem pœnitentiæ validè administrandum requiritur iurisdictio, & non sufficit potestas ordinis.

2 An sit iteranda confessio facta excõmunicato vitando.

2 Hinc sequitur primò, confessionem factam excommunicato vitando, iterandam esse, & præterea exprimẽdum esse peccatum, quod pœnitens commisit communicando in sacris cum excommunicato vitando, nisi fortè excusetur à peccato ratione ignorantiæ.

3 An confessio facta excommunicato vitando valida sit, quãdo pœnitens ignorabat sacerdotem esse excõmunicatũ vitandum.

3 Secundò, confessionem factam excõmunicato vitando inualidam esse, etiamsi pœnitens ignoraret ipsum esse excommunicatum. Ita Henriq. *loco cit.* Suarez *disp.40.sect.2.* & alij communiter. Ratio est, quia excommunicatus vitandus caret iurisdictione, quæ necessaria est ad validam absolutionem.

Hoc tamen intelligitur cum duplici limitatione. Prima est, modò confessio non fuerit facta in eo loco, in quo Sacerdos ignorabatur esse excommunicatus, & ex cõmuni errore, ac titulo colorato habebatur pro legitimo Sacerdote, tunc enim ius supplet iurisdictionem, vt ostendi *in tractatu matrimonij, q.2.punct.8. ex l.Barbarius, ff. de officio prætoris.* Ita præter DD. ibi citatos, sentit Vgol. *tab.1.cap.13.§.16.n.12.* Suarez *de censuris, disp.11.sect.2.n.14.* Filliucius *loc.cit.nu.78.* Coninch. *disp.14.dub.10.n.88.* [& Alterius *lib.1.disp.8.sub finem.*]

Secunda est, modò confessio facta non fuerit in articulo mortis, nam Sacramentum Pœnitentiæ, administratum à quolibet excommunicato in articulo mortis, validum est, etiamsi administrans sit excommunicatus ob hæresim, vel ob aliud quodcumque delictum, vt patet ex supradictis *de absolutione à censuris in articulo mortis.* [*disp.1.quæst.3.punct.3.*] Ita Caietanus *verb.absolutio.* Auilia *2.part.c.6.dub.3.disp.3.col.4.* Sayrus *lib.2.c.18.* Filliucius, & Reginald. *loco cit.* [Alterius *lib.1.disp.8.c.7.col.5.*] & alij, quos citat, & sequitur Suarez *disp.11. sect.1.nu.14.* contra nonnullos alios; nam in articulo mortis nulla est reseruatio, & quilibet sacerdos potest absoluere, modò non adsit sacerdos approbatus, vel alius non excommunicatus, vt patet ex supradictis *locis citatis.*

4 An valida sint sacramẽtalia facta ab excommunicato vitando.

4 Quæres, vtrum sacramentalia facta ab excommunicato vitando valida sint.

Respondeo, non solùm sacramenta, sed etiam sacramentalia, facta ab excommunicato vitando, valida esse. Ratio est, quia sacramentalia pertinent ad ordinem sacerdotalem, vel Episcopalem, non verò ad iurisdictionem; quæ autem pertinent ad ordinem, validè fiunt ab excommunicato; cum Ecclesia non auferat illi potestatem ordinis; quamuis auferat potestatem iurisdictionis.

5 An consecrationes, & aliæ benedictiones validè fiant ab excommunicato vitando.

5 Hinc patet, quid dicendũ sit de consecrationibus, vel benedictionibus ab Ecclesia introductis, dicendum enim est eas validè fieri ab excõmunicato vitando, eò quòd pertineant ad potestatem ordinis. Ita Sylvest. *verb.consecratio 2.n.6.* Tabiena *eodem verbo, nu.8.* Sayrus *lib.2.cap.1.n.11.* & alij communiter, teste Suarez *disp.11.sect.2.num.9.*

SECVNDA PROPOSITIO.

6 Quam pœnam incurrat excommunicatus vitandus administrãdo Sacramẽta, aut celebrando.

6 EXcommunicatus incurrit irregularitatem administrando sacramenta, vel celebrando, [seu exercendo actum proprium ordinis. *cap.quis Episcopus 11.q.1. & cap.is cui, de sent.excomm.*] nisi fortè excusetur ob ignorantiam probabilem, vel inaduertentiam suæ excommunicationis, vel ob aliam iustam causam, vt patet ex dictis de causis excusantibus ab incurrendis censuris, & patebit ex dicendis *de suspensione, interdicto, & de irregularitate.* Videri possunt præcitati Doctores, [& quæ infrà tradam *de irregularitate.*]

TERTIA PROPOSITIO.

7 An petens, aut recipiens Sacramenta ab excõmunicato vitando grauiter peccet.

7 PEtens, aut recipiens sacramenta ab excommunicato vitando extra necessitatem grauiter peccat. Ita communiter DD. Ratio est, quia facit contra prohibitionem, & obligationem censuræ in materia graui, communicando in diuinis cum excommunicato vitando; vrgente verò necessitate non peccat, quia Ecclesia non obligat cum graui incommodo.

Hinc sequitur primò licitum esse accipere Baptismum ab excommunicato vitando, hoc enim est Sacramentum maximæ necessitatis, iuxta illud, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Ita Vgolinus *tab.1.c.13. §.17.* Filliucius *tract.12.c.3.quæsito 6.* & 8. Suarez *disp.11.sect.1.* & plures alij apud Sayrum *lib.2. cap.2.num.12.* [& apud Alterium *lib.1. disp.7. cap.3. & seqq.*]

8 Quinam ordo seruandus sit in ministrando Baptismo, quando adsunt plures sacerdotes excommunicati.

8 Si quæras, quinam ordo seruandus sit in suscipiendo, vel administrando Baptismo, quando adsunt plures sacerdotes excommunicati. Respondetur solutionem istius quæsiti colligi posse ex dictis de absolutione censurarum in articulo mortis, nam præsente Parocho excommunicato, & aliis sacerdotibus similiter excommunicatis, Sacramentum administrandum est à Parocho, cùm hoc onus illi incumbat ex officio, nec illi auferatur, vrgente necessitate, etiam præsentibus aliis excommunicatis. Secus dicendum videtur, quando Parochus est excommunicatus, sed reliqui sacerdotes non sunt excommunicati; tunc enim Sacramentum administrandum est ab aliquo sacerdote non excommunicato, cùm Parochus iurisdictionem habeat impeditam per excommunicationem. Similiter præsente sacerdote excommunicato, & Diacono similiter excommunicato, Baptismus administrandus est potius à sacerdote, quàm à Diacono; sacerdos enim est potior iure, & ceteris paribus præferendus est, præsente verò sacerdote excommunicato, & Diacono non excommunicato, existimo cum Sylvestro *verb.Baptismus 3.n.1.* Nauarr. *c.22.num.7.* & Suarez *disp.11.sect.1.n.12.* contra Sayrum *lib.2.c.2.n.16.* Vgolinum *tab. 1.cap.13.§.17.n.10.* & alios, Baptismum administrandum esse à Diacono, vel alio non excommunicato; excommunicatus enim repellitur ab Ecclesia, & prohibetur administrare Sacramenta extra necessitatis articulum; non censetur autem articulus necessitatis, quando adest aliquis non excommunicatus sciens, petens, ac volens administrare Sacramentum Baptismi. Baptismo, quãdo adsunt plures sacerdotes excommunicati.

Secundò, licitum esse accipere Eucharistiam in articulo mortis ab excommunicato vitando. Ratio est, tum quia non est credibile Ecclesiam velle obligare fideles ad vitandos excommunicatos cum tanto detrimento: tum quia licitum est in articulo mortis recipere Baptismum, vel Sacramentum Pœnitentiæ à quolibet sacerdote propter periculum animæ; sed hoc idem periculum videtur imminere, saltem quando infirmus non potuit recipere Sacramentum Pœnitentiæ, in quo casu, recipiendo Eucharistiam cum attritione, fieri potest ex attritione contritus, & potest gratiam recipere. Ita Suarez *disp.11. sect.2.n.18.* & alij, contra Sayrum *lib.2.cap.1.n.21.* Auilam *2.part.cap.6. disp.3.dub.3.* [Alterium *lib.1.disp.7.c.4.vers.vtraque,*] & alios.

Quod dictum est de Eucharistia dicendum puto cum Suar. *loc.cit. n.23.vers.de aliis* Filliuc. *quæst.8.n.76.* Coninch. *nu.34.* contra Sayrum [& Alterium] *de extrema Vnctione*, quando infirmus est incapax alterius sacramenti, nam recipiendo extremam Vnctionem potest fieri ex attrito contritus, & remissionem peccatorum obtinere.

QVARTA PROPOSITIO.

9 An recipiens Sacramenta ab excommunicato vitando incurrat aliquam pœnam.

9 REcipiens sacramenta ab excommunicato tolerato nullam pœnam incurrit. Ratio est, quia pœna incurritur propter delictũ; recipiens autem sacramentum ab excommunicato tolerato non delinquit, cùm non teneatur illum euitare; recipiens verò sacramentum ab excommunicato vitando, per se loquendo, incurrit tantummodò minorem excommunicationem, hæc enim incurritur à participantibus cum excõmunicato vitando, vt patebit ex dicendis.

Dixi, *per se loquendo*, quia fieri potest, vt in aliquo casu maiorem excommunicationem incurrat, vt patebit ex dicendis, aut incurrat suspensionem, vel irregularitatem, vt accidit in eo, qui recipit Ordines ab excommunicato vitando, quem constat remanere suspensum ab excutione Ordinum: *cap.cum illorum, §.fin. de sent. excom.* Ita Suarez *disp.11.sect.3.n.29.* Nauarr. *c.27.n.241.* Couar. *cap.alma mater 1.part.§. 6.* & alij apud Vgolinum *tab.2.c.7.§.4. ad finem.* & apud Henriquez *lib.13.c.10.num.1.*

PVNCTVM III.

Vtrùm excommunicatus priuetur rebus sacris, & sepultura.

TRia principaliter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm excommunicatus priuetur auditione Missæ, & quam pœnam incurrat audiendo.

Secundò, vtrùm priuetur aliis diuinis Officiis.

Tertiò, vtrum priuetur Ecclesiastica sepultura.

§. I.

Vtrùm excommunicatus priuetur auditione Missæ.

QVatuor principaliter explicabo in hoc loco. Primò, vtrùm excommunicatus priuetur auditione Missæ.

Secundò, quam pœnam incurrat audiendo Missam.

Tertiò, vtrum audiens Missam cum excommunicato grauiter peccet, & incurrat aliquam pœnam.

Quartò, quomodo se debeat gerere, qui interest Missæ, vel illam celebrat, dum eidem interest excommunicatus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An excõmunicatus priuetur auditione Missæ.

1 QVilibet excommunicatus ex vi excommunicationis priuatur auditione Missæ. Ita communiter DD. Ratio est, tum quia sic habetur *c.vlt. de sent.excom.in 6.* & in aliis iuribus, quæ Doctores statim citandi allegant: tum quia quilibet excommunicatus generaliter priuatur communione, & participatione in diuinis; ergo etiam priuatur auditione Missæ, quæ est participatio in diuinis.

2 An excõmunicatus audiens Missam grauiter peccet.

2 Hinc patet, audientem Missam tempore excommunicationis grauiter peccare, facit enim contra obligationem censurę in re graui, *cap.illud. de Cler.excommunic. & cap.is, qui. de sent.excommun.* nisi excusetur ob ignorantiam, vel ob necessitatem vitandi scandali, vel ob aliam iustam causam.

3 An excõmunicatus inseruiens Missæ, quãdo nõ adest alius grauiter peccet.

3 Ex quo fit excommunicatum inseruientem Missæ, quando nullus alius adest, qui inseruiat, non peccare, excusatur enim ratione necessitatis. Ita Suarez *disp.12.sect.1.n.3.* Filliucius *tract.12.c.4.quæsito 3. num.89.* [Alterius *lib.1.disputat.10.cap.2.* vbi hoc admittit in excommunicato tolerato, non in vitando.] Henriquez *lib.13.cap.7.num.2.* vbi plures alios citat. Qui verò secluſa necessitate, vel alia iusta causa assistit Missæ tempore excommunicationis, peccat mortaliter, quamuis excommunicatus sit surdus, vel cœcus, nam etiam surdus, vel

vel cœcus potest dici præsens moraliter, & communicare in diuinis cum Sacerdote. Ita Sayrus *lib. 2. cap. 3. num. 16.* Vgolinus *tab. 2. cap. 8. §. 3. num. 3.* Suarez, & Henriquez *loc. cit.*

4 An excõmunicatus peccet non audiendo Missam die festo, quãdo per eum stat, ne absoluatur.

4 Rogabis, vtrùm excommunicatus toleratus, siue non toleratus peccet mortaliter non audiendo Missam in die festo, quoties per ipsum stat, ne absoluatur, cùm facilè possit absolutionem obtinere.

Respondeo non peccare mortaliter ratione omissionis sacri præcisè. Ita Nauar. *c. 21. n. 3.* Vgolinus *tab. 1. cap. 13. §. 13.* Henriquez *loco cit.* Sayrus *loco citato, num. 24.* Auila *2. part. c. 6. disp. 4. dub. 7.* Suarez *tom. 3. disp. 88. sect. 6.* Coninch. *disp. 14. dub. 7. num. 56.* [Alterius *lib. 1. cap. 2. col. 1.*] & alij, contra Didacum Nugnum *3. p. q. 83. art. 6.* post secundum dubium, *§. dubium tamen, pag. mihi 520.* Ratio est, tum quia præceptum Ecclesiæ de Missa audienda cadit solùm super eos, qui non sunt impediti: excommunicatus autem censetur impeditus, cùm per excommunicationem prohibeatur participare in diuinis: tum quia Ecclesia non obligat excommunicatum ad obtinendam excommunicationis absolutionem, vt Missam audiat; imò potius illum priuat auditione Missæ in pœnam delicti: tum quia sequeretur infirmum, vel detentum in vinculis peccare mortaliter contra præceptum Missæ audiendæ, non procurando quàm primum sanitatem, vel liberationem à vinculis; sed hoc est falsum; ergo etiam falsum est excommunicatum peccare mortaliter contra præceptum Missæ audiendæ, non audiendo Missam in die festo, quam facilè posset audire obtenta excommunicationis absolutione.

5 An peccet, qui nõ procurat absolutionem excõmunicationis, vt Missam audiat, vel vt communicet tempore Paschatis.

5 Ex quo patet à fortiori, illum non peccare contra præceptum Missæ, qui non procurat suis expensis absolutionem, quam posset factis aliquibus expensis obtinere. Secus dicendum videtur de excommunicato, qui non cõfitetur, vel non communicat tempore Paschatis ob negligentiam in procuranda excommunicationis absolutione, hic enim videtur peccare contra præceptum confessionis, vel communionis, quia hoc præceptum est grauius, nec est tantummodò humanum, sicut est præceptum Missę audiendæ, consequenter strictius obligat ad remouenda impedimenta impedientia illius adimpletionem, quàm obliget præceptum positiuum Missæ in die festo audiendæ. Ita Nauarr. *loco cit. num. 34.* Auila *loco cit.* Nugnus *loco cit.* Coninchus *loco cit.* & alij; quamuis Henriquez *lib. 13. c. 7. n. 2.* oppositum sentire videatur. Vide quæ dixi *quæst. 1. de legibus punct. 7. & de præcepto Missæ punct. 13.*

SECVNDA PROPOSITIO.

6 An excõmunicatus audiẽs Missam incurrat aliquã pœnam.

6 EXcommunicatus, qui Missam audit, præter mortale peccatum, nullam pœnam incurrit. Ratio est, quia nulla pœna incurritur, nisi sit in iure expressa; nulla autem pœna extat in iure expressa contra excommunicatum audientem Missam.

Obiicies. Qui communicat cum excommunicato vitando, incurrit minorem excommunicationem; ergo etiam ipse excommunicatus eamdem pœnam incurrit communicando cum fidelibus in auditione Missæ.

Respondeo negando consequentiam, nam argumentum à pari, vel à fortiori in materia censurarum non valet, eò quòd sit materia odiosa, quæ non est amplianda, sed restringenda. Ita Suarez *loco cit.* & alij communiter.

7 Quã pœnam incurrat excommunicatus, qui curat coram se celebrari.

7 Verum tamen est primò, Sacerdotem excommunicatum, qui sua auctoritate est causa, vt Missa, vel alia diuina officia coram se celebrentur, incurrere irregularitatem, iuxta communem Doctorum sententiam *in cap. tanta. de excessibus Prælatorum, & cap. illud. de Clerico excommunicato ministrante.* Ita Vgolinus *tab. 2. cap. 8. §. 3. n. 3.* Sayrus *lib. 2. c. 3. n. 15.* Suarez *tom. 5. disp. 12. sect. 1. num. 5.* Filliucius *n. 97.* contra Ioan. Andream, quem citat Panormitanus *in cap. tanta, citato.* Ratio est, quia Sacerdos excommunicatus celebrando incurrit irregularitatem; ergo illam etiam incurrit, quando sua auctoritate est in causa, vt alter coram se excommunicato celebret, nam qui per alium facit, per se ipsum facere censetur. Secus dicendum est, quãdo ille, qui præcipit coram se celebrari, non est Sacerdos, tunc enim non valet illa ratio; nam ipse non potest celebrare, cõsequenter non dicitur per alium celebrare. Ad incurrendam igitur prædictam irregularitatem requiritur, vt ille, qui præcepit coram se celebrari, sit Sacerdos, & sit excommunicatus, & curet coram se celebrari; nam iura loquuntur de Sacerdote excommunicato curante coram se celebrari.

8 Quã pœnam incurrat excommunicatus, aut interdictus qui admonitus non vult exire ex Ecclesia.

8 Secundò verum est excommunicatum admonitum à celebrante, vt exeat, incurrere nouam excommunicationem Papæ reseruatam, si nolit exire, *cap. eos. de sententia excommunicationis.* Eamdem excommunicationem incurrit interdictus, qui post admonitionẽ non vult exire. Eadem censura afficitur, qui prohibet quominus publicè excommunicati, vel interdicti de Ecclesia exeant eo tempore, quo Missa celebratur, si admoniti fuerint à celebrantibus exire, *cap. grauis. de sententia excommunicationis.* [Verùm de his plura agam *in tract. de censuris in particulari.*]

TERTIA PROPOSITIO.

9 An peccet mortaliter audiẽs Missam cum excommunicato vitando.

9 AVdientes Missam cum excommunicato vitando peccant mortaliter. Ratio est, quia participans in diuinis cum excommunicato vitando grauiter peccat; sed audientes Missam simul cum excommunicato vitando dicuntur participare in diuinis cum excommunicato vitando; ergo audientes Missam cum excommunicato vitando grauiter peccant. Ita communiter DD. [teste Alterio *lib. 1. disp. 12. c. 5. sub fin.*] quamuis Suarez *loco cit. n. 16.* existimet posse fortasse à mortali excusari eos, qui sine vlla inductione, vel cooperatione, & contemptu, ac scandalo Missam audiunt cum excommunicato vitando, hæc enim communicatio coaudientium eamdem Missam minima videtur omnium communicationum. Hac de causa Durandus existimat hanc in rigore non esse communicationem. Sed non est recedendum à communi DD. sententia; vt patet ex nostra ratione.

10 Quam pœnam incurrat celebrans coram excommunicato vitando.

10 Quæres, quam pœnam incurrat celebrans coram excommunicato vitando.

Respondeo non solùm peccare mortaliter, neque solùm incurrere minorem excommunicationem, quæ incurritur ex participatione cum huiusmodi excommunicato, *cap. is, qui. de sent. excommunic. in 6.* sed etiam incurrere interdictũ ab ingressu Ecclesiæ, si celebret scienter coram illo, vt patet ex *cap. Episcopum. de priuilegiis in 6.* vbi interdicuntur, qui excommunicatos vitandos admittunt ad diuina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta. Ita Suarez *disp. 12. sect. 1. n. 10.* Sayrus *lib. 2. c. 3.* Vgolinus *tab. 2. c. 8. §. 4.* Henriquez *lib. 13. cap. 7. n. 2.* [Alterius *lib. 1. disp. 13. cap. 2. col. 3.*] Coninchus *disp. 14. dub. 7. num. 50.* contra Couarruuiam, *cap. alma mater 1. part. §. 6.* existimantem hanc pœnam incurri tantummodò à religiosis exemptis. Verum tamen est non incurrere irregularitatem, nisi celebret, vel actus Ordinis exerceat, dum est interdictus, vt benè inquiunt DD. citati, nam irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressa. Ita DD. citati, quibus adde Filliucium *c. 4. quæsito 6. num. 98.*

QVARTA PROPOSTIO.

11 Quomodo se gerere debeat, qui interest Missæ, aut celebrat, dum ibi adest excommunicatus toleratus.

11 QVi interest Missæ, aut celebrat, dum ibidem adest excommunicatus toleratus, non peccat prosequendo Missam. Ita Vgolinus *tab. 2. cap. 8. §. 5.* Henriquez *lib. 13. cap. 7. num. 2. & c. 10. num. 14.* Suarez *disp. 12. sect. 1. num. 11.* Sayrus *lib. 2. cap. 3. num. 19. & 20.* Coninchus *num. 52.* Filliucius, & alij communiter. Ratio est, quia nullus tenetur excommunicatum toleratum euitare ex vi excommunicationis, vt patet ex Concilio Constantiensi sæpiùs relato.

12 Quid si adsit excommunicatus vitandus.

12 Si verò adest excommunicatus vitandus, admonendus est, vt exeat. Ratio est, quia non possumus cum excommunicato vitando participare. Si verò post admonitionem noluit exire, potest etiam per vim expelli, quamuis sit Clericus, neque propterea incurritur excommunicatio expellendo Clericum excommunicatum nolentem post admonitionem exire. Ita colligitur ex *cap. veniens, de sent. excommunic.* Ratio est, quia vis non dicitur iniuriosa, quando infertur ex iusta causa. Ita Coninchus *loco citato, num. 51.* Suarez, Filliucius, & alij Doctores citati.

13 Quid faciendum sit, quando excommunicatus nõ vult exire, nec potest expelli sine periculo.

13 Grauior difficultas est, quid faciendum sit, quando excommunicatus non vult exire, & non potest expelli sine periculo.

Respondetur tunc temporis omittenda esse diuina officia, & Missam ipsam, modò nondum inchoata sit consecratio; minus enim malum eligitur omittendo diuina officia, quàm exponendo se periculo. Secus dicendum est si iam inchoata, vel perfecta consecratione aduenit, vel aduertitur aduenisse excommunicatus, qui non potest expelli sine periculo; tunc enim Sacerdos prosequi debet sacrificium vsque ad sumptionem inclusiuè, eò quòd integritas sacrificij, quæ est de iure diuino, præponderet participationi cum excommunicato. Debent tamen in eo euentu astantes ab Ecclesia exire, excepto inseruiente, alioquin mortaliter peccant participando in diuinis cum excommunicato vitando. Sacerdos etiam ipse, sumpto Sacramento, se recipiet in sacristiam, vel in alium locum, ibique poterit reliquas orationes dicendas post Communionẽ persoluere, vt inquiunt communiter DD. Imò aliqui DD. existimant Sacerdotem non debere omittere sacrificium, quando excommunicatus vitandus aduenit, vel aduertitur aduenisse tunc temporis, quo inchoatus est Canon Missæ ab iis verbis, *Te igitur clementissime Pater.* Ita Suarez *disput. 12. sect. 1.* Henriquez *lib. 13. c. 10. n. 4.* Reginaldus *n. 71.* & alij, contra Sayrum *loc. cit. n. 19.* [Nauarrum *de orat. c. 16. n. 60.* Alterium *tom. 2. disp. 11. c. 3. col. 4. & disp. 12. c. 5.*] ab iis verbis videtur aliqua ratione inchoata Consecratio; Sacerdos autem non debet sacrificium omittere, si inchoata Consecratione aduertit excommunicatum adesse, sed debet prosequi vsque ad sumptionem, qua perfecta poterit se in sacristiam, vel in alium locum recipere, ibique reliquas orationes persoluere, vt dictum est.

14 An Sacerdos, qui post Missã inchoatam aduertit adesse cadauer publici excõmunicati, teneatur Missam relinquere.

14 Rogabis primò, vtrùm Sacerdos, qui post inchoatam Missam aduertit adesse cadauer publici excommunicati, teneatur Missam inchoatam relinquere, sicut tenetur, quando aduertit adesse hominem excommunicatum vitandum.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia Sacerdos potest sua priuata intentione nolle participare cum eo cadauere, [cùm in ipsius potestate positum sit cum eo participare;] non tamen potest aliquod opus circa illud cadauer exercere. e.g. benedicendo, vel orando pro ipso, &c. alioquin dicetur cum ipso communicare. Ita Henriquez *lib. 23. cap. 7.* Sayrus *loco citato, n. 11.* Reginald. *lib. 32. 85.* Vgolinus *tab. 2. c. 23. num. 8.* & alij.

15 An qui intersunt Missæ teneantur discedere, quando in Ecclesiam transfertur cadauer excommunicati vitandi.

15 Hinc colligitur, eos, qui intersunt Missæ, non teneri discedere, dum in Ecclesiam transfertur cadauer excommunicati vitandi; modò ipsi nullam circa cadauer actionem exerceant.

16 An Sacerdos, aut alij teneãtur Missam relinquere, quando excommunicatus vitandus ingreditur, non vt Missam audiat.

16 Rogabis secundò, vtrùm Sacerdos, aut alij teneantur Missam relinquere, dum excommunicatus vitandus ingreditur Ecclesiam, non vt ibi Missam, vel diuina officia audiat, sed titulo transeundi per Ecclesiam, vel confugiendi ad Ecclesiam causa securitatis, ne capiatur à satellitibus, vel seorsim, & priuatim orandi, &c.

Respondeo non teneri Missam relinquere, modò excommunicatus non interfit eidem Missæ. Ratio est, quia Sacerdos, & alij astantes non dicuntur communicare cum excommunicato, cum excommunicatus non adsit formaliter ad audiendam eamdem Missam. Idem dicendum est, quando excommunicatus est in vna Capella audiens vnam Missam; & ego Missam facio in alia Capella, tunc enim ego non teneor desistere à Missa facienda: cùm non dicar communicare cum excommunicato existente in alia Capella, ibique Missam alterius Sacerdotis audiente. Ita Suarez *loco citato, sect. 2. nu. 16.* Vgolinus, Henriquez, & Sayrus *locis citatis.* Filliucius *tract. 12. c. 4. quæs. 3. n. 90.* Coninch. *n. 53.* Reginaldus *lib. 32. c. 4. num. 21.*

§. II.

Vtrùm excommunicatus peccet assistendo diuinis officiis.

QVatuor principaliter quæram in hoc loco. Primò, vtrùm excommunicatus peccet assistendo diuinis officiis.

Secundò, vtrùm possit, & teneatur priuatim recitare diuina officia.

Tertiò, vtrùm excommunicatus priuetur non solùm assistentia diuinorum officiorum, verùm etiam vsu aliarum rerum sacrarum.

Quartò, vtrùm priuetur concione.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An excõmunicatus peccet mortaliter assistendo diuinis officiis.

1 EXcommunicatus non solùm peccat mortaliter audiendo Missam, sed etiam assistendo diuinis officiis; quamuis sit excommunicatus tantummodò toleratus. Ratio est, quia facit contra obligationem censuræ in re graui, *cap.15.de sentent.excommun.* nec per Concilium Constantiense concessus fuit illi fauor communicandi cum fidelibus, quamuis aliis fidelibus concessum fuerit priuilegium communicandi cum excommunicatis toleratis in Sacramentis, & aliis quibuscumque diuinis.

2 Quid intelligatur nomine *diuini officij*, à quo arcetur excommunicatus.

2 Quæres, quid veniat nomine *diuinorum officiorum*, à quibus arcetur excommunicatus.

Respondeo venire non solùm Missam, verùm etiam horas Canonicas, quæ persoluuntur in Choro, orationem publicam, benedictionem solemnem candelarum, aut oliuarum, aliasque similes cæremonias, quæ solemniter fiunt ex institutione Christi, vel Ecclesiæ, vel quæ sunt propriæ alicuius Ordinis clericalis, vt est Cantus solemnis Epistolæ, vel Euangelij. Vide Suarez *disp.12.sect.2.* [Alterium *lib.1. disp.10.cap.2.*] Filliucium *tract.12.cap.4.quæsito 2.num.85. & quæsito 5. n.94.* [& quæ infrà dicam *de Interdicto.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An excõmunicatus possit, vel teneatur priuatim recitare officium.

3 EXcommunicatus, siue sit religiosus professus, siue Clericus, habens beneficium, vel Ordines sacros, potest, & tenetur priuatim persoluere horas Canonicas, sicut tenebatur ante excommunicationem. Ita Nauarr. *de horis Canonicis n.16. & 17.* Reginaldus *lib.32. n.20.* Coninch. *disp.14.dub.7.n.53.* Filliucius *quæs.4.n.92.* Sayrus *lib. 2.cap.3.n.3.* Suarez *loco cit.num.13.* [Alterius *lib.1.disp.10.cap.4.*] & alij, quos retuli *de horis Canonicis, quæst.2.punct.3.* Ratio est, tum quia par non est, vt delinquens commodum reportet ex suo delicto: tum quia cùm excommunicatio sit pœna, non debet conferre immunitatem, & obligationem auferre. Idem dicendum est de suspenso, irregulari, & degradato, vt patet ex dictis *de horis Canonicis punct.3.citato.*

4 An excõmunicatus in recitando officio possit socium adhibere.

4 Quæres primò, vtrùm excommunicatus in recitando diuino officio possit socium adhibere.

Respondeo cum Couarr. *cap.alma mater 1.part.§.3.nu.8.* Coninch. *num.55.* Suarez, Alterio, Nauarr. & alijs *locis citatis*, non posse, vt colligitur ex *cap.excommunicatos 11.quæst.3.* Ratio est, quia excommunicatio priuat excommunicatione in diuinis officiis, aliisque orationibus persoluendis. Existimo tamen excommunicatum non peccare mortaliter adhibendo socium in diuino officio recitãdo, modò illum adhibeat in priuata recitatione. Ita Auila *2.part.disp.8.dub.4.* Henriquez *lib.13.cap.7.n.2.* Suarez *disp.12.sect.2.n.18.* Vgolinus *tab.1.cap.13. §.14.* Filliucius *n.93.* Coninch. *disp.14. dub.7. n.55.* [Alterius *loco cit. vers.dico secundò. & disp.12.cap.2.quæs.1.*] & alij. Ratio est, quia huiusmodi communicatio videtur leuis respectu præcepti, cùm fiat priuatim, nec videatur adeò prohibita, sicut est prohibita participatio in diuinis officiis publicis, & solemnibus, præsertim si rarò fiat, vt infrà dicam.

5 An excusetur Capellanus, aut famulus inseruiens domino excommunicato.

5 Hinc sequitur à fortiori, excusari posse Capellanum, aut famulum, qui ratione sui officij, & muneris inseruit domino excommunicato in recitandis diuinis officiis; sicut etiam excusari potest ipse dominus excommunicatus adhibendo famulum, præsertim cum in hoc casu adsit ratio famulatus, qua non priuatur excommunicatus, vt infrà dicam.

6 An excõmunicatus priuatim recitans officium possit dicere *Dominus vobiscum.*

6 Aduertendum tamen est, excommunicatum, qui priuatim recitat diuinum officium, non posse dicere, *Dominus vobiscum*; cùm hæc non sint verba priuatæ personæ, sed pertineant ad Diaconum, & Sacerdotem. Imò Suarez *num.13.* Nauarr. & alij existimant excommunicatum incurrere irregularitatem, dicendo, etiam priuatim, *Dominus vobiscum.* Sed hoc non facilè admiserim, nam paruitas materiæ, sicut excusat à mortali, ita videtur excusare ab irregularitate, quę imposita est ob peccatum mortale. Ita Henriquez *lib.13. cap.7. num.2.* quem refert Sayrus *loco cit.num.5.* quamuis hoc ego non inuenerim apud Henriquez. Idem tradit Filliucius *num.93.* Auila *2.part.cap.6. disp.4.dub.6.concl.3.* Coninch. *n.54.*

7 An horæ Canonicæ, & aliæ orationes recitatæ ab excommunicato prosint aliis.

7 Quæres secundò, vtrùm horæ Canonicæ, aut aliæ orationes publicæ, quas recitat excommunicatus, prosint fidelibus, pro quibus illas recitat, & offert.

Respondeo orationes publicas, quæ offeruntur ab excommunicato tolerato, prodesse quoad valorem, quem habent ex parte Ecclesiæ. Ita Sayrus, Auila, & alij *loc.cit.* quidquid Filliucius *num.96.* in contrarium dicat. Ratio est, quia Ecclesia tolerat, & permittit excommunicatum toleratum, consequenter non intendit irritare illius applicationem. Secus dicendum est de orationibus communibus, quæ offeruntur ab excommunicato vitando; nam istæ orationes valorem, & fructum habent ex meritis Ecclesiæ; Ecclesia autem non intendit offerre per excommunicatum vitandum, quem non tolerat, sed reiicit, & expellit, consequenter huiusmodi orationes non prosunt fidelibus, sicut neque videntur prodesse quoad valorem ipsius excommunicati, siue sit excommunicatus vitandus, siue toleratus, peccat enim conando cum aliis communicare; actio autem peccaminosa non prodest. Ita communiter Doctores.

TERTIA PROPOSITIO.

8 An excõmunicatus priuetur vsu omniũ rerum sacrarum.

8 EXcommunicatus non priuatur omni vsu rerum sacrarum. Hæc propositio per se patet, potest enim excommunicatus priuatim recitare diuinum officium, & potest ingredi templum, dum diuina officia non recitantur, cùm sic non dicatur cum aliis communicare, imò etiam alij possunt priuatim fundere preces in eo loco, in quo adest excommunicatus vitandus, tunc enim non dicuntur cum excommunicato participare, cùm illas orationes non recitent cum ipso excommunicato, nec præsentia excommunicati coniungat orationes per modum vnius. Secus dicendum est, si illas recitent cum ipso excommunicato. Ita Caietanus *verb.Excommunicatio*, Suarez *disp.12. sect.2.n.19.* Nauar. *cap.24.n.16.* Sayrus *lib.2.cap.3.n.9.* Henriquez *lib. 13.cap.7.n.2.* & alij statim citandi, quamuis aliqui existiment excommunicatum non posse ingredi Ecclesiam, eò quòd excommunicatus dicatur eiici ab Ecclesia. [Sed hoc mihi non probatur, quia] eiectio excommunicati ab Ecclesia non est eiectio ab Ecclesia materiali, sed à formali, id est, à cœtu, & participatione fidelium, vt benè Suarez *loco citato, num.5.* Filliucius *num.103.* Nauarr. *cap.27. num.17.* Coninchus *num.58.*

9 An excõmunicatus possit benedicere mensę, munire se signo Crucis, adorare Euchariſtiam, aut etiam illã comitari, vti imaginibus, &c.

9 Addo, excommunicatum non solùm posse priuatim recitare diuinum officium, aut ingredi templum, ibique priuatim orare, [ex communi sententia, teste Alterio *lib.1.disp.10.cap.5.*] sed etiam posse more laicorum benedicere mensæ, munire se signo Crucis, adorare Euchariſtiam, aut etiam illam comitari, dum ad infirmos defertur, modò non recitentur Psalmi, iuxta Henriquez *lib.13.c.7.n.2.* & Sayrum *cap.3.n.13.* hoc enim modo nõ dicitur excommunicatus propriè participare cum aliis in diuinis. Rursus potest excommunicatus vti imaginibus, aliisque rebus similibus, quatenus inseruiunt priuatæ deuotioni, & quatenus illis vtitur tamquam priuata persona ad cultum Dei. Benè tamen addit Vgolinus *loco citato, cap.13.§.14.num.6.* contra Filliucium *loco cit.* & alios, excommunicatũ non posse sumere aquam benedictam, eò quòd aqua sit quoddam sacramentale, & habeat valorem ex meritis Ecclesię; excommunicatus autem priuatur meritis, & suffragiis Ecclesiæ. Vide Suarez *disp.12.sect.3.n.8.* Nauarr. *cap.27. n.17.* Couarruuiam *cap. alma mater.§.3.n.7.* Vgolinum, Henriquez, Auilam, & Sayrum *locis citatis*, Filliucium *loco cit.*

QVARTA PROPOSITIO.

10 An excõmunicatus possit interesse concioni.

10 EXcommunicatus toleratus, aut etiam vitandus potest interesse concioni. Hæc propositio patet: tum quia concio non venit nomine diuinorum officiorum, quæ sunt prohibita excommunicatis: tum quia excommunicato non prohibetur communicatio, quæ tendit ad ipsius salutem, & emendationem, vt infrà dicam; concio autem tendit ad salutem excommunicati: tum quia sic habetur *in cap. responso.de sententia excommunicationis.* Ita Suarez *loco citato, n.3.* Sayrus *loco cit.n.12.* Nauarr. *cap.27.n.36.* Vgolinus *tab.2.cap.8.§.3.* Henriquez *lib.13.cap.12.* Filliucius *tract.12.cap.4.quæsito 2.n.86.* Reginaldus *lib.32.n.20.* Coninchus *n.58.* [Alterius *lib.1.disp.10.cap.3.col.2. & 3.*] & alij communiter.

11 An excommunicato liceat cõcionari.

11 Addo, licitum esse excommunicato tolerato concionari, quando ab aliis petitur ad habendam concionem. Ratio est, quia hoc non vergit directè in fauorem excommunicati, sed aliorum, qui non tenentur euitare excommunicatum toleratum. Peccat tamen excommunicatus ingerendo & exhibendo se propria sponte ad concionandum, quamuis non incurrit irregularitatem, iuxta Suarez *sect.2.n.4.* Filliucium *loco cit.* contra Nauarr. *cap.27.nu.163.* nam actus concionandi non est actus Ordinis, sed est actus, qui etiam laico in necessitate committi potest, vt infrà dicam de interdicto: irregularitas autem incurritur ab excommunicato, dum exercet actum Ordinis.

12 An præceptor legens lectionem coram discipulis, quorũ vnus est excommunicatus, teneatur desistere, & an possit respondere excommunicato interroganti.

12 Rogabis, vtrùm præceptor legens lectionem coram multis discipulis, quorum vnus est excommunicatus vitandus, debeat relinquere opus inceptum, vt vitetur excommunicatus denuntiatus.

Respondeo affirmatiuè, secluſa alia necessitate. Ratio est, quia vetitum est fidelibus communicare cum excommunicato vitando. Ita Auila *2.part.cap.6.disp.11.dub.3.concl.8.* cõtra Suarez *loco cit.sect.2.n.5.* Henriquez *lib.13.cap.12.n.4.* Sayrum *lib.2.cap.3.n.14.* Filliucium *nu. 87.* Coninch. *disp.14.dub.7.n.58.* & alios, asserẽtes neque magistrum, neque discipulum teneri opus inchoatum intermittere, quia non videntur communicare cum excommunicato, cùm vnusquisque seorsim audiat, nec communiter concurrant, quasi per modum vnius ad idem opus, sicut communicant in Missa. Sed hoc mihi non probatur, nam re vera omnes conueniunt ad eamdem lectionem, & in ea videntur participare.

Addit Henriquez, Magistrum posse respondere discipulo excommunicato vitando interroganti. Sed hoc falsum est, vt patet ex nostra ratione, excepto casu vtilitatis spiritualis, vel consilij, &c.

Addit Suarez, Coninch. [Alter.] & Filliucius *locis cit.* Magistrum excommunicatum toleratum posse lectionem facere, quam tenetur ex officio facere, si non potest per alium supplere, alioquin communitas pateretur damnum, quæ interpretatiuè censetur petere lectionem, ad quam habet ius. Hæc doctrina mihi vera videtur, cùm adsit titulus vtilitatis, vel necessitatis.

§. III.

Vtrùm excommunicatus priuetur Ecclesiastica sepultura.

TRia principaliter quæram in hoc loco.

Primò, vtrùm excommunicatus priuetur Ecclesiastica sepultura.

Secundò, vtrùm sepeliens excommunicatum peccet.

Tertiò, vtrùm incurrat aliquam pœnam.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An excõmunicatus priuetur Ecclesiastica sepultura.

1 EXcommunicatus, qui nondum fuit absolutus in vita, aut post mortem, priuatur Ecclesiastica sepultura. Hæc propositio patet ex *cap.sacris.de sepulturis.* & ex *Clementina 1.eod.tit.* Ratio est, quia excommu-

communicatus priuatur communicatione in spiritualibus; ergo etiam priuatur Ecclesiastica sepultura, qua defunctus aliqua ratione dicitur communicare cum fidelibus, quatenus repræsentat eamdem personam, & quatenus illa communicatio spiritualis refertur ad eamdem animam. Ita Suarez *disp.12.sect.4.n.2.* Auila *2.part.cap.6.disp.10. dub.6.* Toletus *lib.1.cap.13.* Nauarr. *cap.27.n.23.* Henriquez *lib.13.cap. 7.n.2.& cap.11.n.3.* Sayrus *lib.2.cap.3.n.10.* Vgolinus *tab.2.de censuris, cap.9.§.5.* Filliucius *tract.12.cap.4. quæsito 8.* Reginaldus *lib.32.nu.16.* Coninchus *disp.14.dub.8.n.59.* [Alterius *lib.1.disp.10.cap.7.& disp.14. cap.1.* & alij, quos retuli *de censuris in particulari disp.2. quæst.2. punct. 30.& 31.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An grauiter peccet sepeliens excommunicatum in loco sacro.

2 SEpeliens excommunicatum vitandum in loco sacro grauiter peccat, etiamsi excommunicatus dederit signa contritionis. Ratio est, quia facit contra obligationem censuræ participando cum excommunicato vitando, illumque donando Ecclesiasticæ sepulturæ, qua priuatur per excommunicationem. Sepeliens verò excommunicatum toleratum non videtur grauiter peccare. Ita Suarez *loco cit.n.5.* Henriquez *lib.13.cap.7.* Reginaldus, Filliucius, & alij DD. citati contra Auilam, *cap.6.disp.4.dub.9.* & Coninch. *num.65.* Ratio est, quia in Concilio Constantiensi prohibitum est tantummodò fidelibus communicare cum excommunicatis nominatim denuntiatis, & notoriis Clericorum percussoribus, non verò cum excommunicatis toleratis. [Vide dicta *de censuris in particulari loc.cit.*]

3 Quid intelligatur per Ecclesiasticam sepulturã.

3 Quæres primò, quid intelligatur per *Ecclesiasticam sepulturam.*

Respondeo, intelligi sepulturam in loco sacro, id est, in Ecclesia, vel cœmeterio, vel in alio quocumque loco ad sepulturam, vel alia diuina officia peragenda destinato auctoritate Episcopi, vel ex consuetudine, *cap.fin.de consecrat.Ecclesiæ.* Ita Vgolinus, Suarez, Reginald. Coninchus, [Alterius,] Filliucius, & alij *locis citatis.*

4 An excõmunicatus sepeliri possit in loco proximo loco sacro.

4 Ex quo patet, excommunicatum posse sepeliri in loco, qui est proximus cœmeterio, vel Ecclesiæ, cum ille non sit locus sacer. [Ita Alterius *loco cit.col.5.* & alij DD. cit. contra Panormitanum *in cap.sacris.de sepult.*]

5 An ossa excommunicati proiicienda sint è loco sacro.

5 Quæres secundò, vtrùm ossa alicuius excommunicati vitandi, quæ sepulta fuerunt in loco sacro cum aliis fidelibus, sint è loco sacro proiicienda.

Respondeo affirmatiuè, vt patet ex dictis de sacrilegio, modò discerni possint ab ossibus aliorum fidelium, *cap.sacris. de sepulturis.* Imò Ecclesia, in qua sepelitur excommunicatus vitandus, remanet polluta, vt diximus *de sacrilegio, in primo Decalogi præcepto, & de matrim.ad finem*, idemque tradunt præcit. Doctores.

Ex quo fit, vt in præfata Ecclesia celebrari nequeant diuina officia donec reconcilietur, vt benè Suarez *n.4.* Filliucius *nu.105.* [Alterius *lib.1.disp.10.cap.6.col.6.*] & alij communiter, & hoc militat etiam dum ossa excommunicati vitandi ab aliis discerni nequeunt: adhuc enim petenda est reconciliatio, qua obtenta fieri possunt in eo loco diuina officia.

6 An liceat cantare Psalmos, dum cadauer excommunicati defertur ad sepulturã, aut recipere oblationes, & eleemosynas pro excommunicatis.

6 Ex dictis colligi potest primò, illos peccare, qui Psalmos concinunt, dum cadauer excommunicati vitandi defertur ad sepulturam, hæc enim est quædam communicatio cum excommunicato vitando, & est quidam honor, qui prohibetur exhiberi excommunicato, sicut etiam prohibitum est accipere oblationes, & eleemosynas pro excommunicato, *cap.sacris, de sententia excommunicationis*; non tamen propter hoc incurritur irregularitas, cùm hæc non sit in iure expressa. Irregularitas enim nõ incurritur, nisi sit expressa in iure. Vide Suarez *n.15.* & Filliucium *n.110.& seqq.* [Alterium *lib.1.disp.12.cap.4.*]

7 An sepeliri possit in loco sacro, qui fuit absolutus in foro pœnitentiæ, aut qui dedit signa contritionis.

7 Secundò colligi potest, eum, qui in mortis articulo fuit absolutus ab excommunicatione in foro pœnitentiæ, posse sepeliri in loco sacro, hic enim re vera fuit absolutus ab excommunicatione, consequenter non afficitur priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ, qui est effectus excommunicationis, vt benè Vgolinus *loco citato.* Qui verò in mortis articulo dedit signa contritionis, sed nondum obtinuit absolutionem excommunicationis, non est sepeliendus in loco sacro donec absoluatur: adhuc enim effectibus excommunicationis afficitur. Si verò iam fuit sepultus, non videtur exhumandus, sed quàm primùm petenda est absolutio à legitimo superiore, vt fiat dignus Ecclesiastica sepultura, & vt illius ossa non proiiciantur, vt ait Vgolinus *loco citato*, Sayrus *loco citato, n.13.* Filliucius *n.105.* & alij.

TERTIA PROPOSITIO.

8 Quam pœnam incurrat sepeliens excommunicatum in loco sacro.

8 SEpeliens excommunicatum vitandum in loco sacro incurrit maiorem excommunicationem, à qua nequit absolui donec satisfactionem dederit ad arbitrium Episcopi. Ita Auila *2.parte cap.6. disp.10.dub.6.* Vgolinus *loco cit.§.6.* Sayrus *lib.3.cap.35.n.12.* [Alterius *lib.1.disp.14.cap.1.*] Reginaldus, Coninch. Filliucius *locis cit.* & alij, & patet ex *Clementina 1.de sepulturis.*

Hæc eadem excommunicatio posita est contra sepelientes interdictos, vel manifestos vsurarios.

Verum tamen est ad hanc excommunicationem incurrendam requiri

Primò, vt sepeliens sciat mortuum esse excommunicatum, vnde ignorans ignorantia etiam crassa mortuum esse excommunicatum excusatur ab excommunicatione: nam *in Clementina citata* dicitur, *Qui scienter præsumpserit.* Ita DD. citati.

Secundò requiritur, inquit Henriquez *lib.13.cap.34.n.3.* Nauarrus *cap.27.n.137.* Caietanus *verb.Excommun.cap.46.* Auila *loco cit.* & alij, vt propriis manibus sepeliat excommunicatum, nam excommunicatio videtur lata contra sepelientes, propterea comitantes cadauer, vel cantantes, vel crucem portantes, vel foueam extruentes, vel mandantes, vel consulentes, non videntur affici hac censura, nam censura lata contra facientes non comprehendit mandantes, vel consulentes, quamuis Suarez *sect.4.* Filliucius *n.111.* Coninchus *n.68.* [Alterius *lib.1.disp.14.cap.3.sub finem.*] & Vgolinus *loco cit.* existimant hac censura comprehendi mandantes. Imò Reginald. *lib.32.n.19.* post Vgol. *loco cit.* non solùm affici putat mandantes, verùm etiam eos, qui non impediunt, cùm impedire possint. Sed hoc sine sufficienti ratione.

Tertiò requiritur, vt excommunicatus, qui sepelitur, sit denuntiatus excommunicatus, nam in Concilio Constantiensi concessa est fidelibus facultas communicandi cum excommunicatis toleratis. [Ita Nauar. *cap.27.n.137.* Toletus *lib.1.cap.39.* & alij Doctores citati contra Alterium *lib.1.disp.14.cap.1.* & alios.]

9 An sepeliens excommunicatum in loco sacro ligetur minori excõmunicatione.

9 Quæres, vtrùm sepeliens excommunicatum vitandum, non solùm incurrat maiorem excommunicationem relatam *in Clementina 1.citata*, verùm etiam minorem, quam communiter incurrunt participantes cum excommunicato vitando.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia minor excommunicatio videtur commutata in maiorem, nec vlla necessitas cogit multiplicare censuras, cùm odia sint restringẽda, vt in simili dictum est *de matrim. quæst.2.punct.8.* Ita Suarez *disp.12.sect.2.n.13.* contra Nauarr. *cap.27. n.36.* Auilam *disp.4.dub.8.* Filliucium *loco citato, quæsito 10. num.110.* & alios asserentes incurrere etiam minorem excommunicationem. [An autem comitans cadauer ad sepulturam, aut ipsum lauans, aut vestiens, incurrat minorem excommunicationem, patet ex dictis de excommunicatione minori, vbi dictum est incurrere.]

PVNCTVM IV.

De priuatione, & inhabilitate ad beneficia, & ad eorum fructus.

IN hoc puncto duo principaliter quæram.

Primò, vtrùm collatio beneficij, vel pensionis facta excommunicato, sit valida.

Secundò, vtrùm excommunicatus, qui lapsus est in excommunicationem post obtentum beneficium, careat fructibus beneficij.

§. I.

Vtrùm valida sit collatio beneficij, vel pensionis facta excommunicato.

QVatuor principaliter agam in hoc loco.

Primò, vtrùm sit valida collatio beneficij.

Secundò, vtrùm sit valida collatio pensionis.

Tertiò, vtrùm sit valida acceptatio beneficij facta ab excommunicato, qui non erat excommunicatus tempore collationis, vel præsentationis, sed solùm tempore acceptationis, & vtrùm sit valida acceptatio facta post absolutionem excommunicationis ab eo, qui erat excommunicatus tempore collationis, vel præsentationis.

Quartò, quid faciendum sit ab excommunicato in electione, vel collatione beneficij, aut post collationem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An valida sit præsentatio, aut collatio beneficij facta excommunicato.

1 COllatio, & præsentatio beneficij facta excommunicato, quamuis tolerato, inualida est. Hæc propositio patet, tum ex *cap.postulastis.de Clerico excommunicato*; tum quia, cùm excommunicatus sit suspensus ab executione sui officij, *cap.si celebret. de Clerico excommunicato ministrante*, æquum est, vt Ecclesia irritet collationem factam excommunicato, qui non potest officium, & munus suum exercere. Ita Nauarrus *cap.27.n.21.* Suarez *tomo 5.disput.13.sect.1.* Sayrus *lib.2.cap.5.n.5.* Henriquez *lib.13.cap.4.n.4.& c.13.n.1.* Vgolinus *tab.2. cap.13.§.1.* Coninchus *disp.14.dub.9.* Filliucius *tract.12.cap.5.quæsito 1. num.113.* Reginaldus *lib.72.n.43.* [Boërius *decis.290.* Calladorus *decis.1.de præbend.* Puteus *decis.78.* Alterius *lib.2.disp.6. cap.2.& 3.*] Vasquez *tract.de excommunicatione dub.6.* vbi plures alios refert cum antiqua *decisione Rotæ 363.* in qua hoc declaratum fuit, tam de excommunicatione à iure, quàm de excommunicatione ab homine, nam iura absolutè, & indistinctè loquuntur. An verò innocens, in quem sententia excommunicationis prolata fuit secundùm allegata, & probata, validè recipiat beneficium, patet ex supradictis validè recipere: hic enim re ipsa non est excommunicatus, vt benè docet Suarez *to.5. disp.4.sect.6.* Reginaldus *n.47.* & alij, quos suprà retuli *disp.1. quæst.1. punct.10.* An verò validè priuetur beneficio, si res ad forum externum deferatur, & probetur nocens, dissensio est inter Doctores, de qua re alibi [egi, præsertim *in tract.de legibus, & de beneficiis.*]

2 An ignorans se esse excommunicatum validè recipiat beneficium.

2 Quæres primò, vtrùm excommunicatus, inuincibiliter ignorans se esse excommunicatum, validè recipiat beneficium.

Respondet M. Nauarr. *cap.fratres.de pœnitentia, dist.5.n.4.* & alij, validè recipere.

Sed mihi probabilius dicendum videtur cum communi DD. sententia, Lessij *lib.2.cap.34.dub.22.n.127.* Sayri *lib.2.cap.5.n.8.* Filliucij *num.115.* Coninchi *dub.9.n.70.* Suarez *loco citato*, Auilæ, Henriquez, [Alterij *lib.2.disp.5.cap.2.col.3.vers.adhuc.*] Vgolini, & Vasquez *locis citatis*, inualidè recipere. Ratio est, quia, quamuis ignorantia excuset à noua culpa, à noua pœna, & à noua censura, non tamen facit actum validum, qui aliàs erat invalidus, *cap.Apostolicæ. de Clerico excommunicato.* [Idem militat in excommunicato, qui communiter habebatur pro non excommunicato; error enim non tollit excommunicationem.]

An verò excommunicato profit regula de triennali possessore, constat ex dictis de beneficiis cum Nauarro, Garcia, & aliis. [vbi docui prodesse, contra Rebuffum & Alterium, nam huiusmodi regula fruuntur omnes, excepto simoniaco & intruso; ergo eadem fruitur etiam ignorans suam excommunicationem.]

3 An collatio officij sæcularis facta excõmunicato valida sit,

3 Quæres secundò, vtrùm sicut collatio beneficij facta excommunicato est inualida, ita sit inualida collatio officij Ecclesiastici, vel sæcularis habentis adnexam iurisdictionẽ, vt principatus, præturæ, &c.

Respondeo inualidam esse. Ita Vgolinus *tab.2.cap.13.§.3.* Reginaldus *n.28.& 43.* Sayrus *loco cit.n.36.* Auila *2.part.cap.6.disp.6. dub.7.*

ad

ad finem. & alij contra Suarez *disp.16.cap.2.nu.1.* [Alterium *lib.2.disp.2.cap.1.col.4.*] & Filliucium *num.118.* qui hoc admittunt in officiis Ecclesiasticis, non verò in sæcularibus. Idem tradit *cap.6. quæsito 10. num.165.& cap.7.quæsito 3.num.173.* & contra Coninch.*disp.14.dub.11.num.106.*[& alios]aliter sentientes de officiis sæcularibus. Ratio est, tum quia prohibito vno, prohibitum etiam censetur id per quod ad illud peruenitur, *l.oratio.ff.de sponsalibus*; cùm ergo prohibitum sit excommunicato actus dignitatis sæcularis exercere, videtur etiam prohibitum ad dignitatem peruenire: tum quia hoc idem habetur *cap.venerabilem. de electione.* Verùm in hac doctrina duplex exceptio facienda est.

Prima est, quando Summus Pontifex confert dignitatem alicui, quem scit irretitum esse excommunicatione: tunc enim collatio dignitatis censetur valida, eò quod Summus Pontifex præsumitur velle cum eo dispensare, vt patet à simili ex dictis *de Ordine*, & ex infrà dicendis *de irregularitate.*

Secunda est, quando aliquis ex testamento, vel ab intestato acquirit aliquod dominium temporale, cui est adnexa iurisdictio, & dignitas. Ratio est, tum quia acquisito principali acquiritur etiam accessorium: tum quia iura non irritant acquisitionem dominij temporalis, consequenter nec irritant iurisdictionem illi annexam: quamuis excommunicatus non possit pro tempore excommunicationis actus iurisdictionis exercere. [Vtrum autem acta excommunicati valida sint, constabit ex infrà dicendis *punct.7.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An valida sit collatio pensionis facta excommunicato.

4 COllatio pensionis facta excommunicato titulo clericali est inualida.

In hac propositione non conueniunt omnes Doctores: nam Auila *loco cit.dub.5.*& alij existimant validam esse: tum quia iura dicunt inualidam esse collationem beneficij, pensio autem nõ est beneficium: tum quia odia restringenda sunt, non amplianda. Coninchus *disp.14. dub.9.ad finem*, allatis aliorum sententiis, ad nullum se determinat, dicens difficile iudicari posse quænam vera sit. Ego verò cum probabiliori, & communiori Doctorum sententia sentio collationem pensionis, factam excommunicato, inualidam esse, modò sit pensio tituli clericalis, non sæcularis. Ita Sayrus *loco cit.n.15.* Lessius *loco cit.* Vgolinus *loc.cit.* §.2.*n.*8. Vasquez *dubio 6.* Henriquez *lib.13.cap.13.n.3.littera N.*Reginaldus *lib.32.n.43.& seq.*[Alterius *lib.2.disp.6.cap.4.*] Suarez *tom.5.disp.13.sect.1.n.9.*Filliucius *cap.5.quæsito 4.* Gigas, & alij quos retuli *de pensionibus punct.5.num.6.* vbi etiam quæsiui vtrum excommunicatus, vel irregularis grauiter peccet petendo pensionem. Ratio est, tum quia excommunicatus, sicut est incapax aliorum priuilegiorum, ita etiam videtur incapax pensionũ: tum quia obtinenti pensionem à Summo Pontifice concedi solet absolutio censurarum ad hunc effectum, vt sit capax pensionis; ergo signum est excommunicatum incapacem esse pensionis, alioquin frustra concederetur absolutio ad hunc effectum, nisi fortè dicas concedi solùm pro validitate rescripti, vt dicetur *de beneficiis tit.de immunit.ab excommunic.*

5 An recipiens beneficium, vel pensionem in excommunicatione, possit percipere fructus.

5 Ex dictis [in his duabus propositionibus] colligi potest primò, excommunicatum, qui obtinuit beneficium, vel pensionem tituli clericalis, non posse fructus percipere, nullum enim ius ad illos habet. Ratio est, quia ius ad fructus beneficij acquiritur per collationem validam, sed collatio beneficij facta excommunicato est inualida; ergo excommunicatus nullum ius acquirit ad fructus beneficij obtenti tempore excommunicationis. Ita Doctores citati. Obseruant tamen Henriquez *lib.13.c.3.n.3.*[Alterius *lib.2.disp.6.cap.7.ad finem.*] & Coninch.*n.71.* beneficiarium, qui postea beneficium legitimè obtinet, posse sibi fructus antea perceptos retinere, modò beneficij onera sustinuerit per se vel per alium, quia fructus beneficij vacantis cedunt successori, [vbi non est vsus spolij.]

6 An obtinens beneficium in excommunicatione possit illud permutare.

6 Secundò sequitur eum, qui obtinuit beneficium tempore excommunicationis, non posse illud permutare cum altero, nullum enim ius habet in beneficium, & quamuis superior possit beneficium conferre, nihilominus de facto non confert, nisi causa permutationis; cùm autem permutatio non sit valida, eò quòd permutans non habet ius in beneficio, sequitur nec ipsam collationem esse validam. Quocirca prædictus excommunicatus non potest vllum beneficium obtinere, non primum, cùm illud inualidè receperit ratione excommunicationis; non secundum, quia illud obtinuit causa permutationis, quam diximus inualidam esse. Et hoc confirmatur ex *regula Cancellariæ 39.*Ita [Alterius *lib.2.disp.6. cap.3.*] Sayrus *lib.2. cap.5. num.14.* Couar.*cap.Alma mater 1.parte §.7.n.2. vers.5.* Sanchez *in opere morali lib.2.cap.28.n.33.*Filliucius *n.122.*Vasquez, Auila, & alij *locis citatis.*

[An verò permutatio valeat quoad illum qui non est obstrictus excommunicatione, affirmant Rebuffus, Garzias, & alij. Sed de hac re quid ego sentiam, egi in tractatu *de permutationibus beneficiorum.*]

Verum quæ diximus videntur solum militare in beneficiis obtentis ab inferioribus Summo Pontifice, & non in beneficiis obtentis à Summo Pontifice, cum litteris Pontificiis; Summus enim Pontifex cum litteris, & priuilegiis solet simul concedere absolutionem ab omnibus censuris ad hunc effectum, vt priuilegium sortiatur suum effectum, & sit valida beneficij collatio obtenta cum eo priuilegio, exceptis quibusdam casibus, ad quos non videtur extendi huiusmodi absolutio contenta in priuilegio.

Primus est casus excommunicationis ob hæresim contractæ, à qua non præsumitur Summus Pontifex velle absolutionem impendere, quamuis in priuilegio dicatur ab omnibus censuris. Ratio est, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ superior non esset in specie verisimiliter concessurus, si specialiter peterentur, *cap.in generali, de reg.iur.* Summus autem Pontifex verisimiliter non concederet absolutionem excommunicationis ob hæresim contractæ, si specialiter peteretur. Ita Suarez *disp.3.sect.1.n.3.* & 30. Couarruuias *cap.Alma mater 1.parte §.11.num.15.* vbi refert Felinum, Innocentium, & regulam Cancellariæ. [Alterius *lib.2.disp.7.cap.1.sub finem.*] Idem mihi dicendum videtur de casibus contentis in Bulla Cœnæ, ad quos reduci possunt casus relati à Sayro *lib.2.cap.5.num.13.* vt est casus incendij, violationis Ecclesiarum, libertatis Ecclesiasticæ, aut falsificationis litterarum Apostolicarum. Vide dicenda *punct.vlt.n.1.*

Secundus casus est excommunicationis, in qua quis insorduit per annum, hic enim videtur malè sentire de fide, [iuxta dicenda *puncto vltimo*;] consequenter in eo eadem videtur militare ratio, quæ in hæretico. Filliucius tamen, & alij absolutè, & indistinctè loquuntur, & nullos casus excipiunt. [Idem tradunt Nauarr. Garzias & alij quos retuli *de beneficiis in §.de immunitate ab excommunicatione.*]

7 An valida sint acta per eum, qui obtinuit beneficium in excommunicatione.

7 Tertiò, sequitur acta per eum, qui obtinuit beneficium in excommunicatione, inualida esse, si loquamur de actibus iurisdictionis, vel officij. Ratio est, quia acta sine iurisdictione, & potestate sunt inualida; huiusmodi autem beneficiarius caret potestate, & iurisdictione, quæ obtineri solet cum beneficio, nisi fortè adsit error communis cum titulo colorato, tunc enim valida sunt acta per excommunicatum, quia ius supplet defectum iurisdictionis, *l.Barbarius.ff. de officio prætoris.* Ita Suarez *disp.13.sect.1. num.31.* Auila *2.parte cap.6. disp.6.dub.7.* vbi citat Syluestrum, & Nauarrum. Valida etiam sunt acta per beneficiarium, qui lapsus est in excommunicationem post obtentum beneficium, modò sit excommunicatus toleratus. Ratio est, tum quia huiusmodi excommunicatus validè retinet beneficium, nec illud amittit per lapsum in excommunicationem, vt benè ait Nauarrus *cap.27.n.209.* consequenter retinet iurisdictionem, quæ consequitur beneficium: tum quia, quæ agit excommunicatus toleratus, validè agit, modò habeat titulum verum, vel coloratum cum errore communi absque impedimento iuris naturæ, vel diuini, vt patet ex dictis *de matrimonio*; beneficiarius autem, qui lapsus est in excommunicationem post consecutionem beneficij, retinet verum titulum beneficij.

8 An validè conferatur beneficiũ illi, qui falsò creditur esse excommunicatus.

8 Quartò, validam esse collationem beneficij, factam illi, qui tempore collationis credebatur excommunicatus, sed postea re vera cognoscitur non esse excommunicatus, non enim afficitur effectibus excommunicationis, qui re vera non existit in excommunicatione, iuxta regulam iuris, non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. Ita [Alterius *lib.2.disp.6.cap.6.*] Vgolinus *loco citato*, §.1.*n.2.* Idem sentire videtur Suarez *disp.13.sect.2.n.19.*

Quintò sequitur eum, qui beneficium excommunicato confert, vel acceptat in excommunicatione, grauiter peccare, facit enim contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui; imò conferenti imposita est pœna suspensionis comminatoria, *cap.postulastis, de Cler.excom.* Vide Suarez *loco cit.sect.1.n.12.* Filliucium *loco cit.quæsito 5.* Coninch.*n.76.* [& Alterium *lib.2.disp.6.cap.2.col.9.*

Sextò sequitur, eum qui ante collationem beneficij probatur fuisse excommunicatus, repelli posse à beneficio, nisi ostendat se priùs absolutum fuisse: nam semel malus semper præsumitur malus, & semel excommunicatus semper præsumitur excommunicatus, Cynus *l. sicut possidetis.C.de probat.* Decius *in cap.post cessionem.nu.54.de probat.* Alterius *lib.2. disp.6. cap.2. col.4.* An autem testimonio Confessarij probari possit absolutio, constat ex supradictis.

Septimò sequitur non posse beneficium ei conferri, qui denuntiatus est excommunicatus; denuntiatio enim excommunicationis non leuem inducit præsumptionem excommunicationis, (quamuis euidentem non faciat probationem, consequenter non sufficiat ad auferendum beneficium iam collatum, iuxta Decium *in cap. pastoralis, vers.verum, n.4.de appellat.* Alterium *lib.2.disp.5.cap.2.col.4.*& alios.) Hinc patet quid dicendum sit de illo quem fama publica constat excommunicatum; superior enim potest probata fama excommunicationis repellere infamatum à recipiendo beneficio, donec diffamatus legitimè probauerit intra tempus constitutum, se vinculo excommunicationis obstrictum non esse. Addo ego superiorem, in tali casu non solùm posse hominem diffamatum repellere à receptione beneficij, verùm etiam teneri repellere donec diffamatus seipsum purgauerit. Ratio est, quia fama excommunicationis aliquam inducit præsumptionem excommunicationis; consequenter superior conferens beneficium illi qui fama probatur excommunicatus, exponit se periculo conferendi beneficium indigno & inhabili. Contrarium ex parte sustinent Abbas *in cap.prudentiam. vers.sexta. de offic.deleg.* Decius *ibid.*Alterius *loco cit.col.5.vers.Doctores*, & alij.

Octauò inualidam esse beneficij promissionem Capitulo factam, dum personæ omnes eius Capituli sunt excommunicatæ. Quamuis enim Capitulum vt sic excommunicari non possit, *cap.Romana. de sent.excomm.* nihilominus singulares personæ excommunicari possunt, & cùm supponamus omnes excommunicatos esse, sequitur promissionem irritam esse, quia omnia Capituli membra inhabilia sunt: secus si aliquæ tantùm personæ illius Capituli excommunicatæ sunt; nam vtile per inutile non vitiatur; & innocens ob aliorũ consortium priuandus non est gratia & priuilegio. Et hoc militat, etiamsi vnus tantùm sit innocens, & liber ab excommunicatione, vt patet tum ex proximè allata ratione, tum quia Capitulum in eo conseruatur, vt in simili docui *de electione Pontificis.* Ita Marius Alterius *lib.2.disput.6. cap.2.col.5.*

Nonò, inualidam esse promissionem, seu collationem Episcopatus factam excommunicato. Ratio est, tum quia si excommunicatus incapax est inferiorum beneficiorum; ergo multo magis est incapax superiorum, quæ digniora sunt: tum quia *in cap.postulastis.de cleric.excommun.* nimis generaliter irritatur collatio beneficiorum facta excommunicato: nomine autem beneficiorum non solum veniunt beneficia simplicia & alia inferiora, verùm etiam maiora, vt cura animarum, vel Episcopatus.

Dices, dum Papa intendit Episcopos iisdem pœnis afficere, quibus afficit alios beneficiarios, solet id exprimere, vt patet ex *c.filius, de pœnis in 6. & cap.dilectus, de conces. prabend.* cùm autem *in cap.postulastis* non exprimatur Episcopus, signum est collationem Episcopatus

factam

factam excommunicato validam esse. Respondeo Episcopatum esse beneficium, & sub beneficij nomine comprehendi in materia fauorabili: caput autem *postulastis*, fauorabile est Ecclesiis, quia non decet præcisum ab Ecclesia præfici Ecclesiis, *cap.* verò *filius*, est pœnales; consequenter strictè explicandum fuisset de beneficiis inferioribus, nisi etiam superiora expressa fuissent. Ita Marius Alterius *lib.2.disp.6. cap.2.col.6.& seqq.*]

TERTIA PROPOSITIO.

9 An validè acceptetur beneficium ab eo, qui tempore collationis, & electionis non erat excommunicatus, licet sit excommunicatus tempore acceptationis beneficij

9 VAlidè acceptatur beneficium ab eo, qui tempore collationis, & electionis non erat excommunicatus, licet sit excommunicatus tempore acceptationis beneficij, quare si hodie, e.g. conferatur beneficium Titio, & Titius crastina die incidat in excommunicationem, eaque contracta, & nondum ablata acceptet beneficium, validè acceptat. Ita Vgolinus *tab.2.cap.13.§.1.n.2.* Sayrus *lib.2.cap.5.num.11.* Gomez *in tract.expectatiuarum num.60.* Couarruuias *cap. Alma mater 1.part.§.7.n.4.notabili 12.* Auila *2.part.cap.6.disp.5.dub.8.* Vasquez *tract.de excommunicatione dubio 6.num.9.* Flaminius Parisius *de resignat.lib.10.quæst.8.num.39.* Rota *decis.195. de sentent. excommunic. in nouis.* Azor. *2.parte lib.7.cap.23. quæsito 5.sub finem.* Filliucius *nu.120. & seq.* [Alterius *lib.2.disp.6.cap.5.*] & alij, contra Suarez *disp.13.sect.1. num.17.& disp.14.sect.2.num.34.* vbi idem sentit de possessione beneficij, & contra Vasquez sibi contrarium *de beneficiis cap.4.dub.2.* contra Coninchum *num.78.* Hæc propositio patet, tum ex decisione Rotæ, quam citat Couarruuias *loco cit.* tum quia iura solum irritant collationem, & electionem beneficij, non verò acceptationem; ergo acceptatio valida est, cùm versemur in materia odiosa, quæ non est extendenda ad casus non expressos in iure: tum quia ita videtur vsu receptum: tum, quia Canonicus excommunicatus validè potest optare præbendam meliorem, vt ait Vgolinus *tabul.2.cap.13.§.2.num.15.* Sayrus *lib.2.cap.6. num.13.* [Gigas *de pension.* Alterius *loco cit.*] & alij contra Filliucium *num.21.* & nonnullos alios recentiores; ergo etiam validè acceptat beneficium. [Idem dic de apprehensione possessionis beneficij, & de optione, quando optio fit absque noua collatione; ita communiter Doctores.]

10 An beneficium retineri possit ab eo, cui facta fuit collatio tempore excommunicationis, sed eam acceptauit post obtentam absolutionem.

10 Grauior difficultas est, vtrùm beneficium ab eo retineri possit, cui facta fuit electio, præsentatio, vel collatio, tempore excommunicationis, sed ipse obtenta excommunicationis absolutione beneficij collationem, præsentationem, aut electionem acceptauit.

Respondeo retineri non posse. Ita Lessius *lib.2.cap.34. dubio 22. num.119.* Coninchus *disp.14.dub.9.num.74.* & alij communiter. Ratio est, tum quia beneficium retineri non potest sine titulo: in hoc autem casu titulus electionis, & præsentationis est inualidus, vtpote collatus excommunicato, qui per excommunicationem factus est ad illum inhabilis: tum quia frustra videretur impositus iste effectus excommunicationis, quilibet enim excommunicatus differre posset acceptationem, donec esset absolutus.

Dices, electionem virtualiter perseuerare vsque ad tempus acceptationis; cùm autem tempore acceptationis acceptans sit absolutus ab excommunicatione, sequitur validè acceptare, & consequenter posse beneficium retinere.

Respondeo prædictam electionem non dici virtualiter perseuerare, cùm sit facta excommunicato. Ratio est, tum quia non firmatur tractu temporis quod ab initio non subsistit, *l.ab initio.ff.de reg.iuris*; cùm autem electio à principio non esset valida, non potest virtualiter perseuerare, aut fieri valida per acceptationem, nisi de nouo iteretur: tum quia collatio beneficij, nondum vacantis, non est valida, nec virtualiter dicitur perseuerare, quamuis beneficium vacet post collationem, sed noua opus est collatione; ergo idem dicēdum est in proposito casu: tum quia sequeretur collationem beneficij factam excommunicato fieri validam post obtentam legitimam absolutionem excommunicationis absque noua collatione; sed hoc est falsum, vt benè ait Vgolinus *loco cit.* Henriquez *cap.13.num.1.* Sayrus *loco cit.n.7.* & alij; ergo etiam falsum est, beneficium retineri posse ab eo, qui illud acceptauit post absolutionem excommunicationis, qua detinebatur tempore collationis, aut electionis, aut præsentationis.

Quamuis hæc sententia verior sit, & probabilior, nihilominus non exiitimo improbabilem sententiam Doctorum asserentium, validam esse electionem, & præsentationem factam tempore excommunicationis, sed acceptatam post obtentam excommunicationis absolutionem, modò tempore acceptationis electores, & præsentatores permanserint in sua prima voluntate. Ratio est, quia prior electio, & præsentatio videtur ratificari, & approbari per continuationem, seu permanentiam in prima voluntate. Ita sensit Henriquez *cap.13.de excommunicatione num.1. littera D.* Couarruuias, & alij apud Sanchez *lib.8.de matrim.disp.7.n.12.*

QVARTA PROPOSITIO.

11 Quid præstare debeat, qui obtinuit beneficiū, aut pensionem in excommunicatione.

11 EXcommunicatus, qui obtinuit beneficium, vel pensionem eo tempore, quo detinebatur vinculo excommunicationis, petere debet absolutionem excommunicationis, eaque obtenta curare debet, vt beneficium sibi de nouo conferatur ab eo, ad quem pertinet illius beneficij collatio. Ratio est, quia prior collatio fuit inualida, & perinde est, ac si facta non fuisset. Ita Nauarr. *cap.27.num.21.* Sayrus *loco cit.n.7.ad finem.& n.23.* Suarez *disp.13.sect.2.* Filliucius *num.128.* Reginaldus *n.49.& seq.* Coninchus *n.75.* & alij.

Hinc sequitur excommunicatum, qui durante excommunicatione obtinuit beneficium, cuius collatio tunc temporis pertinebat ad Episcopum, non posse dispensationem retinendi beneficium ab Episcopo obtinere, si perseuerauit in excommunicatione, vsque ad eum mensem, in quo beneficij collatio pertinet ad Sedem Apostolicam, nam curare debet, vt beneficium sibi conferatur ab eo, ad quem pertinet talis beneficij collatio: [vsu tamen receptum est, vt collatio in foro conscientiæ obtineatur à sacra Pœnitentiaria dum crimen est occultum. Im Alterius *lib.2.disp.6.cap.7.* Suarez & alij *locis citatis.*]

12 An excommunicatus occultus teneatur se manifestare, ne acceptet beneficium.

12 Sed modò difficultas est, quomodo se debet gerere excommunicatus occultus in electione, vel collatione beneficij, vtrùm scilicet teneatur manifestare suam excommunicationem, quoties aliter non potest se retrahere ab acceptatione beneficij, quàm manifestando excommunicationem, qua detinetur.

Respondeo eum Suarez *loco cit.sect.1.num.11.* & aliis, debere se alio honesto titulo excusare, si potest, non enim tenetur se ipsum prodere. Si verò non potest se alio iusto titulo excusare, videndum est, an manifestatio excommunicationis futura sit scandalo, vel infamiæ. Si non est futura scandalo, vel infamiæ, tenetur se excusare manifestando excommunicationem. Ratio est, quia quilibet tenetur obedire Ecclesiæ, & seruare effectus censurę, quoties potest absque graui suo, vel proximi detrimento; si verò periculum imminet infamiæ, vel scandali, non tenetur suam excommunicationem prodere, nam Ecclesia non obligat cum tanto incommodo; quare in huiusmodi casu acceptato beneficio, debet quàm primùm occultè petere dispensationem.

13 Quomodo se gerere debeat elector, qui occultè nouit extra confessionem, eligendum ad beneficium obstrictum esse occulta excommunicatione, nam si occultè dantur suffragia ad illum eligendum, debet suffragia denegare, cùm sciat illum esse beneficij incapacem. Si verò suffragia publicè feruntur, e.g. in voce, ita vt ab omnibus exaudiantur, non potest suffragium denegare, nisi habeat aliam causam publicam sufficientem ad denegandum suffragium. Ratio est, quia non potest publicè occultum excommunicatum infamare, aut ceteris scandali causam præbere. Ita Suarez *disp.13.sect.1.* [Alterius *lib.2.disp.6.cap.2.col.6.*] & alij.

13 Quomodo se gerere debeat elector, qui occultè nouit, eum, qui est eligēdus, esse excommunicatum.

§. II.

Vtrùm beneficiarius, qui post obtentum beneficium labitur in excommunicationem, sit priuatus fructibus beneficij.

EX dictis in præcedenti §. constat eum, qui obtinuit beneficium tempore excommunicationis, non posse fructus beneficij percipere. Sed in præsenti §. triplex superest difficultas examinanda.

Prima est vtrùm, qui lapsus est in excommunicationem post beneficij consecutionem careat fructibus beneficij.

Secunda, vtrùm excommunicatus possit recipere fructus, & distributiones, quando ob iniustam excommunicationem cogitur abesse à choro, & non potest munus suum persoluere.

Tertia, vtrùm excommunicatus possit percipere distributiones, quando per ipsum non stat ne absoluatur. Sed prius

1 Quid intelligatur nomine *distributionis.*

1 Notandum est nomine *distributionum*, intelligi eam partem, quæ conferri solet assistentibus choro, nomine verò *fructuum beneficij*, intelligitur quidquid datur titulo beneficij, siue sit decima, siue oblationes, siue distributiones, siue prouentus ex fundis Ecclesiæ prouenientes, aut aliunde. Intelligitur etiam pensio Ecclesiastica, nam pensio venit nomine prouentus Ecclesiastici. Secus dicendum est de fructibus, qui percipiuntur ex bonis patrimonij, quamuis ea bona fuerint assignata in titulum ad ordines suscipiendos, nam huiusmodi bona sunt merè temporalia, consequenter acquisito beneficio possunt vendi, nec committitur Simonia in illorum venditione. Ita Suarez *loco cit.n.21.* Auila *2.parte cap.6.disp.6.dub.2.* Filliucius *tract.12.cap.5. num.131.* & alij communiter.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An qui ligatur excommunicatione post consecutionem beneficij, priuetur fructibus.

2 BEneficiarius, qui lapsus est in excommunicationem post beneficij consecutionem, non est priuatus fructibus, vel reditibus, vel distributionibus beneficij, consequenter neque tenetur eos à se sponte abdicare, modò exequatur onera, & officia beneficij, siue excommunicatus sit curator animarum, siue sit Canonicus, siue habeat beneficium simplex. Ita Sanchez *lib.3.disp.51. num.12.* Coninch. *disp. 14.dub.9.num.80.& seq.* vbi de hac re fusè disputat, & ad argumenta in contrarium respondet Petrus Nauarrus *lib.2. de restitutione cap.2. num.238.pagina mihi 78.* Vasquez *de beneficiis, cap.4.§.3.dub.4.n.229.* Auila *loco cit. dubio 1.conclus.2.* Sylvester, & alij apud P. Nauarrum, apud Garziam *de benef.7.parte cap.13.num.90.& seq.* apud Filliucium *quæsito 6.num.129.* contra Suarez *disp.13.sect.2.num.4.* Henriquez *lib. 13.cap.13.num.4.* Sayrum *lib.2.cap.5.num.14.* Vgolinum *tab.2. cap.12.* Alexandrum Monetam *de distributionibus parte 2.quæst.15. num.22.* [Alterium *lib.2.disp.6.cap.8.*] Filliucium *loco citato*, Couarruuiam *3. var.cap.13.num.8.* Reginaldum *lib.32.num.36.& seq.* Ratio est, tum quia nullo iure probari potest beneficiarium, qui obtento beneficio lapsus est in excommunicationem, ipso facto priuatum esse fructibus beneficij, nam *in cap.pastoralis, § verum, [de appellat.]* habetur verbum, *subtrahuntur*, quod non significat priuationem ipso facto & ante sententiam iudicis, sed potius connotat actionem faciendam à iudice, qui in præfato *cap.pastoralis*, instruitur quid facere debeat; ergo excommunicatus non remanet ipso facto priuatus fructibus beneficij ante sententiam iudicis, nam ex doctrina tradita de legibus, reus non tenetur propria sponte pœnam subire ante sententiam iudicis, quando ad executionem pœnæ aliqua requiritur actio, nisi aliter constet de voluntate iudicis, obligantis reum ad pœnam subeundam, non expectata iudicis sententia: tum quia versamur in materia odiosa, & pœnali, quæ mitiùs interpretanda est, quantū fieri potest. Quare dicendum est excommunicatum non amittere fructus beneficij, modò suum præstet officium; quamuis enim quo ad Deum non rectè præstet suum officium, nihilominus quo ad Ecclesiam facit, quod ab ipsa præcipitur vt recipiantur fructus. Si verò non præstat officium, & onera beneficij, amittit fructus, quia nullo titulo potest eos retinere, beneficium enim datur propter officium, & datum ob causam retineri non potest causa non subsecuta. Ita Coninchus *n.71.* Vasquez *n.231.* & alij Doctores cit.

3 Hinc

3 An Capellanus, aut curatus possit recipere fructus beneficij in excommunicatione, præstando munera sua.

3 Hinc sequitur primò, Capellanum excommunicatum toleratum lucrari fructus beneficij celebrando. Idem dicendum est de curato administrante Sacramenta, & de Canonico excommunicato tolerato assistente diuinis officiis, iuxta Vasquez *cap.3.de beneficiis* §.4. Petr. Nauarr. & Henriquez *locis citatis.* Coninch. *dubio 9.num.83.ad finem*, contra Monetam *loc.cit.n.25.*

4 An Capellanus excommunicatus celebrando, & Canonicus assistendo choro possit percipere omnes fructus.

4 Secundò, Capellanum excommunicatum vitandum non posse celebrando percipere omnes beneficij fructus; nam illius celebratio & sacrificium non prodest quo ad valorem, quem habet sacrificium ex parte Ecclesiæ, vt suprà ostendi, consequenter non dicitur præstare officium suum. Idem dici potest de Canonico excommunicato vitando assistendo choro, hic enim non videtur posse distributiones percipere, eò quòd diuinum officium ab eo persolutum non videatur prodesse, cum Ecclesia repellat, & nolit per ipsum orare. Vide quæ dixi *de Horis Canonicis* [*disp.2.quæst.5.punct.2.§.2. & de benefic.§.de immunitate ab excommunicatione.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

5 An iniustè excommunicatus possit percipere fructus, & distributiones.

5 INiustè excommunicatus, qui ob iniustam excommunicationem cogitur abesse à choro, nec potest præstare suum officium, videtur posse percipere fructus, & distributiones. Ita Henriquez *lib.13. cap.13.num.4.* Auila *loco citato, dub.1. conclus.1.* P. Nauarrus *loco citato*, Emanuel Sa *vers. Beneficium, num.48.* Moneta *de distributionibus parte 2.q.15.* Filliucius *n.133. & 140.* & alij. Ratio est, tum quia priuatio distributionum est pœna; pœna autem non videtur subeunda ab eo, qui non delinquit, *cap. sicut dignum. de homicidio.* tum quia nullus debet incommodum, & damnum pati absque sua culpa, & ob iniustam alterius actionem. Idem dicendum putat Emanuel Sa *loco cit.* de eo, qui iusto detinetur impedimento, modò adsit in oppido, vt de iniustè detento in carcere, &c. Hanc eamdem doctrinam P. Nauarrus contra Couarruuiam 3. *variarum cap.13.* Emanuelem Sà, Monetam, & alios, extendit ad iniustè excommunicatum, qui ante excommunicationem non cõsueuerat interesse diuinis officiis; sicut etiam infirmus, inquit P. Nauarr. qui ante infirmitatem non solebat assistere choro, potest pro tempore infirmitatis percipere distributiones. Ratio est, tum quia quamuis alias non consueuerit interesse, nihilominus mutata voluntate poterat interesse, & quamuis antea haberet animum non assistendi, nihilominus poterat animo deposito assistere: tum quia animus internus non punitur ab Ecclesia: tum quia in iure decernitur absolutè infirmum posse distributiones percipere.

Verùm ego censeo, non esse laxandas habenas in hac materia, cùm vsu receptum videatur, vt distributiones iis solùm conferantur, qui intersunt diuinis officiis, nisi absint ob infirmitatem, vel necessitatem corporalem, vel in vtilitatem propriæ Ecclesiæ, de consensu Capituli, *cap. consuetudinem. de Clerico non residente.* Quid verò sentiendum sit de Canonico infirmo, qui ante infirmitatem non consueuerat interesse.

Respondetur in nostra prouincia non posse distributiones percipere pro tempore infirmitatis. Ita sancitum est in nostris Conciliis Prouincialibus de iis, quæ pertinent ad distributiones, & de hac re satis egi *in tract. de Horis Canonicis.*

6 An iniustè excommunicatus possit repetere distributiones, quæ fuerũt collatę aliis Canonicis.

6 Ex dictis cum communi DD. sententia colligi potest, eum qui iustè fuit excommunicatus, posse postquam constiterit de iniusta excommunicatione, aut alia censura, repetere distributiones, quæ tempore censuræ fuerant collatę aliis Canonicis assistentibus choro, nam Canonici acquisierunt ius tantummodò imperfectum, & reuocabiliter, vt inquiunt [Alterius *lib.2.disp.6.cap.9.sub finem*, & alij Doctores communiter] apud Alexandrum Monetam *loco cit. num.44.* contra Vgolinum *de censuris tab.2.cap.12.num.4.* & Filliucium *n.133.* asserentes iniustè excommunicatum debere distributiones repetere ab eo, qui ipsum iniustè excommunicauit. Hinc etiam patet quid dicendum sit de eo, qui ob iniustam accusationem coactè abfuit, [& in carcere detentus fuit, iuxta dicta *de Horis Canonicis disput.2.quæst.5. punct.2.§.1.*]

Quod dictum est de distributionibus, pari ratione dicendum arbitror de fructibus: nam si fructus alicui ob iniustam excommunicationem subtracti sunt, cognita excommunicationis iniustitia repeti possunt ab eo, qui eos tenet, eosque nondum bona fide consumpsit, aut si consumpsit, factus est in ipsis ditior: si verò hic consumpsit, nec factus est ditior, repetendi sunt à iudice: imò hic tenetur illos in conscientia restituere, si non seruato iuris ordine, aut mala fide excommunicauit, tenetur enim ratione actionis iniustæ: secus si bona fide, & seruato ordine. Sed de hac re plura disseram *in tract. de beneficiis §. de immunitate ab excommunicatione, & de Horis Canonicis disp.2. quæst.5.punct.2.§.2.num.4. & seq.*

TERTIA PROPOSITIO.

7 An excõmunicatus possit recipere distributiones, quãdo per ipsum non stat, ne absoluatur.

7 EXcommunicatus, qui non assistit diuinis officiis, non potest recipere distributiones, quæ dantur assistentibus choro, etiamsi per ipsum non stet, ne absoluatur, & ne interfit choro. Hęc propositio non admittitur ab omnibus Doctoribus. Nam P. Nauarrus *loco cit.* Vgolinus *tab.2.cap.12.* Henriquez *loco cit.* Sayrus *lib.2.cap.5.num.29.* Emanuel Sà *verb. Beneficium n.50.* & alij, existimant posse recipere. Ratio est, tum quia cùm per ipsum non stet, quominus absoluatur, videtur esse legitimè impeditus; legitimè autem impeditus potest distributiones, & fructus percipere: tum quia qui dedit causam suæ infirmitati, potest percipere fructus, & distributiones beneficij, respondẽtes illi tempori, quo detinetur infirmitate; ergo etiam excommunicatus videtur posse percipere fructus, & distributiones pro eo tempore, quo per ipsum non stat, ne absoluatur, quamuis ipse causam dederit suæ excommunicationi.

Sed mihi probabilius dicendum videtur cum Suarez *disp.13.sect.2.* & aliis, quos retuli *de Horis Canonicis disp.2.quæst.5.punct.2.§.2.nu.1.* prædictum excommunicatum non posse distributiones percipere, nisi fortè iniustè, & per iniuriam denegetur illi absolutio. Ratio est, tum quia excommunicatus, quamdiu excommunicatus, iustè prohibetur non interesse choro; ergo iustè priuatur distributionibus, quæ conferuntur assistentibus choro, quarum priuatio sequitur ex primo effectu iusto: tum quia sequeretur excommunicatum commodum reportare ex sua excommunicatione.

Ad rationem P. Nauarri, & aliorum respondetur, non quemlibet impeditum posse recipere fructus, & distributiones, alioquin excommunicatus, qui numquam procurauit absolutionem excommunicationis, posset percipere fructus, & distributiones, eò quòd dicatur impeditus per excommunicationem, quod non est admittendum. Vide quæ dixi *de Horis Canonicis, & de beneficiis*, [*locis cit.*]

PVNCTVM V.

De priuatione iurisdictionis.

QVæremus in hoc puncto, vtrum excommunicatus ita sit priuatus iurisdictione, vt gesta per ipsum sint inualida, siue sit excommunicatus toleratus, siue non toleratus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An gesta per excõmunicatũ vitandum valida sint.

1 GEsta per excommunicatum vitandum, seu non toleratum, sunt inualida, quoties fiunt ex officio tamquam iurisdictionis propriæ: (excepta tamen electione Summi Pontificis à Cardinalibus excommunicatis facta. *Clement. ne Romani. de elect. in 6.*) Ratio est, quia Ecclesia eo ipso, quo non tolerat huiusmodi excommunicatum, priuat vsu iurisdictionis propriæ, *cap. ad probandum. de re iudicata. cap.1. de supplendis defectibus Prælatorum, in 6. & cap. audiuimus, distinct.24. quæst.1. & cap. fin. de Cler. excomm. minist.* Sed gesta per eum, qui priuatus est vsu iurisdictionis, sunt inualida; ergo gesta per excommunicatum vitandum sunt inualida. Ita communiter Doctores.

Dixi, *iurisdictionis propriæ*, quia si loquamur de vsu iurisdictionis non propriæ, dicendum est excommunicatum vitandum validè gerere ea, quæ facit absque vsu propriæ iurisdictionis, excommunicatus enim non priuatur vsu iurisdictionis non propriæ, cùm nullo iure probetur ipsum ea priuari; qua de causa dictum est de matrimonio, Parochum validè assistere matrimonio, & validè concedere alteri Sacerdoti facultatem assistendi; quamuis ipse Parochus, vel Sacerdos, cui concedit facultatem assistendi, sit excommunicatus vitandus; sicut etiam dicendum est matrimonium celebratum ab excommunicato vitando validum esse. Ratio est, tum quia actus contrahendi matrimonium non est actus iurisdictionis, sed est actus factus à contrahente, tamquam à persona particulari; actus autem, & gesta ab excommunicato vitando, tamquam à persona particulari facta, sunt valida, excepto testamento facto ab eo, qui excommunicatus fuit propter hæresim, vel propter percussionem Cardinalium, *cap. felicis. de pœnis in 6.* Nauarr. *cap.27.num.36.* Auila 2. *parte disp.6.cap.6.dub.6.* Coninch. ex parte *disp.14. dub.10. nu.100.* [Alterius *lib.1.disp.7.cap.5.*] & alij communiter, contra Glossam: tum quia sic habetur *cap. significasti. de eo, qui dixit in matrimonium:* tum quia excommunicatus non definit per excommunicationem esse verus homo, nec potestatem naturalem ad agendum amittit; ergo potest ea facere, quæ iure naturali valida sunt, quale est matrimonium, quamuis mortaliter peccet ineundo matrimonium tempore excommunicationis, facit enim contra obligationem censuræ participando in diuinis, & in Sacramentis.

2 An excõmunicatus validè possit inire contractus, aut testamentũ, aut professionẽ facere.

2 Ex quo vlteriùs patet, excommunicatum posse validè inire contractum venditionis, aut emptionis etiam in sui commodum, aut testamentum, vel professionem facere, quamuis peccet ista faciendo absque necessitate. Ita Sayrus *cap.9.* Couar. *de sponsalibus part.2.cap.6. n.3.* Auila *loco cit.* & alij quos infrà referam.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An valida sint gesta per excommunicatũ toleratum.

3 GEsta per excommunicatum toleratum, & non vitandum valida sunt, etiamsi pertineant ad iurisdictionem propriam. Ita Nauar. *cap.27.n.21.* Auila *loco citato, dub.3.* Henriquez *lib.13.c.8.* Vgolinus *tab.1.cap.3.in initio.* Suarez *disp.14.sect.1.n.8.* Filliucius *cap.6. quæs.2. n.144.* Coninch. *disp.14.dub.10.nu.89.* Reginaldus *lib.32.n.29.* & alij communiter. Ratio est, quia Ecclesia tolerat huiusmodi excommunicatum in suis officiis, & permittit nos cum ipso communicare in rebus sacris, & in aliis pertinentibus etiam ad iurisdictionem; ergo signum est excommunicatum toleratum habere iurisdictionẽ, & consequenter gesta per ipsum esse valida, alioquin non benè consultum esset saluti animarum, & plura scandala sequerentur, si gesta per excommunicatum toleratum non essent valida, Ecclesia permittente fideles cõmunicare cum excommunicatis toleratis: quamquam ipse excommunicatus grauiter peccat sponte se in actibus iurisdictionis ingerendo: nihil enim commodi in ipsius fauorem sancitum est in Concilio Constantiensi, & cùm hæc materia grauis sit, sufficere videtur ad incurrendam grauem culpam, nisi aliunde adsit excusatio, vt ratione paruitatis materiæ, ignorantiæ, &c. Filliucius *tract.12.cap.6. quæs.1.n.143. & quæs.3.n.147.* Coninch. *n.89.* & alij communiter.

Addo excommunicatum toleratum non solùm peccare iurisdictionis actus exercendo, verùm etiam admitti exceptionem cõtra ipsum ad elidendum iurisdictionis actum ab ipso, dum censura detineretur, factum: quamobrem si excommunicatus citet me coram iudice, possum contra ipsum excipere, cum hoc tamen onere, vt intra octo dies speciem, & excommunicationis auctorem legitimè ostendam, & euidenter probem, iuxta ea, quæ *in cap.1. de except. in 6.* decernuntur.

4 An valida sit sentẽtia lata à iudice excommunicato.

4 Ex dictis sequitur primò, sententiam latam à iudice excommunicato tolerato validã esse, donec contra eum excipiatur, quare valida est excommunicatio lata à Prælato excommunicato tolerato. Secus si lata sit ab excommunicato vitando, nam excommunicatus vitandus caret vsu iurisdictionis, consequenter non potest ferre sententiam, vel censuram, vel dare facultatem alteri ad illam ferendam, quia concessio huiusmodi facultatis sit actus iurisdictionis. Ita DD. citati.

5 An Episcopus excommunicatus validè concedat facultatem administrãdi Sacramentum pœnitentiæ.

5 Secundò, Episcopum excommunicatum toleratum posse validè alteri concedere facultatem administrandi Sacramentũ Pœnitentiæ. Secus dicendum est de Episcopo vitando, nam facultas administrãdi Sacra-

Sacramentum Pœnitentiæ est actus iurisdictionis; excommunicatus autem vitandus non potest actus iurisdictionis exercere. Idem dic de facultate ferendi leges, dispensandi in votis, concedendi Indulgentias, iudicium exercendi, & similia faciendi: hæc enim pertinent ad iurisdictionem, cuius vsu caret excommunicatus vitandus. Videri possunt præcit. Doct.

6 An valida sit electio, aut collatio beneficij facta ab excommunicato.

6 Tertiò, electionem, præsentationem, vel collationem beneficij, factam ab Episcopo excommunicato tolerato, validam esse, etiamsi ille, cui fit collatio, sciat collatorem esse excommunicatum toleratum. Secus dicendum est de collatione, aut electione facta ab excõmunicato vitando, [aut de immissione in possessionem beneficij facta cum actu iurisdictionis, vt quando iudex ecclesiasticus ex potestate sui officij immittit aliquem in possessionem, & non tamquam merus executor.] An verò huiusmodi prouisus dicatur intrusus, illique prosit regula de triennali, constabit ex dicendis de beneficiis.

Ex quo fit, vt excommunicato vno Canonico, cui simul cum aliis Canonicis cõpetit ius eligendi, inualida sit electio ab illo facta cum aliis, quando votum illius excommunicati est necessarium ad numerum sufficientem suffragiorum requisitorum ad electionem. Ita Suarez *disput.13.sect.2.* Sayrus *lib.2.cap.6.num.4.* Henriquez *lib.13.cap.7. num.2.in commentario littera B.* Vgol.*tab.2.cap.11.§.2.nu.12.* Coninch. *num.93.* [Alterius *lib.2.disput.5.cap.1.dub.1.& 3.vers. quares. & cap.2. col. 2.*] Filliucius *quæsito 4. & 5. num.151.* & alij. Secus dicendum est quando non requiritur certus, & definitus numerus, sed simpliciter præscribitur consensus omnium: tunc enim non vitiatur electio facta ab excommunicato vitando, quia omnes habiles consentiunt, vt suppono; excommunicatus autem vitandus cùm sit inhabilis, non opus est vt consentiat. Ita Filliuc. & alij DD. cit. quorum nonnulli præfatam doctrinam non solùm extendunt ad electionem in dignitate Ecclesiastica, verùm etiam in laicali. Illam etiam militare contendunt in præsentatione iurispatronatus Ecclesiastici facta ab excommunicato vitando, nam præsentatio vim habet electionis. Illam etiam aliqui Doct. valere asserunt in præsentatione facta à laico, vel à Clerico ratione sui patrimonij.

Sed contrarium alij communiter existimant in hoc casu, eò quòd huiusmodi præsentatio sit potius aliquid facti, quàm iuris. Vide Vgolinum *tab.2.cap.13.§.2.* Henriquez *loc. cit.* Sayrum *cap.5. num.7.* Suarez *loco citato*, Filliucium *loco cit. quæsito 6.* Coninch. *num.94.* [Alterium *lib.2.disput.5.cap.3.* vbi contrarium sentire videtur.

An autem patrono excommunicato currat tempus à iure præscriptum ad præsentandum. Respondetur negatiuè, nisi negligens fuerit in petenda absolutione. Ratio est, quia impedito non currit tempus; si verò negligens fuit in petenda absolutione, currit illi tempus, quia non est legitimè impeditus. Ita Rota *in antiquis, tit. de iure patronat. decis.2. in fine.* Butrius *in cap. quia diuersitatem, de conces. præbend.* Panormit. *ibid. num.11. & 13.* Iason, Couarr. & alij apud Alterium *lib.2. disput.5.cap.3.col.6.7. & 8.*]

7 An valida sit resignatio beneficij facta ab excommunicato in fauorem tertij sit valida.

7 Rogabis vtrùm resignatio beneficij facta ab excommunicato in fauorem tertij sit valida.

Respondeo videri validam, non solùm sit fiat ab excommunicato tolerato, vt concedunt omnes Doct. post Concilium Constantiense, verùm etiam si fiat ab excommunicato vitando. Ratio est, tum quia illa resignatio ex parte excommunicati non est actus iurisdictionis: tum quia resignatio non est electio, nec præsentatio, neque quid iuris, cum resignans non præsentet, nec eligat, nec conferat, sed indicet propriam voluntatem superiori, qui actum iurisdictionis exercet iuxta intentionem excommunicati. Contrarium asserit Suarez *disp. 14.sect.2.num.35.* vbi pro se cit. Couarruuiam, quem etiam refert, & sequitur Filliucius *quæsito 9.num.163.* [& Alterius *lib.2.disput.5. cap.3. ad finem.*]

8 An valida sint instrumenta, & scripturæ factæ ab excommunicato.

8 Quartò sequitur, instrumenta, & scripturas factas à tabellione excommunicato vitando, validas esse, iuxta Suar. *disput.15. sect.5.* & alios, contra Henriquez *loc. cit. cap.9.num.3.* Aulam *loco cit. dub.5.* & alios, [quos referam *punct.7. num.4.*] Ratio est, tum quia nullum ius huiusmodi scripturas expressè irritat: tum quia tabellio non habet propriè iurisdictionem, vt latius probat Abbas *cap. sicut, ne Clerici, vel Monachi*; illa autem acta sunt irrita, quæ ex officio, tamquam iurisdictionis propriæ fiunt ab excommunicato vitando, vt quæ fiunt à iudice tamquam iudice, hæc enim non dicuntur quid facti, sed iurisdictionis. Vide Vgolinum *cap.11.* Reginald. *lib.31.cap.6.num.31. & seq.* Coninch. *dub.11.num.111. & seqq.* Suarez *disput.16.sect.5.* Filliucium *tract.12.cap.7.*

9 An validum sit testamentũ & codicillus factus ab excommunicato.

9 Quintò, validum esse testamentum, vel codicillum factum ab excommunicato, [vel instituto herede excommunicato.] Ratio est, tum quia testamentum valorem habet ex voluntate testatoris, nisi per legem irritetur, nulla autem lege constat huiusmodi voluntatem irritari, quando testamentum conficitur ab excommunicato, excepto testamento facto ab excommunicato propter hæresim, vel propter percussionem Cardinalium, vt patet ex supradictis, & ex dictis de testamentis, & legatis: tum quia relinquere aliis sua bona non est actus iurisdictionis; ergo testamentum, quo aliis bona relinquuntur, factum ab excommunicato, non est inualidum, quamuis excommunicatus testamentum conficiendo peccet, eò quòd participet cum aliis. Ita Suarez *disput.15.sect.9.* Sayrus *lib.2.cap.9. num.2.* Filliucius *tract.12.cap.8.quæs.5.num.206. & seq.* Coninch. *disput.14.dub.12. num.135.* [Alterius *lib.2.disput.4.cap.2.*] & alij communiter.

10 An liget excommunicatione, qui cõmittit delictum eo tempore, quo superior est excommunicatus.

10 Sextò sequitur, eum non incurrere excommunicationem, qui delictum sub excommunicatione prohibitum fecit eo tempore, quo superior, qui tulerat excommunicationem, incidit in excommunicationem, & fuit denuntiatus excommunicatus; quamobrem si Caius iudex diebus præteritis tulit sententiam excommunicationis hoc pacto, qui furtum commiserit sit excommunicatus; sed furtum à fure committitur eo tempore, quo ipse Caius denuntiatus est excommunicatus, fur non incurrit excommunicationem furando eo tempore. Ratio est, [tum quia censura lata ab homine per sententiam generalem, non est perpetua, sicut nec ipsa sententia, sed in fieri, & in esse pendet ab ipso iudice; ergo si iudex moriatur, aut alia ratione priuetur iurisdictione, antequam sententia suum sortiatur effectum, etiam sententia, seu censura per sententiam lata carebit effectu:] tum quia censura lata sub conditione incipit habere effectum tunc temporis, quo adimpletur conditio, ac si tunc promulgaretur, non enim retrahitur ad tempus præteritum, vt inquit [Couarr. *cap. alma mater part.1.§.10.num.6.* Alterius *lib.3.disput.9.cap.4. vers. hæc igitur.*] Suarez *tomo 5.disput.3.sect.4.* Vgol. *tab.1. cap.2.§.2. & cap.9.§.4.* Filliucius *tract.11.cap.3.quæsito 9.num.70.* & alij communiter; sed tunc temporis, quo adimpletur conditio, id est, quo furtum committitur à fure, iudex non habet potestatem legitimam, & expeditam ad excommunicandum, eò quòd sit denuntiatus excommunicatus, & consequenter sit priuatus vsu iurisdictionis: ergo fur non incurrit excommunicationem furando tunc temporis, quo superior, qui tulerat excommunicationem, denuntiatus fuit excommunicatus.

Addo prædictum furem non incurrere excommunicationem, postquam restituta fuerit iudici potestas, & vsus iurisdictionis, si fur commisit delictum eo solùm tempore, quo potestas iudicis erat suspensa per excommunicationem, non enim firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit, sed excommunicatio non subsistebat eo tempore, quo fur commisit furtum; tunc enim erat suspensa iurisdictio: ergo. Secus dicẽdum est, si fur committit delictum, postquam restitutus fuit iudici vsus iurisdictionis, seu postquam iudex fuit absolutus, vt mox patebit.

11 An liget excommunicatione, qui cõmittit delictũ, postquam superior fuit absolutus.

11 Rogabis, vtrùm committens furtum, vel aliud delictum, ligetur censura, quam iudex tulit hoc modo, excommunico eos, qui furtum commiserint; sed accidit, vt post latam sententiam excommunicationis, iudex ipse suspendatur ab vsu iurisdictionis, eò quòd denuntietur excommunicatus, postea verò vsu iurisdictionis illi per absolutionem restituto, fur committat furtum.

Respondeo furem ligari excommunicatione, si re vera furtum commisit, postquam iudex fuit absolutus ab excommunicatione. Ratio est, quia sententia iudicis non erat ablata, & extincta per excommunicationem ab ipso contractam, sed erat tantummodo suspensa; ergo ablata excommunicatione adhuc valet sententia, tollitur enim suspensio per absolutionem, consequenter fur incurrit excommunicationem furando post absolutionem excommunicationis à iudice obtentam. Secus dicendum est, si iudex, postquam tulit sententiam excommunicationis in furripientes, seu aliter delinquentes, non solùm suspensus fuit ab vsu iurisdictionis per excommunicationem, sed de facto priuatus fuit iurisdictione, vel officio, in hoc enim casu committens delictum non incurrit excõmunicationem, etiamsi illud committat, postquam iudex de nouo electus, & assumptus fuit ad idem officium, seu iurisdictionem. Ratio est, quia sententia iudicis pendens à futura conditione, seu à delicto futuro, extincta erat per priuationem iurisdictionis, vel officij; ergo non afficit delinquentem, nisi illa sententia renouata fuerit, postquam iudex iterum assumptus fuit ad idem officium, & iurisdictionem. Ita Suarez *loco cit.* Couarr. Alterius, Vgolin. & Filliucius *loc. cit.* & alij communiter. [Hæc tamen non militant in censura lata per statutum, quia hoc vires non amittit ob mortem, vel excommunicationem conditoris: nam perpetuum est, & robur habet incontinenti post debitam promulgationem. Vide Alterium *lib.3.disput.9.cap.4.*]

12 An Vicarius Generalis, aut foraneus possit iurisdictionẽ exercere, excommunicato Episcopo.

12 Quæres vtrùm Episcopo excommunicato vitando, vel suspenso, vel interdicto, Vicarius Generalis possit exercere iurisdictionem, quam accepit ab Episcopo ante ipsius excommunicationem, vel suspensionem.

Respondeo negatiuè cum Sanchez *lib.3. de matrimonio disput.30.* Sayro *lib.1.cap.5.num.37. & lib.2.cap.6.nu.3. & 19.* Suarez *tom.5. disp. 15.sect.2. nu.4.* Auila *2.part.cap.6.disput.6. dub.4.* Vgolino *tab.1. cap. 2.§.23. & tab.2. cap.11.§.4.* Reginaldo *lib.1. num.47. & 48.* Filliucio *cap.6.quæs.4.num.149.* Coninch o *dub.10.num.84.* [Alterio *lib.3.disp. 7.cap.4. & lib.2.disp.2.cap.2. ad finem,*] & aliis cõtra Sylueſtrum *verb. Absolutio 2.quæsito 6.* Ita colligitur ex *cap. Romana, de officio Vicarij, in 6.* Ratio est, quia est vnum, & idem tribunal Vicarij Generalis, & Episcopi, nec datur appellatio à Vicario generali ad Episcopum, vnde suspensa iurisdictione Episcopi per excommunicationem, aut ea sublata per eius mortem, remanet etiam suspensa, vel sublata auctoritas Vicarij, [*cap.1.de offic. vicar.in 6.*] quamuis res antea esset incepta, nisi Vicarius Generalis aliunde iurisdictionem habeat, vt benè ostendit Sanchez *loco citato.* [Quamobrem si Vicario Episcopi delegata sit facultas ad aliquid faciendum, excommunicato Episcopo non suspenditur facultas quæ huic Vicario delegata fuit ab alio; quauis enim excommunicato Episcopo suspendatur iurisdictio Vicarij prouenies ab Episcopo, non tamen suspenditur iurisdictio deinde acquisita. Et licèt Vicarius non possit tunc vicariatus acta facere, adhuc tamen remanet verus Vicarius, & iurisdictionem habitualem continet, suspensa solùm & impedita actuali spectante ad vicariatum, vt bene Alterius *lib.2.disp.2.cap.2.ad finem.*]

Ex dictis sequitur Vicarium Generalem non posse validè conferre beneficia, & alia huiusmodi præstare eo tempore, quo Episcopus remanet excommunicatus vitandus.

Ex quo patet, quid dicendum sit de Vicario foraneo, seu particulari delegato ab Episcopo, cùm à Vicario foraneo detur appellatio ad Episcopum, nec sit vnum, & idem tribunal. [Quamobrem dico, dum delegans est excommunicatus vitandus, vel amotus ab officio, cessat iurisdictio delegati, re adhuc integra: tum quia per actum delegationis non transfertur efficaciter iurisdictio in delegatum; tum quia extincto iure auctoris, extinguitur ius successoris. Si verò res non est integra, quia videlicet iam citata fuerat pars ad iudicium; non cessat iurisdictio delegati, quia iurisdictio iam fuit radicata in persona ipsius delegati; consequenter non cessat morte delegantis, vel eo amoto vel suspenso ab officio. Neque est par ratio delegati & Vicarij, cuius iurisdictio suspenditur excommunicato Episcopo,

copo, etiamsi res mea sit integra. Ratio disparitatis est, quia Episcopi & Vicarij est vnum & idem tribunal, non autem delegantis & delegati. Ex quo patet, mortuo delegante inualida esse gesta delegati facta re adhuc integra, etiamsi forte mors delegantis nondum peruenerit ad aures delegati; ignorātia enim non tribuit iurisdictionem, iuxta Panormit. *in cap. gratum. num.* 10. *de offic. deleg.* Alterium *lib.* 3. *disput.* 7. *cap.* 6. *dub.* 3. & alios, qui hoc idem sentiendum putant de iis quæ re adhuc integra fiunt à delegato post reuocationem delegationis, etiamsi delegatus nondum audierit reuocatam fuisse delegationem. Verùm quid ego sentiam, dum reuocatio delegationis, vel mors delegantis nota non erat delegato, alibi explicaui. Vide Auilam, Syluestrum, & Alterium *locis citatis*, Sanchez *lib.* 3. *disput.* 22. *num.* 59. *& disput.* 29. *&* 30. vbi oppositum sustinet dum communiter ignoratur mors Episcopi vel delegantis: tunc enim censetur adesse error communis & titulus coloratus, qui supplet iurisdictionem. *l. Barbarius. ff. de offic. Prætoris.*]

13 An obtinens facultatem aliquam ab Episcopo, possit ea vti dum Episcopus est excommunicatus.

13 Rogabis, vtrùm obtinens ab Episcopo facultatem absoluendi, vel administrandi Sacramenta, possit ea facultate vti, postquam Episcopus fuit denuntiatus excommunicatus.

Respondeo iuxta communiorem Doct. sententiam posse. Ratio est, quia, sicut illa facultas, vel eius vsus non exspirat per mortem concedentis, vt dictum est *de legibus*, ita neque cessat per lapsum concedentis in excommunicationem. Ita Sayrus *loco citato cap.* 11. *num.* 11. Sotus *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 3. Auila *loco cit. dub.* 3. *ad finem*, & alij.

PVNCTVM VI.

De priuatione humanæ conuersationis, seu ciuilis communicationis.

DVo principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, vtrùm prohibitum sit excommunicato participare cum aliis fidelibus, aut fidelibus participare cum ipso excōmunicato.

Secundò in quibus casibus prohibitum sit aut concessum participare cum excommunicato.

§. I.

Vtrùm prohibitum sit excommunicato participare cum aliis fidelibus, & è contra.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An excōmunicatus participare possit cum aliis fidelibus.

1 CVilibet excommunicato etiam tolerato vetitum est, per se loquendo, communicare cum aliis fidelibus. Ita communiter Doct. Ratio desumitur ex natura ipsius excommunicationis, cuius proprius effectus est priuare excommunicatum ciuili communicatione, *cap. nuper, & cap. si aliquando. de sententia excommunicationis.*

Dixi, *per se loquendo*, quia per accidens, exempli gratia, ratione necessitatis, &c. fieri potest, vt excommunicatus non peccet communicando cum fidelibus, vt constabit ex sequenti §. sicut etiam ex supradictis cōstat, excommunicatum toleratum non peccare communicando cum aliis fidelibus, quando ipse non sese sponte ingerit, sed ab ipsis inuitatur, & prouocatur. Ita Victoria, Ledesma, Sanchez, & alij *locis suprà cit.* quibus adde Filliucium *tract.* 13. *cap.* 3. *quæsito* 9. *nu.* 53. contra Auilam *disp.* 8. Sylueſtrum, Vasquez, Caietanum, & alios. Ratio est, quia in Concilio Constantiensi, *in extrauaganti, Ad euitanda scandala & pericula*, concessum est fidelibus priuilegium communicandi cum excommunicatis toleratis; fideles autem non possent hoc priuilegio vti, nisi etiam ipsi excommunicati tolerati excusarentur à peccato participando cum ipsis fidelibus, alioquin fideles ipsi peccarent inducendo excommunicatos ad id quod præstare non possunt absque peccato. Vide, quæ suprà dixi de petente Sacramenta ab excommunicato tolerato.

2 Quo peccato peccet excommunicatus cōmunicando cū aliis.

2 Quæres primò, quo peccato peccent excommunicati participando cum fidelibus sua sponte in actionibus humanis.

Respondeo, vt plurimum venialiter peccare. Ratio est, quia vtplurimum videntur facere contra obligationem censuræ in materia leui; faciens autem contra obligationem, & legem in materia leui venialiter peccat. Ita Suarez *loco citat.* & alij communiter. Immo Henriquez *lib.* 13. *cap.* 9. Auila 2. *part. cap.* 6. *disput.* 8. *dub.* 3. *concluſ.* 2. & alij, contra Filliucium *tract.* 13. *cap.* 3. *quæsito* 3. *&* 10. existimant excommunicatum toleratum peccare tantummodo venialiter eligendo, vel præsentando aliquem ad beneficium, vel iudicando, &c. nam huiusmodi acta valida sunt, & secundariò videntur prohiberi, & non primariò. Secus si hæc fiant ab excommunicato vitando, tunc enim sunt inualida, consequenter excommunicatus grauiter peccat ea faciendo. Sed quid ego sentiam in hac re, aperiam *punct.* 7. *num.* 3.

3 An excōmunicatus possit communicare cum infidelibus, & è contra.

3 Quæres secundò, vtrùm excommunicatus peccet contra censuram communicando cum infidelibus, & vtrùm ipsi infideles peccent communicando cum excommunicato vitando.

Respondeo negatiuè cum Vgolino *tab.* 2. *cap.* 22. §. 1. Suarez *disp.* 15. *sect.* 1. *num.* 11. Sayro *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 35. Conincho *disp.* 13. *dub.* 1. *num.* 10. Filliucio *tract.* 13. *cap.* 5. *num.* 83. [Alterio *lib.* 1. *disput.* 9. *cap.* 1. *col.* 3. *vers.* 3.] & aliis. Ratio est, quia Ecclesia non separat excommunicatum à consortio infidelium, sed à consortio fidelium, & Christianorum, vt patet ex *cap. omnis Christianus*, & ex *cap. Engeltrudam* 30. *quæst.* 4.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An fideles possint communicare cum excommunicatis.

4 VEtitum est fidelibus communicare cum excommunicato vitando, non verò cum tolerato. Hæc propositio patet ex Cōcilio Constantiensi, *in extrauag. Ad euitanda scandala, & pericula*, vbi concessum est fidelibus priuilegium communicandi cum excommunicatis toleratis, non verò cum vitandis.

Ex quo sequitur, participantem cum excommunicato vitando peccare, eò quòd faciat contra obligationem censuræ. Et hoc verum est, etiamsi cum illo participet extra territorium excommunicantis, excommunicatus enim secum trahit excommunicationem, & remanet vbique excommunicatus, semperque afficitur effectibus excommunicationis, donec absoluatur. Ita Sayrus *loco cit. num.* 25. Filliuc. *tract.* 13. *cap.* 3. *quæſ.* 7. *num.* 49. & alij communiter.

5 Quo peccato peccet communicans cum excommunicato vitando.

5 Quæres primò, quo peccato peccet communicans cum excommunicato vitando.

Respondeo communicando in rebus ciuilibus, & actionibus humanis, vtplurimum peccare tantummodò venialiter. Ita Caietanus *verb. Excommunicatio, ad finem.* Nauarr. *cap.* 27. *num.* 29. Sotus *dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 4. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 8. Suarez *disput.* 15. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 20. Vgolinus *tab.* 2. *cap.* 23. §. 14. Vasquez *tract. de excommunicatione dub.* 7. *num.* 8. Filliuc. *tract.* 13. *cap.* 3. *quæſ.* 2. *& seqq.* [Alterius *lib.* 1. *disp.* 12. *cap.* 1.] & alij. Ratio est, tum quia huiusmodi communicatio vtplurimum videtur materia leuis: tum quia ipsi excommunicati peccant tantummodò venialiter participando cum fidelibus in actionibus ciuilibus, ergo etiam ipsi fideles peccant tantummodò venialiter participando cum ipsis excommunicatis in rebus ciuilibus. Communicando verò in diuinis, vt in sepultura, in Sacramentis, & officiis publicè celebratis, grauiter peccant, vt accidit, quando quis Missam audit cum excommunicato vitando, aut cum eo astitit diuinis officiis, nisi paruitas materiæ excuset, qualis videtur esse, quando quis audit principium Missæ cum excommunicato vsque ad Epistolam, aut quando aliquis assistit in Ecclesia cum excommunicato eo tempore, quo canitur vnus breuis Psalmus. Hic tamen obiter

Aduertendum est cum Suarez, Filliucio *num.* 44. [Alterio *lib.* 1. *disp.* 12. *cap.* 2.] & aliis, non eamdem esse materiam grauem in priuata recitatione cum excommunicato, quæ est grauis in publica recitatione, nam recitans aliquando priuatim diuinum officium cum excommunicato, excusari potest à mortali, à quo non excusatur publicè recitando, vt suprà dictum est, *puncto* 3. §. 2.

6 An frequenter communicans cum excommunicato vitando peccet mortaliter.

6 Quæres secundò vtrùm frequenter communicans cum excommunicato vitando in actionibus ciuilibus mortaliter peccet.

Respondet Auila *loco citato conclus.* 2. Sayrus *loco citato num.* 4. Reginald. *lib.* 32. *num.* 92. [Alterius *lib.* 1. *disput.* 12. *cap.* 6.] & alij, peccare tantummodò venialiter per se loquendo, secluso contemptu, & scandalo. Ratio est, quia quod est de se tantummodò veniale, non fit mortale per multiplicationem actuum; sed communicare cum excommunicato in actionibus humanis est de se peccatum veniale; ergo non fit mortale ob multiplicationem actuum, seu frequentem communicationem.

Sed mihi probabilius dicendum videtur cum Suarez *loc. cit. nu.* 11. Filliucio *tract.* 13. *cap.* 3. *quæſ.* 3. *num.* 43. *& cap.* 5. *quæſ.* 9. *nu.* 92. Conincho *disp.* 14. *dub.* 14. *num.* 149. frequenter communicantem cum excommunicato vitando mortaliter peccare. Ratio est, tum quia præceptum non communicandi cum excommunicatis obligat sub mortali, nisi excuset paruitas materiæ, vel indeliberatio, vt patet in reliquis præceptis, constatque ex *cap. sacris. de his quæ vi.* ex *cap. si verè. de sentent. excom. & cap. exceptionem. de except.* Tum quia quamuis singuli actus communicationis sint materia leuis, nihilominus multitudo actuum, si sumantur per modum vnius, potest constituere materiam grauem sufficientem ad mortale peccatum.

7 An grauiter peccet, qui alloquitur excommunicatū cum intentione perseuerādi.

7 Ex quo sequitur eum, qui alloquitur excommunicatum, intentione semper, aut perseueranter alloquendi, grauiter peccare, vt patet in simili de fure, qui minima furatur animo furripiendi successiuè maiora. Admitto tamen tamquam probabilem, & in praxi tutam, sententiam Sayri, & Auilæ, ad cuius fundamentum

Respondetur, communicare cum excommunicato, non esse veniale ex suo genere, sed ratione paruitatis materiæ, vel indeliberationis, &c.

8 Quam pœnam incurrat cōmunicans cum excōmunicato vitando.

8 Quæres tertiò, vtrùm communicans cum excommunicato vitando incurrat aliquam pœnam.

Respondeo incurrere minorem excommunicationem, vt infrà ostendam [ex *cap. nuper, de sent. excom. & cap. vlt. de cleri. excommunic.*] Immò datur vnus casus, in quo secundum omnes Doctores communicans cum excommunicato peccat mortaliter, & maiorem incurrit excommunicationem, quando scilicet communicat in crimine criminoso, id est, quando cooperatur crimini, vel contumaciæ, propter quam lata est excommunicatio, *cap. si concubina, & cap. nuper. de sententia excommunicationis*, vbi affertur duplex ratio. Prima est, quia agentes, & consentientes pari pœna puniri debent.

Secunda est, quia offendit excommunicantem, consequenter dignus est pœna ab eo lata, vnde si lata sit excommunicatio contra concubinarium, eò quòd noluerit concubinam domo expellere, præbens auxilium, fauorem, vel consilium concubinario ad retinendam domi concubinam, peccat mortaliter, & maiorem incurrit excommunicationem, quia participat in crimine criminoso. Similiter impediens Caium ne restituat, incurrit eamdem excommunicationem, quam Caius contraxit, eò quòd noluerit restituere. Præterea, qui dat consilium percussori Clerici denuntiato excommunicato, ne exeat ab illa excommunicatione, & ne satisfaciat, peccat grauiter, & afficitur maiori excommunicatione. Rursus, qui dat consilium, vel fauorem, ne aliqui consanguinei, vel affines recedant à matrimonio intra gradus prohibitos scienter celebrato, *Clementina* 1. *de consanguinitate, & affinitate*, remanet excommunicatus toties, quoties hoc modo participat in crimine criminoso. Eadem excommunicatione ligatur Episcopus participans in crimine criminoso cum aliquo à se excommunicato. Ratio est, quia Episcopus tenetur seruare ius commune, quale est *cap. nuper*, citatum, & afficitur excommunicatione iure communi lata, transgrediendo ius commune. Secus dicendum est de Summo Pontifice, hic enim non tenetur ex vi coactiua ad suas leges seruandas, vt patet ex dictis *de legibus*. Ita Suarez *disput.* 15. *sect.* 7. *num.* 4. Vasq. *dub.* 7. *nu.* 5. *& dub.* 10. *nu.* 6. Auila 2. *part. cap.* 6. *disp.* 10.

Filliuc.

Filliuc. *tract.*12. *cap.*9. *num.*224. *& tract.*13. *cap.*3. *quæs.*5. *nu.*46. *& seq.* [Alterius *lib.*1. *disp.*12. *cap.*9.] & alij communiter, contra Glossam *in cap. statuimus. de sententia excommunicationis.*

9 Quid requiratur, vt participans in crimine criminoso, ligetur maiori excõmunicatione.

9 Rogabis primò, quænam requirantur, vt participans in crimine criminoso prædictam excommunicationem incurrat.

Respondeo quinque requiri, vt colligitur ex *cap. nuper*, & ex Concilio Constantiensi.

Primò, vt participatio fiat in crimine, postquam criminosus excommunicationem contraxit.

Ex quo sequitur prædictam excommunicationem non incurri ab eo, qui communicat in primo actu, propter quem criminosus principalis ligatur excommunicatione, in hoc enim casu criminosus, cum quo participat, nondum est excommunicatus: in *cap.* autem *nuper*, sermo est de participatione cum excommunicato.

Secundò, vt sit participatio in eodem crimine, propter quod alter fuit excommunicatus.

Tertiò, vt communicans sciat illum, cum quo participat, excommunicatum fuisse ob tale crimen.

Quartò, vt ille cum quo participat sit excommunicatus vitandus, nam post Concilium Constantiense permissum est participare cum excommunicatis toleratis. Immo requiritur, vt ille, cum quo participat, sit denuntiatus excommunicatus: quapropter, inquit Auila 2. *part. cap.*6. *disput.*10. *dub.*3. *&* 4. Sanch. *in opere morali. lib.*2. *cap.*10. [Alterius *lib.*1. *disp.*12. *cap.*9.] Reginald. *lib.*32. *num.*96. participans cum notorio percussore Clerici, non incurrit prædictam excommunicationem, nisi forte ille percussor denuntiatus fuerit excommunicatus, nam *in cap. nuper*, fit solum mentio participantis cum nominatim excommunicato. Vide Sanch. *lib.*7. *de matrim. disp.*48. *n.*3. *sub fin.*

Quintò, vt cooperatio non sit adeò leuis, vt pro nihilo habeatur, nam ad incurrendam maiorem excommunicationem requiritur materia sufficiens ad peccatum mortale. Ita Nauarr. *cap.*27. *num.*112. Caiet. *verb. Excommunicatio. cap.*57. Auila *loco cit.* Henriq. *lib.*13. *cap.*9. Sayrus *lib.*2. *cap.*11. *num.*6. Vgol. *tab.*1. *cap.*13. §.8. Filliuc. *tract.*12. *cap.*9. *quæsito* 8. *num.*222. Reginald. *loc. cit.* & alij.

10 A quonam possit absolui participãs in crimine criminoso.

10 Rogabis secundò, à quonam possit absolui participans in crimine criminoso.

Respondeo ab eo posse absolui, à quo potest absolui principalis, cum quo communicauit, vt patet ex *cap. nuper, cit.* Ita Doct. cit.

§. II.

In quibus casibus vetitum sit aut permissum cum excommunicatis communicare.

QVæram priùs, in quibus casibus vetita sit cum excommunicatis participatio. Deinde in quibus casibus iure permittẽte licita sit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 In quibus casibus prohibitum sit communicare cum excommunicatis vitandis.

1 PRohibitum est communicare cum excommunicatis vitandis in casibus, qui hoc carmine exprimuntur:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

2 Quid intelligatur per particulam, *Os.*

2 Quæres primò, quid intelligatur per particulam, *Os.*

Respondeo intelligi confabulationem, aut allocutionem, siue ea fiat per litteras, siue per nutus, siue per nuntios, siue per alia signa; intelliguntur etiam signa amicitiæ, vt oscula, amplexus, &c. Si tamen daretur casus, vt Titius excommunicatus oscularetur Seium, quem etiam Caius oscularetur, Caius non diceretur cõmunicare cum Titio excommunicato, nisi fortè conuentionem aliquam fecerit simul osculandi. Rursus per particulam, *Os*, intelligitur acceptatio munerum, hæc enim videtur quædam participatio, non tamen intelligitur retẽtio munerum priùs acceptatorum, quamuis bonum consilium sit remittere munera, vt excommunicatus confundatur, & inde occasionem capiat resipiscentiæ. Ita Auila 2. *part. cap.*6. *disp.*9. *dub.*2. Syluest. *verb. Excommunicatio* 5. *num.*2. Nauarr. *loco citato num.*20. Sayrus *lib.*2. *cap.*13. Suarez *disp.*15. *sect.*1. [Alterius *lib.*1. *disp.*10. *cap.*1.] Henriquez *lib.*13. *cap.*7. Vgolinus *tab.*2. *cap.*23. §.1. Filliucius *tract.*13. *cap.*5. *nu.*84. *quæs.*3. Reginald. *lib.*32. *num.*68. & alij.

3 Quid intelligatur per verbũ, *Orare.*

3 Quæres secundò, quid intelligatur per verbum, *Orare.*

Respondeo intelligi orationem, eò quòd non licet orare simul cum excommunicatis vitandis.

Vtrùm verò liceat orare pro excommunicatis, patet ex supradictis, sicut etiam ex dictis constat, vtrùm orationes emissæ ab excommunicato, & applicatæ ceteris fidelibus, validæ sint, & fructuosæ: dictum enim est orationes communes, quales sunt orationes Missæ, & horarum Canonicarum, oblatas ab excommunicato tolerato, prodesse reliquis fidelibus quoad valorem prouenientem ex meritis Ecclesiæ, orationes verò oblatas ab excommunicato vitando non prodesse, eò quòd Ecclesia nolit per huiusmodi excommunicatum orare, sicut neque prosunt quoad valorem prouenientem ex propriis meritis, tantum enim abest, vt excommunicatus participando cum aliis mereatur, vt potiùs delinquat, & peccet.

4 Quid prohibeatur per verbũ, *Vale.*

4 Quæres tertiò, quid prohibeatur per vrbem, *Vale.*

Respondeo prohiberi omnem honorificam salutationem, salutatio verò facta verbis deprecatoriis, vel ordinatis ad emendationem excommunicati, & non in ipsius honorem, licita est, & permissa, eò quòd ex iusta causa fiat, vt constabit ex dicendis. Ita Suarez *disp.*5. *sect.*1. Filliucius *num.*84. Reginald. *num.*81. [Alterius *loc. cit.*] Vgol. Henriq. & alij communiter *locis* statim *citandis.*

Addunt aliqui Doctor. licitum esse salutare, vel resalutare excommunicatũ absque verbis, e.g. aperiendo caput, mouendo labia, assurgendo, dando locũ in sedili, vel similia signa præbendo in signũ vrbanitatis, aut sine animo salutandi, vel resalutandi, sed intra se dicendo, Deus te conuertat, vel similia. Ita Auila *loco citando*, [Alterius *cap.*1. *cit.*] Graffius, & plures alij, apud Sayrum *lib.*2. *cap.*13. *nu.*7. Ratio est, quia nomine salutationis propriè intelliguntur verba, vel litteræ, &c.

Sententia istorum Doct. probabilis est. Sed mihi probabilior videtur sententia Vgolini *tab.*2. *cap.*2. §.1. *num.*10. Vasquez *tract. de excommunicatione dub.*8. *num.*5. Henriq. *lib.*13. *cap.*7. *num.*3. Suarez *disp.*15. *sect.*1. *num.*3. Reginaldi *num.*75. *&* 82. & aliorum asserentium, exhibentem huiusmodi signa venialiter peccare, & minoris excommunicationis vinculo irretiri, nam huiusmodi actus ex communi vsu sunt signa amicitiæ, & salutationis, necnon videntur quamdam cõmunicationem cum excommunicato continere. Non nego tamen, quin hæc, & alia huiusmodi salutationis signa excusari possint à peccato, & à minori excommunicatione, quando fiunt absque plena aduertentia, vel ad euitandum scandalum, & non ad exhibendum honorem excommunicato, vt patet ex doctrina tradita *de peccatis.*

Addit Henriq. *loco cit. littera O*, & Filliucius *num.*84. non esse prohibitum resalutare excommunicatum, aut illi rescribere, eò quòd ista videatur solutio debiti, quæ præstanda est etiam inimico.

Sed mihi contrarium dicendum videtur cum Auila 2. *parte cap.*6. *disput.*9. *dub.*9. nam generaliter prohibitum est communicare cum excommunicato, illumque salutare in pœnam ipsius delicti, consequenter per excommunicationem, excommunicatus censetur priuatus huiusmodi obsequiis, & officiis, quæ aliis debentur secluso excommunicatione.

Ex dictis sequitur primò illicitũ esse fidelibus excommunicato vitando sese obuiam offerenti signa honorifica exhibere, nisi forte exhibeant tamquam media ad ipsius conuersionem, vt infrà dicam.

Secundò sequitur, licitum esse hæc verba coram excommunicato proferre, *Dominus te conuertat, te illuminet*, &c. nam huiusmodi verba non diriguntur ad excommunicatum in ipsius honorem, sed ad ipsius emendationem.

Addo, illicitum non videri caput aperire, vel assurgere personæ publicæ, vt Episcopo, aut prætori excommunicato; hoc enim permitti posse videtur, tum ob consuetudinem: tum propter vtilitatem, seu damni periculum, subditus enim cauere potest ne in manus sui superioris incidat, Suarez *loco cit. sect.*1. *num.*4. Filliucius *num.*86. [Alterius *cap.*1. *cit. vers. immò.*]

5 Quid significet particula, *Cõmunio.*

5 Quæres quartò, quid intelligatur per particulam, *Communio.*

Respondeo intelligi societatem, quæ fit communicando cum excommunicatis in habitatione, vel exercitio, vel contractu. Ita communiter Doctores.

Ex quo patet, non esse licitum dormire cum excommunicato in eodem lecto, dormire verò in diuersis lectis positis in eodem cubiculo non videtur prohibitum, modò, qui in eodem cubiculo dormiunt, non ibi maneant per modum societatis, vel ad idem negotiũ, tunc enim dicerentur simul communicare: manentes verò in eadem domo, seu cubiculo ea ratione, vt quisque suis intendat negotiis, non dicuntur simul communicare, vt accidit, quando excommunicatus suum gerit negotium in vno angulo seorsim ab altero, & alter in alio absque cooperatione alterius, aut quando duo condormiunt in eodem lecto, non per modum societatis, sed vt vnusquisque ibi dormiat, vt suam quietem capiat, sicut contingit, quando duo perueniunt ad idem diuersorium, & vtrique vnus tantum lectus conceditur. Ita Suarez *disp.*15. *sect.*2. *num.*8. Filliucius *cap.*5. *quæsito* 6. *nu.*87. Reginald. *num.*84. [Alterius *lib.*1. *disp.*10. *cap.*1.] & alij.

Hinc sequitur primò, non esse licitum inire contractum cum excommunicato vitando, quamuis contractus sit validus, & alter contrahens possit agere contra excommunicatum, licèt ipse excommunicatus non possit agere contra alterum contrahentem, donec absoluatur. Ita Vgolinus *tab.*2. *cap.*20. §.1. Syluest. *verb. Excommunicatio* 5. *num.*3. Vasquez *dub.*8. *num.*8. Sayrus *lib.*2. *cap.*13. *num.*10. Henriquez *cap.*7. *num.*3. Filliucius *loco cit.* Coninch. *disp.*14. *dub.*12. *num.*119. Reginald. *num.*83. & alij communiter.

Secundò prohibitum esse aliquod opus gerere cum excommunicato, quod mutuam postulet operam, vt simul ædificare parietem, vel similia.

Tertiò licitum non esse communicare cum excommunicato mortuo, etiam in humanis, vt ipsum lauando, aut vestiendo, hæc enim est quædam communicatio: cui autem non communicamus viuo, nec mortuo communicare debemus, quamquam non est illicitum in loco profano ipsum sepelire, ne fœteat, & aërem corrumpat: hoc enim fieri videtur titulo necessitatis, quę iustam præbet excusationis causam, vt patebit ex dicendis. Ita Vgolinus, Reginaldus, & alij, quos retuli *punct.*3. §.1. *num.*14.

6 Quid significetur per particulam, *Mensa.*

6 Quæres quintò, quid intelligatur per particulam, *Mensa.*

Respondeo intelligi communicationem cibi, & potus, quæ dicitur communicatio in eadem mensa formaliter, vt accidit, quando quis alterum inuitat ad cœnam, aut quando aliqui communem, & socialem vitam agunt, siue iisdem cibis vescantur, siue vnicuique proprium apponatur obsonium, vt fieri solet in Seminariis, & monasteriis, in quibus, licèt diuersæ mensæ sint dispositę in eodem refectorio, & vnicuique suus apponatur cibus: nihilominus omnes censentur in eodem loco adesse per modum societatis, & vitam communem agere, ac participare in eadem refectione, mensa, & benedictione. Idem dicendum est, quando multi inuitantur, quos vna mensa non capit, sed pluribus mensis accumbunt in eodem cubiculo. Secus si accumbant in mensis valdè diiunctis, seu dispositis in diuersis cubiculis, tunc enim inuitati, qui non accumbunt ad mensam excommunicati, non videntur peccare, eò quòd non censeantur mortaliter simul edere in eodem conuiuio, seu formaliter communicare. Ita Suarez *loco citato num.*6. Auila *loco citato dub.*11. Henriquez *loco citato in commentario littera X.* Sayrus *lib.*2. *cap.*13. *nu.*13. Vgolinus *loc. cit. cap.*23. §.2. Filliucius *quæsito* 7. *num.*88. Reginald. *num.*86. & seq. & alij.

Hinc sequitur primò, eum qui scit in suo refectorio adesse Clericum notorium percussorem Clerici, peccare non recedendo, dicitur enim participare cum excommunicato vitando.

Secundò, eum qui reperitur in aliqua caupona, ad quam etiam diuertit excõmunicatus vitandus, posse in eodẽ cubiculo, immò etiam

in eadem mensa comedere, modò quisque suum habeat cibum, nec comedat per modum societatis, sed quisque suæ intendat refectioni. Ita Suarez *loco citato*, Sayrus *num.*15. Auila, & alij *loco citato*.

SECVNDA PROPOSITIO.

7 In quibus casibus licitum sit participare cum excõmunicato vitando.

7 LIcitum est communicare cum excommunicato vitando in his casibus, qui hoc carmine continentur:

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

8 Quæres primò, quid intelligatur per particulam, *Vtile*.

8 Quid intelligatur per particulam, *Vtile*.

Respondeo, intelligi vtilitatem tam spiritualem, quàm temporalem ipsius participantis cum excommunicato, aut ipsius excommunicati participantis cum alio, modò vtilitas sit vera, & non ficta. Ita Vasquez *dub.*9. Suarez, Sayrus, Henriquez, & alij *locis citatis*, quibus adde Filliucium *cap.6. quæsito* 3. Coninch. *disp.*14. *dub.*12. *num.*121. Reginald. *lib.*32. *num.*98. *&* 99. [& Alterium *lib.*1. *disp.*15. *cap.*1.]

9 An liceat communicare cum excommunicato vitando ad eius emendationem.

9 Ex quo sequitur primò, fideles posse communicare cum excommunicato vitando, dum ex ea communicatione sperant ipsius excommunicati resipiscentiam, & emendationem. Quapropter concionator potest concionem habere coram excommunicato vitando, nam concio dirigitur, & ordinatur ad vtilitatem ipsius excommunicati. Et hoc verum est, inquit Nauar. *cap.*27. *num.*36. & alij, etiamsi oratio Angelica in principio concionis recitetur, nam illa oratio non censetur publica, sed priuata.

10 An liceat suadere excommunicato vt resipiscat.

10 Secundò sequitur, licitum esse consulere excommunicato, vt resipiscat, & ad meliorem sese recipiat frugem, in quo casu consulenti licitum est verbis benignis, & vrbanis excommunicatum salutare, vt caput aperiendo, aut in principio Epistolæ ponendo salutationem consuetam, si fortè consilium in scriptis mittat, intendens, capta excommunicati beneuolentia, ipsum trahere ad emendationem. Ratio est, tum quia licitum est adhibere media ordinata ad finem, medium autem inducendi excommunicatum ad emendationem sunt signa beneuolentiæ, & vrbanitatis; ergo licitum est adhibere signa beneuolentiæ, & vrbanitatis. Tum quia sic habetur *cap. cùm voluntate. de sent. excommunic.* [vbi dicitur illum excusari ab excommunicatione, qui alloquitur excommunicatum in his quæ ad absolutionem, vel aliàs ad animæ salutem pertinent, licèt etiam alia verba incidenter interponat, vt apud eum magis proficiat.] Ita Nauar. *cap.*27. *nu.*27. Auila 2. *part. cap.6. disp.9. dub.*2. Suarez, & alij *locis citatis*.

11 An licitũ sit persuadere excommunicato vitando vt satisfaciat parti læsæ.

11 Tertiò, licitum esse persuadere excommunicato, vt satisfaciat parti læsæ, vel reipublicæ.

12 An liceat petere cõsilium ab excommunicato vitando.

12 Quartò, licitum esse petere consilium ab excommunicato pro se, vel pro aliis, modò non adsint alij non excommunicati, qui æquè benè valeant hoc munus præstare. Ita Suarez *disp.*15. *sect.*3. *nu.*9. [Alterius *loc. cit.*] & alij.

13 An liceat petere creditum ab excommunicato, aut prosequi societatem antea initam.

13 Quintò, licitum esse petere suum creditum ab excommunicato vitando, vel prosequi societatem antea initam. Ita communiter Doctores.

14 An liceat petere medicinas, & auxilium ab excommunicato vitando.

14 Sextò, licitum esse à Medico excommunicato vitando petere auxilium, & medicinas.

15 An excommunicatus vitãdus possit petere suũ creditum.

15 Septimò, licitum esse excommunicato vitando petere priuatim suum creditum à debitore; sicut enim ipse debitor tenetur soluere suo creditori excommunicato, cùm obligatio soluendi debitum sit obligatio iuris naturalis, quæ non tollitur per præceptum Ecclesiæ non participandi cum excommunicato, ita etiam ipse creditor excommunicatus potest priuatim petere suum creditum. Ita Couar. *ad regulam, Peccatum* 1. *part. num.*8. Lessius *lib.*2. *cap.*16. *dub.*9. Auila 2. *part. cap.6. disp.*11. *dub.*4. [Alterius *lib.*2. *disp.*4. *cap.*1.] & alij, contra Sayrum *lib.*2. *cap.*9. *nu.*20. *&* 21. & alios, asserentes debitorem posse solutionem differre, donec excommunicatus Ecclesiæ reconcilietur.

Dixi, *posse priuatim petere*, quia si excommunicatus petat solutionem in iudicio, non admittetur, *cap. quia. de exceptionibus, in 6.* quãuis fortè in tribunalibus sæcularibus hoc non sit in vsu, teste Couarr.

Ex quo patet à fortiori debitorem teneri suo creditori, quamuis excommunicato, soluere pecuniam, quam promisit cum iuramento, etiamsi interim creditor denuntietur excommunicatus, & nondum sit absolutus. Ita Sylvest. *verb. Excommunicatio* 5. *quæsito* 12. [Alterius *loc. cit.*] & alij, contra Sayrum *loco cit.* & Vgolinum *tab.*2. *cap.*20. *§.*2. *num.*2. Ratio est, primò, quia si non tenetur, maximè quia non potest communicare cum excommunicato; sed hæc ratio non valet in hoc casu, licitum enim est communicare cum excommunicato propter vtilitatem temporalem ipsius excommunicati; propterea debitor, qui non soluit creditori intra præfixum terminum, positum sub excommunicatione latæ sententiæ, incurrit excommunicationem, etiamsi creditor intra talem terminum fuerit excommunicatus, quãuis Sayrus *num.*20. sentiant oppositum. Secundò, quia sequeretur ipsum debitorem labentem in excommunicationem non teneri soluere debitum suo creditori, quamdiu debitor existit in excommunicatione; hoc autem falsum est. Tertiò, quia nullo iure probatur debitorem non teneri soluere suo creditori excommunicato, nam *cap. nos sanctorum* 15. *q.*6. & alia iura, quæ contra nos adduci possent, loquuntur de debito fidelitatis, & obsequij, non verò de aliis debitis, & cùm sint iura pœnalia, strictè explicanda sunt. Ita Lessius & Auila *locis citatis*.

16 An recipi possit legatum relictũ ab excommunicato, vt pro eius anima oretur.

16 Addit Auila *loco citato* cum Armilla *verb. Excommunicatio, num.* 55. contra Innocentium, *cap. cum voluntate, de sententia excommunicationis*, posse recipi legatum relictum ab excommunicato vitando, vt oretur pro anima ipsius, nam hoc legatum piè explicandum est de oratione priuata, quæ licitè fieri potest pro excommunicato. Immò addit idem Auila posse recipi legatum, quamuis relictum sit, vt pro excommunicato oretur oratione publica, nam conditio turpis habetur pro non adiecta in legatis, vt ait Sylvester *verb. Conditio, versus finem*. Sed de hac re quid nobis sentiendum sit, patet ex dictis *quæst.*2. *punct.*1. *§.*1.

17 Quid intelligatur per particulam, *Lex*.

17 Quæres secundò, quid intelligatur per particulam, *Lex*.

Respondeo intelligi legem, & ius matrimonij. Matrimonium dicitur lex, eò quòd vxor sit sub lege viri, argumento *cap.* 1. *&* 2. *de secundis nuptiis*.

18 An excommunicatis vitandis liceat petere, & reddere debitum coniugale.

18 Ex quo patet, licitum esse coniugatis, etiam excommunicatis vitandis petere, vel reddere debitum, sicut enim licitum est petere debitum pecuniarium ab excommunicato, ita etiam licitum est petere debitum coniugale; & sicut licitum est reddere debitum pecuniarium creditori excommunicato, ita etiam debitum coniugale. Et hoc verum est, inquit [Alterius *lib.*1. *disp.*15. *c.*2.] Vgolinus *tab.*2. *c.*23. §.6. cõtra Suarez *loco citando*, & Filliuciũ *quæsito* 4. *n.*103. etiamsi vxor cõtraxerit matrimoniũ sciens maritum esse excõmunicatum, quãuis enim peccauerit, & incurrerit minorẽ excõmunicationem contrahẽdo matrimoniũ cum excõmunicato vitando, non tamẽ peccat petendo, vel reddendo. Ratio est, tum quia matrimoniũ est validũ, ex matrimonio autem valido oritur ius ad petendũ, & reddendũ: tum quia *c. quoniam multos.* [11. *q.*3.] permittitur vxoribus manere cum viris excõmunicatis, nec in eo capite distinguitur de vxoribus factis ante, vel post excõmunicationẽ mariti; ergo neque nos distinguere debemus. Neque valet dicere delinquentem reportare commodum ex delicto, nam vxor in hoc casu non propriè reportat commodum ex delicto, sed ex iure naturæ, & positiuo, vt patet ex allatis rationibus.

19 An vxori liceat participare cum marito excommunicato in colloquiis, mẽsa, &c.

19 Addo, licitum esse vxori cõmunicare cum viro excõmunicato in colloquiis familiaribus, in mensa, & in iis, quæ pertinẽt ad domus gubernationẽ, atque in aliis omnibus obsequiis, quæ vxor præstabat viro ante ipsius excõmunicationẽ. Ratio est, tum quia vxor est subiecta viro, illique debet obedire, nec eximitur ab obedientia per illius excõmunicationẽ: tum quia difficilis esset eorum separatio: tum quia esset periculũ fornicationis: tum quia *c. quoniam multos* 11. *q.*3. *&* *cap. inter alia*, absolutè cõceditur vxori facultas communicandi cum viro excõmunicato. Ita Doct. citandi, qui bene aduertunt hanc doctrinam procedere in vxore de præsenti, non verò in spõsa, cùm ipsa nondũ sit vxor, nec obligetur ad obsequia spõsi. Ita Caietanus *verb. Excõmunicatio, circa finẽ*. Sylvest. *verb. Excõmunicatio* 5. *n.*4. Auila 2. *par. c.6. disp.* 11. *dub.*5. Vgolinus *tab.*2. *c.*23. *§.*6. *n.*1. vbi alios refert. Filliucius *quæsito* 4. *n.*105. Reginald. *lib.*32. *n.*101. *vers. nec etiã*. [Alterius *lib.*1. *disp.*15. *c.*2.]

20 An vterque coniux possit simul communicare.

20 Hinc patet, vtrumque coniugem excõmunicatum posse simul communicare, neuter enim priuatur mutua cõmunicatione per excommunicationem. Ita Suarez *disp.*15. *sect.*4. *n.*15. & alij communiter.

Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus vxor non potest communicare cum marito excommunicato.

21 An vxor communicare possit cum marito excommunicato in crimine criminoso.

21 Primus est in his, propter quæ lata est excommunicatio contra maritum, nam diceretur communicare in crimine criminoso, consequenter incideret in maiorem excommunicationem, quapropter, quando excommunicatio lata est in causa matrimonij, eò quòd dubitetur, an sit legitimè contractum, non potest vxor petere debitum: sicut enim, posito dubio non potest petere debitum à viro non excommunicato, vt patet ex dictis de matrimonio, ita neque petere potest ab excommunicato. Ita Suarez *loco cit. num.*5. Sotus *dist.*22. *quæst.* 1. *art.*4. Vgolinus *loco cit.* Auila *loco cit.* [Alterius *loc. cit.*] & alij plures apud Sanchez *de matrimonio lib.*9. *disp.*14. *num.*9. & apud Reginald. *lib.*32. *num.*101.

22 An vxor communicare possit cum marito excommunicato in diuinis.

22 Secundus casus est in diuinis, nam probabilior Doctorum sententia asserit, vxorem non posse in diuinis participare cum marito excommunicato vitando, in his enim non videtur subiecta viro. Ita Doct. *cit.*

23 An vxor, facto diuortio cum marito possit cum eo communicare.

23 Tertius est, quando vxor petiit diuortium à marito quoad habitationem, tunc enim non potest cum eo communicare, quia non censetur subiecta viro. Vide Sanchez, & Vgolinum *locis citatis*.

24 An maritus communicare possit cum vxore excommunicata.

24 Rogabis, vtrùm maritus non excommunicatus possit communicare cum vxore excommunicata vitanda in iis omnibus, in quibus ipsa potest cum marito excommunicato vitando communicare.

Respondeo affirmatiuè cum Nauarro *cap.*27. *num.*26. Suarez *loco citato, num.*14. Sanchez *loco citato num.*26. Vasquez *dubio* 9. *nu.* 3. Filliucio *num.*104. Reginaldo *num.*102. Comincho *disput.*14. *dubio* 12. *num.*123. Vgolino, Sayro, [Alterio *lib.*1. *disp.*15. *cap.*2.] & aliis *locis citatis*, contra Sylvestrum *loco citato*, & alios. Ratio est, tum quia licitum est communicare cum excommunicato, cum quo societatis cõtractus initus fuit ante excommunicationem, *cap. si verò. de sententia excommunicationis*; ergo multò magis licitum est marito ratione contractus coniugalis communicare cum vxore excommunicata: tum quia in correlatiuis dispositum in vno, locum etiam habet in altero.

25 Quid intelligatur per particulam, *Humile*.

25 Quæres tertiò, quid intelligatur per particulam, *Humile*.

Respondeo intelligi officium seruorum, & subditorum, licitum enim est subditis obedire suis superioribus excommunicatis vitandis, & cum eis communicare vsuali, & ordinaria communicatione, *cap. quoniam multos* 11. *quæst.* 1. Ratio patebit ex dicendis *num. sequenti*.

26 An Religiosi possint communicare cum suis superioribus excõmunicatis.

In aliis verò, quæ pertinent ad participationem in crimine criminoso, vel quæ possunt esse causa, vt excommunicatus perseueret in excommunicatione, non licet communicare, vt per se patet, quilibet enim cauere debet propriam culpam, & proximi scandalum.

27 An milites possint participare cum duce excommunicato.

26 Hinc sequitur primò, Religiosos professos, aut etiam nouitios posse obedire suis superioribus, & Prælatis excommunicatis vitandis. Ita Sotus, Vasquez, Auila, & alij *locis citatis*, contra Paludanum, & alios apud Suarez *disp.*15. *sect.*7. *n.*2. [& apud Alterium *lib.* 1. *disp.*15. *cap.*3.] Ratio est, quia superior per excommunicationem non amittit potestatem ad gubernandam domum, & religionem, nec inferior eximitur à subiectione per excommunicationem sui superioris.

28 An filius adoptiuus, carnalis, illegitimus aut emancipatus possit cõmunicare cum patre excommunicato vitando.

27 Secundò, milites posse in bello participare cum duce exercitus excommunicato vitando. [Ita Alterius *loc. cit. cap.*3. & alij Doctores citati.]

28 Tertiò, filios adoptiuos, vel carnales etiam illegitimos posse generaliter communicare cum suo patre excommunicato vitando: non enim fuit expediens filium à patre separare, cùm huiusmodi separatio fieri nequeat sine damno. Immo Vgolinus *tab.* 2. *cap.* 23. §. 7. Reginald. *lib.*3. *num.*109. & alij, hanc doctrinam extendunt ad filios emanu-

emancipatos. Sed contrarium mihi verius videtur cum Auila *dub. 6.* Suarez *sect. 5. nu. 3.* Filliucio *tract. 13. cap. 6. quæsito 5. nu. 108.* Conincho *num. 132.* [Alterio *lib. 1. disp. 15. cap. 4. dub. 1.*] & aliis. Concedo quidem filium emancipatum posse cum patre excommunicato communicare in iis, quæ pertinent ad filium, vt filius est, vt ad obedientiam, & reuerentiam erga patrem; nego tamen posse communicare quoad alias actiones, quare filius emancipatus extra domum habitans, non potest de nouo habitare, & alias familiaritatis actiones exercere cum patre excommunicato vitando, in his enim non est illi subiectus.

29 Quinam veniant nomine *filiorum* in hoc loco.

29 Si quæras, quinam veniant nomine *filiorum* in hoc loco.

Respondeo cum Suarez, Filliucio, [Alterio,] & aliis *locis citatis*, venire non solùm filium masculum, sed etiam feminam illegitimam, vel adoptiuam: immo veniunt etiam alij affines, qui sunt loco filiorum, vt gener, nurus, priuignus, vel priuigna, istæ enim personæ nomine filiorum veniunt in hoc priuilegio participandi cum superiore, eò quòd beneficium Principis latissimè explicandum sit, *cap. cùm dilecti. de donationibus, & cap. cùm olim. de verborum significatione.*

30 Quid intelligatur nomine *patris*, & *matris*.

30 Hinc patet, quis intelligatur nomine *patris*, intelligitur enim non solùm pater verus, & immediatus, sed etiam auus, abauus, &c. præterea mater, auia, nouerca, socrus, &c.

Ex quo fit vt gener possit communicare cum socero excommunicato, & è contra.

31 An gener possit communicare cum socero excommunicato vitando.

31 Quartò, seruos, & famulos, qui ante excommunicationem erant subiecti domino excommunicato, posse generaliter communicare cum suo domino, ac si non esset excommunicatus, siue gratis, siue pretio inseruiant, vt patet ex *cap. quoniam multos*, vbi generaliter conceditur communicatio in humanis. Ita Henriquez *cap. 22. nu. 3.* Vgolinus *loco citato*, Filliucius *cap. 6. quæsito 5. num. 114.* Sayrus *cap. 14.* & alij, qui hanc doctrinam extendunt etiam ad famulos rusticanos, id est, ad agricolas erga suos dominos excommunicatos: isti enim possunt cum dominis communicare, [saltem quatenus exigit cultura, vt patet ex verbis *cap. quoniam multos. 11. quæst. 3.* ibi, *nec non rusticos seruientes*;] famuli verò, qui propriè sunt famuli, possunt generaliter communicare, vt dictum est, modò non communicent, & participent in his, propter quæ domini fuerunt excommunicati.

32 An famuli, & serui possint communicare cum dominis excommunicatis.

32 Vtrùm verò famuli, qui post excommunicationem domini scienter, & absque necessitate cœperunt inseruire domino excõmunicato, possint cum eo communicare, peculiaris est controuersia. Nauarrus enim *cap. 27. nu. 27.* Vgolinus *loco cit. §. 9.* Sayrus *cap. 14. nu. 8.* [Alterius *lib. 1. disp. 15. cap. 3.*] Filliucius *quæsito 6. nu. 117.* & alij, quos citat, & sequitur Suarez *disp. 15. sect. 5. nu. 13.* existimant non posse, si absque necessitate cœperunt inseruire excommunicatis, scientes ipsos esse excommunicatos. Secus, si cum necessitate, & absque culpa cœperunt inseruire. Sententia horum Doct. probabilissima est.

Sed contraria meo iudicio non caret probabilitate. Ratio est, tum quia filius naturalis, vel illegitimus potest communicare cum patre excommunicato, quamuis genitus fuerit eo tempore, quo patet erat excommunicatus: tum quia idem dictum est de coniugibus, qui contraxerunt in excommunicatione: tum quia Gregorius *in cap. quoniam multos*, absolutè loquitur, & hanc conditionem non requirit, sed potius absolutè concedit filiis, seruis, ancillis, & aliis subditis facultatem communicandi cum suis patribus, dominis, &c. modò non seruiant in crimine criminoso, aut cum periculo propriæ subuersionis, vel cum periculo, vt excommunicatus perseueret in sua contumacia. Quare mihi videtur probabile, famulum, qui necessitate non cogente cœpit inseruire domino excommunicato, posse cum eo cõmunicare, quamuis peccauerit obligando se ad illi seruiendum. Ita post hæc sæpius [in lucem] edita Coninch. *disp. 24. dub. 12. num. 129.*

33 An pupillus possit communicare cum tutore excommunicato vitando.

33 Quintò, pupillum posse communicare cum tutore excommunicato, quamdiu existit sub illius cura, & tutela, & est commensalis, tutor enim in hoc casu sustinet personam patris; quando verò tutor separatus est à pupillo, nec est cum eo commensalis, potest pupillus communicare solùm in iis, quæ ad tutelæ munus pertinent. Ita Suar. *loco cit. num. 8.* Filliucius *num. 112.* & alij.

34 An filius spiritualis possit communicare cum patre spirituali excommunicato.

34 Sextò, filios spirituales non posse communicare cum patribus spiritualibus excommunicatis, cum quibus habent cognationẽ spiritualem ratione Baptismi ab ipsis collati, vel ratione susceptionis in Baptismo. Ratio est, tum quia iura non loquuntur de huiusmodi filiatione: tum quia non extat vlla necessitas, quæ illos excuset à communicatione, vt suppono. Ita Suarez *loco cit.* Filliucius *nu. 112.* & alij.

35 An seruus possit communicare cum alio seruo excommunicato.

35 Septimò, seruum non posse per se, & directè communicare cum alio seruo excommunicato vitando, nec fratrem cum alio fratre, nullum enim habent priuilegium simul communicandi, nec vnus est alteri subiectus. Ita Suarez *loco cit. num. 23.* Felinus, & alij, quamuis [Alterius *cap. 4. dub. 4.* & alij] oppositum sentiant.

Dixi, *per se, & directè*, nam per accidens communicare possunt, quatenus eidem domino debent inseruire, vel communicare, & habitare cum eodem patre. Ita Vgolin. *tab. 2. cap. 23. §. 8.* Suarez *num. 23.* Filliucius *num. 113. & 121.* Reginaldus *num. 120.* [Alterius *lib. 1. disp. 15. cap. 4. dub. 6.*] & alij communiter.

36 An Clerici possint communicare cum suo Episcopo excommunicato.

36 Octauò, Clericos, dum sunt in famulatu sui Episcopi, posse suo Episcopo excommunicato inseruire, alios verò Clericos non posse, vt patet ex *cap. miratus. dist. 93.* & ex *cap. vlt. de except. Prælat.* Ita Syluest. *verb. Excommunicatio 5. nu. 4.* Auila *loco cit. dub. 8.* Suarez *sect. 7.* Sayrus *loc. cit. nu. 15.* Vgolin. *loc. cit. §. 9.* Filliucius *quæsito 10.* Reginald. *lib. 32. num. 113.* [Alterius *lib. 1. disp. 15. cap. 3.*] & alij.

37 An prædictæ personæ possint participare in diuinis.

37 Sed modò difficultas est, primò, vtrum prædictæ personæ communicare possint in diuinis cum dominis, patribus, vel superioribus excommunicatis.

Respondeo posse communicare præstando ea, quæ concernunt subiectionem, & ministerium, seu famulatum, *cap. solita de maioritate, & obedientia*, vnde famulus potest recitare officium cum domino excommunicato, aut cum eo Missam audire, si ab eo vocetur ad hoc faciendum. Similiter famula comitari potest dominam excommunicatam, & Clericus conductitius [spectata excõmunicatione præcisè] videtur posse inseruire suo domino Sacerdoti sacrum facienti, hæc enim videntur ministeria, & officia famulatus. Non tamen licet filio, quamuis sit Parochus, ministrare Sacramenta patri excommunicato vitando, nec coram eo diuina facere, nam hæc communio non illi competit ratione coniunctionis naturalis, vel subiectionis, aut superioritatis. Ita Suarez *loc. cit. sect. 5. nu. 22.* Filliucius *nu. 120.* Coninch. *disp. 14. dub. 12. nu. 132. & seq.* Sayrus *nu. 19.* Auila ex parte *dub. 6.* Henriq. *loc. cit. cap. 22. nu. 3.* [Alterius *lib. 1. disp. 15. cap. 4. dub. 5. col. 4.*] Vgolinus *tab. 2. cap. 23. §. 2.* quamuis aliqui absolutè concedant subditos posse cum dominis excommunicatis participare in diuinis. Ita Nau. & Caietanus apud Henriq. *loc. cit. litt. G. & litt. H.*

38 An domini, patres, & Prælati cõmunicare possint cũ excommunicatis subditis.

38 Secundò, difficultas est, vtrùm domini, Prælati, & patres possint communicare cum suis famulis, & filiis excommunicatis vitandis, sicut ipsi famuli subditi communicare possunt cum suis dominis, & patribus excommunicatis.

Respondeo affirmatiuè cum Vasquez *dub. 9. num. 3.* Sayro *num. 21.* [Alterio *cap. 4. dub. 5.*] Henriquez, Vgolino, Suarez, Filliucio, & aliis *loco cit.* contra nonnullos alios. Ratio est, tum quia sicut ius concessit huiusmodi priuilegium inferioribus respectu superiorum excommunicatorum, ita videtur concessisse superioribus respectu inferiorum excommunicatorum, nam in correlatiuis dispositum in vno, locum etiam habet in altero: tum quia superiores non debent priuari iure suo propter excommunicationem subditorum: tum quia plurimi alioquin sequerentur scrupuli.

39 An pater, & magister possit communicare cum filio, aut discipulo excommunicato.

39 Ex quo patet, patrem posse communicare cum filio excommunicato, & magistrum nouitiorum cum nouitiis excommunicatis, magister enim nouitiorum censetur eorum pater spiritualis.

Addo cum Suarez, Filliucio, Conincho, [Alterio,] & Reginaldo, non solùm superiores non excommunicatos posse cõmunicare cum inferioribus excommunicatis, sed etiam superiores excommunicatos posse cum ipsis communicare. Ratio est, tum quia sicut hoc fieri potest à marito excommunicato cum sua vxore, ita etiam videtur fieri posse à superiore excommunicato cum suo subdito: tum quia frustra concessum esset inferiori communicare cum suo superiore excommunicato, si ipse superior excommunicatus prohiberetur communicare cum suis inferioribus.

40 An vasalli communicare possint cũ Principibus excõmunicatis vitandis.

40 Tertiò, difficultas est, vtrùm vasalli possint communicare cum suis Principibus temporalibus excommunicatis vitandis.

Respondeo negatiuè, vt patet ex *cap. nos Sanctorum, 15. quæst. 6.* vbi hoc peculiariter sancitum est, ius enim saltem post sententiam criminis declaratoriam *cap. vltimo, de pœnis*, eximit subditos ab onere, quo se astrinxerunt ad seruiendum domino ex fidelitate, illosque eximit à iurisdictione subiectionis, cum dominus tunc temporis sit suspensus ab vsu iurisdictionis. Excipitur solutio tributorum, quæ Principi debetur, quamdiu Princeps non priuatur dominio temporali, tributum enim est quoddam debitum, debitum autem soluendum est creditori. Ita Henriquez *lib. 13. cap. 7. num. 4. & cap. 22. num. 3.* Vgolinus *cap. 23. §. 9.* Suarez *disp. 15. sect. 6. & 7.* Sayrus *loc. cit.* Filliucius *tract. 13. cap. 6. quæsito 9.* Reginald. *lib. 32. num. 115.* & alij apud Henriquez [*loc. cit.* & apud Alterium *lib. 2. disp. 8. cap. 1.*]

41 Quid intelligatur per particulam, *Res ignorata*.

41 Quæres quartò, quare in carmine recensito addatur illa particula, *res ignorata*.

Respondeo addi, vt sciamus à peccato, & ab excommunicatione minori eos excusari, qui cum ignorantia inculpabili, vel cum inaduertentia communicant cum excommunicato vitando, nam ignorantia, & inaduertentia excusat à peccatis, & à censuris, vt patet tum ex dictis *de legibus*, tum ex *cap. quoniam multos 11. quæst. 3. & cap. Apostolicæ. de Clerico excommunicato.* Ita Nauar. Suarez, Vgolinus, Sayrus, Henriquez *loc. cit.* Reginaldus *num. 121.* & alij apud Sanchez *lib. 9. de matrimonio disp. 32. quæst. 6.* Immo Suarez *disp. 15. sect. 3. num. 5.* Filliucius *tract. 13. cap. 6. quæsito 11. num. 128.* Conincbus *disp. 14. dub. 12. nu. 124.* existimant quamcumque ignorantiam excusare ab incurrenda minori excommunicatione, quæ incurritur participando cum excommunicatis, nisi ea ignorantia sit affectata. Ratio est, quia culpa participationis cum excommunicatis in rebus communibus regulariter est tantummodò venialis, & per ignorantiam ita extenuatur & minuitur, vt non videatur digna pœna minoris excommunicationis.

Sed doctrina Suarez, Filliucij, & Coninchi mihi non probatur, nam Ecclesia imposuit minorem excommunicationem absolutè propter participationem cum excommunicato vitando, quoties illa participatio est peccaminosa; est autem peccaminosa, quando fit ex ignorantia culpabili, propterea petenda est absolutio, vt concedit etiam ipse Suarez, saltem ad cautelam, [& hoc pacto intelligi & explicari potest *cap. quoniam multos. 11. quæst. 3.* vbi ab excommunicatione incurrenda excusantur qui ignoranter excommunicatis communicant.

42 An dubitans alterum esse excommunicatum teneatur illum euitare.

42 Rogabis primò, vtrum dubitans alterum esse excommunicatum, teneatur illum euitare.

Respondeo distinguendo. Vel dubitat illum esse excommunicatum, & simul etiam dubitat esse denuntiatum: vel solùm dubitat esse denuntiatum, sciens esse excommunicatum. Si dubitat esse excommunicatum, & simul etiam esse denuntiatum, non potest, nec debet illum euitare, nam euitando exponeret se periculo faciendi illi iniuriam, & priuandi illum iure suo, fieri enim potest, vt non sit excommunicatus, vt bene ait Sanchez *in summa lib. 1. cap. 10. nu. 69. ad finem*, Suarez *loco cit. num. 4.* Filliucius *num. 129.* [Alterius *lib. 1. disp. 15. cap. 5.*] & alij. Si verò dubitat, aut nescit esse denuntiatum, sciens esse excommunicatum, potest illum euitare, si velit, nam cum certò sciat esse excommunicatum, non tenetur cum illo communicare, excommunicatus enim, quantum est ex se, priuatus est communione fidelium. Verùm licèt possit illum euitare, si velit, nihilominus regulariter loquendo non tenetur euitare, cum non teneatur euitare nisi excommunicatum denuntiatum, vel notorium Clerici percussorem, vt patet ex Conc. Const. in quo fidelibus concessa est facultas communicandi cum excommunicatis toleratis, ad euitanda scandala, &c.

Regulariter igitur non tenemur euitare excommunicatum, quem dubitamus esse denuntiatum, seu vitandum, exceptis aliquibus casibus. Primus est, quando imminet periculum scandali. Secundus est, quando periculum est faciendi actum irritum communicando cum excommunicato; quamobrem certò sciens aliquem Sacerdotem esse excommunicatum, sed dubitans illum esse vitandum, non potest illi confiteri peccata sua, secluso scandalo, vel alia iusta causa, nam fieri potest vt re vera ille Sacerdos sit excommunicatus vitandus, & consequenter inualidam conferat absolutionem defectu iurisdictionis, cuius vsu caret excommunicatus vitandus. Ita Suarez *loco citato num.* 6. Auila 2. *part. cap.* 6. *disp.* 11. *dub.* 2. Filliucius *num.* 131. & alij.

43 An ego tenear euitare eum, qui mihi dixit, se esse excommunicatū.

43 Ex dictis sequitur primò, me teneri eum euitare, qui mihi suo proprio ore dixit se esse excommunicatum vitandum, non enim possum excusari titulo ignorantiæ, cùm habeam moralem certitudinem. Ita Sylvest. *verb. excommunicatio* 5. *num.* 28. & alij.

44 An tenear vitare eum, quem noui per famam publicam esse excommunicatum.

44 Secundò me teneri eum euitare, quem noui per publicam famam esse excommunicatum vitandum. Ita Sanchez *loco cit. num.* 63. & alij. Si verò hoc non noui per publicam famam, sed à paucis audiui eum esse excommunicatum vitandum, non teneor, inquit Auila, euitare, eò quòd non tenear credere illum esse excommunicatum vitandum.

Sed mihi probabilius dicendum videtur esse vitandum, si à duobus fide dignis audiui, esse excommunicatum vitandum, nam duobus testibus fide dignis credendum est, vt patet ex dictis *de matrimonio*, & *in* 8. *Decalogi præcepto*. [Ita Marius Alterius *lib.* 1. *disput.* 15. *cap.* 5. & alij.]

45 An Cōfessarius teneatur vitare eum, quem in confessione nouit esse excommunicatum.

45 Tertiò, Confessarium non teneri vitare excommunicatum, quem nouit solùm in confessione esse excommunicatum vitandum, censetur enim laborare ignorantia excommunicationis illius, cùm scientia in confessione habita sit loco Dei, nec Confessarius possit illa scientia vti extra confessionem absque violatione sigilli confessionis. Ita Auila *loco cit. dub.* 11. Couarr. *cap. Alma mater.* 1. *part.* §. 2. Suarez *disp.* 15. *sect.* 3. *num.* 6. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 26. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 6. *num.* 1. & alij, [quos retuli *punct.* 1. *sub finem.*]

46 An vitandus sit ille, quem Parochus dixit esse vitandum.

46 Quartò, illum esse vitandum, quem Parochus dicit esse vitandum, ostendendo litteras denuntiatorias, Parochus enim maiorem facit fidem ostendendo litteras denuntiatorias, quàm faciat publica fama. Secus dicendum est, si mihi ore tantùm dicat esse vitandum, non ostendendo litteras denuntiatorias. Ratio est, quia non teneor illi credere, cùm vni testi, etiam fide digno, necessariò non credatur, *cap. cùm à nobis.* [*de testibus & attestationibus.*] Si tamen fidem præstarem Parocho, credendo esse vitandum, tenerer euitare, non enim excusarer ignorantia. Ita Nauarrus *num.* 22. Auila *loc. cit.* Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp.* 93. *num.* 36. & alij.

47 An vitandus sit ille, quem non constat, an Clericum notoriè percusserit.

47 Quintò, me non teneri eum euitare, quem fama publica constat percussisse Clericum, sed non constat, an percusserit notoriè notorietate facti; sicut enim non teneor eum euitare, quem constat esse excommunicatum, sed nescitur, vel dubitatur, an sit denuntiatus; ita neque teneor eum euitare, quem constat contraxisse excommunicationem ob Clerici percussionem; sed non constat, an ea percussio notoria fuerit notorietate facti. Ita Auila *loc. cit. conclus.* 3. *ad finem.*

48 An Mediolani vitandus sit ille, qui Romæ est vitandus, sed hic nescitur.

48 Sextò, me non posse ex sententia Auilę *loco citato dub.* 12. & aliorum hic Mediolani publicè vitare eum, qui alibi, e.g. Romæ denuntiatus est excommunicatus, sed hic nescitur esse excommunicatus, vel saltem à paucis scitur. Ratio est, tum quia illum diffamarem publicè euitando: tum quia manifestans delictum alterius occultum in eo loco peccat, quamuis illud delictum sit alibi publicum; ergo idem dicendum videtur in proposito casu, vitans enim excommunicatum publicè, manifestaret illius delictum.

Sed contrarium mihi dicendum videtur iuxta doctrinam de detractione traditam. Ratio est, tum quia experientia constat delicta vnius publica in vno loco perscribi ad alia loca: tum quia delinquens amisit ius ad suam famam per publicitatem, seu notitiam publicam delicti: tum quia tenemur obedire præcepto superioris præcipientis vitandum esse excommunicatum non toleratum, [& excommunicatio suum vtique præstat effectum:] tum quia excommunicatus facilius resipiscet, si vbique euitetur.

Neque obstat, ipsum excommunicatum hoc malè accepturum, & inde tristitiam passurum, hoc enim sibi debet imputare, cùm ego habeam ius permittendi illius contristationem ob præceptum Ecclesiæ, & ob ipsius excommunicati vtilitatem. Ita sentire videtur Vasquez *tract. de excommunicatione dub.* 8. *num.* 2. Duard. *lib.* 2. *in can.* 1. Henriq. *cap.* 24. *num.* 1. Filliucius *cap.* 3. *quæsito* 7. *nu.* 49. & alij, quamuis hi putant vitandum esse tantummodò priuatim, & in secreto vbi notitia publica de ipsius excommunicatione non habetur, & hinc patet responsio ad rationes Auilæ.

49 An dubitans se esse excōmunicatū, teneatur se tamquam excommunicatum gerere.

49 Rogabis secundò, vtrùm dubitans se esse excommunicatum debeat se tamquam excommunicatum gerere, seque abstinere à participatione, & consortio aliorum. Pro intelligentia huius difficultatis

Notandum est, aliud esse dubium iuris, aliud facti. Dubium iuris contingit, quando aliquis dubitat latam esse excommunicationem contra committentes tale delictum. Dubium facti contingit, quando quis nouit latam esse excommunicationem ob tale delictum, sed dubitat vtrùm ipse tale delictum perpetrauerit. Hoc posito:

Respondeo primò, in dubio iuris neminem teneri se tamquam excommunicatum gerere, si adhibuit sufficientem diligentiam ad veritatem assequendam, eaque adhibita, adhuc in dubio perstitit. Ita Suarez *loc. cit. sect.* 5. Clauis Regia *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 23. *& lib.* 2. *de censuris, cap.* 14. *num.* 28. Rebellus 2. *parte lib.* 1. *sect.* 2. *folio mihi* 200. & alij, contra Salas 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. vnica, sect.* 5. Vasquez 1. 2. *disp.* 66. *cap.* 1. & alios apud Sanchez *loco citato*, existimantes tutiorem partem eligendam esse in dubio extra materiam iustitiæ. Sed probabilius est, & benignius, quod nos asserimus. Ratio ergo cur nemo in dubio iuris iudicandus sit excommunicatus, est: tum quia in dubio iuris fauendum est possidenti suam libertatem; tum quia forum exterius non iudicaret illum excommunicatum: tum quia lex non obligat, nisi sit sufficienter promulgata: in dubio autem iuris, id est, quando dubitatur legem aliquam latam esse, lex non censetur sufficienter promulgata.

Respondeo secundò, in dubio facti censendum esse excommunicatum, si sequamur sententiam Azorij 1. *parte lib.* 2. *cap.* 19. *quæsito* 10. Suarez, Rebelli, Vasquez, Clauis Regiæ *locis citatis*, & aliorum idem existimantium in dubio suspensionis, interdicti, & irregularitatis.

Si verò sequamur sententiam Sanchez *in summa lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 54. & aliorum, quos infrà referam in simili de dubio irregularitatis, dicendum est non solùm in dubio iuris, sed etiam in dubio facti neminem censendum esse excommunicatum, vel suspensum, vel interdictum. Ratio est, tum quia in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem, nam in criminibus dubiis potiùs fauendum est reo, *reg. cùm sunt. de regulis iuris*; tum quia in foro externo non iudicaretur excommunicatus; ergo neque iudicandus est in foro conscientię, idem enim in vtroque foro iudicandum est, quando forum exterius non innititur falsæ præsumptioni. Sententia Sanchez mihi magis placet, & est conformior nostris principiis relatis *in tractatu de peccatis q.* 6. *p.* 4. eamque probabilem nouissimè arbitratur Filliucius *tract.* 13. *cap.* 6. *quæsito* 11. *num.* 130.

Neque obstat *cap. ad audientiam, & cap. significasti. de homicidio*, vbi decidituir in dubio facti iudicandum esse irregularem, nam illi textus expresè loquuntur de irregularitate in dubio facti homicidij, non verò loquuntur de censuris. Immò Henriq. *lib.* 14. *cap.* 14. *nu.* 3. & alij, quos refert Rebel. 2. *part. lib.* 1. *q.* 3. *sect.* 2. *num.* 13. existimant, neque in dubio æquali facti censendum esse aliquem irregularem, sed solùm quando verosimilius creditur commissum fuisse delictum, *cap.* enim *significasti* 2. *de homicidio*, videtur solùm procedere, inquiunt ipsi, quando verosimilius creditur commissum fuisse homicidium. Sed de hac re infrà *disp.* 7. *quæst.* 1. *punct.* 4.

50 An qui dubitat latam esse excommunicationē, teneatur se gerere tāquam excommunicatum.

50 Ex his sequitur primò, eum, qui dubitat, an excommunicatio lata sit ob tale delictum, vel an iudex tulerit sententiam excommunicationis, non teneri se tamquam excommunicatum gerere, si adhibita debita diligentia, non comperiit latam esse excommunicationem, habet enim dubium iuris.

51 Secundò, eum qui dubitat se Clericum percussisse, non teneri se tamquam excommunicatum gerere, nec teneri petere absolutionem, si adhibita sufficienti diligentia non valuit dubium speculatiuum deponere.

51 An vitādus sit, qui dubitat se Clerium percussisse.

Ex quo vlteriùs patet, illum non esse vitandum, qui dubitat an Clericum percusserit; possidet enim ius participandi cum fidelibus, nec debet suo iure priuari. Secus dicendum est, si per famam, vel testes fide dignos constet Clericum percussisse notoriè, tunc enim non dicitur adesse dubium, sed moralis certitudo.

52 An excommunicatio liget, quādo dubitatur, an sit iusta.

52 Vtrùm verò aliquis teneatur se tamquam excommunicatum gerere, quando constat latam esse excommunicationem, sed dubitatur an fuerit iusta, vel an fuerit lata ex iusta causa, vel an iudex, qui est in possessione iudicandi, legitimam habeat auctoritatem, vel an habuerit animum excommunicandi, vel vtrùm seruauerit debitam formam, seu modum procedendi, constat ex dictis *de legibus, & de restitutione quæst.* 2. *punct.* 2. *ad finem.* Certum enim est teneri se tamquam excommunicatum gerere, nam possessio stat pro excommunicatione, quam constat latam esse. [Ita Alterius *lib.* 1. *disp.* 9. *cap.* 1. *col.* 2. *vers. immò*, & alij Doctores citati.]

53 An ille præsumātur excommunicatus, contra quē lata est excommunicatio sub cōditione, sed dubitatur an conditio sit adimpleta sit.

53 Tertiò sequitur, eum non censeri excommunicatum, contra quem lata est excommunicatio sub conditione, sed dubitatur an conditio sit adimpleta. Ratio est, quia possessio stat pro illo, de quo dubitatur an sit excommunicatus, & illa conditio, cùm sit quid facti, non præsumitur, vt ait Sanchez *loco citato num.* 58. & Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 135. *fol. mihi* 264.

54 An vitandus sit ille, de quo dubitatur an ab excōmunicatione fuerit absolutus.

54 Quartò, illum iudicandum esse excommunicatum vitandum, quem constat antea fuisse denuntiatum excommunicatum, sed modò dubitatur, an fuerit absolutus. Ratio est, quia in hoc casu non dicitur adesse dubium iuris, vel facti excommunicationis; sed de ea constat, & pro ea stat possessio, nec ius præsumit absolutionem fuisse collatam, nisi probetur. Ita Sylvester *verb. Excommunicatio* 5. *nu.* 26. Nauar. *cap.* 27. *num.* 36. Auila *loc. cit. dub.* 11. *conclus.* 6. Suarez *disp.* 15. *sect.* 3. *num.* 7. & alij.

55 Quæ notitia absolutionis requiratur, vt possimus cum excōmunicato participare.

55 Rogabis tertiò, quæ notitia absolutionis requiratur, vt communicare, & habitare possimus cum eo, quem antea excommunicatum vitandum esse constabat.

Respondeo sufficere probabilem certitudinem; sicut enim non sufficit dubitare aliquem esse denuntiatum excommunicatum ad hoc, vt teneamur ab illius consortio abstinere, ita non sufficit, vt possimus vti ipsius consuetudine, sufficit tamen certitudo moralis, quia moralis certitudo excludit dubium, & purgat periculum peccandi.

56 In quibus casibus liceat communicare cum eo, qui antea erat excommunicatus.

56 Hinc sequitur, me posse in sequentibus casibus participare cum eo, qui antea excommunicationis vinculo detinebatur.

Primò, quando multum temporis pertransiit, & probabiliter credere possum consideratis circumstātiis excommunicatum obtinuisse absolutionem, vt accidit, quando iam annus elapsus est, illumque video cum ceteris communicare, cùm alioquin sit bonæ famæ.

Secundò, quando noui ipsum tempore Iubilei, aut Sacerdoti facultatem habenti circa eam excommunicationem confessum fuisse. Ita communiter Doct.

Tertiò, quando, qui detinebatur excommunicatione, testatur se absolutum, modò probabiliter credam ipsum non mentiri.

Quartò, quando testis omni exceptione maior, aut illi æquiualens testatur excommunicatum fuisse absolutum, possum enim illi præstare fidem.

Quintò, quando cōmuniter habetur pro absoluto, & de eius absolutione publica extat fama; sicut enim fama publica excōmunicationis, & denūtiationis sufficiens causa est ad euitandū excōmunicatū, ita fama absolutionis publica, seu communis existimatio sufficit ad

partici-

participandum, præsertim cùm in alienis factis non teneamur esse nimis seueri. Ita Vgolinus *tab.1.c.23.* Suarez *disp.15.sect.3.num.7.* Henriquez *lib.13.c.6.* Nauar. *cap.27.num.36.* Auila *loco citato dub.11. ad finem*, Filliucius *quæst.8.num.50. & seq.* & alij.

57 Quid intelligatur per particulã, *Necesse.*

57 Quæres quintò, quid intelligatur per particulam, *Necesse.*

Respondeo, intelligi necessitatem excusantem à peccato, participando cum excommunicato vitando, & excusantem ipsum excommunicatum cum aliis participantem. Ratio est, tum quia, sicut vtilitas excusat participantes cum excommunicato, & excommunicatum cum aliis participantem, ita multò magis necessitas sufficientem exhibet excusationis causam: tum quia ita colligitur ex *cap. quoniam multos, 11. quæst.3.* Et hic sermo est non solùm de necessitate spirituali, sed etiam de temporali, siue pertineat ad victum, siue ad vestitum, siue ad habitationem, nec solùm sermo est de necessitate extrema, verùm etiam de alia, quam ex consilio tenemur subleuare, non enim credibile est Ecclesiam velle obligare cõtra diuina, & naturalia consilia. Ita communiter Doctores apud Vgolinum *tab.2.c.23.§.11.* apud Auilam *loco citando*, apud Sayrum *loco citato num.30.* apud Suarez *n.8.* apud Henriquez *lib.13.cap.23.* apud Filliucium *tract.13.c.6.quæsito 12.* & apud Reginaldum *lib.32.num.124.*

58 An liceat tradere eleemosynam excommunicato vitando, qui ea indiget.

58 Hinc sequitur primò, me posse eleemosynam tradere excommunicato vitando, qui ea indiget ad vitam, iuxta sui status conditionem commodè traducendam: [vt pluribus docet Alterius *lib. 1. disput.15.cap.5.dub.1.* & alij Doctores citati. Verùm si excommunicatus, & non excommunicatus eadem necessitate laborent, nec vtrique succurri possit, certum est subueniendum esse potius non excommunicato, quàm excommunicato, vt patet ex dictis *de charitate.*]

59 An possit tradi equus excommunicato vitando, qui eo indiget.

59 Secundò, me posse excommunicato vitando equum tradere, quo ipse indiget ad iter faciendum, cùm alioquin non soleat iter pedetentim facere. Eadem ratione ego possum petere equum, aut hospitium ab excommunicato vitando, sicut etiam indigens potest ab eodem petere eleemosynam, quando eam commodè nequit explorare ab alio non excommunicato, vt patet ex *c. quoniam multos 11. q.3.*

Excipiuntur Prædicatores, & Confessores, quibus competit ius petendi eleemosynam ab excommunicato vitando, etiamsi ab aliis eam possint obtinere, *cap. cùm voluntate. de sententia excommunicationis.* Ita Sayrus *lib.2.c.14.n.30.* Auila *disp.11.dub.12.* [Alterius *lib.1.disp. 12.cap.4. sub finem.*] & alij.

60 An liceat petere consilium ab Aduocato excommunicato, vel à Medico excommunicato vitando.

60 Tertiò, me posse in graui necessitate petere consilium ab Aduocato excommunicato, vel à Medico, quando non adest alius, à quo valeam consilium obtinere.

61 An liceat communicare cum excõmunicato vitando ad pacem cõciliandam inter aliquos.

61 Quartò, licitum esse communicare cum excommunicato vitando, quando communicatio necessaria est ad pacem aliorum conciliandam, vel ad scandalum euitandum. Ratio est, tum quia adest sufficiens necessitas: tum quia quando duo præcepta concurrunt, quorum alterum est grauius, grauius præferendum est minori; grauius autem, & maius præceptum est præceptum vitandi scandalum, & procurandi pacem, quàm non communicandi cum excommunicato.

62 An excusetur, qui per vim cogitur communicare cum excõmunicato vitando. aut coram eo interesse diuinis officiis.

62 Quintò, eum, qui per metum grauem communicare cogitur cum excommunicato excusari à peccato, censetur enim existere in graui necessitate, nec Ecclesia obligat cum tanto incommodo.

Ex quo patet à fortiori, eum excusari, qui per vim cogitur diuinis interesse coram excommunicato. Addo eum, qui hoc modo detinetur, non teneri claudere oculos, vel obturare aures, vt bene ait Auila *dub.13.* Sayrus *loc.cit.n.44.* [Alterius *lib.1.disput.12.cap.3.*] Henriquez *lib.13.c.13.n.4.* & alij, contra Caietanum *verb. Excommunicatio, in fine.* Ratio est, tum quia obturando aures, vel claudendo oculos, non propterea non dicetur interesse Missæ, cùm etiam surdus, & cœcus possint Missæ interesse: tum quia non est credibile Ecclesiam velle hoc illi onus imponere. Quare, si non potest commodè discedere, debet reuerenter interesse, & Eucharistiam adorare potest. Non tamen propter necessitatem, vel metũ potest facere aliquid intrinsecè malum, vt benè ait Suarez *loc.cit.n.8.* Vasquez *tractatu de excommunicatione, dub.7.* & patet ex dictis *de peccatis.* Hac de causa excommunicatus denuntiatus, aut alius, qui prohibitione Ecclesiæ factus est inhabilis ad aliquem actum, non potest prætextu grauis metus illum licitè facere, quoties iuri naturæ repugnat illum inualidè facere. Quamobrem excommunicatus vitandus non potest aliquem in articulo mortis non existentem licitè absoluere, etiamsi per metum grauem cogatur ad absoluendum, nam caret iurisdictione, quam metus non confert, consequenter inualidè absoluit. Est autem intrinsecè malum, & oppositum reuerentiæ Sacramenti scienter aliquem inualidè absoluere. Coninch. *disp.13.dub.12.nu.104.* Suarez *de censuris disput.6.sect.3.n.5.vers. quando ergo.*

63 An liceat prosequi societatem antea initam cum excõmunicato vitando.

63 Sextò, me non teneri dissoluere contractum societatis initum cum excommunicato ante excommunicationem, sed posse societatem continuare, & prosequi ad præcauendum, & euitandum damnum. Ita Sylvest. *verb. Excommunicatio 3.num.3.* & alij apud Auilam *dub.13.* Præfatæ tamen causæ excusantes participantem cum excommunicato, intelligendæ sunt, modò non adsit specialis prohibitio communicationem in præfatis casibus interdicens: nihil enim obstat, quominus iusta subtrahi possit causa, ob quã caueatur ne communicetur in illis casibus, in quibus sola consuetudine, vel Ecclesiæ permissione communicandi facultas concessa est. Sayrus *c.14.n.35.* Filliucius *c.6. ad finem*, & alij, licet contrarium tenere videatur Coninch. *dub.12.num.133.* putans id licitè prohiberi non posse a iudice inferiori.

PVNCTVM VII.

De priuatione communicationis in actionibus fori ciuilis.

PLures personæ concurrunt in foro iudiciali, Iudex, Actor, Reus, Notarius, Testes, Aduocatus, ac Procurator: de quibus singulis breuiter nobis agendum est in hoc puncto.

Et primò quæremus, vtrùm iudex excommunicatus vitandus priuatus sit iurisdictione.

Secundò, vtrùm excommunicatus possit esse actor, vel defensor.

Tertiò, vtrùm excommunicatus possit esse testis.

Quartò, vtrùm excommunicatus possit esse Aduocatus, ac Procurator.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An excommunicatus vitandus priuetur iurisdictione.

1 OMnis iudex, tam Ecclesiasticus, quàm sæcularis, priuatur vsu iurisdictionis pro tempore, quo remanet excommunicatus vitandus. Ita communiter Doct. Ratio est, tum quia communi consuetudine receptus est hic effectus excommunicationis: tum quia æquum non est, vt qui repellitur ab Ecclesia, iurisdictionem habeat in Ecclesiæ membra: tum quia ita colligitur ex *cap. pia. de exceptionibus in 6.* ex *cap. tanta. de excessibus Prælatorum*, ex *cap. decernimus. de sent.excomm.in 6.* [*cap. ait. cap. apertè. & cap. miramur. 24.q.1.*]

2 An gesta per iudicẽ excommunicatum vitandum sint inualida.

2 Hinc sequitur primò, inualida esse gesta per iudicem excommunicatum vitandum, nam acta sine facultate, & iurisdictione inualida sunt. Idem dic de actis ab arbitro, dum arbiter constitutus est ad formam iudicis, iuxta *l.1.ff. de arbitris*; hic enim censetur iudex cum vera iurisdictione. Secus si de partium consensu constitutus sit tamquam vir prudens, [istius enim acta non dicuntur acta iurisdictionis. Ita Filliucius *cap.7. quæs.2.* Suarez, & alij.

An autem acta excommunicati tolerati valida sint, patet ex supra dictis, valida esse, quia toleratur ab Ecclesia, nec priuatur iurisdictione.]

3 Quomodo peccet excommunicatus ferens sententiam.

3 Secundò, iudicem excommunicatum vitandum mortaliter peccare ferendo sententiam, nam vsum iurisdictionis, quem non habet, sibi vsurpat, actumque facit irritum & inualidum. Iudex verò excommunicatus toleratus faciliter excusari potest à mortali ferendo sententiam, iuxta sententiam Henriquez, Auilæ, & aliorum supra relatam, quamuis probabilius sit, & tutius asserere [cum Alterio *lib. 2.disp.2.cap.1.col.3.*] à mortali non excusari, eò quòd actio iudicandi, quæ prohibetur excommunicato, per se videatur valdè grauis, & sufficiens ad peccatum mortale.

4 An excommunicatus validè possit eligi in iudicem.

4 Quæres, vtrùm excommunicatus validè possit eligi in iudicem, vel assumi ad aliam dignitatem temporalem habentem adnexam iurisdictionem.

Respondeo, solutionem huius quæsiti colligi posse ex supradictis *punct.4.§.1.num.3.* Nihilominus, vt hæc doctrina melius intelligatur, dico duplicem esse sententiam.

Prima est Suarez *disp.16.sect.2.numer.3.* Filliucij, & Coninchi *locis punct.4.§.1.num.3.cit.* [Alterij *lib.2.disp.2.cap.1.col.4.*] & aliorum affirmantium validè, sed illicitè eligi, & assumi. Ratio, cur validè eligatur, est, tum quia nullus textus irritat ipso facto collationem dignitatis, cui est adnexa iurisdictio sæcularis: tum quia experientia constat dignitatem sæcularem acquiri ab excommunicato iure hereditatis, & successionis, nam excommunicatio non priuat iure successionis; ergo potest excommunicatus etiam ad dignitatem sæcularem eligi: tum quia non valet argumentari à collatione dignitatis Ecclesiasticæ ad collationem dignitatis sæcularis, cùm odia restringenda sint, non âmplianda.

Ratio verò, cur electio, ac collatio dignitatis sæcularis facta excommunicato sit illicita, desumitur ex *cap. vlt. de Clerico excommunicato ministrante.* nam dignitas illicitè confertur ei, cui actiones dignitatis prohibitæ sunt; sed excommunicato prohibitæ sunt actiones pertinentes ad iurisdictionem temporalem; ergo dignitas iurisdictionis temporalis illicitè confertur excommunicato.

Ex hac sententia sequitur à fortiori:

Primò, collationem dignitatis non habentis adnexam iurisdictionem temporalem validam esse; propterea gradus Doctoratus collatus excommunicato validus est. Ratio est, tum quia Doctoratus non est propriè dignitas Ecclesiastica, nec habet adnexam iurisdictionem; tum quia nullus textus collationem huiusmodi dignitatis inualidam reddit: tum quia odia sunt restringenda. Ita Vgolinus *de excommunicatione. tab.2.cap.18.§.1.* Gutierez *de matrim cap.83. nu.15.* Decius, & alij apud Suarez *disp.16.sect.2.nu.4.* apud Filliucium *tract.12.c.7.quæsito 3.num.173.* [& apud Alterium *lib.2.disp.8.cap.2. ad finem.* contra Baldum *in 1.constitut.Cod. §. ideoq;. in fine.* & Salicetum *ibidem.*

Obiicies, excommunicatus est infamis, *cap. infames 6.q.1.* sed Doctoratus est dignitas, & collatio dignitatis facta infami irrita est, cùm portæ dignitatum non pateant infamibus, *cap. omnes. & cap. infamibus. de reg.iuris, in 6.* ergo collatio Doctoratus facta excommunicato irrita est.

Respondeo Doctoratum non esse dignitatem Ecclesiasticam propriè & strictè acceptam, nec habere adnexam iurisdictionem, præcitata verò iura intelligenda esse de dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis. An autem excommunicatio infamiam inducat, patet ex *cap. infames 6. q. 2.* vbi inter infames enumerantur excommunicati, quamquam hoc limitatur ab aliquibus primò de excommunicatis ob delictum habens adnexam infamiam. Secundò quamdiu durat excommunicatio; sublata enim causa infamiæ cessat infamia. Verùm quo pacto hoc intelligendum sit, patet ex dictis *de irregularitate.*]

Secundò, validam esse collationem muneris tabellionis factam existenti in excommunicatione, [quia nullibi irritatur,] sicut etiam ipsius acta in foro conscientiæ valida sunt, quando fiunt de consensu partium, vt benè ait Suarez *loc.cit.sect.5.num.5. & 9.* & Filliucius *quæsito 6.* contra [Alterium *tom.1.lib.2.disp.3.c.4.*] Auilam, & alios apud Sayrum *lib.2.cap.5.ad finem, num.39.* [& apud Alterium *loco citato*, & *tom.2.disp.14.cap.4.quæsito 2.*]

Dixi, *in foro conscientiæ*; quia in foro externo excommunicatus repelli solet, & [eius acta] præsumuntur inualida ratione publici officij. Vide Suarez, Alterium, aliosque præfatos Doct. [An autem No-

tarius grauiter peccet conficiendo inſtrumenta, colligitur ex ſupradictis vtplurimum grauiter peccare, quia facere videtur contra obligationem cenſuræ in materia graui, & hoc verum videtur tam reſpectu excommunicati vitandi, quàm tolerati; militat enim eadem ratio, niſi fortè excommunicatus toleratus vocetur ab alio ad conficiendum inſtrumentum, tunc enim ipſe non peccat, cùm ipſe non ſe ſponte ingerat, ſed vocatus ab alio, qui cum excommunicato tolerato communicare poteſt, ex Concilio Conſtant. *in extrauag. ad euitanda.* Ita Marius Alterius *lib.2.diſp.3.cap.4.verſ.& graue.*]

Tertiò validam eſſe collationem muneris Procuratoris etiam ad cauſas, & lites iudiciales factam excommunicato, vt patet tum ex rationibus allatis: tum quia collatio huiuſmodi officij nihil aliud videtur eſſe, quàm quidam contractus; contractus autem celebratus cum excommunicato validus eſt, Suarez *ſect.* 4. *numer.* 11. Filliucius *quæſito* 9. *num.*193. [*& lib.2.diſp.4.cap.*1.]

Quartò, excommunicatum vitandum validè eligi in tutorem, & ipſius acta eſſe valida, iuxta Suarez *diſp.*15. *ſect.*8. & alios contra Vgolinum *cap.*14. Sayrum *c.*7. *n.*2. & alios. [Alterius *lib.2.diſp.3.c.*3. & alij contra Panormit. & plures alios.]

Hæc prima ſententia eſt valdè probabilis.

Sed mihi magis probatur ſecunda ſententia, quam ſequitur Auila *2.parte cap.6.diſp.6.dub.7.ad finem.* Vgol. *tab.2.cap.*13. §. 3. Sayrus *lib.*1. *cap.5.num.*36. Reginaldus *lib.*32. *num.*28. Gloſſa *in cap. venerabilem. de electione,* & alij.

Hæc ſententia probatur rationibus allatis *puncto* 4. *quæſito* 2. *primæ propoſitionis,* §. 1. *n.*3. & ex *cap. venerabilem cit.* [vbi Summus Pontifex reprobat & mandat quemdam non recognoſci in Regem Romanorum, eo quòd fuerit electus dum excommunicationis vinculo detineretur.]

Ex quibus colligitur reſponſio ad rationes Suarez, dico enim nos non argumentari à pari, ſed ex diſpoſitione iuris *in cap. venerabilem,* & ex communiori Doct. ſententia; concedo tamen cum ipſo Suarez, validam eſſe collationem earum dignitatum, quæ non habent adnexam iuriſdictionem, vt ſatis conſtat ex rationibus ipſius Suarez, & ex caſibus iam enumeratis.

[Rogabis, vtrùm acta illius qui dignitatem ſeu officium obtinuit, dum vinculo excommunicationis obſtrictus eſſet, valida ſint. Ratio dubitandi ad probandum non eſſe, valida eſt, quia collatio huiuſmodi officij & dignitatis irrita eſt, vt probaui: nullus autem ſine officio & dignitate poteſt illius officij & dignitatis acta præſtare.

Reſpondeo diſtinguendo, vel erat excommunicatus occultus & ignotus dum obtinuit dignitatem, vel ſciebatur eſſe excommunicatus. Si ſciebatur eſſe excommunicatus, inualida ſunt illius acta, quia caret titulo & fundamento ad illa præſtanda. Si erat excommunicatus occultus & ignotus, nec poſtea detecta fuit illius excommunicatio, valida ſunt illius acta, quia titulum habet coloratum cum errore communi, iuxta *l. Barbarius ff. de offic. Prætoris.* & iuxta ea quæ à me tradita fuerunt *in tract. de matrimonio q.*2. *punct.*8.]

SECVNDA PROPOSITIO.

5 An excõmunicatus poſſit eſſe actor in iudicio.

5 EXcommunicatus quamuis toleratus non poteſt eſſe actor in iudicio in cauſis ciuilibus, aut Eccleſiaſticis, ſiue per ſe, ſiue per alium. Ita Nauarr. *c.*27. *num.*23. Henriquez *lib.*13. *cap.*7. *num.*4. Vgolinus *tab.2.cap.*15. Auila *cap.6.diſp.7. in principio.* Suarez *diſp.*16. *ſect.*3. *num.*2. Sayrus *lib.2.c.*7. *num.*3. Filliucius *tract.*12. *c.*7. *quæſito* 4. [Alterius *lib.2.diſp.3.cap.*1.] Coninch *diſp.*14. *dub.*11. *nu.*110. Ratio eſt, tum quia Concilium Conſtantienſe nullum conceſſit excommunicatis toleratis fauorem, ac priuilegium; magnum autem fauorem, ac priuilegium reciperet excommunicatus, ſi poſſet in iudicio agere. Tum quia ſic habetur *cap. decernimus. de ſententia excommunicationis.*

6 An excõmunicatus poſſit accuſare.

6 Hinc ſequitur primò, excommunicatum non poſſe accuſare, niſi fortè hoc faciat ex neceſſitate, hoc enim nihil aliud eſt, quàm agere.

7 An excõmunicatus poſſit ſe defendere in iudicio, aut appellare à ſententia.

7 Verum tamen eſt, excommunicatum poſſe ſeipſum defendere, quamuis non poſſit agere in iudicio, propterea poteſt probare excommunicationem fuiſſe inualidam, aut ſibi iniuſtè denegari abſolutionem, quam petit, vt colligitur ex *c. intelleximus, de iudiciis*: [aut ſatisfactum eſſe parti petenti.] Ratio eſt, quia iure naturæ cuique competit ſua defenſio.

Hinc patet, excommunicatum poſſe appellare à ſententia contra ſe lata, ſicut etiam poteſt obiicere excommunicationem accuſatori, teſti, & c. dicendo illos eſſe excommunicatos, modò hoc probet intra octo dies, alioquin condemnandus eſt in expenſis. [*c.pia, cit.*] Ita Henriquez *loc.cit.cap.*7. *num.*4. Vgolinus *loc.cit.ca.*15. Suarez *diſp.*16. *ſect.*4. Sayrus *loc.cit.cap.*7. *nu.*3. & 20. Auila *diſp.*7. *in principio,* [Alterius *lib.2.diſp.3.cap.*1.] Filliucius *quæſito* 5. & alij.

8 An excommunicatus poſſit alium conuenire in iudicio.

8 Secundò ſequitur, excommunicatum non poſſe alium conuenire, vel reconuenire in iudicio, vt patet ex *ca. decernimus, citato.* Ipſum verò excommunicatum ab alio conueniri poſſe in iudicio certũ eſt; alioquin commodum reportaret ex ſuo delicto. Verum tamen eſt, quando conuenitur ab alio, poſſe per ſeipſum reſpondere, & per ſeipſum cauſam ſuam defendere, non verò teneri reſpondere per Procuratorem; ex Sayro *cap.*8. *numer.*20. Suarez *ſect.*4. *num.* 6. Filliucio *quæſito* 5. *num.*181. Coninch *o num.*116. [Alterio *loc.cit.cap.*2.] & aliis, contra Auilam *loc.cit.dubio* 2. Vgolinum *tab.2.c.*16. §. 8. & alios. Alioquin non ipſe, ſed ipſius Procurator diceretur conueniri.

[Tertiò ſequitur excommunicatum appellantem à ſententia audiendum eſſe, & poſſe appellationem proſequi, quia hic eſt actus defenſionis. Ita Alterius *cap.*2. & alij.

Quartò ſequitur reum excommunicatum habentem exceptionem contra actorem, poſſe etiam antequam conueniatur ad iudicium, implorare officium iudicis, vt probata exceptione, repellat actorem, ipſique ſilentium imponat; ſicut implorare poſſet, ſi vinculo excommunicationis non detineretur, iuxta *l. ſi contendat. ff. de fideiuſſ.* Ratio eſt, quia hæc eſt defenſio. Contrarium ſuſtinent Abbas *in cap. cum inter. de except. numero* 27. & Alterius *lib.* 2. *diſputat.* 3. *cap.*1. *colum.*4.

Quintò, excommunicatum dum rationabiliter dubitat de fuga debitoris, poſſe debitorem coram iudice conuenire, ne detrimentum patiatur. Ratio eſt, quia excommunicatus in hoc caſu dicitur potius ſe defendere & iudicis officium ad ſui defenſionem implorare, quàm agere; conſequenter iudex debet illum in tali euentu admittere. Ita Couar. 1. *var. reſolut. cap.*13. & alij.]

9 An excõmunicatus agens in iudicio repelli debeat à iudice, quando hoc nõ opponitur ab aduerſario.

9 Quæres primò, vtrùm excommunicatus agens in iudicio à iudice repelli debeat quando exceptio excommunicationis non opponitur ab aduerſario.

Reſpondeo, repellendum eſſe à iudice ex vi ſui muneris; quando agens in iudicio eſt excommunicatus vitandus, vt patet ex *c.* 1. *de exceptionibus in* 6. Ita Suarez *loc.cit.* Coninch. *diſp.*14. *dub.*11. *n.*101. Auila *diſp.*7. *dub.*1. *conel.*2. Sayrus, Vgolinus, Henriquez, Filliucius, [Alterius,] & alij *locis cit.* vbi oſtendunt aduerſarium, qui opponit excommunicationem alteri, debere illam probare intra octo dies; alioquin actorem audiri in iudicio, vt habetur *in cap. pia. de except. in* 6.

10 An valida ſint geſta per actorem excommunicatum vitandum, quando à iudice, aut aduerſario non fuit reiectus.

10 Quæres ſecundò, vtrùm valida ſint geſta per actorem excommunicatum facta in iudicio, quando actor excommunicatus non fuit à iudice expulſus, vel ei ab aduerſario non fuit obiecta, & oppoſita excommunicatio.

Reſpondeo valida eſſe, ſiue facta fuerint per excommunicatum toleratum, ſiue per vitandum, *cap.* 1. *de exceptionibus in* 6. Ratio eſt, quia ius non irritat ipſius geſta, quamuis prohibeat excommunicatum in iudicio agere. Ita Suarez, Auila, [Alterius,] Filliucius, & alij *locis cit.*

11 (An excommunicatus agens in iudicio, grauiter peccet.)

11 [Quæres tertiò, vtrùm excommunicatus agens in iudicio, grauiter peccet.

Reſpondeo, regulariter loquendo, non peccare mortaliter, ratione paruitatis materiæ: ſecus ſi ſæpiùs agat; tunc enim grauiter peccat, ſaltem in ſententia eorum qui volunt excommunicatũ frequenter cum aliis communicantem peccare mortaliter. Ita Marius Alterius *lib.2.diſp.3.cap.*1. *ſub finem.*]

TERTIA PROPOSITIO.

12 An excommunicatus poſſit ferre teſtimonium.

12 EXcommunicatus toleratus licitè poteſt ferre teſtimonium. Ratio eſt, quia actus teſtandi ex natura ſua vergit in fauorem illius, pro quo præſtatur; excommunicatus autem toleratus licitè poteſt actus in fauorem aliorum præſtare, & exercere, modò non ſe ſe ingerat ſua ſponte, vt patet ex ſupra dictis: [& ex *cap. decernimus. de ſent. excommunicationis in* 6. ex *c. veniens. & ca. teſtimonium. de teſtibus.*] Excommunicatus verò vitandus non poteſt licitè ferre teſtimonium, eò quòd prohibita ſit cum ipſo communicatio. Excipitur cauſa fidei, in qua poteſt teſtari, & accuſare, *ca. in fidei fauorem, de hæreticis, in* 6. Excipi etiam poſſe videtur cauſa matrimonij, quæ eſt valde fauorabilis, vt colligitur ex *c. fin. de ſentent. & re iudicata,* & ex dictis *de matrimonio quæſt.*2. *punct.*8. *propoſitione* 2. quauis Suarez *ſect.* 6. Vgolin. *c.*17. *n.*2. Sayrus *c.*7. *num.*5. Filliucius *quæſito* 7. *nu.*187. [Alterius *lib.2.diſp.3.c.*4.] & alij hoc admittant ſolùm in cauſa fidei, non verò in cauſa matrimonij.

13 An validum ſit teſtimoniũ excommunicati vitandi.

13 Verum tamen eſt, teſtimonium excommunicati vitandi validum eſſe, non ſolùm in iudicio, ſed etiam in teſtamentis, contractibus, & inſtrumentis. Ratio eſt, quia nullo iure probatur inualidum eſſe, præſertim accedente conſenſu iudicis, & illius, contra quem teſtis adducitur ad teſtandum, nam in poteſtate iudicis, & partis eſt, illum expellere, & cum eo nolle communicare, obiecta illi excommunicatione; [ergo ſibi debet imputare quòd illum non expulerit. Contrarium ſentire videntur Gabriel *lib.* 1. *commun. de teſtibus. concluſ.*19. Alterius *c.* 5. & alij loquentes de excommunicato publico.]

QVARTA PROPOSITIO.

14 An excommunicatus poſſit exercere officium Aduocati, aut Procuratoris, & an eius geſta valida ſint.

14 EXcommunicatus vitandus illicitè exercet officium Aduocati, vel Procuratoris. Ratio eſt, quia participat cum aliis contra obligationem cenſuræ. Verum tamen eſt illius acta eſſe valida: tum quia non conſtat vllo iure irritari: tum quia geſta actoris, & rei valida ſunt; ergo etiam geſta Aduocati, vel Procuratoris, qui reo patrocinatur, valida ſunt, niſi repellatur, aut illi opponatur exceptio excommunicationis. Ita Doct. citati, aſſerentes tunc acta ratione publici officij, eſſe inualida, quoties officium, quod exercetur, eſt publicum auctoritate, & vtilitate, vt eſt officium iudicis, & ſimilia. Secus, ſi publicum ſit ſolùm auctoritate, vtilitate verò ſit priuatum, vt eſt officium Procuratoris, tutoris, & ſimilium. Vide Suarez *ſect.*8. [Alterium *cap.*3.]

15 An validum ſit matrimonium celebratum à Procuratore excommunicato vitando nomine alterius.

15 Hinc colligi poteſt, matrimonium celebratum à Procuratore excommunicato nomine alterius validum eſſe. [Idem dic de aliis contractibus, vt bene Alterius *lib.2.diſp.3.cap.3. & diſp.*4. *cap.* 1. & alij communiter.]

16 An valida ſint geſta per tutores, & alios adminiſtratores excommunicatos.

16 Vlterius patet, quid dicendum ſit de tutoribus, & aliis aſſumentibus adminiſtrationem temporalem, nullo enim iure conſtat illorum acta eſſe ipſo facto irrita, vt benè ait Suarez *diſp.* 16. *ſect.* 8. Filliucius *q.*10. [Alterius *loc.cit.cap.*3. *col.*3.] quidquid alij dixerint. Vide citatos Doctores.

17 An excommunicatus, qui exercuit officium Aduocati, teneatur ad reſtitutionem pretij accepti.

17 Si quæras vtrùm excommunicatus, qui exercuit officium Aduocati, teneatur ad reſtitutionem pretij accepti.

Reſpondetur negatiuè, tum quia nullo iure conſtat ad hoc teneri: tum quia exercuit opus pretio æſtimabile. Ita Suarez *diſputat.* 16. *ſect.*7. *numer.*3. Auila 2. *parte, diſputat.*7. *dub.*3. & alij contra Hoſtienſem, & alios.

PVNCTVM VLTIMVM.

De annullatione impetrationis gratiarum, & ſuſpicione, quæ contrahitur ob excommunicationem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An excommunicatio irritet, & annullat litteras, & reſcripta Apoſtolica, & proceſſus virtute illorum habitos, excepto caſu [ſeu articulo]

1 EXcommunicatio irritat, & annullat litteras, & reſcripta Apoſtolica, & proceſſus virtute illorum habitos, excepto caſu [ſeu ar-

tet priuilegia.

ticulo] excommunicationis, & appellationis. Hæc propositio patet ex *cap.1.de reſcriptis in 6.* [& extenditur à Panormitano *in cap. fin. n.11.de procuratoribus.* Alterio *lib.2.diſp.7.ca. 2.* & aliis, non ſolum ad excommunicatum, qui pro ſe impetrat reſcriptum, verùm etiam ad excommunicatum, qui reſcripum pro alio impetrat, exercendo officium procuratoris, & defenſoris, hic enim cõſequitur aliquod commodum, & *cap.1.de reſcriptis in 6.* generaliter loquitur. Sed oppoſitum mihi probabilius videtur cum Dominico *in ca.1. de reſcript.in 6.* Iaſone *in l.vniuerſis.C.de precib.Imp.offerendis*, & aliis. Ratio eſt, quia *in cap.1.de reſcriptis*, irritatur reſcriptum obtentum ab excommunicato. Quando autem procurator eſt excommunicatus, non verò ille in cuius fauorem impetratur, non dicitur impetrari ab excommunicato niſi miniſterialiter & inſtrumentaliter, non verò principaliter, & cum verſemur in materia pœnali non eſt facienda extenſio, ſed reſtrictio & limitatio.]

Aduertendum tamen eſt primò, hunc effectum hoc tempore non magnipendi, vt benè Coninch.*dub.10.n.87.* & alij communiter, quia in litteris Apoſtolicis, quæ modò obtinentur, includi ſolet abſolutio ab omnibus cenſuris ad hunc effectum, vt priuilegia, litteræ, & gratiæ Apoſtolicæ valeant, excepto caſu excommunicationis ob hæreſim, vel ob alios caſus ſupra recenſitos [*punct.4.§.1.num.6.*] excepto etiam caſu, quo quis per annum in excommunicatione inſorduit, inſordeſcens enim contumaciter per annum in excommunicatione, ſuſpicionem hæreſis incurrit: conſequenter non videtur frui abſolutione generali contenta in reſcriptis Pontificiis. Perſiſtens verò in excommunicatione per annum ob aliquam cauſam, quæ mereatur excuſationem, videtur frui abſolutione, nam vbi ceſſat ratio culpæ, ibi etiam ceſſare videtur rigor pœnæ, argumento *c. 21. de conſtitutionibus.* Ita Suarez *diſp.17.ſect.1.* Sayrus *lib.2.cap.10.* Vgolinus *tab.1. cap.14.§.3.* [Alterius *lib.2.diſp.7.c.1.col.6.*] Couarruuias *cap. Alma mater 1.parte §.7.* Nauar.*in cap.ita quorumdam.de Iudæis.* Filliucius *tract.12. cap.9.quæſito 2.* & alij.

Aduertendum eſt ſecundò, prædictum effectum non extendi ad litteras Epiſcoporum, vel aliorum Prælatorum, aut etiam ad litteras, & reſcripta Imperatoris, Regis, & aliorum ſæcularium. Ratio eſt, tum quia *cap.1.de reſcriptis*, loqui ſolùm videtur de litteris, & reſcriptis Apoſtolicis: tum quia vſu, & conſuetudine ita comprobatum videtur: tum quia odia reſtringenda ſunt, quantumverba patiuntur. Ita Suarez *loc.cit.num.3.* Filliucius *tract.12.cap.9.nu.211.* [& alij contra Alterium *lib.2.diſp.7.cap.1.col.3.*]

Aduertendum eſt tertiò, prædictum effectum ſecundùm communem ſententiam extendi ad excommunicatum, quamuis occultum. Ratio eſt, tum quia caput 1. *de reſcriptis*, abſolutè loquitur de excommunicatione: tum quia non eſt ratio, propter quam reſtringere debeamus hunc effectum ad excommunicatum publicum, quamuis ſententia Archidiaconi oppoſitum ſentientis non careat probabilitate, inquit Suarez *loc.cit.num.4.* & Nauarr.*loc.citat.* [Vide Alterium *loc.cit.col.5.& ſeqq.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An excommunicatus per annum perſeuerãs in excommunicatione fiat ſuſpectus de hæreſi.

2 EXcommunicatus perſeuerans in excommunicatione per annum, ſuſpectus euadit de hæreſi, conſequenter contra ipſum tamquam de hæreſi ſuſpectum, procedi poteſt ex Tridentino *ſeſſ.25.c.3.* [præſumitur enim malè ſentire tam de poteſtate Eccleſiæ, cum non curet de cenſuris ab ipſa latis, quàm de Sacramentis, cùm illa non ſuſcipiat ſingulis annis iuxta præceptum Eccleſiæ *in cap. omnis vtriuſque ſexus.de pœnit.& remiſſion.*] Ita Suarez *loc. cit.* Vgol. *loc. cit.& tab.2.cap.24.§.3.* Henriq.*lib.13.cap.4.* Filliucius *tract. 12. cap. 9. quæſito 4.num.214.* Sayrus, & alij *loc.cit.* [quibus adde Alterium *lib. 2. diſputat.8.cap.3.*

Obſerua tamen, excommunicatum perſiſtentem per annum completum in excommunicatione, non ſtatim condemnandum eſſe tamquam hæreticum, quia contumacia per annum in excommunicatione non inducit certam hæreſis probationem, ſed præſumptionem, quam ipſe excommunicatus purgare tenetur; quamobrem ſi contumax in excommunicatione citetur ad purgandam præſumptionem hæreſis ob perſiſtentiam vnius anni in excommunicatione, tenetur comparere, alioquin ob contumaciam declarari poteſt excommunicatus, & ſi in hac excommunicatione iterum per annum perſtiterit, condemnandus eſt tamquam hæreticus, *cap. cùm contumacia.de hæret.lib.6.* Ratio eſt; quia præſumptio quæ ſolùm erat vehemens, tranſit in violentam, & iuris adminiculo non leuem facit probationem: conſequenter ſufficit ad condemnationem. Hoc tamen limita, modò verè fuerit contumax, & legitimo impedimento detentus non fuerit; nam legitimè impedito non currit tempus, ideo ſi excommunicatus, anno elapſo, ante condemnationem compareat in iudicio ad probandam innocentiam, audiendus eſt etiam ad vitandam bonorum confiſcationem: imò etiam poſt condemnationem audiri debet ad probandam innocentiam, eaque probata, ſeu cognita, reuocanda eſt ſententia, quoad pœnas corporis & infamiæ, quia deficit contumacia acquiſita *in c.cum contumacia*, citato; quoad pœnam verò confiſcationis bonorum ſententia reuocanda non videtur; tum quia bona fiſco iam addicta & applicata fuerunt: tum quia ſic colligitur ex *l.penult.de requiren.reis.& l.2.C.eod.tit.* Vide Bernardum Diaz *in practica canonica cap.116.* Directorium inquiſit. *part. 2. quæſt.55.& 56.* & Alterium *lib.2.diſp.8.cap.3.col.3.& ſeqq.*

Sed modò dubium eſt primò vtrum contumax in excommunicatione per annum, habeatur pro confeſſo in crimine ei obiecto, cuius cauſa excommunicatus fuit.

Reſpondeo affirmatiuè; nam annalis contumacia vehementem inducit præſumptionem, quæ confeſſionis locum tenet, dum quis eam purgare contemnit. Ita Francus *in cap.cum contumacia. de hæret. in 6.* Couar.*in cap.Alma mater.1.part.§.7.* Diaz *loco citato.* Alciatus *in cap.1.de iudic.num.54.* Alterius *loco citato cap.3.col. 2.* & alij, quorum nonnulli putant hoc procedere non ſolùm in cauſa criminali, verum etiam in ciuili, cùm par ratio in vtroque caſu cenſeatur, ex quo ſequitur actorem vel fiſcum non teneri probare crimen obiectum excommunicato, qui per annum in excommunicatione inſorduit; nam per inſordeſcentiam annualem in excommunicatione ob tale crimen impoſita, crimen ipſum tacitè confeſſus præſumitur, & iuris interpretatione habetur pro confeſſo. Communis tamen Doctorum ſententia affirmat huiuſmodi excommunicatum poſſe etiam poſt ſententiam affirmat huiuſmodi excommunicatum poſſe etiam poſt ſententiam contra ipſum latam, probare ſuam innocentiam, quia fieri poteſt vt innocens ſit, & præſumptio veritati contraria exiſtat; & licet ſit præſumptio iuris, & de iure, tamen leuis eſt. Ita gloſſa *in cap. rurſus, 11.quæſt.3.* Innocentius *in cap.cùm bonæ. de ætat.& qualit.* Alterius *loco cit.col.2.* Menochius *de arbit.lib.2.centur.5. caſu 416.* vbi hoc optimè limitat, niſi ſæpius monitus vt ſe purgaret ab obiecto crimine, purgare neglexit. *cap.rurſus. 11.quæſt.3.* & ratio eſt, quia tunc cenſetur poſitiuè neglexiſſe purgationem, & criminis obiectionem non leuiter approbaſſe.

Secundò dubium eſt, qua pœna puniri poſſit excommunicatus inſordeſcens per annum in excommunicatione. Ioannes Andreas, & Felinus *in cap.poſtulaſti, de homicidio.* Couarr.*cap. Alma mater 1.p.§.7. num.10.* quibus ex parte aſſentitur Menochius *de arbitr.lib.2. centur. 5.caſu 416.* putant pœna arbitraria puniri poſſe; conſequenter etiam pœnam pecuniariam iniungi poſſe pro qualitate, & ratione contumaciæ, modò iudex pecuniariam multam ſibi non applicet, ne ſuſpicionem auaritiæ & ſimoniacæ labis incurrat, ob id aliquibus in locis ſancitum eſt, vt perſiſtens certo tempore in excommunicatione certam pecuniæ ſummam ſoluat; imò in Concilio Tributienſi *c. 3.* decernitur, vt excommunicatus in excommunicatione inſordeſcens à ſæculari iudice puniatur; vt qui poſt excommunicationem (inquit Concilium) non fuerint ad pœnitentiam inclinati, per ſæcularem Principem puniantur, & quos Dei timor non corrigit, ſaltem pœna temporalis corripiat. Vide Bernardum Diaz *in pract. canonic. cap.116.* Couarr.& Menochium *locis cit.* & Alterium *lib.2.diſp.8.cap.3. col.1.& 2.*

Tertiò dubium eſt, vtrùm excommunicatus in excommunicatione per annum contumaciter perſiſtens, priuandus ſit beneficiis.

Reſpondeo priuandum eſſe beneficiis, quoties commiſit crimen beneficij priuationem inducens; cùm enim poſt annum interpretatione, ſeu fictione iuris, habeatur pro conuicto, & conuictus de crimine priuationem beneficij inducente, priuandus ſit, ſeu declarandus priuatus beneficiis; ſequitur huiuſmodi excommunicatum priuandum eſſe beneficiis, modò ipſa contumax fuerit per annum integrum in excommunicatione, *cap.cùm contumacia, de ſent.excom.* ſecus ſi intra annum aliquoties abſolutus fuit, & poſtea iterũ excommunicatus, aut ſi intra annum abſolutionem petiit, ſeu per ipſum non ſterit ne abſolutionem obtineret, hic enim non dicitur contumax per annum in excommunicatione.

Dixi in reſponſione, *quoties commiſit crimen inducens priuationem beneficij*; nam ſi leue crimen commiſit, cui priuatio beneficiorum adiuncta non eſt, non eſt priuandus beneficiis, vt ſi excommunicatus fuit ob cauſam ciuilem, vel ob leuem cauſam criminalem. Ratio eſt, tum quia in iure non habetur, huiuſmodi excommunicatum priuandum eſſe beneficiis: tum quia non plus operatur ficta confeſſio, quàm vera; ſed excommunicatus ob leue crimen non priuaretur beneficiis, ſi crimen illud à ſe commiſſum fateretur; ergo neque priuandus eſt beneficiis ob fictam criminis confeſſionem, quæ iuris interpretatione colligitur ex inſordeſcentia per annum in excommunicatione.

Dices, ipſam annalem contumaciam ſufficientem cauſam præbere priuandi excommunicatum beneficiis.

Reſpondeo hoc gratis aſſeri, niſi delinquens graue crimen commiſerit; nam pœna ex pœna trahi non debet, *cap. quia diuerſitatem, de conceſſ.prabend.* Ita Doctores ſtatim citandi.

Ex dictis igitur conſtat, excommunicatum non ſemper poſt annum priuandum eſſe beneficiis, quacumque de cauſa fuerit excommunicatus; ſed ſolùm ſi excommunicatus fuit ob graue delictum, quod beneficij priuatione dignum ſit.

Verum tamen eſt, illum qui anno integro perſtitit in excommunicatione, & ob hæreſis præſumptionem citatur ad purgandam hæreſis ſuſpicionem, priuandum eſſe beneficiis, tamquam hæreticum, vt ſupra dictum fuit. Ita Rebuffus *in repetit.in cap.peſtulaſti.num.242. & ſeqq.* Bernard.Diaz *in pract.crimin.cap.116.* Panormitanus *in c. rurſus, citato.num.25.* Nauarr.*cap.27.num.23.* Alterius *lib.2.diſp. 6. cap. 1.* & alij contra gloſſam *in cap.rurſus.* Speculatorem *tit.de accuſat.verſ. porrò*, & alios.]

Hic nobis agendum eſſet de pœna, quam incurrit excommunicatus violando cenſuram excommunicationis per exercitium Ordinis ſacri: ſed opportuniori occaſione de ea nobis ſermo erit in diſputatione de irregularitate. Quare tranſeamus ad tertiam quæſtionem de minori excommunicatione.

QVÆSTIO III.

De minori excommunicatione.

QVatuor breuiter quæram in hac quæſtione.
Primò, quid ſit excommunicatio minor.
Secundò, quis eam incurrat.
Tertiò, qui ſint eius effectus.
Quartò, à quo poſſit auferri.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid ſit excommunicatio minor.

1 EXcommunicatio minor eſt cenſura Eccleſiaſtica ſeparans fidelem excommunicatum à paſſiua Sacramentorum participatione. [*c.ſi celebrat.de cler.excomm.miniſtr.*] Iſta excommunicatio dicitur minor reſpectiuè ad maiorem, & ad effectus illius. Ita Vgolinus

tab.3.

*tab.3.cap.15.§.1.*Henriquez *lib.13.cap.3.*Suar.*disp.14.sect.1.*Filliucius *tractat.13.cap.1.quæsito 1.& 2.*[Alterius *lib.1.disputat.4. cap.1.*] & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quandonam excõmunicatio minor incurratur.

2 EXcommunicatio minor incurritur participando in rebus prohibitis cum excommunicato vitando affecto maiori excommunicatione. Hæc propositio patet ex *cap. excommunicatos,* [& *cap. cum excommunicato 11. q.3. cap. nuper. & cap. cùm desideres,de sentent. excommun.*

Addo excommunicationem minorem incurri, non solùm ob participationem cum excommunicato in hac vita existente, verũ etiam ob participationem cum mortuo, vt si quis lauet cadauer excommunicati vitandi, vel comitetur ad sepulturam, aut vestiat, & similia. Ita Marius Alterius *lib.1.disp.13.cap.1.& disp.14.cap.1.*Glossa *in ca. ad hæc de priuileg.* Panormit. *in cap. sacris de sepult.* Ratio est, quia cui non communicamus viuo, nec communicare debemus defuncto, *cap. sacris citato,* & licet communicatio actiua non contingat ex parte defuncti, cùm hic nihil agat, contingit tamẽ ex parte viuentis, qui agit, & hoc sufficit.]

Dixi, *cum excommunicato vitando,* vt aduerterem minorem excommunicationem non incurri participando cum excommunicato tolerato, vt patet ex Concilio Constantiensi superiùs citato.

Dixi, *affecto maiori excommunicatione,* vt aduerterem minorem excommunicationem non incurri participando cum affecto minori excommunicatione, nullo enim iure probari potest, eam incurri participando cum huiusmodi excommunicato.

An autem ista excommunicatio minor incurratur, non solùm dum participatio cum excommunicato est peccaminosa mortaliter, verùm etiam dum est peccaminosa tantummodò venialiter, constat ex supradictis incurri etiam cum peccato solùm veniali, consequenter non solùm participantẽ notabiliter in diuinis, verùm etiam leuiter in humanis, subiacere vinculo minoris excommunicationis. Ita communiter Doct. ex *cap.nuper.& cap.sacris.de sent.excomm.*

TERTIA PROPOSITIO.

3 Quinam sint effectus minoris excommunicationis.

3 EXcommunicatio minor duos parit effectus. Primus est priuare directè passiua Sacramentorum participatione, *cap. si celebrat. de Cler.excomm.minist.* Ita communiter Doct.

Ex quo sequitur, excommunicatum minori excommunicatione peccare mortaliter recipiendo Sacramenta, vt sumendo Eucharistiam, contrahendo matrimonium, &c. *cap. vltimo. de Clerico Excommunicato ministrante.* Ratio est, quia violat minorem excommunicationem in re graui, cùm receptio Sacramẽtorum sit materia grauis. Ita Caietanus *verb.Excommunicatio c.vltimo,* Suarez *disp. 24.sect. 3.num.3.* Couarruuias *cap. Alma mater 1.par.§.8.* Filliucius *tractat. 13. cap.2.quæs.1.num.17.* Reginald. *lib.32.num.141.* Coninch. *disputat.14. dub.17.numer.260.*[Alterius *lib.1.disputat.4.cap.2.&3.*]& alij communiter.

Addo non solùm ipsum excommunicatum minori excommunicatione peccare mortaliter recipiendo Sacramenta, sed etiam ministrantem illi Sacramenta grauiter peccare, (nisi excusetur ratione ignorantiæ, aut ratione scandali, vel alterius mali vitandi,) cooperatur enim peccato excommunicati suscipientis Sacramenta indignè, [& quamuis non faciat contra præceptum Ecclesiæ, cum teneamur ex præcepto Ecclesiæ vitare solùm denuntiatos, & vitandos, facit tamen contra ius naturale diuinum, quo abstinere tenemur ab administrandis Sacramentis indigno, vt bene Alterius *cap. 3.dub.3.*]

Addo, etiam ipsum excommunicatum minori excommunicatione inualidè recipere Sacramentum Pœnitentiæ, quoties intendit absolutionem peccatorum obtinere, antequam absoluatur à minori excommunicatione, nam ponit obicem ad Sacramentum per peccatum actualiter commissum in susceptione absolutionis. Secus si petat prius absolutionem censuræ, aut sciat absolutionem sibi conferendam esse antequam absoluatur, vt communiter præmitti consueuit: [tunc enim non ponit obicem.]

An autem [alia] Sacramenta ab huiusmodi excommunicato suscepta valida sint, constat ex supradictis valida esse.

4 An excommunicatus minori excõmunicatione peccet administrando Sacramenta.

4 Quæres primò, vtrùm excommunicatus minori excommunicatione peccet administrando Sacramenta, sicut peccat suscipiendo.

Respondent Syluester *verb.Excommunicatio 4.num.1.*& alij, mortaliter peccare administrando Sacramenta.

Sed mihi probabilius dicendum videtur cum Nauar. *cap. 17. num. 24.* Suarez *disp.24.sect.2.num.12.* Henriquez *loc.cit.nu.2.* Couarr. *loco cit.n.2.* Filliucio *c.2.num.22.*& aliis; neque venialiter peccare, contra Sylueſtrum *loco cit.*& alios asserentes mortaliter peccare, & contra Sotum *dist.22.q.2.num.3.* Auilam *c.6.dub.12.* Sayrum *c.22.* Reginaldum *lib.32.c.14.n.142.* Coninch. *disp.14.dub.17.n.264.* [Alterium *c.3.col.2.*] & alios, affirmantes venialiter peccare. Ratio nostra est, quia excommunicatio minor non priuat actiua participatione, id est, administratione Sacramentorum, sed priuat passiua; si autem excommunicatus minori excommunicatione peccaret mortaliter, aut venialiter administrando Sacramenta, sequeretur excommunicationem minorem non solùm priuare passiua, sed etiam actiua Sacramentorum participatione. Nec obstat *cap.si celebrat.* vbi dicitur celebrantem peccare conferendo sibi Sacramenta.

Respondetur enim non peccare quatenus confert, sed quatenus recipit.

Hinc sequitur, Sacerdotem obstrictum vinculo minoris excommunicationis non committere duo peccata celebrando, vnum videlicet administrando, & alterum recipiendo Sacramentum, sed fieri reum vnius tantummodò peccati, quatenus recipit Sacramentum. Ita Suarez *sect.2.num.3.* Filliucius *cap.2.q.4.num.24.*

5 An ligatus minori excommu-

5 Quæres secundò, vtrùm excommunicatus minori excommunicatione incurrat irregularitatem celebrando, vel administrando sacramenta, sicut eam incurrit obstrictus maiori excommunicatione.

nicatione fiat irregularis celebrando, &c.

Respondeo negatiuè; nam ista irregularitas nõ est in iure expressa; quare excommunicatus minori excommunicatione non incurrit irregularitatem, aut aliam pœnam ipso iure, sed arbitrio superioris puniendus est, vt patet ex *cap.si celebrat, citato.* Ita Suarez *loc. cit. num.3.* Filliucius *q.5.num.26.* Auila, & alij *locis cit.* [omissis illis quos refert Alterius *loc.cit.*]

6 An excommunicatio minor priuet electione, & collatione beneficij.

6 Secundus effectus minoris excommunicationis est, vt non solùm priuet participatione passiua Sacramentorum, sed etiam electione, præsentatione, & collatione beneficij, & Ecclesiasticæ dignitatis, ita vt excommunicatus minori excommunicatione non possit licitè eligi, vel præsentari ad beneficia, quamuis electio, & præsentatio valida sit, *cap.si celebrat, de Clerico excommunicato ministrante.*

7 An ligatus minori excommunicatione peccet mortaliter recipiendo beneficium.

7 Ex quo patet, ligatum minori excommunicatione peccare mortaliter recipiendo beneficium, quia facit contra obligationem censuræ, & prohibitionem Ecclesiæ in re graui; sicut etiam videtur grauiter peccare, qui scienter eligit excommunicatum excommunicatione minori, vt patet à simili ex dictis de conferente illi Sacramenta. Ita Vgolinus *tab.3.cap.6.§.3.* Suarez *disp.24.sect.2.nu.31. ad finem.* Filliucius *cap.2.quæst.10.num.25.*[Alterius *cap.3.sub finem,*] & alij.

Verum tamen est, minorem excommunicationem non priuare electione, aut præsentatione actiua, sicut neque priuat actiua administratione Sacramentorum, *cap.si celebrat, citato.* Priuat verò electione passiua, quamuis ipso facto non sit irrita, sed per sententiam irritanda, etiamsi eligens sciret illum esse excommunicatum minori excommunicatione. Ita Suarez *disp.24.sect.2.num.21.* [Alterius *ca.3. dub.2.*] Toletus *lib.1.cap.17.* Auila *loco cit.* Filliucius *cap.2.q.8.* Coninchus *disp.14.dub.17.n.263.*& alij, contra Vgolin. *tab.3. cap.6.* Panormitanum, & alios apud Suarez, & Sayrum *locis citatis,* [apud Alterium *lib.1.disp.4.cap.2.*]& apud Auilam *2.parte, cap.6.disp.22. dub.4.* Ratio est, quia *in cap.si celebrat,* habetur verbum *irritandam,* quòd apertè indicat non esse ipso facto irritam. Imò aliqui DD. vt Vasquez *tractatu de excommunicatione dub.6.num.12.* Reginaldus *num.143. ad finem,* & alij ex eodem capite colligunt, neque irritandam esse, quando facta est cum ignorantia excommunicationis, nam in eo capite dicitur, si tamen scienter talis electus fuerit, eius electio est irritanda; ergo à contrario non videtur irritanda, quando electores non elegerunt scienter, sed cum ignorantia excommunicationis.

8 An ligatus minori excommunicatione possit cum aliis communicare.

8 Ex dictis colligi potest primò, ligatum minori excommunicatione posse cum aliis fidelibus communicare absque peccato, vel excommunicatione, vt bene ait Caietanus *verb. Excommunicatio 5. in principio.*[& Alterius *loc.cit.cap.1.col.4.* vbi plures alios refert.] Ratio est, quia minor excommunicatio non priuat participatione fidelium, sed passiua Sacramentorum administratione, & electione passiua ad beneficia.

9 An affectus minori excommunicatione possit diuinis officiis interesse, &c.

9 Secundò, affectum minori excommunicatione posse diuinis officiis interesse, frui suffragiis, &c. vt patet ex mox allata ratione. [Ita Doctores citati.]

10 An ligatus excõmunicatione minori, possit alios absoluere, & exercere iurisdictionem.

10 Tertiò, obstrictum minoris excommunicationis vinculo posse alios absoluere à censuris, & à peccatis, & actus iurisdictionis exercere, [*ca.duobus.de sententexcomm.*] Ita communiter Doctores, quos citat, & sequitur Sayrus *lib.2.cap.23.num.14.* Vgolinus *tab.3.cap.12.*& Henriquez *lib.13.cap.3.* Filliucius *cap.1.quæsito 3. numer.21. & 34. & cap.7.num.14.* Suarez *disp.24.sect.2.num.4.& seqq.* Reginald. *nu.145.* [Alterius *lib.1.disp.6.cap.1.col.4.*]

QVARTA PROPOSITIO.

11 Quis possit à minori excõmunicatione absoluere.

11 A Bexcommunicatione minori lata à iure potest tantummodo proprius Sacerdos absoluere: vt habetur *cap. nuper.de sententia excommunicationis.* Proprius Sacerdos dicitur, qui habet iurisdictionem ordinariam supra excommmunicatum, qualem habet Summus Pontifex in toto orbe, Episcopus in sua diœcesi, & Parochus in sua parœcia, vt à simili constat ex dictis *de pœnitentia,* ex *cap. omnis vtriusque sexus.* Ita Vásquez *loc.cit.dub.21.num.2.* Suarez *sect. 4.* Filliucius *cap.7.quæsito 2.*[Alterius *lib.1. disputat.4. cap.5.*] & alij *locis citatis.*

Dixi, *ab excommunicatione minori lata à iure;* quia si minor excommunicatio lata esset ab homine, quod tamen non est in vsu, vt præfati DD. testantur; [licet ab homine ferri possit, & in ea ferenda seruanda sint, quæ seruantur in ferenda excommunicatione maiori, nisi fortè simpliciter feratur in pœnam delicti præteriti, vt in præcedentibus dictum fuit,] eius absolutio danda esset à conditore illius, vel ab eius superiore, vel à successore, vel ab habente facultatem delegatam, vt supra dictum est de absolutione à censuris ab homine latis.

12 An simplex Sacerdos possit absoluere à minori excommunicatione.

12 Hinc sequitur primò, simplicem Sacerdotem non posse absoluere à minori excommunicatione, quia non est proprius Sacerdos. Idem dici debet de Parocho alterius parœciæ, nisi delegata sit illi facultas à proprio Sacerdote, id est, à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, vel etiam à Parocho; Parochus enim iure communi videtur posse hanc facultatem alteri Sacerdoti saltem pro absolutione in Sacramento pœnitentiæ impendenda delegare, eò quòd habens potestatem ordinariam possit eam alteri delegare; Parochus autem respectu absolutionis ab excommunicatione minori, videtur habere potestatem ordinariam, vt ait Sayrus *cap. 23.* Filliucius *cap.7.quæsito 5. & 6.* Suarez *sect.4.num.4.* Reginaldus *num.154.* Vgolinus, & alij, & colligitur ex *cap.nuper.*

13 An Parochus possit extra confessionem absoluere à minori excommunicatione.

13 Secundò sequitur, poprium Parochum posse etiam extra confessionem absoluere à minori excommunicatione. Ratio est, quia facultas absoluendi ab ista excommunicatione non videtur illi concessa cum limitatione absoluendi in confessione. Ita Suarez *loco cit.* Vgolin. Reginald. & alij *locis citatis.*

14 An Parochus, qui nondum

14 Tertiò, Parochum posse absoluere ab excommunicatione minori, etiamsi nondum sit Sacerdos, nam absolutio excommunicationis non est actus ordinis sacerdotalis, sed est actus iurisdictionis, qui

est Sacerdos, possit à minori excommunicatione absoluere.

qui competit Parocho, etiamsi non sit Sacerdos. Ita Suarez *loco cit. sect.4.num.4.* Vgolinus *tab.3.cap.4.§.2.* Sayrus *loco cit.numer.7.* Filliucius *quæsito 6.num.140.* Reginaldus *num.154.* [Alterius *lib.1.disput.4. cap.5.dub.2.*] & alij quos in simili retuli de matrimonio.

15 An Confessor approbatus ad confessiones audiendas possit absoluere ab excommunicatione minori.

15 Quartò, Sacerdotem approbatum ad audiendas confessiones, posse absoluere à minori excommunicatione, nam hic dici potest proprius Sacerdos per delegatam iurisdictionem, vt constat ex dictis de Sacramentis: *in cap.* autem *nuper, citato*, facultas absoluendi conceditur proprio Sacerdoti. Ita Suarez *sect.4.numer.4.* Coninchus *n.265.* Filliucius, & Sayrus *locis cit.* [Alterius *lib.1. disp.4. cap.5.* & alij communiter.]

Addo, probabilem esse sententiam Nauarri *cap.27.num.25.* Toleti *lib.1.cap.11.* & aliorum asserentium, quemlibet simplicem Sacerdotem posse à minori excommunicatione absoluere pœnitentem non habentem peccatum mortale. Ratio est, quia habens peccata tantummodò venialia potest subiicere se simplici Sacerdoti, & absolutionem ab eo obtinere; ergo potest etiam obtinere absolutionem minoris excommunicationis, quæ præmittenda est absolutioni venialium, cùm minor excommunicatio priuet excommunicatum passiua Sacramentorum administratione. Probabilior tamen est sententia Henriquez *lib.13.cap.28.* Vasquez *loco citato*, & aliorum, quos citat & sequitur Vgolinus *tab.3.cap.4.§.5. num.2.* cui etiam adhæret Suarez *tomo 5.disp.7.sect.4.num.17.vers.propter.* Filliucius *loco cit.ca.7. quæsito 3.* Reginald. *num.152.* Coninchus *numer.265.* [Alterius *cap.5. col.3.*] nam aliud est absoluere à peccatis venialibus, & aliud à censuris; constat autem simplici Sacerdoti concessam esse facultatem absoluendi à venialibus: non verò absoluendi à censuris.

16 Quænā forma seruanda sit in absolutione minoris excommunicationis.

16 Quæres, quænam forma seruanda sit in absolutione minoris excommunicationis.

Respondeo sufficere verba sufficienter exprimētia absolutionem, non verò necessarias esse cæremonias, quæ adhibentur in absolutione aliarum censurarum, propterea non est necesse pœnitentem præmittere cautionem iuratoriam, &c. [*cap.nuper.de sentent.excommun.*] Ita Syluester *verb.Absolutio 3.n.5.* Suarez *disp.24.sect.4.ad finem*, Sayrus *loco cit.* Filliucius *tract.13.cap.7.quæsito 8.n.143.* Reginald. *nu.155.* [Alterius *cap.5.sub finem*,] & alij communiter.

Si detur casus, vt pœnitens dubitet se in minorem excommunicationem incidisse, potest absolui sub conditione, ac forma, quæ communiter adhiberi solet, Absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, quantum possum, & tu indiges. Ita Vgolinus *loco cit.* Sayrus *num.16.* Reginaldus *num.155.* & alij communiter.

Hic nobis agendum esset de excommunicationibus in particulari, verùm quia eas luculenter explicauerunt ferè communiter DD. vt Suarez, Nauarrus, Toletus, Vgolinus, Sayrus, & alij, [& ego illas fusissimè exposui in tractatu *de censuris in particulari*, hic in earum explicatione non immorabor.]

QVÆSTIO IV.

De excommunicatione quæ incurritur ob violentam manuum iniectionem in Clericos, vel Monachos.

[ISta excommunicatio lata est *in cap. si quis suadente diabolo 17. quæst.4.* in hæc verba: *Si quis suadente diabolo manus violentas in Clericum, vel Monachum iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullius Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & mandata recipiat.* Occasione istius textus explicabo,

Primò, quænam sit materia istius excommunicationis, seu quænam actiones sub excommunicatione prohibeantur. Secùdò, quódnam sit subiectum, seu quænam personæ vinculo istius excommunicationis obstringantur; qua occasione ostendam etiam, vtrùm percutiens volentem, seu Clericus percutiens seipsum, huic censuræ subiiciatur. Tertiò, cōtra quas personas præfatæ actiones fieri debeant, vt censura huius canonis incurratur. Quartò, vtrum iniiciens manus violentas in Clericum excusetur aliquando ab hac censura. Quintò, de istius excommunicationis absolutione differam.

PVNCTVM IV.

Quænam sit materia istius excommunicationis, seu quænam actiones sub excommunicatione prohibeantur in hoc textu.

1 Assignatur materia istius excommunicationis.

1 MAteria istius excommunicationis sunt actiones in hoc canone expressæ, quarum vna est principalis, aliæ accessoriæ. Principalis est iniuriosè iniicere manus violentas in Clericum, vel Monachum, vt patet ex illis verbis, *si quis violentas manus in Clericum, vel Monachum*, &c. Actiones accessoriæ sunt primò, mandare huiusmodi manuum iniectionem, seu percussionem.

Secunda, consilium, auxilium, vel fauorem, ad huiusmodi percussionem præbere.

Tertia, ratam habere, vt istæ actiones ritè percipiantur: singulas in sequentibus punctis explicabo.

§. I.

In quo explicatur materia, seu actio principalis istius excommunicationis.

MAteriam principalem istius excommunicationis diximus esse violentam, & iniuriosam manuum iniectionem; hic modò explicandum est, quid nomine violentæ iniectiouis manuum intelligatur.

VNICA PROPOSITIO.

1 Iniectio manuum violenta quid significet.

1 NOmine violentæ iniectionis manuum intelligitur actio externa iniuriosa, violenta, consistens in facto, seu opere, & contingens personam Ecclesiasticam.

2 Enumerantur conditiones requisitæ ad incurrendam excommunicationē, ob violentam manuum iniectionem.

2 Ex quo licet inferre, tres conditiones requiri, vt huiusmodi actio sit materia excommunicationis.

Prima, vt sit actio violenta; hoc enim significant illa verba textus; *Manus violentas iniecerit.* Nomine autem iniectionis manuum intelligitur quælibet percussio, & vis iniuriosa, siue fiat manibus, siue pedibus.

3 Percussio cur violenta manuū iniectio nuncupetur.

3 Dicitur autem manus violenta, desumpta denominatione à manu, quæ est instrumentum consuetum, per quod vis iniuriosa inferri solet; vt benè Suarez *tom.5.disp.72.sect.1.* Reginald. *lib.3.num.205.* & alij communiter.

Secunda conditio est, vt actio iniuriosa attingat Clericum, vt colligitur ex illis verbis textus, *in Clericum, vel Monachum*; quamobrem afficiens Clericum verbis contumeliosis, excommunicationem non incurrit; quia hæc non est actio violenta attingens Clericum. Item qui conatus est percutere, sed non percussit, non incidit in excommunicationem; tum quia non adest actio attingens Clericum; tum quia punitur in hoc canone violenta manuum iniectio, non autem conatus, & verba, præsertim in materia pœnali, cum effectu accipienda sunt. Necesse tamen non est, vt persona Clerici immediatè attingatur, sed sufficit mediatè, vt si actio violenta, & iniuriosa fiat circa rem adhærentem Clerico, seu deferentem, vel continentem Clericum, vt si fræno violenter detineatur equus, cui Clericus insidet, aut si ostium cubiculi claudatur, ita vt Clericus inde exire nequeat, vel non sine magno dedecore; hæc enim censetur grauis iniuria in corpus, ex communi Doctorum sententia, vt patebit ex illationibus proximè adducendis.

Tertia conditio est, vt actio violenta, & iniuriosa sit mortaliter peccaminosa. Ratio est, tum quia in textu dicitur, *suadente diabolo*; tum quia excommunicatio non incurritur, nisi ob mortalem culpam; neque sufficit vt procedat ab actu interno mortali, sed requiritur vt actus ipse externus sit capax mortalis culpæ; nisi enim grauis culpæ capax sit, non potest graui pœna puniri.

4 Percussio leuis, & nō sufficiens ad mortalē culpam, nō subiicitur excommunicationi.

4 Ideo qui Clericum percutit ita leuiter, vt actus exterior, omnibus consideratis, non censeatur sufficiens ad mortalem culpam, non afficitur excommunicatione, quamuis mortaliter peccauerit in intentione, intendens grauiter percutere, seu grauem iniuriam inferre.

Ex oppositio, qui leuiter percutit Clericum, ita tamen, vt illa percussio censeatur valdè iniuriosa Clerico, incurrit excommunicationem, vt accidit quando quis conspuit in Clericum, aut virga percutit, aut illum includit, in carcere, vel in alio loco à quo non possit exire sine dedecore, & pudore: nam hæc actio censetur grauiter violenta Clerico, & est mortaliter peccaminosa. Ita Suarez *loco cit.n.26.* Filliucius *num.17.* Coninch. *num.165.* Reginald. *lib.1.num.206.* & alij communiter.

5 Rapiens aliquid è manibus Clerici per vim, aut inferens violentiam rebus clerico adhærentibus, excommunicationē incurrit.

5 Ex dictis sequitur primò, illum esse excommunicatum, qui rem aliquam violenter eripit è manibus Clerici, aut violentiam facit rebus adhærentibus Clerico, exempli gratia, violenter iniiciendo manus in frænum equi, cui Clericus insidet, aut lacerando vestem Clerici, aut feriendo equum, aut frangendo frænum equi, dum Clericus eo vtitur, &c. aut ita insequendo Clericum, vt cogatur se præcipitem dare in fluuium ad sese eripiendum è manibus insequentis. Secus si Clericus cadat inter fugiendum; tunc enim insequens non ligatur excommunicatione, eo quòd huiusmodi casus per accidens sequatur, nec illi imputetur, nisi fortè eum præuiderit. Ita Sylvester *verb.Excommun 6.num.5.*

6 Venenū clerico propinans, ligatur excommunicatione.

6 Secundò illum esse excommunicatum, qui occidit Clericum per cibum, vel potum veneno infectum; nam huiusmodi actio ita est violenta, vt dissoluat compositum, & est magis violenta, & iniuriosa, quàm sit iniectio alapæ, aut pulueris, aut saliuæ. Ita Ludouicus Beia *1.part.casu 14.fol.mihi 204.* Molina *tract.3.disp.51.* Suarez *disp.5. sect.1.num.13. & 15.* Filliucius *tract.11.c.5.quæs.3.ad finem, num.126. & tract.15.c.1.quæs.5.n.20.* & alij communiter contra Auilam *2.part.c.5. disp.3.dub.12.* vbi pro se citat Emanuelem Sà, & alios. Existimo tamen cum Suarez, & Filliucio hanc censuram non incurri, antequam venenum operari incipiat: nam antea non aderat actio violenta, cùm venenum sine vlla vi exhibitum fuerit, vt suppono. Secus dicendum videtur de moniali grauida, quæ sibi propinat potionem mortiferam fœtui: nam ista actio censetur violenta fœtui, non ipsi moniali, nec videtur iniuriosa statui Ecclesiastico, consequenter ex hoc titulo non incurrit excommunicationem. Ex decreto verò Sixti V. & Gregorij XIII. incurrit excommunicationem, si fœtus erat animatus, vt explicaui *disp.2.q.1.de censuris in particulari*; ita Sayrus *lib.3.cap.23.* Auila *2.p.c.5.disp.3.dub.12.* Molina *disp.51.n.4.* & alij.

7 Surripiēs clam crumenam Clerico, aut dormientem vestibus spolians, non ligatur excommunicatione.

7 Tertiò illum non esse excommunicatum, qui clam furatur crumenam Clerico, aut illum dormientem vestibus spoliat, aut præscindit cingulum, quo cingitur: nam istæ actiones non videntur violentæ. Ita Emanuel Sa *de excommunicationibus Papæ reseruatis, numer.2.* Sayrus *loco cit.num.26.* Reginald. *num.208.* Suarez *disp.22.sect.1.n.32.* Filliucius *tract.15.c.1.num.20.* Coninchus *disp.14.dub.15. numer.166.* vbi cum Innocentio id ampliat, etiamsi ob id Clericus domi postea commorari cogatur, ob priuationem vestium; id enim per accidens ex illo facto sequitur. Secus dicendum est de eo, qui violenter detinet Clericum, vt illum vestibus, aut pecuniis spoliet; tunc enim reuera dicitur manus violentas in Clericum iniicere.

8 Clerici vestes dilacerans nō incurrit excommunicationē, quoties illę vestes Clerico nō adhærent.

8 Quartò illum non incurrere excommunicationem, qui lacerat vestes, vel alias res quæ Clerico non adhærent; tunc enim non videtur violentiam Clerico inferre. Ita Molina *tom.4.tract.3. disput. 51.* Suarez *loco cit.* Filliucius *num.18.* & alij communiter.

9 Detinēs, vel detinenti curans

9 Quintò, iudicem sæcularem incidere in excommunicationem detinendo, vel curando Clericum detineri in custodia, vel in domo, aut ponendo custodes ad domum, qui Clericum exeuntem capiant, ita vt Clericus non possit liberè exire: nam hoc modo censetur violentiam in Clericum inferre per se, vel per alium: qui autem violentiam infert per se, vel per alium, maiorem incurrit excommunicationem, vt constabit ex dicendis *puncto 2.* Ita Nauarrus *cap.27.num.77.*

Phi-

Clericum in domo, vel custodia, excõmunicationem incurrit.

Philiarcus *l.co cit.* Sayrus *lib.3.cap.16.num.13.* Suarez *disput.22.sect.1. num.29.* Filliucius *tract.14.cap.1.quæs.5.nn.17. & 32.* Coninchus *numer.165.* & alij.

10 Sextò, illum non esse excommunicatum, qui verbis, aut etiam factis infert iniuriam Clerico absque violenta manuum iniectione in Clericum, vt accidit, quando quis iniuriis afficit Clericum, sed illum non percutit.

10 Iniuriis Clericum afficiens non ligatur excommunicatione.

11 Septimò, illum non esse excommunicatum, qui per metum absque vlla vi, vel tactu cogit Clericum exire è fundo; non enim dicitur manus violentas in Clericum iniicere, cum solis verbis illum terreat. Similiter non videtur excommunicatus, qui obsidet castrum, aut domum, non vt faciat iniuriam Clerico, ibi existenti, sed vt iustè obtineat illud castrum; deficit enim tertia conditio. Ita Sayrus *loco cit.num.13.* Suarez *disp.22.sect.1.num.30. & 31.* Molina *loco cit.disp.51. num.1.* & alij.

11 Clericũ qui è fundo exire cogit per metum absque vlla vi, non incidit in excommunicationem.

12 Octauò illumsubiacere excommunicationi, qui sclopum explodit in Clericum, qui ob terrorem moritur, quamuis pila, ne leuiter quidem tactus, vel læsus fuerit; hæc enim censetur actio violenta, & iniuriosa in Clericum. Ita Filliucius *num.17. vers.3.* & alij, quos in simili retuli *de irregularitate.*

12 Sclopũ explodens in Clericũ, qui ob terrorem ex hac vita decedit, excommunicationẽ incurrit, etiamsi pila eum nõ attingat.

Obiicies, insequens Clericum, qui præ timore fugit, non incurrit excommunicationem ob huiusmodi insecutionem; ergo neque eam incurrit, qui sclopum explodit, sed Clericum non attingit, etiamsi Clericus strepitu bombardæ, seu sclopi perterritus, moriatur.

Respondeo negando consequentiam; ratio disparitatis est, quia Clericus fugiens, nullam vim patitur ab insequente, sed ipse, apprehensione damni futuri, seu possibilis, fugam arripit. Hoc tamen intellige, modò Clericus nullam ob huiusmodi fugam vim ab extrinseco patiatur, vt dictum est illatione prima; strepitus verò bombardæ attingit ipsum Clericum, eique violentiam infert, experientia teste, consequenter sufficit ad excommunicationem incurrendam, quoties inde notabilis læsio Clerico sequitur.

13 Clerici percussio quandonã sufficiens censeatur ad excommunicationem incurrendã.

13 Rogabis, vtrùm assignari possit alia regula, ex qua coniicere possimus quandonam percussio Clerici, seu actio iniuriosa in Clericum, sit sufficiens ad incurrendam maiorem excommunicationem.

Respondent Caietanus *de excommunicatione, ca.10.* Auila *loco citat. dub.13.casu 3.* Emanuel Sà *loco cit.num.2.* & alij, posse hanc regulam assignari; quoties actio est tam parua, & leuis, vt illata laico non videatur esse peccatum mortale, non sufficit ad incurrendam excommunicationem; qua de causa ab aliquibus DD. regulariter excusantur pueri initiati prima tonsura qui se pugno petunt, & sanguinem è naribus eliciunt in parua quantitate.

Sed hanc regulam meritò negat esse simpliciter veram Suarez *loco cit.sect.1.numer.27.* nam dari potest casus, vt actio quæ leuis est respectu laici, censeatur grauis, & valde iniuriosa respectu Clerici; ideo iudicio prudentis viri standum est, in iudicanda grauitate actionis iniuriosæ.

Quare mihi dicendum videtur cum Molina *disput.51. numer.8.* & Coninchо *disp.14.dub.15.num.168.* quoties actio & iniectio manus violentæ arbitrio prudentis viri, secluſa excommunicatione, esset sufficiens ad peccatum mortale, eamdem esse sufficientem ad incurrendam excommunicationem, positam ob violentam manuum iniectionem in Clericos: hæc enim supponit peccatum mortale.

Ex quo sequitur Clericos impuberes inter se rixantes, seque percutientes, non incurrere excommunicationem, quoties illa actio, attenta qualitate personarum, & quantitate nocumenti, non pertingit ad culpam mortalem; hac de causa pueri sæpe possunt ab excommunicatione excusari, eo quòd illorum percussio regulariter non reputetur grauiter iniuriosa inter huiusmodi personas, vt patet ex *ca.1. de sent.excomm.* Ita Molina *loco cit.num.8.* Filliucius *num.26.* Auila *loco cit.* Coninchus *num.190.* & alij.

§. II.

In quo explicatur materia minus principalis, seu actiones accessoriæ, ob quas huius canonis excommunicatio incurritur.

ACtiones accessorias diximus esse mandatum, consilium, fauorem, & ratihabitionem, vel etiam omissionem in impedienda percussione, dum eam tenemur ex iustitia impedire; de his singulis agendum est in sequentibus propositionibus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Clerici percussionem consulens, aut mandans, ligatur excommunicatione.

1 COnsilium, & mandatum, quo quis consulit, aut tacitè, vel expresse mandat Clerici, vel Monachi percussionem, subiicitur huic excommunicationi, secuta tamen percussione. Ratio desumitur ex *cap.quanta. de sent.excom.* vbi habetur non solum eos subiici huic excommunicationi, qui percutiunt, verum etiam qui consentiunt; is autem proculdubio consentit, qui consilium, aut mandatum præbet ad percutiendum. Ita Nauarr. *cap.27.n.51.* Sayrus *lib.3.c.26.n.22.* Suarez *disp.22.sect.1.n.55.* Auila *2.p.cap.5.disp.3.dub.6.* Molina *tom.4. disp.52.n.2.* Sylueſter *verbo Excomm.7.n.24.* Filliuc. *tract.15.c.1. quæs. 7.* Coninch. *disp.14.dub.15.n.171.* Reginald. *n.215.* & alij communiter. Hoc tamen intelligitur cum duplici limitatione.

2 Percussionem Clerici cõsulens, aut mandans, non ligatur excommunicatione, nisi sequatur percussio.

2 Prima est modò sequatur percussio, vt colligitur, tum ex *cap. mulieres §.vltimo.de sent.excommun.* tum quia istæ sunt actiones accessoriæ; ob actiones autem accessorias non incurritur excommunicatio, nondũ secuta actione principali, quia in odiũ ipsius prohibentur.

3 Item cõsulens, vel mandans Clerici percussionem, non ligatur excommunicatione.

3 Secunda est, modò consilium, vel mandatum reuera influxerit in percussionem. Ratio est; tum quia ad incurrendam censuram requiritur effectus prohibitus sub censura; tum quia consilium, & mandatum prohibentur, quatenus sunt causa percussionis.

4 Quæres, vtrùm ista excommunicatio incurratur ab eo qui mandauit percussionem Clerici, sed postea pœnitentia ductus, reuocauit mandatum, qua reuocatione non manifestata mandatario, adhuc secutus est mandati effectus.

Respondeo incurri; nam mandans reuera censetur suo mandato causa efficax percussionis; consequenter etiam tenetur ad restitutionem omnium damnorum, quamuis curauerit reuocationẽ mandati innotescere mandatario, cui reipsa non innotuit. Ita Lessius *lib.2.de iustitia, c.13. dub.3.n.17.* Molina *loco cit.n.3.* Coninch. *num.176. & seqq.* Reginald. *n.116.* & alij, quos in simili retuli *de irregularitate*, vbi etiam differui, vtrùm mandans, vel consulens reuocato mandato, vel consilio, contrahat excommunicationem, si reuocatio peruenit ad aures mandatarij, vel eius cui datum est consilium.

4 Clerici percussionem mandans, incurrit excommunicationem, etiamsi conatus fuerit mandatum reuocare, sed re ipsa non reuocauerit.

5 Secundò dubium est, vtrùm mandans incurrat excommunicationem, si existat in gratia, dum mandatarius exequitur mandatum, percutiendo Clericum.

5 Clerici percussionem mandans ligatur excommunicatione, eriãm in gratia existat, dũ mandatarius mandatã exequitur.

Respondeo affirmatiuè cum Lessio *loco cit.* Sylueſtro *excomm.6. quæs.5.* Reginaldo *n.216.* & aliis. Ratio est, quia ad incurrendas censuras prærequiritur quidem, & præsupponitur peccatum mortale, non tamen necesse est, vt peccatum mortale tunc committatur, quando censura incurritur, sed sufficit peccatum mortale prohibitũ sub censura, commissum antea fuisse, vt in simili ostendi de peccatis omissionis, in *tract.de peccatis*, cũ multis DD. Idem in simili docet Suarez *to.5.disp.44.sect.3.n.5.* de eo qui causã dedit homicidij, sed ante secutum effectum mortis, egit pœnitentiam sui delicti; hic enim nõ excusatur ab irregularitate: quia sicut pœnitentia non tollit irregularitatem, iam contractam, ita neque facit in prædicto casu, ne contrahatur.

6 Vel mandans percussionem, incurrat excommunicationem, eam verò non incurrat executor, vel econtra.

6 Tertiò dubium est, vtrùm dari possit casus, in quo consulens, vel mandans percussionem, incurrat excommunicationem, eam verò non incurrat executor, vel econtra.

Respondeo affirmatiuè, vt accidit quando executor ignorat inuincibiliter illum, quem percutit, esse Clericum, aut inuincibiliter ignorat, latam esse excommunicationem. Ita Molina *loco cit. disp.52. num.9.* & alij. Ratio patet ex dictis *de causis excusantibus à censuris in communi.*

Plura de mandante, & consulente percussionem hic dici possent, verùm, quia hæc sufficienter colliguntur ex dictis de restitutione, & de irregularitate, ibi videri possunt.

SECVNDA PROPOSITIO.

7 Percussionem Clerici mandans. vel consulens, aliquando ligatur excommunicatione, etiãsi ea non ligetur executor, & è cõtra.

7 OMissio, qua quis non obstat percussioni Clerici, non subiicitur excommunicationi, dum his, qui non obstat, ex sola charitate obstare tenebatur, etiamsi reipsa possit obstare, & peccet non obstando. Ratio est, tum quia illi, qui non obstat, cum teneatur ex sola charitate obstare, non imputantur cetera damna, nec iniunguntur aliæ pœnæ; ergo neque debet iniungi, & imputari pœna excommunicationis: tum quia hoc non est in iure expressum; tum quia excommunicatio lata est ob actionem, non verò ob omissionem. Et hoc verum est etiamsi non obstet propter odiũ, & prauum affectum, non enim punitur prauus affectus, sed opus externum, vel eius omissio sub censura prohibita. Ita Philiarcus *loco cit.* Nauarrus *numer.78.* Coninchus *loco cit.num.174.* Reginaldus *lib.4.num.221.* Henriquez *lib.14.cap.12.* Molina *tom.4.disp.33. & 52.* Auila *loco cit. dub.8.* & alij contra Caietanum *verbo Excommunicatio c.10.* Suarez *tom.5.disp.22. sect.1.num.56.* Medinam *de restitut.quæst.7.* Sayrum *loco citato, nu.24.* Filliucium *num.31.* & alios, quos retuli *de restitut.quæst.2.punct.11.*

Neque obstat caput *quanta*, vbi dicitur, *eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cùm possint, manifesto facinori desinunt obuiare*; nam ille textus aut intelligendus est de præsumptione fori externi, in quo puniendus est, qui facile, & absque incommodo, potuit impedire, & non impediuit, aut intelligendus de aliis pœnis, non verò de excommunicatione, cum hæc non incurratur, nisi exprimatur; ex communi Doctorum sententia, aut intelligendus est de excommunicatione comminatoria, cum textus verbis futuri temporis vtatur, ibi, *facientes, & consentientes pari pœna plectendos Catholica condemnat auctoritas.* Vbi notandum est illud verbum *plectendos*, quod est futuri temporis, & non significat pœnam ipso iure latam, sed ferendam, & cùm versemur in materia pœnali, non est facienda extensio, sed benignior interpretatio sustinenda est; aut intelligendus est de illo, qui non impediuit cùm teneretur ex iustitia impedire; nam

8 Percussionem Clerici permittẽs incurrit excommunicationẽ, dum eam impedire tenebatur ex iustitia.

8 Qui non obstat cùm possit, & teneatur obstare ex officio, seu ex iustitia, incidit in excommunicationem; quia dicitur præstare auctoritatem, illique imputatur percussio, sicut imputantur reliqua damna; ita Molina *disp.33.membro 5.n.6.* & alij DD. prælegati, & citati *de restitut.loco cit.* Quamquam oppositum, etiam in hoc casu, non caret probabilitate, dum non consentit, nec auctoritatem præstat, vt innui in expositione Bullæ Cœnæ *q.2.p.3.n.14.* Ratio est, quia excommunicatio lata ob actionem, non incurritur ob omissionem, nec vllus ex facto alterius remanet excommunicatus, nisi particeps sit criminis, aut nisi mandatum, vel auctoritatem præstet, iuxta Gloss. hic, *vers.interpretans, ad finem*; ex quo patet solum consensum internum non sufficere, nisi aliqua cooperatio in externam percussionem adsit, & hoc pacto explicandum est caput *quanta*, citatum.

9 Quinam teneantur ex officio impedire Clerici percussionem.

9 Sed modò dubium est quinam teneantur obstare ex officio.

Respondeo, eos teneri, quibus cura demandata est, vt sunt Reges, iudices, & alij superiores. Præterea, patres, tutores, heri, pædagogi, parochi, & alij similes respectu filiorum, & subditorum; his enim commissa est cura suorum subditorum. Ita Sayrus *lib.3.c.26. nu.24.* Philiarcus *loco cit.* Auila, Filliucius, & alij *locis citatis.*

TERTIA PROPOSITIO.

10 Ratam habens Clerici percussionem suo nomine factam incurrit excommunicationem.

10 RAtihabitio, qua quis approbat percussionem Clerici suo nomine factam, est materia istius excommunicationis. Pro intelligentia istius propositionis,

Aduertendum est, illum dici ratam habere percussionem Clerici, qui approbat percussionem Clerici, factam suo nomine, & contemplatione sui; quamuis approbans non dederit mandatũ. Ita Philiarc. *loco cit.* [Suarez *loco cit.num.55.* Sayrus *loco cit.num.52.* Molina *disp.52. num.4. & tom.4.tract.3.disp.33.* Nauar. *loco cit.* Reginald. *n.218.* & alij.

Hoc

Hoc posito probatur allata propositio ex *cap.cum quis.de sent.excom. in 6.* vbi hoc expressè habetur, & simul hæc ratio assignatur, quia ratihabitio fictione iuris retrotrahitur, & comparatur mandato. Sicut ergo mandans percussionem Clerici incurrit excommunicationem, ita ratam habens percussionem incurrit excommunicationem ab eo puncto, quo ratam habet percussionem; cùm enim ante ratihabitionem non commiserit culpam, non est ratio, cur dicamus excommunicationem ab eo contrahi ante ratihabitionem, sed dicendum est contrahi ab eo puncto, quo culpam admittit per ratihabitionem.

11 Ratihabitio percussionis Clerici, quas conditiones habere debeat, vt sufficiens cēseatur ad incurrendā excommunicationē.

11 Obserua tamen aliquas conditiones requiri ad incurrendam excommunicationem propter ratihabitionem.

Prima est, vt qui ratam habet percussionem Clerici potuerit mandare percussionem eo tempore, quo secuta est percussio; quapropter approbans percussionem Clerici, factam eo tempore, quo ipse approbator erat amens, vel infans, non incurrit excommunicationem, quia tunc temporis, quo facta est percussio, nō potuit percussionem mandare. Secus si tunc dormiebat; tunc enim facile poterat à somno excitari, & interrogari, an vellet suo nomine percussionem fieri. Ita Molina *loco citato, n.4.*

Secunda est, vt ratam habeat percussionem per aliquod signum externū, exempli gratia, per verba, aut nutus. Ratio est, quia actus merè internus non subiacet potestati Ecclesiæ; consequenter non potest puniri pœna censuræ, nisi externo signo manifestetur.

Tertia est, vt percussio facta sit nomine ipsius, sciatque illam suo nomine factam esse: quare si de illa gaudeat nesciens factam esse suo nomine, non contrahit excommunicationem, nisi fortè velit illam factam esse suo nomine: nam secundùm proprietatem iuris, non dicitur quis ratum habere id, quod non est factum suo nomine, nec dicitur facere suam præteritam actionem. *de regul. iuris in 6.* Ita Nauarr. *n.78.* Suarez *loco cit. n.5.* Auila *dub.9.* Sayrus *loco cit. nu.25.* Molina *loco cit. n.5.* Filliucius *n.29.* & alij communiter.

PVNCTVM II.

De subiecto istius excommunicationis.

IN hoc puncto tria explicabo. Primò in genere, quinam subiiciantur huic excommunicationi violentas manus in Clericos iniiciendo. Secundò, vtrùm percutiens Clericum volentem, & consentientem, in hanc censuram incidat. Tertiò, vtrùm Clericus qui seipsum percutit, vinculo huius excommunicationis obstringatur.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Enumerantur personæ quæ huic excōmunicationi subiiciuntur.

1 OMnes, & singuli, qui Clericum, vel Monachum percutiunt, aut aliam actionem in hoc canone vetitam agunt, in censuram istius canonis incidunt. Ratio est, quia in textu dicitur, *si quis suadente diabolo manus violentas in Clericum, vel Monachum iniecerit*, &c. Vbi notanda est illa particula, *si quis*, quæ generalis, & vniuersalis est, vt ex *l. qui filiabus. §.1. ff. de legat.1.* & *l. si necessarias. § si annua. ff. de pignor. act.* obseruat Tiraquel. *in l. si vmquam. verbo Omnia, nu.4. C. de reuocandis donation.* quem citat, & sequitur Barbosa *dictione 322. ad finem.*

2 Percutiēs Clericum excommunicationē incurrit, etiamsi impubes sit.

2 Hinc sequitur omnes homines baptizatos doli capaces, subiici huic censuræ, siue sint puberes, siue impuberes, siue sint laici, siue sint Clerici, etiam in maxima dignitate constituti, excepto Papa; siue sint superiores, siue inferiores, modò superiores id non agant ex officio, seu causa correctionis, vt constabit ex infrà dicendis de causis excusantibus.

3 Femina percutiens Clericum, aut cooperans, excommunicationem incurrit.

3 Idem valet in feminis percutientibus, aut alia ratione concurrentibus ad Clerici, vel Monachi percussionē. Ratio est, quia dictio, *si quis*, non solùm complectitur masculinum, verùm etiam femininum, argum. *l. cum filiis. ff. de vulgar. & pupill.* Bertazol. *in l. si quis, C. de transact.* Bartol. & alij apud Gratum *dict. 250. num.1.* & apud Barbosam *loco citato.*

4 Clerici percussionem mandans ligatur excommunicatione, etiāsi collegiū vel vniuersitas sit.

4 Idem dicendum est de collegio, vel vniuersitate, quæ Clerici percussionem mandaret; quamuis enim dictio, *si quis*, personam veram, & non fictam, qualis est communitas, & collegium, comprehendat, ex Bertazol. *loco cit. n.145.* & Barbosa *loco cit. n.1.* & 2. nihilominus singuli de communitate, qui delicto cooperantur, afficiuntur excommunicatione, vt sic enim sunt personæ singulares.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Percutiēs Clericum non consentientē, incurrit excommunicationē, quoties percussio est iniuriosa.

5 PErcutiens Clericum volentem, & consentientem incurrit excommunicationem, quoties percussio est iniuriosa. Ratio est; tum quia excommunicatio incurritur propter percussionem Clerici iniuriosam; tum quia sic expressè habetur *in cap. contingit. de sentent. excommun.* & ibi DD. communiter, quos sequitur Auila *loco citato, dub.12.* Suarez *disp.22. sect.1. num.58.* Sayrus *lib.3. cap.26. n.18.* Caietanus *verb. Excommun. cap.10.* Coninch. *disp.14. dub.15. n.168.* Filliucius *tract.15. cap.1. quæsito 7. n.33.* Reginaldus *lib.1. n.222.* & alij.

Dices, volenti, & scienti non fit iniuria; ergo percutiens Clericum consentientem, & volentem, non incurrit excommunicationem, eò quòd percussio non videatur iniuriosa.

Respondeo non fieri iniuriam consentienti, quando consentiens consentit in iis, in quibus potest consentire. Clericus verò in hoc casu non potest consentire, cùm priuilegium de non percutiendo Clerico sub pœna excommunicationis concessum sit toti ordini, & statui clericali, cui persona priuata, qualis est vnus Clericus, non potest præiudicare, & cedere: nam persona priuata non potest cedere priuilegio concesso communitati, aut toti alicui ordini, vt patet ex dictis de priuilegiis; cùm ergo Clericus non possit consentire in sui percussionem, eò quòd ipsius percussio vergat in damnum aliorum, sequitur percutientem Clericum consentientem, facere illi iniuriam, & subiacere excommunicationi, vt habetur *in dicto cap. contingit. de sentent. excommunic.* Deinde etiamsi daremus percutientem Clericum consentientem non facere illi iniuriam, nihilominus facit iniuriam statui clericali & Ecclesiastico: excommunicatio autem non solùm incurritur quando fit iniuria Clerico, sed etiam quando fit iniuria statui Ecclesiastico, vt dicitur *in cap. contingit, cit.* Sicut peccatum homicidij non solùm committitur quando fit iniuria occiso, sed etiam quando fit iniuria Reipublicæ, etiamsi occisus consentiat fortè in sui necem, vt patet ex dictis *de restitutione quæst.2.* Ita Suarez *tom.5. disp.22. sect.1. n.58.* Sayrus *loco cit. nu.19.* Coninchus *loco cit.* Filliucius *num.33.* & alij communiter, quos retuli *de restit. quæst.2. punct.5.*

Ex quo sequitur iudicem in custodia detinentem Clericum consentientem, aut illum verberantem, subiacere excommunicationi: quia facit iniuriam statui Ecclesiastico.

6 Clericus cōsentiens in sui percussionem excommunicandus est.

6 Quæres, vtrùm ipse Clericus consentiens in sui percussionem sit excommunicatus.

Respondeo non esse ipso facto excommunicatum, sed excommunicandum, vt patet ex *cap. contingit, cit.* vbi habetur verbum, *excommunicetur*, quod est verbum futuri temporis, indicans censuram ferendam, non verò ipso iure latam. Ita Suarez *loco cit. n.57.* Nauarr. *cap. 27. n.77.* Filliucius *quæsito 7. n.33.* Reginaldus *lib.1. n.222.* vbi hoc valere, ostendit, etiamsi consentiat se pluribus actibus successiuis percuti, non enim incurrit excommunicationem, *c. si quis suadente*, cùm Summus Pontifex *in cap. contingit, cit.* dicat excommunicandum, neque incurrit excommunicationem latam in participantes in crimine criminoso, quia illi omnes actus successiuè facti, reputantur vna percussio, vnus actus: excommunicatio autem ob participationem in crimine criminoso supponit contractam excommunicationem, ab eo in cuius crimine participat. Ita Sayrus, Auila, & alij *locis citatis.*

TERTIA PROPOSITIO.

7 Clericus percutiens seipsum excommunicatus fit.

7 CLericus seipsum percutiens maiorem incurrit excommunicationem. Ratio est, quia huiusmodi percussio est iniuriosa statui clericali, cui persona priuata non potest cedere: excommunicatio autem incurritur propter percussionem iniuriosam statui clericali. Ita Nauarr. *cap. 27. n.78.* Sayrus *loco cit. nu.20.* Auila *n.12. circa medium.* Suarez *loco cit. n.59.* Coninch. *n.170.* Reginald. *lib.1. num.222.* & alij, quamuis non desint oppositum sentientes.

Hæc propositio intelligitur modò Clericus percutiat se ex ira, & percussio attingat grauitatem lethalis culpæ: nam excommunicatio maior supponit grauem culpam.

Hinc sequitur maiori excommunicatione ligari eos, qui præ desperatione, vel tædio vitæ seipsos percutiunt, aut occidunt; secus dicendum est de Clericis, qui ob mortem parentum, vel amicorum sese percutiunt, aut barbam, vel capillos euellunt; nam ista actio non censetur iniuriosa statui clericali; idem dicendum est de illis qui se causa mortificandę carnis, aut ex deuotione, flagellis petunt. Ita Auila *loco cit.* & plures alij, quos citat, & sequitur Molina *disp.51. num.4. tract.3.*

PVNCTVM III.

Quænam personæ gaudeant priuilegio canonis, ita vt qui eas percutit, & vim infert, in excommunicationem huius canonis incidat.

EX canone *si quis suadente 17. quæst.4.* apertè constat personas, quæ priuilegio canonis gaudent, & percuti non possunt sub pœna excommunicationis ipso facto, esse Clericos, & Monachos. Tota difficultas in hoc posita est, vt intelligatur quinam veniant nomine Clericorum, & Monachorum: quam difficultatem in duabus proximè sequentibus propositionibus explicabo.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Clerici nomine quis intelligatur.

1 NOmine Clerici intelligitur initiatus prima tonsura, aut aliquo ordine, etiamsi coniugatus sit, modò gerat habitum clericalem, & tonsuram, & non sit bigamus; bigamus enim priuatur priuilegio clericali, *cap. Clericus dist.21.* & *cap. cum contingat. de ætate & qualit.* & *cap. vnico. de Clerico coniugato in 6.*

2 Clericus coniugatus quandōnā gaudeat priuilegio canonis.

2 Hoc verò priuilegio non priuatur Clericus coniugatus, qui contraxit matrimonium cum virgine, quamuis deseruerit habitum, & tonsuram, sed eam postea reassumpserit; pœnitentia enim illi prodesse debet. Ita Syluester *verbo Excomm. 6. n.4.* Sayrus *lib.3. c.27.* Suarez *disp.22. sect.1.* Nauarrus *cap.27. n.79.* Filliucius *tract.15. cap.1. quæs.4. n.8.* Coninchus *disp.14. dub.15. n.157.* & alij.

3 Percutiēs Clericum coniugatū, qui cum virgine cōtraxit, & habitum gerit, excommunicationem incurrit.

3 Hinc sequitur primò, eum subiacere huic excommunicationi qui percutit Clericum coniugatum, qui contraxit matrimonium cum virgine, nam hic Clericus non est bigamus; consequenter gaudet priuilegio canonis, dum gerit habitum, & tonsuram, & hoc verum videtur etiamsi antea dimiserit habitum, & tonsuram, sed eam postea absque fraude reassumpserit. Vide quæ tradidi *de censuris in particulari disp.1. quæst.16. puncto 3. n.3. & seqq.*

4 Percutiēs Clericum degradatū verbaliter, pœnam excommunicationis subit.

4 Secundò sequitur eum affici excommunicatione, qui percutit Clericum degradatum verbaliter tantùm: Clericus enim verbaliter degradatus gaudet priuilegio canonis; secus si percutiat degradatum realiter. *cap. degradatio. de pœnis in 6.*

5 Percutiēs Clericum irregularē, vel excommunicatū, excommunicatione afficitur.

5 Tertiò illum esse excommunicatum, qui percutit Clericum irregularem, aut excommunicatum toleratum, aut vitandum, aut affectum alia censura; adhuc enim dicitur percutere Clericum, qui per irregularitatem, vel censuram non amisit nomen Clerici, aut priuilegium canonis; ita Molina *tom.4. disp.56. n.12.* Nauarrus *cap.27. n.79.* Filliucius *tract.15. cap.1. quæsito 4. n.9.* Coninchus *loco cit.* Reginaldus *lib.1. num.112.* & 238. & alij communiter. Secus dicendum est quando quis percutit eum, qui suscepit Ordines ante Baptismum; suscipiens enim Ordines ante Baptismum, non fruitur priuilegio, cùm Ordines inualidè suscipiat; sicut etiam eos inualidè suscipit, qui per vim absolutā promouetur ad Ordines absque intentione suscipiendi Ordines, vt suo loco probaui. In his consensit Molina *loco cit. disp.50. num.3.*

*num.*3.*&*4. Nauarr.*cap.*27.*n.*79. Vgolinus *tab.*1.*cap.*13.§.15. Sayrus *lib.*3.*cap.*26.*&*27. Philiarcus *lib.*3.*de officio sacerdotis, disp.*33. & alij.

6 Percutiẽs Clericum qui matrimonium contraxit post susceptionem sacrorum Ordinum, ligatur excommunicatione.

6 Quartò illum esse excommunicatum, qui percutit Clericum, qui post susceptionem sacrorum Ordinum contraxit matrimonium. Ratio est, quia reuera dicitur percutere Clericum gaudentem priuilegio canonis; Clericus enim Ordine sacro initiatus non amittit priuilegium canonis, quamuis alias pœnas incurrat, & fiat bigamus, bigamia similitudinaria & ficta, non verò reali, vel interpretatiua, vt alibi explicaui. Ita Sayrus *cap.*27.*num.*31. Coninch.*loco cit.* & alij apud Carolum de Grassis *effectu* 1.*n.*91.*de effectibus clericatus.*

Obiicies, percutiens Clericum bigamum non incurrit excommunicationem; ergo neque eam excurrit percutiens Clericum, qui post susceptionem sacrorum Ordinum fit bigamus.

Respondeo percutientem bigamum bigamia vera, & interpretatiua, non incurrere excommunicationem, quia huiusmodi bigamus caret omni priuilegio clericali. *cap.vnico.de bigamis, in* 6. percutiens verò bigamum, bigamia similitudinaria, incurrit excommunicationem eò quòd huiusmodi bigamus adhuc retineat canonis priuilegium, nec iura loquantur de huiusmodi bigamo; vide Glossam *in cap.vnico, citato.*

SECVNDA PROPOSITIO.

7 Monachus gaudens priuilegio canonis quinam censeatur.

7 NOmine Monachi gaudentis priuilegio canonis, intelliguntur non solùm religiosi professi, licet conuersi, verùm etiam nouitij, ex communi DD. sententia, & ex *cap.religioso.de sent.excomm. in* 6. vbi hoc priuilegium ad nouitios extenditur.

Et hoc verum est etiamsi nouitius admissus sit ad religionem ante annos pubertatis; quamuis enim hic non sit propriè nouitius, vt de suspensionibus contra religiosos ostendam *in tract.de censuris in particulari*; nihilominus vocatur nouitius, & in communi sub obedientia viuit, validusque est illius ingressus. *d.c.religioso.de sent.excommun. in* 6. Secus dicendum est de infante religioni oblato, & admisso ante rationis vsum; hic enim nulla ratione est nouitius, donec acquisito rationis vsu consentiat; consequenter priuilegio religiosorum non gaudet; idem sentiendum puto cum Sanchez *in opere morali lib.*5. *cap.*4.*num.*24. quotiescumque ingressus inualidus est ob quamcumque causam; cùm enim admissio, seu ingressus inualidus sit, nullum priuilegium confert; & sicut Clericus inualidè initiatus prima tonsura, (vt quia eam recepit ab alieno Episcopo absque licentia proprij Episcopi,) non gaudet priuilegio clericali; ita etiam nouitius inualidè religionem ingressus non gaudet priuilegio nouitiorum, vt si hermaphroditus, in quo præualeat femineus sexus, ingressus sit religionem virorum, aut si impubes recipiatur in religionem, in qua lege cautum sit, vt impubes ad nouitiatum admitti nequeat, aut si alia ratione defectum substantialem habeat, ob quem ingressus ipsius irritus sit.

Nomine Monachi intelliguntur etiam Moniales professæ, vel conuersæ, ac nouitiæ, modò non viuant domi propriæ, more laicorum. *cap.cùm illorum.de sent.excommun.*

8 Religiosus bigamus gaudet priuilegio canonis.

8 Hoc eodem priuilegio gaudet religiosus bigamus, nullo enim iure constat illum priuari priuilegio religionis, sicut priuatur Clericus bigamus. Ita Syluester *verbo Bigamus, quæst.*8. Sayrus *lib.*3.*c.*27.*num.*32. Molina *tom.*4.*tract.*3.*disp.*54. Suarez *disp.*22.*sect.*1. Reginald. *lib.*1.*nu.*214.*&seqq.* & alij communiter. Eodem priuilegio gaudent Commendatarij laici, vt sunt milites ordinis Christi, & S. Ioannis; gaudent enim priuilegio canonis, & fori, vt patet ex dictis in Bulla Cœnæ *quæst.*16.*punct.*3. vbi docui Equites, qui sunt verè religiosi, vt sunt Equites S. Ioannis, qui in communi viuunt, & votum solemne castitatis, paupertatis, & obedientiæ emittunt, gaudere priuilegio canonis, nam re vera sunt religiosi; consequenter gaudent priuilegiis religiosorum; religiosi autem gaudent priuilegio canonis, & fori. Ita Molina *tom.*4. *tract.*3.*disp.*50.*n.*5. Nauarr.*lib.*5.*consiliorum de regularibus, cons.*13. Azor.*part.*1.*lib.*13.*c.*4.*quæs.*4. Vgolinus hic *nu.*1. Carolus de Grassis *effectu* 1.*n.*109. vbi plures DD. enumerat, & alij apud Sanchez *in summa lib.*4.*c.*16.*n.*11.

9 Equites religiosi seu Commendatarij, quandonam gaudeant priuilegio canonis.

9 Reliqui verò milites Commendatarij, qui non viuunt in congregatione, nec vota paupertatis, obedientiæ, & castitatis nuncupant, non gaudent hoc priuilegio, quia verè non sunt religiosi. Secus si vota emittant, aut illis communicata sint priuilegia clericalia, quales videntur Equites sancti Iacobi, qui licet non voueant perfectam castitatem, & paupertatem, nihilominus habent priuilegium canonis, & fori, nisi fortè alicubi contraria consuetudine fuerit abrogatum; nam in aliquibus regnis vsu receptum est, vt Equites nonnullarum religionum non fruantur priuilegio canonis, aut fori, & in fructibus commendarum fiat executio per iudicem sæcularem ob delicta ab ipsis Equitibus contracta, teste Martha *de iurisdict.part.*2. *cap.*32. & Duardo *lib.*2.*can.*15.*q.*5.*n.*13.

An autem consuetudo contra libertatem huiusmodi personarum legitima sit, patet ex dictis in Bulla Cœnæ. Vide Garziam *de benef.*1. *part.c.*4.*num.*15.*&seq.* vbi etiam fusè ostendit Equites sancti Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ non esse quidem verè, & strictè loquendo religiosos, esse tamen personas Ecclesiasticas, & seruantes tria vota suo modo; consequenter gaudere priuilegio canonis, & fori. Idem valet in Equitibus ordinis Christi in Lusitania, sancti Lazari in Sabaudia, & sancti Stephani Florentiæ, aliisque consimilibus, qui priuilegio sunt exempti, aut tria vota emittunt. Ita Nauar.*cons.*10.*de Regul.* Filliucius *loco cit.n.*14.*ad finem*, & alij apud Garziam & apud Sanchez *locis citatis.* apud Martham *de iurisdict.p.*2. *c.*32. apud Duardum *in Bulla Cœnæ. canone* 15. *quæst.*5. apud Alterium *disp.*16. *cap.*3. apud Vgolinum, & Azor. *locis cit.*

10 Tertiarij quandonã gaudeant priuilegio canonis.

10 In eadem Bulla Cœnæ, & *in tractatu de censuris in communi*, explicaui difficultatem illam qua quæritur, vtrum Tertiarij sancti Francisci, vel sancti Dominici gaudeant prædicto priuilegio.

Et respondi Tertiarios, qui domi viuunt extra congregationem, non gaudere dicto priuilegio, etiamsi seruent regulam sancti Francisci, vel sancti Dominici; nam isti non sunt religiosi. Illi verò qui assumpto habitu Monachali sese manciparunt obsequiis alicuius approbatę religionis sub obedientia superioris illius religionis, gaudent hoc priuilegio quamdiu ita viuunt: nam pro illo tempore censentur religiosi, & personæ Ecclesiasticæ, sicut censentur nouitij; nam religiosi nomen in hac re, non solùm accipitur pro illis, qui professionem emiserunt; verùm etiam qui illius status sunt participes, vt sunt Tertiarij gregatim viuentes, nouitij & alij. Ita Rota ex Nauarr.*c.*27.*n.*79. *vers.octaua.* Sacra Cardinalium congregatio ex Filliucio *quæsito* 4. *num.*14. Suarez *disp.*22.*sect.*1.*num.*20. Alterius *loco citato, cap.*1.*quæsito* 4. vbi hoc multis rationibus probat Carolus de Grassis *effectu* 1. *num.*92. & alij communiter, teste Coninchо *loco* statim *citando*, contra Caietanum *verbo Excommun.vers.nota septimò*, & contra multos alios apud Carolum de Grassis.

Hinc sequitur illos homines, qui assumpto habitu religioso adhibentur ad seruitia, & obsequia Monialium, & ad petendam pro ipsis eleemosynam, gaudere hoc priuilegio.

Ex quo vlterius patet hoc priuilegium extendi ad Eremitas, qui in communitate viuunt in aliqua congregatione, gaudente hoc priuilegio, vel ad eos qui viuunt in communi sub aliquo Prælato ex tacita, vel expressa Summi Pontificis auctoritate; quamuis in ea religione non fiat professio; nam isti censentur religiosi. Ita Nauar. *in manuali c.*27.*nu.*70. Syluester *verb.Excommun.*6.*n.*3. & alij, quos citat, & sequitur Molina *loco citato, disp.*50.*nu.*4. Auila *loco citando.* Suarez *n.*22. Filliucius *n.*14. Reginaldus *lib.*1.*n.*214.*&lib.*9.*n.*353. Coninchus *disp.*14.*dub.*15.*n.*164. Carolus de Grassis *effectu* 1.*n.*104. Martha *de iurisdict.casu* 113. Duardus *quæst.*6.*n.*2. Alterius *c.*1.*dub.*5. vbi hoc priuilegium extendi putat ad Eremitas, qui peculiarem viuendi modum tenent, habitum religiosum deferentes, sacro loco ex obligatione seruientes sub obedientia Episcopi, vel alterius Prælati; quidquid nonnulli apud præfatos Doctores in contrarium sentiant.

PVNCTVM IV.

Quandónam iniiciens manus violentas in Clericum excusetur ab excommunicatione.

MVlti casus percensentur à Doctoribus, in quibus percutiens Clericum excusatur ab excommunicatione incurrenda.

1 Clericum percutiens incontinẽti vim vi repellẽdo, excusatur ab excommunicatione.

1 Primus casus est, quando aliquis percutit Clericum vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defendendum se ipsum, vel rem suam, vel proprium honorem, *cap.ex tenore, & cap.si verò.de sent.excommun.* Ratio est, quia huiusmodi percussio non censetur vis, aut vltio, sed defensio, quæ cuilibet iure naturæ licita est, modò non excedatur modus inculpatæ tutelæ cum aduertentia, & deliberatione; & hoc valet etiamsi percutiens fugere potuisset, sed fuga fuisset illi ignominiosa; adhuc enim non censetur vis iniuriosa, & vltio, sed defensio. Ita Suarez *loco cit.n.*33. Sayrus *c.*27.*n.*20. Auila *loco cit. dub.* 13. Angelus *verb.excommunicatio n.*13. Molina *disp.*55.*n.*1. Emanuel Sà *de excommunicationibus Papæ reseruatis, n.*2. Reginald. *lib.*1.*n.*224. Coninchus *n.*193. Filliucius *tract.*15.*c.*1.*quæs.*6.*nu.*22. Nauarr. *loco cit.* & alij. Imò multi DD. hanc doctrinam extendunt non solùm ad sui defensionem, verùm etiam ad defensionem parentum, amicorum, filiorum, aut etiam extraneorum, modò hæc percussio fiat ad puram innocentis defensionem, licitum enim est vim vi repellere, & innocentis causam suscipere; vide quæ dixi de homicidio *in tract.de restit.* vbi etiam explicaui quandónam seruari dicatur moderamen inculpatæ tutelæ, & rationes ad hoc facientes adduxi.

Dixi *incontinenti*, quia si Clericus rem alterius surripiens eam asportauit, & transtulit ad locum destinatum, non potest percuti absque excommunicatione, vt ostendi *de homicidio*; hæc enim non censetur defensio, sed vltio. Ita Molina *disp.*56.*n.*3. Suarez, Filliucius, & alij communiter.

Ex dictis sequitur; primò excommunicationem non incurri ab eo, qui debitorem fugientem, vel fugam parantem detinet, vt eum superiori præsentet, suumque creditum acquirat; idem dico de insequente incontinenti Clericum furem, qui sua bona aufert, & asportat; nam huiusmodi insecutio licita est, cùm fiat ad res suas recuperandas, & defendendas, vt constat ex dictis *de homicidio.*

Secundò, non incurri excommunicationem ab ea femina, quam Clericus non solùm verbis, sed facto aggressus est, vt eam violaret; ipsa autem se defendit percutiendo Clericum; hæc enim censetur iusta defensio castitatis, & honoris; hoc tamen intelligitur modò femina non excesserit aduertenter, & ex proposito modum defensionis, vt accidit quando potuit se solis verbis tueri, sed ipsa adhibuit verbera. Ita Nauarr.*c.*27.*n.*85. Molina *loco cit.n.*4. Suarez *loco cit.* Filliucius *n.*22. Auila *loco cit.* Coninch.*n.*194. & alij.

Tertiò, illum excusari ab excommunicatione, qui violenter repellit domo Clericum, illam iniustè occupantem, quando repellens non potest aliter illam recuperare, quàm violenter Clericum repellendo; tunc enim non peccat mortaliter cùm vtatur iure suo, consequenter non incurrit maiorem excommunicationẽ, quæ supponit peccatum mortale. Ita Molina *loco cit.n.*3. Sayrus *lib.*3.*cap.*27.*num.*19. Sylvester *verb.excommunicatio* 6.*n.*6. Filliucius *tract.*15.*c.*1.*n.*20. & alij.

2 Percutiẽs Clericum ex ignorãtia probabili, excusatur ab excommunicatione.

Quartò, denique illum excusari, qui licitè percutit inuasorem ad defensionem honoris, famæ, pudicitiæ, vel aliorum bonorum sui vel proximi; iuxta dicta *de homicidio.* Ita Molina *n.*1. Filliucius *n.*22. Suarez *loco cit.* & alij, quos retuli *de homicidio.*

2 Secundus casus est, quando aliquis percutit Clericum, quem ignorantia probabili nesciebat esse Clericum, vt patet ex supradictis *de ignorantia excusante à censuris.* Vnde si quis inueniat noctu Clericum vel in loco tenebroso, & obscuro, ibique eum percutiat non aduertens esse Clericum, non afficitur excommunicatione.

3 Percutiẽs Clericum per iocum non incurrit excommunicationẽ, nisi postea percussionem ex odio, vel ira prosequatur.

3 Tertius casus est, quando quis percutit Clericum per iocum, non ex odio, vel indignatione. *cap.*1.*de sent excomm.* Ratio est, quia huiusmodi percussio, quamuis alioquin grauis videatur, non dicitur fieri suadente

suadente Diabolo, vt dicitur *in can. si quis* 17. q. 4. neque est iniuriosa, ac sacrilega mortaliter, cùm fiat per iocum interius, & exterius.

Addo, hoc verum est, etiamsi fortè aliqualis ira interueniat, modò attenta qualitate percussionis, aliisque circumstantiis, non pertingat ad culpam mortalem; secus dicendum est quando actio per iocum inchoatur, sed postea mutatur in sacrilegium mortale per indignationem, interueniente aduertentia sufficiente ad mortale peccatum; nulla enim subest excusationis causa, sicut subest interueniente inaduertentia, & indeliberatione: certum enim est inaduertentiam, & indeliberationem excusare à peccato mortali; consequenter etiam ab excommunicatione. Quapropter si Clericus ioco, vel seriò proferat conuitium in Caium, & Caius ex subito motu, & absque plena aduertentia Clericum percutiat, vel illum impellat, non incurrit excommunicationem. Præterea excusari potest ab excommunicatione Caius, qui cum legerat Epistolam, repulit socium Clericum petentem illam ad legendum, nam huiusmodi percussio vel repulsio excusari potest aliquando à mortali, tum propter subitum motum; tum quia inter familiares consuetudinem inter se familiariter habentes non magni penditur huiusmodi percussio, nec ad mortale imputatur. Ita Molina *disp. 51. n. 7. & 8.* Auila *loco citato.* Suarez *loco cit. sect. 1. n. 50.* Filliucius *n. 26.* Coninchus *n. 190.* & alij.

4 Percutiēs Clericum causa correctionis, & disciplinæ, non incurrit excommunicationē, modò facultatem percutiendi habeat, & modò in percutiēdo modū non excedat.

4 Quartus est, quando quis percutit Clericum causa correctionis, & disciplinæ habens legitimam facultatem, & potestatem ad percutiendum, modò non ita excedat modum in percutiendo, vt excessus pertingat ad culpam mortalem, & modò non percutiat principaliter ex odio, vel ira, *cap. 1. ex tenore, cap. vniuersitatis, & cap. cum voluntate. de sent. excommunic.* si verò leuiter tantummodo excedat, excusari potest ab excommunicatione, quia excommunicatio supponit peccatum mortale.

Dixi, *modò non percutiat principaliter ex odio, vel ira*, quia si principaliter ex odio percutiat, non excusatur ab excommunicatione, nam huiusmodi percussio fieri dicitur suadente Diabolo cum peccato mortali. Secus dicendum videtur si principaliter percutiat causa correctionis, etiamsi fortè admisceatur peccatum mortale interni odij: nam illa externa percussio non est sacrilega, sed iusta, cùm principaliter fiat causa correctionis ab eo, qui potest illam infligere, quamuis ex malitia percutientis admisceatur peccatum mortale odij. Ita Molina *disp. 56. n. 10.* Angelus *verbo Excommunicatio nu. 8.* Auila *dub. 13. casu 1.* Nauarr. *loco cit.* Filliucius *quæsito 6. vers. secunda exceptio.* Reginald. *lib. 1. n. 230.* & alij.

Hinc colligi potest primò patrem non incurrere excommunicationem, quando filium Clericum, causa disciplinæ verberat. Idem dicendum est, quando Clericus percutitur à propinquo, ad quem pertinet cura corrigendi Clericum delinquentem, aut à Prælato, aut à Magistro percutiente suum discipulum, modò non excedat modum notabiliter cum peccato mortali: & hoc valet, inquit Nauarrus *cap. 27. nu. 82.* Syluester *loco cit. n. 6. casu 8.* Tabiena *verbo Excommunicatio num. 8.* Filliucius *c. 1. quæs. 1. num. 6. tract. 15. & quæs. 6. num. 25.* Suarez *disp. 22. sect. 1. n. 48.* Coninchus *n. 192.* Reginald. *lib. 1. num. 23.* Bannes 2. 2. *quæst. 65. art. 2.* Valentia *ibid. quæst. 9. punct. vnico.* Luisius Turrianus *disp. 29. dub. 2. num. 8.* & alij contra Panormitan. *in cap. cum voluntate. de sent. excommunic.* & alios apud Molinam *disp. 56. num. 6.* etiamsi Clericus qui percutitur sit maioribus ordinibus initiatus. Ratio est, tum quia *cap. cum voluntate. de sent. excommunic.* nulla fit distinctio de Clerico maioribus, vel minoribus ordinibus initiato: tum quia filius non videtur subtrahi à disciplina patris per susceptionem ordinum maiorum; nomine magistri intelligitur tam Ecclesiasticus, quàm sæcularis præceptor, cui commissa est cura instituendi, & docendi Clericum, aut illum in officio continendi.

Secundò colligi potest submagistrum percutientem Clericum causa correctionis non incurrere excommunicationē, etiamsi à Magistro sit illi vetitum quemquam percutere. Ratio est, quia prohibitio Magistri non aufert ius commune. Iure autem communi conceditur superiori vt possit corrigere discipulos, illoſque causa correctionis, & disciplinæ percutere. Ita Syluester, Auila, Filliucius, Suarez, & alij *locis citatis.*

Tertiò Clericos seniores, aut etiam alios, tam laicos, quàm Ecclesiasticos, qui ratione sui officij eiiciunt Clericum minorum ordinum turbantem diuina officia non incurrere excommunicationem. Ita Molina *disp. 56. n. 8.* Filliucius *n. 7.* Suarez *n. 48.* Coninchus *n. 192.* Reginald. *loc. cit.* & alij communiter *in cap. veniens. de sent. excommun.* Aliqui etiam excusant herum percutientem Clericum famulum, modò Clericus non sit initiatus sacris ordinibus, sed de hac re *in 4. Decalogi præcepto.*

Quartò superiores religionis posse sibi subditos verberare; habent enim potestatem gubernandi, & hoc pœnæ genus bono communi frequenter conducit. Ita Bannes, & Turrianus *locis citatis.*

5 Clericus per quem percuti debeat quando percuti meretur.

5 Sed modò superest dubium per quem percuti, & verberari debeat Clericus, vel Monachus, quando causa disciplinæ meretur percussionem, & verbera.

Respondeo de rigore iuris communis percutiendū esse ab ipsismet superioribus, dum sunt inferiores Episcopo, vt decernitur *cap. vniuersitatis. de sent. excomm.* alioquin tam ipsi Prælati, quam percussores incurrunt excommunicationem, percutiendo per alios quando per se ipsos commodè possunt percutere. Secus dicendum est quando percutiunt per alios ex aliqua necessitate; nam vrgente necessitate possunt verberare Clericos, vel Monachos, per alios Clericos, vel Monachos, *cap. vniuersitatis, citato*; addo id etiam licitum esse per laicos, deficientibus Clericis, vel Monachis; necessitas enim non habet legem; neque hic casus censetur comprehensus *in cap. vniuersitatis, cit.*

Dixi, *qui sunt inferiores Episcopo*; nam Episcopi non possunt per se ipsos extra necessitatem verberare, alioquin incurrunt excommunicationem, *cap. non licet. dist. 86.*

Dixi, *de rigore iuris communis*, quia si respiciamus consuetudinem, videtur permissum superioribus, vt non solum capiant Clericos per laicos, sed eos percutiant per alios Clericos, aut etiam per laicos, potuit enim hæc consuetudo introduci, eò quòd consentaneum sit honestati, ne Clerici, vel Monachi tam vile munus per se ipsos obeant. Vide Suarez *disp. 22. n. 45.* Molinam *loco citato, nu. 5.* & Nauarr. *lib. 5. de sent. excomm. cons. 42.* P. Nauarr. *lib. 2. de restitut. c. 3. n. 474.* Filliucium *tract. 15. c. 1. quæsito 1. n. 6.* Coninch. *disp. 14. dub. 15. n. 190.*

6 Percutiēs Clericum turpiter inuentum cum matre, filia, vxore, vel sorore, excusatur ab excommunicatione, modo percutiat incontinenti, & non ex interuallo.

6 Quintus casus est, quando quis percutit, vel occidit Clericum inuentum in peccato cum matre, filia, vel vxore, vel sorore, modò percutiat incontinenti, & non ex interuallo, *cap. si verò. de sent. excom.* quamuis enim percutiens in his casibus grauiter peccet, percutiendo priuata auctoritate; nihilominus eximitur ab excommunicatione, quia Ecclesia non reputat huiusmodi percussionem factam esse suadente Diabolo, sed vehementi passione; cùm difficillimum sit in huiusmodi casu iustum temperare dolorem. Ita Molina *tom. 4. de iustitia tract. 3. disp. 7. num. 3. & disp. 55. n. 6.* Nauarr. *c. 27. n. 84.* Auila *loco citato casu 16.* Emanuel Sà *de excommunicationibus Papæ reseruatis num. 2.* Filliucius *tract. 15. c. 1. quæs. 6. n. 22.* & alij communiter. Et hoc verum est, inquit Molina *disp. 7.* citata, contra Sylueſtrum & Nauarr. apud eumdem Molinam, etiam si occidat, vel percutiat cum pleno iudicio, & deliberatione, vt colligitur ex *cap. si verò, citato.*

Hinc sequitur primò, inquit Nauarr. *lib. 5. consiliorum. de sentent. excommun. cons. 41. & in manuali loco citato.* Molina *disp. 55. n. 6. ad finem.* Auila *loco citato.* Coninchus *num. 196.* & alij, maritum excusari ab excommunicatione, quando de industria se abscondit domi expectans Clericum, hoc ignorantem, vt eum in flagranti deprehensum occidat, adhuc enim dicitur occidere Clericum, turpiter inuentum cum vxore, &c. Hoc tamen intelligitur modò id dolosè non faciat, facta conuentione cum vxore, quæ illum dolo vocet adulterum; nam iura non intendunt dolis, & fraudibus patrocinari.

Secundò sequitur à fortiori illum non incidere in excommunicationem qui Clericum in prædictis inuentum detinet, vt illum præsentet suo iudici Ecclesiastico. Ita Molina *loco cit. disp. 56. num. 2.* Auila *dubio 13. casu 13.* Coninchus *n. 191.* Nauarrus & alij.

Dixi in quinto casu, *inuentum cum matre, filia*, &c. quia si quis percutiat Clericum inuentum in peccato cum alia consanguinea inferioris gradus, non excusatur ab excommunicatione; tum quia nullo iure probatur excusari; tum quia in his facilius dolor compescitur, & comprimitur.

7 Vxor, filia, mater, soror quænam dicatur.

7 Rogabis primò, quænam personæ intelligantur nomine vxoris, filiæ, matris, & sororis.

Respondeo nomine vxoris intelligi sponsam de præsenti, cum qua contractum est matrimonium, quamuis non consummatum, aut etiam inualidum defectu alicuius impedimenti, à marito ignorati; non verò intelligitur sponsa de futuro; cùm sponsa de futuro nondum sit vxor. Quidquid in contrarium sentire videatur Sanchez *de matrimonio lib. 1. disp. 1.* Coninch. *de matrimonio disp. 21. dub. 1. num. 5.* qui in hac re videndi sunt, cum Gutierez *de matrim. cap. 1. n. 6. 13. 15.* Nomine sororis, matris, & filiæ intelligo veram, & propriam matrem, sororem, & filiam, etiam illegitimam, id est, non susceptam ex legitimo matrimonio. Non tamen intelligo filiam adoptatā; cùm verba textus propriè sint accipienda, præsertim in materia pœnali, & odiosa restringente priuilegia Clericorum; vt igitur percutiens Clericum excusetur ab excommunicatione, requiritur vt percutiat Clericum turpiter inuentum cum propria matre, vxore, filia, vel sorore, non verò sufficit, vt percutiat Clericum inuentum cum auia, nepte, &c. Ita Molina *disp. 55. ad finem.* Filliucius *n. 22.* Coninchus *num. 196.* & alij communiter.

8 Percutiēs Clericum excusatur ab excommunicatione, etiamsi non inuenerit in actu carnalis copulæ, sed in alio turpi actu.

8 Rogabis secundò vtrùm in prædictis casibus requiratur vt Clericus, qui percutitur, inueniatur in actu carnalis copulæ.

Respondeo hoc non requiri, sed sufficere, vt inueniatur in quolibet alio turpi actu, vt in osculis, vel amplexibus, vel in loco suspecto, vt si solus inueniatur cum sola in loco apto ad turpes actus exercendos, & de illo adsit rationabilis suspicio. Ita DD. citati.

Addit Sylueſter, quem sequitur Coninchus *n. 196.* & alij, sufficere, vt maritus percutiat Clericum loquentem cum sua vxore absque alio turpi actu, quando illū priùs ter admonuerat, & ipse noluit desistere.

Hoc tamen ego intelligendum censeo interueniente rationabili suspicione; in hoc enim casu valere potest ratio textus, & rationabiliter iudicatur turpia tractare, vel saltem maritus censetur hoc agere ad sui defensionem.

9 Percutiēs Clericum non deferentem habitum, & ter à legitimo superiore admonitum, vt habitum deferat, nō ligatur excommunicatione.

9 Sextus casus est, quando quis percutit Clericum, qui ab Episcopo, vel eius vices gerente, vel ab alio iurisdictionem quasi Episcopalem in ipsum Clericum habente, ter fuit admonitus in particulari, vel in generali, vt tonsuram, & habitum clericalem deferat, & ipse Clericus nihilominus non vult deferre. Ratio est, quia quamdiu huiusmodi Clericus non gestat habitum, caret priuilegio clericali, *cap. cùm contingit 2. de sent. excom.* Ita Sayrus *loco cit. cap. 27.* Sylueſt. *verbo Excommunicatio 6. n. 6.* Auila 2. *parte c. 5. disp. 3. dub. 13. casu quinto.* Molina *disp. 54. n. 1.* & alij communiter, qui addunt non sufficere vnam monitionem pro tribus; nam in textu dicitur, *ter à te commoniti.*

Hinc colligi potest cum Graffio *lib. 2. c. 48. n. 7.* Reginaldo *lib. 1. n. 213. & 233.* & aliis, quos retuli *de legibus, loco* statim *citando*, non amitti priuilegium canonis per solam dimissionem habitus clericalis, vel monachalis, vt deducitur ex *cap. contingit, citato*; & ex *cap. si verò, de sent. excomm.* nam dimittens habitum, non ob id definit esse Clericus, nec amittit priuilegium clericale, nisi ter fuerit admonitus modo iam dicto, contra Coninch. *disp. 14. dub. 15. n. 163.* Suarez *disp. 22. sect. 1. n. 11.* Bannem 2. 2. *q. 12. art. 1. diffic. 3.* & Filliucium *n. 10.* asserentes Clericum minoribus initiatum non gaudere priuilegio canonis, dum habitum non defert, ex Trident. *sess. 23. cap. 6. de reformatione.* Sed hæc opinio mihi non arridet, quia Concilium loquitur de priuilegio fori. Vide dicta *de legib. disp. 10. quæst. 2. punct. 1. §. 4.* Secus dicendū est de nouitio qui ingreditur animo deferendi nouitiatum; hic enim definit omnino esse religiosus, cōsequenter amittit priuilegiū cōcessum religiosis, seu nouitiis. *In c. religioso, de sent. excom. in 6.* Ita Molina *loco cit. n. 3.* & alij.

10 Septimus casus recenseri solet quando percutitur Clericus, qui sese implicat negotiis sæcularibus, mercaturæ, vel procurationibus, & administrationibus personarum sæcularium, & ter monitus non vult desistere. Et hoc verum existimatur à nonnullis DD. etiamsi deferat habitum, & tonsuram. *cap.1.de vita & honestate Clericorum.* Ita Nauarr. *loco citato, n.*80. & alij. Sed contrarium mihi probabilius videtur cum Molina *loco cit.* Conincho *n.*161. Suarez *n.*27. & Filliucio *tract.*14.*c.*1.*n.*12. & aliis asserentibus huiusmodi Clericum implicantem se negotiis, gaudere priuilegio canonis, & fori, quia *in c.*1.*citato* non priuatur hoc priuilegio, vt patebit legenti ipsum textum, sed priuilegio quo ad res, & facultates. Vide quæ dixi *de legibus disp.*10.*quæst.*2.§.4.*n.*8. cum Farinacio, & aliis, vt & in Bulla Cœnæ.

11 Octauus casus est, quando quis percutit Clericum factum militem, aut se immiscentem enormitatibus, vt grassando, &c. nam per huiusmodi delicta amittit priuilegium canonis. Immò aliqui volunt amittere etiam priuilegium fori. Vide Molinam *disp.*40.*&* 54.*nu.*6. Ambrosinum *de immunit.c.*17.*n.*12. Reginaldum *n.*234. & alios, quos retuli *de legibus loc.cit.*

12 Nonus casus est, quando quis percutit Clericum coniugatum publicè, per se ipsum exercentem officium cauponis, vel macellarij, & ab illo officio non destitit intra terminum ab Episcopo præscriptum, vel post trinam admonitionem sibi nominatim factam. Ratio est, quia Clericus coniugatus amittit priuilegium clericale non desistendo à prædictis officiis: secus si non sit coniugatus, & gerat habitum, & tonsuram. *Clementina1.citata. de vita, & honest. Cleric.* Ita Molina *disp.*54.*n.*7. & alij quos retuli *de legib.loco cit. n.*8. quibus adde Suarez, Coninch. & Filliucium *locis citatis.*

13 Decimus casus est, quando quis percutit Clericum, qui post trinam admonitionem non desistit à ferendis armis, vel ab arte mimica publicè exercenda. Ita Sayrus *loco citato, n.*8. Nauarr. *loco cit.num.*80. Molina *disp.*54.*num.*4. qui hoc verum putant, etiamsi Clericus gestet habitum clericalem, aut etiamsi percutiens sciat illum esse Clericum. *cap.1.de vita, & honest.Cleric.* Vide dicta *de legibus loco citato.* vbi alios DD. adduxi, quibus adde Reginaldum *loco cit.n.*235.

14 Vndecimus est, quando quis percutit bigamum; bigamus enim amittit omnia priuilegia clericalia. *c.vnico, de clericis coniugatis lib.*6. *& cap.vnico, de bigamis in* 6. vbi sermo est de bigamis initiatis ordinibus minoribus, non verò de constitutis in sacris; consequenter percutiens bigamum in sacris constitutum incurrit excommunicationem, vt patet ex supradictis cum Vgolino; percutiens verò Clericum coniugatum non bigamum gestantem habitum, & tonsuram, incurrit excommunicationem: nam huiusmodi Clericus non amittit priuilegium clericale. Ita Syluester *verbo Excommunicatio 6.nu.*4. Sanchez *lib.*7.*de matrim.disp.*46. Molina *disp.*54.*n.*9. Reginaldus *lib.*1.*n.*235. & alij communiter.

Neque obstat decretum Tridentini *sess.*23.*cap.*3. Concilium enim non loquitur de priuilegio canonis, sed de priuilegio fori, quo priuantur Clerici coniugati, vt docui *de legib.loc.cit.n.*20.

15 Duodecimus est, quando ostiarius, aut alius officialis Principum, turbam arcendo simul arcet Clericum. *cap.si verò* 2. *de sentent. excom.* Ratio est, quia huiusmodi violentia respectu Clerici censetur casualis, cùm officialis non intendat violentiam Clerico inferre; secus si hoc faciat animo inferendæ iniuriæ Clerico; tunc enim dicitur vim Clerico inferre. Ita Sayrus *loco cit.n.*35. Auila *loco cit.* & alij.

16 Decimustertius est, quando sæcularis capit Clericum, illumque trudit in carcerem de mandato sui Prælati. Ratio est, quia concessum est Prælatis capere Clericos per laicos, quando subest causa per quam Clericus coniici possit in carcerem. *cap.si Clericus. de sent.excom. in* 6. non tamen licitum est maiorem violentiam adhibere, quàm necessarium sit ad illos capiendos, alioquin vis diceretur inferri. Ita Molina *disp.*56.*num.*1. & alij communiter. Vide quæ fusiùs disserui *de legibus disp.*10. *quæst.*2. *punct.*1. §.1. *& seq.* & in expositione Bullæ Cœnæ *quæst.*15. *&* 20.

PVNCTVM V.

Quisnam possit absoluere ab excommunicatione ob Clerici percussionem contracta.

1 CErtum est primò Summum Pontificem posse absolutionem huius excommunicationis conferre, nam ipse supremam habet in Ecclesia potestatem. Imò istius excommunicationis absolutio regulariter est illi reseruata, *cap si quis suadente Diabolo* 17.*q.*4.

2 Secundò certum est Legatum à latere posse ab hac censura absoluere; quia hic Pontificia gaudet auctoritate, *cap.ad eminentiam. de sent.excomm.* Imò etiam Legati missi possunt absoluere in prouincia, ad quam mittuntur, iuxta *cap.penult.de offic.leg.* secus dic de Legatis natis, nisi peculiare priuilegium habeant.

3 Tertiò certum est Episcopum posse per se, vel per alium absoluere quando percussio est leuis. *cap.peruenit.de sent.excom.* Ratio cur per seipsum possit, patet ex facultate Episcopis concessa *in dicto cap. peruenit.* Ratio verò cur Episcopus possit absoluere per delegatum, est, quia facultas absoluendi in percussione leui est facultas ordinaria, quæ competit Episcopo ratione dignitatis; qui autem habet potestatem ordinariam, potest illam delegare, vt est communis Doctorum sententia.

4 Addo etiam Vicarium Generalem posse per seipsum absoluere, & dare aliis facultatem absoluendi, quia ipse est iudex ordinarius, & facit vnum Tribunal cum Episcopo. Ita Speculum *in appendice dub.*1. *ad finem.* Lazarius *tract.monit.sect.*1.*quæst.*6. Molina *tom.*4.*tract.*3.*disp.* 59.*n.*2. Reginald. *lib.*1.*n.*238. Sanchez *lib.*3.*de matrim. disp.*7.*n.*10. *& disp.*19.*nu.*16. vbi ait nomine ordinarij venire Vicarium Generalem Episcopi, quando non excluditur, & quando res competit illi ex officio, sicut videtur competere illi facultas absoluendi ab excommunicatione, administrandi Sacramenta, &c. Ratio est, tum quia Vicarius Generalis facit vnum, & idem Tribunal cum Episcopo, vt dictum est, & quod Vicarius Generalis facit, dicitur ipse Episcopus facere: tum quia quando Summus Pontifex concedit Episcopis aliquam facultatem, quam non intendit conferre Vicario Generali, solet hoc exprimere, vt patet ex Trident. *sess.*24.*c.*6.*ad finem.*

5 Quartò certum est supremos monasteriorum superiores posse ex priuilegio ipsis concesso, *c.cùm illorum, c.canonici.de sent.excom.* absoluere suos subditos ab excommunicatione ob leuem percussionem contracta, ideo possunt absoluere religiosos non solùm professos, sed etiam nouitios, quamuis contraxerint excommunicationem ante nouitiatum, *cap.cum illorum, cit.* Multi tamen Doctores putant nouitium egredientem teneri postea sese præsentare illi, qui alias habebat facultatem absoluendi, vt patet non solùm ex dictis *de pœnitentia* cum Reginaldo, & aliis, verùm etiam & alibi. Vide dicta *de legibus disp.*4. *q.*2.*punct.*9.§.4.*n.*28.

Hinc sequitur Abbatem, Priorem, Guardianum, seu præpositum monasterij, seu alium quemcumque, modò sit supremus monasterij superior, posse à dicta excommunicatione absoluere suos subditos. *cap.cùm illorum, & cap.canonici.de sent.excomm.*

Addo prædictos superiores supremos monasterij posse non solùm per se ipsos absoluere, verùm etiam per alios: supremus enim monasterij superior est in hac re iudex ordinarius. *cap.vlt. de offic. iudic. ordinar.* Ita Syluest. *verb.absolutio* 4.*n.*3. Molina *disp.*59.*&*60. Reginald. *lib.*1.*n.*258. & alij.

6 Addit Molina *disp.*59. hoc priuilegium non comperere capitulo sede vacante; sed de hac re videri potest Sanchez *in sum.lib.*2. *cap.*11. *n.*4. *&*5. *& de matrim.lib.*8.*disp.*2. & alij, quos in simili retuli *de dispensationibus.*

7 Quintò certum est Prælatos, aliosque sacerdotes Episcopis inferiores nō posse ab hac censura absoluere, nisi speciale priuilegium obtinuerint à Summo Pontifice; & hoc verum est etiamsi Prælati iurisdictionem habeant, quasi Episcopalem. Ratio est, quia *in dicto cap.peruenit*, dicitur, *Tua fraternitatis arbitrio duximus committendū*; nullus autem inferior Episcopo appellatur frater Summi Pōtificis, sed filius.

8 Sed modò difficultas est primò, quænam dicatur percussio leuis, in qua potest Episcopus absoluere, & quænam dicatur mediocris & enormis, seu grauis, in qua non potest absoluere.

Respondeo standum esse iudicio prudentis viri; vir autē prudens leuem percussionem, regulariter loquendo, illam esset censet, quæ fit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, vel lapide, quæ nullā maculam, vel sugillationem carnium relinquit, vel quę fit absque abscissione membri, sine effractione dentis, sine euulsione multorum capillorū, sine effusione multi sanguinis, vt patet extrauag. Ioannis XXII. quam refert Nauar. *c.*27.*n.*92. Molina *disp.*57.*n.*1. Sayrus *lib.*3.*cap.*28. *n.*8. & Philiarcus 1.*part.lib.*3.*de offic.sacerd.c.*33.*fol.mihi* 172. Filliucius *tract.*11.*cap.*1.*quæsito* 8. Suarez *disp.*22.*n.*88. *& seqq.* Regin. *lib.*1.*n.*241.

Dixi, *regulariter loquendo*, nam ex circumstantiis personæ, & qualitatis, fieri potest, vt huiusmodi percussio dicatur grauis; quamobrem si quis manum iniiciat in faciem alicuius grauis personæ, impingendo alapam, non dicitur leuiter percutere, cùm huiusmodi percussio grauiter iniuriosa censeatur.

Dicitur percussio leuis, non quia sit peccatum veniale, sed ita nuncupatur, respectu mediocris, & enormis; quare potest aliqua percussio habere malitiam lethalem, & nihilominus appellabitur leuis; vt benè Nauarr. *loco cit.n.*91. & alij communiter.

Mediocris percussio dicitur illa, quæ media est inter leuē, & enormem, qualis est illa, qua dens extrahitur, vel capillorum copia euellitur, aut sugillatio carnis relinquitur, aut sanguinis copia effunditur, absque graui læsione, vel absque graui iniuria. Verum tamen est ad Episcopum, vel ad alium bonum virum, spectare iudicium, quādónam percussio sit leuis, mediocris, vel grauis, vt dixi initio responsionis; quando verò dubitatur vtrùm percussio sit leuis, vel grauis, vel mediocris, iudicanda est grauis, vel enormis, vt patet ex Extrauag. quæ incipit, *perlectis*, apud Nauarr. Sayrum, Molinam, & Philiarc. *locis cit.*

Grauis percussio dicitur illa, quæ coniuncta est cum graui lęsione, vel graui iniuria. e.g. cum membri mutilatione, vel cum magna sanguinis effusione, quæ non proueniat è naribus, sed aliunde, vel cum magno vulnere, aut ictu, quamuis parum sanguinis exeat; talis etiam est illa, quæ fit in suum superiorem, vel in alium Prælatū in dignitate constitutum, vt in Episcopum, aut Abbatem, aut priorem, qui est caput monasterij, nisi fortè percussio, seu violentia tam parua sit vt moraliter non censeatur enormis, vt patet à simili in peccatis, quę contra Deum committuntur; non enim omnia peccata, quibus Deus ipse offenditur, sunt grauia, vel enormia, vt benè Suarez *loco cit.n.*91. Similiter censetur grauis percussio quando percutitur Clericus, & ex ea percussione oritur magnum scandalum, vt quādo religiosus percutit Clericum in publico, vel in claustro coram sæcularibus, aut in Ecclesia, aut coram Prelato, aut coram alia persona in dignitate constituta, aut quando percutitur Sacerdos sacris vestibus indutus, aut quando Clericus diu iniustè detinetur in deterrimo carcere, aut quando percussio est valdè ignominiosa, attentis qualitatibus personarū, & aliis circumstantiis, vt accidit, quando personæ graui impingitur alapa in facie; quamuis contrarium existimet Philiarcus *loco cit.* aut quando laicus officialis percutit auctoritatiuè, quasi vsurpans Ecclesiasticam iurisdictionem, hæc enim censetur grauis iniuria contra statutū Ecclesiasticū. Ita Nauar. Molina, Suarez, Filliuc. Reginald. & alij *loc.cit.*

Ex his patet quænam dicatur percussio leuis, ita vt Episcopus, vel supremus monasterij superior possit in excommunicatione ob ipsam contractam absolutionem impendere.

9 Secunda difficultas est, vtrùm dentur aliqui casus in quibus Episcopus absoluere possit etiamsi percussio sit mediocris, vel enormis.

Respondeo affirmatiuè. Primus casus est de Clericis collegialiter, seu communiter viuentibus, qui se mediocri, & enormi percussione affecerunt. *cap.quoniam.de vita, & honestate Clericorum, & cap.peruenit.de sent.excom.* Ita Nauarr. *loco cit.n.*91. Syluest. *verb.absolutio* 4.*n.*3. Sayrus *cap.*28. Molina *disp.*62. Suarez *nu.*71. Filliucius *tract.*15.*cap.*1. *quæsito*

---

10 Percutiens Clericum implicantem se in negotiis sæcularibus, & ab iis post trinā admonitionē non desistentem, non ligatur excommunicatione.

11 Percutiens Clericum, effectum militem, aut immiscentem se enormitatibus, non incurrit excommunicationē.

12 Percutiens Clericum coniugatum exercentē officium cauponis, vel macellarij, excusatur ab excommunicatione, quoties ille post trinam admonitionē à præfato officio nō destitit.

13 Percutiens Clericum non desistētem per trinam admonitionem à delatione armorum, vel ab arte mimica publicè exercenda non incurrit excommunicationē.

14 Percutiens bigamum non incurrit excommunicationē.

15 Ostiarius seu officialis Principis non incurrit excommunicationem quoties turbam arcēdo simul arcet Clericum.

16 Capiens Clericum de mandato sui Prælati non ligatur excommunicatione.

1 Papa potest absolutionem conferre ab excommunicatione cōtracta ob Clerici percussionem.

2 Legatus potest absoluere ab excommunicatione contracta ob percussionē Clerici.

3 Episcopus absoluere potest ab excommunicatione contracta ob Clerici percussionem, modò percussio leuis sit.

4 Vicarius generalis eamdem facultatem habet.

5 Superiores monasteriorum ab eadem excommunicatione absoluere possunt.

6 Capitulū sede vacāte an possit à præfata excommunicatione absoluere.

7 Prælati, & alij sacerdotes Episcopis inferiores non possunt ab ista excommunicatione absoluere.

8 Percussio leuis, grauis, vel mediocris, quænam dicatur.

9 Episcopus quandonam absoluere possit ab excommunicatione contracta ob Clerici percussionem, etiā si percussio mediocris sit, vel enormis.

quæsito 8.*n*.39. Reginald.*lib*.1.*num*.251. & alij; idem dicendum videtur de religiosis sese inuicem percutientibus; isti enim absolui possunt à suis Prælatis, *cap. cùm illorum.de sent.excommun.* vbi habetur religiosum, qui alium religiosum percussit eiusdem religionis, absoluendum esse à superiore. Si verò percussit religiosum alterius claustri percussione mediocri, absoluendus est non solùm à suo superiore, sed etiam à superiore religiosi percussi, *cap.cùm illorum, citat.* quamuis vnus superior possit vices suas alteri committere; si verò religiosus percussit Clericum sæcularem, debet ab Episcopo absolui, quando percussio est leuis. *cap.religiosi.de sent.excomm.in* 6. aut mittendus est ad Summum Pontificem, vt dicitur *cap.cùm illorum, citato.* Vide Molinam, Reginald, & Sayrum *locis cit.*

Secundus casus est de ianitore, aut de officiali Principis, qui causa sui officij, vel arcēdæ turbæ, leui, aut mediocri percussione Clericum percussit, *cap.si verò.de sent.excomm.* Ita Suarez *loco cit.n.*69. Nauarr. *c.*27.*n.*91. Filliucius *n.*39. Reginald. *n.*251. & alij communiter.

10 Tertius casus est de habente legitimum impedimentum, propter quod excommunicatus non possit Summum Pontificem adire, sine graui periculo, vel damno. *cap. de cetero.de sent.excomm.* Vnde si quis propter capitales inimicitias non possit Romam adire, etiamsi inimicitias contraxerit ex sua culpa, potest ab Episcopo absolui, etiam propter enormem percussionem; non est enim credibile Summum Pontificem velle absolutionem excommunicationis sibi reseruare cum tanto fidelium incommodo, & periculo; sublato tamen periculo percutiens tenetur Papam adire, alioquin nouam contrahit excommunicationem, vt patet ex dictis *de absolutione censurarum in communi*, quæ in hoc casu seruanda sunt.

Quod autem sit legitimum impedimentum, arbitrio boni, & prudentis viri iudicandum est: argumento *cap.de causis.de offic.deleg.*

Aduertunt tamen aliqui Doctores illum censeri impeditum, qui non potest personaliter adire pro obtinenda absolutione, licet possit alium mittere; ius enim non cogit admittendum alium, sed adeundum per se ipsum. Ita Nauar.*n*.90. Sayrus *n*.38. Reginald.*lib*.1.*n*.256. Suarez, Sanchez, Auila, Henriquez, & alij, quos retuli *de absolutione censurarum in communi*; sed de hac re satis constat ex ibi dictis, & ex traditis in hoc tractatu *disp*.1.*quæst*.22. & alibi.

11 Quartus casus est, quando imminet proximum periculum mortis, vt quando excommunicatus graui laborat infirmitate; tunc enim potest à quolibet Sacerdote absolui, non solùm ab excommunicatione ob violentam manuum iniectionem in Clericos contracta; verum etiam ab alia quacumque, vt patet ex dictis *de absolutione à censuris in communi.*

12 Quintus casus est, de filiis impuberibus; isti enim absolui possunt ab Episcopo non solùm ab excommunicatione ob leuem, sed etiam ob mediocrem, & enormem percussionem factam tempore impubertatis, & hoc verum videtur etiamsi petant absolutionem, postquam facti sunt puberes. *cap.vlt.de sent.excom.* Ita Molina *disp*.59. Suarez, Filliucius, Reginaldus, & Sayrus *locis citatis*; imò multi DD. apud Molinam *loc.cit.* & apud Suarez *n*.67. existimant iuuentutem esse causam sufficienter excusantem excommunicatum, ne Romam adeat; consequenter iuuenem, quamuis puberem, posse ab Episcopo absolui. Sed hoc mihi non probatur, nisi itineratio iuuenis sit periculosa, spectata conditione personæ, & aliis circumstantiis, nec pateat aditus ad Sedem Apostolicam, saltem per litteras, vt dictum est *de censuris in genere.*

13 Sextus casus est, de mulieribus cuiuscumque sint ætatis, & conditionis, *cap.mulieres, de sent.excommun.* & hoc verum videtur etiamsi percussio coniuncta fuerit cum homicidio. *cap.mulieres, cit.*

Ex quo patet primò moniales, quæ excommunicationem contraxerunt, posse ab Episcopo absolui. *cap.de monialibus, de sent.excomm.*

Secundò mulieres posse ab Episcopo absolui, etiamsi sint diuites, vel sui iuris, & aptæ ad conficiendum iter; ita communiter Doctores.

14 Septimus est, de existente in potestate alterius, qualis est seruus, & filiusfamilias, modò dominus inde graue damnum patiatur absque sua culpa, ex serui absentia. Ita Sayrus *loco cit.n.*28. & alij cōmuniter.

15 Octauus est, de aliis quibuscumque impotentibus ad iter conficiendum, quales sunt non solùm, qui capitales habent inimicitias, vt suprà dictum est, sed etiam senes, vel cæci, vel pauperes qui non possunt Romam adire, nisi stipem ostiatim quærant, quam antea quærere non consueuerant; isti enim possunt ab Episcopo absolui, etiam propter grauem percussionem. Idem dicendum est de illis, qui Romam non possunt adire, nisi familiam relinquant in magna necessitate, vt probaui *casu* 3.*num*.10.

16 Circa prædictos casus aduertendum est primò, habentes perpetuum impedimentum, propter quod non possunt adire Summum Pontificem, posse ab Episcopo absolui, non solùm ab excommunicatione, contracta ob percussionem mediocrem, sed etiam propter enormem, *cap.ea nascitur, & cap.de his.de sent.excomm.* Addo illis iniungendum non esse præceptum præsentandi se Apostolicæ Sedi; inutiliter enim, & frustra iniungeretur; propterea senes, mulieres, &c. possunt absolutè absolui ab Episcopo non iuncto præcepto præsentandi se Summo Pontifici.

17 Aduertendum est secundò eos, qui absoluti sunt ab Episcopo, propter impedimentū temporale, teneri sublato impedimento, præsentare se Summo Pontifici, *c.eos, qui.de sent.excommun.* hac de causa quando impeditus absolutio, pœnitenti iniungēdum est præceptum, cum iuramento, vt cessante illo impedimento, accedat ad Sedem Apostolicam; *cap.quamuis.de sent.excomm.* Verum tamen est Clericis collegialiter viuentibus, filiis impuberibus, religiosis, & officialibus Principum arcentibus turbam, non esse iniungendum præceptum præsentandi se Sedi Apostolicæ, & in iis casibus, in quibus diximus ipsos posse ab Episcopo absolui; gaudent enim peculiari priuilegio, vt patet ex iuribus allatis. Suarez *n*.8. Filliucius *n*.41. & alij.

Aduertendum est tertiò, illum, cui iniunctum fuit præceptum præsentandi se superiori, reincidere in excommunicationem, si oblata commoditate non se præsentauerit *cap.eos, citato.* In eamdem reincidunt illi, qui absoluti sunt à Papa, vel Legato, cum obligatione se præsentandi alicui, vel satisfaciendi iniuriæ, & postea non se præsentant, nec satisfaciunt, *cap.eos qui.de sent.excommun.*

18 Aduertendum est quartò, eum qui non potuit Summum Pontificem adire ob legitimum impedimentum, non posse ab Episcopo absolui, quando potest saltem adire Legatum, aut alium habentem facultatem absoluendi ab huiusmodi excommunicatione, reseruata Summo Pontifici, vt patet ex dictis *de censuris in genere.* Suarez *loco cit.n.*62. Nauar.*n*.88. Sayrus *c.*28.*n*.39. Reginald.*lib*.1.*num*.256. & alij communiter.

19 Tertia difficultas est, vtrùm Episcopus possit quoscumque sibi subditos absoluere ab excommunicatione, etiam propter enormem percussionem, quando delictum est occultum.

Respondeo affirmatiuè cum Molina *disp*.64.*n*.8. modò delictum sit occultum, nec sit deductum ad forum contentiosum. Ratio desumitur ex priuilegio Trident. *sess*.24. *cap*.6. vbi conceditur Episcopis facultas absoluendi à quibuscumque censuris occultis, & non deductis ad forum contentiosum, nec istam facultatem constat reuocatem fuisse, vt patebit à simili ex dicendis de absolutione ob duellum. Idem sentire videtur Reginaldus *lib*.30.*num*.91. Coninchus *tomo* 2. *disp*.8.*dub*.8. Suarez *de censuris disp*.54.*sect*.2.*num*.4. Henriquez, & alij apud Augustinum Barbosam *sess*.24.*cap*.6.*n*.10.

Ex quo patet prædictum excommunicatum ab Episcopo absolutum, non teneri postea adire Papam, vel Legatum, nam simpliciter fuit absolutus ex priuilegio Tridentino.

20 Addo Episcopum non solùm posse per seipsum à prædicta excommunicatione absoluere, verùm etiam posse alteri hanc facultatem, non solùm in casu particulari, vt voluit Henriquez *lib*.14. *c*.19. *in fine*, sed etiam generaliter delegare alicui Vicario ad id specialiter deputato; nam ista facultas competit Episcopo iure ordinario, cùm non sit electa industria personæ: nam quando aliquid conceditur Prælatis præsentibus, & futuris, non dicitur eligi industria personæ, vt benè Sanchez *de matrim.lib*.2.*disp*.40.*n*.17. *& lib*.3.*disp*.7.*num*.20. vbi plures alios refert. Reginaldus *num*.258. & alij, quos suprà retuli; facultas autem, quæ competit alicui iure ordinario, potest ab eo delegari, vt est communis DD. sententia. Hæc eadem ratio militat in Vicario Generali.

Ex quo vlterius patet Episcopum in iis casibus, in quibus necessitate vrgente dispensare potest in impedimentis matrimonij, posse facultatem dispensandi aliis dare; nam hæc facultas competit illi iure ordinario.

21 Vicarius verò Generalis non potest hanc facultatem dispensandi in impedimentis, aliis delegare, nisi speciale priuilegium habeat. Imò videtur neque posse per seipsum in his impedimentis dispensare, secluſa speciali commissione; nam ex generali facultate Vicarius non habet potestatem dispensandi, quamuis videatur habere facultatem absoluendi à censuris, vt suprà dictum est cum Molina, & aliis. Ita Sanchez *lib*.2.*disp*.40.*n*.12. vbi quamplures DD. adducit.

22 Quarta difficultas est, vtrùm habens priuilegium absoluendi satisfacta parte, possit absoluere pœnitentem, qui solùm satisfecit Clerico percusso, vel debeat aliam satisfactionem exigere.

Respondent Auila 2.*part cap*.7.*disp*.3.*dub*.11. citans Nauarr. *in manuali cap*.18. *num*.46. *& cap. inter verba.* Sayrus *lib*.2.*cap*.18.*num*.9. Duardus *lib*.3.*can*.4.*quæst*.2.*num*.5. posse absoluere, quia præstita satisfactione personæ, quæ passa est iniuriam, aut obtenta ab ea remissione, censetur satisfactum parti læsæ; consequenter pœnitens, qui præstitit satisfactionem Clerico percusso, vel obtinuit ab eo remissionem iniuriæ, potest absolui.

Neque obstat, inquit Auila, percussionem Clerici redundare, in iniuriam status Ecclesiastici; nam quando damnum, e.g. infamiæ principaliter tangit infamatum, & minus principaliter bonum publicum, sufficit satisfactio, vel remissio principalis, *cap.quamuis pactum,* iuncta gloss. *de pactis in* 6.

Verum doctrina Auilæ mihi non probatur, videtur enim supponere percussionem Clerici, tangere solùm secundariò bonum commune; præterea priuilegium canonis non esse priuilegium commune, quod est falsum, vt benè Suarez *lib*.10. *de legib.cap*.6.*nu*.2. & patet in Clerico, quem constat non posse illi priuilegio cedere; immò seipsum percutiendo, incurrere maiorem excommunicationem; sicut etiam incurrit iudex sæcularis, qui Clericum consentientem trahit ad suum tribunal; quare ad propositam difficultatem

Respondeo, necessariam quidem esse satisfactionem Clerici percussi, vel eius condonationem, quæ condonatio præsumitur adesse, quando Clericus, qui aliàs magno tenebatur amicitiæ vinculo cum percutiente, recipit percutientem ad pristinam familiaritatem.

Nihilominus existimo etiam necessariam Ecclesiæ, & statui Ecclesiastico satisfactionem; hanc autem satisfactionem delinquens regulariter exhibebit, si absoluenti seipsum humiliter subiiciat, ostendendo se paratum ad acceptandam pœnitentiam, quæ sibi fuerit imposita cum iuramento obediendi Ecclesiæ, nec ampliùs in futurum percutiendi Clericum, vt patet ex dictis *de censuris in genere*, de cautione, quæ præstanda est antequam obtineatur absolutio censurarum in grauioribus delictis.

23 Sed modò dubium est, vtrùm satisfactio præstanda sit à Clerico, qui seipsum percussit. Ratio dubitandi est; tum quia vel tenetur sibiipsi satisfactionem præstare, & hoc non; quia nullus percutiens seipsum facit sibi iniuriam, cùm scienti, & volenti non fiat iniuria; vel tenetur alteri satisfactionem exhibere, & hoc neque videtur admittendum, cùm non constet cui teneatur eam exhibere.

Mihi respondendum videtur teneri eam satisfactionem exhibere, quam iudex exhibendam iudicauerit, si res ad ipsum fuerit delata, illi enim ex officio incumbit cura conseruandi boni communis, & honoris Ecclesiastici. Si verò res ad iudicem non fuerit delata,

10 Impedimento legitimo detentus absolui potest ab Episcopo ob Clerici percussionem.
11 Mortis periculum, est sufficiēs causa, vt Episcopus absoluere possit ab excommunicatione ob Clerici percussionem contracta.
12 Filij impuberes absolui possunt ab Episcopo ab excommunicatione contracta, ob Clerici percussionem, etiam enormem, etiam si absolutionē petant post pubertatē.
13 Feminæ, excommunicatæ ob Clerici percussionem, absolui possunt ab Episcopo.
14 Filiusfamilias, aut seruus quandōnā absolui possit ab Episcopo ob excommunicationem canonis.
15 Impotēs ad iter Romam versus conficiendum, obtinere potest ab Episcopo absolutionem excōmunicationis, cōtractæ ob Clerici percussionem.
16 Impedimentum perpetuum habentes absolui possunt ab Episcopo.
17 Absoluti ab Episcopo propter impedimētum temporale, tenētur sublato impedimento præsentare se Summo Pontifici, alioquin reincidunt in excommunicationem.
18 Impedimentum legitimum habēs non accedendi ad Papam non potest ab Episcopo absolui quotiespotest adire legatum, vel alium, facultatem Papalem habentem circa excommunicationem.
19 Episcopus potest absoluere sibi subditos ab excommunicatione cōtracta ob quamlibet percussionem, modò delictum sit occultum.
20 Episcopus non solum per se, verum etiam per alium, absoluere potest ab excommunicatione cōtracta ob Clerici percussionem.
21 Vicarius generalis non potest in impedimentis matrimonij dispēsandi potestatem aliis delegare, imò neque potest per se ipsum.
22 Absoluendi facultatem habens, satisfacta parte, an possit absoluere pœnitentem, qui tantummodo satisfecit Clerico percusso.
23 Clericus qui seipsum percussit, cuinam satisfactionem præstare debeat, dū absolutionem obtinere intendit.

debet eam satisfactionem exhibere, quam Confessarius, vel alius superior absoluens iudicauerit exhibendam per salutares pœnitentias, cum iuramento obediendi Ecclesiæ in futurum, & non amplius relabendi, vt dictum est in præcedenti difficultate.

Hinc patet responsio ad rationem dubitandi.

24 Satisfactio cuinã præstanda sit dum obtinenda est absolutio, ob percussionem, vel homicidiũ religiosi.

24 Rursus dubium est, cuinam præstanda sit satisfactio dum percussus, vel occisus fuit Religiosus.

Respondeo restitutionem faciendam esse superiori illius religionis, in qua vitam degit, vel degebat Religiosus; cùm enim bona Religiosi monasterio acquirantur, & damnum Religiosi in detrimentum religionis vergat, necesse est, vt satisfactio præstetur superiori illius religionis. Ita Filliucius *loco cit. quæsito* 10. vbi hanc esse sacræ Pœnitentiariæ praxim ostendit.

25 Absolutionis impendendæ forma circa excommunicationem, ob Clerici percussionem quænam sit.

25 Quæ autem in praxi seruentur Romæ à sacra Pœnitentiaria in absolutione ob istam excommunicationem impendenda, videri possunt apud Filliucium *tract.* 15. *cap.* 1. *quæsito* 10. *num.* 45. ait enim requiri; primò, vt absoluendus sit præsens, aut absentiæ causam afferat. Secundò, vt satisfactionem præmittat, vel amicabiliter componat cum parte læsa; aut si realem satisfactionem præstare nequeat, præstet saltem pignoratitiam, aut fideiussoriam, si potest; si non potest, sufficit causa. Tertiò si denuntiatus est excommunicatus ab ordinario, promittere debet se pariturum illius sententiæ latæ, vel ferendæ, alioquin reincidat. Quartò vt si delictum publicum sit, non gerat se in actionibus publicis tamquam absolutum; nam absolutio sacræ Pœnitentiariæ ferri non solet pro foro externo, sed pro foro conscientiæ. Quintò si excommunicationem contraxit ob homicidium, admoneri debet, tam ipsum, quàm eius filios inhabiles esse ad beneficia. Rursus tam ipsum, quam eius filios perpetuò priuatos esse feudo, seu iure patronatus ab Ecclesia, in qua Clericus occisus titulum habebat, si titulum in ea obtinebat. Denique si delictum est occultum, extorqueri debet iuramentum, vt si detegatur conferat se ad quinque Ecclesias discalceatum nudum, exceptis tamen femoralibus; simulque virgam præ manibus, & corrigiam ad collum habens, publicè suum fateatur peccatum, ac denique ante fores dictarum Ecclesiarum verbera sibi, per Psalmum *Miserere*, infligi curet, alioquin in excommunicationem relabatur. Hæc Filliucius *loco cit.* ex praxi sacræ Pœnitentiariæ, quæ non solùm ipsis pœnitentiariis, verum etiam ipsis pœnitentibus, & aliis deseruient ad agnoscendum an excommunicatus ob Clerici percussionem relapsus sit in excommunicationem, ob non præstita illa, quæ pœnitenti fuerant iniuncta in absolutione ad reincidentiam.

Et hæc de excommunicatione ob Clericorum, aliorúmve Ecclesiasticorum percussionem.]

QVÆSTIO V.

De excommunicatione ob hæresim, & lectionem librorum vetitorum.

QVatuor principaliter quæram in hac quæstione.
Primò, quid sit hæresis.
Secundò, an ob hæresim incurratur excommunicatio.
Tertiò, an incurratur ob fauorem, & receptationem hæreticorum.
Quartò, an incurratur ob lectionem librorum vetitorum.

PVNCTVM I.

Quid sit hæresis.

VNICA PROPOSITIO.

1 Quid sit hæresis.

1 HÆresis est voluntarius error intellectus cum pertinacia contra aliquam fidei veritatem.

Dicitur *error voluntarius*, quia si quis circa res fidei erret inuoluntariè, non admittit peccatum hæresis: hac de causa non est hæreticus, qui inuitus patitur tentationes hæreticas, seu contra fidem, quia deficit voluntarium; signum autem ad iudicandum defuisse voluntarium est tristitia, quam tentatione vexatus sentit in ipso conflictu, aut statim post conflictum, nam qui alicui errori volũtariè cum pertinacia assentitur, non ita facilè resipiscit. Ita Sanchez *in summa, lib.* 2. *c.* 7. *n.* 14. Filliucius *tract.* 16. *cap.* 2. *n.* 24. *&* 26. & alij.

Dicitur, *error intellectus*, quia sicut actus fidei est actus, seu assensus intellectus, ita hæresis, quæ est contraria fidei, est error ipsius intellectus, ex quo fit, vt si quis proferat propositionem hæreticam absque assensu intellectus, non dicatur hæreticus, nec subiaceat excommunicationi latæ contra hæreticos. Ita Azor. 1 *parte lib.* 8. *cap.* 9. *quæs.* 10. & alij communiter, teste Duardo *lib.* 2. *in canon.* 1. *quæst.* 22. *n.* 1.

Dicitur, *cum pertinacia*, quia si quis erret circa res fidei, etiam culpabiliter, non ob id dicitur hæreticus, si non habeat pertinaciam quæ non est attendẽda penes durationem temporis, aut ob firmatam pertinaciam in errore, sed ex cognitione, & animaduersione definitionis Ecclesiæ contraria illi errori, vnde ille dicitur hæreticus, qui aliquid sentit contra fidem, sciens contrarium teneri ab Ecclesia Catholica, quamuis non perseueret in tali errore. Ob id etiam est hæreticus, qui aliquid sentit contra definitionem Ecclesiæ, sed ita affectus est, vt contrarium sensurus sit, si argumentis conuincatur, aut si res illi proponatur à viro docto, nam iste recedit à definitione Ecclesiæ, sciens ab illa contrarium teneri. Ita Vasquez 1. 2. *disp.* 126. *cap.* 3. & alij.

2 An Catechumenus possit dici hæreticus.

2 Ex his colligi potest primò, Catechumenum, negantem aliquem fidei articulum, dici posse hæreticum, iuxta Castro *de iusta hæreticorum punitione, cap.* 8. Suarez *tomo* 5. *disp.* 5. *sect.* 2. *n.* 4. Bannes 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. Ratio est, quia sentit aliquid contra definitionem Ecclesiæ cum pertinacia, vt suppono; iuxta verò Caietan. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 5. Tolet. *in summa, c.* 3. *lib.* 4. *num.* 5. Filliucium *tract.* 16. *cap.* 2. *num.* 22. Sayrum *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 11. Duardum *lib.* 2. *in can.* 1. *quæst.* 21. *num.* 3. & alios, nõ est hæreticus. Sed isti DD. meo iudicio cõciliari possunt hoc modo, vt primi dicant eum esse hæreticum, qui sentit aliquid contra definitionem Ecclesiæ. Secundi verò sentiant illum esse hæreticum, qui sentit aliquid contra definitionem Ecclesiæ, postquam solemniter professus est fidem in Baptismo, vel Catechismo; cum autem Catechumenus nondum sit professus fidem solemniter, non potest dici hæreticus hoc secundo modo, quamuis primo modo dici possit hæreticus. Verùm tamen est secundùm omnes Doctores, Catechumenum negantem aliquem fidei articulum, non subiacere pœnis ab Ecclesia latis contra hæreticos, cùm nondum sit subditus iurisdictioni Ecclesiæ, vt patet ex dictis de censuris. Eodem modo fictè, aut inualidè baptizatus non subiacet iisdem pœnis negando aliquem fidei articulum, vt patet ex ratione allata.

3 An sit hæreticus qui dubitat circa fidei veritatem.

3 Secundò eum, qui positiuè dubitat in rebus fidei, esse hæreticum, vt si dubitet aliquam rem fidei esse incertam, & dubiam. Ratio est, quia voluntariè errat contra fidei veritatem, iudicando incerta esse, & dubia quæ certa sunt, & vera. Ita Valentia 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 11. *punct.* 1. Sylvest. *verb. Hæresis, quæst.* 5. Filliucius *n.* 28. Duardus *lib.* 2. *in can.* 1. *quæst.* 23. Reginald. *lib.* 9. *n.* 237. Azor. *lib.* 8. *c.* 9. *quæst.* 6. Toletus, & alij.

4 An sit hæreticus qui non credit articulum sibi reuelatum.

4 Tertiò eum, qui non credit aliquem articulum sibi specialiter reuelatum, esse hæreticum, & affici pœnis hæreticorum, quia negat veritatem fidei cum pertinacia. Ita Sanchez *loco cit. n.* 32. contra Azor. *loco cit. quæst.* 4. existimantem istum non affici pœnis hæreticorum.

5 An sit hæreticus negans Christum esse risibilem.

5 Quartò, illum præsumi hæreticum, qui negat propositionem, quæ deducitur euidenter ex vna propositione de fide, & altera naturali, nam conclusio deducta ex his duabus propositionibus est de fide. Vnde qui negat Christum esse risibilem est hæreticus, quia hæc propositio deducitur ex vna propositione naturali, omnis homo est risibilis, & ex ista alia de fide, sed Christus est homo, ex quibus euidenter infertur, ergo Christus est risibilis, consequenter negans Christum esse risibilem est hæreticus, & incurrit excommunicationem proferendo exterius hanc propositionem, Christus non est risibilis. Ita Sanchez *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 12. & alij multi recentiores.

6 An sit hæreticus quã ex ignorãtia crassa errat circa fidem, sed est paratus corrigi, cognita veritate.

6 Quintò eum non esse hæreticũ, qui ex ignorantia crassa errat circa res fidei, sed ita est affectus, vt sit paratus corrigi, seu obedire Ecclesiæ, cognito errore, seu cognita rei veritate, seu definitione Ecclesiæ. Ratio est, quia hæresis est error voluntarius cum pertinacia contra veritatem fidei; qui autem errat circa res fidei ex ignorantia crassa, sed est paratus obedire, & corrigi cognito errore, non dicitur habere voluntarium errorem cum pertinacia, licet admittamus illum errorem esse voluntarium in causa, & culpabilem, simulque habere malitiam, quæ reducitur ad hæresim, sicut alia peccata cõmissa ex ignorantia culpabili reducuntur ad eam speciem, ad quam pertinerent, si facta fuissent scienter, vt patet ex dictis de peccatis; non tamen admittimus illum errorem habere grauitatem hæresis, quæ consistit in voluntario errore cum pertinacia contra definitionem Ecclesiæ.

7 An hæresim committat, qui ex ignorantia crassa, & adhuc erraret, si sciret errorẽ illum esse contra fidem.

7 Rogabis, an hæresim committat, qui ex ignorantia crassa errorem aliquem profert contra fidem, quem adhuc voluntariè proferret, si sciret illum esse contra fidem, & definitionem Ecclesiæ.

Respondeo affirmatiuè, quia censetur sufficienter pertinax contra Ecclesiam. Ex quo patet à fortiori, quid dicendum sit de errore contra veritatem fidei contingente ex ignorantia affectata, nam si quis eligat nescire res fidei vt liberiùs erret in fide, dicitur habere ignorantiam affectatam, & est hæreticus, postquam commisit aliquem errorem contra fidem. Ratio est primò, quia ille error est volũtarius cum pertinacia, cum proferens velit errare in fide, nec velit obedire Ecclesiæ. Secundò, quia talis ignorantia non minuit, sed auget grauitatem delicti, vt patet ex alibi dictis. Si verò aliquis affectet, seu eligat nescire res fidei, non vt liberiùs erret in fide, sed ex tædio, & negligentia addiscendi, vel ob aliam causam, non est verus hæreticus, non enim dicitur errare cum pertinacia, cùm sit paratus corrigi ab Ecclesia, nec quidquam sentire velit contra Ecclesiæ definitionem. Verum tamen est illum errorem reduci ad hæresim, quamuis non habeat grauitatem hæresis, nec subiiciatur pœnis contra hæreticos latis. Ita Aragon. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 20. & alij. Ex quo patet in confessione explicandum esse affectum, quem aliquis habebat, quando errorem protulit ex ignorantia crassa, vel affectata, sicut etiam, inquit Valentia *disp.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 3. explicandus est numerus, & qualitas articulorum, quos quis negauit, sicut explicanda est quantitas furti. Vide quæ dixi *de pœnitentia.*

8 An apostata sit hæreticus, & quotuplex sit apostata.

8 Sextò colligitur Apostatam à fide subiacere pœnis hæreticorum, nam Apostata est verus hæreticus deserendo veram fidem. Duardus *lib.* 2. *p.* 13. Filliucius *num.* 28. & alij. Vbi aduertendum est triplicem esse apostasiam. Prima est à fide. Secunda à clericatu. Tertia à religione. Apostata à fide dicitur ille, qui totam fidem Catholicam deserit. Apostata à religione dicitur, qui facta professione per tria vota deserit religionis habitum, animo illum non amplius recipiendi. Non tamen dicitur Apostata, si transeat ad aliam religionem, quamuis sit excommunicatus, non ingrediendo arctiorem. Apostata à clericatu dicitur, qui clericalem habitum dimittit, animo non amplius recipiendi. Vide quæ dixi *de beneficiis*, & quæ tradit Duardus *lib.* 2. *in canon.* 1. *quæst.* 13. *& seqq.*

9 An Papa errare possit in rebus fidei.

9 Quæres, an Summus Pontifex possit errare in fide. Pro solutione huius quæsiti

Notandum est ea, quæ definiuntur à Papa, esse in duplici differentia. Alia spectant ad totam Ecclesiam, vt sunt definitiones fidei, & morum. Alia spectant ad particulares personas, vt sunt controuersiæ facti, vt quando controuertitur, an talis sit irregularis, &c. Hic non loquimur de definitione in controuersiis secundi generis, nam in istis potest Papa errare ex falsa informatione testium, aut ex alia causa, vt sentiunt communiter Doctores. Sed loquimur de definitione primi generis. Propterea

Respondeo Summum Pontificem non posse in controuersiis fidei, & morum errare, aut in hæresim labi. Ratio est, quia Summus Pontifex est successor D. Petri; ergo debet habere eamdem auctoritatem, potestatem, & dignitatem, quam habebat D. Petrus, alioquin non diceretur successor D. Petri; Petro autem collata fuit infallibilitas rerum fidei, vt constat ex Matth. 16. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus,*

&

& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi, id est, hæreses, *non prævalebunt aduersus eam.* & Lucæ 22. *Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Ita communiter Doctores, quos citat Bannes 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. *concluſ.* 4.

Hinc colligi potest nullum Romanorum Pontificum fuisse hæreticum, vt benè ostendit Bellarminus *lib.* 4. *de Romano Pontifice*, & Baronius *tomo* 2. & 10. Vbi respondet ad argumenta aliquorum quæ in contrarium possent afferri, vt de Marcello, Victore, Liberio, &c. quæ ego libens prætermitto, vt breuitati consulam.

PVNCTVM II.

An ob hæresim incurratur excommunicatio, & quis possit ab ea absoluere.

1 Quibus pœnis hæreticus afficiatur.

1 NOtandum multis pœnis affici hæreticum, vt pœna amissionis bonorum, excommunicationis, &c. Hic tantum agam de excommunicatione, cùm hęc solùm ad rem præsentem facere videatur, & de ipsius absolutione.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An hæreticus incurrat excommunicationem.

2 HÆreticus, qui suam mentem exteriùs sufficienter manifestat verbis, aut signis, incurrit excommunicationem latam ab Ecclesia, & Papæ reseruatam; quamuis suam mentem occultè manifestet. Quòd incurrat excommunicationem clarum est in iure, *cap. ad abſoluendam*, *cap. excommunicatus. de hæreticis. cap. quicumque*, *de hæreticis in* 6. & in Bulla Cœnæ, quæ quotannis Romæ publicatur. Vt hęc propositio clariùs intelligatur, examinandæ sunt singulæ ipsius particulæ.

Dixi, *suam mentem exterius manifestat*, quia si quis interiùs tantum aliquid sentiat contra fidem, sed nullum signum animi sui exterius exhibeat, non incurrit excommunicationem. Ratio est, tum quia Ecclesia nō habet iurisdictionem in actus merè internos, nam *cap. Christiana* 32. *quæst.* 5. *cap. consuluisti* 1. 6. & 9. & alibi dicitur, Ecclesia non iudicat de occultis, sed Deus secretorum cognitor est, & iudex; ergo non potest Ecclesia excommunicare hæreticum purè mentalem, qui suam mētem exteriùs non manifestat, cùm excommunicare sit actus iurisdictionis, & Ecclesia non habeat iurisdictionem in actus merè internos: tum quia Ecclesia numquam excommunicauit hæreticum purè mentalem; ergo signum est hæreticum purè mentalem non posse ab Ecclesia excommunicari, cum Ecclesia omnem conatum adhibeat in amputandis hæresibus. Ita Azor. 1. *part. lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 3. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 8. Duardus *lib.* 2. *in canon.* 1. *quæst.* 24. & alij communiter contra Rosellam, Glossam, & alios apud Azor. *loc. cit.*

3 A quonā hæreticus mentalis absolui possit.

3 Hinc sequitur hęreticum purè mentalem posse à quolibet approbato Confessario absolui, cùm hæresis sit tantum reseruata ratione excommunicationis, quæ non incurritur ab hæretico purè mentali. Ita Arragonius 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. & alij communiter.

Dixi, *sufficienter exterius manifestat*; quia, si quis hæresim mente reuoluens, aliquod signum exterius faciat, ex quo attentis simul aliis circumstantiis concurrentibus, non possit humano more cognosci hæresis, non incurrit excommunicationem, quia non sufficienter exterius manifestat mētem suam, cùm per illud signum non possit hæresis ab aliquo cognosci, nec ipse iudicari hæreticus, cōsequenter nec potest puniri pœna excommunicationis, nam illa hæresis ita censetur occulta, ac si omninò esset interna, vt contingit, quando aliquis fornicatur credens fornicationem licitam esse. Ita Azor. 1. *part. lib.* 8. *cap.* 9. *quæſt.* 12. Bannes 2. 2. *quæſt.* 11. *artic.* 4. Duardus *numer.* 16. Filliucius *num.* 29. Garzias *de benef. p.* 11. vbi in hanc sententiam vigintiquatuor Doctores percenset, & alij contra nonnullos alios.

4 An ligetur excommunicatione hæreticus, qui non aperit caput imaginibus, &c.

4 Ex quo inferunt DD. primò, non incurri excommunicationem ab eo, qui mente reuoluens suam hæresim, non aperit caput imaginibus Sanctorum, vel augustiss. Eucharistiæ Sacramento, aut non genu flectit, eò quòd non credat adesse corpus Christi, aut imagines non esse adorandas. Secus dicendum est, si non aperiat caput, dum hostia eleuatur, tunc enim illius hæresis concipitur ab astantibus, & ipse præsumitur hæreticus. Idem dicit Sanchez de eo, qui ex interna hæresi numquam ingreditur templum, hic enim exteriùs sufficienter præsumitur hæreticus ex omissione.

5 An ligetur excommunicatione hæreticus, qui dicit, peream nisi ita est.

5 Secundo, non incurri excommunicationem ab eo, qui mente reuoluens hæresim, profert verba imperfecta, vt si dicat, ita est, vel peream, nisi ita sit. Idē dic, si annuat capite, aut femur percutiat, nam hęc signa sunt indifferentia, cùm non magis significent hæresim, quàm aliquid aliud, quis enim hæc signa inspiciens iudicaret hæresim. Ita DD. citati contra Garziam *num.* 105.

Tertiò, eum non esse excommunicatum, qui credens Christum non esse hominem, hæc verba solùm profert, verè non est homo; sicut neque est excommunicatus, qui suam hæresim exprimit per characteres, vel notas à se impositas, quando tales characteres à nullo alio percipi possunt. Idem dic de eo, qui ex interna hęresi prorumpit in blasphemiam non hæreticalem, nam blasphemia non hæretica-lis non significat hæresim, nec præsumitur hæresis. Ita Sanchez *cap.* 8. *num.* 14. *loco cit.*

6 An excōmunicationem incurrat, qui hæresim pronuntiat per verba æquiuoca.

6 Quartò, eum esse excommunicatum, qui suam hęresim pronuntiat per verba æquiuoca, seu amphibologica, quia verè manifestat hæresim per verba sufficienter exprimentia internam hæresim. Ita Suarez *tom.* 5. *de censur. disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 17. & alij.

7 An quælibet manifestatio hæresis suf-

7 Rogabis, an quælibet manifestatio hæresis, quæ sufficienter significat hæresim, sufficiat ad incurrendam excommunicationem contra hæreticos latam.

Respondeo ad incurrendam excommunicationem sufficere manifestationem quæ animum ostendit hæreticum, modò illa manifestatio proueniat ab interna hæresi, qua integret vnum peccatum, ex quo fit vt legens, transcribens, aut disputando pronuntians hæresim, quam antea tenebat, non incurrat excommunicationem, si eam legat vel transcribat, vel pronuntiet absque animo asserendæ hæresis, nam illa manifestatio non ostendit animum hæreticum, nec est mala malitia hæresis; excommunicatio autem contra hæreticos lata incurritur ob hæresim manifestatam per aliquod signum externum, cui communicetur malitia hæresis ab actu interno. Similiter sequitur, eum non esse excommunicatum, qui suam hæresim manifestat amico, vel Confessario, non animo asserendæ hæresis; sed animo capiendi consilium, vel confessionis faciendæ; nam talis manifestatio non est peccatum exterius hæresis, quamuis habere possit malitiam sacrilegij, si fiat in confessione sine debito dolore requisito ad pœnitentiæ Sacramentum suscipiendum. Præterea non est excommunicatus, qui dicit se aliàs talem hæresim habuisse, nam talis manifestatio non est peccatum hæresis, sicut non est peccatum periurij dicere se aliàs periurasse. Qui verò hæresim profert in somnis, vel ebrietate, quam ante somnum interius conceperat, iuxta probabilem aliquorum sententiam videtur excommunicatus, si antea cognouit se solitum esse hæresim proferre, & non adhibuit diligentiam ad eam non proferendam. Ratio est, quia illa manifestatio est mala in causa proueniens ab interna hæresi, & imputatur ad culpam hæresis; sicut ad culpam imputantur cetera peccata quæ præuidentur secutura in somno, vel ebrietate, nisi adhibeatur diligentia ad ea præcauenda: vnde sicut percutiens Clericum in somnis est excommunicatus, si præuidit percussionem, & non cauit, ita videtur excommunicatus, qui interius habet hæresim, quam præuidit se prolaturum in somnis, & non cauit. Sed mihi probabilius videtur cum Sanchez *cap.* 8. *numer.* 24. Duardo *quæſt.* 24. *num.* 19. & aliis, non esse excommunicatum, nam excommunicatio videtur imposita ob hæresim formalem, non verò ob solam materialem, qualis est propositio hæretica in somnis prolata. Nec est eadem ratio de percussione Clerici contingente in somnis, vel ebrietate, nam ipsa percussio per se, & directè est prohibita sub excōmunicatione; prolatio verò hæresis non est prohibita sub excommunicatione, nisi quatenus habet adiunctam malitiam hæresis internæ, quam exteriùs prodit, & manifestat.

Dixi in propositione, *incurri excommunicationem latam ab Ecclesia*, vt aduertamus excommunicationem latam contra hęreticos non esse ex iure diuino, sed humano, vt patet ex dictis de censuris, & ita sentiunt plures Doct. apud Azor. *cap.* 10. *quæsito* 2. apud Sayrum *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. & apud Duardum *lib.* 2. *in canon.* 1. *quæſt.* 18. *num.* 4. contra nonnullos alios apud præcitatos Doctores.

Dixi, *excommunicationem Papæ reseruatam*; quia absolutio ab excommunicatione ob hæresim reseruatur Papæ in Bulla Cœnæ, ibi, *& cuiuſuis Concilij decreta*, vbi tollitur facultas Episcopis in Concilio concessa, quamuis olim possent Episcopi per se ipsos absoluere ab hæresi occulta propter facultatem sibi concessam in Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformatione.*

ficiat ad incurrendā excommunicationē.

8 Obicies. Decreto Tridentini non derogatur nisi illius expressa mentio fiat; ergo Episcopi possunt adhuc ab excommunicatione ob hæresim contracta absoluere, modò delictum sit occultum.

8 An decretis Tridentini derogetur sine illorū expressa mentione.

Respondeo negando antecedens. Vt hæc responsio meliùs intelligatur:

Obseruandum est non leuem difficultatem inter DD. esse vtrum ad reuocationem alicuius decreti in ipso Concilio contenti, requiratur derogatio expressa, vel potius sufficiat tacita, qualis hæc esse videtur, Non obstantibus constitutionibus Apostolicis. Nonnulli Doctores, quos retuli *de legibus disp.* 1. *quæſt.* 3. *puncto* 8. *§.* 3. *num.* 13. asserunt decreto Tridentini non censeri derogatum, nisi expressa eiusdem Concilij, vel saltem Conciliorum in genere fiat.

Sed contrariam sententiam recentiores Doctores, Romanæ curię sectatores, tuentur, asserentes decretis Concilij Trid. censeri derogatum per clausulam generalem, Non obstantibus constitutionibus Apostolicis, & multo magis si dicatur, Non obstantibus cuiusuis Concilij decretis.

Ratio desumitur ex eodem Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 21. vbi dicitur, Omnia, & singula, quę sub quibuscumq; clausulis, & verbis in hoc sacro Concilio statuta sunt, sancta Synodus declarat, ita decreta fuisse, vt in his salua semper auctoritas Sedis Apostolicę & sit, & esse intelligatur. Quamobrem dicendum censeo expressam Concilij derogationem non requiri, quia dum Summus Pontifex aliquid decernit contra Tridentini decretum, dicendus est potius vti facultate sibi reseruata, quàm aliquid contra Tridentini dispositionem facere, vt ex praxi, & stylo Romanæ curiæ obseruat Gonzales *ad reg.* 8. *gloſſ.* 6. *n.* 120 Filliucius *num.* 320. *tract.* 16. Rota in vna Bononien. prioratus 9. Iulij 1606. coram Manzanedo. Idemque colligitur ex alia Rotæ decisione in vna pensionis S. Angeli 16. Decembris 1594. coram Pamphilio, in qua deciditur validam esse reseruationem pensionis (modò Summus Pontifex conscius sit valoris) positam super Episcopatu, cuius reditus summam mille scutorum aureorum non excedunt, etiam si in Concilio Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 13. habeatur, huiusmodi Episcopatum nullis pensionibus, aut reseruationibus fructuum grauandū esse. Immò Pius V. anno 1570. motu proprio, quem ad verbum refert Garzias *de benef.* 4. *part. c.* 5. *nu.* 33. declarauit in concessionibus Apostolicis propria manu Papæ signatis non opus esse speciali, aut generali derogatione Concilij Tridentini, idemque tenet sacra Card. Congreg. teste eodem Garzia *numero* 34. modò supplicatio manu Papæ signata fuerit. Ratio hæc esse potest, tum quia Summus Pontifex facultatem sibi reseruauit in Concilio Trident. *loco citato*; tum quia Summus Pontifex non præsumitur ignorare decreta Concilij Tridentini, quod singuli Prælati præ manibus semper hebere debent.

Ex dictis ergo patet, Episcopos non posse hoc tempore à censuris in Bulla Cœnæ contentis absoluere, quia ad calcem eiusdem Bullæ habetur clausula non solùm tacitè, verùm etiam expressè derogatoria cuiusuis Concilij, quamuis specialis mentio Concilij Tridentini non fiat. An verò Episcopi possint absoluere ab excommu-

communicatione ob duellum contracta quamdiu delictum est occultum, inferiùs ostendam. Vide quæ dixi *loco citato, de legibus, & infrà quæst. 6. punct. 2. numero* 15. & suprà *de absolutione à censuris disput.1.quæst.3.*

Dixi, *quamuis eam occultè manifestet*, vt sciamus excommunicationem incurri ab eo, qui hæresim solus profert, nullo alio præsente, nam illa hæresis eo modo manifestata subiicitur iurisdictioni, & iudicio Ecclesiæ, quamuis non possit in iudicio probari defectu testium, quod est per accidens, vt constat in aliis delictis prohibitis sub censura, in quibus censura contrahitur, quamuis delicta occultè perpetrentur. Ita Simancas *de Catholica institutione tit.* 42. *nu.*7. Azor. *cap.*10. *quæst.*4. Filliucius *num.*28. & alij communiter.

9 An hæretici vitandi sint.

9 Quæres, an hæretici, qui suam hæresim sufficienter exteriùs protulerunt, vitandi sint, cùm sint excommunicati, seu vtrùm possimus communicare cum hæreticis.

Respondeo huius quæsiti solutionem colligi ex supradictis de excommunicatione, nihilominus hic breuiter dico non esse vitandos, nisi sint nominatim denuntiati excommunicati. Ratio est, quia in Concilio Constantiensi concessum est fidelibus, ne teneantur vitare excommunicatos, qui non sunt nominatim denuntiati, aut notorij Clericorum percussores; ergo non tenemur quantum est ex vi excommunicationis, vitare hæreticos licet notorios, vt Lutheranos, qui generaliter excommunicantur in Bulla Cœnæ, sed possumus cum ipsis consuetudinè habere, loqui, orare, Sacramenta recipere, secluso scandalo, & intentione fauendi hæreticis, vt hæretici sunt. Ita Suarez *tom.*5. *disput.*18. *sect.*1. *concl.*5. Filliucius *tract.*16. *cap.*2. *num.*30. Duard. *lib.*2. *in can.*1. *quæst.*8. & alij communiter.

10 An hæreticus adhiberi possit ad suscipiendum in fantem de sacro fonte.

10 Addit tamen Azor. *lib.*8. *cap.*11. *quæst.*7. non posse adhiberi hæreticum ad suscipiendum filium de sacro fonte. Quod etiam ego sentio, quia ad patrinum pertinet instruere filium susceptum in rebus fidei, quod non præstabit hæreticus, idem docet Sanchez *loco citato, cap.*9. *num.*12. vbi refert Nauarr. & alios; vtrùm verò vitandi sint illi excommunicati, qui damnantur de aliquo crimine, cui constat adnexam esse excommunicationem, dictum est suprà.

SECVNDA PROPOSITIO.

11 Quis possit absoluere ab excommunicatione ob hæresim contracta.

11 ABsolutio ab excommunicatione ob hæresim contracta, Summo Pontifici reseruata est, vt patet ex verbis Bullæ Cœnæ ad finem, consequenter nullus, quamuis Episcopali dignitate fulgeat, potest hoc tempore absolutionem ab hæresi conferre, quia priuilegium, Episcopis concessum in Trindentino *sess.*24. *c.* 6. reuocatum fuisse docui suprà *de censuris disp.*1. *q.*3. *punct.*2. *num.*2. cum Sanchez, Molina, & Farinacio, & in hoc punct. *nu.*7. & constat ex illius Bullæ verbis, & cuiuscumque Concilij. Farinacius tamen *tract. de hæresi quæst.*92. §.4. *n.*52. post Glossam *in cap. excommunicamus* 1. §. *credentis. ad finem, vers. & licet.* Hostiensem *n.*24. *vers. & dato*, Felinum, & alios obseruat Episcopos, licet non possint hoc tempore ab excommunicatione ob hæresim contracta in foro conscientię directè absoluere; nihilominus posse in foro externo, & in sua diœcesi hæreticos inquisitos, & pœnitentes ad fidem redeuntes recipere, Ecclesiæ reconciliare, illisque pœnitentiam iniungere, talemque absolutionem prodesse etiam in foro exteriori: sic enim probat textus *in cap. vt officium, in principio, vers. si verò. de hæreticis in* 6. illis verbis, *absolutionis beneficium impendatis, & iniungatis eisdem quod iniungi talibus consueuit*; hæc sunt ipsissima Farinacij verba, qui idem asserit *de Inquisitore num.* 54. dicens, Inquisitorem non posse quidem directè in foro conscientiæ absoluere, posse verò in foro exteriori dum iudicialiter procedit, & cognita causa pœnitentem Ecclesiæ reconciliat præmissa per pœnitentem adiuratione; eamdem facultatem extendit erga credentes, receptantes, defensores & fautores hæreticorum, ex *cap. vt officium, cit.* vbi dicitur, si verò aliquis ex prædictis hæretica labe primitus abiurata venire voluerit ad Ecclesiæ vnionem, ei iuxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium impendatis. Vide Sanchez *in opere morali lib.*2. *cap.*12. *num.*1. *& seq.* Farinacium *loc. cit. num.*54 Pegnam *loco cit.* aliosque præcit. DD.

Plura hìc de absolutione ab hæresi virtute priuilegiorum, vel Iubileorum differi, & disputari possent, nisi in præcedentibus, & in tractatu de pœnitentia, & de voto sufficienter pertractata, & dissoluta fuissent.

PVNCTVM III.

Vtrùm, qui recipiunt, credunt, aut fauent hæreticis, excommunicationem incurrant.

VNICA PROPOSITIO.

1 An hæreticorum receptatores, fautores, defensores &c. ligentur excommunicatione.

1 POena excommunicationis, quæ lata est contra hæreticos, extenditur ad credentes, receptatores, fautores, & defensores hæreticorum secuto effectu. Ita expressè habetur in Bulla Cœnæ *excommunicatioone* 1. *& cap. excommunicatus*, 1. §. *creditores, de hæreticis.*

2 Quinam veniant nomine *receptatorum, fautorum, defensorum*, &c.

2 Nomine *credentium*, intelliguntur, qui fidem præstant erroribus hæreticorum, isti enim, cùm sint hæretici, incurrunt excommunicationem hęreticorum, modò fidem, quam eorum erroribus adhibent, exterius exprimant verbis, vel signis. Item credentes hæreticorum dicuntur illi, qui licet distinctè non præstent assensum erroribus hæreticorum, cõfusè tamen putant illorum doctrinam veram esse, consequenter aliquo pacto dici possunt hæretici, vt accidit quando quis dicit, volo mori in fide Lutheri. Nomine verò *receptatorum, fautorum, & defensorum*, intelliguntur, qui recipiunt, fauent, vel defendunt hæreticos formaliter, id est, quatenus hæretici sunt, seu ex motiuo hæresis, seu intentione fauendi hæresi, hoc enim est fauere hæreticis formaliter, vt inquiunt communiter Doctores. Vnde si quis beneficium faciat hæretico ratione amicitiæ, vel cõsanguinitatis, vel metus, e.g. illum occultando ob amicitiam ne à iudice capiatur, non dicitur fauere hæretico, vt hæreticus est, quia non fauet intentione, seu ex motiuo hæresis, sed ob amicitiam. Quando verò dubitatur, an aliquis receptauerit consanguineum, & hæreticum, vel vt amicum, præsumitur receptasse vt amicum, ob naturalem affectionem, & inclinationem ad sanguinem. Ita Graff. 1. *part. lib.*4. *c.*18. *n.*35. Secus si receptatus sit extraneus, vt cum Azor. ostendit Duardus *lib.*2. *quæst.* 28. *num.*15. *& seq.*

3 (Vtrùm credens, recipiens, &c. ligetur excõmunicatione ante secutum effectum.)

3 Dixi, *secuto effectu*, quia si quis intentionem habuit fauendi hæresi, sed fauor non est secutus, non incidit in excõmunicationem; quare, qui hæreticum occultauit, ne caperetur, vt posset hęresim disseminare, non incurrit excommunicationem, si hæreticus captus non potuit disseminare hæreses; sicut mandans percuti Clericum, non incurrit excõmunicationem, nisi secuta percussione, quando enim aliquis effectus prohibetur sub excommunicatione, & minus principaliter prohibetur mandatum, vel consilium, vel fauor, non incurritur excommunicatio ab eo, qui mandauit, vel consuluit, &c. nisi secuto effectu. In nostro autem casu principaliter prohibetur hæresis, & accessoriè fauor, & cõsilium, vt patet ex Bulla ipsa, vbi primo loco enumeratur hæresis, & postea in eius detestationem enumerãtur fautores. Ita Suarez *tom.*5. *de cens. disp.*21. *sect.*2. *num.*8. Filliucius *numer.*30. Sanchez *lib.*2. *cap.*10. *num.*9. contra Sayrum *lib.*3. *cap.*5. *nu.* 4. Duardum *lib.*2. *in canon.*1. *quæst.*31. *num.*2. non est tamen necesse, vt hæreticus, cui fauor præstatur, sit denũtiatus excommunicatus: nam talis fauor non prohibetur ratione excommunicationis; sed ratione hęresis, & potest dari casus, vt aliquis sit hæreticus, licet non sit excõmunicatus, vt quando quis scit errorem suum esse contra definitionem Ecclesiæ, sed nescit latam esse excommunicationem contra hæreticos. In quo casu fautor illius dicetur fautor hæretici, illiúque fauendo ex intentione hæresis contrahet excommunicationem. Ita Suarez *loco citato, n.*9. Filliucius *tract.*16. *cap.*2. *quæst.*5. *n.*36. *&* 39. Duard. *lib.* 2. *in canon.*1. *quæst.*30. *vers. Secunda sententia*, & Sanchez *in summa lib.* 2. *cap.*10. *n.*6. contra Vgolin. *de cens. Papæ reseruatis* 2. *part. cap.*1.

PVNCTVM IV.

Vtrùm qui libros hæreticorum, aut aliorum prohibitos legunt, vel retinent, ligentur excommunicatione.

1 Quotuplices sint libri hæreticorum.

1 NOtandum libros prohibitos esse in duplici differentia. Alij sunt hæreticorum, alij non hæreticorum. Rursus libri hæreticorum aut tractant de religione, aut hæresim continent, aut de neutro tractant.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An legẽs aut retinẽs libros prohibitos ligetur excommunicatione.

2 QVi legit, aut retinet libros hæreticorum, vel etiam libros alterius cuiusuis auctoris damnatos, atque prohibitos ob suspicionem hæresis, aut falsi dogmatis, incurrit excommunicationem, quæ nulli reseruata est, sed iure communi potest à quolibet Confessario per absolutionem auferri. Hæc propositio constat ex indice librorum prohibitorum, *reg.*10. *ad finem.* Intelligitur tamen hæc propositio, modò libri hæreticorum non contineant hæresim, neque tractent de religione; quia si continent hæresim, aut tractant de religione, incurritur etiam excommunicatio Papæ reseruata legendo, aut retinendo dictos libros, vt dicetur *in secunda propositione.* Rursus intelligitur hæc propositio de libris prohibitis ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, quia si alio nomine sint prohibiti, non incurritur excommunicatio ab eo, qui illos legit, vel retinet, modò non sint libri hæreticorum. Nam excommunicatio non incurritur, nisi sit in iure expressa.

3 An legẽs librum hæresiarchæ excõmunicatione ligetur.

3 Hinc sequitur primò legentem librum hæresiarchæ subiacere huic excommunicationi, etiamsi præfatus liber non contineat hæresim, neque tractet de religione, nam dicitur legere librum hæretici damnatum *in reg.*2. *indicis initio.* Idem valet in eo, qui legit librum alicuius hæretici nondum approbatum, & examinatum à Theologis Catholicis iussu Episcopi, & Inquisitoris, hic enim dicitur legere librum hæretici prohibitũ *in præfata reg.*2. *indicis vers. qui verò.* Rursus idem militat in legente librum catholicè conscriptum, cuius auctor postea in hæresim lapsus, & liber nondum ab Inquisitore generali permissus est: huius enim auctoris liber, dicitur liber hæretici prohibitus *in præfata regula* 2. *indicis ad finem.*

4 An ligẽtur legẽtes libros, & scripta cõtinentia diuinationes, & sortilegia.

4 Secundò eadem censura affici legentes libros, & scripta continentia diuinationes, & sortilegia, vt sunt libri, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Acromantiæ, Peromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, siue in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, & incantationes artis magicæ, quibus affertur modus recedendi à Catholica fide, adorandi Dæmones, & similia veræ fidei contraria. Ratio est, quia huiusmodi libri in indice *regula* 9. vetiti sunt ob hæresim, vel saltem ob falsi dogmatis suspicionem. Immò legentes huiusmodi libros afficiuntur excommunicatione Bullæ Cœnæ, quoties isti sunt libri hæreticorum, simulque hæresim continent, vt constat ex 2. *propositione*, & ita in dubio iudicandum est, quia auctores Necromantiæ in foro externo præsumuntur hæretici, ex Farinacio *tom. de hæresi q.*181. *num.*36. & Duardo *quæst.*45. *conclus.*4. *n.*16. Idem autem est iudicium fori interni, & externi, dum forum externum falsa præsumptione non nititur: fieri tamen potest, vt legentes huiusmodi libros non incurrant excommunicationem Bullæ, quoties verosimiliter credunt auctores huiusmodi librorum non fuisse verè hæreticos, id est, habuisse errorem in intellectu: quàm plures enim magi reperti sunt, qui non fuerunt hæretici, eò quòd assensum non præstarent iis quæ scripserunt, sed existimarunt illa dogmata esse impia, & à vera fide aliena. Vide Duard. *loco cit. concl.*4.

5 An legentes libros vetitos ob excitationem ad turpem libidinem veneream.

5 Tertiò legentem libros vetitos ob excitationem ad turpem, & veneream libidinem, non subiacere vinculo excommunicationis, quia non legit libros hæreticorum, aut libros vetitos ob hæresim, vel ob suspicionem falsi dogmatis, sed potiùs ob periculum succumbendi venereæ voluptati. Ita Duardus *loco cit.*19.

6 Quartò

6 An legentes scholia, seu additiones hæreticorum contenta in libris Catholicorum.

6 Quartò legentes scholia, seu additiones hæreticorum, quæ continentur in libris Catholicorum subiacere excommunicationi latæ in indice, quia legit scripta damnata ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem, vt dicitur *in regula* 10. *Indicis*. Ita Duard. *lib.* 2. *in canon.* 1. *q.* 83. *num.* 4. immo Suarez *tom.* 5. *de relig. sect.* 2. *num.* 11. & alter in Bulla Cœnæ *cap.* 6. *dub.* 1. putant legentem huiusmodi scholia affici excommunicatione Bullæ Cœnæ, quando scholia adeò copiosa, & multa sunt, vt liber potius constituatur ex scholiis, & annotationibus, quàm ex textu; sed oppositum mihi magis probatur, quia liber, cui multa scholia addita sunt, nomen non accipit ab adnotationibus, sed ab auctore textus: quamobrem summam D. Th. non appellamus librum Caiet. quamuis maiori ex parte constet ex commentariis illi à Caietano adiectis. Ita Sanchez *in opere moral. lib.* 2. *c.* 10. *num.* 25. Duardus *loco cit. q.* 43. *num.* 2.

SECVNDA PROPOSITIO.

7 An incurrat excommunicationem legens, retinens, imprimēs, aut defendens libros hæreticorum tractantes de religione, aut hæresim continentes.

7 QVi scienter, & absque Pontificis licentia publicè, vel occultè legit, aut retinet, aut imprimit, aut alio quouis modo defendit libros hæreticorum, tractantes de religione, aut hæresim continentes, incurrit excommunicationem Papæ reseruatam, quamuis legat vel retineat, vel imprimat curiositatis gratia, & absque prauo animo. Hæc propositio patet ex Bulla Cœnæ; sed vt clarius intelligatur, nonnulla sunt aduertenda.

8 An ignorantia crassa excuset.

8 Circa particulam, *scienter*, aduertendum est, eum, qui ex ignorantia crassa legit libros, quos nescit esse libros hæreticorum, aut scit quidem esse libros hæreticorum, sed nescit continere hæresim, aut tractare de religione, non incurrere dictā excōmunicationem, quia ad eam incurrendam requiritur scientia. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 38. Duardus *lib.* 2. *quæst.* 36. *num.* 3.

9 An excuset ignorantia affectata.

9 Si quæras, an ignorantia affectata excuset; respondetur non excusare iuxta Suarez; sed mihi probabilior videtur sententia Sanch. *cap.* 10. *num.* 32. Duard. *quæst.* 37. *num.* 5. & aliorum asserentium ignorantiam crassam, & affectatam excusare. Ratio est, quia non adest scientia. Hoc tamen limita modò ignorantia non sit coniuncta cum ingenti temeritate, tunc enim censetur adesse scientia. Ingens temeritas dicitur, quando habetur magna suspicio prauitatis libri.

10 A quonam obtinenda sit facultas legēdi libros hæreticorum.

10 Circa particulam, *absque Pontificis licentia*, aduertendum est, vt aliquis excusetur à prædicta excommunicatione, requiri licentiam Summi Pontificis, vt patet ex Bulla Cœnæ, consequenter non sufficere licentiam Inquisitoris, aut etiam Episcopi, secluso casu magnæ necessitatis, in quo non possit Summus Pontifex adiri, tunc enim Papa præsumitur concedere Episcopo facultatem dispensandi, vt patet ex dictis *de legibus*. Ita Graff. *loco citato, num.* 4. Reginald. *num.* 235. & alij apud Duardum *quæst.* 53. facultatem verò legendi libros vetitos tantummodò per indicem Cōcilij Tridentini, per se loquendo, concedere potest Episcopus, & generalis Inquisitor, quia hæc facultas ipsis in Indice non aufertur, immò potiùs ipsis permittitur ius tradendi huiusmodi libros viris doctis expugnandos, & consequenter legendos. Ita Raginaldus *lib.* 9. *num.* 255. Hoc tamen intellige nisi adsit peculiaris aliqua prohibitio. An autem qui ab Episcopo facultatem habet legendi aliquem librum vetitum, possit eumdem in alia diœcesi legere, constat ex dictis *de legibus disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 6. cum Sanchez, Nauarro, Suarez, & aliis, quibus adde Reginaldum *loco cit.*

11 An requiratur vt aliquis legat per se ipsum.

11 Circa particulam, *legit*, aduertendum est primò, ad incurrendam prædictam excommunicationem requiri, vt aliquis per se ipsum legat, hic enim propriè dicitur legere: idcircò ab hac excommunicatione excusantur, qui à famulo, vel ab alio legi audiunt, quamuis audiens sit causa, cur famulus, vel alius sibi audienti legat, nam Bulla loquitur de legente, non verò de audiente, vel consulente, qui nō dicitur propriè legere, sicut nec dicitur legere, qui memoriter recitat; famulus verò, vel alius, qui iussu alterius legit dictos libros, nō excusatur à peccato, & excommunicatione, nisi hoc faciat ex metu graui: modò metus non sit incussus in contemptum fidei, vel Ecclesiæ, vt patet ex supradictis de causis excusantibus à censuris. Ita Reginald. *n.* 251. Duard. *quæst.* 48. Sanch. Nauar. Vgolin. & alij apud Filliucium *tract.* 16. *cap.* 2. *quæs.* 8. *n.* 45. & apud alios præfatos Doctores.

12 An ligetur excōmunicatione, qui oculis tantùm percurrit.

12 Secundò, aduertendum est, non solùm illum dici legere, qui lingua exprimit, quæ legit, sed etiam qui oculis tantùm percurrit, nihil exprimendo. Ita Graff. 1. *par. decis. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 45. & alij, nam lectio non consistit in prolatione verborum.

13 Paruitas materiæ excusat.

13 Tertiò, aduertendum est ad incurrendam dictam excommunicationem non excusare paruitatem materię, iuxta Tolet. *lib.* 1. *in sum. in explicatione Bullæ, excommunicatione prima*, *num.* 24. & alios, quia fieri potest, vt aliquis legendo vnam solam lineam, vel duas, imbibat errorem. Sed mihi probabilius videtur paruitatem materiæ excusare, propterea, qui legit tres, vel quatuor lineas, excusatur à Reginaldo *num.* 254. Graffio *loco citato, num.* 45. Qui legit decem, excusatur à Sayro *lib.* 3. *de excommunicatione, cap.* 5. *num.* 12. Immo Sanchez *cap.* 10. *num.* 31. & Duard. *quæst.* 46. *num.* 4. excusant legentem integram paginam; sed hoc mihi non probatur, quia videtur materia grauis, si pagina grandior sit.

14 An ad incurrendam excōmunicationem requiratur, vt legens intelligat.

14 Quartò aduertendum est ad incurrendam dictam excommunicationem non requiri, vt legens legat formaliter, id est, vt intelligat, quod legit, nam Bulla in detestationem hęresis intendit penitus prohibere lectionem huiusmodi librorum, cùm hęresis serpat, vt cancer, & quamuis lectio non noceat legēti, qui non intelligit, potest tamen nocere audientibus; propterea imperitus Græcæ, vel Latinæ linguæ, legendo librum vetitum Latinè, vel Græcè conscriptum, non videtur excusandus ab excommunicatione, quamuis illum excuset Sanc. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 51. & Duard. *quæst.* 47. *num.* 5.

15 Quomodo retinēs libros prohibitos incurrat excommunicationē.

15 Circam particulam, *retinet*, aduertendum est hanc excommunicationem incurri non solùm à legente, sed etiam ab eo qui retinet dictos libros, siue eos retineat curiositatis gratia, siue ad eos confutandos, siue eos retineat in domo propria, siue in aliena, siue nomine proprio, siue alterius, his enim omnibus modis dicitur liber retineri.

Hac de causa vendentes caseum, vel aromata incurrunt excommunicationem retinendo dictos libros, vt eorum foliis inuoluant caseum, vel aromata. Ita Vgolinus *part.* 2. *cap.* 1. Graff. 1. *parte decis. lib.* 4. *c.* 18. Sanch. *num.* 52. Duard. *lib.* 2. *in canon.* 1. *quæst.* 51. *nu.* 17. & alij; excusari tamen potest, qui dictos libros retinet ad breue tempus. e.g. ad vnam, vel duas horas, vel etiam ad vnum, vel duos dies, iuxta Sanch. *num.* 5. quamuis adsit opportunitas eos consignandi superiori; nam retentio vnius, vel duorum dierum, iuxta Sanch. *num.* 55. & Duard. *quæst.* 51. *numer.* 33. Reginald. *lib.* 9. *numer.* 256. censetur in hac materia modica, & breuis retentio, consequenter non videtur sufficiens ad incurrendam excommunicationem. Hinc fit à fortiori excusandos esse eos, qui retinent dictos libros, expectando opportunitatem illos consignandi superioribus.

16 (An retinens vnū folium incidat in excommunicationē.

16 Addo cum Vgolino, & Filliucio, hanc excommunicationem extendi ad eos, qui partem tantùm, vel vnum folium dictorum librorum retinent, sicut enim legens vnum folium incurrit excommunicationem; ita eam incurrit retinens, quamuis Sanchez excuset retinentem vnum tantummodò folium.

Retinens librum hæreticum quandonā præsumatur hæreticus, ibid.)

17 Quomodo impressores ligentur excommunicatione.

17 Circa particulam, *imprimit*, aduertendum est, hanc excommunicationem extendi ad impressores, qui scilicet communi modo loquendi dicuntur imprimere, & ad impressionem propinquè concurrunt, qualis dicitur primò auctor libri, vel alius tradens librum ad imprimendum. Secundò dominus officinæ, de cuius mandato liber imprimitur. Tertiò illi omnes, qui concurrunt ad componendos simul characteres, & qui chartam humectant, vel typis excutiunt. Vide Sayrum *lib.* 3. *cap.* 5. Vgolin. *loco cit.* Suarez *de cens. disp.* 21. *sect.* 1. Filliucium *num.* 46. Duard. *quæst.* 54. *lib.* 2. *in canon.* 1. Graffium, Sanchez, & Toletum *locis cit.*

18 Quomodo defendens libros hæreticorū afficiatur excommunicatione.

18 Circa particulam, *defendit*, aduertendum est, comprehendi scienter defendentes libros hæreticorum, quales sunt, qui affirmant illos non esse prauos, non esse subiiciendos igni, vel qui impediunt, ne ab Inquisitoribus inueniantur, vel comburantur, & hoc extēditur etiam ad eos qui defendunt dictos libros disputationis gratia; nam Bulla excommunicat defendentes quouis modo; non tamen videtur comprehendi, qui laudat stylum, & ingenium auctoris; non enim dicitur defendere librum hæreticum, sicut neque dicitur defendere, qui laudat bonam doctrinam, quæ in eo continetur, sed non quatenus in eo continetur.

19 Quomodo intelligatur particula, *libros hæreticorum*.

19 Circa particulam, *libros hæreticorum*, aduertendum est primò hac excommunicatione non comprehendi eos, qui legunt, vel retinent, &c. libros magicæ artis, in quibus non continetur hæresis. Secundò eos, qui legunt, vel retinent libros Catholicorum, in quibus referuntur, vel inseruntur errores, vel adnotationes hæreticorum, etiamsi legant animo imbibendi errores; nam isti non sunt libri hæreticorum. Ita Suar. *loco cit. sect.* 2. *n.* 10. Azor. *c.* 16. *quæst.* 2. Sanch. *n.* 23. Reginald. *lib.* 9. *n.* 253. Duard. *quæst.* 43. & 45. Filliuc. *tract.* 16. *c.* 2. *quæs.* 8. *nu.* 41. & alij. Tertiò eos, qui legunt libros Catechumenorum, vel infidelium non baptizatorum, in quibus continentur errores contra fidem, iuxta Sanch. *n.* 22. Duard. *lib.* 2. *q.* 35. *nu.* 3. *& seqq.* & alios, nam Catechumenus errans contra fidem secundùm hos Doctores non est hæreticus, consequenter eius libri continentes errorem contra fidem non dicuntur libri hæreticorum. Sed iuxta alios DD. dicentes Catechumenum posse esse hæreticum, dicendum est comprehendi, exceptis iis libris, qui passim sunt permissi; licet in iis aliqui errores sint admixti. Quartò eos comprehendi, qui legunt librum hæretici nondum typis impressum, siue legat proœmium libri, siue Præfationem, siue Epistolam ad lectorem, & hoc verum est, etiamsi hęreticus nondum sit condemnatus, iuxta Sanch. *n.* 24. contra Graff. *n.* 43. existimantem requiri, vt legatur liber hæretici condemnati, alioquin non incurritur excommunicatio Bullæ. Addit tamen Sanchez *num.* 29. & Duard. *quæst.* 44. *n.* 6. contra Vgolinum, eum excusari, qui legit breuem aliquam compositionem, in qua sit insertus hæretici error, modò illa compositio communi loquendi modo vno folio contineatur, nec dicatur liber, nec sit pars libri; nam versamur in excōmunicatione, quæ est odiosa, consequenter restringenda. Quintò illū non comprehendi, qui legit librum Catholici, in quo per ignorantiam insertus est aliquis error, nam talis liber non dicitur liber hæretici.

20 Quomodo intelligatur particula, *continētes hæresim, aut tractantes*, &c.

20 Circa particulam, *continentes hæresim, vel tractantes de religione*, aduertendum est, non sufficere, vt legatur, vel retineatur liber cuiusuis hæretici, sed vt legatur liber hæretici, qui tractet de religione, vel contineat hæresim. Ille liber dicitur tractare de religione, in quo ex professo, & non tantùm incidenter, seu obiter differitur de re sacra, vt de sacra Scriptura, de articulis fidei, de rebus ad cultum Dei, vel Sanctorum spectantibus. Sanchez *n.* 34. Sayrus *lib.* 3. *c.* 5. *n.* 12. Duard. *lib.* 1. *quæst.* 41. Incurritur ergo excommunicatio Bullæ ab iis, qui legunt libros hęreticorum, tractantes de religione, aut continentes aliquam hæresim; quamuis legens sit ipse auctor libri, & quamuis liber vnam tantùm hæresim contineat, nec est necesse, vt liber tractet de hæresi, ex professo, ita vt argumentū libri sit de hæresi, sed sufficit si hæresim contineat, aut de religione tractet, vt patet ex ipsa Bulla, licet Graff. *nu.* 40. & 82. & alij velint, vt liber tractet de hæresi ex professo, aut de religione. Aduertendum etiam est ad incurrendam dictam excommunicationem, non esse necessarium, vt quis legat eam partem, in qua est hæresis expressa, sed sufficere, si legat aliquam partem libri, in quo hæresis contineatur, nam adhuc dicitur legere librū hæretici.

Addo cum Sanchez & Suarez, sufficere etiam si hæresis deleta sit, si tamen detur casus, vt aliquis hæreticus varios tractatus ediderit redactos in diuersa volumina, in quorum vno contineatur hæresis, & non in alio, non incurritur excommunicatio legendo, vel retinendo volumen, in quo hæresis non continetur; quia non dicitur legi liber continens hæresim, vel tractans de religione.

21 (Habens librum hæreticum tenetur illum tradere Inquisitoribus.)

21 Quæres vtrum habens librum hæreticum teneatur illum tradere Inquisitoribus, vel ipse possit eum comburere.

Respondeo teneri tradere Inquisitoribus, vt constat ex quodam motu proprio Iulij III. qui incipit, *Cùm meditatio*. Ita Azorius *lib.* 8. *cap.* 16.

*cap.16.quæst.11.*Sanch.*numer.56.*Duard.*quæst.52.*& alij; quamuis non desint, qui excusent comburentes propria auctoritate, aut tradentes iis qui eos legere possunt. Filliucius *num.45.*& alij.

QVÆSTIO VI.

De excommunicatione, quæ contrahitur ob duellum, vel coactionem aut retractionem alicuius feminæ à religione.

[Hic aliàs explicaui censuram, quæ contrahitur non reuelando illos, quos superiores denuntiari præcipiunt: sed quia de illa egi in tractatu variarum tractationum, ideo illius explicationem hìc modò prætermittam.

PVNCTVM I.

De excommunicatione, quæ contrahitur ob duellum.

VT debito progrediar ordine, quinque principaliter explicanda propono.

Primò quid sit duellum.

Secundò vtrùm committens duellum, vel ad illud aliqua ratione cooperans, grauiter peccet.

Tertiò quibus censuris, ac pœnis afficiatur committens duellum, vel cooperans.

Quartò quænam actiones sub his censuris, & pœnis prohibeantur, & quænam personæ his pœnis, & censuris afficiantur.

Quintò quis possit ab his censuris absoluere. Sed antequam explicationem horum aggrediar,

Notandum est duellum dupliciter accipi.

1 Duellum quot modis accipiatur.

1 Primò impropriè pro quocumque certamine armorum inter duos etiam iusto, & non prohibito, & appellatur monomachia *cap. monomachiam 2.q.5.*id est, singularis pugna, à μόνος, id est, *vnus*, & μαχία, id est, *pugna*.

Secundò accipitur propriè pro pugna deliberata inter duos vel plures in pari numero ex condicto, id est, ex pacto inuicem inito, statuto tempore, & loco, cum periculo vulneris, aut mutilationis, aut mortis. Quare si assignetur locus, & non tẽpus, non est propriè duellum, sicut neque est propriè duellum, quando assignatur tempus, & non locus.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Duellum quid sit.

2 DVellum est pugna singularis deliberata ab vtraque parte sponte, & ex condicto suscepta, statuto loco, & tempore cum periculo occisionis, mutilationis, aut vulneris. Ita Salonius *22.quæst.6. art.3.contr.3.fol.376.* Filliucius *tractatu 29.cap.8.quæsito 1.n.135.*& alij.

Ex hac definitione benè perpensa, & examinata plures casus colligi possunt.

3 Bellum non est duellum.

3 Primò bellum non esse duellum, eo quòd non sit singulare certamen, nec in bello adsit pugna ex condicto, vel idem personarum numerus, vt seruatur in duello; nam in duello vnus contra vnum, vel duo contra duos, vel quinque contra quinque, inter se decertare solent, quamuis ordinariè duellum sit contra vnum; propterea solet appellari Monomachia.

4 Cõflictus qui fiunt in bello inter hostes non sunt duellum.

4 Si quæras, vtrùm illi conflictus, qui fiunt in bello inter hostes, dum vnus dux mittit decem milites in arenam contra alios decem, sint duellum.

Respondetur non esse propriè duellum, sed partem belli publica auctoritate suscepti ob commune bonum: verum tamen est hunc conflictum non videri licitum, quando fit causa ostentationis virium, & ob vanam gloriam, vel absque iusta causa; videtur enim exponi periculo vita paucorum militum, ex quorum morte victoria non pendet, vide Clauem Regiam *loco cit.cap.13.n.16.* Petrum Nauarrum *lib.2.cap.3.num.295. & seq.* Sanchez *in opere morali lib.2.c.39.nu.* 11. Reginaldum *lib.21.num.79.* Peregrinum *de duello quæst.2.ad finem.* Valentiam *loco citato*, & Lucam Floronum *cap.3.de duello.*

5 Cõflictus qui subito iræ furore nascuntur non sunt duella.

5 Secundò colligitur quotidianos conflictus, qui subito iræ feruore, vel ex altercatione nascuntur, non esse duella, eo quòd non fiant ex condicto, etiãsi aggrediẽs dicat, euagina ensem, volo tecum duello decertare. Floronus *cap.1.*& alij, quos citat, & sequitur Filliucius *tract.15. cap.5. quæs.5.nu.*107. Tuscus *tom.2.conclus.*805. Sanchez *loco* statim *citando*, Peregrinus *quæst.18.num.9.*

6 Inuitans ad pugnãdum ob priuatas inimicitias, non committit duellum.

6 Tertiò milites vel alios, qui ob priuatas inimicitias seipsos inuitant ad pugnandum, & districtis ensibus alter alterum occidit, non dici propriè committere duellum, nec incidere in pœnas pugnantibus in duello propositas; nam in duello requiritur assignatio temporis cum determinatione loci, ex Bulla Gregorij XIII. quo pacto intelligenda videtur etiam Bulla Clementis VIII. quæ facta fuit ad roborandam, & augendam illam Gregorij, vt ait Floronus *cap.2.*contra Peregrinum *quæst.20.* in hoc autem casu non est assignatio temporis cum determinatione loci, vt suppono.

7 Diffidantes se ad pugnandũ in aliquo loco, quò statim tendunt duellum committunt.

7 Quartò iuxta Graff. *lib.1.cap.7.num.22.* illos non videri incidere in pœnas pugnantium in duello, qui seipsos obuiam habentes diffidant se in tali loco, quò statim tendunt, & ibi pugnant, nulla enim intercedit assignatio temporis, aut loci determinatio.

Sed contrarium mihi probabilius dicendum videtur cum Sanchez *in opere morali lib.2.cap.39.nu.28.* Filliucio *n.112.* nisi excusetur ignorantia; adest enim assignatio loci & temporis præsentis; qua de causa qui dicit alteri, veni ad talem locum, te ibi expecto, videtur incidere in pœnas duelli; sicut etiam incidit qui videt alterum ense carere, illi qui dicit, eas ad capiendum ensem, hic te expecto, vel in tali loco. Ratio est, quia pugnam ineunt ex præuia conuentione, statuto loco, & tempore. Idem dic de eo, qui alteri dicit, inuito te ad duellum nunc in hoc loco; adest enim assignatio loci, & temporis; hoc tamen intelige, modò fiat ex composito, & non ex calore iracundiæ. Ita Peregrinus *quæst.15.nu.3.* Idem valet, dum quis alterum ad pugnam prouocat, cum prima vice sibi occurrerit in vrbe; adest enim assignatio loci, & temporis, illius scilicet, quo sese obuiam habuerint; si verò dicat inimico, distringe ensem, vt pugnemus, non subiacet pœnis, quia non est assignatio temporis, & loci ex condicto. Rursus qui ad vitandam loci irreuerentiam, aut suum periculum, inimico, quem videt esse in Ecclesia, aut in loco sibi periculoso, vbi habet comitatum, vel famulos, dicit, exi inde, non committit duellum, quia non destinatur propriè locus: sed solùm intenditur euitatio irreuerentię loci, &c. Si verò quis dicat inimico existenti, exempli gratia, in platea, vt inde exeat, ne pugna ab hominibus ibi existentibus impediatur, dicitur committere duellum, quia statuit locum, videlicet extra plateam, & statuit tempus, videlicet præsens, & hoc facit præmeditatè, vt suppono, & non tantùm in rixa, aut calore iracundiæ; nam inuitatio, quæ fit ex rixa, non dicitur inuitatio ad pugnam ex condicto, vt ex Farinacio aduertit Sanchez *loc.citat.num.28.* Graff. *num.18.* Peregrinus *q.18.* Floronus *cap.1.* Filliucius *loco cit.num.3.*& alij.

8 Pugnam inchoans in Ecclesia non videtur incidere in pœnas duellũ committẽtibus propositas si Ecclesia egrediãtur ob ipsius reuerentiã, & pugnam extra Ecclesiam cõmittant.

8 Quintò non committi duellum ab iis, qui pugnam in Ecclesia inchoarunt, & ob Ecclesiæ reuerentiam gladios non euaginarunt, sed continuata moraliter rixa egrediuntur, ibique pugnæ finem imponunt; hæc enim non est pugna ex condicto, statuto loco, & tempore, cùm inchoata sit ex rixa, & principium actionis præcipuè inspiciendum sit.

Sextò non committi duellum, sed potiùs proditionem, quando quis accedit ad aliquem locum vt ibi inimicum aggrediatur, vt patet ex definitione duelli.

9 Duellum offerens alteri, illumque eodem tẽpore aggrediẽs duellum non cõmittit.

9 Septimò non committi duellum, quando Titius offert duellum Caio, illumque eodem tempore quo duellum offert, gladio aggreditur, & Caius cogitur ibi statim pugnare. Ratio est, quia ex parte Titij dicitur potiùs aggressio, & ex parte Caij dicitur defensio, quam non sponte, sed coactè suscepit, nec adest assignatio loci, & temporis. Ita Peregrinus *quæst.23.* Filliucius *n.107. & 110.* & alij.

10 Digladiantes causa ioci, vel exercitij, non cõmittunt duellum.

10 Octauò eos non dici duellum committere, qui digladiantur causa ioci, vel exercitij, sicut nec ea propriè sunt duella, quæ sunt instituta ad discendam artem militarem, immò non sunt illicita, si fiant cum debita cautione; non enim adest periculum occisionis, mutilationis, & c. vel periculum debita circumspectione purgetur. Ita Salonius *22.q.64.artic.3.contr.3.* Lucas Floronus *de duello cap.5.§.8.nu.5.* & alij communiter.

11 Mulieres capillos adinuicem euellentes, aut pugnis, aut alio instrumẽto non periculoso se petentes, non incurrunt pœnas ob duellum impositas.

11 Nonò non committi duellum à mulieribus quæ non solùm verbis, verum etiam euulsione capillorum inter se altercantur. Idem dic de viris, pugnis, brachiis, vel instrumento non periculoso se petentibus, quia huiusmodi contentio non fit cum periculo mortis, vel mutilationis, aut vulneris, vt dictum est *num.* 2. Ita Vgolinus *de potest.Episcopi p.1.c.8.n.2.* Filliucius *tract.15.cap.5.quæs.5.n.*107. Floronus *c.5.§.9.* Peregrinus *q.9.* Imò Peregrinus *quæst.9.citata.* Vgolinus, & Floronus *locis cit.* Idem dicendum putant etiamsi ex huiusmodi contentione, pugnis facta, aliquando mors subsequatur: tum quia de rarò contingentibus lex non curat. *l. nam ad ea. ff. de legibus:* tum quia hæc potius dicitur pugna, quàm duellum; nam duellum, regulariter loquendo, fieri solet armis, vel instrumentis, ex quibus vulnus, vel mutilatio, vel occisio sequi solet.

12 Decertantes saxis, cultellis, baculis, & fustibus, cõmittere possunt duellum, modò hæc pugna fiat ex recondito.

12 Secus dicendum est, si fiat saxis, aut cultellis, vel etiam baculis, & fustibus; nam hæc sunt instrumenta, ex quibus vulnus & occisio sequi solet. Ita Vgolinus, Lucas Floronus, & Peregrinus *locis citat.* & hoc à fortiori valet, si fiat ense, hasta, sclopo, etiamsi duellum committentes sint armati, & arma defensiua habeant, vt galeam, loricam, & similia.

13 Duelli pœnas non incurrit, qui domũ accedit ad capienda arma, & nulla facta ad duellũ prouocatione rediens inimicum diffidat, & statim aggreditur.

13 Decimò illum non affici pœnis contra duellantes impositis, qui cum altero contendens, cùm armis destitutus sit, domum adit ad capienda arma, nulla facta ad duellum prouocatione, & postmodum rediens ad inimicum, illum ira percitus diffidat, & statim aggreditur. Ratio est, quia hæc non est pugna ex condicto statuto loco, & tempore; sed potiùs dicitur pugna ex rixa. Ita Filliucius *num.112.* & alij.

14 Diffidãs alterũ non animo pugnandi, sed causa honoris proprij defendendi, non afficitur excommunicatione.

14 Vndecimò probabile est, eum, qui alterum diffidat, non animo pugnandi, sed tantummodo causa honoris proprij defendendi, in foro conscientiæ non affici excommunicatione; licet fieri possit, vt aliunde peccet, cùm inuitet alterum ad peccatum. Ratio istius illationis est, quia hæc non est diffidatio ex cõdicto, cum periculo occisionis, aut vulneris, aut mutilationis; duellum enim sub censuris prohibetur ob periculum grauis læsionis. Ita Filliucius *loco cit.* & Lucas Floronus *c.6.§.2.* contra Peregrinum *quæst.24.* immo Filliucius *loco cit. num.113.* probabile censet in foro conscientiæ non affici excommunicatione, etiamsi ad locum conuentum accedant absque animo verè pugnandi, sed tantummodò inferendi aliquos ictus cum morali securitate, quòd nullum vlli parti damnum secuturum sit; sed potiùs pax inde concilianda; hæc enim est pugna cum periculo læsionis, vt supponitur, quamquam in foro externo præsumitur duellum; forus enim externus iudicium fert ex actione externa, & internas animi cognitiones non intuetur.

15 Prouocantes se ad pugnam nullo statuto loco & tempore, non afficiuntur excommunicatione.

Duodecimò Titium, cui relatum fuit, Caium de ipso malè locutum fuisse, non affici excommunicatione, si ad Caium accedat, coarguendo illum mendacij, si sustinere voluerit, quod sibi relatum fuit, simulque manum ensi apponendo: hæc enim non est prouocatio ad duellum, quæ fit ex condicto, statuto loco, & tempore; sed potiùs iniusta aggressio; contrariam sententiam tuetur Peregrinus de duello, *q.25.num.2.*

15 Decimotertiò illos non affici excommunicatione, qui se prouocant ad pugnandum nullo statuto loco & tempore; hoc enim non est propriè duellum, de quo Summi Pontifices loquuntur. Ita communiter DD. contra Peregrinum *q.15.n.3.& seq.& q.20.num.3.* vbi probat nullam fieri prouocationem, seu diffidationem absque constitutione temporis, & loci, si non expressè, saltem tacitè. Sed hoc mihi

mihi non probatur, alioquin excommunicatio incurreretur ob quascumque diffidationes animo deliberato factas, quod videtur contra vsum, & praxim.

Obiicies, Clemens VIII. generaliter loquitur, & sub censuris, ac pœnis prohibet duellum quouis modo, & sub quacũque forma fiat, nec vllam mentionem facit de assignatione loci, & temporis; ergo ad incurrendas pœnas Bullæ Clementis VIII. non requiritur assignatio loci & temporis.

Respondeo Bullam Clementis VIII. intelligendam esse iuxta communem loquendi vsum, & iuxta sensum aliarum constitutionum, quas hic confirmat; in aliis autem constitutionibus sermo est de pugna, quæ fit statuto loco, & tempore, vt benè obseruat Lucas Floronus *cap.5.§.1.verſic.tertium eſt.*

16 Deambulãs ante inimicum, aut torua facie intuens, aut ensem distringens, & similia, non afficitur excommunicatione.

16 Decimoquartò illum non affici excommunicatione, qui ante inimicum deambulat, aut torua facie intuetur, aut cõtumeliosis verbis afficit, aut ensem distringit, & similia. Ratio est, quia hæc non est prouocatio ad duellum, statuto loco, & tempore; sed potiùs est inuitatio ad pugnam, rixam, altercationem, & conflictum, qui duelli nomen non meretur. Secus si nutibus, & signis proponat duellum, vt si nutibus indicat locum ad pugnandum; nutus enim & signa vicem verborum sustinent. Ita Peregrinus *quæſt.22.num.2.*

SECVNDA PROPOSITIO.

17 Duellũ proponens grauiter peccat per se loquẽdo.

17 INuitans alterum ad duellum, aut pugnans in duello, regulariter loquendo grauiter peccat. Ratio est, tum quia per duellum vita innocentis periculo temere exponitur; fieri enim potest, vt innocens occidatur, quod est intrinsecè malum cõtra ius naturę. Nec vlla consuetudine potest fieri licitum, vt bene Alciatus, & alij apud Floronum *c.3.n.9.* & apud Peregrinum *quæſt.17.* tum quia non licet alium occidere priuata auctoritate; ergo multo minus licitum est occidere in duello; tum quia duellum non solùm prohibitum est iure naturali, & diuino, cùm propria vel aliena vita periculo mortis exponatur absque sufficienti causa, vt bene ostendit Peregrin. *q.2.* & *17.* verùm etiam iure Canonico sub excommunicatione, aliisque grauissimis pœnis, vt colligitur ex Trident. *ſeſſ.25.c.19.* & ex variis Summorum Pontificum constitutionibus Iulij II. Leonis X. Clementis VII. Iulij III. Pij IV. Gregorij XIII. & Clementis VIII. qui vltimus confirmauit prędecessorum suorum pœnas, & excommunicationem, eamque extendit ad Reges, Imperatores, & alios quoscumque qui publicè, vel etiam priuatim, etiam sine chartulis, litteris prouocatoriis, vel patrinis duellum commisserint, vel si conuenerint, vt non singuli cum singulis, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent.

Hinc patet quid dicendum sit de cooperatoribus; participans enim in delicto alterius peccat pro qualitate criminis, in quo participat, vt patet ex regulis generalibus.

18 Duellũ illicitum est, per se loquendo.

18 Sed modò dubium est. Primò vtrùm duellum sit semper illicitum.

Respondeo, per se loquendo, illicitum esse, vt patet ex rationibus in propositione allatis; excipi tamen possunt duo casus, quos adducunt Azorius *3.p.lib.2.cap.5.q.3.* Nauarrus *c.15.num.9.* Toletus *libro 5.cap.6.* Sanchez *in ſum.lib.2.c.36.n.16.* Becanus *in tract. de fide c.26.q.4.* Lucas Floronus *c.5.§.3.* Filliucius *n.109.* Peregrinus *q.16.* & alij.

Primus est ad sedandos duos exercitus contrarios; tunc enim licitum est pugnam periculo duorum dirimere per duellum; quia pars periculo exponitur, vt totum seruetur.

Adde licitum esse acceptare duellum ad conseruandam exercitus existimationem, aut ad debilitandas hostium vires; nam hic casus videtur per epicheiam exceptus: vel dicas hãc potius esse belli partem, quàm duellum. Ita Sanchez *loc.cit.nu.14.* Valentia *tom.3.diſp.3.quæſt.17.punct.1.* Filliucius *tract.29.c.8.n.142.* Rodriquez, & alij.

Secundus casus est, quando aliquis compellitur sub vitæ periculo acceptare duellum, quilibet enim potest consulere vitæ propriæ, etiam cum morte inuasoris.

Ad defensionem verò rerum propriarum videtur esse licitum acceptare duellum quando aliquis eas inuadit, nec aliud adest remedium ad eas defendendas, præter acceptationem duelli; tunc enim non dicitur propriè duellum: sed iusta defensio rerum propriarum. In quo casu si inuasus non habeat arma, quibus res proprias defendat, potest ab inuasore petere, vt sibi arma concedat, vt patet ex dictis *de homicidio.* Ita Nauarrus *cap.11.num.36.* nec dissentire videtur Becanus *loco cit.quæſt.6.* & *7.* & Sanchez *cap.32.loco citato.* Non potest tamen duellum acceptari ad res proprias defendendas, nisi dum vis infertur rebus, quia non est licitum vim vi repellere à vita & rebus propriis, nisi quando vis infertur. Sicut neque licet duellum acceptare ad defensionem honoris, vt dictum est *de homicidio*; nam apud sapientes, & prudentes honori adscribitur respuere duellum ad seruandam legem diuinam: quamuis apud aliquos plebeios dedecus reputetur. Ita Sanchez *loco citato*, vbi refert Nauarrum, Salonium, Bannem, & alios, quibus adde Becanum *q.5.* Peregrinum *quæſt.2.* Reginaldum *nu.80.* Filliucium *tract.29.cap.8.quæſt.6.* contra nonnullos alios apud Sanchez *num.9.*

Hinc sequitur innocẽti damnato ab iniquo iudice, vt vel mortem subeat, vel in duello pugnet, vt se probet innocentem; licitum esse acceptare duellum, non intentione probandi se innocẽtem per duellum, (hac enim ratione non licet suscipere duellum, cùm aliquando innocens succumbat, & præsumatur nocens) sed vt vitam propriam tueatur, ad quam tuendam habet ius, etiam cum damno alterius personæ; potest enim magis diligere vitam suam, quàm vitam proximi. Ita Caiet. *2.2.q.95. art.8. ad 3.* Floronus *c.5.§.10.* Petrus Nauarrus *2. parte lib.2.c.5.dub.13.nu.295.* Toletus *lib.9.c.6.n.32.* Filliucius *n.109.* Becanus *in tract. de fide cap.26.quæſt.3.num.4.* & *6.* & alij contra Syluestrum, Armillam, & Tabienam apud præcitatos DD.

19 Duello dirimi non potest lis, etiamsi aliter dirimi nequeat.

19 Secundò dubium est, vtrùm quando lis inter duos non potest aliter terminari, nisi in duello, licitum sit litem duello dirimere.

Respondeo negatiuè, quia causa innocentis exponitur periculo; fieri enim potest, vt innocens occidatur, & præsumatur nocens. Hac de causa olim suscipiebantur duella, vt victus putaretur nocens, & conuictus haberetur criminis obiecti. Ita Valentia *quæſt.17.punct.1.* & alij *locis citatis.*

TERTIA PROPOSITIO.

20 Explicantur cẽsuræ per duellum impositæ.

20 DElinquentes contra constitutiones Pontificias in detestationem duelli editas, præter confiscationem bonorum, & alias pœnas, pro qualitate personarum in Bulla expressas, afficiuntur excommunicatione. Ciuitates verò, oppida, & loca, in quibus duellum commissum fuit, scientibus, & permittentibus dictorum locorum dominis, Ecclesiastico interdicto subiiciuntur; decertantes verò, si in ipso conflictu obierint, priuandi sunt Ecclesiastica sepultura. Hæc propositio clarè constat ex ipsis Bullis, præsertim ex Bulla Clementis VIII. ibi, *ſingulares etiam perſonæ*, &c. Vide ipsum Bullæ textum, quem ad verbum referam *in 4. propoſit.*

21 Clericus pugnans in duello, quas pœnas incurrat.

21 Quæres primò quas pœnas incurrat Clericus pugnans in duello.

Respondeo suspendendum esse, ex *cap.1. de Clericis pugnantibus in duello.* Ita Henriquez *lib.3. de excommunicatione cap.39.nu.23.* Suarez *de cenſuris diſp.31.ſect.4.num.48. verſ.6. caſus.* Becanus *quæſt.8.* Peregrinus *quæſt.6.n.5.* Floronus *cap.5. num.22. & ſeqq.* & alij. Rursus in Tridentino *ſeſſ.25.cap.19.* excommunicatur ipso iure. Præterea Pius IV. Clericum pugnantem in duello, præter excommunicationem, priuat beneficiis, dignitatibus, & officiis Ecclesiasticis, & facit illum inhabilem ad illa, vel alia in posterum obtinenda.

Vtrùm verò ad has pœnas incurrẽdas requiratur sententia iudicis, dictum est *de legibus*, & alibi. Addo etiam illos comprehendi in Bulla Clementis, ibi, *quam alia Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.*

Addunt Peregrinus *loco citato, num.6.* Lucas Floronus *num.5.c.25.* & alij, huiusmodi Clericum esse irregularem; quod ego etiam approbo, non solùm, dum mortem intulit, aut mutilauit, verum etiam quoties declaratur infamis ob causam duelli; infamia enim saltem post sententiam declaratoriam inducit irregularitatem. Vide dicta *de irregularitate diſp.7.q.3.punct.1.* Quis autem possit in huiusmodi irregularitate dispensare, patet ex dictis *de irregularitate.*

22 Duello decertãtes priuantur Ecclesiastica sepultura, etiam ante iudicis sententiam.

22 Quæres secundò vtrum pugnantes in duello priuentur Ecclesiastica sepultura, etiam ante vllam iudicis sententiam.

Respondeo affirmatiuè, si in duello moriantur, & notorium sit ipsos in duello mortuos fuisse. Ratio est, tum quia priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ ipso facto incurritur: tum quia sic vsu Ecclesiæ receptum est, teste Alexandro Peregrino *quæſt.7.n.3.* Si verò notorium non sit delictum, sed tamen publicè constet eos in duello mortuos fuisse, parochus non debet illos sepelire, nec Ecclesiasticam sepulturam denegare, quia ipse non est iudex sed rem ad Episcopum, vel ad ipsius vicarium deferre debet, vt ipse debitas assumat informationes, & sententiam ferat; hoc enim est conforme dispositioni Clementis VIII. qui impunitatem delinquentibus concedi prohibet.

Addo probabiliter sustineri posse decertantem in duello priuandum esse Ecclesiastica sepultura, etiamsi ob vulnus in duello acceptum non statim, sed alio die moriatur, aut etiamsi contritionis signa dederit, aut pœnitentiæ, vel Eucharistiæ sacramentum susceperit. Ratio est, tum quia is dicitur mori in duello, qui ex vulnere in duello accepto moritur; tum quia priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ inducta est in detestationem criminis, vt reliqui cognoscentes duellum tam acriter puniri, terreantur, & ab huiusmodi crimine arceantur. Quamobrem dici potest priuationem sepulturæ non infligi per modum censuræ; sed per modum iustitiæ vindicatiuæ distinctæ à censura, alioquin opus non fuisset hanc pœnam exprimere, cùm priuatio sepulturæ sit effectus consequens excommunicationem: tum quia occidens seipsum priuatur Ecclesiastica sepultura. *cap.placuit 23.quæſt.5.* & *cap.ex parte, extrà de ſepulturis*; etiamsi fortè constet ante mortem pœnitentiæ signa dedisse; nam præcitata iura generaliter, & indistinctè loquuntur; ergo, &c. Ita Peregrinus *q.7.n.4.* Gutierez *lib.2.canonic.quæſt. cap.3.n.8.* Lucas Floronus *cap.5.n.20.* & alij apud præcitatos DD. contra Abbatem *cap. cùm ad monaſterium. de ſtatu monachorum, num.15.* Armillam, & alios apud Floronum in simili loquentes de moriente in torneamentis.

QVARTA PROPOSITIO.

23 Enumerantur personæ, quæ his pœnis subiiciuntur.

23 PRæfatis censuris subiiciuntur omnes, & singuli, qui aliquam ex actionibus prohibitis in præfatis Bullis faciunt. Ratio est, tũ quia Concilium exprimit omnes, etiam Imperatores, & Reges, & Clemens VIII. non solùm confirmat decretum Concilij Tridentini; verùm etiam generaliùs loquitur, ibi, *excommunicamus & anathematizamus omnes, & quoſcumque.* & ibi; *tam ſi ſuperius enumeratis, quàm ſi aliis etiam maioribus Eccleſiaſticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, & præeminentiis excellant.* & infrà, *tam ſuperiùs expreſſa quàm alia Eccleſiſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.* Ita Floronus *de duello cap.5.§.1. numer.1.verſ.5 pag.62.* Alexander Peregrinus *q.10.* & alij communiter.

24 Assignãtur actiones causa duelli sub censuris, & aliis pœnis prohibitæ.

24 Quæres quænam sint actiones in præfatis Bullis prohibitæ, ob quas censuræ, & aliæ pœnæ à præfatis personis incurruntur.

Respondeo plures esse; eas autem breuitatis gratia ad quatuor capita reuocabo.

Primum est pugnantium in duello, diffidantium vel acceptãtium.

Secundum concedentium locum, aut non impedientium, si sint domini, qui valeant impedire, ne duellum in suis locis committatur.

Tertium est, aliquo pacto cooperantium ad duellum, vt mandato, consilio, auxilio, fauore, chartellis, intimatione, publicatione, & his similibus, etiamsi postea prouocatio, aut duellum secutum non fuerit, nisi fortè per ipsosmet cooperantes steterit, ne sequeretur.

Quartum est spectantium ex industria. Istæ actiones & personæ

fusius exprimuntur in ipsa Bulla, cuius tenorem in hac parte ad verbum referam; nam Clemens VIII. relatis aliorum constitutionibus in hæc verba loquitur.

25 Refertur Bulla contra duellum edita.

25 *Nos nefaria diaboli arma salutari Ecclesiæ gladio ad continendos in officio fideles nobis præcipuè ipsius Domini auctoritate tradito retundere atque à cæruicibus gregis Domini nostræ curæ crediti quantum (eodem Deo adiutore) eniti possumus, propulsare cupientes prædictas omnes constitutiones, ac decretum Concilij Tridentini cum omnibus & singulis in eis contentis censuris, & pœnis, decretis, extensionibus, quarum, & quorum omnium tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, & ad verbum insertis, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innouamus. Ac insuper auctoritate, & tenore præmissis decernimus, & declaramus easdem constitutiones, ac decretum locum habere vbique gentium, & terrarum inter quascumque personas etiam armatas, & in castris, seu propugnaculis militantes, etiam vbi nostrorum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aut Catholicæ fidei hostium furor impunè grassatur, vel in dominiis per eos occupatis, & detentis; idem quoque iuris censendum esse si publico, & forsitan iusto bello indicto miles aliquis alterum in aduersariorum exercitu militantem, siue aliàs in hostiũ castris, præsidiis, aut terris degentem, priuatas simultates, atque inimicitias publicæ causæ intermiscendo etiam ducum permissu ex condicto ad singulare certamen descendat, aut illum prouocet; nec non ijsdem pœnis, decreto, & constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ sint de dirimendo certamine cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus vtrimque illatus fuerit; vel si conuenerint vt non singuli cum singulis, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent. Et non solum locorum dominos, sed etiam Magistratus, Præsides, locum tenentes, aut etiam militum duces, & capitaneos in castris, vel extra ea in alieno vel hostili solo, vel cũ militibus exercitus aduersariorum monomachiam in quocumque casu per præsentem, vel alias constitutiones huiusmodi prohibito permittentes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, aut post admissum crimen veniam, & impunitatem concedentes. Præterea pari ratione prohibemus omnia & singula eius generis scripta, manifesta, seu fides vulgo appellata, quæ etiã sine expressa prouocatione, ad certamen tamẽ, quasi præparatoria quædam ad chartulas, seu libellos prouocatorios, & ad duellum illorum quæ veluti radices aut semina vt plurima lacessendi aliquem ad pugnam, & suscitandæ simultatis atque inimicitiæ materiam & occasionem præbent: dum scilicet in illis per modum epistolæ, libelli, aut publicæ attestationis, & intimationis, siue per authentica documenta, siue per vnius pluriúmve chirographorum subscriptiones, aut relationes sub prætextu proprij vel alieni honoris, & famæ more militari, atque, vt vulgo dicitur, caualeresco, tuendi, aut lædendi, siue ad illatæ propulsatæve contumeliæ, aut iniuriæ probationem, seu tollendam illius suspicionem rei alicuius gestæ ad id pertinentis, vel verborum aut responsionum series, & ordo narratur, vel ex simili abusu hac de causa aliquid tale adeò firmiter asseritur, aut negatur, vt qui contradixerit his, siue nominatim, siue in genere mendacij arguatur, aut mentiri dicatur, aut ad hunc effectum ex militari etiam consuetudine quæritur, declaratur, aut respondetur qua mente aut quo sensu quispiam eiusmodi quod ad superius expressa spectet, gestum dictúmve sit, vel denique offert se quisquam contra certam vel incertam personam, vel generatim contra quemcumque approbandum armis, & verificandum etiam inito certamine aliquid ita esse, aut fuisse, vel non fuisse; nec non quoscumque etiam sine scripto factas talium rerum supradicta quoquo modo concernentium, & ob huiusmodi causas in locis publicis vel priuatis vbi hominum multitudo conuenire soleat, denuntiationes, narrationes, declarationes, & testificationes; volentes eos omnes & singulos qui suo vel alieno nomine ad effectum, de quo superius dictum est, prædicta, vel his similia, multoq; magis ad certandum prouocatoria scripta, libellos, epistolas, earumve exempla dictauerint, composuerint, scripserint, miserint, detulerint, diuulgarint, affixerint, exemplauerint, typis impresserint, subscripserint, intimauerint, vel etiam verbo denuntiauerint, siue attestati fuerint quiq; aliis ad singulare certamen publicè vel occultè ineundum, vel prouocandum aliquem ad pugnam, siue ad huius generis scripta, quæ manifesta quæque chartulæ prouocatoriæ appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, diuulganda, auxilium, consilium, operam vel fauorem præstiterint, siue id suaserint, aut mandauerint, quive in præmissis vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint, etiam si neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnã proximus, neq; expressa, & aperta prouocatio subsecuta fuerint, neque scriptiones prædictæ quæ Manifesta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimatæ extiterint, si per eos nõ steterit quominus publicatio, aut denũtiatio fieret; nihilominus censuris, & pœnis omnibus in præsenti, & aliis prædictis constitutionibus, & decreto contentis subiacere, tam si superius enumeratis, quàm si aliis etiam maioribus Ecclesiasticis vel mundanis dignitatibus, gradibus, & præeminentiis excellãt. Quinimò de nouo etiam per præsentes ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, excõmunicamus, & anathematizamus, maledicimus, & execramur omnes, & quoscumque publicè vel priuatim, palàm vel occultè, in quibuscumque locis, modis, & formis, ac casibus sub præsenti nostra vel aliis prædictis constitutionibus, ac decreto comprehensi singulare certamen (quod Duellum vulgo dicitur) ex composito ineuntes, necnon id scelus suadentes, aut prouocantes, opem, consilium, vel fauorem præstantes, equos, arma, & commeatus præbentes, aut concomitantes, vel circa chartulas, seu libellos, litteras, nuntios, aut quacumque alia scripta huiusmodi quomodolibet peccantes, huiusque delicti socios de industria, spectatores, patrinos, fautores, defensores, quacumque tam superius expressa, quàm alia mundana præfulgeant dignitate, ita vt singulares etiam personæ cuiuslibet communitatis, vniuersitatis, collegij, aut Reipublicæ quæ huius criminis participes quoquo modo fuerint, nequaquam excusentur, sed supradictos omnes eorumq; singulos ipso facto absque vlla monitione, iudicis decreto, aut ministerio perpetui anathematis, excommunicationis maioris, & maledictionis æternæ mucrone percussos, & damnatos, harum serie declaramus, & si in ipso conflictu obierint, sepultura Ecclesiastica perpetuò priuatos esse volumus; ipsas verò ciuitates, terras, oppida vel castra, & loca in quorum territoriis id facinus scientibus, & tacitè vel expressè permittentibus aut tolerantibus dominis, aut magistratibus, vel senatu, aut populo admissum fuerit, Ecclesiastico supponimus interdicto, cuius interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutionẽ ab alio, quàm à nobis, aut pro tẽpore existente Romano Pontifice, pœnitentia, & satisfactione congruè peracta, nisi in mortis articulo constituti nequeant obtinere, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorũ quibuslibet personis tam Ecclesiasticis cuiuscumque ordinis, aut militiæ, status, gradus, aut conditionis existentibus, quàm laicis, etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præeminentia insignitis per Sedem Apostolicam in genere vel in specie concessorum; quæ omnia quoad præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari, pœnis aliis tam spiritualibus, quàm temporalibus contra eos inflictis, nihilominus in suo robore permansuris, &c.*

Ex dictis sequitur primò non solùm pugnantes in duello, aut diffidantes, vinculo istius excommunicationis obstringi; verum etiam dominos locorum, magistratus, locum tenentes, Duces militum, qui non prohibent, quominus hæc fiant, (nisi habeant iustam causam permittendi,) aut qui post commissum crimen veniam, & impunitatem concedunt.

26 Princeps concedens locum in suo territorio duobus infidelibus non incurrit excommunicationẽ.

26 Existimo tamen Principem Christianum, concedentem locum in suo territorio duobus infidelibus ad duellum, non incidere in excommunicationem; sicut enim infideles, qui sunt principales in hac actione, non incurrunt excommunicationem, cùm non sint subditi Ecclesiæ, (licet aliis pœnis temporalibus impositis à Principibus locorum puniri debeant; subiiciuntur enim iuri naturæ, & potestati Principum, & in aliquibus etiam Sũmo Pontifici, quatenus Christi Vicarius est, ex Emericio *in decret. p. 2. quæst. 46.* Peregrino *quæst. 9.* Florono *c. 5. §. 4. n. 5.* Martino Delrio *disquisit. mag. lib. 4. c. 4. quæst. 4. n. 16*) ita nec incurrit Princeps qui minus principaliter ad duella cooperari videtur; incurrit verò si concedat locum Christiano pugnaturo cum infideli, quia Christianus ipse incurrit; ergo etiam Princeps, qui locum duelli concedit. Ita Sanchez *loco cit. num. 29.*

27 Duellũ mandans, vel consulens ligatur excommunicatione.

27 Secundò iisdem pœnis subiici mandantes, suadentes, consulentes quolibet modo, etiam ad defensionem proprij honoris, siue prouocatio sit contra certam, siue contra incertam personam, vel generatim contra quemcumque, etiamsi postea duellum ab alio non acceptetur, vt benè Peregrinus *quæst. 5. n. 2.* & patet ex Bulla Clementis VIII.

28 Duellũ consulens, vel mandans an ligetur excommunicatione, etiamsi nõ influat in effectum.

28 Sed modò dubium est, vtrùm præbens consilium vel mandatum debeat in effectum influere, vt censura ligetur, id est, vtrùm ad censuram incurrendam opus sit, vt consilium vel mandatum sit efficax, ita vt delictum ex illo mandato vel consilio aliqua ratione sequatur.

Respondeo sententiam negatiuam probabiliter sustineri posse, quia licet censura imposita ob delictum vel mandatum, regulariter loquendo, non incurratur nisi consilium, vel mandatum sit efficax, & influat in effectum sub censura prohibitum; hoc tamen fallit, dum consilium, vel mandatum secundùm se, & principaliter prohibetur; in hoc autem casu consilium, & mandatum secundùm se, & principaliter prohibetur, & punitur excommunicatione, si per consulentem, vel mandantem non stet ne prouocatio, vel pugna sequatur, & in hoc casu non stat per consulentem vel mandantem, vt suppono. Ita Alex. Peregrin. *quæst. 33. num. 2. & seqq.* Lucas Flor. *cap. 15. §. 1.* in simili de eo qui nuntiat duellum ei qui illud iam sciebat & iam acceptauerat.

Dixi probabiliter sustineri posse, quia etiam opposita sententia affirmatiua probabilis videtur ob regulam generalem, & communem Doctorum sententiam, asserentium consilium & mandatum non puniri eadem pœna, quoties consilium vel mandatum nihil omnino influit; tunc enim non habet rationem consilij vel mandati, seu cooperationis sub censura prohibitæ, & Summus Pontifex prohibuit mandatum, & consilium, quæ rationem mandati, & consilij habent, etiamsi postea pugna, prouocatio, & accessus, vel actus ad pugnam proximus secutus non fuerit.

In dubio tamen iudicandum est consilium influxisse, & fuisse efficax, vt alibi probaui cum communi Doctorum sententia; vbi etiam probaui, vtrum qui consilium vel mandatum conatus est reuocare, sed reipsa non reuocauit, incurrat pœnas contra mandantes vel consulentes impositas: vide infrà dicenda *quæsito 1. illat. 4. n. 36.*

29 Duellũ acceptans incurrit pœnam statim ac acceptauit.

29 Tertiò sequitur easdem pœnas incurri ab acceptante statim ac acceptauit, vt patet ex Bulla Clementis VIII. Ita Filliucius *tract. 29. num. 176.* Præterea his pœnis comprehenduntur comitantes, nisi fortè comitentur, vt impediant, sic enim faciunt opus virtutis, ad quod tenentur, vt benè Sanchez *loco citato, n. 35.* & Filliucius *tract. 29. cap. 8. num. 177.*

30 Spectator duelli ligatur excommunicatione.

30 Quartò, sub his pœnis comprehendi socios, patrinos, & spectatores ex industria; si verò aliquis illac transiens, aut alia de causa ibi existens aspiceret duellum, non incurreret pœnas; nam Bulla loquitur de spectatore ex proposito, seu ex industria, vt benè Sanchez *in opere morali lib. 2. cap. 38. n. 31.* Reginaldus *tom. 2. lib. 22. cap. 7. num. 77.* Filliucius *loco cit. n. 114.* Peregrinus *loco cit. in expos. textus, n. 29.* & alij communiter. Addit Peregrinus *quæst. 37.* eum, qui ad locum duelli causa inspiciendi accessit, affici excommunicatione, etiamsi duellum, vel actus ad pugnam proximus secutus non sit; sed hoc mihi displicet, quia non dicitur spectator, & in materia pœnali verba strictè accipienda sunt.

Item his pœnis afficiuntur prouocantes, consulentes, &c. etiamsi illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, pugnam non commiserint eò quòd impediti fuerint, nec per eos steterit quominus pugna committeretur.

Quintò sequitur iisdem pœniis subiici cooperatores, & immiscentes se quomodolibet, etiamsi duellum ipsum, actus proximus, vel accessus ad locum, publicatio, denuntiatio, aut aperta prouocatio subsecuta non fuerit, si per ipsos non stetit, ne sequeretur.

31 Duello decertanti accommodans arma in pœnas incidit.

31 Ex quo patet eum qui arma pugnaturo in duello accommodat, aut vendit, sciens vel probabiliter credẽs ipsum vsurum illis ad duellum, in has pœnas incidere; cooperatur enim duello, vt in simili patet ex

ex dictis de contractibus *disp.3.quæst.2.punct.2. num.12. & sequentibus.*ita Lucas Floronus *c.11.§.2.num.2.*Peregrinus *quæst.34.*

Hoc tamen limitari potest, nisi iustam habeat vendendi, aut accommodandi causam, vt patet ex dictis de contractibus *loco citato,* cum Sylvestro, Rebello, Valentia, & aliis; iustam autem causam habere videtur qui fratri volenti duellum inchoatum intermittere, tradit arma, vt se tueatur, altero nolente intermittere. Ratio est,tum quia sicut ille habet ius tuendi propriam vitam, ita & ego possum illi auxilium præbere;tum quia ex parte illius non vocatur tunc temporis duellum, sed iusta defensio; secus dicendum est de eo, qui fratrem volentem duellum committere, conatus est à duello auertere, sed conatus, ac suasio non profuit; ob id dat arma offensiua, vel etiam defensiua, vt loricam, scutum, vel galeam, ne ab aduersario superetur, hic enim videtur incidere in excommunicationem, quia cooperatur actioni iniustæ; item qui fratrem duello decertantem inuenit, afficitur excommunicatione, si fratri vel amico habenti ensem perfractum vel debilem accommodet meliorem, etiamsi id faciat,non vt duellum committat, sed vt seipsum tueatur, vel etiamsi conatus sit auertere ab inchoato duello, sed nihil profecerit. Ratio est, quia hic, & nunc cooperatur actioni iniustæ, & iniquæ, & præstat opem duello decertanti, & non pugnanti ad necessariam sui defensionem, sed ad offensionem alterius: vt bene Peregrinus *de duello quæst.25.* contra Floronum *cap.11.§.3.numer.4.versic.idem censeo*; hæc tamen intelligenda sunt, modò cooperans sciat duellum ab ipsis committi; nam si hoc ignoret, excusatur ob ignorantiã facti, etiamsi fortè aliundè peccet excedendo debitos defensionis terminos. Ita Lucas Floronus *loco citato, numer.1. & sequentibus*; & Peregrinus *quæst.19.*

32 Narrans aliquid ex quo præuideret duelli occasionẽ accepturos non incurrit excommunicationem ex sententia auctoris.

32 Sextò eum, qui scripta, & narrationes prouocatorias ad duellum facit, in excommunicationem incidere; qui verò narrat tantummodò aliquod factum, ex quo præuidet alios arrepturos occasionem prouocandi se ad duellum, probabile est affici excommunicatione, vt innuit Peregrinus *quæst.27.* Sed mihi probabilius videtur oppositum, nisi hoc faciat, vt eos ad duellum, vel duelli prouocationem inciter. Ratio est, quia ista actio non exprimitur in Bulla Clementis VIII. & in pœnis non est facienda extensio vltra verborum significationem: peccat tamen mortaliter non solùm contra charitatem, verùm etiam contra iustitiam, quia est causa actionis iniustæ.

Addit Peregrinus *quæst.28.* eos qui audiunt, vel legunt narrationes, in quibus prouocatio ad duellum exprimitur, ligari vinculo excommunicationis; sed hoc mihi durum videtur; tum quia hoc in Bulla non exprimitur; tum quia odia non sunt amplianda,iuxta vulgata iura. *cap.odia.de regulis iur.in 6.*cum aliis.

33 Excommunicatio, & aliæ pœnæ an incurrantur statim ac præstita est aliqua actio etiãsi duellum non sequatur.

33 Quæres primò, vtrùm excommunicatio, & aliæ pœnæ in hac Bulla expressæ incurrantur statim ac præstita est aliqua prædictarum actionum, exempli gratia, statim ac datum est consilium ad faciendas litteras prouocatorias ad duellum, vel statim ac compositus est libellus, vel statim ac quis commodauit arma ad pugnandum, &c. Pro solutione

Notandum est aliquas actiones in hac bulla principaliter, & absolutè prohiberi sine conditione; aliàs quasi minus principaliter, & sub conditione. Actiones principaliter, absolutè & sine conditione prohibitæ sunt pugnare in duello, prouocare ad duellum, publicare, affigere, vel intimare libellum prouocatorium, accedere ad locum duelli. Ratio desumitur, tum ex illis verbis, *ad singulare certamen descendat, aut illum prouocet*; tum ex modo loquẽdi Clementis VIII. qui prohibet alias actiones, etiamsi neque pugna aliqua, neque certamen,aut effectus,aut accessus,aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, & aperta prouocatio subsecuta fuerit. Supponit ergo istas actiones esse simpliciter, principaliter, & absolutè prohibitas; cùm enim dubium suboriri posset, vtrùm aliæ actiones essent principaliter prohibitæ,an accessoriè,& dependenter à primis illis actionibus, Summus Pontifex respondet prohibitas esse etiam independenter ab illis,id est, etiamsi aliqua illarum non sequatur, modò per eos non steterit,&c. Idem dicendum est de acceptatione duelli; tum quia est actus proximus ad pugnam, & est pars duelli; actus autem proximus simpliciter,& absolutè prohibetur; tum quia est correlatiuum ad prouocationem; correlatiuorum autem idem est iudicium, & dispositum in vno, trahitur ad alterum. *l.1.C.de transact.l.finali.ff.de acceptil. & l.si quis seruo. C. de furtis.* ex quo sequitur acceptantem duellum affici pœnis impositis contra prouocantes ad duellum, vt benè Peregrinus *quæst.21.*

Actiones verò quasi minus principaliter & sub conditione prohibitæ videntur esse omnes aliæ actiones prouocatoriæ ad duellum, vt componere libellos, consulere, mandare, vt deferantur, vel duellum offeratur,commodare arma, & aliæ actiones,quæ exprimuntur ab illis verbis, *volentes eos*, vsque ad ea, *nihilominus censuris, & pœnis,*&c. exceptis tamen actionibus principaliter, & absolutè prohibitis,de quibus iam dictum est.

Hoc posito ad quæsitum respondeo, excommunicationem incurri statim ac aliqua actio principaliter, & absolutè prohibita præstatur; non verò ob actionem quasi minus principaliter prohibitam. Ratio cur incurratur ob actiones principaliter prohibitas, est, quia tunc adest materia absolutè prohibita; ergo præfatæ pœnæ statim incurruntur. Ratio verò, cur ob alias actiones, quæ non sunt quidem accessoriæ,sed tamen quasi minus principaliter prohibitæ, non incurratur statim censura, sed quamdiu per eum qui eas præstitit, stare potest ne aliqua actionum principaliter, & absolutè prohibitarum sequatur. Ratio, inquam, est,quia Clemens VIII.afficit excommunicatione præstantes istas actiones sub conditione, si per eos non steterit, quominus publicatio, aut denuntiatio fieret; ergo non intendit his pœnis punire quamdiu per eos stare potest, ne aliqua prædictarum actionum absolutè, & principaliter prohibitarum sequatur, vt clarius explicabo in solutione obiectionis; & quamuis Peregrinus *quæst.15.*existimet illam clausulam, *si per eos non steterit,* referri solùm ad proximas actiones expressas ab illis verbis, *quive alios ad singulare certamen*; mihi tamen probabilius videtur referri etiam ad alias expressas post illa verba, *volentes eos omnes.* Ratio est, tum quia clausula in fine posita refertur ad omnes actiones in eadem propositione contentas. *cap.2.requiritis,extra de appellat.*tum quia est eadem ratio in omnibus; ergo etiam eadem dispositio.

Nec obstat quòd in illis verbis conditionalibus mentio fiat solùm publicationis,aut denuntiationis; respondet enim Peregrinus *quæst.5.numer.8.versic.in quo textu,* hæc verba non esse posita restrictiuè, sed exemplariter; exempla autem non excludunt similia. *l.1.§. quod dicitur.ff.de vi, & l.regula.§.vltimo,ff.de iur. & fact. ign.* Respondeo ego secundò nomine denuntiationis intelligi etiam prouocationem ad duellum; consequenter ea posita statim excommunicationem incurri, nisi steterit per eum qui cooperationem ad prouocationem præstitit,ne prouocatio sequeretur.

Obiicies primò contra secundam partem responsionis allatæ in responsione ad quæsitum, omnes istæ actiones in sententia omnium Doctorum sunt principaliter, & non accessoriè prohibitæ; ob actionem autem principalem statim incurritur excommunicatio; ergo, &c.

Respondeo istas actiones esse quidem prohibitas principaliter, non tamen absolutè, & simpliciter, sed sub hac conditione, si per eos non steterit,&c. ob id illas vocaui quasi minus principaliter prohibitas.

Obiicies secundò, Clemens VIII. in verbis subsequentibus absolutè, & indistinctè sub eadem loquendi forma excommunicat non solùm pugnantes, & prouocantes; verùm etiam præstantes auxilium, consilium, & fauorem; ergo præstans aliquam actionem hic prohibitam excommunicationem statim incurrit, quæcumque actio illa sit.

Respondeo Clementem VIII. ibi iterum repetere, & epilogare quæ in præcedentibus dixerat; repetitio autem, & epilogus intelliguntur iuxta formam, & conditiones in præcedentibus explicatas; verba enim dubia intellectum capiunt ab antecedentibus, & consequentibus, *l. qui filiabus. ff. de legatis 3. & l.si seruum. §. finali. ff. de legatis 1.*

Obiicies tertiò, non potest assignari tempus, in quo huiusmodi actionibus hoc pacto intellectis incurratur excommunicatio; ergo non sunt hoc pacto intelligendæ, sed absolutè; ita vt excommunicatio,statim, præstita qualibet actione, contrahatur; omissis opinionibus Peregrini *quæst.5.num.14.&15.*Respondeo assignari posse illud tempus, in quo sequi debuisset actio aliqua principaliter, & absolutè prohibita, ad quam præstita erat cooperatio; tunc enim purificatur conditio, & verum est dicere per eum stetisse, ne sequeretur.

Ex dictis sequitur primò eum qui consilium præbuit ad prouocandum alterum ad duellum,incurrere excommunicationem statim ac prouocatio sequitur, vel sequi debuisset, nisi aliter obstitisset,vel nisi aliunde impedimentum ortum fuisset.

Secundò commodantem arma Titio, qui iam prouocauerat Caium ad duellum, in excommunicationem incidere, dum cum illis decertandum erat in duello, vel accedendum ad locum duelli,etiamsi reipsa ad locum duelli non accesserint, nec pugna secuta fuerit ob impedimentum ab alio positum, quam ab eo, qui arma commodauerat.

Verum tamen est in his casibus decidendis magna opus esse prudentia, quia cùm tempus à legislatore non sit simpliciter determinatum, vel saltem non semper facilè cognosci possit, quonam tempore adimpleatur conditio,standum est iudicio prudentis viri. *cap.de causis.de offic.deleg. & l.1.ff.de iur.deliber.* prudens autem vir in dubio satis probabiliter iudicare poterit conditionem purificatam fuisse; tum quia tutior pars est eligenda; tum quia constat de actione iniqua præstita,ex qua vtplurimum sequi solet effectus; consequenter contra ipsum in hoc casu stare videtur præsumptio.

Dices, in pœnis benignior interpretatio facienda est, & in dubio fauendum est reo, *cap.odia, & cap.in pœnis.de regul.iuris.*

Respondeo id verum esse, nisi rationabilis præsumptio in contrarium extet; opposita tamen sententia non videtur improbabilis, quia non constat delictum esse completum, nisi constet conditionem adimpletam,vel non adimpletam fuisse; nam actiones de quibus nunc loquor, non sunt simpliciter, & absolutè prohibitæ, sed dependenter ab euentu talis conditionis.

34 Libellũ prouocatorium cõponens,sed non affigens, non afficitur excommunicatione, secus si affigat, vel publicet.

34 Tertiò sequitur illum qui libellum prouocatorium composuit, vel scripsit, sed non affixit, nec intimauit,non affici excommunicatione, quia per ipsum stat ne publicatio, vel denuntiatio sequatur; secus si iam affixit, vel publicauit, etiamsi postea libellum statim dilaceret, vel impediat prouocantes ad duellum, ne reipsa duellum committant; nam illa publicatio, vel affixio libelli est prouocatio ad pugnam, & est actio simpliciter, & absolutè prohibita; consequenter ea posita pœnæ statim incurruntur, vt benè Peregrin. *q.5. numer.3. &8.*

35 Consilium vel mandatum præbens ad pugnandũ in duello, non ligatur excommunicatione si influxum consilij, vel mandati reuocauit ante prouocationẽ, & pugnam.

35 Quartò,illum non ligari vinculò excommunicationis, qui auxilium,consilium, vel mandatum dedit ad pugnandum in duello, vel ad prouocandum ad duellum, sed re integra ante prouocationem & pugnam, influxum sui consilij, mandati vel auxilij reuocauit. Ratio est,quia per ipsum stat, ne prouocatio, & pugna sequatur. Ita Peregrin.contra Floronum *cap.10.§.2.*Secus si impediat solum ne sequatur pugna, non autem prouocatio, ad quam ipse suo consilio, auxilio vel mandato influxit: nam per ipsum non stetit, ne sequeretur prouocatio, qua posita purificatur conditio, sub qua aliæ actiones prohibitæ sunt.Ita Peregr.*quæst.29.*

36 Consulens vel prouocans ad duellũ, ligatur excommunicatione, etiamsi conatus fuerit influxum reuocare, sed re ipsa non reuocarit.

36 An autem consulens duellum vel prouocationem incidat in excommunicationem secuto duello vel prouocatione,etiamsi conatus fuerit reuocare, sed re ipsa influxum non retraxerit, constat ex dictis *de restitutione,* & *de irregularitate*, incidere, quia suo consilio

censetur adhuc causa prouocationis, vel pugnæ. Contrarium in terminis docet Peregrinus *quæst.* 33. sed ipsius rationes non valdè vrgent, nec cogunt me à communi sententia recedere. Idem dicendum est de eo qui mandatum dedit ad prouocandum alterum; sed postea pœnitentia ductus conatus est reuocare mandatum; sed reuocatio non innotuit mandatario, qui mandatum executus est. Ratio est, quia suo mandato influxit in prouocationem; & hoc verum est, etiam si mandans in gratia existat dum prouocatio sequitur; vide dicta *de censuris disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 6. *num.* 6. *& sequentibus*, *& de irregularitate disputat.* 7. *quæst.* 4. *puncto* 8. vbi plura ad hæc facientia differui, & supra *de excommunicatione*, quæ ob Clerici percussionem contrahitur.

37 Ratum habens duellum nō ligatur excommunicatione.

37 Quæres secundò, vtrùm ratam habens prouocationem, vel pugnam, vel aliam actionem hic expressam, suo nomine factam, in has pœnas incidat. Respondeo negatiuè, si de ratihabitione præcisè loquamur. Ratio est, tum quia ratihabitio est posterior facto sub censura prohibito; tum quia superior, dum vult pœnam ad ratihabitionem extendere, solet hoc exprimere, & ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, nisi exprimatur, vt alibi sæpiùs docui cum probabiliori, & communiori Doctorum sententia; hic autem non exprimitur; ita Lucas Floronus *de duello cap.* 14. §. 3. *num.* 1. contra Peregrinum *quæst.* 31. *num.* 3.

QVINTA PROPOSITIO.

38 Quisnā possit ab excommunicatione in causa duelli contracta absoluere.

38 AB excommunicatione contracta ob aliquod delictum in causa duelli potest absoluere

Primò Summus Pontifex; nam sicut ipse tulit hanc pœnam, ita potest eam auferre, cùm etiam eius absolutionem sibi reseruauerit, vt patet ex Bulla Clementis VIII. & ex decreto sacræ Congregationis, infra citando.

39 Episcopus potest absoluere ab excommunicatione cōtracta ob duellū modo delictum sit occultum.

39 Secundò, Episcopus potest absoluere, quando delictum est occultum, vt patet ex priuilegio concesso Episcopis in Tridentino *sessione* 24. *cap.* 6. quod non videtur abrogatum per Bullam Clementis VIII. cùm in ea nulla fiat mentio facultatis Episcoporum, aut illius Concilij, quæ mentio necessaria videtur, vt illud decretum censeatur reuocatum, ex Rodriquez *tomo* 1. *quæstionum regular. quæst.* 8. *artic.* 10. Sanchez *loco citato, & lib.* 3. *de matrimon. disput.* 26. *numer.* 7. *& libro* 8. *disput.* 35. *numer.* 17. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 26. *numer.* 3. & aliis quampluribus apud Sanchez *loco citato, numer.* 27. Suarez *de pœnitentia quæst.* 30. *sect.* 2. *numer.* 14. Peregrino *loco citato quæst.* 37. *numer.* 3. vbi citat Couarruuiam, & alios relatos in meo tractatu *de legibus disputat.* 1. *quæst.* 3. *puncto* 8. §. 3. *numer.* 13. contra Graffium *loco citato, numer.* 20. & alios, quos alias retuli de edictorum intelligentia *hic & in lib. variarum tractationum*; imò clausula generalis reuocatoria priuilegiorum non extenditur ad priuilegia inserta in corpore iuris, vt ait Glossa *in l.* 2. §. *legati ff. de rei vendicat.* Potest igitur Episcopus iuxta sententiam horum Doctorum (quamquam ratio ipsorum difficultatem patitur, vt patet ex dictis *de legibus*, vbi eam limitaui, & moderatus sum, & ex dictis de absolutione ab excommunicationibus Bullæ Cœnæ) absoluere quando delictum est occultum, vel nondum est deductum ad forum contentiosum, vt patet ex Tridentino *loco citato*. Præterea quando pœnitens iusto detinetur impedimento, ob quod non potest adire Papam, potest ab Episcopo absolui, vt patet tum ex *cap. de cetero. de sententia excommunicationis*; tum quia non est maior ratio, cur potius Episcopus non possit absoluere pœnitentem in hoc casu, interueniente iusto impedimento, quàm in aliis casibus recensitis de absolutione censurarum *disputat.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. Vide Sanchez *de matrimonio lib.* 2. *disput.* 4. *numer.* 2. *versus finem*, & quæ dixi *quæst.* 5. *puncto* 2. *de censuris in communi*, & supra *de excommunicatione ob Clerici percussionem, puncto* 5. *difficultate* 2. *versic. tertius casus.*

40 Religiosi an possint absoluere ab excommunicatione ob duellum contracta.

40 Tertiò, Religiosi possunt absoluere iuxta sua priuilegia, modò reuocata non fuerint, sicut de facto respectu existentium in Italia extra vrbem Romanam reuocata fuerunt in decreto sacræ Congregationis, quod incipit, *Sacra Congregatio quoad prouocantes, aut pugnantes in duello, iuxta decretum, & formam Tridentini, & Gregorij XIII.* cùm enim non omnia eodem modo sub excommunicatione prohibeantur in Bulla Clementis VIII. & in constitutionibus Concilij, & Gregorij XIII. Clemens VIII. in præfato decreto sacræ Congregationis abstulit Religiosis solùm facultatem absoluendi ab excommunicatione imposita iuxta formam Concilij Tridentini, & iuxta Bullam Gregorij XIII. vt bene Filliucius *tractatu* 29. *cap.* 8. *quæsito* 14. *numer.* 167. Quamobrem cùm in Bulla Clementis prouocatio ad duellum absolutè, & simpliciter puniatur excommunicatione, sequitur illum qui prouocauit, statim affici excommunicatione reseruata in Bulla eiusdem Clementis, posse tamen absolui virtute priuilegiorum religiosorum si impediuit, ne pugna sequeretur. Idem dic de illo, qui aliqua ratione cooperatur ad huiusmodi actionem; in Tridentino verò, & in constitutione Gregorij punitur excommunicatione prouocatio ipsa ad duellum, & cooperatio, si per ipsosmet prouocantes, vel cooperantes non stetit, ne pugna sequeretur. Ex quo fit, vt qui se prouocarunt, vel cooperati sunt ad prouocationem, & per ipsos non stetit, ne duellum sequeretur, non possint hoc tempore virtute priuilegiorum absolui, quia contraxerunt excommunicationem, iuxta constitutionem Gregorij. Idem dic à fortiori, si pugnarunt, vel ad locum designatum accesserunt, & per ipsos non steterit ne pugna sequeretur; qui verò prouocarunt se ad duellum, vel cooperati sunt ad prouocationem, & si per ipsosmet prouocantes vel cooperantes steterit ne pugna sequeretur, absolui possunt virtute priuilegiorum; quia non contraxerunt excommunicationem contentam in decretis Tridentini, & Gregorij, sed contentam in Bulla Clementis VIII. à qua religiosi, & alij habentes priuilegia absoluendi ab excommunicationibus Papæ reseruatis, absoluere possunt hoc tempore post decretum sacræ Congregationis, licet hæc facultas in Bulla Clementis VIII. antea sublata fuisset.

41 An is, qui præmissa ad duellum prouocatione contulit se ad locum constitutū, & altero non comparente discesserit, inciderit in excommunicationē, & absolui possit à religiosis virtute priuilegiorum.

41 Hinc patet solutio illius difficultatis, de qua aliàs interrogatus fui, vtrùm Titius qui præmissa cum Caio prouocatione ad duellum se se contulit tempore præfixo ad locum constitutum, ibique Caium expectauit, quo non comparente intra terminum constitutum discessit, inciderit in excommunicationem, iuxta decretum Gregorij XIII. quod incipit, *Ad tollendam*, & consequenter an possit absolui à Religiosis, aliisque habentibus facultatem absoluendi, excepta excommunicatione contracta ob duellum, iuxta decretum Tridentini, & Gregorij XIII.

Respondeo non incidisse in excommunicationem Gregorij XIII. Ratio est, tum quia ad incurrendam excommunicationem Gregorij XIII. requiri videtur effectus pugnæ, vt patet ex illa clausula, *monomachiam commiserint*; excommunicatio autem lata ad aliquem effectum non incurritur, nisi secuto effectu; tum quia in Bulla Summi Pontificis Gregorij XIII. dicitur, *nisi per ipsos steterit, quominus pugna committatur*; in hoc autem casu stat per ipsos; per illum videlicet, qui non accessit ad locum, non verò per alios; suppono enim impedimentum prouenisse ab ipsismet duello decertaturis; sed cooperatoribus, non verò aliunde, tum quia versamur in materia pœnali & odiosa, quæ non est extendenda; sed potiùs restringēda quantum verba patiuntur, verba autem Bullæ Gregorij XIII. nullo modo patiuntur propositam extensionem; sed potius postulant allatam restrictionem, vt patet consideranti illam clausulam, *Qui ex condicto statuto tempore, & in loco conuento monomachiam commiserint*; tum quia illa verba in fine Bullæ, *etiam si illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserint, impediti, pugnam non commiserint*, non sunt referenda ad eos, qui se tantummodo diffidarunt, cùm excommunicatio feratur contra eos qui monomachiam commiserint; qui autem ad locum accessit, ibique non pugnauit, non dicitur monomachiam commisisse, sed dicitur voluisse monomachiam committere, ita DD. statim citandi.

Hinc patet responsio ad primum argumentum Peregr. *quæst.* 41. *num.* 1. *folio* 213.

Neque obstat secundum eiusdem argumentum quod hoc modo proponitur, socij incurrunt excommunicationem, quamuis diffidantes se ad duellum, pugnam non commiserint; ergo illam etiam committunt, diffidantes se, quamuis pugna non sit secuta.

Respondetur negando consequentiam, nam in pœnis non valet argumentum à maiori ad minus; sed standum est verbis constitutionis, cùm pœna excommunicationis non incurratur, nisi sit in iure expressa, vt omnes fatentur; ex verbis autem constitutionis non colligitur prouocantes se ad duellum esse excommunicatos, nisi secutus sit effectus, sicut colligitur, socios esse excommunicatos nondum secuto effectu.

Nec valet tertium Peregrini argumentum deductum ex Bulla Clementis VIII. nam Clemens VIII. extendit excommunicationem ad plures casus, ad quos non extenditur decretum Tridentini, & constitutio Gregorij XIII. Ita Sanchez *lib.* 1. *summæ cap.* 39. *num.* 28. Comitolus *lib.* 6. *quæst.* 18. *num.* 7. *&* 8. & præsertim *quæst.* 13. *num.* 5. *vers.* 4. Filliucius *tract.* 15. *cap.* 5. *quæs.* 5. *num.* 106. nec dissentit à nostra doctrina Graffius *de casibus reseruatis lib.* 1. *cap.* 7. *nu.* 10. *&* 26. quamuis oppositum sentiant Peregr. *in tract. de duello q.* 4. *n.* 5. *&* 7. *in fine*, *& q.* 41. *per totam quæstionem*, & præcipuè *num.* 2. *versiculo primum probatur*, *& num.* 4. Lucas Floronus *in suo tractatu de duello cap.* 1. §. 1. *nu.* 3. *folio* 63. *cap.* 3. §. 1. *num.* 14. *folio* 47. vbi citat in suam sententiam Vgolinum, *& cap.* 6. §. 1. *num.* 2. *folio* 84. vbi citat Cardinalem Tuscum.

Hinc patet, hunc casum non esse reseruatum religiosis per decretum sacræ Congregationis editum de mādato Clementis VIII. quod incipit, *Sacra Congregatio*, consequenter religiosos aliosque facultatem habentes absoluendi ab excommunicatione, excepta causa duelli iuxta decretum Tridentini, & Gregorij XIII. posse absoluere in proposito casu.

42 Religiosi absoluere nō possunt à casibus duelli expressis in constitutione Gregorij, & decreto Concilij.

42 Sed modò dubium superest, vtrùm religiosi, & alij gaudentes priuilegio absoluendi à censuris Summo Pontifici reseruatis possint virtute priuilegiorum absoluere à casibus duelli, expressis in constitutione Gregorij, & decreto Concilij, excepta excommunicatione contracta ob pugnam, vel ob prouocationem, iuxta superiùs explicata.

Ratio dubitandi est, quia decretum sacræ Congregationis videtur exorbitans, & contra priuilegia, consequenter ampliandum non est, sed strictè explicandum, iuxta verborum proprietatem; cùm autem in præfato decreto habeatur solùm non posse virtute priuilegiorum absolutionem impendi in casibus prouocantium, & pugnantium in duello, iuxta decretum sacri Concilij Tridentini, & constitutionem felicis recordat. Gregor. Papæ XIII. incipientem, *Ad tollendum*, sequitur præfatos religiosos, & priuilegiarios posse in aliis casibus absoluere, excepta excommunicatione contracta ob pugnam in duello, vel ob prouocationem ad duellum, quoties prouocatio talis fuit, vt excommunicatione puniatur, iuxta decretum Tridentini, & Gregorij, vt supra explicaui.

His non obstantibus respondeo, non posse ab vllis casibus Concilij, vel Gregorij absoluere, tum quia hoc innuit illa loquendi forma, iuxta decretum, & constitutionem, satis enim indicat reseruari casus in decreto Concilij, & constitutione Gregorij expressos; tum quia vsu, & consuetudine ita receptum est; consuetudo autem est optima legis interpres. *l. si de interpretatione. ff. de legibus. l. minimè. eodem tit. & cap. cùm dilectus. de consuetudine*; ita in terminis Alexander Peregrinus *in suo tractatu de duello quæst.* 38. *num.* 4. *& seqq.*

PVNCTVM II.

De excommunicatione contra cogentes feminam ad religionem.

CVm ex inuito ingressu in monasteria, vel ex religione inuoluntariè susceptā non leuia damna & perturbationes sequi soleant, expe-

experientia teste, iure meritò sancitum est in Tridentino *sess.25.c.18.* ne quis vllam audeat feminam ad ingressum in monasteria ad susceptionem habitus, vel ad professionis emissionem cogere, vt patet ex ipso Tridentini decreto. Cuius occasione duo principaliter explicabo.

Primò, quænam sit materia istius excommunicationis.

Secundò, quodnam sit subiectum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Assignatur materia istius excommunicationis.

1 MAteria istius excommunicationis sunt triplices actiones in hoc capite expressæ. Prima est, cogere feminas ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum religionis, vel ad emittendam professionem.

2 Cogere quid significet.

2 Sed modò dubium est primò, quid sit cogere.

Respondeo idem esse, ac per vim, vel metum grauem iniustè inducere.

Dixi, *per vim, aut metum grauem*, vt innuerem vim modicam, seu metum leuem non sufficere: verbum enim, *cogere*, significat inducere nolentem per vim, vel metum grauem, vt statim probabo.

3 Metu leui cogens feminam ad religionem non incurrit excommunicationē.

3 Hinc sequitur primò, eos, qui cogunt per metum leuem, seu non cadentem in constantem virum ab huius excommunicationis vinculo excusari. Ratio est; tum quia cùm ista lex pœnalis sit, strictè intelligenda est de illo tantùm metu, de quo ratio habetur in iure: in iure autem ratio non habetur metus leuis, *l. nec timorem. ff. de eo quod metus causa*; tum quia pœna constituta contra eos, qui metum inferunt, incurritur tantummodo ob illum metum, qui sufficit ad reuocanda ea, quæ per metum fiunt, vt benè Glossa, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *in opere morali lib.4.cap.4.num.4.* Suarez *de censuris disp.23.sect.4.num.11.* metus autem qui sufficit ad reuocanda gesta, non est leuis, sed grauis, vt dictum est *de matrim.quæst.3.puncto 8. & de contract.quæst.3.*

4 Metum iniustum incutiens ad religionem non incurrit excommunicationē.

4 Secundò sequitur excommunicationem non incurri, quando metus iustè incutitur: tunc enim non adest iniuriosa coactio. Idem militat quando femina inducitur precibus, etiam importunis; sed sine minis, vt patet ex dictis *de restitut. & de matrimon.* nam huiusmodi preces non inferunt vim, per se loquendo. Ita communiter Doctores.

5 Suadens feminæ ingredi religionem incusso metu priuationis alicuius boni, ad quod femina aliàs non habebat ius, nō incurrit excommunicationē.

5 Tertiò sequitur excommunicationem ab eo non incurri, qui feminæ religionem ingredi suadet iniecto metu priuationis alicuius boni, ad quod femina aliàs non habeat ius; tunc enim non dicitur vis, aut metus inferri, sed denegari id, quod in libera ipsorum potestate est tradere, & denegare. Ita Suarez *loco citato, sect.7.num.6. sub finem*, Sanchez *loco citato, num.6. & 7.* vbi idem asserit de parentibus minantibus filiæ fore, vt eam non præferant in ea parte, in qua alicui bi parentes possunt feminas meliorare, nisi religionem ingrediatur; cùm enim liberè possint quemlibet ex descendētibus in ea parte præferre, nihil ei iniustè denegant.

6 Non solū cogens ad ingrediendum monasterium, verùm etiā cogens ad suscipiendum habitum, vel ad emittēdam professionem, laqueo excommunicationis suspenditur.

6 Secundò dubium est, ad quænam cogi debeat femina, vt huius decreti pœna incurratur.

Respondeo ad tria. Primum est ad ingrediendum monasterium, quod tamen ego intelligendum puto per ordinem ad professionem; Concilium enim in hoc cap. consuluisse videtur libertati religionis; propterea si metus incutiatur ad alium finem, vt si femina constituatur per metum in monasterio, vt ibi educetur, donec nuptui apta sit, excommunicatio huius cap. incurri non videtur. Ita Rodriquez *in summa 2.part.cap.8.conclus.5.num.10.* & Sanchez *loco cit.numer.12.* quamuis in hoc vltimo casu, in quo femina per vim, vel metum collocatur in monasterio, vt educetur, oppositum sentit Suarez *disp.23. sect.7.num.9.* & Filliucius *tract.14.cap.6.quæsito 5.num.89.*

Neque obstat Concilium simpliciter, & absolutè loqui de ingressu in monasterium; respondeo enim ipsius mentem colligi ex subiecta materia, de qua in ea cessione agitur.

Secundum, ad quod femina cogi debet, vt censura incurratur, est ad suscipiendum habitum religionis, id est, ad ingressum ad modum nouitiæ.

Tertium est ad emittendam professionem; hæc tamen tria alternatiuè intelligenda sunt; quia Concilium vtitur dictione, *vel*, consequenter sufficit, vt femina ad vnum ex dictis per vim, vel metum inducatur.

7 Cogens feminam ad emittendum votum ingrediendi religionē, vinculo excommunicationis non obstringitur.

7 Rogabis, vtrùm censura incurratur, cogendo feminam ad emittendum votum ingrediendi religionem.

Respondeo negatiuè; ratio est, tum quia hæc non est propria coactio ad vnum ex tribus iam explicatis, id est, ad ingressum in monasterium, vel ad habitum, vel ad professionem; tum quia, vel coactio ad votum fit per metum grauem, aut per leuem; si per grauem, votum non obligat, vt patet ex dictis de voto, consequenter femina cogi non dicitur; si verò coactio fit per metum leuem, hæc non dicitur propriè coactio, cum ratio metus leuis in iure non habeatur; & consequenter huiusmodi metus ad incurrendam censuram non sufficiat. Idem dicendum est, etiamsi votum ingrediendi religionem confirmatum fuerit iuramento; adhuc enim femina non dicitur cogi ad vnum ex tribus iam explicatis, præsertim cùm istius voti dispensatio ab Episcopo facilè obtineri queat. Ita Suarez *loco citato, numer.13.* Suarez, & Rodriquez *locis citatis*, & alij.

8 Cogens feminam ad ingrediendum religionē non incurrit excommunicationem statim præstita actione coactiua, sed requiri actualem ingressum, vel habitus susceptionem, aut professionem

8 Tertiò dubium est, vtrùm excommunicatio huius cap. incurratur statim, ac præstita est actio coactiua, id est, statim ac illata est vis, vel metus.

Respondeo negatiuè; sed requiri actualem ingressum, vel habitus susceptionem, aut professionem; quia nemo potest dici cogens ingredi, habitum suscipere, vel profiteri, nisi positus sit actualis ingressus, vel susceptio habitus, vel professio; hæc est enim differentia inter cogere, & conari, quod cogere importat effectum; conari verò dicit actionem per ordinem ad effectum. Ita Nauarr. quem citat, & sequitur Sanchez *loco cit.num.19.* Rodriquez *loco cit.num.9.*

9 Dans auxilium, cōsilium, & fauorem in ingressu monasterij, vel susceptionis habitus, vel professionis alicuius feminæ ad hoc coactæ, excōmunicationem incurrit.

9 Secunda actio, quæ est materia istius excommunicationis, est dare auxilium, consilium, vel fauorem ad ingressum in monasterium, vel ad susceptionem habitus, vel ad emissionem professionis, iuxta ea, quæ in præcedentibus diximus. Quot autem modis contingat auxilium, fauorem, aut consilium dari, patet ex alibi dictis, præsertim in expositione Bullæ Cœnæ.

10 Consensum, vel auctoritatem præbens in præfatis actionibus ligatur excommunicatione.

10 Tertia actio est, interponere quoquo modo præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem suam, modò id fiat scienter ab eo, qui nouit feminam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, vt in Concilio dicitur. Quamobrem qui suam præstat præsentiam, consensum, vel auctoritatem, ignorans feminam ad prædicta cogi, ab hac censura incurrenda excusatur, quamuis ignorantia laboret. Secus dicendum est de cogente, quia Concilium hanc circumstantiam respectu ipsius non requirit; consequenter non excusatur ob ignorantiam crassam, supinam, vel affectatam, vt benè Sanchez *loco cit.num.20.*

Ex quo sequitur fieri posse, vt quamplures vinculo huius censuræ ligentur, vt Episcopus, Vicarius, superiores, consanguinei puellæ, qui scientes feminam coactè monasterium ingredi, auctoritatem illi actui præbent, vel præsentiam. Contrarium circa parentes cogentes filias religionem suscipere, vel ab ea prohibentes sustinent nonnulli, quos tacito nomine refert Azor *2.part.lib.2.cap.21. quæsito 15.* & idem à fortiori sustinebunt de parentibus consensum, & auctoritatem præstantibus. Ratio ipsorum est, quia verisimile non est hanc pœnam constitui in parentes, quibus incumbit onus consulendi saluti, vitæ, & commodis filiorum; sed quod nos asseruimus verum est, & sustinendum, quia Concilium generaliter loquitur.

11 Aspiciēs obiter feminam inuoluntariè ingredientem nō ligatur excommunicatione.

11 Rogabis vtrùm huic censuræ subiiciatur, qui feminam inuoluntariè ingredientem obiter aspicit; ratio dubitandi est, quia in textu dicitur, quoquo modo eidem actui præsentiam interposuerit; hic autem dicitur aliquo modo præsentiam interponere.

His non obstantibus, respondeo, huic pœnæ non subiici; tum quia Summus Pontifex intelligendus videtur de interponente præsentiam ex proposito, vt in simili dictum est de duello; tum quia hæc videtur materia leuis; consequenter non sufficit ad pœnam adeò grauem incurrendam. Ex quo patet responsio ad rationem dubitandi.

Idem sentiendum est de eo, qui ibi adesset causa sacti audiendi, aut gratia inseruiendi suo domino, & multo magis si ibi interesset gratia impediendæ professionis, vt si à femina, quæ tunc professionem emissura est, accerseretur in testem violentiæ; tunc enim non diceretur præsentiam illi actui præstare, sed resistere, vel indifferenter se habere, vt bene Sanchez *loco cit.num.21.*

12 Consilium, auxilium, vel fauorem præbens, dum femina inuoluntariè monasterium ingreditur non ligatur excōmunicatione nondum secuto effectu.

12 Sed modò dubium est, vtrum excommmunicatio incurratur statim dato auxilio, consilio, vel fauore, vel præstita auctoritate.

Respondeo non incurri, nisi secutus sit effectus, id est, nisi femina ingressa fuerit religionem, vel habitum susceperit, &c. Ratio est, quia ista excommunicatio fertur principaliter in cogentem, & accessoriè in dantes auxilium, præstantes auctoritatem, &c. Sicut ergo excommunicatio non incurritur à cogentibus, nisi secutus sit effectus; ita multo minus incurretur à dantibus auxilium, præstantibus auctoritatem, &c. ante secutum effectum; quoties enim excommunicatio fertur in dantes auxilium, vel ob aliam actionem accessoriam, excommunicatio non incurritur, nondum secuto effectu, ob quem excommunicatio principaliter inflicta est, ex communi Doctorum sententia.

13 Enumerantur personæ, quæ huic excōmunicationi subiiciuntur.

SECVNDA PROPOSITIO.

13 OMnes, & singuli, qui feminam cogunt ad ingressum in monasterium, vel aliam ex præfatis actionibus præstant, præterquam in casibus in iure expressis, censura huius decreti obstringuntur. Ratio est, quia Concilium vtitur generalissimis verbis, ibi, *omnes & singulas personas*, &c.

14 Reges, vel Imperator non ligantur excommunicatione cogendo feminam ad ingressum in monasteria, aut aliam actionem hic vetitā, faciendo iuxta probabilem nonnullorum sententiam.

14 Improbabile tamen non videtur, Reges, & Imperatorem huic censuræ non subiici, tum quia speciali nota digni videntur; tum quia dum Summus Pontifex intendit hos ligare, solet exprimere. Ita Sanchez *loco citat.n.2.* & alij, quos retuli de clausura, contra Suarez *loco cit.n.8.vers. quæ censura est generalissima.*

Dixi, *præterquam in casibus in iure expressis*; cogentes enim in his casibus excommunicationem non incurrunt. Quamobrem si quis cogeret feminam ad ingrediendum monasterium in pœnam alicuius peccati, vel ad cautionē pudicitiæ, vel alia iusta de causa, à iure permissa, huius Concilij censuram non incurreret, vt benè Suarez *loco citato num.9.* Filliucius *loco cit.num.89. vers.3.* Ratio est, quia non delinquit contra Concilij dispositionem.

15 Cogens virum ad religionē non incurrit excommunicationem.

15 Sed modò dubium est, vtrum cogentes viros ad religionem, ligentur censura præfati decreti.

Respondeo negatiuè; ratio est, quia Tridentinum loquitur solùm de cogentibus feminas, & cùm excommunicatio sit res pœnalis, & odiosa, extendenda non est à cogentibus feminas, ad cogentes viros. Ita Suarez *loco citato num.8.* Sanchez *loco citato numer.3.* Filliucius *loco cit.num.89.vers.dico secundo.*

PVNCTVM III.

De excommunicatione contra retrahentes feminas à religione.

IN cap. 18. Concilij Tridentini *sess.25.* post excommunicationem latam in cogentem feminas ad ingressum in monasterium, vel ad susceptionem habitus, vel ad emissionem professionis, adiicitur alia excommunicatio contra eos, qui feminam impediunt, ne velum accipiat, seu professionis votum emittat, ibi, *similiquoque anathemati subiicit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impediunt.*

Circa istam excommunicationem duo breuiter explicabo.

Primò quænam sit eius materia.

Secundò quodnam eius subiectum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Proponitur materia iſtius excommunicationis.

1 MAteria iſtius excommunicationis eſt impedire feminam, ne velum accipiat, aut votum emittat.

2 Veli, aut emiſſionis voti nomine quid intelligatur.

2 Sed modò dubium eſt primò quid nomine veli, aut emiſſionis voti intelligatur.

Reſpondeo intelligi profeſſionem, quæ fit per ſuſceptionem veli, aut etiam ſine veli ſuſceptione cum tribus votis. Ita Suarez *diſput.23. ſect.7.num.9.* Filliucius *tract.14.c.6.quæſ.5.ad finem num.90.*

3 Impediẽs feminam ne monaſterium ingrediatur, & religionem ſuſcipiat, incurrit excommunicationem.

3 Secundò dubium eſt, vtrum excommunicatio incurratur, impediendo feminam, ne monaſterium ingrediatur, & nouitiatum ſuſcipiat.

Reſponderi poteſt affirmatiuè cum Suarez *loco cit. nu.*10. Filliucio *loco cit.num.*90. contra Sanchez *loco cit.num.*15. Ratio eſt, quia nemo poteſt profiteri, niſi prius habitum ſuſcipiat; conſequenter qui ſuſceptionem habitus impedit, dicitur etiam impedire profeſſionem; conſequenter hanc cenſuram incurrit.

4 Impediẽs feminam, ne votum faciat ingrediendi religionẽ, non incurrit excommunicationem.

4 Tertiò dubium eſt vtrùm impediens feminam, ne faciat votum ingrediendi monaſterium, aut aſſumendi habitum religioſum, incidat in iſtam excommunicationem.

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, tum quia hic videtur ſolùm remotè, & indirectè impedire profeſſionem, tum quia ſi Concilium Tridentinum intelligeretur de impediente votum ſimplex, apertiùs, & clariùs locutum fuiſſet; quamobrem illa particula, *voti emittendi*, addita videtur ad comprehendendum omnem modum, ſeu ſtatum religionum, ſeu perſonarum monialium; nam aliquæ profeſſionem emittunt ſuſceptione veli; aliæ ſtatum illum ſine veli ſuſceptione aſſumunt, vt benè Suarez, Filliucius, & Sanchez *locis citatis.*

5 Retrahẽs feminam ſolis precibus à religione, nõ incurrit excommunicationẽ.

5 Quartò dubium eſt, vtrùm iſta excommunicatio incurratur ab eo, qui feminam ſolis precibus à religione retrahit.

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia non dicitur impedire voluntatem, cùm preces voluntarium non auferant; conſequenter femina ſponte nolit religionem, poſitis precibus, ſuſcipere.

6 Feminam dolo retrahens à religione incurrit excommunicationem.

6 Secus dicendum eſt ſi dolo retrahatur. Ratio eſt, tum quia dolus voluntarium aufert, vt alibi oſtenſum eſt: tum quia Concilium Tridentinum expreſsè excommunicat impedientes quocumque modo: dolus autem genus quoddam eſt impedimenti. Ita Sanchez *in opere morali lib.4.c.4.n.1.§.ad finem*, vbi refert Salonium 2.2. *q.* 62. *art.2.controuerſ.3.in fine.*

7 Impediẽs aliquem, ne votum religionis emittat, non ligatur excommunicatione.

7 Quintò dubium eſt, vtrùm impediens aliquem virum, ne votum religionis emittat, in iſtam excommunicationem incidat.

Reſpondeo negatiuè, vt patet ex dictis *in puncto proximè præcedẽti.*

SECVNDA PROPOSITIO.

8 Enumerantur perſonæ, quæ huic excommunicationi ſubiiciuntur.

8 OMnes, & ſinguli iniuſtè impedientes feminam, ne religionem aſſumat, ſeu profeſſionem emittat, excommunicationem huius decreti contrahunt. Ratio eſt, quia Concilium indiſtinctè & indefinitè loquitur.

Dixi, *iniuſtè*, quia Concilium loquitur de impedientibus ſine iuſta cauſa; quamobrem ſi coniux, aut pater, aut alius impediat feminam, ne conſummato matrimonio religionem ingrediatur, non ſubiicitur huic excommunicationi, quia non impedit ſine iuſta cauſa, vt bene Sanchez *loco cit.num.*10.

Vtrùm verò parentes impedientes filiam, ne profeſſionem emittat, præfatam excommunicationem incurrant, patet ex dictis *punct. præcedenti num.*10.

Alias cẽſuras omnes explicaui *in tractatu de cenſuris in particulari.*

DISPVTATIO III.

De Suſpenſione.

PRæſentem de Suſpenſione diſputationem ſex punctis perſoluemus.

In I. explicabimus quid, & quotuplex ſit ſuſpenſio, & quomodo differat à reliquis cenſuris, & pœnis.

In II. agemus de ipſius effectibus.

In III. quamdiu duret ſuſpenſio, & vtrùm ſuſpenſus in vno loco, remaneat vbique ſuſpenſus.

In IV. de violatione ſuſpenſionis.

In V. de caſibus, in quibus incurritur ſuſpenſio.

In VI. denique de ipſius abſolutione, & ceſſatione.

PVNCTVM I.

Quid ſit ſuſpenſio, & quotuplex, & quomodo differat à reliquis cenſuris, & pœnis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid ſit ſuſpenſio.

1 SVſpenſio propriè accepta eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua perſona Eccleſiaſtica impeditur, ne functiones exerceat ſui beneficij, vel officij, vel ordinis in totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus.

Ita Nauarrus *c.27.num.*151. Vgolinus *tab.4.c.*10. Henriquez *lib.*13. *cap.*31. *num.*2. Valentia *tom.4.diſp.7.quæſt.*18. *punct.*1. Sayrus *lib.4.ca.*1. *num.*13. Suarez, & Auila *locis* ſtatim *citandis.* Filliucius *tract.*17. *ca.*1. *quæſt.*2. Coninch. *diſp.*15. *dub.*1. [Alterius *tom.2.diſp.*1. *c.*1. *col.*2.]

Dicitur, *cenſura*, loco generis, in hoc enim conuenit ſuſpenſio cum reliquis cenſuris.

Dicitur, *Eccleſiaſtica*, vt diſtinguatur à prohibitionibus ciuilibus: & vt indicetur cauſa efficiens ſuſpenſionis, nam ſuſpenſio ferenda eſt à perſona Eccleſiaſtica, habente tamen iuriſdictionem in foro externo, vnde ſi Parochus, vel Confeſſarius præcipiat pœnitenti, vt abſtineat à functione ſui ordinis, non dicitur propriè ſuſpendere, quia Parochus caret iuriſdictione in foro externo, conſequenter violans prohibitionem Confeſſarij non incurrit irregularitatem. Ita Nauarrus, Auila, Henriquez, Sayrus, Filliucius, Coninchus, & alij *locis citatis.*

Dicitur, *quæ perſona Eccleſiaſtica*, ad oſtendẽdum ſubiectum huius cenſuræ; ſuſpenſio enim propriè non cadit ſupra laicos, ſed ſupra Eccleſiaſticos, priuans illos aliquo exercitio ſpirituali.

[Dices, laicus priuari poteſt facultate obtinendi officium, vel beneficium in futurum; ſed priuatio iſtius facultatis eſt ſuſpenſio; ergo laicus ſuſpendi poteſt; ergo ſubiectum iſtius cenſuræ non ſolum ſunt Clerici, verum etiam laici.

Reſpondeo negando minorem propoſitionem, nam priuatio illius facultatis eſt inhabilitas quædam; non verò ſuſpenſio propriè accepta: ſuſpenſio enim impedit vſum facultatis, quam quis habet, & ob id differt ab irregularitate, quæ non ſolum tollit vſum facultatis, quam quis habet, verùm etiam impedit aſſecutionem talis facultatis, & poteſtatis. Ita Nauarr. *c.*27. *n.*159. Tolet. *lib.*1. *c.*44. *verſ. materialis autem cauſa.* Caietanus *verb. ſuſpenſio.* Alterius *tom.2.diſp.*7. *c.*4. *col.*2. Suarez & alij DD. citati.]

Dicitur, *officij, vel beneficij, vel ordinis*, ad oſtendendum effectum huius cenſuræ, de quo in ſequenti puncto.

Dicitur, *in totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus*, vt aduerterem ſuſpenſionem habere latitudinem, nam aliquis aliquando ſuſpenditur ab omni officio, vel ab omnibus ordinibus, aliquando tantùm ab aliqua parte, aliquando pro certo tempore, & aliquando in perpetuum.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quotuplex ſit ſuſpenſio.

2 SVſpenſio multiplex eſt. Primò, alia eſt ab officio tantùm, ſiue officium ſit ordinis, ſiue iuriſdictionis: alia eſt à beneficio tantùm, ſiue beneficium ſit Canonicatus, ſiue dignitas, ſiue Epiſcopatus, ſiue aliud. Alia eſt ab officio, & beneficio ſimul. Rurſus ſuſpenſio ab officio alia eſt ab officio in totum, qua quis priuatur omni vſu ſui officij, alia eſt ab officio in partem, qualis eſt illa, qua quis ſuſpenditur ab audiendis confeſſionibus, non verò ab adminiſtrandis ceteris Sacramentis, aut aliis, quæ proprium concernunt officium. Ita Nauarr. *loc.cit.n.*154. Rodriquez *tom.2. cap.* 79. Syluester *verb. ſuſpenſio quæſito* 1. Auila 3. *part.diſp.*1. *dub.*3. Filliuc. *quæſ.*2. Regin. *lib.2.tr.3.n.6. & ſeqq.* [Alterius *tom.2.diſp.*1. *c.*3.] & alij communiter.

Secundò, alia eſt ſuſpenſio pœnalis, alia medicinalis. Pœnalis fertur in pœnam, & vindictam delicti, vt accidit, quando quis ſuſpenditur ob peccatum merè præteritum: hanc autem ſuſpenſionem non ferri per modum cenſuræ, ſed ſolius pœnæ, patet ex dictis cum Suarez, & Filliucio. Medicinalis eſt illa, qua intenditur emendatio, & bonum delinquentis, & hæc eſt propriè cenſura.

Tertiò, alia eſt temporalis, alia perpetua. Temporalis eſt illa, quæ fertur cum limitatione termini, ſeu temporis. Perpetua eſt illa, quæ ſimpliciter fertur abſque limitatione temporis. [Ita Alterius *diſput.*1. *cap.*1. & 3. & alij communiter.

Quartò, alia eſt à iure, alia ab homine, vt patet ex dictis de cenſuris in communi.

Aliqui Doctores alias afferunt diſtinctiones, vt videlicet alia ſit maior, alia minor, ſed hæc diuiſio nõ admittitur communiter à DD. eò quòd nullo iure ſufficienter probetur, niſi fortè dicamus cum Filliucio *num.*6. [Alterio *tom.2.diſp.*1. *cap.*3.] & Suarez, illam eſſe maiorem ſuſpenſionem, quæ ſuſpendit ab omnibus, vt ab officio, & beneficio ſimul; minorem verò, quæ fertur ſolùm ad aliquem particularem effectum.

TERTIA PROPOSITIO.

3 Quomodo ſuſpẽſio differat à ceteris cẽſuris, & pœnis.

3 CErtum eſt, ſuſpenſionem differre à ceteris cenſuris, & pœnis. Primò, differt ab excommunicatione minori, quia minor excommunicatio priuat ſolùm paſſiua receptione Sacramentorum; ſuſpenſio verò priuat actiua, & plures alios habet effectus, quàm habeat minor excommunicatio, vt patebit ex dicendis. [Ita Marius Alterius *tom.2.lib.*1. *cap.*2.]

Secundò, differt ab interdicto, tum quia ſuſpenſio non inducit priuationem tantarum rerum, ſicut inducit interdictum, vt patebit ex dicendis: [tum quia interdictum magis priuat vſu paſſiuo, quàm actiuo: tum quia ſuſpenſio fertur in Eccleſiaſticas perſonas; interdictum verò tam fertur in laicos, quàm in clericos.]

Tertiò, diſtinguitur à maiori excommunicatione: tum quia maior excommunicatio plures parit effectus, quàm pariat ſuſpenſio, maior enim excommunicatio includit ſuſpenſionem, & aliorum bonorum inducit priuationem: tum quia excommunicatio priuat actionibus, quatenus ſunt quædam communicatio; ſuſpenſio verò illis priuat, quatenus eſt quædam functio officij, vel beneficij: tum quia Epiſcopus ferens excommunicationem, non poteſt illam limitare ad aliquem ſolum ipſius excommunicationis effectum, [ſicut poteſt ſuſpenſionem;] propterea non poteſt aliquem excommunicare priuando illum tantummodò communibus Eccleſiæ ſuffragiis, conceſſa communicatione cum fidelibus. Ratio iſtius differẽtiæ eſt, quia excommunicatio habet ſuos effectus determinatos à iure, quos non poteſt Epiſcopus limitare, & coarctare, cùm ipſe non poſſit in iure communi diſpenſare, vt ex dictis de legibus manifeſtè liquet; ferens verò ſuſpenſionem, poteſt illam ad aliquem particularem effectum limitare, vt patet ex vſu, & ex iuris permiſſione.

Ex quo ſequitur diligenter attendenda eſſe verba, quibus fertur ſuſpenſio, vt cognoſcatur, quonam vſu priuet, & vtrùm priuet in totum, an in partem.

Allatis differentiis, & diſtinctionibus inter excommunicationem, & ſuſpenſionem, aliqui DD. hanc adiungunt, quod inferior Papa [ſicut non poteſt limitare excommunicationem ad aliquem ſolùm ipſius effectum; ita neque] poteſt ſuſpendere effectus excommunicationis, non enim poteſt concedere, vt excommunicatus celebret abſque peccato, vel irregularitate, poteſt verò ſuſpẽdere effectus ſuſpenſionis,

sionis, aut interdicti, tam localis, quàm personalis. Ita Henriquez *lib.* 13.*c.*47.*n.*1. Couarruuias *cap. alma mater part.* 2.§.2. Nauarr.*c.*27. *numer.*165. Sayrus *lib.*4.*c.*10. [Alterius *tomo* 2.*disp.*3. *cap.* 2. *dub.* 3.] & alij contra Vgolinum *tab.*1.*c.*9.§.11.*num.*9. & alios.

4 An suspensio possit ad aliquod tempus suspēdi.

4 Ex quo patet, iudicem, vel Episcopum, qui tulit censuram suspensionis, vel interdicti, posse ex iusta causa illam suspendere ad tempus, & concedere celebranti, vt tunc temporis non incurrat irregularitatem. Ratio est, tum quia censura non ligat vltra intentionem iudicis. *cap. veniens* 2. *de testibus*; tum quia videtur hoc à iure concessum, *cap. dilectis. de appellationibus* tum quia ita videtur vsu receptum, & praxi comprobatum.

Obiicies, inferior non potest suspendere effectus censuræ, qui sunt à iure communi, non enim potest in iure communi dispensare.

Respondeo, inferiorem Summo Pontifice posse in hoc casu dispensare in iure communi, & suspendere effectus censuræ, ita iure sibi permittente. Vel dic cum aliis DD. iudicem inferiorem non dispensare in iure communi, nec ita suspendere effectus cēsuræ, vt ipsa censura perseueret, sed tolli censuram ad reincidentiam. Ita Sayrus *loco citato num.*12. [Alterius *loc. cit.*] Tabiena *verb. interd.*1.*numer.*1. & alij communiter.

Sed modò dubium supereſt, vtrùm suspenso effectu censuræ, seu sublata suspensione, vel interdicto ad reincidentiam, dari possit appellatio, suspendens sententiam, ne censura postea contrahatur. Sit exemplum. Episcopus fert sententiam suspensionis, vel interdicti, postea iusta aliqua de causa illam suspendit, vel aufert ad reincidentiam; suspensus autem, vel interdictus durante hoc termino appellat; quæritur vtrùm appellatio vim habeat suspendendi ipsam sententiam, ita vt elapso termino concesso à superiore, censura non liget, sed eius executio per appellationem impediatur.

Respondent multi Doctores sententiam impedire executionem censuræ, seu sententiæ. Ratio est, quia prior sententia, seu censura, tunc temporis non trahit secum effectum, sed perinde est ac si lata fuisset sub conditione; à censura autem lata sub conditione dari potest appellatio. Confirmatur ex regula generali, quæ asserit dari posse appellationem à sententiis, quæ statim non sortiuntur effectum, seu quæ non trahunt secum executionem. Ita Federicus de Senis *cons.*208. Rota Rom. *decis.*434. *de sentent. excommunicat.* Abbas *in cap. ad hæc. de appell.* Alterius *tom.*2.*disp.*3.*cap.*2.*versic. sed oritur quæstio. & de interdicto disput.*11.*c ap.*5.*sub finem.* & alij contra Innocentium *cap. cùm inter. num.*2. *de consuetudine.* Alterius *de interdict. disput.* 8. *cap.* 6. *colum.*7. & alios apud Glossam *cap. ad hæc, citato.* apud Abbatem, & Alterium *locis cit.*]

Quartò, suspensio differt ab irregularitate, quod irregularitas priuat susceptione ordinis, vt ordo est; suspensio verò priuat exercitio ordinis, vel beneficij, seu potestatis Ecclesiæ, vt est quædam functio.

Quintò differt à degradatione, & depositione, quòd per degradationem, vel depositionem inducitur priuatio vniuersalis beneficij, & officij, sine spe reconciliationis, cum solemni quadam cæremonia, quod non accidit in suspensione. Ita Marius Alterius *tom.*2. *disput.*2. *c.*10. & alij DD. communiter.

PVNCTVM II.

De effectibus suspensionis.

EXplicandum nobis est in hoc puncto, quos effectus pariat suspensio lata absolutè, aut cum determinatione ad aliquem effectū.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quinam sint effectus suspēsionis absolute latæ.

1 SVspensio lata absolutè absque limitatione expressa, vel tacita, suspendit absolutè ab omnibus, id est, ab officio, & beneficio. Ratio est, quia verba accipiēda sunt, prout sonant, & cùm sint generalia, generaliter accipienda sunt. Ita Sylu. *verb. suspensio, quæs.*5. Toletus *lib.*1.*cap.*43. *regula* 6. Auila *de suspensione dubio* 1. *conclusione* 2. Sayrus *lib.*4.*canone* 4.*numer.*3. Coninchus *num.*8. Vgolinus *tabul.* 4.*cap.*14. Filliucius *tract.*13.*quæs.*5. Suarez *disp.*25 *sect.*7. [Alterius *tom.* 2. *disp.*1. *cap.*4.] & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quinam sint effectus suspēsionis latæ cum restrictione.

2 SVspensio lata cum expressione alicuius effectus particularis extenditur ad illum effectum, & ad ea, quæ sunt illi adnexa, & non ad alia. Ita Nauarrus *cap.*27.*n.*160. Sayrus *cap.*5.*num.* 27. Henriquez *lib.*3.*ca.*32.*num.*1. Vgolinus *tab.*4.*cap.*6.§.4. Suarez *sect.* 5. Coninchus *num.*8. & alij DD. cit. Ratio, quia censura efficit, quod significat, nec aliter operatur, quàm significet; si ergo significat effectum aliquem particularem, ad illum dumtaxat extenditur, & nō ad alias actiones, quæ non sunt illi adnexæ, seu quæ non sunt in eodem ordine actionum: propterea suspensus à celebratione potest reliqua sacerdotis onera præstare. Ita Vgolinus *loc. cit.* Sayrus *c.*3.*n.*15. & alij.

3 Ad quæ extendatur suspensio à Pontificalibus.

3 Ex dictis sequitur primò, Episcopum suspensum tantùm à Pontificalibus, vel ab ordine Pontificali, intelligi solum suspensum ab iis, quæ concernunt vsum ordinis Episcopatus, qualia sunt confirmare, ordines conferre, consecrare Ecclesias, &c. Non verò intelligitur suspensus ab iis, quæ pertinent ad iurisdictionem, cuiusmodi sunt excommunicare, conferre beneficia; sicut neque intelligitur suspensus à celebratione Missæ, &c. *cap. transmissam, de electione.* nam celebratio non videtur propriè ad Pontificalia pertinere, cum etiam alius Sacerdos, qui Pontificalia nequit exercere, possit Missam celebrare.

Ob eamdem rationem potest baptizare, confessiones audire, & similia exercere, quæ fieri possunt sine Pontificalibus.

Obserua nomine *Pontificalium* intelligi insignia Pontificalia, vt vsum Mitræ, Baculi, & pallij, consequenter suspensum à Pontificalibus censeri etiam secundariò suspensum ab actibus ordinis Episcopalis dum ad hos actus exercendos vsum Pontificalium Ecclesia præscribit. Vide præcit. DD.

4 Quomodo intelligatur suspensus ab ordine.

4 Secundò infertur, suspensum ab ordine non esse eo ipso suspensum à iurisdictione, consequenter suspensus ab ordine potest actus iurisdictionis exercere, quia ordo non est necessariò adnexus iurisdictioni, sed est quid ab eo distinctum, vt patet in eo, qui electus est, & confirmatus in Episcopum, quem constat posse ante cōsecrationem exercere iurisdictionem excommunicando, vel absoluendo ab excommunicatione, aut eligendo Confessarios, &c. per confirmationem enim accepit iurisdictionem. Verum tamen est non posse ordines conferre, quia nondum est cōsecratus, nec ordinatus Episcopus; signum igitur est, ordinem non esse necessarium iurisdictioni, sed hæc duo esse distincta. Ita Nauarrus *n.*160. Auila 3.*part. disp.*2. *dub.*1. Suarez *disp.*26.*sect.*4. Filliucius *tract.*17.*ca.*2.*quæs.*4.*n.*24. Caietanus, Vgolinus, [Alterius *disp.*4.*cap.*4.] & Sayrus *locis citatis.* contra Toletum, Abbatem, Sylueſtrum, & alios [apud Doctores citatos.]

5 An suspensus ab ordine sit suspensus à beneficio, & eius fructibus.

5 Tertiò infertur, suspensum ab ordine non videri suspensum à beneficio, vel eius fructibus, quia beneficium non fundatur in ordine, sed in prima tonsura. Ita Sayrus *c.*3.*n.*21. contra Tabienam, *verb. suspensio, n.*4. & alios. Ego tamen existimo esse indirectè suspensum à fructibus, quatenus per suspensionem impeditur, ne munus suum præstet, nam qui munus suum per se, vel saltem per alium non præstat, non potest fructus beneficij percipere, vt sæpius dictum est, cum communi DD. sententia, & patebit ex dicendis *num.* 10.

6 An suspensus ab ordine sit suspensus à tonsura.

6 Quartò infertur suspensum à collatione ordinum non intelligi suspensum à collatione primæ tonsuræ: tum quia nomine *ordinis* non venit prima tonsura in rigore loquendo, quamuis aliquando tonsura appelletur ordo, vt dicam de irregularitate; [tum quia in materia pœnali stricta interpretatio facienda est.] tum quia sicut suspensus à collatione primæ tonsuræ non est suspensus à collatione ordinum, ex *cap. vltim. de tempor. ordin.* ita neque è contra.

7 An suspensus ab ordine inferiori etiam suspensus à superiore, & è cōtra.

7 Quintò infertur suspensum ab ordine inferiori censeri suspensum à superiori: nisi suspensio expressis verbis restringatur ad inferiorem tantùm ordinem. Ratio est, tum quia, cui non licet, quod minus, nec ei licere debet, quod maius, argumento *cap. cùm illorum, de sententia excommunicationis.* Hoc tamē intelligitur, quando maius habet connexionem cum minori: tum quia superior ordo est adnexus inferiori, & supponit inferiorem, tamquam fundamentum. Qui verò est suspensus à superiori, non censetur suspensus ab inferiori, quia inferior non fundatur in superiori. Quocirca suspensus à superiori ordine, potest exercere actus inferiorum ordinum, sicut suspensus à sacerdotio potest ex officio canere Epistolam, vel Euangelium, & suspensus à collatione maiorum ordinum potest conferre minores, suspensus verò à collatione minorum non potest conferre maiores. Ita communiter Doctores, Toletus *lib.*1.*cap.* 43. Reginaldus *lib.* 32.*num.*15. Sayrus *cap.*2.*num.*12. Vgolinus *tab.* 4. *cap.* 6. §. 6. Henriquez *lib.*13.*c.*32.*num.*12. [Alterius *tom.*2.*disp.*4.*cap.* 4. *col.* 5. *& seqq.*] Sylueſter, & alij apud Sayrum *c.*3.*n.*3. & 12. Contrarium in hac parte sustinent Coninchus *num.*10. Filliucius *num.*25. & 29. & Suarez *sect.* 4.*num.*11. magna cum probabilitate asserentes suspensum à collatione alicuius ordinis determinati non esse suspensum à collatione aliorum, quamuis superiores sint, argumento *cap. vltim. de tempor. ordinat.* ex quo cap. colligitur, Episcopum suspensum à collatione primæ tonsuræ non ob id censeri suspensum à collatione aliorum ordinum. Verùm ad hunc textum responderi posset primò, esse decisionem particularem in collatione primæ tonsuræ, quæ in rigore loquendo non est ordo. Secundò, doctrinam communem Doctorum intelligi posse, nisi suspensio expresè fiat à collatione alicuius ordinis tantùm particularis.

An autem irregularis possit primam tonsuram capere, constabit ex dicendis de irregularitate.

8 An suspensus ab ordine cēseatur suspensus ab omni ordine.

8 Sextò infertur suspensum ab ordine absque alia moderatione, intelligi suspensum à quolibet ordine, quia nomen, *ordo*, absolutè prolatum dicitur de quolibet ordine.

9 Quomodo intelligatur suspensio ab officio.

9 Septimò, suspensum absolutè ab officio nulla addita limitatione intelligi suspensum ab officio non tantum ordinis, sed etiam iurisdictionis, id est, à potestate Ecclesiastica, quæ illi competit ratione ordinis, vel iurisdictionis. Ita communiter DD. contra Glossam, apud Suarez *disp.*26.*sect.*1. [apud Alterium *tom.*2.*disput.*4. *cap.* 2.] & apud Filliucium *tract.*17.*c.*2.*quæsito* 1.*num.*15. Ratio est, quia vsus ordinis, & iurisdictionis competit ratione officij absolutè prolati; suspensus ergo ab officio intelligitur suspensus non tantùm ab officio ordinis, sed etiam iurisdictionis; propterea suspensus hoc modo non potest celebrare, excommunicare, beneficia conferre, aut Sacramenta aliis administrare. Imo neque potest ordines recipere, iuxta multos DD. quia ordo sumitur ad exercendas actiones ordinis, quæ non possunt exerceri ab eo, qui est suspensus ab officio. Sed de hoc infra *in corollario* 10.*num.*15.

10 An suspensus ab officio intelligatur suspensus à beneficio.

10 Octauò infertur, suspensum simpliciter ab officio non intelligi suspensum à beneficio, seu fructibus beneficij. Ita Suarez *disp.*26.*sect.* 3.*num.*4. Nauarrus *c.*27.*n.*160. Vgolinus *cap.*6.§.3. Henriquez *ca.*32. *num.*3. Sayrus *cap.*5.*num.*16. Filliucius *n.*20. Reginaldus *nu.*10. Coninch.*n.*6. [Alterius *tom.*2.*disp.*4.*cap.*3.] quidquid alij dicant. Ratio est, tum quia pœnæ non sunt ampliandæ, nisi ratio aliter suadeat: tum quia aliquando fertur suspensio ab officio, aliquando ab officio, & beneficio simul; ergo quando fertur tantùm ab officio, non intelligitur suspensio lata à beneficio, quando enim fertur ab officio, & beneficio simul, debet aliquid amplius importare, quàm importet, quando fertur tantum ab officio. Verum tamen est suspensum ab officio debere per alium supplere onera sui beneficij, quæ per se non potest exercere, alioquin non potest fructus beneficij percipere, beneficium enim datur propter officium, vt benè ait Henriquez *lib.* 15. *c.*32.*n.*3. Reginaldus *lib.*32.*num.*10.*tract.*2. Filliucius *num.* 21. & 41. Suarez *disp.*27.*sect.*1. & alij.

Aduertunt tamen aliqui DD. suspensum à beneficio exercentem officium suum posse moderatam quantitatem fructuum percipere, qualis quantitas iudicio prudentis viri daretur alteri substituto inseruienti beneficio. Imo si sit pauper, nec seruiat Ecclesiæ per se,

ſe, vel per alium, videtur poſſe eos fructus percipere, qui ſunt neceſſarij ad moderatam ſui ſuſtentationem, ne cum dedecore ſtatus clericalis quærat ſibi ſtipem mendicando. Ita Auila *loco citato concl. 3. ad finem.* Vgolinus *tab. 4. cap. 8. §. 2.* & alij apud Sayrum *lib. 4. cap. 6. nu. 12.* & apud Coninchum *num. 12.* non enim videtur decens, vt cogatur mendicare cum opprobrio ſtatus clericalis. Sed de hac re alibi, præſertim infra *de degradat.*

11 An collatio beneficij facta ſuſpenſo ab officio valida ſit.

11 Quæres, vtrum collatio beneficij facta ſuſpenſo ab officio, ſit valida.

Reſpondeo hoc quæſitum ſolutum fuiſſe *in tractatu de beneficiis punct. 4.* vbi cum Auila *concl. 13. circa finem.* Leſſio, Nauarro, Rota, Garzia, Emanuele Sà, & Gloſſa apud Sayrum, contra Suar. *diſput. 26. ſect. 3. n. 3. & diſp. 27. ſect. 1. n. 28.* Filliucium *n. 21.* Coninchum *nu. 7. & 14.* [Alterium *tom. 2. diſp. 4. c. 3. col. 7.*] oſtendi eſſe inualidam, & à ſimili patebit ex dicendis *de irregularitate.*

12 Quomodo intelligatur ſuſpenſio à beneficio.

12 Nonò infertur, ſuſpenſum à beneficio intelligi ſuſpenſum tantum à fructibus beneficij, [ſeu à iure ad fructus, cuiuſcumque generis, conditionis, & qualitatis ſint illi fructus, & quocumque nomine vocetur beneficium, etiamſi fortè ſit Epiſcopatus, modò cenſura ſuſpenſionis lata etiam ſit in Epiſcopos. Epiſcopi enim non ligantur cenſura ſuſpenſionis, vel interdicti, niſi exprimantur. *cap. quia periculoſum. de ſentent. excommunic. lib. 6.* Ratio eſt, quia beneficium in latiori ſignificatione acceptum, complectitur omnia beneficia, etiam Epiſcopatum, vt alibi probaui. Idemque in terminis docet Alterius *tom. 2. diſp. 5. cap. 3. col. 5. verſ. de Epiſcopatu.* Suſpenſus tamen à beneficio non intelligitur ſuſpenſus ab officio, etiamſi officium ei competat ratione beneficij; aliud enim eſt officium, aliud beneficium, & in materia pœnali facienda non eſt extenſio.] propterea ſuſpenſus à beneficio non priuatur vſu, & exercitio rerum ſpiritualium, vel temporalium: conſequenter poteſt beneficia conferre. Ita Sayrus *cap. 6. n. 3.* Vgolinus *tabul. 4. cap. 8. §. 6.* Tabiena *verb. ſuſpenſio, numer. 4.* Suarez *diſp. 27. ſect. 1. num. 2.* [Alterius *diſp. 7. c. 2.*] Auila *diſp. 2. dub. 1.* contra Henriq. *lib. 13. cap. 32. n. 3.* Nauarrum *num. 160.* Filliucium *numer. 37.* Coninchum ex parte *num. 11.*

13 An ſuſpenſus à beneficio teneatur perſoluere onera beneficij.

13 Ex quo fit, vt ſuſpenſus à beneficio teneatur adhuc perſoluere onera beneficij. [Ita Doctores citati.]

14 Si quæras, cui applicandi ſint fructus beneficij pro tempore, quo aliquis permanet ſuſpenſus à beneficio.

Reſpondeo fructus beneficij conuertendos eſſe in vtilitatem Eccleſiæ, [detractis iis qui traduntur ſubſtituto ad inſeruiendum;] diſtributiones verò pro eo tempore, quo Clericus eas non lucratur, tradendas eſſe aliis Clericis, qui interſunt diuinis officiis. *cap. ſi quis deinceps 17. q. 4.* Ita [Filliucius *cap. Apoſtolica. de except.* Decius *cap. paſtoralis. de appellat.* Alterius *diſp. 5. c. 2. ad finem.*] Sayrus *c. 6. num. 16.* & patet ex dictis *de horis Canonicis.*

14 Cuius ſint fructus beneficij pro tempore ſuſpenſionis beneficiarij.

Dixi, *à fructibus beneficij*, quia à fructibus patrimonij ſibi in titulum aſſignati non eſt ſuſpenſus, ex Sayro *c. 6. n. 15.* Vgolin. *tab. 4. ca. 8. §. 7.* [Alterio *tom. 2. diſp. 5. cap. 1.* & alij.] nam bona patrimonialia non ſunt beneficium Eccleſiaſticum, licet ſuccedant in locum beneficij, nec poſſint ad arbitrium alienari.

Dixi, *tantum à fructibus beneficij*, quia ſuſpenſus à beneficio poteſt percipere diſtributiones, quæ dantur iis, qui interſunt diuinis officiis, modò re ipſa interſit diuinis officiis, nec diſtributiones dentur intuitu beneficij, ex Sayro *cap. 6. num. 11.* Coninchо *num. 13.* Suarez *num. 30.* [Alterio *tom. 2. diſp. 5. c. 3. ad finem.*] Filliucio *num. 44.* cuiuſmodi ſunt illæ, quæ dicuntur anniuerſaria, vel ſtipēdia Miſſarum, nec ſunt diſtributiones propriè dictæ: hæc enim videntur diſtincta, fructus beneficij, & diſtributiones, quæ non dantur ratione beneficij; ſuſpenſus autem à beneficio intelligitur ſuſpenſus ab omnibus fructibus competentibus ratione beneficij. Vide quæ dixi *de horis Canonicis diſp. 2. quæſt. 3. & ſeqq.*

An verò idem ſentiendum ſit de penſione, non leuis difficultas eſt, Filliucius enim *num. 42.* Suarez *diſputat. 27. ſect. 1. num. 15.* & alij putant ſuſpenſionem à beneficio priuare etiam fructibus penſionis collatæ titulo clericali, quia hæc nihil aliud eſt, quàm ius percipiendi fructus ex bonis beneficij. [Contrarium docet Alterius *tom. 2. diſp. 5. cap. 1. ad finem*, quia penſio non eſt beneficium. Sed de hac re alibi egi. Vide Suarez *loco citato*, vbi plura de his differit.

Sed modò dubium ſuboritur, vtrum ſuſpenſo à beneficio tradenda ſit aliqua portio fructuum, ſufficiens ad ipſius ſuſtentationem.

Reſpondent Doctores communiter diſtinguendo, vel ſupenſus fuit ob contumaciam, vel in pœnam. Si ſuſpenſus fuit ob contumaciam, eaque ſublata liberari poteſt à vinculo ſuſpēſionis, nihil ei tradendum eſt, (præciſa tamen extrema neceſſitate; quilibet enim tenetur laboranti extrema neceſſitate ſubuenire, vt docui de charitate.) Ratio eſt, quia ipſius culpæ imputanda eſt carentia fructuum, & alimentorum, cùm in ipſius poteſtate poſitum ſit liberari à ſuſpenſione, & acquirere ius ad fructus, & minus malum in tali euentu cenſetur ipſum cogi ad mendicandum, quàm vt commodum ex ſuo delicto reportet in contemptum Eccleſiæ. Si verò ſuſpenſus fuit in pœnam perpetrati delicti, tradenda eſt portio fructuum ſufficiens ad congruam ſuſtentationem taxandam auctoritate ſuperioris, quoties ſuſpenſio lata fuit ab homine per ſententiam; quoties verò ſuſpenſio non fuit lata per ſententiam, ſed à iure, nec delictum deductum fuit ad forum contentioſum, portio fructuum taxari poteſt arbitrio prudentis viri. Ratio cur ſuſpenſo in pœnam aſſignanda ſit pars fructuum ad congruam ſuſtentationem, eſt, quia par non eſt vt Clericus ſuſpenſus in pœnam delicti mendicare cogatur contra honeſtatem, & decentiam ſtatus clericalis, dum non poteſt ſe à tali pœna eximere. Ita Gloſſa *in c. cùm Vintonienſis. verb. admiſerant. de elect.* Baldus *ibidem n. 2.* & alij communiter, teſte Alterio *tomo 2. diſp. 5. cap. 4.* quorum opinio probabiliſsima eſt; ſed quid ego ſentiam, conſtabit ex dicendis de degradatione.]

15 An ſuſpenſus ab officio poſſit Sacramenta adminiſtrare.

15 Decimò infertur ſuſpenſum ab officio non poſſe Sacramenta adminiſtrare, alioquin exerceret officium, & iuriſdictionem contra prohibitionem: poteſt verò Sacramenta recipere, quia receptio Sacramenti non eſt actus officij, & iuriſdictionis.

Ob eamdem rationem recipere poteſt indulgentias, & ſepeliri in loco ſacro. Vide Suarez *ſect. 3.* Filliucium *numero 22.* & alios præfatos Doctores.

Excipitur à DD. ſuſceptio ordinis, quia ordines recipiuntur, vt functiones exerceantur: quibus autem vetitum eſt functiones ordinum exercere, videtur etiam vetitum recipere ordines, nam prohibito vſu alicuius, cenſetur etiam prohibitum id, per quod ad illud peruenitur, argumento *cap. ſi celebrat. de Clerico excommunicato miniſtrante*, & prohibito conſequente, cenſetur etiam prohibitum antecedens. Ita Sayrus *num. 23.* Vgolinus *cap. 5. §. 3.* [Alterius *tom. 2. diſp. 3. cap. 1. col. 2.*] Filliucius *num. 21. & 22.* & alij.

Sed mihi non placet hæc exceptio, tum quia verſamur in materia pœnali, & odioſa, quæ non eſt extendenda, ſed potius reſtringenda: tum quia receptio ſacrorum ordinum non eſt actus officij, & iuriſdictionis; ergo ſuſpenſus ab officio non videtur peccare recipiendo ordines, niſi fortè habeat intentionem exercendi illos tempore ſuſpenſionis; ſecus ſi habeat intentionem illos exercendi tantum ſublata ſuſpenſione. [Ita ſentire videtur Alterius *tom. 2. diſp. 4. cap. 2. colum. 4. verſ. de Sacramento.*]

16 Quomodo obliget ſuſpenſio à diuinis officiis.

16 Vndecimò infertur, ſuſpenſum à diuinis officiis non poſſe diuina officia perſoluere ex officio.

Dixi, *ex officio*, quia poteſt illa perſoluere tamquam merus laicus, modò à laico perſolui poſsint. Quocirca poteſt in choro canere, non tamquam hebdomadarius, ſed tamquam laicus, conſequenter videtur poſſe percipere fructus, qui dantur præſentibus diuinis officiis, vt ait Auila *loco cit. dub. 1. concl. 6.* Henriquez *loc. cit.* Filliucius ex parte *n. 2.* [& Alterius *cap. 4. verſ. tertio.*] Sed mihi probabilius videtur non poſſe intereſſe choro, vt percipiat diſtributiones, nam diſtributiones conferuntur canentibus in choro ex officio. Ita ſentire videtur Nauarrus *num. 116.* Filliucius *n. 21.* Sayrus ex parte *c. 4. n. 10.* Præterea ſuſpenſus à diuinis officiis poteſt Miſſam audire, aut cantare Epiſtolam in choro abſque veſtibus, ex Henriquez, Nauarro, Auila *locis citatis*, contra Sylueſtrum, & alios quos refert Sayrus *cap. 5. num. 26.* [quia hæc non facit ex officio.] Rurſus beneficiarius ſuſpenſus tenetur horas priuatim recitare, alioquin non percipiet fructus ad ratam officij omiſsi, iuxta dicta *de horis Canonicis*, & dicenda *de interdicto*; [par enim non eſt, vt commodum reportet ex ſuo delicto. Ita Alterius *diſp. 6. cap. 1. colum. 2.* & alij communiter.]

17 An iniuſtè ſuſpenſus poſſit recipere diſtributiones.

17 Vtrum verò iniuſtè ſuſpenſus ab officio recipere debeat diſtributiones, quas interim non recipit ob iniuſtam ſuſpenſionem.

Reſpondetur, eas poſſe recipere, ſaltem ſi ante ſuſpenſionem conſueuerat frequentare chorum. Ratio eſt, quia non debet pœnam pati, & priuari diſtributionibus abſque ſua culpa; cùm igitur abſque ſua culpa non interfuerit diuinis officiis, ſed ob culpam iudicis iniuſtè ſuſpendentis, par non eſt, vt ipſe priuetur diſtributionibus, ſaltem ſi antea conſueuerat frequentare chorum. Ita Felinus *in ca. Apoſtolica. de exceptionibus numero 13.* Sayrus *lib. 4. cap. 6. numero 18.* & alij communiter, quos in ſimili ſupra retuli *de excommunicatione*, & ex profeſſo *in tractat. de Horis Canonicis diſputat. 2. quæſt. 5. punct. 2. §. 2. & 3.*

18 Quomodo intelligatur ſuſpenſio ab adminiſtratione Eccleſiæ.

18 Duodecimò infertur ſuſpenſionem ab adminiſtratione Eccleſiæ in temporalibus, & ſpiritualibus prohibere adminiſtrationem temporalem, & ſpiritualem, non verò ſuſpendere ab Ordine.

Ex quo fit, vt Sacerdos ita ſuſpenſus, non fiat irregularis celebrando Miſſam: nam irregularitas incurritur, quando violatur ſuſpenſio ab ordine per exercitium ordinis, non verò quando violatur ſuſpenſio ab adminiſtratione, ac iuriſdictione. Ita Sylueſter *verb. ſuſpenſio quæſito 5.* Sayrus *cap. 7. num. 6.* Henriquez *lib. 13. cap. 32. n. 4.* Filliucius *num. 23.* & alij. Peccabit tamen præfatus Sacerdos conferendo beneficia, vel adminiſtrando Sacramenta, quia hæc eſt actio pertinens ad iuriſdictionem, ſeu adminiſtrationem ſpiritualem.

Item peccabit agendo in iudicio ſuper rebus ad Eccleſiam pertinentibus, aut alia ratione de illis diſponendo non ſolùm in iudicio, verùm etiam extra iudicium.

19 Quomodo obliget ſuſpenſio à perceptione ſacramentorū.

19 Decimotertiò infertur, ſuſpenſum à perceptione Sacramentorum non poſſe Sacramenta recipere abſque graui peccato, facit enim contra prohibitionem in re graui; nihilominus percipiendo Sacramenta non fit irregularis: quia irregularitas incurritur per aliquod exercitium ordinis prohibitum per cenſuram. Ita Nauar. *numer. 163.* Sayrus *lib. 4. cap. 7. num. 8.* & alij.

PVNCTVM III.

Quamdiu duret ſuſpenſio, & vtrùm ſuſpenſus ab officio in aliquo loco remaneat vbique ſuſpenſus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quamdiu duret ſuſpenſio, & num. 2.

[1 SVſpenſio abſolutè prolata abſque conditione, vel limitatione temporis, durat, donec auferatur per abſolutionem. Ratio eſt, qui ſuſpenſio eſt cenſura, qua ligatur anima donec abſoluatur, niſi aliter conſtet de voluntate conditoris.]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 SVſpenſio lata cum temporis determinatione durat intra tempus determinatum, & eo tempore elapſo ceſſat. [Ratio eſt, quia cenſura non ligat vltra conditoris voluntatem.] Ita Suarez *diſp. 26. ſect. 1. n. 13. & diſp. 27. ſect. 1. n. 23.* Filliucius *c. 3. q. 7. nu. 3.* Reginaldus *lib. 2. tr. 2. n. 42.* Coninchus *diſp. 15. dubio 2. nu. 16.* [Alterius *diſp. 1. c. 1. col. 3. & diſp. 4. c. 6. & diſp. 5. c. 6. & diſp. 8. c. 1.*] & alij cōmuniter; quamobrem, qui ſuſpenditur ab officio per menſem, nō poteſt intra ſpatium menſis officium exercere, incipiendo ab eodem die, ſeu puncto quo lata eſt ſuſpenſio: nam ſuſpenſio eſt cenſura Eccleſiaſtica, quæ ſecum trahit executionem, & afficit incontinenti. *c. paſtoralis. §. verum. de appellationibus.* Ita Vgolinus *tab. 4. c. 15. §. 3.* Sayrus *c. 8. n. 2.* [Alterius *cap. 6. cit. & diſp. 7. cap. 6.* & alij.]

Neque

Neque obstat quòd dies termini non computetur in termino, argumento *cap.2.de restitutione spoliatorum.* nam ille textus intelligitur de iis, quæ non trahunt secum executionem. Si verò feratur suspensio sine temporis determinatione, durat, donec auferatur per superiorem, vel donec superior voluerit. Ratio est, quia cùm absolutè feratur, non est cur nos illam restringamus ad aliquod particulare tempus. Quando dubitatur an suspensio sit perpetua, vel temporalis, præsumenda est temporalis, quia pœnæ restringendæ sunt. Censetur tamen perpetua, quoties expresè non apponitur terminus, vt suprà dictum est.

Quamdiu verò duret censura lata sub hac forma, ad meum beneplacitum, vel ad meam reuocationem, patet ex dictis *de Priuilegiis puncto* 1. [& de hac re fusè tractat Alterius *tom.2.disput.4.cap.6.& disput.8.cap.1.*]

9 Quomodo obliget suspensio lata per mẽsem inchoato iam mense.

3 Si quæras quot diebus seruanda sit suspensio ab eo, qui inchoato iam mense commisit delictum, propter quod lata est supensio per mensem.

Respondetur, iuxta communiorem sententiam, incipiendum esse ab eo die, in quo lata est, vel contracta suspensio, vsque ad eumdem diem sequentis mensis; quare, qui contraxit suspensionem die tertio mensis, remanet suspensus vsque ad tertium diem completum sequẽtis mensis, siue primus mensis constet triginta diebus, siue viginti octo, siue triginta & vno. Vnde quota die mensis cœpit, tota die sequentis finitur, argumento *l.qua ætate, de testamentis.* Ita plures DD. quos citat, & sequitur Vgolin. *loco cit.* §. 3. *versus finem.* [Alterius ex parte *tom.2.disp.7.cap.6.col.3.* Addo cum Vgolino *loco citato*, §.5. Alterio *loco citat. dubit.6.* postremum diem debere esse completum, & non sufficere inchoatum, tum quia integer ille dies pertinet ad tempus in suspensione assignatum, & est pars temporis præsumpti; tum quia tempus debet esse completum, *cap. si annum. de iud. & cap.*] *cupientes.* §. *ceterum. de electione in 6.* quamuis in aliquibus aliis sufficiat vltimam diem inchoatam esse, vt patet ex dictis de ætate ad matrimonium, & sponsalia, & in aliquibus aliis sufficiat tempus moraliter completum, vt dictum est *de matrimon. quæst.1.punct.4.*

4Quot diebus seruanda sit suspensio lata per annũ.

4 Hinc patet, quid dicendum sit de computatione annorum quibus lata est suspensio; cùm enim annus constet 365. diebus, seruanda est suspensio totidem diebus ab eo, qui contraxit suspensionem per annum. [Et qui iam inchoato anno lapsus est in suspensionem latam per annum, tenetur illam seruare ab ipsa hora, qua illam contraxit, vsque ad eumdem diem eiusdem mensis anni subsequentis; sic enim integer annus expletur, vt in simili dictum est de mense. Ita Bald. *in l. de diuisione num.1.ff.solut.matrim.* Iason *ibid.num.7.* Alter. *tom.2.disp.7.cap.6.col.2.vers. qua in re,* & alij.]

5 Quomodo obliget suspensio lata per annum, in quem incidit bissextus.

5 Vnica superest difficultas, vtrum suspensus per annum, in quem incidit bissextus, teneatur seruare suspensionem 366. diebus, cùm tot diebus constet annus bissextilis.

Respondetur negatiuè, iuxta communiorem sententiam. Ratio est, tum quia seruans suspensionem 365. diebus, dicitur seruare suspensionem per annum; [& suspensio lata per annum, intelligitur de anno communi, & ordinario, & non de extraordinario.] tum quia versamur in materia pœnali, quæ odiosa est, consequenter coarctanda, *cap.in pœnis. de regulis iuris in 6.* Quare iure optimo in materia odiosa dies bissextilis reiicitur, *l.cum hæres.§. Stichus si heredi, ff. de statu liberorum.*

6 Quomodo obliget suspensio lata per mẽsem Februarij, in quem cadit bissextus.

6 Hinc sequitur, eum, qui suspensus est per mensem Februarij, elapsis viginti octo diebus liberum esse a suspensione, quamuis adhuc superst dies bissextilis. [Nisi fortè is qui suspensionem tulit per mensem Februarij, nouerit illum esse bissextilem, & suspendere voluerit pro toto illo mense; tunc enim perspicuum est suspensionem seruandam esse omnibus diebus illius mensis, quia iudex ita ligare potuit & voluit. Ita Suarez *loco* statim *citando, nu.7.* Alter. *tom.2.disp.7.cap.6.col.6.versic. hæc tamen.*] Henriquez *lib.10.cap.19.& lib.13.cap.35.num.2.* Sylvester *verb. Ætas, quæst.3.& verb. religio 5.quæst.19.* Martinus Fornarius *de Sacramento ordinis, cap.3.num.4.* Sayrus *cap.8.num.12.* Vasquez *de beneficiis cap.3.§.2.ad finem.num.26.* & plures alij, quos citat & sequitur Vgolinus *loco cit.§.1. ad finem.* contra Bartolum, [& alios apud Alterium *tom.2.disp.14.cap.2.col.4.* Sanchez *in opere morali lib.4.cap.35.num.3.* & apud Suarez *de censuris disp.29.sect.1.num.6.& seqq.* Secus dicendum videtur de suspensione lata per tres, vel quatuor annos, intra quorum vnum incidat bissextus; tunc enim suspensio seruanda est, etiam illo die bissexto, quia dies illa bissexti pertinet ad complementum quadriennij præcedentis, quia illa dies deerat ad complementum integri circuli Solis per Zodiacum, *l.3.§.minorem, in fin. ff. de minorib.* Ita Molina *tom.1. de iust. disput.573. vers. atque vt à minori.* Sanchez *loco cit.* & alij, quos retuli *de Sacramentis.*]

TERTIA PROPOSITIO.

7 An suspensus in vno loco sit vbique suspensus.

7 SVspensus ab officio ab aliquo superiore, est vbique suspensus, consequenter non potest alibi exercere officium, modò suspensio lata sit abique loci determinatione. Ita Suarez *disp.26.sect.1.nu.11.* Filliucius *tract.17.cap.2.quæs.2.* [Alterius *tom.2.disp.4.cap.5.col.3.& 4.*]& alij communiter. Ratio est, quia suspensio est censura, quæ sequitur suspensum vbicumque sit: non enim suspensio consideranda est vt pura prohibitio, vel præceptum; sed vt inhabilitas, instituta ab Ecclesia, qua suspensus sit inhabilis vbicumque sit.

Quod dictum est de suspensione ab officio, idem iuxta Vgolinum *tab.4.cap.8.§.5.* Suarez *disp.27.sect.1.num.17.* Filliucium *cap.3.quæs.6.* dici potest de suspensione simpliciter à beneficio. Vnde si aliquis ab Episcopo suspendatur simpliciter à beneficio absque loci determinatione, intelligitur etiam suspensus à beneficiis, quæ alibi possidet: cùm enim sit subditus illi Episcopo, potest hoc modo ab eo suspendi; & ista suspensio non fertur in beneficium alibi existens, sed in hanc personam existentem in hoc territorio huius Episcopi; quamuis non desint auctores contrarium sentientes apud Sayrum *cap.6.num.21.* [apud Alterium *tom.2.disp.5.cap.5.col.3.vers. hanc sententiam.*] Immò Suarez *num.23.* asserit vsu receptum esse secundùm aliquos, vt huiusmodi suspensio non extendatur ad beneficia alibi existentia, nisi expresè in sententia habeantur verba significantia suspensionem beneficij alibi existentis. Eamdem sententiam probabilem vocat Filliucius *num.47.* [quia odia restringi debent. *cap.odia. de reg.iur.*]

8 (An valida sit collatio beneficij facta suspenso à beneficiis.)

8 [An autem collatio beneficij facta a suspenso à beneficiis, valida sit.

Respondeo iuxta dicta de beneficiis, inualidam esse, quia suspensus à beneficio, priuatur iure percipiendi fructus beneficij, beneficium autem est ius percipiendi fructus beneficij. Hæc tamen intellige, modò suspensio à beneficio lata sit absolutè, vel saltem lata sit à beneficio, in tali Ecclesia, vel diœcesi, ad quam pertinet beneficium; nam si pertineat ad aliam Ecclesiam, valida est collatio, quia pœnæ restringendæ sunt, non verò ampliandæ. Ita Henricus Boich *in cap. cùm dilectus. de consuetud. num.13.* & alij, contrà Suarez *loco suprà citato.* Alter. *tom.2.disp.5.cap.5.sub finem, & cap.6.col.2.* & alios, quos retuli de beneficiis, *in §. de immunit. à suspensione*, asserentes collationem validam esse, sed irritandam.]

PVNCTVM IV.

De violatione suspensionis.

QVæremus in hoc puncto:

Primò, vtrùm suspensus peccet exercendo actus à quibus est suspensus.

Secundò, vtrùm peccet cooperans.

Tertiò, quam pœnam incurrat suspensus exercendo actus sibi prohibitos.

Quartò, vtrùm illius acta sint valida.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An suspẽsus grauiter peccet violando suspensionem.

1 SVspensus peccat mortaliter ex suo genere, exercendo actum, à quo est suspensus. Ita Nauarr. *num.163.* Henriquez *cap.33. nu.1.* Sayrus *cap.11.num.8.* Auila *disput.2.dubio 2.* [Alterius *disput. 6. cap.1.*] Suarez *disput.27.sect.2.* Filliucius *tract.17. cap.10.* Reginaldus *lib. 32. tract. 2. num. 31.* Coninchus *num.17.* & alij communiter. Ratio est, quia violãs præceptum Ecclesiasticum in re graui peccat mortaliter.

Dixi, *ex suo genere*, quia ratione paruitatis materiæ fieri potest, vt excusetur à mortali, vt accidit, quando suspensus ab ingressu Ecclesiæ, paruo tempore commoratur in Ecclesia, dum recitantur diuina officia.

2 An suspẽsus possit aliquando licitè administrare Sacramenta.

2 Vtrùm verò suspensus possit in aliquo casu licitè administrare Sacramenta, patet ex dictis *de excommunicatione, & de censuris in communi.*

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An peccet communicans cum suspenso.

3 COoperans, & communicans cum suspenso [tolerato, seu] nondum denuntiato in iis actibus iurisdictionis, & officij, à quibus est suspensus, non peccat mortaliter, propterea petens Sacramentum à Sacerdote suspenso ab officio, sed nondum denuntiato, non peccat, vt patet ex supradictis de excommunicatione, & colligitur ex Concilio Constantiensi, in quo concessa est facultas communicandi cum excommunicatis, & suspensis nondum denuntiatis.

4 An suspẽsus fiat irregularis exercendo ordines, à quibus est suspensus.

4. Vtrùm verò suspensus peccet, aut fiat irregularis communicando, & exercendo functiones Ordinum, à quibus est suspensus, [dum ab aliis petitur,] patet ex supradictis, non peccare mortaliter, nec fieri irregularem, modò non se sponte ingerat.

Dixi in secunda propositione, *cooperans, vel communicans cum suspenso tolerato*, quia communicans, & cooperans cum suspenso denuntiato in illis actibus, à quibus est suspensus, peccat mortaliter. Ita Sayrus *loco citat. num.5.* Suarez *num.7.* Nauarrus *cap.27. num.162.* & alij. Ratio est, quia concurrit ad actionem malam, & prohibitam. Non incurrit tamen vllam pœnam, vel censuram excommunicationis, vel suspensionis in huiusmodi participatione, etiamsi participet in crimine criminoso, ob quod alter est suspensus; quia nulla pœna in iure habetur. Ita Auila *dub. 4. concl. 4.* Henriquez *loco cit.* [Alterius *tom.2.disp.6.cap.3.sub finem,*] & alij.

Dixi, *in illis à quibus est suspensus*, quia participans in aliis actibus, à quibus non est suspensus, non peccat saltem mortaliter, per hoc enim distinguitur suspensio ab excommunicatione, quòd excommunicatio priuat quacumque exteriori communicatione, non verò suspensio.

Addit Auila *disput.2.dub.4.* Henriquez *cap.33. num.3.* Suarez *disp. 27. sect. 2. num. 7.* Sayrus *cap. 11. num. 6.* non esse peccatum mortale communicare cum suspenso denuntiato in iis actibus, à quibus est suspensus, exceptis duobus casibus. Primus est in actibus iurisdictionis, eò quòd isti actus sint inualidi, quando exercentur à suspenso denuntiato ab officio, vel à iurisdictione.

Secundus est, quando quis cooperatur peccato suspensi, id est, quando extra necessitatem induxit suspensum denuntiatum ad exercendos actus, à quibus est suspensus. Quare isti Doctores volunt me posse Missam audire Sacerdotis, qui est denuntiatus suspensus a diuinis, modò illi non inseruiam ad altare, nec illum inducam ad celebrandum. Præterea volunt me non teneri exire ab Ecclesia, quando ingreditur suspensus ab ingressu Ecclesiæ. Sed hanc doctrinam non facilè admiserim; dum interuenit communicatio, & participatio in actibus, à quibus ille est suspensus; participans enim in peccato alterius peccat, vt patet ex dictis *de peccatis.* Ita Nauarrus *cap.27. nu.163.* Emanuel Sà *verb. Suspensio.* [Alterius *cap.3.citat.ad finem.* licèt ex parte dissentiunt *disput.7. cap.3.sub finem.*]

TERTIA PROPOSITIO.

5 An suspẽsus fiat irregularis violando suspensionem.

5 SVspensus ex delicto fit irregularis, violando suspensionem per exercitium solemne maioris ordinis, à quo est suspensus. Ita Suarez *num.3.* Nauarrus *cap.27. num.103.* Toletus *lib.1.cap.45.* Valentia *tomo 4.disp.7.quæst.18 punct.1.* Filliucius *tract.17.cap.11.quæst.4.*

Reginaldus *lib.32.tract.2.num.36.& ſeqq.* Coninchus *diſput. 15. dubio 2.num.17.* [Alterius *diſput.6. cap.2. & 3.* & alij apud Sayrum *cap.16. num.3.* Hæc propoſitio patet ex *cap.is cui.de ſentent. excommunic.in 6.* ex *cap.1.de ſententia, & re iudicata in 6.* [*& cap. ſi quis. de Cler. excommunic. miniſt.*]

Dixi, *per exercitium ſolemne*, quia exercens actum ordinis non ſolemniter, nec ex officio, non incurrit irregularitatem, ex communi Doctorum ſententia. Quocirca Subdiaconus ſuſpenſus ab officio Subdiaconatus non incurrit irregularitatem canendo Epiſtolam abſque manipulo: quia non cenſetur canere ex officio.

Dixi, *maioris ordinis*, quia exercendo actus minorum Ordinum, etiam ſolemniter, ex Sayro *cap.11. num.9.* Tabiena, S. Antonino, & aliis contra Nauarrum *cap.27.num.163.* Filliucium *num.182.* Suarez & alios, non incurrit irregularitatem, nam iſti actus fieri poſſunt etiam à laicis, vt oſtendam in ſimili *de interdicto, & de irreg.*

6 An incurratur irregularitas ob violationem ſuſpenſionis latæ cum reſtrictione.

6 Rogabis vtrùm irregularitas incurratur, non ſolùm quando per exercitium maioris ordinis violatur ſuſpenſio perpetua, quæ eſt propriè cenſura, ſed etiam quando violatur ſuſpenſio, quæ eſt pura pœna, & quæ lata eſt ad determinatum tempus.

Reſpondeo affirmatiuè, vt patet ex *cap.1.de re iudicata, & de ſentent. excommunic.in 6.* Ratio eſt, [tum quia ſic colligitur ex *cap.1.de ſentent. & re iudic.in 6. & cap.1.de ſent.excommunic.in 6.* vbi fertur ſuſpenſio in pœnam, & tamen aſſeritur per violationem ipſius incurri irregularitatem; tum quia] huiuſmodi ſuſpenſio priuat ſacro miniſterio, ſicut priuat ſuſpenſio, quæ eſt propriè cenſura; ergo ſicut per violationem iſtius incurritur irregularitas; ita etiam incurritur per violationem illius. Ita Suarez *diſp.26.ſect.2.* Filliucius *tract.17.cap.10.quæſt.9.num. 193.* [Alterius *diſp.6.cap.2.*]

Rurſus dixi, *actus ordinis*, quia ſuſpenſus violans ſuſpenſionem exercendo actus ſolius iuriſdictionis, qui non ſunt coniuncti cum actibus ordinis, non incurrit irregularitatem, vel aliam pœnam. Ita Suarez *num.6.* Filliucius *q.6. num.188.* [Alterius, & alij.] Ratio eſt, quia huiuſmodi irregularitas, vel pœna non extat in iure expreſſa. Quocirca ſuſpenſus conferens beneficium, aut eligens, non incurrit irregularitatem, quidquid aliqui DD. voluerint apud Suar. *num.6.* Similiter ſuſpenſus ab officio Diaconatus, vel officio prædicandi, non fit irregularis concionando. Ita Sylueſt. *verb. Suſpenſio. q.5.* Henriq. *cap.32.num.5.* Sayrus *num.20.* Tolet. *lib.1. cap.45.* Rodriq. *tom.2.cap. 68.num.8.* Filliucius *num.184.* [Alterius *diſput.6.cap.3. col.13.* vbi plures alios Doctores refert.] Reginaldus *num.16.* contra Nauarrum *cap.27.nu.163.* Valentiam *tomo 4. diſput.7.quæſt.18.punct.1.* Ratio eſt, quia prædicare non eſt actus ita adnexus ordini Diaconatus, quin fieri poſſit à laicis, de licentia Epiſcopi, etiam cum ſuperpelliceo, & benedictione.

[Ex dictis in hac propoſitione ſequitur primò, ſuſpenſum ab ordine effici irregularem, benedicendo aquam, ceras, fructus, nuptias, aut mulierem poſt partum, iuxta ſolemnitatem Eccleſiæ; hic enim violat ſuſpenſionem per exercitium ordinis ſacri; præfata autem benedictio eſt exercitium ordinis ſacri, dum cum ſolita ſolemnitate celebratur, ſecus dic de benedictione menſæ, hæc enim non eſt vſus ſacri ordinis, ſed eſt actio, quam tam laici quam clerici præſtare poſſunt, exemplo Chriſti. Ita Hoſtienſis *in cap.tanta, de exceſſ. prælat.* Io. Andreas *in cap.1. verſ. caueant. de ſent.excom. in 6.* Alterius *tom 2. diſp. 6.cap.3.col.7. & 12.* & alij.

Secundò, ſuſpenſum ab ingreſſu Eccleſiæ, irregularem fieri celebrando in Eccleſia, *cap.is cui.de ſent.excom.in 6.* Ratio eſt, quia violat ſuſpenſionem per exercitium ordinis ſacri; præfata autem benedictio eſt exercitium ordinis ſacri, dum cum ſolita ſolemnitate celebratur, ſecus dic de benedictione menſæ, hæc enim non eſt vſus ſacri ordinis, ſed eſt actio, quam tam laici quam clerici præſtare poſſunt, exemplo Chriſti. Ita Hoſtienſis *in cap.tanta, de exceſſ. prælat.* Io. Andreas *in cap.1. verſ. caueant. de ſent.excom. in 6.* Alterius *tom 2. diſp. 6.cap.3.col.7. & 12.* & alij.

Tertiò, Epiſcopum ſuſpenſum à Pontificalibus, irregularem fieri faciendo actus qui ſoli Epiſcopo poſt conſecrationem conueniunt, vt conficiendo chriſma, conferendo ordines, conſecrando calices, & ſimilia; ſecus ſi faciat actus conuenientes Epiſcopo; quamuis non conſecrato, aut faciendo ſolùm actiones non facientes ad ſubſtantiam celebrationis, ſeu ordinis Epiſcopalis. Ita Nauarrus *cap.27.nu. 163.verſ.ex quo infertur primò.* Maiolus *loco citato, verſ. decima extenſio.* Alterius *col.8.* & alij contra Sylueſtrum *verb.ſuſpenſio.§.5.verſ.cùm autem.* aſſerentem Epiſcopatum non eſſe ordinem; conſequenter Epiſcopum exercentem Pontificalia non fieri irregularem.

Quartò, ſuſpenſum à diuinis officiis irregularitatis vinculo ligari, quoties illa perſoluit ex officio, ea ratione qua perſolui ſolent ſolum ab initiatis ordine ſacro. Vide quæ infrà tradam *diſp.7.quæſt.3.punct.5. num.1.3. & ſeqq.*

Quintò, ſuſpenſum à ſuſceptione Sacramentorum non incidere in irregularitatem, illa ſuſcipiendo. Idem dic de ſuſpenſo ab adminiſtratione ſpiritualium, vel temporalium, ſi illa tempore ſuſpenſionis adminiſtret. Non enim violat ſuſpenſionem per exercitium ordinis ſacri, vt ſuppono. Ita Angelus *verb.ſuſpenſio.3. verſ. aliquando.* Panormit. *in cap.ſi quorumdam.num.8.de ſolut.* Alterius *loco citato cap. 3. col. 14.* & alij contra Maiolum *lib.3.de irregul.cap.19.n.20.verſ.duodecima.*

Sextò, ſuſpenſum à beneficio non effici irregularem, recipiendo fructus beneficij; quamuis enim peccet contra iuſtitiam, vſurpando ſibi fructus beneficij, ad quos non habet ius, ob cenſuram ſuſpenſionis, quæ ſecum trahit executionem; non tamen ligatur irregularitate, quia non violat cenſuram per exercitium ordinis ſacri, neque incurrit aliam pœnam, vel cenſuram, in genere loquendo, quia in nullo textu exprimitur pœna, vel cenſura in genere loquendo contra violantes ſuſpēſionem à beneficio. Ita Marius Alterius *tom.2.diſp.6.c.4.*]

7 An geſta per ſuſpenſum valida ſint.

QVARTA PROPOSITIO.

7 ACta per ſuſpenſum, qui non eſt nominatim denuntiatus, valida ſunt. Ratio eſt, quia huiuſmodi ſuſpenſus toleratur ab Eccleſia: conſequenter illi non adimitur iuriſdictio, vt patet à ſimili ex dictis de excommunicato tolerato. Acta verò iuriſdictionis propriæ per ſuſpenſum [à iuriſdictione, ſeu ab officio] nominatim denuntiatum inualida ſunt: niſi adſit titulus coloratus, & error communis vulgi, vt patet ex ſuprà dictis *de excōmunicatione, & de matrimonio.*

8 An valida ſit abſolutio data à ſuſpenſo.

8 Hinc ſequitur, inualidam eſſe abſolutionem impenſam ab eo, qui denuntiatus, eſt ſuſpenſus ab officio, nam huiuſmodi ſuſpenſus caret vſu iuriſdictionis.

Dixi, *acta iuriſdictionis propriæ*, quia actus ordinis, qui non requiruntur iuriſdictionem ad ſui valorem, validi ſunt, vt conſecrare, confirmare, [benedicere virgines, altaria,] &c. vt patet à ſimili ex ſuprà dictis: actus verò abſolutionis ſacramentalis inualidè exercetur à ſuſpenſo denuntiato; quia non ſolùm requirit ordinem, ſed etiam vſum iuriſdictionis. Ita [Alterius *diſp.6.cap.1.col.3. & 4.*] Suarez *diſput.27. ſect.2.num.2.* Auila *dub.3.* Sayrus *cap.11.num.15.* Henriquez *lib.13. cap. 33.num.1.* Filliucius *tract.17.cap.10.quæſt.3.* & alij. [Vide ſupra dicta *diſp.2.q.2.punct.5.*]

PVNCTVM V.

De ſuſpenſionibus, quæ ipſo iure contrahuntur.

PLures caſus referuntur à DD. in quibus incurritur ſuſpenſio, quos [*in tractatu de cenſuris in particulari* fusè explicaui, propterea illos ſolùm in ſequentibus §. §. enumerabo, iuxta ordinem alias impreſſum, nullis ferè factis additionibus; incipiam autem à] ſuſpenſionibus latis contra Clericos.

Deinde contra Epiſcopos.

Tertiò contra Capitula, & conuentus.

Quartò contra Religioſos.

§. I.

De ſuſpenſionibus contra Clericos.

1 Suſpenditur Clericus, aut religioſus recipiens ſacros ordines ficto patrimonio, vel beneficio, aut faciens factum cum Epiſcopo ordinante, vel patrono præſentante.

1 PRima eſt contra Clericum, quamuis Religioſum, recipientem ſacros ordines ficto patrimonio, vel beneficio; hic enim incurrit ſuſpenſionem ab ordine ita ſuſcepto, vt colligitur ex Bulla Pij V. quæ incipit, *Romanus Pontifex.* Ita Quaranta *verb. Ordo*, Filliucius *num.89.* Suarez *diſp.31.ſect.1.num.33.* & alij, quamquam Toletus *lib. 1.cap.14. num.16.* Sayrus *lib.4 cap.14. num.16.* & alij putant Clericos ſæculares non incurrere ſuſpenſionem. Hæc ſuſpenſio videtur Epiſcopo reſeruata. Pari pacto ſuſpenduntur Clerici facientes pactum cum Epiſcopo ordinante ante ordinationem, vel cum patrono præſentante non petendi victum, alimenta, aut prouiſionem. Ita Nauarrus *num.118.* Auila *dub.4.* Henriquez *cap.37.num.1.* Sayrus *cap.15. nu. 22.* Suarez *diſp.31.num.33.* & alij, & patet ex *cap.pen.de ſimonia*; in quo habetur Epiſcopum, & patronum præſentantem, ſuſpenſos eſſe per triennium, ipſum verò Clericum ſuſpenſum eſſe donec abſoluatur. De hac eadem re in Concilio noſtro Prouinciali VI. Mediolanenſi *tit. quæ ad ordines*, extat ſpecialis ſuſpenſio ab ordine ad arbitrium Epiſcopi contra eum, qui malè promouetur ad patrimonium.

Eadem ſuſpenſione ligatur beneficiarius præſentans aliquem Clericum ad titulum ſui beneficij, vt illi conferantur ordines, cum pacto non petendi fructus ad ſui ſuſtentationem, *cap.pen.de ſimonia.* Ita Auila *dub.5.concl.1.ad 1. argumentum.*

Dixi ſuperiùs, *facientes pactum cum Epiſcopo*, &c. quia ſi nullum pactum ineatur, vel non adſit deceptio, ſeu falſitas, non incurritur vlla ſuſpenſio; nullo enim iure conſtat incurri: nam iura loquuntur quādo intercedit pactum, ſeu fallacia, vt patet ex Trid. *ſeſſ.21.cap.2.* & ex declaratione Illuſtriſſimorum Cardinalium, donec Eman. Sà *verb. Suſpenſio num.10.* Vide quæ dixi *de Sacramentis diſp. 8. q. vnica punct. 5. à num. 18. vſque ad 32.* vbi de hac re prolixius egi, Suarez *num. 34.* Filliucium *num. 87. & ſeqq.* Quarantam, Maiolum, alioſque præcit. Doct.

2 Recipiens ordines extra conſtituta tempora, vel ante legitimam ætatem, vel ſine litteris dimiſſoriis.

2 Secunda eſt contra illum, qui recipit maiores ordines extra tempora conſtituta ab Eccleſia, vel ante legitimam ætatem, vel abſque litteris dimiſſoriis, vt habetur in quadam extrauag. Pij II. quæ incipit, *cùm ex ſacrorum*, & in altera extrauag. Sixti V. quæ incipit, *ſanctum, & ſalutare.* Ita Suar. *diſput.31.ſect.1.* Filliucius *cap.5.quæſito 3. & cap.7.quæſito 5.* Nauar. *cap.27.num.141.* Quaranta *verb. Ordo*, Sayrus *cap.13.num.15.* & alij *locis citandis.*

Aduertendum tamen eſt primò ad hanc ſuſpenſionem incurrendam non requiri præſumptionem, vel ignorantiam affectatam: ſed ſufficere ignorantiam mortaliter culpabilem, vt patet ex extrauag. Pij II. & ex regulis ſuprà traditis *de cenſuris.* Vnde ſi aliquis ex ignorantia mortaliter inuincibili ordinetur ante legitimam ætatem, incurrit ſuſpenſionem, quamuis Auila *dub.7.* Nauarr. *cap.27. nu. 254.* Toletus *cap.48.* Henriq. *cap.38.num.1.* Sayrus *cap.14.* Emanuel Sà *verb. Suſpenſio num.2.* Coninch. *nu.36.* & alij putent ad hanc ſuſpenſionem incurrendam requiri præſumptionem, & non ſufficere ignorantiam vincibilem, modò non ſit affectata.

Secundò iſtam ſuſpenſionem, vt colligitur ex extrauag. Sixti V. priuare vſu omnium ordinum ſuſceptorum, & repellere ab aliis ſuſcipiendis. Hac de cauſa delinquens non ſolum videtur ſuſpenſus, ſed etiam irregularis, iuxta Nauarrum & Eman. Sà cōtra Auilam *loc. cit.* Irregularitas enim arcet à ſuſceptione ordinum, ſuſpenſio verò prohibet illorum exercitium: niſi fortè dicas indirectè etiam repellere à ſuſceptione, cùm ſuſceptio ad vſum ordinetur. Sed de hac re infrà *de irregularitate.*

Tertiò huius ſuſpenſionis diſpenſationem pertinere ad Summum Pontificem, vt patet ex motu Sixti V. cuius motus per Bullam poſteriorem Clementis VIII. quæ incipit, *Romanum Pontificem decet*, redactus fuit ad diſpoſitionē decretorum Tridentini. Propterea Epiſcopus videtur modò poſſe diſpenſare in huiuſmodi ſuſpenſione, vel irregularitate quamdiu delictum eſt occultum, iuxta decr. Trid. *ſeſſ. 24.cap.6.* Vide Sayrum *lib.4.ad finem, & lib.7.cap.10.num.36.*

Quartò

Quartò ligatum huiusmodi suspensione incurrere irregularitatem celebrando, vel exercendo ordines, modò adsit præsumptio: dicitur enim in dicta extrauag. Pij II. Si huiusmodi suspensione durante in iisdem ordinibus celebrare præsumpserit, eo ipso irregularitatem incurrat.

Ex quo patet requiri scientiam, & non sufficere ignorantiam vincibilem, nisi sit affectata, coniuncta cum ingenti temeritate, quamuis ad incurrendam suspensionem sufficiat ignorantia culpabilis mortaliter, vt dictum est. Videri potest Suarez *disp. 31. sect. 2. num. 4.* Filliucius *tract. 19. num. 175.* & ea quæ tradidi *de sacramento ordinis, de ætate ad ordines requisita.*

Quintò recipientem minores ordines ante legitimam ætatem non esse suspensum, aut irregularem, quia nullus textus huiusmodi pœnam continet. Ita Couar. & alij apud Suarez *disput. 31. num. 23.* vbi *num. 29.* idem subdit de Episcopis. Neque obstat Bulla Sixti V. quæ incipit, *Sanctum, & salutare*, nam illa Bulla quoad hanc partem reuocata est à Clemente VIII. Mortaliter tamen peccat recipiens minores ordines ante legitimam ætatem, cùm faciat contra prohibitionem in re graui. Qui verò recipit primam tonsuram ante septẽnium, quod est tempus, seu terminus constitutus pro recipienda tonsura, non peccat mortaliter, si nondum peruenit ad vsum rationis, vt per se patet; Episcopus verò conferens tonsuram ante septennium mortaliter peccat, cùm videatur facere contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui. Videri potest Sayrus *lib. 6. cap. 11. à num. 9.* Suarez *disp. 21. num. 22.* & ea quæ dixi *de sacramento ordinis, & de beneficiis.*

3 Quid de recipiente ordines nõ seruatis interstitiis.

3 Rogabis vtrùm recipiens ordines non seruatis interstitiis incurrat suspensionem.

Respondeo negatiuè. Ita Suarez *disp. 31. sect. 1. nu. 43.* Filliucius *nu. 86.* Verum tamen est peccare si hoc faciat absque licentia Episcopi, nam facit contra Trid. præceptum *sess. 23. cap. 11.* in materia graui. Nullam tamen pœnam incurrit, quia nulla pœna incurritur, nisi sit in iure expressa. Vide quæ dixi de Sacramento ordinis *disp. 8. quæst. vnica punct. 5. num. 31. & seqq. & punct. 6. num. 2.*

4 Recipiẽs duos ordines sacros eodem die, aut minores ordines cum Subdiaconatu, vel duos ordines sacros duobus diebus continuis.

4 Tertia est contra suscipientẽ duos ordines sacros eodem die, qui fit suspensus ab executione posterioris, *cap. litteras, de tempor. ordinat.*

Similiter suscipiens eodem die minores ordines cum subdiaconatu, remanet suspensus à subdiaconatu, *cap. litteras, de tempor. ordinat. & cap. de eo, qui furtiuè ordines suscepit*, Nauarrus *cap. 27. nu. 71.* Emanuel Sà *verb. Suspensio num. 19.* Sayrus *cap. 14. num. 23. 24. & 25.* Suarez *disp. 31. sect. 1. num. 41.* Filliucius *num. 86.*

Eadem suspensio extenditur ad eos, qui recipiunt duos ordines sacros duobus diebus continuis, & immediatis absque dispensatione, *cap. litteras, citat.* Ita Suarez *loc. cit. num. 40.* & alij, quos retuli *de sacramento ordinis punct. 5. num. 36.* Hæc suspensio reseruatur Papæ.

Vtrùm verò in prædictis casibus incurratur irregularitas, dicam *de irregularitate.*

5 Recipiens sacros ordines cum litteris dimissoriis à capitulo receptis vacante Episcopatu, nec occasione beneficij accepti, recipiendiue arctatus.

5 Quarta est contra Clericum, qui vacante Episcopatu, & non arctatus occasione beneficij recepti, aut recipiendi, sacros ordines sumit cum litteris dimissoriis à Capitulo receptis: hic enim est ipso iure suspensus ab executione maiorum ordinum ad beneplacitum futuri Prælati. Si verò suscepit tantummodò minores ordines, caret priuilegio clericali, præsertim in criminalibus, quamuis suspensus non sit, vt sacra Cardinalium congregatio, teste Suarez *disp. 31. sect. 1. num. 20. ad finem*, declarauit in Tridentino *sess. 7. cap. 10.* vbi concessio dimissoriarum, & susceptio ordinum sede vacante, prohibetur in hæc verba: *Non liceat capitulis Ecclesiarum, sede vacante, infra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu recurrendas, vt aliqui vocant, tam ex iuris communis dispositione, quam etiam cuiusuis priuilegij, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficij Ecclesiastici recepti, siue recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere: si secus fiat, capitulum contraueniens Ecclesiastico subiaceat interdicto, & sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo priuilegio clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant: in maioribus verò, ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, sint ipso iure suspensi.*

6 Recipiẽs superiorem ordinem per saltum.

6 Quinta contra Clericum, qui per saltum recepit ordinem superiorem: hic enim suspensus est ab illo ordine suscepto, donec receperit inferiorem prætermissum, *cap. vnico, de Cler. per saltum promoto.* Potest tamen Episcopus ex causa cum huiusmodi promoto dispensare si non ministrauerit, ex Trid. *sess. 23. cap. 14.* Suarez *disp. 31. num. 44.* Coninchо *num. 40.* Filliucio *num. 92.*

7 Recipiẽs ordines ab Episcopo excommunicato, aut interdicto denuntiato, seu vitando, vel à simoniaco per sententiam declarato.

7 Sexta contra eum, qui recipit ordines ab Episcopo excommunicato, suspenso aut interdicto denuntiato, seu vitando; recipiens enim ordines ab huiusmodi Episcopo, suspenditur ab executione ordinũ, *cap. 1. & 2. de schismat.* Ita Nauar. *cap. 25. num. 69.* Suar. *loco cit. num. 61. & disp. 42. num. 4. sub finem*, hoc idem extendit ad suscipientem ordines ab Episcopo irregulari, videlicet denuntiato, Eman. Sà *verb. Suspensio num. 7.* Sayrus *cap. 14. num. 1.* Auila *dub. 8.* Coninch. *disp. 15. dub. 5. num. 3.* Filliucius *num. 80. & tract. 20. cap. 7. num. 199. quæsito 6.* loquens de suscipiente ordines ab Episcopo censurato, & irregulari, & alij communiter *in cap. 1. & 2. de schismaticis.*

Idem dicendum est de eo, qui recipit ordines ab Episcopo Simoniaco, per sententiam declarato, *cap. si quis à Simoniacis 1. q. 1.* Ita Henriquez *lib. 13. cap. 37. num. 4.* Sayrus *cap. 14. num. 6.* Suar. *disp. 35. sect. 4. num. 34.* [Filliucius *num. 129.*]& alij. Hæc suspensio reseruatur Papæ.

Rogabis vtrùm ignorantia excuset ab incurrenda huiusmodi suspensione, quando recipiens ordines ignorat Episcopum esse excommunicatum, &c.

Respondet Rodriquez *tom. 2. cap. 19. fol. 345.* Coninchus *num. 32. & seqq.* vbi de hac re fusè tractat Innocentius, Abbas, & alij, excusari, quia quoties quis excusatur à culpa, excusatur etiam à pœna: seu recipiens ordines ab excommunicato vitando, ignorans illum esse excommunicatum excusatur à culpa; ergo etiam excusatur à pœna suspensionis.

Sed iuxta Suarez *loco citato, num. 63.* Sayrum *loco citato*, Auilam *loco citato*, Filliucium *tract. 17. cap. 5. quæsito 4. num. 81.* & alios communiter non excusatur. Quia Ecclesia hoc statuit, non ob culpam ordinati, sed ordinantis, cuius gesta vult esse inualida, quantum potest, & cùm possit in hoc casu facere inualida quoad executionem ordinum in ipso suscipiente, vult ipsum suscipientem remanere suspensum ab ordinum executione.

Vtrùm verò hæc suspensio incurratur ab eo, qui ordinem à dicto Episcopo recipit per metum cadentem in constantem virum, negant Syluester, Auila, Nauarrus, & alij *locis citatis.*

Sed contrarium mihi videtur probabilius cum Suarez *loc. cit. num. 63.* vt patet ex dicta ratione.

8 Septima contra recipientem ordines sacros ab Episcopo, qui renuntiauit Episcopatui, id est, loco, & dignitati, hoc est, iurisdictioni, & officio Episcopi, necnon potestati ordinis, seu potius eius vsui: hic enim remanet suspensus ab ordine suscepto, *cap. 1. de ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui, &c.* Hæc suspensio reseruatur Papæ. 8 Recipiẽs ordines ab Episcopo, qui Episcopatui renuntiauit.

Dixi, *ordines sacros*, quia hæc pœna non extenditur ad recipientes minores ordines, cùm in iure non exter. Vide Nauar. *cap. 27. nu. 241.* Henriquez *cap. 39. num. 1.* & Sayrum *cap. 14. num. 7.* Filliucium *num. 76.* & Suarez *disp. 31. num. 3.*

9 Octaua contra eum, qui aliquem ordinem scienter recipit per simoniam: hic enim suspensus est ab ordinibus, quamuis simonia sit occulta, *cap. pen. & cap. per tuas. de simonia, & extra uag. 2. de simon.* Hæc suspensio reseruatur Episcopo. 9 Recipiẽs ordinem sciẽter per simoniam.

Eamdem suspensionem incurrit qui committit simoniam in dimissoriis, nam hæc censetur simonia in ordine. Ita Henriquez *cap. 37. num. 3.* Auila *3. par. disp. 5. dub. 9. concl. 2.* Suarez *disp. 31. sect. 4.* vbi etiam agit de conferente, & præsentante per simoniam: eumdem sequitur Filliucius *num. 128.*

Dixi, *scienter*, quia recipiens ordinem simoniacè, sed bona fide, & ignoranter, non incurrit suspensionem, cùm ignorantia excuset à censuris, vt accidit quando pater ipso ignorante dedit Episcopo pecuniam vt illi conferret ordines. Ita Sayrus *lib. 4. cap. 14. num. 6.* Suarez *disp. 31. sect. 1. [& sect. 4. num. 40.* Filliucius *cap. 7. num. 129.*] Coninch. *num. 37.* & Henriquez *cap. 37. num. 4.* contra Auilam *dub. 9.* & alios. Et hoc verum videtur, quamuis ille, qui ignoranter ordinatus est per simoniam, ratificet postea promissionem factam ab amico: nam ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, nisi in iure exprimatur. Ita Henriquez *loc. cit. num. 4.* & alij contra Auilam *loc. cit.* & alios.

Vtrùm verò simonia in beneficiis, [vel etiam in ordine, inducat excommunicationem Papæ reseruatam,] aut inhabilitatem ad beneficia, patet ex dictis suis locis, sicut etiam alibi ostensum est, vtrùm conferens ordines per simoniam sit suspensus. Videri potest Coninchus *num. 39.* Suarez, Filliucius, & alij præcit. Doctor.

10 Nona contra eum qui scienter ordinem in excommunicatione recipit: hic enim suspensus est ab ordine sic suscepto, *cap. cùm illorum. de sent. excom.* vbi habetur, excommunicatum, qui ordinem recipit, si sit sæcularis, à suscepto ordine in perpetuum esse deponendum, & dispensationem Papæ reseruari. Si verò sit religiosus, ab executione suscepti ordinis, & officij manere suspensum, vt dicitur in præfato textu. Ita Suar. *disp. 31. sect. 1. num. 57.* Nauar. *in manuali cap. 27. num. 24.* Couar. *cap. Alma. part. 1. §. 6. num. 6.* Auila *par. 7. disp. 9. sect. 1. dub. 6.* Henriq. *lib. 14. cap. 6. num. 4.* Coninch. *disp. 14. num. 32.* Filliucius *tract. 17. cap. 5. num. 94.* & alij, apud Suarez *loco cit.* qui hoc idem putant verum esse in eo, qui suscipit ordines in suspensione, vel interdicto; quamquam ad hoc probandum sufficientem textum non adducunt. Probabilis tamen est opinio nonnullorum Doctorum asserentium suscipientem ordines in excommunicatione fieri irregularem, de qua re vide infrà tradita *disp. 7. q. 3. punct. 4. num. 1. & 2.* 10 Recipiẽs ordinem in excommunicatione.

11 Dixi, *qui ordinem recipit*, ad differentiam recipientis primam tonsuram in excommunicatione, hunc enim suspensione non ligari probabilissimum est, tum quia iura loquuntur de suscipiente ordinem; prima autem tonsura, strictè loquendo, non est ordo, tum quia tonsura non habet proprium actum à quo suspendatur. Ita Suarez *num. 58.* Auila, Nauarrus, & Filliucius *loc. cit.* 11 An suspendatur recipiens primâ tonsuram, vel Episcopatũ in excommunicatione.

Addo cum præfatis DD. ab hac suspensione eximi posse etiam illum, qui Episcopatum recipit tempore, quo vinculo censuræ detinetur, quia Episcopatus non est ordo. Secus dicendum esset ex sententia Valentiæ, Bellarmini, Medinæ, & aliorum asserentium Episcopatum esse ordinem, de qua re vide quæ dixi *de Sacramentis disput. 8. quæst. vnica punct. 1. num. 3. & 4.*

Obserua tamen primò eum, qui ex probabili ignorantia, vel aduertentia suæ excommunicationis, vel iuris, recipit ordines, non ligari suspensione, quia par non est vt pœnam incurrat, qui culpam non admisit. Ita Suarez *num. 60.* Filliucius *loco cit.* Sylu. *verb. Irregularitas quæsito 7.* & alij apud Suarez.

Neque obstat *cap. cùm illorum, citatum*, vbi ferri videtur suspensio Papæ reseruata contra suscipientes ordines in excommunicatione, etiamsi suscipiens non recordetur se excommunicatum, aut ignoret ius prohibens excommunicato ordines suscipere.

Respondetur enim textum illum intelligi de ignorantia vincibili ad distinctionem eorum, qui non solum ex ignorantia vincibili, verùm etiam scienter ordines capere præsumunt. Perpende diligenter præfatum textum.

Obserua secundò cum præfatis DD. contra Maiolum *lib. 4. cap. 16.* de irregularitate ab eadem suspensione excusari posse eum, qui per vim, vel metum cadentem in constantem virum ordines suscipere cogitur, hic enim non delinquit contra præceptum Ecclesiæ, excusante metu graui, consequenter neque subiacet pœnæ suspensionis ab Ecclesia impositæ.

Dices, qui rebaptizatur per metum, incurrit irregularitatem, vt infrà ostendam *disp. 7. q. 3. punct. 3.* cum Suarez, Coninchо, Vgolino, Sayro, & aliis; ergo etiam incurrit suspensionem qui per metum grauem cogitur ordinari, par enim videtur ratio, cùm in vtriusque arbitrio positum sit ordines, vel Baptismum suscipere, elicito actu intentionis non suscipiendi.

Respon-

Reſpondetur negando conſequentiam, tum quia graue ſacrilegium, & grauiora incommoda ſequerentur ex ficta ſuſceptione Ordinis, quàm ex ficta ſuſceptione Baptiſmi, tum quia in ſuſceptione Ordinis in excommunicatione concurrunt duo pręcepta Eccleſiaſtica, quorum alterum ceſſat, dum metus grauis incutitur ad alterum obſeruandum: in eo verò, qui rebaptizatur, concurrit præceptum naturale diuinum, prohibens iteratam Baptiſmi ſuſceptionem, quod præceptum ſtrictiſſimè obligat, & ſeruari poteſt elicito actu intentionis non ſuſcipiendi Baptiſmum, ad quem ſuſcipiendum grauis metus incutitur.

Obſerua tertiò deciſionem *cap. cùm illorum*, citati, procedere in quolibet excommunicato ordines ſuſcipiente; quamuis enim in eo capite ſermo præcipuè ſit de excommunicato ob Clerici, vel Religioſi percuſſionem: nihilominus intentio Summi Pontificis, & deciſio videtur vniuerſalis, vt patet legenti textum.

12 Recipiēs ordines furtiuè ſuſpenſus fit.

12 Decima eſt contra ſuſcipientem ordines furtiuè, hic enim incurrit ſuſpenſionem, vt infrà *diſp. 7. q. 3. punct. 4. num. 5.* explicabo, vbi etiam oſtendam quiſnam dicatur ordines furtiuè recipere.

13 Recipiēs ſacros ordines poſt matrimonium contractum, etiam non conſummatum.

13 Vndecima contra eum, qui ſuſcipit ordines ſacros poſt matrimonium contractum, etiam non conſummatum, exceptis caſibus à ſacris canonibus conceſſis, & à me traditis *in tract. de matr.* hic enim incurrit ſuſpenſionem non ſolùm ab ordine ſic ſuſcepto, verùm etiam ab officio, & beneficio, *extrau. Antiqua. de voto*, & hæc ſuſpenſio eſt reſeruata Summo Pontifici, etiam matrimonio ſoluto, niſi fortè ſoluatur per profeſſionem validè emiſſam, iuxta dicta de matrimonio, tunc enim Epiſcopus diſpenſare poteſt, vt dicitur in præfata extrauag. Immò dici poſſet hunc eſſe irregularem, vt infrà oſtendam *de irregularitate diſp. 7. quæſt. 3. punct. 4.*

14 An bona fide ſuſcipiens dictam ſuſpenſionē incurrat, & quomodo ſe gerere debeat.

14 Rogabis vtrùm ſuſcipiens ordines ſacros bona fide, putans mortuum eſſe coniugem, ſed poſtea comperiens adhuc ſuperſtitem eſſe, ſuſpenſus ſit, & abſtinere debeat ab ordine ſacro ſuſcepto.

Reſpondeo debere abſtinere non per modum cenſuræ, ſed per modum ſimplicis prohibitionis, donec vxor ſuperſtes eſt, aut caſtitatis votum emittit iuri ſuo cedens, iuxta dicta de matrimonio. Vide Suar. *diſp. 31. ſect. 1. num. 54.* Filliucium *tract. 17. cap. 5. num. 93.* Sayrum *lib. 4. cap. 14. num. 28.* Viualdum *de ſuſpenſ. num. 106.* Coninchum *num. 40.*

15 Celebrās Miſſam, nec in ea communicans ſuſpēditur.

15 Duodecima contra eum, qui celebrat Miſſam, & in ea non communicat: hic enim ſuſpenditur per annum à communione, *cap. relatum, de conſecrat. diſt. 2.*

Hoc tamen non videtur intelligendum de eo, qui ex inaduertentia, aut ex malitia in vna tantùm ſpecie cōſecrat, & communicat, nam *in dicto cap. relatum*, ſermo eſt ſimpliciter de communione, qui autem vnam tantùm ſpeciem ſumit, dicitur communicare, Maiolus *lib. 3. cap. 16.* & Sayrus *lib. 4. cap. 15. num. 3.*

16 Celebrātes, vel celebrare facientes in locis interdictis à iure, vel ab homine.

16 Tertiadecima eſt contra Clericos, qui celebrant, vel celebrare faciunt in locis interdictis à iure, vel ab homine: hi enim ſuſpenſi ſunt ab ingreſſu Eccleſiæ, donec ſatisfecerint ad arbitrium illius, cuius ſententiam contempſerunt, *cap. Epiſcoporum, de priuilegiis in 6.* quamquam hoc potius dicitur interdictum, quàm ſuſpenſio. An autem incurratur irregularitas, ſuo loco tradam.

17 Præſumens ſine graui cauſa Miſſam incompletam omittere.

17 Quartadecima eſt contra eum, qui præſumit omittere Miſſam incompletam, ſine graui cauſa: hic enim ſuſpenſus eſt à corpore, & ſanguine Chriſti, *cap. nullus Epiſcopus. de conſecratione diſt. 1.* vbi dicitur, à corpore, & ſanguine Chriſti ſuſpenſus ſit, quem loquendi modum importare cenſuram ipſo facto, ſuperiùs oſtenſum eſt, quamquam Filliucius *num. 103.* Gloſ. & alij putant hanc ſuſpenſionem ferendam eſſe, non autem ipſo iure latam. Grauis cauſa ad omittendam Miſſam inchoato canone cenſetur morbus grauis, aut mentis confuſio, ita vt Sacerdos non poſſit progredi in Miſſa ſine periculo. Ita Sayrus *cap. 17. num. 2.* Si verò canon nondum eſt inchoatus, poteſt ſufficere morbus leuior, aut leuior cauſa. Vide Sayrum *cap. 15. nu. 2. lib. 4.*

18 Clerici etiam exēpti, aut religioſi admittentes ad ſacramenta, &c. publicè excommunicatos denuntiatos, vel interdictos ſuſpēſionem incurrunt.

Obſerua tamen hac ſuſpenſione, meo iudicio, eos non affici, qui Miſſam relinquunt imperfectam, vt ab alio ſuppleatur: ſic enim colligi videtur ex ipſo textu. Immò qui ſub vna tantùm ſpecie communicat, non intendens ſacrificium, quo ad ſumptionem alterius ſpeciei ab alio perfici, non videtur incidere in hanc ſuſpenſionem, quamuis graue ſacrilegium committat, vt habetur *in cap. comperimus 12. diſt. 2. in 3. parte decreti*, & poſſit excommunicari, vt dicitur *in cap. nihil contra 7. q. 1. pagina mihi 771.* vel etiam ſuſpendi, ſeu arceri à ſumptione corporis, & ſanguinis Chriſti, vt habetur *in præfato cap. comperimus.*

19 Admittentes manifeſtos vſurarios ad communionē altaris, &c.

18 Quintadecima eſt contra Clericos, etiam exemptos, & religioſos admittentes ad Sacramenta, ad Eccleſiaſticam ſepulturam, vel ad officia diuina publicè excommunicatos denūtiatos, vel interdictos: hi enim ſuſpenſi ſunt, ſeu potiùs interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ donec ſatisfaciant ad arbitrium illius, cuius ſententiam contempſerunt. *cap. Epiſcoporum. de priuilegiis in 6.* Ita Suarez *diſp. 31. ſect. 2. nu. 5.* Filliucius *num. 99.* & alij quos infrà referam *de interdicto punct. 6.*

20 Sacerdos tam regularis, quàm ſæcularis cōiungens in matrimonium, vel benedicēs ſubditos alterius parœciæ ſine licentia.

Sed aduertendum eſt iſtam ſuſpenſionem, iuxta ſententiam plurimum Doctorum, Auilæ *parte 5. diſp. 5. dub. 4.* Emanuelis Sà *num. 18.* Nauarr. *num. 157. cap. 27.* Henriquez, & aliorum extendi ſolùm ad Clericos exemptos, & priuilegiatos, & ad Religioſos.

Alij verò probabilius aſſerunt extendi ad quoſcumque etiam non exemptos: nam in textu habentur hæc verba, ne aliqui ſæculares, aut regulares quantumcumque exempti; quæ verba, cùm generalia ſint, generaliter intelligenda ſunt.

21 Beneficiarius publicè, & abſque rationabili cauſa partita, vel virgata veſte vtens, ſuſpenſioni ſubiacet.

19 Sextadecima eſt contra eos, qui admittūt manifeſtos vſurarios, videlicet condemnatos de vſuris ad communionem altaris, ad ſepulturam Eccleſiaſticam, vel recipiunt eorum oblationem antequam dederint ſatisfactionem, vel idoneam cautionem de ſatisfactione: iſti enim ſuſpenſi ſunt ab officij executione, donec ſatisfecerint ad arbitrium ſui Epiſcopi, *cap. quia in omnibus. de vſuris.* Ita Henriquez *lib. 13. cap. 38. num. 3.* Coninch. *num. 41.* Filliucius *num. 100.* Suarez *ſect. 2. num. 7. & ſeqq.* & alij, quos retuli *de contractibus.*

20 Decimaſeptima eſt contra Sacerdotem, tam regularem, quàm ſæcularem, coniungentem in matrimonium, vel benedicentem ſubditos alterius parœciæ abſque licentia Parochi, vel ordinarij, hic enim remanet ſuſpenſus ab officio donec ab ordinario Parochi obtineat abſolutionem, ex Trid. *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformatione.* Ita Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 52. num. 4.* Suarez *diſp. 31. ſect. 13. num. 18.* Filliucius *num. 101.* Sayrus *cap. 15. num. 10.* & alij.

22 Quid de Clerico in ſacris conſtituto.

Vtrùm verò Religioſus præter ſuſpenſionem incurrat etiam excōmunicationem latam *in Clement. 1. de priuilegiis*, dictum eſt *de matrimonio quæſt. 2.* non incurrere, iuxta Rebellum. Idem tenet Henriq. *lib. 13. cap. 38. num. 2.* Filliucius *loco citato*, Sayrus *lib. 2. cap. 15. num. 10.* & alij, contra Nauar. *tom. 2. conſiliorum conſil. 1. de pœnis lib. 5.* probatur, tum ex declaratione Cardinalium, tum ne duplex pœna incurratur pro vno delicto, per tradita à Decio *cap. de cauſis, de officio delegati.*

21 Decimaoctaua eſt contra Clericum beneficiarium, qui publicè, & abſque rationabili cauſa vtitur partita, vel virgata veſte, id eſt, habente contextos, & admixtos diuerſos colores: hic enim ſuſpenſus eſt per ſex menſes à recipiendis fructibus beneficiorum: Clericus verò, qui non eſt beneficiarius, ſed eſt initiatus ordine ſacro ſubdiaconatus vel Diaconatus, remanet ſuſpenſus per ſex menſes à recipiendo beneficio, *Clem. 2. de vita, & honeſt. Cleric.* Ita Toletus *loco citato*, Suarez *loco citato ſect. 3.* Coninch. *num. 42.* Filliucius *num. 106.* Sayrus *lib. 4. cap. 15. num. 28.* & alij communiter.

22 Dixi, *publicè*, quia ſecretò vtens, vt domi in ſtudio, vel ſub aliis veſtibus, ita vt publicè non appareat, vel vtens ex aliqua rationabili cauſa, non incurrit huiuſmodi pœnam.

Non deſunt tamen ex recētioribus apud Auilam *dub. 8.* qui dicunt hanc ſuſpenſionem conſuetudine ſublatam eſſe. Alij verò DD. apud Sayrum *cap. 15. num. 28.* addunt Parochos, aut habentes dignitatem, aut Sacerdotes, aut religioſos, qui publicè gerunt in capite pileum lineum, aut huiuſmodi veſtes, incurrere ſuſpenſionem à perceptione fructuum per annum, ex *Clem. citata.* An verò ad illorum reſtitutionem teneantur ante iudicis ſententiam, patet ex dictis *de legibus.*

23 Clericus præſumens commiſſas ſibi Eccleſias alienis debitis grauare, aut litteras, aut ſigilla alteri concedere, quibus poſſit obligari, ſuſpēditur ab adminiſtratione temporalium, & ſpiritualium.

23 Decimanona eſt contra Clericum, qui alienis debitis Eccleſias ſibi commiſſas grauare præſumit, aut litteras, aut ſigilla alteri concedere, quibus obligari poſſit: hic enim ſuſpenſionem ab adminiſtratione temporalium, & ſpiritualium Epiſcopo reſeruatam incurrit, *cap. 2. de ſolutionibus.* Ita Filliucius *cap. 6. quæſito 5. num. 107.* Suar. *ſect. 3. num. 2.* Angelus *v. Suſpenſio 1. num. 10.* aliique præfati DD.

24 Occupantes bona Cathedralis, &c. ſpectantia ad Prælatum defunctum, vel ad ſedem, vel ad ſucceſſorem, Epiſcopatu vacante.

24 Vigeſima contra eos, qui ſede vacante cathedralis, regularis, aut collegiatæ Eccleſiæ occupant bona ſpectantia ad Prælatum defunctum, vel ad ipſam ſedem, vel ad ſucceſſorem, iſti enim incurrunt ſuſpenſionem ab officio, & à beneficiis, donec integrè reſtituant, *cap. quia ſæpe. de elect. in 6.* Suarez *loco cit. ſect. 3. num. 3.* Filliucius *num. 108. & 148.* Sayrus *lib. 4. cap. 12. num. 24.* & Coninch. *num. 43.* qui etiam ex *cap. præſenti, de offic. ordin. in. 6.* obſeruant, ſimilem ſuſpenſionem ferri in Clericos inferiores Epiſcopis, qui bona Eccleſiarum vacantium ſibi ſubiectarum in ſuos vſus conuertunt. Epiſcopi verò id facientes ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpenduntur, *cap. præſenti, cit.* Vide Suarez *diſp. 31. ſect. 5. num. 11. verſ. Quarta ſuſpenſio*, Sayrum *lib. 4. cap. 12. num. 37.* Coninchum, Filliucium, & alios *locis citatis.*

25 Cōpromiſſarius eligens indignum in Epiſcopū, ſuperiorēve dignitatem.

25 Vigeſimaprima eſt contra compromiſſarium, eligentem indignum in Epiſcopum, aut ſuperiorem dignitatem, hic enim ſuſpenditur per triennium à beneficiis, quæ obtinet in Eccleſia de cuius electione agitur, *cap. ſi compromiſſarius. de elect. in 6.* Hoc tamen intellige, modò mortaliter peccauerit in huiuſmodi electione cum ſcientia, textus enim habet verbum, *ſcienter.* Compromittens verò conſentiens electioni indigni, non afficitur pœna ſuſpenſionis, ſed priuatur facultate iterum eligendi, vel compromittendi, *cap. ſi compromiſſarius, cit.* Vide Suarez *diſp. 31. ſect. 3. num. 6.*

26 Eligentes indignos ad Epiſcopatum, vel ad beneficia inferiora animarum curam habentia. Quis Epiſcopus, Curatuſve indignus cēſeatur.

26 Eamdem pœnam ſuſpenſionis à beneficiis per triennium incurrunt eligentes indignos ad Epiſcopatum, vel ad beneficia inferiora curam animarum habentia, *cap. cùm in cunctis. de elect. in 6.* Indignus autem in hac parte dicitur Epiſcopus qui non eſt triginta annorum, qui ex legitimo toto natus non eſt, qui vita, & ſcientia commendabilis non eſt. Indignus etiam cenſetur curator animarum qui 25. annum non attingit, aliiſque enumeratis qualitatibus exultus non eſt. Obſerua tamen cum Sayro *cap. 15. num. 11.* Nauarro, & aliis apud Sayrum, hanc ſuſpenſionem non extendi ad Reges præſentantes illegitimum ad Epiſcopatum, vel ad Cardinales eligentes illegitimum ad Pontificatum, quia *cap. cùm in cunctis*, ſermo ſolùm eſt de Clericis: in pœnis autem non eſt facienda extenſio vltra verborum ſignificationem, *cap. odia, de reg. iuris. in 6.*

27 Impugnantes alicuius electionē, vel poſtulationem, & poſtea in probatione deficiētes.

27 Eadem pœna ligantur illi, qui alicuius electionem, vel poſtulationem impugnant, ſed in probatione deficiunt, id eſt, aliquid obiiciunt, quod probare non poſſunt, *cap. ſi compromiſſarius, cit.* Suarez *ſect. 3. cit. num. 12.* Filliucius *cap. 6. quæſito 7.* Coninchus *num. 44.* Sayrus *lib. 4. cap. 15. num. 11. & 13.* & alij præcit. DD.

28 Epiſcoporum electores infra octo dies poſtquam cōmodè potuerint, præſentationem electo culpabiliter præſentare negligentes, à beneficiis ſuſpenduntur.

28 Vigeſimaſecunda eſt contra electores Epiſcoporum, qui ſi infra octo dies poſtquam commodè potuerint, præſentationem electo culpabiliter non præſentauerint, ſuſpenduntur per triennium à beneficiis, quæ poſſident in illa Eccleſia, de cuius electione agitur, *cap. cupientes. §. ceterùm de elect.* Suarez *diſp. 31. ſect. 3. num. 5.* Sayrus *lib. 4. cap. 15. num. 12.* Viuald. *de ſuſpenſ. num. 96.* Filliucius *num. 109.*

29 Præſumentes ad Eccleſiaſticam præbendā aliquem eligere ſæcularis poteſtatis abuſu ſuſpenſione ligātur. Quis cenſeatur abuſus ſęcularis poteſtatis.

29 Vigeſimatertia eſt contra eos, qui per abuſum ſæcularis poteſtatis contra canonicam libertatem pręſumpſerint aliquem ad Eccleſiaſticam præbendam eligere: iſti enim ſuſpendendi ſunt per triennium ab officio, & beneficio, & eligendi ea vice poteſtate priuantur, conſequenter electus eo pacto, non cenſetur electus, *cap. quiſquis. de elect.* Suarez *diſp. 31. ſect. 3. num. 12.* Sayrus *lib. 4. cap. 16. nu. 16.* Filliucius *num. 114.* Viuald. *num. 98.* Is dicitur eligere cum abuſu poteſtatis ſæcularis, qui electionem facit cum interuentu, & auctoritate Principis ſæcularis nullum ius habentis circa eam electionem.

30 Conferentes, vel recipientes illorū beneficia, qui pro ſuis negotiis Romanā Curiā adierūt, aut aliqua negotia in ea exercēt.

30 Vigeſimaquarta eſt contra conferentes vel recipientes beneficia eorum, qui pro ſuis negotiis ad Romanam curiam acceſſerunt, aut aliqua negotia in ea exercent, iſti enim ſuſpenſi ſunt ab officio, & beneficio, *Extrauag. 3. de priuileg.* Suarez *diſp. 31. ſect. 3. nu. 15. & diſp. 37. ſect.*

sect. 1. *num.* 8. Filliucius *num.* 116. & 148. Hæc suspensio reseruatur Episcopo.

31 Conseruatoris munus exercentes, qui se sciẽter de aliis intromittunt, quam de manifestis iniuriis, aut de iis, quæ iudicialem indaginem non requirunt, suspendũtur.

31 Vigesimaquinta est contra exercentes munus conseruatoris, isti enim suspensionem per annum ab officio, ordinis scilicet, & iurisdictionis, incurrunt si se intromittant scienter de aliis, quàm de manifestis iniuriis, & violentiis, aut suam potestatem ad alia, quæ iudicialem indaginem, id est, ritum iudicialem requirunt, scienter extendant, *cap. vlt. de offic. deleg. in* 6. Suarez *disp.* 31. *sect.* 3. *num.* 17. Filliucius *num.* 118. Sayrus, & alij.

32 Iudex Ecclesiasticus non Episcopus faciens iniuriam cõtra iustitiã, & conscientiam parti litiganti in iudicio.

32 Vigesimasexta est contra iudicem Ecclesiasticum, non Episcopum, qui facit iniuriam contra iustitiam, & conscientiam parti litiganti in iudicio amore, pretio, vel odio, hic enim suspensus est per annum ab executione officij, *cap. cùm æterni. de sent. & re iudic. lib.* 6. Ita Syrus *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 3. Nauar. *num.* 157. Sylu. *verb. Suspensio q.* 6. *num.* 19. Tolet. *loco cit.* Suarez *sect.* 3. *nu.* 16. Filliucius *num.* 117.

Obserua tamen ad hanc censuram hæc duo copulatiuè requiri, vt videlicet fiat contra iustitiam, & contra conscientiam, vt patet ex ipso textu.

33 Iudex excommunicationis sententiam sine scriptis, aut sine causæ expressione ferens, vel requisitus scripturæ copiam intra mensem non tradẽs, ab ingressu Ecclesiæ suspenditur.

33 Vigesimaseptima contra iudicem, qui fert sententiam excommunicationis sine scriptis, aut sine causæ expressione, vel qui requisitus non tradit copiam scripturæ intra mensem: hic enim suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis officiis per mensem, *cap. cùm medicinalis. de sent. excommunic.*

34 Eadem censura ligatur ferẽs censuram excommunicationis sine monitione, & textibus.

34 Item censura interdicti ab ingressu Ecclesiæ per mensem ligatur iudex Ecclesiasticus, ferens censuram excommunicationis sine monitione, & testibus, *cap. cùm medicinalis, cit. & cap. sacro. de sent. excom.* Vide Suarez *disp.* 37. *sect.* 1. *num.* 1. *& seqq.* Filliucium [*tract.* 18. *cap.* 6. *quæst.* 8. *&* 9.] *num.* 146. & quæ suprà diximus de forma in ferendis censuris obseruanda *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 8. *&* 9.

35 Visitatores Episcopis inferiores pecuniam, vel munera in visitatione recipiẽtes, suspenduntur.

35 Vigesimaoctaua est contra Visitatores, qui si in visitatione recipiant pecuniam, aut munera, suspenduntur ab officio, & beneficio, nisi intra mensem duplum restituant eidem Ecclesiæ, à qua acceperunt, donec satisfaciant, sed de hac re infrà dum agam de suspensionibus contra Episcopos.

36 Præsumentes in populari concione in alterutram partẽ de conceptione B. M. V. disputare, aut de hac ipsa quæstione, sub quouis prætextu vulgari lingua scribere, &c. aut in publicis concionibus, &c. assererе audentes Beatissimam Virginem cum originali conceptam fuisse, suspenduntur.

36 Vigesimanona [non solùm contra eum] qui præsumit in concione populari, aut vbi adest virorum, & mulierum multitudo, disputare in alterutram partem de Conceptione B. M. V. asserendo propriam sententiam rationibus, vel auctoritatibus, & alteram refellendo: [verùm etiam,] qui præsumit de hac ipsa quæstione, cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari lingua scribere, vel dictare: hic enim suspenditur à diuinis si est in sacris, necnon priuatur ipso iure omni gradu, & dignitate, & ad similem redditur inhabilis, & à solo Papa dispensari potest, ex Bulla Pij V. quæ incipit, *Super specula.*

Idem Paulus V. die 19. Iulij 1616. & die 31. Augusti 1617. sub iisdem pœnis, & censuris decreuit contra eos, qui in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere audent B. Virginem cum originali peccato conceptam fuisse. [Eamdem pœnam extendit ad eos, qui tuentur in publicis actibus, Beatam Virginem in peccato originali conceptam fuisse, si oppositam sententiam impugnent, aut de illa aliquo modo agant, vel tractent.]

37 Tenor Bullæ Gregorij XV. per quam suspenduntur quicũque in quouis actu, etiam priuato de præfata quæstione quidquam in contrarium asserere præsumpserint.

37 Nouissimè autem Gregorius XV. non solùm id vetuit in actibus publicis, verumetiam priuatim. Videri potest ipsius Bulla quam hic ad verbum referre censui, ne lector in ea inquirenda defatigetur, [vt mihi contigit.]

Sanctissimus D. N. auditis votis Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum, decretum alias editum à fel. rec. Paulo V. eius prædecessore, tenoris sequentis, videlicet:

Sanctissimus D. N. post longam, & maturam discussionem auditis votis Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum re accuratè, ac diligenter perpensa prouidè considerans, quòd quamuis in constitutione fel. rec. Sixti IV. super Conceptione Beatissimæ Virg. Mariæ pro submouendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita, à Sanct. Trident. Synodo innouata, & deinde in alia cõstitutione sanct. me. Pij V. super eadem re, quas similiter Sanctitas sua innouauit cum quibusdam prouisionibus, & adiectionibus pœnarum pro efficaciori earum obseruatione, relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtramque partem, quòd scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur, nihilominus ex occasione assertionis affirmatiuæ in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Christiano, cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dissensiones. Propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris prouidere, decreuit, & præcepit, ac præsentis Decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & singulis cuiusuis ordinis, & instituti regularibus, & aliis quibuscumque, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis cuiusuis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, etiamsi specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessariò mentio facienda, vt in posterum, donec articulus huiusmodi à Sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quòd eadem Beatissima V. fuerit concepta cum peccato originali; contrafacientes autem eadem Sanctitas sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis constitutionibus suorum Prædecessorum, & sua ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen prouisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam quod supra, disposita. Vlterius sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicet quòd non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expresè mandauit, vt extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ constitutiones firmæ, & illæsæ remaneant, & exactè obseruentur perinde, ac si præsens decretum non emanasset. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte supradictis constitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus, &c.

Hoc suo præsenti decreto ex eisdem causis euitandi scandala, dissensiones, atque discordias in populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, & vt accepit, in aliquibus regionibus ortæ iam sunt ex sermonibus priuatis occasione assertionis affirmatiuæ, extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia, & scripta, mandans & præcipiens omnibus, & singulis supradictis ne de cetero, donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus, & scripturis priuatis audeant asserere, quòd eadem Beatissima V. fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen, quibus à Sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto fel. rec. Pauli V. & hoc suo Decreto disposita, eademque Sanctitas sua voluit, & expresè mandauit, vt in reliquis omnibus, vbi huiusmodi Decretis non aduersantur, constitutiones Sixti IV. Alexandri VI. & Pij V. ac Pauli V. eius prædecessorum super conceptione Beatissimæ V. firmæ, & illibatæ remaneant, ac exactè obseruentur, perinde, ac si huiusmodi Decretum non emanasset. Et insuper eadem Sanctitas sua, cum Sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ V. conceptione festum solemnem, & officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm cuiusuis ordinis, & instituti regularibus mandat, ac præcipit, vt in Sacrosancto Missæ sacrificio, ac diuino officio celebrandis, tam publicè, quàm priuatim, non alio, quàm Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem Sanctitas sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis constitutionibus, ac præfato decreto suorum prædecessorum ipso facto incurrendis. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte constitutionibus suprascriptis, Decreto Pauli V. consuetudinibus etiam immemorabilibus, necnon omnibus, & singulis, quæ prædecessores prædicti voluerunt non obstare, ac aliis quibuscumque in contrarium facientibus. Volens, & decernens pro obseruatione, & executione præsentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra huiusmodi transgressores, etiam regulares cuiusuis ordinis, & instituti, etiam quomodolibet, exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & sæculares personas cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, tam Episcopi, & Prælati superiores, aliique ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos seuerè animaduertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, & pœnis coërcendi, & puniendi. Voluit demum ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, quòd præsens Decretum, seu illius exemplar ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent, & afficiant, perinde, ac si vnicuique personaliter intimata fuisset, quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personę in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, & ostensæ.

38 Iurantes sponte de tenendo schismate, suspẽsione ligantur.

38 Trigesima contra eos, qui sponte iurant de tenendo schismate, isti enim suspensi sunt ab ordinibus, & dignitatibus, *cap.* 1. *de schism.* Hæc suspensio reseruatur Episcopo.

An prouocantes ad duellum, vel raptores sint ipso iure suspensi.

His addi posset pœna suspensionis contra Clericos prouocantes ad duellum, vel in eo pugnantes, *cap.* 1. *de Cler. pugnant. in duello.* Verùm ex eo textu non colligitur suspensio, sed potius pœna dispositionis ferenda. An autem incurrat excommunicationem, suo loco ostensum est.

Addi denique potest suspensio contra Clericos raptores ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. Verùm hæc pœna non est ipso iure lata, sed ferenda, vt bene Suarez *disp.* 31. *sect.* 3. *num.* 48. *ad finem*, Filliucius *num.* 134. Ratio est, tum quia Concilium vtitur verbis futuri temporis, si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant, & particula, *ipso iure*, non extenditur ad hanc partem, sed ad excommunicationem ipso iure latam contra alios, tum quia hæc verba desumpta videntur ex *cap. eos, & cap. de puellis* 36. *quæst.* 1. in quibus textibus indicatur pœna ferenda.

39 An Clericus notorius, & publicus cõcubinarius, item publicus peccator, vel sodomita sint ipso iure suspensi.

39 Trigesima prima est, Clericus notorius, & publicus concubinarius, aut fornicarius, iure antiquo incurrebat suspensionem totalem, quæ perseuerabat quamdiu Clericus permanebat in huiusmodi delicto, vt patet ex *canone, si qui sunt dist.* 81. *cap. quæsitum. de cohabit. Cleric. & mulier. cap.* [*nullus, & cap.*] *præter dist.* 32. [Hac de causa Alterius *disp.* 9. *cap.* 5. cum aliis existimat eum, qui ordines recipit ab Episcopo notorio concubinario, aut fornicario, remanere suspensum ab ordinis executione; cùm enim Episcopus ob huiusmodi crimen suspensus, careat vsu, & executione sui ministerij; non potest vsum & executionem ordinum aliis conferre.]

Dixi, *iure antiquo*, quia iure nouo non incurrit, tum quia canones antiqui contraria consuetudine abrogati sunt, vt ait Lazarius *verb. Concubinarius*, Tolet. *lib.* 1. *cap.* 47. Aula 3. *part. disp.* 5. *dub.* 2. Henriq. *cap.* 36. Suarez *disp.* 31. *sect.* 4. Filliucius *num.* 124. & alij, quos retuli *de matrimonio*, [contra Syluestrum *verb. concubinatus.* §. 4. Alterium, & alios.] tum quia ius antiquum correctum est per ius nouum in Tridentino *sess.* 25. *cap.* 14. *de reform.* vbi dicitur huiusmodi Clericos esse suspendendos ab Episcopo præmissa monitione.

Episco-

Epiſcopis verò concubinariis infligitur ſuſpenſio ipſo facto, ſi non reſipuerint, poſtquam fuerint admoniti à Synodo Prouinciali, Suarez *ſect.5.n.24.* Filliucius *tract.17.c.8.n.158.* & alij præcitati Doctores.

Rogabis primò, vtrùm Clericus publicus peccator ſit ipſo iure ſuſpenſus.

Reſpondeo non eſſe ipſo facto ſuſpenſum ſuſpenſione propriè dicta, quia huiuſmodi ſuſpenſio non eſt in iure expreſſa. Ita Auila *loco cit.dub.1.* Couar. *Clement.ſi furioſus 1.parte §.1.num.5.* Henriquez *lib.13.cap.36.* Suarez *diſp.31.ſect.4.num.2.* & alij.

Rogabis ſecundò, vtrùm Clericus Sodomiæ labe coinquinatus ſit ſuſpenſus.

Reſpondeo iuxta dicta *de matrim.q.4.punct.11.prop.2.ad finem*, non eſſe ſuſpenſum, neque irregularem. Ratio eſt, quia ſuſpenſio, & irregularitas non eſt inducenda, niſi in caſibus in iure expreſſis; in iure autem non eſt expreſſa ſuſpenſio, vel irregularitas contra huiuſmodi delinquentem. Ita Auila *loco cit. dub.3.* Filliucius *tract.17. cap. 7. q.4. num.125.* Nauarrus, Henriquez & alij, quos retuli *loco cit.* contra Azorium *3.part.lib.3.cap.19.* Suarez ex parte, & alios.

Vtrùm verò irregularis fiat ratione infamiæ poſt delicti publicationem, conſtabit ex infrà dicendis de irregularitate.

§. II.

De ſuſpenſionibus contra Epiſcopos.

1 Suſpenduntur Epiſcopi, Abbates, &c. à Sede Apoſtolica promoti, ſine litteris authenticis eiuſdem ſedis ſuarum Eccleſiarũ adminiſtrationem recipientes.

1 EPiſcopi, Abbates, & Prælati religionum promoti à ſede Apoſtolica, ſi adminiſtrationem ſuarum Eccleſiarum accipiant, abſque litteris authenticis eiuſdem ſedis, ſuſpenduntur ab adminiſtratione fructuum earumdem Eccleſiarum, *extrauag.1. de elect. inter communes.* Capitula verò, vel conuentus talium Eccleſiarum, qui huiuſmodi Epiſcopos, vel ſuperiores abſque præfatis litteris recipiunt, ſuſpenduntur à beneficiis, donec à Summo Pontifice gratiam obtineant, *extrauag.1.cit.* Videri poteſt Sayrus *lib.4. cap.12. nu.25.* Suarez *diſp.31.ſect.5.num.23.* vbi aſſerit non conſtare vtrùm ſinguli de Capitulo ſuſpenſionem à ſuis beneficiis incurrant, vel totum Capitulum à beneficiis communibus.

2 Epiſcopus, aut alius Epiſcopo ſuperior, qui ab excommunicatis, ſuſpenſis, &c. conſecrationem accipit, ſuſpẽſus remanet.

2 Epiſcopus, aut alius Epiſcopo ſuperior qui conſecrationem accipit ab excommunicatis, ſuſpenſis, vel interdictis, ſuſpenſus eſt à Pontificalibus, *cap.1.& 2.de ſchiſmat.cap.gratia 1.quæſt.1.*

Amplia, etiamſi accipiens conſecrationem à præfatis ignorauerit ipſos eſſe ſuſpenſos, excommunicatos, vel interdictos; hæc enim pœna lata eſt in odium conſecrantis. Ita Suarez *diſput. 31. ſect.1. num. 63.* Maiolus *lib.4.cap.22.* Sayrus, Auila, Filliucius, & alij, quos retuli *num. 6.*

Limita, modò præfati vitandi ſint, quia poſt extrauag. *ad euitanda*, non tenemur toleratos euitare.

3 Epiſcopus extrauag. 2. de elect. Ioannis XXII. quoad fructũ perceptionem primi, vel ſecundi anni ſui Epiſcopatus, non ſeruans.

3 Epiſcopus qui extrauagantem 2. *de electione*, Ioannis XXII. non ſeruat quoad perceptionem fructuum primi, vel ſecundi anni ſui Epiſcopatus, ſuſpenditur à Pontificalibus, & ab ingreſſu Eccleſiæ, donec reſtitutio fiat: facta tamen reſtitutione ceſſat ſuſpenſio abſque alia abſolutione, vt patet ex regulis generalibus. Ita Suarez *loco cit.nu.* 22. Filliucius *num.156.*

4 Conferẽs ordines, vel tonſuram extraneo, ſine licẽtia ſui Epiſcopi ſuſpenſionem incurrit, & hoc valet etiam in minoribus, reſpectu ordinati.

4 Epiſcopus ſuſpenditur à Pontificalibus conferendo ordines, vel primam tonſuram extraneo abſque licentia ſui Epiſcopi, vt patet ex *Trident.ſeſſ.6.cap.5.de reformat. & ſeſſ.23. c.8.* Recipiens verò ordines ab Epiſcopo ſine dimiſſoriis, ſeu licentia Epiſcopi, eſt ſuſpenſus ab ordine ſuſcepto ad arbitrium proprij Epiſcopi, ex Trident. *ſeſſ.23.cap.8.* Vide quæ dixi *num.2.* præterea Sayrum *loco cit.* Toletum *lib.1. cap.48.* Nauarrum, Suarez, Filliucium, relatos *num.2.*

Addo nõ ſolùm eum, qui maiores ordines, verùm etiã qui minores recipit ab alieno Epiſcopo ſine licentia proprij Epiſcopi, ſuſpenſionem ab ordine ſuſcepto incurrere ad beneplacitum, & arbitrium proprij Epiſcopi, ex Trident. *ſeſſ.23.cap.8.* in quem locum ſacra Cardinalium congregatio declarauit huiuſmodi Clericum ſi functiones ordinis eo pacto ſuſcepti exerceat nondum obtenta ab Epiſcopo licentia irregularem fieri, teſte Filliucio *tract.17.cap.5.quæſt.3.*

Quid autem nobis ſentiendum ſit, conſtabit ex dicendis de irregularitate.

5 Ordinans in aliena diœceſi abſque expreſſa licẽtia ordinarij, vel de licẽtia perſonas non ſubditas.

5 Epiſcopus ordinans in aliena diœceſi, abſque licentia expreſſa ordinarij loci, aut ordinans de licentia Epiſcopi perſonas non ſubditas, ſuſpenditur à Pontificalibus in Trident. *ſeſſ.14.cap.2. & ſeſſ.23. cap.8.*

Similiter ordinans coniugatum, exceptis caſibus per canones conceſſis, ſuſpenditur à Pontificalibus. Ita Toletus, Nauarrus, Sayrus, Suarez, Filliucius, & alij *locis citatis.*

6 Ordinans religioſum non profeſſum, ſeu qui votum ſolùm temporale fecit.

6 Ordinans religioſum non profeſſum, ſeu qui non fecit votum ſolemne, ſuſpenſus eſt per annum à collatione ordinum quos contulit, ex Bulla Pij V. quam refert Nauarrus *cap.22. nu.158.* Soibus *verb. Ordines*, & Sayrus *num.21.* Excipiuntur Patres Societatis Ieſu per Bullam Gregorij XIII.

7 Ordinans Monachũ, ſine licentia Abbatis.

7 Ordinans Monachum ſine licentia Abbatis incurrit ſuſpenſionem à communione aliorum Epiſcoporum, *cap.fin. diſt. 58.* quamquam hæc non eſt propriè ſuſpenſio, ſed potiùs quædam prohibitio, quę ad quamdam minoris excommunicationis ſpeciem reuocari poteſt. Vide ſi placet Filliucium *num.139. & 144.* Sayrum *num. 24.* & Henriq. *lib.13.cap.38.*

8 Ordinans bigamum, vel eum qui facit pœnitentiam publicam.

8 Ordinans bigamum, vel eum qui facit pœnitentiam publicam, ſuſpenſus eſt à celebratione per annum, *cap. nullus.diſt.55.*

9 Iniuſtè ordinans inuitum.

9 Iniuſtè ordinans inuitum eſt ſuſpenſus per annum à celebratione Miſſæ, *cap.1.& 2.diſt.74.* Henriq. *lib.13. cap. 38. nu.3.* Sayrus *lib.4.cap. 6.num.23.* vbi refert Angelum, Sylueſtrum, & alios.

10 Ordinãs Sacerdotẽ indignum.

10 Ordinans ſacerdotem indignum ſuſpenſus eſt à collatione ordinis ſacerdotalis, *cap.ſi qui Epiſcopi 1.q.1.* Ita Sayrus *cap.12. nu.17.* Suar. *diſp.31.ſect.5.nu.2.* quamquam hanc ſuſpenſionem non ipſo iure latam eſſe tradunt nonnulli Doct. quos ſequitur Suarez *tom.5. diſp.40.ſect. 8.nu.5.verſ. Tertia eſt.* nam in præfato textu dicitur, ordinationis ius vlterius non habebunt, quod verbum eſt futuri temporis.

11 Conferens tonſuram illiterato, aut infanti, qui nondum compleuit ſeptenniũ.

11 Conferens tonſuram illiterato ſuſpenſus eſt per annum à collatione tonſuræ, *cap. fin. de tempor. ordinat. lib.6.* Ita Sayrus *num.18.* & Henriq. *lib.13.cap.38.nu.2.* Toletus *loco cit.* Ego tamen exiſtimo cum Emanuele Sà *verb. Suſpenſio, nu.13.* hanc ſuſpenſionem non eſſe in vſu.

12 Quis dicatur illiteratus.

12 Ille dicitur illiteratus in præſenti materia, qui neſcit legere, & ſcribere, nam ad receptionem primæ tonſuræ requiritur hæc ſcientia, vt patet ex Trid. *ſeſſ.23. cap.4.*

13 Conferẽs duos ordines eodem die, vel duobus diebus immediatis.

Eadem ſuſpenſione ligatur conferens tonſuram infanti, qui nondum compleuit ſeptennium, vt patet ex *eodem cap. fin. citat.* Suarez *diſp.31.ſect.5.* Sayrus *lib.4.cap.12.* Filliucius *cap.8.quæſt.2.num.140.*

13 Conferens duos ordines ſacros eodem die, vel duobus diebus immediatis, ſuſpenditur à collatione vtriuſque ordinis, *cap. litteras.de tempor. ordinat.* & videri poteſt Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23.* vbi reuocantur priuilegia conferendi duos Ordines ſacros eodem die.

14 Conferens ſacerdotium indigno, aut ab illo ordine ſuſpenſo.

14 Epiſcopus ſacerdotalem ordinem conferens indigno ſcienter, ſeu illi, qui à ſuſceptione ſacerdotalis ordinis eſt ſuſpenſus, incurrit ſuſpenſionem à collatione ordinis ſacerdotalis, *cap.ſi qui Epiſcopi 1. q. 1.* Sayrus *lib.4.cap.12.nu.17.* Filliucius *cap.8.q.2.num.139.* & alij.

15 Conferens ordines cum pacto vt ordinatus alimenta non petat.

15 Epiſcopus conferens ordines cum pacto vt ordinatus ab eo non petat alimenta in defectum beneficij, vel patrimonij, ſuſpenditur à collatione ordinum per triennium, *cap.penult.de ſimonia.* Vide tradita §.1. *num.1.*

16 Conferens ordines, vel tõſuram ſimoniacè ordinatus ſuſpenditur à Pontificalibus.

16 Epiſcopus ſimoniacè conferens ordines, vel primam tonſuram, ſuſpenditur non ſolùm à collatione ordinum, & primæ tonſuræ per triennium, *cap.penult.de ſimonia.* verùm etiam à Pontificalibus, & ab ingreſſu Eccleſiæ, ex Bulla Sixti V. quæ in hac parte reuocata non fuit à Clemente VIII. vt innuit Sayrus *lib.4. cap.12. num.32.* [*& cap.14. num.6.*] idemque tradit Suarez *diſp.31.ſect.4.nu.25.* [*& lib.4. de ſimonia cap.56.num.15.*] Filliucius *tract.17.cap.7.num.128.*

17 Confirmans, & conſecrans iam electũ in Epiſcopum, poſtquam ad ſedem Apoſtolicam fuit appellatum.

17 Epiſcopus, qui Epiſcopum iam electum in Epiſcopatum confirmat, & conſecrat poſtquam appellatum fuit ad Sedem Apoſtolicam, incurrit ſuſpenſionem à confirmatione, & conſecratione Epiſcoporũ per annum, etiamſi partes ab appellatione reſilierint, niſi præmiſſa debita diligentia, cognoſcat nullam fraudem, vel prauitatem in ea re extitiſſe, *cap.prouida.de elect.in 6.* Videri poteſt Suarez *diſp.31.ſect.5.nu. 8.verſ. Secunda ſuſpenſio.* Filliucius *tract.17.cap.3.quæſt.4.num.146.*

18 Epiſcopus, qui debitam non adhibet diligentiam.

18 Epiſcopus, qui debitam non adhibet diligentiam circa proceſſum electionis, & perſonam electi, ad curam animarum ſuſpenditur à facultate confirmandi primum illius ſucceſſorem, & à beneficio, *cap.nihil.de elect.* Sayrus *lib.4.cap.12.num.35.* Henriquez *lib.13. cap.39. num.2.* Viuald. *de ſuſpenſ.num.37.*

19 Epiſcopus, aut alius beneficiorũ collator, beneficij reſignationem contra præſcriptum Bullæ Pij V. admittens.

19 Epiſcopus, aut alius quicumque beneficiorum collator, qui beneficij reſignationem contra præſcriptum Bullæ Pij V. quæ eſt 58. in ordine, edita anno 1568. admittit, incurrit ſuſpenſionem à collatione, præſentatione, electione, confirmatione, vel inſtitutione, donec à Summo Pontifice abſoluatur. Filliucius *num.151.* Sayrus *lib.4.cap.12. num.55.* vbi tenorem Bullæ Pij V. quæ incipit, *Quanta Eccleſiæ*, refert in hæc verba:

Epiſcopi, & alij facultatem habentes, eorum dumtaxat reſignationes beneficiorum recipere, & admittere poſſint, qui aut ſenio confecti, aut valetudinarij, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxij, cenſuriſque Eccleſiaſticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Eccleſiæ, vel beneficio inſeruire, ſeu qui vnum aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoueri, religionem quoque ingreſſuri, vel matrimonium contracturi, ſi ſtatim poſtea id re ipſa exequantur, denique eum, qui ex aliis caſibus acciderit, qui conſtitutione felicis recordationis Innocentij Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Eccleſiis edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficij reſidere ſecuri. Sed nec horum vllus ſacro Ordini mancipatus, niſi religionem ingreſſurus, valeat vllo modo beneficium, vel officium Eccleſiaſticum reſignare, niſi aliunde ei ſit, quo in vita poſſit commodè ſuſtentari. Ad hæc beneficiorum, & officiorum permutationes admittere, quæ Canonicis ſanctionibus, & Apoſtolicis conſtitutionibus permittuntur. Caueant autem Epiſcopi, & alij prædicti, itemque omnes electores, præſentatores, & patroni tam Eccleſiaſtici, quam laici, quicumque ſint, ne verbo quidem, aut nutu, vel ſigno futuri in huiuſmodi beneficiis, & officiis ſucceſſores ab ipſis reſignantibus, aut aliis eorum ſignificatione, vel hortatu deſignentur, aut de his aſſumendis promiſſio inter eos, vel etiam intentio qualiſcumque intercedat. Præcipimus inſuper, & interdicimus, ne ipſi Epiſcopi, aut alij collatores de beneficiis, & officiis reſignandis prædictis, aut ſuis, aut admittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationem audeant prouidere: quòd ſi ſecus, ac etiam quidquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit à quocumque temerè attentatum, id totum ex nunc vires, & effectum decernimus non habere. Qui verò contrà fecerint, vt in eo, in quo deliquerint, puniantur, à beneficiorum, & officiorum collatione, necnon electione, præſentatione, confirmatione, & inſtitutione, prout cuique competierit, tamdiu ſuſpenſi remaneant, donec remiſſionem à Romano Pontifice meruerint obtinere, & qui talia beneficia, ſeu officia recepe-

20 Epiſcopus accipiens aliquid in viſitatione, in pecunia, &c. extenditur ad alios, reſtringitur ad viſitantes ordinario iure: extenditur iterum ad Religioſos, præciſis ſtatutis, &c.

rint, eos prædictis pœnis volumus ſubiacere. Et nihilominus in eos, qui ſic ſuſpenſi conferre, eligere, præſentare, confirmare, vel inſtituere auſi fuerint, excommunicationis [quoad perſonas, quo verò ad capitula, & conuentus, à diuinis ſuſpenſionis ſententiam] ipſo facto promulgamus, quibus nullus alius, quam ipſe Romanus Pontifex ſiue abſolutionis, ſiue relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertire.

20 Epiſcopus accipiens aliquid in viſitatione in pecunia, vel victualibus vltra id, quod ſibi debetur, ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ donec duplum reſtituat, non obſtante quauis remiſſione, *cap. exigit. de cenſibus in 6.* Ita Sayrus, Toletus, Nauarrus, & alij, quos retuli *in 8. præcepto.*

Addo non ſolum Epiſcopum, verùm etiam alios viſitatores Eccleſiarum,

21 Episcopus, aut etiã Cardinalis indicẽ casuum, gratiarum, & Indulgẽtiarum, certo soluto pretio proponens.

22 Episcopus, Commissarius, vel Delegatus, &c. qui per gratiam, timorem, &c. in detrimentum Ecclesiæ sibi commissa potestate vtitur.

23 Episcopi abutentes officio Inquisitorum in causis fidei.

24 Episcopi aliiq; &c. procurãtes vt Clerici capiantur à dominis temporalibus, vt beneficia resignent, vel citati ad Apostolicã sedem accedere nequeant, à fructibus suarum Ecclesiarum suspenduntur.

25 Limitatur modo secutus sit effectus.

Extenditur ad Episcopos, qui simul sunt domini tẽporales, & Episcopi.

26 Episcopus relaxãs pœnã contentam in *cap. pessimam.*

27 Episcopus alienãs bona Ecclesiarum, &c. absque licentia summi Põtificis, suspensionẽ incurrit.

Idem dic de Abbatibus.

28 Episcopus bona Ecclesiarũ sibi cõmissarum, sine Capituli consensu, & sedis Apostolicæ facultate laicis subiiciens, ab officio simpliciter, & ab administratione rerum spiritualium, & temporalium Ecclesiæ grauatæ suspẽditur.

29 Episcopus ingrediens monasteria monialiũ, prima vice suspẽditur ab ingressu Ecclesiæ, secunda à diuinis, tertia excommunicatur.

30 Episcopus Apostolorum limina non visitans, suspẽsionem incurrit.

31 Quantũ tẽporis Italis, Gallis, &c. aut aliis lõginquioribus ad limina visitanda concedatur.

32 Episcopus quipost Concilium Prouinciale infra sex menses clerum non conuocar.

33 Episcopus qui cõtra Simoniacos procedere negligit.

34 Episcopus permittens vsurarios publicos alienigenas conducere domos in suis terris ad exercendũ fœnus, suspenditur.

35 Alij Episcopi inferiores excommunicantur.

1 Suspendũtur Capitula Ecclesiæ, vel monasterij, quæ Episcopũ, aut Prælatũ Religiosũ à Sede Apostolica prouisum, sine litteris eiusdẽ Sedis recipiunt, aut illi obediunt.

2 Capitula, & Collegia, quæ Sede Cathedrali, Collegiata, vel regulari vacante occupant bona ad Prælatũ defunctũ, &c. pertinentia.

3 Capitula & Conuẽtus, qui aliquid directè vel indirectè accipiunt ob receptionẽ alicuius in religionẽ, aut post illam.

4 Moniales conuentionẽ de dote facientes nulli pœnæ subiacent.

5 Suspendũtur Capitula, singulæve personæ beneficiorũ resignationẽ extra casus, & formam Bullæ Pij V. admittentes.

1 Suspenduntur Cõuentus, & Capitula

siarum, aut eorum familiares, si occasione visitationis munera, etiam à sponte offerentibus recipiant, aut etiam in victualibus ab iis, quibus visitationis officium non impendunt, nisi intra mensem duplum restituant; incurrere suspensionem ab officio, & beneficio donec restituant, *cap. exigit. de censibus in 6.*

Nonnulli tamen hanc suspensionem restringunt ad eos, qui iure ordinario, non verò ex delegatione visitant, *cap. Romana. de censibus in 6.* Vide, si per tempus datur, Sayrum *lib. 4. cap. 15. num. 26.* Henriquez *cap. 39. num. 4.* Toletum *loco cit.* Emanuelem Sà *verſ. Suſpenſio num. 15.* Reginaldum *lib. 32. cap. 24.* Suarez *loco citato ſect. 3. num. 15.* & ea, quæ tradidi *in 8. Decalogi præcepto*, dum loquerer de muneribus iudicum.

Alij verò hanc eamdem suspensionem extendunt ad Religiosos, præcisis ipsorum constitutionibus, & legitimis consuetudinibus. Vide præcitatos Doct.

21 Episcopus aliusque superior, etiam Cardinalis, qui indicem casuum, gratiarum, & Indulgentiarum soluto certo pretio proponit, incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, & perceptione fructuum ex Bulla Pij V. quæ incipit, *Quàm plenum.* Vide Sayrum *lib. 4. cap. 12. num. 52.* vbi refert Bullam Pij V.

22 Episcopus Commissarius, vel Delegatus in causa alienationis rerum Ecclesiasticarum, si per gratiam, timorem, aut sordes in detrimentum Ecclesiæ vtatur potestate sibi commissa, suspenditur ab executione officij per annum, ita vt si damnabiliter se ingerat diuinis, suspensione durante, irregularitatem incurrat, quam solus Papa possit auferre, vt dicitur *in extrauag. 2. Pauli II. tom. 1.* quæ incipit, *cum omnib. iudicij*, relata à Suarez *disput. 31. sect. 5. num. 12. verſ. Quinta ſuſpenſio.* [Vide dicta de censuris in particulari, de excommunicationibus reseruatis contra Clericos, vbi etiam explicaui, an hæc suspensio sit reseruata.]

23 Episcopi abutentes officio Inquisitorum in causis fidei suspensi sunt ab officio per triennium, *Clement. 1. §. verum. de hæret.* Illi autem officio Inquisitorum in hac parte abuti dicuntur, qui cõtra iustitiam, & conscientiam prætextu odij, gratiæ, amoris, vel commodi temporalis omittunt procedere in causa hæresis, vbi procedendum erat, vel eodem obtentu, & prætextu prauitatem ipsam, vel impedimentum officij sui alicui imponũt, eumque super hoc præsumpserint quoquo modo vexare, & ob id iure optimo per triennium ab officio suspenduntur, reliqui verò Inquisitores, vel substituti ab Inquisitoribus, vel Episcopis, subiiciuntur vinculo excommunicationis Summo Pontifici reseruatæ. Vide Suarez *disput. 31. sect. 5. num. 16.* Sayrum *lib. 4. cap. 12. num. 50.* Filliucium *tract. 17. cap. 8. num. 153. quæſito 7.* Henriquez *lib. 13. cap. 38. num. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 100.*

24 Episcopi, aliique Prælati tam sæculares, quàm regulares procurantes, vt Clerici capiantur à dominis temporalibus vt beneficia resignent, vel citati ad Apostolicam Sedem accedere nequeant, præter excommunicationem ob violentam manuum iniectionem, suspenduntur per triennium à fructibus suarum Ecclesiarum, *Clement. 2. de pœnis.* reliquis verò inferioribus imponitur pœna priuationis omnium beneficiorum, Suarez *loco cit. num. 17.* Filliucius *num. 153. verſ. Dico tertiò.*

Dices, Episcopi non incurrunt suspensiones nisi exprimantur, *cap. periculoſum, de ſentent. excom. in 6.* in Clement. autem 2. citata non exprimuntur Episcopi, sed Prælati.

25 Respondeo Episcopos nomine Prælatorum quasi per antonomasiam comprehendi. Ita Suarez, & Filliucius *locis cit.* [Alterius *diſp. 16 cap. 3. col. 1.*] Panormit. & alij apud Suarez.

Ex dictis igitur constat Episcopos, alioque Episcopalem iurisdictionem habentes, vt sunt nonnulli Abbates, incurrere suspensionem à fructibus suarum Ecclesiarum quoties delinquunt contra prefatam Clem. 2. isti enim nomine Prælatorum veniunt. Hoc tamen limita, modò effectus secutus sit, id est, modò captus beneficium ob talem vim renuntiauerit, aut ob eam causam Sedem Apostolicam adire nequierit præscripto sibi tempore. Ratio est, quia censura non incurritur nisi completo actu sub censura prohibito: sub censura autem in præfata Clement. non prohibetur actio ipsa simpliciter independenter ab effectu, vt patet ex illis verbis, Ecclesiasticos capere, captosque donec sua resignent beneficia, aut ne citati ad Sedem Apostolicam venire valeant, ausu sacrilego detinere non verentur. Vide Suarez *loco citato à num. 17. vſque ad 22.* Filliucium *num. 155.* & Bernardum Diaz *in pract. crimin. cap. 104.* Immò præfati Doctor. hanc pœnam extendunt ad Episcopum, qui simul est Dominus temporalis, & Episcopus, ipsequemet huiusmodi Clericum capit, aut detinet ad præfatum effectum, tunc enim verum est dicere Episcopum procurare vt Clericus capiatur, nec opus est vt procuret tamquam Episcopus, sed sufficit eum, qui hoc procurat, Episcopum esse, seu Prælatum.

26 Episcopus relaxans pœnam contentam *in cap. peſſimam 23. quæſt. 8.* suspenditur ab officio Episcopali per annum. Sayrus *lib. 4. cap. 12. num. 44.* Filliucius *num. 159.*

27 Episcopus alienans bona Ecclesiarum, monasteriorum, vel locorum piorum absque licentia Summi Pontificis, suspenditur ab ingressu Ecclesiæ. Quòd si elapsis sex mensibus non resipuerit, suspenditur ab administratione temporali, & spirituali suæ Ecclesiæ.

Eadem suspensio extenditur ad Abbates. Alij verò inferiores liganter excommunicatione per extrauag. *Ambitiosè.* Ita Sayrus *num. 54.* Toletus *loco cit.* & alij, quos retuli *de Contractibus.*

28 Huc spectat alia suspensio simpliciter ab officio, & ab administratione rerum temporalium Ecclesiæ grauatæ lata contra Episcopos, & alios Prælatos, qui bona immobilia Ecclesiarum sibi commissarum laicis subiiciunt sine capituli cõsensu, & speciali Sedis Apostolicæ facultate, exceptis casibus in iure permissis, *cap. hoc conſultiſſimo, de rebus Eccleſiæ non alienand. in 6.* Vide Suarez *diſp. 31. ſect. 5. nu. 9. verſ. Tertia ſuſpenſio.* Filliucium *tract. 17. cap. 8. quæſito 6.*

29 Episcopus qui prima vice monasteria Monialium sine necessitate ingreditur, suspensionem incurrit ab ingressu Ecclesiæ. Secunda vice suspenditur à diuinis. Denique si iterum ingrediatur, excommunicatione ligatur, ex constitutione Gregorij XIII. Vide dicta de clausura.

30 Episcopus qui limina Apostolorum non visitat singulis tribus annis per se, vel saltem per alium dum ipse detinetur impedimento, incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, perceptione fructuum, & administratione temporalium, & spiritualium.

31 Ad visitanda limina Apostolorum Episcopis Italis, & illis vicinis, conceditur tempus trium annorum. Germanis, Gallis, Hispanis, & ceteris Europæ Episcopis induciæ quatuor annorum cõceduntur. Aliis verò longiùs distantibus longius tempus conceditur, ex Sixto V. in Bulla de visitandis liminibus Apostolorum, quam refert Sayrus *lib. 4. cap. 12. num. 33.*

32 Suspenditur Episcopus, qui post Concilium Prouinciale infra sex menses Clerum non conuocat, vt illi referat gesta in Concilio Prouinciali, *cap. fin. diſt. 8.* Hoc tamen non esse in vsu etiam in Hispania, in qua illud ius statutum fuit in Concilio Toletano, testatur Suarez *loco cit. num. 7.*

33 Episcopus, qui contra Simoniacos procedere negligit, suspensionem ab officio per duos menses incurrit, *cap. quidquid 1. quæſt. 1.*

34 Episcopus permittens vsurarios publicos alienigenas conducere domos in suis terminis ad exercendum fœnus, est suspensus ab officio, & beneficio, donec illos expellat. *cap. vſuras. de vſuris lib. 6.* Suarez *ſect. 5. num. 13.* Filliucius *num. 152.* Sayrus *lib. 4. cap. 17. num. 48.* & alij.

35 Eadem de causa aliis Episcopis inferiores id permittentes excommunicantur, & Communitates interdicuntur, vt suo loco ostensum est, vbi etiam explicatum est, vtrùm hoc valeat in quibuscumque vsurariis publicis, an solùm in iis, qui per sententiam de huiusmodi crimine denuntiati sunt.

§. III.

De suspensionibus laicis contra Conuentus, & Capitula.

1 CApitula Ecclesiæ, vel monasterij, quæ Episcopum, aut Prælatum religiosum à Sede Apostolica prouisum, sine litteris eiusdem sedis recipiunt, aut illi obediunt, suspenduntur à beneficiis, *extrauag. 1. de elect.* de qua re superiùs egi, cùm suspensiones in Episcopos latas explicarem.

2 Capitula, & Collegia, quæ Sede Cathedrali, Collegiata, vel regulari vacante, occupant vel dilapidant bona ad Prælatum defunctum, vel ad ipsam Ecclesiam, vel ad successorem pertinentia, suspenduntur ab officio, & beneficio, donec plenam restitutionem fecerint, *cap. quia. de elect.*

Eadem censura fertur in singulares personas huiusmodi delictum patrantes, vt suo loco ostendi cum Suarez, Conincho, & Filliucio, quibus adde Sayrum, non solùm *loco ibi cit.* verùm etiam *cap. 13. num. 26.*

3 Capitula, & Conuentus, qui aliquid directè, vel indirectè accipiunt, aut petunt ob receptionem alicuius in religionem, aut post illam, incurrunt ipso iure suspensionem totalem, id est, ab officio, & beneficio Papæ reseruatam, siue quod accipiunt sint pecuniæ, cibaria, prandia, cœnæ, iocalia, aut alia, etiam ad pium vsum pertinentia, *Clement. sanè. de simonia.* Nauarrus *loco cit.* Sayrus *lib. 4. cap. 13. num. 27.* Filliucius *num. 161.* Viualdus *in candelabro tit. de ſuſpenſ. num. 45.* & alij. [Ista suspensio explicata fuit in tractatu *de Simonia*, vbi etiam explicaui, vtrùm moniales, conuentionem de dote facientes, alicui pœnæ subiiciantur.]

4 Capitula, aut singulæ personæ resignationem beneficiorum admittentes extra casus, & formam Bullæ Pij, quæ incipit, *Quanta Eccleſiæ*, incurrunt suspensionem à collatione, præsentatione, & institutione, & Capitulum faciens contra istam suspensionem, afficitur suspensione à diuinis Papæ reseruata. De hoc casu, quatenus singulares personas afficit, actum est *in §. 2. de ſuſpenſionibus latis contra Epiſcopos.*

5 Capitula, vel potiùs singulares personæ, aliquem ad professionem admittentes nondum expleto probationis anno, de qua re alibi egi.

§. IV.

De suspensionibus contra Religiosos.

1 PRima est contra conuentus, & Capitula, quæ aliquid petunt, vel accipiunt ob receptionem alicuius in religionem, ista enim incurrunt suspensionem ab officio, & beneficio. Sed de hac suspensione vide suprà *§. 3. de ſuſpenſionibus contra conuentus, & Capitula.*

Rogabis vtrùm religiosi incurrant censuras, quæ simpliciter latæ sunt in Clericos.

Respondeo negatiuè, iuxta communiorem sententiam, tum quia religiosi simpliciter non dicuntur Clerici, maximè in pœnis quæ restringendæ sunt, *cap. odia, & cap. in pœnis. de regulis iuris*; tum quia Clerici non incurrunt censuras positas contra religiosos; ergo neque religiosi pœnas contra Clericos. Ita Vgolinus *tab. 4. cap. 11. §. 2.* Sayrus *cap. 13. num. 21.* & alij.

2 Secunda contra Prælatum prædicatorum minorum, & mendicantium, qui aliquem admisit ad probationem, nondum expleto probationis anno, hic enim incurrit suspensionem recipiendi ad professionem, *cap. non ſolùm, de regularibus in 6.* nec professio valida est, ex Sayro *cap. 13. num. 13.* Henriquez *lib. 13. cap. 40. num. 2.* Nauarr. *cap. 27. num. 157.* Suarez *loco cit. ſect. 6. num. 6.* Filliucio *num. 166.* & aliis.

3 Tertia contra religiosos, qui ad ordines sacros, nondum facta professione promouentur: isti enim suspensi sunt ab ordinum susceptione. Vide Bullam Pij V. quæ est 74.

4 Quarta contra religiosum apostatam, qui si ordinem sacrum susci-

aliquid in receptione alicuius in religionem petentia, & an religioſi incurrant cenſuras in Clericos ſimpliciter latas.

2 Prælatus Prædicatorũ minorũ mendicantiũ admittens aliquẽ ad probationem nondum expleto profeſſionis anno, ſuſpẽſionẽ incurrit.

3 Item ſuſpenduntur religioſi, qui ad ſacros Ordines nondũ profeſſione facta promouẽtur.

4 Suſpenditur quoque Apoſtata ſaciũ Ordinem in Apoſtaſia recipiẽs, quid de tranſeunte ad aliam religionem inualidè, & in ea ſacros Ordines recipiente.

5 Religioſi quicũque monaſteriis præſidẽtes, &c. iura, reditus, vel poſſeſſiones eorum monaſteriorũ, &c. alicui quouis modo concedentes, &c. pecunia etiã inde recepta, ſuſpenduntur.

6 Grauantes, ſeu defraudantes Eccleſias circa decimas eis debitas, eaſq; ſine cauſa, vel priuilegio ſibi vſurpare præſumentes ſuſpenſione ligantur.

7 Suſpenduntur Fratres Ordinis Prædicatorum non reddentes Ordini libros, & alia quæ habẽt dũ ad Epiſcopatum, aliaſve Prælaturas promouentur.

ſcipiat, dum in apoſtaſia remanet, ſuſpenſus eſt ab ordine ſic ſuſcepto, & ab aliis ſuſcipiendis, donec per Summum Pontificem diſpenſetur, *cap. fin. de Apoſtatis.*

Idem militat in eo, qui ad aliam religionem inualidè tranſit, & in eadem ſacros ordines capit, hic enim adhuc dicitur Apoſtata. Secus ſi ordines ſacros capiat poſtquam ad ſuam religionem rediit, & abſolutionem à vinculo excommunicationis obtinuit: nam hic non dicitur ordines ſacros ſuſcipere dum in apoſtaſia perſeuerat. Vide Suarez *diſp.31.ſect.6. num.1.& ſeqq.* Filliucium *tract.17. cap.9. quæſt.1. & 2. num.163.& ſeqq.* Sayrum *lib.4.cap.13. num.17.* Henriquez *lib.13. cap.40.num.1.* quamuis hic putet præfatum Apoſtatam irregularem, non verò ſuſpenſum. Hæc ſuſpenſio reſeruatur Papæ, vt dictum eſt.

[Hic agendum eſſet de ſuſpenſione, quam religioſus à religione electus ipſo facto incurrit, ab exercitio ordinum, ob decretum ſacræ Cardinalium Congregationis, de facultate Summi Pontificis Vrbani VIII. editum die 21. Septembris 1624. ibi, *item vt electi, extra religionem degentes, ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio ordinum, ſublata ordinariis locorum facultate, dictam ſuſpenſionem relaxandi, aut moderandi.* Secus dicendum eſt de illis qui iterum recipiuntur; nam in dicta declaratione ſermo eſt de electis degentibus extra religionem.

Ex quo ſequitur, religioſum electum vinculo irregularitatis obſtringi celebrando, quia violat ſuſpenſionem per exercitium ordinis ſacri. Eadem Congregatio priuationem officiorum, vocis actiuæ & paſſiuæ, & inhabilitatem ad illa in poſterum obtinenda inflixit contra ſuperiores religionum, non ſeruantes decreta ſacræ Congregationis, edita pro Apoſtatis, vel electis, & hanc pœnam Summo Pontifici reſeruauit. Verùm de hac re ſatis egi in tractatu *de clauſura.*]

5 Quinta contra religioſos quoſcumque, ſiue mares, ſiue feminas, aut etiam religioſos militares, præſidentes monaſteriis, prioratibus, Eccleſiis, & adminiſtrationibus quibuſcumque, qui ſi iura, reditus, vel poſſeſſiones eorum monaſteriorum, prioratuum, Eccleſiarum, & adminiſtrationũ quouis modo conceſſerint alicui ad vitam ipſius recipientis, vel concedentis, ſiue ad certum tempus, pecunia etiam inde recepta, ſuſpenſi ſunt ab officio, & inualida eſt conceſſio. Hæc tamen limita, niſi neceſſitas, aut vtilitas monaſteriorum, prioratuum, Eccleſiarum, aut adminiſtrationum id exigat, & hoc fiat de conſenſu conuentus, ſi conuentum habeat, aut de conſenſu prælati ſuperioris, ſi conuentum non habeat. *Clement.1. de rebus Eccleſiæ non alienand.* In hac tamen Clement. non comprehenduntur venditiones fructuum, aut locationes ad breue tempus, quale cenſetur ſpatium trium annorum, vt in ſimili patet ex *extrauag. Ambitioſè*, Pauli II. *de rebus Eccleſiæ non alienand.* Vide Suarez *diſput. 31. ſect.6. num.8. & ſeqq.* Filliucium *num.168. & ſeqq.* Nauarr. *cap.27. num. 157.* Sayrum *lib.4. cap.13. num.12.* Viuald. *de ſuſpenſ. num. 73.* Henriquez *loco citato num. 1.*

6 Sexta contra religioſos iniquè vſurpantes, ſeu defraudantes Eccleſias, circa decimas eis debitas, eaſque ſine rationabili cauſa, aut priuilegio ſibi vſurpare præſumentes, ſi requiſiti ab illis, quorum intereſt, non deſiſtant intra menſem, vel de vſurpatis, vel retentis intra duos menſes non ſatisfaciant, ſuſpenſi ſunt ab officiis, adminiſtrationibus, & beneficiis ſuis, donec deſtiterint, & ſatisfecerint, *Clement. 1. de decimis.* Quòd ſi huiuſmodi religioſi, nec officia, nec adminiſtrationes, nec beneficia habeant, ligantur vinculo excommunicationis, à qua nequeunt abſolui, donec ſatisfaciant, *Clement. 1. cit.*

Amplia primò, & extende hanc propoſitionem ad eos, qui decimas animalium à familiaribus, & paſtoribus ſuis ſolui non permittunt, modò requiſiti non deſtiterint, vt dicitur *in Clement.1.cit.* & ibi non permittunt.

Amplia, & extende ſecundò ad quoſcumque religioſos, etiam feminei ſexus, nam in Clement. dicitur *religioſi quicumque*; immò etiam extenditur ad equites militares, qui verè ſint religioſi, vt patet ex allata ratione, idemque tradit Suarez *num.9.*

Limita primò, [niſi vſurpantes intra duos menſes reſtituant, aut niſi prohibentes & impedientes deſtiterint intra menſem, poſtquam] requiſiti fuerunt ab ipſis rectoribus Eccleſiarum, quamdiu enim requiſiti non ſunt, hanc cenſuram non contrahunt, quia cenſura incurritur, niſi adimpleta conditione, ſub qua fertur: præfata autem fertur à iure ſub ea conditione. Vide Sayrum *lib.4.cap.13.num.10.* Viualdum *de ſuſpenſ.num.101.* Henriquez *lib.13.cap.49.num. 3.* Suarez *diſp. 31.ſect.6.num.9.*

Limita ſecundò, modò iſti in ſtatu religioſo viuant, verba enim formaliter intelligenda ſunt: ob id religioſus ad Eccleſiam ſæcularem tranſlatus non afficitur hac cenſura. Nauarrus *cap.27.num.38.* Suarez *num.9.* & alij contra Roſellam *verb. Excommunicatio caſu 39.*

Limita tertiò, modò interueniat prohibitio, vel vſurpatio, &c. conſequenter hac cenſura non ligatur religioſus, qui decimas ſimpliciter non ſoluit. Secus ſi dicat non eſſe debitas, eaſque ſub ea ratione retineat, aut ſi ſciens illas eſſe debitas ſolui prohibeat, nam in præfata Clement. habentur hęc verba, *appropriare, vſurpare, retinere, prohibere*, &c. quæ iuxta propriam ſignificationem non cadunt in quamcumque negationem ſolutionis, vt benè ponderat Suarez *loco citato.*

Limita quartò, modò adſit preſumptio [in appropriãtibus & vſurpantibus:] nam in textu habetur verbum, *præſumpſerint*, [in prohibentibus verò, vel non permittẽtibus, requiritur admonitio;] ex quo infertur ignorantiam, etiam culpabilem excuſare, & à fortiori bonam fidem, vt ſi credant ex priuilegio, vel conſuetudine ius decimarum ſibi competere, Filliucius *num.169.* Suarez *num.9.* & alij.

7 Septima contra fratres ordinis Prædicatorum, qui ſi poſtquam promoti ſunt ad Epiſcopatum, aut alias prælaturas, conſecrationem ſuſcipiant, antequam reddant ordini libros, & alia, quę tempore promotionis habent, incurrunt ſuſpenſionem à Pontificalibus Papę reſeruatam, vt probat S. Antoninus *3.parte tit.27. de ſuſpenſion. cap.4.* ex quodam priuileg. Clementis IV.

8 Octaua contra Prælatos religioſorum, ad quos occaſione exceſſuum religioſorum ſuorum ibi prohibitorum, aliquid quoquo modo peruenerit, iſti enim abſolutè, & ſimpliciter ſuſpenduntur vſque ad debitam ſatisfactionem, niſi intra menſem, poſtquam requiſiti fuerint de eo, ſatisfecerint Eccleſiis, & perſonis damnificatis, *Clement.1. de priuilegiis.*

8 Prælati religioſorũ ad quos occaſione prohibitorũ exceſſuũ à ſuis ſubditis commiſſorum, aliquid quoquo modo peruenerit.

9 Rogabis, quinam exceſſus in præfata Clement. prohibeatur.

Reſpondeo tres eſſe. Primus eſt retrahere teſtantem à legatis faciendis Eccleſiis matricibus. Secundus eſt retrahere teſtatorem à debitis reſtituendis. Tertius eſt procurare vt legata, debita, vel malè ablata incerta dentur ſibi, aut aliis ſingularibus perſonis ſui ordinis, vel conuentibus in præiudicium aliorum, quibus debentur, Suarez *ſect.6.num.11. per totum.* Sayrus *lib.4. cap.13. num.11.* Nauarr. *cap.26. num.36.* Henriquez *loco cit.num.4.* Filliucius *num.171.* Viuald. *de ſuſpenſ. num.75.*

9 Quinam ſint exceſſus prohibiti in Clementina.

Obſerua tamen cum Sayro, Nauarro, & Viualdo *locis cit.* vetitum non eſſe religioſis certiores facere moribundos de ſua neceſſitate, ipſoſque hortari vt aliquid ſuo monaſterio ſponte legent: hoc enim in præfata Clement. interdictum non eſt.

10 Similis ſuſpenſio habetur in dicta Clement. contra Prelatos religioſorum, qui non ſatisfaciunt damno illato Prælato à ſuis ſubditis in concione prædicando indiſcretas indulgentias, retrahendo laicos ne ad parochiam accedant, vel abſoluendo ſine priuilegio à reſeruatis Epiſcopo, aut Papæ. Vide omnino *Clement. religioſi. §. quibus. de priuilegiis*, vbi plura religioſis prohibentur.

10 Prælati religioſorũ non ſatisfaciẽtes Prælato de dãno à ſuis ſubditis in concione illato ſuſpenſi remanent.

11 Nona contra Confeſſarios religioſos, qui ſcienter omittunt conſcientiam facere pœnitentibus ſibi confitentibus de ſoluendis decimis, poſtquam à rectoribus Eccleſiarum de hoc requiſiti fuerint: iſti enim incurrunt ſuſpenſionem ab officio prædicandi donec eiſdem pœnitentibus conſcientiam circa eamdem rem fecerint, ſi commodè potuerint. *Clement. cupientes. de pœnis.* quòd ſi præfati Confeſſarij eo pacto ſuſpenſi concionari audeant, ligantur excommunicatione, vt habetur in præfata *Clement. cupientes.* Vide Sayrum *num.18.* Viualdum *num.16.* Henriquez *loco citato*, Suarez *diſput.31.ſect.6.num.12.* Filliucium *num.172.* religioſi verò concionatores, qui de hac re à rectoribus requiſiti ſcienter intermittunt hoc populo ſuadere, non incurrunt vllam ſuſpenſionem, ſed puniendi ſunt à ſuis Prælatis. *Clementin. cupientes, citata.*

11 Cõfeſſarij, qui requiſiti pœnitentibus ſibi confitentibus conſcientiã de ſoluẽdis decimis ſcienter facere prætermittũt, ſuſpenſionem contrahunt.

12 Decima contra Abbates, alioſque quoſcumque, licèt exemptos, qui incurrunt ſuſpenſionem ab officio, & beneficio per annum, ſi litteras dimiſſorias aliis, quàm ſuis ſubditis regularibus concedant, ex Concilio Trident. *ſeſſ.23.cap.10. ad finem.*

12 Abbates, aut alij quicũque, licèt exempti litteras dimiſſorias aliis, quàm ſuis regularibus ſubditis concedẽtes ſuſpenſioni ſubiacent.

Eamdem ſuſpenſionem extendi putat Sayr. *lib.4.cap.13. num.5.* ad Abbates conferentes tonſuram, vel minores ordines aliis, quàm ſuis ſubditis regularibus. Verùm hæc extenſio non videtur admittenda, quia Concilium Trident. imponit ſuſpenſionem tantummodò concedentibus dimiſſorias, eamque ad Abbates, & ad alios, etiam ad collegia, aut Capitula Cathedralis Eccleſię, ſimiles dimiſſorias concedentia, (excepto caſu quando ſedes Epiſcopalis per annum vacauit, vt alibi oſtendi,) extendit, Concilium enim vtitur verbis generalibus quæ ad omnes dirigantur, de quibus in antecedentibus ſermo fuerat. Vide Concilium Tridentin. *loco citat.* Sayrum *loco citato.*

13 Item cõcedentes dimiſſorias, vel ordines, nouitio nondũ expleto probationis anno.

Hinc ſequitur præfatos Abbates, altoſque exemptos ſubiici huic pœnæ dum litteras dimiſſorias faciunt Clerico ſæculari, quamuis hic aliàs ad ſuam iuriſdictionem pertineat. Secus ſi eas concedant religioſo. Ratio eſt, quia Concilium loquitur de concedentibus dimiſſorias Clericis ſæcularibus.

13 Maior difficultas eſt vtrùm Abbas regularis hac ſuſpenſione ligetur concedendo dimiſſorias, vel conferendo ordines nouitio, nondum expleto probationis anno, Maiolus *lib.4.cap.2.num.11. ad finem*, innuit ſuſpenſionem incurrere conferendo primam tonſuram, vel minores ordines nouitio, Sayrus verò *num.5.* & Henriquez *lib.13. cap.38.nu.2. ſub finem in Comment. litt. A.* vbi refert Lapum, Io. Andr. & Geminianum, docent huiuſmodi Abbatem peccare conferendo tonſuram, ſed non eſſe ſuſpenſum: nouitium verò à monaſterio recedentem non gaudere priuilegio tonſuræ.

Ego, vt in hac re gradatim progrediar, dico primò huiuſmodi Abbatem ordines, ſcilicet tonſuram, nouitio conferentem peccare quidem, quia confert ordines, vel tonſuram illi, qui ſibi in hac re ſubditus non eſt, non tamen incurrere ſuſpenſionem in Tridentino latam, quia Concilium ibi non loquitur de conferentibus ordines, vel tonſuram. Quid verò de Epiſcopis ordines conferentibus religioſis non profeſſis ſentiendum ſit, ſuperiùs dixi de Epiſcopis conferentibus ordines iis, qui non ſunt ipſorum ſubditi, & clariùs conſtat ex traditis de Sacramento ordinis. An verò præfatus Abbas incurrat ſuſpenſionem à Pio V. latam, videri poteſt apud Nauarr. *cap.27.num.58.*

Dico ſecundò huiuſmodi Abbatem concedentem nouitio dimiſſorias ad ſuſcipiendos ordines, incurrere ſuſpenſionem ſi nouitius clericali tonſura initiatus iam ſit, nam huiuſmodi Clericus nondum eſt religioſus, & in hac parte præſumitur, & reputatur Clericus ſæcularis, & quoad ordines ſuſcipiendos habetur pro non ſubdito ipſi Abbati. Si verò concedat dimiſſorias ad primam tonſuram, probabiliter mihi dicendum videtur Abbatem non ligari ſuſpenſione, quia Concilium loquitur de iis, qui dimiſſorias concedunt Clericis ſæcularibus: nouitius autem carens prima tonſura non dicitur Clericus, præſertim ſæcularis.

14 Vndecima contra Monachum nigrum S. Benedicti non vtentem habitu, & veſtitu ad formã præſcriptam *in Clement. 1. §. ſi quis autem, de Statu Monach.* hic enim ſi fuerit Abbas, aut Prior Abbatem non habens, ſuſpenditur à collatione beneficiorum ordinum per annum: ſi ſit inferior habens aliquam adminiſtrationem, eadem priuatur per annum: ſi verò nullam habeat adminiſtrationem, inhabilis ſit ad illam, vel ad beneficium intra annum recipiendum. Ita Doctores ſtatim citandi.

14 Suſpenditur Monachus niger S. Benedicti habitu & veſtitu, iuxta præſcriptã formam non vtens.

Obſer-

Obserua tamen ad hanc censuram, non solùm requiri culpam mortalem, verùm etiam præsumptionem, nam in textu dicitur, *portare præsumpserint*. Quamobrem ab hac censura excusatur, non solùm qui cum inaduertentia prohibitionis vetitum habitum defert, verùm etiam qui vetito scienter vtitur ad breue tempus: immò Suarez *num.* 10. *sect.* 6. requiri putat vt per modum ordinarij habitus, vtatur habitu sibi prohibito.

15 Eadem suspensio, duplicato tempore, extenditur ad eosdem Monachos, qui venationi, vel aucupationi clamorosæ, aut aliàs cum canibus, aut auibus ex proposito intersunt, *Clement. 1. cit.*

15 Idem Monachi aucupationi, aut venationi clamorosæ ex proposito interessentes suspensi remaneant.

Obserua tamen paruitatem materiæ, vel etiam inaduertentiam, & bonam fidem, vel interessentiam casualem à præfata suspensione excusare, quia in textu dicitur, *ex proposito interfuerit*. Ita Suarez *disput.* 31. *sect.* 6. *num.* 10. Filliucius *num.* 170. Rainerius *de suspension. cap.* 3. *suspens.* 6. *vers. Hæc suspensio.* Sayrus *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 6. *& seqq.* Vialdus *de suspens. num.* 94. *&* 95. Henriquez *loco cit.* & antiquiores Canonistæ communiter, qui etiam obseruant potestatem conferendi beneficia suspenso Abbate, deuolui ad Priorem claustralem cum consilio, & consensu maioris partis Capituli, seu Conuentus.

16 Duodecima contra Fratres Prædicatores, qui perturbare præsumpserint officium Inquisitoris à Fratribus Minoribus exercitum: isti enim suspensionem ipso facto incurrunt ab executione Ordinum sacrorum, quousque absoluantur à Sede Apostolica, aut ab illo, cuius officium perturbarunt.

16 Fratres prædicatores, Inquisitoris officium à minoribus fratribus exercitum perturbare præsumentes suspensionem incurrunt, & è contra.

Eadem suspensione ligantur Fratres Minores perturbantes officium Inquisitoris à Prædicatoribus administratum. Sic habetur in quodam priuilegio Clementis IV. quod incipit, *Paupertatis altissimæ*, & eiusdem meminit S. Antoninus 3. *part. tit.* 28. *de suspensione cap.* 4. Viualdus *de suspens. num.* 100. Sayrus *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 13.

17 Tertiadecima contra Religiosos coniungentes in matrimonium, vel benedicentes sponsos alienæ parœciæ absque facultate proprij Parochi, vel ordinarij, isti enim suspensi sunt, vt superiùs ostensum est §. 1. *num.* 20. *suspens.* 17. Hæc suspensio reseruatur Episcopo, vt ibi dictum est.

17 Religiosi coniungentes in matrimonium, vel benedicentes sponsos alienæ parœciæ absque parochi facultate.

18 Quartadecima contra Religiosos præsumentes introducere mulieres in monasteria, isti enim suspensi sunt à diuinis, priuati beneficiis, & ad illa inhabiles, ex Bulla Pij V. quæ incipit, *Regularium*. Ita Sayrus *cap.* 13. *num.* 20. per eamdem Bullam Pij V. quæ incipit, *Regularium*, & per Bullam Gregorij XIII. quæ incipit, *Vbi gratiæ*, excommunicantur mulieres ingredientes monasteria virorum, & viri ingredientes monasteria monialium sub prætextu facultatum, vel etiam absque facultate, iuxta stylum sacræ Pœnitentiariæ, de qua re videndus est Nauarrus *cap.* 27. *num.* 150. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 17. *nu.* 11. Emanuel Sà *verb. Excommunicatio num.* 15. Capeauilla *de violatione monialium*. Quis verò possit ab hac excommunicatione absoluere, alibi ostendimus.

18 Religiosi præsumẽtes introducere mulieres in monasteria.

Nonnullæ aliæ suspensiones Religiosos afficiunt, vt quæ feruntur contra visitatores, quas hic prætermitto, quia sufficienter explicatæ sunt in præcedentibus. Addo me hic non explicasse suspensiones particulares alicuius diœcesis, prouinciæ, vel Religionis, quia quilibet eas in propriis constitutionibus consulere debet: alioquin numquam finis huic tractatui imponi posset, cùm infinitæ ferè sint censuræ à singularibus personis, ac superioribus in suos subditos latæ.

Denique circa absolutionem à suspensionibus seruandæ sunt regulæ generales traditæ *de censuris in genere*. Quamobrem in censuris Summo Pontifici reseruatis Episcopus absoluere non potest, nisi fortè delictum sit occultum, iuxta dispositionem Tridentini *sess.* 24. *cap.* 6. & iuxta superius tradita de absolutione à censuris.

PVNCTVM VLTIMVM.

De absolutione à suspensione.

VNICA PROPOSITIO.

QVæ de absolutione suspensionis dici possent, satis constat ex dictis de censuris in communi; quamobrem hic pauca quædam supersunt adnotanda.

1 An suspẽsio lata ad tẽpus cesset, eo tempore elapso, absque absolutione.

1 Primò, suspensionem latam ad tempus, eo tempore lapso, cessare absque alia absolutione, sicut etiam suspensio lata cum particula, *donec satisfeceris*, exhibita satisfactione cessat. Ratio est, quia sicut prohibitio non operatur vltra intentionem prohibentis, ita suspensio ex intentione prohibentis facta solùm ad certum tempus cessat eo tempore lapso. Ita Suarez *disput.* 29. *sect.* 1. *num.* 1. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 161. Toletus *lib.* 1. *cap.* 46. Rodriquez *tom.* 2. *cap.* 69. Coninchus *num.* 30. Filliucius *cap.* 3. *quæst.* 7. *num.* 48. *& cap.* 4. *quæst.* 7. *num.* 71. quamuis huic opinioni firmiter non adhærent Syluester, Angelus, Aurila, & alij. [Imò Innocentius *in cap. cùm bona, de ætate & qualitate.* Decius *in cap.* 1. *de Iudæis, in* 2. *lect.* Alterius *tomo* 2. *disp.* 8. *cap.* 2. *col.* 4. & alij, absolutè existimant suspensionem latam cum conditione, donec satisfeceris, non cessare nisi per absolutionem.] Vide, quæ infrà dicam *de absolutione interdicti*.

Obiicies. Excommunicatio lata cum hac conditione, *donec satisfeceris*, non cessat posita satisfactione, sed adhuc auferenda est per absolutionem; ergo idem dicendum videtur de suspensione.

Respondeo negando consequentiam. Ratio est, tum quia iudices inferiores Summo Pontifice videntur maiorem facultatem habere circa suspensionem, & interdictum, quàm circa excommunicationem, propterea sicut possunt ferre suspensionem, & interdictum ad aliquem solùm effectum, ita videntur posse illas censuras ferre cum hac conditione, *vt illa adimpleta cessent*, quod non accidit in excommunicatione: tum quia ita vsu, & praxi receptum est in suspensione, & interdicto, non verò in excommunicatione.

2 An requirantur verba determinata in absolutione suspensionis.

2 Secundò, non esse determinata aliqua verba ad absoluendum à suspensione, vt patet ex supradictis. Ita Valentia, Rodriquez, Filliucius, [Alterius,] & alij *locis citatis*. Hæc tamen verba sunt in vsu:

Ego te absoluo à vinculo suspensionis, in quam incurristi, & restituo te ad executionem tui muneris, vel ordinis, vel ad tuum beneficium. Vide, quæ dixi supra *de absolutione censurarum in genere*.

3 An in absolutione explicanda sit causa, ob quam contracta est suspensio.

3 Tertiò, non esse necessarium in absolutione explicare causam, ob quam contracta est suspensio, iuxta suprà dicta de absolutione censurarum. Ita Suarez *loc. cit. sect.* 3. *num.* 1. *&* 2. [Alterius *tom.* 2. *disp.* 8. *cap.* 4.] & alij.

4 An in absolutione petendum sit iuramẽtum obediendi Ecclesiæ.

4 Quartò, in delictis grauibus petendum esse iuramentum obediendi Ecclesiæ, vt supra dictum est. Præterea petendam esse satisfactionem, & cautionem. Idem dico de absolutione ab interdicto, vt patet ex supradictis de absolutione censurarum.

5 An Episcopus possit absoluere à suspẽsione Papæ reseruata.

5 Quintò, Episcopum posse absoluere suos subditos à suspensione perpetua, vel ad certum tempus etiam reseruata Papæ, modò proueniat ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum, vt patet ex dictis *de censuris in communi*, ob priuilegium concessum Episcopis in Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. Ita Doctores quos retuli *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. [Alterius *disp.* 8. *cap.* 3. *col.* 10.] nec reprobat Suarez *num.* 19. & Filliucius *num.* 68. *ad finem*, Reginaldus *lib.* 32. *tract.* 2. *cap.* 22. *num.* 43. [Vide Suarez *disput.* 29. *sect.* 1. *num.* 15. *& sequentibus*, & Alterium *tom.* 2. *disp.* 8. *cap.* 3.

6 An suspensio lata in purã pœnam pro delicto præterito, auferri possit ab ordinario, aut alio inferiore)

6 Rogabis, vtrùm suspensio lata in puram pœnam pro delicto præterito, auferri possit ab ordinario, aut alio inferiore?

Respondeo negatiuè. Ratio est, tum quia suspensio lata in puram pœnam pro delicto præterito non aufertur per absolutionem, sed per dispensationem; consequenter non potest auferri ab eo, qui est inferior eo qui suspensionem tulerat, etiamsi in ferenda illa pœna nulla mentio reseruationis facta fuerit. Quamuis enim absolutio censuræ iure communi conferri possit ab ordinario, aut alio approbato Confessario, dum auctor censuræ illam sibi non reseruauit. *cap. nuper. de sentent. excomm. lib.* 6. nihilominus contrarium dicendum est in suspensione lata in puram pœnam, quia hæc non aufertur per absolutionem, sed per dispensationem. Dispensatio autem ex sua natura censetur reseruata nisi explicitè concedatur, iuxta Glossam *in cap. cupientes. de elect. in* 6. *verbo suspensos*. Alterium *tom.* 2. *disput.* 8. *cap.* 3. *versic. ad secundam*, & alios apud Alterium *col.* 9. contra Gloss. *in cap. in quibusdam, verbo dispensatum, de pœn.* tum quia huiusmodi suspensio ferri solet ob delictum deductum ad forum contentiosum; Episcopus autem absoluere non potest à censura reseruata ad forum contentiosum deducta iuxta Trid. *sess.* 24. *cap.* 6.]

DISPVTATIO IV.

De Degradatione.

PVNCTVM VNICVM.

Quid sit degradatio, ob quæ crimina fiat degradatio, ad quem spectet degradare, quinam degradari possint, & à quo auferri possit degradatio, vel depositio.

1 Quotuplex sit degradatio.

1 NOtandum degradationem duplicem esse, verbalem, & actualem, seu realem, quæ non solet inferri, nisi illis, qui sunt in Sacris constituti, vt aduertunt Emanuel Sà *verb. Degradatio, num.* 3. [Alterius, & alij *locis proximè citandis.*]

PRIMA PROPOSITIO.

2 Quid sit degradatio.

2 DEgradatio verbalis, quæ etiam appellatur depositio, est sententia Ecclesiastica, qua persona Ecclesiastica priuatur omni officio, & beneficio in perpetuum, sine spe illius consequendi, non amisso priuilegio clericali. [Hic loquor de depositione totali, non de partiali; non enim omnis depositio est totalis, nec omnis depositio priuat officio, & beneficio; sed aliqua priuat officio, aliqua beneficio; totalis vtroque priuat. Vide Iulium Clarum *in pract. criminal. quæst.* 74. Bernardum Diaz *in pract. crimin. canon. cap.* 3. Alterium *tom.* 2. *disp.* 2. *cap.* 1. 5. *&* 9.] An verò qui depositionem à iure latam contraxit teneatur se sua sponte beneficiis abdicare, constat ex dictis de lege pœnali non teneri, sed posse iudicis sententiam expectare.

Degradatio actualis, seu realis est pœna Ecclesiastica, qua persona Ecclesiastica priuatur omni beneficio, officio, & priuilegio clericali in perpetuum, absque vlla spe illius consequendi, cum quadam solemnitate. Vbi

Aduertendum est, actum, quo quis traditur Curiæ sæculari, esse effectum degradationis actualis, qui effectus non semper comitatur degradationem realem, cùm non omnis degradatus realiter tradendus sit brachio sæculari. Quicquid in contrarium dicat Iul. Clar. *in pract. quæst.* 36. §. *fin.* & alij apud Ambrosinum *de immunit. cap.* 17. *num.* 35. Quare in actuali degradatione declaratur priuatus priuilegio clericali, quamuis non semper tradatur brachio sæculari, præterquam in delictis grauiter enormibus, vt in homicidio sui Episcopi, vel homicidio iterato, vel delicto valdè pernicioso Reipublicæ, vel in crimine hæresis, vel falsitate Litterarum Papalium, vel Sodomia sæpius exercita, &c.

Addo degradatum realiter, non semper plectendum esse pœna mortis, quoties traditur brachio sæculari, vt ipsa docet experientia.

3 Quænam differentia sit inter degradationẽ actualẽ, & verbalem.

3 Quæres primò quænam differentia sit inter depositionem verbalem, & actualem.

Respondeo, multiplicem esse differentiam. Prima est, quia actualis fieri solet cum maiori solemnitate, nam fieri solet astantibus Abbatibus mitratis, id est, habentibus ius mitræ, & baculi, aut assistentibus aliis in dignitate constitutis; [iuxta dispositionem Concilij Tridentini *sess.* 13. *cap.* 4.] Rursus degradatio actualis cum hac solemnitate fit, degradandus induitur vestibus, necnon vasa sacra pertinentia

nentia ad illum ordinē, à quo degradatur, defert ad conſpectū Epiſcopi, à quo gradatim exuitur, & priuatur, ac tandem capillis tondetur, prolatis quibuſdam verbis terrorem incutientibus, [de quibus vide Pontificale, Alterium & Barboſam *locis* ſtatim *citandis.*]

Secunda eſt, quia verbalis fieri poteſt in abſentem contumacem, realis autem in præſentem, *cap. nouimus. de verb. ſignific.* [*& cap. veritatis. de dolo & contum.*]

Tertia, depoſitus actualiter non gaudet priuilegio fori, & canonis, *cap. degradatio. de pœnis in 6.* Depoſitus verò verbaliter primò fruitur priuilegio canonis. Vnde, qui illum percutit, incurrit excommunicationem. Verum tamen eſt magiſtrū triremis, qui percutit Clericum depoſitum verbaliter, & damnatum ad triremes, non incurrere excommunicationem, ſi percutiat ex officio: ſicut ſolet percutere ceteros remiges. Ratio eſt, tum quia fungitur ſuo munere: tum quia Clericus damnatus ad triremes cenſetur damnatus ad pœnas, & omnia conſequentia. Si verò percutiat ob alias cauſas, incurrit excommunicationem, quam etiam alij incurrunt, percutientes iniuſtè Clericum verbaliter depoſitum. Secundò Clericus degradatus verbaliter gaudet priuilegio fori, conſequenter non poteſt cogi, nec puniri à iudice ſæculari, niſi fortè poſt depoſitionem verbalem factus ſit incorrigibilis, iuxta alibi dicta de excommunicatione ob manus violentas. Ita Nauarrus *cap. 27. num. 81.* Auila 4. *parte dubio vnico,* Toletus *loco citato,* Sayrus *lib. 5. cap. 20. num. 12.* Valentia *tom. 4. diſput. 7. quæſt. 19. puncto 4.* Henriquez *lib. 13. cap. 55. num. 3.* Suarez *diſput. 30. ſect. 2. num. 18.* Filliucius *tract. 18. cap. 8. quæſ. 2. num. 193.* [Alterius *tom. 2. diſput. 2. cap. 3.*]& alij. Dicitur autem incorrigibilis, quando perſeuerat in prioribus criminibus. An verò requiratur ſententia incorrigibilitatis, videndus eſt Suarez *ſect. 2. num. 7.* & quæ dixi *loc. cit.*

4 Quomodo degradatio differat à cenſuris, & irregularitate.

4 Quæres ſecundò, quæ differentia ſit inter degradationem, depoſitionem, cenſuras, & irregularitatem.

Reſpondeo degradationem differre à ſuſpenſione, quòd ſuſpenſus non priuatur ſpe conſequendi id, à quo eſt ſuſpenſus, ſicut priuatur degradatus, & depoſitus. Quamobrem depoſitus [in criminibus maioribus adulterio,] vel degradatus verbaliter, aut realiter à nullo præterquam à Pontifice in priſtinum ſtatum reſtitui poteſt, *cap. 1. & 2. diſt. 50. & l. 1. in fine, ff. de quæſtionibus.* Ita communiter Doct. teſte Molina *loco cit. num. 18.* quibus adde Filliucium *num. 190.* [Alterium *tom. 2. diſp. 2. cap. 9.* & alios infrà citandos.] Ratio eſt, quia inferiores Summo Pontifice non poſſunt in iure communi diſpenſare. Depoſitio autem ex iuris diſpoſitione inducere ſolet priuationem officij, & beneficij ſine ſpe illius conſequendi; [ſed de hac re *infrà propoſitione quinta.*] Ab excommunicatione verò, & irregularitate differt, quòd irregularitas, & excommunicatio non priuat beneficio acquiſito, ſicut priuat depoſitio, & degradatio. Vide Suarez *diſp. 30. ſect. 1. & 2.* Filliucium *num. 195. & ſeqq.*

5 An Sacerdos conſecratus validè conſecret.

5 Quæres tertiò, vtrùm Sacerdos degradatus realiter validè conſecret.

Reſpondeo affirmatiuè, quia per degradationem non amittit characterem ordinis, conſequenter validè conſecrat, conſequenter etiam tenetur ad onera ordinis, vt ad recitationem horarum, non enim eximitur ab onere per ſuam culpam; poteſt tamen cum aliis officium recitare, modò non ſit excommunicatus, nec dicat, Dominus vobiſcum. Si contrahat matrimonium, inualidè contrahit, adhuc enim retinet ordinem, & votum caſtitatis. Ita multi Doct. apud Sayrum *lib. 5. cap. 22. à nu. 25.* apud Lazarium *verb. Degradatio,* & apud Toletum *lib. 1. cap. 50.* quibus adde Filliucium *num. 191.* [Alterium *tom. 2. diſput. 2. cap. 2. & 4.* & apud Barboſam *de poteſtate Epiſcopi 3. part. allegat. 110. num. 5.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

6 Quænam crimina mereantur degradationem.

6 CRimina, quæ merentur verbalem degradationem, ſunt adulterium, concubinatus perſeuerans poſt monitionem, ſimonia notoria, ſtuprum, inceſtus, furtum, periurium, homicidium, etiamſi patratum ſit ſolo conſilio delictum, quo quis permittit ſua culpa ſuum Parochianum decedere ſine Baptiſmo, & præterea alia crimina maxima, & atrocia, quæ inferunt irregularitatem. Vide Molinam *tom. 4. diſp. 49. tract. 3. nu. 14. & ſeq.* Sayrum, & Auilam *locis cit.* & Emanuelem Sà *verb. Depoſitio, num. 2.* [Alterius tamen *tom. 2. diſp. 2. cap. 1.* Innocentius *in cap. cùm dilectus. de purgat. canon.* & alij, hanc regulam tradunt, vt depoſitio iure Canonico inferatur in omnibus illis caſibus, in quibus iure ciuili imponitur pœna mortis. Verum tamen eſt, iudicem in imponenda depoſitionis pœna, non debere ſolùm reſpicere canones antiquos, quia illi faciliores erant ad imponendam depoſitionem.

7 (An Clericus ob frequētem fornicationem, ſeu concubinatum deponi debeat.)

7 An autem Clericus ob frequentem fornicationem, ſeu concubinatum, deponi debeat.

Reſpondeo non eſſe ſtatim deponendum, ſed gradatim cum ipſo agendum, ita vt prius iudicis arbitrio puniatur, habita ratione loci, perſonarum, temporis, & aliarum circumſtantiarum, & ſi monitus à ſuperiore non reſipuerit, ipſo facto priuatus ſit tertia parte fructuum beneficiorum, & penſionum, applicandorum fabricæ Eccleſiæ, vel alteri pio loco, & ſi adhuc in delicto permaneat, ſeruanda ſunt quæ ſtatuit Concilium Trid. *ſeſſ. 25. cap. 14.* Vide Alterium *cap. 6. col. 4.*]

Crimina verò, quæ merentur realem degradationem, ſunt homicidium qualificatum, crimen hæreſis, Sodomia ſæpiùs exercita, & ſimilia, quæ iudicis arbitrio tali pœna digna ſunt, de quibus conſule Molinam *num. 17.* Ambroſinum *loco citato, num. 40.* Menoch. *de arbit. caſu 266.* Diaz *in pract. crim. cap. 135. & ſeq.* [Panormitanum *in cap. latores, de Clerico excommunicato miniſtrante.* Alterium *tom. 2. diſp. 2. cap. 2. & 6.* & Barboſam *3. part. de poteſtate Epiſcopi, allegatione 110.*]

Addo, quando in iure habetur depoſitio, intelligi depoſitionem verbalem, quidquid dicat Toletus *lib. 1. cap. 17.* Ratio eſt, quia pœnæ reſtringendæ ſunt. [Ita Alterius *cap. 3.* & alij communiter.]

8 An degradatus alendus ſit fructibus beneficij.

8 Quæres, vtrum degradatus alendus ſit fructibus beneficij.

Reſpondet affirmatiuè Sayrus *cap. 22. num. 28.* Auila *loco cit.* & alij, ne cogatur mendicare.

Sed mihi probabilius dicendum videtur non eſſe alendum fructibus beneficij, ſibi enim imputare debet, quòd beneficio, & fructibus priuetur. Ita Couarr. 3. *variarum, cap. 13. num. 8.* & alij; & ita videtur vſu receptum.

TERTIA PROPOSITIO.

9 Ad quem ſpectet degradare.

9 DEpoſitio verbalis presbyteri ſpectat ad proprium Epiſcopum, vel eius Vicarium generalem; [degradatio verò actualis ad ſolum Epiſcopum:] poſt Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 4.* & non ad alium inferiorem, vt ait Henriquez *cap. 43. nu. 5.* Auila *diſp. 5. dubio 1. concluſ. 3.* Suarez *loco citato ſect. 1. num. 19.* Filliucius *num. 192. & 206.* Ambroſinus *loco citato, num. 37.* Coninchus *diſput. 16. num. 6. & ſequentibus,* [Alterius *tom. 2. diſput. 2. cap. 7.*] & alij communiter *in cap. degradatio. de pœnis in 6.* Degradatio verò Epiſcopi ſpectat ad Papam, [vt alibi probaui, & colligitur ex *cap. dudum. 3. quæſt. 6.* Abbas *in cap. non poteſt. num. 5. de ſentent. & re iudic.* Alterius *cap. 7. col. 4.* & alij, vbi etiam agunt, ad quos pertineat cognoſcere cauſas Epiſcoporum.] Prælati verò religioſorum non habent facultatem deponendi, vel degradandi ſuos ſubditos, niſi illis conceſſum ſit per priuilegium, vel conſuetudinem. Vide Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 4.* Sayrum *cap. 20. num. 28. & cap. 22.* Auilam *dub. 4.* Henriquez *lib. 13. cap. 55. num. 2.* Sylueſt. *verb. Degradatio num. 1.* Toletum, & Valent. *locis citatis,* Suarez *loco cit.* Filliucium *num. 204.* Molinam *tom. 4. tract. 3. diſp. 49. num. 12.* [Bernardum Diaz *in pract. crim. cap. 3.* Alterium *tom. 2. diſp. 2. cap. 3. col. 2.*

10 (An Epiſcopus ſolū electus & confirmatus poſſit aliquem degradare.

10 Sed modò dubium eſt primò, vtrùm Epiſcopus ſolùm electus & confirmatus, ſed non conſecratus, poſſit aliquem degradare, & actualiter deponere.

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia actualis degradatio eſt actus contrarius ordinationi: ſicut autem ordinatio fieri non poteſt, niſi ab Epiſcopo conſecrato; ita etiam degradatio, nam vtraque videtur actus pendens ab ipſa conſecratione. Secus dicendum eſt de depoſitione verbali, etiamſi ad actualem degradationem referatur; hæc enim pertinet ad poteſtatem iuriſdictionis, quam Epiſcopus electus exercere poteſt, etiamſi nondum ſit conſecratus. Ita Gemin. *in cap. 2. num. 5. de pœnis in 6.* Ancharan. *ibid. num. 3.* Abbas *in cap. tranſmiſſam, num. 4. de elect.* & Alterius *tom. 2. diſp. 2. cap. 7. col. 3. & 16.* Barboſa *3. parte de poteſtate Epiſcopi allegat. 110. num. 24.* & alij.

11 An Epiſcopus alteri poſſit delegare facultatem degradādi.

11 Secundò dubium eſt, vtrùm Epiſcopus delegare poſſit alteri facultatem deponendi, & degradandi.

Reſpondeo, poſſe delegare ſuo Vicario generali facultatem deponendi verbaliter; ſic enim ſtatuitur in Concil. Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 4. per ſe, ſeu illius Vicarium in ſpiritualibus generalem;* non tamen videtur poſſe facultatem deponendi actualiter alteri delegare: nam in Tridentino dicitur, *per ſeipſum etiam ad actualem, atque ſolemnem degradationem.* Aliqui tamen fortaſſe opinabuntur, Epiſcopum poſſe alteri Epiſcopo conſecrato facultatem degradandi actualiter concedere. Tum quia, ſicut Epiſcopus poteſt in aliena diœceſi ordines conferre de licentia Epiſcopi illius loci; ita etiam actualiter degradare: tum quia qui per alium idoneum facit, per ſeipſum facere videtur: tum quia ſequeretur crimina degradatione digna remanere impunita, ſeu non puniri pœna, delicto debita, quod eſt contra mentem Concilij Tridentini *ſeſſ. 13. cap. 4.* vbi ſtatuit formam ſeruandam in degradatione verbali, & reali, vt atrocia delicta puniantur. Ita Abbas *in cap. tranſmiſſam. de elect.* Alterius *tom. 2. diſp. 2. cap. 7. vol. 15. verſ. quòd committi debeant,* & alij. Verùm in hac re ſeruandam cenſeo praxim, & conſuetudinem, ex ipſa enim licebit clariùs Concilij mentem elicere, cùm praxis, & conſuetudo ſit legitima legis interpres; præciſa tamen conſuetudine probabilius cenſeo ad ſolum Epiſcopum proprium pertinere facultatem degradandi ab Ordinibus, & gradibus Eccleſiaſticis, nam illa verba, *per ſeipſum,* excludere videntur aliam perſonam.

12 An in depoſitione debeant alij aſſiſtere præter Epiſcopū.

12 Tertiò dubium eſt, vtrùm in depoſitione reali ordinata ad degradationem, debeant alij aſſiſtere, & intereſſe, præter Epiſcopum.

Reſpondeo, in degradatione Sacerdotis requiri ſex alios Epiſcopos, in degradatione Diaconi, & Subdiaconi requiri tres Epiſcopos. *cap. degradatio. de pœnis in 6.* Verum ſi Epiſcopi haberi nequeant, adhibendi ſunt totidem Abbates, & ſi tot Abbates in ciuitate, vel diœceſi non reperiantur, & commodè intereſſe non poſſint, adhibendæ ſunt aliæ perſonæ in dignitate conſtitutæ, iuxta Concilij Trident. diſpoſitionem *ſeſſ. 13. cap. 4.* Excipiendus tamen eſt ab hac regula caſus hæreſis, in quo præfatus aſſiſtentium numerus non requiritur, ſed Epiſcopus deponere poteſt, conuocatis Abbatibus, aliiſque Prælatis, & religioſis perſonis, ac litteratis ſuæ diœceſis, de quibus expedire videbitur, vt expreſſis verbis dicitur *in cap. 1. de hæret. in 6.*

13 An Epiſcopi, ſeu Prælati debeāt adeſſe in cognitione, & examine cauſæ, & in ferēda ſententia depoſitionis, tamquam iudices, an ſolùm tāquam aſſeſſores.

13 Rogabis primò vtrùm Epiſcopi, ſeu Prælati, quorum præſentia neceſſaria eſt, iuxta diſpoſitionem iuris antiqui, & Concilij Trident. *ſeſſ. 13. cap. 4.* debeant adeſſe in cognitione, & examine cauſæ, & in ferenda ſententia depoſitionis, tamquam iudices ferendo votum, & ſuffragium; an ſolum tamquam aſſeſſores, quorum officium eſt, conſulere, non pronuntiare in cauſa, *l. fin. C. de offic. aſſeſſ.*

Reſpondeo debere adeſſe tamquam iudices, quia ſic colligitur ex *cap. 1. in fine 15. quæſt. 7. cap. non poteſt, de ſent. & re iud.* & ex Concil. Trident. *loco citato,* vbi ſtatuit adhiberi perſonas in dignitate conſtitutas, & iuris ſcientia commendabiles; ergo ſignum eſt, illas debere tamquam iudices intereſſe, alioquin neceſſaria non eſſet iuris ſcientia. Ita Gemin. *in cap. degradatio, num. 5. de pœnis in 6.* Alter. *loco cit. col. 8.* Auguſtinus Barboſa *loco citato, num. 25.* & alij contra Ancharanum *in cap. degradatio, num. 3.* Abbatem *in cap. non poteſt, num. 18. & ſeqq. de ſent. & re iudic.*

14 An opus ſit vt Prælati omnes conſentiāt.

14 Rogabis ſecundò, vtrùm opus ſit vt Prælati, qui adhibendi ſunt in depoſitione reali alicuius Sacerdotis, omnes conſentiant.

Reſpondeo iuxta communiorem Doctorum ſententiam, omnes debere

debere consentire, nemine discrepante. Ratio est, quia *in cap. non potest. de sent. & re iudic.* dicitur, non posse quemquam à sacerdotali gradu deponi, nisi adsit concors sententia; non adest autem concors sententia, dum aliquis discrepat. Ita Felinus *in dicto cap. non potest, num.* 16. *& seqq.* Panormitan. *ibid. num.* 16. Alterius *tom.* 2. *disput.* 2. *cap.* 7. *col.* 11. *& 12. vers. ex his.* Tuscus *tom.* 2. *lit. D. conclus.* 253. Barbosa *de dictionibus dict.* 52. & alij contra glossam *in cap. non potest. vers. Sacerdotum,* & alios.

Obiicies, quod fit à maiori parte, valet, iuxta generalem regulam, *l. quod maior ff. ad municip. & cap.* 1. *dist.* 65.

Respondeo in hoc casu non valere, quia non fit concorditer, seu vnanimiter, cùm aliquis iudicum dissentiat, vt suppono.

15 An degradatio Clerici sęculari Curiæ tradendi, faciẽda sit coram præfatis Abbatibus, seu Prælatis.

15 Rogabis tertiò; vtrùm actualis ipsa degradatio Clerici, sæculari curiæ tradendi, facienda sit coram præfatis Abbatibus, seu Prælatis, à quibus dictum est, ferendam esse degradationis sententiam.

Doctores communiter, teste Alterio *loco citato, col.* 16. respondent ipsammet degradationem faciendam esse à proprio Episcopo, vel etiam ab alio, de licentia proprij, & non opus esse vt ipsa actualis degradatio fiat coram præfatis Abbatibus, seu Prælatis. Ratio est, quia aliud est sententia depositionis, aliud executio ipsius sententiæ; præsentia autem prædictorum Prælatorum vel Abbatum requiritur ad ferendam sententiam depositionis realis, seu degradationis actualis, non autem ad executionem sententiæ; solemnitates enim requisitæ in ferenda sententia non sunt necessariæ in illius executione.

Ego verò iure nouo probabilius censeo requiri præsentiam prædictarum personarum etiam in ipsamet actuali degradatione. Ratio est, quia Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 4. ait adhibendos esse Prelatos in degradatione actuali, atque solemni, ibi, *adhibitis tamen, & in hoc,* id est, in actuali, atque solemni degradatione, de qua proximè locutum fuerat: actualis autem, & solemnis degradatio, non solùm consistit in prolatione sententiæ degradationis faciendæ, sed in ipsamet actuali degradatione, seu priuatione gradus sacerdotalis.

16 Quo in loco faciẽda sit degradatio.

16 Rogabis quartò, quo in loco facienda sit actualis degradatio.

Respondeo decere vt fiat in aliqua Ecclesia, seu oratorio, quamuis hoc non sit de substantia degradationis. Ratio est, tum quia sic colligitur ex *cap. Episcopus* 11. *quæst.* 3. tum quia sicut ordines in Ecclesia receperat, ita æquum est, vt illorum executione priuetur in Ecclesia, seu coram altari. Ita Gemin. *in cap. degradatio. num.* 7. *de pœnis in* 6. Archidiac. & Ancharanus *ibidem,* Alterius *loco citato, col.* 17.

17 An Episcopus in facienda degradatione vti debeat vestibus Pontificalibus.

17 Rogabis quintò, vtrùm Episcopus in facienda actuali degradatione vti debeat vestibus Pontificalibus.

Respondeo vsu receptum esse vt vestes Pontificales induat, ex iuris tamen dispositione non tenetur illas adhibere, quia nullus textus afferri potest, in quo id præcipiatur. Ita Gemin. *in cap. degradatio, nu.* 7. Franc. *num.* 3. Ancharan. *ibid. num.* 8. Alter. *col.* 17.

QVARTA PROPOSITIO.

PErsonæ quæ degradari possunt, sunt personæ Ecclesiasticæ in ordine Ecclesiastico constitutæ, vt sunt Episcopi, Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi, vt patet ex Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 4.

18 An Clericus minoribus tãtum ordinibus insignitus degradari possit.

18 Quæres primò, vtrùm Clericus minoribus tantum ordinibus insignitus, degradari possit.

Respondeo posse, tum quia *in cap. si quis Episcopus* 27. *quæst.* 1. habetur quemcumque Clericum in quocumque ordine constitutum ratione delicti degradari posse; tum quia in solemnitate degradationis, præsertim *in cap. degradatio, de pœnis in* 6. dicitur in degradatione gradatim procedendum esse, vsque ad primam vestem, quæ in collatione tonsuræ datur. Ita communiter Doctores, quamquam degradatio Clerici, minoribus solùm ordinibus, vel tonsura insigniti, non est in vsu, testibus Couarruuia *in cap. quoniam. de testament.* & Alterio *tom.* 2. *disput.* 2. *cap.* 8. *sub finem.*

19 An aliquis degradari possit absque accusatore, seu per viã solius inquisitionis.

19 Quæres secundò, vtrùm aliquis degradari possit absque accusatore, seu per viam solius inquisitionis.

Respondeo negatiuè; *cap. dilectus filius* 2. *de simonia.* Ratio est, quia finis inquisitionis iuxta ius Canonicum, non est depositio, sed mitior pœna. Ita Molina, Ambrosinus, & alij *locis infrà citandis.*

Hoc tamen intelligi, & limitari potest primò, nisi delictum sit notorium; nam si crimen notorium sit, vt si delinquens deprehensus sit in crimine à iudice, & à pluribus aliis, puniri potest pœna degradationis, siue procedatur per viam inquisitionis, siue per viam accusationis, nam certò constat de crimine; nec subest ratio, ob quam iudex melius agere teneatur. Secundò nisi delinquens sponte fateatur crimen; cum enim maior certitudo de crimine haberi non possit, quam per voluntariam sui delicti confessionem, sentiendum videtur, delinquentem condigna delicto pœna puniri posse. Ita Innocent. & Abbas *in cap. qualiter* 2. *num.* 20. *de accusat.* Alter. *tom.* 2. *disp.* 2. *cap.* 8. *vers. rursus col.* 4.

QVINTA PROPOSITIO.

IS, contra quem sententia degradationis, seu depositionis realis lata fuit, non potest auctoritate Episcopi in pristinum statum restitui. Ratio est, tum quia sic colligitur ex *cap. si lapsis, & cap. qui semel. distinct.* 50. tum quia depositus realiter caret omni priuilegio clericali, sine spe illius recuperandi; ergo Episcopus non potest cum ipso dispensare, alioquin depositus non careret spe restitutionis, seu recuperationis. Hoc tamen intelligitur modò depositio valida sit, seu modò depositus petat restitui solùm ex gratia, & non de iure, nam si, antequam sæcularis iudex in ipsum animaduertat, petat restitui de iure ob nullitatem depositionis, dispensandus est, & restituendus per Episcopum, vt si probetur sententiam latam esse per falsos testes, aut per falsa instrumenta, aut sine citatione, aut delinquentem non esse conuictum; sic enim colligitur ex *cap. Episcopus presbyter.* 11. *quæst.* 3. vbi habetur, sacerdotem, Episcopum, aut Diaconum, à gradu suo iniustè deiectum, restituendum esse per Episcopum. Ita communiter Doctores contra Syluestrum *verbo degradatio nu.* 10. & alios.

Addunt Specul. *in titul. de accusat. §.* 2. Alter. *loco citato cap.* 9. *sub fi-*

nem, Episcopum posse restitutionem facere etiam absque assistentia aliorum Prælatorum, qui ad sententiam depositionis cooperati sunt, & hoc probant ex *cap. Episcopus presbyter* 11. *quæst.* 3. Ego verò probabilius censeo, assistentiam aliorum Prælatorum requiri, dum restitutio auctoritatiuè, & iudicialiter fit. Ratio est, tum quia res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, & par est ius legandi, & soluendi, *cap. verbum. de pœnitent. dist.* 1. Tum quia *in cap. Episcopus presbyter, citato,* dicitur gradus amissos recipiendos esse coram altari de manibus Episcoporum; ergo supponi videtur in præfato textu restitutionem faciendam esse, non ab Episcopo, sed etiam ab aliis Episcopis, à quibus facta fuerat depositio, seu degradatio, iuxta ius antiquum.

20 Quinam modus cognita iniustitia degradationis seruandus sit in faciẽda restitutione degradati nõdum puniti à iudice sæculari.

20 Rogabis quinam modus cognita iniustitia degradationis, seruandus sit in facienda restitutione ipsius degradati, qui nondum à sæculari iudice punitus fuerat.

Respondeo, si restitutio fiat à Papa, nullum modum necessariò ab ipso seruandum esse, cùm ipse non ligetur iure Canonico; consequenter poterit solo verbo restituere, & gradus amissos conferre. Quamquam etiam ipse in restitutione ad maiores dignitates, vt si depositus erat Episcopus, vel Cardinalis, eam solemnitatem seruare solet, quæ seruata fuerat in prima collatione dignitatis; de qua re vide Burgasium *de dispensat. part.* 6. *tit. de schismate, in fine.* & Mariolum *lib.* 3. *de irregul. cap.* 22. *num.* 5. *vers. in maioribus.*

Si verò restitutio degradati fiat ab Episcopo, seuanda est solemnitas præscripta *in cap. Episcopus presbyter, citato;* vbi habetur, Episcopum depositum debere coram altari de manibus Episcoporum recipere orarium, seu stolam, annulum, baculum, & alia insignia pontificalia; Presbyterum verò debere recipere orarium, & planetam, siue casulam. Diaconum debere recipere orarium, & albam, siue dalmaticam. Subdiaconum debere recipere calicem, & patenam, reliquos verò debere, dum restituuntur, recipere ea, quæ perceperant, cum ordinarentur.

21 An verbaliter tãtum depositus restitui possit per Episcopum.

21 Sed modò dubium est, vtrùm depositus solùm verbaliter sine ordine ad solemnem degradationem, possit restitui per Episcopum.

Respondeo posse restitui, modò depositio facta fuerit ob adulterium, vel ob alia crimina, adulterio minora, in his enim criminibus facultas datur Episcopo dispensandi post peractam à reo pœnitentiam. *cap. & si Clerici. de iudiciis.* ibi; *de adulteriis verò, & aliis criminibus, quæ sunt minora, potest Episcopus cum Clericis post peractam pœnitentiam dispensare; sed non debet quomodolibet depositum pro suis excessibus iudici tradere sæculari.* Ita Specul. *in titulo de legato. §. nunc ostendendum est. num.* 6. Panormitan. *cap. & si Clerici. §. de adulteriis num.* 14. *de iudicijs.* Barbosa *de potestate Episcopi* 3. *part. allegat.* 116. *num.* 29. Alterius *tom.* 2. *disp.* 2. *cap.* 9. *col.* 6. *&* 7. Belletus *dispos. clericat. titulo de fauore Clericor. personali. §.* 10. *num.* 9. Riccius *resol.* 221.

Obiicies, Episcopus non potest dispensare cum infami, nec illum famæ restituere; ergo dispensare non potest cum depositio verbaliter, cùm huiusmodi depositus sit infamis.

Respondeo Episcopum non dispensare in infamia consurgente ex facto, sed ipsam tolli per pœnitentiam, postquam Episcopo facultas competit dispensandi, ex *cap. & si Clerici, citato.* Præterea Episcopus non directè dispensat in infamia consurgente ex sententia depositionis, sed solùm indirectè, quatenus ei concessum est dispensare in sententia, ob quam contracta fuerat iuris infamia; nam cui conceditur antecedens, censetur etiam concessum consequens, quod sine antecedente subsistere non potest. Ita Panormitan. & Alter. *locis citatis.* Nauar. Auila, Sayr. & alij quos retuli *de irregularitate, disp.* 7. *q.* 3. *punct.* 1. *num.* 6. contra Filliucium *tract.* 10. *num.* 223.

Addo non solùm Episcopum, verùm etiam Capitulum sede vacante, posse dispensare cum Clerico verbaliter depositio, cum quo Episcopus dispensare poterat. Ratio est, quia Capitulum sede vacante succedit in iurisdictionem Episcopi. Potestas autem dispensandi pertinet ad iurisdictionem, & non est actus ordinis, ob id huiusmodi dispensatio concedi etiam posset ab Episcopo solùm electo, & confirmato, sed nondum consecrato; ex quo patet differentia inter dispensationem cum depositio, & inter depositionem actualem, quòd Capitulum, aut Episcopus non consecratus non potest actualiter deponere, cùm depositio actualis, & solemnis sit veluti quidam actus ordinis; dispensatio verò sit actus iurisdictionis. Ita Panor. & Decius *in cap. & si Clerici.* Alterius *loco citato cap.* 9 *quæsito* 2. & alij.

Ex dictis constat Episcopum posse depositum aliquando restituere, ex quo patet à fortiori, Episcopum, qui Clericum deposuerat solùm à beneficio, posse illum iterum in beneficium restituere; hoc tamen limitandum videtur, modò beneficium non sit iuris patronatus, cùm enim restitutio in beneficium non fiat nisi per nouam concessionem, & concessio beneficij iuris patronatus fieri non possit absque consensu patroni, sequitur depositum à beneficio iuris patronatus ad illud restitui non posse ab Episcopo, absque consensu patroni, patrono enim acquisitum erat ius per depositionem beneficiarij, (modò beneficiarius non appellasset à sententia, tunc enim non esset illi ius acquisitum;) Episcopus autem non potest auferre ius patroni, & præiudicare iuri patronatus, consequenter non potest restituere depositum in beneficium iuris patronatus absque consensu patroni. Secus dic de Papa, vel etiam de Legato à latere, in beneficio iuris patronatus Ecclesiastici, cùm huiusmodi beneficium subsit illius potestati, & consequenter iuri patronatus derogare possit, & de facto derogare censeatur si id exprimat: secus si non exprimat, *cap. quamuis. de rescriptis in* 6. ibi, *cùm talis restitutio, vbi aliud non exprimitur, intelligatur fieri sine iuris præiudicio alieni.* Ita Gemin. *in cap. quamuis num.* 6. *de rescriptis in* 6. Alter. *tom.* 2. *disput.* 2. *cap.* 9. *vers. tradit. col.* 3. & alij. Hostiens. tamen *in cap. ex transmissa. de renuntiatio. & cap. innotuit, de elect.* & alij asserunt validam esse restitutionem Clerici, depositi à beneficio, factam ab Episcopo, inuito patrono, si Episcopus in restitutione depositi præueniat patronum, antequam patronus alium præsenter, quia res adhuc integra est.

22 An talis restitutio fieri possit absque cõsensu Capituli.)

22 Maior difficultas est, vtrùm Episcopus possit sine consensu Capituli depositum restituere, dum restitutionem alicuius Clerici depositi facit in casibus à iure permissis.

Respondeo posse restituere sine consensu Capituli, attenta consuetudine, & praxi de qua testantur Gloss. *in cap. cùm ex eo. verbo Episcopi, de elect. in 6.* Decius *in cap. & si Clerici. vers. de adulterio num. 20. de iud.* Roman. *cons. 325. in fin.* Alter. *tom. 2. disp. 2. cap. 9. colum. 8. vers. quamuis.* Hostiens. & alij apud Glossam *loco cit.*

Dixi, *attenta consuetudine*, quia si dispositionem iuris respiciamus, magna est inter Doctores controuersia; multi enim Doctores existimant, Episcopum non posse sine Capitulo restituere, & dispensare, vt colligitur ex *cap. & si Clerici. vers. de adulteriis, de iudiciis*, ibi, *potest Episcopus cum Clericis post peractam pœnitentiam dispensare.* vbi notanda est illa loquendi forma, *Episcopus cum Clericis*, quæ indicare videtur causam efficientem dispensationis, *cap. præsentium 1. quæst. 5. cap. 3. ad finem, & cap. ex pœnitentibus. dist. 50.* Ratio est, quia in causis maioribus, potestas deuoluitur ad Capitulum, *Clement. vnica. de rerum permut. cap. vnico. de maiorit. & obed. cap. ad abolendam. de hæret.* Ita Panormitan. *in cap. & si Clerici, citato, num. 16.* Alter. *versic. verum, pag. 44.* Hostiens. Innocentius, Riccius, & alij apud Panormitan. *loco citato.* Contrariũ docet Gloss. *in cap. cùm ex eo, verbo Episcopi, de elect.* & alij. Sed quidquid sit de iuris dispositione, ego censeo, standum esse praxi, & consuetudini locorum legitimè receptę; consuetudo enim legitimo tempore introducta, legi humanæ derogat.

Hic agere possem de forma, & solemnitate quæ in degradatione seruatur, verum quia illa expressa est in Pontificali, nulli arduum erit illam consulere, dum opus fuerit; de qua etiam agunt Molina *loco suprà citato num. 13.* Sayrus *cap. 22. num. 12.* Filliucius *num. 192.* Ambrosinus *num. 40.* Alter. *loco cit. cap. 7.*]

DISPVTATIO V.

De Interdicto.

IN hac disputatione explicabimus:
I. Quid, & quotuplex sit interdictum.
II. Differemus de eius effectibus.
III. De ius violatione.
IV. De casibus, in quibus incurritur.
V. De eius absolutione, & cessatione.

PVNCTVM I.

Quid, & quotuplex sit interdictum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sit interdictũ.

1 INterdictum est Ecclesiastica censura, qua homo separatur à perceptione quorumdam sacramentorum, à diuinis officiis, & à sepultura Ecclesiastica. Hæc propositio colligitur ex *cap. non est nobis. de sponsalibus*, & patebit ex dicendis. Ita Sotus *in 4. dist. 22. q. 3. art. 1.* Auila *5. parte disp. 1. in principio.* Henriquez *lib. 13. cap. 41. nu. 1.* Coninch. *disp. 17. dub. 1.* Filliucius *tract. 18. num. 1.* Suarez *disp. 32. sect. 1.* Reginaldus *lib. 32. tract. 3. cap. 25. num. 1.* [Alterius *tom. 2. de interdicto. disp. 1. cap. 1. col. 3.*] & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quotuplex sit interdictum.

2 INterdictum aliud est locale, aliud personale, & aliud mixtum. Locale est, quo directè interdicitur locus, ne in eo diuina officia audiantur ab incolis, vel extraneis; quamuis personæ loci interdicti possint alibi audire diuina officia; personale est, quo prohibetur populus, vel aliqua persona particularis audire diuina officia, vbicumque sit. Mixtum verò complectitur locale, & personale: consequenter per interdictum mixtum interdicitur locus, & persona. Ita Nauarrus *cap. 27. num. 166.* Syluester *verb. interdictum, 1. quæst. 2.* Auila *dub. 1. loco citato.* Reginaldus *num. 3.* & alij.

Hæc tria interdicta sic inter se sunt diuersa, vt interdicto loco non censeatur interdictus populus, nisi aliud exprimatur, & posito interdicto personali non censeatur positum interdictum locale, nisi hoc exprimatur à iudice. Ita Nauarrus *num. 167.* Auila *dub. 2.* Syluester *verb. interdictum 2. num. 7.* Reginaldus *nu. 5.* Sotus, & alij contra Henriquez *lib. 13. cap. 42. ad finem.* & alios, qui volunt, posito interdicto personali generali, censeri etiam positũ interdictum locale. Sed ratio nostra est, quia versamur in materia odiosa quæ non est extendenda.

3 An interdicta Ecclesia, sacerdotes possint in alia Ecclesia persoluere diuina officia.

3 Hinc sequitur, interdicta aliqua Ecclesia, posse sacerdotes illius Ecclesiæ in alia Ecclesia persoluere diuina officia, modò ipsi non fuerint in causa culpabili, ob quam latum est interdictum, qui enim dederunt causam culpabilem interdicti localis, nullibi possunt audire, vel persoluere diuina officia, *cap. sicut. de sententia excommunicationis in 6.* Posito verò interdicto locali non possunt ciues illius loci, immò neque exteri celebrare in loco interdicto.

4 Quotuplex sit interdictum locale, & personale.

4 Quæres primò, quotuplex sit interdictum locale, & personale.

Respondeo esse duplex, generale, & speciale, seu particulare.

5 Quid sit interdictũ locale generale.

5 Quæres secundò, quid sit interdictum locale generale.

Respondeo esse illud, quo interdicitur locus vniuersalis, vt regnũ, aut prouincia, aut diœcesis, aut ciuitas, aut villa, aut castrum. Ita Nauarr. *num. 166.* Auila *5. part. disputat. 1. dubio 1. concl. 2.* Henriquez *cap. 41. num. 3.* [Alterius *disp. 1. cap. 3.*] Vnde aliud interdictum præter recensita non est interdictum generale, sed speciale, ex Innocentio III.

6 An interdictum parochiæ sit generale.

6 Hinc sequitur primò, interdictum parochiæ esse generale, si per parochiam intelligamus totum ambitum alicuius castri. Ratio est, quia parochia idem est, ac totum castrum, interdictum autem castri est generale. Ita Nauarr. *loco cit.* Suarez *disp. 32. sect. 2. num. 7.* Filliucius *num. 5.* [Henriquez *lib. 13. cap. 41. num. 3.* Alterius *tom. 2. disp. 1. de interdicto. cap. 4. vers. dico secundò*,] & alij. Si verò per parochiã intelligamus solum templũ parochiale, interdictũ parochiæ est speciale, non generale, non enim est interdictũ regni, vel diœcesis, vel castri. Ex opposito interdictũ, quo interdicitur aliqua ciuitas, excepta vna, vel duabus Ecclesiis, est interdictum generale. Ratio est, quia ad interdictum particulare requiritur, vt interdicatur particularis locus, vel Ecclesia; in hoc autem casu non interdicitur locus particularis, sed tota ciuitas; ergo est interdictum generale, non speciale, nec generalitas absoluta aufertur per particularem exceptionem alicuius Ecclesiæ. Ita Suarez *loco citato, num. 9.* [Alterius *loco citato dub. 2. col. 3.*]

7 An sit interdictum generale, quando interdicitur parochia vnius oppidi, in quo sunt aliæ parochiæ.

7 Secundò sequitur, interdictum, quo interdicitur aliqua parochia alicuius oppidi, vel ciuitatis, in qua sunt aliæ parochiæ, non esse generale, sed speciale. Ratio est, quia generale interdictum est, quando interdicitur regnum, prouincia, diœcesis, ciuitas, villa, vel castrũ; in hoc autem casu non interdicitur regnum, prouincia, diœcesis, &c. ergo non est generale interdictum: quando enim aliquis locus præter regnum, prouinciam, &c. interdicitur, non est interdictum locale generale, ex Innocentio III. Ita Auila *dub. 1.* Couarruuias *cap. alma mater parte 2. §. 1. num. 9.* Henriquez *loco cit.* & alij contra Nauarrum *nu. 166.* Suarez *loco citato.* Coninchum *num. 16.*

8 An sit interdictum generale, quando interdicũtur Ecclesiæ cuiuscumque loci.

8 Tertiò sequitur, non esse interdictum generale, sed speciale, quãdo interdicuntur aliquæ Ecclesiæ, vel omnes cuiuscumque loci. Ita Nauarrus *loco cit.* Sayrus *lib. 3. cap. 2. num. 13. & 14.* [Henriquez *lib. 13. cap. 41. num. 3.* Alter. *loco citato, dubio 3.* & alij communiter contra Sotum *in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. conclus. 1.*] Ratio est, quia tunc est interdictum generale, quando interdicitur regnum, prouincia, diœcesis, &c. Sed quando interdicuntur omnes Ecclesiæ, non interdicitur regnum, ciuitas, &c. ergo non est interdictum generale locale, sed speciale, non enim remanent interdicta omnia loca, quamuis remaneant interdictæ omnes Ecclesiæ. Propterea diuina officia celebrari poterunt extra Ecclesias, videlicet in domibus priuatis, in quibus aliqui habent priuata sacella, cum priuilegio celebrandi Missam in illis. Ita Suarez *tom. 5. de censuris, disput. 32. sect. 2. num. 10.* Coninchus *num. 14.*

9 (An interdictum prouinciæ sit interdictum locale.

9 [Quartò sequitur, interdictum prouinciæ esse interdictum locale generale, consequenter sub illo interdicto comprehendi etiam Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanam; interdictum enim locale generale comprehendit omnia loca illius status qui interdicitur, nisi aliqua excipiantur. Ita Gemin. *in cap. quamuis. §. quamquam. num. 4. de præbend. lib. 6.* Anchar. *ibid. num. 4.* & alij, quos citat & sequitur Alterius *de interdicto disp. 1. cap. 4. col. 13. vers. animaduertendum.*

10 An interdictum ciuitatis sit interdictũ generale.

10 Quintò, interdictum ciuitatis esse interdictum generale, consequenter sub huiusmodi interdicto comprehendi omnes Ecclesias illius ciuitatis, etiam Cathedralem, alioquin non esset interdictum locale generale, & aliàs eluderetur interdictum, quia ciues possent ad cathedralem causa diuinorum officiorum confluere. Ad-

do probabilissimum mihi videri, Ecclesiam Cathedralem censeri comprehensam in interdicto, quo interdicuntur omnes Ecclesiæ alicuius ciuitatis. Quamuis enim admittam huiusmodi interdictum non esse locale generale, nihilominus dictio illa vniuersalis, *omnes*, nullam Ecclesiam excipit. Contrarium probabilius putat Alterius *loco citato colum. 12. & 13.* quia Ecclesia Cathedralis ob sui excellentiam digna est speciali nota, *cap. quamuis, de præbend. in 6.* quæ autem speciali nota digna sunt, non comprehenduntur in generali sermone, etiamsi verba iuxta propriam sui significationem illis accommodari possint, sicut nomine Clericorum non comprehenduntur Canonici Ecclesiæ Cathedralis in materia pœnali & odiosa; consequenter si interdicantur omnes Clerici ciuitatis, non censentur interdicti Canonici Ecclesiæ Cathedralis, ex Panormitan. *in cap. cùm tibi, num. 4. de vita & honestate Cleric.* & aliis, quos alibi adduxi.

11 An interdicta diœcesi, censeatur etiam interdicta ciuitas.)

11 Sextò, interdictum diœcesis esse locale generale.

Maior difficultas est, vtrùm interdicta diœcesi censeatur etiam interdicta ciuitas. Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia ciuitas est caput diœcesis; ergo interdicta diœcesi censetur etiam interdicta ciuitas; caput enim non est quid distinctum à corpore; ob id ciuitas comprehendi videtur sub nomine diœcesis, tamquam pars sub toto, *cap. 1. de offic. ordin. & cap. vnico, de rerum permutat. in 6.*

His non obstantibus, respondendum videtur, interdicta diœcesi non censeri interdictam ciuitatem, nisi clariùs exprimatur. Ratio est, tum quia quando interdicitur diœcesis, accipitur diœcesis in sua specie, quatenus differt à ciuitate; tum quia in materia generali strictior interpretatio facienda est. Ita Alterius *cap. 4. citato, colum. 11. & 12.* & alij.

Ad rationem dubitandi respondeo, ciuitatem esse caput, & partem diœcesis, & sub nomine diœcesis comprehendi in materia non odiosa, secus in materia odiosa, quia nomen diœcesis tunc temporis accipitur in sua specie.]

12 Quid sit interdictũ personale generale.

12 Quæres tertiò, quid sit interdictum personale generale.

Respondeo illud esse, quo interdicitur generaliter populus totius regni, vel prouinciæ, vel ciuitatis, vel villæ, vel castri: speciale verò, quo interdicitur pars aliqua populi, & communitatis, vt quando interdicitur aliqua persona particularis, vel plures alicuius communitatis. Ita Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 18. punct. 2.* & alij.

13 An sit interdictũ generale, quando interdicitur Academia, aut Collegium.

13 Hinc patet esse speciale interdictum, quod fertur contra aliquam Academiam, vel aliquod collegium, vel aliquam vniuersitatem contentam in aliquo oppido. Ratio est, quia non interdicitur totus populus, vel totum oppidum, sed pars oppidi, & communitatis; ergo non est interdictum personale generale, sed speciale tantùm. Ita Auila *concl. 3.* Sylvester & alij, contra Henriquez *cap. 41. num. 3.* Coninchum *num. 11.* [Alterium *cap. 5. dub. 3.*] Nauarrum, Suarez, & alios *loco cit.*

Vt hæc doctrina interdicti personalis, & localis meliùs intelligatur, explicandæ sunt aliquæ difficultates.

14 An interdicto Clero censeantur interdicti religiosi.

14 Prima est, vtrùm interdicto Clero censeantur etiam interdicti religiosi.

Respondent multi DD. affirmatiuè, quando fertur interdictum à Summo Pontifice. Ita Nauart, *num.* 167. Couarruuias *loco citato* §. 1. *num.* 8. Suarez *sect.* 2. *n.* 13. & alij. Ratio est, quia tota communitas distinguitur in populum, & Clerum, *cap. si sententia*; sed religiosi non comprehenduntur sub nomine populi; ergo comprehenduntur sub nomine Cleri.

Sed mihi probabilius dicendum videtur cum Sayro *ca.* 4. *num.* 29. Henriquez *loco cit. n.* 3. Vgolino *tab.* 5. §. 5. *nu.* 3. *ad finem.* Auila *dub.* 4. *concl.* 7. [Alterio *disp.* 1. *c.* 5. *dub.* 6.] Coninchо *disp.* 17. *nu.* 8. Filliucio *nu.* 14. in interdicto Cleri non comprehendi religiosos. Ratio est, tum quia religiosi in fauorabilibus veniunt nomine Cleri, non verò in odiosis: tum quia si interdicantur religiosi, non censentur interdicti Clerici; quamuis Clerici lato modo dicantur religiosi; ergo à pari, quando interdicuntur Clerici, non censentur interdicti religiosi.

15 An interdicto populo sit interdictus Clerus, & è contra.

15 Secunda difficultas est, vtrùm interdicto populo intelligatur interdictus Clerus, & è contra.

Respondeo negatiuè; quia populus absolutè prolatus solet distingui à Clero, & accipi pro laico. Ita Suar. *num.* 14. Auila *dub.* 4. *concl.* 6. Nauarrus *c.* 27. *n.* 167. Coninchus *nu.* 8. [Alterius *disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5.] & alij, quidquid dicant alij: vnde interdicto Clero poterit populus extraneos sacerdotes conuocare ad diuina facienda, & interdicto populo poterit Clerus ipse celebrare, modo inferiùs explicando.

16 An interdicta familia sint interdicti Clerici illius familiæ.

16 Tertia difficultas est, vtrùm interdicta familia, interdicti censeantur Clerici, & alij eiusdem familiæ.

Respondeo affirmatiuè; nam interdictum simpliciter fertur in personas illius familiæ, vt suppono: Clericus autem est pars illius familiæ. Si verò vnus illius familiæ post latum interdictum recedat ab ea familia, adhuc remanet interdictus. Secus dicendum est de illo, qui post latum interdictum, fit de familia interdicta, hic enim non incurrit interdictum; [quia censura solum afficit illos contra quos fertur.] Ita Sayrus *cap.* 4. *n.* 28. Henriquez *n.* 3. Filliucius *nu.* 14. [Alterius *loc. cit.*] Suarez *sect.* 2. Auila, Paludanus, & alij *locis citatis*, & patebit ex ratione mox afferenda.

Obiicies. Si quis fiat pars communitatis interdictæ, (vt accidit, quando quis transfert domicilium ad eum locum, in quo populus est interdictus,) subiacet interdicto, vt dictum est; ergo etiam ille, qui fit de familia interdicta, incurrit interdictum.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia interdictum familiæ est speciale, interdictum verò communitatis est generale, & personæ illius familiæ non sunt interdictæ, quatenus faciunt vnam communitatem & familiam, sed sunt interdictæ singulares personæ illius familiæ secundùm se, propterea qui recedit, remanet interdictus, & qui accedit, non subiacet interdicto. Secus dicendum est de illo, qui populo iam interdicto fit pars illius populi interdicti; nam personæ communitatis sunt interdictæ, quatenus constituunt communitatem. Ita Coninchus *num.* 17. Suarez *num.* 9. Filliucius *numer.* 24. & 119. Reginaldus *num.* 60. [Alterius *disp.* 1. *c.* 5. *dubio* 2.]

17 An interdictis Doctoribus sint etiam interdicti Clerici Doctores.

17 Quarta difficultas est, vtrùm interdictis Doctoribus alicuius ciuitatis, vel collegij, censeantur etiam interdicti Clerici Doctores illius ciuitatis, vel collegij.

Respondeo affirmatiuè, nomen enim Doctoris tam conuenit Doctoribus Clericis, quam laicis. Ita Auila *dub.* 9. *concl.* 9. Henriquez *n.* 3. & alij contra Sayrum *c.* 4. *num.* 30. Vgolinum *tab.* 5. *c.* 20. §. 5. *ad finem*, & alios; quorum ratio est, quia interdicuntur Doctores, quatenus faciunt vnum collegium, seu communitatem, vel vniuersitatem; sed Clerici Doctores non possunt esse de vniuersitate, vel collegio laicorum. Sed hæc ratio meo iudicio parum firma est, quis enim negare potest Clericos, & laicos Doctores nõ posse vnam Academiam, & collegium constituere, ita vt singuli non dicantur esse membrum illius collegij, vel Academiæ? Propterea mihi magis placet sententia Auilæ, & aliorum.

18 An interdicto populo sint interdicti, qui habitãt in suburbiis.

18 Quinta difficultas est vtrùm interdicto populo ciuitatis intelligantur interdicti, qui habitant in suburbiis.

Respondeo negatiuè, quando habitantes in suburbiis non sunt de populo ciuitatis. Si autem sint de populo ciuitatis, censentur interdicti, eò quòd sint pars illius populi. Ita Vgolinus *tab.* 5. *ca.* 20. §. 5. *ad finem.* [Alterius *cap.* 5. *col.* 9. *quæsito* 3.] Sayrus *cap.* 4. *numer.* 2. Auila *dubio* 4. *conclus.* 3. & alij.

19 An homines cõmunitatis interdictæ, qui absunt, ligentur interdicto.

19 Sexta difficultas est, vtrùm ciues communitatis interdictæ, qui absunt, dum fertur interdictum, subiaceant interdicto.

Respondeo affirmatiuè cum Sayro *c.* 4. *num.* 2. [Alterio *disp.* 1. *ca.* 5. *dub.* 4.] Auila, & aliis. Ratio est, quia sunt pars communitatis interdictæ. Si verò actu habeant domicilium alibi, aut aliò transferant domicilium, desinunt esse interdicti, eò quòd desinant esse pars illius communitatis, & populi, vt benè ait Suarez *loco cit.* & Vgolinus *tab.* 5. *cap.* 20. §. 4. *num.* 1. propterea ciues interdicti, non remanent interdicti, si aliò transferant domicilium, modò ipsi non dederint causam culpabilem interdicti; sicut etiam ex oppolito homines non interdicti fiunt interdicti, si fiant conciues populi, & communitatis interdictæ, vt supra dictum est. [Sicut etiam amentes aut infantes, qui tempore lati interdicti generalis non vtebantur vsu rationis, acquisito rationis vsu subiiciuntur interdicto, & capella addita Ecclesiæ iam interdictæ subiicitur interdicto, & locus additus priori loco interdicto, remanet interdictus, nam ex priori & posteriori loco addito resultat vnus locus totalis. Ita Alterius *disp.* 10. *cap.* 6. *col.* 4. & 5.]

Obiicies primò. Terra vendita à Principe post interdictum locale remanet interdicta; ergo etiam ciuis interdictus remanet interdictus mutando domicilium.

Respondeo solutionem huius obiectionis colligi ex sequenti.

Obiicies secundò. Terra acquisita post interdictum non subiacet interdicto; ergo neque homines non interdicti incurrunt interdictum, si fiant conciues populi interdicti.

Respondeo ad vtramque obiectionem, rationem disparitatis esse, quòd interdictum generale personale fertur in personas, quatenus faciunt vnum populum, consequenter, qui aduenit, & fit pars, seu conciuis illius populi, incurrit interdictum; qui verò recedit, cùm desinat esse pars illius populi interdicti, sequitur etiam ipsum non remanere interdictum; in interdicto verò locali non attenduntur loca, quatenus sunt sub vno domino, sed ipsamet loca singula afficiuntur interdicto, propterea si vnus locus vendatur post interdictum, adhuc remanet interdictus. Si verò alius locus post latum interdictum acquiratur, non remanet interdictus.

20 An interdicto populo sint interdicti exteri.

20 Septima difficultas est, vtrum interdicto populo intelligantur interdicti exteri alterius ciuitatis.

Respondeo negatiuè, quamuis ad longum tempus ibi habitent, vt sunt scholares, &c. Ita Henriquez *cap.* 24. *num.* 3. Sayrus *cap.* 4. *nu.* 59. Auila *dub.* 4. *concl.* 5. & 10. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 167. Vgolinus *tab.* 5. *cap.* 20. §. 3. *num.* 3. Filliucius *num.* 14. [Alterius *disp.* 1. *cap.* 5. *quæs.* 3.] & alij communiter. Ratio est, quia non sunt pars illius populi, vel communitatis; interdictum autem generale personale cadit tantummodò supra illos, qui sunt pars illius populi. Si tamen detur casus, vt vnus habeat duo domicilia, vnum in eo loco, in quo totus populus est interdictus, aliud in alio loco, vbi non est interdictus, aliqui affirmant ipsum esse interdictum. Auila verò *dub.* 4. *concluf.* 4. Syluester *verb. interdictum* 2. *numer.* 13. Coninch. *disputat.* 17. *dub.* 1. *numer.* 12. [Henriq. *lib.* 13. *cap.* 42. *numer.* 2. Alterius *disp.* 1. *cap.* 5. *col.* 10. *quæsito* 3. *ad fin.*] & alij, negant esse interdictum, quia non est maior ratio, cur sentiat onus populi interdicti, quàm libertatem alterius populi non interdicti.

Verùm mihi placet doctrina Suarez *num.* 16. & Filliucij *quæsito* 5. *num.* 14. dicentium illum non esse interdictum, quamdiu actu habitat in eo loco, vbi populus non est interdictus, consentaneum enim est, vt fruatur libertate illius loci, in quo actu habitat, cùm versemur in materia odiosa, quæ non est extendenda. Si verò habitat in domicilio, vbi populus est interdictus, consentaneum est, vt potius sentiat onus illius populi, quàm libertatem alterius, cùm actu sit pars, & membrum illius populi.

Hinc sequitur habentem domicilium in loco non interdicto subiacere interdicto, si transferat domicilium in locum, vbi ciuitas, & populus est interdictus. Ratio est, quia fit pars illius communitatis; ergo afficitur onere, aut libertate illius cuius fit pars. Ita Henriquez *loco citato*, Coninchus, & alij communiter.

21 An interdicta communitate sint interdicti pueri, & amentes.

21 Octaua difficultas est, vtrùm interdicta communitate censeantur interdicti amentes, vel pueri carentes vsu rationis.

Respondeo negatiuè. Ita Sayrus *cap.* 4. *num.* 23. Filliucius *num.* 24. Auila *dub.* 4. *concluf.* 6. Sylueſter *verb. Interdictum quæsito* 7. Henriq. *loco citato, num.* 3. [Alterius *disp.* 1. *ca.* 5. *col.* 11. *vers. ex his,*] & alij contra Vgolinum *cap.* 20. §. 2. & alios. Ratio est, quia infantes non sunt capaces doli, & culpæ; censura autem interdicti fertur in capaces doli, quamuis ipsi non deliquerint. Verum tamen est amentes, aut infantes priuari Ecclesiastica sepultura tempore interdicti, hoc enim est interdictum locale, quod directè afficit locum, consequenter prohibet quoscumque ibi sepeliri. Vide, quæ dixi *de legibus quæst.* 1. *punct.* 5. & *infr. punct.* 5. *num.* 9.

22 An interdictum personale generale intelligatur de singularibus personis.

22 Nona difficultas est, vtrùm per interdictum generale personale latum contra aliquam communitatem, intelligantur interdictæ singulares personæ, quæ sunt partes illius communitatis.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia non interdicitur communitas abstractè sumpta. Tum quia interdicitur communitas, ne possit audire diuina officia, & ne possit sepelire, aut sepeliri; sed hæc sunt propria singularum personarum, non verò communitatis, vt sic; ergo singulæ personæ interdicuntur, non communitas abstractè sumpta: tum quia, si non interdicerentur singulæ personæ communitatis, quando interdictum fertur contra aliquam communitatem, frustra ferretur interdictum, nam singulæ personæ adhuc possent diuinis interesse; ergo singulæ personæ interdicuntur, nisi aliquæ à iudice excipiantur, vel aliqua excipiatur ob priuilegium. Ita Suarez *disp.* 32. *sect.* 2. *num.* 13. & 15. Coninch. *num.* 16.

23 An interdicta ciuitate, sint interdicta suburbia.

23 Decima difficultas est, vtrùm interdicta aliqua ciuitate intelligantur etiam interdicta suburbia, id est, ædificia, quæ sunt extra muros illius ciuitatis, vel illis contigua, vel vicina, ad quæ possit populus confluere ad audienda diuina.

Respondeo affirmatiuè, etiamsi illa ædificia non sint subdita temporaliter illi domino, cuius causa interdicta est ciuitas. Rursus hoc valet, etiamsi illa loca sint alterius diœcesis, & non sint subdita iudici Ecclesiastico, à quo latum est interdictum. Ita colligitur ex *cap. si ciuitas, de sentent. excomm. in* 6. Ratio est, quia, si interdicta ciuitate non essent interdicta huiusmodi suburbia, paruipenderetur interdictum; nam interdicta ciuitate possent ciues illius ciuitatis accedere ad loca vicina ad audienda diuina, [suburbia enim sunt ædificia, quæ exiſtunt prope mœnia vrbis, & quæ frequentari solent ab hominibus ciuitatis absque magno labore.]

Ex quo fit, vt illa loca censeantur interdicta, respectu quorum oriretur occasio paruipendendi interdictum, si in illis locis celebraretur. Ita Suarez *disp.* 32. *sect.* 2. *n.* 23. Coninchus *disp.* 17. *dub.* 1. *num.* 18. Auila *part.* 5. *disp.* 1. *dub.* 3. Filliucius *num.* 8. & 9. [Alterius *disp.* 1. *cap.* 4. *dub.* 4.] & alij communiter.

Hic tamen aduertendum est, quando interdicitur aliqua ciuitas ab Episcopo, & suburbia non sunt subdita ipsi Episcopo interdicenti, illa suburbia non censeri interdici ab Episcopo, sed à iure communi, vt ait Auila, [Alterius *cap.* 4. *col.* 9. *vers. sed dubium.*] & alij *ex cap. si ciuitas, citato*, nisi dicamus cum Suarez *sect.* 2. *n.* 20. & Sayro *cap.* 3. *n.* 7. censeri interdici ab ipso Episcopo, quatenus illa suburbia, & ædificia vicina censentur subdita Episcopo interdicenti ob connexionem quam illa loca habent cum loco principali.

24 An interdicta ciuitate

24 Hinc fit, vt interdicta aliqua ciuitate per interdictum locale generale, censeantur etiam interdictæ religionum Ecclesiæ, quæ aliàs

sint interdictæ Ecclesiæ religionum.

alias sunt exemptæ, vt patet, tum ex Trident. *sess. 25. de regularibus, cap. 12. & 22.* tum ex ratione supradicta.

Ex quo sequitur Religiosos teneri seruare interdictum locale generale. Ita Coninchus, Suarez, Auila, Filliucius, Alterius, & alij communiter.

Dixi, *per interdictum locale generale*, quia per interdictum speciale non potest Episcopus ponere interdictum in Ecclesiis exemptis. Quocirca, si interdicat singulas Ecclesias alicuius ciuitatis, non censetur interdicere Ecclesias exemptas. Ita Suarez *sect. 2. num. 6.* Auila, & alij. Ratio est, quia Episcopus non habet directam iurisdictionem in Ecclesias exemptas, nec ius hoc statuit, sicut statuit in generali interdicto.

25 (An religiosi vti possint priuilegiis, quæ illis concessa fuerant ante Concilium Tridentinum.)

25 [Maior difficultas est, vtrùm Religiosi, quibus ante Concilium Tridentinum concessa fuerant priuilegia celebrandi diuina officia, & admittendi laicos tempore interdicti localis, possint etiam hoc tempore vti præfatis priuilegiis.

Respondeo non posse. Ratio est, quia Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 12. de regular.* noluit priuilegium prodesse religiosis quoad festa & interdicta, etiamsi religiosi sint exempti. Ergo religiosi non possunt vti præfatis priuilegiis ante Concil. Trident. concessis. Ita Nauarr. *consil. 7. de priuilegiis, in nouis. & in manuali cap. 27. num. 190.* Garzias *de benefic. 3. part. cap. 2. num. 278. & seqq. & part. 5. cap. 8. n. 87.* & ita declarauit Sacra Cardin. Congreg. teste Garzia *loco cit. num. 87. vers. ad octauum.* Contrarium sustinent Henriquez *lib. 13. cap. 48. n. 1.* Rodriquez *qq. regular. tom. 2. quæst. 112. art. 1.* Alterius *disp. 1. c. 4. col. 9. & 10.* Sayrus *de censuris lib. 5. cap. 13. num. 24. & seqq.* & alij loquentes de specialibus regularium priuilegiis, quibus datur illis facultas non seruandi interdicta pro suis festis, & aliis certis diebus.]

26 An interdicta Ecclesia, intelligantur interdictæ capellæ, & cœmeteria.

26 Vndecima difficultas est, vtrum interdicta Ecclesia intelligantur interdictæ Capellæ, & cœmeteria contigua Ecclesiæ.

Respondeo affirmatiuè, vt patet ex *cap. si ciuitas, citato.* Ratio est, tum quia censentur vnum corpus cum Ecclesia: tum quia accessorium sequitur principale; quando verò Capella, vel cœmeterium non est contiguum, non censetur interdictum, interdicta Ecclesia: tum quia non facit vnum corpus cum ea: tum quia non est accessorium illius. Ita Sayrus *cap. 2. num. 16.* Nauarrus *numer. 167.* Vgolinus *cap. 10. in principio num. 2.* Suarez *sect. 2. num. 27.* Filliucius *numer. 12.* Reginaldus *lib. 32. tract. 3. & cap. 25. numer. 10.* Henriq. *lib. 13. cap. 42. num. 4.* Coninch. *loco citato num. 19.* [Alterius *cap. 4. sub finem.*] Contigua dicuntur ea, quorum extrema sunt simul, seu quorum extremitates se inuicem contingunt, ita vt inter vnum, & alterum non interponatur aliquid aliud. Vnde cœmeterium dicitur contiguum Ecclesiæ, quando inter parietem Ecclesiæ, & ipsum cœmeterium non interponitur aliquid aliud.

[Hinc patet quid dicendum sit primò de duabus Ecclesiis contiguis, solo intermedio pariete, vel cœmeterio communi, tunc enim interdicta vna Ecclesia, non censetur interdicta etiam altera, quia non est quid accessorium illius, vel eius pars, vt suppono; paries verò intermedius, qua parte respicit Ecclesiam interdictam, subiicitur interdicto, quia est pars loci interdicti.

Secundò patet, quid dicendum sit de Capella de nouo addita Ecclesiæ interdictæ, aut de Ecclesia iam interdicta, & postea aucta ex parte, aut paulatim reædificata; tunc enim Capella seu pars addita remansit interdicta, cum sit pars Ecclesiæ præcedentis, & augmentum sit eiusdem naturæ cum re, quæ augetur. Ita Alterius *de interdicto disp. 1. cap. 4. ad finem.*]

27 An interdictum latum contra terras alicuius Principis, cadat in omnes terras eiusdē Principis.

27 Duodecima difficultas est, vtrùm interdictum, quo generaliter interdicitur terra alicuius Principis, cadat in omnes terras, quarum Princeps habet dominium, aut solum vsumfructum, vt sunt terræ traditæ in dotem.

Respondeo cadere in omnes; nam verba generalia sunt generaliter intelligenda, non tamen cadit in terram acquisitam post latum interdictum, nisi hoc sit expressum in sententia interdicti. Ratio est, quia gratiæ non extenduntur ad futura; ergo multo minus pœnæ debent ad futura extendi. Verum tamen est illius terras venditas post interdictum subiacere interdicto, quia terræ illæ transeunt cum onere quod illis adhæret, eò quòd interdictum sit onus affixum loco. Vide Suarez *sect. 2. num. 30. & disp. 8. sect. 1.* Filliucium *num. 11.* Sayrum *ca. 3. num. 25. & 26.* Henriquez *ca. 42. num. 2.* [Alterium *disp. 1. cap. 4.*] Coninchum *loco citato numer. 21.* Vgolinum *tab. 5. cap. 12. §. 3.* vbi plures alios DD. refert, & Coninchus *num. 22.* oppositum dicit in hoc vltimo casu, quoties interdictum latum est ob culpam domini absque culpa incolarum.

28 An ferēs interdictū subiaceat interdicto.

28 Decimatertia difficultas est, vtrùm iudex, qui tulit interdictum, includatur in interdicto.

Respondeo primò, in interdicto personali non includi; non enim potest seipsum interdicere: cùm non habeat iurisdictionem coactiuam in seipsum, sicut neque habet in superiorem, vel æqualem, sed tantum in subditos, vt patet, tum ex supradictis *de censuris in communi*; tum ex dictis de subiecto legum *quæst. 1. punct. 6.* Vide Suarez *sect. 3.* Filliucium *numer. 26.* [Alterium *cap. 5. ad finem*] & alios præcit. DD.

Respondeo secundò, in locali interdicto includi etiam ipsum iudicem, vel superiorem, vel æqualem; quamuis enim liberum sit iudici ferre interdictum, & non ferre, nihilominus lato semel interdicto, etiam ipse tenetur illud seruare, quia effectus interdicti sunt instituti à iure communi; in iure autem communi, non potest iudex inferior Papa dispensare. Confirmatur à simili de excommunicatione, quamuis enim Episcopus possit excommunicare, & non excommunicare; nihilominus posito, quòd aliquem excommunicauerit, non potest cum eo participare, & communicare, quia participatio, & communicatio cum excommunicato prohibetur à iure communi, in quo non potest Episcopus dispensare per se loquendo, vt patet ex dictis *de legibus.*

Hinc sequitur iudicem, qui aliquem locum interdixit, teneri abstinere ab officiis persoluendis in eo loco, quia hic est effectus interdicti introductus à iure communi, in quo non potest inferior dispensare. Ita Nauar. *num. 161.* Sayrus *cap. 3. num. 68.* Auila *disp. 1. dub. 5. concluf. 2.* Vgolinus *tab. 5. cap. 6. §. 1.* Coninchus *loco citato nu. 25.* [Alterius *disp. 1. cap. 5. dub. 8. & disp. 10. cap. 6. ad finem.*] & alij.

PVNCTVM II.

De causis interdicti.

IN hoc puncto breuiter explicabo causam efficientem interdicti subiectiuam, materialem, & finalem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sit causa efficiens interdicti.

1 CAusa efficiens interdicti, à qua scilicet interdictum ferri potest, est illa eadem quæ potest alias censuras ferre, par enim est omnium ratio. Quis autem reliquas censuras ferre possit, constat ex dictis *de censuris in genere quæst. 1. punct. 2.*

2 Qui possint interdictum ferre.

2 Hinc sequitur primò, Papam posse interdictum ferre.

Secundò, Episcopum, etiam sine consensu Capituli, consuetudine enim derogatum est iuri antiquo, *cap. quæsiuit. de his quæ fiunt à maiore.* [Ita Alterius *disp. 10. cap. 5.* & alij DD. statim citandi.]

Tertiò, Prælatos religionum, si loquamur de interdicto personali. Si verò sermo sit de locali, dicendum est Prælatos religionum non posse interdictum locale ferre, licet possint personale. Ratio est, tum quia ipsorum iurisdictio potius cadit in personas, quàm in loca; tum quia huiusmodi Prælati non solent interdictum locale ferre; ergo signum est hanc facultatem ipsis datam non esse. Vide Suarez *disp. 36. sect. 1. num. 2.* Filliucium *tract. 18. cap. 1. quæsito 7.* [Alterium *disput. 10. cap. 5.*] & alios, quos innuit Suarez *loco citato.*

[Quartò Capitulum sede vacante, quia succedit in iurisdictionem Episcopi.]

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Quod sit subiectum interdicti.

3 SVbiectum interdicti si loquamur de interdicto personali, sunt homines, in quos iurisdictionem externam spiritualem exercere potest is qui fert interdictum. Ratio est, quia interdictum requirit iurisdictionem inferentem, & subiectionem in eo, in quem fertur, vt patet ex dictis *de censuris in genere disp. 1. quæst. 1. punct. 4.* Idem cum proportione dici debet de interdicto locali.

4 Quis possit interdictum personale, aut locale ferre.

4 Hinc sequitur interdictum personale, aut locale ferri posse primò, à Summo Pontifice, etiam in totum orbem, vel à Concilio generali sede vacante, quamquam moraliter loquendo, non videtur posse iusta causa accidere ad interdictum tam vniuersale ferendum. Vide Suarez *loco cit. nu. 1.* Filliucium *num. 21.* [Alterium *disp. 10. ca. 6.*]

Secundò, ab Episcopo in sua diœcesi. An autem Episcopus possit extraneos interdicere, aut vicina loca; constabit ex infra dicendis: ex quibus etiam colligere licebit vtrùm infantes, vel amentes afficiantur interdicto personali, aut locali, saltem respectu sepulturæ Ecclesiasticæ. Vide Suarez *loco citato sect. 2.* & alios, quorum memini *punct. 4. cit.*

TERTIA PROPOSITIO.

5 Quæ sit causa materialis interdicti

5 CAusa materialis interdicti est culpa. Ratio est, quia interdictum est pœna spiritualis, pœna autem supponit culpam. An verò interdictum ferri possit ob alienam culpam, vel ob peccatum veniale, constat ex dictis *disp. 1. quæst. 1. punct. 3. nu. 2. & seqq.* Vide Suarez *loco cit. sect. 3. num. 2. 3. 13. & seqq.* Filliucium *nu. 25. & seqq.* & alios quos retuli *punct. 3. cit.* [& Alter *disp. 10. c. 1. & 2.* vbi ex professo enumerat causam, seu culpam, ob quam ferri potest interdictum speciale, vel generale.]

QVARTA PROPOSITIO.

6 Quæ sit causa finalis, & formalis.

6 CAusa finalis interdicti, est resipiscentia, & emendatio delinquentis. Hæc propositio patet ex dictis, *disp. 1. quæst. 1. punct. vlt.* An autem censura ferri possit in vindictam præteriti peccati, constat ex dictis *punct. 3.* Vide DD. ibi citatos, & Suarez *disp. 36. sect. 3. &* Filliucium *loco cit. quæsito 10. num. 27. & seqq.*

Causa formalis, seu forma seruanda in ferendo interdicto, constat ex dictis *de censuris in genere.* Videri potest Suarez *de censuris disputat. 36. sect. 4.*

PVNCTVM III.

De primo effectu interdicti, id est, priuatione Sacramentorum.

1 Quot sint effectus interdicti, & an possint restringi.

1 NOtandum primò, tres esse effectus interdicti, siue localis, siue personalis. Primus est priuatio aliquorum Sacramentorum. Secundus est priuatio diuinorum officiorum. Tertius est priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ. Ita expressum habetur *cap. Alma mater, cap. si ciuitas. de sentent. excommunicat. in 6. & cap. quod in te. de pœniten. & remiss.* Verum tamen est istos effectus non ita esse inter se connexos, quin possint etiam ab Episcopo, qui tulit interdictum, separari ad differentiam effectuum excommunicationis, qui non possunt ab Episcopo separari, vnde fieri potest, vt aliquis interdicatur ab officio sacerdotali, quamuis non interdicatur à sepultura, vel interdicatur ab officio prædicandi, quamuis nō interdicatur à Sacramentis, vel interdicatur ab officio audiendi confessiones, quamuis ab aliis non interdicatur, quare diligenter aduertendum est, quomodo feratur interdictum; nam quando ponitur interdictum absolutè, & sine limitatione, intelligitur quoad omnes tres effectus; quando verò non ponitur absolutè, sed cum restrictione, & limitatione, prohibet tantum eam actionem, quæ interdicitur, & omnem aliam, quæ in ea includitur, & sine qua illa non potest fieri, non verò prohibet eam, sine qua actio interdicta fieri potest, & quæ non includitur in interdicto, propterea diligenter aduertenda sunt verba interdicti, & illis standum est. Ita Henriquez *cap. 43. numer. 1. & 6.* Auila *dub. 3. vers. Supponendum est*, & alij.

2 Quot essent effectus interdicti tempore antiquo.

2 Notandum secundò, nos hic loqui de effectibus interdicti, qui modò incurruntur post Bonifacium VIII. Martinum V. & Eugenium VI. nam iure antiquo plures erant effectus, quàm nunc sint, de quibus hic non loquar, ne obscuritatem ingeram.

§. I.

De priuatione Sacramenti Baptismi, & Confirmationis.

TRia principaliter quæram in hoc loco.

Primò, vtrùm Sacramentum Baptismi & Confirmationis administrari possit tempore interdicti localis.

Secundò, vtrùm personaliter interdictus possit recipere Sacramentum Confirmationis.

Tertiò, vtrùm personaliter interdictus possit administrare Sacramentum Baptismi, & Confirmationis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An Sacramenta Baptismi, & Confirmationis possint administrari tempore interdicti localis.

1 TEmpore interdicti localis, siue interdictum sit generale, siue sit particulare, administrari possunt quibuscumque paruulis, & adultis, infirmis, aut sanis, Sacramenta Baptismi, & Confirmationis, cum solita solemnitate, sicut etiam olim fuit in vsu. Ita habetur *cap. quoniam. de sententia excommunicationis in 6. & cap. Alma mater. eodem tit.*

Dixi, *cum solita solemnitate*, cùm enim ius concedat hæc Sacramenta administrari, censetur etiam concedere facultatem illa administrandi iuxta ritum ab Ecclesia præscriptum, videlicet cum exorcismo, vnctione, oleo, chrismate, [patrinis, &c.] Ita Sayrus *cap. 7. n. 3.* Suarez *disput. 33 sect. 1.* [Couarruuias *in cap. Alma mater, part. 2. §. 2.*] Vgolinus *tab. 5. cap. 7. §. 4.* Henriquez *cap. 45. num. 1.* Nauarrus *cap. 27. num. 178.* Auila *disp. 4. dub. 4.* Sylvester *verb. interdictum. 5. quæs. 1.* Filliucius *tract. 18. cap. 2. num. 31.* Coninchus *disp. 17. dub. 2. num. 40.* Reginald. *lib. 32. tract. 3. cap. 27. num. 24.* [& alij communiter, teste Alterio *de interdicto disp. 4. cap. 1.*]

2 An liceat conficere chrisma in Ecclesia Interdicta.

2 Addunt Sylvester, [Alterius,] & Toletus, licitum esse in Ecclesia interdicta conficere chrisma in die Cœnæ Domini, modò seruetur moderatio *cap. Alma mater*, id est, vt ianuæ sint clausæ, non pulsentur campanæ, & excludantur excommunicati, & interdicti. Ratio, cur hoc liceat est, tum quia quando aliquid conceditur, eo ipso censetur concedi omne illud, sine quo concessum non potest poni in esse, alioquin frustra concederetur; cùm ergo concessa sit tempore interdicti horum Sacramentorum administratio, videtur etiam concessa facultas conficiendi chrisma, quod in Sacramentorum administratione adhibetur: [tum quia sic permissum videtur *in cap. quoniam, citato.* Idem sentiendum puto de benedictione fontis, (seruata tamen solemnitate *cap. Alma mater.*) nam benedictio fontis pertinet ad solemnitatem Baptismi, quamuis non sit necessaria. Ita Alterius *loco citato, & cap. 2.* & alij.]

3 An interdicta Ecclesia parochiali Baptismus in ea ministrari possit.

3 Quæres, vtrum interdicta aliqua Ecclesia parochiali, teneatur Parochus aliam Ecclesiam, vel parochiam vicinam non interdictam adire, vt ibi Sacramentum Baptismi administret.

Respondeo negatiuè, quia illius parochia quoad hunc effectum non est interdicta, nam *cap. quoniam*, simpliciter permittitur Baptismus absque vlla restrictione; ergo potest in ea Baptismi Sacramentum ministrare. Ita Sylvester *verb. interdictum, 5. quæsito 7. numer. 9.* Suarez *tomo 5. de censuris, disp. 33. sect. 1.* Sayrus *cap. 7. nu. 4.* Henriquez *cap. 45. n. 3.* Filliucius *n. 32.* Coninchus *n. 40.* & alij communiter, [contra Sylvestrum, Couarr. & alios apud Alterium *loc. cit. col. 5.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An personaliter interdictus possit recipere Confirmationem.

4 INterdictus personalter interdicto personali generali potest recipere Sacramentum Confirmationis. Ita Suarez *num. 9.* & colligitur ex *cap. quanto, [cap. responso,] & cap. Alma, de sentent. excommunicat.* Ratio est, quia hoc Sacramentum pertinet ad quoddam complementum Baptismi. Verum tamen est, illum, qui dedit causam interdicto, aut qui est speciali, & personali interdicto ligatus, non posse ad hoc Sacramentum admitti, nisi priùs præstiterit condignam satisfactionem ab Ecclesia præscriptam.

Ratio est, quia hic reus est culpæ, & contumaciæ, & sicut huiusmodi interdictus non potest admitti ad Sacramentum Pœnitentiæ, nisi præmittat dictam satisfactionem, ita nec admitti debet ad Sacramentum Confirmationis; quos enim Ecclesia non admittit ad Sacramentum Pœnitentiæ, neque admittit ad cetera Sacramenta. [Ita Alterius *disp. 4. cap. 2. dub. 2.* Suarez, & alij.]

TERTIA PROPOSITIO.

5 An personaliter interdictus possit administrare Baptismũ.

5 PErsonæ interdictæ interdicto personali generali licitum est ministrare Baptismum, etiam solemniter. Ratio est, quia interdictum personale generale non habet plures effectus circa personam, quam habeat locale circa locum; sed locale interdictum non prohibet administrationem huius Sacramenti in loco interdicto; ergo neque personale prohibet personam, quin administret hoc Sacramentum.

Dixi, *personæ interdictæ interdicto generali*, nam personæ specialiter interdictæ non licet extra necessitatem ministrare Sacramentum Baptismi. In necessitate verò licitum est priuatim ministrare. Ita Sayrus *cap. 7. num. 6.* Suarez *disp. 33. sect. 1. num. 6.* Filliucius *num. 33.* Reginaldus *num. 24.* [Alterius *de interdicto disp. 4. cap. 1. sub finem, & cap. 2. sub finem,*] & alij. Ratio cur non liceat extra necessitatem, est, quia persona specialiter interdicta contraxit interdictum ob culpam propriam, ratione cuius incurrit impedimentum, ne possit hoc Sacramentum ministrare: in necessitate verò satis est, si priuatim administret, quia sufficienter hoc modo occurrit necessitati.

Hinc patet primò discrimen inter hunc, & præcedentem casum de interdicto personali generali lato ob alienam culpam.

Secundò, quod dictum est de specialiter interdicto, dicendum etiam esse de illo, qui dedit causam interdicto generali locali, vel personali, nam hic reputatur tamquam specialiter interdictus.

Addo cum Suarez *num. 2. ad finem*, quando Baptismus administratur tempore interdicti localis generalis, posse cum solita solemnitate administrari; sed huiusmodi solemnitatem, quatenus spectat ad diuinum officium, faciendam esse cum illa moderatione, ac circumstantiis, quæ habentur *in cap. Alma mater*, & cum quibus tempore interdicti celebrantur diuina officia, vt dicam *in sequenti puncto.*

6 An personaliter interdictus possit ministrare Confirmationem.

6 Quæres, vtrùm personaliter interdictus possit ministrare Sacramentum Confirmationis, sicut potest ministrare Sacramentum Baptismi.

Respondeo, personaliter interdictum interdicto generali personali, qui causam non dedit interdicto, posse ministrare, vt dictum est *de Baptismo*, militat enim eadem ratio in vtroque casu; cùm ius idem statuerit de vsu Confirmationis, siue actiuo administrantis, siue passiuo recipientis, *cap. responso, & cap. quoniam. de sententia excommunicationis.* Specialiter verò interdictus, & ille, qui causam dedit interdicto, non potest administrare Sacramentum Confirmationis. Ratio est, tum quia huiusmodi interdictus non potest licitè recipere; ergo neque administrare: tum quia sic habetur *cap. si clerici, cap. si sententia*, & alibi. Ita Suarez *sect. 1. num. 12.* Filliucius *num. 35.* & alij.

§. II.

De priuatione Eucharistiæ.

QVatuor principaliter quæram in hoc loco.

Primò, vtrùm licitum sit aliquando tempore interdicti localis ministrare Sacramentum Eucharistiæ.

Secundò, vtrùm quilibet Sacerdos possit dignè ministrare.

Tertiò, vtrùm personaliter interdictus possit recipere Eucharistiam in articulo mortis.

Quartò, vtrùm tempore interdicti localis licitum sit recipere Eucharistiam tempore Paschatis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An liceat ministrare Eucharistiam tempore interdicti localis.

1 LIcitum est tempore interdicti localis cum solita solemnitate ministrare Eucharistiam solis morientibus, id est, existentibus in probabili periculo mortis prouenienti ex infirmitate, vel ex causa extrinseca. Sic habetur *cap. permittimus. de sentent. excommunicationis, cap. Alma mater, & cap. quod in te. de pœnit. & remiss.* Ratio est, quia Eucharistiæ Sacramentum de iure diuino sumendum est in articulo mortis.

Dixi, *cum solita solemnitate*, id est, cum tympanulo, cum candelis accensis, cum astantibus recitando priuatas orationes, vt Hymnos, & aliquos Psalmos, quibus excitatur populus ad comitandam Eucharistiam, & ad illam venerandam. [Nam huiusmodi orationes & Psalmi in delatione Eucharistiæ ad infirmos, non recitantur per modum diuini officij, sed ad modum diuinæ laudis, qua populus excitatur ad comitandam Eucharistiam, & ad eam venerandam.] Non tamen licet horas Canonicas, vel aliud officium diuinum recitare, vt patet ex secundo effectu interdicti. Præterea in ingressu ab infirmo possunt concedi indulgentiæ; nam concessio earum non est diuinum officium, sed actus externæ iurisdictionis. Ita Suarez *loco citato, sect. 1. num. 28.* Henriquez *cap. 45. num. 2.* Vgolinus *tab. 5. cap. 7. §. 5.* Sayrus *cap. 7. num. 26.* Coninchus *num. 43.* [Alterius *disputat. 4. cap. 4. dub. 6. & colum. 8. dub. 4.*] Filliucius *num. 45.* & alij [apud Alterium *loc. cit.*]

2 An Eucharistia possit ministrari coram interdicto.

2 Addo cum Armilla, & aliis, posse ministrari Eucharistiam coram interdicto, tunc enim Eucharistia non ministratur personæ interdictæ, neque in loco interdicto, sed in præsentia personæ interdictæ, quod non est prohibitum.

3 Quandonam liceat admini, strare Eucharistiam tempore interdicti.

3 Ex dictis colligi potest primò quoties potest impendi absolutio à simplici Sacerdote in periculo mortis, toties posse administrari Eucharistiam, vt benè ait Suarez *disp. 23. sect. 1. num. 29.* tunc enim censetur adesse probabile periculum mortis.

4 An tempore interdicti possit ministrari Eucharistia feminæ vicinæ partui.

4 Secundò colligi potest, licitum esse tempore interdicti ministrare Eucharistiam feminæ vicinæ partui, dum prima vice paritura est, vel si alias cum periculo [peperit,] censetur enim esse in probabili periculo mortis. Ita Sayrus *lib. 5. cap. 7. num. 18.* Henriquez *cap. 45. numer. 2.* Vgolinus *tab. 5. cap. 7. §. 6. num. 2.* [Alterius *disp. 4. cap. 4. dub. 3.*] Suarez, & Filliucius *locis citatis*, & alij.

5 An possit ministrari suscipienti periculosã nauigationem.

5 Tertiò sequitur licitum esse ministrare Sacramentum Eucharistiæ suscipienti periculosam nauigationem tempore interdicti, sicut etiam licet illam administrare præliaturo, aut illi, qui suspendendus est, vt benè ait Suarez *loco cit. num. 29.* Henriquez *cap. 45. num. 2.* [Alterius *disp. 4. cap. 4. dub. 2.*] Illi verò, qui leui laborat infirmitate non licet ministrare, quia non censetur in probabili periculo mortis. [Ita DD. citati.]

6 An Eucharistia ministranda sit per modum viatici.

6 Quartò Eucharistiam ministrandam esse solùm per modum viatici versantibus in periculo mortis, nisi fortè aliquis habeat speciale priuilegium. [Ita Marius Alterius *disp. 4. c. 4. initio*, & alij DD. citati.]

7 An liceat recipere Eucharistiam tempore interdicti localis.

7 Quintò tempore interdicti localis non esse licitum secluso mortis periculo, vel priuilegio recipere Eucharistiam in loco interdicto; extra locum verò interdictum licitum esse, modò recipiens non dederit causam culpabilem interdicto, aut modò non sit personaliter interdictus interdicto speciali, vel generali. Ita Suarez *loco citato, numer. 32.* [Alterius *cap. 4.*]

8 An Clerici possint communicare, cum illis liceat celebrare.

8 Quæres, vtrum Clerici sani licitè possint communicare more laicorum tempore interdicti, cùm illis permissum sit eo tempore celebrare, vt infra dicam.

Respondeo negatiuè cum communi Doctorum sententia, Vgolini *cap. 7. §. 6. num. 5.* Henriquez *cap. 45. num. 2.* Sayri *num. 21.* Nauarri *num. 169.* Auilæ *dub. 5. concluſ. 3.* [Alterij *disput. 4. cap. 4. dub. 8.*] Couarruuiæ, & aliorum contra Sylvestrum *verbo interdictum 5. quæſ. 7.* Suarez *num. 35.* Filliucium *numer. 42.* Angelum, & alios. Ratio est, quia non est recedendum à iure antiquo, nisi quatenus decernitur iure nouo; iure autem antiquo communio licite solùm ministraba-

tur

tur existentibus in probabili vitæ periculo, & iure nouo non est derogatum iuri antiquo in hac re, sed solùm concessum est Clericis, vt possint celebrare; ergo Clerici non existentes in probabili vitæ periculo non possunt licitè hoc Sacramentum more laicorum suscipere, quamuis possint celebrare, & celebrando Eucharistiam sumere, eò quòd celebratio Missæ non possit perfici sine sumptione Eucharistiæ, vt [bene in hac parte] ait Suarez *loco citato*, & alij *locis citatis*.

9 (An religiosi, & moniales possint Eucharistiam sumere ex priuilegio)

9 [An autem Religiosi & moniales possint vigore interdicti, Eucharistiam ex priuilegio sumere.

Respondeo in hac re consulenda esse Religiosorum priuilegia, de quibus mihi plenè non constat, quamquam scio nonnullos Doctores asserere, huiusmodi priuilegium concessum fuisse Religiosis mendicantibus ab Innocentio IV. & Religiosis Societatis Iesu à Paulo III. Vide compendium priuileg. *verb. communicare* §. 8. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 45. *numer.* 2. Nauarr. *cap.* 27. *numer.* 179. & Alterium *disp.* 4. *cap.* 4. *dub.* 9.]

SECVNDA PROPOSITIO.

10 Quis possit Eucharistiam ministrare tempore interdicti.

10 QVilibet Sacerdos, qui sublato interdicto habet ius administrandi Sacramentum Eucharistiæ, potest illud administrare tempore interdicti in articulo mortis, modò ipse non dederit causam interdicto, nec sit ligatus speciali interdicto. Ratio est, quia sicut existenti in periculo mortis licet recipere Eucharistiam; ita licitum est Sacerdoti non habenti aliud impedimentum, illam ministrare. Qui verò ligatus est speciali, & personali interdicto, aut qui dedit causam interdicto, non potest hoc Sacramentum administrare ante absolutionem, quia per interdictum arcetur ab hoc ministerio. Si tamen daretur casus, vt non posset absolui, posset ratione necessitatis ministrare Eucharistiam, modò non adesset alius Sacerdos non interdictus specialiter, qui hoc Sacramentum posset administrare. Præsente verò Parocho specialiter interdicto, & Capellano, vel alio Sacerdote non interdicto specialiter, Parochus deberet Sacerdoti, seu Capellano facultatem concedere administrandi Eucharistiam; nam huiusmodi concessio non est actus ordinis, sed potiùs iurisdictionis: vsus autem iurisdictionis non est prohibitus interdicto, vt infra dicam. Ita Suarez *num.* 26. Coninchus *disp.* 17. *dub.* 2. *num.* 45. *cum sequent.* & patet ex supradictis *de censuris in genere*.

Addit tamen Suarez Parochum non posse committere hoc ministerium, & officium Diacono, eò quòd non sit ferè in vsu Ecclesiæ, vt Eucharistia per Diaconum administretur. [Idem innuit Alterius *cap.* 4. *dub.* 5. *col.* 6.] Sed de hac re *in tract. de Eucharistia*.

TERTIA PROPOSITIO.

11 An personaliter interdictus possit recipere Eucharistiam.

11 INterdictus personaliter interdicto generali potest recipere Eucharistiam per modum viatici absque alia satisfactione, modò non dederit causam interdicto, sicut enim non peccauit, ita neque cogitur aliquam satisfactionem exhibere, & sicut non est necesse tempore interdicti personalis, quo non ligatur hæc persona, nisi generali quadam ratione, interdictum auferri, vt viaticum administretur, ita neque necessaria videtur aliqua absolutio respectu istius volentis recipere; secus dicendum est de illo, qui dedit causam culpabilem interdicto; (nam hic reputatur tamquam specialiter interdictus.) Aut de illo qui est specialiter interdictus, ab his enim prius est exhibenda debita satisfactio, si potest exhiberi. Si verò non potest exhiberi, exigenda est cautio, vt patet ex *cap. Alma mater*, & postea impendenda est absolutio, [antequam Eucharistiæ Sacramentum conferatur.] Verum tamen est istam absolutionem posse in articulo mortis a quolibet Sacerdote impendi, [quia tunc nulla est casuum reseruatio;] vt patet ex dictis *de censuris in communi*. Ità Suarez *disputat.* 33. *sect.* 1. *num.* 24. Coninchus *disp.* 17. *dub.* 2. *num.* 41. Filliucius *num.* 39. [Alterius *cap.* 4. *dub.* 4. & 5.] & alij communiter.

Dixi in propositione, *per modum viatici*, quod scilicet sumitur in probabili vitæ periculo, vt innuerem interdictum interdicto personali generali, vel speciali, nullibi posse præciso mortis periculo, vel priuilegio Eucharistiam suscipere, *cap. si sententia. de sentent. excommun.* Vide Suarez *loco citato, numer.* 32. Filliucium *numer.* 41. & alios præcit. Doctores.

QVARTA PROPOSITIO.

12 An tempore interdicti liceat recipere Eucharistiam tempore Paschatis.

12 NVllus potest, neque tenetur in Paschate ad implendum præceptum annuæ communionis, recipere Sacramentum Eucharistiæ tempore interdicti localis generalis.

Dico, *tempore interdicti localis generalis*, quia tempore interdicti specialis certum est non posse. Hæc propositio non eodem modo admittitur à Doctoribus. Duplex enim est sententia.

Prima est Suarez *num.* 37. Coninchi *disp.* 17. *num.* 36. *dub.* 2. Filliucij *num.* 42. & nonnullorum aliorum affirmantium. Ratio est, quia Pascha est vnus dies, in quo concessum est diuinis interesse: in iis autem diebus, in quibus concessum est diuinis interesse, videtur etiam concessum suscipere Eucharistiam, iuxta Suarez *num.* 35. Quare cum eo die ablata sit prohibitio communicandi, eò quòd tunc cesset impedimentum interdicti, adimplendum est præceptum communicandi quod obligat cessante legitimo impedimento.

Secunda sententia communis est Syluestri *verb. interdictum* 5. *numer.* 3. *quæsito* 2. Vgolini *tab.* 5. *cap.* 8. §. 1. Couarruuiæ *cap. Alma mater, p.* 2. §. 5. *n.* 5. Sayri *cap.* 7. *n.* 25. Auilæ *loco cit.* [Alterij *disp.* 4. *c.* 4. *ad finem,*] & aliorum negantium. Ratio est, tum quia interdictum priuat susceptione Eucharistiæ, præterquam in articulo mortis, *cap. si sententia. de sentent. excommunic.* ergo non licet sumere Eucharistiam tempore Paschatis; tum quia, sicut posito interdicto cessat obligatio audiendi Missam in die festo, secluso speciali aliquo priuilegio alicui concesso ad Missam eo die audiendam: ita etiam cessat præceptum communicandi, permanente interdicto, modò non adsit aliud priuilegium: tum quia Eucharistia non venit nomine officiorum, quæ permittuntur tempore interdicti, propterea quod est dispositum in vno, non censetur dispositum in alio, diuersorum enim & separatorum diuersa est ratio, & natura: argumento *l. finalis, ff. de calumniis*, & à separatis, ac diuersis non fit illatio, argumento *l. Papinianus exuli, ff. de minor.*

Hac de causa Doctores sentiunt ordines capi non posse in die Sabbati sancti tempore interdicti localis generalis, quia ordinatio non venit nomine diuinorum officiorum, quæ licita sunt in solemnitate Paschali, vt infra explicabo.

Hinc patet responsio ad rationem Suarez.

§. III.

De priuatione Sacramentorum Pœnitentiæ, Ordinis, Extremæ Vnctionis, & Matrimonij.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An tempore interdicti possit ministrari Sacramentum Pœnitentiæ.*

1 IVre nouo [*in cap. Alma mater, citando,*] licitum est ministrare sacramentum Pœnitentiæ tempore interdicti, aut cuicumque interdicto, tam sano, quàm infirmo, cum duplici tamen limitatione.

Prima est, vt recipiens non sit excommunicatus; [quamuis ex causa sit excommunicatus.] nam excommunicatus tempore interdicti, excepto mortis periculo, non admittitur ad sacramentum Pœnitentiæ, nisi prius à legitimo superiore, cui reseruata est excommunicatio, fuerit absolutus.

Secunda est, modò non fuerit aliquo modo in causa culpabili, ob quam latum est interdictum, aut non sit specialiter interdictus; huic enim non datur hoc sacramentum, nisi præmiserit debitam satisfactionem, aut dederit idoneam cautionem satisfaciendi, vel saltem, quando hæc præstare non potest, iurauerit se satisfacturum, simulque curaturum, vt ab aliis satisfiat. Ita statutum fuit *in cap. Alma mater. de sententia excommunicationis in* 6. Ita Suarez *disp.* 33. *sect.* 1. §. *de Sacramento Pœnitentiæ*. Vgolinus *loco citato*, §. 6. Henriquez *loco cit.* Sayrus *num.* 8. Coninchus *dub.* 2. *num.* 42. Filliucius *num.* 36. [Alterius *de interdicto disp.* 4. *cap.* 3. & alij communiter. An autem absolutio collata excommunicato, aut interdicto, qui nondum satisfactionem præstitit, valida sit, patet ex dictis de censuris in genere.]

Dixi, *iure nouo*, quia iure antiquo conferebantur solum morientibus, & peregrinis, *cap. quod in te. de pœnitentiis, & remissionibus.*

[Ex dictis sequitur tempore interdicti localis licitum esse administrare sacramentum pœnitentiæ, etiam in loco interdicto, seruatis tamen duabus supra positis limitationibus. Nam *in cap. Alma mater*, datur facultas suscipiendi sacramentum pœnitentiæ tempore interdicti, seruatis dictis limitationibus. Addo licitum esse tunc temporis, præmittere absolutionem generalem à censuris, quæ communiter præmitti solet ante absolutionem sacramentalem. Hæc enim est quid præuium absolutioni sacramentali, vt tollatur cēsura impediens susceptionem sacramenti. Ita Syluester *verbo interdictum*, §. §. 9. *versic. vbi etiam.* Alterius *disp.* 4. *cap.* 2. *col.* 4.]

2 Quis possit illud ministrare.

2 Quæres, quis possit tempore interdicti ministrare sacramentum pœnitentiæ.

Respondeo quemlibet Confessarium, qui non dedit causam culpabilem interdicto locali, posse tempore interdicti localis in loco interdicto administrare Sacramentum pœnitentiæ: hoc enim non est vetitum. Idem dicendum est de Confessario, ligato interdicto personali generali. Confessarius verò specialiter interdictus non potest licitè hoc sacramentum administrare, excepto casu necessitatis, vt patet ex ratione allata *de Baptismo* §. 1. Ita Suarez *num.* 20. Coninchus *num.* 46. [Alterius *cap.* 2. *col.* 5. & *cap.* 4. *dub.* 5.] & alij. Admonet Suarez, Confessarium denuntiatum interdictum debere abstinere ab administratione huius sacramenti; quia dubitatur, vtrùm absolutio ab eo data valida sit, eò quòd interdictū priuet rebus diuinis, quantum potest. Idem sentire videtur Filliucius *num.* 38.

Ego verò existimo quidem huiusmodi Confessarium peccare non abstinendo ab administratione huius sacramenti ob rationem allatam; existimarem tamen validam esse absolutionem ab eo collatam, quantum est ex parte ipsius. Ratio est, tum quia hoc idem valet in irregulari denuntiato: [vt constabit ex dicendis *disp.* 7. *q.* 1. *punct.* 4. *num.* 20.] tum quia interdictum non priuat ordine, vel iurisdictione; [ergo absolutio valida est quantum est ex vi ipsius absolutionis. Ita Alterius *cap.* 3. *dub.* 3.]

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An Sacramentū Ordinis ministrari possit tempore interdicti.

3 NOn potest personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis, administrari Sacamentum ordinis, *cap. non est vobis, de sponsalibus, & cap. responso. de sententia excommunicationis.* Ratio est, quia interdictum priuat perceptione Sacramentorum, nisi fiat aliqua specialis exceptio in aliquo sacramento, quam non constat factam fuisse in Sacramento ordinis. Ita Suarez *loco cit. num.* 45. Filliucius *num.* 47. Auila, Henriquez, & alij communiter, [teste Alterio *cap.* 6. Et hoc militat etiam in illis festiuitatibus, in quibus permittuntur diuina officia, seruata solēmnitate *ca. Alma mater.* Aliud enim est sacramentum ordinis, aliud diuina officia.] Excipitur ab hac doctrina casus necessitatis: vt si non adessent Sacerdotes, qui tempore necessitatis conferrent sacramenta, tunc enim licitum esset conferre ordines in loco interdicto, si non esset alius locus non interdictus, in quo possent ordines commodè conferri. Ratio est, quia eo ipso, quo aliquid conceditur, censetur etiam concessum id, sine quo illud non potest executioni mandari, alioquin esset inutilis concessio; sed ius concedit tempore interdicti officia diuina seruata debita cautione, & aliqua sacramenta; ergo censetur etiam concedere ordinationem Sacerdotum, qui ad illa sunt necessarij. Ita Angelus *verbo interdictum* 6. *numer.* 8. Auila *parte* 5. *disputat.* 4. *sect.* 1. *dub.* 8. idem vt probabile admittit Henriquez *cap.* 45. *numer.* 4. *ad finem*, [Alterius *disputat.* 4. *cap.* 6. *dubio* 4.] & alij contra Couarruuiam *part.* 2. §. 3. *numero* 4. & alios.

Dixi

Dixi in propositione, *specialiter interdicto, aut tempore interdicti localis*, vt aduerterem primò eum, qui non est personaliter interdictus, posse in loco non interdicto ordines recipere [à proprio Episcopo, vel ab alio, de licentia proprij, cùm eius litteris dimissoriis;] ideo si interdictus sit tantummodò populus, non Clerus, possunt Clerici ordines suscipere, etiam in eodem loco, quia interdictum populi non afficit Clericos, aut locum. [Ita Alterius *cap.6.dub.3.&5.* & alij Doctores citati.]

Secundò tempore interdicti localis posse Clericos, aut etiam laicos alibi ordines suscipere, modò causam interdicto non dederint. Ratio est, quia interdictum locale ligat tantummodò per ordinem ad locum interdictum, nisi fortè quis culpabilem causam interdicto dederit, hic enim censetur specialiter interdictus. [Ita Alterius & alij *locis citatis.*]

TERTIA PROPOSITIO.

4 An possit ministrari Extrema vnctio tẽpore interdicti.

4 NVlli personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis generalis, vel particularis, ministrandum est Sacramentum Extremæ Vnctionis, nisi aliquibus permissum sit ex speciali priuilegio. Ita Nauarrus *n.*179. Suarez *disp.33.sect.*1. Sayrus *lib.5.cap.*7.*numer.*29. Vgolinus *tab.5.cap.*8.§.11. Henriquez *cap.*45.*num.*4. Auila *dub.* 7. Filliucius *tract.*18.*cap.*2.*quæst.*7. Sylvester, [Alterius *de interdicto disput.*4. *cap.*5.] & alij communiter, & habetur *cap.quod in te de pœnitentiis, & remissionibus.*

5 An interdictus possit recipere Extremam vnctionem in loco nõ interdicto.

5 Hinc sequitur primò, interdictum personaliter non posse percipere sacramentum Extremæ Vnctionis in loco non interdicto, vt benè ait Suarez *loco cit.num.*43. quia interdictum personale, cùm personas afficiat, suum in illis producit effectum; effectus autem interdicti inter ceteros est priuatio sacramenti Extremæ Vnctionis.

6 An Extrema vnctio possit ministrari personæ nõ interdictæ tempore interdicti.

6 Secundò sequitur, tempore interdicti localis non posse sacramentum Extremæ Vnctionis in loco interdicto ministrari vlli personæ, etiam non interdictæ, quamuis sit Clericus non interdictus. Ita DD. supra citati. [Quamuis Paludanus *in 4.dist.*18.*quæst.*8.*art.*2. oppositum sentit de Clericis tempore interdicti localis.]

7 An liceat recipere hoc Sacramentum, quando licet audire diuina officia.

7 Tertiò, non posse hoc sacramentum recipi tempore interdicti in illis festiuitatibus, in quibus ex priuilegio licitum est audire diuina officia; nam priuilegium non est trahendum ad diuersa, & disparata: Sacramentum autem Extremæ Vnctionis est quid diuersum à diuinis officiis. Ita Vgolinus *loco cit.* Sayrus *num.*33. Suarez *nu.* 43. Filliucius *num.*48. [Alterius *cap.5.dub.*2. & alij communiter contra Sylvestrum *verbo interdictum,5.§.3.circa medium.*]

QVARTA PROPOSITIO.

8 An liceat contrahere matrimonium tempore interdicti.

8 NOn est licitum personis interdictis, aut tempore interdicti localis contrahere matrimonium, nisi fortè contrarium receptum sit per consuetudinem. Ita Suarez *loco citato, num.* 51. Filliucius *quæst.*8.*num.*5. Reginaldus *lib.*32.*tract.*3.*num.* 28. & alij, contra Nauarrum *loco citato*, [Alterium *cap.*7.] Sayrum *cap.* 8. Toletum *cap.* 13. Henriquez *cap.*45.*n.*3. Coninchum *disp.*17.*dub.* 2.*num.* 47. Auilam, Vgolinũ, & alios *locis cit.* Ratio est, quia licet matrimonium sit contractus, nihilominus est etiam sacramentum, sacramenta autem non possunt licitè administrari interdicto, vel tempore interdicti, exceptis sacramentis in iure expressis, de quibus supra. [Probabilis tamen etiam est opposita sententia, asserens matrimonium tempore interdicti localis celebrari posse, etiam ab ipsis personaliter interdictis.] Sponsalia verò non solùm validè, sed etiam licitè fieri possunt tempore interdicti localis, vel à personis interdictis, ipsa enim non sunt sacramenta, sed contractus humanus, qui non prohibetur à iure. Non nego tamen quin etiam matrimonium sit validum, est enim sacramentum in contractu fundatum, sed licitè non celebratur. Sponsalia verò non solùm validè, verùm etiam licitè iniri possunt. [Idem dic de denuntiationibus futuri matrimonij.]

9 An tempore interdicti fieri possint benedictiones super cõiugatos.

9 Quæres vtrùm tempore interdicti localis generalis licitæ sint benedictiones, quæ fiunt super coniugatos.

Respondeo iure nouo licitas esse, modò fiant ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis, sine solemnitate, & modò coniugati habeant priuilegium assistendi diuinis. Ita colligitur ex *cap. Alma mater*, in quo permittũtur diuina officia ianuis clausis, &c. huiusmodi autem benedictio est quoddam officium diuinum, quod à solo Sacerdote præstatur cum quibusdam precibus ab Ecclesia præscriptis. Ita Couarr. *in cap. Alma, citato*, [Alterius *disp.*4.*cap.* 7.*col.*7.] Henriquez *c.*44.*num.*1.*littera D.* vbi plures alios Doctores refert.

Addo istas benedictiones fieri posse cum solemnitate iis diebus, in quibus licitum est persoluere solemniter diuina officia, (exceptis diebus, quibus solemnitates nuptiales prohibentur ab Ecclesia.) [nam huiusmodi benedictiones pertinent ad diuina officia.] Verum tamen est huiusmodi benedictiones tempore interdicti non posse fieri super coniugatos, quorum alter, vel vterque est personaliter interdictus; nam tempore interdicti localis generalis *in cap. Alma mater*, conceduntur diuina officia, consequenter etiam benedictiones, exclusis interdictis, &c. ergo benedictiones fieri non possunt tunc temporis super interdictos, cùm ipsi sint excludendi.

Hinc ergo patet primò, tempore interdicti localis non posse fieri benedictiones, nisi seruata moderatione capitis *Alma mater*, & præciso priuilegio.

Secundò, non posse fieri super coniugatos, quorum vterque, vel alter est personaliter interdictus interdicto particulari, aut etiam interdicto personali generali, nisi fortè sola femina sit interdicta interdicto personali generali; cùm enim femina sequatur virũ, & desinat esse pars multitudinis interdictæ, potest simul cum viro non interdicto benedici postquam effecta est pars populi non interdicti. Vide Suarez *loco citato*, Sanchez *lib.7.de matrimonio disp.* 8. Vgolinum *de censuris tab.5.cap.*7. Filliucium *num.*53. Rodriquez 1.*part.cap.*16. [& Alterium *disp.*4.*cap.*7.*ad finem.*]

PVNCTVM IV.

De secundo effectu interdicti, id est, priuatione diuinorum officiorum.

1 Quid intelligatur nomine *diuini officij*.

1 NOtandum primò, nomine *diuini officij*, quod prohibetur tempore interdicti, intelligi illud, quod fit in Ecclesia à ministro Ecclesiastico, seu à persona consecrata, vel deputata ad illud officiũ. [Vt hoc clarius intelligatur, aduertendum est, officium diuinum quod ad hanc rem attinet, duobus modis spectari posse. Primò, vt est priuata recitatio orationum, quæ proprio nomine fieri potest quolibet in loco, à qualibet persona; & de hac priuata oratione hic non loquimur, quia non est vetita tempore interdicti. Secundò, vt est publicum officium consistens in signo aliquo externo ab Ecclesia instituto, vt in Ecclesiis à ministris Ecclesiæ, quasi ex officio, & pro communi vsu populi Christiani, in cultum Dei exerceatur.]

2 An horæ Canonicæ veniant nomine diuini officij.

2 Hinc sequitur primo, horas Canonicas esse officium diuinum, cùm enim horæ Canonicæ canantur in choro publicè nomine Ecclesiæ, & ad eas persoluendas deputatæ sint personæ Ecclesiasticæ; sequitur horas Canonicas dici officium diuinum, consequenter prohiberi tempore interdicti. Sub nomine *horarum Canonicarum*, inquit Suarez *disp.*34.*sect.* 3.*num.* 4. comprehenduntur etiam ea, quæ aliquando coniunguntur cum horis Canonicis; vt est Offic. defunct. & Beatiss. V. M. in his enim militat eadem ratio.

3 An sacramentalia sint diuinũ officium, & quænam dicantur sacramentalia.

3 Secundò sequitur, sacramentalia venire nomine diuini officij. Sub nomine *Sacramentalium* comprehenduntur omnes cæremoniæ sacræ, quæ spectant ad solemnem ritum sacramentorum immediatè vel præparatoriè, vel consecutiuè, vt est solemnis benedictio nuptiarum iam celebratarum, benedictio Templi, Vasorum sacrorum, Corporalium, aliarum vestium sacrarum, Candelarum in die Purificationis, vel ramorum in Dominica palmarum, solemnis benedictio aquæ, benedictio fontis baptismalis in Sabbato sancto, fusio aquæ cum *Asperges*, benedictio solemnis Episcopi, professio solemnis in religione, Litaniæ processionaliter recitatæ, id est, cum cruce, & superpelliceis, collatio primæ tonsuræ, &c. [Ita Sylvester *verbo interdictum,5.§.6.* Couarr. *cap. Alma mater.p.2.§.5.num.6.* Alterius *disput. 5. cap.5.col.5.& seqq.* Suarez & alij *locis cit.* quamquam Henriquez *lib.13. cap.44.num.1.* & alij aliud sentiunt de benedictione peræ & baculi peregrinorum, & de benedictione vestium illorum qui religionem ingrediuntur.]

4 An officia quæ nõ requirunt personam Ecclesiasticam veniãt nomine diuini officij.

4 Tertiò sequitur, officia, quæ ex suo modo non requirunt personam Ecclesiasticam ad ea deputatam, non censeri prohibita tempore interdicti, eò quòd non censeantur officia Ecclesiastica, & communia, sed priuata. Vnde benedictio mensæ, non venit nomine diuini officij. Idem dic de oratione pro itinere, & de adoratione Crucis publica in die Veneris sanctæ, modò fiat sine orationibus ab Ecclesia institutis pro illo actu; nam orationes illæ censentur pars officij illius diei. Idem dic de recitatione orationis Angelicæ, quæ fieri solet statutis horis diei, de concione, de lectione sacra, vt ait Nauarrus *cap.*27.*num.*176. Suarez *loco cit.* Auila *disp.*4.*sect.* 1. *dub.* 1. Rodriquez *cap.*116.*num.*1. Henriquez *cap.*43.*num.*1. Filliucius *num.*79. Reginaldus *lib.*32.*cap.*28.*num.*32. [Alterius *lib.*1.]

Idem dici potest de Litaniis, quæ canuntur in Ecclesia, vel extra Ecclesiam, (modò non canantur solemniter, id est, cum superpelliceo, & veste, aut cum, Dominus vobiscũ;) nam hoc fieri solet etiam à laicis absque dicta solemnitate, vt patet in confraternitatibus. [Quamobrem multi Doctores existimant, confraternitates seu societates posse more consueto cantare Litanias, Psalmos, officium Beatissimæ Virginis, vel etiam Sanctorum, quia hæc non sunt officia diuina, cùm non canantur ab Ecclesiæ ministris, tamquam ad hoc ex officio deputatis. Ita Calder. *de interd.p.*1.*num.*82. Tabien. *verbo interdict.6.num.*16. Maiolus *lib.3.de irregular.cap.*20.*num.*10. Alterius *disput.5.cap.5.col.*9.] Nauarrus *cap.*27.*num.*176. Sylvester *verb. Interdictum.5.* Sayrus *lib.5.cap.5.num.*40. Henriquez *lib.*13.*cap.* 44. Vgolinus *tab.5.cap.*8. & alij.

Aliqui addunt contra Sylvestrum licitam esse commendationem animarum, eò quod videatur quid adnexum sacramento Pœnitentiæ, quod potest ministrari tempore interdicti, vt supra dictum est, sicut etiam, inquiunt isti DD. potest recitari confessio generalis, quæ fieri solet à laicis ante confessionem; vide Sayrum *loco cit.* Filliucium *numer.*79. Henriquez *cap.*44.*num.*1.*ad finem.* [Alterium *disp.* 5.*cap.5.col.*8. Nauarrum *cap.*27.*num.*174. & alios Doctores citatos, quorum nonnulli addunt licitum esse accipere oblationes & mortuaria pro defuncto interdicto, & pro eo diuina officia celebrare, seruata moderatione *cap. Alma mater*, quia hæc non fiunt coram interdicto, nec contra prohibitionem interdicti.]

5 An Clericus teneatur ad diuinum officium tẽpore interdicti.

5 Notandum secundò, Clericum tempore interdicti non eximi ab obligatione recitandi priuatim diuinum officium, vt patet ex dictis de horis Canonicis, & de excommunicatione. Ita Nauarrus *cap.* 27. *num.*175. Vgolinus *tab.5.cap.*13.*in principio*, Sayrus *lib.5.cap.5.num.*10. Filliucius *num.*62. & alij communiter, non enim par est, vt commodum reportet ex suo delicto. Quamobrem potest domi officium recitare etiam cum sociis, modò non ita recitent, vt publicam orationem facere videantur. Vide [Alterium *disp.5.ca.6.dub.*1.] Nauarrum, aliosque præcit. Doctores.

His positis difficultas est in præsenti puncto.

Primò, vtrùm licitum sit tempore interdicti celebrare diuina officia publicè, vel priuatim.

Secundò, vtrùm saltem tempore interdicti localis generalis licitum sit in aliquibus festiuitatibus ea celebrare.

Tertiò, vtrùm tempore interdicti possint aliquæ personæ ad diuina officia admitti.

PRI-

PRIMA PROPOSITIO.

6 An tempore interdicti liceat celebrare Missam, & diuina officia.

6 TEmpore interdicti localis generalis prohibitum est celebrare Missas, & diuina officia publicè in loco interdicto, vti sono ordinarium, & campanarum pro officio, quamuis licitum sit vti sono campanarum pro *Aue Maria*, aut etiam aliis de causis, vt constabit ex dicendis paulò post.

Dixi, *publicè*, quia Bonifacius VIII. [*in cap. Alma mater.*] concessit singulis diebus facultatem celebrandi secretò Missam, & diuina officia tempore interdicti localis generalis in Ecclesiis, & monasteriis cum his limitationibus.

Primò ianuis clausis, ita vt illi, qui prohibentur interesse, non possint videre, & audire diuina officia, vt bene Suarez *num.* 12. Reginaldus *num.* 34. Filliucius, [Alterius,] & alij.

[Ex quo sequitur, non satis esse vt principalis ianua Ecclesiæ claudatur, sed omnes claudendas esse, alioquin finis interdicti violaretur, quia laici possent Ecclesiam ingredi & audire diuina officia; ob id ego existimo claudendam etiam esse ianuam, cui non patet exitus in via, vel in platea, sed solùm versus claustrum aut domos Canonicorum. Ita Alterius *cap.* 2. *colum.* 2. *sub finem.*

7 (An licitum sit celebrare in Capella Ecclesiæ, ianuis Ecclesiæ apertis, clausa solũ porta Capellæ.)

7. Maior difficultas est, vtrùm licitum sit tempore interdicti celebrare in Capella ipsius Ecclesiæ, ianuis Ecclesiæ apertis, sed clausa solùm porta Capellæ.

Respondeo claudendas etiam esse ianuas Ecclesiæ, saltẽ dum Capella ita occludi non potest vt officia non audiantur. Nam Summus Pontifex *in ca. Alma mater*, iubet ianuas Ecclesiæ claudi; probabile tamen etiam est, satis esse claudere portam Capellæ, quoties Capella ita occludi potest, vt officia non audiantur; perinde enim est ac si ianua Ecclesiæ claderetur, & seruatur finis, ob quem Summus Pontifex ianuas Ecclesiæ claudi iubet. Ita Alterius *de interdicto disp. 5. c. 2. colum. 3. vers. & ex his.*]

Secundò voce submissa, ita vt canentes non possint, moraliter loquendo, audiri ab existentibus extra Ecclesiam, qui prohibentur audire. Ita Suarez *num.* 12. Auila *dub.* 3. [Alterius *disp. 5. ca. 2.*] & alij.

Tertiò, exclusis excommunicatis, & interdictis.

Quartò, sine campanarum sono.

Iure antiquo hæc non erant permissa, solùm enim permissum erat semel in hebdomada vnum sacrum priuatim celebrare ad renouandum sacramentum. Sed hoc tempore licitum est singulis diebus celebrare, seruata dicta moderatione. [*& in ca. Alma mater*, reuocantur priuilegia antea concessa, non tamen irritantur concedenda.]

Aduertendum tamen est primò, esse differentiam inter interdictum locale, & personale, quòd tempore interdicti personalis personæ interdictæ personaliter interdicto particulari, vel generali non possunt celebrare Missas, nec interesse. Ita communiter Doctores ex *cap. si ciuitas. & cap. si sententia. de sent. excom. in 6.*

Secundò, esse differentiam inter interdictum locale generale, & locale speciale, quòd tempore interdicti localis specialis non est licitum singulis diebus celebrare diuina officia, vel Missas, sed solùm licitum est semel in hebdomada celebrare Missam ad renouandã Eucharistiam in loco, vbi asseruatur Eucharistiæ sacramentum, sicut licitum erat iure antiquo, [*in cap. permittimus. de sent. excommun.*] nam circa hoc nihil sancitum est iure nouo, *in cap. alma mater.* Ita Henriquez *lib.* 13. *c.* 44. *num.* 3. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 173. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 9. Vgolinus *tab.* 5. *cap.* 10. Filliucius *num.* 61. & 74. Reginald. *num.* 33. [Alterius *disp. 5. c. 1. num. 3.*] & alij.

8 An aliquando liceat pulsare campanas tempore interdicti.

8 Quæres primò, vtrùm licitum sit aliquando pulsare campanas tempore interdicti generalis.

Respondeo, licitum esse ad conuocandum populum ad concionem, ad comitandam Eucharistiam, quæ ministratur infirmis, vel ad salutationem Angelicam, vel ad indicandam populo festi diei solemnitatem, ad ostendendas reliquias. Ad diuina verò officia non licet pulsare, vt ad conuocandos sacerdotes, ad Missas celebrandas; sicut neque in sacrificio Missæ, cùm hostia eleuatur, vel ad *Sanctus*, licitum est vti tintinnabulo, vt patet ex *cap. alma mater.* [vbi prohibentur adhiberi campanæ; nomine autem campanæ non solùm venit campana maior, verùm etiam minor, & valde parua. Ita Alterius *disp. 5. ca. 2. col. 3. & 5. puncto 2. & seqq.*] Nauarrus *num.* 177. Syluester *verb. interdictum 5. quæsito 5.* Henriquez *lib.* 13. *cap.* 46. *num.* 1. Sayr. *lib.* 8. *cap.* 7. & 9. Auila *dub.* 8. Suar. *num.* 15. Couarruuias *cap. Alma mater. part.* 2. §. 4. *num.* 5. Coninchus *disputat.* 17. *dubio* 2. *num.* 33. Filliucius *nu.* 69. Reginaldus *num.* 35. Ratio est, quia sicut populus non est admittendus ad diuina officia, ita neque conuocandus est illo publico campanarum signo, aut alio æquiualenti, quo antea consueuerat conuocari. [An autem tempore interdicti licitum sit vti sono campanarum ad manifestandas horas, vt tertiam, sextam, vel nonam, Calderinus *de interdicto p.* 1. *num.* 95. Alterius *disp. 5. cap. 2. colum.* 4. & alij, putant non licere, quia hoc pacto populus coniicere posset, quandonam diuina celebrantur, cùm sciat illa statis diei horis celebrari. Ego verò existimo non esse illicitum vti campanarum sono ad indicandas diei horas præcisè, quia hoc pacto non adhibentur campanæ ad conuocandum populum ad diuina, quamuis populus per accidens inde colligat diuina officia tunc temporis celebranda esse. Ita Syluester *verbo interdictum. §. 6. vers. sextum.* & alij apud Alterium *col. 5. puncto 5.*]

9 Quodnã instrumentum adhibendum sit, quando non adhiberi possunt campanæ.

9 Rogabis, quodnam instrumentum adhibendum sit tempore interdicti, cum non possint campanæ adhiberi.

Respondeo, adhibendam esse tabulam cum matraca, vel tubam. Ita Auila *loco citato.* Sayrus *lib. 5. cap.* 9. Henriquez *c.* 46. *num.* 1. *litt. L.* Suar. *num.* 16. Filliucius *num.* 69. [Alterius *cap.* 2. *col.* 4.] & alij. Hæc enim instrumenta non sunt vetita, cùm non veniant nomine campanarum, de quibus sermo est *in cap. alma mater.*

10 An tempore interdicti liceat celebrare officia secreto, & extra Ecclesiam.

10 Quæres secundò, vtrùm tempore interdicti generalis licitum sit extra Ecclesiam, & monasteria celebrare diuina officia secretò, & seruata moderatione *cap. alma mater.*

Respondeo negatiuè, nam *in cap. alma mater*, permittitur peragere diuina officia in Ecclesiis, & monasteriis, non verò alibi. Ita Couarruuias *1. part. §. 4. num.* 1. Sanchez *de matrimon. lib. 7. disput. 8. num.* 13. & alij, contra Nauarrum *cap.* 27. *nu.* 175. Vgolinum *tab. 5. cap. 8. §. 5.* [Alterium *disp. 5. c. 1. dub. 2. col. 5.* & alios apud Sayrum *lib. 5. c. 5. num.* 11. [& apud Alterium *loco citato.*]

11 An liceat illa celebrare in monasteriis monialium.

11 Hinc sequitur primò, licitum esse tempore interdicti generalis peragere diuina officia in monasteriis monialium seruata prædicta moderatione.

12 An liceat in hospitalibus, vel Oratorio.

12 Secundò, idem licitum esse in hospitalibus erectis auctoritate Episcoporum, nam in fauorabilibus veniunt nomine Ecclesiæ. Ita [Couarruuias *in cap. alma mater p. 2. §. 4. num. 2. vers. 5.* Alterius *disput. 5. cap. 1. colum. 4.*] Henriquez *c. 32. n. 2. & c. 46. nu. 1.* vbi hoc idem sentit de oratorio; modò sit approbatum ab Episcopo: ob eamdem rationem idem docet Suarez *disp. 34. sect. 1. num. 7.* Filliucius *num.* 65. [Alterius *dub. 1.*]

13 An liceat in Oratoriis priuatis.

13 Tertiò, hoc non esse licitum in oratoriis priuatis, vt ait Sanchez *loc. cit.* eò quòd non videantur venire nomine Ecclesiæ.

Hoc tamen intellige de oratoriis, quæ non sunt approbata ad diuina facienda, & ad celebrandũ Missæ sacrificium: tunc enim huiusmodi oratorium in materia fauorabili contineri potest nomine Ecclesiæ, vt dictum est numero præcedenti.

SECVNDA PROPOSITIO.

14 In quibus festis liceat diuina officia celebrare tempore interdicti.

14 DAntur aliquæ festiuitates, in quibus licitum est tempore interdicti localis generalis, non verò specialis, celebrare Missas, & diuina officia publicè, & solemniter cum sono campanarum, ianuis apertis, alta voce, admissis interdictis, etiam illis, quorum causa latum est interdictum, modò isti longè sint ab altari, id est, non admittantur ad oblationes, vel communionem, vt explicant Suarez *sect. 1. n. 33.* Filliucius *num.* 79. Coninch. *nu.* 35. Reginaldus *numer.* 36. [vel vt prope altare non accedant, sed longè ab eo separentur, vt ipsi rubore suffundantur, & alij pertimescant, vt explicat Alterius *disp. 5. cap. 3. dub. 4. ad finem.*] excommunicati verò excludendi sunt. Hæc propositio expresè habetur *in cap. alma mater, citato.* Festiuitates autem in quibus hæc permittuntur, sunt festiuitas natalis Domini, festiuitas Paschæ, Pentecostes, & assumptionis Beatissimæ Mariæ Virginis. Additus fuit à Martino V. & Eugenio IV. dies solemnitatis corporis Christi cum octaua, & à Leone X. dies Cõceptionis B. M. V. simul cum octaua. Ita Auila *dubio* 9. Henriq. *cap.* 47. Coninchus *dubio* 2. *num.* 34. [Alterius *disp. 5. cap. 3. dub. 2.*] Angelus, Syluester, & alij, apud Suarez *num.* 41.

15 An nomine Natiuitatis, & Paschæ intelligatur solùm primus dies.

15 Rogabis primò, vtrùm nomine *festiuitatis Natiuitatis Domini, Paschæ*, &c. intelligatur tantummodò primus dies.

Respondeo cum Soto *disp. 22. q. 3. art.* 1. Auila *punct. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 9.* Coninchо *disp. 17. dub. 2. num. 37.* & aliis contra Suarez *de censuris disp. 34. sect. 1. num. 38.* Henriquez *c. 47. n. 1.* [Alterium *disp. 5. ca. 3. col. 3.*] Reginaldum *num. 36.* Filliuc. *num. 109.* & alios, intelligi omnes dies Paschatum, nam *in cap. alma mater*, dicitur in festiuitatibus Natalis, Paschæ, & Pentecostes; certum autem est, iuxta communem modum loquendi, nomine festiuitatis Paschæ, &c. non solùm intelligi primum diem, sed etiam alios. [Non tamen intelligitur tota octaua, quia hæc communiter non accipitur pro festiuitate. Ita Glossa *in cap. alma. verbo assumptionis, in fine.* Alterius *disp. 5. ca. 3. colum. 2.* & alij communiter.]

16 Quandonam incipiant dictæ festiuitates.

16 Rogabis secundò, quandonam incipiant istæ festiuitates.

Respondeo incipere à primis vesperis Vigiliæ vsque ad completorium ipsius solemnitatis, quod recitandum est hora consueta, & non debet differri in fraudem interdicti, vt benè ait Nauarrus *num.* 184. Medina *in summa lib. 1. cap. 10. §. 3.* Suarez *sect. 3. num.* 21. Henriquez *loco citato.* Rodriquez *cap. 116. num.* 8. Coninchus *loco citato numer.* 38. Reginaldus *lib. 32. tract. 3. cap. 28. num. 36. ad finem.* [Alterius *cap. 3. colum. 2. & cap. 7. dubio 4.* quamuis ex parte dissentiat,] & alij.

17 An iis festiuitatibus liceat Missam celebrare, & audire.

17 Rogabis tertiò, vtrùm tempore interdicti localis generalis liceat recipere Sacramenta iis festiuitatibus, in quibus concessum est diuinis officiis interesse, Missas celebrare, & audire.

Respondeo licitum esse recipere tantùm ea sacramenta, quæ recipi possunt aliis diebus. Ita communiter Doctores, Henriquez *cap. 48. num.* 4. Reginaldus *num.* 33. [Alterius *disp. 5. c. 7. col.* 4.] Couarruuias, Toletus, Auila, Syluester, & alij *locis citatis.* Ratio est, quia *in cap. alma mater*, nulla fit mentio sacramentorum; cùm ergo antea non liceret recipere Sacramenta, neque licebit in his solemnitatibus.

18 An laici possint cõmunicare tempore Paschatis.

18 Hinc fit non esse licitum laicis communicare in die Paschatis, & aliis diebus, quibus concessum est diuinis interesse, quamuis Suar. teneat oppositum *disp. 34. sect. 3. num. 29.* [Licitum tamen est assistere administrationi Eucharistiæ, & aliorum sacramentorum, quia administratio seu dispensatio sacramenti præcisè non est diuinũ officium. Ita Alterius *cap. 7.* & alij.

19 (An tẽpore interdicti celebrari possit non solum Missa propria illarũ festiuitatũ, verum etiã aliæ.)

19 Rogabis quartò, vtrùm tempore interdicti localis generalis, non solùm celebrari possit Missa propria illarum festiuitatum, quæ exprimuntur *in cap. alma mater*, verum etiam alia de Sancto, aut ex voto, vel deuotione.

Respondeo, etiam alias Missas celebrari posse, seruatis tamen conditionibus *cap. alma mater.* Ratio est, quia in præfato textu absolutè datur facultas celebrandi diuina officia sicut prius; ergo concessio formaliter & absolutè intelligenda est. Ita Couarr. *loco cit. §. 4. vers. 3.* Alterius *cap. 3. dub. 3.* & alij communiter, contra Ioannem Monachum apud Couarruuiam.]

TERTIA PROPOSITIO.

20 Quænã personæ possint admitti ad diuina officia tempore interdicti.

20 ALiquæ personæ possunt admitti ad diuina officia tempore interdicti localis generalis, & aliquæ nõ. Primò enim amentes, & infantes carentes vsu rationis possunt admitti ad diuina officia tempore interdicti localis generalis. Ratio est, quia huiusmodi personæ defectu libertatis, & iudicij nondum sunt capaces præcepti,

&

& obligationis, nec possunt moraliter interesse diuinis officiis, cùm non cognoscant quid agatur; consequenter non committitur peccatum admittendo illos ad diuina officia; perinde enim est illos admittere, ac non admittere. [Ita Couarruuias *cap. alma mater. p.2.§.4. n.5. vers.12.* Alterius *disput.5.cap.2.col.12.&13.& disp.10.cap.6.col.4.*] Henriquez *cap.42.num.4.* Suarez *disp.34.sect.1.num.34.* Salas *de legibus disput.14.sect.14.num..128.* Auila *dubio 5.* Coninch. *disp.17.dub.2. n.27.* contra Rodriquez *in Bulla §.5.dub.2.* & alios apud Henriquez *loco cit.in comment.lit.S. & cap.49.num.2.* Hac de causa non videtur peccatum admittere infantem ad clausrum monialium, quamuis lata sit excommunicatio in Tridentino *sess.25. c.5.* contra ingredientes clausra monialium, vt benè ait Henriquez *cap.43.num.3.in commentario littera S.* vbi citat Cordubam, & Nauar. Sayrus *c.4.num.22.* & alij à nobis relati *in tract.de legibus, & de clausura.*

Secundò omnes Clerici non coniugati, etiam extranei tempore interdicti localis generalis possunt admitti ad diuina officia, modò ipsi non sint excommunicati, vel interdicti, nec dederint causam culpabilem interdicto. Ita Nauar. *num.175.* [Couar. *loco citato*, §.4. *nu.4.* Alter. *disp.5.cap.1.dub.2.col.6.& 7.*] Auila *dub.4.concl.3.* Toletus *lib.1.cap.20.* Sayrus *lib.5.c.5.n.35.* Emanuel Sà *num.18.* Rodriquez *loc.cit. n.4.* Ratio est, quia Bonifacius VIII. *in cap. alma mater*, tempore interdicti localis generalis concedit facultatem celebrandi diuina officia; hæc autem celebrantur per Clericos, cùm hoc sit illorum officium, illique sint ministri diuini officij; ergo Clerici possunt admitti ad diuina officia audienda, & celebranda. Immò citati Doctores extendunt hoc priuilegium ad religiosos vtriusque sexus, etiam nouitios; quia religiosi in fauorabilibus veniunt nomine Clericorum, vt colligitur ex *canon. duo sunt 12. quæst.1.*

Dixi, *Clerici non coniugati*, quia Clerici cõiugati, qui non sunt addicti, & applicati alicui ministerio sacro, [in Ecclesia Latina] reputãtur tamquam sæculares, quamuis gestando tonsuram, & habitum gaudeant priuilegio canonis, & fori, concurrentibus conditionibus requisitis à Tridentino *sess.23.c.6. de reformatione*, & à nobis traditis in explicatione censuræ, quæ incurritur ob violentam manuum iniectionem in Clericos. Si verò Clerici coniugati adscripti sint alicui Ecclesiæ, possunt admitti ad diuina officia audienda, & celebranda. Ratio est, quia licitum est Clericis tempore interdicti generalis interesse diuinis officiis, cò quòd hoc illis competat ex officio, ipsique sint ministri altaris, & Ecclesiæ; ergo licitum est Clericis coniugatis, adscriptis alicui Ecclesiæ interesse diuinis officiis. Vide Vgolin. *tab.5. cap.8.§.5.num.5.* Say. *c.5.num.34.* Auilam *loco citato.* & Nauarrum *n.174.* Coninchum *n.30.* [Alterium *disp.5.cap.14.col.7. & 8.*]

Tertiò non possunt admitti excommunicati, & interdicti, vt patet ex moderatione *cap. alma mater*, vbi conceditur facultas celebrandi diuina officia, exclusis excommunicatis, & interdictis.

Quartò laici non habentes priuilegium non possunt admitti ad Missas, vel ad diuina officia, quamuis seruetur moderatio Bonifacij VIII. id est, quamuis claudantur ianuæ, &c. Ita Suarez *sect.1.num.20.* Couarruuias *in cap. alma mater.§.4.* [Alterius *disp.5.c.2.col.7. & 8.*] Henriquez *cap.46.num.3.* Nauarrus *num.174.* Auila *dub.4.* Filliucius *num.71.* Coninchus *num.32.* Reginaldus *num.35.* & habetur *cap.sicut. de priuileg.* Ratio glossæ est, quia quando aliquis locus interdictus est, eo ipso prohibitum est in eo loco audire diuina officia, nisi hoc permissum sit alicui ex priuilegio. Præterea *in cap.alma mater*, dicitur claudendas esse ianuas; ergo ad aliquem effectum claudendæ sunt, videlicet ne laici admittantur.

21 An laici teneantur interesse sacro, quãdo habent priuilegiũ assistendi diuinis officiis.

21 Rogabis primò, vtrùm laici, quibus concessum est priuilegium assistendi diuinis officiis, obligentur diebus festis interesse sacro.

Respondeo cum Nauarro *c.21.n.3.* Soto *in 4.dist.13.q.2.art.1.* Henriquez *cap.48.num.5.* Nugno *in 3.part.q.83.art.6. versus finem. vers. respondetur tamen.* Toleto, & aliis quàm plurimis contra Auilam *1. part.disput.4.sect.2.dub.6.* Coninchum *n.28.* [Alterium *disp.2.c.3.ad finem.*] & alios teneri interesse. Ratio est, tum quia præceptũ audiendi sacrum in die festo obligat omnes legitimè non impeditos; ergo obligat etiam laicos habentes priuilegium audiendi sacra, posito enim huiusmodi priuilegio, non dicuntur impediti: tum quia si quis in vincula coniectus facultatem obtineret à iudice audiendi Missam, teneretur, ea obtenta, Missam audire, eò quòd cesset impedimentum; ergo tenetur etiam in proposito casu.

22 An teneantur Clerici, & Religiosi.

22 Hinc patet à fortiori Clericos, & Religiosos teneri Missam audire diebus festis tempore interdicti localis generalis. Ratio est, quia *in cap. alma mater*, concessum est illis officia celebrare, & diuinis interesse; ergo tenentur Missam diebus festis audire, vt satisfaciant præcepto Ecclesiæ, nam per illam concessionem non eximuntur ab audienda, vel celebranda Missa. Ita Henriq. *loc.cit.* & alij.

23 An habens priuilegium audiendi diuina officia possit cum sua familia diuinis officiis interesse.

23 Rogabis secundò, vtrùm habens priuilegium persoluendi, vel audiendi diuina officia, possit simul cum sua familia diuinis interesse.

Respondeo affirmatiuè cum Nauarro *num.188.* Soto *dist.22.quæst. 3.art.1.* post quartam conclusionem, [Alterio *disp.5.cap.2.dubio 2.* vbi plures alios Doctores refert,] Emanuele Sà *verb.interdictum, nu.21.* Toleto *lib.1.c.20.* Coninch o *num.38.* & Auila *dubio 7.* Vgolino *cap.8. §.4. numero 2.* Filliucio *numero 73.* modò intereos non adsit aliquis, qui dederit causam culpabilem interdicto, nec sit aliquis, qui se fingat ex familia, cùm verè non sit. Ita colligitur ex *cap.* [*is qui, de sententia excõmunicationis in 6. & c.licet. de priuil.in 6.*] Nomine *familiæ* veniunt serui, & alij, qui comitantur habentem priuilegium, quamuis non habitent domi secum, modò non sint assumpti in famulatum, & comitatum in fraudem interdicti. Immò aliqui recentiores nomine *familiæ* intelligunt vxorem, filium, nepotes, seruos, & famulos in illius domo commorantes, vt patet à simili ex dictis de excommunicatione, [dum loquerer de participante cum excommunicato. Verùm Alterius & alij *locis citatis*, volunt nomine familiæ hoc in loco intelligi eos solùm domesticos, qui dominum comitari solent, ideo enim priuilegium ad istos extendendum est, ne priuilegium reddatur inutile, seu ne dominus retrahatur ab auditione diuinorum, ob carentiam familiæ, seu comitatus.]

24 An tẽpore interdicti Sacerdos possit vti famulo in sacrificio Missæ.

24 Hinc infertur primò, sacerdotem posse secum adducere suum famulum tempore interdicti localis generalis, eoque vti in sacrificio Missæ. Ita Toletus, Nauarrus, Auila, & alij *locis citatis.* Immò si proprius famulus sit absens, vel ægrotus, potest alium assumere, iuxta Auilam, & alios, non enim illum assumit in fraudem interdicti.

25 An famuli tẽpore interdicti possint diuinis officiis interesse, & quomodo.

25 Secundò, infertur famulos tempore interdicti posse tantùm diuinis officiis interesse, quatenus ibi adsunt in comitatu sui domini. Si verò dominus sit domi, non possunt famuli Ecclesiam adire ad diuina officia audienda, eò quòd non sit illis concessum interesse diuinis, nisi quatenus comitantur habentem priuilegium. [Ita Doctores citati.]

26 An aliquis non interdictus possit Missam Sacerdotis interdicti audire.

26 Vnum hìc remanet dubium explicandum: Vtrùm is, qui non est interdictus, possit Missam sacerdotis interdicti audire, (loquor autem de nominatim interdicto, quia post extrauag. *Ad euitanda*, constat licitum esse cum toleratis communicare.)

Respondent Suarez *disputat.34.sect.2.num.4.* Coninchus *num.60.* Filliucius *num.76.* [Alterius *disputat.5.cap.4.dubio 1. & disput.8.cap. 5.*] licitè posse audire, modò non inducat interdictum ad celebrandum. Ratio est, quia non est prohibita communicatio cum interdicto, vel suspenso, sed cum excommunicato.

Alij verò negant licitè posse, tum quia sicut non licet Missam in loco interdicto audire, aut celebrare coram interdicto; ita neque ab interdicto Missam audire: tum quia hæc est veluti quædam inductio, & approbatio. Verùm quid ego sentiam, patet ex dictis de sacramentis, *disputat.4.q.vltim.punct.12.* & ex supradictis *de suspensione disput. 3.punct.4. numer.4. ad finem.* [Vtrùm verò sacerdos non interdictus celebrare possit coram persona interdicta, constabit ex dicendis *punct.6.num.18.*]

PVNCTVM V.

De tertio effectu interdicti, qui est priuatio Ecclesiastica sepulturæ.

VNICA PROPOSITIO.

1 An interdictũ priuet Ecclesiastica sepultura.

1 INterdictum, tum locale, quàm personale, generale, aut speciale simpliciter latum absque vlla restrictione priuat Ecclesiastica sepultura personas interdictas, & locum ipsum interdictum. Ita communiter Doctores *in Clementina 1. de sepulturis.* [& patet non solùm ex dicta Clementina, verum etiam ex *cap.quod in te, de pœnit. & remiss. cap.si ciuitas, de sentent. excommun. cap. vt priuilegia, de priuileg. & cap. Episcoporum, de priuileg. in 6.*] Ratio est, quia interdictum generaliter, & simpliciter latum generaliter intelligendum est quo ad omnes effectus, sicut interdictum limitatum intelligitur solum de illa actione, quæ exprimitur, & de omni ea, quæ sine illa exerceri non potest; sed interdictum generaliter, & simpliciter latum inter ceteros effectus includit priuationem Ecclesiasticæ sepulturæ; ergo re vera priuat Ecclesiastica sepultura. Priuari Ecclesiastica sepultura est non posse sepeliri in loco ab Episcopo consecrato, vel in cœmeterio ab Episcopo benedicto, vel in loco, vbi diuina peraguntur, vel cum pompa funerali Ecclesiastica. Ita Sayrus *lib.5.cap.7.num.2.* apud Suarez *disp.35.sect.1.* Filliucius *tract.18.c.4.quæst.2.* [Alterius *disp.6.c.1.& 5.*] & patet ex supradictis de excommunicatione cum Suarez, & aliis.

2 An qui non est interdictus possit sepeliri in loco interdicto.

2 Hinc sequitur primò, tempore interdicti localis non posse laicos, quamuis non interdictos, sepeliri in loco sacro interdicto. Ita Syluester *verb.interdictum 5.quæsito 8.* Sayrus *lib.5.c.8.num.4.* Suarez *disput. 35.sect.1.* Vgolinus *tab.5.c.9.§.3.* Henriquez *c.44.num.4.*

3 An excõmunicati possint admitti ad diuina officia tempore interdicti.

3 Secundò, sequitur à fortiori, non esse admittendos ad Ecclesiasticam sepulturam excommunicatos, & interdictos tempore interdicti localis generalis. Vtrùm verò sepeliens nominatim interdictum, vel tempore interdicti, in casibus non concessis afficiatur aliqua pœna, patet ex dictis *disp.1.q.1.punct.5.num.10.* & ex dicendis *num.10.* [& ex dictis de censuris in particulari, vbi etiam explicauiutrùm pœna extendatur solùm ad ipsosmet sepelientes, verum etiam ad mandantes sepeliri, aut comitantes cadauer, aut officia tunc temporis celebrantes; vide Alterium *disp.8.cap.4.*]

4 An qui non est personaliter interdictus, possit sepeliri in loco nõ interdicto.

4 Tertiò, laicos, qui non sunt personaliter interdicti, nec dederunt causam culpabilem interdicto, posse tempore interdicti sepeliri in loco sacro non interdicto. Ita Suarez *disputat.35.sect.3.nu.2.* Coninchus *num.55.* Vgolinus *tab.5.cap.9.§.4.* Sayrus *cap.7.num.10.* & alij. Ratio est, quia nullum extat impedimentum ex parte personæ, quæ sepelitur, neque ex parte loci, quin possint sepeliri; ergo possunt sepeliri.

5 An qui non est interdictus, possit trãsferri ad locum non interdictũ.

5 Quartò, laicos, qui non sunt personaliter interdicti, si decesserunt ex hac vita in loco interdicto, posse transferri ad alium locum non interdictum, nam interdictum locale non respicit personas absolutè, sed locum interdictum. Ita Suarez *loco cit.num.3.* Reginald. *n.37.* Henriquez *loc.cit.* & alij.

Quintò, laicos tempore interdicti sepeliri posse in campo, vel in cœmeterio ab Episcopo deputato, non tamen benedicto, hæc enim non dicitur Ecclesiastica sepultura.

6 An habẽs priuilegiũ assistendi diuinis officiis possit sepeliri in loco sacro.

6 Quæres primò, vtrùm laici, qui habent priuilegium assistendi diuinis officiis, possint sepeliri in loco sacro.

Respondeo posse; quamuis in priuilegio non exprimatur sepultura. Ita Auila *part.4.disp.4.sect.3.dubio 4.* Sayrus *num.9. & 16.* Nauarr. *num.181.* Coninchus *dub.2.num.52.* contra Vgolinum *tal.5.cap.9.§.3.* [Couarr. *cap.alma mater p.2.§.5.num.6.* Alterium *disp.6.cap.2.col.3.*] Ratio est, tum quia in priuilegio duo cõsiderari possunt, vnum principale, aliud accessorium. Principale est diuinũ officium, accessorium est sepultura; qui ergo tempore interdicti habet priuilegium principalis, id est, officij diuini, videtur etiam habere priuilegiũ accessorij, id est,

id est, sepulturæ: tum quia, cui communicamus viuo, possumus etiam communicare mortuo.

? An prohibeatur sepultura Ecclesiastica iis diebus, quibus licitum est celebrare diuina officia.

7 Quæres secundò, vtrùm tempore interdicti localis generalis licitum sit in loco interdicto sepelire laicos adultos in iis festiuitatibus, in quibus suprà dictum est posse publicè celebrari diuina officia.

Respondeo, duplicem esse sententiam.

Prima est Paludani *in 4. dist.* 18. *punct.* 8. *art.* 2. *conclus.* 10. Auilæ *dub.* 3. Coninch. *dub.* 2. *n.* 55. Suarez *disp.* 38. *sect.* 1. *n.* 13. Filliucij *n.* 99. Vgolini *c.* 9. §. 3. *nu.* 2. [Alterij *disp.* 6. *cap.* 3.] Abbatis & aliorum negantium, quia sepultura non est diuinum officium.

Secunda est Syluestri *verb. interdictum* 5. *quæsito* 2. Soti *loc. cit.* Sayri *cap.* 8. *num.* 11. Nauarri *num.* 181. Henriquez *cap.* 44. *num.* 5. & *cap.* 46. *num.* 4. & aliorum affirmantium. Ratio est, quia, cui communicamus viuo, possumus etiam communicare defuncto, *c. sanè. dist.* 24. *quæst.* 2. sed possumus in illis festiuitatibus communicare viuo in diuinis officiis; ergo possumus etiam communicare mortuo in sepultura, possumus enim duo considerare in sepultura, quæ fit in iis festiuitatibus, officium videlicet, vt principale, sepulturam verò, vt accessorium; si ergo possumus communicare in principali, possumus etiam in accessorio; hæc sententia mihi probatur, eò quòd mitior sit, & benignior.

Hinc patet responsio ad contrariam rationem, censetur enim concessa sepultura quatenus concessum est principale.

8 An sepultus tẽpore interdicti in loco nõ sacro, sublato interdicto exhumandus sit, & sepeliẽdus in loco sacro.

8 Quæres tertiò, vtrùm laicus tempore interdicti sepultus in loco, non sacro, sublato interdicto exhumandus sit, & sepeliendus in loco sacro.

Respondeo affirmatiuè cum Vgolino *tab.* 5. *cap.* 9. §. 4. Henriquez *cap.* 44. *num.* 5. Sayro *c.* 8. *num.* 21. Emanuele Sa *verb. interdictum num.* 25. Filliucio *num.* 97. [Alterio *disp.* 6. *c.* 2. *colum.* 4.] Nauarro, Sylueſtro, Auila *loc. citat.* nam sublata censura cessat etiam illius effectus, laicus verò, qui non dedit causam culpabilem interdicto, nec est interdictus, sepultus illicitè in loco interdicto, durante interdicto, non est exhumandus, vt sepeliatur in loco non sacro, iuxta multos DD.

Sed mihi contrarium dicendum videtur, nam tempore interdicti afficitur effectu interdicti, qui est priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ, consequenter exhumandus est, vt careat Ecclesiastica sepultura. Ita sentire videtur Sayrus *cap.* 8. *num.* 22.

9 An infantes, & amẽtes possint sepeliri in loco sacro.

9 Quæres quartò, vtrum infantes, vel amentes possint sepeliri in loco sacro.

Respondeo primò, tempore interdicti localis non posse, quia per interdictum locale locus fit incapax sepulturæ, cuiuscumque sit cadauer, siue sit cadauer adulti, siue infantis. Ita Sanchez *lib.* 3. *de matri. disp.* 18. Nauarr. *nu.* 168. Sayrus *c.* 8. *n.* 5. Vgolinus *tab.* 5. *c.* 9. *in principio.* Henriquez *c.* 42. *n.* 3. & *c.* 49. *nu.* 2. Suarez *loc. cit.* Filliucius *num.* 90. [Alterius *disp.* 6. *c.* 1. *col.* 5.]

Respondeo secundò, infantes, & amentes tempore interdicti generalis personalis non posse sepeliri in loco sacro. Ita DD. citati, quãuis Suarez videatur oppositum sentire *sect.* 3. *num.* 4. Ratio est, tum quia videntur aliqua ratione pars communitatis: tum quia, quamuis ceteri effectus interdicti respiciant personas capaces præcepti, & obligationis, consequenter non afficiant infantes, nihilominus effectus particularis sepulturæ non respicit vsum rationis, sed respicit cadauer, quod cùm sit eiusdem rationis, siue sit adulti, siue infantis, sequitur infantes tempore interdicti generalis personalis priuari Ecclesiastica sepultura, sicut priuantur adulti tempore interdicti localis generalis, & generalis personalis, quamuis sepeliens interdictum interdicto personali generali non videatur peccare, vt dicam *quæsit.* 5. Hoc pacto intellige dicta in hac disp. *punct.* 1. *num.* 18.

Respondeo tertiò, infantes, & amentes tempore interdicti personalis specialis, posse sepeliri in loco non interdicto. Ratio est, quia ipsi non afficiuntur interdicto speciali, vt suppono, neque locus est interdictus; ergo nulla ratione dicendum est, ipsos priuari sepultura Ecclesiastica, nullum enim est impedimentum ex parte personæ, vel ex parte loci.

10 An peccet sepeliẽs interdictu interdicto personali generali.

10 Quæres quintò, vtrùm sepeliens laicum interdictum interdicto personali generali peccet.

Respondeo non peccare. Ita Suarez *disp.* 35. *sect.* 3. *n.* 2. Sayrus *cap.* 8. *num.* 2. Filliucius *num.* 100. Reginaldus *n.* 38. & 47. *ad finem.* Coninchus *num.* 62. Emanuel Sà *verb. interdictum, num.* 3. [Alterius *disp.* 6 *c.* 5. & *disp.* 8. *c.* 4. *col.* 5.] & alij. Ratio est, quia interdictus interdicto generali non est vitandus, vt patet ex Extrauagant. *Ad euitanda*, ergo sepeliens illum in loco sacro non peccat, saltem ex vi censuræ. Idem dic si sepeliat in loco interdicto antequam locus denuntietur interdictus.

Ex quo patet, sepelientem interdictum non incurrere excommunicationem latam *in Clementina* 1. *de sepulturis*, nisi ille, qui sepelitur, sit specialiter, & nominatim interdictus, vt benè ait idem Suarez *num.* 6. [Alterius *disp.* 8. *c.* 4.] & alij Doctores citati, & patet ex dictis *de censuris*, & *de excommunicatione.*

In hac autem materia is censetur specialiter denuntiatus qui est membrum alicuius communitatis, quæ denuntiata est interdicta. Ratio est, quia interdictum communitatis ferè omni effectu defraudaretur, quia difficillimum est omnia membra communitatis nominatim denuntiare. Ita Suarez *disputat.* 25. *sect.* 3. *numer.* 4. Coninchus *numero* 62. & 75. Henriquez, Sayrus, Filliucius, Auila, & alij, quos referam *punct.* 7. *ad finem.* contra [Alterium *cap.* 5. Nauar. & alios asserentes interdictum latum contra communitatem vel collegium, obligare quidem ad vitandum collegium vel vniuersitatem, nominatim interdictam; non autem ad vitandas singulares personas, quia istæ non sunt specialiter & nominatim interdictæ; ergo post extrauag. *ad euitanda*, non sunt vitandæ.]

11 An Interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit in ea sepeliri, & quãnam actione priuetur.

11 Quæres sextò, vtrùm interdictus ab ingressu Ecclesiæ, possit in ea sepeliri, & quãnam actione priuetur.

Respondeo primò, non posse in Ecclesia, vel cœmeterio sepeliri, vt habetur *cap. is, cui. de sentent. excommun. in* 6. nisi forte deriderit signa contritionis, tunc enim potest absolui, & sepeliri in loco sacro, ex *cap. citato.* Ita Sayrus *cap.* 7. *num.* 20. & *cap.* 5. *num.* 24. Auila *disputat.* 4. *sect.* 3. *dub.* 5. *concl.* 5. Couarruuias *part.* 2 §. 1. *numer.* 3. Suarez *loco citato, sect.* 4. & *disput.* 38. *sect.* 1. *num.* 20. Emanuel Sa *verb. interdictum, num.* 19. Filliucius *num.* 101. & 103. Vgolinus *cap.* 16. §. 4. [& Alterius *cap.* 2.]

Respondeo secundò, interdictum ab ingressu Ecclesiæ priuari

Primò, actione, seu exercitio ordinis sacri in Ecclesia, consequenter non posse celebrare, & sacramenta ministrare. Immò fieri irregularem, exercendo ordines sacros in Ecclesia, vt patet ex *cap. is, cui, citato.* Ratio est, quia violat interdictum per exercitium ordinis sacri. Poterit tamen extra Ecclesiam celebrare, vt in aliquo tentorio, vel oratorio priuato, vt ait Suarez *num.* 6. Emanuel Sà *verb. interdictum, num.* 19. Nauarrus *num.* 170. Auila *disput.* 5. *cap.* 5. Couarruuias *loco citato*, Coninchus *dub.* 2. *num.* 57. Sayrus *cap.* 8. *num.* 21. Filliucius *numero* 103. Reginaldus *num.* 39. & 40. & alij. Ratio est, quia est interdictus ab ingressu Ecclesiæ; non verò ab ingressu cuiuslibet loci, vt patet ex *cap. is, cui, citato*, & versamur in materia odiosa, quæ non est extendenda. Hac de causa putat Suarez *sect.* 4. interdictum ab ingressu Ecclesiæ non censeri interdictum ab ingressu cœmeterij, consequenter non prohiberi, quo minus possit ibi celebrare, aut ibi diuina audire si celebrentur, eò quòd cœmeterium in rigore non veniat nomine Ecclesiæ. Idem tradit Filliucius *num.* 103. Reginaldus *nu.* 41. *ad finem.* [& Alterius *disp.* 7. *c.* 2. *col.* 7. & 8.]

Ex quo patet interdictum ab ingressu Ecclesiæ non posse in cœmeterio sepeliri, posse verò diuina facere, vel audire, quia illud prohibetur *in cap. is cui, citato*, non autem hoc.

Secundò, huiusmodi interdictum non posse formaliter audire diuina officia, vt patet ex *cap. is cui*, & audiendo mortaliter peccare; eò quòd faciat contra prohibitionem in re graui; quamuis non fiat irregularis, ex Couarruuia *loco citato*, & aliis communiter, nam audiendo diuina non violat censuram per exercitium ordinis, vt patebit ex dicendis *de irregularitate.*

Dixi, *formaliter*, quia si tempore diuinorum officiorum transiens per Ecclesiam alio fine aliquid incidenter audiat, non peccat mortaliter, vt benè ait Nauarrus, Henriquez, & Auila *locis citatis.* Coninchus *num.* 58. Suarez *disp.* 35. *sect.* 4. *num.* 23. [Alterius *disp.* 7. *c.* 2.] quia non dicitur formaliter audire, vel interesse diuinis officiis, sicut neque peccat, si tempore, quo non celebrantur diuina officia, ingrediatur Ecclesiam, ibique priuatim oret, etiamsi ibi reconditum, vel repositum sit Eucharistiæ Sacramentum, vt benè ait Suarez *disp.* 34. *n.* 36. Coninchus *num.* 59. Reginaldus *num.* 41. Nauarrus, Auila, Couar. & alij *loc. cit.* contra Syluest. *verb. interdictum* 5. *quæsito* 6. [Alterium *disp.* 7. *cap.* 2. *col.* 4.] Filliucium *n.* 105. & eumdem Suarez *disp.* 35 *sect.* 4. *n.* 23. vbi opinionem contrariam de rigore iuris veram putat, ob caput *latorè* 33. *q.* 2. Verùm in eo cap. non est sermo de cẽsura, sed de pœnitentia imposita matricidæ, vt benè Coninch. *n.* 58. Ratio igitur nostra est, quia non dicitur audire diuina officia, vel illis interesse. Secus dicendum est, si huiusmodi interdictus existens extra Ecclesiam audiat Missam, vel diuina officia, quæ in Ecclesia celebrantur, nam hic dicitur formaliter sensu, & animo esse in Ecclesia, quamuis non sit in Ecclesia materialiter, quo ad corpus, Suarez *disp.* 35. *sect.* 4. *n.* 7. Filliucius *n.* 104. [Alterius *disp.* 7. *c.* 1. *col.* 5.] & alij.

12 An interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit recipere Sacramenta in Ecclesia, dum officia diuina non celebrantur.

12 Rogabis vtrum interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit recipere sacramenta in Ecclesia, quando non celebrantur diuina officia.

Respondeo posse. Ita Sayrus *de suspensione cap.* 7. *à. n.* 11. Auila *dub.* 5. Henriquez *cap.* 3. *num.* 2. & alij, contra Syluest. *verb. suspensio quæs.* 5. Suarez *disp.* 35. *sect.* 4. *num.* 5. Coninchus *disp.* 17. *dub.* 2. *n.* 59. Angelum *eodem verbo nu.* 4. [Alterium *disp.* 7. *c.* 2. *col.* 9.] & alios. Ratio est, quia interdictus ab ingressu Ecclesiæ non est priuatus vsu Sacramentorum, sed vsu diuinorum officiorum, & sepulturæ.

Addo cum Auila, & aliis *locis citat.* huiusmodi interdictum posse in Ecclesia exercere actus iurisdictionis in foro exteriori, vt excommunicare, &c. quamuis non possit absoluere sacramentaliter; sacramentalis enim absolutio est actus ordinis, cuius functio prohibita est huiusmodi interdicto in Ecclesia.

Quæ dicta sunt de interdicto ab ingressu Ecclesiæ, eadem dicenda sunt de suspensione ab Ecclesiæ ingressu. Vide Sayrum *loco cit.* Suarez *sect.* 4. Filliucium *c.* 4. *quæst.* 6. *num.* 102.

13 An Clerici sepeliri possint in loco sacro tempore interdicti.

13 Quæres septimò, vtrum Clerici possint tempore interdicti sepeliri in loco sacro.

Respondeo Clericos non interdictos, qui seruarũt interdictum, nec illius causam culpabilem dederunt, posse tempore interdicti localis generalis, vel etiam specialis sepeliri in loco etiam specialiter interdicto, id est, in Ecclesia, vel cœmeterio sacro, modò hoc fiat sine solemnitate, & sine sono cãpanarum, vt patet ex *cap. quod in te. de pœnitentiis, & remissionibus.* Ita Nauarrus *num.* 176. Vgolinus *cap.* 9. §. 2. Henriquez *lib.* 13. *c.* 44. Suarez *disp.* 35. *sect.* 1. & 3. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 3. *art.* 1. Sylueſter *verb. interdictum* 5. *quæsito* 8. Coninchus *n.* 52. Sayrus *cap.* 8. *numero* 6. & 13. Filliucius *numer.* 98. Reginaldus *lib.* 32. *tract.* 3. *nu.* 37. Auila *part.* 5. *disp.* 4. *sect.* 3. *dub.* 2. *conclus.* 3. [Alterius *disp.* 6. *cap.* 1. *col.* 6. & *cap.* 4. *col.* 3.] Immò post *cap. alma mater*, possunt sepeliri cum diuino officio, & Missa, iuxta moderationem illius capitis; nam tempore interdicti localis generalis concessum est celebrare diuina officia submissa voce, ianuis clausis, &c. Ita Sayrus *nu.* 6. Auila *dubio* 3. *notabili* 3. Henriquez *cap.* 44. Filliucius *nu.* 92. Suarez *disp.* 35. *sect.* 1. [Alterius *loco citat. cap.* 1. *sub finem*,] & alij. Quòd si cœmeterium extra Ecclesiam existat, officia celebrari poterunt in Ecclesia seruata solemnitate, *cap. alma mater*, deinde cadauer in cœmeterium cum silentio transferri poterit. Ita Suarez *loco citato*, *num.* 10. & alij. Nomine *Clericorum* intelliguntur non solum Clerici initiati aliquo ordine, vel tonsura, sed etiam religiosi, & moniales, etiam nouitij; nam religiosi in fauorabilibus veniunt nomine Clericorum; exceptis Clericis coniugatis, qui non gaudent priuilegiis Clericorum secluso priuilegio canonis, & fori, vt suprà dictum est, nisi

nisi fortè deputati sint alicui Ecclesiæ, vel hoc illis concessum sit per consuetudinem, vt suprà dictum est. Ita Nauarrus, Auila, Sayrus, Suarez, Filliucius, Alterius, Henriquez *locis cit.*

PVNCTVM VI.

Vtrùm interdictus priuetur vsu iurisdictionis exterioris.

VNICA PROPOSITIO.

1 An interdictus priuetur iurisdictione exteriori.

1 INterdictus non priuatur exercitio iurisdictionis exterioris. Ita Nauarrus *num.*176. Auila *disputat.*4.*sect.*1.*dub.*2. Henriquez *cap.* 43. Vgolinus *tab.*5.*cap.*3.§.2. Sayrus *cap.*6. Sylvester *verb. interdictum* 5.*quæsito* 5. [Alterius *disp.*5.*cap.*5.*sub finem,*] & alij apud Henriquez *c.* 43.*num.*4. Ratio est, quia effectus interdicti sunt tantummodo tres, videlicet priuatio aliquorum sacramentorum, diuinorum officiorum, & sacræ sepulturæ; actus autem iurisdictionis exterioris ad nullum istorum effectuum reducitur.

2 An interdictus possit excommunicare, absoluere, &c.

2 Ex quo sequitur [primò,] interdictum etiam nominatim denuntiatum posse excommunicare, absoluere, &c. vt bene ait Suarez *disp.* 40.*sect.*2.*num.*46. & alij DD. cit.

Hinc potiori ratione infertur, eum, qui non est interdictus, posse tempore interdicti excommunicare, & absoluere ab excommunicatione, etiam cum solemnitate, quia absolutio ab excõmunicatione est quid præuium absolutioni sacramẽtali; cùm ergo absolutio sacramentalis sit concessa, concessum etiam est, vt impendatur absolutio excommunicationis, etiam cum stola, & orationibus consuetis, modò seruetur moderatio Bonifacij *in cap. alma mater*, suprà recensita, quamuis Vgolinus, Henriquez, & Sayrus *locis citat.* aliter sentiant in hac vltima parte.

Vtrùm verò interdictus personaliter interdicto generali, vel speciali, possit absoluere sacramentaliter, patet ex dictis *puncto* 2.

3 [An concedere indulgẽtias.

3 [Secundò sequitur, interdictum posse indulgentias concedere.

4 An illas consequi.]

4 An autem illas consequi possit, maior difficultas est, ad quam Alterius *disp.*7.*c.*2.*sub finem,* & alij respondent consequi posse, modò sit in gratia, & præstet opera præscripta ad consecutionem indulgentiarum requisita. Ratio est, quia interdictum non priuat consecutione indulgentiæ, & in pœnis non est facienda extensio.]

PVNCTVM VII.

De peccatis, & pœnis violantium interdictum.

DVo principaliter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm laici peccent, & incurrant aliquam pœnam violando interdictum. Secundò vtrùm Clerici peccent, & aliqua pœna afficiantur.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An laici peccẽt violando interdictum.

1 LAici violantes interdictum locale gnerale, vel speciale mortaliter peccant ex suo genere. Ita Suarez *disp.*34.*sect.*5. *num.*4. Filliucius *num.*54. & 81. Coninchus *disp.*17.*dub.*3.*num.*64. & 67. Innocentius *in cap. tanta. de excessibus Prælatorum.* [Alterius *disp.*8.*c.*1.*ad finem,* & *cap.*3.*colum.*3.] Hostiensis, & alij apud Sylvestrum *verb. interdictum* 6.*quæsito* 7. & apud Sayrum *lib.*5.*cap.*14.*num.*5. Ratio est, quia faciunt contra prohibitionem cẽsuræ in materia graui, quamuis Caietanus *verb. interdictum, in principio,* Valent.*tom.*4.*disput.*7 *q.*18. *punct.*2.*ad finem,* Nauarrus *n.*187. & Sylvester *loco cit.* Reginald.*n.*42. *tract.*3.*lib.*32. existiment peccare tãtummodò venialiter secluso contemptu, violẽtia, scandalo, aut aliqua circumstantia extrinseca mortali, exceptis quibusdam casibus, qui videri possunt apud ipsum Nauarrum *loco cit.* Sayrum *c.*14.*n.*2. Auilam *dub.*2.

Dixi, *violantes interdictum locale*, quia certum est violantes interdictum personale, peccare mortaliter ex suo genere. Ita Nauarrus *loc. cit.* Sayrus *n.*3. Suarez *n.*2. Filliucius *n.*85. [Alterius *cap.*3.] Coninchus, Reginaldus, Auila, & alij *loc. cit.* Ratio est, tum quia excommunicatus violans excommunicationem, audiendo diuina officia, mortaliter peccat ex suo genere; ergo etiam interdictus peccat mortaliter violando interdictum, cum tam interdictum, quàm excommunicatio priuet diuinis officiis: tum quia faciunt contra prohibitionem in re graui, vtpotè pertinente ad sacramenta, & ad diuina officia; ergo peccant mortaliter, nisi fortè excusentur ratione paruitatis materiæ, vel ignorantiæ, vel vrgentis necessitatis. [Ex dictis sequitur, non solùm laicos interdictos grauiter peccare, violando interdictum in re graui, vt communiter fatentur Doctores, verum etiam laicos non interdictos grauiter peccare audiendo diuina in loco interdicto, quia faciunt contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui; nam per interdictum locale, directè prohibentur laici audire diuina in loco sacro interdicto, alioquin frustrà nonnullis concederetur priuilegium audiendi diuina tunc temporis. Ita Suarez *disp.*33.*sect.*5.*num.*4. & *seqq.* & alij apud Sylvestrum *verbo interdictum* 6.§.7. contra Sylvestrum *loco cit.* Angelum *interdictum* 7.*num.*9. Alterium *disputat.*8. *cap.*3.*colum.*5. & 6. asserentes venialiter solum peccare per se loquendo, & contra Caietanum *verb. interdicti violatio*, & Nauarrum *cap.*27.*num.* 187. affirmantes non violare interdictum ex hoc capite, consequenter neque venialiter peccare præcisis aliis circumstantiis.]

2 An laici violantes interdictũ incurrant aliquam pœnam.

2 Quæres vtrum laici violantes interdictum incurrant aliquam pœnam.

Respondeo laicos nullam pœnam præcisè ob violationem interdicti incurrere, quia nulla est in iure expressa; præterquam *in Clement.* 2.*de sent.excomm.* vbi ligantur excommunicatione laici cogentes aliquem celebrare diuina officia in loco interdicto, aut vocantes alios interdictos, vt interfint diuinis officiis, quæ celebrantur in loco interdicto, aut prohibentes, ne interdicti exeant, postquã fuerint a celebrantibus admoniti exire, sicut etiam excõmunicantur ipsi interdicti, qui recusant exire post huiusmodi admonitionem. Ita Nauarrus *cap.*27.*num.*104. Sayrus *lib.*5.*cap.*14.*num.*14. Coninchus *loco cit. dub.*4.*num.*73. & alij, quos referam *de censuris in particulari.*

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An Clerici violantes interdictũ peccent.

3 CLerici tam sæculares, quam regulares, violantes interdictum, tam locale, quàm personale, tam generale, quàm speciale peccant mortaliter ex suo genere. Ratio est, quia faciunt contra præceptum in re graui. [Ita communiter Doctores.]

[Dixi, *ex suo genere*, quia ratione paruitatis materiæ perspicuum est committi solum veniale peccatum, vt patet ex regulis generalibus.

Sed modò dubium est, vtrum Clerici excusentur à peccato, & pœnis, non seruãdo interdictum ob grauem metum, vt si Princeps tempore interdicti præcipiat sacerdoti, vt celebret sub pœna carceris, verberum, aut amissionis bonorum.

Respondeo excusari, si præcisè spectemus obligationem censuræ, seu præceptum Ecclesiæ, quia Ecclesia non obligat cum graui incommodo. Si verò cum obligatione censuræ, seu præcepto concurrat etiam præceptum diuinum, vel naturale, certum est non excusari dũtante tali præcepto, vt si celebrando periculum adsit scandali, aut si Princeps metum incutiat in contemptum potestatis Ecclesiasticæ, aut fidei, vel religionis; bonum enim potestatis Ecclesiasticæ, fidei, vel religionis, præponderat bono proprio vitæ, aut bonis externis; consequenter ad ipsius defensionem vita potiùs profundenda est, vt patet ex dictis de fide, & de censuris in genere. Neque obstat quòd ex obseruatione interdicti tunc temporis aliqua mala proueniant, vt indeuotio populi, periculum introducendi errores contrà potestatem Ecclesiæ, & similia. Respondeo enim, multò grauiora mala sequi ex inobseruantia & inobedientia interdicti seu præceptorum Summi Pontificis, & aliorum Prælatorum; hinc enim originem trahunt hæreses & schismata, teste sancto Cypriano, *lib.*1.*epist.*3. ad sanctum Cornelium Papam.

Rogabis quomodo cognoscere possimus metum incuti in contemptum potestatis Ecclesiasticæ, vel fidei, vel religionis.

Respondeo, si is, qui modò metum incutit ad celebrandum post prohibitionem Ecclesiæ, nihilantea curabat de celebratione, præsumitur metum incutere in contemptum potestatis Ecclesiasticæ, quia id facere videtur directè ne obediatur Ecclesiæ. Sicut etiam, si sacerdos interdictus rarissimè consueuerat ante interdictum celebrare, & post interdictum quotidie celebrat, præsumitur id facere in contemptum interdicti, ne obediat præcepto: hoc tamen intelligitur, nisi aliud ex aliis circumstantiis colligatur, nam vna præsumptio alia fortiori præsumptione elidi potest. Vide Alterium *disp.*8.*c.*6.*dub.*2.

4 Quam pœnam incurrant Clerici violantes interdictum.

4 Quærès, quam pœnam incurrant Clerici violantes interdictum.

Respondeo, Clericos scienter violantes interdictum per exercitium alicuius ordinis sacri, incurrere irregularitatem; sic enim colligitur tum ex *cap. is cui, de sentent. excommunic. in* 6. vbi sermo est de interdicto ab ingressu Ecclesiæ immiscente se diuinis; tum ex *cap.*1.*de sentent. & re iudic. & cap.*1. *de sentent. excommunic.* vbi licèt sermo sit de suspenso à diuinis, exequente diuina officia, nihilominus idem sentiendum est de interdicto, cum interdictum contineat suspensionem à diuinis formaliter, aut virtualiter; ita Doctores statim citandi.] Præter irregularitatem incurrunt etiam suspensionem ab officio, consequenter a iurisdictione violando interdictum locale, vt communiter colligunt Doctores ex *cap. tanta, de excessibus Prælatorum.* [quamquam illa suspensio videtur potius ferenda, quàm ipso iure lata.] Incurrunt etiam interdictum ab ingressu Ecclesiæ violantes interdictum locale saltem generale, *cap. Episcoporum. de priuileg.* Ita Sotus *dist.*22.*quæst.*3.*art.*1.*concl.*5. Sylvester *verb. Interdictum* 6.*quæsito* 3. Caietanus *verb. Interdicti violatio.* Auila *disp.*5.*dub.*4. *concl.*2. Sayrus *cap.*14.*n.*12. [Alterius *disp.*9.*cap.*1. & 2.] Suarez *disp.*34.*sect.*4. *num.*6. & *disp.*27.*sect.*1.*n.*5. Vgolinus *tab.*5.*cap.*15.§.1. Henriquez *cap.*43.*n.*3. Coninchus *disp.*17.*dub.*4. putans hoc probabile *n.*71. Filliucius *c.*4. *n.*86. & *n.*147. Reginaldus *n.*48. [& alij quos referam *n.*19.]

Addo violantes interdictum posse per sententiam priuari beneficiis, aliisque pœnis affici, *cap. postulastis, de Cler. excommunic.* [& *cap. auctoritate. de priuileg. in* 6.] Vide Doctores citatos.

Dixi in propositione, *Clerici sæculares, vel regulares*, quia tam Clerici sæculares, quam regulares subiiciuntur iisdem pœnis. Imò religiosis non seruantibus cessationem, vel interdictum locale generale, quando seruatur ab Ecclesia cathedrali, seu matrice oppidi, seu parochiali, imposita est ipso facto excommunicatio, etiamsi re ipsa interdictum sit nullum, *Clement.*1.*de sentent. excomm.* Ita Nauarr.*nu.*146. Sylvester *verb. Excommunic.*9. Auila *dub.*3. Sayrus *loco cit.n.*13. Vgolinus *loco cit.* Suarez *sect.*4.*n.*14. Emanuel Sa *verb. Interdictum, num.*13. Filliucius *num.*60. Coninchus *num.*72. [& alij quos referam *de censuris in particulari.*]

Dixi, *per exercitium Ordinis sacri*, ad differentiam maioris ordinis, nam violatio interdicti per exercitium minoris ordinis non videtur hoc tempore sufficiens ad peccatum mortale, & ad incurrendam irregularitatem; tum quia vsu receptum est, vt ea, quæ pertinent ad minores ordines, fiant etiam a laicis: tum quia hæc non censetur materia grauis. Ita Suarez *disp.*34.*sect.*4.*n.*10. Reginaldus *n.*51. Auila *part.*5.*disp.*5. *dub.*2. *notabili* 1. & alij recentiores communiter, contra Filliucium *num.*83. *ad finem,* [Alterium *disp.*8. *cap.*2.*quæs.*1. & *disp.*9. *cap.*2. *col.*8.] & alios quos in simili retuli *de suspensione disp.*3. *quæst.*4. *punct.*4.*n.*5. [& infra referam *de irregularitate.*]

Vt ea, quæ diximus, clarius intelligantur, obserua cum Suarez *disp.* 33.*num.*8. Filliucio *num.*56. interdictum à Clericis tripliciter violari posse. Primò dum Clericus vinculo interdicti ligatus functionem ordinum exercet, conferendo, exempli gratia, Sacramenta. Secundò dum ipse non est interdictus, sed Sacramenta confert in loco interdicto. Tertiò, dum nec ipse, nec locus est interdictus, sed Sacramenta confert interdicto. In primis duobus casibus incurritur irregu-

laritas, vt probatum est cum præcitatis DD. In tertio verò valde probabile est non incurri, quia hic casus non est in iure expressus, irregularitas autem non incurritur in casibus non expressis. [Ita Alterius *disput. 9. cap. 1. & disput. 2. sub finem*, & alij Doctores citati contra nonnullos alios.]

5 An subdiaconus solemniter canês Epistolam tẽpore interdicti, fiat irregularis.

5 Ex dictis sequitur primò, Subdiaconum canentem solemniter Epistolam tẽpore interdicti in loco sacro fieri irregularem. Ita communiter Doct. apud Sayrum *n.* 20. & apud Vgolinum *loc. cit.*

6 An Sacerdos fiat irregularis, si in loco interdicto celebret, &c.

6 Secundò, Sacerdotem fieri irregularem celebrando in loco interdicto, aut ministrando Sacramenta, quæ tempore interdicti non permittuntur; etiamsi ministret in iis festiuitatibus, in quibus licita sunt diuina officia; quamuis enim iis diebus permissa sint officia, nihilominus non sunt permissa Sacramenta, vt suprà dictum est. Item fit irregularis aspergendo populum in principio Missæ, cum versiculo, *Asperges*, aut benedicendo calices, paramenta, vel candelas in die Purificationis, aut oliuas in die Palmarum. Ita Reginaldus *loc. citat.* Suarez *disput. 33. sect. 3. n. 1. & seq.* Filliucius *n.* 55. Syluest. *verb. Interdictum 5. quæst.* 4. Sayrus *num.* 26. [Alterius *disputat. 9. cap. 1. col. 9. & cap. 2. col. 9.*] & alij.

Addo cum Sayro *loco citato*, Filliucio *num.* 89. Suarez *disp. 24. sect. 4. num. 26.* & aliis, incurrere irregularitatem, si celebret diuina officia ex officio, tamquam hebdomadarius, vt inchoando, vel perficiendo diuinum officium cum solemnitate propria ordinis Ecclesiastici, nam hoc est proprium Sacerdotis, vel saltem Diaconi. Secus si hoc faciat non tamquam hebdomadarius, sed tamquam laicus, quamuis ea reciter in choro, vel si materia sit ita parua, vt iudicio prudentis non sufficiat ad peccatum mortale, vt benè ait Suarez *sect. 4. num. 15.* [Maiolus *lib. 3. cap. 20. num. 4.* Alterius *disp. 9. cap. 2. col. 7.* & alij, & patebit ex dicendis *de irregularitate*; ob id religiosi cantantes in choro tempore interdicti non fiunt irregulares, nisi actum ordinis sacri exerceant. Ita Nauarr. *c. 27. num. 187.* Alterius *loco cit. col. 8.* & alij.]

7 An Episcopus celebrans in loco non interdicto fiat irregularis.

7 Tertiò, Episcopum celebrantem in loco à se interdicto, incurrere irregularitatem, nisi auferat interdictum, antequam celebret. Ratio est, quia Episcopus non potest auferre effectus interdicti positos à iure communi; vnus autem ex effectibus interdicti est, vt violans interdictum per exercitium ordinis incurrat irregularitatem. Ita Vgolinus, Sayrus *loc. cit.* & alij communiter.

8 An fiat irregularis violans interdictũ per actionem non spectantem ad ordinẽ.

8 Quartò, Clericum violantem interdictum per aliquam actionem non spectantem ad ordinem, vel ad suum officium, non incurrere irregularitatem, dum illam actionem facit vt laicus. Vnde Clericus sepeliens in loco interdicto sine diuinis officiis non fit irregularis, quia non violat interdictum per exercitium ordinis sacri. Secus si sepeliat cum officiis diuinis, & Missa. [Ita Alterius *disp. 9 cap. 2. ad fin.* & alij DD. citati.]

9 An fiat irregularis, qui tẽpore interdicti pulsat cãpanas ad conuocandum populum.

9 Quintò, non incurri irregularitatem ab eo Sacerdote, qui tempore interdicti pulsat campanas ad conuocandum populum ad Missam, sed postea re ipsa Missam non celebrat, hic enim non violat interdictum per exercitium ordinis sacri, quamuis illud violet per sonum campanarum, & mortaliter peccet, vt ait Suarez *num.* 15. [Alterius *disp. 9. c. 3.*] & alij apud Henriquez *cap. 46. num. 1. littera D.* contra Filliucium *num.* 84.

Addo, huiusmodi Sacerdotem nõ incurrere irregularitatem, quando pulsauit campanas ad Missam, sed postea ianuis clausis Missam celebrauit nullo alio præsente. Ratio est, tum quia pulsatio campanarum non est actus ordinis: tum quia licitum est, Missam celebrare tempore interdicti localis generalis ianuis clausis.

Addunt aliqui recentiores, contra Sayrum *n.* 30. & alios, non incurri irregularitatem ab eo, qui celebrat ianuis apertis; modò nullus ingrediatur.

Sed contrarium mihi probabilius videtur cum [Alterio *disp. 9. c. 3. col. 3. & 4.* Sayro & aliis;] quia celebrans ianuis apertis violat interdictum cum exercitio ordinis; ordo enim exercetur celebrando, irregularitas autem incurritur violando interdictum per exercitium ordinis sacri. Verùm in dictis casibus cauendum est ne confundatur doctrina interdicti localis generalis cum interdicto speciali, interdictum enim speciale loci violatur celebrando in loco interdicto, etiam ianuis clausis, & absque campanarum sono: interdictum verò locale generale non violatur celebrando ianuis clausis, vt suprà dictum est.

10 An sit irregularis audiens Missam in loco interdicto.

10 Sextò, audientem Missas, diuina officia, vel eorum partem notabilem in loco interdicto, grauiter peccare, [vt dictum est *num.* 2.] sed non incurrere irregularitatem, quia auditio non est actio ordinis sacri, nisi fortè audiens sit Prælatus, qui suam auctoritatem interponat in Missæ celebratione; nam Prælatus Ecclesiasticus præcipiens Sacerdoti tempore interdicti coram se celebrari, vel assistens celebrationi, incurrit irregularitatem, iuxta Nauar. *numer.* 244. Syluestrum *verb. Irregularitas, quæsito* 13. Sayrum *cap.* 14. *num.* 27. [Alterium *disp. 9. cap. 2. dub. 3.*] & alios ex *cap. illud. de Clerico excommunicato.* Verum ille textus loquitur solùm de Clerico excommunicato, qui se ingerit celebrationi, vt benè ait Auila, qui addit laicum excommunicatum, suspensum, vel interdictum non fieri irregularem præcipiendo coram se celebrari, nam irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressa. Ita Auila *part. 7. disputat. 9. sect. 2. dub. 6.* Syluester *verb. Irregularitas, quæsito* 13. & alij, [asserentes irregularitatem non extendi ad eos qui faciunt alium celebrare contra obligationem interdicti; ipsi enim non violant interdictum per exercitium ordinis sacri, vt dicam *num. sequenti.*]

Vtrùm verò cogens aliquem celebrare tempore interdicti incurrat excommunicationem, suprà dictum est [*num.* 2.]

11 An fiat irregularis, qui curat, vt alter coram se celebret.

11 Septimò, cum, qui non est irretitus aliqua censura, non incurrere irregularitatem faciendo, vt alter irretitus censura interdicti, vel excommunicationis, vel suspensionis celebret coram se. Ita Auila *loco citato*, & alij contra Nauarrum *cap. 27. numer. 244.* Vgolinum *tab. 2. cap. 14. §. 1. num. 11.* [Alterium *disput. 9. cap. 2. dub. 2.*] & Couarruuiam *cap. Alma mater, part. 1. §. 6. numer. 9.* Ratio est, tum quia non dicitur propriè violare censuram per exercitium ordinis sacri, sed est causa, cur alter celebret: tum quia hoc non est in iure expressum.

Neque obstat *cap. illud est, de Clerico excommunicato, vel deposito*, quod pro Nauarro affertur, nam ibi sermo est tantùm de Clerico excommunicato, qui se ingerit celebrationi, vt patet ex ipso textu, versus finem.

12 An sit irregularis, qui celebrat in Ecclesia à qua non est interdictus.

12 Octauò sequitur, eum, cui est vetitus Ecclesiæ ingressus per interdictum, vel suspensionem, incurrere irregularitatem celebrando in Ecclesia, violat enim censuram per exercitium ordinis sacri: secus si celebret extra Ecclesiam, vt in oratorio priuato. Si verò non solùm sit interdictus, vel suspensus ab ingressu Ecclesiæ, sed etiam suspensus à diuinis, incurrit irregularitatem faciendo diuina in quocumque loco. Ita Nauarr. *n.* 170. Syluester *verb. Interdictum 6. quæsito* 2. Sayrus *num.* 35. Auila 7. *part. disp. 9. sect. 2. dub.* 4. Suarez, & Filliucius *locis suprà citatis*, & patet ex sæpius allata ratione.

13 An celebrans in altari interdicto incurrat irregularitatem.

13 Nonò, celebrantem in Altari interdicto incurrere irregularitatem, nam violat interdictum per exercitium ordinis sacri.

Secus dic de seruientibus, quoties ipsorum actio non est functio ordinis; [si verò sit functio ordinis, irregularitas extẽditur ad seruiẽtem, seu cooperantem. Ita Alterius *disp. 9. cap. 1. col. 2.*] Suarez *disp. 33. sect. 3. num. 19.* Filliucius *num. 58.* contra nonnullos alios, quos tacito nomine refert Suarez.

14 An Clericus interdictus Sacramenta recipiendo irregularis fiat.

14 Decimò, Clericum interdictum recipientem sacramenta non ligari vinculo irregularitatis. Suarez *disp. 33. sect. 3. numer. 20.* Filliucius *num. 59.* [Alterius *col. 11.*] Ratio est, quia receptione sacramenti non exercet ordines.

15 An Sacerdos assistens matrimonio, priuatim vel baptizans, sit irregularis.

15 Vndecimò, sacerdotem assistentem matrimonio, aut priuatim baptizantem non fieri [irregularem, quia hic non est actus ordinis sacri. Secus, si benedicat sponsis, aut solemnitates Baptismi suppleat. Vide Suarez *n.* 21. Filliucium *loco citato*, [Alterium *loco citato, col.* 10.] & alios quos referam de irregularitate dum loquar de violante censuras per exercitium ordinis sacri.

16 An Clericus interdictus in loco interdicto vno, vel duplici titulo irregularis fiat.

16 Duodecimò, Clericum interdictum celebrantem in loco interdicto duplici titulo fieri irregularem, consequenter in obtinenda dispensatione teneri vtramque circumstantiam aperire, vt benè Suarez *disp. 33. num. 12.* Filliucius *num. 57.* [Alterius *disp. 9. cap. 1. col. 8.*] & alij apud Suarez. An autem hæc sit duplex irregularitas, patet ex dictis *de censuris in genere.*

17 An celebrans in Ecclesia interdicta fiat irregularis.

17 Decimotertiò, celebrantem in Ecclesia interdicta fieri irregularem, modò Ecclesia illa sit denuntiata interdicta, alioquin non dicitur vitanda post Extrauagant. *Ad euitanda.* Ita Suarez *disp. 34. sect. 4. num. 14.* & alij communiter.

18 An sit irregularis celebrans coram interdicto.

18 Rogabis primò, vtrum celebrans coram interdicto incurrat irregularitatem.

Respondeo negatiuè cum Nauarro *cap. 25. num. 94.* Vgolino *tab. 1. cap. 14. num. 25. §. 1.* Filliucio *num. 69.* Suarez *disput. 34. sect. 4. num. 29.* Auila *loco citato*, *dubio* 7. Sayro & aliis, quia huiusmodi irregularitas non extat in iure. Hęc ratio idem probat de celebrante coram suspenso, vel excommunicato, etiam non tolerato; quamuis sacerdos excommunicatus incurrat irregularitatem faciendo, vt alter coram se celebret, vt patet ex dictis *de excommunicatione.* [Quid autem faciendum sit dum sacerdos celebrans aduertit adesse personam nominatim interdictam, constat ex dictis in simili de excommunicatione. Vide Suarez *de censuris disp. 34. sect. 3* & Alterium *disp. 5. cap. 4. dub. 2. col. 3. & 4.*]

19 An Clericus communicans cum interdicto peccet, & incurrat aliquam pœnam.

19 Rogabis secundò, vtrùm Clericus communicans cum interdicto peccet, & incurrat aliquam pœnam.

Respondeo Clericum communicantem cum nominatim interdictis in iis rebus, à quibus sunt interdicti, mortaliter peccare, vt si coram illis celebret, vel illos ad diuina officia admittat, vel ad sepulturam, vel ad sacramenta. Immo si Clericus, quamuis exemptus ab ordinaria iurisdictione, admittat excommunicatos publicos, vel interdictos ad diuina officia, seu Ecclesiastica sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam, interdicitur ab ingressu Ecclesię, donec satisfaciat ad arbitrium illius, qui tulit interdictum, *cap. Episcoporum. de priuilegiis in 6.* Ita Sylvester *verb. interdictũ 6. quæst. 2.* Tabiena *eodem verbo*, Nauarrus *cap. 25. num. 94.* Sayrus *cap. 14. num. 11.* Vgolinus *loco citato*, Auila *disp. 5. dubio 4. concluſ. 4.* Suarez *disput. 37. sect. 1. num. 5.* Filliucius *num. 57. & 147.* [Alterius *disput. 8. cap. 5. & disp. 9. c. 3. & 4.*] Eman. Sà *verb. interdictum*, Coninch. *de interdicto disp. 17. dub. 4. num. 72.* & alij, [quos referam *de censuris in particulari.*]

20 An peccet cõmunicans cum interdicto in rebus humanis.

Addit Auila, hanc doctrinam non tantùm intelligi de Clericis celebrantibus, verùm etiam de Clericis, qui cùm habent regimen Ecclesiæ, permittunt huiusmodi interdictos audire diuina officia, non verò intelligi de illis Clericis, qui more laicorum audiunt diuina officia, nec habent regimen Ecclesiæ, nam laici non tenentur exire, inquit [Alterius *disp. 8. cap. 5.* &] Emanuel Sà, quando sacerdos scienter admittit interdictum, nec tenentur, inquit Auila *dub. 5.* [Alterius *loc. cit.* & alij,] vitare interdictos, exceptis duobus casibus allatis in simili casu de suspensione, *puncto 4. propositione 2.* & excepta sepultura: nam præsumens sepelire nominatim interdictum in loco sacro incurrit excommunicationem Episcopo reseruatam, *Clementina 1. de sepulturis.* Alij verò, vt Sayrus, probabilius censent laicum teneri in diuinis vitare interdictum. Vide Sayrum *cap. 12. num. 23.* Suarez *num. 6.* [Alterium *disp. 8. c. 5.*] Filliucium *n. 147.* & quę suprà dixi *disp. 3. puncto 4. num. 3. & seq.* [*& disp. 5. punct. 4 ad finem.*]

21 An peccet cõmunicans cum interdicto non denuntiato.

20 Hinc sequitur primò, communicantem cum interdicto in rebus humanis non peccare, non enim tenemur vitare interdictos in iis rebus, in quibus non sunt interdicti, cùm interdictum prohibeat tantùm officia diuina, sacramenta, & sepulturam. Ita Henriquez *lib. 13. cap. 5. n. 5.* & alij.

21 Secundò, communicantem cum interdicto non denuntiato nominatim non peccare, vt patet ex Concilio Constantiensi, & à simili ex dictis de participante cum excommunicato tolerato. Ita Rodriquez *cap. 116. n. 12.* Henriquez *c. 46. n. 2. & 4.* Suarez *disp. 33. sect. 3. 10. verſ.*

*vers. est autem, & disp.37.sect.2.*Filliucius *num.57.* Reginaldus *num.47.ad finem,* Coninchus *num.75.*[Alterius *disp.10.cap.4.col.3.*] & alij communiter.

22 Quinam dicantur nominatim interdicti.

22 Si quæras, quinam dicantur nominatim interdicti denuntiati.

Respondetur illos dici, qui exprimuntur nomine proprio, vel nomine officij, vel alio signo, manifestante talem personã in particulari.

23 An quãdo fertur interdictũ contra collegium, singuli illius collegij sint nominatim denũtiati.

23 Ex quo sequitur primò, inquiunt aliqui DD. quando fertur personale interdictum contra aliquod collegium, vel communitatem, singulos illius collegij, vel communitatis non videri nominatim denuntiatos interdictos: tum quia per nomen *Communitatis*, non sufficienter exprimuntur omnes ciues nominatim, & in particulari: tum quia versamur in materia odiosa, vt ait Nauarr. *num.187.* Emanuel Sà *verb. interdictum, n.3.* & alij, [quos retuli *punct.5.nu.10.*]

Sed contrarium videtur probabilius, cum Sayro *lib.5.c.12.num.23.* Suarez *disp.37.sect.2.num.3.*[Alterio *disp.10.cap.4.col.2.*] Auila *loc.cit.* Conincho *disput.17.dub.2.num.62.* Filliucio *tract.18.cap.6.quæst.1.* & aliis apud Henriquez *cap.43.num.7.* Ratio est, tum quia singuli sufficienter censentur denuntiati per nomen communitatis, quæ nihil aliud est, quàm singuli homines: tum quia ferè impossibile est interdicendo communitatem nominare singulos: tum quia in interdicto locali generali non est necessaria expressa, & particularis denuntiatio singularum Ecclesiarum, sed sufficit nomen collectiuè, quo totus locus comprehendatur, vt si dicatur, singulæ Ecclesiæ maneant interdictæ, ergo neque in interdicto personali.

24 An sint vitãdi, qui hoc modo interdicuntur, *qui furati sunt, sint interdicti.*

24 Secundò, illos non esse vitandos, qui hoc modo generaliter denuntiantur interdicti, *Qui furati sunt res Ecclesiæ sint interdicti.* Ita Sayrus, & Auila *locis citatis.*

PVNCTVM VIII.

De casibus in quibus incurritur interdictum.

1 Interdictum locale incurritur quãdo dominus Regni, vel alterius loci impedit ne Legatus, vel Nũtius summi Põtificis suo fungatur officio.

PRiùs enumerabo casus, in quibus incurritur interdictum locale.

Postea casus, in quibus personale generale.

Denique in quibus contrahitur personale speciale, quod cùm aliis casibus naturam suspensionis sortiatur, plures casus superius in enumerandis suspensionibus explicaui, quos in sequentibus breuiter attingam.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Quando dominus alicuius territorij percutit iniuriosè Episcopũ, &c.

1 INterdictum locale incurritur, primò, quando dominus Regni, vel alterius loci impedit, ne Legatus, vel nuntius summi Pontificis suo fungatur officio, in quo casu loca ipsius impedientis subiacent interdicto. *Extrauag. super gentes. de consuetudine.* Ita Henriquez *cap.43.num.5.* Filliucius *tract.18.c.6.quæst.3.n.137.* & alij communiter.

An autem incurratur etiam excommunicatio, patet ex supradictis de excommunicatione.

3 Ciuitas verò remanet priuata Pontificali, & dignitate, quod idem procedit in ciuitate, quæ aliquẽ Episcopũ inuitum detinet, vel Cardinales insequitur, &c. Itẽ quę exigit ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis guidagia, &c.

2 Secundò, quando dominus alicuius territorij percutit iniuriosè Episcopum, aut capit, vel bannit, vel mandat hæc fieri, vel dat consilium, tunc enim illius territorium subiacet interdicto vsque ad condignam satisfactionem, *Clement.1.de pœnis.* De qua re videndus est Suarez *disp.37.* Sayrus *cap.12.* Vgolinus *loc.cit.* Filliucius *num.136.* & Reginaldus *num.63.*

3 Similiter illa ciuitas remanet priuata Pontificali, & dignitate, vt in eodem textu habetur. Eidem interdicto subiacet ciuitas, vel alius locus detinens aliquem Episcopum inuitum, vel prædicta fieri mandans. Idem dic de ciuitate, quæ insequitur Cardinales, vel insecutoribus consilium, vel fauorem præbet, vel non punit intra mensem huiusmodi insecutores, si punire potest, *cap.felicis. de pœnis in 6.* Excipitur ab hoc interdicto ciuitas Romę, vt constat ex eodem *cap.felicis. de pœnis in 6.* Vide Suarez *disp.37.sect.1.n.17.& seq.* & Filliuc. *n.139.*

4 Præfatũ interdictũ quoque incurritur dum dominus, vel rector ciuitatis in qua moritur Papa, nõ præstat præscripta in cap. vti periculũ.

Eodem interdicto ligatur vsque ad restitutionem, & condignam satisfactionem vniuersitas, ciuitas, collegium, vel locus, qui exigit per se, vel per alium ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis guidagia, pedagia, vel alia de rebus suis, quas asportant, vel important non causa negotiationis, *cap. quamquam, de censibus lib. 6.* alicubi tamen hoc non est in vsu, ex Suarez *num.14.* & Filliucio *num. 144.*

4 Tertiò, quando dominus, vel rector ciuitatis, in qua moritur Papa, non præstat præscripta *in cap. vbi periculum. de elect. in 6.*

Eodem interdicti vinculo, quoad sepulturam, tenetur Ecclesia, in qua scienter sepelitur hæreticus, *cap. quicumque. de hæretic. in 6.* [ibi, *& locus ille perpetua careat sepultura.* An autem in præfato loco licitum sit aliquem sepelire, antequam locus denuntietur interdictus, patet ex supradictis.]

An autem in hoc casu incurratur etiam excommunicatio, patet ex dictis de casibus, in quibus excommunicatio incurritur, videri potest Suarez *disp.37.sect.1. num.21.* Filliucius *cap.6.quæst.3.*

5 Item dũ Episcopus, & alij inferiores Ecclesiastici remanẽt per mẽsem in excommunicatione, &c.

5 Quartò, interdictum locale generale incurritur dum Episcopus, & alij inferiores Ecclesiastici permanẽt per mensem in excommunicatione, vel suspensione, ob culpam, quam admiserunt in concedenda domo manifestis vsurariis ad fœnus exercendum, *cap.1.de vsur. in 6.* vbi omnes istorum terræ post mensem subiiciuntur interdicto, quamdiu vsurarij ibi commorantur.

Ob eamdem causam interdictum personale incurrunt vniuersitates quæ vsurariis alienigenis habitationem concedunt, *cap.1.citato.*

6 Itẽ quando Clerici regulares, vel sæculares induc unt aliquem ad vouẽdum, vel promittendũ, vt in eorũ Ecclesia eligat sepulchrum, &c.

6 Quintò, quando Clerici regulares, vel sæculares inducunt aliquem ad vouendum, vel promittendum, vt in eorum Ecclesia eligat sepulturam, vel semel electam non immutet. Si deinde in eorum Ecclesia, vel cœmeterio præsumpserint hunc sepelire, eorum Ecclesiæ, & cœmeteria sunt ipso facto interdicta, nisi intra decem dies Ecclesiæ, in qua ille de iure sepeliendus erat restituant omnia, quæ acceperunt occasione sepulturæ, etiamsi non petantur, & præterea ipsum cadauer, si petatur. *cap.1. de sepulturis in 6.* & hoc interdictum perseuerat donec fiat completa restitutio dictorum omnium. Ita Suarez *loco citato, sect. numero 25.* Filliucius *num.141.* Reginaldus *num.65.* & alij communiter.

Hic tamen aduertendum est primò, hanc constitutionem latam esse in fauorem Parochorum, consequenter non militare in Parochis inducentibus aliquem ad eligendam sepulturam, [vel mutandam electam;] possunt enim cedere iuri suo.

Secundò, hanc constitutionem non militare, quando aliquis inducit alium sine obligatione ad eligendam sepulturam, vel mutandam; vt ait Paludanus apud Sayrum *lib.5.cap.12.nu.9.* Ratio est, quia in textu imponitur interdictum ob promissionem extortam, quæ inducit obligationem.

Aduertendum est tertiò obligationem restituendi, accepta occasione præfatæ sepulturæ, intelligendam esse ante iudicis sententiam. Ratio est, quia licet admitteremus, hanc dispositionem pœnalem esse, & legem pœnalem non obligare ad pœnam subeundam ante iudicis sententiam, quoties ad sui executionem actionem hominis requirit, hoc nihilominus intelligitur nisi aliter de mente superioris colligatur: mens autem superioris in nostro casu est, vt obligetur ad restitutionem non expectata iudicis sententia, vt colligitur ex verbo, *obligetur*, contento *in cap.1.de sepulturis in 6.*

Ex quo patet differentia inter restitutionem acceptorum occasione sepulturæ, & restitutionem cadaueris, quod cadauer non est restituendum, nisi petatur; alia verò, quæ occasione sepulturæ accepta sunt, restitui debent intra decem dies à die sepulturæ computandos ex communi Doctorum sententia, teste Suarez *disp.37.sect.1.n 25.*

Aduertendum est quartò hoc interdictum non incurri, quoties vnus religiosus aliquem induxit ad talem promissionem, vel iuramentum, & postea reliqui religiosi hoc ignorantes sepeliunt, aut non restituunt. Ratio est, quia bona fide sepeliunt; textus autem requirit præsumptionẽ, ibi, *si præsumpserint sepelire.* Ita Suarez *n.26.* Filliucius *num.142.* Reginald. *n.65.*

Aduertendum est quintò præfatum interdictum incurri quoties vnus, vel alter Clericus non restituit, aliis restituentibus; nam in textu præscribitur integra & plenaria omnium restitutio; hoc tamen intelligitur, modò res ab eo, qui non restituit, detenta, sit notabilis; nam ad incurrendam grauem censuram, prærequiritur materia grauis sufficiens ad mortale peccatum. Ita Suarez, Reginaldus, & Filliucius *locis cit.*

Circa hos casus, quibus incurritur interdictum locale, obserua cum Suarez *sect.3. in fine,* Conincho *disp.17.dub.5. in fine,* non esse obligationem seruandi huiusmodi interdictum ante denuntiationem. Idem tradit Filliucius, Reginaldus, Sayrus, & alij quos retuli *puncto præcedenti ad finem.*

SECVNDA PROPOSITIO.

7 Interdictum personale generale incurritur quando vniuersitas concedit repræsaliar, vel pignorationes, aut imponit decimas, vel taleas contra personas Ecclesiasticas, &c. aut quando aliorum concessionem non reuocat.

7 INterdictum personale generale incurritur, primò quando vniuersitas concedit repræsalias, vel pignorationes contra personas Ecclesiasticas, vel eorum bona, & quando iis concessis ab aliis non reuocat concessionem intra mensem: tunc enim prædicta vniuersitas incidit in interdictum, *cap. vnico, de iniuriis in 6.*

Eadem pœna extenditur ad vniuersitates imponentes, vel exigentes decimas, taleas ab Ecclesiasticis, vel bona Ecclesiarum occupantes, *cap. Clericis de immunit.* [Hoc caput reuocatum fuit à Clemẽte V. *in cap. quoniam. de immunitate,* vbi iura antiqua seruari præcipit. Vide quæ tradidi in Bulla Cœnæ.]

8 Secundò quando vniuersitates, vel Capitula, vel collegia appellant à sententiis Summi Pontificis ad futurum Concilium generale. Eidem interdicto subiacent præbentes consilium, & fauorem, vt patet ex Bulla Cœnæ *num.2.*

8 Idem interdictum incurritur dum vniuersitas, vel Capitula, &c. appellant à sententijs summi Pontificis ad futurum generale Cõcilium, aut ad hoc cõsilium, fauoremve præbent.

9 Obserua tamen in hoc casu, non solùm latum esse interdictum, verùm etiam excommunicationem, vt patet ex Bulla Cœnę. Hæc tamen differentia est inter absoluentem ab hoc interdicto sine legitima facultate, & absoluentem ab excommunicatione, quòd absoluens ab excommunicatione sine legitima facultate incurrit excommunicationem, non verò absoluens ab interdicto. Ratio est, quia in Bulla Cœnæ non fit mentio absoluentium ab interdicto, sed absoluentium ab excommunicatione. Ita Suarez *disp.37.sect.1.n.13.* Filliucius *n.144.* [Alterius *de interdicto disp.12.cap.1.ad finem.*] & alij quos retuli in explicatione Bullæ.

9 Immo in hoc casu lata est etiam excõmunicatio.

10 Tertiò quando Capitulum Sede vacante intra annum à die vacationis concedit litteras dimissorias alicui non arctato ratione beneficij, vt videre est in Trident. *sess.7.cap.8.* & apud Henriquez *cap.43.n.5.* Sayrum *loco cit.* Coninch. *disp.17.dub.5.* Suarez *sect.3.nu.13. & seqq.* Filliucium *num.103. & seqq.*

10 Similiter quando Capitulũ sede vacãte litteras dimissorias intra annũ à die vacationis. absque necessitate concedit.

11 Quartò illi sunt personaliter interdicti, qui causam culpabilem interdicto locali generali dederunt, vt patet ex supradictis, Suarez *num.15.* Reginaldus *num.67.* Syluester *verb. interdictum 4. quæsito 2.* Filliucius *n.144.* Nauarr. *cap.27.num.169.*

11 Dantes causam interdicto locali generali, personaliter interdicuntur.

12 Quintò Capitulum, & vniuersitas, quæ non obseruat constitutionem Ioannis XXII. circa fructus beneficiorum vacantium, subiacet interdicto, *extrauag. vnic. de sede vacante.*

12 Item Capitulum, & vniuersitas non seruãs constitutionem Ioannis XXII. circa beneficiorum vacãtiũ fructus.

Vtrum verò interdictum Capituli appellandum sit personale generale, vel speciale, dictum est in principio præsentis disputationis.

13 [Sextò interdicitur vniuersitas permittens vsurarios alienigenas, de qua re suprà.]

13 (Item vniuersitas permittẽs vsurarios alienigenas.)

TERTIA PROPOSITIO.

14 Interdictum personale speciale ab ingressu Ecclesiæ incurritur primò quando quis recipit Abbatiam, vel aliam dignitatem de manu laici, *cap. si quis deinceps 16. quæst.7.* Ita Suarez *loco cit. n.9.* Filliucius *n.145.* & alij communiter. [Vide Alterium *fol.225.499. & seqq.*]

14 Interdictum speciale personale ab ingressu Ecclesiæ incurrit, qui recipit Abbatiam, vel aliam dignitatẽ de manu laici.

15 Secundò, in idem interdictum vsque ad factam restitutionem incidunt Prælati, qui sibi aliquid vsurpant ex reditibus dignitatis vacantis, aut Ecclesiarum sibi subditarum, *cap. præsenti. de officio ord. in 6.* [hæc censura explicata fuit de suspensionibus in particulari.]

15 Itẽ Prælati, qui sibi aliquid vsurpant ex reditibus dignitatis vacantis, aut Ecclesiarum sibi subditarũ.

Remanet etiam interdictus Abbas, vel Episcopus, qui in alienatione bonorum Ecclesiæ non seruat *extrauag. Ambitiosè,* vbi est vsu recepta. Vide dicta *de contract.* & Suarez *num.10.*

16 Similiter Sacerdos admittens interdictum ad diuina officia.

16 Tertiò, quando Sacerdos [præsumit admittere interdictum vel excommunicatum publicè ad diuina officia, vel Ecclesiasticа Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam; tunc enim incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, donec competentem præstiterit satisfactionem, ad arbitrium illius, cuius sententiam contempsit, *cap. Episcoporum, de priuilegiis in 6.* Vide *disp. 3. quæst. 6. puncto 4. num. 18. de censuris in particulari*, &] Suarez *sect. 1. num. 6.* Filliucium *num. 147.* & alios præcitatos Doctores.

17 Inferior Episcopo ferens censuram sine scriptura, &c. præfatum interdictum cõtrahit.

17 Quartò, quando quis inferior Episcopo fert censuram sine scriptura, vel sine competente monitione, vel absque expressione causæ, incurrit suspensionem à diuinis officiis, & ab ingressu Ecclesiæ, *cap. 1. de sent. excomm. in 6. & cap. sacro. eodem tit.* Vide Suarez *disp. 37. sect. 1. n. 3.* Filliucium *num. 146.* Coninchum *num. 74.* & alios, quos adduxi *de suspensionibus in particulari.*

18 Episcopus in visitatione, aliquid, quod sibi non debetur, accipiens eodẽ interdicto ligatur.

18 Quintò, quando Episcopus in visitatione aliquid, quod sibi non debetur, accipit, nisi intra duos menses duplum restituat, *cap. [exigat, & cap felicis] 2. de censibus in 6.* & ex Trid. *sess. 24. c. 3.* [vbi præfata iura innouantur.]

19 Item violans interdictum locale, saltem generale.

19 Sextò violans interdictum locale saltem generale incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, *cap. Episcoporum. de priuileg. in 6.* Vide Suarez *num. 5.* Filliucium *n. 147.* [Alterium *de interdicto disp. 12. cap. 2. col. 2.*] & alios, quos superiùs retuli.

20 Iudices Ecclesiastici, qui officiales Romanæ Curiæ, &c. suis beneficiis priuant, & ea conferunt aliis, præter interdictũ, suspensionem, & excommunicationem incurrunt.

20 Septimò, absoluti interdicti remanent iudices Ecclesiastici, qui officiales Romanæ Curiæ, aut alios, Romanam Curiam pro suis negotiis sectantes, priuant suis beneficiis, eaque aliis conferunt, *extrauag. 3. de priuil.* in qua non solùm fertur interdictum, verùm etiam suspensio, & excommunicatio. [Probabilis tamen est opinio Suarez, & Filliucij *locis* proximè *citandis*, asserentium] his omnibus censuris non singulos affici, sed cum debita proportione, ita vt Episcopi, aliique superiores ligentur solùm censura excommunicationis, non verò interdicti, vel suspensionis, cum ex regula generali habeamus Episcopos non ligari censuris interdicti, & suspensionis generaliter latis: reliqui verò inferiores ligantur censura interdicti, & suspensionis, quia subiiciuntur censuris generaliter latis. [Ratio autem in i sentiendi in hoc casu est, quia cùm istæ censuræ generalibus verbis ferantur contra omnes quacumque dignitate fulgeant, sufficientem rationem habemus ita iudicandi;] hæc tamen est differentia inter censuras suspensionis, interdicti, & excommunicationis in præfato capite expressas, quòd excommuniactionis absolutio reseruatur Papæ, non verò suspensio, & interdictum, quia in eo cap. nulla fit mentio reseruationis interdicti, vel suspensionis. Videri potest Suarez *disp. 37. sect. 1. n. 8.* Filliucius *n. 148.* [& Alterius quem retuli de suspensionibus in particulari.]

21 Edentes Commentaria in Tridentinum.

21 Octauò, Prælati edentes commentaria in Tridentinum remanent interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Ita Pius IV. in Bulla Confirmationis Concilij Tridentini.

22 Metropolitanus non deferens intra tres menses per litteras, vel nuntium Summo Pontifici suffraganeum vltra annum non residentem: idem dic de suffraganeo non deferente Metropolitanum.

22 Nonò, Metropolitanus non deferens intra tres menses per litteras, vel nuntium Summo Pontifici suffraganeum vltra annum non residentem: idem dic de suffraganeo non deferente Metropolitanum. Sed de hac re vide Trident. *sess. 6. c. 1. ad finem, vers. Crescente verò.*

23 An Clerici in crimine fornicationis perseuerantes huic interdicto subiaceãt.

23 Decimò, ab aliquibus, vt à Suarez *num. 11.* Filliucio *num. 145.* & aliis additur interdictum ab ingressu Ecclesiæ contra Clericos in crimine fornicationis perseuerantes, *cap. si qui sunt 81. dist.* Verùm quid nobis in hac re sentiendum sit, constat ex dictis de suspensionibus, & alibi.

24 (An ferens excõmunicationem absque admonitione.

24 [Vndecimò, ferens excommunicationem absque admonitione, de qua re suprà egi de censuris in genere.

25 An Cardinalis, vel Prælati recipientes beneficia, vel pensiones cum simonia confidentiali)

25 Duodecimò, Cardinales, vel Prælati recipientes beneficia vel pensiones cum simonia confidentiali. Hæc censura lata fuit à Pio IV. in Bulla 85. quæ incipit, *Romanum Pontificem.* Verùm quia de hac re sufficienter egi in tractatu *de censuris in particulari*, opus non est hic eadem repetere.]

PVNCTVM VLTIMVM.

De relaxatione ab interdicto.

DE absolutione, seu relaxatione interdicti personalis videnda sunt suprà dicta de censuris in communi. Quare hic breuiter solùm quæram primò, quandónam cesset interdictum latum ad tempus, vel sub conditione.

Secundò, vtrum ab Episcopo possit auferri, vel ab eo, qui tulit interdictum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quandónam cesset interdictũ latum ad tempus, aut sub conditione.

1 INterdictum latum ad tempus, vel sub conditione elapso tempore, vel adimpleta conditione cessat. Hæc propositio patet: tum ex *cap. dilecti filij*; tum quia non ligat vltra intentionem conditoris: tum quia censura non amplius operatur, quàm per verba exprimatur. Ita Sayrus *cap. 15. numer. 2.* Auila *part. 5. disputat. 6. dub. 1.* Coninchus *disputat. 17. dub. 6. numer. 76.* Suarez *disputat. 38. sect. 1.* quamuis ipse Suar. ex parte dissentiat, Emanuel Sà *verb. interdictum, nu. 2.* Reginaldus *lib. 32. tract. 3. num. 53.* Filliucius *num. 114.* [Alterius *disp. 11. cap. 1.* quamuis idem Alterius & alij quamplures oppositum sentiant, de interdicto lato sub conditione. Hinc patet quid dicendum sit de interdicto deambulatorio, quo videlicet non interdicitur certus locus præcisè, sed incertus & indefinitus per ordinem ad certam personam, vt dum Prælatus interdicit omnem locum, in quo talis persona fuerit, donec ibi fuerit, iuxta exemplum quod habetur *in cap. non est vobis, de sponsalibus*, vbi Pontifex in pœnam Regis Anglorum, qui per vim detinebant vxores filiorum, interdixit omnem prouinciam, in qua præfatæ vxores detinebantur, vel transferebantur donec ibi extitissent. Respondeo enim huiusmodi interdictum deambulatorium cessare, sola mutatione personæ, absque alia absolutione. Ratio est, tum quia huiusmodi interdictum censetur tantummodo latum ad tempus, & dependenter à præsentia talis personæ in eo loco. Ita glossa *in d. c. non est vobis, de sponsal. vers. donec.* Alter. *disp. 11. c. 2. ad fin.*]

Dixi, *latum ad tempus, vel sub conditione*, quia interdictum latum absolutè non cessat per solum temporis lapsum; sed auferendum est per absolutionem impensam ab eo, qui illud tulit, vel ab eius superiore, vel ab alio habente facultatem delegatam, vt patet ex supradictis de censuris, nihil enim adest ex quo eius cessatio colligatur, [nisi per absolutionem, ita communiter Doctores.

Ex quo sequitur, populum interdictum ob delictum Principis, aut Clerum interdictum ob delictum Prælati, non esse liberum ab interdicto ob mortem Principis, aut Prælati, quia huiusmodi interdictum latum est absolutè in populum, seu Clerum, & non sub conditione, vel ad tempus. Ita Alterius *disp. 11. cap. 3. col. 6.*]

An verò interdictum locale cesset per alienationem loci, aut personalem permutationem loci, patet ex suprà dictis.

2 An interdictum locale cesset destructione ædificiorũ loci interdicti.

2 Grauior difficultas est, vtrum locale cesset destructione, [aut refectione] ædificiorum loci interdicti.

Ad quam breuiter respondetur negatiuè, cum Suarez *disp. 38. sect. 1. nu. 13.* Reginaldo *num. 59.* Filliucio *num. 118.* [Alterio *disp. 11. cap. 2.*] Ratio est, quia non solùm censentur interdicta ædificia, sed etiam ipsum solum tamquam ipsorum basis, & fundamentum.

3 An destructa Ecclesia interdicta possint in eius solo corpora sepeliri.

3 Ex quo sequitur destructa Ecclesia interdicta, non posse in eius solo corpora sepeliri.

An verò interdictum generale latum in communitatem cesset, si communitas dissoluatur, patet ex supradictis, cessare respectu innocentum, [si communitas omnino dissoluatur. Ratio est, tum quia innocentes non ligantur diutius quàm sint pars illius communitatis: tum quia cessat subiectum interdicti; illius enim subiectum erant pœnæ constituentes collegium, seu corpus illud morale, quo ipsum collegium constituebatur; cùm ergo corpus illud morale cesset, sequitur etiam interdictum latum contra ipsum cessare.] Respectu verò eorum, qui causam culpabilem interdicto dederunt, non cessat, quia hoc est interdictum particulare, quod sequitur personam. Ita Coninchus *loc. citato, num. 78.* Suarez *loc. cit.* Reginaldus *num. 60.* Filliucius *num. 118. & seq.* qui de hac re fusiùs agunt. [Imò Alterius *disp. 11. cap. 3 col. 2.* & alij absolutè putant, interdictum latum in collegium, si moriantur omnes homines illius collegij, vno solo superstite, ligare illum superstitem. Ratio est, tum quia superstes retinet iura collegij; ergo etiam subiicitur oneribus collegij; quamuis enim collegium constare debeat pluribus personis, saltem duabus aut tribus, consequenter omnibus mortuis, vno solo superstite, non remaneat collegium formaliter, nihilominus virtualiter perseuerat, cùm superstes iura collegij retineat. *l. sicut municipij, in fine, ff. quod cuiusque vniuers.* & plura requirantur ad constituendum collegium, quàm ad illud virtualiter conseruandum; tum quia interdictum generale personale communitatis, seu collegij, non afficit ipsam communitatem, seu collegium in abstracto, sed ipsas singulares personas; ergo sublata communitate in abstracto, singulares personæ superstites adhuc remanent interdictæ. Interdictum enim personale sequitur personam, quæ licet aliis mortuis non sit actu pars communitatis, nihilominus virtualiter quodammodo est ipsa communitas. Hæc opinio probabilissima est, & sustinenda, cùm supponat ipsam communitatem non omnino dissolui, sed virtualiter perseuerare in superstite, licet innocente. Ego autem locutus sum de communitate omnino extincta, & dissoluta, & de illis, qui desinunt esse pars illius communitatis, vt si quis excludatur à communitate, aut si collegium auctoritate superioris extinguatur.]

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An interdictũ possit auferri, vel suspendi ab eo qui illud tulit.

4 INterdictum potest auferri, vel suspendi ab eo, qui tulit interdictum in totum, aut quoad aliquos effectus [immediatos.] Hęc propositio manifestè constat ex supradictis de censuris, & ita docet Auila *parte 5. disp. 6. dub. 4.* Sylvester *verb. interdictum, 3. quæsito 8.* [Alterius *disp. 11. cap. 5.*] Coninchus *loco citato*, Henriquez, Suarez, Filliucius, & alij *locis* statim *citandis.* [Ratio est, quia censura ligat ad nutum & voluntatem conditoris.]

TERTIA PROPOSITIO.

5 An Episcopus possit absoluere ab interdicto.

5 EPiscopus potest absoluere ab interdicto locali posito à iure. Hęc propositio patet, tum ex *cap. nuper. de sententia excommunicationis*; tum quia Episcopus potest dispensare in iis, quæ non sunt reseruata; interdictum autem locale iuris non est reseruatum. Ita Auila *part. 5. disp. 4. dub. 1. concluſ. 8. & dub. 4. cap. 3.* [Alterius *disp. 11. cap. 4.*] Coninchus *loco citato, num. 76.* Reginaldus *numer. 55.* Filliucius *num. 111. cap 4. & n. 124.* Henriquez *lib. 13. disp. 48. nu. 3.* & alij, qui addunt posse huiusmodi interdictum ab Episcopo suspendi ad tempus: sicut enim potest simpliciter relaxari, ita etiam ad tempus suspendi.

Dixi, *ab interdicto locali*; quia ab interdicto personali non potest Episcopus absoluere; nisi fortè interdictum personale sit occultum; tunc enim potest absoluere virtute priuilegij concessi in Tridentino *sess. 24. cap. 6.* sicut etiam videtur posse dum interdictum personale publicum non est Summo Pontifici reseruatum, *cap. nuper, citato.* Vide Suarez *sect. 2.* Filliucium *nu. 125.* [& Alterium *disp. 11. c. 4. col. 3.*]

Dixi, *posito à iure*, quia ab interdicto lato à Papa, tamquam ab homine, non videtur Episcopus posse absoluere. Ratio est, tum quia sicut non potest concedere facultatem alicui celebrandi in loco à Papa interdicto, quamdiu manet interdictus, ita neque videtur posse auferre interdictum latum à Papa tanquam ab homine: tum quia inferior non habet iurisdictionem in superiorem; Papa autem est superior, & Episcopus inferior. [Secus dic de ipso Papa, aut de Legato a latere, qui Pontificia gaudet auctoritate, aut de aliis, quibus hæc facultas delegata fuit. Ita Doctores citati.]

6 An Parochus, vel alius Confessarius possit absoluere ab interdicto.

6 Quæres primò, vtrum Parochus, vel alius Confessarius possit absoluere ab interdicto locali, vel personali non reseruato.

Re-

Respondeo primò, Parochum non posse absoluere ab interdicto locali, quia, cùm locus non sit materia fori pœnitentiæ, non pertinet ad Confessarium auferre illius interdictum, sed ad Episcopum habentem iurisdictionem in foro externo.

Respondeo secundò, Parochum non posse absoluere ab interdicto personali generali: tum quia communitas interdicta vt communitas, non pertinet ad forum pœnitentiæ in quo iudicatur solùm de eo particulari, quod quis sua sponte illi subiicit: tum quia sequeretur posse communitatem esse interdictam, & personas particulares non esse interdictas, non enim essent interdictæ personæ particulares, quatenus sigillatim absoluerentur: communitas verò esset interdicta ex suppositione. Ita Suarez *sect.2.num.6.* Reginald. *num.56.* Filliucius *n.125.* [Alterius *disp.11.cap.4.col.4.& 5.* vbi addit, eum qui causam dedit interdicto generali, non posse absolui à Parocho; nam licet huiusmodi interdictum vim habeat interdicti personalis particularis, tamen simpliciter & formaliter est interdictum generale.]

Respondeo tertiò, Parochum posse iure communi absoluere ab interdicto personali particulari non reseruato. Ratio est, tum quia potest ab aliis censuris; ergo etiam ab interdicto: tum quia nullum inde sequitur inconueniens: tum quia sic colligitur ex *cap.nuper.de sententia excommunicationis.* Ita Suarez *loco cit.post n.6.* Coninchus *loco citato, n.77.* Reginaldus *n.56.* Filliucius *tract.18.c.5.quæsito 8.* [Alterius *loco cit.*] & alij communiter *in dicto cap.nuper.*

7 An interdictum adnexum excommunicationi reseruatæ sit reseruatum.

7 Quæres secundò, vtrùm interdictum adnexum excommunicationi reseruatæ sit reseruatum.

Respondeo solam excommunicationem esse reseruatam ex Toleto *lib.1.c.55.* Sayro *n.17.* [Alterio *disp.11.c.4.col.2.*] & aliis communiter. Ratio est, quia versamur in materia odiosa, quæ non est amplianda.

8 An interdictū censeatur sublatū, quando nō seruatur ab eo, qui illud tulit.

8 Quæres tertiò, vtrùm interdictum censeatur sublatum, quando non seruatur ab eo, qui tulit interdictum.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia nulla sufficienti ratione probari potest interdictum per hoc esse sublatum. [Et licet delicta superiorum sæpiùs trahantur in exemplum, *cap.magnæ, de voto.* non tamen hinc sequitur inferiores excusari à culpa, & pœna. Ita Calderin. *de interdicto p.1.n.58.* Alterius *disp.10.c.6.ad finem, & disp.11.cap.6.*] Sayrus *cap.15.n.5.* quidquid alij dicant.

9 An absolutio interdicti dari possit ad cautelam.

9 Quæres quartò, vtrùm possit dari absolutio interdicti ad cautelam.

Respondeo posse, vt patet ex dictis de censuris, excepto interdicto locali generali, vt habetur *in cap.præsenti. de sententia excommunicationis in 6.* Ita Glossa *ibidem.* Couarr. *in cap.alma 2.parte §.2.nu.5.* Suarez *disp.38.sect.3.num.3.* Reginaldus *num.58.* [Alterius *cap.6.*] Filliucius *num.127.* & alij communiter. [Nomine absolutionis ad cautelam intelligitur absolutio censuræ, quæ prætenditur nulla, seu non ligare, vt dum quis dicit se excommunicatum fuisse post appellationem, aut se non commisisse delictum, ob quod lata fuit censura. Ita Alterius *disp.11.de interdicto cap.6.initio,* & alij.]

10 An Papa, vel Episcopus possint auferre interdictum per solam voluntatē.

10 Quæres quintò vtrum Papa possit auferre interdictum per solam voluntatem interiorem.

Respondeo affirmatiuè, quia censura non ligat vltra voluntatem legislatoris; si ergo legislator non vult obligare, re ipsa non obligat; Episcopus verò non potest auferre censuram per solam voluntatem, argumento *cap.1.de regulis iuris.* nam ipse est subiectus iuri communi. Ita Sayrus *loco citato, n.6.* [Alterius *disp.11.cap.7.dub.3.*] Auila *disp.6. dub.6.* Medina, & alij, & patet ex suprà dictis *de censuris in genere.*]

Hinc sequitur sublato interdicto per solam voluntatem à Papa, ignorantes reuocationem, & ablationem, peccare quidem non seruando interdictum, sed non incurrere irregularitatem, vel alias pœnas: nam huiusmodi pœnæ incurruntur tantùm à violantibus interdictum validum, & verè obligatorium. An verò in auferendo interdicto seruanda sit aliqua certa, & determinata forma verborum, patet ex suprà dictis, non esse necessarium. Ita Reginaldus *num.57.* Caiet. *verb.absolutio.* Filliucius *num.127.* [& Alterius *disp.11.cap.7.*]

DISPVTATIO VI.

De cessatione à Diuinis.

TRIA principaliter ostendemus in hac disputatione.

I. Quid, & quotuplex sit cessatio.
II. Quænam sint illius causæ.
III. Quinam eius effectus.

PVNCTVM I.

Quid, & quotuplex sit cessatio à diuinis.

1 Vndenam dicatur cessatio à diuinis.

1 NOtandum cessationem à diuinis ita nuncupari, eò quòd ministri Ecclesiæ pro tempore, quo cessatio durat, cessent à publica celebratione diuinorum officiorum, & administratione Sacramentorum. Ita Nauarrus *c.27.n.188.* Henriquez *lib.13.cap.52.num.1.* Sayrus *lib.5. cap.17. num.2.* Suarez *disp.39.sect.1. num.1.* Filliucius *tract.18.cap.7.quæsito 1.* [Alterius *tom.2. de interdicto disp.2. cap.1.*] & alij communiter.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Quid sit cessatio à diuinis.

2 CEssatio est omissio, & desistentia à diuinis officiis, ab administratione Sacramentorum, & sepultura laicorum. Ita Nauarr. *n.188.* Coninch. *disp.17.dub.7.n.79.* Reginald. *n.70.* Filliucius, Suarez, & alij DD. citati. Hæc definitio non est formalis, sed potiùs desumpta est ab effectu: formaliter autem definiri potest hoc modo; cessatio est simplex prohibitio, qua ministri Ecclesiæ prohibentur persoluere diuina officia, ministrare Sacramenta, & sepelire laicos in loco sacro. Ita Suarez *disp.39.sect.1.n.1.& 15.* & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Quotuplex sit cessatio à diuinis.

3 CEssatio duplex est, alia est generalis, qua prohibentur diuina in loco vniuersali, vt in regno, castro, ciuitate, villa: alia est particularis, qua prohibentur diuina in loco particulari, vt in vna, vel pluribus Ecclesiis, vt in simili diximus de interdicto. Ita Suarez *loco cit.num.5.* Auila *part.6.disp.1.dub.2.* Filliucius *quæsito 2.* Henriquez, & alij communiter.

4 An sit censura, & quomodo differat à censura.

4 Quæres, vtrùm cessatio sit censura, vel differat à censuris.

Respondeo non esse censuram; in multis enim differt cessatio à censuris.

Primò, quia cessatio fertur per modum simplicis prohibitionis; censura verò est veluti quoddam accidens morale afficiens, & quasi ligans subiectum, in quod lata est censura.

Secundò, quia violanti cessationem non est imposita pœna irregularitatis, quæ posita est violanti interdictum, nam irregularitas non incurritur nisi in casibus in iure expressis, *cap.is, cui. de sent. excomm. in 6.* in iure autem non est expressum, violantem cessationem incurrere irregularitatem, aut aliam pœnam, exceptis religiosis non seruantibus cessationem, quam seruat Ecclesia matrix, vel parochialis illius loci, quibus imposita est excommunicatio, *in Clementina 1.de sententia excommunicationis.* Ita Nauarrus *cap.27.n.188.* Henriquez *lib.13.c.54.n.3.* Sayrus *lib.5.c.17.num.8.* Suarez *tom.5.disp.39.* Valentia *tom.4.disp.7.quæst.19.punct.4.fol.1448.* Rodriquez *tom.1.c.117.* [Alterius *de interdicto disp.2.c.1.col.5.& cap.2.col.2.& cap.8.col.2.* vbi etiam ostendit religiosos teneri seruare cessationem generalem validam, etiamsi non seruetur à matrice, sed ligari excommunicatione, nisi dum non seruant cessationem, quæ seruatur à matrice, quia Pontifex non intendit onus diminuere, sed addere, & constitutio addita in pœnam, non est trahenda ad gratiam, & diminutionem obligationis.]

Tertiò, tempore cessationis, non licet celebrare officia, sicut licet tempore interdicti generalis, iuxta moderationem *cap.alma mater.*

Quartò, cessatio numquam à iure incurritur ipso facto; sed tantùm comminatoriè fertur: interdictum verò ipso facto incurritur, *cap.quamquam.de officio ordinarij in 6.*

Hinc licet inferre quando conceditur priuilegium audiendi Missam tempore interdicti, non censeri concessum priuilegium ad audiendam Missam tempore cessationis à diuinis, & è contra, quia cessatio distinguitur ab interdicto, & sicut in fauorabilibus cessatio non clauditur sub interdicto, ita neque in odiosis. Vide Suarez *disp.39. sect.1.* Rodriquez, & Henriquez *locis cit.* [Alterium *disp.2.cap.1.col.4. & cap.2.*]

PVNCTVM II.

De causa efficienti, formali, materiali, & finali cessationis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quis possit imponere cessationem à diuinis.

1 CAusa efficiens, quæ potest imponere cessationem, est Papa, & Episcopus, nam cessatio pertinet ad forum contentiosum, cui præest Papa, & Episcopus. Præterea Capitulum sede vacante potest imponere cessationem, capitulum enim succedit in iurisdictionem Episcopi, nisi in aliquo particulari casu impediatur. Viuente verò Episcopo non potest, nisi acquisierit ius imponendi per consuetudinem. Concilium item Prouinciale, & diœcesanum potest cessationem imponere, ex *Clementina 1.de sent.excommun.* Alij etiam possunt cessationem imponere, iuxta facultatem sibi delegatam, vel obtentam per consuetudinem, vt patet ex dictis de censuris in communi. Ita Henriquez *lib.13.c.54.n.1.* [Alterius *c.8.*] Auila *disp.2.dub.1.* Sayrus *lib.5.c.18.n.3.* Syluester *verb.cessatio.* Filliucius *quæsito 2.* Reginald. *lib.32.tract.3.n.72.* & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Qua forma ferenda sit cessatio.

2 FOrma ferendi cessationem hæc potest esse: Nos ob talem causam ciuitatem, vel Ecclesiam abstinere præcipimus à diuinis officiis, &c. Ita Sayrus *cap.18.n.11.* Reginaldus *num.73.* [Alterius *cap.6. col.3.*]

3 Quænam cōditiones seruandæ sint in ferenda cessatione.

3 Quæres, quænam conditiones seruandæ sint in ferenda cessatione.

Respondeo cum Suarez *loco citando.* Auila *dub.2.& 3.* Sayro *cap.18.* Henriquez *cap.52.* Filliucio, & aliis DD. statim citandis, quatuor saltem seruandas esse.

Prima est, vt quando Capitulum imponit cessationem, conuocentur omnes Canonici etiam absentes, prout seruatur in electione facienda, ita vt duæ partes Capituli conueniant in imponenda cessatione, *cap.quamuis.§.2.de officio ordinarij in 6.*

Secunda est, vt delictum, propter quod imponitur cessatio, sit manifestum, & notorium, [vt probabo *num.4.*]

Tertia est, vt admoneatur is, ob cuius culpam ferenda est cessatio vt pareat, & satisfaciat: sicut enim admonitio requiritur in ferendis censuris, ita etiam necessaria videtur in ferenda cessatione, [quæ fertur, vt inobediens recedat à contumacia.]

Quarta est, vt ferens cessationem, & ille, contra quem fertur, nisi se componant intra mensem, adeant Summum Pontificem per se, vel per Procuratorem, ne Ecclesia tantum grauamen diu ferat. Quòd si imponens cessationem Romam non adeat intra mensem, non est obligatio seruandæ cessationis post mensem, *cap.quamuis.§.final. de officio ordinarij.* Vide Suarez *disp.39.sect.3.n.13.* Syluestrum *verb.cessatio quæsito 1.* Sayrum *lib.5.c.18.* Angelum *verb.cessatio n.3.* Henriquez *c.52.n.2.* Coninch. *disp.17.dub.7.n.87.* Filliucium *quæs.8.* Reginaldum *num.71.* [& Alterium *disp.2.cap.6.*

4 (An qui cessationē tulit, possit transacto mēse postquam iter ad Summū Pontificem suscepit, tollere cessationem.

4 Maior difficultas est, vtrum is qui cessationem tulit, possit etiam transacto mense postquam iter ad Summum Pontificem suscepit, tollere cessationem.

Respondeo posse, quia nullo iure probatur id fieri non posse. Ita Dominicus Sotus *in 4. dist. 22. q.3. art.2.* Alterius *disp.2. cap.6. col.6. vers.tertiò*, contra nonnullos, arbitrantes id fieri non posse, quia causa iam videtur deuoluta ad Summum Pontificem. Hæc tamen ratio non est efficax, quia causa strictè loquendo non est deuoluta ad Summum Pontificem, cùm nihil coram ipso actum sit, & Summus Pontifex cupiat partes componi, & cessationem quæ onerosa est Ecclesiæ, auferri.]

TERTIA PROPOSITIO.

5 Quænam sit causa materialis cessationis.

5 CAusa materialis proxima, ob quam cessatio imponitur, est delictum, & culpa, quæ valdè grauis esse debet, & grauior, quàm sit ea, ob quam ponitur interdictum. Ratio est, quia quantitas pœnæ proportionari debet quantitati delicti. [Delictum, seu culpa sufficiens ad imponendam cessationem, esse potest editio statuti contra libertatem Ecclesiasticam, impositio taleæ, seu collectæ Clericis, detentio Clerici, vel Canonici per iudicem sæcularem, & alia similia, quæ arbitrio iudicis grauia & sufficientia censeantur; quamquam ad Papam postea spectat cognoscere, an causa seu culpa sufficiat, Glossa *in cap.si Canonici, verb.inuenta. de offic.ordin.in 6.* Alterius *cap.6.col.2.* & alij.]

Addo non sufficere, vt culpa probabilibus tantùm rationibus, & coniecturis cognita sit: sed debet esse manifesta, & expressa in ipsis litteris, in quibus continetur sententia, *cap.irrefragabili. de officio ordinarij.* [Ratio autem, cur causa, seu culpa debeat esse manifesta, est, quia cessatio est valdè publica, & onerosa Ecclesiæ; ergo culpa, ob quam fertur, debet esse manifesta, vt proportio sit inter culpam & pœnam. Ita Alterius *cap.6.col.2.* vbi refert Gemin. *in cap.si canonici*, Ancharanum, & alios, quamquam aliqui putant sufficere, vt sit nota per examen, & probationem; alij putant opus esse, vt sit manifesta absque probatione, & non satis esse vt sit nota per probationem.] Præterea litteræ debent sigillo publico communiri, & tradi illi, contra quem fertur cessatio, monendo illum, num velit ante cessationem emendari. Ita DD. cit. [& colligitur ex *cap.si canonici, citato.*]

QVARTA PROPOSITIO.

6 Quinam sit finis cessationis.

6 FInis remotus cessationis est resipiscentia, & emendatio illius, cuius causa lata est cessatio. Ita Sotus *dist.22. quæst.2. art.2. conclus.2.* Filliucius *n.157.* Suarez *sect.3.* Reginald. *num.73.* [Alterius *c.8. ad finem.*] Finis verò proximus coincidit cum effectu, de quo dicemus *puncto sequenti.*

PVNCTVM III.

De effectibus cessationis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quinam sit primus effectus cessationis.

1 PRimus effectus est, vt tempore cessationis tam generalis, quàm particularis abstineatur à diuinis officiis publicè recitandis, vt ab horis Canonicis publicè persoluendis, à celebratione Missæ, &c. etiamsi seruetur moderatio *cap.alma mater.*

De particulari cessatione res clara est, quia sicut non licet diuina officia celebrare tempore interdicti particularis cum dicta moderatione: ita neque licet in cessatione particulari. Ita Nauarrus *num.189.* Suarez *disp.39. sect.2.* Henriquez *lib.13. cap.53.* Sayrus *lib.5. cap.19.* & alij communiter.

De generali cessatione ratio est, tum quia, si liceret tempore cessationis generalis celebrare diuina officia, possent Canonici eo tempore conuenire ad Ecclesiam, ibique celebrando percipere distributiones; sed hoc est falsum, vt colligitur ex *cap.si canonici*; ergo etiam falsum est licitum esse celebrare diuina officia tempore cessationis generalis: tum quia receptum est consuetudine, vt magis cessetur à diuinis tempore cessationis, quàm interdicti. Ita sensit grauissima congregatio plurimorum Doctorum Salmanticæ habita anno 1556. ex Suarez *sect.2. num.7.* Auila *6.part.disp.1.dub.3.* [Alterio *disp.2. cap.3. col.3. dub.3.*] & aliis, contra Nauarrum *loco citato*, & alios. Quare non licet tempore cessationis celebrare diuina officia in festiuitate Natiuitatis, Paschæ, Pentecostes, sicut licitum est ea celebrare tempore interdicti localis generalis; nam *in cap.alma mater*, sermo est de tempore interdicti; non verò de tempore cessationis, nec aliter vsu, aut consensu Doctorum receptum est. Ita Suarez *num.13.* Auila *dub.6.* Coninchus *disp.17. dub.7. n.85.* Filliucius *q.5. n.168. & 170.* Reginald. *lib.32. tract.3. num.75.* [Alterius *disp.2. cap.3.*] & alij apud Sayrum *c.19. num.6.* & Henriquez *loco citato*, contra nonnullos alios, apud præcitatos DD. [quorum opinionem valdè probabilem censet Alterius *loco cit. vers.hæc sententia.*]

2 An tempore cessationis liceat pulsare campanas.

2 Hinc sequitur, tempore cessationis non esse licitum pulsare campanas ad diuina officia; quia cùm diuina officia sint prohibita, censetur etiam prohibita campanarum pulsatio, sicut patet *de interdicto.*

Dixi, *ad diuina officia*, quia ad alios fines, vt ad concionem, ad orationem Angelicam, & alia quæ non sunt diuina officia, videtur licitum pulsare campanas; nisi aliter consuetudo postulet. Ita Suarez *num.17.* Filliucius *num.173.* Reginaldus *num.77.* [Henriquez *cap.53. num.3.* Alterius *disp.2.c.3. dub.4.*] & alij. Ratio est, quia hoc nullo iure vetitum est.

3 Quænam licitè fiant tempore cessationis.

3 Quæres primò, quænam licita sint tempore cessationis generalis, vel particularis.

Respondeo, licitum esse, primò semel in hebdomada celebrare cum vno ministro ad renouandam Eucharistiam ob necessitatem infirmorũ, ne species putrefiant. Ita communiter Doctores; cum enim morientibus non negetur pœnitentia, neque negãdum est viaticum, ex *cap.quod in te. de pœnitentiis, & remissionib.* [præsertim cum iure diuino teneamur tempore mortis communicare;] consequenter licitum est semel in hebdomada celebrare ad renouandam Eucharistiam cum vno ministro, seu Clerico, quia concesso fine çensentur etiam concessa media necessaria.

Secundò, licitum esse recitare priuatas orationes, etiam in Ecclesia, nec beneficiarium eximi à recitandis priuatim horis Canonicis, etiam nomine Ecclesiæ; alioquin commodum reportaret ex cessatione.

Addo cum Henriquez *lib.13.c.53.n.2.* Auila *dub.4.* Sayro *lib.5.cap.19.n.4.* [Alterio *disp.2.c.3. vers.quæret quis.*] Emanuele Sà *verb.interdictum, num.16.* & Suarez *disp.39. sect.2.n.14.* contra multos alios Doctores posse binos, vel ternos voce submissa, clausis ianuis, & sine cantu recitare horas Canonicas; nam huiusmodi recitatio non videtur esse publicum officium, sed priuatum, sicut fit extra Ecclesiam. Nec in hac parte dissentit Filliucius *num.167. & 171.*

4 An laici tempore cessationis possint audire diuina officia.

4 Quæres secundò, vtrum laici tempore cessationis possint audire diuina officia.

Respondeo negatiuè: tum quia sicut Clerici prohibentur celebrare; ita etiam prohibentur laici audire: tum quia cessatio non ponitur tantùm pro Clerico, sed etiam pro toto populo; imò si Clericus celebraret, etiam ex priuilegio, laici tenerentur abstinere ab audiendis diuinis officiis, secluso particulari priuilegio. Ita Suarez *loc.cit.* Filliucius *num.166.* [Alterius *c.3.*] & alij. Ratio est, quia facultas, & priuilegium non extẽditur ad eos, de quibus non fit mentio in priuilegio.

Obiicies. In definitione cessationis mentio fit tantummodò Clericorum, & ministrorum Ecclesiæ, non verò laicorum; ergo super Clericos tantùm cadit cessatio, non verò super laicos.

Respondeo in definitione poni tantùm Clericos, seu ministros Ecclesiæ; quia ad ipsos spectat celebrare. Implicitè tamen, & indirectè includuntur etiam laici; quia prohibito principali, id est, celebratione facienda per ministros Ecclesię, censetur etiam prohibitum minus principale, id est, auditio. Ita Suarez *sect.2. num.2.* Filliucius *num.166.* & alij.

[An autem habentes priuilegium audiendi diuina tempore cessationis, teneantur illa audire, patet ex dictis *de interdicto punct.4.n.19.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Quinam sit secũdus effectus cessationis.

5 SEcundus effectus cessationis est priuatio Sacramentorum; nam tempore cessationis Sacramentum ordinis, aut Extremæ vnctionis, non confertur laicis, aut Clericis, vt colligitur ex *c.non est vobis. de sponsalibus.* Sacramenta verò Baptismi, & pœnitentiæ, secundùm benignam DD. interpretationem, & praxim licitè administrantur cum solita solemnitate ob necessitatem istorum Sacramentorum, quamuis contrarium sentire videantur Reginaldus *num.81.* & Filliucius *num.177.* Licitè etiam administratur Sacramentum confirmationis, quod censetur complementum Baptismi; consequenter concesso Baptismo videtur etiam concedi confirmatio. [Ita communiter DD. teste Alterio *c.4.*] Sacramentum verò Eucharistiæ ægrotantibus solùm confertur per modum viatici, seruata pompa necessaria ad illius reuerentiam, [quia iure diuino communicandum est in articulo mortis.]

6 An tempore cessationis liceat celebrare pro communicando infirmo.

6 Ex quo patet licitum esse tempore cessationis celebrare pro communicando infirmo, quando non extat vlla alia hostia consecrata: nam communio in articulo mortis est de iure diuino, quod præponderat iuri humano positiuo prohibenti communionem: nec est credibile Ecclesiam velle exponere infirmum tanto periculo, prohibendo, ne Sacerdos tunc temporis Missæ sacrificium faciat pro communione infirmi; ergo tunc temporis videtur licitũ celebrare pro communicando infirmo, seruatis cæremoniis requisitis ad celebrationem. Aliis verò non necessariis omissis, vt omissis campanis, omissa conuocatione populi, clausis ianuis, &c. vt in simili dictum est de interdicto. Ita optimè Suarez *disp.39. sect.2.* Reginaldus *n.29.* [Alterius *cap.4.*] Filliucius *num.179.* Licitum tamen erit deferre Eucharistiam cum sono campanæ, omissis diuinis officiis, vt dictũ est de interdicto.

Dixi, *secundùm benignam DD. interpretationem*; quia stando in rigore iuris licitè solùm ministratur paruulis Sacramentum Baptismi, & Sacramentum pœnitentiæ morientibus, hæc enim Sacramenta, cùm sint ad salutem necessaria, [necessitate medij,] non sunt deneganda, reliqua verò denegantur, *cap.non est vobis. de sponsalibus.* Vide Sayrum *cap.19.* Suarez *disp.39. sect.2.* Henriquez *cap.53.n.4.* Coninchum *num.82.* Reginaldum *num.70. & seqq.* Filliucium *quæst.7.*

7 An tempore cessationis liceat contrahere matrimonium.

7 Sed grauior difficultas est, vtrum licitum sit tempore cessationis contrahere matrimonium.

Ad quam breuiter respondeo nõ esse licitum, eò quòd tẽpore cessationis prohibitum sit suscipere Sacramenta exceptis dictis, nisi aliter consuetudo postulet. Ita Suarez *sect.2.n.27.* contra Sayrum *c.19.n.12.* & Henriquez *c.53.n.4.* & alios, quos in simili retuli *de interdicto disp.5. punct.3.§.3. num.8.* quibus adde Coninchum *num.82.* [& Alterium *disp.2.c.4. ad finem.*]

TERTIA PROPOSITIO.

8 Quinam sit tertius effectus cessationis à diuinis.

8 TErtius effectus cessationis est priuare laicos sepultura sacra, saltem quò ad diuina officia, etiam quò ad eos, qui habent priuilegium sepulturæ pro tempore interdicti. Ratio est, tum quia ita vsu, & praxi receptum videtur: tum quia cessatio secundùm aliquos Doctores priuat iis omnibus, quibus priuat interdictum, sed interdictum priuat Ecclesiastica sepultura; ergo etiam cessatio priuat Ecclesiastica sepultura. Clerici verò ex benigna interpretatione non priuantur sepultura, modò sepeliantur sine diuinis officiis, iuxta opinionem multorum Doctorum apud Auilam *disp.1.dub.10.* quibus adde Suarez *num.31. & seqq.* [Alterium *disp.2.cap.5.col.2. & 4.* Filliucium *num.280. & seq.* quamuis in rigore non constet in iure hoc concessum esse Clericis; sicut esse concessum tempore interdicti, vt benè ait Suarez *disp.39. sect.2.n.29.* Coninchus *disp.17. dub.7. num.84.* Filliucius *num.481.*

Dixi, *saltem quoad diuina officia*, quia præcisis diuinis officiis, probabile est licitum esse tempore cessationis sepelire cadauera in loco sacro, quia nullibi sufficienter probatur id vetitum esse. Suarez *nu.31.* Filliucius *n.181.* Reginaldus *n.82.*

Oppo-

Oppositum tamen sustinent alij DD. communiter, teste Suarez *num.29.* quia cessatio priuare videtur omnibus quibus priuat interdictum.

Verùm ad hanc rationem dici posset ex iure id non colligi.

Ex dictis patet, tres esse cessationis effectus, videlicet priuationem diuinorum officiorum, Sacramentorum, & sepulturæ, qui effectus non possunt restringi ab Episcopis aut ab aliis imponentibus cessationem. Ratio est, quia isti effectus ex iure communi sequuntur cessationem; iuri autem communi non potest Episcopus, vel alius inferior Summo Pontifice derogare: & quamuis Episcopus possit tollere cessationem, quoad omnes effectus: non tamen potest suspendere quoad aliquem tantùm effectum, vel vnum effectum auferre aliis permanentibus, eò quòd cessatio habeat suos effectus cõnexos, sicut habet excommunicatio; vt colligitur ex *c. non est vobis. de sponsalibus*, vbi dicitur, nulla diuina officia permittatis aliquoties celebrare; sicut ergo Episcopus non potest ferre excommunicationẽ, quoad aliquem tantum effectum, ita neque videtur posse ferre cessationem. Ita Henriquez *cap.54.num.2.* Auila *disp.3.dub.4.* [Alterius *disp.2.c.5.ad finem*, sibi contrarius *loco* statim *citando.*] Sayrus *cap.18.nu.8.* contra Suarez *disp.39.sect.4.num.4. & sect.2. num.15.* Filliucium *num.172. & 187.* licet ex parte contrarium dicat *n.151. ad finem.* Reginald. *n.77. & 84.* [& alios asserentes iudicem à quo lata est suspensio, posse cessationem suspendere in totum, vel in partem, vel quoad certas personas, & contra Alterium *cap.3. ad finem*, asserentem Episcopum & alios inferiores iudices, posse cessationem ferre, quoad aliquem solum effectum, quia id non excedit ipsorum potestatem, quamuis id non sit in vsu, consequenter etiam possunt suspendere in totum, vel in partem, vt expressiùs docet *cap.9.col.2.quæsito 2.*]

9 An violãs cessationẽ grauiter peccet, & incurrat aliquam pœnam.

9 Quæres primò, vtrum violans cessationem grauiter peccet, & incurrat irregularitatem, vel excommunicationem.

Respondeo grauiter peccare, eò quòd faciat contra prohibitionem in re graui: non tamen incurrit irregularitatem, violando cessationem generalem, vel particularem: nam irregularitas, vel alia pœna non incurritur, nisi sit in iure expressa. Verum tamen est religiosum etiam exemptum incurrere excommunicationem, non seruando cessationem generalem, quæ seruatur ab Ecclesia cathedrali, vel à parochiali, *Clementina 1. de sententia excommunicationis.* Ita Henriquez *lib.13.cap.54.num.3.* Auila *disp.3. dub.2.* Sylvester *verb. cessatio quæsito 5.* Sayrus *cap.10.n.20.* Suarez *loco cit. sect.2.n.36.* Filliucius *n.184.* Reginaldus *n.83.* [Alterius *cap.8.* & alij.

10 (An religiosi teneantur publicare & seruare cessationẽ ab Episcopo impositam.)

10 Rogabis vtrum religiosi teneantur ex decreto Tridentini in suis Ecclesiis publicare, & seruare cessationem ab Episcopo impositam.

Respondet Alterius *de interdicto disp.2.c.8.col.4.* ex rigore iuris non teneri, quia Concilium Tridentinum *sess.25.cap.12.* loquitur solùm de censuris, & interdictis. Ego verò censeo ex rigore iuris teneri; quia Tridentinum generaliter loquitur, non solùm de censuris, verùm etiam de interdictis, quæ non sunt censuræ: cessatio autem licet non sit censura, est tamen genus interdicti à censura distincti.]

11 An cessatio seruanda sit, quando non seruatur ab eo, propter quem fuit imposita.

11 Quæres secundò, vtrum seruanda sit cessatio, quando non seruatur ab eo, propter quem fuit imposita.

Respondeo adhuc seruandam esse: quia non debent ceteri commodum reportare ex alterius delicto. Secus dicendum est, quando non seruatur ab eo, qui eam tulit, iuxta Sylvest. *verb. cessatio quæst.2.* Sayrum *lib.5.cap.18.n.18.* & alios.

Sed contrarium nobis dicendum videtur, vt patet ex dictis *de interdicto ad finem, quæsito 3.*

12 An ille, cuius causa lata fuit cessatio, teneatur ad restitutionem.

12 Quæres tertiò, vtrum ille cuius causa lata est cessatio, teneatur ad aliquam restitutionem.

Respondeo, illum, qui post monitionem dedit causam iustæ cessationis, teneri ad reficienda omnia damna Clericis, qui coacti fuerunt seruare cessationem, & distributiones amiserunt, vel alia damna passi sunt. Ratio est, quia suo delicto censetur causa efficax iniusta horum damnorum. Ita Sylvest. *verb. cessatio quæsito 3.* Henriquez *c.52. lib.13. n.3.* Coninchus *disp.17. dub.7. num.91.* Suarez *disp.34. sect.3. num.16.* Auila *disp.2. dub.3. concl.3.* Filliucius *num.182.* & alij apud Sayrum *lib.5.c.19. num.19.* [& apud Alterium *c.6. col.8. & 9.* vbi etiam ostendit illum qui iniustè cessationem tulit, teneri ad restitutionem damni, quod ob id alij passi sunt, nam causa iniusta damni iure naturæ tenetur ad restitutionem.]

Quæ de relaxatione cessationis dici possunt facilè deducuntur ex dictis de absolutione ab interdicto: cùm enim cessatio non sit à iure, sed feratur simpliciter, & non ad determinatum tempus, [cùm simpliciter prohibeatur vsus diuinorum,] debet solùm auferri ab eo, qui eam tulit, vel ab eius superiore, vel successore, vel ab habente facultatem delegatam; vt in simili patet ex dictis *de censuris.* Ita Suarez *loco cit. n.2.* Henriquez *lib.13.c.52.* Sayrus *c.18.n.7.* Filliucius *n.186.* [Alterius *disp.2.cap.9.dub.1.*] Reginaldus *n.84.* & alij communiter.

An verò cessatio suspendi possit per appellationem, patet à simili ex supradictis de censuris in genere. Vide [Alterium *cap.8. ad finem.*] Filliucium, & Reginaldum, aliosque præcitatos DD.

Hìc disputare possem de pollutione Ecclesiæ, quæ est veluti quoddam loci interdictum.

Verùm de hac sufficienter actum est *in tract. de matrimonio ad fin.*

DISPVTATIO VII.

De Irregularitate.

PERVTILEM, valdeque necessariam irregularitatis disputationem quinque quæstionibus aggredimur explicare.

In I. sermo erit de iis, quæ pertinent ad irregularitatem in genere.

In II. de irregularitatibus prouenientibus ex defectu.

In III. de prouenientibus ex delicto.

In IV. de irregularitate homicidij ex defectu lenitatis, & ob delictum.

In V. de cessatione, & dispensatione irregularitatis.

QVÆSTIO PRIMA.

De iis, quæ pertinent ad irregularitatem in genere.

QVatuor principaliter in hac quæstione differemus.

Primò quid, & quotuplex sit irregularitas.

Secundò, quid requiratur ad incurrendam irregularitatem.

Tertiò, quinam sint effectus irregularitatis.

Quartò, vtrum aliquis in dubio iudicandus sit irregularis.

1 Vndenam irregularitas dicatur

1 Sed priùs præmittendum est primò, irregularitatem, teste Vgolino *tractatu de irregularitate, cap.1.§.1.nu.2. fol.3.* [Suarez *disp.40. sect.1. num.1.*] & aliis communiter, desumi ab *in*, & *regula*, eò quòd irregularis careat regula, & non sit intra regulam ab Ecclesia præscriptam; vnde irregulare vulgo nuncupatur, quod non est iuxta regulæ præscriptum.

2 Quid requiratur ad incurrendam irregularitatem.

2 Præmittendum est secundò, ad incurrendam irregularitatem requiri, vt subiectum sit capax irregularitatis, & ordinis: cùm enim irregularitas impediat receptionem ordinum, sequitur subiectum irregularitatis debere esse capax ordinum; nullus enim impeditur, nisi ad id, ad quod habet potentiam.

3 An fœmina possit dici irregularis.

3 Ex quo infertur primò, feminam non posse dici irregularem cùm ipsa non sit capax ordinum; ordines enim, si fœminæ conferantur, inualidè conferuntur, vt patet ex dictis de Sacramento ordinis, [vbi docui feminam iure diuino inhabilem esse ad ordines suscipiendos.]

4 An infidelis appelletur irregularis.

4 Secundò, infidelem, qui nondum recepit Baptismum, non appellari irregularem; infidelis enim est incapax ordinum, cùm non habeat Baptismum, qui est ianua Sacramentorum. Ita Nauarrus *cap.27. num.305.* Sayrus *lib.6.cap.2.num.8.* Auila *7.part. disp.2.dub.6.* Henriquez *lib.14.cap.2.* Coninchus *disp.18.dub.1.n.2.* Suarez *disp.40. sect.1.n.3. & sect.7.n.3.* Filliucius *tract.19.n.2.52. & 90.* & alij communiter.

[Ex quo licet inferre Episcopum non affici censura ordinando infidelem, aut feminam, aut alium simpliciter incapacem ordinis, si censura lata esset contra ordinantem irregularem. Ratio est, tum quia reipsa non ordinat irregularem, sed alia ratione incapacem; tum quia illa non est vera ordinatio, sed apparens. Ita Suarez *disp.40. sect.7. num.8.* & alij.]

PVNCTVM I.

Quid, & quotuplex sit irregularitas.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sit irregularitas.

1 IRregularitas est canonicum impedimentum ex facto, vel defectu proueniens, quod directè impedit susceptionem ordinum Ecclesiasticorum, aut eorum vsum, ob reuerentiam diuinorum. Ita Suarez *tom.5. disp.40. sect.1.* Molina *tom.4. de iust. tract.3. disp.63.n.1.* Vgolinus *loco cit. cap.1.n.1.* Auila *loco cit. disp.1. dub.1.* Henriquez *lib.14. cap.1.n.2. folio 841.* Valentia *tom.4. disp.7. quæst.9. punct.1.* Coninchus *loco cit.* Sayrus *lib.6. cap.1.n.16.* Filliucius *tract.19. quæsito 1. nu.2.* Reginaldus *lib.30. tract.2.n.2.* & alij communiter.

Dicitur, *impedimentum canonicum*, loco generis, & vt ostendatur irregularitatem inductam esse iure Canonico, non verò iure diuino, propterea irregularitas non incurritur, nisi in casibus in iure expressis, *cap. is, cui. de sent. excom. in 6.* Ius tamen Canonicum est conforme iuri naturali; quatenus ratio dictat non admittendos esse ad ordines, qui debita corporis integritate carent, aut alio laborant defectu, aliquam cum ordinibus repugnantiam habente. Vide Suarez *sect.4.n.2. & seqq.* vide dicenda *punct.2.n.1.*

Dicitur, *ex facto, vel ex defectu*, vt ostendatur causa materialis irregularitatis, quæ est factum aliquod, siue hoc factum coniunctum sit cum peccato, siue cum aliquo defectu animi, aut corporis, tam ipsius irregularis, quàm parentum, vt infrà constabit.

Tertiò dicitur, quod directè impedit, loco differentiæ, vt appareat in quónam irregularitas distinguatur à censuris: irregularitas enim alia ratione impedit susceptionem, & exercitium ordinum, quam impediant censuræ; nam excommunicatio maior impedit, quatenus susceptio, & exercitium ordinum est quædam communicatio. Excommunicatio minor non impedit vsum ordinum, sed passiuam illorum receptionem. Suspensio priuat directè vsu ordinum; irregularitas verò directè impedit susceptionem ordinum, illorumque vsum, & exercitium. Interdictum denique non semper impedit vsum ordinum sicut irregularitas: [vt patet ex dictis *de interdicto.*]

2 Quomodo differat à censuris.

2 Hinc patet, irregularitatem differre, & distingui à censuris: tum quia censuræ alia ratione priuant vsu, & susceptione ordinum, quàm priuet irregularitas, vt ostensum est; tum quia irregularitas non est censura: tum quia censuræ semper contrahuntur ex aliquo delicto: irregularitas verò non semper, vt patebit ex dicendis. tum quia finis censuræ est resipiscentia, & emendatio delinquentis; finis verò irregularitatis est reuerentia diuinorum: tum quia censuræ non semper sunt à iure; irregularitas verò semper est à iure imposita per Summum Pontificem, *cap. is, qui. cit.* Ita DD. cit.

Dicitur, *susceptionem ordinum*, aut eorum vsum, vt aduertatur non omnem irregularitatem, quæ impedit susceptionem ordinis, impedire vsum illius iam susceptj: nam aliqua irregularitas impedit susceptionem ordinis, non verò vsum, iuxta illud *cap. fin. 15. quæst.1.* Non omnia, quæ ordinandum impediunt, ordinatum deiiciunt. Quamobrem aliquis impeditur aliquando, ne ordinem sacerdotalem suscipiat, quamuis non impediatur fungi ordine, & ministerio subdiaconatus iam susceptj, vt accidit in eo, cui susceptо diaconatu absque sua culpa amputatur pollex digitus: hunc enim constat posse Diaconatus

ordinem

ordinem exercere, tanendo Euangelium, quamuis ad sacerdotalem ordinem promoueri nequeat. Ita Nauarr. *c.27.n.141.* Coninchus *disp. 18.dub.1.num.8.* Filliucius *n.12.* & alij communiter.

Dicitur, *ob reuerentiam diuinorum*, vt constet causa finalis irregularitatis, quæ inducta est ob reuerentiam diuinorum.

3 An differat à degradatione.

3 Quæres primò, vtrùm irregularitas distinguatur à degradatione, & depositione.

Respondeo per hoc distingui, quòd per degradationem, & depositionem Clericus eiicitur à statu Ecclesiastico; per irregularitatem verò non admittitur ad statum Ecclesiasticum: turpius autem est eiici, quàm non admitti, iuxta illud, *turpius eiicitur, quàm non admittitur hospes.*

4 An impediat susceptionem primæ tonsuræ.

4 Quæres secundò, vtrùm irregularitas impediat susceptionem primæ tonsuræ.

Respondeo duplicem esse sententiam.

Prima est eruditissimi, & præstantissimi Patris Aloysij Bariolæ, qui supponens iuxta veriorem, & communiorem Theologorum sententiam, primam tonsuram nõ esse propriè ordinem, sed medium quoddam inter ordines, (vt ait Nauarr. *consilio 12. de temp. ord.*) asserit, irregularitatem non impedire susceptionem primæ tonsuræ. Ratio est, quia in odiosis non est facienda extensio de vno casu ad alium, *cap. pœnæ. de pœnit. dist.1.* Et quamuis Canonistæ asserant irregularem esse incapacem ordinum: nihilominus tonsuratus dici non potest ordinatus, quia hic habet officium peculiare directum ad Eucharistiæ celebrationem: tonsuratus verò nullum habet officium circa seruitium, & ministerium Altaris. Nauarrus *consil. 25. de tempor. ordin.* vnde tonsuratus dicitur potius deputatus ad ordines, quam ordinatus.

Obiicies primò cum Suarez *loco* statim *citando.* Ex priuilegio, & Ecclesiæ instituto prima tonsura res est valdè grauis, quatenus est prima dispositio ad ordines, quæ constituit hominem in statu Clericali, & reddit capacem Ecclesiasticæ iurisdictionis, & beneficiorum, quæ sanè magni sunt momenti: irregularitas autem segregat hominem à statu clericali, illumque reddit incapacem beneficij, &c.

Respondetur, primam tonsuram rem quidem grauem esse, & irregularem esse incapacem beneficij Ecclesiastici, non tamen hinc sequitur, irregularem esse inhabilem ad recipiendam primam tonsuram, aut esse incapacem iurisdictionis Ecclesiasticæ: quia etiam laicus potest ex speciali concessione Sanctissimi excommunicare, *cap. præter hoc, dist.32.* iuncta glossa Archidiac. *in cap. benè quidem, dist.81.* & DD. *in cap. contingit. de arbitr.* & Glossa *in cap. nullus, dist.29.* Adde, quòd ordines habens, & iurisdictionem, si fiat irregularis, impeditur ab actu ordinis, non iurisdictionis. Ita omnes, nouissimè autem Emanuel Sà *aphor. Confes. verb. irregularitas n.4.*

Obiicies secundò. Dubium est, an irregularis possit initiari prima tonsura absque Papæ dispensatione: sed in dubio tutior pars est eligenda, præsertim fauore animæ; ergo.

Respondetur primò, regulam esse veram in dubio facti: non autem in dubio iuris, in quo necesse est, vt ius Canonicũ id exprimat: quod per Canonistas non fuit hucusque vel repertum, vel allegatum, Emanuel Sà *aphor. Confess. verb. irregularitas n.3.*

Respondetur secundò, quòd in dubio relicta opinione tutiore, & communiore possumus in foro conscientiæ sequi opinionem minus communem, sed tutam; vbi tamen habeat Doctores classicos bonis rationibus innitentes. Ita Nauarrus *in fine Manual. Confess.* vbi de opinionibus deligendis. Azorius *1.part.instit.moral.in principio. de opinionibus eligendis,* & alij, quos magno numero retuli *in tract. de peccatis.*

Respondetur tertiò, quòd super hoc puncto standum potius doctrinis, & decisionibus, non Canonistarum, sed Theologorum, vnanimiter asserentium primam tonsuram verè, & propriè non esse ordinem, ita vt incapax ipsorum ordinum, non possit dici incapax primæ tonsuræ.

Accedit, quòd irregularitas ex omnium sententia, & præcipuè Nauarri *cons.3. de homicidio,* est impedimentum ad accipiendum ordines, & ad vtendum vsu acceptorum, quatenus sunt ordines. Adde, quòd irregularitas non contrahitur, nisi in casibus à iure expressis, *cap. is, qui. de sent. excommun. in 6.* cùm ergo nullum habeamus textum expresse id asserentem de initiando prima tonsura, & id agatur de dubio, non facti, sed iuris, dicendum est irregularitatem non impedire susceptionem primæ tonsuræ. Ita Sayrus *de censuris li.5.c.5.n.15.& 16.*

Secunda sententia, quæ mihi verior videtur, est Nauarri, *tom.1. consilio 24. de temp. ordin. n.1.& 3.& cons.34.& 35. de homicidio.* Garziæ *de benefic.7.p.cap.12.n.30.* Filliucij *tract.19.cap.3.num.59.* & 60. Auilæ *parte 7.disp.2. dubio 6. fol.320.* Suarez *de censuris disp.40.sect.1.n.11.& sect.2.n.2.* Sayri *lib.6.cap.1.n.19.* Reginaldi *tom.2. lib.30.tract.1.n.5.& tract.2.n.12.& 14.* & aliorum asserentium, irregularitatem impedire susceptionem primæ tonsuræ. Idem tenuit Rota in vna Romana pensionis 3. Iunij 1583. coram Seraphino, quam de verbo ad verbum retuli de beneficiis in §. de irregularitate. Ratio est, quia quamuis tonsura, si eius nomen strictè accipiatur, non sit ordo, sed dispositio ad ordines; nihilominus in iure Canonico intelligitur nomine ordinis, argumento *cap. cùm contingat. de ætate, & qualitate.* Propterea quando in definitione irregularitatis dicitur, irregularitas est canonicum impedimentum impediens susceptionem ordinum, nomine ordinum intelligitur etiam prima tonsura, prout ordo communiter accipitur in iure Canonico, à quo imposita est irregularitas. Idem senserunt peritissimi Patres Consultores Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente, & ita consulente, & idem innuere videtur Coninchus *de Sacramentis disp.18.dub.3.n.26.*

Ex nostro fundamento facilis est responsio ad rationem fundamentalem Patris Bariolæ; non enim fit extensio de vno casu ad alium, cùm nomine ordinis non intelligamus solum ordinem, qui est Sacramentum; sed etiam illum, per quem aliquis constituitur in ordine clericali, constituitur autem in ordine clericali etiam per primam tonsuram.

5 Hinc colligi potest noua differentia inter suspensionem, & irregularitatem, quòd suspensio supponit primam tonsuram, cùm ferat̃ solùm in Clericos, illisque vsum ordinum prohibeat; irregularitas verò non supponit primam tonsuram: sed reddit hominem ineptum ad illam suscipiendam. Reginald. *n.13.* [Suarez *disp.4.sect.1.n.11.*]

5 Quomodo differat à suspensione.

SECVNDA PROPOSITIO.

6 IRregularitas est duplex. Vna dicitur ex defectu, vel indecentia, quæ prouenit absque culpa: altera dicitur ex facto, seu delicto, vt ex homicidio, &c. Hæc propositio patebit ex dicendis.

6 Quotuplex sit irregularitas.

7 Quæres, quænam sint irregularitates, quæ ex defectu, & ex delicto proueniunt.

7 Quænam sit irregularitas ex defectu, & ex delicto.

Respondeo primò, irregularitatis ex defectu multas esse species.

Prima dicitur ex defectu animi.

Secunda ex defectu corporis.

Tertia ex defectu natalium.

Quarta ex defectu ætatis, & libertatis.

Quinta ex defectu Sacramenti, id est, bigamia.

Sexta ex defectu lenitatis, id est, ex homicidio licitè patrato.

Respondeo secundò, irregularitatis ex delicto multas etiam esse species.

Prima dicitur ex iteratione Baptismi.

Secunda ex indebita susceptione, vel vsu ordinis.

Tertia ex actu infidelitatis, aut hæresis.

Quarta ex infamia.

Quinta ex homicidio illicitè patrato: [de quibus singulis infrà differemus.]

PVNCTVM II.

De causis irregularitatis.

PAucis explicabo causam efficientem, materialem, formalem, & finalem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CAusa efficiens sunt sacri canones, seu potiùs Summus Pontifex qui irregularitatem induxit, eamque per sacros canones expressit. Hæc propositio constat ex *c.is qui. de sent. excommun.* Ratio est, quia potestas ferendi irregularitatem ad eum pertinet qui potest ius commune Canonicum condere, vt euidenter colligitur ex *cap.is qui, cit.* vbi asseritur nullam irregularitatem adesse nisi sit in iure expressa: nomine autem *iuris* ibi intelligitur ius Canonicum ex Hostiensi, & aliis communiter, teste Suarez *disp.40.sect.3.n.11. sub finem,* vbi de hac quæstione optimè suo more disserit: sed potestas ferendi ius Canonicum pertinet ad Summum Pontificem: ergo, &c. nomine autem *iuris* non solum veniunt corpus iuris, verùm etiam Bullæ Pontificiæ, & Concilia generalia à Summo Pontifice approbata, vt benè Suarez *num.14.*

1 Quæ sit causa efficiens irregularitatis.

2 Hinc sequitur primò Episcopum, alios̃que Summo Pontifice inferiores non posse irregularitates ferre, quia ad ipsos non pertinet ius commune ferre, & irregularitas nulla est nisi sit in iure expressa. [Ita Suarez *disp.40.sect.4.n.11.*] Negandum tamen non est quin Summus Pontifex possit irregularitatem per sententiam, seu ab homine ferre; quia ipse iure communi derogare potest.

2 An Episcopus, aut alij Summo Pontifice inferiores possint irregularitates ferre.

Papa potest irregularitatẽ per sententiam, seu ab homine ferre.

3 Secundò non esse admittendam aliquam irregularitatem ob solam DD. auctoritatem testantium de consuetudine. Ratio est, quia nulla est irregularitas, quæ non sit iure scripto expressa, ex *c.is qui, cit.* Ita Suarez *num.13.*

3 An admittenda sit vlla irregularitas ob solam auctoritatẽ Doctorum de consuetudine testantium.

4 Tertiò irregularitatem non incurri ob æqualem, similem, vel maiorem causam ob quam inducta est in alio simili, æquali, vel maiori casu, nulla enim est irregularitas nisi sit in iure expressa, Suarez *n.15.* Filliucius *n.35.* & alij communiter.

4 An irregularitas incurratur ob æquale, simile, maiusve delictum.

5 Si quæras vtrum ius inducens irregularitatem ita debeat esse expressum, vt carere debeat omni dubio.

Respondetur id colligi ex dicendis hac quæstione *punct.5.*

Rursus si quæras vtrum irregularitas secum suos trahat effectus absque iudicis sententia, & executione.

Respondetur affirmatiuè cum communi DD. sententia, vt probatum est de lege pœnali, idemque expressè docet Suarez *disp.40.sect.4.n.9.* Nauarrus *c.27.nu.94.* Couarruuias, Villadiego, Castro, & alij apud Suarez *loco citato,* & apud Filliucium *nu.37.* [irregularitas enim est similis censuræ, & ipso facto inhabilem reddit ad susceptionem & executionem ordinum.]

5 An ius inducens irregularitatem, ita expressum esse debeat, vt omni prorsus dubio careat: an secum suos trahat effectus absque iudicis sententia.

SECVNDA PROPOSITIO.

6 CAusa materialis, seu potiùs subiectiua in quam cadit irregularitas, est omnis homo capax ordinis subditus iuri communi. Ratio est, quia irregularitas est quædam priuatio, seu impedimentum ad recipiendos ordines, impedimentum autem, seu priuatio supponit capacitatem, [quæ reperitur solùm in homine subdito iuri communi.]

6 Causa materialis, seu subiectiua irregularitatis quæ sit.

7 Ex quo sequitur primò infideles, aut etiam feminas non dici, propriè loquendo irregulares, quia non habent capacitatem ad ordines, quorum susceptione, & vsu priuat irregularitas, vt dictum est *punct. 1.num.2.*

7 Nec infideles, nec feminæ dicũtur proprie irregulares.

8 Secundò tam laicos, quàm Clericos esse subiectum capax irregularitatis, Sylvest. *verb. Homicidium 3. quæsito 1. ad finem,* quem sequitur Reginald. *lib.30.n.13.* [Suarez *disp.40.sect.7.*] & alij cõmuniter.

8 Tam laicus, quàm Clericus; tam Episcopus, quã Cardinalis irregularitate ligari potest.

Tertiò Episcopos, vel etiam Cardinales ligari irregularitatibus in iure expressis, subiiciuntur enim iuri communi, vt ostendi de legibus, & supra *de censuris,* etiamsi ipsorum expressa mentio non fiat, nec obstat *cap. periculosum, de sent. excommun.* quia ibi sermo solùm est de censura suspensionis, & interdicti, qua Episcopi non ligantur nisi exprimantur. [Ita Suarez *loco citato, n.6.* & alij.]

Dixi in propositione, *subditus iuri communi,* vt exciperem Summum Pontificem, is enim non tenetur suis legibus quoad vim coactiuam,

uam, vt suo loco probatum est; [consequenter non afficitur irregularitate. Ita Suarez *disp.40.sect.7.n.7.* & alij communiter.]

9 An irregulari in Papam electo censura exprobrari possit.

9 Addo illi, qui in Summum Pontificem eligitur, dum vinculo irregularitatis detinetur, non posse censuram, vel irregularitatem obiici, sed statim immunem, & liberum ab omni canonico impedimento iudicandum esse, tum quia statim desinit esse subditus iuri Canonico quoad vim coactiuam: tum quia sic habetur *in cap. licet, & cap. quia periculum, de elect.* Vide Suarez *disp.40.sect.7.* Filliucium *tract.19.quæsito 8.* & alios DD. quos retuli *q.1. de legibus punct.6.* [& de electione Pontificis.]

TERTIA PROPOSITIO.

10 Causa formalis irregularitatis quæ sit.

10 CAusa formalis irregularitatis sunt verba irregularitatem exprimentia. Nonnullæ autem regulæ ad cognoscendum an verba sufficienter exprimant irregularitatem, traduntur à DD.

11 Quomodo dignosci possit an irregularitas sit in iure expressa.

11 Prima & præcipua hæc est, quoties homo impeditur ne ad Clericatum promoueatur, vel ne ad ordines admittatur etiam peracta pœnitentia, inducitur irregularitas: nam irregularitas nihil aliud est, quàm canonicum impedimentum impediens ordinum susceptionem, vt si dicatur, *numquam ordinetur*, vel *ad Clericatum non promoueatur*, vel *non aspiret ad ordines*, vel *ne fiat Clericus*, aut *non potest esse Clericus*, vt habetur *can.18. Apostolorum*, *cap. de Cler. adminis. cap. curandum 34. disp.* & alibi. Idem regulariter loquendo iudicandum est de hac loquendi forma, *ad sacros ordines aspirare non audeant*, vel *non potest esse ex numero sacerdotali*, vel *non possunt secundum canones sacerdotij iura concedi*; quamuis enim exclusio à sacerdotio directè non inducat irregularitatem totalem, nihilominus per se loquendo inducit: cùm enim reliqui ordines ordinentur ad sacerdotium, dicendum videtur excluſum simpliciter, & perpetuò à sacerdotio, censeri etiam excluſum à reliquis, nisi fortè talis sit irregularitas, quæ alios ordines supponat, & tunc censetur solùm irregularitas partialis. Ita Suarez *disp.40.sect.8.num.15.* cuius opinionem probabilem arbitror, quamquam etiam oppositam magna probabilitate non carere inferiùs ostendam in aliquibus casibus à Nauarro & aliis DD. admissis. [Vide dicenda *punct.4.n.2. & quæst.2.punct.2.n.28.*]

12 Differentia inter irregularitatem & suspensionē.

12 Hinc patet primò differentia inter irregularitatem, & suspensionem, quòd irregularitas directè priuat susceptione Clericatus, & ordinum, suspensio verò priuat vsu, & exercitio ipsorum ordinum, vt benè Suarez *loco cit.* Filliucius *n.58.* & alij cōmuniter, à quibus etiam aliæ regulæ percensentur ad cognoscendum quandónam irregularitas inducatur: sed illæ non sunt firmæ, & claræ, & aliquando accommodari possunt etiam censuris, & depositioni.

Secundò patet illum censeri irregularem, qui commisit aliquod delictum, cui adiuncta est depositio ipso iure: nam huiusmodi pœna includit etiam principaliter inhabilitatem ad ordines, vt benè Suarez *disp.40.sect.8.n.5. & 9.* cum Maiolo *lib.3.cap.3.n.9.*

Tertiò patet non esse determinata verba quibus irregularitas imponatur cùm variis verbis significari possit, & ex circumstantiis aliquando colligi debeat, vt est illa *in c.miror.50.dist.* ibi, *sacerdotio priuatus*; quamuis enim hæc verba ex se potius depositionem quàm irregularitatem arguant, nihilominus ex circumstantiis, & ex subiecta materia determinantur ad irregularitatem ex homicidio, de quo ibi agitur, consurgentem.

PVNCTVM III.

Quid requiratur ad incurrendam irregularitatem.

DVo principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, vtrum ad incurrendam irregularitatem requiratur peccatum mortale.

Secundò, vtrum requiratur actus externus consummatus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An ad incurrendam irregularitatē requiratur peccatū mortale.

1 AD irregularitatem ex delicto incurrendam requiritur culpa mortalis. Ita Nauarrus *c.27.n.249.* Sotus *5. de iustitia q.1.art.1.* Auila *loco citato, dub.3.* Salonius *2.2.q.64.art.8. controuersia 4. ad finem, pag.421.* Sanchez *lib.9.disp.32.* Suarez *disp.40.sect.3.n.19.* Henriquez *lib.14.c.3.* Coninchus *disp.18.dub.4.n.27.* Filliucius *quæsito 8.num.24.* Reginaldus *lib.30.n.201* contra Caietanum *verb. Irregularitas*, Molinam *tom.4.tract.3.disp.77.* & alios. Ratio est, quia pœna debet proportionari delicto, *cap. felicis. de pœnis in 6.* Cùm ergo irregularitas, quæ ob delictum incurritur, sit pœna grauissima, non debet incurri ob leue, & veniale peccatum, sed propter grauem culpam, alioquin non esset proportionata delicto.

2 An Papa possit eam ferre pro peccato veniali.

2 Vtrùm verò Summus Pontifex possit irregularitatem iniungere propter peccatum veniale in pœnam ipsius venialis peccati, colligi potest à simili ex dictis de censuris, quamuis plures Doctores valdè probabiliter absolutè sentiant irregularitatem pro veniali culpa iniungi [non] posse. Ita Coninch. *dub.2.n.14.* Suarez *disp.40.sect.3.n.17.* Filliucius *n.24.* Molina, Caietanus, Auila, & alij *locis citatis.*

3 An possit eam ferre pro delicto præterito.

3 Addo, cum Auila *dub.4.* & aliis, Summum Pontificem posse de potestate absoluta imponere irregularitatem pro delicto merè præterito, nam ad incurrendam irregularitatem non requiritur contumacia, sicut requiritur ad incurrendam excommunicationem, sed sufficit delictum proportionatum irregularitati, quamuis præteritum sit, & transactum.

In propositione dixi, *ad incurrendam irregularitatem ex delicto*, nam ad incurrendam irregularitatem ex defectu non videtur necessaria vlla culpa, vt patet ex multis irregularitatibus, quæ ex solo defectu contrahuntur.

4 An ignorantia excuset ab irregularitate incurrenda.

4 Ex dictis sequitur primò, irregularitatem ex delicto non incurri, interueniente ignorantia probabili, sicut enim huiusmodi ignorantia excusat à culpa, ita etiam à pœna. Ita Vgolinus *cap.14.§.10.n.9.* Auila *parte 7.disp.2.dub.7.* Suarez *loco cit. n.18.* Filliucius *n.21.* Reginaldus *num.15.* Coninch. *disp.18. dub.4.num.29.* Sanchez & Nauarr. *locis suprà citatis de ignorantia excusante à censuris.* Vbi docui, hoc probabiliter defendi posse, non solùm de ignorantia iuris, vel facti, verùm etiam pœnæ, & idem præter Doctores ibi citatos probabilius sustinet Coninch. *loco cit.n.31.* cōtra Suarez *sect.5 n.8.* Reginaldum *n.15.* & Filliucium *n.44.* [Secundò amentem, aut dormientem, non affici irregularitate occidendo aliquem, quia illa actio non est humana; consequenter non sufficit ad inducendam irregularitatem ex delicto vel defectu. Ita Suarez *num.14.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

5 An ad incurrendam irregularitatem requiratur actus externus consummatus.

5 AD incurrendam irregularitatem requiritur actus externus consummatus. Ita Suarez *disp.40.sect.3.n.13.* Vgolinus *c.14.§.1.* Henriquez *lib.14.cap.3.nu.2.* Valentia *tom.4.disp.3. quæst.19. punct.2.* Auila *loco cit.dub.1.* Sayrus *lib.6.cap.2.nu.17. & 30.* Coninch. *disp.18. dub.2.num.11.* Filliucius *tract.19.cap.1.quæsito 5. & 6.* Reginald. *lib.30. tract.2.n.8.* & alij. Ratio est, quia pœnæ non sunt extendendæ: extenderentur autem, si irregularitas incurreretur ante consummationem actus externi, cùm lex requirat factum, vt patet ex *15.q.1.c.vlt.*

6 An sufficiat desiderium, aut conatus.

6 Ex quo patet primò, ad incurrendam irregularitatem, quæ prouenit, e.g. ex homicidio, vel mutilatione, non sufficere desiderium seu attentationē, ac conatum proximum mortis, vel mutilationis, sed requiri mutilationem, vel mortem naturalem, consequenter illum, qui lethaliter vulnerauit, non affici nota irregularitatis, lata contra homicidas, si vulneratus, ac percussus miraculosè conualuit. [Ita Suarez *disp.44.sect.2.n.2.*]

Non nego tamen quin Ecclesia possit ob attentationem delicti irregularitatem inducere nondum secuto effectu, vt per se patet. Ità Suarez [*disp.40.sect.3.*] *n.12.* Filliucius *n.17.* & alij, constatque ex supradictis *de censuris.*

7 An actus internus sufficiat.

7 Secundò patet, actum internum non sufficere ad incurrendam irregularitatem, actus enim internus non subiacet potestati Ecclesiæ, vt patet ex supradictis de censuris. Ita Valentia *loco cit.* Sayrus *loco cit. n.17.* [Suarez *n.6.*] Coninchus *n.11.* & alij communiter.

Obiicies. In quibusdam Bullis concedi solet facultas absoluendi ab irregularitatibus mentalibus; ergo signum est irregularitatem incurri posse ob actum internum.

Respondeo cum Henriquez *lib.13.c.14.n.4. in Commentario lit. Q.* Couarruuia *Clement. si furiosus, parte 2.§.3.n.4.* Sayro *loco cit. num.20.* [Suarez *n.9.*] Coninchо *loco cit.disp.40.sect.3.n.9.* & aliis, per irregularitates mentales intelligi irregularitates occultas, quæ per actum externum occultè contrahuntur, ita vt probari nequeant in iudicio; certum autem est irregularitatem contrahi posse ob huiusmodi delictum, quod appellatur occultum per accidens, sicut in simili dictum est de excommunicatione, quæ contrahitur ob delictum hæresis occultæ.

8 An exēmunicatus occultè celebrās fiat irregularis.

8 Tertiò patet, excommunicatum occultè celebrantem incurrere irregularitatem, nam exercet actum externum consummatum prohibitum sub irregularitate, quamuis illa celebratio ita sit occulta, vt in iudicio probari non possit. Ita Nauarrus *cap.27.n.194.* Coninchus *dub.2.n.15.* Suarez *disp.40.sect.3.n.21.* Filliucius *n.19.* & alij Doctores contra Alphonsum a Castro *lib.1. de leg. pœnali, cap. vlt. concl.3.*

PVNCTVM IV.

De effectibus irregularitatis.

TRia principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, vtrùm irregularitas impediat susceptionem Ordinum, & tonsuræ.

Secundò, vtrùm impediat, & irritet collationem beneficij.

Tertiò, vtrùm faciat inualidam collationem iurisdictionis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An irregularitas impediat susceptionem ordinum, & tonsuræ.

1 IRregularitas impedit susceptionem ordinum, & primæ tonsuræ, sicut etiam impedit ordinum vsum, & officium. Ita communiter Doctores ex *c.curandum, dist.34. & c.si qua uxorem, dist.34. & c.vlt. de tempor.ordinand.* Verum tamen est ordines collatos irregulari subsistere, ac validos esse, tum quia aliud est impedire, seu inhabilem reddere, & aliud facere incapacem, iuxta illud, *multa fieri prohibentur, qua tamen facta tenent.* [tum quia Ecclesia non potest irritum facere Sacramentum, dum adhibentur ea quę à Christo instituta sunt. Secus dic de prima tonsura, hæc enim irritari potest ab Ecclesia, quia pendet ab institutione Ecclesiæ, non tamen eam irritat; cōsequenter sicut ordo susceptus ab irregulari tenet, ita etiam prima tonsura. Vide Suarez *disp.4.sect.2.n.1.* & alios Doctores statim citandos.]

2 An impediat exercitium omnium ordinum.

2 Quæres primò, vtrùm irregularitas impediat exercitium omnium ordinum, an solùm aliquorum.

Respondeo impedire exercitium omnium ordinum susceptorum, quando irregularitas est totalis, vt inquiunt communiter Doctores cum Innocentio, *cap. si celebrat. de clerico excommunicato ministrante.* Sicut enim ex sua natura impedit susceptionem, ita etiam functiones omnium.

Dixi, *quando irregularitas est totalis*, nam quando est tantummodo partialis, prohibet solum illum actum, cui ponit impedimentum, vt accidit in irregularitate ex defectu corporis contracta post susceptionem ordinum, cum qua irregularis potest exercere functiones ordinum, ad quos non est inhabilis, vnde si alicui, post susceptū sacerdotalem ordinem, amputetur digitus, nō propterea remanet irregularis, & inhabilis respectu omnium functionum sacerdotalis ordinis, vt respectu absolutionis, sed tantummodò respectu aliquarū, vt respectu celebrationis, vt patet ex *c.7. de corpore vitiatis*, & ex *c.2. de Cler. ægrot. lib.3. Decretalium, tit.6.* Ita Nauarr. *cap.27.n.200. dict.7.* Auila *part.7. disp.2. dub.6. conclus.7.* Coninch. *disp.18. dub.1.n.8. & dub.13.num.106.* [Suarez *disp.40.sect.2.n.4. & sect.3.n.23. & 25.*] & alij communiter.

3 An sacerdos. cui fuit amputatus digitus, possit ad Canonicatum promoueri.

3 Ex quo sequitur, clericum, cui post sacerdotalem ordinem fuit amputatus digitus, posse promoueri ad beneficium habens adnexum onus exercendi ea, quæ præstari possunt per huiusmodi amputatum, nisi aliter ferat stylus Curiæ: propterea potest illi conferri canonicatus,

tus, præbenda diaconalis, aut etiam beneficium habens adnexam obligationem audiendi confessiones, modò non habeat coniunctum onus celebrandi, nam amputatis digitis est inhabilis ad celebrandum ob deformitatem, vel impotentiam celebrandi. Ita Sayrus, Auila, & alij *locis citatis*, omissis quàm pluribus DD. quos citat, & sequitur Garzias *de benefic. 7. parte c. 12. n. 19. & seqq.* cum Rota Romana.

Aliqui Doctores limitant istam doctrinam in eo, qui factus est partialiter irregularis absque sua culpa; hic enim (inquit Nauarrus *cap. 27. n. 252.* Auila *loco cit.* Sayrus *lib. 6. cap. 2. nu. 23.* Valentia *loco cit. punct. 2.* Garzias *loco citato*) potest recipere beneficium, quod non habet adnexam obligationem repugnantem tali irregularitati. Secus dicendum putant, si contraxit irregularitatem partialem ex sua culpa. Sed doctrina proposita mihi videtur admittenda absque prædicta limitatione, etiamsi irregularitas contracta fuerit cum peccato, vt patet ex [*c. 2. de Clerico non ordinato, & cap. 1.*] *de corpore vitiatis*, & ex *cap. studeat. 50. dist.* vbi sermo est de irregularitate contracta cupabiliter, & cum peccato. Ita Suarez *disp. 40. sect. 2. n. 38.* & alij.

4 An irregularis peccet, & aliquam pœnam incurrat exercendo ordines.

4 Quæres secundò, vtrùm irregularis, suscipiendo, vel exercendo ordines, nouam irregularitatem, vel aliam pœnam incurrat.

Respondeo negatiuè, quamuis peccet mortaliter. Ita Nauarrus *cap. 27. n. 193.* Suarez *disp. 40. sect. 2. n. 3. & disp. 42. sect. 3. n. 2.* [*& sect. 2. n. 6. & 7.*] Sayrus *loco cit. n. 26.* Henriquez *lib. 14. cap. 5. n. 2.* Valentia *loco cit. punct. 2.* Vgolinus *cap. 65. §. 3.* Filliucius *n. 60. 61. 92. & 139.* Reginaldus *lib. 30. cap. 2. n. 11.* & alij contra Maiolum, & alios apud Suarez *disp. 42. sect. 3. n. 2.*

Quòd non incurrat irregularitatem, vel aliam pœnam, patet, quia irregularitas, vel alia pœna non incurritur, nisi sit in iure expressa.

Quòd peccet mortaliter, perspicuum est, facit enim contra præceptum Ecclesiæ in re graui, sicut etiam grauiter peccat irregularis ministrando in ordine ex officio, vt patet ex dicta ratione, & ex *cap. vlt. de temporibus ordinandorum.*

Imò [Suarez *n. 2.*] Filliucius, & alij existimant irregularem peccare grauiter, etiamsi primam tonsuram tantummodò suscipiat, nam prima tonsura est res grauis constituens hominem in statu Ecclesiastico, & multa conferens priuilegia.

5 An prohibeatur exercere quoslibet actus sacros.

5 Quæres tertiò, vtrum irregularis prohibeatur exercere quoslibet actus sacros.

Respondeo negatiuè, non enim prohibetur eos exercere, qui per laicum præstari possunt, cùm priuetur tantummodò actibus, qui sunt proprij ordinatorum, quapropter potest percipere Sacramenta, excepto ordine, potest inseruire Missæ, baptizare sine solemnitate, [eligere ad beneficium,] actus iurisdictionis exercere, &c. hæc enim non prohibentur irregularibus, vt colligitur ex definitione ipsius irregularitatis. Ita Vgolinus *cap. 65. §. 4.* Nauarrus *n. 191.* Suarez *loco cit. sect. 2. n. 8.* [*24. & seqq.*] Henriquez *lib. 14. cap. 1. n. 2.* Coninchus *disp. 18. dub. 1. n. 4.* Filliucius *n. 64. & seqq.* & alij: [non tamen potest celebrare, aut seipsum communicare, quia hic est actus ordinis sacerdotalis. Ita Suarez *n. 9.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

6 An sit incapax beneficij.

6 IRregularitas, licet occulta, facit hominem incapacem beneficij, consequenter irregularis inualidè recipit beneficij collationem, nec illud potest retinere, nisi obtenta dispensatione irregularitatis curauerit beneficium sibi de nouo conferri ab eo, qui potest illud conferre. Ita Riccius *decis. 185.* Auila *part. 7. disp. 2. dub. 6.* Henriquez *lib. 14. cap. 2. n. 5.* Lessius *lib. 2. cap. 34. n. 122.* Nauarrus *cap. 27. n. 251.* Couarruuias *regula peccatum part. 2. §. 8. n. 6.* & alij, quos citat, & sequitur Suarez *disp. 40. sect. 2. n. 36.* Reginaldus *n. 8.* Garzias, Cochier, Sachez, Parisius, Sayrus, & alij, quos retuli *de beneficiis §. de immunit. ab irregularitate*; quamuis Syluest. *verb. Excommunicatio 4. n. 4.* & alij, quorum sententiam non improbabilem putant Coninchus *disp. 18. dub. 1. n. 6.* Suarez [*loco cit. & disp. 44. sect. 4. n. 34.*] & Filliucius *locis cit.* censuerint collationem validam esse, sed impetrandam esse irregularitatis dispensationem. Hæc propositio probari potest, tum ex *cap. postulastis. de Clerico excommunicato ministrante*; tum quia beneficium datur propter officium; cùm ergo irregularis non possit fungi officio, eò quòd sit inhabilis ad vsum ordinum, sequitur ipsum etiam esse inhabilem ad beneficium: tum quia deficit voluntas conferendi in superiore, nam credibile est superiorem velle solùm conferre beneficium secundùm canones non habenti canonicum impedimentum, vt colligitur ex *cap. postulastis, cit.* Idem dicendum est de pensione, quæ titulo clericali confertur, nam collatio pensionis facta irregulari videtur inualida, vt patet ex dictis *de beneficiis*, & ex stylo Curiæ. Ita Sayrus *loco cit. n. 22.* Vgolinus *cap. 65. §. 1.* Nauarrus *consil. 63. de simon.* Filliucius *n. 92.* & alij, quos retuli de beneficiis. Idem dicendum videtur de dignitate, & prælaturis regularibus, vt patet ex *cap. in quibusdam. de pœnis.* quamuis illi, cui prohibetur status clericalis, non censeatur prohiberi status regularis. Vide Sayrum *loco cit. n. 25.* & alios præcit. Doct. præsertim Suarez, vbi multa argumenta in contrarium adducit, [& *n. 34.* ostendit irregularitatem partialem, seu non totalem, inducere solùm inhabilitatem ad exequendũ illud beneficium, quod habet adnexam obligationem, tali irregularitati repugnantem, vt dictum est *num. 2.*

Verùm ego censeo in hac re standũ esse stylo Curiæ, alioquin etiam irregularis non esset incapax pensionis; cùm pensio annexam non soleat habere obligationem, irregularitati repugnantem.]

7 An recipiens beneficium in irregularitate possit percipere fructus.

7 Rogabis, vtrum qui recepit beneficium in irregularitate, possit percipere fructus beneficij.

Respondeo, non posse fructus beneficij percipere, nec alios actus administrationis, qui sunt adnexi beneficio, exercere, non enim habet ius ad illos fructus percipiendos, vel ad alios actus beneficij exercendos, cùm inualidè beneficium receperit, ratione cuius consurgit ius exercendi tales actus. Ita Suarez *loco cit. n. 41. & 42.* Vgolinus *loco cit. §. 1. n. 4.* Filliucius *n. 88.* & alij communiter, quos in simili retuli de Excommunicatione, quamquam opinio contraria non videtur improbabilis.

8 An irregularitas priuet beneficio ante irregularitatem obtento.

8 Quæres, vtrùm irregularitas subsequens beneficium, vel pensionem, priuet [ipso facto] beneficiarium beneficio, vel pensione ante irregularitatem obtenta.

Respondeo negatiuè cum communi Doct. sententia, Nauarri *cap. 27. n. 249.* Lessij *loco cit. n. 130.* Valentiæ *loco cit.* Vgolini *loco cit. §. 2.* Coninchi *disp. 18. dub. 1. n. 5.* Emanuelis Sà *verb. Irregularitas, n. 4.* Riccij in sua praxi *decis. 185. ad finem.* Henriquez *lib. 14. cap. 3. n. 5.* Sayri *lib. 6. cap. 2. n. 24.* Auilæ *loco cit.* Suarez *disp. 40. sect. 2. n. 15.* vbi plures alios refert, Filliucij *n. 88.* [Emanuelis Sà *verb. Irregularitas, n. 4.*] Reginald. *n. 10.* quamuis aliqui oppositum senserint. Ratio est, tum quia irregularitas proueniens ex homicidio non priuat ipso facto beneficiarium beneficio, quamuis ea sit maxima irregularitas, argumento *c. minor. dist. 50.* [& fusè probent Suarez *disp. 44. sect. 4. num. 33.* & Salzedo *in pract. cap. 94.* vbi testatur hanc esse communem Doctorum sententiam;] ergo neque alia irregularitas superueniens priuat beneficio. Vtrùm verò aliqua crimina inducant ipso facto priuationem beneficij, patet ex dictis de benefic. [tum quia nullo iure constat ipso facto priuari: tum quia *in c. ne Clerici, vel Monachi, c. fraternitatis. de Cleric. excomm. & c. ex litteris. de excess. Prælat.* habentur verba futuri temporis, quæ indicant, beneficiarium non esse ipso facto priuatum, sed priuandum. Imò quando irregularitas prouenit ex ægritudine, non videtur æger priuandus beneficio, ne afflictio addatur afflicto, sed potiùs ipsius miserendum est, *cap. ex parte. de clerico ægrotante*; in quo casu Parocho ægrotanti addendus est Vicecuratus, qui præstet illi opem circa curam animarum, vt patet ex praxi.

9 An irregularis possit beneficium resignare.

9 Ex dictis sequitur primò, beneficiarium, qui incidit in irregularitatem post beneficij consecutionem, posse resignare beneficium in fauorem alterius, adhuc enim habet titulum, & ius, vt patet ex dictis *de beneficiis.* Ita Rota *decis. 5. de sent. & re iudic. in antiquis.* [Sanchez *disp. 40. sect. 2. n. 19.*]

10 An teneatur restituere fructus.

10 Secundò, non teneri restituere fructus beneficij, si muneri suo satisfecit per se, vel saltem per alium. Ita Suarez *loco cit. n. 20.* Coninchus *disp. 18. dub. 1. n. 5.* Filliucius *n. 69. & 70.* & alij communiter: cùm enim beneficij titulum habeat, habet etiam ius ad fructus, [modò præstet onera beneficij.]

Tertiò beneficiarium, qui lapsus est in irregularitatem, nec per alium supplere potest, nec irregularitas dispensationem obtinere, teneri beneficium in manibus superioris resignare, quia non potest beneficium cum suæ, vel aliorum salutis dispendio retinere. Hoc tamen intelligendum est, nisi aliud grauis necessitas suadeat, iuxta dicta de causis excusantibus ab incurrendis effectibus secundariis censurarum. *disp. 1. q. 2. punct. 3. num. 6.* idemque tenet Reginald. *lib. 30. nu. 14.* [Suarez *num. 19.*]

11 An irregularis ob homicidiũ priuetur pensione, & beneficio.

11 Sed modò dubium est, vtrùm irregularis ob homicidium priuandus sit beneficio, & pensione.

Respondeo priuandum esse beneficio, vt habetur in Tridentino *sess. 14. c. 7. de reformat.* non verò priuandum esse pensione. Ratio est, tum quia versamur in materia odiosa, in qua verba strictè, & propriè accipienda sunt: pensio autem strictè loquendo non venit nomine beneficij: tum quia sic per sacram Congregationem in vna Cremonensi declaratum fuisse testantur [Suarez *disp. 44. sect. 4. n. 34.*] Riccius *decis. 524.* Marzilla in Tridentinum *loco citato.* [An autem delinquens priuandus sit beneficiis ob alia crimina, vt ob simoniam, hæresim, aut alia crimina, alibi explicabo.]

TERTIA PROPOSITIO.

12 An sit incapax iurisdictionis.

12 IRregularis videtur incapax iurisdictionis ordinariæ, non verò delegatæ. Ita Suarez *disp. 40. sect. 2. n. 12.* [28. 42. & 45.] Filliucius *n. 81.* & alij. Ratio est, quia iurisdictio ordinaria solet alicui competere propter beneficium, officium, ac titulum spiritualem ordinatum ad functiones ordinum; sed irregularis est incapax beneficij, vt dictum est; ergo videtur etiam incapax iurisdictionis ordinariæ, quæ consequitur officium, & beneficium: non est tamen incapax iurisdictionis delegatæ, eò quòd iurisdictio delegata non fundetur in beneficio, nec conferatur ratione beneficij, nec dirigatur ad exercitium ordinum, vt suppono. Ita Doctores citati contra Comitolum *lib. 6. quæst. 88.*

13 An irregularis possit recipere auctoritatẽ fori pœnitentiæ.

13 Hinc sequitur, irregularem non posse accipere auctoritatem ordinariam fori pœnitentiæ, nam hæc auctoritas confertur per beneficium: auctoritatem verò delegatam posse validè accipere, quamuis non possit eam licitè exercere, & grauiter peccet exercendo, quando illius exercitium coniunctum est cum vsu ordinis sacri, qui interdicitur irregulari.

14 Cuius iurisdictionis capax sit irregularis.

14 Ex quo patet primò, irregularem non esse capacem iurisdictionis ordinariæ, sed delegatæ.

15 Quos actus iurisdictionis possit irregularis exercere.

15 Secundò, irregularem posse actus iurisdictionis, qui non includunt exercitium ordinis, exercere non solùm validè, sed etiam licitè, propterea qui obtento beneficio lapsus est in irregularitatem, potest fungi officio beneficij, excepto vsu ordinis sacri; nam per irregularitatem non amittit ipso facto beneficium, nec impeditur actus iurisdictionis exercere, præscindendo ab vsu ordinis sacri. Ita Suarez *loco citato n. 23. & 45.* Filliucius *cap. 3. quæsito 6. n. 73.* & alij, quorum memini *q. 1. punct. 1. n. 4.* Quamobrem Parochus irregularis potest matrimonio assistere, non autem solemniter benedicere, quia hic est actus ordinis, non autem ille.

16 An possit facultatem alteri delegare.

16 Tertiò, irregularem posse alteri facultatem absoluendi delegare, quamuis ipse non possit absoluere sacramentaliter, nam irregulari competunt vsus iurisdictionis distincti ab vsu sacrorum ordinum, delegatio autem non est actus ordinis, sed iurisdictionis.

17 An possit excommunicare.

17 Quartò, superiorem irregularem posse excommunicare, actus enim excommunicandi pertinet ad iurisdictionem. Ita Suarez *disp. 40. sect. 2. n. 24.* Filliucius *loco cit. nu. 74.* & alij communiter. Idem dic de absolutione ab excommunicatione, aut etiam de verbali depositione. Secus de reali degradatione, nam illa est actus iurisdictionis, hæc ordinis. Ita Doctores cit.

18 Quintò,

18 An priuetur iure eligendi.

18 Quintò, beneficiarium propter irregularitatem superuenientem non priuari iure eligendi, quod est adnexum beneficio, ius enim eligendi, vel est iurisdictio, vel pertinet ad iurisdictionem, irregularis autem non priuatur iurisdictione ob irregularitatem superuenientem. Ita Nauarrus *c.27.num.244.* Suarez *loco cit. num.27.* Filliucius *num.75.* & alij communiter.

19 An valida sit cõfessio facta irregulari.

19 Quæres, vtrùm confessio facta Sacerdoti irregulari sit valida. Respondeo distinguendo: vel Sacerdos est nominatim denuntiatus irregularis, vel non. Si est nominatim denuntiatus, confessio non est valida. Ratio est, tum quia irregularis nominatim denuntiatus dicitur vitandus, vt dictum est *de excommunicatione punct. 1. §. 1.* Sicut autem confessio facta sacerdoti nominatim denuntiato excommunicato, vel suspenso ab ordine non est valida, ita nec est valida confessio facta irregulari vitando: tum quia pœnitens ponit obicem ad gratiam, cooperando peccato sacerdotis, exercentis functionem ordinis contra pœnam irregularitatis. Si verò sacerdos non est nominatim denuntiatus, confessio valida est, eo quod ille Sacerdos non careat iurisdictione, nec pœnitens peccet communicando cum irregulari, qui non est nominatim denuntiatus irregularis. Ita Auila *disput.2.dub.6.concl.7.* Suarez *loco cit.num.45.* & alij communiter.

20 Quid si pœnitens ignoret cõfessarium esse irregularem.

20 Sed grauior difficultas est, vtrùm sit valida absolutio sacramentalis collata ab aliquo Parocho, vel alio Confessario nominatim denuntiato irregulari, quem pœnitens ignorabat esse irregularem denuntiatum, sicut est inualida absolutio collata ab excommunicato vitando, quem pœnitens ignorabat excommunicatum.

Respondeo validam esse. Ratio est, tum quia nihil deest ex parte pœnitentis, ratione cuius non sit valida, cùm pœnitens paratus sit, & dispositus ad illam recipiendam, vt suppono, nec peccet participando cum irregulari, quem ignorat irregularem: tum quia nihil deest ex parte sacerdotis de substantia absolutionis, nam sacerdos non solùm habet potestatem ordinis, ratione cuius, sicut potest validè consecrare, & administrare alia sacramenta, ita potest validè absoluere, sed etiam habet potestatem iurisdictionis; irregularitas enim non tollit iurisdictionem, vt patet tum ex definitione irregularitatis: tum quia irregularis obtinens dispensationem irregularitatis non indiget noua concessione iurisdictionis. Ita Suarez *disp.40.sect.2.n.45.* Coninch. *disp.18.dub.1.n.7.* Filliucius *n.80.* & alij communiter contra Nauarrum *c.9.n.8.*

PVNCTVM V.

Vtrùm aliquis in dubio iudicandus sit irregularis.

1 Quando-nam dicatur dubiũ iuris, & dubium facti.

1 NOtandum aliud esse dubium iuris, aliud facti. Dubium iuris contingit, quando quis ignorat legem continentem irregularitatem. Dubium facti contingit, quando quis sciens latam esse legem continentem irregularitatem, dubitat, an factum perpetrauerit, prohibitum sub irregularitate. [Hoc posito explicandum est primò, vtrùm quis in dubio iuris iudicandus sit irregularis; secundò in dubio facti.]

PRIMA PROPOSITIO.

2 An aliquis in dubio iuris præsumatur irregularis.

2 IN dubio iuris nullus iudicandus est irregularis, propterea qui dubitat vtrùm lata sit irregularitas, e.g. contra surripientes, aut qui dubitat, an sub talibus verbis contineatur irregularitas, si adhibita sufficienti diligentia ad rei veritatem inuestigandam, adhuc persistit in dubio, potest practicè dubium deponere, iudicando non esse latam irregularitatem, consequenter non tenetur se tamquam irregularem gerere.

Ratio est primò, quia irregularitas non incurritur nisi adsit ius expressum, sufficienter indicans irregularitatem positam esse, [*c. is qui. de sent.excom.in 6.*] in dubio autem iuris non adest in expressum sufficienter indicans irregularitatem.

Secundò, quia in dubio iuris nullus in foro externo iudicatur irregularis; ergo neque iudicandus est irregularis in foro conscientiæ, quod est forum animæ, & misericordiæ.

Tertiò, quia qui adhibuit sufficientem diligentiam ad rei veritatem inueniendam, & ad expellendum dubium iuris, censetur laborare ignorantia inuincibili, si rei veritatem non potuit inuenire, & dubium expellere; sed qui ignorat inuincibiliter aliquod præceptũ, non tenetur illud seruare, [sed potiùs excusatur illud non seruando:] vt patet ex dictis de peccatis; ergo, qui adhibuit debitam diligentiam ad rei veritatem inueniendam, & ad expellendum dubium iuris circa irregularitatem, non tenetur seruare irregularitatem, seque iudicare irregularem.

Quartò, quia lex non obligat subditos, quoties non est illis sufficienter proposita, nec per ipsos stat, quominus proponatur, sed ei, qui dubitat latam esse irregularitatem, & adhibuit diligẽtiam ad veritatem cognoscendam, irregularitas non est sufficienter proposita; ergo qui dubitat latam esse irregularitatem, non tenetur eam seruare, aut se irregularem iudicare post adhibitam sufficientem diligentiam ad rei veritatem inueniendam. Ita Rebellus *1. parte de obligationibus iustitiæ lib.1.quæst.2.sect.2.* Sayrus *lib.6.cap.2.numer.16.* Suarez *disp.40.sect.5.n.4.& 18.* Nauar. *cap.27.num.193.* Auila *parte 7. disp. 2. dub.5.concl.5.* Couarruuias *in Clementin. si furiosus, parte 1. initio nu.3.* Reginald. *num.3.* Filliucius *cap.2.quæs.6.& seqq.* Valentia *tom.4.disp. 7.q.19.punct.2.col.1425.* Toletus *lib.1.cap.57.ad finem,* Coninchus *disput.18.dub.2.numer.21.* Emanuel Sa *verb. Irregularitas num.4.* & alij, contra Garziam *de benef.7.parte c.1.num.21.* & alios.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An præsumatur irregularis in dubio facti.

3 QVi habet dubium facti homicidij, iudicandus est irregularis. Hæc propositio patet, tum ex *c. significasti,* & ex *c.ad audientiã 2. de homicidio*; tum quia in foro interno idem iudicandum est, quod iudicatur in foro externo; sed in foro externo iudicandus est irregularis in dubio facti circa homicidium, vt patet ex *c.ad audientiam, cit.* ergo etiam iudicandus est irregularis in foro conscientiæ. Ita Coninchus *n.23.* Suarez *loco cit.sect.6.numer.1.* Salas *1.2.quæst.21.tract.8.disp. vnica sect.1.* Valentia *tom.4.disput. 7. quæst.19.punct 2.* Sayrus *lib. 6. cap.2.num.16.* Sanchez *loco* statim *cit.numer.50.* Vgolinus *cap. 4. §. 2. num. 3.* Reginaldus *loco citat.* Filliucius *tractat.19.c.2.quæs.7.n.49.* & alij plures apud Sanchez *in summa lib.1. cap.10. numer.47.* quorum multi existimant idem sentiendum esse in quolibet dubio facti, eò quòd ratio Summi Pontificis posita *in cap. ad audientiam, & in cap. significasti,* sit generalis, videlicet in dubio facti tutiorem partem amplectendam esse.

Alij verò probabilius existimant tantummodò in dubio homicidij iudicandum esse aliquem irregularem, [non verò in aliis rebus.] Ratio est, tum quia *c.ad audientiam, & c.significasti,* loquuntur solum de dubio homicidij, tum quia versamur in materia odiosa, in cuius dubio reus est absoluendus. *regul.cùm sunt.de regulis iuris.* Tum quia est dubium iuris, vtrùm in aliis factis præter homicidium sancita sit irregularitas; in dubio autem iuris fauendum est subditis, & nullus censendus est irregularis, post adhibitam sufficientem diligentiam ad cognoscendam veritatem: [vt dictum est in prima propositione.] Ita Coninchus *numer.22.* Auila *loco cit.* Henriquez *lib. 14. cap. 3. num.4.* Suarez *disp.40.sect.6.num.13. fol. 735.* Filliucius *loco cit.* Salas *loco cit.n.48.* & alij contra Rebellum *loco cit.* Valentiam, Vasquez, & alios, quos sequitur Garzias *7.part.cap.1.nu.18.& seq.* Imò Sanchez, & Henriquez *locis cit.* contra Auilam *loco cit.concl.2.* extendunt hanc doctrinam etiam ad eos casus, in quibus dubitatur de homicidio iniustè commisso, non verò quando dubitatur de homicidio iustè commisso, vt de homicidio facto in bello iusto, & licito. [Nam in dubio homicidij iustè commissi, putant dubitantem non esse irregularem. Ratio est, quia *in cap.ad audientiam, & cap.significasti,2. de homicid.* sermo est de dubio facti homicidij; occisio autem iusta non venit nomine homicidij.]

Sed mihi probabilior videtur sententia Auilæ, quæ videtur expressa *cap.petitio tua.de homicidio,* vbi habetur eum, quem conscientia remordet de homicidio patrato in bello iusto, habendum esse irregularem.

4 An præsumatur irregularis, qui dubitat, an aliquem mutilauerit.

4 Ex dictis colligi potest primò, eum qui dubitat, an aliquem mutilauerit, non teneri se tamquam irregularem gerere, si facta diligenti inquisitione, adhuc dubitat, an mutilauerit, non enim versatur in dubio facti homicidij, sed in dubio mutilationis, quæ non est propriè homicidium, iura autem loquuntur de dubio homicidij. Ita Sanchez *loco cit.num.49.* Suarez in simili *disput. 40. sect. 5. numer. 14.* Filliucius *num.47.* contra Henriquez *loco cit.* Nauarrum *cap. 27. numer.206.* & alios.

5 An suscipiens ordines cũ dubio irregularitatis possit illos exercere.

5 Secundò, eum qui in dubio iuris de irregularitate homicidij, vel de aliqua censura suscepit ordines mala fide, eò quòd non adhibuerit debitam diligentiam ad veritatem assequendam, posse post adhibitam debitam diligentiam ordines exercere, quamuis dubium adhuc perseueret. [Ita Sanchez *n.46.* contra Suarez & alios, *locis* statim *citandis.*] Ratio est, quia versatur adhuc in dubio iuris, in quo nullus censendus est irregularis. Verum quidem est peccasse propter periculum, cui se exposuit, non adhibendo priùs debitam diligentiam ad cognoscendum, num lata esset irregularitas, cùm tamen propter hoc peccatum non sit imposita censura, vel irregularitas, sequitur ipsum non teneri abstinere ab exercitio ordinum, adhuc enim versatur in dubio iuris. Idem probabiliter dicendum videtur de eo, qui cum dubio irregularitatis accepit beneficium, quamuis contrarium teneat Reginaldus *lib.3.cap.2.num.19.*

Obiicies contra hoc secundum corollarium, seu illationem. Possessio mala fide incepta nulli prodest; ergo qui cum dubio iuris de irregularitate ordines suscepit, non potest ordines susceptos cum tali dubio exercere, alioquin possessio ordinum mala fide incepta prodesset.

Respondetur, non ipsam possessionem mala fide inchoatam prodesse, sed propriam libertatem, eò quòd ius non imposuerit irregularitatem in dubio iuris, vel ob negligentiam cõmissam in assequenda veritate, antequam ordines susciperentur. Ita Sanchez *in summa lib.1.cap.1.num.46.* quamuis oppositum probabile iudicet Suarez *de censuris disp.40.sect.5.nu.19.fol.mihi 232.* Salas *1.2.q.21.tract.8. disput. vnica sect.19.num.176.* & alij.

6 An sit irregularis, qui procurat abortũ, sed dubitat an fœtus sit animatus.

6 Tertiò, illum censeri irregularem, qui feminæ grauidæ præbuit pharmacum ad abortiendum fœtum, sed dubitat, an fœtus esset animatus, hic enim versatur in dubio facti circa homicidium iniustum. Ita Auila *loco cit.* Sanchez *loco cit.n.43.* Rodriquez *1.part.c.275.nu.4.* Nauarrus *c.27.n.223.* & alij, quos infra referam *de irregularitate,* quæ propter homicidium iniustum contrahitur. [An verò abortiens fœtum ante quadragesimum diem teneatur se tamquam irregularem gerere, constat ex dictis *de matrimonio, q.4.punct.6.n.13.*]

7 An consulens homicidium præsumatur irregularis, quando dubitat an suo consilio influxerit in homicidiũ.

7 Quartò, illum, qui consulit homicidium, teneri se tamquam irregularem gerere, quando dubitat, vtrùm suo consilio operatus sit aliquid circa homicidium patratum ab eo, cui dedit consilium. Ratio est, tum quia versamur in dubio facti, in quo ius induxit irregularitatem: tum quia possessio non stat pro ipso dubitante, sed contra ipsum, nam pro eo stat possessio, pro quo stat iuris præsumptio; sed præsumptio iuris stat contra consulentem, ius enim iudicat consulentem esse irregularem, eò quòd existimet homicidam non commissurum delictum absque consilio, *l. meritò. ff. pro socio.* Ita Mascardus *de probat.tom.1.concl.419.n.9.fol.197.* Auila *2.parte c.5.nu.3.dub.3. fol.59.* Sayrus *lib.7.c.3.num.2.* Sanchez *loco cit.num.44.* qui hoc idem sentiunt de restitutione contra Auilam *loco cit.* Henriquez *lib.13.c.16. n.3.in Commentario littera D.* & alios, quorum meminimus *de restit. quæst.2.punct.4.*

8 An censeatur irregularis, qui dubitat, an ille, cui dedit consilium occidendi, cõmiserit homicidiũ.

8 Quintò, illum censeri irregularẽ, qui dubitat, vtrùm ille, cui dedit consilium occidendi, commiserit homicidium, versatur enim in dubio facti, in quo est expressa irregularitas in iuribus citatis. Ita multi Doct. contra Sanchez *loco cit versus finem.* Nec est eadem ratio de

de obligatione reſtituendi, & de irregularitate, nam ius ita diſpoſuit de irregularitate, non verò de obligatione reſtituendi.

An verò dubius facti homicidij priuandus ſit beneficio, aut aliis pœnis affici debeat in foro externo.

Reſpondetur negatiuè. Ratio eſt, quia *in c. ad audientiam, & in c. ſignificaſti, de homicidio*, habetur, dubitantem de facto homicidij præſumi irregularem quoad ceſſationem à ſacro miniſterio; ergo cùm in materia pœnali verſemur, non eſt facienda extenſio ad alias pœnas. Ita communiter Doctores teſte Suarez *ſect.6.num.6.*

QVÆSTIO II.

De irregularitatibus prouenientibus ex defectu.

MVltas ſpecies irregularitatis, ex defectu prouenientis, ſupra recenſui, quas non eſt neceſſe hic repetere. Hac quæſtione incipiam agere de irregularitate proueniente ex defectu animi: tum de proueniente ex defectu corporis, & ſic de ceteris.

PVNCTVM I.

De irregularitate ex defectu animæ.

DEfectus animi inducens irregularitatem triplex eſt.
Primus eſt defectus vſus rationis.
Secundus litteraturæ.
Tertius, fidei. Quare tria breuiter quæram in hoc puncto.
Primò, vtrùm defectus vſus rationis inducat irregularitatem.
Secundò, vtrùm defectus ſcientiæ.
Tertiò, vtrùm defectu fidei reſpectu illius, qui mox ad fidem acceſſit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An carẽs vſu rationis ſit irregularis.

1 CArentes omninò vſu rationis, quales ſunt amentes, non ſolùm ſunt iure humano irregulares, ſed etiam iure diuino, & naturali ſunt inepti ad ſuſcipiendos ordines. Ratio eſt, quia qui non poteſt ordines exercere, inhabilis eſt ad ordines ſuſcipiendos, & conſequenter eſt irregularis, quamuis recipiat characterem, ſi promoueatur ad ordines, vt conſtat ex dictis de ſacramento ordinis. Ita Nauarrus *c.27.n.205.* Toletus *lib.1.cap.59.* Coninchus *num.106.* Suarez *diſp.51.ſect.1.num.2.* Filliucius *tract.19.cap.7.num.186.& ſeq.* Reginaldus *lib.30.num.39.* & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An defectus ſcientiæ faciat hominem irregularẽ.

2 DEfectus ſcientiæ facit hominem irregularem. Ita Nauarrus *loco cit.* Toletus *lib.1.cap.59.n.7.* Suarez *n.8.* Filliucius *n.88.* Reginaldus *n.35.* & alij communiter contra Garziam *de benef. 7.parte c. 7.n.19.* Henriquez, & alios exiſtimantes defectum ſcientiæ prohibere ſuſceptionem ordinum, ſed non facere irregularem. Hæc propoſitio patet, tum ex *cap.illitteratos diſt.36.* vbi ſermo eſt de omninò illitteratis, & Gloſſ. *ibidem* eum vocat omninò illitteratum, qui numquam Grammaticam audiuit, & ex *c.vltim. de temporibus ordinat. in 6.* Tum quia ius ipſum naturale dictat non admittendos eſſe ad aliquod munus eos, qui munus illud neſciunt exercere. Vnde inquit Maiolus *lib.1.de irregular.c.32.nu.13.* Azorius *2.part.lib.6. cap. 6.q. 4. & 5.* Suarez *n.11.* Filliucius *n.192.* Reginaldus *n.37.* non poteſt Summus Pontifex diſpenſare cum omninò illitterato, vt eos ordines recipiat, qui ad ſui exercitium, & vſum requirunt ſcientiam, qua caret promouendus, nam Summus Pontifex non poteſt diſpenſare in iure naturali, poteſt tamen diſpenſare quatenus hoc impedimentum eſt à iure humano inductum, vt per ſe patet, [& bene docet Suarez *n. 11.*]

Ex quo patet, hanc inhabilitatem non ſolùm inductam eſſe à iure humano, ſed etiam à iure naturali dictante omninò illitteratos non eſſe admittendos ad ordines. Sed de hac re fuſiùs *in tract. de benef. §. de ſcientia in beneficiario requiſita*, diſſeremus.

Addo ignorantiam, qua quis ignorat neceſſaria ad vſum ordinum non ſolùm inducere inhabilitatem ad ordines ſuſcipiendos, verùm etiam ad vſum ſuſceptorum, ſiue ſuſcepti ſint bona, ſiue mala fide, nam ſcientia in Clerico requiritur, non propter ſuſceptionem ordinum, ſed propter ipſorum vſum. Ita Suarez *numer.9.ad finem*, Filliucius *num.190.*

An autem irregularitas conſurgens ex ignorantia, tollatur ſublata ignorantia, conſtabit ex infra dicendis *quæſt.5.punct.2.* [*numer. 5.* vbi oſtendam tolli.]

3 Quænam ſcientia requiratur ad ordines ſuſcipiendos.

3 Quæres, quænam ſcientia requiratur ad ordines ſuſcipiendos.

Reſpondeo, ex Tridentino *ſeſſ.23.cap.4.* ad primam tonſuram requiri, vt initiandus prima tonſura ſit confirmatus, & calleat rudimenta fidei, ſciatque legere, ac ſcribere. Ad minores ordines, vt teneat linguam Latinam. Ad Diaconatum, & Subdiaconatum, vt habeat inſtructionem eorum, quæ pertinent ad eos ordines exercendos. Ad presbyteratum, vt habeat eam ſcientiam, qua poſſit docere populum, & adminiſtrare ſacramenta. Ad Epiſcopatum, vt ſit Doctor, aut licentiatus in ſacra Theologia, vel in iure Canonico, vel vt publico teſtimonio conſtet ipſum eſſe aptum ad alios docendos. Hæc omnia colliguntur ex Tridentino *ſeſſ.22.cap.2.& ſeſſ.23. cap. 4. 11.13. & 14.* Vide quæ tradidi *de benef. loco citato.*

TERTIA PROPOSITIO.

4 An neophyti ſint irregulares.

4 NEophyti ſunt irregulares. Ita colligitur ex *diſt. 48. cap. 1. & 2.* Ratio, cur hæc irregularitas inducta ſit ab Eccleſia, eſt ne in ſuperbiam elati incidant in laqueum Diaboli, *1.Timoth.3.* Ita Nauar. *num.205.* Sayrus *cap.13.num.10.* Auila *loco cit. diſp.4. dub. 4.* Valentia *tom.4.diſp.7.quæſt.19.punct.3.* Henriquez *lib.14.cap.4.* Suarez *tom. 5. diſp.43.ſect.3.num.5.* Filliucius *tract.19.cap.7.quæſt.1. & tract. 20. numer.240.* Toletus *lib.1.cap.59.* Reginald. *lib.30.n.43.*

5 Quis dicatur neophytus.

5 Quæres primò, quis dicatur Neophytus.

Reſpondeo eum dici, qui ex lege Iudaica, Mahumetica, vel Ethnica nuper conuerſus eſt ad fidem Chriſtianam, [in adulta ætate.] Qui verò ab infantia Baptiſmum ſuſcepit, non dicitur neophytus, quamuis deſcendat ab auo, vel patre neophyto, vel Iudæo, vel Saraceno, ſicut nec ille dicitur neophytus, qui abhinc decem annis, vel eo amplius Baptiſmi ſacramento inſignitus eſt, non enim dicitur nuper conuerſus ad fidem. Ita Doct. citati. [Rectè tamen obſeruat Suarez *diſp.43.ſect.3.num.6.& 7.* non poſſe certum tempus aſſignari, in quo quis dicendus ſit neophytus, & in quo nequeat ad ordines promoueri, ſed ſtandum eſſe iudicio prudentis viri, quia non ſufficit diuturnitas temporis, ſi non adſint alia neceſſaria, & ex oppoſito tot ſigna fidei, charitatis, prudentiæ, & aliarum virtutum, adeſſe poſſunt, vt quis poſt aliquam temporis dilationem ordinari poſſit arbitrio legitimi ſuperioris, *c.neophytus 61.diſt.* vbi dicitur, Neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur in ſuperbiam, ſed ſi non deeſt humilitas competens ſacerdotio, vbi cauſa non hæret, vitium non imputatur. Legitimus ſuperior ad quem in hac re pertinet iudicium, & approbatio, eſt Summus Pontifex reſpectu promouendorum ad Epiſcopatum, quia Epiſcopi prouidentur, vel confirmantur à Papa; reſpectu verò inferiorum Clericorum, eſt Epiſcopus, nam ad ipſum pertinet approbatio ordinandorum; quamobrem Epiſcopus promouere poteſt eum, quem poſt aliquam temporis dilationem à die ſuſcepti Baptiſmi, iudicat habilem & idoneum ad ordines. Tunc enim Epiſcopus non diſpenſat in irregularitate, ſed declarat irregularitatem ceſſaſſe, iura enim certum tempus non præſcribunt. Verum tamen eſt, Epiſcopum non poſſe recenter baptizatum admittere ad ordines, quia neceſſaria eſt aliqua dilatio temporis, alioquin diceretur ordinare neophytum, etiamſi neophytus magnis virtutibus excultus ſit. Secus ſi id fiat de conſenſu Papæ, vt dicetur *n.6.* aut impulſu Spiritus ſancti, vt patet exemplo ſancti Ambroſij.]

Ex dictis patet, neophytum excludi à minoribus, & maioribus ordinibus, cùm ſit irregularis, baptizatum verò ab infantia, vel iam diu conuerſum ad fidem Chriſtianam poſſe iure communi ad ordines, beneficia, & officia publica admitti, ſi iudicio Epiſcopi reperiatur in rebus fidei benè inſtructus, hic enim non dicitur propriè neophytus. Vide Toletum, & alios præcit. Doct.

6 Quis diſpenſare poſſit cum neophyto.

6 Quæres ſecundò, quis diſpenſare poſſit cum neophyto ad ordines, beneficia, vel officia publica.

Reſpondeo diſpenſationem pertinere ad Summum Pontificem, nam ad ipſum pertinet diſpenſare in irregularitate prouenientẽ ex defectu, niſi in aliquo particulari caſu conceſſa ſit Epiſcopis, aut aliis diſpenſandi facultas. Vide Suarez, & alios Doct. *locis cit.*

Vtrùm verò filij neophytorum irregulares ſint, conſtabit ex infra dicendis [*quæſt.3.punct.7.num.11.*]

PVNCTVM II.

De irregularitate proueniente ex defectu corporis.

NOtandum, habentes certos quoſdam defectus, ſeu vitia corporis irregulares eſſe, quamdiu cum iis defectibus, ſeu vitiis, non poſſunt ordines exercere: quales ſunt membris mutilati, aut ita debilitati, vt ordines exercere nequeant, quales etiam ſunt habentes manus immobiles, aut adeò tremulas, vt periculum ſubeant effundendi Calicem. In præſenti puncto difficultas eſt in aſſignanda regula generali, qua cognoſcatur, per quem defectum, ſeu vitium incurratur irregularitas. Quare tria principaliter quæram in hoc loco.

Primò, quodnam vitium, ſeu defectus corporis inducat irregularitatem.

Secundò, vtrùm carentia membri illam inducat.

Tertiò, ad quem pertineat in hac irregularitate diſpenſare.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quodnã vitium, ſeu defectus corporis inducat irregularitatem.

1 ILle defectus, ſeu vitium corporis inducit irregularitatem, quod vel impedit vſum, & exercitium ordinis, vel notabilem gignit deformitatem, aut horrorem, quale vitium eſt naſi amputatio, aut priuatio vnius oculi, aut inſignis macula in oculo, quæ notabilem pariat deformitatem. Hæc doctrina colligitur ex *c.2. de Clerico ægrotante, lib.3.decretal. titulo 6.* & ex *c.vltimo, de corpore vitiatis*, & vera eſt, ſiue huiuſmodi vitium contractum ſit ex culpa, ſiue ſine culpa, ſiue ex cauſa iuſta, ſiue ex iniuſta, ſiue ex cauſa naturali, ſiue accidentali. Ratio eſt, quia æquitas ipſa naturalis dictat, eum ad ordines, vel eorum vſum non eſſe promouendum, qui nequit ordines exercere, aut horrorem incutit adſtantibus. Ita Nauar. *c.27.n.200.* Suarez *diſp.50. ſect.2.n.16.* [*& diſp.51.ſect.2.n.11.& 14.*] Molina *tom.4.de iuſtitia tr.3. diſp.70 n.2.* Sayrus *lib.6.c.7.n.6.* Auila *loco cit.diſp.3. dub.1.* Couarru. *in Clementin. ſi furioſus 1.parte ca.6.* Sanctus Antoninus *3.parte tit. 28. c.5.* Coninch. *diſp.18.dub.13.n.106.* Filliucius *tract.19.c.6. quæſt. 4.* Toletus *lib.1.c.57.& 58.* Reginaldus *lib.30. n. 46.* & alij apud Vgolinum *cap.46.de irregularitate.*

Ex dictis colligi poteſt ſolutio multorum caſuum.

2 An carẽs oculo ſit irregularis.

2 Primò, carentem lumine, & viſu oculi dexteri non eſſe irregularem, modo habeat vtrumque oculum integrum. Ratio eſt, quia huiuſmodi vitium non impedit vſum ordinis, nec inducit notabilem horrorem, vel deformitatem. Idem dicendum eſt de eo, qui habet viſum, & intuitum breuem, vel qui non videt ſine conſpicilliis. Secus dicendum eſt de eo, qui non ſolùm caret lumine, ſed etiam oculo, aut de eo, qui caret lumine oculi ſiniſtri, qui dicitur oculus Canonis, ita vt non poſſit commodè per oculum dexterum conſpicere ſine indecora faciei conuerſione ad populum, *ca.ſi Euangelica diſt.55.* Ita Nauarrus *n.199.* Molina *loco cit.n.4.& 6.* Vgolinus *c.47.& 48.* Filliucius *n.167.* Toletus *loco cit.* Reginaldus *n.49.* & alij communiter.

3 An ſit irregularis habens maculam in oculo.

3 Secundò, eum non eſſe irregularem, qui habet maculam in oculo non generantem notabilem deformitatem. Secus ſi notabilem deformitatem efficiat, quamuis oculus ſit integer, & bene perſpiciat, *c.2.de corpore vitiatis.* Ita Molina *n.5.* Suarez *n.15.* & alij.

4 An ſit irregularis habens oculum grandiorẽ altero.

4 Tertiò, illum eſſe irregularem, qui habet vnum oculum grandiorem, ſeu groſſiorem altero, vel vtrumque prominentem, ita vt magnam inducat deformitatem.

5 Quartò,

5 An abscissio nasi faciat hominem irregularem.

5 Quartò, abscissionem nasi inducere irregularitatem propter deformitatem. Ita Molina *num.*2.Reginaldus *num.*50.Filliucius *n.*171. & alij communiter.

Item irregularis censendus est qui nasum ita distortum, vel magnum habet, vt notabilem pariat deformitatem iudicio Episcopi.

6 An habens labia corrosa sit irregularis.

6 Quintò, illum esse irregularem, qui habet labia penitus corrosa, vel abscissa, magna enim laborat deformitate. Similiter est irregularis, qui nodum linguæ ita patitur, vt verbum integrum vix possit exprimere: hic enim censetur ineptus ad functiones ordinis, & horrorem adstantium animis gignit. Carens verò dentibus non videtur irregularis, quia priuatio dentium non solet impedire vsum ordinum, aut inducere notabilem deformitatem. Ita Henriquez *lib.*14. *c.*8.*n.*2.Sayrus *lib.*6.*c.*8.*n.*16.Filliucius *n.*171.Vgolinus *tract. de irregularitate c.*69.qui videtur hoc idem asserere de eo, qui sibi dentes per indignationem excussit contra Maiolum *lib.*1.*de irregular.ca.*24. Prominentia verò dentium extra os inducit irregularitatē, eò quòd pariat deformitatem, propterea huiusmodi dentes resecandi sunt, si fieri potest absque periculo. Ita Vgolinus *cap.*50.*num.*3.

7 An surdus sit irregularis.

7 Sextò, surdum vtraque aure, ita vt nullo modo possit audire, esse irregularem, vt patet per septimum canonem Apostolorum, consequenter huiusmodi surdus non potest promoueri ad Sacerdotium, imò si defectus surditatis contingat post sacerdotalem ordinem, licet initiatus ordine sacerdotali possit exercere ea munera, ad quæ non est necessarius auditus, & consequenter possit Missam submissè celebrare, non tamen admittendus est ad Missam solemnem celebrandam, ne risum excitet, faciendo aliquid extra tempus, vt bene ait Reginaldus *lib.*30.*cap.*5.*num.*50. Si verò vna tantùm aure surdus sit, non videtur irregularis, vt inquit Graffius, & alij apud Sayrum *lib.*6.*c.*8.*n.*17.& apud Filliucium *num.*169.

8 An carēs auriculis sit irregularis.

8 Grauior difficultas est, vtrùm carens auriculis, id est, externa illa cartilagine, quæ organo auditus adhæret, sit irregularis.

Ad quam difficultatem Nauarrus *n.*199.Auila, & alij respondent esse irregularem, quia carentia auricularum notabilem inducit deformitatem. Hæc sententia mihi probatur, quando carens auriculis non potest huiusmodi deformitatem auferre, seu celare capillorum velamine. Ita Henriquez *lib.*14.*cap.*8.*nu.*3.Auila *part.*7.*disp.*3.*dub.*1. Coninchus *disp.*18.*dub.*13.*num.*108.Filliucius *num.*169.

9 An gibbosus sit irregularis.

9 Septimò, gibbosum non esse irregularem, nisi gibbositas coniuncta sit cum nimia deformitate, vel debilitate, vt accidit, quando gibbosus nequit se erigere, aut stare recto capite. Ita Auila *loco cit.*Molina *loco cit.n.*8.Vgolinus *tract.de irregularitate cap.*50.*num.*6.Reginaldus *num.*52.& alij communiter. Idem dicendum est de eo, qui habet ventrem præturgidum, ac nimis pinguem, ita vt deformitatem notabilem pariat, vt ait Maiolus *lib.*1.*cap.*17.

10 An mōstruosus sit irregularis.

10 Octauò, monstruosum esse irregularem, qualis est habens duo capita, quatuor manus, aut vultum adeò fœtidum, vt ipsum intuentibus facilè incutiat risum, aut horrorem, *c.qui in aliquo.dist.*51.

11 An Æthiops, aut habens sex digitos sit irregularis.

11 Ex quo deducitur, inquit Maiolus *lib.*1.*c.*21.contra Vgolinum *c.*50.*num.*4.Æthiopem non videri irregularem eò quòd non soleat horrorem parere. Idem regulariter loquendo de viris grandioris, vel exiguæ staturæ dicendum est, nisi Episcopus in aliquo casu aliter iudicet. Similiter habens sex digitos non videtur irregularis, quoties digitus superfluus non impedit vsum aliorum digitorum. Quando verò impedit vsum aliorum digitorum, est irregularis, vt accidit, quando index, & pollex sub communi vngue existunt, tunc enim magna est difficultas in hostia contrectanda. Ita Vgolinus *cap.* 48. §.1.*& cap.*50.*&* 51.Henriq.*lib.*14.*cap.*8.*numer.* 3.Sayrus *lib.* 6.*cap.* 8. *num.*2.Filliucius *n.*165.Reginald.*nu.* 46. & alij, qui addunt digitum superfluum posse abscindi absque periculo irregularitatis, modò abscindi possit absque periculo vitæ, aut maioris deformitatis. Neque in hoc casu videtur accipiendum *c.qui partem. dist.*55.

12 An hermaphroditus sit irregularis.

12 Nonò, hermaphroditum esse irregularem, quando scilicet particeps est masculini, & feminini sexus. *cap.si testes.*4.*quæst.*2.

13 An hermaphroditus possit professionē facere.

13 Addit Nauarr.*cons.*47.*de irregularitatibus*, Vgolin.*de irregularitate cap.*48.§.1.*num.*4.& alij, hermaphroditum non posse professionem facere in religione virorum, vel mulierum ob periculum scandali, & libidinis, credendum enim est Ecclesiam, irritantem professionem apud personas diuersi sexus, irritasse etiam professionem illius, qui æquè particeps est vtriusque sexus, propter grauissima pericula, & scandala. Quare hermaphroditus non solùm repellitur ab ordinibus, sed etiā à professione. Ita Nauarrus, Vgolinus *locis cit.* Henriquez *lib.*14.*cap.*8.*nu.*6.*fol.*861.& alij apud Sanchez *lib.* 7.*de matrim. disput.*106.Imò si hermaphoditus magis, aut æquè participet femineum, & virilem sexum, est incapax ordinis, & characteris, quia neque potest propriè dici vir, neque femina; subiectum autem capax characteris est vir propriè, cùm femina repellatur ab ordinibus. Secus si magis particeps sit virilis, quàm feminei sexus, tunc enim, quamuis sit irregularis, est capax ordinis, & characterem recipit, si ad ordines promoueatur. Ita Nauarrus *cap.*27.*num.*203. Suarez *tom.* 5. *disp.*51.*sect.*2.*n.*1.Sayrus *lib.*6.*cap.*8.*n.*25.Auila *dub.*5. Vgolinus *ca.*48. §.1.Molina *num.*13.Henriquez *loco cit.*Filliucius *num.*163.& alij, contra Toletum *lib.*1.*cap.*63.*num.*6. quem sequitur Martinus Fornarius *de Sacramento ordinis cap.*3. *num.*1. asserentem hermaphroditum non esse irregularem, modò res non sit notoria, tunc enim etiam ipse concedit non posse promoueri propter scandalum.

Verùm si detur casus, vt quis pro femina reputetur, sed postea processu temporis virilia, quæ hactenus sub femineis pudendis latuerant, prodeant, ita vt femineus sexus amplius non appareat, non censebitur irregularis, quia hic non dicitur amplius femina, vel hermaphroditus, consequenter non videtur inhabilis ad ordines, seu irregularis. Ita Suarez *disp.*51.*sect.*2.*n.*2.Filliucius *n.* 162. vbi testantur de casu simili, qui ad Romanam Pœnitentiariam delatus fuit, de quo etiam ego Mediolani à viro peritissimo consultus fui, quem casum in Hispania contigisse asserebat.

14 An habens crura

14 Decimò, illos non esse irregulares, qui habent crura distorta, modò huiusmodi deformitas tegi possit auxilio vestium.

distorta sit irregularis.

15 An sit irregularis, qui caret pede.

15 Vndecimò, illum esse irregularem, qui aliquo caret pede, hic enim dicitur carere membro patente; carentia autem membri patentis solet adiunctam habere deformitatem, & inducere irregularitatem, vt dicam *in* 2.*propositione.* Similiter est irregularis, qui indiget baculo, ita vt non possit per seipsum accedere ad Altare, ibique functiones absque baculo exercere, *cap.si quis in infirmitate distinct.*55.*& c. nullus Episcopus, distinct.*1.idem dicendum videtur de eo, cui necessarius est pes ligneus ad altare, etiamsi non careat vero pede, videtur enim magna indecentia vti pede ligneo. Ita Molina *loco citato num.*9. Nauarrus *n.*199.Sayrus *lib.*6.*cap.*2.*num.*22.Vgolinus *cap.* 47. Filliucius *num.*173.Reginald.*num.*54.& alij.

16 An qui non potest ordines exercere sit irregularis.

16 Duodecimò, illum esse irregularem, quem infirmitas reddidit ineptum ad exercitium ordinum: aut quando ordines exercere nequit absque horrore, vel deformitate notabili, vel scandalo, *cap. tuæ nos.de Clerico ægrotante.* Ex quo sequitur, non solùm eum esse irregularem, qui caret indice, vel pollice, quibus frangitur, & eleuatur Eucharistia, aut qui caret parte digiti pollicis, vel indicis, ita vt notabiliter impediatur frangere, aut eleuare, aut tractare Eucharistiam, sed etiam, qui laborat debilitate digitorum, ita vt hæc præstare nequeat. Ita Molina *loc.cit.num.*3.Sayrus *cap.*9.*numer.*2. Auila *loco cit.* Suarez *disp.*51.*sect.*2.*num.*17.Filliucius *n.*179.Reginald.*n.*57.& alij. Secus dicendum est de eo, qui caret vngue pollicis, vel indicis, nisi illius carentia notabilem pariat deformitatem, vt bene ait idem Molina *loc. cit.*& alij communiter.

17 An febre laborantes sint irregulares.

17 Decimotertiò, laborantes febri continua esse irregulares: secus si febris sit quartana, aut leuis febricula, aut non impediat celebrationem Missæ, tunc enim celebrari potest, quia infirmitas non reddit ipsum ineptum ad celebrationem. [Hinc patet quid dicendum sit de sene, qui ob senectutem impeditur, ne functiones exerceat, hic enim est irregularis. Vide Suarez *disp.*51.*sect.*2.*num.*5.*&* 17.]

18 An graui dolore capitis laborantes sint irregulares.

18 Decimoquartò, laborantes graui dolore capitis irregulares esse, quamdiu periculum subeunt celebrando. Vide Vgolinum *c.* 54.§.1. *num.*5.Suarez, & Filliucium *locis cit.*

19 An laborantes morbo Gallico sint irregulares.

19 Decimoquintò, laborantes morbo Gallico, qui fotis appareat, horroremque, ac scandalum generet, irregulares esse argumento *cap.*2.*de Clerico ægrotante.* Ita Vgolinus *cap.*55.§.2. Molina *num.*16.& alij communiter.

20 An sit irregularis, qui laborat lepra, aut scabie.

20 Decimosextò, laborantes lepra, vel multa scabie, nimiam inducente deformitatem, aut manuum vsum impedicte, irregulares esse, quamdiu durat lepra, vel scabies, *c. tuæ nos, citato,* consequenter non posse celebrare saltem in loco publico, vt ait Maiolus *lib.*2.*c.*18. Molina *loc.cit.n.*11.& Vgolinus *c.*55.§.1.*&* 2.vbi §.3.idē sentit de phthisi. Reginald.*num.*56.*&* 57.

21 An peste laborantes sint irregulares.

21 Decimoseptimò, laborantes peste irregulares esse propter periculum infectionis aliorum, sicut etiam sunt irregulares laborantes tussi, quæ coniunctum habeat periculum in suscipienda Eucharistia, quamuis peste, vel tussi sublata cesset irregularitas. Ita Vgolinus *loc. cit.*§.3.*num.*3.Maiolus *loc.cit.ca.*20.& alij communiter.

22 An morbo caduco laborantes sint irregulares.

22 Decimooctauò, laborantes morbo caduco irregulares esse, imò non posse ad ordines promoueri, quamuis fuerint iam sani effecti, & liberati, semelque tantùm fuerint correpti eo morbo, *c. maritum, & c.communiter dist.*33. sunt enim irregulares, & inhabiles ad ordines propter periculum incidendi de nouo in eumdem morbum. Ita communiter Doct. teste Vgolino *cap.*54.§.1. Possunt tamen in ordinibus susceptis ministrare, modò liberati fuerint eo morbo, [vt bene Suarez *n.*6.]Si verò nondum plenè liberati sunt, sed tantùm rarò, e.g. semel in mense cadunt in terram absque clamore, vel spumarum emissione, vel horribili corporis agitatione, possunt celebrare adiuncto sibi socio Sacerdote ieiuno, qui perficiat sacrificium, si fortè incepto canone alter corripiatur morbo caduco, *cap. nuper dist.* 7. *quæst.*2.Ita Sayrus *loc.cit.num.*11. Molina *num.* 12. Antoninus 3.*part. tit.*24.*cap.*5.*ad finem*, Vgolinus *loc.cit.*Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5.§.179.[Suarez *num.*6.]Reginaldus *num.* 41. & alij qui addunt ad Episcopum pertinere iudicium, an aliquis liberatus sit eo morbo, facta obseruatione triginta dierum, *cap.nuper* 7.*quæst.* 2. & à tempore recuperatæ salutis expectandum esse vnum annum, prout Episcopus iudicauerit. Ego verò puto probationes relinqui arbitrio Episcopi pensatis conditionibus morbi, & personæ. [Ita Suarez *disput.*50.*sect.*1.*num.*5.]

23 An amentes, & furiosi sint irregulares.

23 Decimononò, amentes, & furiosos habitualiter esse irregulares propter periculum scandali, & noui lapsus in amentiam, vt patet ex *cap.maritum* 2.*dist.*33.

Ex quo licet inferre primo, huiusmodi amentes, vel furiosos non posse absque approbatione Summi Pontificis, cui constet de sanitate mentis recuperata, celebrare, etiamsi omnino liberati sint. Ita Maiolus *lib.*2.*cap.*14.Nauarrus *cap.*27.*numer.*203.Suarez *disp.* 51.*numer.*5. Filliucius *numer.*184.Reginaldus *num.*37.Coninchus *numer.*107.& alij statim citandi, quamuis contrarium teneat Bartholomæus ab Angelo *loco cit.*§.180.Hoc tamen intelligitur, modo furor, amentia, & mentis alienatio sit frequens, nec raro, vel ex causa transeunte contingat, nam si proueniat ex causa transeunte, vt ex vi morbi, vulneris, iræ, & passionis breuis, sublata amentia, cessat impedimentum, & irregularitas, vt patet, tum ex communi vsu: tum quia cessat periculum scandali: tum quia isti non dicuntur amentes habitualiter; [nam passio transiens non denominat simpliciter, vt ait Aristoteles.] Secus dicendum est de eo, qui frequenter patitur insaniam, id est, de eo qui habet organa læsa, vel humores, hic enim est irregularis, & excluditur ab ordinibus suscipiendis, & exercendis, quamuis non careat lucidis interuallis. Ita Auila *loco citat.* Vgolinus *cap.* 53. *&* 54. Coninch.*num.*107.Molina *loc.cit.disput.*70.*num.* 12. Nauar. *cap.* 27. *nu.*203.Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5.§.180. Suarez, Filliucius, & alij communiter.

Secundo, eos non esse irregulares, qui leuem quamdam mentis alienationem, vel vertiginem, vel deliquiū animi, vel quid simile patiuntur,

tiuntur, quia non sunt amentes habitualiter. Cauti tamen se debent gerere, ne ad celebrandum accedant, non adiuncto sibi socio, quando periculum est, vt ipsi hoc morbo ita vexentur, vt nequeant sacrificium perficere. Ita Maiolus *lib.2.c.16.*Reginald.*loco cit.* Suarez *disp. 51.sect.1.n. 6.* Filliucius *n.* 180. quilibet enim Sacerdos celebraturus curare debet, vt sacrificium integrè fiat.

Tertiò, Episcopum non posse in irregularitate ob amentiam contracta dispensare ad ordines suscipiendos, contra Tabienam, & alios apud Reginaldum *num.*39. [& apud Suarez *nu.*5.] hæc enim est vera irregularitas; ad Episcopum autem non pertinet dispensatio circa irregularitatem, præsertim circa prouenientem ex defectu.

Dixi, *ad ordines suscipiendos,* nam si loquar de ordinibus susceptis, Episcopus potest transacto anno ab amentia, vel iudicio prudentis circa vsum ordinum antea susceptorum dispensare, seu potiùs consentire, & declarare subiectum esse impedimentum, *c.cõmuniter dist.* 33. Ita Suarez *n.*5. Filliucius, Reginaldus, Coninchus, & alij *locis cit.*

24 An Dæmoniaci sint irregulares.

24 Vigesimò, Dæmoniacos, quorum corpora à Dæmone obsidentur, vel semel fuerunt obsessa, irregulares esse, consequenter non posse ordines sacros suscipere, vel susceptos exercere, quamuis modò liberati sint, vt patet ex *c.maritum 2.& c.Clerici 4.dist.*33. Ita Nauarrus *c.27.n.*203. Tolet.*lib.1.c.59.n.2.* & alij statim citandi, contra Bartholomæum ab Angelo *dialogo* 5. §. 180. & 183. vbi testatur de communi, nempè Dæmoniacum ex toto liberatum posse celebrare, [& Suarez *disp.51.sect.1.n.7.* vbi idem sentiendum putat de Dæmoniacis, quod de laborantibus morbo caduco.]

Verum tamen est primò, eum, qui fuit à Dæmone obsessus post ordines susceptos, posse ordines susceptos exercere ex dispensatione Episcopi, modò constet ipsum à Dæmone spatio vnius anni non fuisse vexatum. *c.communiter dist.*33. Ita Vgolinus *de irregular. cap.* 55. *n.*2. Henriquez *lib.*14.*c.*8.*n.*8.*littera A.* Nauar.*c.*27.*nu.*203. Sebastianus Medices *parte* 2.*de irregular.c.*32. Molina *tom.*4.*tract.* 3.*disp.* 70. *n.*12. Sayr.*lib.6.c.9.n.*14. Tolet.*lib.*1.*c.*64.*versus principium,* Coninch. *disp.*18.*dub.*13.*n.*107. Reginald.*n.*43. Filliucius *num.*187. ad finem, loquens de arreptitiis, & energumenis.

Secundò verum est, eum, qui liberatus est ab obsessione Dæmonis, posse ad ordines minores promoueri, nam *in cap. Clerici dist.* 33. dicitur non posse ascendere ad superiorem sacri regiminis gradum. Ita Glossa *ibidem,* Sayrus, & Toletus *locis cit.* Filliucius *tract.*19. *ca.* 6. *q.*9.*vers. Septimũ.* Reginald.*lib.*30.*n.*43. contra Vgolinum *loco cit.n.*5.

Tertiò verum est, maleficiatum, qui ratione maleficij perpetui est inhabilis ad contrahendum matrimonium, non esse ineptum ad ordines sacros suscipiendos, hac enim ratione castior est. Ita Henriquez, & Sayrus *locis cit.* & alij.

Addo, non solùm illos esse irregulares, qui à Dæmone sunt oppressi, sed etiam illos, qui se Dæmoniacos simularunt, vt patet ex VI. Synodo generali Constantinopolitana, *canone* 6. Ita Vgolinus, & Sayrus *locis cit.* Reginaldus *num.* 43.

Ex allatis exemplis satis, superque constat, quodnam vitium, seu defectus corporis inducat irregularitatem.

25 An defectus corporis idem operetur, quando aduenit ante susceptionem ordinum, ac quando subsequitur ordines susceptos.

25 Quæres primò, vtrùm defectus corporis idem operetur, quando aduenit ante susceptionem ordinum, ac quando subsequitur ordines iam susceptos.

Respondeo negatiuè, licet enim defectus, qui reddit hominem inhabilem ad vsum ordinum, reddat etiam inhabilem ad ordines suscipiendos, nihilominus, si superueniat ordinibus iam susceptis, non semper reddit hominem inhabilem ad vsum illorum, vnde amputatio pollicis, vel indicis reddit quidẽ inhabilem ad suscipiendum sacerdotium, nihilominus, si superueniat sacerdotio iam susceptо, non reddit inhabilẽ ad vsum sacerdotij, ad quẽ vsum defectus superueniens nõ affert impedimentũ, nisi fortè adsit notabilis deformitas.

Ex quo patet, Sacerdotem, cui susceptо sacerdotio aduenit amputatio pollicis, vel indicis, posse præstare ea omnia, ad quæ non impeditur per illum defectum, vnde quamuis sit inhabilis ad celebrationem Missæ, eo quod non possit hostiam eleuare, nihilominus non est inhabilis ad reliqua sacerdotij officia, eò quòd possit illa præstare, consequenter potest confessiones audire, concionari, exercere ordinem Diaconi, canendo Euangelia, &c. Sicut etiam Sacerdos cœcus potest confessiones audire, quas etiam potest audire Sacerdos, qui susceptо sacerdotio morbo caduco corripitur, vt colligitur ex *c. presbyterum.de Clerico &grotante.* Ita Nauarrus *c.*27.*num.*200. Molina *n.*14. Sayrus *loc.cit.n.*7. Coninch.*n.*106. Vgolin.*c.*52.§.1. Filliuc.*n.*158. 167.&178. Reginald.*lib.*30.*num.*44.&48. & alij

26 An abstemius possit vti sacerdotio.

26 Hinc patet eum, qui susceptо sacerdotio fit abstemius ita vt non possit degustare vinum, posse vti sacerdotio, excepta celebratione; qui verò ante susceptionem sacerdotij est abstemius, eò quòd vinum non bibat, vel illud euomat, vel alio modo patiatur vomitum, non potest ad sacerdotium admitti, nam sacrificium Missæ sub vtraque specie peragi debet, non potest autem peragi ab abstemio propter periculum vomitus in sumendis speciebus vini. Maiolus *ca.* 25. Reginald.*n.*58. & alij Doct. statim citandi.

27 An Papa possit dispensare cum abstemio.

27 An verò Summus Pontifex possit cum abstemio dispensare, vt promoueatur ad sacerdotium.

Respondendum est, non posse, si sequamur sententiam eorum, qui dicunt Summum Pontificem non posse dispensare, vt sub vna tantum specie fiat consecratio. Secus si contrariam sequamur opinionem, de qua egimus in Sacramento Eucharistiæ. Verum tamen est, Summum Pontificem posse cum abstemio dispẽsare ad reliquos ordines, nam hoc impedimentum iure naturali videtur solùm extendi ad sacerdotium. Ita Nauarrus *c.*27.*n.*204. Sayrus *c.*9.*nu.* 15. Toletus *lib.*1.*c.*25. Vgolinus *c.*53. vbi etiam ostendit an qui vouit non bibere vinum, sit irregularis, & faciat contra votum celebrando, seque purificando, de qua re nos egimus de voto, & diximus non peccare, nec facere contra votum, consequenter non esse irregularem.

28 An habens corporis defectum impedientem susceptionem ordinis possit ad reliquos ordines promoueri.

28 Quæres secundò, vtrùm habens defectum corporis, impedientem susceptionem sacerdotalis ordinis, possit admitti ad reliquos ordines, e.g. vtrùm carens vngue, vel aliquo digito possit ad Diaconatum, vel ad alios ordines admitti, quamuis admitti non possit ad sacerdotium.

Respondeo negatiuè iuxta communiorem Doct. sententiam, Nauarri *cap.*27.*num.*20. Auilæ *loco cit.regula* 2. Vgolini *cap.*52.§.1. *nu.* 4. Angeli, & aliorum apud Garziam 7.*parte cap.*12.*num.*29. *& seq.* contra Sayrum *lib.6.c.7.n.*8. Paludanum, & alios. Ratio est, tum quia habens huiusmodi defectum est irregularis: ergo non potest ad vllos ordines promoueri; cum irregularitas directè impediat susceptionem omnium ordinum: tum quia carens aliquo membro non solùm est inhabilis respectu sacerdotij, sed etiam respectu aliorum ordinum suscipiendorum, vt concedit etiam ipse Sayrus, & patet ex *c. illiteratos dist.*36. vbi dicitur vitiatos corpore, aut diminutos non debere ad Clericatum promoueri; ergo etiam habens defectum corporis, impedientem susceptionem sacerdotalis ordinis non potest ad alios ordines admitti, cùm alij ordines ad sacerdotium dirigantur.

SECVNDA PROPOSITIO.

29 An carens aliquo membro fit irregularis.

29 CArentia alicuius membri, vel partis membri etiam occulti, si propria culpa contingat, inducit irregularitatem, quamuis ea membri priuatio non impediat vsum ordinis, neque notabilem afferat deformitatem, *ca.maritum dist.*33. Secus dicendum est, quando ea membri carentia contingit absque propria culpa, nec impedit executionem ordinis, neque notabilem deformitatem habet adiunctam, *cap.qui partem dist.*53. Ita Nauarrus *numer.* 197. Suarez *disp.*51. *sect.*2.*num.*8. Sayrus *loco cit.num.*11. Auila *loc.cit.dub.*2.*regula* 2. Molina *disp.*70.*num.*18. Henriq.*lib.*14.*cap.* 8.§. 4. Valentia *loc. cit.punct.* 3. Vgolinus *cap.*52.*n.*5. Filliucius *cap.*6.*q.*1.2.&7. Reginald. *n.* 47. Tolet.*c.*38. in vltima editione *n.*6.*lib.*1. & alij. Sed inter alios videri potest Bartholomæus ab Angelo *dial.* 5. §. 155. & deinceps, & antè. [Quamquam Suarez *n.*8. oppositum probabile existimat in mutilatione partis membri ab alio facta, & non à seipso; nam si à seipso ex indignatione, vel ex indiscreto zelo fiat, perspicuum est inducere irregularitatem, vt infra probabo *num.* 35. Si verò mutilatio partis membri ab alio fiat, putat Suarez ex rigore iuris non inducere irregularitatem ex hoc cap. præcisè. Secus si mutilatio perfecta membri fiat ab alio ex culpa mutilati; aut si mutilatio mẽbri, vel partis membri fiat ab ipso mutilante in seipsum; iura enim respexerunt illum seueritatis modum in seipsum, etiam dum contingit mutilatio solius partis membri.]

30 An carens membro occulto irregularis sit.

30 Hinc sequitur primò, priuationem alicuius membri occulti quæ contingit absque propria culpa, non inducere irregularitatem; modò illa priuatio non sit coniuncta cum notabili deformitate. Ita Suarez, Sayrus, & alij Doct. cit. Ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus in iure expressis, *c. is, qui, de sent. excom.* In iure autem non est expressum irregularitatem incurri, quando priuatio membri contingit absque propria culpa, modò non habeat adiunctam notabilem deformitatem, aut impedimentum exercitij ordinem.

31 An sit irregularis qui sibi virilia amputauit.

31 Secundò, eum qui sibi virilia amputauit, vel permisit amputari absque iusta causa, irregularem esse, consequenter non posse ordines suscipere, vel susceptos exercere, *cap. si quis absciderit dist.* 55. Secus dicendum est de eo qui sibi virilia, aut testes amputari permisit ex iusta causa, hic enim est irregularis, nec tenetur testes abscissos, vel eorum cineres secum deferre, vt falsò putat vulgus, nullo enim iure probatur ad hoc teneri. Ita Couarruuias *in Clement.vnica 1.part.n.*5. Vgolinus *cap.*39.*n.*5. Molina *loc.cit.n.*15. Toletus *lib.*1.*c.*57. Filliucius *n.*159.&160. & alij communiter.

32 An sit irregularis, qui amisit digitos pedum, aut virilia.

32 Tertiò, eum qui per infirmitatem amisit digitos pedum, aut virilia, aut ea curauit sibi ob sanitatem abscindi, non esse irregularem; sicut neque est irregularis, qui digitum manus non necessarium ad Eucharistiam eleuandam, vel frangendam, vel ad faciendum signum Crucis in infirmitate amisit, aut passus est ab inimicis per vim abscindi facta debita resistentia, modò ex ea mutilatione non inducatur notabilis deformitas, quæ irregularitatem pariat.

33 An ille sit irregularis, cui abscissa sunt virilia in pœnam delicti.

33 Quartò, illum esse irregularem, cui abscissa sunt virilia in pœnam delicti, vt si Clerico amputentur virilia à marito adulteræ, cum qua turpiter inuentus est, vel si amputentur à iudice, nam huiusmodi amputatio propria culpa videtur contingere. Ita Vgolinus *cap.*18.*num.*4. Molina *numer.* 15. Nauarrus, Auila, & Suarez *loco cit.* Filliucius *numer.*177. quamuis oppositum non improbabile putet Suarez *num.*8.

35 An sit irregularis, qui virilia amputauit causa cantus, aut castitatis.

34 Quintò, illum esse irregularem, qui sibi virilia, vel testes amputauit, aut permisit amputari causa cantus, vel etiam causa castitatis, est enim illicitum etiam ob castitatem se hoc modo secare, nam huiusmodi sectio, & amputatio non est medium ad castitatem, imò secti, & amputati, maioribus vexantur stimulis carnis, præsertim in virili ætate, vt fatentur communiter Doctores. Hæc omnia constant ex *cap.si quis abscideris, cap. si qui se.dist.*55.& *cap.significasti. de corpore vitiatis.* Ita Molina *loc.cit.num.*16. Nauarrus, Auila, Filliucius, Toletus, & alij *locis cit.*

34 An sit irregularis, qui ex indignatione membrum amputauit.

35 Sextò, illum, qui sponte sibi membrum, vel membri partem, e.g. digitum, vel partem digiti ex indignatione, vel impatientia abscidit, irregularem esse: etiamsi ex huiusmodi abscissione non oriatur notabilis deformitas, vel impedimentum ad celebrandum, *c. qui partẽ, 6. dist.* 55. vbi inducta est ista irregularitas potiùs ex iniusta sæuitia in seipsum, seu potius ex delicto, quàm ex defectu. Ita Suarez *loco cit. numer.*6. Molina *disp.*70.*num.*19. Nauarrus *cap.*27.*numer.*198. & alij communiter, quorum multi ad hanc irregularitatem incurrendam requirunt notorietatem abscissionis, vt videlicet notorium sit sibi abscidisse partem membri, vel digiti ex indignatione. Ita Vgolinus *cap.*51.*num.*1. Nauarrus *cap.*27.*num.*198. Reginaldus *nu.* 47. Bartholomæus ab Angelo *dialogo* 5.§.158. vbi plures alios refert, Maiolus *lib.*1. *cap.* 24. vbi in simili loquitur de eo, qui sibi per indignationem dentes euulsit. Verùm notorietatem requiri gratis videtur dici,

cùm

cùm non colligatur ex textu, Suarez *disp.51.sect.2.* & alij apud Garziam *de beneficiis 7.parte cap.12.num.5.& sequent.*

Septimò, illum non esse irregularem, qui seipsum ex indignatione vulnerauit, vel dentem extraxit. Ratio est, quia vulnus nullum induxit corporis defectum, vt suppono, & dens non est membrum, aut membri pars. Ita Sayrus *lib.6.cap.7.num.12.* Henriquez *cap.8.num.1.* Filliucius *num.160.* & alij, quos retuli *num.6.*

TERTIA PROPOSITIO.

36 Quis possit in hac irregularitate dispensare.

36 AD Summum Pontificem pertinet dispensare in irregularitate prouenient ex defectu, vel ex deformitate, vel ex infirmitate, nisi fortè coniuncta sit cum impedimento iuris naturalis. Ita Nauarrus *n.200.* Suarez *disp.55.sect.3.num.8.ad finem.* Molina *loco cit.numer.19.* Sayrus *lib.6.cap.8.num.16.* Henriquez *lib.14.cap.8.numer.1.* Couarruuias *Clementin.si furiosus 1.parte, num.7.* Vgolinus *ca.52.§.3.* Filliucius *num.180.* Suarez *disp.51.sect.2.num.18.* Reginaldus *lib.30.num.45.& 59.* & alij, contra Sylueſtrum, & alios, & patet ex *cap.significasti.de corpore vitiatis.*

Ad Episcopum verò pertinet iudicare, vtrùm defectus vel deformitas inducat irregularitatem, vt patet ex *c.2.de corpore vitiatis.* Hoc idem iudicium aliqui Doct. [vt Suarez *disp.51.sect.2.num.16.*] extendunt ad Prælatos religiosorum exemptorum respectu religiosorum sibi subditorum. Sed hoc mihi videtur falsum, cùm nullo iure probetur hoc priuilegium illis concessum esse. Ita Auila *parte 7.disputat.3.dub.3.* Couarruuias, Vgolinus, Filliucius, Suarez, Reginaldus, & alij *locis cit.*

PVNCTVM III.

De irregularitate ex defectu natalium proueniente.

TRia principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, vtrùm illegitimus sit irregularis.

Secundò, vtrùm peccet, & incurrat aliquam pœnam ordines suscipiendo, vel susceptos exercendo.

Tertiò, quomodo tollatur irregularitas ex defectu natalium. Sed priùs

1 Quinam appelletur illegitimus.

1 Notandum, illegitimum appellari eum, qui non est ortus ex legitimo matrimonio, sed potiùs ex fornicatione, vel stupro, vel incestu, vel adulterio. Si sit ortus ex meretrice appellatur *Manzer*: si ex soluto, & ex concubina domi retenta, appellatur *filius naturalis*: si ex adultero, & soluta, appellatur *nothus*: si ex coitu damnato, vt ex stupro, vel raptu, vel sacrilegio, vel incestu, vel ex femina coniugata, dicitur *spurius.* Ita Couarruuias *p.2.de sponsalibus ca.8.§.4.* Sayrus *lib.6.cap.10.num.6.* Molina *tract.2.disp.165.* Lessius *lib.2.cap.19.dub.6.* Vasquez *in opusc.de testam.cap.5.§.6.dubio 1.§.7.num.98.* Suarez *disput.50.sect.2.num.1.& seq.* Filliucius *num.133.& seq.*

PRIMA PROPOSITIO.

2 An illegitimus sit irregularis.

2 ILlegitimus quamuis occultus est irregularis, *cap.1.de fil.presbyter.* Ratio, cur hæc irregularitas sancita sit à iure, est, quia expedit illegitimum arceri ab ordinibus. Primò in detestationem delicti à parentibus commissi. Secundò propter periculum incontinentiæ in prole ex imitatione paterna. Tertiò ob reuerentiam ordinibus debitam. Ita Vgolin. *cap.44.§.1.* Auila *part.7.disp.3.dub.6.* Sayr. *cap.10.numer.36.* Henriq. *lib.14.cap.8.num.10.* Nauarr. *num.207.* Tolet. *lib.1.cap.53.* Coninch. *dub.12.* Suar. *sect.3.num.2.* Filliuc. *num.138.* Reginaldus *lib.30.num.67.* & alij contra Castrum aliter sentientem de illegitimo occulto.

3 An filij censeantur legitimi, quando matrimonium est inualidum ob impedimentum occultum.

3 Quæres primò, vtrùm filij censeantur legitimi, quando matrimonium inter duos inualidè contractum fuit ob occultum aliquod impedimentum, sed vterque contrahens, vel vnus eorum bona fide ex probabili errore iuris, vel facti contraxit in facie Ecclesiæ, id est, coram Parocho, & testibus.

Respondeo legitimos esse, consequenter non esse irregulares, *cap. peruenit, & cap.ex tenore, qui filij sint legitimi,* quamquam Suarez *disp.50.sect.1.num.11.* Filliuc. *n.132.* post Caietan. Socinum, & alios, putant id verum esse solùm dum vterque bona fide contraxit. Sed oppositum mihi magis probatur, tum quia matrimonium reputatum idem operatur ac verum: [tum quia par non est, vt vnus damnum patiatur ob culpam alterius, tum quia sic colligitur ex *c. peruenit, cit.* vbi iudicatur legitima quædam femina, eo quod orta fuisset ex matrimonio legitimè celebrato, & ex *cap.ex tenore, citato,* ibi, ignaram, vbi asseritur filium susceptum ex vidua in matrimonium copulata cum viro, aliam vxorem habente, censeri legitimum, quia ipsa insscia erat coniugij, & matrimonium contraxerat in facie Ecclesiæ. Ex quo licet obiter inferre, huiusmodi filium non fore legitimum, quoties matrimonium in facie Ecclesiæ contractum non fuit. Ita Suar. *nu.6.* Sanchez *lib.8.de matrim.disp.34.num.46.& seqq.* vbi alios DD. citat. Ratio est, tum quia deficit solemnitas quæ est de substantia contractus matrimonij; consequenter matrimonium est irritum defectu formæ substantialis; consequenter proles inde susceptа non censetur legitimа. Tum quia non præsumitur bona fides in eo, qui inualidè contraxit ob absentiam testium, aut legitimi Parochi, vel alterius Sacerdotis de licentia Parochi, quamuis fortè contrahens existimaret illum, coram quo matrimonium celebrauit, esse verum parochum, aut ignorauit illius præsentiam necessariam esse. Ita Suarez *disp.50.num.10.* Secus dicendum est in aliis impedimentis, cum quibus quis bona fide contraxit in facie Ecclesiæ, putans matrimonium validum esse. Tunc enim proles inde susceptа censetur legitimа, vt probatum est, etiamsi fortè matrimonium celebratum sit omissis publicationibus: publicationes enim non sunt de substantia matrimonij: sed sunt aliquid extrinsecum, ab Ecclesia præscriptum, vt bene Suarez *loco citato,* qui in hac re videndus est.]

4 An idem sit de filiis infideliū.

4 Addo legitimos censeri filios susceptos ab infidelibus, qui tempore infidelitatis contraxerunt matrimonium validum secundùm leges ipsorum, sed inualidum secundùm leges canonicas, nam filij censentur illegitimi, quando non oriuntur ex matrimonio valido: prædicti autem filij orti sunt ex matrimonio valido, nam matrimonium infidelium non dissoluitur per ipsorum conuersionem ad fidem, nisi sit inualidum propter impedimentum iuris naturæ, aut propter impedimentum inductum à Principibus ipsorum, *cap. de infidelibus. de consanguin.& affinit.* Ita Couarruuias *parte 2. cap.8.§.1.* Sayrus *loco citat. num.35.* Suarez, Filliucius, & alij communiter.

Addo cum Suarez *disp.40.sect.4.num.10.* Auila *loco cit. dub.10.* & aliis filium genitum à parentibus, qui matrimonium inualidè contraxerunt, non teneri se tamquam irregularem gerere, nisi ei constet de mala fide parentum, nam in dubio non debet præsumere parentes deliquisse.

5 An filius teneatur credere matri asserenti ipsum esse illegitimum.

5 Vtrùm verò filius teneatur credere matri asserenti ipsum esse illegitimum, constat ex dictis de matrimonio, non teneri (nisi rationibus conuincatur, vt si vterque parens idem affirmet.) Et hoc verum est etiamsi mater cum iuramẽto, vel in mortis articulo asserat, ipsum esse illegitimum, vt ibidem ostendi, & præter Doctor. *ibi* citatos, idem docet Suarez *disput.50.sect.4.num.5.* [*& seqq.* vbi etiam disponit de filiis suppositis, &] quamplures alios Doct. refert, quibus adde Filliucium *num.144.* Reginaldum *num.78.*

6 An illegitimus fiat legitimus per subsequens matrimonium.

6 Quæres secundò, vtrùm illegitimus fiat legitimus per subsequens matrimonium.

Respondeo fieri legitimum, & consequenter habilem non solùm ad successionem hereditariam, & dignitates sæcnlares, sed etiam fieri idoneum ad ordines, & Ecclesiasticas dignitates, excepto Cardinalatu, vt patet ex motu proprio Sixti V. apud Sayrum *loco citato numero 14.* & apud Garziam *de benef.7.part.cap.1.numer.28.* vbi quamplures Doct. refert. Ratio est, quia matrimonium sequens purgat omnia præcedentia: modò parentes tempore conceptionis, vel natiuitatis habiles essent ad contrahendum matrimonium, nec haberent aliquod impedimentum dirimens matrimonium, nam si tunc temporis non erant habiles ad contrahendum matrimonium, non tollitur illegitimitas, & inhabilitas ad ordines, & Ecclesiasticas dignitates, *cap.tanta, qui filij sint legitimi.* Ita Sanchez *lib.8.disp.7.num.19.* Suarez *loco citato sect.1.* Henriquez *lib.13.cap.20.num.4.* Sayrus *loco citat. numer.15.* Reginald. *num.69.* Couarruuias *de matrim.part.2. cap.8.§.2.* Filluc. *num.131.* Garzias ex parte *numer.38.* Maiolus *de irreg.lib.1.c.4. numer.14.* Coninchus, Auila, & alij *locis citatis*, quamquam multi Doctor. putant fieri legitimos solùm dum parentes habiles erant ad contrahendum tempore conceptionis. Secus si habiles solùm erant tempore natiuitatis. Ita Suarez, Garzias, Maiolus, & Filliucius *locis citatis.*

Oppositum mihi non displicet cum Couarruuia, & aliis, tum fauore matrimonij, tum quia non adest textus contrarius.

Addunt Suarez *num.1.* & Filliucius *nu.132.* post Couarruuiam & alios, illegitimum fieri legitimum solùm per matrimonium subsequens validum, non verò per matrimonium inualidum existimatum verum. Sed oppositum mihi probabilius videtur, iuxta dicta *num.3.* [nam matrimonium perinde operatur ac verum. Ita Antonin. *in cap.tanta, qui filij sint legitimi.*]

7 Quid si matrimonium contrahatur post aliud cum alia celebratū.

7 Hinc sequitur primò, eum qui dum esset solutus, suscepit filium ex concubina, & postea matrimonium contraxit cum Berta, & mortua Berta contraxit matrimonium cum ipsa concubina, non solùm validè contrahere, verùm etiam filium antea susceptum fieri legitimum, etiamsi matrimonium non consummetur cum ipsa, quæ aliàs fuit concubina. Ratio est, quia parentes erant habiles ad contrahendum tempore conceptionis filij. Ita Panormitanus *in cap.tanta, citato,* [Suarez *disput.50.sect.1.num.3.*] & alij plures apud Sayrum *loco cit.num.19.*

8 An illegitimus liberetur ab irregularitate per subsequens matrimonium.

8 Secundò, filium illegitimum natum ante matrimonium contractum à suis parentibus, fieri legitimum, & consequenter liberari ab irregularitate per matrimonium subsequens inter ipsos parentes, etiamsi sequatur, postquam filius fuit promotus ad ordines, nam filius fit legitimus per subsequens matrimonium, consequenter liberatur ab irregularitate, eò quòd cesset illius causa. Ita Sayrus *loco cit. num.30.* Coninchus *disp.18.dub.12.num.105.* & alij contra Maiolum *lib.1.cap.4.num.16.* & alios.

9 An proles suscepta ex propria vxore post factam professionē sit legitima.

9 Tertiò quando aliquis contracto, & nondum consummato matrimonio professionem emisit in approbata religione, eaque emissa priorem coniugem carnaliter cognouit, & ex ea suscepit prolem, prolem inde susceptam esse illegitimam, & consequenter irregularem, cùm non sit suscepta ex legitimo matrimonio, eò quòd matrimonium fuerit dissolutum per professionem, vt patet ex Tridentino *sess.24.cap.6.* & ex traditis à nobis de matrimonio.

10 An filius expositus censeatur illegitimus.

10 Quæres tertiò, vtrùm filius expositus, cuius parentes ignorantur, præsumendus sit illegitimus, & irregularis.

Respondeo iuxta probabiliorem DD. sententiam præsumendum esse irregularem. Ita Suarez *disp.50.sect.4.* Filliucius *num.141.* Reginaldus *num.77.* Vgolinus *loco cit.§.7.* Auila *loc. cit.* Rebellus *lib.1.de contract.quæst.2.num.15.* & alij, apud Garziam *num.8.* contra Sayrum *cap.10.num.39.* Henriquez *lib.14.cap.8.in comment.lit.K.* Coninchum *disp.18.dub.12.num.105.* & alios apud Couarruuiam *in Clement. si furiosus 1.parte initio,* apud Garziam *num.7.* & apud Vgolinum *loc. cit.* Ratio est, tum quia in huiusmodi casu adsunt coniecturæ ita vehementes, vt ferè certò constet expositum esse illegitimum, cùm filij legitimi non soleant exponi, vt docet ipsa experientia, & parentes exponentes filios notam infamiæ subeant: [tum quia in obscuris inspici solet quod vero similius est, aut quod plerumque fieri solet. *l.114.ff.de reg.iur.*]

Addunt tamen prædicti Doctores cum Couarruuia *loco cit. num.9.* expositum posse susceptis ordinibus vti absque alia dispensatione, melior enim est conditio possidentis. Imò videtur posse ab Episcopo dispensari, vt ordines suscipiat post adhibitam debitam diligentiam. Ita Henriquez *lib.14.cap.8.n.19.* Suarez *loc.cit.num.4. ad finem,*

Sayrus *loc.cit.numer.*39. Filliucius *numer.*141. & alij, non quia Episcopus possit dispensare in irregularitate proueniente ex defectu, sed quia illius facultas prodesse potest ad pacandam conscientiam adiuncta opinione probabili, asserente expositum non esse præsumendum irregularem.

Obiicies. In dubio facti nullus præsumendus est irregularis, excepto facto homicidij, sed in proposito casu non adest dubium facti homicidij, sed dubium illegitimitatis; ergo expositus non est iudicandus illegitimus, seu irregularis.

Respondeo in hoc casu non adesse dubium facti, sed potiùs certitudinem quamdam moralem innixam experientiæ.

11 An natus ex parentibus coniugatis possit aliquando esse irregularis.

11 Quæres quartò, vtrùm dari possit casus, in quo natus ex parentibus coniugatis sit irregularis, [seu canonicè illegitimus, quamuis ciuiliter sit legitimus.]

Respondeo affirmatiuè, vt accidit, quando pater factus est Sacerdos de consensu, vel absque consensu suæ vxoris, sed postea vxorem carnaliter cognouit, ex eaque prolem suscepit, tunc enim proles inde suscepta censetur [canonicè illegitima & irregularis, *cap. litteras, de filiis presbyt.* vbi Summus Pontifex de hoc casu interrogatus ait, permittimus ordinari; quæ loquendi forma indicat relaxationem impedimenti præcedentis. Ita Suarez *disp.*50. *sect.*2. *num.*5. *& sect.*3. *n.*4. vbi etiam ostendit Clericum, qui sacris ordinibus initiatus est, sine consensu vxoris, remanere inhabilem ad vsum ordinum susceptorum, & ad alios ordines suscipiendos, quod etiam ego docui de matrimonio.] Sanchez *lib.*9. *de matrimonio disp.*38. Sayrus *lib.*6. *cap.*10. *num.*14. Filliucius *num.*136. Toletus, & alij [apud Suarez *numer.*5. contra nonnullos alios.]

SECVNDA PROPOSITIO.

12 An illegitimus peccet mortaliter recipiendo ordines.

12 ILlegitimus peccat mortaliter recipiendo ordines absque dispensatione. Ratio est, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, sicut etiam mortaliter peccat exercendo ordines susceptos absque dispensatione, vt ex eadem ratione constat. Ita Auila *loco cit.* Nauarrus, Toletus, & alij apud Sayrum *num.*38.

13 An incurrat aliquam pœnam.

13 Quæres vtrùm illegitimus non solùm peccet, verùm etiam incurrat aliquam pœnam suscipiendo ordines absque dispensatione, vel exercendo susceptos.

Respondeo non incurrere nouam pœnam, cùm hæc non sit in iure expressa, quamuis peccet mortaliter, & ratione prioris irregularitatis repellatur ab executione ordinis, eò quòd irregularitas non solùm impediat susceptionem, sed etiam exercitium ordinum. Ita Nauarrus *cap.*27. *num.*96. Sayrus *loco cit. num.*38. & alij contra Maiolum *lib.*1. *cap.*2. *num.*8. existimantem incurrere nouam irregularitatem celebrando.

TERTIA PROPOSITIO.

14 Quot modis tollatur irregularitas prouenies ex illegitimitate.

14 IRregularitas prouenies ex illegitimitate tribus modis auferri potest. Primò, per legitimationem, [siue legitimatio fiat beneficio iuris Canonici, siue ab homine,] vnde legitimatus à Papa censetur factus habilis ad ordines, ad beneficia, ad dignitates, & alia omnia, ad quæ se extendit potestas legitimantis, quatenus fieri potest absque præiudicio alterius, *cap. venerabilem, qui filij sint legitimi*, in quo cap. etiam habetur legitimatum à Papa extra patrimonium, seu territorium Diui Petri non censeri factum idoneum, & habilem ad dignitates sæculares, & ad hereditatem, de qua re vide Sayrum *cap.*11. *num.*6. & alios Doctores statim citandos.

Dixi, *legitimatum*, quia non idem est legitimatio, & dispensatio, nam illegitimus per legitimitatem efficitur habilis ad omnia, ac si re vera esset legitimus. Per dispensationem verò efficitur solum habilis ad certum aliquem actum, iuxta verba dispensationis, nam dispensatio est res odiosa, & strictè explicanda, propterea dispensatus ad certum aliquod beneficium ad illud tantùm censetur dispensatus: dispensatus verò ad beneficium curatum in communi potest relicto primo consequi aliud, & aliud, quia dispensatio est generalis ad beneficia curata.

Dixi, *legitimatum à Papa*, quia legitimatus à Comite Palatino non est habilis ad beneficia, vel ordines, nam Comes Palatinus non habet auctoritatem circa dignitates Ecclesiasticas, [vt falsò quidam putauit, qui à me legitimatus fuerat,] sicut nec habet Imperator, vel alius Princeps sæcularis, quamuis Princeps sæcularis possit legitimare sibi subditos, quoad honores, & officia sæcularia, non verò quoad Ecclesiastica, vel ad ordines, vel ad beneficia. Vide Couarruuiam 2. *parte cap.*8. §. 8. Maiolum *lib.*1. *cap.*8. *num.*1. Sayrum *lib.*6. *cap.*11. *num.*15. Vgolinum *loco cit.* §. 3. & 4. & Suarez *sect.*5. *num.*8. Filliucium *nu.*149. Reginaldum *num.*72.

Secundò, per professionem, vnde illegitimus per professionem fit habilis ad ordines, licet non fiat habilis ad prælaturam, siue sit religiosus, siue monialis. [*cap.*1. *de filiis presbyt.*] Ita Nauarrus *num.*207. Sayrus *cap.*11. *num.*3. Suarez *disput.*50. *sect.*5. §. 3. *vers. tertius modus*, Vgolinus *loco citat.* §. 5. Filliucius *numer.*153. & alij. [quamplures apud Sanchez *in opere morali lib.*5. *cap.*5. *num.*19. asserentes monialem illegitimam non posse absque dispensatione esse Abbatissam, vel priorissam contra Rodriquez *tom.*1. *quæst.*13. *artic.*21. & alios. Imò solus Pontifex in hac re dispensat, seclusis tamen priuilegiis, vt colligitur ex *cap.*1. *de filiis presbyt.* ibi, *prælationes nullatenus habeant*; vbi notanda est illa particula *nullatenus*, quæ indicat actum nullum; qualiter autem Prælati religionum possint cum illegitimis dispensare ad prælationes, consulenda sunt priuilegia religionum. Vide Rodriquez *tom.*1. *quæst.*13. *articul.*6. *vsque ad* 24. *& in summa tomo* 2. *cap.* 29. *numer.*12. & Sanchez *loco citato, numer.*17. *&* 20. vbi etiam loquuntur de dispensatione cum monialibus illegitimis.

An autem religiosus illegitimus per professionem fiat habilis ad successionem paternæ hereditatis, magna est inter Doctores altercatio; sed opinio negatiua mihi probabilior videtur, quia nullo textu probari potest, ipsum ad hoc fieri habilem. Ita Couar. 4. *decret.* 2. *parte cap.*8. §. 7. *num.*4. Sanchez *in opere morali lib.*5. *cap.*5. *num.*16. Suarez *de censuris disp.*50. *sect.*5. *num.*16. & alij; contra Baldum *in l.*1. *n.*3. *C. de sacrosanct. Eccles.* & alios.

Obiicies, illegitimus si offeratur curiæ Principis sæcularis, censetur legitimari ad huiusmodi successionem; ergo à fortiori censebitur legitimari per oblationem Principi cælesti factam in professione.

Respondeo ad antecedens, illam legitimationem per oblationem non esse amplius in vsu; deinde negatur consequentia, quia à disparatis non valet illatio.]

Tertiò, per dispensationem; sicut enim irregularitas est à superiore inducta, ita etiam potest à superiore per dispensationem auferri. Hic tamen

Aduertendum est, dispensationem strictè interpretandam esse; quamobrem dispensatus ad ordines non censetur [dispensatus ad ordines sacros, iuxta Panormit. *in cap. litteras num.*6. *de filiis presbyt.* Sayrum *num.*19. & alios, nisi aliud ex circumstantiis colligatur, de mente Summi Pontificis,] & dispensatus ad beneficium, & dispensatus ad certum ordinem, non censetur dispensatus ad ordinem superiorem, sed ad illum, qui fuit expressus, & ad ordinem inferiorem. Similiter dispensatus ad beneficium simpliciter, non censetur dispensatus ad beneficium curatum, & dispensatus ad dignitates Ecclesiasticas non censetur dispensatus ad Episcopatum. Ita Sayrus *loco cit.* Couarruuias *parte* 2. *cap.*8. §. 8. Maiolus *loco cit. cap.* 8. Sanchez *loco citat.* Filliucius *numer.*151. Reginaldus *numer.*75. & alij quos in simili retuli de dispensationibus. Dispensatio enim strictè accipienda est, cùm sit odium iuris.

15 Quis possit cum illegitimo dispensare.

15 Rogabis, quis possit dispensare cum illegitimo.

Respondeo, Episcopum [& alios iurisdictionem Episcopalem habentes,] non posse cum eo dispensare ad maiores ordines, ad dignitatem, & ad beneficium curatum: posse verò dispensare ad ordines minores, & ad vnum beneficium simplex non requirens ordinem sacrum, qualem requirit Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, *cap.*1. *de filiis presbyterorum in* 6. Ita Vgolinus *loco cit.* §. 2. Suarez *loco citato sect.*5. [*num.*2. *&* 6.] Filliucius *num.*152. Sayrus, & alij *loc. cit.*

Addunt aliqui Doctores Episcopum posse dispensare super illegitimitate proueniente ex delicto occulto, vt colligi videtur ex *cap. nisi cùm pridem. de renuntiatione*, & ex Tridentino *sectione* 24. *cap.* 6. vbi conceditur Episcopis facultas dispensandi in irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto; sed ista irregularitas intrinsecè prouenit ex delicto parentum, quod, vt suppono, est occultum; ergo potest Episcopus dispensare in huiusmodi irregularitate.

Obiicies. Ista irregularitas non solùm prouenit ex delicto parentum, sed etiam ex defectu in ipsis filiis; sed Episcopus non potest dispensare in irregularitate proueniente ex defectu; ergo Episcopus non potest dispensare in irregularitate proueniente ex legitimitate.

Respondet Auila *disp.* 3. *dub.*7. hanc irregularitatem intrinsecè prouenire ex delicto parentum, quamuis deinde producat quemdam defectum in filiis.

Sed mihi dicendum videtur, Episcopum non posse in hac irregularitate dispensare ad maiores ordines; primò, quia hæc irregularitas connumeratur communiter ab omnibus Doctor. inter irregularitates ex defectu: Tridentinum autem non concessit facultatem Episcopis dispensandi in irregularitatibus prouenientibus ex defectu, sed in prouenientibus ex proprio delicto occulto, illa enim propriè dicitur irregularitas ex delicto, quæ prouenit ex proprio delicto. Ita Nauarr. *cap.*27. *num.*194. Vgolinus *loco citato* §. 2. *num.*4. Suarez *loco citato sect.*5. *num.*5. & alij. Secundò, quia secundùm ipsum Auilam illegitimus recipiens ordines, est suspensus ab ipsorum executione, & hæc suspensio secundùm ipsum Auilam non est ex delicto, sed ex defectu; ergo etiam irregularitas est ex defectu, consequenter Episcopus non potest in ea dispensare.

PVNCTVM IV.

De irregularitate ex defectu ætatis, & libertatis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An defectus ætatis inducat irregularitatem.

1 DEfectus legitimæ ætatis requisitæ ad ordines inducit irregularitatem, quamdiu defectus durat. Hæc propositio colligitur ex *canone* 1. *distinct.*50. *& cap. vltimo, de temporibus ordinationum.*

An verò lata sit suspensio contra eos, qui ordines sacros præsumunt recipere ante legitimam ætatem, patet ex supradictis de suspensione, & ex dictis de Sacramẽto ordinis *punct.*5. latam esse in constit. Pij II. *cùm ex sacrorum.*

Addo, exercentem functiones sacri ordinis non adepta legitima ætate fieri nouo titulo irregularem ob violationem suspensionis per exercitium ordinis sacri. [Ita Suarez *disp.*51. *sect.*2. *num.*4.]

Ex dicendis tamen patebit irregularitatem ex defectu ætatis prouenientem cessare adueniente termino ætatis, vel saltem dispensante Papa. Ita Sayrus *lib.*6. *cap.*12. Graffius 1. *part. decis. lib.* 4. *cap.* 27. *numer.*22. Nauarrus *num.*165. *& num.*202. Toletus *lib.*1. *cap.*56. Vgolinus *loco cit. cap.*45. §. 1. Filliucius *tract.*19. *num.*175. Reginaldus *nu.* 60. *& seqq.* & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An defectus libertatis inducat irregularitatem, & in quibus personis.

2 DEfectus libertatis inducit irregularitatem in sequentibus casibus.

Primò, in coniugatis, nam coniugati non admittuntur ad ordines, *cap. vxoratus. de coniunctione coniugatorum.* Hæc doctrina intelligenda est iuxta dicta de matrimonio in impedimento ordinis, ad quæ vos remitto.

[Sed modò dubium est, vtrùm habens filios illegitimos, vel legitimos, sit irregularis.

Respondeo negatiuè ex *hoc cap. præcisè*, quia irregularitas non est indu-

inducenda, nisi vt in iure expressa. Ita Suarez *disput. 50. sect. 3. num. 3.* & alij contra Maiolum *lib. 1. cap. 12. de irregul.* asserentem Clericum, qui ex matrimonio filios legitimos suscepit, ante ordinationem suam irregularem esse ad Episcopatum, vel ad prælationem Ecclesiasticam; & hoc probat ex *cap. Cathinensis disp. 61. & cap. de Syracusana. 28. dist.* vbi dicitur id fuisse prohibitum principali constitutione, quia Ecclesiastica substantia periclitari solet, dum Episcopus filios habet. Respondeo in præfatis textibus referri constitutiones ciuiles, à quibus constat ferri non posse irregularitatis pœnam; & præfati textus id non afferunt simpliciter tamquam impedimentum canonicum, sed recipiunt tamquam egregium consilium, & approbant causam qua Imperator adductus est ad faciendam illam constitutionem, quæ habetur *in Auth. quomodo oportet Episcopos, cap. 5. collat. 1.* Addunt tamen, Panormit. *in cap. 1. de testam num. 2.* Suarez *num. 3.* & alij, habentem filios legitimos, debere hanc conditionem exprimere Summo Pontifici in obtinendo Episcopatu, aut confirmatione electionis ad Episcopatum; alioquin prouisio est irrita, quia tacetur aliquid, quo cognito Summus Pontifex cum magna difficultate Episcopatum contulisset, aut electionem confirmasset. Verum quid ego in hac re sentiam, agam *in tract. de benef.*]

3 (An habẽs filios illegitimos, vel legitimos, sit irregularis.)

3 Secundò, in mancipiis, quæ sunt omnino destituta libertate, vt patet ex titulo de seruis non ordinandis. Ratio est, quia non decet seruum ob vilem conditionem euehi, & promoueri ad dignitatem sacerdotalem: verùm quia hoc ratò euenit, non immoror in his explicandis. Qui cupit abundantiorem huius rei doctrinam habere, videat Diuum Antoninum *3. parte tit. 28. cap. 6. §. 6.* Toletum *lib. 1. cap. 55.* Sayrum *lib. 6. cap. 14. num. 3.* Suarez *disput. 51. sect. 3.* Vgolinum *cap. 57.* Nauarrum *cap. 27. num. 203.* Maiolum *lib. 1. cap. 36.* Henriquez *lib. 14. cap. 8. num. 7.* Auilam *parte 7. disp. 3. dubio vlt.* Filliucium *tract. 19. cap. 7. quæsito 5.* Reginaldum *num. 63.* Hic ergo sufficiat prænotasse

Primò, seruos quamdiu sunt serui, impediri, ne ordines suscipiant, vt patet, tum ex ratione allata, ne dignitas sacerdotij paruipendatur: [tum quia Clericus per ordinationem contrahit onus vacandi Ecclesiasticis ministeriis; cùm autem seruus huiusmodi ministeriis vacare nequeat, (Clericus enim non est suus, nec dominus suorum operum, consequenter alteri dare non potest quod suum non est;) sequitur Clericum libertate carentem, quamdiu liber non est, ad ordines promoueri non posse; tum quia sic colligitur ex *cap. 1. dist. 54. & can. 81. Apost.* Ita communiter DD.]

Secundò, seruum ordinatum de consensu tacito, vel expresso domini fieri liberum, *cap. si seruus sciente. dist. 5.* Idem valet si de consensu domini tonsura initiatus sit, *cap. si seruus, cit.* ibi, *in Clerum fuerit ordinatus.*

Si verò absque domini consensu sit initiatus minoribus ordinibus, adhuc manet seruus. Secus si sine domini consensu initiatus sit maioribus ordinibus, tunc enim acquirit libertatem, soluendo domino pretium; vel tradendo alium seruum in sui locum, alioquin adhuc compellitur inseruire in iis rebus, quæ non dedecent ordinem suum. [Ita communiter Doctores, teste Suarez *loco cit. num. 10.*]

Tertiò, Episcopum, qui seruum sine consensu domini scienter ordinauit, peccasse mortaliter, & teneri satisfacere domino restituendo illi duplicatum pretium, [aut duos seruos, *cap. si seruus absente domino, dist. 54.* An autem Episcopus in tali euentu teneatur in conscientia duos seruos, vel duplicatum pretium restituere ante iudicis sententiam, Suarez affirmat, quia lex Ecclesiastica in hoc casu non videtur pœnalis, sed dispositiua, & fundata in rerum æquitate, vt compensetur damnum, & onus domini, qui in præfato casu tenetur seruum sic ordinatum dimittere.

Sed oppositum mihi probabilius videtur, quia hoc sancitum videtur in pœnam; pœna autem quæ ad sui executionem requirit actionem hominis, non est subeunda ante iudicis sententiam, vt patet ex dictis de legibus.

Verùm si Episcopus bona fide promouit seruum ad sacros ordines, ad præfatam satisfactionem faciendam obligantur illi, qui culpabiliter cooperati fuerunt huiusmodi ordinationi, *cap. si seruus absente. dist. 54.* Si verò illi carent culpa, tenetur ipse ordinatus ad præfatam satisfactionem, vel saltem ad substituendum pro se vicarium, *cap. ex antiquis. dist. 54.* Si hanc satisfactionem præstare non potest, redigitur in seruitutem, remanet irregularis, & clericali priuilegio caret, modò ipse dominus, postquam scierit huiusmodi ordinationem, illum repetat intra annum à die scientiæ, & modò ipse ordinatus promotus sit solùm ad subdiaconatum aut Diaconatum, non verò ad Sacerdotium; si verò promotus sit ad Sacerdotium, non redigitur in seruitutem, sed cogitur satisfacere ea ratione, qua potest, *cap. ex antiquis, & cap. frequens. dist. 54.* Vide Suarez, & alios præcitatos Doctores.]

Tertiò, in obligatis ad ratiocinia, isti enim impediuntur, ne ordines recipiant, iis tamen receptis vti possunt, vt patet ex *cap. vnico, de obligatis ad ratiocinia,* & ex *cap. 1. & 2. ne Clerici, vel Monachi.*

Ex quo patet ipsos impediri solùm ad tempus, donec reddant ratiocinium: reddito verò ratiocinio, & deposita illius obligatione, posse promoueri ad ordines. Ratio, cur non debeant promoueri, est, quia præsumuntur confugere ad Ecclesiam, non amore seruiendi Deo, sed potiùs intentione fugiendi ratiocinia.

4 Quinam dicantur obligati ad ratiocinia.

4 Si quæres, quinam dicantur obligati ad ratiocinia.

Respondeo dici eos, qui obligati sunt ad reddendam rationem administrationis publicæ, vel priuatæ. Ad reddendam rationem administrationis publicæ obligantur thesaurarij, aut depositarij æris publici. Item Aduocati, Magistratus, iudices, &c. Ad reddendam verò rationem administrationis rei priuatæ obligantur illi, qui gesserunt administrationem alicuius personæ sæcularis non miserabilis, vt sunt tutores, curatores, procuratores, qui non debent ad ordines admitti, nisi finito officio, *cap. 1. & 2. ne Clerici, vel Monachi.* Illi verò, qui administrationem gerunt personæ Ecclesiasticæ, vel personarum miserabilium, vt viduarum, pupillorum, causarum piarum, &c. non afficiuntur hoc impedimento, *cap. peruenit dist. 86.* & aliis iuribus citatis: sicut neque afficiuntur, qui sunt obligati absque vlla administratione reddere rationem ex aliquo contractu, vt emptione, depositi, conducto, mutuo, &c. nisi ante promotionem, vel in ipsa promotione mota sit lis de dolo, aut perfidia, tunc enim non debent promoueri ante finitam litem. Ita Sayrus *cap. 14. num. 8.* Suarez *disput. 51. sect. 3.* [*num. 15. & seqq.*] Filliucius *num. 198.* Reginaldus *nu. 66.* & alij communiter.

[Multi tamen Doctores existimant obligatum ad ratiocinia ob priuatam administrationem, id est, circa priuatam personam, vel bona eius, non remanere irregularem, deposita administratione, etiamsi nondum reddita sint ratiocinia. Ita Gloss. *in cap. vnico, de oblig. ad ratiocin.* Panormit. *ibid.* & alij.

Sed contrarium dicendum est cum Suarez *loco citato nu. 11.* & aliis, quoties scilicet obligatio ad ratiocinia consurgit ex tali administratione, quæ irregularem efficiebat; obligatio enim ad ratiocinia est quid consequens ipsam administrationem; accessorium autem sequitur principale.

5 (An is qui finita administratione remanet debitor, adhuc remaneat irregularis donec satisfecit debito.)

5 Maior difficultas est, vtrùm is qui finita administratione, & reddito ratiociniis, adhuc remanet debitor, & nondum pecuniario debito satisfecit, adhuc maneat irregularis.

Respondeo negatiuè, præsertim si præstitit securitatem soluendi debitum. Ratio est, tum quia iura non loquuntur de debitore, sed de obligatis ad ratiocinia, & in materia pœnali non est facienda extẽsio: tum quia in hoc casu cessat ratio ob quam ista irregularitas inducta fuit; suppono enim finitum esse negotium ex partium conuentione; consequenter non adesse implicationem ad negotia secularia. Ita Suarez *loc. cit. num. 23.* contra nonnullos alios aliter existimantes, quoties debitum resultat ex publica administratione, id est, circa rempubl. non verò ex priuata, id est, circa priuatam personam, vel bona ipsius.]

Quintò in curialibus, qui scilicet inseruiunt ex obligatione curiis Principum sæcularium, vt sunt iudices, Aduocati, milites, & alij, qui repelluntur ab ordinibus suscipiendis, quamdiu non fuerint soluti ab illa obligatione. Ita Syluester *verb. Ordo* 4. Toletus *loco citato*, Henriquez *lib. 14. cap. 5. num. 5.* Suarez *disp. 47. sect. 4.* Filliucius *num. 197.* Reginaldus *num. 64.* & alij communiter.

Hinc sequitur primò, non arceri ab ordinibus eos, qui curiæ Episcopali inseruiunt, nam isti non inseruiunt curiis Principum sæcularium.

Secundò eos, qui frequentant curias, & aulas Principum obsequij causa absque obligatione, non repelli ab ordinibus, nam habent integram, & perfectam libertatem.

Tertiò feudatarios, id est, eos qui re immobili accepta cum instrumento, & iuramento obligati sunt personaliter inseruire domino, repelli ab ordinibus, nisi feudum relinquant, vel facultatem à domino directo habeant. Vide Maiolum *lib. 2. cap. 5. num. 5.* Sayrum *loco citato num. 13.* Filliucium *num. 200.* [Suar. *disp. 51. sect. 3. num. 25.*]

Quartò arceri ab ordinibus tabelliones, Aduocatos, & iudices, qui causas ciuiles agunt: iudices verò, qui causas criminales tractauerunt ex alio capite, sunt irregulares, si iudicium sanguinis exercuerunt. Ita Suarez *loco citato*, Filliucius *num. 197.* & alij, quos infrà referam.

[Quintò illos non repelli ob ordinibus, qui curam pauperum susceperunt, maximè si hoc fecerunt de licentia Episcopi, aut ex necessitate, qua per legis dispositionem ad tale munus obeundum obligentur; quamuis enim Clericis veritum sit tutoris officium suscipere, vt patet ex *causa 21. quæst. 3.* tamen ex causa pietatis illud suscipere possunt, eoque suscepto non arcentur ab ordinum vsu. Vide Maiol. *lib. 2. cap. 5. de irregul.* Suarez *disput. 51. sect. 3. num. 17.* & alios præcitatos Doctores.]

6 An ex debito pecuniario consurgat irregularitas.

6 Quæres an ex debito pecuniario inducatur irregularitas.

Respõdeo ex debito pecuniario per se non induci irregularitatem. Ratio est, quia huiusmodi irregularitas non est in iure expressa.

Dixi, *per se*, quia si debitum sit litigiosum, dici potest adesse irregularitas ex defectu obligationis ad reddenda ratiocinia, quamquam potest se ab hac irregularitate eximere facta bonorum cessione, & reseruata sibi congrua sustentatione, iuxta *cap. Odoardus. de solut.* Ita Maiolus *lib. 2. cap. 11. nu. 15.* Filliucius *nu. 201.* Suarez *disput. 51. sect. 3. ad finem*, vbi etiam cum Couarruuia quærit in quo foro conueniri debeat huiusmodi Clericus ob debitum ante Clericatum cõtractum, [de qua re ego egi *in octauo Decalogi præcepto, & in Bulla Cœnæ.*]

Hic etiam agere possem de irregularitate, seu de impedimento consurgente ex defectu patrimonij, ad cuius titulum quis ordinari intendit. Sed de hac re egi de Sacramento ordinis. Vide Suarez, & Filliucium *locis citatis*, [& quæ ego tradidi *de Sacramento ordinis.*]

PVNCTVM V.

De irregularitate ex defectu Sacramenti, id est, bigamia.

DVo principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, an ex bigamia inducatur irregularitas.

Secundò, quis in ea possit dispensare. Sed prius

1 Quid sit bigamia.

1 Notandum est, primò, bigamiam esse quamdam irregularitatem consurgentem ex multiplici matrimonio contracto, & consummato. Ita Vgolinus *cap. 56. num. 1.* Sayrus *lib. 6. cap. 3.* Suarez *disput. 49. sect. 1.* Filliucius *tract. 19. cap. 4. quæsito 1.* & alij communiter. A fortiori appellandus est bigamus, qui non solùm bis contraxit, sed etiam ter, vel quater, vt bene ait idem Vgolinus *ibidem.*

[Bigamia enim significat duplicatum seu multiplicatum matrimonium; & quamuis secundum matrimonium, mortua prima coniuge, non sit peccaminosum, sed honestum, ac licitum, nihilominus non habet perfectam Sacramenti matrimonij significationem, nam Sacramentum matrimonij significat spirituale matrimonium, seu coniunctionem Christi cum Ecclesia, teste D. Paulo *ad Ephes. 5.* matrimonium autem seu coniunctio spiritualis Christi cum Ecclesia

vnica est, & vnius viri cum vna sponsa; consequenter ista spiritualis coniunctio non ritè significatur & repræsentatur per matrimonium vnius cum pluribus feminis, id est, per bigamiam, verùm interpretatiuam, vel similitudinariam; consequenter per bigamiam consurgit irregularitas, quæ alio nomine vocatur ex defectu Sacramenti.]

2 Quotuplex sit.

2. Notandum est secundò, triplicem esse bigamiam, videlicet, veram, interpretatiuam, & similitudinariam.

Vera bigamia est, quando quis verè duas vxores legitimè duxit, & cognouit carnaliter, siue duxerit ante Baptismum, siue post Baptismum, *cap.acutiùs.dist.*26. quare, qui sæpiùs contraxit matrimonium post Baptismum, vel ante Baptismum, vel semel ante Baptismum, & alia vice post Baptismum, suscepto Baptismo est irregularis, *cap.si quis viduam.dist.*34. Ita communiter Theologi teste Rebello *lib.*3. *de matrimonio qu&st.* 20. *num.*4. Maiolo *lib.*1.*cap.*33. Vgolino §.1. *ad finem*, Nauarro *num.* 191. Molina *tom.*4. *tract.*3. *disput.*67. *num.*4. Sanchez *lib.*7. *disput.*83. *num.*8. Sayro *lib.*6. *cap.*3. *num.*23. Henriquez, & Valentia *locis* statim *citandis*. Toleto *lib.*1. *cap.* 70. Coninch. *disput.* 18. *dub.* 11. *num.* 102.

Interpretatiua est, quando quis re vera non contraxit cum duabus, sed secundùm interpretationem iuris censetur contraxisse cum duabus. Et hoc multis modis accidit:

Primò, quando quis iam coniugatus de nouo contrahit cum alia, & cum ea copulam habet, vel quando vnam vxorem legitimam habuit, & postea aliam inualidè ducit cum impedimento dirimente, tunc enim si cum ea copulam consummet, fit bigamus non realiter, sed interpretatiuè, quia præsumitur bis contraxisse matrimonium ob affectum, & intentionem contrahendi cum duabus copula subsecuta animo maritali, *cap.nuper.de bigamis.*

Dico, *animo maritali*, quia qui vnum matrimonium contrahit cum ficto consensu, vt extorqueat copulam, non dicitur bigamus, quia non habet maritalem affectum, qui requiritur ad bigamiam *in dicto cap.nuper.* quidquid dicat Suarez *sect.*2. *num.*10. Ob eamdem rationem non dicitur bigamus vir cõiugatus, qui adulteratur cum aliis.

Rogabis primò, vtrùm qui duo matrimonia inualidè contraxit cum aliquo impedimento dirimente, sit bigamus consummatis matrimoniis.

Respondeo cum Vgolino §.2. *num.*13. Sayro *cap.*4. *num.*7. Valentia *loco citando*, & pluribus aliis apud Sanchez *disp.*84. *num.*3. Suarez *disp.* 49. *sect.*2. *num.*11. Filliucio *num.*104. Soto, & Toleto, contra Auilam *parte* 7. *dub.*8. *disp.*1. Henriquez *lib.*12. *cap.*6. *num.*6. Coninchum *disp.* 18. *dub.*11. *num.*101. esse bigamum bigamia interpretatiua, nam quoad affectum iniit duo matrimonia, consequenter deficit significatio, non propter verum Sacramentum, sed propter affectum cum subsecuta copula: idemque colligitur ex *can.*16. *Apostolorum*, *& ex cap.nuper. de bigam.*

Hinc sequitur illum esse bigamum, qui cum femina corrupta contraxit, & consummauit matrimonium inualidum ob aliquod impedimentum, vt patet ex dicta ratione. Ita Rota *decis.* 1. *de bigam. in nouis*, [Suarez *sect.*3.] & alij Doct. citati contra Auilam *loco citato*, Coninchum *loco citato*, & Henriquez *lib.*14. *cap.*4. Nauar. *num.*195.

[Rogabis secundò, vtrùm inualidè contrahens matrimonium cum vidua, irregularitatem incurrat.

Respondeo iuxta probabilem, & communem Doctorum sententiam Couarr. Ricardi, & aliorum, quos citat & sequitur Suarez *disp.* 49. *sect.*3. *num.*3. *&* 5. *&* 13. contra Nauarr. *in manuali, cap.*27. *nu.*195. *& lib.*1. *cons.*1. *de bigamis*, & alios, eum qui matrimonium cum vidua contraxit inualidè, ob impedimentum irritans ligari vinculo irregularitatis, tum quia contrahit cum affectu erga illam, cum qua contrahere non potest absque nota irregularitatis; tum quia sic colligitur ex *cap.vlt.de bigamis*, vbi Subdiaconus inualidè contrahens cum vidua, declaratur irregularis ob affectum intentionis cùm opere subsecuto. Opposita tamen sententia, quam Nauarr. sequitur, mihi probabilior videtur, eamque Romæ in sacra Pœnitentiaria approbatam fuisse testatur. Ratio est, tum quia ista irregularitas non est in iure expressa; tum quia irregularitas videtur res quædam odiosa, consequenter restringenda non verò amplianda; tum quia hæc non est bigamia expressa, tacita, vel similitudinaria; non enim contraxit inualidè cum duabus, neque cum vna validè, & cum alia inualidè, aut cum ipsa vidua validè, aut post votum solemne castitatis.]

Secundo modo contingit bigamia interpretatiua, quando quis contrahit, vel cum vidua, quæ consummauerat matrimonium cum priori viro, vel cum alia, quæ fuerat carnaliter cognita, *cap.maritum. distinct.*32. *& cap. curandum dist.*24.

Dixi, *cum vidua*, quę consummauerat matrimonium, quia ducens viduam non cognitam à priori viro non est bigamus, sicut neque est bigamus ducens feminam, quæ ab alio non fuit carnaliter cognita, licèt fuerit à se ipso cognita ante matrimonium, tunc enim caro non separatur, eò quòd matrimonium subsequẽs retrotrahatur, & reputetur quasi factum cum illa ante primam copulam, atque censeatur contractum cum virgine. Ita Nauarrus *cap.*27. *num.* 195. Sanchez *disp.* 84. *num.* 14. Suarez *loco citato sect.* 3. *num.* 7. Sayrus *cap.* 4. *num.*17. Couarruuias *loco citando*. Vgolinus *loco citato* §.2. *num.*5. Filliucius *num.*110. Reginaldus *num.*82. Syluester, & alij communiter contra Hostiensem *in summa lib.*1. *titul. de bigamis.*

Tertio modo contingit bigamia interpretatiua, quando quis contraxit matrimonium cum virgine, eamque cognouit, postquam ipsa adulterata est cum alio, siue volens adulterata fuerit, siue per vim, aut metum, *cap.si cuius, cap.si laici. distinct.* 34. Ratio est, quia huic matrimonio deficit significatio, siue femina cognita fuerit propria culpa, siue non, matrimonium enim consummatum significat vnionem Christi cum Ecclesia, quæ vnio est vna, & non multiplex. Secus dicendum est, quando quis contraxit matrimonium cum virgine, sed eam non cognouit postquam adulterata est, tunc enim non est bigamus. Ita Vgolinus §. 2. Suarez [*num.* 13. *&* 16.] Filliucius & alij *locis citatis.*

Bigamia similitudinaria contingit, quando quis post votum solemne castitatis emissum in professione religionis, vel in susceptione sacrorum ordinum, matrimonium celebrat cum aliqua virgine, vel corrupta, eamque carnaliter cognoscit, *cap.quotquot.dist.*27. *qu&st.*1. *& cap.nuper.de bigamis.* Ratio est, quia astrictus voto solemni censetur spirituali quodam matrimonio coniunctus cum Christo, & Ecclesia; ergo si velit carnaliter cum alio coniungi per matrimonium, censetur celebrare duo matrimonia, non quidem vera, sed similitudinaria; huiusmodi verò bigamia, vel irregularitas non reperitur in eo, qui susceptis minoribus ordinibus, aut emisso simplici castitatis voto contrahit, & consummat matrimonium cum virgine, nam huiusmodi bigamia, vel irregularitas non est in iure expressa. Ita Sanchez *disp.*85. *num.*11. Vgolinus *loco citato* §.3. *num.*4. Valentia, Nauarrus, & Sayrus *locis citat.* Immò Suarez *disp.*49. *sect.*4. Filliucius *cap.*4. *qu&sito* 9. *num.*121. Panormitanus *in cap. nuper. de bigamis*, & alij probabile putant per votum castitatis in ordine sacro non induci bigamiam, (modò initiatus ordine sacro contrahat cum virgine,) nullo enim textu probatur hæc irregularitas, & iura loqui solum videntur de professis; sed opposita sententia communior est.]

PRIMA PROPOSITIO.

3 An bigamus sit irregularis.

3 BIgamus ex vera bigamia, interpretatiua, vel similitudinaria est irregularis, & consequenter inhabilis ad ordines, & ad beneficia. Hæc propositio patet, tum ex *cap.* 1. 2. *&* 3. *de bigamis.* & ex Tridentino *sess.*23. *cap.*17. *de reformatione*; tum quia bigamus non significat vnicam coniunctionem Christi cum Ecclesia, matrimonium enim consummatum significat vnionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem, quæ vnio, cùm sit vna, & non multiplex, non perfectè repræsentatur per multiplex matrimonium, seu per bigamiam, ob id bigamus fit irregularis, *cap.debitum, de bigamis*; tum quia bigamus difficilè potest aliis castitatem persuadere, quam præsertim habere debent initiati sacris ordinibus, *cap.vna. dist.*26. Bigamia autem est signum incontinentiæ, *cap.proposuisti. dist.* 82. Ita communiter Doctores.

4 Quænam requirantur ad bigamiam.

4 Ex dictis colligi potest primò, ad bigamiam duo requiri. Primò, vt matrimonium cum duabus contrahatur verè, aut interpretatiuè, aut similitudinariè. Secundò requiri copulam actualem, nam matrimonium ratum significat vnionem verbi cum Ecclesia per gratiam: consummatum verò significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem. Bigamia verò inducta est, quatenus matrimonium, cum duabus consummatum, non perfectè significat vnicam coniunctionem.

5 An bigamia oriatur ex matrimonio non consummato.

5 Secundò, multiplicitatem matrimonij rati, nondum consummati non inducere bigamiam, consequenter illum non esse bigamum, qui contraxit cum vna, eaque mortua ante consummationem matrimonij nouum matrimonium contraxit cum virgine, & cum ea copulam consummauit, nullo enim titulo est bigamus, vt patet ex *cap.debitum, cit.* sicut nec est bigamus, qui ducit eam in vxorem, quæ contraxerat matrimonium cum altero, morte præuento ante consummationem matrimonij, *cap.vltim.dist.*34. Ratio est, quia deficit carnis commixtio. Tunc dicitur matrimonium consummatum, quando femina recepit semen intra vas debitum, quouis modo receperit, vt patet ex dictis *de matrimonio.* Ita Vasquez *loco citato.* Sanchez *loco citato disput.* 83. Toletus *lib.*1. *cap.*61. *&* 62. & alij communiter.

6 An multiplicata sponsalia inducant bigamiam.

6 Tertiò multiplicata sponsalia non inducere bigamiam, etiamsi subsecuta sit copula, quia sponsalia coniuncta cum copula non significant coniunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem, sicut significat matrimonium consummatum. Ita Valentia *tomo* 4. *disput.*7. *&* 19. *punct.*5. *colum.*1437. & alij communiter.

7 An multiplicatæ fornicationes inducant bigamiam.

7 Quartò, multiplicatas fornicationes, vel adulteria ex parte viri non parere bigamiam, nam ad incurrendam bigamiam non sufficit quælibet copula ex parte viri, sed requiritur, vt copula habeatur cum iis, cum quibus contraxit matrimonium, matrimonium enim est illud, quod significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quam non significat fornicatio, *cap.acutiùs* 28. *qu&st.*3. quocirca ille non dicitur bigamus, qui post multas fornicationes cum aliis feminis etiam viduis commissas contraxit, & consummauit matrimonium cum virgine. *cap. quia circa. de bigamis.* consequenter benè ait Vgolinus, Reginaldus & Sanchez, Presbyterum, qui plures concubinas habuit, non ligari irregularitate bigamiæ.

Rogabis, cur Ecclesia statuerit illum esse bigamum, vel irregularem, qui contrahit cum femina ab alio cognita; non fit verò bigamus, qui contrahit matrimonium cum virgine, licèt ipse sæpiùs fornicatus sit.

Respondeo cum Suarez *sect.*3. *num.*9. Vgolino *loco cit.* Sayro *cap.*4. *num.*13. Filliucio *nu.* 117. & aliis communiter, hoc statutum fuisse ab Ecclesia, tum quia defectus virginitatis in sponsa arguit maiorem indecentiam, quam in viro, est enim ignominiosum ducere feminam fornicariè cognitam ab alio: sicut etiam ignominiosum videtur contrahere cum serua, aut mima, seu scenica, id est, publica fabularum actrice, & ob id contrahens cum ea est irregularis, etiamsi illa virgo fuerit, vt post Syluestrum, & alios notat Suarez *sect.* 3. *initio*, Reginaldus *num.*84. Filliucius *num.*108. ex *can.*17. *Apostolorum*, *& cap. si quis viduam.* [*dist.* 34. contrahens enim cum vili persona, similis illi efficitur.] Tum quia sicut motus non specificatur à termino à quo, sed à termino ad quem, ita etiam matrimonium non specificatur ab ipsomet contrahente, qui sæpiùs fornicatus est, sed ab altero contrahente, ad quem terminatur, qui est femina, cuius caro sæpiùs diuisa est, vnde si femina capax esset Ordinum, fieret bigama ducendo virum fornicarium, sicut ipse vir fit bigamus contrahendo, & consummando matrimonium cum ea quæ fuit ab alio carnaliter cognita.

8 An sit bigamus, qui cum femina ab alio corrupta cõsummat matrimonium.

8 Quintò, illum non esse bigamum, qui cum femina corrupta contraxit matrimoniũ inualidum ob aliquod impedimentum dirimens, modò cum ea non consummauerit matrimonium. Ratio est, tum quia

quia existente matrimonio inualido nulla est significatio, seu defectus significationis: tum quia non est expressum in iure hunc esse bigamum. Ita Henriquez *lib.14.cap.*4. Auila *parte* 7. *disp.*8. *dub.* 2. contra Nauarrum *cap.*27.*num.*195. Suarez *disput.* 49. *sect.*3. Sayrum *cap.* 4.*num.*3. Vgolinum *loco citato* §.2. & alios. Si verò copula affectu maritali intercessit, censendus est bigamus interpretatiuè primo modo, vt suprà dictum est *num.* 2.

9 An copula nefaria inducat bigamiam.

9 Sextò, ad irregularitatem bigamiæ non sufficere copulam nefandam: tum quia hæc non significat coniunctionem Christi cum Ecclesia: tum quia ex nullo titulo apparet hanc esse bigamiam. Ita Vgolinus *loco citato* §.1.*num.*5. Sanchez *loco citato disp.*83.*num.*7. & alij.

10 An sit bigamus, qui ducit feminam corruptâ, quam putabat virginem.

10 Septimò, illum qui duxit feminam, quam putabat virginem, sed postea comperiit non esse virginem, fieri bigamum consummato cum ea matrimonio, ignorantia enim non excusat à bigamia, cùm non efficiat, quin caro illius feminæ in plures diuisa fuerit, *cap. curandum dist.*34. Ita Couarruuias *in Clementin. si furiosus* 1. *parte* §.2. *num.*2. [Suarez *disp.*49.*sect.*2.*num.*8.] Vgolinus *loc. cit.*§.2.*num.*7. Filliuc.*num.*107. Sanchez *loc. cit.* & alij communiter.

11 An sit bigamus, qui cognoscit propriâ vxorem postquam cum alio nupsit, credens priorem maritum esse mortuum.

11 Octauò, illum esse bigamum, & irregularem, qui carnaliter cognouit suam vxorem, postquam ipsa, credens virum mortuum esse, contraxit bona fide, & consummauit matrimonium cum alio. Ratio est, quia titulo matrimonij, & affectu maritali accedit ad feminam ab alio cognitam, & adulteram materialiter, in quo casu non attenditur culpa feminæ, sed defectus significationis, consurgens ex diuisione carnis feminæ, quæ pluribus communicata fuit. Ita Nauarr. *cap.* 27. *num.*195. Filliuc. *loco citato*, Toletus *cap.*61. *num.* 7. & alij apud Sayrum, *cap.*4.*num.*19. & apud Garziam *num.*16.

12 An sit bigamus, qui suam vxorem adulteram carnaliter cognoscit.

12 Nonò, illum esse bigamum, qui post separationem cum sua vxore adultera reconciliationem cum ea iniit, eamque post reconciliationem carnaliter cognouit. Ita Couarruuias *loc. cit.* Reginald. *num.* 83. & alij. Et hoc verum est, etiamsi debitum reddiderit de mandato iudicis, adhuc enim deficit significatio. Ita [Maiolus *lib.*1. *cap.*32. *nu.* 7. Suarez *disput.*49.*sect.*3. *num.*17.] & communiter Doct. apud Sayrum *loco cit.num.*20. & apud Sanch. *loc. cit. num.*17.]

13 An infidelis, qui sæpius in infidelitate contraxit matrimonium, sit bigamus, & irregularis.

13 Quæres vtrùm infidelis, qui in infidelitate sæpiùs contraxit, sit bigamus & irregularis.

Respondeo susceptò Baptismo esse irregularem. Ratio est, quia bigamia non tollitur per Baptismum, Baptismus enim tollit quidem delicta, quoad culpam, vel etiam quoad pœnam, non verò tollit coniugia, consequenter neque tollit bigamiam ex coniugio prouenientem. Ita communiter Theologi tenent Rebello *loc.cit.* [& patet ex dictis *num.* 2.]

Obiicies primò. Infidelis non est subditus legibus Ecclesiæ; ergo non incurrit bigamiam, & irregularitatem, quæ est imposita ab Ecclesia.

Respondeo cum Suarez *disput.*49.*sect.*6.*num.*14. Filliucio *nu.* 102. Reginaldo *lib.*30.*tract.*2.*num.*90. bigamiam non cadere super infidelem pro tempore infidelitatis, sed super ipsum iam baptizatum: nam Ecclesia hunc facit irregularem ob indicium incontinentiæ, eò quòd contraxerit bis matrimonium, vel ob indecentiam, quia contraxit cum corrupta extra matrimonium.

Obiicies secundò. Infidelis occidens alium iustè, vel iniustè tempore infidelitatis, non est irregularis, non solùm pro tempore infidelitatis, sed neque post Baptismum & conuersionem ad fidem; ergo neque est bigamus.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia iura non imposuerunt irregularitatem homicidij, nisi propter homicidium patratum post Baptismum, *cap. si quis viduam, dist.*30. *& cap. si quis post Baptismum. dist.* 51. irregularitas autem non incurritur, nisi sit in iure expressa. Vide Suarez *disp.*49.*sect.*3.*num.*2. *&* 3.

SECVNDA PROPOSITIO.

14 Quis possit in bigamia dispensare.

14 IN quacumque bigamia potest Papa dispensare. Ratio est, quia Papa potest dispensare in iis, quæ sunt de iure humano: bigamia autem est de iure humano. Ita Couarruuias *loco suprà citato.* Henriquez *libro*14.*cap.*20. *num.*2. Valentia *loco citato.* Nauarrus *num.* 192. Sayrus *cap.*6.*num.*10. Sanchez *disput.*86. Suarez *sect.*6. Filliucius *quæsito* 12. Toletus *lib.*1.*cap.*63.*num.*2. & alij apud Suar.*loc.cit.*

Obiicies. Summus Pontifex non potest dispensare in iure diuino, bigamia autem est de iure diuino, cùm Apostolus dicat Episcopum debere esse vnius vxoris virum, 1.*ad Timoth.*3.

Respondeo Apostolum fecisse hoc præceptum tamquam Episcopum particularem, non verò promulgasse hoc præceptum tamquam Apostolum, & conditum à Deo. Summus autem Pontifex dispensare potest in legibus latis ab Episcopis, vel ab Apostolis tamquam Episcopis. Ita Valentia *tom.*4.*disp.*7. *quæst.*19.*punct.* 3. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 1. Sayrus *libro* 6.*cap.*3. *num.*22. Filliucius *num.* 112. Existimo tamen in dispensatione bigamiæ obtinenda non esse necessarium exprimere, vtrùm matrimonium ter, vel quater contractum fuerit. Ratio est, tum quia iura non præscribunt hoc exprimi: tum quia ita deficit significatio in bigamo, sicut in trigamo: facienda tamen est mentio, an bigamia sit vera, vel interpretatiua, vel similitudinaria, eò quòd istæ sint diuersæ species bigamiæ. Ita Vgolinus *loco citato* §. 7.*num.*3. Sanchez *loco cit.disp.*86.*num.*24 [Suarez *disput.* 49.*sect.*1.*nu.* 5.*ad finem.*] & alij, quos retuli de dispensationibus.

15 An Episcopus possit in bigamia dispensare.

15 Quæres primò, vtrùm Episcopus dispensare possit in bigamia. Respondeo negatiuè, nam Episcopus non potest dispensare in iure communi, nisi quatenus illi conceditur à Sede Apostolica; quare non potest Episcopus dispensare in bigamia propria, vel interpretatiua ad susciendos Ordines sacros, vel ad vsum susceptorum, *cap. super eo. de bigamis.* Immo Episcopus hoc tempore non videtur posse cum bigamis dispensare non solùm ad susciendos Ordines sacros, vel ad vsum susceptorum, verùm neque ad minores, vel ad primam tonsuram, vel ad beneficium etiam simplex, vt colligitur ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 17. *ad finem*, idemque expressè declarauit Sacra Cardinalium Congregatio apud Garziam 7. *parte cap.*6. *num.* 5. contra communem Doctorem sententiam.

In bigamia verò similitudinaria dispensare potest cum eo qui contraxit cum virgine, iure sibi hoc concedente, *cap.*1.*qui Clerici vel vouentes.* Abbates verò, & alij superiores religiosi non possunt dispensare [in bigamia vera, vel interpretatiua,] nisi habeant specialia priuilegia. Ita Sayrus *cap.*6.*num.*14. Vgolinus *loco citat.* Emanuel Sà, & Valentia *locis citatis*, Rodriquez 1.*parte cap.*158. Auila *par.*7.*disp.*8.*dub.* 4. Suarez *disp.*39.*sect.*6. Coninch. *disp.*18.*dub.*11. *num.* 102. Filliucius *quæsito* 12. Reginald.*num.*89. Toletus *loco cit.num.*3. & alij.

16 An bigamus fruatur priuilegiis Clericorum, si absque dispensatione initiatus fuit ordinibus.

16 Quæres secundò, vtrùm bigamus, qui Ordinibus fuit initiatus absque dispensatione, gaudeat priuilegiis Clericorum.

Respondeo, gaudere, si est initiatus Ordine sacro. Ratio est, quia non potest viuere vt laicus; ergo debet viuere vt Clericus, & consequenter gaudere debet priuilegiis Clericorum. Secus dicendum est si est initiatus solùm minoribus Ordinibus, hic enim priuatus est omni priuilegio clericali, vt patet ex *cap. vnico, de bigamis in* 6. Vide Vgolinum §. 5. *num.* 3. Sayrum *cap.*5.*num.*2. & Sanchez *loco cit.* Filliucium *quæsito* 11. Suarez *sect.*5.*num.*4. *& seqq.* & ea quæ alibi dixi de excommunicatione ob percussionem Clericorum.

QVÆSTIO III.

De irregularitatibus prouenientibus ex delicto.

MVltæ sunt irregularitatis species ex delicto prouenientes, de quibus singulis agendum nobis est in præsenti quæstione, incipiendo ab ea, quæ prouenit ex infamia, & sic deinceps, relata in sequentem quæstionem *de irregularitate ex homicidio proueniente.*

PVNCTVM I.

De irregularitate quæ oritur ex infamia.

1 Infamia quid sit.

1 NOtandum primò, infamiam esse publicam opinionem praua de vita, & moribus alicuius; sicut enim fama est bona opinio alicuius, quæ oritur ex publica notitia bonorum operum, ita etiam infamia nascitur ex publica notitia delicti.

2 Quotuplex sit.

2 Notandum secundò, infamiam aliam esse iuris, aliam facti. Infamia iuris contingit

Primò, quando committitur delictum, cui imposita est à iure Canonico, vel ciuili, (omnis enim infamia, quæ per ius Canonicum reuocata non est, censetur Canonica, *cap. omnes* 1. *quæst.*6.) pœna infamiæ, quale delictum est Apostasia à fide, raptus mulierum, periurium in iudicio, Simonia, Sodomia, hæresis, eiusque fauor, crimen læsæ Maiestatis, [hostilis persecutio Cardinalium,] crimen quo vsuræ vsurarum exiguntur, duellum, pugna publica cum feris, matrimonium actuale cum duabus, lenocinium, prostitutio propriæ filiæ, vel neptis, matrimonium cum meretrice, vel repudiata, *cap. si quis viduam, dist.*34. quæ recensent Sayrus *lib.*7.*cap.*11. & habentur *in cap. infames 6. quæst.* 1. Verum tamen est ad incurrendam huiusmodi infamiam requiri, vt factum sit notorium maiori parti viciniæ, vel Collegij, vel loci, in quo quis degit. Ita Tabiena *verb. Infamia*, *num.* 2. Suarez *disput.*48.*sect.*1.*num.*20. *&* 21. Nauarrus *cap.* 27. *nu.* 248. Reginald.*lib.*30.*num.*195. Coninch.*disput.*18.*dub.*7.*num.*56. Sayrus *lib.*2. *cap.*11. Auila *disput.* 4. *dub.*5. & alij apud Garziam *loco* statim *citando num.*18. nam delinquens non videtur infamis, quamdiu delictum est occultum, & quamdiu integram, & illæsam retinet opinionem apud honestos, & graues homines. [An autem ad incurrendam infamiam ipso iure latam contra patrantes aliquod delictum, requiratur sententia iudicis, & non sufficiat delictum occultum, dissensio est inter Doctores; nam Paulus de Castro *lib.*2. *de leg. pœnali cap.* 15. *ad finem*, existimat requiri sententiam saltem criminis declaratoriam. Suarez verò *de censuris disp.*48.*sect.*1.*num.*16. Azor.1.*part.lib.*5.*cap.*7.*quæsito* 4. & alij, oppositum ex parte sustinent. Vasquez verò 2.2.*quæst.*173.*cap.* 1. putat infamiam induci quidem ab ipso iure, sed dependenter à sententia criminis declaratoria, qua declaretur crimen. Verùm quid ego sentiam, patet ex dictis *de leg. pœnali in tract. de legib.* & alibi.]

Secundò contingit per definitiuam sententiam iudicis, quando videlicet aliquis damnatus est à iudice de graui aliquo crimine, quod infert infamiam, vt de furto, &c. Ita Toletus *lib.* 1. *cap.* 62. Sylvester *verb. infamia q.*1. & Angelus *eodem verbo num.*2.

Tertiò, contingit, quando delinquens crimen suum confessus est in iudicio, nam talis confessio efficit delictum publicum publicitate iuris. Ita Sayrus *lib.*7.*cap.*9. *num.*3. Suarez *loco cit. num.* 23. Filliucius *num.* 212. & alij.

3 An ad infamiam incurrendam requiratur sententia iudicis.

3 Ex his patet ad incurrendam infamiam requiri sententiam iudicis declaratoriam, aut notorietatem facti, aut propriam confessionem.

Infamia facti ex delicto contingit, quando committitur delictum, quod infame censetur apud graues, & honestos viros, quod delictum debet esse publicum, seu notum maiori parti viciniæ. Ita Suarez *disp.* 48.*sect.*1. *num.*29. Reginald. *num.* 195. Coninch. *num.* 56. Filliucius *num.*248. Couarr. Henriquez, & alij apud Garziam *de benefic.* 7. *part. cap.*8. *num.*12. Ratio, cur hæc delicta debeant esse publica, desumitur, tum ex dispositione iuris *in cap. vltimo, de tempor. ordinand.* tum quia crimen occultum non parit infamiam.

His positis tria quæremus in hoc puncto.

Primò, vtrùm infamia iuris inducat irregularitatem.

Secundò, vtrùm eam inducat infamia facti.

Tertiò, quomodo possit infamia auferri.

[Aliis etiam modis inducitur infamia, de quibus agam *n.*12. *&* 13.]

PRIMA PROPOSITIO.

4 An infamia iuris faciat hominem irregularem.

4 INfamia iuris facit hominem irregularem, & inhabilem ad Ordines susciendos, & exercendos susceptos. Ita Nauarr. *num.* 204. Auila *disput.*5. Sayrus *cap.*11. Suarez *disput.* 40. *sect.* 2. Coninch. *num.*

*num.*56. Toletus *lib.*1.*cap.*57.*num.*1. *& seqq.* & alij communiter, qui hoc probant ex *cap. infames.*2. *part. quæst.* 1. *causa* 6. [ibi, *hi omnes nec ad sacros gradus debent prouehi.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

5 An infamia facti inducat irregularitatem.

5 INfamia facti proueniens ex delicto facit hominem irregularem, & inhabilem ad recipiendos Ordines, quamdiu delinquens non fuerit emendatus. Hæc propositio patet ex *cap. infames 6. quæst.* 1. & ex *regula* 87. *iuris in* 6. vbi dicitur, infamibus portæ non pateant dignitatum. Ita communiter Doctor. quamuis contrarium sentire videatur Suarez *loc.cit.& disp.*42.*sect.*3.*num.*7. Filliucius *tract.*19. *num.* 207. *& seqq. & num.*198.*tract.*20. Toletus *loco citato*, Coninch. *loc.cit.* vbi docet crimina, quæ iuris infamiam non habent adnexam, non inducere irregularitatem, etiamsi delinquens factus sit infamis ob publicitatem criminis.

Idem à fortiori sustinere conatur Garzias *de benf.part.*11. *cap.*3. *nu.* 118. *& part.*7.*cap.*8. asserens, crimina, etiam enormia, excepto homicidio, non inducere irregularitatem ratione infamiæ, etiam pro tempore, quo talis personæ status perseuerat.

Dixi, *quamdiu non fuerit emendatus*, quia per emendationem aufertur infamia facti, & irregularitas ex ea consurgens: [nam cessante causa cessat effectus; *cap. cùm cessante, de appellat.*] & res [per quas causas nascitur,] per easdem dissoluitur, irregularitas autem facti nascitur per factum malum; ergo per factum bonum, & emendationem dissoluetur. Ita Nauarr. *num.*204. Suarez *num.* 8. Filliucius *nu.* 222. Reginald. *num.*196. & alij Doct. citati.

Dixi, *ad recipiendos Ordines*, quia infamia ipsa præcisè non impedit exercitium susceptorum, nisi crimen tale sit, vt impediat etiam exercitium susceptorum, & inducat peculiarem irregularitatem, quale est homicidium, &c. Vide Azorium 2.*part.lib.*6.*cap.*7.*quæst.*3. Toletum *lib.*1.*cap.*69. Suarez, & alios præcitatos Doct.

TERTIA PROPOSITIO.

6 Quot modis infamia tollatur.

6 INfamia quatuor modis auferri potest. Primò, infamia facti auferri potest per emendationem, vt patet ex 2.*propositione.*

Secundò, infamia iuris Canonici, & ciuilis potest à Summo Pontifice auferri: immò infamia iuris ciuilis, non solùm auferri potest à Summo Pontifice, sed etiam à Principe, qui eam tulit.

Dices: ergo laicus potest dispensare in irregularitate, & impedimento Canonico: cùm possit infamiam iuris ciuilis auferre.

Respondeo cum Suarez *loco citato, num.*9. & 10. Filliucio *nu.* 224. laicum non posse directè dispensare, sed tantummodò indirectè, quatenus aufert infamiam, qua sublata, tollitur irregularitas.

Tertiò, infamia potest auferri per dispensationem Episcopi, quatenus potest dispensare in adulterio, & criminibus minoribus adulterio, [vt alibi ostendi:] nam directè dispensando in delicto, indirectè etiam, & accessoriè abolet infamiam inde consurgentem. Ita Anila *part.*7.*disp.*4.*dub.*6. Sayrus *loco cit.num.*15. Reginaldus *num.*190. Nauarrus *num.*204. Henriquez *lib.*14.*cap.*5.*num.*3. Vgol. *cap.*60.*§.*5.*nu.*3. & alij, contra Filliucium *num.*223.

Quartò, per Baptismum, per Baptismum enim tollitur omnis infamia consurgens ex delicto, nam infamia sequitur peccatum, sed per Baptismum aufertur peccatum; ergo per Baptismum aufertur infamia. Ita Syluester, Angelus & alij communiter, contra Suarez *disp.* 58.*sect.*2.*nu.*11. Filliucium *loc.cit.quæst.*11. [ex parte. Quamquam dici posset, infamiam canonicam numquam affecisse ante Baptismum, quia ius Canonicum non cadit in non baptizatum, vt bene in hac parte Suarez.]

Obiicies. Infamia iuris non tollitur per pœnitentiam; ergo neque per Baptismum, nam ratio dicta de Baptismo militat etiam in Sacramento pœnitentiæ.

Respondeo negando consequentiam, plures enim effectus producuntur per Baptismum, quàm per pœnitentiam, nam baptizatus, si statim susceptо Baptismo moriatur, migrat in cœlum, cùm per Baptismum tollatur omnis reatus, non verò per pœnitentiam, nam sublato reatu pœnæ æternæ, remanere solet reatus pœnæ temporalis, vt constat ex dictis de pœnitentia, consequenter mirum non est, si per Baptismum tollitur infamia iuris, non verò per pœnitentiam.

7 An infamis emendatus possit ad Ordines promoueri.

7 Ex dictis in præcedentibus sequitur primò, infamem infamia facti emendatum posse Ordines suscipere, & susceptos exercere.

8 An possit ad Ordines promoueri, qui se purgauit.

8 Secùdò, accusatum publicè de aliquo crimine, si se canonicè purgauerit, restitui in integrum, nec arceri ab Ordinibus suscipiendis, à quibus arcetur, quamdiu infamia durat, *cap. si quis. de purgatione.* Ita Sayrus *lib.*7.*cap.*11.*num.*12. & alij; hic enim non censetur infamis.

9 An infamis infamia iuris promoueri possit ad Ordines.

9 Tertiò, infamem infamia iuris non posse promoueri ad Ordines, ablata verò infamia posse, quia per ablationem infamiæ tollitur irregularitas. Ita Suarez *disput.*48.*sect.*2.*num.*10. & alij.

10 An infamis in vno loco sit vbique infamis.

10 Quartò, infamem in vno loco remanere infamem in omni loco, & sic non posse in vllo loco Ordines recipere, antequam deleta fuerit infamia. Ita Vgolin. *cap.*60. Ratio est, tum quia alioquin infamis in vno loco migraret ad alium, ibique Ordines susciperet, sicque frustraretur finis legum: [tum quia irregularitas est impedimentum personale, quod sequitur personam, vt in simili dictum est de effectibus censurarum.]

11 An valida sit collatio beneficij facta infami.

11 Quintò, inualidam esse collationem beneficij factam infami, nam collatio facta irregulari est inualida, vt suprà dictum est. Vide Azorium 2.*part.lib.*6.*cap.*7.*quæst.*3. Auilam *disput.* 4. *dub.*7. Parisium *lib.*4.*de resign.quæst.*3. & Garziam *de benef.*7.*part.cap.*8. *nu.*38. *& seqq.* quamuis ipse Garzias cum multis aliis oppositum sentiat.

12 An professio ignominiosa alicuius artis faciat hominem irregularem.

12 Prædictis addendum est, non solùm per infamiam iuris induci irregularitatem, verùm etiam per ignominiosam professionem alicuius artis, quæ reddit hominem vilem, & indignum, qui ad Ordines, & beneficia promoueatur, qualis est ars histrionis, mimi, gladiatoris, citharœdi, macellarij, tabernarij, aleatoris, &c. Verum tamen est huiusmodi artem inducere irregularitatem solùm in iis, qui illam exercuerũt, non verò in ipsorum prole, modò ipsa proles non efficiatur aliunde indigna, & inhabilis ad Ordines. Ita Glossa *in cap. quoniam vetus* 24.*quæst.*1. Vide Maiolum *lib.*3. *cap.* 1. Reginaldum *num.* 197. Suarez *sect.*3. Filliucium *quæsito* 12. & alios præcitatos Doctor.

13 An filius proditoris Principis, vel eius, qui manus violentas in Cardinalem iniecit, sit irregularis.

13 Addo primò, filium proditoris Principis infamem esse, consequenter irregularem, *l. quisquis. C. ad leg. Iul. maiest.*

Secundò, filium eius, qui manus violentas in Cardinalem iniecit, infamem esse, consequenter irregularem, *cap. felicis. de pœnis.* Filius etiam hæretici irregularis est, & infamis in ordine ad Ordines, & beneficia, vt patebit ex infrà dicendis.

PVNCTVM II.

De irregularitate proueniente ex pœnitentia publica.

1 Quotuplex sit pœnitentia publica.

1 NOtandum triplicem pœnitentiam olim in vsu extitisse.

Prima erat sacramentalis secreta, quæ iniungebatur à Sacerdote in confessione.

Secunda erat publica, sed non solemnis, quæ imponebatur ex Episcopi, vel alterius superioris mandato ob delictum publicum, sed non enorme, nec scandalosum, & fiebat sine cæremoniis, cum quibus tertia fiebat.

Tertia verò fiebat in principio Quadragesimæ cum certis cæremoniis, quæ continentur canone *in capite, dist.*50. & imponebatur ab Episcopo, vel de eius mandato, sed modò non est in vsu.

Difficultas est in præsenti puncto, vtrùm aliqua pœnitentia inducat irregularitatem.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An pœnitentia sacramentalis inducat irregularitatem.

2 POenitentia sacramentalis, vel publica non solemnis non inducebat, nec modò inducit irregularitatem. Ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressa. In iure autem non est expressum, irregularitatem incurri per pœnitentiam sacramentalem, vel per publicam non solemnem, nam canones loquuntur solùm de pœnitentia publica solemni, nec odia sunt amplianda. Ita Sayrus *lib.*7.*cap.*11.*num.*19. Syluester *verb. irregularitas. quæs.*17. Maiolus *lib.*3.*cap.*2. Auila *loco cit.dub.*6. [Suarez *disput.*42.*sect.*2. *num.* 3.] & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An illam inducat pœnitentia publica, & solemnis.

3 POenitentia publica, & solemnis inducebat irregularitatem, & impediebat susceptionem Ordinum & vsum susceptorum. Hęc propositio patet ex *cap. de pœnitentibus dist.*50. *& cap. canones dist.* 50. Ita Toletus *lib.*1.*cap.*64. Sayrus *loco cit.* & alij, qui dicunt illos esse irregulares, quibus imponitur pœnitentia publica, & solemnis manendi in foribus Ecclesiæ cum diademate in capite, & cum cereis in manibus accensis, dum persoluuntur diuina officia.

Sed contrarium mihi dicendum videtur cum Suarez *disp.*42.*sect.*2. *num.*4. Filliucio *num.*189. cùm enim canones loquantur de illa pœnitentia publica solemni, quæ olim semel in vita imponebatur cum certis cæremoniis, non est, cur nos illam extendamus ad pœnitentiam publicam, quæ modò fieri potest. Loquor autem de pœnitentia publica, quæ nullam inducit infamiam, nam certum est pœnitentiam, quæ infamiam generat, inducere irregularitatem, nisi talis sit pœnitentia, quæ etiam infamiam ipsam auferat, iuxta dicta in præcedenti puncto.

4 An hoc tempore sit in vsu.

4 Ex dictis colligitur, nullam pœnitentiam publicam, vel solemnem hoc tempore inducere irregularitatem, nisi sit talis pœnitentia, quæ adiunctam habeat infamiam: [vt bene Suarez *num.*4. vide dicta *de censuris in particulari disput.*3.*quæst.*2.*punct.*7.

PVNCTVM III.

De irregularitate, quæ contrahitur ex iteratione Sacramentorum, præsertim occasione Baptismi.

TRia principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, vtrùm irregularitas incurratur ob iterationẽ Baptismi.

Secundò, vtrùm incurratur ob iterationem Confirmationis, vel ordinis.

Tertiò, quis possit dispensare in irregularitate ob iterationem Baptismi.

[Deinde obiter quæram, vtrùm differens Baptismum vsque ad senectutem, vel ad ægritudinem, aut baptizatus ab hæretico, sit irregularis.]

PRIMA PROPOSITIO.

1 An iteratio Baptismi inducat irregularitatem.

1 EX culpabili iteratione Baptismi publica, vel etiam occulta contrahitur irregularitas, consequenter tam rebaptizans cum peccato mortali, quàm rebaptizatus sit irregularis, immo toties incurrit irregularitatem, quoties reiterat Baptismum, toties enim incurritur irregularitas, quoties multiplicatur culpa propter quam imposita est. Hæc propositio patet ex *cap. ex litterarum. de Apostatis, cap. confirmandum dist.* 50. *& cap. qui in qualibet* 1.*quæst.*7. Ita Couarruuias *in Clementin. si furiosus* 1.*part.num.*8. Nugnus 3.*parte quæst.*66.*art.*9.*concl.*4. Coninch. *disp.*18.*dub.*5.*num.*34. Nauarrus *cap.* 27. *num.*246. Syluest. *verb. irregularitas quæsito* 4. Filliucius *num.*164. Suarez *disput.*42.*sect.* 1.*num.*1. & 2. Reginaldus *num.*172. Toletus *lib.*1.*cap.* 65. & alij communiter. Hæc irregularitas ab aliquibus extenditur non solum ad Acolytum publicè ministrantem in reiteratione Baptismi, *cap. ex litterarum, citato,* sed etiam ad parentes compatres, & alios cooperantes ad iterationem Baptismi, ex Vgolino §. 3. Coninchо, & aliis. Sed mihi non videtur admittenda hæc extensio, nam prædictum *cap. ex litterarum,* loquitur solùm de Acolyto, consequenter videtur solum extendendum ad eos, qui inseruiunt reiterationi Baptismi ex officio, non verò ad alios, cum odia sint restringenda, *cap. odia. de regulis iuris in* 6.

2 An infans rebaptizatus sit irregularis.

2 Ex dictis infertur primò, infantem qui rebaptizatur ante vsum rationis, non esse irregularem, etiamsi postea ratam habeat rebaptizationem, nam qui caret culpa, carere debet pœna irregularitatis imposita ob rebaptizationem. Ob id in propositione dixi, *ex culpabili iteratione.* Nec obstat ratihabitio; nam ipsa est posterior facto rebaptizationis, irregularitas autem imposita est ob rebaptizationem. Idem dici debet de eo, qui rebaptizatur, dum vacat somno. Ita Sayrus *lib.7.cap.8.num.10.* Henriquez *lib.14.cap.4. num.3.* Nauarrus *nu.246.* Suarez *tom.5. disp.42. sect.1.num.5.* Auila *parte 7. disput.7. dub.2.* Filliucius *num.165.& 168. tract.20.* Couarruuias *in Clement. vnica, 1. parte num.8.* contra Vgolinum *cap.35.§.1.* [Maiolum *lib.3.cap.14.*] Reginaldum ex parte *num.172.* & alios.

Neque obstat *cap.quinis, de consecratione dist.4.* quia ille textus iuxta Couarruuiam, Suarez, Filliucium, & Sayrum, fuit cuiusdam Theodori Archiepiscopi Cantuarienſis, qui non erat Pontifex, nec habebat auctoritatem ferendi irregularitates.

3 An ignorantia excuset.

3 Infertur secundò, rebaptizatum ex ignorantia iuris, vel facti non esse irregularem, vt patet ex supradictis de ignorantia excusante à censuris. Ita Nauarrus *num.46.* Toletus *lib.1.cap.70.* Filliucius *num.165.& 184.* Reginaldus *num.173.* contra Henriquez *num.3.* Auilam *loco citato, conclus.4.* Vgolinum *§.3. num.7.* & alios. Ratio est, quia huiusmodi irregularitas prouenit ex delicto iterationis Baptismi, ignorantia autem excusat à delicto.

Ex quo vlteriùs patet rebaptizantem ex ignorantia non esse irregularem.

4 An rebaptizans sub conditione sit irregularis.

4 Infertur tertiò, illum non esse irregularem, qui rebaptizat alium sub conditione, quem scit esse baptizatum, siue illa conditio apponatur tantùm in mente, siue etiam exteriùs addatur. Ratio est, quia prædicta irregularitas prouenit ex iteratione Baptismi, hic autem non iteratur Baptismus, nam qui dicit, *Ego te baptizo, si non es baptizatus*, non intendit baptizare, si est baptizatus, cùm ille modus loquendi, *Ego te baptizo, si non es baptizatus*, regulariter hunc includat, *Si es baptizatus, non te baptizo.* Ita Nauarrus *num.246.* Henriquez *loco cit.* Nugnus *loco citato, conclus.6.* Coninchus *disput.18. dub.5. num.38.* Suarez *loco cit. num.1.* Filliucius *num.181.* Reginald. *num.177.* & alij *locis cit.* contra Vgolinum *§.3.* Sayrum *cap.8. num.23.* & alios.

5 An rebaptizans absolutè sit irregularis, si diligentiam adhibuit.

5 Infertur quartò, illum non teneri se tamquam irregularem gerere, qui postquam inquisiuit, an alter esset baptizatus, illum rebaptizauit absolutè, & sine conditione, sed adhuc postea dubitat, an esset baptizatus. Ratio est, tum quia ille non dicitur absolutè rebaptizare, cui non constat alterum esse baptizatum, non enim iudicatur iteratum, quod ambigitur esse factum, *cap. final. de presbytero non baptizato:* tum quia versamur in dubio facti extra casum homicidij, in dubio autem melior est conditio possidentis suam libertatem. Verum tamen est istum peccasse rebaptizando absolutè, cùm deberet rebaptizare sub conditione, & exposuerit se periculo incurrendi irregularitatem. Ita Auila *disput.7. dub.2. concl.45.* Suarez *nu.2.* Toletus, & alij.

Addo illum non esse irregularem, qui cum conscientia erronea aliquem baptizauit credens antea baptizatum esse: nam hæc irregularitas incurritur ob iterationem Baptismi, non ob solam conscientiam erroneam. Suarez *num.2.*

6 An baptizans filium expositum sine vllo testimonio, sit irregularis.

6 Infertur quintò, illum non esse irregularem, qui baptizat filios infidelium, vel expositos sine vllo signo testimonium perhibente de ipsorum Baptismo. Ratio est, tum quia adest ignorantia facti, quæ excusat: tum quia in hoc casu militant rationes allatæ *num.5.* Ita Sayrus *cap.8. num.11.* & alij.

7 An sit irregularis, qui ob grauem metũ rebaptizat.

7 Infertur sextò, cùm Sayro *num.19.* Auila *disput.14.* Coninchо *loco citato num.40.* Henriquez *lib.14.cap.4.num.3.* Filliucio *num.169.* Reginaldo *num.173.* contra nonnullos alios recentiores, illum esse irregularem, qui rebaptizat, vel rebaptizatur ex metu cadente in constantem virum cum intentione iterum baptizandi, vel recipiendi Baptismum. Ratio est, tum quia facit contra præceptum, continens irregularitatem, metus enim in hoc casu non excusat, nam posito metu adhuc liberum est illi baptizare, & non baptizare, baptizari, & non baptizari, cùm metus non cadat in voluntatem, & intentionem, & baptizans adhuc possit habere intentionem non baptizandi. Qui autem rebaptizat, sine intentione rebaptizandi, non incurrit irregularitatem, quia verè non rebaptizat. Idem dic de fictè rebaptizato, aut de rebaptizato per vim absolutam. Ita Reginaldus *nu.173.* Henriquez *loco cit.cap.4.num.4.* Auila *loco cit.dub.3.* Vgolinus *cap.35. §.2.* Suarez *sect.1. num.1. & 7.* Filliucius *num.171. & 179.* Nauarrus *cap.27. num.246.* quamuis oppositum in foro externo iudicandum sit, cùm in eo de actibus externis iudicetur.

Circa prædicta obserua præfatam irregularitatem [latam contra rebaptizantem] non esse totalem, sed impedire solùm promotionem ad superiores Ordines. Ratio est, quia *in cap. ex litterarum. de Apostatis*, dicitur, Ad superiores Ordines ascendere non valebit; & cùm versemur in materia pœnali, & odiosa, non est facienda extensio vltra id, quod in iure expressum est. Ita Filliucius *loco cit.num.177.* Suarez *tom.3. de Sacramentis disput.31. sect.6.*

SECVNDA PROPOSITIO.

8 An iteratio Confirmationis & Ordinis inducat irregularitatem.

8 EX iteratione Confirmationis, & Ordinis non contrahitur irregularitas. Ita Vgolin. *cap.35.§.4.* Suarez *disput.42. sect.4. nu.6.* Couarruuias *loco citato, num.8.* Sayrus *cap.8. num.28.* Auila *part.7. disp.7. dub.5.* Valentia *tom.3. disp.5. quæst.1. punct.4. versus finem, & disp.7. quæst.19. punct.3. ad fin.* Filliuc. *tract.19. cap.7. q.1. & cap.7. quæs.5.* Reginald. *lib.30. tract.2. num.178.* contra Nauarrum *cap.27. nu.247.* Maiolum *lib.3. cap.15.* Antoninum *3. part. tit.28. cap.6.* & Vgolinum aliter sentientem in collatione Ordinis. Ratio nostra est, quia hæc irregularitas non est in iure expressa; irregularitas autem non incurritur, nisi sit in iure expressa.

Obiicies. Sicut est expressa in reiteratione Baptismi ad explodendas quorumdam hominum hæreses, asserentium Baptismum esse irrabilem, ita etiam videtur expressa in iteratione Confirmationis, & Ordinis, quæ sunt Sacramenta non iterabilia. Vnde *in cap.1. disput.68.* dicitur, sicut semel baptizatus iterum baptizari non debet, ita neque semel consecratus iterum consecrari potest.

Respondeo primò argumentum à simili non valere in pœnis, præsertim in irregularitate, quæ non contrahitur, nisi sit in iure expressa, *cap.is, qui.* Ad *cap.1. dist.68.* respondeo secundò nullam ibi fieri mentionem de irregularitate.

TERTIA PROPOSITIO.

9 Quis possit in ea dispensare.

9 IN irregularitate, quæ contrahitur ex iteratione Baptismi publica, vel occulta, Summus Pontifex dispensare potest, nam ipse dispensare potest in iure communi. Episcopus verò non potest dispensare in rebaptizatione publica, quia ipse non dispensat in iure communi absque facultate sibi à superiore concessa. In rebaptizatione verò occulta potest Episcopus dispensare, quia potest dispensare in irregularitate prouenient ex delicto occulto, vt patet ex Tridentino *sess.24. cap.6.* Ita Auila *dubio 6.* Coninchus *dub.5. num.36.* Filliucius *num.174. & 186.* Sayrus, Toletus, Sotus, & alij *locis cit.*

10 An Episcopus possit aliquando dispensare.

10 Rogabis vtrùm Episcopus possit dispensare in irregularitate, quæ incurritur, quando quis alium publicè baptizat, sed nescitur, vtrùm qui baptizatur fuerit antea baptizatus.

Respondeo cum Auila *loc. cit. dub.6.* Nauarro *num.241.* Rodriq. *cap.147.* Sanchez *de matrimonio, lib.2. disput.37. num.12.* Vgolino *cap.35.§.6.* Sayro *lib.7. cap.10. num.16.* posse, quia delictum censetur occultum. Ratio enim rebaptizandi occulta est, cùm nesciatur, an ille fuerit baptizatus, vt clariùs constabit ex infrà dicendis, *quæst. vlt. puncto vltimo.*

11 An differens Baptismum vsque ad ægritudinem, vel mortem, sit irregularis.

11 Quæres primò, vtrùm incurratur irregularitas ab eo, qui differt Baptismum vsque ad ægritudinem, vel senectutem.

Respondeo affirmatiuè cum Suarez *disp.42. sect.1. nu.5.* Sayro *nu.30.* Filliucio *num.171.* Reginaldo *num.179.* Toleto *lib.1. cap.65. nu.7.* Vgolino, & aliis communiter ex *cap. si quis dist.57.* qui textus intelligendus est de adultis, non verò de infantibus. Ratio, cur adultis imposita sit ista irregularitas, est, quia non videntur voluntariè fidem susscipere, sed coactè, vt patet ex *capite citato.* Quare huiusmodi baptizatus non videtur promouendus, nisi paucitas ministrorum idoneorum id exigat, aut nisi ipsius fides, & vita probata fuerit post Baptismum. [In quo tamen casu Suarez *num.6.* Syluester, Angelus, & alij apud Suarez, putant necessariam esse Episcopi dispensationem; alij verò putant nulla dispensatione opus esse, tum quia textus nullius dispensationis mentionem facit. Absolutè enim hos duos casus excipit ibi; nisi fortè postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit, tum quia sequens factum seu præsumptio elidit præcedentem. *ff. de in integr. restitut. §. diuus.*]

12 An hæc irregularitas tollatur per Baptismum.

12 Obserua tamen hanc irregularitatem non tolli per ipsum Baptismum, nam hæc irregularitas incurritur ob ipsam susceptionem Baptismi dilatam; idem autem non est causa contrariorum effectuum.

13 An adultus baptizatus ab hæretico sit irregularis.

13 Quæres secundò, vtrùm adultus baptizatus ab hæretico, sit irregularis.

Respondeo affirmatiuè, vt habetur *cap. qui in qualibet 1. quæst.7.* Infans verò baptizatus ab hæretico non est irregularis, tum quia irregularitas non incurritur, nisi sit expressa in iure: tum quia ita colligitur ex *cap. placuit,* [*1. quæst.4. & cap. qui apud 1. quæst.4.*] Ita Suarez *sect.1. num.11.* Filliucius *cap.6. quæst.4.* Reginaldus *num.180.* Toletus *lib.1. cap.65. num.6.* Et hoc verum videtur, etiamsi ille infans adulta ætate approbauerit Baptismum collatum ab hæretico, nullo enim iure probatur istum subiacere huic irregularitati. Ita Suarez *loc. cit.* & alij contra nonnullos alios.

[Rogabis, vtrùm adultus baptizatus ab hæretico sit irregularis, etiamsi Baptismum ab ipso absque culpa susceperit, vt quia probabiliter ignorabat ipsum esse hæreticum, aut quia iustam habebat necessitatem susciendi ab ipso Baptismum. Ratio est, quia ista irregularitas videtur lata in pœnam. Pœna autem supponit culpam. Ita Suarez *disp.42. sect.1. num.14. ad finem.*]

PVNCTVM IV.

De irregularitate ex susceptione Ordinum prouenient.

SEx principaliter quæremus in hoc puncto.

Primò, vtrùm excommunicatus sit irregularis recipiendo sacros Ordines.

Secundò, vtrùm eadem pœna puniatur suspensus, vel interdictus.

Tertiò, vtrùm recipiens plures Ordines eodem die sit irregularis.

Quartò vtrùm Ordines susciens, per saltum sit irregularis.

Quintò, vtrùm coniugatus sit irregularis recipiendo Ordines.

Sextò, vtrum recipiens Ordines ab Episcopo, qui renuntiauit Episcopatui, afficiatur nota irregularitatis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An recipiẽs sacros Ordines in excommunicatione sit irregularis.

1 LIgatus maiori excommunicatione, recipiendo scienter, vel cum ignorantia crassa, vel affectata Ordines sacros, incurrit irregularitatem iuxta probabilem nonnullorum sententiam. Hæc propositio probatur ex *cap. cùm illorum. de sentent. excom. in 6. & cap. 1. de eo, qui furtiuè ordines suscepit.* Ita Nauarrus *nu.241.* Sylvest. *verb. Irregularitas quæsito 2.* Auila *dubio 9.* Sayrus *lib.7. cap.10. num.12.* [Alterius *lib.2. disput.1. cap.1. col.8.*] Henriquez *cap.6. num.5.* Reginaldus *lib.30. tract.2. num.181.* Toletus *lib.1. cap.66. num.1.* Rodriquez *1. parte cap.168. conclus.4.* Valentia *tomo 4. disp.7. quæst.19. puncto 3.* & alij communiter, contra Filliucium *num.192. cap.7. quæsito 3. tract.20.* Suarez *disput.42. sect.3. num.2.* [Barbosam *de potestate Episcopi 2. part. alleg.47. num.2.*] Coninchum, & alios, asserentes non incurrere irregularitatem, sed remanere suspensum ab vsu Ordinis susceptι cum excommunicatione.

Dixi, *ligatus maiori excommunicatione*, ad differentiam minoris excommu-

communicationis, nam ligatus minori excommunicatione non incurrit irregularitatem recipiendo Ordines sacros: quamuis mortaliter peccèt: sicut enim celebrans cum minori excommunicatione non incurrit irregularitatem, *cap. si celebrat. de Clerico excommunicato ministrante*; ita neque incurrit recipiens Ordines sacros cum minori excommunicatione.

Dixi, *recipiens ordines sacros*, nam ligatus maiori excommunicatione iuxta nonnullos Doctores non incurrit irregularitatem recipiendo minores ordines, vel primam tonsuram, nam hæc irregularitas non est in iure expressa. Ita Nauarrus *de sentent. excom. consil.* 28. Auila *loco citato dubio* 6. & alij, oppositum rectiùs docent Sylvester, Tabiena, & alij apud Sayrum *loco citato*, & apud Suar. *disput.* 31. *sect.* 1. *num.* 58. de suscipiente minores ordines in excommunicatione, quia *cap. cùm illorum*, absolutè loquitur de suscipientibus Ecclesiasticos ordines.

Dixi, *scienter*, quia recipiens cum ignorantia probabili, vel etiam vincibili, modò non sit crassa, vel affectata, excusari potest, iuxta Nauarrum & Sanchez, quorum sententiam tamquam probabilem admisi *disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 10. quamquam opposita sententia, saltem in hoc casu probabilior est, & conformior textui *in cap. cùm illorum, citato*, vbi excommunicati suscipientes ordinem cum ignorantia suæ excommunicationis, vel prohibitionis, prohibentur dispensari ab Episcopis, vel Archiepiscopis.

Dixi in propositione, *iuxta probabilem nonnullorum sententiam*, vt aduerterem oppositam non esse improbabilem. Immò de rigore iuris probabiliorem, quia *in cap. cùm illorum*, habentur verba potius accommodata suspensioni, quàm irregularitati. Hinc patet responsio ad oppositam rationem, & hoc pacto intellige quæ suprà diximus *disp. 2. q. 2. punct. 2. §. 1. ad fin.* Vide quæ dixi *de suspensionibus* [*in particulari disp. 3. q. 1. punct. 6.* vbi de hac re fusiùs egi.]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An sit irregularis suspensus, vel interdictus, qui eosdem recipit.

2 SVspensus, vel interdictus, non incurrit irregularitatem recipiendo ordines sacros. Hæc propositio non eodem modo admittitur ab omnibus Doctor. nam est duplex sententia.

Prima est Sylvestri *verb. Irregularitas quæsito* 2. Couarruuiæ 1. *parte initio §.* 1. Auilæ *loco cit. dub.* 6. *concluſ.* 5. Henriquez *loco citato num.* 4. Reginaldi *num.* 182. [Alterij *de interdicto disput.* 9. *cap.* 1. *col.* 11.] & aliorum, dicentium incurrere. Ratio est, quia suscipiendo ordines sacros exercet solemniter actus ordinis sacri; suspensus autem, vel interdictus exercendo solemniter actus ordinis sacri fit irregularis, vt dicam *punct. seq.*

Secunda sententia, quæ mihi probabilior videtur, est Sayri *loco citato, num.* 14. Filliucij *loco cit. num.* 192. Suarez *disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 57. *& disp.* 42. *sect.* 3. *num.* 2. & aliorum asserentium non incurrere; tum quia iura loquuntur solùm de excommunicato, non de suspenso, vel interdicto, & versamur in materia odiosa, quæ non est extendenda: tum quia susceptio ordinis non est functio ordinis. Quare ad argumentum Auilæ, & aliorum,

Respondeo, suscipientem ordines sacros non semper exercere solemniter actus ordinis sacri, consequenter non semper incurrere irregularitatẽ, quæ solemniter actum ordinũ exercentibus imposita est.

Consequenter ad ea quæ diximus

Aduertendum est contra Matolum *lib.* 3. *de irregularitate*, *cap.* 14. non incurri irregularitatem ab eo, qui suscipit ordines, vel illos exercet, quando sub pœna excommunicationis latæ sententiæ imposita est excommunicatio contra suscipientem ordines, vel exercentem ordines sacros, nam excommunicatio supponit susceptionem ordinis, vel eius functionem, cùm propter illam incurratur, & illam supponat tamquam causam; propterea delinquens eo tempore, quo ligatur excommunicatione, non dicitur incurrere irregularitatem, quæ incurritur ab eo, qui iam excommunicatus est, & in excommunicatione suscipit ordines, aut solemniter illos exercet, sed illam incurrit, si post illam actionem, ob quam contraxit excommunicationem, suscipiat ordines sacros, vel illos exerceat. Ita Reginaldus *lib.* 30. *num.* 182. Suarez *disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 17. *& disp.* 42. *sect.* 5. *num.* 2. Filliucius *tract.* 20. *cap.* 8. *quæsito* 2. 3. *&* 4. *& tract.* 17. *cap.* 10. *quæsito* 8. *num.* 191. Coninchus *disput.* 15. *dub.* 5. *num.* 36. [Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 24. *num.* 136.] & alij à nobis relati de Sacramento ordinis, [contra Vgolinum *tab.* 4. *cap.* 4.]

TERTIA PROPOSITIO.

3 An sit irregularis, qui eodem die recipit minores Ordines cũ Subdiaconatu, aut duos Ordines sacros.

3 QVi vno, & eodem die inscio, & non aduertente Episcopo recepit minores ordines cum Subdiaconatu, vel vltimum minorum cum Subdiaconatu, vel duos ordines sacros, incurrit irregularitatem, vel potiùs suspensionem. Hæc propositio patet ex *cap.* 2. & 3. *de eo, qui ordinem furtiuè suscepit*, & ex superiùs traditis de suspensione, [& clariùs *de censuris in particulari disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 4.] Verum tamen est hanc irregularitatem, seu potiùs suspensionem non extendi ad eos, qui vno, eodemque die recipiunt omnes minores, vel primam tonsuram, cum minoribus, nullo enim iure probatur ad eos extendi. Ita Nauarrus *num.* 241. Auila *part.* 7. *disp.* 9. *sect.* 1. *dub.* 4. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 22. Vgolinus *cap.* 39. *§.* 1. Valentia *loco cit.* Toletus *cap.* 66. *num.* 6. Reginaldus *num.* 189. & alij, quibus adde Suarez *disp.* 42. *sect.* 3. *num.* 1. & Filliucium *tract.* 20. *num.* 191. admittentes suspensionem, non verò irregularitatem.

4 Quis possit in ea irregularitate dispensare.

4 Rogabis, quis dispensare possit in irregularitate contracta ab eo, qui duos ordines sacros, vel Acolytum cum Subdiaconatu eodem die suscepit.

Respondeo Episcopum posse dispensare, quando delictum est occultum, vt patet ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. Ita Henriquez *lib.* 14. *cap.* 6. *num.* 5. Auila *part.* 7. *disp.* 9. *sect.* 1. *dub.* 4. *ad finem*, Sayrus *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 36. Vgolinus *loco cit. §.* 1. Toletus *loco cit.* Quando verò delictum est publicum, dispensatio pertinet ad Summum Pontificem, quia Episcopus non potest dispensare in iure communi, nisi facultatem habeat à Sede Apostolica, vel nisi ordinatus ingrediatur religionem, iuxta *cap. innotuit*, *de eo qui furtiuè ordines suscepit.* [Vide dicta *de censuris in particulari disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 4.]

QVARTA PROPOSITIO.

5 An sit irregularis recipiens Ordines per saltum.

5 REcipiens ordines per saltum non est irregularis, iuxta communiorem DD. sententiam: sed est suspensus. Ratio est, tum quia hæc irregularitas non est in iure expressa: tum quia *in cap. sollicitudo*, directè prohibetur functio ordinis suscepti per saltum: hoc autem proprium est suspensionis. Ita Angelus *verb. irregularitas* 1. Armilla *eodem verbo num.* 68. & Auila *loco citato*, Nauarrus *num.* 242. & alij, contra Vgolinum *cap.* 38. §. 1. Valentiam *tom.* 4. *disput.* 3. *quæst.* 19. *puncto* 3. *columna* 1444. Sayrum *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 39. Reginaldum *num.* 191. Concedo tamen fieri irregularem, si post susceptionem ordinis per saltum in eo ministret, quia violans suspensionem per vsum ordinis incurrit irregularitatem, vt [infrà ostendam. Vide dicta *de censuris in particulari disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 2.] Quomodo autem se gerere debeat Confessarius erga pœnitentem, qui furtiuè, vel per saltum aut alia ratione malè promotus est, videri potest apud Filliucium *tract.* 20. *cap.* 8. *quæsito* 11. cuius doctrina inseruire potest Confessariis in Pœnitentiaria Romana existentibus.

6 An suspensus sit, qui Ordines furtiuè suscipit, & quis dicatur Ordines furtiuè suscipere.

6 Item ille suspensus est, seu potiùs irregularis, qui furtiuè, id est, nesciente Episcopo, nec approbante, nec examinante ordinem recepit, *cap.* 1. *de eo, qui furtiuè*, &c. in qua suspensione videtur Episcopus posse dispensare vigore priuilegij concessi in Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. Ita Henriquez *lib.* 14. *cap.* 6. *num.* 5. Suarez *tom.* 5. *disp.* 42. *sect.* 3. *num.* 5. Sayrus *loco cit. num.* 37. Vgolinus *cap.* 39. *num.* 3. Coninchus *disput.* 18. *dub.* 5. *num.* 43. & alij, quamquam isti Doctores non conueniunt an sit irregularis, vel suspensus. Suarez enim *disp.* 42. *sect.* 3. *num.* 5. Filliucius *tract.* 20. *num.* 195. putant incurrere irregularitatem. Verùm quid ego sentiam explicabo, sed prius præmittam quisnam dicatur ordines furtiuè suscipere. Ille dicitur ordines furtiuè suscipere, qui ficto titulo, aut sine veris dimissoriis ordines suscipit, & hunc vinculo suspensionis ligari superiùs docui de suspensionibus cum communi DD. sententia. Item ille dicitur ordines furari, seu furtiuè suscipere, qui inscio Episcopo, non vocatus, vel non approbatus accedit ad ordines, aut qui alium in sui locum examini sub suo nomine submittit, deinde vocatus proprio nomine ordines capit, & hunc vinculo irregularitatis irretiri probabilissimum est, *cap. veniens. 1. de eo, qui furtiuè ordines suscipit*, vbi datur Episcopo facultas dispensandi cum eo qui furtiuè Diaconatum accepit vt ad sacerdotium promoueretur, nisi aliud obstet, ex qua loquendi forma perspicuè indicari videtur irregularitas, vt patet ex regulis superiùs traditis, nisi fortè dicas hunc esse casum specialem de eo qui Diaconatum furtiuè suscepit, consequenter in hoc casu incurri irregularitatem: in susceptione verò furtiua aliorum ordinum contrahi suspensionem, hoc pacto intellige quæ dixi *de Sacramentis disp.* 8. *quæst. vnica. puncto* 4. *num.* 30.

7 An Episcopus possit in hac irregularitate dispẽsare.

7 Obserua tamen dispensationem præfatæ irregularitatis competere Episcopo quamdiu delictum est occultum, si respiciamus decretum Concilij Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* potest tamen esse occultum ratione delicti, quamuis materialiter publicè fiat, vt sæpius alibi dictum est. Immò etiam si respiciamus *cap.* 1. *de eo qui furtiuè*, &c. dicemus dispensandi facultatem in proposita irregularitate concedi Episcopo, modò Episcopus, aut alius Prælatus non denuntiauerit excommunicationem incurrendam ab iis, qui furtiuè ordines suscipiunt: tunc enim si non fuit denuntiata huiusmodi excommunicatio, potest Episcopus dispensare, modò is, qui furtiuè ordinatus fuit, factus iam sit religiosus, & in monasterio aliquo tempore laudabiliter vixerit. Verùm hoc tempore Episcopi communiter consueuerũt excommunicationem imponere iis, qui se ordinationi furtiuè ingerunt, consequenter ista irregularitas regulariter est Papæ reseruata, vt clarè colligitur ex *cap. veniens, cit.* & obseruant Suarez & Filliucius *loco citato.*

8 An sit irregularis recipiens Ordines sine confirmatione.

8 Quæres, vtrùm recipiẽs ordines sine cõfirmatione sit irregularis. Respondeo negatiuè. Ita Vgolinus *cap.* 38. §. 1. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 6. *num.* 3. Auila *loco cit.* Sayrus *lib.* 7. *cap.* 14. *ad finem*, Suarez *disp.* 42. *sect.* 3. *num.* 14. Filliucius *tract.* 20. *num.* 205. & alij. Ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi sit expressa in iure.

QVINTA PROPOSITIO.

9 An coniugatus recipiens Ordines sit irregularis.

9 VIr coniugatus [illicitè] recipiens ordinem sacrum, non solùm est suspensus; sed etiam irregularis, vt patet ex *Extrauagant. Antiquæ concertationi.* [*de voto, & voti redempt.*] Ita Rebellus, Henriquez & alij, quos retuli *in tract. de matr. q.* 3. *punct.* 9. *ad finem*, quibus adde Auilam *loco cit. dub.* 5. Ratio est, quia non solùm prohibetur ordines suscepros exercere, verùm etiam alios suscipere, quod est proprium irregularitatis. [Vide dicta *de censuris in particulari disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 7.]

SEXTA PROPOSITIO.

10 An sit irregularis recipiens Ordines sacros ab Episcopo, qui renuntiauit dignitati.

10 REcipiens ordines sacros ab Episcopo, qui renuntiauit dignitati, incurrit irregularitatem, vel saltem suspensionem, etiamsi recipiens fortè ob ignorantiam non peccauerit, nam Episcopus, qui renuntiauit dignitati, non habet executionem ordinis; ergo nec illam potest alteri conferre. Episcopus dicitur renuntiare dignitati, quando renuntiat iurisdictioni, & executioni ordinis Episcopalis. Hæc proposito patet ex *cap.* 1. *de ordinatis ab Episcopo, qui renuntiauit Episcopatui.* Potest tamen proprius Episcopus dispensare, si ordinatus probabiliter ignorauit renuntiationem, vt patet ex *eodem cap.* 1. Vide Vgolinum *cap.* 40. Sayrum *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 27. Valentiam *loco cit.* Toletum *lib.* 1. *cap.* 66. Reginaldum *num.* 190. Filliucium *cap.* 7. *nu.* 190. & alios, quos suprà retuli *de casibus, in quibus suspensio incurritur*, [*& de censuris in particulari disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 9.]

Vltra præfatos casus addi potest irregularitatem incurri dum quis ordines suscipit in peccato mortali publico, & manifesto, *cap.* 1. *dist.*

dist. 48. Verùm hic casus reducitur ad irregularitatem ex infamia facti prouenientem, de qua suprà. Vide, si placet, Suarez *disp.* 42. *sect.* 3. *n.* 7. *vers. duodecimò*. Filliucium *tract.* 20. *n.* 198.

PVNCTVM V.

De irregularitate, quæ contrahitur per exercitium ordinum tempore censuræ.

DVo principaliter quæremus in hoc puncto. Primò, quam pœnam incurrat ligatus censura, exercendo ordines.
Secundò, quis possit dispensare.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An ligatus aliqua cẽsura fiat irregularis exercendo ordines sacros.

1 LIgatus maiori excommunicatione, suspensione, vel interdicto etiamsi sit occultus, & toleratus, incurrit irregularitatem exercendo solemniter, vel ex officio actus maioris ordinis, nisi excusetur ratione necessitatis, vel scandali vitandi, vel ignorantiæ, vel inaduertentiæ, vel obliuionis. Hæc propositio patet ex *cap. si quis Episcopus in Concilio* 11. *quæst.* 3. *cap.* 1. *& cap. is, cui. de sent. excommun.* & ex dictis *de pœnis violantium suspensionem, & interdictum.*

Dixi, *ligatus maiori excommunicatione*, quia ligatus minori excommunicatione non incurrit irregularitatem exercendo ordines, vt patet ex suprà dictis.

Dixi, *etiamsi sit occultus*; quia Concilium Constantiense nullum priuilegium concessit excommunicatis, quamuis occultis.

Dixi, *actus maioris Ordinis*, quia ob exercitium minoris ordinis non incurritur irregularitas; nam actus minorum ordinum exercentur ex consuetudine à laicis, etiam cum solemnitate. Ita communiter recentiores Theologi, Auila *disp.* 9. *sect.* 2. *dub.* 3. Toletus *lib.* 1. *cap.* 67. *n.* 4. Nauarrus *num.* 241. & alij suprà citati, contra Suarez *loco citando*, Vgolinum *tab.* 1. *c.* 14. §. 1. *n.* 1. Reginald. *n.* 186. [Alterium *lib.* 2. *disp.* 1. *c.* 1. *dub.* 1. *& tom.* 2. *disp.* 6. *c.* 3. *col.* 11.] & Graffium 1. *part. lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 34. qui verum asserunt de rigore iuris, sed modò consuetudo videtur obstare.

Dixi, *nisi excusetur ratione necessitatis*, &c. nam quoties ratione necessitatis, vel obliuionis, vel alterius causæ excusatur à mortali, excusatur etiam ab irregularitate, quæ supponit peccatum mortale; cùm irregularitas sit grauis pœna, quæ non incurritur, nisi ob graue peccatum, *cap. Apostolicæ, de Clerico excommunicato ministrante.* Ita communiter Doctores.

2 Quid si dubitet se irretitum esse aliqua censura.

2 Ex quo patet, eum qui dubitabat, se esse excommunicatum, celebrando incurrere irregularitatem, si re vera detinebatur excommunicatione. Secus si postea comperiat se re vera non fuisse excommunicatum, nam irregularitas nõ incurritur ob conscientiam erroneam, sed ob violationem censuræ; sicut etiam non est irregularis, qui celebrauit deposito dubio, quamuis postea comperiat re vera, se fuisse excommunicatum, cùm enim non peccauerit grauiter contra censuram, excusatur ab irregularitate, vt benè ait Suarez *de censuris disp.* 31. *sect.* 3. *num.* 7. Vgolinus *de censuris tab.* 1. *cap.* 14. *n.* 12. *&* 24. Syluester *verb. Irregularitas, num.* 15. [Alterius *cap.* 3.] Sayrus *lib.* 7. *cap.* 9. *nu.* 29. & patet ex suprà dictis *de causis excusantibus à censuris.*

Quæ diximus in hac propositione, valere solùm videntur in Clerico violante censuram per exercitium ordinum, non verò in laico diuina faciente dum vinculo censuræ obstrictus tenetur, quia præcitata iura loquuntur de faciente diuina ex officio, quod laicis competere non solet. Ita Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 14. §. 1. *n.* 13. quem sequitur Reginaldus *lib.* 30. *n.* 192. [Alterius *lib.* 2. *disp.* 1. *cap.* 2.]

Ex dictis infertur ligatum aliqua ex dictis censuris fieri irregularem in sequentibus casibus.

3 An ligatus censura fiat irregularis canendo in choro, vt hebdomadarius.

3 Primò canendo in choro tamquam hebdomadarium: nam hoc modo ex consuetudine solùm canitur ab initiatis maioribus ordinibus. Si verò non canat tamquam hebdomadarius cum *Dominus vobiscum*; sed sine *Dominus vobiscum*, non fit irregularis, quia hoc modo canitur etiam ab aliis, vt à monialibus, &c. [Ita communiter DD. teste Alterio *tom.* 2. *disp.* 6. *de suspensione, cap.* 3. *col.* 12.]

4 An sit irregularis canendo Epistolam.

4 Secundò, canendo Epistolam solemniter, id est, cum manipulo, si sit Subdiaconus, vel canendo Euangelium cum stola, si sit Diaconus. Secus si Subdiaconus canat sine manipulo, vel Diaconus sine stola, tunc enim non censetur exercere ordinem sacrum, sed officium cantoris. Vide quæ dixi *de violantibus suspensionem, & interdictum.*

5 An sit irregularis baptizando.

5 Tertiò, baptizando solemniter, aut consecrando aquam, aut aspergendo fideles, aut benedicendo cum debita solemnitate fruges, cereos, & similia. Ita Vgolinus *tab.* 1. *de censuris, cap.* 14. §. 1. *n.* 5. Ratio est, quia isti sunt actus ordinis sacri. Secus dic, si baptizet priuatim.

6 An sit irregularis absoluendo sacramẽtaliter.

6 Quartò, absoluendo sacramentaliter, etiam occultè, quia hic actus competit soli sacerdoti. Et hoc verum est, etiamsi absolutio sit inualida ob culpam pœnitentis, nam sacerdos quantum ex se fungitur ordine. Secus si absolutio sit inualida eò quòd sacerdos non habuerit intentionem absoluendi; sed tantummodò proferendi illa verba materialiter, tunc enim non dicitur actum ordinis exercere. Ita Suarez *de censuris disp.* 10. *sect.* 3. *num.* 15. [Alterius *loco citato, cap.* 2. *dub.* 1.] & alij.

7 An sit irregularis absoluẽdo sponsos, aut assistẽdo matrimonio.

7 Quintò, sacerdotem excommunicatum incurrere irregularitatem benedicendo sponsis, faciendo solemnitates Baptismi, vel ministrando Eucharistiam; nam isti sunt actus ordinis. Ita Suarez *loco cit. num.* 19. Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 14. §. 2. [Alterius *lib.* 2. *disp.* 1. *cap.* 1. *col.* 6. *&* 7. *& cap.* 2. *dub.* 2.] Idem dic de Diacono ministrante Eucharistiam, nam exercet ordinem Diaconatus. Ita Suarez *disp.* 11. *sect.* 3. *num.* 24. Secus dic de sacerdote excommunicato assistente matrimonio: nam illa assistentia non est actus ordinis. Imò neque est propriè actus iurisdictionis, vt suo loco dictum est. Ita Suarez *n.* 18. [Alterius *loco cit. cap.* 2. *dub.* 2.] & alij.

8 Quid si exerceat ea, quę non prohibentur per tõsuram.

8 Sextò, Clericum suspensum, vel interdictum non fieri irregularem, exercendo ea, quæ sibi non sunt prohibita per censuram: tunc enim non dicitur violare censuram per exercitium ordinis sacri. Ita Vgolinus *de censuris tab.* 1. *loco cit. n.* 23. & alij communiter.

Idem dicendum est de illo, qui functionem ordinis exercet contra præceptum superioris, antequam vinculo censuræ ligatus sit, hic enim non dicitur violare censuram per exercitium ordinis, cùm illa non sit obstrictus dum functiones ordinis exercet, sed facit contra præceptum superioris. Ita Filliucius *tract.* 20. *cap.* 8. *quæsito* 2. Suarez *disp.* 42. *sect.* 5. *n.* 3. contra Matolum *lib.* 3. *cap.* 18. Angelum, Syluestrum, & alios, quos citat, & sequitur Sayrus *lib.* 7. *c.* 10. *n.* 24. Vide suprà dicta *punct.* 4. *n.* 2. *ad finem.*

9 An Episcopus ligatus censura fiat irregularis exercendo ordinem Episcopalem.

9 Septimò, Episcopum excommunicatum, vel suspensum incurrere irregularitatem exercendo ordinem Episcopalem. Vide Vgolinum *loco cit.* [Alterium *lib.* 2. *disp.* 1. *cap.* 1. vbi idem docet de Abbate conferente minores ordines. Sayrum *lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 5. Ex quo licet inferre, Episcopum excommunicatum ligari vinculo irregularitatis, consecrando Episcopos, conficiendo chrisma, ordines conferendo, degradando Clericos, solemniter benedicendo, aut alia faciendo, quæ propria sunt ordinis Episcopalis. Si verò benedictionem impendat sine solemnitate, benedicendo populum in itinere, aut domi, dissensio est inter Doctores, an pœnam irregularitatis incurrat. Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia huiusmodi benedictio est actus Episcopalis ordinis, alioquin etiam Episcopus electus, & confirmatus, posset illum actum præstare ante consecrationem, & Abbas habens priuilegium benedicendi populum post Missarum solemnia, & post matutinum, vel vespertinum officium, posset etiam per vias benedictionem publicè facere. Hoc autem aduersatur textui *in cap. Abbates, de priuileg.*

Ego respondeo, non incurrere pœnam irregularitatis, tum quia huiusmodi benedictio in rigore loquendo, non est actus ordinis Episcopalis, cùm etiam ab aliis aliquando impendatur; tum quia paruitas materiæ excusat à mortali, consequenter etiam à graui pœna irregularitatis. Ita Anchar. *cap.* 1. *vers. caueant, de sent. excommun.* Alterius *lib.* 2. *disp.* 1. *cap.* 1. *col.* 6.]

10 An ligatus duplici cẽsura duplicem incurrat irregularitatẽ exercendo ordines sacros.

10 Rogabis, vtrum ligatus excommunicatione, & interdicto incurrat duplicem irregularitatem, vel saltem vnam grauiorem ex duplici causa exercendo ordines sacros.

Respondeo incurrere duplicem irregularitatem, nam violat duplicem censuram specie diuersam, sicut etiam dictum est suprà sepelientem excommunicatum vitandum in loco interdicto incurrere duplicem excommunicationem. [Ita Alterius *cap.* 4. *dub.* 5. & alij DD. citati.]

SECVNDA PROPOSITIO.

11 Quis possit in hac irregularitate dispensare.

11 IN irregularitate contracta ob violationem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti per exercitium ordinum solus Papa dispensat, quando delictum est publicum, *cap.* 1. *de sent. excomm. in* 6. In irregularitate verò, quæ contrahitur ob delictum occultum, & violationem occultam, dispensare potest Episcopus ex priuilegio Tridentini *sess.* 24. *cap.* 7. Est autem delictum occultum, etiamsi aliquis publicè exerceat ordines, modò delictum excommunicationis, vel alterius censuræ sit occultum, ita vt nesciatur, an sit excommunicatus, vel suspensus. Ita Sayrus *cap.* 10. *num.* 16. *& cap.* 13. Nauarrus *num.* 241. Reginaldus *num.* 188. [Alterius *lib.* 2. *disp.* 1. *cap.* 5. *ad finem*,] & alij, quos in simili suprà citaui *punct.* 3. *num.* 11. & infrà referam *de irregularitate homicidij.*

PVNCTVM VI.

De irregularitate, quæ contrahitur per exercitium ordinis, quem quis non habet.

DVo principaliter quæram in hoc puncto. Primò, vtrùm exercens ordines, quos non habet, incurrat irregularitatem.
Secundò, quis possit in ea dispensare.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An exercens ordines, quos non habet, fiat irregularis.

1 CLericus, qui ministrat in ordine sacro, quem non habet, incurrit irregularitatem, modò scienter, & seriò, & ex officio ministret. Ita Nauarrus *num.* 242. Suarez *disp.* 11. *sect.* 3. *num.* 22. *& disp.* 42. *sect.* 4. *num.* 2. Filliucius *tract.* 20. *cap.* 7. *quæsito* 8. *&* 11. Reginaldus *lib.* 30. *num.* 191. Toletus *lib.* 1. *cap.* 72. *num.* 1. Sayrus *cap.* 10. *num.* 1. Sotus *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 3. Vgolinus *de irregularitate cap.* 37. Auila *dub.* 13. Graffius *loco cit. num.* 31. Coninchus *dub.* 6. & alij communiter. Hæc propositio probatur ex *cap.* 1. *&* 2. *de Clerico non ordinato ministrante*; vbi præter excommunicationem comminatoriam imponitur etiam irregularitas; ibi, *numquam ordinetur.* [Quamquam Suarez *n.* 2. *&* 4. putat istam non esse totalem irregularitatem, sed partialem impedientem Clericum ne ad superiores ordines promoueatur, & suspendentem ab vsu vltimi ordinis suscepti, antequam Clericus exerceret functionem ordinis, quem non habebat.]

Dixi, *Clericus*, quia laicus non incurrit irregularitatem. Ita Angelus *verb. Irregularitas* 1. *num.* 38. Sayrus *cap.* 10. *num.* 6. Suarez *de censuris disp.* 11. *sect.* 3. *num.* 22. Henriquez *cap.* 6. *num.* 1. Reginaldus *n.* 192. & alij, contra Nauarrum *num.* 242. Valentiam *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 1. Auilam *dub.* 13. *ad finem*, Suarez *tom.* 1. *de Sacramentis, disp.* 31. *sect.* 4. §. *sed quæres, & de censuris disp.* 42. *sect.* 4. *num.* 3. *&* 9. Filliucium *tract.* 70. *cap.* 7. *quæst.* 8. *num.* 208. Coninchum *disp.* 18. *dub.* 6. *num.* 45. Ratio nostra est, quia iura citata loquuntur absolutè tantùm de Clerico, & versamur in materia odiosa, [quæ restringenda est.]

Dices. Textus loquitur absolutè, & generaliter de ministrante, ergo intelligi etiam debet de laico ministrante.

Respondeo, verba textus generaliter loquentis intelligi debere iuxta titulum, sub quo verba ponuntur: verba autem illius textus ponuntur sub titulo de Clerico non ordinato ministrante; ergo de solo Clerico intelligi debent.

Dixi in propositione, *scienter*, nam si quis ex ignorantia, etiam crassa, ministret in ordine, quem non habet, credens se talem ordinem habere, non incurrit irregularitatem, ex Vgolino *de censuris cap.* 37.*n.*8. Nauarro *consil.*70.*de sent.excomm.* & aliis. Ratio est, quia hic non dicitur scienter ministrare.

Dixi, *seriò*, quia ministrans ioco vel per repræsentationem non incurrit irregularitatem, quia non dicitur propriè ministrare in ordine sacro. Ita Nauarrus, Auila, Suarez, Filliucius, Reginaldus, & Coninchus *locis cit.* propterea initiandus ordine sacro non incurrit irregularitatem, si se exerceat in Missa celebranda, vt illius cæremonias addiscat, aut ne erret celebrando, postquam fuerit initiatus ordine sacerdotali, non enim dicitur celebrare ex officio, & tamquam initiatus ordine sacro. Ita Vgolinus *loco cit.n.*12. vbi ex eadem ratione ab irregularitate excusat pueros, qui aliquas Missæ partes inter se canunt, hoc enim non intendunt seriò facere, ac si essent initiati ordine sacerdotali.

Dixi, *in Ordine sacro*, quia non sufficit ministrare in minoribus ordinibus, cùm in istis soleant etiam laici adhibitis vestibus ministrare. Ita Vgolinus *n.*13. Coninchus, & alij *locis citatis*, contra Filliucium & Suarez *locis citatis*, *n.*15.

Dixi, *solemniter*, quia exercens ordinem sacrum sine solemnitate non contrahit irregularitatem; quamobrem cantans Epistolam sine manipulo, vel Euangelium sine stola, non fit irregularis, eò quòd non dicatur canere solemniter ex ordine, & ex officio, sed tantùm dicatur vti officio cantoris, Reginaldus *n.*183. & alij DD. cit.

2 An canẽs Epistolam sit irregularis.

2 Hinc sequitur primò, Clericum, qui non est Subdiaconus, canentem Epistolam sine manipulo, & intendentem eam canere ex officio, non incurrere irregularitatem, quia ad incurrendam irregularitatem non sufficit actus internus, & interior intentio ministrandi ex officio, sed requiritur exterior solemnitas; ille autem, qui canit Epistolam sine manipulo, non exercet exteriorem solemnitatem ordinis subdiaconatus, cùm ad illius solemnitatem requiratur ornamentum vestium. Verùm si cum manipulo, & Dalmatica canat Epistolam, non intendens exercere ex officio, sed solùm supplere defectum Subdiaconi, non fit irregularis, quia non dicitur propriè exercere ex officio, nec actus dicitur completus, completur verò per intentionem, & exteriorem actionem cum manipulo, & Dalmatica. Ita Nauarrus *loco cit.* quem sequitur Vgolinus *loco cit.n.*10. quidquid in contrarium sentire videatur Coninchus *n.*47.

3 An Sacerdos exercens ordinem Episcopalem sit irregularis.

3 Secundò sequitur, Sacerdotem, exercentem actus ordinis Episcopalis, vt confirmando, vel ordines conferendo, vel consecrando Altaria, aut impendendo benedictionem iis verbis, *sit nomen Domini benedictum*, esse irregularem. Ita Suarez *disp.*42.*sect.*4.*n.*7. vbi testatur de communi, Filliucius *n.*210. & alij Doct. cit. [Idem dic de Episcopo promoto per saltum si conferat ordines quos non habet. Vide Suarez *num.*9.]

4 An absoluens à peccatis sit irregularis si non sit Sacerdos.

4 Tertiò, Clericum nondum initiatum sacerdotio, qui aliquem seriò, & sacramentaliter absoluit, esse irregularem, iuxta Nauarrum *num.*142. Coninchum *n.*48. Sotum 8.*de iustitia*, *quæst.*4.*art.*1. Vgolinum *cap.*37.*num.*6. Auilam *dub.*15. Suarez, & Filliucium *locis citatis*, nam exercet ordinem, quem non habet, quamuis Syluester *v.Confessor* 1. dicat, non fieri irregularem, eò quòd ista irregularitas non sit in iure expressa, nam *in cap.citato* habetur, si quis baptizauerit, vel aliquod diuinum officium exercuerit, &c. sed nomine *diuini officij* non intelligitur absolutio sacramentalis; ergo Clericus, qui sacramentaliter absoluit, non est irregularis. Sed hæc ratio facilè dissoluitur, dicendo cum Nauarro, & Soto, nomine *diuini officij*, in hac materia intelligi etiam absolutionem sacramentalem; vt patet ex illo textu, & ex communi DD. intelligentia, teste Coninchо *loco cit.n.*48.

5 An qui non est Sacerdos sit irregularis ministrãdo solemniter Baptismũ.

5 Quartò, Clericum, qui non est sacerdos, fieri irregularem ministrando solemniter Sacramentum Baptismi, etiam in extrema necessitate, nam exercet actum proprium sacerdotis, proprium enim sacerdotis est solemniter baptizare. Ita Nauarrus *cap.*22.*num.*7. Auila *dub.*14. Sayrus *num.*4. Filliucius *n.*308. licet oppositum dicat *nu.*213. loquens de Clerico, & alij. Excipitur à Caietano *part.*3.*quæst.*67.*art.*1. & Soto *dist.*4.*quæst.vnic.art.*1. Diaconus ministrans solemniter Baptismum cum licentia proprij parochi, vel Episcopi, potest enim Diaconus cum hac licentia ministrare solemniter Baptismum sine periculo irregularitatis, eò quòd ad ipsius munus pertineat solemniter baptizare de licentia Episcopi, vel parochi, saltem vbi consuetudine ita receptum est.

6 An Sacerdos ministrans Extremam vnctionem sit irregularis.

6 Quintò, sacerdotem ministrantem Sacramentum Eucharistiæ, Pœnitentiæ, vel Extremæ vnctionis non fieri irregularem, quia irregularitas incurritur ab exercente ordinem, quem non habet, sed sacerdos in his casibus non exercet actum ordinis, quem non habet, cùm verè sit sacerdos, sed potiùs dicitur exercere actum iurisdictionis, quam non habet; ergo non est irregularis, cùm non sit lata irregularitas contra exercentes actum iurisdictionis alienæ, Henriquez *lib.*2.*cap.*29.*n.*2. Coninchus, & alij.

Vtrum verò incurrat excommunicationem, aut aliam pœnam, dictum est de pœnitentia, de matrimonio, & alibi.

7 An Clericus referẽs munus hebdomadarij sit irregularis.

7 Sextò, Clericum fieri irregularem referendo in choro munus hebdomadarij proprium sacerdotis, cùm ipse nondum sit sacerdos, nisi fortè hoc bona fide faciat, tunc enim non dicitur se temerè immiscere ordini, quem non habet, vt patet ex *cap.*1. *de Clerico non ordinato ministrante.* Ita Vgolinus *cap.*37.*n.*8. & Patres eruditissimi Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente, & ita consulente.

8 An fiat irregularis absoluẽdo pœnitẽtes, aut benedicendo sponsis,

8 Septimò, Clericum fieri irregularem absoluendo pœnitentes, aut benedicendo sponsis, etiamsi hoc faciat absque superpelliceo, vel stola, nam hoc est munus proprium sacerdotis. Ita Vgolinus *loco cit. n.*19. Suarez *loco cit.n.*19. Coninch.*n.*49. Filliucius *n.*212. & alij.

Octauò, Clericum per saltum promotum, fieri irregularem exercendo functiones ordinis prætermissi, vt benè Suarez *nu.*5. & 9. Filliucius *num.*209. & 211. quamquam etiam alio titulo est irregularis, nempe, quia violat suspensionem, de qua suprà [*punct.*5.]

9 Quis dicatur ordinem exercere solemniter, & ex officio.

9 Quæres, quando quis dicatur actum aliquem ordinis exercere solemniter, vel ex officio.

Respondeo tunc dici, quando actus talis est, vt ab alio non possit exerceri, quàm ab eo, qui talem ordinem habet, quando verò potest eodem modo ab alio exerceri, non dicitur exerceri solemniter, & ex officio, propterea quando laicus inseruit Missæ, deferendo vrceolos ad Altare, illosque porrigendo sacerdoti, non dicitur ordinem Acolytatus exercere, eò quòd hoc munus ex consuetudine possit non solùm à Clericis præstari, sed etiam à laicis; Clericus verò nondum initiatus ordine sacro, canendo Epistolam cum manipulo, aut Euangelium cum stola, dicitur canere solemniter, & ex officio, vt benè ait Vgolinus *tab.*1.*cap.*14. §.1. *nu.*10. *& de irregularitate*, *cap.*37.*num.*10. Suarez *loco cit.* & alij communiter, consequenter fit irregularis; quia exercet ordinem ex officio, quem non habet, & facit actum qui ab alio fieri non potest, quàm ab eo qui talem ordinem habet.

SECVNDA PROPOSITIO.

10 Quis possit in hac irregularitate dispensare.

10 IN irregularitate, quam quis contraxit exercendo ordines, quos non habebat, solus Summus Pontifex dispensat, vt accedat ad vlteriores ordines, nam ad ipsum pertinet dispensare in iure communi. Ita Syluest. *verb.Irregularitas*, *quæsito* 8. Sayrus *num.*11. Auila *dub.*15.*concluſ.*3. Vgolinus *de irregularitate cap.*37.*num.*14. Toletus, & alij: Episcopus verò potest dispensare, vt exerceat susceptos. Imò etiam, vt alios suscipiat, modò delictum sit occultum, vt patet ex Tridentino *loco sapiùs cit. sess.*24.*cap.*6. *de reformatione.* [Vide Suarez *num.*3. & alios præcitatos DD.]

PVNCTVM VII.

De irregularitate, quæ contrahitur ex delicto hæresis.

TRia principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, vtrùm hæretici, & eorum fautores sint irregulares.

Secundò, vtrùm eorum filij.

Tertiò, quis dispenset in hac irregularitate.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An hæretici, apostatæ, & eorum fautores sint irregulares.

1 HÆretici, apostatæ à fide, eorum fautores, & defensores sunt irregulares, etiamsi sint occulti. *cap.saluberrimum.quæst.*1.*c.*2.*de hæreticis in* 6.*cap.presbyteros.dist.*50. Ita Suarez *disp.*43.*sect.*1. Nauarrus *num.*205. Sylvester *verb.Irregularitas quæsito* 5. Toletus *lib.*1.*cap.*64. Filliucius *tract.*20.*cap.*9.*num.*117. Vgolinus *cap.*36. Coninch.*disp.*18. *dub.*7. & alij communiter apud Sanchez *in sum.lib.*2.*cap.*25.*num.*2. Hæc propositio intelligitur de iis, qui hæresim suam signo aliquo sufficienter illam indicante exteriùs manifestarunt, actus enim merè internus non subiacet pœnis Ecclesiasticis, vt patet ex dictis *de excommunicatione*, *quæ contrahitur ob hæresim.*

2 An proferens hæresim sit irregularis si interius benè sentiat.

2 Ex dictis colligi potest primò, eum, qui exteriùs hæresim profert, sed interiùs benè sentit, non esse irregularem. Ita Suarez contra Vgolinum *loco cit.* & alios, nam re vera non est hæreticus, nec excommunicatus; ergo neque est irregularis. Secus dicendum est, iuxta probabiliorem sententiam de eo, qui exteriùs est apostata à fide, vt qui exteriùs adorat idolum in tormentis per metum, sed animo non adorat. Ita Farinacius *de hæresi quæst.* 92. *num.* 73. Filliucius *num.*229. Suarez *disp.*43. *sect.*2. Sanchez *loco cit.num.*5. & habetur *cap.presbyteros.dist.*50. Ratio est, quia opere videtur apostata, & reuera peccat contra præceptum fidei negatiuum. Apostata autem subiacet pœnis hæreticorum, *cap.non potest* 2.*quæst.*7. *& cap.contra Christianos. de hæreticis in* 6.

3 An hæreticus occultus sit irregularis.

3 Secundò eum qui lapsus est in hæresim esse irregularem, etiamsi delictum sit occultum, nam re vera est hæreticus. Ita Suarez *de censuris disp.*43.*sect.*1.*num.*4. Rodriquez *in addit.ad Bullam Cruciatæ*, §.13. *num.*12. & alij communiter contra Auilam *par.*7.*disp.*4.*dub.*2. Henriquez *lib.*14.*c.*4.*n.*6. *& cap.*5.*n.*4. Emanuelem Sà *verb.Irregularitas*, & alios apud Augustinum Barbosam *sess.*24.*cap.*6. In hac tamen irregularitate orta ex hæresi occulta Episcopum posse dispensare ex Trident. *sess.*24.*cap.*6. putat Sanchez *in sum.lib.*2.*cap.*25.*n.*15. Vgolinus *de irregul.cap.*36.*n.*5. & alij, sed de hac re *in tertia propositione.*

4 An iniens pactum cũ dæmone, aut ipsum colens sit irregularis.

4 Tertiò illos, qui pactum ineunt cum dæmone, aut ipsum colunt absque hæresi, non esse re vera irregulares ex hoc capite. Ita Sanchez *n.*11. & Suarez *loco citato.*

Dixi, *ex hoc capite*, nam aliunde, scilicet ob suspicionem hæresis, ex qua consurgat infamia, certum est irregulares fieri, vt suprà dictum est. Ita Filliucius *num.*235. [Diaz *in practica cap.*148. Suarez *disp.*43. *sect.*2.*num.*8. *& seqq.* & alij asserentes suspectum de hæresi irregularem esse, quamdiu suspectus manet, seu donec purgauerit suspicionem, *cap. infames* 6.*quæst.*1.]

5 An qui cogitur abiurare hæresim sit irregularis.

5 Quartò, illum esse irregularem qui cogitur abiurare hæresim probatam in iudicio; nam hic censetur verus hæreticus. Vide Sanchez *loco citato.*

6 An Clericus lapsus in hæresim possit ordines exercere.

6 Quæres primò, vtrùm Clericus, qui lapsus est in hæresim, possit exercere susceptos ordines.

Respondent Auila *part.*7.*disp.*4.*dub.*2. Sanchez *lib.*2.*cap.*28.*nu.*10. Farinacius *de hæresi quæst.*91.*num.*62. qui sibi contrarius videtur *n.*71. *quæst.*92. Sayrus *lib.*7.*c.*12.*num.*16. post pœnitentiam, & abiurationem posse, ex *cap.saluberrimum* 1.*quæst.*3. Imò addit idem Auila hæreticum occultum posse ad ordines promoueri obtenta legitima absolutione excommunicationis ob hæresim contractæ, *cap.ad abolendam.* [*de hæret.*]

Sed mihi probabilius dicendum videtur non posse promoueri, nec ordines exercere ante obtentam legitimam dispensationem irregularitatis, quæ non potest hoc tempore impendi ab Episcopo, vt dicam *in* 3.*propositione.* Ratio est, quia irregularis non potest ad ordines promoueri, vel eos exercere ante dispensationem. Ita Sanchez *n.*4. Suarez *n.*6. Coninchus *n.*52. Vgolinus *cap.*36.*n.*2. & alij.

7 An schismaticus sit irregularis.

7 Quæres secundò, vtrùm schismaticus sit irregularis, sicut est hæreticus.

Respon-

Reſpondeo negatiuè cum Suarez *loco cit.n.*7. contra Maiolum *lib.* 5.*cap.*46.*num.*4. Vgolinum §.3. & alios. Ratio eſt, quia irregularitas non incurritur niſi ſit expreſſa in iure, *cap.is qui.de ſent.excomm.* Hoc tamen intellige, modò ſchiſma non ſit coniunctum cum hæreſi, tunc enim perſpicuum eſt irregularitatem incurri. Ita Suarez *loco cit.* Filliucius *tract.*20.*cap.*9.*quæſito* 3.*num.*233. Sanchez, Sayrus, & alij, quos retuli *de legibus diſput.*3.*quæſt.*4.*puncto vlt.*§.3. vbi de ſchiſmate prolixius egi.

8 An apoſtata ſit irregularis.

8 Quæres tertiò, vtrùm apoſtata à religione, vel à ſtatu clericali ſit irregularis.

Reſpondeo religioſum profeſſum apoſtatam à religione eſſe irregularem, [*cap.hi qui.diſt.*50. vbi Summus Pontifex iubet apoſtatam ad Clericatus officium non admitti, *& in cap.finali*, vbi apoſtata prohibetur miniſtrare in ordine, eo tempore ſuſcepto, conſequenter inferri,] apoſtatam à religione durante eo ſtatu non eſſe admittendum ad Ordines. Ita Vgolinus *loco cit.*§.4. Maiolus *lib.*5.*cap.*30.[Suarez *to.* 5.*diſp.*31.*ſect.*6.*n.*1. Henriquez *lib.*13.*c.*40.*num.*1. contra Sanctarellum *de Apoſtaſia c.*3. *dub.*2.*n.*16.] Clericus verò, qui eſt apoſtata à clericali habitu, & tonſura, non eſt irregularis, quia iſta irregularitas nullo iure probatur. Ita Vgolinus *loco cit. n.*6. & alij contra Maiolum *lib.*5.*cap.* 34.*num.*4. & alios.

SECVNDA PROPOSITIO.

9 An filij hæreticorũ ſint irregulares.

9 Filij hæreticorum ſunt irregulares vſque ad ſecundam generationem per lineam virilem, paternam; per lineam verò femineam ſeu maternam, ſunt irregulares vſque ad primam, *cap. ſtatutum* 2.*de hæreticis.* Hoc tamen intelligitur modò eorum parentes mortui ſint in delicto hęreſis, & non fuerint conuerſi, ſiue poſt primum, ſiue poſt ſecundum lapſum, *cap.ſtatutum.de hæreticis.* [ibi, *qui tales eſſe, vel deceſſiſſe probantur.*] Vnde filij & nepotes hæreticorum poſſunt promoueri quando parentes ipſorum ante mortem fuerunt recõciliati Eccleſiæ (ad diſtinctionem parentum, qui irregulares remanent etiam poſt conuerſionem, niſi diſpenſentur, aut niſi aliter receptum ſit conſuetudine in aliquo loco, vt in aliquibus Germaniæ locis ſeruari videtur.) Ita Henriquez *loco cit.* Sayrus *lib.*6.*cap.*10.*num.*4. Coninchus *num.* 51. Suarez, & Filliucius *locis cit.* & alij communiter, quorum nonnulli cum Penna in Directorio [3.*p.quæſt.*114.] hoc valere non putant in filiis hæreſiarchæ, aut etiam hæreticorum relapſorum, qui Eccleſiæ reconciliantur, & ſtatim brachio ſæculari traduntur.[Ratio eſt, quia iſti non dicuntur reincorporati Eccleſiæ, aut emendati. Reincorporatus enim Eccleſiæ is dicitur, qui ad gremium Eccleſiæ iterum admittitur, & is dicitur emendatus, qui in crimen quod abiurauit, non relabitur. Alij verò oppoſitum ſentiunt; quia relapſus ſi pœnitentiæ ſigna præbeat, abſoluitur. Ergo incorporatur Eccleſiæ, quia per abſolutionem à cenſura fit iſta incorporatio, & abſolutio non datur niſi emendatis. Ita multi Doctores apud Pennam *loco citato*, ipſe tamen oppoſitam ſententiam ſuſtinet, cum Simancha & aliis, vt iam dictum & probatum eſt.]

10 An filius hæretici natus ante lapſum parentis ſit irregularis.

10 Hinc ſequi videtur filium hæretici eſſe irregularem, etiamſi natus ſit ante lapſum parentis in hæreſim; nam *c.ſtatutum*, abſolutè loquitur. Ita Couarruuias 2.*variar.c.*8.*n.*5. Gomez 3.*var.cap.*2.*fol.mihi* 551. Suarez *diſp.*43.*ſect.*3.*n.*2. Filliucius *num.*238.

Sed contrarium mihi videtur probabilius cum Nauarro *conſil.*27. *de hæreticis*, Vgolino §.1.*num.*6. Simancha *de Catholicis inſtitutionibus tit.*23. Leſſio *cap.*34.*num.*121. Henriquez *lib.*14.*cap.*5.*n.*4. Conincho *loco cit.num.*53. Sanchez *lib.*2.*cap.*27.*num.*14. vbi de hac re fuſiſſimè tractat, Couarruuia, Gomez, & aliis apud Suarez *num.*2. Ratio eſt, tum quia verſamur in materia odioſa, quæ benignè explicanda eſt: tum quia argumentum ſumi poteſt à crimine læſæ maieſtatis ad crimen hæreſis, *cap.vrgentis, extra de hæreticis*; ſed filij reorum criminis læſæ maieſtatis nati ante delictum non ſubiacent pœnis, quibus ſubiacent nati poſt delictum: ergo.

Ad *cap.ſtatutum*, reſpondeo adeſſe ſufficientem rationem diſtinguendi, & explicandi illum textum de filiis natis poſt hæreſim.

11 An filij neophytorum, vel deſcendentium ex Iudæis, vel Paganis ſint irregulares.

11 Quæres vtrùm filij neophytorum, aut deſcendentium ex Iudæis, vel Paganis, qui Chriſtiani noui nuncupantur, irregulares ſint.

Reſpondeo negatiuè, quia iſti non dicuntur filij hæreticorum, prout *in præcit.iur.* nomen hæretici accipitur, neque dicuntur Neophyti, cùm iſti filij baptizati ſint in infantia, vt ſuppono. [Quid verò ſentiendum ſit de baptizatis in adoleſcentia, aut in virili ætate, patet ex dictis *quæſt.*2.*punct.*1.*n.*4.] Videri poteſt Suarez *diſp.*43.*ſect.*3.*n.*8. & Filliucius *num.*241.

TERTIA PROPOSITIO.

12 Quis diſpẽſare poſſit in irregularitate ob hęreſim contracta.

12 IN irregularitate ob hæreſim contracta ſolus Summus Pontifex diſpenſat, etiamſi hæreſis ſit occulta, nam abſolutio hæreſis hoc tempore eſt reſeruata Summo Pontifici, vt patet ex Bulla Cœnæ, & ſupradictis; ergo etiam eſt illi reſeruata diſpenſatio irregularitatis inde prouenientis, argumento *cap.cùm illorum.de ſententia excommunicationis*, vbi habetur Epiſcopos non poſſe in iis caſibus diſpenſare, in quibus eſt illis prohibita abſolutio, nam maiora illis intelliguntur prohibita, quibus prohibita ſunt minora; cùm ergo Epiſcopis prohibita ſit abſolutio hæreſis, prohibita etiam cenſetur diſpenſatio irregularitatis prouenientis ex hæreſi, eò quòd poteſtas diſpenſandi maior vocetur poteſtate abſoluendi ab excommunicatione. Ita Suarez *diſp.*43.*ſect.*1.*ad finem.* Toletus *lib.*1.*cap.*46.*n.*7. Filliucius *nu.*232. & alij contra Vgolinum §.5. Sanchez *loco cit.n.*17.*&* 18. & alios.

13 An Epiſcopus diſpẽſare poſſit circa vſum Ordinum ſuſceptorũ cum irregulari.

13 Obſerua tamen primò non improbabilem videri nonnullorum DD. ſententiam aſſerentium Clericum conuerſum ab hæreſi, poſſe circa vſum Ordinum ſuſceptorum diſpenſari ab Epiſcopo vſque ad Diaconatum incluſiuè, ex *cap.ſaluberrimum.* vbi habetur Clericum conuerſum ab hæreſi, poſſe recipi in Ordine quem priùs habebat. Dico *vſque ad Diaconatum incluſiuè*, quia quoad vſum ſacerdotij diſpenſatio pertinet ad Papam, ex communi DD. ſententia, teſte Suarez *diſp.*43.*ſect.*1.*num.*6. & Filliucio *n.*243. Quod idem à fortiori dicendum eſt de diſpenſatione cum Epiſcopis hæreticis quoad vſum Pontificalium, præſertim cùm horum cauſæ in materia fidei reſeruatæ ſint Summo Pontifici, *c.Inquiſitores, de hæreticis in* 6.

Dixi, *non improbabilem videri*, quia oppoſita ſententia communior, & probabiliſſima abſolutè ſuſtinet diſpenſationem huius irregularitatis Summo Pontifici reſeruari non ſolùm quoad ſuſceptionem Ordinum; verùm etiam quoad vſum ſuſceptorum, *cap.cùm illorum, cit.*

14 An circa ſuſceptionem aliorum.

14 Obſerua ſecundò, probabiliter etiam ſuſtineri poſſe Epiſcopum ius habere diſpenſandi non ſolùm circa vſum Ordinum ſuſceptorum, verùm etiam circa ſuſceptionem ipſorum Ordinum quamdiu delictum eſt occultum. Ratio eſt, quia in Trid.*ſeſſ.*24. *cap.*6.*de reformatione*, generaliter conceſſum eſt Epiſcopis priuilegium diſpenſandi in irregularitatibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, neque videtur reſtrictum hoc priuilegium in Bulla Cœnę, cùm in ea mentio ſolùm fiat de reuocatione facultatis abſoluendi, quæ cadit ſupra cenſuras, non verò de diſpenſatione, quæ circa irregularitates exercetur: reuocatio autem facultatis abſoluendi non eſt reuocatio facultatis diſpenſandi, cùm enim ſint res diſtinctæ, non eſt facienda extenſio ab vna ad alteram. Ita Suarez *num.*7. Filliucius *num.*246. Sanchez *in opere morali lib.*2. *cap.*25.*num.*16. vbi hanc rem fuſius proſequitur.

15 An poſſit hoc idem per alium.

15 Addo probabile videri Epiſcopum non ſolùm per ſe ipſum, verùm etiam per vicarium poſſe in foro conſcientiæ in præfata irregularitate diſpenſare quamdiu delictum eſt occultum, quia in prima parte præfati capitis Concilij facultas diſpenſandi conceditur Epiſcopo abſolutè, in ſecunda verò parte capitis limitatur illi facultas abſoluendi per ſe ipſum. Ita Sanchez, & Filliucius *locis citatis.* Viualdus *de irregularitate num.*80. contra Suarez *num.*7. & alios arbitrantes Epiſcopum poſſe ſolùm per ſe ipſum in huiuſmodi irregularitate diſpenſare. Imò ad finem eiuſdem *num.*7. cum Nauarro, & aliis arbitratur diſpenſationem huius irregularitatis abſolutè reſeruatam eſſe Summo Pontifici. Ob id ego in tertia propoſitione abſolutè dixi, in irregularitate ob hæreſim contracta ſolum Summum Pontificem diſpenſare.

§. Vnicus.

De nonnullis irregularitatibus, quæ ab aliquibus aſſeruntur, & aſſeruntur, ſed ab aliis reiiciuntur & refelluntur.

16 An excommunicatus præcipiens coram ſe celebrari, irregularis ſit.

16 PRima eſt de eo, qui cùm ſit excommunicatus, præcipit coram ſe celebrari. Sed ad hunc caſum dici poſſet carere ſolido fundamento, nec communiter à Doctoribus admitti, vt patet ex dictis *diſp.*5.*punct.*7.*num.*10. [vide Alterium *lib.*1. *diſp.*13.*c.*2. & alios DD. quos retuli *loco cit.n.*10.]

17 An Religioſus egrediens clauſtrum ad audiendas leges, vel medicinam, irregularitatem incurrat.

17 Secunda eſt contra religioſos egredientes clauſtrum ad audiendas leges, vel medicinam, niſi redierint intra duos menſes, *cap.ſuper ſpecula.ne Clerici, vel monachi*, ibi, *ſicut excommunicati ab omnibus euitentur, & in nulla cauſa (ſi patrocinium præſtare voluerint) audiantur. Reuerſi autẽ in choro, menſa, capitulo & ceteris vltimi fratrum exiſtant, & (niſi fortè ex miſericordia Sedis Apoſtolicæ) totius ſpem promotionis amittant.* Idem habetur *in cap.relatum.eodem tit.* Ita Toletus *cap.*88. Vgolinus *loco cit.*§.4.*n.*5.

18 An ſodomita ſit irregularis.

18 Tertia eſt de infecto crimine Sodomiæ. Sed hoc falſum eſt, vt patet ex dictis *de Sodomia.*[Vide Auilam *part.*7.*diſp.*4.*dub.*7.*ad fin.*]

19 An ſit Simoniacus.

19 Quarta eſt de Simonia. Sed hoc gratis aſſeritur, & ſine fundamento; cùm irregularitas non incurratur, niſi ſit in iure expreſſa, vt benè oſtendit Suarez *diſp.*43.*ſect.*4.*num.*5. Filliucius *tract.*20. *cap.*9. *n.*247. Reginald.*lib.*30.*n.*204.

20 An celebrans in altari propria auctoritate erecto, & non cõſecrato, ſeu benedicto ſit irregularis.

20 Quinta eſt de celebrante in altari propria auctoritate erecto, & non cõſecrato, ſeu benedicto ab Epiſcopo. Verùm hic caſus mihi non probatur, quia nullo iure conſtat irregularitatem in hoc caſu impoſitam eſſe. Ita Suarez *diſp.*42.*ſect.*5.*n.*5. Filliucius *tract.*20.*c.*8.*n.*221.

Neque obſtat *cap.nullus presbyter.de conſecrat.diſt.*2. quia in eo textu id non prohibetur ſub irregularitate, quæ ipſo facto incurratur, ſed ſub pœna depoſitionis inferenda.

21 An celebrans animo, vt Deus alicui mortem inferat, ſit irregularis.

21 Sextò de ſacerdote, qui Miſſam pro aliquo homine in hac vita degente hoc fine celebrat vt mortem illi Deus inferat. Ita Maiolus *loco cit.n.*6. Verùm id gratis à Maiolo dicitur: cùm enim in Concilio Toletano XIII.*cap.*7. quod Maiolus pro ſe adducit, habeatur ſolùm pœna depoſitionis comminatoria à proprio gradu, & pœna exilij, quæ non conuenit irregularitati, ſuſtinendum eſt irregularitatem à ſacerdote hoc pacto delinquente, non incurri. Ita Suarez *num.*7. Filliucius *num.*223.

22 An omittens totum celebrandi & ſacrificãdi ritum ab Eccleſia præſcriptũ in conficiendo ſanguine, & Corpore Chriſti, ſit irregularis.

22 Septima de illo, qui Corpus, & ſanguinem Chriſti conficit prætermiſſo toto celebrandi, & ſacrificandi ritu, quem Eccleſia ſeruare conſueuit. Ratio eſt, quia cùm hic grauiſſimè delinquat in vſu ſacerdotalis ordinis, dignus eſt, qui poteſtate ordinis, & illius vſu priuetur. Ita Maiolus *loco cit.cap.*26.*n.*5.

Verùm hæc ratio firma non eſt, nec oſtendit irregularitatem ipſo iure latam, ſed ſolùm delictum adeò graue eſſe vt hanc pœnam mereatur inferendam. Ita Suarez *n.*8. Filliucius *n.*224.

23 An altaria denudans ornatuve lugubri veſtiens ſit irregularis, ſi hoc faciat ob ſolam animi ſui triſtitiam.

23 Octaua de eo, qui altaria denudat, aut lugubri ornatu veſtit ſolùm ob animi ſui triſtitiam, non verò ob religionem, vel ad ſeruandos ritus Eccleſiaſticos: hunc irregularem fieri arbitratur Maiolus *loco citato*, ex Concilio Toletano, quod refertur à Gratiano *in cap. quicumque* 26.*quæſt.*5.

Sed hunc caſum iure merito reiiciunt Suarez *num.* 7.*ſub finem.* & Filliucius *n.*223. quia *in cap.quicumque, cit.* imponitur pœna priuationis dignitatis, vel beneficij ab homine ferenda contra huiuſmodi delinquentem, niſi debitam pœnitentiam egerit, quæ pœna non poteſt nomine irregularitatis, de qua loquimur, appellari, cùm irregularitas ipſo iure incurratur, & directè priuet ſuſceptione ordinum.

24 An Episcopus abutens potestate ordinandi sit irregularis.

24 Nona de Episcopo qui abutitur potestate ordinandi, vt quando alicui confert ordines per saltum, e.g. sacerdotium prætermisso Diaconatu. Ita Maiolus *lib.4.c.1.n.10.* Verum cùm hic nullum textum ad hoc probandum adducat, & irregularitas non sit asserenda nisi in iure sit expressa, dicendum est præfatum Episcopum irregularitati non subiacere. Ita Suarez *n.9.* Filliucius *n.225.*

Dices, qui facit alium irregularem, remanet etiam ipse irregularis: sed ordinans per saltum efficit ordinatum irregularem; ergo Episcopus ordinans aliquem per saltum est irregularis.

Respondeo primò, maiorem propositionem non esse vniuersaliter veram, vt patet in eo, qui aliquem deformat, aut aliquem ex congressu cum aliena generat, deformatus enim, & genitus ex illegitima copula irregularis est, non verò deformans, vel generans.

Respondeo secundò, minorem propositionem falsam esse, quia recipiens ordines per saltum præcisè non est irregularis, sed suspensus. Dico, *præcisè*, quia si in ordine susceptо ministret, cōstat irregularem fieri, & Pontificia dispensatione indigere, vt suo loco dictum est.

25 An Cardinalis indebitè in Papam electus à paucioribus, quàm duabus partibus, sit irregularis.

25 Decima de Cardinali in Papam indebitè electo à paucioribus, quàm à duabus partibus Cardinalium, hic enim si Papatum vsurpare conetur, tam ipse quàm ij, qui eum receperunt, excommunicationi subiaceant, & totius sacri ordinis priuatione mulctentur, vt dicitur *in c.licet, de elect.* Ita Maiolus *lib.4. de irregularit. c.1.n.5.*

Verum quis non videt his verbis non exprimi irregularitatem, sed pœnam depositionis ferendam. Ita Panormit. *ibid.n.7.* quem citat, & sequitur Suarez *disp.42.sect.5. ad finem n.10.* Filliucius *n.226.*

26 An Clericus in vita, vel in morte raptoribus fauens, participando, &c. sit irregularis.

26 Vndecima de Clerico, qui in vita, vel in morte fauet raptoribus, vel participando eorum rapinis, vel eorum eleemosynas accipiendo, vel eis pœnitentiam concedendo sine debita restitutione, vel cautione, vel sepulturis eorum assistendo: hic enim videtur irregularitatem incurrere, ob textum *in c.2. de raptoribus in 6.* ibi, *ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur.* Hæc Suarez *disp.42.sect.5.num.6. sub finem.* Filliucius *n.222.*

Sed mihi probabilius dicendum videtur in eo textu non imponi irregularitatem, sed suspensionem perpetuam ferendam, seu potiùs depositionem comminatoriam: pondero enim illa verba, *ordinis sui*, quæ connotant priuationem vsus, & executionis ordinis iam obtenti, & illa irrecuperabiliter patiantur quæ connotant actionem iudicis, consequenter accommodantur potius suspensioni perpetuæ, seu depositioni, quàm irregularitati, quæ non ab homine, sed à iure fertur, & ipso facto incurritur, vt benè Abbas *in dicto c.2. de raptor. n.2.*

27 An Sacerdos admittens ad Ecclesiasticam sepulturam excommunicatum nominatim denuntiatum, sit irregularis.

27 Duodecima est de sacerdote, qui excommunicatum nominatim denuntiatum scienter ad Ecclesiasticam sepulturam admittit: hunc enim irregularitati subiici putat Maiolus *lib.3. cap.23.n.2. ex Clem. 1. de sepulturis.*

Verum hic casus mihi displicet, quia non est sufficienter in iure expressus, irregularitas autem non incurritur nisi in iure expressa reperiatur. Ita Suarez *n.6.* & Filliucius *loco cit.* Ad Clement. 1. citatam, respondeo nullum ibi sermonem haberi de irregularitate, sed de excommunicatione, quæ incurritur sepeliendo in loco sacro excommunicatum nominatim denuntiatum, quamquam fieri potest vt hic postea violando excommunicationem per exercitium alicuius ordinis sacri incurrat irregularitatem, vt patet ex regulis generalibus de violante censuram per exercitium ordinis sacri.

28 An sacrilegus sit irregularis.

28 Tertiadecima de sacrilego, *cap. si quis Episcopus 26. quæst.3.* Ita Maiolus *lib.5.cap.30.*

Sed hic etiam mihi displicet si crimen sacrilegij præcisè spectetur: si verò ex sacrilegio consurgat infamia, censeo sacrilegum irregularem, vt habetur *in c.infamis 6.q.1.* & patet ex supradictis. [Vide Suarez *disp.43.sect.4.n.5. & seqq.*]

Ad cap. *si quis*, respondeo in eo haberi solùm pœnam depositionis comminatoriam. Ita Filliucius *nu.250.* Suarez *disp.43. sect.4.num.8.* vbi alios refert.

29 An qui turpiter cū moniali congressus est, Clericus periurus, habens consuetudinē mortaliter peccandi. aut blasphemus, sint irregulares.

29 Quartadecima de eo, qui turpiter cum moniali congressus est. Decimaquinta de Clerico periuro. Decimasexta de habente consuetudinem patrandi aliquod mortale peccatum. Decimaseptima de blasphemo. Verùm in nullo horum casuum impositam esse irregularitatem sentio cum Suarez, Filliucio *loco citato*, & aliis contra Maiolum *lib.5.cap.40.* & alios, qui plures alias admittunt irregularitates, sed gratis, cùm iure Canonico sufficienter non probent, & in textibus ab ipsis relatis mentio solùm fit alicuius suspensionis, vel alterius censuræ, vel depositionis comminatoriæ, vt benè obseruat Suarez *disp.45.sect.5.n.5.* Reginaldus *lib.30.tract.2. num.204.* Filliucius *loco citato*, & alij.

QVÆSTIO IV.

De irregularitate proueniente ex homicidio.

NOtandum irregularitatem ex defectu lenitatis, aliquando ex homicidio, vel mutilatione iusta, aliquando ex iniusta oriri. Irregularitas, quæ oritur ex homicidio, vel mutilatione iusta, dicitur ex defectu perfectæ lenitatis, seu mansuetudinis. Quæ verò nascitur ex homicidio, & mutilatione iniusta, dicitur ex delicto. Priùs sermo nobis erit de irregularitate proueniente ex defectu, seu ex homicidio licito, & iusto. Deinde loquemur de irregularitate proueniente ex delicto, seu ex homicidio illicito, & iniusto.

PVNCTVM I.

De irregularitate ex defectu lenitatis, seu mansuetudinis ob homicidium à iudice, vel eius cooperatoribus commissa.

1 An intentio occidēdi inducat irregularitatem.

1 NOtandum primò, ad incurrendam irregularitatem non sufficere intentionem mutilandi, vel occidendi, sed requiri actualem occisionem, vel mutilationem hominis, vt patet ex supradictis in hac *disp.7.q.1.punct.3.* Addo non sufficere amputationem membri alicuius mortui, consequenter, qui animo vindictæ ac rabiei explendæ, membrum sui inimici iam mortui amputat, non incurrit irregularitatem, vt [benè Suarez *disp.44.sect.3.n.4.*] Nauarrus *n.218.* Reginaldus *n.69.* & alij communiter apud Sayrum *n.9.* nam hæc irregularitas incurritur solùm ob homicidium, vel mutilationem hominis. Sufficiet verò occisio, vel mutilatio hominis infidelis, vel excommunicati, vel banniti, vel etiam infantis editi in lucem, aut existentis in vtero matris. [*cap. Clericus. dist.50.*] Hæc enim dicitur mutilatio, aut occisio hominis. Ita communiter DD. apud Sayrum *lib.6.c.15.n.8.*

2 An ad incurrendam irregularitatem requiratur, vt occidēs sit baptizatus.

2 Notandum secundò, ad incurrendam irregularitatem requiri, vt occidens, vel mutilans sit baptizatus, sit doli capax, & influat in homicidium, vel mutilationem extra casum necessitatis, & citra iustam defensionem. Quòd debeat esse baptizatus, patet, tum quia iura loquuntur tantùm de mutilantibus, & occidentibus post susceptum Baptismum, *cap. si quis viduam, dist.50. & cap. si quis post Baptismum. dist.51.* Tum quia infidelis non afficitur pœnis Ecclesiasticis. Ita Suarez *disp.44.sect.3.n.2. & 47.sect.1.n.1.* Nauarr. *c.27.n.209.* Sayrus *lib.6.c.15.n.10.* Filliucius *n.237.* Reginaldus *lib.30.n.94.* & alij communiter contra Hostiensem, & alios.

Quòd debeat esse doli capax constat, tum ex *Clement. si furiosus, de homicidio*; tum quia actus inducens irregularitatem est actus humanus. [Non esset autem actus humanus si fieret ab eo qui non esset doli capax.]

VNICA PROPOSITIO.

3 An iustè occidens, aut mutilans, ac cooperans sit irregularis.

3 CLericus, aut alius iustè mutilans, vel occidens, vel cooperans ad mutilationem, vel homicidium, secuto effectu, fit irregularis defectu lenitatis, quæ impedit ordines suscipere, & susceptos exercere. Ita colligitur ex *cap. finali, ne Clerici, vel monachi lib.6. cap. si quis viduam, & cap. Clericus. dist.50.* [*cap. in Archiepiscopatu. de raptoribus. & Clement. vnic. de homicid.*] & ex multis aliis iuribus, quæ passim à DD. adducuntur. Ratio est, quia omnes ordines ordinantur ad conficiendam Eucharistiam, vt patet ex dictis de Sacramento ordinis; cùm autem in Eucharistia contineatur Christus, qui est auctor pacis, quique suo pretiosissimo sanguine pacem attulit, par est, vt ministri Eucharistiæ hanc pacem, & mansuetudinem exemplo Christi præ se ferant; & consequenter repellantur ab ordinibus homicidæ, vel mutilatores, tam iusti, quàm iniusti, qui non præ se ferunt pacem, & mansuetudinem, nec Christum repræsentant, sed potiùs repræsentant quamdam crudelitatem, ipsosque Christi crucifixores.

4 An mortem accelerans sit irregularis.

4 Hinc patet, non solùm eum, qui simpliciter occidit, vel mutilauit, esse irregularem ex defectu lenitatis, sed etiam illum, qui mortem accelerauit, aut causam propinquam mortis dedit, dicto, vel facto, vt patet ex allata ratione. Ita Nauarrus *n.215.* Auila *parte 7. disp.5. sect.1.* Sayrus *cap.16.* Coninchus *disp.18. dub.10.* Maiolus *lib.2.c.6.* Filliucius *tract.10. cap.9. quæsito 1. n.231.* Toletus *lib.1. cap.70.* Reginaldus *lib.30. n.97.* [Suarez *disp.47. sect.1.n.2. & seqq.*] & alij communiter.

5 An iudex, & notarius sit irregularis.

5 Ex hac doctrina generaliter tradita sequitur primò, quemlibet iudicem inferiorem Summo Pontifice ferentem sententiam mortis, vel mutilationis, eiusque assessores, cooperatores, satellites comprehendentes reum, torquentes reum ad extorquendam veritatem, notarium scribentem, vel legentem sententiam, incurrere irregularitatem, secuta morte, aut mutilatione, sunt enim causa propinqua mortis, vel mutilationis; famulus verò transcribens sententiam iam dictatā à iudice, vel notario, excusari potest ab irregularitate, quoties ipsius actio non fuit vllo modo causa accelerationis mortis, vel mutilationis, sicut patet à simili de eo qui transcribit contractum vsurarium ab alio factum, hunc enim non teneri ad restitutionem communiter fatentur DD. Ita Vgolinus *c.8.n.4.* Filliucius *n.239.* Suarez *disp.47.sect.1.n.4.* Reginaldus *n.101.* Similiter, qui leuia, seu valdè remota exhibuit signa, & indicia, non est irregularis, vt qui signum dedit, quo fur dignoscereturr, quamuis fur postea captus fuerit, & mutilatus; nam leuia indicia non probant, nec censentur causa proxima, sed remota mortis, vel mutilationis, vt patet ex *cap. tua nos. de homicidio.* Ita Couarruuias *2. parte §.5.n.1.* Suarez *disp.47. sect.3. num.8.* Auila *part.7. disp.5. sect.2. dub.15.* Sayrus *loco citando.* Filliucius *nu.254.* quocirca mittens signa iudici, quæ non sufficiunt ad probandū, aliquem esse reum, non incurrit irregularitatem, secuta mutilatione, vt accidit, quando fur ingressus domum Clerici, capitur à sociis Clerici, & ducitur ad iudicem, & iudex petit ab ipso Clerico, si quæ habet insignia, Clericus enim mittens iudici signa non est irregularis, etiamsi nullam præmittat protestationem. Ratio est, tum quia illa signa sunt insufficientia, eò quòd non conuincatur reus furti per illa signa: tum quia protestatio requiritur, quando aliquis denuntiat, sed ipse Clericus non denuntiat nec tradit furem iudici, sed socij ipsius illum tradunt: tum quia sic habetur *in cap. tua nos. de homicidio.* Ita Henriquez *lib.14.c.12.n.8.* Sayrus *lib.6. cap.18. num.28.* Vgolinus *cap.11. num.1. ad finem*, & alij.

6 An consultores in causa sanguinis sint irregulares.

6 Secundò, consultores in causa sanguinis, esse irregulares, quando sunt consultores in casu aliquo particulari: quamobrē si Doctor consulatur, quam pœnam mereatur talis delinquens, & ipse respondeat, mereri mutilationem, vel occisionem, fit irregularis, secuta morte, vel mutilatione membri ob ipsius dictum, etiamsi iudex esset dubius an mortem deberet inferre, nam consultor determinat voluntatem iudicis, & influit in factum. Si verò ipsius dictum non influit, non est irregularis, vt accidit, quando petens consilium firmiter paratus erat ad occidendum, vel mutilandum, etiam absque consilio. Ita Sayrus *loco cit.* Vgolinus *cap.9.§.2.n.7.* Filliucius *loco cit.n.239.* & alij. Similiter non ligatur irregularitate vir doctus, qui interrogatus, an quis teneatur denuntiare, vel accusare in materia sanguinis, aut an id sit melius, vel an liceat, & ipse in genere aperit ius, illumque docet veritatem, non inducendo ad denuntiandum, vel accusandum, quamuis alter hoc audito occasionem arripiat accusandi, non enim credibile est Ecclesiam velle tanta pœna afficere huiusmodi consultores, cùm hoc non sit in iure expressum, vt benè Molina *tract.3. tom.4. disp.74. n.5.* & alij communiter.

7 An referens opiniones Doctorum in causa sanguinis sit irregularis.

7 Hinc patet Doctorem, qui non dicit, quod ipse sentit, sed tantùm refert opiniones, & sententias DD. etiam in casu particulari, pendente in iudicio, non esse irregularem, nihil enim aliud facit, quàm rei veritatem in genere aperire; sicut neque fit irregularis præceptor, qui doctrinam in generali legit de cathedra; magna tamen cautione vtendum est in responsionibus, & consiliis dandis. Quare quando quis petitur, an aliquis ob tale crimen dignus sit morte, potest quidem in generali veritatem fateri, dicendo. e.g. homicidas secundum leges plectendos esse morte, aut dicendo, vt videat quid Doctores sentiant, vt faciat, quod leges statuunt, &c. Sed caueat ne dicat hunc adiudicandum esse morti. Hoc etiam obseruandum est à Prælatis iurisdictionem habentibus in foro externo, quando petuntur à suis ministris, quid facere debeant, vt paulò pòst dicam. Ita Syluester *verb. homicidium 3. quæsito 7*. Molina *loco cit.* Henriquez *lib. 14. cap. 12. n. 6.* [Suarez *disput. 47. sect. 1. n. 8.*] & alij apud Sayrum *lib. 6. cap. 18. n. 25.*

8 An comitātes reum ad supplicium sint irregulares.

8 Tertiò, irregulares esse, qui comitantur reum ad supplicium cautā securitatis. Similiter custodes carceris afferentes claues carceris, aut aperientes ostium carceris, vt inde reus ad mortem ducatur, fabricantes furcam ad suspēdendum aliquem in particulari, aut docentes in casu particulari carnificem imperitum, quo pacto debeat funem aptare, &c. sicut etiam qui detrudit alium in carcerem, adeò durum, & asperum, vt ex eo verisimiliter credat breui secuturam mortem, est irregularis secuta morte. Rursus est irregularis iudex Ecclesiasticus, qui fert durissimam sententiam, qua reo victum adeò diminuit, vt citiùs moriatur, nam huiusmodi sententia æquiualet sententiæ sanguinis, & mortis. Ita Molina *loco cit. n. 1.* & 2. Vgolinus *cap. 11. §. 1. & cap. 5. §. 6.* Auila *part. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 3. & 4.* Henriquez *cap. 3. n. 7.* Couarruuias 2. *part. §. 5. n. 8.* [Suarez *disp. 47. sect. 1. n. 2.*] Filliucius *n. 239.* Inquisitores verò, qui maleficos, aut hæreticos intra duos parietes coniiciunt, non sunt irregulares, quia non ita diminuunt cibum, vt mors celeriùs sequatur, nec modus ille detinendi maleficos, est adeò asper, & durus, vt celeriùs mortem afferat. Ita Vgolinus *loco cit. n. 4.* Similiter iudices mittentes aliquem ad triremes non sunt irregulares, nisi fortè præcipiant malè cum eo agi, ita vt mors acceleretur. Ita Vgolinus *loco cit. §. 7.* & alij communiter.

9 An sit irregularis qui dicit reo, *ascende scalam, vel suppone caput ad excipiendum ictum*, &c.

9 Quartò, illum, qui dicit reo, *ascende scalam, vel suppone caput ad excipiendum ictum*, esse irregularem, quoties ob ipsius dictum reus citius mutilatur. Idem sentiendum est, quando dicit ministro iustitiæ, vt gladium acuat, aut citò faciat, vel semel, & non sæpius feriat, aut quid simile faciat, quo mors, vel mutilatio acceleretur. Et hoc verum est, etiam si hoc faciat ex pietate. Ita Graffius *loco citando*, & alij DD. citati. Ratio patet ex dictis *num. 3.*

Aduertit tamen Molina *num. 4.* eum qui facit aliquid, ob quod mors est acceleranda, vt si dicat reo, vt ascendat scalas, optimum consilium inire ad vitandam irregularitatem, vt aliquid aliud præstet, quo mors tantumdem retardetur, & differatur, quantum ex illa causa potuit accelerari, hic enim non est causa accelerationis mortis. Vide Molinam *loco cit.* & Vgolinum *cap. 15. §. 5.*

Addo, sacerdotem, qui remouit crucem, quam tenebat ante reum, vel qui dicit carnifici, nemo te impedit, quin tuo fungaris munere, quia ego functus sum meo in confessione, & exhortatione, excusari posse ab irregularitate, nam iste modus per se non influit in mortem, vel mutilationem, sed tantummodò per accidens, quatenus carnifex inde arripit occasionem exercendi, & prosequendi suum officium.

Addunt Auila, & Henriquez, ratione paruitatis materiæ excusari posse sacerdotem, dicentem reo, vt ascendat vnum gradum scalæ. Similiter excusari posse sacerdotem, qui dum vehitur simul cum reo in curru, casu instigat iumentum, aut dicit inaduertenter: Eia pergamus, non intendens accelerationem mortis. Ratio est, quia huiusmodi actus ratione inaduertentiæ non videtur planè humanus, ac voluntarius; actus autem inducens huiusmodi irregularitatem est actus planè voluntarius, & humanus.

10 An deferens crimē ad iudicem sit irregularis.

10 Quintò, eum non esse irregularem, qui detulit ad iudicem crimen, quod non est dignum mutilatione, vel occisione, nec ipse delator credebat mutilationē, vel occisionem inde secuturam. Hic enim non dicitur causa mutilationis, vel occisionis. Ita Auila *parte 7. disp. 5. sect. 2. dub. 1.* Nauarr. *n. 214.* Secus si deferat crimen dignum mutilatione, tunc enim secuta mutilatione, est irregularis, vt patet ex contraria ratione.

11 An præbens gladium pugnanti sit irregularis.

11 Sextò, illum esse irregularem, qui actu pugnantibus præbet gladium ad aliquem particularem occidendum.

12 An tradens ligna ad aliquē comburēdum sit irregularis.

12 Septimò, illum esse irregularem, qui tradit ligna, quibus hæreticus viuus comburatur. Secus si illis comburatur post suffocationem. Ita Sayrus *c. 16. n. 3.* Molina *disp. 74. n. 3.* Auila *sect. 2. dub. 1.* contra Medinam *lib. 1. institutionum cap. 55.*

13 An fabricatores armorū sint irregulares.

13 Octauò, fabros ferrarios, vel alios armorum fabricatores, non esse irregulares conflando, aut vendendo gladios ad vsus humanos in genere, ad quos sunt instituti, quamuis postea aliquis occidatur, vel mutiletur illis armis; non enim censentur dare causam propinquam, & moralem mortis, sed tantummodò remotam; sicut etiam ille censetur causa remota, qui præparauit, aut vendidit venenum, aut funem, quo latro suspenditur absque dolo, vel praua intentione vendentis, vt patet à simili ex dictis de peccatis, & de venditione. Secus si venenum, aut funem vendidit, vel præparauit ad suspendendos, vel occidendos homines; actio enim specificatur à fine, ad quem dirigitur, & illius qualitatem participat. Ita Reginaldus *n. 100.* Suarez *disp. 45. sect. 3. n. 5.* Filliucius *n. 104. & seqq.* Nauarrus *c. 27. n. 212.* Syluester *verb. homicidium 3. num. 3.* Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 74. n. 2.* Vgolinus *c. 11. §. 4.* & Graffius 1. *parte lib. 4. cap. 27. n. 68.*

14 An sit irregularis, qui dat cāpanę signū, quo quis est suspendendus.

14 Nonò, illum non esse irregularem, qui campanis simpliciter dat signum, quo aliquis suspendendus est, vt homines sciant, aliquem ad mortem duci; nam ipse non videtur in mortem influere. Ita Auila *dub. 1. ad finem.* Vgolinus *cap. 11. §. 6. n. 1.* Couarruuias *parte 2. §. 4.* Esset verò irregularis, si signum illud adhiberet ad conuocandos milites, qui aliquem ducerent ad mortem.

15 Decimò, illum non esse irregularem, qui causa honoris, vel ad maiorem infamiam euitandam, vel ad leniendum dolorem consanguineorum obtinet à Principe, ne reus ducatur per talem viam, vel domum, quamuis fortè ob id mors citiùs inferatur; nam mors censetur solùm per accidens accelerari ex bono opere, ex quo non intenditur mors; sed euitatio infamiæ, vel doloris. Ita Henriquez *cap. 12. n. 3.* Auila *dub. 1. ad finem*, & alij.

15 An sit irregularis, qui obtinet vt reus nō ducatur per talē viam.

16 Vndecimò, Clericos assistentes executioni sententiæ, non esse irregulares; non enim dicuntur ad illam cooperari; cùm sua præsentia non præbeant auctoritatem supplicio, vt suppono.

16 An assistens executioni sententiæ sit irregularis.

Addo illos non peccare, nam *cap. si Clerici, vel monachi*, videtur contraria consuetudine abrogatum, vt ait Molina *loco cit.* & Vgolinus *loco infrà citando.* Aut dici potest peccare solùm venialiter ob paruitatem materiæ, vt ait Suarez *disp. 47. sect. 4. n. 10.* Auila *loco cit. dub. 16. ad finem.* contra Sayrum *cap. 18. num. 20.* & alios. Secus dicendum est de Clericis habentibus iurisdictionem temporalem, qui sua præsentia aliquo modo præstant auctoritatem. Ita Nauarr. *cap. 27. n. 214.* Maiolus *lib. 2. cap. 10.* Suarez *loco cit. num. 10.* Filliucius *n. 238.* Reginaldus *n. 134.* & alij communiter ex Vgolino *cap. 5. §. 2.*

17 An sit irregularis qui defert litteras, quibus mandatur aliquem occidi.

17 Duodecimò, illum euadere notam irregularitatis, qui defert litteras, quibus mandatur aliquem occidi, vel mutilari, si deferens ignorabat, quid in illis contineretur, nullus enim lenitatis, & mansuetudinis defectus videtur huic imputandus, cùm ignoraret, quid in ipsis litteris contineretur. Ita Vgolinus *c. 8. §. 2. n. 2.*

18 An sit irregularis, qui clamauit adesse latrones, qui occisi sunt.

18 Decimotertiò, illum, qui clamauit adesse latrones, fieri irregularem, quando suo clamore præuidit fore, vt alij accurrerent, illosque occiderent; censetur enim causa mortis. Secus dicendum videtur, si clamauit, aut pulsauit campanas, vel tubas conuocauit ad res suas defendendas, vel ad sedandam seditionem ortam in aliquo oppido. Ita Vgolinus *cap. 11. §. 6. & cap. 6. §. 10. n. 2.* Suarez *disp. 47. sect. 2. num. 21.* Auila *disp. 5. sect. 2. dub. 15.* Filliucius *nu. 252.* & alij quos referam *puncto sequenti num. 5.* contra Couarruuiam *loco cit.* Henriquez *lib. 14. cap. 12. num. 3.* Nauarrum *num. 236.* & alios, quos citat Henriquez *loco citato, lit. D.* Ratio nostra est, quia cùm licitum sit in proposito casu clamare ad res suas defendendas, & clamans præuia protestatione in re licita potuerit rationabiliter præsumere, nō secuturam mortem, mors inde sequens, sequitur per accidens, nec illi videtur imputanda, sicut nec imputatur illi, qui manifestauit delinquentem alteri, nesciens, nec suspicans, ipsum quæri ad mortem; consequenter non est irregularis, secuta morte, effectus enim illi imputandus non est, qui eum non præuidit in se, vel in causa. Vide Vgolinum, & Auilam *locis cit.*

19 An ostendens reum satellitibus sit irregularis.

19 Decimoquartò, eum qui satellitibus directè, vel indirectè indicando reum, fuit causa, cur reus caperetur, incurrere notam irregularitatis secuta mutilatione, vel morte; nam censetur cooperator mortis; sicut etiam censetur, qui iniustè est causa rixarum inter aliquos, & mors inde secuta est, vt si marito indicauit vxoris adulterium, propter quod vir vxori necem intulit. Ita communiter DD. Nauarrus *n. 217. & n. 225.* Angelus *verb. irregularitas 1. num. 14.* & alij plures apud Vgolinum *cap. 11. n. 1.*

Hinc patet, illum esse irregularem, qui sua interrogatione fuit causa, vt aliquis à satellitibus comprehenderetur, vt si interrogatus, an reus per alteram duarum viarum transierit, respondit, per hanc non transiuisse, [innuens per aliam transiuisse.]

Vtrùm verò in huiusmodi casu possit interrogatus vti amphibologia, dictum est *in octauo præcepto*, vti posse, sicut ea vsum fuisse ferunt D. Franciscum. Similiter videtur irregularis, qui fuit causa, vt reus caperetur, etiamsi præmiserit protestationem, aut etiam si coactus sit, illum prodere, & manifestare, nisi fortè excipiamus metum grauem, vt supra dictum est contra Vgolinum *loc. cit.* & alios, aut nisi ageretur de proprio damno, & interesse, vt patebit ex dicendis.

20 Quid si ostendat aliquem, nesciens ipsum quæri ad mortem.

20 Rogabis, vtrùm ille sit irregularis, qui indicauit alteri aliquem probabiliter nesciens ipsum quæri ad mortem, vel mutilationem, vt quia nesciebat ipsum esse satellitem, aut eius inimicum, aut ab eo commissum fuisse delictum.

Respondeo, non esse irregularem, argumento *cap. Apostolicæ. de Clerico excommunicato ministrante*; sicut enim excommunicatus, vel suspensus probabiliter ignorans suam excommunicationem, vel suspensionem, non incurrit irregularitatem celebrando, ita nec eam incurrit, qui manifestat aliquem probabiliter ignorans ipsum quæri ad mortem, vel mutilationem. Ita Vgolinus, & alij, quos in præcedentibus retuli.

21 An Clericus, qui rogat Principem vt iustitiam faciat, &c. excusetur ab irregularitate.

21 Decimoquintò, Clericum, qui rogat Principem, vt iustitiam faciat; vel præcipiat iudici, vt ex iustitia iudicium ferat, vel vt iudicet secundùm iura, excusari posse ab irregularitate, quia modus hic loquendi non importat cooperationem ad mortem, sed indifferens est; cùm iudex possit etiam ex iustitia iudicare liberando reum. Ita Filliucius ex parte *tract. 19. c. 10. quæst. 2. n. 260.* Auila, Sayrus, Vgolinus, & alij, quos in simili referam *num. 25.* Secus dicendum videtur si Clericus, vel alius roget Principem, vt iubeat iudici sententiam exequi: hic enim secuta morte, vel mutilatione ob ipsius petitionem sit irregularis, quia ista actio ex sua natura dirigitur, & proximè ordinatur ad mortem. Ita communiter DD.

22 An bannitum, hostemve reipub. publicā auctoritate occidens irregularis fiat.

22 Decimosextò, eum qui bannitum, vel hostem reipubl. occidit publica auctoritate, fieri irregularem, vt sæpius probatum est: hæc tamen irregularitas non dicitur ex delicto, sed ex defectu lenitatis. Filliucius *tract. 19. cap. 10. n. 270.*

23 An exercens officium in criminalibus absque vlla sanguinis, mortis, vel mutilationis sententia, sit irregularis.

23 Decimoseptimò exercentem officium in criminalibus absque vlla sanguinis, seu mortis, vel mutilationis sententia, [seu effectu mortis, vel mutilationis non secuto,] non esse irregularem, quia non adest defectus lenitatis, nec vllo iure probari potest esse irregularem. Ita Filliucius *n. 239.* [Suarez *disp. 47. sect. 1. n. 3.*] contra Maiolum *lib. 2. cap. 6. num. 3.*

24 An exercens plures actus, plures irregularitates incurrat.

24 Quæres primò, vtrùm iudex, qui plures actus exercet condemnando reum ad mortem, vel mutilationem, tot irregularitates incurrat, quot sunt actus præcedentes mortem, vel mutilationem.

Respondeo incurrere vnam tantummodò irregularitatem; nam irregularitas non est imposita pro singulis actibus præcisè, sed pro mutilatione, vel morte, quæ cùm semel tantùm sequatur, vnam tantummodò inducit irregularitatem, alioquin sequeretur etiam eum, qui sæpiùs attentauit Clericum percutere, & semel tantummodò percussit, ligari pluribus excommunicationibus. Ita Vgolinus *cap.5.* §.9. & alij.

25 An effodiens oculos, & manus, plures incurrat irregularitates.

25 Rogabis, vtrùm iudex, vel eius minister effodiens simul oculos, & manus amputans, incurrat plures irregularitates.

Respondeo negatiuè; nam hæc reputatur vnica actio, vnica mutilatio; sicut in simili dictum est de censuris de percutiente vnum & eumdem Clericum sæpiùs successiuè.

26 An dānās plures ad mortem vnica sententia, plures irregularitates incurrat.

26 Sed grauior difficultas est, vtrùm condemnans plures ad mortem vnica sententia plures irregularitates incurrat.

Respondeo contra Vgolinum *loco cit.* probabiliter defendi posse, vnam tantummodò irregularitatem incurrere, vt patet ex rationibus in simili casu allatis supra *de censuris.* Secus si diuersis sententiis plures condemnet; tunc enim plures contrahit irregularitates, nam plures actus exercet prohibitos sub irregularitate, & moraliter distinctos.

27 An degradans aliquem sit irregularis.

27 Quæres secundò, vtrùm iudex Ecclesiasticus, qui aliquem degradat, & tradit brachio sæculari, sit irregularis.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia degradando non cooperatur ad mortem; sed solùm per degradationem ostendit, se functum esse suo munere, & officio; consequenter præmissa protestatione non fit irregularis, etiamsi delinquens postea plectatur morte à iudice sæculari: vt patet ex *cap. nouimus. de verb. signif.*

Multo minus fiunt irregulares Inquisitores S. Officij, tradendo aliquos iudici sæculari comburendos, etiamsi nullam præmittant protestationem, vt patet ex Bulla Pij V. apud Pennam *in direct. p. 2. comment.* 20. Imò probabile est, iudicem sæcularem, differentem executionem sententiæ, posse absque periculo irregularitatis ab Inquisitoribus admoneri, vt delinquentem puniat, seu comburat, nam Inquisitores ob peculiare priuilegium [Pauli IV. & Pij V. apud Pennam *in direct. p. 2. comment.* 20.] prohibentur solummodò per se ipsos exequi sententiam sanguinis. Ita Henriquez, & plures alij DD. apud Sayrum *lib. 6. cap. 18. n. 15.* apud Auilam *loco cit. dub. 2.* & apud Suarez *disp. 47. sect. 1. n. 11.* quibus adde Filliuc. *n. 225.* & Reginald. *n. 133.*

Ab eadem irregularitate excusantur officiales sanctæ Inquisitionis denuntiatores, testes, & alij, etiamsi nullam præmittant protestationem. Ratio est, quia Inquisitores, & iudices Ecclesiastici non imponunt pœnam sanguinis, nec procedunt ad occidendum, vel mutilandum; consequenter officiales, vel denuntiatores non fiunt irregulares; etiamsi non præmittant protestationem: eò quòd non videantur concurrere ad mortem, vel mutilationem, [etiamsi fortè iudex Ecclesiasticus sua malitia sententiā sanguinis exerceat.] Quare denuntiatores, vel accusatores tenētur solùm facere protestationem, quando aliquem deferunt, vel accusant in causa sanguinis apud iudicem sęcularem, non verò tenentur facere protestationem accusando apud iudicem Ecclesiasticum, quamuis præuideant fore vt reus postea tradatur curiæ sæculari, & occidatur. Ita Molina *tract. 3. disp. 8. num. 7.* [Suarez *disp. 47. sect. 2. n. 18.*] Sayrus *lib. 6. cap. 18. n. 14.* Henriquez *lib. 14. c. 11. n. 5.* Vgolinus *de irregularitate cap. 6. §. 5.* Filliucius *tract. 19. c. 9. n. 251.* & alij communiter.

28 An sit irregularis, qui constituit prætores ad causas sanguinis.

28 Quæres tertiò, vtrùm Princeps, vel dominus temporalis, vel Clericus habens iurisdictionem temporalem ratione patrimonij, aut beneficij, possit absque periculo irregularitatis constituere prætores, & alios officiales, qui causas sanguinis inquirant, & delicta puniant.

Respondeo, posse, vt patet ex dictis in quinto Decalogi præcepto, & ex *cap. vlt. ne Clerici, vel monachi*; alioquin huiusmodi iurisdictio personis Ecclesiasticis non permitteretur ab Ecclesia.

29 An sit irregularis, qui mandat alicui, vt inquirat de delicto.

29 Addo, habentem iurisdictionem temporalem posse in aliquo delicto particulari mādare specialiter alicui, vt inquirat de eo delicto, & iustitiam faciat, (modò specialiter non mandet punitionem [faciendam per mortem, vel mutilationem,]) etiamsi iudex delegatus postea inueniat reum, eumque iustè, vel iniustè morte puniat; vt patet ex *cap. vltimo, ne Clerici, vel monachi in 6.* Ita Syluester *verb. homicidium 3. n. 7.* Auila *parte 7. disp. 5. sect. 2. dub. 4.* Couarruuias *in Clementina citata.* Vgolinus *cap. 5. §. 8.* Sayrus *cap. 18. n. 17.* Molina *disp. 74. n. 9.* [Suarez *disp. 47. sect. 1. n. 5.*] Filliucius *n. 241.* & alij contra Henriquez *cap. 12. n. 6.* Suarez *loco citato*, & alios.

30 Quid facere debeat Prælatus, quādo interrogatur quid sit faciendum in aliqua causa sanguinis.

30 Rogabis, quomodo se debeat gerere Prælatus, qui petitur à suis officialibus, quid faciendum sit in causa sanguinis circa aliquem particularem, & præsentem casum.

Respondeo, posse hoc modo respondere: Facite quod leges statuunt, consulite peritos, hoc consilium à me ferri non potest; ego non possum ferre consilium in causa sanguinis. Imò potest etiam respondere in genere hoc modo, homicidæ pœna mortis puniuntur, grassatores viarum suspenduntur secundùm leges. Quare Prælatus hoc modo respondens nullam incurrit irregularitatem, cùm huiusmodi responsio non fiat in particulari casu, inducendo ad hunc occidendum, vel mutilandum; sed solùm in genere declaret leges, & id, quod secundùm leges faciendum est.

Obiicies. Ministri iustitiæ deputati à Prælatis, ex eo modo respondendi colligunt delinquentem dignum esse morte, vel mutilatione; nam hoc modo secum ratiocinantur, si delinquens non mereretur mortem, vel mutilationem, Prælatus responderet, quia nullum subiret irregularitatis periculum; cùm ergo non respondeat, quid faciendum sit in hoc particulari casu, signum est delinquentē dignum esse mutilatione, vel morte.

Respondeo cum Sayro *loco citato*, & aliis, Prælatum non ob id fieri irregularem; nam mutilatio, vel mors non sequitur ex culpa, vel causa Prælati, sed sequitur ex ipsis ministris; cùm Prælatus nihil faciat dicto, vel facto, quod ordinetur ad mutilationem, vel mortem; nam ille modus respondendi nimis remotè se habet ad mutilationem.

31 An possit Sacerdos dare consiliū Principi, vt legem ferat, qua fures plectantur capite.

31 Quæres quartò, vtrùm licitum sit sacerdoti præbere consilium Principi Ecclesiastico, vel sæculari, vt ferat legem, qua fures, & alij delinquentes plectantur capite.

Respondeo cum Auila *loco cit. dub. 6.* Henriquez *cap. 16. num. 4.* [Suarez *disput. 47. sect. 1. num. 7.* Filliucio *num. 242.* & aliis, licitum esse. Ratio est, quia sicut ipse Princeps, siue sit laicus, siue Ecclesiasticus, potest absque periculo irregularitatis huiusmodi legem in generali ferre; cùm ea sit causa mortis tantummodò remota, vt patet ex *cap. delatori 5. quæst. 6.* & bene ostendunt Vgolinus *cap. 9. §. 2. num. 2.* & Filliucius *num. 242.* ita etiam sacerdos potest absque periculo irregularitatis consulere Principi, vt ferat huiusmodi legem. Eadem ratione licitum est conficere tractatus, aut publicè in scholis tractare, qua pœna digni sint delinquentes. Præterea licitum est concionatoribus hortari iudices ad seruandas leges, ad coërcendos improbos debitis pœnis, & ad purgandam rempublicam perditis, & sceleſtis hominibus. Ita Auila *loco cit. dub. 5. & 6.* Henriquez *lib. 14. cap. 12. n. 6.* Sayrus *n. 18. cap. 18.* & alij communiter.

Rursus licitum est concionatori absque nota irregularitatis reprehendere publicos peccatores, vt blasphemos, homicidas, &c. quamuis iudex inde arripiat occasionem illos capiendi, & mutilandi; nam concionator vtitur iure suo, & præstat munus, ad quod tenetur; nec ob id censetur cooperari ad necem, vel mutilationem alterius. Secus dicendum videtur, quando peccatorem occultum publicè reprehendit de occulto crimine; tunc enim peccat, non solùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam diffamando proximum, quem occultè tenebatur corripere, iuxta præscriptum Euangelij, *corripe eum inter te, & ipsum solum*; consequenter fieri potest vt irregularitati subiiciatur si ob id mors, vel mutilatio alteri sequatur. Ita Vgolinus *de irregularitate cap. 6. §. 10.*

32 An sit irregularis Confessarius, qui pœnitenti nolenti punire reum dignum morte negat absolutionem, nisi illum puniat.

32 Quæres quintò, vtrùm Confessarius incurrat irregularitatem, quando pœnitenti nolenti punire reum dignum morte dicit, se non posse illi beneficium absolutionis impendere, nisi firmiter proponat reum punire secundùm iura.

Respondeo cum Sayro *lib. 6. cap. 18. num. 26.* Conincho *dub. 10. num. 96.* [Suarez *disp. 47. sect. 1. num. 8.*] Molina *disp. 74. num. 18.* Auila *parte 7. disput. 5. dub. 6.* Henriquez *lib. 14. cap. 12. num. 4.* Filliucio *num. 242.* Reginaldo *lib. 30. num. 138.* & aliis non incurrere irregularitatem, [si generatim loquatur, & non determinatè moueat ad condemnandum hunc in particulari.] Ratio est, tum quia hic casus censetur à iure per ἐπίκειαν exceptus, iuxta dicta de legibus: tum quia confessarius, cùm non possit absoluere pœnitentem, existentem in mortali peccato, nisi resipiscat, & proponat facere, quod tenetur, potest ex officio dicere pœnitenti, se non posse illi absolutionem impertire, nisi faciat, quod tenetur; neque credibile est, Ecclesiam velle irregularitatis notam imponere Confessario aperienti, quod celare non potest, exequenti suum munus, ac officium, & non intendenti mortem rei; sed potiùs volenti medicinam præbere pœnitenti. Quare Confessarius potest in proposito casu, absque periculo irregularitatis dicere pœnitenti, non te absoluam, nisi facias, quod leges præcipiunt, vel nisi præstes officium, quod debes, vel nisi punias reum secundùm iura.

Addo Confessarium posse declarare in genere obligationem, quam iudex habet ex officio suo, vt in simili dictum est de Prælato.

33 An excusetur Cōfessarius, qui pœnitentem iuridicè interrogatū hortatur ad dicendā veritatem in causa sanguinis.

33 Hinc sequitur primò, excusandum esse Confessarium ab irregularitate, qui pœnitentem iuridicè interrogatum horratur ad confitendam veritatem in iudicio; etiamsi reus ob confessionem veritatis puniendus sit pœna mortis; hortatur enim ad id, ad quod tenetur, & præstat munus suum. Eadem ratione excusari potest, persuadendo, ne appellationem iniustam interponat; fungitur enim officio suo, & mors per accidens sequitur ex ipsius dicto; cùm ipse non intendat mortem rei, sed animæ salutem. Ita Sayrus, Auila, Henriquez, & alij *locis citatis.* Secus dicendum videtur, quando Confessarius dat consilium pœnitenti, vt veritatem aperiat coram iudice, quam non tenetur aperire: vt accidit, quando delictum nondum est semiplenè probatum; aut quando iudex non est competens, tunc enim [secuta morte, vel mutilatione] non excusarem Confessarium ab irregularitate, eò quòd videatur operam dare rei illicitæ periculosæ homicidij. Ita Vgolinus *cap. 16. n. 12.*

34 An sit irregularis Confessarius, qui dicit pœnitenti, vt mittat reū in malam crucem, vel occidat.

34 Secundò sequitur, Confessarium incurrere irregularitatem dicendo pœnitenti, vt mittat reum in malam crucem, vel mutilet, vel occidat; cooperatur enim mutilationi, vel homicidio, [secuto tamen effectu.]

35 Quæ differentia sit inter Clericos, & laicos immiscētes se in pœna sanguinis, seu in causa criminali.

35 Quæres sextò, quæ differentia sit inter Clericos, & laicos immiscentes se in pœna sanguinis, seu in causa criminali, quæ iustè exercetur à iudice.

Respondeo hanc esse differentiam, quòd Clerici beneficiarij, vel in sacris constituti peccant mortaliter sese immiscendo in causa iusta sanguinis; violant enim prohibitionem Ecclesiæ in re graui; *cap. sententiam sanguinis, ne Clerici, vel monachi*, & se reddunt ineptos ad functiones sui ordinis, & officij.

Clerici verò, minoribus solùm ordinibus insigniti, non peccant mortaliter; sicut neque mortaliter peccant laici, cùm non faciant contra vllam prohibitionem; consequenter irregularitas, quæ contrahitur à laicis, exercendo causam sanguinis dicitur ex defectu lenitatis; quæ verò contrahitur à Clericis, potest dici ex delicto. Ita Molina *disp. 8. num. 10.* & alij, quamuis Molina cum Couarruuia existimet, Clericum, qui iuxta Tridentini decretum non gaudet priuilegio fori, nullum peccatum admittere. Ego verò hoc verum esse existimo solùm in iis locis, in quibus consuetudine receptum est, vt aliqui Clerici deputentur ad causas sanguinis.

PVN-

PVNCTVM II.

De irregularitate, quæ incurritur accusando.

VNICA PROPOSITIO.

1 An accusans alium in causa sanguinis sit irregularis.

1 ACcusans alium in causa criminali incurrit irregularitatem, secuta morte, vel mutilatione propter suam accusationem, nisi hoc faciat petendo satisfactionem pro iniuria sibi, vel suis rebus illata. Ratio est, tum quia accusans cooperatur ad mortem, vel mutilationem, qui autem ad mortem, vel mutilationem cooperatur, fit irregularis: tum quia sic colligitur ex *cap. pœnultimo, de homicidio in 6.* Ita Couarruuias *Clementina 1. de homicidio 2. part. §. 5.* & alij apud Vgolinum *cap. 6. num. 1.*

Dixi, *nisi hoc faciat petendo satisfactionem*, &c. nam ad se ipsum indemnem seruandum, licitum est alterum accusare, vt patebit ex dicendis.

Hoc tamen intellige, modò accusatio sit iusta, & sententia iusta: nam si accusator esset causa iniustæ sententiæ, vel etiam iustæ, sed per iniustas probationes, reus esset irregularitatis; peccaret enim contra iustitiam, consequenter esset reus omnium damnorum, & pœnarum inde consurgentium. Ita Filliucius *cap. 9. tract. 19. num. 248.* Salonius, Arragonius, Nauarrus, Reginaldus, & alij, quos retuli *de contractibus disput. 1. quæst. 2. part. 3. num. 6.*

2 Quid, si petat vindictã cum protestatione.

2 Hinc sequitur primò, eum, qui accusat alium in causa criminali, petendo vindictam, fieri irregularem, secuta mutilatione, vel morte; etiamsi protestetur se non intendere pœnam mortis, vel sanguinis, [aut intendat vindictam sanguinis in satisfactionem.] Ita Henriquez *cap. 10. num. 4.* Vgolinus *cap. 6. §. 3.* Auila *dubio 10.* Molina *tom. 1. tract. 3. disp. 8. num. 3. & tom. 4 tract. 3. disputat. 74.* Suarez *disput. 47. sect. 2. num. 10. & sect. 4. num. 9.* Coninchus *dubio 10.* Filliucius *num. 248. & 257.* & alij. Ratio est, quia eo ipso, quo in causa criminali petit vindictam, vult reum puniri pœna sanguinis; quæ propter illius delictum à lege imponitur; consequenter censetur petere effusionem sanguinis.

3 An petens satisfactionem fiat irregularis.

3 Secundò sequitur, eum, qui accusat, vel denuntiat non petendo vindictam, sed satisfactionem, vel interesse sibi debitum, etiam in criminibus dignis morte, non fieri irregularem, protestando expressè se non intendere pœnam sanguinis, etiamsi postea sequatur mutilatio, vel mors, eamque certò secuturam accusator præuiderit. Ita Vgolinus *cap. 6. num. 2.* Coninchus *dub. 10. num. 92.* Filliucius *numer. 248.* Suarez *disp. 47. sect. 2. num. 8.* & alij communiter, ex *cap. prælatis. de homicidio lib. 6.* vbi hoc permissum est, ne laici scientes Clericos nõ posse absque nota irregularitatis querelam coram iudice deponere, audaciores fierent ad inferendas illis iniurias. Et hoc verum videtur inquit Vgolinus *cap. 6. §. 4.* Henriquez *lib. 14. cap. 11. num. 4.* Sayrus *loco citato, num. 2.* Molina *loco citato, numer. 4.* Suarez *num. 7.* Filliucius *n. 248.* & alij contra Syluestrum *v. homicidium 2. quæst. 8.* & alios apud Suarez, etiamsi ille, qui petit satisfactionem, possit res suas alia via recuperare, aut præuideat reum occidendum, aut etiamsi in mente sua intendat mortem malefactoris. Ita colligitur ex *dicto cap. prælatis 2.* [vbi in præfato casu absolutè datur facultas accusandi, etiamsi de iure debeat pœna sanguinis irrogari.] Eadem doctrina applicari potest laicis accusantibus cum dicta protestatione; iuxta Vgolinum *loco citato*, & alios, quos referam *n. 12.* quamuis *in dicto cap. 2. prælatis*, fiat solùm expressa mentio Clericorum. Ratio est, tum quia versamur in materia fauorabili, quæ latè potest explicari, & priuilegium Principis latissimam admittit interpretationem, *l. beneficium Principis, ff. de constitutionib. Principum.* Tum quia facta est mentio tantummodò Clericorum propter maius ipsorum periculum, eò quòd Clerici accusando, non solùm fiant irregulares, sed etiam peccent ingerendo se in causa sanguinis, vt suprà dictum est. Non tamen hinc sequitur, laicos non posse hoc priuilegio frui, & consequenter excusari ab irregularitate, accusando cum protestatione. [Vide Suarez *disp. 47 sect. 2. num. 5.*]

4 An protestatio excuset accusantem de iniuria alteri illata.

4 Tertiò sequitur, accusantem alterum de iniuria illata personis extraneis, aut etiam consanguineis, fieri irregularem, secuta mutilatione, vel morte, etiamsi præmiserit protestationem, *cap. prælatis*, vbi permittitur Clericis conqueri coram iudice de malefactoribus suis, non verò de iis, qui aliis damna intulerunt. Ita Nauarrus *cap. 27. num. 213.* Henriquez *loco citato*, Sayrus *lib. 6. cap. 18.* Vgolinus *cap. 6. §. 9.* Suarez *loc. cit. num. 17.* Molina *disputat. 8. num. 8.* Coninchus *nu. 94.* Reginaldus *lib. 30. num. 129.* Filliucius *num. 249.* contra Glossam, & alios apud Vgolin. & Suarez *loco citat.* Aliqui tamen DD. vt Auila *dub. 11.* & Henriq. *loco citat.* probabiliter existimant licitum esse conqueri de illis, qui damnum suis propinquis, vel domesticis intulerũt, vt si damnum illatum fuit parentibus, filiis vel fratribus, vel alicui sub sua protectione existenti. Ratio est, quia illorum damnum reputatur proprium, & iniuria illis illata in nos redundare videtur.

5 An Clericus possit accusare damnificatorem bonorum suæ Ecclesiæ.

5 Ex quo patet, Clericum posse accusare iniustum damnificatorem bonorum suæ Ecclesiæ, nam bona Ecclesiæ ad ipsum pertinent. Ita Molina *loc. cit. & disp. 74. num. 11.* Vgolinus *cap. 6. §. 6.* Suarez *loco cit. num. 20.* Rodriq. *n. 170. concl. 6.* Henriquez *loc. cit. n. 5.* Sayrus *loco cit. n. 3.* Auila *dub. 9.* Filliucius *n. 251. & seq.* & alij, addentes, excusari, non solùm quando accusat, sed etiam quando detinet, & iudici tradit, vel quando indicat locum vbi latro existit, vel clamat, vt capiatur, [vt benè Suar. *nu. 20.* & alij,] modò præmittat protestationem cum ipsa accusatione, aut post accusationem, sed ante prolationem sententiæ, nam faciendo protestationem cum ipsa accusatione, aut post accusationem, sed ante prolationem sententiæ, satis indicat se non intendere mortem, & non habere affectum ad homicidium, vel mutilationem, sicut accidit in mandante, qui reuocat mandatum ante illius executionem. [Suarez *num. 2. ad finem.*]

6 An fiat irregularis Clericus accusans alterum ad defensionẽ suorum.

6 Vlterius patet, Clericum accusantem alterum ad sui defensionem, vel suorum, non incurrere irregularitatem, etiamsi sequatur mors præmissa protestatione, iuxta Auilam *dub. 9.* & alios.

7 An Clericus aliquando excusetur, accusando alium de crimine.

7 Quæres primò, vtrùm dentur aliqui casus, in quibus Clericus excusetur ab irregularitate accusando alium de crimine.

Respondeo affirmatiuè. Primus est, quando crimen est adeò leue, vt non videatur dignum mutilatione, etiamsi reus postea mutiletur, vel occidatur ex malitia iudicis, nam accusator non censetur causa efficax mortis, sed iudex censetur sua malitia causa mortis. Et hoc verum est, etiamsi accusator omiserit protestationem, vt patet ex dicta ratione. [Ita Suarez *disput. 47. sect. 3. num. 18.* & alij.]

Secundus casus est, quando quis accusauit reum de leui crimine, sed postquam reus in carcerem coniectus fuit, accesserunt alij, accusationem prębentes aliorum criminum, propter quæ reus iustè adiudicatur morti. Ratio est, quia mors non videtur imputanda propriè ipsi accusatori, etiamsi protestationem omiserit. Ita Sayrus *loco citat. num. 6.* Vgolinus *cap. 6. §. 4.* Couarruuias *in Clementin. si furiosus, citata*, Auila *dub. 9.* Henriquez & alij *locis cit.*

Tertius casus est, quando aliquis accusat non petendo vindictam, sed satisfactionem sibi debitam, vt iam dictum est.

Quartus casus est, quando non accusat de iniuria illata extraneis, sed inferenda, nec ipse potest aliter illa damna impedire, quàm accusando, & denuntiando. Idem dicendum est de eo, qui præmissa protestatione reuelat proditionem patriæ. Ratio est, quia æquum non est, vt Clericus damnum subeat, præstando id, ad quod iure naturæ tenetur; cùm ergo teneatur in hoc casu denuntiare, par non est, vt fiat irregularis, consequenter hic casus non videtur comprehensus in iure, à quo irregularitas infertur. Ita Sayrus *lib. 6. cap. 19.* Molina *disp. 8. n. 9.* Salonius *2. 2. quæst. 68. art. 1. controuersia 3.* Auila *dub. 11.* Coninch. *loco citat.* Filliucius *n. 249.* Suarez *sect. 2. n. 15.* Reginaldus *num. 129.* & alij apud Sayrum *cap. 18. n. 12* Vgolinum, & alios.

8 An omittens protestationem ex obliuione excusetur ab irregularitate.

8 Rogabis primò, vtrùm omittens protestationem ex obliuione in causa criminis incurrat irregularitatem.

Respondeo affirmatiuè cum Sayro *loco cit. n. 3.* & aliis, quamuis in eo casu excusetur à peccato ratione obliuionis, & inaduertentię, nam irregularitas non solùm incurritur ex delicto, sed etiam ex defectu lenitatis.

9 Quomodo facienda sit protestatio.

9 Rogabis secundò, quo modo facienda sit protestatio.

Respondeo faciendam esse coram iudice, apud quem deponitur querela, his, vel similibus verbis: Domine peto cures, mihi satisfactionem, vel restitutionem exhiberi à Titio, qui mihi damnum intulit, protestorque me nulla ratione intendere pœnam sanguinis, mutilationem, vel mortem. Ita colligitur ex *cap. 2. de homicidio lib. 6.* Quare accusans non euadit irregularitatem, quando dicit solùm: Peto meum interesse, & nihil aliud addit, requiritur enim protestatio expressa, vt patet ex *dicto cap.* Non est tamen necesse, protestationem fieri in scriptis, tum quia nullo iure probatur scripturam requiri: tum quia quando ius scripturam requirit, solet hoc exprimere, vt patet ex *c. 1. de sentent. excomm. lib. 6.* Vide Vgolinum *de irregularitate cap. 6. §. 7.*

10 An protestatio solo animo facta prosit.

10 Hinc sequitur, protestationem solo animo factam non prodesse, nam ius requirit protestationem expressam. Ita Couarr. *in Clementin. si furiosus parte 2. §. 5.* Vgolinus §. 8. & alij communiter.

11 An prosit protestatio ficta.

11 Sed maior difficultas est, vtrùm qui iustè denuntiat præmittendo protestationem ficto animo, & interiùs desiderando vindictam, & sanguinem, incurrat irregularitatem.

Respondeo negatiuè cum Henriquez *lib. 14. cap. 3.* Suarez *disp. 47. sect. 2. num. 3.* Coninchо *num. 93.* Molin. *disp. 8. num. 4.* Sayro *loco citat. num. 4.* Couarruuia *loco citat. §. 5.* Vgolino *cap. 6. §. 8.* Filliucio *nu. 258. & 259.* Reginaldo *num. 132.* contra Nauarrum *cap. 27. num. 226.* Sylueſtrum *verb. Homicidium 2. quæſt. 8.* Toletum *lib. 1. cap. 82. num. 5.* & alios. Ratio est, tum quia protestatio ficta tantum valet apud iudicem ignarum fictionis, quantum valeret, si ex animo, & non fictè fieret: tum quia Ecclesia non imponit irregularitatem ob intentionem, & actum internum, sed propter omissionem protestationis: tum quia versamur in materia pœnali, in qua benignior pars accipienda est, *cap. in pœnis. de regulis iuris lib. 6.*

Obijcies cum Nauarro *loco citat.* Ecclesia requirit protestationem, vt accusator, & denuntiator euadat irregularitatem; protestatio autem ficta non est protestatio, sed fictio.

Respondeo primò cum Auila *dub. 9.* & Couarruuia *loco citat.* illam censeri apud homines protestationẽ, & idem operari, ac si vera esset.

Respondeo secundò cum Suarez *loco cit. num. 4.* ab Ecclesia requiri externam solùm protestationem expressam; protestatio autem ficta, solùm secundum animum internum, est protestatio externa expressa, consequenter sufficit ad euitandam irregularitatem.

12 An protestatio excuset laicos ab irregularitate.

12 Rogabis tertiò, vtrùm ad euitandam irregularitatem requiratur protestatio non solùm in Clericis, sed etiam in laicis accusantibus delinquentes ad consulendum sibi, vel rebus suis.

Respondeo affirmatiuè cum Nauarro *loco cit.* Vgolino *cap. 6. §. 4.* Coninchо *dub. 10. n. 93.* Suarez *loco cit. n. 6.* Molina *tom. 4. disp. 74. n. 9.* Filliucio *n. 248.* & aliis communiter, [teste Suarez,] vt patet ex *c. 2. de homicidio in 6.* vbi hoc remedium constituitur ad euitandam irregularitatem, quæ alioquin contraheretur ex accusatione, quæ ex se solet esse moralis occasio mortis: ius autem hunc modũ, seu protestationem inuenit, vt impediatur quantum fieri potest, in accusante cooperatio, & concursus ad mortem, declarando se non intendere mortem per accusationem; cum ergo accusatio facta à laico, ita sit moralis occasio mortis, sicut est accusatio à Clerico facta, sequitur laicum, vt euitet irregularitatem, debere protestationem præmittere.

Rogabis quartò, vtrùm qui alteri in periculo vitæ, vel amissionis bonorum existenti consulit vt accuset, vel denuntiet cum protestatione ad seruandam vitam, vel bona, incurrat irregularitatem si ob huiusmodi consilium auctor accuset, & mors insidiatori seu damnificatori sequatur.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia sicut accusans in præfato casu cum protestatione non fit irregularis, ita neque consulens. Ita Comitolus *lib. 6. quæst. 59.* quem citat, & sequitur Filliucius *tract. 19. cap. 9. quæs. 9. n. 248.*

13 An communitas cõstituens Syndicum ad aliquem accusandũ fiat irregularis secuta morte.

13 Quæres secundò, vtrùm tota vniuersitas, quæ procuratorem, seu Syndicum vniuersitatis constituit ad aliquem accusandum, incidat in irregularitatem, secuta morte, vel mutilatione propter accusationem procuratoris, seu Syndici.

Respondeo ipsam vniuersitatem, vt vniuersitas est, non incidere in irregularitatem. Ratio est, quia irregularitas supponit subiectum capax ordinis, vt suprà dictum est: communitas autem, vt sic, non est capax ordinis, cùm ipsa communitas, vt sic, non sit persona vera, & particularis, sed persona ficta, & corpus fictum, vt benè Panormitanus *in cap. dilectus 2. nu. 11.* Singulę verò personę illius communitatis, quæ suum præstiterunt consensum in constituendo procuratore ad accusandum suo nomine, incurrunt irregularitatem, nam quæ Syndicus, seu procurator agit, nomine communitatis agit, consequenter communitas censetur sufficienter concurrere ad mortem, & mutilationem, iuxta illud, qui per alium facit, per se ipsum facere censetur. Hoc tamen limitandum est, modò communitas non constituat procuratorem ad petendum suum interesse, præmissa protestatione, tunc enim singulares personæ communitatis non afficiuntur irregularitate, cùm licitum sit accusare delinquentem cum protestatione ad suum interesse exigendum, vt patet ex *cap. 2. Prælatis. de homicidio lib. 6.* Vide Vgolinum *cap. 10.*

PVNCTVM III.

De irregularitate, quæ contrahitur ab Aduocatis, & testibus in causa sanguinis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An ferens testimoniũ in causa sanguinis fiat irregularis.

1 FErens testimonium in causa sanguinis incurrit irregularitatem, secuta morte, vel mutilatione, vt patet ex iuribus suprà recensitis. Et hoc verum est, etiamsi assertio testis exhibuerit tantummodò indicium ad capiendum, vel ad inquirendum, vel ad torquendum reum, licet postea mors secuta fuerit ob probationes aliorum, vel ob propriam ipsius rei confessionem. Ratio est, quia quicumque cooperatur morti, vel mutilationi, fit irregularis. *cap. si quis viduam dist. 50.* Sed testis maximè cooperatur mutilationi, vel morti, cùm ab ipsius assertione pendeat sententia iudicis; ergo testis fit irregularis, secuta morte, vel mutilatione. Et hoc verum est etiamsi testis præmiserit protestationem, nam protestatio solùm prodesse solet, quãdo de proprio agitur interesse, *c. prælatis 2. de homicidio*, aut quãdo testis tenetur iure naturę sese offerre ad testandũ, tunc enim Ecclesia non præsumitur velle irregularitatem imponere præmissa protestatione. Ita Vgolinus *de irregularitate, c. 7. n. 2. & 4.* Maiolus *lib. 2. cap. 8.* Suarez *disp. 47. sect. 3. num. 2.* Nauarrus *cap. 27. num. 212.* Filliucius *nu. 254. & 257.* & alij communiter.

2 An testis, ex cuius dicto sequitur mors, sit irregularis.

2 Hinc sequitur, testem, ex cuius dicto mors secuta fuit, esse irregularem, siue examinatus fuerit iuridicè, siue non. Secus dicendum est, quando ipsius assertio nihil profuit, sed iudex aliis probationibus adductus fuit ad ferendam sententiam, vel ad capiendum reum, &c. Ita Vgolinus *loco citat. ad finem*, Nauarrus *de homicidio lib. 5. consil. 18.* & alij.

3 An Clericus cogi possit ad ferendum testimoniũ in causa sanguinis.

3 Quæres vtrùm Clericus possit cogi ad ferendum testimonium in causa sanguinis.

Respondeo non posse cogi ad ferendum testimonium contra reum. Ratio est, quia testis in causa sanguinis multùm cooperatur ad mortem alterius in iudicio; sed non licet Clerico ad mortem alterius in iudicio cooperari, *cap. is, à quibus, dist. 23. q. 8.* ergo Clericus non potest cogi ad ferendum testimonium contra reum in causa sanguinis, sicut neque potest ferre propria sponte.

Dixi, *contra reum*, quia in fauorem rei potest testari, de licentia Episcopi, vel eius Vicarij, hoc enim nullo iure vetitum est.

4 An ferẽs testimoniũ in fauorem rei fiat irregularis, si ob id sequatur mors accusatoris.

4 Rogabis, vtrùm Clericus ferens testimonium in fauorem rei, incurrat irregularitatem, quando mors sequitur accusatori, eò quòd reus inuentus sit innocens, & accusator compertus sit in iudicio calumniator.

Respondeo non incurrere, quia mors accusatoris respectu Clerici testantis in fauorem rei censetur sequi per accidens ex ipsius dicto, nam ipsius dictum per se ordinatum est ad manifestandam rei innocentiam, illumque defendendum. Ita Bernardus Diaz, quem citat Vgolinus *cap. 7. nu. 7.* Auila *loco citat. dub. 13.* Sayrus *lib. 6. c. 18. num. 11.* Suarez *disp. 47. sect. 4. n. 9.* & Filliucius *n. 257.*

5 An eam incurrat aduocatus in dicto casu.

5 Hinc patet à simili aduocatũ, qui causam rei suscipit, non incurrere notam irregularitatis, quãdo sequitur mors, vel mutilatio accusatoris, qui compertus fuit calumniator; nam illius mors, vel mutilatio prouenit tantummodò per accidens ex facto Aduocati cooperantis ad defensionem innocentis, per se autem prouenit ex calumnia ipsius accusatoris, vt benè ait Vgolinus *c. 9. §. 1. ad finem.* Molina *disp. 74. n. 11.* Suarez *disp. 47. sect. 4. n. 6.* Filliucius *loco cit.* Secus dicendum est, quando Aduocatus petiit accusatorem puniri pœna talionis, seu sanguinis, tunc enim censetur causa sanguinis, nec illi prodest protestatio, cùm non agatur de rebus ipsius. Idem dicendum est, quando Aduocatus iniustè defendit reum, & ob iniustam ipsius defensionem secuta est mors, vel mutilatio accusatoris, tunc enim actione sua iniusta censetur causa omnium malorum inde prouenientium, consequenter etiam censetur reus irregularitatis ex delicto, nisi hoc bona fide fecerit, credens accusationem fuisse iniustam, tunc enim ratione bonæ fidei sicut excusatur à delicto, ita etiam videtur excusandus ab irregularitate. Ita Suarez *loco cit.* Filliucius *n. 257.* & alij.

6 An aduocatus, & procurator sit irregularis, quãdo reus ex imperitia aduocati adiudicatur morti.

6 Maior difficultas est, vtrùm Aduocatus incurrat irregularitatem, quando reus imperitia, vel negligentia Aduocati fuit adiudicatus morti, quam euasisset, si Aduocatus munus suum ritè obiisset.

Respondeo affirmatiuè, quia mors imputatur ipsius culpæ, vt patet à simili de morte ægroti, quæ sequitur ex prætermissa à Medico debita diligentia. Ita Nauar. *cap. 27. nu. 228.* Vgolinus *c. 9. §. 1. num. 4.* Suarez *loco cit.* Filliucius *num. 257.* & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

7 An aduocatus, & procurator sit irregularis.

7 ADuocatus, vel Procurator accusatoris fit irregularis secuta morte, vel mutilatione rei, contra quem pro accusatore agebat. Ratio est, quia censetur causa sanguinis, vel mutilationis.

8 An protestatio prosit aduocato, procuratori, & delatori criminis.

8 Quæres, vtrùm Procurator, & Aduocatus accusatoris, aut delatores criminum, aut Syndici fiscales, aut testes concurrentes in causa criminali excusentur ab irregularitate, pręmittendo protestationem.

Respondeo non excusari. Ita Couarruuias *part. 2. §. 2.* Henriquez *c. 12. num. 8.* Suarez *disp. 47. sect. 3.* Auila *dub. 12.* Filliucius *tract. 19. num. 257.* Reginaldus *lib. 30. num. 133.* & Vgolinus *c. 6. §. 9. fol. 43. & c. 9.* vbi plures alios DD. refert. Ratio est, quia cooperantes in causa sanguinis incurrunt irregularitatem, nisi excipiantur in iure; sed Aduocati, & testes concurrentes in causa criminali cooperantur in causa sanguinis, nec in iure excipiuntur ob protestationem, nam *in cap. prælatis 2. de homicidio*, excusantur solum accusatores, seu denuntiatores, ne patiantur iniurias in rebus suis præmissa protestatione, non verò excusantur Procuratores, Aduocati, testes, &c. ergo incurrunt irregularitatem.

Non nego tamen, quin possint aliqui casus assignari in quibus excusetur testis ab irregularitate.

Primus est, quando testatur ex metu graui, sicut enim metus grauis excusat ab aliis pœnis, & censuris incurrendis, ita videtur excusare testem ab irregularitate. Ita Maiolus *lib. 2. c. 8.* & alij quàm plures, quo tacito nomine refert Coninchus *disp. 18. dub. 10. num. 96.* contra Henriquez *c. 12. n. 9.* Vgolinum *loc. cit. c. 7. n. 3.* Auilam *loco cit. dub. 12.* Suarez *loco cit. n. 8.* Filliucium *nu. 254.* & alios. Doctrina Maioli mihi probatur saltem quando non agitur directè de causa sanguinis, sed de alterius interesse.

Secundus casus est, quando tenetur iure naturæ sese offerre ad testandum, nam accusatori concessum est priuilegium accusandi pro suo interesse; hoc autem priuilegium videretur inutile, si testis non posset absque irregularitate testari, nam timore tantæ pœnæ retraheretur à testando; consequenter accusator nihil probare posset, nihilque obtineret, nec nõ ipsius priuilegium vanum, ac inutile redderetur. Ita sentire videtur Coninchus *n. 94. & 95.* Molina, Auila Filliucius, & alij *loc. cit.* contra Vgolinum *cap. 6. num. 3.*

Obiicies contra dictos casus. Iudex fit irregularis ferendo sententiam sanguinis, licet illam ferre teneatur ex officio; similiter tabellio, Aduocati, & alij, qui ad causas sanguinis sunt ex officio deputati, fiunt irregulares, etiamsi compellantur per metum ad hæc munera præstanda; ergo etiam testis fit irregularis, ferendo testimonium per metum grauem, aut quando iuræ naturæ testari tenetur.

Respondeo negando consequentiam, nam iudex, Aduocatus, & alij sese voluntarie offerunt ad hæc munera præstanda in causa sanguinis, quod non accidit in teste, qui metu, aut naturali obligatione cogitur ad testandum, consequenter iudex, Aduocati, & alij potius incurrunt irregularitatem, quàm testis, qui testatur ob metum grauem, vel ob naturalem obligationem, quam non voluntariè sumpsit.

PVNCTVM IV.

De irregularitate, quæ contrahitur ob bellum.

QVatuor principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, vtrùm occidens alium in bello incurrat irregularitatem.

Secundò, vtrùm eam incurrat consulens bellum.

Tertiò, vtrùm eam incurrat assistens bello.

Quartò, quis possit dispensare in irregularitate contracta causa belli.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An occidens aliũ in bello sit irregularis.

1 OCcidens alium in bello tam iusto, quàm iniusto incurrit irregularitatem, vt patet ex *cap. petitio tua. de homicidio.* Ratio est, quia est causa mortis. Ita communiter DD.

2 An procedens ad bellum sine animo pugnandi, si occidat inimicum ad defensionem.

2 Quæres primò, vtrùm procedens ad bellum iustum alio fine, quàm pugnandi & occidendi incurrat irregularitatem, occidendo aduersarium ad defendendam vitam propriam, dum eam aliter tueri non potest, quàm ipsum occidendo.

Respondeo, non incurrere irregularitatem, quia occidens alterum ad sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrit irregularitatem. *Clementin. si furiosus. de homicidio*; ergo procedens ad bellum alio fine, quam pugnandi, non incurrit irregularitatem occidendo aduersarium ad propriam vitam defendendam. Ita Auila *loco citato, sect. 3. dub. 5.* [Suarez *disp. 47. sect. 6. num. 1. & 2.*] & alij communiter. Qui verò processit ad bellũ intentione pugnandi fit irregularis, siue bellum sit iustum, siue iniustum. Ita Rodriquez *1. part. cap. 172.* Henriquez *loco cit. c. 13. n. 1.* Suarez *disp. 47. sect. 5.* Filliucius *n. 263.* & alij contra Auilam *part. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 1.* & alios. Ratio est, quia procedens ad bellum intentione pugnandi, voluntariè se exponit periculo homicidij, & saltem in causa vult homicidium, consequenter secuto homicidio incurrit irregularitatẽ, quę à iure imposita est propter homicidium volitum in se directè, vel in causa, quamquam opposita sententia Auilæ, quam etiam sequi videtur Filliucius *n. 266. & seqq.* probabilis est, saltem in bello defensiuo.

Hic tamen aduertenda est differentia inter irregularitatem, quæ contrahitur ex bello iusto, & iniusto; nam quæ contrahitur ex bello iniusto dicitur ex delicto, quæ verò incurritur ex bello iusto dicitur ex defectu perfectæ lenitatis. Ita Nauarrus *num. 224.* Auila *loco citat. dub. 1.* Filliucius *num. 270.* & alij communiter.

3 An omnes milites fiant irregulares, quando diuiso exercitu in duas par-

3 Quæres secundò, vtrum omnes milites fiant irregulares, quando, diuiso exercitu in duas partes in bello iniusto, vna pars committit homicidia, altera verò non committit.

Respondeo, milites illius tantummodò partis, quæ commisit homicidia, fieri irregulares, nam alij non videntur cooperari re, aut verbis

tes, vna pars occidit, altera verò non occidit.

bis ad homicidium. Ita Vgolinus *cap.13.§.1.n.3.* Henriquez *lib.14.cap.13.n.7.* contra Suarez *disput.45.sect.3.n.10.& disp.47.sect.5.n.5.* Filliucium *n.263.* & alios, quorum opinio probabilissima est, quamquam idem Filliucius *n.123.* cum Suarez nostrâ sententiam probabilem arbitratur. Secus dicendum est, si aliqua ratione cooperati sunt, vt per se patet.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An consulens bellū Principi sit irregularis.

4 COnsulens alicui Principi bellum iustum contra alium, non est irregularis. Hæc propositio patet ex *c.petitio tua, citato.* [vbi sermo solum est de interficiente, *& cap. hortatu & precibus 23.q.8.& cap.omni timore 23. quæst.8.*]

5 An Clericus consulens bellum iustū sit irregularis.

5 Ex quo sequitur, Clericum non fieri irregularem, consulendo bellum iustum. Immò neque fit irregularis pugnando in bello iusto, modò ipse non mutilet, vel occidat; quamuis ab aliis militibus committantur homicidia. [Nam *in cap petitio tua. de homicidio*, Summus Pontifex illum dumtaxat iudicat irregularem, qui in bello occidit, aut dubitat occidisse. Ita Suarez *disputat.47.sect.6 numer.4.* & alij communiter.]

6 An sit irregularis qui hortatur milites ad vitam effundēdā pro fide Christi, pro Ecclesia, &c.

6 Quæres, vtrùm incurratur irregularitas, hortando alterum ad vitam effundendam pro fide Christi, vel pro tuenda Ecclesia, aut defendenda Republica.

Respondeo negatiuè cum Henriquez *lib.14.cap.16.n.4.* Sayro *lib.6.c.19.num.9.* Nauarro, Suarez, Auila, & aliis *locis cit.* Ratio est, quia non dicitur cooperari morti, quæ à iudice infertur; sed cooperatur ardori charitatis, & actui virtutis ex parte ipsius, qui mortem patitur. Similiter excusatur ab irregularitate, qui suadet alteri rem aliquam piam, e.g. mori tunc temporis, quo tenetur mori, vel quo potest licitè mori, vt quando suadet alteri ingressum fluminis ad liberandum hominem lapsum in flumen. Ratio est, quia non intendit directè, vel indirectè mortem ingredientis, sed liberationem amici; sicut autem liberans lapsum cum periculo vitæ propriæ non peccat, ita neque consulens peccat, aut fit irregularis. Secus dicendum est de consulente, vel hortante ad opus illicitum periculosum; vt quando quis consulit alteri se ipsum in flumen deiicere absque necessitate cum probabili vitæ periculo absque sufficienti cautione; sicut enim deiiciens se in flumen in eo casu censetur homicida sui ipsius, ita etiam consulens censetur illius homicida; consequenter fit irregularis, sicut etiam fit irregularis, qui per tectum, & loca periculosa facit ad se venire adulteram, & inde sequitur ipsius mors vel abortus. Ita Nauarrus, Sayrus, Auila, & alij, quos infrà referam *de homicidio casuali.*

TERTIA PROPOSITIO.

7 An assistētes bello sint irregulares.

7 TAm Clerici, quàm laici possunt interesse bello iusto absque irregularitate, etiamsi hortentur milites, vt suo fungantur munere, vel illos hortentur in genere ad pugnandum, ad fortiter se gerendum, ad vincendum, ad fidem tuendā, ad patriam defendendam, &c. Ita Henriquez *lib.14.cap.3.* Vgolinus *tract. de Irregul.cap.12.§.2.* Nauarrus *num.215.* Sayrus *cap.19.num.3.* Suarez *disp.47.sect.6.nu.8.* Auila *part.7.disp.6.dub.2.* Molina *tom.4.disp.73. num.2.* Filliucius *n.269.& 274.* Reginaldus *lib.30.tract.2.num.165.* & alij communiter *in cap.petitio tua.de homicidio*, vbi hoc innuitur in fauorem iusti belli, & ne innumera hominum multitudo ligaretur vinculo irregularitatis. [Idem colligitur ex *cap.Maximianus, cap. hortatu*, & ex aliis iuribus, & quæ habentur *23.q.8.*]

8 An duces, & consultores exercitus, tubicines, & pulsantes tympana sint irregulares.

8 Hinc colligitur primò, Duces exercitus, consultores militiæ, tubicines, pulsantes tympana, & alios quauis ratione concurrentes ad bellum iustum non esse irregulares, nisi per se ipsos mutilent, vel occidant, vel hortentur ad occidendum aliquem in particulari, vt patet ex *dicto cap.petitio tua.*

9 An vendens arma in bello sit irregularis.

9 Secundò, præbentem, seu vendentem arma in bello iusto non esse irregularem, etiamsi arma sint offensiua, *cap.petitio tua.* Secus dicendum est de eo, qui præbet arma in bello iniusto; huic enim imputantur homicidia in eo bello secuta, nec vllo iure eximitur ab irregularitate. Ita Nauar. *num.224.* Auila *loco citat.dub.2.* Filliucius *num.270.* Vgolinus *loc.cit.* & alij.

10 Quæ differentia sit inter assistentes bello iusto, & iniusto.

10 Tertiò, colligitur differentia inter assistentes bello iusto, & assistentes iniusto, nam assistentes bello iniusto incurrunt irregularitatem secuto homicidio, etiamsi ipsi non occiderint, vel mutilauerint propria manu, propterea custodientes sarcinas fiunt irregulares, quoties ob ipsorum custodiam milites facti sunt animosiores ad pugnandum. Idem dicendum est de aliis, qui re aut verbis cooperantur bello iniusto, nam omnes integrant vnam causam moralem, cui imputantur homicidia, exceptis assistentibus ad pacem conciliandam, vel ad ferendam opem in spiritualibus; isti enim non dicuntur esse causa moralis homicidiorum; cōsequenter non sunt irregulares: assistentes verò bello iusto ad hortandum, vel iuuandū non sunt irregulares, secuto homicidio, vel mutilatione, eximuntur enim ab irregularitate, *cap.petitio tua.de homicidio*, modò ipsi non occiderint, nec mutilauerint, nec hortati sint ad occidendum aliquem in particulari. [Nam *in cap.petitio tua*, Clericus assistens bello iudicatur solùm irregularis, si aliquem interfecit, vel si dubiam de hoc habet conscientiam.] Ita Vgolinus *loco citat.§.1.* Molina *loco citato, & tom.1.disputat.110.* Suarez *loco citat.sect.5. & 6.* Coninchus *nu.97.* Nauar. Filliucius, & alij *loc.cit.*

Obiicies. Assistens bello iusto ad iuuandum censetur vna causa moralis cum percutientibus, & occidentibus; ergo sicut occidentes sunt irregulares, ita etiam assistentes.

Respondeo negando consequentiam, quamuis enim dicamus, assistentes bello iusto constituere, & integrare vnam causam moralem cum occidentibus, nihilominus *in cap.petitio tua*, citato, excipiuntur, etiamsi vulnerauerint, modò non occiderint, aut etiam non dubitent occidisse, dubitans enim, an per se ipsum interfecerit, habendus est pro irregulari, vt patet ex eodem capite, vbi dicitur habendum esse irregularē, si eum cōscientia remordet de interfectione.

11 An Clerici fiant irregulares, præbēdo arma militibus in bello iusto.

11 Rogabis, vtrùm Clerici fiant irregulares, præbendo arma militibus in bello iusto.

Respondeo negatiuè cum Nauarro, & aliis *loc.cit.* modò non præbeant arma ad occidendum hunc, vel illū in particulari. Ita Henriq. *loco citat.cap.12.* Filliucius *num.266.* Suarez *sect.6.num.11.* Reginaldus *num.150.* & alij apud Sayrum *loco citato, num.12.* contra Sylueſtrum *verb.Homicidium 3.quæsito 6.* & alios. Verum tamen est, Clericos non posse absque facultate per se ipsos pugnare, per se loquendo, *cap. ne Clerici, vel monachi, & cap. petitio tua.* Possunt tamen in exercitu armati incedere, & cum vexillo Crucis præire, immo etiam possunt aliquando pugnare in bello iusto; quando scilicet necessitas cogit ad defendendam Rempub. vel ad consequendam insignem victoriam, ex qua Respublica relatura sit magnum commodum, vt patet ex dictis *in 5.Decalogi præcepto*, cum Valentia, & aliis; non enim credibile est, Ecclesiam velle pœna irregularitatis afficere Clericos tunc temporis, quo tenentur iure naturæ pugnare. Præterea si irregularitas non incurritur, defendendo se ipsum, neque videtur incurri defendendo Rempublicam in tanta necessitate. Ita Filliucius *n.269.* & alij *loc.cit.*

12 An Clerici pugnātes in bello de licentia Papæ sint irregulares.

12 Sed modò difficultas est, vtrùm Clerici pugnantes de licentia Summi Pontificis fiant irregulares, secuta morte.

Respondeo negatiuè, non enim verosimile est Summum Pontificem velle Clericum propriis manibus pugnare, & pugnando subiacere irregularitati, vt dictum est de bello cum Valentia, & aliis. Idem tenet Molina *tom.4.tract.3.disp.73.num.1.& 2.* Henriquez *lib.14.cap.11.num.3.* Bannes *2.2.quæst.40.art.2. dub.4.fol.1395.* Sayrus *lib.6.cap.19.num.5.* Suarez *loco cit.num.12.* Filliucius *num.281.* Reginaldus *loco cit.* & alij. Secus dicendum est, quando Summus Pontifex concessit Clerico facultatem solùm assistendi bello, non verò pugnandi; nam huiusmodi facultas est quædam dispensatio odiosa, vtpote contra ius commune; consequenter strictè explicanda est iuxta sensum verborum.

QVARTA PROPOSITIO.

13 Quis possit dispensare in irregularitate ob bellum contracta.

13 SOlus Summus Pontifex potest de iurè communi dispensare in irregularitate contracta causa belli. Ratio est, quia solus Pontifex potestatem habet ordinariam supra ius commune: irregularitas autem est à iure communi imposita. Episcopi verò non possunt in hac irregularitate dispensare, cùm non habeant potestatem supra ius commune. [Ita Suarez *disp.47.sect.5.n.2.& sect.6.num.12.*]

Obiicies. In Tridentino *sess.24.cap.6.* concessa est Episcopis facultas dispensandi in irregularitate; ergo possunt Episcopi dispensare in irregularitate proueniente ex homicidio causa belli contracta.

Respondeo, in Tridentino concessam esse facultatem Episcopis dispensandi in irregularitate ex delicto occulto proueniente, excepta irregularitate homicidij voluntarij, irregularitas autem, quæ propter bellum contrahitur, aut non prouenit ex delicto, vt accidit, quando bellum est iustum, vel si prouenit ex delicto, homicidium est voluntarium, aut saltem publicum. Episcopus igitur non potest dispensare in irregularitate proueniente ex homicidio commisso in bello, quia non potest dispensare in homicidio voluntario, aut publico. Ita Suarez *loco citato, num.12.* Sayrus *loco cit.ad finem*, Filliucius *num.281.* & alij.

PVNCTVM V.

De irregularitate, quæ contrahitur medendo, vel chirurgiam exercendo.

DVo principaliter quæram in hoc puncto.

Primò vtrùm laicus fiat irregularis exercendo artem chirurgiæ, vel medicinæ.

Secundò, vtrùm Clericus hac eadem pœna afficiatur.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An laicus chirurgiā, aut medicinam exercens sit irregularis.

1 LAicus exercens chirurgiam, vel medicinam secundùm regulam artis non fit irregularis, etiamsi membrum aliquod abscindat causa sanitatis. Ita Nauarrus *c.27.n.209.* Vgolinus *c.19.§.1.* Auila *parte 7.disp.6.sect.1.dub.10.* Sylueſter *verb.Homicidium 3.quæs.3.* Suarez *disp.47.sect.7.n.2.* Filliucius *tract.19.c.10.q.8.* & alij communiter. Ratio est, quia in huiusmodi absciſſione, vel exercitio non deest lenitas, vel mansuetudo, cùm abscindatur pars, vt totum seruetur.

Dixi, *secundùm regulam artis*, nam si culpa vel imperitia medici, vel chirurgi mors sequatur, incurrit irregularitatem ex delicto; censetur enim causa iniusta mortis.

2 An Medicus, cuius causa ægrotus interiit, possit ad ordines promoueri.

2 Ex quo sequitur, Medicum, cuius culpa ægrotus interiit, non posse ad ordines promoueri. Secus si nulla ipsius culpa mortuus est, quamuis aliunde illi vetitum sit mederi, nam mors illi non imputatur. Ita Vgolinus *loco cit.n.4.* & alij DD. citati.

Hinc patet quid dicendum sit de iis, qui curam infirmorum habent: isti enim irregulares sunt, quoties culpabiliter moraliter sunt causa accelerationis mortis. Si verò conueniente prouidentia, & absque notabili negligentia se gesserunt, non sunt irregulares. Ita Maiolus *lib.5.c.48.n.1.* Filliucius *n.278.* [Suarez *n.3.*] Sylueſter, Angelus, Armilla, Tabiena, Nauarrus, Sotus, & Caietanus apud Suarez *nu.3.* nam si isti sunt irregulares, maximè ex delicto; irregularitas autem ex delicto supponit culpam grauem, vt superiùs ostensum est. Vide, quæ tradidi *punct.7.n.12.*

3 An fiat irregularis Medicus, qui ægroto præbet medicinam, quam nescit, vel dubitat, an profutura sit.

3 Quæres, vtrùm Medicus incurrat irregularitatem præbendo medicinam ægroto, quam nescit, & dubitat illi profuturam.

Respondet Vgolinus *loco cit.§.1.n.5.* cum Innocentio *in cap.tua nos. de homicidio*, & aliis, peccare, & incidere in irregularitatem secuta morte.

Sed mihi placet vti distinctione, hoc modo, vel Medicus habet remedium certum ad sanitatem, vel habet tantummodò dubium. Si habet

habet remedium certum, peccat, & secuta morte fit irregularis, adhibendo remedium incertum, & dubium, nam imprudenter agit relinquendo remedium certum in re tanti momenti. Si verò nullum habet remedium certum, debet adhibere remedium, quod melius est, & opportunius, iuxta probabiliorem sententiam Medicorum, alioquin imprudenter agit, & temerè exponit periculo salutem infirmi, non adhibendo remedium magis opportunum, consequenter non euadit notã irregularitatis, secuta morte infirmi. Si verò nullum habet remedium certum, aut opportunius, secundùm probabiliorem DD. sententiam, sed habet remedium tantummodò dubium, de quo dubitat, an profuturum, vel nociturum sit, peccat, & fit irregularis, adhibendo huiusmodi remediũ, quando salus infirmi nõdum est desperata, nam fieri potest, vt infirmus propter illud pharmacum decedat ex hac vita; cùm omnia medicamenta venena sint, vt dicitur *in l. qui venenum ff. de verborum significat.* Quando verò salus infirmi iam desperata est, Medicus non peccat, nec fit irregularis, prębendo pharmacum, de quo dubitat, an sit profuturum, vel nociturum, nec Medicus habet aliud remedium, tunc enim prudentius agit, applicando remedium aliquod cum spe salutis, quàm relinquendo infirmum in statu desperatæ salutis. Ita sentire videtur Valentia, Clauis Regia, Corduba, Sanchez, & alij, quos retuli *in tractatu de peccatis, quæst. 6. punct. 3. §. 3.* cùm loquerer de opinione probabili.

Hinc patet, quid dicendum sit de chirurgo, qui dubitat, an membrum abscindendum sit, quidquid dicat Vgolinus *loco cit. §. 2. num. 6.*

SECVNDA PROPOSITIO.

4 An Clericus chirurgiam, vel medicinam exercens sit irregularis.

4 CLericus, etiam beneficiarius, non fit irregularis, exercendo officium Medici, vel chirurgi secundùm regulam artis citra abscissionem, vel adustionem. Ratio est, tum quia nullo iure probatur, hoc illi specialiter vetitũ esse sub mortali, & irregularitate: tum quia hoc est opus pietatis, & misericordiæ. Ita Molina *tom. 4. disput. 75. num. 6.* Henriquez *lib. 14. cap. 11. num. 1.* Sayrus *lib. 7. cap. 6. num. 11.* & alij communiter.

Dixi, *secundùm regulam artis*, quia nullus potest mederi omissis regulis artis, alioquin temerè exponit infirmum periculo vitæ, consequenter secuta morte fit irregularis ex delicto; mors enim illius culpæ imputatur.

Dixi, *citra abscissionem, vel adustionem*, quia Clericis maioribus ordinibus initiatis specialiter prohibitum est mederi abscindendo, vel adurendo, *cap. sententiam sanguinis, ne Clerici, vel monachi, & cap. tua nos. de homicidio.* Clerici verò minoribus ordinibus insigniti, quamuis habeant beneficium, possunt artem medicam, & chirurgiam exercere, etiam abscindendo, & adurendo, secundùm regulam artis, nam *in dicto cap. sententiam sanguinis*, fit tantummodò mentio Subdiaconi, Diaconi, & sacerdotis. Ita Molina *loco citat. num. 2.* contra Sayrum *numer. 7.* Auilam, & alios *loc. cit.* qui contrariam sustinent sententiam in beneficiario.

Addo, Clericum maioribus ordinibus initiatum non peccare, nec affici irregularitate, incidendo, vel adurendo vrgente necessitate, e.g. tempore pestis, quando non adest alius, qui hoc munus præstet. Ita Rodriquez *cap. 177.* Molina *loco cit. num. 3.* Henriquez, Auila, Sayrus, & alij *locis citat.* nam in eo euentu, in quo obligat ius naturæ, cessat prohibitio iuris positiui.

Neque obstat *cap. tua nos. de homicidio*, vbi denuntiatur irregularis monachus, qui aperuit apostema in gutture mulieris, ex quo mortua est. Ratio est, tum quia ille monachus non aperuit apostema vrgente necessitate, cùm mulier illa posset chirurgos adire. Ita Molina *loco cit. n. 3. ad finem*, & alij: tum quia monachus non præsumitur peritus chirurgiæ; consequenter in foro externo præsumendus est irregularis, vt benè ait Couar. *Clementin. si furiosus, part. 2. §. 4. n. 3.* tum quia hic casus specialiter in iure expressus est, vt infrà dicam.

5 An Clericus fiat irregularis, si mors nõ sequatur.

5 Ex dictis sequitur primò, Clericum exercentem officium Medici, vel chirurgi secundùm regulam artis, secluſa adustione, vel incisione, non esse irregularem; etiamsi mors sequatur. Ratio est, tum quia hoc non est illi specialiter prohibitum sub mortali, & sub irregularitate: tum quia mors inde sequens non prouenit ex culpa Clerici, qui supponitur curasse secundùm regulas artis, consequenter illi non imputatur ad peccatum, vel ad irregularitatem. Idem dicendum est, quando in incidendo erratur non ob culpam chirurgi, vel Medici, sed potiùs ob aliquem defectum ipsius infirmi, vt accidit quando infirmus non habet eam membrorum qualitatem, quam ceteri habent, vel quando superuenit repentinus timor. Ita Vgolinus *loc. cit. §. 2.* Ratio est, quia mors inde sequens censetur casualis.

Secundò sequitur, illum sacerdotem qui secundùm regulam artis applicat remedium, seu emplastrum mollificatiuum, quo apostema sese aperit; & mors inde sequitur absque culpa sacerdotis, non esse irregularem. Ratio est, quia non dicitur propriè artem medicam exercere scindendo, vel adurendo. Ita Molina *loco cit. nu. 4.* Rodriquez 1. *part. cap. 177.* & alij.

Tertiò, Clericum, qui secundùm peritiam artis iubet incisionem, vel adustionem, non fier irregularem, etiamsi mors inde sequatur. Ita Molina, Rodriquez, & alij *locis cit.* Ratio est, quia ius prohibet Clerico sub irregularitate incisionem, vel adustionem morte inde secuta: ille autem, qui iubet incidi, vel dat consilium incidendi, non dicitur propriè incidere, vel adurere, consequenter non incurrit irregularitatem, vt patet à simili ex dictis de censuris, quia censura, & pœna lata contra facientes aliquid, non ligat mandantes, vel consulentes, nisi exprimantur.

Quartò, Clericum posse absque irregularitate consulere secundùm regulam artis, vt membrum cancro infectum abscindatur, aut vena aperiatur ad emittendum sanguinem; hoc enim non est incidere, vel adurere, vt patet ex ratione præcedentis illationis. Clericus verò sacris initiatus, scindendo venam ad emittendum sanguinem fit irregularis secuta morte, quia propriè dicitur incidere. Ita Auila *loco cit.* & alij, contra Rodriquez, & Molinam *locis cit. num. 4.* & alios existimantes non fieri irregularem, eò quòd aperire venam sit proprium tonsorum, non verò chirurgorum, & Clericis non sit vetitum artem tonsorum sub irregularitate exercere, sed arte n chirurgorum, scindendo, vel adurendo. Sed hæc ratio mihi non probatur; existimo enim, opus scindendi venam propriè pertinere ad chirurgum; quamuis hoc tempore præstetur a tonsoribus tamquam famulantibus, & inseruientibus chirurgis, seu in defectum chirurgorum.

Quæres primò, vtrùm Clericus maioribus ordinibus initiatus exercens officium Medici, seu chirurgi, abscindendo, vel adurendo secundùm regulam artis incurrat irregularitatem, morte non secuta.

Respondeo negatiuè, quamuis enim illi vetitum sit abscindere, vel adurere, nihilominus non incurrit irregularitatem ex ea mutilatione, vel abscissione, cùm irregularitas non consurgat ex quacumque mutilatione, sed solùm ex ea, quæ dirigitur ad priuationem membri, & est coniuncta cum defectu lenitatis, vt est illa, quæ fit à iudice, vel ministro iustitiæ. Ex ea verò mutilatione quæ ordinatur ad vitam conseruandam, non oritur irregularitas, modò Clericus adhibuerit debitam diligentiam, nec mors inde secuta sit. Ita Auila *part. 7. dist. 6. sect. 1. dub. 10.* Sayrus *loc. cit.* & alij.

Addo cum Auila *loco cit. concl. 5.* Sayro *loco cit. num. 9.* Molina *loco cit. nu. 3. ad finem*, & aliis; [contra Suarez *disp. 47. sect. 7. num. 4.*] Clericum, qui secundùm regulam artis abscidit, vel adussit, non fieri irregularem, quando mors non est secuta ex adustione, vel incisione, sed ex grauitate morbi, mors enim non videtur imputanda abscindenti, vel adurenti, cùm non proueniat ex adustione, vel abscissione. Verum tamen est in dubio, an mors inde secuta sit, Clericũ habendum esse pro irregulari, vt patet ex *cap. ad aures. de ætate, & qualitate*, & ex supradictis, modò dubium non sit scrupulus, scrupuli enim repellendi sunt.

6 An sit irregularis adiuuans chirurgum ad abscindendum membrũ.

6 Quæres secundò, vtrùm Clericus, vel alius adiuuans chirurgum ad iustè abscindendum membrum alicuius ægroti infectum, incurrat irregularitatem.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia chirurgus, qui secundùm artis præscriptum adscindit, nullã incurrit irregularitatem: ergo nec eam incurrit Clericus cooperans, cùm non sit specialiter prohibitum Clerico adiuuare, sicut prohibitum est per se ipsum abscindere. Ita Nauarrus *cap. 27. num. 229.* Molina *tom. 4. tract. 3. disput. 75. num. 1.* Sayrus *lib. 6. cap. 18. num. 27.* Henriquez *lib. 14. cap. 11. nu. 1.* Vgolinus *de irregularitate c. 19. §. 2. n. 4.* Auila *loco citato, dub. 10. concl. 2.* & alij.

Obiicies. Qui cooperatur iustæ sententiæ mortis, vel mutilationis, fit irregularis; ergo etiam fit irregularis cooperans abscissioni factæ à chirurgo.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia iudex præ se fert nescio quid crudelitatis, cùm mutilet in vindictam, & pœnam à delinquente sumendam, consequenter non sequitur, nec imitatur Christi mansuetudinem; quæ verò chirurgus agit iuxta præscriptum artis, potiùs agit ex pietate ob salutem ægroti ad conseruandam ipsius vitam, consequenter Ecclesia iustè statuit irregularitatem in iudice, & eius cooperatoribus, non verò illam imposuit chirurgo artem suam, & officium exercenti secundùm regulam artis, vel eius cooperatoribus.

Dixi, *secundùm regulam artis*, quia si chirurgus ex negligentia medeatur contra regulam artis, incurrit irregularitatem ex delicto, quæ potius pertinet ad homicidium casuale, quàm ad voluntarium. Ita Nauarrus *numer. 208.* Sylvest. *verb. Homicidium 2. quæsito 14.* Sayrus *loco citato*, Suarez *disputat. 47. sect. 7. nu. 2.* Filliucius *nu. 277.* & alij.

PVNCTVM VI.

De irregularitate proueniente ex homicidio facto ad defensionem sui, rerum suarum, ac proximi.

1 Quid requiratur, vt homicidiũ factum ad sui defensionem sit licitum.

1 NOtandum primò, aliquas conditiones requiri, vt occisio alterius ad sui defensionem licita sit, & dicatur fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, & absque irregularitate.

Prima est, vt fiat, quando vis ab altero iniustè infertur, licitum enim est vim vi repellere, modò vis iniustè inferatur, vnde si quis occidat satellites, & ministros iustitiæ, à quibus iustè inuaditur, iniustè occidit, quia ab ipsis non infertur vis iniustè, vt patet ex dictis de homicidio *in tract. de restitutione.*

Secunda est, vt occisio fiat in ipso actu aggressionis, quando alter moraliter incepit aggressionis actum, nec aliter proprium damnum euitari potest, quàm occidendo, vel mutilando, tunc enim vis vi repellitur.

Ex quo patet, aggressorem non posse præueniri, cùm nondum inceperit vim inferre, sicut neque potest occidi post factam aggressionem; tunc enim vis cessauit.

Tertia, vt inuasus probabiliter credat se occidendum, vel mutilandum; vel sibi periculosum vulnus infligẽdum aut graue damnum inferendum: quilibet enim tenetur leue damnum pati dum illud euadere non potest sine grauissimo proximi detrimento, vt patet ex dictis de charitate.

2 Quandónam dicatur seruari moderamẽ inculpatæ tutelæ.

2 Notandum secundò, tunc seruari moderamen inculpatæ tutelæ, quando concurrentibus conditionibus recensitis adhibetur illa cautio, & illud medium, sine quo vita saluari non potest; propterea qui occidit inuasorem vitæ suæ, dum non potest aliter vitam suam tueri, quàm illum occidendo, dicitur seruare moderamen inculpatæ tutelæ. Ille verò non dicitur seruare moderamen inculpatæ tutelæ, qui occidit suum inuasorem, quando potest fuga non ignominiosa, aut clamore, aut aliter se defendere, quàm occidendo. Ita Vgolinus *de irregularitate, c. 29. §. 13.* Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 11. n. 2.* Suar. *disp. 46. sect. 1. n. 7. & seq.* Reginaldus *lib. 30. n. 115.* Sayrus *lib. 6. c. 17.* Filliucius *tract. 20. c. 5. quæsito 3. n. 137. & 147.* & alij, quos retuli de homicidio, vbi has regulas multis exemplis explicaui quæ inde peti possunt ne sæpius eadem repetantur.

His

His positis tria principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, vtrùm licitum sit absque irregularitate occidere inuasorem vitæ suæ.

Secundò, vtrùm licitum sit occidere inuasorem ad defensionem honoris, & rerum suarum.

Tertiò, vtrum liceat mortem inferre inuasori vitæ, & rerum proximi.

PRIMA PROPOSITIO.

3 An sit irregularis occidens aliũ ad sui defensionem.

3 OCcidens alium ad vitæ suæ defensionem, non excedendo notabiliter moderamen inculpatæ tutelæ, non incurrit irregularitatem. Hæc propositio expressè patet ex *Clementina, si furiosus de homicidio.* Ratio est, tum quia huiusmodi actio non censetur iniusta, consequenter non est irregularitati ex delicto exposita: tum quia huiusmodi homicidium non reputatur voluntarium, sed necessarium, consequenter neque imputari debet ad culpam, consequenter neque ad pœnam, & hoc verum est, etiamsi occidat ex odio, aut etiamsi homicida dederit causam inuasionis, vt constabit ex dicendis.

Dixi, *non excedendo notabiliter moderamen inculpatæ tutelæ*, nam qui notabiliter moderamen cum peccato mortali excedit iucurrit irregularitatem, vt accidit, quando quis occidit inuasorem, à quo se poterat tueri fugiendo, aut vulnerando solùm, & non occidendo. Ratio est, tum quia mors illi imputatur ad culpam; ergo etiam imputari debet ad irregularitatis pœnam: tum quia sic decernitur *in Clement. citata*, in qua requiritur moderamen. Secus dicendum est, quãdo leuiter solùm excedit cum peccato veniali, irregularitas enim, cum sit pœna grauis, debet proportionari culpæ, vt patet ex supradictis. Ita Suarez *sect. 1. num. 9.* & alij communiter.

Dixi, *etiamsi occidat ex odio*, nam qui occidit inuasorem, dum non potest aliter se defendere, non fit irregularis, quamuis inuasorem occidat ex odio, & cum intentione sumendæ vindictæ. Ita Molina *loco cit. disp. 72. num. 8.* Petrus Nauarrus *lib. 2. de restitutione, cap. 3. nu. 327.* Sayrus *loco citat. num. 12.* Auila, & alij contra nonnullos alios. Ratio est, quia actio externa homicidij in eo euentu non est actio iniusta homicidij, cùm occidens, quantum attinet ad rem ipsam, non possit aliter se defendere, quamuis illa intentio sit praua, & mala: qui autem occidit inuasorem, dum non potest aliter se defendere, dicitur occidere cum moderamine, & absque irregularitate, *Clementin. si furiosus, citata*, nec praua illa intentio, & affectus sufficiens est ad inducendam irregularitatem; sicut neque sufficit ad inducendam obligationem restituendi, nam irregularitas, & obligatio restituendi, non consurgit ex prauo solùm affectu, sed ex facto externo iniusto.

Dixi, *etiamsi dederit causam inuasionis*, nam occidens inuasorem vitæ cum moderamine non fit irregularis, quamuis ipse homicida causam dederit inuasionis, & inuasionem præuiderit secuturam, vt accidit, quando quis alium contumeliis afficit, vel adulterium committit cum ipsius vxore, &c. Ita Lessius *lib. 2.* quem retuli *de homicidio*, Petrus Nauarrus *loc. cit. part. 3. dub. 4. num. 363.* & alij, quorum sententiam probabilem existimat Suarez *loco citat. num. 11.* Henriquez *lib. 14. cap. 10. num. 3.* Reginaldus *num. 110.* contra Nauarrum *nu. 238.* Antoninum *3. part. titul. 5. cap. 8. §. 1.* Molinam *loco citato, disputat. 72. num. 5. & disput. 77. num. 9.* Vgolinum *loco citat. §. 3.* Coninchum *disp. 18. dub. 9. n. 75.* Filliucium *c. 5. n. 135. & 141.* & alios innixos *c. si viduam. dist. 50.* & Tridentino *sess. 14. c. 7. de reformatione*, vbi Concilium, sicut exigit dispensationem in eo, qui commisit homicidium casu vim vi repellendo, ita multò magis videtur eam exigere in eo, qui occidit inuasorem, secuturam præuidens inuasionem.

Sed ratio nostra desumitur, tum ex *Clementin. si furiosus, citata*, vbi videtur hoc expressè definiri: tum quia inuasus, dando causam inuasionis, non amisit ius defendendi vitam suam; sed qui non amisit ius defendendi vitam suam, non fit irregularis, ocidendo inuasorem, cum moderamine; ergo inuasus non incurrit irregularitatem, occidendo inuasorem cum moderamine, quamuis dederit illi causam inuasionis. Maior probatur, quòd scilicet inuasus non amiserit, sed adhuc retineat ius ad vitã propriam defendendã, nam vir, e. g. adulteræ occidens adulterum peccat mortaliter, quamuis impunè occidat in foro externo; ergo signum est, adulterum, qui causam dedit inuasionis, adhuc habere ius ad propriam vitam defendendam, alioquin vir adulteræ non peccaret occidendo adulterum, quod est falsum; non enim vir adulteræ ius habet occidendi adulterum priuata auctoritate, quamuis habeat ius repellendi iniuriam, & impediendi adulterium.

Ad iura citata pro Nauarro, Vgolino, & aliis responderi potest cum Petro Nauarro, *num. 367.* primò, illa intelligi posse de homicidio facto cum excessu, & non seruato moderamine.

Eamdem responsionem affert Nauarrus *consil. 36. de homicidio.*

Secundò, intelligi de dispensatione in foro externo, Concilium enim Tridentinum dicit dispensationem quodammodo deberi. Quare Concilium videtur illam particulam *quodammodo* apposuisse, non quia dispensatio verè debeatur, sed solùm secundùm quid, & in foro externo, vel ad maiorem cautionem, & securitatem.

4 An licitũ sit homicidium factũ ad se defendendum à mẽbri mutilatione.

4 Ex dictis colligi potest primò, eum, qui occidit inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defendendum se à membri mutilatione, vel à brachij debilitatione, vel à graui percussione, non incurrere irregularitatem, nam defendendo brachium, ne debilitetur, censetur vitam propriam tueri, cùm brachium sit pars, & membrum vitæ hominis; sicut autem licitum est tueri vitam cum morte inuasoris, ita etiam licitum est tueri partem vitæ, præsertim quando ex huiusmodi percussione, vel mutilatione sequi potest amissio vitæ. Ita Couarruuias *Clementina, si furiosus, parte vltima §. vlt.* & alij apud Vgolinum *cap. 39. §. 1.* Auilam *part. 7. disp. 5. dub. 1.* & Molinam *loco cit. num. 6.* contra Syluestrum *verb. Homicidium 3. num. 6.* & hoc verum est, etiamsi occidens possit non occidere fugiendo, sed fuga sit illi causa grauis notæ, & amissionis honoris, non enim tenetur prodigere suum honorem, vt benè ait Suar. *disp. 46. sect. 1. n. 6.* Coninchus *n. 90.* Filliucius *tract. 20. n. 134.* & patet ex dictis *de homicidio*, contra Vgolinum *loc. cit. §. 2. & 7.*

5 An sit irregularis occidens iudicem sibi iniustè parantem mortem.

5 Secundò, eum non fieri irregularem, qui occidit iudicem iniustè sibi parantem mortem, vt patet ex dictis de homicidio; nam *Clementina si furiosus*, absolutè loquitur de occidente cum moderamine ad sui defensionem. Immo aliqui DD. sentiunt, hoc verum esse, etiamsi iudex sit valdè necessarius Reipublicæ. Ratio est, tum quia occidens huiusmodi iudicem, quamuis peccet contra charitatem, occidendo personam publicam valdè vtilem Reipublicæ, non tamnen peccat contra iustitiam peccato homicidij, consequenter non incurrit irregularitatem positam contra homicidas: tum quia *Clementina, si furiosus, citata*, absolutè dicit non fieri irregularem, qui iustè occidit inuasorem, quando aliter vitam propriam tueri nequit; vbi autem ius non distinguit, neque nos distinguere debemus; *l. de pretio. ff. de Publicia. in rem actione.* Ita Vgolinus *loco citat. §. 5.* & alij. Sed de hac re *in tract. de homicidio.*

6 An captus ab hostibus possit occidere custodem.

6 Tertiò, captum ab hostibus volentibus ipsum interficere, non fieri irregularem occidendo custodem, vel alium, quando aliter euadere non potest, & aliàs moraliter, & probabiliter credit se ab illis occidendum, nam vim vi repellit, & censetur inchoatus actus iniustę aggressionis. Ita Vgolinus *loco cit. §. 8.* & alij.

7 An sit irregularis, qui fure inuento clamat, Ad latrones, ad latrones; Cape, &c.

7 Quartò, eum non fieri irregularem, qui furem domi inuento clamauit ad vitam, vel res suas defendẽdas, *Ad latrones, ad latrones*; vel *Cape, cape*, vt patet ex allatis rationibus, & ex dictis *punct. 1. num. 10.* Secus dicendum, si clamauit, *occide, occide*, præsertim, si potuit res suas defendere alia ratione, quàm occidendo, vt patebit ex infrà dicendis.

Addo, illum non fieri irregularem, qui clamauit, *Ad latrones, ad latrones*, etiamsi ob id satellites furem ceperint, & iudex illum morti adiudicauerit: modò clamans præmiserit protestationem, & non hoc fecerit animo vindictæ, sed intentione rei suæ conseruandæ. Ita Vgolinus *cap. 14. §. 1. num. 7.* Auila, & alij: & patebit ex rationibus mox afferendis.

8 An sit irregularis, qui alium occidit, vt se defendat à graui deformitate vultus.

8 Quæres primò, vtrùm occidens inuasorem ad se defendendum à graui deformitate vultus, incurrat irregularitatem.

Respondeo negatiuè cum Sayro *cap. 12. num. 5.* Henriquez & aliis contra Toletum *lib. 1. cap. 75.* Nauarrum, Auilam, & alios *loc. cit.* Ratio est, tum quia occidens non peccat occidendo in proposito casu, vt patet ex dictis de homicidio; ergo neque incurrit pœnas iniustè occidentium: tum quia homo tanti facit grauem vultus deformitatem, quanti grauem diuitiarum iacturam, sed non est credibile, illum esse irregularem, qui occidit alterum ad diuitias suas defendendas, vt mox ostendam; ergo neque credibile est occidentem alterum ad vitandam grauem vultus deformitatem contrahere irregularitatem.

9 An sit irregularis, qui tradit alteri arma, vt se defendat, sed alter occidit inuasorem.

9 Quæres secundò, vtrùm Titius, qui non potest se ipsum defendere ab inuasore, fiat irregularis tradendo arma Caio ad sui defensionem, sed Caius acceptis armis occidit inuasorem Titij.

Respondeo negatiuè cum Nauar. *numer. 212.* Molina *loco citato, num. 7.* Vgolino *loco citato, §. 6.* Sayro *lib. 6. cap. 7. num. 14.* Suarez *loco cit. sect. 3. num. 6.* Reginaldo *lib. 30. tract. 2. num. 109.* Filliucio *nu. 161.* & aliis. Ratio est, quia sicut Titius potest se defendere absque irregularitate cum morte inuasoris, ita etiam potest alios conuocare ad sui defensionem, illisque arma præbere ad sui defensionem.

Addo cum Suarez, Titium non esse irregularem in prædicto casu, etiamsi fortè contingat, Caium, quem in sui defensionem conuocauit, occidi ab inuasore, nam Titius, vocando Caium in sui defensionem, non peccauit, & mors Caij sequitur per accidens respectu Titij, consequenter non est ipsi imputanda ad irregularitatem.

SECVNDA PROPOSITIO.

10 An sit irregularis, qui alium occidit ad defensionẽ honoris, & rerum suarum.

10 OCcidens alium ad defensionem sui honoris, rerumque suarum, non fit irregularis, seruato moderamine inculpatæ tutelæ. Ita Couarruuias *Clementina, si furiosus 3. parte §. vltimo*, Petrus Nauar. *loco citato, num. 417.* Lessius *lib. 2. cap. 9. dubitatione 11. num. 73.* Suarez *tom. 5. disput. 46. sect. 2. à num. 4.* Sayrus *lib. 6. cap. 17. num. 22.* Coninchus *disp. 18. dub. 9. num. 80. & 88.* Filliucius *tract. 20. c. 5. quæsito 6. num. 146. & quæsito 7. num. 149. & seqq.* & alij contra Nauar. *nu. 218.* Vgolinum *cap. 30.* Molinam *disp. 72. num. 3.* Salonium *2. 2. quæst. 64. art. 8. controuers. 2.* Auilam *part. 7. disp. 5. sect. 3. dub. 2.* Reginaldum *numer. 107.* & alios apud Petrum Nauarrum *loco citato*, apud Suarez *loco citato, num. 2.* apud Toletum *lib. 1. cap. 75.* & apud alios præcitat. Doctores. Ratio est, tum quia occidens priuatim alium sine culpa, inquit Couarruuias, non incurrit irregularitatem, sed occidens alium ad defensionem rerum suarum occidit sine culpa, vt patet ex dictis *de homicidio*; ergo non incurrit irregularitatem: occidens verò publica auctoritate fit irregularis ex defectu, quamuis occidat sine peccato, nam ipsius homicidium est voluntarium: tum quia irregularitas non incurritur, occidendo ad defensionem vitæ; ergo neque incurritur, occidendo ad defensionem bonorum externorum, quæ suo modo sunt necessaria ad vitam: tum quia irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressa, in iure autem non est expressa irregularitas contra eum, qui alterum occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad defensionem vitæ, rerumque suarum: tum quia ad hoc facit *cap. quia te. dist. 50.* & alia iura quibus hoc idem cõprobat Suarez *n. 12.*

Obiicies, *cap. interfecisti, & cap. significasti. de homicidio*, habetur homicidas esse irregulares, & *Clementina, si furiosus*, excipitur solùm ab irregularitate occidens ad sui defensionem; ergo occidens alterum ad defensionem rerum suarum non euadit notam irregularitatis.

Respondeo, priora illa iura intelligi de occidente priuata auctoritate cum peccato mortali, seu non seruato moderamine inculpatæ tutelæ. In Clementina verò, *si furiosus*, nihil contra nos habetur, nam ibi tantùm expressè dicitur, illum non esse irregularem, qui occidit ad vitæ suæ defensionem, non verò dicitur, illum esse irregularem, qui occidit ad defensionem rerum suarum: argumentum autem à contrario sensu non valet in materia pœnali, & odiosa, præsertim irregu-

regularitatis, quæ non incurritur, nisi sit in iure expressa. Ita Filliucius *quæst.7.&* 8. Suarez *loco cit.nu.5.* & alij DD. pro nostra sententia relati *in 2. propositione*, vbi etiam aliis textibus respondent.

TERTIA PROPOSITIO.

11 An liceat occidere inuasorem proximi.

11 OCcidens inuasorem proximi cum moderamine non incurrit irregularitatem. Ita Petrus Nauar. *lib.2.c.3.num.*409. Couarruuias *loco cit.n.5.folio mihi* 597. Lessius *loc.cit.* Molina *loco cit.nu.7.* ex parte Suarez *disp.46.sect.3.* Reginaldus *tom.2.lib.2.cap.5.num.60.folio* 262. Coninchus *num.88.concl.2.&3.* & Emanuel Sa *verb.Irregularitas num.2.* Filliucius *n.106.&seqq.* contra Nauarrum *n.213.* Auilam *loc.cit.dub.4.* Maiolum *lib.5.c.48.* Vgolinum *c.32.nu.2.* Toletum *lib.1.cap.76.nu.1.* & alios. Ratio Couarruuiæ est, tum quia ad incurrendam irregularitatem ob priuatum homicidium requiritur culpa homicidij; in hoc autem casu non adest culpa homicidij, cùm licitum sit vim vi repellere, non solum ad propriam defensionem, verùm etiam ad defensionem proximi, & extranei, vt constat ex dictis de homicidio: tum quia percutiēs, vel occidens Clericum ad defensionem proximi, etiam extranei, non incurrit excommunicationem, vt communiter tradunt DD. cum Innocentio *in cap.si verò. de sententia excommunicationis*; ergo neque fit irregularis occidens alium ad defensionem proximi; licitum enim est in hoc casu argumentari à simili, cùm ista irregularitas non incurratur sine peccato, sicut neque incurritur excommunicatio: tum quia ista irregularitas non est in iure expressa; irregularitas autem non incurritur, nisi sit in iure expressa.

12 An sit irregularis, qui occidit inuasorem eius, quem tenetur defendere.

12 Hinc potiori ratione sequitur primò, contra Vgolinum *loc.cit.* illum non esse irregularem, qui cum moderamine occidit alium defendendo proximum, quem tenetur defendere, vt defendendo Principem, vel aliam personam publicam, vel patrem, vxorē, filium, &c. modò illos teneatur defendere alia ratione, quam ratione muneris suscepti, sicut tenetur iudex, quem constat fieri irregularem inferendo mortem alicui ratione muneris suscepti, vt patet ex supradictis, [*punct.3.ad finem.*] vbi rationem differentiæ attuli. Ita Molina *loco cit. num.7.* Suarez *loco citato, sect.3.num.3.* Filliucius *num.159.* Reginald. *num.109.* & alij.

13 An sit irregularis, qui tradit arma alicui inuaso ad se defendendum.

13 Secundò sequitur, illum non esse irregularem, qui tradit arma alicui inuaso ad se defendendum, & inuasor occiditur ab inuaso cum moderamine inculpatæ tutelæ, quamuis contrarium sentiat Vgolinus *loco cit.§.6.num.2.*

Obiicies contra propositionem. In Clementin. *si furiosus*, ab irregularitate solùm excipitur occidens alium ad vitæ suæ defensionem; ergo occidens alium ad defensionem proximi fit irregularis.

Respondeo primò, Clementinam illam intelligendam esse de occidente alterum voluntariè cum peccato mortali, quod non accidit in nostro casu.

Secundò, Clementinam asserere illum non esse irregularem, qui occidit alterum ad defensionem vitæ suæ, non verò asserere, illum esse irregularem, qui occidit alterum ad defensionem vitæ proximi. Quare ex illa Clementina non debemus inferre, occidentem alterum ad iustam proximi defensionem, incurrere irregularitatem, cùm ista irregularitas non fit in Clemētina, vel in alio iure expressa, nec valeat argumentum à contrario sensu in hac materia, vt dixi *nu.10.* Ita Suarez *loco cit.n.5.* & alij.

Circa dicta in hoc puncto aduertendum est cum Vgolino *loco cit.* Maiolo *lib.5.cap.48.num.11.* Henriquez *lib.14.cap.10.numer.2.* Reginaldo *lib.30.num.112.* eum qui alterum occidit ad sui defensionem, in foro externo, non præsumi hoc fecisse ad sui defensionē, nisi probet; nam habet præsumptionem contra se, quia homicidium, & mutilatio ex sua natura mala sunt, & delicta; in delictis autem præsumitur dolus, *cap.1.de præscript.* Quare homicida non debet ad ordines promoueri, vel susceptos exercere, antequam à iudice declaretur, vel potius ab Episcopo (ad Episcopum enim pertinet ferre iudicium an defensio necessaria fuerit, & seruatum sit moderamen, vt ex Cardinalium declaratione probat Suarez *disp. 46.sect.1.num.7. vers. secundò*, Filliucius *num.136.* & alij DD. cit.) homicidium causa defensionis patratum esse; alioquin incurritur scandali periculum, vt ait idem Vgolinus *loco citat.* cum Maiolo *lib.5.cap.48.num.6.* vbi etiam ostendit, quomodo probetur homicidium patratum fuisse causa defensionis.

Dixi, *in foro externo*, nam in foro conscientiæ standum est iudicio prudentis viri qui iudicium ferre poterit inspectis regulis, & conditionibus traditis initio huius puncti: quamobrem qui homicidium commisit, & iudicio docti, & prudentis iudicatur non contraxisse irregularitatem, non tenetur abstinere ab ordinibus, vel ab ipsorum vsu, vt benè Suarez *disputat.45.sect.5.numero 9.* Filliucius *numero 63.* contra Maiolum *lib.5.cap.48.§.3.num.3.&4.* apud Suarez *loco cit.*

PVNCTVM VII.

De irregularitate proueniente ex homicidio casuali.

1 Quotuplex sit homicidium casuale.

1 NOtandum est cum Caietano 2.2. *quæst.64. art.8.* Salonio *ibidem*, Sayro *lib.7.cap.5.nu.2.* Suarez *disp.45.sect.6.num.1.* Filliucio *tract.20.cap.3.initio*, & aliis communiter, homicidium casuale dupliciter dici: aliud dicitur simpliciter, & omninò casuale; aliud non simpliciter, nec omnino casuale. Homicidium non simpliciter, nec omninò casuale dicitur illud quod licet directè sit casuale, nihilominus indirectè, & simpliciter est voluntarium. Homicidium omninò casuale dicitur, quod non est volitum directè, vel indirectè in se, vel in causa. Vnde homicidium commissum in ebrietate quod non fuit præuisum ante ebrietatem, dicitur omninò casuale, eò quòd non sit volitum in se, nec in causa. Non in se, quia quando committitur homicidium, ebrius non vtitur vsu rationis, sine quo non subsistit voluntarium in se. Neque est volitum in causa, eò quòd ebrius, quando se dedit ebrietati, non præuiderit secuturum homicidium. Homicidium igitur in ebrietate commissum, & non præuisum dicitur casuale, quamuis ebrius mortaliter peccauerit se inebriando. Si verò homicidium præuisum fuit ante ebrietatem, videndum est, an ebrius præmiserit debitam diligentiam ad præcauendum homicidium, vel non. Si non præmisit debitam diligentiam ad homicidium præcauendum, homicidium censetur voluntarium in causa. Si verò debitam præmisit diligentiam, e.g. curando aliquos sibi assistere tempore ebrietatis qui homicidium impedirent, vel arma auferrent, quæ pertractare consueuerat in ebrietate, homicidium postea sequens non censetur voluntarium, sed casuale. Idem dicendum est de dormiente, vt bene argumentatur Suarez *loco cit. sect.6. num.* 1. Molina *tom.4.tract.3.disp.71.&77.* Reginald. *num.95.*

His positis duo principaliter quæremus in hoc puncto.

Primò vtrùm homicidium ominò casuale inducat irregularitatem.

Secundò, vtrum eam saltem pariat homicidium non omninò casuale.

PRIMA PROPOSITIO.

2 An homicidium omninò casuale inducat irregularitatē,

2 HOmicidium omninò casuale, quod non est volitum in se, nec in causa, non inducit irregularitatem. Hęc propositio constat ex *cap.lator*, & ex *cap.dilectus, de homicidio.* Ratio est, quia homicidium, quod nullo modo est peccaminosum, aut voluntarium, non inducit irregularitatem: sed homicidium omninò casuale nullo modo est voluntarium, voluntarium enim est à principio cognoscente singula, vt ait Aristoteles; ergo homicidium omninò casuale non inducit irregularitatem. Ita Suarez *loc.cit.num.9.* Salonius 2.2. *quæst. 64.art.8.controuer.1.conclus.4.* Molina *loco citat.disputat.71.num.1.& disputat.77.num.2.* Auila, & Henriquez *loc.cit.* Valentia *tom.4.disp. 7.quæst.19.punct.3.pag.mihi* 1443. Filliuc. *n.54.* & alij communiter, teste Suarez *sectione 5.num.2.* & aliis.

3 An homicidium cōmissum ab ebrio, vel amēte, irregulari, tatem inducat.

3 Hinc sequitur primò, homicidium commissum ab amente, vel furioso non habente tunc temporis lucida interualla cum perfecta libertate sufficiente ad peccatum mortale, non inducere irregularitatem. Ita DD. cit.

4 Quid si committatur à dormiente.

4 Secundò, homicidium commissum ab ebrio, vel dormiente, qui non præuidit illud secuturum, non inducere irregularitatem, censetur enim omninò casuale, & hoc videtur verum, etiamsi homicidium in somnis secutum fuerit, eò quòd homicida malè affectus esset ante somnum cōtra occisum, ob idque illum in somnis occiderit. Hoc tamen intelligitur, modò non esset consuetus quid simile facere in somnis, nec præuiderit secuturum homicidium. Quare prauus ille affectus non cēsetur causa proxima huius homicidij, sed per accidens: modò homicida non haberet consuetudinem similia faciendi, nec præuiderit secuturum homicidium. Ita Molina *loc.cit.num.4.* vbi citat Castrum, Couarruuiam, & Nauarrum, contra Paludanum *in 4.dist.32.quæst.1.art.2.*

5 An homicidium cōmissum ab infante inducat irregularitatē.

5 Tertiò, homicidium commissum ab infante, rationis vsu carente, non gignere irregularitatem: homicidium verò commissum ab infante capace doli, id est, habente rationis vsum sufficientem ad mortale peccatum, inducere irregularitatem, vt benè Syluester *verb. Homicidium*, 3. *quæsito* 1. Sanch. *in summa lib.1. cap.12.num.8.* Nauar. *cap.27.num.230.* Molina *loco cit.* & alij. Ratio est, quia occisio in huiusmodi infante est voluntaria, cùm adsit sufficiens rationis vsus ad mortale peccatum: occisio autem volūtaria inducit irregularitatem, sicut etiam inducit excommunicationem, quando fit contra Clericum, vt benè Sanch. *loc.cit.* & alij. Si verò detur casus, vt puer non habens plenum rationis vsum sufficientem ad peccatum mortale occidat alterum, non incurrit irregularitatem occidendo, etiamsi puer sit maior septennio, vt benè Auila *part.7.disp.6.sect.1. dub.13.concl.2.* Molina *loco citat.* contra Hostiens. *cap.1. de delict. puerorum.* Ratio est, quia huiusmodi homicidium non censetur voluntarium, nec imputatur ad culpam, consequenter nec imputati debet ad pœnam irregularitatis.

Addunt aliqui DD. puerum maiorem septennio, de quo dubitatur, an habeat plenum rationis vsum, non esse censendum irregularem ob homicidium ab ipso commissum, nam in dubio præsumendum est in fauorem pueri possidentis suam libertatem. Ita Henriquez *lib.24.cap.3.num.4.* Auila *loco cit.concl.3.* & alij.

Sed contrarium nobis dicendum est, vt patet ex dictis *de sponsalibus, & in tractatu de Legibus, quæst.1.punct.3.* cum Sanchez *loco cit.n.13. & de matrimonio lib.1.disp.6.* & aliis. Ratio est, quia puer post septennium præsumitur habere rationis vsum, & consequenter afficitur irregularitate proueniente ex delicto, nisi fortè excusetur ob probabilem ignorantiam, iuxta supradicta de causis excusantibus ab incurrendis censuris, cum Nauarro, & Sanchez.

SECVNDA PROPOSITIO.

6 An homicidium, quod non est omninò casuale, pariat irregularitatem.

6 HOmicidium, quod non est omnino casuale, sed volitum in causa, seu implicitè voluntarium, inducit irregularitatem. Ratio est, quia huiusmodi homicidium est sufficienter voluntarium, & peccaminosum mortaliter; homicidium autem voluntarium, aut peccaminosum mortaliter inducit irregularitatem. Ita Salonius *loco citat.concl.5.* Filliucius *num.53.* Suarez, Auila, Henriquez, & alij *locis citatis.*

7 An homicidium voluntatiū inducat irregularitatem.

7 Hinc patet primò à fortiori, homicidium inducere irregularitatem, quando est voluntarium in se, & directè, id est, cum aduertentia, & deliberatione, ex industria, & ex proposito, vt patebit ex *sequenti puncto.*

8 An dans operam rei illicitæ, aut licitæ, sit irregularis secuto homicidio.

8 Secundò, dantem operam rei licitæ, vel illicitæ, non esse reum homicidij, aut irregularitatis, si debitam diligentiam adhibuit, ne sequeretur homicidium; irregularitas enim non incurritur ex homicidio, nisi homicidium sit voluntarium, aut peccaminosum: homicidium autem non est voluntarium, nec peccaminosum, quando adhibita fuit debita diligentia, ne sequeretur. Ita cōmunior DD. sententia, contra Sylueſtrum *verb. Homicidium* 2. Toletum, & alios apud Suarez

Suarez *loco cit. num.*1. & apud Filliuc. *num.* 64. asserentes, illum esse irregularem, qui aliquem occidit, dum rei illicitæ daret operam.

9 Quid si res illa erat periculosa homicidij.

9 Sed maior difficultas est, vtrùm dans operam rei illicitæ periculosæ homicidij secuto homicidio sit irregularis. In qua difficultate duplex saltem est DD. sententia.

Prima est Suarez *disp.* 45. *sect.* 6. *nu.* 12. Sayri *lib.* 7. *cap.* 5. *nu.* 13. Auilæ *part.* 7. *disp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 1. Molina *disp.* 77. *num.* 5. Vgolini *de irregularitate, cap.* 18. §. 1. *num.* 9. Nauarri *cap.* 27. *num.* 237. Toleti *lib.* 1. *cap.* 77. & 78. & aliorum asserentium esse irregularem. Ratio est, tum quia eo ipso, quo quis dat operam rei illicitæ periculosæ, censetur velle homicidium inde sequens; consequenter homicidium censetur voluntarium, & inducere irregularitatem: tum quia hoc videtur expressum *in cap. tua nos, de homicidio.*

Secunda sententia est Lessij *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 16. P. Nauarri *lib.* 2. *de restitutione, cap.* 3. *num.* 362. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 16. *num.* 1. Suarez ex parte *num.* 3. Filliucij *num.* 70. quamuis *num.* 77. dissentire videatur, & aliorum apud Salonium *loc. cit. controuersia* 3. & apud Suarez *loc. cit. num.* 4. negantium, dantem operam rei illicitæ periculosæ, esse irregularem, si debitam adhibuit diligentiam, ne sequeretur homicidium. Ratio est. Primò, quia huiusmodi homicidium non est voluntarium; non enim est voluntarium in se, vt suppono, eò quòd committatur eo tempore quo non adest aduertentia illius, vt supono. Neque est voluntarium in causa per hoc, quòd voluntariè detur opera rei illicitæ periculosæ, nam periculum tollitur, & purgatur per sufficientem diligentiam quæ facit, vt homicidium non dicatur voluntarium. Quare si est voluntarium maximè, quia non est adhibita debita diligentia, ne sequeretur; sed adhibita est, vt suppono, debita diligentia; ergo non est voluntarium, consequenter non inducit irregularitatem. Secus dicendum est, si fuit omissa debita diligentia cum peccato mortali. Secundò, quia consecutio homicidij censetur inuincibiliter ignorari, si fuit adhibita sufficiens diligentia, ne sequeretur; ignorantia autem inuincibilis homicidij, seu facti excusat ab irregularitate, vt patet ex dictis de causis excusantibus à censuris.

Hæc secunda sententia mihi probatur, addita duplici limitatione.

Prima est, vt excipiamus aliquos casus, in quibus videtur imposita irregularitas ob actionem periculosam homicidij, quauis diligentia adhibita.

Primus casus est *in cap. vltimo, de homicidio in 6.* vbi mandans alterum percuti afficitur irregularitate, secuta morte, vel mutilatione, etiamsi expresè imposuerit mandatario, ne lethaliter vulneraret. Ita Suarez *disp.* 45. *sect.* 2. *num.* 3. & alij DD.

Secundus casus est *in cap. tua nos, de homicidio.* vbi irregularis declaratur Monachus, qui omni adhibita diligentia aperuit apostema in gutture mulieris, quæ postea mortua est. Ita Suar. *loc. cit. nu.* 10. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 7. Filliucius *cap.* 3. *quæst.* 8. & de hoc casu nos suprà locuti sumus, cùm nobis sermo esset *de irregularitate*, quę contrahitur ob exercitium chirurgiæ, vel medicinæ, non seruata regula artis.

Secunda limitatio est, vt dicamus non incurri irregularitatem, quando datur opera rei periculosæ, ex qua rarò mors contingit; secus quando datur opera rei illicitæ periculosæ, ex qua solet mors vtplurimum sequi, tunc enim incurritur irregularitas secuta morte, vel mutilatione, quia non videtur sufficiens diligentia adhiberi, ne sequatur mors quoties datur opera rei illicitæ periculosæ, ex qua mors vtplurimum sequi solet; propterea qui ignem admouet bombardæ in eo loco, vbi magna est hominum multitudo, aut qui vult arcem euertere, non videtur excusandus ab irregularitate secuta morte, vel mutilatione, nam istæ actiones ita sunt periculosæ mortis, vt ex eis saltem vtplurimum mors sequatur. Ita Medina 2. 2. *quæst.* 63. §. 8. Salonius *loc. cit.* & alij.

Ad rationem primæ sententiæ patet responsio ex nostra ratione.

Ad cap. *tuas nos. de homicidio.* vbi habetur, Monachum peritum chirurgiæ, qui omni adhibita diligentia ex præscripto artis aperuit apostema in gutture mulieris, quæ ex ea curatione mortua est, incurrisse irregularitatem.

Respondeti potest primò cum Lessio *loc. cit. num.* 105. & aliis, aut Monachum illum non adhibuisse debitam diligentiam, quamuis ipse crediderit se illam adhibuisse, aut declaratum fuisse irregularem, eò quòd Monachus, & Religiosus in foro exteriori præsumatur non esse peritus chirurgiæ, vnde non sequitur illum esse irregularem, qui debitam adhibuit diligentiam in opere periculoso, nisi fortè opus sit ex sua natura periculosum homicidij, & ex eo vtplurimum mors sequatur. Ista responsio aliquibus non valdè probatur, nam videtur contra ipsum textum, in quo dicitur Monachum adhibuisse omnem, quam debuit, diligentiam.

Secundò responderi potest, hunc casum esse specialiter expressum in iure, & consequenter excipiendum à doctrina generaliter tradita, vt patet ex prima limitatione. Ita Suarez *loco cit.* Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disput.* 32. *num.* 15. & alij.

Ex doctrina in præcedentibus propositionibus tradita quàm plurimorum casuum inferri potest solutio.

10 An conficiens gladios sit irregularis.

10 Primò conficientem gladios, quibus aliqui postea occiduntur, non fieri irregularem, nam conficiens gladios censetur causa tantummodò remota mortis, quæ non debet illi ad irregularitatem imputari, (quamuis fortè peccauerit illos conficiendo, exempli gratia, conficiendo illos in die festo, aut contra prohibitionem superioris,) quia mors inde sequens, respectu conficientis gladios censetur omninò casualis. Ita Molina *tom.* 4. *disput.* 77. *num.* 10. Vgolinus *cap.* 18. §. 1. *num.* 6. vbi citat Alphonsum à Castro, & alios. Suarez *disput.* 45. *sect.* 3. *num.* 5. *vers. Iam verò*, Filliucius *tract.* 20. *cap.* 4. *quæsito* 6. *num.* 104.

Hinc patet, quid dicendum sit de fabricantibus chartas lusorias, quarum occasione aliqui inter ludendum interficiuntur, de quare Suarez *disp.* 45. *sect.* 6. *num.* 5.

11 An aromatarij cõficientes

11 Secundò aromatarios conficientes medicinas, ex rebus corruptis irregulares esse, si hac de causa sequitur mors infirmi, censentur enim dare causam periculosam homicidij. Ita Vgolinus *cap.* 19. *nu.* 1. Suarez, Filliucius, & alij *locis citatis.*

medicinas ex rebus corruptis sint irregulares.

12 Tertiò eum, qui præbet, aut consulit, aut tradi mandat aliquid infirmo contra Medici præceptum, fieri irregularem, quoties infirmus ex illius rei traditione perit, aut notabiliter ipsius mors acceleratur, etiamsi hoc faciat titulo pietatis, ne infirmus tamdiu patiatur, nam exercet opus illicitum periculosum homicidij. Ita Nauarr. *nu.* 228. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 13. Auila *loc. cit. dub.* 8. Henriq. *cap.* 15. *num.* 5. Vgolinus *cap.* 11. §. 3. *num.* 4. Molina *loc. cit. num.* 7. Salonius *loc. cit. controuersia* 1. *concluſ.* 4. & alij, quos supra retuli *p.* 5. *num.* 2.

12 An præbens aliquid infirmo sit irregularis, si mors sequatur.

Aliqui tamen existimant, non fieri irregularem, quando mors ita parum acceleratur, vt pro nihilo reputetur. Ita Henriquez *loco cit.* Auila *part.* 7. *disput.* 6. *sect.* 1. *dub.* 8. & alij, quorum sententiam non improbo. Verum tamen est, eum non fieri irregularem, qui tradit aliquid infirmo bona fide, vel ex præscripto periti Medici, aut qui tradit aliquid, quod non est vetitum infirmo, nec dubitat nociturum, aut qui reuoluit infirmum in lecto, non vt citiùs pereat, sed vt facilius somnum, quietem, vel cibum capiat, etiamsi mors ex aliqua culpa acceleretur, modò non sit culpa lata, seu negligentia notabilis, id est, modò reuoluens eam adhibuerit diligentiam, quam communiter adhibent homines illius professionis. Ita communiter DD. teste Suarez *disput.* 47. *sect.* 7. *num.* 3. & Vgolino *cap.* 19. §. 3. Quado autem dubitatur, an mors ipsius causa secuta sit, adeundus est Medicus, vel alius vir prudens, cuius iudicio, & consilio standum est, nec facilè admittendi sunt scrupuli in hac materia. Ita Vgolinus *loco cit.* Henriquez *lib.* 14. *cap.* 15. *num.* 5. Sayrus *loc. cit.* & alij.

13 An sit irregularis extrahens sagittam è vulnerato, si pereat.

13 Quartò, eum non incurrere notam irregularitatis, qui cautè, & secundum regulas artis extraxit sagittam è vulnerato, ex cuius extractione vulneratus mortuus est. Ratio est, quia seruando regulas artis censetur sufficientem adhibuisse diligentiam in opere periculoso, ne sequeretur homicidium. Ita Nauarr. *num.* 229. Sayrus *loc. cit. num.* 14. & alij. Item cædens ligna in die festo, si fortè inter cædendum securi è manibus excidente aliquem occidit, non est irregularis, quamuis dicatur opus illicitum exercere, vtpotè prohibitum in die festo: nam illud opus non censetur periculosum homicidij, consequenter non est sufficiens ad inducendam irregularitatem, quidquid dicant Toletus *lib.* 1. *cap.* 86. & alij.

14 An magister verberans discipulũ sit irregularis, morte secuta.

14 Quintò magistrum verberantem discipulum, excedendo modum percussionis, & non adhibendo debitam diligentiam, ne sequatur mors, vel mutilatio, fieri irregularem, vt accidit, quando proiicit aliquid in caput, vnde illi oculum eruit, aut quando calce ventrem percutit, & inde mors sequitur, *cap. presbyterum. & cap. ad audientiam. de homicidio.* Ita Nauarr. *num.* 235. Vgolinus *cap.* 20. *num.* 12. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 14. *num.* 4. Molina *loc. cit. num.* 6. Auila *loc. cit. dub.* 3. Sayrus *loc. cit. num.* 2. Filliucius *num.* 56. Suar. *disp.* 45. *sect.* 5. *nu.* 2. Reginald. *lib.* 30. *cap.* 12. & alij.

15 An iudex sit irregularis, si præcipiat reum verberari iuxta leges.

15 Sextò, iudicem non esse irregularem, si licitè præcipit, reum verberari iuxta leges, quæ leuem imponunt percussionem, minister verò adeò excessit in verberibus inferendis, vt ratione illius excessus reus mortuus sit. Idem dicendum est, quando iudex Ecclesiasticus præcepit iudici sæculari, vt puniret Titium delinquentem, modò delictum non mereatur mortem, vel mutilationem secundùm iura. Ratio est, quia mors, vel mutilatio sequens non imputatur iudici Ecclesiastico, cùm respectu illius censeatur casualis. Ita Vgolinus *tract. de Irregular. cap.* 15. §. 6. Auila *loc. cit. disp.* 4. *dub.* 3. & 4. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 8. Henriquez *loc. cit. cap.* 14. *num.* 5. Filliuc. *num.* 95. Suar. *disput.* 45. *sect.* 2. *num.* 4. Reginald. *lib.* 30. *num.* 125. & alij.

16 An leuiter vulnerans sit irregularis, si vulneratus pereat ex iniuria medici.

16 Septimò, eum excusari posse ab irregularitate, qui alteri inflixit vulnus leue, & non lethale, ex quo vulneratus conualuisset absque alia cura, vel saltem cum modico medicamine, sed vulneratus ex sua intemperantia, aut ex incuria Medicorum ex hac vita decessit. Ita Caiet. *loco suprà cit. art.* 8. Sotus 5. *de iustitia art.* 9. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 16. Suarez *disp.* 45. *sect.* 6. *num.* 19. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 15. Vgolinus ex *parte cap.* 14. §. 2. *num.* 8. Salonius *loc. cit. controuersia* 1. *concluſ.* 2. Filliucius *num.* 83. Reginaldus *num.* 164. Couarruuias *in Clement. si furiosus part.* 2. §. 2. *num.* 9. & alij, contra Nauarrum *cap.* 27. *num.* 223. Sylueſtrum *verb. Homicidium* 2. *quæsito* 22. Auilam *part.* 7. *disput.* 4. *sect.* 1. *dubio* 5. Henriquez *loco cit. num.* 4. & alios. Ratio est, quia huiusmodi vulnus non censetur causa proxima mortis, sed remota, & occasio tantùm. Ad cognoscendum verò, vtrùm vulneratus mortuus sit ex vulnere, vel ex alia causa, standum est iudicio iudicis, seu periti hominis.

Hinc patet, patrem non esse irregularem si leuiter percussit, seu vulnerauit filium, & filius mortuus est ex imperitia, vel negligentia Medici, vel ex malo regimine, vel etiam ex febri superueniente. Ita Vgolinus *cap.* 16. §. 6. Henriquez *loco citato, num.* 4. *in commentario littera C.* Auila *loco citato concl.* 4. Idem dici potest de eo, qui patri dedit consilium verberandi filium. Vide Vgolinum *loco citato.*

17 An sit irregularis, qui dat alicui mandatum occidendi, sed occiditur ipse mandatarius.

17 Octauò, illum non esse irregularem in foro conscientiæ, iuxta Henriquez *lib.* 14. *cap.* 16. *num.* 1. *littera K.* vbi citat Hostiensem, Speculatorem, & alios; qui mandauit, vel consuluit Titio occidere Caium, sed accidit, vt Titius ipse occisus fuerit à Caio. Ratio, inquit Henriquez, est, quia mors Titij censetur casualis, respectu mandantis, vel consulentis, qui non videtur cooperatus ad mortem Titij, nec videtur imposuisse opus periculosum mortis Titij. Et hoc videtur verum, præsertim, inquit Henriquez, si consulens, vel mandans non præcogitauerat secuturam mortem, aut verisimiliter credere poterat, mortem Titij non secuturam. Sententia Henriquez non videtur improbabilis, nihilominus probabilior, & tutior est opposita sententia Couarruuiæ, Nauarri, & aliorum apud Sayrum *cap.* 2. *num.* 12. Vgolinum *cap.* 16. *num.* 8. Suarez *disp.* 44. *sect.* 3. *num.* 18. & *disp.* 45. *sect.* 2. *num.* 6. Filliucium *num.* 98. & 35. Molinam *tom.* 4. *disp.* 32. *nu.* 2. Auilam *part.* 7. *disp.* 3. *sect.* 2. *dub.* 5. *concl.* 4. & Reginald. *lib.* 30. *num.* 126. Ratio est, quia videtur mandasse, vel consuluisse opus periculosum mortis, vt experientia docet, non adhibita sufficienti diligẽtia ad præcauen-

cauendam mortem mandatarij; tum quia hic casus videtur expressus *in cap. vlt. de homicidio.*

Addunt aliqui DD. [quos tacitè innuit Suarez *loco* statim *citando,*] illum non esse irregularem, qui consilium dedit alteri, vt illicitè, & temerè se exponat periculo mortis, e. g. intret duellum, insidias tendat inimico, &c. ex quo sequitur mors ipsius, cui datum est consilium. Ratio istorum est, tum quia iura loquuntur de eo, qui dat consilium occidendi; non verò de illo, qui dat consilium se exponendi tali periculo: tum quia mors inde sequens videtur casualis respectu consulentis: tum quia hoc peccatum non videtur peccatum homicidij contra iustitiam, cùm scienti, & volenti non fiat iniuria.

Sed oppositum mihi probabilius videtur. Ratio est, quia dans consilium alteri, vt se occidat, est irregularis secuto homicidio; ergo etiam videtur irregularis dans consilium alteri, vt se exponat periculo mortis absque iusta causa, [quamuis hæc dicatur irregularitas homicidij casualis:] tum quia peccat contra iustitiam peccato homicidij, saltem respectiuè ad rempublicam, cui fit iniuria, vt patet in eo, qui occidit, vel mutilat aliquem consentientem, & in eo, qui seipsum tanto periculo exponit, abutendo vita sua. Ita communiter Doctor. teste Suarez *disp.* 44. *sect.* 3. *num.* 18. & alij [communiter, teste Suarez,] quos in simili retuli de restitutione.

Ex quo vlteriùs patet, illum esse irregularem, qui dolosè, & absque bona fide dedit alteri consilium transeundi per quamdam viam, in qua nouerat adesse ipsius inimicos tendentes illi insidias, vel qui dedit consilium transeundi per flumen periculosum, &c. Vide Vgolinum *cap.* 16. *num.* 5. Maiolum *lib.* 5. *cap.* 48. §. 2. & Sayrum *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 10.

18 An sit irregularis, qui inter dormiendū occidit infantem.

18 Nonò, illum esse irregularem, qui inter dormiendum interemit infantem in lecto, eò quòd non adhibuerit debitam, & sufficientem cautionem præscriptam in tenendo infantulo in lecto: nam voluntariè dedit operam rei illicitæ periculosæ, non adhibita sufficienti diligentia ad præcauendum homicidium. Ita Vgolinus *cap.* 18. §. 2. *num.* 12. Suarez *disp.* 45. *sect.* 6. *num.* 15. Nauarrus *num.* 236. Filliucius *num.* 79. *& seq.* Reginaldus *lib.* 30. *cap.* 12. *num.* 157. & alij apud Sayrum *loco citato num.* 20.

19 An sit irregularis, qui proiicit lapidem in laicum, sed Titius occiditur.

19 Decimò, proiicientem lapidem in Titium, fieri irregularem, si lapis Titio illum declinante, concidit in Caium, illumque occidit: Titius verò declinando ictum lapidis non fit irregularis; cum vtatur iure suo declinando ictum, vt se ipsum seruet incolumem. Ratio, cur proiiciens lapidem in dicto casu sit irregularis, est, quia censetur actionē periculosam homicidij exercuisse absque sufficiēti diligētia, ne lapis ad Caium perueniret. Ita Molina *loco cit.* Vgolinus *loco cit.* §. 2. *nu.* 5. Sayrus *loco cit. cap.* 6. *nu.* 30. Reginaldus *lib.* 30. *nu.* 156. *&* 158. & alij. Secus dicendum videtur si debitam adhibuit diligentiam, & fortè fortuna lapis tetigit Caium, vt patet ex suprà dictis de ignorantia excusante à censuris. Ita Suarez *disp.* 45. *sect.* 6. *num.* 18. Filliucius *nu.* 81. Sayrus, & Molina *locis citatis*; quamuis contrarium sentiat Vgolinus *loco citato, num.* 12.

20 An sit irregularis, qui reficiēs tectum, tegula occidit transeuntem.

20 Vndecimò, illum esse irregularem, qui reficiendo tectum proiicit tegulam ex qua occiditur viator, (nisi monuerit, vel signum de more exposuerit; (vt patet ex sæpiùs dicta ratione, *& cap. ex litteris, & cap. lator. de homicidio.* nam in opere periculoso non censetur adhibuisse sufficientem diligentiam ad præcauendā alterius mortem. Ita Molina *loco citat.* Sayrus *loco citat. num.* 27. Vgolinus *cap.* 21. *num.* 5. Henriquez *loco citat.* Nauarr. *num.* 255. Reginald. *num.* 156. & alij communiter.

21 An sint irregulares, qui hyeme se petunt pilis niueis, si mors sequatur.

21 Duodecimò, illos, qui hyemali tempore se niueis pilis glacie confectis petunt, fieri irregulares, si inde contingat alteri oculum erui. Ita Vgolinus *cap.* 22. *num.* 4. Idem dicendum est de iis, qui lapidibus certant, aut gladiatoriam artem exercent, aut hastis inter se concurrunt absque sufficienti diligentia, ne mors, vel mutilatio sequatur. Ita Vgolin. *loco citat. num.* 5.

22 An saltans cum muliere grauida sit irregularis, si abortus sequatur.

22 Decimotertiò, saltantem cum muliere prægnante, saltatione consueta, & moderata, non esse irregularem, secuto abortu fœtus animati. Secus si vsus est saltatione immoderata, *cap. sicut ex litterarum. de homicidio.* Idem dic de percutiente, dedit enim operam rei illicitæ, & periculosæ abortus absque sufficienti diligentia ad abortum præcauendum. Ita Henriquez *lib.* 14. *cap.* 15. *num.* 4. Auila *dub.* 6. Vgolinus *loco citat.* Reginald. *cap.* 12. *num.* 156. Suarez *disp.* 45. *sect.* 82. *num.* 5. Molina ex parte *disp.* 77. *num.* 6. Idem dicendum est de eo, qui vtitur copula mulieris prægnantis, absque debita cautione, si mors fœtus animati inde sequatur: vt patet ex dicta ratione. Ita Suarez *sect.* 6. *num.* 11. Filliucius *num.* 75. Vgolinus *loco citat.* §. 2. *num.* 2. Maiolus *lib.* 5. *cap.* 48. §. 3. & alij.

Idem valet in casu *cap. continebatur. de homicidio,* vbi clericus falce occultè præcinctus declaratus fuit irregularis, eò quòd alter cum eo colludens falce vulneratus obierit: clericus enim non præsumitur debitam diligentiam adhibuisse ad præcauendum homicidium, quamquam in foro conscientiæ non est irregularis si re ipsa periculum nulla ratione præuidit. Ita Suarez *disput.* 45. *sect.* 5. *num.* 3. *ad finem,* Filliucius *num.* 57.

23 An sit irregularis insidens equo, qui fractis habenis aliquem occidit.

23 Decimoquartò, insidentem equo non esse habendum pro irregulari, quando equus fractis habenis puerum in via existentem conculcauit, & interfecit, mors enim censetur omninò casualis. Et hoc verum est, etiamsi insidens equo fortè sit Franciscanus, qui peccet equitando contra regulas suæ religionis, aut etiamsi equum conscenderit ad furandum, vt patet ex *cap. dilectus. de homicidio.* Ita Molina *loco cit. num.* 7. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 1. Vgolin. *cap.* 18. §. 1. & alij. Secus dicendum est de illo, cuius equus morsu, vel calcibus interfecit alterum non adhibita sufficienti diligentia ad hæc damna præcauenda. Ita Vgolin. *cap.* 11. *n.* 4. mors enim non censetur omninò casualis, cum ei nota esset equi natura, vel de illa dubium haberet, vt suppono.

24 An sit irregularis custodiens feram, quæ aliquem occidit.

24 Decimoquintò, illum non esse irregularem, qui domi diligenter custodit feram, quæ absque ipsius culpa soluta aliquem occidit. Ita Henriquez *loco citat. cap.* 15. *littera N.* Auila *dub.* 7. Reginaldus *num.* 153. Nauarrus, Couarruuias, & alij apud Sayrum *loco cit. nu.* 19. Secus dicendum est de eo, qui feram vinculis constrictam in platea detinet, quæ incautè accedentes occidit, nam in opere periculoso non censetur sufficientem adhibuisse cautionem, & diligentiam ad præcauendam mortem. Ita Molina *loco cit. num.* 6. Idem dicendum est de eo, qui canem in alium irritauit, & inde secuta est mors, vel mutilatio. Ita Vgolinus *cap.* 18. §. 2. *num.* 8.

25 An detegēs adulteriū mulieris sit irregularis, si mors sequatur mulieri.

25 Decimosextò, illum non esse irregularem, qui bona fide in conuentu hominum detexerit cuiusdam mulieris adulterium, quod postea ab vno illorum astantium delatum fuit ad virum adulteræ, quo audito vir mortem intulit vxori suæ adulteræ. Ratio est, quia illa manifestatio adulterij non videbatur periculosa homicidij, consequenter mors adulteræ non videtur imputanda primo manifestanti, qui non præuidit illam secuturam, quamuis Vgolinus *cap.* 22. *nu.* 14. oppositum sentiat. [Pari ratione non est irregularis, qui adulterium commisit cum femina, quæ adulterium detexit, ob idque à viro occisa fuit. Ita Filliucius *num.* 80. vbi asserit, hanc esse Pœnitentiarię Romanæ sententiam, quamuis Nauarr. *cap.* 27. *num.* 219. & alij oppositum sentiant.]

Hinc patet à fortiori, Caium non esse irregularem, qui detexit Titio in tali loco extare exules, quo audito Titius arripuit occasionem deferendi hoc ad iudicem, qui missis satellitibus exules in carcerem detrusit, eosque postea morti adiudicauit. Ratio est, quia mors illorum videtur casualis respectu Caij, qui nimis remotè videtur ad illorum mortem concurrisse. Ita Vgolinus *loco citat.* & Suarez *disput.* 40. *sect.* 3. *num.* 15. *&* 31. Qui verò retulit alicui iniurias illi ab alio illatas, videtur fieri irregularis, si affectus iniuriis occidit illatorem iniuriarum, & referens non adhibuit sufficientem cautionem ad illius mortem præcauendam, nam mors inde sequens non videtur casualis respectu referentis iniurias, cùm vtplurimum ex huiusmodi relationibus sequi soleant aliqua damna. Ita Vgolinus *cap.* 16. *num.* 9.

26 An sit irregularis, qui ioco terrorem alteri incutit, ex quo alter se præcipitat.

26 Vltimò, illum esse irregularem, qui ioco terrorem incutit alteri, estque causa, vt alter eo terrore commotus, & perterritus se det præcipitem. Idem dicendum est de incutiente terrorem mulieri grauidæ abortum facienti, quam terrefaciens sciebat grauidam esse, vt patet ex sæpiùs allata ratione. Ita Sayrus *loco cit. num.* 31. & in Claui Reg. *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 12. *num.* 28. Henriquez *loco citat. num.* 3. & alij communiter. Excusari tamen possunt pueri, qui se ioco perterrefaciunt probabiliter ignorantes mortem, vel aliud graue damnum inde secuturum. Ita Nauarr. *lib.* 5. *consiliorum de homicidio consilio* 7. Molina *loco cit. num.* 9. Sayrus *loco citat.* & alij. Eamdem excusationem mereri videntur, qui alios perterrefaciunt eo modo, ex quo non solet perturbatio, vel damnum sequi.

27 An requiratur peccatum mortale ad incurrendam irregularitatē ex homicidio non casuali.

27 Quæres quænam culpa requiratur ad incurrendam irregularitatem ex homicidio iniusto non omninò casuali.

Respondeo requiri culpam mortalem, vt suprà dictum est, [*quæst.* 1. *punct.* 2.] nam irregularitas videtur pœna; pœna autem debet proportionari delicto. Ita Suarez *disp.* 45. *sect.* 5. *num.* 8. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 5. Salonius 2. 2. *q.* 64. *artic.* 8. *contr.* 4. *ad finem pag. mihi* 421. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 19. *punct.* 3. *fol.* 1444. Filliucius *num.* 58. *&* 61. & alij suprà relati, contra Molinam *loco citat.* & alios, apud Sayrum, arbitrantes sufficere culpam venialem.

PVNCTVM VIII.

De irregularitate proueniente ex homicidio voluntario iniustè facto ab homicida, & eius cooperatoribus.

1 Quodnam dicatur homicidium voluntariū.

1 NOtandum primò, homicidium aliud dici casuale, aliud voluntarium.

Homicidium voluntarium dupliciter contingit. Primò absolutè, directè, & in se formaliter. Secundò indirectè, & secundum quid.

Voluntarium simpliciter dicitur illud, quod intenditur ab agente, propterea homicidium commissum à Titio intentione occidendi dicitur simpliciter, & directè voluntarium. Voluntarium indirectè, & secundum quid dicitur illud, quod licèt non intendatur in se directè, explicitè & in actu signato, nihilominus censetur, & reputatur intentum in actu exercito, eo quòd aliquid actu fiat per se, & immediatè ordinatum ad illum effectum. Vnde qui alteri venenum mortiferum propinat, vel punctim percutit circa præcordia, vel ense grauiter ferit in capite, non intendens mortem, censetur velle mortem indirectè, illamque intendere in actu exercito, vt benè Suarez *disput.* 44. *sect.* 1. *num.* 4. Filliucius *num.* 89. Toletus *lib.* 1. *cap.* 72. *num.* 10. Idem dicendum est de percutiente prægnantem, aut de illo, qui absolutè voluit percutere, non includendo, neque excludendo vsque ad occisionem, Toletus *num.* 14. Suarez *num.* 4. & alij.

2 Quomodo homicidium voluntarium differat a casuali.

2 Hinc patet differentia inter homicidium casuale, & voluntarium: nam homicidium casuale dicitur, quod non est formaliter intentum, nec reputatur iudicio prudentis tamquam formaliter intentum; vt accidit, quando quis percutit aliquem ea percussione, quæ non est apta ad mortem, sed forte fortuna accidit, vt percussus inter fugiendum appulerit in saxum, vel parietem, indeque fracto capite mortuus sit. Vide quæ dixi *quæst.* 2. *de homicidio, punct.* 4. cum Molina, Nauarro, Azorio, & aliis, quamus Emanuel Sà *verb. Homicidium num.* 4. Antonius Gomez 3. *var. cap.* 3. *num.* 15. Filliucius *tract.* 20. *cap.* 1. *q.* 2. & alij apud Suarez *disput.* 44. *sect.* 1. *num.* 3. existimant illud solum appellari homicidium voluntarium in iure Canonico, quod fit ex proposito, seu quod est per se, & directè intentum. Si verò fiat sine animo occidendi, etiamsi alioquin fiat talis actio, ex qua vtplurimum sequitur mors, putat appellari casuale, & hoc non videtur improbabile aliquibus aliis Doctoribus loquentibus de dispensatione quam circa irregularitatem homicidij non voluntarij, concedere potest Episcopus, iuxta Tridentini decretum *sess.* 14. *de reform. cap.* 7. *& sess.* 24. *cap.* 6.

Hinc patet, quandonam homicidium dici possit voluntarium, vel casuale

casuale respectu mandantis, vel consulentis; tunc enim est voluntarium, quando intenditur a mandante, vel consulente, aut etiã quando mandans mandauit aliquid, ex quo facilè sequi potest mors alterius. Vide Molinam *disp.* 35. Suarez *disp.* 45. *sect.* 2. *num.* 5. & Sayrum *lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 11. Filliucium *cap.* 4. *quæsito* 3. & 4.

Addo fieri posse vt homicidium respectu mandantis, vel consulentis sit voluntarium, respectu verò exequentis mandatum, vel consilium sit casuale, vel è contra, vt si mandans intendat mortem, mandatarius verò velit leuiorem iniuriam inferre, sed errore manus, vel alia de causa contigit lethale vulnus, vel è contra, vt bene Suarez *disp.* 45. *sect.* 2. *num.* 4. Filliucius *cap.* 2. *num.* 32. & alij.

3 Quodnã dicatur membrum.

3 Notandum secundò, membrum propriè dici partem illam corporis, quæ proprium habet officium, distinctum ab aliis partibus. Ita Bartolus *l.* 2. *ff. de publicis iudiciis*, Nauarr. *cap.* 27. *num.* 20. Couarr. *in Clem. si furiosus part.* 3. & alij, quos citat, & sequitur Molina *tom.* 4. *disp.* 69. *num.* 2. Auila *part.* 7. *disp.* 5. *sect.* 2. *dub.* 1. Suarez *de censuris disput.* 44. *sect.* 2. *num.* 6. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 71. Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 9. *num.* 235. Reginald. *lib.* 30. *num.* 91. & alij, contra Caiet. 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 1. Sotum 5. *de iustitia quæst.* 2. *art.* 1. & alios asserentes, illud esse membrum, quod habet officium disiunctum, vel coniunctum cum aliis membris, vt est digitus secundùm ipsos. Verùm secundùm nostram sententiam digitus, quamuis sit pollex, vel index, non est propriè membrum, sicut neque sunt vngues, dentes, testes, barba, capilli, articuli digitorum, nares, pars aliqua carnis, vel aliqua copia sanguinis, vel auricula, id est, cartilago illa externa, quæ tuetur aurem & ornat faciem. Idem dicendum est de mamillis virorum: cum non habeant actum proprium, & particularem, sed potius videantur ad hominis ornatum inseruire. Oculus verò, manus, pes, auris, membrum virile sunt propriè membra, cùm habeant peculiares actus distinctos à ceteris membris. Idem dicendum est de mamillis feminarum, eò quòd habeant proprium officium distinctum à ceteris: vt benè Vgolinus *de irregul. cap.* 4. §. 5. Molina *loc. cit. num.* 6. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 15. *nu.* 18. Reginaldus *nu.* 91. & alij, quamuis Couarruuias, Baldus, & alij non existiment mamillam feminæ esse membrum. His positis sit

PRIMA PROPOSITIO.

4 An occidens, vel mutilans sit irregularis.

4 HOmo baptizatus occidens, vel abscindens alterius membrum voluntariè simpliciter, vel secundùm quid, est irregularis secuta morte, aut mutilatione. Ita Couarruuias *Clement. si furiosus, citata*, vbi decem textibus hanc veritatem comprobat, & alij DD. communiter. Ratio est, quia homicidium, & mutilatio membri voluntaria inducit irregularitatem; ergo qui occidit, vel mutilat alterum voluntariè simpliciter, vel secundum quid, incurrit irregularitatem secuta morte, vel mutilatione.

Addo, non solùm homicidam, & mutilantem voluntariè simpliciter, vel secundùm quid, sed etiam casualiter, cum mortali culpa esse irregularem, vt constat ex puncto præcedente. Idem dic de eo, qui absque iusta causa sibi membrum amputat: hic enim re ipsa dicitur mutilatus nec minus delictum admittit mutilando se ipsum, quàm alium.

5 An mutilans membrum aridum sit irregularis.

5 Ex hac propositione colligi potest primò, mutilantem membrum alterius esse irregularem, etiamsi membrum debilitatum esset, vel aridum: modò mutilans non sit chirurgus, vel medicus, qui hoc faciat ex præscripto artis. Ita Suarez *disput.* 44. *sect.* 2. *num.* 11. Filliucius *num.* 16. & alij communiter, quamuis ipse Suarez oppositum sentiat de mutilante membrum omnino aridum, id est, mortuum, sed non informatum anima.

6 An debilitans brachium alterius sit irregularis.

6 Secundò, illum non esse irregularem, qui brachium alterius debilitat; hic enim non dicitur mutilare, vel occidere. Ita Toletus *lib.* 1. *cap.* 71. *num.* 3. Nauarr. *cap.* 27. *nu.* 207. & alij apud Toletum *loco cit.* apud Filliucium *num.* 11. & 234. & apud alios præcitatos DD. contra Maiol. & alios apud Sayrum *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 5. & apud Suarez *disp.* 44. *sect.* 2. *num.* 5. & 11.

7 An reddens aliquẽ cœcum sit irregularis.

7 Tertiò, illum non affici irregularitate, qui reddit aliquem cæcum non eruẽdo illi oculum, aut qui claudum aliquem reddit absque membri mutilatione. Ita cõmuniter DD. teste Molina *tom.* 4. *disp.* 68.

8 An abscindens alteri digitum sit irregularis.

8 Quartò, illum non esse irregularem, qui alteri digitum abscindit: nam digitus non est propriè membrum, vt probat Molina, contra Suarez *num.* 8. ex *l. item filius. ff. de adilitio edicto*, vbi digitus appellatur pars membri; sicut ergo iure ciuili digitus appellatur pars membri, ita etiam appellabitur iure Canonico: cùm ius Canonicum loqui soleat iuxta modum loquendi iuris ciuilis. Ratio est, quia digitus non habet distinctum officium, sed semper simul concurrit cum aliis digitis, vel cum alia parte manus, vel corporis, vt patet in actu pulsandi, in quo non vnus digitus, sed plures concurrunt.

9 An sit irregularis, qui abscindit maiorẽ membri partem.

9 Quintò, abscindentem maiorem membri partem, e.g. totam fere manum, fieri irregularem, quando pars, quæ remanet, exigua est, ac fere nihil respectu illius, quæ fuit abscissa. Hic enim moraliter censetur membrum abscindere. Ita Molina *disp.* 69. *num.* 2. Suarez *disput.* 44. *sect.* 2. *num.* 8. Filliucius *num.* 236.

10 An mutilans cadauer sit irregularis.

10 Sextò, mutilantem cadauer non incurrere irregularitatem. Ratio est, tum quia hæc non dicitur hominis mutilatio: tum quia hæc irregularitas non est in iure expressa. Ita Suarez *loco cit. num.* 11. & alij contra nonnullos alios.

11 An debilitans membrum alterius sit irregularis.

11 Rogabis primò, vtrùm qui non abscindit, sed debilitat, vel reddit inutile alterius membrum, fiat irregularis.

Respondeo negatiuè cum Nauarro *num.* 206. Vgolino *cap.* 4. §. 6. Auila *part.* 7. *disp.* 5. *sect.* 1. *dub.* 2. Molina *tom.* 4. *disp.* 68. Suarez *loco cit. num.* 6. Conincho *num.* 61. Reginaldo *lib.* 30. *num.* 93. Filliuc. *num.* 2. & aliis, contra Syluest. *verb. Homicidium* 3. *quæs.* 3. & alios apud Suar. *num.* 11. vt patet ex *cap. in Episcopatu. de raptoribus.* & ex *cap. Clericus, ne Clerici, vel monachi.* Ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressa; in iure autem solùm est expressa irregularitas ob homicidium, vel mutilationem; vt patet ex iuribus citatis. Qui verò debilitat membrum alterius, non dicitur occidere, vel mutilare: cùm mutilatio sit abscissio membri. Idem dicendum est de eo, qui alterum ita in oculo verberat, vt lumen amittat: hic enim non dicitur mutilare. Ita Riccius *in sua praxi decis.* 525. *num.* 3. contra nonnullos alios.

Obiicies. Paria sunt in iure non esse, & inutile esse: sed qui facit membrum non esse per abscissionem, fit irregularis; ergo etiam fit irregularis, qui facit illud inutile per debilitationem.

Respondeo paria esse, quoad operationem, non verò quoad effectum irregularitatis, quæ est materia odiosa, & non extendenda vltra casus in iure expressos.

12 An abscissus aliquando sit irregularis, non vero abscindẽs.

12 Rogabis secundò, vtrùm detur casus, in quo abscindens, vel occidens non sit irregularis; sit autem irregularis abscissus: & ex opposito, vtrum detur casus, in quo abscissus non sit irregularis; sit autem irregularis abscindens.

Respondeo affirmatiuè: nam qui abscindit alteri digitum, vel infligit vulnus in facie, etiam cum magna sanguinis effusione, non est irregularis, quia per ablationem digiti, vel infrictionem vulneris in facie non dicitur membrum auferre, vel mutilare; abscissus verò digito, aut deformiter vulneratus in facie, manet irregularis ob magnam, & ingentem deformitatem, vt patet ex supradictis. E contra verò amputans alteri membrum virile remanet irregularis: quia dicitur propriè membrum abscindere, quamuis ille, cui absque sua culpa membrum abscissum est, non maneat irregularis, *cap. ex parte* 1. *de corpore vitiatu*, & patet ex supradictis. Ita Vgolinus *cap.* 4. §. 7. Suarez *loco citato, nu.* 5. & 10. Molina *disput.* 69. *nu.* 3. & 9. Reginaldus *num.* 92. Filliucius *num.* 12. & 15. & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

13 An mandans hoc sit irregularis.

13 MAndans [expressè vel tacitè homicidium, vel mutilationem, reus est homicidij, vel mutilationis,] consequenter est irregularis, & tenetur ad restitutionem, nisi expressè, aut tacitè reuocauerit mandatum, & illius reuocatio innotuerit mandatario. Ita Syluester *verb. Homicidium* 1. *quæsito* 7. Nauarrus *num.* 233. Suarez *disput.* 44. *sect.* 3. *nu.* 7. Vgolinus *cap.* 15. §. 4. Azorius 3. *parte lib.* 2. *cap.* 8. Reginaldus *lib.* 30. *num.* 124. Filliucius *num.* 27. & *seqq.* Toletus *lib.* 1. *cap.* 80. & alij communiter [ex *cap. vlt. de homicid. in* 6.] Ratio est, quia mandans censetur causa efficax homicidij, & damni, damnum enim, & homicidium secutum non fuisset, si mandans mandatum non dedisset. [Secus dicendum est, si mandatum reuocatum fuit, & reuocatio innotuit mandatario; mandans enim censetur reuocasse influxum, reuocando mandatum expressè, vel tacitè.]

14 An mãdans sit irregularis, si pace inita sequatur homicidiũ.

14 Hinc sequitur primò, mihi non esse imputandum homicidium, quando mandaui Titio, vt occideret Caium, quem Titius occidit, postquam cognouit pacem, & familiaritatem inter me, & Titium initam ante secutum homicidium: nam mandatum censetur reuocatum eo ipso, quo Titius cognouit pacem, & familiaritatem inter me, & Caium initam. Quare homicidium sequens non videtur oriri ex priori mandato, sed ex malitia mandatarij. Ita Henriquez *cap.* 16. *nu.* 2. Sayrus *cap.* 12. *num.* 15. Filliucius *num.* 29. Vgolinus *loco cit.* §. 5. vbi satis probabiliter contra Suarez [*loco cit. num.* 8.] dicit mandantem non teneri ex iustitia admonere occidendum, vt sibi caueat, dum preuidet, mandatarium, facta mandati reuocatione, adhuc velle mandatum exequi: nam partes suas egit reuocando mandatũ impositum.

15 Quid si mandatarius nesciat initam esse pacem.

15 Secundò sequitur, me affici irregularitate, si Titius in mox proposito casu, occidit Caium nesciens pacem, & familiaritatem inter me, & illum celebratam: tunc enim mandatum non censetur reuocatum, cùm illius reuocatio non innotuerit mandatario: etiamsi ego omnia tentauerim, vt reuocatio ad illius aures peueniret. [Addo, id verum esse, etiamsi ego pœnitentiam egerim, & confessus sim peccati à me commissi in dando mandato, & post pœnitentiam secutus sit effectus mandati, id est, mutilatio, vel homicidium. Ratio est, tum quia licèt talis effectus non sit in se & directè voluntarius, est tamen voluntarius in causa; consequenter ad culpam imputatur, consequenter pœna irregularitatis punitur; tum quia pœnitentia superueniens non tollit irregularitatem præcedentem; ergo neque impedit, quominus subsequens contrahatur, nec tollit quominus ille sit homicida, & pœnam mereatur tam ciuilem, quàm Ecclesiasticam. Ita Suarez *disp.* 44. *sect.* 3. *num.* 5. Less. & alij, quos alibi in simili retuli de mandante percussionem Clerici. Hinc patet quid in simili dicendum sit de aliis cooperatoribus homicidij, qui pœnitentiam agunt sui delicti, antequam effectus sequatur.]

16 An pater sit irregularis si filio dicat, *ne redeas domũ donec de te aliquid noui audiã.*

16 Tertiò, patrem, aut dominum esse reum homicidij, & irregularitatis, quando pater, aut dominus aliquam iniuriam passus dixit filio, aut famulo, *domum ne redeas donec aliquid noui de te audiam*; filius autem, vel famulus hoc audito occidit eum, qui patrem, aut dominum iniuriis affecit: nam pater, aut dominus censetur tacitè mandasse homicidium filio, vel seruo. Ita Vgolinus *cap.* 15. §. 1. *nu.* 3. Suarez *disp.* 44. *sect.* 3. *num.* 14. Reginaldus *num.* 123. & alij communiter.

17 Quid si mandatarius acceptet mandatũ, quod initio nolebat acceptare.

17 Quartò, illum esse irregularem, qui dedit mandatum Titio ad occidendum Caium; sed Titius in principio noluit mandatum acceptare, postea verò acceptauit, illudque dedit executioni, antequam mandans reuocauerit mandatum. Ratio est, quia mandans re vera dicitur suo mandato causa homicidij, quatenus Titius illo mouetur ad patrandum homicidium. Ita Suar. *disp.* 44. *sect.* 3. *num.* 9. Maiolus *lib.* 5. *cap.* 48. §. 2. Reginald. *lib.* 30. *num.* 126. Vgolinus *de irregularitate cap.* 15. *nu.* 3. Filliucius *nu.* 29. Idem dicendum est de eo, qui mandauit alteri, vt occideret nocte, sed mandatarius occidit meridie; vel vt occideret, postquam deiectus, aut depositus fuerit è Magistratu, sed mandatarius illum occidit nondum depositio officio.

18 An sit reus homicidij, si mãdatarius occidat cõtra mandatum.

18 Quæres, vtrum ille sit reus homicidij, qui mandauit verberare, percutere, vel capere, aut in carcerem detrudere suum inimicum imponendo expressè ne occideret, & curaret, ne occideretur: sed nihilominus mandatarius inimicum re ipsa occidit.

Respondeo, reum esse homicidij, tum quia mãdauit actiones, quæ sunt periculosæ mortis, non adhibita sufficienti diligentia ad mortem

tem præcauendam: tum quia sic extat in iure expressum, *cap. vltimo, de homicidio.* Ita Filliucius *num.*94. Suar. *disp.* 45. *sect.*2. *num*3. & alij communiter. Hoc tamen homicidium dici potest casuale, vt patet ex supradictis *punct.* 7.

TERTIA PROPOSITIO.

19 An consulens homicidium sit irregularis.

19 COnsulens homicidium illi qui paratus non erat ad homicidium patrandum, reus est homicidij, & irregularitatis, secuta morte vel mutilatione. Ratio est, quia qui est causa efficax mortis, vel mutilationis, reus est homicidij, vel mutilationis: consequenter etiam irregularitatis, quæ ex homicidio, vel mutilatione prouenit. Hoc tamen intelligendũ est, modò consulens non retraxerit influxũ quem exhibuerat per suum cõsilium, vt patet ex dictis *de restitutione.*

Dixi in propositione, *consulens homicidium illi, qui paratus non erat ad homicidium patrandum,* nam consulens homicidium alicui iam parato ad occidendum, non fit irregularis, quia non censetur causa efficax homicidij, quamuis peccet ratione affectus, & intentionis homicidij. Est tamen irregularis, si voluntatem occidendi auget: nam verè dicitur influere in homicidium, vt accidit, quando quis suo consilio facit, vt alter faciliùs, vel citius, vel crudelius committat homicidiũ. Ita Couarruuias *Clement. vnica part.*2. §.2. Auila *part.*7. *disp.*6. *sect.*2. *dub.*7. Vgolinus *cap.*16. §.1. *nu.*1. Tolet. *lib.*1. *cap.*81. & alij cõmuniter: quidquid nonnulli dicant. Secus dicendum videtur, quando consulens non auget voluntatem, sed exiguè mouet, aut quando parato facere maius malum suadet minus, vt quando parato occidere, vel mutilare suadet tantummodò percutere. Ita Auila *loco cit. concluſ.*1. Nauarrus *cap.* 14. *num.* 40. Rodriquez *cap.*178. *concluſ.*20. *num.* 21. Henriquez *lib.*14. *cap.*16. *nu.*4. Coninchus *disp.*18. *dub.*8. *nu.*69. Filliucius *num.*102. Suarez *disp.*45. *sect.*3. *num.*2. *& seq.* & alij apud Sayrum *lib.*7. *cap.*3. *nu.*13. nam qui parato facere maius suadet minus malum, non peccat, cùm proponat materiam minoris mali, vt delinquentem retrahat à maiori malo patrando; vt constat ex dictis de restitutione *disp.*1. *q.*2. *punct.*7. *num.*5. Secus dic de cooperante ad minus malum, vt euitet maius, vt si volenti alterum occidere præstet opem ad secandum brachium, vel pedem: hic enim cooperatur actioni intrinsecè malæ. Ita Suarez, & Filliucius *loco cit.* Sanchez, Rebellus, & alij, quos retuli *de restitutione.*

Dixi in propositione, *consulens homicidium*, quia consulens opus pium, aut aliquid aliud non ordinatum ad homicidium, nec intentum ad hunc finem, non videtur irregularis: vt quando quis consulit alteri, vt patrem suum tueatur in iis casibus, in quibus illum tueri tenetur, & in aliis casibus suprà relatis. Vide Maiolum *lib.*5. *cap.*48. Sayrum *loco citat. num.*7. Suarez *disp.* 45. *sect.*2. *num.* 6. Filliucium *tract.* 20. *cap.*4. *quæsito* 4. & Henriquez *loco cit. cap.*16.

20 Quid si reuocet consilium.

20 Ex dictis sequitur primò, eum, qui dedit consilium interficiendi inimicum ob acceptam iniuriam, vel propter obtinendam hereditatem, incurrere irregularitatem: quamuis consulens reuocauerit consilium ante secutam mortem, si re vera homicida motus fuit ad occidendum inimicum propter consilium sibi à consulente datum, videlicet ob acceptam iniuriam, vel propter consequendam hereditatem. Ratio est, quia consulens in hoc casu re vera influit in homicidium: cùm sufficienter non reuocarit influxum, quem antea præstiterat; influens autem in homicidium reus est homicidij, & consequenter irregularitatis. Ita Nauarrus *cap.*27. *num.*353. Azor *loco cit.* & alij, quos retuli *de restitutione disp.*1. *quæst.*2. *punct.*7. *num.*3. quamuis P. Nauarrus *lib.*3. *cap.*4. *num.*27. Syluester *verb. Homicidium* 1. *nu.* 12. Auila *loco citato.* Vgolinus *cap.*16. §.9. Sayrus *loco citato nu.*6. Suarez *disp.*44. *sect.*3. *num.*13. Filliucius *num.* 34. Salonius, & alij contrarium sentiant, quando consulens fecit, quod moraliter potuit ad tollendum influxum, & impediendum effectum, & reuocatio consilij innotuit consulto, aut consulens admonuit eum, contra quem dederat consilium.

Obiicies: mandans reuocato mandato non incurrit irregularitatem, si reuocatio mandati innotuit mandatario; ergo neque consulens fit irregularis, si reuocauit consilium, & illius reuocatio innotuit consulto.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia mandatum datur in gratiam mandantis, consilium verò potiùs præstatur in gratiam consulti; consequenter mandans reuocato mandato videtur sufficienter reuocare influxum præstitum: cùm sufficienter ostendat executionem mandati non sibi fore gratam: consulens verò retractato consilio non sufficienter censetur reuocare influxum eò quòd consultus adhuc moueatur verbis consulentis ad executionem consilij, quod in ipsius gratiam præstitum censetur.

21 An consulens homicidium, quod alter consuluisset, sit irregularis.

21 Secundò, sequitur consulentem teneri ad restitutionem, & ligari irregularitate, quando suasit homicidium vel mutilationem, quam alter suasisset: nam ipse efficaciter influit in homicidium, vel mutilationem secutam ob suum consilium.

22 An sit irregularis, qui cõmittit homicidium, quod alter commisisset.

22 Tertiò, illum esse irregularem, qui occidit Caium, quem alter occisurus erat, qui aliter moriturus erat, vt patet, tum ex allata ratione: tum ex *l. item Mela, §. Celſus. ff. ad legem Aquiliam.* Ita Vgolinus *cap.*14. §.4. & alij.

23 An suadens Caio homicidiũ, quod adhuc cõmisisset, sit irregularis.

23 Quartò, illum, qui suasit homicidium Caio, quod nihilominus Caius commisisset absque consilio, & suasione, non esse irregularem: nam consulens non censetur causa efficax homicidij, eò quòd exequens homicidium occidat sua voluntate: non verò impulsu, & suasione consulentis. Idem dicendum est de mandante, quando mandatarius nulla ratione commisit homicidium propter mandatum sibi ab alio impositum. Secus si aliqua ratione commisit propter mandatum, vt si commisit homicidium ob propriam voluntatem, & simul etiam ob mandatum, id est, in gratiam mandatarij. Ita Molina *disp.* 33. *membro* 6. Vgolinus *cap.*14. §.3. *& cap.*16. *num.*2. Sayrus *lib.*7. *cap.* 2. *num.*11. Henriquez *lib.*14. *cap.*16. *num.*4. & alij quos retuli *de rest. loco suprà cit.*

24 An sit irregularis, qui suo dicto influit in homicidium.

24 Quintò, Caium incurrere irregularitatem, quando Titius ab eo petiit, num remaneret aliqua iniuriæ nota affectus ob rixam habitam cum Seio, ita vt non posset honorem suum recuperare, nisi per vindictam, & Caius asseruit ipsum remanere affectum iniuria, quo audito Titius occidit Seium. Ita Suarez *disput.* 44. *sect.* 3. *num.*14. & alij communiter. Ratio est, quia Caius suo dicto videtur in homicidium influere.

25 An sit irregularis, qui dat cõsilium capiendi arcẽ, ex quo sequitur mors.

25 Sextò illum esse irregularem, qui consilium dedit alteri in casu illicito capiendi arcem per proditionem, & inde mors alicuius secuta est. Ita Vgolinus *cap.*16. *num.*4.

26 An promittens securitatẽ sit irregularis, si mors sequatur.

26 Septimò, illum non esse irregularem qui volenti suos hostes fugere consilium dedit, ne fugeret, promittendo illi securitatem, quam re ipsa præstare poterat, vtpotè quia hostes illius erant eius amici, vel quia consulens erat vir magnæ auctoritatis apud illos hostes, aut quia secum armatos homines habebat, aut quia poterat illum abscondere in loco secretiori; ad quem non poterant hostes peruenire. Ratio est, quia homicidium inde sequens sequitur per accidens, & non videtur imputandum consulenti, qui non videtur sua culpa in homicidium influxisse. Ita Vgolinus *cap.*16. §.7. Henriquez *lib.*14. *cap.*16. *num.*4. Sayrus *lib.*7. *cap.*3. *num.*9. Reginaldus *nu.* 144. & alij.

27 An sit irregularis, qui dat cõsilium faciendi abortum.

27 Octauò, illum esse irregularem, qui dedit consilium faciendi abortum fœtus animati anima rationali, secuto tamen effectu, *cap. maiores* 32. *quæst.* 2. Ita Coninchus *num.* 64. & alij Doctor. citati. Quando autem fœtus animetur, patet ex dictis de homicidio, præsertim in hac vltima editione grandioribus foliis facta, ad quæ vos remitto. Vide Vgolinum *cap.*4. §.1. *& cap.*16. §.2. Suarez *disp.*44. *sect.*2. *num.*13. Sayrum *loco cit. cap.*2. Henriquez *loco citat. cap.*15. Auilam *parte* 7. *disp.*6. *sect.*4. Reginaldum *lib.*30. *num.*96. Filliucium *tract.*20. *cap.* 1. *quæst.*8. *n.*19. *& seq.* Quarantã, & Naldum *verb. Abortus*, apud quos inuenietis decretum Sixti V. & Gregorij XIII. [de quo alibi egi.]

QVARTA PROPOSITIO.

28 An auxiliantes, & cooperantes ad homicidium sint irregulares.

28 AVxiliantes, aut cooperantes ad homicidium, rei sunt homicidij, & consequenter irregularitatis, secuta morte, vel mutilatione. Ratio est, quia efficaciter influunt in homicidium, vel mutilationem.

29 An omnes sint irregulares quãdo plures aggrediuntur aliquem, qui ex vno ictu perit.

29 Hinc sequitur primò, quando plures de communi consensu aggressi sunt Titium, sed Titius inuasus ex vno tantùm vulnere periit; omnes reos esse homicidij, & consequenter esse irregulares, etiamsi non omnes percusserint, nam omnes cooperati sunt ad homicidium concitando se, & consulendo homicidium, ex qua concitatione, & consilio secutum est homicidium, licèt vnus tantùm inflixerit lethale vulnus. Ita Vgolinus *cap.*14. *num.*5. Molina *disput.*33. *membro* 1. *&* 7. Suarez *disp.*44. *sect.*3. *num.*31. *& disp.*45. *sect.*3. *num.*9. Filliucius *tract.*20. *cap.*4. *quæst.*7. *num.*109. *& seqq.* Reginaldus *lib.*30. *cap.*12. *nu.* 160. *& seqq.* Sayrus *lib.*7. *cap.*4. *num.*12. Iulius Clar. *loco citando*, Gomez 3. *var. cap.*3. *num.*36. *de homicidio*, & alij communiter ex *cap. significasti. de homicidio.* Si verò non se concitarunt, nec præmiserunt consilium, sed subita quadam rixa inflixerunt vulnera, & vnus tantùm lethale vulnus inflixit, ille tantum videtur reus homicidij, qui lethale vulnus inflixit, modò constet quisnam illud inflixerit, & constet, alios non concurrisse ad vulnus. Ita Hostiensis *in cap. significasti, citato*, Sayrus *loco citato num.*13. & alij, contra Suarez *loco citato, nu.*9. & Filliucium *loco citato, num.* 111. Quando verò nescitur quisnam lethaliter vulnus inflixerit, omnes, qui dubitant à se lethale vulnus inflictum esse, debent se tamquam irregulares gerere, vt suprà ostensum est ex *cap. ad audientiam*, & ex *cap. significasti. de homicidio.* Ita Vgolinus *cap.*14. §.1. *nu.*3. Molina *loco cit. membro* 7. *ad finem.* Auila *parte* 7. *disp.*6. *sect.*3. Reginaldus *num.*161. Filliucius *num.* 110. Suarez *num.*11. & alij, quos suprà retuli. Quid verò faciendum sit in foro externo, videri potest apud Suarez *loco cit.* & apud Maiolum *lib.* 5. *cap.* 48. §. 4. *num.* 9. [Cum quibus breuiter dico, etiam in foro externo vnumquemque censendum esse irregularem, quando plures cooperati sunt ad homicidium, sed nescitur à quo vulnus inflictum sit. Quando verò non constat de cooperatione, licèt sciatur homicidium ab aliquo illorum commissum fuisse, nullus præsumendus est irregularis, vt si tres vel quatuor in aliqua domo existebant, ex qua domo sclopo explosa fuit pellea glans, sed nescitur, nec conuincitur, quisnam eorum explouerit, nullus pro irregulari habendus est in foro externo, quia nullus præsumitur malus nisi probetur, & melius est vt vnus commodum reportet, & toleretur, quam vt plures innocentes puniantur.]

30 An omnes infetẽtes multa vulnera leuia sint irregulares.

30 Secundò sequitur, quando plures vulnera inflixerunt, quorum singula non sunt ex se mortalia, sed simul sumpta, sunt causa sufficiens mortis, singulos incurrere irregularitatem: nam singuli cooperati sunt ad mortem. Ita Molina *loco citato, num.*3. [Suarez *disp.* 45. *sect.* 3. *num.* 9. *& seq.*] Vgolinus, Coninchus, Filliucius, & alij *locis citatis.*

31 Quis sit irregularis, quãdo plures percutiunt, sed nescitur quis occidat.

31 Rogabis primò, vtrùm quando plures percusserunt absque præmisso consilio, & consensu, & non constat, ex quo vulnere percussus obierit, debeant omnes se tamquam irregulares gerere.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia percussus præsumitur ex omnibus vulneribus obiisse: tum quia versamur in dubio facti homicidij, in quo dubitans censendus est irregularis, *cap. ad audientiam, & cap. significasti. de homicidio.* Ita Couarruuias *Clementin. si furiosus parte* 2. §.2. *num.*4. Sayrus *lib.*7. *cap.*4. *num.*14. Azorius *loco citato*, Vgolinus *cap.*14. *num.*1. §.1. Molina *loco cit.* Suarez *disp.* 45. *sect.*4. *num.*11. Iulius Clarus §. *homicidium, versic. Alia est etiam*, Filliucius *loco cit.* & alij.

32 Quis sit irregularis, quãdo vnus leuiter percutit, sed alij lethaliter percutiunt.

32 Rogabis secundò, quis censendus sit irregularis, quando vnus primo loco percussit leuiter, sed alij postea accedentes lethaliter percusserunt absque cooperatione illius, qui leuiter percussit.

Respondeo vltimos esse irregulares, quia lethaliter percusserunt, & efficaciter influxerunt in mortem; primus verò non videtur irregularis, vt patet ex *cap. significasti*; mors enim non videtur illi impu-

imputanda; cùm non præuiderit lethalem percussionem aliorum, nec ipsius percussio influxerit in mortem. Secus dicendum est, quando primus lethaliter percussit; ceteri verò aduenientes leuiter solùm percusserunt: modò vulnus istorum non sit cooperatum ad mortem citiùs inferendam. [Quicquid sit ex iure ciuili, quod vniuscuiusque vulnus à pluribus in rixa commissum respicit, illumque solum tamquam homicidij reum punit, qui lethale vulnus inflixit, seu lethaliter percussit, *l. vlt. ff. de sicariis*, reliquos tamen punit tamquam auxiliatores, imò punit etiam tamquam homicidas, si vulnera etiam non lethalia inflixerunt, post inflictum lethale vulnus ab alio, iuxta Bartolum *in l. vlt. citata.*] Ita Henriquez *lib.* 14. *cap.* 14. *num.* 2. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 4. *nu.* 15. Coninchus *num.* 70. & alij, quamuis Suarez *num.* 9. & Filliucius *num.* 111. putent esse irregularem leuiter percutientem, siue primus, siue vltimus percusserit. [Quia huiusmodi vulnera semper acceleranr mortem; ego verò suppono mortem ob huiusmodi vulnera non acceleraci, consequenter irregularitatis notam non incurri.]

33 Quis sit irregularis, quãdo primus lethaliter percutit, & simul etiam ceteri.

33 Rogabis tertiò, quis censendus sit irregularis, quando primus lethaliter percussit, & ceteri aduenientes etiam lethaliter percusserunt: aut quando domus corruens aliquem iam antea lethaliter vulneratum interemit.

Respondeo videndum esse, vtrùm percussus obierit statim, ac fuit percussus à secundis. Si statim obiit, primus non videtur irregularis, quia mors re ipsa secuta non fuit ob percussionem primi; sed potiùs secuta fuit propter percussionem factam à secundis. Ita Auila *loco citato*, Coninchus *disp.* 18. *dub.* 8. *num.* 60. contra Vgolinum *cap.* 14. §. 1. Couarruuiam *Clement. si furiosus parte* 2. §. 2. & alios, si verò non statim obiit, omnes sunt irregulares, si primum vulnus cooperatum est ad mortem, vel saltem illam acceleravit.

Hinc patet, idem dicendum esse de eo, qui vulnerauit aliquem, quem domus corruens interemit. Ita Auila *loco cit. dub.* 4. Molina *loco cit. membro* 7. *num.* 4. Couarruuias, & Vgolinus *locis citatis.*

34 An sit irregularis, qui admonet auxiliantes, ne malum inferant.

34 Rogabis quartò, vtrùm ille censendus sit irregularis, qui rixam habens cum Titio, admonet accurrentes in sui auxilium, ne quid mali Titio inferant.

Respondeo, non censendum esse irregularem, etiamsi accurrentes occidant Titium intuitu illius, qui cum Titio rixatur. Ratio est, quia ipse non censetur ad mortem cooperari; sed homicidium respectu ipsius sequitur per accidens. Ita Henriquez *lib.* 14. *cap.* 13. *nu.* 4. Auila *dub.* 5. Reginaldus *num.* 147. contra Vgolinum *cap.* 18. §. 2. Nauarrum *cap.* 27. *num.* 227. & alios aliter sentientes, quando rixa est illicita.

35 An tradens Titio arma, quibus Caium occidit, sit irregularis.

35 Rogabis quintò, vtrùm præstans aliquid præuium ad homicidium, vel ad mutilationem, e. g. tradendo Titio arma quibus Caium occidit, sit irregularis.

Respondeo irregularem esse, si suspicionem aliquam habuit illa peti ad malum aliquod patrandum: tunc enim malum ac damnum inde sequens censetur sufficienter voluntarium, ita vt Titio imputetur ad culpam, & ad pœnam irregularitatis ex homicidio casuali. Si verò nesciuit, nec suspicatus est peti ad malum aliquod patrandum, excusatur ab irregularitate: sicut enim excusatur à culpa, ita etiam excusari debet à pœna. Ita Molina *disp.* 33. *membro* 6. *num.* 8. Suarez, & Filliucius *loc. cit.* Vgolinus *cap.* 17. *num.* 3. vbi citat Felinum *in cap. sicut dignum.* [*de homicid.*]

36 Quid si Caium occidat aliis armis.

36 Rogabis sextò, vtrùm tradens alteri arma ad aliquem occidendum incurrat irregularitatem, si ille, cui tradidit arma, non committit homicidium illis armis, sed aliis.

Respondeo, non incurrere irregularitatem. Ratio est, quia re ipsa non censetur influere in homicidium. Secus dicendum est, si homicida illius armis factus est animosior ad patrandum homicidium, eò quòd illa secum detulerit, maioremque terrorem incusserit, vt etiam accidit in eo, qui comitatur homicidam, illumque sua præsentia reddit audaciorem ad homicidium. Ita Vgolinus *loco cit. num.* 2. Suarez *disput.* 45. *sect.* 3. *num.* 10. Filliucius *num.* 46. & 100. & 125. & alij quos retuli *de restitutione.*

[Rogabis sextò, vtrùm cooperator homicidij dicatur committere homicidium propriè voluntarium. Suarez *disp.* 44. *sect.* 3. *ad finem*, existimat, committere homicidium propriè voluntarium, si lethale vulnus suis manibus inferat, etiamsi fortè id faciat ex aliquo metu ab alio sibi incusso. Nam intendens lethale vulnus inferre directè in actu exercito, vult inferre mortem, quamuis in actu signato, & expresè non concipiat mortem, & hoc verum est, etiamsi ex aliquo metu operetur; metus enim non tollit voluntarium, sed facit inuoluntarium, secundum quid, ex Aristot. Si verò cooperator homicidij non infligit suis manibus lethale vulnus, nec intendit homicidium, vt quia solum comitatur homicidium, vel ei assistit, non intendens mortem, non videtur committere homicidium propriè voluntarium; consequenter non incurrit irregularitatem homicidij voluntarij, quia ad homicidium voluntarium requiritur intentio homicidij, vel saltem actio lethalis præuisa, & directè volita ab ipso delinquente; propterea qui non intendit homicidium, aut suis manibus lethale vulnus non infligit, regulariter loquendo non incurrit irregularitatem homicidij voluntarij. Ex quo a fortiori patet, eum non esse reum irregularitatis homicidij voluntarij, qui comitatur alium, ignorans ipsum procedere animo occidendi, sed vel furandi, vel adulterandi, vel certè vlciscendi, & vindictam sumendi, non per mortem, vel per mutilationem, sed leuiori modo. Hæc Suarez *loco citato*, cui addi possunt alij Doctores, quos retuli *num.* 2.

Verùm quid ego sentiam patet ex dictis *num.* 1. & 2. & ex dicendis *num.* 41.]

QVINTA PROPOSITIO.

37 An ille, qui non impedit homicidiũ, sit irregularis.

37 QVi voluntariè non impedit homicidium, quod tenetur ex iustitia impedire, incurrit irregularitatem; vt accidit, quando quis tenetur ex officio, vel ex stipendio, vel ex promissione alterum defendere, & non defendit. Ratio est, quia peccat contra iustitiam non impediendo, & censetur causa moralis homicidij; [priuat enim alium iure suo, & re sibi necessaria ad sui defensionem; consequenter moraliter influit in homicidium.] Ita Nauar. *cap.* 27. *num.* 232. & alij communiter apud Suarez *disput.* 45. *sect.* 4. *num.* 5. apud Henriquez *lib.* 14. *cap.* 12. & apud Sayrum *lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 3. quorum sententiam satis probabilem putat Coninchus *disput.* 18. *dub.* 8. *num.* 71. eamque sequitur Filliucius *tract.* 20. *cap.* 4. *quæsito* 9. & 10. Reginaldus *lib.* 30. *num.* 145. & 168. & *seqq.* & Toletus *lib.* 1. *cap.* 83. *num.* 4.

[Dixi *voluntariè*, nam qui inuoluntariè non impediuit, non est irregularis, quia non est culpa nisi voluntaria, & irregularitas ex delicto non incurritur, nisi adsit culpa & voluntatis consensus.

Addo, ad incurendam irregularitatem ob omissionem, non satis esse quodlibet voluntarium, aut quamlibet inaduertentiam etiam culpabilem, sed opus esse iuxta probabilem nonnullorum opinionẽ, vt mors ipsa, seu mortis periculum præuisum fuerit, & directè volitum. Ratio est, tum quia sic colligitur ex *cap. quæsitum, de pœnit. & remiss.* tum quia homicidium sequens ex sola omissione, videtur sequi per accidens. Sicut ergo ipsa omissio non directè volita, est indirecta, & quasi per accidens, ita multo magis indirectè, & per accidens, sequitur mors ex huiusmodi omissione non intenta, sed per incuriam, & inaduertentiam secuta. Ita Cardinalis *in cap. quæsitum, citato.* Suarez *disp.* 45. *sect.* 4. *num.* 8. contra nonnullos alios.]

Dixi, *quando tenetur ex iustitia impedire*, nam si teneatur impedire ex sola charitate, non incurrit irregularitatem, non enim peccat peccato homicidij, & iniustitiæ, sed solùm contra charitatem. Ita Nauar. *loco cit. num.* 231. Molina *disp.* 76. *nu.* 8. & *disp.* 33. *membro* 5. Suarez *loc. cit. nu.* 3. Filliuc. *nu.* 127. Reginaldus *loco citato.* & alij, contra Angelum *verb. homicidium* 1. *num.* 17. Sylueſtrum *eodem verbo num.* 14. & alios existimantes incurrere irregularitatem, quando alteri non subuenit dolosè, & animo vt moriatur.

38 An sit irregularis qui non reuelat homicidium.

38 Hinc sequitur primò, illum, qui non reuelat Caio homicidium, de quo initum est consilium contra ipsum, non fieri irregularem, si ex sola charitate tenetur reuelare. Ita Molina, Nauarrus, Sayrus, & alij *locis citatis.*

39 An impediens alterum, ne opem ferat inuaso, sit irregularis.

39 Secundò, illum, qui alteri volenti opem ferre inuaso, cui tenebatur ex sola charitate opem ferre, consuluit, ne ferret opem, non fieri irregularem; nam consulens non peccauit peccato homicidij, cùm non fecerit contra iustitiam, cui opponitur homicidium, sed contra solam charitatem: consulens enim eo peccato peccat, quo peccat consultus qui omittit adiuuare; sed consultus, qui omittit adiuuare, peccat contra solam charitatem; ergo consulens peccat contra solam charitatem: consequenter non fit irregularis, modò consuluerit solis verbis absque vi, fraude, & dolo: nam si per vim, fraudem & dolum consuluisset, peccasset contra iustitiam, consequenter esset irregularis: nam inuasus habebat ius, ne per iniuriã impediretur sibi auxilium ferri. Ita Vgolinus *cap.* 16. §. 4. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 4. *nu.* 8. Henriquez *lib.* 18. *cap.* 12. *nu.* 7. Maiolus *lib.* 5. *cap.* 18. §. 5. & alij communiter.

40 An Princeps non impediens neces sit irregularis.

40 Tertiò, Principem non impediendo neces, iudicem, non impediendo iniustam sententiam contra vitam innocentis, Medicum non curando eos, à quibus pretio conductus est, dominum, non adhibendo debitam diligentiam, ne animalia, quæ sub suo dominio vel custodia existunt, nocumentum, aut vulnera inferant, ligari irregularitate secuta morte: nam tenetur ex officio, & ex iustitia impedire damna; dominus verò non impediens homicidium patrandum à suo famulo non videtur fieri irregularis; quia dominus non videtur teneri ex iustitia custodire famulum, ne damna extraneis inferat, quamuis maiori quodam honestatis vinculo teneatur consulere bono sui famuli, quàm teneantur ceteri. Idem dicendum existimant aliqui DD. de patre non impediente homicidium patrandum à filio: vt patet ex mox allata ratione. Hoc ego probabile censeo, modò filius, vel famulus non sit commissurus homicidium intuitu patris, vel heri; tunc enim herus, vel pater tenetur ex iustitia impedire, si potest: alioquin censetur causa moralis negatiua homicidij. Ita Molina *tomo* 4. *tract.* 3. *disp.* 3. *membro* 5. *nu.* 12. Reginald. *nu.* 145. Filliucius ex parte *loco citato.* Toletus *loco cit. num.* 3. & patet ex dictis *de restitutione.*

41 An qui non impedit homicidium sit irregularis homicidij voluntarij.

41 Quæres vtrùm non impediens homicidium, quod tenetur ex iustitia impedire, incurrat irregularitatem homicidij casualis, an voluntarij.

Respondeo incurrere irregularitatem homicidij voluntarij, si non impedit ex odio, & ex directa intentione, vt occidatur: vt patet tum ex ipsa intentione: tum ex ipsa actione, quæ censetur moraliter volita; sicut est volita in eo, qui sua præsentia præstat auctoritatem, & addit animos. Si verò non impedit ex aliquo timore humano, vel ex negligentia, aut auaritia, videtur incurrere irregularitatem homicidij casualis. Ratio est, quia huiusmodi homicidium non est directè intentum, nec etiam directè perpetratum; ergo non videtur appellandum propriè voluntarium, sed potiùs casuale. Ita Suarez *disp.* 44. *sect.* 3. *ad finem.* & *disp.* 45. *sect.* 4. *num.* 9. Filliucius *num.* 130. & alij.

Intelligentia huius quæsiti prodest, vt sciatur, an Episcopus possit dispensare in eo, qui non impediuit homicidium, iuxta priuilegium Episcopis concessum in Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6.

SEXTA PROPOSITIO.

42 An ratum habẽs homicidiũ sit irregularis.

42 RAtum habens homicidium suo nomine factum, ipso inscientе, non est reus homicidij, consequenter neque irregularitatis: quamuis grauiter peccet propter affectum ad homicidium. Ratio est, tum quia ratihabitio, seu approbatio homicidij iam secuti non est iniuriosa, vel iniusta contra occisum: cùm nihil influat in homicidium, quod iam præteritum est, vel iam præcessit: [tum quia irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressa; tum quia si quis casu & absque culpa suis manibus aliquem occidat, & post factum delectationem habeat de patrato homicidio, non incurrit irregularitatem, quia illa delectatio & complacentia non est homicidium reale, sed mentale quoad affectum, vt benè Suarez *num.* 29. ergo neque

incurrit irregularitatem is, qui homicidium ab alio patratum approbat, & ratum habet. Secus si approbat homicidium, dum ipse prospicit, & præsens adest, sciens illud suo nomine, seu occasione, seu propter ipsum committi, tunc enim moraliter cooperatur.] Ita Suarez *disp.44.sect.3. num.24.* Vgolinus *cap.15. §.2.* Coninch. *dub.8. num.72.* Sayrus *lib.7. cap.4. num.17.* Couarruuias *Clement. si furiosus part.2.§.1.num.4.* Reginaldus *lib.30.num.140.* Henriquez *lib.14. cap.12.num.10.* Filliucius *num.39.& 41.* Toletus *lib.1. cap.81. nu.1.* & alij plures apud Suarez *loco citato.* contra Nauarr. *cap.27. num.233.* Molinam *loco citato disp.33.membro 3.* vbi plures alios refert.

Obiicies. Ratihabitio retrotrahitur, & comparatur mandato, *cap.23.de sententia excomm. in 6.* sed mandans secuto homicidio est reus homicidij, & irregularitatis; ergo etiam ratum habens.

Respondeo primò, ratihabitionem comparari mandato, quoad culpam, non verò quoad pœnas.

Respondeo secundò, ratihabitionem comparari mandato etiam quoad pœnas, modò sint expressæ in iure: nam pœna non incurritur, nisi sit in iure expressa: in iure autem non est expressum, ratum habentem homicidium esse irregularem: sicut est expressum, ratum habentem percussionem Clerici suo nomine factam, incurrere excommunicationem. Ita Couarruuias *loco cit.* & alij, contra Nauarrum, Molinam, & alios *loc.cit.*

Hinc sequitur, illum non esse irregularem, qui donat aliquid Titio, qui suo nomine mortem intulit suo inimico ipso nescience, nam tradens donum in hoc casu non dicitur influere in homicidium, quod iam præcessit. Ita Suarez *loco cit.num.30.* & alij.

PVNCTVM VLTIMVM.

De dispensatione irregularitatis ex homicidio prouenientis.

TRia principaliter quæram in hoc puncto.

Primò, vtrùm Summus Pontifex dispensare possit in qualibet irregularitate homicidij.

Secundò, quid in ea possit Episcopus.

Tertiò, vtrùm Episcopus possit saltem dispensare in irregularitate ex homicidio casuali proueniente.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An Papa dispensare possit in irregularitate proueniente ex homicidio.

1 SVmmus Pontifex dispensare potest in qualibet irregularitate proueniente ex homicidio iusto, vel iniusto, voluntario, vel casuali. Ita Vgolinus *cap.32* Suarez *disput.44. sect. 4. num.35.* Molina *disp.79.* Auila *parte 7. disput.6 sect.5.* Filliucius *tract.20.num.51.* & alij communiter. Ratio est, tum quia Summus Pontifex supremam habet in terris potestatem, & potest in impedimentis iuris humani dispensare: tum quia ita colligitur ex Tridentino *sess.24.cap.6.* quamuis Summus Pontifex magna cum difficultate soleat in homicidio voluntario dispensare: vt colligitur ex Tridentin. *sess.14.cap.7.* iis verbis, *ordine perpetuò careat.*

Vtrum verò aliqui religiosi dispensare possint, standum est eorum priuilegiis, vt benè ait Suarez *disput.47 sect.6.nu.13.* Vgolinus *loco cit.* & alij. [Vide infrà dicenda *quæst.5.punct.1.num.7.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An possit dispensare Episcopus.

2 EPiscopus non potest dispensare in homicidio voluntario iusto, vel iniusto. Hæc propositio constat ex Trident. *sess.14.cap.7.& sess.24.cap.6.* vbi conceditur Episcopis facultas dispensandi in irregularitate proueniẽte ex delicto occulto, excepto homicidio volũtario.

3 An Episcopus dispensare possit, vt homicida recipiat beneficium, vel ordines.

3 Hinc colligitur primò, Episcopum non posse cum homicida voluntario dispensare, vt recipiat beneficium, vel ordines, vel vt susceptos exerceat, non enim potest in irregularitate ex homicidio voluntario proueniente dispensare.

4 An Episcopus dispensare possit cum iudice qui causam sanguinis egit.

4 Secundò, Episcopum non posse dispẽsare in irregularitate, quam iudex causam sanguinis exercens contraxit mandando homicidium, vel mutilationem iuxta leges, & grauitatem delictorum: nam Tridentinum concedit Episcopis dispensandi facultatem in irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario; sed prædicta irregularitas non prouenit ex delicto, sed ex homicidio iusto volito; ergo non potest Episcopus in ea dispensare, sicut neque potest dispensare in irregularitate, quam miles iustè pugnando in bello iusto contraxit occidendo aduersarium, vt mox dicam *num.10.*

TERTIA PROPOSITIO.

5 An Episcopus dispensare possit in homicidio casuali.

5 EPiscopus dispensare potest in irregularitate ex homicidio casuali proueniente, modò delictum sit occultum. Ratio est, quia Trid. *sess.24.cap.6.* concedit Episcopis potestatem dispensandi in irregularitate ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario: sed homicidium casuale non est propriè voluntarium; ergo Episcopus potest dispensare in irregularitate proueniente ex homicidio casuali, modò sit occultum; [exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis. *cap.2. de coniug. leprof.*]

Quando autem homicidium dicatur voluntarium, vel casuale, patet ex dictis *puncto 5. & 6.*

6 An Episcopus dispensare possit in homicidio ex subita rixa secuto.

6 Hinc sequitur primò, Episcopum non posse dispensare cum eo, qui alium occidit in rixa inopinatò suborta; etiamsi homicidium sit occultum. Ita Molina *tom.4.tract.2. disp.79. nu.7.* Nauarrus *cap.27. nu.240.* quem sequitur Suarez *disp.44.sect.1.nu.5. & disp.46.sect.1.nu.13.circa medium.* contra Coninchum *disp.18.dub.14.nu.111.* Auilam 7. *part.disp.6.sect.5.dub.5.* vbi citat Perez, Rodriquez, & alios. Ratio est, quia licèt prouocatus ad rixam initio non intenderit alterius mortẽ: progressu tamen rixæ eam intendit, procurat, & efficaciter vult, vt suppono, & à simili patet in eo, qui aliquem per iocum initio percutit, sed postea mutata voluntate percussionem seriò prosequitur.

7 An dispẽsare possit cum eo qui habuit intentionem leuiter percutiendi, sed secutũ fuit homicidium.

7 Secundò, Episcopum posse dispensare in irregularitate occulta contracta ab eo, qui habebat intentionem leuiter percutiendi, sed accidit, vt secutum sit homicidium.

8 Tertiò, Episcopum posse dispensare cum eo, qui mandauit seruo, vt alterum percuteret; sed caueret, ne mutilaret, vel occideret: nam homicidium inde sequens non est propriè voluntarium respectu mandantis, sed est casuale culpabile. Ita Molina *tom.4. tract.3. disput.3.num.7.* Suarez, Filliucius, & alij.

8 An Episcopus dispensare possit cum eo qui mãdauit seruo, vt procuret, sed alter occidit.

9 Quartò, Episcopum posse dispensare in homicidio occulto patrato causa defensionis, non seruato moderamine inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia in Tridentino *sess.24. cap.6.* nomine *homicidij voluntarij* non videtur intelligi homicidium volitum causa defensionis, cùm huiusmodi homicidium factum non fuerit ex proposito, & absoluta voluntate occidendi. Ita Sayrus *lib.7.cap.7.num.22.* Henriquez *lib.14.cap.10.num.2.* Valentia *tomo 4.disput.7. quæst.19. punct.3. §.5.* Auila *parte 7.disput.6.sect.5.dubio 5.* Molina *disput.79. nu.8. & 11.* Coninchus *loco citato*, & Nauarrus *cap.27. num.239.* vbi asserit ita sensisse sacram Pœnitentiariam, Suarez *disput.46.sect.1. num.13.* [*& disp.44.sect.1.num.5. ad finem.*] Filliucius *tract.20.cap.3. nu.86. & cap.5.num.145.* Reginaldus *lib.30.tract.2.num.28.*

9 An dispẽsare possit in homicidio facto ad defensionem, non seruato moderamine inculpatæ tutelæ.

Neque videtur obstare Tridentinum *sess.14. cap.7.* vbi dicit committendam esse ordinario loci facultatem dispensandi in irregularitate contracta ob homicidium commissum vim vi repellendo. Ratio est, tum quia Concilium non loquitur de homicidio occulto, sed publico, vt patet ex illis verbis, *Qui non nisi causa cognita, & probatis precibus*, &c. Tum quia Concilium loquitur de dispensatione in foro externo, nos verò loquimur de dispensatione in foro conscientiæ, iuxta *cap.6 sess.24.*

10 An Episcopus dispensare possit in irregularitate ex bello proueniente.

10 Quintò, Episcopum non posse dispensare cum eo, qui contraxit irregularitatem occidendo in bello iusto, etiamsi occisio sit occulta, nam ista irregularitas non prouenit ex homicidio casuali, aut ex delicto homicidij, sed potius ex homicidio iusto voluntario: Episcopus autem virtute Concilij Tridentini *sess.24. cap.6.* potest solùm dispensare in irregularitate proueniente ex delicto homicidij non voluntarij. Ita sentire videtur Molina *loco citat.num.8. vers. Quintò obserua.* Idem dicendum videtur contra Auilam *parte 7. disput.6.sect.5.dub.9.* Henriquez *cap.19. numer.4.* & alios de Clerico in sacris constituto pugnante, & occidente in bello iusto, etiamsi homicidium sit occultum; aut de Clerico, qui sine protestatione accusauit, vel testatus est in causa sanguinis, nam ista irregularitas, vel prouenit ex homicidio voluntario, vel saltem publico, nam quæ fiunt in bello, aut in iudicio, solent esse publica; consequenter Episcopus non potest in huiusmodi irregularitate dispensare, sicut neque videtur posse dispensare cum eo, qui vertit infirmum intentione accelerandæ mortis, ne tamdiu patiatur; nam mors inde sequens videtur directè volita, & intenta. Ita Henriquez *loco citat.nu.3.* contra Auilam *loco citat. ad finem.*

11 An Episcopus dispensare possit, quãdo irregularitas prouenit ex mutilatione.

11 Quæres primò, vtrùm Episcopus dispensare possit in irregularitate proueniente ex iniusta mutilatione occulta.

Respondeo affirmatiuè cum Molina *disp.70. num.19. & disp.79. num.8. tom.4.* Auila *part.7. disput.6. sect.5. dub.4.* Filliucio *num.9.* Toleto *lib.1.cap.48.num.6.* Suarez *disput.44. sect.4.num.35. & sect.2.num.4.* Reginaldo *lib.30. num.9.* Emanuele Sa *verb. Irregularitas, in fine,* Rodriq. *tomo 4.regular. quæstionum quæst.24.art.10.* & aliis apud Garziam *num.30.* contra Sanchez *in summa lib.1. cap.10. num.49.* Medinam *in summa lib.1.cap.11.§.12.* Henriq. *lib.14. cap.9. num.3.* & alios. Ratio est, tum quia ista irregularitas consurgit ex delicto occulto, vt suppono; Tridentinum autem concedit Episcopo facultatem dispensandi in irregularitate proueniente ex delicto occulto: tum quia Tridentinum excipit tantummodò irregularitatem prouenientem ex homicidio voluntario; mutilatio autem non est propriè homicidium: tum quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis; [*cap.2. de coniug. leprof. & l. nam quod liquida, §. fin. ff. de penu legata.*] Concilium autem excipit tantummodò homicidium voluntarium; ergo signum est, Episcopum posse dispensare in irregularitate contracta propter mutilationem occultam, etiam voluntariam; modò delictum sit occultum: tum quia fauor Principis latissimè explicandus est: tum quia ita declarauit Cardinalium Congregatio, teste Suarez *loco citato.*

12 An Prælati habentes iurisdictionẽ quasi Episcopalem dispensare possint in irregularitate, ex casuali homicidio, vel ex mutilatione proueniente.

12 Quæres secundò, vtrùm Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem dispensare possint in irregularitate ex homicidio casuali proueniente, vel ex mutilatione.

Respondeo negatiuè, quia illa facultas, & iurisdictio Episcopis concessa exorbitat à iure communi, [& est specialis & extraordinaria,] consequenter extendenda non est ad eos, qui verè, & propriè non sunt Episcopi, *reg. quæ à iure communi in 6.* Ita Suarez *de censuris disp.45. sect.1. num.2.* Sacra Card. Congreg. teste Toleto *lib.1. cap.80. num.6.* Garzia *de benef. 7. parte cap.11.num.12.* Filliucius *num.80. & 276.* Toletus, & alij apud Garziam.

Hoc tamen limito nisi habeant diœcesim cum iurisdictione quasi Episcopali, vt patet ex dictis de absolutione à censuris, licèt oppositum sentiant, Garzias *loco cit.* Suarez *num.2.* & alij.

13 An habens facultatem dispensandi in irregularitate excepto homicidio voluntario, possit absoluere ab irregularitate proueniente ex homicidio casuali, & non casuali.

13 Quæres tertiò, vtrùm habens facultatem dispensandi in irregularitate, excepta illa, quæ prouenit ex homicidio voluntario, possit absoluere ab irregularitate proueniente non solùm ex homicidio casuali, verùm etiam ex non casuali ex defectu perfectæ lenitatis.

Respondent aliqui DD. affirmatiuè, nam homicidium voluntarium propriè dicitur illud, quod fit voluntariè, & iniustè: sed homicidium casuale non dicitur fieri voluntariè, & homicidium ex defectu lenitatis non dicitur propriè homicidium, nec fieri iniustè; ergo. Ita Suarez *disp.44.sect.6.num.13.* Molina *disp.79.num.3.* Auila *part.7. disp.6.sect.5.dub.1.* Henriq. *lib.14.cap.17.num.3.* Nauarr. *cap.27.num.240.* Reginald. *lib.30.num.23.tract.2.* Filliucius *tract.19. nu.282.* Viualdus *de irregularit.num.327.* & alij.

Sed mihi probabilius dicendum videtur cum Salonio 2.2. *quæst.64 art.8. controu.4. concl.vlt.* Aragonio 2.2. *q.64. art.8.* Toleto *lib.1. cap.84.nu.10. in vltima editione*, non posse dispensare in vllo homicidio voluntario, etiã iustè, & licitè patrato, vt in homicidio cõmisso à li-

iudice,

iudice, ferendo sententiam iustam sanguinis, vel commisso à milite in bello iusto, nam homicidium iustum re vera appellatur homicidium in iure Canonico, vt patet ex *Clementina* 1. vbi homicidium factum ad sui defensionem cum moderamine appellatur homicidium, & ex *tit. de homicidio casuali, & voluntario.* Potest ergo solum dispensare in homicidio casuali, quia hoc non dicitur propriè voluntarium; quamuis Salonius contrarium sentiat in hac parte.

QVÆSTIO V.

De cessatione, & dispensatione irregularitatis in communi.

PVNCTVM I.

Vtrùm Summus Pontifex, & Episcopus dispensare possit in irregularitate.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An Papa dispensare possit in omni irregularitate.

1 SVmmus Pontifex dispensare potest in omni irregularitate iure humano introducta, vt patet ex dictis de legibus, [& ex dictis *punct. præcedenti num.* 1.] Ratio est, tum quia Summus Pontifex supremam in terris habet potestatem circa ea, quæ iure humano Ecclesiastico instituta sunt: tum quia in confesso est apud omnes, Summum Pontificem posse in iure communi dispensare: sicut enim potest legem condere, ita etiam potest eam per dispensationem abrogare. [Ita Suarez *disp.* 41. *sect.* 2. *n.* 2. & alij communiter.]

2 An abrogatio legis irregularitatem inducentis, quoad exemptionē respiciat solum futurum tēpus, an etiā præteritum.

2 Sed modò dubium est vtrùm Sūmus Pontifex, si auferret legem, qua irregularitatem imposuit incurrendam ob certam causam, censeatur eximere non solùm à contrahenda in futurum ob talem causam irregularitate, verùm etiā à contracta ante legis abrogationem.

Ratio dubitandi [pro parte negatiua] est, tum quia sicut impositio legis non respicit præteritum, sed futurum, ita etiam illius abrogatio: tum quia si tollatur lex excommunicans percussores Clericorum, non ob id absoluti remanent percussores Clericorum, qui manus violentas in Clericos iniecerunt **antequam** canon auferretur: tum quia assignari debet aliqua differētia inter eos, qui iam deliquerunt, & pœnam incurrerunt ob legis transgressionem, & inter eos, qui præfatam legem in futurum non seruabunt: alia autem differentia assignari non potest, quàm hæc, quòd qui in futurum non seruabunt, non afficientur pœna, qui verò transgressi sunt, pœnæ vinculo detinentur, cùm pœna priùs inflicta non auferatur. [Ita in simili sentit Sayrus *lib.* 4. *cap.* 17. *ad fin. vers. primum est.*]

His non obstantibus respondeo probabiliter sustineri posse, ablata lege irregularitatem inducente, censeri etiam ablatam irregularitatem antea contractam. Ratio est, tum quia irregularitas fundatur in lege irregularitatem inducente ob indecentiam: ergo lege abrogata hæc etiā tollitur, sublata enim causa, par est, vt tollatur effectus ab ea pendens: tum quia sicut odia restringi, ita fauores conuenit ampliari; abrogatio autem legis inducentis irregularitatem fauorabilis est, sicut eiusdem impositio odiosa videtur, cùm naturam pœnæ sortiatur. Ita DD statim citandi.

Hæc responsio intelligi debet, modò abrogatio legis simpliciter, & absolutè fiat: nam si apponantur verba respicientia solùm tempus abrogationis, perspicuum videtur irregularitatem antea contractam non auferri, quia abrogatio non plus operatur, quā verbis exprimatur. Ita Suarez *disp.* 41. *sect.* 1. *n.* 7. Filliucius *tr.* 20. *c.* 10. *quæst.* 4. & alij.

Hinc sequitur primò abrogata lege, qua decernitur illegitimos esse irregulares, eum, qui ante legis abrogationem ex damnato congressu ortus fuerat, non esse amplius irregularem. Idem militat in abrogatione legis imponentis irregularitatem homicidis, aut rebaptizantibus, aut ortis ex hæreticis, & sic de ceteris.

Secundò, eum qui celebrauit in excommunicatione contracta ob Clerici percussionem, non fieri liberum ab irregularitate reuocata lege imponente excommunicationem. Ratio est, quia non ob id censetur abrogata lex imponens irregularitatem, hic enim considerandæ sunt duæ leges. Prima continet excommunicationem cōtra percussores Clericorum. Secunda continet irregularitatem contra celebrantes in excommunicatione. Prima abrogatur, vt suppono, non autem secunda; consequenter ad summum tollitur excommunicatio, non autem irregularitas, cùm à disparatis, & diuersis illatio facienda non sit, vt **benè Suarez** *loc. cit.*

[Hinc etiam patet quid dicendum sit, si Summus Pontifex sua constitutione tollat reseruationem alicuius excommunicationis, non sublata excommunicatione, vel si vnus Pontifex excommunicationem reseruatam pro aliquo delicto ferat, successor verò ferat excommunicationem absque reseruatione; perspicuum enim est reseruationem tolli, manente excōmunicatione; consequenter quemliber confessarium habentem facultatem absoluendi à censuris non reseruatis, posse à præfata excommunicatione absoluere, etiamsi præfata excommunicatio contracta sit tunc temporis, quo reseruata erat. Ita Marius Alterius *lib.* 4. *disp.* 4. *cap.* 1. *col.* 3. & 4.]

Ad primam rationem in contrarium respondeo huiusmodi legem non respicere præteritum directè, sed præsentem irregularitatem, quatenus consurgit ex lege, quam abrogari suppono.

Ad secundam respondeo fieri posse, vt abrogatione legis excommunicationem imponentis, tollatur etiam excommunicatio, si abrogatio simpliciter, & absolutè fiat, quamquam, regulariter loquendo, id fieri debet per absolutionem, nisi abrogatio legis à Summo Pontifice fiat, vt patet ex supradictis *de absolutione à censuris*, idque in praxi seruandum censeo.

Ad tertiam respondeo, hanc esse differentiam, quod qui contra legem deliquerunt, ante legis abrogationem obstricti fuerunt irregularitate vsque ad perfectam legis abrogationem: qui verò legem in futurum non seruabunt, nulli subiicientur pœnæ, cùm pœna supponat delictum, & delictum legem.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 An Episcopus dispensare

3 EPiscopus, dum in sua diœcesi existit, dispensare potest cum suis subditis in irregularitatibus prouenientibus ex delictis occultis, excepta irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, aut ex delicto deducto ad forum contentiosum. [Ratio est, quia licet Episcopus iure ordinario dispensare nequeat in irregularitate, (inferior enim dispensare non potest in lege superioris;) nihilominus ex priuilegio Concilij Trident. *sess.* 24. *c.* 6. dispensare potest in præfatis casibus. Ita Suar. *disp.* 41. *sect.* 2. *n.* 3. *& seqq.*] Sanchez *in summa lib.* 2. *c.* 11. *n.* 2. Tolet. *lib.* 1. *c.* 85. *n.* 6. Filliscius *tr.* 20. *c.* 10. *quæst.* 6. Reginaldus *lib.* 30. *tr.* 2. *n.* 26. & alij Doct. citandi, qui benè aduertunt priuilegium Episcopis concessum in Trident. Conc. *sess.* 24. *c.* 6. competere tantummodo Episcopis illarum regionum, in quibus acceptatum est Conc. Trid. saltem quoad aliqua, nam vbi non est acceptatum quoad leges onerosas, neque videtur acceptatum quoad fauorabiles, par enim est conditio fauorum, & onerum. Ita sensit clarissima Cardinalium Congregatio, teste Suarez *loco cit. n.* 6. & Garzia 7. *parte de benef. c.* 11. *n.* 24. vbi plures alios Doctores refert. Hæc propositio patet ex Trident. *sess.* 24. *c.* 6. vbi concessum est Episcopis priuilegium absoluendi ab omnibus censuris, & casibus Summo Pontifici reseruatis, & dispensandi in irregularitatibus, modò proueniant ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum, aut ex homicidio voluntario.

Aduertendum tamen est, nomine *Episcoporum* in præsenti decreto Concilij Tridentini non venire quemlibet Episcopum etiam consecratum, nisi habeat iurisdictionem, & subditos, nam Episcopis conceditur hoc priuilegium non respectu quorumcumque, sed respectu suorum subditorum; requiritur ergo, vt Episcopi habeant iurisdictionem, & subditos. Ita Suarez *loco cit. n.* 7. Filliucius *nu.* 170. & alij quos supra retuli *de absolutione censurarum.* [Vide dicta *puncto præcedenti num.* 12.]

Dixi in propositione, *cum suis subditis*, nam Episcopus non potest cum extraneis dispensare, sicut neque potest Archiepiscopus dispensare cum extraneis, vel cum subditis Episcoporum suffraganeorum, præterquam in actu appellationis, vel visitationis prouinciæ, vt patet ex supra dictis. [Nam ista facultas non conceditur Archiepiscopo, vt Archiepiscopus est, sed vt Episcopus, vt bene Suar. *n.* 12. in actu verò visitationis dispensare potest, non solùm cum subditis Episcoporum suffraganeorum, verùm etiam cum ipsismet Episcopis suffraganeis, quia tunc se gerit, vt Episcopus.] Ita Henriq. *c.* 18. *n.* 4. Auila *loc. cit. dub.* 5. & alij contra Suarez *loc. cit. n.* 2. & patet ex supradictis de facultate Episcoporum circa absolutionem censurarum, & à simili ex dictis de pœnitentia, & de indulgentiis.

4 An Episcopus dispensare possit in irregularitate cum Religiosis.

4 Vtrùm verò Episcopus dispensare possit cum Religiosis exemptis, [aut etiam Prælatis inferioribus aliàs exemptis] seipsos illi subiicientibus in iis casibus, in quibus Episcopus potest cum suis subditis dispensare.

Respondetur affirmatiuè cum Suarez *loc. cit. nu.* 12. Henriquez *lib.* 14. *c.* 20. Filliucio *n.* 271. Reginaldo *lib.* 30. *n.* 29. *vers. quantum est*, & pluribus aliis, quos retuli *de dispensatione voti in secundo Decalogi præcepto*, vbi hoc aliquibus rationibus comprobaui contra Alterium, quas non est necesse hic repetere.

5 An requiratur eadem subiectio in obtinenda dispensatione irregularitatis, & absolutione censurarum.

5 Vtrùm verò eadem subiectio requiratur in obtinenda dispensatione irregularitatis, & in obtinenda absolutione censurarum.

Respondetur negatiue, [cum Suar. *loc. cit. n.* 10. & 12.] nam in dispensatione irregularitatis requiritur, vt Episcopus habeat iurisdictionem ordinariam in eum cui concedit relaxationem irregularitatis. In absolutione verò casuum reseruatorum, & censurarum impedientium receptionem Sacramenti pœnitentiæ videtur requiri ea solùm subiectio, quæ sufficit, vt Episcopus sacramentalem absolutionem impendat, vt patet ex dictis *de absolut. censurarum punct.* 2.

Dixi in propositione, *in sua diœcesi*, nam Episcopus extra suam diœcesim non potest dispensare in irregularitate, & aliis casibus Papæ reseruatis, vt patet ex Trid. *loc. cit.* vbi limitauit priuilegium Episcoporum ad diœcesim. Existimo tamen Episcopum, dum in sua diœcesi existit, posse cum suo subdito in aliena diœcesi existente extraiudicialiter dispensare, nam iurisdictio dispensandi exerceri potest circa absentem. Ita Suar. *loc. cit. n.* 10. Filliuc. *n.* 271. & alij, quos supra retuli *de absolutione à censuris.*

Vtrùm verò Episcopus extra diœcesim existens possit extraiudicialiter absoluere suos subditos à censuris non reseruatis, vel à se latis, constat ex supradictis posse. [Secus dic de reseruatis sedi Apostolicæ, nam ab his absoluere potest solùm, dum existit in sua diœcesi, quia Conc. Trid. his verbis vtitur, *in diœcesi sua.* Suar. tamen *loc. cit. n.* 11. *ad fin.* addit, Episcopum, dum, in aliena diœcesi existit, posse mittere absolutionem subdito existēti intra diœcesim, quia illa verba *in diœcesi sua*, non videntur restringenda ad existentiam vtriusque in diœcesi. Verùm quid ego in hac re sentiam, patet ex dictis *de absolutione censurarum in genere, disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *vers.* 3.]

Dixi, *prouenientibus ex delictis*, nam vtrùm Episcopus dispensare possit in irregularitatibus ex defectu, e. g. bigamiæ, aut illegitimitatis, aut infamiæ, constat ex dictis in propriis locis, quamquam Garzias 7. *p. c.* 11. *n.* 34. Tolet. *lib.* 1. *c.* 84. *n.* 3. Rodriquez 1. *p. c.* 183. & alij putant Episcopos posse in casu homicidij voluntarij iusti dispensare ad beneficium simplex, & ad Ordines minores iam susceptos, sicut poterant ante Concil. nihil enim in hac re innouatum videtur, inquiunt ipsi. Sed oppositum mihi verius videtur, quia *Conc. sess.* 24. *c.* 6. dat facultatem Episcopis dispensandi in irregularitatibus, excepta irregularitate prouenient ex homicidio voluntario, etiam occulto.

Dixi, *prouenientibus ex delictis occultis*, nam Episcopus non potest dispensare, quando delictum est publicum, vel notorium: sed solùm potest quando delictum non est publicum, vel notorium, vt quando est notum tribus, vel quatuor tantum, nec est fama in maiori parte viciniæ, vel Collegij de illo delicto. Ita Doctor. statim citandi contra Garziam *n.* 46. & Graffium *lib.* 1. *c.* 13. *n.* 45. arbitrantes illud solùm dici occultum quod non est probabile, seu quod per duos testes probari non potest, hoc enim dicitur occultum in iure, *c. vestra. de cohabit. Cler.* Idem tenuit sacra Congregatio *sess.* 24. *c.* 6. Imò quando actio

ipsa materialis est publica, sed delictum est occultum in ratione delicti, Episcopus potest dispensare, consequenter Episcopus dispensare potest in irregularitate, quam excommunicatus contraxit publicè celebrando, sed illius excommunicatio erat ignota adstantibus; quamuis enim celebratio sit publica, nihilominus delictum censetur occultum. Quare, quando actus est materialiter publicus, non verò formaliter, in quantum delictum potest Episcopus dispensare, adhuc enim delictum dicitur occultum. Ita Rodriquez 1. *part. ca.* 176. *nu.* 3. Eman. Sà *verſ. Epiſcopus n.* 35. Henriq. *lib.* 14. *c.* 20. *num.* 4. & alij apud Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 34. *n.* 56. apud Sayrum *lib.* 7. *c.* 3. *n.* 13. Reginaldum *n.* 30. & apud Auilam *loc. cit.*

Dixi, *excepto delicto deducto ad forum contentioſum*, nam in delicto deducto ad forum contentioſum non potest Episcopus dispensare, vt accidit, quando delinquens accusatus fuit de aliquo delicto, & nondum se purgauit in iudicio, nec fuit liberatus definitiuè, aut ab instantia. Quando verò delinquens post accusationem se purgauit veris, vel falsis testibus, aut quando absolutus fuit defectu probationis, Episcopus potest cum eo dispensare. Ratio est, tum quia cessat ratio deductionis ad forum contentioſum, nam perinde est, ac si delictum non fuisset deductum ad forum contentioſum, cùm reducatur ad priorem statum: tum quia verba accipienda sunt cum effectu, *c. relatum, de Clerico non reſidente.* Quare quando Concilium in priuilegio Episcoporum excipit crimen deductum ad forum contentioſum, intelligendum est cum effectu, id est, modò deductio ad forum sortita sit effectũ. Ita Henriq. *lib.* 14. *c.* 20. *n.* 4. Rodriq. 1. *p. ca.* 167. *n.* 4. Sayrus *lib.* 4. *c.* 17. *n.* 23. *& lib.* 7. *c.* 7. *n.* 14. *& c.* 8. *n.* 7. Molina *tom.* 4. *tr.* 3. *diſp.* 79. *n.* 8. Sanch. *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 37. *n.* 12. *lib.* 8. *diſp.* 34. *n.* 57. *& in ſumma lib.* 2. *c.* 11. *n.* 21. Auila *p.* 7. *diſp.* 10. Eman. Sà. *verb. Epiſcopus n.* 34. Suarez *diſp.* 41. *ſect.* 2. *n.* 6. Filliucius *tr.* 20. *c.* 10. *n.* 169. & alij.

Hæc doctrina intelligi potest cum Suarez *loc. cit. n.* 6. contra Sanch. *lib.* 8. *de matrim. loc. cit.* cum hac limitatione, modò delictum non sit plenè, aut ſimiplenè probatum in iudicio, nam ex plena, aut ſemiplena probatione oritur aliqua infamia, quæ facit, vt delictum non dicatur amplius occultum, & vt Episcopus non possit in eo delicto dispensare, quamuis reus liberatus fuerit per testes.

6 An Epiſcopus diſpenſare poſſit in irregularitate ex delicto, finito iudicio.

6 Quæres primò, vtrùm Episcopus possit finito iudicio dispensare in irregularitate prouenięte ex delicto deducto ad forum contentioſum, postquã delinquens conuictus fuit condẽnatus, & iam punitus.

Respondeo negatiuè cum Io. Gutier. *lib.* 1. *q. Canon. c.* 3. Suarez *diſp.* 41. *ſect.* 2. *n.* 6. *ad finem*, Rodriq. 1. *part. c.* 168. Garzia *n.* 50. & aliis contra Sanch. *in ſumma lib.* 2. *c.* 11. *n.* 21. Auilam *loc. cit. dub.* 7. Henriq. *lib.* 14. *c.* 7. *n.* 5. *& c.* 20. & Reginald. *lib.* 30. *tr.* 2. *n.* 29. Ratio est, tum quia Concil. Trid. concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate prouenięte ex dilicto occulto, aut non deducto ad forum contentioſum; in nostro autem casu delictum deductum est ad forum contentioſum, nec est occultum, sed est omninò publicũ, nam quæ probantur in iudicio appellantur publica. Hac de causa manifestans delicta delata in iudicium non appellatur iniustus detractor famæ, neque tenetur ad restitutionem ex communi Doct. sententia.

Obiicies cum Sanchez, & aliis, Trid. denegat Episcopis facultatem dispensandi in delictis non occultis, & deductis ad forum contentioſum, ne diminuatur, & perturbetur auctoritas iudicum, sed Episcopus dispensando cum reo iam conuicto in iudicio, ac punito non diminuit auctoritatem iudicum, cùm iam perfectum sit iudicium; ergo potest Episcopus cum eo dispensare.

Respondeo, Tridentinum absolutè loqui non distinguendo, consequenter neque nos debemus distinguere, sed potiùs debemus absolutè asserere, Episcopum non posse in irregularitate ex huiusmodi delicto prouenięte dispensare, cùm delictum non sit amplius occultum, sed publicum, & deductum ad forum contentioſum.

7 An Prælati habentes iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem, poſſint diſpenſare in irregularitate.

7 Vtrùm verò facultas, quam habent Episcopi ex priuilegio Tridentini, competat etiam aliis Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalẽ, vt capitulo Ecclesiæ Cathedralis Sede vacante, aut Cardinali in Ecclesia sui tituli, dissensio est inter Doct. nam Henriq. *lib.* 14. *c.* 18. *n.* 2. Sanch. & Auila *loc. cit.* Reginald. *n.* 29. & alij quamplures apud August. Barbosam, *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *n.* 5. *& ſeſſ.* 14. *ca.* 7. *de reformat. numer.* 7. affirmant cò quòd Capitulum succedat in iurisdictionem Episcopi.

Ego verò cum Suar. *loc. cit. n.* 7. [*& 13. & diſp.* 45. *ſect.* 1. *n.* 2.] Toleto *lib.* 1. *c.* 85. *n.* 6. Filliucio *n.* 276. & aliis apud Garziam *p.* 7. *c.* 11. *n.* 17. *& ſeqq.* negatiuam sustineo sententiam, & ad hoc adducor, tum declaratione Cardinalium asserentium illam facultatem concessam esse solis Episcopis priuatiuè, quoad alios omnes: tum quia Capitulum Sede vacante succedit in iurisdictionem Episcopi ordinariam, non verò in extraordinariam, qualis est iurisdictio dispensandi in irregularitate, vt videre est apud Gutierez *de matrim. c.* 63. *n.* 42. Hoc tamen probabiliter limitari potest, iuxta dicta *puncto præcedenti quæſ.* 2. [Ex quo patet, quid sentiendum sit de superioribus religionum, vt Generali, Prouinciali, & similibus. Isti enim dispensare nequeunt, vt probatum est, nisi speciali priuilegio gaudeant, sicut ex priuilegio Sixti IV. dispensare possunt mendicantes etiam in homicidio, excepto homicidio voluntario. Verùm in hac re consulenda sunt singularum religionum priuilegia. Vide Suarez *diſp.* 45. *ſect.* 1. *ad finem.* An autem Collegium Cardinalium possit sede vacante cum eligendo in Papam obstricto irregularitatis vinculo, affirmat Suar. *n.* 14. nam is cui data est potestas ad actum principalem, videtur etiam concessa ad actum minus principalem. Verùm quid ego sentiam dixi de legibus, & de electione Papæ. Hoc vnum certum est, censuras, aut irregularitatem non obstare electioni Papæ.]

8 An Epiſcopus poſſit alterũ delegare, qui cum ſe ipſo diſpẽſet.

8 Quæres secundò, vtrùm Episcopus dare possit facultatem alteri, qui secum dispenset in iis casibus in quibus ipse dispensare potest cum suis subditis in irregularitate, & in censuris.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia fauores sunt ampliandi: tum quia Episcopus non debet esse deterioris conditionis clericis inferioribus. Ita Sayrus *lib.* 7. *c.* 9. *n.* 5. Auila *loc. cit. dub. vlt.* Sanch. *in ſum. lib.* 2. *c.* 11. *n.* 11. *& lib.* 8. *de matrim. diſp.* 3. *n.* 3. Henriq. *lib.* 14. *c.* 18. *in fine*, Suar. *diſp.* 41. *ſect.* 2. *n.* 9. Tolet. *loc. cit. n.* 6. Filliuc. *nu.* 278. Reginald. *lib.* 30. *tr.* 2. *n.* 21. & alij communiter, quos in simili retuli *de indulgentiis, de diſpenſatione voti, & de legibus*, vbi etiam quæsiui, an Episcopus secum possit immediatè dispensare. [Hinc facilè potest expediri, & dissolui aliud dubium quo quæritur, vtrùm Episcopus dispensandi facultatem aliis committere possit in iis casibus, in quibus per seipsum dispensare posset; respondetur enim affirmatiuè. Ratio est, tum quia ita in vsu, & praxi receptum est, consuetudo autem & praxis est optima legis interpres. Tum quia Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. non concedit istam facultatem Episcopis tamquam delegatis Sedis Apostolicæ, vt aliquando facere solet, sed simpliciter, & absolutè, consequenter hæc facultas iure ordinario annexa videtur muneri Episcopali, consequenter ab Episcopo delegari potest. Tum quia Concil. Trid. in posteriori parte illius capitis, dat facultatem Episcopis in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, dispensandi per seipsum, aut per Vicarium ad id specialiter deputatum. Cùm autem Concilium hanc limitationem non adiungat in priori capitis parte, vbi loquitur de irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, satis indicare videtur, Episcopum posse dispensare per quemcumque, etiamsi eum generaliter delegauerit. Ita Suarez *diſp.* 41. *ſect.* 2. *n.* 8.]

9 An Epiſcopus admittens aliquem ad ordines cenſeatur cum eo diſpenſare in irregularitate.

9 Quæres tertiò, vtrùm Episcopus eo ipso, quo aliquem irregularem admittit ad Ordines, aut concedit litteras dimissorias, censeatur cum eo dispensare in irregularitate, aut concedere facultatem, vt dispensetur ab Episcopo, ad quẽ mittitur pro recipiendis Ordinibus.

Respondeo affirmatiuè, modò sciat, ordinandum esse irregularem, & intentionem habeat dispensandi. Ratio est, tum quia Episcopus non præsumitur velle delinquere, ordinando irregularem, aut concedendo facultatem, vt promoueatur: tum quia non est prohibitum Episcopis dispensare in irregularitate per aliquod factum. Ita Sayrus *loc. cit. c.* 14. *n.* 10. Auila *loc. cit. dub.* 6. Suar. *loc. cit. ſect.* 3. *n.* 4. Henriq. *lib.* 14. *c.* 17. *n.* 4. *littera P.* Maiolus *c.* 51. *de irregularitate, n.* 8. Vgolinus *c.* 62. §. 2. *n.* 9. Filliuc. *n.* 883. Reginald. *lib.* 30. *tr.* 2. *n.* 31. & alij.

PVNCTVM II.

Vtrùm irregularitas tollatur per Baptiſmum, profeſſionem, ceſſationem cauſæ, & per iuriſdictionem delegatam.

PRIMA PROPOSITIO.

1 An irregularitas tollatur per Baptiſmum.

1 OMnis irregularitas saltem consurgens ex proprio delicto tollitur per Baptismum. Ita colligitur ex *c. vna*, & ex *ca. deinde. diſt.* 26. Verum quidem est, irregularitatem non dici propriè tolli per Baptismum, cum ante Baptismum nulla sit propriè irregularitas: sed potiùs dicendum est, hominem non affici irregularitate ob defectum existentem ante Baptismum, nisi aliter in aliquo casu particulari sancitum sit in iure, aut nisi defectus adhuc perseueret post Baptismum. Ratio propositionis est, tum quia homo per Baptismum regeneratur, & fit quasi nouus homo, consequenter omnis macula, & indecentia auertur, nisi aliter sancitum sit in aliquo casu, vt in casu bigamiæ non consurgẽtis ex delicto, aut nisi perseueret defectus, propter quem inducta est irregularitas: tum quia irregularitas est inducta ab Ecclesia in suos subditos, infideles autem pro tempore infidelitatis non sunt subditi Ecclesiæ; ergo neque puniri debent pœnis Ecclesiæ pro delictis commissis tempore infidelitatis ante Baptismum, consequenter suscepto Baptismo non remanent irregulares, nisi aliter expressum sit in iure, vt dictum est de bigamia, non enim firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit. Ita Suarez *diſp.* 41. *ſect.* 1. *n.* 2. Vgolin. *c.* 63. §. 1. Auila *loc. cit. dub.* 6. Coninch. *diſp.* 18. *dub.* 14. *nu.* 109. Tolet. *lib.* 1. *c.* 84. *n.* 2. Sayrus *lib.* 7. *c.* 13. Filliuc. *tr.* 20. *c.* 10. *quæſ.* 1. *n.* 255. *& ſeqq.* Reginald. *lib.* 30. *tract.* 2. *nu.* 17. & alij communiter, [quamuis nonnulli apud Suarez videantur ex parte dissentire.]

SECVNDA PROPOSITIO.

2 An tollatur per profeſſionem in Religione.

2 PEr professionem in approbata Religione tolluntur irregularitates in iure expressæ. Ita Panormitanus *in c.* 2. *de Apoſtatis.* Suarez *loco cit. n.* 3. Auila *loco cit. dub.* 3. Vgolinus *loco cit.* Filliucius *loco cit. quæſito* 2. Reginaldus *nu.* 18. & alij communiter. Ratio per se clara est, & manifesta, nam professio tantum operari debet, quantum est in iure expressum.

3 Quænam irregularitas per profeſſionem auferatur.

3 Quæres, quænam irregularitas per professionem auferatur.

Respondeo, eam auferri, quæ prouenit ex defectu natalium, hæc tamen irregularitas aufertur per professionem solùm quoad ordines, non verò quoad Prælaturas, *c. 1. de filiis Presbyterorum.*

4 An illegitimus poſſit fieri Abbas, vel Prior.

4 Ex quo patet, illegitimum non posse absque Summi Pontificis dispensatione fieri Abbatem, vel Priorem, &c. Ita Sayrus *lib.* 7. *ca.* 13. *n.* 9. Henriquez *lib.* 14. *c.* 17. *n.* 2. Nauarrus *c.* 27. *nu.* 201. Maiolus *lib.* 5. *c.* 51. *n.* 13. Auila *loco cit. dub.* 3. Coninchus *loco cit. n.* 110. Suarez *diſp.* 41. *ſect.* 1. *n.* 3. Toletus *lib.* 1. *c.* 85. *n.* 3. Filliucius *loco cit.* Reginaldus *nu.* 19. & alij communiter. [Vide dicta *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 14. Obseruat tamen Suarez *n.* 3, hunc morem in religionibus receptum esse, vt quælibet irregularitas per professionem auferatur, siue hic mos receptus sit per consuetudinem, siue fundatus sit in aliquo priuilegio. Ideo in hac re consulenda censeo singularum religionum priuilegia. An autem id valeat in irregularitate prouenięte ex homicidio voluntario, supra explicatum est.]

TERTIA PROPOSITIO.

5 An irregularitas ceſſet, ceſſante cauſa irregularitatis.

5 IRregularitas aufertur ablata causa, ob quam fuerat inducta, quoties irregularitas fertur pro tali tempore, pro quo durat talis causa; propterea irregularitas ex defectu ætatis tollitur sublato ætatis defectu per aduentum legitimæ ætatis, irregularitas ex infamia facti aufertur per emendationem vitæ, & irregularitas ex ignorantia tollitur per oppositam scientiam, in his enim casibus valet illa regula, cessante causa cessat effectus, vt bene Suarez *diſp.* 41. *ſect.* 1. *num.* 6. *& diſp.* 51. *ſect.* 1. *n.* 11. Filliucius *nu.* 192. *&* 261. Salsedo, Diaz, & alij apud Suarez *loco citato.*

Secus

Secus dicendum est de irregularitate, quæ fuit simpliciter lata, & non tantùm pro tali tempore, vt accidit in irregularitate homicidij, quæ non tollitur per pœnitentiam, & emendationem, sed per dispensationem.

Ex his ergo patet irregularitatem, quæ non fuit simpliciter & absolutè lata, sed solum pro aliquo tempore, quo durat aliquis defectus, cessare cessante causa illius. Ita Suarez *disp.41.sect.1.nu.5.* Sayrus *lib.7.c.14.n.23.* Vgolinus *c.62.§.2.& c.63.* Henriquez *lib.14.c.17.n.3.* Toletus *lib.1.c.57.* Valentia *tom.4.disp.7.q.19 punct.3.col.1439.* Filliucius *num.93.* Reginaldus *lib.30.n.16.*

QVARTA PROPOSITIO.

6 An irregularitas tolli possit per iurisdictionem delegatam.

6 IRregularitas tolli potest per facultatem à Summo Pontifice concessam, aut etiam collatam ab Episcopo in iis casibus in quibus Episcopus iure ordinario dispensare potest. Hæc propositio certa est apud omnes, nam habens potestatem ordinariam potest eam alteri delegare, & quæ delegatus agit, validè agit, auctoritate sibi ab ordinario commissa. [Vide dicta *punct.præced.num.8.*]

7 An facultas concessa, *si res ita est*, expiret morte Papæ.

7 Quæres primò, vtrùm facultas dispensandi concessa ordinario, vel Confessario à Papa sub hac conditione, *si res ita est*, expiret morte Papæ, re adhuc integra.

Respondeo iuxta dicta *de legibus disp.1.q.3.punct.8.§.1.* expirare. Ratio est, quia huiusmodi facultas est veluti quoddam mãdatum: mandatum autem expirat morte mandantis. Ita Nauarrus *c.27.num.253.* Sayrus *loc.cit.n.6.* Reginaldus *n.24.* Vgolinus *c.52.nu.2.* Sanchez, & alij, quos retuli *de legibus.* contra Maiolum *lib.5.c.51.nu.6.* Suarez *loco citato.* Filliucium *tract.20.c.10.quæst.9.n.270.* & alios, quorum opinio probabilis est.

8 An habens facultatem absoluendi ab omnibus censuris, & sententiis possit absoluere ab irregularitate.

8 Quæres secundò, vtrùm in facultate, quæ aliquando tempore Iubilei, vel alia occasione conceditur absoluendi ab omnibus casibus, censuris, pœnis, & sententiis, intelligatur etiam concessa facultas absoluendi ab irregularitatibus contractis ex delicto.

Respondeo negatiuè, iuxta communiorem DD. sententiam. Ratio est, tum quia iuxta Romanæ Curiæ stylum numquam censetur concessa facultas dispẽsandi in irregularitate, nisi fiat illius expressa mentio, vt ait Nauarrus *c.27.n.250.* Stylus autem curiæ facit legem, *c. ex litteris. de constitutionibus, & c.quàm graui. de crimine falsi*; tum quia idcirco in Iubileis conceditur facultas absoluendi à censuris, & aliis pœnis, vt fideles consequantur Iubileum, cuius consecutio impeditur per censuras; irregularitas autem non præstat impedimentum consecutioni Iubilei, consequenter in Búlla nomine pœnarum non intelliguntur irregularitates, sed pœnæ, quæ præstant impedimentum consecutioni Iubilei: tum quia in Bulla adhibetur verbum *absoluere*, quod verbum, si propriè, & in rigore accipiatur, solet tantùm accommodari relaxationi censurarum. Ita Regin. *n.24.* Toletus *lib.1.c.85.n.7.* Suarez *disp.40.sect.3.nu.3.* Filliuc. *c.1.quæs.4.* Vgolinus *c.62.n.7.* Auila *part.7.disp.10.dub.4.* Molina *tom.4.tr.3.disp.80.* Henriquez *loco cit.* & alij apud Sayrum *loco cit.n.2.* & Parisium *lib.8.q.7.num.213.* contra Sotum *in 4.dist.22.q.2.art.1.* & alios apud Garziam *de benef.7.p.c.11.* quorum sententiam improbat idem Garzias.

PVNCTVM VLTIMVM.

De conditionibus requisitis in obtinenda, & concedenda dispensatione.

SVppositis iis, quæ de dispensationibus tradidimus in tractatu de legibus, duo principaliter quæremus in hoc puncto.

Primò, quænam requirantur in obtinenda, & concedenda dispensatione.

Secundò, vtrùm requiratur certa verborum forma. Omissis iis, quæ iuxta praxim Pœnitentiariæ Romanæ seruantur à Confessariis dispensandi facultatem habentibus, quæ apud Filliucium *tr.20.c.10.q.10.* videri possunt, cùm non sint necessariò seruanda, nisi priuilegium ad ea seruanda limitatum sit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quænam conditiones requirantur in obtinenda dispensatione.

1 IN concedenda, & obtinenda dispensatione requiritur primò, vt dispensatio signo aliquo externo, sufficienter manifestante voluntatem superioris, exprimatur, nam dispẽsatio est actus humanus, qui inter homines exercetur: actus autem humanus debet esse sensibilis, cùm homo non intueatur cor, & interna voluntas nihil inter homines præstet, nisi manifestetur. Ita Suarez *loco citando*, & alij communiter.

Secundò, requiritur iusta causa, vt patet, tum ex Trident. *sess.25. cap.18.* tum ex dictis *de legibus*, vbi ostendimus inualidam esse dispensationem obtentam absque iusta causa à Prælatis dispensantibus in iure communi; tum ex *cap. Dominus noster. dist. 56. & cap. vnico. dist.57.*

Tertiò, requiritur, vt exprimatur species irregularitatis, seu delicti, alioquin obstrictus pluribus irregularitatibus, nullius validè obtinet dispensationem, cùm non constet, in quanam fuerit dispensatus, vt patet ex dictis *de censuris.* Secus dicendum est, si petat dispensationem ab omnibus irregularitatibus, quibus detinetur, tunc enim per generalem dispensationem remanet liber, & immunis ab omnibus, vt patet ex supradictis *de censuris.* Ita Suarez *disp.41.sect.3.nu.2.* Maiolus *lib.5.cap.51.* Filliucius *tract.20.cap.10. num.281.* Reginaldus *num.32.* Verum tamen est in obtinenda dispensatione irregularitatis non esse opus exprimere numerum delictorum, propter quæ petens dispensationem contraxit irregularitatem, modò delicta non sint diuersæ rationis. Quare, si excommunicatus centies celebrauit, non tenetur in obtinenda dispensatione irregularitatis exprimere, se toties celebrasse in excommunicatione, sed satisfacit dicendo, se existentem in excommunicatione celebrasse, vt patet ex dictis de dispensationibus: cum Sanchez *lib.8.de matrim.disp.24.num.7.* Conincho *loco cit.num.112.* Emanuele Sà *verb. Irregularitas*, & alius apud Sanchez, contra Rodriq. 1 *part. cap.182. in fine*; quamuis toties incurrerit irregularitatem, quoties celebrauit in excommunicatione, nam iteratione facti prohibiti sub irregularitate iteratur irregularitas, vt benè ait Reginald. *lib.30.num.32.* & patet ex supradictis *de censuris*, & ex supradictis *de irregularitate.* Vide Maiol. *lib.14.cap.51.nu.6.* Auilam *loco cit.dub.8.* Suar. *loco cit.& disp.44.sect.3.* Henriq. *lib.13.cap.30.num.3. in comment.litt.F. & lib.14.c.7.num.5.* Coninch. *loc. cit.* Reginald. *num.32.*

2 An qui obtinuit facultatem dispensandi in irregularitate possit cum eo dispensari si obtenta facultate denuo incidat in irregularitatẽ.

2 Vtrùm verò Titius, qui petiit à Summo Pontifice dispensationem irregularitatis contractæ celebrando in excommunicatione, possit in irregularitate dispensari, si post obtentam supplicationem, & priuilegium iterum celebrauit in excommunicatione, antequam virtute illius priuilegij dispensaretur à Confessario, vel ab alio, cui commissa est facultas.

Respondetur affirmatiuè, vt patet, tum ex dictis de legibus: tum etiam ex consilio à me facto, & transmisso ad curiam Archiepiscopalem. Item ex dictis *de pœnitentia*, & *de leg.* constat eum, qui generale priuilegium obtinuit, quo in irregularitatibus dispensari possit ab ordinario, aut alio si contingat aliquarum obliuisci dum ordinarius dispensauit, posse vi eiusdem facultatis in irregularitatibus oblitis dispensari. Ita Henriquez, Syluester, & alij apud Filliucium *n.279.*

3 An in dispensatione necesse sit dicere, *dispenso te toties, quoties incurristi.*

3 Rogabis, vtrùm in concedenda dispensatione necesse sit dicere, *dispenso te toties, quoties incurristi.*

Respondeo negatiue, sed sufficit dicere, *dispenso te super irregularitate, quam celebrando in excommunicatione contraxisti*, &c. Ita Henriquez *loco cit.* & alij. Ratio est, quia actus dispensandi sufficienter exprimitur his verbis, *dispenso te super irregularitate.*

4 An qui incurrit irregularitatem ob duplicem causam teneatur vtramque causam exprimere.

4 Ex dictis sequitur eum, qui contraxit irregularitatem, celebrando in excommunicatione, & suspensione, simul debere in obtinenda dispensatione vtramque censuram exprimere, quia delicta non sunt eiusdem rationis, cùm duæ censuræ specie diuersæ violatæ fuerint, & irregularitas contracta sit ex diuersis causis.

5 An obtinens dispensationẽ ob vnam causam, censeatur dispensatus in irregularitatibus contractis ob aliam causam.

5 Vtrùm verò obtinens dispensationem irregularitatis, cum expressione alicuius causæ, censeatur dispensatus in omnibus irregularitatibus, etiam contractis ex alia causa.

Respondetur, non remanere dispensatum per generalem dispensationem, nisi re vera superior intendat generaliter dispensare. Ratio est, tum quia dispensatio strictam habet interpretationem: tum quia sicut vna irregularitas potest sine alia induci, ita & potest auferri: tum quia concessio solet accommodari petitioni, vt in simili patet ex dictis de absolutione censuratum. Ita Vgolinus *cap.62.* Sayrus *lib.7. cap.12.num.20.* & Suarez *loco citato sect.3.n.2.* Filliuc. *num.281.* & alij quos retuli *de dispensationibus.*

6 An dispensatio sit latè, vel strictè explicanda.

6 Ex dictis rationibus constat, dispẽsationem strictè explicandam esse, & tantummodò extendendam ad ea, quæ tacitè, vel expressè ex intentione concedentis per verba significantur, dispensatio enim est odium iuris, odia autem restringenda sunt; quocirca dispensatus [indefinitè ad ordines, non potest promoueri ad maiores, ex communi Doctorum sententia, *in ca. litteras, de filiis presbyt.* Ratio est, quia dispensatio odiosa est, consequenter restringenda, nisi fortè ex subiecta materia, ex generalitate verborum, aut ex aliis circumstantiis aliter colligatur; nam propositio indefinita æquiualet vniuersali, vt bene Suarez *disp.41.sect.3.num.3.* dispensatus verò ad maiores, censetur etiam dispensatus ad minores; sicut enim maiores ordines virtualiter continent minores; ita dispensatio ad maiores, virtualiter continet dispensationem ad minores; consequenter dispensatus ad maiores, censetur] tacitè dispensatus ad minores, cùm non possit ad maiores promoueri, nisi prius minores receperit; sicut etiam dispensatus in vsu ordinis sacerdotalis censetur dispensatus in vsu inferiorum ordinum, quia in vsu sacerdotalis ordinis virtualiter continetur vsus aliorum, sicut dispensatus ad beneficium, non censetur dispensatus ad ordines, nisi illius beneficij qualitas talem ordinem deposcat. Quare in dispensatione non est faciẽda extensio ad ea, quæ expressè, vel tacitè in ea non comprehenduntur, nec valet argumentari à maiori ad minus, ita vt dispensatus in maiori censeatur etiam dispensatus in minori, nisi minus sit adnexum, & inclusum in maiori, tamquam pars illius. Vide, quæ dixi *de dispensatione in tract. de legib.* & supra *de suspensionib. initio.* & præterea Sanchez *lib.8. de matrim. disp.* 1. Suarez *disp.45.sect.3.* Filliuc. *quæst.* 1. Reginald. *n.22.* Sayr. Vgolin. & alios præcitatos DD. omissis iis, quos retuli *de legibus disp.1. quæst.3.punct.7.*

SECVNDA PROPOSITIO.

7 Quænam forma seruanda sit in concedenda dispensatione.

7 NOn extat certa, & determinata verborum forma in concedenda dispensatione irregularitatis, nullo enim iure probatur eam requiri. Hæc tamen communiter adhiberi potest: Dispenso tecum in irregularitate, vel irregularitatibus, quas ob talem, vel talem causam contraxisti, teque habilem efficio ad susceptionem, & executionem ordinum, & officiorum tuorum, quantum possum, in nomine Patris, &c. Quando verò dubitatur, an irregularitas contracta sit, potest hæc forma adhiberi: Dispenso tecum in irregularitate, si fortè incurristi ob talem, vel talem causam, &c. Ita Henriq. *lib.14.c.17.n.4.* Auila *part.7.disp.10.dub.1.* Sayrus *loco cit.nu.18.* Filliucius *n.180.* Suarez *loco citat.num.2.* Reginald. *n.31.* & alij.

8 An valida sit dispensatio hac forma obtenta, *absoluo te ab irregularitate, quam contraxisti.*

8 Rogabis, vtrùm sit valida dispensatio obtenta sub hac forma, *Absoluo te ab irregularitate, quam contraxisti*, &c.

Respondeo affirmatiuè, modò dispensans intenderit sub ea forma dispensare. Ratio est, quia ad dispensationem irregularitatis non est necessaria certa, & determinata verborum forma. Imo non videntur necessaria verba; ergo valida est dispensatio irregularitatis collata sub hac forma, *absoluo te.*

Addo irregularitatem esse quoddam vinculum, quod sufficienter indicari potest, dissolui & auferri per verbum *absoluo.* Ita Sayrus *loco cit.* Filliucius *n.280.* & alij recentiores, quamquam verbum *absoluo* potius adhibetur ad auferendas censuras, quàm irregularitates.

TRA-

TRACTATVS
DE HORIS CANONICIS,
TAM PRIVATIM, QVAM PVBLICE,
sub pœna restitutionis fructuum, & amissionis distributionum, recitandis:

In quo vniuersæ quæstiones, & difficultates, tam ad internum conscientiæ forum, quàm ad ius contentiosum pertinentes breui, claraque methodo exponuntur.

QVÆ de Horis Canonicis tam priuatim, quàm publicè recitandis pertractari possunt, ea commodè duabus disputationibus explicari posse arbitror.

In I. complectar ea, quæ priuatæ, & publicæ Horarum Canonicarum recitationi communia sunt; de iis tamen præsertim differam, quæ ad priuatum Diuini Officij pensum sub pœna restitutionis fructuum persoluendum, faciunt.

In II. sermo erit de obligatione ad Chorum, & priuatione distributionum ab illis incurrenda, quæ Diuinis Officiis in Choro non intersunt.

DISPVTATIO I.
De iis, quæ ad priuatam Diuini Officij recitationem ab Ecclesia præscriptam pertinent.

EXplicaturus difficultates, & quæstiones, quæ circa Diuini Officij recitationem contingere possunt, hoc ordine prograediar.

In I. quæstione agam de Horarum Canonicarum definitione, institutione, & numero.

In II. de iis, qui ad Horas Canonicas priuatim recitandas obligantur.

In III. de conditionibus, & circumstantiis in recitatione Horarum Canonicarum obseruandis.

In IV. de fructu, & effectu, qui ex Diuini Officij recitatione percipitur.

In V. de grauitate culpæ, & pœna restitutionis fructuum ab eo faciendæ, qui pensum Canonicarum precum prætermittit.

In VI. de causis excusantibus à recitatione Horarum Canonicarum, & à fructuum restitutione.

QVÆSTIO I.
De Horarum Canonicarum definitione, institutione, & numero.

PVNCTVM I.
Quid sint Horæ Canonicæ, seu Diuinum Officium.

DVo principaliter in hoc puncto explicabo.

Primò, quid sint Horæ Canonicæ materialiter sumptæ, id est, quatenus important aliquid permanens, quod ad actum orationis, ipsarum recitatione postea reuocatur.

Secundò, quid sint formaliter, seu quatenus sunt actus orationis actualis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sint Horæ Canonicæ materialiter sumptæ.

1 DIuinum Officium materialiter sumptum, seu Horæ Canonicæ per se sumptæ nihil aliud sunt quàm quædam laudes, & preces ab Ecclesia institutæ ad orandum, & ore laudandum Deum singulis diebus, certis ac definitis horis. Dixi, *laudes & preces*, quia Horis Canonicis Deus oratur, & honoratur.

2 Horæ Canonicæ ab Ecclesia institutæ quid sint.

2 Dixi, *ab Ecclesia institutæ*, quia compactio, & collatio harum precum facta est ab Ecclesia, & nomine Ecclesiæ recitatur; ob id in priuata Diuini officij recitatione dicitur, *Dominus vobiscum*, & multa in plurali recitantur: ex quo fit, vt componens aliquas preces, easque recitans, non dicatur Diuinum Officium persoluere, sed priuata oratione orare.

3 Quotuplex sit oratio.

3 Dixi, *ad Deum ore laudandum*, quia voce proferuntur, ad distinctionem orationis mentalis, quæ mente concipitur, & in mente versatur: oratio enim altera est mentalis, vocalis altera, de qua non est necesse hic peculiarem tractatum instituere, cùm hic solùm de certo vocalis orationis genere loquamur.

Dixi, *singulis diebus, & definitis horis*, quia est onus singulis diebus, & quasi statis horis annexum, vt infra ostendam.

4 Cur Horæ Canonicæ sic dicantur, & appellentur Officiũ

4 Dicuntur, *Horæ*, quia certis diei horis persoluuntur; dicuntur *Canonicæ*, quia per sacros Canones præscriptæ sunt. Dicuntur, *Diuinum Officium*, tum quia Dei laudes continent, & ad Deum laudandum diriguntur: tum quia in eo multa extant, quæ ex diuinis litteris desumpta sunt. Dicuntur autem *Officium*, quia Clerici in hoc præcipuè munere officij recitandi exerceri, & detineri debent, vt optimè Cardinal. Bellarmin. *tomo 4. controuers. tit. de bonis operibus lib. 1. cap. 16. versic. dicuntur*, Macignus *cap. 4. n. 19.* [Paulus Layman *lib. 4. Theologiæ moralis. tract. 1. c. 2. num. 1.*] & alij. Alio nomine dicuntur *pensum*, quia sunt opus, solutio, debitum, & tributum quod Clerici Deo singulis diebus persoluere debent. Diuinum, vel pensũ.

5 Aliquando dicuntur *Officium de Sanctis*, quia celebrantur, & offeruntur in memoriam Sanctorum. 5 Cur dicantur Officium de Sanctis, vel de mortuis.

Aliquando dicuntur, *Officium mortuorum*, quia in defunctorum suffragium, & auxilium recitantur, vt in simili patet ex dictis de sacrificio Missæ *in tract. de Sacramentis*. Vide Bellarmin. *lib. 1. de bonis operib. c. 10.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. c. 1. n. 12.* Azorium *lib. 10. c. 1. quæsito 1.* Carolum Macignum *de Hor. Can. cap. 4. num. 17.* Filliucium *to. 2. tract. 23. c. 3. quæsito 4.* Lessium, & alios Doctores inferius citandos, qui de nominis etymologia disputant.

SECVNDA PROPOSITIO.

6 Quid sint Horæ Canonicæ formaliter consideratæ.

6 HOræ Canonicæ formaliter consideratæ, vt sunt actus orationis, nihil aliud esse videntur, quàm actus quidam Religionis, vel obedientiæ, aut etiam iustitiæ, quo non solùm Deus laudatur, verum etiam explicatur desiderium Ecclesiæ, & à Deo, vel à Sanctis petuntur res decentes, iuxta eiusdem Ecclesiæ præscriptum. Ita colligo ex S. Thom. 2. 2. *quæst. 83. art. 1. & sequent.* Caietano *ibidem art. 4.* Nauarro *de orat. cap. 4.* Lessio *libro 2. cap. 37. dubio 2. in principio*, Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 1.* Ioanne Maldero *de virtutibus tract. 10. cap. 2.* Bellarmino *tomo 4. de bonis operibus lib. 1. cap. 1. pagina 1003. & cap. 10.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 1. cap. 1. num. 6. & cap. 2. num. 2.* Filliucio *tomo 2. tract. 23. cap. 7. quæsito 1.* Azorio *1. parte lib. 9. ca. 29. quæsito 1.* [Paulo Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 1. num. 1.*] & aliis apud præcitatos Doctores loquentibus de oratione, & ex Carolo Macigno *in tract. de Horis Canonicis cap. 5. num. 4.* in specie de hac re loquente.

7 Cuius virtutis actus sit Diuini Officij recitatio.

7 Dicitur, *actus virtutis religionis*, tum vt indicetur genus, in quo officij recitatio conuenit cum aliis orationibus: tum vt indicetur habitus virtutis ad quem pertinet; cùm enim Deus officij recitatione, & oratione colatur, & rerum omnium auctor indicetur, qui est actus religionis, sequitur recitationem officij ad virtutem religionis pertinere. Ita Suarez *tomo 2. de relig. lib. 1. cap. 29.* Filliucius *tomo 2. tractat. 23. cap. 2. quæsito 2.* Malderus *loco citato*, Less. *loco citato, nu. 7.* Azorius *lib. 9. cap. 29. quæst. 4.* Valentia *loco cit.* S. Thomas, Riccardus, & alij apud præcit. Doctores.

Dixi, *actus religionis, vel etiam obedientiæ*, vt innuerem Horas Canonicas, non solum ex præscripto virtutis religionis, verùm etiam obedientiæ recitandas esse, vt inferius explicabo *quæst. 3. punct. 1.*

8 Cuius potentiæ actus sit Officij recitatio.

8 Dixi, *explicatur desiderium Ecclesiæ, & petuntur*, &c. vt cognoscatur, cuius potentiæ actus sit recitatio Diuini Officij; cùm enim desiderium sit actus voluntatis, & petitio sit actus intellectus apprehendentis, & postulantis quod voluntas desiderat, sequitur officij recitationem, vt oratio est, ad actum intellectus, & voluntatis pertinere. Suarez *tom. 1. de relig. lib. 1. cap. 3. num. 12. & seqq.* Azorius *1. parte lib. 9. cap. 29. quæsito 3.* Valentia *tomo 3. disp. 6. quæst. 2. puncto 1.* [Paulus Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 1. nu. 1.*] & alij sequentes D. Thomam *2. 2. q. 83. art. 1. & 3.* [contra Medinam *de orat. q. 2.*]

9 A Deo obtinetur id, quod desideratur, quamuis petatur verbis aliud significantibus.

9 Hac occasione obiter obserua obtineri posse à Deo quod petitur, quamuis Psalmi, & preces, quæ Deo funduntur, aliam habeant significationem. Ratio est, quia Deus intuetur desiderium, mentem, & cor nostrum, nobisque largiri dignatur id quod optamus, licet aliis verbis exprimamus. Ita Biel. *in canon. Miss. lect. 62. litt. O.* & alij, quos citat, & sequitur Car. Macig. *de Hor. Can. c. 3. n. 28.*

10 Quænã petenda sint in oratione.

10 Dicitur, *quo explicatur desiderium, & petuntur res decentes*, vt significetur res bonas, & decentes à Deo exposcendas esse: hoc enim commune est omni orationi ritè factæ, vt communiter docent Commentatores in illum Euangelij locum, *Si quid petieritis Patrem in nomine*

mine meo, &c. Quamobrem res turpes, aut saluti nostræ obnoxiæ peti non possunt absque peccato, Deus enim non est mali fautor, & auctor, sed odio prosequitur impium, & impietatem eius, & oratio, qua aliquid malum à Deo petitur, non est oratio, sed execratio, inquit Caiet. *loc. cit.* Suarez *loc. cit. c.* 2. & alij communiter, contra Ioannem Malderum *tract.* 10. *cap.* 2. *versic. Dicendum*; quamquam eius sententia in bonum sensum trahi potest. Res verò indifferentes, vt diuitiæ, beneficium, &c. peti possunt sub conditione tacita vel expressa, si nobis profutura sint, vel si Deus ea nobis expedire iudicauerit, cùm enim nobis compertum non sit an detrimentum salutis nostræ spiritualis ex illis obuenturum sit, non debemus illa absolutè petere, ne illa saluti nostræ præferre videamur. Azorius *lib.* 9. *cap.* 34. *quæs.* 2. & alij Doctores citati.

11 An peccatum incurratur dum res indifferentes absolutè petuntur.

11 Imò si res indifferentes per se præcisè petantur sine immoderato appetitus desiderio, nimiaque solicitudine, omnem culpam euitari putant Lessius, & Filliucius. Ratio est, tum quia cùm indifferentes sint, neque noxiæ existimentur, neque indebito modo petantur, nullam petitioni malitiam communicant: tum quia multi, præsertim rudes, & simplices rei essent culpæ, cùm nullam in suis orationibus conditionem adiiciant: tum quia huiusmodi bona conferuntur à Deo in præmium, & remunerationem bonorum operum, quæ in statu mortalis peccati fiunt, iuxta illud, *quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ*. Ergo peti possunt absque peccato; præmium enim expeti potest. Ita Lessius *lib.* 4. *numer.* 21. *ad finem.* Filliucius *quæsito* 5. *num.* 50. S. Thomas *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. *art.* 1. *quæstiuncula* 2. dum asserit illam particulam, *decentium*, non esse de essentia orationis. Contrarium docent Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2. *puncto* 5. *in respons. ad* 2. [Paulus Layman *lib.* 4. *Theologiæ moral. tract.* 1. *cap.* 1. *nu.* 9. *corollario* 2.] & Suarez *cap.* 23. *num.* 5. cuius verba hic referre decreui, vt res tanti momenti facilius intelligatur, & discutiatur. Petitio, inquit Suarez, de materia indifferente, vt sic, non potest pertinere ad Diuinum cultum, quia continet petitionem rei indecentis à Deo. Nam illa petitio proficiscitur ex desiderio, & postulat à Deo, vt illud impleat, desiderium autem habendi rem indifferentem propter seipsam, & sine intuitu honestatis, est turpe desiderium, & ideo petere à Deo, vt tale desiderium impleat, turpe etiam est, qua de causa non potest ad Dei cultum pertinere. Fallitur ergo, qui dicit se ita petere propter cultum Dei, non enim petit, nisi propter concupiscentiam suam, vt illi satisfaciat, vel etiam si aliquo modo intendat cultum, practicè errat, quia vtitur medio, seu materia improportionata ad cultum, & ita non verum, sed fictum, & apparentem cultum intendit. Non audeo tamen dicere talem orationem semper esse peccatum mortale.

Hactenus Suarez, cuius opinio rigorosa nimis videtur, mihique magis probatur opinio Lessij & Filliucij, tum propter rationes à me allatas: tum quia huiusmodi oratio, licet proficiscatur à desiderio habendi rem indifferentem, nihilominus desiderium habendi rem ex se indifferentem, si ex bono motiuo eliciatur, vel si res illa consentanea sit naturæ, petitio, seu desiderium non est indifferens, nec malum, cùm ex communi doctrina, quam probaui *de matrimonio q.* 4. desiderium sit actus inefficax, qui bonitatem, vel malitiam sumit à motiuo iuxta motiui qualitatem; tum quia actus circa rem indifferentem, si iuxta dictamen rectæ rationis fiat, bonus est in indiuiduo, vt docui *de legibus disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 1. cum S. Thoma, Salas, Sanchez, & aliis; dum autem huiusmodi res in oratione petuntur, regulariter petuntur iuxta dictamen rectæ rationis, præscribentis non solùm ea peti posse, quæ ad Dei cultum referuntur, nisi malitiam ex se habeant: verùm etiam, quæ ad vitam nostram traducendam conducunt; sicut enim cuique à natura datum est, vt seipsum tueatur, & seruet, ita etiam tributum est, vt debitis vtatur mediis ad hunc finem obtinendum: tum quia res indifferens non tollit bonitatem, quam actus ex sua natura, & ex obiecto habet: oratio autem est actus ex sua natura bonus, respiciens Deum tamquam obiectum.

Hinc facilis est responsio ad argumentum Suarez; negandum enim est huiusmodi petitionem non pertinere ad Dei cultum, si fiat iuxta rationis dictamen, & sine immoderato affectu, vel sine periculo abutendi temporalibus bonis, quibus multi sæpius malè vtuntur, & hoc pacto intelligendi sunt Sancti, qui orationem de temporalibus, seu indifferentibus bonis arguunt, & reprehendunt.

12 Oratio non solum Deo, verũ etiam Sanctis fieri potest.

12 Dixi, *à Deo, vel à Sanctis*, &c. primò vt docerem non solum ad Deum, verum etiam ad Sanctos orationem diuini officij aliquando dirigi, sed diuerso modo: Deo enim funditur oratio, tamquam primario vitæ, & salutis auctori, Sanctis verò tamquam adiutoribus, ad orandum Deum, & tamquam administratoribus ad præstanda nobis quædam beneficia, exempli gratia, suggerendo bona consilia, purasque cogitationes, Dæmones fugando, mala impediendo, & similia: & hoc pacto intelligendæ sunt orationes, quæ ad Sanctos diriguntur. Videri potest S. Thomas 2. 2. *quæst.* 83. *artic.* 11. Valentia 2. 2. *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 7. Lessius *loco citato*, *dub.* 6. Suarez *loco cit. c.* 9. & 10. Malderus *loco cit. c.* 2. *vers. Respondeo optimè*. Azorius *loco cit.* Filliucius *tract.* 23. *c.* 3. *quæsito* 9.

Secundò vt indicarem Deum orari posse nõ solùm in virtute meritorum Christi, verùm etiam Sanctorum, Psal. 131. *Memento Domine Dauid*, &c. & Danielis 30. *Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham seruum tuum*, &c.

13 Probabile est animas in Purgatorio existentes orari posse.

13 An autem animæ in Purgatorio existentes orari possint, dissensio est inter DD. Nam S. Thomas 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 4. *ad* 3. Filliucius *num.* 61. & Theologi communiter, teste Azorio *parte* 1. *lib.* 9. *cap.* 30. *quæsito* 4. existimant orari non posse; quia non sunt in statu, quo nostras preces cognoscere valeant, consequenter vana & inutilis esset oratio. Contrarium tenet Medina *C. de orat. quæst.* 4. *vers. de animabus*, Graffius, Coninchus, & alij quos retuli *de Sacramentis disp.* 6. *q.* 1. *punct.* 6. *ad finem*: tum quia per Angelos custodes admonentur: tum quia de quodam Paschasio in Purgatorio existente miracula patrasse refert S. Gregorius 4. *Dialog. cap.* 40. & 41. & hæc opinio mihi non videtur improbabilis, si de priuata oratione loquamur, & hinc patet responsio ad argumentum in contrarium. Vide quæ inferiùs tradam *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 8.

PVNCTVM II.

Quo iure præscriptæ sint Horæ Canonicæ.

1 Propo-nuntur rationes ad ostendendum Horas Canonicas iure diuino præscriptas esse.

1 RAtio dubitandi [ad probandum Horas Canonicas institutas esse iure diuino,] est, primò quia non constat, quo tempore ab Ecclesia fuerint institutæ; ergo videntur institutæ iure diuino.

Secundò, quia illud videtur diuino iure institutum, cuius mentio, & memoria in Scriptura habetur; sed mentio & memoria istarum precum habetur in Scriptura, Psal. 118. *Septies in die laudem dixi*, &c.

Tertiò, quia Horæ Canonicæ appellantur diuinum Officium; ergo iure diuino videntur institutæ. Ita Panormitan. *in cap.* 1. *de celebrat. Miss.* Angelus *ver. Horæ quæst.* 6. Tabiena *eod. ver. quæst.* 15. & alij Summistæ apud Azorium *loco* statim *citando*, & apud Carolum Macignum *de Horis Canonicis c.* 9. *n.* 15. *& seq. & c.* 23. *n.* 3. & 4.

VNICA PROPOSITIO.

2 Horæ diuinæ iure Ecclesiastico institutæ sunt.

2 HOræ Canonicæ non sunt de iure diuino, sed Ecclesiastico. Ratio est, tum quia neque ex Scriptura, neque ex Ecclesiæ traditione, neque ex Sanctorum Patrum testimonio colligitur Canonicas preces iure diuino institutas fuisse: tum quia communiter appellantur Horæ Canonicæ, quia per sacros Canones præscriptæ, & ab Ecclesia institutæ sunt ad laudandum Deum, exemplo Dauidis Prophetæ, qui septies in die laudes dicebat Deo: *Septies in die*, &c. Quibus verbis non ostenditur Horas Canonicas esse de iure Diuino, sed tantummodò exprimitur, & continetur factum Dauidis, quod non indicat obligationem, alioquin sequeretur omnes Reges ad Horas recitandas obligari. Ita Bellarminus *lib.* 1. *de bonis operibus cap.* 19. *vers. ad priorem.* Vincentius Filliucius *tom.* 2. *tract.* 23. *c.* 3. *quæsito* 5. *n.* 90. *& c.* 5. *n.* 146. Sylvester *verb. Hora. quæsito* 8. *numer.* 9. Azor. *lib.* 10. *c.* 1. *quæsito* 7. *& c.* 4. *quæsito* 13. Suarez, & alij *locis* statim *citandis*. [quibus post iteratam huius tractatus editionem adde Augustinum Barbosam *in collectanea c. presbyter. de celebr. Miss. num.* 16. *& in c. docentes num.* 13. *de celeb. Miss.*]

3 Quãdonã Horæ Canonicæ ab Ecclesia institutæ sint.

3 Ad primam rationem in contrarium respondeo negando non constare quandonam Horæ Canonicæ fuerint institutæ. Perspicuum enim est Horas Canonicas, quatenus important Diuinum Officium absolutè sumptum, & quoad substantiam, originem vsque à temporibus Apostolorum traxisse. Actorum 3. *Petrus, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*, idemque ex *Clem.* 1. *lib.* 8. *cap.* 34. Basil. *epist.* 93. *apolog. ad Cler. Neocæsar.* Tertulliano *in apolog. cap.* 39. optimè probant Suarez *de relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 6. *& seqq. & c.* 6. *num.* 14. Bellarminus *loco citato, cap.* 13. Molfes. *tract.* 5. *ca* 1. *num.* 21. Azorius 1. *parte lib.* 10. *cap.* 1. *quæsito* 6. Filliucius *cap.* 3. *nu.* 89. Carolus Macignus *de Horis Canonicis cap.* 6. *numer.* 4. Francolinus *de Horis Canonicis c.* 13. *n.* 10. *& seqq.* & alij, licet si considerentur quoad formam, & numerum horarum non constet, quandonam fuerint institutæ. Certum tamen est illas ab initio aliquam formam habuisse, & postea in hunc, qui modò existit, modum redactas fuisse, vt patet ex Bulla Pij V.

4 Respondetur rationibus in contrariũ allatis.

4 Ad secundam patet responsio ex secunda ratione propositionis, in Scriptura enim non extat præceptum istarum precum; sed exemplum & factum Dauidis, qui septies in die Deum optimum laudabat.]

Ad tertiam respondeo, Horas Canonicas appellari Diuinum Officium, non à causa instituente, sed potius à materiali, & finali, quia diuinas laudes continent, & ad Deum laudandum diriguntur, & ordinantur.

Ex dictis colligitur, primò quandonam fuerint institutæ Horæ Canonicæ.

5 Papa potest cum beneficiario, vel Clerico sacris initiato dispensare circa recitationem officij, non vero Episcopus. Cardinalis, aut alij.

5 Secundò, Summum Pontificem posse cum Beneficiario, vel Clerico Sacris initiato dispensare circa obligationem Diuini Officij recitandi, etiamsi aliud onus non iniungat: nam Summus Pontifex potestatem habet dispensandi in iure Ecclesiastico: institutio autem Horarum Canonicarum Ecclesiastico iure præscripta est. Ita Sylvester *verb. Hora. quæsito* 8. Toletus *lib.* 2. *c.* 4. *num.* 6. Nauarrus *c.* 11. *n.* 31. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 10. *§. Circa septimum.* Suarez *tom.* 2. *de Relig. c.* 23. *num.* 16. *& cap.* 28. *num.* 38. vbi plures alios Doctores refert. Filliucius *tom.* 2. *cap.* 9. *quæsito* 10. *num.* 303. & alij, quos retuli *de dispensationibus.*

Tertiò, Cardinales non posse cum suis familiaribus circa Diuini Officij recitationem dispensare; imo neque Collegium Cardinalium Sede vacante dispensare posse, vt patet ex dictis *de legibus disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 3. *numer.* 26. [& constabit ex dicendis illatione proximè sequenti.]

Quartò, Episcopum non posse sibi subditos ab onere diuini Officij persoluendi eximere: nam onus Diuini Officij est de iure communi Ecclesiastico; Episcopus autem regulariter loquendo, potestatem non habet circa ius commune. Ita Nauarrus *loco citato, num.* 24. Sylvest. *ver. Hora. quæst.* 8. Azorius *lib.* 20. *ca.* 23. Filliucius *n.* 304. & alij communiter, quos refert Suarez *numer.* 40. [& nonnullos ego referam *q.* 3. *punct.* 1. *num.* 19.] contra quemdam Gerardum. An autem aliquando, vt in casu dubio, dispensare possit, patet ex dictis de legibus, vbi ostensum est posse: idem in terminis tradit Suarez *num.* 40. *ad finem.*

Quintò, superiores Religiosorum non posse à Religiosis sibi subditis Sacris Ordinibus initiatis obligationem Diuini Officij auferre. An verò dispensare possint cum aliis, qui tantummodò ratione professionis Diuinum Officium recitare tenentur, constabit ex dicendis *punct.* 2. *q. proximè sequenti. n.* 9.

PVN-

PVNCTVM III.

Quot sint Horæ Canonicæ.

IN puncto proximè præcedenti explicatum est quo iure præscriptæ sint Horæ Canonicæ, videndum modò est, quot Horæ præscriptæ, & institutæ fuerint.

VNICA PROPOSITIO.

1 Horæ Canonicæ sunt septē.

1 HOræ Canonicæ sunt septem, videlicet Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium. Hæc propositio non est æquè certa apud omnes: duplex enim est Doctorum opinio.

2 Affertur prima sententia asserens Horas Canonicas esse octo.

2 Prima sententia est Horas Canonicas esse octo. Ita Nauarrus *c.3.de Horis Canonicis n.27.* D. Antoninus *3.parte tit.9.c.12.§.1.* Francolinus *c.12.n.4.* Rodriquez *in Summa 1.parte c.140.n.1.* & alij apud Nauarrum *loco cit.* & apud Carolum Macignum *cap.7.nu.57.58. & seqq.* vbi pro hac sententia refert SS. Basilium, Ambrosium, Benedictum, Isidorum, & alios quamplures. Ratio est, primò quia Matutinum à Laudibus distinguitur, & Matutinum, & Laudes duas Horas constituunt, & reliquæ Horæ sunt sex, Prima, Tertia, &c. Secundò, quia sicut distinctio numerica motuum in physicis desumitur à diuersitate temporis, ita etiam distinctio numerica Horarum Canonicarum desumenda videtur ab Horis, seu temporibus quibus Horæ persolui possunt: sed Matutinum diuerso tempore persolui potest à Laudibus; ergo Matutinum à Laudibus distinguitur; ergo Matutinum, & Laudes sunt duæ Horæ Canonicæ: ergo sunt octo Horę Canonicæ. Tertiò, quia Horæ Canonicæ ab Ecclesia institutæ sunt, exemplo Dauidis, sed Dauid octies ad Deum preces fundebat, Deum enim laudabat media nocte, iuxta illud: Media nocte surgebam ad confitendum tibi, & septies in die; & iuxta illud: Septies in die laudem dixi tibi; ergo negandum non videtur, quin octo sint Horæ Canonicæ.

3 Proponitur, & probatur opinio Auctoris sustinentis esse tantummodo septem.

3 Secunda sententia, quæ mihi verior, & sustinenda videtur, est, Horas Canonicas esse tantummodò septem. Ita Sotus 10. *de Iust. quæst.5.art.4.* Garzias *de benef.3.parte cap.1.num.224.* Vincentius Filliucius *tom.2.tract.23.cap.3.puncto 8.numer.107.* Molfesius *loco citato*, Syluester, Angelus, Tabiena, & alij apud Suarez *tom.2.de Relig.lib.4. cap.6.n.6.* [Paulus Layman *lib.4.tract.1.cap.2.* & nouissimè Barbosa *in c.presbyter.n.17.de celebr.Missar.*]

4 Cur septem Horæ institutæ fuerint.

4 Ratio est, tum quia hęc est communior Doctorum opinio, & communis fidelium sensus, qui Diuinum officium, septem Horas Canonicas appellant: tum quia Horę Canonicæ non sunt plures, quàm ab Ecclesia institutæ sint: sicut enim ab Ecclesia institutionem habent, ita etiam numerum; Ecclesia autem instituit tantummodò septem Horas, vt patet ex *cap.1.de celebrat.Missarum*, ex *Clem.1.de reliq.& venerat.Sanctorum*, & ex *Breuiario Romano*, vbi septem Horæ nuncupantur: tum quia Canonicæ preces ab Ecclesia præscriptæ sunt, ad significandam mundi creationem: sicut ergo septem diebus completa fuit mundi creatio, ita etiam septem Horis Canonicis Diuinum Officium compleri dicendum est: tum quia Horæ Canonicæ, vt fatetur opposita sententia, institutæ sunt exemplo Dauidis: sed Dauid fatetur se tantummodo septies Deum in die laudasse; ergo: tum quia Horæ Canonicæ institutæ sunt ad reuocandum in memoriam Christi passionem. Veneranda autem Christi passio septem pręcipuis mysteriis continetur, vt patet ex illis quinque versibus, qui passim circumferuntur, eosque recensent Molfesius *loco cit. cap.1.* Carolus Macignus *cap.7.de Horis Canonicis num. 128. & ca.48. n.32.* Reginaldus *lib.18.* Toletus *lib.2.c.9.* Filliucius *n.109.* & alij.

Hæc sunt septenis, propter quæ psallimus horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet fletibus, causam dat Tertia mortis,
Sexta cruci nectit, latus eius Nona bipertit,
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

5 Quanam hora Christus cruci affixus fuerit.

5 Circa illa verba, *causam dat tertia mortis, Sexta cruci nectit*, difficultas incidit obiter soluenda, quanam Hora Christus cruci affixus fuerit.

Respondetur Christum realiter fuisse affixum cruci hora ferè sexta, vt habetur *Ioan.19.* Hora verò tertia non quidem realiter cruci affixus, sed tantummodo clamoribus, & linguis Iudæorum crucifixus fuit: hoc pacto explicanda sunt illa verba Marci 15. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt*, id est, clamoribus, & lingua, quia clamabant Christum crucifigi: hoc etiam pacto explicanda sunt illa verba, quę continentur in hymno horæ tertiæ, iuxta ritum Ambrosianum,

Iam surgit hora tertia,
Qua Christus ascendit Crucem.

Non enim intelliguntur de reali ascensu, sed de ascensu facto per verba Iudæorum. Ita Nicolaus de Lira, & alij apud Azorium *1.part.lib.10.c.2.quæsito 9.*

6 Respondetur argumentis oppositæ sententiæ.

6 Ad primam rationem in contrarium respondeo, supponere id, quod probandum est: probandum enim est Matutinum, & Laudes distinctas numero preces constituere.

Ad secundam, primò dici posset, Matutinum, & laudes non posse, per se loquendo, sine peccato veniali diuerso tempore persolui, & recitari, nisi adsit aliqua causa, iuxta Garziam *de benefic.3.parte cap.1. n.224.* & alios. Secundò etiamsi admitterem, vt inferius re ipsa admittam, Matutinum, & Laudes diuerso tempore recitari posse: non tamen hinc infertur Matutinum, & Laudes diuersas numero preces constituere, sicut antiquitus nocturna diuersis temporibus recitabantur, iuxta sententiam nonnullorum Doctorum, quam approbat Vincentius Filliucius *tomo 2.tract.23.cap.3.numer.122.* nec improbat Suarez *loco citato*, & Azorius *1.parte lib.10.c.2. quæsito 2.* & tamen diuersas horas non constituebant: ita ipsæmet horę diuersis temporibus recitantur, & tamen diuersa Diuina Officia non constituunt. Quamobrem vnitas vel distinctio Canonicarum precum non est desumenda à tempore, quo ipsæ recitantur, alioquin sequeretur Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam numero inter se non distingui, dum eodem tempore successiuè persoluuntur, sed ex alio potius capite desumenda videtur, nempe ex institutione Ecclesiæ, & ex similitudine desumpta à quantitate. Sicuti enim Philosophi illam appellant vnam quantitatem, quæ propriis terminis finitur, & clauditur, ita etiam illa moraliter dicetur vna hora, quæ proprium habet principium, & terminum, seu finem Horæ Canonicæ, siue eodem, siue diuerso tempore dicatur, & recitetur, vt bene argumentatur Suarez *tom.2.de Relig.lib.4.ca.6.num.15.* à quo eamdem rationem mutuauit Vincentius Filliucius *loco cit.cap.3.quæsito 9.num.110.* nullam auctoris faciens mentionem.

Ad tertiam respondeo locum Dauidis, *septies in die*, &c. intelligendum esse de die naturali, qui viginti quatuor horas complectitur, non verò de artificiali ciuili, & mathematico. Quamobrem ex eo loco argumentum potius desumitur ad nostram sententiam comprobandam; & illa verba, *media nocte*, non sunt sumenda ad indicandas Laudes diuersas ab iis, quas in præfato versiculo Dauid decantabant, *septies*, &c. nox enim eo loci non distinguitur à die naturali, qui viginti quatuor horas complectitur.

Ex dictis colligi potest primò Horas Canonicas esse tantummodò septem.

Secundò colligi possunt rationes congruentes, propter quas septem tantummodo Horæ Canonicæ ab Ecclesia præscriptæ sunt. Vide Azorium *1.parte lib.10.ca.1.quæst.3.* Bellarminum *c.13.* Molfesium *loco citato, c.1.* Suarez, & Sotum *locis citatis*, Carolum Macignum *loco citato, n.130. & seqq.* & Gloss. *in c.1.de celeb. Missarum.*

Tertiò colligitur eum qui priuilegium obtinuit omittendi singulis diebus duas horas, quas voluerit, posse non solùm Matutinum & Laudes, verùm etiam Primam intermittere.

QVÆSTIO II.

De iis, qui ad Horas Canonicas recitandas obligantur.

IN huius quæstionis explicatione gradatim procedam.

Prius enim ostendam in genere quinam possint, & teneantur orare.

Secundò, vtrùm Religiosi teneantur Diuinum Officium recitare.

Tertiò, vtrùm Clerici Sacris Ordinibus initiati.

Quartò, vtrùm Beneficiarij.

Quintò, quandonam isti ad onus Diuini officij obligari incipiant.

PVNCTVM I.

Quinam possint, & teneantur orare.

DVo principaliter explicanda propono in hoc puncto.

Primò, quinam in genere orare possint.

Secundò, quinam teneantur.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quælibet natura rationalis orationalis orare potest.

1 QVælibet natura rationalis orare potest. Ita S.Th.2.2.*q.83.art.*10. Bellarminus *tom.4.de bonis operibus lib.1.cap.7.* Azorius *1.parte lib.9.cap.29.quæsito 5.* Valentia *tom.3.disp.6.quæst.2.punct.1.* Suarez *tom.2.de Relig.lib.1.cap.12.n.7.* Less. *lib.2.cap.37.dub.5.* & alij communiter. Ratio est, quia oratio est quædam locutio, seu petitio, qua cum subiectione petitur à superiore quod desideratur: locutio autem, seu petitio propria est naturæ rationalis.

2 Oratio non conuenit vlli personæ diuinæ.

2 Ex quo licet inferre, primò, orationem actiuam nulli personæ diuinæ conuenire, quia Deus superiorem non agnoscit, à quo aliquid cum subiectione petere possit, nam omnes tres personæ diuinæ sibi coæternæ sunt, & coæquales.

Neque obstat illud ad Romanos 8. *Quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; nam hic locus metaphoricè accipitur pro eo quod est, postulare facit, seu postulandi, & orandi vim, & facultatem tribuit. Ita Sanctus Augustinus *in libro de bono perseuerantia cap.23.* quem citat, & sequitur Azorius *loco cit.quæs.6.* vbi etiam alias expositiones adducit, idemque tenet Valentia, & alij Doctores statim citandi.

3 Oratio conuenit Christo secundum humanam naturam consideratę.

3 Secundò orationem Christo conuenire, vt homo est: quamuis enim pro omnibus exactè in hac vita satisfecerit, nobisque omnia bona sua passione meruerit, nihilominus dum in cœlo existit, Deum interpellat pro nobis, non solùm repræsentando vulnera, & cicatrices, verùm etiam petendo bona, quæ nobis successu temporis conferuntur, vt ex multis Scripturæ locis colligitur, 1. Ioannis 2. *Sed etsi quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.* Ioannis 14. *Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Ad Hebræos 7. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* In quem locum Ambrosius sic loquitur: Christus resurgens semper causas nostras agit apud Patrem, cuius postulatio contemni non potest, quia in dextera Dei est, hoc est, in honore quo Deus est. Ita Suarez *3.parte disput.45.quæst.2.sect.2.* Azorius *loco citato quæsito 7.* Lessius *loco cit. dubio 5.num.24.* [Paulus Layman *lib.4.tract.1.cap.1. numer.6. concl.4.*] Toletus *in cap.16.Ioannis.* Valentia *loco cit.punct.1. versicul. Porrò, & puncto 6. ad finem*, Filliucius *tom.2.tract.23.cap.2.quæsito 8.num.57. & seq.* contra Vasquez *de adorat.lib.1.disp.4.cap.2.* [Becanum *3.part. tractat.de Incarnat.cap.17.q.4.* & alios, asserentes Christum in cœlo non verè orare: sed solum interpretatiuè repræsentando Patri suam passionem, quam pro nobis sustinuit.]

Obiicies primò, si Christus pro nobis in cœlo Deum oraret, fas nobis esset illum orare, vt pro nobis oret: licitum enim videtur petere, vt fiat id, quod re ipsa fit. Videtur autem contra communem Ecclesiæ praxim rogare Christum, vt pro nobis oret, cum potiùs oretur, vt nobis conferat, vt nostri misereatur, vt nobis opem ferat. Matth.28. *Christe adiuua nos, Iesu fili Dauid miserere nostri.*

Respondeo non videri illicitum, speculatiuè loquendo, Christum

vt

vt hominem rogare, vt pro nobis oret: practicè tamen, præsertim in publica oratione, hoc faciendum non esse: tum quia preces nostræ dirigi solent, non ad naturam humanam, sed ad personam in natura humana subsistentem, quæ sua potestate dare, & conferre potest: tum quia, licet Christus secundum naturam humanam spectatus, possit adoratione hyperduliæ adorari; tamen sicut semper decet, dum aliquem alloquimur, summo honoris titulo compellare, ita in praxi expedit Christum honore latriæ honorare, & ad ipsum orationes fundere, non vt pro nobis oret, sed tribuat, conferat, & audiat. Ita Lessius *loco cit. n.* 26. Azorius *loco cit. quæs.* 8. & alij.

[Obiicies secundò cum Vasquez, Becano & aliis, Christus nunc in cœlo existens, habet plenissimam potestatem, ita vt facere possit quicquid libet, Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*; ergo opus non est ad ipsum confugere, vt aliquid pro nobis impetret, cùm potestate sibi a Patre data vti possit ad libitum.

Respondeo plenitudinem potestatis non esse collatam humanitati vt sic, sed Christo, qui constat diuina, & humana natura, & locus Matthæi intelligendus videtur de Christo, non de humanitate Christi vt sic: vt in simili docet idem Becanus *3. p. c. 7. q. 3.* loquens de communicatione idomatum, Bellarm. *lib. 3. de Christo c. 15.* & Valentia *de Incarnat. q. 2. punct. 3. §. 3.* Non tamen hinc sequitur quin Christus secundùm humanitatem orare possit Deum pro nobis, præsertim cùm opera Dei ad extra communia sint sanctissimæ Trinitati.

Obiicies tertiò, Christus in hac vita perfecit opus redemptionis, & omnia nobis impetrauit, quæ ad salutem necessaria sunt. Hebræorum 10. *Vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* Ergo nunc in cœlo nihil pro nobis petit, nam si aliquid peteret quod antea impetrasset, frustra peteret.

Respondeo Christum per passionem suam perfeciisse opus redemptionis, & meruisse nobis omnia ad salutem necessaria; redemptio tamen, & merita Christi applicari possunt per intercessionem & orationem Christi, vt nobis efficaciter prosint.

Obiicies quartò, Oratio est ascensio mentis in Deum, ex Damasceno; sed mens Christi non potest, nec potuit de nouo ascendere in Deum, cùm ab instanti conceptionis habuerit visionem beatificam; ergo Christus non potest, nec potuit vmquam orare.

Respondeo primò, definitionem orationis esse illam, quam ego assignaui puncto primo; illam verò Damasceni non esse vniuersalē.

Respondeo secundò, mentem Christi ascendere de nouo ad Deum per nouum affectum, & desiderium impetrandi aliquid à Deo, vt etiam patet in Angelis, aliisque Beatis, qui Deum semper vident, & amant, sed non semper habent affectum, & desiderium impetrandi hoc, vel illud; ita Suarez *c. 5. n. 12.* Becanus *c. 17. q. 1. n. 4.*

Respondeo tertiò ex hac obiectione sequi Christum in hac vita numquam orasse, quod est falsissimum.]

4 Oratio conuenit Angelis.

4 Tertiò licet inferre orationem Angelis conuenire: tum quia sunt naturæ rationales superiorem habentes: tum quia *Tobiæ* 12. dicitur Quando orabas cum lacrymis, inquit Angelus, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino: tum quia sic apertè constat ex *Danielis* 10. ibi, *Nemo adiutor meus, nisi Michael.* Ita Suarez *to. 2. de relig. lib. 1. cap. 11.* Lessius *loco citato*, Azorius *quæst. 9.* [Paulus Layman *lib. 4. tract. 1. c. 1. nu. 6. concl. 3.*] Is autem dicitur orationem alterius Deo præsentare, seu offerre, qui non solùm narrat quod alter desiderat, & petit, sed etiam ipse simul orat, dum orationem alterius exhibet, & præsentat, vt optime Suarez *loco citato, num. 8.*

5 Sancti nō solum pro nobis, verum etiam pro seipsis orare possunt.

5 Quartò, Sanctis in cœlo existentibus orationem conuenire, vt patet ex ratione sæpiùs allata. Addo Sanctos in cœlo existentes non solùm posse pro nobis orare principaliter in virtute meritorum Christi, aut secundariò in virtute propriorum meritorum; verùm etiam pro seipsis, dum autem pro seipsis orant, non petunt ea, quæ pertinent ad beatitudinem essentialem, quia illam iam habent, seque illam perpetuò habituros norunt: neque petunt illius augmentum cùm illud secundùm ordinariam Dei prouidentiam obtinere nequeant, hocque desiderium statui beatitudinis repugnet. Petere tamen possunt, quæ pertinent ad beatitudinem ipsorum accidentalem, reuelationes aliquarum rerum quas ignorant, complemētum numeri prædestinatorum, & felicitatem suorum corporum. Apocalyp. 6. vidit Ioannes sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei clamantes ad Deum, *Vsquequò Domine non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum*; quem locum Doctores communiter explicant de oratione, qua animæ suis corporibus cōiungi petunt. Ita S. Thom. *2. 2. quæst. 83. articul. 11.* Alensis *4. parte q. 26. art. 4. §. 2.* Valentia *punct. 6. & 7.* Suarez *n. 10. & seq.* Azorius *quæsito 9.* vbi refert S. Augustinum, Gabrielem, & alios. [Paulus Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 1. nu. 6.*

6 An Sancti prænoscant euentum orationis quam ad ipsos dirigimus.

6 Dices, Sancti dum pro nobis ad Deum orationes fundunt, vel prænoscunt euentum futurum, vel prænoscunt non futurum; vel ignorant. Si prænoscunt futurum, frustra orare videntur, cùm euentus futurus sit, ipsis etiam non orantibus. Si prænoscunt non futurum, non petent id, quod sibi à Deo denegandum esse cognoscunt, non enim discordem habent à Deo voluntatem. Si nesciunt an futurus sit, videntur aliquo ignorantiæ defectu laborare, statui beatifico repugnante.

Pro solutione huius dubij obseruandum est, iuxta sententiam S. Thomæ *2. 2. quæst. 93. art. 4. ad 2.* Caietani *ibidem*, Suarez *loco* statim *citando*, Valentiæ *puncto 7.* & aliorum, beatos in verbo videre futuros euentus pro qualitate status cuiusque; quo enim quis perfectiorem beatitudinis gradum assecutus est, maiora videt in verbo: quamobrem anima Christi, vtpote perfectissima, videt omnia futura contingentia: item anima Beatissimæ Virginis omnia nouit, quæ Deus in Ecclesia facit; reliqui verò Sancti plus, vel minus vident pro ratione status, quamquam aliqui Doctores arbitrantur beatos non solùm in verbo videre orationes ad ipsos fundendas, verum etiam ipsarum euentus. Alij, vt S. Augustinus *de cura pro mortuis*, Cyrillus *Catechesi 16.* [Becanus *1. part.*] putant orationes nostras innotescere Sanctis per nouas reuelationes, hoc enim pacto etiam in hac vita multa occulta Sanctis manifestabat Deus, vt patet exemplo S. Petri, qui nouit fraudem Ananiæ, & Saphiræ. Alij, vt Lessius *lib. 2. cap. 37. dub. 6. n. 33.* putant Sāctos cognoscere preces nostras dum ad ipsos diriguntur, instar locutionis Angelorum, qui seipsos intelligunt, dum vnus mentis suæ sensa ad alterum dirigit. Neque obstat illud Ecclesiastæ 9. *Mortui nihil cognoscunt amplius.* intelligitur enim de cognitione naturali, vel de statu legis antiquæ, in qua animæ ex hac vita migrantes non in cœlum euolabant, sed ad limbum descendebant.

His positis, Doctores diuersimodè respondent. Nam S. Gregorius 17. *Moral. cap. 17.* existimat, Beatos non petere, nisi quæ futura sunt. Ego verò cum S. Thoma *in 4. dist. 45. quæst. 3. artic. 3. ad 3.* Caietano *2. 2. quæst. 83. artic. 4. & parte 3. quæst. 10. artic. 2.* & aliis, arbitror non repugnare statui beatifico ignorantiam effectus orationis. Pertinet quidem ad statum beatificum, vt quilibet beatus cognoscat orationes, quæ ad ipsum funduntur, quia cognitio talis orationis est aliquid pertinens ad personam ipsius beati: imperfectioni autem adscriberetur ignorare ea, quæ ad ipsam personam spectant; cognoscere tamen effectus orationis futuros, & dispositionem diuinæ sapientiæ circa illos, non est ita proprium cuiuslibet beati, vt illos quilibet cognoscere debeat, vt colligitur ex *Danielis* 10. vbi Angelus Gabriel orauit pro liberatione Iudæorum. Angelus verò præfectus Regni Persarum dicitur restitisse, orando ne liberarentur (quamquam hic locus aliter à S. Gregorio explicatur.) Non implicat igitur, aliquem Sanctum orare pro re aliqua, cuius euentum ignorat iuxta suum statum. Si verò perfectio illius beati, qui pro alio orat, postulet cognitionem euentus, dicendum est beatum orare maiori affectu, & libentiori animo, dum certò nouit effectum illum suis precibus obtinendum. Si verò cognoscit effectum non futurum, licet orare non possit voluntate, & affectu absoluto, ne à Dei voluntate discedere videatur, nihilominus affectu simplici, & ex amore talis personæ orare potest, subiiciendo suam voluntatem absolutè, & efficaci voluntati Dei, hoc enim statum beatificum non dedecet. Quæ diximus explicari possunt exemplo Christi, qui pro fide Petri rogauit: *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua:* & promissione Spiritus sancti; *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*, &c. quamuis ipsi certò constaret quid Deus facturus esset. Item in horto affectu simplici in signum affectus suæ naturæ rogauit Patrem, vt Calix ab eo transiret, quamuis non transiturum sciret. *Pater transeat à me Calix iste, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Ita Suarez *tom. 2. de religion. lib. 1. cap. 11. num. 6.* [Vasquez verò *de Incar. disp. 82. c. 2.* & Becanus *de Incarn. c. 17. quæst. 3.* putant Christum non orasse, dum dixit, *transeat à me calix iste*; sed simplex naturæ desiderium proposuisse.]

7 Viatoribus, etiam peccatoribus conuenit orare.

7 Quintò infertur viatoribus conuenientem esse orationem, etiamsi peccatis obstricti sint. Ratio est, tum quia naturam habent rationalem: tum quia fieri potest, vt media oratione exaudiantur, & conuertantur.

Neque obstat Psal. 49. *Quare tu enarras iustitias meas*, &c. & alibi, *Si iniquitatem aspexi in corde meo*, &c. & Ecclesiastici 15. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.*

Respondetur enim, hinc non colligi peccatoribus orationem non conuenire, sed illorum orationem in mortali factam non esse Deo gratam, & acceptam ad gloriam, actio enim peccatoris non est meritoria vitæ æternæ. Vel dici potest reprehendi orationem peccatoris formaliter, videlicet positiuè nolentis conuerti, aut orationem ad praùum finem dirigentis, &c. Vide [Gabriel. *lect. 59. in print. & lect. 63. §. ex quo sequitur, in canone Missæ.* Paulum Layman *lib. 4. tractat. 1. cap. 1. numer. 4.*] Suarez *loco cit. cap. 12.* Valentiam *loco cit. puncto 6. vers. Sic petiuit.*

8 Animæ in Purgatorio existentes orare possunt non solum pro seipsis, verum etiam pro viatoribus

8 Sextò animabus in Purgatorio existentibus conueniens esse orare: sunt enim creaturæ rationales, & petere possunt, vt ab igne liberentur: quilibet enim in miseriis constitutus, sciens aliquod remedium subesse ad illas euadendas, naturali quodam instinctu cupit, & petit illud adhiberi, animæ autem in Purgatorio existentes sciunt huiusmodi remedium extare, nempe pia fidelium opera, suffragia, & Indulgentias: consequenter Deum orare possunt, vt fideles excitet ad huiusmodi remedia præbenda. Ita Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 2. puncto 6.* Suarez *c. 11. num. 12. & seq.* Lessius *loco cit. numer. 23.* Azorius *loco cit. quæsito 12.* Filliucius *quæsito 8. numer. 5.* [Paulus Layman *loco cit. num. 5.*]

Addo, animas Purgatorij non solùm pro se, verùm etiam pro viatoribus orare. Ratio est, tum quia in statu gratiæ existunt, & fieri potest, vt intuitu petitionis ipsarum Deus viatoribus bona conferat: tum quia nonnulla miracula referuntur facta ab animabus in Purgatorio existentibus, ex Bellarmino *loco* statim *citando*. Ergo signum videtur Deum exaudire preces animarum Purgatorij: tum quia homines in hac vita degentes Deum aliquando pro aliis orant, licet ipsi fortè maiori pœna digni sint, quàm animæ Purgatorij: ergo reatus ad pœnam non reddit animas Purgatorij inhabiles ad orandum. Suarez *cap. 11. num. 17.* Lessius *num. 23.* Azorius *loco cit.* Bellarminus *lib. 2. de Purgat. cap. 15.* Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 6. vers. 3.* & alij, contra S. Thom. *loco cit. artic. 11. ad 3.* [Nauar. *de orat. cap. 1. numer. 22.*] & alios.

9 Dæmonibus oratio non conuenit.

9 Septimò, Dæmonibus, & damnatis propriè orationem non conuenire: quamuis enim sint naturæ rationales, & superiorem agnoscant, nihilominus ratione status, in quo reperiūtur, nihil boni a Deo expectare possunt. Neque obstat quòd aliqua petant, Matthæi 8. *Si eiicis nos hinc, mitte nos in porcos*, inquiunt Dæmones: diues Epulo precabatur patrem Abraham, vt ipsius misereretur, & mitteret Lazarum; & *Lucæ* 16. Dæmon petit sibi facultatem dari ad tentandam patientiam, & virtutem Iob *c. 1. & 2. Iob.* Respondeo enim illas petitiones vim orationis non habuisse, cum non fierent ex pio in Deum affectu, & ad postulandas res decentes, & salutares. Ita Valentia *tomo 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 7.* Lessius *loco cit. numer. 23.* Azorius *quæs. 19.* vbi refert Alensem, & Gabrielem.

SECVNDA PROPOSITIO.

10 Fideles postquam ad rationis vsum peruenerunt tenentur ad orationem.

10 SInguli fideles postquam rationis vsum adepti sunt, tenentur orare iure diuino, & naturali. Ratio ad ostendendum teneri iure diuino, est, quia frequenter ipsius vsus commendatur in Scriptura, Ecclesiastici 18. *Ne impediaris orare semper*; 1. ad Thessalon. vltimo, *sine intermissione orate*. Ad Coloss. 4. *orationi instate, vigilantes in ea*, & Lucæ 18. *oportet semper orare, & numquam deficere*, quantum scilicet humana fragilitas fert, vt explicat Lessius *lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 2. *n.* 10. vel semper, id est, temporibus congruis, & statutis, vt inquiunt Glossa interlinearis, Nicolaus de Lira, & S. Thomas *in eum locum*, vel semper, id est, frequenter, inquit S. Bonauentura *in Lucam*, quem citat, & sequitur Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. illud enim iuxta vsitatam loquendi formam semper fieri dicitur, quod frequenter, & magno affectu fit. Quamobrem de eo, qui sedulam studiis nauat operam, dicere consueuimus, semper studet, & de eo qui ludo deditus est, affirmamus, & dicimus, semper ludit. Confirmatur ex *l.* 1. §. *semper. ff. vt legatorum. & l. fin. C. de testam.* vbi dictio *semper* vsurpatur pro multoties, & frequenter, teste Glossa *ibidem*, Cenedo *pract. quæst. sing.* 44. *n.* 1. Barbosa *de dictionib. dictione* 310. *num.* 5. & aliis.

11 An semper orandū sit.

11 Vel semper oportet orare, id est, perseueranter: nam vt oratio infallibiliter impetratoria sit, perseueranter facienda est, donec obtineamus quod petimus, vt bene Filliucius *tract.* 23 *ca.* 2. *quæs.* 7. *nu.* 55. Carolus Macignus *de Horis Canonicis c.* 7. *n.* 9. *& c.* 100. *n.* 41. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *c.* 1. *n.* 3.] & Suarez *tom.* 2. *de Religion. lib.* 1. *cap.* 26. *initio.* vbi hoc colligit ex S. Augustino *lib.* 2. *quæst. Euangelicarum cap.* 45. *sermone* 36. *de verbis Domini*: idque clarius constabit ex infra dicendis.

Ratio verò ad probandum orationem iure naturæ necessariam esse, ex præcepto religionis, vel ex aliis virtutibus, est, quia lumine naturæ dictante cognoscimus illud petendum esse, sine quo tentationes non superantur, & sine quo perseuerantia, & auxilia ad salutem non obtinentur: sed hæc petitio est oratio, sine qua non obtinentur ab adolescentibus, rationis vsum habentibus, auxilia ad salutem, & ad vincendas tentationes; illa autem Deus confert orantibus Matth. 7. *Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis*; *omnis enim qui petit, accipit*, &c. Matth. 26. *Vigilate, & orate vt non intretis in tentationem*. Ergo necessaria est oratio iure naturali. Confirmatur, quia creatura rationalis non solùm in suo esse, verùm etiam in conseruatione, & consecutione sui finis pendet à Deo: non potest autem finem suum consequi, & in vita spirituali conseruari sine orationis adminiculo. Ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 4. Suarez *tomo* 2. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 28. & 29. vbi ostendit orationem necessariam esse, non solum necessitate præcepti, verùm etiam medij. Filliucius *tract.* 23. *cap.* 2. *quæs.* 3. Lessius *loco cit.* Azorius *lib.* 9. *c.* 34. [Paulus Layman *lib.* 4. *Theol. mor. tract.* 1. *c.* 1. *n.* 3.] Huiusmodi tamen præceptum adimpleri videtur, per se loquendo, tam oratione vocali, quàm mentali, quia non extat peculiaris, & determinata obligatio ad alteram, sed sub disiunctione ad alterutram.

12 Quandonā orare teneamur ex præcepto Religionis, aut aliarum virtutum.

12 Maius dubium est primò quandonam ex præcepto teneamur orationem ad Deum effundere.

Respondeo, præcepto religionis non esse determinatum tempus ad orandum, sed aliquoties in vita, exempli gratia, singulis mensibus, & in articulo mortis, orandum esse. Ratio est, quia non potest certum aliud tempus assignari, in quo ex præcepto religionis teneamur Deum colere, & auxilium ab eo per actum orationis implorare, vt in simili dictum est de actu contritionis, & charitatis in primo Decalogi præcepto, & de pœnitentia.

Dixi, *ex præcepto religionis*, nam ex præcepto aliarum virtutum perspicuum est obligationem extare ad orandum, videlicet quando peccator disponere se debet ad gratiam, & quando tentationes ingruunt cum periculo succumbendi, tunc enim medium ad peccatorum veniam, & auxilium impetrandum adhibendum est ex eo præcepto, quo quis ad gratiam se disponere, & ad vincendas tentationes munire debet; præceptum enim obligans ad finem, obligat etiam ad media necessaria, vt dictum est de legibus: quamquam à peccato multi excusantur, ignorantes, vel non aduertentes ad hanc obligationem: non enim potest esse volitum quod non est prægnitum. Scientes verò, & aduertentes grauiter peccant, vtpote negligentes medium ad vincendas tentationes, vel ad gratiam recipiendam: omissio tamen orationis tunc temporis non habet malitiam distinctam ab eo peccato, quod cauere tenemur: omissio enim orationis tunc temporis mala est, quia qui eam omittit, interpretatiuè censetur velle peccatum, ad quod præcauendum orationis actum exercere debet. Ita Lessius *lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 3. *ad finem n.* 11. *& seqq.* Medina *de orat. q.* 11. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib* 1. *c.* 30. *n.* 18. Valent. *tomo* 3. *disp.* 6. *q.* 2. *punct.* 3. *ad fin.* Nauar. *de orat. c.* 3. *n.* 14. Filliucius *tract.* 23. *c.* 2. *quæs.* 4. Malderus *tract.* 10. *c.* 2. *vers. de tempore autem.* Azorius 1. *par. lib.* 9. *ca.* 35. [Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *c.* 1. *n.* 3.] Sylvester, & alij apud Suarez *loco cit.*

13 Aliquādo teneamur pro aliquo in particulari orare.

13 Secundò dubium est, vtrùm aliquando teneamur pro aliquo in particulari orare.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia ex charitate tenemur proximo in necessitate existenti subuenire, dum nostra indiget ope, & auxilio, vt patet ex dictis de charitate: tum quia oratio est veluti quædam spiritualis eleemosyna: præceptum autem eleemosynæ, seu misericordiæ obligat ad succurrendū indigenti: hac de causa *Actor.* 12. cùm Petrus esset in vinculis, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Ita Suarez *tomo* 2. *de relig. lib.* 1. *c.* 13. *n.* 2. & alij communiter.

[Hinc sequitur fideles teneri ex lege charitatis, & misericordiæ orare pro mortuis, præsertim pro parentibus, fratribus, & benefactoribus, isti enim in magna necessitate existunt, vt alibi probaui; ita Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *c.* 1. *n.* 7. & alij, quos retuli de charitate, & sacrificio Missæ.]

PVNCTVM II.

Vtrùm Religiosi teneantur Diuinum Officium recitare.

VNICA PROPOSITIO.

1 Omnes Religiosi Choro deputati tenentur post professionem ad persoluendum Diuinum Officium, etiamsi non sint Sacris initiati.

1 OMnes Religiosi Choro deputati ex consuetudine, vel ex peculiaribus decretis tenentur post professionem ad persoluendum Diuinum officium, etiamsi non sint sacris initiati. Ratio desumitur, tum ex decretis particularibus religionum, quæ consulenda sunt ab vnoquoque Religioso: tum ex consuetudine, quam obligare sub mortali patet ex dictis de legibus: consuetudo enim vim legis habet, & obligat sub mortali in materia graui. Ita Valentia 2. 2. *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 10. *vers.* 3. *Conclusio.* Nauarrus *de orat. cap.* 25. *numer.* 96. Caietanus *verb. Hora Canonica.* Medina *in instruct. cap.* 19. Sylvest. *verb. Hora quæsito* 2. Malderus *de virtutibus tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 3. *quæsito* 8. Toletus *lib.* 2. *cap.* 12. *ad finem.* Reginald. *lib.* 18. *nu.* 140. Vasquez *in opusc. cap.* 4. §. 1. *art.* 1. *dub.* 11. Molfesius *tract.* 5. *cap.* 3. *numer.* 9. Suarez *tom.* 7. *de Relig. lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 17. *n.* 9. Filliucius *tract.* 23. *ca.* 5. *quæsito* 2. *tom.* 2. *num.* 149. *& seq.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 9. *numer.* 49. Azorius 1. *parte lib.* 10. *ca.* 6. *quæsito* 1. Carolus Macignus *de Horis Canonicis c.* 13. [Rodriquez *tom.* 2. *quæst. reg. q.* 100. *art.* 8. Paulus Layman *lib.* 4. *Theolog. moral. tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 2.] & alij communiter, quamuis Caietanus, & Medina putent hanc consuetudinem non obligare sub mortali, & Arragonius 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 11. *dub.* 4. Angelus *verb. Hora n.* 10. cum Ricardo credunt Religiosum bis, vel ter omittentem priuatim officium non peccare mortaliter.

Sed contrarium verum est, & sustinendū, vt satis constat, tum ex dictis de legibus: tum quia religiosi quàm plures excusationem quærerent non accedendi ad Chorum, & non recitandi vlla ratione diuinum Officium, quod, per se loquēdo, videtur contra præcipuū ipsorum institutum, vt bene obseruat Suarez *loco cit.* & alij.

Dixi, *religiosi Choro deputati post professionem*, vt aduerterem nouitium ante professionem, aut conuersum ante, vel post professionem non teneri ad diuinas laudes recitandas, quia non est vsu receptum, vt conuersi ad hoc onus obligentur, & nouitij non tenentur, per se loquendo, ad onera religionis nondum facta professione, cùm ipsis liberum sit adhuc egredi. Ita Vasquez *de benef. cap.* 4. §. 1. *art.* 1. *dub.* 11. *num.* 46. Valentia *loco citato*, Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 2. Molfesius *cap.* 3. *num.* 11. Reginaldus *lib.* 18. *nu.* 138. Rodriquez 1. *parte cap.* 141. *n.* 10. Filliucius *n.* 150. Lessius *num.* 49. Azorius *loco cit. quæsito* 3. & alij Doct. citati.

Dixi, *ex consuetudine*, quia nullum aliud ius, vel textus afferri potest, quo probetur ipsos ad onus Diuini officij obligari: non enim obligantur iure naturali, tum quia licet religiosi teneantur perfectionem assequi, eam tamen aliis mediis, quàm Diuini officij recitatione assequi possunt: tum quia sequeretur omnes religiosos ad idem Officium obligari, cùm ius naturæ idem sit in omnibus. Neque obligantur ob eleemosynas, cùm istæ non conferantur hac conditione, & pacto, vt suppono. Neque obligantur iure diuino, vel Canonico, quia cùm nullum ius afferri possit, signum est non extare. Ita Suarez, Lessius, Filliucius, & alij *locis citatis*, contra Carolum Macignum *cap.* 13. *num.* 5. & 12.

2 Religiosus qui in priori Religione tenebatur recitare Diuinum Officium, non tenetur ad illud recitandum si transeat ad aliam Religionē, in qua cōsuetudo recitandi Officium introducta non sit.

2 Hinc sequitur primò, Religiosum, qui in priori religione tenebatur recitare Diuinum officium, non teneri ad illud recitandum si transeat ad aliam religionem, in qua consuetudo recitandi Diuinum officium introducta non sit, nam consuetudo non obligat, vbi recepta non est. Ita [Paulus Layman *loc. cit. num.* 3.] Suarez, & Arragonius *locis cit.*

3 Religiosus qui compellitur ad triremes, vel per sententiam eiicitur à Monasterio, non tenetur ad Horas Canonicas recitandas, modo Religiosus nondum promotus fuerit ad sacros Ordines.

3 Secundò Religiosum, qui compellitur ad triremes, vel per sententiam eiicitur è Monasterio, non teneri ad Horas Canonicas recitandas, remouetur enim à statu, in quo consuetudo inualuit persoluendi Diuinum officium, & transfertur ad statum, in quo huiusmodi consuetudo, & obligatio nō reperitur. Ita Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.* 5. *art.* 3. cuius opinio mihi probabilis videtur, contra Suarez *tomo* 2. *de relig. tract.* 4. *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 9. Lessium *lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 45. Rodriquez *loco* statim *citando*, Molfesium *in Sum. tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 46. & *cap.* 3. *num.* 16. Azorium *cap.* 6. *quæsito* 6. [Paulum Layman *cap.* 4. *n.* 2.] Hoc tamen intelligitur modò Religiosus nondum promotus fuerit ad sacros Ordines: nam promoti ad sacros Ordines tenentur ad Horas persoluendas ratione sacrorum Ordinum: consequenter si religiosus Ordine sacro initiatus mittatur ad triremes, licet non teneatur officium titulo professionis recitare, tenebitur tamen titulo sacri Ordinis: sicut beneficiarius, qui resignauit beneficium, non tenetur amplius Officium recitare ratione beneficij, sed ratione sacrorum Ordinum, quibus est insignitus, vt suppono, Azorius *loco citato, quæsito* 7. & alij.

4 Monachus habēs facultatē, & dispensationem viuendi in perpetuum extra Monasterium, non tenetur ad recitandum Diuinum Officium, quia tunc tenebitur titulo sacri Ordinis.

4 Tertiò sequitur Monachum habentem facultatem, & dispensationem viuendi in perpetuum extra Monasterium, non teneri ad recitandum Diuinum Officium: quamuis enim non desinat esse Religiosus, nihilominus desinit esse regularis, consequenter non tenetur ad regulas religionis, in qua consuetudo est recitandi Officium, iuxta Sotum 10. *de iust. quæst.* 5. *art.* 3. Sanchez, & alios contra Suarez *loco cit. cap.* 17. *num.* 8. Idem dicendum est de Monacho, qui facultatem, & dispensationem ducendi vxorem obtinuit, & vxorem iam duxit, aut iam exiit de Monasterio vt vxorem ducat, vt benè Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 8. *num.* 11. Rodriquez 1. *part. cap.* 141. *numer.* 14. Azorius *lib.* 10. *cap.* 5. *quæsito* 5. Macignus *cap.* 23. *num.* 9. Molfesius *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 43. [Layman *ca.* 4. *num.* 2. & 3.] & alij: secus dicendum est dum Monachus facultatem habet viuendi extra Monasterium solùm ad tempus: tunc enim tenetur ad Diuinum Officium persoluendum, quia non desinit esse religiosus, vel regularis, vt si religiosus de licentia superioris iter faciat, aut visitet parentes moram apud ipsos trahens per aliquod tempus. Ita Suarez *loco cit.* Molfesius *cap.* 3. *num.* 16. [Layman *loco cit.*] & alij communiter.

5 Quartò

5 Moniales professę Choro deputatæ, tenentur ad Diuinum Officium persoluendum iuxta consuetudines, & regulas ipsarum.

5 Quartò sequitur quid dicendum sit de Monialibus professis deputatis ad Chorum, & quid de conuersis, ac nouitiis: dicendum enim est Moniales professas Choro deputatas teneri ad Diuinum Officium persoluendum, iuxta consuetudines, & regulas ipsarum. Ita Sotus *loco citato*, Azorius 1.*part.lib.*10.*cap.*6.*quæsito* 1. Emanuel Sà *verb.Horæ Canonicæ*. Toletus *libro* 2.*cap.*12.*ad finem*. Lessius *nu.* 49. Filliucius *num.*150. Carolus Macignus *cap.*13.*num.*28. Malderus *tractat.*10.*cap.*2.*dub.*3.*vers.de Monialibus*, & alij Doctores cit.

6 Monachus fugitiuus, aut electus à Monasterio ad tẽpus, vel in perpetuũ, non tenetur ad Diuinum Officium, & obiectio resoluitur.

6 Quintò, Monachum electum à Monasterio ad tempus, vel in perpetuum, vel etiam fugitiuum, non teneri ad Diuinum Officium, quia constituitur in statu in quo non est consuetudo recitandi Diuinum Officium, & quamuis redire possit ad Monasterium, tamen desinit esse regularis, vt dictum est in secunda illatione: vel saltem non est in statu, in quo ex consuetudine obligetur ad Canonicas preces. Ita Sotus, & Angelus *locis citatis*, quorum opinio mihi satis probabilis videtur, contra Lessium ex parte *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 9. *numero* 50. Nauarrum *de orat. cap.* 7. *numer.* 20. Azorium *libro* 10. *cap.*6.*quæsito* 5.6.*&* 8. Malderum *loco citato pagina* 649. Suarez *loco citato num* 9. [Layman *loco citato*,] & Filliucium ex parte *num.*153. aliter sentientes saltem de fugitiuo.

Dices, sequeretur istum reportare commodum ex suo delicto, quod non videtur admittendum.

Respondeo reportare commodum, non per se, & directè, sed quasi per accidens, quatenus constituitur in statu in quo non est consuetudo persoluendi Diuinum officium. In praxi tamen oppositam sententiam consulerem contra fugitiuum.

An autem hic ad alia religionis onera teneatur, patet ex dictis de votis Religiosorum *in tractat. de legib.* [*& in tractat. de clausura*, vbi etiam egi de obligationibus & pœnis Apostatarum, & electorum à religione.]

7 Religiosi, qui professionem emiserunt in ea religione, quæ non est addicta Choro, non teneri ex vi professionis ad pensum Diuini officij.

7 Sextò, Religiosos, qui professionem emiserunt in ea religione, quæ non est addicta Choro, non teneri ex vi professionis ad pensum Diuini officij. Ratio est, tum quia non dicuntur Choro deputati, vt dictum est in propositione. Tum quia ex vi solius professionis obligantur solùm ad tria vota, & ad perfectionem acquirendam: obligatio autem Diuini officij, non continetur in illis tribus votis, & perfectio alia via, quàm recitatione Diuini officij acquiri potest.

Hinc patet quid dicendum sit de Patribus Societatis Iesu, aliisque Religiosis, qui non Choro, sed aliis piis operibus exercendis deputati sunt, hos enim dicendum est non teneri ex vi professionis ad recitandum officium. Ita Vasquez *in opusc. de benef. c.* 4. §. 1. *artic.* 1. *dub.* 11. *num.*49. Suarez *lib.* 4. *de Relig. cap.* 17. *&* 27. Filliucius *tract.* 23. *cap.* 5. *quæsito* 2. *num.*149. Molfesius *tract.* 5. *cap.* 3. *num.*14. Macignus *cap.* 13. *num.*9. & alij Doct. cit.

8 Religiosi, regulariter loquẽdo, non tenentur sub mortali Choro interesse.

8 Quæres primò vtrùm Religiosus non solùm teneatur Diuinum officium priuatim recitare dum ad Chorum non accedit, verùm etiam ad illud publicè recitandum in Choro sub pœna grauis culpæ obligetur.

Respondeo, regulariter loquendo, non teneri sub mortali ad illud publicè in Choro persoluendum. Ratio est, quia Religiosi regulariter loquendo, tenentur ad Chorum ex vi regulæ, quæ obligare non consueuit, sub culpa saltem graui, sed potiùs sub pœna. Ita Caietanus *verb.Horæ Canonicæ*, Armilla *eodem verb.* & alij.

Ex quo patet differentia inter Canonicos, & Religiosos, quòd Canonici strictius obligantur ad Chorum, cùm ob id accipiant beneficium (beneficium enim ipsis non solum confertur ob priuatam Diuini Officij recitationem, sed maximè ob publicam, *cap.quia per ambitiosam.de rescript.in* 6.*& cap.cùm secundum.extra de prabend.*) Religiosi verò obligantur ad Diuinum officium ex vi regulæ, quæ cum leuem obligationem pariat, leuem etiam causam ad sui excusationem admittit. Ita Suarez *tom.*2.*de relig.lib.*4.*cap.*10. *numer.* 16. & alij, contra Carolum Macignum *cap.*13.*num.*4.*& sequentib.* vbi pro se refert Rosellam *verb.Horæ, in principio.*

Dixi, *regulariter loquendo*, vt aduerterem aliquando fieri posse, vt Religiosi Choro sub graui culpa interesse teneantur, vt si superior personale præceptum singulis, vel aliquibus iusta de causa imponat: aut si omnes ita negligant Chorum, vt Diuinum Officium penitus in Ecclesia prætermittatur, tunc enim, sicut superior tenetur strictum præceptum singulis imponere, ita singuli tenentur interesse, tum ne Chorus destituatur, tum ne præceptum superioris violetur, & negligatur, vt in simili dictum est *de matrimonio quæst.* 2. *punct.* 3. vbi quæsiui an matrimonium cadat sub præceptum, idemque in terminis tradit Suarez *loco cit.num.*15.

9 Vtrum superior possit cum Religiosis circa obligationem recitandi Officium dispensare.

9 Quæres secundò, vtrum superior possit cum Religiosis circa obligationem recitandi officium dispensare.

Respondeo cum Lessio *loco citato, num.*51. & aliis, contra Suarez *tomo* 2. *de Relig tract.*4. *lib.*4. *cap.*28. *ad finem num.*41. Reginaldum *lib.* 18. *numer.*141. *&* 186. Vasquez *dubio* 12. Graffium 1.*parte lib.*2.*cap.* 54. *num.*9. Macignum *cap.*22.*num.*8. Molfesium *cap.*3. *numer.* 21. Filliucium *cap.*9.*quæsito* 10.*ad finem*, posse ex iusta causa dispensare, vt ex causa studiorum, aut negotiorum. Ratio est, quia obligatio recitandi Officium in Religiosis pendet ex consuetudine, quæ vim legis habet in religione: sicut autem superior religionis potest in legibus religionis dispensare, ita etiam in ista consuetudine: & sicut consuetudo introducta fuit consentiente superiore, ita in ea dispensari potest accedente legitimo superioris consensu. Existimarem tamen non quemlibet superiorem religionis, præciso priuilegio, posse dispensare, sed supremum, vt colligi potest ex dictis de dispẽsationibus, & ex ratione proximè allata: sicut enim non quilibet superior potest in regulis religionis dispensare, ita neque potest in consuetudine vniuersali totius religionis, nisi aliter per consuetudinem, vel priuilegium concedatur.

Obiicies contra responsionẽ, non est in vsu vt vllus religionis superior in recitatione diuini Officij dispenset; ergo nullus superior dispensare potest: facultas enim, seu priuilegiũ per nõ vsum amittitur.

Respondeo, quidquid sit de antecedenti, de quo mihi nõ constat, cùm ad factum pertineat, negandam esse consequentiam, facultas enim aliquid faciendi absque aliorum grauamine, non amittitur per non vsum, vt ostendi *de legibus disp.*1.*q.*3.*quæsito* 8.§.5.

PVNCTVM III.

Vtrùm Clerici sacris Ordinibus initiati ad Horas Canonicas teneantur.

VNICA PROPOSITIO.

1 Clerici maioribus Ordinibus initiati iure Ecclesiastico tenentur ad recitandas Horas Canonicas.

1 CLerici maioribus Ordinibus initiati iure Ecclesiastico tenentur ad recitandas Horas Canonicas. Hæc propositio patet, tum ex *cap.dolentes.de celebrat.Missarum.* Dolentes referimus, inquit Summus Pontifex, quòd non solùm quidam minores Clerici, verum etiam aliqui Ecclesiarum Prælati circa comessationes superfluas, & fabulationes illicitas (vt de aliis taceamus) ferè medietatem noctis impendunt, & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum auium excitantur, transcurrendo vndique continua syncopa Matutinum, &c. tum ex *cap.Presbyter. dist.*19. tum ex antiqua, & generali consuetudine; cum enim præcipuum munus ministerij spiritualis sit orare pro populo, iure optimo sancitum est, vel saltem consuetudine inductum, & receptum, vt Clerici maioribus initiati preces, & orationes Canonicas persoluant. Ita Sylvest. *verb. Hora.* Angelus *eodem verb.* Vasquez *in opusc. de benefic.cap.* 4. §. 1. *artic.* 1. *dub.*1. Malderus *de virtutibus tract.*10.*cap.*2.*dub.*3. Nauarrus *de orat. cap.* 7. *num.*2. Suarez *loco citato, cap.*16.*num.*9. Reginaldus *lib.*18.*num.* 25. *& seqq.* Filliucius *tractat.*23.*cap.*4.*numer.*143. Carolus Macignus *cap.*9. Lessius *loco citato, dub.*9. Azorius 1.*part.lib.*10.*cap.*5.*quæsito* 1. [Paulus Layman *lib.*4.*tract.*1.*cap.*4.*num.*4. & nouissimè Augustinus Barbosa *in cap.dolentes.num.*2.*de celebr.Miss.*] & alij Doct. statim citandi; & licet in præcitatis iuribus admitteremus sermonem esse tantummodò de presbyteris, & officio publico, nihilominus saltem immemorabili consuetudine idem receptum est de officio priuatim recitando ab aliis Clericis sacris Ordinibus initiatis.

Dixi in propositione, *initiati maioribus*, quia Clerici initiati minoribus Ordinibus non tenẽtur Horas Canonicas recitare, cum nulla sufficienti ratione probetur ipsos hoc tempore ad hoc onus obligari, & *cap.dolentes. de celebrat.Missarum*, loquens de minoribus Clericis, intelligendum est de Clericis sacris initiatis, sed nondum ad Prælaturæ gradum euectis. & *cap.si quis Presbyter.distinct.* 92. intelligitur de Clerico Ecclesiæ deputato, & beneficium habente. Ita Philiarcus 1.*parte lib.*1.*cap.*2.*versic.Quo ad alios*, Parisius *lib.* 1.*de resignat. quæst.*9.*num.*12. Valentia 2.2.*tomo* 3.*disputat.*6.*quæst.*2.*punct.*10.*versic.Quod verò ad secundum.* Azorius 1.*parte libro* 10.*cap.*5.*quæsito* 2. Arragonius 2.2.*quæst.*83.*artic.*12.*dubio* 3. Nauarrus *de Horis Canonicis cap.*7.*num.*12. Sotus *loco citato, conclus.*1. Suarez *loco citato, numer.* 10. Vasquez *loco citato, dub.*2.*numer.*6. Filliucius *cap.*5.*quæsito* 1. [Lessius *num.*46. *& seqq.* Paulus Layman *lib.*4.*cap.*4.*num.*5. Barbosa *loc. cit.* & alij communiter,] contra Panormitanum *in cap.* 1. *de celebrat. Missarum.num.*6. Innocentium *ibidem*, & alios apud Azorium *loco citato*, apud Macignum *cap.*9.*num.*9. & apud alios præcitatos Doct.

Verum quidem est ex decentia, & honestate Clericos in minoribus, vel in prima tonsura constitutos, debere magis orationi deditos esse, quàm laicos: nihilominus non extat præceptum obligans ipsos ad Horas Canonicas hoc tempore persoluendas. Ita Sotus *lib.* 10. *de iust.q.*5.*art.*3. Lessius *lib.*2 *cap.*37.*dub.*9.*nu.*47. Azorius, & alij Doct. citati contra Paludanum *in* 4.*dist.*15.*quæst.*5. Macignum *loco cit.n.* 14. & alios arbitrantes iure naturæ teneri.

2 Clericus Psalmos, quos Episcopus in ordinatione iniungit, recitare tenetur.

2 Rogabis vtrùm Clericus teneatur recitare Psalmos, quos Episcopus in ordinatione iniunxit: solet enim Episcopus post ordinationem iniungere ordinato, vt semel, vel bis, vel ter quosdam Psalmos reciter.

Respondeo teneri, quia præceptum est conforme statui Clericali, nec excedit potestatem Episcopi. Ita Paludanus *in* 4.*distinct.*15.*quæst.* 5. Nauarrus *loco citato, num.*14. Suarez *loco cit.n.*15. Lessius *numer.*46. Azorius 1.*part.lib.*10.*cap.*5.*quæsito* 4. [& alij communiter, teste Paulo Layman *lib.*4.*tract.*1.*cap.*4.*n.*5.] contra Sotum *lib.* 10. *de iust. quæst.* 5. *art.*3. & Valentiam *tom.*3.*disp.*6.*punct.* 10. asserentes teneri solùm ex honestate.

Addo cum Nauarro *cap.*7.*de orat.* contra Sotum *lib.* 10. *de iust.q.*5. *art.*3. Emanuelem Sà *verb.Horæ.numer.*5. Azorium *loco cit. quæsito* 4. Suarez *cap.*16.*n.*14.*& seq.* Lessium *lib.*2.*cap.*37.*dub.*8.*num.*46. Filliucium *tract.*23.*c.*5.*n.*148. Molfesium *cap.*3.*num.*8. Vasquez *de benef.c.*4. §.1.*dubio* 2.*num.*6. Carolum Macignum *cap.*9.*numer.*23. & alios probabilius mihi videri Episcopum posse Clericis aliquid præcipere singulis diebus recitandum. Ratio est, tum quia Episcopus, per se loquendo, potest in sua Diœcesi, quod Summus Pontifex potest in toto orbe: tum quia Episcopus est legitimus superior, Clerici sunt ipsi subditi, & materia est honesta: tum quia Clerici possunt se suo voto obligare; ergo etiam obligari possunt auctoritate Episcopi: tum quia Lessius *loco citato*, Macignus, & alij admittunt hanc obligationem consuetudine induci posse; ergo etiam ferri potest auctoritate Episcopi, cùm non sit minor Episcopi auctoritas, quàm ipsorum Clericorum, consuetudinem inducentium.

3 Clericus Ordine sacro initiatus tenetur ad Diuinũ Officium post degradationem, vel postquam incidit in aliquam censuram excommunicationis, vel suspensionis.

Dixi in propositione, *iure Ecclesiastico*, vt aduerterem Clericos in sacris constitutos non teneri ad Horas recitandas iure diuino. Ratio est, tum quia nullum huiusmodi ius potest assignari: tum quia Officium Diuinum institutum est ab Ecclesia. Ita Tabiena *verb. Horæ. num.*15. Sylvest. *eodem verbo quæsito* 4. & alij apud Suarez *loco cit.nu.*2. apud Macignum *cap.*23. & apud Azorium *loco cit. cap.* 5. omissis iis, quos suprà retuli *quæst.*1.*punct.*2.

3 Ex dictis colligitur primò Clericum initiatum Ordine sacro teneri ad Diuinum Officium priuatim recitandum, etiam post degradationem, vel postquam incidit in aliquam Censuram excõmunica-

tionis, vel suspensionis, &c. Ratio est, quia verum est hunc esse initiatum ordine sacro, nec vllo priuilegio eximitur ab onere, & obligatione per censuram, vel degradationem. Ita Couarr. 3. *var. c.* 13. *nu.* 8. Valentia *tom.* 3. *disput.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 10. §. *Circa septimum.* Sayrus *de Censuris lib.* 5. *cap.* 22. *num.* 15. Azorius *loco cit. cap.* 5. *quæsito* 6. Nauarr. *loco cit. nu.* 17. Sylvest. *verb. Hora quæsito* 3. Sanchez *lib.* 3. *quæst.* 8. *n.* 11. *ad finem.* Macignus *cap.* 24. *numer.* 9. *& seqq.* Malderus *tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 5. *vers.* 4. Sayrus *de Censur. lib.* 2. *cap.* 13. Suarez *tom.* 5. *de Censuris disp.* 12. *sect.* 2. *num.* 16. Vincentius Filliucius *tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 9. *quæsito* 1. *n.* 280. Pesantius 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *disp.* 5. Molfesius *in Summ. tract.* 5. *cap.* 4. *nu.* 45. Eman. Sà *verb. Horæ Canonicæ*, [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. Rodriquez *in Summa cap.* 141. *concl.* 14.] & alij communiter, quicquid dicat Toletus de degradato. Neque obstat hunc esse excommunicatum vitandum, cuius opera non intendit Ecclesia vti, vel per ipsum orare: quamuis enim nomine Ecclesiæ orare non teneatur, nec ipsius officium nomine Ecclesiæ celebratum prosit, vt dicam *quæst.* 4. *punct.* 1. nihilominus officium recitare tenetur, cum ab illius onere non eximatur, nec Ecclesia intendat huic commodum ferre. Obserua tamen Clericum degradatum, aut excommunicatum non posse, dum recitat diuinum officium dicere, *Dominus vobiscum*, quia hæc est quædam communicatio, & functio ordinis, vt patet ex dictis *de Censuris*, vbi etiam explicaui [vtrum incurrat irregularitatem, &] vtrum excommunicatus recitans Diuinum officium possit beneficij fructus recipere.

4 Clericus prædictus tenetur ad diuinum officium, etiamsi missus fuerit ad triremes, vel ab hostibus captus, nisi ob impotentiam, vel aliam iustam causam excusetur.

4 Dixi in prima illatione, *ad Officium priuatim recitandum*, vt aduerterem excommunicatum non posse officium cum aliis recitare, quia per excommunicationem arcetur à participatione cum aliis: suspensus verò, etiam ab officio, potest cum aliis etiam in Choro recitare, modò nihil faciat pertinens ad officium, à quo suspensus est: suspensio enim non priuat communicatione, sicut excommunicatio, sed effectus inducit pro ratione, & varietate suspensionis; quamobrem suspensus ab officio, non potest in Choro munus hebdomadarij exercere, aut dicere, *Dominus vobiscum*, quia hæc ad officium pertinere videntur. Vide Filliucium *loco cit.* & quæ diximus *de Censuris*, & quæ infra dicemus *disp.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 2. §. 3.

Secundò, Clericum sacris ordinibus initiatum teneri ad recitandum Diuinum officium postquam damnatus fuit ad triremes, vel captus à Turcis, nisi ob impotentiam, vel ob aliam iustam causam excusetur. Ita Doct. cit.

An autem ordinatus ante rationis vsum, aut ante decimũ sextum ætatis annum teneatur ad pensum Diuini officij, patet ex dictis *de matrim. q.* 3. *punct.* 9. *n.* 14. *&* 15.

5 Clericus, qui de cõsensu Summi Pontificis duxit vxorem, tenetur ad pensum Horarum Canonicarum, nisi fortè in hoc fuerit à Papa dispensatus.

5 Tertiò, Clericum, qui de consensu summi Pontificis duxit vxorem, teneri ad pensum Canonicarum precum, nisi fortè in hoc etiam fuerit à Papa dispensatus. Ratio est, tum quia dispensatio est odiosa, consequenter strictè explicanda, consequenter facultas ducendæ vxoris non videtur exemptionem ab onere diuini officij recitandi continere; tum quia adhuc retinet characterem, ratione cuius viget obligatio recitandi diuinum officium. Ita Azorius 1. *part. lib.* 10. *ca.* 5. *quæsito* 5. & alij, contra Paulum Squillantem 1. *part. dub.* 17. & Sanchez *lib.* 8. *quæst.* 8. *n.* 11. Secus dicendum est de Religioso, vt supra dictum est cum Sanchez, & aliis superiùs citatis *punct.* 2. *num.* 4.

6 Clericus in statu peccati mortalis existens, tenetur diuinum officium recitare, modo sit ordine sacro initiatus, vel beneficium habeat.

6 Quartò, Clericum in statu peccati mortalis existentem teneri diuinum officium recitare, vt patet ex allatis rationibus, modò initiatus sit ordine sacro, vel beneficium habeat.

7 Recitans diuinum officium ob malum finem exempli gratia, vt aliquem in re graui decipiat, satisfacit præcepto, modo recitet cum debita attentione.

7 Maior difficultas est vtrùm recitans diuinum officium ob mortalem finem, exempli gratia, vt aliquem in re graui decipiat, satisfaciat præcepto.

Respondeo satisfacere quoad substantiam, consequenter non teneri ad restitutionem, modò recitet cum debita attentione, & intentione orandi, nam verè orat, nec prauus finis tollit substantiam operis. Ita Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 5. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 3. *n.* 70. *& cap.* 10. *quæsito* 8. Nauarrus *de orat. c.* 20. *num.* 29. Naldus *verb. Diuinum Officium. n.* 17. & alij, quos infra referam *quæst.* 4.

An verò illius recitatio prosit ipsi recitanti, vel aliis, constabit ex dicendis *quæst.* 4. *punct.* 1. *&* 2.

PVNCTVM IV.

Vtrùm habentes beneficium onere Diuini Officij detineantur.

VNICA PROPOSITIO.

1 Habentes beneficium Ecclesiasticum, etiamsi non sint sacris initiati, tenentur, regulariter loquendo, ex institutione Ecclesiæ ad recitandas Horas Canonicas, siue beneficium sit simplex, siue curatum, siue sit alia præbenda tituli Clericalis. Ratio est, tum quia in iure dicitur beneficium dari propter officium: officium autem complectitur Horas Canonicas; tum quia vsu, & consuetudine Ecclesiæ ita receptum est: tum quia sic habetur in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 9. & in Bulla Pij V. relata à Nauarro *cap.* 25. *numer.* 122. & à me infra referenda *quæst.* 5. *punct.* 1. *initio.*

1 Habentes beneficiũ Ecclesiasticum, etiãsi non sint sacris initiati, tenẽtur regulariter loquendo, ex institutione Ecclesiæ ad recitandas Horas Canonicas, siue beneficium sit simplex, siue curatũ, siue sit alia præbenda tituli Clericalis, imo etiamsi manuale sit, quamquam ad istius titulum ordinari non potest.

2 Addo primò illum teneri ad Diuinum Officium, qui beneficium habet integrè in commendam; quamuis enim hic non habeat titulum beneficij; nihilominus veram habet illius administrationem, & substituitur in locum habentis beneficium cum tota obligatione. Ita communiter Doctores, quos sequitur Azorius *lib.* 10. *cap.* 3. *q.* 6. Garzias *de benef.* 3. *part. cap.* 1. *num.* 105. Graffius *lib.* 2. *c.* 50. *num.* 22. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 5. *num.* 7.] Suarez *loco cit. cap.* 22. *num.* 14. *& num.* 16. vbi etiam loquitur de beneficio manuali, quod ad nutum conferentis potest reuocari. Idem tradit Filliucius *tom.* 2. *tractat.* 23. *cap.* 5. *n.* 175. *&* 176. Azorius *cap.* 4. *quæsito* 2. Paulus Squillas *de obligat. Cleric.* 1. *part. num.* 9. *&* 12. Carolus Macignus *de Horis Canon. cap.* 10. *num.* 13. Molfesius *tractat.* 5. *cap.* 3. *num.* 44. *& tract.* 6. *cap.* 2. *numer.* 25. Vasquez *de benefic. cap.* 4. *art.* 1. *dub.* 3. Malderus *tractat.* 10. *cap.* 2. *dub.* 3. *quæsito* 4. Lessius *lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 30. Nauarrus *de orat. c.* 20. *nu.* 16. Medina *de orat. quæst.* 2. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 5. *numer.* 6. nouissimè post hæc à me sæpius edita Augustinus Barbosa *in cap. dolentes. numer.* 5. *de celebr. Miss.*] quamquam habens beneficium manuale non potest ad titulum huiusmodi beneficij Ordinibus initiari, quia titulus, ad quem ordinandus promouetur, debet esse perpetuus, vt colligitur ex Tridentino *sess.* 22. *cap.* 2. *de reformat.* Ita Praxis Neapolit. *cap.* 80. *num.* 2. & alij apud Garziam *num.* 83.

2 Habens beneficiũ integre in commendam, tenetur ad diuinum officium.

3 Hinc sequitur Equites Hierosolymitanos, aut etiam alios gaudentes commendis Ecclesiasticis teneri ad Canonicas preces, quia dicuntur habere beneficia Ecclesiastica. Molfesius *cap.* 2. *numer.* 20. Nauarrus, & alij quàm plures apud Garziam 1. *parte, cap.* 4. *num.* 6. *& sequent.* hoc tamen intellige iuxta dicenda *numer.* 5. *vers. Dixi.* extant enim aliquæ commendæ quæ titulo sæculari conferuntur, nec diuini officij obligationem inducunt.

3 Equites Hierosolymitani gaudentes commodis tenentur ad officiũ.

4 Addo secundò illum, qui per metum grauem sibi à parente incussum acceptauit beneficium, teneri ad Horas Canonicas, etiamsi non habeat animum perseuerandi in statu Ecclesiastico. Ratio est, tum quia habet beneficium, cui adnexa est obligatio diuini Officij, & intendit fructus percipere, vt suppono, & potest se ab hoc onere eximere, resignatione beneficij: tum quia qui sentit commodum, par est vt sentiat onus. Ita Lessius *lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 31. *num.* 174. [Paulus Layman *lib.* 4. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 2. *quæst.* 1.] & alij quos in simili retuli *de matrimonio quæst.* 3. *punct.* 9. *num.* 12.

4 Qui per metum grauem sibi à parente incussũ acceptauit beneficiũ, tenetur ad Horas Canonicas, etiamsi nõ habeat animum perseuerandi in statu Ecclesiastico.

5 Dixi in propositione, *per se loquendo*, vt aduerterem extare aliqua beneficia, quæ ex sua institutione non obligant ad Horas Canonicas, sed ad alias preces, vt sunt quædam simplices Præposituræ, vel Personatus, vel Prioratus, qui ad recitationem Officij beatissimæ Virginis Mariæ, vel alicuius Psalmi solùm obligant: imò aliqua beneficia reperiuntur, quæ non obligant ad quidquam recitandum. Propterea Emanuel Sà *verb. Horæ Canonicæ num.* 4. cum Fumo *eodem ver. num.* 3. docet recipientem beneficium ad pulsanda Organa, vel ad docendum Theologiam, vel ad aliud Officium non Ecclesiasticum, non teneri ad recitandum diuinum officium, quia beneficiarius tenetur ad id; propter quod datur beneficium: in hoc autem casu beneficium non datur propter diuinum officium recitandum. Verùm hæc non dicuntur propriè beneficia, sed fructus dantur per modum stipendij ob aliquam actionem temporalẽ. Secus si beneficium propriè acceptum conferatur Clerico cum onere legendi, vel aliquid aliud faciendi, iuxta *cap.* 1. *de Magistris.* hic enim non solùm tenebitur ad legendum, verùm etiam ad recitandum diuinum officium, quia dicitur habere beneficium. Ita Sylu. *verb. Horæ. quæsito* 2. Lessius *loco citato*, Paludanus, & alij communiter, teste Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 22. *num.* 2.

5 Dantur aliqua beneficia, quæ ex sua institutione non obligant ad Horas Canonicas.

6 Ex dictis sequitur primò Clericum habentem Capellaniam, teneri ratione Capellaniæ diuinum officium recitare, modò Capellania sit collatiua, seu Ecclesiastica: hæc enim beneficij nomine venit. Capellania Ecclesiastica dicitur illa, quæ auctoritate Episcopi erecta est (etiamsi ex bonis, seu patrimonio laicorum, aut aliorum erecta sit,) aut quæ ab Episcopo confertur, & est constituta inter bona Ecclesiastica, consequenter obligat ad diuinum officium recitandum. Capellania verò quæ nondum instituta, & erecta est auctoritate Episcopi, etiamsi ab Episcopo conferatur, non est beneficium Ecclesiasticum, quia nondum constituta est inter bona Ecclesiastica, consequenter non obligat ad diuinum officium recitandum. Ita Medina *quæst.* 7. *de orat.* Nauarrus *de orat. cap.* 20. *numer.* 17. Reginaldus *lib.* 30. *num.* 40. Suarez *cap.* 22. *num.* 12. Garzias *de benef.* 1. *part. cap.* 2. *num.* 81. Carolus Macignus *cap.* 10. *num.* 15. Arragonius 2. 2. *quæst.* 83. *artic.* 12. Azorius *lib.* 10. *cap.* 3. *quæsito* 5. Molfesius *cap.* 3. *num.* 45. *& tract.* 6. *c.* 2. *num.* 25. Malderus *tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 3. *quæsito* 3. Vasquez *de benef. c.* 4. *art.* 1. *dub.* 3. *num.* 10. Filliucius *cap.* 5. *num.* 124. [Barbosa *in cap. dolentes. numer.* 6. *de celebr. Miss.*] Sylvester, Tabiena, & alij apud Suarez, Garziam, Vasquez, Molfesium, Azorium, aliosque Doct. citatos, qui hoc verum esse putant, etiamsi Capellania sit temporalis, & ad nutum amouibilis, iuxta distinctionem allatam de Capellania Ecclesiastica, & non Ecclesiastica: ob Ecclesiasticam enim extat obligatio recitandi officium, quæcumque illa sit.

6 Clericus habens Capellaniam tenetur ratione Capellaniæ diuinum officium recitare.

7 Communis igitur Doctorum opinio est, habentem Capellaniam erectam auctoritate Episcopi, teneri diuinum officium recitare, quia dicitur habere beneficium, & hoc valet etiamsi Capellania fuerit instituta ex patrimonio laicorum, vt patet ex allata ratione. Armilla *ver. Horæ initio.* Macignus *num.* 12. & alij Doct. cit.

7 Habens Capellaniã erectam auctoritate Episcopi tenetur diuinum officium recitare, & obiectio resoluitur.

Obiicies. Capellaniæ ex patrimonio laicorum institutæ, & auctoritate Episcopi erectæ, possunt aliquando pueris laicis nondum susceptæ prima tonsura conferri; ergo non sunt beneficia, cùm beneficia conferri nequeant ante primam tonsuram. Respondeo Capellanias, quæ ex voluntate fundatorum, & instituentium conferri possunt pueris laicis ante primam tonsuram, pro tempore, quo prima tonsura carent, non appellari beneficia Ecclesiastica, nec titulo spirituali conferri, quamquam habens huiusmodi Capellaniam Missas per alios iuxta intentionem fundatoris, celebrare, & debito tempore ad Clericalem statum promoueri, Diuinumque Officium, cùm ad illud habilis effectus fuerit, persoluere debet. Ita Vasquez *de benef. ca.* 4. §. 1. *art.* 1. *dub.* 3. *num.* 11. & Filliucius *numer.* 174. Existimo tamen huiusmodi capellanias hoc tempore vsu receptas non esse, saltem in nostris regionibus.

8 Penſionarius percipiens pẽſionem vt Clericus, tenetur Beatæ Virginis Officium perſoluere: percipiens vero penſionem titulo ſæculari, vt cauſa belli, vel ob tinnabula pulſanda, vel propter aperiendas fores Eccleſiæ, &c. non tenetur ad recitandum magnum, vel paruũ Officium.

8 Secundò sequitur pensionarium non teneri diuinum officium quod vulgò magnum dicitur, recitare. Ratio est, quia pensio non est beneficium propriè acceptum, vt cum communi Doctorum sententia docui de pensionibus. Concedo tamen pensionarium, qui vt Clericus percipit pensionem, teneri ad recitandum Officium paruum beatæ Mariæ Virginis sub eadem pœna, sub qua beneficiarij tenentur ad recitationem diuini officij. Ita Azorius *cap.* 4. *quæsito* 3. Paulus Squillas 1. *parte dub.* 9. Vasquez *de benefic. cap.* 4. §. 1. *dub.* 4. *num.* 17. Reginaldus *lib.* 30. *num.* 41. Philiarcus 1. *part. lib.* 1. *cap.* 2. *ad finem.* Nauarrus *cap.* 7. *num.* 25. Suarez *cap.* 22. *numer.* 6. Molfesius *cap.* 3. *numero* 46. Filliucius *tomo* 2. *tractat.* 23. *cap.* 5. *quæsito* 9. *num.* 173. Valentia *tomo* 3. *disp.* 6.

disput.6.quæst.2.punct.10.versic.est, etiam Malderus *tractat.10. cap.2. dubio 3.quæsito 5.* [Barbosa *in cap.dolentes.num.7.de celebr. Miss.*] & alij communiter. Ratio desumitur ex dispositione Bullæ Pij V. quam refert Nauarrus *cap.25.num.122.* eamque infra ego referam *quæst. 4. punct.2.*

Imò quando pensio reseruata fuit in capite, seu persona vnius in commodum & vtilitatem alterius, vtrumque ad paruum beatissimæ Virginis Officium teneri aliquis fortè non improbabiliter existimabit, [vt patebit ex Doctoribus proximè adducendis,] quia vterque dici potest pensionarius, & pensio tam morte illius, quàm huius extinguitur, vt ex multis Rotæ decisionibus probaui *in tractatu de pensionibus punct.8.num.2.*

Mihi tamen dicendum videtur, eum dumtaxat ad Officij recitationem obligari, in cuius commodum pensio constituta est. Ratio est, quia hic propriè percipit pensionem, vt Clericus, & illius emolumento fruitur, non verò ille, in cuius capite posita fuit pensio. Ergo is, cuius intuitu pensio imposita est, tenetur onere Officij, iuxta regulam iuris, qui sentit commodum, par est vt sentiat incommodum. [Contrarium docent Lessius *lib.2.cap.35.dub.22.* Filliucius *tract. 42. de pensionibus cap.9.num.19.* & Garzias *1.part.cap.51.num.161.* asserentes onus vitæ clericalis, & Officij recitandi ad eum pertinere, qui ius habet pensionis, seu in cuius capite ponitur.]

Ad argumentum in contrarium respondeo vtrumque dici posse pensionarium, vnum titulo, seu tamquam procuratorem irreuocabiliter constitutum, vt nonnulli arbitrantur, alterum iure vtili & fructuoso, vt colligitur ex verbis Bullæ Pij V. ibi, *qui vt Clericus percipit pensionem*; ergo hic tenetur ad Horas Canonicas, non autem ille.

Dixi, *qui vt Clericus percipit pensionem*; quia percipiens pensionem titulo sæculari, vt causa belli, vel ob tintinnabula pulsanda, vel ad aperiendas fores Ecclesiæ, &c. non tenetur ad recitandum magnum, vel paruum Officium, quia non percipit pensionem vt Clericus. Ita Azorius *cap.4.quæsito 3.* Valentia *loco citato*, Molfesius, Vasquez, & alij *locis citatis.* Tunc aliquis dicitur pensionem, vt Clericus percipere, quando prima tonsura, seu status Clericalis requiritur in eo, cui pensio confertur. Ex quo fit vt is non teneatur ad recitandum paruum beatissimæ Virginis Officium, cui confertur pensio absque præuia conditione status Clericalis, etiamsi fortè detur personæ regulari, vt militi sancti Ioannis. Imo, etiamsi detur illi, vt regulari, non dicitur dari vt Clerico, vt dicitur in Bulla Pij V. regularis enim propriè, & strictè loquendo non est Clericus, fieri tamen potest, vt alio titulo teneatur iuxta proprias suæ religionis constitutiones. Ita Suarez *tom.2.de relig.lib.4.cap.22.num.6.* Carolus Macignus *num.22.* & alij.

9 Pensionarius, qui vt Clericus percipit pensionē, non ita tenetur ad recitandū Officium Beatissimæ Mariæ Virginis, quin oneri suo satisfaciat recitando Horas Canonicas, quod Officium magnum vulgò nuncupatur.

9 Aduertendum tamen est, primò pensionarium, qui vt Clericus percipit pensionem, non ita teneri ad recitandum Officium beatissimæ Virginis Mariæ, quin satisfacere possit recitando Horas Canonicas, quod Officium magnum vulgò nuncupatur. Ratio est, quia dum Papa præcipit, vt pensionarius persoluat Officium paruum beatissimæ Virginis, probabile est non iniunxisse hanc obligationem restrictiuè, excludendo preces Canonicas, quibus muneri suo melius satisfaceret, sed accumulatiuè, ne pensionarium ad tantum oneris obligare videretur quo beneficiarius astrictus erat. Ita Vasquez, Suarez, Molfesius, Reginaldus, Carolus Macignus *cap.10.num.19.* [Barbosa *loco cit.n.7.*] Azorius, & alij *locis cit.*

10 Clericus sacris initiatus simulque pensionem habens vnica magni Officij recitatione oneri suo satisfacit.

10 Addo Clericum sacris initiatum, vel habentem beneficium, simulque pensionem, satisfacere suæ obligationi vnica magni Officij recitatione, etiamsi paruum beatissimæ Virginis Officium non recitet, sicut obtinens plura beneficia, aut plures pensiones vnica Diuini Officij recitatione oneri suo satisfacit. Ita Vasquez, Reginaldus, Suarez, & Filliucius *locis cit.* Philiarcus *lib.1.cap.8.* Garzias *3.part.de benef. cap.1.numer.116.* Azorius *loco citato*, & alij communiter. Idemque in fortioribus terminis sustinent Doct. asserentes pensionarium Clericum, si nomen suum det in ordinem militarem cum facultate retinendi pensionem, satisfacere recitando orationes Dominicales & Angelicas à religione præscriptas, quia loco Horarum recitantur. Ita Rodriquez *in Summa 1.part.c.140. num.5.* Nauarrus *consil. 22. de celebrat. Missarum.* Macignus *cap.10.n.20.* [Barbosa *numer.7.*] & alij apud Garziam *num.118.*

11 Qui cessit pensioni solum in partem, non remanet immunis, & exemptus ab obligatione Diuini Officij, quia dicitur adhuc pensionem titulo Clericali possidere.

11 Aduertendum secundò, eum qui cessit pensioni, solùm in partem, non remanere immunem, & exemptum ab obligatione diuini Officij, quia dicitur adhuc pensionem titulo Clericali possidere. Secus si liberaliter cessit pensioni in totum, cùm enim non dicatur pensionem habere, neque dicendus est onere pensionarij grauari, iuxta Pij V. constitut. Idem mihi valde probabiliter dicendum videtur de pensionario, qui consensit pensionem redimi, accepta nonnullorum, vt quinque, aut trium annorum, anticipata solutione; militat enim eadem ratio, nec magis ob gratuitam, quàm ob onerosam pensionis alienationem ab onere diuini Officij eximi debet, nisi aliud in Bullis exprimatur. [Hanc opinionem approbare videtur Augustinus Barbosa *in cap.dolentes numer.7.de celeb.Miss.*] Contrarium tenet Azorius *2.part.lib.8.* quem citat, & sequitur Pater Bellius in manuscriptis *de benef.dub.4.de pension.vers.6.*

Obijcies: Recipiens anticipatas solutiones videtur recipere stipendium, quod Clerico fuit constitutum pro onere diuini Officij; ergo tenetur adhuc ad diuinum Officium, ratione cuius datur pēsio.

Respondeo negando consequentiam: hic enim non habet amplius pensionis titulum, nec dicitur pensionarius, consequenter non tenetur ad onera, quæ pensionem consequuntur, & ad quæ tenetur Clericus qui pensionem titulo Clericali percipit, sicut beneficiarius, cuius beneficij bona alterius tantum anni fructus reddunt, si statim elapso anno, ex quo fructus percepit, resignet alteri beneficium, non tenetur amplius ratione beneficij ad penium Canonicarum precum, cùm non dicatur amplius beneficium habere.

12 Episcopus, & Parochus tenentur Officium recitare.

12 Tertiò ex propositione, atque principali conclusione sequitur Episcopum teneri diuinum Officium, saltem priuatim recitare. Posset enim Episcopatum, qui inter præcipua Ecclesiæ beneficia connumeratur, & incompatibilitatem, & vacationem aliorum beneficiorum de iure inducit, vt suo loco probaui. Idem dicendum est de Parocho animarum curatore.

Vtrùm verò Episcopus, vel Parochus non solùm teneatur diuinum Officium priuatim recitare, verum etiam publicè in Choro, constabit ex infra dicendis, *de circumstantia loci puncto 5.q.3.*

13 Coadiutor beneficiarij nō tenetur per se loquendo Diuinum Officium persoluere ratione coadiutoriæ precisè.

13 Quæres primò, vtrùm coadiutor beneficiarij teneatur persoluere diuinum Officium.

Respondeo non teneri ratione coadiutoriæ præcisè. Ratio est, tum quia coadiutor tenetur ad id, ad quod deputatur, & assumitur: non deputatur autem, nec assumitur ad recitandum diuinum Officium, vt suppono: tum quia obligatio recitandi diuinum Officium residet penes proprietarium: ergo non afficit coadiutorem, alioquin duo ex eodem beneficio obligarentur ad diuinum Officium, quod non videtur admittendum: sicut enim principalis, & coadiutor, non tenentur ad alia onera duplicata, vt ad Missas, vel ad alia, sed vno satisfaciente, alter non tenetur: ita neque videtur admittendū vtrumque teneri ad pensum Canonicarum precum; tum quia coadiutor non habet titulum, & possessionem beneficij; coadiutoria enim ordinariè loquendo, non est beneficium Ecclesiasticum, sed aliquid adiunctum beneficio, vt cum Nauarro, Rodouano, Capitio, & aliis communiter docent Suarez *numer.19* & alij Doctores statim citandi. Secus dicendum est primò si coadiutoria habeat rationem beneficij Ecclesiastici, vt si coadiutori assignati sint prouentus, ad quorum titulum promoueri possit: tunc enim reputantur duo beneficia. Secundò si coadiutor assumatur in totum ad onera beneficij, aut saltem ad Horas recitandas: tunc enim tenetur Horas recitare, quia tenetur ad id, ad quod assumitur. Ideo si assumatur ad satisfaciendum in Choro in locum beneficiarij, tenetur in Choro canere, & Horas publicè recitare, nō verò priuatim, nisi aliud expressum sit. Ita Doct. statim citandi.

Dixi in responsione, *ratione coadiutoriæ præcisè*, quia ratione sacrorum Ordinum, vel alterius beneficij, si quod habet, certum est, coadiutorem teneri ad diuinum Officium persoluendum, vt patet ex dictis *punct.3.* Ita Nauarrus *cap.20.de oratio.num.18.* Molfesius *ca.2.numer.44.* Suarez *lib.4.cap.22.num.19.* Reginaldus *num.41.* Azorius *1. parte lib.10.cap.4.quæsito 1.* Paulus Squillas *1.parte.dub.2.* Medina *C.de oration.quæst.7.* [Augustinus Barbosa *in c.dolentes.n.8.de celebr. Miss.*] & alij communiter.

14 Capellanus, seu Sacerdos, qui conceditur alicui Parocho, vt vices, & absentiam Parochi in Sacramentorum collatione, & in externa Ecclesiæ administratione suppleat, non tenetur ex vi coadiutoriæ præcisè ad Horas Canonicas recitandas.

14 Hinc colligitur primò Capellanum, seu Sacerdotem, qui conceditur alicui Parocho, vt vices, & absentiam Parochi in Sacramentorum collatione, & in externa Ecclesiæ administratione suppleat, non teneri ex vi coadiutoriæ præcisè ad Horas Canonicas recitandas. Ita Suarez, Medina, Layman, & alij *locis cit.*

15 Qui priuilegium Canonicatus obtinuit cum futura successione, non tenetur ad preces Canonicas.

15 Secundò eum, qui priuilegium Canonicatus obtinuit cum futura successione, non teneri ad preces Canonicas, vt patet, tum ex rationibus allatis: tùm quia coadiutor canonici non est verè Canonicus, nec pro tali habendus est viuente coadiutore, vt ex declaratione Pauli V. tradit Suarez *loco cit. numer.19.* Rota, & alij quos suo loco referam: sicut successor Regis non est Rex, & successor Imperatoris non est Imperator: & licet communiter appelletur Canonicus, tamen re ipsa non est Canonicus, alioquin non teneretur mortuo coadiutore nouam possessionem capere: appellatur autem Canonicus, tum propter ius, quod habet ad succedendum in Canonicatu: tum propter illius Canonicatus collationem, quæ mortuo coadiutore non iteratur: tum quia sedem habet in Choro ex concessione, licet non in loco proprietarij, sed vltimo loco post alios Canonicos. Ita Suarez *loco citato*, Paulus Squillas *1.part.dub.5.* Molfesius *c.3. num.35.* Malderus *tractat.10.cap.2.dub.3.quæsito 2.* [Paulus Layman *lib.4.tract.2.cap.5.num.9.*] Filliucius *nu.177.* Garzias *de benef.tomo 1. part.3.cap.1.num.109.* Idem innuit Toletus *lib.2.cap.14. ad finem*, & Rota Romana, cuius decisionem ego retuli de beneficiis, & obligationibus beneficiariorum, vbi de coadiutore fusiùs egi, [& Barbosa *loco cit.num.8.*]

16 Idem dic de eo, qui fructus aliquos percipit per modū stipendij.

16 Tertiò coadiutorem, qui aliquos fructus recipit per modum stipendij, non teneri ad diuinum Officium persoluendum. Si verò pensionem propriè acceptam recipiat, tenetur ad Officium Beatissimæ Mariæ Virginis tamquam pensionarius. Ita Suarez *numer.22.ad finem.* Paulus Squillas *num.15.* & alij communiter.

17 Beneficiarius tenetur Diuinum Officium recitare etiāsi beneficium sit adeo tenue, vt non sufficiat ad sustentationem.

17 Quæres secundò, vtrùm beneficiarius teneatur diuinum Officium recitare, dum beneficium est adeò tenue, vt non sufficiat ad vitæ sustentationem.

Respondeo, iuxta communiorem, & veriorem sententiam, Syllueſtri *ver.Hora quæsito 2.* Vasquez *dub.5.* Nauarri *de orat.cap.2. nu.27.* & alibi, vbi testatur de communi. Squillantis *1.parte nu.7.* Vgolini *de officio Episcopi parte 1.fol.68.* & *70.* Garziæ *de benef.3.parte, cap.1.numero 30.* Naldi *num.2.ver.Diuinum Officium.* Caroli Macigni *cap.11.n.3.* Beiæ *1.parte, casu 54.* Pesantij *2.2.quæst.62.art.2.disputat.2.sub finem.* Suarez *de relig.tomo 2.lib.4.c.21.n.3.* & *9.* & *c.4.num.34.* Valentiæ *2.2. disput.6.quæst.2.puncto 10.vers. Excludit.* Toleti *lib.2.cap.14.* Filliucij *tract.23.c.5.n.181.* Reginaldi *lib.30.cap.4.nu.34.* Azorij *1.parte, lib.10. c.3.quæs.3.* [Pauli Layman *n.4.q.5.* Augustini Barbosæ *in c.dolētes.n.4. de celebr. Miss.*] & aliorum, teneri ad totum Officium recitandū. Ratio est, tum quia beneficiarius sponte sua acceptans beneficium, acceptat etiam onus illi adnexū, sicut miles voluntariè tradens nomen suum militiæ tenetur militare, quamuis non recipiat tantum pretij, quo vitam commodè traducere possit: & vir contentus modica dote, tenetur vxorem alere: tum quia nullam patitur iniuriam ex iniuncto sibi onere persoluendi diuinum Officium: nam voluntariè, & scienter hoc onus subit: scienti autem & volenti non fit iniuria: tum quia beneficiarius, qui vnum pingue beneficium, aut plura beneficia iustè retinet, non obligatur ad plura Officia recitanda: ergo signū est tenuitatem, vel pinguedinē beneficij impertinentē esse ad obligationem recitationis diuini Officij; consequenter habentem tenue bene-

ficium teneri ad recitandum diuinum Officium: tum quia, qui paucos fructus percipit ob grandinem, vel pruinam, vel ob alium cœli casum tenetur ad Officij recitationem: ergo qui adeò tenue beneficium habet, vt fructus ad sustentationem non sufficiant, tenetur ad recitationem diuini Officij: ergo par non est, vt ob beneficij tenuitatem ab onere diuini Officij eximatur: tum quia habens tenue beneficium fruitur priuilegiis beneficiariorum, & subiacet pœnis contra beneficiarios impositis: ergo etiam afficitur onere diuini Officij: tum quia iura, dum asserunt beneficium dari propter Officium, *cap. vltimo, de rescriptis in 6.* & in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sessione 9.* in Bulla reformationis Curiæ generaliter, & indistinctè loquuntur, nec magis loquuntur de beneficio pingui, quàm de tenui, vt clarè habetur in Bulla Pij V. ibi, *& qualiacumque alia beneficia*; sicut ergo habens pingue beneficium tenetur ad diuinum Officium: ita etiam tenetur is, cui tenue beneficium collatum est.

Dixi, *iuxta communiorem, & veriorem sententiam*, vt aduerterem non deesse Doctores aliter sentientes: nam Sotus *de iustitia quæst. 5. art. 3.* Riccius *decisio. 383. num. 3.* referens Abbatem, & alios, Rodriquez *c. 140. n. 3.* S. Thom. *2. 2. quæst. 83. artic. 12.* quorum opinionem putant probabilem Molfesius *tract. 5. cap. 3. nu. 29. & tract. 6. cap. 2. n. 36.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 31. nu. 169.* [Rodriquez *in Summa tom. 1. cap. 140. n. 3.* Petrus Ledesma *in Summa part. 2. tract. 9. cap. 4. concl. 6. diffic. 4.*] Filliucius *num. 183.* asserunt non teneri saltem quotidie recitare diuinum Officium. Idem tenet Vasquez *loco cit.* quando beneficiarius habet alia onera præter obligationem diuini Officij. Ratio est, tum quia qui non viuit de altari, non tenetur seruire altari, *c. cùm secundum Apostolum, de præbend. & dignit.* Ergo beneficiarius qui ob tenuitatem beneficij ex fructibus beneficij non viuit, non tenetur Horas, saltem quotidiè, recitare: tum quia parum, & nihil in iure æquiparantur, sed qui nullum habet beneficium, non tenetur recitare Officium: ergo neque tenetur qui tenue beneficium habet.

Idem tenet Malderus *de virtutibus tract. 10. cap. 2. dub. 3. versic. Nihilominus*, putans eum ad Canonicas preces non teneri, cuius beneficij fructus non attingunt tertiam mediocris sustentationis partem: idem docet *quæsito 8.* de habente duo beneficia exigui prouentus, quæ vix sufficiant ad tertiam sustentationis partem. Verùm istæ rationes non obstant, neque nos compellunt à communiori sententia recedere, tum quia ratio, ob quam beneficiarius tenetur recitare Diuinum Officium, non est præcisa, quia integrè sustentetur fructibus beneficij, (alioquin famuli beneficiariorum, & alij, qui fructibus beneficij aluntur, tenerentur ad diuinum Officium recitandum;) sed quia beneficium habet aliquos reddens fructus, qui dantur propter Officium: tum quia sufficit, vt inseruiens altari percipiat sustentationem congruam pro tempore, quo illi inseruit: cùm autem beneficiarius non inseruiat toto die altari, nec totum diem in recitatione diuini Officij insumat, non potest sustentationem pro toto die ex recitatione diuini Officij prætendere.

Hinc patet responsio ad rationes contra nos adductas: ad primam enim respondeo, inseruientem altari debere viuere de altari, nisi conductus sit minori stipendio, aut nisi seruitium altaris non exigat integram pro toto die sustentationem.

Ad secundam respondeo, parum, & nihil in hoc casu non æquiparari, quia beneficium tenue, est verè beneficium, *cap. si proponente. de rescript. & cap. si motu proprio. de præbendis in 6.*

18 Habentes plura tenuia beneficia, ex quibus omnibus colliguntur fructus competentes, tenentur ad pensum Canonicarum precum.

18 Ex dictis infertur à fortiori, habentem plura tenuia beneficia, ex quibus omnibus colliguntur fructus competentes, teneri ad pensum Canonicarum precum, tum quia nullam potest excusationis causam afferre; tùm quia tenue beneficium, licet ex sententia nonnullorum per se non obliget ad recitandum semper diuinum Officium, obligat tamen ad recitandum saltem aliquoties diuinum Officium, vel Diuini Officij partem: ergo si plura beneficia fructus competentes, & sufficientes ferant, integrè obligabunt. Ita Paulus Squillas *1. parte, dub. 2. num. 8.* Malderus *loco citato*, & Suarez *lib. 4. cap. 21. ad finem*, vbi hoc ex omnium sententia censet indubitatum.

Quæres tertiò vtrùm beneficiarius, seu Capellanus eximatur ab onere diuini Officij recitandi, dum maiorem fructuum, & redituum partem tradit Sacerdoti substituto ad peragenda, & sustinenda beneficij onera, aut dum sua voluntate, aut culpa beneficij fructus non recipit.

19 Beneficiarius, seu Capellanus non eximitur ab onere Diuini Officij recitandi dum maiorem fructuum, & reditū partē tradit Sacerdoti subsituto ad peragenda, & persoluenda beneficij onera.

19 Respondeo cum Azorio *lib. 10. cap. 4. quæsito 8.* Lessio *loco citato, dub. 31. num. 172.* Suarez *cap. 20. num. 13.* Molfesio *tract. 5. cap. 3. nu. 42.* Vasquez *de benef. cap. 4. art. 1. dub. 3.* Filliucio *tractat. 23. cap. 5. nu. 164. & sequentib.* & aliis, non eximi, sed adhuc teneri ad Diuinum Officium recitandum.

Ratio est, tum quia adhuc retinet beneficium cum iure ad fructus, beneficium autem datur propter Officium, *cap. vlt. de rescript. in 6.* Tum quia onus Diuini Officij est personale, & afficit personam iustum beneficij titulum habentem: quæ licet de præsenti fructus non percipiat, tamen per ipsam stat, cùm ius ad illos habeat.

20 Tenetur ad Diuinum Officium recitandum, qui post collationē ineptus reperitur ad munus beneficij exercendum, compellitur coadiutorem assumere, illique omnes, aut ferè omnes fructus beneficij pro munere obeundo tradere: nam ipse habet titulum, & possessionem beneficij, & per ipsum stat quo minus fructus percipiat. Ita Doctores citati.

20 Hinc sequitur primò Diuinum Officium ab illo recitandum esse, cui collatum est beneficium: sed quia post collationem ineptus reperitur ad munus beneficij exercendum, compellitur coadiutorem assumere, illique omnes, aut ferè omnes fructus beneficij pro munere obeundo tradere: nam ipse habet titulum, & possessionem beneficij, & per ipsum stat quo minus fructus percipiat. Ita Doctores citati.

21 Impendens omnes beneficij fructus loco pensionis illi qui sibi beneficiū renuntiauit, tenetur ad Diuinum Officium.

21 Secundò sequitur eum, qui omnes beneficij fructus loco pensionis impendit illi, qui sibi beneficium renuntiauit, teneri ad Diuinum Officium. Ratio est, tum quia ipse habet titulum, possessionem, & administrationem beneficij: & licet non fruatur fructibus beneficij, hoc est per accidens, quia sic ipse voluit, & consensit: tum quia sicut tenetur ad alia beneficij onera, ita etiam tenetur ad pensum Canonicarum precum. Ita Vasquez *loco citato, dub. 6. nu. 28. & 34.* Graffius *lib. 2. cap. 50. num. 17.* Garzias *3 parte cap. 1. numer. 54.* vbi hoc admittit si administratio beneficij incumbat beneficiario. Carolus Macignus *de Horis Canonicis cap. 10. num. 29. & cap. 20. num. 9.* Nauarrus *cap. 7. de orat. num. 30.* Suarez *loco cit. cap. 20. num. 2.* Philiarcus *loco citato num. 3. ad finem.* Reginaldus *lib. 30. numer. 30. versic. Quintum est.* Filliucius *tractat. 23. cap. 5. quæsito 5.* Molfesius *tract. 5. cap. 3. numer. 32.* Graffius *1. parte lib. 2. cap. 50. n. 17.* [& nouissimè Barbosa *in ca. dolentes num. 9. de celeb. Miss.*] & alij contra Sotum *lib. 10. de iust. q. 5. art. 3.* Aragon. *de iustit. quæst. 83. artic. 12.* & alios apud Garziam *num. 48.* apud Azorium *lib. 10. cap. 4. quæst. 5.* & apud Macignum *loco citato.* Secus dicendum putant præfati Doct. in succedente, qui non consensit in pensionem; sed oppositum mihi magis probatur: tum quia censetur cedere iuri suo, sciens se non posse vllos beneficij fructus percipere: alioquin neque teneretur ad alia beneficij onera, quod non est admittendum: tum quia sicut succedit in iura prædecessoris, ita etiam in onera: substitutus enim sapere debet naturam, & sequi onera illius, in cuius locum substituitur, & subrogatur.

Hinc ergo patet, illum, cui resignatum est beneficium, reseruatis omnibus fructibus resignanti, teneri ad onus diuini Officij recitandi. Ratio est, tum quia verum habet beneficij titulum, qui vacabit ipsius obitu, ex Rota in vna Taruisina Canonicatus 23. Iunij 1600. coram Corduba, & in aliis decisionibus relatis à Garzia *numer. 57.* & per ipsum stat, ne fructus capiat, cùm voluntariè beneficium cum hoc onere acceptet: tum quia, qui huiusmodi beneficium resignauit, non teneatur Officium recitare, & beneficio inseruire, cùm per renuntiationem cesset obligatio, *cap. cùm cessante. de appellationibus.* Flaminius Paris *de resignat. lib. 1. quæst. 10. num. 5.* asserens hanc conclusionem nullam habere difficultatem: ergo saltem tenetur resignatarius, ne fundatores beneficij sua defraudentur intentione, & suffragio ipsis debito.

Addo probabiliter sustineri posse resignatarium teneri ad pensum Diuini Officij, etiamsi fructus reseruati sint cum seruitio, & tota beneficij administratione ipsi resignanti: militat enim eadem ratio, quamuis oppositum teneant Nauarrus *c. 25. n. 104. in Manual.* Toletus *lib. 2. c. 14. n. 8. conditione 3. ad finem.* Suarez *c. 20. num. 6.* Philiarcus *lib. 1. cap. 3. ad finem.* Filliucius *loco citato, num. 163.* & alij, quos citat, & sequitur Garzias *n. 55.* quorum opinio valde probabilis est. Ratio est, tum quia, inquiunt præfati Doct. resignans censetur beneficium habere sicut antea, cùm nudum titulum in resignatarium transtulisse videatur: tum quia sicut coadiutor cum futura successione non tenetur ad Diuinum Officium, ita neque obligandus videtur resignatarius, cui non incumbit seruitium, & administratio beneficij. Verùm istæ rationes facili negotio dissolui possunt.

Ad primam enim respondeo negando resignantem habere beneficium, sicut antea, cùm verum titulum transtulerit in resignatarium, & ipsius morte vacet.

Ad secundam respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia is, cui resignatum est beneficium, reseruatis fructibus & administratione resignanti, verum habet titulum, & beneficij possessionem, vt concedit idem Garzias *numer. 57.* & patet ex Rotæ decisionibus, licet beneficium administrare nequeat sine pensionarij consensu.

22 Canonicus tenetur ad recitandū Diuinum Officium, etiāsi primo anno fructus beneficij non recipiat.

22 Tertiò ex responsione ad quæsitum sequitur Canonicum teneri ad recitandum Diuinum Officium, etiamsi primo anno fructus beneficij non percipiat, dum fructus beneficij ex consuetudine cedunt heredibus Canonici mortui, aut distribuuntur inter Canonicos antiquiores. Ratio est, tum quia ipse voluntariè se subiecit huic oneri: tum quia habet titulum, & possessionem beneficij, cui est annexa obligatio recitandi Diuinum Officium; & quamuis ipse de præsenti non percipiat fructus: nihilominus heredes ipsius percipient post mortem Canonici, vel ipse recipiet, dum factus fuerit antiquior accedentibus aliis Canonicis iunioribus. Ita Molfesius *loco citato, num. 38.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 31. numer. 170.* Azorius *lib. 10. cap. 4. quæsito 4.* Garzias *3. parte, cap. 1. num. 62.* Filliucius *cap. 5. quæsito 8.* Philiarcus *loc. cit. cap. 3.* Suarez & Reginaldus *locis citatis*, [Paulus Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 5. num. 4.*] & alij communiter, quibus adde sacræ Congregationis declarationem, quam innuit Garzias *loc. cit. numer. 62.*

23 Beneficiarius, iuxta probabiliorem sententiā tenetur ad recitandū Diuinum Officium quoties fructus beneficij in alios pios vsus ex cōsuetudine, vel Ecclesiæ statuto impēduntur.

23 Vtrùm verò beneficiarius teneatur ad recitandum Diuinum Officium, dum fructus beneficij in alios pios vsus ex consuetudine, vel statuto Ecclesiæ impenduntur, dissensio est inter Doct. Garzias enim *num. 20. & seqq.* Nauarrus *cap. 7. num. 30.* [Paulus Layman *n. 4. quæst. 4.*] & alij, negant, cùm fructus non percipiat, nec alia ratione percepturus sit.

Sed mihi probabilior videtur opinio Filliucij *n. 271.* Azorij *quæsito 4. ad finem.* Suarez *num. 11.* & aliorum asserentium teneri, tum quia, licet illos non percipiat materialiter, recipit tamen quoad fructum, & effectum spiritualem, cùm in pios vsus impendantur: tum quia huiusmodi consuetudo non est inducta, vt minuatur onus Diuini Officij: sed vt idem onus imponatur cum minori lucro, ita vt futuri fructus subsequentium annorum acceptentur ex tunc tamquam sufficiens stipendium totius temporis, alioquin huiusmodi beneficiarij neque tenerentur ad assistendum Choro, & ad alia beneficij onera, quod non est in vsu, nec est admittendum: par autem est omnium onerum beneficij ratio; vt longiori argumento probat Suarez *c. 20. n. 11. vers. probatur.*

24 Idem dicendum de beneficiario, qui capta possessione fructus pro aliquo tēpore non percipit, spem tamē habet alias recipiendi.

24 Quartò ex præfata responsione sequitur beneficiarium, qui capta possessione fructus pro aliquo tempore non percipit, spem tamen habet alias recipiendi, teneri ad Horas Canonicas, quia ipse titulum habet beneficij, nec simpliciter beneficij fructibus caret, cum spes illa pretio æstimabilis sit. Ita Vasquez *loco citato, dub. 6.* Suarez *lib. 4. cap. 20. numer. 15.* Reginaldus *lib. 30. numer. 39.* Paulus Squillas *1. part. numer. 21.* Molfesius *cap. 3. numer. 41.* Nauar. *in Manuali cap. 25. numer. 103.* Filliucius *cap. 5. quæsito 7. num. 167.* [Paulus Layman *lib. 4. tract. 2. c. 5. n. 4.*]

25 An idem valeat in eo, qui

25 Idem dicendum est de eo, qui ob delictum, aut alia iusta de causa priuatur fructibus. Ita Azorius *quæs. 6.* & alij; quamquā hic, si Officium

fructibus priuatur ob delictũ, vel ex bello, aliaue actione iniusta.

cium non recitet, non videtur obligandus ad restitutionem; quia Concilium Lateranense obligat ad restitutionem fructuum perceptorum; hic autem nullos percipit, vt supponitur. Ita Molfesius *nu.* 40. & alij.

Idem dici posset de illo, qui iniustè ob bellum, vel alia iniusta de causa priuatur omnibus fructibus.

Mihi tamen valdè probabile videtur non teneri ad pensum Diuini Officij, quamdiu priuatio iniusta durat, & beneficiarius credit se numquam fructus recitationi respondentes recuperaturum. Ita Suarez, & Molfesius *locis citatis*, Azorius 1. *part. lib.* 10. *cap.* 4. *quæsito* 6. Flaminius Parisius *lib.* 1. *quæst.* 9. *num.* 3. [Paulus Layman *loc. cit. num.* 4.] Graffius, Lopez, & alij, quos citat, & sequitur Garzias 3. *parte cap.* 1. *num.* 45. contra Filliucium *num.* 167. Ratio probabilitatis, seu disparitatis inter hunc, & alios casus, est, quia hic casus videtur per epicheiam exceptus, nec par est, vt beneficiarius ob iniustam alterius actionem teneatur onus Officij recitandi subire sine spe fructuũ percipiendorum: secus si iam fructus accepit, & postea bello iniustè, aut alia iniusta actione subtrahuntur: iam enim fructus collegit, propter quos Diuinum Officium recitare tenetur. Vide inferiùs tradenda *quæst.* 6. *punct.* 3. *propositione* 2. vbi alias rationes adducam.

26 Litigantes circa idē beneficium non tenētur ad Diuinũ Officiũ, modo bona fide litigēt, nec alius pacificè possidere incęperit.

26 Quæres quartò, vtrùm omnes litigantes circa idem beneficium teneantur ad pensum Canonicarum precum. Respondeo nullum teneri dum nullus possidet beneficium; quamuis aliquis habeat titulum, & speret se victorem futurum in causa, seque fructus habiturum. Ratio est, quia neuter habet ius certum in beneficio, cum ius acquiratur per possessionem pacificam, & sola spes non tribuat ius, multisque modis fieri possit, vt recitans Officium non vincat litem. Propterea huiusmodi beneficium in tali euentu habendum est quasi vacans. Ita Suarez *cap.* 19. Reginaldus *lib.* 30. *num.* 40. Filliucius *num.* 160. Azorius, Vasquez, & alij DD. statim citandi contra Nauar. *loco* statim *citando.*

Hoc tamen intelligitur, modò vterque bona fide litiget, & iustè impediat alterius possessionem: nam si vnus iniustè litiget, & alterum impediat, tenetur ad recitandum Diuinum Officium, quia iniustè priuat Ecclesiam debito obsequio, ac ministerio, vt bene Suar. *cap.* 19. & alij.

Dixi, *dum nullus possidet*: nam si vnus litigantium pacificè incepit possidere beneficium, incumbit ipsi obligatio recitandi Horas Canonicas; nam ipse habet ius, titulum, possessionem, & administrationem beneficij; quamuis fructus beneficij fortè fuerint depositi nomine sequestri auctoritate iudicis. Ita Lessius *loco citato n.* 173. Suarez *loco citato, num.* 10. Paulus Squillas 1. *parte dub.* 10. Garzias *tom.* 1. *de benefic.* 3. *parte cap.* 1. *num.* 86. & 104. Reginaldus *lib.* 30. *num.* 38. Azorius *lib.* 10. *cap.* 4. *quæsito* 9. vbi testatur de communi Filliucius *num.* 160. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. *quæst.* 4.] & alij contra Nauarrum *cap.* 7. *de orat. num.* 18. quatenus existimat eum, qui habet titulum beneficij, teneri ad Diuinum Officium recitandum, quamuis nondum pacificè inceperit possidere, modò speret se adepturum fructus beneficij, est contra Petrum Ledesmam *tract.* 9. *cap.* 4. *concluſ.* 6. *differentia* 10. asserentem possessorem beneficij non teneri ad Horas Canonicas, dum fructus sequestri nomine depositi sunt, & lis est super proprietate.

27 Iustè possidens plura beneficia, nõ tenetur pluries in die Officiũ recitare.

27 Quæres quintò vtrùm habens plura beneficia tot Officia in die recitare teneatur, quot sint beneficia. Ratio dubitandi est, quia multiplicatis stipendiis multiplicantur onera, vt patet in Capellano, cui multiplicatæ eleemosynæ conferuntur pro multiplici Missarum celebratione.

Sed hoc minimè obstante, respondeo eum, qui plura beneficia iustè & cum legitima superioris auctoritate retinet, non teneri Officium toties in die recitare, quot sunt beneficia, sed satisfacere vnica recitatione. Ratio est, quia, licèt Ecclesia præceperit beneficiario recitationem Diuini Officij, non tamen præcepit, vt Officium pluries recitetur ab eo, qui plura habet beneficia, vt praxis, & consuetudo communis indicat. Ita Paludanus *in* 4. *distinct.* 25. *quæst.* 5. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. *in comment. littera* Q. Philiarcus *lib.* 1. *cap.* 8. Garzias 3. *parte, cap.* 1. *num.* 115. Azorius *lib.* 10. *cap.* 4. *quæsito* 10. Carolus Macignus *cap.* 12. *de Horis Canonicis.* Malderus *tract.* 20. *cap.* 2. *dub.* 3. *quæsito* 8. Suarez *cap.* 19. *num.* 7. Filliucius *num.* 155. Molfesius *cap.* 3. *num.* 22. & alij communiter contra Dionysium Carthus. *art.* 8. *de pluralitate beneficiorum.*

Ad rationem dubitandi respondeo illam procedere, nisi ex praxi aliter constaret de voluntate Ecclesiæ, quæ onus Diuini Officij recitandi iniunxit.

Hinc colligi potest beneficiariũ plura beneficia possidẽtem, vnum specie peccatum committere, dum Horas Canonicas prętermittit: facit enim contra obligationes eiusdem rationis. Ita Henriquez *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. Azorius *lib.* 4. *cap.* 2. *quæsito* 6. *parte* 1. Garzias *num.* 124. & alij. Secus dicendum videtur, si Diuinum Officium persoluere teneatur, non solùm ratione beneficiorum, verùm etiam ratione Ordinis, vt infra explicabo *quæst.* 5. contra Garziam, Azorium, & alios, [quos referam *quæst.* 5. *punct.* 1. *num.* 4.]

28 Qui plura beneficia iniquè possidet, tenetur ex iure naturæ plura Officia recitare.

28 Dixi, *qui iustè*, &c. nam qui plura beneficia iniustè, & absque legitima superioris facultate retinet, licèt directè ex præcepto Ecclesiæ non teneatur ad vllum Officium recitandum, cum nullum censeatur habere beneficium, vt bene in hac parte Nauarrus *consil.* 3. *de ætate, & qualitate num.* 1. nihilominus ex iure naturæ tenetur, quia contra voluntatem Ecclesię defraudat Deum debito obsequio, & seruitio, & priuat Ecclesiam officio, & ministerio. Ita Philiarc. *lib.* 1. *cap.* 8. *concluſio.* 2. Azorius, & alij, quibus adde Nauarrum *in miscellan.* 15. *de orat. ad finem.* Carolum Macignum *cap.* 12. *num.* 9. Suarez *loco citat. num.* 10. loquentem de iniustè litigante, & alium impediente à consecutione beneficij, contra Garziam *num.* 120. existimantem eum, qui plura beneficia iniustè possidet, non teneri pluries in die Officium recitare, quamuis idem Garzias oppositum sentiat de eo, qui vnum beneficium sine iusto titulo possidet, cum non debeat esse melioris conditionis stultus quàm sapiens, *cap. eum qui. de præb.* quod etiam ego in hac parte approbo cum Azorio *cap.* 4. *quæsito* 10. Nauarro *loco cit.* [Paulo Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 5. *nu.* 3. *q.* 3.] & aliis.

Hinc patet quid dicendum sit de illo, qui vnum beneficium iustè, & aliud iniustè, & absque Summi Pontificis licentia possidet. Dicendum enim est teneri ad duo Officia persoluenda, vt patet ex proximè allata ratione. Addo cum Azorio, & aliis istum teneri ad restitutionem fructuum illius beneficij, quod iniustè possidet, nullum enim ius habet ad illos fructus percipiendos, nisi fortè onera illius beneficij persoluerit: tunc enim non videtur improbabile posse sibi tantum retinere, quantum alteri substituto datum fuisset, vt ostendi *de Censuris*, & *de Sacramentis.*

Sed modò dubium est, vtrùm iustè habens plura beneficia, licèt non teneatur toties Officium recitare, quot sunt beneficia, teneatur saltem tot commemorationes facere, quot sunt beneficia, seu patroni beneficiorum. Vt solutionem huius difficultatis, quam nullus hactenus explicauit, quilibet clarè percipiat, quatuor explanabo.

Primò vtrùm beneficiarius teneatur commemorationem Patroni facere.

Secundò vtrùm tot commemorationes facere debeat, quot sunt beneficia.

Tertiò vtrùm grauiter peccet omissione commemorationum.

Quartò vtrùm ad restitutionem obligetur.

Dico primò, beneficiarius illis diebus, quibus commemorationes fiunt, tenetur commemorationem illius Sancti facere, in cuius honorem beneficium erectum est, vel à quo Ecclesia illa particularis nomen accepit. Ratio est, tum quia sic communi vsu, & moribus beneficiariorum receptũ est: tum quia beneficiarius tenetur Diuinum Officium recitare iuxta ritum Breuiarij Romani: in Rubricis autem, seu ritu Breuiarij Romani decernitur commemorationes Patroni, vel Titularis fieri, vt cuilibet perspicuè notum erit, si titulum de commemorationibus inspexerit, & cõsuluerit: tum quia hæc est pars Diuini Officij, illa enim est Officij pars, quæ recitanda præscribitur in Rubricis. Secus dicendum videtur de pensionario: hunc enim ad commemorationem Patroni, & Titularis beneficij arbitror non adstringi, quia ipse beneficij titulum non habet.

Dico secundò, tot commemorationes faciendę sunt, quot sunt beneficia, modò id commodè fieri possit, seruato Ecclesiæ more. Hæc conclusio patet: tum ex rationibus in præcedenti allatis: tum quia par est omnium ratio, nec potior causa referri potest cur beneficiarius vnius potius Patroni, quàm alterius memoriam facere teneatur.

Dixi, *modò id commodè fieri possit*: nam si quis quàm pluribus beneficiis onustus sit, ita vt Patroni nonnullorum beneficiorum sint Apostoli, nonnullorum sint Martyres, nonnullorum Pontifices, poterit vnica commemoratione complecti Apostolos, alia Martyres, alia Pontifices, &c. expressis in oratione nominibus Patronorum, si oratio illa expressionem commodè patiatur. Item si Titularis sit Beatissima Virgo, aut sanctus Petrus, vel Paulus, sufficit commemoratio consueta, quæ in Breuiario Romano suo loco habetur: hoc enim pacto seruatur vsus, & praxis, vt experientia docet in die Sabbati, in qua officium de beatissima Virgine recitatur, & nihilominus rubricę indicant non esse iterandas eiusdem beatissimæ Virginis cõmemorationes, sed vnica consuetæ commemorationis recitatione satisfieri.

Dico tertiò, omittens Patroni, vel Titularis commemorationem, regulariter loquendo, venialiter peccat. Ratio est, quia paruitas materię à mortali excusat, vt docui *in tract. de legibus disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 3. cum communi Doctorum sententia.

Dixi, *regulariter loquendo*; quia vtplurimum beneficiarij tenentur vnam solùm, vel alteram commemorationem facere: consequenter non peccant mortaliter in omissione commemorationum, quia materia non videtur sufficiens ad mortale peccatum. Verùm si quis tot beneficia possideat, vt illis respondeant plures commemorationes, quæ simul sumptæ Matutino, & Vespertino tempore grauem materiam constituant, censeo beneficiarium huiusmodi commemorationes omittentem, reum esse lethalis culpæ, quia violat præceptum religionis, seu obedientiæ, & iustitiæ in materia graui, vt in simili probaui *de legibus loco citato punct.* 5. *n.* 29. cum Sanchez *in opere morali lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 16. dum loquerer de eo, qui plura vota pro eodem die emisit cum proposito recitandi pro singulis votis vnam orationem Angelicam, vel exiguam eleemosynam erogandi, sed postea singula vota eadem die prætermittit. Vide rationes ibi adductas, quæ ad hoc idem probandum faciunt.

Dico quartò, omittens Patroni, vel Titularis commemorationem non tenetur saltem, regulariter loquẽdo, ad fructuum restitutionem, si communem Doctorum opinionem sustineamus, asserentium ex omissione partis modicæ non consurgere obligationem restituendi, etiamsi fructus illi parti respondentes sint magnæ quantitatis, vt infrà ostendam *quæst.* 5. *punct.* 2. *num.* 11.

Dixi, *saltem regulariter loquendo*, quia si plures commemorationes eadem die omittantur, constituentes materiam notabilem, & sufficientem ad lethalem culpam, arbitror omittentem obligari ad restitutionem pro rata fructuum respondentium singulis commemorationibus omissis: nam beneficiarius omittẽs diuinum Officium, peccat contra iustitiam commutatiuam, ex violatione autem iustitiæ commutatiuæ consurgit obligatio restituendi, vt inferiùs probabo *quæst.* 5. *punct.* 2. *num.* 14. cum Suarez, Garzia, Filliucio, & aliis.

Dico, *pro rata fructuum respondentium singulis commemorationibus omissis*, vt aduertam habentem duo beneficia, exempli gratia, non teneri maiorem fructuum restitutionem primi beneficij facere quam teneretur, si secundum non haberet, sed obligatur solum pro rata fructuum respondentium singulis commemorationibus debitis ex propriis titulis: nam quæ ratio est recitationis ad acquisitionem fructuum, eadem esse debet omissionis ad amissionem.

Neque obstat Pium V. obligare omittentem ad restitutionem pro

rata beneficiorum, quia loquitur de omissione officij, quod recitandum est ex vi cuiusuis beneficij: nam singula beneficia eamdem inducunt obligationem recitandi Officium, non autem singula beneficia inducunt eamdem obligationem recitandi easdem commemorationes, sed singula singulas; consequenter in facienda restitutione ob omissionem commemorationis, exempli gratia, Sancti Petri, qui est Patronus vnius beneficij, non est habenda ratio omissionis alterius commemorationis, exempli gratia, Sancti Francisci, qui est Patronus alterius beneficij; [sed sufficit illam restitutionem facere, quæ singulis commemorationibus respondet.]

Obiicies contra quartam conclusionem: beneficiarius non est deterioris conditionis ob consecutionem plurium beneficiorum, quàm vnius: sed habens vnum beneficium non tenetur ad restitutionem ob omissionem commemorationis; ergo neque tenetur habens plura beneficia, præsertim cùm vnicuique beneficio sua respondeat commemoratio.

Respondeo non fieri deterioris conditionis præcisè ob consecutionem plurium beneficiorum, sed ob violationem iustitiæ in materia graui, ex qua nascitur obligatio restituendi.

PVNCTVM V.

Quandonam beneficiarij, aut Clerici sacris Ordinibus initiati, aut Religiosi ad diuini Officij pensum obligari incipiant.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Proponitur sententia asserens beneficiarium teneri ad diuinum Officiū statim ac collationem obtinuit.

1 BEneficiarius ad diuinum Officium recitandum obligatur solùm post captam beneficij pacificam possessionem. Hæc propositio non est æquè certa apud omnes.

Garzias enim *de benef. 3. par. cap. 1. num. 92.* Nauarrus *cap. 7. de orat. num. 27.* Carolus Macignus *cap. 10. num. 25.* & alij existimant teneri statim ac beneficiarius collationem acceptauit. Ratio est, tum quia beneficiarius potest huiusmodi beneficium permutare; ergo tenetur etiam onera illius sustinere; tum quia beneficiarius ex eo tempore acquirit titulum beneficij, & ius ad fructus, quamuis non sit illos percepturus ante possessionem.

2 Affertur sententia Auctoris asserentis teneri post pacificam beneficij possessionem.

2 Sed mihi probabiliùs dicendum videtur cum Flaminio Parisio *lib. 1. de resignat. benefic. quæst. 9. num. 15.* Azorio *lib. 10. cap. 4. quæsito 7.* Paulo Squillante *dub. 8.* Lessio *lib. 2. cap. 34. dub. 30. num. 167.* Maldero *2. 2. de virtutibus tract. 10. cap. 2. dub. 3. quæsito 7.* Naldo *ver. diuinum Officium nu. 5.* Suar. *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 19. num. 7.* Menochio *de arbitrar. lib. 2. casu 429. nu. 24.* Molfesio *tract. 5. cap. 3. num. 3.* Rodriquez *1. parte, cap. 141. nu. 4.* Caietan. *ver. Hora Canonica circa principium.* Philiarco *loc. cit. cap. 9.* Reginaldo *lib. 30. nu. 38.* Filliucio *nu. 158.* [Barbosa post hæc sæpius edita *in cap. dolentes num. 3. de celebr. Miss.* Suarez *lib. 4. cap. 19.* Paulo Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 5. nu. 3. quæst. 2.*] & aliis, non teneri nisi post captam pacificam beneficij possessionem. Ratio est, tum quia Clericus ante captam beneficij possessionem habet ius incertum ad fructus, & impediri potest ne illos capiat; ergo par non est, vt ad onus certum obligetur: tum quia, sicut ante captam beneficij possessionem non potest iura beneficij exercere, ita neque tenetur ipsius onera sustinere: tum quia in Bulla Pij V. dicitur, post beneficij consecutionem; ille autem propriè dicitur beneficium consecutus, qui pacificam illius possessionem adeptus est cum titulo.

Hoc tamen intelligitur, modò Clericus beneficiarius non differat sponte possessionem capere: nam fraus & negligentia non debent ipsi prodesse, nec Ecclesia debito obsequio defraudari debet ob illius negligentiam. Ita Lessius, Parisius, Menochius, Filliucius, Azorius, Molfesius, Squillas, & alij *locis cit.* quibus adde Vasq. *in opusc. de benef. cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 6.*

3 Respondetur rationibus primæ sententiæ.

3 Ad rationes in contrarium, concedo beneficiarium per collationem acquirere ius ad fructus, & posse beneficium permutare, non tamen teneri ad recitationem diuini Officij, vt patet ex allatis rationibus.

4 Qui per litem impeditur ne possessionē capiat non tenetur ad Officij recitationē.

4 Hinc sequitur primò Clericum, qui per litem impeditur accipere possessionem beneficij sibi collati, non teneri ad diuinum Officium persoluendum, iuxta dicta *quæsito 4. punct. 4. num. 4.*

Neque obstat, quòd Ecclesia frustretur interim recitatione diuini Officij, & quòd Clericus, qui impeditur, dicturus sit causam, & fructus beneficij recepturus, non inquam obstat, tum quia hoc est per accidens, cùm ante captam possessionem impediri possit: tum quia tempore vacationis beneficij non persoluitur Officium, quamuis successor recepturus sit fructus tempori vacationis beneficij respondentes: ergo neque persoluitur ex obligatione, antequam beneficij possessio capta fuerit. Ita Doct. cit.

5 Coadiutor cum futura successione non tenetur ad diuinum Officium viuente coadiutore.

5 Secundò sequitur coadiutorem cum futura successione non teneri diuinum Officium persoluere, viuente coadiuto, quia non dicitur habere proprietatem, & possessionem beneficij, sed illam nancisci debet mortuo coadiuto. Secus dicendum videtur quoties beneficiū in alterius fauorem resignatur cum reseruatione fructuum, translato in alterius fauorem resignatur cum reseruatione fructuum, translato in resignatarium titulo, & possessione, vt superiùs innui *puncto præcedente quæst. 1. num. 13. & seqq.*

6 Qui pensionis titulum obtinuit, sed pensionem non percipit, nec illius percipiendæ spē habet, non tenetur Officium recitare.

6 Tertiò illum, qui pensionis titulum obtinuit, sed pensionem non percipit, nec illius in futurum percipiendæ spem habet, non teneri ad Officij parui, vel magni recitationem. Ratio est, tum quia sicut solus beneficij titulus non affert onus diuini Officij, iuxta communiorem Doctorum sententiam, Angeli *ver. Horæ num. 4.* Syluestri *eodem ver. quæsito 2.* & aliorum apud Carolum Macignum *de Horis Canonicis cap. 11. num. 12.* contra eumdem Macignum *ibidem*, vbi refert Medinam *in 4. quæst. 7. de orat. cap. de necessitate vocaliter orandi,* & alios. Ita nec solus pensionis titulus, sed præterea requiritur vt pensionarius pensionis possessionem, vel quasi possessionem habeat, vel vt per ipsum non stet ne illam habeat: tum quia inutilis, & vana videtur hæc pensio; ergo par non est, vt Officij recitandi obligationem patiat: tum quia in Bulla Pij V. idem præscribitur in pensionario, quod in beneficiario: sed beneficiarius non tenetur ad pensum Canonicarum precum, antequam beneficij possessionem pacificè capiat; ergo [neque pensionarius.]

7 Pensionarius non tenetur ad Officij recitationē antequam litteras, vel instrumentum pensionis expediri curauerit.

7 Hinc patet à fortiori, illum, qui pensionem obtinuit, non teneri ante litterarum expeditionem officium recitare. Idem dicendum videtur de eo, in quem translata fuit pensio, sed nondum authenticum instrumentum, quo pensionem exigere valeat, sibi à Notario fieri curauit; nondum enim videtur esse in possessione, vel quasi possessione pensionis, & fieri potest, vt illi aliquid obiiciatur, quo ab exigenda pensione repellatur, hoc tamen intelligitur, modò per ipsum non stet, ne litteræ, vel instrumentum expediatur, vt suprà dictum est.

8 Beneficiarius non tenetur ad restitutionē fructuū dum Officium prætermisit, nisi elapsi sint sex menses à capta possessione.

8 Quartò sequitur illum qui diuinum Officium prætermittit post sex menses à collatione computandos, non teneri ad restitutionem fructuum, nisi etiam elapsi fuerint sex menses post possessionem. Ita Suarez *lib. 4. cap. 29. num. 13.* & alij. Ratio est, quia summus Pontifex obligat ad restitutionem solùm elapsis sex mensibus, in quibus beneficiarius tenebatur ad Officij recitationem: tenebatur autem ad Officij recitationem post beneficij consecutionem, quæ integrè obtinetur pacifica beneficij possessione.

An autem hoc tempus debeat esse completum de momento ad momentum, patet ex dictis *de Censuris, de beneficiis, & de ætate ad matrimonium requisita.*

SECVNDA PROPOSITIO.

9 Clericus sacris initiatus tenetur statim ad pensum diuini Officij statim ac Ordinē sacrum suscepit.

9 CLericus, sacris Ordinibus initiatus, tenetur statim suscepto Subdiaconatu, ad onus diuini Officij. Ratio est, quia ad hoc onus obligatur ratione Ordinis sacri; ergo illo suscepto statim obligatur.

Idem cum proportione dicendum est de Religioso post professionem, par enim est ratio.

10 Qui beneficium, vel Ordinē suscepit, vel professionem in Religione emisit, non tenetur integrū Officiū eo die recitare, sed pro rata tēporis.

10 Sed modò dubium est primò, vtrùm beneficiarius, vel etiam Subdiaconus, vel professus teneatur totum Officium eo die recitare, quo beneficij possessionem, vel Ordinem suscepit.

Ratio dubitandi [pro parte affirmatiua] est, tum quia Pius V. absolutè, & absque distinctione obligat beneficiarium ad Officij recitationem post beneficij consecutionem: tum quia percepturus est fructus totius illius diei; ergo etiam tenetur ad pensum totius diei.

His non obstantibus, respondeo beneficiarium teneri solùm ad recitandas Horas respondentes horæ, in qua beneficij possessionem accipit, sicut etiam ex dictis de Sacramento Ordinis, constat eum, qui ad titulum patrimonij promouetur ad Ordines sacros absque titulo beneficij, non teneri eo die, quo recipit Subdiaconatum, recitare Matutinum, vel Primam, sed solùm teneri Officium recitare iuxta horam, in qua promouetur ad Subdiaconatum. Ita Azorius *loco cit. cap. 13. quæsito 17.* [Becanus *par. 1. casu 54.*] Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 27. nu. 8. ver. vt autem,* Paulus Squillas *1. par. de obligat. Cleric. dub. 15. num. 31.* Filliucius *cap. 9. num. 285.* [Paulus Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 6. dub. 4.*] & alij recentiores communiter.

Idem de Religioso professo ad Chorum deputato dicendum est. Ratio est, quia cùm non fuerit toto die obligatus ad recitandum officium, non videtur consentaneum imponere onus totius diei. Idem cum proportione dicendum est de recipiente pensionem.

Ad rationes in contrarium, dico subesse iustam distinguendi causam, nec ius ad fructus inducere obligationem recitandi Officium, nisi post possessionē pro rata temporis, quo capta fuit, alioquin etiam adesset obligatio recitandi pro tempore quo beneficium vacauit.

11 Qui diuinum Officium recitauit antequā beneficij possessionem, vel collationem, vel sacrū Ordinem reciperet, tenetur iterū accepta possessione, vel collatione, vel ordine recitare pro rata temporis, & horæ, qua possessionem, collationem, vel ordinem obtinuit.

11 Secundò dubium est, vtrùm Clericus, seu beneficiarius, seu Religiosus, qui diuinum Officium integrè recitauit antequam Ordinem vel beneficij possessionem caperet, vel antequam professionem emitteret, teneatur iterum recitare partem, respondentem horæ, in qua Ordinem, vel possessionem accepit, &c.

Ratio dubitandi ad ostendendum non teneri, est, quia hic videtur anticipatè satisfeciſſe: sicut anticipatè tradens centum ad extinguendum debitum alio tempore contrahendum, non tenetur contracto delicto æquali quicquam soluere. [Ita sentire videtur Salas *de legib. disput. 14. sect. 4.* & alij quos retuli *de legib. disput. 1. q. 1. punct. 5. num. 58. vers. idem dicendum.*]

Nihilominus mihi dicendum videtur iterum teneri ad partem Officij respondentem horæ, in qua sacro Ordine initiatus est, vel beneficij possessionem accepit, vel professionis votum nuncupauit. Ratio est, tum quia adimpletio præcepti supponit obligationem, sed qui Officium ante Ordinis, vel possessionis, aut saltem collationis beneficij susceptionem recitauit, non habebat onus, & obligationem Officij recitandi: ergo non satisfecit præcepto Officij. Ergo susceptio Ordine vel possessione beneficij, tenetur iterum recitare pro rata temporis, quo ad Ordinem euectus est, præceptum enim adimpletur actuali recitatione: tum quia Horæ Canonicæ recitantur nomine Ecclesiæ: qui autem diuinum Officium ante Ordinis susceptionem recitauit, non dicitur illud nomine Ecclesiæ recitasse, cùm nondum esset minister ad hoc deputatus, vt infra ostendam *quæst. 4.* Tum quia sicut non satisfacit præcepto qui diuinum Officium hodie recitat, vt adimpleat onus, quo diuinum Officium crastina die persoluere debet, ita neque obligationi satisfacit, qui Officium recitat antequam Ordinem sacrum suscipiat, vtraque enim obligatio est affixa tempori, & personæ obstrictæ onere diuini Officij.

Ad rationem dubitandi respondeo negando anticipatè satisfeciſſe, cùm satisfactio supponat debitum. Nec par ratio est, de tradente pecuniam anticipatè: hic enim non tenetur, contracto debito, quidquam restituere, quia anticipata traditione alterum sibi obstrinxit, & ius in alterum acquisiuit, quod ius ad æqualitatem compensatur, æquali debito contrahendo.

[Neque obstat dicere illum satisfacere præcepto Missæ audiendæ, qui summo manè audito sacro, discedit à loco, in quo non celebratur dies festus, & ante meridiem peruenit ad locum, in quo celebratur

bratur dies festus; hic enim non tenetur iterum Missæ sacrum audire in secundo loco, vt docui *de legibus loco citato*, cum Salas & aliis. Ergo, &c.

Respondetur negando consequentiam. Ratio disparitatis est: tum quia audiens Missam, non audit illam nomine Ecclesiæ; beneficiarius autem celebrat Officium nomine Ecclesiæ, vt dictum est in secunda ratione: tum quia Ecclesia præcepit auditionem Missæ in honorem talis diei, cui satisfecit is, qui Missam audiuit, siue audierit in vno loco, siue in alio.]

QVÆSTIO III.

De conditionibus, & circumstantiis in recitatione Horarum Canonicarum obseruandis.

SOlutio huius quæstionis nititur solutione subsequentium difficultatum.

Prima est, quodnam Officij genus adhibendum sit in recitatione Horarum Canonicarum, seu qua forma recitandæ sint Horæ Canonicæ.

Secunda, quomodo recitandæ sint Horæ Canonicæ.

Tertia, quo tempore.

Quarta, quonam ordine.

Quinta, quo in loco.

Sexta, qua corporis habitudine.

PVNCTVM I.

Quodnam Officij genus adhibendum sit in recitatione Horarum Canonicarum, seu qua forma recitandæ sint Horæ Canonicæ.

IN præsenti puncto non quærimus vtrùm simpliciter recitandæ sint septem Horæ Canonicæ, sed vtrùm recitandæ sint iuxta formam alicuius Breuiarij: quo explicato subiiciam nonnullas difficultates ad hanc rem maximè facientes.

Prima est, vtrùm adhiberi possit alienum Breuiarium in propria, vel aliena Diœcesi.

Secunda est, vtrùm extet obligatio recitandi Officium beatissimæ Virginis, vel defunctorum.

Tertia est, vtrùm Rogationum tempore adsit obligatio recitandi Litanias, aliasque preces.

Quarta, vtrùm Officium alia lingua, quàm Latina recitari possit.

Quinta, vtrùm recitans Officium alterius diei præcepto diuini Officij satisfaciat.

Sexta denique, vtrùm Episcopus in hac re dispensare possit.

VNICA PROPOSITIO.

1 Officium recitãdum est iuxta ritũ Breuiarij Romani reformati à Pio V.

OMnes qui ad Horas Canonicas recitandas adstricti sunt, tenentur illas sub mortali recitare iuxta Breuiarium Romanum. Ratio est, quia lex, & constitutio Ecclesiastica obligat sub mortali in materia graui. Ecclesia autem præcepit, & constituit Officium recitari iuxta Breuiarium Romanum, immo irritat, & cassat reliqua Breuiaria, vt patet ex constitutione Pij V. edita anno 1568. & ex Bulla Clementis VIII. quæ reperiuntur initio Breuiarij, & hæc est materia grauis.

Ex quo fit, vt alio ritu diuinum Officium recitari nequeat, etiam in iis locis, in quibus Breuiarium Romanum, negligentia, vel resistentia Prælatorum non est receptum: Summus enim Pontifex irritat omnia alia Breuiaria, vt benè Suarez *cap.11. num.5.* Filliucius *tract. 23.cap.7.quæsito 2.num.223.* & alij.

2 Excipiũtur habẽtes priuilegiũ vel consuetudinẽ aliter recitandi à ducentis annis ante Pij V. cõstitutionem, quãquam hi possunt Breuiarium Romanum recipere, & eo recepto ad prius Breuiariũ redire nequeunt: particulares tamen homines nõ possunt, regulariter loquendo, eo vti non solùm in publica, verum etiã in priuata recitatione, antequã Breuiariũ Romanum cõmuniter recipiatur.

2 Excipiuntur tamen in his constitutionibus Ecclesię, quarum Officia approbata sunt à summo Pontifice, aut quæ à ducentis, & eò amplius annis ante editionem Breuiarij Pij V. consuetudinem habebant recitandi diuinum Officium alia forma. Papa tamen concedit illis Ecclesiis facultatem recipiendi Breuiarium Romanum cum consensu Episcopi, & Capituli, & eo acceptato non poterunt amplius ad prius Breuiarium sine licentia Papæ redire, quia prius censebitur irritatum, vt benè Suarez *loco citato*, Filliucius *cap. 6. num. 185.* & alij. Homines verò particulares non possunt Breuiarium Romanum ante illius receptionem ordinariè adhibere, relicto proprio suæ religionis, vel Ecclesię approbato, vt patebit ex solutione proximè sequentis quæsiti: & multò minus possunt relicta consuetudine, vel statuto suę Ecclesiæ vti publicè Romano Breuiario: tum quia magna confusio sequeretur: tum quia hoc in Bulla Pij V. *in cap. de his dist. 22. & in canon. conuenit. dist. 5.* prohibetur.

3 Habens priuilegiũ vtendi Breuiario non Romano, licitum sit priuatim vti Romano, relicto proprio suæ religionis, vel Ecclesiæ, vel è contra.

3 Quæres primò, vtrum habentibus priuilegium vtendi Breuiario non Romano, licitum sit priuatim vti Romano, relicto proprio suæ religionis, vel Ecclesiæ, vel è contra.

Respondeo negatiuè iuxta probabiliorem sententiam. Ratio est, tum quia quilibet debet se suæ Ecclesiæ, in qua degit, accommodare, & conformare: tum quia *in Clement. 2. de celebrat. Missarum*, conceditur domesticis commensalibus Cardinalium, & Episcoporum facultas, & dispensatio, vt possint eo modo Horas Canonicas recitare, quo ipsi Cardinales vel Episcopi pensum Canonicarum precum persoluunt, vt benè gloss. *in præfata Clement.* Panormit. *ibidem*, Syluester *verb. Hora quæsito 1.* Alber. Ferrar. *in cap. 1. de celebrat. Miss. num. 64.* Macignus *cap. 29. num. 27.* Lessius, & alij communiter, contra Graffium *2. parte lib. 3. cap. 16. num. 26.* existimantem id licere solùm dum præfati familiares Officium cum Episcopo, vel Cardinali recitant, quod est falsum, cum dispensatio generaliter concedatur: hæc autem dispensatio non fuisset necessaria, si liberum esset cuique Breuiarium Romanum, vel aliud adhibere, relicto propriæ suæ Ecclesiæ approbato. Ita Vasquez *de benefic. cap. 4. dub. 2. art. 1.* Suarez *de relig. tom. 2. lib. 4. cap. 11. nu. 4. & cap. 23. nu. 2. & 9.* Bellarminus *lib. 1. de bonis operibus cap. 18. vers. & quamuis*, Sylvest. *verb. Hora quæsito 1.* Angelus *num. 21.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 2. puncto 10.* Nauarrus *de orat. cap. 19. num. 211.* Filliucius *tract. 23. cap. 7. quæsito 1.* Azor. *1. parte lib. 10. cap. 11. quæsito 1.* Garzias *de benefic. 3. part. cap. 1. num. 155.* vbi affert declarationem sacræ Congregationis, cuius etiam meminit Macignus *cap. 29. num. 31.* Reginaldus *lib. 18. num. 168.* & alij contra Caietanum *verb. Hora. §. 2.* Less. *lib. 2. cap. 37. dub. 12. num. 74.*

4 Ordinatus ad titulum patrimonij non potest quodlibet Breuiariũ adhibere.

4 Hinc sequitur ordinatũ ad titulum patrimonij non posse quodlibet Breuiarium assumere, quia debet se suæ Ecclesię conformare. Ita Suarez *loco citato cap. 23. num. 4.* Macignus *cap. 29. num. 22.* Lessius *num. 75.* Reginaldus *lib. 18. num. 168.* Nauarrus, Molfesius, Filliucius, & alij *locis citatis*, quamquam Angel. *verb. Hora num. 12. & 14.* & alij oppositum sentiunt: quibus adhærere videtur Card. Bellarm. *lib. 1. de bonis operib. cap. 18.*

5 Non est improbabile aliquem posse, relicta consuetudine propriæ Ecclesiæ, Romanum Breuiariũ adhibere, modo non extet decretũ in contrarium.

5 Non nego tamen, quin probabiliter etiam defendi queat, præciso præcepto in contrarium, posse aliquem priuatim, relicta consuetudine proprię Ecclesiæ, recitare Diuinum Officium iuxta Breuiarium Romanum: nam recitans Officium iuxta Breuiarium Romanum, conformat se Ecclesiæ Romanæ, quæ est mater omnium Ecclesiarum. Ita Lessius *lib 2. cap. 37. dub. 12. num. 74.* Caietan. *verb. Hora. §. 2.* Eman. Sà *verb. Hora num. 6.* Suarez *cap. 23. num. 9.* [Paulus Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 5.* nouissimè Barbosa *in cap. Presbyter. num. 10. de celebrat. Miss.*] & alij. Imò Nauarr. *cap. 19. num. 217.* Reginald. *lib. 19. num. 171.* indistinctè putant, posse aliquando sine mortali peccato alienum Breuiarium recitari; etiamsi non adsit iusta causa, quia cùm hæc mutatio rata sit, non videtur notabiliter aduersari menti institutoris Breuiarij.

6 Mediolani extat decretum, vt Clerici Mediolanenses diuinum Officium iuxta ritum Ambrosianum recitent.

6 Hæc opinio non est improbabilis, modò alicubi non adsit præceptum in contrarium, vt Mediolani, vbi Clerici ex decreto D. Caroli iubentur in virtute sanctę obedientiæ Horas Canonicas recitare iuxta præscriptum Breuiarij Ambrosiani. Verba S. Caroli sunt hæc:

Vniuersis, & singulis Ecclesiastici ordinis hominibus, etiam regularibus, qui iure, consuetudine, constitutione, decretoue nostro, aut alia quacumque causa Ambrosiano more diuina officia obire debent, iis edicimus, & in virtute sanctæ obedientiæ iubemus præcipimusq;, vt ad huius Ambrosiani nostri Breuiarij præscriptum Canonicas Horas, Diuinumq; officium deinceps perpetuò tam publicè, quàm priuatim præstent, quod si quis secus fecerit, tum eum Canonicarum Horarum Officio, quod debet, non satisfacere declaramus, tum pœnis affici sancimus, quæ Lateranensi Concilio à Leone X. Pontifice, & aliis sanctionibus Pontificiis, & Prouincialibus Synodis Mediolanensibus contra Clericos constitutæ sunt qui Canonicarum Horarum Officium intermittunt.

Ex quo licet obiter inferre iusta de causa, exempli gratia, ad seruandum proprię Ecclesiæ ritum ferri posse constitutionem obligantem ad recitandum officium iuxta talem ritum; consequenter Officium Diuinum recitari non posse iuxta Breuiarium Romanum, vbi præceptum extat in contrarium, vt Mediolani diximus reperiri, vbi ex præcepto sancti Caroli iam citato, quod incipit, Diuinæ misericordiæ, & refertur in Breuiario in principio, decernitur in virtute sanctæ obedientiæ, vt omnes, & singuli, etiam regulares, qui iure, consuetudine, constitutione, decretove, aut alia quacumque causa, Ambrosiano more diuina officia obire debent, diuinum Officium tam publicè, quam priuatim, iuxta Ambrosiani Breuiarij præscriptum persoluant, vt dictum est.

7 An Clericus Mediolanensis possit dum Romæ existit Breuiario Ambrosiano vti.

7 Maius dubium est, primò vtrùm Clericus, exempli gratia, Mediolanensis, qui diuinum Officium iuxta ritum Ambrosianum persoluere tenetur, possit dum Romæ causa deuotionis, vel negotiorum commoratur, Officium iuxta ritum Romanum recitare. Duplicem sententiam in hac re constituam. Prima sententia est non posse. Ratio est primò, quia adhuc est subiectus decretis Archiepiscoporum Mediolanensium. Secundò, quia obligatio recitandi diuinum Officium, ficut est personalis quoad substantiam: ita etiam quoad formam, & modum; obligatio autem personalis afficit personam, vbicumque existat. Tertiò, quia Monachus non potest extra Monasteriũ alieno Breuiario vti: ergo neque Clericus Mediolanensis extra propriam Diœcesim. Quartò, quia Romanus, si Mediolanum diuertat, non potest vti Breuiario Ambrosiano; ergo neque Ambrosianus Romano. Ita sentire videtur Sylvest. *verb. Hora quæsito 1. dicto 6.* dum asserit Monachum, qui alicui Ecclesię præficitur, & ad illam transfertur, solùm ad tempus debere officium suum Monachale retinere. Idem sentire videtur Suarez *lib. 4. citat. cap 23. num. 6.* Reginald. *lib. 18. nu. 169.* Lessius *loco cit.* Molfesius *tract. 5. cap. 2. num 46.* & in fortioribus terminis Vasquez *loco cit. num. 57.*

Secunda, & opposita sententia mihi verior, & longè probabilior videtur, (quamuis nullum habeam auctorem, qui hoc dixerit.) Ratio est, tum quia ad hoc facit commune axioma: *Si fueris Romæ, Romano viuito more: Si fueris alibi, viuito sicut ibi.* Tum quia decretum D. Caroli non afficit existentes extra territorium: nam vel est latum per modum sententiæ, & edicti; vel per modum statuti, seu legis. Si est latum per modum sententiæ, certum est post mortem Diui Caroli non obligare, non solùm existentes extra territorium, verùm neque existentes in Diœcesi Mediolanensi. Ratio est, tum quia hoc est proprium præcepti per modum sententię lati, vt mortuo conditore cesset, vt docui *de Censuris disp. 1. quæst. 1. puncto 11.* Tum quia iuxta Couarruuiam, Auilam, & Salas, quos *ibidem num. 2.* retuli, non potest aliquis extra territorium existens obligari, non solum per statutum, verùm neque per sententiam. Si verò latum est per modum statuti, pro comperto est apud omnes statutum non obligare extra territorium legislatoris: nam extra territorium ius dicenti impunè non paretur. *l. fin. ff. de iurisdict. omn. iud.*

Ad primam rationem initio allatam *num. 7.* respondeo negando Clericum existentem extra Diœcesim Mediolanensem, subiectum esse decretis Episcoporum Mediolanens. nisi aliquam actionem præstet, quæ in Diœcesi Mediolanens. consummari censeatur, vt ostensum est *de Censuris loco citato.*

Ad

Ad secundam respondeo obligationem Diuini Officij recitandi esse personalem, & sequi personam eo pacto, quo eam sequi potest: ideo obligatio simpliciter recitandi Officium, sequitur personam vbicumque sit ratione legis editæ à Summo Pontifice, cui totus orbis pro territorio inseruit; ratione verò formæ, & modi sequitur illam, vt sequi potest iuxta regulas generales traditas de legibus, & decretis editis per modum statuti, vel sententiæ, vt dictum est circa decretum D. Caroli.

Ad tertiam, in qua dicebatur Monachum non posse extra Monasterium recitare Breuiarium iuxta ritum loci, in quo pro tempore reperitur ex Sylvestro, & aliis; consequenter neque Clericum Episcopo Mediolani subditum recitare posse Officium iuxta ritum Romanum, dum moram trahit in loco, in quo Diuinum Officium iuxta ritum Romanum persoluitur.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, tum quia Monachus non solùm tenetur ad Officium ex vi regulę, vel consuetudinis, vel præcepti sui superioris, verùm etiam ex vi voti, quo professus est, & promisit obseruantiam constitutionum, seu regularum religionis, [eo pacto, quo regulæ & constitutiones obligant.] Votum autem, & ipsius obligatio sequitur personam vbicumque existit; tum quia constitutiones regularium approbantur, & confirmantur à Summo Pontifice. Summus autem Pontifex totum orbem habet pro territorio: tum quia sicut Religiosus Franciscanus feria sexta non est immunis à ieiunio, quamuis extra Monasterium reperiatur; ita neque liber est ab obligatione Officij iuxta ritum suæ Religionis persoluendi, licèt extra Monasterium degat.

Ad quartam, in qua dicebatur Clericum, qui beneficium habet in loco, in quo Romanum Officium dicitur, non posse Ambrosianum Breuiarium adhibere, si ad Diœcesim Mediolanensem diuertat; consequenter neque Clericum Mediolanensem posse Romanum Breuiarium recitare, si Romam petat.

Respondetur negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia Clericus, qui beneficium habet in loco, in quo Officium Romanum dicitur, tenetur illud adhibere ex lege Summi Pontificis, totum orbem pro territorio habentis; consequenter tenetur Romano Breuiario vti, nisi fortè habitare decernat in eo loco, in quo aliud Breuiarium adhibetur, vt mox ostendam, vel nisi fiat pars, & membrum illius Ecclesiæ, cuius Officium à Summo Pontifice approbatum sit, vel vsu receptum à ducentis annis ante editionem Breuiarij Pij V. Clericus verò Mediolanensis tenetur pensum Horarum Canonicarum iuxta ritum Ambrosianum persoluere ex statuto, & consuetudine Archiepiscoporum & Clericorum Mediolanensium: statutum autem non obligat extra territorium ius dicentis, & consuetudo non afficit vbi recepta non est; Clericus igitur, qui ex præscripto Archiepiscoporum Mediolanensium tenetur Officium Ambrosianum persoluere, Romano Breuiario vti potest extra Diœcesim, non verò in Diœcesi Mediolanensi.

§ Extraneus, qui ad alienam Diœcesim accedit animo ibi manendi maiori anni parte, tenetur adhibere Breuiarij iuxta ritum loci, ad quem se transfert, secus si ad eum locum accedat intentione ibi breui commorādi.

8 Secundò dubium est, vtrùm extraneus, qui iuxta decreta suæ Diœcesis tenetur in patria sua Officium Diuinum recitare ritu quodam particulari, non solùm possit, verùm etiam teneatur, dum alibi commoratur, vti Romano Breuiario, siue alio, quod in eo loco adhibetur.

Ex dictis in proximè præcedenti difficultate colligi videtur, non solùm posse, verùm etiam teneri vti Breuiario, quod eo loci adhibetur. Ratio est, primò, quia ad hoc facit illud axioma: *Si fueris Romæ*, &c. secundò, quia dum Romæ existit non afficitur legibus, & Decretis suæ Diœcesis, quia extra territorium ius dicentis impunè non paretur. Ergo par est, vt afficiatur legibus vniuersalibus, aut statutis locorum, in quibus pro tempore reperitur, ob id enim vagus, qui nullibi firmam sedem habet, subiicitur decretis loci, in quo pro tempore degit; alioquin ab omni lege liber, & immunis esset.

Nonnulli Doctores hac distinctione vtuntur, vel iustè ibi existit, vel iniustè. Si iniustè, non potest, nec tenetur iuxta ritum illius loci Horas recitare; secùs si iustè.

Sed hæc distinctio mihi displicet: parum enim refert quoad onus Diuini Officij, & ad subiectionem in aliquo loco, iustene, an iniustè quis ibi existat. Quamobrem mihi distinguendum videtur hoc pacto: aut extraneus ad alienam Diœcesim accedit absque animo ibi constituendi domicilium, vel ibi manendi maiori anni parte, aut accedit intentione constituendi domicilium, vel manendi maiori anni parte. Si accedit absque animo saltem ibi manendi maiori anni parte, non videtur obligandus ad recitandum Breuiarium iuxta ritum illius loci; tum quia non fit propriè subditus superioris, & Episcopi illius loci, alioquin ab ipso dispensationes obtinere posset, vt dictum est *de legibus disp. 1. quæst. 1. puncto 6. num. 36.* tum quia, qui tranfit, aut breui tempore commoratur in aliquo loco, non dicitur moraliter esse in eo loco, *l. quæsitum. §. fin. ff. de legat.* qui autem in eo loco non est, non tenetur legibus illius loci.

Si verò intendit ibi manere maiori anni parte, tenetur Officium iuxta illius loci ritum persoluere: tum quia dicitur moraliter ibi esse: tum quia contrahit Parœciam illius loci, potest ibi Sacramenta recipere, exceptis Ordinibus, & tonsura, & potest ibi sepeliri: ergo fit subditus illius loci: consequenter tenetur ibi Diuinum Officium recitare iuxta leges illius loci. Idem à fortiori dicendum est de illo qui ad aliquem locum diuertit animo ibi constituendi domicilium. Videnda sunt quæ dixi *de Legibus punct. 6.* cit.

Ad rationes in contrarium, quatenus primæ distinctionis parti aduersantur.

Ad primam respondeo, illa verba, *Si fueris Romæ*, non importare præceptum, sed priuilegium, seu immunitatem, qua extraneus eximitur à subiectione, & onere legis sui territorij, [& potest se accommodare legibus loci, in quo reperitur.]

Ad secundam respondeo immunem esse non à legibus iuris communis, quibus simpliciter adstringitur ad Diuinum Officium recitandum; sed à legibus sui territorij, quia legislator in alieno territorio ius non habet. Præterea immunem fieri à legibus loci, in quo breui commoratur, quia ob breuem moram superiori illius loci non subiicitur, per se loquendo, vt ostensum est *de legibus loco cit.* ob idque commodum reportat, dum in alieno loco breuem moram trahit. Secus dicendum est de vago, alioquin hic immunis foret ab omnibus statutis municipalibus, & decretis Episcoporum, vt ostensum est *de legibus loco cit. num. 54.* cùm nullibi propriam habeat sedem.

Ex dictis colligi potest, primò solutio illius difficultatis, qua quæritur quodnam Officium, seu Breuiarium adhibendum sit ab eo, qui duo beneficia possidet in duabus Ecclesiis, quæ diuersis vtuntur Officiis.

9 Quodnā Breuiariū adhibendū sit ab eo, qui duo beneficia possidet in duabus Ecclesiis, quæ diuersis vtuntur Breuiariis.

9 Respondetur enim cum Suarez *loco citato*, *num.* 8. Filliucio *tract. 23. cap. 7. quæsito 1. num. 221.* & aliis, quos citat, & sequitur Carolus Macignus *cap. 20. num. 32. & seq.* adhibendum esse Breuiarium, quod adhibetur in Ecclesia in qua beneficiarius residet; nam sicut extraneus debet se accommodare moribus, & legibus locorum, in quibus habitat; ita beneficiarius debet se accommodare consuetudini recitandi Diuinum Officium iuxta ritum loci, in quo residet. Non nego tamen, quin probabilis sit opinio asserentium extra Chorum adhibendum esse Breuiarium, quod adhibetur in ea Ecclesia, in qua quis habet beneficium dignius, etiamsi alibi habeat pinguius. Ratio est, inquiunt ipsi, quia obligatio Diuini Officij est personalis, & sequitur personam vbicumque sit, & maior dignitas præualet minori. Si verò beneficia sint æqualis dignitatis, liberum est beneficiario extra Chorum adhibere Breuiarium iuxta formulam alterius Ecclesiæ, quia non est maior ratio cur ad vnum potius ritum, quàm ad alterum obligetur, cùm Diœcesim in vtraque Ecclesia contraxerit, vt dictum est *de Sacramentis.* Ita Sylvest. *verb. Hora. quæsito 1.* S. Thomas *quodlibeto 1. art. 13.* Reginaldus *lib. 18. num. 169.* Molfesius *tract. 5. cap. 2. num. 47.* Macignus *loco citato*, & alij.

Verùm sustinens opinionem Suarez, & aliorum, respondere poterit, obligationem Diuini Officij esse personalem, & maiorem dignitatem præualere minori, nisi obstet existentia, & habitatio in aliquo loco, quæ cogit habitantem accommodare se ritui loci, in quo reperitur. Potentius enim videtur vinculum domicilij, & residentiæ, quàm beneficij, cùm valdè honestum sit vt nosmetipsos accommodemus moribus eorum, inter quos vitam degimus. Ita Suarez *num. 6.* Ex quo patet quid dicendum sit de Monachis ad Episcopatum assumptis. Vide Carolum Macignum *cap. 29. num. 39. & seqq.* vbi plures alios refert.

10 Qui beneficium habet, sed in alia Diœcesi commoratur, tenetur Officiū recitare iuxta ritum loci, vbi commoratur.

10 Secundò colligi potest illum, qui in vna Ecclesia habet beneficium, sed in altera Diœcesi, in qua non seruatur idem Breuiarium, habet domicilium, teneri adhibere Breuiarium, quod adhibetur in loco domicilij, & habitationis, vt patet ex ratione sæpius allata. Ita Suarez *loco citato, num. 6.* Filliucius *cap. 7. quæsito 1. num. 221.* [Paulus Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 5. nu. 3.*] Oppositā tamen opinio probabilis est; quia maior dignitas præualet minori, & sicut obligatio recitandi Diuinum Officium consurgit ex beneficio, ita etiam obligatio recitandi Officium iuxta talem formam consurgit ex beneficio existenti in tali loco, in quo Diuinum Officium recitatur iuxta talem formam. Ita S. Thom. *quodlibeto 6. art. 8.* & alij Doct. citati contra Suarez *loco cit. num. 6.* & Filliucium *num. 222.* Verùm ad hanc rationem respondetur, obligationem recitandi Officium tali ritu, & forma, consurgere ex beneficio existenti in tali loco, nisi obstet habitatio Beneficiarij in alio loco.

11 Scholares tenentur Officiū recitare iuxta ritū loci, ad quem se studiorum causa transferunt.

11 Tertiò colligitur, scholares, qui in aliqua ciuitate commorantur studiorum causa, posse recitare Diuinum Officium, iuxta morem illius ciuitatis, in qua commorantur, dum habent beneficium in alio loco, in quo Diuinum Officium alio ritu persoluitur. Ita Filliucius *num. 221.* Suarez *loco cit. num. 7.* [Paulus Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 3.*] contra alios præcitatos Doct.

Hactenus explicatum est quo ritu, seu Breuiario recitandum sit Officium pro locorum diuersitate; examinandæ modò sunt nonnullæ ipsius partes, qualitates, & circumstantiæ. Ideo

12 Vtrùm extet obligatio recitandi Officium Beatissimę Virginis, aut defunctorum.

12 Quæres secundò, vtrùm extet obligatio recitandi Officium defunctorum, vel beatissimæ Virginis, aut Psalmos Pœnitentiales.

Respondeo illos, qui vtuntur Breuiario Romano Pij V. non teneri extra Chorum ad recitandum Officium defunctorum, &c. excepto defunctorum die. Sic expresè decernitur in Bullis Pij V. & Clement. VIII. quæ in principio Breuiarij Romani continentur, (exceptis Ecclesiis, in quibus ex consuetudine recitatur Officium beatissimæ Virginis.) Illi verò, qui non vtuntur Breuiario Pij V. tenentur seruare consuetudinem sui loci, & Ecclesiæ eo modo quo consuetudo recepta est. Ita Nauarrus *de orat. cap. 10. num. 3. & seqq.* Valentia *puncto 10. citato*, Vasquez, Caietanus, Suarez, *locis citatis*, Filliucius *tract. 23. cap. 6. quæsito 10. & cap. 7. quæsito 8.* & alij communiter. Ideo Sacerdos Mediolanensis, dum Mediolani commoratur, peccat mortaliter, nisi reciter Officium defunctorum tempore feriarum, iuxta consuetudinem Mediolanensis Ecclesiæ: nam eo modo tenetur ad recitandum Officium defunctorum post Bullam Pij V. quo tenebatur antea ex præcepto, vel consuetudine: cùm enim non assumpserit onus Breuiarij Romani, non debet gaudere commodo, & honore illius, vt patet ex ipsa Bulla. Ita sentire debent Nauarrus *cap. 10. de orat. num 4.* Suarez *tomo 2. de relig. lib. 4. cap. 25. num. 7.* Molfesius *tract. 5. cap. 2. num. 54.* Lessius *lib. 2. cap. 37. dubio 12. nu. 76.* Macignus *cap. 29. num. 12.* Graffius *de celebrat. Miss. cons. 2.* Vasquez *in opusc. de benefic. cap. 4. §. 1. art. 2. dubio 1.* Filliucius, & alij *loc. cit.* consequenter omittentem huiusmodi Officia ad amissionem fructuum, & distributionem obligatum esse, ostendam *disput. 2. quæst. 4. punct. 1. num. 5.* vbi etiam explicabo vtrùm Canonicus illius Ecclesiæ quæ vsum retinet dicendi Officium beatissimæ Virginis, vel aliud in Choro, teneatur illud, dum Officium extra Chorum recitat, priuatim recitare.

Dixi in responsione, *excepto defunctorum die*, nam in die commemorationis omnium defunctorum recitandum est etiam priuatim Officium

Officium defunctorum, quia est pars Officij illius diei, vt patet ex rubricis, & ex communi Ecclesiæ praxi.

13 Sacerdotes, & beneficiarij, qui tempore Litaniarum, & Rogationũ non interfunt Processionibus quæ publicè fiunt tenentur priuatim Litanias in Breuiario, vel Calendario descriptas, & designatas sub mortali recitare, alioquin tenentur ad restitutionem pro rata diuini Officij.

13 Quæres tertiò, vtrùm Sacerdotes, & beneficiarij, qui tempore Litaniarum, & Rogationum non interfunt Processionibus, quæ publicè fiunt, teneantur priuatim Litanias, in Breuiario, vel Calendario descriptas, & designatas sub mortali recitare.

Ratio dubitandi [pro sententia negatiua] est, quia in Bullis Summorum Pontificum nulla fit mentio harum precum. Hac de causa non tenemur hoc tempore Psalmos Graduales aliasve preces recitare, quia nullum de ipsis extat præceptum in Bulla Pij V. sed potius datur facultas illas omittendi.

Nihilominus respondeo teneri: tum quia hæc est pars Diuini Officij eo die recitandi, vt patet ex Rubricis, & Calendariis: tum quia de ipsis extat constitutio *cap. Rogationes. de consecrat. dist. 3.* & alibi: tum quia, sicut extra controuersiam est eos grauiter peccare, qui Litanias, & preces non recitant singulis quartæ, & sextæ feriæ diebus in Quadragesima, vel in feriis de exceptato, Natalem Christi solemnitatem proximè antecedentibus iuxta morem, & ritum Ambrosianum, ita, &c. par enim est in vtroque casu ratio. Ita sentire videtur Suarez *lib. 4. cap. 25. num. 7.* asserens id recitandum esse, quod in ipsomet Breuiario specialiter præcipitur, & Vincentius Filliucius *tomo 2. tract. 23. cap. 7. num. 243.*, contra Carolum Macignum *cap. 29. num. 18.* existimantem huiusmodi Litanias non esse priuatim recitandas ex præcepto.

Addo eos, qui huiusmodi Litanias, & preces non recitant, teneri ad restitutionem pro rata Diuini Officij, saltem posita materia graui, vt patebit ex regulis generalibus inferius tradendis *quæst. 5.* quod mihi certum videtur, præsertim quoad eos, qui Breuiario Romano non vtuntur.

Ad rationem dubitandi respondeo satis esse, vt mentio fiat in Rubricis, & Breuiario, cuius pars tali die existimantur. Ex quo patet differentia inter Litanias, & Psalmos Graduales, aliasve preces, quæ in Bulla excipiuntur, non verò excipiuntur Litaniæ: exceptio autem firmat regulam in casibus non exceptis. [*l. nam quod liquida. ff. de penu. leg. & cap. 2. de coniug. leprof.*]

14 Qui processionibus præfato Litaniarum, & Rogationum tempore interfunt, sed Litanias, vel preces omittunt, vel ad illarum partẽ non attendunt, satisfaciunt recitãdo preces, & Litanias quas absentes recitant.

14 Maius dubium est, vtrùm qui Processionibus præfatis, Litaniarum, & Rogationum tempore interfunt, sed Litanias, & preces, quæ ab aliis persoluuntur, non recitant, vel ad earum partem non attendunt, vel aliquas stationes, vt vulgò dicitur, vel preces omittunt, satisfaciant recitando preces, & Litanias, quas absentes recitant. Solutio huius difficultatis proderit Sacerdotibus Mediolanensibus, quibus aliud pensum imponitur, dum interfunt Rogationibus, & aliud iniungitur illis, qui non assistunt.

Ratio dubitandi [pro sententia negatiua] est, quia illæ breuiores Litaniæ, ac preces præscribuntur solum recitandæ ab iis, qui processionibus non assistunt. Ergo qui Processionibus interfunt, tenentur eas preces recitare, quæ publicè recitantur, nec satisfaciunt breuiores recitando.

Ego verò, hac ratione non obstante, censeo satisfacere, etiamsi breuiores recitent, quæ præscribuntur, & præcipiuntur non interessentibus. Ratio est, tum quia assistens non debet esse deterioris conditionis eo, qui non assistit, nec ex sua diligentia damnum reportare debet: tum quia dum longiores, & publicas preces cum aliis non recitat, censetur Processioni, & Litaniis publicis formaliter non interesse: sed qui Processioni, & Litaniis publicis non interest, potest breuiores Litanias, & preces recitare. Ergo etiam illas recitare potest, qui publicas preces cum aliis non recitauit. Eadem ratio militat in eo, qui iuxtio Processionis breuiores preces, & Litanias priuatim recitauit, intendens publica recitatione præcepto non satisfacere, nolensque Processioni, & publicis precibus operam suam, cantum, & attentionem præstare: tum denique, quia qui Processionibus non assistunt, possunt satisfacere præcepto, recitando priuatim eas preces, & Litanias, quas alij alternatim in Processionibus decantant, vt in simili dictum est de pensionario, magnum Officium recitante. Ergo etiam qui Processionibus assistunt, satisfacient recitando preces & Litanias, quas communiter non assistentes recitant.

Ex dictis patet quid dicendum sit de illis, qui tempore Iubilei non præstant ea, quæ tunc temporis præscribuntur interessentibus publicæ Processioni; sed ea solum faciunt, quæ aliis non interessentibus imponuntur.

Ad rationem dubitandi respondeo primò, nomine *absentum* illos etiam comprehendi posse, qui Litaniis, & Processionibus materialiter solùm interfunt, sed longiores Litanias, & preces persoluere non intendunt: hac enim in parte formaliter absentes præsumuntur, & perinde est, ac si non interessent; nec præsens dicitur, qui ad aliud attendit, *l. coram Titio ff. de verb. sign.*

Respondeo secundò onus recitandi Litanias breuiores expressis verbis imponi absentibus, non quia interessentes stricta obligatione teneantur ad longiores, & publicas preces; sed quia dum assistunt, & interfunt publicis precibus, præsumuntur velle oneri suo satisfacere publica oratione, & recitatione.

15 Recitãs priuatim diuinum Officium lingua Hebraica, vel Græca, aut alia, an peccet, vel præcepto satisfaciat.

15 Quæres quartò vtrùm priuatim recitans Diuinum Officium lingua Hebraica, Græca, vel Italica, satisfaciat præcepto, vel peccet.

Ratio dubitandi ad ostendendum peccare, & præcepto non satisfacere, est, quia non recitat Officium iuxta consuetudinem Ecclesiæ, & iuxta ritum Romani Breuiarij, in quo preces Latina lingua continentur; qui autem Diuinum Officium iuxta Ecclesiæ consuetudinem, seu iuxta Romani Breuiarij ritum non recitat, præcepto non satisfacit.

Ratio verò dubitandi ad ostendendum ipsum præcepto satisfacere, est, tum quia sicut valida est Baptismi administratio facta Italico, aut alio sermone, vt dictum est de Sacramentis cum communi Doctorum sententia; ita etiam valida erit Officij recitato: tum quia quoad significationem, & substantiam est idem Officium, licet quoad verba sit accidentaliter diuersum: ille autem præcepto satisfacit, qui facit ea, quæ ad præcepti substantiam pertinent: tum quia de Maffeo Sacerdote Societatis Iesv fertur, Psalmos in Græcum sermonem vertisse, & Græca lingua recitasse, ne in Indica historia conscribenda rectum dicendi stylum perderet.

Respondendum mihi videtur recitantem Officium lingua Hebraica vulgari, aut alia, non peccare grauiter, præcisis aliis circumstantiis, consequenter præcepto satisfacere quoad ritum substantialem: hæc responsio patet, tum à simili de Baptismo, aliisque Sacramentis: tum ex eadem verborum significatione, quæ sub variis diuersorum idiomatum verbis continetur: tum ex aliis rationibus pro ratione dubitandi secundo loco allatis.

Dixi, *non peccare grauiter*, vt aduerterem leuem culpam admittere, nisi hoc ex aliqua iusta, & rationabili causa faciat. Ratio est, tum quia facit contra vsitatum Ecclesiæ morem: tum quia sacra mysteria aliqua ratione paruipendi videntur, dum Officium Diuinum prætermisso fine causa consueto Ecclesiæ idiomate, & vsu persoluitur: tum quia plebs facili negotio errare posset, non ritè percipiens veram, & germanam verborum significationem, quæ aliquando altior, & profundior est, quàm per verba materialiter accepta exprimatur: ob id iure optimo vsus Bibliorum vulgari lingua conscriptorum interdictus est. Ita Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 7. num. 8.* Emanuel Sà ex parte *verb. Hora Canonica num. 10.* Vincentius Filliucius *tomo 2. tract. 23. cap. 3. num. 117. ad finem.* idemque sentire videntur Reginaldus, Henriquez, Valentia, Graffius, & alij quos retuli *de Sacramentis disp. 2. quæst. 2. puncto 4. num. 10* Nauarrus *consil. 12. de celebrat. Miss.* Carolus Macignus *de Horis Canonicis cap. 29. ad finem num. 47.* Bellarminus *tom. 1. lib. 2. de verbo Dei cap. 15. & 16.* vbi de hac re fusissimè tractat, Petrus de Lorca *libro 1. de locis disp. 12. num. 3.*

Ad rationem dubitandi allatam ad probandum non satisfacere:

Respondeo non satisfacere quoad ritum accidentalem, qui in verbis positus est iuxta præscriptum Ecclesiæ morem; satisfacere verò quoad substantiam, & verborum significationem, vt patet ex dictis in responsione, & ex rationibus pro ratione dubitandi postremo loco adductis.

Hinc sequitur primò illum, qui Diuinum Officium lingua Græca, vel Hebraica, aut alia recitauit, non teneri ad restitutionem fructuum, quia præcepto satisfecit quoad substantiam.

16 Satisfacit voto, qui orationes promissas vulgari, & materna lingua persoluit.

16 Secundò illum, qui ex voto tenetur Psalmos Pœnitentiales, aut alias preces recitare, satisfacere voto illas vulgari, & materna lingua persoluendo, præsertim si hoc faciat maioris deuotionis causa: immo in tali euentu, non solum satisfaciet præcepto voti, verùm etiam ab omni culpa excusabitur, nisi adsit alia circumstantia, peccaminosam reddens recitationem ea lingua factam: ex nullo enim præcepto teneretur illas preces Latina potius, quàm vulgari lingua recitare.

17 Qui spõte, & cum aduertentia permutat Horas Canonicas recitando de Sancto, dum sunt recitandæ de alio, de feria, vel de vno Sãcto, dum sunt recitandæ de alio, vel de Dominica, &c. an grauiter peccent.

17 Quæres quintò vtrum grauiter peccent, & oneri Diuini Officij recitandi satisfaciant, qui sponte, vel inaduertenter Horas Canonicas permutant recitando, e. g. de Sancto, dum sunt recitandæ de feria, vel recitando de vno Sancto, dum recitandæ sunt de alio, vel de Dominica, vel de Sanctissima Trinitate.

Prima sententia est Syluestri *ver. Hora quæsito 12.* Caietani *verb. Hora §. 3.* Azorij *lib. 10. cap. 10. quæsito 2.* Lessij *lib. 2. cap. 37. nu. 77.* Valentiæ *tomo 3. disp. 6. quæst. 2. puncto 10. §. Quid sit recitandum*, Vasquez *loco citato dub. 2.* Vegæ *1. parte cap. 118. casu 17.* Zerolæ *verb. Hora Canonica num. 6.* & aliorum asserentium commutantem Officium vnius diei in Officium alterius diei, peccare solùm venialiter, siue mutet in totum, siue in partem. Ratio est, quia adimplet præceptum quoad substantiam, quamuis non adimpleat quoad modum; nam substantia præcepti in hoc consistit, vt recitentur septem Horæ Canonicæ iuxta Breuiarium præscriptum: ad modum verò, & ritum pertinet, vt eo die recitentur de feria, vel de Sancto, vel de Sanctissima Trinitate, &c. Cùm autem violatio præcepti quoad modum non sit peccatum mortale, sequitur mutantem Officium vnius diei in Officium alterius diei non peccare mortaliter, sed solùm venialiter.

Ex hac sententia sequitur eum, qui spontè, aut inaduertenter mutauit Officium, non teneri ex præcepto repetere Diuinum Officium, quia satisfecit præcepto quoad substantiam, quamuis non satisfecerit quoad modum.

Secunda sententia, quæ mihi probabilior videtur, est Garziæ *tomo 1. parte 3. cap. 1. num. 150.* Pauli Squillantis *num. 50.* Bellarmini *tomo 3. libro 1. controuers. 3. cap. 18.* Graffij *lib. 2. cap. 51. num 10.* Reginaldi *libro 18. num. 177.* Molfesij *tract. 5. cap. 2. num. 50.* Suarez *tomo 2. de relig. libro 4. cap. 11. num. 6. & cap. 23. num. 12. & 14.* vbi oppositam sententiam ita improbat, vt neque probabilem arbitretur. Philiarci *1. parte lib. 1. cap. 6. conclus. 6.* Nauarri *de orat. cap. 19. nu. 201.* Tabienæ *verb. Hora quæsito 10.* Naldi *verb. Diuinum Officium num. 16.* Summæ Coronæ *1. parte cap. 1. num. 10.* Filliucij *tract. 23. cap. 8. quæsito 2. num. 186. & cap. 7. quæsito 3.* [Pauli Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 4.* & nouissimè post impressionem huius mei tractatus Augustini Barbosæ *in cap. presbyter num. 9. de celebr. Miss.*] & aliorum, dicentium mutantem Officium vnius diei in Officium alterius peccare mortaliter, consequenter præcepto non satisfacere. Ratio est, tum quia mutans Officium, non adimplet præceptum quoad substantiam; cùm Ecclesia non solum præceperit recitationem Diuini Officij in genere, verum etiam in particulari, videlicet vt tali, & tali die tale, & tale Officium recitetur, cuius obligatio transit cum ipso die, vtpote diei affixa: tum quia quilibet tenetur ad Diuinum Officium iuxta formam, & ritum a Pio V. præscriptum: ad formam autem, & ritum a Pio V. præscriptum pertinet distributio Officij per dies feriales, & festos tempori accommodatos: tum quia sequeretur illum non peccare mortaliter, qui quotidie recitat idem Officium valdè breue, relicto alio multo longiori proprio illius diei; hoc autem non videtur admittendum, nec est conforme voluntati Ecclesiæ: tum quia debitor non satisfacit creditori soluendo minus, quam debet; ergo neque Clericus satisfacit recitando breuius Officium; nam sicut ille violat intentionem creditoris, ita hic Ecclesiæ.

Ad

Ad rationem primæ sententiæ respondetur, mutantem Diuinum Officium, non solùm peccare contra modum præcepti, verùm etiam contra substantiam, vt patet ex prima ratione secundæ sententiæ.

Hinc patet primò quid dicendum sit in mutatione diuini Officij publicè in Choro facta, præsertim cùm hæc mutatio fieri non soleat sine aliqua nota & scandalo, & res grauis censeatur. Suarez *cap.* 11. *num.* 6. & alij.

18 Qui spõte, vel inaduertenter recitauit Officium breuius vnius diei, loco Officij alterius diei multo longioris, debet supplere omissa, modò aduertat ad mutationẽ, seu errorẽ antequam dies elapsus sit.

18 Secundò patet eum, qui sponte vel inaduertenter recitauit Officium breuius vnius diei, loco Officij alterius diei multo longioris, debere supplere omissa, modò aduertat ad mutationem, seu errorem antequam dies elapsus sit. Ita Suarez *num.* 15. Gaizias *num.* 175. Toletus *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 6. Paulus Squillas, Reginaldus, [Paulus Layman,] & alij *locis citatis*, contra DD. primæ sententiæ, quam probabiliter sustineri posse existimarem quoties æquiualens recitaretur: tunc enim facilius præsumi posset de voluntate Ecclesiæ. Ita Suarez *num.* 15. Filliucius *cap.* 7. *quæsito* 4. *num.* 228. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 5. vbi ait, eum, qui Officium breuius recitauit, vt si de Sancto, cùm debuisset recitare de Dominica, teneri compensationem facere, dicendo, v. g. nouem Psalmos primi nocturni, ne tanta subsit inæqualitas.]

19 Vtrùm Episcopus possit cum aliquo dispensare, vt relicto proprio Breuiario, recitet Officium iuxta formam alterius Breuiarij.

19 Quæres sextò, vtrùm Episcopus cum aliquo dispensare possit, vt relicto proprio Breuiario, recitet Officium iuxta formam alterius Breuiarij, vel vt recitet Officium alio die præscriptum.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia Episcopus non potest dispensare in lege superioris, vt patet ex dictis de legibus. Summus autem Pontifex præscripsit, vt quilibet iuxta Romanum Breuiarium recitet Officium. Et quamuis Episcopus possit præscribere suis subditis formam Officij recitandi, vbi Romanum Breuiarium non adhibetur, exempli gratia, vt hodie fiat Officium de feria, cras de Sancto ritu simplici, vel duplici, &c. & consequenter possit hac in parte dispensare, non tamen potest per se loquendo cum aliquo dispensare, vt relicto proprio Breuiario aliud adhibeat. Immo neque potest, per se loquendo, vbi Breuiarium Romanum adhibetur, concedere, vt Officium vnius diei alio die recitetur, cùm ritus, & forma Romani Breuiarij seruanda sit, & in ea nequeat Episcopus dispensare. Ita Nauarr. *cap.* 11. *de orat. num.* 24. Reginaldus *libro* 18. *num.* 171. Suarez *cap.* 11. *num.* 6. *& cap.* 23. *num.* 17. Molfesius *num.* 4. Armilla *verb. Horæ Canonicæ num.* 13. Tabiena *num.* 16. Sanct. Antonin. 4. *parte tit.* 13. *cap.* 4. §. 2. Filliucius *cap.* 6. *num.* 186. Carolus Macignus *cap.* 29. *num.* 2.

Dixi, *per se loquendo*, nam in aliquo particulari casu concedi potest huiusmodi dispensatio, vt patet ex dictis de legibus, & de testamentis. Ita Macignus *num.* 19. & alij Doctores cit.

20 Episcopus non solum curare potest, vt Breuiariũ Romanum recipiatur, verum etiã illud recipere cum consensu vniuersi Capituli.

20 An autem Episcopus curare possit, vt Breuiarium Romanum in sua Diœcesi recipiatur, patet ex Bulla Pij V. & ex dictis initio huius puncti, non solum curare posse vt recipiatur; verùm etiã posse illud recipere cum consensu vniuersi Capituli, vt patet ex Bulla Pij V.

Obserua tamen circa illam particulam, *vniuersi*, non exigi exactum omnium Canonicorum consensum, cùm hoc, moraliter loquendo, obtineri nequeat, & ferè semper in Capitulis aliquis discrepet, & dissentiat à communi aliorum sensu, & iudicio; sed requiritur vt consensus præstetur à Capitulo formaliter, id est, in vnum locum coacto & congregato: hanc enim significationem importat verbum illud, *vniuersum Capitulum*. Ita Suarez *cap.* 11. *num.* 4. *ad finem*, & alij suprà cit.

21 Non licet quicquam addere Breuiario tamquam partem diuini Officij: secus si aliquid addatur tamquã aliquid extrinsecum.

21 Maior difficultas est, vtrùm liceat aliquid addere Breuiario Romano.

Respondeo non licere quidquam addere tamquam partem Diuini Officij. Ratio est, quia Summus Pontifex eodem pacto prohibet aliquid addi, quo prohibet quidquam detrahi. Imo Suarez *cap.* 13. *num.* 15. & Filliucius *cap.* 6. *quæsito* 11. arbitrantur, eum mortaliter peccare, qui aliquid addit tamquam partem Diuini Officij, quasi perpetuo ritu hoc statuendo. Ratio est, tum quia eadem ratione prohibetur additio, qua detractio: tum quia vsurpat sibi iurisdictionem magni momenti.

Hoc tamen ego limito contra Suarez, modò addatur pars aliqua notabilis: paruitas enim materiæ, præcisis aliis circumstantiis, semper à mortali excusat, vbi paruitas materiæ dari potest, vt patet ex regulis generalibus traditis de peccatis.

Addo etiam illum à mortali excusari posse, qui aliqua occasione, non ad mutandum ritum, sed ex deuotione indiscreta aliquid addit, exempli gratia, curando vt in Choro aliqua commemoratio fiat, vbi non est facienda, aut si curet decantari Hymnos, vel Antiphonas alicuius Sancti, quæ in Breuiario non continentur, vel quando recitandæ non sunt, & hoc multo magis excusabitur in priuata recitatione.

Dixi in responsione, *tamquam partem Diuini Officij:* nam si aliquid addatur tamquam aliquid extrinsecum, seu concomitanter ad maiorem solemnitatem; non videtur illicitum, vt si inter vnum, & alterum Psalmum aliquid canatur ad Organum, vel musicum instrumentum: hoc enim nullo iure vetitum videtur, teste praxi, modò cantus non sit lasciuus, vel omnino profanus. Ita Suarez *num.* 16. Filliucius *num.* 214. contra Plaudanum *in* 4. *dist.* 15. *art.* 2.

22 (Quid faciendum sit dum recitatur Officium de Sancto, de quo nulla in Breuiario mentio habetur.)

[22 Rogabis quid faciendum sit dum recitatur Officium alicuius Sancti, de quo nulla in Breuiario mentio habetur.

Respondeo recitandum esse Officium iuxta rubricas Breuiarij Romani, ita vt in Ecclesia, cuius est Patronus, recitetur Officium duplex cum octaua, vel sine octaua, de consensu tamen Episcopi; addi etiam possunt lectiones propriæ; hæ tamen si hoc tempore addantur, approbandæ sunt à Sede Apostolica, iuxta rubricam primam Breuiarij Rom. Ita Paulus Layman. *lib.* 4. *Moralis Theologiæ tract.* 1. *cap.* 5. *nu.* 6. contra Rodriquez *tom.* 1. *quæst. reg. q.* 42. *art.* 21.]

PVNCTVM II.

Quomodo recitandæ sint Horæ Canonicæ.

VNICA PROPOSITIO.

HOræ Canonicæ recitandæ sunt studiosè, & deuotè. Ratio est, tum quia de ratione orationis vocalis est, vt studiosè, ac deuotè recitetur: tum quia sic expressè habetur in Concilio Generali sub Innocentio III. *cap. dolentes. de celebrat. Missarum*, vbi hoc præcipitur in virtute obedientiæ, in hæc verba: Hæc igitur, & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, distinctè præcipientes in virtute obedientiæ, vt Diuinum Officium, nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter, & deuotè.

Vt hæc propositio ritè intelligatur, duo explicanda sunt.

Primò, quid requiratur, vt Officium studiosè recitetur.

Secundò, quid requiratur, vt deuotè persoluatur.

§. I.

Quid requiratur, vt Officium studiosè persoluatur.

VT Officium studiosè recitetur, duę conditiones seruandæ sunt.

Prima est, vt nihil omittatur.

Secunda, vt Horæ Canonicæ sine interruptione recitentur.

Vtramque conditionem dùplici propositione prolixiùs explicabo.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Vt Officiũ studiosè recitetur requiritur, vt omnia ritè profe-rantur.

1 VT Officium studiosè recitetur, requiritur, vt verba non omittantur, vel mutilentur, sed omnia proferantur, nec syllabæ abscindantur, sed recitentur sine syncopa, inquit gloss. *in cap. dolentes*; tunc enim fit syncopa, dum aliquid è medio tollitur, & dimittitur, iuxta vulgatam regulam,

E medio quidquam tollas ita syncopa fiet.

Ratio istius propositionis est, quia deficiente hac conditione, Diuinum Officium non dicitur studiosè, sed cum defectu, & negligentia recitari, vt constat tum ex natura rei: tum ex sermone, qui sine hac conditione ad aliquem Regem, vel Principem haberetur.

2 Omittens verba Diuini Officij in notabili quantitate peccat mortaliter.

2 Hinc sequitur primò solutio illius difficultatis, qua quæritur vtrùm omittens verba Diuini Officij mortaliter peccet, vt dum quis versiculos inchoat, & finit, omissis iis, quæ in medio versu cõtinẽtur.

Respondetur enim omittentẽ in notabili quantitate peccare mortaliter, quia violat præceptum in re graui; hoc tamen intelligitur, nisi excusetur ob præcipitantiam linguæ, aut balbutiem, quam corrigere nequeat, vt patebit ex dicendis de causis excusantibus *quæst.* 6. Ita communiter Doctores.

3 Qui cum sociis ita festinanter recitant, vt nondũ expletis versiculis à sociis versiculos sequentes recitare incipiant, suæ obligationi non satisfaciunt.

3 Secundò sequitur quid dicendum sit de illis, qui ita cum sociis festinanter recitant, vt nondum expletis versiculis à sociis versiculos sequentes recitare incipiant: hos enim dicendum est suæ obligationi non satisfacere, quia pars, quæ anticipatè dicitur, non communicatur cum sociis, qui eam audire nequeunt; consequenter præceptum violatur; vel saltem dic hoc esse contra consuetum Ecclesiæ vsum, quo inductum est, vt officium cum socio recitetur, alioquin liceret socio dimidiam officij partem canere, alio reliquam canente, & recitante, sicque dimidio temporis spatio integrum officij pensum persolui posset: par enim est ratio partis, & totius. Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 4. *quæsito* 11. Lessius *cap.* 37. *dub.* 10. Toletus *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 9. Paulus Squillas 1. *part. dub.* 20. *num.* 38. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 6. *q.* 9. *& cap.* 7. *quæsito* 8. Reginaldus *lib.* 18. *tract.* 2. *num.* 146. *& lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 87. loquens de iis, qui notabiliter versiculos anticipant. Nauarrus *de orat. cap.* 13. *num.* 37. Macignus *cap.* 25. *nu.* 24. & alij communiter.

4 Abscissio syllabarum in recitando Officiũ, non mortale, sed veniale peccatum continet.

4 Tertiò non solùm eos peccare, qui verba dimittunt; verùm etiam qui cum diminutione syllabarum recitant. Hæc tamen differentia est inter abscissionem syllabarum, & omissionem verborum, quòd abscissio vltimarum syllabarum non est peccatum mortale, sed veniale, etiamsi notabilis adsit abscissio syllabarum. Ratio est, quia non violatur præceptum in re graui, cùm adhuc perseueret sensus & significatio verborum. Ita communiter DD. quamobrem qui voluntariè, aut inuoluntariè syllabas abscidit, non tenetur, saltem sub mortali, Diuinum Officium repetere; quia sicut valida sunt Sacramenta dum aliquæ syllabæ mutantur, permanente verborum significatione; ita validum est Diuinum Officium celebratum cum mutatione syllabarum: consequenter non est repetendum sub obligatione, præsertim mortali, modò abscissione syllabarum variatus non fuerit in notabili quantitate verborum sensus, vt in simili dictum est de Sacramentis, Azorius *cap.* 11. *quæsito* 3. Filliucius *cap.* 7. *quæsito* 8. *nu.* 242. [Lessius *lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 56. Barbosa *in cap. dolentes num.* 11. *de celebr. Miss.*] & alij communiter.

Quartò patet defectu istius conditionis in propositione expressæ grauem culpam incurri, dum hoc præceptum in notabili quantitate violatur.

5 Recitans cum socio satisfacit præcepto.

5 Sed modò dubium est, primò vtrùm recitans cum socio satisfaciat præcepto.

Ratio dubitandi [pro sententia negatiua] est, tum quia videtur omittere partem, quæ ab alio recitatur: tum quia obligatio Diuini Officij est personalis: tum quia *in cap. dolentes*, dicitur, *studiosè celebrent*; qui autem alium audit, non dicitur celebrare, sicut Capellanus, qui celebrare tenetur, non satisfacit oneri Capellaniæ Missas audiendo. His non obstantibus,

Respondeo, recitantem cum socio satisfacere obligationi Officij recitandi. Ratio est, tum quia recitantes sibi commune faciunt, quod alternatim recitant: tum quia sic vsu receptum est, sicque fieri consueuit, dum Horæ Canonicę in Choro celebrantur, *cap.* 1. *de celeb. Miss.* modò quæ secretò dicenda sunt, à singulis integrè dicantur, vt Pater, Aue, & Credo. Ita Sanchez *in Sum. lib.* 4. *de voto.* Nald. *v. Officiũ num.*

*num.*3. Suarez *cap.*25.*numer.*2. Azorius 1.*part. lib.*10.*cap.*7. *quæsito* 6. Reginald. *lib.*18.*num.*158. Lessius *lib.*2.*cap.*37.*dub.*9.*num.*52. Eman. Sà *ver. Hora. num* 12. Molfesius *tract.*5.*num.*14. Filliucius *tract.*23.*c.* 7.*quæsito* 8. *& cap.* 6. *quæsito* 4. vbi ostendunt antiquum esse morem alternatim canendi, & originem à Beato Ignatio traxisse, qui Angelos alternatim canentes audiuit: vt etiam dicitur Isaiæ 6. *Seraphim clamabant alter ad alterum.*

6 Et hoc valet, etiãsi is, cum quo recitatur, nõ teneatur Officium recitare, aut recitet sine attentione.

6 Amplia primò, etiamsi is, cum quo recitatur, non teneatur Officium recitare: par enim est ratio, cùm alter onus suum adimpleat partim dicendo, & partim attentè audiendo. Addo valere, etiamsi is, cum quo recitatur Officium, recitet sine interna attentione; nam alter satisfacit, cùm partem suam recitet, & aliam attentè audiat, quæ licet respectu recitantis, nomen orationis non mereatur, est tamen oratio respectu attentè audientis, iuxta receptum Ecclesiæ morem, præsertim cùm actui alterius interno communicare non possimus, & sensus noster ea non capiat, quæ sub sensum non cadunt. Ita Suarez, Molfesius, Reginaldus, Emanuel Sà, Lessius, & alij *locis citat.* & nouissimè Vincentius Filliucius *tom.*2.*tract.*23.*cap.*7.*quæsito* 8.*n.*241. [& Paulus Layman *lib.*4.*tract.*1.*c.*5.*n.*8.]

7 Idem valet non solùm in oratione debita ex præcepto, verùm etiam in oratione facta ex deuotione.

7 Amplia secundò, hoc procedere non solùm in oratione debita ex præcepto Ecclesiæ, verùm etiam in debita ex voto, ex pœnitentia, vel alia ratione, etiamsi oratio recitanda sit, Rosarium, aut Corona Beatissimæ Virginis, vel Litaniæ. Ita DD. citati, aliique statim citãdi, quibus adde Nauarrum *in Manual.cap.*10.*num.*19. *& seqq.* Azorium 1.*parte lib.*10.*cap.*7.*quæsito* 10. Suarez *tom.*2.*lib.*3.*cap.*9.*numer.*15. [& Paulum Layman *loc.cit.*] Ratio est, tum quia Clemens Romanus *lib.* 4.*Constitut.cap.*34. admonet fideles vt saltem duo, aut tres orent, iuxta illud: Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum; non videntur autem duo, vel tres posse ad orandum congregari, nisi alternatim recitent: tum quia rationabiliter iudicare possumus hanc esse vouentis, vel præcipientis intentionem, vt in simili docui de voto.

Ad rationes dubitandi respondeo, onus Officij recitandi esse personale, & ab ipso beneficiario persoluendum iuxta præscriptum, & praxim Ecclesiæ. Ecclesia autem maioris leuaminis, & deuotionis gratia permittit Officium alternatim recitare.

Ad id, quod dicitur de illo, qui onus celebrandi habet, respondetur illum non satisfacere audiendo, & inseruiendo Sacerdoti celebranti, quia iuxta communem loquendi modum, ille dicitur celebrare Missam qui offert, consecrat, & sumit, non qui celebranti inseruit. Ita Nauarrus *de orat.cap.*10.*num.*20. *& c.*19.*nu.*80. Palud. *in* 4. *dist.*45.*quæst.*2.*art.*2.*concl.*2. Sanchez *in Sum.lib.*4.*de voto*, Reginaldus *lib.*18.*num.*159. Azorius *lib.*10.*c.*7.*quæsito* 10. Molfesius *cap.*2.*ad finem*, Lessius, & alij.

Ad id quod dicitur ex *cap. dolenter*, respondetur illud verbum *celebrent*, explicandum esse, celebrent iuxta consuetudinem, & permissionem Ecclesiæ. Præterea verbum *celebrent*, præcisè non importat actionem personalem necessariò præstandam ab eo, cui onus imponitur, nisi aliud addatur, vt Sacra Cardinalium Congregatio declarauit in vna Parmen. in altera Aquilana, & alibi: idemque decidit Rota in vna Brixien. Capellaniæ 2. Martij 1598. coram Litta loquens de Capellano, cui onus iniungitur in fundatione, vt Missas celebret.

8 Ille oneri Chori satisfacit, qui suos versus alta voce canit, & alios, qui ab alia parte canuntur, submissa voce recitat.

8 Ex dictis a fortiori patet illum satisfacere obligationi Diuini Officij, & debito Chori, qui suos versus alta voce cantat, alios verò, qui ab alio Choro cantantur, submissè recitat; nam recitat per se ipsum totum Officium, partim canendo, & partim recitando, & communicat cum aliis canentibus dum ab ipsis auditur, & cum ipsis recitat. Ita Suarez *tom.*2. *de relig.lib.*4.*c.*12.*n.*19. & alij.

Addo hunc non solum non peccare mortaliter, verùm neque venialiter, si bona fide, & intentione recitet sine aliorum perturbatione, & scandalo, vt benè idem Suarez, & patet tum ex alla ratione: tum quia nullus integrè magis Officium recitat, quàm qui omnia verba studiosè, & deuotè pronuntiat.

An autem præuenire possit recitando partem, quæ ab alio Choro persoluenda est, constabit ex dicendis *dub.*4. *ad finem.*

9 Satisfacit præcepto, qui suos versus alta voce recitat, & aliquẽ ab alia parte canentẽ audit, licet omnes audire nequeat.

9 Obserua tamen, primò circa recitantes Officium cum sociis, dum plures simul Officium recitant, duo, e.g. ex vna parte, & alij ex alia, non opus esse, vt qui Chorum ex vna parte efficiunt, audiant omnes alios, Chorum ex alia parte constituentes, sed sufficere, vt vocem alicuius audiant, quicumque ille sit: cùm enim ipse Officium ex sua parte recitet, & aliquem ex alia parte recitãtem audiat, negandum non est, quin iste censendus sit Officium in Choro persoluere, & in parte alterius Chori communicare. Ita Azorius *cap.*7.*quæsito* 7. Reginaldus *lib.*18.*n.*158. Molfesius *c.*2.*n.*19. *&* 102. [Paulus Layman *lib.*4.*tract.*1.*cap.*5.*n.*8. vbi etiam cum Maiore *in* 4. *distinct.*12.*quæst.*6. obseruat, eum qui distinctè non percipit ea, quæ ab alio Choro, seu socio dicuntur, non teneri quicquam repetere, quia moraliter satisfecit. Hoc tamẽ ego in re magni momẽti non absolutè approbo, quia qui socium in recitatione diuini officij non audit, non videtur in ipsius recitatione communicare, vt constabit ex dicendis *num.*21.]

10 Quomodo Diuinũ Officium recitãdum sit, dum plures duobus illud recitant.

10 Obserua secundò, dum plures duobus simul recitant Officium, non licere Officium ita recitare, vt vnus dicat vnum versiculũ, alter alterum, tertius tertium; sed alternatim recitandũ esse, facto inter recitantes solum duplici Choro, siue plures sint ex vna parte, siue pauciores: hic enim est vsus, & praxis Ecclesiæ, quam in priuata recitatione extra Chorum imitari debemus, cùm hunc ritum in Choro approbet Ecclesia. Ita Suarez *tom.*2.*de religione lib.*4.*c.*25.*n.*2. Molfesius *tract.*5.*c.*2.*n.*17. Azor. *c.*7.*quæs.*9. Reginaldus *lib.*18.*n.*158. Filliucius *c.*8.*q.*8.*nu.*241. Secus dicendum est de recitatione lectionum, quæ si tres sint, vnus recitat primam, secundus secundam, tertius tertiam, aliis audientibus, sicque permittente consuetudine: alicubi tamen mos inualuit, vt omnes lectiones ab vno proferantur, reliquis attentè audientibus. Ita Azorius *loc.cit.* [Paulus Layman *c.*5.] & alij, & hũc etiam morem in recitatione priuata obseruari quotidie cernimus.

11 Satisfacit præceptum qui non recitat, sed attentè audit lectiones, vel orationes, vel capitula, vel responsoria, cùm ab alio dicuntur, vt patet ex dictis. Ita Syluester *v. Hora quæsito* 7. Suarez *loco cit.nu.*5. Azorius *loco cit.quæsito* 8. & alij, quos suprà retuli *punct.*5.§.1.*dub.vltimo.*

11 Obserua tertiò eum satisfacere præcepto Horarum Canonica-

12 Obserua quartò, illos, qui non repetunt versiculos, qui per Organum, vel instrumentum cantantur, satisfacere, seruata tamen Ecclesiæ consuetudine, iuxta quam vsu receptum est, vt dum aliqui versus Organo canuntur, aliquis eorum, qui sunt in Choro, eosdem alta voce proferat, hoc enim pacto pars illa reliquo Choro communicatur. Ita Suarez, Reginaldus, Filliucius, Molfesius, & alij, quos infrà referam *n.*13. *& seqq.*

12 Item satisfaciunt Clerici audiẽtes versiculos qui per organũ canuntur, seruata tamen Ecclesiæ consuetudine.

13 Addunt DD. statim citandi eos, qui ex officio, vel mandato superioris detinentur in pulsandis Organis, vel transferendis libris ex vna parte ad aliam, vel in thure præbendo, non teneri per se ipsos illam partem recitare, quæ ab aliis persoluitur: cùm enim tunc temporis detineantur iis, quæ pertinent ad Diuinum officium, censentur officio cooperari, & suppleri per alios, ita vsu permittente, vt ait Reginaldus *lib.*18.*n.*160. *ad finem, & n.*188. Molfesius *tract.*5.*c.*2.*n.*21. & 22. Arragonius 2.2.*quæst.*83.*art.*12.*in fine*, Naldus *verb. Diuinum Officium n.*7. Azorius *loco cit.c.*14.*q.*2. Nauar.*cap.*21.*n.*15. & alij [apud Paulum Layman *lib.*4.*tract.*1.*cap.*5.*num.*7.]

13 An deserentes thus teneantur eam partẽ recitare, quæ tunc temporis à Choro persoluitur.

Sed mihi probabilius dicendum videtur satisfacere quidem assistentiæ, & obligationi Chori, consequenter posse distributiones accipere, non verò satisfacere simpliciter obligationi Diuini officij, nisi illud postea priuatim recitent, vel saltem nisi attendant ad ea, quæ interim recitantur. Ratio est, quia non dicitur recitare diuinum officium, qui verba diuini officij non profert, vel ad illa non attendit, *l. coram Titio. ff. de verb. signific.* Ita sentire videtur Nauarrus *c.*1. *de orat. num.*37. Moneta *de d strib.*2. *parte quæst.*2.*num.*4. Naldus *ver. Diuinum Officium num.*14. Eman. Sà *ver. Hora Canonicæ num.*8. Vasquez *loco cit.art.*5.*dub.*6.*num.*111. Filliucius *cap.*6.*quæsito* 3.*num.*191. Suarez *cap.*14.*num.*13. Molfesius ex parte *tract.*5.*cap.*2.*num.*23. vbi etiam optimè docet, dum totus Chorus vnum canit Psalmum alternatim cum Organo, aut alio musico instrumento, opus esse, vt versus, qui per organum canuntur, alta voce ab aliquo proferantur in Choro, alioquin officium integrè non recitatur, cùm organum verba non proferat: idemque tradunt Suarez, Filliucius, & alij relati *n.*12. Secus si cum organo musici cantores cantent: tunc enim satis est musicos cantores audire, modò verba clara voce pronuntientur. Ita Doctores citati.

14 Canonicus, qui domi priuatim recitat Officium, vt in Choro suã præstet operam in seruitiis Ecclesiæ, & Chori, percipere potest distributiones, modò ita ferat consuetudo, vel priuilegium.

14 Hac occasione explicari potest illa difficultas, qua quæritur vtrùm illi Canonici peccent, & teneantur ad restitutionẽ distributionum, qui domi priuatim recitant officium, & postea in Ecclesia aliis seruitiis Ecclesiæ, & Chori, vel in ministrandis Sacramentis, seu in audiendis confessionibus detinentur.

Respondent Summa Corona *part.*1. *de recitando Officio fol.mihi* 50. *col.*2. & alij, non peccare; consequenter excusari Archipresbyterum, Decanum, & similes, qui detinentur in seruitiis Chori, ita vt non possint in Choro officium recitare, sine magna distractione, & interruptione.

Hanc sententiam ego approbo, si intelligatur de iis Canonicis, quibus ex officio incumbit ea munia obire, attentis constitutionibus, & vsu Ecclesiæ. Ita sentire videntur DD. quos retuli *disp.*2.*q.*4.*punct.*5. *&* 6. Ratio est, quia cooperantur diuino officio quantum commodè possunt, & præsentes reputantur ex vsu, vel priuilegio, vel constitutione, vt suppono, iuxta dicenda *punct.*5. *&* 6. iam citato.

Hic addi posset dispositio, quam addit Concilium Tridentinum *sess.*22.*c.*3.*de reformat.* loquens de habentibus dignitates, quibus adnexa est animarum cura extra ciuitatem, isti enim cẽsentur præsentes dum in Ecclesia curata manent: sed videri potest ipsummet Concil. Trident. Decret. dum casus occurrerit, quem rarò euenturum opinor.

15 Qui Choro interest, auditque tantùmodò alios canentes, non satisfacit obligationi.

15 Secundò dubium est, vtrùm qui Choro interest, auditque tantummodò alios recitantes, satisfaciat præcepto.

Respondeo non satisfacere, nisi etiam ipse suos versiculos recitet. Ratio est, tum quia præceptum Ecclesiæ est de recitandis Horis Canonicis; qui verò alios tantùm audit, non dicitur recitare: tum quia in Tridentino *sess.*24.*c.*12.*de reformat.* dicitur, omnes compellantur diuina per se, & non per substitutos obire Officia: hoc tamen intelligendum est cum limitatione in subsequenti dubio *num.*18. adducenda.

Tertiò dubium est, vtrùm ille saltem satisfaciat, qui audit socios canentes suam partem, sed ipse suos versus submissa voce recitat. Ratio dubitandi est, quia de ratione societatis est, vt bona cõmunicentur, *l.*1. *ff. pro socio.* Officium autem per modum societatis celebratur, dum cum sociis recitatur.

16 Qui socios canẽtes suam partem audit, sed ipse suos versus submissa voce recitat, satisfacit obligationi Diuini Officij, non autem debito Chori seruitio.

16 Respondeo primò illum, qui submissa voce recitat suos versiculos, & audit socios canentes suam partem, satisfacere obligationi diuini officij. Ratio est, tum quia ipse recitat suam partem, & communicat in parte sociorum, communicantium sibi suam partem, quamuis ipse submissè recitando non communicet suam partem sociis: tum quia sequeretur eum, qui adhibet socium non habentem obligationem diuini officij recitandi, non satisfacere recitando submissa voce, sed ad iterum recitandum obligari: hoc autem videtur falsum, cùm viri timoratæ conscientiæ frequenter hoc facere soleant, ne fatigentur in recitando, vel vt magis ad deuotionem excitentur. Ita Tabiena *verb. Hora.q.*37. Suarez *tom.*2.*de relig.lib.*4.*cap.*12.*num.*6. *& seqq.* Molfesius *tract.*5.*cap.*2.*num.*24. Petr. Nauarrus *de restitut.lib.*2. *num.*216. Lessius *lib.*2.*c.*39.*dub.*33.*num.*184. Filliucius *tract.*23.*cap.*6. *quæsito* 5.*n.*195. Nauarrus *de orat.cap.*10.*n.*47. contra Caietanum *to.*1. *opusculorum tract. vlt. respons.*8. & alios.

17 Recitãs submissa voce, aliis canẽtibus, distributiones percipere non potest.

17 Respondeo secundò eum, qui suos versiculos submissa voce recitat, & alios alterius Chori attentè audit, non satisfacere debito seruitio Chori, quamuis obligationi diuini Officij recitandi satisfaciat, nec Officium repetere teneatur. Ratio est, quia reditus Ecclesiastici

fiastici dantur Canonicis, vt inseruiant, & cantent cum aliis, *Clement. 1. de celebr. Missarum cap. vltimo dist. 92.* vbi dicitur, Clericos deputatos ad Ecclesiam debere in Ecclesiam conuenire ad quotidianum psallendi Officium. Sed Clerici non deputantur, nec conuenire solent, vt audiant reliquos, sed vt simul psallant: sicut non conducitur operarius ad vineam, vt ibi assistat, sed vt in ea operam suam nauet; nec parochus, vt simpliciter residеat, sed vt onera parochialia exerceat: ergo debent simul psallere; consequenter qui suos versiculos submisse recitat, non satisfacit debito Chori, quamuis alios attentè audiat. Ita Sotus *lib. 10. de iust. quæst. 5. art. 4.* Paulus Squillas *1. parte dub. 29. n. 60.* Beia *1. parte cap. 55.* Graffius *1. parte c. 51.* Macignus *cap. 66. num. 3.* Azorius *1. par. lib. 10. cap. 11. quæsito 5.* Reginaldus *lib. 18. num. 175.* Suarez *num. 9. & 12.* Filliucius *tom. 2. tract. 23. cap. 6. quæsito 5. num. 196.* Nauarrus, Lessius, & alij *loc. cit.*

Hinc sequitur recitantem submissa voce aliis canentibus, non posse distributiones percipere. Ratio est, tum quia distributiones conferuntur canentibus, & inseruientibus in Choro: tum quia, qui non facit quod debet, non recipit quod oportet: tum quia hic facit contra iustitiam commutatiuam; ergo tenetur ad restitutionem. Ita Pet. Nauarrus, Squillas, & Lessius *loco cit.* Suarez *loc. cit. c. 12. n. 10.* Rodriq. *1 par. cap. 146. n. 5.* Filliucius *loco citat. nu. 196.* Concedo tamen posse percipere mediam partem distributionum, quia non deest in totum suo muneri, cùm assistat Choro, & Officium submissè reciret, & reliquos audiat. Ita Suarez *loco cit. num. 18.* Paulus Squillas, & Filliucius *locis citat.* contra Azorium *lib. 10. cap. 11.* Nauarrum, & alios, & hoc pacto intelligenda sunt verba constitutionis Pij V. quæ incipit, *Ex proximo Lateranensi*, in qua decernitur, vt Canonicus, qui non psallit in Choro, licet præsens adsit, fructus amittat quos lucrifeciisset si cantasset. Ratio, cur ita sint intelligenda, est, tum quia partem sui muneris adimplet; ergo par non videtur vt omnes fructus amittat: tum quia in præfata constitutione non dicitur, qui non psallit, sed qui Choro addictus non recitans omnibus Horis Canonicis cum aliis præsens adsit.

Immo nonnulli DD. arbitrantur Canonicum assistentem, & non canentem, licet nequeat integras distributiones capere, posse nihilominus dimidiam partem recipere, quia distributiones non solùm conferuntur pro cantu, verùm etiã pro assistentia in Choro. Æquum ergo videtur, vt assistens Choro distributiones assistentiæ respondentes capiat. Ita Beia *1. parte casu 55. sub finem.* Medina *in expos. præcept. §. 11. sub finem.* Petrus Nauarrus *lib. 1. de restitut. cap. 2. numer. 222.* quos citat, & sequitur Carolus Macignus *de Horis Canonicis cap. 68. num. 3. & seqq.* & Cenedo *collect. 15. ad 6. num. 6. pag. mihi 534.* ex impressis nouissimè Venetiis. Sed oppositum in hoc casu clarè colligi videtur ex Bulla Pij V. in qua Summus Pontifex fructus, & distributiones absolutè denegat interessenti, sed non recitanti, cum hac videlicet limitatione, vt si extra Chorum recitauit Officium recipiat fructus: beneficiarius enim priuatim recitans fructus suos facit; si verò neque in Choro, neque extra Chorum recitauit, amittat fructus, & distributiones (si videlicet beneficiarius neque in Choro, neque extra Chorum recitauit:) nam ratione omissionis officij amittit fructus, ratione absentiæ à Choro iacturam distributionum facit. Si verò priuatim extra Chorum recitauit officium, non amittit fructus, cùm hic non sit deterioris conditionis eo, qui ad Chorum non accessit: neque de hoc casu loquitur Bulla Pij V. sed de primo. Alias responsiones affert Carolus Macignus *de Horis Canonicis cap. 68. numero 17.* Sed illæ mihi non probantur: putat enim in hac Bulla nomine *fructuum*, intelligi distributiones, quod non videtur admittendum, cùm Summus Pontifex dixerit, fructuum, & distributionum amissionem, &c. vide ipsammet Bullam, infrà referendam *quæst. 5. punct. 2.*

18 Hæc tamen limitanda, & intelligenda sunt de beneficiariis, qui per seipsos cantare debent, non verò de illis, qui ex priuilegio, vel ex fundatione, vel ex consuetudine legitimè præscripta, tenentur solùm assistere in Choro, dum adsunt mansionarij, qui Canonicorum nomine persoluunt; nam isti satisfaciunt, & lucrantur distributiones deuotè assistendo, quia non desunt suo muneri, & iura præscribentia Diuinum officium per Canonicos recitari, loquuntur de iure communi. Ita Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 33. num. 184.* Nauarrus *cap. 22. de orat. num. 101.* Macignus *c. 66. nu. 4.* Petr. Nauarrus *lib. 2. cap. 2. num. 114. & seqq.* Filliucius *num. 197.* Molfesius *cap. 2. n. 25.* Suarez *c. 12. num. 11. & seqq.* Moneta *q. 2. num. 25. de distrib.* Pesantius *2. 2. quæst. 62. art. 2. disp. 4. num. 4. & 7. & seqq.* Azorius *lib. 10. cap. 11. quæsito 5. & 6.* vbi loquitur de consuetudine. Naldus *verb. Officium n. 14.* Garzias *3. part. cap. 2. num. 514.* & alij quos infrà referam.

19 Obserua tamen cum Suarez *n. 20.* hos, cùm adstant Choro, teneri ad attendendum, & audiendum more orantium, alioquin vana, & inutilis esset ipsorum præsentia. Immo non potest quis dici præsens alicui rei, dum ad aliud attendit. *l. coram Titio. ff. de verb. sign.* ob id de matrimonio docui Parochum non censeri præsentem celebrationi matrimonij, dum non aduertit ad id, quod agitur. Idem tenet Moneta *num. 24.* Pesantius *loco cit.*

Addo cum Petro Nauarro, Pesantio, & Moneta *loc. cit.* Canonicos, qui alias per mansionarios officium recitare consueuerant, teneri per se ipsos officium recitare, si casu aliquo non adsint mansionarij: alioquin nec per se, nec per alios satisfacerent, & Ecclesiam debito seruitio defraudarent.

Ad rationem dubitandi initio allatam, dic eam procedere in contractu societatis, quæ ad negotia, & lucra communia initur, non verò in societate imperfecta, in qua vnus potest suam partem alteri communicare; immo non potest non communicare, ex suppositione quòd alta voce reciter, licet ipse alterius partis particeps minimè sit ob verba submissa voce ab altera parte prolata.

20 Quartò dubium est, vtrum ille satisfaciat, qui suam partem recitat, sed alteram, quam alter Chorus recitat, non potest percipere, quamuis attendat.

Respondet Eman. Sà *ver. Hora Canonica n. 9.* satisfacere, nec teneri supplere, nisi fortè surdus sit. Idem tradit Suarez *cap. 28. n. 15.* loquens de surdo, qui alios canentes in Choro non intelligit, nec eos sequi potest. Sed mihi dicendum videtur non satisfacere, sed teneri supplere, vt satisfaciat obligationi recitandi Diuinum Officium. Ratio est, quia ille non satisfacit præcepto, qui non recitat Diuinum Officium, vel non communicat in illa parte, quæ à sociis canitur: hic autem, qua parte non audit socios canentes, non recitat Diuinum Officium, nec magis communicat in illa parte, quę à sociis canitur, quam communicet surdus; consequenter non satisfacit præcepto; consequenter priuatim suppleré tenetur. Ita Reginaldus *lib. 4. c. 10. n. 87.* & alij DD. statim citandi.

Existimarem tamen istum postquam suppleuit, non solùm posse fructus percipere, verùm etiam distributiones, quia verè dicitur attitisse Choro, & communicasse suam partem aliis, neque per ipsum stetisse, quin versiculos, à sociis recitatos audiret, & illam partem suam efficeret: conditio enim censetur adimpleta, quando non stat per eum, qui eam adimplere debet, *regul. cùm non stat. de regul. iur. in 6.* Ita Moneta *de dist. 2. par. quæst. 2. num. 47.* Nauarrus *de orat. c. 11. n. 41.* Suarez *c. 30. n. 15.*

21 Ex dictis in hac difficultate colligi potest eam partem Chori, quæ tacet, teneri attendere ad aliam, quæ cantat, eamque audire: nam ex vi suæ obligationis tenetur ad Officium concurrere, & totam orationem aliquo pacto facere suam: qui autem non attendit ad ea, quæ ab alia parte canuntur, non concurrit ad illam partem, nec eam facit suam, consequenter non satisfacit suæ obligationi circa Chorum.

Addo non satisfacere præueniendo, & priuatim recitando partem alterius Chori, & postea liberè vagando, quia non satisfacit publicæ orationi Chori, licet satisfaciat priuatæ. Quamobrem ille non videtur obligationi Chori satisfacere, qui Antiphonam, aut lectionem, quæ ab alia parte canitur, celeriter submissa voce dicit, & postea liberè vagatur, nam perfecta sua recitatione tenetur attendere ad ea, quæ ab alia parte canũtur, vt communicet in oratione publica. Idem die de eo, qui solemnem Missam audire tenetur, sed recitato priuatim Symbolo, vel Euangelio voluntariè distrahitur, dum Symbolum, aut Euangelium canitur. Ita Filliucius *cap. 6. num. 200.* Suarez *lib. 4. cap. 12. numero 20. sub finem*, & idem *num. 21.* post Nauarrum *de orat. c. 15.* vbi optimè subdit nonnulla notatu digna, & ad praxim accommodata, quibus ego subscribo.

22 Primum est, vt in recitatione Diuini Officij seruetur mos, & consuetudo; hæc enim est Ecclesiasticæ obligationis interpres, & legẽ inducere potest. Quamobrẽ dum lectio, vel Antiphona, vel oratio, vel capitula, vel quid simile canitur ab vna parte, non est necesse, aut expediens, vt Canonici alterius Chori illa priuatim voce repetãt, sed sufficit canentem audire; quamquam curare possunt librum ad se deferri, vt canentem melius audiant, modò hoc adeò prudenter facere possint, vt alios non perturbent, nec singularitatis vitium incurrant. Si verò vsu receptum sit, vt aliquæ Antiphonæ, vel orationes à toto Choro recitentur alta vel submissa voce, omnes ad Chorum seu cantum deputati recitare debent, alioquin muneri suo non satisfaciunt. Vide Nauarrum *de orat. c. 10. n. 16.* Suarez *loco citato, num. 18. & seqq.* Azorium *cap. 6. quæsito 6.* Reginaldum *num. 158.* Syluestrum *verb. Hora quæsito 7.* Molfesium *c. 2.* Filliucium *tom. 2. tract. 23. cap. 6. quæs. 6.* & Macignum *c. 66. & seqq.*

23 Secundum est, vt dum aliquid ab aliquo prætermittitur, non valdè soliciti simus in ea parte tunc temporis repetenda. Ratio est, tum quia ob solicitudinem illius repetendæ facilè fieri potest, vt nouus error committatur: tum quia materia leuis est; consequenter, vt plurimum prætermitti potest ex leui causa. Ita Suarez *cap. 11. num. 10.* vbi testatur de communi, *& cap. 12. num. 18. & 21.* Nauarrus *cap. 15. num. 5.* Molfesius *loco citat.* Vincentius Filliucius *tract. 23. c. 6. num. 199. & 203.* Turrecremata, Cardinalis, & alij apud Monetam *num. 48.* & apud Carolum Macignum *c. 25. n. 11. & c. 17. n. 12.*

Quintò dubium est, vtrum necesse sit, vt recitans priuatim Officium ita verba proferat, vt se ipsum audiat. Ratio dubitandi [pro sententia affirmatiua] est, quia hæc est oratio vocalis, *c. 1. & cap. dolentes, de celebrat. Missarum.* De ratione autem orationis vocalis est, vt voce proferatur, & ab aliquo audiatur, vox enim essentialiter est sonus quidam. Ita Reginaldus, Filliucius, & alij DD. statim citandi.

24 Ego verò respondeo non opus esse, vt recitans se ipsum audiat, sed sufficit vt omnia verba distinctè proferat, siue se ipsum audiat, siue non. Ratio est, tum quia nullo iure probatur recitantem ad hoc teneri, cum præceptum obliget ad dicẽdum, non ad audiendum: tum quia oratio ore, & voce fieri potest, etiamsi non audiatur ab ipso recitãte, & ex se sit quidam sonus formatus ex allisione aeris ad labia, & dentes: tum quia sequeretur surdastros teneri Officium altissima voce recitare, aut dici, non posse orationem vocalem facere. Item sequeretur eum, qui se ipsum ex aliquo accidente audire nequit, dum diuinum Officium recitat, exempli gratia, ob strepitum malleatorum, non satisfacere præcepto. Ita Nauarr. *cap. 20. de orat. numer. 14.* Suarez *tom. 2. de relig. cap. 28. num. 17. vers. simile dubium, & cap. 7. nu. 5.* Malderus *tractat. 10. cap. 2. dub. 3. ad finem*, Mofesius *cap. 2. ad finem, num. 105.* licet contrarium sentiat *num. 101.* Toletus *lib. 2. cap. 10. nu. 4.* licet obscurè loquatur, Macignus *cap. 60. num. 4.* Azorius *1. part. lib. 10. cap. 11. quæsito 4.* Paulus Squillas *dub. 23. num. 45.* [Paulus Layman *lib. 4. tractat. 1. c. 5. num. 8. ad finem*,] contra Reginaldum *lib. 18. nu. 174.* Medinam *C. de orat. quæsito 7.* Vincentium Filliucium *tractat. 23. cap. 3. numer. 117. & cap. 7. quæsito 8.* Valentiam *tom. 3. disputat. 6. quæst. 2. punct. 10. §. circa quartum*, & alios arbitrantes teneri se ipsum audire.

25 Aduertendum tamen est hanc differentiam esse inter recitantem se solo, & recitantem cum socio, astricto iure diuini Officij, quòd recitãs cum socio astricto hoc onere, ita distincte verba proferre debet, vt audiatur à socio, alioquin in causa erit, vt socius præcepto non satis-

18 Hoc tamen intelligendum est de illis, qui per se ipsos canere, non autem de illis, qui Officium per mansionarios canere possunt.

19 Tenentur præfati Canonici attendere, & in defectum mansionariorũ publicè recitare.

20 Qui recitat suam partem, sed alteram,

quam alter Chorus profert, percipere non potest quamuis attendat, non satisfacit oneri Diuini Officij recitãdi, quãuis à debito Chori exculetur, & recitato priuatim Officio distributiones percipere possit.

21 Recitans officium cum aliis, tenetur illos audire, nec potest recitationem præuenire, vt postea liberè euagari possit.

22 In recitatione Diuini officij mos, & consuetudo seruãda est.

23 Recitans cum aliis non debet esse solicitus in ea parte tunc temporis repetenda, quæ ab aliis prætermittitur.

24 Recitãs Diuinum Officium priuatim, non tenetur se ipsum audire.

25 Qui cũ alio recitat, ita recitare tenetur, vt ab alio audiatur.

satisfaciat, dum socius tenetur Horas ex præcepto recitare, & alter cũ eo recitãs præuidet fore vt socius non sit per se ipsum repetiturus, quæ non audiuit, recitans enim Officium cum socio, supplere debet audiendo quod omittit recitando, alioquin in parte quę ab alio cãnitur, nullam partem habere dicetur. Ita DD. citati.

Ad rationem dubitandi patet responsio ex dictis; quamuis enim oratio vocalis ex sua natura sensibilis sit: falsum tamen est de ratione orationis vocalis esse, vt à recitante audiatur, cùm non dirigatur ad ipsum recitantem, sed ad Deum, qui non solùm corde, verum etiam ore laudandus est, licet intima cordis intueatur, & scrutetur.

SECVNDA PROPOSITIO.

26 Vt Officium studiosè recitetur opus est, vt sine interruptione persoluatur.

26 VT Officium studiosè recitetur, non solùm persoluendum est sine diminutione verborum, & concisione litterarum, & syllabarum, vt in prima propositione probatum est, verum etiam sine interruptione (loquor autẽ non de interruptione, quæ fit inter vnam, & alteram horam, quam perspicuum est fieri posse, sed de interruptione, quæ in partibus vnius, & eiusdem horæ contingit, vt si quis inchoato Matutino vocetur ab amico ad ludum, ad negotia, vel ad alia.) Ratio igitur, cur sine interruptione recitandum sit Diuinum Officium, est, tum quia non decet inchoatam orationem cum Deo sine causa intermittere, sicut dedecet, vt quis dum Regem alloqui incepit ab incepto sermone desistat, & ad plebeium, ac infimæ conditionis hominem sine causa sermonem suum diuertat animo ad Regem iterum redeundi ad perficiendum, & pertractandum negotium antea inchoatum: tum quia non est recedendum ab vsu, & more Ecclesiæ; nec vnitas orationis, quam Ecclesia in singulis horis præscripsit, dimittenda est. Ita cõmuniter DD.

Sed modò dubium est primò, vtrum qui horas Canonicas cum interruptione recitat, præcepto Ecclesiæ satisfaciat, vel lethalem culpam incurrat.

27 Proponitur sententia sustinens recitantem cum interruptione grauiter peccare, & præcepto non satisfacere.

27 Prima sententia est lethalem culpam incurrere, & præcepto Ecclesiæ non satisfacere, si notabilis, & longa fiat interruptio sine iusta causa. Ita Eman. Sà, Nauarrus, Medina, Azorius, & alij *locis* statim *citandis*. Ratio est, primò, quia ex communi Doctorum opinione, non solùm graue peccatum committitur, verum etiam irritum, & inane redditur Sacramentum, dum forma Sacramentorum cum interruptione profertur, vt patet ex dictis de Sacramentis; ergo etiam grauis culpa incurri videtur, dum Diuinum Officium cum notabili recitatur interruptione.

Secundò, quia pars Diuini Officij iam diu antea recitata, censetur finita: oratio autem finita non potest cum subsequenti continuari; illa enim continuari dicuntur ex communi Peripateticorum sententia, quorum extrema sunt simul.

Tertiò in Concilio Toletano VII. sub pœna excommunicationis cauetur ne quis Diuina Officia interrumpat. Pœna autem excommunicationis mortalem culpam prærequirit, & supponit. Verba præfati Concilij VII. quæ referuntur *in c. nihil 7. quæst. 1.* sunt hæc:

Nullus absque præuentu parentis molestiæ minister, vel Sacerdos, cùm cœperit imperfecta Officia præsumat omnino relinquere: si quis autem temerariè hoc præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

28 Ponitur sententia auctoris sentientis præcepto satisfacere, & non grauiter peccare.

28 Secunda sententia, quæ mihi verior, & probabilior videtur, est, recitantem Diuinũ Officium cum interruptione non peccare mortaliter, sed satisfacere præcepto Ecclesiæ quoad substantiã, siue ad longum, siue ad breue tempus interrumpat. Quamobrem interrumpens horam in medio, vel etiam Psalmum, non peccat mortaliter, modò postea reliquam partem absoluat, etiamsi partem prius dictam non repetat. Ratio est, quia verùm est dicere hunc intra eumdem diem totum Diuinum Officium recitasse; ergo etiam verum erit dicere præcepto Ecclesiæ satisfeciſſe: consequentia patet, quia ille præcepto Ecclesiæ satisfacit, qui facit opus ab Ecclesia præscriptum: hic autem facit opus ab Ecclesia præscriptum, tum quia totum recitat Officium, nec vllam ipsius partem omittit: tum quia de substantia singularum precum non est continuatio, & preces interruptæ efficiunt vnum Officium, suamque habent significationem, sicut multæ confessiones interruptæ integram vnam confessionem obtenta in fine absolutione, iuxta dicta de Sacramento pœnitentiæ. Nec est eadem ratio Diuini Officij, & formæ Sacramentorum; nam in formis Sacramentorum requiritur moralis continuatio propter practicam verborum significationem, quam forma habere non potest, dum cum morali interruptione profertur, vt patet ex dictis de Sacramentis: in Diuino autem Officio non adest huiusmodi practica significatio, cùm Diuinum Officium non sit institutum ad aliquid ex vi verborum producendum. Ita Suarez *cap. 24. num. 9. & 10.* (licet *cap. 11. num. 9.* arbitretur interruptionem, seu interpolationem notabilem factam à toto Choro contra communem consuetudinem, & ritum Ecclesiæ graue peccatum esse ex suo genere, quamuis sæpius à graui culpa excusetur, posita bona fide, vel ignorantia probabili, & secluso scandalo. Sed Suar. rigorosè nimis, meo iudicio, loquitur, dũ non adest scandali periculũ.) Filliuc. *tom. 2. de Horis Canonicis tract. 23. c. 6. quæsito 7. n. 202. & c. 2. quæsito 7.* Lessius *lib. 2. c. 37. dub. 10. nu. 57.* post Caietanum, & alios. Arragonius *loco citat. art. 12.* Naldus [*verb. Officium diuinum n. 6.* Augustinus Barbosa *in c. dolentes, de celebr. Miss. numer. 17.* Suarez *cap. 24. numer. 11.* Arragon. *2. 2. q. 83. artic. 12. ad fin.* Paulus Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 7.*] contra Emanuelem Sà *v. Hora Canonica, ad finem.* Nauarrum *de orat. cap. 16. num. 75.* Medinam *de orat. q. 16. sub finẽ*, Angles *de orat. quæst. 5. diffic. 5.* Macignum *cap. 87. num. 12.* Azorium *1. par. lib. 10. cap. 8. quæsito 5.* & alios asserentes interrumpentem Diuinum Officium ad longum tempus non satisfacere oneri Diuini Officij recitandi, sed ad illius repetitionem obligari.

29 Respõdetur argumentis contrariæ sententiæ.

29 Ad primam rationem primæ sententiæ patet responsio ex dictis, non enim argumentandum est à Sacramentis ad Diuinum Officium, cùm in Sacramentis cum interruptione formæ administratis, graue sacrilegium committatur, Sacramentum enim irritum est, & inualidum, suoque caret fructu, quia forma Sacramenti efficit significando, & significat efficiendo: cum autẽ suam non habeat significationem, dum cum morali interruptione profertur, sequitur etiam suum nõ habere effectum, vt cõmunis Theologorum schola docet.

Ad secundam respondeo finiri in ratione actionis, non autem in ratione Officij, cuius est pars: non enim desinit esse pars officij ob interruptionem superuenientem, vt in simili patet, tum de confessione partiali quam pœnitens ob peccatorum copiam, vel alia de causa vnica vice absoluere non potuit: tum de horis ipsis inter se, quæ non desinunt esse pars Diuini Officij, siue seorsim, siue simul successiuè recitentur.

Ad id, quod dicitur ex communi Philosophorum sententia, respondeo non procedere in quantitate discreta, & in aliis, quæ non requirunt continuationem physicam, sed moralem, vel nullam ad præcepti substantiam adimplendam.

Ad tertiam responderi posset primò Concilium Toletanum non inducere vniuersalem obligationem; verum hæc responsio mihi displicet; cùm enim hoc Concilium inseratur sacris Canonibus, dicendum est, inducere obligationem, quam sacri Canones pariunt, cùm à Summo Pontifice, tamquam ab vniuersali legislatore, approbari videantur.

Respondeo secundò, præfatum textum loqui de interruptione sacrificij Missæ. Concilium enim loquitur de Sacerdote Missam celebrante, vt patet ex ipso textu.

Respondeo tertiò præfatum textum, etiamsi daremus, (quod tamen non admittimus,) loqui de diuinis officiis, de quibus nobis sermo est, explicandum esse de omnimoda interruptione, quæ fit animo non persoluendi ea, quæ supersunt recitanda.

Ex dictis sequitur primò, conditionem, qua diximus diuinum officium sine interruptione recitandum esse, non esse simpliciter necessariam, cùm præceptum quoad substantiam adimpleri possit cum interruptione.

Secundò sequitur interruptionem diuini officij non esse mortaliter peccaminosam, nisi mortalis aliqua circumstantia superaddatur, quæ mortalem malitiam tribuat, vt si diuinum officium interrumpatur cum graui adstantium scandalo, aut si verba valdè turpia, & obscœna immisceantur.

30 Veniale culpam committit qui Diuinũ Officium sine causa recitat cũ interruptione, nisi interruptio valdè modica sit.

30 Concedendum tamen est interruptionem diuini officij non carere culpa veniali, si absque iusta causa contingat, est enim contra vnitatem moralem vniuscuiusque horæ, & contra consuetudinem, habetque adiunctam quamdam indecentiam, etiamsi fiat animo repetendi partem iam dictam, sicut inurbanitatis, & rusticitatis notam incurrit, qui inchoato sermone cum principe ad alia absque causa diuertit, alloquendo plebeium hominem, &c. etiamsi hoc faciat cum animo iterum alloquendi Principem.

Secus dicendum est si diuini officij interruptio contingat ex iusta causa: nam qui aliquid ex iusta causa facit, prudenter operatur, consequenter excusari potest etiam à veniali culpa, vt si incepto officio vocetur à superiore, aut concionem audire, vel orationem facere debeat, aut si incepto officio verba deuotionis habeat cum socio, aut aliquam meditationem interponat, aut aliqua verba iaculatoria ad Deum intermisceat, adest enim iusta pietatis, & deuotionis causa, & hæc non censetur moralis interruptio diuini officij; cùm hæc omnia dirigantur ad Deum laudandum. Ita Azorius *1. part. libr. 10. cap. 8. quæsito 3. & quæsito 8.* vbi idem asserit de Rosario, Corona, aliisque orationibus ex voto, vel Confessarij præcepto debitis. Lessius *num. 59.* Nauar. *de orat. cap. 16. num. 68. & sequent.* Arragon *2. 2. q. 83. art. 12.* Suarez *cap. 11. num. 9. & cap. 24. ad finem.* Reginaldus *lib. 18. num. 162.* Carolus Macignus *cap. 87. num. 16.* Filliucius *loco cit. num. 239.* Molfesius, & alij communiter.

Addo modicam, & valdè breuem interruptionem excusari posse ab omni peccato, etiamsi fiat absque iusta causa, quia parum pro nihilo reputatur, & vno, duobus, vel etiam tribus verbis oratio interrumpi non videtur, moraliter loquendo, vt in simili dictum est de Sacramentis. Ita DD. cit. Breuis igitur interruptio non est peccaminosa, sicut neque longa si fiat ex causa: sine causa verò est venialis.

31 Interrumpens Officium animo repetendi iã recitata satisfacit præcepto, etiamsi postea eadem non repetat, sed reliqua solum absoluat.

31 Secundò dubium est, vtrum satisfaciat præcepto, qui inceptum Officium interrumpit animo repetendi iam recitata, sed postea non repetit: item vtrum satisfaciat præcepto, qui recitat Diuinum Officium nolens tunc præcepto satisfacere, sed intendens iterum repetere ad satisfaciendum præcepto.

Ratio dubitandi [ad probandum non satisfacere,] est quia actus agentium non operantur vltra intentionem eorum, *l. non omnis. ff. si certum petatur.*

Respondeo satisfacere, nec teneri ex vi præcepti Ecclesiastici repetere iam recitata. Ratio est, quia ille satisfacit præcepto, qui facit opus ab Ecclesia præceptum: sed hic facit opus ab Ecclesia præceptum, cum Ecclesia non præcipiat recitari officium animo repetendi, vel adimplendi præceptum, sed simpliciter præcipiat quotidie recitari diuinum officium; ergo satisfacit præcepto. Ita Paulus Squillas *part. 1. dub. 22.* Vasquez *in opusc. de benef. cap. 4. §. 1. dub. 7. n. 114. vers. verumtamen* [*& 1. 2. q. 100. art. 9.*] Molfesius *tract. 5. cap. 2. nu. 40. & 52.* Garzias *de benef. tract. 1. part. 3. cap. 1. num. 198.* Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 10. ad finem*, Naldus *verb. Diuinum Officium nu. 3. & 8.* Filliucius *tom. 2. tract. 23. c. 8. quæsito 1. num. 251.* Lessius *loco citato, dub. 10. num. 59.* Henriquez *de Missa cap. 25. n. 6.* Francolinus *de temp. cap. 27.* Macignus *cap. 87. num. 26.* loquens solum de primo casu, Suarez *loco cit. cap. 24. in fine, & cap. 26. num. 8.* Reginaldus *lib. 18. num. 150.* quidquid idem dicat *num. 162.* Arragonius *2. 2. q. 83. art. 13.* [nouissimè post hæc à me sæpius edita, Augustinus Barbosa *in cap. dolentes. de celebr. Miss. num. 18.*] contra Azorium *loco cit. quæsito 8.* Nauarrum *loco cit. num. 73.* Carolum Macignum *de Horis Canonicis cap. 84. num. 8. & seqq.* Medinam *loco cit. vers. de tertio*, & alios, quos retuli *de legibus qu. 1. punct. 10. propositione 2. num. 9. 19. & seq.* vbi etiam ostendi non opus esse, vt prior voluntas positiuè mutetur, ita vt beneficiarius ex-

plicitè velit recitatione præterita satisfeciſſe præcepto. Idem contra nos tenent Rodriquez, Philiarcus, Ledesma, & alij, quos magno numero appellat Garzias *loco cit. num.* 190. *& seqq.* Carol. Macign. *loc. cit. cap.* 84. & alij.

Excipi posset ab hac doctrina beneficiarius, qui ex iustitia Diuinum Officium recitare tenetur: sicut enim qui ex iustitia tenetur tradere centum Caio, non liberatur ab onere, si tradat Caio centum animo liberali, & gratuito, vt dictum est de legibus, ita non eximitur ab obligatione Officij iterum recitandi qui Diuinum Officium recitat animo iterum recitandi, vt præcepto satisfaciat.

Verum ad hanc exceptionem respondeti potest, Ecclesiam non adeò rigorosè onus imposuisse, vt velit Officium recitari animo satisfaciendi præcepto, sed simpliciter Officij recitationem præcepisse: consequenter ipsius intentioni satisfieri, etiamsi Officium ex deuotione recitetur, animo iterum recitandi ad præceptum adimplendum.

Ad rationem dubitandi initio allatam, respondeo, actum agentium non operari vltra ipsorum intentionē in iis, quæ ab ipsorum intentione pendent: adimpletio autem præcepti non pendet ab intentione illius adimplendi, cùm Ecclesia hanc intentionem non requirat, vt clarius explicaui *loco citat. de legibus.*

32 Missam audiens in die festo animo non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, adhuc satisfacit.

32 Hinc colligi potest primò, quid dicendum sit de eo, qui Missam audit animo non satisfaciendi præcepto auditione illius Missæ, sed intendens aliam audire, vt satisfaciat præcepto: dicendum enim est istum satisfacere præcepto, quia Ecclesia non præcepit Missæ auditionem cum animo adimplendi præceptum, sed simpliciter præcepit Missam audiri. Ita DD. citati contra Nauarrum, Azorium, Medinam, Carolum Macignum, & alios. Ideò si lata esset excommunicatio contra non audientes Missam, non ligaret eum, qui Missam audiuit animo non satisfaciendi præcepto, modò deuotè audierit. Vide quæ dixi *de legibus, loco proximè citato*, vbi de hac re fusiùs disserui, & difficultates, quæ huc adduci possent, dissolui, & explicaui.

33 Voueus se iterum Officium recitaturū dum illud recitaret, non tenetur ad restitutionē fructuum, si Officium postea non recitet.

33 Secundò colligitur eum, qui dum recitaret Officium, vouit se iterum recitaturum, non teneri ad restitutionem, si Officium postea non recitet, quia non ex Ecclesiæ præcepto, sed ex voto tenebatur iterum recitare. Ita Vasquez *loco citat. num.* 116. Restitutio autem fructuum facienda est ob Diuini Officij omissionem contra præceptum Ecclesiæ.

§. II.

Quid requiratur vt Officium deuotè recitetur.

1 Adorationem necessaria est attentio.

1 PRæmittendum est primò, ex communi Doctorum sententia attentionem formalem, aut virtualem esse de substantia orationis. Ratio est, tum quia quæ sine vlla attentione fiunt, potius materialiter, more psittaci, proferri dicuntur, quam per modum orationis, & laudis Dei: tum quia oratio est quædam adoratio: adoratio autem fieri debet in spiritu, & veritate, iuxta illud Ioannis 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate; nā Pater tales quærit, qui adorent eum*, & 1. ad Corinth. 14. *Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente*, tum quia nulla ratio illius sermonis habetur, quem quis apud Principem, vel superiorem facit, mentem ad alia voluntariè diuertendo, saltem dum Princeps, vel superior ex signis cōiicere potest aliena cogitari. Ergo multo magis paruipēdenda est oratio, qua quis, mente scienter abstracta, Deum alloquitur, qui occulta cordis scrutatur & intuetur. Ita S. Thomas *in* 4. *distinct.* 25. S. Bonauent. *libro de perfectione vitæ cap.* 5. Caietanus 2. 2. *q.* 83. *art.* 3. Medina *C. de oratione cap.* 14. Valentia *tom.* 3. *disput.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 9. prolixiùs de hac re disputans. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 3. *cap.* 4. *nu.* 3. *& seqq.* Filliucius *tract.* 23. *c.* 3. *quæsito* 2. *num.* 72. [Toletus *lib.* 2. *c.* 13. *nu.* 10. Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *c.* 5. *num.* 9. & 10.] Lessius, Azorius, Reginaldus, Vasquez, & alij *locis infrà citandis.*

2 Ad orationem nō solùm requiritur attentio, verùm etiā intentio.

2 Præmittendum est secundò ad orationem non solùm attentionem requiri, verùm etiam intentionem, saltem rmplicitam, & virtualem. Ratio est, tum quia iuxta regulam generalē traditam *de legibus disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 10. *num.* 2. ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio faciendi opus præceptum, ex Vasquez, Azorio, Sanchez, & aliis ibi citatis; ergo etiam requiritur ad orationem, cùm par sit ratio: tum quia oratio est locutio cum Deo; non loquitur autem cum Deo, qui cum eo loqui non intendit, sicut inter homines non loquitur vnus cum alio, nec vnus Angelus cum alio, nisi voluntate cogitationem suam, vel eius signum ad alterum dirigat, vt inquiunt Theologi de locutione Angelorum: tum quia oratio debet esse actus moralis, & humanus. Videri potest Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 3. *cap.* 3. vbi de hac re fusissimè disputat.

His in genere præmissis, explicandum est, vtrùm ad recitationem Horarum Canonicarum, quæ per modum orationis persoluuntur, requiratur deuotio, & mentis attentio cum intentione.

PRIMA PROPOSITIO.

3 Vt Officium deuotè recitetur requiritur intentio recitandi.

3 VT Officium deuotè recitetur requiritur intentio illius recitandi. Hæc propositio perspicuè constat ex dictis in secundo præmisso, & ex traditis *de legibus.* Recitatio enim diuini Officij est actus humanus, qui humano modo exerceri debet; non potest autem humano modo exerceri sine intētione orandi, seu recitandi. Ita DD. citati, quibus adde Filliucium *tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 3. *quæsito* 2. *num.* 70. & alios DD. statim citandos.

Hinc sequitur recitantem Horas Canonicas per metum satisfacere præcepto, quia metus non tollit absolutè voluntarium, & intentionem: recitans verò cum omnimoda violentia non satisfacit præcepto, quia cum vi absoluta non subsistit intentio, & voluntariū. Ita Azorius 1. *part. lib.* 10. *cap.* 22. *quæsito* 9. Macignus *cap.* 89. *num.* 42. & alij quos retuli *de legibus disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 10.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Vt Officiū deuotè recitetur requiritur attentio.

4 VT Officium deuotè recitetur, requiritur attentio, siue illa sit ad verba, siue ad sensum verborum, siue ad Deum, vel ad Christi passionem, vel ad aliam rem piam cum intentione laudādi Deum, vel ad rem quam petimus, vel ad Sanctos, ad quos orationem dirigimus, hæc conditio necessaria est, vt præceptum impleatur. Ita Nauarrus *cap.* 25. *numer.* 133. Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.* 5. *art.* 5. Azorius 1. *parte lib.* 10. *cap.* 12. *quæsito* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 11. *num.* 64. Suarez *tomo* 2. *de relig. lib.* 3. *c.* 4. *& lib.* 4. *c.* 26. Emanuel Sà *verb. Hora Canonica num.* 19. Reginaldus *lib.* 18. *n.* 148. *&* 151. *cum seqq.* Arragonius 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 6. *quæsito* 3. *& c.* 8. *quæsito* 2. *& cap.* 3. *quæsito* 2. *numer.* 72. *& seqq.* Garzias *de benefic. tom.* 1. *part.* 3. *cap.* 1. *nu.* 182. Paulus Squillas 1. *part. dub.* 20. Pesantius 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *dub.* 3. Valentia *tomo* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2. *puncto* 10. §. *Quomodo sit recitandum*, Molfesius *c.* 2. *num.* 8. Vasquez *in opusc. de benefic. cap.* 4. §. 1. *art.* 3. *num.* 103. *dubio* 4. & 1. 2. *disp.* 160. *num.* 30. *& seq.* Rodriquez 1. *part. Summæ cap.* 144. Malderus *tract.* 10. *cap.* 2. *dubio* 2. *pag.* 643. Moneta *de distribut.* 2. *parte quæst.* 2. *n.* 20. Macignus *cap.* 86. *num.* 16. [Toletus *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 4. *& cap.* 13. *numer.* 10. & nouissime Barbosa *in cap. dolentes. de celebrat. Miss. num.* 19. & Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 9. & 10. [contra Durandum *in* 4. *d. ist.* 15. *q.* 12. *n.* 6. Sylueſtrum *verb. Hora q.* 11. Medinam *de oratione q.* 16. Coninchum, Angelum, Rosellam, & alios apud præcitatos Doctores, asserentes interiorem attentionem ad Horas Canonicas recitandas non requiri, sed sufficere exteriorem, vt videlicet recitans diuinum Officium non occupet se, dum Officium recitat, in aliquo negotio incompossibili cum attentione interiori, e.g. loquendo, scribendo, &c. Ratio Duraudi, & aliorum est, tum quia Ecclesia, quæ diuini Officij recitationem præscripsit, non potest præcipere attentionem internam, cùm Ecclesia non habeat potestatem super actus internos: tum quia Summus Pontifex *in c. dolentes. de celebr. Missar.* iubet diuinū Officium recitari quantum Deus dederit; ergo non videtur velle recitantes strictè obligare ad attentionem, sed solum quantum illis Deus concesserit: tum quia difficillimum est attentionem habere: non est autem credibile Ecclesiam voluisse ad actum adeò arduum obligare, cùm Ecclesiæ iugum suaue sit, sicut est Christi iugum.

Sed nostra sententia longè verior, & probabilior est. Ratio est, tum quia, licet Ecclesia non possit directè præcipere actum internum seorsim sumptum, nihilominus potest illum compræcipere, vt docui *de legibus disput.* 1. *quæst.* 1. *puncto* 5. *nu.* 7. ad quæ vos remitto: tum quia Ecclesia præcipit Officium deuotè recitari, deuotio autem est actus internus: tum quia Ecclesia præcipit recitationem Officij, tamquam actum orationis Deo gratum, oratio autem non est Deo grata sine attentione interna, vt patebit ex loco illo *Matthæi* 15. mox afferendo: tum quia orario non subsistit sine attentione: quamobrem qui per votum promisit Horas Canonicas recitare, non satisfacit voto, dum eas recitat sine attentione, quia non dicitur orare, sed eas materialiter proferre tamquam psittacus. Idem dicendum est de aliis orationibus, ad quas recitandas tenemur ex voto, vel ex pœnitentia à Confessario iniuncta, vel alia ratione; nam eo ipso, quo ad aliquas orationes tenemur, tenemur etiam iure naturali illas attentè recitare: tum quia oratio non subsistit sine attentione: tum quia orationes sine attentione reprehendūtur à Christo, Matthæi 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*; tum quia qui vult Deum alloqui, aut aliquid ab eo petere, debet alloqui, & petere conuenienti modo: ille autem non alloquitur, nec petit conuenienti modo, qui non attendit ea, quæ profert, vel petit, vt patet à simili, de eo, qui cum Principe terreno sermonem habet. Ita Doct. citat.

5 Sufficit attentio ad verba, vel ad sensum.

5 Dixi in propositione, *siue illa sit ad verba, siue ad sensum*, &c. vt aduerterem sufficere attentionem ad verba, vel ad sensum verborum. Ratio est, quia cum quacumque harum est actus humanus, & signum diuini cultus, & petitionis, quæ Deo interna mente offertur; ergo hæc sufficit, nec aliud ex vi orationis exigitur. Ita Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 3. *c.* 4. *nu.* 8. *ad finem.* [Toletus *lib.* 2. *cap.* 13. *nu.* 10.] Filliucius *loc. cit. num.* 74. & alij, quicquid in contrarium sentire videatur Lessius, qui si benè intelligatur, in nostram sententiam trahi potest.

Ex quo fit, vt recitans diuinum Officium, non teneatur meliorem attentionem quærere, sed satisfacere quamlibet ex dictis eligendo. Ita Suarez *num.* 9. Filliucius *n.* 76. & alij [Doctores citati.]

6 Responderetur argumentis quibus probari posset attentionem nō requiri.

6 Ad primam rationem in contrarium respondeo, Ecclesiam posse actum internum præcipere, quoties internus est de substantia actus externi, vt in simili patet de præcepto confessionis, quæ internum doloris actum necessariò requirit.

Ad secundam respondeo, Ecclesiam præcipere attentionem ex parte recitantis, eo ipso, quo vult Officium deuotè seu per modum orationis recitari.

Ad tertiam respondeo huiusmodi præceptum non esse de re valdè ardua, & difficili, primò quia sufficit attentio virtualis, quam non est arduum habere, vt experientia docet in aliis negotiis: tum quia sufficit attentio ad verba animo laudandi Deum prolata, vel ad sensum verborum, vel ad finem orationis, vel ad Christi passionem, vel ad rem aliam piam, vt patet ex dictis *in vers. Dixi in propositione.* contra Zerolam *in praxi Episc. v. Hora ad* 4.

7 Recitans Coronam ex deuotione tenetur attēdere, secus, si eam recitet recreationis vel memoriæ causa.

7 Ex dictis sequitur primò, recitantem Coronam ex deuotione peccare venialiter, dum eam recitat sine attentione, quia licet tunc non teneatur ex præcepto affirmatiuo orare, nihilominus ex præcepto negatiuo religionis tenetur cauere actus irreuerentiæ, & alloqui Deum conuenienti modo, ex suppositione quòd ipsum alloqui, & orare velit. Secus dicendum est de eo, qui aliquem Psalmum, vel Hymnū dicit, non animo orandi, sed vt mentem abstrahat à molestis cogitationibus, vel vt memoriæ mandet, vel vt alium doceat modum recitandi Officium, vel vt se recreet: hic enim non peccat, quia non facit contra vllum præceptum, & cùm non intendat orare,

orare, nec Deum alloqui, non tenetur attendere. Ita Suarez *cap.4. num.3. & sequent. lib.3. tom.2. de relig.* Azorius *lib 10.cap.12.quæsito 11.* Bela *par.2. casu vltimo.* Ioannes Malderus *tract.10. cap.2.dub.2.vers. ceterum.* Reginaldus *lib.18.n.149. & lib.4 cap.10.num.85.* Lessius *lib.2. cap.37.dub.11.numer.67.* Filliucius *cap.3. quæsito 2.num.70. & cap.8. quæsito 2.num.252.* Valentia *loco citato, vers. esset tamen hic dubium*, & alij *locis citat.*

8 Recitans absque attentione orationes, quas ex præcepto recitare tenetur, grauiter peccat posita grauitate materiæ.

8 Secundò sequitur recitantem absque attentione orationes, ad quas tenetur ex præcepto, peccare mortaliter, nisi ob materiæ paruitatem excusetur, aut nisi intentionem habeat repetendi. Ideo beneficiarius, qui recitat Diuinum Officium animo voluntariè distracto, non satisfacit præcepto, consequenter tenetur repetere, alioquin obligatur ad restitutionem fructuum, non enim satisfacit præcepto, qui Diuinum Officium deuotè non recitat. Ita [Nauar. *de orat. cap. 20.n.32.* Toletus *lib.2.cap.13.in addit.num.3.* Azor. *loco citat. quæst.3.* Paulus Layman *num.9.*] Reginaldus *num.155.* Vasquez *loco cit.num. 103.* Paulus Squillas *loco citato, num.37.* Rodriquez *loco citato, num.3.* Molfesius *num.88. & 95.* & alij DD.cit.

9 Recitans orationes ex præcepto debitas confabulando, vel dormiendo, grauiter peccat, nisi habeat intentionem formalem, aut virtualem repetendi.

9 Tertiò recitantem Horas Canonicas, vel partem notabilem cum distractione confabulando, vel dormiendo peccare mortaliter, nisi fortè habeat propositum formale, aut virtuale repetendi, & supplendi defectus, vt si tunc expresè proponat repetere, vel etiã tunc non expresè proponat repetere, consuetudinem tamen habeat repetendi, quæ sine attentione recitauit: hic enim virtualiter habere videtur propositum repetendi, consequenter non peccat mortaliter dum non intendit ea recitatione præcepto satisfacere, & perinde est, ac si tunc temporis non recitaret; præciso verò hoc proposito, recitans cum voluntaria distractione non solùm grauiter peccat, verùm etiam tenetur ad fructuum restitutionem, vt colligitur ex dictis, & clarius constabit ex dicendis *quæst.5.*

10 Recitãs Horas Canonicas sine attẽtione no percipit distributiones.

10 Addo hunc non lucrari distributiones, si hoc culpabiliter faciat in Choro. Ratio est, quia non satisfacit muneri Chori. Ita Nauarrus *cap.13.nu.15.* Molfesius *loco citat.numer.94.* Moneta *de distribut.2.par. quæst.2.num.22. & quæst.3.nu.37.* quamuis Garzias *de benef.cap.2.nu. 514.* putat notabiliter confabulantem peccare quidem mortaliter, ad restitutionem tamen distributionum non teneri, quia ad lucrandas distributiones, inquit ipse, sola præsentia in Choro requiritur cum recitatione; idem contra nos tenent Toletus *lib.2.cap.12.num.6.* Sotus, Medina, Corduba, & alij, quos citat, & sequitur Carolus Macignus *cap.89.num.11. & seqq.* [Idemque innuit Lessius *lib.2. cap.34. dub.33.n.186.* Ægidius Coninchus *3.par.q.83.art.6.dub.vnic.n.292.* Paulus Layman *lib.4.tract.1.c.5.num.10.*]

Verùm opinio horum Doct. mihi displicet, vt constabit ex dicendis *de distributionibus disp. 2. & in hac disp. quæstio. 5.punct.2.num.17.*

11 Differẽs recitationẽ Horarum Canonicarum vsque ad tempus, quo somno præoccupabitur grauiter peccat.

11 Addo etiam illum non excusari a mortali, qui ita Diuini Officij recitationem differt, vel ita se componit, vt aduertat se somno præoccupandum, vt si reseruet Completorium vesperi dicendum in lecto, sciens se illis horis somno præoccupari. Ita Nauarrus *cap.9. de orat. num.7.* Reginaldus *lib.18.num.157.* Suarez *cap.26.* Filliucius *cap.8.nu. 260. & sequentibus*, & alij, & ad hoc faciunt exempla, quæ refert Carolus Macignus *cap.58.num.12.*

12 Satisfacit præcepto qui dũ Horas Canonicas recitat, detinetur in aliqua re externa nõ incompossibili cum attẽtione.

12 Quartò eum satisfacere præcepto, qui dum recitat diuinum officium, detinetur in aliqua re exteriori non incompossibili cum attentione interna, vt si recitet dum se vestit, vel spoliat, vel ambulat, vel dum campum aspicit, vel dum in choro assurgit Canonico ingredienti Chorum, vel dum faciem abluit, vel etiam dum sternit mensam, vel lectum, sciens se illas actiones posse exercere sine distractione ab oratione. Ita DD. statim cit.

Secus dicendum est, si voluntariè, & aduertenter occupet se in aliqua re incompossibili cum attentione interna, vt si inter recitandum scribat, vel pingat, aut aliud legat, &c. tunc enim non satisfacit præcepto, sed iterum recitare tenetur sub mortali, vt præcepto satisfaciat. Ita Valentia *loco cit. vers. sequitur secundò.* Sotus *10.de iustitia q. 5.art.5.* Suarez *c.26.n.21.* Nauar. *c.13.de orat.n.47. & sequent.* Toletus *lib.2.c.13.* Caiet. *2.2.q.83.art.13.* Paulus Squillas *1.part.dub.20.nu.39.* Azor. *c.12.quæsito 7.* Vasquez *loco cit.n.99. & 104.* Filliuc. *c.8.quæsito 4.* Graffius *1.parte, lib.2.cap.52.n.15.* Macignus *cap.87.n.3.* [& nouissimè Augustinus Barbosa *in c.dolentes n.19. de celebr. Miss.* & Paulus Layman *lib.4.tract.1.cap.5.num.12.*]

13 Qui dum recitat detinetur inaduertẽter in aliqua actione incompossibili cum attẽtione, satisfacit præcepto.

13 Dico *voluntariè, & aduertẽter*; nam qui dum recitat diuinum officium inuoluntariè, aut inaduertenter, detinetur in aliqua re incompossibili cum attentione, satisfacit præcepto, vt benè Valentia *vers. sequitur tertiò*, Nauar. *cap.25.num.107.* Reginaldus *loco cit.num. 134.* & alij DD. citati: nam illa distractio dicitur inuoluntaria, & cum distractione inuoluntaria adesse potest virtualis attentio. Quamobrem recitans officium, & non aduertens se ab oratione distrahi, licet fortè aduertat se alia cogitare, satisfacit præcepto, quia inuoluntariè distrahitur ab officio. Ita Suarez *cap.26.num.20.* Filliucius *num.255.* Caietanus, & alij qui hoc maximè obseruandum putant pro scrupulosis, qui sæpius diuinum officium repetunt, sed eosdem vel maiores defectus incurrunt secunda, & tertia vice, quam prima.

14 Possumus eodẽ tempore satisfacere præcepto Missæ, & Horarum Canonicarum.

14 Vtrùm verò possimus eodem tempore Missam audire, & horas Canonicas recitare, constat ex dictis de præcepto Missæ audiendæ, posse; quia hæc ad vnum finem diriguntur, & attentio diuini officij non est incompossibilis cum auditione Missæ. Ita Azor. *prima parte lib.10.cap.12.quæsito 10.* Caiet. *2.2.quæst.83.art.13.* Valentia *tom.3.disp. 6.quæst.2.puncto 10.§.quomodo sit recitandũ, vers. sequitur hinc.* Paulus Squillas *de obligat. Cleri. prima par.dub.35.* Toletus *lib.2.cap.13.num. 12.* Nauar. *de orat.cap.13.nu.35.* Angles *de oratione quæst.5.diffic.2.concl. 4.* Carolus Macignus ex parte *cap. 86.nu.16.* [Barbosa *in cap.dolentes numer.21. de celebr. Missar.*] & alij communiter, quos retuli *de Sacramentis disputat.4.quæst.vlt.punct.11.nu.25.* contra Angelum, Sylvest. Caiet. & alios.

15 & 17 Ad recitãdum

15 Sed modò dubium est, primò vtrùm ad satisfaciendum præcepto diuini officij, requiratur attentio actualis, vel sufficiat habitualis, aut virtualis.

Officium sufficit attentio virtualis, non verò habitualis, actualis autem non est necessaria.

Respondeo cum communi Doctorum sententia, quos retuli *de Sacramentis disp.1.quæst.3.punct.2.§.3.* quibus adde Molfesium *loco cit.* Valentiam *tom.3.disput.6.quæst.2.puncto 10.§.quomodo sit recitandum.* [Mirandam *in manuali prælat. tom.1.quæst.37.art.11.*] Azorium *1.par. lib.10.cap.12.* Suarez *cap.4. & 26.* Toletum *lib.2.cap.13.nu.9.* Vasquez *loco citat. dub.5.* Malderum *tract.10.cap.2.dub.2.* Besantium *2.2.q.62. art.2.dub.3.* Bellarminũ *lib.1.de bonis operibus c.18.* Filliuc. *tract.23.c.3. q.2.n.73.* [Paulum Layman *lib.4.tract.1.c.5.nu.11.*] actualem non esse necessariam, virtualem sufficere, habitualem verò necessariam non esse, neque sufficere.

16 Quænã sit attentio virtualis & actualis.

16 Attentio virtualis dicitur illa, cum qua quis incipit orare, & virture illius prosequitur orationem; quamuis inter orandum inuoluntariè distrahatur, nam illa prior attentio durat virtualiter in processu orationis, nisi expresè, vel tacitè reuocetur: expresè reuocatur, dum recitans expresè vult non attendere: tacitè reuocatur, dum recitans aduertit se distractum, & nihilominus non repellit distractionem, nec reuocat mentem ad attentionem.

Attentio actualis est illa, qua quis actualiter attendit ad sensum verborum, vel ad piam meditationem passionis Christi, vel diuinitatis, &c.

Attentio habitualis contingit, dum quis recitat aliquid ex habitu, & vsu, nihil ad illud aduertens, vel nulla præcedente aduertentia in principio, vt si quis canat in somnis, ex habitu iuxta quem in vigilia canere consueuit. Attentio igitur actualis sufficit quidem ad satisfaciendum præcepto, quia est maxima attentio, non tamen est necessaria; quia difficillimum est semper eam habere, nec credibile est hominem ad opus tam arduum, tamque difficile, vel impossibile obligari. Impossibilium enim non est obligatio. [*l. impossibilium. ff. de reg. iur.*]

17 Attentio verò virtualis sufficit ad satisfaciendum præcepto diuini officij, quia cum attentione virtuali subsistit oratio, & actus humanus, immo hæc attentio requiritur. Ratio est, tum quia ad satisfaciendum præcepto requiritur illa attentio, sine qua non subsistit oratio, sed oratio non subsistit sine attentione saltem virtuali (actualis enim non est necessaria, & habitualis non sufficit;) ergo ad satisfaciendum præcepto requiritur attentio saltem virtualis: tum quia ad satisfaciendum præcepto diuini officij necessaria est intentio virtualis orandi, nullus enim potest satisfacere præcepto absque intentione præstandi opus præceptum, vt dictum est *de legibus q. 1. punct. 10.* sed non potest esse intentio virtualis orandi absque attentione virtuali; ergo requiritur attentio virtualis. Minor patet, quia aduertens se distractum, & non curans distractionem repellere, sicut non habet attentionem; ita neque habet intentionem virtualem orandi: nam qui aduertit se distractum, & non reuocat attentionem, non vult orare, reuocaret enim attentionem, si orare vellet: signum ergo est intentionem orandi deesse vbi deest attentio, sicut autem ad orandum requiritur intentio, saltem virtualis, ita etiam attentio saltem virtualis. Ita DD. citati, quamquam in hac re non oportet scrupulosum esse: tum quia præceptum, & iugum Ecclesiæ suaue est: tum quia scrupuli magis distrahunt quàm excitant mentem ad orandum. Ita Molfesius *num.90.* & alij DD.cit.

18 Sufficit attentio tacita, & implicita.

Ex dictis patet attentionem actualem non requiri ad satisfaciendum præcepto diuini officij, attentionem virtualem requiri, & sufficere: habitualem verò nec requiri, nec sufficere, quia hæc non est vera attentio, & cum ea non subsistit oratio. Ita DD.cit. Vide quæ dixi *de Sacramentis disp.1.quæst.3.punct.2.§.3.*

18 Secundò dubium est, vtrum attentio debeat esse formalis, expressa, & explicita, vel sufficiat implicita, & tacita.

19 Intentio orandi includit attẽtionem.

Respondeo sufficere implicitam, & tacitam; sicut enim sufficit intentio implicita orandi, vt bene Nauar. *de orat.cap.13.num.15.* Suarez *lib.3.c.3.num.6.* Filliucius *num.71.* Malderus *loc.cit.pagina 645.* & alij DD. citati, ita etiam sufficit attentio implicita: nam cum vtraque subsistit oratio, & actus humanus. Ita DD. statim citandi, aliique communiter.

20 Propositum expressum recitandi attentè Officium non est necessarium.

19 Addo in intentione orandi includi attentionem: nam intendens aliquid facere, attendit ad id quod intendit, & nihil est volitum, quod non sit prægnitum.

20 Hinc patet primò non requiri, vt recitaturus diuinum officium expresè proponat officium recitare attente, & studiosè.

21 Intendẽs in genere Officium modo consueto recitare, sufficientem habet attẽtionem.

21 Secundò eum satisfacere, qui diuinum officium recitat intendens in genere recitare officium modo consueto.

22 Satisfacit præcepto qui recitat Officium cum proposito faciendi opus consuetum.

22 Tertiò eum satisfacere, qui officium recitat cum confusa apprehensione, & proposito faciendi opus consuetum: ideo, inquit Sotus *lib.10.de iust.q.5.art.5.concl.7.* Lessius *lib.2.cap.37. dub.11.num.71.* Reginald. *n.153.* Garzias *n.209.* Paulus Squillas *n.44.* Molfesius *c.2. num.93.* Rodriquez *cap.143.num.4.* Suarez *lib.3.cap.3.num.6.* Nauarrus *cap.13.num.106. & de orat.cap.25.numer.8.* sufficiat accipere Breuiarium de more, & officium ita recitare, vt si recitans interrogetur quid faciat, respondere possit se orare, aut se velle præceptum adimplere, nam Breuiarium de more accipiens, satis indicat se illud accipere ad eum finem, ad quem aliàs Breuiarium adhiberi solet.

23 Intẽdens Deum laudare, vel muneri suo satisfacere, sufficientẽ habet attẽtionem.

23 Quartò eum satisfacere, qui diuinum officium recitat intentionem habens laudandi Deum, vel satisfaciendi suo muneri, vt benè Suarez *tom.2. de relig.lib.3.cap.3.num.6. & lib.4.c.26.num.5.* Lessius *num.7.* Malderus *loc.cit.* & alij DD.cit.

24 Accedẽs ad Ecclesiam de more, ibiq; recitans officium, sufficientẽ habere videtur intentionem ad recitandum Officium.

24 Quintò eum satisfacere, qui accedit ad Ecclesiam de more, ibi officium recitaturus, quamuis postea recitet inuoluntariè distractus. Ratio harum illationum est, quia eo ipso, quo quis voluntariè facit aliquid eorum quæ diximus, habet intentionem persoluendi munus suum, consequenter etiam habet intentionem attendendi, cùm intentio non subsistat sine attentione, & attentio quasi necessariò consequatur intentionem orandi. Ita Doctores citati.

An autẽ ad satisfaciendum præcepto requiratur intentio præstandi opus præceptum, constat ex regulis generalibus traditis *de legibus quæst.1.punct.10.*

PVNCTVM III.

Quo tempore recitandæ sint Horæ Canonicæ, vt præceptum diuini Officij ritè adimpleatur.

EXplicabo priùs quo tempore celebrandæ sint Horæ Canonicæ ab iis, qui onere diuini Officij tenentur.

Secundò quandònam incipiat hora, seu tempus recitandi Horas Canonicas singulis diebus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Diuinum Officium singulis diebus recitandum est iure Ecclesiastico.

1 DIuinum Officium singulis diebus recitandum est, non iure naturali, aut diuino, sed Ecclesiastico. Quòd diuinum Officium singulis diebus recitandum sit iure Ecclesiastico, patet, tum ex *cap.dolentes.de celebrat.Missarum*, ex Concilio Lateranensi, & ex Bulla Pij V. Tum ex communi Sacerdotum, & beneficiariorum more, & praxi Ecclesiæ, quæ tam assiduum Officij vsum iniunxit ob necessitatem orationis, in qua frequenter inuig.landum est, & insistendum.

Quòd verò diuinum Officium non ex iure diuino, vel naturali persoluendum sit, constat tum ex dictis *quæst.1.punct.2.* Tum quia ius diuinum, vel naturale non præscripsit tempus, nec certam orationis formam: tum quia sequeretur Summum Pontificem non posse quemquam ab onere diuini Officij eximere, & liberare, vt dictum est *punct.2.citato.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Diuinum Officium à media nocte antecedentis diei, vsque ad mediam subsequentis diei noctem includit recitandũ est.

2 TEmpus recitandi diuinum Officium incipit à media nocte antecedentis diei, & perseuerat vsque ad mediam noctem sequentis inclusiue. Ratio est, quia diuinum Officium singulis diebus recitandum est, vt constat ex *cap.dolentes.de celebr.Miss.* ex Concilio Lateranensi, & ex Bulla Pij V. Dies autem, iuxta communem Ecclesiæ vsum, incipit à media nocte antecedentis diei vsque ad mediam subsequentis. Ita communiter DD. teste Syluestro *ver.Hora quæsito* 9. & aliis DD. statim citandis. Excipitur tamen ab hac regula Matutinum, vt constabit ex dicendis in hac propositione *dub.3. num.10.* hac de causa Francolinus, Bellarminus, & alij putant tempus diuini Officij recitandi incipere a Vesperis antecedentis diei vsque ad mediam noctem subsequentis.

Neque obstat quòd in Vesperis diei præcedentis aliquando recitentur Vesperæ de festo subsequentis diei; nam illæ Vesperæ non sunt pars diuini Officij subsequentis diei, in cuius honorem, & solemnitatem duas vespertinas preces Ecclesia instituit. Ita Francolinus *cap.17.num.1.* Azorius *1.part.lib.10.c.9.quæsito 7.ver. Verùm ego.* Carolus Macignus *c.44.n.6.* contra Bellarminum *lib.1.de bonis operibus cap.13.* Durandum, & alios apud præcit. DD.

3 Non satisfacit præcepto qui pridie recitat Officium.

3 Hinc sequitur primò, illum non satisfacere præcepto, qui pridie recitat Officium pro sequenti die, excepta recitatione Matutini Officij, vt dictum est. Ratio est, tum quia non recitat intra tempus ab Ecclesia præscriptum: obligatio enim recitandi Officium est affixa diei, in honorem quem tali die Deo exhibere debemus, iuxta præscriptum Ecclesiæ: obligatio autem affixa diei non potest adimpleri ante aduentum illius diei: cùm ante illum diem nondum adsit obligatio, vt patet à simili de ieiunio ab Ecclesia præscripto pro determinata die: de auditione Missæ, præcepta in die festo, &c. tum quia qui vno die non recitat Officium, non tenetur elapso eo die ad recitandum Officium prætermissum, cùm obligatio affixa diei transeat cum ipso die, vt benè Nauarrus *de oratio.cap.10.num.52.* Suarez *loco* statim *citando num.5.* [Layman *cap.3.num.9.*] & alij communiter; ergo neque potest diem præuenire, cum par sit ratio. Ita Syluester *ver. Hora quæsito 9.* Suarez *lib.4.cap.27.num.4.* Azorius *1.p.lib.10.cap.10.quæsito 3.* Reginaldus *lib.18.n.180.* [Toletus *lib.2.cap.13.num.7.*] Molfesius *cap.2.num.63.* & alij communiter.

4 Qui intra huius temporis interuallum priuatim recitat Officium, non peccat mortaliter.

4 Secundò sequitur eum, qui intra huius temporis interuallum priuatim recitat Officium, nõ peccare mortaliter, quia adimplet præceptum quoad substantiam, quamuis fortè non adimpleat, quoad horam à sacris Canonibus præscriptam, vt colligitur ex *c.1.de celebr. Miss.* consequenter peccet venialiter inuertendo notabiliter tempus horarum absque iusta causa, vt patebit exemplo cuiusdam Episcopi statim afferendo. [Ita DD. statim citandi.]

5 Quæ sit iusta causa non seruandæ horæ in recitatione.

5 Iusta autem causa videtur esse maior deuotio, vel periculum probabile superuenturæ occupationis. Maius tamen peccatum est intra latitudinem culpæ venialis differre, & postponere, quam anticipare, quia sicut negligentiæ adscribitur postponere, ita prouidentiæ imputatur anticipare, quantum recta ratio dictat, vt benè Azorius *lib.10.cap.9.quæsito 3.* Valentia *puncto 10.§.Circa quintum*, Francolinus *de temp.cap.26.n.11.* Nauarrus *de orat.cap.3.num.46.* [Paulus Layman *lib.4.tract.1.cap.3.num.7.& 8.*] & alij communiter.

6 Qui Officium intra hoc tẽpus recitauit, non tenetur repetere.

6 Tertiò eum, qui diuinum Officium intra hoc temporis spatium recitauit differendo, aut recitando ante horam præscriptam, non teneri repetere, vt si Vesperas recitauit manè. Ratio est, tum quia substantia præcepti adimpleta est, & hora fuit præscripta, & præcepta quasi secundariò, & obligatio illius seruandæ saltem per consuetudinem est relaxata: tum quia sicut non est obligatio repetendi Officium recitatum non seruato horarum ordine, ita non est obligatio repetendi Officium celebratum, non seruata horæ circumstantia, modò celebratum sit à media nocte antecedente, vsque ad mediam noctem subsequentem, nam intra hoc tẽpus præceptum diuini Officij obligat. Ita Syluester *ver. Hora quæsito 9.* Angelus *eodem ver.num.22.* Molfesius *tract.5.c.2.n.62.* Nauarrus *de orat.cap.3.num.59.* Reginaldus *lib.18.nu.179.* Bellarminus *lib.1. de bonis operibus c.18 vers.tempus.* Lessius *lib.2.c.37. dub.12.num.78.* Valentia *2.2.tom.3.disp.6.q.2. punct.10.§.quo tempore.* Suarez *lib.4. de relig.c.27.n.3. & 9.* Marcellus Francolinus *de Horis Canonicis cap.25.* Eman.Sà *ver.Hora n.17.* Filliucius *cap.8. quæsito 6.numer.266.* Azorius *1.par.lib.10.cap.9. quæsito 8.* [Paulus Layman *cap.3.* & nouissimè post hæc aliàs sæpius in lucem edita, Augustinus Barbosa *in c.presbyter num.7. de celebr.Miss.*] & alij contra Vmbertum apud Azorium *loco citat.* & apud Macignum *num.43.& 46.c.47.* existimantem grauiter peccare.

7 Recitãtes Officium in Choro extra horas præscriptas non peccant mortaliter, & satisfaciunt suæ obligationi, vt si recitent Primam, vel Sextã post meridiem.

7 Maius dubium est primò, vtrùm recitantes Officium in Choro extra horas præscriptas peccent mortaliter, vel satisfaciant suæ obligationi, qua tenentur in Choro certis diei horis Officium persoluere, vt si recitent Primam, vel Sextam post meridiem.

Respondent Nauarrus *cap.3. de orat.num.63.* Reginaldus *lib.18.nu.180. ad finem.* Lessius *lib.2.cap.37.dub.12.num.78.* Syluester *ver. Hora quæsito 6.* ad quos accedit Azorius *lib.10. cap. 9. quæsito 1.* Filliucius *tract.23.cap.6.quæsito 12.num.217.* Suarez *tomo 2. de relig.lib.4.cap.15. num.11.& seqq.* vbi refert Angelum, Tabienam, & alios, mortaliter peccare, nec satisfacere obligationi. Ratio est, tum quia tempus recitandi Officium in Choro ab Ecclesia præscriptum est, vt populus Officio assistere, & eo frui possit. Ergo hæc videtur res grauis, & pertinens ad publicam vtilitatem, & ad commune bonum: tum quia ex *cap.1. de celebr.Missar.* constat certis diei horis recitandum esse diuinum Officium sub pœna excommunicationis.

Ego verò cum Valentia *loc.cit. vers.est autem,* & Caietano *ver.Hora cap.4.* censeo recitantes Officium in Choro extra horas præscriptas præciso scandalo aliáve circumstãtia satisfacere præcepto quoad substantiam, consequenter non peccare mortaliter contra præceptum diuini Officij recitandi, licet non satisfaciãt obligationi quoad circũstantiam horę, quę pluris facienda est in oratione publica, quàm in priuata. Ratio, cur satisfaciant præcepto, est, tum quia circumstantia temporis non videtur, per se loquendo, materia magis grauis, quàm sit circumstantia ordinis: tum quia primariò non cadit sub præceptum Officij, sed secundariò, quamuis de ipsa primariò præceptum fieri possit, *Clemen.1.de celebr. Missarum*: cogendi tamen sunt beneficiarij ad seruandam in posterum circumstantiam temporis: tum propter vitandum scandali periculum, & negligentiam: tum ob consuetudinem, quæ seruanda est: tum quia sic colligitur ex *cap.1. & ex Clemen.1. de celebr.Missarum.* Addo peccatum imputari potius superiori, cuius est curare, vt Officium debito tempore celebretur, quàm Canonicis paratis ad obediendum, *cap.quanto. de offic.ordin.* Quilibet enim munus suum obire debet, lumine naturæ dictante.

Ad primam rationem in contrarium respondeo, etiamsi admitterem circumstantiam temporis ad eum finem præscriptam esse, non tamen hinc sequitur illam esse primariò præceptam vel obligare sub mortali, præsertim cùm fieri possit, vt dilata, vel anticipata recitatione maior populi cœtus ad Diuinum Officium audiendum conueniat.

Addo aliquando licere absque vlla culpa Officium in Choro publicè canere hora anticipata, aut postposita, vt si processio faciẽda sit, aut habenda sit concio. Ratio est, tum quia hic casus per epicheiam excipitur: tum quia aliquando licitum est Prælato in casu particulari dispensare in lege Ecclesiastica, vt patet ex dictis *de legibus.* Ita Nauarrus *de orat. cap. 3. num.55.* Reginaldus *lib.18.nu.179.* Caietan. *verb.Hora numer.4.* Vasquez *art.2.dub.3.num.63.* licet non expressè loquatur. Petrus Moneta *de distrib.1.par.quæst.5.nu.16.* in tertia editione, Suarez *loco citato, num.13.* & Filliucius *num.218.* Carolus Macignus *cap.47. num.28.*

Ad secundam rationem respondeo primò illam circumstantiam in præcepto Officij non præcipi primariò, sed quasi secundariò. Respondeo secundò in præfata *Clementina 1.* non imponi præceptum ipsismet beneficiariis, sed superioribus, vt cogant subditos, etiam sub pœnis cẽsurarum ad recitandum statis horis Diuinum Officium. Ex quo infertur ipsam horam non esse iure communi hactenus præceptam sub mortali, quamuis præcipi possit: immo hinc non sequitur, quin, ea præcepta, beneficiarius non adimpleat præceptum Officij, etiamsi temporis, seu horæ circumstantiam prætermittat, violatio enim præcepti quoad circumstantiam horæ, non includit violationem quoad substantiam Diuini Officij.

8 Diuinum Officiũ, vt peccatum veniale vitetur, quo tempore recitãdum sit secundùm nonnullorum opinionẽ.

8 Secundò dubium est, quo tempore recitandum sit Diuinum Officium, vt vitetur peccatum veniale, saltem in priuata recitatione.

Prima sententia videtur Nauarri *cap.3. de orat.* Toleti *lib.2. cap.13.* & aliorum apud Suarez, asserentium recitandum esse hoc modo, videlicet Matutinum post occasum Solis diei præcedentis, vsque ad ortum Solis sequentis diei. Primam ante Solis ortum, vel paulo pòst. Tertiam aliquantulum post ortum. Sextam paulo pòst. Nonam prope prandium. Vesperas, & Completorium post prandium. Vnde, inquit Toletus, qui non seruat hunc ordinem, peccat venialiter, nisi iustam habeat præueniendi, vel postponendi causam, qualis causa est iter faciẽdum; vel longa occupatio, aut maior quies, & deuotio. Idem tenent Bellarminus *lib.1. de bonis operibus cap.18.* Francolinus *cap.24.* Nauarrus, Lessius, & alij *locis cit.* Ratio, cur hoc tempore Diuinum Officium recitandum sit, est, tum quia hoc videtur conforme dispositioni iuris: tum quia hoc pacto verificantur verba, quæ in Hymnis referuntur, vt patebit ex dicendis.

Secunda sententia est nonnullorum, quos tacito nomine innuit Suarez *tomo 2. de relig.lib. 4. cap. 27.num.7.* & Azorius *1.par.lib. 10. cap. 9. quæsito 2. & 8.* arbitrantium, per se loquendo, nullum peccatum committi ab eo, qui non recitat Officium intra tempus à iure præfixum, seruata loci consuetudine, nam consuetudo derogare potest iuri; consuetudine autem introductum est, vt post Matutinum statim dicatur Prima, modò Matutinum celebratum non fuerit in Vesperis diei præcedentis, & Tertia dicatur statim post Primam, aut coniungatur cum Sexta, & Sexta cum Nona, aut Nona cum Vesperis, aut Vesperæ cum Completorio.

Mihi

Mihi dicendum videtur seruari posse consuetudinem legitimè introductam, sicut enim consuetudo vim habet inducendæ legis, ita etiam illius auferendæ, aut mitigandæ. Ita Nauarr. *de orat. cap. 3. n. 27.* Azorius *loco cit.* Suarez *loco cit. cap. 15. nu. 9. ad finem, & cap. 27. num. 4.* Filliucius *cap. 6. quæsito 12.* Reginaldus *lib. 18. num. 179.* Carolus Macignus *cap. 47.* & alij, & hoc pacto intelligenda est secunda sententia.

Idem dic de recitatione Vesperarum ante prandium in Quadragesima. [*cap. solent. 1. de consecr.* vbi sermo est de publica recitatione Vesperarum in Choro, quas in Quadragesima iubentur Canonici in Choro recitare ante prandium.] Caietanus *2. 2. quæst. 147. art. 7.* Macignus *cap. 54.* [Paulus Layman *lib. 4 tract. 1. cap. 3. n. 8.*] & alij.

9 Excusari potest ab omni peccato, qui Primam recitat cum Tertia, & Sexta duabus, vel tribus horis post Solis ortum. Qui verò Matutinum sine causa differt ad Vesperas, aut qui Completorium recitat sine causa ante prandium, venialiter peccat.

9 Hinc sequitur eum excusari posse ab omni peccato, qui Primam recitat cum Tertia, Sexta, & Nona, duabus, vel tribus horis post Solis ortum: tum quia hæc est moderata, & consueta postpositio: tum quia tempus à iure præscriptum non consistit in indiuisibili, sed magnam habet latitudinem, teste consuetudine: qui verò Matutinum sine causa differt ad Vesperas, aut qui Completorium sine causa recitat ante prandium, venialiter peccat, quia hæc est insueta, & extraordinaria inuersio, & variatio. Ita DD. cit. Hinc patet quomodo intelligendum sit exemplum illius Episcopi, qui post mortem significauit se pœnis Purgatorij affici, & torqueri, eò quòd Horas Canonicas debito tempore non recitasset, dum in aula Principis commoraretur. Vide Azorium *lib. 10. cap. 9. quæsito 3.* vbi præfatum exemplum refert ex Petro Damiano *epistola ad Desiderium de miraculis sui temporis.* Suarez, & Reginaldum, *locis cit.* [Paulum Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 3. n. 7.*] & Filliucium *cap. 8. quæsito 7. 8. & 9.* [& alios *locis citatis.*]

Ad primam rationem in contrarium, quidquid sit de iuris dispositione, respondeo aliter receptum esse per consuetudinem, quæ iuri humano derogare potest.

Ad secundam, quæ hoc pacto procedit, si Prima non recitetur statim post Solis ortum, aut Completorium ante Solis occasum, non verificantur illa verba, quæ cõtinentur in Hymno Primæ, *Iam lucis orto sydere,* & illa quæ continentur in Hymno Completorij, *Te lucis ante terminum*; ergo qui in recitatione Officij non seruat tempus in prima sententia relatum, peccat venialiter, nam facere contra significationem verborum aliqua culpa est.

Respondeo non ob id lædi significationem verborum, quia verba non referuntur ad tempora, in quibus proferuntur, sed ad legitimum tempus, vel ad significandum id, quod Ecclesia intendit: hoc autem semper verificatur. Ita Azorius *cap. 9. quæsito 8.* Suarez *cap. 26. num. 6.* Macignus *cap. 47. n. 44.* Nauarrus *cap. 10. n. 40.* Filliucius *cap. 8. quæsito 7. n. 268.* & alij communiter.

10 Matutinũ, & Laudes possũt, præsertim si adsit iusta, & honesta causa, recitari ante mediã noctẽ, seu in Vesperis præcedentis diei.

10 Tertiò dubium est, vtrùm Matutinum, & Laudes recitari possint ante mediam noctem, seu in Vesperis præcedentis diei. Ratio dubitandi [pro parte negatiua] est, tum quia non diceretur Officium singulis diebus recitari, cùm dies inchoetur solùm à media nocte antecedente, vsque ad mediam subsequentem: tum quia non est maior ratio cur licitum sit recitare Matutinum in Vesperis præcedentis diei, non verò reliquas horas.

Respondeo Matutinum, & Laudes recitari posse in Vesperis antecedentis diei, præsertim si honesta, & iusta causa subsit, hoc enim permissum videtur ab Ecclesia, teste consuetudine, quæ sicut apta est ad legem inducendam, ita etiam ad abrogandam, vel restringendam.

Hinc sequitur eum ab omni peccato excusari, qui in Vesperis recitat Matutinũ subsequentis diei, vt deuotius oret, vel quia sequenti mane studiis operam dare debet, vel quia non ita commodè poterit Matutinum recitare, habet enim iustam tunc temporis recitãdi causam. Ita S. Thom. *quolibet. 5. art. 28.* Philiarcus *1. part. lib. 1. c. 5. concl. 5.* Suarez *c. 27. n. 11.* Filliucius *cap. 8. quæsito 10.* [Lessius *lib. 2. c. 37. n. 79.* & nouissimè Barbosa *in cap. presbyter. de celebr. Miss. n. 5.* Paulus Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 3. n. 7.*] & alij DD. statim citandi. Imò hoc tempore moribus beneficiariorum receptum videtur, vt quilibet absque vlla causa Matutinum subsequentis diei recitet in Vesperis diei antecedentis, nisi fortè dicas quemlibet sibi confingere iustam causam.

11 Possunt excusari ab omni peccato, qui in Vesperis recitant Matutinũ subsequentis diei, etiamsi Laudes differantur vsque in sequentem diem.

11 Addo posse Matutinum persolui in Vesperis antecedentis diei simul cum Laudibus, [nam Laudes, & Matutinum] vnam horam constituunt, & sic vsu receptum est. Non nego tamen quin Laudes differri possint vsque in sequentem diem. Ratio est, quia antiquitus vsu receptum erat, vt prope auroram recitarentur seperatim à nocturnis, sicque colligitur ex *cap. 1. de celebr. Miss.* Ita Nauarrus *de orat. c. 3. num. 28. & 64.* Azorius *1. part. lib. 10. c. 8. quæs. 4.* Graffius *part. 2. lib. 3. c. 16. num. 36.* Francolinus *cap. 27.* Reginaldus *lib. 18. num. 174. & 170.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. c. 6. num. 9. ad finem, & cap. 24. num. 9.* Garzias *de benef. 3. part. cap. 1. n. 224.* Toletus *lib. 2. c. 13. num. 7. vers. hoc tamen.* Filliucius *cap. 3. num. 102. & 111.* Bellarminus *lib. 1. de bon. oper. c. 11.* Carolus Macignus *cap. 48. num. 25. & 30.* [Barbosa *nu. 5.* Molfesius *tract. 5. cap. 2. num. 29.* & alij.] (Imò Bellarminus, Macignus, & alij putant, Laudes persoluendas esse post mediam noctem.) Et licet videatur loqui solùm de Matutino, quod ritu Romano celebratur, & à quo seiunguntur Laudes, quæ inchoantur illis verbis, *Deus in adiutorium meum intende,* &c.

12 Idem valet in Matutino iuxta ritũ Ambrosianum.

12 Ego tamen idem dicendum existimo de Matutino, quod iuxta formulam, & consuetum Ecclesiæ Ambrosianæ ritum persoluitur, & recitatur. Ratio est, tum quia non potest sufficiens disparitatis ratio assignari cur hoc liceat in Matutino iuxta ritum Romanum, non verò in Matutino iuxta ritum Ambrosianum: quamuis enim Laudes Romano ritu inchoentur illis verbis, *Deus in adiutorium,* non tamen hinc sequitur, quin Matutinum Ambrosianum, quod illis verbis non inchoatur, recitari non possit seorsim à Laudibus, alioquin sequeretur Vesperas, quæ ritu Ambrosiano non inchoantur hac forma, *Deus in adiutorium,* non posse diuerso tempore ab aliis horis recitari: tum quia Matutinum, & Laudes iuxta ritum Romanum sunt vna tantùm hora, sicut etiam sunt Matutinum, & Laudes ritu Ambrosiano. Ergo aut vtrumque seorsim à Laudibus recitari potest, aut neutrum: tum quia hoc fieri consueuit in nocte Natiuitatis Domini, in qua absoluto Matutino celebratur Missa, dilatis post Missam Laudibus.

13 Nocturna possunt seperatim recitari iusta concurrente causa.

13 Addo probabiliter dici posse cum Vincentio Filliucio *tract. 23. c. 6. n. 202. & 238.* & aliis Doctoribus præcitatis contra Azorium *cap. 8. q. 4.* Francolinum *de temp. cap. 27. num. 8. & seqq.* [Paulum Layman *cap. 3. num. 7.*] Macignum *cap. 48. num. 24.* & alios, nocturna posse seperatim, saltem intra spatium trium horarum, recitari, præsertim iusta concurrẽte causa. Ratio est, tum quia interruptio diuini Officij iusta ex causa excusari potest à peccato: tum quia sic antiquitus fiebat iuxta nonnullorum Doctorum opinionem: tum quia in recitatione Officij mortuorum singula nocturna solent in Ecclesia Ambrosiana tempore Quadragesimæ recitari cum Laudibus seorsim ab aliis nocturnis. Ergo inter nocturna diuini Officij non videtur adesse tanta connexio, quin iusta aliqua de causa seorsim ab aliis licitè recitari queant.

14 An finito Matutino recitandum sit Pater noster.

14 An autem dum priuatim Matutinum seorsim à Laudibus recitatur, dicendum sit, *Benedicamus Domino,* & alia, quæ in fine horarum recitari solent.

Respondeo hoc laudabiliter fieri posse, sed non esse necessarium, cùm nullo præcepto præscribatur. Ita Azorius *lib. 10. c. 8. quæs. 4.* & alij contra Garziam *loco cit.* Filliucium *nu. 111. & 238.* Nauarrum *de orat. cap. 3. num. 64.* & alios asserentes præfata recitanda esse in fine Matutini, & initio laudum dicendum esse, *Pater noster,* & *Aue Maria,* videntur enim recitari per modum horæ distinctæ. Sed hæc ratio non conuincit: tum quia de hac re nullum extat præceptum, licet in nocte Natiuitatis Domini fiat: tum quia idem dici posset, dum reliquæ Officij partes aliqua de causa interrumpuntur, quod nullus hactenus dixit.

Ad primam dubitandi rationem respondeo, diem, quoad Matutinum, inchoari à Vesperis, vt innui in propositione, & constat ex communi consuetudine, & praxi.

15 Cauendum est ne Matutinũ sequentis diei dicatur ante Matutinũ præsentis diei.

15 Ad secundam respondeo Matutinum, & Laudes recitari posse in Vesperis præcedentis diei propter consuetudinem, quæ non est introducta in reliquis horis, cauendum tamen est sub veniali, ne Matutinum sequentis diei absque iusta causa dicatur, antequam Officium illius diei fuerit persolutum, nam inuertitur ordo Horarum Canonicarum, [recitando Matutinum subsequentis diei, non expletis horis illius diei,] quamuis substantia præcepti adimpleatur. Ita Nauarrus *cap. 3. num. 60.* Reginaldus *lib. 18. num. 180.* Vasquez *de benefic. cap. 4. §. 1. art. 2. n. 66.* Molfesius *tract. 5. nu. 27. & 37.* Suarez *tom. 2. de religione tract. 4. lib. 4. cap. 24. n. 3.* & alij.

16 Volens Matutinum recitare in Vesperis præcedentis diei nõ tenetur Solis occasum expectare.

16 Quartò dubium est vtrum volens Matutinum recitare in Vesperis præcedentis diei, debeat Solis occasum expectare, vel illud ante Solis occasum recitare possit.

Respondeo cum S. Thoma *quodlibet. 5. art. 28.* Lessio *loco cit.* Suarez *cap. 27. num. 14.* Emanuele Sà *verb. Hora Canonica num. 17.* Filliucio *cap. 8. quæs. 10. num. 275.* Bellarmino *lib. 1. de bonis operibus cap. 18. vers. solet autem.* Francolino *num. 4. vers. verum hic.* [Azorio *lib. 10. cap. 9. quæs. 5.* Paulo Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 3. num. 7. vers. adde.*] & aliis, non teneri Solis occasum expectare, sed posse Matutinum persoluere post tempus Completorij, quod iuxta communem ferè consuetudinem solet esse circa tertiam, & quartam horam post meridiem: hæc enim videtur communis consuetudo, iuxta quam vsu receptum est, vt Matutinum in Vesperis recitetur: [cùm enim solemnitas diei sequentis incipiat à Vesperis, iure merito vsu receptum est, vt completis Vesperis, & Completorio nocturnæ preces subsequentis diei inchoentur.]

17 Matutinum pro ratione temporum, seu longitudinis, & breuitatis diei aliquando recitari potest hora vigesima, vigesimaprima, & aliquando vigesimasecunda.

17 Hinc sequitur Matutinum posse aliquando recitari hora vigesima, aliquando hora vigesimaprima, aliquando vigesimasecunda pro ratione temporum, seu longitudinis, & breuitatis diei. Ita DD. citati, sicque explicandi sunt Doctores apud Azorium *cap. 9. quæsito 5.* dicentes, Matutinum recitari posse tribus horis post meridiem, & duabus, aut tribus horis ante Solis occasum.

PVNCTVM IV.

Quo ordine recitandæ sint Horæ Canonicæ.

DVo breuiter explicanda sunt in hoc puncto.

Primò quinam ordo seruandus sit.

Secundò vtrum qui ordinem non seruat grauiter peccet, & repere teneatur.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Horæ Canonicæ recitandæ sunt iuxta ordinem ab Ecclesia præscriptum.

1 HOræ Canonicæ recitandæ sunt iuxta ordinem ab Ecclesia præscriptum. Ideo priùs recitandum est Matutinum, & Laudes, deinde Prima, Tertia, Sexta, & sic deinceps, *cap. presbyter 91. dist. & cap. 1. de celebrat. Miss.* Ratio est, quia præceptum non solùm adimplendum est quoad substantiam, verùm etiam quoad modum: sed ad modum præcepti pertinet ordo Horarum Canonicarum: ergo Horæ Canonicæ recitandæ sunt iuxta ordinem ab Ecclesia præscriptum. Ita communiter DD.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Qui ordinem Horarum non seruat, vt si reciter Primam ante Matutinũ, aut Vesperas ante alias horas, non peccat mortaliter, nec repetere tenetur, sed veniaiter tantùm, dum hoc facit aduertenter.

2 QVi ordinem Horarum non seruat, recitando, exempli gratia, Primam ante Matutinum, aut Vesperas ante alias Horas, peccat quidem venialiter, dum hoc facit aduertenter, & sine iusta causa, quia non obseruat consuetudinem, & modum præcepti: non tamen peccat mortaliter, nec tenetur repetere, quia adimplet præceptum quoad substantiam: imò neque peccat venialiter dum hoc facit ex iusta causa, tum quia ordo, & modus censetur à superiore præscriptus sub hac tacita conditione, nisi aliter postulet iusta causa: tum quia quod ex iusta causa fit, rationabiliter, & prudenter fieri dicitur. Ita DD. statim citandi contra Vasquez *num. 66.* quamuis asserat eum, qui sæpissimè ordinem Horarum inuertit, mortaliter peccare, quod tamen mihi non probatur, per se loquendo, videtur enim supponere obligationem Officij non esse affixam diei, & non transire cum ipso die,

die, quod est falsum. Præterea sequeretur eum qui paucos versiculos singulis diebus prætermittit, grauiter peccare, postquam peruenit ad notabilem quantitatem, quæ simul sumpta esset sufficiens ad mortale peccatum.

3 Inuitatus ab amico, vel à superiore ad recitandam Primã, cùm ipse nondũ recitauit Matutinũ, potest cum eo Primam recitare, & postea Matutinum.

3 Hinc sequitur primò eum, qui ab amico, vel à superiore inuitatur ad recitandam Primam, cum ipse nondum recitauit Matutinum, posse cum eo Primam recitare, recitando postea Matutinum, habet enim iustam ordinis variandi causam. Ita Sylvester *verb. Hora quæs.* 9. Vasquez *art.* 2. *dub.* 4. Suarez *c.* 24. *n.* 4. *vers. Altera mutatio.* Filliucius *c.* 8. *quæs.* 8. *n.* 232. Graffius *lib.* 2. *decis.* 152. *n.* 23. 1. *part.* Azorius *lib.* 10. *c.* 10. *quæs.* 1. [& nouissimè post hæc aliàs sæpiùs edita, Augustinus Barbosa *in c. presbyter. de celebr. Miss. n.* 8. Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *c.* 3. *n.* 8.] aliique DD. statim citandi.

4 Recitans Tertiam, si recordetur se nondum recitasse Primam, potest Tertiam prosequi cum intentione recitandi postea Matutinum vel Primã.

4 Secundò eum, qui dum Tertiam recitat, recordatur se nondum recitasse Primam, vel Matutinum, posse Tertiam prosequi, cum intentione recitandi postea Matutinum, vel Primam. Idem valet in eo, qui ad Chorum accedit dum canitur Tertia, sed ipse nondum recitauit Matutinum, & Primam. Ita Sylvest. *v. Hora quæsito* 9. Armilla *eodem ver. n.* 25. Caietanus *v. Hora* §. 2. Nauarrus *de orat. c.* 21. *n.* 59. Azorius *lib.* 10. *c.* 10. *quæs.* 1. Toletus *lib.* 2. *c.* 13. *n.* 4. Lessius *lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 12. *n.* 80. Rodriquez 1. *part. c.* 142. *num.* 4. Suarez *tom.* 2. *de relig. cap.* 24. *num.* 4. Molfesius *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 34. Paulus Squillas 1. *part. dub.* 24. *n.* 47. Carolus Macignus *c.* 45. *n.* 1. vbi viginti quatuor Doctores allegat. [Layman *loco cit. num.* 8. & nouissimè Barbosa *in cap. presbyter. n.* 8. *de celebr. Miss.*]

5 Peccatum mortale nõ committitur, secluso cõtemptu, & scandalo non solùm dum peruertitur ordo Horarum Canonicarum inter se, verùm etiã dum peruertitur ordo eiusdem Horæ dicendo Psalmum ante Hymnum, aut vnum Psalmum ante alium, imò si fiat ex iusta causa excusatur ab omni peccato.

5 Addo cum iisdem Doctoribus contra Vasquez *loco citato*, non committi peccatum mortale secluso contemptu & scandalo, non solùm dum peruertitur ordo Horarum Canonicarum inter se, verùm etiam dum peruertitur ordo eiusdem Horæ, exempli gratia, dicendo Psalmum ante Hymnum, aut vnum Psalmum ante alium, imò si fiat ex iusta causa excusari potest ab omni peccato, vt accidit quando Canonicus legitimo detentus impedimento non potuit Chorum ingredi, nisi inchoata hora, quam ipse prosequitur cum reliquis vsque ad finem animo postea supplendi partem omissam. Ita Emanuel Sà *v. Hora num.* 8. [Paulus Layman *cap.* 5. *nu.* 7.] Suarez *lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 10. Molfesius, & alij DD. citati: per se tamen loquendo grauior culpa committitur, dum in recitatione publica in Choro nõ seruatur ordo Diuini Officij; quàm in recitatione priuata; quia faciliùs inde nasci potest scandalum, & offensio populi, & grauior contemptus Ecclesiastici præcepti existimatur. Ita Suarez *cap.* 11. *nu.* 7. Molfesius *n.* 29. & 42. *c.* 2. & Filliucius *cap.* 6. *quæsito* 2. existimantes inuersionem ordinis in recitatione publica esse mortale peccatum ex suo genere: idemque relato Soto, & Toleto sustinet Carolus Macignus *cap.* 45. *ad finem num.* 5. quamquam mihi rigorosè nimis loqui videntur, præcisis aliis circumstantiis, vt patet tum ex ratione allata in propositione: tum quia quod est ex suo genere tale, semper est tale, variatio autem ordinis videtur ex suo genere leuis; ergo semper est leuis præcisis aliis circumstantiis.

6 Qui ex obliuione dixit Officium de Sancto, quod dicendũ erat de feria, satisfacit repetendo omissa, quãuis non repetat illa, in quibus vtrumque Officium conuenit.

[Rursus addo, eum qui necessitatem aliquam habet persoluendi Officium, & recitatis nocturnis facultatem non habet recitandi lectiones, posse dilatis in aliud tempus lectionibus Laudes recitare, & Officium prosequi. Idem militat in commemorationibus, & his similibus. Ita Philiarcus *part.* 1. *lib.* 1. *c.* 6. *concl.* 1. Layman *cap.* 5. *num.* 7. *ad finem.*]

6 Tertiò sequitur eum, qui ex obliuione dixit Officium de Sancto quod dicendum erat de feria, satisfacere repetendo omissa, quamuis non repetat illa in quibus vtrumque Officium conuenit, nam quoad illam partem adimpleuit præceptum, quoad substantiam, quod non obligat cum tanto rigore ad repetendum Officium, vt seruetur ordo Psalmorum: consequenter iustam non seruandi ordinis causam habere dicitur, qui Diuinum Officium eo pacto recitauit. Ita sentire videntur DD. quos retuli *quæst.* 3. *punct.* 1. *n.* 17. *& seqq.*

7 Qui aliquem Psalmum, vel aliquam Horam ex obliuione omisit, non tenetur recitare totum Officium, vt Psalmũ, vel horam suo loco dicat, sed satisfacit supplendo omissum.

7 Quartò sequitur illum, qui aliquem Psalmum, vel aliquam Horam ex obliuione omisit, non teneri iterum recitare totum Officium, vt Psalmum, vel Horam suo loco, & ordine dicat, sed satisfacit supplendo omissum. Ita Angelus *v. Hora n.* 28. Sylvester *loco cit. dicto* 4. *& quæs.* 12. *disp.* 1. Azorius *loco cit. quæsito* 2. & alij apud Molfesium *tract.* 5. *c.* 2. *n.* 52. apud Vasquez *de benef. c.* 4. §. 1. *art.* 2. *dub.* 4. *n.* 67. *&* 68. apud Carolum Macignum *cap.* 25. *nu.* 17. *& cap.* 87. & apud Bellarminum *tom.* 4. *de bonis operibus lib.* 1. *cap.* 18.

8 Qui inter recitãdum aduertit se aliquid omisisse, potest prosequi vsque ad finem, & postea omissum recitare.

8 Quintò sequitur eum, qui inter recitandum aduertit se aliquid omisisse, posse prosequi vsque ad finem, & postea dimissum recitare. Ita Angelus, & alij DD. citati.

9 Qui in Choro aliquid omisit culpabiliter, vel inculpabiliter, non debet omissum repetere durante Officio in Choro, seu potiùs debet illud reseruare post expletum Officium, aut non debere illius rationem habere, si pars exigua sit, & parua. Ratio est, quia iustam habet causam differendi: cùm enim Chorus semper prosequatur Officium, non potest qui partem aliquam omisit, eam cum aliis, per se loquendo, recompensare, non enim canit cum aliis, dum aliquid ab aliis distinctum recitat. Ita Suarez *cap.* 12. *nu.* 10. Filliucius Nauarrus, & alij, quos retuli *quæst.* 3. *punct.* 2. §. 1. *dub.* 4. *ad finem, n.* 23. idemque aliis DD. relatis tenet Macignus *cap.* 25. *num.* 11. *& seqq.* Imò Sylvest. *v. Hora quæsito* 12. & alij apud Macignum *cap.* 17. *n.* 12. existimant opus esse, vt ipsamet pars omissa repetatur; sed aliquid aliud loco ipsius dici posse: ego verò arbitror ipsammet partem omissam repetendam esse, quia non est in potestate beneficiarij partes Diuini officij immutare, sed Officium iuxta Ecclesiæ præscriptum recitare debet.

9 Vtrum verò qui recitat Diuinum officium, sed non ampliùs meminit, an Psalmum antecedentem recitauerit, teneatur iterum Psalmum repetere, constabit ex dicendis *quæst.* 6. *punct.* 3. *sub finem.*

10 Recitãs diuinum Officium, sed non amplius meminit, an Psalmũ antecedentem recitauerit, nõ tenetur Psalmum repetere remissiuè.

10 Vtrum verò qui recitat Diuinum officium, sed non ampliùs meminit, an Psalmum antecedentem recitauerit, teneatur iterum Psalmum repetere, constabit ex dicendis *quæst.* 6. *punct.* 3. *sub finem.*

11 Quæres vtrum mortaliter peccet, qui Missam celebrat, nondum recitato Matutino.

Respondeo negatiuè cum Soto *lib.* 10. *de iust. quæst.* 5. *art.* 4. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 10. §. *Quo tempore recitandum sit Officium.* Vasquez *in opusc. de benef. cap.* 4. §. 1. *art.* 2. *num.* 65. *dub.* 3. Nugno, Conincho, Miranda, Conrado, & aliis, quos retuli *de Sacramentis loco* statim *citando.* Molfesio *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 31. Bellarmino *loco citato, cap.* 18. *vers. de ordine.* Paulo Squillante 1. *part. dub.* 27. *n.* 56. Lessio *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 12. *num.* 81. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 5. Arragonio 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. Suarez 3. *part. disp.* 82. *sect.* 1. *& tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *c.* 24. *nu.* 6. Filliucio *cap.* 7. *quæsito* 6. Carolo Macigno *de Horis Canonicis cap.* 46. vbi de hac re problematicè disputat, relatis hinc inde multis Doctoribus contra Azorium *lib.* 10. *cap.* 10. *quæsito* 4. Reginaldum *lib.* 18. *num.* 167. *sub finem,* licet speculatiuè oppositum approbare videatur. Bellarminum *lib.* 1. *de bonis operibus c.* 18. Francolinum *cap.* 42. Nauarrum *cap.* 25. *num.* 85. & quàm plures alios, quos retuli *de Sacramentis disp.* 4. *q. vlt. punct.* 9. *num.* 7. & triginta sex Doctores in contrarium adducit Macignus *cap.* 46. *num.* 29. & plures allegat Francolinus *cap.* 42. *num.* 2. Ratio est, tum quia recitans Primam ante Matutinum non peccat mortaliter; ergo neque celebrans Missam ante Matutinum, cùm Matutinum nullam habeat connexionẽ, & ordinem cum Missa, sed maiorem connexionem habeat Matutinum cum Prima, quàm Matutinum cum Missa: tum quia recitans Vesperas ante Missam non peccat mortaliter, quamuis consuetudine receptum sit, vt Missa dicatur ante Vesperas; ergo neque peccat mortaliter celebrans Missam ante Matutinum.

11 Celebrãs Missã nondum recitato Matutino mortaliter non peccat, imò neque venialiter, iusta concurrente causa.

Addo cum Macigno *num.* 38. Lessio, Arragonio, & aliis, nullum peccatum neque veniale committi, si hoc fiat ex aliqua iusta causa: nam quod ex iusta causa fit, rationabiliter, & prudenter fieri dicitur.

Neque obstat primò consuetudo, quia non adeò strictè recepta est, vt patet à simili de cõsuetudine celebrandi Missam ante Vesperas.

Secundò non obstat in Rubricis Missalium appellari defectum dum quis Missam recitat non præmisso saltem Matutino, quod etiam habetur *in Actis Ecclesiæ nostræ Mediolanen. part.* 4.

Respondetur enim, rubricas non esse receptas cum tanta obligatione, & solum admonere quid faciendum sit iuxta doctrinam antiquorum Canonistarum. Vide quæ dixi *de Sacramentis loco citato*, vbi hanc eamdem difficultatem in terminis tradidi, & explicaui, eamque fusiùs prosequitur Suarez *loco cit.*

Tertiò, non obstat aliquando peti priuilegium ad celebrandum, nondum recitato Matutino, nam huiusmodi priuilegium prodest tum ad vitandum peccatum veniale, tum ad vitandos scrupulos. Ita Nauarrus *de orat. cap.* 19. *num.* 84. Macignus *n.* 31. Lessius, Sanchez, & alij pluribus in locis, quos alibi retuli.

PVNCTVM V.

Quo in loco recitandæ sint Horæ Canonicæ.

PRiùs explicabo quo in loco Diuinum Officium ab iis recitandum sit, qui Choro deputati sunt.

Secundò quo in loco ab iis persolui debeat, qui Choro interesse non tenentur.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Canonicus Choro deputatus Officium recitare debet in Choro.

1 CAnonici, cetericque Choro deputati, Diuinum Officium in Ecclesia iuxta institutionem beneficiorum, & consuetudinem persoluere debent, nisi aliud cogat necessitas, consuetudo, vel fundatoris institutio. Ratio est, tum quia quilibet stare debet intentioni fundatoris: tum quia [qui assumitur] ad beneficium, vel Officium hac conditione & onere assumitur, vt formam, & regulas Officij vel beneficij seruet: tum quia *Clement.* 1. *de celebrat. Missarum* §. *ne igitur,* iniungitur onus canendi Horas Canonicas in Ecclesiis, & *in cap. vlt.* 92. *dist.* cauetur sub pœna depositionis, vt Choro deputati ad Chorum accedant: tum quia sicut Clericus, qui ratione officij, vel beneficij tenetur certo in loco Missas celebrare, non est tutus in conscientia, celebrando in Academia, in qua degit, aut alio in loco, vt benè Nauarrus *de orat. tract.* 5. *n* 3. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 178. Henriquez, Graffius, Vgolinus, Sylvester, & alij, quos retuli *de Sacramentis d.* 4. *q. vlt. punct.* 7. §. 4. ita Canonicus, aliúsve ad officium in Choro persoluendum deputatus, non est tutus in conscientia, dum officium in Choro, seu [diuinas laudes] iuxta institutionẽ, & obligationem officij sine iusta causa non psallit in loco præscripto, & præcepto. Ita Bellarminus *lib. de bonis operibus cap.* 18. *vers. locus.* Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 21. vbi rationes affert ad ostendendum, cur orationes in templis recitandæ sint. Sylvester, Angelus, Armilla, & alij, quibus adde Valentiam *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 10. Filliucium *tract.* 23. *c.* 4. *quæsito* 11. *& cap.* 8. *quæsito* 6. [Toletum *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 8. Nauarrum *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 219. Arragon 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12.] & Carolũ Macignum *de Horis Canon. cap.* 56. *n.* 14. *& seqq.* vbi alios allegat.

2 Canonicus Choro deputatus non percipit distributiones, nisi Officiũ in Choro cum aliis recitet.

2 Addo, Canonicum, aliúmve beneficiarium, qui Diuinum officium in Choro recitare debet, non posse percipere distributiones, quæ conferuntur canentibus in Choro, nisi officium in Ecclesia publicè persoluat. Ratio est, tum quia cessante causa, cessare debet effectus nondum productus: distributiones autem sunt effectus præsentiæ in Choro: tum quia qui non facit, quod debet, non recipit quod oportet. [*l. si non fuerit. ff. de iureiur.*] Ita Nauarrus *cap.* 10. *num.* 47. Alexander Moneta *in lib. de distribut. quæst.* 5. *&* 13. Reginaldus *lib.* 18. *n.* 117. Suarez *cap.* 27. *n.* 2. & alij, quos infrà referam *disp.* 2.

3 An recitantes in Sacristia distributiones capiant.

3 Verum si daretur casus, quem alias Mediolani contigisse noui, vt Canonici ob frigoris asperitatem hyemis tempore sine licentia Episcopi Diuinum Officium in sacristia bona fide recitassent, non viderentur iacturam distributionum fecisse, tum quia moraliter censerentur in Ecclesia recitasse: tum quia nullo graui commodo, per se loquendo, Ecclesiam priuasse viderentur.

4 Ex necessitate, vel consuetudine, vel fundatoris

4 Dixi in propositione, *nisi aliud necessitas cogat,* casus enim necessitatis saltem per epicheiam excipitur. Quamobrem Clemens Romanus *lib.* 4. *Constitut. cap.* 34. quem citant, & sequuntur Carolus Macignus

cignus *cap.56.num.28.* & Suarez *loco cit.num.21.* allato præcepto Diuini Officij recitandi, in hæc verba loquitur: Quòd si ad Ecclesiam prodire non licuerit propter infideles, congregabis Episcope in domo aliqua, ne ingrediatur pius in Ecclesiam impiorum: non enim locus hominem sanctificat, sed homo locum.

instituione fieri potest, vt Canonici non teneantur Horas Canonicas publicè in Ecclesia recitare.

Dixi, *nisi aliud ferat consuetudo, vel fundatoris institutio*, quia non implicat contrarium consuetudine, vel fundatoris voluntate induci, vt patebit ex dicendis *disp.2.q.5.punct.6.*

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Qui ad Chorum deputatus non est, vbique Diuinum officium recitare potest.

5 QVi ad Chorum, seu ad officium in Ecclesia persoluendum deputati non sunt, Diuinum Officium vbique recitare possunt. Ita Azorius *lib.10. cap.11. quæsito* 8. Nauarrus *de orat. cap.4.* Valentia *tom.3.disp.6. quæst.2.punct.10.* Carolus Macignus *cap.58.n.3. & seqq.* Bellarminus *loco cit.* [Toletus *lib.2.cap.13.num.8.*] & alij communiter. Ratio est, quia nullum ius reperitur, quo, per se loquendo, adstringantur ad Diuinum Officium priuatim in Ecclesia, vel in alio particulari loco recitandum. Ex quo sequitur præceptum Diuini officij quoad substantiam adimpleri posse, siue Officium recitetur stando, siue sedendo, siue ambulando, siue domi, siue in vinea, &c. Ita Nauarrus *loco cit.* Macignus *cap.58.n.7.* [Toletus, & alij DD. citati.]

6 Hoc tamē intelligitur, modò non recitet in loco indecēti, aut vbi attentio impediri possit.

6 Hoc tamen limita primò iuxta Concilium Basileense *sess.21.* modò non recitent in loco vbi impediatur attentio, sicut impediri solet in frequenti hominum conuentu, clamore, tumultu, & strepitu profano, alioquin exponerent se periculo non satisfaciendi præcepto. Ita Nauarrus *de orat. cap.21.num.32.* Reginaldus *lib.18.n.178.* Molfesius *tract.5.cap.2.n.80.* Suarez *lib.4.cap.27.num.1.* Carolus Macignus *n.9.* & alij DD. citati: quilibet enim diuinum officium attente recitare debet, consequenter ea cauere tenetur, quæ attentioni impedimentum afferunt.

Limita secundò, modò reciter in loco decenti: quamuis enim præceptum adimpleatur quouis in loco Diuinum officium recitetur, tamen peccatum veniale committitur recitando sine causa in loco indecenti: tum quia debita rei sacræ veneratio adhiberi non videtur, sicut inurbanitatis notam incurreret, qui nobilem virum in dignitate constitutum in loco indecenti sine vlla necessitatis causa audire vellet: tum quia quemdam Ecclesiasticum, qui Diuinum officium in locis immundis recitabat, in eumdem locum post mortē ad luendas indecentiæ suæ pœnas transmissum fuisse refert Molfesius *loco cit. num.80.* alia exempla percensēt Carolus Macignus *c.58.n.12.* idemque tradunt Vasquez *de benefic.cap.4.art.2.dub.5.* Suarez, & alij DD. cit. quamquam præcepto satisfacit, qui officium in eo loco recitat: cùm attentio non impediatur, vt suppono, & Deus vbique sit per essentiam, præsentiam, & potentiam. Ita Bellarminus, & alij DD. cit.

7 Canonicus, qui diuinis officiis in Choro interesse nō potuit, priuatim Officium vbique recitare potest.

7 Ex dictis sequitur Canonicum, vel alium beneficiarium, qui non potuit interesse Diuinis officiis cum aliis Canonicis, satisfacere præcepto Horarum Canonicarum, recitando priuatim Diuinum officium extra Ecclesiam: quamuis enim officium in Choro non recitauerit, non ob id exemptus est ab onere officij priuatim recitandi. Officium autem quolibet in loco priuatim recitari potest, licet recitans priuatim non possit distributiones percipere, exceptis quibusdam casibus, infrà enumerandis *disp.2.quæst.5. & 7.* vbi de distributionibus sermonem instituam.

Sed modò difficultas est primò, vtrum Episcopus Horas Canonicas cum aliis in Ecclesia publicè recitare teneatur.

8 Ponitur ratio dubitandi ad ostendendum Episcopum teneri Choro interesse.

8 Ratio dubitandi [ad ostendendum tenerī] est, tum quia ipse Principem in Ecclesia sua locum tenet: ergo par est, vt ceteris exemplo præsit Choro assistendo, & Diuina officia persoluendo, dum hoc illi per tempus, & negotia licet: tum quia *in cap.peruenit.7 quæst.1.* dicitur Episcopum debere in sua Ecclesia residere; ergo tenetur Choro interesse cantando, alioquin vana, & inutilis esset ipsius residentia in Ecclesia: tum quia *in cap.Episcopus. de consecr.dist.3.* sic habetur: Episcopus, si infirmitate non fuerit impeditus, Ecclesiæ cui proximus fuerit, die Dominico deesse non debet. Ergo saltem diebus Dominicis Episcopus ad Chorum accedere, ibique pensum Canonicarum precum cum aliis publicè soluere debet. Huius sententiæ est Angelus *verb.Horanu.28.* Syluester *eodem verbo, quæsito* 10. Tabiena *verb. Hora num.29. in fine.* Nauarrus *de orat.n.14. in fin.* & alij.

9 Ponitur sententia auctoris negantis per se loquendo.

9 Sed mihi dicendum videtur, Episcopum, per se loquendo, non teneri Choro interesse, etiam diebus Dominicis, aliisque festis diebus. Ratio est, tum quia ex nullo textu colligitur hæc obligatio: tum quia vsu, & consuetudine receptum videmus, vt Episcopi ad Chorum, ordinariè loquendo, non accedant: tum quia Episcopi grauioribus negotiis, vt concionibus, functionibus ad iurisdictionem pertinentibus, & aliis, quæ Chori assistentiam non patiuntur, incumbere debent. Quamobrem D. Thomas ait Prælatos, qui docere populum ex officio tenentur, non debere ad Chorum obligari, ne per hoc à maioribus retrahantur, iuxta *cap.Sancta 92. dist.* & licet de facto non concionentur, non tamen hinc infertur, ipsos debere Choro interesse, cùm ad cognoscendam alicuius officij obligationem propria ipsius ratio inspicienda sit. Ita S. Thomas *2.2.quæst.91.art.2.ad 3.* Gregorius de Valentia *tom.3.disp.10.quæst.6.punct.2.ad finem*, Vincentius Filliucius *tract.23.cap.4. quæsito* 8. Suarez *tom.2.de relig. lib.4. cap.10. num.13.* Stephanus Durand. *de ritib.lib.3.cap.21.num.11.* Carolus Macignus *de Horis Canon.cap.57.* & alij.

10 Non est idem interesse, & residere.

10 Dixi, *per se loquendo*, vt obseruarem Episcopum debere, & teneri aliquando Choro assistere, quando scilicet id exigit ratio sui muneris adimplendi, aut vitandi scandali, aut exempli, aut alterius circumstantiæ, quam Episcopus prudenti suæ mentis consilio perpendere, & examinare debebit, cùm in iure tempus assistendi præscriptum, & definitum non sit. Optimum tamen consilium inibit, si frequenter interfuerit, Dominicis præsertim, aliisque solemnibus diebus festis.

Ad primam rationem respondeo, Episcopum principem in Ecclesia locum tenere, non ratione oneris interessendi, quale competit Decano, seu primæ dignitati; sed ratione sui præcellentis gradus.

Ad secundam respondeo primò, verbum *residere*, non importare assistentiam in Choro, vt cum Azorio, & aliis tradidi [*in lib.variarum tractationum.*] *in quæst.de resident.* sed permanentiam, & præsentiam in loco beneficij, vbi onera beneficij sustinenda, & supportanda sunt.

Respondeo secundò, Episcopum teneri in Ecclesia residere, dum ibi aliquid suo muneri debitum præstare debet; non autem ratione diuini Officij in Choro recitandi præcisè.

11 Verbum *debet* non semper importat obligationem.

11 Ad tertiam respondeo primò, inde non colligi obligationem sub præcepto, cùm verbum *debet*, strictam obligationem non semper importet: imò huiusmodi verbum in lege positum, non importare necessitatem, sed decentiam, & vrbanitatem, constat ex *l.solum.§.1.ff.de noui operis nuntiat.* ex *Gloss.verb.deben.in l.3.C.de pignor.* & Tusco *tom. 2.lit.D.concl.32.n.3.*

Respondeo secundò, eum textum non loqui de interessentia Chori, sed potiùs de accessu ad proximam, & vicinorem Ecclesiam, ad quam debet accedere, vt Missam audiat vel celebret, aliisque præbeat exemplum diuina frequentandi.

Responderi potest tertiò aliter vsu receptum esse.

12 Parochus an teneatur officium in Choro singulis, vel saltem festis diebus recitare.

12 Maior difficultas est vtrum Parochus teneatur diuina Officia publicè in Choro persoluere.

Nonnulli DD. affirmant teneri, & ipsorum opinio his rationibus muniri, & fulciri potest, primò quia *in cap.vlt. dist.92.* vniuersaliter dicitur Presbyterum, Diaconum, aut alium quemlibet Ecclesiæ deputatum deponendum esse, si ab Episcopo correctus noluerit Ecclesiæ interesse ad persoluendum diuinum Officium Matutinis, aut Vespertinis horis. Secundò quia in *cap.1.de celebrat.Missar.* Parocho rurali præscribitur, vt per se ipsum, vel per substitutos diuinum Officium in Ecclesia celebret, deinde ad opus suum rurale, & ad onera parochialia exercenda exeat: & in eo textu non solùm sermo est de diebus festis, verùm etiam de ferialibus: alioquin Pontifex nullam operis ruralis mentionem fecisset; cùm perspicuum sit opus rurale in die festo vetitum, & interdictum esse. Textus in hæc verba loquitur: Presbyter manè Matutinali Officio expleto, pensum seruitutis suæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamque persoluat, ita tamen, vt horis competentibus, iuxta possibilitatem, aut à se, aut à sæcularibus publicè compleantur: deinde peractis horis, & infirmis visitatis si voluerit exeat ad opus rurale ieiunus, vt iterum necessitatibus peregrinorum, & hospitum, siue diuersorum commeantium infirmorum, atque defunctorum succurrere possit. Tertiò, quia diuinum Officium non solùm pro Sacerdotibus institutum est: verùm etiam pro populo, vt illi assistere, & interesse possit, illo frui, indeque fructus, & commoda in salutem animæ referre valeat. Sed hoc fieri non potest, nisi adsit qui diuinum officium publicè persoluat; ergo Parochus tenetur diuinum Officium publicè persoluere, cùm ipse constitutus sit ad consulendum commodis, & necessitatibus populi spiritualibus. Ita Syluester *verb.Hora quæsito* 10. Angelus *eodem verb.num.25.* Turrecremata *cap.vlt.dist.92.* & alij apud Suarez *tom.2.de relig.lib.4.cap.10.n.3.* & apud Valentiam, asserentes non solùm in Cathedralibus, & Collegiatis publicè persoluendum esse diuinum officium, verùm etiam in aliis Ecclesiis saltem diebus Dominicis, & festis: imò id singulis diebus in omnibus Ecclesiis locum habere sustinet Innocentius *in cap.1.de celebr.Missar.*

Sed mihi respondendum videtur cum hac distinctione: vel loquimur de rigore iuris antiqui, vel de eo, quod longa consuetudine inductum, & receptum est. Si loqui volumus de rigore iuris antiqui, & æquitatis, ac decentiæ, non solum in Cathedralibus, & Collegiatis, verùm etiam in Parochialibus publicè persoluenda sunt singulis diebus diuina officia, vt patet ex rationibus iam adductis, sicque sustinent DD. ad calcem illarum rationum allegati. Si verò loquamur de consuetudine ferè vniuersali, & moribus Parochorum fere communiter recepta, arbitror Parochos, non solùm per se ipsos non teneri, verùm neque per substitutos singulis diebus, imò neque diebus festis omnia diuina officia in Choro publicè persoluere, cum enim Parochi pluribus aliis curis, & occupationibus detineantur, facili negotio introduci potuit consuetudo, vt non solùm singulis diebus Horas Canonicas, neque per se, neque per alios publicè canant; verùm neque diebus festis, exceptis Vesperis, aut Missæ sacrificio, quod aliquibus diebus festis solemni ritu persoluitur, & celebratur. Ita Suarez *loco cit. num.4. & 11.* Filliucius *tract.23.cap.4.num.131. quæsito 6.* & alij; fieri tamen potest, vt alicubi ius commune sit in viridi obseruantia, aut peculiaria extent statuta, quæ sine dubio seruanda erunt.

13 Capellani non tenentur officium in Choro recitare.

13 Ex quo patet à fortiori, Capellanos, quibus ex fundatione cura non incumbit, publicè celebrandi diuinum officium in Choro, non teneri hoc onus subire, quia nullo iure probatur ipsos ad hoc onus obligari.

14 Consuetudine induci potest, vt Canonici non teneantur singulis diebus Choro interesse.

14 Addunt Filliucius *num.129.* Caietanus *verb. Hora.* Macignus *cap.56.num.22.* Suarez *loco cit.num.5. & 6. & cap.12.num.13.* consuetudine immemorabili, vel saltem sufficienter præscripta induci potuisse, vt in Collegiatis, in quibus tenues reditus habentur, Canonici non teneantur, singulis saltem diebus Horas publicè canere: ratio enim dictat, vt vnus minuatur, vbi tenuissimum est stipendium: & quamuis iure naturæ seruanda sit beneficij institutio, pactum, & voluntas testatoris, nihilominus legitima superioris facultate in ea dispensari, & consuetudine sufficienter præscripta, vel immemorabili, quæ priuilegij præsumptionem inducit, ei derogari potest, saltem si iusta subsit causa, nam iusta causa turpitudinem contra ius naturæ auferre potest, & obligatio iuris naturæ variari potest variatis circumstantiis, seu mutata materia, vt patet in præscriptione, & clarius patebit ex dicendis *disp.2.q.1.punct.5. & q.6.punct.6.*

PVN-

PVNCTVM VI.

Quónam corporis habitu, & situ recitandum sit diuinum Officium.

PRæcipua in hoc puncto difficultas est, vtrùm peccet recitans Officium sedendo, cùm standum est, aut stando, vel sedendo, dum genibus flexis recitandum est.

Ratio dubitandi [ad ostendendum peccare] est, tum quia rubricas non obseruat: tum quia paruipendere videtur diuina mysteria, in quorum cultum, & honorem Ecclesia varias præscripsit cærimonias.

VNICA PROPOSITIO.

1 In priuata oratione non committitur peccatum dum recitans officium sedet, dum standum, vel genu flectendum est.

1 PEr se loquendo non peccat, qui diuinum officium priuatim recitat sedendo, cùm standum est, aut stando, vel sedendo, dum genu flectendum est. Ratio est, quia ritus recitãdi Officium hoc modo non videtur sub rigore præcepti, sed solùm maioris deuotionis gratia receptus, saltem in priuata oratione: in publica verò facilè fieri potest, vt aliqua culpa interueniat pro ratione circumstantiæ communicantis actui malitiam, vt colligitur ex ratione dubitandi: vnde qui absque vlla omnino causa recitat Officium in Choro, sedendo, cùm standum, vel genu flectendum est, aliquam culpam incurrit: quia debitam Deo, & diuinis laudibus reuerentiam exhibere non videtur, dum aliis genu flectentibus ipse sine vlla causa publicè stat, vel sedet, ingeritque aliquam modicæ in Deum deuotionis suspicionem. Ita Suarez *tom.2.de relig.lib.4.cap.27.num.2.* Toletus *lib.2.cap.13.nu.12.* Nauarr.*de orat.cap.4.n.7.* Carolus Macignus *cap.72.n.35.& cap.79. num.23* Filliucius *tom.2.tract.23.cap.8.quæsito 6.ad finem, num.265.* Reginaldus *lib.18.num.72.* Molfesius *tract.5.cap.2.num.99.& 100.* Imò Nauarrus *loco cit.n.15.& seq.* orantem vno genu flexo, & altero recto, à veniali nõ excusat. Sed hoc ego præcisa scandali circumstantia, quæ in Ecclesiasticis frequenter inueniri potest, non facilè admiserim, quia iuxta communem loquendi modum genu flexus dicitur, qui vno genu ad terram deflexo orat: quamquam vnicuique consulendum est, vt non vnum, sed vtrumque poplitem ad terram flectat: quia maioris humilitatis signum exhibebit, & inurbanitatis notam etiam apud laicos bonis moribus imbutos euitabit.

2 In publica oratione faciliùs inueniri potest culpa stando, vel sedendo dum genu flectendũ est.

2 Ad rationes dubitandi, quatenus facere videntur contra priuatim recitantes non seruato corporis habitu, respondeo primò rubricas, teste consuetudine, non videri sub peccato in hac parte receptas. Secundò non adesse contemptum dum recitans non est praue affectus circa diuina mysteria.

3 Canonici cogi possunt ad recitandum officium in proprio stallo, & cum decenti habitu sub pœna amissionis distributionum.

3 Maior difficultas est, vtrùm Canonici cogi possint sub pœna amissionis distributionum ad recitandum Officium in proprio stallo, & cum decenti habitu. Sed de hac re infrà *de distributionibus. quæst. 4. punct.1.num.13.* Interim pro Diœcesi, seu Prouincia Mediolanensi, vide Concilium IV. Prouinciale *part.2. tit. quæ pertinent ad sanctissimum Missæ sacrificium, & diuinum Officium*; vbi cauetur, ne cui, proprio indumento, quodque ordini suo, tempori, & officio congruat, in Ecclesia, Choróve, non induto, distributio stataæ illius Canonicæ Horæ detur: consimile decretum in Synodo penultima Mediolanensi contra deferentes pelliceas, aliasque domesticas vestes in Choro habetur. Videri etiam posset vniuersale decretum Concilij Trid. *sess.24. cap.12. sub fin.* vbi decens vestitus Canonicis, tam in Ecclesia, quam extra præscribitur.

QVÆSTIO IV.

De fructu, & effectu recitationis diuini Officij.

NOn agam in hac quæstione de iure ad fructus, vel distributiones, quod beneficiariis ratione diuini offici competit (de hoc enim in sequentibus quæstionibus disputabo,) sed de effectu qui recitationem officij, vt oratio est, consequitur: hic autem effectus est meritum, satisfactio, & impetratio, de quibus in specie tractat Bellarminus *de bonis operibus cap.3.vers. tres sunt* potest enim quis non solùm sibi sua oratione meritum, & satisfactionis, atque impetrationis fructum acquirere, verum etiam pro alio satisfacere, & impetrare, vt suppono ex communi Theologorum Schola, & ex dictis de Sacramentis.

Duo autem principaliter in hac quæstione explicabo.

Primò quid requiratur, vt recitatio prosit.

Secundò quibus prosit, & quomodo.

PVNCTVM I.

Quid requiratur vt recitatio diuini Officij prosit.

CVm diuinum officium dupliciter recitari possit: Primò nomine proprio:

Secundò nomine Ecclesiæ (is nomine Ecclesiæ recitat, qui diuinum officium persoluit tamquam minister ad hoc deputatus ex præcepto, vel ordinatione: hoc pacto recitatur officium à beneficiario, vel Clerico sacris initiato) priùs explicabo quid requiratur, vt officium prosit quatenus offertur nomine Ecclesiæ, deinde quatenus nomine proprio celebratur.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Vt Officium nomine Ecclesiæ recitetur, opus est vt verba proferantur cum intentione, & attentione, atque vt recitans non sit euitandus.

1 VT Officium nomine Ecclesiæ prosit, requiritur primò prolatio verborum cum intentione orandi, & cum attentione. Ratio est, quia vt officium prosit, necesse est ea adesse, quæ ad ipsius substantiam requiruntur; substantia autem diuini officij non subsistit sine prolatione verborum, (cùm sit oratio vocalis) & sine intentione, & attentione, vt patet ex supradictis *quæst.2.punct.2.§.2.* & ex dictis *de legibus punct.10.quæst.1.* Secundò, vt recitans non sit vitandus ob excommunicationem, aliámve Censuram, ob quam à diuinis repellatur; Ecclesia enim non intendit per hunc orare, cùm ipsum non toleret, sed potius ipsius acta irrita faciat, vt patet ex dictis *de Censuris, & de Sacramentis*, & ex infrà dicendis constabit.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Vt officiũ nomine proprio celebratũ prosit ipsi recitanti quoad satisfactionẽ, & meritũ, vel etiam quoad satisfactionẽ aliis, opus est vt in statu gratiæ recitetur.

2 VT Officij recitatio, & alia quælibet oratio nomine proprio facta prosit quoad meritum ipsi recitanti, & quoad satisfactionem ipsi, vel aliis, non solùm requiritur verborum prolatio, intentio, attentio, & carentia Censuræ, vt in prima propositione breuiter ostensum est, verùm etiam, vt oratio in statu gratiæ fiat, vt ex dicendis manifestè constabit.

3 An oratio in peccato facta prosit.

3 Hinc sequitur officium in statu peccati mortalis, vel cum prauo fine recitatum, non esse meritorium, vel satisfactorium, si spectetur, vt persoluitur nomine proprio ab ipsomet recitante (quamquam si spectetur quatenus nomine Ecclesiæ offertur, prodest: quia sanctitas Ecclesiæ supplet recitantis defectum, vt benè Bellarminus *cap.9.* Suarez *tom.2.de relig.lib.1.cap.12.num.2.* Carolus Macignus *cap.89. num.40.* Azorius *1.part.cap.32.quæsito 2.* & patet in simili ex dictis, tum *de Censuris*, tum *de Missæ sacrificio facto ab excommunicato in tract. de Sacramentis*; vbi etiam explicaui, vtrum Capellanus oneri Capellaniæ satisfaciat celebrando, dum vinculo excommunicationis detinetur.

4 Quænam cõditiones ad meritũ requirantur.

4 Ratio cur Officium in mortali peccato nomine proprio recitatum non sit meritorium, vel satisfactorium, est, quia ad meritum de condigno istæ conditiones requiruntur.

Prima, vt actus in se bonus sit: nam quæ mala sunt, non coronat Deus, inquit S. Augustinus *de gratia, & libero arbit.cap.6.*

Secunda, vt actus sit liber, vt patet tum ex 2.Cor.9. *Si volens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est*; tum quia pro malis operibus pœna non irrogatur, nisi liberè fiant: ergo neque bona opera ad præmium conferunt si coactè præstentur.

Tertia, vt fiat ab homine viatore: dum tempus habemus, operemur bonum, *ad Galat.10.* & 2.Corinth.*6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

Quarta conditio, de qua hìc ex professo loquimur, est, vt fiat ab homine in statu gratiæ existente. Ratio est, tum quia sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis, *Ioan.15.* Ille autem in Christo, tamquam palmes in vite, manere dicitur, qui Christo vnitus est per gratiam habitualem, hac enim sanctificamur, & Christo coniungimur, atque vnimur: tum quia 1.*Cor.13.* dicitur, *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Charitas autem simul est cum gratia habituali sanctificante, vt suppono ex cõmuni Theologorum sententia *in tract.de gratia*: tum quia non est speciosa laus in ore peccatoris, *Ecclesiast.15.* Quamuis ergo recitatio diuini officij, aliæque orationes ab homine in statu peccati mortalis factæ sint actus ex sua natura boni, & liberè fiant ab homine viatore, tamen carent conditione status gratiæ, consequenter merito de condigno, & consequenter fructu. Iacob.4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.* Fieri tamen potest, vt de congruo mereantur, iuxta communem Theologorum sententiam, qui ad meritum de congruo, gratiam sanctificantem requiri negant, vt benè Suarez *tom.2.de relig.lib.1.cap.22.n.4.* & alij *in tract.de gratia.* quamquam huiusmodi meritum non habet propriè rationem meriti, sed solùm cuiusdam honestatis, & congruentiæ, eò quòd congruum videatur, vt Deus non deneget quod petitur. Ita Martinus Becanus *tom.2.Theologiæ Scholasticæ tract.4.cap.5.q.10.n.3.* & alij communiter.

Ex dictis ergo patet orationem peccatoris non esse meritoriam de condigno. Rursus non esse satisfactoriam, cùm satisfactio pro pœna sit actus hominis in statu gratiæ operantis, vt patet ex dictis *de Sacramentis*, & alibi ostendam, Deo annuente. Vide Suarez *loco cit.* vbi hanc rem fusè prosequitur, & Filliucium *tract.23.cap.2.quæsito 6.*

5 Oratio peccatoris potest esse impetratoria.

5 Dixi in secunda propositione, *quoad meritum, & quoad satisfactionem*, nam si loquamur de impetratione, fieri potest, vt licet oratio peccatoris non sit satisfactoria, tamen sit impetratoria: quia Deus etiam peccatores aliquando exaudit, & plurima bona confert, vt patet in Publicano *Lucæ* 18. dicente, *Deus propitius esto mihi peccatori*, & in Magdalena, quæ peccatorum remissionem à Christo impetrauit: & in aliis innumeris peccatoribus, qui plurima bona quotidie consequuntur. [Ideo consulendum est peccatoribus, vt Deum frequenter orent, cum enim oratio fiat ex gratia præueniẽte, & adiuuãte, fieri potest, vt à Deo exaudiatur, & licet opera peccatoris nõ sint satisfactoria, aut meritoria de condigno, possunt tamen esse impretatoria si cum fide & spe præstentur. Ita Paulus Layman *tract.1.c.1.n.10.lib.4.*]

Neque obstat illud Ioannis 9. *Scimus, quia peccatores Deus non audit*; tum quia illa non sunt verba Christi, sed cœci nondum ad Christum plenè conuersi, vt ait S. Augustinus *tract.44.in Ioannem*: tum quia verum est peccatores à Deo non exaudiri, dum à Deo miracula petunt ad fingendam, & simulandam vitæ sanctitatem, vt innuit præfatus cœcus. Deus enim falsum non approbat, nec falsum testari potest, vt dictum est *in tract. de fide*; tum quia dici potest peccatores à Deo non exaudiri, si orationes ipsorum considerentur, vt à peccatoribus formaliter funduntur, cum mala intentione, vel alia praua circumstantia, ex Bellarmino *loco cit.* Valentia *loco cit.punct.6.* Carolo Macigno *cap.100.* Suarez *loco cit.cap.25.num.4.* vbi in hunc sensum explicat alia Scripturæ loca. Psalm.*65. Si iniquitatem aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Prouerb.*25. Qui declinat aures suas, ne exaudiat legem, oratio eius erit execrabilis.* & Isaiæ cap.1. *Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.*

6 Quænam cõditiones requirantur, vt oratio infallibiliter impetratoria sit.

6 Sed modò dubium est, quænam conditiones requirantur, vt oratio infallibiliter impetratoria sit, & obtineat quod petitur.

Respondeo has a Doctoribus assignari.

Prima est, vt petens sit vir iustus, peccator enim infallibiliter non exauditur, vt patet ex locis Scripturæ proximè allatis, *Si iniquitatem aspexi*

aspexi in corde meo, non exaudiet me Dominus, Psal. 65. Ita nonnulli, quos tacito nomine refert, & sequitur Suarez *loco citato, c. 25. n. 1.* Filliucius *loco cit. quæsito 7. num. 55.* Bellarminus *loco cit. cap. 9.* quamuis Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 4. ad 3. & punct. 6.* aliqua ex parte dissentiat.

Secunda est fides potentiæ, & clementiæ Dei, certaque fiducia impetrandi quod petitur, iuxta promissionem Christi, qui verax est, & mentiri non potest, Matth. 21. *Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, &c. omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Iacobi 1. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Marci 11. *Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & eueniet vobis.* Vide S. Thomam *in 4. dist. 15. art. vlt.* Suarez *cap. 24. num. 2.* vbi de hac re latissimè tractat, Bellarminum *cap. 9. lib. 1. de bonis operibus.* Valentiam *loco cit. vers. de fide,* & alios præcitatos Doctores.

Tertia est, vt id quod petitur necessarium sit ad salutem petentis, vel ad illam conducat, maiusque animæ bonum non impediat. Ratio est, quia quod est necessarium, vel vtile ad salutem, dicitur aliquid, iuxta doctrinam S. Augustini innixam verbis Christi, *si quid petieritis*; quæ aurem non sunt vtilia ad salutem, non bona, sed bonorum vmbra dici possunt: tum quia, inquit S. August. *tract. 102. in Ioannem*, non petitur in nomine Saluatoris, quidquid petitur contra rationem salutis. Ergo vt oratio infallibiliter habeat promissionem, seu impetrationem, necesse est, vt quod petitur necessarium sit, vel vtile ad salutem. Ioan. 16. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* & 1. Ioan. 5. *Quodcumque petierimus secundùm voluntatem eius, audit nos.*

Hinc fit, vt oratio Pauli petentis stimulos carnis auferri audita non fuerit, 2. *Cor.* 12. quia illius concessio maius bonum impediusset, Deo id præuidente. Ideo Paulo respondit, *Sufficit tibi gratia mea.* Quamuis enim id, quod petitur, ex se vtile sit; quia tamen fieri potest, vt de facto, & re ipsa vtile futurum non sit, sed potius noxium, Deo id cognoscente, iure merito non conceditur. Ita S. August. *tract. 32. 73. 81. in Ioannem*, S. Chysostomus *homil. 30. in Genesim.* & S. Thomas 2. 2. *quæst. 83. art. 25.* quos citat, & sequitur Suarez *loco cit. cap. 23. n. 7.* Malderus *tract. 10. cap. 2. vers. si verò*, Bellarm. *loco cit.* & Carolus Macignus *de Horis Canonicis cap. 100.*

Quarta conditio, iuxta S. Augustinum *tract. 23. & 102. in Ioann.* iuxta S. Thomam *loco cit. art. 15. & 16.* Valentiam *loco cit. vers. prima conditio*, Sylvestrum *verb. Oratio quæsito 6.* Bielem *in canon. lect. 63. in princ.* Carolum Macignum *de Horis Canon. cap. 100. num. 21.* Bellarminum *loco cit. cap. 9. vers. septima conditio*, Filliucium *loco cit. cap. 2. quæsito 7.* & alios Scholasticos, est, vt oratio fiat pro ipsomet orante, quia Scriptura semper loquitur de bonis conferendis ipsimet oranti. Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, & alibi, *Omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit*, & Marci 11. *Et eueniet vobis.* Idem sentire videntur Medina, Coninchus, & alij, quos retuli *de Sacramentis disp. 6. quæst. 2. punct. 1. n. 3.* & hæc opinio probabilissima est.

Nihilominus mihi etiam probabile videtur hanc conditionem necessariam non esse, consequenter orationem habere certam, & infallibilem impetrationem, etiamsi pro aliis fiat; modò ex parte aliorum non adsit incapacitas, nec ceteræ conditiones desint. Ratio est, tum quia Christus vniuersaliter dixit, *Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam*, Ioan. 14. Tum quia satisfactio nostra prodest aliis: præsertim viatoribus quibus applicatur, modò adsit capacitas in eo, cui applicatur. Ergo etiam proderit impetratio, cùm par esse videatur ratio, & de hac expressior videatur esse promissio: tum quia Iacobi 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini*; multum enim valet deprecatio iusti assidua. Ita Basil. *in regulis breuioribus, reg. 261.* quem citat, & sequitur Toletus *in Ioan. 1. 16. annot. 30.* Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 2. punct. 4. vers. ceterùm*, vbi se ipsum explicat, Suarez *tom. 2. de relig. lib. 1. cap. 22. num. 2. & seq. & de pœnit. disp. 48. sect. 5. nu. 6.* in simili loquens de satisfactione. [Paulus Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 1. quæst. 5. num. 10. vers. tertia conditio.*]

Ad rationem primæ sententiæ, responderi posset primò, illis locis sermonem esse de oratione quæ fit pro ipsomet orante, non quia excludantur alij, pro quibus fit oratio, sed quia orantes vtplurimum pro se ipsis orare consueuerunt. Secundò censeri concessum oranti quod ipsius intuitu alteri datur. Nam si Princeps aliquis à Summo Pontifice facultatem aliquam, seu priuilegium pro me à Sede Apostolica impetret, dici potest priuilegium à Summo Pontifice obtinere, quamuis illius vsus mihi soli competat.

Quinta conditio est perseuerantia, vt colligitur, tum ex illis verbis Lucæ 18. *Oportet semper orare, & non deficere*, id est, non oportet orationem intermittere, etiamsi statim quod petitur, non obtineatur. Sed orationi tamdiu insistendum est, quamdiu opus est ad rem consequendam: tum ex parabolis *Lucæ 11. & 18.* vbi sermo est de vidua, cui vindictam petenti, iudex ob importunam petitionem gratiam non negauit: tum quia Deus summa prouidentia differt, vel quia petens non est ritè dispositus, vel quia illi grata est frequens petitio; sicut pater magna perfundi solet voluptate, dum aliquid sibi à filio petitur, cui gratuitò, & volenti animo concessurus est, vel vt petens magni pendat quod petit, nam diu desiderata dulciùs obtinentur: citò autem data vilescunt, inquit August. *serm. 5. de verb. Domini.* Ita Basilius, Cyrillus, S. Thomas, & alij, quos citat, & sequitur Suarez *loco cit. cap. 26.* Filliucius *loco cit. num. 55.* Valentia *vers. quarta conditio*, Carolus Macignus *cap. 100. num. 41. & seqq.* [Paulus Layman *loco cit. num. 10.*] & alij DD. cit.

7 Quamdiu in oratione perstendũ sit.

7 Maior difficultas est quamdiu in oratione perseuerandum sit, cùm numerus actuum orationis, vel tempus præscriptum non sit.

Respondeo non esse præfixum tempus, sed iuxta petentis dispositionem aliquando citiùs, & aliquando tardiùs concedi, quod petitur. Obserua tamen, si petantur spiritualia, persistendum esse in oratione, donec obtineatur quod petitur, vt patet, tum ex textu iam cit. *oportet semper orare*, &c. Tum quia actus ipse orationis Deo gratus est, & fructuosus oranti: consequenter frequentandus, & non intermittendus. Si verò temporalia petantur, desistere possumus ab oratione, quoties ex temporis diuturnitate, vel ex aliis circumstantiis, colligere possumus Deum nolle, quod petimus, concedere. Nobis enim persuadere possumus saluti nostræ noxium potius, quàm vtile futurum esse, quod petimus, & dignis de causis à Deo denegari, vt benè Suarez *loco cit.* vbi hanc rem fusiùs prosequitur.

8 An oratio, posita gratia in petente, fide, vtilitate ad salutem, & perseuerãtia, dicẽda sit impetratoria ex iustitia, an ex fidelitate.

8 Hac occasione, nonnulli Doctores quærunt, vtrùm positis his conditionibus, oratio impetratoria sit ex iustitia, an ex fidelitate.

Respondent impetratoriã esse ex fidelitate. Ratio est, tum quia dum vir iustus orat, non nititur suis meritis, & iustitiæ, sed infinitæ Dei misericordiæ: tum quia debitum ex iustitia datur ad æqualitatem rei ad rem: sed quod per orationem obtinetur, est supra æqualitatem: nam si oratio consideretur, vt est actio hominis iusti, est meritoria gloriæ, illique respondet augmentum gloriæ, quo æqualiter remuneratur, consequenter quod illi vltra gloriam datur est vltra æqualitatem; consequenter non debetur ex iustitia. Ita Suarez *tom. 2. de relig. lib. 1. cap. 27. num. 4.* vbi test tur de communi, Valentia *tom. 3. loco cit. vers. ad maiorem.* Filliucius *tract. 23. cap. 2. num. 7. ad finem.* Nugnus, & alij, quos retuli *de Sacramentis disp. 4. quæst. vlt. punct. 4. num. 6.* Ego verò cum Medina *C. de orat. quæst. 17.* puto deberi etiam aliqua ratione ex iustitia, quatenus ex promissione seriò facta obligationem ex iustitia ad illam adimplendam consurgere ostensum est *de contractibus*, is enim, cui facta fuit promissio, acquisiit ius ad rem promissam.

Ad primam rationem Suarez, & aliorum respondeo, orantem niti promissione Dei, quam Deus sua misericordia & liberalitate facit.

Ad secundum responderi posset, id, quod per orationem obtinetur, esse vltra æqualitatem, si oratio spectetur ratione meriti respondentis ipsi orationi præcisè. Non verò si consideretur simul cum diuina promissione, cùm obtineatur id, quod debetur posita diuina promissione, quæ licet liberaliter à Deo facta fuerit, & vt sic oratio dicatur niti liberalitate Dei, facta tamen promissione, orans cum debitis conditionibus, videtur ius ad rem promissam habere. Ex quo fit, vt is damnandus erroris non videatur, qui cum debita animi submissione spiritualia petit, hoc pacto: Domine impertire mihi debes quod peto: non potes mihi iustè denegare: volo hoc mihi concedas, &c. hoc tamen intelligitur modò nulla alia desit circumstantia ad perfectam orationem requisita: quamquam ab his loquendi modis abstinendum censeo: tum ad vitandum præsumptionis periculum: tum ad præcauendam scandali occasionem, si coram aliis huiusmodi verborum genus adhibeatur: tum quia nobis non certò constat orationem nostram his conditionibus excultam esse, iuxta illud: Nihil mihi conscius sum, sed non per hoc iustificatus sum.

PVNCTVM II.

Quibúsnam prosit diuini Officij recitatio, & quomodo.

TRia explicanda sunt.

Primò, vtrùm diuini Officij recitatio prosit omnibus fidelibus.

Secundò, vtrùm æquè prosit pluribus, ac si pro vno tantùm oratio fieret.

Tertiò, vtrùm prosit ex opere operato, vel operantis.

1 Quo tuplex sit diuini Officij valor.

In huius dubij explicatione, ea via progrediendum arbitror, qua *in tract. de Sacramentis disp. 4. quæst. vlt. punct. 4. num. 6.* incessimus. Quamobrem præmittendum censeo triplicem fructum in recitatione Horarum Canonicarum assignari posse.

Primus est generalis, qui ex Ecclesiæ intentione omnibus fidelibus applicatur.

Secundus est particularis, qui recitantibus debetur, nec fortè aliis applicari potest, saltem si spectetur quoad meritum.

Tertius est specialis, seu medius, & hic respondet illis, qui beneficia cum onere diuini Officij recitandi erexerunt, vel respondet illis, pro quibus recitans diuinum Officium specialiter orare intendit: non enim præsumendum videtur Ecclesiam nolle Officij fructum aliqua ex parte applicare ei, pro quo recitans specialiter orare intendit. Ita Macignus *in tract. de Horis Canonicis cap. 100. num. 40. & sequentibus, & cap. 84. num. 20. & sequentibus.* Nauarrus *de orat. cap. 13. nu. 12.* Gabriel Biel *in Canonem lect. 62. lit. P.* & alij apud Macignum *loco citato.*

PRIMA PROPOSITIO.

2 Recitatio diuini Officij infinita est quoad fructum quoties nomine Ecclesiæ fit.

2 REcitatio diuini Officij, quoad fructum infinita est extensiuè, prodestq; omnibus fidelibus, si fiat ab eo, qui ex Ecclesiæ præcepto vel consuetudine diuinum Officium recitare debet. Ratio est, tum quia hæc oratio censetur publica, ob id etiam dum Officium priuatim recitatur, dicitur, *Dominus vobiscum, Tu autem Domine miserere nostri*, &c. non licet autem quemquam ab oratione publica excludere: ex S. Thoma 2. 2. *quæst. 25. art. 4. & sequentibus*, Nauarro *in Manual. cap. 14. n. 23.* & aliis Doctoribus communiter: tum quia Officium nomine Ecclesiæ recitatur; ergo prodest ipsi Ecclesiæ iuxta proportionem quam Deus nouit. Ecclesia autem nihil aliud est, quam fidelium congregatio. Vtrùm verò in actu exercito omnes æqualiter fructum percipiant, colligi potest à simili ex dictis *de Sacramentis loco cit. n. 8.*

3 Si Officiũ nomine proprio recitetur, prodest illi, pro quo recitans orare intendit.

3 Dixi, *si fiat ab eo, qui iuxta Ecclesiæ præscriptum, seu præceptum recitare debet*: nam si diuinum officium ex mera recitantis voluntate recitetur, tamquam à persona priuata, prodesse solùm videtur ipsi recitanti, & iis, quibus ipse officij fructum applicare intendit: hic enim non recitat officium tamquam minister ab Ecclesia deputatus, sed nomine proprio, instar aliarum precum, quas ex priuata deuotione fundit, vt dictum est *de Sacramentis, disput. 6. quæst. 2. punct. 2. num. 7.* Ergo illis tantummodò prodesse videtur, pro quibus recitans orare intendit: actus enim agentium non operatur vltra intentiones eorum, quamquam Nauarrus *in cap. quando, de consecrat. dist. 1. not ab. 20. num. 66.* & alij, quos citat, & sequitur Macignus *cap. 100. num. 50. vers. si potrebbe*, existimant recitantem diuinum officium propria sponte

sponte censeri Officium dicere nomine Ecclesiæ, consequenter illius recitationem prodesse fidelibus iuxta Ecclesiæ intentionem.

Hinc colligitur, primò Officium prodesse omnibus, si recitans pro omnibus orare intendat (modò illi, pro quibus orat, nondum sint in termino, sed illum assequi possint,) sicut enim Deus vult omnes saluos fieri, ita etiam nos omnium salutem optare, & pro ea Deum rogare possumus. Secundò prodesse singulis nõ solùm amicis, sed etiam inimicis, tam fidelibus, quàm infidelibus, si pro ipsis oratio fiat. Quamuis enim certum sit non omnes beatitudinem consecuturos, nihilominus de nullius damnatione in particulari constat, cõsequenter pro quolibet debito modo orare possumus. Ita Lessius *lib.2.cap.37.dub.7.ad finem num.40.* Azorius *1.part.lib.9.cap.31.* Valentia *tom.3.disp.6.quæst.2 punct.8.* Carolus Macignus *cap.84.num.27.* Suarez *to.2.de relig.lib.6.cap.15.* Filliucius *loco* statim *citando.* Vasquez, Bellarminus, & alij communiter, quos retuli *de Sacramentis loco* statim *citando.*

4 An pro beatis orandum sit.

4 Dixi in [illatione, seu corrolario, *modò illi pro quibus orat, nondum sint in termino*; nam beatis,] qui beatitudinis terminum assecuti sunt, oratio non prodest, non solùm quoad meritum, verùm neque quoad impetrationem, vel satisfactionem, licet prosit quoad honorem, & cultum, vt probaui *de Sacramentis disp.4.quæst.vltim punct.5. num.7.* cum Sylvestro, Armilla, Reginald. Suarez, & aliis, quibus adde eumdem Suarez *tom.2.de relig.lib.1.cap.14.num.4.& seq.* Lessium, & alios DD. cit. Ratio est, tum quia beati non indigent: tum quia ad hoc facit tritum illud sermone prouerbium, Iniuriam martyri facit, qui orat pro martyre.

5 An pro damnatis, & num.7.

5 Dixi, *sed illum assequi possint*; sicut enim pro existentibus in termino, ita etiam pro iis, qui beatitudinem assequi non possunt, oratio fieri non potest, cùm pro illis oratio fiat, quos oratione nostra iuuandos speramus, ex S. August. *lib.de corrept.& gratia cap.15.* quem citat, & sequitur Suarez *tom.2.de relig.lib.1.cap.15.num.2.* Lessius, & Filliucius *locis cit.* Valentia *punct.8.*

6 An pro eo, quem constaret præscitum.

6 Ex quo sequitur primò, si de aliquo constaret reprobum, & præscriptum esse, pro ipso orandum non esse, vt benè Suarez *lib.1.cap.15.* (vbi de isto casu fusè disserit, necnon ostendit vtrùm is, cui facta fuit reuelatio suæ damnationis, debeat certò credere se damnandum, & quomodo se gerere debeat, de qua re nos satis egimus *de fide in tract. de legibus.*) Idem tradunt Azorius *loco cit.quæsito 9.* Lessius, Valentia, & Filliucius *locis citatis.*

Idem etiam dicendum est de illo, quem constaret in notorio mortali peccato mortuum esse.

7 Secundò sequitur idem dicendum esse de damnatis in inferno existentibus, vt docui *de Sacramentis loco cit.n.9.* cum Soto, Bellarmino, Azorio, Henriquez, & aliis, quibus adde Suarez, Lessium, Valentiam, & alios DD. proximè citatos.

Neque obstat primò Ecclesiam in oratione pro defunctis petere, vt eos à pœnis inferni eripiat: quia hoc non petit pro damnatis, sed pro existentibus in Purgatorio, [quæ est quædam inferni pars.]

8 An oratio S. Gregorij profuerit Traiano.

8 Neque obstat secundò exemplum Traiani, quem precibus S. Gregorij liberatum esse nonnulli fatentur: nam de veritate huius historiæ multi ambigunt, cùm id non extet in vita S. Gregorij, cuius acta in Vaticano à Ioanne Diacono, & Petro Diacono, alioque Auctore innominato congesta reperiuntur, teste Bellarmino *lib.2.de Purgat. cap.8.& 18.* Ideo de huius historiæ fide dubitant Abulens. 4. *Reg.4. q.47.* Valentia *loco cit.punct.8. vers.vnde.* Azorius *part.1.lib.9.cap.31. quæsito 2.ad finem.* Medina *C.de orat.* Victoria, Ledesma, & alij apud Henriquez *in sum.lib.9.cap.16.num.4.in comment.lit.G.* contra eumdem Henriquez, & alios.

Verùm, quidquid sit de veritate, & fide huius historiæ, dicendum censeo ea, quæ præter consuetum ordinem ex singulari Dei voluntate, & potestate fiunt, non esse in exemplum trahenda. Ita Filliucius [*tom.1.tract.5.cap.2.ad finem, & tom.2.tract.23.cap.2.quæsito 10.n.62.*] Valentia *2.2.disp.6.quæst.2.punct.8.* Vide quæ dixi *de Sacramentis loco præallegato.*

Ex dictis igitur constat Officium prodesse illis, pro quibus recitans orare intendit. Sed modò dubium est vtrùm æquè prosit multis, ac vni: pro cuius dubij solutione, sit

SECVNDA PROPOSITIO.

9 Fructus medius nõ æquè prodest multis, ac vni.

9 FRuctus diuini Officij non æquè prodest multis, ac vni tantùm, si loquamur de fructu quem medium appellauimus. Ratio est, tum quia huiusmodi fructus finitus est, sicut est finitus fructus ipsi recitanti respondens: finitum autem ablatione finiti consumitur, & si in plures diuidatur, minus singulis contingit, quàm si vni tantùm traditum fuisset: tum quia valor sacrificij Missæ, qui medius nuncupatur, finitus, & limitatus est, minusque pluribus prodest, quàm vni, vt cum Suarez, Bellarmino, Conincho, Reginaldo, & aliis docui *de Sacramentis loco cit.n.6* Ergo multo magis finitus est valor diuini officij, quod non est tanti momenti, quanti Sacrosanctum Missæ sacrificium.

10 Vtrùm oratio quoad impetrationem æquè prosit multis, ac vni.

10 Maior difficultas est, vtrùm saltem quoad impetrationem æquè prosit multis, ac vni: in qua difficultate non leuis est inter DD. controuersia loquentes simpliciter de efficacia orationis.

Nugnus enim, quem retuli *de Sacramentis disp.4.q.vlt.punct.4.n.6. vers.dixi in tertia propositione*, Caietanus, & alij, existimant orationem quoad impetrationem, secundùm se, infinitam esse, consequenter posse pluribus æquè prodesse, ac vni. Ratio est primò, quia oratio quoad impetrationem nititur liberalitate, & misericordia Dei. Fieri autem potest, vt Deus sua misericordia ita concedat id, quod pro pluribus petitur, ac pro vno, & intuitu orationis plura, & plura bona concedat, non tam vni, quàm pluribus. Secundò, quia oratio, quæ fit pro multis, fieri videtur ex maiori charitate; consequenter efficacior videtur ad impetrandum. Tertiò, quia in Euangelio dicitur, *quidquid petieritis*, &c. quæ propositio vniuersalis est. Ita Nugnus *loco citato.* Caietanus *tom.2.opusc.tract.3.quæst.2.§.& ad secundum*, & alij contra Suarez *tom.2.de relig.lib.1.cap.27.num.6.* Medinam *C.de orat.quæst.21.* Couarruuiam *in cap.Alma mater, part.1.§.5. num.9.* Azorium *1.part. lib.9.quæsito 7.* & alios.

Sed mihi dicendum videtur orationem secundùm se videri efficaciorem ad impetrandum, si pro vno offeratur, quàm pro pluribus. Ita Suarez, Medina, Couarruuias, & Azorius *locis citatis*, S. Thom. Conincbus, & alij, quos retuli *de Sacramentis loco proximè citato.* Ratio est, tum quia oratio quoad satisfactionem secundùm se finita est, ex communi sentẽtia. Ergo etiam finita videtur quoad impetrationem; quamuis enim ipsius valor quoad impetrationem nitatur infinita Dei liberalitate, & misericordia, iuxta supradicta, nihilominus etiam fundari posse videtur in ipsa oratione, quæ suo modo dicitur causa effectus, quem Deus intuitu talis orationis concedit, spectato ipsius orationis valore, dignitate, & proportione ad rem petitam: tum quia experientia cernimus etiam apud Principes, apud quos liberalitas maximè viget, facilius, & efficacius obtineri quod pro vno petitur, quàm pro multis: tum quia sequeretur damnandum esse vsum Ecclesiæ, quæ specialiter pro singularibus personis, & casibus particularibus orare consueuit, vt in simili docui *de Sacramentis loco cit.num.6.* cum Bellarmino, Miranda, Conincho, & aliis.

Ad primam rationem in contrarium respondeo, orationem niti liberalitate Dei, qui sua liberalitate posset quidem plura, & plura concedere; nihilominus oratio in actu exercito, & spectato ipsius valore, secundùm se præcisè, videtur minus efficax, si pro Communitate fiat, quàm si pro vno.

Ad secundam respondeo orationem pro multis fieri ex maiori charitate, consequenter nobiliorem, & excellentiorem esse, consequenter dignam, quæ magis exaudiatur. Non tamen hinc sequitur ita dignam esse, vt æquè pro pluribus exaudiatur; ac pro vno, cùm numerus obiectorum non conferat actui tantam dignitatem, & excellentiam, quantam quilibet actus habet.

Ad tertiam respondeo obtinendum esse quidquid petierimus iuxta valorem, & dignitatem orationis, seruatis conditionibus superiùs traditis.

TERTIA PROPOSITIO.

11 Recitatio diuini Officij non prodest ex opere operato, sed operantis.

11 REcitatio diuini Officij non prodest ex opere operato, sed operantis. Ratio est, tum quia illud prodest ex opere operato, quod ex diuina institutione aliquem producit effectũ vltra meritum, & dispositionem agentis, & recipientis: recitatio autem harum precum non prodest vltra meritum Ecclesiæ, cuius nomine offertur: tum quia valor sacrificij Missæ respondens precibus, & orationibus, quæ in Missa recitantur, non prodest ex opere operato, vt docui *de Sacramentis disp.4.quæst.vlt.punct.4. num.7.* cum Arragonio, Valentia, Suarez, Nugno, Conincho, Vasquez, Graffio, & aliis; ergo neque prodest ex operato fructus diuini Officij, quod non maioris momenti existimatur. Ita Couarruuias *cap.Alma mater.part.1.§.5.nu.7.* Petrus Nauarrus *de restit.lib.2.cap.20.num.49.* Corduba *lib.1.quæst.3.* & alij contra Carolum Macignum *cap.100.nu.9.* & alios apud Azorium *1.part.lib.9.cap.32.quæsito 2.ad finem.*

12 Officium ab improbo recitatũ prodest quatenus recitatur nomine Ecclesiæ.

12 Sed modò dubium est, vtrùm recitatio diuini officij prosit aliis, etiamsi recitans diuinum officium in statu mortalis peccati existat, ipseque fructum meritorium, vel satisfactorium ex illa recitatione non capiat.

Respondeo prodesse, quatenus sit nomine Ecclesiæ, vt patet, tum ex dictis *punct.1.* tum ex rationibus per me allatis *in tract. de Sacramentis disp.6.quæst.2.punct.2.num.6.vers.dixi pactum.* Prima ratio est, quia malitia ministri non nocet operi boni auctoris, auctor autem videtur Ecclesia, cuius nomine oratio offertur.

Secunda est, quia sicut si Rex petat aliquid per nuntium, dignitas petitionis iudicanda est ex dignitate petentis, non ex dignitate nuntij. Ita dignitas orationis sumenda est ex dignitate Ecclesiæ, cuius nomine offertur, & recitatur, non ex dignitate improbi ministri. Ita S. Thom. Nauarrus, Nugnus, Sotus, & alij, quos retuli *de Sacramentis loco cit. & de Censuris*, dum loquerer de excommunicatione, quibus adde Suarez *tom.2.de relig.cap.12.nu.2.* Medinam *de orat.quæst.17.* Couarruuiam *loco citato*, Sotum *in 4.dist.13.quæst.1.art.6. conclus.3.* & alios apud Carolum Macignum *de Horis Canonicis cap.100. n.10. & 46.* contra Azorium *loco cit.*

Plura ad hanc rem facientia videri possunt in meo tractatu *de Sacramentis, de Sacrificio Missæ, de Satisfactione, & de Indulgentiis*, quæ hîc repetere necesse non est.

QVÆSTIO V.

De grauitate culpæ, & pœna restitutionis fructuum ab eo faciendæ qui pensum Canonicarum precum prætermittit.

QVatuor principaliter in hac Quæstione discutienda sunt.

Primò, vtrùm grauiter peccet qui Horas Canonicas intermittit.

Secundò, vtrùm pœnam restitutionis fructuum, aut aliam incurrat.

Tertiò, quomodo facienda fit restitutio, seu potiùs quænam fructuum portio restituenda sit ob prætermissam Officij recitationem.

Quartò, cui facienda sit fructuum restitutio.

PVNCTVM I.

Vtrùm prætermittens Horas Canonicas mortaliter peccet.

TRia principaliter explicabimus in hoc puncto.

Primò, vtrùm omitteus Horas Canonicas grauiter peccet.

Secundò, quot peccata specie committat.

Tertiò, quot peccata numero incurrat.

PRI-

PRIMA PROPOSITIO.

1 Grauiter peccat qui totum Officium, vel partē eius notabilem prætermittit.

1 QVi ad Horas Canonicas recitandas tenetur, mortaliter peccat eas non recitando, aut partem illarum notabilem omittendo. Ita Sylu. *ver. Hora quæsito* 12. Molfesius *cap.* 2. *num.* 96. Nauarrus *cap.* 7. *de orat. num.* 5. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 9. *num.* 52. Suarez *cap.* 25. *num.* 14. Filliucius *cap.* 7. *quæsito* 10. Azorius *lib.* 10. *cap.* 14. Maldenus *tractat.* 10. *cap.* 2. *dub.* 3. *pag.* 649. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 5.] & alij *locis citatis*, omiſſis iis, quos recenſet Garzias 3. *part. cap.* 1. *num.* 3. contra Angelum *ver. Hora quæsito* 10. Arragonium 2. 2. *q.* 83. *art.* 12. *dub.* 5. Rodriquez *in ſumma* 1. *par. cap.* 141. *num.* 3. & alios aſſerentes, eum qui ſemel, aut bis omittit Officium ex negligentia, & non ex contemptu, non peccare mortaliter, & contra alios, quos retuli *punct.* 3. *q.* 1.

Sed ratio noſtra eſt, tum quia violans præceptum in re graui peccat mortaliter, qui autem omittit recitationem diuini Officij, aut partem illius notabilem, violat præceptum in re graui pertinente ad virtutem religionis, & ad colendum Deum: tum quia, qui notabilem temporis partem ſeruiliter inſumit, aut Miſſam, vel notabilem illius partem in die feſto prætermittit, grauiter peccat; ergo etiam grauiter peccat qui notabilem Officij partem omittit; cùm eadem ſit omnium ratio: tum quia omittens diuinum Officium ſuſpendi poteſt, *cap. dolentes. de celebr. Miſſ.* immo etiam poteſt excommunicari. *Clem.* 1. *eod. tit.* iſtæ autem Cenſuræ ſupponunt grauem culpam.

Hinc ſequitur illum mortaliter peccare, qui tertiam totius Officij diuini partem, aut aliquam integram horam prætermittit: hæc enim eſt materia grauis.

2 Quænam cenſeatur materia notabilis.

2 Sed difficultas eſt in aſſignanda, & conſtituenda materia ſufficiente ad mortale peccatum.

Moneta *de diſtrib.* 2. *par. q.* 3. *num.* 33. cenſet decimam partem alicuius horæ paruæ eſſe materiam ſufficientem ad mortale peccatum, idque probat à ſimili de decimis, quæ cenſentur materia notabilis.

Nauarrus *cap.* 25. *num.* 68. Azorius *cap.* 7. *quæsito* 3. Carolus Macignus *cap.* 26. *num.* 2. Malderus *loco citato verſ. ex his*, & alij, exiſtimant, omittentem tertiam horæ partem, mortaliter peccare, quia tertia pars horæ, videtur pars notabilis reſpectu illius horæ.

Sylueſter verò *loco cit.* Tabiena *ver. Hora. nu.* 18. Suarez *loco cit. nu.* 15. *& ſeq.* Paulus Squillas 1. *par. dub.* 33. Naldus *ver. Officium diuinum nu.* 10. Reginaldus *lib.* 18. *nu.* 143. Rodriquez 1. *par. cap.* 141. *nu.* 17. Molfesius *cap.* 5. *nu.* 7. Filliucius *loco cit. nu.* 246. [Paulus Layman *loc. cit.*] & alij, exiſtimant medietatem horę paruę, non verò tertiam partem eſſe materiam notabilem. Ratio eſt, tum quia ſequeretur omittentem tertiam partem tertiæ partis horæ paruæ, ſeu tertiam partē alicuius Pſalmi, peccare mortaliter, cùm illa pars ſit notabilis per ordinē ad illud, cuius eſt pars: tum quia quantitas notabilis non ſolùm penſanda eſt per ordinem ad id, cuius eſt pars, verùm etiam ſecundùm ſe, vt alibi docui, idemque docet Suarez *loco cit. cap.* 13. *nu.* 3. Filliucius *loc. cit.* & alij. Tertia autem pars horæ paruæ ſecundùm ſe, non videtur notabilis, etiamſi per ordinem ad id, cuius eſt pars, notabilis cenſeatur.

Ego verò cum Leſſio *loco citato* probabiliter dicendum arbitror, horam paruam eſſe materiam grauem, non verò tertiam partem, vel medietatem horæ paruæ. Ratio eſt, tum quia pars infra horam paruam, ſecundum ſe, videtur modica, & leuis, & conſequenter non ſufficiens ad mortale peccatum: tum quia veroſimile non eſt Eccleſiam velle perpetuis gehennæ incendiis illum ſubiicere, qui leuiorem partem omittit.

3 Reiicitur opinio Suarez exiſtimantis minorē quantitatē ſufficere ad mortale peccatum in Choro, quàm in priuata recitatione.

3 Hinc patet quid dicendum ſit de omiſſione diuini Officij in Choro, ſi omiſſio contingat animo non ſupplendi ea per priuatam recitationem, quæ quis in Choro prætermiſit. Immo Suarez *loco citato cap.* 13. *num.* 2. *& ſeqq.* non ſolùm putat eum mortaliter peccare, qui partem notabilem in Choro prætermittit, licèt animum habeat illius ſupplendæ per priuatam recitationem, verùm etiam minorem quantitatem requiri putat ad mortale peccatum in omiſſione Officij in Choro, quàm in priuata recitatione. Verùm opinio Suarez, quamuis tuta ſit, & aliquando conſulenda; mihi tamen non probatur præciſo ſcandaloſo, aliave circumſtantia: nam ſupponere videtur grauiorem obligationem circa publicam recitationem extare, quàm circa priuatam, non ſolùm reſpectu totius Capituli, verùm etiam reſpectu ſingulorum Canonicorum, quod ego non facilè admiſerim: conſtat enim aliquem poſſe à Choro aliquo die abeſſe abſque mortali peccato, vt infrà oſtendam: non poſſe verò diuinum Officium priuatim omittere, niſi aliqua ſubſit iuſta, & ſufficiens excuſationis cauſa. Ita Nauarrus *cap.* 10. *de oratione.* Carolus Macignus *cap.* 26. *num.* 14. & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Quot peccata committantur ab eo, qui diuinū Officium prętermittit.

4 QVi ratione Ordinis ſacri, & beneficij Diuinum Officium recitare tenetur, plura ſpecie peccata committit: vnum contra obligationem ordinibus adnexam, alterum contra obligationem ex beneficio conſurgentem. Ratio eſt, quia tot ſunt ſpecie peccata, quot ſunt virtutes quæ violantur: hic autem non ſolum violatur virtus religionis, cuius intuitu ſuſcipiens Ordines ſacros adſtringitur, & obligatur ad Horas recitandas, verùm etiam læditur iuſtitia ratione beneficij; beneficiarius enim ex Officio tenetur ad penſum Canonicarum precum: faciens autem contra proprium Officium, peccat contra iuſtitiam, vt patet inductione in aliis caſibus, quos *in tract. de reſtitutione* adduxi; præterea Eccleſia beneficium hac lege, & conditione confert, vt beneficiarius Horas perſoluat, alioquin fructus ſuos non faciat. Ergo beneficiarius Diuini Officij recitationem omittens, facit contra iſtam legem, conditionem, & pactum, conſequenter violat iuſtitiam, cùm ex pacto inter duos inito iuſtitiæ obligatio conſurgat. Ita Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſput.* 15. *num.* 6. *ſub finem*, Paulus Squillas *de obligationibus Cleric.* 1. *par. dub.* 34. *num.* 71. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 5.] Idem ſentire videtur Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 13. multis in locis aſſerens, Beneficiarium teneri ex iuſtitia Choro intereſſe, & diuinum Officium recitare, Carolus Macignus *cap.* 10. *num.* 5. *& cap.* 25. *num.* 10. & alij apud Garziam *num.* 14. contra Henriquez *in ſumm. lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 3. *in comment. littera O.* & ipſum Garziam *de benef. tom.* 1. 3. *parte cap.* 1. *num.* 125. Azorium 1. *parte lib.* 4. *cap.* 2. *quæsito* 6. *circa medium*, & alios aſſerentes vnicum eſſe peccatum.

Addo quemlibet Clericum adſtrictum onere diuini Officij committere etiam peccatum contra ſpecialem obedientiam. Ratio eſt, quia *in cap. dolentes. de celebrat. Miſſ.* imponitur præceptum in virtute obedientiæ: nec implicat eumdem actum, qui alias ad virtutem Religionis pertinebat, iterum præcipi ex nouo motiuo, & virtuti obedientiæ ſubiici, eiuſque omiſſionem diuerſis virtutibus aduerſari. Secus dicendum cenſeo de Religioſis, qui poſt profeſſionem ex ſola conſuetudine, & non ex Eccleſiæ præcepto tenetur ad diuinum Officium; hos enim arbitror vnum tantummodò ſpecie peccatum contra Religionem, per ſe loquendo, committere; quia hæc conſuetudo videtur inducta ſolùm ex motiuo religionis, nec aliud præceptum ex peculiari motiuo conditum ipſos obligans aſſignari poteſt, vt ſuppono.

5 Pœnitens qui diuinū Officium prætermiſit tenetur in confeſſione titulos ſuæ obligationis aperire.

5 Ex noſtra ſententia ſequitur, pœnitentem, qui diuinum Officium prætermiſit, teneri in confeſſione aperire titulos ſuæ obligationis, an videlicet teneretur Officium ratione beneficij, & Ordinis recitare: conſtat enim peccata, quoad ſpeciem, in confeſſione manifeſtanda eſſe: non manifeſtarentur autem, ſi pœnitens hos titulos reticeret, vel Confeſſarius eos aliunde non cognoſceret, iuxta dicta *de matrimonio quæſt.* 4. *puncto vltimo ad finem*, & in ſimili docet Pitigianus *tomo* 2. *diſp.* 16. *quæſt. vnica art.* 5. *§. quis, pag. mihi* 330. Azorius 1. *par. lib.* 4. *cap.* 4. *quæsito* 6. *vltra medium*, & alij communiter in ſimili loquentes de Sacerdote turpitudinem aliquam carnalem committente.

TERTIA PROPOSITIO.

6 Quot peccata numero committat qui diuinū Officium aliquo die prætermittit.

6 BEneficiarius, aut initiatus Ordine Sacro prætermittens aliquo die Horas Canonicas, non tot numero peccata committit, quot ſunt Horæ omiſſæ, præciſis actibus voluntatis moraliter interruptis.

Hæc propoſitio non eſt æquè certa apud omnes.

Prima enim ſententia ſuſtinet tot peccata committi, quot ſunt Horæ Canonicæ omiſſæ. Primò, quia qui vna hebdomada integra in Quadrageſima non ieiunat, committit ſex peccata, cùm ſex ieiunia omittere dicatur. Ergo etiam ſeptem peccata committit, qui totum diuinum Officium aliquo die prætermittit, cùm ſeptem Horas Canonicas omittere dicatur.

Secundò, quia qui ſeptem diebus ſingulas Horas omitteret, exempli gratia, hodie Matutinum, cras Primam, poſtridie Tertiam, & ſic deinceps, reus eſſet ſeptem peccatorum numero diſtinctorum. Ergo etiam eorumdem reus eſt, qui omnes Horas eodem die prætermittit. Sicut enim ille violat ſeptem præcepta, ita etiam hic, cùm vterque ſeptem opera diſtincta prætermittat.

Tertiò, quia ſingulæ Horæ ſunt diſtinctæ preces, & orationes diſtinctis temporibus, ex præſcripto Eccleſiæ ſub pœna grauis peccati recitandæ. Ergo illarum omiſſiones ſunt diſtincta numero peccata.

Quartò, quia ſingularum Horarum recitatio eſt impletio præcepti; ergo ſingularum omiſſio eſt violatio præcepti, ſaltem virtute diſtincti, cùm horæ inter ſe connexæ non ſint, & præceptum vnius horæ ſeorſum ab aliis adimpleri poſſit. Ita Leſſius, Tabiena, & alij *locis proximè citandis.*

Secunda ſententia tuetur vnum numero peccatum omiſſionis in die committi, quamuis fieri poſſit, vt plura numero peccata interna, ratione actuum voluntatis moraliter interruptorum, committantur. Quamobrem, vt ego gradatim, & debito ordine progrediar:

7 Omittens diuinū Officium tot peccata committit, quot ſunt actus moraliter interrupti.

7 Dico primò omittentem diuinum Officium toties in die peccare peccato interno, quoties moraliter repetit voluntatem omittendi Officium, vel notabilem ipſius partem. Ideo qui manè ſtatuit non recitare diuinum Officium, & poſtea ſæpiùs in die repetit voluntatem non recitandi, toties peccat, quot ſunt actus peccaminoſi voluntatis moraliter interrupti. Ratio eſt, quia tot ſunt peccata, quot ſunt actus peccaminoſi interni moraliter interrupti, vt patet ex dictis de diſtinctione numerica peccatorum *in tract. de peccatis.* Ita Nauarrus *de orat. cap.* 7. *num.* 9. Malderus *verb. At quæres.* Molfesius *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 13. Valentia *tom.* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 2. *puncto* 10. *ſub finem. verſ. Dixi autem.* Macignus *cap.* 25. *num.* 6. Reginaldus *lib.* 18. *nu.* 157. Suarez *num.* 19. & alij ſtatim citandi, contra Ludouicum Lopez *par.* 2. *cap.* 105. Garziam 1. *par. de benef. cap.* 1. *num.* 137. & alios quos retuli *de peccatis*, aſſerentes eſſe vnum peccatum, niſi interruptio actuum facta ſit per pœnitentiam, ſeu actum contrarium.

8 Omittēs diuinū Officiū vnum ſolum peccatum externum omiſſionis incurrit.

8 Dico ſecundò eum, qui vno die diuinum Officium omittit, committere vnum tantummodò peccatum externum omiſſionis conſummatum, ſi omiſsio diuini Officij per ſe conſideretur abſque repetitione, & multiplicatione actuum voluntatis, & abſque oppoſitione ad varias virtutes, ex quibus quis tenetur Horas recitare, vt dictum eſt in ſecunda propoſitione. Ratio eſt, tum quia dicitur omittere vnum tantùm Officium ſingulis diebus perſoluendum, quod diuiditur in plures horas, & dicitur tranſgredi vnum præceptum, habens pro obiecto totum Officium, quod ex ſeptem Horis Canonicis integratur: tum quia volitio, qua quis vult integrum Officium vno die omittere, eſt vnum numero peccatum, modò actus voluntatis moraliter non interrumpātur. Ergo etiam ipſa omiſsio eſt vnum numero peccatum, cùm actus internus indiuiduationem ab eo accipiat, à quo vnitatem, vel diſtinctionem ſpecificam habet. Ita Nauarrus *de orat. cap.* 7. *num.* 60. Azorius *lib.* 10. *cap.* 7. *quæsito* 4. Rodriquez *in Sum. par.* 1. *cap.* 141. *num.* 16. Reginaldus *lib.* 18. *nu.* 145. Valentia *tomo* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 2. *puncto* 10. *verſ. Dixi autem.* Garzias 3. *parte cap.* 1. *num.* 132. Molfesius *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 9. Filliucius *tomo* 2. *tract.* 13. *cap.* 2. *quæsito* 11. *nu.* 248. Naldus *verb Diuinum Officium n.* 10. Paulus

Squillas 1.*part.dub.*33. *n.*68. Vasquez *de benef. c.*4. §.1. *art.*2. *dub.*5. *nu.* 71. Sylvester *verb. Hora quæsito* 12. Eman. Sà *verb. Horæ num.* 13. Bellarminus *lib.* 1. *de bonis operib. cap.* 18. Valentia *loco citato*, Malderus *loco cit.* Macignus *cap.* 25. *num.* 7. Suarez *tom.*2. *de relig. lib.*4. *cap.* 25. *num.*18. & alij communiter, teste Suarez, contra Tabienam *verb. Horæ quæsito* 18. Lessium *lib.*2. *cap.*37. *dub.*9. *num.*53. & alios asserentes tot peccata committi, quot sunt horæ omissæ, ob rationes in prima sententia allatas.

Hinc sequitur primò, illum, qui differt recitationem diuini officij vsque ad Vesperas, & in Vesperis proponit non recitare officium, committere vnum tantummodò peccatum mortale non solùm externum, verùm etiam internum, si postea non repetita moraliter voluntate tradat se somno, & non expergiscatur, donec transacta sit media nox. Ita Doctores cit.

Ratio est, quia semel tantùm fecit contra præceptum omissione diuini Officij, eo die debiti; consequenter in confessione satisfacit dicendo se diuinum Officium semel prætermisisse.

9 Omittens diuinum Officium, vel ipsius partem, tenetur in cõfessione exprimere partẽ quam omittit.

9 An verò prætermittens aliquo die diuinum officium, vel aliquas Horas, vel notabilem illius partem, teneatur in confessione aperire id, quod omisit, vel satisfaciat dicendo se lethalem culpam commisisse in non recitando diuino Officio, dissensio est inter DD. de qua re sufficienter egi *de pœnitentia disp.*5. *sect.*2. *puncto* 2. §. 3. *difficultate* 3. *num.*17. *& sequent.* vbi ostendi, & probaui cum Valentia exprimendum esse. Idem tradunt Lessius, Suarez, Filliucius, Tabiena *locis citatis.* Garzias 3. *parte cap.*1. *num.*142. Henriquez *lib.*5. *cap.*7. *num.* 6. contra Paulum Squillantem, 1. *parte dub.*33. *num.*70. & alios.

Ratio nostra est, quia hæc est circumstantia tenens se ex parte obiecti, & constituens actum, vel omissionem in suo esse indiuiduali.

Addo à fortiori exprimendum esse numerum actuum voluntatis moraliter interruptorum, quibus quis decreuit diuinum Officium omittere, vt patet ex regulis generalibus traditis de peccatis, & de pœnitentia: numerus enim peccatorum in confessione aperiendus est. Ita Doctores cit. licèt contrarium teneat Lopez, Garzias, & alij *locis suprà citatis*, asserentes peccata interna non multiplicari, nisi interruptio fiat per pœnitentiam, seu actum contrarium.

Secundò sequitur, eum, qui recitato Matutino ceteras Horas omittit, committere vnum peccatum externum omissionis, quamuis interiùs sæpiùs peccet repetitione actuum voluntatis moraliter interruptorum, vt sæpiùs dictum est.

Ad rationes primæ sententiæ initio tertiæ propositionis allatas.

Ad primam rationem respondeo, eum, qui voluntatem habet non ieiunandi integra hebdomada Quadragesimæ, sex peccata committere, quia actus internus eisdem malitias virtualiter distinctas continet, quas opus, vel omissio externa, vt patet ex regulis generalibus traditis de peccatis: omisio autem externa sex dierum ieiunij sex peccata numero diuersa complectitur, quia hæc ieiunia sunt diuerso tempore debita, nec intra eumdem diem, vel intra idem tempus adimpleri possunt, cùm obligatio ieiunij sit affixa diei, & transeat cum ipso die. Ideo ad argumentum in forma respondeo, negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia septem Horæ Canonicæ intra eumdem diem, & intra idem tempus successiuè quoad substantiam præcepti recitari possunt, & vnum idemque Officium in septem Horas distributum constituunt, quod non accidit in ieiunio diuersis diebus debito.

Ad secundam patet responsio ex proximè præcedenti: nam qui singulis diebus singulas Horas prætermittit, facit contra diuersas obligationes diuersis diebus debitas: secus qui eodem die integrum Officium recitare negligit.

Ad tertiam respondeo, singulas Horas non esse distincta Officia, sed distinctas partes eiusdem Officij eodem die persoluendi, sicut sunt manus, & pedes respectu eiusdem hominis. Nec obstat, quòd Horæ diuersis diei horis persoluantur; tum quia hoc idem obstaret in partibus eiusdem horæ, dum cum morali interruptione recitantur: tum quia Horæ Canonicæ, licèt diuersis statisque diei horis recitari debeant, vt omne peccatum euitetur, nihilominus si eodem tempore successiuè celebrentur, lethalis culpa non incurritur, quia præceptum quoad substantiam adimpletur.

Ad quartam respondeo, singularum Horarum recitationem, esse impletionem partialem præcepti, sicut singularum omisio est violatio præcepti in partem. Præterea, si hoc argumentum valeret, applicari etiam posset transgressioni diei festi, peccato furti, & ceteris, sicque integer peccatorum numerus in illa materia non inueniretur.

Vtrùm verò habens plura beneficia tot peccata committat, quot sunt beneficia, constat ex dictis *q.*2. *punct.* 4. *num.* 27. *ad finem*, non committere plura peccata: idemque præter Doctores ibi citatos tradit Azorius 1. *part. lib.*4. *cap.*2. *quæsito* 6. Garzias *num.* 124. Henriquez *loco citato*, & alij contra Nauarrum, & alios quos retuli *de peccatis.*

10 Quandonam incurratur excommunicatio ab eo, qui diuinum Officiũ prætermittit, si propter Officij omissionem lata esset excommunicatio.

10 Sed modò dubium est, quandonam incurratur excommunicatio ab eo, qui Canonicas preces omittit, si lata esset excommunicatio, seu Censura contra non recitantes Horas Canonicas.

Respondeo incurri dum non amplius vacat tempus ad Horas recitandas. Ratio est, quia Censura non incurritur ob peccatum internum, sed ob peccatum externum completum: peccatum autem externum omissionis Officij non est completum, quamdiu vacat tempus ad Horas recitandas, cùm intra illud tempus Officium recitari, & præcepto satisfieri possit. Ita Suarez *loco citato*, *num.* 19. Filliucius *cap.*7. *quæsito* 11. *num.*249. & euidenter colligitur ex dictis *de Censuris quæst.*1. *punct.* 3. & ex dictis *de peccatis*, dum quærerem quandonam peccatum omissionis incurratur.

PVNCTVM II.

Vtrùm qui recitationem Horarum Canonicarum prætermittit, ad restitutionem fructuum teneatur, aliamq; pœnam incurrat.

Hic principaliter loquor de restitutione ab iis facienda, qui priuatim diuinum Officium non recitant. De obligatione verò restitutionis, seu pœnæ eorum, qui Officium in Choro non canunt, sermonem instituam *infra. num.* 2.

In hoc igitur puncto, prius explicabo in genere onus, quo beneficiarius, pensum Canonicarum precum prætermittens, ad restitutionem fructuum teneatur: deinde difficultates aliquas scitu dignas, ad hanc rem pertinentes subiiciam, & dissoluam. In secunda propositione breuiter aperiam, vtrùm omittens diuinum Officium aliam pœnam incurrat

PRIMA PROPOSITIO.

1 Beneficiarij habẽtes onus recitandi diuinum Officium tenentur ad restitutionẽ fructuum pro rata omissionis Officij si elapsis sex mensibus post obtentam beneficij possessionem Officium non recitauerint.

1 Beneficiarij, habentes onus recitandi diuinum Officium titulo beneficij, tenentur etiam ante sententiam iudicis ad restitutionem fructuum pro rata omissionis Officij, si elapsis sex mensibus post obtentam beneficij possessionem, Officium culpabiliter non recitauerint, etiamsi alio die pensum prætermissum supplere conentur, nisi fortè pars omissa leuis sit.

Hæc propositio patebit, tum ex pluribus rationibus in sequentibus adducendis; tum ex Concilio Lateranensi sub Leone X. & ex Bulla Pij V. quam refert Nauarrus *in manuali cap.*25. *num.*122. Suarez *lib.*4. *cap.*29. *n.*2. Fusc̃us *de visitat. lib.*2. *cap.*20. Summa Corona 1. *parte cap.* 1. *num.* 93. Carolus Macignus *cap.* 28. *num.* 2. vulgari idiomate, Quaranta *verb. Horæ Canonicæ.* Molfesius *cap.* 5. *num.* 11. Vtriusque tamen Pontificis constitutiones hìc mihi placet percensere, ne lector eas aliunde quærere, & emendicare cogatur, cum ad praxim commodè inseruire debeant.

Tenor Concilij Lateranensis sub Leone X.

2 Ponitur tenor Cõcilij Lateranensis, & Bulla Pij V.

2 Statuimus quoque, & ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses, obtento beneficio diuinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis recitationis Officij, & temporis, sed eos tamquam iniustè perceptos in fabricas huiusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si verò vltra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso priuetur, cùm propter Officium detur beneficium. Intelligatur autem Officium omittere quo ad hoc, vt beneficio priuari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit, Deo tamen vltra præmissa de dicta omissione reddituri rationem, quæ pœna in habentibus plura beneficia, reiterabilis toties sit, quoties contra facere conuincantur.

Hoc decretum innouatum fuit, declaratum, & auctum à Pio V. in constitutione edita 12. Cal. Octobris 1571. in hæc, quæ sequuntur, verba.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuã rei memoriam.

Ex proximo Lateran. Concilio salubris sanctio emanauit, vt quicumque habens beneficium Ecclesiasticum cum cura, & sine cura, si post sex menses quàm illud obtinuerit, diuinum Officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis Officij, & temporis suos non faciat, sed eos tamquam iniustè perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Verumtamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda. Nos huic rei euidentiùs, atque expressiùs prouidere volentes, statuimus, vt Horas omnes Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur; qui verò Matutinum, tantùm dimidiam, qui ceteras omnes Horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat, tametsi aliquis Choro addictus, non recitans, omnibus Horis Canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque & distributiones, fortè aliter assignatas sola præsentia, iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucrifeciisse prætendat, is etiam præter fructuum, & distributionum amissionem, graue peccatum intelligat se admisisse.

Item ille, qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse; declarantes præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum seruitium omnino habentia, obtinentes, cum prædictis pariter contineri. At quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum Officium paruum B. Mariæ Virg. decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium. Nulli ergo, &c.

3 Qui titulo patrimonij, aut alia ratione ad diuinum Officium recitandũ nullum habentes beneficium obligãtur, si diuinum Officium prætermittant, nihil restituere tenentur.

Præfata propositio intelligenda est cum nonnullis ampliationibus, & limitationibus, quæ ex singularum partium explicatione facilè innotescent. Quamobrem

3 Dixi in propositione, *titulo beneficij*, nam qui alio titulo ad Horas Canonicas obligatur, non tenetur ad restitutionem: ex quo patet solutio ad illam difficultatem, qua quæritur vtrùm Clerici Sacris Ordinibus initiati, nullum tamen beneficium habentes, teneantur ad aliquam restitutionem ob omissam diuini Officij recitationem.

Respondeo negatiuè. Ratio est, tum quia nullos percipiunt fructus ob onus recitandi diuinum Officium; ergo non tenentur ad restitutionem fructuum: par enim non est, vt qui recitatione diuini Officij

Officij nullum sentit commodum fructuum, illius omissione sentiat incommodum: tum quia Concilium Lateranense, & Bulla Pij V. loquuntur de habentibus qualecumque beneficium cum cura, vel sine cura animarum, vel pensionem titulo Clericali. Ita Toletus *lib.2.cap.12.num.4.* & alij.

Hinc patet quid dicendum sit de iis, qui ad titulum patrimonij, vel ad mensam Sancti Sepulchri Mediolani, vel ad mensam Regularium promoti sunt: hæc enim non veniunt nomine beneficij, vel pensionis, de quibus in præcitatis iuribus sermo est.

4 Qui diuinum Officium inculpabiliter prætermittit, ex. gr. bona fide, vel ex obliuione, aut ex legitimo impedimento, ad nullam tenetur restitutionē.

4 Dixi, *culpabiliter non recitauerint*; nam qui bona fide, vel ex naturali obliuione, vel ex legitimo impedimento diuinum Officium non recitarunt, non tenentur ad fructuum restitutionem, quia non dicuntur Officium culpabiliter omisisse.

Hinc patet solutio ad illam difficultatem, vtrùm beneficiarij, qui diuinum Officium ex ignorantia inuincibili, aut ex obliuione, aut bona fide, aut absque culpa, aut ex legitimo impedimento prætermiserunt, teneantur ad restitutionem.

Respondeo non teneri. Ratio est, quia in foro conscientiæ non debetur pœna, vbi culpa non est; carentia autem fructuum inducta est in pœnam culpæ admissæ in recitatione diuini Officij. Ita Reginald. *lib.30.num.44.* Molfesius *in sum.tract.5.cap 5.num.14.* Nald. *verb. Diuinum Officium num.15.* Garzias *tom.1.de benef. parte 3. cap. 1. num.26.* Carolus Macignus *cap.18.&19.* Paulus Squillas *1.part. dub. 32. num. 67.* Lessius *cap.34.num.183.* Suarez *loco cit.num.16.* Azor. *1.part. lib.10. cap.14.quæsito 7.* & alij: idemque colligitur ex constitutione Pij V. ibi, *legitimo cessante impedimento.*

5 Qui pensum diuini Officij alio die persoluit, loco Officij aliàs omissi, iuxta probabiliorem sententiam obligatur ad restitutionem.

5 Dixi, *etiamsi alio die pensum prætermissum supplere conentur*; quia onus diuini Officij est affixum diei, & transit cum ipso die: consequenter alio die suppleri non potest, vt eius suppletione, & adimpletione immunitas restitutionis acquiratur. Sylvester *verb. Hora quæsito 13.* Valentia *punct.10. sub finem, vers. circa octauum,* & alij DD. statim citandi.

Hinc patet solutio ad illam difficultatem, qua quæritur, vtrùm ille teneatur ad restitutionem fructuum, qui alio die supplet defectum in recitatione diuini Officij commissum.

Respondetur enim teneri. Ratio est, tum quia ille tenetur ad restitutionem, qui non satisfecit præcepto diuini Officij recitandi: sed qui alio die recitauit diuinum Officium, non satisfecit præcepto diuini Officij recitandi; ergo tenetur ad restitutionem. Minor patet, quia obligatio diuini Officij est affixa diei, & transit cum ipso die, & sicut ille non satisfacit præcepto ieiunij, aut Missæ, qui alio die non præscripto ab Ecclesia ieiunat, vel Missam audit: ita neque satisfacit præcepto diuini Officij, qui alio die recitat officium: tum quia qui diuinum officium omisit, iam contraxit obligationem ad pœnam à superiore impositam; inferior autem non potest auctoritate propria eximere se à pœna, quam contraxit: tum quia in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 9.* & in Bulla Pij V. habetur, eum, qui non recitat suo tempore officium, non facere fructus suos, ibi, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij, & temporis, suos non faciat. Ita Henriquez *lib. 13. cap. 13.* Petr. Nauar. *lib.1. de restitutione cap.2.num.180.* Arrag. *2.2. quæst. 83. art. 13.* & alij contra Maiorem, Paludanum, Ledes. & alios apud Henriquez *loc.cit.num.2.* quibus adhærent Suarez *cap.27.num.5. & cap.29. num.11.* Molfesius *cap. 5.num.17.* & Filliucius *cap.10. quæsito 2. num. 307.* asserentes non teneri ad restitutionem supplendo alio die pensum Horarum, aut compensando aliis piis operibus; quorum opinio probabilis est, & probari posset hoc pacto: tum quia rependit æquale, vt suppono; tum quia Capellanus, qui vno die tenetur ex onere Capellaniæ celebrare, si alio die celebret, non tenetur per se loquendo, restituere: ergo neque tenetur beneficiarius, qui alio die officium recitat.

Verùm ad primam istorum rationem responderi posset, non posse fructus recipere, quia illos ipso facto amisit, nec illos propria auctoritate sibi applicare potest, æquale pensum soluendo.

Ad secundam, quicquid sit de antecedenti, de quo sufficienter egimus in tractatu *de Sacramentis*, negatur consequentia. Ratio disparitatis est, quia onus celebrandi non est ita diei affixum, vt transeat cum ipso die, sicut transit onus diuini officij recitandi.

6 Confessarius non tenetur pœnitenti in satisfactionē Officij prætermissi æquiualentem Officij recitationē iniungere.

6 Maior difficultas videtur, vtrùm Confessarius debeat pœnitenti in satisfactionem officij omissi, nouam eiusdem officij recitationem, vel quid æquiualens iniungere. In qua difficultate magna est inter DD. dissensio, & altercatio, vt patet ex S. Thoma *quodlibet.3.q.29.* & ex Turrecremata *in cap. Presbyter. dist. 92. quæst. 4.*

Ratio dubitandi [pro parte affirmatiua] est, tum quia iniquè priuauit Ecclesiam debito cultu: tum quia ex violatione iustitiæ oritur obligatio restituendi ad æqualitatem: sed beneficiarius non recitans officium violat iustitiam; ergo tenetur restituere ad æqualitatem: non videtur autem ad æqualitatem restituere nisi omissas recitationes nouis recitationibus compenset. Ita Paludan. *in 4. distinct. 15. q. 5. art. 2.* & alij.

Omissis aliorum sententiis mihi dicendum videtur cum præcit. DD. & cum Suarez *lib.4.cap.27.nu.5.* Carolo Macigno *cap. 27. num. 3. & seqq.* Filliucio *tract.23. cap.7. quæsito 7. num. 267.* Henriquez, & aliis, per se loquendo, necessarium non esse, [vt noua eiusdem officij recitatio imponatur,] sed arbitrio prudentis Confessarij iniungendam esse congruam, & rationabilem pœnitentiam. Ratio est, tum quia nullo iure probatur Confessarium teneri nouam Officij recitationem, vel aliquid æquiualens iniungere: tum quia beneficiarius non tenetur transacto die officium, præteritis diebus omissum, supplere: ergo neque Confessarius tenetur hoc onus, per se loquendo, iniungere: tum quia sequeretur etiam non audienti sacrum in die festo, iniungendam esse nouam Missæ auditionem; non ieiunanti tempore Quadragesimæ, aut alio die ab Ecclesia præscripto, nouum ieiunium imponendum esse, quod vsu receptum non est, sed arbitrio prudentis Confessarij relinquitur: alioquin grauissima onera pœnitentibus imponerentur, & nimis graue confessionis iugum redderetur.

7 Beneficiarius, qui diuinum Officium prætermisit, tenetur ad fructuū restitutionem etiam ante iudicis sententiam.

7 Dixi, *etiam ante sententiam*, vt aduerterem beneficiarium qui diuinum officium prætermittit, teneri ad prædictam restitutionem, etiam ante sententiam iudicis, vt patet ex dictis *de legibus.* Ratio est, tum quia beneficium confertur sub hac tacita conditione, vt beneficiarius percipiat fructus, si officium recitauerit: tum quia beneficiarius non recitans officium, non facit fructus suos, vt dicitur in Concilio Lateranensi: sed nullus retinere potest, quod suum non est; ergo beneficiarius omittens diuinum officium, non potest retinere fructus, sed tenetur illos restituere ante sententiam: tum quia nemo potest retinere iniustè acquisituri: beneficiarius autem, qui diuinum officium omisit, retinet fructus tamquam iniustè acquisitos.

Neque obstat, pœnam, quæ ad sui executionem hominis actionem requirit, non esse subeundam ante sententiam iudicis; hoc enim fallit quoties aliter constat de voluntate legislatoris volentis pœnam incurri ante sententiam, vt accidit in proposito casu, in quo Lateranense Concilium, & Pius V. obligant in conscientia beneficiarium in pœnam delicti ad restitutionem fructuum, ibi, sed eos tamquam iniustè perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Ita Lessius *cap.34.dub.39.&32.* Suarez *loco cit. cap.30.num.3.* Nauarrus *cap.25. num.22.* Pesantius *2.2.quæst. 62.art.2.disp.2.num.5.* Petr. Nauarrus *de restitutione cap. 2. num. 195.* Arragonius *2.2.q.83.art.13.* Carolus Macignus *cap.28.num.10.* Malderus *loco cit. dub.4.pag.652.* Vasquez *in opusc.de benef.cap.4.§.1.dub.7.* Filliucius *cap.10.num.311.* vbi testatur hanc esse sacræ Pœnitentiariæ praxim. Molfesius *cap.5.num.12.* [Paulus Layman *lib.4.Theologiæ moralis tract.2.cap.5.num.1.*] Sanchez *in sum.* & alij, quos retuli *de legibus*, contra Sylvestrum *v. Clericus 4.quæsito 23.&24.* & alios apud Macignum *num. 10.*

8 Beneficiarius qui diuinum Officium intra sex menses beneficij adepti prætermittit, nō tenetur ad fructuū restitutionē, quāuis reus sit grauis culpæ.

8 Dixi in propositione, *si elapsis primis sex mensibus post obtentam beneficij possessionem Officium non recitauerit*, nam omittens primis sex mensibus peccat quidem mortaliter, quia facit contra prohibitionē Ecclesiæ in re graui, & contra finem, propter quem datur beneficium, vt patet ex ipsa Bulla: tamen non tenetur ad restitutionem ob diuinum Officium primis sex mensibus omissum, vt patet ex prædictis constitutionibus: si verò elapsis primis sex mensibus diuinum Officium omittat, non solùm mortaliter peccat, vt suprà dictum est, verùm etiam tenetur ad restitutionem pro rata temporis, & Officij omissi. Ideo beneficiarius, qui vno die omittit totum Officium, tenetur restituere omnes fructus, quos illo die percipit: qui omittit Matutinum, tenetur restituere dimidium fructuum, sicut etiam dimidium fructuum restituere tenetur, qui recitato Matutino dimittit omnes reliquas horas. Si verò vnam tantùm horam distinctam à Matutino omittat, tenetur solùm sextam illius medietatis partem restituere, vt si dimittat Vesperas, aut Completorium, aut Primam, aut maiorem Laudum partem, &c. Ita colligitur ex prædicta Pij V. Bulla, idemque docet Vasquez *dub.7.num.39.* Macignus *num. 6.* [Layman *lib.4.tract.1.cap.5.num.1.*] & alij DD. cit. quamuis Lopez *instruct.2.part.cap.95.* quem citat, & sequitur Possevinus *cap. 1. nn. 35. in princ.* putat omittentem Canonicas preces paucis, exempli gratia, octo vel decem diebus, non teneri aliquid restituere, & hanc opinionem in vno, vel duobus diebus in anno probabilem putat Filliucius *cap.10.quæs.8.* idemque tenet Angelus, Arrag. & alij *suprà cit.*

Sed hoc mihi non probatur, tum quia grauiter peccat, consequenter dignus est hac pœna: tum quia iura absolutè & indistinctè loquuntur, nec aliud vsu receptum est.

Contrarium accidit in seruis, ac famulis aliquo die à debito seruitio & famulatu deficientibus: nam recepta consuetudo, & tacita dominorum voluntas id famulis permittit.

9 Beneficiarius Officium intra primos sex menses omittens tenetur ad fructuum restitutionem, non ex iure naturæ, sed ex iure Ecclesiastico.

9 Maior difficultas est, primò, vtrùm qui primis sex mensibus diuinum Officium omisit, teneatur ex natura rei ad restitutionem fructuum, quamuis ex dispositione iuris Ecclesiastici non obligetur. Ratio dubitandi [pro parte affirmatiua] est, quia datum ob causam retineri non potest causa non subsecuta, *tit. de condictione ob causam.* beneficium autem datur propter Officium, *cap. fin. de rescript. in 6.* Ita Couarruuias, Valentia, & Suarez *locis* statim *citandis.*

Respondeo nihilominus ad fructuum restitutionem non teneri. Ita Vasquez *de benefic.cap.4.§.1.art.1.dub.8.* sibi contrarius *1.2. disput. 168.nu.34. tom.2.pag.168.* ex impressis Ingolstadij, Stephanus Quaranta *verb. Horæ Canonicæ*, vbi testatur de ferè communi. Carolus Macignus *cap.28.nu.11. & seqq.* Malderus *tract.10.cap.2.dub.4.* Toletus *lib.2.cap.12.nu.5.* Lessius *lib.2. cap.34. dub.32. num.179.* Nauarrus *cap.21.de orat.nu.58.* Sylvester *verb. Clericus 4.quæs.23. n.16.* Tabiena *ver. Beneficium 3.num.11.* Garzias *3.part.cap.1. nu.7.* Filliucius *cap.10. num.308.* [Azor. *part.1.lib.10.cap.14.q.3.* & 4. Paulus Layman *lib.4. tract.2.cap.5.nu.1.*] & alij, contra Nauar. *3. variar.cap.13.num.20.* Valentiam *2.2.disp.6.quæst.2.punct.10. sub finem, versic. Sed quæri;* & Suarez *tom.2.de relig.lib.4.cap.29.nu.7. & seqq.* vbi obligat ad restitutionem in temporalibus, vel saltem in spiritualibus, repetita diuini Officij recitatione, aut aliis precibus; Menochium *de arbitrariis cent.2. casu 429.* Simancam apud Vasquez *loc. cit.* & alios apud Garziam *nu. 10.* Ratio est, tum quia Summus Pontifex, ad quem pertinet leges circa hanc materiam statuere, eximit ab obligatione restituendi, & confert beneficium sub conditione restituendi, si diuinum Officium elapsis sex mensibus prætermittatur: tum quia ita vsu receptum est; quare licèt præcisa lege, & vsu verum sit, beneficiarium non recitantem diuinum Officium primis sex mensibus, teneri ex natura rei ad restitutionem, vt concedunt Suarez, Vasquez, & alij in contrariū adducti (violat enim iustitiam commutatiuam, cum faciat contra obligationem contractus, do vt facias, & ex violatione iustitiæ oriatur obligatio restituendi, nisi obligatio remittatur ab eo, qui eam remittere possit;) nihilominus Summus Pontifex sicut potest minuere Officium, ita etiam beneficiario restituendi obligationem, quæ consurgit ex omisso primis sex mensibus Officio, remittere, & condonare potest.

Ex quo patet responsio ad illud axioma datum ob causam, retineri

non potest causa non subsecuta; hoc enim procedit, nisi aliter constet de voluntate dantis: alias responsiones affert Malderus *loco cit.* [Layman *lib.4.tract.2.cap.5.num.1.*] & Garzias *num.12.* quia beneficium non datur propter Officium, tamquam sub conditione Officij recitandi, sed sub modo, & onere. Hæc tamen responsio sano modo intelligenda est, pro iure ad fructus primis sex mensibus percipiendos: alioquin idem Garzias sibi contrarius esset *num.19.*

10 Qui diuinum Officium primis sex mensibus prætermisit, illudq; iis elapsis, iterū prætermittit, tenetur ad restitutionē fructuū pro rata Officij omissi post sex menses, non vero ratione Officij omissi intra primos sex menses.

10 Secunda difficultas est, vtrùm beneficiarius, qui diuinum Officium omisit primis sex mensibus, & iis elapsis adhuc illud omittit, teneatur ad restitutionem fructuum respondentium, non solùm tempori omissionis præsentis, vetùm etiam respondentium tempori primorum sex mensium.

Respondeo teneri solùm ad restitutionem fructuum perceptorum post sex menses. Ratio est, quia Pius V. & Concilium Lateranense exemerunt beneficiarium à restitutione ob Officium primis sex mensibus omissum. Ergo beneficiarius, qui diuinum Officium primis sex mensibus omisit, non tenetur restituere fructus perceptos primis sex mensibus, sed solùm perceptos post sex menses ad ratam Officij omissi. Ita Filliucius *cap.10.quæsito 3.num.310.* Macignus *num.16.* & Suarez *cap.29.ad finem,* vbi refert Nauarrum, sicque alios communiter sentire testatur, contra Valentiam *tom.3.disput.6.q.2.punct.10.§. Circa octauum.*

11 An leuē Officij partem omittens ad restitutionē obligetur.

11 Dixi in propositione, *nisi fortè pars omissa leuis sit,* nam qui leuem Officij partem omisit, vt si omisit solùm paucos versiculos, aut vnum Psalmum tantùm, non tenetur ad restitutionem, iuxta Toletum *lib.2.cap.12.num.6.* Petr. Nauar. *lib.2.cap.2.dub.3.num.202.* Macignum *cap.56.nu.38.* Nauar. *de orat.cap.9.in fine, & cap.10. nu.42.* Monetam, & Garziam *locis* statim *citandis.* Molfesium *tract.5. cap.5. nu.8. & 14.* Reginaldum *lib.30.nu.44.* Suarez *cap.30. num.13.* & alios arbitrantes non teneri ad restitutionem fructuum respondentium parti omissæ, etiamsi fructus respondentes illi parti omissæ sint magnæ quantitatis. Idem sustinet Filliucius *cap.10. quæsito 7.* dum asserit pro omissione minori, quàm vnius horæ integræ, non esse aliquid restituendum.

Verùm hæc limitatio in rigore loquendo, reiici posset. Ratio est, tum quia omittens peccauit contra præceptum, & violauit iustitiam commutatiuam; ex violatione autem iustitiæ commutatiuæ oritur obligatio restituendi: tum quia quæ ratio est totius ad totum, eadem est partis ad partem, *l.quæ de tota.ff.de rei vindicat. & l. à Titio.ff. de verborum obligat.* Tum quia datum ob causam, retineri non potest causa non subsecuta, sed fructus dantur propter Officium; ergo retineri non possunt Officio non persoluto, sed Officium non dicitur, quoad partem omissam, persolutum; ergo fructus illi parti respondentes, retineri non possunt, & sicut adesset obligatio restituendi integros fructus, si totum Officium prætermissum fuisset, ita erit obligatio restituendi partem fructuum, si pars diuini Officij prætermittatur.

Verùm, quia hæc sententia nimis alicui rigorosa videbitur, & ad praxim vix reuocari potest sine magno incommodo, & scrupulorum periculo, probabiliter, & tuta conscientia sustineri posse arbitror opinionem Toleti, Nauarri, Garziæ, Monetæ, & aliorum communi DD. calculo receptam, & vsu Ecclesiæ aliqua in parte comprobatam in distributionibus, quæ conferuntur Canonicis, qui statim inchoato Officio in Choro non reperiuntur.

12 Qui ad Chorum inchoato Officio accedit, non semper priuatur distributionibus.

12 Immo Petrus Moneta *in suo tractatu de distributionibus 2.parte quæst.3.num.42.* ab obligatione restitutionis distributionum non solùm eximit eum qui ad Chorum accedit solùm post primum Psalmum, seu post primum Hymnum, iuxta vniuscuiusque Ecclesiæ præscriptum, vel consuetudinem rationabilem, verùm etiam, qui præter hanc partem, materiam aliquam leuem prætermittit, seu minus attentè confabulando, vel dormiendo, vel aliud impertinens faciendo recitat: nam omissio illius primæ partis impunè permittitur; ergo solùm habenda erit ratio alterius partis, quæ præter illam omittitur: altera autem pars est modica, vt suppono: consequenter non inducit obligationem restituendi; & hoc probabiliter sustineri potest propter rationem in contraria sententia afferendam *illat.3. num.15.*

Idem fortasse alicui dicendū videbitur de eo, qui in ipsomet initio interfuit diuino Officio, [sed non attendit, vel non recitat primum Psalmum, vel quid æquialens;] fortassis enim iudicabit hunc non teneri ad restitutionem distributionum, nisi partem Officij notabilem culpabiliter prætermittat, præter illam, quæ impunè permittitur serò ad Chorum accedenti, seu præter æquialentem: alioquin inferioris, & deterioris conditionis videretur ceteris, qui ad Chorum inchoato iam Officio se conferunt. Ita innuere videtur Moneta *loco cit. num.42. in 2.editione, verf. hic melioris conditionis*; quamquam satis obscurè loquitur, & textus fortè mendosus est.

Sed hæc vltima ampliatio, & iudicium mihi displicet: hic enim, posito quòd ad Chorum accesserit, tenetur diuinum Officium attentè, & deuotè recitare, consequenter mortaliter peccat, dum partem notabilem simpliciter prætermittit. Nec absurdum est dicere, hunc deterioris esse conditionis in hac parte eo, qui serò accedit, cùm Ecclesia, vel statutum, vel consuetudo iusta de causa serò accedentibus aliquod spatium indulserit.

13 Non solum qui totum, & integrum Officium, verum etiā qui partem illius notabilem prætermittit, tenetur ad restitutionem, etiāsi parti omissæ modica fructuum quantitas respōdeat.

13 Ex dictis colligi potest, primò non solùm illum ad restitutionem fructuum obligari, qui totum Officium prætermisit, verùm etiam illum, qui aliquam Officij partem notabilem omisit cum peccato mortali, quamuis Toletus, & Suarez existiment illum non teneri ad restitutionem, dum fructus respondentes parti omissæ sunt modicæ quantitatis, ratione tenuitatis beneficij, & non essent materia sufficiens ad peccatum mortale furti. Sed hoc mihi non probatur, nam hinc solùm inferri potest non teneri sub mortali, non verò non teneri saltem sub veniali, vt constat ex dictis *de restitutione quæst. 1. punct.3.§.vnico num.5.* cum Petr. Nauarro, Rebello, & aliis contra Lessium, Sanchez, Azorium, & alios, quorum sententiam probabilem existimo.

14 Qui sæpius partē notabilem omisit, tenetur ad restitutionem, etiāsi singulis omissionibus modica fructuū quantitas respōdeat.

14 Secundò, illum teneri sub mortali ad restitutionem, qui sæpiùs partem notabilem diuini Officij omisit, quamuis singulis omissionibus non respondeat pars notabilis fructuum, sed pars notabilis respōdeat omnibus omissionibus simul sumptis. Ratio est, tum quia sicut qui minima furatur, tenetur sub mortali ad restitutionem, postquam peruenit ad notabilem quantitatem, vt suppono ex dictis de restitutione *loco proximè citato*; ita qui notabilem diuini Officij partem sæpiùs omisit, tenetur sub mortali ad restitutionem, postquam peruenit ad eam quantitatem omissionum, quibus simul sumptis respondent fructus magnæ quantitatis: tum quia ex violatione iustitiæ cōmutatiuæ oritur obligatio restituendi. Ita Suarez *loco citato*, Filliucius *cap.10.num.320.* Garzias *3.part.cap.1.num.27.* & alij, quicquid in contrarium sentiant Menochius *de arbit. casu 429.* & alij.

15 Obligādus videtur ad restitutionem qui paucos versiculos singulis horis omittit.

15 Tertiò, eum teneri ad restitutionem, qui eodem die in singulis horis paucos versiculos omisit, qui simul sumpti grauem materiam constituunt: nam sicut continuantur in ordine ad grauem culpam, ita etiam in ordine ad restitutionem. Contrarium docet Moneta *2.part. q.3.nu.22.* Filliuciùs *cap.10. quæsito 7.* & alij relati *num.11. & 12.* quia lex definit obligationem restituendi pro singularum horarum omissione, [non pro qualibet parte horarum.]

Sed hæc ratio diluitur, tum quia lex definit restitutionis quantitatem pro singulis horis, vt quilibet sciat quid pro singulis, vel illarum partibus omissis, restituendum sit; non autem vt eximat omittentem nonnullos singularum horarum versiculos, qui simul sumpti materiā notabilem constituant: tum quia ad hoc faciunt rationes superiùs allatæ; quamquam sententiam oppositam non iudico improbabilem.

16 Habens plura beneficia tenetur ad restitutionem pro rata singulorum beneficiorū, quoties diuinū Officium prætermittit.

16 Quartò habentem plura beneficia teneri fructus omnium beneficiorum, pro rata officij culpabiliter omissi restituere: sicut enim ratione omnium tenebatur officium recitare; ita etiam fructus omnium pro rata officij dimissi restituere tenetur, vt clarè constat ex Bulla Pij V.

17 Qui diuinum Officium recitat sine attentione, tenetur ad restitutionem non solum fructuum, verum etiam distributionum.

17 Quintò eum teneri ad restitutionem, qui diuinum Officium recitauit absque attentione. Ita Nauarrus *cap.13.de oratione nu.17.* Reginaldus *lib.30.num.48.* Molfesius *cap.5.num.15.* Petrus Nauarrus *lib. 2.de restit.cap.2.nu.240. & seqq.* Azorius *lib.10.cap.11.quæsito 5.* Lessius *lib.2.cap.37.dub.11.num.67.* Paulus Squillas *1.parte dub. 21. num.42.* Vasquez *de benef. cap.4.§.1. art.3. dub.4.* Moneta *de distribut. 2.parte quæst.2.nu.20. & 21.* Arragonius *2.2.quæst.83.art.12.* Garzias *de benef. 3.part.cap.1.num.186. & cap.2.num.515.* Suarez *cap.30.num.14.* Filliucius *tract.23.cap.10.quæsito 8.num.321.* Pesantius *2.2. quæst.62. art.2. disp.3.versic.Consentiunt, & disp.4.sub finem,* [& nouissimè post hæc à me sæpiùs edita Augustinus Barbosa *in cap. dolentes num. 20. de celebr. Miss.*] & alij contra Cordubam *lib.4.quæst.13.* Toletum *lib. 2. cap. 12. nu.6.versic. Quartum dictum,* Malderum *tract.10.cap.2. dub.4.quæsito 4.* Medinam, & alios apud Petr. Nauar. *lib.2.cap.2. nu.181. & 228.* & apud alios præfatos Doctores, præsertim apud Carolum Macignum *de Horis Canonicis quæst.89.num.11. & seqq.* Ratio est, quia perinde est, ac si non recitasset: nam idem est aliquid non facere, & non facere rectè, quoad substantialia, *cap.veniens.de presbyt.non baptiz.* cùm autem de substantia orationis sit attentio, sequitur recitantem sine attentione non satisfacere præcepto quoad substantiam: consequenter non posse fructus retinere: idem dic de recitatione Officij in Choro, recitans enim Officium in Choro sine attentione non potest retinere fructus, imò neque distributiones, vt probatum est.

18 Recitans in peccato mortali acquirit fructus.

Neque obstat primò Tridentini Decretum *sess.24. cap.12. de reformat.* vbi decerni videtur ad lucrandas distributiones solam in Choro præsentiam sufficere, consequenter non opus esse ad lucrandas distributiones, vt Officium cum attentione recitetur. Distributiones, inquit Concilium, qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui quauis collusione, aut remissione excluſa his careant.

Respondetur enim nudam præsentiam non sufficere, tum quia vana, & inutilis esset præsentia sine recitatione, nisi aliud ferat consuetudo, vel institutio: tum quia præsens non censetur, qui non attendit, vt suprà ostensum est: Concilium verò intelligendum est de interessentibus, & recitantibus cum attentione, vt muneri suo satisfaciant; quidquid in contrarium sentire videantur Malderus *loco citato*, Garzias, Lessius, & Toletus, quos retuli *quæst.3.punct.2.§.2.*

Non obstat secundò Horas Canonicas recitari nomine Ecclesiæ, quæ supplet defectum recitantis.

Respondetur enim hoc verum esse, modò defectus ab Ecclesia suppleri possit. Ecclesia autem efficere non potest, vt id, quod non est oratio, sit oratio: quidquid in oppositum dicant Macignus *loco citat.* & alij.

18 An verò qui diuinum Officium cum attentione recitauit, sed in peccato mortali, teneatur ad restitutionem fructuum.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia non omisit Officium, sed adimpleuit præceptum Ecclesiæ, cùm Ecclesia non præcipiat diuinum Officium in gratia recitari. Ita Petr. Nauarrus *loco cit. num.205.* Suarez *loco citato, cap.30.num.15.* Eman. Sa *verb. Horæ Canonicæ num.18.* Nauarr. *de orat.cap.7.num.35.* Naldus *verb. Diuinum Officium nu.17.* vbi refert Diaz *in pract.cap.57.in fin.* & alij, quos suprà retuli.

19 Idē dic de recitante in excōmunicatione.

19 Grauior difficultas est vtrùm excommunicatus recitans Officium in excōmunicatione possit retinere fructus, vel distributiones.

Respondeo affirmatiuè, modò suum præstet Officium, vt fusius explicaui *de Censuris disp.2.quæst.2.punct.4.§.2.* vbi plures quæstiones ad hanc rem facientes proposui, & dissolui, quamuis Suarez, Rota Romana, & alij oppositum sentiant. Videnda sunt quæ ibi tradidi, præsertim in vltimis editionibus.

20 Qui nōdum finito Officio Choro egreditur, obligatur ad restitutionē fructuum, nisi priuatim suppleat.

20 Sextò patet quid dicendum sit de eo, qui nondum finito Officio, Choro egreditur: hic enim grauiter peccat posita materia graui, consequenter ad fructuum restitutionem obligatur. Ita Nauar. *de Horis Canonicis cap.10.num.11.* Couar. *3.var.cap.13. nu.6.* Moneta *loco citato, nu.23.* & alij: hoc tamen intelligendum saltem est, nisi habeat intentionem priuatim recitandi, [& supplendi omissa,] iuxta suprædicta, & infrà dicenda de onere assistendi Choro.

21 Pensionarius obligatur ad restitutionē fructuū dum paruum Beatiſſ. Virg Officium non recitat.

21 Septimò patet quid dicendum ſit de penſionario; dicendum enim eſt, penſionarium, qui tamquam Clericus recipit fructus, & paruum Beatiſſimæ Virginis Officium omiſit, teneri ad reſtitutionem, eo modo, quo tenetur Beneficiarius, vt patet ex Bulla Pij V. in qua Summus Pontifex eamdem ei obligationem imponit. Suarez *cap.* 30. *num.* 22. Molfeſius *cap.* 5. Azorius *loco citato*, *quæſito* 12. Nauarrus *num.* 22. Petr. Nauarrus *lib.* 2. *de reſtitutione cap.* 2. *num.* 199. Carolus Macignus *cap.* 28. *num.* 26. Malderus *loco cit. quæſito* 3. *ad finem*, Garzias *num.* 37. Graffius 1. *part. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 9. Filliucius *cap.* 10. *quæſ.* 10. *num.* 327. & alij communiter.

22 Affertur concluſio eorum, quæ in præcedentibus dicta ſunt, allatis ſimul ampliationibus, & limitationibus.

22 Quæ in hoc puncto hactenus explicaui in hanc compendioſam concluſionem redigo, adiunctis ampliationibus, & limitationibus fusè in præcedentibus explicatis.

Habens onus diuini Officij recitandi tenetur ad reſtitutionem fructuum pro rata Officij omiſſi.

Amplia primò, etiamſi alio die compenſet, vt dictum eſt *num.* 5.

An autem Confeſſarius debeat in compenſationem omiſſionis nouam Officij recitationem iniungere, perſpicuum eſt ex dictis *num.* 6.

Amplia ſecundò, etiam ante iudicis ſententiam, vt probatum eſt *num.* 7.

Limita primò, niſi inculpabiliter omittat, vt explicatum eſt *nu.* 4.

Limita ſecundò, niſi alio titulo, quàm beneficij, recitare teneatur, vt oſtenſum eſt *num.* 3.

Limita tertiò, niſi dimittat intra ſex menſes, tunc enim non tenetur reſtituere iure Eccleſiaſtico, vel naturali, vt patet ex dictis *num.* 8. *& ſequenti in* 1. *difficultate.*

Si verò elapſis ſex menſibus Officium dimiſit, tenetur ad reſtitutionem fructuum reſpondentium omiſſioni poſt ſex menſes, non autem reſpondentium primis ſex menſibus, vt oſtenſum eſt *difficultate* 2. *num.* 10.

Limitari poteſt quartò, niſi omittat modicam Officij partem, vt explicatum eſt *num.* 11. *& ſeqq.*

SECVNDA PROPOSITIO.

23 Omittēs diuinum Officium priuari poteſt beneficio, ſi elapſis ſex menſibus adhuc Officium poſt admonitionem recitare negligat.

23 Omittenti diuinum Officium præter obligationem reſtitutionis, iam explicatam, impoſita eſt pœna priuationis beneficij, ſi beneficiarius vltra præfatum tempus ſex menſium, admonitus neglexerit Officium recitare. Hæc propoſitio clarè conſtat ex Decreto Concilij Lateranenſis ſuperiùs citato: quamobrem hic ſolum

Obſeruandum eſt, primò hanc pœnam non ipſo facto incurri, cùm Summus Pontifex prærequirat admonitionem poſt ſex menſes faciendam ei, qui diuinum Officium recitare negligit.

Obſeruandum eſt ſecundò, illum cenſeri Officium negligere ad hunc effectum, vt beneficio priuari poſſit, qui intra quindecim dies illud bis ſaltem non recitauerit, vt patet ex Concilio Lateranenſi ſuperius citato. Videri poteſt Vaſquez *loco cit. dub.* 8. *nu.* 45. Suarez *cap.* 30. Graffius 1. *part. lib.* 2. *cap.* 51. Carolus Macignus *cap.* 28. *num.* 34. & alij DD. cit.

PVNCTVM III.

Quomodo facienda ſit reſtitutio, ſeu quænam fructuum portio reſtituenda ſit propter diuini Officij omiſſionem.

VNICA PROPOSITIO.

1 Reſtitutio fructuū ob omiſſionem diuini Officij facienda eſt eo pacto, quo à iure præſcribitur.

1 Reſtitutio facienda eſt eo pacto, quo à iure præſcripta eſt; quo autem pacto præſcripta ſit hæc reſtitutio in iure, manifeſtè conſtat ex conſtitutione Pij V. ſuperiùs citata: vbi Summus Pontifex propoſitam difficultatem ſoluens, in hæc verba loquitur: Verùm multorum animi ſuſpenſione tenentur, cuiuſmodi ratæ prædictæ ratio ſit habenda. Nos huic rei euidentiùs, atque expreſſiùs prouidere volentes, ſtatuimus, vt qui Horas omnes vno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficij, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie diuiderentur; qui verò Matutinum tantùm, dimidiam, qui ceteras omnes Horas, aliam dimidiam, qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum eiuſdem diei amittat.

Sed modò difficultas eſt, vtrùm hæc Bulla Pij V. præſcribentis reſtitutionem fructuum, faciendam ab eo, qui diuinum Officium intermiſit, adeò rigoroſè, & exactè explicanda ſit, vt omittens diuinum Officium aliquo die, teneatur omnes omnino fructus illi diei reſpondentes reſtituere, etiamſi beneficiarius, præter Officij recitationem aliis ſubiiciatur oneribus beneficio annexis, vt quia beneficio adiuncta eſt animarum cura, aut adminiſtratio Eccleſiæ, aut onus reſidendi, vel ſimilia.

Ratio dubitandi ad oſtendendum Bullam adeò rigoroſè accipiendam eſſe, eſt, quia hæc videtur mens, & intentio Summi Pontificis, abſolutè, & indiſtinctè loquentis de reſtitutione fructuum ſingulis diebus reſpondentium, facienda pro rata omiſſionis, vt beneficiarij ab omiſſione diuini Officij retrahantur, & ad illius recitationem excitentur, & quaſi cogantur.

Ratio verò dubitandi ad probandum Bullam non adeò ſtrictè accipiendam eſſe, colligitur ex argumentis, quæ ad probandam primā ſententiam ſtatim adducam. Quamobrem ex rationibus, quæ hinc, & inde adduci poſſunt, duplex ſententia conſtitui, & aſſignari poteſt.

2 Proponitur prima ſententia ſuſtinens omittentē diuinum Officium non teneri omnes omnino fructus reſtituere.

2 Prima ſententia, quæ mihi valdè probabilis videtur, eſt Doctorum aſſerentium Bullam Pij V. poſſe dilatari, & aliquam moderationem recipere, ita vt beneficiarius omittens diuinum Officium non teneatur ad reſtitutionem omnium omnino fructuum, ſed ſolùm reſpondentium oneri diuini Officij, ideo inquiunt nonnulli DD. Parochus, aut Epiſcopus omittens Officium debet reſtituere tertiam, vel quartam partem fructuum pro rata. Ceteras partes fructuum videtur poſſe ſibi retinere ratione aliorum onerum; Canonici, alijque habentes obligationem reſidendi, reſtituant dimidiam, alij habentes onera Capellaniæ, reſtituant dimidiam, vel tertiam partem: ſimplices verò beneficiarij, qui ſolummodò tenentur ad Horas Canonicas, reſtituere debent omnes fructus pro rata Officij. Ita Henriquez *lib.* 13. *cap.* 13. *num.* 2. Lopez 2. *parte cap.* 95. Emanuel Sà *verb. Beneficium nu.* 58. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 32. Arragonius 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 13. Toletus *lib.* 2. *cap.* 12. *nu.* 5. Rodriquez 1. *part. cap.* 164. *num.* 4. Molfeſius *in ſum. tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 8. Ludouicus Beia *caſu* 55. *part.* 1. Medina *inſtruct. confeſſ. in expoſit. præcepti* §. 11. quem citat, & ſequitur Carolus Macignus *cap.* 28. *nu.* 7. Naldus *verb. diuinum Officium num.* 12. Vaſquez *in opuſc. de benef. cap.* 4. §. 1. *art.* 1. *dub.* 7. *nu.* 38. [Paulus Layman *lib.* 4. *Theologiæ moralis tract.* 2. *cap.* 5. *nu.* 1. *ad finem. & n.* 2.] & alij, contra Poſſeuinum *cap.* 1. *nu.* 35. vbi hanc opinionem valdè probabilem exiſtimat. Azorium 1. *parte lib.* 10. *cap.* 14. *quæſ.* 2. Garziam *de benef.* 3. *part. cap.* 1. *nu.* 28. Suarez *lib.* 4. *cap.* 30. *nu.* 6. *tom.* 2. *de relig.* Valentiam, Filliucium, & alios adducendos pro ſecunda ſententia.

Ratio, cur Bulla recipiat hanc explicationem, & moderationem, eſt, tum quia nonnulli beneficiarij non ſolùm recipiunt fructus pro recitatione Officij, verùm etiam pro aliis laboribus, & oneribus. Ergo par eſt, vt in reſtitutione non ſolùm habeatur ratio Officij omiſſi, verùm etiam aliarum obligationum, & onerum, quæ cùm ſint diuerſa, facienda eſt diuerſa computatio; nec par eſt, vt grauius damnum patiatur beneficiarius, qui præter Officij obligationem alia onera ſuſtinet, quàm qui ſolam habet recitandi Officij obligationem. Ideo dum in Bulla dicitur, omittentem diuinum Officium debere omnes fructus reſtituere, ſermo eſt de fructibus reſpondentibus recitationi diuini Officij, non verò de fructibus reſpondentibus aliis oneribus, nec præſumendum eſt Summum Pontificem loqui vltra ſubiectam materiam, niſi clarè, & ſufficienter exprimat: tum quia, cum Bulla expreſsè non præſcribat contrarium, ſtandum eſt diſpoſitioni iuris antiqui, *l. præcipimus. C. de appellat.* Tum quia ex ſententia contraria ſequeretur Clericum habentem Capellaniam reddentem quinquaginta aureos, quos omnes Clericus in onere Capellaniæ perſoluendo expendit, teneri alios quinquaginta reſtituere, ſi diuinum Officium illo anno non celebret. Hoc autem durum videtur, licèt ab auctoribus oppoſitæ ſententiæ concedi debeat, vt conſequenter loquantur: tum quia hæc eſt praxis beneficiariorum: praxis autem, & conſuetudo non eſt facilè carpenda, niſi manifeſtè conſtet de ipſius malitia, & iniquitate: tum quia hæc Bulla edita eſt ad tollenda dubia, vt ex præcitatis Bullæ verbis conſtat; ſed dubium non erat de fructibus reſpondentibus aliis oneribus, ſed de illis, qui debentur ratione Officij; ergo Bulla de his tantummodò explicanda eſt.

Hinc colligi poteſt cum Nauarr. Arragon. & Leſſio, Canonicum, vel penſionarium, aliumve habentem beneficium ſimplex, teneri, ad reſtitutionem omnium fructuum, ſi diuinum Officium omittat. Ratio eſt, quia non poteſt alia ratione fructus recipere, quàm ratione Officij perſoluendi; cùm ergo non perſoluat Officium, vt ſuppono, nullum habet titulum cur aliquos fructus recipiat, quamuis Henriquez *loco cit.* exiſtimat non teneri reſtituere omnes fructus, ſed poſſe aliquos retinere, eò quòd præter obligationem recitandi Officium, habeat onus geſtandi habitum, & tonſuram, viuendi caſtè, & obſeruandi alia, quæ præſcribuntur in iure; nam fructus Eccleſiaſtici non ſolùm dantur ob diuinum Officium, verùm etiam propter alia onera, & miniſteria. Opinio Henriquez mihi in hac parte non probatur, tum quia beneficium non datur ad deferendum habitum, & tonſuram, ſed propter Officium aliaque onera beneficio annexa: tum quia delatio habitus, & tonſuræ compenſatur aliis commodis, vt immunitate Eccleſiaſtica; tum quia cùm beneficium conferatur Clerico, habitus delatio ſupponitur ante beneficij collationem. Eodem pacto mihi non probatur ratio, ſeu computatio, quam circa Canonicos à nonnullis DD. fieri dictum eſt in prima ſententia, *verſ. ideo inquiunt nonnulli. num.* 2.

nino fructus reſtituere.

3 Proponitur oppoſita ſententia.

3 Secunda ſententia eſt quàm plurium Doctorum affirmantium hanc Bullam in rigore explicandam eſſe, ita vt omittens diuinum Officium vno die, exempli gratia, teneatur ſimpliciter, & abſolutè ad reſtitutionem omnium fructuum, quos eo die percepit, nam Bulla indiſtinctè loquitur, & abſque limitatione præcipit omnes fructus reſtitui cuiuſcumque beneficij. Ita Azor. 1. *part. lib.* 10. *cap.* 14. *quæſito* 5. Reginaldus *lib.* 30. *nu.* 46. Petr. Nauarr. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 183. *& ſeqq.* Paulus Squillas *dub.* 31. *nu.* 66. Suarez *loc. cit. cap.* 30. *num.* 6. Valentia *tom.* 3. *quæſt.* 2. *punct. vlt. ſub finem.* Garzias *loc. cit. num.* 28. Malderus *de virtutibus tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 4. *verſ. ſequitur.* Vaſquez ſibi contrarius 1. 2. *diſp.* 168. *num.* 34. *& ſeqq.* Vincentius Filliucius *tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 10. *quæſito* 5. vbi oppoſitam probabilem putat, & in praxi receptam, & alij.

Hæc ſententia, licèt tutior ſit, non tamen probabilitatem primæ ſententiæ tollit, quam vt valdè probabilem in praxi ſuſtineri poſſe arbitror. Quamuis enim ius abſolutè, & indiſtinctè loqui videatur, nos tamen rationem habemus diſtinguendi, ſicque benignè explicandi mentem Summi Pontificis, vt voluerit omittentem diuinum Officium obligare ad reſtitutionem omnium fructuum, reſpondentium ſcilicet diuino Officio ad ratam Officij prætermiſſi, non verò reſpondentium aliis oneribus, de quibus Summus Pontifex in præcitata Bulla non loquitur. In primam igitur ſententiam propendeo.

PVNCTVM IV.

Cui facienda ſit fructuum reſtitutio.

EXplicabo priùs, cui fructuum reſtitutio facienda ſit ob diuini Officij omiſſionem; deinde quæram vtrùm beneficiarius pauper, qui diuinum Officium omiſit, poſſit ſibi fructus reſtitutioni obnoxios titulo paupertatis retinere, aut ſaltem illos facta reſtitutione retinere, dum ab eo, cui facta fuerat reſtitutio, donantur.

VNICA PROPOSITIO.

1 Restitutio fructuum ob Officij omissionē faciēda est fabricæ beneficij, vel pauperibus.

1 REstitutio ob omissionem diuini Officij, facienda est fabricæ beneficij, vel pauperibus, vt patet ex Bulla Pij V. & ex Concilio Lateranens. superiùs relato. Ex quo patet liberum esse beneficiario restitutionem facere pauperibus, aut fabricæ beneficij. Idem dicendum est de pensionario, vt patebit ex dicendis *in* 4. *illatione.* Hæc tamen propositio intelligitur, modò aliud non ferat consuetudo, vel statutum alicubi receptum, vt dicetur *in* 2. *limitatione* 1. *quæsiti num.* 9.

2 Restitutio fieri potest in meliorandis agris, non tamē in fabricis aliarū Ecclesiarum, vel locorū piorū, nisi fortè ista restitutio in pauperes redunder.

2 Hinc colligitur primò restitutionem non esse necessariò faciendam in vtilitatem Ecclesię beneficij, sed fieri posse in vtilitatem fabricæ domus beneficij, exempli gratia, domus in qua beneficiarius habitat, vel alterius domus ipsius beneficij, aut etiam in emendis, vel meliorandis agris, vt fructus in perpetuum augeantur; hæc enim sub fabricę nomine continentur, & in præcitatis iuribus non dicitur, fabricæ Ecclesiæ beneficij, sed fabricæ beneficij. Ita Vasq. *dub.* 9. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 30. *num.* 19. Molfes. *cap.* 5. *num.* 24.

Secundò, colligitur beneficiarium, qui diuinum Officium omisit, non posse restitutionem facere in vtilitatem alterius loci. Ratio est, quia Pius V. mentionem facit pauperum & fabricæ beneficij, non verò alterius loci; consequenter beneficiarius, qui Officium prætermisit, non potest fructus insumere in ædificationem Ecclesiæ, vel reparationem bonorum alterius beneficij.

Hoc tamen limita, nisi hæc restitutio redundet in vtilitatem pauperum, qui in eo loco aluntur, tunc enim restitutio fieri censetur pauperibus iuxta mentem Summi Pontificis. Ita Suarez *cap.* 30. *num.* 9. & alij.

3 Præfata restitutio fieri potest pauperibus alterius loci.

3 Tertiò colligitur restitutionem fieri posse pauperibus non solùm loci, in quo beneficium existit, verùm etiam pauperibus alterius loci. Ratio est, tum quia Bulla generaliter loquitur de pauperibus: tum quia hoc mitius est, & faciliorem reddit restitutionem, vt benè Suarez *cap.* 30. *num.* 20. *vers. ego verò,* Molfes. *cap.* 5. *num.* 22. Filliucius *tract.* 23. *cap.* 10. *quæs.* 9. & alij.

4 Item fieri potest in Missis celebrādis pro defunctis.

4 Addo hanc restitutionem fieri posse in celebrandis Missis, vel in aliis suffragiis offerendis pro defunctis, nam etiam defuncti sunt indigentes, vt patet ex dictis *de restit. incertorum.* Ita Nauarr. *cap.* 25. *num.* 122. Suarez *loco citato, num.* 18. Filliucius, & alij quos retuli *de contract.* Hoc tamen intelligendum est cum limitatione, quam *in* 1. *quæsito* adducam, [*vers. secunda limitatio.*]

5 Pensionarius eo pacto tenetur ad restitutionē, quo beneficiarius.

5 Quartò colligitur pensionarium qui paruum Beatiss. Virgin. Officium prætermisit, teneri fructus restituere fabricæ, vel pauperibus, non verò beneficiariis. Ratio est, quia in Bulla Pij V. dicitur pensionarium obnoxium esse amissioni fructuum, modo prædicto, id est, eo pacto, quo beneficiarius obligatur. Garzias 3. *part. cap.* 1. *num.* 37. Suarez *lib.* 4. *cap.* 30. *num.* 22. Molfesius, Graffius, Azorius, & alij, quos suprà retuli *in hac quæst. illat.* 7. *punct.* 2. *num.* 21.

6 Beneficiarius, qui nouit pensionarium non recitasse diuinum Officium, non potest sibi pensionis fructus, respondentes omissioni diuini Officij, retinere.

6 Ex quò patet beneficiarium, qui nouit pensionarium non recitasse diuinum Officium, non posse pensiones denegare pensionario, vt sibi retineat, quia fructus pensionis ob omissum Officium debentur fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, non verò beneficiario, vt patet tum ex præcitata Bulla Pij V. tum ex vsu, & praxi, qua receptum est, vt pensionarius compositionem à Papa obtineat ob omissam Officij recitationem. Hanc autem compositionem, seu compensationem, Summus Pontifex non concederet in præiudicium beneficiarij, si ei fructus pensionis deberentur, non enim conceditur compositio de restitutione rei, quæ certę personæ facienda est, vt patet ex dictis *de restitutione.*

Obiicies: Beneficiarius non tenetur fructus pensionis soluere pensionario excommunicato, sed potest eos sibi retinere: ergo potest etiam illos retinere ob omissam Officij recitationem.

7 Beneficiarius, qui nouit pensionarium excommunicatum, an pensionem tempori excōmunicationis respondentem retinere possit.

7 Respondet Suarez *loco citato, num.* 12. Gigas *de pensionibus quæst.* 36. *num.* 5. & alij quos retuli *de censuris, & puncto præcedenti num.* 19. beneficiarium posse sibi pensionis fructus retinere, excommunicato pensionario, quia excommunicatus omnino incapax est, & comparatur mortuo.

Verùm, quicquid sit de antecedenti propositione, circa quam magna est inter Doctores controuersia, quam explicaui *de censuris loc. cit.* [*& hic quæst.* 5. *punct.* 2. *nu.* 19.] contra Suarez, Monetam, & alios; neganda est consequentia. Nam iuris dispositione cauetur vt fabricæ, vel pauperibus tradantur fructus pensionis respondentes tempori omissionis Officij, vt bene in hac parte obseruant Suarez, & Garzias *locis citatis.*

8 Beneficiarius pauper potest sibi fructus restitutioni obnoxios titulo paupertatis retinere.

8 Quæres primò, vtrùm beneficiarius pauper possit sibi applicare, quod restituendum est ratione Officij omissi. Ratio dubitandi [ad ostendendum non posse] est, tum quia non dicitur restitui, quod sibi retinetur: tum quia defraudari posset intentio Summi Pontificis; cùm fieri possit, vt pauper tenue beneficium habeat, & diuinum Officium non persoluat, existimans posse sibi fructus titulo paupertatis applicare, & retinere. His non obstantibus:

Respondent Doctores statim citandi posse sibi applicare, modò verè pauper sit. Ratio est, tum quia non videtur deterioris conditionis aliis pauperibus: quamuis enim peccet Officium omittendo, tamen cùm restitutio facienda sit pauperibus, & ipse paupertate laboret, negandum non videtur, quin gaudere possit fructu eleemosynæ, quæ pauperibus tribuitur: tum quia in præcitatis iuribus non excluditur, & hæc est eleemosyna, quam non tam ipse sibi, quàm Pontifex per eum facit. Ita Nauarr. *loco citato,* Emanuel Sà *verb. Beneficium nu.* 51. Suarez *loco citato, num.* 21. Filliucius *num.* 326. Petr. Nauar. *loco cit. num.* 191. Macignus *cap.* 28. *num.* 28. Lesius *loco citato, num.* 122. Toletus *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 5. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 1.] Molfesius, Naldus, & alij statim citandi. Hæc opinio probabilis est, modò cum duplici limitatione intelligatur.

9 Hoc tamen intelligitur modò contrarium non constet de voluntate Summi Pōtificis, aut modo fructus certæ personæ non debeātur.

9 Prima est, modò aliud non constet, aut aliud rationabiliter non præsumatur de voluntate Summi Pontificis, vt patet ex ratione dubitandi, & ex traditis *de legibus disp.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 6. *num.* 22. cum S. Thoma, Nauarro, Petro de Lorca, & aliis.

Secunda limitatio est, modò ex consuetudine, vel ex statuto particulari non sit facienda restitutio ad aliquod certum pium opus, aut non sit facienda aliis Cononicis, vel Clericis illius Ecclesiæ, vt accidit in distributionibus quotidianis, *cap. vnico, de Cleric. non resident.* & Tridentino *sess.* 21. *cap.* 3. *& sess.* 24. *cap.* 12. Ratio est, quia Summus Pontifex non intendit huiusmodi statuto, vel consuetudini derogare, sed determinare, cui facienda sit restitutio, quando alias non est determinatum. Ergo beneficiarius pauper in tali euentu non potest sibi fructus restitutioni obnoxios applicare titulo paupertatis. Ita Arragon. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 13. *vers. solet à quibusdam.* Toletus *lib.* 2. *cap.* 12. Filliucius *num.* 324. Suarez *loco citato, num.* 17. Molfesius *cap.* 5. *nu.* 22. Naldus *verb. Officium num.* 13. Rodriquez 1. *parte cap.* 146. *num.* 3. & alij quos retuli *de legibus loco citato,* & plures alios refert Macignus *cap.* 28. *num.* 27. & Garzias *num.* 35. quamuis ipse arbitretur huiusmodi distributiones deberi fabricæ, vel pauperibus, dum Canonicus eas amittit ob omissionem recitationis diuini Officij. Sed hoc mihi non probatur, vt ex allata ratione constat.

Aduerte tamen cum Lessio beneficiarium posse distributiones in alios pios vsus expendere, dum alioquin proderet suum delictum, restituendo iis, qui Choro interfuerunt, seruata tamen regula restitutionis, dum periculum infamiæ imminet, de qua re latis egimus *in tract. de restit.*

Ad primam dubitandi rationem, respondeo primò censeri pauperibus restitui, quia Summus Pontifex præsumitur hanc eleemosynam illi facere.

Responderi potest secundò iura intelligenda esse de restitutione facienda, quoties beneficiarius iustam non habet sibi retinendi causam: hic enim casus saltem per epicheiam ab ea lege excipi potest.

Ad secundam responderi potest, beneficiarium in tali euentu non posse sibi fructus applicare; tum quia fraus illi patrocinari non debet: tum quia rationabiliter præsumi potest Summum Pontificem nolle hos fructus illi in eleemosynam conferre, vt dictum est in prima limitatione, nisi fortè beneficiarius in valdè graui necessitate reperiatur; aut nisi fortè pœnitentia ductus constanti animo proponat in futurum recitationi vacare.

10 Beneficiarius, qui diuinum Officium non recitauit, potest facta fructuum restitutione retinere sibi fructus, cùm iterum sibi titulo donationis traduntur ab eo, cui facta fuerat restitutio.

10 Quæres secundò vtrùm beneficiarius, qui diuinum Officium non recitauit, possit retinere sibi fructus, quos titulo donationis accepit à pauperibus, seu piis locis, quibus traditi fuerunt, seu quibus tradere intendebat, vel promiserat.

Respondeo negatiuè, si remissionem ab iis obtineat, quibus fructus nondum tradiderat. Ratio est, tum quia hic non dicitur restitutionem fecisse iuxta Summi Pontificis intentionem: tum quia pauperes, quibus fructus nondum traditi sunt, non habent ius ad illos certum, & firmum, sed tantummodò vagum, & incertum, pendens à voluntate beneficiarij, cuius est eligere, & determinare cuinam velit restitutionem facere: consequenter pauperes non possunt huiusmodi remissionem concedere, cùm remissio fieri debeat ab eo qui ius verum, & proprium habet. Si verò fructus recipiat ab iis, quibus ipse tradiderat, eos sibi retinere potest, modò is, qui eos titulo donationis dedit beneficiario, liberam de illis disponendi facultatem haberet. Ratio est, tum quia quilibet est rei suæ moderator, & arbiter: tum quia hoc nullo iure prohibetur, nec vllum inde incommodum sequitur: tum quia iure communi retineri possunt distributiones, si postquam traditæ fuerunt Canonicis præsentibus, iterum ab iisdem restituantur, hoc enim non prohibetur *in Trid. sess.* 24. *cap.* 12. *de reformatione;* sed ibi solùm interdicitur collusio, & remissio: ibi enim dicitur, Canonicos, qui non interfuerunt diuinis Officiis, carere distributionibus, excluſa quauis collusione, vel remissione. Ita DD. statim cit.

11 Distributiones, quæ Canonicis interessentibus accreuerūt, illisque traditæ sunt ob alterius absentiam, iure communi retineri possunt, si ab iisdem titulo donationis absenti restituantur.

11 Quamobrem existimo non solùm fructus, verùm etiam distributiones posse retineri, quoties sine fraude, & dolo traditæ iam fuerunt Canonicis qui interfuerunt diuinis Officiis, & ab ipsis postea restituuntur Canonicis, qui non interfuerunt: nam in Conc. Trid. solùm prohibetur remittere, seu condonare; non verò donare, postquam res accepta fuit. Ita Cosmus Philiarchus 1. *part. lib.* 1. *cap.* 13. Azor. 2. *part. lib.* 7. *cap.* 7. *quæsito* 9. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 30. *num.* 17. Fuscus *de visit. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 25. *ad finem.* Filliucius *cap.* 4. *quæsito* 10. Menoch. *de arbit. lib.* 2. *casu* 429. *num.* 6. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 36. *num.* 3. Nauarr. *de orat. miscel.* 19. *num.* 4. *&* 5. Moneta *de distrib.* 3. *part. q.* 5. *num.* 6. & alij quos referam *disp.* 2. *q.* 5. *punct.* 7.

12 Quid sit collusio, & quid remissio.

12 Collusio in hoc loco est conuentio inter duos, importans mutuam cōdonationem, seu remissionem mulctæ; quamquam in Conc. Trid. non solùm prohibetur collusio, verùm etiam simplex remissio, etiam si bona fide fiat, vt patet ex illa particula disiunctiua, *aut,* quauis collusione, aut remissione excluſa: remissio autem est condonatio illius, quod speramus, sed nondum habemus, sed potius adhuc est penes debitorem, vt benè ostendit Couarr. 2. *var. cap.* 4. *num.* 8. & 12. *sub finem.* Suarez *tom.* 4. *de relig. lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 20. & alij, quos infrà referam *de distrib.*

Hinc patet Canonicum, qui non interfuit diuinis Officiis, non posse sibi retinere distributiones, quarum remissionem obtinuit à reliquis Canonicis, quibus de iure obueniunt, dum Canonicus abfuit alia de causa, quàm infirmitatis, vel iustæ corporalis necessitatis, vel ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem: poterit verò iure communi eas retinere, si donatione sibi traditæ fuerint, [& restitutæ absque præuia collatione, vel remissione.]

Dixi, *iure communi,* quia in prouincia Mediolanensi cautum est, vt non retineantur quouis prætextu, seu causa, causæve specie traditæ, donatæ, aut remissæ fuerint ex Concil. Prouinc. IV. *tit. de distrib.* cuius verba referam *disp.* 2. *q.* 5. *puncto* 7. vbi de hac re fusius, & prolixiùs agam, cùm huius rei disputatio eius loci magis propria sit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

De causis excusantibus à recitatione Horarum Canonicarum, & fructuum restitutione.

CAusæ à recitatione diuini Officij excusantes, istæ solent à Doctoribus assignari: Infirmitas, grauis occupatio, impotentia, dispensatio, carentia fructuum, metus, ignorantia, & obliuio, de quibus singulis in sequentibus punctis breuiter pertractabo.

PVNCTVM I.

Vtrùm grauis infirmitas excuset à recitatione Horarum Canonicarum.

VNICA PROPOSITIO.

1 Infirmitas grauis excusat à ratione diuini officij.

1 INfirmitas grauis, ob quam pronuntiatio verborum valdè noceret valetudini corporis, iustam præbet excusationis causam à diuini officij recitatione. Ratio est, tum quia credibile non est Ecclesiam velle cum tanto incommodo obligare: tum quia sic colligitur ex *cap. Clericus victum dist.* 91. satisque constat ex regulis generalibus traditis *de legibus.*

2 Leuis infirmitas nõ excusat.

2 Leuis verò infirmitas non excusat, qualis esse potest dolor stomachi, capitis, vel pectoris, aut etiam aliquando febris tertiana, aut quartana, cum huiusmodi febris non soleat toto die vehemẽter affligere, ita vt non vacet tempus ad diuinum Officium recitandum. Ratio est, quia obligatio recitandi Officium diuinum strictissima est, consequenter ab ea non excusat quælibet leuis causa. Ita Nauarrus *de orat. cap.* 11. *num.* 6. *& in Manual. cap.* 25. *num.* 100. Vasquez *de benefic. cap.* 4. §. 1. *artic.* 1. *dub.* 12. Malderus *tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 5. *sub finem*, Suarez *cap.* 28. *n.* 11. Molfesius *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 20. Arragonius 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. *dub.* 3. Carol. Macignus *de Hor. Can. cap.* 14. *num.* 2. vbi refert Armillam, Tabienam, Turrecrematã, & plures alios, Alexander Pes. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *disp.* 6. Ant. de Litter. 6. *part. cap.* 7. *num.* 9. Sot. 10. *de iust. quæst.* 5. *art.* 3. Azor. 1. *part. lib.* 10. *cap.* 13. *quæs.* 2. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 181. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 2. Filliucius *ca.* 9. *quæsito* 5. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 10. §. *quas ob causas. vers. circa septimum*, [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 1.] & alij quos referam *disp.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 1.

3 Facilius quis potest ab assistẽtia in choro, quam a priuata recitatione excusari.

3 Aduertendum tamen est cum Nauar. & Reginald. infirmum aliquando posse excusari à recitatione Horarum Canonicarũ in Choro, quamuis non excusetur à recitatione priuata, quia fieri potest, vt infirmitas vni recitationi impedimentum afferat, & non alteri, vt quando quis pedibus ita laborat, vt Ecclesiam adire nequeat, quãuis alioquin bene valeat; aut dum quis ob morbum cogitur in lecto decumbere, sed morbus non est adeò grauis, quin horas priuatim recitare permittat.

4 Quando dubitatur an infirmitas grauis sit, aut leuis, standũ est iudicio Medici.

4 Quæres primò, quid faciendum sit quando dubitatur, an recitatio diuini Officij valde nocitura sit valetudini.

Respondeo standum esse iudicio prudentis Medici, vt ait Azorius *loco cit.* Syluest. *verb. Hora quæsito* 4. Squillas *loco citat.* Suarez *cap.* 28. *num.* 21. Reginaldus *num.* 182. Nauar. *de orat. cap.* 11. *num.* 3. Pesantius 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *disp.* 6. Sotus *loco citato*, Carolus Macignus *cap.* 14. *num.* 12. Filliucius *num.* 293. [Paulus Layman *loc. cit.*] & alij quos infra referam *de distr. quæst.* 1. *punct.* 1. idemque in simili tradit Hoieda 1. *part. cap.* 17. *num.* 18. cum Baldo, Socino, & aliis. Ratio est, quia ad ipsum pertinet iudicium grauitatis, aut leuitatis morbi; nam periti in arte iudicio standum est, *c. fraternitatis, de frigid. & malef.*

5 Quando Medicus dubitat, an infirmitas grauis sit, aut leuis, non est obligatio recitandi officium.

5 Cùm verò Medicus ipse dubitat an morbus grauis sit, vel leuis, seu an recitatio nocitura sit, ægrotum ad Horas recitandas non teneri arbitror, quia non tenetur se periculo grauis damni exponere, vt in simili docui de Ieiunio, & alibi. Quicquid in oppositum sentire videatur Suarez *n.* 21. si verò periculum sit tantummodò leuis damni, ægrotus tenetur recitare, quia possessio stat pro pręcepto, quod obligat saltem cum leui incommodo. Ita Doct. *supra cit.*

6 Infirmus transacta infirmitate, non tenetur officium omissum repetere.

6 Quæres secundò vtrùm infirmus transacta infirmitate teneatur recitare, quæ in infirmitate prætermisit.

Respondeo negatiuè cum Azorio *lib.* 10. *cap.* 13. *quæsito* 7. Carolo Macigno *c.* 14. *num.* 19. Nauarro *cap.* 11. *de orat. num.* 32. *& seqq.* Suarez *cap.* 28. *num.* 11. & aliis communiter, quia onus persoluendi Officium est affixum diei in honorem, & cultum singulorum dierum; obligatio autem affixa diei transit cum ipso die, vt patet ex dictis *de Ieiunio, de Missa in die festo audienda, de Eucharistia semel in anno sumenda, & alibi.*

7 Qui per seipsum diuinum officium recitare nequit, nõ tenetur per alium.

7 Quæres tertiò, vtrùm qui per seipsum diuinum Officium recitare non potest, per alium supplere teneatur, vel possit.

Respondeo negatiuè, quia onus recitandi Officium est personale, vt patet ex supradictis. Ita Ioann. de Lignano *in Clement. dignum. quæst.* 1. *de celeb. Miss.* Graff. 2. *p. decis. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 37. [Toletus *lib.* 2. *c.* 14. *causa* 1. Suarez *loc. cit. c.* 18. *nu.* 11. Azor. *quæs.* 2. Paulus Layman *lib.* 4. *tr.* 1. *c.* 6. *n.* 3.] & alij.

8 Qui diuinum officium recitare non potest, non potest alias orationes substituere.

8 Addo eum, qui non potest diuinum Officium recitare, non teneri loco Officij alias orationes substituere, aut alium recitantem audire: hoc enim ab Ecclesia non præcipitur. Ita Syluest. *verb. Hora quæsito* 4. Vasquez *loco citato num.* 51. Azor. *quæsito* 8. Suarez *cap.* 28. *numer.* 11. *&* 29. *versic. dubitat.* Nauarr. *cap.* 25. *numer.* 10. Paulus Squillas 1. *part. dubio* 16. Emanuel Sà *verb. Hora. num.* 3. Reginald. *lib.* 18. *n.* 182. *&* 184. Toletus *loco citato.* Filliucius *cap.* 9. *quæs.* 4. *num.* 288. *& quæsito* 6. *numer.* 295. & alij communiter, contra Nauarr. *cap.* 11. *numer.* 39. Carolum Macignum ex parte *c.* 14. *n.* 17. *& c.* 19. *nu.* 10. & Antonium de Litteratis *num.* 9. *vers. quinta.*

9 Peregrinatio ad loca pia non eximit ab officij recitatione, etiamsi peregrinus alium in sui locum substituerit.

9 Hinc licet colligere cum Azor. *cap.* 13. *quæsito* 13. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2. *puncto* 10. § *circa septimum. vers. excludit.* Suarez *cap.* 26. Nauarr. *de orat. cap.* 12. peregrinationem ad loca pia, non eximere peregrinum à priuata recitatione diuini Officij, etiamsi Peregrinus alium in sui locum substituerit, vel aliquid aliud persoluere intendat; nam onus diuini Officij est personale, & determinatum. Idem dicendum est de adolescente, qui studiis operam nauat. Ita DD. cit. & alij quàm plures apud Carolum Macignum *de Horis Canonicis cap.* 23. *num.* 3. quibus adde Malderum *tract.* 10. *cap.* 2. *dubio* 3. *quæs.* 6. *& dubio* 5. *vers.* 2.

PVNCTVM II.

Vtrùm grauis occupatio, & impotentia excusent à recitatione Diuini Officij.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Grauis occupatio excusat ab officij recitatione.

1 GRauis occupatio, honesta, & necessaria, quæ in aliud tempus commodè differri non possit absque scandalo, vel peccato, vel detrimento sui, vel proximi, excusat ab onere diuini Officij.

Hoc titulo excusari possunt aliquando Concionatores, vel Confessarij, vel etiam alij. Ratio desumitur ex benigna Ecclesiæ intentione, quæ non præsumitur cum tanto grauamine obligare. Ita Toletus [*lib.* 2. *c.* 14.] *nu.* 3. Pesantius 2. 2. *q.* 62. *artic.* 2. *disp.* 6. Vasquez *loco citato nu.* 52. Syluest. *verb. Hora quæsito vltimo*, Malderus *dub.* 5. *ad finem.* Suarez *cap.* 28. *num.* 32. Reginald. *libro* 18. *numer.* 187. Molfesius *cap.* 5. *num.* 36. [Paulus Layman *lib.* 4. *tr.* 1. *c.* 6. *nu.* 1. Arragon *q.* 83. *a.* 12. *dub.* 4. *causa* 2.] Nauarr. Valentia, Azorius, & alij DD. cit. omissis aliis quos præfati DD. recensent.

2 Qui graui occupatione detinetur, tenetur diuinum officium anticipate persoluere, quoties occupatio anticipatã recitationem permittit.

2 Obserua tamen primò, eos qui graui occupatione detinentur, teneri Officium anticipatè recitare, si occupatio anticipatam recitationem permittat, ideo qui summo manè præuidet fore, vt toto subsequenti tempore confessionibus audiendis, vel grauibus negotiis detinendus sit, tenetur summo manè diuinum Officium anticipatè recitare; quia tunc temporis viget obligatio præcepti, & potest adimplere, ergo adimplenda est. Ita Syluest. *verb. Hora quæsito vltimo*, Valentia *loco citato disp.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 10. Graffius 1. *parte libro* 2. *cap.* 54. Carolus Macignus *cap.* 14. *num.* 3. *& cap.* 15. vbi plures alios DD. refert Suarez *cap.* 28. *num.* 32. Azor. *loco cit. quæs.* 13. Molfesius, Nauarrus, Naldus, & alij DD. citat. omissis quàm pluribus aliis, quos retuli *in tractat. de Sacramentis*, dum loquerer de Missa in die festo audienda.

3 Beneficiarius, aliusue diuini officij onere detentus, non potest sine iusta, & rationabili causa suscipere negotium cum officij recitatione incompossibile.

3 Obserua secundò cum Suarez *loco citato*, Filliucio *quæsito* 8. *&* 9. Maiore *in* 4. *d.* 12. *quæst.* 6. *ad* 5. *in fine.* Molfesio *num.* 38. Moneta 2. *parte de distribut. quæst.* 5. *num.* 25. *&* 28. Iasone, Oddo, & aliis quos infra referam *quæst.* 4. *punct.* 3. *num.* 17. *disp.* 2. obligatum ad recitationem Horarum non posse voluntariè suscipere aliud munus & Officium, cuius executio incompossibilis sit cum recitatione Horarum: nam volens huiusmodi munus, & Officiũ, implicitè censetur velle omissionem Canonicarum precum: hoc tamen limitandum est iuxta dicta de legibus, & de peccatis loco statim citando, modò non adsit grauis aliqua necessitas illius suscipiendi, seu modò actio, quæ suscipitur, non putetur hic, & nunc maius bonum, quàm sit recitatio diuini Officij: nam obligatio diuini Officij non est tanti ponderis, vt semper obliget ad prætermittendum id, quo suscepto diuinum Officium recitari non potest. Vide quæ dixi de peccatis *disput.* 2. *quæst.* 8. *puncto* 1. *quæsito* 2. *num.* 9 *& seqq.* dum quærerem, vtrùm coniiciens se in aliquod impedimentum, quo posito non poterit præceptum adimplere, grauiter peccet. Idem sentiunt præcit. Doctores, præsertim Suar. & Filliuc. qui hanc rem multis exemplis explicant, vt de scholari, qui per integrum diem disputationem habiturus est; aut de Doctore, qui in appositione Cathedræ publicam prælectionem habiturus est, seque intra certum horarum numerum ad illam parare debet. Hæc enim grauis censetur occupatio iusta de causa suscepta, consequenter rationabilem præbet excusationis causam.

Ex dictis colligi potest, eum, qui ob grauem occupationem Officium diuinum recitare non potuit, ad fructuum restitutionem non obligari, quia par non est, vt pœnam subeat, qui culpam non admisit.

Obiicies primò, datum ob causam retineri non potest causa non subsecuta, cùm autem fructus tradantur ob diuini Officij recitationem, sequitur, beneficiarium non posse illos sibi retinere omissa recitatione.

Respondeo datum ob causam retineri non posse, causa non subsecuta, nisi aliud rationabiliter de voluntate dantis præsumatur: in prima autem propositione dictum est præsumendum non esse Ecclesiam velle ad Officij recitationem, & consequenter ad fructuum restitutionem obligare, graui occupatione superueniente.

Obiicies secundò, grauis occupatio non efficit absentem à Choro participem distributionum; ergo neque fructuum capacem reddit omittentem diuinum Officium.

Respondetur negando consequentiam, quia in primo casu constat Ecclesiam nolle illum participem distributionum efficere, *ca. vnico, de Cleric. non resid.* in secundo verò casu contrarium ex benigna Ecclesiæ voluntate præsumi superiùs dictum est.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Impotentia excusat à recitatione diuini officij, seruatis impotentiæ terminis, & limitibus.

4 IMpotentia, qualis est carentia Breuiarij, sine quo diuinum Officium recitari non potest, excusat ab obligatione recitationis diuini Officij. Ratio est, quia impossibilium non est obligatio. *l. impossibilium ff. de regulis iuris.* Ita Suarez *cap.* 28. *numer.* 7. Molfesius *cap.* 5. *n.* 32. Filliucius *c.* 9. *quæsito* 3. [Azor *c.* 13. *quæs.* 18. Garzias 3. *p. c.* 1. *nu.* 97. Paulus Layman *lib.* 4. *tr.* 1. *c.* 6. *num.* 1.] Nauarrus, Valentia, Malderus, Pesantius, Antonius de Litteratis, & alij DD. citati, omissis iis, quos retuli de peccatis *loco citat. propositione* 2. vbi etiam ostendi quandonam peccet, & quot peccata committat, qui sua culpa amittit, vel proiicit Breuiarium.

Hoc tamen limitandum est iuxta limites impotentiæ, quia causa limitata, limitatum producit effectum.

5 Cœcus, aliusue simili defectu obstrictus, diuinum officium recitare non tenetur, dum ob cœcitatem officium recitare nequit.

5 Ex hac secunda propositione sequitur primò, cœcum ex toto, aut etiam ex parte non teneri ad Officium persoluendum, dum legere non potest. Ita Squillas *dub.*11. & 15. Sanchez *in opere morali lib.* 1. *c.*19. *num.*7. Nauar. *de orat. c.*11. *num.*23. Molfesius *in Summ. tract.* 5. *cap.*4. *num.*26. Filliucius *c.*9. *quæsito* 6. Lessius *lib.*2. *cap.*3. *dub.* 9. *n.*54. Suarez *cap.*28. *n.*23. Azor. *lib.*10. *ca.*13. *quæs.*4. & 5. Reginaldus *lib.*18. *num.*183. & 185. Garzias *de benef.*3. *part. c.*1. *nu.* 221. [Paulus Layman *lib.*4. *tract.* 1. *c.*6. *n.*1.] & alij.

6 Idem aliqui censent, etiãsi aliquam partem recitare valeat, non vero totũ Officium, aut integrã horam.

6 Qui addunt eum, qui ob cœcitatem, vel ob debilitatem, seu infirmitatem, vel ob Breuiarij carentiam maiorem officij partem persoluere non potest, ad nihil teneri, consequenter eum, qui non potest maiorem Matutini partem recitare, non teneri ad recitandam reliquam Matutini partem, quam recitare potest, licet teneatur ad reliquas horas, quas potest.

Addunt Nauarrus *de orat. cap.*11. *n.*15. Suarez *cap.*28. *n.*10. *ad finem*, Filliucius *cap.*9. *n.*28. Malderus *cap.*2. *dub.*5. carentem Breuiario, qui totum Officium, aut aliquam horam integram memoriter nescit, sed tantummodò Psalmos, vel lectiones, vel orationem, vel capitula memoria tenet, non teneri ad id quod memoria tenet; quia illæ non sunt Horæ Canonicæ, seu Officium diuinum: Ecclesia autem obligat solùm ad recitandum diuinum Officium. Imo Rodriquez 1. *parte c.*145. Molfesius *cap.*4. *num.*27. Garzias *num.*222. & alij absolutè asserunt, eum, qui non potest Matutinum cum Laudibus recitare, ad nihil teneri, quia licet hæc non sit maior Officij pars, nihilominus est pars illius prima, & præcipua.

7 Contrarium ab auctore asseritur, & probatur remissiue.

7 Ego verò censeo, illum qui non potest totum officium recitare, teneri ad illam partem recitandam, quam potest, modo illa pars sit notabilis, & præsumatur intenta à legislatore, vt patet ex regulis generalibus traditis de peccatis *loco citat.* præsertim *num.*4.7. & 8. cum Pet. Ledesma, cui adde Vegam *cap.*128. *cas.*1. Graff. *lib.*1. *ca.*54. *num.*3. & *seqq.* Suarez *loc. cit. c.*28. *n.*10. ex parte, Valentiam *loco cit. vers. si tamen.* Ad rationes ibi adductas me remitto.

8 Qui diuinum officium, sine ope socij recitare nõ potest, tenetur illũ adhibere, modò cõmodè adhibere pos. sit: imò beneficiarius debet illum pecunia conducere, dũ illius opera gratis non conceditur, & reditus sufficientes habet.

8 Sed modò difficultas est, vtrùm qui nõ potest diuinum officium recitare absque auxilio socij, quem non consueuit adhibere, teneatur illum adhibere, vt recitet officium.

Respondet Garzias *de benef.*3. *parte cap.*1. *num.*215. teneri solùm adhibere, si antea consueuerat adhibere. Less. verò, Henriquez, & alij apud Garziam *num.*114. absolutè respondent non teneri, neque hoc improbat Molfes. *tract.*5. *cap.*4. *num.*28. Sed mihi dicendum videtur, beneficiarium teneri socium adhibere, modò commodè possit adhibere, & non sit surdus, vel surdaster, qui nequeat audire sine magna vociferatione. Ita Nauar. *de oratio. cap.*11. *num.*13. Suarez *cap.*28. *nu.*13. & *seq.* Philiarchus *cap.*10. *conclus.*1. Arragon. 2. 2. *quæst.*83. *art.*12. *cauſa* 1. Rodriquez 1. *part. cap.*144. *num.*1. Filliucius *quæsito* 4. *n.* 289. Reginaldus *lib.*18. *num.*183. *ad finem.* Nugnus in simili 3. *parte quæst.* 85. *art.*6. *vers. dico* 2. Graffius 1. *parte libro* 2. *cap.*54. *n.*3. Carolus Macignus *cap.*14. *num.*6. Philiarchus 1. *parte libro* 1. *cap.*10. Molfesius *numer.* 28. Valentia *tomo* 3. *disp.*6. *quæst.*3. *puncto* 10. Azor. *cap.* 13. *quæsito* 6. *lib.* 10. [Paulus Layman *lib.*4. *tract.*1. *c.*6. *num.*2.] & alij. Ratio est, quia qui tenetur ad aliquid, tenetur etiam ad media ad illud ordinata, vt probaui *de legibus.* Sed beneficiarius tenetur ad diuinum officium recitandum; ergo tenetur etiam ad media, sine quibus illud recitare non potest: hoc autem medium in proposito casu est adhibitio socij, quem commodè potest adhibere, vt suppono.

Addo cum Suarez, Molfesio, Philiarcho, Macigno, Layman, & aliis, Clericum qui beneficium habet, ex quo fructus sufficientes colligit, teneri conducere socium, vt adimpleat onus beneficij dum illud per seipsum non potest adimplere; fructus enim beneficij percipit, vt onus officij persoluat: qui autem tenetur ad finem, obligatur etiam ad media ad illum conducentia.

Qui verò beneficium non habet, non tenetur suis propriis expensis conducere socium, vt cum eo diuinum officium recitet, quia hic non tenetur ex iustitia, sed ex religione, vel obedientia ad officium recitandum: consequenter non videtur obligandus ad conducendum propriis sumptibus socium, vt cum eo diuinum officium persoluat; cum obedientia, vel religio non ita strictè obligent, sicut obligat iustitia propriè accepta. Ita Suarez *loco citato n.*15. Filliucius *numer.*189. & alij quos retuli *de Sacramentis disp.*4. *q. vltima puncto vltimo n.*14. & *de legibus disp.*2. *quæst.*8. *punct.*1. idemque tradunt Nauarrus, Philiarchus, & Macignus *locis cit.*

Dixi in responsione, *modò commodè possit adhibere*, nam Ecclesia non obligat cum graui incommodo. Ita Suarez *n.*15. & alij.

9 Surdus, vel surdaster non tenetur adhibere socium, etiamsi se solo recitare nequeat.

9 Dixi, *modò non sit surdus*, tum quia surdus non communicat in oratione, quæ ab alio dicitur, cùm eum audire nequeat: tum quia non potest illi respondere, cùm nequeat cognoscere quandonam socius suos versus perfecerit, nisi fortè semper respiciat ad motum labiorum. Ita DD. statim citandi.

Dixi, *modò non sit surdus, vel surdaster*, nam qui surditatis vitio ita laborat, vt sine valdè graui difficultate, vel sine magna recitantis vociferatione, socium recitantem audire non possit, non tenetur adhibere socium ad recitandum; etiamsi solus recitare nequeat. Nam Ecclesia non obligat cum tanto grauamine, nec ad extraordinariam operam. Ita Suarez *loc. cit. num.*12. Paulus Squillas *part.* 1. *dub.* 13. Filliucius *tom.*2. *tract.*23. *cap.*9. *quæs.*4. *ad finem.*

10 Carentia Breuiarij excusat.

10 Secundò, ex eadem secunda propositione sequitur, eum, qui domo discessit, nil cogitans de Breuiario, aut rationabiliter iudicans se alibi reperturum Breuiarium, non peccare, nec teneri ad restitutionem, si postea diuinum Officium prætermittat, eò quòd Breuiarium inuenire non potuerit. Ratio est, quia in causa non peccauit, excusante ipsum inaduertentia, vel bona fide; neque peccauit in actuali omissione, ob impotentiam, & carentiam Breuiarij. Ita Suarez *cap.* 27. *numer.*9. Filliucius *cap.*9. *quæsito* 3. *num.*286. Graffius 1. *part. lib.*3. *cap.*54. *numero* 6. Nauarr. *de orat. cap.*11. *numero* 38. Azor. *lib.*10. *cap.*13. *quæsito* 16. Toletus *lib.* 2. *cap.*14. *numero* 5. Macignus *cap.*16. & alij communiter.

11 Impotentia loquendi excusat.

11 Tertiò, cum excusari, qui verba proferre nequit: imo nec tenetur audire, aut interiùs recitare, quia præceptum est de recitatione actuali, & vocali. Nauar. *cap.*11. *numer.*6. *de orat.* Sylvest. *verb. Hora.* Suarez *num.*11. vbi testatur de communi.

12 Qui Choro interesse debet, & potest, tenetur interesse etiamsi surdaster sit.

12 Quartò ex eadem secunda propositione sequitur eum, qui Choro interesse debet, teneri Choro assistere recitando cum suo Choro prout potuerit, & attendendo ad ea quæ ab alio Choro persoluuntur. Ita Filliucius *cap.*6. *quæs.*6. & *cap.* 9. *quæsito* 3. Suarez *numero* 15. vbi Sacræ Congregationis declarationem refert, idemque alij DD. tradunt. Ratio est, quia non habet impotentiam ad assistendum, & qui non potest totum præceptum adimplere, debet saltem adimplere partem, quam potest, cum impotentia solum excuset ab eo, ad quod est impotentia, nisi aliter constet de voluntate superioris; cùm ergo hic possit assistere Choro, & actionem illam publicam sua præsentia honorare, & diuini officij partem recitare, obligandus videtur ad assistendum, & recitandum eo modo, quo potest. Idem dici potest de eo, qui surditatis vitio laborat. Ita Doctores citati, quibus adde Nauar. *cap.*19. *num.*81. & *seqq.* & Carolum Macignum *cap.* 71. *numer.*59. vbi ad hanc rem comprobandam refert Sacræ Congregationis declarationem.

13 Cœcus Choro deputatus quomodo se gerere debeat in recitatione diuini officij in Choro.

13 Verùm si beneficiarius cœcus Choro deputatus, Choro assistat, sed officium cum suo Choro recitare non possit, vel ob defectum memoriæ, vel quia alios canentes non audit, satisfaciet muneri Chori recitando partem, quam memoria tenet, & quam cum aliis recitare potest, alioquin nimis grauari videretur, & cùm per ipsum non stet, quin in Choro reciter, quantum potest, non videtur ad quidquam aliud ex rigore obligandus. Ita Suarez *numer.*15. Moneta, & Nauarrus quos retuli *quæst.*3. *punct.*2. *dub.* 4. vbi contra Suarez, & Emanuelem Sà oppositum docui circa priuatæ recitationis obligationem.

14 Vtrum cœcus, qui defectu memoriæ nihil discere potest, teneatur audire socium omnia dicentem, & cum eo dicere versus ad se pertinentes.

14 Grauior difficultas est, vtrùm cœcus, qui ob defectum memoriæ nihil dicere potest, teneatur audire socium omnia dicentem, & cum eo saltem dicere versus ad se pertinentes, vt oneri diuini officij satisfaciat.

Respondeo cœcum teneri quidem si commodè potest, assumere socium, vt paulatim Psalmos memoriæ mandet, vt postea versus ad se pertinentes recitare queat; tenetur enim saltem mediocrem diligentiam adhibere, vt præcepto satisfaciat: quidquid in contrarium dicant Sotus, *lib.*10. *de iustitia quæst.*5. *art.*3. Macignus *c.*14. *n.*9.

Verùm antequam memoriæ mandauerit, censeo non teneri audire socium omnia dicentem, & cum eo versus ad se spectantes dicere. Ratio est, quia, licet hoc fieri possit, & consulendum sit: tamen cùm Ecclesia suo generali præcepto ad extraordinariam, & valde difficilem diligentiam adhibendam non obligent, sicut enim Christi iugum suaue est, ita etiam Ecclesiæ, dicendum est cœcum non teneri eo pacto socium audire, & cum eo recitare. Ita Suarez *loco cit. nu.*16. Paulus Squillas *dubio* 12. Filliucius *tract.*23. *cap.*9. *quæsito* 4. *num.*290. Toletus *lib.*2. *cap.*14. *num.*2. Azor. *cap.*13. *quæsito* 2. Macignus *cap.*14. *n.*14. idemque sentire videntur alij Doctores communiter, dum asserunt cœcum qui diuinum officium recitare non potest ob memoriæ, vel oculorum defectum, non teneri ad diuinum officium.

15 Surdus tenetur officium recitare.

15 Quintò sequitur ex præfata secunda propositione surdum, qui diuinum officium recitare potest, teneri diuinum officium recitare, modò loqui possit, quia non habet impotentiam ad recitandum, nec est necesse, vt recitans seipsum recitantem audiat, vt supra dictum est.

Si verò non solùm surdus sit, verùm etiam cœcus, seruanda sunt quæ diximus de cœco. Ita Suarez *n.*17. Molfesius *cap.*4. *num.* 31. Filliucius *c.*9. *quæs.*4. *sub finem.*

16 Infans, cui facta fuit beneficij, aut Sacrorum Ordinum collatio ante rationis vsum, non tenetur ad Horas Canonicas, & quid in adolescentia.

16 Sextò sequitur infantem, cui ante rationis vsum collati sunt Ordines, non teneri ad diuinum Officium, quia censetur impotens ad diuinum Officium; cùm actiones humanas exercere nequeat.

Addo non solùm non teneri tempore infantiæ, verùm neque in adolescentia, nisi Ordinis susceptionem ratificauerit, postquam ad rationis vsum peruenit, vt docui *de matrimonio quæst.*3. *punct.*9. idem præter DD. ibi cit. tradit Paulus Squillas 1. *parte de obligatione Clericorum dub.*18. *numer.*34. 84. & 85. *pag.*65. & Molfesius *tract.*5. *c.*4. *n.*11.

Idem dic de eo, qui beneficium ante rationis vsum adeptus est; nondum enim aptus est ad Horas Canonicas deuotè recitandas: quamquam hoc tempore vix potest hic casus ad praxim reuocari, vbi Tridentinum vsu receptum est: nam ex Trident. Concilij Decreto *sess.*23. *ca.*6. nulli beneficium conferri potest ante decimumquartum annum. Verùm si Summus Pontifex scienter conferret beneficium alicui rationis vsũ carenti, censeretur in recitatione Officij dispensare, donec beneficiarius legitimam ætatem ad recitandum Officium nactus sit; nam Sum. Pontif. non præsumitur voluisse imponere obligationem ad impossibile; consequenter voluisse solùm obligare pro tempore, quo beneficiarius Officium recitare nouerit, & potuerit. Ita Azorius *lib.*10. *cap.*13. *punct.*12. *versicul. Sed dubia.* Macignus *ca.*22. *n.*6. & alij DD. statim citandi.

Si verò Summus Pontifex infanti contulit beneficium, putans illum legitimam ætatem habere ad recitandum Officium, validam quidem putant DD. statim citandi beneficij collationem, si Pontifex ita erat affectus, vt cognito defectu ætatis, beneficium adhuc contulisset: non enim adest defectus intentionis, beneficiarius tamen tenebitur quàm primùm addiscere modum diuini Officij recitandi, aut dispensationem circa Officium obtinere. Ratio est, quia dispensatio est odiosa, consequenter strictè explicanda; consequenter dispensatus in vno, in altero non censetur dispensatus, vt patet ex dictis *de dispensat.* Ita Suarez *tom.*2. *de relig. lib.*4. *cap.*28. *num.*37. Molfesius *in Summa tract.*5. *cap.*4. *num.* 13. Reginaldus *lib.*18. *numer.* 192. & alij, quorum sententiæ in hac secunda parte ego subscribo; quid verò mihi sentiendum sit circa valorem collationis beneficij factæ huiusmodi infanti, constabit ex dicendis *de benefic.* dum loquar de conditione ætatis.

17 Maior

17 Initiatus ordine sacro ante pubertatẽ, vel ante decimum sextum annum, officium diuinum recitare tenetur.

17 Maior difficultas est, vtrùm initiatus Ordine sacro ante pubertatem, vel ante 16. annum, teneatur diuinum officium recitare.

Paulus Squillas 1. *part. dub.* 18. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 30. & alij existimant non teneri.

18 Sed oppositum ego sustinui *de matrim. quæst.* 3. *punct.* 9. *num.* 16. cum Soto, Claue Regia, Conincho, & aliis, ad ibi dicta vos remitto; vbi etiam *numer.* 12. explicaui, vtrùm suscipiens sacros Ordines per metum, Officium Canonicum persoluere teneatur, & supra *quæst.* 2. *punct.* 3. ostensum est, vtrùm suscipiens beneficium per metum, teneatur ad pensum Canonicarum precum.

18 An suscipiens ordines per metum, officium diuinum recitare teneatur remissiuè.

PVNCTVM III.

Vtrùm dispensatio Summi Pontificis, carentia fructuum, ignorantia, & metus à peccato excuset omittentem Diuinum Officium.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Dispensatio Summi Pontificis excusat, etiamsi concessa fuerit sine causa.

1 DIspensatio Summi Pontificis excusat ab Officij recitatione. Ratio est, quia Summus Pontifex in hac re dispensare potest, cum Horæ Canonicæ iure humano Ecclesiastico institutæ fuerint.

Addo, validam esse Summi Pontificis dispensationem, etiamsi concessa fuerit sine causa, quia obligatio recitandi officij est de iure humano positiuo, in quo Summus Pontifex validè dispensare potest sine causa, vt constat ex dictis *de legibus disput.* 1. *quæst.* 2. idemque in terminis tradunt Valentia *loco citato.* Toletus *cap.* 14. *num.* 6. & alij *locis supra citatis.*

2 Episcopus in recitatione diuini officij dispẽsare non potest.

2 Episcopus verò, per se loquendo, dispensare non potest, quia in iure communi dispensandi facultatem non habet. Videnda sunt quæ tradidi *de legibus disp.* 1. *quæst.* 2.

An verò superior possit cum Religiosis sibi subditis dispensare, patet ex supradictis *quæst.* 2. *punct.* 2. contra Molfesium *cap.* 5. *numer.* 22. 39. & 40. Suarez *cap.* 28. *num.* 37. Reginaldum *lib.* 18. *numer.* 186. Vasquez *dub.* 12. & alios Doct. ibi citatos.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Carentia fructuum excusat beneficiarium ab onere diuini officij recitandi.

3 CArentia fructuum, quando scilicet beneficiarius non percipit, nec percepturus est fructus beneficij per se, aut per alium, excusat omissionem diuini officij. Ratio est, tum quia altari seruire non tenetur, qui de altari non viuit, iuxta illud: Qui altari seruit, de altari viuere debet, nisi fortè cedat iuri suo: tum quia par est, vt is incommodum non sentiat, qui commodum, & fructum non percipit: tum quia beneficiarius tenetur officium recitare, vt auxilium spirituale populo rependat pro fructibus; si ergo fructibus non fruatur, onere officij non grauatur.

4 Hoc tamen intelligitur modo beneficiarius alio titulo ad pensum diuini officij non teneatur, aut modo sua culpa fructibus non careat.

4 Hoc tamen intelligitur primò, quantum est ex vi beneficij; nam ratione ordinis sacri, certum est insignitum ordine sacro teneri ad diuinum officium persoluendum. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 168. Penitentius *loco cit.* Valentia *loco citato versic. quinta causa.* Toletus *lib.* 2. *cap.* 14. *ad finem.* Suarez *cap.* 28. Malderus *tract.* 10. *cap.* 2. *dubio* 3. Azor. *lib.* 10. *cap.* 14. *quæsito* 6. Nauarrus, & alij statim allegandi; constatque ex iis, quæ superius *in* 2. *quæst.* diximus *punct.* 4. *quæsito* 3. contra Carolum Macignum *cap.* 20. & alios existimantes ex solo beneficij titulo nasci obligationem officij recitandi.

Secundò intelligitur, modò beneficiarius sua culpa, seu defectu non careat fructibus, aut illorum ius, ipso consentiente, in alterum translatum sit, vt patet ex supradictis *quæst.* 2. *punct.* 3. *quæsito* 3. per ipsum enim stare videtur, ne fructus capiat. Idem sentiunt DD. statim citandi.

5 Qui distributiones ex suo beneficio percipit, tenetur ad Horas Canonicas.

5 Ex dictis sequitur primò, beneficiarium, qui alios reditus ex suo beneficio non percipit, præter distributiones, teneri ad horas Canonicas recitandas, quia viuit de altari, & habet beneficium, cui annexa est obligatio diuini officij. Ita Toletus *lib.* 2. *cap.* 14. *sub finem.* Azor. *lib.* 10. *cap.* 4. *quæsito* 6. Nauar. *in tract. de oratione cap.* 7. *num.* 28. & 30. & alij communiter, quos citat, & sequitur Garzias *de benefic.* 3. *part. cap.* 1. *num.* 45 & 62. Valentia 2. 2. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 2. *punct.* 10. Corduba *in summ. casu* 186. Carolus Macignus *de Horis Canonicis cap.* 20. *numero* 3.

6 Habens beneficiũ, quod nullos fructus reddit, non tenetur officium recitare.

6 Secundò sequitur habentem beneficium, quod nullos penitus fructus reddit, non teneri ad diuinum officium, quia penitus cessat ratio obligationis, cùm nullos omnino prouentus Ecclesiasticos habeat, qui dari consueuerunt ad sustinenda beneficij onera, & hoc non solùm valet in beneficio, quod nullos vmquam prouentus habuit (hoc enim est beneficium solùm nomine tenus, non verum beneficium; consequenter neque permutari potest cum vero beneficio:) verùm etiam militat in beneficio, quod aliàs reditus habuit, sed modò iniuria temporum, aliaque de causa nullos fert fructus, licèt enim hoc dici possit beneficium habitu, & potentia, tamen actu non videtur veram beneficij rationem habere, cùm beneficium sit ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ. Ita Gonzalez *ad reg.* 8. *gloss.* 55. *n.* 27. & 28. vbi refert Gomezium, Euerardum, Ripam, & alios. Garzias *de benefic.* 3. *part. cap.* 1. *num.* 44. & alij.

7 Qui propter pericula hostiũ residere nõ potest, ob idque nullos fructus recipit, non tenetur ad Horas Canonicas.

7 Tertiò sequitur iuxta Azorium, eum, qui impeditur, ne resideat propter bella, & pericula hostium, non teneri diuinum officium recitare, dum nihil ob id recipit, nec recepturus est pro tempore, quo diuinum officium non recitat. Idem sustinent Suarez, Garzias, Molfesius, & alij, quos retuli *quæst.* 2. *punct.* 4. *quæs.* 3. *ad finem num.* 25. vbi hanc opinionem tamquam valde probabilem sustinui.

An autem habens beneficium exigui valoris ad Horas Canonicas teneatur, constat ex supradictis *quæst.* 2. *punct.* 4. *n.* 17. *quæs.* 2.

TERTIA PROPOSITIO.

8 Ignorantia excusat ab officio recitando.

8 IGnorantia probabilis legis excusat à diuino officio recitando. Hæc propositio patet ex regulis generalibus traditis in tractatu *de legibus, & de peccatis disput.* 2. *quæst.* 8. *puncto* 2. & 3. ad ibi dicta vos remitto, cùm opus non sit eadem repetere, nec peculiaris adsit difficultas. Vide Filliucium *cap.* 9. *quæsito* 7. *numer.* 296. & *sequent.* Suarez *cap.* 28. *num.* 30. Macignum *cap.* 19. Lessium *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 32. *num.* 183. Molfesium *cap.* 5. *num.* 40. & alios Doctores supra citatos, præter eos, quos retuli *loc. cit. de peccatis.*

Dixi, *ignorantia probabilis*, quia ignorantia crassa, & vincibilis, sicut in aliis materiis non excusat à culpa, ita neque ab onere diuini officij, vt manifestè colligitur ex dictis *de legibus.*

Dixi, *ignorantia legis*, quia ignorantia pœnæ non excusat à culpa: imo neque à restitutione, quia huiusmodi pœna non est exorbitans, & extraordinaria, sed conformis iuri naturæ, [consequenter ignorantia pœnæ non excusat à pœna restitutionis.] Ita Macignus *cap.* 28. *num.* 32. Sanchez, Salas, Nauarrus, & alij, quos retuli *de Censuris disput.* 1. *quæst.* 2. *num.* 13.

9 Naturalis obliuio, & inaduertẽtia eamdẽ excusationem pariunt.

9 [Amplia præfatam propositionem, vt non solùm ignorantia excuset, verùm etiam naturalis obliuio, seu inaduertentia;] hæc enim comparatur ignorantiæ inuincibili, modò ipsamet obliuio propria culpa non contigerit, seu modò præuisa non fuerit, & tamen non fuerit impedita; nam qui aduertit, se aliquoties aliquam horam prætermisisse ob talem, & talem causam, tenetur talem causam remouere, aut recitationem præuenire; aut tale signum apponere, quo suæ obligationis recordetur; alioquin omissio imputatur in causa, nisi fortè etiam inaduertentia contigerit in appositione signi, aut in præuentione recitationis, sicut regulariter contingere solet hominibus timoratæ conscientiæ aliquam horam prætermittentibus, vt benè Suarez *loc. cit. num.* 4. Angles *de oratione quæst.* 10. *difficult.* 4. Macignus *cap.* 18. *num.* 9. Molfesius *cap.* 4. *num.* 19. & alij, patetque ex regulis generalibus traditis *de peccatis.*

10 Qui ordinem sacrum, vel beneficium habet, tenetur ea parare, quæ ad officiũ recitandũ necessaria sunt.

10 Hac occasione obserua eum, qui Ordinem sacrum, vel beneficium capit, debere Breuiarium, & alia parare, quibus valeat oneri suo satisfacere, alioquin peccat exponens se periculo faciendi contra proprium Officium. Suarez *cap.* 28. *num.* 6. Azor *lib.* 10. *cap.* 13. *quæsito* 18. Macignus *cap.* 19. *num.* 3. Nauar. *de oratione cap.* 11. *num.* 20. Parisius *de resignat. lib.* 1. *quæst.* 9. *num.* 18. Garzias *numer.* 99. Filliucius *numer.* 283. Valentia *loco cit. punct.* 10. *vers. tertia causa*, & alij Doctores citati. Verùm si adepto beneficio, vel suscepto sacro Ordine nequeat diuinum Officium recitare, putant Suarez, Reginaldus, & Molfesius teneri Officium Beatissimæ Virginis, aliasque preces diuino Officio æquiualentes recitare. Sed hoc mihi non probatur, quia non est præcepta recitatio aliarum precum, sed diuini Officij, vt patet ex supradictis *quæst.* 5. *punct.* 2. *vers. dixi etiamsi alio die.*

11 Dubitãs an officiũ recitauerit, iterum recitare tenetur, nisi dubium practicè deponat.

11 Quæres vtrùm qui dubitat, an Officium, vel aliquam horam integram recitauerit, teneatur iterum recitare.

Respondeo affirmatiuè; tum quia possessio stat pro præcepto: tum quia recitatio est aliquid facti; factum autem non præsumitur, ex communi Iurisperitorum schola. Ita Medina *in* 4. *q.* 16 *numero* 6. Carolus Macignus *de Horis Canonicis c.* 18. *n.* 4. Nauar. *de orat. cap.* 20. *n.* 30. & alij DD. statim citandi.

Hoc tamen limita, nisi dubium practicè deponatur probabili aliqua ratione, liberum enim cuique est opinionem probabilem sequi, & tunc non adest dubium, sed opinio. Ita Panormit. & Nauar. quos citat, & sequitur Naldus *vers. Diuinum Officium nu.* 20. & satis constat ex regulis generalibus traditis à nobis de conscientia dubia, & de opinione *in tract. de peccatis.*

12 Dubitãs an Psalmũ, Antiphonam, vel quid simile recitauerit, non tenetur iterum recitare.

12 Maior difficultas est, vtrùm qui diuinum officium recitauit, sed dubitat an Psalmum aliquem, Antiphonam, vel quid simile prætermiserit, teneatur Psalmum illum, vel Antiphonam iterum recitare.

Ratio dubitandi [ad probandum teneri,] desumitur ex rationibus in quæsito proximè præcedenti allatis, tum quia possessio stat pro præcepto, & de illius excusatione dubitatur; in dubio autem iudicandum est in fauorem possidentis: tum qnia recitatio est aliquid facti; sicut autem factum in foro externo non præsumitur, ita neque in foro conscientiæ; cùm idem iudicandum sit in interno quod iudicatur in externo foro; quando externum falsa præsumptione non nititur: tum quia in dubiis tutior pars est eligenda, *cap. ad audientiam, & cap. significasti. de homicidio, & cap. iuuenis. de sponsal.* pars autem tutior eligitur, iterum recitato Psalmo, Antiphona, &c.

His non obstantibus, censeo huiusmodi dubitantem iterum non teneri præfatum Psalmum, vel Antiphonam recitare. Ratio est, tum quia via infinitis scrupulis aperiretur, & semel repetita sæpius reperentur, sicque à capite sine vlla conscientiæ tranquillitate sæpiùs incipiendum esset: tum quia adest sufficiens ratio deponendi dubium, cùm non facilè soleat quidquam prætermitti. Ita Nauar. *ca.* 13. *de oratione num.* 29. Azor. *lib.* 10. *cap.* 12. *ad finem.* Filliucius *tractat.* 23. *ca.* 8. *quæsito* 2. *ad finem.* Suarez *ca.* 26. *num.* 20. *ad finem.* vbi refert Maiorem, & alios. Angles *de oratione quæst.* 5. *diffic.* 4. Carolus Macignus *quæst.* 18. *num.* 3. vbi alios Doctores adducit.

Ad primam rationem dubitandi in contrarium allatam, respondeo in dubiis iudicandum esse in fauorem legis possidentis, nisi probabilis ratio suadeat dubium practicè deponi, vt constat ex regulis generalibus traditis *de legibus, & de peccatis.*

Ad secundam respondeo sufficientem adesse rationem ad iudicandum in fauorem facti, cùm, experientia teste, compertum sit, Beneficiarios, & Sacerdotes quidquam non intermittere, & eiusmodi dubia à Dæmone induci ad tollendam conscientiæ quietem & pacem.

Ad tertiam respondeo primò, negando semper in dubiis tutiorem partem eligendam esse, cùm sufficiat eligere tutam, & liberum cuique sit opinionem probabilem sequi, vel dubium practicè deponere, quoties adhibita sufficienti diligentia, iusta, & rationabilis subest ratio illius deponendi.

Respondeo secundò, illos textus non inducere generalem regulam, sed particularem, iuxta casus ibi expressos; casus autem ibi expressi ostendunt tantummodò dubitantem in materia facti homicidij, censendum esse irregularem, vt constat ex dictis *de irregularitate disp.* 7. *q.* 1. *punct.* 4. & *de legibus disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 7.

Præter

Præter ignotantiam, & alias causas excusantes à mortali culpa omissionem diuini officij, recenseri etiam posset metus grauis incommodi. Verùm quia de huiusmodi causis sufficienter egi *in tractatu de legibus, de censuris, & de matrimonio*; gradum facio ad explicandum onus diuini officij publicè recitandi.

DISPVTATIO II.

De iis, quæ ad Diuinum Officium in Choro publicè recitandum faciunt sub pœna priuationis distributionum.

PRæmissis iis, quæ diuino Officio, tam priuatim, quàm publicè recitando, communia sunt, confero me ad ea pertractanda, quæ ad publicam eiusdem officij recitationem faciunt. Cùm autem publica diuini Officij recitatio sub amissione distributionum iure communi præscripta sit, priùs explicabo munus, & onus beneficiariorum ad assistendum publicæ Horarum Canonicarum recitationi. Deinde, vt intelligatur pœna non assistentibus imposita, peculiares de distributionibus quæstiones subiiciam, quas ea perspicuitate, & ordine, quem mihi præpotens Deus sua liberalitate largiri dignatus fuerit, proponam, & dissoluam.

QVÆSTIO I.

De onere, & obligatione, qua Canonici, aliique beneficiarij Choro deputati, diuina Officia in Ecclesia persoluere tenentur.

CVm plures difficultates, tam publicæ, quàm priuatæ Horarum Canonicarum recitationi communes in præcedenti disputatione dissoluerim; in hac quæstione subsequentes solùm dubitationes ad publicam recitationem pertinentes explicandæ supersunt.

Prima est, vtrùm extet obligatio recitandi Officium in Choro, & quas personas hæc obligatio afficiat.

Secunda est, vtrùm grauiter peccet qui diuinis officiis in Choro non assistit.

Tertia, vtrùm Canonici, aliique Choro deputati non solùm Diuinis Officiis in Choro interesse, & recitare, verùm etiam canere teneantur.

Quarta, vtrùm Canonicus possit alium in sui locum substituere.

Quinta, vtrùm consuetudine induci possit, vt quis per alium Choro inseruiat.

PVNCTVM I.

Vtrùm extet obligatio recitandi Officium in Choro, & quas personas hæc obligatio afficiat.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Extat obligatio canendi officium in Choro.

1 IN Ecclesia extat obligatio recitandi Canonicas preces in Choro. Ratio est, tum quia diuinum Officium institutum est non solùm in vtilitatem recitantium, verum etiam populi, id est, fidelium, vt eo frui, illi interesse, & Deum laudare possint per publicos Ecclesiæ ministros; populus autem non potest diuino Officio frui, interesse, &c. nisi diuinum Officium in loco publico ad hoc deputato reciterur. Ergo diuinum officium publicè recitandum est in loco publico, id est, in Choro, ad hoc deputato: tum quia *in cap. vltimo* 92. *dist.* decernitur deponi Clericos, qui ad diuinum Officium decantandum non conuenerint; depositio autem supponit grauem culpam, & consequenter præceptum, vt suppono ex dictis *de censuris*, & ex communi omnium DD. sententia. Ergo extat obligatio recitandi officium in loco publico, seu in Choro, ad quem Clerici conuenire debent. Ita Suarez *tom. 2. de religio. lib. 4. cap. 9.* Vincentius Filliucius *tomo 2. tract. 23. c. 4. quæst. 4.* [Paulus Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 7. quæst. 7. n. 7.*] Molfesius *in sum. de Horis Canonicis tract. 5. c. 2. num. 64. & seqq.* & Summistæ communiter *in verb. Hora.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Clerici Ecclesiarũ Collegiatarum officium in Choro canere tenẽtur.

2 CLerici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum obligantur ad officium in Choro singulis diebus persoluendum, nisi aliud ferat consuetudo, vel Ecclesiæ institutio. Hæc propositio patet, tum ex ratione in prima propositione allata, quæ maximè procedit in Clericis Ecclesiarum sęcularium, tam Cathedralium, quàm Collegiatarum, ad hoc deputatis; ob id enim accipiunt stipendia, & distributiones: tum ex *c. vlt. 92. dist. & ex c. 1. de celebr. Missarum.* Ita communiter DD. *in c. vlt. dist. 92.* Sylvest, *v. Hora quæst. 10.* Suarez *c. 10. n. 3.* Filliucius, & alij *locis* proximè *citatis*; omissis quàm pluribus, quos citat, & sequitur Carolus Macignus *de Horis Canonicis cap. 56.*

3 Consuetudine induci potest, vt Canonici non semper Choro assistant.

3 Dixi, *nisi aliud ferat consuetudo*, vt indicarem consuetudine induci posse, vt Canonici non teneantur singulis diebus ad pensum Canonicarum precum in Choro recitandum, dum huius consuetudinis inducendæ iusta subest causa. Ratio est, quia licet consuetudo contra obligationem quasi naturalem induci nequeat sine causa; nihilominus non repugnat eam induci dum iusta subest causa, quæ turpitudinem contra ius naturæ auferat, qualis in præsenti casu cẽseri potest tenuissimum stipendium. Ratio enim naturalis dictat onus minuendum esse, vbi valdè modica est merces, & stipendium tenuissimum. Ita Suarez *c. 10. n. 5. & c. 12. n. 13.* subdens ad huiusmodi consuetudinem non requiri tempus immemorabile. Caiet. verò *verb. Hora*, Nauar. *de orat. c. 22. n. 101.* Carolus Macignus *ca. 63. nu. 9.* & Filliucius *locis cit.* consuetudinem immemorabilem requirunt.

4 Quantũ temporis requiratur ad hanc consuetudinem inducendam.

4 Sed mihi placet opinio Suarez, quam inferius *quæst. 4. punct. 4. ad finem* paucis probabo, & fusius docui *de præscr. in tract. de contract. dis-put. 1. quæst. vlt. punct. 2. §. 2. & de legib. disp. 1. quæst. 1. punct. vlt. §. 3. n. 32.* cum Bartolo, Iasone, Becano, eodem Suarez, & aliis.

5 Ex beneficiorum institutione fieri potest, vt Canonici non teneantur singulis diebus Choro interesse.

5 Dixi, *nisi aliud ferat Ecclesiæ institutio*; nam si Canonicorum Collegium institutum est cum onere diuini Officij aliquoties solum in hebdomada, vel mense recitandi, certum est huiusmodi Canonicos non teneri singulis diebus ad Chorum conuenire: quia consequenter munus suum obeunt seruatis suæ institutionis regulis, nec iura de his loquuntur, vt in simili cum Suarez, & aliis superius ostensum est, & inferius probabitur de illis qui iuxta Ecclesiæ fundationem, vel consuetudinem per alios canunt, vel inseruiunt.

6 Idem valet in casu necessitatis.

6 Dixi, *nisi aliud ferat necessitas*, titulo enim necessitatis alio in loco de licentia Episcopi, dum ad ipsum aditus patet, officium celebrari potest, vt constat ex supradictis [*disput. 1. quæst. 3. punct. 4.*] de circumstantia loci, in quo recitandæ sunt Horæ Canonicæ.

7 Clerici Ecclesiarũ non Collegiatarũ, regulariter loquendo, non tenẽtur officiũ in Choro canere, licet canere possint.

7 Ex dictis colligi potest Primò, Clericos Ecclesiarum, quæ non sunt Cathedrales, vel Collegiatæ, regulariter loquendo, non teneri ad Officium in Choro publicè recitandum, quia de his non extat in iure obligatio, exceptis Parochis, de quibus sufficienter egimus supra *disp. 1. quæst. 3. punct. 5. n. 12.* Non nego tamen quin Clerici possint diuinis Officiis in Choro interesse, & cum aliis diuinas laudes ore decantare; onus enim diuini Officij per se pertinet ad Clericos, & ad personas Ecclesiasticas, vt ex communi Ecclesiæ consuetudine constat, & pluribus ostendit Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 9. num. 2. & seq.* Ex quo à fortiori patet laicos non teneri ad diuinum Officium in Choro recitandum.

[Secundò à fortiori colligitur laicos non teneri canonicas preces in Choro recitare.]

8 Maior difficultas est, vtrùm laici possint ad Chorum conuenire, & officium publicè canere.

8 Quandonam laici officium in Choro canere possint.

Ratio dubitandi ad ostendendum posse, est, tum quia recitatio diuini officij est actus religionis, quo Deus colitur, & honoratur, inquit Albertus Magnus *4. dist. 24. art. 20.* Laici autem non videntur excludendi ab actibus, quibus Deus laudatur, & colitur: tum quia ex S. Augustino *lib. de catechiz. rudib.* ex *c. 9. in c. sedulò dist. 38.* ex Basilio *q. 63.* ex Baronio *tomo 1. anno 60. nu. 28.* & ex aliis apud Suarez *c. 9. n. 3.* constat totam plebem olim consueuisse in Ecclesia cum Clericis cantare, & Sacerdoti oranti respondere, Amen: tum quia Moniales hoc tempore Officium recitant, & tamen feminæ sunt, quæ magis à Choro, & ab altari, quàm laici, repellendæ videntur.

Ratio verò dubitandi ad ostendendum laicos non posse in Choro diuinum officium publicè recitare, est, tum quia alius locus Clericis, & alius laicis constituitur: Clericis enim assignatur Chorus, à quo laici repelluntur, *c. 1. de vita, & honestate Cleric.* vbi dicitur, pars illa, quæ cancellis ab altari diuiditur, tantùm psallentibus pateat Clericis: tum quia in Concilio Turonico II. *cap. 4.* sic habetur: *laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter Clericos tam ad vigilias, quàm ad Missas stare penitus non præsumant, sed pars illa, quæ à cancellis versus altare diuiditur, Choris tantùm psallentium pateat Clericorum.*

Respondeo, opus canendi diuinum Officium in Choro non ita esse proprium Clericorum & personarum Ecclesiasticarum, quin etiam laici possint ad diuinum officium canendum adhiberi, ab illis, qui ad Chorum deputati sunt. Ratio patet, tum ex argumentis pro ratione dubitandi primo loco allatis: tum quia Isidorus *libr. 2. de diuinis Officiis cap. 12.* testatur, presbyterum olim potuisse sine consensu Episcopi nonnullos laicos sibi deligere ad canendum: tum quia officium, & ministerium Psalmistæ, seu Cantoris non exigit Clericatum, vt patet ex vsu, & praxi Ecclesiæ, & ex Concilio Carthaginensi IV. *cap. 10. cap. Psalmista, d. 23.* vbi dicitur, *Psalmista potest absque licentia Episcopi, sola iussione Presbyteri Officium cantandi suscipere*; tum quia nullũ ius, vel consuetudo in contrarium extat, quo minus laicus in Choro canere possit permittẽtibus Clericis, aliisque ad Chorum deputatis. Ita Suarez *num. 7.* Filliucius *num. 122.* & alij.

Ad rationes dubitandi secundo loco allatas respondetur, illis probari non licere laicis simpliciter, & promiscuè cum Clericis canere, ne confusio, & perturbatio gignatur, ob idque cancellos, laicos à Clericis segregantes, positos, & constitutos fuisse, non tamen hinc sequitur, quin aliquando liceat laicos in diuinis officiis publicè canendis adhibere, sicut olim in more positum erat, vt populus in fine collectæ responderet, Amen: quod fortè ab Ecclesia permittebatur ad indicandam vnionem, & cooperationem populi cum Clero in ea oratione, quam audierant; sed modò contrario vsu abolitum, & sublatum est, fortè causa vitandæ confusionis, quæ non rarò in magna plebis multitudine reperiri solet.

9 Religiosi tenentur officium iuxta proprias regulas in Choro canere.

9 Quæres, vtrùm non solùm Clerici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum teneãtur ad diuinum officium in Choro celebrandum: verùm etiam regulares, seu Religiosi.

Respondeo, Regulares, seu Religiosos Choro deputatos teneri solùm iuxta suas proprias Religionis regulas, institutiones, & consuetudines. Ratio est, tum quia nullus in iure textus reperitur, quo Religiosi teneantur officium recitare, neque *Clement. 1. de celebr. Missarum*, hanc obligationem inducit, sed eam aliunde supponit, eaque posita præcipit officium debito modo celebrari. Ergo tota, & integra ipsorum obligatio circa diuinum officium ad proprias ipsorum regulas, institutiones, & consuetudines reuocanda est: tum quia ipsi non receperunt vllum beneficium propter Officium, nec eleemosynæ ipsis cum hac conditione conferuntur, vt Officium recitent; sed vt vitam religiosam ducant iuxta proprium cuiusque institutum: tum quia etiamsi in aliquibus religionibus extet stricta obligatio canendi Officium in Choro, hæc tamen obligatio, per se, & directè non afficit singillatim singulares personas, sed totam Communitatem, & præsertim Prælatum, non quia Prælatus strictiori onere, præcisa necessitate, aut ratione scandali, & exempli, teneatur Choro interesse, sed quia ipsi principaliter onus incumbit curandi, vt regularis institutio seruetur, sicut etiam in casu necessitatis non solum ipse, sed etiam singuli strictè obligarentur, dum officium in Choro, ipsis non assi-

assistentibus, non persolueretur, vt in simili dictum est *de matrimon. quæst. 2. punct. 3.*

10 Strictius tenentur beneficiarij ad officium in Choro, quã Religiosi.

10 Ex dictis colligitur beneficiarios grauiori obligatione teneri Choro interesse, quam religiosos; beneficiarij enim tenentur ex officio, consequenter ex iustitia, quæ ex suo genere obligat sub mortali, Religiosi verò tenentur solùm ex vi regulæ, quæ regulariter loquendo, non inducit obligationem sub mortali, sed potius sub pœna, modò priuatum Officium extra Chorum recitent. Ita Caiet. *verb. Horas.* Suarez *cap. 10. n. 16.* Filliucius *nu. 140.* Armilla, & alij communiter, teste Suarez.

11 An Moniales teneantur ad Officium in Choro, & vtrum satisfaciãt submissa voce recitando.

11 Hinc patet quid dicendum sit de Monialibus Choro deputatis, aut etiam de Religiosis, qui Choro assistunt, sed submissa voce officium ita recitant, vt ab aliis audiri nequeant. Vtrum verò Canonici, aliique Clerici sæculares Choro deputati muneri suo satisfaciant, dum officium in Choro alta voce non recitant, constabit ex dicendis *punct. 3.*

[Hac occasione explicandam censeo difficultatem mihi Romæ propositam, qua quærebatur,

12 (An Canonici Ecclesiæ S. Mariæ trãs Tiberim possint recitare singulis annis integrum B. Virginis Officium, acceptis lectionibus ex aliis officiis in anno celebrari consueuerunt.)

12 Vtrùm in Ecclesia Sanctæ Mariæ trans Tiberim licitum sit Canonicis singulis annis ea die, qua miraculosa quædam Beatissimæ Virginis Imago manifestata fuit, recitare integrum Beatiss. Virginis Officium, acceptis lectionib. ex aliis officiis, quæ aliàs in anno celebrari consueuerunt.

Ratio dubitandi pro sententia negatiua est, quia licitum non est modum, & formam singulis diebus ab Ecclesia præscriptam variare absque Sedis Apostolicæ consensu; inferior enim in lege superioris dispensare non potest, variaretur autem modus, & forma diuini officij, si officium Beatissimæ Virginis ea die recitaretur.

His non obstantibus, censeo id fieri posse de consensu Episcopi, seu potiùs illius, qui Episcopalem iurisdictionem in ea Ecclesia retinet. Ratio est,

Primò, quia licitum est iusta de causa Officium alterius diei priuatim recitare, vt communiter fatentur Doctores. Ergo etiam licitum est, iusta de causa, & de consensu legitimi Prælati, officium alterius diei publicè recitare: in hoc autem casu iusta subest causa, nempè magna pietas, & deuotio erga Beatissimam Virginem, cuius festus in præfata Ecclesia ea die colitur magna cum populi frequentia, magnisque Indulgentiarum priuilegiis, à Summo Pontifice concessis.

Secundò, quia licitum est in Ecclesia Patroni Officium Canonicum de illo celebrare, etiamsi in Breuiario nulla de tali Sancto mentio habeatur, iuxta rubricam primam generalem Breuiarij Romani. Ergo id etiam licitum videtur in aliquo Beatissimæ Virginis festo, saltem in Ecclesia eidem dicata.

Neque obstat lectiones ex aliis festiuitatibus accipi. Respondetur enim nihil accipi, quod ab Ecclesia approbatum non sit, cùm istæ lectiones non introducantur de nouo, vt suppono.

Tertiò, quia potestas Episcopi, vel alterius Episcopalem iurisdictionem habentis non est adeo arcta, & limitata, quin possit Psalmos, & lectiones ab Ecclesia receptas, & approbatas pro aliquo die in sua Ecclesia colendo designare, & acceptare, & accidens aliquod diuini officij variare. Ita in fortioribus terminis sentit Emanuel Rodriquez *tom. 1. quæst. regular. quæst. 42. art. 21.* & Paulus Layman *lib. 4. Theologiæ Moralis tract. 1. cap. 5. num. 6.*

Ad rationem dubitandi respondeo, non esse licitum variare substantiam officij, vel nouas officij partes, absque Sacræ Congregationis assensu, & approbatione introducere; modus tamen Officij auctoritate Episcopi aliquando licitè variari potest, iusta concurrente causa. Addo in hoc casu, propriè loquendo, non variari modum, & formam Officij, sed accidens formæ, cùm recitetur Officium iuxta formam Breuiarij Pij V. non verò alterius Ecclesiæ.]

PVNCTVM II.

Vtrùm grauiter peccent [Canonici aliiq; beneficiarij,] qui diuinis Officiis in Choro non assistunt.

CVm in præcedentibus probatum sit extare obligationem recitandi officium in Choro, explicandum superest hoc loco, vtrùm Canonici, aliique obtinentes dignitates, vel portiones in Ecclesiis Collegiatis, vel Cathedralibus teneantur sub mortali ad Chorum conuenire, & diuinis Officiis interesse.

Omissis in hac quæstione, quæ non minus difficilis est, quàm frequens, rationibus dubitandi, quas commodius in propositione, & in obiectionibus adducam, rem statim aggredior, & vnica propositione amplector, & absoluo.

VNICA PROPOSITIO.

1 Qui notabiliter abest a Choro tẽpore diurnorum officiorum, per se loquendo, mortaliter peccat.

1 QVi vltra tempus à Concilio permissum à Choro notabiliter absunt, mortaliter, per se loquendo, peccant. Ita Innocentius, & Hostiensis apud Syluestrum *verb. Hora. quæs. 2.* Suarez *lib. 4. de Religione, c. 10. n. 17. & c. 13. n. 5. & seq.* Garzias *de benef. 3. part. c. 2. nu. 321. dub. 5.* Vincentius Filliucius *tom. 2. tract. 23. c. 4. n. 140.* Sed *c. 6. nu. 207.* oppositum docere videtur Paulus Squillas *1. par. dub. 28.* Vasquez *de benef. art. 2. dub. 1. n. 182.* Macignus *c. 63. n. 2.* & alij apud Suarez *ca. 10. cit.* & apud alios præcitatos Doctores, contra Syluest. *ver. Hora, quæs. 2.* Nauar. *c. 5. de orat. n. 14.* Caietanum *ver. Horæ. §. 5.* cui adhærere videtur Valẽtia *tom. 3. disp. 6. q. 2. punct. 10. §. in quo loco.* Macignum *c. 56. n. 34.* Angelum *eodem verbo, num. 21.* Reginaldum *lib. 18. nu. 116.* [Paulum Layman *lib. 4. tr. 2. c. 7. q. 7. n. 7.*] & alij asserentes, huiusmodi beneficiarium, qui ad Chorum non accedit, sed priuatim diuinum Officium recitat, peccare tantummodò venialiter, modò propter ipsius absentiam Officium in Choro non dimittatur, aut modò ipsius præsentia non sit necessaria ad diuinum Officium, cum debita solemnitate persoluendum, vt si ipso recedente quatuor saltem in Choro non remaneant (quatuor enim Canonicos ad minimum ad constituendum Chorum requiri ostendit Carolus Macignus *de Horis Canonicis c. 56. n. 24.*) aut modò non adsit alia peculiaris circumstantia ipsius absentiam mortaliter peccaminosam efficiens, iuxta regulas generales traditas *de peccatis*, vbi explicaui circumstantias, ex quibus veniale peccatum fieri potest mortale.

Sed nostra propositio longè verior, & probabilior est, consequenter sustinenda. Ratio est, tum quia *in tractatu de beneficiis, & obligationibus beneficiatorum. [& in libr. variarum tractationum.]* ostensum est, eum, qui vltra tempus à iure præscriptum in loco beneficij notabiliter non residet, grauiter peccare: ergo etiam grauiter peccat, qui notabiliter abest à Choro, cùm residentia in loco beneficij præscribatur, vt beneficiarius diuinis Officiis intersit, & Canonicas preces cum aliis persoluat: tum quia, qui diuinum Officium priuatim non recitat, grauiter peccat. Ergo etiam grauiter peccat Canonicus, qui diuinum Officium in choro non canit, Canonicus enim non solùm accipit beneficium, vt priuatim reciter, verùm etiam, vt cum aliis in choro canat, beneficium enim datur propter officium: ad officium autem Canonici, non solùm priuata, verùm etiam publica Canonicarum precum decantatio spectat: tum quia faciens contra iustitiam ex suo genere morta liter peccat, vt per se patet, & constat ex dictis *de restitutione.* Sed Canonicus, aliusue dignitatem, vel portionem habens, dum absque iusta, & rationabili causa choro non interest, facit contra iustitiam, cùm faciat contra proprium officium, ex Suarez *c 13. n. 5.* & alibi infinitis in locis, (vbi etiam addit eum, qui partem diuini officij notabilem in choro non canit, grauiter peccare, quamuis intentionem habeat illam postea priuatim supplendi, & recitandi;) ergo à fortiori mortaliter peccat ex suo genere, qui à choro notabiliter abest: tum, quia omittentes Officium in choro deponi præcipiuntur, *c. Clericus, dist. 91. & c. si quis presbyter, dist. 92.* depositio autem, cùm grauis pœna sit, grauem culpam supponit, ne pœna delicto impar imponatur: tum quia hæc non est lex purè pœnalis. Ergo est dispositiua, ergo obligat sub mortali, posita materiæ grauitate. Imo ipsam etiam legem pœnalem sub culpa obligare ex dictis *de legibus* manifestè liquet: tum quia ad hoc faciunt Cardinalium declarationes, quas refert Garzias *loc. cit. n. 322.*

Prima est, nullus excusatur à residentia, licet distributiones quotidianas amittere consentiat.

Secunda est, puniendi sunt, qui à seruitio Ecclesiæ absunt, licet in ciuitate locorum, in quibus ipsa Ecclesia consistit, sint præsentes tantùm; sed pœna supponit culpam. Ergo absens à seruitio Ecclesiæ incurrit culpam: hæc autem non est leuis ex suo genere, vt patet ex præallegatis rationibus.

Tertia est illa, quam referam *n. 3. ad finem.* Aliæ declarationes sacræ Congregationis ad hoc facientes videri possunt apud Garziam *num. 323.* modò cum originali conueniant.

2 Explicatur propositio.

2 Dixi in propositione, *qui vltra tempus à Concilio permissum absunt*, vt aduerterem Canonicum, qui intra tempus, in Concilio Tridentino *sess. 24. c. 12.* permissum abest, nõ peccare, iuxta dicta de onere, & obligatione ad residendum, *in libr. var. tractat.* idemque expressè docet Carolus Macignus *c. 64. n. 19.* quamuis interim distributiones non lucretur, vt patebit ex infra dicendis in subsequentibus punctis.

Dixi, *notabiliter absunt*, nam, qui paucis tantummodò diebus, vt tribus, vel quatuor, diuinis officiis vltra tempus in Concilio permissum, non interest, non videtur reus lethalis culpæ, quia hæc videtur materia parua in hoc genere: paruitas autem materiæ excusat à mortali, nec ad tam grauem culpam imputatur vnica in die absentia à choro, sicut vna in die diuini officij recitandi omissio. Suarez tamen *c. 13.* excusare solùm videtur à mortali absentiam vnius diei; sed opinio Suarez rigorosa nimis, & dura alicui non sine causa videri potest, cùm oppositum ferè communiter in praxi receptum sit.

Dixi, *per se loquendo*, vt innuerem absentem iusta de causa excusari posse à mortali, vt patet ex regulis generalibus excusantibus à mortali culpa, de quibus in tractatu *de peccatis* sufficienter egi; arbitror tamen leuiorem causam excusare absentiam à choro, quam excuset priuatam diuini officij recitandi omissionem, nam iuxta commune prudentum virorum iudicium strictius obligare videtur præceptum circa substantiam, quàm circa modum, & circa locum.

3 Proponuntur obiectiones contra propositionem, & diluuntur.

3 Obiicies primò, contra propositionem, quàm plures viri prudentes, & circa propriam animæ salutem solliciti nullum sibi conscientiæ scrupulum faciunt, dum à choro absunt animo amittendarum distributionum tempori absentiæ respondentium. Ergo absens choro graui culpa dignus non videtur.

Respondeo, nullum de propria salute sollicitum longo tempore à choro abesse, nisi iustam habeat absentiæ causam, vel nisi per ignorantiam excusetur, vel nisi contraria ducatur opinione, quam probabilem arbitror, seruatis ipsius limitationibus, cuique enim licitum est probabilem opinionem sequi.

Obiicies secundò: Qui vno die choro non interest ex propria negligentia, non peccat mortaliter. Ergo neque peccat, qui multis diebus abest: nam omissiones moraliter non continuantur, cum obligatio interessendi sit affixa diei, & transeat cum ipso die, sicut onus Canonicarum precum, ita beneficiarium afficit, vt singulos dies non excedat. Ob id, qui diuinum officium hesterna die prætermisit, aut cum attentione non recitauit, non tenetur illud hodie repetere, nec qui multis diebus paucos omisit versiculos grauiter peccat, dum habita ratione omnium leuium omissionum singulis diebus respondentium, ad eam peruenit quantitatem, quæ grauis cẽseretur, si moraliter connecteretur, & simul sumeretur.

Respondeo negando consequentiam, quamuis enim obligatio diuini Officij recitandi sit affixa diei, nec singulos dies excedat, consuetudine legislatoris mentem ita explicante: nihilominus obligatio interessendi non ita est affixa diei, quin omissio interessentiæ vnius diei, cum alterius diei omissione connecti queat. Ratio differentiæ hæc esse potest, quia superior diuini Officij recitationem præscribens, respexit ad singulas pro vnoquoque die recitationes; dum verò

verò residentiæ, & interessentiæ onus iniunxit, ad ipsammet residentiam, & interessentiam mētem suam simpliciter adiecit, ne ipsius omissio trium mensium spatium transcendat, vt patet ex Tridentino *loco citato*, quod non solùm de residentia in loco beneficij, verùm etiam de personali in choro interessentia explicandum esse, Sacra Cardinalium congregatio in hoc puncto declarauit, teste Garzia *numer.* 323. ibi, Decretum hoc intelligendum est, vt Canonici non possint abesse ab Ecclesiæ suæ seruitio vltra tres menses singulis annis, nihilque eis prodesse, quòd in ciuitate maneant, nisi Ecclesiæ debitis horis inseruiant. Intelligendumque est, omnes in contrarium consuetudines per hoc decretum esse sublatas.

4 Graui-ter per se loquendo, peccat qui frequenter à capitulis abest.

4 Obiicies tertiò: Si Canonicus non interfit capitulis, seu congregationibus capitularibus, nō peccat. Ergo neque peccat si choro non interfit, cùm Canonicatus ita requirat assistentiam in capitulis, sicut interessentiam in choro.

Respondeo secundò, etiam illum, qui frequenter abest à capitulis, seu congregationibus capitularibus, grauiter peccare, nisi legitima de causa absit. Ita Garzias *n.* 524. Hieron. Platus *de Cardin. dignit. & officio, cap.* 5. & 28. Albanus *de Cardin. quæst.* 10. & alij apud Garziam *num.* 531. loquentes in simili de Cardinalibus, qui sacri consistorij consultationibus non interfunt. Ratio est, tum quia Canonico non solùm incumbit onus interessendi choro, verùm etiam consulendi Ecclesiæ, ne graue damnum patiatur; is autem bono Ecclesiæ consulere non videtur, qui congregationibus interesse non contendit, dum ipso absente graue damnum Ecclesiæ sequitur: tum quia, licet ius interessendi capitulis laudabile, & honorificum censeatur, & exclusio à capitulo inter Canonicos non leuis pœna existimetur, quatenus tamen beneficium adiunctam habet obligationem gubernandi, & administrandi bona Ecclesiæ, oneri adscribitur, & imputatur: sicut autem beneficiario liberum non est onus beneficij à se abdicare, ita neque à congregationibus, quas capitulum init, abesse, nisi iusta de causa sine graniori Ecclesiæ detrimento absit, qualis iusta absentię causa est, si capitulo interesse nequeat sine periculo alicuius molestiæ, vel si sua præsentia nihil prosit ob auctoritatem potentiorum subuertentium mentes, & suffragia Canonicorum præsentium, vel si absit intra tempus trium mensium à concilio Tridentino *sess.* 14. *c.* 12. permissum, liberum enim canonico est his mensibus abesse, etiamsi intra hoc tempus canonicorum cœtus conueniri, & capitulum iniri debeat, modò de industria hisce diebus non absit, vt capitulo non interfit, nec inde graue incommodum Ecclesiæ sequatur, vt à sacra Cardinalium congregatione declaratum fatetur Garzias *de benef.* 3. *part. cap.* 2. *num.* 543. & 549. *sub finem*. Iustam etiam non interessendi capitulo causam Canonicus habet, dum capitulum legitimè nō conuocatur; cùm enim acta capituli legitimè non conuocati inualida sint, nec teneatur quis ad actum inualidum, sequitur canonicum non teneri ad capitulum quod legitimè non conuocatur: vt si aliqui tantummodò canonici ad capitulum vocentur, non vocatis aliis in eodem loco, seu ciuitate existentibus, nam ex iuris communis sanctionibus vocandi sunt omnes, qui sunt in loco, seu ciuitate, vt ex *l.* 2. *C. de decurion. lib.* 10. probat Garzias *loco citato, num.* 572. relato Abbate *in cap. cum omnes, de constitutionib. num.* 6. Decio, Felino, & aliis. Imo actum inualidum esse, nisi duæ partes vocandorum cōueniant, ex *l. nominationum. C. de decurionibus lib.* 10. & ex aliis iuribus probat idem Garzias *n.* 573. allegato Abbate, Felino, Decio, & aliis. Iustam etiam absentiæ à congregationibus capitularibus causam habet canonicus, dum insolito, & incongruo tempore ad capitulum vocatur, vt cum Felino, Innocentio, & aliis tradit Garzias *numero* 577. & Pauinus *de officio, & potestate Capituli, sede vacante, prælud.* 5. *numero* 11.

5 Canonicus vocatus ad capitulum tempore diuinorū, debet potius diuinis interesse, nisi aliud cogat necessitas.

5 Quamobrem, qui ad capitulum tempore diuinorum officiorum celebrandum vocatur, ad capitulum accedere non tenetur. Ratio est, tum quia magis præcipuum Canonici Officium est Choro interesse: tum quia hoc censetur tempus incongruum, cùm Canonici tunc temporis ad Capitulum accedentes sine vrgenti aliqua, & euidenti necessitate, distributiones amittant, iuxta Decretum Clemētis VIII. editum 18. Ianuarij 1601. & iuxta Concilium Prouinciale Mediolan. I. *tit. de iis, qui dignitates, personatus, aut Canonicatus habent*, apud Garziam *de benef. 3. part. cap.* 2. *num.* 556. & *seq.* qui ad hoc idem comprobandum sacræ Congregationis declarationem in hæc verba refert. Congregatio Concilij respondit, Congregationes huiusmodi Capitulares habendas non esse eo tempore, quo diuina Officia celebrantur; nisi causa aliqua vrgens, eas in aliud tempus differri non pateretur, quòd si hæ Congregationes, absque causa prædicta tempore celebrationis diuinorum habitæ fuerint, Canonicum iure ab iis, vt Choro interfit, abesse posse, nec propterea esse mulctandum. Hæc Garzias ex sacra Congregatione, quam se in hac re consuluisse fatetur. Iure tamen addit, acta in Capitulo, tempore diuinorum, absque vrgenti necessitate, celebrato valida esse, nisi aliud obstet; licet enim Capitulum tunc temporis iniri prohibeatur, nullo tamen iure acta in huiusmodi Capitulo inualida esse probatur.

PVNCTVM III.

Vtrùm Canonici, aliiq; Choro deputati, non solùm diuinis Officiis in Choro interesse, & recitare, verùm etiam canere teneantur.

1 Licitus, & laudabilis est cantus.

1 PRæmittendum est primò licitum esse cantum in Choro, imo laudabilem, & commendatione dignum. Ratio est, tum quia cantus ex sua natura indifferens est: actus autem ex sua natura indifferens, honestatem acquirit, si ad honestum finem dirigatur. Cantus autem in Choro dirigitur ad Dei cultum, audientes ad maiorem animi deuotionem excitat, canentium vires recreat, mentem ad Deum eleuat, tristia corda consolatur, inquit Isid. *lib.* 3. *sententt. cap.* 7. gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes excitat, & peccatores ad lamenta inuitat: tum quia nullo iure purus, & honestus cantus prohibetur, & *in Extrauag. vnica, de vita. & honest. Cleric.* interdicitur solùm indecens canendi modus, nec alio sensu receptus est ille textus quoad ea, quæ per se mala non sunt; idemque constat ex Trid. *sess.* 22. *in tit. decretum de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ*; tum quia fundamentum habet non solùm in veteri Testamento, *Exod.* 15. & 2. *Reg.* 7. verùm etiā in nouo, *Matth.* 28. vbi Christus post cœnam hymnum cecinisse fertur, iuxta Chrysost. *hom.* 83. *in Matth.* Tum quia communis Ecclesiæ vsus illum comprobat. Ita S. Th. 2. 2. *q.* 83. *art.* 12. Bellar. *tom.* 4. *in tit. de bonis operibus. lib.* 1. *cap.* 16. Henriquez *lib.* 9. *c.* 31. *n.* 8. Lessius *lib.* 2. *c.* 37. *nu.* 52. Carolus Macignus *cap.* 59. *nu.* 12. & *seq.* [Emanuel Rodriquez *tom.* 1. *q.* 40. *art.* 1. & 2. vbi loquitur de cantu organico apud Regulares: Toletus *lib.* 2. *c.* 10. *n* 7. & nouissimè Barbosa *in c. dolentes. de celebr. Miss. n.* 15.] & alij Doct. statim citandi; & quamuis aliquando contingat eam partem, quæ cantu persoluitur, nō ritè, & perfectè ab aliis audiri, tamen hoc permitti potest, cùm rarò eueniat, hancque permissionem, & tolerantiam bonus finis, vel solemnitas cohonestet, vt benè Suarez *num.* 2.

2 Licitus etiam est vsus instrumentorum musicorū in diuino ofācio.

2 Præmittendum est secundò non solùm canendi vsum, verùm etiam praxim adhibendi musica instrumenta licitam esse, si decenter adhibeantur. Ratio desumitur primò ex vsu, & praxi Ecclesiæ, quæ huiusmodi instrumentis nullo pacto vteretur si illicitus, & peccaminosus esset ipsorum vsus: nec obstat quòd in sacello, seu Capella Pontificia non recipiantur huiusmodi instrumenta: non enim non recipiuntur, quia illorum vsus prauus sit, sed fortasse quia non videtur res grauis, vel necessaria, vt benè Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 8. *numero* 5. Filliucius *tractat.* 23. *cap.* 3. *ad finem*, *numero* 120. Carolus Macignus *cap.* 61. *numero* 8. [Barbosa *in cap. dolentes. numero* 16. *de celebr. Miss.*] & alij. Secundò desumitur ex effectu, quem musica parit, animum ad deuotionem excitando. Nec obstat quod inde aliqui delectationem turpem capiant, quia hoc est præter Ecclesiæ intentionem; quamuis enim ex cantu, & musicis instrumentis naturaliter sequatur delectatio sensus, nihilominus huiusmodi delectatio ex se indifferens est, & ab Ecclesia dirigitur ad excitandam spiritus deuotionem, & ad bonum finem ordinatur, quamuis per accidens ruina nonnullorum sequatur, quæ ipsorum culpæ, & malitiæ adscribenda, & imputanda est, cùm vti noluerint cantu ad eum finem, quem Ecclesia præscripsit, & intendit.

Tertiò denique ex Dauidis, qui suos Psalmos Domino decantabat, & ex aliorum Prophetarum exemplo, qui musicis instrumentis in Deum rapiebantur, & prophetiæ donum & spiritum consequebantur: ideo Apostolus 1. *Corinth.* 14. inquit, *Æmulamini prophetare, & loqui linguis, nolite prohibere, omnia autem honestè, & secundùm ordinem fiant*, & alibi, *omnia ad ædificationem fiant*. Ita Caietanus *in summ. verb. Organorum vsus*. Garaciolus *ad constitut. Cleric. Regul. part.* 1. *cap.* 1. §. 10. Henriquez *loco citato*, *numero* 8. *in comment.* vbi de huius rei institutione multa tractat. Suarez *loco citato, cap* 8. *numero* 5. & *seqq.* Filliucius *loco citato*. Carolus Macignus *cap.* 61. *numero* 9. Molfesius *in sum. tractat.* 5. *cap.* 2. *numero* 65. & *seqq.* contra S. Thomam 2. 2. *quæst.* 91. *art.* 2. *ad* 4. Nauar. *in Man. cap.* 16. *numero* 33. & alios, quorum nonnulli intelligi possunt de necessitate, quia necesse non est musica instrumenta in diuinorum Officiorum recitatione adhibere, vel explicandi sunt de cantu, & modulatione indecora. Indecoram autem, & indecentem modulationem appello primò illam, quæ turpis est, aut quæ fit gestibus, ac motibus minus honestis, aut quæ peculiarem vim, & virtutem ex flexione vocis habet ad excitandas prauas animi cogitationes, vel motus turpes, & indecentes, vt benè Suarez *numero* 3. [& hæc erit mortale, aut veniale, pro ratione prouocationis. Secundò illam, qua turpia, vel turpes soni tamquam pars Diuini Officij admiscentur; hoc enim est peccatum superstitionis indebiti cultus; vt benè Sanchez *in opere morali lib.* 2. *cap.* 37. *numero* 7. & alij quos retuli *de legib. disputat.* 3. *q.* 3. *punct.* 1. *n.* 3.] Quamobrem Innocen. *lib.* 1. *de mysterio Missæ c.* 2. in hæc verba cantores admonet: *Debent cātores consonis vocibus, & suaui modulatione concinere, quatenus animos audientium ad deuotionem Dei valeant excitare.*

3 Licitus est cantus, & vsus instrumentorum musicorū, non solum in publica, verum etiā in priuata officij recitatione.

3 Addo non solùm in publica oratione, verùm etiam in priuata licitum esse vti cantu, & musicis instrumentis. Ratio est, tum quia nullo iure hoc prohibetur, præciso scandalo, aliisque circumstantiis extrinsecis: tum quia excitare potest ad maiorem animi deuotionem: tum quia sic in more positum erat apud antiquos Christi fideles, ex Tertul. *lib.* 2. *ad vxorem cap.* 9. Suarez *cap.* 7. *num.* 4. & Molfesio *cap.* 2. *num.* 104.

4 An præceptum diuini officij adimpleatur, dū Officium per instrumenta musica dicitur.

4 Obiicies. Pars diuini Officij, quæ per solum organum, aut aliud instrumentum dicitur, non est oratio vocalis, cum ore non recitetur. Ergo licitum non videtur vti musicis instrumentis in recitatione diuini Officij, cùm Ecclesia obliget ad recitandum diuinum Officium.

Respondeo hinc non colligi illicitum esse vsum instrumentorum musicorum in Choro, & in diuinis Officiis persoluendis, sed solum inferri eam partem diuini Officij quæ per organum dicitur, ore non proferri, nec orationem vocalem esse, nec per simplicem instrumentorum sonum præcepto diuini Officij recitandi satisfieri, quod admitti posse videtur: ideo vsu receptum est in Ecclesiis, vt versus diuini Officij, qui per organum decantantur, ab aliquo Canonico distinctè pronuntientur, vt ab aliis assistentibus audiantur & percipiantur, vt bene Suarez *num.* 7.

His præmissis in præsenti puncto quærimus vtrùm Canonici teneantur diuinum Officium decantare, non quidem cantu, quem vocant, figurato, vel per musica instrumenta, (hic enim ab Ecclesia præceptus non est, nec est necessarius, quamuis licitus sit, & permissus, vt cōstat ex præmissis,) sed cātu qui cōsistit in recitatione diuini

Offi-

Officij alta voce prolati iuxta praxim, vel peculiares cuiſlibet Eccleſiæ conſtitutiones.

VNICA PROPOSITIO.

5 Canonici tenentur diuinum officium canendo perſoluere.

5 CAnonici, aliíque Choro deputati tenentur diuinum Officium canendo, & alta voce recitando perſoluere iuxta Eccleſiæ vſum. Ratio eſt, tum quia *cap. vlt. 92. diſt.* habetur, Clericos Choro deputatos debere in Eccleſia conuenire ad quotidianum pſallendi Officium; is autem pſallere non dicitur, qui diuinum Officium ſubmiſſa voce recitat: tum quia quilibet tenetur munus ſuum obire, munus autem Canonici eſt canere, & alta voce recitare. Ita Sotus *lib. 10. de iuſt. quæſt. 5. art. 4.* Graſſius *part. 1. lib. 2. cap. 51. nu. 12. & cap. 52. n. 22.* Carolus Macignus *cap. 66.* alios allegans, Nauarrus, Suarez, Azorius, Reginaldus, & alij, quos retuli *diſp. 1. quæſt. 3. punct. 1. §. 1. dub. 2. & ſeq.* vbi etiam oſtendi vtrùm recitans ſubmiſſa voce diſtributiones lucrari poſſit, & *ibidem dub. 4.* explicaui vtrum Canonicus, qui alios ex alia parte canentes audire non poteſt, teneatur verſus, quos audire non potuit, priuatim repetere, & vtrùm diſtributiones percipere valeat, vide quæ *ibidem* tradidi.

PVNCTVM IV.

Vtrùm Canonicus poſsit alium in ſui locum ſubſtituere, & diſtributiones capere.

1 Ponitur ratio dubitandi ad oſtendendum poſſe.

1 RAtio dubitandi ad probandum poſſe, eſt, tum quia qui per alium facit, per ſe ipſum facere cenſetur: tum quia Eccleſia nullum damnum patitur: tum quia ſic Romæ in aliquibus Eccleſiis vſu receptum eſt, ſicque per ſacram Cardinalium Congregationem declaratum à viris fide dignis accepi.

VNICA PROPOSITIO.

2 Canonicus non poteſt aliũ in ſui locũ ſubſtituere.

2 CAnonicus, aliúſve beneficiarius non poteſt alium in ſui locum ſubſtituere, ſaltem præciſa conſuetudine, vel priuilegio. Ratio eſt, tum quia recitatio diuini Officij in Choro perſoluendi eſt perſonalis; obligatio autem perſonalis non poteſt ab alio adimpleri, vt patet in ieiunio, vel oratione debita ex præcepto Confeſſarij, imò etiam in ipſo præcepto recitandi priuatim diuinum Officium, quod per alium perſolui non poteſt: tum quia *in capite vnico, [de Clerico non reſid.]* reprobatur conſuetudo conferendi diſtributiones abſentibus, quod confirmatur, & innouatur in Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12.* ſimulque additur, & præſcribitur, vt omnes compellantur diuina per ſe, & non per ſubſtitutos obire Officia. Ita Doctores, quos referam *punct. ſeq.* quibus adde Caldernum *conſil. 221. in fin.* quem allegat, & ſequitur Cardinalis Tuſcus *tom. 2. concl. 514. n. 6.*

3 Reſpondetur rationi dubitandi.

3 Ad primam rationem dubitandi reſpondeo, illum, qui per alium facit, cenſeri per ſe ipſum facere, modò non prohibeatur, ſeu modò id, quod per alium fit, nõ ſit actio perſonalis, quæ per alium fieri nequit.

Ad ſecundam, conceditur Eccleſiam non pati damnum, ſed ipſum beneficiarium non eſſe immunẽ à peccato, cùm aſſiſtendo per alium, non præſtet id, quod perſonaliter præſtare debet.

Ad tertiam reſpondeo primò, difficultatem non ſolui afferendo caſum, qui eamdem patitur difficultatem.

Reſpondeo ſecundò illius rationis ſolutionem pendere ab ea quæſtione, qua quæritur, vtrùm conſuetudine induci poſſit, vt Officium in Choro per alium perſoluatur, de qua re *in puncto proximè ſequenti* diſſeram. Quamobrem ex illa ratione colligitur licitum eſſe tantummodò per alium inſeruire vbi conſuetudo id permittit, ſicque intelligendam arbitror ſacræ Congregationis declarationem.

PVNCTVM V.

Vtrùm conſuetudine induci poſsit, vt quis per alium Choro inſeruiat.

VNICA PROPOSITIO.

1 Conſuetudine, præſertim immemorabili, induci poteſt, vt quis per alium inſeruiat.

1 LEgitima conſuetudine, præſertim immemorabili, induci poteſt, vt quis per alium Choro aſſiſtat. Ita Moneta, Boërius, Rota Romana, & alij, quos referam *q. 5. punct. 6.* Quibus adde Petr. Nauarr. *lib. 2. de reſtit. c. 2. num. 217.* [Paulum Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 7. quæſt. 6. n. 6.*] & Leſſium *lib. 2. cap. 34. dub. 33. n. 185.* Ratio eſt, tum quia ſicut cõſuetudine inductum eſt, vt quis priuatim cum ſocio diuinum Officium recitando ſatisfaciat, ita etiam induci poteſt, vt per alium aſſiſtat: tum quia conſuetudo legem abrogare poteſt, quoties à iure non reprobatur, vt inferiùs oſtendam. A iure autem non reprobatur conſuetudo, vt quis per alium inſeruiat: tum quia illud per conſuetudinem, regulariter loquendo, introduci poteſt, quod poteſt priuilegio concedi. Priuilegio autem Summi Pontificis concedi poteſt, vt quis alium in ſui locum ſubroget, & ſubſtituat: tum quia data hac conſuetudine damnum diuino cultui non infertur, nec Eccleſiæ damnum irrogatur: tum quia ex conſuetudine immemorabili præſumitur titulus, & priuilegium, vt omnes fatẽtur, idemque paſſim admittitur à Rota in ſuis deciſionibus: tum quia ſic vſu receptum eſſe accepi in nonnullis Almæ Vrbis Eccleſiis. Quantum autem temporis ſufficiat ad hanc conſuetudinem legitimè introducendam, conſtat ex dictis de conſuetudine *in tract. de legibus*, & ex Rota citata, quæ innuit quadragenariam conſuetudinem ſufficere.

2 Huiuſmodi conſuetudo ſtrictè explicanda eſt.

2 Obſerua tamen hanc conſuetudinem ſtrictè explicandam eſſe, vtpote iuri contrariam, conſequenter non licere per extraneum inſeruire: tum quia vſu receptum eſt, vt alter eiuſdem Eccleſiæ miniſter ſubſtituatur: tum quia multa incommoda facilè ſequi poſſent ſubſtituto extraneo, cùm facile fieri poſſit, vt iis qualitatibus exculſus minimè ſit, quæ in Canonicis prærequiruntur.

3 An conſuetudo inſeruiendi per aliũ in iure cẽſeatur reprobata.

3 Obiicies primò *in cap. vnico, de Cler. non reſid.* & in Trid. *ſeſſ. 24. cap. 12.* tollitur, & reprobatur quælibet conſuetudo inſeruiendi per alios, & conferendi diſtributiones abſentibus; qui autem per alium inſeruit, non dicitur intereſſe, quia intereſſentia includit præſentiam veram, realem, & perſonalem, non verò fictam, & per alium. Et cùm nequeat conſuetudo introduci contra legem, quæ ipſam conſuetudinem reprobauit, ſequitur conſuetudine induci non poſſe, vt quis per alium aſſiſtat.

Reſpondetur primò in præcitatis iuribus non reprobari conſuetudinem aſſiſtendi, & inſeruiendi per alios eiuſdem Eccleſiæ Canonicos, cùm ob id Eccleſia damnum non patiatur, nec vlla perturbatio in Eccleſia ſequatur, intereſſente eo, qui aliàs conſueuit intereſſe, ſed reprobari conſuetudinem, qua ſimpliciter diſtributiones abſentibus conferuntur.

Reſpondetur ſecundò, præfata iura non loqui de conſuetudine immemorabili, iuſta aliqua de cauſa introducta, quæ non cenſetur reprobari, niſi exprimatur, vt dictum eſt *de legibus*.

4 An licitũ ſit heredibus Canonici defuncti cõferre diſtributiones primi, vel ſecũdi anni.

4 Obiicies ſecundò, [ſi præfata conſuetudo admitteretur,] ſequeretur etiam admitti debere conſuetudinem conferendi heredibus Canonici mortui diſtributiones primi, vel ſecundi anni, cùm dici poſſit Canonicum de recenti cooptatum in Canonicorum numerum intereſſe diuinis in locum prædefuncti.

Reſpondetur huiuſmodi conſuetudinem, vel ſimile ſtatutum non reprobari, non quia ſucceſſor aſsiſtat Choro in locum defuncti, ſed quia defunctus ſuo tempore inſeruiuit dilata fructuum perceptione poſt mortem. Ita ſæpiùs in Rota definitum fuit, vt in vna Oriolen. fructuum 16. *Nouembris* 1593. coram Seraphino, quam refert Farinac. *in nouis deciſ. 660.* & plures alias Rotæ deciſiones allegat Garzias *de benef. 11. part. cap. 5. num. 137. & ſeq.* vbi etiam ex declarationibus ſacræ Congregationis idem probat, & oſtendit in decreto Conc. Trident. *ſeſſ. 24. c. 14.* & in Bulla Pij V. quæ eſt 106. (ſi ſequamur ordinem, iuxta quem editæ ſunt ipſius conſtitutiones) non comprehendi ſtatuta, vel conſuetudines, quibus beneficiarij primis annis nihil percipiunt, ſed fructus illi tempori reſpondentes traduntur heredibus Canonici anteceſſoris. Idem tenet Rodriquez *in ſumm. 2. part. cap. 33. n. 1.* Suarez *tom. 2. de relig. tract. 4. lib. 4. cap. 20. n. 9. verſ. in tertio caſu, & num. 10. verſ. quartus*, & Gutierez *lib. 1. Canonicarum quæſtion. c. 29. n. 30.* [Vide dicenda *q. 5. punct. 6. num. 12.*]

QVÆSTIO II.

De varia, & originaria nominis acceptione, definitione, & inſtitutione diſtributionum, quarum iacturam faciunt beneficiarij Choro deputati, dum Horis Canonicis in Choro non aſſiſtunt.

SOlutio præſentis quæſtionis in ſolutione triplicis difficultatis proximæ ſubſequentis continetur.

Prima eſt, quid nomine *diſtributionum* intelligatur, & quibus vocabulis diſtributiones appellentur.

Secunda, quid ſint diſtributiones, & quot ipſarum ſpecies.

Tertia, quo iure, & qua de cauſa introductæ fuerint.

PVNCTVM I.

Quid nomine diſtributionum *intelligatur, & quibus vocabulis diſtributiones appellentur.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 Diſtributiones vnde nomen acceperint, & cur hoc nomine vocentur.

1 DIſtributiones, quæ nomen ſuum à verbo *diſtribuo* acceperunt, ſunt ea portio prouentuum, qui tribui, & diuidi debẽt per ſingulas Horas inter eos, qui diuinis Officiis inſeruiunt pro rata ſeruitij præſtiti, vt benè obſeruat Garzias *de benef. 3. part. cap. 2. n. 440.* Azor. *2. part. lib. 7. cap. 7. quæſito 1.* & alij Doctores ſtatim citandi. Communiter autem nuncupantur quotidianæ diſtributiones, quia acquiruntur ab iis qui quotidie diuinis Officiis interſunt, ſeu quia diſtribuuntur in ſingulos iuxta quotam Officij, cui quiſque ſingulis diebus interfuit, id eſt, iuxta cuiuſque merita, habita ratione aſſiſtentiæ ſingulis diebus exhibitæ circa diuinum Officium publicè perſolutum in loco conſtituto. Azorius *loco citato*, Moneta *1. parte quæſito 1. num 12.* Garzias *de benefic. 3 parte, cap. 2. n. 440.* Pariſ. *lib. 4. conſ. 33. n. 24. in fine.* Naldus *verb. diſtributiones, num. 2.* Cardinalis Tuſcus *tomo 2. litt. D. concluſ. 511. n. 5.* Riccius *in praxi deciſ. 495.* & alij paſſim.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Diſtributiones aliquando vocantur *portiones quotidianæ, veſtuaria, aut victualia*, *ſportulæ, & diaria*, *emolumẽtum beneficiorum*, *ſeu præbẽdarum*, *reditus beneficij*, *vel Eccleſiæ*, *prouentus Eccleſiaſtici*, *&c.*

2 DIſtributiones alio nomine vocantur *portiones quotidianæ*, quia pro rata portione conferuntur quotidie inſeruientibus diuinis Officiis, *cap. dilectus 1. de præbendis.* Aliquando vocantur *veſtuaria*, aut *victualia*, quia faciunt ad quotidianum victum, & veſtitum eorum, qui diuinis Officiis interſunt, *cap. vnico, & cap. de cetero, de Clerico non reſidente.* Quamquam hoc nomen ſtrictè loquendo potius fructibus beneficij, quàm diſtributionibus accommodatur. Rota in vna Conchen. fructuum 1. *Junij* 1538. Cardinalis Tuſcus *tom. 2. concl. 512. n. 6.* Macignus *cap. 71.* Abbas, Pariſ. & alij apud Garziam *2. part. c. 2. n. 441.*

Aliquando dicuntur *ſportulæ & diaria*, ſumpta ſimilitudine à donis, & muneribus, quæ quaſi dictim iudicibus occaſione ſui officij conferuntur, vt colligitur ex Durando *de ritibus lib. 3. cap. 25. n. 4.*

Aliquando veniunt nomine *emolumenti beneficiorum, ſeu præbendarum.* Sunt enim quoddam commodum, ſeu vtilitas, quæ ſuſcipitur ex beneficiis. Ita Gutierez, [Surdus, Bartolus,] & alij apud Monetam *de diſtribut. 1. part. quæſt. 7. num. 15.* quibus adde Rotam in vna Lucana penſionis 10. *Januarij* 1622. quam referam [*q. 6. punct. 3. n. 7.*] Aliquando diſtributiones nomine *reditus Eccleſiaſticorum, aut beneficij* continentur. Ratio eſt, tum quia prouenium ex beneficiis Eccleſiaſticis: tum quia, licet nomẽ fructuum beneficij proprie ſumptum non conueniat diſtributionibus, illis tamen aliquando nomen reditus accommodari poteſt, cum illis tribuantur, qui ad ipſas titulo beneficij per debitã diuinis officiis aſſiſtentiam ius habent: tum quia ſic apertè conſtat ex *cap. dilectus, de præbend.* dum dicitur: In Canonicum recipi facias, & ſibi de reditibus Eccleſiæ aſsignari prouentus. Ita Gloſſ. *ibid.*

Couar.3.*variarum cap.*13.nec dissentire videtur Moneta *quæst.*7.*n.*6. quamquam *n.*1.2.*&* 3. multis Doctoribus allegatis nomen *redituum beneficij* distributionibus propriè loquendo accommodari non posse contendit, quod etiam sustinere conatur Cardinalis Tuscus *tomo* 2. *littera D.conclus.*514. addens cum Oldrado *consil.*129. distributiones non venire in locatione redituum dignitatis, vel beneficij. Ego igitur assero aliquando etiam [nomen *redituum*] posse pro distributionibus vsurpari, quamuis, regulariter loquendo, pro distributionibus non vsurpetur, nisi aliud addatur, vel ex subiecta materia, de qua sermonem esse contingit, vel ex antecedentibus, & consequentibus colligatur. Idem sentiendum puto de nomine *prouentuum*, quod etiamsi vtplurimum pro beneficij fructibus accipiatur, vt colligitur ex *cap.*2. *de priuilegio, in 6.& cap.licet, de præbendis*, vbi distributiones à prouentibus distinguũtur, nihilominus etiam pro distributionibus aliquando sumi potest: tum quia hoc est nomen generale, quod latius patet, quàm nomen fructuum: tum quia prouentus ex bonis Ecclesiasticis proueniunt, ob idque prouentus Ecclesiastici vocantur à Bonifacio VIII. *in extrauag.vnic.de decimis.* Ita Gloss. *cap.dilectus* 2. *de præbendis.* Parisius *tractat.de resignat.quæst.*2.*num.*33.& alij apud Garziam 1.*parte cap.*5.*à num.*281. & apud Gonzalez *ad regul.*8.§.7.*proœm.num.*196. Idem cum proportione contra Doctores statim citandos dicendum arbitror de nomine *obuentionum*, quod aliquando de fructibus, & aliquando de distributionibus intelligi posse arbitror. Quamobrem fieri potest, vt qui per statutum, vel per sententiam omnibus fructibus, & quibuscumque obuentionibus priuatur, nõ solùm fructuum, verùm etiam distributionum priuationem incurrere censeatur, nomen enim *obuentionum* latius patet, quàm nomen *fructuum*, & ne frustrà videatur appositum, ad distributiones extendi posse videtur, nisi aliter ex circumstantiis, ex vsu, & ex subiecta materia diiudicetur. Hoc pacto intelligendum arbitror Rodriquez *tom.*3.*quæst.reg.quæst.* 74.*artic.*4.*vers.Tertia ratio est*, Monetam *quæst.*7.*num.*11. Gonzalez *ad regul.*8.§.7.*num.*186.*& sequentibus*, Ripam, & alios quos præcitati referunt, & sequuntur, asserentes nomen *obuentionum* distributionibus non accommodari. Extra tamen controuersiam est nomine *prouentus Ecclesiastici*, vel *obuentionis Ecclesiæ*, vel *reditus Ecclesiastici*, absolutè prolato contineri distributiones, quia istæ ab Ecclesia proueniunt. Quamobrem si Summus Pontifex decimam imponat super beneficiis, & omnibus prouentibus Ecclesiasticis, censetur etiam illam super distributionibus imponere, vt benè ex *Extrauagant.vnica de decimis, inter communes*, [probant Augustinus Barbosa *in add.ad Collectaneam, cap.cùm M.*9.] & Moneta *de distribution.*3.*parte, quæst.*9. *num.*10. *&* 11. vbi etiam conatur ostendere, secus dicendum esse, si decima imponatur super prouentibus, seu reditibus, aut obuentionibus beneficij, aliud enim, inquit ipse, sunt distributiones, aliud prouentus, & obuentiones, seu reditus beneficij, nam reditus seu prouentus illi dicũtur, qui immediatè & per se ex beneficio proueniunt; distributiones verò accessoriæ sunt, & ad beneficium consequuntur. Verùm hæc distinctio mihi nõ placet, cùm tam distributiones, quàm fructus ex beneficiis proueniant, & sicut ad eas lucrandas requiritur interessentia in Choro, ita etiam ad hos retinendos requiritur Officij recitatio, ideo illæ ob assistentiam in Choro, hi propter diuinum Officium conferuntur. Poterunt ergo distributiones sub generali nomine *omnium prouentuum, obuentionum*, aut *redituum beneficij*, vtplurimum comprehendi, in iis scilicet, quæ nimis onerosa non sunt, vel quæ diuino cultui non præiudicant, vel ex subiecta materia ita exigunt, aut nisi in casu aliquo oppositum ferat consuetudo: & hoc præsertim valet, dum beneficium nullos alios habet reditus præter distributiones.

8 Item vocantur aliquãdo manuale beneficium.

3 Addo distributiones aliquando nomine *beneficij manualis*, vocari posse iuxta probabilem nonnullorum Doctorum sententiam *in cap. olim, de verborum significatione, & cap.vnico de Clerico non residente*, quibus adde Cardinalem Tuscum *tom.*2.*littera D.conclus.*511.*num.*6. Macignum *cap.*71. & Rotam *in causa Conchen.fructuum* 1.*Iunij* 1538. coram Rubeo apud Garziam 3.*parte, cap.*2.*nu.*441. quamquam horum Doctorum sententiam refellere conatur Moneta *de distributione* 1.*parte, quæst.*2.*num.*9. Distributiones autem dici possunt beneficia manualia: tum quia distributionum acquisitio est quasi in manu, & potestate beneficiarij, cui liberum est eas acquirere, & earum iacturam facere assistendo diuinis, & non assistendo: tum quia ad manum traduntur, & distribuuntur iis, qui diuinis Officiis certis diei horis interueniunt, quamquam beneficium manuale strictè loquendo illud appellatur, quod à manu conferentis pendet, & consequenter ad distributiones non extenditur.

Dices, si distributiones nomine manualis beneficij continerentur, sequeretur Canonicum beneficiarium, qui nondum ad Chorum, & ad Canonicas distributiones admissus est, dici posse nouum beneficium acquirere, dum ad eas admittitur à Capitulo: hoc autem concedendum non videtur, cùm Capitulum facultatem conferendi beneficia, vtplurimum non habeat.

Respondeo non videri absurdum, & à ratione alienum, vt Canonicus habens beneficium permanens, & absolutum, dicatur ad manuale beneficium admitti, dum ei residentia in Choro conceditur à Capitulo, nec ob id Capitulum dicitur conferre beneficium iuxta communem, & vsu receptum loquendi modum, iuxta quem beneficium conferri dicimus, dum ius ad fructus per collationem conceditur, non verò quãdo ius ad distributiones per residentiã confertur.

4 Distributiones, regulariter loquendo, distinguũtur à fructibus.

4 Sed modò supereſt dubium, vtrùm distributiones à fructibus distinguantur, vel sub fructuum nomine comprehendantur.

Respondeo contra Naldum *verb.Distributiones, num.* 1. & alios, per se, & regulariter loquendo, distingui: sic enim apertè constat ex Tridentino *sess.*24.*cap.*12. Ratio est, quia fructus beneficij dicuntur annui reditus, qui ex certis Ecclesiæ bonis colligi solent. Distributiones verò sunt portio conflata ex prouentibus beneficij, & conferenda assistentibus diuinis Officiis, iuxta quantitatem assistentiæ, & seruitij præstiti: vt constabit ex dicendis. Ita Rota Romana *decis.*8.*n.*1.*de præbendis, in nouis*; & in altera Lucana pensionis, coram Reuerendissimo Domino meo Pirouano, eximio, & eruditissimo Rotæ Auditore, quam decisionẽ de verbo ad verbum referam infrà [*quæst.*6.*punct.* 3.*n.*7.] Azorius *lib.*7.*c.*7.*quæs.*7. Rodriquez *tom.*2.*quæst.regul.quæst.* 74.*art.*4. Gonzalez *reg.*8.§.7.*proœm.n.*154. Card. Tuscus *loco cit.concl.* 511.*n.*8.*& concl.*113.*n.*4. & alij cõmuniter apud Gonzalez, apud Monetam *loco cit. quæst.*6. apud Hoiedam 1.*part.de incompatib.benef.c.*12. *n.*8.*vers.ratio*, & apud Carolũ Macignum *de Horis Canonicis c.*71.*n.*4.

5 Priuatus distributionibus, non ob id cẽsetur priuatus fructibus, modò beneficium simul reddat fructus & distributiones.

5 Ex quo licet inferre primò, eum, qui ob perpetratum crimen priuatur distributionibus, non ob id censeri priuatum fructibus, licet contrarium tenere videatur Naldus *n.*1. Ratio est, tum quia nomine *distributionum* non veniunt fructus beneficij, propriè loquendo, nisi aliud exprimatur: tum quia versamur in materia pœnali, in qua benignior interpretatio sustinenda est. Ita Gonzalez §.7.*n.*10. Decianus *cons.*43.*n.*14.*tom.*1. Azorius *loco cit.quæs.*2. Moneta *loco cit.n.*12.*&* 15. Macignus *c.*71. Hoc tamen limita, modò beneficium reddat fructus, & distributiones. Nam si solas habet distributiones non distinctas à fructibus, censeo priuatum fructibus censeri priuatum distributionibus, alioquin sententia esset elusoria, quod non est admittẽdum, cùm verba debeant aliquid operari, *cap.6.licet.de priuileg.* Ita Decianus *loco cit.n.*14. & Moneta *n.*14. Gonzalez *ad reg.*8.§.7.*proœm.nu.*157.*vers.*2. *limita*, & alij.

6 Habens facultatem lucrandi fructus, seu quantum lucraretur residendo, non potest distributiones percipere.

6 Secundò infertur eum, cui tempore absentiæ datur facultas percipiendi fructus, seu tantum lucrandi, quantum lucrifaceret residendo, non posse distributiones tempori absentiæ respondentes capere, nomine enim *fructuum* non veniunt distributiones, regulariter loquendo, nec distributiones ob solam residentiam acquiruntur, sed ob præsentiam, & debitam in diuinis Officiis assistentiam: ergo facultas recipiendi quantum lucrifaceret residendo, non extenditur ad distributiones, quæ diuinis Officiis assistendo acquiruntur. Ita Gloss. *cap.* 1.*de Clerico non resid.* Azorius *loc.cit.quæs.*2.*circa medium.* Rodriquez *loco cit.n.*4. Rota Romana apud Riccium, Cassadorus, Gigas, & alij apud Monetam 1.*parte, quæst.*6.*n.*12. *&* 14. apud Riccium *decis.*494. *n.*9. apud Hoiedam *loco cit.n.*8. vbi refert Bertachinum, & testatur de communi, & apud Macignum *cap.*71.*de Horis Canonicis.*

*7 Pensio in dubio non censetur super distributionibus imposita, nisi Summus Pontifex aliud exprimat, vel nisi beneficium in solis consistat distributionibus, & n.*8.

7 Tertiò pensionem alicui beneficio impositam non censeri super distributionibus, sed super fructibus constituram, nisi beneficium in solis distributionibus consistat, aut nisi Pontifex aliud exprimat. Ita Rota Romana *decis.*134.*in nouis.* Azorius 2.*part.lib.*8.*cap.*8.*quæsito* 17. Gigas, Paris, & alij apud Monetam 3.*parte quæst.*8.*n.*1. Ratio est, quia pensio, quando Pontifex aliud non exprimit, constitui solet super fructibus, seu super præbenda, vel beneficio; distributiones autem non veniunt nomine fructuum, vel præbendæ, sed ab ipsis distinguuntur. Ita Rota Romana *in vna Lucana pensionis* 10. *Ianuarij* 1622. coram Reuerendissimo Domino Pirouano, & aliis DD. statim citandis.

8 Dixi, *nisi beneficium in solis distributionibus consistat*, nam si beneficium nullos alios reditus habeat præter distributiones, idque Summo Pontifici expressum fuerit, pensio censetur posita super distributionibus, quia distributiones tunc temporis vices gerunt fructuum, alioquin daretur beneficium sine fructibus, & præbenda, & constitutio pensionis elusoria redderetur, vt benè infert Gloss. *cap.vnico, de Clerico non residente*, eamque sequitur Azorius *loco cit.quæs.*2.*ad fin.* Decianus *tom.*1.*cons.*43.*n.*14. *&* 15. Moneta *de distribut.*1.*part.quæst.*6. *n.*14. & alij, quos retuli *de fidei professione facienda, in tract.de beneficiis, & obligationibus beneficiatorum*, quamquam Gonzalez §.7.*proœm.n.* 190.*in nouis*, & Rota Rom.*in vna Hispalen.pensionis* 26.*Nouemb.*1574. *& in vna Salamantina pensionis* 18.*Martij* 1588. coram Bubalo oppositum tenent, asserẽtes pensionem nullius effectus esse, si beneficium in solis consistat distributionibus. Verùm isti Doctores intelligi possunt, nisi Summo Pontifici beneficium in solis distributionibus consistere manifestatum fuerit.

9 Distributiones in impetratione beneficij non exprimuntur, nec in valore beneficij cõputantur.

9 Quartò in impetratione beneficij non esse necessariò exprimendas distributiones. Ratio est, quia in beneficio impetrando exprimitur fructus, & valor beneficij; distributiones autem non veniunt nomine fructuum beneficij, nec in valore beneficij computari debent, cùm enim incertum sit, an beneficiarius quotidianas distributiones percepturus sit (nam variis de causis à residentia impediri potest) distributiones in valore minimè computandas esse, iure merito tradit Couarr.3.*var.cap.*13.*n.*1.*cons.*43. Gonzalez *ad reg.*8.§.7.*proœm.n.*166. *& seq.* Cardinalis Tuscus *to.*2.*concl.*513.*n.*4. Decianus *tom.*1.*consil.*43. *n.*14. Moneta 1.*part.quæst.*8. Hoieda *de incompatibili* 1.*part.cap.*12.*n.*8. Cenedo *in collect.ad textum in cap.vnico, consuetudinem. de Clerico non resid.collect.*15.*n.*3. vbi refert Gambarum, Rodoanum, & alios.

Hoc tamen limitatur à Deciano *loco cit.n.*15. contra Monetam *loco cit.n.*9.*&* 3.*part.quæst.*5.*n.*29. Gonzalez, & alios, modò distributiones separatæ sint à fructibus, nam si beneficium in solis consistat distributionibus, putat distributionum mentionem in obtinendo beneficio faciendam esse. Ratio est, tum quia huiusmodi distributiones subrogantur, & substituuntur in locum fructuum, & præbendæ beneficij, quod nullum aliud valorem, quàm distributionum habet. Ergo distributionũ mentio facienda est: tum quia superior non concederet beneficium non facta ea mentione, cùm in regula Cãcellariæ decernatur, vt valor beneficij in impetrationibus quorumcumque beneficiorum exprimatur; cùm autem alius valor hìc exprimi nequeat præter distributiones, fatendum videtur has necessariò exprimendas esse. Idem sentire videntur Azorius, Garzias, Gonzalez, Naldus, Sanchez, & alij, quos retuli de obligatione professionis fidei intra bimestre à beneficiariis faciendæ, dum asserunt decretum Trid. *sess.*24.*c.*12. priuans fructibus beneficiarios, fidei professionem intra bimestre non facientes, extendendum esse ad beneficiarios, quorum beneficium in solis distributionibus consistit. Verùm contra Decianum obstat vsus, & praxis, iuxta quam receptũ est, vt distributiones non exprimantur, cùm fieri possit, vt beneficiarius non resideat, [seu Choro non assistat;] consequenter distributiones non capiat. Ita Gonzalez, Moneta, & alij.

Ad

Ad rationes in contrarium respondeo falsum esse distributiones in locum fructuum subrogari, nec opus esse eas exprimere, & vsu receptum esse, vt non exprimantur. Quamobrem, inquiunt Gomez *in regul. de valore, quæst.* 8. *ante finem*, Gutierez *lib.* 1. *Canonic. num* 122. Gonzalez *ad reg.* 8. §. 7. *proœm. num.* 166. nulla soluitur annata de canonicatibus sancti Petri in Vrbe, aut Ecclesiæ Toletanæ, licet mille aureos singulis annis excedant, nec in ipsorum impetratione distributionum valor exprimitur, sed solùm exprimitur valor vigintiquatuor ducatorum, quia annata non soluitur, nisi adsit excessus supra vigintiquatuor ducatos Camerales, vt explicaui *in tract. de beneficiis*, & hic est stylus Cancellariæ, & Dattariæ, vt à Curialibus accepi.

10 In sequestratione fructuũ, redituum, & prouentuum non veniunt distributiones.

10 Quintò, in sequestratione fructuum, redituum, & prouentuum beneficij, regulariter loquendo, non comprehendi distributiones propriè acceptas, quamuis enim distributiones aliquando sub nomine redituum, prouentuum, & fructuum contineantur, vt patet ex supradictis, regulariter tamen loquendo non continentur, nisi aliud exprimatur, vel nisi aliter ex circumstantiis, vel ex particula aliqua vniuersali, vel ex subiecta materia colligatur. Distributiones enim sunt portio redituum, & prouentuum, & communiter exprimi solent proprio, & communiter vsu recepto distributionum nomine, vt probat Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancellariæ* §. 7 *proœm. num.* 154. 188. *&* 195. vbi refert Boërium *decis.* 224. *num.* 6. Gutierez *consil.* 8. *nu.* 4. & alios, Garzias 1. *parte cap.* 1. *num* 380. *& sequent.* Moneta *quæst.* 9. *num.* 18. 21. *&* 35. in tertia editione, iuxta quam ipsum in his quæstionibus allegabo.

Plura de fructuum, vel distributionum sequestratione disputant, [Moneta 1. *part. quæst.* 9. Garzias *part.* 5. *cap.* 6.] & Gonzalez *loco cit.* explicantes etiam *Clementinam vnicam, de sequest. possess. & fruct.* & constitutionem 142. Pij IV. editam *die* 26. *Octobris* 1560. quæ incipit, *Sanctissimus*, & c. de quibus ego alibi forsan disseram, interim videri poterunt præcitati Doctores, cum aliqua circa fructuum, vel distributionum sequestrationẽ dubitatio contigerit. Et ne diutius, quàm par sit, in explicandis distributionum nominibus immorari videar, hæc missa facio, & ad rei quidditatem, & essentiam exponendam propiùs accedo.

PVNCTVM II.

Quid sint distributiones, & quot ipsarum species.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quid sint distributiones.

1 DIstributiones, quæ propriæ, ordinariæ, & quotidianæ distributiones appellantur, sunt portio prouentuum beneficij, quæ confertur iis, qui diuinis officiis intersunt, & iuxta sui beneficij conditionem & qualitatem inseruiunt. Ita sentire videtur Azorius 2. *part. lib.* 7. *cap.* 7. *quæsito* 1. vbi refert Oldradum, Parisium, & Boërium, Couarr. 3. *variar. cap.* 13. Alexander Moneta 1. *part. de distrib. quæst.* 4. *n.* 10. tam in vltima editione, quàm in prima.

2 Extãt alię distributiones prę- ter propias.

2 Dixi, *quæ propriæ*, & c. vt obseruarem extare aliquas distributiones, quibus propria distributionum ratio non competit, vt sunt illæ, quæ ex communi massa alicuius Ecclesiæ conferuntur Clericis alicuius Ecclesiæ, etiamsi diuinis officiis non intersint, modò resideant in loco suarum Ecclesiarum, aut saltem non recedant sine iusta causa. De quibus agunt Moneta *loco citato, quæst.* 3. *num.* 2. *&* 4. Panormitanus *in cap. licet, de præben.* Felinus *in cap. Iacobus, de simon.* Macignus *cap.* 71. *num.* 6. & alij Doctores *in cap. de cetero, de Clerico non resid.* qui etiam obseruant has distributiones vocari portionem priuilegiatam, seu mensam grossam, seu grossos fructus. Idem cum Achille de Grassis, Cæsare de Grassis, Rota Romana, & aliis tradit Garzias *de benefic.* 3. *parte, cap.* 2. *n.* 440. *&* 441.

Dixi, *ordinariæ & quotidianæ*, vt aduerterem aliud distributionum genus extare, quas extraordinarias vocant Nauarrus *miscellan.* 54. *de oratione, num.* 6. Macignus *cap.* 71. *num.* 9. Azorius *loco cit. quæsito* 8. & Moneta *loco cit. n.* 7. *& quæst.* 9. *num.* 34. & quas ego censeo non esse veras minutas, & strictè acceptas distributiones, sed grossas & impropriας: huiusmodi autem extraordinariæ distributiones sunt illæ, de quibus Tridentinum *loco* statim *citando* loquitur. Appellantur *extraordinariæ*, tum quia huiusmodi distributionum genus à Concilio Tridentino *sess.* 22. *cap.* 3. inuentum est: tum quia non constituuntur ex communibus beneficiorum fructibus, sed ex priuatis reditibus alicuius dignitatis, vel Canonicatus: tum quia non sunt communiter introductæ in Collegiatis: tum quia istæ distributiones dum amittuntur non accrescunt ceteris interessentibus, & inseruientibus, sed fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarij applicandæ sunt, ex Tridentino *loco cit.* vbi in hæc verba loquitur, Episcopi etiam tamquam delegati Apostolici ex fructibus, & prouentibus quibuscumque omnium dignitatum, personatuum, & officiorum in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis existentium, tertiam partem in distributiones eorum arbitrio assignandas diuidere possint, vt scilicet, qui eas obtinent, si personaliter competens ibi seruitium iuxta formam ab iisdem Episcopis præscribendam, quolibet die statuto non impleuerint, illius diei distributionem amittãt, nec eius quoquo modo dominium acquirant, sed fabricæ Ecclesiæ quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarij applicetur.

Circa quod decretum extant multæ declarationes sacræ Congregationis, quas refert Garzias *de beneficiis* 3. *parte cap.* 2. *num.* 465. *vsque ad num.* 485. à quo eas mutuauit Augustinus Barbosa *sessione* 22. *cap.* 3. eademque refert Ioannes Gallemartius *sess.* 22. *cap.* 3. quamquam hi duo vltimi ob sanctæ Inquisitionis prohibitionem sine legitima facultate legi nequeunt. Nonnullas etiam referunt Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 12. *n.* 12. & Carolus Macignus *loco cit.*

3 Anniuersaria non sunt propriè distributiones,

3 In propositione dixi, *prouentuum beneficij*, quia portiones, quæ ex prouentibus beneficij non sunt collatæ, non appellantur propriè distributiones. Quamobrem portiones funerales, quæ vocantur Anniuersaria, quæque conferuntur iis, qui exequiis, aliisque officiis pro defunctis celebrari solitis assistunt, non sunt propriè distributiones, quamquam distributionum priuilegio gaudent, & interessentibus solùm conferuntur, vt obseruat Moneta *quæst.* 3. *num.* 12. Azorius & alij. Nec consuetudo in contrarium induci potest, vt ex *cap. consuetudinem, de Clerico non residente*, & ex ratione innixa iuri naturæ docui *de legibus disp.* 1. *quæst.* 1. *punct. vlt.* §. 3. *num.* 10. *&* 11. *cum gl. in eodem cap.* & idem tradit Azorius *loco cit. quæsito* 4. & in simili Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 10. *n.* 5 *&* 6. *& cap.* 12. *n.* 13. sed ipsarũ priuilegio gaudent.

4 An verò conferri possint interessentibus diminuto onere præscripto in fundatione, constat ex supradictis, *vers. ex quo patet à fortiori*, & ex dicendis *quæst.* 5. *punct.* 6. 4 Quibus conferendæ sint distributiones.

Dixi, *quæ confertur iis, qui diuinis Officiis intersunt*, vt explicarem, quibúsnam distributiones conferri debeant: cum enim distributiones institutæ sint, vt beneficiariis tradãtur iuxta meritum, & obsequium circa diuinum officium, par est, vt iis solùm distribui debeant, qui diuinis officiis intersunt, & munus suum præstant, vt clariùs constabit ex dicendis. Ita Couarr. 3. *variarum, cap.* 13. Moneta *quæst.* 4. *num.* 21. Macignus *cap.* 71. & alij communiter.

Obiicies contra propositam definitionem, distributiones conferuntur Canonicis infirmis, vel senio confectis, vel absentibus ob Ecclesiæ vtilitatem. Ergo falsa, aut manca est definitio, in qua dicitur distributiones conferri interessentibus diuinis officiis.

Respondeo huiusmodi Canonicos fictione iuris censeri præsentes, consequenter ipsis conferendas esse distributiones, quæ præsentibus conferri consueuerunt, ob idque nec falsam, nec mancam reddi distributionis definitionem, cùm verum sit distributiones ordinarias, & propriè acceptas, esse portionem prouentuum beneficij, conferendam interessentibus diuinis officiis, iuxta beneficij qualitatem, siue realiter, & personaliter intersint, siue iuris fictione.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Quot sint distributionum genera.

5 DIstributiones aliæ dicuntur ordinariæ, aliæ extraordinariæ, aliæ propriæ, aliæ impropriæ, aliæ à fructibus, seu massa grossa, seu à grossa beneficij separatæ; aliæ fructibus immixtæ, & non distinctæ, aliæ consistunt in pecunia, aliæ in fructibus, pane, vino, aliisve rebus, quæ Canonicis diuino officio præsentibus conferendæ præscribuntur. Hæc propositio constat ex dictis in antecedenti puncto, & in proximè præcedenti propositione. Vide Azor. *loco citato, quæsito* 3. Monetam *parte* 1. *quæst.* 3. Garziam *de beneficiis* 3. *parte cap.* 2. *n.* 440. Gonzalez *ad reg.* 8. §. 7. *proœm. n.* 176. *& sequentibus.*

PVNCTVM III.

Quo iure, & quæ de causa introductæ fuerint distributiones.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Vsus distributionũ non est inductus iure diuino, vel naturali, sed positiuo Ecclesiastico.

1 IVre humano Ecclesiastico, non verò naturali, vel diuino distributionum vsus inductus est. Ita sentire videtur Nauarrus *de orat. cap.* 18. *num.* 10. Durandus *de ritibus Ecclesiasticis lib.* 3. *cap.* 25. *num.* 4. & alij, contra Petrum Monetam 1. *part. de distribut. quæst.* 5. *num.* 19. asserentem distributiones quo ad substantiam, iure naturali, & diuino inductas fuisse. Quòd iure humano fuerint inductæ apertè constat ex *cap. licet. de præbend. cap. fin. de conces. præbend. cap. de cetero. de Cleric. non resid. & cap. vnico, eodem tit.* & nouissimè ex Trident. *sess.* 21. *cap.* 3. vbi Tridentinum in hæc verba loquitur: *Statuit sancta Synodus in Ecclesiis, tam Cathedralibus, quàm Collegiatis, in quibus nulla sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, vt verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque prouentuum, & obuentionum, tam dignitatum, quàm Canonicatuum, personatuum, portionum & officiorum separari debere, & in distributiones quotidianas conuerti.*

Ex quo licet colligere, vsum vniuersalem quotidianarum distributionum à Concilio Tridentino præscriptum fuisse: quamuis enim quotidianæ distributiones in aliquibus Ecclesiis antiquitus introductæ fuissent, vt patet ex *cap. vnico*, & ex aliis iuribus præcitatis; in omnibus tamen Ecclesiis quotidianarum distributionum vsus non extabat, sed ex Concilij Tridentini decreto iure meritò constitutus, & vniuersaliter introductus fuit.

Quòd verò distributiones inductæ non fuerint naturali, vel diuino iure, perspicuum mihi videtur; tum quia ex nullo Scripturæ loco, vel Ecclesię traditione, vel Patrum testimonio distributionum vsum habemus. Ergo distributionum vsum iure diuino inuentum esse, asserendum non est, cùm Deus ius suum positiuum aliquo Scripturæ testimonio, vel Apostolica, & Ecclesiastica traditione, vel Patrum testimonio indicare consueuerit: tum quia ius naturale semper & vbique idem est; sed ante Tridentinum non extabant distributiones in omnibus Ecclesiis, vt patet ex illis Concilij verbis, *statuit sancta Synodus in Ecclesiis, in quibus nulla sunt distributiones*, & c. Ergo distributiones non sunt de iure naturali: tum quia sequeretur Summum Pontificem non posse cum absente dispensare, vt distributiones tempore absentiæ capere valeat, aut non posse alicui collegiatæ facultatem dare, vt distributionum vsus non seruetur; consequenter huiusmodi facultatem, & dispensationem inualidam esse; cùm Summus Pontifex in iure naturali dispensare nequeat. Concedo quidem distributiones, posita ipsarum institutione, interessentibus diuino officio iure naturæ aliquo pacto deberi, tum quia dignus est operarius mercede sua, *Luc.* 10. tum quia debet in spe, qui arat, arare, 1. *Cor.* 9. tum quia hæc est distributionum natura, vt assistentibus conferantur: ergo patet primariam, & formalem ipsarum institutionem, à iure naturæ inductam esse.

2 Respondetur rationibus quibus Moneta oppositum probat.

2 Neque obstant rationes Patris Monetæ, quòd omnis labor optet præmium, & quòd nullus suis stipendiis militet. Quamuis enim tollatur vsus distributionum, non sequitur quemquam suis stipendiis militare, & præmium laborando non recipere, cum fructus beneficij recipiat ad ipsius onera sustinenda, & ad fructuum restitutionem

obligetur pro rata, si onera beneficij non sustineat, vt patet ex dictis *de obligatione beneficiatorum ad residendum, in* [*lib. variarum tractat.*]

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Distributionũ vsus ad augendum, & seruandum diuinum officium inductus est.

3 Distributionum vsus ad manutenendum, & augendum honorem, & cultum diuinum introductus est. Hæc propositio patet, tum ex Concil. Trident. *sess. 21. cap. 3. initio: Cùm beneficia*, inquit Concilium, *ad diuinum cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda sint constituta, ne qua in parte minuatur diuinus cultus, statuit*, &c. Tum quia, sicut homines amore præmij faciliùs trahuntur ad obsequium aliquod præstandum, ita beneficiarij affectu distributionum acquirendarum ad interessendum diuinis officiis alliciuntur, & inuitantur. Ita Nauarrus *loco cit.* Panormit. *in cap. licet, de præbend.* Decian. *tom. 2. cons. 69. num. 2.* Moneta *loco cit. num. 35.* Durandus *loco cit.* & alij communiter. Hinc licet inferre distributiones hoc pacto consideratas fauorabiles esse, vt constabit ex dicendis *quæst. 6. punct. 3.* An verò simoniacum sit ad chorum accedere ob distributiones, constabit ex dicendis *de simonia*, & patet ex dictis *de contract. disp. 3. quæst. 3. punct. 2. num. 5. vers. dixi.*

QVÆSTIO III.

De conditionibus requisitis in eo, qui ad distributiones admitti cupit.

IN tractatu de beneficiis disputauimus in genere, de conditionibus requisitis in iis, qui ad beneficium promouendi sunt. Hic breuiter agendum est de nonnullis qualitatibus, ad eum spectantibus, qui obtento Canonicatu, alióve simili beneficio, ad distributiones admitti postulat: non enim eo ipso, quo quis canonicatum adeptus est, lucrari potest distributiones; sed postquam ad eas lucrandas idoneus à Capitulo fuerit adiudicatus. Præcipuæ autem qualitates sunt, legitima ætas, prima tonsura, ordines, cantus, & scientia, de quibus in tribus proximè sequentibus punctis differendum est.

PVNCTVM I.

De beneficio, ac ætate in eo requisita, qui ad distributiones admittendus est.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Qui ad distributiones admittendus est, titulum, & possessionem beneficij habere debet.

1 QVi ad distributiones admittendus est, titulum, & possessionem beneficij habere debet. Ratio est, quia ius ad distributiones acquiritur ratione beneficij; is autem non dicitur beneficium habere, qui eius titulum, & possessionem nondum adeptus est. Ita Rota *in vna Carthaginen. fructuum, Lunæ 2. Aprilis* 1612. coram Reuerendissimo D. Pirouano *num. 6.* vbi decernit iure merito à residentia expulsum fuisse quemdam Canonicum, qui litibus circa canonicatum cum alio contendens petebat ad distributiones admitti; nec alia ratione fuit excluſus, quàm defectu tituli, & possessionis, quia duo in solidum respectu eiusdem tituli non possunt habere eamdem naturalem possessionem, nec eodem modo sedere in loco canonicali, *cap. licet causam, de probation.* Vide Menoch. *de recuperand. remed. 15. n. 389.* & præfatam Rotæ decisionem.

Imò Rota *in vna Oueten. mercedis 12. Decembris* 1605. coram Reuerendissimo D. Coccino, nõ solùm ad lucrãdas distributiones requirit beneficij possessionem, verùm etiam primã residentiam, & fidei professionem; ob id fructus, & distributiones Canonico, qui Procurator à Capitulo constitutus est, denegandas esse definit, quamdiu abest, antequam faciat primam residentiam, & fidei professionem emittat; salarium verò conuentum, & promissum deberi. Ratio huius decisionis, (quæ reperitur apud Monetam in appendice, & est penultima in ordine *pagina mihi* 317.) desumitur ex Decreto Tridentini *sess. 24. cap. 12.* vbi decernitur prouisos de beneficiis curam animarum habentibus, vel de canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non facere fructus suos, nec illis possessionem suffragari, nisi fidei professionem fecerint, iuxta præscriptum eiusdem Concilij.

Verùm circa hanc decisionem aduertendum censeo primò, eam ritè procedere in Canonico Ecclesiæ Cathedralis, qui nondum fidei professionem fecit per se, vel Procuratorem, non verò in Canonico Ecclesiæ Collegiatæ, quem ad fidei professionem faciendam non teneri docui in meo tractatu *de obligationibus Clericorum, & beneficiariorum, in quæst. de obligatione beneficiarij circa fidei professionem. punct. 1. quæsito 5. num. 9.* de his enim nulla fit mentio in Tridentino, vt *ibidem* ostendi cum Sanchez, Garzia, & aliis.

Addo Canonicum, quamuis sit Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, non amittere distributiones ob non factam intra bimestre fidei professionem, quia Concilium non loquitur de distributionibus, sed de fructibus, vt cum Moneta, Gonzalez, Azorio, & aliis obseruaui *in præfato tractatu loco cit. punct. 3. num. 2.* vbi iuxta nonnullos Doctores hoc limitari posse dixi; modò beneficium reddat fructus, & distributiones, & non in solis consistat distributionibus: alioquin decretum Concilij inutile redderetur, si ad distributiones in tali euentu non extenderetur, nisi fortè dicas non reddi simpliciter inutile, cùm afficiat Canonicos, quorum beneficium fructus, & distributiones reddit. Vide quæ dixi *in præfato tractatu loco cit.*

Aduerte secundò id, quod in præfata Rotæ decisione dicitur de eo, qui nondum primam residentiam fecit, admittendum esse potius ex fori externi præsumptione, [vel ex particularibus constitutionibus,] quàm ex solida rei veritate, dum Canonicus re ipsa abfuit ad negotia propriæ Ecclesiæ gerenda, aliàs ad propriam Ecclesiam accessurus, & diuinis officiis astiturus. Ratio est, tum quia negandum non videtur, quin hic re ipsa in euidentem Ecclesiæ propriæ vtilitatem absit, quamuis fortè forum externum præsumat non astiturum cùm nonquam interfuerit, & residentiam in Choro nondum inchoauerit: tum quia sequeretur neque dandas illi esse distributiones, qui culpa Capituli eiicitur, & ab interessentia excluditur. Vide Rotæ decisionem *in vna Carthaginen. fructuum 2. Aprilis* 1612. coram Reuerendissimo Domino Pirouano, qua probatur huic Canonico distributiones deberi.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Item eius esse debet ætatis, vt intra annũ promoueri possit ad ordinem, quem beneficium postulat.

2 QVi ad distributiones in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata admitti petit, eius esse debet ætatis vt intra annum promoueri queat ad Ordinẽ, quem ipsius beneficium postulat. Ratio est, quia non potest quis ad beneficium admitti, nisi eam ætatem habeat, vt intra annum possit ad Ordinem illi beneficio annexum promoueri, alioquin collatio beneficij inualida est, vt constat ex dictis de beneficiis, dum loquerer de conditionibus ad illa requisitis. Ergo neque admitti potest ad distributiones, nisi hanc ætatem habeat, cùm distributiones ratione beneficij conferantur, & ad ipsum consequantur, *cap. dilectus, de præbend.*

Hinc sequitur habentem Canonicatum, cui annexus est Ordo sacerdotalis, non posse ad distributiones admitti, nisi vigesimumquartum annum attigerit. Item si canonicatui adnexus est ordo Diaconatus, iudicari non debet habilis ad distributiones, nisi vigesimumtertium annum inchoauerit, & sic de ceteris, iuxta dicta de Sacramentis, dum quærerem cuius ætatis esse debeat, qui ad Ordines promoueri cupit.

3 Hoc tamen intelligitur præciso priuilegio, seu dispensatione: nam Summus Pontifex dispensare potest, vt quis ad beneficium, consequenter etiam ad distributiones lucrandas promoueatur, licet eam ætatem nondum nactus sit, quam alioquin beneficium postularet.

3 Hoc tamẽ intelligitur præcito priuilegio.

4 Imò, qui canonicatum ante legitimam ætatem ex dispensatione obtinuit, potest in genere absque noua Summi Pontificis dispensatione ad distributiones admitti, nisi aliud ferat consuetudo, accessorium enim sequitur principale.

4 Qui Canonicatũ ex priuilegio ante legitimam ætatem obtinuit, potest absque alia dispẽsatione distributiones interessentiæ respondentes recipere, non verò quas lucraretur ratione functionis ordinis sui beneficij.

Non tamen admitti potest ad illas, quæ debentur ratione functionis Ordinis, quem Canonicus nondum suscepit, tum quia dispensatio est odium iuris; consequenter strictè explicanda est, quantum verborum sensus patitur: tum quia par non est, vt commodum sentiat, qui onus non sustinet.

Hinc sequitur obtinentem dispensationem, hoc pacto, vt in omnibus pro maiori habeatur, posse distributiones lucrari, respondentes interessentiæ diuini officij, non verò functioni Ordinis, cùm illum exercere nequeat, qui eo non est initiatus, licet possit diuinis officiis interesse. Ita Glossa *cap. ex ratione, de ætate, & qualitate.* Panormitanus *ibidem*, & alij apud Monetam *2. parte quæst. 19. n. 44.*

5 Quæres vndénam possimus colligere, an alicui beneficio adnexus sit sacer Ordo, & qualis.

5 Vnde colligere possumus an alicui beneficio adnexus sit ordo sacer.

Respondeo in collegiatis colligi debere ex primaria beneficij institutione, vel ex decennali consuetudine, aut legitima constitutione; in Cathedralibus verò omnes canonicatus, ac portiones annexum habent Ordinem sacrum, & ad Episcopum pertinet decernere, cui beneficio adnexus sit Ordo Sacerdotij, vel Diaconatus, vel Subdiaconatus, iuxta facultatem sibi concessam in Tridentino *sess. 24. c. 12. vers. in omnibus*; & hac facta diuisione, seu assignatione Episcopus poterit compellere Canonicos, etiam sub pœna priuationis ad eum Ordinem suscipiendum, quem postulant ipsorum beneficia, vt colligitur ex Trident. *sess. 22. cap. 4. & sess. 24. cap. 12.* & apertè constat ex declaratione Cardinalium apud Garziam *3. p. cap. 4. n. 22.* Imò poterit etiam cogere aliquos Ecclesiæ Collegiatæ Canonicos ad sacrum ordinem suscipiendum, si eiusdem Ecclesiæ necessitas hoc postulauerit, *c. quæris, de ætat. & qualitat. & ord. præfic.* Non tamen cogere poterit omnes Canonicos Ecclesiæ Cathedralis ad suscipiendum ordinem sacerdotalem. Ratio est, tum quia sic fertur declaratum per sacram Cardinalium congregationem: tum quia hæc facultas ei non datur in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 12.* cùm ibi solùm dicatur, vt Episcopus cum consilio capituli designet, ac distribuat prout viderit expedire, quibus quisque ordo ex sacris adnexus in posterum esse debeat, ita tamen, vt dimidia saltem pars presbyteri sint, ceteri verò Diaconi, aut Subdiaconi: vbi verò consuetudo laudabilior habet, vt plures, vel omnes sint presbyteri, omnino obseruetur. Vide Zerolam *in verb. Canonia*, Monetam *loco citato, num. 3. & 4. & quæst. 20. num. 12.*

PVNCTVM II.

An prærequiratur Ordo in eo, qui ad distributiones admitti petit.

VNICA PROPOSITIO.

1 Non est necesse, vt qui ad distributiones admittendus est, actu habeat ordinem beneficio adnexum.

1 CAnonicus, qui ad distributiones admitti postulat, ad illas præcisa in contrarium consuetudine admitti debet, etiamsi actu ordinem nõ habeat, quem tale beneficium exigit. Ratio est, tum quia ad lucrandas distributiones, per se loquendo, sufficit assistentia in choro, & debita Canonicarum precum recitatio. Hanc autem præstare potest Canonicus, qui nondum suscepit ordinem beneficio adnexum; quamuis functiones sacrorum Ordinum exercere, & distributiones ipsis respondentes recipere non possit: tum quia ad beneficij collationem, per se loquendo, non est necessarius ordo beneficio adnexus, sed sufficit, vt intra annum suscipiatur, vt constat ex supradictis [*punct. præced.*] Ergo, neque necessarius est ad lucrandas distributiones quæ ad beneficij titulum consequuntur: tum quia sic apertè colligitur ex *Clem. 2.* quæ incipit, *vt ij, de ætat. & qualitate, & ordine præfic.* vbi decernitur, vt obtinentes beneficium, cui certus ordo annexus est, priuentur dimidia distributionum parte, si intra annum iusto cessante impedimento, ad illum ordinem promoti non fuerint.

Supponitur ergo in dicta Clementina, beneficiarium interim participem esse distributionum quotidianarum, si diuinis interfit ante susceptionem ordinis tali beneficio adnexi. Ita Glossa *ibidem in verbo, ex tunc*, quam sequitur Moneta [*2. p. q. 19. n. 32.*] & alij communiter.*

2 Dixi,

2 Limitatur, nisi adsit consuetudo in cõtrarium.

2 Dixi, *præcisa consuetudine in contrarium*, nam alicubi, vt Mediolani, consuetudine introductum est in nonnullis Ecclesiis, vt Canonici ad distributiones non admittantur, donec Ordine sui beneficij initiati sint; quæ consuetudo non est improbanda, cùm non sine ratione inducatur: nam debito carens Ordine non potest beneficij sui munus obire, consequenter à distributionibus arceri potest, donec per Ordinis susceptionem ad munus sibi debitum obeundum idoneus reperiatur.

3 Illi, qui intra annũ debito ordine initiatus non est, subtrahitur dimidia pars distributionum.

3 Addo etiam præcisa consuetudine, iure communi cautum esse *in Clement. 2. citata*, vt beneficiario, qui infra annum iusto impedimento cessante, Ordinem requisitũ non suscepit, ex tunc dimidia distributionum pars subtrahatur, quam constitutionem confirmat, & innouat Tridentinum *sess. 22. cap. 4.* Existimo tamen hanc pœnam ipso facto non incurri, nec beneficiarium se ipso teneri ad restitutionem istius partis ante sententiam, nam in dicta Clementina habetur verbum, *subtrahuntur*, quod actionem connotat, vt in simili tradidi *de censuris disp. 2. quæst. 2. puncto 4. §. 2. num. 2.* cum Petr. Nauarro, Auila, Vasquez, & aliis contra Suarez, Monetam, & alios. Vide Hoiedam *1. parte q. 17. n. 9.* & Macignum *cap. 71. n. 137.* vbi etiam ostendunt oppositum contraria consuetudine induci non posse.

PVNCTVM III.

De scientia, & peritia cantus requisita in eo, qui ad distributiones admitti cupit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Promouendus ad distributiones eam habere debet scientiã, quæ ad vniuscuiusque beneficij Ordinem requiritur.

1 PRomouendus ad distributiones, seu ad Canonicatum, eam callere debet scientiam, quæ ad vniuscuiusque beneficij Ordinem requiritur, vel saltem, vt habilis & idoneus censeatur, qui infra annum eam addiscat, qua ad debitum Ordinem promoueri possit.

Ratio est, quia par non est, vt quis ad Canonicatum, & consequenter ad distributiones admittatur, dum eam non habet; vel saltem habiturus non speratur scientiam, qua debitas suo munere partes obire possit. Quæ autem scientia in singulis Ordinibus requiratur, constat ex Tridentino *sess. 22. cap. 2. sess. 23. cap. 4. 11. 13. & 14.* [& ex dictis *de Sacramentis.*]

2 Quæ scientia in Canonicatibus nullũ ordinem sacrum exigentibus, requiratur.

2 In Canonicatibus verò nullum Ordinem annexum habentibus, arbitror requiri saltem, vt promouendus fidei rudimenta edoctus fuerit, sciatque legere, & scribere (hæc enim ad primam tonsuram, quam vnumquodque beneficium supponit, necessaria sunt ex Trid. *sess. 23. c. 4.*) & præterea nonnullã Latinæ linguæ scientiam habeat, ita, vt construere sciat. Hæc enim etiam iure antiquo requirebantur, ex Gom. *de grat. expectat. n. 79.* & alij. Ergo etiam hoc tempore requiritur, vt rubricas intelligat, vt in diuino officio persoluendo non erret, quiliber enim ea scire debet, quæ ad munus suum obeundum necessaria sunt, alioquin periculo errandi se exponeret, vt lumen ipsum naturale clarè indicat.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Requiritur instructio in cantu.

3 PRæter litterarum scientiam in eo, qui ad distributiones admittendus est, requiritur moderata, & sufficiens instructio in cantu, quo diuinum officium recitari solet.

Ratio est, quia nullus ad officium admitti debet, cuius partes obire nequeat. *cap. cùm in cunctis, de elect. & cap. fin. de ætat. & qualitate, & ordin. præficiend.* Ita Henriquez *lib. 9. cap. 31. n. 8.* Nauarrus *de Horis Canonicis cap. 11. num. 41. & seq.* Moneta *2. part. quæst. 19. num. 35.* [Gomez *loco cit.*] & alij apud Henriquez *loco cit. in commentario, lit. G.*

4 Non statim ac quis admissus est ad Capitulum, censetur etiam admissus ad distributiones, & è contra.

4 Quæres vtrùm fieri possit, vt Canonicus ob imperitiam cantus non admittatur ad distributiones, admittatur verò ad vocem in Capitulo.

Respondeo fieri posse, licet enim ex Canonicatu consurgat ius in habitu ad vocem in Capitulo, & ad distributiones, *cap. dilecto. de præbend.* nihilominus fieri potest, vt quis iis qualitatibus excultus sit, quæ ad distributiones actu acquirendas requiruntur; non verò ad vocem in Capitulo, vel econtrà; nam ad distributiones non prærequiritur Ordo sacer, requiritur verò ad ferendam in Capitulo vocem; quamuis enim solis Canonicis, præcisa consuetudine, vel priuilegio, competat vox, & locus in Capitulo ratione Canoniæ, seu Canonicatus, *cap. dilecto, & cap. pro illorum. de præbendis*; nihilominus eam actualiter ferre, & sedem in Capitulo, ex Sacra Cardinalium Congregatione, habere non possunt, nisi Ordine Sacro initiati sint, *cap. vt ij, de ætat. & qualitat.* & Trident. *sessione 22. cap. 4.* vbi dicitur, *Quicumque in Cathedrali, vel Collegiata, vel regulari Ecclesia diuinis mancipatus Officiis in Subdiaconatus Ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat; etiamsi hoc sibi ab aliis fuerit concessum.* Ex quo patet consensum Canonicorum, vel Episcopi ad dispensationẽ non sufficere, cùm in iure communi dispensare nequeant. Ita Glos. *cap. vt ij. cit.* quam communiter receptam esse testantur Moneta *2. parte quæst. 20. n. 4.* & Garzias *de benef. 3. part. cap. 4. num. 25.* vbi Sacræ Congregationis declarationem refert.

5 Qui sacro ordine initiatus non est, non potest vocem in Capitulo ferre, etiamsi ipse non fuerit in mora, aut etiamsi suscepto subdiaconatu noluerit suscipere Diaconatum, vel sacerdotiũ beneficio adnexum, & num. 6.

5 Addo primò hoc procedere, etiamsi Canonicus non fuerit in mora suscipiendi Sacrum Ordinem; nam iura absolutè Sacrum Subdiaconatus Ordinem requirunt in eo, qui vocem in Capitulo habere intendit, in iis saltem Ecclesiis, in quibus Ordo sacer Canonicatibus annexus est; de his enim solummodò sermonem esse *in cap. vt ij.* & in Tridentino *loco cit.* censeo cum Moneta *loco cit. num. 8.* post Imolam, & alios.

6 Addo secundò hoc idem valere, etiamsi Canonicus, cuius beneficium requirit Diaconatũ, vel Sacerdotium suscepto Subdiaconatu ad Diaconatum, vel Sacerdotium infra annum promotus non fuerit: hic enim elapso anno vocem in Capitulo statim amittit. *cap. vt ij. cit.*

7 Decanus, vel Archidiaconus

7 Limitantur prædicta in Decano, seu Archidiacono, ad quem ex officio spectat Capitulum conuocare. Hic enim Capitulum conuocare potest, etiamsi in Sacris nondum sit constitutus, vt sacra Cardinalium Congregatio censuit apud Garziam *loco cit. n. 26.* vbi hanc rationem affert, quia actus conuocandi Capitulum, in eo proponendi, & resolutiones accipiendi, est actus iurisdictionis, qui competit Archidiacono, etiam in Sacris non constituto.

Capitulũ conuocare potest etiamsi sacro ordine nõdum initia tus sit.

Ratio verò mea est, quia conuocare Capitulum, proponere, & resolutiones accipere, non est vocem in Capitulo ferre; Concilium autem Tridentinum *loco cit. & cap. vt ij. citato*, loquuntur de voce in Capitulo ferenda, ad quam Sacrum Ordinem prærequirunt.

Ex dictis igitur constat fieri posse, vt Canonicus non admittatur ad distributiones, admittatur verò ad vocem in Capitulo, & è contra.

QVÆSTIO IV.

Cui ad distributiones ius competat.

QVæ in hac quæstione disputari possunt, ad hæc capita reuocantur.

Primum est, vtrùm ius percipiendarum distributionum ad interessentes Officiis pertineat, soliq́ue interessentes distributiones lucrari possint.

Secundum, vtrùm qui beneficium resignauit, vel cum altero permutauit, frui possit distributionibus, si facta resignatione, vel permutatione adhuc diuinis interfit, antequam resignatarius beneficij possessionem capiat.

Tertium, vtrùm habens duplicem Canonicatum, vnas, vel binas distributiones assistendo acquirat, & non interessendo amittat.

Quartum, vtrùm inseruiens Ecclesiæ per Coadiutorem suas faciat distributiones.

Quintum, vtrùm assistens Choro, sed per mansionarios inseruiens lucretur distributiones.

PVNCTVM I.

An ius percipiendi distributiones ad interessentes Officiis pertineat, soliq́; interessentes distributiones lucrari possint.

DVo principaliter quæram in hoc puncto.

Primò vtrùm ius distributionum ad interessentes pertineat.

Secundò, vtrùm hoc ius solis interessentibus competat.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Ius distributionum competit Clericis Ecclesiæ Collegiatæ, vel Cathedralis, interessentibus, & inseruientibus iuxta præscriptũ.

1 IVs percipiendi distributiones competit Clericis Ecclesiæ Collegiatæ, vel Cathedralis, vel similis, qui diuinis officiis ad distributiones admissi in suis Ecclesiis interfunt, & inseruiunt iuxta legitimam sui Capituli constitutionem, aut superioris dispositionem, vel dispensationem. Hæc propositio constat ex *cap. vnico, de Clerico non residente in 6.* ex *cap. licet, de præbendis*, ex *Clement. vt ij, qui. de ætate, & qualitate*; ex *Extrauaganti 21.* quæ incipit, *cùm nonnulla. §. præterea. de præbendis, inter communes*, & ex Tridentino *sess. 21. cap. 3. & sess. 24. c. 12.* Quamobrem beneficiarij habentes Canonicatus, vel dignitates, vel alias præbendas ad Collegium ipsorum beneficiariorum pertinentes, vt Archipresbyter, Archidiaconus, Decanus, Præpositus, Primicerius, Pœnitentiarius, habens præbendam Doctoralem, simplices Canonici Mansionarij, (quos aliqui vocant Assisios, alij Officiales, alij portionarios,) & denique Capellani Choro deputati instar aliorum Canonicorum, possunt distributiones lucrari. Idem censeo regulariter dicendum de Canonico, qui supra numerum in aliorum Canonicorum cœtum simpliciter, & cum iuribus Canoniæ cooptatus est, *cap. pro illorum, de præbendis, & cap. dilectus 1. eodem titulo.* Ita Hoieda *1. parte, cap. 12. de incompatibilit. beneficior. n. 6. & 7.* vbi refert Bartolum, Baldum, Ferrariensem, & alios, Gomesius *de grat. expect.* Moneta *de distrib. q. 1. parte 2.* vbi fusè & eruditè hanc rem prosequitur, & alij DD. communiter.

Ratio cur distributiones nõ solùm debeantur Canonicis antiquis, verùm etiam iunioribus supra numerum constitutis, est, quia sunt veri Canonici, & assistunt, vt suppono. Ergo ius ad distributiones habere debent, ne à Choro retrahantur, vel inuiti ad Chorum accedant. Ita Castr. *lib. 1. consil. 170.* & Tuscus *loco* statim *citando.*

Hoc tamen limitandum est, modò Canonici creati non fuerint supra numerum cum clausula, *sine præiudicio antiquorum Canonicorum*; tunc enim percipere nequeunt distributiones, donec aliquam præbẽdam in futurum vacaturam re ipsa obtinuerint, scienter enim hoc pacto canonicatum consecuti sunt; scienti autem, & volenti non fit iniuria. Ita Castr. *loco citato*, Cardin. Tuscus *tom. 2. lit. D. concl. 514. n. 12.* [Augustinus Barbosa *in addit. ad Collectaneam lib. 1. decret. in cap. cùm M. n. 16.* qui in hac re consuli potest cum Castro *loco cit.*]

Addo etiam cum prętatis Doctoribus Canonicos supra numerum constitutos, & creatos lucrari mortuaria, & oblationes, quæ singulis Canonicis fieri consueuerunt, vt sunt candelæ, pecuniæ, prandia, & his similia, modò hæc mortuaria relicta sint postquã Canonici supra numerum constituti sunt. Quamuis enim hoc in casu aliquid minus contingat antiquis Canonicis, & consequenter aliquod præiudicium ipsis afferatur, nihilominus hoc præiudicium non infertur ipsis contra disponentis voluntatem, sed iuxta ipsius intentionem, qui singulis Canonicis tantùm conferri decreuit, quilibet enim est rei suæ moderator, & arbiter. [*l. in re mandata. C. mandati.*]

2 Qui vult lucrari distributiones, debet ad eas admitti, interesse, & canere quæ alternatim dicuntur.

2 Dixi in propositione, *qui diuinis Officiis interfunt ad distributiones admissi*, vt indicarem, distributiones non acquiri à quolibet Canonico post adeptam beneficij possessionem, nisi ad residentiam sit admissus, & Choro interfit, [vt patet] ex *cap. vnico, de Cler. non resid.* & ex aliis iuribus infrà adducendis.

Addo nudam prętentiam non sufficere, sed opus esse, vt deuotè recitet, & personaliter canat, vt patebit ex dicendis, & ex iis quæ suprà tradidi *disp. 1. quæst. 3. punct. 2. §. 1. sub finem*, sicque expressè decernitur in Concilio nostro Mediolanensi I. loco statim citãdo; non tenentur

tamen Canonici canere cantu figurato, sed sufficit, vt dum Officium eo cantu canitur per mansionarios, aut alios, & assistant, & taceant; sic enim admittit recepta consuetudo: idem procedit de cantu firmo, dum in aliqua Ecclesia mos est, vt aliqua diuini officij pars cantu firmo per mansionarios canatur. Ita Petr. Nauarrus *lib.2. de rest. cap.2. dub.3.num.205.* Comitolus *in respons.moral.quæst.62.num* 2. Moneta 2.*part.de distrib.quæst.2.num.5.&* 8. Suarez, Nauarrus, Reginaldus, & alij quos suprà retuli *disp.1.q.3.§.1.ad finem.*

3 Debet etiam inseruire iuxta munus sui beneficij.

3 Dixi, *& inseruiunt*, &c. quia ad percipiendas distributiones non sufficit assistentia, & simplex diuini officij decãtatio; sed adhuc opus est, vt ea præstentur munera, quæ vniuscuiusque beneficium postulat, & quæ in aliquibus Ecclesiis præscribuntur sub amittendarum distributionum pœna. Cùm enim in Tridentino *sess.22.cap.3. & 4. & sess.24.cap.12.* decernatur, vt Episcopi compellant, etiam grauibus pœnis, beneficiarios ad obeunda per se ipsos propria munera, & officia, iure merito vigore Tridentini alicubi sancitum est, vt Canonici non obeuntes sua officia, dum sua ad ipsos redit hebdomada, certa distributionum quantitate careant. Quamobrem in actis Mediolanensis Ecclesiæ, Concilio Prouinciali I. titulo, *qui dignitates, personatus, aut Canonicatus habent*, sic habetur: *Quibus Canonicatibus, prebendis, dignitatibus, aut personatibus, & officiis adiunctum est munus aliquod presbyterij, Diaconatus, aut subdiaconatus, qui ea obtinent, si, quemadmodum Tridentino Concilio præscriptum est, suo officio per se non fungantur, priuentur eius officij distributionibus, in quo muneri suo defuerint, nisi legitimè impediti impetrata licentia ab eo, qui Choro præsederit*, vel superiore Ordinario, *per alios satisfecerint.* Hebdomadario verò Canonico grauiores pœnas iniungit idem Concilium Prouinciale; inquit enim Concilium, *Si Canonicus hebdomadarius suo officio defuerit statutis diebus, Missam, aut Vesperas non canendo, dierum trium distributionibus careat, quas Episcopus arbitrio suo, vel ceteris Choro operam dantibus diuidat, vel in locorum piorum vsum conferat, tributa tamen aliqua parte Canonico, qui collega munus expleuerit.*

4 Ad quem pertineat distributionum quotam Horis Canonicis assignare, & quam partem assistentes acquirant.

4 Dixi, *iuxta Capituli constitutionem, vel superioris dispositionem*, primò, vt obseruarem Episcopi munus esse, vt quemlibet compellat ad sua officia præstanda sub pœna amissionis distributionum, & sub aliis grauioribus pœnis, vt proximè ostensum est, & statim probabo.

Secundò, vt indicarem beneficiario ius competere percipiendi pro assistentia tantam distributionum partem, quantam vnicuique horæ, aut Capitulum, aut Episcopus applicuerit; cùm ad hos spectet decernere, vt tantum detur ei, qui Matutino interierit, tantum ei, qui Missæ, aut Primæ astiterit, & sic de reliquis. Oldradus *consil.56.in fine.* Tuscus *tom.2.lit.D.concl.515.* & alij statim citandi.

Ratio est, tum quia ad Episcopum cum Capitulo pertinet ea decernere, quæ ad spiritualem Ecclesiæ administrationem faciunt, *cap. cùm omnes, de constitut.* & *in cap.vnico, de Clerico non residente*, dicitur, distributiones assistentibus conferendas esse iuxta Ecclesiæ cuiuslibet ordinationem rationabilem, iam factam, vel faciendam: tum quia, cui conceditur aliquid, censetur etiam concedi medium ad illud consequendum; alioquin vana, & inutilis reddi posset concessio; sed Episcopus potest compellere ad assistendum, & recitandum Officium in Choro, ex Tridentino *sess.24.cap.12.* Ergo etiam potest distributionum quantitatem decernere, cuius iacturam faciant Canonici non interessentes, & lucrentur assistentes.

Eadem facultas in eodem Concilio permitti videtur Concilio Prouinciali.

Addo Capitulum ipsum posse sine consensu Episcopi hanc distributionum taxam singulis præscribere; quamuis enim Capitulum ea statuere nequeat, quæ ad totam Diœcesim pertinent, potest tamen ea decernere, quæ ad ipsummet Capitulum spectant, vt docui *de leg. quæst.1.punct.3.* idque constat ex *cap.edoceri. de rescript. & cap. ex litteris, de constit.*

5 Quid inspicere debeant qui distributiones præscribunt interessentibus.

5 Si quæras quid seruandum sit ab Episcopo, vel à Capitulo in distributionum assignatione.

Respondeo hanc rationem ineundam esse, primò, vt non solùm habeatur ratio Horarum Canonicarum; verùm etiam ipsius Missæ, quamuis enim Missa Capitularis non veniat nomine Horarum Canonicarum, vt obseruant Panormit. *c.1.de celebratione Missarum.* Nauarrus *de Horis Canonicis cap.3. num.29.* Moneta *de distribut.1.parte quæst.4.n.16.* & alij, quos ego retuli *de Missæ Sacrificio.* venit tamen nomine diuini officij, *cap.1.de celebr.Missarum.* cùm autem distributiones conferendæ sint assistentibus diuinis officiis, *cap.1. de Clerico non resid.* sequitur distributiones conferendas esse assistentibus Missæ conuentuali; [consequenter in assignatione distributionum habendam esse rationem Missæ conuentualis.]

Secundò, vt habeatur ratio non solùm diuini officij vniuersalis, quod in aliis Ecclesiis communiter persoluitur; verùm etiam aliorum officiorum, quæ ex legitima consuetudine, vel ex particulari illius Ecclesiæ statuto in tali Ecclesia persoluuntur; hæc enim omnia ad diuinum officium pertinent, ad quod, sicut ex obligatione particularis statuti, vel constitutionis Canonici illius Ecclesiæ tenentur; ita etiam sub pœna amissionis distributionum ad satisfaciendum illi obligationi cogi possunt; consequenter in assignatione distributionum Horis Canonicis facienda inspiciendum est ad has particulares preces ex particulari statuto, vel consuetudine debitas, vt benè Moneta 2.*part.quæst.3.* Nauarrus, Suarez, Molfesius, Vasquez, & alij, quos suprà retuli [*disp.1.q.3.punct.1.quæst.2.n.12.*]

6 Canonicus illius Ecclesiæ, in qua aliquæ preces particulares recitãtur, non tenetur eas extra Chorum recitare.

6 Obserua tamen Canonicum illius Ecclesiæ, in qua peculiaris consuetudo, vel statutum extat recitandi certas preces, exempli gratia, Officium Beatissimæ Virginis, quod in aliis Ecclesiis eiusdem Diœcesis non recitatur, non teneri ad illas preces, dum Officium extra Chorum, & priuatim recitat: nam huiusmodi consuetudo, vel statutum videtur solùm afficere Collegium, seu Capitulum ad illud Officium in Choro recitandum, non verò ad singulos extendi; consuetudo enim solum obligat quatenus à Communitate recepta est; consequenter qui diuinum Officium extra Chorum recitat, non recitatis huiusmodi precibus, capax est distributionum, modò absit ex causa, ob quam distributiones absentibus non denegari inferiùs explicabo. Ita Nauarrus *loco cit.n.5.& 6.* Graffius 1.*part.lib.2.c.53.n.23.* Moneta *n.10.* Vincentius, Filliucius *tom.2.tract.23.c.7.n.243.* & alij contra Paludanum, Medinam, & alios apud Macignum *cap.29.n.10.*

7 An in distributionibus assignandis habenda sit ratio Capitulorum, & processionum.

7 Tertiò alicubi in distributionum diuisione, non solùm respectum fuisse ad ipsas preces, quæ in Choro celebrantur; verùm etiam ad Capitula, aliasque spirituales actiones, vt ad supplicationes, seu Processiones, quæ aliquando de Summi Pontificis, vel Episcopi mandato, vel ex Ecclesiæ consuetudine peraguntur, Moneta *3.part. quæst.10. n.52.* & alij DD.cit. Quid autem in Prouincia Mediolanensi, circa huiusmodi distributiones in supplicationibus, vel Capitulis acquirendas, sancitum sit, videri potest in actis Ecclesiæ Mediolanensis, in Concilio Prouinciali IV. *tit. de processionibus*, & alibi.

8 In assignanda distributionũ taxa inspiciendã esse Officij solemnitatẽ, & quantitatem.

8 Quartò vt in prudenter assignanda distributionum taxa inspiciatur solemnitas, quantitas Officij, & temporis in eo insumendi, aliæque huiusmodi circumstantiæ, quæ assistentem diuinis maiori, vel minori distributionum copia dignum efficiunt. Quamobrem maior quantitas respondere debet Matutino, quam alterius horæ paruæ, Missæ quàm Tertiæ, & sic de ceteris.

9 In assignãda taxa distributionũ non est necessariò seruanda forma Pij V.

9 Non est tamen in hac taxa constituenda circa Collegiatas Ecclesias necessariò seruanda constitutio Pij V. quæ incipit, *ex proximo Lateranensi Concilio*, & decernit certam fructuum summam, qua non recitantes diuinum Officium carere debent: nam in illa constitutione sermo est de fructibus amittendis ab eo, qui simpliciter diuinum Officium prætermittit, non verò de distributionibus; [vt ostendi *disp.1. q.5.*] consequenter non impedit, quin taxa distributionum à non assistentibus amittendarum alia ratione prudenti iudicio præfigi, & definiri possit.

10 [An, qui, inchoato Matutino, ad Chorũ accedit, priuetur distributionibus toti Matutino respondẽtibus.]

[10 Quæres vtrùm is, qui Matutino inchoato, ad Chorum accedit, omnibus distributionibus toti Matutino respondẽtibus priuãdus sit.

Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia obligatio diuini officij est indiuidua, ob id Nauarr. & alij, quos retuli *de legib.loco* statim *citando*, existimant, eum qui legitimo detinetur impedimento ad recitandum totum officium, non verò ad partem, excusari à peccato, etiamsi partem, ad quam non est impotens, prætermittat; obligatio enim diuini officij indiuidua est, & non potest quis vni parti satisfacere, & non alteri.

Pro solutione præmitto me hìc loqui de iure ad distributiones, spectata solum rei natura, & præcisis decretis, ac constitutionibus particularibus, aliter decernentibus in pœnam valdè morosæ dilationis, & absentiæ, ne diuinus cultus notabiliter lædatur, tunc enim statuto caueri potest ne is, qui notabiliter à Choro abest, distributiones vllas percipiat. His præmissis,

Respondeo cum, qui toti Matutino non interfuit, sed maiori parti, per se loquendo, & ex natura rei, priuandum non esse totis distributionibus. Ratio est,

Primò, quia, quæ ratio est totius ad totum, eadem est partis ad partem. *l.quæ de tota.ff.de rei vendic.* Sed qui totum Matutinum omittit, priuatur totis distributionibus. Ergo qui partem solùm prætermittit, priuandus est solùm parte distributionum, alioquin non seruaretur proportio, & æqualitas.

Secundò, quia beneficiarius culpabiliter non recitans aliquam Matutini partem, priuatur solùm fructibus respondentibus parti omissæ, non autem respondentibus parti, quam recitauit, ex communi Doctorum sententia. Ergo etiam absens à Choro, dum Matutini pars persoluitur, carere solum debet distributionibus, respondentibus illi parti: par enim est ratio fructuum & distributionum.

Tertiò, quia si assistens Choro voluntariè distrahatur solùm dum aliqua pars officij celebratur, non amittit omnes distributiones; ergo neque omnes amittit, qui solùm aliquantisper abest; absentia enim, & voluntaria distractio in hac materia comparantur, iuxta communiorem, & probabiliorem Doctorum sententiam.

Quartò, quia obligatio diuini officij diuidua est, vt probaui *de legib.disp.2.quæst.8.punct.1.* talis enim est obligatio, qualis est res præcepta; res autem præcepta, seu diuinum officium constat partibus diuiduis, alioquin recitans vnam officij partem seorsim ab alia, non satisfaceret præcepto diuini officij.

Hinc patet responsio ad rationem dubitandi in contrarium allatã.]

SECVNDA PROPOSITIO.

11 Ius percipiendi distributiones cõpetit solis interessentibus, ob id Canonicus qui Choro non interest etiam primis sex mensibus, aut tempore permisso in Concilio Trid. non lucratur distributiones.

11 IVs percipiendi distributiones competit solis interessentibus diuinis officiis verè, ac realiter, vel saltem fictione iuris. Hæc propositio perspicuè constat ex dictis in prima, & constabit ex infrà dicendis.

Ex dictis in præcedentibus propositionibus colligitur primò Canonicum, qui diuinis non interest, non lucrari distributiones. Et hoc procedit primò etiam in tribus illis mensibus, qui Canonicis in Tridentino *sess.24.cap.12.* permittuntur, licet enim Canonici eo tempore absentes non priuentur fructibus, distributiones tamen ipsis non conceduntur, vt ex Sacræ Cardinalium Congregationis declaratione 3. *Augusti* 1586. obseruant Gonzalez *ad reg.8.§.7.proœm.num.182.* & Riccius *decis.494.n.10.*

Ratio est, quia distributiones conferuntur interessentibus diuinis officiis: sed de hac re infrà.

Secundò procedit etiamsi pro primis sex mensibus non interfit. Quamuis enim beneficiarius, qui primis sex mensibus à die adepti beneficij officium non recitat, lucretur fructus ex cõstitutione Pij V. 138. quæ incipit, *Ex primo Lateranensi Concilio*, quam suprà explicaui, non tamen lucratur distributiones, quia Pius V. de his non loquitur, cùm fructus à distributionibus distinguantur, & distributiones solis interessentibus, & recitantibus debeantur, vt benè Moneta 2.*parte quæst.17.n.42.* & alij communiter. Et hoc verum esse arbitror contra Riccium *decisio.499. ad finem*, etiamsi beneficium in solis consistat distributionibus.

Ratio est, tum quia ita sacra Congregatio declarauit apud Garziam

ziam *3.part.c.2.nu.250. & seq.* Tum quia vbi ius non distinguit, neque nos distinguere debemus, *c.Romanorum 19. distinctione.* Ex iuris autem dispositione ius ad distributiones iis solùm competit, qui diuinis interſunt, nisi peculiari gaudeant priuilegio.

Dices, distributiones succedunt in locum fructuum, quando beneficium nullos alios reditus habet, præter distributiones: sicut ergo beneficiarius non recitans primis sex mensibus diuinum Officium potest fructus lucrari, ita etiam poterit distributiones non assistens eo tempore diuinis Officiis.

Respondeo distributiones succedere in locum fructuum, quando alioquin priuilegium inutile redderetur. Hic autem non redditur inutile, cùm operetur in iis, quorum beneficia, reditus, & distributiones habent, neque necesse est, vt generale priuilegium in singulis personis vim habeat, sed in iis, ad quos priuilegij verba extenduntur: priuilegium autem Pij V. loquitur de iis, qui priuatim non recitant, & de fructibus, qui priuatæ recitationi respondent. Ita in simili Gonzalez *num.202.*

12 Canonicus assistēs lucratur distributiones, etiamsi peccator sit occultus, vel publicus, vel fornicator.

12 Secundò colligitur Canonicum, qui diuinum officium attentè, & studiosè in Choro recitat, lucrari distributiones, siue Canonicus sit vir iustus, siue peccator occultus, aut publicus. Nam facit quod ab Ecclesia præscriptum est ad lucrandas distributiones; licet quoad Deum non rectè inseruiat. Ita Pet. Nauar. *de restit.lib.2. cap.2. num. 206.* & alij, quos in simili referam *de excommunicato, vel suspenso tolerato*, & superiùs retuli *disp.1.q.2.puncto 3. ad finem.* Excipit Moneta *2.parte quæst.12.n.42.* notorium fornicatorem, quia iste debet in officiis euitari, *cap.quæsitum, & cap. vestra.de cohabita. Clericorum, & mulierum.* Sed malè meo iudicio excipit, quia Clericus notorius fornicator, seu concubinarius, hoc tempore vitandus non est, nisi post debitas monitiones, iuxta Tridentini præscriptum *sessione 25.capit.14.* suspensus, vel excommunicatus fuerit.

Vide, quæ diximus *de matrim.quæst.4.punct.14. num.19. & de Sacramentis disput.4.quæst.vnica, puncto 12.vers.vtrùm verò*, cum Auila, Henriquez, Lazario, & aliis, quibus adde Riccium *in praxi decis. 361.* Garziam *de benef.parte 7.num.20. & 21.vsque ad 63.* Couar. *Clement.si furiosus, parte 1.§.1.num.5.* Vgolin. *de irreg.cap.47.§.3.* Suarez *de censuris disput.31.sect.4.num.10. & 15.* Valentiam *tomo 4.disput.3.quæst. 5.puncto 3.* & quàm plures alios, quos præcitati Doctores allegant, asserentes Canones antiquos in Tridentino reuocatos esse, vel saltem contraria consuetudine abrogatos fuisse.

13 Attentè non recitās, aut obdormiens, aut confabulās aliis recitantibus, etiā si ad lectoralia, nō percipit distributiones.

13 Tertiò Canonicum, qui notabilem Officij diuini partem attentè non recitat, aut deuotè non attendit, dum aliqua diuini Officij pars persoluitur, non lucrari distributiones, vt si confabuletur, aut voluntariè obdormiat, vel quid simile attentionem impediens faciat. Ratio est, quia non dicitur diuinis Officiis interesse, modo ab Ecclesia præscripto: Ecclesia enim non præscribit materialem corporis præsentiam in choro, sed formalem, quæ requiritur ad orandum, vel participandum in oratione, nec dicitur præsens, qui non attendit. *l.coram Titio.ff.de verborum significat.* Ita communiter DD. quos suprà retuli *disputat.1. quæst.5. punct.2. & quæst. 3.punct.2. §.1.* contra Garziam, & alios quos *disp.1.* allegaui.

Maior difficultas est, vtrùm Canonicus ad distributionum restitutionem teneatur si confabuletur, vel obdormiat, vel quid simile faciat, dum Sacerdos secreta dicit, aut dum fit Processio, aut dum aliqua diuini Officij pars à Cantoribus, vel à Mansionariis ad lectoralia persoluitur.

Respondet Moneta *de distrib.3.parte quæst.7. num.75.* huiusmodi Canonicos lucrari distributiones, nec ad illarum restitutionem teneri, modò illam horam priuatim recitauerint. Ratio est, quia hæc faciunt eo tempore, quo non tenentur aliquid recitare. Idem à fortiori tenet Garzias *3.parte de ben. cap.2.nu.514.* dum asserit ad lucrandos fructus, & distributiones sufficere solam assistentiam in choro, etiamsi [Canonici] non cantent, nec sint attenti, sed cum aliis loquantur, quamuis in hoc male faciant, *cap.dolentes, & Clement.1. de vita & honest.Cleric.* & mortaliter peccent, si excessus sit notabilis. Idem innuit Toletus, & alij quos suprà retuli *disput.1.quæst.3.puncto 2.§.2.versic.secundò sequitur*, [*& vers.3.num.9.*]

Ego verò arbitror ad restitutionem teneri. Ratio est, tum quia, qui attentè non recitat, vel ad socios recitantes non attendit, non dicitur cū ipsis participare in diuino officio; ergo neque participat, qui confabulatur, vel obdormit, vel quid simile facit, dum Sacerdos secreta dicit, aut dum fit Processio, vel dum Antiphonæ, Responsoria, & similia per Mansionarios canuntur. Ergo neque percipiet distributiones illi parti respondentes, modò pars notabilis sit, vt suprà dictum est: tum quia distributiones non cōferuntur ob solam corporalem, & materialem præsentiam, sed ob formalem, & humanam, vt in simili dixi de præcepto Missæ audiendæ. Qui autem confabulatur, vel obdormit, dicitur solùm materialiter interesse. Ita Suarez, & alij, quos superiùs appellaui *q.3.punct.2. & quæst.5.punct.2.num.17.*

14 Canonicus non amittit de iure communi distributiones dū non est in suo stallo, aut non induit habitum Canonicorū, sed quia nō recitat.

14 Quartò, Canonicum lucrari distributiones, dum Choro interest, & cum aliis diuinum officium recitat, etiamsi fortè non sit in suo proprio stallo, aut nō sit indutus vestes, & habitum, quem ceteri Canonici deferre solent, vt si Canonicus sit Protonotarius, & induat rochettum, & mantelletum more Protonotariorum, aut si Canonicus sit Vicarius Episcopi, & deferat vestes Protonotariorum, & Prælatorum. Ratio patet ex supradictis, quia facit quod à iure præscribitur ad lucrandas distributiones, & dicitur conuenire ad Chorum ad psallendum, iuxta *cap.vlt.92.distinct.*

Hæc tamen intellige præcisa peculiari constitutione, aut consuetudine in contrarium: non enim implicat per constitutionem caueri, vel consuetudine induci, vt distributiones non conferantur Canonico, qui in suo loco non sedet, aut proprias Canonicorum vestes non gestat, vt bene obseruat Moneta *de distribut. 2. part. quæst. 19. ad finem*, subdens, aliquid peculiare circa habitum in Prouincia Mediolanensi statutum esse in Concilio Prouinciali IV. *parte 2. titulo, quæ pertinent ad sanctissimum Missæ sacrificium, & diuinum Officium.* Videndum est ipsummet Concilium.

Occasione eorum, quæ in præcedentibus diximus, nonnulla emergunt dubia, quæ maioris perspicuitatis gratia in sequentibus punctis explicanda duxi.

PVNCTVM II.

Vtrùm qui beneficium resignauit, aut cum altero permutauit, possit distributiones percipere, si facta resignatione, vel permutatione adhuc diuinis Officiis interfit, antequam is, in cuius fauorem facta fuit resignatio, possessionem ceperit, vel residere inceperit.

1 Quotuplex sit resignatio.

1 PRo solutione, præmittendum est resignationem duplicem esse, alteram puram, & simplicem, quæ ad nullus fauorem fit; alteram non puram, nec simplicem, quæ fit ad fauorem alterius simpliciter, & absolutè, vel ex causa permutationis. Resignatio pura, & simplex completa censetur statim, ac illam legitimus in hac re superior acceptauit, vt patet ex dictis *de priuilegiis puncto 8.§.4.* vbi ostendi, quandónam priuilegium vim suam amittat per renūtiationem, & in terminis de fructuum acquisitione tradit Paris. *de resignatione benef.lib.1.quæst.3.& 6.* Gonzalez *ad regul.8.glos.15.§.2.num.40. & sequentibus*, vbi refert Rotæ decisiones, aliosque Doctores, & expressè loquens *de distribut.* Moneta *3.part quæst.6.num.54.*

2 Resignatio facta in alterius fauorem nō censetur completa donec alter beneficij possessionē ceperit.

2 Resignatio verò facta ad fauorem alterius titulo permutationis non videtur completa, nisi, postquam permutans possederit beneficium illius, cum quo permutat: nisi fortè fuerit in mora; vt patebit ex dicendis de permutatione beneficiorum, & colligitur ex iis, quæ allegat Gonzalez *num.36. & seqq.* item facta titulo resignationis in fauorem alterius, non videtur completa, & perfecta; nisi resignatarius beneficium acquisierit, eiusque possessionem ceperit, modò per ipsum non stet ne possessionem capiat; dispositio enim conditionalis non subsistit non adimpletis conditionibus. Hoc posito sit

VNICA PROPOSITIO.

3 Resignās absolutè non potest distribū tiones cadere, postquam resignatio acceptata fuit à Sūmo Pontifice.

3 REsignans purè, & absolutè, non potest, facta beneficij resignatione, eaque à summo Pontifice acceptata, distributiones subsequentis temporis lucrari. Ratio est, quia ius ad distributiones habetur ratione tituli veri, vel saltem colorati, *cap.dilectus, & cap pro illorum. de præb.* hic autem facta beneficij resignatione, eaque à summo Pontifice acceptata, caret beneficij titulo; ergo non potest beneficij fructus, vel distributiones, quæ beneficij titulo conferuntur, percipere. Ita Paris. & Moneta *locis citatis*, Hieronymus Gabriel. *consil.192.num.3. & seqq.* & alij apud Gonzalez *loco cit.num.42.*

4 Resignās sub conditione, potest distributiones lucrari, donec resignatarius possessionem ceperit, modò per ipsum non stet, quo minus possessionem capiat, aliæve conditiones in resignatione appositæ impleantur.

4 Resignans verò sub conditione in fauorem resignatarij, potest distributiones lucrari interessendo, donec resignatarius possessionem ceperit, modò per ipsum non stet, quo minus possessionem capiat, aliæve conditiones in resignatione appositæ impleantur.

Ratio est, tum quia resignans non censetur titulum, & dominium amisisse, donec resignatio completa sit, seu donec impletæ fuerint cōditiones, sub quibus facta fuit resignatio: resignatio autem cēsetur facta sub hac conditione, si resignatarius plenè acquirat beneficium, vel nisi per ipsum steterit, quo minus plenè acquirat: par enim est acquirere, & per ipsum stare, quo minus acquirat, *cap.licet Episcopus, de præbendis in 6.* Tum quia resignans permanere potest in beneficij possessione, donec resignatarius beneficij possessionem accipiat, vt Parisius probat *q.7.num.9.* Ergo potest etiam onera beneficij persoluere; ergo potest etiam distributiones interessendo percipere. Ita Moneta *nu.55.* & alij quos retuli de permutationibus beneficiorum.

5 Fructus percepti medio tēpore, pertinent ad resignatarium in cuius fauorē facta fuit resignatio. Secus dic de distributionibus medio tēpore perceptis, istæ enim debentur resignanti, qui diuinis Officiis assistit.

5 Obiicies: Resignans non potest sibi retinere fructus pendentes, vel medio tempore perceptos inter consensum præstitum, & captam à resignatario possessionem, vt ex communi Doctorum sententia tradit Paris. *loco citato, quæst.6.numer.60. & seqq.* Gabriel. *lib.1. consil.192. & 194.num.10.* Cassadorus probus, & alij apud Garziam *de benefic.2.part.cap.1.n.126.* [& apud Monetam *3.part. quæst.6.n.55.*] Ergo neque potest percipere distributiones.

Omissa responsione Monetæ, quæ difficultatem non soluit, respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, primò quia hęc est natura traditionis cōditionalis, vt effectū non habeat ante cōditionis euentum, adimpleta verò conditione retrotrahatur ad diem celebratæ dispositionis, ac si ab initio purè, & absolutè celebrata fuisset, vt aliis relatis tradunt Garzias & Gonzalez *locis* statim *citandis*; si autem resignatio ab initio purè, & absolutè celebrata fuisset, fructus medij temporis cederent resignatario [post præstitum consensum in Camera, vel Cancellaria Apostolica.] Ita Gabriel. Cassadorus, Rota, Parisius, & alij apud Gonzalez *ad regul.8. glos.15.§.2.nu. 42.versic.& ex die*, & apud Garziam *num.128.* secus accidit in distributionibus, ob peculiarem ipsarum naturam, & proprietatem: cùm enim distributiones non tribuantur, nisi interessentibus, & resignatarius non interfuerit, non debentur resignatario, sed resignanti diuinis Officiis interessenti, qui beneficij titulum non censetur à se abdicasse, nisi adimpletis conditionibus, sub quibus beneficij resignationem fecit. Secundò, [quia resignans postquam præstitit consensum in Camera, vel Cancellaria Apostolica, & notitiam habuit præstiti consensus per Procuratorē,] recipit fructus nomine resignatarij, non proprio: distributiones verò percipit nomine proprio ob propriam, & personalem interessentiam, quam nullus pro altero præstare potest, vt ex dicendis clarius constabit.

PVNCTVM III.

Vtrùm qui dignitatem, & Canonicatum, seu duplicem Canonicatum habet, vnas tantùm distributiones interessendo acquirat, an binas: & vtrùm non assistendo vnas, vel binas perdat.

PRæmitto primò me hìc loqui de eo, qui dignitatem, & Canonicatum, seu duplicem Canonicatum habet compatibilem ex di-

ſpenſatione, vel alio titulo: nam ſi Canonicatus non ſint cõpatibiles ex priuilegio, vel alio titulo; conſtat ex dictis de pluralitate beneficiorum in tractatu *de benefic.* huiuſmodi beneficiarium nõ poſſe plura beneficia tuta conſcientia retinere, conſequenter nec poſſe fructus, & diſtributiones capere.

1 Habens duo beneficia non poteſt in vtroque reſidere

1 Præmitto ſecundò, me hìc non loqui de habente plura beneficia in diuerſis Eccleſiis, conſtat enim beneficiarium, quamuis vtrumque beneficium ex legitima diſpenſatione obtineat, non poſſe vtrique Eccleſiæ intereſſe (niſi fortè Officia diuerſo tempore celebrentur,) conſequenter nec poſſe plures diſtributiones capere, ſed eas ſolùm, quæ reſpondent intereſſentiæ illius Eccleſiæ, in qua pro tempore ſe inuenerit, & in qua intereſſe voluerit; capax enim eſt diſtributionum illius beneficij in quo reſidet, & quod iuſtè retinet, *cap. dilectus 1. de præbendis.*

2 In qua Eccleſia reſidendum ſit, dũ quis plura beneficia habet.

2 Verùm ſi duo beneficia dignitate inæqualia habeat, in digniori reſidere tenetur. Si habeat ex diſpenſatione duo beneficia reſidentiam requirentia, in eo reſidere tenetur, in quo maior eſt neceſſitas, ſeu cauſa reſidendi; ſi æqualis eſt neceſſitas, reſidere poteſt in quo maluerit: tum quia non eſt maior ratio cur in vno potius, quam in altero reſidere teneatur: tum quia ſic declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, cuius declarationes refert Garzias *3. parte cap. 2. num. 183. & ſequenti.* Quamobrem habens dignitatem in Collegiata, & ſedem in Cathedrali, tenetur in Collegiata reſidere: & habens Canonicatum, & Monaſterium, cui animarum cura non eſt annexa, in Collegiata reſidere tenetur. Ita Sacra Cardinalium Congregatio apud Garziam *num. 182. & ſequentibus*; & Rota coram Sacrato. Hic ergo loquor de habente dignitatem, & Canonicatum, ſeu duplicem Canonicatum in eadem Eccleſia, cum legitima diſpenſatione. Hoc poſito, plures dubitandi rationes poſſent hic afferri, quas in obiectionibus proponemus, [& diluemus.]

VNICA PROPOSITIO.

3 Habẽs duplicem Canonicatũ non percipit binas diſtributiones.

3 HAbens dignitatem, & Canonicatum, vel duplicem Canonicatum in eadem Eccleſia, non poteſt, præciſa diſpenſatione, vel conſuetudine, duplices diſtributiones vtrique Canonicatui reſpondentes lucrari.

Ratio eſt primò, quia ex regula generali tradita *de leg. quæſt. 1. punct. 9. num. 4.* non poſſumus vnico actu duplici obligationi ſatisfacere, niſi legiſlator aliter intendat. Non enim poſſumus vnica ſolutione pluribus debitis iuſtitiæ commutatiuæ ſatisfacere; nec pœnitens, cui à Confeſſario in diuerſis confeſſionibus, pro ſalutari peccatorum pœnitentia iniunctum eſt, vt circulum Beatiſſimæ Virginis perſoluat, vnica vnius Coronæ recitatione ſatisfacit; nec Sacerdos, qui eleemoſynam pro duplicis Miſſæ celebratione accepit, vnico Miſſæ ſacrificio onus ſibi iniunctum perſoluit, &c. Ergo neque poſſumus vnica reſidentia [duplici obligationi ſatisfacere, &] duplices diſtributiones percipere.

Secundò, quia diſtributiones veniunt nomine alimentorum, vt probat Moneta *num. 8. ex cap. de cetero*, & ex *cap. vnico, de Clerico non reſidente*, in quibus iuribus diſtributiones appellantur victualia. Sed alimenta non iterantur, *l. alimenta §. Baſilica. ff. de aliment. & cib. legat.* nam ſi alimenta legentur Diaconis, & Preſbyteris, Priori, & fratribus, is, qui ſimul eſt Diaconus, & Preſbyter, Prior, & Frater, duplicia alimenta, ratione duplicis officij non obtinebit. Ergo neque duplices diſtributiones obtinebit, qui ſimul eſt Archidiaconus, & Canonicus, vel qui duos ſimul habet Canonicatus.

Verùm ad hanc rationem reſponderi poſſet, diſtributiones, propriè loquendo, non eſſe alimenta, ſed emolumentum, ſeu ſtipendium iure Canoniæ debitum ob perſonale miniſterium. Præterea etiamſi daremus diſtributiones nomine alimentorum venire, negandum tamen non videtur, quin maiora alimenta ratione maioris dignitatis, & oneris debeantur.

Tertia ratio, quia iudicandum eſt in fauorem diſtributionum, dum faciunt ad augendum diuinum cultum, vt patebit ex dicendis *quæſt. 6. punct. 3. propoſitione 1.* In hoc autem caſu, ſi plures diſtributiones concedantur habenti plures Canonicatus, potius faciunt ad diminuendum cultum, quàm ad augendum. Ergo iudicandum non eſt in fauorem pluralitatis diſtributionum, ſeu poſſidentis plures Canonicatus.

Quarta ratio, quia qui duos ſub eodem tecto Canonicatus habet, non magis reſidet, nec maius ſeruitium Eccleſiæ præſtat, quàm ſi vnicum tantummodò haberet. Ergo par non eſt, vt duas capiat diſtributiones, cùm hæ reſidenti, & ſeruitium Canonicatui debitum præſtanti tribuendæ ſint, *cap. vnico, de præbendis in 6.* Tum quia Sacra Cardinalium Congregatio, teſte Garzia *de benef. 3. par. cap. 2. n. 185. verſic. quartò dubitatur*, bis declarauit, obtinentem legitimè duas dignitates, debere in digniori reſidere, & poſſe fructus præbendæ alterius dignitatis percipere, non tamen quotidianas diſtributiones, quæ illi reſponderent. Ita Garzias *loco cit.* & ſtatim citando, Azor. 2. *parte lib. 7. c. 7. quæſito 13.* Gomez *in tract. de expectat. iuris num. 5.* Curtius & Antonin. apud Azorium *loco citato*, Gigas, Francus, & alij apud Monetam *de diſtribut. 2. parte quæſt. 4. num. 6.* contra Abbatem, Baldum, & alios, quorum ſententiam communem appellat Felinus *in cap. cùm olim de ſentent. & re iudicata*, eamque veriorem arbitratur Couar. 2. *var. cap. 13. num. 6.* contra Garziam 11. *parte, cap. 5. num. 211.* Azorium ſibi contrarium 2. *part. lib. 3. cap. 11. quæſito 19. verſ. ſed roget.* Carolum Macignum *cap. 69. num. 11.* [Paulum Layman *lib. 4. moralis Theologiæ tract. 1. cap. 7. num. 4.*] Hoiedam *de incompatibilit. 1. parte, cap. 12. num. 15. & ſequenti*, vbi plures alios refert, quos etiam refert, & approbare videtur Cenedo *ad Clement. 3. p. collect. 15. num. 5. pagina mihi* 534. arbitrantes, etiam præciſa conſuetudine, duplices diſtributiones lucrari, ſicut etiam duplicem vocem in Capitulo habere putant eos, qui dignitatem, & Canonicatum habent in eadem Eccleſia, de qua re infra in quarta obiectione loquemur.

4 Hoc tamen limita

4 Dixi in propoſitione, *præciſa diſpenſatione*, quia Summus Pontifex in hac re diſpenſare poteſt, ſuperior enim diſpenſare poteſt, vt quis vno, & eodem actu pluribus præceptis ſatisfaciat, vt docui *de legibus loco cit.* non præſumitur tamen in hac re diſpenſaſſe, niſi ex conſuetudine, vel ex verbis diſpenſationis diſpenſare colligatur. Diſpenſatio enim odioſa eſt, vtpote iuri contraria, conſequenter ſtrictè accipienda, *cap. 1. §. ille, de filiis presbyt.*

primò, præciſa diſpẽſatione.

5 Limita ſecundò præciſa cõſuetudine.

5 Dixi, *diſpenſatione, vel conſuetudine*, vt indicarem fieri poſſe per conſuetudinem, vt obtinens dignitatem, & Canonicatum, vel duos Canonicatus, binis diſtributionibus gaudeat. Ratio eſt, tum quia id fieri poteſt per diſpenſationem. Ergo etiam per conſuetudinem, cùm per conſuetudinem, regulariter loquendo, induci poſſit, quod per diſpenſationem conceditur: tum quia conſuetudine & vſu receptum eſt, vt obtinens duo, vel plura beneficia vnica diuini Officij recitatione omnibus beneficiis ſatisfaciat, & fructus omnium capere queat. Ergo etiam conſuetudine obtineri poteſt, vt habentes plures Canonicatus in eadem Eccleſia omnium diſtributionum vnica reſidentia capaces fiant. Ita communiter Doctores, contra Rochum Curtium *cap. final. de conſuetudine ſection. 5. numer. 43.* pro nobis etiam facit auctoritas Sacræ Congregationis, quæ teſte Carolo Macigno *loco citato*, declarauit priuilegio, aut conſuetudine induci poſſe, vt quis in eadem Eccleſia duo munera ſuſtineat, exempli gratia, Canonici, & Theſaurarij, conſequenter binas diſtributiones lucretur.

6 Quadraginta anni requiruntur ad præſcribẽdam huiuſmodi conſuetudinem.

6 Si quæras quantum temporis requiratur ad huiuſmodi conſuetudinem legitimè introducendam.

Moneta *de diſtribut. 2. p. q. 4. num. 18.* putat ſufficere ſpatium decem annorum, quia hæc conſuetudo, inquit ipſe, non eſt contra ius, ſed ſolùm præter ius: ad inducendam autem conſuetudinem præter ius, requiritur, & ſufficit decem annorum ſpatium.

Sed mihi dicendum videtur, requiri ſaltem ſpatium quadraginta annorum, quia hæc conſuetudo eſt contra ius, quod probo. Primò, quia alioquin ſequeretur habentem plures Canonicatus in eadem Eccleſia, non peccare percipiendo diſtributiones omnium Canonicatuum, quia nullum eſt peccatum, quod lege non aduerſetur.

Secundò, quia idem Moneta *num. 7. ex cap. vnico, de Clerico non reſidente*, probat habentem plures Canonicatus non poſſe vnica intereſſentia diſtributionibus omnium Canonicatuum frui. Ergo eſt contra ius, videlicet contra citatum Capitulum, frui pluribus diſtributionibus.

Tertiò, quia conſuetudo, & diſpenſatio ſunt circa idem, & contra idem. Sed diſpenſatio, qua alicui facultas datur percipiendi plurium Canonicatuum diſtributiones in eadẽ, vel in diuerſis Eccleſiis exiſtentium, eſt contra ius commune, vt optimè idem Moneta in hac parte innuit *numero 20.* Ergo etiam conſuetudo percipiendi diſtributiones omnium Canonicatuum, eſt cõtra ius commune. Cùm autem ad conſuetudinem contra ius commune legitimè præſcribendam quadraginta annorũ ſpatium requiratur, ſequitur ad huiuſmodi conſuetudinem inducendam ſaltem quadraginta annos requiri.

Ex dictis igitur conſtat, habentes plures Canonicatus, vel dignitates, aut dignitatem, & Canonicatum in eadem Eccleſia, non poſſe eadem intereſſentia vtriuſque Canonicatus diſtributiones capere, præciſa conſuetudine, & diſpenſatione.

7 Ratio differentiæ cur habens plura beneficia recipiat fructus omnium vnica recitatione, non vero recipiat diſtributiones omnium vnica aſſiſtentia.

7 Obiicies primò: Habens plura beneficia poteſt fructus omnium vnica recitatione lucrari; ergo etiam diſtributiones omnium vnica intereſſentia conſequi.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia illud legitima conſuetudine, & moribus omnium plura beneficia habentium comprobatum eſt, ſciente, & permittente Summo Pontifice: circa diſtributiones verò non extat huiuſmodi licentia, ſeu permiſſio.

8 Afferuntur nõnullæ obiectiones, & ſoluuntur.

8 Obiicies ſecundò: Archipresbyter, Archidiaconus, & alij in dignitate conſtituti, vnica intereſſentia maiores diſtributiones lucrantur, quàm ceteri Canonici; ergo etiam obtinens duos Canonicatus ex diſpenſatione videtur capax omnium diſtributionum, niſi aliud in diſpenſatione exprimatur.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, tum quia diſtributiones percipiuntur iuxta taxam, & aſſignationem: dignitati autem plures aſſignantur diſtributiones, quàm ſimplici Canonicatui, cùm ſtipendia conferenda ſint iuxta cuiuſque dignitatem, *cap. conceſſo 12. quæſt. 2. cap. conſuluit 74. diſtinct.* Tum quia ſic habetur *cap. ſtatuimus, de maiorita. & obed.* & colligitur ex aliis iuribus relatis à Moneta *loco citato, num. 2.* Cùm verò nullo iure cautum ſit, vt plurium diſtributionum particeps efficiatur, qui plures habet Canonicatus: ſequitur habentem plures canonicatus non obtinere diſtributiones ſingulis canonicatibus reſpondentes.

Obiicies tertiò: Qui maius concedit, cenſetur etiam concedere minus contentum ſub maiori, & ea, quæ illud conſequuntur. Ergo cùm Summus Pontifex canonicatum habenti, nouum Canonicatum confert, cenſetur etiam concedere ius ad diſtributiones, quod eſt quid minus contentum ſub beneficio, & quid ad ipſum canonicatum conſequens, *cap. dilectus. de præbendis.*

Reſpondeo concedentem maius, cenſeri etiam concedere minus, quoties minus, quaſi inſeparabiliter continetur ſub maiori, nec peculiarem habet cõditionem: ius autẽ ad diſtributiones ſeparabile eſt à beneficio, & peculiarem requirit conditionem intereſſentiæ: alioquin ſequeretur quemlibet canonicum, adepta beneficij poſſeſſione, poſſe diſtributiones conſequi, etiam dum non reſidet: quod nullus ſanæ mentis dixerit, exceptis caſibus in iure expreſſis, vel aliquo priuilegio excipiendis, vt ex dicendis liquidò conſtabit.

Obiicies quartò: Qui ſimul eſt Archidiaconus, & canonicus diuinis Officiis tamquam Archidiaconus, & tamquam canonicus intereſſe poteſt, ſicut etiam ad capitulum conuenit ſub vtroque titulo, & in electione duplicem habet vocem, & ſuffragium, *cap. cum olim. de ſentent. & re iudicata*, & *ibi* Abbas, & Felinus, Hoieda *loco citato, numero 16.* vbi teſtatur de communi, & alij apud Garziam *num. 211.* Ergo poteſt etiam binas diſtributiones lucrari.

Re,

Respondeo ad obtinendas distributiones non sufficere duplicem in subiecto formalitatem, sed duplicem realem præsentiam desiderari, quam cùm habens dignitatem, & Canonicatum eodem tempore sine miraculo realiter præstare nequeat, fit, vt ad duplices distributiones non admittatur.

Ad id, quod dicitur de duplici voce in Capitulo, & in electione, optimè respondet Moneta *loco citato, num.*14 *in cap.olim.cit.* hoc non definiri, sed narratiuè referri, & potiùs improbari. Præterea, etiamsi daremus huiusmodi beneficiarios priuilegio duplicis suffragij in Capitulo gaudere ex iuris dispositione, priuilegio, vel consuetudine, non tamen hinc sequitur, gaudere etiam iure ad binas distributiones, præcisa dispensatione, vel consuetudine, cùm à disparatis non sit facienda illatio, præsertim cùm ius ad suffragium acquiratur iure Canoniæ, seu Canonicatus, *cap. dilectus* 1. *de præbendis*; ius verò ad distributiones obtinendum sit personali ad Chorum assistentia, quæ in eodem subiecto naturaliter multiplicari non potest, vt communiter non solùm Philosophi pertractant, dum loquuntur de corporum vbicatione: verùm etiam Theologi *in* 3.*parte*, occasione illius quæstionis, in qua de reali, & sacramentali corporis Christi præsentia in pluribus locis disputare consueuerunt.

Obiicies quintò ex Bartolo *in l. si consul. ff. de adoptionibus*, quando munera, & officia non sunt sibi contraria, ea simul habere quis potest, ita vt vnus, & idem duorum vice, & munere fungatur. Sed duo Canonicatus non sunt sibi contrarij in subiecto, cum quo legitimè dispensatum fuit; ergo obtinens duos Canonicatus, potest duorum vice, & munere fungi, consequenter binas lucrari distributiones.

Respondeo habentem duo Officia compatibilia posse duorum munere fungi, modò munera compatibilia sint, nec peculiarem postulent conditionem: duo Canonicatus conditionem duplicis assistentiæ postulant, quam vnus, & idem præstare non potest.

Obiicies sextò ex Felino *in cap. cum olim cit.* habenti duo Officia debentur duo salaria, *Auth. vt iud. sine quo suffrag. §. illud*; ergo habenti duos Canonicatus debentur duæ distributiones.

Respondeo habenti duo munera deberi duo salaria ob duplicem laborē, & operam, habēti verò duos Canonicatus vnæ distributiones debentur, quia duplicem intereſſentiæ operam exhibere non potest.

Obiicies septimò *l. Titia. §. qui Marco. ff. de annuis legatis*, si quis libertis suis leget annua alimenta, & Marco qui item est libertus, leget centum, Marco debentur centum, & simul alimenta: ergo etiam habenti Canonicatum, & dignitatem, duæ distributiones debentur.

Respondeo cum Bartolo *in dicta l.* vtrumque legatum Marco deberi, quia centum apponuntur ampliatiuè, cum duplici de causa hæc ei legata facta sint, & vtraque causa in ipso reperiatur: distributiones verò debentur ob intereſſentiā, quæ cùm vnica sit in eadem persona, vnas tantùm meretur distributiones: nisi aliter per consuetudinem, vel dispensationem permittatur.

PVNCTVM IV.

Vtrùm qui ex priuilegio, vel dispensatione inseruit Ecclesiæ per Coadiutorem, seu Vicarium, lucretur distributiones.

1 Quotuplex sit Coadiutor, & à quo superiore cōstituatur.

1 PRo intelligentia istius quæstionis præmittendum est duplicem coadiutorem reperiri, alter dicitur simplex, qui solùm deputatur ad vices alterius gerendas, & ad onera beneficij sustinenda in totum, vel in partem, pro vt inter partes conuentum fuerit, vel quatenus superior dispensauerit. Huiusmodi coadiutorem in beneficiis, quæ ad animarum salutem, & vtilitatem instituta sunt, Legatus, Nuntius, vel Episcopus constituere potest, vt in Parochiali beneficio, vel etiam in Archidiaconatu, iuxta iurium antiquorum dispositionem: Episcopis verò, aliisque superioribus, solus Papa coadiutorem præbet, vt cum Archidiacono, Abbate, Butrio, Gambara, & aliis probat Gonzalez *de reseruat. mens. & alternat. Episcop. gloss.* 5. §. 9.*num.*19.34. *& sequentibus.* Mandosius *in reg.*11.*q.*5.Monera 2.*part. quæst.*1.*n.*26.ex *cap.cum ab Ecclesiarum, de officio ordin. & cap. de rectoribus, de Clerico ægrot.* & ex aliis iuribus. In aliis verò Canonicatibus, regulariter loquendo, Episcopus non potest coadiutorem dare, cùm his non sit annexa aliorum cura, nec vllo iure præscribatur, quamquam fortè ab hac regula excipi possunt Canonici habentes præbendam Doctoralem cum onere legendi, & Pœnitentiarius, quorum beneficia ad aliorum curam, & salutem diriguntur, vt obseruat Moneta *n.*27. Abbas *cap. tuæ fraternitatis, de Cler. non resid.*

Alter dicitur Coadiutor cum futura successione, qui non solùm datur vt intereſſe possit, vel vt teneatur inseruire, ita volente coadiuto, sed etiam, vt idem beneficium per successionem obtineat, cùm successioni locus datus fuerit, per mortem, vel cessionem, vel aliam dimissionem ipsius coadiuti. Huiusmodi autem coadiutorem non constituit Episcopus, immò neque Nuntius, seu Legatus, sed solus Papa.

Ratio est, tum quia sicut isti non possunt Ecclesiam nondum vacantem concedere, ita neque Vicarium cum futura successione constituere: tū quia sic apertè colligitur ex Trid. *sess.*25.*c.*7. Ita Gonzalez *loc.cit.n.*43. *& sequentibus.* Mandosius *de signat. grat. tit. coadiutoria.* Parisius *de resign. lib.*7.*quæst.*20. Moneta *n.*33. & alij, quibus addi potest Sanchez *de matrim. lib.*8. *disp.*6.*num.*15. *&* 16. in simili loquens de dispensatione.

2 Proponitur ratio dubitandi.

2 His præmissis, circa propositam quæstionem ratio dubitandi [ad probādum huiusmodi distributiones non deberi coadiuto, vel coadiutori,] cōsurgit ex iis, quę tradit Couar. 3.*variar.c.*13.*n.*2. Moneta 2. *parte, quæst.* 5.*n.*20. & alij: quia vel distributiones debentur ipsi Canonico coadiuto, & hoc non, quia ipse non exhibet Ecclesiæ personale ministerium, & distributiones non debentur iis, qui personaliter non inseruiunt, *c. vnico, de Clerico non residente*; vel debentur ipsi coadiutori, & hoc non, quia non est Canonicus; ergo nulli debentur.

VNICA PROPOSITIO.

3 Distributiones debentur coadiuto.

3 DIstributiones conferendæ sunt illi, cui datus est coadiutor, nisi aliter Summus Pontifex disposuerit, vel nisi coadiutus consenserit, vt coadiutori tribuantur.

Ratio est, tum quia quod alicuius fauore inductum est, non debet in ipsius damnum retorqueri. *cap. quod ob gratiam. de regul. iur. in* 6. *& c. ad Apostolicam. de regular.* sed coadiutor regulariter conceditur in fauorem coadiuti; ergo non debet illi damnum circa distributiones afferre: tum quia ex decis. Rotæ, in vna Salamantina coram Pegna 25. Iunij 1593. constat coadiutorē, regulariter loquendo, non sibi, sed coadiuto distributiones lucrari. Ergo distributiones cōferendæ sunt coadiuto, nisi coadiutus iuri suo cedat, aut cesserit, antequam supplicationem Summo Pontifici exhiberet. Tunc enim standum est tenori Breuis Apostolici, in quo sæpe exprimitur, vt aliquid coadiutori tribuatur, cum operarius dignus sit cibo suo, & seruiens altari de altari viuere debeat: tum quia coadiutor non est verè Canonicus, vt declarauit Paulus V. anno 1606. in fauorem Ecclesiæ Conimbricensis, teste Naldo *ver. Canonicus. num.* 5. consequenter neque sedet in stallo illius, cuius est coadiutor, nec ad eūdem titulum ordinari potest: nisi fortè sit coadiutor cum futura successione, ipsique assignata sint alimenta ob onus, quod pro coadiuto præstat. Ita Calderin. *c.* 1. *de Clerico non residente.* Nauarr. *consil.*1. *tit. de Clerico ægrot. nu.*5. *&* 7. Naldus *ver. Distributiones num.*6. *& verb. Canonicus num.*5. Riccius *decis.*494.*n.*7. Moneta *loco cit.* Gonzalez *loco citato, num.*8.33. *&* 122.

4 Distributiones debentur coadiuto, etiamsi coadiutor absit ex causa infirmitatis, vel alia.

4 Addo cum præfatis Doctoribus, eum, cui datus est coadiutor, lucrari distributiones, etiāsi coadiutor absit ex aliqua causa, vt infirmitatis, necessitatis corporalis, & similiū, ex qua coadiutus ipse si abesset, non careret distributionibus: cùm enim hic in onera Canonici substitutus fuerit, tenetur ea ferre, & sustinere instar Canonici: Canonicus autem absens ex huiusmodi causa, non priuatur distributionibus.

5 Imo ex quacūque causa absit tenetur ad damnum.

5 *Si* verò coadiutor, dum in locum principalis intereſſe tenetur, sua culpa absit ex aliqua causa, ob quam non conceduntur distributiones, tenetur coadiutor damnum distributionum resarcire, quia causa iniusta damni ad restitutionem obligatur. Ita Gonzalez *loco citato, num.*65. *&* 122. Moneta *loco citato, n.*36. & Sacra Rituum Congregatio 15. Aprilis 1606. cuius declarationem refert Gonzalez *loco citato.*

Limitant ea, quæ diximus, Gonzalez *n.*123. & Moneta *numer.*32. Rota *decis.* 8. *de sentent. excommunicat.* Puteus *decis.* 280. *lib.* 1. & alij apud Gonzalez *loco cit.* & apud Garziam 4.*par. cap.*5.*num.*83. *& seqq.* in casibus, in quibus coadiutus non perciperet distributiones, vtputa ratione excommunicationis: tunc enim putant coadiutum non posse distributiones per coadiutorem lucrari, etiamsi coadiutor diuinis interfit, nec simili impedimento detineatur.

6 Distributiones debentur coadiuto, etiamsi coadiutus non perciperet distributiones si coadiutorē non constituisset.

6 Sed hæc limitatio, quamuis probabilissima sit, mihi non placet, exceptis casibus, in quibus beneficiarius distributionum incapax efficitur, & fructibus, ac distributionibus ipso facto priuatur.

Ratio est, tum quia sequeretur etiam coadiutum, dum non residet in loco beneficij, non posse distributiones percipere, quia nisi haberet coadiutorem, non lucraretur distributiones: tum quia, cùm diuinum obsequium in Ecclesia non defraudetur, par est, vt distributiones, ob diuinum obsequium debitæ, alicui conferantur. Sed non videntur conferendæ coadiutori, cùm ipse non sit Canonicus, nec suo nomine assistat, quidquid dicat Garzias *num.*85. neque conferendę sunt reliquis Canonicis, cùm ipsis solùm conferantur, dum Canonicus non intereſt diuino Officio per se, vel coadiutorem legitimè constitutum, neque conferendæ sunt pauperibus, cùm hoc nullo iure caueatur. Ergo conferendæ sunt coadiuto, quoties beneficij fructibus, & distributionibus in pœnam delicti, ipso facto non priuatur.

7 Cui competant distributiones dum coadiutor intereſt, sed coadiutus interim vinculo excōmunicationis detinetur.

7 Coadiutor enim ipsius nomine diuinis intereſt, non ex mandato tempore excommunicationis dato, sed ex præuia conuentione à Summo Pontifice approbata: tum quia Canonicus excommunicatus toleratus percipere potest distributiones, dum diuinis Officiis assistit. Ergo à fortiori percipiet si per coadiutorem non excommunicatum intersit. Neque refert, quòd in hac parte sit melioris conditionis ceteris: non est melioris conditionis ob delictum, sed ob priuilegium coadiutoriæ in sui fauorem à Summo Pontifice cōcessum. Non nego tamen quin per sententiam priuari possit, attenta criminis qualitate: quo pacto intelligendum esse *cap. Pastoralis. §. verum. de appellat.* docui de Censuris, quamuis oppositum sustineat Rota, & Iurisperiti ferè communiter.

8 Respondetur rationi dubitandi.

8 Ex dictis facilè colligitur responsio ad rationem dubitandi. Dico enim distributiones deberi coadiuto, cùm ipse sit Canonicus, & per alium, ex legitima superioris auctoritate satisfaciat: quicquid in contrarium sentiant Couarr. & Moneta *locis* in ratione dubitandi allatis.

PVNCTVM V.

Vtrùm Canonici, qui Choro quidem assistunt, sed ex consuetudine Officium per se ipsos in Choro non recitant, sed per Mansionarios in Ecclesia existentes muneri suo satisfaciunt, distributiones lucrari possint.

1 Ponitur sententia negatiua.

1 PRima sententia negatiua est Beiæ 1.*parte casu* 55. Rodriquez 1. *parte cap.*145.*num.*5. Graffij *lib.*2.*decision.cap.*52.*nu.*22. Monetæ *de distributionibus*, 2.*parte*, *q.*2.*numer.*31. vbi pro hac sententia refert Suarez *tom.*2. *de relig. lib.*4 *cap.*12. *de Horis Canonicis*, *numer.* 9. Verùm Suarez *num.*20. loquens de consuetudine, contrarium expressis verbis sustinet.

Hæc sententia probari potest, primò ex constitutione Pij V. quæ incipit, *Ex primo Lateranensi Concilio*, vbi dicitur, *Si aliquis Choro addictus, non recitans omnibus Horis Canonicis cum aliis præsens adsit, fructusq; & distributiones fortè aliter assignatas sola præsentia iuxta statuta,*

tuta, consuetudinem, fundationem, vel aliàs sibi lucrifeciſſe prætendat, is etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem graue peccatum intelligat ſe admiſiſſe. Quo in loco Summus Pontifex reprobare videtur quamlibet conſuetudinem in contrarium ex Conrado *in ſuis reſponſionibus caſu* 240. Beia *loco citato*, Moneta *num.* 35. & aliis. Imò ſummus Pontifex non ſolum videtur conſtituere huiuſmodi conſuetudinem irrationabilem, ſed ſupponit illam tãquam irrationabilem, & iniquam: nulla autem conſuetudine induci poteſt, vt id, quod eſt iniquum, & tamquam tale à lege declaratur, licitum fiat, & honeſtum, iuxta ea, quæ tradit Suarez *lib.* 7. *de leg. cap.* 7.

Secundò ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. vbi Concilium loquens de onere Canonicorum, aliorumque beneficiariorum Eccleſię Cathedralis, vel Collegiatæ, in hæc verba loquitur: *Diſtributiones qui ſtatis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quauis colluſione, vel remiſſione excluſa his careant*; iuxta Bonifacij VIII. decretum, quod incipit, *Conſuetudinem*, quod ſancta Synodus in vſum reuocat, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis, & conſuetudinibus: omnes verò diuina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire Officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adſiſtere, & inſeruire, atque in Choro ad pſallendum inſtituto, hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuoteque laudare.

Tertiò, probatur teſtimonio ſacræ Congregationis, quam Moneta *loco citato*, cum Paulo Comitolo refert declaraſſe, Canonicos muneri ſuo non ſatisfacere, niſi in Choro pſallant.

Quartò, ratione, quia diſtributiones dantur canonicis, vt Choro inſeruiant: qui autem non canunt, non inſeruiunt Choro; conſequenter faciunt contra proprium Officium, conſequenter peccant mortaliter contra iuſtitiam: nec ſufficit vt aſſiſtant Choro, quia aſſiſtentia non per ſe intenditur, ſed per ordinẽ ad pſallendum in Choro; ſicut non conducitur operarius, vt aſſiſtat vineæ, ſed vt in ea operam ſuam impendat, nec Parochus ſimpliciter conſtituitur, vt reſideat in parœcia, ſed vt ibi ſua munera obeat in Sacramentis adminiſtrandis, aliiſque præſtandis, quæ ad proprium ipſius Officium pertinent. Præterea induci poſſet conſuetudo, vt omnes Choro aſſiſtant, & nullus quidquam recitet, quod videtur abſurdum.

Quintò, quia beneficium datur propter Officium, *cap. fin. de reſcriptis in 6.* ſed Officium Canonici eſt, vt recitet in Choro, ergo tenetur in Choro recitare, & intereſſe: conſequenter non poteſt diſtributiones acquirere, niſi in Choro recitet, & interſit: nam ius naturæ dictat, vt datum ob cauſam quis non lucrifaciat, cauſa non ſecuta.

Sextò, quia hæc opinio fauorabilis eſt cultui diuino; ergo ſuſtinenda eſt, quia ſumma ratio eſt, quæ pro religione facit, *l. ſunt perſonæ, ff. de relig. & ſumpt. fun.*

2 Ponitur ſententia affirmatiua.

2 Secunda ſententia eſt Suarez *loco citato*, *num.* 13. & 20. Azorij 2. *part. lib.* 10. *c.* 11. *quæſito* 6. Leſſij *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 33. Caietani *in ſumm. verb. Hora, in fine.* Petri Nauarri *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 217. Garziæ 3. *part. cap.* 2. *num.* 517. vbi refert Zechium, & alios. Arragonij 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. [Pauli Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *quæſt.* 6. *num.* 6.] & aliorum aſſerentium conſuetudine induci poſſe, vt Canonici interſint Choro, & canant per alios, diſtributioneſque lucrentur: quamobrem prefati DD. aſſerunt non videri condemnandam conſuetudinem, qua multis in Eccleſiis vſu receptum eſt, vt canonici etiam timoratę conſcientiæ non cantent in Choro, ſed id ſuppleant per Clericos ad id ſubſtitutos. Ratio eſt, tum quia non facilè carpenda eſt proborum, & prudentum hominum conſuetudo, niſi de ipſius malitia, & iniquitate conſtet: tum quia hoc non eſt contra ius naturæ, ſed de iure poſitiuo, inquit, Azorius, vt canonici per ſeipſos canant. Conſuetudo autem induci poteſt contra ius humanum poſitiuum, nec conſuetudo futura in iure improbatur.

3 Affertur ſententia Auctoris cum diſtinctione loquentis.

3 Sed mihi diſtinguendum videtur, vel loquimur de conſuetudine legitimo tempore præſcripta, vel de nondum præſcripta. Si loquamur de conſuetudine nondum præſcripta, cenſeo huiuſmodi conſuetudinem non eſſe permittendam, ſed improbandam, nec canonicos per alios canentes tutos eſſe in conſcientia, vt patet ex rationibus primæ ſententiæ, quæ nihil aliud efficaciter probat, quam id, quod nos diximus: quod etiam, præter DD. primæ ſententiæ admittit Suarez *loco citato, num.* 9. & 13. Azorius *loco citato*, & alij. Si verò loquamur de conſuetudine ſaltem præſcripta poſt Tridentinum, cenſeo huiuſmodi conſuetudinem tolerari poſſe: tum quia non magis repugnat induci conſuetudinem, vt canonicus aſſiſtens ſatisfaciat per alium, quàm induci conſuetudinem, vt habens duos canonicatus in Eccleſia, vnica reſidẽtia, & recitatione ſatisfaciat vtrique, licet ſinguli ſuam peculiarem reſidentiam requirant; ſed hæc conſuetudo poteſt induci, vt cum Decio, Couarr. & aliis tenent Moneta *q.* 4. *num.* 16. [& alij quos retuli *punct.* 3.] Ergo etiam illa: tum quia ſicut currit præſcriptio in aliis caſibus, in quibus de re aliena agitur, ita etiam admitti poſſe videtur in hac materia, cùm ius poſitiuum huiuſmodi præſcriptionem non reprobet: tum quia, quamuis prohibitio, & ius naturale mutari non poſſit, mutari tamen poteſt materia, qua mutata ceſſat prohibitio: hìc autem mutatur materia per legitimam præſcriptionem: tum quia poteſt hoc licitè fieri per diſpenſationem. Ergo etiam per conſuetudinem, iuſta de cauſa introductam: tum quia valet conſuetudo quæ paruum præiudicium affert Eccleſiæ, vt ex *cap. cum omnes, de conſtitut.* docet idem Moneta 2. *parte, quæſt.* 3. *num.* 44. cum Curtio *cap. fin. de conſuetudin. ſect.* 5. *num.* 48. Panormit. & aliis. Hæc autem conſuetudo non graue præiudicium Eccleſiæ affert, neque diuinum cultum notabiliter minuit, quia alij conducti ſunt, qui loco canonicorum cantare coguntur, & fieri poteſt, vt iſti Manſionari alantur ex bonis canonicorum aſſignatis ad huiuſmodi Manſionarios, ſeu Capellanos alendos, & ſuſtentandos, & cum diuiſi ſint reditus, par eſt, vt etiam onus diuiſum ſit.

Addo fieri poſſe, vt reditus ab origine illius Eccleſiæ Collegiatæ conſtituti fuerint, vt ſimpliciter Officium canatur decorè, & deuotè, non autem vt à ſingulis perſonaliter in Choro recitetur, & hoc præſumi poſſe videtur, vbi non conſtat de fundatione contraria, & vbi conſuetudo ita recepta eſt, vt benè argumentatur Suarez *loco cit. num.* 13. Tum quia quæ ratio eſt partis ad partem, eadem eſt totius ad totum. Sed ex ſententia ipſius Monetę *quæſt.* 2. *num.* 8. legitimo vſu receptum eſt, vt per Manſionarios canantur Antiphonæ, pſallendæ, reſponſoria, & ſimilia; ergo, &c. An verò quis poſſit per alium Choro inſeruire, conſtat ex dictis *diſp.* 2. *quæſt.* 1. *punct.* 4. & conſtabit ex dicendis *quæſt. ſeq.* ad argumenta primæ ſententiæ, quatenus huic 2. parti meæ dicendis ſtinctionis aduerſari videntur.

4 Reſponditur argumẽtis primæ ſententiæ.

4 Ad primum reſpondeo, ibi ſermonem eſſe non de illis canonicis, qui recitato priuatim diuino Officio, iuxta conſuetudinem aſſiſtunt Choro, ſed de illis, qui Officiũ non recitant, neque in Choro, neque extra Chorum. Hos enim fructibus, & diſtributionibus priuandos eſſe ſtatuit Pius V. *in præcit. conſtitutione*, vt patet ex ipſiſmet Bullæ verbis. Ita Suarez *num.* 14. Garzias *num.* 516. Pet. Nauarr. *loco cit. num.* 224. & 225. & alij.

Ad ſecundum reſpondeo in Concilio Tridentino non abrogari antiquam conſuetudinem, iam præſcriptam, vel non reprobari introducendam, ſed decerni, vt canonici compellantur ad Deum reuerenter laudandum: hoc autem fit à canonicis aſſiſtendo, & per alios cantando. Noſtra ſententia confirmari poſſe videtur ex verbis Concilij *ibidem*, dum ait, *diſtributiones ab iis eſſe percipiendas, qui ſtatis horis interfuerint*, non verò dicit, *qui ſtatis horis diuinum Officium in Choro recitauerint*. Neq; obſtant illa verba Concilij, *omnes verò diuina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire Officia*; nam illa intelligi poſſunt de propriis vniuſcuiuſque beneficiarij oneribus, vt de onere dicendi Miſſam, canendi Euangelium, vel Epiſtolam, non verò de Officio canendi perſonaliter in Choro. Ita Suarez *loco cit. num.* 14. vbi hoc comprobat declarationibus Cardinalium.

Vel dic cum Garzia *num.* 521. Concilium non eſſe quoad hanc partem canendi per ſe ipſos vbique receptum, ſed eamdem conſuetudinem perſeuerare poſt Concilium, eò quòd Epiſcopi non curauerint decretum hac in parte executioni mandari, conſequenter non obligare, ſicut in aliis caſibus oſtendit idem Garzias *de benefic. part.* 11. *cap.* 5. *num.* 150.

Rurſus non obſtat *cap.* 3. *ſeſſ.* 22. nam ibi non loquitur de diſtributionibus ordinariis, ſed de extraordinariis, vt patet ex dictis *in* 1. *punct. quæſt.* 2. *diſput.* 2.

Ad tertium reſpondeo ſacram Congregationem non loqui de aſſiſtentibus Choro, & per alios celebrantibus ex præſcripta conſuetudine.

Ad quartum reſpõdeo, diſtributiones dari canonicis, vt inſeruiant canendo per ſeipſos, niſi aliud poſtulet præſcripta conſuetudo, vel inſtitutio, quam conſuetudo interpretari poteſt.

Eadem reſponſio accommodari poteſt quinto argumento.

Ad ſextum reſpondeo, liberum cuique eſſe opinionem probabilem ſequi, etiamſi minus fauorabilis ſit, aut minus tuta, vt ex dictis de peccatis *in tractatu de legibus*, manifeſtè liquet.

5 Quantum temporis requiratur ad huiuſmodi conſuetudinẽ inducendam.

5 Sed modò dubium eſt quantum temporis requiratur, vt huiuſmodi conſuetudo legitimè inducta cenſeatur.

Nauarrus apud Suarez *num.* 13. *ad fin.* requirit tempus immemorabile, ſeu conſuetudinem immemorabilem: ex ſententia Azorij 1. *part. lib.* 10. *cap.* 11. *quæſito* 6. quatenus aſſerit fructus non dari canonicis, vt cantent in Choro, ſed Eccleſiam præcepiſſe, vt cantent: dicendum videtur ad ſummum ſufficere ſpatium quadraginta annorum, quod etiam colligitur ex iis, quæ idem Azorius ad finem quæſiti ſubiungit. Concilio Tridentino, inquit, & conſtitutioni Pij V. conſuetudo poteſt derogare, vel quia introduci cepit poteſt ea iura, & deinde fuit vſu confirmata, vel quia ante ea iura inuecta fuerat, & deinde etiam contra eadem ipſa iura continuata. Cùm autem idem Azorius ſuo tempore excuſaret conſuetudines aliquarum Eccleſiarum, quæ poſt Tridẽtinum vſu confirmatæ ſunt: cumque à tempore conditi Concilij vſque ad Azorij tempus vix elapſi eſſent quadraginta anni, dicendum eſt ex ſententia Azorij ſufficere ſpatium quadraginta annorum ad ſummum. Idem ſentire videtur Moneta 2. *par. q.* 3. *num.* 47. dum aſſerit ſpatio quadraginta annorum induci poſſe conſuetudinem, qua canonicus intereſſens aliquibus horis, lucretur omnes diſtributiones, etiam quæ ceteris horis, alias aſſignatæ fuerant. Sicut enim admittit conſuetudinem acquirendi aliquas diſtributiones, quamuis Canonicus abſit, ita etiam approbare debet cõſuetudinem, qua canonici aſſiſtentes, & per ſubſtitutos ſatisfacientes percipere valeant diſtributiones. Eiuſdem ſententiæ eſt Suarez, aſſerens ſpatium quadraginta annorum requiri.

Ego igitur cum Suarez *loco citato*, Azorio, & aliis, arbitror eam conſuetudinem ſufficere, quę ſufficit ad præſcriptionem Eccleſiaſticam. Quantum verò temporis ad Eccleſiaſticam præſcriptionem, ſeu ad præſcribendum contra legem Eccleſiaſticam requiratur, conſtat ex dictis *de præſcript. in tract. de contract. diſp.* 1. *q. vlt. punct.* 2. §. 2. & ex dictis *de leg. diſp.* 1. *q.* 1. *punct. vlt.* §. 3. *n.* 32. vbi cum Bartolo, Iaſone, Salas, Becano, Rebello & aliis docui ad præſcribendam conſuetudinem contra legem Eccleſiæ ſufficere ſpatium quadraginta annorum, modò non præſcribatur aliquod ius Eccleſiæ, cuius præſcriptioni Eccleſia reſiſtat: tunc enim requiritur ſpatium quadraginta annorum cum titulo, vel tempus immemorabile, vt patet ex dictis *locis cit.* & ex dictis *de decimis punct.* 5. *num.* 6. cum Maſcardo, Tuſco, & aliis.

QVÆSTIO V.

Quibus ex cauſis abſens diſtributiones lucrari poſſit.

QVamuis diſtributiones regulariter loquendo, ſolis intereſſentibus debeantur, nihilominus tribus de cauſis *in cap. vnico, de Clerico non reſidente*, diſtributiones abſentibus conferri præſcribuntur: ob cauſam ſcilicet infirmitatis, ob iuſtam, & rationabilem corporis neceſſitatem, & propter abſentiam in vtilitatem Eccleſiæ. Vt autem clara, & perfecta de diſtributionibus cognitio habeatur, non ſolùm de his tribus cauſis in ſequẽtibus punctis ſermonẽ inſtituam; verum

verùm etiam explicabo, vtrùm aliquis lucrari possit distributiones ex priuilegio id sibi permittente, vel ex statuto, vel ex consuetudine, vel ex aliorum Canonicorum remissione, aut donatione.

PVNCTVM I.

An absens ex causa infirmitatis distributiones lucrari possit.

VNICA PROPOSITIO.

1 Absens causa grauis infirmitatis percipit distributiones.

1 ABsens causa grauis infirmitatis potest, etiam præcisa consuetudine, distributiones lucrari, etiamsi propria culpa infirmitatem contraxerit, ne in loco beneficij tempore infirmitatis existat. Hæc propositio in iure certissima est, ex *cap. Clericus victum. 91. distinct.* ex *cap. 1. de Clerico ægrot. cap. consuetudinem*, & ex *cap. vnic. de Cler. non resid.* in quibus, à regula, qua decernitur distributiones absentibus non deberi, excipiuntur absentes ob infirmitatem: lex autem ad exceptos casus non extenditur, cùm exceptio vitiet regulam in casibus exceptis, & in eis quasi regulam faciat. *l. 1. ff de regul. iur. & l. ius singulare. ff. de leg.* & ex aliis iuribus apud Euerardum *in loco ab except. ad reg. nu. 1.* & apud Monetam *2. p. q. 5. nu. 47.* [& apud Simonen Vaz Barbosam *in locis communib. verb. casus, & verb. exceptio.*]

2 Secus si morbus leuis sit.

2 Dixi in propositione, *ex causa grauis infirmitatis*, vt aduerterem, non quemlibet leuem morbum excusare absentem, ita vt distributionibus frui possit.

Ratio est, tum quia infirmitas excusat, dum infirmus ob morbum interesse non potest, cùm autem non quilibet morbus efficiat, vt interesse non possit, sequitur non quemlibet morbum sufficere ad excusandum absentem: tum quia non quilibet morbus excusat ab obligatione recitandi Diuinum Officium, ob cuius recitationem beneficij fructus conferuntur. Ergo nec quilibet morbus excusat ab obligatione interessendi, vt distributiones acquirantur. Ita Ioan. Andreas *in cap. vnico, de Cler. non resid.* [Geminianus *ibid. numer. 5.*] & alij apud Monetam *quæst. 6. num. 22.* & apud Macignum *nu. 55.* omissis iis quos retuli *disp. 1. quæst. 6. punct. 1. nu. 2.* & ad hoc facere possunt, quæ tradit Sfortius Oddus *1. par. q. 7. art. 11.*

3 Leuior morbus excusat ab interessentia in Choro, quàm à recitatione diuini Officij.

3 Existimo tamen leuiorem morbum, per se loquendo, excusare ab onere interessendi Choro, quàm ab onere diuini Officij recitandi: nam fieri potest, vt morbus, alioquin leuis, accedendo ad Chorum facilius incrementum capiat, quàm domi priuatim Officium recitando. Quamobrem morbum grauem hoc loco appello, non solum illum qui absolutè grauis est; verùm etiam qui absolutè leuis est, sed accessu ad Chorum grauis efficeretur; adhuc enim verum est, huiusmodi morbo laborãtem infirmitate detineri, ne ad Chorum se transferat. Videnda sunt, quæ in simili dixi de causis excusantibus ab onere diuini Officij *disp. 1. q. 6. punct. 1.* cum Nauarro, Reginaldo, & aliis.

4 Quis morbus cẽseatur grauis.

4 Quis autem morbus sit leuis, aut grauis, viri prudentis aut Medici consilio extra iudicium iudicandũ relinquitur, cùm in quacumque re periti in arte iudicio standum sit, *cap. fraternitatis. de frigidis, & malef. & l. hac edictali. C. de sec. nupt.* In iudicio verò ad ipsum iudicem spectat iudicium: quamquam etiam ipse, nisi in arte peritus sit, secundùm peritorum consilium iudicare debet, Menoch. *de arbit. lib. 2. centur. 1. casu 60. num. 5.* Hoieda *tract. de incomp. benef. 1. par. cap. 17. nu. 16.* Moneta *2. par. quæst. 6. num. 24.* Suarez, Nauarrus, Azorius, & alij, quos suprà retuli *de causis excusantibus à recitatione Horarum Canonicarum*, pluresque alios refert Hoieda *loco cit. num. 18. vers. & quo pacto*, & Macignus *cap. 71. num. 49. & seqq.*

5 Absens causa infirmitatis recipit distributiones etiam præcisa cõsuetudine recipiendi.

5 Dixi, *etiam præcisa consuetudine*, vt indicarem iuxta probabiliorem DD. sententiam non requiri consuetudinem, vt absens causa infirmitatis distributiones recipiat: nam ius ipsum hoc illi permittit, iurib. in textu præallegatis. Ita Couar. *loco cit. nu. 8.* Panor. *in cap. ad audientiam num. 5. de Cler. non resid.* Rota Romana coram Seraphino *decis. 1132.* Sacra Cardinalium Congregatio, & alij apud Monetam *2. part. q. 5. n. 48. & q. 6. n. 7.*

Hoc tamen ego limito, modò in contrarium non extet consuetudo conferendi distributiones tantummodò præsentibus, non autem absentibus, etiam ex causa infirmitatis. Hanc enim consuetudinem induci posse inferius ostendam: consequenter vbi ea inualuerit, seruanda erit, nisi contraria consuetudine per decennium aboleatur.

6 Idem valet in infirmo, quamuis in loco beneficij tunc temporis non existat.

6 Dixi, *etiamsi tempore infirmitatis in loco beneficij non existat*, absentia enim ab eo loco non efficit, quin hic absit ob infirmitatem, cùm alioquin interesse consueuerit, nec non interesset, si per infirmitatem liceret. Quamobrem distributionum capax est infirmus, qui elapso vacationis tempore ad residentiam accessisset, nisi infirmitate extra vrbem detentus fuisset. Idem valet in ægroto, qui de consilio Medici Vrbe egreditur ad balnea, vel ad egregium, & celeberrimum Medicum, vel ad salubriorem aerem, vt bene contra Couar. *loc. cit. num. 8.* aduertit Moneta *loco cit. qu. 6. num. 7. & 19.* vbi idem Moneta addit non valere statutum, quo indistinctè disponitur, vt infirmi si absint extra ciuitatem, lucrari non possint quotidianas distributiones; sed hoc apud me non leuem difficultatem habet, tum quia nullo iure prohibetur hoc statutum fieri, consequenter hoc statutum non videtur contra ius, sed præter, cùm *in cap. vnico, de Cler. non resid.* non extet præceptum, sed permissio conferendi distributiones absenti causa infirmitatis: tum quia induci potest consuetudo; ergo etiam statutum: tum quia ad hoc facere videtur decretum Trid. *sess. 24. c. 12.* vbi facultas Episcopo datur cogendi beneficiarios ad Chorum: cui autem conceditur finis, media etiam ad illum concedi videntur. Verùm de hac re infrà.

7 Idem militat etiãsi propria culpa morbum contraxerit.

7 Dixi in propositione, *etiamsi propria culpa infirmitatem contraxerit*, vt quia intemperanter vixit, aut quia contumeliis aliquem afficiendo, vel alio pacto altercando vulnus accepit, aut quia data opera in morbum incidit, ne Choro assisteret, hic enim re ipsa dicitur abesse ob infirmitatem, & cùm ius non distinguat de infirmo ex propria culpa, vel sine culpa, non est cur nos distinguamus, *c. 1. 19. dist.* præsertim cum ex huiusmodi distinctione facilè suboriri possit magna scrupulorum seges, copia, & occasio, omnes enim ferè infirmi dubitarẽt, an in morbum ex propria culpa incidissent. Ita Sacram Cardinalium Congregationem declarasse refert Garzias *de benefic. 3. part. cap. 2. num. 363.* Idem tenet Couar. *loco cit. vers. 7.* Nauar. *consil. 13. de celebrat. Miss.* Carolus Macignus *cap. 71. num. 58.* Azorius *loco cit. vers. quid si.* Moneta *quæst. 6. num. 11.* Petrus Nauarrus *loco citat. diffic. 4. num. 238.* Naldus *verb. Distributiones num. 11.* Quamquam Moneta, & Couarruuias aliter sentire videntur de eo, qui dedita opera in morbum incidit, vt morbo impeditus personaliter interesse non posset. Verùm hæc limitatio mihi non probatur, quia iura non respexerunt intentionem, sed ipsammet infirmitatem. [An autem in foro externo priuari possit distributionibus ob morbum dedita opera contractum, alia ratio est; concedo enim posse in pœnam delicti.]

8 An famulo ægrotanti salaria, aut alimenta debeantur.

8 Obiicies: Famulo ægrotanti salarium non debetur, *l. si vno. §. item cum. ff. locati*, in qua lege decernitur, locanti operas suas, mercedem non deberi pro tempore, quo morbo detentus, operas præstare non potuit. Ergo neque beneficiario morbo laboranti debentur distributiones.

Respondet Moneta *quæst. 6. num. 3.* famulo deberi salarium, *l. arboribus ff. de vsufructu.* consequenter etiam Canonico distributiones: sed quidquid sit de antecedenti, de quo magna est inter Doctores controuersia, vt patet ex dictis *de contractibus disputat. 3. q. 7. punct. 4. n. 13.* neganda est consequentia. Ratio nonnullorum Doctorum est, quia, licet famulo non debeatur salarium, debentur saltem alimenta, iuxta Couarr. *3. var. cap. 13. num. 8.* Syluestrum *ver. familia numer. 2.* Monetam *num. 6.* & alios. Ergo etiam Canonico debentur distributiones, quæ alimentorum, seu victualium nomine veniunt, & tamquam alimenta, seu in partem alimentorum conferuntur. Verùm, cùm hæc etiam ratio aliquam patiatur difficultatem, vt patet ex dictis *de contractibus loco citato*, alias rationes in medium afferre oportet.

Prima est Couarruuiæ, quam sibi displicere fatetur Moneta *nu. 5. ad finem*, mihi tamen placet, si benè explicetur, & intelligatur. Ratio autem hæc est, quia Ecclesia nõ ita permittit seuerè agi cum Clerico beneficiario infirmitate laborante, sicut cum famulo, propterea beneficiario non solùm vult Ecclesia distributiones cõferri ob actualem interessentiam, verùm etiam propter Officium interessendi, quod beneficiarius per ægritudinem adimplere non potest.

Secunda ratio est, quia infirmus fictione iuris tempore infirmitatis reputatur Choro assistere, assistenti autem verè, & realiter, aut fictione iuris ita permittentis distributiones quotidianæ tribuuntur.

Tertiò, quia hoc est priuilegium Canonicis tempore infirmitatis cõcessum, ne afflictio afflicto addatur, ne à seruitio Ecclesię terreantur, & ad beneficia Ecclesiastica dimittẽda excitentur, timentes fore, vt debitis subsidiis ægritudinis tempore destituantur. Huiusmodi autem priuilegium famulis non est concessum.

9 Absens ex ignauia non lucratur distributiones.

9 Ex dictis colligi potest, primò absentem ex ignauia, & negligentia non posse distributiones percipere, quia non dicitur abesse ob infirmitatem.

10 Infirmus, qui aliàs interesse non consueuit, non lucratur distributiones.

10 Secundò infirmum, qui aliàs interesse non consueuerat, non posse distributiones lucrari, quia non dicitur abesse ob infirmitatem, cùm morbus per accidens se habeat ad absentiam, nec dici possit causa cur non interfit; *in cap.* autem *vnico*, excipitur absens causa infirmitatis. Ita Decianus *tom. 2. consil. 69. n. 8. & 9.* Moneta *2. part. q. 5. nu. 21.* Couar. *3. var. cap. 13. num. 8.* Azor. *2. par. lib. 7. c. 7. quæst. 11.* vbi testatur de communi, Macignus *num. 56.* Rota Romana *in vna Hispalen.* coram Reuerendissimo D. meo Coccino *num. 7. 2. Maij 1603* contra P. Nauar. *lib. 2. de rest. cap. 2. dub. 3.* cuius rationes, & fundamenta retuli *in tract. de cens. disput. 2. q. 2. punct. 4. §. 2. n. 5.*

11 Nõnulli tamen sentiunt infirmum posse distributiones lucrari, etiã si aliàs consuetudinẽ haberet nõ interessendi.

11 Huius tamen Doctoris sententiam hac in parte amplectendam puto contra Macignum *nu. 57.* vt iste infirmus percipere possit distributiones pro tempore infirmitatis, mutata efficaciter voluntate proximè ante infirmitatem, vel in ipsa infirmitate efficaciter vellet interesse; tunc enim dicitur abesse ob infirmitatem, cùm per infirmitatem, tamquam ob causam stet, ne interfit, quamquam ipsi non facilè credetur in foro externo, cùm efficacem voluntatem difficulter probare possit, & contra ipsum sit præsumptio, casus enim superueniens interpretationem recipit secundùm statum præcedentem. *cap. maiores, de Baptismo, in fine.*

Dices, qui consuetudinem habebat interessendi, sed elicito proposito non interessendi in morbum incidit, recipiet distributiones.

Respondeo, si infirmus vi illius propositi re ipsa non interfuisset, non potest in conscientia distributiones recipere, qui non dicitur abesse ob infirmitatem; in foro verò externo percipit, quia præsumitur ob infirmitatem abfuisse. Ita Macignus *c. 71. num. 56.* quidquid in oppositum sentiat Petr. Nauar. *loco cit.*

12 Infirmo, qui aliàs interesse solebat, cõferendæ sunt distributiones pro ratâ tẽporis, quo interesse consueuerat.

12 Tertiò colligitur, infirmo, qui aliquoties interesse consueuerat, conferendas esse distributiones: habita ratio temporis, quo solebat interesse, & distributionum, quas sanus, & incolumis probabiliter lucratus fuisset; nam morbus hac in parte præsumitur causa absentiæ, quo ad illam distributionum partem, quam infirmus probabiliter lucratus fuisset. Ergo partem illam obtinere potest; nam, quæ ratio est totius ad totum, eadem est partis ad partem, *l. quæ de tota. ff. de rei vendic. & l. à Titio. ff. de verb. oblig.* & hac in parte sustineri potest sententia Petri Nauarri *loco citato*; quamuis ipse absolutè existimet infirmo, qui ante infirmitatem Choro assistere non solebat, omnes distributiones deberi pro tempore infirmitatis. Ratio ipsius est: tum quia animus internus non punitur: tum quia mutata voluntate poterat interesse: tum quia *in cap. vnico*, absolutè excipi videtur casus, infirmitatis: tum quia non est addenda afflictio afflicto.

Verùm hæ rationes non obstant: tum quia non punitur animus, sed externa omissio, siue absentia: tum quia licet mutata voluntate potuisset interesse; tamen non præsumitur fore, vt interfuisset: tum quia *in cap. vnico*, excipitur casus infirmitatis, dum infirmus abest causa infirmitatis: tum quia hic non additur afflictio afflicto; sed non

tollitur

tollitur afflictio, quam infirmus sua culpa contraxerat, & hinc patet responsio ad rationes Petri Nauar.

13 Laborãs graui podagra, aut simili morbo, excusatur ab assistentia in Choro, nec nõ lucrari potest distributiones.

13 Quartò colligi potest laborantem febri, aut podagra, aut simili morbo, ob quem pedibus subsistere, vel ad Ecclesiam accedere nequit, lucrari posse distributiones; quia dicitur abesse ob infirmitatem, quæ accessum ad Ecclesiam impedit, quamuis infirmitas propria culpa contracta sit. An verò qui vnius oculi lumen perdidit, vel orbatus est vtroque oculo, tanta corporis infirmitate laborare censeatur, vt munus suum obire non possit, vel ad Chorum accedere teneatur, constat ex supradictis de causis excusantibus à recitatione, *disp.1.q.6.punct.2.illat.4.* post secundam propositionem *n.12.& seq.*

Quintò colligi potest quid dicendum sit de sene, qui sine periculo grauis incommodi ad Chorum accedere nequit, fieri enim potest, vt senex sine graui valetudinis detrimento Choro interesse non possit; senectus enim ipsa est morbus. Ita Carolus Macignus *cap.71.num.51.* & alij. Quæ autem senectus grauis existimetur, & iustam absentiæ causam præbeat, iudicis arbitrio relinquẽdum est. Ita Menoch. Hoieda, Macignus, & alij *locis citatis*, & citandis *puncto sequenti*.

14 Ampliantur & limitantur quæ supra dicta sunt.

14 Quæ diximus in hoc puncto amplianda sunt, primò non solùm in veteri Collegiata, verum etiam in ea, quæ de recenti constructa, & erecta est, in qua nondum inualuit consuetudo conferendi distributiones absentibus; distributiones enim conferendæ sunt infirmo absenti, iure permittente, vt patet ex dictis in propositione. Ius autem vniuersale est, & semper loquitur, afficitque successores, vt perspicuè constat ex dictis *de censuris*, *& de legib.*

Amplia secundò, etiamsi infirmus extra Vrbem existat, sed nihilominus interesset, si morbo non detineretur, vt patet ex supradictis *vers.dixi etiam*, & ex secunda illatione.

Amplia tertiò, etiamsi infirmitas propria culpa contracta sit.

Limita primò, modò infirmitas grauis sit, & impediat accessum ad Chorum.

Limita secundò, modò aliàs interesse consueuerit; vt superiùs probatum est, & clarius constabit ex dicendis.

PVNCTVM II.

Vtrùm absenti ob corporis necessitatem distributiones quotidianæ conferri debeant.

VNICA PROPOSITIO.

1 Absens ob iustam, & rationabilem corporis necessitatem lucratur distributiones.

1 ABsens ex iusta, & rationabili corporis necessitate, lucrari potest distributiones, quamdiu necessitas durat; præcisa tamen consuetudine in contrarium. Hæc propositio euidens est, & certa, ex *cap. vnico, de Cler. non resid. in 6.* vbi postquam sancitum fuit absentibus distributiones denegandas esse, hęc verba subiungũtur; qui verò alicui de distributionibus ipsis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta, & rationabilis corporis necessitas, aut euidẽs Ecclesiæ vtilitas excusaret,) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, &c.

2 Hoc procedit quãdiu durat necessitas.

2 Dixi, *quamdiu necessitas durat*; nam sublata necessitate absens non dicitur amplius abesse ob iustam, & rationabilem corporis necessitatem; consequenter non potest ampliùs distributiones lucrari, quia sublata causa cessat effectus, *cap. cùm cessante. de appel.* & priuilegium amittitur cessante ipsius causa, vt docui *de priuilegiis disput.1.quæst.3. punct.8.§.2.* Ad hoc facere possunt quæ tradit Sfortius Oddus 1. *part. quæst.27.art.3.*

3 Limitatur modò non adsit positiua consuetudo in contrariũ.

3 Dixi, *præcisa consuetudine in contrarium*, quia inferiùs *quæst.5. punct.6.nu.21.* ostendam consuetudine induci posse, vt absens ex iusta causa, ob quam aliàs liceret capere distributiones, nequeat eas percipere; præcisa verò positiua consuetudine in contrarium, licet eas capere ex causis recensitis, etiamsi alioquin nondum inualuerit consuetudo eas capiendi, vt patet in Collegiata de nouo erecta, in qua nondum introducta est consuetudo distributionum, vt dictum est puncto antecedenti, & colligitur à simili ex dictis *de priuil. ad fin.*

4 Distributiones cõceduntur ei, qui de consilio Medici domi se continet, aut pharmacum sumit, aut sanguinem misit, aut qui oppido egreditur, vt salubriori aura vtatur.

4 Ex dictis sequitur primò eum, qui de consilio Medici domo non egreditur ob valetudinis periculum, posse distributiones capere, quia dicitur abesse ob iustam, & rationabilem corporis necessitatem. Idem dic de eo, qui domi se continet causa sumendæ medicinæ, qua corpus expurget, aut qui sanguine eo die minutus est. Ita Archidiaconus, & Francus *in cap. vnic. de Cler. non resid.* Azor. *2.part.lib.7.cap.7. quæsito* 10. Graffius *2.part.decis.lib.3.cap.15.num.10.* Probus, Anchar. & alij apud Monetam *2.part.quæst.6.n.8.* & alij apud Macignum *cap. 61.num.60.* Et hoc meo iudicio contra Monetam *quæst.5.num.23.* valet, etiamsi absit alia de causa, quæ illi magis cordi sit: nam hæc causa non tollit, quin etiam ob iustam, & rationabilem corporis infirmitatem abesse dicatur, cùm eiusdem effectus duæ causæ finales assignari aliquando possint: vt patet in eo, qui vouet peregrinationem ad limina Apostolorum ex duplici causa finali, nempè vt limina visitet, & vt amici conspectu fruatur; vt patet ex dictis *de contractibus, & de voto.*

Secundò distributiones concedendas esse Canonico, qui, postquam eum febris dereliquit, vrbe egreditur, vt salubriori cœlo perfruatur, & viribus roboretur; hic enim abesse dicitur ob rationabilem, & iustam corporis necessitatem, donec vires acquisierit, & rectè conualuerit.

5 Idem procedit in eo qui ob cantum defatigatus aliquantisper egreditur Choro.

5 Tertiò distributiones non esse denegandas ei, qui ob cantum nimium defatigatus aliquantisper se retrahit à Choro, vt spiritus assumat, seque, quantum fert necessitas, recreet. Ita innuit Nauar. *de Horis Can. cap.69. sub finem*, & in terminis tradit Moneta *part.2.quæst.5. num.50.* allegans Gloss. Innoc. & alios.

6 Idem militat in sene qui senectutis causa trãsferre se nequit ad Chorum.

6 Quartò ſeni, qui ita senio confectus est, vt diuinis Officiis commode interesse non possit, quibus alias interesse consueuerat, quotidianas distributiones deberi; quamuis enim hic metaphoricè solum, & non propriè, & strictè loquendo infirmus appelletur, nihilominus negandum non est, quin hic saltem ob iustam & rationabilem corporis necessitatem abesse dicatur, dum ita senio grauatus est, vt diuinis Officiis interesse non possit, quales frequenter esse solent senes septuagenarij; vtplurimum verò octuagenarij, qui ob decrescentes corporis vires tot ærumnis & doloribus premuntur, vt ipsorum vita dolorum plena iudicetur, iuxta illud Psal.89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus*, id est, robustioribus, *octuaginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.* Ita Hoieda *cap.17.n.17.* Menoch. *de arbitr.lib.2.cent.1. casu 60. num.10.* Moneta *quæst.7.* Azor. *loco citato, quæsito 12.* vbi hanc opinionem veriorem putat, modò aliàs consueuerit interesse. Quando autem septuagenarij, aliíve senio confecti censeantur legitimam habere absentiæ causam ob senectutem, iudicandum relinquitur iudicis arbitrio, vt benè Menochius, Hoieda, Moneta, & alij *locis citatis.*

7 Absens causa pestis lucratur distributiones, modo curã non habeat animarũ.

7 Quintò dandas esse distributiones Canonico absenti causa pestis, dum ea in illo oppido grassatur, vel graue periculum est, vt inualescat cum periculo vitæ commorantium eo loci. Ratio est, quia hic abesse dicitur ob rationabilem corporis necessitatem, quæ enim iustior, & rationabilior corporis necessitas censeri potest quam probabile periculum contrahendæ pestis, quæ acerrima contagio, & periculosissima labes, vtplurimum existimatur. Canonicus igitur, qui metu pestis contrahendæ recedit, aut absens non redit, paratus alioquin redire, sublato pestis periculo, lucrari potest distributiones. Ita Menoch. *de arbit.lib.2.casu 153.num.13.* Rutil. Benzon. *in Speculo Episcop.lib.1.disput.1.q.1.concl.3.* & alij apud Monetam *quæst.5.num.74.* & apud Macignum *cap.71.num.61.* contra eumdem Monetam ex parte *num.75.* & Couar. *3.var.cap.13.num.8.* existimantes Canonico causa pestis absenti, distributiones non deberi, nisi consuetudo sit, vt iusta de causa absentibus non denegentur. Secus dicendum arbitror de Canonico, qui curam animarum habet, cùm enim tunc temporis non agatur præcisè de propria ipsius corporis necessitate, sed potiùs de animarum sibi commissarum salute, pro qua curator animarum corpus suum ponere debet, iuxta illud Ioan.10. *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis*, non dicitur abesse ob iustam & rationabilem causam, consequenter recipere non potest fructus tempori absentiæ respondentes, vel etiam distributiones, saltem si Canonici præcipuum munus sit animabus præesse, secundarium Choro assistere.

Idem dic de Canonico, qui tẽpore pestis abest, dum graue, & valdè probabile periculum non imminet illius contrahendæ, hic enim non abest ob iustam, & rationabilem corporis necessitatem. Hoc pacto intelligendam puto sacræ Congregationis declarationem apud Garziam *3.part.cap.2. num.361.* in qua dicitur distributiones non deberi absentibus.

8 Absens ob grauem metum, ob bellum, ob iniustum Principis præceptũ, ob inimicitias, similesque causas, lucratur distributiones.

8 Sextò impertiendas esse distributiones illi, qui ob grauem metum iniustè incussum residere, vel diuinis interesse non potest. Nam hic dicitur abesse ob iustam, & rationabilem corporis necessitatem. Quis autem metus grauis censeatur, constat ex dictis *de matrim. per metum celebr.* & ex dictis *de contractibus, de censuris*, & *de voto*, ad quæ vos remitto.

Hinc patet eum, qui ob bellum tutè nequit in patria commorari, aut qui abest ob vitæ metum à Principe incussum, eò quòd ei conuiuere nolit circa rem, quam licitè permittere non potest, aut qui abest ob iniquum, & iniustum iudicis, vel Principis præceptum, timens fore, vt sibi graue damnum inferatur, nisi ob iniquum ipsius præceptum longè recedat, lucrari distributiones, vt benè Moneta *de distribut.q.5.num.69.* Sfortius Oddo in simili *de restitut. in integrum quæst.7.artic.9.* & alij apud Monetam *num.73.* & apud Card. Tuscum *tom.2.littera D. conclusio.514.num.7.& 9.*

Hæc tamen intellige solùm procedere quamdiu durat metus, seu periculum, nam sublata causa, cessat effectus. Ita Panorm. *in cap.1. quod met. causa*, Decianus *tom.2.consil.119.* & alij apud Monetam *nu. 79.* Idem dic de eo, qui ob graues inimicitias cum priuato, aut etiam cum potentiori homine abesse cogitur, modò per ipsum non stet, vt huiusmodi inimicitiæ tollantur, nam si per ipsum stet, ne tollantur, dum facilè, & sine graui ipsius dedecore, vel damno tolli possunt, non potest distributiones obtinere, quia non dicitur abesse ob rationabilem corporis necessitatem.

Ad hoc facit sacræ Congregationis declaratio, quam refert Garzias *de benef.3.part.cap.2.n.351. vers. Tertiò fallit*, in qua dicitur: *Si sunt veræ inimicitiæ, & sine culpa, ac post obtentum Canonicatum ortæ, possunt Canonici cum facultate in alio viciniori, ac tutiori loco manere, durantibus dumtaxat inimicitiis, dummodò non vltra annum: & si omnes fructus, Canonicatus in distributionibus consistant, eas Canonicus lucrabitur, deducta tamen tertia parte pro deseruientibus.* Vide Monetam *num.72.* Garziam *loco citato*, & Carolum Macignum *de horis Canonic.cap.71. num.63.*

9 Qui ob periculum pestis, vel alterius morbi repellitur ab vrbe, aut qui per vim detinetur, percipere potest distributiones.

9 Septimò, distributiones illi deberi, qui cùm velit ad Vrbem redire, & ad Chorum accedere, metu pestis, aut alterius morbi, quo ceteros infecturus timetur, tamquam morbo infectus repellitur, & abesse cogitur. Ita Moneta *quæst.6.n.11.* Sfortius Oddo in simili *de restitut. in integ.1.part.quæst.7.art.12.n.112. vers. circa secundum, pag. mihi 74.*

Octauò illi dandas esse distributiones, qui priuata vi detinetur, aut qui ab hostibus capitur, quamdiu scilicet apud hostes commoratur, nec per ipsum stat, quin redeat, vt in simili Sfortius Oddo *de restitut. in integrum 1.part.quæst.7.art.6.7.& 8.pag.mihi 71.* Moneta *num.55.* Azor. *2.part.lib.7.c.7.quæs.10.* Graff. *2.part.decis.c.15.n.10.* Nauar. *to.1. consil.11.n.4. de Cler. non resid.* Macignus *cap.71.n.66.* & alij communiter. Ratio patet ex dictis, quia ob corporis necessitatem aliquis abesse dicitur, tunc enim ob corporis necessitatem aliquis abest, inquit Azorius *loco cit.* cùm vi detinetur, aut alio modo impeditur, quominus ad Ecclesiam se conferat.

Idem valet in eo, qui ex iniusto superioris præcepto abesse cogitur, ex Couar. *3.variar.n.8.* & ex Rota Romana *in vna Calaguritana* coram Card. Platto *2.Iunij 1586.* quã citat, & sequitur Card. Tuscus *tom.2.*

tom.2.litt.D.conclus.514.n.9. vbi etiam *num.10.* cum eadem Rota ostendit, præfato absenti non obesse citationem, per quam comparere teneatur, nisi probetur ab eo, qui negat illum esse absentem ex causa necessaria, & legitima. Vide præfatam Rotæ decis. & Tuscum *in præcit. loco num.10.* cuius doctrina pro foro externo inseruit.

10 Iniustè pulsus in exiliū, &c. non priuatur distributionibus.

10 Idem procedit in eo, qui fuit iniustè pulsus in exilium, aut metu carceris iniustè à choro abesse coactus fuit, aut iniustè in carcerem coniectus, vel excommunicatus, suspensus, interdictus, vel degradatus fuit, vt patebit ex dicendis *in proximis* §§. in quibus hos casus maioris perspicuitatis gratia singillatim expendam, & explicabo. Sed antequam istorum explicationem aggrediar, aduertendum est, vt innui *num.8.* & *9.* eum, qui iniusto carcere detinetur, aut iniustè pulsus est in exilium, vel iniustè fuit excommunicatus, si commodè queat vitæ innocentiam probare, impedimenta auferre, & ad chorum accedere, non posse distributiones capere, quia potius ex propria negligentia, quàm ex corporali necessitate abesse censetur: nam qui tenetur ad chorum, tenetur etiam vti mediis, quæ commodè adhibere potest vt ad chorum accedat, & impedito, qui potest impedimentum remouere, currit tempus, *cap. super causa 2. quæst. 5.* Ita Nauarrus *cap.25.num.124.* quem citat, & sequitur Macignus *cap.71. numer.96.* & Petr. Nauar. *de restitut. lib.2.c.2. n.238.* idemque multis iuribus allatis, probat Moneta *de distribut.2.part.q.5. n.43.* & Sfortius Oddus *1.par.q.27.art.7.num.56.* vbi hanc conclusionem indubitatam vocat, & ad eam probandam sedecim Doctores allegat.

Nec est eadem ratio huius, & illius, qui negotium in euidentem Ecclesiæ vtilitatem tempore diuinorum facit, quod anticipatè facere potuisset, nam in illo casu attenditur ipsamet Ecclesiæ vtilitas, quam exercet absens tempore diuinorum, etiamsi illi anticipatè consulere potuisset. In hoc verò casu attenditur necessitas ipsius absentis, quæ non censetur iusta, & rationabilis, iuxta dispositionem *in cap. vnico*, cùm in potestate ipsius beneficiarij sit illam auferre, & in illa voluntariè permanere.

§. I.

Vtrùm Canonicus, qui fuit in carcerem coniectus, gaudere debeat distributionibus respondentibus tempori quo in carcere detinetur.

VNICA PROPOSITIO.

1 Detentus iniusto carcere lucratur distributiones.

1 QVi iustè in carcere detinetur ob crimen patratum & probatum, non gaudet distributionibus. Ratio est, quia sua culpa abesse dicitur. Qui verò in carcere detinetur ob criminis suspicionem, postquam per sententiam innocens iudicatus fuerit, poterit distributiones capere. Ratio est, tum quia per ipsum non stetit quin choro interesset, sed iniusto carcere impeditus fuit, ne ad Ecclesiam se conferret: tum quia per sacram Cardinalium Congregationem ita declaratum esse fatetur Naldus *verb. Distributiones nu.10.* & Garzias *de benef.3.par.c.2.n.362.* in hæc verba:

Quoad carceratum, Congregatio censuit, eum non priuari distributionibus, vsque ad primam sententiam, quòd si condemnatus appellet, interim non percipiet, sed si in secunda instantia obtinuerit, omnia recuperabit, sub die 27. Iulij 1570. Tum quia absens à seruitio suæ Ecclesiæ ob litem, quam capitulum contra ipsum iniustè prosequitur, percipere potest distributiones, vt ex Rotæ decis. tradit Farinac. *tom.2.parte 1.decis.608.num.7.* & Naldus *loco cit.num.10.* Ergo etiam percipere potest, qui iniusto carcere detinetur. Ita Felinus *cap. cùm omnes. de constit.* Couar. *3.var.c.13.n.8.* Macignus *ca.71.num.66.* Garzias, Moneta, & alij communiter.

2 Amplia tur primo, etiamsi iudex illum iustè capi præceperit.

2 Amplia primò, etiamsi iudex illum iustè capi præceperit, & iustam habuerit causam illum detinendi, aut etiam torquendi ob sufficientia criminis indicia, adhuc enim verum est Canonicum abesse ob iniustam in carcere detentionem. Ita Doctores statim citandi, & iam citati.

3 Amplia tur secundo, etiamsi prima sententia condemnatoria contra ipsum lata fuerit.

3 Amplia secundò, etiamsi prima sententia condemnatoria contra ipsum lata fuerit, sed postea interposita appellatione, reuocata, & per sententiam absolutus fuerit. Nam appellatio suspendit iudicatum quoad futurum, & quoad præsens extinguit, *c. sæpè de appellat. & c. si à iudice eodem titulo.* Ita Baldus *in l. tale pactum, §. qui procurauit. ff. de pactis*, quem sequitur Quaranta *loco* statim *citando.* Moneta *q.17. numer.35.* & alij Doctores statim citandi.

4 Limitatur tamen, modò antea interesse consueuerit, nec propria culpa in carcerē coniectus sit.

4 Limita primò, modò diuinis antea interesse consueuerit, nam si diuinis antea interesse non consueuerat, non præsumitur distributionum iacturam fecisse ob iniustam in carcere detentionem, vt in simili dictum est de absente causa infirmitatis, sed potiùs ob suā culpam.

Limita secundò, modò ob propriam culpam non fuerit in carcerem coniectus, etiamsi postea falsis testibus crimen purgauerit, & in sui fauorem sententiam obtinuerit: tunc enim suo delicto causam absentiæ dedit, & sua culpa abesse videtur, quamquam si iudex absque sufficientibus indiciis capi præcepit, aut sine debitis probationibus condemnauit, ad restitutionem damnorum tenetur, iuxta dicta *de restitutione, & in octauo Decalogi præcepto.*

Hinc igitur constat, Canonicum, qui re ipsa non deliquit, & aliàs choro interesse consueuerat, posse, postquam per sententiam iustè absolutus fuit, distributiones percipere pro tempore, quo in vinculis detentus fuit, etiamsi ex parte iudicis iustè detentus fuerit, & contra ipsum prima sententia lata. Ita Nauar. *consil.10. & 11. de Cleric. non resid.* Garzias *loco citato*, Gonzalez ad *regul.8.gloss.5.§.9. numer.15.* vbi Rotæ decisionem allegat, Auila, Petr. Nauarrus, Emanuel Sà, & alij, quos retuli *de censuris, disp.2.q.2.punct.4.§.2.numer.5.* Moneta *de distrib.2.par.q.5.n.80.* Couarruuias *3.var.c.13.nu.8.verf. vndecimo, ex his.* [Alterius *de censuris lib.2.disp.6.cap.9. sub finem. verf. confirmatur.* Paulus Layman *lib.4.tract.1.c.7.n.2.*] Monaldus *consil.27.n.6.* Philippus Probus, Geminianus, & alij quos citat, & sequitur Quaranta *verb. Distributiones quotidianæ, versic. de Canonico.*

Addo cum Nauarro, Quaranta, & aliis, huiusmodi Canonico, qui fuit absolutus, & innocens declaratus, non solùm deberi distributiones quotidianas, verùm etiam fructus, qui certis temporibus diuiduntur solùm inter eos, qui diuinis interfunt.

5 Canonico iniustè detento in carcere nō debentur anniuersaria, seu funerales portiones, quamquā actionem habeat cōtra iniustū accusatorē.

5 Addit Quaranta huic Canonico reddenda etiam esse mortuaria, seu funerales portiones, quæ manualiter diuiduntur inter interessentes Officio funeris, nam veniunt nomine quotidianarum distributionum, & ipsarum priuilegio gaudent, *cap. consuetudinem, ad finem.*

Ob id etiam, si capitulum ad funus inuitaretur, licet Canonici, qui funeri non interfunt, cereos non reciperent, non obstante in contrarium consuetudine, hic tamen reciperet, inquit Quaranta.

Ego verò contrarium verius puto cum Naldo *verb. Distributio. numero* 8. & aliis. Ratio est, tum quia huiusmodi funerales portiones non simpliciter veniunt nomine distributionum, de quibus sermo est *in cap. vnico, de Cleric. non resid.* Tum quia ex sacra Cardinalium Congregatione, teste Naldo *verb. Distributiones quotidianæ*, nullo casu percipiuntur à non interessentibus, quoad portionem anniuersariis applicatam: tum quia ex mente fundatorum conferri solùm debent interessentibus, & actualiter inseruientibus: tum quia non solent conferri infirmis; ergo neque in carcere detentis. Vide dicenda *punct.4.num.3.*

Negandum tamen non est, quin huiusmodi Canonicus actionem habeat contra accusatorem ad petendum interesse lucri cessantis, & damni emergentis, cùm iniustè damnificatus actionem habeat contra damnificatorem.

Ad *cap. consuetudinem*, respondetur potest primò aliter receptum esse in mortuariis, & anniuersariis.

Secundò huiusmodi portiones funerales gaudere priuilegio distributionum, quia non debent conferri, nisi interessentibus ad ratam interessentiæ, non verò quia tribui debeant absentibus ob infirmitatem, vel ob corporalem necessitatem.

6 Qui ob iniustam accusationem Romam se contulit, ibique probata innocētia vitæ per sententiā absolutus fuit, distributionibus gaudere potest.

6 Ex his patet quid dicendum sit de beneficiario, qui iniustè accusatus, & in primo iudicio condemnatus, interposita appellatione Romam se contulit, ibique causam in sui fauorem iustè decidi curauit, & titulo innocentiæ à crimine, quod ei obiectum iniquè fuerat, absolutus fuit.

§ II.

Vtrùm Canonicus iustè, vel iniustè excommunicatus lucretur distributiones.

PRius loquar de iustè, tum de iniustè excommunicato.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Iuste excommunicatus priuatur distributionibus, etiā si petat absolutionē, & iustè denegetur: secus si iniustè denegetur.

1 IVstè excommunicatus priuatur distributionibus, quamdiu Diuinis Officiis cum aliis non assistit. Ratio est, quia non dicitur abesse ex iusta, & rationabili causa, sed ob delictum, in cuius pœnam excommunicatus est, & à diuinis remotus, licet contrarium ostendere conetur Macignus *numer.69. cap.71.* Et hoc verum est, etiamsi absolutionem petat, & denegetur: denegatio enim absolutionis non tollit effectum excommunicationis. Ita Gonzalez ad *regulam 8. gloss.5. §.9.n.123. verf. In casu*, & alij Doctores statim citandi.

Secus dici potest, si absolutio iniustè denegetur, vt probaui *de censuris, loco* statim *citando n.7.* cum Suarez, & aliis, contra [Layman *lib.4.tract.2.num.2.c.7.*] Vgolinum, Sayrum, Henriquez, & alios, quibus adde Garziam *de benef.7.part.cap.13.num.123. & seqq.* vbi refert Gutierez, Burgasium, Vegam, & alios. [An verò excommunicatus priuetur distributionibus, si Diuinis Officiis assistat, constabit ex duabus limitationibus ad clariorem istius propositionis intelligentiam proximè adducendis.]

2 Hoc tamen intelligitur primo, modo sit excommunicatus excommunicatione maiori. Secundò modo sit excommunicatus vitandus.

2 Hæc propositio intelligenda est primò de excommunicato excommunicatione tuaiori, non verò minori, ex nullo enim iure colligitur excommunicatum minori excommunicatione priuari distributionibus, [si diuinis interfit, vel abfit ex causa non priuante absentem distributionibus, nam excommunicatus minori excommunicatione diuinis interesse potest, consequenter est capax distributionum:] vt satis colligitur ex dictis *de censuris disput.2.quæst.3.num. 6. & seqq.* contra Vgolinum *tab.3.cap.12.num.1.* Monetam *quæst.15. numer.19.* & alios.

Secundò intelligenda est de excommunicato vitando, non verò de excommunicato tolerato, qui Diuinis Officiis cum aliis interest, suoque munere fungitur; hic enim recipere potest distributiones, vt cum Petro Nauarro, Vasquez, Auila, & aliis docui *de censuris disp. 2.quæst.2.punct.4.§.2.num.2.* contra Monetam 2. *parte quæst.15.* Suarez, Vgolinum, & alios, asserentes hunc non solùm distributionibus carere, verùm etiam fructibus ipso facto priuari. Sed ratio nostra est, tum quia beneficium datur propter Officium: hic autem Officium suum præstat, & licet quoad Deum non ritè præstet, nihilominus, quoad Ecclesiam facit, quod ab ipsa præcipitur: tum quia sicut possessor malæ fidei mercedem sui laboris, in vtilitatem rei impensæ accipit; vt benè in simili tradit Sanchez *lib.3. de matrimonio disputat. 51. num.12. verf. Tandem probatur*; ita etiam excommunicatus toleratus percipere potest distributiones respondentes Diuinis Officiis, quibus interfuit. Cùm enim toleretur ab Ecclesia ipsius ministerium, vt pendet à meritis Ecclesiæ, ita est Ecclesiæ vtile, ac si exhiberetur à ministro non excommunicato. Ita Sanchez *loco citato*, Vasquez, Petrus Nauarrus, & alij, quos retuli *de censuris loco citato*, contra Monetam, Vgolinum, & alios.

Obicies cum Moneta *loco citat. num.15.* paria sunt non fieri, & non ritè fieri, *cap. veniens. de presbyt. non baptiz.* sed excommunicatus non recitaret, seu ac licitè & deuotè non recitet; ergo idem est, ac si non ritè facit, cùm si non adesset. Ergo non potest distributiones percipere, cùm absenti distributiones denegentur.

Respondeo quoad Deum paria esse non fieri, & non ritè fieri, non verò quoad Ecclesiam, & quoad distributiones, alioquin sequetur

uetur quemlibet cum aliqua culpa recitantem Diuinum Officium priuati distributionibus, cum non dicatur diuinum officium ritè recitare.

Secus dicendum est de excommunicato vitando, hic enim non satisfacit, nec quoad Deum, nec quoad Ecclesiam, cùm ab ea non toleretur, vt dictum est *de censuris loco citato.*

3 (Excommunicatus absens à Choro aliquibus diebus, potest tempus absentiæ computare intra bimestre, quo impunè à choro abesse potest)

[3 Vtrùm Canonicus, qui in excommunicationem incidit ob publicam clerici percussionem, ob quam à loci ordinario coactus fuit aliquibus diebus intra domesticas ædes se continere, & à choro abesse, possit huiusmodi absentiam computare intra spatium duorum mensium, quibus à Sede Apostolica indultum est, vt canonici illius Ecclesiæ singulis annis per bimestre sine iactura distributionum abesse valeant.

Ratio dubitandi contra præfatum canonicum est. Primò, quia *in cap. pastoralis. §. vtrùm de appellat.* excommunicatus ipso facto priuatur omnibus beneficiorum prouentibus; ergo etiam priuatur distributionibus, quæ prouentuum nomine veniunt.

Secundò, quia priuilegium canonicis cõcessum, vt per duos menses abesse valeant sine distributionum iactura, odiosum est, vtpotè iuri communi contrarium, *in c. vnico, de Cleric. non resident.* ergo strictè explicandum est; consequenter extensionem non admittit ad tempus excommunicationis.

Tertiò, quia Canonicus absens à choro non potest illas percipere distributiones, quas non perciperet assistens, sed excommunicatus vitandus assistens choro non percipit distributiones, vt concedunt communiter DD. ergo nec illas percipit absens causa excommunicationis.

His non obstantibus, censeo Canonicum excommunicatum posse integras distributiones percipere, modò obtenta excommunicationis absolutione, choro per decem anni menses intersit, & muneri suo integrè satisfaciat, iuxta præscriptum priuilegij Apostolici tenorem. Ratio est, tum quia nullo iure sufficienter probatur ipsum carere distributionibus respondentibus tempori excommunicationis, cùm ei liberum esset tũc temporis impunè abesse à choro, etiam præcisè excommunicationis causa, vt suppono: tum quia pœna priuationis distributionum non incurritur nisi ob absentiam à choro vltra limites priuilegij Apostolici; hic autem non abest vltra limites priuilegij Apostolici, concedentis integras distributiones ei, qui canonicas recitat preces in choro decem mensium spatio; tum quia canonicus aliquibus diebus in carcere ob patrata crimina detentus integras distributiones capere potest, modò intra annum decem mensibus choro assistat. Ergo etiam excommunicatus integras capiet distributiones, modò tantumdem choro inseruiat, sublato excommunicationis vinculo; par enim ratio in vtroque casu militare videtur, quoad perceptionem distributionum, cùm istæ canonico decem mensibus inseruienti conferantur, non habita ratione bimestris absentiæ, quauis ex causa contingat.

Ad primam dubitandi rationem respondeo, distributiones non subtrahi ipso facto ob censuram excommunicationis, nisi iudicis auctoritas accedat, vt docui de censuris cum Ægidio Conincho, & aliis. Præterea etiamsi daremus excommunicationem inducere ipso facto priuationem distributionum, nihilominus excommunicatus non tenetur hanc pœnam sponte subire ante iudicis sententiam, nam pœna quæ actionem hominis requirit ad sui executionem, subeunda non est ante iudicis sententiam, vt cum communi DD. sententia docui *in tractatu de legibus.*

Ad secundam respondeo præfatum priuilegium non extendi, sed restringi iuxta verborum proprietatem ad bimestrem tantùm absentiam, quam priuilegium Apostolicum indulget, non explicata absentiæ causa.

Ad tertiam respondeo Canonicum non percipere distributiones propter absentiam, sed ob actualem, & personalem decem mensium assistentiam; hanc autem præstare potest etiam is, qui aliquo tempore abfuit titulo excommunicationis, aut alia de causa.

Hinc patet quid dicendum sit de Canonico, qui aliquibus diebus, vel mensibus choro non interfuit ob detentionem in carcere, aut alia de causa; hic enim computare potest tempus huiusmodi absentiæ intra spatium, quo à Choro impunè abesse permittitur.]

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Inualidè excommunicatus nõ amittit distributiones, imo subtractas recuperat, postquam constitit de iniustitia.

4 [Iniustè, seu inualidè excommunicatus, qui antea Diuinis Officiis interesse consueuerat, non amittit distributiones, imò subtractas recuperat, postquam de nullitate, seu iniustitia excommunicationis constiterit. Ratio est, tum quia dicitur abesse ab rationabilem necessitatem: cùm periculum sit, vt excommunicatus grauioribus pœnis interessendo afficiatur: tum quia per ipsum non stat, ne intersit, cùm paratus sit interesse, & absolutionem petere, si opus sit. Consequenter iacturam distributionum pati non debet, *reg. cùm non stat, de regul. iur. in 6.* Tum quia priuatio distributionum est pœna, pœna autem non debetur ei, qui non deliquit, *cap. sicut dignum, de homicid.* Idem à fortiori dicendum est de fructibus. Suarez *tom. 5. de censuris disp. 13. sect. 2. num. 20.* Henriquez *lib. 13. cap. 13. num. 4.* Sayrus *de censuris lib. 2. cap. 5. numer. 25. & 27.* vbi refert Panormitanum, Nauarrum, Felinum, & alios. Rodriquez *1. part. cap. 29.* Macignus *ca. 71. num. 67. & sequentibus.* Garzias *7. parte cap. 13. numer. 116. & sequenti.* [Paulus Layman *lib. 4. tract. 2. c. 7. num. 2.*] & alij communiter. Ad hoc facere possunt quæ tradit Sfortius Oddus *1. parte quæst. 7. art. 2.*

In propositione dixi, *postquam de nullitate, seu iniustitia constiterit.* Nam quamdiu non constat de iniustitia, & nullitate censuræ, non gaudet fructibus, vel distributionibus, quia præsumptio stat contra huiusmodi excommunicatum. Quamdiu tamen lis est de iustitia, vel iniustitia, fructus, & distributiones apud aliquem deponi, & seruari debent, vt, postquam iniustitia comperta fuerit, domino facilius reddi queant.

5 Distributiones ob iniustam excommunicationẽ amissæ, repeti debẽt ab ipsis canonicis, quibus applicatæ fuerunt, & in ipsorum defectum a iudice.

5 Si quæras à quo repeti debeant fructus, vel distributiones, quas quis ob iniustam excommunicationem amisit.

Respondeo cum Felino *cap. Apostolica 12. de except.* & aliis, quos citat, & sequitur Moneta *quæst. 15. num. 32. & 44.* Gutierez *lib. 1. Canonic. quæstionum cap. 1. num. 136.* [Alterius *de censuris lib. 2. disp. 6. cap. 9. col. 12. & 13. vers. hanc opinionem.*] Garzias *de benefic. 7. parte cap. 13. numer. 120.* contra Vgolin. *de censur tab. 2. ca. 12. num. 4.* Sayrum, & Suarez *locis citatis*, repeti ab ipsismet canonicis, quibus applicatæ fuerunt: tum quia ipsis non fuerunt irreuocabiliter applicatæ: tum quia habens rem alienam extantem in se formaliter, vel æquialenter, seu in effectu, tenetur primo loco ad restitutionem, vt cum Salonio, Couarruuia, Petro Nauarro, Molina, Vasquez, & aliis docui *de contractibus disp. 1. q. 8. punct. 1. n. 2.*

In defectu verò Canonicorum datur actio contra iudicem iniustè excommunicantem, tam pro distributionibus, quàm pro interesse damnorum, & expensarum: nam qui causam damni dat, damnum dedisse censetur, consequenter ad damni restitutionem obligatur, *cap. vlt. de iniur.*

6 In foro tamen conscientiæ, si iudex bona fide, & seruato iuris ordine censuram tulit, non tenetur ad restitutionem, cùm non appareat ex qua radice teneatur. Idem dic de aliis canonicis, quibus distributiones applicatæ fuerunt, easque bona fide consumpserunt, nec in re aliqua facti sunt locupletiores, vt patet ex regulis generalibus, quas tradidi *de restitut. disp. 1. quæst. 2. punct. 1. n. 5.* cum S. Thoma, Caietano, Arragonio, Molina, Lessio, Valentia, Rodriquez, & aliis.

6 Aliter tamen sentiendum est in foro conscientiæ, si iudex bona fide excommunicauit, aut si Canonici bona fide consumpserũt, nec in vlla re locupletiores effecti sunt.

§. III.

Vtrùm Canonicus iniustè, vel iustè suspensus priuetur distributionibus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Iniustè suspensus distributiones percipere potest.

1 INiustè suspensus distributiones percipere potest, siue sit suspensus ab Officio, siue à beneficio, siue etiam à fructibus, si fortè ob huiusmodi suspensionem à choro abesse cogatur. Ratio est, tum quia huiusmodi suspensio non importat amissionem distributionum, vt constat ex dictis *de suspensione disputat. 3. de censuris quæst. 6. punct. 2. numero 10. vsque ad 18.* Tum quia quasi per vim iniustè impeditur ne intersit: tum quia vbi non est culpa, par est vt neque sit pœna. Ita Felinus, Sayrus, quos retuli *de censuris loco citato, numero 17.* Nauarrus *tom. 1. consil. 11. de Cleric. non resident.* Panormitanus, Vgolinus, & alij apud Monetam *2. parte quæst. 15. numero 42.* & apud Garziam *loco citato.*

Addo hoc procedere, etiamsi suspensus sit à distributionibus, seu à diuinis, cùm enim huiusmodi censura sit iniusta, vt supponitur, & consequenter inualida, nullum effectum operari debet in foro conscientiæ, imò neque in externo, postquam de iniustitia censuræ constiterit, vt dictum est de iniustè excommunicato *in §. præcedenti.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Iustè suspensus ab Officio nõ priuatur distributionibus, nisi forte aliquæ functiones debeantur ratione alicuius functionis ex officio debitæ, quam ob suspensionem exercere nequeat.

2 IVstè suspensus ab officio non priuatur distributionibus, secus si suspensus sit à beneficio, vel à Diuinis Officiis. In hac propositione magna est inter Doctores controuersia. Nam Vgolinus *tabul. 4. cap. 6. §. 3. num. vnico in fine.* Nauarrus *de cleric. non resid. consil. 11.* Moneta *2. parte de distribut. q. 15. n. 37.* Hostiensis, Burgarius, & alij apud Sanchez *de matrimon. lib. 3. disp. 51. num. 9. vers. Alia verò pars,* & apud Carolum Macignum *n. 92.* putant suspensum ab officio, vel à beneficio priuari distributionibus.

Ego verò cum Suarez *tom. 5. de censur. disput. 26. sect. 3.* Garzia *de benefic. parte 7. cap. 14. n. 58.* Sayro, & aliis, quos retuli *de censur. loco citat.* omissis iis, quos magno *numero* refert Garzias *loco citat.* arbitror primò suspensum ab Officio non priuari fructibus, vel distributionibus, vt colligitur ex iis, quæ tradidi *de censuris loco cit.* Nam suspensus ab officio non prohibetur, quin diuinis interesse possit, & consequenter quin distributiones percipiat, nisi fortè aliquæ distributiones conferantur ratione officij: tunc enim officium exercere nequit, consequenter distributiones, quæ ratione officij conferuntur, percipere non potest; sicut suspensus ab Ordine non lucratur distributiones, quæ conferuntur ratione functionis Ordinis, qui beneficio annexus est, nam sublato antecedenti, & principali, consequens etiam, & accessorium tollatur necesse est, vt bene Couarruuias *epit. de sponsa. & matrimon. 2. parte cap. 6. §. 8. num. 7.* Felinus *cap. Inquisitionis, de accusationibus,* & in simili Moneta *quæst. 17. num. 39.*

3 Iustè suspensus à beneficio priuatur distributionibus.

3 Secundò contra Macignum *nu. 83. & seqq.* arbitror suspensum à beneficio priuari fructibus, & distributionibus, quæ beneficiatiis intuitu beneficij conferuntur, vt sunt distributiones quotidianæ, quæ conferuntur Canonicis choro interessentibus: nam suspensio à beneficio, importat priuationem omnium emolumentorum, & redituum, qui intuitu beneficij percipiuntur; secus dicendum est de distributionibus, seu eleemosynis, quæ ob mortuaria, seu anniuersaria, & his similia conferuntur. Ratio est, quia hæc non conferuntur intuitu beneficij, sed personalis ministerij: suspensus autem à beneficio non repellitur ab exercitio rerum spiritualium, vel à Diuinis Officiis, cõsequenter neque priuatur distributionibus, quæ alicui competunt alio titulo, quam beneficij, quæque distributiones quotidianæ propriè non vocantur. Ita Sayrus *de censur. lib. 4. cap. 6. nu. 11.* cum Felino, & aliis, contra Monetam ex parte *loco citat. num. 38.* & alios.

4 Suspensus a diuinis priuatur distributionibus nisi forte sit tolleratus, & assistat.

4 Tertiò arbitror suspensum à Diuinis Officiis, censeri etiam suspensum à distributionibus: nam suspensus à Diuinis Officiis non potest ex officio, & tamquam minister Ecclesiæ, sed solum tamquam laicus persoluere Diuina Officia, consequenter non potest distributiones percipere, cùm hæ conferantur persoluentibus Diuinum officium ex officio, & tamquam ministris Ecclesiæ, non tamquam laicis. Ita Nauarrus & Moneta *locis citatis*, Carolus Macignus *cap. 71. numer. 81.* contra Aulam, & Henriquez quos retuli *de censuris loco citato num. 16.*

Hoc tamen limitari posse arbitror, modò suspensus à diuinis non

sit

sit vitandus, sed toleratus; cùm enim toleretur ab Ecclesia, Officia, quæ ab ipso persoluuntur, valorem habent ex meritis Ecclesiæ, vt in simili dictum est de excommunicato cum Pet. Nauar. & aliis contra Monetam *loco supra cit. num. 39. & numer. 25.* quamquam nobiscum sentire videtur *num. 22. & 51.* vbi loquens de excommunicato, & interdicto, existimat requiri sententiam, qua declaretur excommunicatus, vel interdictus.

§. IV.

Vtrùm iustè, vel iniustè interdictus priuetur distributionibus.

VNICA PROPOSITIO.

1 Iniuste interdictus non priuatur distributionibus.

1 INiustè interdictus à Diuinis Officiis, non priuatur distributionibus, vt patet ex dictis de iniustè suspenso, vel excommunicato *in præcedentibus §§.*

2 Iustè interdictus priuatur distributionibus.

2 Iustè verò interdictus priuatur distributionibus, quatenus hæ conferuntur iis, qui diuinis intersunt. Ratio est, quia interdictus priuatur Diuinis Officiis: distributiones autem conferuntur interessentibus Diuinis Officiis.

3 Hoc valet non solum in interdicto simpliciter, seu a diuinis, verũ etiam in interdicto ab ingressu Ecclesiæ.

3 Idem dic de interdicto ab ingressu Ecclesiæ, quia hic non potest Diuina Officia in Ecclesia formaliter audire, aut illis formaliter interesse, vt patet ex dictis *de censuris disp. 5. punct. 4. num. 11.* cum Suarez, Couarruuia, & aliis. Cùm autem nomine Diuinorum Officiorum veniant Missæ, & Horæ Canonicæ, vt ex *cap. dolentes, de celebr. Missar.* optimè tradit Nauar. *in Man. cap. 27. numer. 172.* Moneta *loco cit. num. 49.* & alij, sequitur interdictum ab ingressu Ecclesiæ priuari distributionibus, quæ conferuntur interessentibus Missæ, & Horis canonicis.

4 Limitatur in interdicto vitando, & in eo, qui diuina audit in Ecclesia consecrata, vel benedicta, & Episcopi auctoritate erecta.

4 Hoc tamen intelligitur primò, modò sit interdictus vitandus, id est, modò denuntiatus sit interdictus, vt in simili dictum est de suspenso, & excommunicato: nam toleratus assistendo diuinis percipit distributiones, vt dictum est *de suspenso,* [*& de excommunicato.*]

Secundò intelligitur, modò huiusmodi interdictus ab ingressu Ecclesiæ audiat diuina in Ecclesia consecrata, vel benedicta, & Episcopi auctoritate erecta, hæc enim communi vocabulo Ecclesia nuncupatur. Secus si celebret in Oratorio priuato, alioue loco, cui nomen Ecclesiæ non conueniat, vt patet ex dictis *de censuris loc. cit.* cum Suarez, Vgolino, Auila, Nauarro, Couarruuia, Sanchez, Sayro, & aliis; interdictus enim ab ingressu Ecclesiæ non censetur interdictus ab ingressu Oratorij priuati, & consequenter à Missa ibi celebranda, & consequenter à distributionibus, si quæ conferuntur Diuina officia in eo loco facientibus.

Ex dictis colligitur Canonicum iustè interdictum à diuinis, vel ab ingressu Ecclesiæ, non posse distributiones percipere. Idem valet si capitulum ipsum interdicatur à diuinis, vel ab ingressu Ecclesiæ, nam singuli canonici censentur specialiter interdicti, vt patet ex dictis *de censuris.* Capitulum enim nihil aliud est, quam singuli canonici, capitulum constituentes.

5 Canonici non priuãtur distributionibus, dum non celebrant Officia, eo quod interdicta sit Ecclesia interdicto speciali, secus si interdicta sit interdicto generali.

5 Sed modò dubium est, vtrùm canonici priuentur distributionibus, non solùm dum ipsi sunt specialiter interdicti, verùm etiam quando Ecclesia ipsa est interdicta.

Respondeo distinguendo, vel locus est interdictus interdicto generali, vel speciali. Si interdictus est interdicto speciali, Canonici non priuantur distributionibus, quia per ipsos non stat ne diuinis intersint, cùm in ea Ecclesia celebrare nequeant; quod enim culpa caret, in damnum vocari non debet. *cap. 2. de constit.*

6 Quænam licite fiant in Ecclesia tempore interdicti generalis.

6 Si verò locus interdictus est interdicto generali, Canonici priuantur distributionibus, nisi Diuinis Officiis intersint: nam tempore interdicti localis generalis persoluuntur Diuina Officia, seruata solemnitate præscripta *in cap. Alma mater. de sentent. excommu. in 6.* in quo datur facultas celebrandi singulis diebus Diuina Officia in iisdem Ecclesiis, sicut antea, submissa tamen voce, ianuis clausis, sed excluſis excommunicatis, & interdictis, & campanis non pulsatis, & hoc à fortiori militat in festiuitatibus Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, & Assumptionis Beatissimæ Mariæ Virginis, in quibus Diuina Officia licitè celebrantur alta voce, ianuis apertis, pulsatis campanis, admissis etiam interdictis, modò ipsi causam interdicto non dederint. Nam illi, ob quorum culpam latum est interdictum, non permittuntur proximè accedere ad Altare, consequenter excluduntur à choro, seu à Diuinis Officiis, sicut etiam excluduntur omnes excommunicati, *cap. Alma mater, citato.* Ita Henriquez *lib. 13. cap. 47.* Couarruuias *ca. Alma mater.* Moneta *quæst. 16.* Macignus *cap. 71. numero 137. vers. 14.* Sayrus, Suarez, Auila, & alij, quos retuli *de interdicto,* vbi cùm hæc fusiùs explicauerim, non immoror in his iterum tradendis, sed sufficit ea breuiter hic solùm percensere, quæ ad præsentem de distributionibus materiam spectãt.

§. V.

Vtrùm Canonici tempore cessationis distributiones percipere possint.

VNICA PROPOSITIO.

1 Canonici, qui tẽpore cessationis à diuinis nequeunt Diuina Officia recitare, non percipiunt distributiones. Hæc propositio non caret difficultate.

2 Ratio enim dubitandi [ad ostendendum illas percipere] est, tum quia possunt illas percipere tempore interdicti, vt supra dictum est, aut dum polluta est Ecclesia, vt patebit ex §. *proximè sequenti*; tum quia per ipsos non stat. Ergo etiam possunt eas percipere tempore cessationis.

His non obstantibus censeo Canonicos tempore cessationis non percipere distributiones, vt dictum est in propositione. Ratio est, tum quia illi distributiones percipiunt, qui diuinis intersunt. Canonici autem non intersunt diuinis tempore cessationis, cùm non liceat Officia celebrare tempore cessationis particularis, aut etiam generalis, vt dictum est *de censuris disp. 6. punct. 3.* Tum quia sic decernitur à Gregorio X. *in cap. si Canonici. §. sciturí, de Offic. ordin. in 6.* Ita Couarruuias *cap. Alma mater. citato, §. 4. num. 7.* Moneta *quæst. 16. num. 36.* Suarez, Sayrus, Henriquez, Coninchus, & alij, quos retuli *de censuris loco citato.*

2 Rationes dubitandi excluduntur.

3 Verum tamen est huiusmodi Canonicos, qui ex causa legitima & Canonica cessauerunt, actionem habere contra eum, qui monitus causam cessationis dedit. Ratio est, tum quia datur actio contra iniustum damnificatorem: tum quia sic disponitur *in cap. si Canonici, citato,* in quo habetur; *Si Canonici, causa non expressa in patentibus litteris, vel instrumento publico, aut assignatione illius, illarumue, non facta ei, contra quem cessatur, similiter si causa, quam expresserint, non fuerit inuenta Canonica, omnia, quæ de quibuscumque prouentibus illius Ecclesiæ, in qua cessatum fuerit, cessationis tempore perceperint, restituant; illa verò, quæ pro eodem tempore eisdem debentur, nullo modo percipiant, sed Ecclesiæ ipsi cedere, ac nihilominus ei, contra quem cessauerant, de damnis, & iniurijs satisfacere teneantur. Si autem causa cessationis, Canonica fuerit iudicata* (videlicet à Summo Pontifice, qui adiri debet tempore cessationis. vt bene obseruant *gloss. ibidem,* & alij quos retuli *de censuris*) *is qui occasionem cessationi dederat, ad omne interesse dictis Canonicis, & Ecclesiæ, cuius debitum Officium eius est, culpa subtractum, ad certam quantitatem taxandam, & in diuini cultus augmentum conuertendam, superioris arbitrio condemnetur.* Hæc ibi. Illud autem interesse, ad quod tenetur, qui causam cessationi dedit, non sunt reditus, & fructus beneficij, cùm Canonici eos tempore cessationis non amittant. Ergo sunt distributiones. Ergo Canonici, qui iusta de causa cessarunt, actionem habent ad repetendas distributiones contra eum, cuius culpa à Diuinis Officiis cessatum est. Ita Couarruuias, & Moneta *locis citatis,* Sylvester, Henriquez, Coninchus, Suarez, Sayrus, & Auila, quos retuli *de censuris loco citato puncto 3. numero 11.*

3 Præfati Canonici, qui ex legitima causa cessauerunt, actionem habent contra eũ, cuius culpa post admonitionẽ latum est interdictũ.

4 Ad rationes dubitandi respondeo, Canonicos recipere distributiones tempore interdicti generalis, quia licitum est eo tempore Diuina Officia celebrare, & ad Chorum accedere; tempore verò interdicti specialis recipiunt distributiones, quia per ipsos non stat, ne Diuinis Officiis intersint, nec vllo iure distributiones ipsis subtrahuntur, tempore verò cessationis subtrahuntur *in cap. si Canonici, citato.* Vide, quæ dixi de cessatione, & ipsius effectibus *in tract. de censuris.*

4 Respondetur rationibus n. 2. allatis.

§ VI.

Vtrùm Canonici distributiones capiant eo tempore, quo polluta remanet Ecclesia.

VNICA PROPOSITIO.

1 Canonici recipiunt distributiones eo tempore, quo propter Ecclesiæ pollutionem diuina officia in choro celebrari non possunt.

1 CAnonici percipiunt distributiones, dum Ecclesia, in qua celebrare consueuerunt, polluta est, & violata. Ratio est, quia per ipsos non stat, ne Diuina Officia in choro persoluantur, cùm ipsi Diuinis Officiis assistere consueuerint, sed modò interesse non possint, eò quòd in Ecclesia polluta Diuina Officia celebrari nequeant. Ita Moneta *2. part. quæst. 16. num. 29.* & alij, quos retuli *de Sacrilegio, loco statim citando.*

2 In quibus casibus Ecclesia polluatur.

In quibus autem casibus Ecclesia polluatur, ita vt in ea Diuina officia celebrari nequeant, constat ex dictis de Sacrilegio in materia luxuriæ, *in tract. de magno matrimonij Sacramento, quæst. 4. punct. vltim. n. 19. vsque ad 28.* vbi ostendi:

2 Primò Ecclesiam pollui per voluntariam seminis humani effusionem.

Secundò per iniuriosam, & publicam sanguinis humani effusionem in ea factam, vel ob causam datam ad huiusmodi effusionem, vel ad mortem.

Tertiò per benedictionem, vel consecrationem Ecclesiæ, factam ab Episcopo excommunicato publico.

Quartò dum in Ecclesia excommunicatus vitandus sepelitur.

Quintò dum in ea sepelitur paganus, vel infidelis, [iuxta ibi dicta.]

3 Ecclesia non censetur polluta, nisi postquam delictum publicum effectum est.

Sextò quando parietes Ecclesiæ nondum consecratæ, sed tantummodò benedictæ deiiciuntur, & maiori ex parte simul destruuntur.

1 Irregularis ob irregularitatẽ precisè, nõ priuatur distributionibus.

3 Præterea ibidem ostendi, ob præcedentia delicta Ecclesiam non censeri pollutam, nec indigere reconciliatione, nisi postquam delictum publicatum fuit. Videnda sunt quæ ibi tradidi, ne repetitione earumdem quæstionum consueros breuitatis meæ terminos, fine vrgenti necessitate transgredi videar.

§ VII.

Vtrùm irregularis priuetur distributionibus.

VNICA PROPOSITIO.

2 Irregularis per accidens priuatur distributionibus quoties functioni Ordinis debentur, aut quoties irregularitas adnexa est alicui delicto inducenti ipso facto beneficij priuationem, quam beneficiarius tenetur ante iudicis sententiã subire.

1 CAnonicus irregularis, ob irregularitatem præcisè contractam post beneficij consecutionem, non priuatur distributionibus. Ratio est, quia irregularis potest licitè Diuinis Officiis interesse, irregularitas enim non impedit Diuini Officij celebrationem, sed susceptionem Ordinum, & illorum exercitium.

2 Dixi, *ob irregularitatem præcisè*, nam ratione alterius circumstantiæ fieri potest, vt distributionibus priuari debeat, vt si Canonicatui annexus sit aliquis Ordo, cuius functioni aliquæ distributiones respondeant; cum enim irregularis Ordinem exercere nequeat, sequitur ipsum carere distributionibus illi Ordini respondentibus, nisi fortè sit irregularis toleratus, & functiones Ordinis exerceat, vt in simili dictum est de suspenso, & excommunicato.

Item, si ponamus irregularitatem contractam esse ob delictum, cui adiũcta sit beneficij priuatio ipso facto, & Canonicus hãc pœnam per

per seipsum nulla omnino sententia expectata subire debeat, iuxta dicta *de lege pœnali in tract. de leg.* non potest Canonicus, qui huiusmodi delictum commisit, distributiones recipere, non ratione irregularitatis præcisè, sed ratione priuationis beneficij, quam ipso facto contraxit, & quam per seipsum exequi tenetur, vt suppono, non expectata sententia, non solum condemnatoria, verùm neque declaratoria criminis, quod tamen rarò accidit, vt ex traditis *de legib. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. §. 2. manifestè liquet. Ratio cur distributiones consequi non possit, est, quia sublato antecedente, & principali, tollitur etiam consequens, & accessorium: distributiones autem conferuntur titulo beneficij, quem titulum in proposito casu supponimus non subsistere, ob priuationem beneficij.

3 Imo etiã priuatur distributionibus ob irregularitatem, dum irregularitas ante beneficij consecutionem contracta fuit.

3 Dixi in propositione, *contractam post consecutionem beneficij*, nam si irregularitas contracta sit antequam beneficium obtineretur, arbitror huiusmodi beneficiarium non lucrari distributiones, si vera est sententia eorum, qui beneficij collationem irregulari factam irritam esse putant, de qua re satis egi *in tract. de benef.* dum loquerer de conditionibus in beneficiario requisitis.

§. VIII.

Vtrùm depositus, vel degradatus percipiat distributiones.

VNICA PROPOSITIO.

1 Canonicus realiter degradatus non percipit distributiones.

1 CAnonicus actualiter, seu realiter degradatus distributiones percipere non potest. Ita Henriquez *lib.* 13. *ca.* 55. Couar. 2. *var. cap.* 13. *n.* 8. *illat.* 12. Moneta 2. *parte q.* 17. *n.* 27. & alij communiter. Ratio est, quia huiusmodi degradatus caret beneficio, degradatio enim actualis, vt docui *de censuris disp.* 4. *punct. vnico*, est pœna Ecclesiastica, qua persona Ecclesiastica priuatur omni beneficio, Officio, & priuilegio Clericali in perpetuum absque vlla spe illius consequendi, cum quadam solemnitate, *cap. degradatio, de pœnis in 6.*

2 Excipitur casus dispensationis obtẽtæ à Papa.

2 Ex quo patet Canonicum degradatum non posse absque Summi Pontificis dispensatione distributiones capere: nullus enim Summo Pontifice inferior dispensare potest in iure communi. Iure autem communi degradatus actualiter priuatur omni beneficio, cõsequenter etiam distributionibus, quæ ratione beneficij tribuuntur. Ita Doctores citati.

3 Huiusmodi degradatus non est alendus fructibus, aut distributionibus.

3 Addit tamen Moneta *loco cit. n.* 32. huiusmodi degradatum alendum esse ex distributionibus, quoties ex fructibus beneficij, aut aliunde non habet, quo seipsum sustentare queat, ne cum dedecore status Ecclesiastici stipem mendicando quærere cogatur. Sed hoc mihi non probatur, vt patet ex dictis *de censuris loc. cit.* cum enim degradatus actualiter priuetur habitu, & priuilegio clericali, nullum clericali statui dedecus mendicando feret.

4 Non solum realiter, verum etiam verbaliter degradatus caret distributionibus, nisi forte legitimam appellationẽ interposuerit.

4 Addo non solum realiter, & actualiter degradatum, verùm etiam depositum, qui dicitur verbaliter degradatus, non gaudere distributionibus: caret enim beneficio, ratione cuius beneficiarius habet ius ad distributiones, *cap. dilectus*, & *cap. pro illorum, de præben.* Degradatio enim verbalis propriè accepta, quatenus distinguitur à suspensione ab Ordine, Officio, vel beneficio, est sententia Ecclesiastica, qua persona Ecclesiastica priuatur omni Officio, & beneficio in perpetuum, sine spe illius consequendi, non amisso priuilegio Clericali.

Hoc tamen intelligitur, modò degradatus legitimam appellationem non interposuerit, vt patet ex supradictis. Appellatio enim sententiam, consequenter etiam ipsius effectum suspendit, vt patet ex dictis *de appellat. in tract. de censuris.*

5 Verbaliter degradatus non videtur alendus distributionibus, etiamsi alioquin ostiatim quærere cogatur.

5 An verò degradatus verbaliter ali debeat ex distributionibus, dum alios reditus non habet, patet ex dictis *de censuris loco cit.* quamquam Moneta *loco citato num.* 24. Vgolin. *tab.* 2. *de censuris cap.* 12. *numer.* 1. Sayrus, Auila, & alij, quos retuli *de censuris loc. cit.* putant ex reditibus Ecclesiasticis huiusmodi degradato danda esse alimenta, ne cum dedecore status Ecclesiastici mendicare cogatur, quæ ratio in degradato verbaliter maiorem vim habet, quàm in degradato realiter, cùm hic habitu, & priuilegio Clericali priuetur, ille verò vtrumque retineat. Verùm ad hanc rationem respondeti potest, dedecus, quod inde statui Ecclesiastico prouenire posset, licitè permitti, & compensari terrore pœnæ, & spe emendationis aliorum, qui à delictis patrandis grauitate pœnæ faciliùs retrahi, & retardari possunt.

§. IX.

Vtrùm is, qui beneficio priuatus est, distributiones lucrari possit.

VNICA PROPOSITIO.

1 Canonicus, qui beneficio priuatus est, non habet ius ad distributiones.

1 CAnonicus, qui beneficio priuatus est, non habet ius ad distributiones. Ratio est, quia sublato principali, corruit accessorium: principale autem est beneficium, ex quo ius ad distributiones consurgit.

2 Diuersos effectus operatur priuatio ipso iure inducta, quam inferenda.

2 Vt hæc propositio clarius intelligatur, obserua priuationem beneficij aliquando induci à iure ob crimina, quibus annexa est pœna priuationis ipso facto; vel pœna comminatoria priuationis futuræ, & aliquando induci per sententiam iudicis condemnatoriam.

Quando pœna priuationis ipso facto contracta est ob delictum, cui annexa est ipso facto priuatio beneficij, licet beneficiarius non teneatur, regulariter loquendo, beneficium à se abdicare ante sententiam criminis declaratoriam, ea tamen subsecuta, executio retrotrahitur ad diem patrati delicti, consequenter beneficiarius priuatur fructibus, & distributionibus, à die patrati delicti perceptis, ac si ab eo die lata esset sententia, nisi forte reus à declaratoria legitimè appellauerit, vt in simili mox dicam.

Quando verò pœna priuationis beneficij non est ipso iure imposita, sed inferenda, seu quando per iudicis sententiam inducitur, reus a die sententiæ priuatur iure percipiendi fructus, & distributiones, quæ ratione beneficij conferuntur, vt patet ex dictis *de lege pœnali*; nisi fortè intra legitimum tempus appellauerit.

3 Quid operetur appellatio, & quotuplex appellatio interponi possit.

3 Potest enim bis appellare, *l. 1. ff. de appellat.* & per appellationem effectum sententiæ suspendere, consequenter interim potest distributiones percipere, quamdiu Diuinis Officiis interest: cum hoc tamen onere, vt si prima sententia condemnatoria bis confirmata fuerit, vim suam habeat, ac si ab initio nulla interposita fuisset appellatio.

4 Qui per sententiã liberatus est, fruitur distributionibus.

4 Si verò [sententia priuationis] fuerit reuocata, & per iudices appellationis bis confirmata, seu aliàs in iudicatum transierit, seu reus plenè absolutus, & liberatus fuerit, non solum poterit retinere beneficium, fructus, & distributiones, quas Officiis interessendo iam accepit, verùm etiam illas, quas absens amisit causa litis prosequendæ: nam per ipsum non stetit, ne eas lucraretur, cùm aliàs Officiis Diuinis soleret interesse; vt suppono. Ita Moneta 2. *part. q.* 17. *num.* 35. & alij communiter, quos in simili retuli *de lege pœnali*, & à simili constat ex supradictis *de iniustè excommunicato, vel suspenso* §. 2. & 3.

5 Iniustè materialiter priuatus beneficio, distributionibus caret.

5 An verò iniustè materialiter priuatus beneficio, quod alteri collatum fuit, habeat ius ad distributiones, ex dictis *in octauo Decalogi præcepto disput.* 10. *quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 9. constat, ius non habere, vt *ibidem* probaui cum Innocentio, Panormitano, Valentia, Lessio, Aragonio, & aliis, quamuis Moneta in simili 2. *part. quæst.* 17. *numer.* 25. oppositum sentiat.

PVNCTVM III.

An absens in vtilitatem Ecclesiæ distributiones lucrari possit.

VNICA PROPOSITIO.

1 Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, vel collegiatæ percipit, iure sibi permittẽte, distributiones, dum abest in euidentem Ecclesiæ vtilitatem.

1 CLericus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, cui aliàs interesse consueuerat, potest, iure sibi permittente, distributiones capere, dum abest in euidentem suæ Ecclesiæ vtilitatem. Hæc propositio potius explicatione, quàm probatione indiget, cum *in c. consuetudinem, & cap. vnico*, superius cit. contineatur, ibi, aut euidens Ecclesiæ vtilitas excusaret.

2 Idẽ valet in dignitatibus, Mãsionariis, aliisque clericis eiusdem Ecclesiæ.

2 Dixi, *Clericus*, vt explicarem hoc beneficio distributionum frui posse tempore absentiæ non solum Canonicum, verum etiam habentem dignitatem, aut Mansionarium, aliumue Clericum Diuinis Officiis in huiusmodi Ecclesiis mancipatum.

Ratio est, tum quia verba absolutè prolata simpliciter intelligenda sunt, & non secundùm quid, ex Bartolo *in rubr. ff. solu. matr. num.* 12. Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 40. *num.* 2. Tum quia vbi est eadem ratio, ibi etiam adesse debet eadem iuris dispositio, modò verba legis illam admittant, *l. illud. ff. ad leg. Aquil.*

3 Hoc tamen intelligitur primo, modo alias interesse consueuerit.

Dixi, *Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ*, quia beneficiariis harum solum Ecclesiarum conferri consueuerunt distributiones, cõsequenter hi distributiones capere possunt, dum in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem absunt.

4 Secundo intelligitur, modo non adsit consuetudo positiua in contrarium.

3 Dixi, *cui aliàs interesse consueuerat*, nam qui aliàs ad chorum conuenire non solebat, non cẽsetur distributionum iacturam pati ob absentiam in Ecclesiæ vtilitatem, vt patet ex dictis in præcedentibus, præsertim *q.* 5. *punct.* 1. *n.* 10.

4 Dixi, *iure sibi permittente*, quia etiam secluſa consuetudine posset distributionum priuilegio frui, dum abest ob Ecclesiæ vtilitatem: hoc enim ei permittitur *in cap. vnico, sæpius citato.* Hoc tamen intelligitur præcisa consuetudine in contrarium, nam consuetudine induci potest, vt distributiones non conferantur absentibus, etiamsi absint ex causa, ob quam iura distributiones permittunt, vt patet ex supradictis, & ex dictis *de priuilegiis, ad finem.*

5 Tertio intelligitur, modo vtilitas sit certa, & euidens, & alicuius momenti.

5 Dixi, *in euidentem vtilitatem*, tum quia cùm absentia sit certa, & distributiones certæ, requiri etiam videtur causa certa, & euidens ad ipsas lucrandas: tum quia cùm huiusmodi absentia cultui diuino præiudicet, cui quàm minimum fieri potest, præiudicium est afferendum, iure merito causa euidens, & nõ dubia postulatur ad absentem a distributionum carentia excusandum. Ex quo fit, vt absens non excusetur quando dubium est, an negotium, de quo agitur, vtile futurum sit Ecclesiæ, si iuxta Capituli voluntatem expediatur, non enim agitur de euidenti Ecclesiæ vtilitate. Item si de re leuis momenti agatur, & Canonicus diu in eo expediendo abfuturus credatur, non videtur excusandus à priuatione distributionum, quia res modici momenti pro nihilo reputatur, consequenter Canonicus non potest se à diuturna absentia titulo euidẽtis vtilitatis excusare in re exigui, & modici momenti, vt benè Moneta 2. *parte quæst.* 11. *num.* 33. & Macignus *c.* 71. *n.* 99.

6 Quarto intelligitur, modo absit in vtilitatem propriæ Ecclesiæ.

6 Dixi, *Ecclesiæ suæ*, quia sola absentia in propriæ Ecclesiæ vtilitatem, participem efficit distributionum. Ita colligitur ex *cap. de cetero, & cap. ad audientiam, de Cleric. non residen.* vbi habetur inseruientem Episcopo non gaudere distributionibus, quamuis huiusmodi seruitium in vtilitatem Ecclesiarum in Diœcesi existentium vergat. Ratio est, tum quia hic debet stipendium ab iis recipere, in quorum commodum abest, sed abest in commodum alterius Ecclesiæ, & non in propriæ; ergo debet stipendium ab aliis, non verò distributiones à propria Ecclesia recipere: [ni fortè æquè principaliter, & directè absit in vtilitatem propriæ Ecclesiæ, vt si absit ad impediendum ne omnes beneficiarij illius Diœcesis onere tributorum grauentur, vt sacra Cardinalium Congregatio declarauit in causa Mediolanen. & patebit ex dicendis *numero* 14.] Tum quia par non est, vt Canonici ob absentiam alterius Canonici in vtilitatem vniuersalis, vel specialis Ecclesiæ, damnum distributionum patiantur, quæ alioquin ipsis accresceret, & obuenirent. Ita sentire videntur communiter Doctores, contra Carolum Macignum *de Horis Canonicis cap.* 71. *numero* 101. aliter sentientem de absente in vtilitatem vniuersalis Ecclesiæ

7 Quotupliciter Ecclesia accipiatur.

7 Vt hoc clariùs intelligatur, aduertendum est Ecclesiæ nomen quadrupliciter accipi posse.

Primò pro vniuersali, quæ complectitur omnes fidelium Ecclesias.

Secundò pro speciali, vt pro Ecclesia Mediolanensi.

Tertiò pro particulari, vt pro Ecclesia Metropolitana, pro Collegiata S. Stephani, &c.

Quartò pro magis particulari, id est, pro præbenda, vel Canonicatu, alioue beneficio, quod quis obtinet in Ecclesia Collegiata, *cap. ex parte 2. de Cleric. non resid.* Ita gloss. *ibidem.* Panorm. *ibidem*, *& in cap. ad audientiam, de reb. Eccles. non alien.*

Hoc igitur posito, dico absenti in vtilitatem propriæ Ecclesiæ, non verò in vtilitatem Ecclesiæ vniuersalis, vel specialis distributiones deberi; [præcisa tamen limitatione numero præcedenti allata.] Hinc explicata manet propositio quoad singulas ipsius partes.

Obiicies, *cap. cùm non deceat. de elect. in 6.* habetur, Canonicos prosequentes vtilitatem suarum Ecclesiarum, & ad Sedem Apostolicam accedentes, vt eam circa imminentium electionum negotia instruant, posse fructus suorum beneficiorum, non verò quotidianas distributiones lucrari. Ergo falsum videtur absentem in Ecclesiæ propriæ vtilitatem recipere distributiones, cùm præfati Canonici absint in vtilitatem Ecclesiæ: vel saltem dicendum est, *cap. vnicum* aduersari *cap. cùm non deceat.*

Moneta *2. parte quæst. 11. n. 22. & sequentibus*, relatis aliorum responsionibus, in hac, proprio Marte inuenta, triumphum ponit, dicendo *cap. cùm non deceat.* intelligi posse de absente in vtilitatem Ecclesiæ specialis; *cap.* verò *vnicum*, citatum intelligi debere de absente in vtilitatem Ecclesiæ propriæ, & particularis, & hunc ipse dicit quotidianarum distributionum participem esse, non verò illum. Verùm hæc responsio videtur ipsimet textui aduersari, [cùm etiam *in cap. cùm non deceat.* sermo sit de absente in vtilitatem propriæ Ecclesiæ,] vt patet legenti ipsum textum, cuius verba hæc sunt:

Cùm non deceat alicui officium esse damnosum, statuimus vt ij, qui iuxta constitutionem felicis recordationis Nicolai Papæ III. prædecessoris nostri super hoc editam ad Apostolicam sedem venerint, eam circa imminentium electionum negotia instructuri (cùm tales Ecclesiarum suarum prosequentes vtilitatem, censeri debeant residentes) fructus beneficiorum suorum, quæ obtinent in illis Ecclesiis, quarum negotia prosequuntur, & etiam aliorum, quos reciperent, vel possent recipere in ipsis Ecclesiis residendo, integrè, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, recipiant, ad sedem propterea veniendo eamdem, ibidem hac de causa manendo, & ad ipsas Ecclesias redeundo, ac si personaliter in iisdem Ecclesiis residerent, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus, vel statutis Ecclesiarũ, &c.

Omissis ergo Monetæ responsionibus ad reuocandos in concordiam hos textus, & tollendam inter ipsos antinomiam, & contrarietatem.

Responderi potest primò hunc esse casum specialem, & particularem, in quo Summus Pontifex iusta de causa decernit non deberi distributiones, vt patebit ex sequentibus responsionibus, consequenter nostra propositio limitationem in hoc casu admittit.

Respondeo secundò absenti in euidentem propriæ Ecclesiæ vtilitatem distributiones concedi; in casu autem expresso *in cap. cùm non deceat*, non constat hos Canonicos ad Sedem Apostolicam accedere cum euidenti Ecclesiæ vtilitate, cùm fieri possit, vt electio illius Prælati, cuius instructionem ad Sedem Apostolicam deferunt, Ecclesiæ profutura non sit: præsumitur quidem abesse in vtilitatem Ecclesiæ, vt dicitur *in* ipso *cap. cùm non deceat*; sed cùm non constet de euidenti vtilitate, vt dicitur *in cap. vnico, cit.* iure merito denegantur distributiones.

Respondeo tertiò cum Azorio *loco cit. quæs.* 14. Garzia *de benefic. tract. 3. cap. 2. n. 360.* Hoieda *de incompatibilit. benefic. 1. part. cap. 17. numer. 19. ad fin.* Vega, & aliis apud Garziam *n. 360. & 361.* & apud Cenedum *in collect. ad Sextum, collect. 15. n. 4. pag. 534.*

Capitulum, *cùm non deceat*, intelligendum esse posita consuetudine, vt absenti distributiones non debeantur, hæc enim consuetudo induci potest; Capitulum verò vnicum explicandum esse, præcisa consuetudine in contrarium, id est, modò non adsit consuetudo non soluendi: hoc pacto isti textus defenduntur ab omni contrarietate, & oppositione inter se, contra Monetam *n. 14.*

8 Absens causa confessionis suorum peccatorũ, non lucratur distributiones.

8 Ex dictis colligi potest primò distributiones illi non debere, qui tempore diuinorum Officiorum in confessione suorum peccatorum facienda detinetur. Ratio est, quia non dicitur interesse Diuinis Officiis, aut abesse in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem, sed in commodum, & emolumentum animæ suæ.

Dices, absens ob infirmitatem, vel ob iustam, & rationabilem corporis necessitatem obtinere potest distributiones; ergo à fortiori eas consequi potest absens ob infirmitatem spiritualem, vel ob animæ necessitatem, cùm anima longè præstantior sit corpore, *l. sancimus, C. de sacrosanctis Ecclesiis.*

Respondeo *in cap. vnico*, sermonem esse non de necessitate, vel infirmitate spirituali, sed de corporali; verba autem iuxta propriam significationem accipienda sunt, præsertim in materia odiosa, & à iure communi exorbitante, vt bene Moneta *2. part. quæst. 5. num. 53.* & in simili Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 33. numer. 32* & alij, quos retuli *de legibus disp. 1. quæst. 1. punct. 8.*

9 Absens causa voti adimplendi non lucratur distributiones.

9 Secundò colligitur absentem causa adimplendi votum peregrinationis, vel alterius rationis, non percipere distributiones, etiamsi votum emiserit, vt à Deo aliquid in vtilitatem Ecclesiæ impetraret, vel vt sanitatem consequeretur: non enim dicitur abesse ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem, vel ob infirmitatem, tamquam ob causam, sed propter votum, quod fuit factum intuitu vtilitatis Ecclesiæ, vel occasione infirmitatis. Ita sentire videtur Garzias *de benefic. 3. par. cap. 2. numero 393. & sequent.* vbi ad huius rei confirmationem duplicem adducit Sacræ Congregationis declarationem. Idem tradit Carolus Macignus *cap. 71. numero 129.* Imò Macignus & Garzias ex eadem sacra Congregatione fatentur huiusmodi absentem causa voti adimplendi, non solum non lucrari distributiones, verùm neque fructus, si absit vltra tres menses, quos Concilium permittit, quod etiam ego admitto: nisi absit ex legitima causa, iuxta dicta de obligatione residendi *in* [*lib. variarum tract.*] Ad hoc faciunt quæ tradit Sfortius Oddus *1. part. quæst. 7. art. 13.*

10 Absens ad necessitatem propriæ Ecclesiæ subleuandam, percipit distributiones.

10 Tertiò colligitur eum, qui ad subleuandam euidentem propriæ Ecclesiæ necessitatem, aliò se transfert, posse distributiones percipere: tum quia necessitas legem non habet, sed ipsa sibi legem facit, *cap. quod non est, extra de regul. iur. & cap. mutationes 7. quæst. 1.* Tum quia dicitur abesse ob euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem, necessitas enim cum vtilitate confertur, & comparatur. *cap. exposuisti de præbend. & cap. tali 1. quæst. 7.* & aliis iuribus adductis à Moneta *numero 37.*

11 Qui tẽpore diuinorum ex mandato Capituli detinentur in iis, quæ ad Capitulum faciunt, lucrantur distributiones.

11 Quartò colligitur Canonicos, qui tempore diuinorum Officiorum ex mandato capituli detinentur in iis, quæ ad Capitulum faciunt, vt in subducendis rationibus, aut in assignandis cuique suis reditibus, participes esse distributionum. Ita Moneta *num. 47.* contra Garziam *de benef. 3. par. cap. 2. num. 568. & 569.* quamquam hoc non est facilè introducendum, & sine aliqua necessitate permittendum, cùm diuinum cultum aliqua ex parte minuat.

12 Exercẽs iurisdictionem suæ Ecclesiæ, missus ad Summum Pontificẽ, aliumue Principem legationis titulo, admittit non videtur à Garzia *num. 336.* Ego tamen admitto modò in euidentem Ecclesiæ propriæ vtilitatem vergat. Idem in Vicario Capituli Sede vacante concedit Garzias *nu. 358.* quia censetur inseruire Ecclesiæ, cùm illi magis commodum sit ipsum abesse, quàm totum Capitulum.

12 Quintò colligitur eum, qui à suo Capitulo mittitur ad iurisdictionem aliquam, suæ Ecclesiæ adnexam, exercendam, vel ad Summum Pontificem, aliumue Principem legationis titulo, etiamsi hæc legatio gratulationis causa instituatur, lucrari distributiones: hic enim abesse dicitur in commodum, & vtilitatem suæ Ecclesiæ, cum hęc officia quodammodo debita sint Capitulo, & sicut in profanis, & sæcularibus negotiis, qui ad similia negotia mittuntur, in Reipublicæ vtilitatem missi censentur, *l. qui mittuntur. §. [fin. ff. ex quib. caus. maior.*] & ex aliis iuribus, & Doctoribus per Sfortium Oddum in suo grandiori volumine *de restit. in integrum 1. part. quæst. 6. art. 10. nu. 32. & 36.* & per Monetam [*2. part.*] *quæst. 5. num. 34. & quæst. 11. n. 92.* allegatis, ita, &c. quamquam quod dicitur de exercitio iurisdictionis

13 Canonicus missus ad Concilium generale, tamquam Theologus, vel canonista sui Capituli, vel tamquam Procurator ad concilium Prouinciale à suo capitulo mittitur, posse pro tempore absentiæ distributiones capere, modò alias consueuerit interesse, vt post Decianum *tom. 2. consil. 69. num. 9.* & alios tradit Moneta *loco cit. q. 11. n. 91.* Secus si idem ex priuilegio sit Canonicus, & Episcopus, & tamquam Episcopus ad Concilium generale conueniat; tunc enim non dicitur abesse in vtilitatem Ecclesiæ, à qua distributiones percipit, cùm titulo Canonicatus percipiat distributiones, & non absit tamquam Canonicus. Ita Moneta *loco cit. num. 90.* Idem in simili docet Hoieda *de benefic. incompatib. part. 2. cap. 10. n 16.* & Garzias *de benef. 3. part. cap. 2. num. 357.* vbi refert Sbrocium, & Rebuffum, alios etiam refert Hoieda *loco cit.*

13 Canonicus missus ad Concilium generale, tamquam Theologus, vel canonista sui Capituli, vel tamquam Procurator, an lucretur distributiones.

Hoc tamen limito, nisi ad Concilium generale conueniat, vt ibi etiam peculiaria illius Ecclesiæ negotia pertractet: tunc enim abesse dicitur ob Ecclesiæ vtilitatem, à qua distributiones percipit, [vt dictum est *num. 6.*] Hinc patet quid dicendum sit de Vicario capituli, qui simul Canonicatum, & Vicariatus officium habet: arbitror enim, contra Monetam *n. 83.* & alios, eum qui simul est Canonicus, & Vicarius Capituli, dum Episcopalis Sedes vacat per mortem Episcopi, aut dum Episcopus à Paganis, vel Schismaticis captus detinetur, posse distributiones percipere, dum in Vicarij officio perfungendo abest. Ratio est, tum quia officium hoc non debet illi esse perniciosum: tum quia dicitur abesse ob vtilitatem sui Capituli, cuius iurisdictionem exercet, cùm Episcopi iurisdictio ad capitulum deuoluatur, dum Sedes Episcopalis vacat per Episcopi mortem, aut dum Episcopus apud Paganos, aut Schismaticos captus existit, *cap. si Episcopus. de supplend. neglig. prælat. in 6.* & sicut supradictum est, eum qui à Capitulo mittitur ad iurisdictionem suæ Ecclesiæ annexam exercendam, non priuari distributionibus, ita nec iisdem, meo iudicio, priuandus est, qui sede vacante in exercenda capituli iurisdictione detinetur. Secus dicendum puto de eo, qui simul est Canonicus, & Vicarius Episcopi: huic enim distributiones non debentur, dum tempore diuinorum Vicarij munus obit, quia non dicitur abesse in vtilitatem Capituli, seu Ecclesiæ, cui est adscriptus, sed in obsequium Episcopi, & in vtilitatem Ecclesiæ specialis, & non particularis. Ita Garzias *loco cit. n. 358.* vbi refert Pauinum, Rebuffum, & decisionem Rotæ *222. n. 6. part. 2.* diuersorum.

14 Canonici missi ad limina Apostolorum ad referendum Ecclesiæ suæ statum lucrantur distributiones.

14 Septimò colligitur, Canonicis, qui ab Episcopo ad Apostolorum limina mittuntur, vel ipsum ad eadem limina comitantur iuxta decretum 25. Sixti V. distributiones quotidianas deberi: nam dicuntur abesse non solùm in vtilitatem Ecclesiæ specialis, verùm etiam particularis, cùm ad Sedem Apostolicam relaturi sint statum, non solùm aliarum Ecclesiarum, verùm etiam propriæ Ecclesiæ in specie, vt ipsius commodo prospiciatur: non enim ad distributiones lucrandas necesse est, vt quis solùm absit in suæ Ecclesiæ vtilitatem, sed sufficit, vt ob illam, tamquam ob causam finalem partialem absit: causa enim finalis est causa motiua, & principalis. Ita per Sacram congregationem declaratum esse tradit Riccius *decision. 498. numero 3.* Garzias *3. part. cap. 2. num. 349.* vbi refert declaration. Sacræ Congregat. Idem a fortiori sustinere videntur Doctores afferentes ad lucrandas distributiones sufficere absentiam in vtilitatem Ecclesiæ specialis. [Vide dicta *num. 6.*]

Occasione eorum, quæ hactenus diximus, nonnulla emergunt dubia, quæ hic breuiter explicanda duxi.

15 Qui prouinciã ad negotiũ

15 Primum dubium est, vtrùm qui data opera curauit sibi à Capitulo prouinciam demandari ad peragenda Ecclesiæ negotia tempore Diui-

in Ecclesiæ vtilitatem peragendũ sibi demãdati curauit, lucrari potest distributiones.

Diuinorum Officiorum, possit tempore absentiæ distributiones percipere.

Moneta 2.*part. de distribut. quæst.* 5. *num.* 25. & 28. asserere videtur non posse distributiones percipere, quia huiusmodi absentia videtur impedimentum affectatum, in quod Canonicus voluntariè se coniecit arte, & dolo, & fortè sine lucro; impedimentum autem affectatum non tribuit iustam absentiæ causam, vt fusè Sfortius Oddus *tractat. de restitut. in integr.* 1. *part. quæst.* 27. *art.* 1. Iason, Cassan. Tiraquellus, & alij apud Monetam *loco cit.* & apud Oddum *pagina* 254.

Ego verò censeo posse distributiones percipere, modò negotium ad euidentem Ecclesiæ vtilitatem spectans peragat. Ratio est, quia ad acquirendas distributiones non est principaliter inspiciendum, quo pacto quis licentiam recedendi acceperit, sed causa finalis absentiæ spectanda est: causa autem finalis absentiæ est euidens Ecclesiæ vtilitas, licentia verò est quid præuium, seu occasio, vel causa efficiens, ad absentiam prærequisita; cùm ergo hic absit in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, distributionum participem esse asseueranter dico, etiamsi eam sibi prouinciam demandari curauerit; quãuis enim affectatio impedimenti præcisè non excuset, nihilominus excusat ipsamet absentia in euidentem Ecclesiæ vtilitatem. Hinc patet responsio ad rationem Monetæ, & ad alia argumenta, quæ huc referri possent, ex *dictis disputat.* 1. *quæst.* 6. *punct.* 2. *n.* 3.

Secundò dubium est, vtrùm Canonicus, qui à Capitulo constitutus, vel ex Officio deputatus est ad negotia Ecclesiæ peragenda, quæ alio tempore, quàm Hora Diuinorum Officiorum expedire poterat, distributiones acquirat, si ea tempore Diuinorum Officiorum expediat.

16 Canonicus à Capitulo cõstitutus ad negotia Ecclesiæ peragenda, lucrari potest distributiones si ea tempore diuinorum peragat, quãuis alio tempore expedire potuisset, modo ei liberum esset quoties expedire.

16 Mihi dicendum videtur acquirere, si ex officio, vel ex Capituli mandato non tenebatur negotium illud anticipare, & extra tempus Diuini Officij absoluere. Ratio est, tum quia videtur abesse ob negotium Ecclesiæ, in quo de euidenti ipsius vtilitate agitur, vt suppono: tum quia iure suo vti videtur, dum illius negotij expeditionem ad tempus vsque Diuini Officij differt: tum quia sequeretur Canonicos Mediolanenses, qui ad examen promouendorum ad Ordines, vel ad beneficia communibus Clericorum suffragiis in Synodo diœcesana electi sunt, & ex peculiari Sedis Apostolicæ priuilegio distributionibus gaudent, dum in hoc munus incumbunt, non esse tutos in conscientia, nec distributionum participes fieri, si examen in tempus Diuini Officij voluntariè differant: nullus autem hac in re sibi peccati conscientiam facit, quod tamen intellige, nisi in priuilegio excipiantur, qui voluntariè in hoc tempus examen differunt.

17 Proponuntur, & dissoluuntur argumenta in contrariũ.

17 Contrariam sententiam sustinere videtur Moneta *loco citato, numer.* 42. & 43. Ratio est, tum quia, inquit Moneta, impedimentum etiam iustum non excusat absentem, dum impedimentum ortum est ex culpa impediti præordinata ad casum: tum quia non excusatur, qui facilè potuit impedimentum remouere, & non remouit, *cap. fin. de elect.* Verum hæ rationes non adeò vrgent, vt ad meam opinionem deferendam cogar, dum Canonicus ad tempus Diuini Officij protrahit negotium, quod ex officio, vel Capituli mandato extra tempus diuinarum precum persoluere non tenetur.

Ad primum enim respondeo huiusmodi impedimentum non prouenire ex culpa, sed ex libera voluntate, & ex iure impediti, qui ius habet ad negotium eo tempore pertractandum.

Ad secundum respondeo, illum non excusari in causa à culpa, qui potuit impedimentum remouere, & non remouit, dum illud remouere tenebatur, hic enim non dicitur vti iure suo, sed potiùs dolo, & malitia: dolus autem nulli patrocinatur, nec quisquam ex suo delicto commodum referre debet. *cap.* 2. *de dolo, & contum. circa fin.* Tuscus *tom.* 2. *consil.* 571. *num.* 1. 3. *& seqq.* vbi refert Lappum, Federicum de Senis, & alios. Secus si ei liberum erat impedimentum non remouere, & in aliud tempus differre.

Hinc patet regulas, quas Moneta ex Sfortio Oddo, Decio, & aliis affert, huic nostro casui non accommodari, sed potiùs valent, dum quis absentiam suam tueri conatur titulo necessitatis corporalis, hæc enim non excusat, nisi rationabilis sit, & iusta, *c. vnic. de Cler. non resid.* non videtur autem iusta, & rationabilis, quoties ex culpa, & negligentia impediri processit.

Tertiò dubium est: an qui ad peragendum Ecclesiæ negotium citiùs, & maturiùs discessit, quàm opus esset, aut qui regressum diutiùs distulit, quàm par sit, lucretur distributiones respondentes tempori, quo maturiùs discessit, aut quo regressum diutiùs distulit.

18 Qui ad peragenda Ecclesiæ negotia citius discessit, aut diutius distulit, quam par sit, non lucratur distributiones illi tempori respondẽtes, quo diutius regressum distulit, vel citius discessit.

18 Respondeo non lucrari, modò scienter hoc fecerit. Ita Doctores statim citandi. Ratio est, quia non dicitur abesse in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, cùm tunc nullum Ecclesiæ negotium peragendum sit, nec bona fides illum excuset, cùm hæc sciens fecerit. Secus dicendum arbitror, primò si bona fide discessit putans negotium tunc temporis tractandum esse, nam vbi non est culpa, nec esse debet pœna amissionis distributionum. Secundò si graue superuenit impedimentum, ob quod redire non potuit: nam legitimè impedito non currit tempus, & superueniente iusto impedimento perinde est, ac si abesset ex pristina causa: imò eadem absentiæ causa præsumitur perseuerare, *l. si cui in Prouincia, §. tamdiu, vers. planè. & l. hi qui, ff. ex quibus caus. maior.* Ita Menochius *lib.* 2. *de arbitr. cent.* 2. *casu* 153. Sfortius Oddus *de restitut. in integr.* 1. *par. q.* 27. *artic.* 3. *pag.* 255. & alij, quos citat, & sequitur Moneta 2. *part. quæst.* 5. *num.* 38. & Oddus *art.* 3. *citat.* Tertiò si solum diutius abfit quantum itineris distantia postulat, nam absenti ob Ecclesiæ vtilitatem, aut etiam ex alia iusta causa, ob quam distributiones absenti permittuntur, non imputatur absentia illius temporis, quod pro discessu ad cõstitutum locum, aut reditu ad Ecclesiam concedi solet: hic enim abesse dicitur ob eamdem causam, *l. si cui, citata, & l. qui mittuntur, §. fin. ff. ex quibus caus. maior.* Vide Sfortium Oddum *art.* 3. *cit.*

19 Quantũ temporis computandum sit dũ

19 Si quæras quantum temporis concedendum, & computandum sit; respondet Moneta *numer.* 35. cum aliis Doctoribus tantum temporis concedendum, & computandum esse, quantum lex redeunti-

bus concedere consueuit. Hoc autem est tempus vnius diei pro singulis viginti milliaribus. *l.* 1. *ff. si quis caut. & l.* 3. *ff. de verb. sign.*

quis ad negotium Ecclesiæ peragendũ discesserit.

Ego verò arbitror hoc dumtaxat in foro externo admittendum esse, cùm forus externus nitatur præsumptione; in foro verò conscientiæ standum est conscientiæ ipsiusmet absentis, qui aliquando citiùs, diutiùs aliquando iter suum commodè absoluit; in dubio tamen arbitror etiam in foro conscientiæ sustinendum esse iudicium, & præsumptionem fori externi concedentis spatium vnius diei pro singulis viginti milliaribus: nam forum externum prudenter præsumit, idemque est iudicium fori externi, & interni quoties externum falsa præsumptione non nititur, vt optimè obseruat Couarr. *cap. cùm esses, n.* 7. *de testament.* Sanchez *de matrimon. lib.* 1. *quæst.* 5. *num.* 20. *versic. tandem probatur.* Sotus 4. *de iust. quæst.* 5. *artic.* 3. *vers. quartò arguitur,* & alij communiter, quos in simili retuli de matrimonio, & de conscientia dubia *in tractatu de peccatis.*

20 Canonicus legitimè absẽs lucratur pro tempore absentiæ distributiones, etiamsi absens aliquot horas, vel dies sine detrimento iustæ causæ, ob quam abest, in ludos insumat.

20 Quartò dubium est, vtrùm Canonicus, cui à Capitulo demandatum fuit negotium in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem, expediendum per aliquot dies, lucrari possit distributiones, si aliquot illorum dierum horas in ludos, & recreationem insumat.

Respondeo lucrari, etiamsi aliquot horas ad turpia insumat, modò negotio expediendo graue detrimentum inde non sequatur. Ratio est, tum quia subsistit causa absentiæ, dicitur enim abesse in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, cuius prætextu distributiones lucratur: tum quia isti ludi accidentaliter se habent ad causam, propter quam data est ei facultas, vt abesse possit. Ita sentire videtur Nauar. *tract. de Horis Canonicis, cap.* 21. *num.* 64. Moneta *de distribution.* 2. *part. quæst.* 13. *numer.* 47. loquentes de eo, cui per statutum aliqui dies absentiæ permittuntur. Sed hic aliquod temporis spatium ad turpia insumit, quo tempore ceteri Canonici Officio diuino persoluendo sedulam nauant operam.

Hinc sequitur, Canonicum, qui litem contra se iniustè excitatam in vrbe Roma prosequitur, ibique aliquot dies in profanis recreationibus transigit, posse finita lite, & victoria adepta percipere distributiones illis diebus respondentes, vt probatum est, modò tamen illæ recreationes non fuerint in causa, vt citiùs susceptam litem non expediret, tunc enim illæ recreationes non se haberent accidentaliter ad principalem causam absentiæ, sed ipsæ essent absentiæ causa, saltem quoad eam temporis partem, qualis citiùs absoluta fuisset, ludo illis diebus prætermisso, consequenter absens distributiones pro rata illorum dierum percipere non posset.

21 Qui mãdatum à Capitulo accepit ad peragendũ matutino tempore negotium Ecclesiæ lucratur distributiones, etiamsi matutino tempore propriis negotiis vacet, dilato post prandium Ecclesiæ negotio expediendo.

21 Maius dubium est, vtrùm qui à Capitulo mandatum accepit ad peragendum matutino tempore negotium, Ecclesiæ commodo conducens, lucretur distributiones, si matutino tempore propriis negotiis incumbat, dilato in Vesperas negotio Ecclesiæ peragendo. Moneta *loco citato num.* 44. negatiuam partem sustinere videtur, dum in simili loquitur de eo, qui ex causa à superiore probata abest, licet adimpletio illius causæ postea differatur, vt si quis ex legitima facultate causa studij, vel lectionis absit à Matutino, aut Vesperis, sed studium, vel lectionem longè post Vesperas differat.

Mihi respondendum videtur cum Nauar. in casu simili ab ipso proposito *in tract. de orat. cap.* 5. *num.* 21. (quem penitus reprobat, nec vlla ratione admittendum putat Moneta *loco citato*) lucrari posse distributiones tempori assignato respondentes, non autem eas, quæ respondent tempori, quo Horis Canonicis interesse potuisset, si negotium statuto tempore peregisset: nam respectu istius temporis dicitur abesse ex propria culpa, seu seipsum ex propria negligentia in hoc impedimentum coniecisse, consequenter distributiones illi tempori debitas percipere non potest: capere verò potest distributiones respondentes tempori sibi assignato, quia abest ex causa Capituli commodum respiciente, quam diuinorum Officiorum tempore expediendam accepit; & re ipsa aliquo diuinorum Officiorum tempore expediuit, nec Capitulo damnum attulit dilatione causæ expediendæ, nec cultui diuino hac in parte præiudicauit, vt suppono. Ergo percipere potest distributiones, modò maiores non percipiat, quàm quæ respondent quantitati temporis sibi assignati, nec Matutinis, & Vespertinis distributionibus simul frui intendat.

Obiicies cum Moneta, cessante causa, cessare debet effectus; sed causa ob quam Canonicus abest, est expeditio negotij, cuius intuitu facultatem non interessendi obtinuit: expeditio autem negotij pro eo tempore cessat, cùm alienis rebus detineatur. Ergo cessare etiam debet effectus legitimæ absentiæ, seu distributionum participatio. Confirmatur hæc obiectio, qui per aliquot annos iuxta iuris dispositionem, causa studiorum abest, non lucratur fructus, si tempore absentiæ non studeat; eos verò ex iuris concessione lucraretur studendo, vt patet ex dictis *de priuilegiis, ad finem,* & ex infra dicendis §. 9. *versic. obserua.* Ergo etiam, qui alicuius negotij peragendi causa non interest aliquibus horis, dilato in aliud tempus negotio, non potest distributiones illis horis respondentes percipere.

Respondeo in casu de quo agimus, non cessare causam absentiæ, cum ei facultas data sit prætextu illius causæ, quæ adhuc subsistit, cùm nondum suum effectum sortita sit, eamque executioni demandet alio tempore sine præiudicio Ecclesiæ, & sine maiori diminutione diuini cultus, quàm si negotium Ecclesiæ matutino tempore perfecisset, & proprium vesperi.

Ad confirmationem negatur consequentia. Ratio disparitatis est, quia in absente causa studiorum, & non studente, cessat causa, ob quam non residet, nempe vtilitas, quæ ex studio speratur. In nostro autem casu non cessat, cum sufficienter compensetur sine Canonicorum, & Ecclesiæ præiudicio.

22 Ad lucrandas distributiones non est absenti necessaria Episcopi licentia.

22 Quintò dubium est, vtrùm qui in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem sine licentia Episcopi abest, lucretur distributiones.

Rota Romana *in vna Calaguritana fructuum* 16. *May* 1614. coram D. Vbaldo, asserit non lucrari, vt patet ex ipsamet Rotæ decisione, cuius tenorem hic de verbo ad verbum, quatenùs ad hanc rem facit, referre censui.

De-

Decanus Calaguritanus, &c.

Controuertebatur per informantes pro Capitulo requisitum licentiæ, quo deficiente, etiamsi adsit iusta causa absentiæ, tamen non lucratur fructus, & distributiones, vt in cap. relatum. de Cler. non resid. *& fuit dictum in eadem Astens. fructuum* 10. *mensis Ianuarij proximè præterito, coram D. meo Manzanedo.*

Nec obstare videtur, quòd licentia esset petenda à Capitulo ex forma statuti Ecclesiæ, quam certum videtur Capitulum fuisse denegaturum, cùm sit pars formalis in hac causa, & consequenter videretur superflua petitio. *l. hac stipulatio. §. Diuus. ff. vt leg. nom. caueat. cum similibus.* Quia fuit responsum, quòd licentia non erat petenda à Capitulo priuatiuè ad Episcopum, neque statutum corrigit ius commune, & videtur cessare difficultas ex sacro Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 1. de reform. §. eadem.* vbi disponitur, non licere abesse absque licentia Episcopi, & causa prius cognita, & probata, & quatenus etiam fuisset deneganda; erat tamen petenda, cùm sit de forma. Cardin. *in Clem. 1. §. volumus, num. 2. de foro compet.* & fuit dictum in Treueren. Chori Capitularis 10. *Martij* 1606. coram R.P.D. Manzanedo.

Nec videbatur ex commissione causæ in Rota, & permissione R. P.D. Vicegerentis resultare sufficiens licentia ad effectum, vt Decanus tamquam præsens lucraretur fructus, & distributiones, huiusmodi enim tolerantia Vicegerentis solùm suffragatur, ne Decanus incidat in pœnas in suis edictis promulgatas contra non residentes, & in omnem euentum posset fortè prodesse ad lucrandos fructus quos etiam absentes interdum percipere solent, vt fuit dictum *in Lucerina fructuum 7. Februarij* 1590. coram bonæ memoriæ Cardinali Seraphino, quæ est *decisio* 910. *num. 4. part. 1.* in impress. non autem ad lucrandas distributiones, quæ solis interessentibus conceduntur, *cap. 1. de Cler. non resid. in 6.* Concilium Trident. *sess. 24. cap. 12. §. distributiones. de reformat.*

Nec videbantur etiam suffragari memoralia porrecta Sanctissimo Domino, & in Sacra Congregatione Episcoporum pro eiusmodi licentia, quia non sufficit eam esse petitam, sed requiritur quòd sit obtenta. Cardinal. *in cap. relatum, num. 2. de Cler. non resid.* Quæ tamen omnia latiùs erunt discutienda, cùm disputabitur circa fructus, & distributiones præteritas, & decasuras, ante prædictum mandatum de manu tenendo, de quo Rota, vt dixi, reseruauit particulariter videri, & ita fuit decisum, &c. Hæc Rota.

Ego verò, salua Rotæ auctoritate, dicendum arbitror ad lucrandas distributiones necessariam non esse Episcopi licentiam. Ratio est, quia *in cap. vnico, de Cler. non resid.* absolutè permittuntur distributiones absenti in euidentem Ecclesiæ vtilitatem.

Neque obstat Decretum Concilij Tridentini *sess. 23. cap. 1.* quia non loquitur de Canonicis, sed de Episcopis, & animarum curatoribus, vt obseruauit Carolus Macignus *de Horis Canon. cap. 68. num. 14. & seq.* & alij, quos retuli [*in lib. variarum tractationum*, dum loquerer] *de obligationibus beneficiariorum ad residendum.* Hæc tamen R. D. Vbaldi, & Sacræ Rotæ iudicio subiicio, & submitto.

Ex dictis in hoc puncto colligi potest solutio aliorum casuum ad praxim pertinentium, quos maioris perspicuitatis gratia *in sequentibus §§.* explicabo.

§. I.

Vtrùm absens in seruitio Papæ lucretur distributiones.

VNICA PROPOSITIO.

1 Absenti in seruitio Papæ debentur fructus, sed non distributiones præciso priuilegio.

1 ABsenti in seruitio Papæ non sunt quidem denegandi fructus sui beneficij, *cap. cùm dilectus, de præbendis, in 6.* Distributiones tamen, præciso priuilegio, non debentur. Ratio est, quia hic non dicitur abesse in vtilitatem propriæ Ecclesiæ, nec vllo iure constat huic distributiones concedi. Ita Panorm. *in cap. cùm dilectus, cit.* Garzias *de benef. 3. part. cap. 2. num. 385.* vbi refert Seluam, & alios, Hoieda *1. part. quæst. 17. num. 5.* Macignus *cap. 71. nu. 124.* Moneta *2. part. quæst. 9. num. 13.* & alij communiter.

2 Quinam dicantur esse in seruitio Papæ.

2 Illi autem in Papæ seruitio dicuntur, qui Papæ immediatè inseruiunt, vt Capellani, Secretarij, & similes, quique in ipsius curia de ipsius mandato commorantur, aut etiam aliò pergunt iussu Pontificis ad aliqua negotia peragenda; qui verò propria voluntate Romæ commorantur, non dicuntur esse in seruitio Papæ, quia isti potius commorari videntur in propriam, quam in Papæ, vel vniuersalis Ecclesiæ vtilitatem.

3 Inseruiẽti Cardinali, vel Principi sæculari non solùm distributiones denegantur, verùm etiam fructus subtrahi possunt.

3 Ex quo à fortiori patet absentem in seruitium Principis sęcularis, vel Ecclesiastici, etiam Cardinalatus dignitate præditi, vel Legati Summi Pontificis non posse distributiones lucrari, quia non dicitur abesse in euidentem propriæ Ecclesiæ vtilitatem. Imò huic subtrahi posse fructus beneficij, iuxta Tridentini Decretum *sess. 24. cap. 12. vers. præterea fatendum est*; nisi fortè excipias inseruientem Legato Summi Pontificis, iuxta probabilem nonnullorum Doctorum opinionem. Ratio est, quia isti non dicuntur residere: non residentes autem fructibus priuari possunt, nisi priuilegio aliquo particulari, vel in iure expresso se tueantur; in iure autem huiusmodi priuilegium ipsis concessum non reperitur.

4 Probabilius est etiã inseruienti Legato Sũmi Pontificis subtrahi posse distributiones.

4 Dixi, *nisi fortè excipias inseruientem Legato Summi Pontificis*, &c. quia huic fructus subtrahi non debere communis est opinio DD. quos refert Garzias *de benef. 3. part. cap. 2. num. 382.* & Moneta *2. part. quæst. 9. num. 3.* quia videtur inseruire Papæ, cui Legatus inseruit, & familiaris alicuius præsumitur familiaris Papæ, vt cum Saliceto probat Reuerendissimus D. meus Pirouanus, præstantissimus, & eruditissimus Rotæ Romanæ Auditor, *in causa Romana S. Petri. 8. Aprilis 1622. vers. Placebat etiam Dominis.*

Ego verò in opinionem Panormitani, oppositum sentientis *in cap. cùm dilectus, de Cler. non resid.* magis propendeo. Ratio est, tum quia inseruiens Legato iuxta communem loquendi modum, non dicitur inseruire Papæ, alioquin dari posset processus quasi in infinitum: tum quia versamur in materia cultui diuino contraria, cùm per absentiam Canonicorum diuinus cultus in propriis Ecclesiis diminuatur. Ergo non est facienda extensio ad casus in iure non expressos. Ergo fructus subtrahi possunt, nisi aliquod priuilegium non residendi à legitimo superiore obtineatur.

§. II.

Vtrùm Canonici, qui cum Episcopo tempore diuinorum absunt, percipere possint distributiones.

VNICA PROPOSITIO.

1 Canonicus cum Episcopo, absens in vtilitatem propriæ Ecclesiæ lucratur distributiones.

1 CAnonici, qui cum Episcopo tempore diuinorum Officiorum absunt in vtilitatem propriæ Ecclesiæ, lucrantur distributiones: vt si absint in iis casibus, in quibus ex consuetudine, vel ex iure Capitulum aliquos Canonicos eligit, vt Episcopus in negotiis peragendis ipsorum consilium, aut consensum perquirat, vt est casus in Tridẽtino *sess. 24. cap. 12. ad finem, vers. interea. sess. 5. cap. 5. de reform. vers. & quatenus. & sess. 25. cap. 6. de reform. versic. videlicet vt Capitulum.* Ita Moneta *quæst. 7. num. 15. & seq.* vbi alias illationes infert, quas ego non admitto.

2 Canonicus, qui cum Episcopo abest ad visitandam Diœcesim, &c. non lucratur distributiones.

2 Alij verò Canonici, qui in seruitio Episcopi existunt, vt si illum comitentur, dum Diœcesim visitat, aut cùm Missam extra propriam ipsius Canonici Ecclesiam auditurus est, non acquirunt distributiones, quia non dicuntur abesse in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem. Sic apertè constat, tum ex declarationibus sacræ Congregationis apud Garziam *3. part. cap. 2. num. 347.* ex *cap. de cetero*, & ex *cap. ad audientiam. de Cler. non resid.* in quibus iuribus absenti in seruitio Episcopi conceduntur fructus, non verò distributiones quotidianæ. Hoc idem, relatis Rotæ decisionibus, & declarationibus sacræ Congregationis probat Riccius *in sua praxi decis. 500. 502. §. notabilia, num. 5.* Quaranta *vers. Distributiones*, Nauarr. *cons. 2. de Cler. non resid.* & Macignus *cap. 71. num. 123.*

3 Canonicus cum Episcopo extra propriam Ecclesiã existens percipit distributiones, iuxta probabilem nonnullorũ opinionem, si Canonicatus nullos reditus habeat præter distributiones.

3 Quamquam si beneficium nullos habeat reditus præter quotidianas distributiones, probabile est Canonicum in seruitio Episcopi existentem eas lucrari, excepta tertia parte, quæ deseruientibus accrescit. Ita Glossa, Panorm. Rebuffus, Perez, Gomez, & alij apud Garziam *3. part. cap. 2. nu. 112. 115. 351. & seq.* apud Naldum *versic. Distributiones, n. 7.* apud Riccium *decis. 499. nu. 4.* & pòst *decis. 502. §. notabilia, num. 4.* & apud Gonzalez *§. 7. proœm. num. 183.* apud Monetam *quæst. 8. num. 15.* & apud Carolum Macignum *cap. 71. num. 134. & seqq.* Ratio est, tum quia distributiones in locum fructuum succedunt: tum quia priuilegium iuris inutile redderetur, si Canonicus eas distributiones lucrari non posset, dum in seruitio Episcopi existit.

Dixi, *probabile est*, quia oppositum non sine magna probabilitate sustineri posset, vt patet ex supradictis multis in locis, & ex infrà dicendis *§. 6. num. 4. & §. 9. num. 2.* ex quibus etiam constat solutio aduerationes in contrarium propositas.

4 Episcopus potest aliquos Canonicos adhibere, quiinterim fruuntur fructibus, etiamsi in ea Ecclesia extet statutum iuratum, quo fructus nõ residentibus denegantur.

4 An verò Episcopus, aut Archiepiscopus possit aliquos Canonicos in sui seruitium adhibere, qui fructibus interim gaudeant, colligi potest ex dictis [*in libr. variarum tractationum*] *in tit. de oblig. ad residendum.* vbi ostendi Episcopum posse in sui seruitium duos Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, etiamsi Doctoralem, & Magistralem præbendam habeant, adhibere. *cap. de cetero. de Cleric. non resid. & cap. ad audientiam, extrà de Cleric. non resid.* Rota *in vna Placentina fructuum 14. Martij* 1550. apud Puteum *decis. 294.* & apud Gonzalez *loco* statim *citando.* Ratio est, quia beneficiarij residentes possunt fructus percipere; isti autem fictione iuris præsumuntur residentes, *cap. ad audientiam, cit.* ibi, *cùm absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo, & ipsius Ecclesiæ seruitio commorantur.* Et hoc procedit, inquiunt DD. communiter; etiamsi in ea Ecclesia extet statutum iuratum, & à Summo Pontifice approbatum, vt Canonici absentes fructibus priuentur. Isti enim fictione iuris censentur præsentes, consequenter ex vi statuti fructibus priuari non debent. Ita Panormit. *in cap. de cetero, citato*, Garzias *de benef. 3. part. cap. 2. nu. 382.* Nauarr. *cons. 1. & 2. de Cler. non resid.* Moneta *de distribut. 2. part. quæst. 8. num. 6.* Hoieda *de incompatibilib. beneficior. 1. part. cap. 17. num. 29.* Gonzalez ad *regul. 8. Cancell. gloss. 6. num. 257.* & alij communiter apud Hoiedam, & apud alios præcitatos Doctores.

5 Episcopus potest in sui seruitium adhibere non solum Canonicos vrbis, verũ etiã ruris.

5 Amplia Episcopum non solùm posse Canonicos Ecclesię in Vrbe fundatæ in sui seruitium adhibere; verùm etiam Canonicos Collegiatæ extra Vrbem erectæ, quia *in cap. de cetero cit.* nulla fit exceptio, vel distinctio, sed absolutè sermo est de Canonicis: imò, cùm ibi non sit sermo de numero Canonicorum, quàm plures DD. arbitrantur Episcopum posse plures, quàm duos adhibere, modò non sint canonici Ecclesiæ cathedralis, cuius Ecclesiæ duos tantummodò canonicos Episcopus in sui seruitium assumere potest, *cap. ad audientiam, citato.* vide Doctores citatos.

6 Episcopus nõ potest secum adhibere Canonicos alterius Diœcesis, alioquin hi, tamquã non residẽtes priuantur fructibus.

6 Limita primò, ad canonicos eiusdem Diœcesis, *cap. ad audientiam, citato.* Ratio est, quia [canonici eiusdem Diœcesis] non præsumuntur absentes, cùm inseruiant Episcopo, & suæ Ecclesiæ, vt dicitur *in cap. ad audientiam, citato.* canonicus autem alienę Diœcesis non dicitur suæ Ecclesiæ inseruire, nec præsens præsumitur.

7 Manſionarij, aut alij, qui nõ sunt proprie Canonici, priuari possunt distributionibus dũ absunt in seruitiũ Episcopi.

7 Limita secundò, ad canonicos, qui propriè sunt canonici, non verò ad Mansionarios, seu assistos, qui non sunt capitulares: nam iura loquuntur de canonicis; non est autem facienda extensio vltra propriam verborum significationem, præsertim in materia, quæ in diuini cultus diminutionem tendit: portionarij autem, seu Mansionarij absentia diuinum cultum in Ecclesia diminuit. Ita Rota Romana *in vna Calaguritana fructuum 18. Martij* 1588. quam citat, & sequitur Gonzalez *loco citato, num. 262.* contra Ioannem Andream *in cap. ad audientiam, citato.* Imolam, Ancharanum, & alios apud Gonzalez *loco citato, num. 261.*

Concedo tamen Episcopum posse Mansionarios ex causis, quas [*in lib. variarum tractationum*] ex Tridentino *sess. 23. c. 1. de reform.* re-

censui, facultatem non residendi concedere, illumque secum in seruitia Ecclesiæ necessaria adhibere. Vide DD. præcit.

§. III.

Vtrùm absentes ad tuenda Capituli iura distributiones lucrentur.

VNICA PROPOSITIO.

1 Absens ad tuenda Capituli sui iura nō priuatur distributionibus, etiamsi in locum valdè distantē se transferat, aut etiamsi stipendium à Capitulo accipiat.

1 ABsentes ad tuenda Capituli iura non priuantur distributionibus. Ratio est, quia dicuntur abesse in vtilitatē suæ Ecclesiæ. Amplia primò contra Couar. 3. *var. cap.* 13. *num.* 8. & alios, etiamsi ob id ad longè distantem locum se transferant. [Ratio est,] tum quia adhuc verum est istos ob euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem abesse: tum quia verba textus generalia sunt; ergo generaliter intelligenda sunt: tum quia tantum abest, absentes ad prosequenda Capituli iura priuandos esse distributionibus, dum non sunt in oppido, seu loco beneficij, sed in remotiori, vt potiùs maiori præmio sint afficiendi ob maius incommodum. Par enim est, vt maius commodum sentiat, qui maius onus sentit. Ita Moneta [2 *par. de distribut. quæst.* 11. *num.* 16.] Francus *in cap. vnico, num.* 4. Carolus Macignus *cap.* 71. *num.* 104. & alij absolutè loquentes.

Amplia secundò, etiamsi absenti ad tuenda suæ Ecclesiæ iura congruum à Capitulo constitutum sit salarium. Ratio est, tum quia salarium non simpliciter constituitur, vt Canonicus absens seruetur indemnis, verùm etiam ad sustinendos labores, & incommoda, quæ occasione prosequendæ causæ sustineri solent: tum quia nullus præsumitur iuri suo cedere, nisi exprimat, sed Canonicus absens in Ecclesiæ suæ vtilitatem, iure sibi permittente, etiam inuitis Canonicis, ius habet ad quotidianas distributiones. Ergo non præsumitur illis cedere, nisi exprimat, etiamsi salarium ad litem prosequendam à Capitulo consequatur: tum quia ius Canonicum absolutè, & indistinctè distributiones concedit absenti in vtilitatem Ecclesiæ, ne damnum ex absentia patiatur.

Hæc ampliatio mihi probatur, licèt nullum habeam auctorem, qui meæ sententiæ subscribat, plures verò contrarios inueniam: nempe Graffium 2. *part. decis. lib.* 2. *cap.* 15. *nu.* 11. Monetam 2. *part. quæst.* 11. *nu.* 35. & 43. Garziam 3. *part. cap.* 2. *num.* 339. & alios.

Maius dubium est, vtrùm Canonicus absens ad tuenda suæ præbendæ iura, possit distributiones, tamquam absens in vtilitatem suæ Ecclesiæ percipere.

Moneta *loco cit. quæst.* 11. *n.* 44. mordicùs defendere conatur huiusmodi absenti distributiones non deberi. Imò Garzias *loco cit.* innuere videtur, non solùm non deberi distributiones, verùm neque fructus.

2 Canonicus absens, vt tueatur ius, beneficij, lucratur distributiones, secus si abest, vt tueatur ius suū contra alterū idem ius prætendentem.

2 Sed mihi distinguendum videtur, vel hic abest, vt tueatur ius, cuius ipse in beneficio prætensionem habet contra alterum, qui prætendit idem beneficium, vel vt tueatur iura ipsa beneficij, quæ ipso à lite cessante, fortè corruerent, & extinguerentur.

Si abest, vt ius suum contra alterum prosequatur, non potest distributiones lucrari, quia non dicitur abesse in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem, parum enim Ecclesiæ referre videtur, vt hic potiùs quàm alter beneficium obtineat.

Idem dic si abfuit ad prætendendos fructus beneficij, quod habet in alia Ecclesia, ex Rota Romana *in vna Licien si* 25. *Aprilis* 1603. coram Cardinali Pamphilo, cuius decisio refertur etiam *in vna Astensi fructuum die* 15. *Maij* 1613. *vers. non obstat.*

3 Canonicus absens, vt tueatur iura beneficij, lucratur distributiones, etiāsi Procuratorem in sui locū mittere potuerit ad prosequendam litem.

3 Si verò abest, vt tueatur iura ipsa beneficij, probabilius arbitror ius ad distributiones habere in ea Ecclesia. Ratio est, tum quia beneficium in iure appellatur Ecclesia, ex Panormit. & aliis, quibus adde Nauar. *cons.* 14. *de Cler. non resid.* Sed hic abest in vtilitatem proprij beneficij; ergo dici potest abesse in vtilitatem propriæ Ecclesiæ: tum quia destructione alicuius præbendę non leue incommodum censetur Ecclesię irrogari: sicut ex opposito, qui præbendam in aliqua Ecclesia instituit, optimè meritus de tali Ecclesia censetur, illique graue commodum attulisse dicitur. Ergo etiam graue commodum censetur afferre Ecclesiæ, qui beneficium in ea erectum defendit, cùm par ratio videatur instituentis, & conseruantis: tum quia iura beneficij sunt bona Ecclesiæ, sicut est ipsum beneficium, quod ob id alienari, vel ad longum tempus locari non potest sine prę scripta solemnitate, vt idem Moneta *num.* 104. concedit ex *decisione* Rotæ 284. & satis constat ex iis, quæ ego tradidi de contractibus de alienatione bonorum Ecclesię *disput.* 3. *quæst.* 8. *punct.* 4. [*& in libr. variarum tractationum disput.* 2.] Ergo suscipiens causam ad tuenda iura beneficij, dicitur rem in euidentem Ecclesię vtilitatem agere: tum quia si iura beneficij sustineantur, vel augeantur, beneficium faciliùs optabitur, modò in ea Ecclesia optioni locus sit. Secus si beneficiarius causa cadat cum iactura, & diminutione nonnullorum fructuum. Ergo agitur de commodo Capituli, cùm ius optandi Capitulare sit, & regulariter loquendo non optetur titulus, sed prębenda. Et licèt Capitulum, vt Capitulum non optet, optat tamen Canonicus ex iure, quod Capitulo competit, quod ius hac in parte læditur, si Canonicatus iura diminuantur.

Neque obstat responsio Monetæ, dicentis, quod beneficiarius agit, principaliter agere in sui commodum, indirectè verò, & secundariò in commodum Ecclesiæ, non, inquam, obstat; quia principaliter agitur de iure, quod ad Ecclesiam pertinet, & semper pertinebit, & per accidens est Ecclesiæ, quòd hic beneficium in ea Ecclesia obtineat. Præterea, quid respondebit Moneta si hic beneficiarius nullam sui commodi curam habens, causam tantummodò suscipiat, vt rem Ecclesiæ vtilem agat, cui ex obligatione consulere tenetur? Ita Rota Romana *in vna Salamatina* 28. *Nouembris, & in vna Astensi* 15. *Maij* 1603. in qua pro hac sententia quàm plures Doctores referuntur, *& in vna Calaguritana fructuum* 26. *Maij* 1614. coram R. D. Vbaldo. Idem sentire videtur Garziaz *num.* 336. & Augustinus Barbosa *in remiss. sess.* 24. *cap.* 12. *num.* 50. dum asserunt, Archidiaconum percipere distributiones quotidianas, dum in loco beneficij visitat Ecclesiam, iura, vel reditus suę præbendę, nam censetur Ecclesiæ suę inseruire in re vtili. Idem Barbosa refert pro hac sententia Monetam *in loco citato, quæst.* 11. *num.* 63. Sed Moneta ibi solùm loquitur de Archidiacono visitante propriam Ecclesiam cum Episcopo, vel eius Vicario, vel de alterius mandato. Idem sentire videtur Gonzalez *ad reg.* 8. *glos. f.* 6. *num.* 267. cum Felino, Nauarro, & aliis, & nouissimè Macignus *cap.* 71. *num.* 104.

Amplia prædicta cum Rota, etiamsi beneficiarius potuerit pro se mittere Procuratorem: adhuc enim dicitur abfuisse in euidentem Ecclesiæ suę vtilitatem, licèt oppositum sentire videatur Moneta 2. *part. q.* 5. *num.* 43. *ad finem.*

§. IV.

Vtrùm Canonicus, qui tempore diuinorum Officiorum Missam in propria Ecclesia celebrat, percipere valeat distributiones.

VNICA PROPOSITIO.

1 Canonicus, qui tēpore diuinorū Officiorū Missam in sua Ecclesia celebrat, non lucratur distributiones.

1 CAnonicus qui tempore diuinorum Officiorum Missam in sua Cathedrali, aut Collegiata Ecclesia celebrat, non lucratur distributiones. Ratio est, quia non dicitur diuinis Officiis cum aliis interesse, aut abesse in euidentem suæ Ecclesiæ vtilitatem, vt cum Stephano, Gratiano, Barbosa, Riccio, & aliis docui *de Sacramento Eucharistiæ disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 7. §. 5. *num.* 7. quibus adde Federicum de Senis *cons.* 120. *in fine.* Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell.* §. 7. *proœm. num.* 181. Emanuelem Sà *ver. Beneficium, num.* 55. Macignum *cap.* 71. *num.* 127. Garziam 3. *par. de benef. cap.* 2. *dub.* 21. *num.* 398. Quarantam *ver. Distributiones.* Felinum & Panorm. *cap. cùm olim, de re iudic. nu.* 6. Francum *cap. vnic. de Cler. non resid.* & alios apud præcit DD. & ita per Sacram Congregationem declaratum fuisse, referunt Riccius *vers. praxis distrib. decis.* 494. *num.* 2. Gonzalez, & Garzias *locis citatis.* Idemque sustinuit, & definiuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis me præsente, & ita consulente.

2 Hoc valet etiamsi celebret ex deuotione, vel tamquā mercenarius, vel tāquam Capellanus titularis.

2 Amplia primò, contra Monetam 2. *part. quæst.* 11. *num.* 52. non solùm si celebret ex onere Capellaniæ, quam in titulum habet, verùm etiamsi celebret tamquam Capellanus mercenarius, aut etiam ex deuotione: militat enim eadem ratio.

3 Idem valet etiamsi celebret de consensu superioris inferioris Summo Pontifice.

3 Amplia secundò contra eumdem Monetam etiamsi celebret de consensu sui superioris, inferioris Summo Pontifice; nam inferior Summo Pontifice non potest in iure communi dispensare, vt docui de Sacramentis *loco cit.* cum præcit. DD. Hoc tamen intelligendum est iuxta dicenda *in secunda limitatione.*

4 Secus dicendum si hoc faciat ex priuilegio Summi Pontificis.

4 Limita primò præciso Summi Pontificis priuilegio, vt per se patet, aut secluſa legitima consuetudine, quam iusta de causa induci posse constabit ex infrà dicendis, & in specie tradit Garzias *loco cit. num.* 401. cum Decio, Couar. & aliis: ficque in sua Ecclesia vsu receptum esse testatur. Idemque cum Panormit. Duenna, & aliis tradit Hoieda *de incompatibilitate beneficiorum*, 1. *part. cap.* 17. *num.* 10.

Limita secundò, præciso mandato superioris, nam qui de mandato superioris tempore diuinorum Officiorum Missam celebrat, distributiones lucrari potest, vt habetur in nostro Concilio prouinciali IV. *tit. de distributionibus, vers. quicumque*, cuius verba retuli *de Sacramentis loco citat.* Idem à Sacra Cardinalium Congregatione declaratum esse referunt Gonzalez, Garzias, Riccius, Macignus, & Moneta *locis citatis*, in hunc ferè verborū sensum Canonici, qui extra Chorum celebrantes, licèt etiam ex causa deuotionis celebrent in eadem Ecclesia, non censentur præsentes. Si autem celebrent ex iussu superioris, habentur pro præsentibus. Ratio autem cur isti pro præsentibus habendi sint tunc temporis, quo iussu superioris celebrant, est, quia censentur abesse in vtilitatem propriæ Ecclesiæ, in qua fieri posset, vt in Missarum celebratione magna sequeretur confusio: omnes enim aliquando vellent tempore diuinorum Officiorum celebrare, & sic cultus circa diuinum Officium iacturam sæpè pateretur, aliquando nullus vellet tunc temporis Missas celebrare, & sic Ecclesia tunc temporis Missarum celebratione destitueretur. His ergo incommodis consultum esse videtur, vt Canonici tempore diuinorum Officiorum celebrantes de mandato superioris, cui maximè cura diuini cultus incumbit, pro præsentibus censeantur, cùm in vtilitatem suæ Ecclesiæ abesse videantur. Et hoc etiam, per se loquendo, dicendum puto, contra Monetam, etiamsi Canonici celebrent ex onere Capellanię in titulum acceptæ; militat enim eadem ratio: nec sacra Cardinalium Congregatio, aut Prouinciale Concilium in hac re distinguit, quamuis alicubi oppositum vsu receptum sit.

Neque obstat ratio Monetæ, quòd hæc Capellania titularis sit distinctum beneficium, & quasi distinctam Ecclesiam faciat, consequenter Capellanus non videatur Ecclesiæ collegiatæ inseruire, sed propriæ Ecclesiæ. Non, inquam, obstat hæc distinctio, quia non attendendus est in hac re titulus, cuius causa celebrat, sed inspicienda est ipsamet causa absentiæ, seu ipsamet celebratio, quæ si tunc temporis ex iussu superioris fiat, in commodum, & vtilitatem Ecclesiæ Collegiatæ fieri censetur, vt dictum est: alioquin etiam dicendum esset, Canonicum ex deuotione, aut ex eleemosyna tempore diuinorum Officiorum celebrantem iuxta præceptum superioris, non posse distributiones acquirere, cum perspicuum sit hunc non celebrare tamquam Canonicum, sed tamquam Capellanum pretio conductum, aut ex deuotione diuina facientem. Vide præcit. Doctores, & præsertim Garziam *loco citato, num.* 399. vbi triplicem de hac re Sacræ Congregationis declarationem refert.

§. V.

§. V.

Vtrùm Pœnitentiarius percipere possit distributiones, dum in confessionibus excipiendis tempore diuinorum Officiorum detinetur.

VNICA PROPOSITIO.

1 Pœnitentiarius iure nouo percipit distributiones si tẽpore diuinorum in Ecclesia detineatur ad excipiẽdas confessiones.

1 POenitentiarius Ecclesiæ Cathedralis non potest spectato iure antiquo distributiones capere, dum in confessionibus excipiendis detinetur. Ratio est, quia hic non dicitur abesse in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem, sed in commodum Ciuitatis, ac Diœcesis, seu Ecclesiæ specialis, vel vniuersalis.

Dixi, *spectato iure antiquo*, quia iure nouo sancitum est in Tridentino *sess.* 24. *cap.* 8. vt Pœnitentiarius dum confessiones in Ecclesia audit, præsens in Choro censeatur, & consequenter distributiones, quę Choro interessentibus tribuuntur, percipere possit.

2 Secus si confabuletur, vel priuatim recitet Officium, vel cõfessiones domi audiat.

2 Hinc patet Pœnitentiarium, qui tempore diuinorum Officiorum priuatim Officium recitat in Confessionali, aut alibi, aut etiam celebrat, aut confabulatur, non lucrari distributiones, quia ex Concilij Tridentini Decreto eas lucratur, dum confessiones in Ecclesia audit: sicque per Illustrissimos Cardinales interpretationi eiusdem Concilij præfectos, declaratum esse fatentur, qui Sacræ Congregationis declarationes collegerunt. Idemque asserit Garzias *part.* 5. *de benef. cap.* 4. *num.* 124. referens declarationes Sacræ congregationis. Vgolinus *de officio Episcopi cap.* 33. *num.* 5. Moneta *loco citato, num.* 66. Hoc tamen non adeò strictè, & rigorosè intelligendum puto, quin Pœnitentiarius vrbanitatis, aut consilij gratia possit, quantum prudens occasio tulerit, cum aliquo detineri, præsertim si de rebus ad confessiones pertinentibus agatur; multi enim ad Pœnitentiarium confugiunt petendi consilij gratia, vel vt facultatem consequantur absoluendi, vel absolutionem obtinendi à nonnullis casibus, quorum ipse facultatem aliquando delegare potest: hæc enim ad confessiones faciunt, & ad Pœnitentiarij munus pertinent, nec contra concilij mentem esse videntur, nec vllalex rationabili, & honestæ vrbanitati aduersatur.

Præterea patet Pœnitentiario non deberi distributiones, si diuinorum Officiorum tempore confessiones domi, aut alibi excipiat. Secus si in propria Ecclesia confessiones audiat in proprio, vel alieno confessario. Nam ex concilio Tridentino præsens choro censetur, dum confessiones in Ecclesia audit.

Denique addit Moneta *quæst.* 11. *num.* 65. Pœnitentiarium, si tempore Litaniarum, vel Processionum, quæ extra Ecclesiam peraguntur, confessiones in Ecclesia audiat, non lucrari distributiones, quæ interessentibus conferuntur: non enim potest eas lucrari ex iuris antiqui dispositione, vt probatum est, neque ex Tridentini priuilegio, inquit Moneta *loco citato*, cùm illum fictione iuris præsentem in choro constituat; distributiones autem, de quibus nos in præsentia loquimur, non conferuntur præsentibus choro, sed Litanias, vel Processiones comitantibus, & prosequentibus.

3 Pœnitentiarius si tẽpore Litaniarum, vel Processionũ, quæ extra Ecclesiã peraguntur, cõfessiones audiat, distributionũ particeps esse potest.

3 Ego verò probabilius arbitror Pœnitentiarium lucrari posse distributiones, si confessiones eo tempore audiat, quo reliqui canonici supplicationibus, & processionibus assistunt. Ratio est, tum quia ex mente sacri concilij nomine *Chori* non intelligitur locus ille materialis, in quo diuina Officia iuxta consuetudinem persolui solent, sed cœtus, & conuentus canonicorum, Officium, seu ministerium diuinum exercentium; tum quia sic per sacram Cardinalium congregationem declaratum esse testatur Garzias *de benef.* 5. *part. cap.* 4. *num.* 125. *in vna Gienen.* 4. *Septemb.* 1591. in qua declaratur, Pœnitentiarium non solum censeri præsentem diuino Officio, verùm etiam processionibus, & exequiis defunctorum, quæ fiunt eo tempore, quo ipse confessiones audit. Vide Garziam *loco citato, & in addit. ad* 5. *partem cap.* 4. *num.* 125. vbi in hanc sententiam refert Salazar de Mendoza *in libr. de institut. canon.* §. 6. & Leonem *in Thesauro fori* 3. *part. cap.* 2. *nu.* 18. sed hoc ego apud Leonem non inueni.

Ad rationem Monetæ patet responsio ex dictis.

Plura de prouisione, dispositione, & facultate Pœnitentiarij videri possunt apud Garziam *à num.* 109. *vsque ad* 154. quæ hic ad rem nostram non faciunt.

4 Canonici confessionem audientes in defectum pœnitẽtiarij, percipere possunt distributiones: secus si hoc faciãt præsente Pœnitẽtiario, nisi aliud ferat priuilegium, vel statutum à Sede Apostolica cõfirmatum.

4 Sed modò dubium est, vtrùm alij canonici, qui tempore diuinorum Officiorum confessiones audiunt, distributionum participes sint. Mihi distinguendum videtur; vel isti confessiones audiunt in defectum Pœnitentiarij absentis, seu mortui, vel præsente in Ecclesia Pœnitentiario. Si audiunt præsente Pœnitentiario, arbitror istos non esse participes distributionum, præciso particulari statuto à Sede Apostolica confirmato, quod in Metropolitana Mediolanensi extare asserit Moneta, qui in eadem Ecclesia Doctoralem præbendam aliàs obtinebat, & illius onera pro dignitate ferebat. Ratio est, quia nullum ius hoc eis priuilegium concessit, cùm Trident. loquatur de Pœnitentiario. Si verò aliquis Canonicus de licentia superioris confessiones audit, sede Pœnitentiali vacante, seu in defectum Pœnitentiarij absentis, lucrari potest distributiones: tum quia vices Pœnitentiarij sustinet, consequenter par est, vt ipsius priuilegiis gaudeat, subrogatus enim sapere debet naturam illius in cuius locum subrogatur: tum quia hoc munus non debet illi damnosum esse. Nec obstat Tridentinum *loco citato* loqui de Pœnitentiario, quadragenario, & Doctore, vel Licentiato: nam ista sunt accidentia, & qualitates Pœnitentiarij, quæ non apponuntur taxatiuè, sed demonstratiuè.

Addit Moneta *loco cit. num.* 68. hoc idem priuilegium extendi posse ad Canonicos qui tamquam minores Pœnitentiarij à superiore assumuntur in partem ministerij maioris Pœnitentiarij, nullo congruo stipendio ipsis assignato. Sed hoc ego non facilè admiserim: tum quia non est recedendum à iure antiquo, nisi quatenus iure nouo decernitur: ex iure autem antiquo isti debent distributionibus carere, vt superius ostensum est, nec iure nouo concilij Tridentini aliter decernitur, cùm Tridentinum loquatur de vno Pœnitentiario, qui videlicet verè, & propriè sit Pœnitentiarius: tum quia multiplicatis hoc pacto Pœnitentiariis, facilè diminui posset cultus diuini Officij in choro, quod non videtur iuxta mentem Tridentini, quod loquitur in singulari de Pœnitentiario, ibi, *Pœnitentiarius aliquis cum vnione præbendæ proximè vacaturæ ab Episcopo instituatur*, &c. Ergo Tridentini decretum non est ad illos extendendum: quòd si Episcopus voluerit aliquos in Pœnitentiarios assumere, debet illis congruam mercedem assignare, ne Canonici ex proprio labore damnum patiantur, sed saltem curare debet, vt Summus Pontifex id ratum habeat.

§. VI.

Vtrùm Theologus, seu obtinens præbendam Theologalem lucretur distributiones tempori absentiæ respondentes.

VNICA PROPOSITIO.

1 Theologus tẽpore absentiæ non percipit distributiones, quamuis occasione parandæ concionis absit.

1 THeologus, seu obtinens præbendam Theologalem non potest, præciso priuilegio, tempore absentiæ lucrari distributiones, etiamsi à choro absit prætextu parandæ concionis, vel lectionis, vel defatigationis, quæ ex studio consurgere potest, nisi fortè ipsius præbenda fructus non habeat distinctos à distributionibus. Ratio est, tum quia sic fertur per sacram congregationem declaratum; tum quia non dicitur abesse in seruitium Ecclesiæ, seu in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, nisi remotè, quatenus parat se ad seruitium Ecclesię, & potius inseruire dicitur vtilitati communitatis illius loci, quàm propriæ Ecclesiæ, quamquam Moneta 2. *part. quæst.* 11. *num.* 75. putat Theologum, si hæc faciat, vt sacram Scripturam, seu Theologiam solis, vel principaliter, ac pro maiori parte Canonicis aliisque clericis Ecclesiæ suę legat, lucrari posse distributiones. Sed hoc mihi non probatur, vt patet ex mox allata ratione, absentia enim non est vtilis Canonicis, sed ipsa lectio.

2 Theologus eo die, quo legit distributiones capit respondẽtes diei.

2 Excipiuntur à præfata propositione illi dies, quibus Theologi in suis Ecclesiis legunt: illis enim diebus tamquam præsentes in Choro, & inseruientes habendos declarauit Gregorius XIII. si credimus Ioanni de Galemart. *sess.* 5. *cap.* 1. *versic. & fruuntur*, & Garziæ *loco* statim *citando*. Idem etiam à sacra Cardinalium Congregatione, quæ interpretationibus sacri Concilij præest, declaratum fuisse *in vna Abulensi*, tradit Moneta *loco cit. & quæst.* 10. *num.* 27. Naldus *ver. Distributiones num.* 9. Garzias *de benefic.* 3. *part. cap.* 2. *nu.* 118. vbi multas declarationes allegat. Gonzalez *ad regul.* 8. *cancel.* §. 7. *proœm. num.* 180. Idem asserit Riccius *in sua praxi decis. in notabili post decis.* 502. *num.* 2. *pagina mihi* 587. Sed hic non putat censeri præsentem Matutino, quod idem à fortiori sentire videtur Garzias *num.* 120. asserens distributiones solùm deberi pro tempore, quo legit, ita vt, si serò legat post Vesperas, censeatur præsens in Vesperis.

Alij verò Doctores absolutè dicunt censeri præsentem, etiam quoad distributiones, pro tota die, quod mihi probabilius videtur iuxta declarationes sacræ Congregationis. Vt autem hos Doctores cum Riccio conciliem, arbitror præcitatos DD. locutos fuisse de diuino Officio, quod eo die peragitur. Riccij verò textum, aut mendosum esse in meo Codice, (alioquin Riccius sibi contrarius esset *in decis.* 495. *ad finem*, vbi contrarium docere videtur ex declaratione sacræ Congregationis,) aut intelligendum esse de Matutino, quod alicubi ex recepta Ecclesiæ consuetudine in Vesperis præcedentis diei, pro subsequenti die celebratur, iuxta declarationem sacræ Congregationis, quam refert Garzias *loco cit. nu.* 118. *versic. Quinta.*

3 Alicubi extant peculiaria priuilegia Theologis concessa.

3 Alicubi etiam extant peculiaria priuilegia Theologis concessa, vt in Diœcesi Mediolanensi Synodo XI. *rubric. de monitis Decretorum*, quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta pertinet, *versic. præbendam porrò Theologalem*, vbi habetur Theologum dum in residentiæ suæ Ecclesia sacram Confessionem audit, aut dum abest, re vera incumbens in Congregationem menstruam, aut necessario itinere impeditus, quod ob eam causam susceperit in definitionis munere, distributionũ perinde participem esse, ac si in Choro præsens adesset. Maiora etiam priuilegia competunt Theologo Ecclesiæ Metropolitanæ, ex statutis ipsiusmet Ecclesiæ, quæ ipsimet Theologo pro tempore videnda relinquo apud acta Ecclesiæ Mediolanensis.

4 Theologus absens causa sui muneris percipit distributiones, dũ Canonicatus in solis cõsistit distributionibus, iuxta communẽ opinionẽ, de qua ego ambigo, & saltẽ dico, detrahendam esse tertiã partem pro inseruientibus.

4 Dixi in propositione, *nisi fortè ipsius præbendæ fructus non habeat distinctos à distributionibus*: nam si præbenda in solis consistat distributionibus, communis Doctorum opinio est, Theologum, dum abest prætextu sui muneris, gaudere quotidianis distributionibus. Ratio est, tum quia sic declarauit sacra Cardinalium Congregatio, teste Garzia *loco citato, versic. secunda*: tum quia [Canonici] possunt fructus sui beneficij percipere, dum absunt muneris sui causa, vt ex declaratione eiusdem sacræ Congregationis tradunt Garzias, & Gonzalez *locis citatis.* [Riccius & alij, quos retuli §. 2. *num.* 3.] Ergo possunt etiam percipere distributiones, dum beneficium nullos alios habet reditus, præter solas distributiones: tunc enim distributiones in locum præbendæ succedunt, alioquin priuilegium percipiendi fructus eluforium esset.

Huic opinioni ego adhæreo potius ob sacræ Congregationis auctoritatem, quàm ob rationem, quia priuilegium percipiendi fructus inutile non redderetur, sed verificaretur in iis, quorum beneficia fructus, & distributiones reddunt. Excipienda tamen ad minimum videtur tertia pars, quæ inseruientibus accrescere cõsueuit, dum beneficium in solis consistit distributionibus: par enim non est, vt ipsi pro absente laborent, & nullum inde commodum sentiant, vt innuere videtur ex declarationibus sacræ Congregationis Garzias 3. *part. de benefic. cap.* 2. *num.* 351. & 353. Moneta *quæst.* 5. *num.* 72. & alij, [quos retuli §. 2. *num.* 3. & *infr.* §. 9. *num.* 2. & *punct.* 4. *num.* 4.]

Plura de prouisione, & dispositione præbendæ Doctoralis, & Magistralis tractat Garzias *part.* 5. *cap.* 4. *à num.* 153. quæ apud ipsum videri possunt, cum præsenti nostro instituto non inseruiant.

§. VII.

§. VII.

Vtrùm obtinens dignitatem, vel Canonicatum cum cura animarum frui possit distributionibus, si tempore diuinorum Officiorum absit ad animarum curam exercendam.

VNICA PROPOSITIO.

1 Habens dignitatē, vel Canonicatum cū animarum cura non lucratur distributiones tempore absentiæ.

1 HAbens dignitatem, vel Canonicatum in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, cui Canonicatui, vel dignitati adnexa sit animarum cura, non potest, præciso priuilegio, vel consuetudine in contrarium, lucrari distributiones, dum tempore diuinorum Officiorum abest ad exercendam animarum curam, modò beneficium reddat fructus, & distributiones. Ita sacra Cardinalium Congregatio, teste Macigno *cap.71.nu.122.* Ratio est, tum quia non dicitur abesse in vtilitatem propriæ Ecclesiæ, sed in obsequium, & commodum ouium sibi subditarum: tum quia sic colligitur ex *constitutione 64.* Pij V. quæ incipit, *Cupientes,* vbi decernitur, vt rectores Parochialium, qui obtinent Canonicatus, vel dignitates in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis, si residеant in Ecclesiis Parochialibus, lucrentur omnes, & singulos fructus, reditus, & prouentus sui Canonicatus, vel dignitatis, exceptis quotidianis distributionibus.

2 Hoc tamē intelligitur primo, modo beneficiū habeat distributiones, & fructus.

2 Dixi in propositione, *modò beneficium fructus reddat & distributiones,* quia si beneficium in solis distributionibus consistat, & beneficiarius nequeat Canonicatui, & Parochiali inseruire, sacra Cardinalium Congregatio, si credimus Riccio *decis.498.num.4.*& Garziæ *loco cit. num.114.& 353.*declarauit huiusmodi beneficiarium integris distributionibus frui, idemque decreuit Pius V. ex sententia Congregationis, teste Garzia [*3.punct.cap.2.*]*nu.114.* Præterea idem Garzias *num.352.*hanc rationem affert, cur hic integras distributiones lucretur; qui verò abest ob inimicitias, non lucretur omnes distributiones, dum ipsius beneficium in solis distributionibus consistit, sed tertiam partem, inseruientibus applicandam amittat, quia causa absentiæ illius magis pia videtur, consequenter maiori fauore digna est, quàm huius. Vide Garziam *locis citatis.*

3 Secundo intelligitur, nisi adsit priuilegium, vel consuetudo in contrarium.

3 Dixi, *præciso priuilegio, vel consuetudine,* nam multis in locis in more positum est, vt Canonici habentes curam animarum in eadem Ecclesia sui Canonicatus percipiant distributiones, dum absunt occasione muneris Parochialis. Quamobrem a sacra Cardinalium Cōgregatione absolutè definitum est, teste Gonzalez *§.7.proœm. nu.185. ad finem in nouis,* Moneta *2.part.q.11.num.71.in vna Papiensi, & Assisiensi,* vt Archipresbyter habens curam animarum in choro præsens censeatur, dum muneri Parochiali incumbit. Idem tradit Garzias *num.114.* relata duplici sacræ congregationis declaratione, & quàm pluribus Doctoribus.

4 Affertur ratio ad ostendendum cur huiusmodi priuilegiū, vel consuetudo inducta sit.

4 Hæc consuetudo, seu decisio, siue priuilegium iure merito inductum fuit, ne Canonici curam animarum habentes, timore amittendarum distributionum, muneri suo Parochiali, cum dispendio animarum aliquando deessent.

5 Ex decreto Tridentini, qui dignitatem habet cum cura animarū extra Diœcesim, lucratur distributiones extraordinarias.

5 Imò in Tridentino *sessio.22. cap.3. de reformat.* hoc priuilegium extenditur etiam ad habentes dignitatem, & simul curam animarum extra Diœcesim: hunc enim sacrosancta Synodus, pro tempore, quo in Ecclesia curata resederit, ac ministrauerit, tamquam præsentem, ac diuinis interessentem in Ecclesiis Cathedralibus, ac Collegiatis haberi decernit.

Obserua tamen, hanc non esse generalem decisionem, sed particularem, & Tridentinum hic non agere de distributionibus propriè acceptis, sed de iis, quas in præcedentibus *disp.2.q.2.punct.1.* diximus extraordinarias à Nauarro appellari, vt bene cum decis. Rotæ Romanæ 325.2 *part.in nouis diuers.* obseruat Moneta *num.70.* constat enim distributiones propriè acceptas non deberi Parocho, curam animarum exercenti in Ecclesia diuersa ab ea, in qua Canonicatum, vel dignitatem habet; quæ autem sint distributiones extraordinariæ, de quibus Concilium Tridentinum agit, constat ex supradictis, & videri potest in ipso Concilio *sess.22. cap.3.*

§. VIII.

Vtrùm Canonici administrationem piorum locorum habentes, aut examinandis Clericis adscripti, lucrentur distributiones pro tempore, quo ad horum Officiorum onera sustinenda absunt.

VNICA PROPOSITIO.

1 Canonici, quibus locorum piorum cura demandata est, non percipiunt distributiones tēpori absentiæ respondentes.

1 CAnonici, quibus locorum piorum cura, vel administratio aliqua demandata est, vt sunt deputati Seminarij Hospitalium, & similium locorum, non possunt pro tempore, quo in commodum, & vtilitatem horum locorum absunt, distributionibus frui. Ratio est, quia non dicuntur abesse in vtilitatem propriæ Ecclesiæ.

2 Hoc tamē intelligitur præcisa consuetudine, vel priuilegio.

2 Hoc tamen limita, modò non adsit legitima consuetudo in contrarium, aut priuilegium Summi Pontificis, quo priuilegio deputatos Seminarij Mediolanensis gaudere testatur Garzias *loco citato, nu.354.* Addit Garzias hoc idem priuilegium in gratiam D. Caroli concessum fuisse.

3 Refertur priuilegiū D. Carolo concessum.

3 Primò Vicariis foraneis, dum ratione Officij sui per loca sui Vicariatus, ratione visitationis, aut alicuius alterius negotij spiritualis à suis Ecclesiis absunt.

Secundò aliis Canonicis Vrbis, qui in Officium generalis visitationis assumebantur.

Tertiò examinatoribus, dum occasione examinis ad Parochialem Ecclesiam horis Vesperarum, & Completorij interesse non possunt. Imò nonnulli examinatores Synodales, cum quibus ego Mediolani hoc munere fungebar, sæpiùs mihi asseruerunt se distributionum participes esse, quouis tempore absint occasione cuiuslibet examinis: hoc enim priuilegium ipsis instante Diuo Carolo concessum fuisse fatentur; sed hoc priuilegium ego numquam vidi; fieri tamen potest, vt per litteras Diuo Carolo concessum fuerit, cum ei, vtpote de animarum salute, & Ecclesiæ vtilitate maximè sollicito, nihil à Sede Apostolica denegaretur.

Hinc ergo licet inferre, Vicarios foraneos, Visitatores Diœcesis, & Examinatores diuinis Officiis non interessentes, iure communi carere distributionibus, quia non dicuntur abesse in euidentem Ecclesiæ propriæ vtilitatem: hoc tamen limitatur, nisi aliud postulet legitima consuetudo, vel priuilegium: cuiusmodi Diuo Carolo concessum fuisse ex sacræ Congregationis declaratione fatetur Garzias *num.354.* in hæc ferè, quæ sequuntur, verba: *Sanctissimus Pater noster Cardinali Borromeo concessit, vt Vicarij eius foranei, dum ratione Officij sui per loca sui Vicariatus ratione visitationis, aut alicuius alterius negotij spiritualis absunt ab eorum Ecclesiis, eadem debita ratio habeatur quoad distributiones quotidianas, ac si in Choro personaliter inseruirent; dummodò dicti Vicarij intra fines sui Vicariatus maneant, & prætextu exercendi Officium, non vagentur solatij causa, ad quod diligenter animaduertere ipse debeat, ne aliqua fraus fiat. Eamdem gratiam fecit, vt de illis, quos ipse de ciuitate assumet, vt munus generalis visitationis per Diœcesim subeant, ratio habeatur quoad distributiones, ac si essent in Choro, cum conditionibus tamen, vt suprà. Eamdem gratiam fecit pro illis, qui occupati sunt examine illorum, quibus conferendæ sunt Parochiales, si quando propter dictam occupationem non possint interesse Horis Vesperarum, seu Completorij, dummodò fraus absit, ne item data opera examen extrahatur in horas Vespertinas, seu Completorij. Idem pro deputatis Seminarij, si quando pro seruitio Seminarij essent in aliquo negotio ea hora occupati, qua diuina Officia celebrantur in Ecclesia, & præcipuè si essent occupati propter Congregationes, quæ semel in hebdomada, ratione dicti Seminarij fiunt, dummodò ista gratia non abutantur.*

4 Hoc priuilegium adhuc viget.

4 Circa quod priuilegium alicui fortasse possunt aliqua dubia suboriri.

Primò vtrùm hoc priuilegium adhuc vigeat, cùm videatur concessum diuo Carolo: priuilegium autem personale cesset morte priuilegiarij, vt patet ex dictis *de priuilegiis.* Ego arbitror adhuc vigere, quia hoc priuilegium non est immediatè concessum D. Carolo, sed Vicariis, Visitatoribus, & Deputatis in gratiam S. Caroli: priuilegium autem alicui concessum, non corruit morte illius, ad cuius instantiam factum fuit.

5 Canonici examinatores non possunt ex vi præfati priuilegij manè abesse.

5 Secundò dubium est, vtrùm liceat Canonicis examinatoribus absque iactura distributionum abesse tempore Missæ, aliorumque diuinorum Officiorum, quæ manè persoluuntur.

Respondetur negatiuè, ex vi præfati priuilegij, quod D. Carolo ex sacræ Congregationis declaratione concessum refert Gratias; quia priuilegium, præsertim odiosum, non est vltra proprium verborum tenorem extendendum.

Dixi, *ex vi præfati priuilegij*, quia fortè fieri potest, vt D. Carolus nouum, & magis amplè patens priuilegium obtinuerit per priuatas litteras, de quo mihi certò non constat, & Canonicis hoc prætextu se excusantibus, incumbit onus probandi, cùm priuilegium non præsumatur, nisi sufficienter probetur exhibitione priuilegij, vel attestatione proborum, & fide dignorum, vel consuetudine communiter recepta, vt constat ex iis, quæ tradit Mascar. *tom.2. de probat. concluſ.* 1200. cum Cyno *in l.si solemnibus. C. de fide instrument.*

§. IX.

Vtrùm absens causa studendi, vel docendi, lucretur distributiones.

VNICA PROPOSITIO.

1 Absens causa studij non lucratur distributiones, sed tāmodo fructus.

1 ABsens causa studendi, vel docendi, non lucratur distributiones. Ratio est, tum quia non dicitur abesse in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem, præsertim cùm non constet an beneficio sit inseruiturus ob mortis periculum, vel ob beneficij permutationem, aut resignationem: tum quia sic apertè colligitur ex *cap. licet, de præbend.* & ex declarationibus sacræ Congregationis ad *sess.21. cap.1.* vbi sacra Congregatio loquitur de distributionibus in eo cap. præscriptis, *& sess.24. cap.12.* vbi loquitur de distributionibus consuetis, & ordinariis. Ita Couarr. *loco cit. num.2.* Riccius *decis.495.* Quaranta *ver. Residentia.* Carolus Macignus *cap.71.num.126.* Garzias *3.part. cap.2. nu.112.* Gonzalez *ad regul.8.§.7.nu.129.* Moneta *2.part.quæst.10.num.23.* & alij communiter.

2 Imo lucratur etiā distributiones quādo abest ex speciali priuilegio quo datur facultas, vt abesse possit cum iure ad fructus, & beneficium non habet fructus separatos à distributionibus: tunc enim absens lucratur etiā distributiones, detracta tamē ea parte, quæ deseruientibus debetur iuxta locorum consuetudinē.

2 Hoc limitatur primò à Rebuffo, Perez, Gomez, Zerola, & aliis apud Garziam *3.part.num.113.115.& 353.* & apud Riccium *decis. 496.num.2.* & apud Cardinalem Tuscum *tom.2. concluſ. 514. num.3.* contra Monetam *3.part.quæst.10. num.24.* modò beneficium habeat alios reditus, seu fructus à distributionibus separatos. Nam si beneficium in solis consistat distributionibus, arbitrantur, beneficiarium causa studij absentem lucrari posse distributiones, nisi aliud per consuetudinem receptum sit. Ratio est, tum quia distributiones subrogantur, & succedūt in locum fructuum, dum beneficium nullos alios habet reditus præter distributiones, vt docet Azorius *2.part.lib.7.cap. 7.quæsito 2.* Decianus *tom.1.consil.43.nu.13.* Paris. *tom.4. consil.32.* Riccius *in praxi decis.499.num.2.& 3.* Idem Moneta *1.parte quæst.6.num. 14.* Rebuffus, Perez, Gomez, Zerola, & alij apud Garziam *num.115.* [omissis iis, quos suprà retuli *§.2.num.3.& §.6. num.4.* & infrà referam *punct.4.num.4.*] Tum quia priuilegium inutile redderetur, si absens causa studendi, non posset percipere distributiones, quoties distributiones à fructibus separatæ non sunt.

Hæc limitatio mihi probatur, si loquamur de illo, cui speciale priuilegium concessum fuit, vt abesse possit non amissis fructibus, vt patet ex rationibus allatis. Secus si absit ex priuilegio vniuersali, vt alibi sæpiùs dictum est, tunc enim priuilegium inutile non redditur.

Hæc limitatio sublimitatur, & non extenditur ad tertiam distribu-

tionum

tionum partem, quæ iuxta locorum consuetudinem inseruientibus debetur, vt sacra Cardinalium Congregatio, quæ interpretationi Concilij Tridentini præest, declarauit, teste Riccio *decis.* 495. & Garzia *num.* 112. & 351. & in simili patet ex supradictis. Hæc enim inseruientibus debetur; vt probatum est [*§. 6. num.* 4.]

3 Absens causa studij lucratur distributiones, dū hoc illi permittitur per cōsuetudinē.

3 Secundò limitandum est, nisi aliud ferat legitima consuetudo: non enim impliciat consuetudine induci, vt distributiones absentibus causa studij conferantur, vt in specie obseruat Couarr. 3. *var. cap.* 13. *num.* 5. Hoieda *de incompatibil. 1. parte, cap.* 17. *num.* 10. Carolus Macignus *de Horis Canon. cap.* 65. *num.* 13. Gratianus *lib.* 1. *discept. forens. cap.* 166. apud Riccium *decis.* 495. *num.* 1. Moneta 2. *part. quæst.* 10. *num.* 28. & alij, quos referam *punct.* 5.

Obijcies: Absens causa studij habetur pro præsente, *l. quæsitum. ff. de fund. instruct.* sed præsens non solùm percipit fructus, verùm etiam distributiones. Ergo absens causa studij percipit distributiones.

Respondeo absentem causa studij haberi pro præsente, consequenter lucrari fructus beneficij, non verò haberi pro interessente, consequenter non percipere distributiones, quæ interessentibus tribuuntur; aliud enim est residere in loco beneficij, seu præsentem esse in oppido, vel in Ecclesia, aliud, interesse diuinis Officiis: distributiones non conferuntur residentibus, vel præsentibus, nisi etiam intersint diuinis Officiis, aut pro interessentibus fictione iuris, seu ex priuilegio habeantur.

Ex his ergo patet, distributiones, quæ ab aliis beneficij reditibus separatæ sunt, non conferri absentibus causa studij, vt probatum est, præcisa legitima consuetudine in contrarium. Iis verò conferri fructus beneficij, & præbendæ, ex *cap. licet. de præbend. cap. fin. de magist.* ex Concil. Trid. *sess.* 5. *cap.* 1. *ad fin.* & ex sacræ Congregationis declaratione, quam refert Gonzalez *num.* 179. Riccius *decis.* 495. Garzias *loco citato, num.* 81. *& seqq.* & alij.

4 Non solum absens causa studij Theologici verum etiā ciuilis, lucratur fructus.

4 Et hoc valet non solum in absente causa studij Theologici, *cap. licet, cit.* verum etiam causa studendi iuri Canonico, aut etiam Ciuili, *cap. tuæ fraternitatis de Cler. non resid. & cap.* 2. *de priuileg. in* 6.

5 An absenti causa studij necessaria sit Episcopi licentia.

5 Imò quàm plures DD. indistinctè putant licitum esse causa studij abesse vsque ad quinquennium, sine alia licentia; vsque ad septennium verò habita licentia duorum annorum excedētium quinquennium, de qua re ego sufficienter egi [*in lib. variarum tractationum,*] dum loqueret de obligatione residendi, vbi ostendi, cum Vasquez post Tridentinum requiri licentiam Episcopi, saltem respectu Parochi, & curatoris animarum: quod idem expressè tradit Garzias *de benefic.* 3. *par. cap.* 2. *nu.* 108. Emanuel Sà, Gonzalez, & alij, quos *ibidem* retuli *de obligatione ad residendum.*

6 Non potest quis causa studij abesse dum Ecclesia ex illius absentia graue damnū, vel magnā diuini cultus diminutionem pateretur.

6 Obserua tamen, vt quis priuilegio non residendi causa studij gaudere possit, requiri primò, vt ex absentia plurium Canonicorum notabiliter non lædatur diuinus cultus, vt patebit ex infrà dicendis *punct.* 4. *num.* 4. de eo, qui peculiare priuilegium obtinet non residendi, seu non interessendi Choro: quamobrem plures Canonici abesse non possunt causa studij, dum ex plurium Canonicorum absentia notabile damnum cultui diuino in Ecclesia affertur; sic enim priuilegium per epicheiam explicandum est, ne diuinus cultus notabiliter lædatur. Panorm. *cap. ad audientiam, de Cler. non resid.*

7 Absens causa studij debet operam studiis dare in gymnasio publico, & num. 9.

7 Secundò requiritur, vt operam studiis det in vniuersitate, seu studio generali, in loco videlicet, in quo patet omnibus aditus ad studia, vt in Collegio Romano, vel Braidensi, respectu studiorum Theologicorum, vel Philosophicorum, vt ex declarationibus sacræ Congregationis docet Garzias *num.* 81. *& num.* 82.

8 Quænam in Prouincia Mediolanensi requirantur in eo, qui causa studij abesse intendit.

8 Ad hoc idem confirmandum affert Decretum Concilij Mediolanensis I. *par.* 2. *tit. de resident. vers. in his autem,* vbi iuxta declarationes sacræ Congregationis habetur, in facultate, quæ alicui conceditur, vt studiorum causa possit abesse, hæc necessariò ponenda esse: vt verè in publico, celebrique Gymnasio Theologiæ, vel sacris Canonibus studeant, vt minores sint 30. annis, aut fuerint, cùm in publico Gymnasio iisdem studiis operam dare cœperunt.

9 Tertiò, vt absentes operam dent studiis pro maiori anni parte, iuxta quam in tali loco opera studiis dari solet, vt probaui *de priuil. ad finem,* cum Suarez, Salas, & aliis, & idem in terminis tradit Moneta 2. *part. quæst.* 10. *num.* 10. cum Panorm. & aliis.

10 Sacerdos, aut habens dignitatē, si causa studij abesse velit, peculiarē habere debet facultatē.

10 Quartò, vt sit absens causa studij in Physica, aut in iure ciuili, sit Sacerdos, Archidiaconus, Decanus, Præpositus, Cantor, vel personatum habens, peculiarem obtineat licentiam, cùm his sub excommunicatione ipso facto vetitum sit physicam, aut ius ciuile audire, *cap. fin. ne Cler. vel Monach.* Vide Panorm. *cap. fin. cit.* & alios Commentatores in eum textum, vbi hanc rem fusius prosequuntur; [& ego explicaui in meo tractatu *de censuris in particulari.*]

11 Canonicus absens causa studiorū, non tenetur alium in sui locum substituere nisi beneficium adnexam habeat animarum curam, iurisdictionem, vel aliud, quod per alium adimpleri possit.

11 Sed modò dubium est, vtrùm absens causa studiorum, aut alia iusta de causa, teneatur Vicarium in sui locum tempore absentiæ subrogare, vt oneri beneficij satisfaciat, & fructus tuta conscientia percipere valeat.

Respondeo distinguendo, vel absens causa studiorum curam animarum, aut iurisdictionis exercitium habet: vel solum habet beneficium simplex, cui nec animarum cura, nec alia iurisdictio, vel onus, præter obligationem chori, adnexum est: si beneficium habet cum iurisdictione, vel animarum cura, aliove onere, quod per alium adimpleri possit, debet alium in sui locum substituere; quia par non est, vt beneficij fructibus cum damno aliorum perfruatur, vt patet ex dictis *de obligatione residendi;* si verò habet solum simplex beneficium, solam habens chori obligationem, non tenetur Vicarium in sui locum substituere. Ratio est, tum quia ex nullo iure colligitur huiusmodi obligatio in habente simplex beneficium: tum quia ex supradictis constat non posse huiusmodi Vicarium sine Summi Pontificis licentia deputari. Ergo signum est, Canonicum, qui causa studiorum abesse potest, non teneri tempore absentiæ per Vicarium inseruire. Ita Panorm. *cap. tuæ fraternitatis. de Cler. non resid.* Couar. *loco cit. num.* 2. Moneta 2. *punct. quæst.* 10. *num.* 5.

PVNCTVM IV.

Vtrùm aliquis possit ex priuilegio lucrari distributiones, dum Horis Canonicis non assistit.

DVo principaliter explicabo in hoc puncto.

Primò, vtrùm aliquis possit ex priuilegio lucrari distributiones dum abest.

Secundò, quomodo huiusmodi priuilegium explicandum sit, si concedatur.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Absens potest ex priuilegio Summi Pontificis lucrari distributiones.

1 EX priuilegio Summi Pontificis potest absens distributiones consequi. Ratio est, tum quia ex priuilegio, seu permissione Concilij Tridentini possunt Canonici, aliique beneficiarij Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ tribus mensibus ab eadem Ecclesia abesse absque iactura fructuum, saluis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius seruitij tempus requirunt, inquit idem concilium. Ergo possunt etiam ex priuilegio abesse, & distributiones percipere; cum par ratio videatur: tum quia Summus Pontifex dispensare potest in iis quæ iure humano præscripta sunt, vt euidenter constat ex iis, quæ tradidi de dispensationibus *in tract. de legibus.* Sed distributiones iure humano inductæ, & præscriptæ sunt. Ergo Summus Pontifex dispensare potest circa distributiones; consequenter potest alicui priuilegium concedere, vt absens distributiones consequatur. Ita communiter Doctores. Nec huiusmodi priuilegium sublatum est in Tridentino *sess.* 24. *cap.* 12. vt in simili probaui de residentiæ obligatione *in lib. variarum tractationum,* cum Lessio, Garzia, & aliis, quibus adde Sacræ Congregationis declarationem apud Garziam 3. *part. cap.* 2. *num.* 260. vbi etiam alios Doctores refert.

2 Absens ex priuilegio concesso ab inferiori Summo Pontifice non lucratur distributiones.

2 Dixi, *ex priuilegio Summi Pontificis,* vt innuerem Prælatos Summo Pontifice inferiores non posse facultatem concedere, vt absens distributiones lucretur. Ita Sacra Congregatio apud Garziam *num.* 404. vbi etiam *numero sequenti* refert decisiones Rotæ. Ratio est, quia inferior non potest in lege superioris dispensare, nisi dispensandi facultatem ab ipso impetrauerit.

3 Vtrum licita aut valida sit cōpositio, qua absens priuilegium obtiner, retinendi sibi distributiones soluta certa pecuniæ summa in vsus Cameræ Apostolicæ.

3 Hinc colligi potest Canonicum, qui priuilegium à Summo Pontifice obtinuit, quo possit distributiones tempore absentiæ perceptas retinere, soluta certa pecuniæ summa in vsus Cameræ Apostolicæ, tutum esse in conscientia vt patet, tum ex ratione allata: tum à simili de Indulgentiis, aliisque dispensationibus concessis, præuia compositione pecuniaria: tum quia Summus Pontifex summam habet in beneficialibus potestatem, *cap.* 2. *de præbend. in* 6.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Priuilegium, quo absenti datur facultas percipiēdi distributiones, stricte explicandū est.

4 PRiuilegium alicui concessum, vt absens distributiones consequatur, strictè explicandum est, seruata verborum proprietate. Ratio est, tum quia priuilegium nihil est aliud, quam dispensatio; dispensatio autem strictam postulat interpretationem, *cap.* 1. *de filiis presbyter. in* 6. Tum quia huiusmodi priuilegiū aduersatur iuri communi, quo cauetur absentibus distributiones non conferri. Præterea facit ad diminutionem diuini cultus, & repugnat iuri aliorum Canonicorum, quibus distributiones absentis accrescunt. Ergo huiusmodi priuilegium odiosum est: ergo strictè explicandum, quantum verborum proprietas patitur, nisi aliud necessitas cogat, iuxta regulas generales traditas de legibus, & de priuilegiis: sicut enim fauores ampliari, ita odia restringi necesse est. [*l. cùm quidam. ff. de liber. & posthum. & cap. odia. de regul. iur. in* 6.]

Hinc sequitur primò, habentem priuilegium, vt absens percipiat omnes fructus sui beneficij, non posse virtute illius priuilegij percipere distributiones, quia distributiones non veniunt nomine fructuum, & versamur in materia, quæ strictam postulat interpretationem. Ita Couarr. 3. *variar. cap.* 13. *num.* 2. Cassadorus, Probus, & alij apud Gonzalez *ad reg.* 8. *§.* 7. *proœm. nu.* 175. & apud Carolum Macignum *de distribut. cap.* 71. *num.* 130.

Hoc tamen limita, modò beneficium non habeat alios reditus præter distributiones: tunc enim distributiones in locum fructuum succedunt, ne priuilegium speciale sit irritum, & nihil operetur, *l. quoties. ff. de rebus dubiis, & l. quoties. ff. de verb. obligat.* sicque cum Deciano, Moneta, Gonzalez, Azorio, Garzia, & aliis *in præcedētibus punctis,* [præsertim *punct.* 3. *§.* 2. *num.* 3. *§.* 6. *num.* 4. *& §.* 9. *num.* 2.] ostensum est, quamquam hoc sublimitari posset, modò Papa conscius sit beneficium in solis distributionibus consistere, quia præsumi potest Summum Pontificem noluisse iuri aliorum Canonicorum præiudicium afferre, nisi oppositum sufficienter de ipsius mente colligatur. Ita Macignus *num.* 135. licèt alij DD. indistinctè loquantur.

5 Habens priuilegiū percipiēdi omnes fructus non potest percipere distributiones, nisi forte beneficium nullos alios habeat reditus præter distributiones.

5 Amplia verò, etiamsi in priuilegio habeatur, vt omnes fructus integrè percipiat, ac si in eadem Ecclesia resideret, vel ac si præsens esset. Ratio est, tum quia non eo ipso, quo quis præsens est, vel residet, lucratur distributiones, sed requiritur, vt diuinis Officiis intersit, & cum aliis in diuino Officio persoluendo communicet: tum quia versamur in materia odiosa, quæ strictam interpretationem postulat, seruata verborum proprietate: distributiones autem quotidianæ iuxta propriam verborum significationem non veniunt nomine fructuum, nec qui residet dicitur Officiis interesse, iuxta Ecclesiæ præscriptum ad lucrandas distributiones. Ita Couarruuias 3. *variar. cap.* 13. *num.* 2. Cardinalis Tuscus *tomo* 2. *conclus.* 514. *nu.* 6. *& conclus.* 473. *num.* 8. Gonzalez *regul.* 8. *§.* 7. *proœm. num.* 187. *versic. facit etiam.* Puteus, Geminianus, Cassadorus, *decis.* 1. *de Cleric. non residend.* Panormitan. & alij apud Macignum *num.* 131. & apud Monetam *de distribut.* 2. *parte quæst.* 14. *numer.* 21. vbi etiam *num.* 22. à simili infert priuilegium percipiendi fructus, reditus, prouentus, obuentiones, & emolumenta sui Canonicatus non extendi ad mortuaria, & anniuersaria: quod etiam docet Riccius *decisio.* 494. *num.* 8. cum Nauarro, Galetto,

Galetto, & aliis. Ratio est; tum quia non eodem nomine, nec sub eadem verborum significatione veniunt: tum quia datur facultas percipiendi ea, quæ ipsi competunt ratione Canonicatus, & beneficij; sed hæc non competunt ratione beneficij, seu Canonicatus, sed potiùs ratione legati, aut eleemosynæ distinctæ à beneficio, vt alibi sæpius dictum est.

6 Habens priuilegiũ percipiendi distributiones non lucratur mortuaria, & anniuersaria.

6 Imò hæc anniuersaria, & mortuaria non censentur concessa, etiãsi in priuilegio detur facultas, vt absens distributiones quotidianas obtineat: quamuis enim aliquando vocentur distributiones, nihilominus à distributionibus quotidianis in propria significatione acceptis differunt, quia distributiones quotidianæ illæ dicuntur, (vt benè post Probum *cap. vnico, de Cleric. non resid.* contra Lappum, Francum, & alios apud Tuscum *conclus. 511. num. 2. & 3.* obseruat Moneta *quæst. 14. num. 22. sub finem.*) quæ quotidie distribuuntur, vel distribui possunt: huiusmodi autem mortuaria, vel anniuersaria, non quotidie distribuuntur, sed instar cuiusdam salarij, aut eleemosynæ conferuntur, nec pendent ex beneficio, sed ex conferentium voluntate.

Ex quo infero cum Moneta *ibidem nu. 22. sub finem*, [& aliis, quos retuli *punct. 2. §. 1. num. 5.*] eum, qui peculiare priuilegium habet recipiendi quotidianas distributiones tempore absentiæ, aut qui non interest ob infirmitatem, vel ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem, vel ob iniustum carcerem, non gaudere mortuariis, seu anniuersariis, etiamsi absens ob huiusmodi causam distributionibus frui possit, licèt contrarium teneant Quaranta *verb. Distributiones. versic. ampliatur secundò*, de qua re supra *puncto 2. §. 1. num. 5.* & Lappus, quem citat, & sequitur Cardinalis Tuscus *tom. 2. littera D. conclus. 511. nu. 2.* loquens de funeralibus.

7 Habens priuilegiũ non residendi certo anni tẽpore cum iure ad distributiones, non potest huiusmodi priuilegio vti, dũ vsu priuilegij diuinus cultus notabiliter læderetur.

7 Secundò sequitur habentem priuilegium, quo aliquibus datur facultas non residendi certo anni tempore, cum iure ad distributiones percipiendas, non posse priuilegio vti, dum vsu illius priuilegij diuinus cultus notabiliter diminuitur, vt quando ob nonnullorum absentiam ita Canonicorum numerus diminuitur, vt diuina Officia celebrari nequeant. Ratio est, tum quia hic casus censetur per Epicheiam exceptus: nam si superior illum præcogitasset, prudentis viri iudicio priuilegium absentiæ in tali casu non concessisset: tum quia in promissionibus hæc tacita conditio subintelligitur, nisi notabilis mutatio superueniat. Ergo etiam subintelligenda videtur in hoc priuilegio gratuito, ne grauis læsio, quam superior non præsumitur velle, cultui diuino afferatur: tum quia priuilegium contra ius strictè explicandum est: tum quia sic colligitur ex declaratione Sacræ Congregationis apud Thesaurum fori Ecclesiæ *3. parte cap. 2. numero 21.* & apud Riccium *loco* statim *citando*, & ex *cap. suggestum. de decimis*, & ex *cap. cùm ad hoc. de Cleric. non residend.* vbi decernitur priuilegium reuocandum, dum Ecclesia ministrorum defectum patitur, & damnum inde recipit.

8 Quid facere debeãt Episcopi ne propter absentiam Canonicorum Ecclesia damnũ patiatur.

8 Quamobrem huic incommodo per Episcopos in aliquibus Ecclesiis consultum est, vt certo tempore non nisi tertia pars Canonicorum abesse possit, assignatis cuilibet suis hebdomadis, vt sufficiens Canonicorum numerus ad diuina celebrãda semper remaneat. Hanc autem potestatem Episcopis competere colligitur ex *cap. penultimo, de Clerico non residente*, ex Tridentino *sessione 6. cap. 2. sub initium. sessio. 21. cap. 3. sessio. 22. cap. 4. sessio. 24. cap. 12. vers. omnes verò*, & in his conuenio cum Moneta *num. 27.* Idem relato Thesauro, Berreta, & aliis docere videtur Riccius *decis. 501. num. 4.*

9 Priuilegium, quo Canonici sine iactura distributionũ duobus mensibus in anno causa recreationis, vel negotiorum suorũ abesse possunt, computandum est intra totum annum pro rata tẽporis quo ad distributiones admissi fuerunt.

9 Tertiò priuilegium aliquibus Collegiatis concessum, vt Canonici duorum, vel trium mensium spatio singulis annis impunè possint abesse, recreationis ergò, aut negotiorum suorum causa, non ita explicandum esse, vt Canonicus qui sex, vel septem menses ante finem anni Canonicalis, exempli gratia, mense Maio assumptus fuit ad Canonicatum, & ad distributiones admissus (aliquibus enim in locis annus Canonicalis incipere consueuit à prima Nouembris die) fruatur priuilegio duorum mensium intra hos sex, vel septem menses. Ratio est, tum quia versamur in materia odiosa; consequenter strictè explicanda: tum quia hic non dicitur vno anno Canonicatum obtinuisse; priuilegium autem duorum mensium conceditur illi, qui vno anno Canonicatum possedit, imò non sufficit vno anno possedisse, nisi etiam Canonicus ad distributionum quotidianarum participationem admissus fuerit: nam huiusmodi priuilegium censetur iis tantummodò concessum, qui eo tempore distributiones assistendo percepissent. Quamdiu autem quis ad distributiones non fuit admissus, non potest distributiones percipere; quia non entis nullæ sunt qualitates, *cap. quod verò 32. q. 2.* Ideo priuilegium duorum mensium computandum est ad ratam à tempore, quo quis capta possessione ad distributiones fuit admissus.

10 Habens priuilegiũ, quo duorũ mensium spatio abesse possit sine distributionum amissione, hoc priuilegio integrè gaudere non potest si vltra duos menses non inseruiat, iuxta Monetã, ad cuius sententiam probãdam afferuntur rationes, & argumẽta.

10 Sed modò dubium suboritur. Primò, vtrùm Canonicus habens priuilegium duorum mensium, si vltra duos menses in anno absit, possit per duos integros menses hoc priuilegio frui, an solùm pro rata interessentiæ, & seruitij præstiti in Ecclesia.

Respondet Moneta *num. 34.* posse solùm percipere pro rata interessentiæ, & seruitij, sicque in Metropolitana Ecclesia Mediolanensi vsu receptum esse testatur. Ratio est, tum quia versamur in casu priuilegij contra ius, quod strictam habet interpretationem: tum quia aliàs sequeretur hoc priuilegio ita illum gaudere, qui integris decem mensibus inseruiuit, ac qui modico, vel nullo tempore, quod est absurdum: tum quia finis Summi Pontificis, hoc priuilegium concedentis, est; vt defessi diuturno labore, & seruitio Ecclesiæ recreentur duorum mensium spatio, & alacriores ad diuinum cultum iterum accedant; qui autem minus in Ecclesiæ seruitio laborauit, minori indiget recreatione; consequenter præsumendum est Summum Pontificem minus temporis huic concessisse, quàm aliis, qui diutius laborarunt. Ratio enim cuiusque dispositionis eam ad sui limites restringit, *l. cum pater. §. dulcissimis. ff. de legat. 2.* Tum quia cessante causa dispositionis cessat etiam ipsa dispositio.

11 Sed cõtrarium ab Auctore defenditur.

11 Ego verò præcisa legitima constitutione, vel consuetudine in contrariũ, arbitror posse gaudere priuilegio duorum mensium. Ratio est, tum quia licèt hoc priuilegium odiosum sit, & consequenter restringendum; non tamen ita restringendum est, vt non admittatur iuxta propriam verborum significationem, vel vt disputatio duorum mensium in anno excludatur; ideo gratis additur, in anno interessentiæ, cùm hoc in priuilegio non exprimatur, neque ex verbis priuilegij colligatur: vbi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus: tum quia Canonicus iis solum distributionibus priuatur, non assistendo vltra duos menses, quas assistendo percepisset; sed assistendo percepisset solum distributiones respondentes illi tempori, quod duos menses excedit. Ergo priuari solùm debet distributionibus debitis pro eo tempore, quod duos integros menses excedit; cõtrariorum enim par esse debet ratio: tum quia Canonici Collegiatarum Ecclesiarum, vt Basilicæ Sancti Petri in vrbe Roma, qui alternis solùm hebdomadis interesse coguntur, si absint præter alternas hebdomadas, amittunt solùm distributiones respondentes illi hebdomadæ, in qua non interfunt; nisi fortè ita interesse negligant, vt paucis in menses diebus interfint: tunc enim in negligentiæ pœnam omnibus illius mensis distributionibus iure merito priuãtur, vt quidam ex Canonicis eiusdem Ecclesiæ mihi asseruerunt. Ergo à fortiori gaudentes priuilegio dumtaxat duorum mensium in anno, si à choro vltra duos menses absint, priuãtur solùm distributionibus debitis pro tempore, quod duos menses excedit, nisi fortè in pœnam notabilis negligentiæ aliter decernatur. Sicut enim delinquenti potest mulcta pecuniaria iniungi, ita etiam absens à choro in pœnam grauis negligentiæ priuari potest distributionibus, quas ob solam duorum mensium absentiam in anno lucratus fuisset.

12 Rationibus Monetæ respondetur.

12 Ad rationes Monetæ respõdeo priuilegium contra ius non adeò strictè explicandum esse, vt propria verborum significatio excludatur, & aliud concessũ esse præsumatur, quàm quod verbis exprimitur.

Ad secundam respondeo, vtrumque æquè gaudere hoc priuilegio, quantum est ex vi priuilegij: quamquam non vterque idem commodum sentit, cùm absens vltra duos menses priuetur distributionibus illius temporis, & fieri possit, vt crescente absentiæ contumacia, priuetur etiam distributionibus aliorum mensium, & grauioribus pœnis afficiatur.

Ad tertiam, & quartam respondeo, ob diuturniorem absentiam non cessare causam, & finem concessionis priuilegij, tum quia fieri potest, vt qui vltra duos menses abfuit, maiori cum spiritu, & alacritate diuinum Officium assumat, (qui fuit huius concessionis finis) quàm qui minori tẽporis spatio abfuit: tum quia ad vsum huius priuilegij non est necesse, vt consecutio finis à superiore intenti realiter, & quoad executionẽ obtineatur: alioquin sequeretur eos, qui horum duorum mensium spatio rebus suis componendis operam non dederunt, aut nullam animi relaxationem perceperunt, aut elapso hoc tẽpore maiori cum spiritu ad Chorum non accesserunt, non gaudere hoc priuilegio; sed sufficit, vt subsistat finis ipse à concedente intentus, vt videlicet absens eo tempore possit rebus suis vacare, animo recreari, & diuinum Officium iterum alacriter capessere; hic autem finis subest, etiamsi actualis ipsius executio non sequatur.

13 Habens priuilegiũ, quo possit non interesse duobus mensibus, spatio duorũ mensiũ naturaliũ, id est, sexaginta diebus naturalibus abesse potest, contra Monetam.

13 Secundò dubium est, vtrùm Canonicus habẽs priuilegium duorum mensium, possit sexaginta dies naturales abesse absque iactura distributionum illis diebus respondentium.

Pro intelligentia aduertendum est in diuisione distributionum facienda, hanc rationem, & formam seruari, vt diebus ferialibus simplex portio, diebus festis duplex, & pontificalibus triplex assignetur. Hoc prænotato,

Moneta *de distributionibus quæst. 14. num. 23.* asserit, habentes huiusmodi priuilegium non habere dumtaxat sexaginta dies naturales ex iis, quibus simplex distributio, seu portio assignata est, aut ex iis, quibus duplex, aut triplex distributio respondet; sed ex omnibus hisce communiter, ex quibus in fine anni vnica summa constituenda erit, ex qua deinde subducenda erit sexta pars, quam, si non excedat tempus absentiæ alicuius in toto anno, in quo integro habebat ius percipiendi distributiones, habendus erit pro præsente, & interessente, atque adeò integras totius anni distributiones percipiet. Hęc Moneta *num. 23.* ad verbum.

Sed mihi distinguendum videtur: vel hoc priuilegium inductum est per consuetudinem, aut inductum est sola Summi Pontificis voluntate. Si inductum est per consuetudinem, inspicienda est consuetudo, & vsus Ecclesiæ, cùm huiusmodi priuilegium ab ea vim habeat. Si verò inductum est à Summo Pontifice, censeo complecti sexaginta dies naturales. Ratio est, tum quia in dubiis quilibet præsumitur loqui iuxta communem loquendi modum; iuxta communem autem loquendi modum, nomine *diei* non accipitur aliquid extrinsecum dici, seu dies aliquis artificialis, sed dies ipse naturalis. Ergo priuilegium, quo quis duorum mensium spatio abesse potest, non intelligitur de certa portione distributionum respondente sextæ parti totius anni, dum inæqualiter facta est diuisio distributionum, iuxta dicta in notabili: tum quia isti dies ita sunt accipiendi, sicut accipiuntur illi, quibus quis vltra duos menses abest, vel in quibus abesset sine priuilegio; cùm non sit potior ratio, cur aliter accipiantur, sed illi non accipiuntur iuxta assignationem, habita ratione totius anni, sed iuxta dies naturales, quibus certa portio assignata est: alioquin absens in die Natiuitatis non plus damni pateretur, quàm si alia die feriata abesset. Ergo etiam isti dies, quibus abesse permittitur, non sunt accipiendi iuxta assignationem, habita ratione totius anni, sed iuxta naturalem, & consuetum dierum numerum: tum quia priuilegium non residendi per aliquot menses, intelligitur iuxta dies naturales: ergo ita etiam accipiendum est priuilegium non interessendi Choro per duos, vel tres menses; tum quia si quis à Summo Pontifice peculiarem facultatem obtineat, qua decem diebus abesse possit, vt certum negotium peragat, quod tot dierum spatium ad sui expeditionem postulat, nullus dixerit hunc non posse decem naturalibus diebus abesse. Ergo neque asserendum est Canonicos, quibus ex priuilegio licet duobus mensibus abesse, non posse sexaginta naturalibus

diebus

diebus abesse. Ita DD. statim citandi, [quibus adde Menochium *de arbitrar. casu* 50.*n*.12. Barbosam *in remiss. ad Concil. sess*.24.*c*.12.*n*.36.]

14 Hoc tamen limitatur præcisa consuetudine in contrarium.

14 Hoc tamen limitandum est, nisi aliud exigat consuetudo, vt dictum est, aut etiam præscriptio, seu statutum præscriptum contra Canonicos, hoc priuilegio gaudentes, vt patet ex dictis *de priuilegiis*.

15 Habens præfatum priuilegiũ potest quouis tempore abesse, nisi aliud obstet.

15 Ex quo patet habentem priuilegium, non interessendi duobus mensibus in anno, posse quouis anni tempore, ex vi illius priuilegij abesse, modò absentia non excedat sexaginta dies, nec in priuilegio aliqua contineatur limitatio, aut per Episcopos aliter non decernatur, nec diuinus cultus notabiliter diminuatur: quam facultatem aliter decernendi in periculo notabilis læsionis diuini cultus Episcopis competere, ex pluribus Sacri Concilij locis superiùs ostensum est. Prædictis consentire videtur Gonzalez *glos*s.11.*num*.8. Sanchez *lib*.2. *de matrimon. disp*.24.*num*.20. Garzias *de benefic*.3. *parte cap*.2.*nu*.306. *&* 316. Rota Romana *in vna Salamantina Canon*.20. *Iunij* 1572. [Menochius *loc.cit*.] & alij apud præcit. Doctores.

Obseruant tamen Zechius *de repub. Eccles. tit. de benefic. tit*.6.*vers. quod si benef.* & Zerola *in praxi Episcop. vers. priuatio* §.4. Canonicos ex sacra Cardinalium Congregatione, quæ interpretationi Concilij præest, non debere tempore Paschatis, & maximarum solemnitatum abesse. Verùm hanc sacræ Congregationis declarationem, in aliquibus Hispaniæ Regnis vsu receptam non esse fatetur Garzias *n*.317. consequenter alicubi, præcisa alia prohibitione, liberum est Canonicis quouis tempore abesse, modò vltra trium mensium spatium non absint, seruato Tridentini decreto, aliisque limitationibus superiùs enumeratis.

[16 Habens priuilegiũ percipiẽdi fructus, vel distributiones, non potest cogere Capitulum ad restitutionem fructuum, seu distributionum, postquam bona fide facta fuit illarum diuisio inter Canonicos.]

[16 Tertiò dubium est, vtrùm is, qui à Summo Pontifice priuilegium obtinuit percipiendi fructus, vel distributiones, tempore absentiæ possit auctoritate iudicis cogere Capitulum ad restitutionem fructuum, seu distributionum, postquam bona fide facta fuit illarum diuisio inter Canonicos.

Respondeo non posse. Ratio est, tum quia restitutio facienda est ab illis qui distributiones receperunt; Capitulum autem non accepit distributiones, sed illæ collatæ fuerunt singularibus Canonicis; ergo Capitulum cogi non potest ad restitutionem fructuum. Tum quia Capitulum de iure communi, & ex recepta consuetudine curare debet, vt certis anni temporibus distributionum diuisio fiat inter præsentes, & interessentes, & huiusmodi diuisio tenet; ergo Capitulum, quod munere suo functum est, cogi non debet ad restitutionem. Tum quia innocens puniri non potest pro nocente; cùm autem fieri possit vt Capitulum complectatur innocentes, sequitur Capitulum non posse puniri, & obligari ad restitutionem distributionum bona fide diuisarum, etiamsi Canonici, quibus collatæ fuerunt distributiones, non sint soluendo: *l*. 3. *in fin. & l. seq. ff. de condict*. ita Oldradus *cons*. 56. vbi etiam ostendit, illum, cui priuilegium percipiendi fructus suorum beneficiorum in absentia concessum fuit, habere ius ad illos fructus à die datæ. Rot. apud Put. *decis*.169. *in nouis*; *in antiquis vero* 175. Mandosius *in tract. de signat. grat*. §. *indultum percipiendi fructus. vers. priuilegiatus. pag. mihi* 117. Idem sensisse videntur Domini mei in signat. Iust. me quondam causam Aquisgranaten. in ea proponente.]

PVNCTVM V.

An statuto, seu constitutione aliquarum Ecclesiarum, Capitulorum, vel Episcoporum induci possit, vt absentibus distributiones tribuantur.

VNICA PROPOSITIO.

1 Statuto, vel constitutione Episcopi, aut alterius Summo Pontifice inferioris, cauere non potest vt distributiones absentibus conferãtur.

1 STatuto, vel constitutione Capitulorum, vel Episcoporum, regulariter loquendo, induci non potest, vt distributiones absentibus conferantur. Ratio est, quia inferiores non possunt contra canones, statutum, vel constitutionem facere, *cap. quod super his. de maioritat. & obed. cap. institutionis* 25. *quæst*. 2. *Clement. ne Romani. de electione, cap. cùm omnes. de constitut*. Sed ex iure Canonico distributiones absentibus conferri non debent, *cap. vnico, de Cler. non resid*. Ergo statuto induci non potest, vt absentibus distributiones conferantur. Ita Rota Romana *in vna Gerund. distribut., Lunæ* 16. *Februarij* 1604. coram Sanctissimo Domino Papa Gregorio XV. tunc Romanæ Rotæ dignissimo Auditore. Idemque ex aliis Rotæ decisionibus, & Sacræ Congregationis declarationibus cõprobat Riccius *verb. Praxis distributionum, decisione* 493. Gratianus *lib*.1. *disceptationum forensium cap*.166. Nauarrus & alij apud Riccium *num*. 7. Garzias 3. *par. cap*.2. *num*.405. & Carolus Macignus *de Horis Canonicis cap*.71. *numer*.20. Limitanda tamen est hæc propositio iuxta ea, quæ dicentur *num*.3. *versicul. Dixi*.

2 Proponuntur, & dissoluuntur obiectiones in contrariũ.

2 Obiicies primò: Laici possunt contra ius commune ciuile statuere. Ergo etiam Clerici contra ius commune Canonicum.

Respondeo negando consequentiam. Ratio differentiæ est, quia iure communi ciuili cautum non est, vt laici statuta non faciant contra ius ciuile; iure verò Canonico sancitum est in præcitatis iuribus, vt Clerici statuta non faciant contra ius commune Canonicum, vt patet ex dictis *de legibus q*.1 *punct*.3.*n*.30.

Obiicies secundò: Induci potest consuetudo contra ius Canonicum; ergo etiam induci potest statutum, cùm tam cõsuetudo, quàm statutum à voluntate inferiorum pendeant.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis pendet ex dispositione iuris permittentis consuetudinem contra ius Canonicum, *cap. fin. de consuetudine*; non verò statuta, vt ex præcitatis iuribus euidenter colligitur. Ratio autem cur iura consuetudinem contra ius Canonicum induci permittant, hæc esse potuit, tum quia consuetudo vim habet ex tacito legitimi superioris consensu: tum quia scandalorum, & peccatorum occasio faciliùs euitatur. Cur verò statuta inferiorum contra ius commune non permittantur, hæc esse potuit, vt comprimatur ambitio, & audacia, inferiorum audentium, vt ita loquar, os in cœlum ponere. Ita Panormitan. *c. fin. de consuetudine num*.2. *& 8. c. quod super his, de maiorit. & obed*. Suarez, Salas, & alij, quos retuli *de legibus, loco cit*.

Obiicies tertiò, *in cap. vnico, de Clerico non residente, versicul. statuimus*, habetur, distributiones esse dandas, vel recipiendas iuxta rationabilem cuiusque Ecclesiæ ordinationem. Ergo supponi videtur in qualibet Ecclesia potestatem residere decernendi, & statuendi quidquid velit circa quotidianas distributiones; ergo etiam statuto induci potest, vt distributiones absentibus conferantur.

Ad hoc argumentum, quo Petrus Cenedo vsus est ad probandum Ecclesiæ statuto decerni posse, vt Canonici absentes recreationis gratia, per duos, vel tres menses in anno, lucrentur omnes distributiones. Respondeo cum gloss. *ibid*. & aliis *in præcitato cap*. non permitti, vt statutum contra ius commune Canonicum ab Ecclesiis fieri possit, sed vt distributiones conferantur, quatenus singulis horis ab vnaquaque Ecclesia facta fuerit assignatio, quod non solùm ex supradictis, verum etiam ex dictis *de legibus loco citato*, fieri posse constat. Capitula enim possunt etiam sine consensu Episcopi ordinationes facere ad solum Capitulum pertinentes, & modum præscribere circa quotidianas distributiones; quo videlicet pacto facienda sit distributio, & quota distributionum pars cuilibet horæ assignanda sit, vt optimè ex *cap. ex litteris, de constitutionibus*, & ex *cap. edoceri. de rescriptis*, obseruant Panormitanus *cap. cum consuetudinis, num*.4. *de consuetudine*. Azor. 2. *part. lib*.7. *cap*.7. *ad finem, quæsito vltimo*, vbi refert Francum, quem etiam præter alios refert, & sequitur Moneta *de distributionibus* 2. *parte quæst*.13. *num*.25. Suarez, Syluester, & alij, quos allegaui *de legibus loc. cit*. Non tamen hinc sequitur Capitulorum statuto caueri posse, vt distributiones absentibus tribuantur, cum hoc iuri communi aduersetur, & inferiori potestatem non habeat in superiorem.

3 Limitatur præfata conclusio, multiquè casus excipiuntur.

3 Dixi in propositione, *regulariter loquendo*, vt eos exciperem casus, qui per Epicheiam iudicio prudentum censentur excepti, quique iuri Canonico non aduersantur. Quamobrem si Canon per contrariam consuetudinem sit abrogatus, condi poterit statutum conforme consuetudini, quia casus hic à communi regula censetur exceptus, præterquam quòd statutum in tali euentu iuri Canonico oppositum non videtur, cùm illud ius contraria consuetudine abrogatum iam supponamus.

Item si Episcopus aliquod statutum faciat, in casibus, in quibus ipsum in iure communi dispensare posse docuimus de dispensationibus, validum est statutum, vt si vrgens, & grauis derepentè causa superueniat, ob quam in communem Ecclesiæ suę vtilitatem aliquid circa distributiones statuere cogatur: quamquam in tali casu præceptum potius, quàm statutum propriè acceptum ab Episcopo proferendum est, vt ex dictis *de legibus* manifestè liquet.

Rursus statutum, quo decernitur, vt senibus, qui quadraginta annorum spatio Ecclesiæ seruierunt, distributiones tamquam præsentibus tribuantur, tolerari posse docet Cenedo, quem citat, & sequitur Garzias *de benef*.3. *part. cap*.2. *num*.344. & Moneta *de distribut*. 2. *part. quæst*.13. *num*.41. Sed hoc mihi non probatur, nisi adsit Summi Pontificis approbatio. Neque obstat, quod præcit. DD. asserunt ex declaratione sacræ Congregationis ad *sess*.24. *cap*.12. *de reformat*. vbi dicitur Sacram Congregationem censuisse, quòd licet statuta sint sublata, per quæ absentibus dantur distributiones: nihilominus Gregorius XIII. senibus, & benemeritis misertus, mãdauit statutum Composstellanum tolerari, per quod debentur distributiones non seruientibus, qui quadraginta annis seruierunt, non, inquam, obstat, quia pro confirmatione illius statuti itum est ad Summum Pontificem, ab eoque obtenta fuit approbatio, & priuilegium. Ex priuilegio autẽ vni concesso, non est facienda extensio ad alias personas, *l. Papinianus. ff. de minor*. Ita Nau. *cons*.12. *de Cler. non resid*. apud Garziã.

Denique si in fundatione alicuius Collegiatæ Ecclesiæ habeatur, vt Canonici duorum, vel trium mensium spatio impunè, & sine distributionum iactura abesse possint, & iuxta huius fundationis institutum constitutio aliqua feratur illud confirmans, hæc constitutio viribus non carebit. Ratio est, quia cùm *in cap. vnico*, non sit derogatum fundationibus, dicendum est huiusmodi constitutionem iuri communi Canonico non aduersari; consequenter sustineri posse. Ad hoc facit Sacræ Congregationis declaratio apud Monetam *num*.33. in qua Sacra Congregatio ad *sess*.24. *c*. 12. *de reformat. in vna Mediolanen*. respondisse fertur per Concilium Tridentinum eo loci sublatas esse omnes vacationes, per quas Canonicis, duos aut tres menses absentibus distributiones percipere licebat: & hoc verum esse, licet omnes fructus Canonicatuum consistant in distributionibus: nam hoc etiam casu vacationes omnes sunt sublatæ. Secus verò, si in fundatione huiusmodi vacationes essent concessæ.

PVNCTVM VI.

An consuetudine induci possit, vt absentibus distributiones conferantur.

1 Proponuntur rationes dubitandi ad probãdum induci posse consuetudinem, qua stributiones absentibus conferãtur.

1 RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, tum quia vsus distributionum iure humano inductus est: iuri autem humano consuetudini legitimo tempore præscriptæ derogari potest; tum quia consuetudine induci potest, vt beneficij fructus non residẽtibus conferantur. Ergo etiã fieri potest, vt absentes distributiones percipiant.

His tamen non obstantibus, & suppositis iis, quæ de consuetudine docui *de legibus quæst*.1 *punct. vlt*. §.3. sit

VNICA PROPOSITIO.

2 Consuetudine induci non potest, vt absens distributiones capiat.

2 NOn potest sola consuetudine induci, vt distributiones absentibus licitè conferantur, nisi consuetudo ex rationabili causa inducatur, aut nisi Summus Pontifex consentiat. Ita Garzias 3. *part. cap*.2 *n*.197. referens declarationes Sacræ Congregationis. Couarr. 3. *var. c*.13. *n*.2. Cardinalis Tuscus *tom*.2. *lit. D. concl*.514. *n*.4. Macignus *c*.71. *n*.18. Vasquez, Sanchez, Salas, Suarez, & alij statim citandi.

Ratio patet, tum ex constitutione Bonifacij VIII. *in c. vnico, de Cler. non resid.* Tum ex Tridentino *sess.* 24. *c.* 12. Tum quia non potest induci consuetudo contra naturam rei; sed natura distributionum est, vt non conferantur absentibus, sed præsentibus: ergo non potest induci consuetudo, qua distributiones absentibus conferantur: quamuis enim distributionum vsus iure humano sit inductus, nihilominus posita ipsorum institutione, contra naturam ipsarum est, vt absentibus conferantur, vt à simili patet in contractibus, qui licet humana voluntate fiant, ex ipsis tamen naturalis obligatio consurgit, quæ per consuetudinem aboleri non potest, non cõsentientibus ipsis contrahentibus, aut non mutatis rerum circumstantiis, aut nisi superior dispenset ex legitima causa: tum quia sicut consuetudo induci non potest, vt Canonici residentes, qui sine legitimo impedimento ad Ordines, quos Officium sui Canonicatus postulat, intra annum non promouentur, integras distributiones capiant, iuxta Hoiedam *1. parte de incompatibilit. cap.* 17. *numer.* 9. Duennam *in tract. regul.* 206. Curtium, & alios apud Monet [*2. part. quæst.* 12.] *num.* 41. & apud præfatum Hoiedam *loco citato, versic. ampliatur tertiò*, ex *Clement.* 2. *cap. vt ij. de ætate, & qualitate*; vbi derogatur consuetudini, & innouatur in Tridentino *sess.* 22. *cap.* 4. ita, &c. Tum quia non potest aliquid contra legem licitè fieri, quamdiu lex illa in suo robore perseuerat; sed lex de non conferendis distributionibus illi, qui diuinis Officiis non interest, in suo robore perseuerat, non obstante consuetudine in contrarium, vt statim probabo. Ergo absentibus non possunt licitè distributiones conferri: ergo consuetudine induci non potest, vt absentibus distributiones conferantur. Minor propositio, quòd videlicet lex de non cõferendis distributionibus illis, qui diuinis Officiis non intersunt, non obstante consuetudine in contrariũ, in suo robore perseueret, probatur ex *cap. vnico citato*, quod innouatur à Concilio Tridentino; nam *in cap. vnico citato*, ita prohibetur vsus distributionum non interessentibus diuino Officio, vt simul etiam reprobetur contraria consuetudo: quoties autem contraria consuetudo reprobatur, lex semper manet in suo robore, nec illi vis adimitur per contrarium vsum, nisi adsit consensus superioris, aut iusta causa sufficienter cohonestans consuetudinem.

3 Non idem est abrogare consuetudinem, & illam reprobare.

3 Vt hoc meliùs intelligatur, breuiter recolendum est, quod innuimus *de legibus loco citato*, cum Salas, Molina, Vasquez, & aliis, non idem esse abrogare consuetudinem, & reprobare consuetudinem: nam per abrogationem consuetudinis factam per legem, aboletur consuetudo præterita, & prohibetur actus, qui legi aduersatur. Per reprobationem verò consuetudinis, non solum aboletur ipsa consuetudo præterita, sed damnatur futura, declarando ipsam esse irrationabilem, vel constituendo, vt pro irrationabili habeatur, consequenter illi robur aufertur ad abrogandam legem ipsi contrariam: consuetudo enim vim non habet, nisi rationabilis sit, & nisi de ea re sit, quæ possit esse materia legis, vt patet ex dictis *de legibus loco citato, num.* 7. cùm ergo Bonifacius VIII. *in præcit. cap.* reprobet consuetudinem conferendi distributiones absentibus, sequitur induci non posse consuetudinem, qua distributiones absentibus tribuantur.

4 Consuetudine induci potest, vt distributiones absentibus conferantur, si iusta subsit causa, ob quam huiusmodi consuetudo inducatur.

4 Dixi in propositione, *nisi consuetudo ex iusta causa inducatur*, nam superior reprobans consuetudinem futuram, eam solùm reprobare censetur, quæ sine causa inducitur, aut quæ intrinsecè mala est, aut quamdiu perseuerat causa, ob quam reprobatur: hæc etiam censetur irrationabilis. Quæ verò ex noua causa inducitur, & intrinsecam malitiam nõ habet, non censetur in futurum reprobari, vt patet ex dictis *de legibus loco citato, num.* 37. cum Sanchez, Suarez, Becano, Salas, Vasquez & aliis, quibus adde Garziam *3. part. cap. 2. num.* 348. Eumdem Vasquez *de beneficiis cap.* 4. §. 3. *dubio* 1. Monetam, vbi alios refert [*2. part. quæst.* 12.] *num.* 20. & 42. Carolum Macignum *cap.* 71. *numer.* 41. Couarr. 3. *variarum cap.* 13. *num.* 6. Naldum *verb. Distributiones numer.* 12. Rotam Romanam *decisio.* 426. *numero* 5. *in nouissimis.* Riccium *decis.* 498. *numero* 2. quamuis contrarium sentire videatur Azorius 2. *parte lib. septimo cap.* 7. *quæst.* 6. quatenus asserit Bonifacium VIII. cum tres causas *in præcit. cap.* excipiat, videri ceteras omnes improbasse, & damnasse: nam exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Verùm hæc ratio mihi obstare non videtur: quamuis enim Summus Pontifex tres causas excipiat, ex quibus distributiones absentibus tribui permittit, non tamen damnat tamquam irrationabilem consuetudinem aliis de causis inductam. Quamobrem illæ tres causæ excipiuntur à lege, quatenus prohibentur distributiones conferri absentibus; exceptis tribus illis casibus, infirmitatis videlicet, necessitatis corporalis, & absentiæ in vtilitatem Ecclesiæ; non verò excipiuntur à lege, dum futuram consuetudinem reprobat, cum eam consuetudinem reprobare non præsumatur, quæ iusta de causa inducitur.

5 Præfata etiam consuetudo induci potest consentiente Summo Ponuifice.

5 Dixi in propositione, *aut nisi Summus Pontifex consentiat.* Summus enim Pontifex, sicut distributionum vsum induxit, ita etiam validè potest illum in totum, vel in partem dispensando auferre. Ita Couarr. 3. *variarum cap.* 13. *num.* 5. Hoieda 1. *part. cap.* 17. *num.* 13. Moneta [2. *p. q.* 12.] *num.* 45. *& quæst.* 14. *num.* 19. Panormitanus, Duenna, & alij apud Hoiedam *loco citato, versicul. declaratur quartò.*

An verò ad licitam in hac re dispensationem requiratur causa; constat ex dictis *de dispensationibus*, requiri. Imò Moneta *n.* 47. innuere videtur causam necessariam esse non solum ad licitam, verum etiam ad validam dispensationem, quod ego non admitto: imò ipse ita sentire debet, cum asserat distributionum vsum iure naturali, quoad substantiam inductum esse; communis enim DD. opinio est Summum Pontificem non posse sine causa in iis, quæ sunt de iure naturali, licitè, aut validè dispensare.

6 Regulariter loquendo, nõ sufficit tacitus Sũmi Pontificis consensus.

6 An verò sufficiat tacitus Summi Pontificis consensus, qui præsumitur adesse dum Pontifex scit, & tacens tolerat consuetudinem, constat ex dictis in simili *de pœnit. de legibus*, & alibi pluribus in locis, vbi ostendi ex taciturnitate, per se loquendo, non præsumi consensum, nisi aliud ex signis, & circumstantiis colligatur. Ita sentire videtur Couar. *loco citato*, Emanuel Sa, Suarez, Felinus, & alij apud Monetam *loco citato, nu.* 45. apud Hoiedam *num.* 13. *ad finem*, & apud Carolum Macignum *de Horis Canonicis cap.* 71. *numer.* 21. omissis iis, quos ego adduxi, non solùm *de legibus*, verùm etiam *de pœnit. disput.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. §. 1. *num.* 13. *&* 14.

7 Probabile est consuetudine induci posse, vt Canonici duorũ vel trium mẽsium spatio absentes lucrentur distributiones, modò hæc cõsuetudo ex iusta causa inducatur. Oppositũ tamen probabilius iudicatur ob Sacræ Congregationis declarationẽ.

7 Ex dictis colligi potest solutio multorum casuum. Primò, iuxta probabilem nonnullorum Doctorum sententiam, permitti posse consuetudinem, iuxta quam beneficiarij Cathedralis Ecclesiæ, vel Collegiatæ ab iisdem Ecclesiis per duos, vel tres menses absunt, & tamquam præsentes reputantur quoad distributiones percipiendas. Ratio est, tum quia huiusmodi absentia, saltem sine fructuum amissione permittitur in Tridentino *sessione* 24. *cap.* 12. *circa medium*; ergo huiusmodi consuetudo, vel constitutio non reprobatur: tum quia fieri potest, vt huiusmodi consuetudo iusta de causa inducatur; consuetudo autem iusta de causa inducta non reprobatur: sed vim habet abrogandæ legis, si legitimum tempus ad legem abrogandam intercedat: hoc autem est spatium quadragenarium, vt patet ex dictis *de legibus*, & ex superiùs traditis *quæst.* 1. *punct.* 3. *& quæst.* 4. *punct.* 5. *nu.* 5. Tum quia dum loqueremur de obligatione residendi, ostendimus Parochum, qui breui duorum mensium spatio iusta de causa non residet, posse fructus eo tempore percipere, quamuis Parochus, non solùm iure humano, verùm etiam naturali, & diuino residere teneatur. Ergo à fortiori poterit distributiones capere, qui duorum, vel trium mensium spatio abfuit ex consuetudine recepta, & iusta de causa introducta, qualis causa esse potest necessitas ad res familiares disponendas, & præparandas, vel ad honestam animi relaxationem, vt elapso recreationis tempore, diuinum Officium maiori cum alacritate, & spiritu iterum assumatur: expedit enim aliquando diuinum Officium publicè persoluendum intermittere, vt tædium, quod ex assidua diuini Officij decantatione suboriri potest, nonnullorum dierum interuallo euitetur, & quies aliqua capiatur.

Quod enim *caret alterna requie durabile non est,*
Hæc reparat vires, fessaq; membra nouat.

Hanc sententiam tenet Cenedo *in collect. ad ius Canonicum. 3. parte collect. 15. num. 7. pagina mihi* 534. Couarruuias 3. *variar. cap.* 13. *num.* 5. Moneta 2. *parte quæst.* 12. *numero* 54. Macignus *cap.* 65. *numero* 21. & alij contra Azorium 2. *parte lib.* 7. *cap.* 7. *quæsito* 6. *ad finem.* Nauarrum *consil.* 9. *de Clericis non residentibus*, Garziam *de benef.* 3. *part. cap.* 2. *num.* 249. *& seq.* Gonzalez *ad regul* 8. *cancell.* §. 7. *procem. numero* 182. (licet hic simpliciter loquatur de absentia,) & alios, quorum opinio valdè probabilis est ob declarationes sacræ Congregationis apud Garziam, & apud alios præcitatos Doctores, in quibus dicitur, Canonicos non posse vi cuiuslibet consuetudinis, etiam immemorabilis, frui quotidianis distributionibus, illis tribus mensibus, quibus à Tridentino *sess.* 24. *cap.* 12. abesse permittitur. Moneta & alij auctores primæ sententiæ, quam probabilem arbitror, has declarationes intelligendas putant de absentia inducta sine iusta causa, & sine debito temporis interuallo in iure constituto ad præscribendum contra legem Ecclesiasticam. Propterea, cùm fieri possit, vt illa declaratio facta fuerit antequam elapsi essent quadraginta anni à Concilij Tridentini editione, mirum non est à sacra Congregatione hoc ita declaratum fuisse: nam ad præscribendam consuetudinem contra legem Ecclesiasticam, requiritur tempus 40. annorum, & cùm in Tridentino *loco citato*, innouatum fuerit *cap. vnicum, de Cleric. non resid.* in quo prohibetur, distributiones absentibus dari, sequitur consuetudinem conferendi absentibus distributiones non esse admittendam, nisi à Concilio Tridentino condito, & obligante quadragenaria consuetudo inualuerit, & perseueraverit cum iusta causa, & sine notabili cultus detrimento; id est, modò ob beneficiariorum absentiam diuinum Officium in Choro à reliquis commodè persolui queat, vt Cenedo, & Moneta *locis citatis*, obseruant.

Verùm, cùm huic expositioni aduersentur verba sacræ Congregationis improbantis non solùm consuetudinem quadragenariam, verùm etiam immemorabilem, puto secundam sententiam ob Sacræ Congregationis auctoritatem probabiliorem esse, donec per Summum Pontificem, vel per Sacram Congregationem aliud decernatur, si vera est ipsius declaratio, quam refert Garzias; quamquam Carolus Macignus *de Horis Canonicis cap.* 65. multis conatur ostendere licitè capi posse præfatas distributiones, quoties immemorabili consuetudine inductum est, vt huiusmodi distributiones capiantur. Sicut enim capi possent si ex fundatione, vel priuilegio concederentur absenti nonnullorum mensium spatio; ita etiam percipi poterunt immemorabili cõsuetudine interueniente, cùm immemorabilis consuetudo tituli præsumptionem inducat, siue is sit titulus fundationis, siue priuilegij, &c. vt Rotam Romanam declarasse testatur Puteus *decisione* 52. 205. Achilles de Grassis *decisione* 4. *de iure patronatus*, aliàs 317. Idemque docet Menochius *numero* 65. *consilio* 90. *& consilio* 402. *num.* 9. & alij, quos citat, & sequitur Carolus Macignus *cap.* 65. *de Horis Canonicis num.* 9. *& sequentibus*, vbi etiam ad rationes, quæ in contrarium adduci possunt, & ad Sacræ Congregationis declarationem respondens, dicit huiusmodi consuetudinem particularem non præsumi à Sacra Congregatione reprobatam, cùm non constet de illius iniustitia, & fieri possit, vt iusta de causa inducta & recepta fuerit.

8 Non est admittenda consuetudo, vt absentes eleemosynam capiãt dum anniuersaria celebrantur.

8 Secundò colligitur non posse consuetudine induci, vt Sacerdotes, non interessentes dum anniuersaria celebrantur, eleemosynam, vel stipendium, quod diuina pro mortuis Officia celebrantibus, vel assistentibus cõferri præscribitur, percipere valeant, vt patet ex dictis, & ex iis quæ tradidi *loco cit. de legibus*, vbi hũc casum in terminis tradidi, & explicaui, cuius rigorẽ hoc pacto moderari, & limitare possumus, nisi Sacerdotes cõducantur ab his, qui huiusmodi Sacerdotum consuetudinem norunt, & non contradicunt, vel non curant, vt Officium à singulis recitetur, sed vt ab vniuersis persoluatur iuxta receptum vsum. Ita Lopez, & alij apud Monetam 2. *parte quæst.* 2. *nu.* 22.

&

& 24. *de distributionibus.* Eodem pacto explicandus est Carolus Macignus *cap.* 67. *num.* 10.

9 Nō valet consuetudo, vt Canonicus de recenti admissus percipiat distributiones tēpori absentiæ respondentes.

9 Tertiò admitti non posse consuetudinem, vt Clericus in Canonicorum numerum de recenti admissus, gaudeat distributionibus, etiamsi per aliquot dies absit. Ita Azorius *loco citato, quæsito* 5. *versicul. Quæres tertio,* Moneta *num.* 40. & alij.

10 Quartò colligitur consuetudine obtineri non posse, vt Canonicus integras distributiones lucretur, si præsentem se inuenerit, dum Canonicæ preces inchoantur, etiamsi postea à Choro discedat.

10 Non potest induci consuetudo, vt assistens vna hora, vel submissa voce recitans lucretur omnes totius anni distributiones.

Idem dic de illo, qui dum Choro interest, suos versiculos submissa voce recitat, & alios audit: hic enim dum submissa voce recitat, non satisfacit obligationi Chori; cum in ea parte cum ceteris non communicet, & perinde sit ac si abesset, vt patet ex supradictis *disputat.* 1. *quæst.* 3 *punct.* 2. §. 1. *numero* 17. Ita Couarruuias 3. *variarum cap.* 13. *numero* 8. *ad finem.* Garzias *de beneficiis* 3. *part. cap.* 2. *numero* 570. Vasquez *de beneficiis cap.* 4. §. 3. *dubio* 4. Caietanus *in opusculis opusculo vltimo, respons.* 8. & alij, quos retuli *loco proximè citato,* omissis iis quos citat & sequitur Catolus Macignus *de Horis Canonicis cap.* 66. *num.* 4.

Idem dic, per se loquendo, de consuetudine, qua vnica hora acquiruntur omnes distributiones illius diei. Ita Graffius *parte* 2. *lib.* 3. *cap.* 15. & alij apud Monetam 2. *part. quæstione* 3. *numero.* 50. An autem quis possit per alium assistere, constat ex supradictis *disputatione* 2. *quæstione* 1. *puncto* 4. & 5.

11 Cōsuetudine induci non potest, vt distributiones primi anni conferātur heredibus quasi iure proprio ipsorum heredum.

11 Quintò colligitur consuetudine induci non posse, vt distributiones primi anni, quo quis Canonicatum adeptus est, heredibus Canonici prædefuncti, cui hic successit, iure proprio ipsorum heredum reseruentur, distributiones enim conferri nequeunt illis, qui diuino personaliter non inseruiunt Officio. Ita Ancharanus, Geminianus, & alij, quos refert, & sequitur Azorius *loco citato, quæsito* 5. *versicul. Quæres.* Moneta *parte* 2. *quæstione* 12. *numero* 65.

Non nego tamen quin heredibus Canonici mortui debeantur distributiones pro rata temporis præteriti, in quo prædefunctus inseruiuit, qui antequam distributiones caperet, ex hac vita migrauit. Ratio est, quia defunctus ad huiusmodi distributiones reale ius habebat: heres autem, sicut defuncto in onera realia, ita etiam in realia iura succedit, ex communi DD. sententia, quam pluribus probaui *in tractat. de benef.*

Item non nego, quin huiusmodi distributiones primi anni conferri possint heredibus defuncti ob assistentiam, quam defunctus primo anno præstitit traditis illius anni distributionibus heredi alterius prædefuncti, iuxta suprà tradita *quæst.* 1. *punct.* 5. *nu.* 4. & statim tradenda in dubio proximè sequenti.

12 Consuetudo inducit potest, vt fructus primi anni dentur heredibus Canonici mortui.

12 Sed modò difficultas est, vtrùm consuetudine induci possit, vt fructus primi anni dentur heredibus Canonici mortui. Ratio dubitandi [ad probandum non posse] est, quia sicut distributiones, ita etiam fructus residentibus, & inseruientibus conferendi sunt.

Respondeo huiusmodi consuetudinem admitti posse, tum quia sic habetur *in Extrauagant. suscepti regiminis, de electione,* sicque sacram Cardinalium Congregationem respondisse fertur: tum quia hęc consuetudo à iure non reprobatur, sicut reprobatur consuetudo distributionum: tum quia nullus in hac re detrimentum patitur, cùm mutua detur compensatio: tum quia iusta de causa inducta censetur hæc consuetudo, vt ex huiusmodi fructibus defuncti debita persolui, & anniuersaria Officia pro ipso facilius celebrari queant. Ita prędicti Doctores apud Azorium *loco citat.* & apud Monetam *num.* 63.

Hinc patet responsio ad rationem dubitandi, dico enim fructus inseruientibus deberi, nisi aliter postulet consuetudo legitima, & non reprobata.

13 Non videtur admittenda cōsuetudo, qua Canonici alternis hebdomadis inseruiant, & omnes distributiones lucrentur.

13 Sextò colligitur approbari non debere consuetudinem, qua nonnulli Canonici alternis hebdomadis intersunt Choro, & non solùm distributiones capiunt illis hebdomadis, quibus ipsi Ecclesiæ inseruiunt, verùm etiam quibus ab Ecclesia absunt, putantes se posse ob consuetudinem abesse, & distributiones lucrari singulis hebdomadis. Hoc tamen limitandum est, nisi adsit consensus Summi Pontificis, aut nisi iusta causa hanc cōsuetudinem excuset, vt dictum est in propositione, sicque intelligendæ sunt prefatæ illationes. Ita Azorius *loco citato, quæsito* 5. *ad finem.* Moneta *num.* 40. Nauarrus *tomo* 1. *consilio* 8. *de Clerico non residente.* Macignus *cap.* 71. *nu.* 108. Hoieda 1. *parte quæstione* 17. *num.* 11. & alij.

14 Reprobanda non videtur cōsuetudo, qua interessentes Matutinis precibus tantum lucrantur, quantum percipiunt alij, qui reliquis horis intersunt.

14 Septimò non videri condemnandam consuetudinem vt Clerici nocturnis precibus assistentes tantum lucrentur, quantum lucrantur ceteri, qui reliquis omnibus diuini Officij horis intersunt; sed matutinis, aut nocturnis precibus non interfuerunt. Ita Hoieda 1. *parte cap.* 17. *num.* 11. Moneta *de distributio.* 2. *par. quæst.* 12. *num* 42. Glossa, Cardinalis, Duenna, & alij apud Hoiedam, contra Azorium *quæsito* 6. & alios quos idem Azorius tacito nomine refert, sed illos recenset Macignus *num.* 108. Ratio est, quia iusta de causa inducta videtur hæc consuetudo, videlicet, vt beneficiarij spe distributionum, eo tempore acquirendarum, alliciantur ad diuinas laudes noctu decantandas, & a nimio somno distrahantur, exemplo Dauid, qui ad Deum laudandum media nocte surgebat.

15 Non videtur admittenda cōsuetudo, vt qui quadraginta annis diuinis interfuerunt, distributiones capiāt in futurū, etiamsi Choro non interfint.

15 Octauò, tolerandam non esse Diœcesanam constitutionem, vel consuetudinem, concedentem iubilationem, vt beneficiarij, qui longum, & diuturnum tempus diuinis Officiis assistendo personaliter insumpserunt, immunes fiant à residentia, & distributiones, tamquam veterani, & emeriti milites quotidie lucrentur, perinde ac si diuinis Officiis interessent.

Ratio est, quia sufficientem non video rationem, ob quam à residentia excusari debeant, dum adhuc vegeti, & robustiores sunt, commodeque diuinis Officiis assistere, & ceteris exemplo præesse possunt.

Nec est eadem ratio huiusmodi beneficiariorum, & militum sæcularium, tum quia cum hominibus armatæ militiæ lex ciuilis hoc permittit, vt constat ex Iureconsulto *in l. à muneribus. ff. à muneribus,* vbi ex decreto, & litteris Seueri Augusti vereranos milites à muneribus personalibus excusari docet; beneficiariis verò non solùm hoc non permittitur, sed potiùs lege Canonica contrarium vniuersaliter cauetur, & opposita consuetudo reprobatur: tum quia militibus sęcularis militiæ maior exemptionis concedendæ causa subest, quàm beneficiariis: expedit enim hoc illis permittere, vt periculo vitæ amittendæ non deterreantur allecti spe euadendi, & immunitatis præmio perfruendi; beneficiarij verò vitam periculo non exponunt residendo; consequenter nec eodem gaudere debent priuilegio. Ita Nauarrus *tomo* 1. *consiliorum consilio* 13. *de Clerico non residente.* Macignus *numero* 137. contra Cenedum 3. *parte collectione* 15. *numero* 8. Garziam *parte* 3. *de beneficiis cap.* 2. *numero* 344. & Monetam 2. *parte quæstione* 7. *numero* 20. & *quæstione* 12. *numero* 61. Ex nostra sententia contra Monetam, Garziam, & Cenedum deduci potest, neque valere simile statutum, nisi à Summo Pontifice approbetur: opposita tamen opinio valdè probabilis est. An autem huiusmodi statutum à Summo Pontifice hactenus approbatum sit, constat ex dictis *puncto antecedenti numero* 3.

16 Consuetudine induci potest, vt senes lucrentur distributiones.

16 Nonò colligitur permitti posse consuetudinem, vt beneficiarij senio confecti, vt septuagenarij distributiones capiant, etiamsi ad Chorum non accedant: nam hæc consuetudo ex sufficienti causa inducitur; sicut enim infirmitas sufficientem exhibet excusationis, & absentiæ causam, ita eamdem senectus præ se ferre videtur: senectus enim comparatur morbo, imò à Comico poeta vocatur morbus: à Dione apud Diogenem *libro* 4. omnium malorum portus, cùm ad ipsam cuncta mala confugiant: à Seneca *Epistola* 109. morbus insanabilis, & à Sancto Augustino *de catechiz. rud.* longa infirmitas appellatur: cùm sibi homines, inquit Augustinus, optant senectutem, quid aliud optant, nisi longam infirmitatem? Ita Cenedo *loco citato, numero* 8. *pagina mihi* 535. Moneta *loco citato, numero* 57. Panormitanus, Baldus, Socinus, Penna, & alij apud Menochium *de arbitrariis libro* 2. *centuria* 1. *casu* 60. & apud Hoiedam *de incompatibilitate beneficiorum* 1. *parte cap.* 17. *num.* 16. *versicul. & quis dicatur.*

17 Consuetudine, saltem immemorabili, induci potest, vt quis per alium inseruiat.

17 Decimò colligitur cum Moneta *loco citato, numero* 48. Beroio *quæstione* 114. Macigno *cap.* 67. *numero* 8. Azorio *libro* 10. *cap.* 11. *quæsito* 6. & aliis, admitti posse consuetudinem immemorabilem, vt quis per alium eiusdem Ecclesiæ Canonicum assistens, & seruiens Ecclesiæ fruatur distributionibus. Imò Rota *in vna Zamoren. Canonicatus de Toro* 18. *Maij* 1598. coram Cordūba apud Garziam 11. *parte cap.* 3. *numero* 90. *ad finem,* sustinere videtur consuetudinem quadragenariam sufficere. Ratio est, tum quia in præcipua Italiæ vrbe vsu receptum esse à nonnullis eiusdem vrbis Canonicis accepi, vt vnus Canonicus assistat per alium Canonicum, qui alias non tenetur ea die, vel hebdomada ex onere sui Canonicatus, interesse, & inseruire: tum quia non infertur damnum diuino cultui, vel Ecclesiæ, cui quasi per accidens est, vt vnus potius Canonicus, quàm alter assistat, & inseruiat, nec ob id distributiones absentibus simpliciter conferri dicuntur: tum quia ex consuetudine immemorabili arguitur priuilegium, seu titulus, vt cum Suarez, Couarruuia, & aliis in simili docui *de decimis*; idemque superiùs docui cum Rota, & aliis; priuilegio autem induci potest, vt per alium inseruiens distributiones percipiat. Verum tamen est huiusmodi consuetudinem strictè explicandam esse, vtpote iuri contrariam; consequenter Sacerdotem alterius Ecclesiæ substitui non posse, quia vsu tantummodò receptum est, vt ministri eiusdem Ecclesiæ substituantur. Ad rationes, quæ in contrarium adduci possunt, patet responsio ex dictis *quæstio.* 1. *puncto* 5. *disputatio* 2.

18 Habens duos Canonicatus non potest ex consuetudine acquirere ius percipiēdi distributiones, dū abest, nisi forte beneficia in solis distributionibus consistant, tunc enim probabile est posse aliquid accipere ob alia onera.

18 Vndecimò, habentem duos Canonicatus in duabus Ecclesiis, non posse per consuetudinem acquirere ius percipiendi distributiones illius Ecclesiæ, in qua non residet. Ita Hoieda 1. *parte cap.* 17. *num.* 7. Couarruuias 3. *variarum cap.* 13. *num.* 6. Garzias 3. *parte cap.* 2. *numero* 347. & alij apud Monetam *loco citato, numero* 39. & *quæstione* 5. *nu.* 20. & apud Hoiedam *loco cit. versicul. & ista conclusio.* & constat ex *cap. vnico sæpiùs citato, de Cleric. non resident.*

Addit Moneta *loco citato,* hoc non solùm procedere, dum Canonicatus reddunt fructus, & distributiones, verùm etiam, dum solùm in distributionibus consistunt; nam istæ sunt veræ distributiones. *In cap.* autem *vnico,* sæpiùs citato, absque vlla distinctione dicitur distributiones non esse conferendas iis, qui diuinis Officiis non interfunt, & consuetudo in contrarium reprobatur. Contrarium tenet Azorius *loco citato, cap.* 7. *quæsito* 7. Gloss. *in cap. consuetudinem. de Cleric. non resid.* & alij, quos retuli *punct.* 4. *num.* 4.

Mihi dicendum videtur, quando beneficium nihil aliud reddit, præter quotidianas distributiones, consuetudine induci posse, vt beneficiario non interessenti diuinis Officiis aliquid tradatur, non ob absentiam, sed ob alia onera beneficio annexa. Ratio est, tum quia iure naturæ dictante, operarius dignus est cibo, seu stipendio, sed induci potest consuetudo cōformis dictamini naturali; ergo consuetudine induci potest, vt Canonicus qui non solùm obligationem assistendi Ecclesiæ, verùm etiam munus, & onus habet recitandi priuatim diuinum Officium, & alia præstandi, aliquid recipiat in cibum, vel stipendium, dum Officium priuatim recitat, licet diuinis Officiis non interfit: tum quia huiusmodi distributiones non solùm vices distributionum gerunt, verùm etiam fructuum, iuxta probabilem nonnullorum Doctorum opinionem: sicut autem fructus debentur Clerico residenti, quamuis diuinis Officiis non interfit, ita etiam longa consuetudine induci potest, vt huiusmodi distributiones, quatenus fructuum vices gerunt, saltem aliqua in parte conferantur beneficiario actualiter non inseruienti Ecclesiæ. Præcisa verò consuetudine, vel dispensatione huiusmodi distributiones conferendæ sunt tantummodò assistentibus, quia constitutæ sunt, & assignatæ, pro assistentibus diuinis Officiis, & beneficiarius, dum suscipit beneficium, cēsetur illud acquirere cum oneribus

ribus beneficij, iuxta præscriptum Ecclesiæ. Ita communiter DD.

19 Absens causa studij vel in obsequium Papæ, aut Episcopi, lucrari potest distributiones, si hoc ferat cõsuetudo.

19 Duodecimò colligitur validam esse consuetudinem, vt absens causa studij, vel obsequij Papæ, vel Episcopi, aut alia iusta de causa, distributiones tempore absentiæ capiat, vt superiùs probatum est. Ita Couar. 3. *variarum cap.* 13. *num.* 5. Garzias *cap.* 2. *num.* 113. 115. & 348. Hoieda 1. *part. de incompatibilitate cap.* 17. *num.* 10. & alij apud præcitatos Doctores.

20 Canonicus, qui iustam ob causam abfuit, lucrari potest distributiones, si post quã rediit aliquã diu domi iusta de causa commoretur, nec ad Chorum accedat

20 Addo improbandam non esse consuetudinem, qua Canonicus, qui iustam ob causam abfuit, & iam rediit, domi biduo, aut triduo se continet ad quiescendum, tamquam defessus ex labore itineris suscepti in euidentem Ecclesiæ propriæ vtilitatem, vel ad sarcinulas suas componendas, antequam Ecclesiam adeat; nam hæc consuetudo iusta de causa inducitur. Ita Ioannes Monachus *cap.* 1. *de Cleric. non residentib.* & alij quàm plures apud Cenedum 3. *part. collectione* 15. *nu.* 7. apud Azorium *loco citato, quæsito* 5. *versicul. Quæres secundò, & quæsito* 6. & apud Macignum *cap.* 71. *numero* 139. *& sequentibus*, asserentes *in cap. vnico, citato*, non reprobari quamlibet consuetudinem, sed eam, qua distributiones quotidianæ conferuntur perpetuò absentibus à diuinis Officiis. Idem tenet Menochius *de arbitrariis lib.* 2. *centuria* 1. *casu* 33. & nostram sententiam in terminis sustinet Graffius 2. *parte decisio. lib.* 3. *cap.* 15. *numero* 11. Cenedo *collectione* 15. *numero* 7. Moneta *loco citato*, *numero* 49. *& quæst.* 5. *numero* 40. Præcisa verò consuetudine, nullum, vel saltem valdè modicum tempus concedendum est illi, qui rediit, etiamsi abfuerit ex iusta causa, propter quam absenti distributiones conferuntur, eam ius ad quotidianas distributiones non conceditur, nisi quotidie interessenti. Existimo tamen illi, qui ex huiusmodi causa longè abfuit, concedi posse reliquum illius diei, in quo reuertitur, vel quid simile: dum defatigatus est ex itinere suscepto ex illa causa. Ratio est, tum quia hoc tempus modicum est, & breue, nec benignæ legislatorum intentioni aduersari videtur: tum quia dici potest abesse ob rationabilem corporis necessitatem.

21 Induci potest consuetudo, vt assistẽs certo quodam tempore nullas distributiones lucretur.

21 Quæres vtrùm consuetudine induci possit, vt interessentes diuinis Officiis, certo quodam tẽpore nullas distributiones lucrentur. Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia in iure non reprobatur consuetudo non conferendi assistentibus distributiones, sed improbatur consuetudo conferendi non assistentibus. Ideo Canonici, qui ex statuto tenentur solùm alternis hebdomadis interesse, si interfint hebdomada non sua, nullas distributiones ea hebdomada lucrantur. Ita Azorius *loco citato*, *quæsito* 5. *ad finem. versic. Quæres tertiò.* & Moneta *num.* 40. *circa medium*, contra Cardinalem Tuscum *tomo* 2. *conclus.* 514. *num.* 4.

Addo non improbandam esse consuetudinem, vel constitutionem, qua cauetur, vt absens distributiones non lucretur, etiamsi absit causa infirmitatis, aut alia de causa, ex qua distributiones in iure permittuntur. Ratio est: tum quia huiusmodi consuetudo, vel constitutio fauorabilis est cultui diuino: tum quia *in cap. vnico de Clericis non resid.* non prohibetur, vel reprobatur huiusmodi consuetudo, vel constitutio: nec præcipitur vt absens ex causa ibi expressa distributiones capiat, sed permittitur, & qui aliàs inhabilis esset, habilis efficitur ad distributiones, & excipitur à regula communi non conferendi absentibus distributiones. Consuetudo autem induci potest contra id, quod est in iure permissum, & huiusmodi consuetudo non est contra ius, nec reprobatur à iure, sed est præter ius. Ita Nauarrus *libro* 1. *de restitut. cap.* 2. 2. *parte, dubio* 3. *suppositione* 6. Hoieda *de incompatibilitate quæstione* 17. *numero* 19. Maicgnus *cap.* 71. *numero* 30. *& sequent.* Moneta *loco citato, numero* 40. & alij, quos in præcedentibus retuli, omissis quàm pluribus, quos præcitati DD. enumerant contra Petrum Nauarrum *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 208.

Non nego tamen, quin hæc consuetudo dici possit contra ius ipsorum Canonicorum absentium ex causa, ob quam distributiones in iure permittuntur, *cap. vnico, de Cleric. non residen.* Ideo Rota Romana coram Cardinali Seraphino *decisione* 1132. Couarruuias 3. *variarum cap.* 13. *num.* 8. Gigas *consilio* 144. Calderin. *consilio* 17. *tit. de præbend.* & alij, quos refert Moneta *quæstione* 5. *numero* 48. & Macignus *num.* 32. senserunt absentibus ex causis in eo textu exceptis deberi distributiones etiam præcisa consuetudine; nullus tamen inficiari poterit, non posse consuetudine præscribi ius, & priuilegium alteri concessum, si legitimum tempus intercedat. Ita Garzias 3. *parte cap.* 2. *num.* 360. Vega *in summa* 1. *part. cap.* 128. *casu* 19. & alij, sicque in casu infirmitatis per sacram Congregationem declaratum esse fatetur idem Garzias *loco citato*, vbi ipsammet sacræ Congregationis declarationem ad verbum refert.

PVNCTVM VII.

Vtrùm Canonicus, qui diuinis Officiis non interfuit, possit distributiones percipere, si alij, quibus ob assistentiam accreuerunt, eas remittant, largiantur, vel ex pacto condonent.

1 Proponitur ratio dubitandi.

1 RAtio dubitandi [pro parte affirmatiua] est, quia quilibet est bonorum suorum moderator, & arbiter, *l. in re mandata, C. mandati.* Sed Canonici assistentes habent ius ad distributiones non interessentium: ergo cedere possunt iuri distributionum, illasque ad libitum distrahere, nec non condonare, aut largiri cui voluerint.

2 Pro solutione explicatur quid sit remissio, seu cõdonatio, donatio, collusio, trãsactio & cõpositio.

2 Pro solutione propositæ quæstionis præmittendum est quid sit remissio, donatio, collusio, transactio, & amicabilis compositio, hæc enim magnam inter se differentiam habent, spectata propria verborum significatione, cuius cognitio ad nostræ difficultatis solutionem maximè conducit. Remissio est condonatio eorum, quæ nobis debentur, sed nondum sunt in dominio, & potestate remittentis, vt si Titius Caio debeat centum, & hæc Caius Titio condonet, dicitur remittere.

Donatio est spontanea, & voluntaria datio eorum, quæ possi demus, vt si Titius Caio liberaliter det centum absque præuio contractu, vel onere restitutionis, aut si cedat Caio creditum, quod ipse Titius habet contra Seium, dicitur donare centum, seu potiùs ius, quod ipse habet; sicut autem donatio gratis fit, ita etiam condonatio, & sicut ad perfectam donationem requiritur acceptatio alterius, ita etiam ad condonationem

Collusio in subiecta materia importat mutuam condonationem, seu remissionem mulctæ: vt si quis hoc pacto cum altero conueniat, si tu abfueris, distributiones tibi condonabo: si ego abfuero, tu mihi condonabis. Dicitur etiam collusio, si omnes Canonici adinuicem conueniant, vt absentibus distributiones tribuantur.

Transactio verò, quæ sic dicitur, quasi transitus, & recessus ab actione, est pactio non gratuita de re dubia, vt si dubium sit, quotam distributionum partem Titius amiserit, seu quamdiu Titius abfuerit, aut si ad distributiones ius aliquod habere prætendat, aliis contrà existimantibus, & conueniat de certa distributionum parte sibi soluenda, dicitur transigere, *l. transactio, C. de transaction. & l.* 1 *ff. de transaction.* Si verò partem distributionum sibi ex iustitia debitarum dumtaxat exigat, reliquam verò condonet, dicitur potius amicabilem compositionem, quàm simplicem transactionem facere. Ita Padilla *rubrica de transactione numero* 18. Azorius 1. *parte libro* 7. *cap.* 37. *quæsito* 5. Rebellus *de obligation. iustit. libro* 16. *quæst.* 1. *in principio*, [Moneta 3. *part. quæst.* 5.] & alij communiter.

His præmissis explicandum est primò, vtrùm licita sit, aut valida remissio.

Secundò donatio.

Tertiò collusio.

Quartò transactio.

§. I.

Vtrùm licita, aut valida sit distributionum remissio.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Illicita est distributionum remissio.

1 NOn est licita distributionum remissio facta absenti ab aliis Canonicis, quibus ob assistentiã in Choro distributiones debentur. Ita Doctores statim citandi. Ratio est, quia ex *cap. vnico, de Clericis non residentib.* distributiones non sunt conferendæ non interessentibus, & in Concilio Tridentino *sessione* 24. *cap.* 12. *versicul. distributiones*, non interessentes excluduntur à distributionibus, etiam per remissionem; dicitur enim: Distributiones verò, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quauis collusione, aut remissione exclusa, his careant, iuxta Bonifacij VIII. decretum, quod sancta Synodus in vsum reuocat, non obstantibus quibuscumque statutis, & consuetudinibus. Idem constat ex multis sacræ Congregationis declarationibus apud Garziam *de beneficiis* 3. *parte cap.* 2. *numero* 432. & ex Rotæ decisione *in vna Hispalen. distribut.* 2. *Maij* 1602. coram Reuerendissimo Domino meo Coccino, quam refert Riccius *verb. Praxis distributionum decision.* 494. *num.* 4.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Non solùm illicita, verùm etiam inualida est distributionum remissio.

2 NOn solùm non est licita huiusmodi remissio, verùm neque est valida, & absentes non possunt distributiones sibi condonatas accipere, vel retinere. Ratio est, quia Concilium Tridentinum *loco citato*, absolutè asserit absentes distributionibus carere, quauis collusione, vel remissione exclusa, & sacra Cardinalium Congregatio, quæ interpretationi Concilij Tridentini præest, teste Garzia *loco citato*, declarauit, non licere Capitulo aliquo prætextu distributiones donare, relinquere, aut quauis collusione remittere alicui, qui vel à seruitio Ecclesiæ abfuerit, vel alio quouis modo distributiones legitimè debeat amittere, nec fas esse cuipiam, eas accipere; si acceperit, suas non faciat, sed restituere cogatur illicò restituendas fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, Episcopi arbitrio. Idem asseritur in Concilio Prouinciali I. Mediolanensi *parte* 2. *titul. communia de ministris*, vbi, vetita quauis pactione, remissione, vel collusione, nec non reprobato quolibet statuto, vel consuetudine in cõtrarium, subiungitur: Si datæ fuerint, qui acceperit suas non faciat, sed eas restituat, quæ iure ipso accrescant aliis inseruientibus, qui huiusmodi pactioni, remissioni, collusioni, vel præbitioni assensi non fuerint, nisi ex constitutionibus Ecclesiæ probatis alteri debeantur: si verò omnes consenserint, vsibus Ecclesiæ iam nunc addictæ intelligantur.

Hinc patet cui debeantur distributiones, quas non interessentes per remissionem ab aliis Canonicis acceperunt. De qua re, pro Mediolanensi Prouincia, vide Concilium Prouinciale I. iam citatum, & Concilium Prouinciale IV. *parte* 2. *sub titul. de distribut. ad finem.*

3 Amplia tur cõclusio, etiamsi absentia contigerit ex iusta causa.

3 Amplia primò remissionem distributionum inualidam esse, etiamsi remissio facta sit absenti ex legitima absentiæ causa à iure permissa, vel ab Episcopo approbata, vt causa studij, vel grauissimi negotij (modò non abfuerit ob infirmitatem, vel ob rationabilem corporis necessitatem, vel in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, nam absens in his casibus distributiones amittere non debet ex iuris communis concessione.) Ratio est, tum quia Concilium Tridentinum absolutè, & generaliter excludit quamlibet remissionem, vel collusionem, & distributionibus priuat quoscũque non interessentes. Propositio autem generalis generaliter intelligenda est, dictio vniuersalis comprehendit omnia, & qui totum dicit, nihil excludit. *l. quod si Mauius, ff. de hered. instit.* Tum quia sacra Cardinalium Congregatio apertè asserit irritam esse remissionem, quouis prætextu fiat, & quouis modo quis abfuerit, ita vt propter absentiam distributiones amittere debeat.

4 Non est tutus in conscientia qui distributiones accipit ob remissionẽ sibi factã.

4 Addit Riccius *loco citato decisione* 494. *num.* 5. absentem, qui hoc modo distributiones accipit, non esse tutum in conscientia: & hoc

mihi

mihi probabile videtur. Ratio est, tum quia nullus recipere, & retinere potest id, ad quod acquirendum incapax, & inhabilis effectus est: absens autem videtur effectus incapax ad lucrandas distributiones ex decreto Tridentini: distributiones verò, inquit Concilium *loco citato*, qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui, quauis collusione, aut remissione excluſa his careant: quamuis enim verbum, *careat*, non semper importet inhabilitatem, & incapacitatem ad acquirendum, vel retinendum, hic tamen ex mẽte Concilij, quod penitus intendit distributiones absentibus remouere, dicendum videtur inhabilitatem ad distributiones acquirendas induci: tum quia hic non retinet distributiones, nisi titulo remissionis: hæc autem irritatur à Concilio, ibi, *quauis remissione, vel collusione excluſa*; tum quia sic colligitur ex sacra Cardinalium Congregatione, asserente absentem fas non esse distributiones accipere, si acceperit, suas non facere, &c.

5 Remissio distributionum nõ solùm irrita est si de futuro fiat, verùm etiã si fiat de præterito.

5 Amplia secundò, non solùm irritam esse distributionum remissionem de futuro, verùm etiam de præterito, vt si quis dicat: Condono tibi distributiones, quæ mihi de iure ob tuam absentiam accreuerunt. Ratio est, quia Concilium Tridentinum, & sacra Cardinalium Congregatio absolutè, & indistinctè loquuntur, & distributionum remissionem vniuersaliter excludunt, vt patet ex illis verbis, *quauis remissione, & quouis modo*. Contrarium tenet Rodriquez *in summa 1. parte cap. 33. num. 3. sub finem*, & alij, quorum sententiam probabilem putat Moneta *de distribution. 3. parte quæstione 5. numero 9.* & sequitur Naldus *verb. distributiones, numer. 3.* Imò etiam Rota Romana *in vna Hispalen.* coram Reuerẽdissimo Domino meo Coccino viro eruditissimo *2. Maij 1603.* vbi *n. 4.* refert Nauarrum, Francum, & alios, modò hoc non fiat in fraudem legis, seu modò nulla præcesserit cõuentio, inquiunt isti Doctores, quorum opinio probabilissima est, licet mihi probabilius videatur, quod ex propria sententia dixi, in quam sententiam propendent Moneta *loco citat. n. 10.* Menochius *de arbitrar. lib. 2. casu 429. in addit. num. 6.* & alij apud Garziam *loc. cit.* indistinctè loquentes.

Ad rationem dubitandi responsio patebit ex dicendis ad finem §. 3.

§. II.

Vtrùm licita, aut valida sit distributionum donatio.

VNICA PROPOSITIO.

1 Donatio distributionũ iure communi vetita non est.

1 IVre communi vetita non videtur distributionum donatio, facta ab eo, qui iam acceperat distributiones, quas alter ob absentiam amiserat. Ratio est, quia Concilium Tridentinum non excludit donationem, sed collusionem, & remissionem. Propriè autem, & strictè loquẽdo, non sunt idem collusio, remissio, & donatio, vt constat ex iis, quæ in principio huius puncti præmisi. Ita Nauar. *de orat. Miscellan. 50. num. 4. & consilio 7. de Clerico non residente.* Cosmus Philiarchus *1. parte libro 1. cap. 13.* Carolus Macignus *de Horis Canonicis c. 81. numero 152.* Moneta *de distribution. 3. parte quæstione 5. numero 6.* Suarez *tomo 2. de religione libro 4. cap. 30. numero 17.* Rodriquez *loco citato*, Azorius *2. parte libro 7. quæsito 9.* contra Riccium *loco citato, numero 4.* Garziam *de beneficiis 3. parte cap. 2. numero 431.* & alios asserentes vetitam videri non solum remissionem, verùm etiam donationem.

Hancque suam sententiam probant declaratione sacræ Congregationis asserentis non licere Capitulo aliquo prætextu distributiones donare, relinquere, aut quauis collusione remittere.

Verum hæc declaratio non obstat, nam intelligenda est de donatione, quæ fit antequam distributiones traditæ sint donanti, quam ego remissionem propriè appello, non verò intelligitur de donatione, quæ fit, postquam distributiones traditæ sunt donanti, quæ strictè donatio nuncupatur.

2 Canonicus donare potest distributiones quas accepit per se, vel Procuratorem, seu Thesaurarium, qui eas ad partem ex mandato Canonici retinet.

2 Hinc sequitur primò Canonicum posse iure communi donare distributiones absentibus, quas ipse iam accepit per se, vel Procuratorem à se electum, vel approbatum. Imò Nauarrus & Moneta *locis citatis*, putant hoc verum esse, etiam in illis distributionibus quæ nondum applicatæ sunt donantibus, neque ad ipsorum manus peruenerunt, vt quia sunt adhunc penes thesaurarium, aliumve, qui paratus est eas soluere. Sed hoc mihi non probatur, quia hæc non est donatio, donatur enim id, cuius dominiũ quis habet. Canonicus autem in hoc casu nondum habet dominium illarum distributionum, cùm eas nondum acceperit per se, vel Procuratorem, ipsique nondum applicatæ sint: non est igitur donatio, sed potiùs remissio distributionum, quæ sibi debentur.

Neque obstat has distributiones apud thesaurarium existere; quia apud eumdem existunt, tam quæ condonanti debentur, quàm quæ non debentur. Secus dicendum arbitror, si thesaurarius facta distributionum diuisione, ad partem ex mandato donantis retinet eas, quæ ipsi donanti accreuerunt: tunc enim cẽsentur applicatæ donanti, & sunt sub ipsius dominio.

3 Canonicus, qui distributiones amissas tradit interessentibus, hac conditione, vt sibi restituatur, non est tutus in conscientia, si eas recipiat.

3 Secundò sequitur illum Canonicum non esse tutum in conscientia, qui distributiones amissas propter absentiã tradit interessentibus, hac præuia conuentione, vt sibi restituantur, & postea re ipsa sibi restituuntur. Ratio est, tum quia hoc fit in fraudem legis prohibentis remissionem: tum quia non cẽsetur solutum, quod statim redditur, & recuperatur, *l. qui sic. ff. de solutionibus.* Sicut ergo non licet remittere distributiones nondum solutas interessentibus; ita neque licet eas remittere tradenti, hoc pacto, vt sibi restituantur, vt in simili cum Virginio, & Azorio tradidi *de contractibus disputat. 3. quæst. 4. punct. vnic. nu. 21. versic. 4. & 5.* & idem expressè tradunt Nauarrus, & Moneta *locis citatis.*

4 Iure particulari in aliquibus locis non solùm illicita est remissio distributionũ, verùm etiam donatio.

4 Dixi in propositione, *iure communi*, vt aduerterem in aliquibus locis, vt in Prouincia Mediolanensi, non solum illicitam, & inualidam esse distributionum remissionem, verùm etiam donationem propriè acceptam: nam in Concilio Prouinciali IV. *parte 2. titul. de distribution.* dicitur: *Si verò vlla cuiusuis generis causa, causæve specie, aut prætextu cuiquam distributiones, aut ab vniuerso Capitulo, aut ab eorum singulis contra Prouincialia Decreta, & præscripta dari, donari, remitti, aut quauis collusione concedi contigerit, ne illas quisquam capiat: si perceperit, retinuerit ve, ne suas faciat, sed restituere cogatur*, &c.

§. III.

Vtrùm licita, aut valida sit collusio, vel transactio circa distributiones.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Collusio circa distributiones non est licita, neque valida.

1 NOn est licita, aut valida distributionum collusio inter absentes. Ratio est, tum quia expressè prohibetur, & excluditur in Concilio Tridentino: tum quia inde magna sequeretur læsio diuinis Officiis, & diuinus cultus valde diminueretur in Choro, concepta spe, vel certitudine non amittendi distributiones tempore absentiæ. Ita communiter Doctores.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Trãsactio circa præteritas distributiones non videtur illicita.

2 LIcita videtur transactio circa præteritas distributiones, cùm dubium aliquod inter canonicos consurgit, an quis amittere debeat distributiones, vel an illas malè perceperit. Ratio est, tum quia nullo iure prohibetur transactio circa distributiones tempori præterito respondentes: tum quia si non est licita, maximè ob Simoniæ labem; hic autem nulla Simoniæ labes apparet, cùm distributiones sint merè temporales, & sicut vendi, & alienari possunt contractu oneroso, ita etiam in transactionis contractum venire.

3 Licita nõ videtur amicabilis cõpositio, qua certa distributionũ portio condonatur.

3 Secus dicendum arbitror de amicabili compositione, quatenus aliqua distributionum pars certò debita condonatur: nam quoad hanc partem nihil aliud est quàm remissio. Sicut autem vetita est remissio distributionum debitarum, ita etiam amicabilis compositio, quoad hanc partem; nam quæ ratio est totius ad totum, eadem est partis ad partem, *l. quæ de tota. ff. de rei vendicat.*

4 Transactio circa distributiones futuras licita videtur, seruatis quibusdam limitationibus.

4 Dixi, *transactio circa distributiones præteritas*, id est, circa eas, quæ diebus iam præteritis respondent. Nam, si de distributionibus futuris loquamur, maior difficultas est, vtrùm transactio fieri possit.

Moneta [*3. part. quæst. 5. nu. 14.*] putat super distributionibus futuris transigi non posse absque Simonia, nisi legitimi superioris auctoritas accedat. Ego verò super distributionibus futuris, vt sic, arbitror licitè, & absque nota Simoniæ transigi posse, saltem si loquamur de Simonia iure naturali, vel diuino prohibita. Ratio est, quia distributiones præcisè sunt aliquid temporale, sicut sunt beneficij fructus, vt sic; sicut autem transigi, aut vendi possunt beneficij fructus subsequentium annorum, iuxta dicta *de Emphyteusi, in tract. de contractibus disp. 3. quæst. 8. num. 32.* [*& in lib. variarum tractationum disp 2.*] ita etiam vendi, & transactioni subiici possunt distributiones futuræ, nam beneficiario liberum competit ius in distributiones, iuxta dicta *de beneficiis, & obligationibus beneficiariorum*, dum loquerer de iure, & onere beneficiariorum circa beneficij fructus, [*& in lib. variarum tractat.*]

Hoc tamen limita primò, modò transactio fiat sine præiudicio aliorum Canonicorum, quibus distributiones absentis accrescunt: nullus enim cedere potest iuri alterius, quamquam in eo euentu non committeretur nota Simoniæ, sed potiùs iniustitiæ, vt etiam in sequenti casu.

Limita secundò, modò hæc transactio non attingat successores, beneficiarius enim non potest sine facultate superioris transactionem facere, obligantem successores, *cap. de cetero, & cap. veniens, de transact.* Ratio est, quia cùm beneficiarius non habeat ius perpetuum in distributiones, sed solùm quamdiu beneficium possidet, non potest maius in alterum ius transferre, quàm ipse habeat.

Limita tertiò, modò non fiat cum aliis Canonicis de distributionibus, quæ sibi accrescent ob ipsorum absentiam: hæc enim est veluti quædam remissio, & collusio, quam iura prohibent, & irritant, non tamen Simoniæ vitium incurritur hac limitatione non seruata, vt per se patet.

Limita quartò, modò non fiat de ipso distributionum iure formaliter, sed fiat de ipsis distributionibus, saluo cuiusque iure, hoc enim est aliquid spirituale, cùm beneficiario ius ad distributiones competat propter diuinum Officium; consequenter non potest de hoc iure fieri transactio pecunia, aut alia re pretio æstimabili: hoc pacto explicari potest Vgolin. *de Simonia tab. 1. c. 19. §. 1. & 3.*

Ad rationem dubitandi *initio puncti 7.* propositam, dic eam valere præcisa prohibitione, labe Simoniæ, aut alio peccato.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm Canonici, qui Choro non assistunt, non solùm iacturam distributionum faciant, verùm etiam ad alia onera distributionibus annexa teneantur, quamuis illis per absentiam à Choro priuentur.

TOta difficultas est, vtrùm Canonici teneantur ad onera realia, quibus subiiciuntur ratione distributionum, etiamsi distributiones non lucrentur: nam de oneribus personalibus modica videtur controuersia, tum quia hæc sequuntur personam: tum quia nullus ex sua negligentia commodum reportare debet. Vt autem proposita quæstio perfectè intelligatur, tria explicanda propono.

Primò, vtrùm beneficiarij teneantur ex distributionibus soluere quindennium, vel annatam.

Secundò decimam.

Tertiò pensionem.

Occasione solutionis horum dubiorum, simul etiam explicabitur quod in titulo quæstionis proposui.

PVNCTVM I.

Vtrùm beneficiarij quindennium, vel annatam, aut charitatiuum subsidium ex distributionibus soluere teneantur.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Solendum est singulis annis quindennium.

1 SIngulis quindecim annis soluenda est annata, seu quindennium ex fructibus beneficiorum, quæ mensæ Capitulari, seu Collegiali vnita fuerunt, vt ipsorum fructus diuidantur in quotidianas distributiones, iis applicandas, qui diuinis Officiis intersunt.

2 Quid sit annata, & quindennium.

2 Antequam hæc propositio probetur, aduertendum est, annatam esse mediam illam partem fructuum, quæ per impetrātes beneficia à Sede Apostolica soluitur Cameræ Apostolicæ in ipsomet beneficij ingressu, modò beneficij reditus viginti quatuor ducatos Camerales excedant, vt obseruat Gigas *de pension. quæstione 26. numero 2.* Flamin. Paris *de resignation. lib. 10. quæstione 2. numer. 63.* Gonzalez *regul. 8. §. 7. numero 167.* Azor. *2. parte libro 8. cap. 12.* & alij communiter. Quindennium verò, quod loco annatæ soluitur, est pensio integrorum vnius anni fructuum, aut saltem dimidiæ partis, quæ decimo quinto quoque anno Summo Pontifici soluitur ex beneficio alicui Communitati, vel Collegio, vel Capitulo adnexo, cùm enim obtinentes beneficium, annatam soluere consueuerint Summo Pontifici, cumque decimo quinto quoque anno fingatur beneficium vacare, iure cautum est, vt annata, seu quindennium singulis quindecim annis soluatur, perinde ac si beneficium vacasset, & alteri collatum fuisset, ne Romanæ Curiæ ministri ob perpetuam beneficiorum vnionem damnum patiantur, vt benè obseruat Azorius *2. parte libro 7. cap. 13.* Mandosius *tract. de priuileg. ad instar. glos. 7.* Moneta *de distrib. 3. parte quæst. 9. num. 37.*

His præmissis confero me ad probandam propositionem, in qua dictum est annatam, seu quindennium soluendum esse ex beneficiis vnitis mensæ Capitulari, & applicatis pro distributionibus. Ratio, seu probatio desumitur ex multis Summorum Pontificum constitutionibus, tum Pauli II. quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, &c. à quo genus hoc pensionis in Ecclesia primariò inuentum fuisse, verosimiliter putat Azorius *cap. 13. initio.* tum Pauli IV. quæ incipit, *Decens est*, & in qua præscribitur quindennium solui ex omnibus beneficiis cuilibet loco, Collegio, vel Communitati vnitis: tum Pij V. quæ est 174. & incipit, *Apostolicæ*: tum ex quàm pluribus aliis constitutionibus, quas præcitati Doctores referunt.

3 Quindennium non solùm soluendū est à Canonicis, verùm etiā ab iis, qui pensionem ex beneficiis percipiunt.

3 Sed modò dubium est, primò vtrùm hoc quindennium non solùm soluendum sit ab ipsismet Canonicis, verùm etiam ab aliis, qui pensionem supra huiusmodi beneficiis recipiunt.

Respondeo soluendum esse pro rata pensionis, onus enim fructuum sequitur possessorem fructuum, *l. hactenus. ff. de vsufruct.* Ita Moneta *loco citato, numero 34. ad finem.* Garzias, Gonzalez, & alij, quos infrà referam *puncto 3.* dum quæram vtrùm Capitulum percipiens distributiones Canonici absentis, teneatur pensionem super distributionibus Canonici absentis impositam soluere.

4 Quindēnium anticipatè soluendum est.

4 Secundò dubium est, vtrùm anticipatè soluendum sit quindennium.

Respondetur affirmatiuè, quia in locum annatæ succedit, quæ anticipatè soluitur ab iis, qui beneficium à Sede Apostolica consequuntur, vt in Rota Romana coram Litta 15. *Ianuarij*, & 23. *Iunij* 1595. & coram Seraphino *decis. 401. num. 2.* & *decis. 410. num. 1.* decisum fuisse obseruat Moneta *num. 34.*

5 Quindennium soluitur à Canonico, etiāsi Choro postea nō assistat.

5 Ex quo fit vt quindennium soluendum sit à Canonico, etiamsi Choro non assistat, quia soluitur anticipatè.

Obiicies: Si quindennium anticipatè soluendum esset, sequerentur Canonicos, qui tunc temporis canonicatus non obtinent, sed subsequentibus annis obtinebunt, onere quindennij grauari, antequam beneficium consequantur, quod non videtur admittendum.

Respondeo quindennium anticipatè solui ab iis canonicis, qui fructus beneficiorum vnitorum percipiunt: cùm enim quindennium in locum annatæ succedat, quæ soluitur pro fructibus primi anni, par est, vt quindennium soluatur ab iis, qui fructus percipiunt eo anno, in quem incidit quindennium, onus enim fructuum sequitur ipsorum possessorem, *l. hactenus. ff. de vsufructu.*

6 Quindennium Simonię labē non continet.

6 Tertiò dubium est, vtrùm annata, seu quindennium ab omni Simoniæ vitio excusandum sit.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia Summus Pontifex summam habet in beneficialibus potestatem: tum quia annata non imponitur tamquam in pretium beneficij, sed in subsidium, & sustentationem ministrorum, qui Summo Pontifici inseruiunt: sicut enim Summus Pontifex potest sine vlla Simoniæ labe beneficium alicui conferre reseruatis in alterius fauorem certis fructibus, cur negandum erit, posse annatam imponere in subsidium eorum, quorum opera, & industria quotidie vtitur, vt benè argumentatur Azorius *loco citato, cap. 12. quæsito 1.* & *cap. 13. quæsito 3.* Ferdinandus Corduben. *in tractat. de annatis*, vbi huiusmodi annatas, de iure diuino deberi, vel saltem à iure diuino positiuo originem trahere, fusiùs ostendere conatur Bursatus *tomo 2. consil. 126. numer. 67.* & alij apud Monetam *de distribut. 3. parte quæst. 9. num. 26.*

SECVNDA PROPOSITIO.

7 De distributionibus annata non soluitur.

7 EX quotidianis distributionibus in ingressu beneficij, regulariter loquendo, non soluitur annata. Ratio est, quia annata soluitur ex medietate fructuum beneficij illius primi anni, in quo beneficium excedēs viginti quatuor ducatos Camerales à Sede Apostolica obtinetur ex constitutione Nicolai V. quæ incipit, *Olim*; sed nomine fructuum non veniunt distributiones, vt superiùs ostensum est. Ergo de distributionibus annata non soluitur. Ita Flaminius Parisius *libro 10. quæstione 2. numero 63.* Gonzalez *ad regulam 8. Cancell. §. 7. proœm. num. 166.* Decianus *tomo 1. consilio 43. numero 14.* Moneta *numero 26.* & alij. Et hoc, inquiunt Gonzalez *numero 167.* loquens de canonicatibus Basilicæ Sancti Petri vrbis Romæ, & Moneta *num. 29.* contra Decianum *numer. 15.* valet etiamsi distributiones separatæ non sint à fructibus, seu etiamsi beneficium in solis consistat distributionibus, vt superiùs probatum est.

8 In permutationibus beneficiorum non soluitur annata.

8 Hic obiter explicari potest, vtrùm annata soluatur saltem ex fructibus, dum beneficium titulo permutationis obtinetur. Azor. *lib. 7. c. 30. quæsito 10.* Archidiaconus, & Ioannes Andreas *in cap. si propter, de rescriptis*, existimant annatam deberi etiam ex beneficiis permutatis, quia hæc etiam resignantur, vacant, & conferuntur: annata autem soluitur in ingressu beneficij, seu dum beneficij prouisio à Sede Apostolica obtinetur.

Oppositam sententiam sustinet Henricus Boich *in cap. tua. de verborum significatione.* Ioann. Monach. *in cap. vnico, de rerum permutatione.* Ioann. Cochier *de permutatione 2. parte cap. 28.* & alij. Ratio est, tum quia paucissimæ permutationes fierent in Romana Curia timore soluendæ annatæ: tum quia non est inducendum onus soluendæ annatæ vltra Curiæ stylum, & consuetudinem.

Ad rationem in contrarium respondeo eam procedere præciso Curiæ stylo, & consuetudine, quæ consulenda, & seruanda est: consuetudo autem Dattariæ hoc tempore est, vt non soluatur annata in permutatione beneficiorum æqualis valoris. Si verò sint inæqualis valoris, soluitur non solùm quoad excessum valoris, verùm etiam integrè, vt à Curialibus audiui.

TERTIA PROPOSITIO.

9 Ex distributionibus non soluitur Episcopo charitatiuum subsidium.

9 EX distributionibus soluendum non est Episcopo subsidium charitatiuum, quod ei persolui præscribitur *cap. conquerenti, de officio ordinarij. cap. cùm Apostolus, de censibus, & extrauagant. Vas electionis, de censibus, inter communes.* Ita Bartholomæus Bellenz *tractatu de charitatiuo subsidio quæstione 76.* Azor. *2. parte, libro 9. cap. 14. quæsito 6.* Moneta *loco citato, numero 19.* Mandosius *consilio 15. numero 4.* Parisius, Geminianus, & alij apud Gonzalez *§. 7. proœm. n. 174. vers. item*, & apud Azorium *loco citato.*

Ratio est, quia huiusmodi subsidium soluitur de fructibus, & reditibus beneficiorum; distributiones autem, regulariter loquēdo, non veniūt nomine fructuum, vel redituum, nisi aliud ex verbis, vel circumstantiis colligatur. Ex quo fit, vt Canonicus ad charitatiuū subsidium ex distributionibus non teneatur, siue Choro assistat, siue non, quia huiusmodi subsidium ex distributionibus non soluitur: vtrùm verò ad illud teneatur ex distributionibus, si super distributionibus imponatur, & ipse absit à Choro, constabit ex dicendis *punct. 3.*

10 Quid sit subsidium charitatiuum.

10 Charitatiuum subsidium, dicitur illud auxilium, quod Episcopus iusta, & rationabili de causa exigere potest à Clericis sibi subditis beneficium possidentibus ex fructibus beneficij, *cap. cum Apostolus, citat.* An autem hoc subsidium soluendum sit à pensionario, constat ex dictis *de pensionibus*, cum Azorio, Gigante, & aliis.

Qui plura scire cupit de charitatiuo subsidio, videat tractatum Bartholomæi Bellenzini, qui refertur in tractatibus Iurisconsultorum *tomo 15. quæstione 2. pagina mihi 147.* & *sequentibus*, & alterum tractatum Remigij de Gonz. insertum *in eodem volumine pagina mihi 169.* & *sequenti.*

PVNCTVM II.

Vtrùm decima ex distributionibus soluenda sit.

VNICA PROPOSITIO.

1 Decima spiritualis soluitur Parochis de distributionibus.

1 DEcima spiritualis, quæ Parochis solui consueuit, soluenda etiam est de distributionibus. Ratio est, quia de omnibus terræ fructibus soluenda est decima spiritualis, ex *cap. non est*, & aliis iuribus *in tit. de decimis.* Ergo etiam soluenda est decima de distributionibus, quæ consistunt in fructibus, in distributiones conuersis, & applicandis iis, qui diuinis Officiis intersunt.

Nam à regula generali non est recedendum, nisi exceptio probetur, *c. 2. de coniug. leprof.* Vide quæ dixi *de legibus, disp. vlt. quæst. 5. punct. 3. propositione 2.* vtrum verò soluenda sit, si Canonicus Choro non intersit, constabit ex dicendi, *puncto 3.*

2 Decima non soluitur Papæ de distributionibus, nisi hoc exprimatur in impositione decimæ.

2 Dixi, *quæ Parochis solui consueuit*, nam si loquamur de decima, quæ Papę, aut aliis ex præscripto Papæ aliquando soluitur, iudicium ferendum est ex verbis, quibus decima imponitur: nam si decima imponatur simpliciter super fructibus, & reditibus beneficij, non est soluenda ex distributionibus, tum quia distributiones, strictè loquendo, non veniunt nomine fructuum, & redituum beneficij: tum quia dum Pontifex vult distributiones hoc onere afficere, solet hoc exprimere, saltē per verba ita generalia, quæ in sua significatione accepta super distributiones cadere necesse sit. Ita Geminianus *consi. 85. num. 18.* quem citat, & sequitur Cardinalis Tuscus *tom. 2. littera D. conclus. 512. n. 3.* contra Glos. *Clementina 2. de decimis.*

Addo, mihi probabile videri cum Moneta *num. 6.* contra Decianum, quem in multis aliis casibus secutus sum, distributiones non censeri onere decimarum affectas, etiamsi beneficium in solis consistat distributionibus: nulla enim necessitas cogit ad asserendum sub fructuum nomine distributiones contineri, cum Summus Pontifex hoc non expresserit, nec vllum sequatur inconueniens, ad quod vitandum opus sit fructuum, & redituum nomen ad distributiones extendere.

Hinc ergo patet decimam ex distributionibus non esse soluendam, dum Pontifex simpliciter iubet decimas ex reditibus, & fructibus beneficiorum solui. Si verò præscribat eas solui ex omnibus prouentibus,

uentibus, seu reditibus Ecclesiasticis, arbitror decimam ex distributionibus deberi, tum quia distributiones re vera sunt prouentus, seu reditus, & obuentiones Ecclesiasticæ, vt patet ex supradictis *quæst.2. punct.1.* tum quia sic habetur *in extrauag.vnica, vers.Et quia non occurrit nobis, tit.de decimis.*

3 Vtrùm ex distributionibus aliquid seminario soluendum sit.

3 Obiicies contra hanc vltimam partem, si decima ex distributionibus soluenda est, dum Summus Pontifex eam imposuit super omnibus obuentionibus, seu prouentibus Ecclesiasticis, sequitur etiam ex distributionibus soluendam esse eam partem Seminario, quam Concilium Tridentinum *sess.23. cap.18. circa medium* præscribit, ab Episcopo cum consilio duorum Canonicorum detrahi ex beneficiis, fabricis Ecclesiarum, & aliorum locorum, etiam ex quibuscumque aliis Ecclesiasticis reditibus, seu prouentibus: sed falsum est, eam partem Seminario ex distributionibus soluendam esse, vt à sacra Cardinalium Congregatione declaratum esse tradit Zerola *1. parte verb. distributiones, n.5.* Augustinus Barbosa *in remiss. sess.23. cap.18. num.13.* Moneta *de distribut.3. parte, q.9. n.15.* Gonzalez *ad regul.8.§.7. procem. n.171. vers.Similiter*, vbi refert Mandosium *cons.15. n.2.* Marzillas *sess. 23. cap.18. vers.Congregatio censuit.* Ergo etiam dicendum videtur decimam non esse soluendam ex distributionibus, dum Summus Pontifex eam ex omnibus prouentibus Ecclesiasticis persolui mandat, cùm par sit vtrimque ratio, & Concilium *loco citato* eadem verborum forma vti videatur, ibi, ex quibuscumque aliis Ecclesiasticis reditibus, seu prouentibus.

Ad hanc obiectionem, quam sibi magnum facessere negotium fateri non veretur Moneta *loco cit.n.15.* omissis ipsius responsionibus, dico negandam esse sequelam maioris propositionis. Nam in Concilio Tridentino distributiones eo loci non comprehenduntur sub nomine prouentuum Ecclesiasticorum, vt patet tum ex Illustrissimorum Cardinalium interpretatione Concilij præfectorum declarationibus: tum ex communi in ea re vsu, & praxi; consuetudo enim legitima est legis interpres: tum ex antecedentibus, & consequentibus Concilij verbis, ad quæ præfata verba referuntur; referuntur enim ad prouentus fabricæ Ecclesiasticæ, Collegiorum, & aliorum locorum, non verò ad prouentus Ecclesiasticos, qui Ecclesiasticis personis ratione interessentiæ in diuinis Officiis debentur, consequenter ad distributiones non referuntur. Vide ipsummet Concilij textum, vt melius vim huius responsionis intelligas.

PVNCTVM III.

Vtrùm pensio ex distributionibus soluenda sit, & à quo soluenda sit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Pensio, regulariter loquendo, non soluitur ex distributionibus.

1 PEnsio, regulariter loquendo, non est soluenda ex distributionibus. Ratio est, quia persoluenda est ex eo, super quo imponitur; cùm autem, regulariter loquendo, non imponatur super distributionibus, sequitur, regulariter loquendo, ex distributionibus soluendam non esse pensionem.

2 Pensio in dubio non censetur super distributionibus imposita.

2 Hinc facilè colligi potest solutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm pensio in dubio cēseatur imposita super distributionibus, cuius difficultatis solutio conducere potest ad cognoscēdum, vtrùm beneficiarius, cui onus soluendæ pensionis incumbit, possit contra pensionarium agere ad eximendum se ab onere pensionis, quæ non fuit imposita super distributionibus, sed solùm super beneficij fructibus, qui tantam pensionem ferre nequeunt.

Respondeo pensionem non censeri super distributionibus impositam, nisi beneficium in solis consistat distributionibus, aut nisi Summus Pontifex aliud exprimat. Ratio est:

3 An distributiones fauorabiles sint, vel odiosæ.

3 Primò, quia licet distributiones præcisè, aut secundùm se sumptæ; neque fauorabiles sint, neque odiosæ, vt multis ostendit Moneta *1. parte quæst.10. de distributionibus*; nihilominus si considerentur, vt faciunt ad diuinum cultum introducendum, vel conseruandum, vel augendum, fauorabiles sunt, ex Panormitano *cap.licet.de prabendis in 2.not* Decio, Parisio, & aliis apud Macignum *cap.71. n.2.* consequenter in ipsorum fauorem iudicandum est: cultus enim diuinus fauorabilis est, & summa est ratio, quæ pro religione facit, *l.sunt personæ.ff.de relig. & sumpt.funer.* & hoc valet etiamsi alioquin ex huiusmodi iudicio, & lata interpretatione aliquod præiudicium, seu odium in consequentiam, & secundariò alteri sequatur, attenditur enim quod principaliter agitur, non quod incidit, *l.si quis nec causam, ff.si certum petatur*; cùm autem libertas distributionum, quatenus hæ tribuuntur ad assistendum diuinis Officiis, faciat ad diuinum cultum, pensio verò super distributionibus imposita potiùs conducat ad diminuendum cultum (homines enim tristi animo, & quasi inuiti ad Chorum accedunt, & à beneficiis consequendis, quorum distributiones pensionibus grauatæ sunt, facilè retrahuntur) sequitur non esse iudicandum in fauorem pensionis, sed potiùs pro libertate distributionum, consequenter pensionem non censeri super distributionibus impositam, nisi fortè beneficium in solis consistat distributionibus, aut nisi Summus Pontifex aliud exprimat.

Secundò, quia pensio, regulariter loquendo, imponitur super beneficij fructibus soluenda ab eo, qui in eam consentit, & ab ipsius successoribus: distributiones autem, propriè loquendo, non veniunt nomine fructuum, vt constat ex supradictis.

Tertiò, quia cùm distributiones tribuantur ob personalem in Choro residentiam, & laborem, æquitas, regulariter loquendo, postulare non videtur, vt quis personaliter resideat, inseruiat, & laboret, alter verò alimenta, & commodum percipiat. Ita Rota Romana, & Doctores, quos supra [*in hac 2. disp.*] *quæst.2. punct.1.* retuli, *vers.Tertiò pensionem, n.7.* & iterum Rota *in decis.* statim *citanda.*

4 Pensio nō censetur imposita in illis distributionibus, quæ conflatæ sunt ex fructibus, & prouentibus beneficiorū iuxta Tridentini decretum.

4 Amplia hoc procedere etiam in tertia illa parte, quam Concilium Tridentinum *sess.21. cap.3.* ex fructibus, & prouentibus beneficiorum in distributiones quotidianas ab Episcopo conuertendam decernit, istæ enim sunt verè distributiones, consequenter pensio super ipsis non censetur constituta, sed super reliqua fructuum parte. Admonet tamen sacra Congregatio *sess.21. cap.3.* teste Moneta *de distribution.3. parte quæst.8. n.5.* tertiam partem fructuum præbendæ, quæ iuxta citatum Tridentini decretum in distributiones conuertenda est, eam censeri, quæ deductis oneribus, & pensionibus legitimè impositis, supereset eo tempore, quo tertia illa pars pro distributionibus assignatur ab Episcopo. Vide Concilium Tridentinum *loco citato.*

5 Pensio cēsetur imposita super distributionibus dum beneficium in solis consistit distributionibus.

5 Dixi in responsione ad propositam difficultatem, *nisi beneficium in solis consistat distributionibus sciente hoc Summo Pontifice*; tunc enim arbitror pensionem censeri super distributionibus impositam, cùm hæ in locum fructuum succedant, ne elusoria reddatur pensionis constitutio, vt patet ex dictis *quæst.2. punct.1. n.7.* cum Azorio, Moneta, & aliis, quibus adde decisionem Rotæ statim referendam de verbo ad verbum, contra Gonzalez, & alios, quos retuli *in hac disp. puncto 1.*

6 Idem valet dum Summus Pontifex exprimit velle pensionem super distributionibus impositam esse.

6 Dixi, *nisi Summus Pontifex aliud exprimat*, constat enim Summum Pontificem ob plenissimam quam habet in beneficialibus potestatem, *cap.2. de præbend. lib.6.* posse pensionem in distributionibus soluendam alicui concedere, vt quotidiana docet experientia. Quamobrem Mandos. *in signat. grat. tit. de pension. vers.pensiones*, obseruat integram annatam in Dattaria solui ab eo, qui pensionem in distributionibus exigendam obtinet. Idem tradit Moneta *loco cit.* & Gonzalez *§.7. procem. n.168. vers.rursus pensiones*, ex vltima vice impressis, in quibus facta est additio.

Hinc sequitur, primò pensionem imponi super distributionibus, dum in rescripto Apostolico dicitur, super Canonicatus, & præbendæ dictæ Ecclesiæ fructibus, reditibus, iuribus, obuentionibus, & emolumentis vniuersis, & quotidianis distributionibus, tibi quoad vixeris, &c. Ratio est, quia pensio censetur super distributionibus imposita, dum id ex verbis colligitur: ex verbis autē concessionis apertè constat, distributiones ipsas onere affici in subsidium, videlicet fructuum, & præbendæ. Imò pensio censetur imposita super distributionibus, etiamsi distributionum nomen clarè non exprimatur, sed aliud generale verbum apponatur, quod ipsas complectatur, & comprehendat, vt si dicatur, super reditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus vniuersis Canonicatus: nam illa particula *vniuersis obuentionibus Canonicatus*, cùm sit vniuersalis, complecti videtur quidquid obuenit ex Canonicatu. Distributiones autem obueniunt ex Canonicatu. Ita Rota Romana coram Oradino *die 3. Ianuarij 1559.* & *in vna Toletana* coram Domino de Rubeis *anno 1565.* & *in vna Lucana pensionis*, coram Reuerend. Domino Pirouano, quam statim de verbo ad verbum referam. Flamin. Paris. *de resignat. lib.6. quæst.2. n.33.* Moneta *3. parte quæst.8. n.13. & 14.* & alij apud Garziam *1. parte cap.5. n.381 & sequenti*; licet ipse oppositum sentiat *n.387.*

Addit Moneta hoc idem asserendum esse, dum pensio imponitur super fructibus in continua residentia lucrari solitis, seu qui dantur residentibus. Sed hoc mihi displicet, quia distributiones non conferuntur ob residentiam, sed ob interessentiam in Choro: aliud enim est residere, & aliud interesse, vt idem Moneta *1. parte quæst.4. & 2. parte quæst.5.* Couarruuias, Azorius, & alij communiter concedunt, quos ego retuli *in libr.variarum tractationum*, dum loquerer de onere, quo beneficiarij ad residentiam obligantur.

Secundò sequitur pensionem, regulariter loquendo, non censeri super distributionibus impositam, vt patet, tum ex rationibus in solutione dubij, seu probatione propositionis allatis: tum ex decisione Rotæ *in vna Lucana pensionis* coram Reuerendissimo Domino meo Pirouano, quam hic de verbo ad verbum referre censui: tum ad maiorem eorum, quæ hactenus dixi, comprobationem: tum quia ipsius cognitio, & intelligentia non mediocriter prodesse potest ad cognoscendum, quandónam pensio super distributionibus imposita censeatur, & ad sciendum, quandónam distributiones nomine fructuum veniant.

Lucana pensionis

Lunæ 10. Ianuarij 1622. coram Reuerendissimo Domino Pirouano.

7 Refertur decisio Rotæ, quę maximè conducit ad cognoscendum quandonā pensio super distributionibus imposita censeatur, & quandonam veniat nomine emolumentorum, vel fructuum.

7 IAm fuit firmatum in hac causa, sub die 9. Decembris 1620. quòd versamur in distributionibus quotidianis, super quibus cum pensio imposita non fuerit, resolutum fuit,

Valorem non esse iustificatum, quia verè tantus non est, computatis tantummodò fructibus, reditibus, & prouentibus in valore beneficij, de quo agitur.

Quòd autem pensio non fuerit super distributionibus imposita, visum fuit sufficienter probari ex sensu, & intelligentia eorumdem verborum, fructuum, redituum, & prouentuum, quorum appellatione regulariter non veniunt distributiones quotidianæ, dum de corpore beneficij non sunt, sed percipiuntur ratione seruitij personalis, *cap.licet vobis*, cum gloss. *de præbendis*, & cum hac parte transit verior opinio, de qua per Cæsarem de Grassis *decisione 9. de præbendis*, Achil. *decisione 8. n.2. de pens.* & alios congestos per Monetam *de distribution. parte 1. quæst.6.* & idem fuit firmatum *in Reatina pensionis 10. Iunij 1588.* coram bonæ memoriæ Cardinale Pamphilio, & *in Calaguritana pensionis 26. Decembris 1589.* coram bonæ memoriæ Penia.

Neque obstat, quòd etsi hoc regulare sit, tamen quando, vt in præsenti, agitur de sola consideratione, & æstimatione beneficij, quæ in litteris solet exprimi ad hoc, vt Papa, omnibus computatis, sciat valorem ipsius secundùm communem vsum loquendi, tum quia computatio non fit ad effectum illud grauandi, sed ad alium, nempe sustinendi gratiam pensionis intra valorem præbendæ beneficij, si debent computari inter fructus, reditus, & prouentus beneficij, Geminian. *in cap.finali n.2.* Franc. *n.1. de rescript. in 6.* Cassad. *decis.vnica de Cler. non resid.* Boër. *decis.340. ante num.4.*

Quia Geminianus & Franc. non distinguunt casum à casu, sed simpliciter tenent distributiones comprehendi, quorum opinio aduersatur veriori suprà relatæ, & Boërius refert quidem opinionem Geminiani ante *num.4.* sed immediatè contrariam adducit, & sequitur.

Neque attenditur in narratiuis litterarum Apostolicarum communis vsus loquendi secundùm vulgarem sermonẽ, sed modus loquendi litteraliter, ex quo gratia in litteris est Latinè concepta, Baldus *in l. lege, circa fin. C. de legitim. hered.* Cassad. *eadem decis. vnic. n. 4. de Cleric. non reside.*

Non obstat quòd strictè excludatur dicta interpretatio, largè tamen veniant distributiones sub nomine fructuum, Puteus *decis. 239. n. 3. & 4. lib. 1.* vbi apertè dicit quotidianas distributiones largè dici posse fructus, & idem firmarunt alij relati per eumdem Monetam *de distribut. part. 1. quæst. 6. n. 13. & quæst. 7. n. 8.* vt ideo ad saluandam subreptionem, & pro sustinenda gratia computandæ sint. Cassad. *decis. 6. n. 9. de præbendis.*

Quia fuit responsum, quòd etsi in aliquibus casibus veniant distributiones sub nomine fructuum, tamen comprehensio earum non semper, & indistinctè sequitur, sed secundùm subiectam materiam regulari debet, atque ita dum agitur de fructibus alicuius Canonicatus, non habentis præbendam, aliósve fructus præter distributiones quotidianas, tunc per expressionem fructuum etiam distributiones erunt comprehensæ, ne dispositio otiosa remaneat. Gemin. *in cap. præsenti n. 19. de Offic. Ordinar. in 6.* Philip. Probus *in addit. ad Ioan. Monach. in cap. vnic. n. 60. & 64. de Cleric. non resid.* Tiber. Decian. *consilio 43. n. 14. vol. 1.* Idem videtur in casu Mohed. *decision. 6. de præbend.* vbi agitur de condemnatione fructuum in causis beneficialibus super beneficus Capitularibus propter stylum Rotæ, ex quo non fit alia condemnatio, nisi cum fructibus perceptis: tunc etiam distributiones veniunt, & idem dicitur, quando quis est condemnatus in fructibus perceptis, & qui percipi potuerunt, vt dixit Pontan. *de spol.* & alij relati per eumdem Monetam *quæst. 6. n. 16.* & secundùm eamdem subiectam materiam Rota *in Oriolen.* Canonicatus coram R. D. D. meo Remboldo *die 16. Iunij 1620.* dixit narratiuam non esse iustificatam quòd Archidiaconatus nullos prouentus haberet ad effectum illum retinendi simul cum Canonicatu, dum habebat distributiones quotidianas, quia si Papa sciuisset tales habere, non dedisset retentionem Canonicatus; eodem modo Domini intellexerunt Cassad. *disp. 6. de præbend.* ad sustinendam prouisionem Apostolicam respectu beneficij, etiam quòd nihil dixerit impetrans de quotidianis distributionibus pendente lite perceptis, quia subiecta materia, id est, æquitas suadebat, vt in expressione fructuum comprehenderentur pro sustinenda gratia prouisionis beneficij, quam æquitatem Domini non consideraruntpro sustinenda pensione sine causa reseruata; & si quæratur de ratione differentię inter vnum, & alium casum, illa patens est, quia prouisio beneficij vtilis est Ecclesiæ propter seruitium, pensio verò sine causa odiosa est de sui natura, & onerosa Ecclesiæ.

Non obstat *decis. 550. n. 5. parte 1. in recent.* quia eo in casu reseruatio legebatur super omnibus fructibus, iuribus, & obuentionibus, & emolumentis, & sic per verba vniuersalia, quæ non cadunt in præsenti lectura, quæ si extarent aliter esset dicendum propter decisionem Reatinam pensionis suprà alleg.

Non obstat quòd verbum, *emolumenta*, contineatur in mandato procuræ ad consentiendum reseruationi pensionis, & sufficit quòd illud fuerit in mandato, quia procurator non poterat consentire, nisi iuxta formam mandati, & dum deficiunt verba illa, litteræ sunt corrigendæ. Caputaquens. *decis. 79. parte 1.* Achil. *decis. 18. de præbend.*

Quia, quidquid sit in resignatione beneficij, quæ pendet à mera gratia Papæ, in qua propterea mens, & dispositio illius est attendenda, non autem voluntas consentientis secundùm formam in mandato datam.

Demum non obstat, quòd Blasius saltem veniat excusandus, dum versamur in narratiua absque dolo, nec dici possit quòd nisi Papa fuisset certus de tali valore, tantam quantitatem pensionis non reseruasset, ex quo pensio non capit tertiam partem fructuum, quæ solet admitti in reseruationibus pensionum. Gig. *de pensionibus quæst. 9. n. 1.* Mohed. *decisione 11. de locato.*

Quia non fuit admissa ratio prædicta, ex quo Papa difficilius reseruasset pensionem scutorum sexaginta super fructibus valoris 120. quàm scutorum 220. ad quem ascendit computatis distributionibus quotidianis. Et ita, &c.

SECVNDA PROPOSITIO.

8 Si pensio super distributionibus imposita sit, soluenda est ab illo, qui distributiones percipit.

Ratio est, quia obligatio soluendæ pensionis est onus reale: onus autem reale soluendum est ab eo, qui rem habet. Ita Rota Romana, & alij, quos *numero proximè sequenti* enumerabo.

Hinc colligi potest solutio duplicis difficultatis.

9 Prima difficultas est, vtrum onus pensionis impositum super distributionibus, transeat ad capitulum, dum illæ accrescunt Capitulo, seu Collegio Canonicorum interessentium, aut quia Canonicatus aliquo tempore vacauit, aut, quia Canonicus non fuit admissus ad distributiones ob imperitiam cantus, vel propter excommunicationem, aliámve censuram abfuit à Choro.

Respondeo transire ad Capitulum. Ita Rota Romana *in vna Burgen. pensionis 29. Augusti 1591. & in altera Colimbrien. pensionis, die Veneris 28. Ianuarij 1605.* coram Illustriss. Cardinali Mellino. Garzias *de benef. 1. part. cap. 5. n. 214. vers. in hac difficili, & in addit. ad 1. part. cap. 5. n. 220.* Hieron. Gonzalez *ad regul. 7. cancell. gloss. 5. §. 5. num. 44. & seq. vers. illud etiam pag. 154.* Riccius *in sua praxi vers. praxis pensionum dec. 433.* vbi quam plures Doct. refert. Gigas *de pensionibus quæst. 51.* Romanus *consil. 388.* Quaranta *ver. Distributiones quotidianæ, ad finẽ*, nec dissentit Nauarrus *tom. 1. consil. 3. tit. de præbend.* Idem sentire videtur Suarez *de censuris disp. 13. sect. 2. n. 24.* loquens de excommunicato contra Gutierez *lib. 1. Canon. cap. 1. n. 120. & seq.* Toletum *lib. 1. cap. 14. ad fin. n. 13.* & Monetam *de distribut. 3. part. quæst. 8. n. 17. & seq.* vbi contrariam huic nostræ sententiæ opinionem quàm pluribus, isque non infirmis rationibus ostendere, & sustinere conatur.

Sed ratio nostra est, tum quia res onere affecta transit cum onere ad quemcumque peruenit, *cap. si quis laicus 16. quæst. 1. & c. ex litteris. de pignor.* Distributiones autem grauatæ sunt, & affectæ onere pensionis, cùm pensio super ipsis imposita fuerit, vt supponimus; ergo transeunt cum onere pensionis: tum quia in litteris reseruatæ pensionis exprimitur valor distributionum, non habita ratione diuini Officij præstandi, vel non præstandi à Canonico, cum Summus Pontifex intendat hoc onus distributionibus imponere in fauorem pensionarij, non respiciens, an beneficiarius, vel Capitulum illas lucraturum sit: tum quia pensio non esset annua, vt Summus Pontifex concedit, intendens pensionario commodum annuum concedere. Imò potius esset casualis, & euentualis pendens ab interessentia, & seruitio titularis, quod est contra Summi Pontificis intentionem, & stylum hactenus receptum, & vsu comprobatum, inquit Rota citata coram Illustriss. Card. Mellino: tum quia, imposita pensione super distributionibus, Canonicis non plus potest accrescere, quàm lucraretur ipse Canonicus interessendo. Canonicus autem non sibi lucraretur distributiones pensioni respondentes: tum quia suborta quadam simili controuersia coram Summo Pontifice, Clemente VIII. declaratum fuit, onus soluendæ pensionis Capitulo competere, teste Rota, cuius textum pro maiori huius sententiæ confirmatione hic de verbo ad verbum referre placet.

Succedente, inquit Rota, simili causa inter Capitulum Ecclesiæ Vlisbonen. & Alphonsum Colorona, petebatur pensio imposita super distributionibus Canonicatus à Capitulo, pro rata temporis vacationis, & absentiæ titularis. Capitulum se defendebat, quòd non tenebatur, quia distributiones perceperat iure proprio ex iure non decrescendi, & Sanctissimus D. N. per sua breuia declarauit, quòd tenebatur ad solutionem, quia pensio erat imposita super distributionibus, & ipsæ distributiones hoc onere reali erant grauatæ, & pro solutione pensionis obligatæ, & hypothecatæ, & ideo hoc onus pertinebat ad Capitulum, à quo distributiones erant perceptæ, & ista breuia multum mouerunt Dominos, quia ex his deducitur clara mens Papæ, quod intelligit ab initio grauare in abstracto illas distributiones, quas titularis lucratus fuisset inseruiendo, cùm in huiusmodi contineatur declaratio clara, quòd distributiones sunt grauatæ, & pensio debetur à Capitulo pro tempore, quo titularis non inseruiuit, vt ex hac conclusione Domini inferebant, quòd cùm Papa imponendo pensionem affecerit ab initio distributiones secundùm earum naturam, siue sit assignata, siue non sit assignata massa particularis Canonicis, & dignitatibus, Capitulum non potest amplius illas percipere in præiudicium pensionarij iure proprio per ius non decrescẽdi, quia cùm Papa separauerit, & abstraxerit ab initio illam ratam, quæ debetur pensionario, illam portionem separatam Capitulum non potest percipere iure proprio, propter istud obstaculum separationis. Bald. *consil. 542. vers. & vbi.* Paulus de Castro *consil. 262. vers. dicit autem lib. 2.* propterea necesse est, quòd veniat ex iure accrescendi, quod transit ad Capitulum cum onere pensionis, vt per Doct. *in l. re coniuncti. ff. de leg. 3.* & hæc opinio eò magis placuit Dominis, quia habemus declarationem in alio casu Sanctissimi D. N. à cuius mente pendet tota ista materia, & Rota alias eamdem opinionem complexa fuit, quæ est etiam multum æqua, & ex ea euitantur multa absurda.

Nec obstat, inquit Rota, quòd Ioannes sua culpa propter suspensionem non perceperit distributiones, quia pensionarius duplicem habet viam, potest enim dirigere actiones suas contra excommunicatum, vel suspensum, quia ex sua culpa non potuit inseruire, & lucrari distributiones, ex Gigan. *de pens. q. 64.* & cum habeat obligatas, & hypothecatas distributiones quotidianas, potest agere contra Capitulum, à quo sunt perceptæ pro solutione pensionis.

Hæc sunt ipsamet Rotæ verba, quæ libuit recensere, tum ad confirmandam magis meam cõclusionem: tum quia ex ipsis omnia Monetæ argumenta facili negotio dissoluuntur, vt patebit illa diligenter perpendenti apud Monetam *num. 18. & seqq.* quæ sine causa hic referre non placet, ne breuitatem, & perspicuitatem, quam profiteor, hoc in loco intermittam.

10 Hinc ergo patet, primò singulos Canonicos, quibus accreuerunt distributiones beneficiarij absentis teneri pro rata ad pensionem, vt benè Garzias *1. part. cap. 5. num. 224.* vbi refert Couarruuiam, Gutierez, Rodriquez, & alios, & plurib⁹ hunc casum disputat *in addition. ad 1. art. cap. 5. n. 220.*

Hoc tamen limita, modò beneficiarius non perceperit tot distributiones, quæ ad pensionem soluendam sufficiant; cùm enim distributiones non sint simpliciter, sed solùm quasi in abstracto hypothecatæ, cumque beneficiarius primo loco teneatur, sequitur ipsum beneficiarium ad pensionis onus teneri; Capitulum verò teneri, quoties percepit illam partem, quæ pensionis onere affecta fuit, seu quatenus beneficiarius non accepit distributiones ad pensionis solutionem sufficientes. Ita Gonzalez *num. 53. vers. declara tamen,* vbi refert Gigantem, & Gutierez.

11 Secundò à fortiori patet, Capitulum teneri ad soluendam pensionem impositam super beneficio, quod fuit vnitum massæ residentiali, & ad hanc solutionem Canonici illius Capituli tenentur pro rata distributionum, quas ex illo beneficio vnito percipiunt, vt concedit idem Moneta *loco citato num. 30.* Garzias *loco cit.* Gonzalez, & alij communiter: nam beneficium transit cum onere, *cap. ex litteris, de pignor.*

12 Tertiò, quando statuto, vel consuetudine introductum est, vt omnes fructus, vel dimidia fructuum pars primo anno Capitulo soluatur, Capitulum non posse fructus exigere, nisi detracta pensione. Ratio est, tum quia beneficij fructus dicuntur qui supersunt deductis oneribus, & beneficij reditus tantum valere dicuntur, quantum, detractis oneribus, valent. Quamobrem qui priuilegium à Summo Pontifice obtinuit, quo beneficium mille aureorum obtinere queat, poterit virtute illius priuilegij consequi beneficium duorum mille aureorum, quod onere pensionis mille aureorum grauatum sit: tum quia

8 Si pensio super distributionibus imposita sit, soluenda est ab eo, qui distributiones percipit.

9 Onus soluendæ pensionis trãsit ad Capitulũ, dum distributiones Capitulo accrescunt ob absentiam Canonici super cuius Canonicatu imposita fuerat pensio.

10 Singuli Canonici, quibus accreuerunt distributiones Canonici absentis habentis Canonicatum onere pensionis super distributionibus grauatum, tenentur ad pensionem pro rata distributionum perceptarũ, modo Canonicus non perceperit tot distributiones, quę sufficiant ad pensionem soluendam.

11 Idem dicendum est dum beneficiũ onere pensionis grauatum vnitum est Capitulo.

12 Quando consuetudine, vel statuto introductum est, vt omnes fructus, aut aliqua pars Capitulo soluatur

primo anno, Capitulum non potest fructus exigere, nisi detracta pensione.

quia fructus beneficij remanent hypothecæ subiecti pro solutione pensionis. Ita Gigas *de pension. quæst.* 89. & alij, quos citat, & sequitur Azorius 2. *part. lib.* 8. *cap.* 13. *quæsito* 6. Idem tradunt Suarez *de censuris tom.* 5. *disp.* 13. *sect.* 2. *n.* 24. Couarruuias 3. *var. cap.* 13. *n.* 8. *vers.* 12. & alij apud Garziam *loc. cit. n.* 227. *vers. Sextò*, loquentes in simili de excommunicato, vel suspenso, qui propter vinculum excommunicationis, vel suspensionis fructus non percipit.

13 An excommunicatus, qui fructus nō percipit, teneatur ex pecuniis propriis pensionem soluere.

13 Hic enim non tenetur ex pecuniis propriis pensionem soluere, cùm hæc imposita fuerit super fructibus, quos ipse non percepit, sed ad alium peruenerunt. Idemque valet in subsidio charitatiuo, alióve simili reali onere, iuxta Doctores citatos contra Bellenzinum *de charitatiuo subsidio q.* 33. Gigantem *de pensionibus. quæst.* 64. & alios apud Garziam *num.* 228.

14 Canonicus non tenetur ad priorem pensionem postquam aliud beneficium per nouam prouisionē obtinuit. Secus si retento primo titulo obtineat alia bona, vel priora bona in alia commutet.

14 Secunda difficultas est, vtrùm Canonicus, qui vnum beneficium cum pensione, super fructibus, vel distributionibus impositа, obtinuit, teneatur ad eamdem pensionem, optenta alia præbenda, vel obtento alio beneficio per nouam collationem. Respondeo non teneri, quoties primum beneficium dimisit. Ita Parisius *de resignat. lib.* 1. *q.* 8. *& lib.* 6. *quæst.* 2. *n.* 148. Gigas *quæst.* 63. *n.* 1. *& seq.* Gonzalez *glos.* 34. *n.* 45. *& seq.* Moneta *loco citato*, Gambarus, Bursatus, Mandosius, & alij apud Garziam *de benef* 1. *part. cap.* 5. *num.* 178. & apud Azorium 2. *parte lib.* 8. *cap.* 13. *quæsito* 14. vbi refert decisionem Rotæ 470. quæ incipit, *Quanti temporis.* Ratio est, quia Canonicus tenebatur ad pensionem ratione primi beneficij: cùm ergo illud dimiserit, censetur etiam onus pensionis dimisisse, illudque in successorem transtulisse, cùm pensio sit onus beneficij, seu fructibus, aut distributionibus beneficij annexum, iuxta concessionem Summi Pontificis.

Hinc sequitur primò, Canonicum, qui Canonicatum mutat, seu aliud per collationem obtinet, non teneri ad pensionem, quam priùs, occasione primi beneficij, persoluebat, quia non censetur ampliùs idem Canonicus, sed nouus Canonicus. Propterea in optionibus, quas hìc in futurum assequi contendet, non erit habenda ratio primi Canonicatus, quod cum pensione obtinuerat, sed huius secundi: Canonicus enim, qui ratione beneficij priùs obtenti censebatur antiquior in optionibus, facta beneficij mutatione censebitur iunior, & ceteris in optionibus non præferetur, sed perinde habebitur, ac si extraneus idem beneficium consecutus fuisset. Ita Moneta *loco cit. n.* 16.

Secundò, obtinentem nouum Canonicatum per optionem, non teneri ad pensionem primi beneficij, siue illa imposita esset super fructibus, siue super distributionibus, modò Canonicatus sint distincti: hic enim non dicitur beneficium pensione grauatum retinere; si verò Canonicatus non sunt distincti, adhuc tenetur ad pensionem: cùm enim distributiones accessoriæ sint ad Canonicatum, & hic non dicatur nouum Canonicatum acquirere, vt suppono, sequitur hunc adhuc teneri ad pensionem super distributionibus impositam. Vide Gigantem *de pension. quæst.* 63. Monetam *de distribut. loco cit. & de opt. cap.* 7. *quæst.* 3. *n.* 33. *& seqq.* Parisium *de resignat. lib.* 6. *q.* 2. *n.* 148. *& seqq.* Gonzalez *glos.* 34. *n.* 46. Garziam 1. *part. cap.* 5. *nu.* 188. *& seqq.* & Azorium *loco citato.*

Tertiò eum, qui retento primo titulo Canonicatus, & præbendæ optinuit alia bona, teneri pensionem soluere. Ita DD. cit.

Quartò eum, qui retento beneficij titulo commutationem obtinuit aliorum bonorum, quæ in locum priorum subrogata sunt, teneri ad pensionem; quia idem beneficium, materialiter solùm variatum, obtinere dicitur. Ita Rotam Romanam *in vna Valisoletana pensionis* 1. *Martij* 1602. coram D. Pamphilio sensisse testatur Gonzalez *loco cit. n.* 48. & Garzias *n.* 183.

15 Successor in beneficio tenetur ad pensionem beneficio impositam.

15 Quintò successorem in beneficio teneri ad pensionem, siue imposita esset super fructibus, siue super distributionibus, succedit enim in onera realia, ad quæ prior beneficiarius ratione beneficij tenebatur, & hoc valet etiamsi intrusus sit, nec titulum beneficij, ex quo fructus percipit, legitimè possideat, sed penes primum beneficiarium adhuc resideat: cùm enim pensio super beneficio ratione fructuum imposita sit, sequitur hunc, qui beneficij fructus percipit, ad pensionis solutionem teneri, iuxta illud: Qui sentit commodum, par est vt sentiat onus. Ita Rota Romana *decis.* 699. *n.* 1. *part.* 1. *diuersorum.* Parisius *de resignat. lib.* 1. *quæst.* 8. *n.* 44. Garzias *num.* 182. vbi refert Bursatum, & alios.

Plura de onere pensionis soluendæ videri possunt, non solùm apud præcitatos Doctores, verùm etiam in meo tractatu, qui de permutationibus, resignationibus, & pensionibus inscribitur.

QVÆSTIO VII. ET VLTIMA.

Quibus acquirantur distributiones absentium à Diuinis Officiis.

CVm in præcedentibus ostenderim distributiones ad eos tantummodò pertinere, qui Diuinis Officiis assistunt, explicandum modò est quibúsnam distributiones non interessentium acquirantur. Quamobrem duo breuiter in hac quæstione disseram.

Primò, vtrum distributiones absentium accrescant aliis interessentibus.

Secundò, vtrùm illis accrescant ante iudicis sententiam, & à quo tempore illis accrescere incipiant.

PVNCTVM I.

Vtrùm distributiones absentium aliis interessentibus accrescant.

VNICA PROPOSITIO.

1 Distributiones, propriè acceptæ, quas quis ob absentiā perdit, accrescunt aliis interessentibus, modò aliqui intersint.

1 DIstributiones quotidianæ propriè sumptæ, quæ conferuntur iis, qui absunt, si diuinis Officiis interessent, præcisa consuetudine in contrarium debentur aliis Canonicis, qui diuinis Officiis intersunt, modò re ipsa aliqui intersint, & non omnes sua culpa absint. Hæc propositio colligitur apertè, tum ex *cap. vnico de Cleric. non resid.* vbi vniuersaliter dicitur, iis solis distributiones deberi, qui diuinis intersunt, nec distributiones absentium aliis applicari, quàm interessentibus: tum ex Concilio Tridentino *sess.* 21. *c.* 3. *circa medium*, in quo dicitur, distributiones inter ipsos interessentes diuidēdas esse: tum ex sacræ Congregationis declaratione in eumdem Tridentini locum *sess.* 21. *cap.* 3. teste Garzia *de benefic.* 3. *parte cap.* 2. *n.* 465. vbi, relatis pluribus sacræ Congregationis declarationibus, adducit secundam, quæ hanc rem probat: tum ex eodem Tridentino *sess.* 24. *cap.* 12. *vers. distributiones verò*, vbi non solùm asseritur, distributiones interessentibus deberi, verùm etiam absentes non posse distributiones lucrari ob remissionem sibi factam ab aliis, videlicet Canonicis, sed remissio pertinet ad eos quibus accrescunt. Ergo distributiones absentium accrescunt interessentibus: tum quia æquitas postulare videtur, vt qui maiorem impendit operam, & laborem, maiorem etiam mercedem, & lucrum recipiat. Sed Canonici interessentes, aliis absentibus, maiorem præstant operam, & laborem; ergo maiorem debent mercedem, & lucrum recipere: hæc autem merces, & lucrum sunt distributiones absentium. Ita Couarruuias 3. *var. cap.* 13. *n.* 7. Gutierez *lib.* 1. *Canon. q. num.* 106. Rota *in vna Valentina emolumentorum*, coram Mantica 14. *Maij* 1593. *& in altera Asloricen. Residentiæ* 6. *Iunij* 1616. coram Reuerendissimo D. meo Coccino dignissimo Rotæ Romanæ Decano, & alij quàm plures, quos prosequitur Garzias *loco cit. n.* 446. contra Ancharanum *Clement.* 2. *n.* 10. *de ætat. qualitat. & ord. præficiend.* cuius fundamenta, & rationes proponit, & eruditè dissoluit Moneta *de distribut.* 3. *part. quæst.* 6. *n.* 20. *& seq.* vbi hanc rem fusiùs prosequitur, & nonnullis aliis rationibus comprobat, quæ cùm non ab omnibus facilè percipi queant, hìc à me consultò prætermittuntur. Explico autem propositionem quoad singulas partes.

2 Distributiones impropriè acceptæ non debentur aliis assistentibus, sed Ecclesiæ, vel pio loco, arbitrio ordinarij.

2 Dixi, *quotidianæ distributiones propriè sumptæ*, nam si loquamur de distributionibus extraordinariis, de quibus sermo est in Conc. Trid. *sess.* 22. *cap.* 3. dicendum est illas applicandas esse fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco ad arbitrium Ordinarij, vt in eodem Concilio decernitur. Item si loquamur de certa quantitate inter Canonicos præsentes distribuenda, vt si decem aurei singulis præsentibus conferendi tradantur, portio, quæ deberetur absentibus si interessent, non accrescit interessentibus, sed potiùs Ecclesiæ: tum quia res vni relicta non accrescit alteri iure accrescendi, vel non decrescendi, nisi adsit inter ipsos aliqua rei, aut verborum coniunctio: tum quia hæc est rationabilis, & præsumpta Domini voluntas conducens ad debitū Ecclesiæ cultum: cùm enim Ecclesia debito cultu fraudata sit, par est, vt portio non interessentium in eiusdem Ecclesiæ vtilitatem applicetur, dum aliis interessentibus non debetur iure accrescendi, vel non decrescendi. Ita Couarruu. 3. *variar. cap.* 13. *num.* 7. Gutierez *lib.* 1. *Canonic. quæst. cap.* 1. *n.* 107. Rebuffus *§. distributionum.* Nauarr. *cap.* 22. *de orat. n.* 51. Macignus *cap.* 71. *n.* 143. Moneta *de distribut.* 3. *parte quæst.* 6. *num.* 26. 33. *&* 34. Garzias *de benefic.* 3. *parte cap.* 2. *n.* 444. *&* 447. vbi ostendit hoc procedere, modò non sit facta diuisio patrimonij Ecclesiastici inter ipsam Ecclesiam, & ministros: nam si diuisio facta sit, putat portionem absentis remanere in mensa Capitulari, & massa communi, & cedere in patrimonium commune ipsorum ministrorum, idque probat ex decis. Rotæ *in causa Burgen. residentia, seu distributionum coram Penna* 9. *Maij* 1794. quam decis. ad verbum refert Garzias *n.* 448.

3 Distributiones, quibus Canonicus in pœnam delicti à iudice priuatur, tradendæ sunt fisco iuxta iudicis voluntatem.

3 Dixi, *quæ conferuntur iis, qui absunt, si diuinis interessent*; quia si loquamur de distributionibus, quibus beneficiarij alio titulo, quàm ratione absentiæ priuantur, non idem iudicium ferendum est: nam si alicui subtrahantur distributiones per sententiam criminis condemnatoriam, aut in pœnam criminis, cui ipso facto adiecta sit pœna priuationis distributionum, arbitror huiusmodi distributiones non esse conferendas aliis Canonicis, sed potiùs fisco Ecclesiæ, seu pio loco, qui in locum fisci succedit, quidquid in contrarium sentiat Moneta *loco cit. n.* 50. 51. *&* 52. cum gloss. & aliis. Ratio est, rum quia hęc est natura priuationis, & confiscationis bonorum, vt fisco applicata censeantur: Ecclesia autem, seu loci pij habentur loco fisci, vt idem Moneta admittit *n.* 50. post Couarruuiam 2. *var. cap.* 9. *n.* 9. Diaz *in praxi crimin. cap.* 142. & alios: tum quia non est facienda extensio vltra verborum significationem, & iuris dispositionem; in iure autem non disponitur, vt distributiones delinquentis interessentis acquirantur reliquis præsentibus, alioquin numquam possent iure speciali distributiones delinquentis alteri applicari, cùm inferior non possit contra ius commune statuere. Videri possunt, quæ diximus *de public. bon. in tract. de contract. disp.* 3. *quæst.* 8. *punct. vlt.*

4 Consuetudine induci potest, vt distributiones absentium Ecclesiæ tribuantur.

4 Dixi, *præcisa consuetudine in contrarium*, quia non implicat consuetudine induci, vt distributiones absentium, quæ interessentibus accrescerent, tribui debeant Ecclesiæ, vt docet gloss. *Clem.* 2. *de ætat. qualit. & ord. præfic.* & alij apud Macignum, *cap.* 71. *n.* 148.

Dixi, *qui diuinis intersunt*, nam non interessentibus distributiones non deberi constat ex supradictis, & ex textibus, & rationibus in hac propositione allatis.

5 Si nullus Canonicus intersit, distributiones applicantur Ecclesiæ.

5 Dixi, *modò re ipsa aliqui intersint*, nam si omnes à Choro sua culpa absint, ob negligentiam, vel ob interdictum latum contra ipsum Capitulum, vel ob consimilem causam, distributiones applicantur Ecclesiæ. Ratio est, quia alicui debentur, sed non debentur ipsis Canonicis; ergo debentur Ecclesiæ, quæ debito cultu fraudata est. Ita Couarr. *loco cit. n.* 7. Cassad. *decis. vnica de Cler. non resid.* Gemin. Franc. & alij apud Monetam *n.* 47. & apud Macignum *cap.* 71. *n.* 107.

Si verò Canonici absque sua culpa absint, vt quia Ecclesia repentè diruta est, aut polluta, aut quia omnes in morbum lapsi sunt, distributiones non cedunt Ecclesiæ, sed ipsismet Canonicis, iuxta regulas superiùs traditas *quæst.* 5. *&* 6.

Ex dictis explicatæ manent singulæ propositionis partes.

Ex quibus sequitur distributiones, quas beneficiarius absens amittit causa iustæ excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti perso-

perſonalis, aut etiam localis generalis, aut ob degradationem, aut ſimiles ob cauſas, de quibus ſuprà, conferendas eſſe Canonicis intereſſentibus. Ita Nauarr. *tom.1.conſil.27.de præbend.* Couarr. *loco cit.num.7.* Moneta *loco cit.n.41.* Vgolin. *tab.2.cap.12.num.3.* & alij communiter: nam diſtributiones proprié ſumptæ, quæ deberentur abſentibus, ſi intereſſent, accreſcunt ceteris intereſſentibus, vt probatum eſt.

Et hoc valet etiam in diſtributionibus, quæ cum modicæ, & tenues eſſent, pinguiores effectę ſunt vnione aliquorum beneficiorum, aut ſuppreſſione aliquarum præbendarum, ſeruata Trident. forma *ſeſſ.24.cap.15.* nam ſunt veræ, & propriæ diſtributiones. Ita Garzias *3.part.cap.2.n.464.& ſeq.* vbi pluribus de his tractat.

Præterea idem valet in diſtributionibus conflatis ex tertia redituum parte prouenientium ex dignitatibus, perſonatibus, & officiis Eccleſiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, & in diſtributiones ab Epiſcopo conuerſarum, iuxta Trident. decretum, & tertiam ſacrę Congregationis declarationem apud Garziam *loco cit.n.465.* his enim ratio diſtributionum ritè accommodatur.

6 Diſtributiones abſentium non accreſcunt iis qui ex legitima cauſa abſunt, ob quam iura propias diſtributiones concedunt, vt ſi abſint ob infirmitatem.

6 Quæres vtrùm diſtributiones, quibus priuantur abſentes, non ſolùm accreſcãt actu intereſſentibus, & inſeruientibus, verùm etiam aliis, qui fictione iuris cenſentur intereſſentes, dum abſunt ex cauſa, ob quam iura diſtributiones permittunt, vt ſi abſint cauſa infirmitatis, vel in euidentem Eccleſiæ propriæ vtilitatem.

Ratio dubitãdi pro parte affirmatiua eſt, quia diſtributiones abſentium accreſcunt intereſſentibus, ex iuris diſpoſitione, vt probatum eſt in præcedenti propoſitione; ſed abſens ex cauſa infirmitatis, vel in euidentem Eccleſiæ vtilitatem fictione iuris præſumitur præſens, ob idque proprias diſtributiones acquirit. Ergo etiam illi accreſcere debent diſtributiones, quas reliqui abſentes amittunt.

His minimè obſtantibus:

Reſpondeo diſtributiones accreſcere ſolùm actu intereſſentibus. Ratio eſt, tum quia ſacram Cardinalium Congregationem declaraſſe fatetur Garzias *de benef.3.part.cap.2.n.465.* portionem abſentium accreſcere deſeruientibus: abſens autem ob infirmitatem aliámve ſimilem ob cauſam non deſeruit, licet ex iuris permiſſione fingatur intereſſe. Tum quia priuilegium abſenti conceſſum præiudicat cultui diuino, conſequenter ſtrictè explicatur, & non extenditur ad diſtributiones aliorum Canonicorum, ſed ad maſſam pro rata ſibi debitã, ſi intereſſet, aliis etiam intereſſentibus.

Ad rationem dubitandi in contrarium, reſpondeo abſentem titulo infirmitatis, aliaque ſimili de cauſa fictione iuris cenſeri præſentem, ob idque proprias diſtributiones ſibi ex communi maſſa debitas percipere, non autem lucrari diſtributiones aliorum abſentium, quæ perſonaliter inſeruientibus ex diſpoſitione iuris accreſcunt.

Hinc tranſeamus ad explicandum id, quod ſecundo loco [initio quæſtionis] propoſuimus.

PVNCTVM II.

Vtrùm inſeruientes diſtributiones abſentium acquirant ante vllam iudicis ſententiam; conſequenter, vtrùm beneficiarius, qui Diuinis Officiis non interfuit, pœnam priuationis diſtributionum ſubire debeat ante vllam iudicis ſententiam.

1 Proponitur ratio dubitandi ad oſtendendũ non acquirere.

1 RAtio dubitandi pro parte negatiua eſt, primò quia pœna priuationis bonorum, etiam ipſo iure impoſita, nõ eſt ſubeunda ante ſententiam criminis declaratoriam. Secundò, quia ſi Epiſcopus, vel Synodale, aut Prouinciale Concilium ipſo facto imponat pœnam priuationis diſtributionum, iis qui veſtem pelliceam, galerum, aut chirothecas in Choro deferunt, non tenentur Canonici veſtem pelliceam, galerum, aut chirothecas in Choro deferentes hanc pœnam ſponte ſubire ante ſententiam, ſaltem criminis declaratoriam. Ergo, neque beneficiarij, qui Diuinis Officiis non interſunt, tenentur hanc pœnam ſponte ſubire, ſed iudicis ſententiam expectare poſſunt. His non obſtantibus, ſit

PRIMA PROPOSITIO.

2 Beneficiarius abſens non poteſt diſtributiones percipere, & perceptas reſtituere tenetur ante vllam iudicis ſententiam.

2 BEneficiarius Diuinis Officiis in Choro mancipatus, ſi diuinis non interſit, non poteſt diſtributiones percipere, & perceptas tenetur reſtituere, etiam ante vllam iudicis ſentẽtiam. Ratio eſt, tum quia pœna ipſo iure lata, quæ ad ſui executionem, nullam hominis actionem requirit, ſubeunda eſt ante vllam iudicis ſententiam, vt patet ex regulis generalibus per me traditis *de lege pœnali diſp.1.quæſt.1.punct.7.§.2.quæſito 1.* Sed pœna amiſſionis diſtributionum nondum acquiſitarum non requirit hominis actionem, cùm maſſa diſtributionum non reperiatur apud Canonicum, qui diuinis non interfuit: tum quia pœna inhabilitatis ad aliquid agendum, vel recipiendum, ipſo iure impoſita incurritur ante ſententiam, vt eſt inhabilitas ad vocem actiuam, vel paſſiuam, priuatio participationis fidelium cum excommunicato, vel excommunicati cum fidelibus, & ſic de quàm pluribus aliis caſibus, quos retuli *de lege pœnali.* Beneficiarius autem qui Diuinis Officiis non intereſt, incurrit pœnam inhabilitatis ad acquirendas diſtributiones, vt patet ex *cap.vnico, de Cler.non reſidentib.* & ex Trident. *ſeſſ.24.cap.12.verſ.diſtributiones*, vbi abſentes reddũtur inhabiles ad acquirendum, etiam per remiſſionem ſibi ab intereſſentibus factam: tum quia datum ob cauſam retineri non poteſt cauſa non ſubſecuta, ita dictante naturæ lumine; ſed diſtributiones dantur ob intereſſentiam. Ergo non ſubſecuta intereſſentia retineri non poſſunt: tum quia non ſolùm pœna, quæ ad ſui executionem nullam hominis actionem requirit, verùm etiam, quæ actionem poſtulat, ſubeunda eſt ante vllam ſententiam, quoties ex verbis legis conſtat legiſlatorem velle obligare ad eam ſubeundam ante vllam ſententiam, vt patet ex dictis *de lege pœnali §.2.citato n.15.* cum Reginaldo, Vaſquez, & aliis; ex *cap.autem vnico, de Cleric.non reſidentibus*, conſtat legiſlatorem velle obligare beneficiarios, qui Diuinis Officiis non interſunt ad diſtributiones non recipiendas, & ad receptas reſtituendas. Nam Summus Pontifex Bonifacius VIII. in eo textu ſic ſtatuit: *Clerici Collegiatarum Eccleſiarum, qui aliter de diſtributionibus ipſis receperint, quàm intereſſendo Diuinis Officiis in eiſdem Eccleſiis, earum ſic receptarum dominium non acquirant, nec faciant eas ſuas, imò ad omnium reſtitutionẽm, qua contrà huiuſmodi conſtitutionem receperint, teneantur.* Ita in fortioribus terminis ſentire videntur Doctores, quos de obligatione fidei facienda retuli *in tractatu de obligationibus beneficiariorum*, & expreſsè tradit Moneta *3.part. quæſt.7.n.71.* ſicque vſu, & praxi receptum arbitror.

3 Reſpondetur rationibus dubitandi.

3 Ad primam rationem dubitandi, reſpondeo pœnam priuationis bonorum incurri ante vllam iudicis ſententiam, quoties ex verbis legis de mente legiſlatoris ſic conſtat. Mens autem legiſlatoris eſt, vt pœna ante ſententiam incurratur, dum legiſlator in conſcientia obligat ad eam ſubeundam.

Ad ſecundam, (omiſſa reſponſione Monetæ *n.73.* aſſerentis Epiſcopum non poſſe pœnam priuationis diſtributionum ipſo facto ſubeundam ante ſententiam imponere, quia in beneficialibus pleniſſimam non habet poteſtatem, ſicut habet Pontifex.)

4 Epiſcopus ferre poteſt legẽ ob cuius tranſgreſſionem Canonicus priuetur diſtributionibus.

4 Reſpondeo deferentes veſtem pelliceam, aut galerum, aut chirothecas in Choro, contra conſtitutionem Epiſcopi, ſub pœna priuationis diſtributionum, ipſo iure non teneri hanc pœnam ſubire, quia Epiſcopus non efficit eos inhabiles ad acquirendum, aut non obligat ad hanc pœnam in conſcientia ſoluendam, ad quam obligare poſſe arbitror contra Monetam; ſicut enim ad aliam pœnam pecuniariam obligare poteſt, licet ſummam non habeat in alienis bonis poteſtatem, ita etiam obligare poteſt ad pœnam diſtributionum ſubeundam ante iudicis ſententiam.

Ex dictis colligitur inſeruientes lucrari diſtributiones abſentium ante iudicis ſententiam: tum quia abſentes ipſo iure priuantur: tum quia ad inſeruientes pertinent iure accreſcendi ſtatim, ac alij conditionem intereſſentiæ non impleuerunt.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Canonici choro intereſſentes acquirunt diſtributiones abſentium ab eo tempore quo iſti abſunt ex cauſa, ob quam iura diſtributiones non concedunt.

5 DIſtributiones abſentium Canonicis intereſſentibus accreſcere incipiunt ab eo tempore, quo Canonicus abeſt ex aliqua cauſa, ob quam abſentes non lucrantur diſtributiones. Ratio eſt, tum quia reſpectu abſentium tunc temporis deficit cauſa, ob quam conferuntur diſtributiones: tum quia reliqui Canonici ab eo tempore maiorem præſtant operam, vt dictum eſt *in 1.puncto propoſitione 1.* Quamobrem abſens ex negligentia, vel ob excommunicationem, aliámve ſimilem cauſam, ſtatim incipit amittere diſtributiones, tempori abſentiæ reſpondentes, illaſque Canonici intereſſentes ad ratam temporis acquirunt. Idem valet ſi beneficium per mortem vacet, aut etiam per reſignationem completam, vt benè Moneta *3.part.quæſt.6.n.52.& ſeq.* Gonzalez *ad regul.8.cancel.gloſſ.15.§.2.n.40.& ſequentib.* vbi cum Pariſio, Rota, & aliis oſtendit, nullum ius perfecta reſignatione, vel permutatione competere reſignanti, vel permutanti, conſequenter ab eo tempore diſtributiones accreſcere intereſſentibus, niſi ſucceſſor reſideat, & aſſiſtat, vt patet ex dictis *de reſignationibus.*

TRACTA-

TRACTATVS DE CLAVSVRA, ET POENIS VIOLATORIBVS IPSIVS IMPOSITIS.

IN explicatione iſtius Tractatus hoc ordine progrediar. Primo loco explicabo Monialium obligationem, qua è monaſterio egredi prohibentur. Secundo obligationem Religioſorum virorum, qua ſine licentia exire vetantur. Tertio prohibitionem, & pœnas contra accedentes, vel frequentantes Cœnobia Monialium. Quarto violationem clauſuræ per ingreſſum in monaſteria Monialium. Quinto violationem clauſuræ ob ingreſſum feminarum in monaſteria Religioſorum virorum.

QVÆSTIO PRIMA.

De obligatione, qua Moniales è monaſterio egredi prohibentur.

VT hæc gradatim, & ritè percipiantur, nouem explicanda propono. Primò, quid ſit clauſura, ſeu qui ſint limites, intra quos clauſura continetur. Secundò, quænam Moniales ad clauſuram teneantur. Tertiò, quo iure teneantur. Quartò, quibus cenſuris, & pœnis Moniales ad clauſuram obligentur. Quintò, quis poſsit ab excommunicatione, & præfatis pœnis abſoluere. Sextò, quis poſsit ad clauſuram cogere. Septimò, an Magiſtratus ſæcularis teneatur Epiſcopo auxilium circa clauſuram Monialium præbere. Octauò, quíſnam facultatem non ſeruandæ clauſuræ, ſeu exeundi à monaſterio Monialibus concedere poſsit. Nonò, quibus ex cauſis hæc facultas concedi poſsit.

PVNCTVM I.

Quid ſit Clauſura.

VNICA PROPOSITIO.

2 Quid ſit clauſura.

1 CLauſura eſt ſpatiũ, quod intra ianuam monaſterij ſemper clauſam continetur, ſeu eſt locus monaſterij, intra quem Moniales ſiſtere debent, & à quo egredi nequeunt ſine violatione præcepti, vel etiam voti, dum clauſuram ex voto ſeruare tenentur. Termini autem, & limites iſtius clauſuræ complectuntur omnia monaſterij loca, quæ ianua clauſa continentur, & ad quæ ſæculares non admittuntur. Hæc propoſitio apertè conſtat ex motu proprio Gregorij XIII. edito *anno 1572. tertio Kalendis Ianuarij*, & incipit, *Deo ſacris virginibus*, ibi, *nec ibidem licere Monialibus, etiam Tertiariis, egredi à ianua monaſterij, quæ eſt pro clauſura monaſterij ipſius, etiam ad claudendam aliam vlteriorem ianuam, qua patere ſolet aditus ſæcularibus venientibus ad rotam, vel ad crates, ſeu loca colloquiis deſtinata, vel ad pulſandã ipſam ianuam clauſuræ, qua loca cùm ſaltem pro cauſis prædictis patere ſoleant ſæcularibus, extra clauſurã cenſeri debent etiam quo tempore clauſa ſunt.*

2 Monialis non poteſt ad domos monaſterio contiguas accedere, etiãſi ibi degant feminæ colligendis eleemoſynis deputatæ.

2 Hinc ſequitur primò Monialem non poſſe ad domos monaſterio contiguas accedere, etiamſi domos illas inhabitent, tantummodo feminæ eleemoſynis colligendis, vel ſeruitiis monaſterio præſtandis deputatæ. Cùm enim ad huiuſmodi domos ſæcularibus pateat acceſſus, intra monaſterij ſepta non connumerantur, nec clauſuræ terminis clauduntur. Ita Nauarr. *de regul. comment. 4. n. 56.* Sanchez *in opere morali tomo 2. lib. 6. c. 15. n. 9.* & alij communiter.

Ex quo patet Monialem ad huiuſmodi domum ſe transferentem clauſuram violare. Nec obſtat motus Pij V. qui incipit, *circa paſtoralis*, in quo non ſolum monaſterij loca, ianua principali clauſa, ſub clauſuræ terminis comprehendere videtur, verùm etiam proprias domos.

Reſpondeo enim nomine domus intelligi monaſterium, & vnum pro alio accipi. Ita communiter Doctores.

3 Quid de Moniali, quæ ſe recipit ad alieni tecti partem, vel transfert ſe extra ianuã diſtantia vnius pedis, vel rotam ingreditur.

3 Secundò ſequitur, Monialem ream eſſe violatæ clauſuræ, ſi ad alieni tecti partem tranſeat: tectum enim alienæ domus, non eſt pars monaſterij; conſequenter neque intra terminos clauſuræ continetur. Secus ſentiendum eſt, ſi Monialis in ſuperiori tecti parte, quæ ad monaſterium pertinet, ſiſtat ſe: hæc enim eſt pars monaſterij, & intra terminos clauſuræ continetur. Item ſi ad vnum, vel duos pedes ianua exeat, contra clauſuram peccat, etiamſi ſtatim regrediatur, vt oſtendam *punct. 4. n. 2.* contra Graſſium, & alios. Secus ſi Monialis rotam ingrediatur, & rotam ad partẽ, quæ ſæcularibus patet, vertat: quamdiu enim a rota non egreditur, non perfectè violat clauſuram, & cùm limites clauſuræ nondum perfectæ excedat, non dicitur intra, neque extra monaſterium, licet fortè grauiter peccet ratione alicuius periculi mortalis. Contrarium tenet Comitolus, docens clauſuram hoc pacto violari, cuius ſententia ante factum conſulenda eſt, vt pericula euitentur, & Monialibus rectius proſpiciatur.

4 Monialis non poteſt ſe recipere ad Eccleſiã exteriorẽ.

4 Tertiò ſequitur Monialem non poſſe transferre ſe ad Eccleſiam exteriorem, vel ad alium locum, ad quem ſæcularibus patet acceſſus. Hic enim intra clauſuræ limites non continetur, ſicque in præfato Gregorij XIII. motu decernitur.

5 Monialis monaſterio egreſſa, ſi domo, in qua cõſtituta eſt, exeat, non violat clauſuram.

5 Quartò Monialem, quæ iam è monaſterio egreſſa eſt, ſeque in domum aliquam recepit, non violare præceptum clauſuræ, ſi domo illa exeat: nam domus illa non eſt pars monaſterij, nec intra clauſuræ terminos continetur.

PVNCTVM II.

Quænam Moniales ad clauſuram teneantur, ita vt monaſterio egredi nequeant.

VNICA PROPOSITIO.

1 Moniales omnes poſt profeſſionem tenẽtur ad clauſuram.

1 OMnes, & ſingulæ Moniales, cuiuſcumque Ordinis ſint, poſt profeſſionem tenentur onere clauſuræ, modò in congregatione viuant. Ratio eſt, tum quia Conc. Trident. *ſeſſ. 22. de regul. cap. 22.* præſcribit omnia in ſuperioribus decretis contenta ſeruari in omnibus Cœnobiis ac monaſteriis quarumcumque Sanctimonialium, quocumque nomine appellentur, & ſub quacumque regula, vel conſtitutionibus viuant; vnum autem ex ſuperioribus decretis eſt de clauſura Monialium *in cap. 5.* eiuſdem ſeſſionis. Tum quia idem ſancitum eſt in motu Pij V. qui incipit, *circa paſtoralis*, ibi, *cuiuſcumque ordinis, vel militarium, etiamſi Hieroſolymitanæ ſint.*

2 Conuerſæ, & Tertiariæ teneri poſt profeſſionem ad clauſuram.

2 Hinc ſequitur primò, Moniales, etiam Conuerſas, & Tertiarias, teneri poſt profeſſionem ad clauſuram. Ita Nauarrus *loc cit. num. 45.* Rodriquez *quæſt. regul. tom. 1. quæſt. 44. art. 4.* Miranda *in tract. de Monialibus quæſt. 1. art. 3. & 5.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 8. num. 14. & 17.* Sanchez *loco cit. cap. 15. n. 13.* Quidquid in contrarium ante motum Pij V. ſenſerit Corduba de Tertiariis S. Franciſci, *in annotationibus ad collectorem priuil. verb. clauſura not. 1.* Et hoc verum eſt, etiamſi in monaſteriis prædictarum Monialium numquam ante Tridentinum hæc clauſura ſeruata fuerit: hoc enim apertè conſtat, tum ex Tridentino *loco citato*, vbi decernit omnia decreta in quibuſcumque monaſteriis ſeruari, non obſtante quauis conſuetudine in contrarium. Tum ex motu Pij V. citato, vbi clauſuram ſeruandam præſcribit: etiamſi numquam in illis monaſteriis ab immemorabili tempore ſeruata fuerit.

Tertiariæ tenẽtur clauſura, etiamſi in illis monaſteriis antea ſeruata non fuerit clauſura.

Nec obſtat primò, quòd *in c. periculoſo, de ſtatu regul. in 6. & in extrauaganti* Pij V. *circa paſtoralis*, ſolæ Moniales, quæ clauſuram profeſſæ ſunt, ad illã obligatæ videantur. Reſpondeo enim id in præfatis locis non decerni, ſed ſtatui eas Moniales, quæ religionem profeſſæ ſunt, ad clauſuram obligari, ad diſtinctionem nouitiarum, quæ ad clauſuram non tenentur, cùm nondum profeſſionem emiſerint: nemo enim ad onera alicuius ſtatus tenetur, antequam ſtatum illum aſſumpſerit.

Nec obſtat ſecundò, decretum Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 5. de regul.* vbi decernitur, clauſuram in omnibus monaſteriis, vbi violata fuerit, reſtitui, & vbi inuiolata eſt, conſeruari: cùm autem non reſtituatur, nec conſeruetur, quod numquam introductum fuit, ſequitur illas ſolùm ad clauſuram obligari, quæ ad illam alias tenebantur.

Reſpondeo mentem Concilij eſſe, vt in omnibus monaſteriis clauſura introducatur, etiamſi antea introducta non fuerit: Concilium enim vult clauſuram, vbi violata fuit, id eſt, vbi non fuit introducta, reſtitui. Et quamuis verba Concilij aliquam obſcuritatem habeant; nihilominus illorum interpretatio ex mente Concilij deſumenda eſt; potius enim attendenda eſt mens legis, & legiſlatoris, quàm ipſius verba: *regul. vlt. de reg. iur. cap. intelligentia, & cap. propterea, de verb. ſignific. & l. non omnis, in principio, ff. ſi certum petatur.*

Nec obſtat tertiò, quòd aliquibus monaſteriis conceſſa fuerit exemptio à clauſura. Reſpondetur enim huiuſmodi priuilegia reuocata fuiſſe in Concil. Tridentino *loco cit.* & in motu Pij V. Secus dicendum eſt de priuilegiis poſt decretum Concilij, & motu Pij V. conceſſis, vt benè Nauarr. *in comment. de regul. comment. 4. num. 53. not. 2. & 3.* Sanchez *lib. 6. cap. 15. n. 18.* Ratio eſt, quia priuilegia futura non ſunt reuocata; ergo tenent ſi legitimè concedantur.

3 Nouitiæ non tenentur ad clauſuram.

3 Secundò ſequitur nouitias non teneri ad clauſuram, quia in iure ſermo eſt de profeſſis, non de nouitiis. Ita Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 8. num. 16.* & alij. An autem nouitia exiens è monaſterio inter-

interrumpat nouitiatum, conſtabit ex infrà dicendis interrumpere, ſi exeat abſque licentia Abbatiſſæ, & ſuperiorum, ad quos pertinet facultatem exeundi concedere. Vide Suarez.

4 Feminæ, quæ non ſunt verè Moniales, non habẽt onus clauſuræ.

4 Tertiò ſequitur illas feminas, quæ non ſunt verè Moniales, non teneri ad clauſuram, etiamſi aliquæ ſimplicia vota emittant, vt erant Virgines S. Vrſulæ Mediolani in æde ſancti Spiritus degentes; feminæ verò, quæ ſimpliciter vouent aliquem religioſum viuendi modum, hortandæ ſunt, vt ſolemniter profiteantur: facta autem profeſſione ad clauſuram tenentur; quòd ſi renuant profeſsionem ſolemniter emittere, & clauſuram recipere, non poſſunt vllam impoſterum in ſuam Congregationem recipere; & ſi aliquam recipiant, receptio irrita eſt, vt patet ex motu Pij V. *circa paſtoralis.*

5 Ad clauſuram non tenentur feminæ profeſſionẽ emittẽtes, hac conditione, vt in domo propria remaneant.

5 Quartò feminas, quæ ſolemnem profeſsionem emitterent, hac conditione, vt in domo propria remanerent, (vt aliàs factum fuiſſe conſtat ex *cap. inſinuante, qui clerici, vel vouentes*) non teneri ad clauſuram. Ratio eſt, tum quia in præcitatis iuribus ſermo eſt de Monialibus in congregatione viuentibus: ob id in propoſitione dixi, *modò in congregatione viuant.* Tum quia iſtæ non habent monaſterium, ſeu locum clauſuræ. Secus dicendum eſt de illis, quæ in congregatione viuunt; etiamſi tempore profeſſionis animum haberent non obligandi ſe ad clauſuram: onus enim clauſuræ non oritur ex voluntate Monialium, ſed ex diſpoſitione Summorum Pontificum, qui Moniales profeſſas ad clauſuram obligant. Vide Mirandam *tract. de Monial. q.1. art.4. concl.5.*

6 Quot peccata committãt Moniales clauſuram non ſeruantes.

6 Sed modò dubium eſt, primò quot peccata committant Moniales, quæ clauſuram non ſeruant.

Reſpondeo committere peccatum contra præceptum Eccleſiæ, præſcribentis Monialibus clauſuram, vt Moniales melius Deo vacent. Imò faciunt etiam contra votum, ſi ſe voto ad clauſuram obſtrinxerunt, aut contra regulam, ſi in regula præcipiatur clauſura. An autem violatio regulæ, voti, & præcepti Eccleſiaſtici differentiam peccatorum ſpecificam inducat, patet ex regulis generalibus traditis *de peccatis.*

PVNCTVM III.

Quo iure clauſura Monialium introducta ſit.

VNICA PROPOSITIO.

1 Proponũtur rationes, quibus probatur clauſuram non eſſe de iure naturæ, ſed poſitiuo humano.

1 CLauſura Monialium iure humano poſitiuo, non autem iure naturali, vel diuino indicta eſt.

Quòd ſit indicta iure humano poſitiuo, patet ex multis decretis, & conſtitutionibus Bonifacij VIII. *in cap. periculoſo, de ſtatu regular. in 6.* Concilij Tridentini *ſeſſ.25. cap.5.* Pij V. in Bulla VIII. quæ incipit, *circa paſtoralis*, & ex Bulla 28. Gregorij XIII. quæ incipit, *Deo ſacris virginibus*, quas refert Laërtius Cherubinus *tom.2.* Stephanus Quaranta *verbo monaſteria Monialium.* Naldus *verbo clauſura nu.4.* Azor. *p.1. lib.13. cap.8.* Suarez *tom.4. de relig. lib.1. cap.8. n.11. & ſeqq.*

Quòd verò clauſura iure naturali indicta non ſit, probatur; tum quia ius naturæ ſemper idem eſt; ſed antiquis temporibus clauſura in vſu non erat; ergo ſignum eſt ipſam non eſſe de iure naturæ. Tum quia omne ius naturale, vel eſt per ſe notum, vel ex per ſe notis deducitur. Onus autem clauſuræ non eſt principium per ſe notum, neque ex per ſe notis deducitur.

Quòd iure diuino non ſit præcepta clauſura, probatur; quia neque ex Scriptura, neque ex traditione aliqua diuina, huiuſmodi clauſura clarè deduci poteſt. Ita Nauarr. *cap. ſtatuimus 19. quæſt.3. n.29. comment.4. de regul.* Miranda *loco citato, art.1. concluſ.2.* & fuſiſſimè *in tract. de Monial. quæſt.1. art.1.* Azor. *loco cit. cap.8. quæſito 2.* Sanchez *loco citato, cap.15. num.3.* Rodriquez *quæſt. regular. tom.1. quæſt.44. art.1.* Vega *in ſumma tomo 2. cap.86. caſu 19.* Suarez *loco cit. cap.8.* & alij. Contra nonnullos quos tacito nomine innuit Azor. *loc. cit.*

Ex quo patet a fortiori quid dicendum ſit de clauſura Monachorum, & religioſorum.

2 Reſoluũtur rationes, quibus probatur clauſuram eſſe de iure naturali, & diuino.

2 Nec obſtat primò dicere Monialem, aut religioſum, dum facit profeſſionem, voto ſe obſtringere ad obedientiam, in qua etiam onus clauſuræ continetur: votum autem iure naturali, & diuino ſeruandum eſt.

Reſpondetur enim, etiamſi daremus religioſum tacitè vouere obedientiam regulæ, nihilominus regulæ, & alia præcepta, in quibus de clauſura fit mentio, non ſunt ius diuinum, ſed humanum; conſequenter clauſura non eſt de iure diuino, vel naturali. Excipiuntur tamen Moniales S. Claræ, & aliæ, quæ votum clauſuræ emittunt.

Nec obſtat ſecundò, clauſuram indictam fuiſſe ad ſcandala, & pericula præcauenda: ius autem naturale, & diuinum dictat ſcandala, & pericula præcauenda eſſe.

Reſpondetur enim, hinc non colligi clauſuram ſimpliciter inductam fuiſſe ante iuris humani diſpoſitionem, ſed exitum è monaſteriis iure humano vetitum fuiſſe ad præfata pericula præcauenda, quæ etiam lumine naturæ dictante præcaueri debent, etiamſi ius naturæ ad onus clauſuræ ſimpliciter non obliget, ſed ſolum obligat quaſi indirectè, quatenus eſt medium ad vitanda dicta pericula. Ius verò Eccleſiaſticum directè obligat ad clauſuram, quam hoc fine præcepit vt religioſi perfectius Deo inſeruiant, & pericula effugiant.

Neque obſtat tertiò *cap. placuit.16. quæſt.1.* vbi dicitur, Monachum ſine monaſterio viuere non poſſe, ſicut piſcis ſine aqua caret vita; ſicut autem piſcis naturaliter ſine aqua viuere non poteſt; ita Monachus ſine monaſterio; ergo Monachus iure naturæ in monaſterio degere debet.

Reſpondetur enim hanc eſſe ſimilitudinem; ſimilitudo autem non eſt identitas.

Ex dictis colligitur poſſe aliquibus in locis Moniales à clauſura excuſari, vbi videlicet præcepta indicentia clauſuram non ſunt recepta, vel vbi contraria conſuetudine abrogata ſunt. Ita Sanchez *loco citato, n.4.* Azor. *loco cit. cap.8. quæſito 1.* contra Lamas *methodo curationis in appendice §.2. in fine.* Ratio eſt, quia clauſura eſt de iure humano; iuris autem humani obligatio non ſemper vbique viget, ſed variis de cauſis impediri poteſt, vt patet ex dictis *de legibus, & de peccatis.*

PVNCTVM IV.

Quibus cenſuris, & pœnis afficiantur Moniales clauſuram violantes egreſſu è monaſterio.

VNICA PROPOSITIO.

1 Moniales egredientes, dantes licentiam egrediendi, receptatores, excõmunicationẽ, & alias pœnas incurrunt.

1 COntra Moniales clauſuram violantes, egrediendo è monaſterio, inducta eſt pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda. Eadem excommunicatio extenditur ad concedentes licentiam egrediendi, comitantes, & receptantes in caſibus, in quibus Monialibus egredi è monaſterio non permittitur. Imò prædictæ Moniales egredientes, & ſuperiores egrediendi facultatem concedentes, incurrunt priuationem dignitatum, adminiſtrationum, & officiorum, & inhabiles ad illa, & ad alia in futurum obtinenda efficiuntur. Sic enim decernitur in motu Pij V. qui incipit, *Decori, & honeſtati.*

Hæc propoſitio intelligitur, modò grauis culpa intercedat: grauis enim pœna grauem culpam ſupponit; alioquin inter pœnam, & culpam proportio non ſeruaretur, vt dictum eſt de cenſuris in genere.

2 Monialis excommunicationẽ incurrit, etiãſi paruo ſpatio extra ianuã procedat.

2 Hinc ſequitur primò, Monialem, quæ extra ianuam, clauſuræ limites terminantem, ambobus pedibus ſe tranſtulit, ream eſſe prædictarum pœnarum; etiamſi receperit ſe ad illud ſpatium, quod iacet inter clauſam monaſterij portam, & inter aliam, quæ ſæcularibus inſeruit. Idem dic, ſi ſe transferat ad eam Eccleſiæ partem, quæ ſæcularibus patet. Ita Rodriquez *quæſt. regular. tomo 1. quæſt.49. art.5.* & Sanchez *in opere morali lib.6. cap.15. nu.67.* Addo hoc verum eſſe, etiamſi vno, vel altero palmo recipiat ſe ambobus pedibus extra clauſuræ ianuam, & ſtatim redeat: hoc enim pacto clauſura violatur, & honeſtatis, & puritatis amittendæ periculum incurritur. Ita Sanchez *lib.8. cap.16. n.76.*

Dices, excuſari poſſe ratione paruitatis materiæ.

Reſpondeo non poſſe titulo paruitatis materiæ in hoc caſu excuſari; quia clauſura certis terminis definitur: hos autem tam excedit is, qui à monaſterio longè recedit, quàm qui ad duos pedes egreditur. Contrarium in ſimili tenent Graff. *de caſibus reſeruatis cap.5. num.45.* Naldus *verbo clauſura nu.4.* loquentes de eo, qui ad duos paſſus ingreditur. Sed quod ego dixi ſuſtinendum eſt. Vide infrà dicenda *punct.6. num.10.*

3 Monialis, quæ iuſta de cauſa egreſſa eſt, non afficitur excommunicatione, ſi finita egreſſus cauſa ſtatim non reuertatur.

3 Rogabis, vtrùm Monialis, quæ iuſta de cauſa egreſſa eſt, ſed finita egreſſus cauſa ſtatim non regreditur, his pœnis ſubiiciatur.

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia licet faciat contra præceptum clauſuræ, non ſtatim regrediendo, vt infrà dicam: nihilominus dum Pius V. prædictas pœnas imponit, loquitur ſolùm de illicitè egredientibus, comitantibus, recipientibus, & licentiam concedentibus: in pœnis autem ſtricta interpretatio facienda eſt, vt benè Sanchez *num.70.* contra Lamas *loco citato in appendice in fine §.10.* Zechium *tit. de regul. cap.3. n.15. verſ.9.*

4 Epiſcopus dans licentiam exeundi præfatis pœnis afficitur.

4 Secundò ſequitur Epiſcopum, qui licentiam exeundi ſine iuſta cauſa Moniali conceſſit, pœnis conſtitutionis Pij V. affici; quia de Epiſcopis expreſſa mentio fit in præfata conſtitutione. Idem dic de ſuperioribus religionum. An verò Cardinales incurrant, patet ex dictis *de cenſuris diſput.1. quæſt.1. puncto 4. & de legibus diſp.10. quæſt.2. puncto 8. §. incidenti n.16.*

5 Idem dic de comitantibus, vel receptantibus Moniales iniuſtè egreſſas modò ſint cauſa egreſſus, vel perſeuerantiæ ingreſſus; ſecus ſi cauſa vrbanitatis, vel conſanguinitatis comitentur, vel recipiant.

5 Tertiò prædictis pœnis ligari comitantes, aut recipientes Moniales iniuſtè egreſſas, ſiue comitantes, vel recipientes ſint religioſi, ſiue ſæculares; quia textus de his omnibus loquitur: ibi, *necnon comitantes, ac illarum receptatrices perſonas, ſiue laicas, aut ſæculares, vel Eccleſiaſticas conſanguineas, vel non.*

Hoc tamen intelligendum videtur de illis, qui ſuo comitatu, vel receptione cooperantur egreſſui, vel perſeuerantiæ in egreſſu; ſicut enim excommunicatio lata in fautores, vel receptatores hæreticorum, intelligitur de receptatoribus, vel fautoribus formaliter, id eſt, cauſa hæreſis, non verò alia de cauſa; ita intelligenda videtur præſens conſtitutio.

Ex quo licet inferre, eum, qui cauſa vrbanitatis, vel amicitiæ, vel honoris, vel conſanguinitatis Monialem illicitè egreſſam comitatur, vel recipit, non incurrere prædictas pœnas, modò illius delicto non faueat. Ita Rodriquez *loco citato, art. vlt.* Lamas *loco cit. §.11.* Sanchez *n.72.* & alij, quamuis Nauarrus *in cap. ſtatuimus n.51.* quem ſequi videtur Miranda *de Monialibus quæſt.3. art.7.* huic ſententiæ ſubſcribere non audeat.

6 Quid nomine officiorum, dignitatũ, & adminiſtrationum intelligatur.

6 Sed modò dubium eſt primò, quid intelligatur nomine dignitatum, adminiſtrationum, & officiorum, quorum priuatio in præfata Pij V. conſtitutione inducitur.

Reſpondeo intelligi omnia officia, quæ ſuperiorum propria ſunt, & ſuperioritatem quamdam continent, vt Prioratus, Prouincialatus, Generalatus, officium Viſitatoris, Commiſſarij generalis, Vicarij Monachorum, ſeu Monialium, officium Abbatiſſæ, Prioriſſæ, & ſimilia: hæc enim ſuperioritatem quamdam coniunctam habent, & ritè nomine dignitatum, adminiſtrationum, & officiorum comprehenduntur. Secus dic de officio Concionatoris, Confeſſoris, Lectoris Theologiæ, Præfecti Pharmacopolij, Sacriſtiæ, & ſimilium. Idem de officio Definitorum, aut Diſcretorum in Religione Capucinorum, aſſerit Sorbus *ver. ingreſſus monaſteriorum, n.8.* Sanchez *loco cit. n.66.* Filliucius, & alij quos referam de largitione munerum regularibus vtriuſque ſexus interdicta *punct.5. n.2. dub.1.*

7 An præfatæ pœnæ incurrantur ante vllam iudicis ſententiam.

7 Secundò dubium eſt, vtrum præfatæ pœnæ ipſo facto incurrantur ante vllam iudicis ſententiam, etiam criminis declaratoriam.

Reſpondet Sanchez *loco cit. n.65.* Molina in ſimili *tom.1. de iuſtitia, diſput.96. verſ. duo obſerua.* Nauarr. *in expoſit. bullæ de datis, & permiſſis num.44.* & alij, ſententiam criminis declaratoriam requiri, non ſolum ad pœnas, quæ quoad ſui executionem, hominis actionem requirunt, verum etiam ad pœnas priuatiuas, quæ nulla actione ad ſui executionem indigent, exceptis cenſuris, quas vſus indicauit ipſo facto incurri.

Ego verò cenſeo pœnas priuatiuas, in quibus exequendis hominis actio non exigitur, vt eſt inhabilitas, ipſo facto, per ſe loquẽdo, incurri; eas verò, quæ ad ſui executionem, actionem hominis requirunt,

non

non incurri ante iudicis sententiam, vt probaui *de legibus disput.1.q.1. punct.7.§.2.num.9.& de contractibus loco* statim *citando*, cum Suarez Nauarr. Valentia, Salas, & aliis, quibus adde Graffium 1.*parte decis. lib.4.cap.23.nu.12.* Sotum, Salonium, Arragonium, & alios apud Sanchez *in opere morali lib.2.cap.39.num.32.* Vide tradita *de legibus loco citato, & de contractibus disp.3.q.8.punct.vltim.§.3.*

PVNCTVM V.

Quis possit ab excommunicatione, & præfatis pœnis absoluere, & dispensare.

VNICA PROPOSITIO.

1 Solus Pontifex absoluit dum excommunicatio publica est.

1 NEmo præter Summum Pontificem, vel habentem ab ipso facultatem, iure communi potest à dicta excommunicatione absoluere, dum excommunicatio publica est. Ratio est; quia illius absolutio Summo Pontifici reseruatur in motu Pij V. suprà citato.

Dixi, *dum prædicta excommunicatio publica est*, quia ab excommunicationibus occultis potest Episcopus, vel habens ab ipso facultatem, absoluere virtute Concilij Tridentini *sess.24.cap.6. de reformat.* etiamsi præfata excommunicatio lata sit post Trident. decretum, vt docui *de censuris*, contra Lælium Zechium, & alios.

2 Habens priuilegiũ à Summo Pontifice potest absoluere in foro conscientiæ, etiamsi delictum sit publicum, vel deductum ad forum contentiosum.

2 Dixi in propositione, *vel habentem ab ipso facultatem*; perspicuum enim est facultatem absoluendi delegabilem esse; consequenter absolutionem conferri posse ab eo, qui absoluendi priuilegium habet.

Ex quo sequitur primò virtute Cruciatæ posse semel in vita, & semel in mortis articulo absolutionem conferri; non verò toties quoties quis istam excommunicationem contraxit. Ratio est, quia licèt in bulla cõcedatur facultas absoluẽdi à censuris non reseruatis, toties, quoties quis eas contraxerit; nihilominus à censuris reseruatis non potest absolutio virtute Cruciatæ conferri, nisi semel in vita, & semel in mortis articulo.

Secundò sequitur, religiosos habentes priuilegium absoluendi à censuris Summo Pontifici reseruatis, posse à prædicta excommunicatione absoluere; quamuis enim religiosi prædictum priuilegium habentes non possint hoc tempore ab excommunicationibus bullæ Cœnæ, aut violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constitutionis Gregorij XIV. aut violationis clausuræ Monialium ad malum finem, aut prouocantium, & pugnantium in duello, iuxta decretum Concilij Tridentini, & constitutionem Gregorij XIII. aut percussionis Clericorum, iuxta canonem *si quis* 17.*q.*4. aut Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis, aut etiam casuum ab Episcopis reseruatorum, vt constat ex decretis Sacræ Congregationis à me adductis *in tract. de censuris, & ad finem bullæ Cœnæ*. nihilominus ab aliis censuris, circa quas non extat priuilegiorum reuocatio, possunt religiosi absoluere, iuxta limites suorum priuilegiorum.

3 Religiosi habentes priuilegiũ absoluendi possunt absoluere in foro conscientiæ, etiamsi delictum ad forum externũ deductum sit.

3 Maior difficultas est, vtrùm religiosi à censuris Papæ reseruatis absoluere possint, etiamsi censuræ ad forum contentiosum deductæ sint.

Respondeo adhuc posse in foro conscientiæ. Ratio est, tum quia priuilegium absolutè, & indistinctè concessum; absolutè, & indistinctè explicandum est: prædictum autem priuilegium concessum est absolutè, vt suppono, & absque distinctione, dum crimen publicum est, vel ad forum contentiosum deductum; ergo absolutè intelligendum est, & non est restringendum ad casum, quo crimen est publicum, vel ad iudicium delatum. Tum quia, dum Summus Pontifex intendit facultatem absoluendi, vel dispensandi limitare, dum crimen publicum est, vel deductum ad forum cõtentiosum, solet id exprimere, vt patet ex priuilegio Episcopis concesso in Trident. *sessione 24. cap. 6.* cùm autem hanc limitationẽ priuilegiis religiosorum non adiecerit, non est cur nos illam adiiciamus. Ita Sotus *in 4.dist.22.art. 3.* Henriquez *lib.7.cap.13.num.2.* Rodriquez *in additionibus ad bullam num.49.§.9.* Sanchez *in opere morali lib.6.cap.18. num.42.* contra Sorbum *vers. ingredi num.11.* & alios.

An autem dum crimen publicum est, publica pœna occasione absolutionis iniungenda sit, patet ex dictis de Sacramentis.

4 Proponuntur rationes in contrariũ ad probandum religiosum nõ posse absoluere dũ delictũ est publicum.

4 Obiicies primò, huiusmodi priuilegium odiosum est cùm præiudicet potestati iudicum, ad quorum iudicium censura delata est; ergo strictè explicandum est, *cap. olim. de verborum significat.* ergo non videtur extendendũ ad casum, in quo censura in iudiciũ deducta est.

Respondeo huiusmodi priuilegium non obesse potestati ordinariorum iudicum; quia cùm religiosi non possint absoluere, nisi in foro conscientiæ, iudices integrum ius retinent in suo foro; perinde ac si delinquens absolutionem in foro conscientiæ non obtinuisset, vt patet ex dictis *de Censuris in communi disp.1.q.3.punct.10.*

Obiicies secundò, Sixtus IV. *in extrauag. Et si Dominici 2. de pœnit. & remis.* prohibet, ne virtute bullæ, vel alterius priuilegij generalis absoluatur quis delatus, sententialiter condemnatus, aut publicè diffamatus; sed is cuius censura ad forum externum delata est, dicitur diffamatus, & delatus: ergo absolui non potest virtute alicuius priuilegij.

Respondeo primò, Sixtum ibi loqui de absoluentibus à quibusdam censuris virtute facultatum ab ipso Summo Pontifice, vel ex ipsius auctoritate concessarum, vt clarè constat ex ipsamet extrauag. non autem loqui de priuilegiis aliorum Pontificum. Ita Sairus, Suarez, Filliucius, & alij, quos in similibus casibus retuli *de Censuris in particulari.*

Respondeo secundò, illam extrauag. non ampliùs vires habere. Cùm enim illa esset additio quædam ad bullam Cœnæ, quæ per nouam bullæ Cœnæ editionem cessare solet, sequitur etiam ipsam additionem cessasse; consequenter casus in præfata extrauaganti contentos sub dispositione iuris communis remanere. Ita Sylucster *verbo excommunicatio.7.num.32.* Suarez *loc.cit.num.43.*

Obiicies tertiò, Episcopus non potest in casibus Summo Pontifici reseruatis absoluere, vel dispensare dum crimen est publicum, vel deductum in iudicium ex Tridentino *sess.24. cap.6.* ergo multo minus poterunt religiosi, quibus ex officio non competit cura animarum.

Respondeo negando consequentiam: priuilegium enim pendet à voluntate concedentis, qui potest vni priuilegium amplum, & alteri restrictum & limitatum concedere: in præfato autem Concilij decreto, licèt restrictior facultas in hac parte Episcopis concessa sit, simpliciter tamen maius priuilegium illis datum esse videtur; quia datum est illis priuilegium per modum statuti, complectens non solùm absolutionem censuratum ferè omnium, verùm etiam dispensationem irregularitatis.

Obiicies quartò, si religiosi possunt absoluere ab excommunicatione publica, poterunt etiam in reliquis pœnis dispensare; sed hoc est falsum: ergo & antecedens.

Respondeo negando sequelam maioris: quia religiosi non eodem priuilegio gaudent ad dispensandum in aliis pœnis, quo gaudent ad absoluendum à censuris, vt constabit ex dicendis in solutione dubij proximè sequentis, in quo explicandum est, quis possit in aliis pœnis dispensare.

5 Quis possit in pœna priuationis Officiorum dispensare.

5 Dubium igitur est, quis possit in pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa dispensare.

Respondeo distinguendo, vel delictum est publicum, vel est occultum. Si delictum est publicum, dispensatio obtinenda est à Summo Pontifice; quia inferior Summo Pontifice, regulariter loquendo, non potest in eius lege, & pœnis ab eo latis dispensare, & hoc à fortiori in omnium sententia verum est, si secuta sit iudicis sententia.

Si verò delictum est occultum, Episcopus dispensare potest virtute Concilij Tridentini *sess.24. cap.6.* vbi Episcopis datur facultas dispensandi ab omnibus irregularitatibus, & absoluendi sibi subditos in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis. Eadem facultas competit superioribus Ordinis Sancti Dominici, & consequenter superioribus Ordinum Mendicantium, & gaudentium ipsorum priuilegiis. Tum quia Pius V. in quadam bulla, quæ incipit, *Romani Pontificis*, quam refert Rodriquez *to.1. q.61. art.9. ad finem*, concessit prædictis superioribus, videlicet Generalibus, Prouincialibus, aliisque superioribus localibus, vt per se ipsos, non tamen per alios, gaudeant eodem priuilegio erga suos subditos in foro conscientiæ, quo gaudent Episcopi erga suos, virtute Concilij Tridentini *sess.24.cap.6.* Tum quia superiores religionum, vt Generales, & Prouinciales, habent iurisdictionem quasi Episcopalem; sed Episcopus dispensare potest in pœnis ob adulterium, & ob alia crimina adulterio leuiora à iure latis, *cap. & si clerici, §. de adulteriis, de iudiciis*; ergo, &c. Ita Rodriquez *tom.1.q.24.art.17. & q.61. artic.9.* Sanchez ex parte *loco cit. num.78.* Sorbus in simili *ver. ingressus in monasteria num. 11. vers. dicitur quarto*, Hentiq. in simili *lib.14. cap.19. num.2.* contra Graffium 1.*par.lib.4.cap.23.num.12.*

PVNCTVM VI.

Quinam ius habeant cogendi Moniales ad clausuram.

VNICA PROPOSITIO.

1 Episcopus, & superiores religiosorum habent ius cogendi Moniales ad clausuram respectiuè.

1 ONus cogendi Moniales ad clausuram incumbit Episcopo auctoritate ordinaria in suis monasteriis; auctoritate verò Sedis Apostolicæ delegata, in monasteriis Sedi Apostolicæ subditis, vt constat ex Trident. *sess.25.cap.5.* In monasteriis verò exemptis hęc facultas non competit Episcopo, sed superioribus illorum ordinum, ex *cap. periculoso, de statu regularium in 6.* ex Tridentino *sess. 25. cap.9.* & ex motu Pij V. qui incipit, *circa pastoralis.* Ita Nauar. *in comment.4. num.60. de regul.* Sanchez *in opere morali lib.6.cap.15.nu.21.* & alij contra Zerolam *verb. Moniales, ad quartum quæsitum, & ad 8. vers.4.* vbi ostendit facultatem indicendi clausuram competere Episcopo, etiam respectu Monialium exemptarum.

2 Episcopi, & alij superiores implorare possunt Principum, & magistratuum auxilium, & hi tenentur sub excommunicatione ipso facto incurrenda opẽ ferre.

2 Sed modò dubium est primò, vtrùm Episcopi, seu superiores Monialium vti possint opera sæcularium ad continendas in clausura Moniales.

Respondeo affirmatiuè. Hac de causa Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 5.* hortatur Principes Christianos ad præbendum huiusmodi auxilium, dum auxilium ab ipsis imploratur: imò obligat magistratus sæculares ad opem ferendam sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. Quid autem nomine magistratus intelligatur, dictum est in explicatione bullæ Cœnæ, & infra *punct.7.*

Ex quo patet differentia inter Principem, & inter magistratum, quòd magistratus tenetur sub censura ad præstandum auxilium; Princeps verò non tenetur sub censura: imò neque sub mortali, quãtum est ex vi Concilij; quamquam aliunde fieri potest, vt obligetur sub mortali, *cap. omnes Principes. de maiorit. & obed. cap.1. de offic. ordin. & cap. si Imperator distinct.96.* Ita expressè Nauarrus *loc. cit. num.46. vers. ex quibus nota*, & Sanchez *loco cit. num.22.*

3 Superiores non tenentur sub mortali decretum clausuræ quotannis publicare.

3 Secundò dubium est, vtrum Episcopi, & alij locorum ordinarij teneantur sub mortali publicare singulis annis decretum de clausura Monialium. Ratio dubitandi est; quia hoc onus ipsis imponitur in virtute sanctæ obedientiæ in motu Pij V. qui incipit: *Decori & honestati.*

Respondeo satis esse decretum aliàs publicatum fuisse, nisi aliud necessitas suadeat. Ratio est, tum quia aliquibus in locis non solet quotannis publicari. Tum quia in alio motu eiusdem Pij V. qui incipit, *Circa pastoralis* & in motu Gregor. XIII. qui incipit, *Deo sacris*, sermo simpliciter est de publicatione facienda, & non præscribitur publicatio quotannis. Ita Nauar. *num.54.* & Sanchez *num.23.*

Ad rationem dubitandi respondeo rigorem illius motus imminutum fuisse, tum praxi, & vsu, tum posterioribus Summorum Pontificum decretis.

PVNCTVM VII.

An magistratus sæcularis teneatur sub excommunicatione auxilium Episcopo præbere circa clausuram Monialium.

IN hoc puncto quatuor principaliter explicabo.
Primò, an præfatus magistratus excommunicationem incurrat, non præbendo Episcopo auxilium circa clausuram.
Secundò, quænam sit illius excommunicationis materia.
Tertiò, quodnam sit subiectum.
Quartò, an illius absolutio Summo Pontifici reseruata sit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Magistratus sæculares non præbentes Episcopo auxilium circa clausuram Monialium excommunicationem ligantur.

1 MAgistratus sæculares non præbentes Episcopis auxilium circa clausuram Monialium excommunicationem incurrunt, vt patet ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 5. de regular.* vbi Concilium curam clausuræ Monialium imponit Episcopis cum facultate implorandi, si opus fuerit, brachium sæculare, & iniuncta magistratibus, nolentibus auxilium præbere, excommunicationis pœna, ibi, *quod auxilium vt præbeatur, omnes Christianos Principes hortatur S. Synodus, & sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda omnibus magistratibus sæcularibus iniungit.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Affertur materia istius excõmunicationis.

2 MAteria istius excommunicationis consistit in omissione præbendi auxilium, dum Episcopus illud sibi præberi petit à magistratu sæculari.

Hoc tamen intelligendum est, modò omissio sit mortaliter culpabilis; excommunicatio enim grauem culpam supponit. Quamobrem si magistratus mandet satellitibus, vt in auxilium Episcopi se conferant; illi verò confingant accedere, sed re ipsa non accedant, magistratus excusatur ab excommunicatione.

Hac occasione agendum esset, vtrùm sæculares Principes, & magistratus teneantur iudici Ecclesiastico, brachium ipsorum imploranti, opem ferre etiam non viso processu, & sententia iudicis Ecclesiastici. Verùm de hac re sufficienter egi in expositione Bullæ Cœnæ *disp. 1. q. 20. §. 2. & 3.* quæ ibi videri possunt, dum opus fuerit.

TERTIA PROPOSITIO.

3 Assignatur subiectum eiusdem.
4 Magistratus sæculares quinam dicantur.

3 SVbiectum istius excommunicationis sunt omnes, & singuli magistratus sæculares non præbentes auxilium circa clausuram; in textu enim dicitur, *omnibus magistratibus sæcularibus.*

4 Sed modò dubium est primò, quinam sint magistratus sæculares.

Respondeo esse personas publicas, quæ iurisdictionem sæcularem exercent. *l. eum qui. ff. de iurisd. omn. iud.* Vt hoc clariùs intelligatur, aduerte, alias varios fuisse magistratuum ordines; alij enim erant magni, alij medij, alij minimi, & infimi, de quibus agit Bartolus *in l. 1. ff. de offic. eius, cui mandata est iurisdictio,* Speculator *titul. de iurisdictione omn. iudicum.* Alterius *in Bulla Cœnæ lib. 5. disp. 2. cap. 1. col. 2. vers. magistratus,* Duardus *in Bulla Cœnæ can. 19. q. 2. num. 2.*

In hoc loco excommunicantur omnes magistratus sæculares, cuiuscumque generis, & ordinis existant, quia illa dictio, *omnibus,* est vniuersalis, & nullum magistratum excludit. *l. Iulianus, & l. testamentum, in principio. ff. de legatis 3. & l. hoc articulo, ff. de hered. instit.*

Ex quo sequitur primò, Prætores, Iudices, Rectores ciuitatum, Præfectos prouinciarum, & alios iurisdictionem sæcularem exercentes, subiici huic excommunicationi, quia sub generali magistratuum nomine comprehenduntur.

Secundò, Principes non præbentes auxilium in clausura Monialium non affici excommunicatione. Tum quia Concilium non cogit Principes, sed illos hortatur ad præbendum auxilium; cogit verò magistratus, id est, eos, qui ab alio constituti sunt, ad iurisdictionem exercendam: nam qui proprio iure ius dicunt, & superiorem in temporalibus non agnoscunt, non vocantur magistratus, sed Reges, vel Principes. Ita Nauarrus, & Sanchez, quos retuli *puncto præcedenti, n. 2.*

5 Iudices Ecclesiastici gaudentes potestate sæculari ligantur excommunicatione non præbẽdo Episcopo auxiliũ circa clausuram.

5 Sed modò dubium est, vtrùm Ecclesiastici sæcularem iurisdictionem exercentes, vinculo excommunicationis innodentur, si ab Episcopo requisiti ad ferendam opem, eam ferre detrectent.

Respondeo innodari, quoties huiusmodi iurisdictionem exercent titulo sæcularis potestatis, vt si à Principe constituantur Præsides, vel Consiliarij alicuius magistratus, à quo ciuitas, vel prouincia gubernatur. Tunc enim veniunt nomine magistratus sæcularis; Concilium enim non respexit ad circumstantiam personæ præcisè, sed ad qualitatem muneris & officij, à quo magistratus nomen desumitur.

QVARTA PROPOSITIO.

6 Absolutio istius excõmunicationis non est Summo Pontifici reseruata.

6 ABsolutio istius excommunicationis Summo Pontifici reseruata non est, quia in Concilio nullum de hoc casu reseruationis verbum reperitur.

PVNCTVM VIII.

Ad quem pertineat facultatem exeundi monasterio Monialibus concedere.

VNICA PROPOSITIO.

1 Episcopus potest facultatem exeundi Monialibus sibi, vel Summo Pontifici subiectis concedere. Monialibus vero subditis religiosis concedunt superiores religiosi, & simul Episcopus.

1 AD Episcopum, vel ad eius Vicarium Generalem pertinet facultatem exeundi è monasterio cõcedere Monialibus in monasterus Episcopo, aut Sedi Apostolicæ subiectis; sic enim decernitur in Tridentino *sess. 25. cap. 5.* & in motu proprio Pij V. qui incipit, *Decori & honestati.* In monasteriis verò exemptis, quæ regularibus subduntur, facultas exeundi concedenda est à superiore Ordinis, vt à Generali, Prouinciali, vel ab alio Prælato immediato, iurisdictionem quasi Episcopalem habente, & præterea ab Episcopo, vel illius Vicario. Ratio est, quia in præcitato motu præscribitur, vt licentia à superioribus Ordinis, & ab Episcopo, seu loci Ordinario concedatur; etiamsi monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum iurisdictione exempta sint: hoc tamen intelligendum est, vbi prædictus Pij V. motus vsu receptus est; alicubi enim vsu receptus non est; consequenter in monasteriis exemptis non est necessaria in iis locis Episcopi licentia, sed sufficit facultas Generalis, aut Prouincialis, aut superioris loci monasterij, iurisdictionem quasi Episcopalem habentis. Ita sentire videtur Nauarrus *in comment. 4. de relig. nu. 60. vers. 3.* Sanchez *loc. cit. c. 15. n. 28.* Suar. *tom. 4. de relig. lib. 1. c. 9. n. 13.* Azor *1. par. lib. 13. c. 8. qu. 1.* & mordicus tuetur Miranda *de Monialibus q. 3. ar. 6. concl. 1.* Lamas *in methodo curationis in fine §. 5.* quidquid nõnulli alij in oppositũ sentiãt.

2 Abbatissæ nõ possunt facultatem exeundi concedere.

2 Non tamen sufficit licentia Abbatissæ ipsarum Monialium. Tum quia etiam ipsa clausuræ præcepto tenetur. Tum quia in motu Pij V. sermo est de superioribus Ordinum Monialis, ibi, *præter alios Ordinum superiores.* Ita Rodriquez *q. 46. art. 2.* Sanchez *loco cit. num. 28.*

3 Vicarius Episcopi potest facultatem exeundi concedere, quã potest Episcopus etiam in monasteriis Sedi Apostolicæ subditis.

3 Dixi in propositione, *vel ab eius Vicario Generali,* vt indicarem facultatem, quem è monasterio exeundi concedere potest Episcopus, posse etiam ab ipsius Vicario Generali concedi. Tum quia Vicarius eamdem cum Episcopo iurisdictionem exercet, & vterque vnũ, & idem tribunal constituit. Tum quia facultas, quæ Episcopo conceditur in Tridentino, censetur etiam concessa ipsius Vicario Generali, nisi Vicarius excipiatur, aut nisi res aliena sit à Vicario, vt colligitur ex Tridentino *sess. 24. cap. 6.* & probat Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 29. nu. 16. ad secundum,* cum Glossa, Felino, & aliis. Tum quia in præcitato Pij V. motu dicitur causam è monasterio exeundi approbandam esse ab Episcopo, seu alio loci Ordinario. Vicarius autem Generalis vocatur loci Ordinarius, vt pluribus ostendit Sanchez *de matrim. lib. 3. disput. 29. num. 3.* Iacobus Sbrotius *de Vicario Episcopi lib. 2. q. 55. num. 9.* vbi plures allegat Doctores; licèt sibi contrarius videatur *q. 201. num. 4.* Lamas *in methodo curationis in fine §. 5.* vbi hanc facultatem Vicario Generali tribuit, etiam in monasteriis Sedi Apostolicæ subiectis, licèt contrarium sustineat Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 30.* quia in monasteriis Sedi Apostolicæ subiectis conceditur facultas Episcopo tamquam delegato. Verùm quidquid sit de hac ratione, responderi potest Concilium dare facultatem Episcopo, tamquam Sedis Apostolicæ Delegato ad inducendam clausuram in monasteriis Sedi Apostolicæ subiectis. Dum verò præscribit, vt Moniales clausura exire nequeant, loquitur simpliciter de Episcopis: iurisdictio autem Episcoporum competit etiam Vicario Generali, nisi excipiatur, seu nisi res aliena sit ab eius Officio. Idem dic de Capitulo Sede vacante, seu potiùs de Vicario Generali Capituli Sede vacante, & de aliis iurisdictionem Episcopalem in suo territorio habentibus, vt concedit idem Sanchez *loc. cit. num. 30.* Barbosa *3. part. allegat. 102. num. 28. ad finem,* & alij.

4 Licentia exeundi dari debet in scriptis, alioquin non tenet.

4 Sed modò dubium est, primò, vtrùm hæc licentia in scriptis dari debeat.

Respondeo affirmatiuè; quia sic præscribitur in motu Pij V. qui incipit, *Decori, & honestati,* ibi, *ex causa cognita, & expressè in scriptis approbata.* Ità Nauarr. *q. 3. art. 6. concl 2.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 9. num. 16.*

5 Monialis excusatur à peccato, & pœnis, si vrgente necessitate exeat; tenetur tamen, dum extra monasterium existit, causam sui egressus superiori significare.

5 Secundò dubium est, vtrùm licentia teneat, si solo verbo detur.

Respondeo hanc difficultatem soluendam esse infrà *punct. seq. §. 3.* vbi respondebo non teneri; quia scriptura in hoc casu videtur de forma: actus autem sine forma celebratus non subsistit.

6 Tertiò dubium est, vtrùm Monialis à peccato, & à censura excusetur, si à claustro vrgente necessitate exeat, non obtenta à legitimo superiore facultate.

Respondeo excusari, si necessitas vrgeat, & periculum sit in mora; ita vt superior ob distantiam consuli nequeat. Ratio est, quia hic casus per Epicheiam exceptus videtur, cùm necessitas lege careat, nec superior præsumatur velle Monialem in tali euentu ad clausuram obligare. Ita Sorbus *verb. clausura Monialium casu 1. vers. circa hunc casum,* Rodriquez *tom. 1. qu. 49. art. 2. ad finem,* Lamas *in append. §. 10.* Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 15. num. 62.* Zechius *de Republica titul. de regular. cap. 3. num. 15. vers. 9.* & alij communiter. Verum tamen est, prædictam Monialem, quæ vrgente necessitate exiit, non obtenta licentia, teneri post egressum admonere superiorem, si potest, quamdiu extra monasterium existit; quia cognitio causæ pertinet ad superiorem, & fieri potest, vt causa, quæ Moniali legitima videbatur, à superiore non approbetur, & consequenter Monialis ad clausuram statim redire cogatur.

Dixi, *quamdiu extra monasterium existit;* quia si Monialis, cessante causa egressus, ad monasteriũ rediit, non tenetur ex vi clausuræ præcisè suum egressum superiori significare; quia ipsius facultate, & approbatione non amplius indiget: ita Zechius, & Sanchez *locis cit.*

6 Materiæ paruitas excusat, vbi nõ est perfecta clausuræ violatio, secus si adsit perfecta transgressionis causa, etiãsi Monialis vno pede distet à ianua clausuræ. Idem valet in ingredientibus clausura Monialium.

7 Quartò dubium est, vtrum Monialis excusari possit à peccato, & à censuris ratione paruitatis materiæ, vt si vno tantùm pede sine licentia exeat.

Respondeo excusari posse, vbi perfecta transgressionis ratio non est: paruitas enim materiæ à mortali excusare solet, vbi paruitas materiæ reperitur; consequenter etiam excusat à censuris, quæ grauem culpam supponunt. Hinc patet quid dicendum sit de Moniali, quæ sub ostio clausuræ existit vno pede extra ianuam extenso, altero intra ianuam retento: hæc enim à mortali excusatur ratione paruitatis materiæ; quia clausuram perfectè non violat. Idem dici posset de Moniali intra rotam existente, vt suprà innui. Secus dici debet de Moniali, quæ vtroque pede, & toto corpore egressa est; etiamsi ad vnum, vel duos tantùm palmos ianua egressa sit; hæc enim clausuram perfectè violauit; consequenter in casu initio dubij proposito excusari non potest; quia adest completa transgressionis ratio, vt bene Sanchez *lib. 6. cap. 16. num. 70.* contra Grassium, & Naldum *locis suprà citatis.* Vide supradicta *punct. 4. §. 4. num. 2.*

Hinc

Hinc patet quid dicendum sit de eo, qui monasterium Monialium ingreditur: eadem enim argumentandi ratione in vtroque casu vti possumus.

PVNCTVM IX.

Quibus ex causis facultas exeundi Monialibus concedi possit.

VNICA PROPOSITIO.

1 Vt Monialis licitè exeat, requiritur licentia cũ iusta causa.

1 VT Monialis è monasterio licitè egredi possit, requiritur facultas superioris cum iusta, & graui causa. Ratio est, tum quia cùm Monialibus clausura strictissimè indicatur, par est, vt facultas egrediendi non nisi grauissima de causa à legitimo superiore approbanda concedatur. Tum quia sic colligitur ex *cap. periculoso, de statu regul. in 6.* ex Trident. *sess. 25. cap. 5.* & ex constitutionibus Pij V. & Gregorij XIII. suprà citatis.

2 Tres sunt causæ iustæ exeundi, incendiũ, infirmitas lepræ, & Epidemiæ.

2 Quæres primò, quænam censeatur iusta, & sufficiens causa concedendi facultatem egrediendi è monasterio.

Respondeo, iure antiquo *in cap. periculoso, citato*, iustam, & sufficientem causam censeri infirmitatem, ob quam Monialis nequeat cum aliis absque graui periculo, vel scandalo commorari. In Tridentino verò *loc. cit.* quænam sit iusta causa non determinatur, sed iudicio Episcopi definienda relinquitur. In motu autem Pij V. qui incipit, *Decori, & honestati*, tres tantummodo causæ concedendi prædictam facultatem exprimuntur. Prima est, magnum incendium, quæ causa *in cap. periculoso*, expressa non erat. Secunda est infirmitas lepræ. Tertia est, infirmitas Epidemiæ. Nomine autem Epidemiæ intelligitur morbus contagiosus, qui alios inficere solet, vt est pestis, morbus gallicus, morbus D. Lazari, ignis S. Antonij, & similes. Vt autem istæ causæ ad excusandum iustæ censeantur, opus est, vt Monialibus in monasterio existentibus alia ratione consuli nequeat, quàm exeundo. Quamobrem si Moniales curari possint in monasterio, absque aliarum infectione, aut si incendium in monasterio grassetur, & Moniales ad aliam monasterij partem absque vitæ periculo se recipere, & incendium euadere valeant, non possunt è monasterio exire, quia cessat iusta exeundi causa.

3 Abbatissa non potest exire, vt visitet monasterium, cæmentarios, vel sua monasteria.

3 Ex dictis colligitur primò, Abbatissam non posse è monasterio exire, vt visitet ædificium Ecclesiæ, num sibi placeat, vel vt cæmentariis significet, qua forma construendum sit. Ita Sanchez *nu. 51.* contra quemdam Doctorem, cuius nomen reticet. Ratio est, quia hic nulla subest ex tribus prædictis causa. Addo Abbatissam non posse exire causa inuisendi monasteria sibi subiecta. Tum quia hoc munus pertinet ad Prælatos; tum quia in motu Pij V. qui incipit, *Decori*, Abbatissis, & Prioribus conceditur solùm facultas exeundi in casibus, in quibus hęc facultas aliis Monialibus concedi potest, & hic casus expressè prohibetur, ibi, *seu aliorum monasteriorum etiam eis subiectorum.*

4 Monialis non potest exire, vt curam nepotum gerat.

4 Secundò, Monialem non posse egredi, vt curam nepotum suorum gerat, etiamsi nepotes omnibus aliis propinquis destituti sint, vt patet, tum ex proximè allata ratione: tum ex Illustrissimorum Cardinalium declaratione apud Marzillam *sess. 25. cap. 5.* An autem exire possit ad succurrendum extremæ patris, aut matris necessitati, cui aliter succurrere nequeat, quàm exeundo, patet ex dictis in simili *de legibus.*

5 Nec ad visitandos parentes infirmos.

5 Tertiò, Monialem egredi non posse ad parentes, consanguineos, aut alios infirmitatis causa, aut alio prætextu visitandos, vt patet tum ex allata ratione: tum ex præcitato Pij V. motu, vbi hoc expressè cauetur, ibi, *vt domorum, parentum, aliorumq; consanguineorum visitandorum.*

6 Facultas exeundi cõcedi potest Monialibus in casibus cõsimilibus, aut vrgentibus.

6 Sed modò dubium est, vtrùm Moniali concedi possit facultas exeundi non solùm ob tres allatas causas, verùm etiam ob alias.

Respondeo ob alias similes, vel vrgentiores concedi posse. Ratio est, tum quia sic vsu receptum est in nonnullis casibus, quos infrà referam. Tum quia licèt clausuræ relaxatio odiosa videatur, vtpotè contra regularem obseruantiam, & spiritualem Monialium salutem, nihilominus in casibus præcitatis, & in consimilibus, in quibus de communi aliorum bono agitur, relaxatio clausuræ non aduersatur regulari obseruantiæ, & spirituali Monialium saluti, cùm huiusmodi relaxatio in commune bonum dirigatur. Tum quia licèt dictio taxatiua *nisi*, quæ in præcitato Pij V. motu habetur, extensionem ad alios casus admittere non soleat; nihilominus id fallit, dum aliter vsu receptum est, vel dum aliter ex rationabili superioris voluntate colligitur, dum eadem, vel vrgentior ratio militat; iuxta Euerardum *loco à natura dictionum taxatiuarum n. 4.* Gomez *1. var. cap. 11. n. 12.* & alios apud Sanchez *loc. cit. nu. 37.* Tum quia in aliis dispositionibus locus est Epicheię, præsertim in re, quæ ad commune bonum dirigitur; ergo eidem locus esse videtur in casibus nostris consimilibus, vel vrgentioribus; alioquin si Monialis iniquè inuaderetur ad necem, quam aliàs euadere non posset, nisi exeundo, licitè non posset exire, quod non videtur admittendum, cùm magnum ius vitæ seruandæ contra iniquam aliorum inuasionem à natura tributum sit. Ita Nauarrus, Azor. & alij, quos retuli *in tractatu de legibus disp. 1. qu. 1. pun. 3. nu. 19.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 9. nu. 3. & seqq.* Sorbus *loco suprà citato*, Lamas *§. 10. in methodo curationis*, Sanchez *loco cit.* Rodriquez *tom. 1. q. 49. artic. 5.* & plures alios refert Barbosa *de officio, & potestate Episcopi. 3. par. alleg. 102. num. 16.* contra Zerolam *in praxi Episcop. 1. par. ver. Moniales, quæsito 16. dub. 2. & 2. part. verb. Moniales ad finem*, Gutierez *quæst. Canonic. cap. 14.* Mirandam *de Monialibus q. 3. artic. 4. concl. 1.* Riccium *in praxi decis. 545.* & alios apud Barbosam *loco cit. num. 15.*

7 Monialis potest monasterio exire, dum bellum geritur contra infideles, periculumque immineat.

7 Hinc sequitur primò, Moniales posse tempore belli è monasterio exire, seque in locum tutum recipere, dum bellum contra hæreticos, aut infideles geritur, periculumque est, vt nisi Moniales monasterio egrediantur, graui damno afficiantur: hic enim agitur de communi Monialium bono, & hic casus similis est præcedentibus. Ita Azor. *part. 1. lib. 13. cap. 8. quæst. 1. vers. 3. quæres*, Nauarrus *in comment. de regular. num. 48.* Sanchez *loco cit. nu. 44.* Barbosa *de officio, & potest. Episcopi 3. part. allegat. 102. num. 20.* & alij contra Zerolam *verb. Moniales ad 16. quæsitum, dub. 2.* Iumq; graue impendet ab infidelibus.

8 Secundò, Moniales iustam egrediendi causam habere, dum totus ipsarum Conuentus in alium locum de consensu Episcopi transfertur, vt dum Conuentus, qui extra oppidum existit, expositus est malorum hominum prædę, & aliis facinoribus: tunc enim intra vrbem, vel intra oppidum frequens reduci potest, si Episcopus, aliique superiores ita expedire iudicauerint, vt clarè decernitur in Tridentino *sess. 25. cap. 5. ad finem.* Idemque docet Rodriquez *tom. 1. q. 49. art. 5. vers. 4. infertur*, Sorbus *verbo clausura casu 6.* Sanchez *loco cit. nu. 53.* Miranda *de Monialibus quæst. 3. art. 2. vers. 6. casus*, Barbosa *num. 27.* 8 Monialis potest exire, dum totus conuẽtus in aliũ locũ transfertur.

9 Tertiò Abbatissam, vel Prioris sam, quæ propter feudum tenetur præstare iuramentum fidelitatis alicui domino sæculari, si illud per procuratorem præstare nequit, posse cum honesta societate exire, modò statim, præstito iuramento, reuertatur. Ratio est, tum quia in hoc casu de communi Monialium bono agitur, cum fieri possit, vt iuramento non præstito feudum cum notabili totius monasterij damno amittant. Tum quia hoc expressè conceditur à Bonifacio VIII. *in cap. periculoso. §. verùm de statu regular. in 6.* neque hoc alicubi reuocatum esse reperitur, modò iuramentum præstandum sit domino sæculari, vt in præcitato cap. dicitur. 9 Abbatissa potest exire ad præstandũ iuramentũ fidelitatis sæculari domino feudi. Imo si ei cõstet licentiam à superiore iniustè denegari, adhuc exire potest, secus si dubitet.

Ex quo fit, vt superior in tali euentu licentiam exeundi concedere teneatur: quòd si hanc licentiam Abbatissæ iniustè deneget, poterit nihilominus Abbatissa vti priuilegio sibi in præcitato cap. concesso, modò sciat licentiam iniustè sibi denegari: nam si tantummodo dubitet an sibi iustè, vel iniustè denegetur, acquiescere debet iudicio superioris, nam in facto superioris non præsumitur delictum, vt aliàs probaui. Idemque in terminis sustinent Syluester *verbo, religio 7. quæsito 16. dicto 2.* & Sanchez *loco citato, num. 51.*

10 Quartò, Monialem licitè posse de licentia superioris exire ad reformandum, vel fundandum aliquod eiusdem Ordinis monasterium; hic enim casus similis est præcedentibus, & ad commune bonum pertinet. Ita Doctores proximè citandi. 10 Monialis exire potest ad reformandũ monasteriũ eiusdem Ordinis, vel vt ibi fit Abbatissa, vel ianuæ præfecta, vel magistra nouitiarũ, & finito ministerio potest reuerti si velit, etiamsi socia redire nolit.

Idem dic si Monialis ad aliud eiusdem Ordinis, & habitus monasterium, in quo nulla Monialis ad Abbatissæ munus habilis reperitur, transferatur, vt sit Abbatissa, vel vt ianuæ, aut rotæ præficiatur, vel vt nouitiarum curam habeat: hæc enim munera publicam monasterij vtilitatem respiciunt; consequenter hic casus similis videtur præcedentibus. Ita Rodriquez *tomo 1. quæst. 49. art. 5. vers. ex quo infero.* Sorbus *loco citato*, Miranda *in tract. de Monia. quæst. 3. art. 2. vers. 3. casus*, Sanchez *loco citato, num. 45. & sequentibus*, Nauarrus *comment. 4. de regular. notab. 4. num. 48.* & alij contra Zerolam *verbo Moniales parte 2. dubio 8.* Barbosam *loco citato num. 20.* licèt contrarium sentiat *num. 25.* & alios. Tutius tamen est in his Sedem Apostolicam consulere, vt sacra Cardinalium Congregatio declarauit, teste Suarez *loco citato num. 6.*

11 Monialis potest ad perfectiorẽ religionem transire.

Addo Monialem, quæ ad aliud monasterium eiusdem Ordinis, & habitus in vtilitatem publicam translata fuit, posse peracto Officio, ob quod translata fuit, redire ad prius monasterium de consensu vtriusque monasterij; etiamsi socia, cum qua translata fuerat, regredi nolit. Ita Sorbus, Sanchez, & Rodriquez *locis citatis.*

11 Quintò, Moniales posse ad aliam religionem perfectiorem transire. Ratio est, tum quia communi Monialium bono conducit posse perfectiorem religionem capessere, nec præsumendum est Summum Pontificem velle Spiritui sancto ad perfectiorem statum excitanti resistere, & aditum perfectioni occludere. Tum quia *in cap. licet, de regular.* viris religiosis conceditur transitus ad arctiorem religionem; ergo idem etiam concessus censetur Monialibus, cùm eadem in vtrisque ratio militet, & ob id clausura detrimentum non patiatur.

Neque obstat *cap. vnicum. §. confirmatos, in fine. de religiosis domibus in 6.* vbi decernitur, vt nullus Ordo ad alium, vel conuentus ad conuentum se, ac loca sua totaliter transferat absque licentia Sedis Apostolicæ.

Respondeo enim nos loqui de personarum translatione, non de locali: in præcitato autem textu sermo est de translatione, quæ cum loco, seu applicatione bonorum facienda est. Ita Rodriquez *tom. 3. q. 52. art. 6. lib. 6. cap. 7. nu. 6.* Zerola *in praxi Episcop. 1. parte verbo Moniales ad finem*, & alij apud præcitatos DD. cõtra Azoriũ *1. par. lib. 13. q. 1.*

12 Monialis potest ad aliud monasterium transferri causa punitionis in casibus, in quibus ita iura decernunt.

12 Sextò Monialem posse ad aliud monasterium transferri causa punitionis, quoties ius ita decernit, vt *in cap. quoniam, de Simonia*, vbi decernitur, vt recipiens aliquem in monasterium pretio sit simoniacus, & tam receptus, quàm recipiens eiiciantur è monasterio; vt in arctiori perpetuam pœnitentiam agant. Et ratio est, tum quia expedit communi bono, vt huiusmodi delicta hoc pacto puniantur. Tum quia præfatus textus nullibi reuocatus reperitur.

13 Monialis ad aliud monasteriũ transferri potest causa correctionis.

13 Septimò, licitum esse Moniali exitum, quæ dum in proprio monasterio aliqua de causa commodè corrigi non potest, ad aliud monasterium correctionis gratia transfertur; communi enim religionis bono conducit Monialem sine strepitu corrigi. Ita Sorbus *loco citato*, Sanchez *num. 47.* Miranda *de Monialibus quæst. 3. art. 2. vers. 4. casus, & art. 3.* Rodriquez *tom. 1. quæst. 49. art. 5. vers. 2. infertur*, & alij contra Zerolam *loco suprà citato.*

14 Monialis eiici potest in sententia nonnullorum, etiãsi emẽdatio non speretur.

14 Maior difficultas est vtrùm Monialis, quæ adeò incorrigibilis est, vt ipsius emendatio, & correctio in nullo monasterio speretur, eiici possit.

Respondet Sanchez *lib. 6. cap. 9. num. 6.* in rigore eiici posse. Sicut enim religiosi viri incorrigibiles eiici possunt, *cap. cùm ad monasterium, & cap. fin. de stat. Monachorum*, ne ouis morbida sanas inficiat, ita etiam Monialis incorrigibilis, in rigore loquendo, eiici posse videtur.

Sed ego censeo Monialem ob incorrigibilitatem eiici non posse.

Ego verò arbitror nullam Monialem propter incorrigibilitatem eiici posse. Ratio est, tum quia id vsu numquam receptum est. Tum quia magnum clausuræ detrimentum inde sequeretur; quamplures enim spe euadendi incorrigibiles efficerentur. Tum quia par non est, vt quis ex suo delicto commodum, & immunitatem recipiat. Ideò

Ideò non solùm non est eiicienda, sed potiùs punienda, & in monasterij carcere detinenda, ne aliis ruinæ ansam præbeat. Ita Augustinus Barbosa *in collect. Doctorum in cap. ne religiosi, de regular.* & Reuerendissimus Dominus meus Cocinus Rotæ Romanæ Decanus optimè meritus *in vna Vlissonen. Monasterij, 19. Nouembris 1625.*

Ad rationes Sanchez respondeo, in præcitatis textibus sermonem esse de vitis, non autem de Monialibus, ad quas non est facienda extensio, saltem dum eadem ratio non militat, & dum aliter Monialibus incorrigibilibus per detentionem in carcere occurri potest, ne grauiora in monasterio incommoda sequantur.

15 Moniales conuersæ ob necessitatem petendæ eleemosynæ exire possunt seruatis cõstitutionibus Pij V.

15 Octauò, licitum esse Monialibus conuersis è monasterio exire ad petendas eleemosynas conuentui necessarias, dum eas per alios commodè petere non possunt, seruatis tamen conditionibus præscripris in motu Pij V. qui incipit, *Circa pastoralis*, & in alio motu Gregorij XIII. qui incipit, *Sacris virginibus*, ac denique in quadam Sacræ Congregationis declaratione apud Zechium *cap. 3. num. 15. vers. 9. tit. de regul.* edita anno M D L XXIII. vbi decernitur, & declaratur, ad colligendas eleemosynas non plures conuersas mittendas esse, quàm octo, quæ binæ incedant, nec disiungantur, & sint probatæ vitæ, excedentesque annos triginta nouem, nec pernoctent extra oppida, vbi habent monasteria, nisi de Episcopi licentia, & tunc simul dormiant.

Obiicies, in præcitatis constitutionibus Pij V. ibi, *de cetero nulla*, & Gregorij XIII. ibi, *conuersas*, &c. decernitur, vt nullæ conuersæ recipiantur, etiamsi profiteri, & intra clausuram manere velint; ergo frustrà in præcitato casu excusamus Moniales conuersas à violatione clausuræ, dum exeunt ad colligendas necessarias eleemosynas.

16 Conuersæ recipi, & admitti possunt ad professionẽ in monasteriis Monialium.

16 Respondeo Moniales conuersas posse adhuc ob receptam consuetudinem recipi, & ad professionem admitti. Ratio est, tum quia in præcitatis iuribus non interdicitur simpliciter conuersarum receptio, sed illarum, quæ fieri nolunt veræ religiosæ, seu quæ eleemosynis colligendis deputatæ sunt. Tum quia in oppositum extat consuetudo, quæ tutò seruari potest. Tum quia multæ feminæ, quæ Choro aptæ non sunt, vel quæ sufficientem dotem non habent, à statu religioso excluderentur, quod non videtur benignæ Summi Pontificis intentioni conforme. Tum quia sicut viri conuersi in religione virorum admittuntur, vt rerum temporalium curam gerant: ita æquitati consentaneum est, vt conuersæ, quæ in ministeria inferiora incumbunt, in monasteria Monialium admittantur. Ita Sanchez *loco citato, num. 59.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 8. num. 19.* Rodriquez *tom. 1. quæst. 44. art. 4. colum. 3. ver. 2. assertio.* & alij contra Nauarrum *comment. 4. de regul. num. 56. vers. ex quibus.* Miranda *in tract. de Monialibus quæst. 1. art. 6.* vbi hanc quæstionem fusè prosequitur.

17 Dimidia pars eleemosynarũ Monialibus pauperibus distribuenda est.

17 Verum tamen est, hoc tempore rarò fieri posse, vt Moniales conuersæ iustam habeant causam exeundi ad colligendas eleemosynas, quia Gregorius XIII. in præcitato motu proprio, ne Moniales conuersæ è monasteriis exeant, decreuit vt dimidia pars omnium eleemosynarum in quacumque mundi parte, quacumque lege, dispositione, vel obligatione pauperibus erogandarum, conferatur monasteriis Monialium in necessitate constitutis, & in eo loco existentibus, in quo prædictæ eleemosynæ distribuendæ sunt; modò tamen prædictæ eleemosynæ certis pauperibus non debeantur, aut non sint ad alios vsus, quàm ad alendos pauperes destinatæ: nam si certis pauperibus debeantur, aut ad alios certos vsus distinctos ab alimentis destinatæ sint, non possunt Monialibus tradi, vt constat ex præcitato motu. Idemque obseruat Nauarr. *consil. 8. num. 2. de statu monach. & alibi.* Sanchez *loco citato, num. 56.*

13 Monialis non potest exire monasterio ob infirmitatem non contagiosam, etiãsi alioquin mortalis sit.

18 Nonò, infirmitatem non contagiosam, qua Monialis ita detinetur, vt ab ea curari nequeat, dum in monasterio existit, non esse iustam, & sufficientem è monasterio exeundi causam, etiamsi huiusmodi infirmitas vitæ periculum ipsi Moniali afferat. Ratio est, tum quia hic casus non excipitur in præcitatis decretis, nec est similis præcedentibus, in quibus ob communem Monialium vtilitatem facultas exeundi conceditur. Tum quia magnum hinc damnum clausuræ sequeretur. Cùm enim morbi periculosi frequenter contingant, & ardens sit Monialium è claustro exeundi desiderium, sæpiùs confingerentur causæ egrediendi, sæpiusque exeundi facultas cum magno clausuræ detrimento, & spirituali ipsarum Monialium periculo concederetur: præsertim cùm Medici faciles sint ad iudicium, & attestationem de grauitate morbi faciendam. Tum quia sicut probabile est Carthusianos ob commune religionis bonum, in abstinentia à carnibus consistens, obligari posse ad abstinentiam à carnibus, etiamsi Medici illarum esum ad salutem corporis necessarium esse duxerint; ita etiam Moniales ob commune ipsarum bonum, in clausura consistens, ad clausuram obligantur tempore infirmitatis non contagiosæ, etiamsi exitus è monasterio alioquin necessarius ad salutem corporis censeatur. Ita Zerola *in praxi Episcop parte 2. verbo Moniales, ad finẽ*, Rodriquez *tom. 1. quæst. 49. art. 3. vers. circa quam extrauagãtem.* Sorbus *verbo clausura casu 5. ad finem*, Gutierez *quæst. canonic. cap. 14.* Miranda *de Monialibus quæst. 4. art. 4.* Corduba *in additionibus ad compendium sub finem vers. notandum*, Barbosa *loco citat. num. 20.* Cenedo *collect. 31. ad 6. Decret. num. 2.* & alij quamplures Salmanticæ Doctores, teste Rodriquez, Sorbo, & Sanchez *locis cit.* contra Nauarrum *comment. 4. num. 49. & seq. de regular.* Graffium *1. part. lib. 4. cap. 23. nu.* 17. Azorium *1. part. lib. 13. cap. 8. quæsito 1.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 9. num. 9.* & alios.

19 Nõ sunt puniendi superiores, qui licentiã exeundi concesserunt Moniali graui infirmitate, sed non contagiosa laboranti.

19 Addunt tamen Rodriquez *loco citato, vers. sed aduertendum*, & Sanchez *loco citato, num. 42.* Generales, & eorum Visitatores optimo iure posse eos non punire, qui facultatem egrediendi concesserunt tempore infirmitatis periculosæ. Cùm enim Classici Doctores oppositam sententiam teneant, non videntur pœna digni, qui eam sententiam sectantur: pœna enim supponit culpam; culpam autem non committit qui classici Doctoris opinionem non erroneam, nec reprobatam sequitur.

20 Obiicies primò, lex humana non obligat cum vitæ periculo. Ergo Moniales non tenentur ad clausuram tempore infirmitatis, cui occurrere nequeunt, nisi se ad alium locum transferant.

20 Proponuntur, & dissoluũtur rationes eorum, qui asserunt licitum esse Moniali egredi tẽpore infirmitatis periculosæ.

Respondeo legem humanam non obligare cum vitæ periculo, quoties illius obseruantia necessaria non est ad commune bonum, vt patet ex dictis de legibus, & de censuris: clausura autem Monialium in tali euentu necessaria est ad commune bonum ipsarum.

Obiicies secundò, Gregorius XIII. teste Nauarro *loco citato*, priuilegium quibusdam Monialibus exundi concessit, quoties exitus ad illarum salutem iudicio Medici necessarius esset. Ergo signum est, licitum esse Monialibus egressum ad tuendam vitam.

Respondeo, negando consequentiam, nam ex antecedente potius inferri debet non licere Monialibus, tempore infirmitatis non contagiosæ è clausiro exire absque Summi Pontificis licentia, & priuilegio. Sicut enim illis Monialibus non licuit sine priuilegio Gregorij XIII. exire, ita neque aliis sine Summi Pontificis facultate licebit.

Obiicies tertiò, si Monialis ab aliquo inuadatur, & vitæ periculum alia ratione euadere nequeat, quam exeundo, licitè è monasterio exire potest, vt communiter Doctores fatentur. Ergo etiam licitus est egressus tempore infirmitatis, in qua corporis salus desperatur, nisi Monialis exeat; par enim ratio videtur, & parum refert periculum vitæ ab extrinseco, vel ab intrinseco prouenire, cùm idem in vtroque casu tuendæ vitæ ius procedat, nec vlla lege propriæ vitæ tuendæ ius auferri queat. *l. vt vim. ff. de iust. & iur.*

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, tum quia periculum extrinsecum rarò contingere potest; consequenter concessa tunc temporis egrediendi facultate non aperitur via violationi clausuræ, quod non accidit in casu mortis naturalis, qui cùm frequentissimus sit, non censetur sufficiens egrediendi causa: alioquin via egrediendi nimium aperiretur. Tum quia dum mors ab extrinseco inferenda est, Monialis duplicem habet egrediendi causam. Prima est, vt euitet peccatum volentis sibi mortem inferre. Secunda vt vitam propriam tueatur; in infirmitate verò naturali secunda solum subest euadendi causa. Tum quia mors, quæ ab extrinseco, & violenter inferenda est, naturæ nimium exosa, & dura est; consequenter tunc temporis maius homini ius ad impediendum huiusmodi mortis genus inesse videtur.

21 Monialis, quæ iusta de causa egressa est, tenetur finita egressus causa redire quã primũ potest moraliter, non metaphysicè.

21 Quæres secundò, vtrum Monialis, quæ titulo morbi contagiosi, aut incendij, vel ruinæ totius monasterij, aut alia de causa egressa est, teneatur sub mortali, statim finita egressus causa, se ad monasterium recipere.

Respondeo teneri statim ac moraliter potest. Ratio est, tum quia sic decernitur *in cap. periculoso. §. verum. de statu regular. in 6. & in motu* Pij V. qui incipit, *Decori, & honestati*, ibi, *sed nec in prædictis casibus, extra illa monasteria, nisi ad necessarium tempus stare licet.* Tum quia cessante causa dispensationis, cessat dispensatio, vt docui *in tractatu de legibus.* Ita Rodriquez *quæst. 49. art. 9. initio*, Sanchez *nu. 60.* Miranda *de Monialibus quæst. 1. art. 5. sub finem*, Collector. priuileg. *verbo ingredi §. 34.* Augustinus Barbosa *de offic. & potest. Episcopi 3 parte allegat. 102. num. 58.*

Dixi, *statim ac moraliter potest*, vt ostenderem non teneri statim metaphysicè, sed moraliter, vt in simili docui *de obligatione ad restitutionem, in tract. de contract.* de Canonico absente *in tract. de Horis Canonicis*, & de beneficiario non residente *in tract. variarum tractationum*; præcepta enim Ecclesiæ non sunt metaphysicè, sed moraliter explicanda.

Ex quo sequitur primò Monialem, quæ adepta sanitate, seu cessante causa egressus, breui spatio ingressum in monasterium differt, peccati saltem mortalis ream non esse. Ita Sanchez *loco citato nu. 68.* vbi vnum, vel duos dies breue spatium putat.

Secundò Monialem, quæ ad claustrum reuertitur, vel ad monasterium, cuius reformationi præficienda est, pergit, non peccare mortaliter: si aliquantulum immoretur, aut à recto itinere aliquantulum deuiet, exempli gratia, viginti, aut vigintiquinque milliaribus, vt sacram imaginem inuisat, aut consanguineos visitet. Ratio est, quia hoc fieri non videtur in fraudem clausuræ, nec longum spatium censetur. Ita Sanchez *loco citato numer. 61.* Gutierez *lib. 1. canonic. quæst. cap. 14. ad finem.*

QVÆSTIO II.

De obligatione, qua religiosi viri claustro sine licentia exire vetantur.

IN hac quæstione explicandum nobis est, vtrùm religiosi viri ad clausuram obligentur, & quas censuras aliquibus in casibus exeundo incurrant.

PVNCTVM I.

Vtrùm religiosi viri ad clausuram teneantur.

DVo principaliter in hoc puncto explicabo.
Primò ad quam clausuram religiosi viri teneantur.
Secundò, quibus modis, & qua occasione clausuram violare consueuerint.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Religiosi viri non tenentur ad clausuram perpetuã.

1 REligiosi non tenentur ad clausuram perpetuam. Ratio est, quia hæc illis nullo iure indicta fuit. An autem clausura perpetua possit illis imponi, constat ex dictis *de legibus, disput. 1. quæst. 1. puncto 3. num. 19.* vbi docui eam non posse a propriis superioribus, sed à Summo Pontifice imponi iusta concurrente causa, licèt contrarium nonnulli Doctores sustineant. Vide Bannem *2. 2. q. 1. art. 10. dub. 6.* & Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 2. num. 21. & 42.*

Dixi,

Dixi, *non tenentur ad perpetuam clausuram*, vt indicarem ad aliquam clausuram temporalem teneri, quatenus scilicet religiosi subditi è claustro sine sui superioris licentia, expressa, vel tacita, præsumpta, vel interpretatiua, exire non possunt: sic enim colligitur, tum ex *cap. placuit* 16. *q.* 1. ibi, *sit claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus*, & *cap. iuxta cap. monachi.* 1. & 26. *quæst.* 1. Tum ex regulis omniũ religiosorum. Tum quia plures casus extãt, in quibus religiosi viri sub excõmunicatione exire prohibentur, quos casus in punctis proximè sequẽtibus enumerabo.

2 Clausuræ violatio respectu religiosorum virorũ non est peccaminosa mortaliter, per se loquendo.

2 Quæres primò, vtrùm violatio clausuræ in monachis, seu religiosis viris sit mortalis.

Respondeo, regulariter loquendo, esse tantummodo venialem, quia clausura inducitur, & continetur in regulis religiosorum; quæ autem in regulis religiosorum continentur, præter tria essentialia religionis vota, obligare non solent ad lethalem culpam, & religiosus vouet obseruantiam regulæ, quatenus in vsu est, & quatenus ipsa regula præscribit. Ita Nauarr. *in cap. statuimus, comment.* 4. *de regular. num.* 29. *& seq.* Miranda *in Manuali prælatorum* 1. *parte quæst.* 32. *artic.* 2. *concl.* 1. *&* 2. contra Suarez *tom.* 4. *de relig. lib.* 1. *capit.* 6. *num.* 5. *& seq.* asserentem hanc obligationem respectu religiosi ex suo genere mortalem esse.

Dixi, *regulariter loquendo* esse tantummodo venialem; quia per accidens, ratione alterius circumstantiæ, fieri potest mortalis, vt si quis claustro egrediatur, vt extra illud diu, & quasi stabili modo viuat contra Prælati obedietiam, aut si noctu furtiuè egrediatur; egressus enim nocturnus, & furtiuus, est casus reseruatus in decreto Clementis Octaui *de casibus reseruatis religiosorum, casu tertio*, ibi, *nocturna & furtiua à monasterio egressio, etiam, non animo apostatandi facta*; casus autem reseruatus arguit grauem obligationem, quæ tunc inducitur, vel inducta supponitur, vt benè in hac parte Suarez *loco citato num.* 7.

3 Religiosus vir quãdonam excusetur ab omni culpa exeundo à monasterio.

3 Quæres secundò, quid requiratur, vt religiosus, exeundo à monasterio, immunis sit ab omni culpa.

Respondeo, requiri licentiam superioris expressam, vel tacitam, vt suprà dictum est, iuxta præscriptum religionis: hanc tamen licentiam superior licitè non concedit, nisi aliquam illius concedendæ causam habeat, quam ipse iustam pro suo prudenti iudicio arbitrabitur, & fieri potest, vt quælibet leuis causa sufficiat; cum enim obligatio clausuræ leuis sit, leuis etiam causa sufficit ad dispensandum.

Ratio autem, cur aliqua causa requiratur, desumitur ex regulis generalibus à me traditis de dispensationibus; quia superior non potest in lege dispensare sine aliqua causa. Quamquam, qui è monasterio sine aliqua causa egreditur, superiore sibi facultatem faciente sine aliqua causa, non est reus pœnarum, quæ imponuntur exeuntibus sine licentia, quia exeundi licentiam obtinuit, licèt fortè tam superior peccauerit prædictam licentiam concedendo sine causa, quàm religiosus inferior inducendo superiorem ad prædictam licentiam sibi sine causa concedendam; cooperatur enim peccato superioris. Ita Nauarrus, & Miranda *locis citatis*, Suarez *tom.* 4. *de relig. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 11. *& seqq.* Idem constat ex dictis *de legibus disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 3.

Ex dictis colligitur, religiosum, qui iusta de causa extra monasterium degit de licentia sui Prælati, tutum esse in conscientia, vt si remaneat extra monasterium causa vrgentis necessitatis sui, vel suorum, aut in vtilitatem monasterij, aut alia de causa, iuxta prudentis superioris arbitrium; dum enim in iure non determinatur, quænam causa ad aliquid faciendum iusta censeatur, illius determinatio prudentis arbitrio relinquitur, *l.* 1. *ff. de iure deliberandi, & cap. de causis. de offic. deleg.*

4 Religiosus vir quãdo possit, vel teneatur monasterio egredi, vt parẽtibus subueniat.

4 Vtrùm verò possit quis ab ingressu religionis abstinere, aut possit, vel teneatur religione egredi ad subueniendum parentibus, aliisque consanguineis in necessitate constitutis, constat ex dictis *de legibus disput.* 6. *quæst. vnica, puncto* 4. *num.* 4. cum Sanchez, Reginaldo, Azorio, & aliis, quibus adde Mirandam *loco citato artic.* 7. vbi etiam *art.* 5. *&* 6. ostendit, vtrùm religiosus degere possit extra monasterium, vt alicui beneficio inseruiat.

5 Religiosus vir an possit de licentia sui superioris manere extra monasterium sine habitu.

5 Quæres tertiò, vtrùm religiosus possit de licentia sui Prælati extra monasterium manere absque habitu.

Respondeo, non posse habitum dimittere absque licentia Papæ; etiamsi habitum dimittere intendat, vt commodius parentum necessitati consulere valeat. Ratio est; quia nullus Papa inferior, potest, per se loquendo, in sacris canonibus, & in iure communi dispensare: iure autem communi sancitum est, vt religiosus habitum sui Ordinis non dimittat, *cap. vt periculosa, ne clerici, vel monachi lib.* 6. vbi religiosus absque licentia Summi Pontificis, quauis de causa dimittens habitum, & alium assumens, vt cum ipso incedat, subiicitur excommunicationi. Tum ex Tridentino *sess.* 25. *cap.* 19. *ad finem*, vbi interdicitur licentiam cuique regulari concedi occultè ferendi habitum suæ religionis; ergo multò minùs concedi potest facultas dimittendi habitum religionis. Tum quia monachus ad Episcopatum assumptus tenetur habitum suæ religionis gestare, vt probat Nauarr. *cap. nullum nu.* 48. Ioannes de Cruce *de statu religionis lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 4. Miranda *loco citato artic.* 8. & alij, quos referam *puncto sequenti.* Vbi etiam ostendam, an sit excommunicatus, vel apostata, si habitum dimittat. Tum quia Monialis professa tenetur semper suum habitum deferre, etiam in lecto, & in infirmitate. *cap. Sanctimonialis dist.* 23. *& cap. vidua* 20. *quæst.* 2. (quamquam prædicta iura non continent rigorosum præceptum; consequenter Monialis mortaliter non peccat exuendo habitum absque animo illum deferendi, nisi obstet regula obligans sub mortali, vel alia circumstantia.) Ergo etiam religiosus.

SECVNDA PROPOSITIO.

6 Quot modis contingat clausuram violare possunt religiosi. Primò dimittendo habitum. Secundò matrimonium contrahendo. Tertiò proficiscendo vltra mare sine debita superioris licentia. Quartò adeundo curias Principum inconsulto superiore. Quintò accedendo ad studia non obtenta à Prælato facultate. Sextò exeundo ad audiendas leges, vel physicam. Septimò illicitè transeundo ad aliam religionem. Octauò iniquè reclamando contra professionem, indeque occasionem exeundi arripiendo. Nonò dando voluntariè causam expulsioni. Decimò fugiendo, vel apostatando à religione. Cùm violatio clausuræ his omnibus modis singulari quadam ratione in iure prohibita sit, & religiosi clausuram hoc pacto violantes peculiares pœnas incurrant, de singulis gradatim, & singillatim differere statui.

6 Quot modis contingat clausuram violari.

PVNCTVM II.

De religiosis habitum suæ religionis dimittentibus.

1 Affertus textus, in quo extat prohibitio dimittendi habitum.

1 QVamuis religiosus egredi possit retento habitu, & excommunicationem non incurrat, vt probatum est puncto præcedenti, nihilominus habitu dimisso aliquando egreditur. Ideo explicandum hic est,

Primò vtrùm religiosus habitum dimittens excommunicationem incurrat.

Secundò, vtrùm quælibet dimissio habitus sufficiat ad incurrendam istam excommunicationem.

Tertiò, an omnes, & singuli religiosi hanc censuram incurrant habitum dimittendo.

Quartò, vtrùm ista excommunicatio reseruata sit.

PRIMA PROPOSITIO.

REligiosus professus habitum temerè dimittens excommunicationem incurrit, nam vt euagandi materia religiosis auferatur *in capite* 2. *vt periculosa, de religiosis domibus*, decernitur sub excommunicatione ipso facto incurrenda, ne religiosus, tacitè, vel expressè professus, temerè habitum dimittat in scholis, aut alibi, in textu enim dicitur, *districtiùs inhibemus ne de cetero aliquis, quamcumque religionem tacitè, vel expressè professus, in scholis, aut alibi temere habitum religionis suæ dimittat. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.*

2 Habitum suæ religionis quisnã dimittere dicatur.

2 Quæres primò, quisnam habitum in hac materia dimittere dicatur.

Respondeo eum dici, qui habitum deponit ad sic incedendum, vel ad se occultandum, ita vt eo deposito nequeat religiosus dignosci; cùm enim in hoc capite prohibita sit habitus dimissio, vt ansa vagandi religiosis subtrahatur, is dici debet habitum dimittere, qui ita illum deponit ad se occultandum, vel incedendum, vt agnosci nequeat, an sit religiosus; inde enim occasionem vagandi arripere potest, in cuius detestationem hic canon editus fuit; ita sentire videntur communiter Doctores.

Hinc sequitur primò, illum non affici excommunicatione huius capitis, qui se vestibus spoliat, vt dormiat, vt habitum purget, vel accommodet, vt melius studeat, vel quiescat, vt ludat, vt saltet, vt saxum deferat, vt liberiùs, & voluptuosiùs peccet, &c. hic enim non dicitur habitum dimittere ad se occultandum, vel incedendum, sed vestibus se spoliare, & hoc verum est etiamsi alium ad breue tempus assumat. Ita Suarez *de censuris disputat.* 23. *section* 4. *num.* 29. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 131. Rodriquez *quæstio. regul. quæstione* 76. *art.* 6. Azor. 1. *part. lib.* 12. *cap.* 13. *&* 17. Filliucius *tractat.* 14. *cap.* 8. *quæs.* 4. *num.* 133. Sanchez *in opere morali lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 55. Sairus *libro* 3. *cap.* 33. *nu.* 13. & alij, quos magno numero refert Sanctarellus *de Apostasia cap.* 1. *num.* 6. *&* 7.

Obiicies primò, dimittere habitum, iuxta propriam verbi significationem, significat deponere, relinquere, exuere, qui autem habitu se spoliat, dicitur eum dimittere, etiamsi id faciat causa dormiendi, vel ob alium finem.

Respondeo propriam verbi significationem aliquando colligi ex fine legis, & ex materia, de qua agitur; cùm autem in hoc capite agatur de vitanda vagandi occasione, verbum, *dimittere*, accipiendum est in ea significatione, ex qua vagandi occasio arripi potest; ex depositione autem vestium ad dormiendum, ad ludendum, ad saxum deferendum, & similia, non sequitur occasio vagandi, cùm præfatas actiones liberè facere possit religiosus, etiamsi habitum non dimittat, nisi regula religiosorum hoc vetet, vt bene obseruat Suarez *tom.* 4. *de relig. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 18.

3 Religiosus in omni loco, & tempore habitum suæ religionis deferre debet, saltem ex honestatis debito.

3 Obiicies secundò, religiosus in omni loco, ac tempore habitum suum deferre debet, *cap. vidua* 20. *quæst.* 1. *& cap. sanctimoniales dist.* 23. Ergo signum est religiosum teneri quolibet loco, & tempore habitum deferre; consequenter si spoliet se vestibus religiosis, vt ludat, dormiat, vel quid aliud inutile agat, dicitur habitum dimittere; consequenter excommunicationem illius capitis incurrit, præsertim cum ex vno textu desumi possit alterius cognitio & intelligentia.

Respondeo religiosum teneri ex honestatis debito, non autem ex præcepto, quouis loco, & tempore habitum deferre; non tamen hinc sequitur spoliantem se vestibus affici hac excommunicatione, quia textus non loquitur de spoliante, sed de dimittente, vt bene obseruat Nauarr. *in Manuali cap.* 27. *num.* 131. Syluester *verbo excommunicatio* 9. *casu* 24. *num.* 52. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *in opere morali lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 49. & Sanctarell. *in tract. de Apostasia, cap.* 1. *num.* 5. Suarez *tom.* 4. *de relig. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 18. Neque obstant prædicta iura, quia non continent rigorosum præceptum, vt innui puncto præcedenti ad finem.

4 Religiosus à monasterio fugiens indutus suis vestibus nõ afficitur excommunicatione, quamuis fugiat absque superioris licentia.

4 Secundò sequitur, religiosum, qui suis vestibus indutus à monasterio absque superioris licentia fugit, non affici excommunicatione huius capitis. Ratio est, quia ista excommunicatio non est lata in fugitiuos, & apostatas, sed in eos, qui habitum dimittunt: potest autem quis esse apostata, etiamsi habitum non dimittat, & potest quis habitum dimittere, etiamsi apostata non sit; & quamuis sponte dimittens habi-

habitum, non admittatur ad allegandam quamcumque causam, sed ad monasterium redire cogatur, & tamquam apostata puniatur, vt decernitur in Concilio Tridentino *sess.25. cap.19.* non tamen hinc sequitur ipsum in foro conscientiæ apostatam esse. Ita Nauarr. *loco cit. num.133.* Bannes 2.2. *q.12. art.1. dub.1. concluſ.6. de apoſtaſia à fide*, Lessius *lib.2. de iust. cap.41. dub.15. num.109.* Sanchez *lib.6. cap.8. num.46.* Sanctarell. *num.19.*

Imò Lessius *loco cit.* Sanchez *num.20.* Bannes *dub.2.* Suarez *de censuris disput.31. sect.6. num.1. & tom.4. de relig. lib.3. cap.1. num.27.* & alij quamplures apud Sanchez *num.20.* & apud Sanctarellum *de apostasia cap.3. dub.2. num.19.* contra Henriquez *in sum. lib.13. cap.40. num.1.* Azorium 1. *part. lib.12. cap.17. quæs.6.* Armillam *verbo Apostasia* 12. Tabienam *verb. excommunic.5. casu* 23. *quæs.1.* Alterium *tom.2. disput.17. cap.2. col.8.* & alios, existimant,

5 Apostata fugiens cũ habitu suæ religionis, iure communi non afficitur excommunicatione.

5 Apostatam fugientem cum habitu iure communi non affici excommunicatione, quia hæc nullibi expressa reperitur: quamquam ex iure particulari, seu ex priuilegio nonnullarum religionum apostatæ censuram excommunicationis incurrunt, in qua re singuli religiosi sua priuilegia consulere debent; quilibet enim religiosus nosse debet suas constitutiones, & præcepta. Vide infrà dicenda *puncto 8. num.2. & seq.*

6 Religiosus qui per sententiam perpetuo carceri dãnatus est, non ligatur excommunicatione fugiendo sine vestibus.

6 Tertiò sequitur religiosum, qui per sententiam perpetuò carceri damnatus, [& adiudicatus fuit,] non affici hac censura, fugiendo sine vestibus religiosis. Ratio est, quia hic non dicitur habitum dimittere, cùm eo iustè priuatus fuerit, sed habitus priuationem patitur, quem ipse licitè nequit assumere. Ita Rodriquez *quæst. regul. tom.2. quæst.22. artic.6.* Nauarr. *in comment. de regul. num.64. illat.5.* quos sequitur Sanchez *loco cit. num.47.*

7 Religiosus qui nudus fugit, aut cum solis femoralibus, in excommunicationẽ incidit.

7 Quartò religiosum, qui nudus fugit, aut cum solis femoralibus, in excommunicationem istius capitis incurrere.

Ratio est, quia hic dicitur habitum suæ religionis deponere ad se occultandum, vel ita incedendum; cùm hoc pacto nequeat dignosci, & à fuga, seu vagandi occasione retrahi, & retardari. Ita sentire videtur Suarez & Filliucius *locis citatis*, contra Sanchez *loc. citat. num.51.* Eman. Sà *ver. excommunicatio in tit. de excommun. nulli ref. num.9. ver. Religiosi*, Valentia 2.2. *disp.1. quæst.12. punct.1. ad finem*, Nauar. *loc. cit. num.131.* & alios apud Sanchez *loc. cit.* asserentes religiosum, qui habitum dimittit, & alium non assumit, non affici excommunicatione, quia nudi, aut indecenter vestiti communiter vagari non solent, & ad ea, quæ rarò contingunt, legis dispositio extendi non consueuit. *l. nam ad ea, ff. de legibus.* Verùm hæc ratio non obstat, quia ex propria huius verbi, *dimittere*, significatione satis constat ipsam huic casui accommodari.

8 Religiosus excommunicationem incurrit non solum dum totum suæ religionis habitum dimittit, verum etiã dum partẽ detinet alia dimissa, sed ex parte retenta nequit religiosus dignosci.

8 Quintò non solùm eum affici excommunicatione, qui totum habitum suæ religionis dimittit, verùm etiam illum, qui partem vestium dimittit, & aliam retinet, sed ex parte retenta cognosci nequit tamquam religiosus. Hic enim perinde se habet, ac si totum habitum dimisisset; cùm non appareat habitum religiosum deferre, vt vagandi occasionem assumere possit. Idem dic si partem sui habitus dimittat, & partem habitus alterius religionis assumat, quo assumpto cognosci nequeat tamquam religiosus, militat enim eadem ratio. Secus si assumpta parte alterius habitus, & parte sui retenta, adhuc cognosci possit religiosus sui Ordinis ob partem habitus retẽtam; hæc enim non videtur dimissio simpliciter, sed secundùm quid, nec inde liberè vagandi occasio sumi potest. Ita Suarez *de censuris disput. 23. sect. 4. numero 28. vers. ex his*, Filliucius *tractatu 14. capite 6. quæs. 4. num. 134.* Sanchez *loco citato, num.52.* & rursus Suarez *tom. 4. de relig. lib.1. cap.5. num.11.*

9 Religiosus professus excommunicationem incurrit induendo habitũ nouitiorũ, quoties nouitij diuerso habitus genere vtuntur.

9 Sextò professum induentem habitum nouitiorum affici excommunicatione, quoties nouitij non eodem vestium genere vtuntur, quo professi; quod vt melius intelligatur, obserua nouitios alicubi à professis distingui posse, aut quia diuerso habitu vtuntur, aut quia eodem vtuntur, superaddito solùm aliquo signo distinctiuo, in habitu ipsorum nouitiorum, vel in habitu professorum; quando nouitij non adhibent idem vestium genus, religiosus induens vestes nouitiorum incurrit excommunicationem. Tum quia dicitur habitum dimittere suæ religionis; habitus enim nouitiorum non est habitus suæ religionis, sed tyronum experientium, vtrùm sibi religio placeat, vt in eam recipiantur. Tum quia datur sufficiens vagandi occasio, in cuius detestationem hæc constitutio edita fuit. Cùm enim nouitius liberè possit à monasterio exire, & ad sæcularem statum redire, induens nouitiorum habitum liberè vagari poterit, vel ad summum cogi, vt illum habitum exuat, vt bene in hac parte Sanchez *num.53.* & Sanctarellus *in tractatu de Apostasia cap.1. num.20.* Si nouitij, & professi vtuntur eodem genere vestium cum aliquo addito in vestibus professorum, quo professi à nouitiis secernuntur, censeo professum incurrere excommunicationem, si illud superadditum dimittat, ita vt ab externis non censeatur professus, sed nouitius; hic enim habitum suæ religionis dimittit, & ansam vagandi arripit, vt dictum est, licèt in hoc casu oppositum censeat Sanchez *loco citato.*

Si verò vtantur eodem vestium genere, superaddito solùm aliquo signo in vestibus nouitiorum, vt à professis distinguantur, arbitror professum assumentem illud signum superadditum non subiici huic excommunicationi. Ratio est, quia non dicitur habitum suæ religionis dimittere, sed aliquid aliud assumere, etiamsi fortè vagandi ansam inde arripiat, nam in materia pœnali standum est propriæ, & strictæ verborum significationi. Ita sentire debent DD. asserentes religiosum non exuentem proprias suæ religionis vestes, sed illas aliis vestibus tegentem, & occultantem, non affici pœna istius excommunicationis.

10 Religiosus excommunicationem incurrit occultãdo vestes suæ religionis alio habitu superimposito.

10 Septimò religiosum, qui habitum suæ religionis non exuit, sed illum vestibus sæcularibus superimpositis ita occultat, vt religiosus cognosci nequeat, non affici excommunicatione, iuxta probabilem multorum DD. opinionem. Ratio est, tum quia textus loquitur de dimissione habitus, non verò de occultatione; in materia autem pœnali standum est propriæ verborum significationi, & non valet argumentari à paritate rationis, vel à minori ad maius, vel è contra; tum quia si occultatio vestium sufficiat ad hanc censuram incurrendam, sequitur religiosum in hanc pœnam incidere, incedendo in tenebris, vel intra currum, aut velata, & cooperta facie, cùm hac ratione vagandi occasio sequatur; sed hoc est falsum; ergo & antecedens. Ita Suarez *loco citato, num.3. & de relig. tomo 4. cap.5. nu.12.* Filliucius *loco cit. num.135.* Sairus *lib.3. cap.33. num.9.* & alij.

Dixi, *iuxta probabilem multorum opinionem*, vt aduerterem maiorem DD. partem contrariæ opinionis esse; asserunt enim excommunicationem incurri, quoties religiosus proprium habitum ita occultat, vt à circumstantibus agnosci nequeat cuius Ordinis religiosus sit. Ita Iul. Clarus *lib.5. recep. §. fin. in pract. crim. quæst.76. nu.16.* Nauar. *cap.27. num.131.* Mandosius *de signat. gratiæ verb. licentia versic. qui licentia non obtenta*, vbi testatur in Rota ita decisum fuisse. Rodriquez *quæst. regul. tomo 1. quæst.39. artic.2.* Valentia *tom.3. disp.1. quæst.12. puncto 1.* Bannes 2.2. *quæst.12. art.1. quæst.3. dub.2. concluſ. vltim.* Azor. 1. *parte, lib.12. cap.13. quæs.5. & cap.17. quæs.10.* & quamplures alij, quos citat, & sequitur Sanchez *loco citato num.63.* & Sanctarellus *loco citato num.8.* Ratio est, tum quia licèt occultans habitum, non dimittat illum materialiter, dimittit tamen formaliter, quia dimittit tamquam habitum, quo discerni potest, & cognosci tamquam religiosus, & hoc pacto vagandi ansam arripere potest, ad quam vitandam hic canon editus est. Tum quia dispositio etiam pœnalis extendi potest, quoties ipsa dispositio eluderetur, non facta extensione, arg. *cap. quamquam, in fine. de vsur. in 6.* vbi irritatur testamentum vsurarij, & illa irritatio extenditur ad codicillum, & donationem causa mortis, ne dispositio illa ad testamentum restricta eludatur; & *Clement. 1. de sepulturis*, vbi dispositio excommunicans sepelientes tẽpore interdicti in cœmeteriis extenditur ad sepelientes in Ecclesiis, ne facile illa dispositio eludatur; neque hęc videtur extensio, sed tacita inclusio, ex glossa, & aliis *in cap.1. verb. Italia, de tempor. ordinat. in 6.*

Verùm ad has rationes facilis est responsio ex rationibus allatis ad probandum opinionem Suarez, & aliorum; quamuis enim occultans habitum suæ religionis peccet, non tamen dicitur habitum, propriè loquendo, dimittere, neque ob id constitutio huius nostri capitis eluditur, cùm saltem valeat in iis, qui habitum reipsa dimittunt, & arduum sit religiosis alienis vestibus proprium habitum ita tegere, & occultare, vt à circumstantibus discerni nequeant.

11 Religiosus excommunicationem incurrit accedẽdo ad aliquem locũ sine habitu, etiamsi facultatem à suo superiore ad illum locum accedendi obtinuerit.

11 Octauò religiosum, qui obtenta à superiore facultate accedendi ad aliquem locum, ad illum dimisso habitu accedit, in excommunicationem incidere; quia licèt hic non dicatur vagari, cùm facultatem à superiori obtinuerit, nihilominus habitum suæ religionis dimittit, & vagandi occasionem acquirit. Ita Sylvester *excommunicatio 9. casu 25. num.55.* Sairus *loco cit. num.19.* Sanctarell. *num.17.* Tabiena, Ledesma & alij apud Sanchez *loco cit. nu 60.* & alij contra Calcaneum *consil.123. num.7.*

12 Religiosus non deferens habitum in suo monasterio excommunicationẽ incurrit iuxta probabiliorem sententiã.

12 Nonò religiosum, qui intra priuatos sui monasterij parietes habitum suæ religionis non defert, vinculo istius censuræ obstringi, iuxta probabiliorem Doctorum sententiam, etiamsi postea non vagetur, nec monasterio egrediatur. Ratio est, quia textus absolutè loquitur de dimittentibus habitum, quouis in loco dimittant, saltem si hoc faciant ad sic incedendum, vel ad se occultandum, vt patet ex illis verbis, *in scholis, vel alibi*; & quamuis re ipsa præfatus religiosus non vagetur, & sæcularium aspectum fugiat, seque occultet, nihilominus ipso facto vagandi potestatem acquirit, quam textus noster sub excommunicatione subtrahere intendit. Ita Nauarr. *cap.27. num.131.* Azor. *loco cit. cap.17. quæsito 15.* Sairus *loco citato, num.11.* Sanchez *loco citato, num.61.* Sanctarellus *num.17.* & alij contra Calcaneum *loco citato*, Angelum *verbo excommunicatio 7. casu 27.* & alios negantes dimissionem habitus intra priuatos monasterij parietes subiici excommunicationi. Idem sustinent Rodriquez *quæst. regul. tom.3. quæst.76. art.6.* & alij existimantes religiosum in monasterio dimittentem habitum ab excommunicatione excusari, modò se ipsum conspectui laicorum non exhibeat. Imò nonnulli Doctores, teste Azorio *loco citato*, arbitrantur idem valere, siue religiosus in monasterio, siue alibi habitum dimittat, sed personam suam occultet, seque aliorum conspectibus non offerat; hic enim non dimittit habitum animo vagandi. Sed quod nos diximus, probabilius est, quia licèt dimisso habitu non vagetur, nihilominus ea dimissio vagandi præbet potestatem, quam Summus Pontifex sub excommunicatione interdixit.

SECVNDA PROPOSITIO.

13 Religiosus non incurrit excommunicationẽ ob quamlibet habitus dimissionem.

13 NOn quælibet habitus dimissio sufficit ad incurrendam istam excommunicationem, sed opus est vt dimissio sit temeraria. Ratio est, quia in textu bis exprimitur hæc conditio, ibi, *temere dimittat*, & ibi, *si quis horum temerarius violator extiterit*; vt autem dimissio temeraria censeatur, duæ conditiones requiruntur.

Prima est, vt non fiat ex causa rationabili, vera, vel apparente; nam si fiat ex causa rationabili, vera, vel apparente, non dicetur temeraria; sed potiùs prudens, discreta, & rationabilis, cui temeritas aduersatur.

14 Religiosus excusatur ab excõmunicatione dimittendo habitum causa seruandæ vitæ, dũ per loca Turcarum, vel inimicorũ transiturus est.

14 Hinc sequitur primò, religiosum excusari, qui causa seruandæ vitæ, dum per loca Turcarum, Hæreticorum, vel aliorum transiturus est, habitum dimittit. Idem militat, in eo, qui ob nimium timorem hoc facit ad tuendam propriam, vel alienam vitam, vbi re ipsa necessarium non esset; quamuis enim malè dimittat habitum, non tamen temere, sed, vt ita loquar, timidè, imprudenter, vel ignoranter hoc facit, vt bene obseruat Suarez *loco citato num. 29. vers.2. regula.* Idem valet in eo, qui hoc facit causa defensionis famæ propriæ, aut proximi, vel ad præcauendum scandalum.

Ex quo patet solutio illius casus, in quo quæritur, vtrùm religiosus, qui necessitatẽ habet noctu exeundi, excusetur ab excõmunicatione,

tione, si ad præcauendum scandalum, & prauam suspicionem, sæcularem habitum deferat.

Respondeo enim excusari, quoties talis subest necessitas induendi talem habitum, quæ ipsum à mortali excuset; secus si talis necessitas non subsit, vt si solùm causa visitandi amicum, aut causa recreationis monasterio egrediatur, (modò tamen, ob temporis, seu materiæ paruitatem non excusetur, vt infra ostendam.) Ita Bannes 2.2. *quæst.* 12. *art.*1. *de apostasia dub.*2. *post.*2. *concl.* Sanchez *n.*60. & alij.

15 Religiosus non incurrit excommunicationē dimittēdo habitum causa alicuius ludicræ actionis.

15 Secundò sequitur illum non affici excommunicatione, qui habitum dimittit, & alium induit ad ludicram aliquam actionem inter religiosos faciendam titulo cuiusdam honestæ lætitiæ, quia non est temeraria dimissio. Ita Sylvester *verbo habitus, quæst.*2. Suarez *loco cit. num.*29. *ad finem*, & alij.

16 Religiosus assumens habitum alterius religionis strictioris non incidit in excommunicationem.

16 Tertiò religiosum, qui habitum alterius religionis strictioris assumit, non affici excommunicatione. Ratio est, tum quia hic non peccat, cùm ei permissus sit ad arctiorem religionem transitus; excommunicatio autem supponit peccatum mortale. Tum quia hæc non est temeraria dimissio, quam textus sub excommunicationis pœna prohibuit. Ita communiter DD.

Hoc tamen intelligitur, modò religionem arctiorem re ipsa ingrediatur, nam si habitu suæ religionis dimisso, vestes alterius religionis induat, eamque non ingrediatur, excommunicatione afficitur, quia re ipsa habitum suæ religionis illicitè dimittit, & vagandi facultatem acquirit; quamuis enim eo habitu iudicetur religiosus, tamen facilè probare potest se illius Ordinis religiosum non esse, & vagandi occasione vti. Ita Bannes *loco citato, post secundam concluſ. illat.* 2. Rodriquez *loco cit. art.*2. Sayrus *num.*17. Sanchez *num.*65. & alij. Addunt Sanchez, & alij hoc verum esse, etiamsi huiusmodi religiosus habitum suæ religionis dimittat, vt ad alias citiùs admittatur. Ratio est, quia habitum sine iusta causa dimittit, & euagandi occasioni se exponit. Ego verò in foro conscientiæ existimarem istum, vt plurimum, excusandum esse ab excommunicatione; quia non videtur habitum temere dimittere, cùm id faciat zelo religionis, & ex causa apparente. Ita Tabiena *verbo excommunicatio* 5. *casu* 23. *quæst.*2. *num.*3. idemque sentire videtur Suarez *loco citato, num.* 29. Filliucius *numero* 134. & Sanctarell. *numero* 2. dum asserunt causam veram, vel apparentem excusare.

17 Religiosus assumens habitum alterius religionis contra iura, excommunicationem incurrit, licet multi Doctores oppositum sentiant.

17 Maior difficultas est, vtrùm religiosus dimittens habitum suæ religionis, & habitum alterius religionis assumens contra iura, excommunicationem incurrat.

Respondeo incurrere. Ratio est, quia hic temere, & cum grauissimo peccato dimittit habitum suæ religionis; nam adhuc post ingressum prior religio est sua religio iure & obligatione, & licet omnimodam vagandi occasionem non habeat, nihilominus aliquam habet, quia si ex secunda religione, saltem ante professionem exire prętendat, id facere non poterit sine aliquo vagandi periculo. Ita Nauarrus *cap.*27. *num.*132. Sylvester *verb. excommunicatio* 9. *casu* 24. *numer.* 54. Suarez *loco citato, num.*32. *versic. amplificatur præterea*, Filliucius *tractat.*14. *cap.*8. *quæsito* 4. *num.*134. *ad finem.* Azor. *loco citato, cap.*14. *quæs.* 10. & alij contra Sanchez *loco citato, num.*68. Rodriquez *loco citato artic.*4. *notab.*2. Sayrum *num.*17. Lessium *lib.*2. *de iust. cap.*41. *dub.*13. *numer.*102. Sanctarellum *numer.*13. & quamplures alios apud Sanchez *loco citato.*

Secunda conditio necessaria, vt dimissio habitus temeraria censeatur, iuxta proposita in secundo quæsito, est, vt fiat ex contemptu legis. Nomine autem contemptus in hoc loco non intelligo contemptum formalem legis, sed animum dimittendi habitum, non obstante prohibitione legis, quam nouit latam esse.

18 Religiosus dimittens habitum suæ religionis, ignorans prohibitionem, nō incurrit excommunicationē.

18 Ex quo sequitur, eum, qui habitum dimittit, ignorans prohibitionem, non incidere in excommunicationem, etiamsi ignorantia sit vincibilis & mortaliter culpabilis, vel etiam crassa, vel supina (modò non sit quasi scientia, & ingens temeritas,) hic enim non dicitur prohibitionem transgredi ex contemptu, seu scienter, & temere; nam illa dictio, *temere*, idem est, quod consultò, seu scienter, vt alibi sæpius dixi; idemque tenent Cardinalis *Clement.*1. §. *si quis notab.* 1. *de statu Monach.* Ancharanus *ibidem num.*15. & alij apud Sanchez *in opere morali lib.*6. *cap.*8. *numer.*43. Sanctarellus *in tractatu de apostasia c.*1. *n.*2. contra Nauarrum *in Manuali, cap.*27. *num.*28. & alios existimantes ignorantiam culpabilem non excusare.

19 Religiosus dimittens habitum incurrit excommunicationē, etiāsi animum habeat illum iterum assumendi.

19 Quæres tertiò, vtrùm ad incurrendam istam excommunicationem opus sit, vt dimissio habitus sit perpetua, id est, vt religiosus habitum deponat animo illum amplius non assumendi.

Respondeo satis esse, vt ad tempus deponat. Ratio est, tum quia textus loquitur de illa dimissione habitus, quæ vagandi occasionem præbet; occasionem autem vagandi præbere potest dimissio habitus, etiamsi temporalis sit, & non perpetua. Tum quia in hoc capite excommunicantur religiosi dimittentes habitum in scholis, aut alibi; scholæ autem non solent esse perpetuæ. Ita Caietan. *in summ. verb. excommunicat. cap.*61. Suarez *num.*30. Sanchez *loco cit. num.* 48. & alij communiter.

20 Religiosus dimittens habitum breui tempore, non incurrit excommunicationem, etiāsi intentionem habuerit diutius dimittendi.

20 Sed modò dubium est, vtrùm dimissio habitus ad modicum, & breue tempus, exempl. grat. ad dimidiam, vel etiam ad integram horam, sufficiat ad incurrendam huius canonis excommunicationem.

Respondeo negatiuè. Ratio est, tum quia sicut paruitas materiæ excusat à peccato mortali, vbi paruitas materiæ dari potest; ita etiam excusat à censura, quæ peccatum mortale supponit. Tum quia non dicitur dimitti, quod breui tempore sumendum est. *l. diuortium. ff. de diuortiis.* Ita Nauar. *cap.*27. *num.*131. Suarez *de censuris disp.* 23. *sect.* 4. *num.*27. Azor 1. *parte lib.*12. *cap.*13. *quæsito* 5. Sayrus *lib.*3. *cap.*33. *nu.*13. Emanuel Sà *de excommunicationibus nemini reseruatis num.*9. Sanchez *num.*55. Sanctarellus *num.*6. & alij communiter, contra ipsum Suarez *de relig. tom.*4. *lib.*1. *cap.*5. *num.*9.

Amplia primò etiamsi dimittens habitum intentionem habuerit diutius dimittendi, sed postea modico tempore re ipsa dimiserit. Ratio est, tum quia ad hoc faciunt rationes allatæ. Tum quia materia istius excommunicationis non est animus dimittendi, sed ipsa externa dimissio habitus, quæ licet per relationem ad intentionem dimittentis sit mortalis (actus enim voluntatis suam malitiam actui externo communicat;) nihilominus in se non est mortalis, nec materia sufficiens excommunicationis; sicut neque excommunicationem in percussores clericorum, aut in fures latam incurrit is, qui intentionem habet grauiter percutiendi clericum, aut magnæ rei quantitatem paulatim surripiendi; sed postea re ipsa leuiter percutit, aut modicam rei alienæ quantitatem aufert, vt bene docet Sanchez *loco cit. num.*54. & alij contra Suarez *de censuris disput.*23. *sect.*4. *n.*30. *vers.*3. *regula*, existimantem eum affici excommunicatione, qui habitum dimisit animo diutius vagandi; licet paulo post, mutata voluntate, ad suum habitum reuertatur.

Obiicies cum Suarez, ista excommunicatio fertur ob temerariam habitus dimissionem; hæc autem in modico tempore consummatur, siue breuiùs, siue diutiùs postea duret.

Respondeo excommunicationem ferri ob dimissionem habitus ex se sufficientem ad mortale peccatum, non autem ob quamlibet habitus dimissionem, vt in simili dictum est, de percussione Clerici, & de furto, si contra fures lata esset excommunicatio.

Ampliari secundò potest probabiliter, etiamsi dimissio habitus ad breue tempus fiat ex turpi causa, exempli gratia, animo furandi, vel fornicandi, aut eundi ad lupanar. Ratio est, quia licet illa dimissio sit grauiter peccaminosa, pro qualitate finis, & circumstantiæ: in ratione tamen dimissionis temerariæ, quæ hic sub censura prohibetur, non videtur mortalis ob paruitatem materiæ, & potius nomen despoliationis meretur, quàm dimissionis habitus. Ita Azor. 1. *parte libr.* 12. *cap.*13. *quæs.*5. *casu* 16. *vers.*15. igitur Sanchez *loco citato numer.* 57. Emanuel Sà *loco citato*, & alij contra Rodriquez *in summa* 1. *parte cap.* 43. *num.*1. *ad finem*, Bannem 2.2. *quæst.*12. *art.*2. *de apostasia dub.*2. *concl.* 2. Suarez *loco citato, num.*31. *vers. at verò*, Sayrum *n.*15.

Ex dictis in hoc dubio sequitur, religiosum dimittētem habitum, non statim ac illum dimittit, affici excommunicatione, sed tunc affici, dum, dimisso habitu, in eo statu perstitit tanto tempore, quod iudicio prudentis viri sufficiens censeatur ad mortalem culpam. Ratio est, quia excommunicatio lata ob aliquem effectum non incurritur effectu nondum secuto; ista autem excommunicatio lata est ob dimissionem habitus, & cùm quælibet dimissio non sufficiat ad incurrendam excommunicationem, dicendum est excommunicationem incurri ob dimissionem tanti temporis, quæ iudicio prudentis viri notabilis existimetur. Ita Sayrus *lib.*3. *cap.*33. *numer.*11. Tabiena *verb. excom.*5. *casu* 23. *quæsito* 1. *num.*2. Sanchez *num.*54. contra Suarez *loco citato*, & alios existimantes censuram contrahi in ipso puncto dimissionis. Ratio Suarez, & aliorum est, quia grauitas huius delicti non desumitur ex duratione temporis secuta, vel mente concepta, sed ex ipsamet dimissione habitus, quæ per se res grauis est, & sufficiens ad mortale peccatum, & consequenter ad incurrendam censuram, quæ ob ipsam dimissionem habitus imposita fuit.

Verùm licet opinio Suarez sit probabilis, & valde tuta, nihilominus probabilius mihi videtur, quod dixi cum Sanchez, & aliis. Et ex dictis facilis est responsio ad præfatam rationem Suarez, & aliorum.

21 Assignatur quantitas temporis sufficiēs ad incurrendā censuram ob habitus religiosi dimissionem.

21 Maior difficultas est in assignanda quantitate temporis sufficiente ad mortale peccatum in hac censura. Caietanus *verb. excomm. cap.*61. Sayrus *cap.*33. *num.*14. & alij existimant dimittentem habitum ad horam, vel etiam toto die ex leuitate quadam, & domi manendo, non affici excommunicatione: verùm isti loquuntur de dimittente habitum, sed non exhibente se hominum conspectui.

Mihi dicendum videtur, duas, vel tres horas sufficere, quia hoc videtur tempus notabile secundùm se, vnam verò horam, vt plurimum, non existimarem notabile tempus in hac materia. Licet enim vna hora notabilis sit respectu viginti quatuor horarum ad incurrendam lethalem culpam, ob seruile opus in die festo, vt suo loco docui cum Suarez, & aliis: in hoc tamen casu, in quo non habetur ratio ad vnum diem, sed simpliciter ad dimissionem habitus notabilem, regulariter loquendo, non censerem, obnoxiam excommunicationi dimissionem habitus, per vnam horam contra hunc canonem, licet ob alias circumstantias fieri possit, vt pluribus lethalibus culpis infecta sit. Ita sentire videtur Sanchez *num.*55. & alij, qui dum asserunt modicum tempus ab hac censura excusare, exemplum afferunt spatij vnius horæ.

TERTIA PROPOSITIO.

22 Assignatur subiectum istius excommunicationis.

22 OMnes, & singuli religiosi habitum suæ religionis temere dimittentes, excommunicationis gladio feriuntur. Ratio est, quia textus simpliciter loquitur de religiosis habitum temere dimittentibus.

23 Religiosus dimittens habitum ligatur excommunicatione, etiamsi ipsius Ordo institutus fuerit post caput secundum, *vt periculosis domibus.*

23 Hinc sequitur primò, religiosos habitum dimittentes subiici huic censuræ, etiamsi eorum Ordo, & religio instituta sit post editionem huius textus. Ratio est, quia lex generalis, & perpetua, non solum respicit, & obligat tunc natos, sed etiam in posterum nascituros: cùm enim perpetua sit, semper loquitur, & semper afficit. Ob id Suarez *de censuris distinct.*31. *sect.*6. *num.*7. & alij docent suspensionem latam contra superiores Ordinum mendicantium, admittentes aliquem ad professionem, nondum expleto nouitiatus anno, extendi ad mendicantes postea institutos, & *disp.*22. *sect.*5. *n.*16. excommunicationem latam contra mendicantes transeuntes ad aliam religionem, quàm Carthusianorum, extendi ad Patres Societatis Iesu, qui finito nouitiatus biennio, vota simplicia emiserunt; sunt enim veri religiosi, & mendicantium priuilegiis gaudent ex concessione Pij V. *in bulla anno* 1571. *edita*, & ex Gregorio XIII. *in bullis anno* 1582. & 1584. *editis.*

24 Religiosi Societatis Iesu ligantur excommu-

24 Secundò sequitur religiosos Societatis Iesu, qui habitu dimisso, sæcularem induunt in Italia, vbi sæculari habitu non incedunt, sodalitio huius censuræ obstringi; ipsi enim sunt veri religiosi; consequenter oneribus religiosorum subiiciuntur, sicut etiam illorum pri-

nicatione dimittēdo habitum religioſū.

priuilegiis fruuntur, & cùm lex non diſtinguat, neque nos diſtinguere debemus. Ita ſentire videtur Filliucius *tract.14.cap.8.quæſito 4. num.133.* dum ſine diſtinctione ait, perſonas quæ hac cenſura ligantur, eſſe omnes, & ſolos religioſos. Contrarium ex profeſſo ſuſtinet Sanchez *in opere morali lib.6.cap.8.num.70.* Ratio ipſius eſt, quia cùm textus loquatur de profeſſis dimittentibus habitum ſuæ religionis, ſupponit religionem illam habere peculiarem habitum, quo à ceteris diſtinguatur: Societas autem Ieſu non habet habitum peculiarem, & proprium, ſed adhibet habitum communem accommodatum vſui patriæ, vt patet ex conſtitutionibus *par.6.c.2.§.15.*

Verùm hæc ratio nō obſtat, quia licet Societas Ieſu in genere non habeat habitum particularem, in ſingulis tamen regionibus habet habitum peculiarem ab aliis diſtinctum, & diſtinctiuū; conſequenter ſicut religioſus Societatis grauiter peccaret deferendo hic Romæ habitum ſæcularem; ita etiam afficeretur excommunicatione, quia diceretur habitum ſuæ religionis hic dimittere.

25 Religioſus promotus ad beneficiū Parochiale alicuius Eccleſiæ affici excommunicatione, dimittendo habitum ſuæ religionis. Ratio eſt, quia adhuc tenetur votis religionis, nec ſimpliciter, & abſolutè exemptus eſt ab obſeruantia regulari, dum eam commodè ſeruare poteſt vnà cum parochiali munere. Ita Syluester *verb. Religio 7. quæſito 11.* S. Antoninus *3. parte, titulo 16. cap.5.* & alij, quos citat, & ſequitur Sanchez *in opere mor.lib.6. cap. 6. numero 36.*

25 Religioſus promotus ad beneficiū patochiale incurrit excommunicationē dimittēdo habitum ſuæ religionis.

26 Maior difficultas eſt, vtrùm religioſus creatus Epiſcopus, vel Cardinalis, in iſtam excommunicationem incidat, dimittendo habitum ſuæ religionis.

Reſpondeo duplicem eſſe Doctorum ſententiam.

Prima ſententia eſt affirmatiua. Ratio eſt, tum quia huiuſmodi religioſi tenentur habitum ſuæ religionis deferre. *cap.penultim.de vita, & honeſtate Clericorum*, vbi textus enumerat veſtes, quas Epiſcopi deferre debent, exceptis Epiſcopis religioſis, quos ad habitum ſuæ religionis obligat, ibi, *niſi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem.* Quamquam hoc tempore poſt Rituale Romanum, iuſſu Clementis Octaui reformatum, poſſunt Epiſcopi religioſi, retento colore habitus ſuæ religionis, accōmodare ſe formæ veſtium, quas alij Epiſcopi adhibent. Tum quia *in cap.2.ne Clerici, vel Monachi in 6.* excommunicatur Abbas religioſus aſſumens rochetum, id eſt, illam albam, & candidam veſtem, quam Epiſcopi ſuperinduunt, & exteriùs deferunt. Ita Syluester *verbo Religio 7. quæſito 7.* Maiolus *de irregularitate cap.1.num.13.* Surdus *de alimentis titul. 8. priuileg. 79. num.10.* & quamplures alij apud Sanchez *lib.6.cap.6.num.23.* & apud Sanctarellum *num.15.*

26 Religioſus creatus Epiſcopus non tenetur ſub excommunicatione habitum ſuæ religionis deferre.

Secunda ſententia, quæ mihi probabilior videtur, negat huiuſmodi religioſos Epiſcopos in excommunicationem incidere. Ratio eſt, tum quia Religioſus factus Epiſcopus eximitur ab omnibus regulis, & ſtatutis religionis. *cap. vnic. 18. quæſt. 1.* ibi, *Monachus, quem Canonica electio à iugo regulæ monaſterij profeſſionis abſoluit.* Ergo in nullam incidit culpam, eas non obſeruando. Cùm ergo religioſus teneatur habitum ſuæ religionis deferre, præcipuè ob regulas & ſtatuta ſuæ religionis, ſequitur exemptum à regulis, & ſtatutis ſuæ religionis non teneri ex vi regularis obſeruantiæ ad habitum illius deferendum: conſequenter religioſum factum Epiſcopum, non affici excommunicatione huius noſtri textus. Tum quia in hoc textu ſermo eſt de religioſo regularis obſeruantiæ ſubdito, & ſub obedientia ſuperioris exiſtente, vt clarè ex textu conſtare oſtendam in reſponſionibus ad rationes in contrarium. Ita Bonifacius *Clementina 1.§. rurſus, n.33. & ſequentib. de ſtatu Monach.* Rodriquez *tom. 2. quæſtione 58. artic.3.* & alij quos citat, & ſequitur Sanchez *lib.6.cap.6.numer.23.* & Sanctarellus *de apoſtaſia cap.1.num.15.* & hanc ſententiam probabiliorem cenſet Azor. *tom.1.lib.12.c.7.quæſ.4.*

Ad primam rationem in contrarium.

Reſpondeo religioſum creatum Epiſcopum teneri quidem habitum ſuæ religionis deferre, ex *c.pen.de vita & honeſt.Cler. in fine*; non verò ex vi huius noſtri textus, in quo ſermo eſt de religioſis ſubditis obedientiæ ſuorum ſuperiorum; non verò de exempto, & abſoluto à iugo regulæ, conſequenter non tenetur habitum ſuæ religionis ſub excommunicatione deferre.

Ad ſecundam reſpondeo in præfato textu, cuius explicationem ego in hoc puncto tradidi, ſermonem eſſe de Monacho ſubdito, non verò de exempto. Cùm enim locutus fuiſſet de religioſo habitum dimittente, in hæc verba loquitur, *Nec accedat ad quæuis ſtudia litterarum, niſi à ſuo Prælato, cum conſilio ſui Conuentus, vel maioris partis eiuſdem ſibi eundi ad ſtudium licentia primitus ſit conceſſa*; conſequenter Epiſcopus excommunicationem non incurrit deferendo rochetum, vel aliud genus veſtium; cùm hoc nullibi cautum ſit ſub excommunicatione.

27 Idem dic de religioſo ad dignitatē Abbatis electo, habente propriam diœceſim nulli Epiſcopo ſubiectam.

27 Hinc patet quid dicendum ſit, primò de religioſo electo ad dignitatem Abbatis, habentem propriam diœceſim, nulli Epiſcopo ſubiectam; huiuſmodi enim Abbas iuriſdictionem habet Epiſcopalem, & aſſimilatur Epiſcopis, excepta conſecratione, & functione Ordinis Epiſcopalis, vt benè Sanchez *loc. cit. num. 35.* conſequenter etiam exemptionem à iugo regulæ, & ſtatutorum regularium acquirit; conſequenter non ligatur cenſuris contra religioſos impoſitis.

28 Religioſus creatus Epiſcopus, vel Abbas cum dignitate quaſi Epiſcopali, tenetur adhuc tribus votis religionis.

28 An autem præfatus religioſus creatus Epiſcopus, vel Abbas cum dignitate quaſi Epiſcopali eximatur à tribus votis religionis, alibi explicandum eſt. Interim breuiter dico non eximi; cùm enim adhuc religioſus maneat, remanet etiam obſtrictus tribus votis, quæ ſunt de eſſentia ſtatus religioſi, *cap. cùm ad monaſterium, in fine, de ſtatu Monachorum.* Imò ſi religioſus ad Pontificatum promoueatur, iiſdem votis detinebitur, & quamuis nulli teneatur obedire, hoc ideo contingit; quia nullum in terris ſuperiorem habet, ex Arragonio *2.2.quæſt.88.art.11.* Sanchez *cap.6.num.6.* & aliis: ergo à fortiori iiſdem votis obſtrictus manet religioſus creatus Epiſcopus, vel Abbas.

Quamobrem perſpicuum eſt huiuſmodi religioſum teneri voto caſtitatis, vt communiter concedunt Doctores. Tenetur etiam voto obedientiæ, non quidem Prælatis religionis, cum à regulari obſeruantia, & obedientia Prælatorum religionis eximatur, *cap. vnic. 18. quæſt.1.* ſed Summo Pontifici. Religioſus enim, dum profeſſionem emittit, obedientiam potiſſimùm ſpondet, & promittit Summo Pontifici; ab hac autem obedientia non eximitur, dum ad Epiſcopatum promouetur; conſequenter Summus Pontifex poſſet illi ea omnia præcipere, quæ in regulis illius religionis continentur; ſicut ea præcipere potuiſſet ſuperior religionis, antequàm ille ad Epiſcopatum promoueretur, conſequenter religioſus Epiſcopus tenebitur Summo Pontifici præcipienti obedire, non ſolùm ex generali obligatione, qua reliqui fideles, aut ſolùm ex obligatione iuramenti, qua omnes Epiſcopi tenentur, ſed ex peculiari voto obedientiæ. Præterea huiuſmodi religioſus tenetur voto paupertatis, quia etiam iſta eſt de eſſentia ſtatus religioſi; quamobrem religioſus ad Epiſcopatum aſſumptus, non efficitur dominus reddituum Eccleſiaſticorum, ſed adminiſtrator, vt eos in vſus decentes inſumat; iuxta S. Thomam *2.2. quæſt.88.artic.11.* Arragon. *ibidem.* Rodriquez *tomo 2. quæſt. regular. quæſt.58.artic.3.* Azor. *1.parte, lib.7.quæſ.2.* Valentiam *2.2. diſputat.10. quæſt.3.punct.8.* Leſſium *lib.2.cap.40.dub.14.num.113.* Sanchez *in opere morali lib.6.cap.6.num.2. & ſeq.* Sanctarellum *de apoſtaſia c.6.dub.3.* & quamplures alios apud præcitatos Doctores contra Angles *in Flor.2.parte quæſt.vnica de voto, artic.2.poſt.3.difficultatem dub. 5.* exiſtimantem religioſum creatum Epiſcopum eximi à tribus votis, & ad caſtitatem teneri ſolùm ratione ſacrorum Ordinum, contra Vaſquez *1.2.quæſt.96.artic.4.diſp.165.cap.8.num. 91. & 104.* Sotum *7.de iuſtitia quæſt.4.art. 2. ad vltimum*, & alios exiſtimantes religioſum Epiſcopum non teneri voto paupertatis, ſed effici dominum reddituum Eccleſiaſticorum, ſicut efficiuntur Epiſcopi ſæculares. Sed quid ego in hac re ſentiam, infra aperiam de obligatione beneficiatorum circa fructus, & de eiectis a religione.

bus votis religionis.

29 Religioſus ad Cardinalatus dignitatem promotis; cenſeo enim hos non ſubiici huic excommunicationi non deferendo habitum religionis. Ratio eſt, quia licet ſinguli religioſi, excepto Summo Pontifice, teneantur habitum ſuæ religionis deferre; tamen qui ad Cardinalatum aſſumuntur, non tenentur ex vi regularis obſeruantiæ illum deferre, cùm ab ea ſubtrahantur inſtar Epiſcoporum; nam etiam ipſi in Eccleſiis ſuis titularibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habent; conſequenter non afficiuntur excommunicatione impoſita contra religioſos habitum dimittentes. Ita Bonifacius *loco cit.* Sanchez *n.34.* & alij.

29 Religioſus ad Cardinalatus apicem euectus nō ſubiicitur excommunicationi non deferendo habitum ſuæ religionis.

30 Sed modò ſupereſt dubium, primò vtrum religioſi dimittentes habitum, vt excommunicationem incurrant, debeant etiam ſimul phyſicam, vel leges audire ſine ſuperioris licentia. Ratio dubitandi eſt, quia Summus Pontifex in hoc textu loquitur de religioſo dimittente habitum, & accedente ad ſtudia ſine ſuperioris licentia, cum conſilio Conuentus, vel maioris partis, & videtur has duas actiones copulatiuè requirere ad incurrendam excommunicationem, nam in plurali ſubiungit, *ſi quis horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat ſententiam*; religioſus autem, qui habitum dimittit, ſed ad ſtudium non accedit, non dicitur violator horum, ſed alterius actionis.

30 Religioſus dimittens habitum ſuæ religionis excommunicationem incurrit, etiamſi phyſicam, vel leges ſine ſuperioris licentia audire non intendat.

His non obſtantibus dicendum eſt, alterutram iſtarum actionum ſufficere ad incurrendam iſtam excommunicationem; hæc enim eſt Summi Pontificis intentio. Ob id Doctores communiter has tamquam duas excommunicationes diſtinctas referunt. Ita Gloſſa *hic verbo, horum.* Sanchez *lib.6.cap.8.numero 39.* Sanctarellus *numero 19.* & alij communiter, teſte Suarez *diſputat.23.ſect.4.numer.26.* contra nonnullos, quos tacito nomine refert Anton. *cap. Deus qui, numer.3. de vit. & honeſt. Cleric.*

Ad rationem dubitandi reſpondeo illa verba, *ſi quis horū violator*, non intelligi collectiuè, ſed diſiunctiuè, & frequenter caſus pluralis adhibetur pro ſingulari, vt dictum eſt in explicatione Bullæ Cœnæ, & patet ex verbis Scripturæ, vt ex illis, *latrones conuiciabantur ei*, id eſt, vnus latronum: & ex inſtitutione, & miniſtris extremæ Vnctionis apud Iacobum, *inducant Presbyteros*, id eſt, aliquem ex Presbyteris, vt explicaui *in tract. de Sacramentis*, dum loquerer de Sacramento extremæ Vnctionis.

31 Ad quē pertineat dare facultatem circa dimiſſionem habitus.

31 Secundò dubium eſt, ad quem pertineat poteſtas diſpenſandi circa delationem habitus.

Reſpondeo pertinere ad Summum Pontificem, quia obligatio deferendi habitum conſurgit ex iure Canonico; facultas autem diſpenſandi in iure Canonico, per ſe, & regulariter loquendo, pertinet ad Papam.

Dixi *per ſe*, quia per accidens acceſſoriè, & conſequenter dimitti poteſt habitus ex licentia Prælati, conceſſa ad aliquod opus, quod exerceri commodè nequit cum habitu, vt ſi quis Prælatus mittat religioſum ad concionandum in locis, in quibus retento habitu id facere nequit, aut ſi corporale ac laborioſum opus illi imponat, quod ſine habitus mutatione commodè exerceri non poſſit. Ita Nauar. *de Apoſtaſia conſil.70.num.8. & ſequent.* & Suarez *tom.4.de Relig.lib.1.c.5. num.16. & 17.*

Obiicies, Religioſus, cui à Prælato data eſt facultas peragendi aliquod opus, ſi dubitat, an ſibi liceat opus illud præſtare dimiſſo habitu, ſuperiorem adit, & ab ipſo inquirit, an illud facere poſsit mutato habitu; ergo ſignum eſt ſuperiorem poſſe directè, & per ſe facultatem concedere non deferendi habitum.

Reſpondeo, religioſum tunc temporis adire ſuperiorem, non vt ab ipſo directè circa delationem habitus diſpenſetur, ſed vt ipſe declaret, an tunc temporis licita ſit habitus dimiſsio, vt bene obſeruat Suarez *de Relig.tom.4.lib.1.cap.5.*

QVAR-

QVARTA PROPOSITIO.

32 Absolutio istius excommunicationis iure communi reseruata non est.

32 ABsolutio istius excommunicationis iure communi reseruata non est.

Ratio est, quia *in cap. vt periculosa citato*, nulla de reseruatione fit mentio, consequenter absolutio à quolibet Confessario ad confessiones religiosorum excipiendas approbato conferri potest, nisi aliud iure speciali aliquibus in locis, vt Mediolani, caueatur, vt docui de censuris in genere: propterea in huius rei explicatione opus non est hic diutiùs immorari.

PVNCTVM III.

De religioso professo matrimonium sine licentia Papæ contrahente.

1 Affertur textus, quo probatur huiusmodi religiosum excommunicatione ligari; reliqua remissiue innuuntur.

1 IN *Clementina vnica, de consanguinitate, & affinitate*, extat excommunicatio cõtra contrahentes matrimonium in quibusdam casibus, quos enumeraui in tractatu de excommunicationibus omnibus in particulari *disp. 2. quæst. 2. punct. 7.* dum loquerer de contrahentibus matrimonium in casibus prohibitis, inter quos recensetur casus matrimonij à religioso professo contracti; sed cùm hunc casum ibi sufficienter explicauerim, nec quicquam hic addendum occurrat, ad ibi dicta me remitto. Vbi etiam innui hanc censuram iure communi reseruatam non esse, cùm in præfata Clementina nullum de reseruatione verbum habeatur.

PVNCTVM IV.

De religioso vltra mare proficiscente sine licentia sui superioris.

QVatuor in hoc puncto explicabo.

Primò, vtrùm religiosus excommunicationem incurrat eundo vltra mare.

Secundò, quænam sit materia istius excommunicationis.

Tertiò, quodnam sit subiectum.

Quartò, vtrùm ista excommunicatio Summo Pontifici reseruata sit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Refertur textus, in quo ista excommunicatio cõtinetur.

1 RElegiosus proficiscens vltra mare sine licentia sui superioris excommunicationem incurrit; nam Ioannes XXII. cùm intellexisset nonnullos religiosos se transferre ad partes transmarinas, in quibus pauci fideles repertiebantur, vt eos deciperent, & in errorem inducerent, vel retinerent, sub excommunicatione interdixit, *in extrauag. Ad nostrum*, ne vlli religiosi accedant ad huiusmodi loca sine licentia sui superioris, ne superiores huiusmodi facultatem concedere audeant quibusuis fratribus sui Ordinis, exceptis fratribus scientia, prudentia, & experientiæ vsu præditis.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Assignatur materia istius excommunicationis.

2 MAteria istius excommunicationis est duplex actio, vna ex parte religiosi inferioris, altera ex parte superioris.

Prima igitur actio est, transferre se ad partes transmarinas absque licentia superioris; nam in Bulla dicitur, *ne ipsorum aliquis absque superioris Ordinis sui licentia sibi per ipsius litteras patentes concessa, de cetero ad partes ante dictas se transferat.*

3 Licentia tacita non excusat religiosum euntem vltra mare sine licentia sui superioris, sed licentia debet esse in scriptis expressa.

3 Sed modò dubium est, vtrum sufficiat licentia tacita, vel etiam expressa, sed non in scriptis concessa. Ratio dubitandi est, tum quia taciti, & expressi eadem est conditio, & natura. Tum quia de ratione, & substantia priuilegij non est scriptura, vt probaui *in tractatu de legibus.*

His non obstantibus, arbitror licentiam expressam, & scriptis exaratam requiri, quia Pontifex in sua Bulla hoc explicitè petit, ibi, *per ipsius litteras patentes*, & excommunicat aliter præsumentes, ibi, *præsumentes contrarium quouis modo.*

Ad rationes dubitandi,

Respondeo eas procedere, quoties non constat de contraria legislatoris voluntate, vt in nostro casu constat.

4 Religiosus transferens se sine licentia ad partes transmarinas, vbi est maior fidelium pars, ligatur excommunicatione.

4 Secundò dubium est, vtrùm transferens se absque licentia ad partes transmarinas, vbi est multitudo fidelium, ligetur vinculo istius excommunicationis.

Respondeo negatiuè, si ibi maior sit pars fidelium, quàm infidelium; nam in Bulla sermo est de transferentibus se ad partes transmarinas, in quibus pauci fideles respectu infidelium commorantur.

Secunda actio ex parte superioris est, concedere licentiam accedendi ad partes transmarinas aliis quàm viris doctis, & expertis; nam in Bulla dicitur, *Superioribus ipsis nihilominus iniungentes, ne quibusuis sui Ordinis fratribus, nisi dumtaxat viris litteratis, prouidis, & expertis, huiusmodi licentiam impertiri præsumant.*

Ex quo sequitur superiorem affici excommunicatione, si huiusmodi licentiam concedat fratri sui Ordinis inexperto, aut illiterato, nisi fortè id bona fide, vel ex ignorantia agat; textus enim vtitur verbo, *præsumant.*

5 Superior concedens facultatem alicui religioso litterato, sed non prouido, vel experto trãsferendi se ad partes transmarinas, non eximitur ab excommunicatione.

5 Maior difficultas est primò, vtrùm superior incurrat istam excommunicationem, concedendo licentiam alicui, quem nouerat litterarum scientia valdè instructum, non tamen prouidum, vel expertum.

Respondeo incurrere, quia textus requirit triplicem conditionem in eo, cui facultas concedenda est; nempe scientiam, prudentiam, & peritiam, seu experientiam; loquitur enim per dictionem coniunctiuam, *&*, ibi, *litteratis, prouidis, & expertis.*

6 Superior concedens licentiam religioso alterius Ordinis eundi vltra mare, non ligatur excommunicatione.

6 Secundò difficultas est, vtrùm ista excommunicatio incurratur à superiore concedente huiusmodi licentiam fratribus alterius Ordinis.

Respondeo negatiuè, quia textus loquitur de concedente licentiam fratribus sui Ordinis, ibi, *ne quibusuis sui Ordinis fratribus.* Verum tamen est fratres se transferentes vltra mare cum huiusmodi licentia, in excommunicationem incidere. Tum quia huiusmodi licentia irrita est, vtpotè obtenta ab eo, qui eius concedendæ potestatem non habet. Tum quia Summus Pontifex excommunicat religiosos transferentes se vltra mare absque licentia superioris Ordinis sui: hic autem non est superior Ordinis sui.

TERTIA PROPOSITIO.

7 Subiectum istius excommunicationis, sunt omnes, & singuli religiosi cuiuscumque Ordinis, & religionis, transferentes se ad præfatas partes transmarinas absque licentia superioris: nam in Bulla dicitur, *vniuersis, & singulis religiosis; cuiuscumque conditionis, religionis, Ordinis, vel status existant*, &c. Idem dicendum est de superioribus, textus enim vniuersaliter loquitur, tam de superioribus, quàm de religiosis subditis, ibi, *Nos enim quoscumque præsumentes contrarium quouis modo, excommunicationis subiacere sententiæ volumus ipso facto, à qua nullus ab alio, quàm à Pontifice Romano possit absolutionis beneficium obtinere.* Verum tamen est, ad istam excommunicationem incurrendam requiri præsumptionem; consequenter ignorantiam excusare, quia textus vtitur verbo, *præsumentes.*

7 Assignatur subiectum istius excommunicationis.

8 Superior alicuius Ordinis nõ incurrit excommunicationẽ transferẽdo se vltra partes trãsmarinas sine licẽtia.

8 Sed modò dubium est primò, vtrùm supetior Ordinis accedens ad huiusmodi loca sine licentia, pœna istius excommunicationis obstringatur.

Respondeo negatiuè, quia textus loquitur de religiosis subditis accedentibus sine licentia superioris Ordinis; nomine autem superioris Ordinis non intelligo Guardianum, aut Rectorem Conuentus, sed Generalem, vel æqualem in iurisdictione, vel alium ab ipso delegatum ad hanc facultatem concedendam; hic enim per antonomasiam superior Ordinis nuncupatur.

9 Religiosus conferens se ad partes trãsmarinas sine licentia, excommunicationẽ incurrit, etiamsi id faciat absque prauo animo, vel scandali periculo.

9 Secundò dubium est, vtrùm religiosi accedentes sine licentia ad huiusmodi loca, absque animo inducendi aliquem in errorem, & sine scandali periculo, pœnam excommunicationis contrahant.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia licet Summus Pontifex ob huiusmodi periculum inductus fuerit ad faciendam istam constitutionem, nihilominus in dispositione generaliter loquitur; fieri enim potest, vt quis ob causam particularem moueatur ad faciendam legem vniuersalem. Tum quia, quando finis legis cessat solùm in particulari casu, lex adhuc obligat, vt docui *in tractatu de legibus*, cum probabiliori, & communiori Doctorum sententia.

QVARTA PROPOSITIO.

10 Absolutio istius excommunicationis Summo Pontifici reseruata est.

10 ABsolutio istius excommunicationis Summo Pontifici reseruata est, nam *in Extrauaganti, ad nostrũ, de regul. & transeunt. ad relig.* dicitur, *nos enim quoscumque præsumentes contrarium quouis modo, excommunicationis subiacere sententiæ volumus ipso facto, à qua nullus ab alio quàm à Romano Pontifice possit (nisi dumtaxat in mortis articulo) absolutionis beneficium obtinere.*

PVNCTVM V.

De religioso adeunte curias Principum absque superiorum suorum licentia.

QVatuor principaliter in hoc puncto explicabo.

Primò, vtrùm prefati religiosi excommunicationem aliquam incurrant adeundo curias Principum absque superiorum licentia.

Secundò, quænam sit materia istius excommunicationis.

Tertiò, quodnam sit subiectum.

Quartò, an præfata excommunicatio Summo Pontifici reseruata sit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Refertur textus, in quo ista excommunicatio cõtinetur.

1 MOnachi, & Canonici regulares, adeuntes curias Principum ad nocendum suis Prælatis, aut monasteriis, excommunicationem ipso facto incurrunt, nam *in Clementina prima, in agro, de statu Monach.* fertur excommunicatio contra Monachos, & Canonicos regulares accedentes ad curias Principum, his verbis, *Nos eorum in hac parte reprobis ausibus obuiare volentes, hoc edicto perpetuo prohibemus, ne Monachi, aut regulares Canonici administrationem aliquam non habentes, ad curias Principum absque speciali Prælatorum suorum licentia, se conferre præsumant. Quòd si, vt suis Prælatis, aut monasteriis damnum aliquod inferant, ad dictas curias se conferre præsumpserint, excommunicationis sententiam eos incurrere volumus ipso facto.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Assignatur materia istius excommunicationis.

2 MAteria istius excommunicationis est, accedere ad curias Principum, animo nocendi suis Prælatis, aut monasteriis, ex quo licet inferre ad incurrendam istam excommunicationem duas conditiones requiri.

3 Recensentur cõditiones necessariæ ad istam excommunicationẽ incurrendam.

3 Prima est accessus ad curias Principum.

Secunda est intentio nocendi suis Prælatis, aut monasteriis. Quomodo autem ista intentio, seu actus internus puniri possit pœna excommunicationis, cùm sub humanam potestatem cadere non videatur, patet ex dictis *de legibus, & de censuris in genere.*

Ex his duabus conditionibus colligi potest solutio multorum casuum.

Colligitur primò, eum non affici hac censura, qui animum habet nocendi suis Prælatis, sed seipsum ad præfatas curias non confert, vt si mittat procuratorem, vel etiam si neminem mittat; textus enim loquitur de conferentibus se, vt patet ex illis verbis, *ad dictas curias se conferre præsumpserint.*

Secundò eum, qui inchoat iter ad curias Principum, sed pœniten-

tia

tia ductus animum nocendi mutat, & curiam alio animo ingreditur, non affici excommunicatione, quia textus nõ loquitur de inchoante iter cauſa nocendi, ſed de conferente ſe ad curiam: is autem dicitur ſe ad curiam conferre, qui curiam ingreditur. Idem valet in eo, qui eo prauo animo egreſſus fuerat monaſterio, ſed morbo, aut alio impedimento detentus, non potuit curiam ingredi: hic enim non dicitur conferre ſe ad curiam Principum.

Tertiò eum, qui cauſa negotiorum, in vtilitatem monaſterij in curia agendorum, iter inchoat, ſed in itinere ſtatuit, & decernit damnum monaſterio, vel ſuis Prælatis inferre, affici excommunicatione, ſi hoc animo curiam ingrediatur.

4 Monachus, qui bono animo curiam ingreſſus eſt ſed poſtea in curia commoratur intentione damnum inferendi ſuis Prælatis, vel monaſteriis, excommunicationẽ non videtur incurrere, iuxta probabilẽ auctoris opinionẽ.

4 Maior difficultas eſt, vtrùm excommunicatione ligetur is, qui bono animo curiam ingreſſus eſt, ſed dum in curia commoratur, vult ibi permanere, vt damnum inferat. Suarez *de cenſuris diſput.* 23. *ſect.* 5. *num.* 6. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 8. *quæſt.* 6. *num.* 141. putant ligari, quia in hoc textu non tam prohibetur acceſſus ratione itineris, ſeu motus, quàm ratione exiſtentiæ, ſeu aſſiſtentiæ in curia ad nocendum. Hæc ſententia probabiliſſima eſt. Sed oppoſitum mihi probabilius videtur, quia in materia pœnali non eſt facienda extenſio vltra propriam verborum proprietatem: aliud enim eſt conferre ſe ad curias, aliud in curia exiſtere, & ſicut excommunicationem contrahit is, qui curiam ingreditur animo nocendi ſuis Prælatis, etiamſi ſtatim, ac curiam ingreſſus eſt, mutet animum; ita non debet is excommunicationem incurrere, qui bono animo curiam ingreſſus eſt, ſed animo mutato ibi perſiſtit intentione nocendi; conſequenter ſignum eſt Summum Pontificem noluiſſe excommunicatione punire perſiſtentiam in curia, ſed acceſſum ad curiam cum præfata intentione; alioquin in primo caſu excommunicatio non incurreretur, quod nullus Doctorum conceſſit, nec concedere poteſt.

5 Religioſus ad curiam Principum accedens animo dãnum inferendi ligatur excommunicatione, etiãſi nullum damnum re ipſa inferat.

5 Quartò colligitur, religioſum accedentem ad curiam Principum ſæcularium intentione damnum inferendi, ſubiici huic excommunicationi, etiamſi re ipſa nullum damnum inferat, nam hic facit actionem ſub cenſura prohibitam, etiamſi damnum re ipſa non ſequatur; actio enim prohibita ſub cenſura, eſt acceſſus animo nocendi. Ita Suarez, & Filliucius *locis citatis*, Tolet. *lib.* 1. *c.* 40. *n.* 7.

6 Religioſus accedẽs ad curias Principum intentione damnum inferendi ſuis Prælatis, vel monaſterio, ſubijcitur excommunicationi, etiamſi ad præfatas curias accedat cum licentia ſui Prælati.

6 Quintò, religioſum, qui ad curias Principum ſæcularium ſe confert animo nocendi ſuis Prælatis, vel monaſterio, in excommunicationem incidere, etiamſi fortè accedat de licentia ſui Prælati. Ratio eſt, quia licet in hoc textu præſcribatur, vt nullus monachus, vel Canonicus regularis ad curias Principum ſe conferre præſumat abſque ſpeciali licentia, nihilominus dum imponitur excommunicatio accedentibus animo nocendi, nulla de licentia fit mentio; conſequenter, ſiue accedat obtenta licentia, ſiue non obtenta licentia, excommunicationem incurrit, modò accedat eo prauo animo: duo enim prohibentur in hoc textu. Primum eſt accedere ad curias Principum ſine ſpeciali licentia, exceptis iis, qui adminiſtrationem habent, quia ipſis ſæpè opus eſt, cauſa adminiſtrationis curiam adire. Secundum eſt, accedere ad curias Principum animo nocendi ſuis Prælatis, vel monaſteriis, ſiue licentia obtenta ſit, ſiue non. Ita Panormitanus, Sylueſter, Caiet. Nauar. & alij, quos citat, & ſequitur Suarez *loco citato, num.* 6. Filliucius *loc. cit. num.* 140. Sayrus *lib.* 3. *c.* 34. *numero* 27.

7 Licentiã ſpecialem quiſnam habere cẽſeatur.

7 Is dicitur ſpecialem licentiam habere, cui à ſuperiore data eſt facultas accedendi ad curiam Principis, vel ad curias Principum. Secus ſi data ſit facultas eundi, quò velit; hæc enim non eſt licentia ſpecialis, ſed generalis: conſequenter monachus cum hac generali licentia conferens ſe ad curias Principum non excuſatur à peccato: conſequenter neque à cenſura, ſi animo nocendi accedat. Ita Sayrus *loc. cit.* & alij.

8 Religioſus quibuſnam perſonis intentionem nocendi habere debeat, vt incurrat excommunicationem latam contra accedentes ad curias Principum animo nocendi.

8 Sed modò dubium oritur, erga quas perſonas animum nocendi habere debeat is, qui ad curias ſe confert, vt cenſuram huius textus incurrat.

Reſpondeo debere animum nocendi habere ſuis Prælatis, aut monaſteriis: ibi, *vt ſuis Prælatis, aut monaſteriis.*

Ex quo ſequitur primò, accedentem ad curiam animo nocendi ſuo Abbati, vel Generali, in hanc cenſuram incurrere: vterque enim eſt ſuus Prælatus. Idem dic, ſi animum nocendi habeat toti religioni. Hoc enim pacto intẽdit etiam nocere ſuo monaſterio; damnum enim totius religionis, eſt etiam damnum ſui monaſterij, & qui prohibet damnum inferri parti, multò magis prohibet inferri toti, vt bene Suarez *loco cit. n.* 7. & Filliucius *n.* 141.

9 Religioſus accedẽs ad curiam animo nocendi alteri religioſo ſui monaſterij, qui prælatus non ſit, non affici hac excommunicatione; quia textus loquitur de habente animum nocendi ſuis prælatis, vel monaſteriis; hic autem non eſt prælatus, vt ſuppono, neque eſt monaſterium, ſeu damnum monaſterij, quia damnum particularis perſonæ non cedit in damnum religionis, vel monaſterij ſecundùm ſuam communitatem. Quòd ſi aliquando id contingit, accidentarium eſt, & alioquin non opus fuiſſet hic exprimere prælatos, quorum damnum magis in communitatem redundat, quàm damnum priuatorum.

9 Secundò ſequitur, accedentem ad curiam animo nocendi alicui

10 Religioſus habens intẽtionem nocendi alteri religioni, aut alteri monaſterio, non incidit in excommunicationẽ, 10 Religioſus habens intẽtionem nocendi alteri religioni, aut alteri monaſterio,

10 Tertiò habentem intentionem nocendi alteri religioni, aut alteri monaſterio, non affici excommunicatione, etiamſi alterum monaſterium ſit eiuſdem religionis: textus enim loquitur de nocentibus ſuis prælatis, aut monaſteriis, vbi notanda eſt illa particula *ſuis*, quæ ſtrictè, & propriè accipienda eſt, prout habet relationem ad ipſummet religioſum delinquentem. Alterum autem monaſterium eiuſdem religionis non eſt ſuum. Ita Suarez, & Filliucius *locis citatis*.

TERTIA PROPOSITIO.

11 Subiectum iſtius excommunicationis ſunt monachi, & Canonici regulares, non habentes aliquam adminiſtrationem, ſi ad curias principum accedant intentione nocendi ſuis prælatis, vel monaſteriis. Hæc propoſitio clarè conſtat ex verbis textus initio allatis.

Hinc ſequitur hac cenſura non ligari quoſlibet religioſos, ſed tantummodò monachos, & Canonicos regulares. Tum quia textus iſtorum ſolùm meminit, & verba in materia pœnali, & odioſa non ſunt amplianda, ſed reſtringenda. Tum quia fruſtrà exprimerentur Canonici regulares, cùm perſpicuum ſit omnibus, iſtos eſſe religioſos; ita communiter Doctores.

non obſtringitur excommunicationis vinculo.

12 Maior difficultas eſt primò, vtrùm omnes, & ſinguli monachi ſubiiciantur huic excommunicationi.

11 Aſſignatur ſubiectum iſtius excommunicationis.

Reſpondeo duplicem eſſe Doctorum ſententiam.

12 Monachi omnes, & Canonici regulares nõ habentes adminiſtrationem, ligantur excommunicatione dũ ad curias Principum accedunt animo nocendi ſuis Prælatis, vel monaſteriis.

Prima cenſet non omnes monachos huic excommunicationi ſubiici, ſed ſolùm nigros, id eſt, Benedictinos. Ratio eſt, quia licet textus abſolutè, & ſine limitatione loqui videatur, nihilominus, ſi attentè legatur, ſolùm de monachis nigris loquitur; nam in principio illius diſpoſitionis meminit tantummodò monachorum nigrorum, vt patet ex illis verbis, *quia verò nonnulli monachorum ipſorum*, id eſt, nigrorum, ſeu Benedictinorum, *per curias Principum vagando diſcurrunt*, &c. conſequenter dum excommunicat monachos, ad curias ſe conferentes, intelligendus eſt de illis monachis, de quibus antea locutus fuerat. Ita Angelus *verb. excommunicatio* 7. *caſu* 38. Suarez *loco cit. num.* 4. Filliucius *loc. cit. num.* 139.

Secunda ſententia, quæ mihi probabilior videtur, eſt omnes monachos huic excommunicationi ſubiici, quia textus abſolutè, & ſine limitatione loquitur. Quamuis enim Summus Pontifex ab euagatione monachorum nigrorum occaſionem arripuerit edendi hanc conſtitutionem, nihilominus dum excommunicationem impoſuit, eam indiſtinctè poſuit contra monachos, & contra Canonicos regulares, de quibus antea mentionem non fecerat. Ita Panormitanus *hic numero* 9. Sylueſter *verb. excommunicatio* 9. *num.* 78. Toletus *lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 3.

13 Vt Monachi prefatam excommunicationem incurrant debent adminiſtrationem habere.

13 Secundò difficultas eſt, vtrùm ſinguli monachi, vel regulares Canonici transferentes ſe ad curias Principum cum præfata intentione, ligentur hac cenſura.

Reſpondeo ligari, modò adminiſtrationem non habeant; textus enim de his tantum loquitur. Et licet in iis verbis, in quibus excommunicatio continetur, expreſſa mentio non fiat de habentibus adminiſtrationem, nihilominus ex ſerie, & contextu verborum clarè conſtat, textum de his loqui. Nomine autem adminiſtrationis, non intelligo ſolùm temporalem, verùm etiam ſpiritualem; textus enim abſolutè loquitur per verba excludentia quamlibet adminiſtrationem, ibi, *adminiſtrationem aliquam non habentes*; habens autem adminiſtrationem ſpiritualem dicitur aliquam adminiſtrationem habere, & ſæpe contingit, vt non ſolùm habẽtes iuriſdictionem temporalem neceſſe habeant ſe conferre ad curias Principum, verùm etiam habentes iuriſdictionem ſpiritualem, vt experientia docet, conſequenter in vtriſque militat ratio, & exceptio. Ita Gloſſa, & Panormitan. *hic*. Suarez *loc. citat. numer.* 5. contra Angelum *loc. citat.* & Cardinalem *hic*.

14 Monachus accedens ad curias Principum animo nocendi, excuſatur ab excommunicatione, ſi hoc faciat ex ignorantia.

14 Tertiò difficultas eſt, vtrùm ignorantia excuſet.

Reſpondeo affirmatiuè, quia textus loquitur de præſumentibus ſe conferre. Et hoc verum eſt, etiamſi ignorantia craſſa, & ſupina ſit, modò non ſit coniuncta cum ingenti temeritate; hæc enim comparatur ſcientiæ, vt alibi ſæpius oſtenſum eſt.

QVARTA PROPOSITIO.

15 Iſta excommunicatio Summo Pontifici reſeruata non eſt.

15 Absolutio iſtius excommunicationis, iure communi reſeruata non eſt.

Ratio eſt, quia Pontifex in præfata Clementina iſtius excommunicationis abſolutionem non reſeruauit; reſeruatio autem inducenda non eſt, niſi ſit in iure expreſſa, vt colligitur ex *ca. nuper, de ſententia excommunicationis.*

PVNCTVM VI.

De religioſo conferente ſe ad ſtudia abſque licentia ſuperioris.

QVatuor de more agam.

Primò, an præfatus religioſus excommunicationem incurrat.

Secundò, quænam ſit iſtius excommunicationis materia.

Tertiò, quodnam ſit ſubiectum.

Quartò, vtrùm iſta excommunicatio Summo Pontifici reſeruata ſit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Affertur textus, in quo iſta excommunicatio cõtinetur.

1 Religioſi accedentes ad ſtudia ſine licentia ſui prælati, & conſilio Conuentus, vel maioris partis, laqueo excommunicationis obſtringuntur, nam *in cap.* 2. *vt periculoſa, ne Clerici, vel monachi in* 6. excommunicantur religioſi profeſſi accedentes ad quæuis ſtudia litterarum, niſi à ſuo prælato cum conſilio ſui Conuentus, vel maioris partis eiuſdem, ſibi eundi ad ſtudiũ licentia primitus ſit conceſſa.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Assignatur materia iſtius excommunicationis.

2 Materia iſtius excommunicationis eſt acceſſus ad ſtudia abſque licentia ſuperioris cum conſilio Conuentus, vel maioris partis, vt patet ex verbis textus proximè citatis.

3 Acceſſus ad ſtudia cuinam cenſeatur ſub excõmunicatione prohibitus.

3 Quæres primò, quiſnam acceſſus ad ſtudia ſub excommunicatione in hoc loco prohibeatur.

Reſpondeo prohiberi illum acceſſum, quo religioſus cauſa ſtudiorum proficiſcitur extra oppidum ſui monaſterij.

Ratio eſt, quia textus loquitur de proficiſcente aliò cauſa ſtudendi. Et hoc verum eſt, ſiue intendat dare operam ſtudiis aliàs prohibitis, vt legibus, aut phyſicæ, ſiue aliàs permiſſis, vt Theologiæ, aut ſacris canonibus; textus enim generaliter loquitur, ibi, *ad quæuis ſtudia*. Ita Palud. *in* 4. *diſtinct.* 18. *quæſt.* 3. *artic.* 3. *numer.* 42. Nauar. *cap.* 23. *num.* 133. Suarez *diſp.* 23. *ſect.* 4. *num.* 35. Sayrus *de cenſuris lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 20. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 8. *quæſito* 4. *num.* 136. Sanchez *in opere*

mo-

*morali lib.6.cap.*8.*num.*79.Sanctarellus *in tract.de Apostasia cap.*2.*numer.*1. & alij communiter.

4 Religiosus accedēs ad studia sui oppidi sine licentia sui prælati, non incurrit istam excommunicationem.

4 Hinc sequitur religiosum, qui sine licentia accedit ad studia sui oppidi, non affici excommunicatione huius capitis, ex communi Doctorum sententia; & hoc verum videtur, etiamsi, dum religiosus scholas sui oppidi frequentat, extra monasterium commoretur: nam ex vi huius capitis excommunicationem non incurrit, cum textus loquatur de proficiscente aliò, quamquam aliunde fieri potest, vt grauiter peccet, manendo extra monasterium absque debita licentia, vt puncto primo ostensum est. Ita expresè Sanchez *loco citato*, *numero* 76. Sanctarellus *num.*2. idemque sentire videntur alij præcitati Doctores.

5 Religiosus non afficitur excommunicatione accedendo ad aliud monasteriū suæ religionis in quo studia exercētur.

5 Sed modò dubium est, vtrùm accedens sine licentia ad monasterium suæ religionis in alio oppido existēs, vbi sunt studia intra claustrum, afficiatur excommunicatione.

Respondeo negatiuè, quia hic non dicitur accedere ad studia; sed potius mutare cœnobium, & monasterium, nec textus intendit quamcumque profectionem absque licentia prohibere sub excommunicatione, sed profectionem ad studia extra claustrum sita. Ita communiter Doctores.

6 Religiosus transferens se ad aliud monasterium suæ religionis intentione dandi operam studiis, quæ extra monasterium exercētur, non incurrit excommunicationem si intentionē habeat degendi in monasterio suæ religionis.

6 Maior difficultas est, si transferat se ad alium suæ religionis Conuentum intentione dandi operam studiis, quæ extra monasterium existunt.

Respondeo neque in hoc casu in excommunicationem incidere, si intentionem habeat manendi in monasterio, & iuxta modum ordinarium ad scholas accedendi; hæc enim dicitur potius mutatio Cœnobij, quàm profectio ad studia. Nec ordinarius modus accedendi ad studia, habitando in proprio Conuentu, prohibitus est sub censura in hoc textu. Ita communiter Doctores. Secus dicendum est, si religiosus intentionem habeat accedendi ad aliud oppidum, in quo sunt studia, & simul manendi extra Conuentum; hæc enim est vera profectio ad studia; consequenter est materia istius excommunicationis, si fiat sine debita licentia. Idem dicendum censeo de illo, qui sine licentia ad aliud oppidum se transfert causa studiorum, animo tamen habitandi extra Conuentum, sed accedendi ad studia, quæ intra suæ religionis claustrum sunt: hic enim non dicitur mutare Cœnobium; sed ad studia proficisci, cùm in Conuentu habitare non intendat, nisi occasione studiorum. Ita Sanchez *loco cit. numer.* 75. & Sanctarellus *loco cit.n.*2.

7 Quænam licentia requiratur, vt religiosus immunis sit ab excommunicatione accedendo ad studia.

7 Quæres secundò, quænam licentia requiratur, vt religiosus in istam excommunicationem non incidat, accedendo ad studia.

Respondeo requiri licētiam proprij prælati immediatè, cum consilio Conuentus, vel maioris partis; in textu enim dicitur, *Nisi à suo Prælato cum consilio sui Conuentus, vel maioris partis*, &c. Prælatus autem, qui Conuentum habet, est Prælatus immediatus. Nomine autem prælati Conuentus non solùm intelligitur ipse Abbas, verùm etiam locum ipsius tenens, qui verè est illius religionis Prælatus. Ratio est, quia hic prælati iurisdictionem exercet, & ipsius vices in omnibus gerit, vt suppono. Ita Tabiena *verb.excommunicatio 5. casu* 23. & alij, quos citat & sequitur Sayrus *lib.3.cap.*33. *num.* 23. Sanchez *loco cit.n.*88. & Sanctarellus *n.*3.

Hæc tamen intelligenda sunt, modò prælatus immediatus, vel ipsius locum tenens per constitutiones religionis non prohibeatur hanc facultatem concedere cum consilio Conuentus; Summus enim Pontifex non videtur velle constitutionibus derogare, seu facultatem ampliare, sed potiùs restringere, & coarctare, vt si facultatem concedendæ huiusmodi licentiæ habeant, nequeant eam concedere sine consilio Conuentus, vel maioris partis. Ita Suarez *de censuris disput.*23. *sect.*4.*n.*37. vbi sic loquitur: In religionibus, in quibus prælatus non habet hanc potestatem, nec cum consensu Capituli poterit dare hanc facultatem, quia hoc ius non intendit illis dare potestatem, sed illa supposita, ponit modum in vsu; consequenter vbi hoc fuerit reseruatum generali, vel prouinciali, ad illum pertinebit dare hanc facultatem. Idem tenet Sanchez *loco cit.num.*27. *ad finem.* Subdit tamen Suarez, eum, qui facultatem obtinuit à suo prælato cum consilio Conuentus, excusari ab excommunicatione huius textus, etiamsi prælatus, iuxta institutū suæ religionis nequeat hanc facultatem concedere. Ratio est, quia licet hæc licentia non sufficiat, iuxta constitutiones religionis, nihilominus sufficit ad euitandam istam excommunicationem, quod duplici ratione probatur, tum quia seruatur forma istius textus. Tum quia accedens ad studia cum huiusmodi licentia, non dicitur temerarius violator istius canonis. Verùm quid ego sentiam explicabo *dubio* 2. *num.*9.

8 Generalis aut Prouincialis potest facultatem concedere religioso sibi subdito accedēdi ad studia

8 Sed modò dubium est primò, vtrùm sufficiat licentia Generalis, aut Prouincialis. Ratio dubitandi pro parte negatiua est; quia in textu præscribitur licentia prælati Conuentus, ibi, *A suo Prælato cum consilio sui Conuentus.* Generalis autem, vel Prouincialis, propriè loquendo, non habet Conuentum.

His non obstantibus,

Respondeo Generalem, & prouincialem posse hanc facultatem concedere. Ratio est, quia non minori potestate gaudet Generalis, vel prouincialis, quàm Abbas, seu prælatus Conuentus. Idem dic de Episcopo respectu religiosorum non exemptorum, nisi aliud ferant ipsorum constitutiones; nam Episcopus est superior immediato prælato non exempto, sicut est Generalis respectu exempti. Ita Sylvest. *n.*55. Sanchez *n.*87. & Sanctarell. *loc.cit.n.*3.

Addo Generalem, aut prouincialem, vel etiam Episcopum in casu proposito, posse hanc facultatem concedere absque consilio Conuentus. Ratio est, tum quia Generalis, aut prouincialis non dicitur propriè habere conuentum; dum autem textus requirit consilium Conuentus, loquitur de prælato proximo, & immediato, qui Conuentum habet. Tum quia Summus Pontifex voluit solùm prælati immediati potestatem arctare, vt in concedenda exeundi facultate maturo consilio procedat. Ita Nauarr. *cap.*27. *numer.*133. Caiet. *verb. excommunicatio cap.*61. Azor. 1. *part. lib.*12. *cap.*13. *qu.*5. Sayrus *loc.cit.* *numero* 21. Sanchez *numero* 77. Suarez *num.*73. & alij communiter.

9 Religiosus accedēs ad studia ex licentia inualida non eximitur ab excommunicatione.

9 Secundò dubium est, vtrùm ad excusandum ab hac censura sufficiat licentia inualidè obtenta, vt si obtenta sit per dolum, vel metum grauem, vel à superiore non habente facultatem eam concedendi, vt si Prælatus per constitutiones suæ religionis nequeat hanc facultatem concedere.

Respondeo huiusmodi licentiam non sufficere. Ratio est, tum quia idem est, facere aliquid cum licentia inualida, ac facere sine licentia. Tum quia sicut contrahens matrimonium cum consanguinea intra gradus prohibitos incurrit excommunicationem, siue contrahat absque vlla prorsus licentia, siue contrahat cum dispensatione inualida, modò ignorantia non excuset, *Clement.*1. *de consanguinitate, & affinitate*; ita excommunicationem incurrit religiosus, qui studia petit absque vlla licentia, vel cum licentia inualida, siue licentia inualidè obtenta sit à prælato immediato, siue à mediato, vt à prouinciali, vel Generali; militat enim in omnibus eadem ratio, licet non eadem in omnibus forma seruanda sit, cùm ad licentiam prælati immediati requiratur etiam consilium Conuentus, vel maioris partis; ad licentiam verò Prælati mediati non requiratur huiusmodi consilium, vt dictum est *numero præcedenti.* Quamobrem Summus Pontifex in hoc textu duo requirere videtur. Primum est, vt religiosus studia non petat absque licentia, ne vagandi ansa tribuatur. Alterum est, vt dum licentia à prælato immediato petitur, simul etiam consilium Conuentus petatur. Ita Sanchez *loco cit.num.*79. & Sanctarellus *num.*5. quamuis Suarez *num.*73. dissentiat in casu, quem ex ipso attuli *quæsito* 2. *ad finem num.*7.

10 Consilium sufficit, vt petitum sit à maiori parte Conuētus, etiamsi non adsit consensus, dum superior concedit religioso facultatem eundi ad studia.

10 Quæres tertiò, vtrùm dum licentia accedendi ad studia obtinetur à Prælato immediato cum consilio Conuentus, satis sit, vt prælatus consilium Conuentus, seu maioris partis audierit, an etiam necesse sit, vt Conuentus, aut maior eius pars consenserit.

Respondeo non requiri consensum, sed sufficere consilium Conuentus, seu maioris partis. Ratio est, quia in textu non dicitur, cum consensu, sed *cum consilio*; dum autem consilium ad aliquam rem præscribitur, satis est illud petere, & expectare, non verò est obligatio illud sequendi, vt docui de matrimonio', dum loquerer de matrimonio contracto à filiofamilias absque consensu patris; quod præsertim valet in hac materia, quæ onerosa est, & pœnalis, consequenter non amplianda. Ita Francus *hic, n.*3. & 5. Suarez *tom.*5. *disp.*23. *sect.* 4. *num.*37. vbi refert Nauarrum, & Caietanum, contra Sanchez *n.*82. Sayrum *lib.*3. *cap.*33. *num.*20. Sanctarell. *loc.cit. numer.*8. & alios apud Sanchez *loc.cit.*

11 Non est necesse totum Conuentum conuocare dum alicui religioso concedenda est facultas exeundi ad studia.

11 Rogabis, vtrùm necesse sit conuocare totum Conuentum ad consilium petendum.

Respondeo, præcisa peculiari religionis constitutione, satis esse maiorem Conuentus partem conuocare, quia in textu dicitur, *cum consilio Conuentus, vel maioris partis*, frustrà autem conuocaretur totus Conuentus; cùm totius Conuentus consilium necessarium non sit. Ita Suarez *loc.cit.* contra Monachum *in expositione huius textus n.*2. & Sanchez *num.*80.

12 Religiosus non eximitur ab excommunicatione, dum egreditur ad studia non conuocato Conuentu, etiamsi alioquin adsit consiliū maioris partis religiosorum.

12 An autem sufficiat petere consilium à maiori parte religiosorum, non conuocato Conuentu, constat ex alibi dictis non sufficere, quia hoc non est consilium Conuentus, sed singulorum.

TERTIA PROPOSITIO.

13 Assignatur subiectum istius excommunicationis.

13 SVbiectum istius excommunicationis, sunt omnes religiosi professi subditi prælato immediato Conuentus, accedentes ad studia sine debita licentia, textus enim de his indistinctè loquitur.

Hinc sequitur primò nouitium non affici hac censura, quia textus loquitur de professo, vt patet ex illis verbis, *tacitè, vel expresè professus.*

Secundò religiosum Societatis Iesu affici hac censura, si studia sine debita facultate petat. Ratio est, quia religiosus Societatis Iesu emissa post biennium professione est verè religiosus professus, consequenter tenetur oneribus religiosorum; consequenter si ad studia accedere velit, licentiam habere debet à legitimo Superiore, vt à Rectore, Prouinciali, vel Generali. Ita Sanchez *n.*74.

14 Prælatus monasterij non afficitur excommunicatione accedendo ad studia sine licentia.

14 Tertiò prælatum monasterij non affici hac censura proficiscendo ad studia sine licentia, etiamsi fortè aliunde peccet. Ratio est, quia hæc licentia necessaria est religioso, qui subditus est prælato habenti Conuentum, vt patet ex illis verbis, *à suo Prælato, cum consilio sui Conuentus*; huiusmodi autem prælatus non est subditus prælato habenti Conuentum. Ita Nauar. *c.*27. *num.*133. Sayrus *loc. cit. num.*22. Suarez *numer.*38. Filliucius *tract.*14. *cap.*8. *quæsito* 4. *numer.*136. Azor *loc. cit. quæsito* 5. *casu* 16. Sanchez *numero* 85. Sanctarellus *loc. cit. numero* 7. & alij apud præcitatos DD. contra Sylvestrum *verb.excommunic.*9. *casu* 25. *num.*55.

Ex dictis colligi facilè potest, quænam conditiones requirantur, vt religiosus excommunicationem huius textus contrahat.

Prima est, vt sit religiosus professus. Secunda, vt accedat ad studia, quæcumque illa sint, absque licentia Prælati, & consilio Conuentus, vel maioris partis. Nonnulli DD. vt Armilla *verb.excommunic. casu* 53. *ad finem*, addunt requiri, vt accedat habitu dimisso. Sed hoc falsum est, vt probaui *punct.*2. *num.*30.

QVARTA PROPOSITIO.

15 Absolutio istius excommunicationis reseruata non est.

15 ABsolutio istius excommunicationis iure communi Summo Pontifici reseruata non est. Ratio est, quia nullibi reseruata reperitur.

PVNCTVM VII.

De Religioso monasterio egrediente ad audiendas leges, vel medicinam.

QVatuor explicabo.

Primò, an incurrat excommunicationem.

Se-

Secundò, quænam ſit materia iſtius excommunicationis.
Tertiò, quodnam ſit ſubiectum.
Quartò, an eius abſolutio reſeruata ſit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Aſſignatur textus, in quibus interdicitur religioſis exitus à clauſtro ſub excommunicatione, & huius excommunicationis materia aſſignatur.

1 REligioſus è clauſtro exiens ad audiendas leges, vel medicinam, ſubiicitur excommunicationi, niſi ad clauſtrũ intra bimeſtre redeat. Namvt euagãdi, & ſtudiis à religioſo ſtatu alienis implicandi ſe, occaſio religioſis auferretur, Alexander III. *in cap. non magnopere, ne clerici, vel monachi*, excommunicationem impoſuit religioſis exeuntibus ad phyſicam, vel leges audiendas, & intra duos menſes non redeuntibus: quam excommunicationem Honorius III. *in cap. ſuper ſpecula, eodem tit.* confirmauit, auxit, & ad clericos extendit, vt infra oſtendam.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Aſſignatur materia iſtius excommunicationis.

2 MAteria iſtius excommunicationis ſunt duæ actiones in his textibus expreſſæ, & religioſis prohibitæ.

Prima actio eſt, è clauſtro exire ad audiendas leges, vel phyſicam.

Nomine phyſicæ intelligitur medicina, nomine legum intelligitur ius ciuile, interpretatio iuris communis, inſtitutionum ciuilium, ſtatutorum alicuius Regni, Prouinciæ, vel ciuitatis.

Hinc ſequitur, religioſum phyſicæ, vel medicinæ ſtudentem in clauſtro, non affici pœna excommunicationis; quia nõ dicitur clauſtro exire ad audiendam phyſicam, vel leges.

3 Exire de clauſtro quiſnam dicatur.

3 Sed modò dubium eſt, quid ſit exire de clauſtro ad audiendas leges, vel medicinam. Dubium enim eſt, vtrùm ſatis ſit egredi monaſterio, & in eodem oppido prædictas ſcientias audire, & ad monaſterium finita lectione redire, vel opus ſit aliò ſe transferre ad habitandum, aut degere extra monaſterium, ibique præfatis ſcientiis ſtudere.

Reſpondent Suarez *de cenſuris diſp.23. ſect.3. num.11.* Filliucius *tract.14. cap.8. quæſito 2. num.128.* ſatis eſſe exire, & in eodem oppido præfatas ſcientias audire, & redire. Ratio eſt, tum quia iſta conſtitutio nullius ferè momenti eſſet, cùm religioſi non conſueuerint alia ratione de clauſtris ad audiendas doctrinas, etiam ſacras exire. Tum quia Honorius III. *in cap. ſuper ſpecula*, eamdem excommunicationem extendit ad clericos ſæculares, præfatas doctrinas audientes; ergo eadem ratione videtur voluiſſe prohibere viris religioſis, etiãſi ad alium locum non ſe conferant ad habitandum.

4 Religioſus audiẽs medicinã, vel leges in eadem ciuitate non incurrit excommunicationẽ.

4 Sed mihi probabilior videtur opinio Caietani *verbo excommunic. num.50.* Nauarr. *in Manuali cap.21. num.107.* Toleti *lib.1. cap.38. num.6.* Sayri *lib.3. cap.23. num.2.* & Sanctarelli *in tract. de apoſtaſia c.2. num.19.* aſſerentium religioſum non incurrere pœnam excommunicationis, audiẽdo medicinam, aut leges in eadem ciuitate, ſi domum ſerò redeant. Ratio eſt, quia præfati Pontifices excommunicationem ferunt contra religioſos exeuntes ad præfatas ſcientias audiendas, niſi ad clauſtrum ſuum intra duorum menſium ſpatium redierint. Ergo indicare videntur, opus eſſe, vt exeant ad habitandum extra clauſtrum; nam qui in monaſterio habitant, & ad ſcholas publicas accedunt, quotidie ad clauſtrum redire ſolent, vel ſaltem redeunt intra duos menſes.

Ad rationes in contrarium reſpondeo, ſatis eſſe, vt iſta excommunicatio locum habeat in iis caſibus, quibus verba textus accommodari poſſunt. Ex quo patet differentia inter religioſos, & clericos hiſce ſtudiis operam nauantes, de quibus ſuo loco: nam in materia cenſurarum non eſt argumentandum à pari, vel à fortiori; ſed verbis diſpoſitionis ſtandum eſt, vt idem Suarez pluribus in locis *de cenſuris* concedit.

5 Religioſus exiens de clauſtro alia de cauſa quã occaſione audiendi phyſicam, vel leges, non incurrit excommunicationem.

5 Secundò dubium eſt, vtrùm ad incurrendam iſtam excommunicationem opus ſit, vt religioſus exeat intentione audiendi præfatas ſcientias.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia in textu dicitur, vt nõ permittantur ad has ſcientias audiendas exire. Si ergo alia de cauſa exeant, contra iſtam conſtitutionem non faciunt, licet aliunde peccent pro qualitate finis, cuius gratia egrediuntur. Ita communiter DD. Idem dicendum videtur, ſi principaliter alia de cauſa exeant, & minùs principaliter ob præfatas ſcientias; actio enim ſpecificatur à fine principali. Quamobrem non ſolùm à cenſura, verùm etiam à peccato excuſatur religioſus, qui monaſterio egreditur, vt ſua præſentia honoret amicum, cõcluſiones publicè ſuſtinentem, aut lecturam de legibus, aut de medicina inchoantem. Ita Sayrus *lib.3. cap.33. num.3. ad finem*, Panorm. *in cap. ſuper ſpecula*, Toletus *lib.1. cap.38. num.8.* Sanctarellus *loco cit. n.16.* & alij communiter.

6 Religioſus non exiens animo audiẽdi medicinam, vel leges, non videtur in excõmunicationem incidere, etiamſi poſtea extra clauſtrũ permaneat animo eas audiendi.

6 Maior difficultas eſt, vtrùm religioſus, qui non exiuit animo audiendi præfatas ſcientias, ſed poſtea mutata voluntate permanet extra clauſtrum, principaliter animo eas audiendi, ſicque poſt huiuſmodi voluntatis mutationem duos menſes extra clauſtrum moratur, in hanc excommunicationem incidat. Reſpondet affirmatiuè Panormit. *in cap. non magnopere, ne clerici, vel monachi*, Suarez *diſp.23. ſect.3. num.15.* Filliucius *tract.14. cap.8. quæſ.2. num.127.* Sayrus *libr.3. cap.33 num.3.* & alij communiter. Ratio, eſt, quia licet prior exitus ad hoc ordinatus non fuerit, tamen exiſtentia extra monaſterium ad hoc ordinata fuit, & hoc eſt, quod Summus Pontifex principaliter prohibere intendit, licet verbis ſufficienter non expreſſerit.

Sed mihi probabile videtur non incidere in excommunicationem. Ratio eſt, quia diſpoſitio pœnalis non videtur extendenda vltra mentem diſponentis verbis expreſſam: mens autem diſponentis verbis expreſſa iſtam extenſionem non admittit, cùm non loquatur ſimpliciter de exiſtentibus extra monaſterium animo ſtudendi præfatis ſcientiis; ſed de egredientibus eo animo, & ſimul extra monaſterium hoc animo perſiſtentibus ſpatio duorum menſium. Quamobrem ipſemet Suarez, Filliucius, Sayrus, & alij DD. communiter ad iſtam excommunicationem incurrendam, duas ſaltem conditiones requirunt. Prima eſt, vt religioſi exeant de clauſtris ſuis intentione audiendi præfatas diſciplinas. Secunda, vt ad clauſtrum intra duos menſes non redeant; nos autem ſupponimus, religioſum hoc animo egreſſum non fuiſſe; conſequenter defectu primæ conditionis in excommunicationem non incurrere probabiliter exiſtimamus: quamquam oppoſita ſententia tutior eſt, & in praxi ſecurior.

Hinc patet reſponſio ad rationem Suarez, & aliorum.

7 Religioſus, qui clauſtro exiuit animo audiẽdi phyſicã, aut leges, excommunicationẽ incurrit, etiamſi poſtea illas non audiat, modo ad monaſterium intra duos menſes nõ reuertatur.

7 Tertiò dubium eſt, vtrùm religioſus, qui clauſtro egreſſus eſt animo audiendi præfatas ſcientias, ſed re ipſa non audiuit, hanc cenſuram incurrat.

Reſpondeo affirmatiuè, modò intra duos menſes ad monaſterium non reuertatur. Ratio eſt, tum quia alioquin ſequeretur religioſum, qui integros duos menſes conſumpſit in itinere intentione audiendi præfatas ſcientias in Academia maximè diſtanti, non ligari hac cenſura. Tum quia iſta excommunicatio non eſt lata contra religioſos audientes, ſed contra religioſos egredientes animo audiendi præfatas ſcientias, & non redeuntes intra duos menſes. Ergo cenſura incurritur, etiamſi auditio non ſequatur; adeſt enim effectus completus ſub cenſura prohibitus, etiamſi auditio non ſequatur. Ita Suarez *loco cit. n.14.* & Sanctarellus *de apoſtaſia c.2. n.17.* contra Caietanum *verb. excommunicatio, cap.50.* vbi cenſet auditionem requiri ad iſtam excommunicationem incurrendam.

8 Religioſus monaſterio egreſſus intentione audiendi medicinã, vel leges, excommunicationẽ incurrit, etiamſi poſtquam egreſſus eſt, mutauerit intẽtionem illas audiendi.

8 Addo cum Panormitan. *in cap. non magnopere, ne clerici, vel monachi*, contra Suarez, Sayrum, Toletum, Sanctarellum, & alios, præfatum religioſum excommunicatione ligari, etiamſi poſt exitum è clauſtro intentionem mutauerit audiendi præfatas ſcientias. Ratio eſt, quia mutatio voluntatis non tollit in hoc caſu materiam excommunicationis; materia enim excommunicationis eſt, egredi animo audiendi præfatas facultates, & non reuerti intra duos menſes; in textu enim dicitur, *Si exierint, & non redierint*; non autem dicitur, ſi non mutauerint animum.

Hinc ſequitur, religioſum, qui animo audiendi præfatas ſcientias monaſterio egreſſus eſt, & poſtea mutata voluntate extra monaſterium degit, vt rebus ludicris, vel etiam ſeriis, vel etiam Theologiæ incumbat, ligari cẽſura huius excommunicationis, quia adſunt conditiones requiſitæ ad iſtam excommunicationem incurrendam. Contraria tamen opinio Suarez, & aliorum probabilis eſt, & verosimili diſponentis voluntati innixa, vt patebet ex obiectione ſtatim afferenda.

Obiicies, ſicut legiſlator non intendit pœna quoſlibet clauſtro exeuntes punire, ſed exeuntes ad hunc finẽ; ita neque intendit perſeuerantes punire, niſi quatenus ad hunc finem perſeuerant; hoc enim ſignificari videtur illo verbo negatiuo, *non redeundi.* Ergo religioſus non ligatur excommunicatione ſi mutata poſt monaſterij egreſſum voluntate, non intendit legibus, aut phyſicæ operam dare.

Reſpondeo negando paritatem antecedentis propoſitionis; Summus enim Pontifex ad incurrendam excommunicationem exigit egreſſum eo animo factum: ad excuſandum autem non expreſſit mutationem illius voluntatis ſufficere, niſi actu redeat; actualis autem regreſſus non contingit ſola mutatione voluntatis; quamobrem ſicut religioſus deliquerat, & excommunicationis periculo ſe expoſuerat exeundo cum animo audiendi leges, aut phyſicam, ita par eſt, vt periculum purget non ſola mutatione voluntatis, ſed actuali regreſſu.

9 Religioſus egrediens monaſterio ad docendum medicinã, vel leges, non incurrit excommunicationem, iuxta communiorem Doctorum ſententiã.

9 Quartò dubium eſt, vtrùm religioſus exiens ad docendum præfatas facultates, iſtam excommunicationem contrahat.

Reſpondent affirmatiuè S. Ant. Hoſtienſ. Archidiac. Sylu. apud Suarez *diſp.23. ſect.3. num.17.* Ratio eſt, quia Alexander XIII. in Concilio Turonen. *in cap. non magnopere, ne Clerici, vel Monachi*, diſertis verbis excommunicat religioſos exeuntes ad legendam phyſicam, aut leges, ibi, *Statuimus, vt nulli omnino poſt votum religionis, & poſt factam in aliquo loco religioſo profeſſionem, ad phyſicam, legeſue mundanas legendas permittantur exire.* Verbum autem, *legere*, potius ſignificat docere, quàm audire.

Ego verò cum benigniori, & communiori Doctorum ſententia cenſeo religioſum exeuntem ad docendum leges, vel phyſicam, non ligari excommunicatione. Ratio eſt, quia Honorius III. *in cap. ſuper ſpecula, citato*, loquitur ſolum de exeuntibus ad audiendum leges, vel phyſicam; imo refert excommunicationem Alexandri III. tamquam latam in audientes, non verò in docentes, ibi, *Contra religioſas perſonas de clauſtris exeuntes ad audiendas leges, vel phyſicam, Alexander prædeceſſor noſter ſtatuit in Concilio Turonen. vt niſi infra duorum menſium ſpatium ad clauſtrum redierint, ſicut excommunicati ab omnibus euitentur.* Cùm ergo Honorius loquatur ſolum de audientibus, & ſimul affirmet Alexandrum de audientibus locutum fuiſſe, proculdubio dicendum videtur religioſos docentes non affici pœna excommunicationis. Ita Nauarrus *cap.27. num.116. verſ.6.* Toletus *lib.1. cap.38. num.16.* Suarez *loco cit. num.17.* Filliucius *loco cit. num.129.* Sanctarellus *num.18.* Panormit. & alij apud Suarez *loco citato.*

10 Docens leges, vel medicinã coram religioſo nõ grauiter peccat, nec excommunicationẽ incurrit.

Ad rationem contrariæ ſententiæ,

Reſpondeo verbum, *legere*, poſitum in conſtitutione Alexandri, idem eſſe, ac ſtudere, tum quia aliquando ſic vulgò accipitur. Tum quia Honor. III. ita interpretatus eſt.

10 Quintò dubium eſt, vtrum peccet, vel excommunicationem incurrat is, qui leges, vel phyſicam docet coram religioſo.

Reſpondeo negatiuè, niſi fortè religioſus habitum dimiſerit, vt infra explicabo; & hæc circa primam actionem.

11 Religioſus, qui clauſtro egreſſus eſt animo audiendi leges, vel phyſicam, non incurrit excommunicationem, ſi intra duos menſes ad clauſtrum redeat.

Secunda actio, ſeu potius omiſſio in hoc textu prohibita eſt, non reuerti intra duos menſes, vt patet ex vtroque textu ſupra citato.

11 Sed modò dubium eſt primò, vtrùm religioſus, qui clauſtro exiit animo audiendi leges, vel phyſicam, liber ſit ab excommunicatione, ſi intra duos menſes redeat.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia cenſura ſub conditione lata non incurritur, non adimpleta conditione; hæc autem excommunicatio lata eſt ſub conditione, niſi religioſi ad clauſtrum intra bimeſtre redeant, ibi; *ſi verò exierint, & ad clauſtrũ ſuum infra duorum menſium ſpatium non redierint, ſicut excõmunicati ab omnibus euitetur.*

Eodem

Eodem pacto intelligendum est *c. super specula*, in quo Honorius III. ad tollendas varias quorumdam opiniones clarioribus verbis eamdem excommunicationem ipso facto iniunxit. Ita communiter DD. Quamquam nō improbabiliter sustineri potest religiosos solo egressu excommunicationem incurrere, ob verba textus *in cap. super specula cit.* ibi, *nos volentes, vt de cetero ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.* Verùm responderi potest excommunicationem ipso facto incurrere, nisi intra bimestre redierint; hoc enim spatium ibi non excluditur, cùm Honorius referat constitutionem Alexandri, & illam non reuocet, sed confirmet, & clariùs indicet excommunicationem ipso facto incurri, lapso scilicet bimestri, iuxta constitutionem Alexandi, quam ipse refert.

12 Tempus, seu spatium duorum mensium, intra quod religiosus ad monasterium redire debet, vt ab excōmunicationis vinculo sit exemptus, quo die computādum sit.

12 Secundò dubium est, à quo die computandum sit spatium duorum mensium, intra quod si religiosi ad claustrum non redierint, excommunicatione ligantur.

Respondet Glossa *in c. super specula. versic. duorum*, computandum esse à tempore scientiæ huius constitutionis, siue publicationis.

S. Antoninus *3. parte tract. 24. cap. 52.* & alij putant numerandum esse à die, qua religiosi leges, vel physicam audire incipiunt. Cùm enim egressus à monasterio non sit interdictus, nisi per ordinem ad auditionem prædictarum facultatum, metiendum videtur tempus à die, qua religiosi dictas facultates audire incipiunt.

Ego verò cum probabiliori, & communiori DD. sententia existimo tempus computandum esse à die, qua religiosus egreditur ad præfatas scientias audiendas. Ratio est, tum quia spatium inchoandum est à tempore transgressionis; transgressio autem inchoatur ab ipsomet egressu à monasterio. Tum quia in textu dicitur, *Si exierint, & infra duorum mensium spatium non redierint.* Clarè igitur indicatur initium ab exitu è claustro desumendum esse. Ita Panorm. *cap. super specula. n. 8.* Suarez *loco cit. n. 16.* Filliuc. *loco cit. n. 129.* Sayrus *lib. 3. c. 33. n. 4.* Sanctarellus *loco cit. num. 20.* Angelus, Sylvest. Tabiena, & alij apud præcitatos Doctores.

TERTIA PROPOSITIO.

13 Assignatur subiectum istius excommunicationis.

13 SVbiectum istius censuræ sunt omnes, & singuli religiosi exeuntes è claustro ad præfatas facultates audiendas, nisi intra duos menses redierint. Ratio est, quia *in cap. non magnopere*, dicitur, *statuimus, vt nulli omnino post votum religionis*, &c. quæ loquendi forma generalissima est.

Hinc sequitur primò, huic censuræ subiici religiosos, non solum antiquarum, verùm etiam recentiorum religionum. Ratio est, quia etiam isti sunt veri religiosi, & lex semper loquitur, & successores afficit. Ita Sanchez, & alij, quos retuli puncto secundo de excommunicatione lata contra religiosos habitū suæ religionis dimittentes.

Secundò, Patres Societatis Iesu, si contra istam constitutionem delinquant, in excommunicationem incidere, quia sunt veri religiosi, vt patet ex constitutione Gregor. XIII. quæ incipit, *Ascendente.* Suarez *num. 9.* Filliucius *num. 127.* Sanchez *lib. 6. cap. 8. n. 74.*

14 Nouitius non incurrit excommunicationē exeundo è claustro ad audiendas leges, vel medicinā.

14 Tertiò, nouitios ab hac censura immunes esse, tum quia non sunt, propriè loquendo, religiosi. Tum quia *cap. non magnopere*, loquitur de religiosis post factam professionem.

15 Votum habens ingrediendi religionem nō incurrit excommunicationē audiendo leges, vel medicinā.

15 Quartò, habentem votum ingrediendi religionem non incidere in hanc censuram, quia nondum est religiosus; consequenter neque oneribus religiosorum afficitur.

Obiicies, *in cap. non magnopere citato*, non solùm fertur excommunicatio contra religiosos professos, verùm etiam contra habentes votum religionis, ibi, *vt nulli post factum votum religionis, & post factam in aliquo loco professionem.* Ergo habentes votum religionis incidere possunt in hanc censuram.

Respondeo, illa verba esse synonyma, & sequentia apponi ad declaranda magis præcedentia. Alias responsiones afferunt Suarez *n. 9.* & Panormitanus, quæ apud ipsos videri possunt, si lubet.

16 Superior religiosorū non potest religiosis facultatem concedere audiendi leges, vel medicinā.

16 Sed modò dubium superest, vtrùm superior religiosorum possit in hac re cum suis religiosis dispensare.

Respondeo negatiuè. Ratio est, tum quia inferior non potest in lege superioris dispensare, nisi dispensandi facultas ei concedatur. Tum quia in textu dicitur, *nulli omnino permittantur exire*, vbi notanda est illa dictio *omnino*, quæ dispensationem prohibere videtur. Imò illa verba directè ad Prælatos religiosorum diriguntur, & prohibitionem continent permittendi, quemquam exire ad præfatas facultates audiendas; ipsi tamen superiores permittentes religiosos exire non incurrunt excommunicationem ipso facto latam; quia in præfatis textibus contra ipsos nō extat huiusmodi excommunicatio.

QVARTA PROPOSITIO.

17 Absolutio istius excommunicationis reseruata non est.

17 ABsolutio istius excommunicationis Summo Pontifici reseruata non est, quia nullibi reseruata reperitur; consequenter regulis generalibus, quas tradidi de censuris in genere, standum esse censeo.

PVNCTVM VIII.

An etiam Magistri, seu Doctores ligentur excommunicatione docendo religiosum leges, vel medicinam, aut in scholis retinendo.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Afferuntur textus, in quibus ista censura continetur.

1 MAgistri, seu Doctores, qui religiosum postquam dimisit habitum, medicinam, aut leges docere, aut in scholis retinere præsumunt, excommunicationis pœna ipso facto puniuntur; nam *in cap. vt periculosa, ne cler. vel monach. in 6.* duplex habetur excommunicatio.

Prima est, contra ipsos religiosos, qui habitum suæ religionis temerè dimittunt, vel ad studia litterarum sine licentia Prælati, & consilio Conuentus, vel maioris partis eiusdem accedunt, & de hac excommunicatione supra diserui.

Secunda est, contra magistros, seu Doctores, *qui religiosos, habitu suo dimisso, legem, vel physicam audientes scienter docere, aut in scholis suis præsumpserint retinere.* Hæc sunt ipsissima præfati capitis verba.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Enumerantur actiones sub excommunicatione prohibitæ.

2 ACtiones sub præfata excommunicatione prohibitæ sunt duæ.

3 Docens scienter leges, vel physicam religiosum professum post dimissionem habitus excommunicationem incurrit.

3 Prima est, scienter docere leges, vel physicam, id est, medicinam præfatos religiosos professos, qui suæ religionis habitum dimiserunt, & hoc verum est siue doceantur in scholis, siue extra scholas, quia in hoc ca. excommunicantur absolutè docentes huiusmodi religiosos. Quoad retinentes verò exigitur, vt in scholis retineant, vt bene Archid. Franc. Ioan. Andreas, & alij *in expositione huius textus*, quibus adhæret Sanchez *in opere morali lib. 6. ca. 8. n. 94.*

Hinc colligi potest primò, eum, qui præfatas scientias docet religiosum, qui habitum non dimisit, non incidere in excommunicationem istius canonis.

Secundò, eum non affici hac pœna, qui religiosum, postquam habitum dimisit, docet Theologiam, aut alias facultates, quæ nomine legum, vel medicinæ non veniunt.

Tertiò, eum non ligari vinculo excommunicationis, qui religiosum professum docet, quem ignorabat habitum dimisisse, siue ignorantia sit iuris, siue facti, siue ignorantia sit crassa, & supina, siue etiam affectata, licet multi DD. de ignorantia affectata oppositum valde probabiliter sentiant. Ratio istarum illationum est, quia Summus Pontifex *in præcitato cap.* requirit, vt religiosus habitum dimiserit, ibi, *habitu suo dimisso*; præterea, vt magister doceat illum leges, vel medicinam, ibi, *leges, vel physicam*; denique, vt magister scienter doceat, ibi, *scienter docere.* Is autem dicitur scienter docere, qui non laborat ignorantia iuris, vel facti, etiamsi fortè religiosus ea laboret. Is autem non dicitur scienter docere, qui aliqua ignorantia laborat, nisi fortè adsit ingens temeritas, vt si Doctor probabiliter suspicetur, & nolit veritatem certò inquirere. Ita Nauarrus *in Manuali cap. 27. numero 134. vers. 17.* Caietanus *verbo excommunicatio cap. 61.* Suarez *disp. 23. sect. 4. numero 39.* Filliucius *tract. 14. cap. 4. quæsito 11. n. 63.* Sayrus *cap. 35. n. 5.*

4 Quænā conditiones requirantur ad istam excommunicationem incurrendam.

4 Hinc facilè colligi potest solutio illius difficultatis, qua quæritur, quænam conditiones requirantur, vt aliqua ex præfatis actionibus sufficiat ad incurrendam censuram huius capitis.

Respondeo tres conditiones requiri. Prima est, vt magister doceat religiosum medicinam, aut leges.

5 Legum nomine quid intelligatur.

5 Nomine autem legum intelligendum puto ius ciuile, non autem canones, quia istorum studium non dedecet religiosum.

Secunda, vt scienter doceat, vel retinere præsumat in scholis suis, vt dicetur in explicatione secundæ actionis.

Tertia, vt religiosus, qui docetur, vel retinetur, habitum dimiserit. Ita communiter DD. contra glossam *hic verbo dimisso.*

Ex quo sequitur eum, qui docet, vel retinet religiosum apostatam, à quo habitus nondum fuit dimissus, vinculo huius excommunicationis non obstringi, quia deficit tertia conditio.

Dices, ipse religiosus, qui ad huiusmodi studia accedit sine sui Prælati licentia, ligatur excommunicatione, etiamsi habitum non dimiserit, *cap. vt periculosa, cit.* Ergo etiam illa obstringitur Doctor, qui eum admittit, cùm delicto ipsius cooperetur.

Respondeo negando consequentiam, nisi præfatus religiosus denuntiatus sit excommunicatus: nam post Concilium Constantiense non incurritur excommunicatio participando cum excommunicato tolerato, vt alibi dictum est, & infra etiam fusius ostendam.

Dixi, *nisi sit denuntiatus*: nam si denuntiatus sit ob istud crimen, excommunicationem incurrit, quia participat in crimine criminoso. *cap. nuper. de sententia excommunicationis.* Ita Nauarrus *cap. 27. numero 134.* Suarez *numero 36.* Sanchez *lib. 6. cap. 8. numero 90.* & alij. Imò in tali euentu si doceat huiusmodi excommunicatum, post dimissum habitum, duplicem excommunicationem incurrit, vnam *in cap. nuper*, & alteram in hoc textu *cap. 2. ne cleric. vel Monach.* vt bene Sanchez *loc. cit.*

6 Doctor, seu magister detinens religiosum in suis scholis, qui habitum dimisit, excommunicationem incurrit, etiamsi ea non doceat.

6 Secunda actio est, præsumere præfatum religiosum in suis scholis retinere, etiamsi non doceatur: nam textus istam actionem prohibet, ibi, *aut in scholis suis præsumpserint retinere.*

7 Retinere aliquem in scholis quisnam dicatur.

7 Sed modò dubium est, quisnam dicatur aliquem in scholis retinere.

Respondent Suarez *numer. 41.* & Filliucius *loco citato*, illum dici retinere, qui aliquem positiuum influxum, seu concursum exercet, rogando, consulendo, defendendo sua auctoritate, & fauore, aut aliqua violentia.

Ego verò censeo illum dici retinere, qui locum in suis scholis concedit, seu eum in scholis suis cōmorari permittit, cùm alioquin posset expellere, eique cura scholæ incumbat. Quamobrem magister scholæ, in qua præcepta medicinæ, aut iurisprudentiæ traduntur, si præfatum religiosum in sua schola excipiat, aut in schola existere permittat, in hanc censuram incidit.

Idem dicendum arbitror de rectore scholarum, qui prædictum religiosum non expellit: nam ipse ad hoc tenetur ex officio, vt bene Sanchez *lib. 6. cap. 8. numero 97.* & Suarez *loc. cit.* Hoc tamen intelligendum est, modò ipse sit Doctor: nam in textu sermo est tantummodo de Doctoribus, & magistris, vt bene Suarez *numero 41.* & Sanchez *num. 92.*

8 Ad incurrendam istam excommunicationem sufficit actio docendi, vel retinendi.

8 Sed modò dubium est, primò vtrùm ad incurrendam huius canonis excommunicationem requiratur, vt adsit vtraque actio docendi, & retinendi, vel alterutra sufficiat.

Respondeo alterutram sufficere, quia textus disiunctiuè loquitur. Quamobrem retinens huiusmodi religiosum in suis scholis ligatur hac censura, etiamsi eum non doceat, sicut etiam eadem afficitur, qui docet, sed non expellit, dum hoc onus ipsi non incumbit; hic enim non incurrit, eò quòd retineat, sed quia docet, vt accidit in aliquibus Collegiis, in quibus cura recipiendi, vel expellendi non pertinet

tinet ad magiſtrum, ſed ad Rectorem, ſeu Doctorem Academiæ, vt bene Suarez *numero* 41. Filliucius *numero* 30. Sanchez *loco citato, numero* 63.

9 Doctor, ſeu magiſter retinẽs in ſuis ſcholis religioſum habitu extutum non ligatur excommunicatione, ſi eum retineat dum lectio non habetur.

9 Secundò dubium eſt, vtrùm retinens in ſuis ſcholis præfatum religioſum, dum lectio non habetur, incidat in hanc cenſuram.

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia in textu excommunicatur magiſter, vel Doctor docens, vel retinens religioſum audientem leges, vel medicinam: audiri autem non poteſt, qui non loquitur.

10 Doctor, ſeu magiſter docens aliquos dũ nouit religioſum in domo propinqua ipſum audire, non ligatur excommunicatione.

10 Tertiò dubium eſt, vtrùm magiſter, qui aliquos docet, incidat in excommunicationem, dum nouit religioſos in domo ſcholis propinqua ipſum audire.

Reſpondeo negatiuè, tum quia dicitur quaſi per accidens docere, quantum eſt ex ipſius voluntate. Tum quia impedire non poteſt, ne in domo illa exiſtant. Ita Gloſſa, Archid. Ioannes Andr. & alij DD. *hic*, Sylueſt. & Tabiena *locis citatis*, Sanchez *num.* 95.

11 Doctor, ſeu magiſter quidnam facere teneatur dum aduertit religioſum adeſſe in ſua ſchola, qui dimiſſo habitu intendit ipſum audire.

11 Quartò dubium eſt, quid facere teneatur Doctor, ſeu magiſter, dum aduertit aliquem religioſum in ſua ſchola adeſſe, qui dimiſſo habitu intendit ipſum audire.

Reſpondeo cum Sylueſtro *verb. excommunicatio 9. caſu 26. quæſito 3. num.* 57. Tabiena *excommunicatio 5. caſu 23. quæſito* 4. & aliis contra Sanchez, Suarez, & alios *locis proximè citandis*, magiſtrum volentem lectionem ſuam proſequi, poſſe huiuſmodi religioſum aliqua vi expellere, præciſo tamen ſcandalo, aut alio graui periculo. Ratio eſt, quia ius prohibet illum admitti; ergo tacitè facultatem concedit expellendi. Si ergo alia ratione expelli nequeat, quàm aliqua vi, licitum videtur aliquam vim adhibere ad huiuſmodi religioſum expellendum. Quòd ſi religioſus admonitus exire nolit, aut ſine ſcandalo, vel graui periculo expelli nequeat, lectio dimittenda eſt, quia ſub excommunicatione vetitum eſt huiuſmodi religioſum docere. Contrarium docent Sanchez *num.* 98. *& ſequentibus*, Suarez *num.* 40. Filliucius *num.* 63. & alij. Vide quæ tradidi *in tract. de cenſuris in genere, diſput.* 2. *quæſt.* 2. *puncto* 3. §. 1. *num.* 11. *& ſequenti, &* §. 2. *num.* 12.

Obiicies, ad incurrendam iſtam excommunicationem requiritur, vt magiſter ſcienter doceat præfatum religioſum. Doctor autem, qui ſuam adhibuit diligentiam ad expellendum religioſum, non dicitur ſcienter illum docere, dum ſuam lectionem proſequitur ad docendos alios, ſed dicitur permittere, & tolerare: ſcientia enim requiritur, vt adſit plenum & perfectum voluntarium: hoc autem non adeſt, dum magiſter conatus eſt expellere, illumque quaſi nolens permittit.

Reſpondeo magiſtrum ſcienter, & voluntariè docere. Cùm enim non laboret ignorantia iuris, vel facti, & poſſit commodè deſiſtere, tenetur deſiſtere, & non deſiſtendo dicitur ſcienter admittere, & eſt ſufficienter contumax contra præceptum. Ita Sylueſter, & Tabiena *locis citatis*. Roſella *verbo excommunicatio* 1. *caſu* 16. *numero* 8. & alij apud Sanchez contra ipſum Sanchez *num.* 9. & Suarez *loco cit. n.* 40.

TERTIA PROPOSITIO.

12 Aſſignatur ſubiectum iſtius excommunicationis.

12 Subiectum iſtius excommunicationis, ſunt magiſtri, ſiue DD. qui religioſum habitu ſuo dimiſſo, leges, aut medicinam audientem ſcienter docere, aut in ſcholis ſuis retinere præſumunt. Hæc propoſitio patet ex dictis in ſecunda.

13 Retinẽs religioſum poſt dimiſſum habitum in ſuis ſcholis nõ afficitur excommunicatione ſi retinens non ſit Doctor.

13 Sed modò dubium eſt primò, vtrùm, qui retinet aliquem in ſuis ſcholis, ligetur excommunicatione; etiamſi retinens non ſit Doctor.

Reſpondeo non ligari, niſi ſit Doctor, aut magiſter illius ſcholæ, in qua præfatus religioſus docetur, vel retinetur: in textu enim ſermo eſt tantummodo de magiſtris, ſeu Doctoribus.

14 Magiſtri, & Doctoris nomine quid intelligatur.

14 Secundò dubium eſt, quid nomine magiſtri, & Doctoris hoc in loco intelligatur.

Reſpondet Sanchez *in opere morali lib. 6. cap.* 8. *num.* 96. idem ſignificari ſub vtroque nomine; conſequenter Doctorem in hoc loco dici magiſtrum docentem, non verò inſignitum gradu Doctoratus, niſi ſimul doceat. Ratio eſt, tùm quia verſamur in materia pœnali, quæ reſtringenda eſt, & non amplianda, quantum verba patiuntur: illa autem verba, *magiſtri, ſiue DD.* patiuntur hanc reſtrictionem; quia dictio illa, *ſiue*, intelligi poteſt declaratiuè, & non ſtat diſiunctiuè, vel amplificatiuè, *l. ſi quis ita. ff. de aur. & argent. legato*; conſequenter facit hunc ſenſum, docens, ſiue ſit inſignitus Doctoratu, ſiue ſit ſimplex magiſter, afficitur excommunicatione, docendo præfatos religioſos. Hoc pacto intellexiſſe videtur Gloſſa *hic*, Nauar. *cap.* 27. *num.* 134. & alij quamplures, qui ſolius Doctoris mentionem fecerunt, explicantes hunc textum. Tum quia in textu dicitur, *aut in ſcholis ſuis præſumpſerint retinere*; ſcholæ autem non ſolent eſſe inſignitorum laurea Doctoratus, ſed exercentium magiſtri munus; conſequenter ſoli docentes, & magiſtri, in hoc textu comprehendi videntur. Hæc opinio probabiliſſima eſt.

Sed mihi probabilius dicendum videtur cum Suarez *loco citato numero* 39. & 45. & aliis, non idem ſignificari nomine magiſtri, & Doctoris, ſed nomen Doctoris adhibitum eſſe ad ſignificandum gradum doctoratus; nomen verò magiſtri ad ſignificandum docendi officium.

Ratio eſt, quia materia, licet pœnalis, explicanda eſt iuxta propriam verborum ſignificationem, nomen autem Doctoris non ſolet adhiberi ad ſignificandum docentem, ſed decoratum laurea Doctoratus; conſequenter ne ſuperfluè poſitum cenſeatur, hanc extenſionem admittit, conſequenter alternatiuam, & diſiunctiuam ſignificationem facit, ſicut dictio, *aut*, ex Caualcano *de vſufructu mulieri relicto, cap.* 9. *num.* 48. quem refert Cenedus *pract. quæſt. ſing.* 42. *num.* 2. & Auguſtinus Barboſa *de dictionibus dict.* 324. *num.* 2.

Hinc patet reſponſio ad primam rationem in contrarium.

Ad ſecundam reſpondeo, ſcholas aliquando eſſe docentium, aliquando Doctorum, qui actu non docent, ſed docendi munus in ipſis exerceri curant.

QVARTA PROPOSITIO.

15 Iſta excommunicatio reſeruata nõ eſt.

15 Absolutio præfatæ excommunicationis Summo Pontifici reſeruata non eſt, quia nullibi reſeruata reperitur.

PVNCTVM IX.

De tranſeuntibus ab vna ad aliam religionem.

Quinque principaliter explicabo in hoc puncto.

Primò, vtrùm licitus ſit tranſitus ab vna ad aliam religionem.

Secundò, quo iure, & quibus perſonis competat ius tranſeundi ad aliam religionem.

Tertiò, quænam conditiones ſeruandæ ſint, dum quis ab vna ad aliam religionem tranſit.

Quartò, quos effectus pariat tranſitus ab vna ad aliam religionem.

Quintò, quas pœnas incurrat trãſiens ab vna ad aliam religionem.

§. I.

Vtrùm tranſitus ab vna ad aliam religionem licitus ſit.

VNICA PROPOSITIO.

1 Tranſitus ab vna ad aliam religionem, an licitus ſit.

1 Licitus eſt tranſitus ab vna ad aliam arctiorem religionem, niſi aliud obſtet.

Ratio eſt, tum quia id expreſsè habetur *cap. licet, cap. non eſt, cap. ſanè, & c. ſignificatum, de regular.* Tum quia cuilibet iure naturæ competit ius perfectioris vitæ capeſcendæ, cùm hoc pacto meliùs Deo ſeruiatur, & ſaluti propriæ conſulatur. Ita communiter Doctores.

Dixi, *niſi aliud obſtet*, quia ſi aliqua ſubſit circumſtantia prohibens ingreſſum, non licebit ingredi; mutatis enim circumſtantiis mutantur etiam obligationes. Quamobrem ſi ex tranſitu religioſi ad aliam religionem graue ſequatur ſcandalum, ſeu notabilem famæ iacturam religio patiatur, non licebit religioſo ad aliam religionem aduolare.

Obiicies primò, tranſitus ab vna ad aliam religionem aduerſatur præcepto Apoſtoli 1. Corinth. 7. *Quiſquis in vocatione, qua vocatus eſt, permaneat.* Ergo huiuſmodi tranſitus licitus non eſt.

Reſpondeo primò, illa Apoſtoli verba non continere præceptum, ſed conſilium; faciens autem contra conſilium non peccat; aliud enim eſt aliquid eſſe de præcepto, aliud de conſilio.

Reſpondeo ſecundò, illa Apoſtoli verba intelligenda eſſe cum hac tacita conditione, niſi iuſta ſubſit cauſa tranſeundi, ſeu niſi perfectior vitæ ſtatus eligatur.

Obiicies ſecundò, Pius V. *anno* 1569. in quadam conſtitutione, quæ incipit, *Quæcumque ſacrarum*, vetuit recipi, vel retineri fratres alterius religionis; ſed eos iuſſit remitti ad proprios Ordines. Ergo licitus non eſt tranſitus ab vno Ordine ad alium.

Reſpondeo primò, præfatam Pij V. conſtitutionem intelligi poſſe de illis, qui non petita licentia tranſeunt. Ita Rodriquez *quæſt. regular. tom. 3. quæſt. 52. art.* 8.

Reſpondeo ſecundò, intelligi de tranſeuntibus virtute priuilegiorum, quibus nonnullæ religiones gaudebant; nam ipſe huiuſmodi priuilegia abſtulit, & virtute illorum neminem ad alium Ordinem tranſire permittit; non tamen facultati iure communi conceſſæ derogauit, vt colligitur ex illis verbis, *vigore huiuſmodi priuilegiorum tantùm, & præter iuris communis diſpoſitionem.* Ita Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 7. num.* 2.

2 Nouitiatum, vel profeſſionem an quis ſuſcipere poſſit animo aduolandi ad aliam religionem.

2 Sed modò dubium eſt, vtrùm licitum ſit alicui nouitiatum, vel profeſſionem ſuſcipere animo firmo, vel dubio tranſeundi ad aliam religionem, cùm ſtudiorum curſum perfecerit, vel ad presbyteratus Ordinem promotus fuerit.

Reſpondeo, poſſe quidem ad arctiorem religionem tranſire; ſed grauiter peccare ingrediendo religionem, vel profitendo cum præfata firma, vel dubia intentione.

Quòd adhuc arctiorem religionem ingredi poſſit; ratio eſt, quia ius maioris perfectionis capeſſendæ nondum ſublatum fuit; delictum enim non tollit ius maioris perfectionis, ſed potiùs obligationem arctioris vitæ capeſſendæ inducit.

Quòd verò grauiter peccet ingrediendo, vel profitendo cum præfata intentione, ratio eſt, quia decipit religionem in re graui; ſicut grauiter peccat vir matrimonium contrahendo cum intentione aduolandi ad religionem intra bimeſtre, vt patet ex dictis de matrimonio.

Addo præfatum religioſum, qui eo animo ingreſſus, vel profeſſus fuit, teneri ad reſtitutionem expenſarum, quas monaſterium fecit in ipſo alendo: nam ex peccato contra iuſtitiam cum damno alterius conſurgit obligatio reſtituendi. Verum tamen eſt, præfatum religioſum poſſe in reſtitutione expenſarum detrahere æſtimationem laboris, & miniſterij in vtilitatem monaſterij exhibiti, dum monaſterium eo miniſtro indigebat, & totidem expenſas feciſſet pro alio miniſtro; tunc enim admitti poteſt quædam compenſatio, & monaſterium in hac parte nullum patitur damnum. Secus ſi monaſterium id miniſterium præſtitiſſet per alium eiuſdem religionis miniſtrum abſque his expenſis, adhuc enim monaſterium patitur damnum, vt bene Sanchez *in opere morali lib. 6. cap.* 10. *num.* 2.

Obiicies, nouitius, qui bona fide ingreſſus eſt, ſi poſtea recedat à religione, non tenetur ſoluere expenſas in ſuis alimentis à monaſterio factas. Ergo neque tenetur, qui nouitiatum inchoauit animo recedendi, cùm par ratio videatur, nec magis peccaminoſa ſit intentio, quàm factum ipſum, ſeu quàm ipſe diſceſſus à monaſterio.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia ingrediens cum animo recedendi decipit religionem, illique iniuſtè damnum infert; conſequenter obligatur ad reſtitutionem. Qui verò bona fide ingreditur, nullum decipit; ſed vtitur iure ſuo, excundo;

cuili-

cuilibet enim nouitio ius competit liberè egrediendi. Non posset autem liberè egredi, si ad expensas teneretur; frequenter enim in monasterio detineretur, prætextu expensarum nondum solutarum. Adde quod sicut nouitius non potest mercedem laboris, valorem expensarum excedentis, exigere: ita neque obligatur expensas monasterio restituere, etiamsi nouitiatus tempore nihil lucratus sit. Ita Syluester *verb. Religio 5. quæsito* 8. Emanuel Sa *eodem verb. num.* 8. Rodriquez *tom. 3. q. 15. art. vlt.* Sanchez *loco cit. n.* 4. Azor. 1. *part. lib.* 12. *c.* 3. *quæsito* 6.

Hoc tamen iure meritò limitatur à Sanchez, nisi aliter conuentum sit, vt in cœnobiis Monialium contingere consueuit; quamobrem si pactum initum est, vt expensæ nouitiatus monasterio soluantur, nouitia ad illarum solutionem obligatur, nulla ratione habita ministerij ab ipsa, tempore nouitiatus, exhibiti. Ratio est, tum quia pactum soluendi expensas simpliciter inierunt. Tum quia monasterium non videtur deterioris conditionis domino conducente famulum; dominus autem frequenter conuenire solet cum famulo, vt expensas primi anni soluat, nulla ratione habita ministerij ab ipso famulo eo anno exhibendi, vt patet ex dictis de contractibus, dum loquerer de stipendio famulorum.

Hinc patet primò differentia inter eum, qui religionem ingressus, vel professus est, cum animo certo, vel dubio exeundi, & inter illum, qui bona fide ingressus fuit; quòd ille grauiter peccat, & tenetur ad restitutionem damni; hic verò non peccat grauiter, neque tenetur ad restitutionem, etiamsi postea in religione per aliquod tempus persistere intendat, donec studiorum cursum peregerit, aut donec commoda, & opportuna occasio sese obtulerit; in hoc enim casu non decipit monasterium, sed vtitur iure sui status; nec monasterium ob id censetur rationabiliter inuitum, cùm fieri possit, vt præfatus religiosus, ingressum differendo, propositum mutet, & in eadem religione perseueret.

Secundò patet differentia inter illum, qui cum animo exeundi ingressus, vel professus est, & inter illum, qui ingressus, vel professus est cum animo quidem perseuerandi, addita tamen conditione, nisi Deus transitum ad arctiorem religionem inspirauerit: in primo enim casu peccat, & tenetur ad restitutionem, non verò in secundo, quia præfata conditio non aduersatur intentioni recipientium, & tacitè subintelligitur, etiamsi expressa non fuisset; eadem autem videtur ratio expressi, & taciti. Ita Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 7. numero* 17.

§ II.

Quo iure, & quibus personis competat ius transeundi ad religionem arctiorem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Transitus ad arctiorem religionem conceditur non solum iure humano, verum etiam iure naturali diuino.

1 TRansitus ad arctiorem religionem, non solùm conceditur iure humano *cap. licet, de regul.* verùm etiam iure naturali diuino. Nam iure naturali diuino cuique competit ius vacandi maiori perfectioni, & votum suum in melius commutandi; cùm enim votum non sit impeditiuum maioris boni, sequitur, quemlibet posse votum in melius commutare, & perfectiorem vitæ statum sectari; hoc enim gratius est Deo, in cuius cultum, & honorem res promissa fuit. Neque obstat prælato prioris religionis acquisitum esse ius ob præcedentem professionem, cui iuri non potest religiosus propria auctoritate derogare.

Respondeo enim illud ius acquisitum non fuisse Prælato propter ipsum prælatum, sed propter Deum; consequenter in commutatione voti, quæ contingit transeundo ab vna in aliam religionem, habenda est solùm ratio Dei, non autem Prælati. Ita Caietanus 2. 2. *q.* 88. *artic.* 12. *vers. ad huius euidentiam*, Sanchez *lib. 6. cap. 7. numer.* 3. Sanctarellus *de Apostasia cap. 8. dub. vnic. num. 8. ad finem vers. obiicies* 4. & *numer.* 33. *vers. dico* 12. contra Azorium 1. *par. lib.* 11. *cap.* 17. *quæsito* 18. & alios.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Transitus ad arctiorem religionem conceditur omnibus religiosis.

2 QVibuscumque religiosis competit ius transeundi ad perfectiorem religionem. Ratio est, quia quilibet facere potest, quod Deo gratius est; sed Deo gratior est perfectior religio, quàm minus perfecta. Ergo quilibet transire potest ad perfectiorem religionem.

Hoc tamen limitatur, nisi fortè huiusmodi transitus aliquibus interdicatur, vel transeundi facultas denegetur. Quamuis enim iure naturali diuino cuilibet competat ius transeundi ad perfectiorem vitæ statum, nihilominus vsus huiusmodi iuris iustis de causis à Summo Pontifice impediri potest; vt causa vitandi scandali, aut quietis religionis, aut quia non constat an alia religio sit perfectior ea quam deserit, aut quia iustam habet dubitandi rationem religiosum aduolantem ad aliam religionem non duci bono, sed prauo spiritu. Satanas enim frequenter in Angelum lucis se transformat, & incautos decipit, vt dicitur *cap. licet, de regul.*

Obserua tamen hanc esse differentiam inter eum, cui interdicitur ingressus in aliam religionem, & illum, cui denegatur ingressus absolutè, vel sub conditione, non obtenta à Prælato licentia, quòd primus validè ingreditur, & ei censetur solùm interdictus ingressus, temerè, leuiter, vel cum detrimento prioris religionis factus, vt apertè constat ex *cap. licet, de regular.* Secundus verò, cui denegatur facultas ingrediendi absolutè, vel non obtenta licentia, non validè ingreditur, nisi licentiam obtinuerit, etiamsi fortè affectu perfectionis ad illam religionem transire intendat; defectus enim formæ ad aliquem actum requisitæ tollit valorem actus, vt patet in contractu, qui licet iure naturæ concedente validè celebrari possit inter contrahentes, tamen certa præscribi potest forma, qua prætermissa contractus irritus in vtroque foro censeatur. Neque obstat *cap. licet, citatum*, quia loquitur solùm dum transitus ad aliam religionem interdicitur. Ita Hostiensis *in præfato cap. licet.* Ioannes Andreas, Cardinalis, & alij apud Sanchez *lib. 6. cap. 7. num.* 10.

Ex dictis sequitur primò, quemlibet religiosum iure communi posse ad arctiorem religionem transire, vt patet ex ratione in propositione allata.

3 Religiosi etiam conuersi, vel oblati transire possunt ad arctiorem religionẽ.

3 Secundò sequitur non solùm religiosos Sacerdotes, verùm etiam conuersos, & oblatos religioni, qui scilicet, se & sua bona monasterio dedicarunt, posse ad arctiorem religionem transire. Ratio est, tum quia in his omnibus eadem ratio militat. Tum quia non sunt deterioris conditionis aliis. Tum quia ipsorum oblatio hanc tacitam conditionem habet, nisi melior vitæ status suscipiatur; hanc enim tacitam conditionem habet quilibet contractus cum homine celebratus, vt docui de voto, & de matrimonio. Ita Panormitan. *in ca. non est de regular.* Angelus *verb. Monachus, num.* 1. Sanctarellus *de Apostasia cap. 8. num.* 1. Sanchez *lib. 6. cap. 7. num. 9.* & alij apud Barbosam *in cap. licet. num. 4. de regular.* & apud alios præcitatos Doctores.

4 Monialis transire potest ad arctiorem religionẽ.

4 Tertiò sequitur Monialem posse ad aliam religionem arctiorem transire. Ratio est, tum quia in ipsa militat eadem ratio. Tum quia iure antiquo poterat, *cap.* 1. 20. *quæst.* 4. Ergo etiam potest iure nouo, cùm à iure antiquo recedendum non sit, nisi quatenus iure nouo decernitur. Neque obstat obligatio clausuræ, indicta a Concil. Trident. *sess. 25. cap. 5.* & à Pio V. in motu, qui incipit, *Decori.*

Respondeo enim Concilium non loqui de transeuntibus ad perfectiorem religionem. Quamobrem Monialis potest ad arctiorem religionem transire, petita priùs à superiore ordinario licẽtia, etiamsi fortè non obtineatur; Concilium enim in hoc casu non loquitur. Ita Rodriquez *quæst. regular. quæst. 52. artic. 6.* Sanchez *loco cit. num. 6.* Nauar. *consil. 5. de statu Monachorum numer. 3. & 6.* Sacra Cardinalium Congregatio *in vna Nannaten. 16. Ianuarij* 1615. Barbosa *in cap. licet num. 3. de regular.* Sanctarellus *de Apostasia cap. 8. num. 37.* & alij, quos referam *quæst. seqq. punct. 8. num.* 11. contra Azorium 1. *parte, lib. 13. c. 8. quæs. 1. sub. initium.*

5 Conuentus totus transire potest ad arctiorem religionẽ.

5 Quartò sequitur totum conuentum posse arctiorem religionem adire. Tum quia quæ ratio est partis ad partem, eadem est totius ad totum. *l. qua de tota. ff. de rei vendicat.* Tum quia id fieri supponitur *in cap. recolentes, vers. ceterum, de statu Monach.* Neque obstat *cap. vnicum. de religios. domib. in 6. & cap. sicut, de excess. Prælat.*

Respondeo enim in his textibus non prohiberi transitum personarum ad arctiorem religionem, sed translationem locorum, seu vnionem duplicis monasterij. Ita Rodriquez *tom. 3. quæst. 52. artic. 6.* Sanchez *loco cit. num. 7.* & alij.

6 Prælatus religionis aduolare potest ad perfectiorem religionem.

6 Quintò Prælatum religionis posse instar ceterorum ad arctiorem religionem transire, modò Prælatus non sit immediatè subditus Pontifici; vt Generalis: hic enim petere debet licentiam à Pontifice, qua denegata non potest transire, alioquin reuocari posset, *cap. si Abbas. de elect. in 6.* Papa verò petenti licentiam non respondente, transire posset ad religionem, quia licentiam ei denegasse non præsumeretur. Ita Syluester *verb. Religio 4. quæsito 3.* Azorius 1. *parte lib.* 12. *cap.* 14. *quæs. 7. ad finem.* Sanchez *loco cit. num.* 8. & alij apud Barbosam *in cap. licet. de regul. num. 5.*

7 Episcopus regularis transire potest ad arctiorem religionẽ, petita prius à Sũmo Pontifice licentia.

7 Sextò, Episcopum regularem posse ad strictiorem religionem transire, vt patet ex ratione generali: petere tamen debet licentiam à Papa, quia *in cap. licet. de regular.* generaliter vetitum est Episcopis ad religionem transire absque facultate Papæ. Ita Syluester, Azor, Sanchez, & alij. Ob id in tractatu *de voto*, dixi votum, quo Episcopi voluerunt ingressum religionis, intelligendum esse cum hac conditione, si Pontifex ingrediendi facultatem concesserit. Ita Suarez *tom.* 1. *de relig. lib. 3. de voto cap. 4. numer.* 8. Azor. 1. *parte, lib.* 11. *cap.* 16. *quæs.* 2. Sanchez *in opere morali lib. 4. c. 25. n. 36.* & alij.

Idem dic de Episcopo, qui de licentia Papæ Episcopatui renuntiauit; hic enim cùm immediatè Summo Pontifici, instar Prælatorum exemptorum, subiectus sit quamdiu in sæculo viuit, non potest sine licentia Papæ ad religionem accedere: si verò iam rediit ad suam religionem, & postea velit ad arctiorem transire, satisfaciet petendo licentiam suorum superiorum, instar Prælati religionis, de quo egimus illatione præcedenti.

8 Episcopus regularis, an possit renuntiato Episcopatu transire ad laxiorẽ religionẽ.

8 Septimò Episcopum, qui renuntiato de licentia Papæ Episcopatu non vult ad priorem religionem redire, non posse ad laxiorem transire. Ratio est, quia licet non teneatur redire ad priorem religionem; subtractus enim fuit à regulari obseruantia (quamuis ad illam possit reduci possit à Papa, cùm ei ex obedientiæ voto obedire teneatur, vt benè Vasquez 1. 2. *disp.* 165. *cap.* 8. *num.* 93. Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 6. num.* 4.) tamen est verus religiosus prioris religionis; consequenter ad laxiorem transire non potest. Ita Ancharanus *Clement.* 1. *num. 4. de regular.* Sanchez *ca. 7. num. 8 ad finem*, quorum opinio probabilissima est. Sed mihi probabile videtur posse ad laxiorem transire, posito quod nolit ad priorem redire: nam hæc secunda religio, quamuis non sit arctior respectu primæ religionis, est tamen strictior respectu status ipsius Episcopi; consequenter transitus ad laxiorem religionem ei licitus videtur, obtenta priùs licentia à Summo Põtifice, sicut diximus de prælatis religionis exempris, nulli subiectis. Ita in simili Bonifacius *in Clement. 1. num. 83. de regular.*

9 Parochus fieri potest religiosus absque dispẽsatione.

9 Rogabis primò, vtrùm parochus fieri possit religiosus absque vlla dispensatione.

Respondeo affirmatiuè. Tum quia quilibet religiosus habet ius transeundi ad strictiorem religionem. Ergo à fortiori, qui non est religiosus, potest religionem assumere. Tum quia hoc nullo iure prohibetur. Ita Sanchez *c. 7. n. 21. in respons. ad secundum.*

10 Transiens ab vna religione ad aliam non tenetur nouum peragere nouitiatum.

10 Rogabis secundò, vtrum transiens de vna religione ad aliam, teneatur nouum peragere nouitiatum in secunda religione, ad quam transit.

Respondeo affirmatiuè. Tum quia, qui professionem in aliqua religione facturus est, debet illius asperitates, & onera experiri, tam vt ipse cognoscat, an religio sibi placeat, quàm vt ipsamet religio pro-

probet, an præfatus religiosus suæ religioni aptus sit, & idoneus; fieri enim potest, vt vnus vni religioni idoneus sit, & non alteri. Sed religiosus prædictas asperitates, & onera experitur, præuio nouitiatu. Ergo tenetur nouitiatum in secunda religione peragere. Tum quia Concilium Tridentinum *sess.25.cap.*15. generaliter requirit nouitiatum ante professionem. Ita Rodriquez *tom.3.quæst.*15. *artic.*11. Emanuel Sà *verb. Religio numer.*35. Sanchez *in opere morali lib.*5. *cap.*4. *numer.*12. Azor.1. *parte, lib.*12. *cap.*14. *quæsito* 15. Miranda *quæst.*31. *art.*21. Barbosa *in cap. licet. de regular. numer.*25. Lessius *lib.* 2. *cap.*41. *dub.* 13. *num.*161. & alij, contra Sorbum *verbo, Nouitius, vers. An requiratur integer annus,* Henriquez *lib.*13. *cap.*40. *num.*2. *in Comment. littera O.* & alios.

Obiicies primò, Leo X. priuilegium concessit transeunti ad aliam religionem, vt in ea profiteri possit absque præuio nouitiatu, si ita visum fuerit discretis monasterij in quo profiteri intendit. Ergo non indiget nouo nouitiatu.

Respondeo illam Leonis concessionem censeri reuocatam in Tridentino, vbi irritatur professio sine præuio nouitiatu emissa.

Obiicies secundò, non potest quis esse veteranus, & tyro; si autem indigeret alio nouitiatu, esset simul tyro, & veteranus.

Respondeo non dedecere, vt idem sit tyro, & veteranus respectu diuersorum; nam erit veteranus ratione primæ religionis, tyro ratione secundæ, ad cuius professionem admitti cupit, vt fiat illius religionis monachus.

§. III.

Quænam conditiones seruandæ sint, dum quis ab vna ad aliam religionem transit.

PRima conditio est, vt volenti ad aliam religionem transire interdictus non sit transitus; iustis enim de causis concedi potest priuilegium alicui religioni, vt ipsius religiosi ad aliam religionẽ transire nequeant. Quibus autem religiosis vetitum sit sub censura ad aliam religionem commigrare, aut alios recipere, constabit ex infra dicendis *punct. vlt. sect.*2.

Secunda conditio est, vt volens ad aliam religionem transire licentiam à superiore petat.

Tertia est, vt bono zelo transeat, & sine damno primæ religionis.

Quarta, vt transeat ad religionem arctiorem. De his singulis conditionibus seorsim agam in sequẽtibus difficultatibus, reiecta prima *ad punct. vlt. sect.*2.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Vtrùm transiens ad aliam religionem petere debeat licentiam à superiore, & à quo superiore eam petere teneatur.

VNICA PROPOSITIO.

1 Transiens ad arctiorẽ religionem licentiam à suo superiore petere tenetur.

VOlens ad arctiorem religionem transire, licentiam transeundi petere debet; sic enim expressè habetur *in cap. licet. de regular.* ibi, *Subditus à Prælato cum humilitate, & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur.* Addo volentem ad aliam religionem transire teneri sub mortali licentiam petere. Ratio est, tum quia *in cap. licet citato,* imponitur præceptum petendi licentiam, ibi, *debet transeundi licentiam postulare.* Verbum autem, *debet,* iuxta propriam significationem non importat debitum honestatis, sed præcepti, vt patet ex *cap. sicut Ecclesia* 12. *quæst.*2. *c. oblatæ. de appellat.* & alibi; consequenter indicat obligationem sub mortali in materia graui, vt docui *de legibus disp.*1. *q.*1. *punct.*7. §.4. *num.* 6. cum Syluestro, Valentia, Vasquez, Azorio, & aliis, omissis quampluribus aliis apud Sayrum *in Claui regia lib.*3. *cap.*7. *n.*27. apud Sanchez *in opere morali lib.*6. *cap.*4. *num.*36. & *cap.*7. *num.*33. apud Salas *de legibus disp.*10. *sect.*9. *num.*49. & 51. apud Sanctarellum *de Apostasia, cap.*8. *dub. vnico.* Cùm ergo textus *in cap. licet,* vtatur verbo præceptiuo, *debet,* & res grauis sit (omittens enim petere licẽtiam præsumitur contemnere bonum obedientiæ, & vtramque religionem magnis litibus, & scandalis exponere,) sequitur religiosum migrantem ad aliam religionem non petita licentia, grauiter peccare per se loquendo, vt bene Sanchez *lib.*6. *cap.*7. *num.*33. contra Abbatem antiquum, & nonnullos alios apud Sanchez.

Addo religiosum non satisfacere petendo licentiam post religionis ingressum, quia licentia, quæ ad aliquẽ actum requiritur, actum ipsum præcedere debet, vt bene Panormitan. *in c. licet. n.*11. *de regular.* Azor.1. *par. lib.*12. *cap.*14. *quæs.*6. *ad finem,* Barbosa *in c. licet citato, n.*17. Sanchez *loco cit. n.*34. & alij.

2 Transiẽs ad arctiorẽ religionem tenetur suo superiori caus ã transitus aperire.

2 Sed modò dubium est primò, vtrùm religiosus volens ad arctiorem religionem transire, teneatur superiori, à quo licẽtiam petit, causam transeundi significare.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia superior tenetur licentiam concedere volenti ad arctiorem transire, sed non potest eam concedere, nisi cognita causa. Ergo tenetur causam cognoscere; sed eam cognoscere non potest, nisi aperiatur sibi à religioso volente arctiorem religionem ingredi. Ergo volens religionem arctiorem ingredi, dum licentiam ingrediendi petit à superiore, debet ei causam transeundi significare. Tum quia religiosus transire non potest ad aliam religionem ex leuitate, & temeritate, ductus Angelo Satanæ, qui sæpe in lucis Angelum se transformat. Ergo superiori, cui religiosi sibi subditi cura concredita est, constare debet ipsum non duci leuitate, & temeritate, alioquin exponeret se periculo cooperandi leuitati alterius. Ita Hostiensis *in cap. licet, num.*8. Innocentius *ibid. n.*1. & 2. Sanchez *loco citato, num.*36.

3 Prælatus non debet religiosum alterius religionis laxioris admittere dũ illi denegatur à suo superiore licentia transeundi.

3 Ex quo licet inferre primò, superiorem non debere licentiam trãseundi concedere, non cognita causa, cur religiosus sibi subditus ad aliam religionem transire velit. Ita Doctores citati.

Secundò superiorem religionis non debere alterius religionis subditum in suam religionem admittere, nisi constet ipsum petiisse licentiam transeundi. Ratio est, tum quia fieri potest, vt ille religiosus prauo spiritu ducatur. Tum quia credendum non est omni spiritui, sed probandi sunt spiritus, inquit Apostolus. Tum quia *in ci p. statuimus 19. quæst.*3. habetur superiorem alterius religionis, ad quam religiosus transire intendit, non debere illum admittere absque litteris commendatitiis superioris prioris religionis, ibi, *discedentem verò nullus Abbatum, vel Episcoporum, nullus monachorum sine communi litterarum cautione suscipiat.*

Hoc tamen intelligendum est, nisi superiori secundæ religionis constet licentiam iniquè denegari à superiore prioris religionis; tunc enim sicut licitum est ipsi religioso transire ad arctiorem religionem, non obtenta licentia; ita liberum est Prælato secundæ religionis illum admittere; si verò licentia iustè denegatur, superior arctioris religionis licitè non potest admittere, vt patet ex ratione superius allata. Imò si religiosus probare intendat licentiam sibi iniustè denegari, superior secundæ religionis non potest illum admittere, donec declaratum fuerit licentiam sibi iniquè denegari; cognitio autem istius causæ pertinet ad Prælatum immediatè superiorem illo, qui licentiam denegauit; nam in huiusmodi Prælato eminenter continetur facultas inferioris Prælati. Et sicut in aliis causis, in quibus subditus iniquè vexatur à suo prælato, potest ad alium prælatum ipso immediatè superiorem appellare; ita etiam in hoc casu. Ita Hostiensis, Innocentius, Cardinalis, Barbosa, & alij *in cap. licet, citato;* quibus adde Sanchez *num.*39. vbi *numer.*37. cum Sylueſtro optimè addit præfato religioso licitum esse in hoc casu ad superiorem appellare, etiamsi in illa religione interdicta sit appellatio.

4 Appellatio quandonam religioso interdicta censeatur.

4 Tunc enim non censetur interdicta appellatio in iis, quæ pertinent ad salutem, sed in iis, quæ pertinent ad correctionem, & punitionem.

5 Religiosus qui licentiam transeundi ad aliam religionem obtinuit, prius inquirere debet religionem à qua recipiatur antequam monasterio egrediatur.

5 Secundò dubium est, vtrùm religiosus, qui licentiam transeundi ad arctiorem religionem, vel æqualem obtinuit, possit statim egredi religione, vel teneatur prius religionem inquirere in qua recipiatur.

Respondeo teneri prius religionem inquirere, alioquin obligationem clausuræ violat.

Imò apostata vocatur ab aliquibus Doctoribus, cùm recedat à religione animo non amplius redeundi, & sub nullius obedientia existat; hoc tamen intelligitur, nisi licentiam egrediendi à Prælato obtinuerit, manens adhuc sub illius obedientia, donec ad aliam religionem admissus sit; tunc enim nec clausuram violat, neque est apostata, cùm de licentia Prælati exeat, & sub illius obedientia degat; sicque in dubio explicanda est licentia, quam Prælatus simpliciter concessit prefato religioso exeunti, quia non præsumitur tem illicitam concessisse. Prælatus tamen in hac re magna vti debet prudentia, ne vagandi occasionem præbeat. Ita Rebuffus *in praxi, titulo de translatione monach. num.*8. Rodriquez *tom.3. q.*52. *art.*19. *ad finem,* Sanchez *num.*38. Barbosa *in cap. licet. de regular.* Sanctarellus *de Apost. c.*8. *dub. vnic.* & alij.

6 Transitus ad arctiorem religionem conceditur petita à superiore licentia, etiamsi licentia denegata fuerit.

6 Tertiò dubium est, vtrùm religiosus volẽs ad arctiorem religionem transire, possit ad eam transire, petita, sed non obtenta licentia.

Respondeo posse. Ratio est, tum quia vbi spiritus Dei, ibi libertas, & qui spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege. Tum quia sic expressè decernitur *in cap. licet citato,* ibi, *liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proterua indiscreti contradictione Prælati.*

Hoc tamen limitandum est primò, modò prius debito tempore expectet, an superior sibi licentiam concedere velit; nam cui onus imponitur petendi cõsilij, aut licentiæ, incumbit etiam onus expectandi respõsum intra debitum tempus. *c. cùm in veteri, in fine, de elect.* Si tamen superior rogatus, vt licẽtiam intra debitum tempus concederet, nihil respondit, licitum est subdito ad arctiorem commigrare, vt patebit ex rationibus in secunda limitatione afferendis. Ita Sylueſter *verb. religio 4. quæs.*1. *notab.*2. Sanchez *loco cit. n.*35. Azor.1. *parte lib.*12. *c.*14. *quæs.*5. *verb. Quæres post quam.* Angelus, & alij, apud præcitatos Doctores, & apud Barbosam *in cap. licet. de regular.*

Limitandum est secundò; modò superior licentiam transeundi indiscretè, seu iniustè neget, vt patet ex allatis rationibus; superior autem licentiam iniustè denegare censetur, dum constat causam sufficientem non esse ad denegandã licentiam, seu dum licentiam denegat, nulla assignata ratione denegatæ licentiæ, nec causam vult afferre, cur eam deneget, postquam rogatus fuit, vt causam afferret. Cum enim religiosus possit ad perfectiorem statum aduolare, & superior licentiam aduolandi concedere teneatur. *cap. licet, citato,* ibi, *sine difficultate, & prauitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire diuinitus inspiratum;* sequitur superiorem præsumi licentiam iniquè denegare, dum causam denegandi licentiam recusat afferre. Quando tamen probabile est, superiorem iustam habere causam denegandi licentiam, non potest religiosus ad aliam religionem transire, ne sibi ius dicere videatur, sed ad alium prælatum suo immediato prælato immediatè superiorem appellare potest, vt supra dictum fuit.

7 Professio in arctiori religione facta valida est, etiã si petita, vel obtenta non fuerit licẽtia.

7 Quartò dubium est, vtrùm professio valida sit, dum quis ad aliquam religionẽ transit, non petita licentia, aut petita, sed nonobtẽta.

Respondeo validam esse, si professio in arctiori religione fiat; consequenter religiosum non posse post dictam professionem à prima religione repeti, & reuocari, vel ad eam propria sponte redire. Ratio est, tum quia licet *in cap. licet,* licentiam peti præscribatur, nihilominus prohibetur molestari, qui bona fide transit, nec irritatur professio aliter facta. Tum quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Tum quia cuilibet religioso, iure naturæ, competit ius aduolandi ad arctiorem religionem, etiamsi fortè delinquat in modo, non petendo licentiam à Prælato, vel eam per dolum extorquendo. Ita S. Antonin. 3. *part. tit.*16. *c.*4. *vers. quod si etiam,* & alij apud Sanctarellum *de Apostasia, cap.*8. *dub. vnic. n.*6. contra Sanchez *loco cit. numer.*11. & 89. & *seqq.*

Idem

Idem probabiliter dicendum videtur de illo, qui ex leuitate ad arctiorem religionem transiit, hunc enim probabile est validè profiteri, cùm ipsius votum in aliud strictius ac Deo gratius commutetur, attenta rei substantia, & non inspectis circumstantiis extrinsecis. Contrarium sustinent Abbas *lib.1.consilio 95.n.2.* Sanchez *loco cit.n.11.* Barbosa *in cap.licet,de regular.* Sanctarellus *nu.8.versic. Obiicies tertiò*, & alij ferè communiter.

Addo idem probabiliter dici posse, si Prælatus conscius leuitatis religiosi, vel illius ignarus facultatem concessit transeundi ad arctiorem religionem. Quamuis enim Prælatus immediatus religionis peccet præfatam licentiam concedendo, nihilominus professio valida videtur; licet Sanchez *n.63.* putet professionem, & licentiam irritam esse, quia Prælatus immediatus non potest ius religioni acquisitum alienare sine facultate sibi à iure cõcessa; religio autẽ habet ius in præfatum religiosum. Huic opinioni non libenter adhæreo, quia votum commutatur in maius bonum, & maior arctitudo videtur causa sufficiens concedendi licentiam, etiamsi alia non subsit causa, vt idem Sanchez *num.64.* concedit, loquens de Summo Pontifice: propterea licentia valida videtur, quia subsistit causa finalis licentiæ, quæ est transitus ad arctiorẽ religionem, valida etiam videtur professio, quia votum commutatur in maius bonum.

Idem dic de illo, qui ad arctiorem religionem transit cum detrimento religionis, vt patet ex allatis rationibus, & concedit idem Sanchez *numero 92.* cum aliis. Secus dicendum est primò, si religio, à qua hic transit, priuilegium habeat irritans professionem aliter factam, vt per se patet. Secundò si propria auctoritate, seu non obtenta licentia, transeat ad laxiorem, vel æquè arctam; perspicuum enim est ipsius professionem irritam esse; cùm nullum ius transitum ad huiusmodi religionem concedat, vt bene Sanchez *numer. 93.* & alij communiter.

7 Religiosus transiẽs ad aliam religionem in quanam religione manere teneatur dum lis in hac re suboritur.

8 Quintum dubium est, in quanam religione manere debeat religiosus, qui non petita licentia ad aliam religionem transiuit; sed lis suboritur, in qua religione permanere debeat.

Respondeo, lite pendente debere in posteriori remanere. Ratio est, quia sicut prædo in possessione tenendus est, donec de ipsius delicto constet, ita à fortiori danda est manutentio religioni, donec constet religiosum ad priorem religionem pertinere. Ita Hostiens. Abbas, & alij, *in cap.licet,de regular.* contra Innocentium *ibid. num. 3.* Sanchez *n.101.* & alios.

Obiicies, qui prior est tempore, potior est iure; sed prima religio priùs possidet; ergo etiam potioris est iuris; consequenter illi tradendus est religiosus, donec lis definiatur.

Respondeo, priorem religionem non esse potioris iuris, eo quòd non curauerit religiosum sibi ante professionem restitui, nec præsumitur transitum ignorasse: cùm superiores religionum teneantur singulis annis fugitiuos reuocare. Neque obstat culpa Prælati, qui huiusmodi religiosum ad suam religionem strictiorem admisit.

Respondetur enim ipsius culpam compensari cum culpa superioris primæ religionis, & multa illicitè fieri, quæ tamen facta tenent.

Approbo tamen sententiam Innocentij *loco citato*, Cardinalis *in ca. licet.num.3.quæst.11.& seqq.* Sanchez *num.100.* & aliorum asserentium religiosum, qui ad aliam religionem transiuit, postquam Abbas prætendens monachum illicitè transire, appellauit ex causa verosimili ante trãsitum, & nihilominus monachum qui appellatione pendente transiit, debere statim ante causæ cognitionem priori monasterio, officio iudicis, restitui per viam attentati.

SECVNDA PROPOSITIO.

9 Transire volens ad arctiorem religionem a quonam licentiam transeundi petere debeat.

9 REligiosus volens transire ad arctiorem religionem, licentiam petere potest ab immediato superiore monasterij. Ratio est, quia *in cap. licet citato*, habetur licentiam à Prælato petendam esse; sed immediatus superior monasterij est verè Prælatus. Ergo licentia ab eo peti potest. Non nego tamen quin etiam peti possit à Prouinciali, vel Generali, quia isti verè sunt Prælati religionis, & in ipsis facultas inferiorum Prælatorum eminenter continetur. Imò si Prælatus monasterij ad arctiorem religionem transire velit, licentiam à Prouinciali, vel Generali petere debet. Si Prouincialis transire velit, licentiam à Generali postulare tenetur, quia religiosus ad arctiorem religionem transire non potest, non petita à Prælato licentia. Si verò Generalis ad perfectiorem religionem aspiret, facultatem à Papa impetrabit, vt superiùs probaui.

10 Religiosus volens transire ad arctiorem religionem non tenetur licentiam à Cõuentu petere.

10 Addo religiosum, qui ad arctiorem religionẽ transiturus est, satisfacere petendo licẽtiam ab immediato Prælato monasterij, etiamsi eam non petat à Conuentu. Ratio est, quia religioso iure naturali diuino competit ius ad perfectiorem religionem capescendam, & iure positiuo iubetur solum licentiam à Prælato petere, nulla Conuentus facta mentione. Ergo frustra asseritur licentiam Conuentus requiri, nec Conuentui iniuriam facit, cùm vratur iure suo, aduolando ad religionem perfectiorem, petito solius Prælati consensu. Ita Nauar. *comment.4.de regular.n.10.* Rodriquez *tom.3.q.52. art.3.* Sanchez *in opere morali,lib.6.cap.7.num.59.& sequentibus.* Sanctarellus *de Apostasia cap.8.dub.vnico,n.19.& seqq.* Barbosa *in cap.licet, num.10.de regular.* contra Turrecrematam *in cap.statuimus 19. quæst.3.* & alios, existimantes requiri consensum Conuentus.

11 Monialis volens ad arctiorẽ religionem transire nõ satisfacit petendo licentiam ab Abbatissa.

11 Obiicies, Monialis volens ad strictiorem religionem transire, non satisfacit petendo ab Abbatissa licentiam. Ergo neque religiosus satisfacit petendo licentiam à Prælato immediato.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, tum quia Abbatissa non est propriè Prælata. Tum quia in concedenda licentia transeundi ferendum est iudicium, an volens transire Spiritu sancto ducatur; huiusmodi autem iudicium non videtur mulieribus concessum. Tum quia cùm agatur de egressu à monasterio strictissimæ clausuræ subiecto, & Abbatissa egrediendi facultatem concedere nequeat, vt in sequentibus quæstionibus probabo, sequitur Abbatissam non posse Monali concedere facultatem transeundi ad aliam religionem, sed huiusmodi licentiam petendam esse à Prælato, cui subsunt Moniales, siue is sit Episcopus, siue prælatus regularis. Ita Rodriquez *tom.3.quæst.52.art.6.* Sanchez *loc.cit.num.6.*

Addo Sacram Congregationem velle ad se recursum haberi, dum Monialis ad aliud monasterium transferenda est, neque licentiam concedere solet, nisi seruatis quibusdam conditionibus, quarum prima est, vt aliud monasterium paratum sit illam recipere. Secunda, vt dotem afferat. Tertia, vt careat spe redeundi ad prius monasterium. Quarta, vt translatio fiat recta via comitantibus grauibus matronis consanguineis. Vide Barbosam *in cap.licet,n.3.de regular.*

12 Transeundi licentia ad æqualem, vel laxiorẽ religionẽ, a quo petenda sit.

12 Maior difficultas est, à quonam peti, vel concedi possit licentia, dum religiosus transiturus est ad religionem æquè strictam, aut laxiorem.

Respondeo, & dico primò, dum religiosus transiturus est ad religionem æqualem, & iustam habet causam ad eam transeundi, hanc facultatem concedere non potest immediatus Prælatus monasterij, sed Generalis de consensu Capituli generalis, seu præcipuorum Patrum; imò probabile est Prouincialem posse hanc facultatem concedere, nisi aliud ferant constitutiones religionis. Addo probabile esse Episcopum posse iusta de causa huiusmodi facultatem concedere religioso non exempto sibi subiecto. Hæc responsio plures habet partes.

Prima est, facultatem transeundi ad religionem æquè arctam concedi non posse ab immediato Prælato monasterij. Ratio est, tum quia non solus superior monasterij habet ius in religiosum, verùm etiam tota prouincia. Ergo solus superior monasterij non potest huiusmodi licentiam concedere, cùm non possit iuri totius prouinciæ derogare. Tum quia nullo iure præscribitur huiusmodi licentiam immediato monasterij Prælato competere.

Secunda pars est, huiusmodi facultatem à Generali concedi posse, quia ipse summam in religione auctoritatem habet; imò probabile est huiusmodi facultatem à Prouinciali concedi posse. Ratio est, tum quia cedere potest iuri suo, concedendo, vt religiosus in quem habet ius, alteri religioni acquiratur. Tum quia nullo iure sufficienter probatur hanc facultatem Prouinciali ademptam esse.

Hoc tamen intelligitur, modò adsit cõsensus maioris partis Conuentus. Ratio est, tum quia grauia negotia sine consensu Conuentus peragi non debent. Tum quia Conuentus habebat ius in præfatum religiosum. Ergo par non est, vt à prælato alienetur absque consensu Conuentus, seu potiùs Concilij prouincialis, vel præcipuorum Patrum illius prouinciæ. Ita Angel. *verb.Religiosus numer.34.* Lessius *de iust.& iur.lib.2.cap.40.dub.13.num.107.* Sanchez *loco cit.n.65.* Sanctarellus *loco cit.num.22.* & alij, contra Francum, & alios asserentes non requiri consensum Conuentus.

Tertia pars est, id fieri debere iusta concurrente causa. Prouincialis enim, aut alij religionis superiores non possunt ius religionis adimere sine iusta causa; prior autem religio ius acquisierat in religiosum per ipsius professionem. Ita præcitati Doctores. Imò multi Doctores existimant neque Summum Pontificem licitè posse absque iusta causa facultatem religioso concedere transeundi ad religionem æquè arctam, quia non potest in foro consciẽtiæ derogare iuri acquisito religioni, nisi id faciat ex causa; quamuis Angelus *verb. Religiosus n.34.* existimat huiusmodi licentiam in vtroque foro à Pontifice concedi posse, quia magno in religiosos iure gaudet.

13 Quẽnã censeatur iusta causa concedendi licentiã transeundi ad laxiorẽ religionẽ.

13 Iusta causa concedendi huiusmodi licentiam est corporis inhabilitas, aut magna difficultas ad ferendas religionis austeritates, noua aëris intemperies, dum eadem religio non habet aliud monasterium salubriori gaudens aëre. Item magna parentum necessitas, cui religiosus in prima religione nequeat commodè succurrere. Item persecutio aliorum religiosorum, cui ipse religiosus causam non dedit, vel si causam dedit, eam abstulit, & pœnituit, & nihilominus persecutio, seu mala tractatio adhuc perseuerat. Possent etiam aliæ causæ percenseri, quæ iudicio prudentis legitimæ censebuntur. Vide Rodriq. *tom.3.q.52. art.9.* Azor.1 *par.lib.12.cap.14.quæs.8.* Sanchez *loc.cit.n.72.* Barbosam *in c.licet,n.15.de regular.*

Quarta pars est, Episcopum probabiliter posse hanc facultatem ex iusta causa concedere religioso sibi subdito, & non exempto à sua iurisdictione. Ratio est, quia Episcopus respectu huiusmodi religiosi, est instar prouincialis. Ergo Episcopus concedere potest licentiam transeundi ad religionem, æquè arctam, modò adsit consensus Conuentus, iuxta supradicta, & iuxta ea quæ tradidi de religiosis eiectis. Ita Sanchez *n.66.* Sanctarellus *n.23.* & alij.

Respondeo, & dico secundò, dum religiosus ad religionem laxiorem transire intendit, facultas transeundi concedi non potest à prælato monasterij immediato, vt patet ex prima responsione. Imò neque à prouinciali, vel Generali, saltem si Papa commodè consuli possit; quamuis Nauar. *consil.56.de regularib.* Azor.1 *parte lib.12. cap.15. quæsito 1.* Sanctarellus *de Apostasia cap.8. num.27.* Lessius *lib.2.cap.41. dub.13.num.103.* Sanchez *loco citato*, Miranda *quæst.31. art.6.* Barbosa *in cap.licet,de regular.num.13.* & alij communiter in hac parte dissentiunt, asserẽtes prouincialem, aut Generalem respectu exemptorum, & Episcopum respectu non exemptorum, sibi subditorum, posse ex iusta causa, & præuio consensu Conuentus facultatem transeundi ad laxiorem religionem concedere.

Sed ratio mea est, primò quia Concilium Tridentinum *sessione 25. c.19.* generaliter prohibet quemquam transferri ad laxiorem religionem vigore cuiuscumque facultatis. Neque obstat responsio Nauarri, Sanchez, Sanctarelli, & aliorum, asserentium Concilium loqui de concedentibus licentiam prætextu priuilegiorum, quibus ipsi abutebantur, non verò loqui de iure sibi alias concesso.

Respondeo enim hanc distinctionem non ritè accommodari textui Concilij, tum quia generaliter loquitur; nec vtitur nomine priuilegij, sed nomine cuiuscumque facultatis, vt excludat omnem potestatem transferendi religiosum ad laxiorem religionem. Tum quia illa verba, *vigore cuiuscumque facultatis*, non apponuntur taxatiuè, &

re-

reſtrictiuè, ſed ampliatiuè, vt colligitur ex generaliſſimo loquendi modo, & ex dictione, *etiam*, quæ in hoc caſu non ſolum habere videtur vim copulatiuam, ſed etiam eſt extenſiua, & amplificatiua, vt ex *l.2.C.de teſtibus*, notant Surdus *deciſ.8.nu.12.* Menochius *conſ.336. numer.17.* Rota apud Farinacium *tom.1.par.1.deciſ.367.numer.1.& deciſ.408.num.1.*

Secundò, quia vix poteſt iuſta cauſa ad laxiorem tranſeundi contingere, cùm multa in eadem religione reperiri ſoleant cœnobia, in quibus occurri poteſt cauſis cogentibus religioſum transferri; præſertim cùm religioſus in qualibet religione tribus votis ſubſtantialibus teneatur, ab aliis verò ob regularem obſeruantiam debitis, excuſari poſſet ob iuſtam cauſam, vt bene in hac parte Rodriquez *tom.3. q.52.art.9.* contra Sanchez *num.72.*

Tertiò, quia religioſus ante Concilium Tridentinum tranſire non poterat ad laxiorem religionem, niſi obtenta facultate ab eo, qui priuilegium huiuſmodi licentiæ concedendæ habebat.

Ergo neque poteſt hoc tempore; conſequenter, cùm huiuſmodi priuilegia in Concilio abrogata ſint, ſequitur religioſum non poſſe hoc tempore ad laxiorem tranſire ex licentia obtenta à Prælato inferiore Papa, niſi fortè Prælato noua priuilegia poſt Concilij editionem conceſſa fuerint, ſicut conceſſa fuerunt Patri Generali Societatis Ieſu, vt patebit ex quinta ratione.

Quartò, quia in extrauaganti, *viam ambitioſæ, de regular.* impoſita eſt excommunicatio mendicantibus tranſeuntibus ad ordinem monaſticum abſque licentia Summi Pontificis. Ergo ſignum eſt neminem tranſire poſſe ad laxiorem religionem ſine licentia Summi Pontificis.

Quintò, quia Patri Generali Societatis Ieſu peculiare priuilegium conceſſum fuit à Paulo III. anno 1549. & à Gregor. XIII. anno 1582. in Bulla, quæ incipit, *Cùm alias*, vt ſuis religioſis, etiam ſolemniter profeſſis, facultatem concedere valeat tranſeundi ad alias quaſlibet religiones. Ergo ſignum eſt Generalem non poſſe huiuſmodi licentiam abſque priuilegio Sedis Apoſtolicæ concedere, ſaltem dum non eſt periculum in mora, vel difficilis non eſt ad Pontificem recurſus. Ita Rebuff. *in praxi benef. titul. de tranſlat. monach. n.10.* Azor. *1.par.lib.12.cap.14.quæſ.8.* & alij.

14 Summus Pontifex non poteſt ſine cauſa concedere licentiam tranſeundi ad laxiorē religionē.

14 Addo neque Summum Pontificem poſſe in foro conſcientiæ licentiam tranſeundi ad laxiorem religionem concedere ſine iuſta cauſa. Ratio eſt, quia facultas tranſeundi ad laxiorem continet commutationem voti in minus: conſequenter continet quamdam diſpenſationem; ſed Papa non poteſt ſine iuſta cauſa in voto, ſeu iure diuino diſpenſare. Ergo non poteſt facultatem tranſeundi ad laxiorem concedere in foro conſcientiæ.

Huiuſmodi tamen licentiam valere pro foro externo communis eſt Doctorum ſententia, quam ſequitur Nauar. *commentar.4.de regular.num.10.* Azorius *loco citato, quæſito 8. ad finem.* Rodriquez *tom.3. quæſt.52.art.10.* Sanchez *in opere morali lib.6.cap.7.nu.1.* Leſſius *lib.2. cap.41.dub.13.num.102.* Sanctarellus *de Apoſtaſia c.8. dub.vnico, n.24.* Ratio eſt, quia nullum in terris ſuperiorem habet, nec quiſquam ei dicere poteſt, cur ita facis? Imò Sopranus, præceptor meus, vir eruditiſſimus, in tractatu de alienatione bonorum Eccleſiaſticorum putat huiuſmodi licentiam in vtroque foro validam eſſe, quamuis Papa grauiter peccet, eam ſine cauſa concedendo, quia poteſtate ſibi à Deo conceſſa abutitur. Sed quid ego in hac re ſentiam, patet ex dictis de diſpenſationibus, de voto, & de alienatione bonorum Eccleſiaſticorum, & alibi.

Ex dictis ſequitur primò facultatem, quam Generalis ex iuſta cauſa alicui conceſſit tranſeundi ad aliam religionem, explicandum eſſe de arctiori, vel æquali, non verò de laxiori; quamquam Sanchez *numer.74.* putat explicandam etiam eſſe de laxiori, ſi conceſſa fuit cum dictione vniuerſali; ſed hoc ego non approbo, vt patet, tum ex rationibus ſuperiùs allatis. Tum quia actus explicandus eſt, vt potius valeat, quàm pereat. Tum quia ſuperior non præſumitur rem illicitam concedere. *l.meritò, ff.pro ſocio.*

15 Religioſus facultatem habens tranſeundi ad laxiorem religionē, non poteſt ingredi religionem equitum militariū.

15 Secundò ſequitur licentiam à Generali, vel etiam à Pontifice conceſſam tranſeundi ad quamlibet religionem laxiorem, nō extendi ad religionem Equitum militarium, niſi exprimantur. Ratio eſt, quia licet huiuſmodi Equites ſint veri religioſi, non tamen ſub communi religioſorum nomine comprehenduntur; verba autem iuxta communem loquendi modum accipienda ſunt. Ita Rodriquez *loco citato, artic.12.* Sanchez *num.75.* & Sacra Cardinalium Congregatio, quæ declarauit huiuſmodi licentias non extendi ad tranſitum ad ordines militares, niſi exprimantur, contra Nauarrum *conſ.58. num.1. de regular.*

Obiicies contra dicta in ſecunda reſponſione, ſeu cōcluſione, Generalis, vel etiam Prouincialis poteſt cum conſenſu Conuentus religioſum, ad Chorum profeſſum deputare miniſterio laicorum, ſeu conuerſorum; idem dic de Epiſcopo in religionibus non exemptis, & ipſi Epiſcopo ſubiectis. Ergo etiam poteſt facultatem tranſeundi ad laxiorem religionem concedere, cùm par ratio videatur; ſtatus enim laicorum, ſeu Conuerſorum non videtur adeò perfectus, ſicut eſt ſtatus profeſſorum, Choro deputatorum.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, tum quia Prouincialis, ſeu Generalis (ſolus enim Generalis, vel Prouincialis præciſis legitimis conſtitutionibus in contrarium, hanc poteſtatem habet cum conſenſu Conuentus, nam hæc tranſlatio grauis eſt, & maior, quàm tranſlatio de vno monaſterio ad aliud monaſterium, quam ſolus Prouincialis, vel Generalis facere poteſt) dum religioſum ad Chorum profeſſum transferunt ad ſtatum conuerſorum, non dicuntur illum transferre ad laxiorem religionem, ſed transferre ab vno ſtatu ad alium intra eamdem prorſus religionem, manente ſubſtantiali ipſius religionis ſtatu. Tum quia ſtatus conuerſorum humilior eſt, durior, & arctior. Ergo religioſus Choro deputatus, ad hunc ſtatum transferri poteſt a legitimo ſuperiore. Tum quia id fieri poteſt in pœnam religioſi, etiamſi ob id religioſus profeſſus tranſlatus ad ſtatum conuerſorum per accidens ferat commodum exemptionis diuini officij recitandi, cùm in eo ſtatu conſtituatur, in quo non extat conſuetudo recitandi diuinum officium, niſi illud recitare teneatur ratione ſacri Ordinis, vel alio titulo, vt docui de horis Canonicis. Ergo etiam id fieri poteſt alia iuſta de cauſa: cuiuſmodi cauſa eſt ineptitudo addiſcendi litteras neceſſarias religioſis Choro deputatis, ingens ad humiliorem ſtatum affectus, & ſimilia. Ita Sotus *de iuſt. libr.10. quæſt.5. artic.3. verſic. ad aliud verò.* Azor. *lib.10.cap.6.quæſito 7.* Sanchez *in opere morali lib.6.cap.7.num.8.* & alij contra Nauarrum *in cap.quando, quæſt.21. numero 20. de conſecrat.diſtinct.1.*

16 Superior concedens licentiam tranſeundi ad arctiorē religionē, non tenetur cauſā conceſſionis iudicialiter cognoſcere.

16 Quæres primò, vtrùm Prælatus concedens licentiam tranſeundi, debeat cauſam cōcedendæ licentiæ iudicialiter cognoſcere, ſumptis teſtibus coram notario, & præuio iuramento.

Reſpondeo negatiuè, quia hoc nullibi cautum eſt; ſed ſolùm requiritur cognitio legitimæ cauſæ.

17 Licentia tranſeundi ad aliam religionem valida eſt, etiamſi in ſcriptis conceſſa non fuerit.

17 Quæres ſecundò, vtrùm Prælatus facultatem dare debeat in ſcriptis.

Reſpondeo id non requiri, quia ſcriptura non eſt neceſſaria ad valorem priuilegij, vt docui de legibus, cum communi Doctorum ſententia. Idemque in hoc particulari caſu ſuſtinent Nauarrus *libr.3. conſ.36.num.1.de regular.* Sanchez *loco citato, numer.69.* contra Azor. *1.parte, libr.12.cap.15.quæſito 1.* Perſpicuum tamen eſt ſcripturam requiri, vt in foro externo conſtet licentiam tranſeundi ad aliam religionem datam fuiſſe, dum in foro externo alia ratione fides fieri non poteſt conceſſæ licentiæ.

18 Superior religionis an poſſit religioſum aliquem admittere animo dimittendi illum extra monaſterium manere.

18 Queres tertiò, an Prælatus religionis poſſit religioſum tranſeuntem ad ſuam religionem admittere animo illum retinendi in monaſterio, ſed intentione concedendi licentiam manendi extra claſtrum.

Reſpondeo non poſſe cum hac intentione admittere. Ratio eſt, quia hoc expreſsè cautum, & interdictum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſione 14.c.11.* ibi, *nemo cuiuſuis Ordinis Prælatus, vel ſuperior vigore cuiuſuis facultatis aliquem ad habitum, & profeſſionem admittere poſſit, niſi vt in Ordine ipſo, ad quem transfertur, ſub ſui ſuperioris obedientia in claſtro perpetuò maneat.*

Negandum tamen non eſt, quin Prælatus poſſit huiuſmodi religioſo tranſlato facultatem concedere manendi ad breue tempus extra monaſterium cauſa concionandi, vel audiendi confeſſiones, quia hoc non cenſetur in præfato Tridentini decreto comprehendi. Tridentinum enim voluit vagandi, & apoſtatandi occaſionem auferre; huiuſmodi autem occaſio ſequi non ſolet exiſtenti extra monaſterium cauſa concionis, vel confeſſionum. Ita Sacram Cardinalium Congregationem declaraſſe ferunt.

Imò Nauarr. *commentar.4.de regular.num.11. & ſequentibus.* Rodriquez *tomo 3.quæſt.53.art.4.* & Sanchez *in opere morali libr.6.cap.7. num.83.* exiſtimant Prælatum poſſe huiuſmodi religioſo tranſlato ad aliam religionem concedere facultatem manendi extra monaſterium, ſicut eam licitè concedere poteſt propriis eiuſdem religionis alumnis; mens enim Concilij fuit, vt cum ipſis ageretur, ac cum propriis alumnis.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Vtrùm tranſitus ab vna religione ad aliam fieri debeat bono affectu, & ſine damno primæ religionis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Tranſitus ab vna religione ad aliam fieri debet bono zelo, ſeu amore maioris perfectionis; ſic enim apertè colligitur ex *cap. licet, de regular.* vbi habetur tranſitum ad aliam religionem non temerè, aut leuiter, aut ex contemptu faciendam eſſe. Præſumitur autem non eſſe factus ex bono zelo, ſeu affectu maioris perfectionis, dum religioſus id fecit ob præuiam rixam, vel ob inconſtantiam, & leuitatem, qua religiones mutare conſueuit, aut etiam ſi hoc egit non petita à ſuperiore licentia. Omiſſio enim petitionis licentiæ, vt plurimum arguit prauum affectum, vel leuitatem, niſi oppoſitum aliunde colligatur.

1 Tranſitus ab vna religione ad aliam fieri debet bono zelo.

2 Tranſitus ad aliā religionem in dubio præſumitur factus bono, & nō prauo animo.

2 Quæres primò, vtrùm bonus, vel prauus animus præſumendus ſit, dum dubitatur, an bono, vel prauo animo ad aliam religionem tranſire velit.

Reſpondeo bonum animum, & zelum præſumendum eſſe. Tum quia quilibet in dubio præſumitur bonus, & non malus. Tum quia ex ſignis externis in cognitionem ducimur eorum, quæ in corde latent; cùm autem externus ad arctiorem religionem tranſitus ex ſe bonus ſit, inde facilè poſſumus coniicere ipſum ex bono mentis affectu emanare. Ita Panormit. *in cap.licet, num.8.* Hoſtienſis *ibidem in fine*, & alij apud Sanchez *in opere morali lib.6. cap.7. num.14.* & apud Sanctarell. *de Apoſtaſia cap.8.numer.11. ſub finem*, contra Ancharanum *in cap.licet, num.7. not.ab.9.*

3 Superioris iudicio ſtandū eſt, quando dubitatur an religioſus bono, vel prauo animo aliā religionem ingredi velit.

3 Quæres ſecundò, vtrum quando dubitatur, an bonus, vel malus animus adſit, & ob id ſuperior facultatem tranſeundi denegat, ſtandum ſit potiùs iudicio ipſius ſubditi, vel ſuperioris.

Reſpondeo in iudicio neutrius ſtandum eſſe, ſed requirendum eſſe iudicium alterius ſuperioris, eiuſque iudicio acquieſcendum eſſe; ſicut accidit, dum quis iniuſtè vexatur, aut dum ambigitur, an religio arctior ſit. Ratio eſt, quia ſic habetur *in ca.licet citato*, ibi, *Si vero probabiliter dubitetur, vtrùm quis velit ad Ordinem arctiorem, ſeu laxiorem, ex charitate, an ex temeritate tranſire, ſuperioris eſt iudicium requirendum, ne forte Angelus Satanā in lucis Angelum ſe transformet.* Ita communiter Doctores.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Tranſitus ad aliam religionem

4 Tranſitus ab vna ad aliam religionem fieri debet ſine notabili dāno, vel infamia prioris religionis, niſi fortè deprauati mores illius

fieri debet sine damno primæ religionis.

illius religionis causam transeundi dederint. Ratio est, quia *in cap. licet citato*, apertè decernitur religiosum non debere ad arctiorem religionem transire cum iactura, & damno prioris religionis. Existimo tamē huiusmodi professionem validam esse cùm nullo iure irritetur; quamquam prior religio habet ius repetendi religiosum, qui cum notabili ipsius religionis iactura ad aliam transiatus est. Ratio est, tum quia *in cap. licet, citato*, permittitur transitus, modò fiat sine graui iactura & damno prioris religionis, cui Pontifex in eo textu consulere intendit. Tum quia religioni competit ius petendæ restitutionis in integrum, dum læsa fuit in temporalibus. *cap. 2. de in integr. restitut.* Ergo multò magis hoc ei competere debet, dum in spiritualibus alienatione personæ læsa fuit. Ita Syluester *verbo religio 4. quæst. 1. ad finem*, Hostiensis *in cap. licet, num. 5. de regular.* Ancharanus *ibidem, num. 1. oppos. 2.* Innocent. *ibid. num. 1.* Sanchez *loco citato, num. 11. & 92.* & alij contra Panormitanum *in cap. licet, num. 12.* & alios, asserentes licitum esse religioso ad perfectiorem religionem transmeare, non obstante damno religionis, quia per accidens religioni sequitur damnum, quod imputari non debet religioso, cùm hic iure suo vtatur, & Spiritui sancto ad meliora promouenti resistere non teneatur.

TERTIA DIFFICVLTAS.

Vtrùm transitus ab vna religione ad aliam fieri debeat in arctiorem.

VNICA PROPOSITIO.

1 Transitus ad aliam religionem fieri debet in perfectiorem.

1 TRansitus ad aliam religionem fieri debet in perfectiorem, nisi legitima dispensatio transeundi ad aliam obtenta fuerit.

Ratio est, quia *in cap. licet, de regul.* conceditur solùm transitus ad perfectiorem religionem, ibi, *liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere.* Ita communiter Doctores.

2 Perfectior religio, quænam dicatur.

2 Sed modò dubium est, quid intelligatur nomine perfectioris religionis, ad quam transitus conceditur; dubium enim est an intelligatur sanctior, & perfectior, an verò asperior, arctior, & durior.

Aliqui Doctores eam vocant perfectiorem, quæ sanctior, & fructuosior est; illa autem videtur sanctior, & fructuosior, quæ animarum saluti studet. Cum enim maior perfectio desumatur à fine, ad quem religio illa ordinatur, & à mediis ad illum finem conducentibus, sequitur religionem illam perfectiorem esse, cuius proprium munus est saluti animarum consulere; salus enim animarum est præstantissimus omnium finis, cuius causa Christus Dominus noster humanam naturam assumere, & mortem obire dignatus est, & cuius gratia Episcopi in singulis diœcesibus constitui solent. Ob id Episcopis *in cap. licet citato*, interdicitur ingredi religionem absque Summi Pontificis licentia, & *in cap. 2. 19. quæst. 3.* Canonici regulares prohibentur ad monachos transire; cùm tamen istorum regula durior sit, & asperior, *cap. quod Dei timorem. de statu monachor.* Ita Syluest. *verb. religio 4. quæst. 1.* Nauarrus *comment. 4. de regul. num. 2. & sequent.* & alij.

Sed mihi probabilius videtur, in hac re eam vocari perfectiorem religionem, non quæ perfectior, & fructuosior est in ordine ad suum finem, sed quæ durior, arctior, & asperior est. Ratio est, tum quia transitus ad aliam religionem concedi videtur, vt salus religiosi ad aliam religionem transmigrantis in statu magis tuto collocetur; in statu autem magis tuto collocatur amplectendo religionem arctiorem, & duriorem, quàm aliam perfectiorem, & fructuosiorem per ordinem ad finem, & salutem animarum; non leue enim periculum subit, qui curam aliorum gerit. Tum quia *in cap. licet citato*, mentio fit arctioris, & asperioris vitæ, ibi, *arctioris vitæ prætextu*, & infrà, *vt apud eos vitam duceret arctiorem.* Tum quia in omnibus priuilegiis, in quibus interdicitur trāsitus ab vna religione ad aliam, excipitur Carthusia; sed hæc non est perfectior quoad finem (Carthusiani enim aliorum saluti non vacant,) est tamen arctior, & asperior ratione abstinentiæ à carnibus, silentij, perpetuæ clausuræ, & aliarum perpetuarum pœnitentiarum, ob id glossa eam vocat omnium optimam. Ergo illa religio perfectior in hac parte vocatur, quæ durior, & asperior, & in ipsam commutantur vota prima religionis. Ita Angelus *verb. religio, num. 34.* Azor. *1. part. lib. 12. cap. 14. quæst. 2.* Sanctarellus *de Apostasia cap. 8. num. 30.* Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 7. nu. 21.* Lessius *lib. 2. cap. 41. num. 100.* & alij apud præfatos Doctores, & apud Barbosam *in cap. licet num. 18. de regular.*

Ex dictis patet responsio ad rationem Nauarri & aliorum. Neque obstat quòd Episcopi nequeant sine licentia Papæ ad arctiorem religionem transire; id enim vetitum videtur ob communem animarum vtilitatem, ne Ecclesia suo præcipuo Pastore, inconsulto Papa, destituatur. Ad id quod dicitur de Canonicis regularibus,

Respondeo illis interdici ingressum in religionem monachorum, dum hoc fit ex leuitate, & temeritate, non verò dum fit affectu perfectioris vitæ.

3 Religio quomodo diiudicari possit arctior alia.

3 Rogabis, quomodo iudicare possimus vnam religionem alia duriorem, & arctiorem esse.

Respondeo diiudicari posse, attento præsenti religionis statu: illa enim religio arctior est, in qua nunc vitæ rigor magis viget, etiamsi fortè alia religio, à qua quis discedit ex primæuo instituto; aut constitutionibus, & regulis durior esset, sed modò collapsa est, & à primæua vitæ ratione recessit. Non enim inspicienda est religionis institutio, vel eius constitutiones, sed præsens viuendi ratio, quæ licèt mutari possit, nihilominus quamdiu non mutatur arctior est, vt suppono; consequenter est materia in quam præcedens votum commutari potest.

Addo in diiudicanda religionis asperitate, non solùm inspiciendam esse externam corporis asperitatem, aut votorum multitudinem; verùm etiam alias vitæ rationes, vt exactam paupertatem, strictam propriæ voluntatis abnegationem, & similia, quæ multas corporis asperitates superant. Ob id Clemens VIII. & Paulus V. interdixerunt quibusdam religiosis, ne fratres minores, aut alios strictioris regulæ in suam religionem reciperent, prætextu quarti voti in sua religione emittendi. Ita Nauarr. *comment. 4. de regular. num. 3.* Rodriquez *tom. 3. quæst. 52. articul. 4.* Azor. *1. part. lib. 12. cap. 14. quæst. 8.* Sanchez *num. 23. & sequentib.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 13. nu. 101.* Barbosa *loco citato, num. 19.* Sanctarellus *loco citato*, & alij.

Hinc sequitur primò non licere à Carthusia transire ad aliam religionem; licere verò ab alia religione ad Carthusiam, per se loquendo, quia hæc omnium asperrima iudicatur. Ita Doctores citati.

Secundò sequitur iure meritò sub excommunicatione prohibitum esse nonnullis religiosis aliam religionem ingredi, aut alios admittere. Ratio est, tum quia fieri potest, vt decipiantur in diiudicanda maiori religionis asperitate; ob id iudicio Summi Pontificis standum est. Tum quia fieri potest, vt huiusmodi prohibitio quieti, & tranquillitati religionis valdè conducat.

§. IV.

De effectibus consurgentibus ex transitu ab vna ad aliam religionem.

DVo effectuum genera consurgunt ex transitu ab vna ad aliam religionem.

Primum est, circa personas ipsas transeuntes.

Secundum circa bona ipsorum transeuntium. De vtrisque in sequentibus difficultatibus consueta breuitate differam.

PRIMA DIFFICVLTAS.

De effectibus ex transitu ad aliam religionem consurgentibus circa personas ipsas transeuntes.

QVatuor dubia hac occasione explicabo.

Primum est, vtrùm legitimè transiatus ad aliam religionem teneatur votis primæ religionis.

Secundum, vtrùm transiatus ab vna religione ad aliam possit in Capitulo sedere iuxta professionem in prima religione factam.

Tertium est, vtrùm religiosus, qui ad aliam religionem transiuit, possit iterum ad primam redire.

Quartum est, vtrùm transiatus ad aliam religionem, vt ibi sit Prælatus, & superior, finito officio, maneat religiosus primæ, an secundæ religionis.

1 Transiens ad aliam religionem non tenetur ad vota primæ religionis.

1 Quæres igitur primò vtrùm legitimè transiatus ad aliam religionem teneatur ad vota specialia primæ religionis, vt si religiosus Minimorum transferatur ad aliam religionem, teneatur in secunda religione seruare votum abstinentiæ à carnibus, & lacticiniis, quo religiosi Minimi obstricti remanent.

Respondeo non teneri. Ratio est, tum quia huiusmodi vota sunt annexa priori statui, non verò secundo; cessante autem principali, cessat accessorium. Tum quia vota primæ religionis commutantur in vota secundæ; is autem, cuius vota in alia commutata fuerant, non tenetur illa seruare. Ita Suarez *tom. 2. de relig. tract. de voto lib. 6. cap. 3. num. 7.* Sanchez *lib. 6. cap. 7. num. 87.* Barbosa *in cap. licet, num. 18. de regular.* & alij apud præfatos Doctores.

2 Transiens ad aliam religionem sedere debet in secunda religione, iuxta tempus, quo professionem in secunda emisit.

2 Quæres secundò, vtrùm transiatus ab vna religione ad aliam debeat in Capitulo sedere iuxta tempus professionis emissæ in prima religione, an iuxta tempus professionis factæ in secunda.

Respondeo debere sedere iuxta tempus, quo professionem in secunda emisit. Ratio est, quia ex tunc cœpit esse religiosus illius religionis; hoc autem intelligitur, & limitatur, si transiatus fuit, vt esset subditus, & filius illius religionis; non autem si transiatus fuit, vt esset illius superior; nam si transiatus fuit, vt esset superior, finito, vel renuntiato officio sedebit post Prælatum in memoriam gradus & honoris, quem gessit, nisi adsint alij, qui præualeant ratione maioris honoris, vt benè Nauarr. *lib. 1. consil. 11. de maiorit. & obed.* Rodriquez *tom. 3. quæst. 52. art. 29. & in sum. 2. part. cap. 6. num. 10.* Sanchez *loc. cit. num. 86. & lib. 5. cap. 4. nu. 13.* Barbosa *in cap. licet, nu. 27. de regular.*

Hinc patet contraria ratione, eum, qui transfertur de vna Prouincia ad aliam eiusdem religionis, debere postquam incorporatus est secundæ, sedere in Capitulo iuxta tempus, quo professus fuerat; quia non transfertur, vt profiteatur, sed vt filius, & subditus religionis. Ita Rodriquez *loc. cit. art. 30.*

3 Transiens ad aliam religionem quandonā à prima iterum recipiendus sit.

3 Quæres tertiò, vtrùm religiosus, qui ad aliam religionem transiuit, iterum admittendus, & recipiendus sit à prima religione, si ad illam reuertatur, vel à secunda expellatur.

Respondeo distinguendo, vel religiosus ad primam religionem redit, antequam validè profiteretur in secunda religione, vel postquam validè professus fuit in secunda religione. Si redit antequam validè professus sit in secunda, recipiendus est à prima, quia adhuc est verus illius religionis monachus. Et hoc verum est, etiamsi debitam licentiam obtinuisset transeundi ad aliam religionem. Ratio est, tum quia huiusmodi licentia non efficit ipsum non esse religiosum illius religionis. Tum quia facultas data ex causa, cessat cessante causa, ob quam data fuit: huic autem data fuit facultas exeundi ex causa professionis faciendæ in alia religione; quam causam supponimus cessare, cùm in alia religione non profiteatur. Imò idem valet, etiamsi licentia absolutè, & simpliciter data fuerit; huiusmodi enim licentia irrita est, & inualida, eo quòd ansam vagandi præbeat, contra textum *in cap. Abbates, 18. quæst. 2.* Si verò redeat ad priorem religionem, postquam in secunda validè professus fuit, prima religio non tenetur illum admittere, quia præfatus religiosus non est amplius illi subditus; sed est subditus secundæ religionis, a qua egreditur, vel expellitur. Ita Syluester *verb. Religio 4. quæsito 5.* Azor. *1. part. lib. 12. cap. 14. quæst. 11.* Sanchez *num. 104. & seq.*

4 Trāsiens ad aliam

4 Quæres quartò vtrùm religiosus transiatus ad aliam religionem, vt

religionē, vt ibi ſit Prælatus, finito officio, remanet religioſus primæ religionis.

vt ibi ſit Prælatus, & ſuperior, finito officio maneat religioſus, & monachus primæ, an ſecundæ religionis.

Reſpondent Doctores ſtatim citandi remanere monachum ſecundæ religionis. Ratio eſt, quia emittere debet profeſſionem in ſecunda religione; nam qui vitam cum aliis ſimilem ſuſcipit, ſimilem ſeruare debet in legibus diſciplinam. *cap. recolentes. de ſtat. monach.* & quilibet accommodare ſe debet vitæ, & moribus eorum, quibuſcum verſatur, *cap. in noua 16. quæſt. 7.* per profeſſionem autem in ſecunda religione vota primæ religionis commutata remanent in vota ſecundæ; conſequenter in ſecunda manere debet. Ita Rodriquez *tom. 3. quæſt. 52. artic. 26.* Barboſa *in cap. licet, de regular. num. 26.* Miranda *tom. 1. q. 31. art. 22.* Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 7. num. 85.* & alij. Sed mihi magis placet opinio Petri de Peruſio & aliorum apud Rodriquez *loco citato*, aſſerentium præfatum religioſum, regulariter loquendo, manere ſubditum, ſeu monachum primæ religionis, quia qui ad aliam religionem proficiſcitur, vt ibi ſit Prælatus, non ſolet ibi profeſſionem emittere, cùm profeſſio integrum nouitiatus annum præ requirat, niſi in hac parte à Sede Apoſtolica diſpenſetur; ſubiectio autem religioni acquiritur per profeſſionem.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

De effectibus ex tranſitu ad aliam religionem conſurgentibus circa bona ipſius religioſi.

VT in hac re gradatim progrediar quatuor explicanda propono. Primò, ad quem pertineant bona religioſi, dum tranſit ab vno monaſterio ad aliud eiuſdem religionis.

Secundò dum tranſit ab vna religione bonorum capaci, vel incapaci ad aliam etiam capacem, vel incapacem.

Tertiò dum tranſit ab vna capaci ad aliam incapacem.

Quartò dum tranſit ab vna incapaci ad capacem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Bona religioſi cuinam acquirantur dū ab vno monaſterio ad aliud eiuſdem religionis monaſterium tranſmittitur.

1 QVando religioſus certam ſedem non habet, ſed ad nutum ſuperioris amouetur, & tranſmittitur ab vno monaſterio ad aliud eiuſdem religionis, cuius vnum eſt caput, id eſt, Generalis, vel Prouincialis, bona ab huiuſmodi religioſo acquiſita iure communi pertinent ad totum Ordinem ſeu religionem, & ad Generalem pertinet illa applicare, cui velit monaſterio, niſi aliud ferat conſuetudo, vel ſtatuta religionis. Ratio eſt, quia qui ſentit onus, par eſt vt commodum percipiat, *reg. qui ſentit, de reg. iur. in 6.* Sed totus Ordo ſentit onus illius religioſi, cum religio ipſa religioſo ſit obligata. Ergo par eſt, vt totus Ordo commodum illorum bonorum ſentiat, iuxta diſtributionem à legitimo ſuperiore faciendam; niſi aliud ferat conſuetudo, vel ſtatuta.

Dixi, *quando religioſus certam ſedem non habet*, nam ſi certam quaſi ſedem habeat, eo quòd religioſi illius Ordinis mutari non ſoleant à monaſterio, in quo profeſſionem emiſerunt, bona, quæ religioſus acquirit pertinent ad illud monaſterium, quia dicitur illius filius. Hoc tamen intellige, niſi aliqua bona acquiſierit contemplatione, vel ex re poſterioris monaſterij, in quo reperitur: tunc enim perſpicuum eſt huiuſmodi bona pertinere ad poſterius monaſterium, vt patet ex dictis de contractibus.

Dixi, *niſi aliud ferat conſuetudo*, vel ſtatuta religionis à Sede Apoſtolica confirmata; hæc enim ſeruanda ſunt: quamobrem alicubi receptum eſt, vt bona acquirantur monaſterio, in quo profeſſus fuit; alibi, vt acquirantur monaſterio, in quo moritur. Vide Nauarrum *comment. 2. num. 5. de regul.* Azorium *1. part. lib. 12. cap. 10. quæſ. 4.* Sanchez *loco citat. num. 53. & ſeq.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Bona quæ priori monaſterio acquiſita fuerant, remanent apud prius monaſterium, dum religioſus ab vna ad aliā religionem tranſit, niſi fortè poſterius monaſterium cogatur religioſum ſuſcipere.

2 DVm religioſus transfertur ab vna religione ad aliam, bona, quæ prius monaſterium capax acquiſitionis bonorum acquiſierat ratione illius religioſi, non transferuntur in poſterius monaſterium, etiamſi capax bonorum ſit, ſed remanent apud prius monaſterium, niſi fortè poſterius monaſterium cogatur illum recipere, ſeu niſi religioſus ad aliam religionem transferatur cauſa pœnitentiæ ibi peragendæ. Ratio eſt, tum quia huiuſmodi bona abſolutè acquiſita fuerunt priori monaſterio, & non ſub conditione; bona autem alicui abſolutè acquiſita, ad alium deuolui non debent. Tum quia ſic habetur *Authent. de monachis. §. ſi verò relinquens*, ibi, *Si verò relinquens monaſterium ad aliud tranſeat, etiamſi quidem eius ſubſtantia maneat, & vendicetur à priori monaſterio, vbi abrenuntians hanc reliquit.* Tum quia nullo iure probatur acquiſita priori monaſterio ad poſterius transferenda eſſe. Tum quia quæ religioſus acquirit, acquirit monaſterio, cuius eſt monachus; ſed religioſus tranſiens ad aliam religionem, eſt monachus prioris religionis, donec in poſteriori religione profeſſionem emittat; ergo quæ acquirit vſque ad profeſſionem in ſecunda religione faciendam, acquirit priori monaſterio. Ita Sylueſt. *verb. Religio 4. quæſ. 10.* Nauar. *conſ. 55. num 9. de regular.* Rodriquez *tom. 3. quæſt. 5. art. 5.* Sanchez *in opere morali lib. 7. cap. 32. nu. 8.* Azor. *1. part. lib. 12. cap. 15. quæſito 3.* Emanuel Sà *verbo Religio, num. 35.* Molina *tom. 1. de iuſt. diſput. 140. verſ. quando religioſus*, Barboſa *in cap. licet, num. 29. & ſeq. de regular.* & alij contra Nattam *conſ. 180. num. 8.* Panorm. *cap. quod à te, de Cleric. coniug.* & alios arbitrantes præfata bona tranſmitti ad poſterius monaſterium, exceptis iis, quæ religioſus tempore ingreſſus expreſsè donauit priori monaſterio, ſeu quæ donauit contemplatione ingreſſus; & contra Bartholomæum Socinum *tom. 4. conſ. 52. num. 18.* & alios aſſerentes, dominium bonorum pertinere ad prius monaſterium, vſumfructum verò ad poſterius monaſterium, donec religioſus vixerit.

Dixi in propoſitione, *niſi fortè poſterius monaſterium cogatur illum recipere, ſeu niſi transferatur, vt ibi pœnitentiam agat*; tunc enim pars vſusfructus, ſufficiens ad alimenta religioſi, tradenda eſt poſteriori monaſterio. Tum quia par non eſt, vt poſterius monaſterium inuoluntariè iacturam alimentorum patiatur. Tum quia ſic decernitur *in cap. dilapſis 16. quæſt. 6. & cap. ſi quis rapuerit 27. quæſt. 1. & Authent. de ſanctiſſimis Epiſcopis, §. penult.* Ex quo fit, vt dum religioſus ad aliud monaſterium in pœnam tranſmittitur, teneatur prius monaſterium vſumfructum bonorum, quæ priori monaſterio, intuitu religioſi acquiſita fuerant, in ea quantitate tribuere, quæ arbitrio prudentis ſufficiat ad congruam illius religioſi ſuſtentationem, quamdiu religioſus in poſteriori monaſterio manet; niſi fortè poſteriori monaſterio inſeruiat, eiúque adeò vtilis ſit, vt ipſius obſequia pretium alimentorum adæquent.

Tunc enim prius monaſterium nihil dare tenetur poſteriori monaſterio, cùm damnum ex illius monachi detentione non patiatur, & alimenta compenſentur pretio obſequiorum; quod pretium alias non deberetur poſteriori monaſterio, ſed priori; nam quæ monachus acquirit, acquirit monaſterio, cuius eſt monachus. Ita Sylueſt. *verb. Religio 4. quæſt. 10.* Tabiena *eod. verb. quæſ. 27.* Rodriquez *tomo 3. quæſt. 5. artic. 5.* Molina *diſp. 140. verſ. quando religioſus*, Sanchez *lib. 7. cap. 32. num. 46.* Azor. *1. par. lib. 12. cap. 15. quæſito 3.* & alij apud Auguſtinum Barboſam *in cap. licet. num. 29. de regular.*

Obiicies primò, contra dicta in propoſitione, qui ſentit onus alimentorum, & expenſarum, par etiam eſt, vt commodum ſentiat bonorum; ſed ſecundum monaſterium ſentit onus alimentorum; ergo par etiam eſt, vt ſentiat commodum bonorum, quæ priori monaſterio intuitu ipſius religioſi acquiſita fuerant.

Reſpondeo primò, ſecundum monaſterium ſentire commodum obſequiorum religioſi ad illud tranſeuntis; religioſus enim illi inſeruit; conſequenter onus alendi compenſatur onere inſeruiendi, nec prius monaſterium quicquam ei tradere tenetur, cùm ei bona abſolutè, & non ſub conditione acquiſita fuerint.

Reſpondeo ſecundò poſterius monaſterium debere ſibi hoc incōmodum imputare, cùm volens acceptauerit illum religioſum, cuius bona nouerat, vel noſſe debebat priori monaſterio acquiſita fuiſſe.

Obiicies ſecundò, bona, quæ prius monaſterium acquiſierat, non fuerunt illi tradita abſolutè, ſed acceſſoriè, & in conſequentiam perſonæ, ſeu ſub conditione, quamdiu religioſus in eo monaſterio manſerit, nec ab illo licitè exierit. Ergo ſi ad aliud monaſterium transferatur, transferuntur etiam bona, quia ceſſante principali ceſſat acceſſorium, & factum corruit conditione non adimpleta.

Reſpondeo huiuſmodi bona abſolutè acquiſita fuiſſe priori monaſterio, etiamſi occaſione, & in conſequentiam perſonæ profitentis priori monaſterio tradita fuerint; non tamen hinc ſequitur poſteriori monaſterio deberi, cum religioſus ad illud tranſiens nullum ius in illa bona habeat.

3 Bona monaſterij incendio, vel alia ratione deſtructa ad quē pertineant.

3 Obiicies tertiò, ſi monaſterium aliquod inundatione, incendio, vel alia ratione deſtruatur, nec reædificetur, bona religioſorum deuoluuntur ad monaſterium, ad quod transferuntur religioſi illius monaſterij deſtructi, ex Bartolo *in l. quod ſeruus 35. num. 2. ff. de ſtipulat. ſeruor.* & aliis apud Rodriquez *tom. 3. quæſt. 5. art. 4. & 6.* & apud Sanchez *lib. 7. cap. 32. num. 59.* Ergo etiam bona, quæ religioſus in prima religione acquiſierat, tranſeunt ad religionem, ad quam diuertit, cùm par ratio videatur.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia ſecundum monaſterium ſuccedit in locum prioris; conſequenter par eſt, vt in bona prioris ſuccedat. Si verò non omnes religioſi in idem monaſterium ingrediantur, ſed diuerſa petant monaſteria, cenſeo bona pro rata cuilibet monaſterio, ad quod diuertunt, applicanda eſſe, quia hoc pacto ſeruatur æqualitas.

4 Bona religionis à Summo Pontifice deleta cui acquirantur.

4 Si obiter quæras, ad quem pertineant bona religionis, quæ à Summo Pontifice deleta fuit, aut cuius religioſi omnes extincti fuerunt nullo ſuperſtite.

Reſpondeo diſpenſationem huiuſmodi bonorum pertinere ad Sūmum Pontificem, ſi loquamur de religione exempta. Si verò loquamur de religione non exempta, ſed Epiſcopo ſubiecta, pertinent ad Epiſcopum, non tamquam dominum illorum bonorum, ſed tamquam diſpenſatorem bonorum vacantium. Ita Sanchez *loc. cit. nu. 58.* Azor. *1. part. lib. 12. cap. 16. quæſ. 10.* & alij.

Ex dictis in hac ſecunda propoſitione ſequitur ſolutio multorum caſuum.

5 Tranſiens ad aliā religionem nō poteſt quicquam ſecū deferre abſque licentia ſuperioris primæ religionis.

5 Primò ſequitur religioſum tranſeuntem ad aliam religionem non poſſe quicquam ſecum deferre, niſi à Prælato primæ religionis, vel à Summo Pontifice expreſsè, vel tacitè data ſibi fuerit facultas deferendi. Ratio eſt, quia bona pertinent ad prius monaſterium, & religioſus nihil proprij habet, & vſus, quem Prælatus religioſo concedit, reuocabilis eſt ad nutum ipſius Prælati; quamobrem non poteſt ſecum deferre ſcripta, ex quorum delatione damnum priori monaſterio ſequeretur. Secus ſi nullum inde ſequeretur damnum priori monaſterio, vt ſi originale ibi relinquat, & exemplar, id eſt, copiam ſecum deferat: aut ſi probabiliter credat Prælatum non eſſe inuitum. Tunc enim non peccat, cùm nihil inuito ſuperiore accipiat. Ob id excuſatur deferendo ſecum veſtes; Prælatus enim cenſetur tacitè conſentire; nam conceſſo vno, conceduntur omnia, ſine quibus id fieri nequit. *l. pen. ff. de vſufruct.* vt benè Nauarr. *conſil. 55. de regul. nu. 9.* Aretinus, quem citat, & ſequitur Rodriquez *tomo 2. quæſt. regul. quæſt. 79. artic. 2. ad finem*, Sanchez *loco cit. num. 13.*

Secundò ſequitur religioſum, qui ad aliud monaſterium tranſmittitur, vt ibi ſit Prælatus, vel vt aliud negotium ibi peragat, non habere ius ad vſumfructum bonorum primæ religioni acquiſitorum, vt benè Sanchez *lib. 7. cap. 32. num. 11.* contra Nauarrum *comment. 4. de regul. num. 24. verſ. 11.* & Rodriquez *loco citato.* Quid autem dicendum ſit de vſufructu relicto alicui religioſo, conſtabit ex infra dicendis illatione ſeptima.

6 Monialis non poteſt ſecum deferre dotē

6 Tertiò ſequitur Monialem auctoritate Papæ tranſlatam ad ſuam inſtantiam, vel ad inſtantiam ſecundi monaſterij, de vno monaſterio ad aliud, non poſſe ſecum deferre dotem, vel alia bona priori monaſterio

dum ad sui instãtiam, vel ad instantiã secundi monasterij transfertur ad aliud monasterium.

sterio acquisita. Ratio est, tum quia dos, & alia bona non fuerunt tradita sub conditione, si in eo monasterio manserit, sed solum sub conditione si professionem emiserit; cum autem professionem in dicto monasterio emiserit, sequitur prius monasterium esse absolutè dominum prædictorum bonorum. Tum quia posterius monasterium hoc sibi incommodum imputare debet, cùm volens admittat Monialem, quæ nihil proprij habet; cùm ipsius dos priori monasterio acquisita fuerit. Ita Nauar. *loc. cit.* Rodriquez *loc. cit. vers. ex quibus*, Sanchez *loc. cit. num.* 12. contra Bartholomæum Socinum *tom.* 2. *cons.* 222. *num.* 3. & alios.

Dixi, *ad suam instantiam, vel ad instantiam secundi monasterij*, quia si secundum monasterium coactum fuit illam admittere, dos soluenda est. Ratio est, tum quia Moniales non solent absque dote admitti, nisi monasterium voluntariè dotem remittat. Tum quia ad hoc faciunt rationes superiùs allatæ, *num.* 2. *in versic. Dixi.*

Dices, dos tradita monasterio vicem gerit dotis traditæ marito ad sustinenda matrimonij onera; sed dos tradita marito, eo mortuo restituitur, nam dos ibi esse debet, vbi sunt onera matrimonij, vt dicitur *in l. is, qui* 57. *ff. de iure dot.* & dos traditur sub conditione, vt soluto matrimonio restituatur. Ergo etiã soluta prima professione per professionem in secunda religione, dos Moniali restituenda est.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia dos monasterio traditur absolutè, & in perpetuum, marito verò ad tempus, id est, durante matrimonij vinculo.

Quartò sequitur peculium, quod si religiosus tempore professionis de licentia superioris reseruauit, pertinere ad prius monasterium, quia illius dominium acquisitum fuerat priori monasterio, & vsusfructus concessus fuerat religioso, non absolutè, sed reuocabiliter ad nutum superioris. Idem dic de peculio à parentibus, cognatis, vel amicis assignato ipsi religioso. Secus si assignatum fuit tertiæ personę, cum onere illud tradendi religioso singulis annis, vel quoties ipse petierit. Tunc enim huiusmodi peculium non est absolutè concessum religioso; consequenter priori monasterio non est acquisitum, imò neque acquiritur secundo monasterio, nisi quatenus religiosus aliquid petierit, eique traditum fuerit. Ita Sanchez *num.* 14.

7 Hereditas, quę nõ delata fuerat antequã religiosus profiteretur in secũda religione, pertinet ad primam religionẽ.

7 Quintò sequitur hereditatem religioso competentem pertinere ad prius monasterium, dum hereditas delata fuit, antequam religiosus professionem emitteret in secunda religione, etiamsi hereditas tunc temporis adita non fuerit. Ratio est, quia bona à religioso acquisita ante professionem in secunda religione emissam pertinent ad primam religionem: sed hereditas fuit acquisita ante professionem in secunda religione factam; nam vt cognoscatur quandonam hereditas monasterio acquisita sit, non est inspiciendum tempus additionis hereditatis, sed tempus delationis. Cùm ergo tempore delationis hic esset religiosus primæ religionis, sequitur hereditatem pertinere ad prius monasterium, non verò ad secundum, iuxta Panormitan. *cap. in præsentia, num.* 77. *de prob.* Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 11. *num.* 87. & 88. Couarruuiam *de testament. cap.* 1. *num.* 21. Sanchez *num.* 18. & alios contra Baldum *in l. si quis mihi, §. seruus, ff. de acquirend. hered.* & alios apud præcitatos Doctores.

8 Hereditatis tempus quodnam inspiciendũ sit quoad hereditatis acquisitionem.

8 Dices, ius heredis maximè inspiciendum est tempore, quo acquirit hereditatem, *Institut. de hered. qualit.* Sed hereditas acquiritur aditione hereditatis; tempus enim aditæ hereditatis inspicitur, quoad eius acquisitionem. *l. si alienus, ff. de leg.* 2. ergo hereditas delata ante professionem in secunda religione factam, non pertinet ad primam religionem.

Respondeo hereditatem perfectè acquiri per aditionem hereditatis, vt probant textus in obiectione adducti: imperfectè tamen, & quoad ius adeundi hereditatem acquiritur per delationem; quo iure prior religio non priuatur ob ingressum, seu professionem religiosi in secunda religione factam.

Sextò sequitur bona, quæ prius monasterium acquisiuit, non esse restituenda secundæ religioni, ad quam religiosus transit, vel ipsimet religioso à prima religione exeunti, etiamsi fortè illa bona cedant substituto post mortem ipsius religiosi in iis casibus, in quibus per professionem non excluditur substitutus. Ratio est, quia prius monasterium validè acquisiuit ius à tempore, quo religiosus professionem emisit, cum onere solum restituendi post mortem religiosi illa bona substituto, quoties substitutus per professionem non fuit exclusus. Ita Baldus *cap. in præsentia, de probat. num.* 15. Iason *l. cùm fundos, §. seruum, in fine. ff. si cert. petatur*, quos sequitur Sanchez *libr.* 7. *cap.* 32. *num.* 15.

9 Vsusfructus deuoluitur ad secundum monasterium, ad quod religiosus trãsit, nisi relictus fuerit contemplatione prioris monasterij.

9 Septimò sequitur vsumfructum alicuius rei, quem religiosus acquisierat ante professionem, vel etiam post professionem, contemplatione sui, non contemplatione prioris monasterij, non remanere penes prius monasterium, sed penes secundum à die professionis factæ in secunda religione. Ratio est, tum quia vsusfructus non erat perfectè acquisitus monasterio, sed successiuè quotidie acquirebatur ex monachi persona. Tum quia vsusfructus sequitur personam, & pendet à monachi vita, in monasterio perseuerante; nam vsusfructus dicitur seruitus personalis. *l. 1. ff. de vsu, & vsufructu.* Ergo trãslata persona transfertur vsusfructus in monasterium, ad quod religiosus transit, modò monasterium sit capax bonorum: hoc enim secundum monasterium succedit in iura ipsius religiosi. Si verò secundum monasterium est incapax bonorum, consolidatur vsusfructus cum proprietate, & transit ad dominium rei, non verò ad prius monasterium, cùm prius monasterium non haberet ius in vsumfructum, nisi ex ipsius religiosi persona, vt benè Sanchez *in opere morali lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 63.

Dixi, *contemplatione sui, & non contemplatione monasterij*, quia si vsusfructus relictus fuit alicui religioso, contemplatione prioris monasterij, pertinet centum annis ad prius monasterium; nam vsusfructus alicui monasterio, vel Ecclesiæ, vel communitati relictus absque temporis determinatione, durat centum annis, iuxta *l. an vsusfructus. ff. de vsufructu.* Et ratio est, quia cùm vsusfructus sit ius personale, pendens ab hominis vita, & spatium centum annorum sit finis longæ vitæ hominis, sit, vt vsusfructus relictus monasterio, Ecclesiæ, vel cõmunitati, duret centum annis, qui est terminus lõgæ vitæ.

10 Vsusfructus in dubio præsumitur relictus contẽplatione monasterij.

10 In dubio autem, an vsusfructus relictus sit contemplatione monasterij, vel contemplatione personæ.

Respondeo præsumi relictum contemplatione monasterij, si religiosus tunc temporis professionem fecerat. Ratio est, quia cùm monachus nihil sibi acquirere possit, sed monasterio acquirat, præsumitur vsusfructus relictus contemplatione monasterij; consequenter durabit centum annis, sicut vsusfructus relictus seruo, præsumitur in dubio relictus contemplatione domini, cui seruus omnia acquirit, ex Bart. *l. finali, C. de vsufructu*; & vsusfructus relictus filiofamilias præsumitur in dubio relictus contemplatione superuiuentis; consequenter si pater superstes sit post filij mortem, vsumfructum habebit, *l. final. C. de vsufruct.* & *ibi* Bald. *num.* 5. Gomez *in l.* 48. *Tauri, nu.* 2. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 61. & alij.

11 Bona acquiruntur secũdo monasterio, dum alicui relicta fuerunt hac cõditione, vt monasterium in iis non se ingerat.

11 Octauò sequitur peculium concessum religioso hac lege, vt monasterium in illud non se ingerat, alioquin illud perdat, acquiri secundo monasterio, quoad fructus percipiendos, postquam religiosus professionem in secundo monasterio emiserit. Ratio est, quia monasterium ius non habet in præfatum peculium, nisi quatenus religioso defertur, in hoc autem casu suppono non deferri religioso absolutè. Ita Sanchez *loco citato, num.* 14.

TERTIA PROPOSITIO.

12 Bona acquisita à religioso quę religiosus acquisiuit post transitum ad aliã religionẽ, non pertinent ad primam.

12 Bona acquisita à religioso, postquam transiit a religione capaci, vel incapaci, ad religionem incapacem, vel etiam capacem, non pertinent ad primam religionem, modò in secũda religione professus sit. Ratio est, tum quia non est amplius religiosus prioris monasterij; ergo illi amplius non acquirit. Tum quia Episcopus, vel alius omnino subtractus ab obedientia superiorum regularium, non acquirit priori monasterio, sed sibi vsumfructum; Papæ verò dominium, cum quo vsusfructus consolidatur obitu ipsius Episcopi, vel alterius omninò exempti à Prælatorum obedientia, vt benè Lessius *loco citato num.* 89. Azor. 1. *part. lib.* 12. *cap.* 10. *quæsito* 7. Sanchez *num.* 61. & alij; ergo neque acquisita à religioso in secunda religione pertinent ad primam religionem.

Dixi, *modò in secunda religione professus fuerit*, nam si in secunda religione professionem non emisit, bona pertinent ad primam religionem si capax est; quamobrem quæ religiosus ad aliam religionem translatus in pœnam suorum delictorum acquirit, pertinent ad primam religionem, cuius est religiosus. Ratio est, quia quæ monachus acquirit, suo monasterio acquirit; posterius autem monasterium, ad quod translatus fuit, non est ipsius monasterium, cùm in eo professionem non emiserit, & ad illud in pœnam translatus sit. Deducenda tamen sunt ex huiusmodi bonis alimenta, dum prius monasterium tenetur secundo monasterio alimenta præstare, iuxta suprà dicta *nu.* 2. *vers. dixi.* Et hoc pacto intelligenda est *Authent. Ingressi. C. de sacrosanct. Eccles.* Ita Sanchez *nu.* 49. & alij contra Rodriquez *tom.* 3. *quæst. regularium, quæst.* 5. *art.* 5. & alios.

13 Bona ad quem pertineant dũ quis à religione capaci ad incapacem trãsit.

13 Rogabis, cuinam acquirantur bona, quæ religioso, seu primæ religioni acquiri deberent, nisi ad religionem incapacem aduolasset.

Respondeo acquiri illi, qui in huiusmodi bonis succederet mortuo præfato religioso, nisi aliter constet de mente disponentis. Ratio est, quia professio in religione incapaci comparatur morti naturali. *l.* 1. *§. sed si patronus, ff. de coniungend. cum emancipat. liber.*

14 Bona cuinam acquirantur dum religiosus extra monasterium degit.

14 Obiicies primò, contra dicta in propositione, quæ religiosus extra monasterium de licentia superioris acquirit, pertinent ad prius monasterium, ex communi Doctorum sententia. Ergo etiam ad prius monasterium pertinent acquisita à religioso, postquam transiit ad aliam religionem; non enim plus operatur transitus ad aliam religionem, quam operetur existentia in sæculo de licentia legitimi superioris.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia religiosus in sæculo existens remanet monachus, seu religiosus religionis, a qua recedit; transiens verò ad aliam religionem, facta professione, non est amplius religiosus primæ religionis; consequenter quæ extra monasterium acquirit, acquirit ipsi monasterio, nisi fortè extra monasterium moriatur: tunc enim in quibuscumque bonis religiosi succedit Camera Apostolica ex constitutione Gregorij XIII. quæ incipit, *Officij nostri.* Hoc tamen limita, nisi religiosus facultatem testandi haberet, & de illis testatus sit, tunc enim in hac parte Camera Apostolica non succedit, alioquin vanum esset, & inutile testandi priuilegium. Ita Azor. 2. *parte libro* 8. *capite* 3. *quæsito* 15. Sanchez *in opere morali libro* 7. *cap.* 32. *num.* 61. Rodriquez, Sanctarellus, & alij, quos infrà referam, dum loquar de bonis acquisitis à religioso electo.

15 Religiosus habens beneficiũ, pẽsionem, vel dignitatem, cuinam acquirat.

15 Obiicies secundò, bona, quæ religiosus translatus ad beneficium, pensionem, vel dignitatem acquirit, priori monasterio acquirit. Ergo multò magis religiosus translatus à religione capaci ad aliam incapacem acquirit primæ religioni.

Respondeo acquisita à religioso translato ad beneficium, vel dignitatem, non acquiri monasterio, sed Ecclesiæ, si religiosus subtractus erat à regulari obseruantia, vt patebit ex rationibus illatione prima adducendis; quamobrem præfatus religiosus habet quidem administrationem bonorum, dum viuit, dominium tamen bonorum pertinet ad Ecclesiam, in qua beneficium, vel dignitatem habet, & eo mortuo vsusfructus consolidatur cum proprietate, & Ecclesiæ acquiritur, seu successori in beneficio; quatenus beneficiarius frui solet fructibus bonorum suæ Ecclesiæ. Iure tamen nouo huiusmodi bona acquiruntur Cameræ Apostolicæ post mortem religiosi, si religiosus extra monasterium degebat, iuxta motum Greg. XIII. qui incipit, *Officij nostri.* Ratio cur bona à præfato religioso acquisita non pertineant ad monasterium, est, quia præfatus religiosus nullam cum monasterio communionem habet, cum à regulari obedientia legitimè subtractus sit, vt suppono.

16 Ex

16 Epiſcopus religioſus bona, quæ acquirit à die confirmationis Pontificiæ, acquirit Eccleſiæ cuius eſt Epiſcopus.

16 Ex quo ſequitur primò bona, quæ religioſus ad Epiſcopatum aſſumptus donatione, legato, teſtamento, vel alia ratione acquiſiuit à die confirmationis Pontificiæ, pertinere ad Eccleſiam, cuius eſt Epiſcopus. Ratio eſt, tum quia ſic habetur *in cap. vnico* 18. *quæſt.* 1. tum quia non poteſt aſſignari, cui alij acquirat; non enim poteſt ſibi acquirere, cùm ratione voti paupertatis abdicauerit à ſe ius acquirendi dominium, & à Papa diſpenſatus ſolùm fuerit quoad vſum, & adminiſtrationem bonorum, vt ſuppono, nec acquirit religioni, cùm à religione abſtractus ſit. Ita Molina *tom.* 1. *de iuſt. q.* 140. *verſ. Quando religioſus minor.* Azor. 1. *part. lib.* 12. *cap.* 10. *quæſito.* 6. Sanch. *in opera morali. lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 63. *& ſeq.* Leſſius, & alij.

Dixi, *à die confirmationis*, quia tunc incipit acquirere Eccleſiæ, cùm tunc ſubtrahatur à regulari ſubiectione, tuncque ſubiiciatur immediatè Summo Pontifici, & iuriſdictionem Epiſcopalem acquirat. *cap. tranſmiſſam. de elect.* Ita Emanuel Sà *verbo religio. num.* 64. Rodriquez *tom.* 3. *quæſt.* 69. *art.* 4. Sanchez *loco citato nu.* 67. contra Hoſtienſem *cap. cùm olim num.* 10. *de priuileg.* Alciatum *lib.* 1. *conſil.* 1. *num.* 22. & alios, aſſerentes, religioſum creatum Epiſcopum acquirere monaſterio vſque ad tempus conſecrationis: poſt conſecrationem verò acquirere Eccleſiæ, & contra Beroium *in ſuis quæſtionibus, quæſt.* 83. *numero* 1. Ancharanum *cap. cùm olim.* 2. *num.* 7. *de priuilegiis*, & alios ſuſtinentes religioſum creatum Epiſcopum acquirere monaſterio vſque ad diem captæ poſſeſſionis Eccleſiæ; à die verò captæ poſſeſſionis acquirere ſuæ Eccleſiæ. Sed quod ego dixi, verius eſt, & valet non ſolùm in Epiſcopo habente Eccleſiam, verùm etiam in Epiſcopo titulari, vt patet ex allatis rationibus. Azor. *loc. cit. quæſito* 7. Sanchez *num.* 68.

17 Cardinalis religioſus cuinam acquirat bona poſt Cardinalatum.

17 Idem militat in religioſo ad Cardinalatum euecto, quia ſubiicitur immediatè Summo Pontifici, & ſubtrahitur ab obedientia regulari. Ita Rimiuald. *tom.* 3. *conſil.* 342. *num.* 28. quem citat, & ſequitur Sanchez *nu.* 70. Idem dic de religioſo, cui data fuit Eccleſia in Commendam, & abſtractus fuit à regulari obedientia. Sanchez *num.* 69. contra Alciatum *loco citato, num.* 30. Idem dicendum arbitror de alio quolibet beneficiario, dum perfectè eximitur à ſuorum Prælatorum obedientia, vt patet ex allatis rationibus. Si verò non ſubtrahitur à regulari obſeruantia, ſed adhuc ſubiectus ſuo Prælato regulari remanet, cenſeo adminiſtrationem huiuſmodi bonorum pertinere quidem ad ipſum religioſum, dum viuit, vt docui *in lib. variar. tract.* dum loquerer de largitione munerum regularibus vtriuſque ſexus interdicta. Eo tamen mortuo lucra, & alia bona, quæ ei ſuperſunt, ad monaſterium pertinere videntur, iuxta regulam: Quicquid acquirit monachus, acquirit monaſterio: niſi fortè aliquid ei traditum ſit intuitu Eccleſiæ, vel niſi lucratus ſit ex rebus Eccleſiæ; nam tradita intuitu Eccleſiæ, vel acquiſita ex rebus Eccleſiæ pertinent ad Eccleſiam, vt aliàs docui: quamuis Nauar. *comment.* 4. *de regular. num.* 6. Azor. 1. *par. lib.* 12. *cap.* 10. *quæſito* 6. Emanuel Sà *verb. religio. num.* 64. generaliter aſſerant, beneficiarũ acquirere Eccleſię, & cõtra Sanchez ex parte, *nu.* 76. Bart. & alios apud ipſum Sanchez, ſentientes acquiſita operis beneficiarij, vel ex rebus Eccleſiæ pertinere ad Eccleſiam.

18 Penſionarius religioſus cuinam acquirat.

18 Secundò, ſequitur acquiſita à religioſo habente penſionem de licentia Papæ, pertinere ad monaſterium. Quamuis enim religioſus illius penſionis adminiſtrationem habeat, illamque ad libitum expendere poſſit, vt docui de largitione munerum; eo tamen mortuo, reſiduum penſionis, & alia occaſione penſionis acquiſita, pertinent ad monaſterium, niſi religioſus omnino ſubtractus eſſet ab obedientia Prælatorum regularium, vt dictum eſt de beneficiario, & extra monaſterium mortuus ſit; tunc enim acquiſita ab huiuſmodi religioſo penſionario, pertinent ad Cameram Apoſtolicam, ex motu Gregorij XIII. Ita Azor. *loc. cit. quæſito* 7. Sanchez *in opere mor. lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 78. Emanuel Sà *verb. religio, num.* 27. & alij.

19 Religioſus promotus ad prioratum, vel Abbatiam alterius monaſterij acquirit priori monaſterio.

19 Tertiò ſequitur religioſum promotum ad Prioratum, vel Abbatiam alterius monaſterij, acquirere priori monaſterio, quia non eſt exemptus ab obedientia prioris monaſterij, vt ſuppono, ſed adhuc eſt religioſus prioris monaſterij; quæ autem religioſus acquirit, ſuo monaſterio acquirit. Secus dicendum videtur, ſi aliquid acquirat contemplatione Prioratus, ſeu ex re Prioratus, acquiſita enim hoc facto cedunt Prioratui, vt in ſimili dixi de beneficiario. Ita Pariſius *cap. in præſentia num.* 183. *de probationibus*, Riminal. *tom.* 3. *conſil.* 342. *num.* 39. *& ſeq.* & Sanchez *lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 81. quamuis alij generaliter aſſerant acquiri Prioratui.

QVARTA PROPOSITIO.

20 Religioſus acquirēs aliquid poſt tranſitū ad aliā religionem pertinet ad ſecundam religionē.

20 SI religioſus tranſeat à religione bonorum incapaci, vel etiam capaci, ad aliam capacem, bona, quæ religioſus in ſecunda religione acquirit donatione, legato, hereditate, induſtria, vel alia ratione, pertinent ad ſecundam religionem, iuxta vulgatam regulam: Quæ monachus acquirit, monaſterio acquirit. Neque obſtat incapacitas, quam contraxerat in prima religione, illa enim ſublata fuit; neque omninò extinxerat ius acquirendi, ſed ſuſpenderat, & conſopiuerat; conſequenter debita diſpenſatione, ſeu tranſlatione ad ſtatum capacem acquiſitionis excitatur, & reuiuiſcit, non quidem ad recuperanda bona, quæ ante adeptam capacitatem delata erant, ſed quoad bona in futurum deferenda, vt benè tradunt Bald. *authent. ingreſſi, de ſacroſanct. Eccleſ.* Sylueſter. *verb. religio* 4. *quæſito* 10. Tabiena *eodem verbo num.* 29. Azor. 1. *par. lib.* 12. *cap.* 15. *quæſito* 3. Sanchez *loco citato, num.* 24. *& ſeqq.* Molina *tom.* 1. *diſput.* 140. *verſ. quando religioſus*, Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 11. *num.* 88.

Ob id optimè tradit Baldus *loco citato*, ſi extet ſtatutum excludens feminas, extantibus maſculis, non poſſe quidem religioſum profeſſum in religione incapaci feminam excludere, quamdiu in dicta religione manet; tamen ſi ad religionem capacem, vel ad Epiſcopatum transferatur, excludit feminam, ſi ad hunc ſtatum tranſlatus ſit re adhuc integra, id eſt, antequam femina ſucceſſerit.

21 Religioſus non acquirit ſecundo monaſterio etiam illa bona, quæ priori monaſterio acquiſita fuiſſent eo tempore, quo ipſe in eo monaſterio extitit, ſi prius monaſterium capax bonorum fuiſſet.

21 Maior difficultas eſt, vtrùm religioſus acquirat ſecundo monaſterio etiam ea, quæ priori monaſterio acquiſita fuiſſent eo tempore, quo ipſe in eo monaſterio extitit, ſi prius monaſterium capax bonorum fuiſſet.

Reſpondeo negatiuè, quia dicta bona acquiſita iam fuerant heredibus ex teſtamento, vel ab inteſtato ſuccedentibus, vt ſuppono; heredes autem iure ſuo priuandi non ſunt ob capacitatem monaſterij ſuperuenientem. Et hoc verum cenſeo, iuxta probabiliſſimam ſententiam, etiamſi hereditas præfatis heredibus ſolùm delata erat, ſed nondum adita, antequam religioſus in ſecunda religione bonorum capaci profeſſionem emitteret, nam per delationem ius quæſitum eſt heredi ab inteſtato, vt in ſimili dictum eſt de monaſterio, ad quod delata fuit hereditas, antequam religioſus in ſecunda religione bonorum capaci profiteretur, quamuis multi Doctores oppoſitam ſententiam tueantur.

Ex quo licet obiter inferre præfatum religioſum non recuperaturum huiuſmodi hereditatem, etiamſi religioſus legitimè exeat, & velit hereditatem adire; nam ius alteri quæſitum eſt per delationem.

Ex dictis in hac propoſitione ſequitur primò hereditatem, quæ religioſo exiſtenti in religione incapaci relicta fuit, pertinere ad ſecundam religionem capacem, ad quam religioſus tranſlatus erat ante mortem teſtatoris. Ratio eſt, quia hereditas defertur morte teſtatoris, quo tempore ſupponimus religioſum exiſtere in ſtatu capaci, & ipſum religioſum eſſe neceſſarium heredem. Ratio eſt, quia licèt huiuſmodi religioſus ſuccedere non poſſit ex vi teſtamenti (nam vt quis ſuccedat ex vi teſtamenti opus eſt, vt eſſet habilis tempore confectionis teſtamenti, tempore mortis teſtatoris, quo defertur hereditas, & tempore additionis hereditatis. *l. ſi alienum* 49. *§. ſi extraneis ff. de hered. inſtit.*) ſuccedere tamen poteſt tamquam neceſſarius heres, inſtar ſucceſſoris ab inteſtato, vt ſuppono. Cùm enim inſtitutio quoad ipſum ſit prorſus irrita, vtpote facta, dum erat incapax ſucceſſionis, ſequitur ipſum non ſuccedere ex teſtamento, ſed ab inteſtato, cùm ab hac ſuccedendi ratione excluſus non ſit, & ſit capax hereditatis, eo tempore, quo ipſa defertur. Si verò inſtitutio facta fuerat ab extraneo, religioſus inſtitutus tempore, quo incapax erat, non ſuccedit, quia nullum habet ſuccedendi titulum. Non enim ſuccedere poteſt ab inteſtato, cum non ſit neceſſarius heres, vt ſuppono in hoc ſecundo caſu, ſed ſit extraneus reſpectu inſtituentis. Neque ſuccedit ex vi teſtamenti, cùm tempore conditi teſtamenti incapax eſſet. Ita Gloſſa *in l. ſi alienum, citata*, Rodriquez *tom.* 2. *q.* 79. *art.* 1. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 30. *& ſeq.*

Dices, ſi religioſus incapax ſubſtitutus ſit alicui, & poſtea effectus ſit capax eo tempore, quo ſuccedendum eſt, vt ſi tunc temporis ſit profeſſus in religione capaci, vel creatus ſit Epiſcopus, validè poteſt vi ſubſtitutionis ſuccedere. Ergo etiam validè poteſt ſuccedere, ſi ab extraneo inſtitutus fuerat tempore incapaci; ſed reperiatur capax tempore mortis teſtatoris, quò hereditas defertur.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia ſubſtitutiones ſunt conditionales, videlicet ſi pupillus in ætate pupillari moriatur, vel ſi ſubſtitutus ſuperuiuat grauato; in inſtitutione autem conditionali ſpectatur tempus impletæ conditionis. *l. ſi cùm heres* 4. *ff. quando dies leg. ced. & reg. qua legata* 18. *de regul. iur.* vt benè Sanch. *lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 36.

Secundò ſequitur, bona pertinere ad ſecundum monaſterium, quoties bona illa legato, vel teſtamento relicta fuerant ſub conditione, & conditio adimpletur poſt profeſſionem in ſecunda religione factam, etiamſi fortè teſtator obierit, dum religioſus in priori monaſterio exiſtebat, ſed conditio tunc temporis nondum adimpleta fuerat. Ratio eſt, quia in vltimis voluntatibus ſpes non tranſmittitur, ſed attenditur tempus adimpletæ conditionis. *l. ſi cùm heres* 4. *ff. quando dies legat. ced.*

Idem dicendum cenſeo in contractibus celebratis ſub conditione poteſtatiua, quæ videlicet pendet à voluntate illius, cum quo celebratur huiuſmodi contractus, quia etiam tunc inſpicitur tempus adimpletæ conditionis. Secùs dicendum eſt, ſi contractus celebratus fuit ſub conditione caſuali, quæ non pendet à voluntate illius, cui imponitur. Vt ſi dicatur, tantam tibi pecuniam tradam, ſi victor in ludo extitero, ſeu ſi amicum craſtina die inuenero. Ratio eſt, quia in contractibus conditionalibus inſpicitur tempus celebrati contractus quoad ius acquirendi. *l. ſi filiusfamilias* 78. *ff. de verbor. obligat.* Cùm enim obligatio contractus conditionalis, adimpleta conditione, retrotrahatur ad diem celebrati contractus; iure meritò inſpiciendum eſt tempus celebrati contractus. Ita Couar. *cap.* 1. *nu.* 20. *de teſtament.* Azor. 1. *parte, lib.* 12. *cap.* 15. *ad finem*, Sanchez *in opere morali lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 41. *& ſeq.* & alij.

Tertiò ſequitur bona, quæ alicui religioſo bonorum incapaci relicta fuerant, ſub conditione, ſi tranſeat ad religionem capacem, acquiri ſecundæ religioni, quia diſpoſitio conditionalis vim habet, adimpleta conditione; ſicut etiam ſi religioſus profeſſionem in religione incapaci emittens, reſeruata ſibi certa bonorum quantitate, ſi in dicta religione incapaci non perſeuerat, illa bona acquirit, poſtquam ad ſtatum bonorum capacem peruenerit, vt ſi factus eſt Epiſcopus, vel ad religionem bonorum capacem tranſiuit. Neque obſtat incapacitas medio tempore exiſtens, ſeu profeſſio in religione incapaci. Tum quia huiuſmodi profeſſio non omnino extinguit, ſed ſuſpendit ius ſuccedendi, & acquirendi; conſequenter incapacitas durat ſolùm, quamdiu religioſus vinculo illius religionis obſtringitur, id eſt, quãdiu permanet in religione incapaci. Et quamuis religioſus tranſlatus ad aliam religionem bonorum capacem, vel ad Epiſcopatum, non omnino liberatur à voto paupertatis, nihilominùs non ita paupertatis onere tenetur, ac in religione incapaci. Ita Natta *tom.* 1. *conſil.* 180. *num.* 2. *& ſeq.* Sanchez *in opere morali lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 37. & alij.

Dices, non firmatur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit, *regula penult. de reg. iur.* Sed diſpoſitio, qua aliquid relictum eſt religioſo incapaci, irrita erat; nam, vt inſtitutio valida ſit, opus eſt, vt is qui inſtituitur capax ſit tempore conditi teſtamenti.

Reſpon-

Respondeo primò, illam regulam intelligendam esse, nisi nouus status superueniat.

Respondeo secundò, illam dispositionem numquam fuisse inualidam, sed validam esse, & obligare à tempore adimpletæ conditionis.

§. V.

De pœnis contra religiosos ad aliam religionem transeuntes.

REligiosi transeuntes ab vna ad aliam religionem, vel transeunt in casibus permissis, vel in casibus non permissis. Priùs agam de transeuntibus in casibus permisis, postmodum de transeuntibus in casibus non permisis.

PRIMA DIFFICVLTAS.

De pœnis contra religiosos ad aliam religionem in casu permisso aduolantes.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Trãseuntes ad aliã religionem incapaces sunt quorumcũque beneficiorum.

1 PRima pœna est, vt omnes religiosi translati ad aliam religionem, incapaces sint quorumcumque beneficiorum sæcularium, etiam curatorum. Sic enim expresè decernitur in Concilio Trid. *sess.14.cap.13.in fine, de reformat.* ibi, *taliter translatus etiamsi canonicorum regularium fuerit, ad beneficia sæcularia, etiam curata, omnino incapax existat.*

Et hoc verum censeo, etiamsi præfatus religiosus translatus sit ad arctiorem religionem, Concilium enim generaliter loquitur. Ita Sanch. *in opere morali lib.6.cap.7.num.108.* Lesius *lib.2.de iust. cap.41. dub.13.num.105. ad finem.*

SECVNDA PROPOSITIO.

MEndicantes transeuntes ad non mendicantes, etiam cum facultate Pontificis, plures pœnas incurrunt, *Clement. 1. vt professores de regular.*

2 Transiens ad aliã religionem priuatur voce in Capitulo tam regulari, quàm sæculari.

2 Primò priuantur voce in Capitulo; & hoc verum est, tam de voce actiua, quàm de passiua, quia textus generaliter loquitur, vt benè Nauar. *comment. 4. de regular.num.24.* Lesius *loc.cit. num.105.* Sanchez *num. 120.*

Maior difficultas est, vtrùm si mendicans translatus ad non mendicantes obtineat administrationem in Ecclesia sæculari collegiali, possit habere vocem in Capitulo illius Ecclesiæ. Respondendum mihi videtur non habere; quia textus generaliter loquitur, ibi, *vocem aut locum in Capitulo non habeant, etiamsi hoc sibi ab aliis liberè concedatur.* Ita Cardinalis *in dicta Clement.num.5.oppos.3.* contra Glossam *ibidem verb. inibi,* Immolam *ibidem nu.12.* Sanchez *num. 121.* & alios. Neque obstat illa dictio, *inibi,* in textu adhibita, quæ videtur cadere in religiosos administrationem habentes in religione. Respondeo enim illam dictionem non connecti cum verbis inducentibus priuationem vocis, & loci in Capitulo, sed coniungi cum verbis præcedentibus, nam in meo Codice ponitur virgula post dictionem, *inibi.*

3 Transiẽs ad aliã religionem priuatur loco in Capitulo quoad honores, non vero priuatur loco in choro: inhabilis tamen efficitur ad quælibet officia, & administrationes etiã extra religionem.

3 Secundò priuantur loco in Capitulo, videlicet quoad honores in electionibus, & tractatibus, non verò quoad onera, vt in disciplinis, & correctionibus. Ista enim Clementina inducta fuit in pœnam transeuntium: consequenter exemptionem ab oneribus non inducit, sed ab honoribus, vt bene Cardinalis *in dicta Clementina num. 7.* Ancharanus *num. 5.* Bonifacius *num. 78.* Sanchez *num. 123.* & alij.

Addo non priuari loco in Choro, & aliis Congregationibus, quia Clementina loquitur solum de priuatione loci in Capitulo. Ita Glossa *loc.cit.verb.locum,* Bonifacius *num.67.* Sanchez *num.124.* & alij.

Tertiò inhabiles efficiuntur ad prælaturas, administrationes, & quælibet officia, etiam tamquam vicarij, seu ministri, vel locum aliorum tenentes; nec animarum curam pro se, vel pro aliis exercere possunt, vt clarè habetur *in præfata Clementina.*

Addo inhabiles effici ad præfatas administrationes, & officia non solum intra religionem, verùm etiam extra religionem; quia textus generaliter loquitur. Ita Ancharanus *in hac Clementina in fine,* Cardinalis *ibid. verb. ad prioratus q.2.* Sanchez *num.126.* & alij, contra Federicum *cons.161.* incipit, *Quidam religiosus.*

4 Officij nomine quid intelligatur.

4 Nomine Officij hoc in loco probabile est intelligi quælibet officia, quæ in religione officia nuncupantur, vt est officium Oeconomi, Cellerarij, Ostiarij, munus publicè concionandi, officium lectoris Theologiæ, iuris Canonici, vel aliarum facultatum, officium Vicarij Episcopi, saltem dum huiusmodi officium per religiosos exerceri solet, nam in dicta Clementina prohibentur quælibet officia; non tamen prohibetur, quin ad Doctoratus lauream promoueri possint; quia hæc non est administratio, vel officium. Ita Cardinalis *loco citato, num. 5.* glossa *hic verb. officia,* Lesius *num.105.* Sanchez *num. 126.* & alij.

5 Religiosus inualidè professus non incurrit pœnam transeundo ad aliam religionem.

5 Excipi tamen debent ab his pœnis in secunda propositione relatis, primò religiosi inualidè professi in prima religione. Ratio est, quia præfata Clementina loquitur de mendicantibus professis transeuntibus ad non mendicantes, ibi, *vt professores, in qua vocati sunt vocatione, persistere,* &c.

Excipi secundò possunt mendicantes transeuntes ad religionem Carthusianorum. Ratio est, quia huiusmodi transitus iure communi permissus est, etiamsi Carthusia non sit Ordo mendicantium; in Clementina autem citata, sermo solum videtur de transeuntibus virtute alicuius priuilegij etiam Apostolici. Ita Sanchez *loc.cit. nu.110.* contra Lesium *loc. cit. num.105.*

Excipitur tertiò, si mendicans transeat ad aliam religionem mendicantem, vel si religiosus non mendicans transeat ad aliam religionem non mendicantem, nisi peculiaris aliqua extet prohibitio; nam in præfata Clementina sermo est de mendicante transeunte ad non mendicantes. Ita Nauar. *de regular.consil.66.in fine,* Sanchez *loco citato, num.110.* Azor. *1.par.lib.12.cap.14. quæsito 12.* & alij.

Excipitur quartò, si religiosus translatus ad non mendicantes reuertatur iterum ad mendicantes; hic enim affici non videtur præfatis pœnis, postquam ad mendicantes rediit; nam Clementina loquitur de mendicantibus transeuntibus ad non mendicantes, habita ratione Ordinis non mendicantis, & in materia pœnali non est facienda extensio, vt bene Bonifacius *loc. cit. num.118.* contra Cardinalem *loc. cit. num.4.* & alios.

Excipi quintò potest Episcopus Ordinis mendicantium, qui dimisso de licentia Papæ Episcopatu tranfit ad non mendicantes; nam præfata Clementina loqui videtur de religiosis professis, regulari obseruantia astrictis, vt colligitur ex illis verbis, *vt professores huiusmodi paupertatis ordinis eo libentius, in qua vocati sunt vocatione persistere,* &c. Ita Bonifacius *in dicta Clementina num. 83. & seq.* contra Cardinalem *ibid.num.17.* Sanchez *loco citato, num.119.* & alios.

6 Mendicantiũ nomine quinam intelligantur.

6 Sed modò dubium superest, quinam mendicantium nomine intelligantur, quibus ad non mendicantes transeuntibus præfatæ pœnæ impositæ fuerunt.

Respondeo nomine mendicantium intelligi eos, qui ex vi suæ professionis, vel regulæ, vel constitutionum à Sede Apostolica confirmatarum nequeunt redditus, vel possessiones ad congruam sustentationem in communi habere, sic enim decernitur *in cap. vnico. §. confirmatur. de religiosis domibus, in 6.*

Dixi, *constitutionum à Sede Apostolica confirmatarum,* quia religiosi, qui redditus, vel possessiones ad congruam sustentationem habere possunt, non ex vi professionis, aut regulæ, sed solùm vi constitutionum non confirmatarum à Sede Apostolica, non sunt verè mendicantes, iuxta probabiliorem sententiam; quia huiusmodi religiosi possent præfatas constitutiones, etiam iuratas collegialiter mutare, & variare; nam lex sicut à legislatore pendet in fieri, ita etiam in conseruari. Ita Bonifacius *in Clement.1.de regular.num.79.* Anchar. *ibidem num. 6.* Nauar. *cons. 65.* Sanchez *in opere morali lib.6.cap.7. num.114.* contra Decium *in cap. ad nostram, num. 27. de appell.* Mandosium *regul.cancellar.23.quæsito 3.in fine,* & alios.

Hinc sequitur primò, Moniales Ordinis mendicantium, aut Minorum, vel aliorum, quæ ex vi regulæ, professionis, vel constitutionum à Papa confirmatarum, non prohibentur redditus, aut possessiones habere, non esse propriè mendicantes. Secus si aliquæ moniales reperiantur, quibus præfatos redditus in cõmuni habere ex regula, vel professione interdictũ sit. Ita Syluest. *ver.relig.3.quæs.3.* Angel. *ver. Nouitius nu.6.* Sanchez *nu.116.* & alij contra Glo. *in Clem.1. verb. quoslibet, de regul.* Bonifacium. *ibid.num.56.* Imolam *num.8.* & alios.

Secundò sequitur illos non esse mendicantes, qui redditus in communi habere possunt ex vi regulæ, vel professionis, etiamsi actu stipem mendicando quærant.

Tertiò illos esse mendicantes, qui ex vi professionis, regulæ vel constitutionum à Sede Apostolica confirmatarum, redditus habere non possunt. Sed nihilominùs ipsi contra prohibitionem, redditus illicitè habent, nam ex vi regulæ, vel constitutionum huiusmodi bona habere nequeunt, vt suppono; ergo mendicantium nomine veniunt.

Quartò illos esse mendicantes, qui redditus habere non possunt ex vi regulæ, vel professionis, sed solum ex dispensatione, & concessione Summi Pontificis; sicut in Conc. Trident. *sess.25.cap.3. de regul.* concessum fuit omnibus mendicantibus, exceptis Capucinis, & Minoribus de Obseruantia, redditus, & possessiones in communi habere; concessio enim, & dispensatio non trahitur ad diuersa, & priuilegium tollens vnum, non tollit aliud. *cap. Pastoralis, de priuileg.* & gratia in fauorẽ concessa ad aliquem effectum, non debet præiudicium afferre quoad alia. Ita Bonifac. & Imola *locis cit.* Sylvest. *loc.cit. quæsito 3.* Sanch. *num.105.* Rodriq. *tom.3.quæst.regul.q.52.art.15.ad finem.*

Quintò sequitur illos esse mendicantes, qui ex vi suæ regulæ, vel professionis bona habere non possunt, etiamsi instituti fuerint post editionem *cap. vnici citati;* nam lex generalis, & perpetua non solum complectitur tunc natos, verùm etiam in posterum nascituros, quia semper loquitur: quamobrem mendicantium nomine non solum veniunt Ordines S. Dominici, S. Francisci, S. Augustini, & Carmelitani, de quibus mentio habetur *in cap. vnico citato;* verùm etiam Ordines S. Francisci de Paula, & Societatis Iesu; quamuis enim Collegia Societatis Iesu possessiones habeant, nihilominus inter mendicantes recensentur, vt declarauit Pius V. *in Bulla anno 1571.*

SECVNDA DIFFICVLTAS.

De pœnis, seu censuris contra religiosos, quibus vetitum est ad alias religiones transire.

PLures extant excommunicationes contra nonnullos religiosos transeuntes ad aliam religionem, vel eos admittentes, quarum singulas seorsim in sequentibus enumerabo.

1 Fratres reformati excommunicatiõe incurrunt transeundo ad fratres Conuentuales, aut recedendo ab obediẽtia suorum ministrorum.

1 Prima est Leonis X. in Bulla vnionis, in qua sub excommunicatione latæ sententiæ interdixit ne fratres reformati transeant ad fratres Conuentuales, vel recedant ab obedientia suorum ministrorum, præciso casu proximè referendo, *vers. excipitur.*

Eamdem excommunicationem extendit ad omnes, ac singulos Conuentualium secundùm priuilegia viuentium Prælatos, ac subditos, si aliquem ex præfatis reformatis recipere audeant.

Excipitur tamen casus ab hac censura incurrenda, quando scilicet Capitulum prouinciale minus malum esse arbitratur dimittere aliquem reformatum ad nondum reformatos, quàm ipsum inter reformatos retinere.

An autem id licitè fiat, etiamsi minus malum censeatur, videri potest apud Sorbum *in additio. ad Collectorem verb. Conuentuales fratres, num.2.* vbi ex determinatione Capituli generalis Meclinensis ostendit non esse licitum, fratres familiæ Obseruantiæ admittere, sed in propria religione puniendos esse, etiam pœna carceris; secus si antea professi fuerant sub Conuentualibus, deinde ad fratres de Obseruantia se transtulerant, & modò sub Conuentualibus, iuxta Obseruantiæ præscriptum stare volunt.

Ex

Ex dictis facilè colligi poteſt, quænam ſit materia, & quodnam ſubiectum iſtius excommunicationis.

2 Capucini recipientes fratres Minores de Obſeruantia ſine licentia Papæ excommunicationem incurrunt, quam etiam contrahunt ipſimet fratres de Obſeruantia trãſeuntes ad Capucinos.

2 Secunda eſt Pauli III. edita anno 1537. incipit, *Romani*; præterea Iulij III. in Bulla, quæ incipit, *Officij*, edita anno 1550. & denique Sixti V. in Bulla, *pro ea*, anno 1586. in qua præcedentes conſtitutiones confirmantur, & excommunicantur non ſolum Capucini recipientes fratres Minores de Obſeruantia ſine facultate Summi Pontificis, aut ſine licentia in ſcriptis eorum Prouincialium miniſtrorum, verùm etiam ipſimet fratres de Obſeruantia præſumentes ſe ad Congregationem Capucinorum transferre abſque præfata licentia: præterea receptio irritatur, & inhabilitas ad quælibet officia inducitur.

Hinc colligi poteſt primò materiam iſtius excommunicationis eſſe duas actiones. Prima eſt, recipere fratres de Obſeruantia ſine debita licentia. Secunda tranſire ad religionem Capucinorum ſine præfata licentia.

Secundò colligitur ſubiectum iſtius excommunicationis eſſe ipſos fratres de Obſeruantia tranſeuntes ad Capucinos ſine debita licentia, & præterea ipſos Capucinos, qui recipiunt, ſiue ſint Prouinciales, ſiue Guardiani, Vicarij, Præſides, miniſtri Domorum, aliíque ſuperiores; de his enim omnibus ibi ſermo eſt. Vide Sorbum *in verbo recipere ver. partes*, & Filliucium *tract. 14. cap. 8. quæſito 10. num. 150.*

3 Fratres Minimi excommunicatione ligantur recipiendo fratres Minores de Obſeruantia.

3 Tertia eſt Iulij II. in Bulla, quæ incipit, *Expont*, in qua Summus Pontifex excommunicat Fratres S. Franciſci de Paula, qui Minimi nuncupantur, recipientes, vel retinentes ſine licentia Papæ fratres Ordinis Minorum de Obſeruantia. Quæ circa iſtam excommunicationem dici poſſent facilè colliguntur ex dictis in præcedentibus. Vide Viualdum *loco citato, num. 40.* & Filliucium *num. 151.*

4 Religioſi Ordinis Humiliatorum excommunicationem incurrunt aliquem recipiẽdo.

4 Quarta eſt contra profeſſos Ordinis Humiliatorum, admittentes aliquem ad habitum, vel profeſſionem ſui Ordinis. Iſta excommunicatio edita fuit à Pio V. in Bulla, *Quemadmodum*, occaſione nefandi ſceleris attentati à Farina religioſo illius Ordinis contra Sanctum Carolum, quem ſclopo ad necem petere intendebat; ſed eum Deus euidenti miraculo illæſum, & incolumem ſeruauit. Propterea vi huius Bullæ Ordo Humiliatorum paulatim extinctus fuit; conſequenter mihi adepta eſt occaſio differendi de hac excõmunicatione.

5 Religioſi cuiuſcumque Ordinis excommunicationem incurrunt recipiendo Patres Societatis Ieſu, non obtẽta à Generali licentia; eadem excommunicatione ligantur ipſimet Patres ſine præfata licentia tranſeuntes.

5 Quinta eſt contra religioſos cuiuſcumque Ordinis recipientes Patres Societatis Ieſu ſine licentia ſui ſuperioris, (exceptis tamen Carthuſianis,) & contra ipſoſmet Patres Societatis ſine dicta licentia ingredientes aliam religionem quàm Carthuſianam, & contra dantes auxilium. Iſta excommunicatio lata fuit à Pio V. in Bulla, quæ incipit, *Æquum reputauimus.*

Obſeruant tamen Suarez *diſput. 22. ſectio. 5. num. 21.* & Sanchez *num. 20.* ſuperiorem Societatis Ieſu ex priuilegiis Pij IV. & V. poſſe ab hac cenſura abſoluere, vt alibi docui. Vide infrà dicenda *dub. 3.*

Addo cum Sanchez religioſos Societatis neque poſſe ad Carthuſiam tranſire, niſi obtenta à ſuperioribus licentia, quam licentiam Pater Generalis ſibi reſeruauit. Ratio eſt, quia Patres Societatis Ieſu gaudent priuilegiis Carmelitarum, ex priuilegio Pij V. Carmelitis autem conceſſum fuit priuilegium à Paulo V. *die 3. Aprilis* 1610. ne ad Carthuſiam tranſire valeant ſub excommunicationis pœna ipſo facto.

6 Religioſi Clauſtrales ſubiiciuntur excommunicationi recipiẽdo Minimos.

6 Sexta eſt contra Clauſtrales recipientes Minimos ſine licentia Summi Pontificis. Iſtam excommunicationem impoſuit Iulius II. in Bulla, quæ incipit, *Virtute conſpicuos.*

7 Religioſi Minores excommunicatiõnẽ incurrunt recipiendo fratres Ordinis Prædicatorum.

7 Septima contra Minores recipientes fratres Ordinis Prædicatorum volentes ad ipſos tranſire ſine expreſſa licentia Papæ, vel ſuorum ſuperiorum. Iſta excommunicatio lata fuit à Clemente, teſtibus Sancto Antonino *3. parte, tit. 24. cap. 70.* Suarez *de cenſuris diſput. 22. ſect. 5. num. 17.* Armilla *excommunicatio. 67.* Filliucio *tract. 15. cap. 8. quæſt. 7. num. 197.* Imò Filliucius eam recenſet inter excommunicationes reſeruatas; Suarez verò aſſerit in indulto Clementis nullam fieri mentionem reſeruationis huius excommunicationis.

Addit Suarez hac excommunicatione non ligari fratres Minores tranſeuntes; quia Clemens excommunicat recipientes, non verò tranſeuntes. Videri poſſunt, dum opus fuerit, ſingula priuilegia religioſorum, in quorum fauorem præcedentes excommunicationes latæ ſunt.

8 Minimi ſubtrahentes ſe ab obedientia Correctorũ excommunicationi ſubiiciuntur.

8 Octaua eſt contra Minimos, qui ſe ab obedientia Correctorum ſubtrahunt, ex Paulo III. in Bulla, *Cùm ſicut.*

9 Tertiarij Eremitæ deferentes habitum Minimorũ excommunicationis gladio feriuntur.

9 Nona eſt contra Tertiarios Eremitas deferentes habitum Minimorum, ex Leone X. in Bulla, *licèt alias*, &c.

10 Religioſi mendicantes incurrunt excõmunicationem tranſeundo ad non mendicantes.

10 Decima eſt contra religioſos mendicantes tranſeuntes ad religiones non mendicantes; nam Martinus V. vt conſeruationi Ordinum mendicantium prouideret, *in extrauaganti, viam ambitioſæ, de regular. & tranſeunt. ad relig.* impoſuit excommunicationem religioſis mendicantibus aduolantibus ad religionem non mendicantium abſque ſpeciali Summi Pontificis licentia, excepto Carthuſienſium Ordine.

Hic igitur explicabo materiam, & ſubiectum iſtius excommunicationis, quamuis Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 13. num. 103.* & Sanctarellus *de Apoſtaſia cap. 8. num. 27.* putant præfatam extrauagantem ex parte vſu receptam non fuiſſe quoad licentiam Sedis Apoſtolicæ, aut ſaltem intelligi ſolùm, dum quis ad laxiorem religionem tranſit abſque iuſta cauſa.

11 Affignatur materia iſtius excommunicationis.

11 Quæres primò, quænam ſit materia iſtius vltimæ excommunicationis.

Reſpondeo eſſe duplicem actionem.

Prima eſt, tranſire ad religioſos monaſticos ſine ſpeciali Summi Pontificis licentia; nam in præfata extrauaganti dicitur, *in futuris autem nullus ex profeſſoribus alicuius ex Ordinibus mendicantium huiuſmodi in aliquem monaſticum Ordinem (Carthuſienſium dumtaxat excepto) poſſit, aut debeat per quemcumque recipi, vel admitti virtute alicuius licentia, vel indulti, abſque ſedis huiuſmodi licẽtia ſpeciali ſub dictis pœnis.*

Dices, in præcitatis verbis non prohibetur tranſitus, ſed receptio, & admiſſio. Ergo religioſo mendicanti vetitum non eſt ſub excommunicatione tranſire ad Ordines monaſticos; in pœnis enim non eſt facienda extenſio.

Reſpondeo prohiberi non ſolùm receptionem, ſed etiam tranſitum. Tum quia vna pars diſpoſitionis aliam explicat. Tum quia præcitata verba relationem habent ad præcedentia, vt conſtat ex illa loquendi forma, *ſub dictis pœnis*; ſed in præcedentibus verbis ſermo eſt non ſolum de recipientibus, verùm etiam de receptis, ibi, *ſub pœna excommunicationis, quam tam recipientes, quàm recepti ipſo facto incurrant.* Ergo, &c. Ita ſupponere videntur omnes Doctores, qui huius cenſuræ meminerunt.

Secunda actio eſt recipere, ſeu cooptare religioſum mendicantem in Ordinem monaſticum abſque ſpeciali Summi Pontificis licentia, vt patet ex verbis relatis in prima actione.

12 Ordines, ad quos mendicantibus prohibetur tranſitus, quinam ſint.

12 Sed modò dubium eſt, primò, quinam ſint Ordines, ad quos tranſitus mendicanti prohibetur ſub excommunicatione.

Reſpondeo eſſe Ordines monaſticos qui in præfata extrauaganti enumerantur, qualis eſt Ordo S. Benedicti, & ſimilium; nam in dicta extrauaganti dicitur, *Tam Sancti Benedicti, quàm Ciſtercienſis, Camaldulenſis, Vallis Vmbroſæ, Canonicorum Regularium S. Auguſtini, vel aliorum monaſticorum Ordinum.*

Hinc ſequitur non eſſe vetitum ſub excommunicatione tranſitum mendicantis ad alium Ordinem mendicantem, quia tranſitus ad hunc Ordinem ex vi iſtius extrauagantis non prohibetur, vt benè Sanch. *lib. 6. cap. 7. num. 110.*

Dico, *ex vi iſtius extrauagantis*, quia ex priuilegiis particularibus nonnullarum religionum fieri poteſt, vt ob huiuſmodi tranſitum excõmunicatio incurratur, vt patet, tum ex priuilegiis Ordinum Prædicatorum, & Societatis Ieſu; tum ex aliis, de quibus ſuprà.

13 Admittens mendicantem ad Ordinẽ non mendicantem ligari non videtur excommunicatione, niſi hoc faciat prætextu priuilegij.

13 Secundò dubium eſt, vtrùm admiſſio tranſitus mendicantis in Ordinem monaſticum ſub excommunicatione prohibeatur, ſiue fiat prætextu alicuius priuilegij, ſiue non.

Reſpondendum videtur ſub excommunicatione hoc loco prohiberi ſolùm, ſi fiat prætextu priuilegij; quia in extrauaganti dicitur, *recipi, vel admitti virtute alicuius licentiæ vel indulti*; in materia autem pœnali ſtandum eſt ſtrictæ verborum interpretationi, niſi aliud conſtet de mente diſponentis, aut niſi aliud ferat conſuetudo. Ita Sanchez *lib. 6. cap. 7. num. 110.*

An autem religioſus Ordinis mendicantium tranſiens ex propria malitia, & abſque vllo priuilegio ad Ordinem monaſticum, incurrat excommunicationem latam contra religioſos dimittentes habitum, patet ex dictis quæſtione præcedenti, *puncto 6.*

14 Profeſſio mendicantis in religione non mendicanti facta irrita eſt.

14 Tertiò dubium eſt, vtrùm receptio, & admiſſio religioſi mendicantis in Ordinem monaſticum valida ſit.

Reſpondeo non ſolùm eſſe illicitam, & ſub excommunicatione prohibitam, verùm etiam eſſe inualidam, quia in hac extrauaganti dicitur, *nihilominus ſecus facta non teneant ipſo iure.*

Excipiendus eſt tamen duplex caſus. Primus eſt, dum quis tranſit ad Ordinem Carthuſienſium, nam hic Ordo excipitur in dicta extrauaganti, ibi, *Carthuſienſium dumtaxat excepto*; ad hoc facit illud Ioannis Maioris *in 4. diſt. 38. q. 21. Carthuſia religionum optima.*

Secundò excipitur, ſi hoc fiat de ſpeciali Summi Pontificis licentia, quia in textu dicitur, *abſque ſedis huiuſmodi licentia ſpeciali.*

15 Licentia ſpecialis quænam dicatur.

15 Illa autem cenſetur licentia ſpecialis, in qua religioſis mendicantibus datur facultas conuolandi ad Ordines monaſticos, etiamſi fortè nomen particularis perſonæ non exprimatur, quicquid in contrarium dicat Suar. *diſp. 22. ſect. 5. num. 18.* Filliucius *tract. 15. cap. 8. quæſito 3. num. 191.* Poſſet enim Summus Pontifex non ſolùm perſonæ particulari, verùm etiam omnibus religioſis Franciſcanis non reformatis, vulgo, *Zoccolanti*, facultatem concedere aduolandi ad Ordinem S. Benedicti, vel ad quemlibet Ordinem monaſticum, & hæc facultas valida eſſet, etiamſi nullius religioſi in particulari mentio fieret: aliud enim eſt ſpecialis licentia, aliud expreſſio perſonæ particularis. Ad ſpecialem igitur licentiam ſufficere videtur expreſſio mendicantium, (cum his enim diſpenſatur,) & expreſſio religionis non mendicantis, ad quam tranſitus conceditur, ſiue iſta religio exprimatur ſpeciatim, ſiue ſub communi aliqua ratione pro qualitate licentiæ amplæ, aut reſtrictæ; vt bene in hac parte Suarez, & Filliucius *locis cit.*

16 Generalis Societatis Ieſu facultatem ſuis religioſis concedere poteſt tranſeundi ad quaſlibet religiones.

Hinc ſequitur non ſufficere licentiam Prælati religionis, quam religioſus mendicans derelinquere intendit, vt aduolet ad non mendicantes: quia Martinus V. requirit licentiam ſpecialem Sedis Apoſtolicæ, &c.

16 Excipi tamen debet Præpoſitus Generalis præclariſſimæ Societatis Ieſu, cui ſpecialiter conceſſum fuit, vt facultatem concedere valeat ſuis religioſis, etiam ſolemniter profeſſis, tranſeundi ad alias quaſlibet religiones, vt patet ex conſtitutionbus Pauli III. *anno* 1549. & Gregorij XIII. *anno* 1582. in Bulla, quæ incipit, *Cùm aliàs*, editis in fauorem illius Societatis.

17 Aſſignatur ſubiectum iſtius excommunicationis.

Verum tamen eſt, hoc priuilegium non ſuffragari aliis religionibus titulo communicationis, quia ſpecialiter, & incommunicabiliter huic Societati conceſſum fuit, & participatio cum aliis religioſis explicitè prohibetur in præfata Bulla Gregor. XIII. §. 3. *verſ. non obſtantibus.* Ita Sanch. *in opere morali lib. 6. cap. 7. num. 31.* & alij.

18 Religioſus mendicans excõmunicatione ligatur tranſeundo ad non mendicantes, etiamſi religio ipſius inſtituta fuerit poſt legem huiuſmodi tranſitum prohibentem.

17 Quæres ſecundò, quodnam ſit ſubiectum iſtius vltimæ excommunicationis.

Reſpondeo eſſe non ſolùm religioſos mendicantes tranſeuntes ad aliquem Ordinem monaſticum ſuperiùs enumeratum abſque licentia ſpeciali Summi Pontificis: verùm etiam ſuperiores Ordinum monaſticorum recipientium mendicantes abſque præfata Sedis Apoſtolicæ licentia. Hæc reſponſio perſpicuè conſtat ex dictis in explicatione vtriuſque actionis, quæ vtrique iſtius reſponſionis parti reſpondet.

18 Sed modò dubium eſt primò, vtrùm religioſi, qui poſt editionem iſtius extrauagantis auctoritate Apoſtolica cooptati ſunt in numerum mendicantium, ſubiiciantur huic excommunicationi, tranſeundo ad Ordinem religioſorum non mendicantium.

Reſpon-

Respondeo affirmatiuè, quia lex semper loquitur, & omnes successores afficit, vt patet ex dictis de legibus.

Hinc sequitur religiosos Societatis Iesu, qui postquam solemniter professi sunt, aut qui post biennium vota simplicia emiserunt, subiici huic excommunicationi transeundo ad Ordinem monasticum absque speciali facultate Summi Pontificis, aut sui Præpositi, iuxta dicta in exceptione *num.*16. nam Societas Iesu adscripta est in numerum mendicantium, & gaudet priuilegiis, indultis, & gratiis fratribus mendicãtibus concessis, vt patet ex Bulla Pij IV. anno 1565. & ex Bulla Pij V. anno 1571. Vide Suarez *loco cit. num.*16. & Sanchez *num.*117.

19 Eiectus in perpetuum à religione mẽdicantium trãsire potest ad non mendicantes.

19 Secundò dubium est, vtrùm religiosus Ordinis mendicantium à religione eiectus, & habitu priuatus, possit absque speciali Summi Pontificis facultate ad quemlibet Ordinem monasticum transire. Suarez *loco cit. num.*20. & Filliucius *loco citato, num.*191. negant posse. Ratio est, tum quia hoc est priuilegium specialiter concessum Generali Societatis Iesu à Gregorio XIII. vt Generalis illius Societatis possit emissis facultatem transeundi ad aliam religionem concedere, [& communicatio illius priuilegij prohibetur aliis religiosis.] Tum quia religiosus eiectus adhuc est verus religiosus talis religionis, illique subiicitur, ita vt si reuocetur, redire teneatur. Ergo adhuc nequit ad aliam religionem transire absque speciali Summi Pontificis facultate.

Contrarium tenet D. Antoninus 3. *parte tit.*16. *cap.*4. §.4. vbi testatur hanc fuisse peritorum sententiam, quia religiosus eiectus non videtur cogendus in sæculo remanere; consequenter ei liberum videtur, ad quam velit religionem aduolare.

Mihi distinguendum videtur, vel est eiectus in perpetuum, vel ad tempus in pœnam alicuius criminis: si est eiectus ad tempus, non potest absque speciali facultate Sedis Apostolicæ transire ad aliam religionem, vt patet ex rationibus Suarez. Si verò est eiectus in perpetuum, censeo posse ad aliam religionẽ transire. Ratio est, tum quia verosimile non est Summum Pontificem velle viam ad perfectiorem statum excludere. Tum quia Martinus V. istam constitutionem edidit ad conseruandum Ordinem mendicantium, ibi, *Volentes etiam conseruationi Ordinum mendicantium prouidere.* In hoc autem casu Ordo mendicantium nullum patitur detrimentum; cùm non sit repetiturus religiosum, quem in perpetuum eiecit, nisi fortè magnam spem habeat emendationis, vt dicam *puncto vlt. de eiectis à religione.*

Hinc patet responsio ad rationes Suarez, quatenus secundæ istius distinctionis parti aduersantur. Ad primam enim respondeo in præfata bulla Gregorij contineri non solùm facultatem dandæ licentiæ ingrediendi aliam religionem de consensu superioris loci, & in ea profitendi, imposita excommunicatione latæ sententiæ contra Monachos, alios que regulares audentes aliquid attentare contra illius bullæ tenorem, verum etiam contineri facultatem expellendi ab ipsa societate illos, quos Præpositus Generalis emittendos iudicauerit; quod non adeò facilè concedendum fuit reliquis religiosis, & ob id participatio iure meritò prohibetur. Ad secundam respondeo adhuc esse religiosum, quoad tria vota substantialia, & teneri primò superiori obedire, quamdiu in eo statu persistit, vt illi obedire possit; non verò teneri à religionis ingressu abstinere, si à prima eiectus fuit in perpetuum. Vide, quæ infrà tradam puncto de eiectis à religione.

Hic solum aduertendum supereſt has septem vltimas excommunicationes esse reseruatas Summo Pontifici. Ob id illas in meo tractatu de censuris in particulari inter reseruatas enumerauì, & hic de verbo ad verbum transferri volui, mutato solùm Ordine.

PVNCTVM X.

De religiosis contra professionem reclamantibus, & ob id à religione discedentibus.

QVinque principaliter in hoc puncto explicabo.

Primò, ad quid teneatur religiosus inualidè professus.

Secundò, ex quibus causis religiosus inualidè professus reclamare possit.

Tertiò, quid seruandum sit ab eo, qui reclamare intendit.

Quartò, quo tempore facienda sit reclamatio, vt religiosus dimitti possit.

Quintò, quam culpam & pœnam incurrat, qui legitimè non reclamat.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Ad quid teneatur religiosus inualidè professus.

QVatuor principaliter explicanda sunt in hac difficultate.

Primò, vtrum religiosus inualidè professus teneatur regulam, aut vota seruare.

Secundò, an professionem ratificare teneatur.

Tertiò, quid requiratur ad ratificandam professionem.

Quartò, vtrùm ratificans professionem vti possit priuilegiis religionis, ac si ab initio validè professus fuisset.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Religiosus inualidè professus non tenetur ex vi professionis regulam, aut vota seruare.

1 REligiosus inualidè professus non tenetur ex vi professionis regulam, aut vota seruare. Ratio est, quia obligatio ex vi professionis est effectus consequens professionem validam; hic autem suppono professionem inualidam esse. Ex quo sequitur præfatum religiosum inualidè professum, non esse Apostatam fugiendo, neque teneri voto obedientiæ, paupertatis, & castitatis; consequenter posse matrimonium validè, vel etiam licitè præciso scandalo, contrahere. Ita Nauarrus *consil.*89. *num.*6. & 7. Henriquez *lib.*11. *cap.*8. *num.*9. *in comment. litt. S.* Sanchez *lib.*7. *de matrim. disp.*37. *num.*36. Emanuel Sà *verb. religio, n.*71. Arragon. 2. 2. *quæst.*88. *art.*1. *col.*19. *concluſ.*1. Azor. 1. *parte lib.*12. *cap.*5. *quæſito* 1. Rodriquez *in ſum. cap.*92. *n.*5.

Dixi, *ex vi professionis*, quia ratione alterius circumstantiæ fieri potest vt obligetur, vt si scandalum præbeat, regulam, aut vota coram aliis non seruando; quilibet enim tenetur scandali occasionem præcauere, vt patet ex dictis de legibus. Ita Doctores citati.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Religiosus inualidè professus tenetur professionem ratificare, aut intra quinquennium reclamare.

2 REligiosus inualidè professus tenetur reclamare, si quinquennium nondum elapsum fuit, aut tenetur professionem ratificare. Ratio est, quia non reclamando, & professionem non ratificando iniuriam religioni infert, cùm recipiat alimenta, & alia commoda in vtilitatem professorum instituta.

Maior difficultas est, vtrùm teneatur professionem ratificare, elapso quinquennio, dum ei tempus non amplius vacat ad reclamandum, & si reclamauerit, credit se non audiendum.

Respondeo duplicem esse Doctorum sententiam.

Prima est Henriquez *lib.*11. & Sanchez *lib.*7. *de matrimonio disp.*37. *num.*38. *& seq.* negãtium huiusmodi religiosum teneri ratificare professionem, non solùm dum professionem inualidam bona fide emisit, v.g. per metum, verùm etiam, dum mala fide professus est, vt si fictè, & absque interno consensu professionem fecit. Ratio est primò, quia fictè contrahens non tenetur matrimonium verè contrahere, nisi aliud notabile incommodum timeatur, ad quod vitandum obligetur contrahere. Ergo neque inualidè professus tenetur professionem ratificare. Secundò, quia Concilium Trident. *sess.*25. *cap.*19. non loquitur in foro conscientiæ, sed nititur præsumptione ratificationis professionis; nullum enim est verbum respiciens conscientiæ forum, sed solùm denegans actionem in foro externo, vt patet ex illis verbis, *Non audiatur, nisi intra quinquennium*, & infrà, *nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur.* Et quamuis ista præsumptio sit iuris, & de iure, nihilominus non opponitur rei veritati, & foro conscientiæ, sed solum in foro externo non admittit probationem in contrarium, vt benè Menochius *de præsumpt. lib.*1. *quæst.*3. *num.*16. *& quæst.*5. *num.*15. *& seq.* Tertiò, quia iugum religionis est valdè onerosum, præsertim iis, qui illud sponte non susciperunt. Ergo cogendus non videtur ad ratificandam professionem, sed potest, & tenetur fugiendi occasionem quærere, eaque inuenta in remotas partes aufugere, vbi vitam sine scandalo traducere possit, & si alia ratione aufugere nequeat, quàm admonendo superiorem, vt sibi fugiendi copiam faciat, tenetur illum admonere, non quidem tamquam superiorem, cùm transacto quinquennio à superiore audiendus non sit; sed tamquam consultorem, & priuatam personam, quæ sibi in re licita opem ferat: quamquam rarò euenier, vt Prælatum admonere teneatur, quia Prælatus ei fidem non præstabit, nec se multis incommodis, quæ pati posset, fugiendi copiam faciendo, implicabit.

Secunda sententia, quæ mihi probabilior videtur, est Rodriquez *in summa* 2. *parte cap.*92. *num.*5. Angles *in floribus* 2. *parte de voto quæst. vnica art.*1. *difficult.*4. & aliorum affirmantium præfatum religiosum inualidè professum teneri professionem post quinquennium ratificare, saltem dum professio irrita fuit ob ipsius culpam. Ratio est primò, quia coniux concedens alteri coniugi licentiam ingrediendi religionem, cogitur etiam ipse religionem ingredi, si in sæculo periculum incontinentiæ timeat. Ergo multo magis cogendus est ad ratificandam post quinquennium professionem, qui sua culpa professionem inualidè emisit. Secundò, quia fugiendo notam infamiæ incurrit, & magnam scandali ansam præbet, manendo in religione non ratificata professione, se ipsum grauibus periculis exponit, & grauia religioni damna infert, nam bonis religionis aletur, vota professorum feret, ad sacros Ordines sine titulo, & sine litteris dimissoriis legitimi Prælati promouebitur (professio enim inualidà non potest esse titulus, quo inualidè professus ad Ordines promoueatur, & superior religionis non potest dimissorias concedere, vt suppono ex dictis de censuris in particulari *disp.*3. *quæst.*1.) dispensationem, & absolutionem virtute priuilegiorum religionis obtinebit, & peccata fatebitur Confessario, qui fortè non est approbatus ab ordinario, sed solum à superiore religionis: consequenter inualida erit confessio. Nec illi suffragatur *l. Barbarius. ff. de offic. Prat.* vt falsò putat Sanchez *num.*38. quia ex ea lege colligitur iurisdictionem suppleri, dum exercens iurisdictionem habet titulũ coloratum illius iurisdictionis; hic autem non adest titulus coloratus huiusmodi iurisdictionis, cùm constet Prælatum religionis non posse, nisi cum suis religiosis dispensare, facultatem recipiendi Ordines concedere, & nouitios, ac verè professos absoluere. Tertiò, quia professio est contractus mutuus, quo religiosus obligatur religioni, & religio veram habuit intentionem admittendi hunc ad professionem. Ergo hic etiam veram habere debet intentionem capessendi religionem: & si illam ficta professione decepit, tenetur fictionem tollere. Quartò, quia religio, licet sit graue iugum, nihilominus est etiam valdè vtile ipsimet professo onus illud suscipienti, & onus vtilitate, & incommodum fructu compensatur, consequenter ægrè ferre non debet, in eas se coniectum esse angustias, vt ad illud subeundum obligetur: adest enim iusta causa istius obligationis.

Ad primam rationem primæ sententiæ respondeo, quidquid sit de matrimonio, negando consequentiam; facilius enim est, vt quis obligetur ad statum perfectionis, quàm ad statum matrimonij, qui perfectioni capessendæ ratò conducit.

Ad secundam responderi posset primò, Concilij decretum esse dispositiuum pro vtroque foro; Tridentinum enim hoc quinquennium præfixit, vt religio tanto tempore præscribat contra religiosum ius resiliendi, modò persona, contra quam præscribitur, esset eo tempore capax huius passiuæ præscriptionis.

Respondeo secundò, etiamsi admittam Concilium niti præsumptione, & consequenter in foro conscientiæ non obligare, si veritas sit in contrarium; nihilominus religiosus fictè professus aliundè obligatur ad professionem ratificandam, vt patet ex rationibus ad probandam secundam sententiam allatis.

Ad tertiam patet responsio ex quarta ratione allata ad probandam secundam sententiam.

TERTIA PROPOSITIO.

3 Professionis ratificatio quid requirat.

3 AD validam professionis ratificationem requiritur nouus consensus, quo religiosus sciens præcedentem professionem inualidam esse, eam approbet volens, vt ex tunc teneat, & firma sit, siue approbet verbis, siue factis; siue etiam solo animi consensu, vt si actus professorum faciat intentione approbandi professionem, aut si dicat: ex nunc me trado religioni instar aliorum profitentium. Ratio cur nouus consensus requiratur, est quia professio perficitur consensu circa materiam habilem, seu cum subiecto habili; hic autem consensus desiderabatur in prima professione inualida, vt suppono; ergo nouus consensus necessarius est.

Dixi, *quo religiosus sciens præcedentem professionem inualidam*; nam si religiosus ignorans præcedentem professionem inualidam, eam ratificet, & approbet, ratificatio non subsistit; quia ratificans non censetur habere absolutum profitendi animum; sed ex suppositione falsa valoris prioris professionis in illam consentit. Cùm enim nihil magis contrarium consensui reperiatur, quàm error. *l. si per errorem. ff. de iurisdict. omn. iudic. & l. nihil consensui. ff. de reg. iur.* hic autem consentiat per errorem, quo putat priorem professionem validam esse, sequitur verè non consentire: consequenter professionem non ratificare, vt in simili docui de voto, cum communi Doctorum sententia.

4 Ratificatio professionis an nouum cõsensum ex parte acceptantis exigat.

4 Maior difficultas est, vtrùm ad validam professionis ratificationem requiratur etiam nouus consensus, id est, noua acceptatio ex parte religionis.

Respondeo probabiliter sustineri posse non requiri nouum religionis consensum; modò superior, qui prius cõsenserat, non reuocauerit cõsensum. Ratio est, tum quia religio, seu superior iam ex parte sua suum præstiterat consensum. Ergo accedente nouo consensu religiosi, & persona habili ad professionem, professio ipsa coalescit. Tum quia in praxi arduum est nouum à superiore, seu religione consensum extorquere. Tum quia Summus ipse Pontifex, seu Ecclesia censetur consentire, & acceptare ratificationem. Cùm enim *in cap. significatum, de regular. & cap. 1. de regular. in 6.* & in Tridentino *sess. 25. cap. 19.* decernatur professionem irritam certo tempore coalescere per ipsius professi ratificationem, colligitur Summum Pontificem, qui supremus est religionum Generalis, talem ratificationem acceptare, neque aliam requirere. Ita Sanchez *loco cit. n. 6.* & alij contra Azorium *loco* statim *citando*.

Ex quo patet à fortiori in ratificatione professionis antea inualidæ opus non esse iteratione ceremoniarum, quæ ex consuetudine, vel constitutionibus religionis adhiberi solent. Ratio est, tum quia non sunt de substantia. Tum quia neque iterantur benedictiones in matrimonio antea inualidè celebrato. Tum quia istæ antea adhibitæ fuerunt. Ita Nauar. *consil. 27. num. 2. de regul.* Azor. 1. *parte lib. 12. cap. 4. quæsito 7. ad finem*, Sanchez *loco cit. n. 66.*

Obiicies contra dicta in solutione difficultatis, prior acceptatio, & consensus religionis fuit irritus. Tum quia fuit circa personam inhabilem, si professus tunc temporis inhabilis erat ad professionem. Tum quia superior religionis non habuit intentionem obligandi se erga religiosum, nisi etiam religiosus ipse obligaretur religioni. Cùm autem religiosus non obligauerit se religioni, neque religio illi se obligauit: consequenter opus est noua acceptatione cognito nullitatis professionis defectu.

Respondeo consensum illum non fuisse materialiter irritum, cùm religio verè consenserit, etiamsi fortè elicitus esset erga personam tunc temporis inhabilem, & quamuis religio non consensisset, si nouisset hunc non validè profiteri, nihilominus re ipsa consensit: consequenter obligatur religioso, postquam hic suum consensum præstiterit.

5 Religiosus inualidè professus non tenetur, vt professionem ratificet nouum peragere nouitiatũ.

5 Quæres, vtrùm religiosus inualidè professus teneatur nouum peragere nouitiatum, dum professionem ratificare intendit.

Respondeo non teneri nouum nouitiatum peragere, si nouitiatus validus fuit. Ratio est, tum quia nullo iure probari potest nouo nouitiatu opus esse. Tum quia Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 15. de regul.* statuit ad valorem professionis integrum nouitiatus annum præmittendum esse: sed hic ante ratificationem professionis præmissus fuit. Ergo ratificatio professionis valida est, nõ iterato nouitiatu.

Addo probabilissimum mihi videri, non opus esse nouo nouitiatu, etiamsi præcedens irritus fuerit, modò tempore ratificationis expletus fuerit nouitiatus annus; quamobrem valida est ratificatio professionis facta ab eo, qui religionem ingressus fuerat, vt religioni illuderet, & religiosos deciperet. Quamuis enim huiusmodi nouitiatus formaliter irritus esset defectu consensus ingredientis (nouitiatus enim perficitur mutuo religionis, & ipsius ingredientis consensu;) nihilominus sufficere videtur ad validam professionem, vel ad eius ratificationem. Ratio est, quia nouitiatus materialiter validus est; nam ille nouitiatus materialiter validus est, quo religio integro anno experta est mores ingredientis, & ipse ingrediens expertus est onera religionis; in nostro autem casu religio experta est mores ingredientis, & ingrediens onera religionis. Ita Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 37. n. 46. & seq.* Azor. 1. *parte lib. 12. cap. 1. quæsito 6. vers. Si quares.* contra Nauarr. *lib. 3. consil. 26. nu. 17. & 19. & consil. 89. n. 5.* Rodriquez *in summ. 2. parte cap. 5. n. 2.* & alios.

Obiicies, quod nullum in se est, nullum iuris effectum operari potest, & non entis nullæ sunt qualitates. *l. eius qui in prouincia. ff. si cert. pet. cap. bona, de elect.* Ergo nouitiatus irritus prodesse non potest ad validam professionis ratificationem.

Respondeo, quod nullum est in se materialiter, & formaliter, nullum operatur effectum; quod verò validum est materialiter, effectum operari potest.

Ex dictis sequitur nouitiatum iterandum non esse, dum professio irrita fuit, eò quòd integro anno nouitiatus peractus non fuisset ante professionem; completus autem fuit dum professio ratificata fuit. Quamuis enim ille nouitiatus sufficiens non esset ad professionem præcedentem, sufficit tamen ad professionis ratificationem; & hoc valet, etiamsi publicè constaret professionem, & nouitiatum præcedentem vitibus carere; adhuc enim eadem ratio militat, vt benè Sanchez *num. 48.*

QVARTA PROPOSITIO.

6 Ratificãs professionem an frui possit priuilegiis, ac si ab initio validè professus fuisset.

6 PRobabile est religiosum, qui professionem ratificauit, frui posse priuilegiis religionis; ac si ab initio validè professionem emisisset, aliis religiosis ignorantibus nullitatem professionis. Ratio est, tum quia ratificatio est veluti quædam ratihabitio, quæ retrotrahitur ad diem actionis, quæ ratificatur. Tum quia religiosi in hac parte non censentur inuiti, saltem dum religiosus, qui suam professionem ratificauit, dispensationem commodè obtinere non potest, aut nequit sine incommodo, & nota abstinere ab iis actionibus sibi ratione antiquitatis existimatæ professionis competentibus. Tum quia religio, quantum est ex parte sua, illum ad ea priuilegia admisit vsque à tempore acceptationis. Ergo illis vti posse videtur, ac si ab initio validè professus fuisset: propterea perseuerare potest in priori sede, prius suffragium ferre, & similia. Ita ex parte Nauarr. *consil. 27. num. vlt. de regular.* contra Sanchez ex parte *lib. 7. de matrim. disp. 37. num. 68.*

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Quibus ex causis religioso competat ius reclamandi contra professionem.

SOlutio istius difficultatis constabit cognitis causis, propter quas professio irrita est. Quarum

Prima est defectus legitimi consensus.
Secunda, defectus integri nouitiatus.
Tertia, defectus legitimæ ætatis.
[Quarta, defectus sui iuris.]
Quinta, defectus legitimi sexus.
Sexta, defectus legitimi superioris professionem acceptantis.

De his singulis agam *in sequentibus paragraphis.*

§. I.

1 Defectus legitimi consensus sufficientẽ exhibet causam reclamandi contra professionem.

1 PRima causa reclamandi est, dum quis professionem emisit sine legitimo consensu ad professionem requisito. Cùm enim huiusmodi professio irrita sit; professio enim est contractus mutuus, quo religiosus religioni, & religio ipsimet religioso obligari solet; contractus autem mutuo cõsensu perficitur; sequitur religiosum non teneri oneri illius professionis; consequenter posse reclamare; quamquam fortè in foro externo non audierit dum defectum consensus probare non poterit; nam quæ in animo consistunt, alieno testimonio probari non possunt.

Hinc sequitur primò regularem, qui professionem tempore dementiæ celebrauit (modò dementia non esset in vna, vel altera materia tantùm, sed mente omnino priuaret) posse acquisita sanitate reclamare, quia inualidè professus est; nouitiatus enim, & professio peragi non possunt sine libero consensu; amens autem consentire non potest. Et hoc verum sentio, etiamsi compos sui esset, dum religionem ingressus est, sed postea dementia correptus fuit, & ea durante professionem emisit, vt patet ex allata ratione.

2 Nouitiatus an interrumpatur ob superuenientem demẽtiam.

2 Maius dubium est, vtrum superueniente dementia, annus nouitiatus interrumpatur, ita vt sublata dementia, iterum inchoandus sit annus nouitiatus, vel saltem in anno integro nouitiatus computari non possit dementiæ tempus.

Respondeo distinguendo, vel dementia breuis est, vel longa. Si breuis, nouitiatus non interrumpitur. Tum quia modicum pro nihilo reputatur. Tum quia vsu, & praxi religionum omnium receptum est, vt nouitiatus non interrumpatur ob phrenesim octo, vel quindecim dierum, ex morbo prouenientem; sed tempus phrenesis in spatio vnius integri anni ad nouitiatum requisiti computatur. Si verò dementia est longa, & extraordinaria, v.g. per vnum mensem, vt est illa, quæ ex morbo non prouenit, impedit nouitiatus cursum, ita vt tempus, quo ipsa durat, computari non possit in ipso nouitiatus anno. Ratio est, quia nouitiatus annus institutus est, vt nouitius explorare valeat monasticam disciplinam; illam autem experiri non potest tempore amentiæ, cùm debito rationis vsu tunc temporis careat, sublata tamen amentia non est iterum inchoandus annus nouitiatus, sed habenda est ratio illius temporis præcedentis professionem, & tantum temporis supplendum est, vt anno integro censeatur nouitiatum peregisse. Ratio est, tum quia licet tempus dementiæ dormire faciat, vel suspendat nouitiatum, vtpote peractum tempore inhabili, non tamen illum interrumpit; nouitiatus enim interrumpitur voluntario egressu à religione, aut expulsione; hic autem voluntariè egressus non fuit, nec fuit expulsus; sed in monasterio mansit, vel extra monasterium, de licentia Prælati. Tum quia huiusmodi demens gaudet priuilegio canonis, consequenter percuti non potest sine excommunicatione; consequenter adhuc est nouitius, alioquin ipsum percutiens excommunicationis vinculo non ligaretur.

3 Metus, aut vis est sufficiens causa ad reclamandum contra professionem factam per vim, vel metum.

3 Secundò sequitur regularem, qui professionem per vim, vel metum celebrauit, posse intra quinquennium contra professionem reclamare. Ratio est, tum quia professio celebrata non fuit cum legitimo consensu; consensus enim ad professionem requisitus debet esse liber; vis autem, & metus licet non auferant omnino consensum, & voluntarium, nihilominus efficiunt inuoluntarium mixtum. Tum quia ius Canonicum huiusmodi professionem irritam reddit, *cap. 1. de his, quæ vi.* Tum quia Concilium Tridentinum *sessione 25. cap. 19. de regular.* inter causas, propter quas religiosum audiri posse concedit, expressè enumerat vim, & metum. Obserua tamen vim, & metum debere esse grauem. Tum quia in iure non habetur ratio

metus

metus leuis. Tum quia metus leuis nõ irritat carnale matrimonium. Ergo neque spirituale, id est, professionem. Quomodo autem contingat metus grauis, aut leuis, & quando irritare possit professionem, colligi potest ex dictis *de matrimonio quæst. 3. punct. 8.* & ex dictis *de legibus disp. 4. quæst. 2. punct. 3. §. 1.* vbi fusè satis, & prolixè explicaui, quandónam matrimonium, aut votum irritetur vi, vel metu, ad ibi dicta me remitto. Ibi etiam §. 2. *num. 5.* egi quandónam votum, vel matrimonium celebratum per metum, vel dolum irritum sit. Quæ ibi docui, accommodari possunt professioni per errorem, vel metum celebratæ.

4 Professio facta sub conditione de futuro non est valida ante cõditionis euentum.

4 Tertiò sequitur professionem celebratam sub conditione de futuro non esse validam, nondum adimpleta conditione. Tum quia deficit consensus requisitus ad professionem absolutam. Tum quia actus agentium non operatur vltra intentionem eorum; intentio autem profitentis est obligare se solum dependenter ab illa conditione; adimpleta tamen conditione professio perficitur, neque opus est nouo consensu, modò prior ante conditionis euentum reuocatus non fuerit. Ratio est, quia consensus iam præcessit, & ad professionis valorem nihil desiderabatur præter conditionis euentum. Ergo illo adueniente professio valida est, vt benè Sanchez *in opere morali libro 5. cap. 8. num. 88.* & alij, quos ego retuli *de matrim. quæst. 2. punct. 9. de contractibus disp. 3. quæst. 1. punct. 4. & de voto in tractatu de leg. disp. 4. quæst. 2. punct. 2. num. 2. & seq.*

Hæc tamen intellige, modò conditio contraria non esset substantiæ professionis, id est, tribus votis substantialibus religionis. Tum quia conditio contraria substantiæ voti, vel matrimonij destruit votum, & matrimonium, vt probaui de matrimonio, & de voto. Tum quia Deus non acceptat illam conditionem. Ergo neque acceptat promissionem, seu professionem, cùm illa fiat solum sub ea conditione. Ita Couarr. 4. *decret. 2. parte cap. 3. §. 1. n. 18.* Rodriquez *tom. 3. quæst. 17. art. 6.* Azor. *lib. 11. cap. 15. quæsito 9.* Sanchez *loco citato n. 92.* & alij, quos retuli de matrim. & voto *locis citatis*, omissis quampluribus aliis apud præcitatos Doctores, contra Bernardum Diaz *regula 521. num. vnic.* & alios.

Hinc primò infertur inualidam esse professionem hoc pacto celebratam: Profiteor hac conditione, vt proprium retineam independenter à superioris facultate, & viuam iuxta meæ voluntatis arbitrium, vel vt castitatis onere non obstringar; nam istæ conditiones substantiæ professionis aduersantur. Secus dicendum est de professione facta sub conditione manendi in propria domo. Ratio est, tum quia huiusmodi conditio non est contra substantiam professionis; cùm religiosus de licentia superioris domi degere possit. Tum quia sic colligitur ex *cap. finali, qui cler. vel vouen.* Potest tamen superior huiusmodi licentiam iusta de causa reuocare, quia non ademit sibi facultatem reuocandi, dum iusta superuenerit causa. Ita Azor. *lib. 12. cap. 5. quæsito 2.* Sanchez *loco citato, num. 102.* Emanuel Sà *verb. Religio, num. 6.* & alij.

Secundò infertur validam esse professionem, dum quis professionem emittit hac conditione, modò sibi reseruetur vsus domus, vel facultas retinendi certam pecuniæ summam ex facultate superioris, & ad ipsius superioris nutum reuocabilem: ista enim conditio non repugnat substantiæ voti paupertatis, cùm paupertatis votum actuali retentione vsus alicuius rei, dependenter à voluntate superioris, non violetur. Hoc pacto intelligitur *cap. final. qui cler. vel vouentes*, & ita explicandum est in dubio, dum quis in professione reseruat sibi aliqua bona. Cùm enim in dubio nullus præsumatur delinquere, credendus est voluisse modo licito promittere, & professionem validam emittere, vt benè Sanchez *loco cit. n. 98.*

An autem valida sit professio, qua quis intendit quidem vouere castitatem, sed non vult castitatem seruare, constat ex dictis *de matrimonio quæst. 1. & de voto*, quæ ibi videri possunt dum opus fuerit.

§. II.

1 Nouitiatus integer requiritur ad professionẽ, alioquin datur locus reclamationi contra ipsam.

1 SEcunda causa, ob quam contra professionem reclamare licet, contingit dum professio celebrata fuit non præmisso integro nouitiatus anno. Concilium enim Tridentinum *sess. 25. cap. 15.* ad validam professionem requirit vnum integrum probationis annum, inchoatum post pubertatem, id est, post decimum quartum annum. Quamuis enim non prohibeat adolescentes recipi, & in religione instrui ante decimum quartum annum, illud tamen tempus in anno probationis, & nouitiatus computari non vult, vt constabit ex solutione dubiorum proximè sequentium.

Hoc tamen intelligitur, & limitatur, nisi obstent peculiaria aliquarum religionum priuilegia; quamobrem Passarellus *de priuilegiis Minimo. fol. 123.* Henriquez *lib. 13. cap. 40. n. 2. in comment. lit. R.* testantur Pium V. facultatem Ordini Prædicatorum concessisse, vt nouitia morbo vexata, & iudicio medicorum morti proxima, professionem emittat, & monasterio dos, & illius bona acquirantur, vt pluribus Sanchez *in opere morali lib. 5. cap. 4. n. 16.* Miranda *quæst. 22. art. 10.* Beia 4. *parte casu vltimo*, Barbosa *cap. 16. n. 4. de regular.* vbi etiam addunt huiusmodi professum teneri, si conualescat, complere annum nouitiatus, & professionem iterum emittere.

Secundò intelligitur, & limitatur in Equitibus S. Iacobi, S. Ioannis, Alcantaræ, & Calatrauæ; hos enim constat professionem emittere statim elapso decimotertio anno, etiam ante nouitiatus annum. Neque hoc abrogatum fuit in Conc. Trident. vt sacra Cardinalium Congregatio declarauit, testibus Azorio 1. *part. lib. 13. cap. 4. quæsito 2.* Sanchez *loco cit. n. 17.* Petro Marzila, & aliis.

2 Nouitiatus fieri debet in legitima ætate, & quænam sit ad ipsum legitima ætas.

An autem in anno professionis, & nouitiatus computandus sit dies bissexti, constabit ex infrà dicendis *de professione ante legitimam ætatem celebrata.*

2 Sed modò dubium est primò, an sufficiat nouitiatum quouis tempore fieri.

Respondeo negatiuè, sed fieri debet in legitima ætate; legitima autem ætas ad nouitiatum est pubertas completa, iuxta communem Doctorum sententiam. Nouitiatus enim institutus fuit ad experiendum, & explorandum monasticam disciplinam, religionis onus, & asperitates, quarum vna præcipua est onus castitatis seruandæ. Nouitius autem non potest plenè, & perfectè religionis asperitates experiri ante completam pubertatem. Hac de causa Tridentinum *sess. 25. cap. 15. de regul.* irritam facit professionem emissam ante decimumsextum annum completum, etiamsi fortè nouitiatus ante decimumsextum annum peractus, & completus fuerit.

3 Nouitiatus debet anno continuo.

3 Secundò dubium est, vtrùm annus in quo nouitiatus peragitur debeat esse continuus, vel sufficiat interruptus, vt si nouitius peracto tribus, vel quatuor mensibus nouitiatu aufugiat, vel à religione expellatur, & postea iterum admittatur computato priori tempore.

Respondeo annum nouitiatus debere esse integrũ, & continuum. Ratio est, tum quia dum in lege præscribitur aliquod tempus, debet esse continuum, vt pluribus probat Couarruuias 3. *variar. resolut. cap. 1. n. 1.* Gutierez *canonicar. quæst. lib. 1. cap. 12. n. 24.* & alij. Tum quia ideo petitur annus probationis, vt nouitius onera religionis ritè, & perfectè experiatur; ritè autem, & perfectè non experitur ea per aliquod tempus intermittendo: sicut ieiunium longi temporis non perfectè experitur, qui cum intermissione, & interuallo illud persoluit.

Et hoc verum est, etiamsi nouitius à monasterio aufugerit animo redeundi, & interim regulas monasterij seruauerit, & onera sustinuerit; adhuc enim nouitiatus dicitur interruptus: interrumpitur enim recedendo a religione contra obedientiæ præscriptum; nisi fortè recesserit ad breue tempus animo statim redeundi, vt si causa conuiuij, aut repræsentationis, aut fornicationis quadam nocte è monasterio discesserit statim reuersurus, etiamsi interim habitum exuerit, ne dignosceretur, vel vt commodiùs peccare posset: hic enim non dicitur desertor religionis, vel eius habitus, & modicum pro nihilo reputatur, nec moralem continuationem tollit. Secus dicendum videtur, si duorum, vel trium dierum mora intercesserit; tunc enim annus non censetur continuus; nam res illa non dicitur continua, intra quam intercedunt qualitates contrariæ; in hoc autem casu intercedit factum contrarium, videlicet dimissio nouitiatus, & regularis obseruantiæ, & obedientiæ. Ita Nauarr. *de regular. consil. 32. & 33.* Sanchez *in opere morali lib. 5. cap. 4. n. 31. & seq.* Barthol. a S. Fausto *in thesauro relig. lib. 5. quæsito 164.* Barbosa *cap. 16. n. 5. de regul.*

4 Annus nouitiatus sufficere videtur ad professionem, etiãsi nouitius eo expleto exierit, & postea iterum admissus fuerit absque alio nouitiatu.

4 Tertiò dubium est, vtrùm sufficiat nouitiatus, quo per vnum annum integrum in religione peracto, nouitius egressus fuit, sed postea iterum ad idem, vel aliud eiusdem Ordinis, & obseruantiæ monasterium rediit, & in eo ad professionem absque nouo nouitiatu admissus fuit.

Respondeo sufficere, etiamsi longa mora intercesserit. Ratio est, tum quia hic re vera vno integro anno religionis onera expertus fuit, tamquam nouitius. Hoc tamen intelligitur, nisi conditio, & circumstantia personæ, aut religionis adeò mutata fuerint, vt nouitius onera, & asperitates religionis sufficienter expertus non censeatur; huiusmodi enim nouitiatus perinde est, ac si peractus in ea religione non fuisset. Tum quia licet Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 16.* statuat, vt superiores finito nouitiatus anno admittant, vel eiiciant nouitios, nihilominus admissio, si iusta subsit causa, differri potest ex declaratione sacræ Congregationis. Ita Rodriquez *tom. 3. quæst. 15. art. 10. ad finem*, S. Antoninus, Syluester, Armilla, & alij apud Sanchez *in opere moral. lib. 5. cap. 4. n. 34. & 21.*

5 Nouitiatus hoc tẽpore peragi debet in habitu religionis.

5 Quartò dubium est, vtrùm sufficiat nouitiatus, qui vno anno, vel aliqua anni parte peractus non fuit in habitu religionis, sed in sæculari.

Respondeo hoc tempore non sufficere. Ratio est, tum quia Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 15. de regul.* statuit annum nouitiatus mensurandum esse à die habitus. Tum quia nouitiatus institutus fuit, vt nouitius exploraret, & experiretur asperitates, & onera religionis; delatio autem habitus religionis inter onera, & asperitates religionis iure meritò recensetur. Tum quia ita vsu, & praxi religionum receptum fuit. Ita Sylvester *verb. Religio 5. quæsito 5.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 2. quæs. 9.* Rodriquez *tom. 3. quæst. 15. art. 9.* Munda *quæst. 22. art. 6.* Barthol. à S. Fausto *quæst. 177.* Barbosa *cap. 16. num. 7. de regular.* & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 5. cap. 4. n. 29.* contra Panormitan. *in cap. super eo, in fine, de regular.* & alios.

6 Nouitiatus quandonam peragi possit extra monasterium.

6 Quintò dubium est, vtrùm sufficiat nouitiatus extra monasterium peractus.

Respondeo sufficere dum peractus fuit ex legitima superioris licentia. Ratio est, tum quia superior per annum explorauit eo pacto mores nouitij, & nouitius ea ratione expertus est onera religionis, quatenus ei permissum fuit à superiore. Tum quia nouitius extra monasterium degens de licentia sui superioris censetur in monasterio commorari, cùm ibi existat dependenter à voluntate, & præcepto sui superioris, seu sub obedientia sui Prælati: alioquin non liceret nouitio de licentia sui Prælati peregrinationem suscipere, aut Hospitali inseruire, & alia pietatis opera dependenter à Prælati sui voluntate præstare. Ita Nauarr. *de regular. consil. 32.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 2. quæsito 8. in fine.* Sanchez *lib. 5. cap. 4. n. 27. & seq.* Riccius *in praxi decis. 510.* Barbosa *cap. 16. n. 5. & 8. de regular.*

§. III.

1 Reclamatio conceditur cõtra professionẽ factam extra legitimam ætatem.

1 TErtia causa, ob quam regularis intra quinquennium contra professionem reclamare potest, est defectus legitimæ ætatis: legitima autem ætas in religione tam virorum, quàm mulierum, est annus decimussextus completus ex Trident. *sess. 25. cap. 15. de regular.*

2 Ætas quomodo computanda sit.

2 Hæc autem ætas computanda est de momento ad momentum, alioquin completa non diceretur; quamobrem si non constaret de hora natiuitatis, expectandus esset totius diei terminus; si non constaret de die, sed de solo mense, expectãdus esset totius mẽsis exitus; si non cõstaret de mense, sed de anno, expectãdus esset totius anni finis.

Cùm enim poſſeſſio ſtet pro lege præſcribente certum tempus completum, in fauorem ipſius iudicandum eſt, ita vt nullus ad profeſsionem admittatur, quem non conſtet ſexdecim annos integros compleuiſſe. Ita Sfortius Oddo in ſimili, *tract. de reſtit. in integrum parte 1. quæſt. 2. art. 9.*

3 Biſſexti dies an cõputandus ſit in legitima ætate ad profeſsionem requiſita.

3 Sed modò dubium eſt primò, vtrùm dies biſſexti computandus ſit in ætate ad profeſsionem, vel ad nouitiatum requiſita.

Reſpondent nonnulli Doctores non eſſe computandum. Tum quia annus à iure præfixus in odioſis conſtat 365. diebus. Tum quia ſicut ille annus 1582. ex quo Gregorius XIII. abſtulit decem dies à menſe Octobris, cenſebatur integer annus, iuxta ſententiam multorum Theologorum,& iuriſperitorum apud Henriquez *lib. 10. c. 19. in comment. litt. K.* & apud Fornarium *de ordine cap. 3. n. 4.* ita, &c.

Sed contrarium mihi probabilius videtur. Tum quia dies ille biſſexti eſt complementum quadriennij præcedentis, & deerat ad complementum integri circuli ſolaris per Zodiacum. Tum quia duo illi dies pro vno computantur *cap. quæſiuit, de verb. ſignific. & l. 3. §. minorem. ff. de minor. & l. cum biſſextus. ff. de verb. ſignif.* Tum quia anni computandi ſunt iuxta ritum, & vſum Eccleſiæ, vt in ſimili tradunt communiter Doctores de interſtitiis. Vſu autem Eccleſiæ receptum eſt, vt dies biſſexti computetur, alioquin non ſolùm non eſſet computandus dies præſentis anni biſſextilis, verùm neque annorum præcedentium biſſextilium.

4 Ætas an computanda ſit à die natiuitatis, an à die conceptionis.

4 Secundò dubium eſt, vtrùm ætas computanda ſit à die natiuitatis, an à die conceptionis.

Reſpondeo computandam eſſe à die natiuitatis, quia communi vſu receptum eſt, vt ætas à die natiuitatis computetur; dies tamen natiuitatis non ſolùm dicitur is, quo quis naturaliter ex vtero matris prodit; verùm etiam ille, quo quis lecto matris vtero in lucem editur. Ita Couarr. *4. decret. 2 parte c. 8. §. 2. num. 3.* Mandoſius *de ætate minori, c. 1. num. 25.* Sanchez *in opere morali lib. 4. cap. 35. nu. 4.* contra Sfortium Oddo *de reſtit. in integr. 1. parte, quæſt. 2. art. 2. n. 48.* & alios, arbitrantes ætatem computandam eſſe à die conceptionis, dum fauorabile eſt proli ita computari, ſecus dum eſt odioſum proli, vt in hoc caſu.

5 Ætas legitima quomodo probetur.

5 Tertiò dubium eſt, quomodo legitima ætas probetur.

Reſpondeo in hac re conſuiendum eſſe Menochium *de præſumpt. præſumpt. 51.* & Maſcard. *de prob. tom. 2. concluſ. 667.*

6 Profeſſio facta ante legitimam ætatem nõ valet non ſolum vt profeſſio, verùm neque vt votum ſimplex.

6 Quartò dubium eſt, vtrum profeſsio emiſſa ante legitimam ætatem, vel non completo nouitiatus anno, valeat ſaltem vt votum ſimplex.

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 15.* huiuſmodi profeſsionem omnino irritat, ac ſi facta non fuiſſet. Quomodo autem Concilium irritare poſsit profeſsionem, patet ex dictis de Sacramentis.

Ex quo patet differẽtia inter profeſsionem inualidam defectu ætatis, & nouitiatus, & inter profeſsionem alia de cauſa inualidam, quod in primo caſu nullam inducit obligationem, quia Tridentinum illam viribus priuat; in ſecundo verò caſu vim habet voti ſimplicis, modò vouens ſimpliciter vouerit, etiam independenter à profeſſione ſolemni, ſeu à votis ſolemnibus. Ratio eſt, quia dum actus non valet eo modo quo fit, valet ſaltem eo modo quo valere poteſt; *cap. vnico, §. idem quoque, de deſponſat. impuberum in 6.*

Dixi, *modò vouens ſimpliciter vouerit*; nam ſi vouit ſolum dependenter à religione, id eſt, dependenter à fine manendi in religione, perſpicuum eſt nulla ratione obligari, quia votum non obligat vltra vouentis intentionem; in dubio tamen, an ſimpliciter vouerit, probabiliſſimum eſt præſumi ſimpliciter vouiſſe, quia poſſeſſio ſtat pro voto; nam pro eo ſtat poſſeſſio, pro quo ſtat iuris præſumptio; ius autem præſumit huiuſmodi profitentẽ habuiſſe intentionem obligandi ſe eo modo, quo potuit, iuxta regulam citatam, ex *cap. vnico, de deſponſ. impub.* ob id *in cap. quidem, & in cap. placet, de conuerſ. coniug.* decernitur, virum coniugatum, qui profeſſionem ſine debita facultate emiſit, teneri ſimplici voto caſtitatis ad non petendum debitum, quia hoc ſolum pacto obligare ſe potuit. Ita Nauarr. *conſil. 10. de regul. lib. 3.* Tabiena *verb. nouitius quæſito 8. n. 9. ad finem*, Sanchez *n. 104.* & alij, aſſerentes eum, qui profeſſionem emiſit apud illum, qui eam acceptare non poterat, obligari tribus votis ſimplicibus.

§. IV.

1 Reclamatio conceditur cõtra profeſsionem factã ab eo, qui non erat ſui iuris.

1 QVarta cauſa eſt, quando profitens non erat ſui iuris, ita vt ſeipſum alteri validè tradere non poſſet. Cùm enim res vni tradita, alteri tradi nequeat: ſequitur eum qui non eſt ſui iuris, non poſſe profeſſionem emittere, qua ſe religioni tradat.

2 Vir coniugatus nõ poteſt validè profiteri, per ſe loquendo.

2 Ex quo ſequitur primò virum coniugatum non poſſe validè profeſſionem emittere inuita cõiuge, niſi fortè perpetui diuortij cauſam habeat, vt ſi vxor adulterata eſt, & ipſe gratiam reconciliationis nondũ conceſſit, vt patet ex dictis de matrimonio, quę ibi videri poſſunt.

3 Seruus non poteſt validè profiteri.

3 Secundò ſequitur ſeruum non poſſe abſque domini conſenſu validè profiteri. Tum quia licet ſeruus caſtitatis voto ſe valeat obſtringere, non tamen poteſt ſe omnino religioni tradere abſque domini facultate, cum ſubiectus ſit domino, qui iure ſuo priuari non debet. Tum quia *in c. ſi quis incognitus 17. quæſt. 2.* decernitur ſeruum abſque domini licentia religionem ingreſſum repeti poſſe, illiique reſtituendum eſſe, ſi intra biennium à die, qua nouit ſeruum ad religionem aduolaſſe, repetat, niſi fortè ſeruus adeò diſtet, vt intra triennium repeti non potuerit. Ex quo textu licet inferre ſeruum intra triennium profiteri non poſſe; poſſe verò elapſo triennio, quia dominus non repetens, intra triennium cenſetur tacitè conſentire, & ius reuocandi præſcribitur, modò tamen bona fides adfuerit: nam ſi monaſterium mala fide admiſit ad religionem, ſciens, vel dubitans ipſum eſſe ſeruum, tenetur domino ſatisfacere ſoluta ſerui æſtimatione. Ratio eſt, tum quia præſcriptio ſupponit bonam fidem. Tum quia par non eſt, vt monaſterium ex ſua fraude, aut culpa commodum reportet. Vide Sylueſtrum *verb. Religio 2. quæſito 3.* Tabienam *eodem verb. quæſito 10.* Azorium *1. parte lib. 12. cap. 1. quæſito 3.* Sanchez *in opere morali lib. 5. cap. 4. n. 42. & ſeq.*

§. V.

1 Femina non poteſt in religione virorũ profiteri, neque è contra.

1 QVinta cauſa reclamandi contra profeſſionem eſt diuerſitas ſexus, vt ſi femina in religione virorũ, aut vir in religione Monialium profeſſionem emiſit; huiuſmodi enim profeſſio irrita eſt. Tum quia defecit intentio in acceptante; ſuperior enim intentionem non habuit admittendi ad religionem perſonam diuerſi ſexus: conſequenter errauit circa ſubſtantiam perſonæ. Error autem circa ſubſtantiam perſonæ irritat contractum. Tum quia ſic decernitur *in cap. definiuimus 18. quæſt. 2.* Tum quia quod fauore religionis inuentum eſt, non debet in ipſius damnum applicari; fauore autem religionis inuenta eſt profeſſio, vt homines Deo, eiuſque cultui vacent; hoc autem vix fieri poſſet admiſſo in eodem monaſterio virorum, & mulierum conſortio. Ita Nauarr. Vgolinus, & alij, quos retuli *de cenſuris diſp. 2. quæſt. 2. puncto 2. n. 13. & de Sacramentis, diſp. 8. quæſt vnica punct. 5. num. vnico.*

Ex quo ſequitur primò, eum, qui monaſterium Monialium ingreſſus fuit, cùm ex aſpectu pudendarum partium pro femina haberetur, poſſe, & debere à monaſterio recedere, ſi poſtea virilia prodeant, vt alias contigiſſe audiui.

2 Hermaphroditus an inualidè profiteatur.

2 Secundò ſequitur hermaphroditum, in quo virilis ſexus præualet, non poſſe validè profiteri in monaſterio Monialium, quia cẽſetur vir. Si verò profiteretur in religione virorum, valida eſſet profeſſio, quia hic cenſetur vir. Si verò vterque ſexus æqualis ſit, in neutra religione validè profiteri poteſt, quia tam eſt vir, quam femina: femina autem in religione virorum, & vir in religione feminarum validè profiteri nequit. In dubio autem vter ſexus præualeat, ſtandũ eſt iudicio medicorum, innixo aſſertioni ipſius hermaphroditi. Quòd ſi petito Medicorum conſilio, res adhuc dubia ſit, præſumendũ eſt ſexum æqualem eſſe, conſequenter huiuſmodi hermaphroditum inualidè profiteri, & inualidè Ordines ſuſcipere, quia poſſeſſio ſtat pro religione, in qua nullus admitti debet, quem non conſtet illius ſexus eſſe, in cuius religione profiteri intendit. Ita Nauarr. *de regul. conſil. 47.* Sanchez *in opere morali lib. 5. cap. 4. n. 41.* & alij.

3 Hermaphroditus poteſt contra profeſſionem reclamare, etiãſi profeſſus ſit in religione virorum, & virilis ſexus in eo præualeat.

3 Maior difficultas eſt, vtrum hermaphroditus, in quo virilis ſexus præualet, poſſit contra profeſsionem in religione virorum factam reclamare, vel alio remedio vti, quo monaſterio egrediatur.

Reſpondeo affirmatiuè. Quamuis enim profeſsio valida ſit, nihilominus maximum imminet ſcandali periculum, ad quod vitandum petere debet à Summo Pontifice facultatem exeundi. Imò Rodriquez *in ſumma tom. 2. cap. 6. ad finem*, & Sanchez *n. 41.* exiſtimant expelli poſſe abſque Summi Pontificis facultate, eò quòd religionem cum periculo grauiſſimi damni religionis deceperit. Sed de hac re infrà.

§. VI.

1 Reclamatio contra profeſsionem conceditur dũ adfuit defectus poteſtatis in acceptãte.

1 SExta cauſa reclamandi eſt, dum profeſsio facta fuit illi, qui eam acceptare non poterat; nam huiuſmodi profeſsio irrita eſt. Ratio eſt, tum quia ſic colligitur ex *cap. ad Apoſtolicam. de regular.* vbi habetur, Abbatem debere acceptare profeſsionem per ſe, vel per alium. Tum quia profeſsio eſt contractus, quo religio obligatur religioſo, & religioſus religioni; non poteſt autem religioſus obligari religioni, niſi adſit aliquis, qui eius obligationem acceptet, habens poteſtatem acceptandi. Ita Nauarr. *commentar. 4. de regular. n. 74.* Panormitan. *in cap. porrectum, de regular.* Sanchez *lib. 5. cap. 4. n. 62.* & alij communiter.

Obiicies, *in cap. qui Clerici, vel vouentes*, habetur profeſsionem fieri poſſe ſuper Altare. Ergo opus non eſt acceptante.

Reſpondeo in dicto capite non excludi acceptantem, qui ex natura rei requiritur, vt benè Sanchez *loco citato.*

2 Admittere quiſnam poſſit ad profeſsionem.

2 Sed modò dubium eſt, ad quem ſpectet poteſtas admittendi.

Reſpondeo poteſtatem admittendi iure communi, præciſis priuilegiis, conſtitutionibus, & conſuetudine in contrarium, pertinere ad immediatum Conuentus ſuperiorem, vel ad alium ipſo directè ſuperiorem in officio. Ratio cur pertineat ad immediatum Conuentus ſuperiorem eſt, quia cùm de notabili illius Conuentus commodo, & vtilitate agatur, admittendo ad religionem, opus eſt, vt admiſsio fiat ab eo, cui ex officio incumbit onus conſulendi bono illius Conuentus: is autem, cui hoc onus incumbit, eſt immediatus Conuentus ſuperior, vel etiam alius ipſo ſuperior in officio, vt eſt Prouincialis, aut Generalis. Sicut enim immediatus Prælatus admittere poteſt ad profeſsionem, ita etiam Prouincialis, vel Generalis; cùm poteſtas Prælati immediati eminenter contineatur in Prouinciali, & Generali, & his ex officio competat onus conſulendi bono illius Conuẽtus. Imò Generalis, aut Prouincialis interdicere poteſt immediato Conuentus ſuperiori, ne quemquam ſine ſuo conſenſu admittat. Prælatus enim Conuentus ſubiicitur Generali, & Prouinciali. Imò Generalis, aut Prouincialis poteſt ex iuſta cauſa hanc ſibi facultatem in particulari caſu reſeruare. Ratio eſt, tum quia Generalis coarctare poteſt facultatem Prouincialis ad admittendum. *cap. exiit. §. verùm quia, ad finem. de verb. ſignific. in 6.* Ergo ſignum eſt Generalem coarctare etiam poſſe facultatem immediati Conuentus ſuperioris; tum quia poteſtas immediati Prælati eminenter continetur in Generali, & Prouinciali. Ex quo fit, vt ſi immediatus ſuperior Conuentus aliquem ad profeſsionem admittat, poſtquam admittendi facultas ei reuocata fuit à Generali, vel à Capitulo generali, inualidè admittat, quia caret admittendi facultate, vel quia deſideratur animus admittendi, ſicut Parochus inualidè aſsiſtit illi matrimonio, cui facultatem aſsiſtendi Epiſcopus ex iuſta cauſa ſuſpendit. Secus ſi Generalis, aut Prouincialis ſolum interdixit ſuperiori Conuentus acceptare; tunc enim validè acceptat, quia prohibitio faciendi aliquem actum, non irritat actum, ſicut validum eſt matrimonium celebratum coram parocho, cui à Pontifice interdictum erat aſsiſtere, vt docui *de matrim. q. 2. punct. 8. num. 18.*

Obiicies, Generalis, vel Prouincialis non poteſt irritare profeſsionem. Cũ enim religioſus per profeſsionẽ peculiari ratione ſubiiciatur Summo

Summo Pontifici, ſupremo religionum ſuperiori, & Prælato, non poteſt Prælatus Summo Pontifice inferior hanc ſubiectionem impedire, & profeſſionem irritare.

Reſpondeo Generalem, aut Prouincialem non irritare profeſsionem directè (id enim ad ſolum Pontificem ſpectat,) ſed ſolum indirectè, quatenus adimit inferiori Prælato facultatem admittendi; ex quo poſtea ſequitur profeſsionem inualidè emitti, defectu poteſtatis in admittente.

3 Abbatiſſa profeſsionem Monialis acceptare poteſt.

3 Ex dictis colligi poteſt primò, Abbatiſſam poſſe profeſsionem Monialium acceptare. Tum quia *in cap. conſuluit, qui Clerici, vel vouentes*, deciditur quamdam feminam, quæ dimiſso habitu nupſit validè nupſiſſe, quia profeſſa non fuit in manu alicuius Epiſcopi, vel Abbatis, vel Abbatiſſæ. Ergo ibi ſupponitur Abbatiſſam poſſe profeſsionem acceptare. Tum quia Abbatiſſa immediatam habet in ſuo monaſterio auctoritatem. Neque obſtat dicere Abbatiſſam carere iuriſdictione, cuius femina incapax eſt; conſequenter carere poteſtate admittendi.

Reſpondetur enim admiſsionem non eſſe propriè actum iuriſdictionis, ſed potiùs ſuperioritatis, pertinentis ad poteſtatem œconomicam, ſeu dominatiuam, vt docui *de legibus diſp. 1. q. 1. punct. 3. num. 3.* cum Molina, Couarruuia, & Suarez.

Idem in terminis tradunt Azor. *lib. 12. cap. 5. quæſ. 6.* Sanchez *in opere morali, lib. 5. cap. 4. n. 76.* vbi plures alios allegat. Hoc tamen tempore profeſsio Monialium in monaſteriis Epiſcopo ſubiectis fieri ſolet coram Epiſcopo, vel alio facultatem habente ab Epiſcopo, vel ab ipſius Vicario, præuio tamen conſenſu maioris partis Capituli, ſeu Conuentus conſentientis talem ad profeſsionem admitti.

4 Epiſcopus an poſſit profeſsionem alicuius acceptare.

4 Secundò, colligitur Epiſcopum non poſſe quemquam in monaſteriis exemptis propria auctoritate ad profeſsionē admittere. Tum quia ipſe non eſt Conuentus ſuperior. Tum quia ille poteſt profeſsionem admittere, qui poteſt religioſum religioni incorporare; Epiſcopus autem non poteſt quemquam propria auctoritate incorporare religioni; cùm religiones vtplurimum à iuriſdictione Epiſcopi exemptæ ſint. Ita Nauarr. *conſil. 4. num. 2. & ſeq. de regular.* Rodriquez *tom. 3 quæſt. 17. art. 11.* Azor. *1 part. lib. 12. cap. 5. quæſ. 4.* Sanchez *loco cit. num. 74.* & alij contra Innocentium *cap. porrectum, num. 5. de regular.* Hoſtienſem, & alios quos increpat, & redarguit Rodriquez *loco cit.*

5 Superior conuentus non poteſt inſcio cōuentu aliquem ad profeſsionē admittere.

5 Secundò dubium eſt, vtrùm poteſtas admittendi ad profeſsionem competat ſoli Prælato conuentus, ita vt ipſe admittere poſsit abſque conſilio, vel conſenſu conuentus.

Reſpondeo non poſſe ſe ſolo admittere; ſed requiri conſilium, & conſenſum conuentus. Ratio eſt, quia immediatus ſuperior conuentus non poteſt propria auctoritate, & independenter à conſilio conuentus facere præcipua religionis negotia, ex quibus graue commodum, vel damnum conuentui ſequi poſſet; admiſsio autem ad profeſsionem præcipuum eſt religionis negotium, ex quo malè peracto grauiſsima religioni incommoda ſequi poſſent. Ita Azor. *cap. 4. quæſ. 3.* Nauarr. *comment. 3. de regular. n. 5.* Sylueſt. Angelus, Tabiena, & alij apud Sanchez *n. 64.*

6 Conſenſus conuētus requiritur dum aliquis ad profeſsionem admittendus eſt.

6 Maior difficultas eſt, vtrùm ſatis ſit, vt ſuperior conſilium conuentus audiat, vel etiam illud ſequi teneatur.

Reſpondeo teneri etiam illud ſequi. Ratio eſt, tum quia ſuperior tenetur ſequi conſilium, & conſenſum ſuorum religioſorum, dum eos ad conſilium adhibet tamquam collegas, & officij participes, vt in hoc caſu. Tum quia hic eſt communis vſus, & praxis religionum, teſtibus Nauarr. *conſil. 9. de regular.* Rodriquez *tom. 3. quæſt. 17. art. 7.* Sanchez *loco cit. n. 65.* & aliis.

Exiſtimo tamen non requiri conſenſum totius Capituli, ſed maioris partis, quia quæ à maiori parte fiunt, à toto Capitulo fieri cenſentur.

Hinc patet primò, quid dicendum ſit de Epiſcopo reſpectu Monialium ſibi ſubiectarum, Epiſcopus enim non poteſt, contradicente maiori conuentus parte, aliquam ad profeſsionem admittere, quia admiſsio ad profeſsionem pertinet ad Abbatiſſam, ſeu ad Prælatum monaſterij, cum conſenſu maioris partis conuentus. Ita DD. cit.

Secundò patet Prælatum conuentus non poſſe vacante conuentu aliquem ad profeſsionem admittere, nec conuentum poſſe admittere vacante Abbatis ſede, niſi fortè hoc faciat ſub ſpe ratihabitionis ipſius futuri Abbatis; tunc enim valida erit admiſsio, poſtquam Abbas illam ratam habuerit, vt infrà oſtendam.

Tertiò patet non poſſe aliquem ad profeſsionem admitti, diſſentiente Abbate, etiamſi totus conuentus, vel eius maior pars conſentiat, nam facultas admittendi pertinet ad Abbatem, & ad conuentum, vt benè Rodriquez *tom. 3. q. 17. art. 7.* Sanchez *n. 68.* & alij.

7 Profeſsio validè acceptari poteſt ab excommunicato, vel ſuſpenſo, niſi fortè ſuſpenſus ſit à poteſtate admittendi ad profeſsionem.

7 Tertiò dubium eſt, vtrum profeſsio validè acceptari poſsit ab excommunicato, vel ſuſpenſo.

Reſpondeo affirmatiuè, quia excommunicatio, vel ſuſpenſio, non habet hunc effectum irritandi admiſsionem ad profeſsionem: admiſsio enim ad profeſsionem non eſt propriè actus iuriſdictionis; acta autem iuriſdictionis facta ab excommunicato, vel ſuſpenſo à iuriſdictione irrita ſunt, modò ſit excommunicatus, vel ſuſpenſus, vitandus, ſeu denuntiatus, vt alibi docui.

Addit Sanchez *n. 79.* profeſsionem validam eſſe, etiamſi admiſſa fuerit a ſuſpenſo ab admiſsione ad profeſsionem, etiam denuntiato, quia ſoli actus iuriſdictionis facti à ſuſpenſo denuntiato inualidi ſunt. Sed hoc mihi non probatur, nam per huiuſmodi ſuſpenſionem priuatur facultate admittendi; actus autem factus ab eo, qui ad illum faciendum facultatem non habebat, irritus eſt. Tum quia parochus ſuſpenſus ab aſsiſtendo matrimonio inualidè aſsiſtit: iuxta eumdem Sanchez *n. 71.* Ergo etiam ſuſpenſus ab admiſsione ad profeſsionem inualidè admittit, modò denuntiatus ſit ſuſpenſus; acta enim tolerati, ſeu non denuntiati, valida ſunt, *extrauag. ad euitanda.*

8 Profeſsio acceptari poteſt per alium.

8 Quartò dubium eſt, vtrùm profeſsio acceptari, & admitti poſsit per alium.

Reſpondeo affirmatiuè, quia quæ per alium facimus, per nos ipſos fieri cenſentur. Imò Cardinalis, & alij, quos citat, & ſequitur Rodriquez *loco citato, art. 12.* & Sanchez *num. 77.* putant laicum poſſe ex commiſsione Prælati conuentus acceptare profeſsionem, quia profeſsio vires habet, non ex acceptatione laici præcisè, ſed ex conſenſu Prælati mandantis profeſsionem ſuo nomine acceptari.

9 Profeſsio irrita defectu admittentis conualeſcit accedente conſenſu illius, qui poteſt admittere, modò nomine illius acceptata fuerit.

9 Quintò dubium eſt, vtrùm profeſsio irrita defectu admittentis, qui eam admittere non valebat, conualeſcat, & vires habeat accedente conſenſu illius, qui eam admittere poteſt.

Reſpondeo diſtinguendo, vel profeſsio admiſſa fuit nomine potentis eam acceptare, vel non. Si non fuit admiſſa nomine potentis illam acceptare, non conualeſcit accedente ratihabitione petentis acceptare, quia nullus ratum habere poteſt, quod ſuo nomine factum non fuit. Si verò fuit admiſſa nomine valentis illā admittere, conualeſcit à die, quo rata habetur, modò profitens ſuum conſenſum antea non reuocauerit; nam ad validam profeſsionem nihil aliud deſiderabatur, quam approbatio, & ratihabitio valentis approbare, & ratam habere. Ergo accedente illius approbatione, & ratihabitione, tunc vires habere incipit. Ita Azor. *lib. 12. c. 5. quæſ. 7.* Nauar. *conſil. 40. n. 7. de regular.* Rodriquez *tom. 3. q. 17. art. 12.* Sanchez *n. 8.* & alij.

Ex quo ſequitur matrimonium à religioſo initum ante præfatam ratihabitionem, validum eſſe, quia profeſsio nondum acceptata fuerat ab eo, qui eam acceptare poterat.

Obiicies, ratihabitio retrotrahitur ad diem actus; ergo profeſsio poſt approbationem potentis eam acceptare vires habet, ac ſi ab initio acceptata fuiſſet; conſequenter matrimonium medio tempore celebratum inualidum eſt.

Reſpondeo, ratihabitionem fictionis iuris retrotrahi in caſibus in iure expreſsis, non autem in aliis.

10 Impotentia ad ſeruandam religionis regulā non eſt cauſa ſufficiens ad reclamandum contra profeſsionem.

10 Quæres primò, vtrùm, qui ob morbum, aut ſenecturem impotens eſt ad ſeruandam religionis regulam, reclamare poſsit contra profeſsionem.

Reſpondeo negatiuè, Ratio eſt, quia reclamatio conceditur contra profeſsionem irritam; profeſsio autem facta ab eo, qui impotens eſt ad ſeruanda regulæ præcepta, valida eſt; cùm ſubſtantia profeſsionis conſiſtat in tribus votis ſubſtantialibus, voto ſcilicet caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, quæ corporis viribus non nituntur, ſed voluntate, & voluntatis affectu; reliqua verò præcepta regulæ obligant ſolùm iuxta corporis vires, ſeu niſi iuſta cauſa excuſet. Ita Sanchez *num. 52.*

Obiicies, nullus obligare poteſt ad impoſsibile. Ergo inualida eſt profeſsio præfati impotentis ad ſeruanda religionis præcepta.

Reſpondeo præfatum religioſum non obligari ad impoſsibilia, ſed ad poſsibilia; votorum enim ſubſtantialium adimpletio ei poſsibilis eſt; obſeruantia verò aliorum præceptorum, quamuis ipſi fortè impoſsibilis ſit ob morbum, vel ob ſenectutē: tamen ad illa non obligatur, niſi quatenus poteſt; neque opus eſt, vt nouitiatus tempore ſingulas religionis aſperitates expertus ſit, ſed ſatis eſt, vt in genere eas explorauerit; alioquin nouitius, qui toto nouitiatus anno morbo laborauit, non diceretur nouitiatum peregiſſe; conſequenter ad profeſsionem validè admitti non poſſet, contra communem Doctorum ſententiam, Nauarr. *conſil. 32. n. 5.* Rodriquez *tom. 3. quæſt. 15. art. 10.* & Sanchez *loco cit. num. 52.* Fieri tamen poteſt, vt præfata impotentia tanta ſit, vt iuſtam ſuperiori cauſam præbeat dandi religioſo facultatem degendi extra monaſterium in domibus parentum, vel conſanguineorum; quamquam cautè ſe debent gerere ſuperiores in huiuſmodi facultate concedenda, debentque ſtatuta religionis conſulere, an ſibi talis licentiæ concedendæ poteſtas competat.

11 Reclamatio non conceditur contra profeſsionem, quando nō præceſſit informatio præſcripta à Sixto.

11 Quæres ſecundò, vtrùm religioſus reclamare poſsit contra profeſsionem peractam abſque præuia informatione, quam Sixtus V. anno 1586. in Bulla, quæ incipit, *cùm de omnibus*, & in alia Bulla primæ declaratoria, & modificatoria, ſeruari præcepit, irritata alioquin profeſsione.

Reſpondeo non poſſe ob id reclamare, quia profeſsio facta ſine præfata informatione, & ſolemnitate à Sixto V. præſcripta, irrita non eſt: nam Clemens VIII. anno 1602. præfatas Sixti conſtitutiones reuocauit quoad irritationem profeſsionis: relictis in ſuo robore pœnis contra ſuperiores admittentes aliquem, non ſeruata forma à Sixto V. conſtituta de informatione præmittenda, & de non admittendis ad religionem facinoroſis hominibus, quorum delicta ad forum ſæculare delata fuerant, antequam in religionem reciperentur.

TERTIA DIFFICVLTAS.

Quid ſeruandum ſit ab eo, qui contra profeſſionem reclamare intendit.

VNICA PROPOSITIO.

TRes conditiones ſeruandæ ſunt ab eo, qui contra profeſsionem reclamare intendit.

1 Reclamare intendens non auditur dimiſſo habitu.

1 Prima eſt, vt habitum ante reclamationem non deponat, alioquin non eſt audiendus, ſed cogendus eſt ad monaſterium redire, iniunctis ei apoſtatarum pœnis; ſic enim expreſsè decernitur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 19.*

Hoc tamen communiter limitatur à Doctoribus, niſi iuſtam habeat habitus dimittendi cauſam; Concilium enim loquitur de ſponte dimittente: hic autem non dimittit propria ſponte, & temerè, ſed ex iuſta cauſa, vt ſi facultatem obtinere nequeat eundi ad reclamādum, nec ire poſsit niſi habitu depoſito. Ita Nauarr. *comment. 4. de regular. num. vlt.* Azor. *1 part. lib. 12. cap. 4. quæſ. vlt.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 37. num. 3.* Rodriquez *tom. 3. quæſt. regular. quæſt. 17. art. 17. circa medium.*

2 Reclamās dimiſſo habitu poterit eo aſſumpto reclamare, & auditi.

2 Quæres, vtrùm qui dimiſſo habitu reclamare volebat, & ob habitus dimiſsionem non fuit auditus, poſsit poſtea reclamare aſſumpto habitu.

Reſpondeo affirmatiuè,quia Tridentinum non intendit in perpetuum denegare audientiam religioſo habenti iuſtam reclamandi cauſam, durum enim valdè videretur eum ad religionem cogere,qui religionis onus non ſuſcepit.Ita Nauarr.Sanchez, & Rodriquez *locis citatis.* Neque obſtat illa dictio, ſeu clauſura: *Nullatenus ad allegandam quamcumque cauſam admittatur*; intelligenda enim videtur, vt non audiatur quamdiu habitum non induit.

Secunda conditio eſt, vt cauſas nullitatis ſuæ profeſſionis deducat coram ſuo ſuperiore,& ordinario;nam in Tridentino dicitur,*non aliter,niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram ſuperiore ſuo, & ordinario.*

Nomine ſuperioris intelligo immediatum Conuentus Prælatum, qui profeſſionem eius admiſit,vel eum, qui in ipſius locum ſucceſſit. Nomine ordinarij intelligo Epiſcopum,vel ipſius Vicarium,in cuius diœceſi religioſus domicilium habebat antequam religionem ingrederetur.An autem nomine ordinarij intelligatur etiam Abbas,ſeu Prælatus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuo territorio habens, aut Capitulum Sede vacante,vel eius Vicarius,alibi ſæpius explicaui, & affirmatiuè reſpondi.

3 Religioſus inualidè profeſſus in foro cõſcientiæ licitè exire poteſt, dũ in foro externo nullitatem ſuæ profeſſionis probare non poteſt.

3 Quæres vtrùm religioſus licitè exire poſſit, ſi cauſas coram ſuo ſuperiore, & ordinario deduxit: ſed non probauit, & ob id exeundi facultatem non obtinuit.

Reſpondeo in foro conſcientiæ licitè poſſe exire, niſi obſtet ſcandalum, aut alia circumſtantia, ad quam præcauendam in religione manere teneatur. Ratio eſt,quia ex vi profeſſionis, vtpote inualidæ, non tenetur in religione permanere. Ergo licitè exire poteſt, niſi alia circumſtantia præualeat, & oppoſitum ſuadeat.

Tertia conditio eſt, vt reclamatio intra debitum tempus fiat, vt conſtabit ex ſolutione difficultatis proximè ſequentis.

QVARTA DIFFICVLTAS.

Quo tempore facienda ſit reclamatio, vt religioſus dimitti poſſit.

VNICA PROPOSITIO.

1 Tempus reclamandi cõtra profeſſionem quodnam ſit.

1 TEmpus, intra quod reclamatio permittitur, incipit à die profeſſionis,vſque ad quinquennium, ſiue profeſſio expreſsè, ſiue tacitè emiſſa fuerit; nam in Tridentino *ſeſſ.25.cap.9.de regular.* dicitur,*niſi intra quinquennium tantùm à die profeſſionis.* Ita communiter Doctores.

2 Dies profeſſionis computatur in ſpatio quinquennij conceſſo ad reclamandum.

2 Sed modò dubium eſt primò, an dies illa profeſſionis computetur in ſpatio quinquennij. Sanchez *lib.7.de matrim.diſp.37.n.2.* hanc difficultatem proponit, & indeciſam relinquit, putans rarò euenturum, vt reclamatio fiat tali tempore, quo dubitetur an dies illa computari debeat.

Ego ſentio diem illam computandam eſſe de momento ad momentum; ita vt quota hora facta fuit profeſſio tacita, vel expreſſa, eadem prorſus hora in vltima die quinquennij finiatur terminus ad reclamandũ conceſſus. Ratio eſt,tum quia conſtat Concilium nolle tempus prorogare,& extendere vlla ratione vltra quinquennium,vt patet ex illis dictionibus, *niſi*, & *tantùm*, quæ taxatiuæ ſunt, & ampliationem non admittunt. Tum quia tempus,ſaltem in materia iuri alterius contraria, debet eſſe completum de momento ad momentum.*l.3.§.minorem.ff.de minor.* Tum quia ſi dies illa non computaretur,non diceretur concedi quinquennium à die profeſſionis, vt ſtatuit Concilium, ſed ab alia die. Ita in ſimili Panormit. *c.ſuper ſpecula, n.8.*Suarez *de cenſuris diſp.23.ſect.3.n.16.*Sayrus *de cenſuris lib.3.cap.33. n.4.*Sanctarellus *de Apoſtaſia cap.2.num.20.*Syluester,Angelus,& alij quamplures,quos in tractatu de cenſuris in particulari adduxi.

3 Tempus quinquennij ad reclamandũ conceſſum incipit à die profeſſionis etiã reſpectu illius, qui nullitatem profeſſionis ignorabat.

3 Secundò dubium eſt,vtrùm præfatum quinquennij ſpatium computandum ſit à die profeſſionis,etiam in illo,qui tunc temporis laborabat ignorantia inualiditatis profeſſionis,aut alio impedimento.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt,tum quia Concilium Tridentinum intentionem habuit tollendi lites, ne vltra quinquennium turbari,& vexari poſſit religio à religioſo reclamante,& obiiciente profeſſionis inualiditatem; litium autem occaſio ſublata non fuiſſet, ſi religioſo liberum eſſet, elapſo quinquennio à die profeſsionis, cauſam ignorantiæ, vel alterius impedimenti adducere. Tum quia Concilium Tridentinum dicit hoc quinquennium numerandum eſſe à die profeſsionis tantùm. Falſum autem eſſet à die profeſsionis tantùm numerari, ſi computandum eſſet à die ſcientiæ nullitatis profeſsionis, vel alterius impedimenti. Notanda enim eſt illa dictio,*tantùm*, quæ limitat, impedit, & excludit extenſionem, & continet negatiuam,quoad alios caſus.*l.Iulianus, & l.non tantùm.ff.de petit.hereditl.qui aliena. §.libertas.ff. de negotiis geſtis. l.3.§.cum Titio.ff. de adimend.legat.& cap.cùm Eccleſia.de cauſa poſſeſſ.* Ita Nauarr. *comment.4. de regular.n.71.verſ.3.* Sanchez *de matrim.lib.7.diſp.37.n.19.* Azor.1. *part.lib.12.cap.12.& cap.4.ſub finem*, & alij.

Obiicies primò,impedito non currit tempus.*l.1.in fine.C.de annali except.* Nullum autem impedimentum aſsignari poteſt maius ignorantia; ob id ſpatium quatuor annorum conceſſum ad petendam reſtitutionem in integrum non currit ignoranti, vt docui de contract. & patet ex *c.1.de in integrum reſtitut.in 6*,

Reſpondeo tempus currere etiam impedito,quando tempus præfixum fuit in fauorem alterius,non verò in odium negligentiæ illius, qui agere debet. In noſtro autem caſu quinquennium præfixum fuit fauore religionis, ne vltra quinquennium perturbetur; non verò in odium negligentiæ ipſius profeſsi;conſequenter huiuſmodi profeſſo ignoranti profeſsionis ſuæ nullitatem, aut alia ratione impedito currit tempus. Secus dic de tempore aſsignato ad petendam reſtitutionem in integrum, hoc enim tempus aſsignatum fuit in odium negligentis reſtitutionem petere cognito ſuo iure;alioquin ſemper ius petendæ reſtitutionis retineret.

Obiicies ſecundò, ſi tempus quinquennij curreret ignoranti, vel aliter impedito, ſequeretur ipſum priuari iure ſuo abſque ſua culpa, ipſiſque negligentiam imputari, contra *l.argentum. ff.commodati.*

Reſpondeo ignorantem non priuari iure ſuo, ſed ius retinere, quamuis eo vti nequeat poſita ignorantia, aut vltra quinquennium.

4 Impeditus ad reclamandũ intra quinquennium, an adhuc poſſit elapſo quinquennio reclamare.

4 Tertiò dubium eſt, vtrùm ignorans, vel impeditus, qui intra quinquennium non potuit vti remedio ordinario, poſsit elapſo quinquennio vti beneficio reſtitutionis in integrum,petendo ſibi nouum tempus aſsignari, intra quod religioſus reclamare poſsit,& ſi non reclamet,cenſeatur profeſsionem ratificare.Nauarrus *comment.4.de regular.num.71.verſ.3.conſ.6.num.2.lib.1.de his quæ vi.* Sanchez *loco cit. num.22.*Rodriquez *tom.3.q.17.art.16.ſub finem,& art 17.verſ.ex quibus*,relato Menochio, & aliis, putant audiri poſſe remedio extraordinario beneficij reſtitutionis in integrum aduerſus quinquennij lapſum,ratione ignorantiç,vel alterius impedimenti ad reclamandum. Ratio eſt, quia Concilium Tridentinum ideo non vult religioſum admitti ad reclamandum contra profeſsionem vltra quinquennium, quia religioſus præſumitur tanto tempore profeſsionem ratificaſſe; hæc autem præſumptio quamuis ſit iuris, & de iure, conſequenter non admittat probationem contra ipſam præſumptionem in iudicio ordinario; non tamen impedit, ne detur reſtitutio in integrum, & probatio in iudicio extraordinario,qua quis probare intendit iuſtam cauſam reſtitutionis in integrum, ex Maſcar. *de probat. in principio quæſt.10.num.67.*Menoch.*lib.1.præſumpt.quæſt.70.initio.* Alexandro, Ruino,& aliis. Et hoc non ſolum militat in minoribus,verùm etiam in maioribus, ex clauſula generali, *ſi qua mihi iuſta cauſa, in l.1.ff. ex quibus cauſis maiores.* Concedunt tamen præfati Doctores non eſſe concedendum aliud quinquennium in Tridentino expreſſum, aut quadriennium à die ſcientiæ,iuxta regulam generalem de reſtitutione in integrum,ſed arbitrio prudentis definiendum eſſe,cùm ſpatium in hac parte à iure definitum non ſit.

Ego verò probabilius exiſtimo nullum remedium competere religioſo poſt quinquennium. Ratio eſt,tum quia Concilium Tridentinum *loco citato*, concedit religioſum audiri ſolum intra quinquennium; ergo non permittit ipſum vti alio remedio, cùm eo vti non poſſit,niſi audiatur. Tum quia in pari cauſa reſtitutionis in integrum inter duos minores, melior eſt conditio poſſidentis. *l.ſi minor.35.ff.de minor.* Sed religio priuilegio minoris gaudet,*cap.1.de in integrum reſtitut.* Ergo religioſus non poteſt contra religionem vti priuilegio reſtitutionis in integrum. Tum quia Concilium Tridentinum *loco citato*, denegat, religioſum vltra quinquennium audiri ob pacem, & tranquillitatem religionis; religio autem hac pace, & tranquillitate priuari poſſet,ſi religioſus tranſacto quinquennio vti poſſet remedio extraordinario beneficij reſtitutionis in integrum; multi enim hoc ſubſidium implorarent. Tum quia quod vna via denegatur, alteri concedi non debet,*reg.84.de reg.iur.in 6.* Tum quia etiamſi admittam Concilium in præfato decreto niti præſumptione ratificationis profeſsionis intra tantum temporis; nihilominus huiuſmodi præſumptio eſt iuris,& de iure,contra quam non datur probatio; perinde enim ſe habet huiuſmodi præſumptio, ac ſi eſſet firmum ius, & ea poſita certum quid ſtatuitur, etiamſi in lege non exprimatur probationem in contrarium non eſſe admittendam, vt benè Menoch. *de præſumption.lib.1.q.3.n.16.& ſeq.* Tum quia etiamſi remedium extraordinarium in legibus ciuilibus non cenſeatur excluſum; in hoc tamen caſu videtur excluſum, cùm in Tridentino denegetur omnis prorſus audiẽtia,& ius Canonicum non ſubiiciatur ciuili. Tum quia Gregorius XIII.ex ſententia ſacræ Cardinalium Congregationis declarauit, religioſum audiendũ non eſſe vltra quinquennium, etiamſi allegaret vim, & metum ſemper duraſſe, quamuis contrarium ſentiant Nauarr.Sanchez, Rodriquez, & alij. Ergo idem dicendum eſt de ignorantia, vel alio impedimento, cùm eadem in omnibus ratio militet, & alleganti in hoc caſu ignorantiam, vel aliud impedimentum,aduerſetur præſumptio iuris, & de iure. Ita Pariſius *de reſignat. benef.lib.13.quæſt.5.num.46.* vbi teſtatur ita declaratum fuiſſe à ſacra Cardinalium Congregatione, Ceuallus *quæſt.pract. q.500.in fine*, & alij.

Ad rationem in contrarium reſponſio patet ex rationibus à me allatis ad probandam meam ſententiam. Neque approbo, quod tradit Rodriquez *tom.3.q.17.art.16.* vbi ait, religioſum nulliter profeſſum non poſſe quidem elapſo quinquennio admitti ad allegandam cauſam nullitatis profeſsionis, poſſe verò admitti ad allegandas cauſas, quare intra quinquennium non reclamauerit.Sed hoc mihi non probatur. Sicut enim admitti non debet ad allegandas cauſas nullitatis, ita neque admitti debet ad allegandas cauſas, cur intra quinquennium non reclamauerit,cùm ex admiſſione ad allegandas iſtas cauſas accedendum poſtea ſit ad probandas cauſas nullitatis. [Contraria tamen ſententia non eſt improbabilis.]

5 Vir coniugatus profeſſus abſque licentia vxoris non poteſt elapſo quinquennio reclamare.

5 Ex dictis ſequitur virum coniugatum, qui profeſſionem abſque licentia vxoris mortuæ intra quinquennium in religione emiſit,non poſſe elapſo quinquennio reclamare contra profeſsionem. Ratio eſt, quia licet vir coniugatus inhabilis ſit ad profeſsionem abſque licentia coniugis,nihilominus Concilium præſumens intra quinquenium adfuiſſe conſenſum, non vult quemquam poſt quinquennium ex quauis cauſa audiri,vt tranquillitati,& paci religionis conſulatur.Ita Rodriquez *in ſumma tom.1.c.139.*Henriquez *lib.12.c.5.n.16.*Emanuel Sà *verb.Religio n.33.*& alij.

Contrarium ex parte ſuſtinet Sanchez *lib.7. de matrim. diſp.37.n. 69. & diſp.34. num.15.* Concedo tamen vxorem ipſam, tam intra quinquennium,

6 Vxor repetere poteſt virum profeſſum abſque ſua licentia.

6 Quàm eo elapſo habere ius ad repetendum virum. Tum quia ſic habetur *cap. quidam,& cap.placet. de conuerſ. coniug.* Tum quia ipſa non conſenſit, vt ſuppono, neque iuri ſuo ceſsit, nec Concilium iuri ipſius derogare intendit, ſed ſolum vetuit ipſummet religioſum poſt quinquennium audiri. Videri poteſt Sanchez *lib.7.diſp.34.* vbi plura diſſerit de religioſo poſt conſummatum matrimonium profeſſo,quæ etiam ego attigi in meo tractatu *de matrimonio.*

7 Quartò

7 Impedimento perpetuo dirimente professionem laborans elapso quinquennio audiri potest.

7 Quartò dubium est, vtrùm laborans perpetuo impedimento irritante professionem, elapso quinquennio audiri possit.

Respondeo affirmatiuè, si manifestè constet tale impedimentum adesse. Ratio est, tum quia quod fauore alicuius introductum est, in ipsius damnum retorqueri non debet, *l. quod fauore. C. de leg. & regula, quod in gratium. de reg. iur. in 6.* Si autem religiosus laborans perpetuo impedimento dirimente professionem, è religione exire non posset, religio detrimentum pateretur, quia cogeretur retinere perpetuò inhabilem, quod videtur contra Concilij mentem; cùm hoc decretum in fauorem religionis ediderit. Tum quia Concilium denegat audiri post quinquennium, quia præsumit religiosum consensisse; hæc autem ratio cessat in habente perpetuum impedimentum, cùm ipsius consensus validus esse non possit. Tũ quia sequeretur mulierem, quæ mentito sexu professionem in monasterio emisit, cogi in eodem monasterio remanere, quod est absurdum. Ita Nauar. *consil. 26. numero 12. & 48. num. 2. de regular.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 37. num. 32.* vbi hoc idem sentiendum putat de impedimento tempotali, quod toto quinquennio perdurauit, vt si metus incussus fuerat ad extorquendam professionem, & toto quinquennio durauit, aut si adolescens ante legitimam ætatem professus fuit, & defectus legitimæ ætatis toto quinquennio perdurauit. Sed oppositum in temporali impedimento sustinendũ arbitror, vt docui dubio præcedenti, nisi fortè impedimentum tale esset, vt intra quinquennium numquam elici potuerit consensus validus, vt si toto quinquennio erat coniugatus, & licentiam ab vxore non obtinuerat: tunc enim probabile est religiosum posse reclamare, quia in hoc casu cessat Cõcilij præsumptio, & ipsius dispositio hunc casum numquam comprehendit, vt bene in hac parte Sanchez.

Idem dici potest in defectu legitimæ ætatis permanente toto quinquennio. Secus dic de metu, quia in hoc casu non cessat præsumptio, cùm fieri possit, vt aliquo tempore metus cessauerit, & consensus validus elici potuerit.

Obiicies contra solutionem quarti dubij, Concilium non vult religiosum audiri vltra quinquennium ex quacumque causa, ibi, *vel quacumque ex causa.* Notanda est autem illa dictio, *quacumque*, quam constat generalem esse, & sicut dictio, *quicumque*, comprehendit omne genus personarum, ex Rota diuersorum *1. part. decis. 368. num. 5.* & aliis; ita dictio, *quacumque*, comprehit tam similes, quàm dissimiles qualitates, ex Glossa *Clem. 5. verb. quauis. de sent. & de re iudic.* Ergo laborans impedimento, licet perpetuo, audiri non debet; alioquin ex aliqua causa auditetur, contra Concilij dispositionem.

Respondeo, Concilium nolle audiri ex quauis causa circa personas habiles; non autem circa perpetuò inhabiles. Et quamuis vtatur dictione vniuersali, & indistinctè loqui videatur; nos tamen sufficientem rationem habemus distinguendi, & restringendi verba Concilij ad eas solùm personas, quas Concilium comprehendi voluit. Gomez *reg. de triennali. q. 2. sub initium, & reg. de annali possess. q. 3. vers. non obstat dictio.* Rebuff *in tract. de pacif. possessor. num. 172.* & alij.

QVINTA DIFFICVLTAS.

Quam culpam, & pœnam incurrat religiosus reclamans contra professionem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Reclamãs cõtra professionem validã pœnis Apostatarum subijcitur religionem deserendo.

1 REligiosus reclamans contra professionem validam, sciens validam, sed falsis testibus probans inualidam esse, & ob id resiliens à religione, grauiter peccat, & pœnas Apostatarum incurrit. Ratio est, quia hic verè est Apostata; discedit enim absque debita licentia à religione, animo ad illam non redeundi. Ergo pœnis Apostatarum subiicitur; reclamatio enim non conceditur contra professionem validam. Neque obstat licentia à superioribus obtenta, quia obtenta fuit per dolum, & mendacia præbentia causam concessionis licentiæ, vt suppono.

Et hoc militat tam in professione tacita, quàm in expressa, quia eadem ratio in vtraque valet. Ex quo fit, discedentem à religione esse Apostatam, & Apostatarum pœnis ligari, si professione semel inualidè emissa habitum religiosum detulit, & aliquid professorum proprium fecit, animo ratificandi, & approbandi professionem; hoc enim pacto tacitè professus est; reclamatio autem non conceditur contra validam professionem, expressam, vel tacitam. An autem reclamans contra professionem gaudeat priuilegiis religionis, constabit ex dicendis *de eiectu à religione punct. vlt §. 3. num. 2.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Reclamãs cõtra professionem inualidam mortaliter non peccat.

2 REligiosus, qui inualidè professus est, & postea professionem expressè, vel tacitè non ratificauit, regulariter loquendo, non peccat mortaliter reclamando contra professionem. Ratio est, quia iure suo vtitur, & Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 19.* reclamandi licentiam intra quinquennium concedit.

Imò Nauar. Rodriquez, Sanchez & alij existimant religiosum inualidè professum, posse etiam elapso quinquennio propria auctoritate fugere, de qua re suprà.

3 Susceptio sacrorum Ordinum non sufficienter indicat religiosum tacitè ratificasse professionem.

3 Hinc sequitur primò, eum, qui professionem per vim, aut metum grauem fecit, posse contra professionem reclamare, etiamsi habitum detulerit, & acta professorum gesserit, absque animo tamen approbandi professionem. Idem militat, etiamsi præfatus religiosus sacros Ordines susceperit; nam ob sacrorum Ordinum susceptionem non censetur ratam habuisse professionem. Ratio est, tum quia hoc nullo iure sancitur. Tum quia susceptio sacrorum Ordinum est res distincta à professione; à distinctis autem, & disparatis non valet illatio. *l. Papinianus exuli. ff. de minor.* Tum quia delatio habitus professorum, & collatio suffragiorum in Capitulo non sufficit ad ostendendum præfatum religiosum tacitè professum fuisse. Ergo multo minus sufficit susceptio sacrorum Ordinum, quæ non est actus magis proprius professorum, quàm delatio habitus professorum, & collatio suffragiorum in Capitulo. Ita Rodriquez *quæstionum regular. tom. 3. qu. 17. art. 16. ad finem.*

4 Religiosus inualidè professus quam censuram incurrat suscipiẽdo sacros Ordines.

4 Sed modò dubium est, primò vtrùm religiosus inualidè professus censuram aliquam incurrat suscipiendo sacros Ordines.

Respondeo solutionem constare ex dictis de censuris in particulari *disputat. 3. qu. 1. punct. 8.* vbi docui incurrere suspensionem. Tum quatenus Ordines sacros sine titulo suscipit (hic enim suspensionem incurrit ab Ordinum executione, & eos exercendo irregularitatem contrahit.) Tum etiam, quia accedit ad Ordines sine litteris dimissoriis legitimi Prælati. Hæc tamen intellige, nisi ignorantia, vel metus infamiæ excusẽt à culpa suscipientem, vel exercentem Ordines susceptos sine valido professionis titulo, leges enim humanæ cum graui incommodo obligare non solent.

5 Religiosus inualidè professus priuilegiis religionis non gaudet.

5 Secundò dubium est, vtrùm religiosus inualidè professus priuilegiis religionis gaudeat.

Respondeo negatiuè, quia verè, & propriè religiosus non est. An autem absolui, & dispensari possit à superioribus religionis, constat ex supradictis non posse, quamquam Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 37.* putat posse, donec religionis occasionem arripiat reclamandi, aut fugiendi.

PVNCTVM XI.

De Apostatis, & fugitiuis, eorumq; fautoribus, seu receptatoribus.

QVinque principaliter in hoc puncto explicabo.

Primò, quisnam dicatur Apostata, & quis fugitiuus.

Secundò, quam obligationem habeant Prælati erga fugitiuos, & Apostatas.

Tertiò, quas pœnas incurrant Apostatæ.

Quartò, quam censuram incurrant.

Quintò, vtrum receptatores, vel detinentes Apostatas alicui censuræ subiiciantur.

§. I.

Quisnam dicatur Apostata, & fugitiuus.

APostasia, alia est ab Ordine, alia à fide, alia à religione: de hac vltima loquimur, nam de aliis alibi egimus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Apostata quisnam dicatur.

1 APostata dicitur, qui à vera religione discedit, animo deserendi statum religiosum, seu intentione non redeundi ad religionem. Ita Doctores statim citandi. Et hoc verum est siue discesserit cum habitu, siue non; cùm enim habitus Monachum non faciat, opus non est, vt Apostata sine habitu discesserit; quamobrem potest aliquis esse Apostata, etiamsi habitũ deferat, sicut etiã potest aliquis non esse Apostata, etiamsi habitum non gerat. An autem religiosus habitum non gestans excommunicatione ligetur, constat ex suprà dictis *punct. 2.*

Hinc sequitur primò, illum esse Apostatam in foro conscientiæ, qui discesserit animo deserendæ religionis, sed pœnitentia ductus statim reuersus est; huic enim conuenit definitio Apostasię; consequenter est Apostata; nam cui conuenit definitio, conuenit etiam definitum, iuxta communem Dialecticorum regulam, quamquam in foro externo non præsumitur Apostata. Tum quia Apostata discedere non solet, vt statim redeat. Tum quia, qui ab aliquo loco recedit, & statim reuertitur, non censetur recessisse. *cap. diuortium, de pœnit. dist. 2. & l. 1 §. qui præsens. ff. de verb. obligat.* Ob id fugiens è carcere, sed statim rediens, non ligatur pœnis statuto impositis contra fugientes è carcere, & qui gabellam defraudare cœpit, deinde statim pœnituit, & soluit, non ligatur pœnis defraudantium gabellas. Mascard. *de probat. parte 2. conclus. 834. nu. 26.* Baldus, Plotus, & alij apud Sanctarellum, *loco* statim *citando num. 6.*

2 Nouitius non est Apostata deserẽdo religionẽ.

2 Secundò sequitur nouitios, qui à religione fugiunt, non esse Apostatas, etiamsi fortè ipsi vota simplicia castitatis, obedientiæ, & pauertatis emisissent. Ratio est, quia Apostasia est recessus à statu verè religioso, ipsi autem non recedunt à statu religioso, cùm nondum professionem in religione emiserint, vt suppono.

3 Moniales Turris Speculorum in Vrbe non sunt propriè religiosæ.

3 Idem sentiendum est de nonnullis mulieribus, quas alicubi Beatas, alibi Tertiarias, alibi Vrsulinas vocant, istæ enim Apostatæ non sunt, etiãsi fortè simplicia vota paupertatis, obedientiæ, & castitatis emiserint: ipsarum enim religio, seu potiùs Congregatio approbata non fuit à Summo Pontifice tamquam religio, vt suppono; consequenter effectus veræ, & approbatæ religionis non inducit, consequenter si præfatæ mulieres matrimonium contrahant, validè contrahunt, quamuis illicitè; non enim quodlibet votum castitatis irritum reddit subsequens matrimonium, sed votum solemne, seu emissum in approbata religione, vt benè Rota apud Puteum *decis. 136. lib. 1.* Arrag. *2. 2. quæst. 12. art. 1. dub. vnico de Apostasia à religione*, Sanchez *lib. 7. cap. 8. num. 7.* Bannez *2. 2. quæst. 12. art. 1. de Apostasia à religione dub. 1.* Sanctarellus *de Apostasia cap. 3. dub. 1. num. 5.* Idem dicendum est de Monialibus Turris Speculorum in vrbe Roma; quia ipsæ propriè non sunt religiosæ. Nauarr. *conf. 6. & 7. de statu monachor.* Riuillus *de iure personarum lib. 8. cap. 2. n. 7.* Sanctarellus *loco cit. n. 5.*

4 Transiẽs ad aliam religionem non est propriè Apostata, etiamsi fortè transeat ad laxiorem.

4 Tertiò sequitur eum, qui ad aliam religionem transit, non esse Apostatam, etiamsi fortè ad laxiorem transeat, iuxta probabilem nonnullorum sententiam. Quamuis enim transitus, seu professio in religione laxiori irrita sit: non tamen efficit religiosum Apostatam; cùm huiusmodi religiosus non haberet simpliciter animum recedendi à statu religioso. Ita Emanuel Sà *verb. Religio. n. 71.* Maiolus, Sayrus,

rus,Sanchez,Lessius,Azor. & alij, quos referam §.3.*n*.8. contra Suar. & alios. Præfatus tamen religiosus censendus est fugitiuus, quia discedit à sua religione absque debita facultate, & transit ad aliud monasterium,eidem Prælato non subiectum,vt suppono.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Fugitiuus à religione quis dicatur.

5 FVgitiuus à religione dicitur qui à monasterio ad tempus discedit, non animo recedendi à religione, sed intentione postea redeundi, vt si fugiat ob Prælati metum, & rigorem, vel ob vagandi voluntatem, aut alia simili de causa. Et hoc verum est, siue fugiat cum habitu,siue illo dimisso, vt dictum est in prima propositione.Ita Valentia 2.2. *disp*.1.*q*.12.*punct*.1. Lessius *lib*.2.*cap*.41.*dub*.15.*num*.109. Azor.1.*par*.*lib*.12.*c*.16.*quæs*.1. Arragon.2.2.*q*.12.*art*.1. Sanctarellus *de Apostasia cap*.3.*dub*.1.*n*.1.*&* 2. Sanchez *in opere mor*.*lib*.6.*c*.8.*n*.2. Suarez *tom*.4. *de relig*.*lib*.3.*cap*.2. Rodriquez *tom*.1.*q*.30.*art*.3.

6 Apostata, & fugitiuus non sunt idem.

6 Ex dictis colligitur primò,non idem esse Apostatam,& fugitiuum. Quamuis enim omnis Apostata sit fugitiuus; non tamen omnis fugitiuus est Apostata; consequenter neque subiicitur pœnis contra Apostatas impositis, etiamsi habitum aliis vestibus tegat, vel dimittat, vt bene Rodriq.*tom*.1.*quæst*.*regul*.*q*.30.*art*.2.Rota Romana, teste Mandosio *de signat*.*grat*.*verb*.*licentia*,*vers*.*qui licentia non obtenta*, & Sanchez *loco cit*.*num*.5.

Secundò colligitur religiosum Societatis Iesu fugientem ad tempus animo ad religionem redeundi, non affici excommunicatione, & aliis pœnis latis in Bulla Pij V.& Gregorij XIV.quæ incipit,*Ascendente Domino*;nam illę pœnæ non videntur latæ contra fugitiuos, sed contra exeuntes, & recedentes, seu deficientes à religione, id est, Apostatas. Is autem iuxta communem loquendi modum non dicitur recedere, & exire,qui solùm ad tempus vagari intendit. Ita Sanchez *in opere morali lib*.6.*c*.8.*num*.11.

Tertiò, colligitur pœnas latas in Bulla 14. Pauli IV. quæ incipit, *Postquam diuina bonitas*, contra religiosos extra claustra suorum locorum regularium degentes, seu vagantes, extendi solum ad Apostatas, non verò ad fugitiuos, vt patet, tum ex principio Bullæ, tum quia in ea Bulla decies mentio fit Apostasiæ, & Apostatarum. Sicut autē vna lex aliā explicat; ita multo magis vna pars legis aliam eiusdem legis partem, & eadem vox in eadem lege repetita grande mysterium continet; ita Glossa celebris *in Clement*.1. *verb*.*diœcesani*, *de iur*.*patron*.Rodriquez *tom*.1.*quæst*.30.*art*.4.Nauar.*lib*.5.*consil*.*vnico n*. 9.*&* *seq*.Sanctarellus *de Apostasia cap*.3.*dub*.1.*nu*.9.Sanchez *loco citato num*.10.Neque obstat Bulla 89.Pij V.quæ incipit,*Quæcumque sacrarum*, quia in illa prohibetur solùm transitus ab vna ad aliam religionem virtute facultatum aliquibus religionibus concessarum.Ita Sanctarellus *num*.9. quamuis Sanchez , & alij aliam afferant responsionem.Vide infrà dicenda §.4.*num*.5. *versicul*.*obiicies*.

7 Religiosus fugiens è carcere censeturfugitiuus.

7 Quæres primò, vtrùm religiosi in carcere inclusi, seu perpetuo carceri damnati,censendi sint fugitiui, si è carcere fugiant.

Respondeo affirmatiuè.Ratio est,quia recedunt à monasterio absque debita licentia. Et licet valde probabilis sit sententia Doctorum asserentium sæculares licitè posse è carcere fugere, cùm ibi constituantur, non vt ibi sponte maneant, sed vt ibi detineantur, vt docui *de legibus disp*.10.*q*.3.*punct*.2.*num*.13. *&* *seq*.Religiosis tamen,regulariter loquendo, ius non competit fugiendi,quia exeundi,aut vagandi potestate se priuarunt in professione. Ita Bannes 2.2. *q*. 69. *art*.4. *post* 5.*concl*.Arragon.*ibid*.*circa secundum argumentum dub*.1.*ad finem*, Rodriquez *tom*.2.*q*.22.*art*.6.Sanchez *loco cit*.*n*.12.*&* *seq*.quamquam Bannes *loco citat*. putat religiosum perpetuo carceri , aut grauissimæ pœnæ damnatum posse fugere,non vt vagetur,sed vt veniam à superiore,Prælato,vel à Summo Pontifice obtineat.

Dixi,*regulariter loquendo*,vt exciperem nonnullos casus,in quibus religiosus fugiendo non censetur fugitiuus, vt si damnatus sit carceri, & postea mors, aut mutilatio ei inferenda sit. Cùm enim cuique à natura magnum ius tributum sit ad vitam propriam tuendam, non videtur delinquere fugiendo vt vitam , & membra tueatur. Ita Arragon.*loco citato*.Lessius *lib*.2.*cap*.31.*dub*.5.*num*.34.Rodriquez *tom*.1. *quæst*.30.*art*.3. Sanctarellus *de Apostasia*.*cap*.3.*nu*.7. & alij apud Sanchez *loco citato*,*numer*.15. contra Sairum *in Claue Regia lib*.12. *cap*.18. *num*.14.Valentiam 2.2.*disp*.5 *quæst*.13.*puncto* 4.*in solutione ad tertium*, & alios. Idem dic si sententia sit iniusta, aut si religiosus tanta pœna dignus non sit, aut si sententia quidem iusta sit, modus tamen exequendi sit iniustus; reus enim non tenetur in conscientia huiusmodi sententiæ obedire. Ita Nauar.*comment*.4.*de regular*.*num*.64.*corollar*. 7.*&* 8.Sayrus *loco citato*,*num*.10. Sanchez *nu*.14. & alij.

8 Religiosus fugiens à triremibus an sit fugitiuus.

8 Quæres secundò, vtrum religiosus damnatus ad triremes , censendus sit fugitiuus, si inde fugiat,ne cruciatus, & molestias eius status ferat.

Respondent Arragon. Sayrus, Sanchez, & alij *locis citatis* , censendum esse fugitiuum ob rationes *in* 1. *quæstione* allatas de fugiente à carcere.

Sed oppositum mihi probabile videtur,quia vel missus erat ad triremes in perpetuum; & sic non videtur fugitiuus , cum censetur in perpetuum à monasterio eiectus; eiectus autem à monasterio non est fugitiuus. Vel missus erat ad triremes ad tempus , & sic neque videtur fugitiuus,saltem si hoc faciat,non vt vagetur, sed vt ab ærumnoso illo statu liberetur,& superiorem,vel Pontificem pro venię impetratione deprecetur.Ratio est,tum quia homines damnari non solent ad triremes, vt ibi sponte maneant, sed vt patiantur ibi detineri. Tum quia in sententia eiusdem Sanchez, & aliorum non censetur fugitiuus , qui è carcere fugit, sciens sibi alicuius membri mutilationem inferendam. Ergo neque fugitiuus censendus videtur, qui è triremibus fugit, vt pœnas triremium euadat; multi enim æquiori animo ferrent aliquod sibi membrum vna vice amputari, quam in triremibus longo tempore torqueri;nam hoc genus pœnæ,perpetuæ morti comparatur,*l*.*penultima ff*.*de regul*.*iur*. Ita sentire videtur Bannes 2.2.*q*.69.*art*.4.*post*.5.*conclus*.

9 Religiosus confugiens ad superiorē absque licentia immediati Prælati, vt ab iniqua eius vexatione liberetur, non est fugitiuus.

9 Quæres tertiò , vtrùm religiosi censendi sint fugitiui , & pœnis fugitiuorum puniri debeant, quoties ad superiorem confugiunt absque licentia immediati superioris , vt eximantur ab iniqua vexatione , quam iniustè ab immediato superiore patiuntur.

Respondeo negatiuè,modò certò constet de iniqua vexatione,nec alia ratione valeant se ab iniqua vexatione eximere , quam adeundo superiorem : nam iure naturæ cuilibet competit sua defensio. Hac ratione intelligendum est Tridentini decretum *sess*.25.*cap*.4.*de regul*. vbi prohibentur religiosi egredi suis monasteriis absque licentia superioris, etiamsi egrediantur, vt ad superiores accedant, nisi ab ipsis vocati fuerint.Ita Rodriquez *tom*.1.*q*.30.*art*.4.Azor.1.*part*.*lib*.12.*c*.11. *quæsito* 7. *&* 8. Sayrus *in Claue Regia* 12.*cap*.17.*num*.4. Sanchez *num*. 17.Emanuel Sà *verb*.*religio num*.71.

§. II.

De obligatione, qua religionum Prælati tenentur erga fugitiuos, & Apostatas.

1 Religionum Prælati tenentur fugitiuos, Apostatas, vel eiectos reuocare, si spē habeāt emēdationis.

1 PRælati religionum tenentur, per se loquendo, fugitiuos, & Apostatas, aut etiam eiectos data opportunitate reuocare, si spes subsit emendationis. Ratio est, tum quia ex officio tenentur saluti subditorum consulere.Tum quia sic statuitur *in cap*.*fi*.*ne religiosi*, *de reg*. vbi præsidentes Capitulis celebrandis, seu Abbates,seu Priores iubentur singulis annis quærere suos fugitiuos, vel eiectos, qui si in monasteriis suis recipi possunt, Abbates, seu Priores ipsorum compellendi sunt per censuram Ecclesiasticam ad illos recipiendos, salua Ordinis disciplina;quod si fieri non potest, prouideant in locis proximis apud eadem monasteria, si fieri potest absque scandalo,vel in aliis religiosis domibus eiusdem Ordinis ad pœnitentiam ibi peragendam, dando eis necessaria ad vitam.

Hoc idem cum approbatione eiusdē *cap*.*ne religiosi*, *cit*. decernitur, & innouatur in quibusdam decretis Sacrę Congregationis editis *anno* 1624.*die* 21.*Septembris*, quorum initium est, *Sacra Congregatio*, vbi eadem Sacra Congregatio ex peculiari Summi Pōtificis Vrbani VIII. facultate innouat præfatum textum de fugitiuis, & eiectis annuatim reuocandis,illumque extendit etiam ad eos,qui iustè,& legitimè expulsi fuerunt, modò certa spes subsit emendationis, & graues pœnas transgressoribus imponit, vt patet ex verbis eiusdem Sacræ Congregationis, ibi , *ac postremò censuit esse innouandam , & sua Beatitudinis auctoritate innouat constitutionem felic*. *record*. *Gregorij* I X. *relatam in cap*.*fin*.*extra de Regul*.*ac praterea declarat*,*eam constitutionem in iis quoque vendicare sibi locum*,*seruandamq*; *esse*,*qui iustè*, *diffinitiueq*; *ac iuris ordine seruato expulsi fuerint* , *dummodò tamen in Capitulis huiusmodi subsit spes euidens emendationis*,*ex litteris saltem testimonialibus ordinarij* , *cuius conscientiam in his litteris concedendis Sacra Congregatio seriò oneranit*. Vide Suarez *tom*.4. *de relig*.*libro* 3. *capite* 1.*numero* 17. *&* *sequentibus*.

2 Prælati religionū non reuocantes annuatim fugitiuos, vel eiectos, priuationem officiorum, & alias pœnas incurrunt.

2 Quæres primò, vtrùm Prælati religionum , qui præfatos fugitiuos,aut eiectos annuatim non reuocant, dum spes subest emēdationis , pœnam priuationis officiorum , & alias pœnas in decreto Sacræ Congregationis expressas incurrant. Ratio dubitandi pro parte negatiua est , tum quia pœnæ illius decreti impositæ sunt facientibus, vel molientibus aliquid contra ea, quæ in dicto decreto expressa sunt; qui autem non reuocat Apostatas , fugitiuos , vel eiectos , non facit,sed omittit ; pœna autem lata contra facientes non afficit omittentes facere. Tum quia in materia pœnali benignior, & mitior interpretatio facienda est : nam odia restringi , fauores consueuerunt ampliari.

His non obstantibus censeo præfatas pœnas à Prælatis incurri. Ratio est,tum quia licet omissio non sit actio,physicè loquendo, reputatur tamen actio ; nam qui non facit, quod debet, aliud facit, quàm debet. Tum quia superior non reuocans præfatos fugitiuos, dicitur aliquo modo facere aduersus ea quæ in decreto Sacræ Congregationis præscripta sunt ; ergo punitur pœnis illius decreti , nam cui conueniunt verba dispositionis , conuenit etiam ipsa dispositio. Tum quia perspicuum est has pœnas incurri ab iis,qui formā à Clemente VIII.præscriptam , & ab eodem Sacræ Congregationis decreto approbatam circa admittendos ad religionem non obseruant, etiamsi hoc cōtingat per omissionem præfatæ formæ;ergo prædictæ pœnæ incurruntur etiam ab iis , qui fugitiuos, vel eiectos annuatim non reuocant. Tum quia intentio Sacræ Congregationis hæc esse videtur , vt puniantur superiores præfata decreta non exequentes, seu non obseruantes , vt patet ex illis verbis , *in suprascriptis decretis*,*& ordinationibus exequēdis*,& infrà , *iniungit seriodq*; *mandat vt illa diligenter obseruent*,*atque obseruari procurent*. Superior autem non reuocans fugitiuos , vel eiectos , non obseruat decretum Congregationis.

Ad primam rationem in contrarium , respondeo pœnas Sacræ Congregationis impositas esse non exequentibus ipsius decreta, qui ob id contra ipsius decreta facere censentur , vna enim pars dispositionis aliam explicat.

Ad secundam respondeo in materia pœnali mitiorem interpretationem faciendam esse , quantum legislatoris intentio patitur , quæ ex alia dispositionis parte aliquando colligitur.

3 Enumerantur pœnæ impositæ contra non seruantes decretum Sacræ Congregationis circa fugitiuos, & Apostatas.

3 Quæres secundo, quænam pœnæ transgressoribus decreti Sacræ Congregationis impositæ sint, & ad quem ipsarum relaxatio, & dispensatio pertineat.

Respondeo id clarè constare ex verbis Sacræ Congregationis,ibi, *Si quis vero ipsorum aduersus ea*,*quæ superius præscripta sunt* , *vel eorum aliquid quoquo modo facere* , *vel moliri præsumpserit* , *ipso facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum*, *quæ tunc obtinebit*, *vocisq*; *activæ*, *& passiuæ* , *ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda*, *pœnaque huiusmodi sit Sanctitati suæ* , *ac Sedi Apostolicæ reseruata* , *ijsdem*

dem superioribus etiam Generalibus & Protectoribus illâ moderandi, seu relaxandi potestate penitus interdicta, & nihilominus sit irritũ, atque inane quicquid secus à quoquam actum extiterit. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam mendicantium, quàm non mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcumque: nec non illorũ etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis & priuilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam mari magno, seu bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiã per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumq; totis tenoribus, & formis specialis & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autẽ per clausulas generales idẽ importãtes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset: tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihilo penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quod ea, quæ supradictis quomodolibet aduersantur, illis aliàs in suo robore permanseris, specialiter, & expresè, Sanctitatis suæ auctoritate, derogat, ceterisq; contrariis quibuscumque.

4 Pœnæ an incurrãtur ante iudicis sententiam remissiuè.

4 An autem præfatæ pœnæ statim incurrantur ante vllam iudicis sententiam, & reus teneatur propria sponte officium à se abdicare, constat ex regulis generalibus traditis de legibus, dum loquerer *de obligatione legis pœnalis disp. 1. quæst. 1. puncto 7.*

Quæres tertiò, vtrum religio, seu monasterium alere teneatur fugitiuum. Respondeo hoc quæsitum soluendum esse § proximè sequenti, propositione tertia, sicut etiam ex dicendis *puncto sequenti* constabit quid dicendum sit de eiectis.

§. III.

An Apostata, vel fugitiuus pœnam aliquam incurrat.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Apostata, & fugitiuus vbique capi potest à suo superiore.

1 Apostata, & fugitiuus à religione vbique capi potest à suo superiore, etiam extra suum monasterium, & territorium. Ratio est, tum quia possessor alicuius rei potest eam capere & vendicare vbicumque illã inueniat. *l. si quis. §. differentia. ff. de acquirend. possess.* Ob id dominus potest seruum, vel famulum fugientem, & inuentum etiam extra prouinciam capere. *l. 1. C. vbi causa stat. & l. 1. C. vbi curialis*; sed religiosus est sub potestate & possessione sui superioris; religiosus enim se ipsum in professione tradidit superiori. Ergo superior potest illum capere vbicumque inueniat. Tum quia Honorius III. *in cap. à nobis, de Apostatis*, statuit Apostatas, qui minis, vel blanditiis nullatenus possunt induci, vt abiectum habitum reassumant, posse sub graui custodia carcerari, & ibi durè affligi, vt solummodo vita sibi misera reseruetur. Ita Nauar. *comment. 3. de regular. nu. 50.* Rodriquez *tom. 1. quæst. 30 art. 6.* Sanchez *in opere morali, lib. 6. cap. 8. nu. 33. & 36.* Sanctarellus *de Apostasia cap. 3. dub. 2. num. 12.* & alij.

Addo, nonnullis, vt Carmelitis, concessa fuisse priuilegia, vt Apostatas capere valeant, etiam in vrbe Roma, ideo superiores religionum in hac re consulere debent priuilegia suæ religioni directè, vel per communicationem concessa.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Apostata nõ gaudet priuilegiis religionis, si dimisso habitu prętendat irritam esse professionem.

2 Religiosus Apostata non gaudet priuilegiis religionum, si habitum dimittat, prætendens irritam esse professionem. Ratio est, tum quia par non est, vt priuilegiis gaudeat illius status, à quo abhorret. Tum quia ita sancitum fuit in Tridentino *sess. 25. capite 19. de regular.*

Obserua tamen primò in præfato Tridentini decreto non induci priuationem priuilegiorum ipso facto, sed requiri iudicis sententiam, quia vtitur verbis futuri temporis, ibi, *Interim vero nullo priuilegio suæ religionis iuuetur.* Ita Sanchez *loco citato num. 34.* & alij.

Obserua secundò hanc pœnam non incurri à quibuscumque Apostatis, sed ab illis, qui iam habitum dimiserunt, prætendentes inualidam esse professionem. Quamuis enim Concilium antea locutũ fuisset non solum de dimittentibus habitum, verùm etiam de recedentibus cum habitu, sed sine licentia superiorum; tamen dum pœnam iniungit, loquitur solùm de dimittentibus habitũ, ibi, *Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tamquam Apostata puniatur. Interim vero nullo priuilegio suæ religionis iuuetur.* Cum autẽ hoc decretum sit pœnale, non est facienda extensio ad quoscumque Apostatas, sed ad illos solum, de quibus Concilium loqui diximus. Ita Sanchez *num. 34.* & alij.

3 Apostata, aut fugitiuus gaudet priuilegiis totius religionis.

3 Ex quo licet inferre Apostatam, qui cum habitu recessit, & à fortiori alium quemcumque religiosum, licitè, aut illicitè à religione discedẽtem, gaudere priuilegiis toti religioni concessis. Ratio est, tum quia non extat ius in contrarium. Tum quia adhuc sunt veri religiosi, obstricti vinculo obedientiæ religionis. Ergo gaudent priuilegiis toti religioni concessis, donec per sentẽtiam priuentur. Tum quia huiusmodi priuilegia personalia sunt, vt suppono. Ergo sequuntur personam vbicumque existat. Secus dic si priuilegia concessa essent alicui speciali monasterio; cùm enim Apostata non videatur formaliter esse illius monasterij pars, non gaudet illius priuilegiis; sicut etiam eiecti à religione non gaudent priuilegiis religionis, quia religio illos reiicit, tamquam putrida membra, illosque in statu quasi sæculari constituit. Ita Mandosius *de priuilegiis ad instar, glossa 3. num 8. & seq.* Sanchez *loco cit. num. 35.* & alij.

TERTIA PROPOSITIO.

4 Apostata, vel fugitiuus priuatur alimentis.

4 Apostata, vel fugitiuus priuatur alimentis, seu iure alimentorum, quæ religio ei exhibuisset. Ratio est, tum quia pater non tenetur alere filium sua culpa discedẽtem, & maritus non tenetur alere vxorem ab eo sua culpa diuertentem, vt docui de legibus. Ergo neque religio tenetur religiosum à religione fugientem alere. Tum quia monasterium tenetur religiosum alere, quia religiosus monasterio inseruit; sed hæc ratio cessat in religioso Apostata, & fugitiuo. Ergo etiam cessare debet obligatio. Tum quia frangenti fidem fides seruanda non est; sed Apostatæ, vel fugitiuus frangit fidem, qua obedientiam, & obsequium religioni pollicitus fuerat. Ergo etiam monasterium non tenetur illi fidem seruare, qua se ad ipsum alẽdum, & sustentãdum obstrinxerat. Ita Surdus *de alimentis tit. 8. priuileg. 97. num. 6. & quæst. 27. numero 22.* Sanchez *in opere morali lib. 6. capit. 9. num. 21.* Sanctarellus *de Apostasia capite 3. dub. 2. num. 22.* & alij.

Ex quo licet inferre, monasterium non teneri soluere expensas factas à fugitiuo, vel Apostata ad sui sustentationem, vt si nummos mutuo accepit ad se alendũ, vel si caupo, vel alij cibum bona fide exhibuerunt, ignorantes ipsum esse Apostatam, vel fugitiuum. Ratio est, tum quia monasterium non tenetur alere huiusmodi fugitiuum. Tum quia monasterium non tenetur ex contractu, vel delicto religiosi, nisi quatenus monasterium ea de causa factum est locupletius, & ditius; sed monasterium ea de causa non est factum ditius, & locupletius; cùm alere non teneretur religiosum Apostatam, imò potiùs ipsum monasterium damnum tulit, quia si illi pecuniam, vel cibos non ministrasset, Apostata, vel fugitiuus facilius resipuisset, & ad religionem rediisset, fame intellectum illi præbente. Ita Doctores cit.

Obiicies primò, is tenetur expensis alterius soluere, cuius negotium vtiliter gestum fuit; sed illi, qui alimenta religioso fugitiuo, vel Apostatæ præbuerunt, negotium monasterij vtiliter gesserunt. Ergo monasterium tenetur præfatas expensas soluere.

Respondeo vtiliter gestum non esse negotium monasterij, cùm monasterium alere non teneretur fugitiuum. Imò huiusmodi negotium cum monasterij detrimento gestum fuit, quia fieri potest, vt religiosus regressum ad religionem ob id distulerit, & prorogauerit.

Obiicies secundò, qui sentit commodum, par est vt sentiat onus; sed monasterium sentit commodum lucri, quod facit Apostata, vel fugitiuus; nam quicquid religiosus acquirit, monasterio acquirit. Ergo par est, vt monasterium damnum sentiat expensarum.

Respondeo primò monasterium hoc tempore non sentire commodum bonorum, quæ Apostata acquirit, vt infrà ostendam, nam bona Apostatæ post mortem cedunt Cameræ Apostolicæ si extra monasterium moriatur.

Respondeo secundò, illam regulam: Qui sentit commodum, &c. non valere in iis casibus, in quibus acquirẽs aliquid, ita est alteri subiectus, vt dominium rei acquisitæ non comparet; ob id quæ seruus acquirit, domino acquirit, & tamen dominus non tenetur ad restitutionem damnorum à seruo illatorum, nisi quatenus in illis factus est locupletior, vt docui de restitutione.

Obiicies tertiò, capiens religiosum fugitiuum, vt eum religioni consignet, repetere potest à monasterio expensas, quas in præfato religioso alendo fecit. Ergo etiam illas repetere potest is, qui alia occasione præfato religioso alimenta dedit.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia ille vtiliter gessit negotium monasterij, fecitque quod monasterium facere tenebatur; monasterium enim inquirere tenetur religiosum fugitiuum, & consequenter tenetur expensas facere, quæ necessariæ sunt ad reducendum præfatum religiosum ad religionem: nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ad illum necessaria.

Obiicies quartò, si religio non tenetur ad præfatas fugitiui expensas, sequeretur illũ, qui alimenta religioso fugitiuo bona fide prębuit, priuari rebus suis absque sua culpa, cùm nequeat restitutionem ab aliquo obtinere.

Respondeo primò id sibi debere adscribere, & imputare, cum bona fides ius ipsi non conferat contra monasterium.

Respondeo secundò, religiosum fugitiuum, vel Apostatam teneri postea ad restitutionem ex lucris quæ fecerit, de licentia superioris, vt docui *q. 4. var. tract.* dum loquerer de largitione munerũ religiosis vtriusque sexus interdicta.

5 Ad quem pertineant bona religiosi Apostatæ vel fugitiui.

5 Rogabis ad quem pertineant bona religiosi Apostatæ, vel fugitiui.

Respondeo distinguendo, vel præfatus religiosus manet in sæculo, vel ad aliam religionem transit. Si legitimè transit ad aliam religionem, acquisita post professionem secundæ religionis, pertinent ad religionem, ad quam transit, quia fit subditus illius religionis. Si verò illegitimè transit ad aliam religionem, bona ipsius (exceptis iis, quæ contemplatione secundi monasterij acquisiuit) pertinere videntur ad priorem religionem, etiamsi forte secunda religio bona fide receperit Apostatam, vel fugitiuum; iuxta Alexandrum *l. 1. §. per seruum, n. 14 ff. de acquir. possess.*

Ratio est, quia prima religio numquam amisit ius in præfatum religiosum. Ita Molina *tom. 1. de iust. disp. 144. versicul. quando religiosus.* Syluest. *verb. religio 4. quæsito 10.* Azor. *1. p. lib. 12. cap. 15. quæsito 3.* Rodriquez *tom. 2. q. 79. artic. 2.* Sanctarellus *de Apostasia cap. 3. dub. 3. num. 24.* & alij apud præcitatos Doctores, contra Barthol. *l. si seruus. ff. de stipulat. seruor.* Sanchez *lib. 7. c. 33. n. 14.* & alios.

Si verò Apostata, vel fugitiuus non aduolauit ad aliam religionem, sed in sæculo mortuus est, iure antiquo bona ipsius pertinebant ad monasterium, *cap. Abbates 18. quæst. 2* iuxta regulam: Quicquid Monachus acquirit, monasterio acquirit; iure verò nouo in constitut. Gregorij XIII. quæ incipit, *Officij nostri*, bona præfati Apostatæ, vel fugitiui post mortem acquiruntur Cameræ Apostolicæ, siue prętata bona deberentur prętato religioso ab intestato, siue donatione,

tione,siue alia ratione. Ita Nauarr.*consil.*17. *de statu monach.* Sanctarellus *loco citato,num.*23. Sanchez *libro* 7.*cap.*33.*num.*9. *&* 21.Rodriquez *tomo* 1.*quæst.regular.quæst.*30. & alij.

QVARTA PROPOSITIO.

6 Apostata eligi potest in superiorem, peracta pœnitentia, nisi alia obstet circumstantia.

6 REligiosus Apostata eligi non potest in Abbatem, vel superiorem, etiamsi ad religionem redierit, seque ad meliorem frugem receperit, & bonæ sit opinionis, iuxta Sylvestrum *verb.excommunicatio 9. casu* 24.*num.*52. *notab.*2. & alios. Sed mihi probabilior videtur opinio asserentium Apostatam posse post vitæ suæ emendationem eligi in religionis superiorem, nisi aliud extet impedimentum, aut nisi aliud ferant constitutiones, ac priuilegia religionis.

Ratio est,quia pœna inducenda non est,nisi in iure sit expressa; in iure autem expressa non est huiusmodi pœna. Ita Azor. 1.*par.lib.*12. *cap.*17. *quæsito vlt.* Sanchez *lib.*6.*cap.*8. *num.*32. Sanctarellus *de Apostasia cap.*3.*dub.*2.*num.*21.& alij apud præcitatos Doct.

Neque obstat *cap.per tuas*, *de voto*, quia non loquitur de Apostatis, sed solùm decernit eum, qui post votum religionis promotus fuit ad Episcopatum,debere illum resignare,vt adimpleat votum religionis, quia votum adhuc obligat.

§. IV.

Vtrùm Apostatæ præter pœnas in §. proximè præcedente enumeratas, incurrant aliquam censuram, vel irregularitatem.

HIc non agam de Apostatis, vel fugitiuis discedentibus habitu dimisso;hos enim cõstat vinculo excommunicationis obstringi, vt supià docui *puncto* 2. sed loquar de Apostatis præcisè. Sex autem in hoc §. principaliter explicabo.

Primò, vtrùm Apostata exiens à religione excommunicationem incurrat.

Secundò, an pœnam suspensionis, vel potiùs irregularitatis contrahat.

Tertiò, quænam sit materia istius censuræ, seu pœnæ.

Quartò, quódnam sit subiectum.

Quintò, quem effectum pariat hæc censura.

Sextò, quis in ea dispensare possit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Apostata iure cõmuni non est excommunicatus.

1 APostata iure communi excommunicationem non incurrit propter Apostasiam præcisè. Ratio est,quia ista excommunicatio in iure non reperitur, vt cum Sanchez, & aliis docui *quæst.* 2. *punct.*2.*num.*5. quibus adde Lessium *lib.*2.*de iust.cap.*41.*dub.*15. *num.* 109.Bannes 2.2.*quæst.*12.*artic.*1.*dub.*1.*concluſ.*2. Arragonium *ibid.*& Sanctarellum *de Apostasia*, *cap.*3.*dub.*2.contra Azorium 1 *par.lib.*12. *cap.*17. *quæsito* 6.& alios.

2 Apostata in aliquibus religionibus excommunicationẽ incurrit.

2 Dixi,*iure cõmuni*,quia Apostatæ in nonnullis religionibus ex peculiari priuilegio ipsarum religionum sunt excommunicati, vt patet ex priuilegiis Societatis Iesu concessis à Gregorio XIII. anno 1584. in bulla 89.quæ incipit,*Ascendente Domino.*§.22. *versic.Denique*, vbi religiosi Societatis deficientes à religione excommunicantur ipso facto, & Apostatarum pœnis subiiciuntur, & absolutio istius excommunicationis impendi non potest ab alio,quàm à Summo Pontifice,aut à præposito Generali Societatis, vt *ibidem* dicitur.

3 Apostatæ religionum participantium priuilegia Societatis Iesu non sunt excommunicati,præcisis suæ religionis priuilegiis.

3 Rogabis, vtrum Apostatæ aliarum religionum, participantium priuilegia Societatis Iesu,in hanc censuram incidant.

Respondeo negatiuè, quia Gregorius in præfata Bulla §.29. *vers. præsentis*, communicationem illius constitutionis & gratiæ fieri prohibet.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Apostata non potest Ordines suscipere, & susceptos exercere.

4 APostata à religione repellitur ab Ordinum susceptione,& ab exercitio illorum, quos Apostasiæ tempore suscepit; consequenter suspensus est,vel potius irregularis. Ratio est,quia *in cap.hi, qui.distin.*50. prohibentur Apostatæ ad Clericatus Officium admitti, & *in cap.consultationi, de Apostatis*, decernitur, Monachum, qui aliquem sacrum Ordinem in Apostasia recipiens, quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam,non posse absque dispensatione Romani Pontificis in Ordine sic suscepto ministrare; ex primo textu colligitur potius irregularitas,quàm suspensio, nam impedimentum à iure inductum, ne quis ad Clericatum promoueatur,est irregularitas; *in cap.*autẽ, *hi,qui*, *distinctione* 50.extat prohibitio, & impedimentum,ne Apostata ad clericalem statum, & officium admittatur.Idẽ colligi posse videtur ex *cap.consultationi.* Ideo enim Apostata prohibetur in Ordine sacro suscepto ministrare, quia vetitum illi erat Ordinem sacrum suscipere; pœna enim supponit culpam,& prohibitionem,quæ prohibitio vocari potest impedimentum Canonicum, & irregularitas, vt docui *de censuris in genere*, cum S.Antonino 3.*parte titulo* 27.*de suspensione*, *capite* 4.*versic.Apostata.*Vgolino *de irregular.capite* 36.§.4.Maiolo *libro* 5.*capite* 30.Henriquez *libro* 13.*capite* 40.*num.*1.contra Sanctarellum *de Apostasia cap.* 3.*dub.*2.*n.*16.& Sanchez *lib.*6.*cap.*8.*num.*26.

Verum quia multi putant Apostatam à religione non esse irregularem, sed suspensum, data pro nunc eorum opinione, hic conabor explicare iuxta ipsorum sententiam,quænam sit materia, subiectum, effectus, & duratio istius suspensionis.

TERTIA PROPOSITIO.

5 Assignatur materia suspensionis latæ cõtra Apostatas.

5 MAteria istius suspensionis est recipere sacrum Ordinem in Apostasia; nam in textu dicitur, *sacrum Ordinem in Apostasia recipiens.* Nomine autem sacri Ordinis intelligo Subdiaconatum, Diaconatum & Sacerdotium,imò etiam consecrationem Episcopalem;hæc enim est extensio Ordinis sacerdotalis.Ita Suar.*tom.*4. *de relig.lib.*3.*cap.*1. *num.*30. Sanchez *loco cit.num.*26. Sanctarellus *loco citat.num.*15.

Ex quo licet inferre primò illum non remanere suspensum, qui minores Ordines in Apostasia suscepit.Ita Suarez,Sanchez,Alterius, Sanctarellus, & alij locis proximè citandis, contra plures alios:consequenter qui minores Ordines in Apostasia suscepit,non indiget dispensatione,nisi fortè illos susceperit in excõmunicatione; tunc enim est irregularis, si sequamur sententiam, quam tradidi *de irregularitate distinct.*7.*quæst.*3.*punct.*4. *num.*1.

Secundò eum non affici suspensione, qui sacrum Ordinem suscepit ante Apostasiam:consequenter non repelli ab exercitio illius Ordinis.

Idem dic de eo, qui Ordinem suscepit post Apostasiam, postquam dispensationem à Summo Pontifice obtinuerat; hic enim non recepit Ordinem in Apostasia, vt benè Suarez *num.*5. Alterius, Sanctarellus,& alij.

Qui verò sacrum Ordinem recepit post Apostasiam,& post reconciliationem cum Abbate,sed ante Summi Pontificis dispensationem, ministrare non potest, non solùm in Ordine suscepto tempore Apostasiæ, verùm neque in suscepto post Apostasiam.

Ratio est,quia Ordo susceptus post Apostasiam,est Ordo superior suscepto in Apostasia;qui autem suspensus est ab executione inferioris Ordinis,suspẽsus etiam est ab executione maioris,quia maior virtualiter continet minorem, vt alibi cum communi Doctor. sententia docui.

Tertiò Apostatam, qui deposita Apostasia, ad suam religionem rediit, & in ea Ordines suscepit, posse Ordinibus vti, quia eos non suscepit in Apostasia. Ita communiter Doct.

Obiicies, Paulus IV. in bulla 14.quæ incipit, *Postquam diuina bonitas*, suspendit Apostatas ab omni cuiusuis Ordinis executione, & omni gradu,priuatque omnibus officiis,beneficiis,&c.

Respondeo primò illam bullam ad terminos iuris communis reductam fuisse à Pio IV.in bulla tertia,quæ incipit,*Sedis Apostolicæ.*

Respondet secundò Sanchez *num.*30.illam Pauli IV. bullam vsu receptam non fuisse;sed prima responsio mihi probatur.

6 Transiens ad aliam religionẽ, ibique sacrum Ordinem suscipiens nõ est suspensus ab exercitio illius Ordinis.

6 Rogabis, vtrùm religiosus, quia ad aliam religionem aduolauit, & in ea sacrum Ordinem suscepit, suspensus remaneat ab Ordine in ea religione suscepto.

Respondeo negatiuè,si aduolauit ad religionem arctiorem. Ratio est, tum quia ita declaratur *in cap.ex parte de temp.ordinat.* Tum quia non est Apostata, & hoc verum est, etiamsi fortè peccauerit quoad modum, transeundo ad aliam religionem in qua iam professus est; vt quia ad illam transiuit sine debita licentia; hic enim non est Apostata.

Addo probabiliter non remanere suspẽsum ab Ordine suscepto,etiam si transierit ad religionem laxiorem. Tum quia hic non videtur simpliciter Apostata. Tum quia hoc videtur declaratum *in cap. ex parte,citato*, vbi Pontifex quemdam Monachum,qui ad Monachos nigros se transtulerat, & ad sacerdotij Ordinem eo tempore promotus fuerat, mandat in executione Officij sacerdotalis liberè permitti.Ita glossa *in cap.consultationi*, Maiolus *de irregul.lib.*2.*c.*1.*n.*18. Sayrus *libro* 4.*cap.*13.*n.*16.Sanchez *in opere morali*, *lib.*6.*cap.*8.*num.*8. & 28. Alterius *tom.* 2. *disp.*17. *cap.*2. *colum.*7. & 9.*dub.*3. Azorius 1. *part.lib.*12.*cap.*17.*quæsito* 5. Lessius *lib.*2. *cap.*41. *dub.*13. *numero* 102. Sanctarellus *in tractat.de Apostasia cap.*3.*dubio* 2.*n.*17.& alij apud Alterium, Sanctarellum, & Sanchez *locis citatis*, contra Sylvestrum *excommunicatio.*9.§.54. *quæsito* 6. & *verb.Apostasia.*§.2. *vers.quod intelligo.* Nauarrum *in Manuali, cap.*27.*num.*131. Caietanum *in summa verb.excommunicatio casu* 61.Suarez *tom.*5. *disput.*31.*sect.*6. *num.*4. Filliucium *tract.*13.*num.*163.*& seq.*& alios, quorum opinio probabilis est.

Obiicies, recedens ab vna religione animo non redeundi, & in laxiori professionem faciens est Apostata, & inualidè profitetur. Ergo ligatur pœnis Apostatarum.

Respondeo inualidè quidem profiteri, sed non esse propriè Apostatam, cùm non habeat animum recedendi ab instituto religioso, consequenter non afficitur pœnis Apostatarum.Ita DD. citati, contra Suarez, & alios.

An autem hic ligetur excommunicatione, saltem tamquam desertor habitus suæ religionis, superiùs explicaui *q.*2.*punct.*2.*dub.*17.

QVARTA PROPOSITIO.

7 Assignatur subiectum suspensionis latæ contra Apostatas.

7 SVbiectum istius prohibitionis, seu suspensionis, sunt religiosi recipientes sacrum Ordinem in Apostasia. Ratio est, quia in præcitatis iuribus sermo est de Apostatis à religione. Apostatæ autem à religione sunt religiosi iam professi.

8 Monachi, & Abbatis nomine quinam intelligãtur.

8 Nomine Monachi *in cap. consultationi* intelligitur quilibet religiosus, & nomine Abbatis intelligitur religiosi superior. Ita Suarez *tom.*4.*de relig.lib.*3. *cap.*1.*n.*29. vbi ait hanc esse veriorem Doctorum sententiam.

Ratio est. Tum quia Summus Pontifex *in c.*2.*de postul.*declarat,in canone prohibente Monachum aduocatum esse, comprehendi Canonicum regularem,licet in canone expressa mentio fiat tantummodò de Monachis. Tum quia dispositio facta est intuitu religiosi status. Ergo cõprehendit omnes religiosos.Ita innuit Panormitan. *in c. quod Dei timorem, de statu monach.*Nauarr.*commentar.*3.*de regul.n.*41. Suarez *tom.*4.*de relig. libro* 3.*c.*1.*n.*29. & alij asserentes dispositionem etiam odiosam loquentem de Monachis extẽdi ad Canonicos regulares, quando fundamentum dispositionis tale est, vt Monachi, & Canonici regulares æquiparentur secundùm ius antiquum; legislator enim intendit eos omnes comprehendere,licet Monachos dumtaxat quasi materialiter nominauerit.

QVINTA PROPOSITIO.

9 Explicatur effectus suspẽsionis latæ cõtra Apostatas.

9 EFfectus istius prohibitionis,seu suspensionis est, impedire, seu suspendere executionem Ordinis tempore Apostasiæ suscepti, vt patet ex verbis *cap. consultationi*,initio citati.

Ex

Ex quo sequitur primò Apostatam posse vti Ordine susceptо ante Apostasiam, quia repellitur solùm ab executione Ordinis susceptі in Apostasia, nisi fortè alia cēsura sit obstrictus, de qua hìc nō loquimur, aut nisi abstinere debeat ob lethalem culpam nondum deletam, iuxta dicta de Sacramentis. Ita Sanchez *num.*24. Suarez *de censuris*, Alterius, & alij *locis citatis.*

Secundò Apostatam posse relicta Apostasia Ordines susсipere, & in eis ministrare, quia per pœnitentiam, & reditum ad pristinum statum tollitur hoc impedimentum, iuxta Suarez *de relig. tom.* 4. *lib.*3. *cap.*1. *nu.*28. & alios: textus enim loquitur de recipiente sacrum Ordinem in Apostasia.

1o Apostata, qui tēpore Apostasiæ sacrū Ordinem susсepit, non potest dimissa Apostasia ad superiorem Ordinem promoueri ante dispensationem Sūmi Pontificis.

1o Maior difficultas est, vtrùm Apostata, qui tempore Apostasiæ sacrum Ordinem susсepit, possit post Apostasiam ad alium superiorem Ordinem ascendere absque dispensatione.

Respondeo negatiuè. Tum quia suspensus ab executione minoris Ordinis, suspensus etiam est ab executione superioris Ordinis, vt suprà dictum fuit *num.*5. Ergo suspensus est etiam à susceptione maioris Ordinis: cum Ordines susсipiantur propter ipsorum exercitium. Tum quia quibus vetitum est minus, censetur etiam vetitum maius. *cap. cùm illorum, de sentent. excōmunic. cap. illud distinct.*95. *& l. qui indignus. ff. de senator.* ministrare autem in minori Ordine iam susсepto minus est, quàm superiorem Ordinem susсipere. Ita Panormitan. *in capit. final. num.*2. *de Apostasia*, Suarez *num.*3. Alterius *loco cit. dub.*2. *colum.*8. Cardin. Tabiena, Armilla, & alij apud Sanchez *in opere morali lib.*6. *cap.*8. *num.*22. & apud Sanctarellum *loco citato, num.*3. contra nonnullos Canonistas, teste Ioanne Andr. *hic*, Sanchez *loco citato, numero* 22. & Suarez *de censuris numero* 3. Et hæc à fortiori vera sunt in mea sententia, qua tueor Apostatam esse irregularem; irregularitas enim impedit susceptionem Ordinum, & illorum exercitium.

Verum tamen est, in sententia asserentium Apostatam non esse irregularē, sed suspensum ab executione sacri Ordinis susсepti in Apostasia, sublata suspensione Ordinis susсepti tempore Apostasiæ, non indigere alia dispensatione, vt ad superiores ascendat. Ratio est, quia impediebatur ordinē susсipere, eo quòd suspēsus esset ab executione susсepti, ex qua suspensione accessoriè consurgebat impedimentum susсipiendi maiores ordines; sublato autem impedimento principali, cessat etiam accessorium, vt benè Sanchez *num.*23. & alij.

SEXTA PROPOSITIO.

11 Absolutio suspensionis latæ cōtra Apostatas Summo Pontifici reseruata est.

11 ABsolutio, seu dispensatio in hac suspensione, seu potiùs impedimento canonico, pertinet ad Summum Pontificem: nam *in cap. consultationi*, habetur eum, qui sacrum ordinē susсepit in Apostasia, non posse in eo ministrare absque dispensatione Romani Pontificis, etiamsi religiosus suo Abbati reconciliatus fuerit, & receperit pœnitentiam.

An autem Apostata ligatus excommunicatione, suspensionem, vel irregularitatem incurrat susсipiendo ordines, & dispensationem obtinere possit ab Episcopo, explicatum est *disp.*3. *q.*1. *punct.*6. *de censuris in particulari.*

§. V.

An recipiens, seu detinens Apostatas censuram aliquam incurrat.

TRia breuiter in hoc puncto agam.

Primò, an detinens Apostatas censuram incurrat.

Secundò, quænam sit huius censuræ materia.

Tertiò, quódnam sit subiectum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Apostatā detinens quandōnā ligetur excommunicatione.

1 DEtinens Apostatas non videtur reus excommunicationis, in genere loquendo, nisi admonitus ab ordinario loci eum dimittere nolit, iuxta Pauli IV. constitutionem. Nam Paulus IV. *in Bulla* 14. quæ incipit, *Postquam diuina bonitas*, generaliter excommunicat omnes cuiuscumque gradus, & conditionis homines, qui recipiunt, seu nutriunt Apostatas, aut auxilium, consilium, vel fauorem præstant, ne redeant ad suum monasterium, domum, aliúmve locum regularem, si postquam ab ordinario loci, in quo degunt, admoniti à præmissis non desistunt. Hæc tamen excommunicatio iure communi reseruata non est.

2 Apostatā Ordinis Prædicatorum detinēs in suis monasteriis excommunicatione ligatur.

2 Addo detinentem in suis monasteriis Apostatas ordinis Prædicatorum excommunicatum esse, ex Bonifacij constitutione, testibus Sancto Antonino 3. *part. tit.*24. *cap.*7. & aliis, quorum testimonio & auctoritate in hac re nitor, cum Bonifacij constitutionem in Bullario non inueniam.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Affignatur materia istius excommunicationis.

3 MAteria primæ excommunicationis est retinere Apostatas, seu auxilium præstare, ne redeant ad suum monasterium post Episcopi admonitionem, vt patet ex dictis *num.*1.

Materia secundæ excommunicationis est detinere in suis monasteriis Apostatas ordinis Prædicatorum. Quis autem dicatur detinere, patet à simili ex supradictis in hac *quæst.*2. *puncto* 7. *num.*7. de iis, qui detinent religiosos in scholis post dimissum habitum.

TERTIA PROPOSITIO.

4 Affignatur subiectum istius excōmunicationis.

4 SVbiectum primæ excommunicationis sunt omnes & singuli, qui non dimittunt Apostatas, vel auxilium præstant, ne redeant ad suum monasterium post admonitionem Episcopi.

Subiectum secundæ excommunicationis sunt religiosi, quorum auctoritate Apostata in suis monasteriis detinetur.

Hinc sequitur religiosum, qui alloquitur, aut inseruit Apostatæ ordinis Prædicatorum, in monasterio iam commoranti, non affici excommunicatione, quia non dicitur detinere.

PVNCTVM XII.

De electis à religione, & pœnis ipsis impositis.

QVamuis electus à religione non dicatur formaliter contra clausuræ obligationem delinquere, cùm à superioribus emandetur; nihilominus cum à monasterio recedat, & extra monasterium constituatur ob præcedētia delicta, non abs re censui de hac re hìc agere. Quāobrem septem præcipuè explicāda propono. Primò vtrùm religiosus professus à religione expelli possit. Secundò vtrùm religiosus electus ob deprauatos mores teneatur eos corrigere vt iterum admittatur. Tertiò, vtrùm à votis, & oneribus religionis liber remaneat. Quartò, vtrùm ad aliam religionem transire possit, vel teneatur, vel cogi possit. Quintò, vtrùm sub obedientia Episcopi degere debeat, quamdiu in sæculo manet, & an habitum suæ religionis deferre possit. Sextò, quas pœnas incurrat. Septimò, ad quem pertineant bona, quæ religiosus à religione electus acquirit.

§. I.

Vtrùm religiosi professi à religone eiici possint.

EXplicabo primò, vtrùm religiosi absque causa expelli possint. Secundò ex causa, & quænam sit iusta causa expellendi.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Religiosus non potest absque iusta causa expelli à religione.

1 REligiosus non potest absque iusta causa expelli.

Ratio est, quia sicut religio ius in ipsum per professionem acquisiuit, ita ipse ius acquisiuit, vt à religione alatur, & sustentetur. Ergo expelli non potest sine graui causa; quilibet enim tenetur stare contractui.

Obiicies, in alma Societatis Iesu religione extat facultas ad libitum expellendi religiosos post biennij professionem. Ergo religiosus expelli potest absque iusta causa, alioquin institutio præfatæ religionis in hac parte damnanda videretur.

Respondeo primò, nullam religionem extare, quæ possit aliquem religiosum sine causa expellere. Quamuis enim præfata Societas id possit ex instituto religionis, id tamen interdictum est in constitutionibus.

Respondeo secundò, à casu particulari non posse conclusionem generalem inferri: sed de hac re infrà fusius agam.

Ex dictis sequitur primò superiorem, qui religiosum absque iusta causa expellit, grauiter peccare; facit enim contra ius religiosi in re graui.

Secundò sequitur præfatum superiorem teneri ad restitutionem damni, quod religiosus electus patitur; nam ex violatione iustitiæ cum damno alterius consurgit obligatio restituendi.

Tertiò religiosum iniustè electum posse monasterium cogere, vt se iterū ad religionē admittat, quilibet enim ius suum petere potest.

Quartò religiosum iniustè electum posse cōpellere monasterium, vt ipsum alat, & expensas ad litem necessarias conferat. Ratio est, quia ius habet, vt à monasterio alatur. Ergo petere potest alimenta, & ea quę ad sui sustentationem necessaria sunt. Et hoc verū est, etiamsi disputetur, an sit monachus; cùm enim in possessione existat recipiendi alimenta, non debet illis ante iudicis sententiam priuari. Ita Menochius *de præsumpt. lib.*1. *quæst.*35. *nu.*21. Surdus *de alimentis, tit.*1. *quæst.* 121. *n.*2. Sanchez *in opere morali lib.*6. *c.*9. *nu.*7. Sanctarell. *de Apostasia, c.*5. *dub.*2. *nu.*19. Molina *tom.*1. *de iust. disp.*140. *vers. quando religiosus*, Velasceus *tom.*1. *conf.*7. *nu.*3. Lancellot. Felinus, Boerius, & alij quamplures apud præcitatos Doctores.

2 Religiosus iniustè expulsus à religione an petere possit alimenta non solùm præterita, sed etiam futura.

2 Maior difficultas est vtrùm petere possit non solùm alimenta futura, verùm etiam præterita.

Respondeo posse quidem futura petere, vt patet ex allata ratione; non verò præterita, nisi fortè debitū contraxerit ad se alēdum. Ratio est, tum quia obligatio, qua monasterium alere tenetur religiosum, est subsidiaria; obligatio autem subsidiaria cessat cessante causa præstandi subsidij: tum quia pater, qui aliquo tempore filium non aluit, non tenetur ad restitutionem alimentorum, saltem in foro conscientiæ, nisi filius debita contraxerit ad se alendum; tunc enim pater tenetur saltem debitis satisfacere, cum ea loco alimentorum cesserint, & vtiliter in hac parte gestum fuerit negotium patris, qui filium alere tenebatur, vt docui *de legibus, disputat.*6 *quæst. vnica, puncto* 6. *§.*1. *num.*12. *& de contract. disput.*3. *quæst. vltima, puncto* 3. *num.*5. cum Vasquez, Pontano, Azorio, Molfesio, & aliis: tum quia id, quo monachus se aluit, erat monasterij, vt si quis eum aluit, animo donandi, vel si monachus se ipsum eleemosynis, vel ex acquisitis propria industria sustentauit; quicquid enim monachus acquirit, monasterio acquirit. Ergo monasterium ad restitutionem alimentorum non tenetur. Ita Surdus *loc. cit. tit.*5. *quæst.*1. *nu.*48. *& tom.*1. *quæst.*128. *nu.*10. Menoch. Sanchez, & alij *locis citatis.*

3 Religiosus an possit absque licentia superioris in iudicio comparere tamquam actor, vel reus.

3 Obiicies, religiosus non potest absque superioris licentia in iudicio comparere, vel tamquam actor ad agendum, vel tamquam reus ad se defendendum, quia nihil religiosus habet, mortuusque censetur, & seruo, ac filiofamilias comparatur, contra quos, vel pro quibus iudicium fundari non potest, *l. seruus, ff. de iudic. & l. lis nulla, eod. tit.* [ergo neque præterita, neque futura alimenta petere potest.]

Respondeo primò, in tali euentu religiosum sustinere personam in iudicio, iure naturæ id sibi permittente. Secūdò censeri adesse rationabilem superioris, vel saltem Summi Pontificis licentiam. Tertiò religiosum in præfato casu agere, non vt ei alimenta restituantur iure actionis, sed officio iudicis, qui ex officio tenetur suum cuique tribuere, vt benè Cardinalis *in Clem.*1. *de statu monach.* Sanchez *loco cit. num.*10. & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Expelli potest religiosus à religione iusta concurrente causa.

4 REligiosus potest iusta concurrente causa ob religionis vtilitatem à monasterio expelli. Ratio est, tum quia vulnera, quibus remedium applicari non potest, abscindi possunt. *cap. quia* 81. *distinctione*,

ctione; tum quia naturali lumine dictante bonum publicum præferendum eſt priuato. Si ergo communi religionis bono conducat religioſum eiicere, poteſt eiici: tum quia ſicut reſpublica purgari debet à ſordibus improborum hominum, illam inficientium *l.congruit.ff.de offic.Præſidis*: ita etiam religio: tum quia frangenti fidem fides ſeruanda non eſt, *c.frangenti,de regul..iur.in 6*. Sed religioſus improbus turpiter ſe gerendo frangit fidem, qua pollicitus fuerat regularem obſeruantiam. Ergo religio non tenetur illi fidem ſeruare, qua ſe obſtrinxerat ad illum in religione retinendum: tum quia reſecandę ſunt carnes putridæ, ne ſanas corrumpant, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda eſt, ne reliquas inficiat, vt benè S.Hieron.*epiſt. ad Galat.cap.* 5.S.Thomas *quodlibeto* 12.*art.vlt.*Rodriquez *quæſt.regul.tom.*5.*quæſt.* 30.*art.*13.Molina *de iuſt.diſp.*130.*verſ.de eiectis*. Nauar.*de reg.conſ.*77. *num.*1. Leſſius *lib.*2. *cap.*4. *dub.*14. *num.* 106. Sanchez *in opere morali lib.*6.*cap.*9.*nume.*3.Azor.1.*parte lib.*12.*cap.*16.*quæſ.*2. Miranda *in manuali tom.*1.*quæſt.*52.*art.*1.*concl.*1. Sanctarellus *de Apoſtaſia,cap.*4.*dub.* 1.Barboſa *in cap.ne religioſi,de regul.num.*5. & alij communiter contra Angel.*verb.Abbas,num.*13. Graffium 1.*part.deciſ.libr.*3. *cap.*5.*numer.* 145.& alios.

Sed modò tria ſuboriuntur dubia. Primum eſt, quænam ſit iuſta cauſa expellendi. Secundum, vtrum inſtitui potuerit religio, quæ poſſit aliquem ſine cauſa expellere. Tertium, ad quem pertineat facultas expellendi.

5Expellędi cauſa quænam iuſta cenſeatur.

5 Primum ergo dubium eſt, quænam ſit iuſta cauſa expellendi religioſum à monaſterio.

Reſpondeo iure communi iuſtam cauſam cenſeri incorrigibilitatem; ad hoc enim faciunt rationes allatæ in ſecunda propoſitione.

6 Incorrigibilis quiſnam dicatur.

6 Incorrigibilis cenſetur iuxta ſententiam plurimorum Doctorum, qui ter monitus adhuc perſiſtit in patrandis iiſdem, vel grauioribus, aut æqualibus delictis.

Alij illum vocant incorrigibilem, qui in eiſdem, aut æqualibus, vel grauioribus permanet delictis, nec vlla extat ſpes de illius reſipiſcentia, & emendatione. Ita Graffius 1.*part.lib.*2.*cap.*24.*numer.*19. Sanctarellus *loco cit.cap.*4.*dub.*2.*num.*6.Sayrus *lib.*5.*de cenſuris cap.*21. *num.*37.Sanchez *loc.cit.num.*4.& alij.

Ego verò arbitror, vt quis hoc tempore incorrigibilis ad effectum expulſionis, & eiectionis cenſeatur, non ſatis eſſe, vt in eiſdem, aut æqualibus, vel grauioribus delictis perſeueret; ſed præterea requiri, vt vno anno in carceribus probetur ieiunio, & pœnitentia, & ſi poſt huiuſmodi probationem non reſipuerit, ſed adhuc pertinaciter deprauatis moribus adhærere velit, incorrigibilis habeatur, & expellatur. Sic enim expreſsè ſancitum fuit à Sacra Cardinalium Congregatione de ſpeciali Summi Pontificis Vrbani VIII. mandato *die* 21. *Septembris anno* 1624. ibi:

Ad hæc, vt in poſterum è religionibus nullus legitimè profeſſus eiici poſſit, niſi ſit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè cenſeatur, niſi non ſolùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis diſpoſitione requiruntur, ſublatis hac in parte ſtatutis, & conſtitutionibus cuiuſque religionis, & Ordinis, & etiã à Sede Apoſtolicæ approbatis, & confirmatis. Verum etiam vnius anni ſpatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus: proindeq; vnaquæque religio priuatos habeat carceres in qualibet ſaltẽ prouincia. Elapſo autẽ anno, ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua peruicacia perſeuerauerit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida, ac membrum putre eiici tandem poſſit, ſed ab ipſomet Generali tantũ de conſilio, & aſſenſu ſex Patrum ex grauioribus religionis eligendis in ſingulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; tumq; non niſi inſtructo ſecundum eorum ſtylum, & conſtitutiones proceſſu, & plenè probatis cauſis expulſionis ad ſacrorum canonum præſcriptum.

Neque obſtant ſtatuta, conſuetudines, vel priuilegia quæcumque in contrarium, quia hæc in dicto decreto penitus reuocantur.

7 Expelli non poteſt religioſus, qui celato aliquo vitio profeſſionem validam emiſit.

7 Quæres primò, vtrum iuſtam expulſionis cauſam præbeat religioſus, qui profeſſionem emiſit, celato morbo, aut alio notabili vitio, quo cognito, ad profeſſionem admiſſus non fuiſſet; vt ſi morbo Gallico, aut alio graui defectu laborabat, ob quem ius irritam profeſſionem non reddit, vt ſuppono: ſuperiores tamen religionis, eo cognito, non admiſiſſent ad profeſſionem.

Reſpondent aliqui Doctores expelli poſſe, quia religionem in re graui decepit, conſequenter puniri poteſt pœna deceptioni accommodata, qualis eſt excluſio à religione, ad quam admiſſus non fuiſſet, eo vitio cognito. Ita Emanuel Sà *verb.religio, num.*34. Nauarr. Rodriquez,& Sorbus apud Sanchez *de matrim.lib.*7.*diſp.*37.*num.*55. & apud Barboſam *in cap.ne religioſi,par.*5.*de regul.*

Sed hoc ego non approbo. Tum quia licet huiuſmodi religioſus pœna dignus ſit ob deceptionem; nihilominus deceptio non eſt circa ſubſtantialia religionis, vt ſuppono, neque eſt tanti momenti, vt excluſionem poſtulet; religio enim eſt ſtatus perfectionis, à quo ſine graui cauſa excludi non debent, qui eum amplexi fuerunt: tum quia obſtat decretum Sacræ Congregationis, de quo dictum eſt in prima reſponſione. Ita Rodriquez *quæſt.regul.tom.*3.*quæſt.*17. *art.*9.& Sanchez *in opere morali lib.*5.*cap.*4.*n.*58.*& ſeq.*

8 Religioſus expelli non poteſt virtute priuilegiorum religioni conceſſorum, niſi priuilegia poſt decretum congregationis iterum cõfirmata, vel conceſſa fuerint.

8 Quæres ſecundò, vtrum religioſus poſſit aliis de cauſis præter incorrigibilitatem expelli virtute priuilegiorum.

Reſpondent nonnulli Doctores affirmatiuè.

Ideo aduertunt Pium Quintum Ordinis S. Hieronymi quoddam priuilegium conceſiſſe, quo Capitulum Generale, vel etiam priuatum poſſit fratres patrantes delictum, cui iure communi pœna mortis inferri ſolet, perpetuo carceri mancipare, vel ad triremes ad tempus, vel in perpetuum mittere, in aliis grauioribus, vel grauiſſimis delictis poſſe etiam priuationem habitus inferre.

Eodem priuilegio gaudent religiones, quibus communicata ſunt priuilegia. Ita Sanctarellus *loco citato*, Miranda *in Manuali quæſt.*2. *part.* 2. *tomo* 1. & alij apud Barboſam *loco citato*.

Ex quo patet, inquiunt, religioſum poſſe à religione expelli ob nefandum Sodomiæ vitium, propter homicidium, & conſimilia delicta, quia huiuſmodi delicta grauiſſima ſunt, & pœna mortis iure communi puniuntur.

Hoc tamen intelligendum eſt, niſi aliqua ſubſit cauſa, quæ delicti grauitatem minuat, vt ſi quis occidit inuaſorem vitæ, etiamſi fortè occiderit non ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ; aut ſi quis ex quadam pietate reum ad mortem damnatum è manibus iudicis eripuit. Quamuis enim huiuſmodi actio in foro externo morte puniatur, nihilominus digna non videtur pœna excluſionis à religione, dum affectu quodam pietatis præſtitam eſſe conſtat. Ita Rodriquez *tom.*1.*quæſt.*30.*art.*18.*&*19.

Ego verò non approbo dicta in hac reſponſione, quia priuilegia in decreto Congregationis reuocata ſunt, & non permittitur eiectio, niſi ob incorrigibilitatem, de qua ſuprà in primi dubij reſponſione.

9 Monialis non poteſt à monaſterio ob incorrigibilitatẽ eiici.

9 Obiicies primò contra dicta in ſecunda propoſitione; Monialis non poteſt ob delicta, licet enormia, è monaſterio eiici. Ergo neque vir religioſus.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia publico religionis bono expedit, vt Monialis à monaſterio non excludatur, vt *quæſt.*1. docui; publico verò religionis bono conducit vt religioſus incorrigibilis à religione excludatur: tum quia reliqui timore expulſionis in officio continentur: tum quia pars morbida, quæ reſecatur, ceteras non inficit.

Obiicies ſecundò, *c.fin.de regular.* ſuperiores religionum iubentur ſingulis annis Apoſtatas, fugitiuos, & eiectos ad monaſterium reuocare, ſi hoc fieri poſſit ſine ſcandalo; ſi verò ſine ſcandalo id fieri non poſſit, iubentur Prælati illos in aliis eiuſdem religionis locis collocare ad pœnitentiam ibi peragendam.

Reſpondent primò aliqui Doctores, illum textum intelligi de eiectis iniuſtè, defectu poteſtatis in dimittente, vel defectu legitimæ cauſæ, aut defectu Ordinis legitimi non ſeruati in dimiſſione alicuius. Ita Nauar.*conſ.*78. *de regul.*Azor.1.*par.lib.*12.*c.*17.*quæſ.*2. Rodriquez *tom.*1.*quæſt.*40.*art.*71.

Reſpondeo ſecundò illum textum contraria conſuetudine abrogatum fuiſſe; conſequenter ſuperiores religionum non tenentur hoc tempore iuſtè eiectos requirere, & ad religionem admittere: iniuſtè verò eiectos, Apoſtatas, & fugitiuos tenentur inquirere, & ad religionem admittere, impoſita pro modo culpæ pœnitentia; ſuperior enim religionis ſpirituali religioſorum ſibi ſubditorum ſaluti conſulere ex officio tenetur. Ita Sanchez *loco citato,num.*18.Azor.*loc. cit.quæſ.*1.

Obiicies tertiò, ſuperior tenetur religioſo ſibi ſubdito occaſionem peccandi auferre. Ergo non poteſt illum expellere, quia religioſus à monaſterio eiectus maiores habebit peccandi occaſiones.

Reſpondeo religioſum incorrigibilem non expelli, vt illi detur occaſio peccandi, ſed vt aliis religioſis peccandi occaſio ex ipſius conſortio auferatur, & aliquando licitum eſt peccatum alicuius permittere iuſta concurrente cauſa.

Dices huiuſmodi religioſum poſſe in monaſterij carcere peperuò iucludi.

Reſpondeo valdè oneroſum eſſe religioni aliquem in carcere abſque emendationis ſpe perpetuò detinere.

Obiicies quartò, monaſterium tenetur religioſum alere. Ergo non poteſt illum à monaſterio excludere.

Reſpondeo teneri alere quamdiu in monaſterio exiſtit, aut quamdiu iuſta de cauſa nõ expellitur; ſi verò iuſta de cauſa expellatur, monaſteriũ ab hoc onere liberatur. Sicut enim filio contumaci pater denegare poteſt alimenta. *l.aliud quoque, authent.vt cum de appell.cognoſ.* Ita religio denegare poteſt alimenta religioſo, qui iuſta de cauſa expulſus fuit. Ita Surdus *de alim.tit.*7.*quæſt.*35.*n.*1.Sanchez *loco cit.nu.*1. Sanctarellus *de Apoſtaſia,cap.*4.*dub.*1.*num.*2.

10 Religioſus ſemel eiectus, vel fugitiuus à quonam alendus ſit, ſi poſtea iterum admittatur nõ in eodẽ, ſed in alio monaſterio.

10 Rogabis, à quónam alendus ſit religioſus ſemel eiectus, vel fugitiuus; ſed poſtmodum ad eamdem religionem admiſſus, non quidem in eodem monaſterio, in quo profeſſus fuerat, ſed in alio.

Reſpondeo alendum eſſe à monaſterio, ad quod mittitur, ſi prima religio eſt bonorum incapax: cùm enim prius monaſterium nihil proprij habeat, non eſt cur ad alendum alium, in alio monaſterio exiſtentem, obligetur. Si verò religio capax eſt bonorum, alendus eſt à priori monaſterio, ſi religioſus dotem, ſeu hereditatem ei attulit; cùm enim præfatum monaſterium ſenſerit commodum dotis, ſeu hereditatis, par etiam eſt, vt incommodum expenſarum ſentiat. Si vtrumque monaſterium aliquid accepit, vtrumque tenetur aliquid conferre, & contribuere, vt per ſe patet. Si neutrum monaſterium quicquam accepit, alendus eſt à monaſterio, cui vtilis eſt; par enim eſt vt ab eo alatur, cui inſeruit. Si neutri vtilis eſt, nec vtrumque monaſterium partem contribuere poteſt; Capitulum generale proſpicere tenetur, quia ei generalis cura impoſita eſt. Vide Sylueſtrum *verb. Apoſtaſia, quæſito vltim.* Azorium *loco citato, quæſito* 3.Rodriq. *tomo* 3.*quæſtio.*25.*art.*2. Sanchez *loco citato*, *nu.*14.Barboſam *in cap.ne religioſi*, *num.*4.*de regul.* quæ ſuprà tradidi de tranſeuntibus ad aliam religionem §.4.*difficultate* 2.*numer.*2.*& ſeq.*

11 Religio, an inſtitui poterit cũ facultate expellendi religioſum abſque iuſta cauſa.

11 Secundum dubium eſt, vtrum laudabiliter, & ſine vllius iniuria inſtitui potuerit religio præclariſſimæ Societatis Ieſu, in qua Reuerendiſſimo Patri Generali libera facultas competit expellendi religioſos poſt biennij vota.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, tum quia ſcienti, & volenti nulla fit iniuria, *cap.ſcienti.de reg.in 6*. Patres autem Societatis, ſcientes, & volentes hoc grauamen, admittuntur ad profeſſionem: tum quia ſicut ſeruus poteſt ſe ipſum alteri in perpetuum vendere, domino ipſius traditionem acceptante, in quo caſu ſeruus eſt domino perpetuò deuinctus, & obligatus, licèt domino liberum ſit illum manumittere,

numittere, & libertatem ei concedere; ita religiosus potuit se religioni tradere, & obligare, relicta tamen religioni facultate illum dimittendi: tum quia multi contractus liciti claudicant, id est, non obligant ex vtraque parte, vt si minor cum maiore contrahat, potest minor beneficio restitutionis in integrum gaudere, non verò maior; si impubes sponsalia cum pubere contrahat, potest ipse adepta pubertate resilire, non verò pubes, ita iure disponente in fauorem minoris ætatis. Ergo etiam in fauorem religionis concedi potuit facultas religioni, vt professus illi obligetur, non verò religio ipsi professo; præsertim cùm par sit, vt religio, quæ magnam adhibuit curam in religioso instruendo, peculiare aliquod priuilegium, & commodum sentiat: tum quia licèt religio non obligetur vouenti ratione votorum, obligatur tamen ratione constitutionum, cùm religio ex vi constitutionum Societatis nequeat religiosum professum absque iusta causa dimittere; consequenter dum religiosus dimittitur, sua culpa dimittitur: tum quia illud instituti potuit, quod bono religionis conducit; bono autem religionis conducit hæc libera facultas, hoc enim pacto religiosi magis in officio continentur metu amandationis, & dimissionis: tum quia nulla in hoc casu inæqualitas reperitur, sed maius priuilegium, & exemptio ex parte electi; nam reliquæ religiones possunt religiosum incorrigibilem expellere, & nihilominus religiosus expulsus adhuc obstrictus remanet votis substantialibus religionis; religiosus verò à Societate dimissus, liber remanet ab obligatione votorum, ac si sui iuris esset, & numquam vouisset: tum quia huiusmodi religio iure meritò approbata fuit à Gregorio XIII. Pio V. & ab aliis Pontificibus, & à Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 16. de regular.* Ergo signum est ipsius institutionem laudabilem, & approbandam esse, alioquin Concilium, & Pontifices in re tanti momenti errassent, quod sine absurdo dici non potest. Ita Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 9. nu. 64.* Sanctarellus *de Apostasia, cap. 7. dub. 1.*

12 Religiosus Societatis congruenter peccat dando causam electionis.

12 Quæres primò, vtrùm religiosus Societatis Iesu grauiter peccet contra vota, committendo aliquos defectus, propter quos præuidet se dimittendum à religione.

Respondeo primò, si mediocrem diligentiam non adhibet ad euitandos præfatos defectus, mortaliter peccat, etiamsi huiusmodi defectus ex sua natura mortaliter peccaminosi non essent. Ratio est, quia qui obligatur ad finem, indirectè etiam obligatur ad capessenda, cum mediocri diligentia, media ad illum finem necessaria; huiusmodi medium est abstinentia à præfatis defectibus, vt suppono: tum quia, qui votum emisit grauiter peccat, reddendo se impotentem ad illius voti adimpletionem. Ergo etiam grauiter peccat religiosus, faciendo aliquid, quo præuidet se expellendum, & cõsequenter fieri impotentem ad id, quod vouerat, ob id religiosus importunè petens dimitti, & non curans mediocrem diligentiam adhibere ad se corrigendum ab iis defectibus, propter quos licitè expelli posset, grauiter peccat, quia non adhibet media ad voti adimpletionem necessaria, sed potiùs affectum, & animum habet obligationi voti contrarium.

Ex quo patet à fortiori huiusmodi religiosum grauiter peccare si peccatum aliquod perpetret, vt à religione amandetur, & dimittatur.

Respondeo secundò, si mediocrem diligentiam adhibet ad præfatos defectus præcauendos, non grauiter peccat, etiamsi occasione illorum animaduertat se à religione dimittendum. Ratio est, quia votum non obligat ad omnem conatum adhibendum ad ipsius adimpletionem, sed tantummodò ad mediocrem, vt docui de legibus, & de voto. Ita Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 9. num. 69. & seq.* & Sanctarellus *de Apostasia, cap. 7. dub. 2. num. 11.*

13 Religiosus Societatis liber remanet ab obligatione votorum, nisi per fraudẽ, vel peccata hac intentione commissa expulsus sit.

13 Quæres secundò, vtrùm religiosus Societatis Iesu liber maneat ab obligatione votorum, postquam à religione dimissus fuit. Ratio dubitandi est, quia religiosi aliarum religionum non liberantur à votis substantialibus, postquam à religione expulsi fuerunt. Ergo neque liberantur religiosi Societatis, cùm ipsorum religio sit approbata, nec ipsi validè queant matrimonium inire. His non obstantibus,

Respondeo religiosum Societatis post biennij vota dimissum, non teneri votis in religione emissis, modò dimissus non fuerit ob fraudem, vel ob peccata ad hunc finem perpetrata. Ratio est, tum quia votum non obligat vltra vouentis intentionem: sed religiosi Societatis Iesu, dum vota biennij emiserunt, intentionem habuerunt promittendi obedientiam, castitatem, & paupertatem, quamdiu in religione retinentur. Ergo non obligantur votis, postquam a religione dimissi fuerunt: tum quia votum sub conditione non obligat, nisi ea conditione adimpleta; vota autem biennij fiunt sub conditione, si retineantur, & non dimittantur. Ita Sanchez, & Sanctarellus *locis citatis.*

Obiicies, superiores religionis dimittentes aliquem, non habent facultatem dispensandi in votis religionis; sunt enim Summo Pontifici reseruata. Ergo dicta vota non cessant.

Respondeo primò, præfata vota non cessare ob dispensationem, sed ob tacitam conditionem, sub qua emissa fuerant, vt benè Sanchez *num. 62.*

Responderi posset secundò, huiusmodi vota cessare per dispensationem ex facultate generali concessa à Summo Pontifice. Cùm enim religio, & forma dimittendi hoc pacto approbata sit à Summo Pontifice, censetur etiam data facultas dispensandi in votis cum iis, qui à religione ob deprauatos mores dimittuntur. Sanctarellus *de Apostasia cap. 7. dub. 2. num. 10.* Sed prima responsio mihi magis probatur.

Dixi, *modò dimissus non fuerit ob fraudem, vel ob peccata hac intentione commissa, vt expelleretur*; nam si hoc pacto dimissus fuit, arbitror ipsum ab obligatione votorum liberum non remanere. Ratio est, tum quia illa dimissio, seu licentia irrita est, & inualida, vtpote per dolum dantem ipsi causam obtenta, licentia enim, seu condonatio obtenta per dolum dantem ipsi causam, inualida est, vt docui de matrimonio, & de contractibus: tum quia si religiosus vouisset recitare coronam singulis diebus, dum manet in religione, teneretur adhuc recitare, postquam fraudibus electus fuit, iuxta probabiliorem sententiam Lessij *lib. 2. cap. 40. dub. 15. num. 122.* & aliorum. Ergo, &c. Tum quia ita declaratum fuit in Congregatione generali Societatis Iesu, *decreto 18. §. 4.* Ex quo sequitur huiusmodi religiosum dimissum per dolum, non esse tutum in cõscientia; sed esse Apostatam, & pœnis Apostatarum, iuxta priuilegia Societatis Iesu, subiici, vt benè Sanchez *num. 67.* quicquid aliqui in oppositum sentiant.

Ex quo licet inferre præfatos religiosos ita electos non esse tutos in conscientia, sed teneri iterum ad monasterium redire, detecta fraude, quam commiserant, vt eicerentur; adhuc enim sunt veri religiosi; consequenter tenentur vota religionis adimplere, & fraudem detegere, & aperire Prælato, vt iterum recipiantur. Si verò fraudo manifestata Prouinciali, ad religionem non admittantur, ex tunc desinunt esse veri religiosi, quia tunc censentur dimissi: quamuis enim solus Generalis dimittat, nihilominus Prouincialis ex causa, quæ ei iusta videbitur, potestatem habet non admittendi semel dimissum; consequenter approbandi, & ratam habendi præcedentem dimissionem.

14 Eiectus à religione per fraudẽ ab ipso electo cõmissam non tenetur quidquam religioni restituere.

14 Rogabis, vtrùm dimissus per fraudem quam ipse religiosus adhibuit, vt dimitteretur, teneatur aliquid religioni restituere.

Respondeo negatiuè. Ratio est, tum quia huiusmodi restitutio non est in vsu: tum quia religiosus non tenebatur, sicut seruus, ex iustitia laborare in commodum, & vtilitatem monasterij; sed religioni deuinctus erat ex voto obedientiæ, quod est actus religionis; ex violatione autem actus religionis non oritur obligatio restituendi, sed ex violatione iustitiæ. Ita Sanchez *loco citato, num. 71.* P. Nauarrus, Vasquez, Sotus, Lessius, & alij, quos retuli de contract. *disp. 2. quæst. 1. puncto vnico, num. 6.* Idem à fortiori militat in eo, qui defectus suos non correxit, præuidens se ob illos dimittendum.

15 Eiiciendi facultas cuinam cõpetat.

15 Tertium dubium est, ad quem pertineat facultas expellendi.

Respondent Doctores statim citandi, consulenda esse in hac parte religionum priuilegia, & si natura rei spectetur, asserunt hanc facultatem competere Generali, aut Prouinciali de consensu maioris partis Conuentus, iuxta priuilegia Alexandri VI. & Pij V. de quibus Rodriquez *tom. 1. quæst. 30. art. 16. & 17.* & Sanctarellus *de Apostasia, cap. 4. num. 3. & seq.*

Ego verò arbitror hoc tempore ex decreto Sacræ Congregationis ex speciali auctoritate Summi Pontificis edito, facultatem expellendi religiosos pertinere solùm ad Generalem de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus religionis, seruata forma, quam explicaui *punct. 1. dub. 1.* non obstantibus in contrarium constitutionibus, statutis, consuetudinibus, vel priuilegiis, tam in iure, quàm extrà, sub quibuscumque formis, etiam in limine fundationis concessis, vt apertè habetur *in præfato Congregationis decreto.*

§. II.

Vtrùm religiosus electus teneatur se corrigere, & ad religionem redire.

VNICA PROPOSITIO.

1 Religiosus electus tenetur se corrigere, vt iterum admittatur.

1 RElegiosus à religione electus tenetur suos deprauatos mores corrigere, & emendare, vt iterum in religionem recipiatur. Ratio est, tum quia fidem in professione datam obseruare tenetur; in professione autem fidem dedit religiosè viuendi: tum quia commodum ex suo delicto referre non debet: tum quia quamdiu deprauatos mores suos non corrigit, per ipsum stat, ne votum perseuerantiæ in religione adimpleat. Ita Sairus, Graffius, Lessius, Reginaldus, & alij *locis proximè citandis.*

Ex quo licet inferre huiusmodi religiosum iustè perpetuò electum teneri petere, vt iterum in monasterium admittatur, vt patet ex allatis rationibus. Ita Sairus *in Claui Regia lib. 10. cap. 9. num. 25. & 27.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 2. art. 5. in solut. ad tertium.* Arragon. 2. 2. *quæst. 88. art. 3. vers. hucusque diximus*, Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 15. num. 115.* Sanctarellus *de Apostasia, cap. 5. dub. 1. num. 8.* Sanchez *in opere morali libr. 6. cap. 9. num. 25.* Reginaldus *lib. 18. num. 419.* & alij, quos retuli *de legibus disp. 4. quæst. 2. puncto 5. num. 25.* omissis quamplurimis aliis, quos præcitati Doctores adducunt, contra Rodriquez *in summa 2. part. cap. 95. num. 11.* Emanuelem Sà *verb. religio, num. 40.* Azorium *1. part. lib. 12. cap. 17. quæst. 1.* & alios arbitrantes religiosum iustè in perpetuum electum liberari à potestate superiorum, neque teneri ad religionem redire, etiamsi à superioribus religionis redire cogatur.

2 Electus à religione si iterum recipiatur, admittendus non est in eodem loco.

2 Quæres, vtrùm religiosus electus si ad religionem iterum redeat, admittendus sit in eodem loco, & gradu, quem antea obtinebat.

Respondeo negatiuè, quia cùm delictum commiserit, puniri potest priuatione gradus, & dignitatis. Imò priuationem istam iam contraxerat per expulsionem, nec sufficiens ratio afferri potest, cur ad priorem locum admitti debeat. Ita Nauarr. ex parte *consil. 79. de regul.* & Rodriquez *tom. 1. quæst. 30. artic. 29. ad finem.* An autem post correctionem admitti possit ad dignitates, constat à simili ex dictis *de Apostatis.*

§. III.

Vtrùm religiosus electus eximatur à votis, & oneribus religionis, quamdiu in sæculo manet.

VNICA PROPOSITIO.

1 Religiosus professus tenetur

1 RElegiosus professus à religione electus, tenetur vota religionis substantialia seruare. Ratio est, tum quia adhuc est

ſeruare vota religionis ſubſtãtialia.

religioſus profeſſus, ob id ſi ad religionem redeat, nouam profeſſionem facere non tenetur, vt benè Rodriquez *tom.1.quæſt.regular.q.30. art.29.circa medium*, Sanchez *in opere morali lib.6.cap.9.num.33.* Sanctarellus *de Apoſtaſia cap. 6. dub.1.num.2.ad finem*, contra Nauar.*conſ.* 80. *in fine, de regul.* Tum quia obligatio voti eſt perſonalis, conſequenter ſequitur perſonam vbicumque exiſtat; ſicut eſt votum recitandi Roſarium ſingulis diebus, & ſimilia: tum quia ſi obligatio votorum ſubſtantialium ceſſat, vel ceſſat ob commutationem, vel per diſpenſationem; non per commutationem, quia aſſignari non poteſt id, in quod commutantur; neque per diſpenſationem, quia votum ſolemne religionis commutari non poteſt à Prælato Papa inferiore. Imò neque Papa diſpenſat, niſi graui de cauſa ob commune bonum: tum quia perſpicuum eſt apud omnes, religioſum electum obſtrictum remanere voto caſtitatis; conſequenter inualidè matrimonium contrahere; ergo etiam aliis votis ſolemnibus obſtrictus remanet; cùm par ſit omnium ratio: tum quia par non eſt, vt quis ob ſuum delictum commodum reportet; hic autem cõmodum reportaret, nempe exemptionem à votis, contra *cap. 1. de poſtul. Prælat. & cap. ſedes Apoſtolica, de reſcriptis.* Tum quia religioſus factus Epiſcopus, licèt eximatur à regulari obſeruantia, non tamen liberatur à tribus votis ſubſtantialibus, vt ſuprà dictum fuit. Ergo multò minus eximitur, & liberatur electus ob ſua delicta. Ita Molina *tom.1.de iuſt. diſp.14.verſ. quando verò, & verſ. quoad votum.* Suarez *tom.5. diſp.21.ſect.1. nu.20.* Azor.1.*part.lib.12.cap.17.quæſ.2.* Rodriquez *loc.cit.art.29.* Vaſquez 1. 2.*quæſt.69.art.4.diſp.165.num.87.* Sanchez *loc.cit.num.27.* Barboſa *in cap.ne religioſi,nu.12.de regul.* Sanctarellus *loc.cit.cap.6.dub.1.num.1.* & alij apud præfatos Doctores, contra Rodriquez *in ſumma 2. parte cap. 95. num. 11.* Toletum *lib. 4. cap. 18. num.1.* Emanuelem Sà *verb. religio, num. 40.* & alios, aſſerentes non teneri voto obedientiæ, vel etiam paupertatis.

Hinc ſequitur primò præfatos electos teneri ad trium votorum obſeruantiam, etiam poſtquam admitti petierunt, ſed eis denegata fuit redeundi facultas; militant enim eædem rationes, quamuis multi Doctores oppoſitum ſentiant de voto paupertatis, & obedientiæ. Verum tamen eſt, non teneri ad paupertatem, & obedientiam eo pacto quo in religione tenebantur. Cùm enim ſuperior illos eiiciat, nec velit illis neceſſaria ad victum miniſtrare, cenſetur illis facultatem dare vt ſibi meliori, quo poſſunt, modo conſulant.

Præterea cùm ſuperior illos expellat, & curã illorum deponat, videtur illos à regulari obſeruantia ſubtrahere, & in eo ſtatu conſtituere, quo ſui quaſi iuris exiſtant, propterea poſſunt habere patrimonium, ne mendicare cogantur. Quamuis enim dominium ratione voti paupertatis habere non poſſint, poſſunt tamen habere vſum patrimonij ad ſui ſuſtentationem, ne mendicare cogantur, ex Nauarr. *conſ.84.de regular.* Rodriquez *tom.1.quæſt.30. art.24.* & Sanchez *loco citato, num.59.* vbi etiam aſſerunt poſſe beneficium habere. Sed hoc ego, generaliter loquendo, non admitto, vt dicam §. 6.

2 Electus expendens aliquid inutiliter nõ peccat cõtra paupertatis votũ, iuxta ſententiam nonnullorũ Doctorum.

2 Præterea ſi religioſi, poſtquam electi fuerunt, aliquid inutiliter expendant, aut ad actus turpes, & inhoneſtos, vt in meretrices, inſumant, non peccant contra paupertatis votum, iuxta valdè probabilem nonnullorum Doctorum ſententiam, Molinæ *tom.2.diſp.276. verſ.quod ad ceteros*, Leſſij *lib.2.de iuſt.cap.41.dub.15.num.113.* Sanchez *in opere morali lib.6.cap.9.num.47.* Sanctarelli *de Apoſtaſia cap.6.dub.2. num.11.* Valerij *verb.munera, num.27.* & aliorum, contra nonnullos alios. Ratio eſt, quia electis in perpetuum permittitur, dum viuunt, adminiſtratio bonorum, ac ſi religioſi non eſſent, & illorum bonorum dominium haberent: tum quia vſu, & experientia ita comprobatum eſt; religio enim, à qua electus fuit, nullam de huiuſmodi bonorum adminiſtratione curam habere conſueuit. Ex quo licet inferre accipientem aliquid inter viuos à religioſo electo non teneri ad reſtitutionem, etiamſi acceperit ad illicitos, & turpes actus, quia licèt religioſus electus, non ſit verè dominus bonorum, nec poſſit quicquam tamquam proprium ſibi acquirere, perinde tamen ſe habet, ac ſi verè dominus eſſet. Ita præcitati Doctores.

Dices, religioſus electus perinde ſe habet, ac ſi dominus eſſet, poſſet etiam de bonis teſtari, cùm par ratio videatur.

Reſpondeo negando poſſe teſtari, quia verè dominus non eſt, & licèt dum viuit perinde ſe habeat, ac ſi dominus eſſet bonorum, quæ poſſidet, & iuxta Sanchez *num.45.* & alios, contra Sairum *lib. 6. cap. 9.* & alios, poſſit diuitias accumulare; non tamen permittitur teſtari, cùm re ipſa dominus non ſit. Ita Leſſius *loc.cit.* Molina *diſp.277. verſ. quod ad ceteros*, Sanchez *num.46.* Sanctarell. *loc. cit.* Rodriquez *tom.1. quæſt.30.art.26.ſub finem.*

Ad quem autem pertineant bona, quæ monachus electus acquirit, conſtabit ex dicendis §.7.

3 Electus à religione tenetur redire, ſi à ſuperiore petatur.

3 Secundò ſequitur præfatum religioſum electum ſi à ſuperioribus petatur, vt ad monaſterium reuertatur, teneri redire, & ad id cogi poſſe, vt patet ex allatis rationibus. Quamuis enim ſuperior eiiciendo religioſum, curam illius deponat, non tamen iuri ſuo cedit, quin poſſit illum ad religionem repetere, & ad hoc cogere.

Dices, religioſus electus cogere non poteſt religionem, vt ſe ipſum iterùm admittat. Ergo neque religio poteſt illum cogere, vt redeat; hæc enim correlatiua videntur.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia ſententia expulſionis lata fuit in fauorem religionis expellentis, & in odium, & pœnam religioſi delinquentis; conſequenter par non eſt vtriuſque ratio, vt benè Rodriquez *tom. 1. quæſt. 30. artic. 20. ad finem.* Azor. *loco citato, quæſito* 2. Sanctarellus *de Apoſtaſia cap.5. dub.1. num.9. &* 18. Sanchez *loco citato, num.32.* contra Molinam *loco citato, verſ. quod ad votum*, Leſſium *lib.2.cap.41.dub.15. num.112.* & alios.

4 Religioſus electus tenetur vota ſubſtantialia ſeruare, etiãſi

4 Tertiò ſequitur religioſos, qui aliquod votum vltra tria ſubſtantialia in religione expreſsè emiſerunt, teneri ad illorum obſeruãtiam, etiam poſtquam à religione expulſi fuerunt, vt ſunt religioſi Minimi, qui quartum votum abſtinentiæ quadrageſimalis emittunt, aut illi religioſi, qui expreſsè vouent opus vacandi redemptioni captiuorum. Nam ratio, quæ militat in illis tribus votis ſubſtantialibus, militat etiam in hoc quarto, cùm omnia æquè principaliter, & expreſsè emittantur. Contraria tamen opinio probabilis eſt, quam ſequitur Vega *in ſumma 2.part. cap.86. caſu 16.* & Sanchez *loco citato, nu.56.* quorum ratio eſt: tum quia ſuperuenit mutatio notabilis, qua præuiſa quartum illud votum non emiſiſſent: tum quia quartum illud votum non emittitur principaliter, & intuitu ſui, ſed tamquam quid acceſſorium tali ſtatui religioſo, & tamquam aliquid faciens ad feliciorem illius religionis ſtatum conſeruandum. Verùm hæ rationes idem probant de reliquis votis, à quorum obligatione cùm electus non eximatur, vt probatum fuit in ſecunda propoſitione, dicendum quoque eſt non eximi à quarto illo voto, quamquam oppoſita ſententia, vt dixi, probabilis eſt.

votum aliquod emiſerit vltra tria conſueta.

5 Religioſus Societatis Ieſu non tenetur votis poſtquam electus fuit à religione.

5 Obiicies primò contra dicta, electus à Societate poſt vota biennij liber remanet ab obligatione votorum, ac ſi non vouiſſet. Ergo etiam liber remanet electus ab alia religione, cùm par ratio videatur, & profeſſus in Societate poſt vota biennij, ſit verè religioſus, & matrimonium inualidè contrahat.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia reliqui religioſi vouent abſolutè; religioſus verò Societatis poſt biennium non emittit vota abſolutè, ſed ſub conditione, ſi à religione non expellatur, vt dictum fuit §.1. *dub.2.* quamobrem Vaſquez 1. 2. *quæſt. 96.art.4.diſput.165.cap.8.num.91. & ſeq.* putat religioſum à Societate Ieſu expulſum liberum à votorum obligatione remanere. Sanchez verò *lib.6.cap.9. num. 75.* putat huiuſmodi vota non ceſſare quidem, ſed ſuſpenſa remanere quamdiu expulſus extra Societatem manet; conſequenter dum in ſæculo manet, non tenetur ex quarto voto circa miſſiones obedire Pontifici præcipienti ipſum adire infideles ad ipſorum conuerſionem procurandam, quia huiuſmodi votum cenſetur emiſſum habita ratione ſtatus religioſi, non verò ſæcularis. Opinio Sanchez mihi probatur: alioquin dicendum eſſet religioſum à Societate electum noua profeſſione indigere, ſi iterum admittatur.

Obiicies ſecundò, religioſus expulſus per ſententiam expulſionis deſinit eſſe membrum religionis. Ergo non tenetur ad onera, ad quæ tenentur membra religionis; ſicut ſeruus à domino manumiſſus, & expulſus, fit ſui iuris, nec priori domino amplius obedire tenetur.

Reſpondeo religioſum non abſolutè eximi, & liberari ab oneribus religionis, cùm adhuc religioſus remaneat; ſeruus verò liberè manumitti, & expelli poteſt; conſequenter fit ſui iuris.

Obiicies tertiò, monaſterium per ſententiam expulſionis ceſſit iuri, quod in religioſum habebat. Ergo religioſus expulſus factus eſt ſui iuris, conſequenter vinculo obedientiæ non tenetur obedire, dum ad religionem reuocatur.

Reſpondeo monaſterium non ceſſiſſe omnino iuri ſuo, ſed ſolùm ſe eximiſſe ab onere ipſum alendi, & cuſtodiendi in pœnam ſuorum delictorum.

Obiicies quartò, res iudicata ſeruanda eſt, *l. res iudicata, ff. de regul. iur.* ſed cauſa religioſi electi iudicata fuit per ſententiam expulſionis in perpetuum à religione. Ergo ſeruanda eſt; ergo reuocari non poteſt ad religionem, vel ſi reuocatur, non tenetur obedire.

Reſpondeo iudicatum non fuiſſe religioſum abſolui ſimpliciter ab oneribus religionis, cùm ab illis abſolui non poſſit à ſuperiore religionis.

Obiicies quintò, ſi religioſus electus non eximitur ab obligatione obedientiæ, & paupertatis, neque eximitur ab aliis votis, vel præceptis annexis regulari obſeruantiæ, vt ad ieiunium feria ſexta, iuxta præſcriptum religionis Ordinis S. Franciſci, & ad alia religionis onera, & vota: ſed in ſententia multorum Doctorum eximitur ab aliis votis, & religionis præceptis. Ergo etiam à voto paupertatis, & obedientiæ.

Reſpondeo, iuxta communiorem, & probabiliorem ſententiam, huiuſmodi religioſos in perpetuum electos non teneri ad huiuſmodi vota, ſeu regulares obſeruantias, quia ſunt onera conſequentia ſtatum monaſticum, & religioſum; qui autem in monaſtico, & religioſo ſtatu non exiſtit, non tenetur ad illius onera. Sicut enim qui votum fecit capeſſendæ religionis, non tenetur ad illius onera, nondum aſſumpto ſtatu religioſo; ita neque ad illa tenetur, qui ſtatum religioſum ſuſcepit, ſed ab illo expulſus fuit: tum quia religioſus profeſſus per ſe, & immediatè ſolum promiſerat tria vota ſubſtantialia; reliqua verò conſecutiuè ſolùm, & acceſſoriè, poſito ſtatu monaſtico, & regulari; cùm autem ab eo ſtatu deponatur, deponi etiam videtur ab obligatione regularis obſeruantiæ, quæ talem ſtatum conſequitur, & comitatur, vt benè Nauarr. *conſ.78. num. 2. de regular.* Leſſius *loco citato*, Arragon. 2.2.*quæſt.55.art.3. verſ. Hucuſque diximus*, Sanchez *lib.6.cap.9. nu.52.* Rodriquez *tom.1. quæſt.30. art.20.* Sorbus *verb.eiicere, in fin.* Emanuel Sà *verb. religio, num. 40.* Sanctarellus *de Apoſtaſia cap.6.dub.3.num.15.* & alij, contra Sylueſtrum *verb. religio 6. quæſt.17.* Angelum *eodem verbo num.4.* & alios. Idem ſentiendum arbitror non ſolùm de electis per iuſtam ſententiam, verùm etiam de electis per iniuſtam, ſiue ſit iniuſta materialiter defectu cauſæ, ſiue formaliter defectu iudicij. Ratio eſt, tum quia militat in omnibus eadem ratio: tum quia exemptio à regulari obſeruantia non pendet à iuſtitia, vel iniuſtitia expellentium, ſed ex ſtatu, in quo electus conſtituitur, mutato ſtatu regulari, vt benè Sanchez *num. 57.* An autem religioſus electus teneatur ad horas canonicas, patet ex dictis de horis canonicis *punct. 2. num. 3.* cum Soto, non teneri, quia conſtituitur in ſtatu, in quo non eſt conſuetudo recitandi diuinum Officium, niſi forte religioſus electus Ordine ſacro inſignitus ſit, vel beneficium habeat; quamuis Nauarr. *cap.7. de orat. num.19.* Zuarez, Leſſius, Azorius, & alij, quibus adde Rodriquez *tom.1.quæſt.30. art. 20. ſub finem*, putant electum ad penſum canonicarum precum teneri. Vide quæ tradidi de horis canonicis *loco citato.*

6 Electus ad tempus tenetur regulas obſeruare eo modo, quo poteſt.

6 Dixi in reſponſione iſtius quartæ obiectionis, *religioſos in perpetuum electos*, quia ſi non ſunt electi in perpetuum, ſed ad tempus, vt

vt ad triremes, sed non in perpetuum, verius, & in praxi tutius est teneri ad regulares obseruantias, ea ratione, qua eas commodè seruare possunt. Ratio est, quia sunt verè membra religionis, nec sunt à religione electi, sed ad tempus in pœnam criminum relegati. Ergo adhuc tenentur oneribus religionis, quæ ibi commodè obseruare possunt, instar aliorum religiosorum, qui iusta de causa de superioris licentia à monasterio absunt. Ita Sanchez *loco citato, num.* 58. Suarez, Lessius, Azorius, & alij, quos retuli de horis canonicis *loco citato.*

§. IV.

Vtrùm religiosus electus, ad aliam religionem transire valeat, teneatur, vel cogi possit.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Religiosus electus, & iam emẽdatus, potest ad aliam religionem etiã laxiorem transire, si desperat fore, vt ad primam iterum admittatur.

1 RElegiosus electus, qui iam emendatus est, sed desperat fore, vt ad primam religionem admittatur, potest propria auctoritate absque vlla licentia aliam ingredi æquè perfectam, vel etiam laxiorem. Ratio est, tum quia sicut adulter, si postquam resipuit, gratiam reconciliationis ab altero coniuge innocente petiit, sed non obtinuit, potest religionem ingredi, nec ab innocente reuocari poterit, facta professione, vt docui de matrimonio; ita religiosus in perpetuum electus, si post emendationem petiit iterum admitti, & non fuit admissus, potest, quam velit, religionem ingredi, & facta professione non potest amplius à prima reuocari, quia secundæ acquisitum est ius per professionem, sibique prima religio imputare debet, quòd illum ante professionem non reuocarit, & admiserit: tum quia religiosus in perpetuum electus, est quasi suo iuri relictus, nec prior religio præsumitur bono ipsius obesse; sed melius est homini religionem ingredi, quàm in sæculo manere; ergo religionem ingredi potest. Ita Nauarr. *cons.* 78. *nu.* 2. *de regular.* Emanuel Sà *verb. religio, nu.* 40. Armilla *verbo religio, nu.* 15. Sanchez *in opere morali lib.* 6. *cap.* 9. *nu.* 36. Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 22. Sanctarellus *de Apostasia cap.* 5. *dub.* 1. *num.* 15. & alij contra Tabienam *verbo religio, quæsito* 25. & Angelum *eodem verbo num.* 42. asserentes requiri licentiam Prælati prioris religionis, vt ad æqualem, vel laxiorem licitè transeat, & contra Suarez 3. *parte, tom.* 5. *disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 20. & alios docentes ingredi non posse absque Summi Pontificis licentia.

Obiicies, Gregorius XIII. in bulla, quæ incipit, *Cùm alias felicis recordationis*, concessit priuilegium Patri Generali Societatis Iesu, vt electis à sua religione facultatem cõcedere valeat aduolandi ad aliam religionem, & communicationem istius priuilegij denegauit. Ergo signum est religiosum alterius religionis electum, posse solùm de licentia Papæ ad æqualem, vel laxiorem religionem transire; non verò propria auctoritate, aut de licentia solùm prioris Prælati. Respondeo hoc esse peculiare priuilegium Societatis, vt Pater Generalis facultatem dare valeat quibuscumque electis à sua religione, vt de licentia ipsius Patris Generalis transire possint ad aliam religionem, quam facultatem quibuscumque electis dare non posset absque priuilegio Papæ; non tamen hinc sequitur electos in perpetuum ab aliqua religione non posse etiam ad laxiorem transire, si emendati ad priorem non admittantur, seu desperent fore vt admittantur, hic enim est casus particularis; priuilegium verò Societatis est generale, & complectitur quoscumque electos.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Religiosus electus non tenetur aliam religionem ingredi.

2 RElegiosus in perpetuum electus non tenetur aliam religionem ingredi, si prior illum nolit iterum admittere, nisi fortè electus fuerit sub hac conditione, vt ad aliam transiret. Ratio est, tum quia religiosus, cuius religio omninò extincta esset, non teneretur aliam religionem ingredi. Ergo neque electus à religione: tum quia tenetur ad id, quod promisit, sed promisit, seu professus est hanc religionem, non verò aliam, vel in genere; ergo non tenetur ad aliam transire. Ita Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 140. *vers. quod ad votum.* Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 20. Sanchez *loco citato, num.* 34. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. *num.* 111. Sanctarellus *de Apostasia cap.* 5. *num.* 12. Azor. 1. *parte lib.* 12. *cap.* 17. *quæsito* 2. Barbosa *in cap. ne religiosi, num.* 9. *de regular.* & alij, contra Syluestrum *verb. religio* 6. *quæsito* 12. Tabienam *eodem verb. num.* 26. Angelum *verb. religiosus num.* 41. & alios, asserentes huiusmodi religiosum teneri ad aliam transire.

Dixi, *nisi fortè electus fuerit cum hac conditione, vt ad aliam transiret*; nam si hoc pacto electus fuit, tenetur ad aliam transire, quia tenetur adimplere conditionem, quam promisit: si verò ad aliam religionem non transeat, tenetur redire ad primam. Tum quia non fuit a prima liberè, & absolutè electus, sed sub conditione. Quamdiu ergo per ipsum stat ne conditio adimpleatur, deuinctus remanet primæ religioni. Tum quia sic in simili præcepit Pius V. in priuilegiis Societatis IESV *verb. Apostata* §. 9. Vide Sanchez *loco citato, num.* 43.

TERTIA PROPOSITIO.

3 Religiosus electus cogi non potest ad ingressum in aliam religionẽ.

3 RElegiosus electus cogi non potest ab eiiciente, vel à Pontifice, vt ad aliam religionem transeat. Ratio est, tum quia religio est status perpetuus, sicut est matrimonium: sed nullus cogi potest ad matrimonium ineundum. Ergo neque ad religionem; status enim perpetuus voluntariè, & sponte, non coactè assumi debet. Tum quia religiosus non potest cogi, nisi ad id, quod ipse promisit; sed non promisit nouam religionem. Ergo non tenetur ad nouam religionem. Ita Doctores statim citandi.

Dices, huismodi religiosus detineri potest in arcto monasterio in pœnam delictorum. Ergo à fortiori cogi potest ad religionem.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est; quia dum detinetur in monasterio, id fit in pœnam, & vindictam præteritorum criminum; pœna autem imponitur inuito, professio verò religionis spontanea, & voluntaria esse debet. Ita Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 23. *ad finem*, Sanctarellus *cap.* 5. *num.* 12. Lessius *loco cit. nu.* 114. Sanchez *loco citato, nu.* 42. Barbosa *loco citato, num.* 9. contra Sotbum *verb. eiicere*, & alios apud Sanctarellum *de Apostasia cap.* 5. *num.* 4.

§. V.

Vtrùm religiosus à religione electus teneatur obedire Episcopo, aut ei se præsentare, & habitum suæ religionis deferre.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Religiosus electus non tenetur ex vi voti obedire Episcopo, sed tamquã subditus illius.

1 RElegiosus electus à religione non tenetur ex vi voti obedire Episcopo. Ratio est, quia ex vi voti tenetur solum ad id, quod in professione promisit; in professione autem non promisit obedientiam Episcopo. Addo neque teneri se Episcopo præsentare, illique significare se à monasterio electum. Tum quia id non promisit in professione. Tum quia praxis est in contrarium. Tum quia nulla afferri potest ratio ad ostendendam istam obligationem. Ita Rodriquez, Molina, Sanchez, Sanctarellus, & alij, contra Nauarr. *consil.* 77. *& seq. de regular.* Sotbum *verb. eiicere*, & alios apud Barbosam *in cap. ne religiosi num.* 11.

Concedo tamen teneri obedire Episcopo, tamquam subditum iurisdictioni illius, in cuius diœcesi habitat; nam Episcopus generalem habet iurisdictionem in eos, qui in sua diœcesi habitant, nisi aliqui sint peculiari priuilegio exempti; huiusmodi autem priuilegio non gaudent electi à religione, cum religio illos expellat, & priuilegio religionis priuare intendat. Ita Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 30. *artic.* 25. Molina *loco citato*, Azor. 1. *parte lib.* 12. *cap.* 16. *quæsito* 11. Sanchez *loco citato, num.* 29. Lessius *num.* 114. Sanctarellus *de Apostasia cap.* 6. *dub.* 1. *num.* 3. quamuis *num.* 17. cum Nauarro, & Miranda putat remanere subiectum Episcopo originis. Probabile tamen est teneri ex vi voti obedire Summo Pontifici. Tum quia sicut ex vi voti tenetur obedire Prælato religionis præcipienti, vt ad religionem redeat; ita multo magis tenetur Summo Pontifici, qui est Prælatus religionis, & cui religiosus specialiter, & expresè obedientiam vouere solet. Tum quia religiosus factus Episcopus tenetur Summo Pontifici ex vi voti obedire, vt concedunt communiter Doctores, quamuis priuilegio subtrahatur à regulari obseruãtia. Ergo multo magis tenetur religiosus qui à regulari obseruantia subtrahitur, in pœnam, & odium criminum. Contrarium docet Sanchez *loco citato, num.* 29. de religioso electo.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Electus à religione quandonã habitum religionis deferre possit.

2 RElegiosus electus à religione, si priuatus fuit habitu, non potest illum deferre, quia sententiæ iustæ obedire tenetur; si verò cum habitu expulsus fuit, tenetur illum deferre. Ratio est, tum quia adhuc est religiosus. Ergo habitum religionis deferre tenetur, nisi illo in iustam suorum criminum vindictam priuatus fuerit. Tum quia religiosus creatus Episcopus tenetur habitum suæ religionis deferre, vt superiùs docui, quamuis à regulari obseruantia priuilegio Papæ eximatur. Ergo à fortiori religiosus electus tenetur illum deferre, cùm à regulari obseruantia expellatur in pœnam delictorum. Tum quia par non est, vt commodum reportet ex suo delicto. Tum quia sententia condemnatoria non operatur effectus in ea non expressos. Ita Reginaldus, Lessius, Molina, Clauis Regia, & Azorius, quos retuli *de legibus disput.* 4. *quæst.* 2. *puncto* 5. *num.* 25. quibus adde Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 30. *artic.* 27. *& tom.* 2. *quæst.* 23. *artic.* 6. *circa medium*, Sanchez *loco citato, num.* 55. Sanctarellum *de Apostasia cap.* 5. *dub.* 1. *num.* 14. Barbosam *loco citato, num.* 3.

Dices, Religiosus electus à religione eximitur ab iis, quæ ad regularem obseruantiam pertinent; delatio autem habitus ad regularem obseruantiam pertinet.

Respondeo delationem habitus non esse quid consequens religiosum statum, sed quid præuium, & prærequisitum, & à Papa in genere præceptum; nam religiosi in genere iubentur habitum deferre, nec illum absque debita facultate dimittere possunt; alioquin iure communi excommunicationem incurrunt, vt superiùs docui. Confirmatur ex dictis de religioso ad Episcopatum assumpto, quem Papa eximit à regularibus institutis, non autem à delatione habitus suæ religionis.

§. VI.

Vtrùm electus à religione promoueri possit ad Ordines, vel ab iis suscipiendis, vel exercendis suspensus remaneat.

TRia principaliter explicabo in hoc §.

Primò, an electus è religione suspensus sit.

Secundò, quem effectum pariat ista suspensio.

Tertiò, à quo auferri possit. Deinde nonnulla subiiciam, ad hanc rem spectantia.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Electus à religione suspensus est ab exercitio Ordinum.

1 RElegiosus à religione electus suspensus est; nam ita sancitum fuit à Sacra Cardinalium Congregatione de facultate Summi Pontificis Vrbani VIII. die 21. Septembris 1624. ibi, *Item & electi extra religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum.*

2 Nouitius electus nõ est suspensus.

2 Sed modò dubium est, primò an hoc militet in nouitio ob delictum electo.

Respondeo negatiuè. Tum quia Sacra Cardinalium Congregatio loquitur de religiosis electis; nouitius autem nondum est religiosus,

ſus, licèt fortè religioſorum priuilegiis fruatur, dum in monaſterio degit. Tum quia ſicut nouitij impunè ſua ſponte exeunt; ita etiam impunè eiici poſſunt.

3 Eiectus non remanet ſuſpenſus ſi iterũ recipiatur, vel ad aliã religionem tranſeat.

3 Secundò dubium eſt, vtrùm religioſus eiectus, ſi iterum recipiatur, vel ad aliam religionem tranſeat, eximatur ab hac cenſura.

Reſpondeo eximi, quia Summus Pontifex loquitur de religioſis degentibus extra religionem. Et hoc verum videtur, etiamſi tranſeat ad laxiorem, aut etiamſi nouum ineat, & peragat nouitiatum: hic enim non dicitur degere extra religionem.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Aſſignatur effectus iſtius ſuſpenſionis.

4 ISta ſuſpenſio repellit ab exercitio Ordinum, vt patet ex verbis Sacræ Congregationis ſuperiùs citatis. Nomine autem Ordinum hoc in loco probabilius cenſeo non ſolùm intelligi maiores, verùm etiam minores, quia Sacra Congregatio abſolutè loquitur.

Hinc ſequitur primò, eiectum à religione incidere in irregularitatem celebrando, aut functiones ſacrorum Ordinum exercendo, quia violat cenſuram per exercitium Ordinis ſacri.

An autem idem valeat in eo, qui functiones minorum Ordinum exercet, diſſenſio eſt inter Doctores, de qua re ſufficienter egi *de cenſuris in genere diſp.7.quæſt.2.punct.5.num.1.*

Secundò, ſequitur eiectum à religione non poſſe beneficium recipere, cui adnexus ſit aliquis Ordo, ſeu functio Ordinis; ſuſpenſus enim ab exercitio Ordinum ſuſpenditur etiam à beneficio, cui Ordo adnexus eſt, vt patet ex dictis *de cenſuris in genere.*

Tertiò, eiectum à religione non poſſe ad ſuperiores Ordines aſcendere. Tum quia cui vetita eſt functio Ordinis, vetita etiam eſt illius ſuſceptio, cùm Ordines ſuſcipiantur vt exerceantur. Tum quia non habet titulum, ad quem promoueatur; titulus enim religionis ipſi non ſuffragatur, cùm eiectus à religione, ab ipſa alendus non ſit, vt bene Sanchez *lib.6.cap.9.num.59.*

TERTIA PROPOSITIO.

5 Suſpenſio lata contra eiectos reſeruata eſt Summo Pontifici.

5 ABſolutio, aut moderatio iſtius ſuſpenſionis Summo Pontifici reſeruata eſt. Ratio eſt, quia in præfato Sacræ Congregationis decreto dicitur, *ſublata ordinariis locorum facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi, aut moderandi.*

6 Eiectus à religione quandonã fit irregularis.

6 Quæres primò, vtrùm eiectus à religione non ſolùm ſit ſuſpenſus, verùm etiam irregularis.

Reſpondeo etiam irregularem eſſe, ſi delictum commiſit, cui adnexa ſit irregularitas, vt ſi delictum grauiſſimum, & notorium commiſit, cui adiuncta ſit infamia, & irregularitas, poſita delicti notorietate.

7 Eiectus à religione non poteſt ad mortem damnari à ſuperioribus religionis.

7 Quæres ſecundò, vtrùm eiectus à religione poſſit ad mortem pro delicto condemnari.

Reſpondeo à ſuperioribus religionis non poſſe ad mortem condemnari; Eccleſiaſticis enim vetitum eſt cauſam ſanguinis exercere, vt docui de irregularitate. Aduertit tamen Rodriquez *tom.1. quæſt.30.art.28.* poſt Caſſaneum, & alios, huiuſmodi eiectos puniri poſſe pœna mortis à foro ſæculari. Sed hoc ego, generaliter loquendo, non approbo, niſi fortè fuerint degradati, & curiæ ſæculari traditi; nam ipſorum iudicium ad Eccleſiaſticos iudices ſpectare videtur, ſiue attendatur tempus, quo delictum commiſerunt, ſiue ſpectetur tempus quo à religione eiecti, cum clericali habitu ſub Epiſcopi obedientia conſtituti ſunt, & ad alicuius Eccleſiæ ſeruitium deputati, iuxta Tridentini decretum. Vide tradita *in expoſitione Bullæ Cœnæ diſp.16.punct.5.&6.*

§. VII.

Ad quem pertineant bona, quæ religioſus à religione eiectus acquirit.

VAriæ ſunt in hac re Doctorem ſententiæ.

1 Affertur prima ſententia docens præfata bona ad monaſteriũ pertinere.

1 Prima eſt, aſſerentium pertinere ad monaſterium, à quo eiectus fuit. Ratio eſt, tum quia monaſterium in hac parte iuri ſuo non ceſſit. Tum quia par non eſt, vt monaſterium ius ſuum amittat ob delictum religioſi expulſi. Ita Molina *tom.1. de iuſtitia diſput.140. verſ.quoad votum*, Leſſius *lib.2.cap.41.dub.15.nu.110.* & alij, quorum opinio probabilis eſt; quamuis oppoſitum doceat Nauar. *comment.2.num.33.de regul.* Sanchez *in opere morali lib.7.cap.33.num.26.* Azor. *1.part.lib.12.cap.16.q.9.* quia monaſterium poſt iuſtam eiectionem nullam cum præfato religioſo communionem habet: eatenus autem religioſus acquirit monaſterio, quatenus communionem cum ipſo habet. Verum ad hanc rationem reſponderi poſſet, eiectum à religione acquirere religioni, quia adhuc illi ſubiicitur, & ab ea reuocari poteſt, nec ipſa iuri ſuo ceſſit, licèt bonorum adminiſtrationem ei permittat.

2 Aſſignatur ſecunda ſententia docens pertinere ad Eccleſiam, ſeu Epiſcopũ.

2 Secunda ſententia eſt aſſerentium, acquiſita ab eiecto pertinere ad Eccleſiam, ſeu Epiſcopum, inſtar bonorum vacantium. Ita Nauar. *comment.2.de regul.nu.33.* Sairus *in Claui regia lib.6.cap.9.nu.28.* Sanctarellus *de Apoſtaſia cap.6.dub.2.nu.6.* Sanchez *loco cit. nu.28.* & alij. Sed hęc opinio mihi non probatur, quia cùm illa bona dominum habeant, nempe monaſterium, ſi illorum bonorum capax eſt, vocari non poſſunt bona vacantia, vel derelicta.

3 Proponitur tertia ſententia ſuſtinens bona religioſi eiecti poſt mortẽ pertinere ad Cameram Apoſtolicam.

3 Tertia ſententia eſt affirmantium acquiſita à religioſo expulſo iure nouo pertinere poſt religioſi obitum ad Cameram Apoſtolicam: ſic enim ſtatuit Gregor. XIII. in motu proprio, incipit, *Officij noſtri.* Ita Azor. *tom.2.lib.8.cap.3. quæſito 15.* Rodriquez *tom.3. quæſt.30. art.26.* Sanchez *in opere morali lib.7.cap.33.num.9.* Sanctarellus *de Apoſtaſia cap.3.nu.23.* & alij apud Barboſam *in cap. ne religioſi, num. 15. de regular.*

Hæc tamẽ intelligẽda ſunt, modò religioſus eiectus, extra religionem obierit; nam ſi ad primam religionem rediit, bona ipſius pertinent ad illam religionem: ſicut etiam probabile eſt ad illam pertinere dominium bonorum, dum religioſus eiectus viuit, etiamſi in ſæculo degat, vt docet prima ſententia.

Si verò ad aliam tranſiuit, in eaque profeſſionem emiſit, bona ipſius pertinent ad ſecundam religionem; nam per profeſſionem tranſeunt cum illo bona, & quæ monachus acquirit, monaſterio acquirit, modò monaſterium capax ſit. Si verò ſit incapax, dominium pecuniæ, & aliorum bonorum, quæ religioſo incapaci (vt ſunt religioſi S. Franciſci) in eleemoſynam tribuuntur, pertinet ad Summum Pontificem, *cap.exiit, qui ſeminat, de verbor.ſignific.in 6.* & præſertim ex conſtitutionibus Martini V. & Pauli III. Ita Sanchez *lib.7.cap.18.num.21.& cap.33.nu.28. & ſeq.* Rodriquez *tom.2.quæſt.125.* Sanctarellus *num.7.* Vide Rebellum *1.part.lib.1.quæſt.7.ſect.4.num.33.* Azor. *1.part.lib.12.cap.16.quæſito 9.* Sanchez *lib.6.cap.9. & lib.7.cap.18.& 33.* Sanctarellum *loco citato, num.7.* Molinam, Leſſium, & Reginaldum, quos retuli *de legibus diſp.4.quæſt.2.punct.5.num.2.* & quæ ſuprà tradidi *de Apoſtatis §.3.num.5.* & de effectibus, quos parit tranſitus ab vna religione ad aliam. An autem eiectus à religione liberam habeat, dum viuit, bonorum adminiſtrationem, poſſitque acquiſita ad ſuum libitum expendere, conſtat ex dictis *de largitione munerum regularibus vtriuſque ſexus interdicta, & in hoc punct.4.§.3.num.2.*

QVÆSTIO III.

De prohibitione, & pœnis contra accedentes, vel frequentantes monaſteria Monialium impoſitis.

VT gradatim in iſtis difficultatibus explicandis progrediar, antequam de violatione clauſuræ per ingreſſum in monaſteria Monialium agam, cenſui agere de prohibitione accedendi, vel frequentandi prædictarum Monialium cœnobia. Quamuis enim ſolo acceſſu ad monaſteria Monialium clauſura non violetur, nihilominus quia plures extant conſtitutiones non ſolum iuris communis, verùm etiam Conciliorum Synodalium, quarum cognitio ad praxim maximè conducit, non abs re eſſe duxi, conſtitutiones, & diſpoſitiones ſaltem iuris communis acceſſum prohibentes breuiter, & dilucidè explicare. Synodales quilibet in ſua Prouincia conſulere poterit. Quamobrem hic quinque explicabo.

Primò, quid ſit acceſſus.

Secundò, quænam perſonæ prohibeantur ad monaſteria Monialium accedere.

Tertiò, quam culpam committant accedentes.

Quartò, quam pœnam incurrant.

Quintò, quo pacto poſſit quis à culpa, & pœna excuſari accedẽdo.

PVNCTVM I.

Quid ſit acceſſus ad monaſterium.

VNICA PROPOSITIO.

1 Quid nomine acceſſus ad monaſteriũ intelligatur.

1 ACceſſus ad monaſterium eſt ille actus, quo quis ſe transfert, aut transferri finit ad monaſterium: hoc enim eſt ad aliquem locum accedere, iuxta communem loquendi modum.

2 Ex nominis ſignificatione nonnulla inferũtur.

2 Hinc ſequitur primò illum, qui cogitauerat ſe ad monaſterium transferre, & ob id iter inchoauit, ſed mutata voluntate aliò profectus eſt, aut aliqua de cauſa ab inchoato itinere deſtitit, non poſſe dici ad monaſterium accedere, vel acceſſiſſe: aliud enim eſt inchoare iter cauſa acceſſus, aliud re ipſa accedere, & verba cum effectu intelligi debent. *l.1.§.hæc verba.ff.quod quiſque iuris, & l.quoties.ff.qui ſatiſd.cog.& cap.ſi à iudice, de appellat.*

Secundò ſequitur, illum, qui domum monaſterio contiguam habet, & è feneſtra ſuæ domus Monialem alloquitur, non dici ad monaſterium accedere; quia non dicitur ſe ad monaſterium transferre, cùm ibi exiſtat: acceſſus enim indicat motum ad aliquem locum; ſicut receſſus ſignificat motum ab aliquo loco. Ita Graffius *lib.1. deciſ. cap.13.nu.23.* quem ſequitur Homobonus *de caſibus reſeruatis punct.2.caſu 5.pag.295.*

Tertiò ſequitur illum, qui obtenta licentia accedendi ad monaſteria Monialium, & loquendi cum aliqua, aliam data occaſione alloquitur, non facere contra præceptum, quo prohibetur acceſſus; quia præceptum eſt de non accedendo. Secus ſi præceptum alicubi ſit de non loquendo, niſi fortè acceſſus, & locutio copulatiuè prohibeantur, vt re ipſa aliquibus in locis iure ſpeciali copulatiuè prohibentur, & illorum abſolutio reſeruatur.

Quartò illum non dici accedere qui famulum, vel ancillam, aut alium ad monaſterium tranſmittit; aliud enim eſt perſonaliter ire, aliud alium mittere; famulus verò, aut alius, qui mittitur, dicitur accedere, & pœnis accedentium afficitur, niſi iuſta de cauſa excuſetur, vt ſi alioquin graue incommodum pateretur, non accedendo. Ita Graffius *part.1.conſil.22.de ſentent.excommunic. num.35.* & Homobonus *loco citato verſic.4.* vbi à caſu reſeruato (in iis ſcilicet locis, in quibus acceſſus, & locutio reſeruantur) excuſant famulum iuſſu domini munera deferentem, vel loquentem cum Moniali; quia qui iuſſu iudicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia neceſſitatem parendi, & obediendi habet. *l.non videtur.§.qui iuſſu.ff.de regul. iur.* Verum hæc ratio minus probat, & caſui noſtro accommodari tantùm debet, dum is, qui mittitur, graue incommodum pateretur non obediendo, aut dum aliqua pœna imponitur contra præſumentes accedere.

3 Nomine monaſterij, cuius acceſſus interdicitur, non intelligitur monaſterium materialiter ſumptũ, ſed ipſæ Moniales.

Hinc patet à fortiori conſentientes. & cooperantes ad alterius acceſſum non affici pœnis accedentium, cum ipſi non accedant, vt ſupono; ſunt tamen rei eiuſdem culpæ, vt patet ex regulis generalibus traditis de peccatis.

3 Sed modò dubium eſt, quid nomine monaſterij, cuius acceſſus interdicitur, intelligatur.

Reſpon-

Respondent Panormit. *in cap. monasteria num. 3. de vit. & honest. cleric.* Hostiensis *ibidem num.* 1. Imola *ibid. num.* 1. & alij nomine monasterij intelligi non solum ipsas Moniales, verùm etiam ipsummet locum materialem, in quo Moniales degunt; hoc enim pacto verba in propria significatione accipiuntur.

Ex quo sequitur accedentem, seu frequentantem monasteria materialiter accepta, subiici pœnis impositis contra accedentes, vel frequentantes: etiamsi non alloquatur, vel non inspiciat Moniales, vel ab ipsis non inspiciatur.

Sed mihi probabilius dicendum videtur nomine monasterij intelligi ipsasmet Moniales. Ratio est, tum quia *in cap. periculoso*, loco monasterij dicitur, ad Moniales, ibi, *nulli pateat ingressus, vel accessus ad Moniales.* Tum quia accipitur contentum pro continente; alioquin sequeretur illum, qui causa intuendi exteriorē monasterij pompam, & ornatum, aut causa audiendi sacrum, ad monasterium accedit, subiici pœnis contra accedentes, vel frequentātes impositis, quod à benigna Summi Pontificis mente alienum videtur. Is ergo dicitur ad monasterium accedere, qui ad eum locum se transfert, vt Moniales alloquatur, inspiciat, vel ab illis inspiciatur. Ita Nauarr. *commentar. 4. de regul. num. 61. versic. 5.* Innocentius *in cap. monasteria cit.* Sanchez *in opere morali lib. 6. c. 16. n. 112.* Rodriquez *tom. 1. quæst. 45. art. 2.*

Ad rationem in contrarium patet responsio ex dictis.

PVNCTVM II.

Quænam personæ prohibeantur ad monasteria Monialium accedere.

VNICA PROPOSITIO.

1 Omnibus interdictū est accedere ad monasteria Monialiū.

1 OMnibus tam laicis, quàm clericis, & regularibus interdictum est iure communi ad Monialium monasteria accedere, & illa frequentare. Quòd vetitum sit omnibus accedere patet, tum ex *cap. periculoso, de statu regular. in 6.* vbi cauetur, ne quis absque speciali facultate, & sine rationabili, & manifesta causa ingrediatur, vel accedat ad monasteria Monialium. Tum ex *cap. monasteria, citando*, in quo sermo est de laicis, & clericis, vt infrà explicabo. Tum ex decreto Sacræ Congregationis infrà adducendo, in quo peculiaris extat prohibitio contra religiosos ad monasteria Monialium accedentes, & ex *cap. 10. actione 18. quæst. 2.* quod est Concilij Hispalensis II. *cap. 11.* vbi religiosus ab accessu remouetur, & superioribus cum Moniali loquentibus cautela, seu forma seruanda præscribitur.

2 Multo magis interdictum est illa frequentare.

2 Ex quo patet à fortiori vetitum esse monasteria Monialium frequentare. Ratio est, tum quia sine accessu monasterium frequentari non potest. Tum quia sic apertè decernitur *in cap. monasteria, de vita, & honest. clerc.* ibi, *Monasteria Sanctimonialium si quispiam clericus sine manifesta, & notabili causa frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur, & si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis: si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni.*

3 Nomine Clericorū non veniūt religiosi, aut Clerici in dignitate constituti.

3 Verùm circa hunc textum obserua primò in eo mentionem fieri de laicis, & clericis, non verò de religiosis; nam in materia odiosa, & pœnali nomine clericorum non veniunt religiosi; imò neque veniūt Episcopi, aut alij Clerici in dignitate constituti, vt Prælati, aut Canonici Ecclesiæ Cathedralis. Ratio est, quia hi speciali nota digni sunt, nisi fortè verba simpliciter ita generalia sint, vt ad quoslibet extendantur. Ita Panormitanus *rubrica de vit. & honest. clericorum num. 4.* Angelus, Syluester, & alij apud Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 15. num. 74.* omissis iis, quos ego retuli *de censuris in genere*, & alibi.

An autem fratres Minores peculiarem habeant prohibitionem non accedendi ad monasteria Monialium, videri potest apud Rodriquez *tom. 1. quæst. 4. art. 4. & seq.* & apud Mirandam *in tract. de Monialibus quæst. 4. art. 2.*

Obserua secundò in præcitato textu primo loco vniuersaliter prohiberi accessum. Secundò interdici frequentationem, id est, sæpiùs repetitum accessum: frequentia enim multiplicatum accessum denotat.

4 Quotuplex accessus requiratur, vt quis monasterium frequentare dicatur.

4 Rogabis quid per frequentiam adeundi monasteriū intelligatur. Respondent multi DD. binum accessum sufficere ad inducendam frequentiam; actus enim geminati consuetudinem inducunt. *cap. 3. in fine. C. de Episcopali audientia.* Ita Glossa *in cap. monasteria, verb. frequentare, de vit. & honest. clericorum.*

Alij verò id iudicandum relinquunt arbitrio prudentis viri. Ita Nauarr. *comment. 4. num. 61. de regul.* Hostiensis *cap. monasteria num. 2.* Rodriquez *tom. 1. quæst. 45. artic. 4.* Sanchez *loco citato, num. 111.* Miranda *in tract. de Monialibus quæst. 4. art. 1. sub finem*, Lamas *in methodo curationis in append. §. 4.* Campanil. *in diuersis canonic. iur. rubric. 12. cap. 16. num. 40.* Barbosa *de offic. Episcop. 3. part. alleg. 102. num. 70.* & alij. Quamobrem illum ego censerem monasterium frequentare, qui bis vna die, aut ter tribus diebus, aut quater in eadem hebdomada, aut semel singulis hebdomadis, vel mensibus. Secus si quater in anno, seu semel singulis tribus mensibus.

5 Non est interdictū vniuersaliter iure cōmuni litteras Monialibus scribere.

5 Obserua tertiò, in præcitatis iuribus interdictum non esse litteras ad Moniales scribere. Verum quidem est in aliquibus diœcesibus iure speciali vetitum esse, ne quis litteras ad Moniales mittat, vel scribat; sicut etiam Gregorius XIII. sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda interdicit aliquibus religiosis, ne litteras Monialibus sui Ordinis scribant. Nihilominus communis, & vniuersalis prohibitio non extat contra scribentes, vel mittentes litteras.

6 Illi, quibus sub cēsuris interdictum est litteras

6 Rogabis vtrum illi, quibus interdictum est litteras Monialibus scribere, seu mittere, incurrant pœnas scribentibus impositas, si litteræ scriptæ in via intercipiantur, aut alia ratione ad Moniales non perueniant. Ratio dubitandi est, primò, quia litteræ censentur scriptæ, etiamsi ad manus illius, ad quem ex mente scribentis dirigebantur, non perueniant; ergo satis est litteras fuisse scriptas, etiam si non perueniant. Secundò, quia pœnæ incurruntur posito effectu, seu fine intrinseco, qui verbis exprimitur; etiamsi non adsit effectus extrinsecus, (hic enim non est materia legis, seu prohibitionis, vt pluribus docui *in tract. de legibus;*) sed scriptio est effectus intrinsecus; ergo pœnæ contra scribentes impositæ incurruntur, scriptis litteris, sed nondum delatis. Tertiò, quia si lata esset excommunicatio aduersus scribentes contra immaculatam Beatæ Virginis Mariæ conceptionem, is, qui scriberet, statim excommunicationem incurreret; etiamsi illius scripta à nullo viderentur, & legerentur; ergo, &c.

Monialibus scribere, non incurrunt censuras, nisi ipsæmet litteræ ad Moniales perueniant.

His non obstantibus, probabilius dicendum videtur, pœnas impositas contra scribentes alicui litteras, non incurri, nisi litteræ ad illum, ad quem scriptæ sunt, perueniant. Ratio est, tum quia hæc videtur mens, & intentio superioris scribere prohibentis; parum enim refert characteres componere, & litteras scribere, nisi perueniant. Tum quia licèt effectus extrinsecus, regulariter loquendo, non cadat sub prohibitionem, nec sit illius materia, sed potiùs finis; nihilominus sub prohibitionem cadit, & illius materia censetur, quoties superior illum expressè, vel tacitè petit, argumento *l. 1. si Barsatoram. C. de fideiussoribus*, vbi habetur illum, qui promisit iudici latronem inuenire, non satisfacere, nisi latronem captum iudici exhibeat. Ita Nauarr. *lib. 5. de sent. excomm. consil. 19.* Sanchez *loco citato nu. 117.* Rodriquez *tom. 1. quæst. 45. art. 3.* Miranda *in tract. de Monialibus quæst. 4. art. 5.* & alij, quos in simili retuli de excomm. lata contra scribentes Cardinalibus in conclaui existentibus.

Hinc patet scribentem Monialibus litteras, quæ ad ipsas non peruenerint, pœnis non affici, etiamsi aliquis Monialibus ore detulerit, quæ in litteris continebantur. Ratio est, quia hoc pacto litteræ non dicuntur ad Monialem peruenire, sed solùm indicatur, quid in litteris contineretur. Ita Sanchez *loco citato*, contra Nauarrum *loco citato.*

Ad primam rationem in contrarium respondeo litteras non censeri completè scriptas ante delationem, cùm nondum adsit effectus, quem superior intendit.

Ad secundam respondeo, ad incurrendas in præfato casu pœnas, exigi effectum extrinsecum, vt superiùs probaui.

Ad tertiam, neganda est consequentia. Ratio disparitatis est; quia materia illius prohibitionis esset ipsa sola scriptura voluntariè facta, vt suo loco docui, dum illam excommunicationem explicarem.

PVNCTVM III.

Vtrùm accessus ad monasteria Monialium sub mortali vetitus sit.

VNICA PROPOSITIO.

1 Accessus ad monasteria Monialium inducit graue culpam, nisi paruitas materiæ excuset.

1 ACcessus ad monasteria Monialium sine licentia, & causa, videtur sufficiens ad lethalem culpam, nisi ratione paruitatis materiæ, vel alterius circumstantiæ, de quibus infrà, excusetur. Ratio est, quia hæc est natura legis, vt in materia graui sub mortali obliget, vt docui *in tract. de legibus*, cum Soto, Valentia, Becano, & aliis. Idemque in terminis tradunt Rodriquez *tom. 1. q. 45. art. 4.* Homobonus *2. part. casu 5. vers. 4. ad finem*, Lamas *in methodo curationis in appendice §. 4.* Miranda *in manuali de Monialibus quæst. 4. artic. 1.* contra Nauarrum *in manuali cap. 25. num. 10.* vbi etiam dubitat de culpa veniali, Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 10. nu. 26. & 27.* & contra Sanchez *loco citato, num. 120.* existimantem eum, qui frequentat, grauem culpam non committere, nisi ab Episcopo monitus non desistat; quia ante monitionem non tenetur abstinere ab accessu sub pœna excommunicationis, vel suspensionis. Verùm hæc ratio supponere videtur accedentem ante monitionem nulla ratione peccare, quod est contra ipsum Sanchez, existimantem peccare venialiter. Quamobrem ante monitionem Episcopi tenetur sub culpa, ob dispositionem *cap. periculoso, de statu regul. in 6.* post monitionem verò non solum tenetur sub culpa, verùm etiam sub pœnis. *cap. monasteria, de vita, & honest. cleric.*

An autem paruitas materiæ, vel consuetudo in contrarium excuset, patebit ex dicendis §. 5.

PVNCTVM IV.

De pœnis contra frequentantes monasteria Monialium.

PRimo loco explicabimus pœnas contra laicos.
Secundò contra Clericos.
Tertiò contra religiosos.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quas pœnas incurrant laici frequetantes monasteria Monialium.

1 COntra laicos, sine manifesta, & notabili causa frequentantes monasteria Monialium, fertur excommunicatio commina-toria, quam solo frequenti accessu non incurrunt, nisi ab Episcopo moniti vt desistant, nolint ab accessu desistere. *cap. monasteria, de vita, & honest. clericorum*, ibi, *si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni*, id est, si post monitionem accedant, excommunicatio contra ipsos feratur, & excōmunicati declarentur, id enim significare videntur præcitata verba, iuxta Panormitan. Ancharanum, & alios *in præcitato cap.* vel dic illa verba esse synonyma, & particulam, &, accipi declaratiuè, pro, id est: sæpius enim contingit illam particulam coniunctiuā declaratiuè vsurpari. *l. 1. ff. de pactis*, Gonzalez *ad regulam 8. regul. 3. nu. 9. & seq.* Cenedo *pract. quæst. sing. 50. nu. 6. & 12.* Panorm. Hostiensis, & alij *in cap. monasteria* quibus adde Gutierez *lib. 3. quæst. pract. quæst. 13. nu. 61.* & Barbos. *de dictionibus, dict. 93. nu. 7.* asserentes dictionem, &, positam inter duo, quorū vnum alteri inest, ambo in vnum resolui, & vnum esse, velut adiectionē alterius.

An verò excommunicatio ab Episcopo lata contra accedentes ad mona-

monaſteria quælibet etiam exempta, aut alloquentes Moniales, incurratur ab eo, qui ad exempta monaſteria accedit, vel Moniales in monaſterio exempto alloquitur.

Reſpondeo, ſolutionem conſtare ex dictis *de cenſuris in genere diſp. 1. quæſt. 1. punct. 11.* vbi docui accedentem affici excommunicatione lata in accedentes. Ratio eſt, quia licèt locus exemptus ſit à poteſtate Epiſcopi, vt ſuppono, & conſequenter patrantes delicta in eo loco non ſubiiciantur pœnis ab Epiſcopo latis: nihilominus excommunicatio lata contra accedentes ad monaſteria, licèt exempta, incurritur ab accedente ad monaſteria exempta, quia materia iſtius excommunicationis eſt acceſſus ad monaſteria, hic autem conſummatur in loco non exempto, & ſubdito poteſtati Epiſcopi. Secus dicendum eſt de locutione habita in loco exempto. Ita Roland. à Valle *tom. 3. conſil. 33. num. 32.* Stephanus Gratianus *diſceptat. forenſ. cap. 393. num. 23. & ſeq.* Campanil. *in diuerſ. rubr. 12. cap. 16. num. 45.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. 3. part. alleg. 102. num. 75.* Angelus, Vgolinus, Auila, & alij, quos retuli *de cenſuris in genere loco citato, num. 9.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Quas pœnas incurrant clerici frequentãtes præfata monaſteria.

2 COntra clericum frequentantem monaſteria Monialium, ſi ab Epiſcopo monitus corrigi noluerit, ferenda eſt pœna ſuſpenſionis, *cap. monaſteria, cit.* ibi, *ſi quiſpiam clericus ſine manifeſta, & notabili cauſa frequentare præſumpſerit, per Epiſcopum arceatur* (id eſt, moneatur, ſeu monendo corrigatur,) *& ſi non deſtiterit, ab officio Eccleſiaſtico reddatur immunis,* id eſt, ſuſpẽdatur ab officio Eccleſiaſtico.

Addo clericum monaſteria frequentantem poſſe excommunicari, & deponi, ſi corrigi nolit, *cap. vt clericorum, de vit. & honeſtate cleric.*

Sed modò dubium eſt, vtrùm clericus poſſit ſtatim ſuſpendi, ſi poſt Epiſcopi monitionem ſemel ad monaſterium accedat.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia hic eſt ſufficienter contumax, & accedendo dicitur non deſiſtere. Idem dic de excommunicatione contra laicos ferenda. Ita Hoſtienſis *in cap. monaſteria num. 2.* Ancharanus, Cardinalis, Imola, & alij *ibidem.*

TERTIA PROPOSITIO.

3 Quas pœnas incurrant religioſi.

3 COntra religioſos accedentes ad monaſteria Monialium impoſita eſt pœna priuationis officiorum, vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, vt patet ex decreto Sacræ Congregationis, iuſſu Sixti V. edito, *anno 1590.* in hæc verba: *Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Cardinal. Sacræ Regularium Congregationi Præfecti ad occurrendum ſcandalis, quæ contingere poſſunt, aliiſq; iuſtis, & rationabilibus cauſis animum ipſorum piè mouentibus, de ſpeciali, & expreſſo mandato S. D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. viuæ vocis oraculo eis facto decreuerunt, & mandauerũt nulli poſthac religioſo, cuiuſcumque Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis exiſtat (ſuperiore, cui monaſterij, ſeu domus cura incumbit, viſitatore, vel viſitatoribus confeſſarioq; ordinario, & extraordinario, cùm ad tempus deputabitur dumtaxat exceptis) licere abſque licentia expreſſa eiuſdem Sacræ Congregationis accedere ad monaſteria, ſeu domus quarumcumque Monialium, vel Sororum, ſiue ſui, ſiue alterius cuiuſuis Ordinis, ad colloquendum, ſiue tractandum cum eis. Quòd ſi aliquando mandato ſui ſuperioris aliquos religioſos ad prædicãdum verbum Dei, vel ad celebrandas Miſſas in ipſarum Monialium, ſeu Sororum Eccleſiis, ſiue oratoriis exterioribus, ſiue extra clauſtra exiſtentibus, mitti contigerit, prohibuerunt, ne dicti religioſi vllo quæſito colore Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam perſonam, intra clauſuram degentes, alloqui poſſint. Confeſſariis autem ſimiliter interdixerunt, ne in ædibus monaſterij, ſeu domus, vel monaſterio, ſeu domui Monialium, aut Sororum contiguis pernoctent, aut alios pernoctare faciant, vel alias ſecum retineant, neve extra tempora generalium confeſſionum (quibus ſoli tantùm confeſſario refectionem diurnam accipere vix permittitur, & tunc demum, videlicet cùm ſua habitatio, aut virorum domus, vel monaſterium, in quo degit, à Monialium, ſeu Sororum monaſterio, vel domo nimium diſtat; niſi tamen, & eo caſu contrarium ſpecialiter conſtitutum ſit) ibi nullo modo comedant, reficiantur, aut cibum ſumant. Quæ omnia, & ſingula ſub pœnis priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrendis, aliiſq; eiuſdem Congregationis arbitrio præceperunt inuiolabiliter obſeruari, iniungentes cunctis RR. Patribus Generalibus, Prouincialibus, &c.*

4 Religioſus grauiter peccat accedendo ad monaſteria Monialium.

4 Sed modò dubium eſt primò, vtrùm hoc decretum ſub mortali obliget. Ratio dubitandi eſt, quia lex humana pœnalis non obligat ſub mortali, in ſententia Nauarri *in manuali cap. 23. num. 57. & ſeq.* & aliorum.

Sed ego cum Barchio *in ſpeculo Monialium cap. 9.* Homobono *caſu 5. verſ. 4. ad finem,* Claue Regia *lib. 3. cap. 7. num. 34. ad finem,* & aliis, quos in ſimili retuli *de legibus loco proximè citando,* reſpondeo obligare ſub mortali. Ratio eſt, tum quia Sacra Congregatio præcipit huiuſmodi decretum inuiolabiliter obſeruari, quæ loquendi forma indicare videtur ſtrictiſſimam obligationem. Tum quia receptiſſima ſententia eſt legem pœnalem, grauem pœnam imponentem, obligare ſub mortali, vt pluribus docui *in tract. de legibus diſp. 1. quæſt. 1. punct. 7. §. 2. & 3. num. 26. & ſeq.*

Hoc tamen intelligitur, modò id non faciant de licentia Summi Pontificis, vel Sacræ Congregationis, vt per ſe patet, vel de licentia Epiſcopi. Nam à Sacra Cardinalium Congregatione 12. *Kalen. Decemb.* 1623. de mandato D. N. Vrbani VIII. conceſſum fuit Epiſcopis, vt licentiam dare valeant religioſis alloquendi Moniales, ſeruatis certis regulis, & conditionibus, vt patet ex ipſo Sacræ Congregationis decreto, ibi, *vt quatenus ſibi viſum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere poſſint per quatuor vices ad ſummum quolibet anno cuicumque regulari, vt Moniales ſibi in primo, & ſecundo tantùm conſanguinitatis gradu coniunctas conuenire, & alloqui poſſit. Id verò non aliter, quàm ſeruata ad vnguem forma infraſcripta. Vt id nullo modo liceat diebus feſtiuis, aut in Aduentu, Quadrageſima, feria ſexta, Sabbato, & Vigiliis, prædictaq; licentia obtenta ab ordinario, & ab alio, ad quem ſpectet eam concedere, conſignetur Confeſſario ordinario monaſterij, qui penes ſe retinere debeat, iſq; aſſociet, & præſens ſit, & auſcultatricet de more, non autem alia aſſiſtant, prædictaque licentia pro die, & hora certa, & in ſcriptis concedatur, & in libris cancellariæ eiuſdem ordinarij annotetur. Quòd ſi prædicti locorum ordinarij per plures vices, vel in vlteriori gradu coniunctis, aut aliter, quàm ſeruata forma ſupradictas licentias conceſſerint, vel permiſerint, ſciant ſe intentionis Sanctiſſ. D. N. & Sacræ Congregationis tranſgreſſores, iudiciumq; reformident: regulares autem pœnis in ſupradicto decreto contentis, ac ſi nullam licentiam obtinuiſſent, eo ipſo ſe nouerint eſſe addictos, & arbitrio Sacræ Congregationis ſeuerius puniendos. Romæ 12. Kalendas Decembris 1623.*

5 Religioſus pœnas incurrit ſolo acceſſu.

5 Secundò dubium eſt, vtrùm religioſus præfatis pœnis afficiatur vnico acceſſu.

Reſpondeo affirmatiuè, quia decretum loquitur de accedentibus ſine licentia Sacræ Congregationis, non verò de frequentantibus.

6 Religioſus tenetur præfatas pœnas ſubire ante iudicis ſententiam.

6 Tertiò dubium eſt, vtrùm religioſus teneatur in conſcientia has pœnas ſponte ſubire ante ſententiam iudicis declaratoriam.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi loquamur de priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ: nam ad executionem huius pœnæ nulla hominis actio requiritur, vt probaui *loco citato de legibus, & ſuprà quæſt. 1. punct. 4. ad finem,* contra Sanchez, & alios.

7 Religioſi S. Ioannis an his pœnis afficiãtur.

7 Quartò dubium eſt, an his pœnis ſubiiciantur Equites S. Ioannis Hieroſolymitani.

Reſpondeo affirmatiuè, quia ſunt veri religioſi, conſequenter afficiuntur legibus, & decretis contra religioſos editis. Ita declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, teſtibus Campanil. *in rub. diuerſ. iur. canonic. rub. 12. cap. 16. num. 43.* & Auguſtin. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. 3. parte allegat. 102. num. 72.*

8 Religioſi exempti non ſubiiciuntur cenſuris latis ab Epiſcopis.

8 Quintò dubium eſt, vtrùm religioſi afficiantur cenſuris ab Epiſcopo impoſitis contra accedentes ad monaſteria Monialium abſque ſua licentia.

Reſpondeo religioſos non exemptos affici præfatis cenſuris, quia iure communi ſubditi ſunt iuriſdictioni, & poteſtati Epiſcopi; religioſi verò exempti non afficiuntur, quia excommunicatio fertur in ſubditos. Ita Quaranta *verb. monaſteria Monialium, verſ. dubitari.* Rodriquez *tom. 1. quæſt. regular. quæſt. 45. art. 2.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 33. num. 23.* & alij, quos citat & ſequitur Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. 3. parte allegat. 102. num. 70.* contra Graffium *part. 1. deciſion. lib. 2. cap. 49. num. 68.* & alios

Obſerua tamen religioſos hoc tempore alloquentes Monialem abſque licentia, etiamſi alloquantur in monaſterio regularibus ſubiecto, puniri poſſe ab Epiſcopo, ex conſtitutione Gregorij XV. in bulla de exemptorum priuilegiis, ibi, *adhæc tam regulares, quàm ſæculares huiuſmodi nullis priuilegiis, aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quominùs ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem monaſteriorum Monialium, etiam regularibus ſubiectarum, ab Epiſcopo loci, ſimiliter tamquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit puniri, & corrigi valeant.* Idem Sacra Cardinalium Congregatio cenſuit, & Summ. Pont. Vrbanus VIII. *anno 1624.* approbauit.

PVNCTVM V.

Quo pacto poſſit frequentans monaſteria Monialium à culpa, & pœna excuſari.

VNICA PROPOSITIO.

1 Paruitas materiæ excuſat, quæ etiam militat in religioſis.

1 LAici, & Clerici triplici ſaltem de cauſa excuſari poſſunt à culpa, & pœnis iure communi impoſitis contra frequentantes monaſteria Monialium.

Prima eſt paruitas materiæ, vt ſi quis vna, vel altera vice accedat. Ratio eſt; tum quia hic non dicitur frequentare. Tum quia iura ſimplicem acceſſum ipſis non prohibent ſub graui pœna, ſed frequẽtiam. Ita Rodriquez *quæſt. 45. art. 4.* Sanchez *num. 119.*

Idem dici poteſt de religioſo, qui obtenta à ſuo ſuperiore licentia accedendi ad monaſterium Monialium, cauſa concionis, aut celebrationis, pauca verba loquitur cum Moniali, aut ſi facultatem habeat loquendi cum vna, eadem occaſione, quaſi per accidens, vrbanitatis gratia, compendioſis verbis aliam alloquatur. Homobonus *part. 2. caſu 5. verſ. 3.* An verò religioſus vnico acceſſu grauiter peccet, & pœnas incurrat, patet ex dictis §. 4. *num. 5.*

2 Legitima cõſuetudo in contrarium excuſat.

2 Secunda cauſa eſt legitima conſuetudo in contrarium: alicubi enim vſu receptum eſt, vt feminæ, & viri, præſertim laici ſine vllo conſcientiæ ſtimulo ad Monialium monaſteria accedant. Quantum autem temporis ad huiuſmodi conſuetudinem inducendam requiratur, patet ex dictis *de legibus.*

3 Licentia ſuperioris iuſta de cauſa conceſſa excuſat à culpa, & pœnis.

3 Tertia cauſa eſt licentia ſuperioris cum cauſa rationabili, & manifeſta, *cap. periculoſo, de ſtatu regul. in 6. & cap. monaſteria, de vit. & honeſt. cleric.*

4 Non eſt neceſſe vt licentia in ſcriptis detur.

4 Verùm circa licentiam dubium eſt primò, vtrùm licentia in ſcriptis concedenda ſit, vel ore tenus ſufficiat.

Reſpondeo non requiri licentiam in ſcriptis, ſed verbalem ſufficere; quia de ratione priuilegij non eſt ſcriptura, niſi aliud in iure decernatur, vt patet ex dictis *de legibus, de Sacramentis, & alibi.*

5 Non ſufficit taciturnitas per ſe loquendo.

5 Quintò dubium eſt, vtrùm ſufficiat licentia tacita, quæ coniicitur ex taciturnitate, vt ſi ſuperior, ad quem pertinet licentiam concedere, videat acceſſum, & non reclamet, nec contradicat, ſed taceat.

Reſpondent Sanchez *cap. 16. num. 114.* & Rodriquez *tom. 1. quæſt. 45. verſ. 4.* ſufficere tacitam.

Ego verò arbitror taciturnitatem ſuperioris, per ſe loquendo, non ſufficere; quia taciturnitas non eſt ſufficiens ſignum præſtiti conſenſus, cùm fieri poſſit, vt ſuperior iuſta de cauſa taceat, & nihilominus non conſentiat. Quamobrem niſi ex ſignis appareat, ſuperiorem tacendo conſentire, cenſeo taciturnitatem non ſufficere, iuxta regulam iuris: Qui tacet, neque conſentire, neque diſſentire videtur, ſaltem, dum iuſtam habet tacendi cauſam.

Quoties

Quoties tamen ex signis, & coniecturis apparet superiorem consentire, arbitror accedentem tutum esse, quia hæc est tacita licentia. Vide quæ tradidi *de Sacramentis disp.5.q.7.punct.4.§.1.n.13. & seqq. de legib. de voto, & alibi.*

6 Non sufficit licentia subreptitia.

6 Tertiò dubium est, vtrùm sufficiat licentia subreptitia.

Respondeo non sufficere; quia non est licentia, cùm viribus careat: quando autem licentia subreptitia, obreptitia, & falsa censeatur, constat ex dictis *de legibus.*

7 Is licentiam accedendi concedit, cuius est licentia ingrediendi dare.

7 Quartò dubium est, ad quem spectet licentiam accedendi concedere.

Respondeo ad illum pertinere, cuius est licentiam ingrediendi concedere. Ratio est, quia cui licet quod maius, licet etiam quod minus. Addunt Rodriquez, & Sanchez *locis citatis*, Abbatissas posse huiusmodi licentiam concedere. Sed hoc ego non approbo. Tum quia nullo iure probatur posse hanc facultatem cõcedere. Tum quia sicut ipsa non potest licentiam ingrediendi dare; ita neque accedendi, & frequentandi.

8 Licentia ad accedẽdum, vel ingrediendum absolutè concessa non finitur primo actu.

8 Quintò dubium est, vtrùm licentia ad accedendum, vel ingrediendum primo actu finiatur.

Salas *in tract. de legib. disp.17. sect.13. num.26.* Azor. *lib.5.cap.23. quæsito 3.* Iacobus Sbrotius *de Vicario Episcopi lib.2. quæst.211.* vbi refert Iasonem, & alios, Homobonus *loc. cit. vers. hanc verò licentiam*, Riccius *in praxi decis.646.* Augustt. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi 3. parte alleg.102. num.59.* Vgol. *de officio Episcopi p.1.c.21.§.3.n.3.* & alij existimant primo actu finiri.

Sed oppositum mihi probabilius videtur, nisi aliter ex circumstantiis colligatur de mente concedentis. Ratio est, quia licet priuilegium in odiosis, litigiosis, ac pœnalibus vnica actione finiatur: nihilominus in fauorabilibus, aut parum onerosis fieri potest extensio ad iteratos actus, quoties priuilegium absolutè conceditur, nisi aliter de mente concedentis colligatur, vt in simili docui *de Sacramentis disp.5.q.7.punct.3.n.3.* cum Nauarro, Nugno, Sayro, Reginaldo, & aliis, & fusius *in tract. de legibus disp.1.q.2.punct.10.§.3.*

9 Causa ob quam datur facultas accedendi debet esse rationabilis, & manifesta.

9 Circa causam accedendi ad monasterium Monialium dubium est, qualis ea esse debeat.

Respondeo illam debere esse rationabilem, & manifestam. Quamobrem non satis est causam iustam esse, nisi ipsius iustitia manifestè constet concedenti facultatem, *cap. monasteria, & c. periculoso, citatis.* Quando autem causa manifesta censeatur, patebit ex dicendis *punct. seqq.§.4.*

10 Sola consanguinitas, per se loquendo, non est iusta causa frequentandi monasteria Monialiũ.

10 Hinc sequitur ob solam consanguinitatem, vel affinitatem, non esse licitum ad monasteria Monialium frequẽter accedere, quia hæc non videtur rationabilis, & manifesta causa frequentandi, cum Monialis ex frequenti consanguineorum visitatione non leue detrimentum pati queat: excipi tamen possunt pater, & mater Monialis, fratres, & sorores eiusdem: quia Monialis ex istorum visitatione scandalum pati non solet, sed leuamen, & solamen.

11 Leuior causa sufficit ad accedendũ, quam ad ingrediendum.

11 Obiicies, parentes, fratres, & sorores non possunt monasterium Monialium ingredi; ergo neque possunt accedere.

Respondeo negando consequentiam; quia leuior causa ad accessum sufficit, quàm ad ingressum, cùm minus sit accedere, quàm ingredi, vt benè Rodriquez *tom.1.quæst.reg.quæst.45.art.4. versic. circa causam*, & Sanchez *loco citato, num.113.*

Hoc tamen limitandum censeo, nisi peculiaris extet prohibitio contra quoscumque consanguineos accedentes: fieri enim potest, vt iusta subsit causa, ob quam quibuscumque etiam consanguineis, accessus ad Moniales interdicatur, vt benè Ioannes Andreas *in cap. monasteria citato num.2.* Hostiensis, Panorm. & alij *ibidem*, Homobonus *loco citato, vers.2.pag.391.*

QVÆSTIO IV.

De violatione clausuræ, per ingressum in monasteria Monialium.

VT hæc quæstio distinctè percipiatur, quinque principaliter explicanda sunt.

Primò, quid nomine monasterij intelligatur, & quibus personis vetitum sit monasteria Monialium ingredi.

Secundò, quis possit ingrediendi facultatem concedere.

Tertiò, qualis esse debeat hæc licentia.

Quartò, quibus de causis concedenda sit.

Quintò, quas censuras, & pœnas incurrant ingredientes monasteria Monialium.

PVNCTVM I.

Quid nomine monasterij intelligatur, & quibus personis monasteria Monialium ingredi non liceat.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Monasterij nomine intelligitur illud spatium, intra quod Monialis sistere debet, & extra quod nequit nec breui quidem spatio egredi, modo tamen illud spatium clausuræ deputatũ sit.

1 NOmine monasterij intelligitur illud spatium, quod intra monasterij ianuam semper clausam continetur, modò clausuræ deputatum sit; seu est locus in quo sistere debent Moniales, & extra quem se recipere nequeunt absque violatione clausuræ. Ex quo sequitur illum, qui intra ianuam monasterij, quæ semper claudi solet, se recipit, vocari posse ingressum in monasterium; consequenter pœnis ingredientium monasteria Monialium affici; etiamsi fortè ad vnum, vel duos pedes intra ianuam, quæ solet esse clausa, se recipiat, vt probaui *quæst.1.punct.4.numer.2.* contra Graffium *de casibus reseruat. cap.5.num.45.* & Naldum *v. clausura numer.1.* Idem dic si se transferat ad viridarium, seu vineam Monialium septam, & intra clausuræ limites contentam, vel ad chorum Monialium. Secus si se ipsum sistat in ianua in parte exteriori, quæ sæcularibus patet, & ad quam Monialis seipsam sine clausuræ violatione transmittere non potest, vt bene Rodriquez *tom.1.q.46.art.1.* Sanchez *in opere morali lib.6.cap.16.num.11.* Suarez *tom.4. de relig. lib.1.cap.10.num.6. & seqq.*

Dixi, *modò clausura deputatum sit*, quia si spatium illud nondum clausuræ deputatum, & addictum sit, non venit nomine monasterij; ita vt illius ingressus interdictus sit, vt accidit, dum monasterium construitur, & ædificatur, & clausuræ nondum subiectum est. Ita declarauit Sacra Cardinalium Congreg. *anno 1584.* teste Coriolano *p.2.casu 3. quæsito 2. num.29.* Sorbo *v. ingredi, n.11. & aliis.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Nullus potest monasterium Monialiũ ingredi.

2 OMnibus personis, cuiuscumque generis, aut conditionis, vel sexus fuerint, postquam ad eam ætatem peruenerunt, quæ ad rationis vsum requiritur, interdictus est in Monialium monasteria ingressus. Hæc propositio colligitur, tum ex *cap. periculoso, de statu regul. lib.6.* ibi, *nulli aliquatenus inhonestæ personæ, vel etiam honestæ, ingressus, vel accessus pateat ad easdem Moniales.* qui textus confirmatus fuit à Pio V. in motu proprio, qui incipit, *circa pastorales.* Tum ex Trid. *sess.25. cap.5.* ibi, *ingredi intra septa monasterij nemini liceat, cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit.* Tum denique ex Gregorio XIII. in quadam constitutione, quæ incipit, *vbi gratia*, edita *anno 1575.* vbi auget pœnas ingredientibus, & ipsis Monialibus, quæ ingredientes admittunt. Ratio huius propositionis est, quia verba præcitatorum textuum generalia sunt; ergo generaliter sunt intelligenda.

3 Neque femina potest ingredi absque licẽtia, etiãsi Monialis sit, aut ingrediatur, vt fiat religiosa: secus si Monialis sit eiusdem habitus, & Ordinis, licet non sit eiusdẽ monasterij.

3 Hinc sequitur primò, non solùm viros, verùm etiam feminas non posse monasteria Monialium sine licentia ingredi. Et hoc verum est, primò, etiamsi femina ingrediatur, vt religiosarum habitum assumat: nullus enim monasteria Monialium ingredi potest sine licentia: etiamsi iustam ingrediendi licentiam habeat; quamquam in præfato casu femina eo animo ingrediens, regulariter loquendo, à peccato, & à censuris excusabitur ratione bonæ fidei, vt benè Sanchez *num.74.* Secundò verum est, etiamsi femina sit Monialis alterius Ordinis, & habitus. Ratio est, tum quia hæc censetur extranea, nec potiori iure ingrediendi monasterium alterius Ordinis, & habitus gaudere videtur, quàm aliæ feminæ gaudeant. Tum quia præcitati textus absolutè loquuntur de personis cuiuscumque conditionis, & status. Contrarium tenet Lamas *in methodo curationis, in append.§.11. in fine*, & Sanchez ex parte *lib.6.cap.16.n.10.* Secus dicendum est de Monialibus eiusdem Ordinis, & habitus extra suum monasterium existente; hæc enim non censetur extranea; consequenter liberum videtur Abbatissæ illam absque alia superioris licentia admittere. Ita præcitati Doctores.

4 Probabile est Reges, Reginas, & ipsorum filios, & filias non posse sine licentia monasteria monialiũ ingredi, & multo minus ipsorũ familias.

4 Secundò sequitur probabiliter dici posse, Reges, Reginas, Imperatores, Imperatrices, aliasque cuiuscumque dignitatis personas non posse monasteria Monialium ingredi. Ratio est, quia *c. periculoso, de statu regul. in 6.* & Tridentinum *sess.25.c.5.* generaliter, & absolutè loquuntur de personis cuiuscumque generis, & conditionis.

Dixi, *probabiliter*, vt innuerem contrariam sententiam, quam sequuntur Sanchez *loco cit. num.3.* & Rodriq. *tom.1.quæst.68. artic.1.* asserentes Regibus, Reginis, Imperatori, Imperatrici, filiis, ac filiabus eorum, interdictum non esse ingressum in monasteria Monialium. Ratio est, quia in motu Gregorij XIII. qui incipit, *vbi gratiæ*, dicitur ingressum in monasteria vetitum esse quibuscumque personis, etiamsi Comitissæ sint; ergo supponere videtur ingressum non esse interdictum personis longè superioris dignitatis. Verùm ad hanc rationem responderi potest illam particulam ampliatiuam non excludere alias personas altioris status verbo generali expressas in præcitatis textibus. Ex quo patet à fortiori familiam, quæ Reginam sine priuilegio ingredientem comitatur, non excusari, licet contrarium sentire videantur Sanchez, & Rodriquez *locis cit.* in sequenti puncto citandis, quorum sententiam probabilem arbitror, vt constabit ex dicendis *punct.4. de obligatione, qua fœminæ tenentur abstinere ab ingressu in monasteria virorum. §.2. illatione 3.*

5 Infantibus non videtur interdictus in monasteria Monialium ingressus, modo rationis vsũ nondum adepti sint.

5 Dixi in propositione, *postquam ad eam ætatem peruenerunt, quæ ad rationis vsum requiritur*, vt indicarem ingressum infantum rationis vsu carentium in monasteria interdictum non esse. Tum quia infantes, qui rationis vsum nondum nacti sunt, non sunt capaces præcepti, vt docui *de legibus quæst.1.punct.6.* Tum quia finis, & intentio Ecclesiæ prohibentis ingressum in claustra Monialium est, vt pacis perturbatio, peccatorum incitatio, & regularis obseruãtiæ violatio euitetur: pax autem non perturbatur, nec incitatio ad peccatum sequitur ingredientibus in monasterium infantibus, ex quo sequitur non solum ipsos infantes ingredientes, verùm etiam ipsas Moniales, quæ huiusmodi infantes recipiunt, & admittunt, non facere contra leges ingressum in monasteria prohibentes. Tum quia non videntur reæ maioris culpæ, quàm ipsi ingredientes. Tum quia finem legis non violant. Ita Sorbus *verbo ingressus num.2.* Suarez *tom.4. de relig. lib.1. cap.10. nu.2.* Rodriquez *tom.1.q.46.art.1.* Miranda *in manuali tom.2. quæst.2. artic.1. concl.1.* Riccius *in praxi decis.648.* Augustinus Barbosa *de officio, & potestate Episcopi allegat.102. num.32.* Lamas *in methodo curationis in append.§.8.* Sanchez *lib.6.ca.16.n.5.* Nauarrus, Reginaldus, Salas, Azor, Henriquez, & alij, quos retuli *de legibus disp.1.q.1. punct. 6.n.7.* contra Homobonum, Naldum, & alios ibi allegatos, vbi hanc sententiam limitandam censui, nisi speciale præceptum in oppositum extet.

6 In dubio præsumuntur infantes adepti rationis vsum post septennium.

6 Quando tamen dubitatur, an infantes rationis vsum adepti sint, præsumendi sunt rationis vsum adepti, si ad septennium peruenerunt. Secus si septennio minores sint, vt alibi probaui: communiter enim rationis vsus in septennio contingit, vt bene probat Corduba *q.60. ad finem*, Sanchez *n.7.* Emanuel Sa, & alij, quos *in tract. de matrim. q.1.punct.4.n.3.* & alibi adduxi.

Obiicies primò, in Tridentino *sess.25. cap.5.* interdicitur ingressus in monasteria cuilibet cuiuscumque ætatis: ergo pueri in hoc decreto comprehenduntur, & licet ipsi pueri infantes non peccent, peccabunt tamen Moniales, quæ huiusmodi infantes admittunt.

Respondeo Concilium intelligendum esse de illis, qui ad eam ætatem

rem peruenerunt, in qua rationis vsus acquiri solet, præceptum enim fertur in personas obligationis capaces.

7 Amens puber in monasterium introduci nõ potest.

7. Obijcies secundò, introducens amentem iam puberem grauiter peccat. Ergo etiam introducens infantem, cùm par ratio videatur.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis desumitur ex secunda ratione allata *numero quinto*, quia introductione amentis puberis facilè sequi potest perturbatio Monialium, verba iocosa, & turpia, aliaque signa impudica, quæ honestati, & decentiæ religionis maximè aduersantur. Ita Rodriquez *loco citato*, Nauarr. *in comment. 4. de regul. n. 155. versic. 15. quæritur.* Zerola *in praxi parte 1. verb. moniales ad 8. quæsitum*, Sanchez & Lamas *locis cit.* Miranda *in tract. de monialibus quæst. 2. art. 1. concl. 1. sub finem*, Barbosa *loco citato, num. 32. ad finem*, Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 10. n. 5.*

PVNCTVM II.

Quis possit facultatem ingrediendi monasteria Monialium concedere.

VNICA PROPOSITIO.

1 Facultas ingrediendi concedi potest ab eo, cuius est clausuram Monialibus indicere.

1 FAcultatem ingrediendi monasteria Monialium concedere potest superior, qui monasterio præest, & cuius est clausuram Monialibus indicere (exceptis tamen primò monasteriis sanctæ Claræ, & Conceptionis, secundò Fratribus Minoribus.) Ratio est, tum quia, cui ligandi facultas competit, soluendi etiam potestas competere solet, iuxta illud, *Res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur.* Tum quia in iure explicitè non exprimuntur personæ, quibus concedendæ huiusmodi licentiæ facultas competit; ergo huiusmodi facultas tacitè concessa videtur illi, qui præest monasterio, & cuius est Moniales ad clausuram cogere. Ita Francus *in cap. periculoso num. 5. de statu regul. in 6.* Ioannes Monachus *ibid. num. 1. & seq.* Sanchez, & alij *locis proximè citandis.*

2 Episcopus, Vicarius generalis, & Capitulum sede vacãte, alique iurisdictionem Episcopalem habentes, concedere possunt licentiam ingrediendi monasteria sibi, & Sedi Apostolicæ subdita.

2 Hinc sequitur primò, Episcopum in monasteriis sibi subditis posse auctoritate ordinaria hanc facultatem concedere; auctoritate verò delegata in monasteriis Summo Pontifici subiectis, vt patet ex rationibus proximè allatis. Idem dic de Vicario Generali Episcopi, [aut Capituli,] habente ad hoc speciale mandatum à Capitulo Sede vacante, aliisque iurisdictionem Episcopalem in suo territorio habentibus: in his enim eadem ratio militat. Ita ex parte Suarez *ea. 10. n. 11.* & alij Doct. statim citandi.

3 Superiores religiosi possunt licentiam ingrediendi concedere in monasteriis sibi subditis.

3 Secundò facultatem ingrediendi monasteria, quæ regularibus subiecta sunt, concedendam esse à Generali, Prouinciali, alioue immediato Conuentus, seu monasterij Prælato; non verò ab Episcopo. Ratio est, quia illis cura monasterij, & onus indicendæ clausuræ in præfatis monasteriis incumbit; non autem Episcopo. Ita Rodriquez *tom. 1. q. 46. art. 2.* Nauar. *comment. 4. nu. 60.* Sanchez *lib. 6. ca. 16. num. 13.* Graffius *1. part. lib. 4. c. 23. n. 6.* Miranda *in tract. de Monialibus quæst. 2. art. 2. concl. 1.* Azor. *1. part. lib. 13. ca. 8. quæs. 7.* Barbosa *3. part. alleg. 102. numer. 40.* & alij, contra Zerolam *1. part. verb. Moniales ad 8. quæsitum vers. 4.* Zechium *tit. de regul. cap. 3. num. 15.* asserentes Episcopum posse hanc facultatem concedere in monasteriis, quæ regularibus subiecta sunt: & contra Suarez *c. 10. n. 13.* asserentem hanc facultatem dari non posse à Prælato Conuentus.

Neque obstat, Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 5.* disiunctiuè loqui, dum asserit sufficere Episcopi, vel superioris licentiam.

Respondeo enim Concilium disiunctiuè loqui, vt indicet licentiam Episcopi sufficere in monasteriis sibi subiectis, vel Sedi Apostolicæ; aliorum verò superiorum facultatem sufficere in monasteriis, quæ ipsis subduntur, vt bene Rodriquez, & Sanchez *locis citatis*, & Nauarr. *in cap. statutum dist. 19. quæst. 3. num. 99.* apud Rodriquez *loco citato*, & apud Barbosam *de offic. & potest. Episcopi allegat. 102. numero 40. & seq.* [Romæ tamen huiusmodi licentia non conceditur à Prælatis religionum, sed à Prælato ad curam Monialium specialiter deputato à Summo Pontifice, à quo mihi hæc prouincia hoc tempore demandata fuit.]

4 Religiosus, aut alius, cui ex priuilegio Papæ monasterium aliquod subderetur, posset facultatem ingrediendi concedere, quãquam superiores præfati religiosi possunt contra ipsum inquirere an facultatem vltra casus licitos concesserit.

4 Tertiò, si daretur casus, vt monasterium alicui particulari clerico subderetur, & non alteri facultatem ab ipso clerico concedendam esse; non verò ab Episcopo, quia monasterium ipsi clerico, non verò Episcopo subiectum esset, vt suppono. Item si monasterium ex priuilegio Summi Pontificis, alicui particulari religioso Prælato subiiceretur, posset is facultatem ingrediendi concedere; non autem Generalis, aut Prouincialis, vt patet ex ratione proximè allata: quamquam Generalis, aut Prouincialis, aliusue legitimus præfati religiosi superior inquirere posset, an præfatus religiosus in danda ingressus licentia, & in suo munere fungendo delinquat. Ratio est, quia huiusmodi religiosus est ipsis subiectus; ergo superior contra ipsum inquirere potest, an ritè suo munere fungatur, neque hoc pacto dicitur iurisdictionem in monasterium exercere, sed in religiosum, qui sibi subditus est. Ita Rodriquez *1. part. quæst. 46. art. 5. vers. verum est tamen*, Sanchez *num. 16.* vbi idem iure meritò sentiendum putat de Episcopo respectu clerici, cui soli præfata monasterij cura demandata esset.

5 Abbatissa non potest hanc licentiam concedere, nisi ei delegata sit facultas à legitimo superiore.

5 Quartò Abbatissam non posse facultatem ingrediendi monasterium concedere. Tum quia is concedere potest facultatem ingrediendi monasterium, ad quem pertinet clausuram Monialibus indicere: ad Abbatissam autem non spectat clausuram indicere, cùm etiam ipsa onere clausuræ teneatur. Tum quia Concilium ait facultatem concedendam esse ab Episcopo, vel superiore, consequenter excluditur Abbatissa, & Prioriſſa. Ita Nauar. *comment. 4. n. 59. vers. 3. de regular.* Dominicus Archidiaconus, & Ioannes Andreas, quos citat, & sequitur Rodriq. *quæst. regular. 1. p. q. 46. artic. 2. vers. obseruatamen*, Azor. *loco cit. quæs. 6.* Suarez *c. 10. num. 54.* Monachus, Francus, & alij, quos refert, & amplectitur Sanchez *in opere morali lib. 6. c. 16. numer. 22.* contra Nauarrum sibi contrarium apud eumdem Sanchez, quod ego apud Nauarrum non inueni.

Hoc tamen intelligendum est, nisi Episcopus, aliusue legitimus superior hanc facultatem ipsi Abbatissæ delegauerit. Cum enim Moniales aliorum opera sæpissime indigeant, nec facilis ad Episcopum aditus patear, iure meritò Episcopus, aliusue legitimus Monialium superior potest hanc facultatem Abbatissæ, vel confessariis delegare in casibus sæpè contingentibus, si ita expedire iudicauerit, Rodriquez *quæst. 46. art. 2. sub finem, vers. dic quod*, Nauar. *comment. 4. n. 60. vers. 4.* Sanchez *loco cit. n. 23.* Graffius *1. part. lib. 4. c. 23. num. 6.* contra Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 10. num. 14.*

6 In monasteria S. Claræ aut Conceptionis, nullus ingredi potest sine licentia Papæ.

6 Præfata propositio limitatur primò in ingressu monasteriorum S. Claræ, & Conceptionis; ob id in propositione dixi, *exceptis monasteriis sanctæ Claræ, & Conceptionis.* Ratio est, quia ad ingressum in istarum monasteria non sufficit licentia Episcopi, vel superioris, sed requiritur licentia Papæ, præter casus in regula istarum Monialium exceptos. Ratio est, quia licet Concilium Trident. *sess. 25. cap. 5.* permittat, vt quis monasterium Monialium ingrediatur de licẽtia Episcopi, vel superioris; id tamen intelligitur, nisi strictiorem clausuram aliquarum Monialium regula postulet: hæc enim est seruanda, quia Concilium non intendit huic derogare, vt perspicuè constat ex verbis eiusdem Concilij *eadem sess. cap. 22.* vbi sic habetur, *Si qui verò regulares tam viri, quam mulieres sint, qui sub arctiori regula, vel statutis viuunt, eos ab eorum instituto, & obseruantia sancta Synodus amouere non intendit.* Ita vir quidam doctissimus, quem tacito nomine refert, sed non sequitur, Rodriquez *tom. 1. quæst. 46. artic. 2. ad finem*, Miranda *de Monialibus qu. 2. art. 3.* Compendiator priuileg. mendic. *verb. ingredi monasteria numero 2. & seqq.* vbi id probat multis Summorum Pontificum constitutionibus. Idem tenet Sanchez *loco citato, num. 20. ad finem*, nisi aliter per consuetudinem, vel recentiora priuilegia receptum sit, contra Rodriquez *artic. 2. citato ad finem, & artic. 6. sub finem.*

7 Fratres minores non possunt monasteria Monialiũ ingredi sine licentia Papæ, nisi rogati sint à Prælatis Monialium vt sibi opem ferant.

7 Limitatur secundò præfata propositio in Fratribus minoribus. Ob id in propositione dixi, *exceptis Fratribus Minoribus.* Ratio est, quia huiusmodi Fratribus interdictum est monasteria quarumcumque Monialium ingredi absque speciali Summi Pontificis licentia, vt patet ex regulis ipsorum Fratrum, & ex constitutionibus Gregorij IX. & Nicolai III. quas innuit Compendiator priuil. mendic. *verb. ingredi monasteria nu. 2. 9. & 10.* etiamsi Alexander III. & Innocentius IV. hanc facultatem alias ampliassent, seu potiùs regulam solum ad ingressum in monasteria sanctæ Claræ, & S. Dominici restringendam esse antea declarassent. Ita præfatus Compendiator *loco citato*, præsertim *n. 4. & 9.* Rodriquez *q. 46. art. 3. initio*, Sãchez *loco cit. n. 17.* Miranda *in tract. de Monialibus q. 2. art. 3. concl. 1.*

Ex quo bene inferunt Rodriquez, Miranda, & Sanchez *locis citatis*, Cardinalem, Episcopum, aut alium habentem priuilegium ingrediendi monasteria Monialium cum sociis, quos secum assumere voluerit, non posse fratres minores eligere; quia isti monasteria Monialium ingredi nequeunt absque speciali Sedis Apostolicæ licentia; in præfato autem priuilegio nulla fit mentio Fratrum Minorum, vt suppono.

Ab hac tamen secunda limitatione excipiuntur Fratres minores rogati à Prælatis curam Monialium habentibus, vt sibi opem in eo ministerio ferant, vt patet ex priuilegio Leonis X. quod à Rodriq. *1. part. q. 47. art. 8. initio*, & à Compendiatore priuileg. *verbo ingredi monasteria n. 32.* in hæc verba refertur: *Leo X. concessit quod Fratres minores vocati, aut inuitati à Prælatis Ecclesiarum, aut Prælatis religiosis, vel à visitatoribus habentibus curam aliquorum monasteriorum Monialium ad hoc vt visitent prædicta monasteria, vel exerceant, omnia alia, quæ in monasteriis sibi subiectis exercent, aut ad hoc, vt intrent cum ipsis Prælatis, vel visitatoribus ad videndum officinas, & totum monasterium interius possint, sicut possunt in monasteriis sibi subiectis, siue intra, siue extra clausuram visitando, vel alia faciendo, vel cum ipsis Prælatis intrando, non obstante prohibitione suæ regulæ, vel declaratione eiusdem regulæ, dum tamen prædicti Fratres si fuerint subditi, hoc faciant de licentia suorum Prælatorum,* &c. Ex quo fit, vt Guardiani, & Prælati conuentuales possint in isto casu absque licentia Prouincialium ingredi monasteria Monialium; quia Leo X. requirit licentiam in religiosis subditis, ibi, *si fuerint subditi.* Ita Sanch. *n. 19.* & Rodriq. *loco cit.*

8 Priuilegium concessum religioni, vel vniuersitati, collegio, vel ciuitati, non est personale, sed reale, & perpetuũ.

8 Obijcies contra præfatam exceptionem: Gregorius XIII. in sua constitutione edita anno 1575. quæ incipit, *Vbi gratiæ*, reuocauit, & cassauit quascumque licentias concessas quibuscumque viris ingrediendi monasteria Monialium; ergo Fratres minores non possunt amplius, virtute priuilegij sibi à Leone X. in præfato casu concessi, monasteria Monialium ingredi.

Respondeo in constitutione Gregorij XIII. reuocari priuilegia personalia, non autem realia; priuilegium autem Leonis X. concessum religioni Fratrum minorum non est personale, sed reale; quia priuilegium quod conceditur personæ fictæ, seu misticæ, vt est ciuitas, religio, Collegium, monasterium, vniuersitas, & similia, est priuilegium reale; quia perpetuum est, *l. forma. §. quamquam. ff. de censibus*; talis enim persona ficta perpetua est. *l. proponebatur. ff. de iudiciis.* Ita Barbosa *in l. quia tale. ff. soluto matrimon.* Suarez *de legib. lib. 8. cap. 3. num. 4.* Sanchez *loco citato, nu. 19.* Socinus *in l. 2. num. 4. ff. de rebus dubijs*, Romanus, quem citat & sequitur Rodriq. *tom. 1. q. 47. art. 8. ad finem.*

9 Superior, qui aliter licentiam ingrediendi concedere potest, non indiget licentia alterius in casibus necessariis, modo cum

9 Quæres, vtrùm superior, qui facultatem ingrediendi monasteria potest aliis concedere, possit etiam ipse absque alterius licẽtia ingredi in iis casibus, in quibus ipse alteri facultatem ingrediendi concedere potest iure ordinario, vel etiam ex delegatione,

Respondeo posse ingredi, modò id faciat in casibus necessariis, & non ingrediatur, nisi paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis comitatus. Ratio est, tum quia sic expressè decernitur in quodam motu Gregorij XIII. qui incipit, *In dubijs, quæ emergunt*, vbi dicitur hanc facultatem ipsi ex officio attributam esse. Tum quia sicut is, qui cum aliis potest dispensare, potest etiam secum, cum ipse deterioris conditionis esse non debeat, ita, &c. Nauarrus *consil. 6. & 9. de statu*

mo-

paucis ingrediatur, iisque senioribus,& religiosis.

monach. Rodriq. *1.part.quæst.46.artic.5.* Suarez *tom.4.de relig. lib.1. c.10.num.23.* Sanchez *loco cit.num.25.* Miranda *tract.de Monialibus q.2. art.14.* Azor.*1.part.lib.13.c.8.quæs.9.* & alij apud Sãchez, omissis quam pluribus aliis, quos ego retuli *in tract.de legibus, de dispensat. de pœnit. & de censuris.* contra Compendiatorem priuileg. mendicantium, *verb.accedere ad monasteria Monialium, in annotationibus Corduba circa finem versicul.quoad illa duo.*

Hoc tamen limitandum est, modò superior, qui cum aliis dispensandi facultatem delegatam habet, non habeat licentiam ad certas personas, seu ad certum personarum genus, intra quas ipse comprehendi nequeat, vt si facultas ei data sit ad dispensandum, seu ad dandam licentiam rusticis hominibus, vinum, vel triticum deferẽtibus, aut confessariis ordinariis: ipse autem non sit confessarius, aut triticum non deferat; causa enim limitata limitatum producit effectum, & facultas suos terminos non excedit, vt patet ex dictis *de legib.disp.1. q.2.punct.1.n.10.*

PVNCTVM III.

Qualis esse debeat licentia ingrediendi claustra Monialium.

VNICA PROPOSITIO.

1 Licentia debet esse specialis ad ingrediendum.

1 DVæ conditiones ad licentiam ingrediendi claustra Monialium requiruntur. Prima est, vt licentia specialis sit, id est, vt in specie contineat facultatem ingrediendi monasteria Monialium. Ratio est, quia *in cap.periculoso, de statu regul. in 6.* præscribitur specialis licentia, ibi, *nisi speciali licentia.* Quamobrem non sufficit, si in facultate nulla fiat de ingressu monasterij mentio, etiamsi facultas detur ad quoscumque actus, quos superior concedere potest. Ratio est, quia hæc est facultas generalis, non specialis. Si verò facultas detur ingrediendi quælibet monasteria, valida est, quia est facultas specialis circa ingressum, licet generalis iudicetur quoad monasteria. Valida etiam est licentia generalis, vt omnes baiuli, Medici, chirurgi, fabri, aliique similes ingrediantur. Ratio est, quia huiusmodi licentia specialis est, quoad ingressum, licet quoad personas singulares in ea expressas specialis non sit, vt bene Sanchez *lib. 6. cap. 16. numero 28.* Miranda *de monial.q.2.art.2.ad finem*, & alij, quos in simili retuli *in expositione Bullæ Cœnæ.*

2 Licentia dari debet in scriptis, etiam in casibus ordinariis, etiam pro foro interno, consequenter taciturnitas, aut licentia ore tenus non sufficit.

2 Secunda conditio est, vt licentia in scriptis detur, nisi periculum sit in mora. Ratio est, quia sic præscribitur in Tridentino *sess.25.ca.5.* ibi, *sine Episcopi, aut superioris licentia in scriptis obtenta.* Et hoc verum esse arbitror primò, contra Nauarr. *in cap.statuimus nu.60.* & Mirandam *de Monial.q.2.art.2.concl.2.* non solum in casibus extraordinariis, verum etiam in ordinariis, qualis est ingressus Medicorum, chirurgorum, & similium.

Secundò, hoc verum esse arbitror, non solùm in foro externo, vt putat Homobonus *de casibus reseruatis part.2.casu 5.vers.3.pag.3.q.2.* verum etiam in foro conscientiæ; quia Concilium absolutè licentiam petit.

Ex quo sequitur contra Homobonum, in foro conscientiæ non sufficere licentiam ore tenus concessam, multò minus sufficit patientia, & tolerantia superioris tacentis, & non contradicentis. Tum quia taciturnitas per se nõ sufficit ad præstandum consensum, vt docui *de sacramentis*, & alibi. Tum quia, etiamsi taciturnitas sufficeret ad consensum præstandum: tamen hic consensus non est scriptura expressus; consequenter non sufficit ad ingrediendum in claustra Monialium.

Dixi in secunda conditione, *nisi periculum sit in mora*; quia si repentina superueniat necessitas, quæ aditum ad superiorem non permittat, licitum videtur sine licentia in scriptis obtenta ingredi, quia hic casus per Epicheiam exceptus videtur: alioquin repentinæ necessitati consultum non esset, vt bene Nauar. *comment. 4. numer.60. vers.4.de regular.* Rodriquez *tom.1.quæst.46.art.2.ad finem*, Azor.*1. p.lib.13.cap.8.quæs.8.* Sanchez *loco citato, numer.34.* & alij. Idem dicendum est, si moræ periculum non patiatur licentiam ore tenus peti: tunc enim necesse non est licentiam verbo petere; quia in vtroque casu eadem ratio militat. Secus si necessitas patiatur licentiam verbo peti: tunc enim verbo expectanda est; quia iura præscribunt licentiam concedi, & tali forma concedi. Si ergo necessitas cogat non ad omittendam licentiam simpliciter, sed ad omittendam talem formam, sufficit talẽ formam, id est, scripturam, omittere, obtenta verbo licentia, vt bene Sanchez *loco cit.n.34.* contra Graffium *1.part.decis. lib.4.c.23.n.6.* & Nauar. *loco cit.* Addunt Sanchez, & Rodriquez *locis proxime citandis*, in casu repentinæ necessitatis, quæ aditum ad superiorem non permittit pro obtinenda vllo modo licentia, prædictam licentiam ab Abbatissa petendam esse, si tempus vacet ad eam petendam. Ratio est, quia superior præsumitur in tali euentu facultatem licentiæ concedendæ Abbatissæ tribuere; sicut Summus Pontifex censetur facultatem in casibus necessitatis, in quibus ad ipsum recurri non potest, Episcopo, regulariter loquendo, tribuere, vt alibi tradidi. Ita Sanchez *loco cit.n.37.* Rodriquez *1.p.q.46.art.2. ad finem*, & *q.47. art.4.ad finem*, Barbosa *de officio Episcop.3.p.alleg.102.numer.39.* contra nonnullos alios. Sed hoc ego verum esse censeo potius ex æquitate, quàm de rigore iuris; quia iure communi non competit Abbatissæ facultas concedendæ licentiæ, vt supra dictum est; ergo neque competit in tali euentu: habitualis enim, & tacita superioris voluntas nihil ponit inesse, nec ei confert iurisdictionem, quæ ipsi aliàs de iure non competit. *l.si repetendi. ff.de condict. ob causam.* Episcopo verò iure ordinario facultas competit circa sibi subditos, nisi prædicta facultas restringatur, vt alibi ostensum est.

Ex quo patet responsio ad rationem aduersariorum. Secus dicendum est, si Abbatissa generalem à Prælato facultatem habeat huius licentiæ concedendæ: tunc enim licentia ab ipsa expectanda est; quia non dicitur esse periculum in mora respectu licentiæ, cùm licentia absque periculo obtineri possit ab Abbatissa, quæ facultatem illius concedendæ habet, vt suppono. Ita communiter Doctores.

3 Qui cum licentia verbis solùm concessa ingreditur, grauiter peccat, & pœnas incurrit.

3 Sed modò dubium est primò, vtrùm qui præciso moræ periculo licentiam verbis solùm obtinuit, grauiter peccet ingrediendo, & pœnis contra ingredientes sine licentia impositis afficiatur.

Respondeo grauiter peccare, & prædictis pœnis affici, præciso moræ periculo. Ratio est, tum quia licet scriptura non sit de essentia legis, priuilegij, & dispensationis, in genere loquendo; nihilominus scriptura est de essentia illius priuilegij, ad quod superior scripturam requirit; sicut enim scriptura est de substantia contractuum, in quorum celebratione legitimus superior scripturam præscribit, aut contrahentes conueniunt, vt contractus scriptura perficiatur, *l.contractus 16.C.de fide instrumentorum*, (tunc enim scriptura est de forma, & de solemnitate substantiali, vt pluribus docui de contractibus, & de legibus.) Ita etiam scriptura videtur de essentia licentiæ, ad quam superior scripturam requirit. Tum quia sic expresè colligitur ex Trident. *sess.25.cap.5.* vbi dicitur: *nemini liceat ingredi septa monasterij sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.* Ita Lamas ex parte *in methodo curationis, in appendice in fine.§.6.* Sanchez *loco citato, num.31.* & alij contra Mirandam *quæst.3.artic.2.ad finem*, & alios, existimantes scripturam necessariam non esse, quando causa ingressus clara est.

Obiicies primò, leuitas materiæ excusat à mortali, & leuis formæ omissio non reddit actum irritum, vt docui *de legibus disp.1.q.1.punct. 7.§.5.nu.21.* cum Molina, Emanuele Sà, & aliis: omissio autem scripturæ videtur leuis omissio.

Respondeo omissionem scripturæ non censeri leuem omissionem, scriptura enim non est indicta solum, vt fidem exteriùs faciat, sed vt licentia maturiori consilio concedatur; facilius enim quisque est ad verba de ore, quàm ad aliquid scripto concedendum.

Obiicies secundò, qui concedit aliquid, censetur etiam concedere necessaria ad illud, & qui concedit principale, censetur etiam concedere accessoria, sine quibus illud obtineri non potest. *l.2.ff. de iurisd. omn.iudic.* ergo superior concedens, exempli gratia, facultatem fabricandi in monasterio, censetur etiam facultatem cæmentariis, & operariis conferre, vt in monasterium ingredi valeant absque noua licentia; consequenter qui tunc sine licentia in scriptis ingrederetur, immunis esset à culpa, & à pœna, consequenter sufficit licentia verbis solùm obtenta.

Respondeo concedentem principale non censeri accessorium concedere, quoties in illo accessorio peculiaris est prohibitio, seu quoties in illius concessione peculiaris aliqua ratio præscribitur, vt in nostro casu.

4 Priuilegium concedendæ licentiæ ingrediendi non indiget scriptura, quia non est licentia ingrediendi.

4 Secundò dubium est, vtrùm priuilegium quod alicui conceditur ad dandam alteri licentiam ingrediendi septa monasterij Monialium, necessariò in scriptis concedendum sit.

Respondeo negatiuè. Ratio est, tum quia iura non requirunt scripturam in huiusmodi priuilegio, sed solum in ipsamet licentia ingrediendi, & aliud est, formaliter loquendo, licentia ingrediendi, aliud facultas concedendæ huiusmodi licentiæ; à disparatis autem non valet illatio. *l.Papinianus exuli.ff.de minor.* Tum quia de ratione priuilegij non est scriptura, nisi aliud in aliquo casu præscribatur, vt docui *de legibus disp.1.qu.æst.1.punct.4.n.49.* cum Suarez, Salas, Azorio, Valentia, Molina, Reginaldo, & aliis.

Ex quo sequitur necessariam non esse scripturam ad priuilegium Abbatissæ concessum, vt possit operariis ad monasterij ministeria necessariis, licentiam ingrediendi dare, vt probatum est. Verum tamen est, licentiam, quam ipsa Abbatissa concedit, indigere scriptura; quia hæc est licentia ingrediendi; consequenter in scriptis concedenda est; sicut etiam in scriptis concedenda est licentia, quæ aliquibus ad ingrediendum datur, relicta facultate, & libertate Abbatissæ, vt ipsa eligat, quem velit, vt si Episcopus licẽtiam hoc pacto concedat: Facultatem ingrediendi facio illis, quos Abbatissa, vel Confessarius elegerit. Quamobrem approbãdam censeo praxim, & vsum alicubi receptum, quo Episcopus, vel eius Vicarius facultatem quamdam generalem, quoad personas, sed specialem quoad ingressum, in scriptis concedit quibusdam operariis, quorum opera indigere solent Moniales circa monasterij vsum, vt cæmentariis, fabris lignariis, & similibus, seu Petro cæmentario cum sua societate, seu illis, quos elegerit Abbatissa, seu medicis, chirurgis, & c. Hoc enim non est priuilegium concedendę licentię, sed est concessio licentiæ, seu licentia ipsa ingrediendi, quam in superioribus diximus in scriptis concedendam esse.

An verò femina priuilegium Apostolicum habens ingrediendi claustra Monialium, obtinere debeat expressum ipsarum cõsensum, constabit ex dicendis §.5.n.8.

PVNCTVM IV.

Quibus de causis facultas ingrediendi monasteria Monialium concedi possit.

VNICA PROPOSITIO.

1 Facultas ingrediendi monasteria Monialium concedi non debet nisi ob manifestam monasterij, seu Monialium vtilitatem, cui aliter cõmode occurri non posset.

1 FAcultas ingrediendi claustra Monialium concedi non potest, nisi ob causam necessitatis monasterij, seu Monialium manifestam, cui aliter commodè occurri non possit, quàm ingressu extraneorum in monasterium. Ratio desumitur tum ex motu Gregorij XIII. qui incipit, *Vbi gratiæ*, in quo habetur, facultatem concedendam, & adhibendam esse dumtaxat in casibus vrgentibus. Tum ex Tridentino *sess.25.cap.5.* ibi, *in casibus necessarijs.* Tum ex *cap.periculoso, de statu regul.* ibi, *nisi rationabilis, & manifesta causa existat.* Tum quia frustra clausuræ obligatio inducta fuisset, si quauis de causa facultas ingrediendi concedi posset.

Ex quo licet inferre, causam, quæ rationabilis censetur in præfato *cap.periculoso*, ad casum necessitatis reuocari in Tridentino, & in constitut. Gregorij. Quamobrem non quæcumque causa, quæ rationabilis superiori alias forte visa fuisset, hoc tempore sufficit, sed opus est,

eſt, vt neceſſitas ſubſit, cui Moniales per ſeipſas ſine extraneorum ingreſſu commodè occurrere nequeant; non tamen neceſſaria eſt neceſſitas phyſica, ſed moralis ſufficit.

2 Neceſſitas accipiẽda eſt moraliter, non autẽ phyſicè.

2 Vt hæc clarius intelligantur, nonnulla obſeruanda ſunt, primò neceſſitatem, de qua Concilium, & Gregorius loquuntur, non eſſe accipiendam phyſicè pro ſtrictiſſima neceſſitate, ſed moraliter, dum aliquid in monaſterio per ipſaſmet Moniales commodè fieri non poteſt abſque ingreſſu extranei. Ratio eſt, tum quia præcepta Eccleſiæ benignè accipiuntur, & moralis neceſſitas ab ipſorum adimpletione, regulariter loquendo, excuſat: tum quia *in cap. periculoſo*, non exprimitur ſtrictiſſima neceſſitas, ſed cauſa rationabilis: cùm autem Concilium Tridentinum adhæreat prædicto textui, & Gregorius XIII. adhæreat decreto Concilij, ſignum eſt rationabilem cauſam, quæ in morali neceſſitate conſiſtit, ſufficere. Ita Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 16. num. 40.* Lamas *in methodo curationis in appendice in fine §. 6. verſ. addimus inſuper*, Rodriquez *punct. 1. quæſt. 46. artic. 4.* Miranda *de Monialibus quæſt. 2. art. 4. concluſ. 2.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi 3. part. alleg. 102. n. 48.*

Addunt tamen Sanchez, Miranda, & Rodriquez minorem cauſam requiri in concedenda licentia feminis, quam viris, matri aut ſorori quàm aliis, & minorem cauſam ſufficere ad ingrediendũ in loca ſtatim poſt clauſuræ ianuam exiſtentia, quàm ad loca interiora.

Sed hoc ita abſolutè intellectum mihi non probatur: tum quia Monialium clauſura formaliter violatur tam ingreſſu feminarum, quàm virorum, & tam ingreſſu ad loca prope ianuam exiſtentia, quàm ad longè remota: tum quia vbi ius non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus; ius autem in quolibet ingreſſu neceſſitatem petit.

3 Neceſſitas debet eſſe manifeſta, & quænam manifeſta dicatur, ſufficit tamen, vt ſuperior opinetur cauſam iuſtã eſſe.

3 Secundò obſeruandum eſt neceſſitatem, ob quam facultas ingrediendi monaſterium concedi poteſt, manifeſtam eſſe debere; quia ſic præſcribitur *in cap. periculoſo, ſupra cit.* ibi, *niſi rationabilis, & manifeſta cauſa exiſtat.* Cauſa autem dicitur manifeſta, non ſolùm dum à toto populo ſcitur; verùm etiam dum ſoli Prælato licentiam conceſſuro nota eſt: non enim idem eſt manifeſtum, & publicum, & Summus Pontifex petit cauſam manifeſtam, non publicam. Addo non opus eſſe vt cauſa, ob quam Prælatus licentiam ingrediendi concedit, ſit omnino euidens, & certa, ſed ſatis eſt, vt illam, iuſtam, & ſufficientem eſſe probabiliter opinetur. Ratio eſt, tum quia alioquin aut infinitis ſcrupulis aditus aperiretur, aut ſuperiores, antequam alicui ingrediendi licentiam concederent, proceſſum conſtruere deberent, ad veritatem certò cognoſcendam, quod præter benignam Summi Pontificis intentionem in caſibus tam frequenter contingentibus eſſe arbitror: tum quia, qui aliquid cum probabili opinione facit, prudenter operatur. Secus dicendum eſt ſi cauſa ſit dubia, vtrùm ſcilicet adſit cauſa concedendæ licentiæ, vel vtrùm ea ſit ſufficiens, & iuſta: operans enim cum conſcientia dubia peccat pro ratione peccati, cuius periculo ſe exponit, vt pluribus docui de peccatis, quæ ibi videri poſſunt. Nonnulla etiam tradidi de diſpenſationibus, quæ huic, de qua agimus, rei accommodari poſſent, ſed hic non repeto vt à ſuperuacanea repetitione ſuperſedeam.

4 Sacerdos cauſa confeſſionis, & aliorum Sacramentorum, aut cauſa commendationis animæ, aut ſepulturæ, aut Miſſæ celebrandæ in valetudinario, ingredi poteſt monaſterium etiam cum ſocio, dum ſocio indiget ad præſtandum miniſterium, cuius cauſa monaſterium ingreditur, etiamſi in licentia nulla fiat mentio de ſocio. Idẽ aliqui putant de religioſo quauis de cauſa ingrediente; ſed hoc mihi non probatur.

4 Ex dictis colligi poteſt ſolutio multorum caſuum. Primò iuſtam ingreſſus cauſam confeſſario ſubeſſe dum alicuius Monialis confeſſionem excepturus eſt, quàm commodè ad feneſtellam audire non poteſt, vt ſi Monialis ſit ſurda, aut ob infirmitatem decumbat in lecto. Et hoc verum arbitror, non ſolum, dum Monialis ex præcepto confiteri tenetur; verum etiam dum id facit ex præſcripto regulæ, vel ex peculiari deuotione, vel conſolatione; ex frequenti enim Sacramentorum vſu magna vtilitas percipitur: vtilitas autem cum morali neceſſitate confertur. Idem cum proportione dicendum eſt in adminiſtratione aliorum Sacramentorum, vt Euchariſtiæ, Extremæ vnctionis, vel etiam commendationis animæ, vel hortationis faciendæ Moniali iam morti proximæ, aut dum officium ſepulturæ faciendum eſt. Idem dic de illo, qui ſepulturam aperiturus eſt, ſeu Monialem in ſepulturam immiſſurus eſt, vel cooperaturus. Addo Sacerdotem in præfatis caſibus poſſe cum ſocio ingredi, quoties ad hæc facienda miniſterio ſocij indiget, vt dum Sacerdos celebraturus eſt in ſacello valetudinarij, vt Moniales, quæ priſtinam ſanitatem nondum acquiſierunt, & valetudinario ſine incommodo egredi non poſſunt, Miſſæ ſacrum audiant; ſaltem iis diebus, quibus Miſſæ auditio, vel communio eſt in præcepto. Cùm enim tunc temporis licitus ſit ingreſſus Sacerdoti, vt benè probat Miranda *art. 16.* & Barboſa *n. 49.* poterit Sacerdos ingredi, etiam cum ſocio, quia non decet feminam ad altare accedere, & celebranti inſeruire, vt docui *de Euchariſtia.* Addit Sanchez *nu. 46.* Sacerdotem religioſum ſemper poſſe, dum monaſterium ingreditur, cum vno ſocio ingredi; quia conſuetudo, & decentia poſtulat, vt religioſi numquam ſoli incedant. Idem innuit Miranda *quæſt. 2. de Monial. art. 17. ſub finem*, & alij. Sed hoc mihi non probatur; quia nulla neceſſitas cogit ſocium ingredi; vt ſuppono, nec dedecet Confeſſarium clauſtra monaſterij ingredi, ſocio ad ianuam remanente; ſicut non dedecet religioſum in vno cubiculo negotium cum Principe agere, ſocio illum ad palatij ianuam expectante, niſi aliud circumſtantiæ aliquæ ſuadeant.

Approbo tamen, quod idem Sanchez *numero 47.* ſubdit, nempe in iis caſibus, in quibus Sacerdos cum ſocio, cuius opera indiget, ingredi poteſt, neceſſariam non eſſe peculiarem pro ſocio licentiam, ſed ſufficere licentiam ipſi ſacerdoti explicitè conceſſam; quia hæc etiam ad ſocium extenditur. Ratio eſt, tum quia ſocius in huiuſmodi caſu in priuilegio comprehenditur ob actionis connexionem, alioquin priuilegium inutile redderetur: tum quia ſic colligitur ex *cap. licet, de priuileg. in 6.* vbi decernitur priuilegium alicui conceſſum ad audienda diuina tempore interdicti, extendi etiam ad familiam, quæ priuilegiatum comitatur. Vide quæ tradidi *de legibus diſput. 1. quæſt. 3. punct. 7. §. 2. num. 6.* & de interdicto *in tractatu de cenſuris*, vbi hæc fuſius explicaui.

Rogabis vtrum licitum ſit Capellano, vel Confeſſario ingredi ad renouandum Sacramentum exiſtens in Choro interiori.

Reſpondeo negatiuè; quia renouatio Sacramenti fieri poteſt abſque ingreſſu, & exponi poteſt per feneſtellam in Eccleſia exteriori exiſtentem, & interiorem Chorum reſpicientem, vt bene Miranda *quæſt. 2. art. 19.*

5 Chirurgus, Barbitonſor, & Medicus ingredi poſſunt, & aliquando pharmacopola.

5 Secundò colligitur licitum eſſe ingreſſum chirurgo, barbitonſori, Medico, aliiſque ad medendum Monialis morbo neceſſariis. Addo idem probabiliter dici poſſe, dum Monialis de ſua dubitans valetudine, Medicum ad lectum accerſeri iubet, vt ictum pulſus experiatur, licet ipſa ſine magno ſalutis detrimento ad ianuam accedere potuiſſet, ſed Medicum ad ianuam vocare noluit ob magnam erubeſcentiam. Addo etiam Pharmacopolam poſſe monaſterium ingredi, dum ipſius ingreſſus neceſſarius eſt, vt Moniales inſtruat ad pharmaca condienda, & componenda: hæc enim eſt moralis neceſſitas. Non tamen poſſet ingredi ad præbendam Moniali medicinam, cùm per Moniales præberi poſſit, vt bene Sanchez *loco citato, numero 56.* & alij.

6 Superior ingredi poteſt cauſa viſitationis.

6 Tertiò licitum eſſe ſuperiori cum decenti comitatu à Gregorio præſcripto in motu, qui incipit, *Vbi gratia*, ingreſſum cauſa viſitandi officinas, conuentus, cellas Monialium, ſeu dormitorium, ſupellectilem, ædificium conſtruendum, aut minans ruinam: licitus etiam illi eſt ingreſſus ad occultas res Conuentus, tractandas in Capitulo conuentuali, quia huiuſmodi rebus tractandis nullus eſt Capitulo conuentuali aptior locus. Ita Lamas *in methodo curat. in append. §. 7.* Sanchez *loc. cit. num. 54.* Barboſa *num. 43.* Miranda *quæſt. 2. art. 14.* vbi etiam oſtendit, an Epiſcopus ingredi poſſit monaſterium exemptum cauſa viſitationis, vel ſaltem, dum conſtaret clauſuram in eo monaſterio violatam fuiſſe.

7 Superior ingredi poteſt aliquando ad electionẽ Abbatiſſæ.

7 Quartò licitum eſſe ſuperiori ingreſſum in monaſterium ad electionem Abbatiſſæ quoties magna ſubornationis ſuſpicio eſt, ſeu quoties electio canonicè fieri non poteſt, niſi ipſe in monaſterium ingrediatur. Ratio eſt, tum quia adeſt moralis neceſſitas: tum quia non præſumitur Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 7.* voluiſſe ingreſſum in caſu tantæ neceſſitatis, in præiudicium boni communis illius monaſterij prohibere. Ita communiter Doctores. Secus dicendum eſt, ſi præfata neceſſitas in electione Abbatiſſæ non impediat. Concilij enim *loco citato* præſcribit, vt ſuperior qui electioni præeſt, monaſterij clauſtra non ingrediatur; ſed ante cancellorum feneſtellam vota ſingularum audiat, vel accipiat. Ita Nauar. *comment. 4. numer. 59. de regul.* Rodriquez *quæſt. regul. tom. 1. quæſt. 46. ad finem verſ. eſt etiam obſeruandum.* Sanchez *loc. cit. num. 50.* contra Lamas *in methodo curationis in append. §. 7.* Miranda *artic. 15. concluſ. 3.* Barboſa *de offic. Epiſc. 3 part. alleg. 102. numero 46.*

8 Baiulus ingredi poteſt modo aliquid deferat in vtilitatem monaſterij.

8 Quintò baiulos iuſtam ingreſſus cauſam habere, dum aliquod onus in monaſterium transferendum eſt, quòd à Monialibus commodè portari nequit. Ratio eſt, tum quia adeſt moralis neceſsitas, cùm Moniales oneribus portandis aſſuetæ non ſint: tum quia ſic vſu receptum eſt. Ita Miranda *quæſt. 2. art. 17. ſub finem.* Lamas *in methodo curationis in append. §. 6.* Sanchez *loc. cit. num. 16.* & alij. Hoc tamen limitandum videtur, modò baiuli aliquid portent in vtilitatem monaſterij: ingreſſus enim in monaſterium permiſſus tantummodò videtur ob monaſterij vtilitatem, ſeu neceſsitatem, niſi ius naturæ, vel diuinum aliud ſuadeat.

Quamobrem non videtur licitum baiulo monaſterium ingredi, vt alicuius pecuniam arca impoſitam, aut alias res magni ponderis in monaſterio deponat: hic enim de monaſterij vtilitate non agitur, vt ſuppono, niſi fortè res illæ ſint alicuius de monaſterio optimè meriti, cui hoc abſque graui monaſterij incommodo denegari non poſsit, aut niſi charitas obliget ad huiuſmodi depoſitum cauſa ſecuritatis recipiendum, qua in re prudentis ſuperioris iudicio ſtandum eſt.

9 Hortulanus ingredi poteſt ad irrigandum hortum.

9 Sextò licitum eſſe hortulanis ingreſſum in monaſteria Monialium ad rigandum, & excolendum interiorem hortum, vt patet ex rationibus in illatione proximè præcedenti allatis.

10 Feminæ admitti poſſunt in obſequium Monialiũ dum in eo monaſterio conuerſæ non exiſtunt, & hoc verum eſt etiam dum id exigit neceſſitas alicuius Monialis particularis.

10 Septimò intra monaſterium licitè intromitti poſſe feminas in obſequium, & famulatum Monialium, quoties in monaſterio non adſunt conuerſæ profeſſæ, quæ inſeruiant; hæc enim videtur iuſta, & ſufficiens cauſa ingrediendi. Cùm enim Moniales Choro deputatæ habitum religioſum non ſuſceperint, vt aliorum obſequio, & famulatui, ſed vt diuinis officiis vacent, durum illis onus imponi videretur, ſi ad huiuſmodi obſequium obſtringerentur. Et hoc verum eſſe arbitror contra Suarez *tom. 4. lib. 1. cap. 10. numer. 20.* non ſolum dum feminæ ſæculares introducendæ ſunt in obſequium totius monaſterij, verùm etiam dum id exegit neceſsitas alicuius particularis Monialis praua vtentis valetudine, aut graui ſenectute laborantis, aut etiam ob ſui ſtatus decentiam alicuius ſæcularis famulæ opera indigentis: vt ſi ceteris nobilitate longè antecellat, nec ei per conuerſas commodè inſeruiri poſsit. Quamquam in hac re magna prudentia vti debet ſuperior, cum raro contingere ſoleat, vt neceſsitas priuatæ Monialis ſufficientem ingreſſus cauſam exhibeat. Non eſt tamen licitum ancillas habere, quæ pro ſuo libito ingredi, & exire poſsint, vt declarauit Sacra Congregatio *in vna Abulenſi 20. Februarij.* Ita Campanil. *rubr. 12. cap. 16. num. 28.* Barboſa *loco citato, num. 61.* Nauar. ex parte *comment. 4. num. 66. & ſequent. de regul.* Rodriquez *tom. 1. quæſt. 46. artic. 7. & ſeqq.* Sanchez *loco citato numer. 66.* Miranda *de Monialibus quæſt. 2. art. 5. concl. 2. & art. 9.* vbi tantum excipit monaſterium S. Claræ, & Conceptionis, in quod non putat eſſe licitum admittere famulas ſeculares ad inſeruiendum Moniali præ ceteris illuſtriori: nam in huiuſmodi monaſteriis ſtrictiſsima eſt clauſuræ obligatio, vt innui *punct. 2. n. 1. & 6.*

11 Sutor, & ſartor, regulariter loquendo ingredi nõ poſſunt.

11 Octauò ſutoribus calceorum non eſſe licitum in clauſtra Monialium ingredi, quia nullam habent ingrediendi neceſsitatem, cùm menſuram calceorum cognoſcere poſsint, etiamſi non ingrediantur, vt ſi Monialis ipſa tradat calceum, aut lignum ad menſuram calcei ſectum, aut alia ratione longitudinem ſui pedis declaret. Ita communiter

muniter Doctores. Idem dicendum arbitror, regulariter loquendo, de sartore, qui vestes Monialibus facit: hic enim mensuram vestium capere potest ex aliis eiusdem Monialis vestibus, aut ex ipsamet Moniali prope ianuam monasterij apertam existente. Ita Lamas *in methodo curationis in append. §. 6.* Miranda *in tract. de Monialibus, q. 2. artic. 4. sub finem*, contra Sanchez *numero* 43. Nauarrus *loco cit. numero* 59. & alios.

12 Mater, aut consanguinei non possunt causa visitationis ingredi.

12 Nonò non licere matri, aut sorori, aliisque cognatis monasterium ingredi, vt Monialem visitent, aut illius professioni, vel morti assistant, quia non adest moralis necessitas ingrediendi. Ita Miranda *de monialibus quæst. 2. art. 8.* Rodriquez *tom. 1. quæst. 46. art. 11.* Sanchez *num. 67.* Zerola, Barbosa, & alij, quos retuli *de legibus disp. 1. q. 1. puncto 3. num. 19.*

13 Iudex ingredi potest ad expellendum malefactorē, etiamsi forte malefactor licite ingressus sit.

13 Decimò iudicem, aliosque viros posse monasterium ingredi ad expellendum malefactorem, qui non vult inde exire. Quamuis enim fieri possit, vt huiusmodi malefactor ingrediendo non peccet, vt si hostes, vel etiam satellites insequentes fugiat, sibique mortem, aut graue damnum timeat, nisi monasterium ingrediatur (magnum enim cuique ius à natura tributum est ad se tuendum) nihilominus cessante periculo licitè non potest in monasterio commorari; consequenter iudici, & aliis licitum videtur monasterium ingredi ad illum expellendum, quoties Prælata Monialium nequit illum expellere. Ratio est, quia non decet virum cum Monialibus commorari; cumque Monialibus vires non suppetant ad expellendum, par est, vt alij malefactorem expellant. Ita Sanchez *num. 7. & seqq.* Lamas *loc. cit.* & Rodriquez *tom. 1. quæst. 47. art. 4. ad finem vers. nec his obstat*, vbi addit non opus esse in hoc casu ad superiores longè absentes recurrere, cùm sit periculum in mora, sed sufficit consensus Abbatissæ, & discretarum; sed de hac re suprà *punct. 2.*

14 Iudex in præcitato casu ingredi potest, non solùm vt malefactorem expellat, verum etiam, vt examinet quoties constat ipsum immunitate non gaudere: seruatis tamē conditionibus Gregorij XIV.

14 Rogabis vtrùm in præfato casu licitum sit iudici in monasterio Monialium ingredi, non solùm vt malefactorem expellat; verum etiam, vt illum examinet, vel in carcerem coniiciat.

Respondeo distinguendo, vel non omninò constat huiusmodi malefactorem non gaudere immunitate, vel omninò constat non gaudere. Si non omninò constat non gaudere immunitate, potest quidem malefactor extra monasterium duci, & in alio loco collocari: non tamen potest ibi à laica potestate examinari, vel in carcerem trudi, quia ei fieret iniuria, cùm sit in loco immuni. Si verò constat non gaudere immunitate, potest iudex ingredi, etiam vt malefactorem examinet, & in carcerem trudat, obtenta tamen licentia, & seruatis conditionibus, quas *in tractat. de legibus, disputat. 3. quæst. 7. §. 6.* ex Gregorij XIV. constitutione recensui cum Anton. Genuense, & aliis, quibus adde Sanchez *loco citato*, *numero* 58. vbi subdit præfatum iudicem posse monasterium ingredi, etiam absque licentia in duplici casu. Primus est, dum periculum est in mora, tunc enim malefactor a bsque licentia capi potest, quia necessitas vrget. Secundus est, dum licentia iniustè denegatur: iniustè enim suo iure priuatur. Sed ego de hac re satis *in præcitato tractatu*, vbi primum casum non admisi.

15 Puellæ admitti possunt causa educationis.

15 Vndecimò licitum esse puellarum ingressum in monasterium Monialium, educationis gratia. Ratio est, tum quia educatio puellarum in magnam cedit monasterij vtilitatem; cum multæ ex ipsis religiosum habitum in eodem monasterio, in quo educationis gratia perstiterunt, suscipere soleant; tum quia sic à Sacra Cardinalium Congregatione declaratum esse testatur Stephanus Quaranta *verb. monasteria Monialium, colum. 1 pag. mihi 346.* Miranda *in tract. de Monialibus, quæst. 2. art. 6.* Rodriquez *tom. 1. quæst. 46. art. 10.* Zerola *1. p. verb. Moniales, quæs. 10.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 10. nu. 21.* Azor. *1. par. lib. 13. cap. 8. quæs. 4.* Sanchez *loco citato, num. 61.* Sorbus *verb. ingredi monasteria, pag. mihi 359. ad finem.* Barbosa *nu. 62.* & alij communiter. Declaratio autem Sacræ Congregationis in hæc verba refertur. *Episcopo Hieracensi, Reuerendiss. D. ex Sacra Congregatione Cardinalium Tridentini Concilij interpretum amplitudinis tuæ nomine quæsitum est, an puellæ in monasteriis Monialium educationis causa manere possint. Ii verò sic censuerunt ad te scribendum. Iam dudum ab eadē Congregatione statutum esse, nullo Concilij decreto prohiberi, quo minus puellæ in monasteriis Monialium educentur; si tamen eadem monasteria ante Concilium consueuerunt huiusmodi puellas recipere, sicque à superioribus monasteriorum scriptam licentiam impetrauit, atque Abbatissæ, & reliquarum Monialium consensus accesserit: tum verò hæ ipsæ puellæ, eo vestitu in monasterium intromittantur, qui virginali pudori, & modestiæ conueniat, nullamq; secum famulam adducant, nec manere in eis possint, nisi vsque ad ætatis suæ annum vigesimumquintum, atque in eis dum erunt eamdem seruent clausuræ legem, quam Moniales ipsæ, & si semel exierint, nullam habeant ad ea reuertendi facultatem.*

16 Quænā conditiones seruādæ sint dū aliqua puella in monasterium Monialium educationis gratia recipitur.

16 Ex qua declaratione, & ex aliis, quas præcitati Doctores afferunt, colliguntur conditiones necessariæ ad puellas in monasterio Monialium educationis gratia collocandas. Prima est, vt monasterium consueuerit huiusmodi puellas recipere. Secunda, vt non sint supra numerum præfixum. Tertia est, vt adsit consensus Abbatissæ, & aliarum Monialium, & superioris licentia, & hoc tempore non sufficit Episcopi facultas, sed requiritur etiam licentia Sacræ Congregationis. Quarta, vt vestitu honesto, & virginibus cōueniente vtantur. Quinta, vt ancillas secum non adducant. Sexta, vt septem annos expleuerint, & sint minores vigintiquinque annis, nec vltra vigesimumquintum annum retineantur. Existimo tamen puellam, quæ completo vigesimoquinto anno statim non egreditur, non affici excommunicatione, sicut nec eadem affici videtur Prælata Monialium illam retinendo, quia non est illicitè ingressa, nec Sacra Cardinalium Congregatio excommunicationem imposuit. Episcopus tamen in tali euentu poterit huiusmodi feminæ terminum constituere ad eligendum egressum, vel susceptionem status religiosi. Ita Sacra Cardinalium Congregatio testibus Campanil. *rub. 12. cap. 16. nu. 29.* Francisco Leone *in Thesauro fori parte 2. cap. 16. numer. 54.* & August. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi 3. par. allegat. 102. numer. 65.* Septima, vt existant in loco separato à dormitorio Monialium, & à loco, in quo Moniales operibus manuum vacare consueuerunt, vulgò, *lauorerio.* Octaua, vt monasterio non egrediantur, & semel egressæ nequeant iterum admitti, nisi fortè Moniales fieri velint: [aut nisi egressæ sint causa medendi morbo, & ex licentia superioris. Ita Sacra Cardinalium Congregatio, testibus Rodriquez *loc. cit.* Sanchez *nu. 61.* Emanuele Sà *verb. monasterium, n. vlt.* Zerola, & aliis.]

Hinc patet quid dicendum sit de puellis, quæ è publicis locis extrahuntur, & in monasterio collocantur, vt ibi educentur, donec nubendi occasio se offerat, aut de puellis congrua ad nubendum dote carentibus, aut de illis, quibus aliquid legato relinquitur, hac conditione, vel onere, vt in monasterio collocentur; par enim omnium ratio videtur, modò præfatæ conditiones seruentur.

17 Feminæ coniugatæ, aut viduæ, non admittuntur in monasteria Monialiū.

17 Secus dicendum est de coniugatis, quæ viri sæuitiam timentes in monasterium recipi cupiunt; in hoc enim casu monasterij vtilitas cessat, & ex admissione huiusmodi feminarum in monasterium, quies Monialium sæpe turbatur. Nauar. tamen *lib. 4. consil. 5. de diuortiis, numero 2.* Zerola *loco citato, quæs. 21.* Campanil. & Barbosa *locis citatis*, & alij putant huiusmodi feminas coniugatas posse in monasterium recipi, donec lis diiudicetur, seruatis conditionibus supra citatis. Idem tenet Miran. *de Monial. quæst. 2. art. 7.* exceptis monasteriis Sanctæ Claræ, & Conceptionis. Viduæ verò recipi non possunt (nisi Moniales in monasterio habili fieri velint,) in his enim cessat ratio necessitatis ad eas recipiendas. Ita Doctores citati.

18 Qui ingreditur prætextu vilis ministerij, quod re ipsa præstare non intendit, non excusatur. Secus si id præstare intendat, etiamsi ingrediatur cum aliquo prauo fine.

18 Sed modò dubium est primò, vtrùm excusetur, qui monasterium ingreditur prætextu alicuius vtilis operis præstandi, & simul ex curiositate inspiciendi monasterium, aut inuisendi aliquam Monialem.

Respondeo non excusari si ingrediatur prætextu alicuius vilis ministerij, quod re ipsa præstare non intendit: hoc enim facit in fraudem præcepti clausuræ, nec iustam habet ingrediendi causam, quam iura petunt, (ob id non excusantur mulieres, quæ prætextu alicuius vilis ministerij, monasterium ingrediuntur; cùm tamen parum, aut nihil ibi facturæ sint, & id ministerium ipsarum statui minimè conueniat.) Si verò ingrediatur animo re ipsa præstandi opus, quod Moniales commodè præstare nequeunt, excusatur à peccato cōtra clausuram; quia ex iusta causa ingreditur cum licentia, vt suppono, modò ingrediatur tamquam operarius, non tamquam vir nobilis cum decenti comitatu: ingrediens enim tamquam operarius, & famulus non potest secum comitatum ducere; quia famuli comitatum non ducunt; potest ergo sine comitatu ingredi intuitu vilis ministerij præstandi; etiamsi animum, & intentionem simul habeat ingrediendi, causa inspiciendi monasterium, aut visitandi Moniales: hæc enim intentio non tollit priorem causam, & vnius, & eiusdem actionis duplex finis partialis assignari aliquando potest, vt alibi probaui, & patet in eo, qui Romam pergit causa visitandi amicum, & limina Apostolorum; & nihilominus Romam pergeret, etiamsi amicus ibi non adesset, aut etiamsi Apostolorum limina ibi nō extarent.

Hinc patet, quid dicendum sit de eo, qui monasterium ingreditur cum licentia superioris ex causa vilis ministerij necessarij, sed simul intentionem habet turpiter loquendi, vel congrediendi cum Moniali; hæc enim praua intentio non tollit priorem ingrediendi causam, ob quam à superiore facultas data est, quamquam is grauissimè peccat, & grauibus pœnis ob sacrilegij reatum puniendus est, vt per se patet. Ita sentire videtur Zerola *in praxi part. 1. verbo Moniales ad 8. quæs. versic. 4.* Sanchez *in opere morali libro 6. cap. 16. numer. 49. & 69. & cap. 17. numer. 28.* Rodriquez *tom. 1. quæst. 46. artic. 3. notab. 2.* Imò non improbabiliter dici posset, hunc reum esse violationis clausuræ: tum quia licet ingressus licitus sit ob priorem causam, non tamen ob posteriorem: tum quia superior non præsumitur facultatem pro tali casu concessisse, quia tacitum fuit aliquid, quo expresso licentiam non concessisset, vel concedere non potuisset. Ita Augustinus Barbosa *de offic. & potest. Episcop. 3. par. allegat. 102. num. 58.* asserens non incidere in censuram si detineatur, & demoretur absque corrupta & praua intentione.

19 Non est licitus ingressus si tempore ingressus cessauit causa, ob quam data fuerat facultas ingrediendi.

19 Secundò dubium est, vtrùm qui licentiam ingrediendi cœnobia Monialium obtinuit ex causa, quæ suberat tempore concessionis licentiæ, sed tempore ingressus cessauit, tutus sit in conscientia ingrediendo.

Respondeo negatiuè, tum quia cessante causa dispensationis cessat dispensatio, vt pluribus docui de legibus: tum quia ex motu Gregorij XIII. qui incipit, *Vbi gratia*, aperte constat, excommunicatione affici ingredientes sine iusta causa; etiamsi ex licentia ingrediantur. Idem patet ex *cap. periculoso, de statu regul.* ibi, *nisi rationabilis, & manifesta causa existat*, & hic textus in Concilio Tridentino *sess. 25. ca. 5.* innouatur.

20 Non potest licite ingredi is, qui licentiam sine causa obtinuit, etiamsi causa tempore ingressus superueniat.

20 Tertiò dubium est, vtrùm qui licentiā obtinuit ex causa, quam falsò narrauit superiori, possit licitè ingredi, si tempore ingressus iusta causa superueniat.

Respondeo negatiuè, quia huiusmodi licentia irrita est, & inualida, cum ratione erroris sit inuoluntaria, vt probaui de dispensationibus *in tract. de legibus*; iura autem ad licitum ingressum requirunt licentiam.

21 Et hoc verum est, etiamsi superior licentiam sine causa concedere voluerit.

21 Maior difficultas est, vtrùm licitus sit ingressus, si superior conscius erat nullitatis causæ, & nihilominus licentiam concedere voluit, vt si nouerat causam sibi expressam non subsistere, aut si suo proprio motu licentiam concedere voluit sine causa.

Respondeo non esse licitum. Ratio est, tum quia *in ca. periculoso*, quod in Trid. *sess. 25. c. 5.* innouatur, ad licitum ingressum rationabilis, & manifesta causa exigitur. Tum quia licet Tridentinum *in præcitato cap.* ad euadendam excommunicationis pœnam ob ingressum, mentionem tantummodo fecerit de licentia ab Episcopo, vel superiore in scriptis obtenta; nihilominus nomine licentiæ non intelligitur simpliciter libera voluntas, sed voluntas prudentis arbitrio accommodata, vt bene Menochius *lib. 1. de arbit. quæst. 8. num. 45. & 49.*

San-

Sanchez *in opere morali. lib.6.c.16.n.73.*Suarez *tom. 4. de relig. lib.1.c. 9.n.14.* Bartolus, Ancharanus, & alij apud præcitatos Doctores. Tum quia huiuſmodi licentia irrita eſt, vtpote ab inferiore collata ſine iuſta cauſa, vt clarè conſtat ex motu proprio Gregorij XIII. qui incipit, *Vbi gratiæ*, in quo motu imponuntur etiam pœnæ excommunicationis reſeruatæ, & priuationis beneficiorum, & inhabilitas illis, qui ex facultate Epiſcopi, vel ſuperiorum, ad quos pertinet facultatem concedere, ingrediuntur abſque vrgente neceſſitate, & Monia-les, quæ illos aliter admittere præſumunt, iiſdem pœnis ſubiiciuntur; verum tamen eſt eum, qui licentiam ingrediendi ſine iuſta cauſa bona fide obtinuit, excuſari à peccato, & à cenſuris, vt ſi cauſam bona fide aperuit ſuperiori examinandam, aut ſi neſciat ſuperiorem licentiam voluntariè concedere ſine iuſta cauſa. Ratio eſt, tum quia ſuperioris eſt cauſam concedendæ licentiæ examinare & approbare: tum quia bona fides ab humanarum legum tranſgreſſione excuſare ſolet, vt pluribus docui in tractatu de legibus, & alibi pluribus in locis.

22 Ingrediens monaſterium Monialiũ ex iuſta cauſa, & cũ licentia, non afficitur excommunicatione ſi ſtatim non egrediatur, peccat tamen grauiter contra clauſuræ obligationem ſi diutius immoretur.

22 Quartò dubium eſt, vtrùm qui Monialium cœnobia ex iuſta cauſa & cum licentia ingreſſus eſt, grauiter peccet contra obligationem clauſuræ, & cenſuris afficiatur, ſi finito miniſterio, cuius cauſa ingreſſus eſt, ſtatim non egrediatur.

Reſpondeo non affici cenſuris, quia iſtæ latæ ſunt contra ingredientes ſine licentia, & ſine iuſta cauſa; hic autem ingreſſus eſt cum licentia, & cum iuſta cauſa, vt ſuppono; peccat tamen grauiter contra obligationem clauſuræ, quia licentia ingrediendi non eſt conceſſa, niſi ob cauſam, quam ceſſaſſe ſupponimus. Hoc tamen intelligendum eſt, niſi breui ſpatio immoretur: paruitas enim materiæ à mortali excuſat. Imò Sanchez *num.69.* Molfeſius *in ſumma tractat.7. cap. 20.num.42.* Rodriquez *tom.1.quæſt.47.art.11.* Compendiator priuilegiorum *verbo ingredi monaſteria.§.34.* Miranda *quæſt.2.art.20.* non ſolùm à mortali, verùm etiam à veniali excuſant breuiter immorantem, vt ſi cauſa curioſitatis aliquantiſper in inuiſendis officinis immoretur. Ratio eſt, tum quia ſic vſu receptum eſt, etiam apud viros timoratæ conſcientiæ, vt teſtatur Molfeſius, tum quia hoc eſt præceptum morale, conſequenter morali modo, & non metaphyſico explicandum eſt. Quamquam fieri poteſt, vt grauiter peccet ratione alterius circumſtantiæ, vt ſi breuem aliquam moram ibi trahat animo percutiendi Monialem, aut furandi, aut turpe aliquid faciendi, vt patet ex regulis generalibus traditis de peccatis. Imò probabiliſſimum eſt affici excommunicatione Papæ reſeruata, ſi ad malum finem in monaſterio Monialium immoretur. Ratio eſt, quia hic dicitur violare clauſuram ad malum finem, vt ſuppono; violans autem clauſuram ad malum finem, afficitur excommunicatione Papæ reſeruata, à qua neque religioſi, aut alij habentes facultatem abſoluendi à cenſuris Summo Pontifici reſeruatis, abſoluere poſſunt, ex decreto ſacræ Congregationis iuſſu Clementis VIII. edito anno 1602. 26. Nouembris, & incipit *Sacra Congregatio*, de quo decreto plura diſſerui *de cenſuris in genere, & de cenſuris in particulari*, dum loquerer de abſolutione ab excommunicationibus Bullæ Cœnæ, & in cauſa duelli.

23 Prælatus concedens facultatem ingrediendi abſque iuſta cauſa non afficitur excõmunicatione; ſecus ſi permittat ingredi.

23 Quintò dubium eſt, vtrùm Prælatus concedens facultatem ingrediendi abſque iuſta cauſa, incurrat excommunicationem.

Reſpondeo negatiuè, quia huiuſmodi excommunicatio nullibi expreſſa reperitur. An verò Prælatus permittens aliquem in clauſtra Monialium ingredi abſque iuſta cauſa, aliquas pœnas incurrat, conſtabit ex dicendis *in ſecunda propoſitione ſequentis §.* vbi oſtendam incurrere ob motum Gregor. XIII. qui incipit, *Vbi gratia.*

PVNCTVM V.

De cenſuris, aliisq; pœnis contra ingredientes cœnobia Monialium, & contra eos, qui ingredi faciunt, permittunt, vel admittunt.

VT in hac materia, quæ ob varias Summorum Pontificum conſtitutiones cognitu difficilis apparet, clara methodo progrediar; Primo loco explicabo pœnas contra ipſos ingredientes editas. Secundò pœnas impoſitas contra eos, qui faciunt ingredi, vel permittunt. Tertiò pœnas latas contra eos, qui ingredientes admittere præſumunt.

VNICA PROPOSITIO.

1 Ingrediẽs ſine iuſta cauſa, & ſine licentia, excommunicationem incurrit.

1 INgredientes clauſtra Monialium ſine iuſta cauſa, & ſine licentia, pœnam excommunicationis incurrunt. Hæc propoſitio patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ.25.c.5.* & ex dictis *§. præced. dub.2.* Sed vt clariùs intelligatur, diſtinguendi ſunt quatuor caſus, in quibus ſinguli peculiares extant conſtitutiones.

2 Ingrediẽs ſine licentia incurrit excommunicationem nõ reſeruatã, modo non ingrediatur ad malum finẽ.

2 Primus caſus eſt de illo, qui ſine licentia ſuperioris ingreditur, etiamſi alioquin iuſtam habeat ingrediendi cauſam, ob quam ſuperior licentiam conceſſiſſet. Concilium enim Tridentinum *loco cit.* excommunicat ingredientes ſine licentia in ſcriptis obtenta. An autem valeat licentia ſine ſcriptura, aut conceſſa ſine iuſta cauſa, patet ex dictis *§. 3.n.2.* ſicut etiam ex dictis *puncto 1.§.4.n.2.* & *§.6.n.10.* patet vtrùm paruitas materiæ, aut aliæ cauſæ ab excommunicationis pœna incurrenda excuſent.

Obſerua tamen iſtam excommunicationem iure communi reſeruatam non eſſe, quia in præfato Concilio nulla de reſeruatione fit mentio. Hoc tamen intelligendum eſt, modò quis non ingrediatur monaſterium Monialium ad malum finem; violatio enim clauſuræ Monialium ad malum finem eſt caſus Summo Pontifici reſeruatus, à quo nemo poteſt virtute priuilegiorum hoc tempore abſoluere, vt patet ex declaratione Sacræ Congregationis, quæ incipit, *Sacra Congregatio.* Vtrùm autem Epiſcopus poſſit abſoluere, quamdiu delictum eſt occultum, patet ex dictis in expoſitione Bullæ Cœnæ *ad finem, & alibi.* Extant etiam aliæ excommunicationes contra ingredientes pecularia Monialium cœnobia; nam contra præſumentes ingredi monaſteria Sanctæ Claræ, edita eſt excommunicatio reſeruata à Gregorio IX. & Eugenio IV. Cõtra præſumentes ingredi monaſteria Monialium Ordinis Prædicatorum lata eſt excõmunicatio à Bonifacio IX. & contra ingredientes cœnobia Monialium Conceptionis impoſita eſt excommunicatio à Iulio II. vt patet ex conſtitutionibus Summorum Pontificum apud Rodriquez *tom.1.quæſt.47.art.1. &* 2. & apud Compendiatorem priuileg. mendic. *verb. ingredi monaſteria Monialium pag. mihi* 331. *& ſeq. in vlt. editione.*

3 Ingrediẽs prætextu facultatum incidit in excommunicationẽ.

3 Secundus caſus eſt de præſumentibus ingredi monaſteria Monialium prætextu facultatum à Summo Pontifice, Legato, Epiſcopo, vel aliis conceſſarum ante motum proprium Gregorij XIII. editum *anno 1575. Idibus Iunij*, quem refert Stephanus Quaranta *in verb. monaſteria Monialiũ, col.9.pag.344.* incipit, *Vbi gratia*, in quo motu Summus Pontifex primo loco reuocat omnes facultates & priuilegia conceſſa quibuſcumque, tam viris, quàm feminis, etiam Comitiſſis, Marchionibus, Duciſſis, & aliis cuiuſcũque ſtatus, ingrediendi clauſtra Monialium. Similem diſpoſitionem edidit Paulus V. in bulla 74. aliàs 47. quæ incipit, *Monialium ſtatui*, in qua reuocat omnes facultates feminis conceſſas ingrediendi monaſteria Monialium, cum eis conuerſandi, & refectionem ſumendi.

An autem licentiæ Reginis, Imperatoribus, vel Imperatrici conceſſæ in Bullis Gregorij XIII. & Pauli V. reuocatæ cenſeantur, conſtat ex dictis in præcedentibus *ſect.1.* & clariùs conſtabit ex dicendis *in quæſt. ſeq. punct.1.§.2. illat.3.* Secundo loco Greg. XIII. in præcitato motu excommunicationem ſibi reſeruatam impoſuit præſumentibus ingredi monaſterium Monialium prætextu facultatum ab ipſo Pontifice, Legato, Epiſcopo, vel aliis conceſſarum. Eamdem excommunicationem tulit Paulus V. contra feminas ingredientes prætextu facultatum Apoſtolicarum. Hinc colligi poteſt ſolutio nonnullarum difficultatum.

4 Qui ingreditur ſine licentia, ſed ſinè prætextu facultatũ, non incidit in excommunicationem Gregorij XIII. relatam.

4 Prima difficultas eſt, vtrùm ingrediens monaſteria Monialium abſque licentia, non tamen prætextu facultatis, incidat in iſtam excommunicationem Papæ reſeruatam.

Reſpondent multi Doctores non incidere. Ratio eſt, quia in materia pœnali non eſt facienda extenſio vltra propriam verborum ſignificationem; verba autem Gregorij XIII. in præcitato motu, & Pauli V. in præfata bulla ſignificant ſolum excommunicatione affici præſumentes ingredi monaſteria Monialium prætextu licentiarum, ibi, *ne ipſarum licentiarum prætextu monaſteria ingredi audeant*, & in bulla Pauli V. ſic habetur, *ne monaſteria prædicta prætextu licentiarum huiuſmodi ingredi audeant, ſeu præſumant.* Ita Suarez *de cenſuris diſput. 22. ſect.6.num.11. & ſeq.* Sayrus *de cenſuris lib.3.c.31.nu.10.* Rodriquez *tom.1.quæſt.47.art.1. & quæſt.48.art.2. per totum.* Miranda *in tract. de Monialibus, q.2.art.10. concl.1. circa medium.* Zerola *in praxi Epiſcop.1. part. verb. Moniales, q.8.* Sanchez *in opere morali lib.6.c.16.nu.79.* Barboſa *3.part. allegat.102.n.37.* Emanuel Sà *de excommunicationibus Papæ reſeruatis n.15.* & alij contra Nauar. *in Manuali c.27.nu.105. excom. 61.* Coriolan. *de caſibus reſeruatis 2.part. caſu.3.n.40.* Beiam *1.parte, caſu.3.* Quarantam *verb. Monialium monaſteria, verſ. amplia dictam conſtitutionem*, Azorium *1.parte, lib.13.c.8. quæſ. vltimo*, & alios, quorum ſententiam ſtylo, & praxi pœnitentiariæ comprobatam eſſe teſtatur Filliucius *tr.29.c.8.n.170.* & alibi, propterea tutius eſt hanc in praxi ſequi.

In dubium tamen vocari poſſet, vtrùm Paulus V. ſimpliciter reuocauerit feminis omnes licentias ingredi, an eas ſolũ, in quibus continetur etiam facultas conuerſandi, & refectionem corporalem ſumendi. Cherubinus in ſuo Bullario ſentire videtur reuocari ſimpliciter quaſcumque facultates, & priuilegia ingrediendi, etiamſi in ipſis non contineatur licentia conuerſandi, & refectionem ſumendi cum Monialibus, nam ipſe Cherubinus in ſummario bullæ diſiunctiuè loquitur per dictionem, *aut.* Oppoſitum tamen alicui fortè videri poteſt non improbabile, quia Paulus V. vtitur forma loquendi coniunctiua per dictiones, *ac, &*, ibi, *omnes, & ſingulas licentias ingrediendi monaſteria Monialium vbique locorum exiſtentium, ac cum Monialibus conuerſandi, & refectionem ſumendi corporalẽ ſæcularibus cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis*, &c. Neque obſtat quod *in §. ſubſequenti*, in quo excommunicationem imponit, ſimpliciter mentionem faciat de ingredientibus. Reſpondetur enim mentionem facere de ingredientibus prætextu prædictarum licentiarum, ibi, *prætextu licentiarum huiuſmodi*, vbi notanda eſt illa dictio *huiuſmodi*, quæ relationem habet ad præcedentia, id eſt, ad licentiam ingrediendi, conuerſandi, & refectionem ſumendi.

Obiicies primò contra ſolutionem huius primæ difficultatis; grauius peccat ingrediens ſine vlla prorſus licentia, quam qui ingreditur virtute alicuius facultatis; ergo ſicut iſte pœnam excommunicationis incurrit, ita etiam ille.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia in materia cenſurarum non valet argumentum à minori ad maius. Et in hoc caſu Summus Pontifex prudenter ſe geſſit in huiuſmodi excommunicatione contra præſumentes ingredi prætextu facultatum, nam qui nullam prorſus habent licentiam, abſtinere ſolent ab ingreſſu; qui verò facultatibus & priuilegiis ingrediendi fulti erant, audaciores fuiſſent ad ingrediendum prætextu priuilegiorum, niſi excommunicationis pœna adiecta fuiſſet.

Obiicies ſecundò, Pius V. in motu proprio, qui incipit, *regularium perſonarum*, excommunicationem tulit contra feminas ingredientes monaſteria virorum prætextu facultatum; & nihilominus illa excommunicatio extenditur etiam ad feminas ingredientes abſque vlla facultate; ergo etiam iſta extenditur ad ingredientes monaſteria Monialium abſque vlla licentia.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia Pius V. illam extenſionem fecit, ſeu declarauit in alio motu proprio, qui incipit, *Romanum Pontificem*, edito anno 1570. die 16 Iulij, quem ad verbum adducit Confectius *in priuileg. Ordinum mendic. inter litteras Apoſtolicas fol.179.* & Sanchez ex parte *loco cit. num.79.* de qua re infra *ſect.4.*

5 Habens facultatem ingrediendi non afficitur excommunicatione Gregorij, nisi ingrediatur prætextu facultatum.

5 Secundò difficultas est, vtrùm qui facultatē ingrediendi habet, sed non ingreditur prætextu facultatum, sed perindè se gerit, ac si illas non haberet, afficiatur prædicta excommunicatione Gregorij XIII. ingrediendo.

Respondeo non affici, quia non innititur facultati, nec dicitur ingredi virtute facultatum. Ita Nauarrus *in comment. 4. n. 62. notab. 4. de regul.* Sanchez *loc. cit. n.* 80. & alij.

6 Ingrediēs prætextu facultatū inualidè obtentarū non ligatur excōmunicatione Gregorij, sed Tridētini.

6 Tertiò difficultas est, vtrùm non solùm ingrediens prætextu facultatum, quas nouit irritas esse, ob reuocationem Gregorij XIII. verum etiam ingrediens prætextu facultatum inualidè obtentarum ob surreptionem, aliaue de causa, incidat in excommunicationem. Ratio dubitandi [pro sententia affirmatiua] est, tum quia prætextus non solùm importat veram causam, verum etiam fictam, vt sæpius in simili docui in expositione bullæ Cœnæ; ergo etiam ingrediens prætextu facultatum inualidè obtentarum ligatur excommunicatione: tum quia idem est ingredi ex facultate validè obtenta, sed iam reuocata, ac ingredi ex facultate inualidè impetrata, cùm vtraque viribus careat, nec vllum ius conferat. Sicut ergo ingrediens prętextu facultatis iam reuocatæ afficitur excommunicatione Summo Pontifici reseruata, ita etiam afficitur ingrediens prætextu licentiæ, quam nouit inualidè obtentam fuisse.

His non obstantibus probabiliter dicendum arbitror, ingredientem prætextu facultatis inualidè concessæ, non affici excommunicatione Gregorij XIII. sed Tridentini. Ratio est, quia Summus Pontifex in præcitato motu loqui videtur de ingredientibus prætextu facultatum, quas ipse reuocat, ibi, *ipsarum licentiarum prætextu*; reuocatio autem non cadit super licentias inualidas; non enim reuocatur, quod non subsistit, & non entis nullæ sunt qualitates, iuxta axioma Iurisperitorum; idem dici posse videtur iuxta dispositionē Pauli V. supra citatam.

Hinc patet responsio ad rationes dubitandi.

Ad primam enim respondeo, nomine prætextus non intelligi quamlibet causam, seu adductionem causæ, sed illam, de qua in hoc loco sermo est; hic autem sermo est de ingredientibus prætextu licentiarum, quas Summus Pontifex reuocauit.

Ad secundam respondeo, esse idem, quoad ius ingrediendi, non autem quoad pœnas ingredientibus impositas.

7 Confingens se habere aliquam licentiam obtentam post motū Gregorij, non afficitur excōmunicatione Gregorij, sed Concilij Tridētini.

7 Addo eum, qui tempore ingressus confingeret se habere aliquam facultatem ingrediendi claustra Monialium obtentam post præfatum Gregorij XIII. motum, non affici ista excommunicatione. Sicut enim ista excommunicatione non afficitur ingrediens vi facultatis ab Episcopo obtentæ post præfatum motum, cùm in præfato motu non irritentur licentiæ in futurum obtinendæ (quamquam istam licentiam alio titulo inualidam esse constat ex dictis *sect. præcedenti, sub finem*) ita neque excommunicatione huius motus obstringitur ingrediens ficta licentia; incurrit tamen excommunicationem Concilij Tridentini *sess. 25. c. 5.* aut Pauli V. *in bulla* 74. quæ incipit, *Monialium*, cuius bullæ memini *n. 3. & 4.*

8 Ignorantia, & bona fides excusant, priuilegiū verò ingrediendi claustra Monialiū non suffragatur, nisi Moniales consensum præstent capitulariter, & per secreta suffragia.

8 Quarta difficultas est, vtrum ingrediens Monialium cœnobia prætextu facultatum, putans sibi licitum esse ingressum, incidat in excommunicationem Gregorij XIII.

Respondeo negatiuè, quia Gregorius XIII. excommunicat præsumentes ingredi prætextu facultatum: præsumptio autem supponit scientiam, vel saltem ignorantiam cum ingenij temeritate coniunctam. Idem dic iuxta bullam Pauli V.

Ex quo patet non solùm bonam fidem, verùm etiam ignorantiam vincibilem, crassam; & supinam ab ista excommunicatione excusare, vt patet ex regulis generalibus, traditis de censuris: ignorantia tamen crassa, vel supina non excusat ab excommunicatione lata in Trident. *sess. 25. cap. 5.* quia ibi ingressus absolutè sub excommunicatione interdicitur.

Quinta difficultas est, vtrùm mulieres habentes priuilegium ingrediendi claustra Monialium de consensu expresso Monialium, & superiorum ipsarum, eximantur ab excommunicatione, si consensum à singulis seorsim obtineant.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia Summus Pontifex Vrbanus VIII. *in quodam motu proprio, edito die 27. Octobris, 1624.* incipit, *Sacrosanctum Apostolatus ministerium*, præscripsit consensum obtinendum esse à Monialibus capitulariter, & per secreta suffragia, ibi, *motu proprio, & ex certa scientia nostra; harum serie decernimus, atq; declaramus, consensum dictarum Monialium, de cetero per easdem Moniales capitulariter, & per secreta suffragia præstandum esse, & præstari debere, aliàs licentia huiusmodi mulieribus, quibus concessa fuerunt, nullatenus suffragentur, & quæ sanctimonialium monasteria vigore licentiarum prædictarum, absque consensu capitulariter, vt præfertur, præstito, ingredi præsumpserint, sententias, censuras, & pœnas contra clausuras monasteriorum Monialium violantes inflictas se nouerint incursuras.*

9 Qui prætextu facultatum ab Episcopo, vel ab aliis superioribus obtentarū ingreditur dum non adest necessitas, incurrit excommunicationem Gregorij.

9 Tertius casus est de illis, qui prætextu facultatum ab Episcopo, vel ab aliis superioribus, ad quos pertinet facultatem ingrediendi concedere, in casibus necessariis concessarum, præsumunt ingredi in casibus non necessariis: isti enim præsumentes ingredi prætextu dictarum facultatum absque necessitate incurrunt excommunicationem, priuationem beneficiorum, & inhabilitatem ad illa: sic enim clarè habetur in motu Gregorij XIII. qui incipit, *Vbi gratia*, ibi, *quin etiam sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus, atque interdicimus omnibus, & quibuscumque personis Ecclesiasticis, & secularibus, ac etiam Ordinum quorumcumque, etiam mendicantium regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis, vel à superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessariis tantùm ex decreto Tridentini facultas tribuitur, monasteria ipsa Monialiū prohibito, sed necessitatibus vrgētibus dūtaxat ingredi, neue Moniales sub iisdē pœnis illos aliter admittere præsumāt.*

10 Ingrediens ex licentia, sed non vrgēte necessitate, ligatur excommunicatione, etiamsi causa vrgēs subesset tempore concessionis; si verò nō suberat tempore concessionis, sed tamē modo tē pore ingressus, nō afficitur excommunicatione Gregorij, sed Tridētini.

10 Hinc sequitur illum, qui obtenta ab Episcopo licentia ingrediendi monasterium ingreditur, dum causa ingrediendi cessauit, affici præfatis pœnis, quia dicitur ingredi necessitate non vrgente. Et hoc verum est, etiamsi tempore cōcessionis licentiæ, causa illius concedendæ adesset; parum enim refert ad has pœnas incurrendas, causam iustam fuisse tempore concessionis licentiæ, non autem tempore ingressus. Summus enim Pontifex illam subesse vult tempore ingressus. Ex oppósito, si causa tempore concessionis licentiæ non aderat, sed superuenit tempore ingressus, ingrediens his pœnis non afficietur; quia Summus Pontifex has pœnas tulit cōtra ingredientes prætextu licentiæ in casibus non vrgentibus: hic autem ingreditur in casu vrgente, vt suppono. Verùm licet iste in hoc casu non afficiatur pœnis constitutionis Gregorij XIII. afficitur tamen excommunicatione Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 5.* explicata iam in primo casu; quia huiusmodi licentia irrita est.

Vtrùm verò ingrediens sine vlla licentia, aut illam habens, sed illi non innitens, afficiatur his pœnis Gregorij XIII. patet ex dictis in casu præcedenti non affici, quia istæ latæ sunt contra ingredientes prætextu facultatum.

Solutio aliarum difficultatum, quæ occasione istius tertij casus proponi hoc loco possent, clarè constat ex dictis in præcedentibus.

11 Prælati tam sæculares, quam regulares, quas pœnas incurrant ingrediendo monasteria Monialiū sibi subditarum.

11 Quartus casus est de Prælatis ingredientibus absque necessitate monasteria Monialium sibi subditarum. Isti enim si vltra casus necessitatis ingrediantur, afficiuntur pœnis statim adducendis: Prælati enim sæculares Pontificali dignitate prædíti pro prima vice, qua citra casum necessitatis ingrediuntur, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ; pro secunda contrahunt suspensionem à munere Pontificali, & à diuinis; pro tertia verò vice, & deinceps excommunicatione ipso facto afficiuntur. Prælati regulares incurrunt excommunicationem, & simul priuationem omnis officij, & ministerij; vt perspicuè constat ex motu Gregorij XIII. edito die 23. Decembris anno 1581. cuius tenorem ex parte hic referre lubet. *Harum tenore, auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes, tam sæculares, quàm regulares, quibus cura, & regimen monasteriorum Monialium quouis modo incumbit facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta, ita demum vti posse, si id faciant in casibus necessarijs, & à paucis, iisq; senioribus, religiosis personis comitati. Quoniam vniuersos, & singulos Episcopali, seu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, ac quorumuis Ordinū Abbates, Priores, Ministros, & alios quoscumque superiores regulares seriò monemus, vt facultate huiusmodi, qui eam habēt, præterquam in casibus, vt præfertur, necessariis neutiquam vtantur: quòd si contrafecerint, eadē auctoritate Apostolica statuimus, atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contrafecerint, ingressu Ecclesiæ interdictos. Pro secunda à munere Pontificali, & à diuinis suspensos: ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere. Regulares verò omni officio, & ministerio priuatos, excommunicationi similiter subiacere, non obstantibus, &c.*

Ex dictis patet primò differentia inter Prælatos sæculares, præditos dignitate Pontificali, & alios Pontificalem dignitatem non habentes, quòd licet nulli possint licitè ingredi monasteria Monialium sibi subdita vltra casus necessitatis: soli tamen Prælati Pontificali dignitate prædíti prædictis pœnis afficiuntur; quia Gregorius, dum pœnas contra Prælatos sæculares imponit, horum tantummodo meminit, ob id Vicarius Generalis, aut Abbates, aliique iurisdictionem Episcopalem non habentes, his pœnis non subiiciuntur ingrediēdo, vt bene Sanchez *lib. 6. c. 16. n. 99.* Ratio est, quia Pontificali dignitate carent, vt suppono.

Secundò patet Prælatos regulares ingredientes monasteria Monialium sibi subdita, affici excommunicatione, & priuatione officij, & ministerij, non solùm, dum tertia vice, & deinceps vltra casus necessitatis ingrediuntur; verùm etiam prima, & secunda vice. Ratio est, quia Summus Pontifex non meminit primi, & secundi ingressus regularium, sicut fecerat, dum loqueretur de Episcopis, sed pœnam excommunicationis, & priuationis officij, & ministerij absolutè imponit Prælatis regularibus absque necessitate in monasteria Monialium subdita ingredientibus. Ita Sanchez *loc. cit. n.* 102. Quamquam ego probabilem arbitror opinionem Lamas *in methodo curationis in append. §. 7.* existimantis, Prælatos regulares his pœnis excommunicationis, & priuationis subiici tantummodo pro tertia vice, & seqq. Ratio est, tum quia in pœnis mitior pars accipienda est. Tum quia hoc pacto seruatur proportio inter pœnas Episcopis, & Prælatis regularibus inflictas; ideo probabiliter sustineri posse videtur Prælatos regulares prima vice interdictos esse ab ingressu Ecclesiæ. Secunda vice suspensos esse à diuinis. Tertia vice, & deinceps affici excommunicatione, & priuatione omnis officij. Quid autem nomine officij intelligatur, patet ex dictis *q. 1. punct. 4. §. 1. n. 6.* vbi etiam explicatum est, vtrùm huiusmodi priuatio incurratur ante sententiam, & à quo possit conualidatio officij obtineri.

12 Prælati ingredientes ex causa necessaria non afficiuntur excommunicatione, etiāsi ducant secū personas non religiosas, nec senes.

12 Tertiò Prælatos, tam sæculares, quàm regulares ingredientes ex causa necessaria non affici excommunicatione; etiamsi soli ingrediantur, vel etiamsi ducant secum personas non religiosas, nec senes. Ratio est, quia licet faciant contra præfatum Gregorij XIII. motum; tamen pœnæ illius motus extenduntur solum ad ingredientes in casibus non necessariis.

13 Præfatæ censuræ contra Prælatos sine vrgenti necessitate ingredientes, nō videntur reseruatæ.

13 Quartò excommunicationem in hoc quarto casu expressam, non esse Summo Pontifici reseruatam; quia in præcitatis verbis motus Gregorij XIII. nulla fit de reseruatione mentio; consequenter absolutio istius excommunicationis iure communi à quolibet approbato Confessario impendi potest, iuxta *c. nuper, de sent. excomm.*

An autem Prælatus religiosus exemptus possit absolutionē istius excommunicationis obtinere ab Episcopo, patet ex dictis de dispensatione voti, & de irregularitate.

PVNCTVM VI.

De censuris, & pœnis contra eos, qui aliquem in cœnobia Monialium ingredi faciunt, permittunt, vel admittunt.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Superiores facientes, vel permittentes ingredi prætextu facultatū incurrunt excommunicationē, & alias pœnas.

1 Abbatissæ, Conuentus, & superiores facientes, vel permittentes aliquam personam ingredi sua monasteria prætextu facultatum

cultatum obtentarum à Summo Pontifice, Legato, vel aliis ante motum Gregorij XIII. qui incipit, *Vbi gratia*, incurrunt excommunicationem, priuationem dignitatum, & inhabilitatem ad illas, sicut etiam Abbates, Conuentus, aliique monasteriorum superiores facientes, vel permittentes feminas ingredi in sua monasteria eidem excommunicationi, priuationi dignitatum, beneficiorum suorum, & inhabilitati ad illa, & alia in posterum obtinenda subiiciuntur, vt patet ex præc. motu, in quo sub vna, & eadem verborum serie hæc omnia continentur, ibi, *Abbatissis verò, nec non Abbatibus, Conuentibus, & aliis monasteriorum vtriusq; sexus superioribus, & personis, quocumque nomine vocentur, districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, nec non priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, inhabilitatis ad illa, & ad alia in posterum obtinenda, ne in monasteria, domos, & loca sua quemquam prætextu huiusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant.*

Idem decernitur in Bulla Pauli V. suprà citata contra Abbatissas, & superiores, quæ aliquam feminam, ingredi volentem prætextu licentiarum Apostolicarum, audent introducere, seu admittere, vel retinere, nam in Bulla Pauli V. sic habetur, *ipsorum verò monasteriorum Abbatissis, seu Prioribus, ac superioribus, sub eadem, ac priuationis suorum officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda ipso facto absque alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, seu admittere, vel admissas quoquo modo retinere audeant, seu præsumant.*

2 Quisnam dicatur facere, aut permittere ingredi.

2 Quæres primò, quisnam dicatur facere ingredi, aut permittere ingredi.

Respondeo illum dici facere ingredi, iuxta communem loquendi vsum in hac materia, qui sua actione positiua in causa est, cur alter ingrediatur, vt si alicui ianuam aperiat, aut iubeat, vel consulat ingredi. Ille verò dicitur permittere ingredi, qui ingredientem non impedit, dum commodè potest impedire.

Addit tamen Sanchez *lib. 6. c. 16. nu. 84.* Rodriquez *tom. 1. q. 47. art. 3.* Miranda *q. 2. art. 12. concluſ. 3.* non quemlibet permittentem ingredi affici his pœnis, sed eum, qui ex officio impedire tenetur, & non impedit; hic enim censetur causa indirecta. Idem dicendum est de Monialibus admittentibus feminas ingredi contra dispositionem Pauli V. nam Paulus V. loquitur de Abbatissis, Prioribus, & superioribus. Sed de hac re fusius *in quæsito proximè sequenti.*

3 Non solùm superiores, verùm etiam inferiores Monachi, vel Moniales facientes, vel permittentes ingredi, prætextu facultatum personas prohibitas, afficiuntur pœnis Gregorij XIII.

3 Quæres secundò, vtrùm omnes, & singuli, qui viros, vel feminas in monasteria Monialium, aut feminas in monasteria virorum ingredi faciunt, vel permittunt, excommunicationem, aliasque pœnas in propositione expressas contrahant.

Respondent Sanchez, Rodriquez, & Miranda *locis cit.* & Barbosa *nu. 37.* tantummodo superiores, & Conuentus, vtriusque sexus his pœnis affici, faciendo, vel permittendo ingredi personas, quarum ingressu clausura violatur.

Ratio est, tum quia in motu Gregorij citato mentio fit dumtaxat Abbatissarum, Abbatum, Conuentuum, aliorumque superiorum vtriusque sexus facientium, vel permittentium ingredi in sua monasteria, domos, vel loca. Tum quia si Summus Pontifex voluisset etiã Moniales, & Monachos priuatos comprehendere, vsus fuisset nomine Monialium, vt infra fecit, vel dixisset religiosos vtriusque sexus. Idem absque dubio dicendum est de Bulla Pauli V.

Ego tamen probabiliter censeo non solùm superiores, verùm etiam inferiores pœnis Gregorij affici, modò faciant, vel permittant ingredi prætextu facultatum à Summo Pontifice, vel ab aliis ante prædictum motum concessarum.

Ratio est, quia Summus Pontifex non solùm expressit superiores: verùm etiam alias personas quouis nomine vocentur, ibi, *superioribus, & personis*; sed nomen personæ genericum est, & complectitur quascumque personas; ergo quælibet personæ facientes, vel permittentes ingredi viros, vel feminas in monasteria Monialium, aut feminas in monasteria virorum, has pœnas incurrunt; alioquin Summus Pontifex superfluè locutus fuisset. Ita Lamas *in methodo curationis. §. 12.*

Ad primam rationem in contrarium patet responsio ex nostra ratione.

Ad secundam respondeo non expressisse nomen Monialium; quia loquebatur de facientibus, vel permittentibus ingredi monasteria vtriusq; sexus, nec vsus est nomine monachi; quia nõ omnes religiosi, qui ad clausurã obligantur, monachi vocantur; vsus ergo est nomine personæ, quod genericum est, & commune religiosis vtriusq; sexus.

Dixi in mea responsione, *modò faciant, vel permittant ingredi prætextu facultatum*, vt aduerterem prædictas pœnas non incurri ab eo, qui permittit aliquibus ingressum absque prætextu dictarum facultatum: admittens enim aliquem in claustra Monialium ingredi non virtute prædictarum facultatum, non videtur præfatas pœnas incurrere; quia hoc nullibi expressum reperitur, & textus loquitur de permittentibus ingredi prætextu facultatum, ibi, *ne quemquam prætextu huiusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant.*

Neque obstat dicere, participantem in crimine criminoso affici eadem excommunicatione, quam is, cum quo participat, contraxit, *cap. nuper, de sent. excomm.*

Respondeo enim ad incurrendam excommunicationem *cap. nuper*, opus esse, vt is cum quo participamus sit excommunicatus denuntiatus, vt docui *in tract. de censuris in genere, & de excommunicationibus in particulari.*

Addo eum, qui ingredi permittit habentem prædictas licentias; non tamen ingredientem virtute illarum, sed ex propria malitia, ac si illas non haberet, non affici excommunicatione, & aliis pœnis; quia non dicitur permittere ingressum virtute prædictarum facultatum. Si verò habens prædictas facultates velit virtute illarum ingredi: Monialis autem, seu religiosus non permittat ingredi virtute illarũ, sed hunc prætextum respuat, ac si licentiam, & facultatem numquam obtinuisset, Monialis permittens ingredi contrahit præfatas pœnas; quia re ipsa permittit vsum istarum facultatum, dum permittit ingredi aliquem, ingredientem prætextu facultatum. Ita Sanch. *nu. 80.* Nauar. *comment. 4. n. 62. de regul.* & alij.

4 Quid nomine conuentus intelligatur.

4 Rogabis quid nomine Conuentus intelligatur.

Respondet Rodr. *tom. 1. q. 47. art. 3.* nomine Conuentus non intelligi religiosos in vnum collegialiter congregatos, sed superiorem, & ipsius consultores, quorum consilio superior vtitur.

Ego verò nomine Conuentus intelligo religiosos in vnum Capitulum coactos, & congregatos; consequenter hos omnes qui consensum ingressui præstiterunt, aut non contradixerunt, dum commodè poterant, his pœnis affici; quia hoc pacto Conuẽtus delinquit, vt bene Sanch. *n. 85.* Addit tamẽ Sanch. *n. 86.* superiorẽ, qui priuatim, & non coacto Conuentu cum suis consultoribus tractat de permittendo ingressu, affici quidem pœnis huius motus; quia in motu expressa mentio fit de superioribus: consultores verò non affici; quia tunc non veniunt nomine Conuentus, nec Conuentus nomine suffragium tulerunt. Ego verò sentio istos prædictis pœnis affici, non quatenus Conuentus, vt bene in hac parte Sanch. sed quia sunt personæ permittentes ingressum, quem impedire poterant, & tenebãtur.

5 Moniales facientes, vel permittentes feminas ingredi afficiuntur excommunicatione.

5 Quæres tertiò, vtrùm superiores Monialium, vel etiam ipsæmet Moniales facientes, vel permittentes in suum monasterium ingredi feminas, his pœnis subiiciantur. Ratio dubitandi est, quia in textu dicitur, ne quemquam ingredi faciant, vel permittant: illa autem particula, *quemquam*, est masculini generis: in materia autem pœnali, & odiosa femininum sub masculino non continetur, ex Decio *regul. femina 114. ff. de regul. iur.* Salas *de legibus disp. 21. sect. 3. vers. 12.* & aliis.

His non obstantibus, oppositum sustinendum est. Ratio est, tum quia illa particula, *quemquam*, cadit super personas in præcedentibus expressas; in præcedentibus autem non solùm fermo erat de viris in cœnobia Monialium ingredientibus, verùm etiam de feminis. Tum quia plurimi Doctores sentiunt sub masculino femininum comprehendi, etiam in materia pœnali, & odiosa, vt docet Menoch. *de adipiscend. possess. remed. 4. n. 61. & seqq.* Tiraquellus, & alij apud Sanchez *loc. cit. num. 89.* Tum quia præcitata verba Italico sermone hunc sensum faciunt, *che non lascino entrar nissuno*; hoc autem pacto non solùm excluduntur viri, verùm etiam feminæ.

6 Ad incurrendã istam excommunicationem non requiritur scientia.

6 Quæres quartò, vtrùm ad incurrendam istam excommunicationem requiratur scientia, seu præsumptio.

Respondeo negatiuè, quia in textu non dicitur, præsumant permittere, vel facere ingredi, sed dicitur, *ingredi faciant, vel permittant*; consequenter in hac re standum est regulæ generali, quam tradidi de censuris in genere, dum loquerer de causis excusantibus à censuris. Secus si loquamur de excommunicatione contenta in bulla Pauli V. in qua adhibentur verba, *audeant, vel præsumant.*

7 Ista excommunicatio est reseruata, quis possit in his pœnis dispensare remissiuè.

7 Quæres quintò, vtrùm excommunicatio lata contra facientes, vel permittentes ingredi, sit reseruata Summo Pontifici.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia Summus Pontifex eandem infert excommunicationem facientibus, vel permittentibus ingredi, quam tulerat contra ingredientes, ibi, *sub eadem excommunicationis pœna*, &c. at contra ingredientes tulerat excommunicationem reseruatam; ergo, &c. Ita Lamas *in methodo curationis. §. 12. initio*, Sanchez *loc. cit. n. 83.* Suar. *tom. 5. de censur. disp. 22. sect. 6. n. 14.* & alij. Alias verò pœnas ibi Summus Pont. non reseruat; consequenter auferri possunt ab illis, quos expressi *q. 1. punct. 5. n. 4.*

SECVNDA PROPOSITIO.

8 Monialis, quæ virum, vel feminam prętextu facultatis ingredientem, admittere præsumit in monasteriũ extra casum necessitatis, incurrit ipso facto excommunicationem Papę reseruatam, & priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa. Hæc propositio expresè habetur in motu Gregor. XIII. qui incipit, *Vbi gratiæ*, cuius verba superius retuli in expositione tertij casus, *n. 9.* & probaui *nu. 16.*

8 Monialis, quæ virum, vel feminam in monasterium admittere præsumit, afficitur excommunicatione reseruata, & alias pœnas incurrit.

Hic tamen breuiter singulas huius propositionis particulas explicabo.

Dixi *Moniales*, vt innuerem hanc excommunicationem latam esse contra Moniales aliquem in sua cœnobia admittentes. Quamobrem si superior Monialium, aut alius inducat aliquem ad ingrediendum monasterium Monialium, non ligatur his pœnis; quia textus loquitur de Monialibus.

9 Abbatissæ, & aliæ superiores Monialiũ eisdẽ pœnis afficiũtur admittendo aliquem in monasterium.

9 Rogabis, vtrùm Abbatissa, aliæque Monialium superiores, his pœnis afficiantur, admittendo aliquem in monasterium.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia si Summus Pontifex velit sub Monialium nomine comprehendere Abbatissas, aliasque superiores, certum est illas comprehendi; Summus autem Pontifex sub nomine Monialium vult Abbatissas comprehendere: non enim verisimile est Summum Pontificem velle priuatas Moniales, ad quas ex officio non pertinet ingressum impedire, tam graui pœna punire; Abbatissas verò, quæ tenentur ex officio impedire, & nõ impediendo maius peccatum committunt, immunes esse. Tum quia licet in materia pœnali, regulariter loquendo, Abbatissæ non veniant nomine Monialium, nec Abbates nomine monachorum, ex communi Doctorum sententia *in cap. fin. de simonia*; nihilominus sub eo nomine veniunt in materia ad salutem animarum spectante, vel in materia accommodata, & proportionata Monialibus, & Abbatissis, vt in hoc casu contingit. Panor. *Clem. 2. num. 2. de procur.* Sanch. *lib. 6. ca. 16. n. 91.* Mandosius *de priuileg. ad instar gl. 7. n. 28.*

10 Monialis admittens aliquẽ ingredi in casu necessitatis non ligatur excommunicatione Gregorij, imo neque Concilij; ingrediens autem ligatur, nisi licentiam habeat.

Dixi, *quæ virum, vel feminam*, &c. vt indicarem huic excommunicationi subiici Monialem, quæ cuiusuis sexus personam admittit; textus enim generaliter loquitur: nam vtitur verbo relatiuo, *illos*, quod refertur ad personas superius in eadem clausula expressas: superius autem vsus fuerat verbo generali, ibi, *interdicimus omnibus, & quibuscumque personis Ecclesiasticis, & secularibus.*

10 Dixi, *extra casum necessitatis*; quia si vrgente necessitate aliquem admittat, non ligatur pœnis huius constitutionis: nam textus loquitur de admittente in casibus non vrgentibus, ibi, *sed necessitatibus vrgentibus ingredi, neue Moniales sub iisdem pœnis illas aliter admittere*

pra-

præsumant; vbi notanda est illa particula, *aliter*, quæ relationem habet ad necessitates vrgentes.

Vtrùm verò admittens aliquem ingredi in casu necessitatis, sed absque licentia superioris, ligetur excommunicatione Concil. Trid. *sess.25.c.5.* constat ex supradictis, non incurrere; quia ista excommunicatio nullibi expressa reperitur. Secus dic de ingrediente, vt suprà dictum est *num.2.*

Dixi, *admittere*, vt explicarem causam materialem, id est, actionem, ob quam Moniales contra hunc motum delinquentes, his pœnis afficiuntur: hæc autem est admissio.

11 Is dicitur in monasterium admittere, qui directè, vel indirectè cooperatur ingredièti.

11 Sed modò dubium est, quid sit admittere aliquem in monasterium.

Respondeo idem esse, ac directè, vel indirectè cooperari ingressui, exercendo actionem positiuam, aut negatiuè se habendo, dum ex officio impedire tenetur.

Hinc sequitur primò, Monialem, quæ ianuam ingredienti aperit, manu trahit, aut alicui consulit, iubet, seu mandat, vel approbat, vt ingrediatur, affici præfatis pœnis; quia directè cooperatur ingredienti.

12 Qui tenetur ex officio impedire, & non impedit, dicitur admittere, secus si non teneatur ex officio, nec aliquam actionem positiuam ad alterius ingressum faciat.

12 Secundò Monialem, quæ tenetur ex officio impedire ingredientem, & non impedit, in prædictas pœnas incurrere; quia cùm ex officio impedire teneatur, & non impediat, indirectè cooperatur, consequenter ingredientem admittere censetur. Quamobrem his pœnis subiicitur Abbatissa, aliæque monasteriorum Prælatæ, & præfecta ianuæ, si aliquem ingredi permittant: istæ enim tenentur ex officio impedire, & non impediendo indirectè cooperantur ingressui, vt bene Suar. *de censuris tom.5.disp.22.sect.6.n.14.* Miranda *q.2.art.12. concl.3.* Sanchez *loc.cit.n.93.*

Tertiò priuatas Moniales, quæ non obstant ingredienti, in has pœnas non incurrere; cùm enim non teneantur ex officio impedire vt suppono, non censentur directè, vel indirectè ingressui cooperari; consequenter non dicuntur admittere. Hoc tamen dupliciter limitari potest. Primò, modò non permittant aliquem ingredi prætextu facultatum: tunc enim probabile est affici excommunicatione, iuxta dicta *num.16.*

Secundò limitatur, modò actionem aliquam positiuam non præstent, qua faciant aliquem ingredi: tunc enim directè cooperarentur ingressui, vt si aliquem inuitarent, aut manu traherent, &c. consequenter dicerentur admittere.

13 Monialis priuata, quæ alteri moniali mandat, vel consulit, vt aliquem ingredi faciat, vel permittat, non affici his pœnis.

13 Quartò Monialem priuatam, quæ alteri Moniali mandat, vel consulit, vt aliquem ingredi faciat, vel permittat, non affici his pœnis. Ratio est, tum quia ipsa, iuxta communem loquendi modum, non dicitur admittere, sed remotè cooperari ingressui. Tum quia hæc est regula generalis, quam sæpiùs tradidi de censuris in communi, quòd censuræ latæ in facientes, non ligant mandantes, vel consulentes, nisi exprimantur. Secus dic si inuitet, aut consilium præstet ipsimet ingredienti, vt ingrediatur: tunc enim ligatur; quia directè, & immediatè cooperatur ingressui. hîc etiam addi possent limitationes, quas illatione præcedenti adduxi.

Dixi *in vers.4. Monialem priuatam*; quia si Monialis, quæ consilium alteri Moniali præbet, vt ingredi permittat, non sit priuata, sed Prælata, seu alia, quæ ianuæ curam habeat, afficitur excommunicatione, aliisque pœnis consulendo, vel mandando; quia cùm ex officio impedire teneatur, & non impediat, indirectè cooperatur ingressui; consequenter dicitur ingressum admittere. Ita Sorbus, & Rodriq. quos citat, & sequitur Sanch. *loc.cit.nu.94.* Coriolanus *de casibus reseruatis p.2.casu 3.num.36.*

14 Probabile est monialem, quæ non est cooperata ad ingressum alterius, sed tamen in causa est cur ingressus diutius immoretur, præfatis pœnis affici.

14 Quintò Monialem priuatam, quæ iam ingressum alloquitur, vel comitatur, si sua locutione, vel comitatu in causa non sit, vt ingressus diutiùs immoretur, non videri ream prædictarum pœnarum; quia ipsa non dicitur admittere, cum non induxerit ad ingressum, vt suppono, nec in causa sit, vt ingressus moram in monasterio trahat. Si verò in causa sit, vt immoretur, probabile est esse obnoxiam prædictis pœnis; quia non solùm is dicitur admittere, qui introducit, seu cooperatur ingressui in fieri, sed etiam qui cooperatur ingressui in facto esse. Et sicut voluntariè retinens bannitum in sua domo, quam bannitus ipso inscio ingressus fuerat, ligatur pœnis cõtra admittẽtes bannitos in sua domo latis: ita Monialis retinens, seu cooperans immediatè retentioni alicuius iam ingressi in monasteriũ, incurrit pœnas editas contra Moniales admittentes aliquem ingredi; ita in fortioribus terminis sentire videntur Rodriquez, & Sorbus apud Sanch. *n.95.* existimantes eum, qui approbat ingressum, censeri admittere: nam verbum, *admittere*, significat etiam approbare.

Non videtur tamen improbabilis opinio Sanchez *loc. cit.* & aliorum existimantium, Monialem, quæ ingressum alloquitur, vel comitatur, non affici prædictis pœnis; etiamsi in causa sit, vt ingressus diutiùs immoretur. Ratio est, tum quia non dicitur admittere ad ingressum, cum ille iã ingressus esset. Tũ quia sicut is, qui bona fide sine peccato ingressus est, non incurrit pœnas editas aduersus ingredientes cœnobia Monialiũ; ita Monialis, quæ ad actum ingressus nõ est cooperata, non videtur incurrere pœnas impositas Monialibus admittentibus ad ingressum, licèt in vtroque casu peccatum contra obligationem clausuræ committatur, vt patet ex supradictis *sect.1.*

Verùm istarum rationum solutio facilè colligi potest ex ratione à me allata.

Ad primam negatur antecedens.

Ad secundam negatur paritas: aliud enim est ingredi, aliud aliquem in monasterium admittere. Primum denotat actionem ingressus. Secundum actionem, qua quis introducitur, vel introductus detinetur.

15 Abbatissa, & aliæ superiores non expellentes ingressum, si-gãtur præfatis pœnis.

15 Ex dictis à fortiori patet Prælatam, aliamque, cui onus impediendi ingressum incumbit, præfatas pœnas subire, non solùm si ingressum sua locutione, vel comitatu diutiùs detineat; verùm etiam si non expellat, dum commodè potest expellere.

Præterea patet quid in simili sentiendum sit de religiosis, qui fe-

minas iam ingressas alloquuntur, & in causa sunt, vt quàm primùm non exeant, de qua re infra *in vltima quæst.*

16 Ad has pœnas incurrendas requiritur scientia, non tamen sufficere videtur bonus finis.

16 Dixi in propositione, *præsumit admittere*, vt indicarem ad has pœnas incurrendas requiri scientiam, vel ingentem temeritatem, quæ scientiæ comparatur; consequenter non sufficere bonam fidem, inaduertentiam, & obliuionem, aut etiam ignorantiam vincibilem, crassam, & supinam, vt alibi sæpiùs ostensum est. Ratio est, quia Gregorius in suo motu vtitur verbo *præsumunt*, quod ausum temerariũ significat. Imò Sanchez, Rodriquez, & Sorbus *locis suprà citatis*, & Coriolanus 2. *parte casu 3.n.32.* ab his pœnis excusare videntur Monialem, quæ aliquem etiam illicitè ingredientem bona fide admittit, exempli gratia, vt illum abscondat, ne ab hostibus percutiatur, vel à satellitibus capiatur, vel alio bono fine. Et hoc idem in terminis tradunt de religioso, qui bono fine mulierem in suum monasterium admittit; quia non dicitur ausu temerario admittere, seu præsumere.

Sed hoc mihi non probatur, quoties Monialis nouit prohibitionem, scitque ingredientem illicitè ingredi. Ratio est, quia posita hac scientia, Monialis re ipsa præsumit illum ingredi in casibus non necessariis contra dispositionem præfati motus Gregorij XIII. Idem sentio dicendum de religioso, qui mulierem in monasterium suum admittit, sciens se non posse illam admittere: bonus enim finis non tollit simpliciter præsumptionem contra præceptum.

17 Præfata excommunicatio, & aliæ pœnæ à quo auferri possint.

17 Dixi excommunicationem Papę reseruatam, vt constaret istius excommunicationis absolutionem à quolibet Confessario impendi non posse. Vide dicta *in proposit.2.q.5.nu.20.* vbi etiam innui an aliæ pœnæ sint reseruatæ, & à quibus auferri possint.

An autem Episcopus possit absolutionis beneficium conferre, saltem dum delictum est occultum, patet ex suprà traditis *q.1.punct.5.* & ex alibi dictis pluribus in locis: non enim necesse est ea explicare, quorum solutio ex regulis generalibus constat.

QVÆSTIO V.

De violatione Clausuræ ob ingressum feminarum in monasteria religiosorum virorum.

VT in explicatione istius quæstionis debito progrediar ordine, quatuor principaliter explicabo.

Primò, quid nomine monasterij intelligatur.

Secundò, quænam feminæ monasteria religiosorum ingredi nequeant.

Tertiò, quas pœnas incurrant feminæ ingredientes, & religiosi eas admittentes.

Quartò, quibus de causis excusari possint feminæ à peccato, & pœnis ingrediendo monasteria.

PVNCTVM I.

Quid nomine Monasterij intelligatur.

1 Monasterium est spatium illud, quod intra monasterij ambitum cõtinetur.

1 NOmine monasterij, in quo clausura seruanda est, intelligitur totum illud spatium, quod intra monasterij septa continetur. Ita sentire videtur Rodriq. *tom.1.quæst.46.art.1.* Nauar. *lib.1.conf.66. num.3. & seqq. de regul.* Sanchez *in opere morali lib.6.cap.17.n.12.* vbi refert Paz *in pract.tit.1.par.5.cap.3.§.3. num.32.* Vide suprà dicta *q.1. punct.1.*

2 Prædia, & domus rusticæ non sunt obnoxia clausuræ, consequenter religiosus potest feminas ad huiusmodi loca causa audiendi sacra admittere.

2 Hinc sequitur primò, prædia, domos rusticas, & alia loca à monasterio separata non subiici clausuræ, quia nomine monasterij non veniunt, nec intra monasterij ambitum continentur. Ita communiter Doctores.

Obiicies, Pius V. interdixit ingressum in domos, & monasteria; cùm autem non sint idem monasteria, & domus, (nam particula, *&*, ponitur inter diuersa) signum est, Summum Pontificem interdixisse ingressum non solùm in monasteria; verùm etiam in domos, & loca separata.

Respondeo monasteria, & domos ad idem significandum adhiberi, nam particula, *&*, non semper ponitur inter diuersa, sed aliquando vsurpatur pro particula, *seu*; vel dic accipi declaratiuè, vt cum Cenedo, Gonzalez, & aliis in simili superiùs ostendi; consequenter hinc non sequitur Summum Pontificem interdixisse feminis ingressum in domos, & loca rustica religiosorum, quæ clausuræ subiecta non sunt.

Obseruat tamen Sanch. *loc.cit.n.13.* religiosum non debere feminas in huiusmodi loca recipere, nec teneri illas in eo loco admittere ad sacrum audiendum, etiamsi illæ nequeant alio in loco sacrum audire.

Ego verò quoad hunc vltimum casum aliud sentiendum arbitror, nisi aliquod subsit honestatis periculum, vel aliud recta prudentia in casu particulari suadeat. Cum enim feminæ possint intra monasterij claustra, causa diuinorum admitti, vt infrà explicabo, multo magis vrgente præcepto audiendi diuina, admittendæ erunt in loca clausuræ minimè subiecta, nisi aliqua peculiaris obstet circumstantia.

3 Chorus non est pars monasterij.

3 Secundò Chorum Ecclesiæ religiosorum non esse obnoxium clausuræ; quia est pars Ecclesiæ, nec intra monasterij septa continetur. Et hoc verum est, etiamsi religiosi soleant ibi se induere, & præparare ad celebrandum, militat enim eadem ratio.

4 Sacristia aliquando est pars monasterij, aliquãdo non.

4 Tertiò sacristiam, ad quam non patet aditus nisi per claustra monasterij, subiici clausuræ; consequenter licitum non esse feminis ad illam ingredi, vt communiter fatentur Doctores. Sacristia verò, cuius ianua in Ecclesia existit, ita vt religiosi ad illam accedere nequeant, nisi per Ecclesiam transeant, vt est sacristia Aræ Cleri in vrbe Roma, non videtur subiecta clausuræ; quia intra monasterij septa non continetur. Neque obstat ratio Sanchez *n.17.* Illa, inquit, sacristia non est pars Ecclesiæ. Ergo est pars monasterij.

Respondetur enim negando consequentiam; sicut si ego hoc pacto argumentarer, non est pars monasterij: ergo est pars Ecclesiæ, iure meritò neganda mihi esset consequẽtia. Quamobrem in tali euentu, illa sacristia neque est pars Ecclesiæ, vt docui *de sacrilegio in mate-*

ria luxuria, q. 4. de matr. pun. vlt. neque est pars monasterij, quia intra monasterij ambitum non continetur.

Si verò sacristia duas habeat portas, vnam in Ecclesia existentem, alteram in claustro religiosorum, vt est sacristia S. Bernardi in Vrbe, probabilius arbitror huiusmodi sacristiam nomine monasterij comprehendi: cùm enim non sit pars Ecclesiæ, & nihilominus vergat ad monasterium, censetur in tali euentu pars monasterij, ad quod vergit; consequenter ibi clausura seruanda est. Ob id Patres Capucini ab illustrissima Cardinalium Congregatione, quæ regularium negotiis præest, reseriptum obtinuerunt, quo declaratū fuit, sacristias ipsorum sub clausura comprehendi, teste Coriolano *de casibus reseruatis p. 2. casu 3. q. 4. num. 31.*

In praxi tamen non condemnarem illos religiosos, apud quos vsu receptum est, vt feminas in sacristiam causa confessionum audiendarum, aut alia de causa admittant: quia non omnino perspicuum est, sacristiam sub monasterij nomine comprehendi, vt bene in hac parte Sanchez *n. 17. ad finem.*

5 Infirmarię, hospitia, & similia loca nō sunt monasteria.

5 Quartò infirmarias, seu domos deputatas ad recipiendos infirmos, vel ad excipiendos religiosos tamquam hospites, non obstringi clausura, quia nomine monasterij non comprehenduntur: non enim conuentum habent, & Ecclesiam. Ita declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, teste Sorbo *verbo ingredi, n. 11.* Sanchez *loc. cit. n. 19.* & Coriolano *quæs. 2. n. 29.* vbi idem asserunt declaratum de monasteriis, in quibus nondum positus est religiosorum conuentus, sed solùm nonnulli religiosi pro fabricæ seruitio deputati sunt. Idem dici posse videtur de illis domibus, in quibus in forma Conuentus, seu collegij non viuitur, nec ibi est Ecclesia cum Eucharistia instar aliorum monasteriorum; istæ enim domus potius hospitij, quàm monasterij rationem habere videntur. Hoc tamen limitandum arbitror, nisi huiusmodi domus aliàs subiectę fuerint clausuræ: has enim adhuc clausuræ subiectas esse arbitror, etiamsi hoc tempore, incuria religiosorum inhabitantium, in forma conuentus in illis non viuatur.

6 Horti cōtigui monasterio subiiciuntur clausuræ.

6 Quintò hortos religiosorum, monasterio contiguos, subiectos esse clausuræ. Tum quia intra monasterij ambitum continentur. Tum quia sic vsu receptum est. Tum quia horti Monialium sunt affecti onere clausuræ, alioquin Moniales ad illos se conferre non possent, (cùm limites clausuræ excedere nequeant,) & extranei possent ad illos impunè admitti, quod est falsum; ergo etiam horti religiosorum onus habent clausuræ. Ita Sorbus *verbo ingredi, num. 1.* Sanchez *num. 15.* Coriolanus *loco cit. n. 30.* & alij.

Obiicies 3 Innocentius IV. & Nicolaus III. declarantes quid intelligatur nomine monasteriorum S. Claræ, ad quæ fratribus minoribus interdictus est ingressus, dixerunt intelligi dormitoria, claustra, & officinas interiores; sed horti non sunt claustra, dormitoria, & officinæ interiores; ergo horti non veniunt nomine monasterij; consequenter neque onere clausuræ afficiuntur, omissa responsione Coriolani, Rodriquez, & aliorum, quæ non est vniuersalis.

Respondeo nomine officinarum interiorum comprehendi omnia loca intra monasterij ianuam existentia, siue sint culina, refectorij, atrium, horti, siue alia loca intra clausuræ ambitum existentia.

PVNCTVM II.

Quænam feminæ religiosorum monasteria ingredi nequeant.

VNICA PROPOSITIO.

1 Omnibus feminis interdictus est ingressus in monasteria virorum.

1 OMnes feminæ postquam ad eam peruenerunt ætatem, quæ ad rationis vsum sufficit, interdicuntur monasteria religiosorum ingredi, nisi fortè ingrediantur ex priuilegio, vel causa diuini officij, vel grauis necessitatis, cui aliter commodè occurri nequeat, vt infra explicabo. Hæc propositio patet; tum ex motu Pij V. qui incipit, *Regularium personarum*, edito *anno 1566. die 23. Octobris.* Tum ex motu Gregorij XIII. in quo Pontifex non solùm interdixit ingressum feminarum, aut virorum in cœnobia Monialium, verùm etiam ingressum feminarum in monasteria virorum. Et quamuis in vtroque motu sermo sit de ingredientibus prætextu facultatum; nihilominus Pius V. in alio motu, qui incipit, *Romanum Pontificem*, edito *anno 1570. die 16. Iulij*, declarauit hanc suam fuisse voluntatem, vt non solùm mulieres, prætextum facultatis habentes, à monasteriis religiosorum arceantur, verùm etiam aliæ omnes, *Auctoritate Apostolica*, inquit Pius V. in dicto motu, *tenore præsentium dicimus, & declaramus fuisse, & esse mentem, & intentionem nostram, quod dicta litteræ non solùm comprehenderent, & comprehendant mulieres habentes, & prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi monasteria, sed etiam omnes, & quascumque mulieres alias, tam in genere, quam in specie.* Eiusdem tenoris extat declaratio Sacræ Congregationis apud Quarantam *verbo monasteria, & conuentus, col. 2. & 3.* quam referam *punct. 3.*

Hinc sequitur primò feminas coniugatas, viduas, vel etiam puellas nubiles, non posse monasterium religiosorum ingredi, quia istæ extra omnem controuersiam mulieres vocantur; consequenter in præcitatis Summorum Pontificum motibus comprehenduntur. Et hoc verum esse arbitror, etiamsi præfatæ feminæ sint amentes, & fatuæ, istæ enim sunt subiectum istius prohibitionis, & ad impudicitiam excitare possunt; quamuis ipsæ defectu vsus rationis à peccato excusentur. Idem sentiendum puto de puellis, quæ rationis vsum nactæ sunt, quia eadem in omnibus ratio militat, licet fortè grandiores puellæ ad maiorem excitare soleant libidinem. Ita Rodriquez *in expositione motus Pij V. n. 12.* Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 17. nu. 4.* & alij, contra Lamas *in methodo curationis in appendice §. 13. ad finem*, & alios arbitrantes puellas decem annorum, aut alias, quæ matrimonio consummando nondum aptæ sunt, in præfatis motibus non comprehendi; quia in præfatis motibus non est sermo de quibuscumque feminis, sed de mulieribus: nomine autem mulierum non veniunt puellæ, sed feminæ habiles ad consummandum matrimonium.

Verum ad hanc rationem respondetur nomine mulierum intelligi quascumque feminas, postquam ad rationis vsum peruenerūt. Tum quia Pius V. in præfata declaratione sui motus declarauit velle comprehendere omnes, & quascumque mulieres, tam in genere, quàm in specie. Tum quia in dubiis, legis intelligentia desumenda est ex ratione legis, quæ ipsius anima dicitur. *l. cum ratio. ff. de bonis damnato.* mens autem prædictarum legum est, vt occurratur periculo impudicitiæ, & incontinentiæ, cui sufficienter consultum non fuisset, si liberum esset puellis, rationis vsum habentibus monasteria religiosorum ingredi. Quid autem sentiendum sit quando dubitatur, an puella vsum rationis adepta sit, constat ex supradictis, & ex dictis *de legibus.*

2 Non solū feminæ coniugatæ, aut viduæ, verum etiā puellæ, quę rationis vsum nactæ sunt, vel ad septennium peruenerunt, non possunt monasteria virorū ingredi, etiamsi matrimonio aptæ non sint.

3 Secundò feminas fundatrices nō posse monasteria religiosorum à se fundata ingredi: quia sub nomine mulierum comprehenduntur, & præfati Summi Pontifices generaliter, & indistinctè loquuntur. Ita Rodriquez *loco cit. num. 3.* Sanchez *n. 7.* & alij.

Hoc tamen intelligitur, præcisa iusta causa, vel priuilegio Summi Pontificis, vt infra ostendam. Imò probabile est fundatrices posse ingredi monasteria religiosorum habentium regulam, vt fundatrices decenter comitatæ ingredi possint ipsorum monasteria. Ratio est, tum quia superior non præsumitur velle statutis inferiorum derogare, nisi id exprimat. Tum quia Gregorius XIII. interrogatus, an intenderet huiusmodi regulæ suo motu derogare, negatiuè respondit, teste Sorbo *verbo ingredi monasteria, ad finem*, Rodriquez *tom. 1. quæst. 48. art. 1.* Sanch. *loc. cit.* & aliis.

3 Fundatrices non possunt ingredi, nisi fortè in regula ipsorū religiosorum habeatur, vt fundatrices decenter comitatæ admittantur.

4 Tertiò, non solùm feminas priuatas, verùm etiam publicas in dignitate constitutas, vt Comitissas, Marchionissas, Ducissas, & alias cuiuscumque status, & conditionis mulieres, non posse hoc tempore monasteria religiosorum ingredi. Tum quia ipsorum priuilegia in vtroque motu reuocantur. Tum quia in præcitatis motibus sermo generalis est de mulieribus cuiuscumque status, & conditionis.

4 Feminæ in dignitate constitutæ non possunt hoc tempore virtute priuilegiorum ingredi monasteria Monialiū.

5 Excipi tamen probabiliter possunt Reginæ, Imperatrices, ac ipsarum filiæ, quia istæ sunt speciali nota dignæ; & nihilominus de ipsis nullum verbum reperitur in præcitatis motibus. Imò satis clarè videntur exceptæ, vt patet ex contextu verborum Pij V. ibi, *omnes, & singulas facultates, ac licentias ingrediendi monasteria, ac domos quorumcumque regularium Ordinum concessas mulieri cuiuscumque status, gradus, Ordinis, conditionis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissisq; tenore præsentium reuocamus, cassas, & irritas decernimus.* Cùm enim Summus Pontifex in enumeratione personarum in dignitate constitutarum non progrediatur ad alias maioris dignitatis, signum est, nolle suam constitutionem vlteriùs extendere. Ita Doctores statim citandi.

5 Probabile est Reginas & ipsarum filias posse monasteria religiosorū ingredi.

Addo idem dici posse, etiamsi præfatæ Reginæ, Imperatrices, ac ipsarum filiæ numquam habuerint priuilegium. Ratio est, quia ipsæ in præfatis motibus non exprimuntur, sed potiùs tacitè excluduntur, nec alibi reperitur ius prohibens sub mortali ingressum feminarum in monasteria religiosorum, vt bene obseruat Suar. *de censuris to. 5. disp. 22. sect. 6. n. 12.* Sanch. *loc. cit. n. 9.* ergo præfatæ Reginæ, Imperatrices, ac ipsarum filię videntur posse monasteria virorum ingredi, etiamsi nullum habeant priuilegium: non enim opus est priuilegio, vbi nō est prohibitio. Ita ex parte Rodriq. *q. 48. art. 1. vers. circa quam decretalem*, Sanchez *loc. cit. n. 5.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. c. 7. n. 5.*

Obiicies, Pius V. in declaratione sui motus, declarauit in suo motu comprehendi omnes, & quascumque mulieres, tam in genere, quam in specie: quæ verba cum generalia sint, generaliter intelligenda videntur de quibuscumque feminis in qualibet dignitate constitutis.

Respondeo illa verba, in præfata declaratione posita fuisse non ad includendas Reginas, Imperatrices, ac ipsarum filias, quæ speciali nota dignæ sunt, sed ad comprehendendas omnes, & quascumque alias feminas, tam prætendentes se facultatem ingrediendi habere, quàm non prætendentes.

An autem præfatæ Reginæ, aut alię feminæ priuilegium habentes ingrediendi, possint feminis comitatæ ingredi, constabit ex dicendis *punct. 4. num. 3.*

6 Religiosi grauiter peccant admittēdo feminas in sua monasteria.

6 Quartò sequitur religiosos grauiter peccare admittendo feminas in sua monasteria. Ratio est, tum quia cooperantur delicto feminarum. Tum quia specialiter ipsis interdictum est, feminas in monasteria admittere, vt probabo *punct. seqq.* Secus dicendum est, dum religiosi feminas licitè ingredientes admittunt: tunc enim non cooperantur peccato, nec prohibentur admittere.

7 Femina grauiter peccat ingrediendo, etiamsi tūc temporis nullus in monasterio religiosus existat.

7 Sed modò dubium est, vtrùm femina ingrediens monasteria religiosorum, in quo nouit nullum religiosum tunc temporis adesse, sed omnes causa processionis, vel negotij exisse, grauiter peccet, & pœnis ingredientium afficiatur. Ratio dubitandi est, quia cessat ratio prohibitionis, cùm nullus religiosorum ob ipsius ingressum perturbari queat; ergo cessat etiam prohibitio. *c. cùm cessante, de appell.*

His non obstantibus, respondeo grauiter peccare, & pœnis ingredientium affici: quia facit contra legem, feminarum ingressum in monasteria virorum grauissimis pœnis interdicentem, & per accidēs est finem legis in aliquo casu non violari: lex autem respicit id, quod est per se, non id quod est per accidens.

Ad rationem dubitandi respondeo rationem prohibitionis cessare per accidens.

PVNCTVM III.

Quas pœnas incurrant feminæ ingredientes, & religiosi eas admittentes, & quis possit in illis pœnis dispensationem, & absolutionem conferre.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Feminę ingredientes monasteria virorum afficiuntur excommunicatione reseruata, etiamsi ingrediantur absque prætextu facultatū.

1 FEminæ ingredientes monasteria virorum incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam. Hæc propositio patet primò ex quodam motu Pij V. edito *ann. 1566. 14. Octobris*, qui incipit, *Regularium personarum*, vbi Summus Pontifex reuocat omnes licentias ingrediendi monasteria religiosorū, & excōmunicationē Sedi Apostolicæ

licæ reseruatã infert feminis ingredi præsumentibus, ibi, *districtè prohibentes, mulieribus quidem prædictas facultates, & licentias prætendentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, postquam harum litterarum notitiam habuerint, à qua non possint, nisi à nobis, aut Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolui, præterquam in mortis articulo, ne dictas domos, & monasteria ingredi audeant.* Et quamuis in præfato motu sermo sit de feminis prætextu facultatum ingredientibus; nihilominus idem Pontifex alibi declarauit, eidem excommunicationi subiici feminas quascumque ingredientes; etiamsi nullam prætendant habere licentiam vt patet, tum ex Bulla Pij V. supra citata, tum ex praxi sacræ Pœnitentiariæ, teste Filliucio *tractat. 15. ca. 5. quæsito 7. numer. 118.* tum ex verbis declarationis, quam ex Alexandro Cardinali Cribello refert Quaranta *verbo monasteria, & conuentus* (quamuis illi non adhæreat Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 7. num. 8.*) in hunc qui sequitur, tenorem. *Sanctissimus in Christo Pater, & D.N. D. Pius diuina prouidentia Papa V. viuæ vocis oraculo nobis facto dixit, & declarauit fuisse, & esse mentem, & intentionem suam, quòd eius litteræ in forma breuis sub die 24. Octobris 1596. Pontificatus sui anno primo editæ, in quibus mulieribus quibuscumque monasteriorum regularium ingressus, cum derogatorijs clausulis, & irritantibus decretis prohibetur, non solum comprehenderent, & comprehendant mulieres habentes, & habere prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi huiusmodi monasteria, sed etiam omnes quascumque mulieres alias, tam in genere, quàm in specie.* Secundò eadem propositio patet ex alio motu Gregorij XIII. vbi sub eadem excommunicationis pœna ipso facto incurrenda cauetur, ne feminæ monasteria virorum, prætextu licentiarum à Summo Pontifice, Legato, vel aliis concessarum ingredi audeant.

Ex quo licet inferre primò, feminas ingredientes monasteria virorum absque vllo licentiarum prætextu, non incidere in excommunicationem Gregorij, sed Pij V. quia Gregorius loquitur de ingredientibus cum præfato prætextu, nec aliud de sua mente expressit.

Secundò feminas à præfata excommunicatione excusari non solùm ob bonam fidem, verum etiam ob ignorantiam vincibilem, crassam, supinam, & affectatam; quia ad incurrendam istam excommunicationem requiritur audacia. Secus si adsit scientia, vel ingens temeritas, quæ scientiæ comparatur, & sæpè coniuncta est cum ignorantia affectata, vt docui *de censuris in communi*, & alibi pluribus in locis.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Religiosi facientes, vel permittentes feminas ingredi prætextu facultatum, aut introducentes, vel admittentes ligantur excommunicatione Papæ reseruata.

2 REligiosi, qui faciunt, aut permittunt feminas ingredi sua monasteria, prætextu facultatum à Summo Pontifice, vel ab aliis concessarum, incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam, & priuationem dignitatum, & beneficiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda, vt expresè patet ex motu Gregorij XIII. qui incipit, *Vbi gratiæ*, cuius verba superius retuli *quæst. 4. punct. 6. num. 14.*

Alij verò religiosi, qui feminas in monasteria intromittere, vel admittere præsumunt, etiamsi feminæ absque prætextu facultatum ingrediantur, incurrunt ipso facto suspensionem à diuinis, & præterea priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda, vt expresè decernitur in motu Pij V. qui incipit, *Regularium personarum*, ibi: *Ipsis verò monasteriorum & conuentuum Abbatibus, Præpositis, prioribus, & aliis residentibus quocumque nomine vocentur, & eorum monachis, canonicis, & fratribus, siue mendicantibus, siue non mendicantibus, sub priuationis officiorum, quæ in præsenti obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia omnia, & suspensionis à diuinis ipso facto sine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, admittereue præsumant.* Imò Filliucius *tractat. 15. cap. 5. quæsito 7. num. 119.* probabiliter putat huiusmodi religiosos affici excommunicatione in bulla Gregor. XIII. citata, & ita vsu receptum esse in sacra Pœnitentiaria testatur. Hoc tamen ego intelligendum puto, si religiosi permittant feminas ingredi prætextu facultatum, vt dixi initio secundæ propositionis, & fusiùs ostendi *quæst. 4. punct. 5. num 4.*

Hinc patet differentia inter vtrumque motum: nam in primo motu Gregorij non requiritur præsumptio; in secundo verò Pij V. requiritur. Præterea in primo opus est, vt feminę ingrediantur prætextu facultatum, quod in secundo non postulatur.

Quid autem nomine officiorum intelligatur, & vtrum ipsorum priuatio, & inhabilitas ipso facto incurratur absque vlla sententia saltem criminis declaratoria, explicatum est *quæst. 1. punct. 4.* & latiùs *in tract. de legibus.* Quid item significet verbum *introducere*, seu *admittere*, supra explicatum est.

An autem feminæ, quæ iusta de causa in monasteria virorum ingrediuntur, his pœnis afficiantur, si finita causa, ob quam ingressæ sunt, diutius immorentur, constabit ex dicendis §. *sequenti*, vbi etiam loquar de viris illas comitantibus, vel ad interiores officinas se recipientibus.

TERTIA PROPOSITIO.

3 Solus Papa, vel habens ab ipso priuilegium potest absolutionē in hac excommunicatione conferre.

3 NVllus, præter Romanum Pontificem, vel habentem ab ipso priuilegium, potest extra mortis articulum à præfata excommunicatione absoluere. Ratio est, quia præfati Pontifices absolutionem sibi reseruant. Addit Filliucius *loco cit.* istam excommunicationem respectu regularium introducentium feminas ad malum finem, reseruatam etiam esse pœnitentiariis Sancti Petri. An autem habentes priuilegium absoluendi ab excommunicationibus Papæ reseruatis possint ab huiusmodi excommunicatione absoluere, patet ex dictis *in bulla Cœnæ disp. 1. q. 22.* Vide quæ tradidi *quæst. 1. punct. 5.* vbi etiam explicaui quis possit in pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis dispensare.

PVNCTVM IV.

Quibus de causis feminæ ingredientes monasteria virorum, excusari possint à culpa, & pœnis contra ingredientes latis.

TRibus de causis excusari posse feminas monasteria religiosorum ingredientes innui supra *punct. 2.* videlicet ob priuilegium, necessitatem, & diuinum officium intra monasterij claustra celebrandum. De his singulis agere decreui in hoc §. omissis aliis causis generalibus excusantibus à peccatis, & à censuris, de quibus suo loco sufficienter actum est.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Feminæ habentes priuilegiū à Sede Apostolica post cōstitutiones Gregorij XIII. & Pij V. possunt monasteria virorum ingredi.

1 PRiuilegio Summi Pontificis, obtento post constitutiones Pij V. & Gregorij XIII. excusari possunt feminæ, monasteria religiosorum ingredientes. Ratio perspicua est, quia ingressus feminarum in monasteria religiosorum iure Pontificio interdictus est; ergo priuilegio Summi Pontificis licitus fieri potest, præcisis circumstantiis extrinsecis: eius enim est legem relaxare, cuius est condere.

Dixi, *priuilegio Summi Pontificis*, quia inferior Summo Pontifice non potest huiusmodi priuilegium concedere, vt pluribus docui de legibus, vbi etiam docui quandonam priuilegium, vel dispensatio irrita sit, & surreptitia, quæ non est necesse hic singillatim repetere, cum ad regulas generales pertineant.

Dixi, *obtento post constitutionem Pij V. & Gregorij*, quia priuilegia antea obtenta reuocata sunt ab iisdem Pontificibus in præcitatis motibus.

2 Si in eo monasterio extet regula non admittendi feminas, & in priuilegio non fiat mentio huius regulæ, non potest femina vitute priuilegij ingredi.

2 Hic solùm dubium est primò, vtrùm priuilegium Summi Pontificis cōcessum feminis ad ingrediendum monasteria religiosorum prosit, quando ipsorum religiosorum statuto cautum est, ne feminæ ingrediantur, seu admittantur.

Respondendum videtur non prodesse. Ratio est, tum quia tacitum est aliquid, quo expresso Summus Pontifex priuilegium non concessisset. Tum quia statuta inferiorum ignota sunt supremo Principi, consequenter supremus Princeps non præsumitur velle illis derogare, nisi exprimat, *c. 1. de constit. in 6.* Ex quo sequitur feminam non posse virtute talis priuilegij ingredi; imò ingrediendo peccare, & pœnis feminarum, sine legitimo priuilegio ingredientium, affici, nisi ratione bonæ fidei excusetur: nam huiusmodi priuilegium irritum est. Ita Sanchez *n. 32.* vbi refert Rodriquez *in Summa p. 2. cap. 60. n. 6.* Sed hoc ego apud Rodriquez non inueni. Id tamen sustinere debent Suarez, Rebellus, Reginaldus, & alij, quos retuli *de legibus disp. 1. quæst. 1. puncto vlt. §. 3. n. 40. & q. 3. punct. 8. §. 3. n. 14.*

3 Femina alicuius dignitatis, quæ potest monasterium ingredi, potest secum decentem familiam ducere.

3 Secundò dubium est, vtrum feminæ, priuilegium ingrediendi monasteria virorum habētes, possint comitatæ aliis feminis ingredi.

Respondeo posse comitatas feminis honestis, iuxta decentiam sui status, ingredi. Ratio est, tum quia non est verisimile Summum Pontificem velle, vt femina alicuius dignitatis sine comitatu incedat; præsertim cùm feminæ magnæ dignitatis non soleant sine famulatu feminarum incedere. Tum quia sic colligitur ex *cap. licet, de priuileg. in 6.* vbi habetur, eum, qui tempore interdicti priuilegium obtinuit audiendi diuina officia, posse secum ad diuina officia familiam, quæ ipsum comitari solet, adducere. Hinc patet, quid dicendum sit de Reginis, & ipsarum filiabus, quas supra dixi probabiliter posse sine peculiari priuilegio monasteria religiosorum ingredi.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Femina licite ingredi potest ob necessitatem, exempli gratia, ad lactandum infirmum, seu medēdum dum aliud remedium commodū non est.

4 FEminæ ingredientes monasteria religiosorum ob instantem necessitatem, cui alia ratione commodè occurri nequeat, excusari possunt à peccato, & pœnis contra feminas ingredientes impositis. Ratio est, quia præcepta Ecclesiæ benignè accipienda sunt: iugum enim Christi suaue est, & onus eius leue, teste Ioanne Apostolo.

Hinc sequitur licitum esse feminæ ingressum in monasterium virorum ad lactandum religiosum infirmum, qui huiusmodi lacte iudicio medicorum valdè indigeat, nec commodè possit extra monasterium transferri. Idem dic si monasterium in eo loco positum sit, in quo alius non inueniatur, qui certo morborū generi mederi sciat, præter feminam eius rei peritam. Ita Sorbus *verbo ingredi num. 6.* Rodriquez *tom. 1. q. 46. artic. 7. sub finem, vers. & idem omnino dicendum*, Sanchez *lib. 6. cap. 17. n. 30.*

5 Strictior est clausura Monialiū, quam virorum.

5 Hic obiter addendum censeo pluribus de causis licitum videri feminis ingressum in monasteria virorum, quàm viris, aut feminis in monasteria Monialium, strictius enim interdicta videtur violatio clausuræ Monialium, quam virorum; quia maior perturbatio sequi solet ex ingressu alicuius in cœnobia Monialium, quàm ex feminæ ingressu in monasteria virorum: sexus enim femineus debilior est, & infirmior.

TERTIA PROPOSITIO.

6 Feminæ possunt ingredi monasteria virorum causa Missæ, funeris, processionis, vel alterius diuini officij, vel dū tantus est populi cōcursus, vt mulieres commodè ingredi, aut egredi non possint.

6 FEminæ ingredientes monasteria religiosorum causa processionis, Missæ, funeris, vel alterius diuini officij, vel etiam causa cōcionis audiendæ, vel dum tantus est populi concursus, vt mulieres commodè ingredi Ecclesiam non possint, aut egredi, quàm per claustra, vel alia religiosorū loca, excusantur à culpa, & pœnis. Hæc propositio perspicuè constat ex quadā declaratione Pij V. cuius authenticam attestationem exhibuit Alexander Card. Cribellus *anno 1568. die 26. mensis Ian.* quam refert Stephanus Quaranta *v. monasteria, & conuentus, col. 3.* & Rodriq. *tom. 1. q. 48. art. 3. initio*, in hæc verba. *Idem sanctissimus D.N. eodē viuæ vocis oraculo nobis facto, quod propter hoc, & per dictas suas litteras non intelligis, quod mulieribus præcludatur aditus accedendi ad monasteria, & loca regularia ac eorum claustra, quando in eis Missæ, & alia diuina officia celebrantur, ac quando processiones fiunt, & quando Christi fidelium cadauera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt, sed liberè concessit, & concedit eisdē omnibus mulieribus facultatē, vt ad*

ad illa loca, in quibus dicta pia opera exercentur, cum aliis Catholicis perſonis accedere libere, & licite poſſint; ſimiliter quod quando Diuinum officium in Eccleſiâ monaſteriorum, & regularium locorum huiuſmodi proponitur, vel propter aliam quamcumqae cauſam eſt tantus concurſus populi, quod commodè ingredi non poſſint, & egredi per principalem portam Eccleſiæ, conceſſit, & concedit eodem viuæ vocis oraculo, vt dictæ mulieres vnà cum aliis ſæcularibus perſonis poſſint ingredi, & egredi per portam clauſtri monaſteriorum, & regularium locorum huiuſmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam, qua exitur à monaſterio, non obſtantibus priuilegiis, & litteris Apoſtolicis, ac quibuſcumque in contrarium facientibus.

7 Feminæ poſſunt ingredi monaſterium cauſa audiendæ Miſſæ in capella clauſtri, modo ad alia loca non progrediãtur.

7 Hinc ſequitur primò feminas ingredi poſſe monaſterium religioſorum, dum Miſſa celebratur in aliqua capella in clauſtro monaſterij exiſtente. Hoc tamen intelligendum eſt, modò feminæ ad alia loca non progrediantur. Ratio eſt, quia Summus Pontifex concedit facultatem accedendi ad loca, in quibus diuina officia peraguntur, non autem ad alia, ibi, *vt ad illa loca, in quibus dicta pia opera exercentur, cum aliis catholicis perſonis libere accedere poſsint.* Hæc eadem limitatio accommodanda eſt ſubſequentibus illationibus, & præterea ipſis religioſis, qui huiuſmodi feminas ad vlteriora loca introducũt, ſeu admittunt, vt patebit ex infra dicendis. An autem ipſæ feminę vlteriùs progredientes incurrant excommunicationem, infra explicabo poſt tertium dubium.

8 Item dũ recitantur horæ canonicæ, dum fit benedictio candelarum, &c.

8 Secundò feminas poſſe ingredi monaſterium, dum ibi perſoluuntur horæ canonicæ, aut officium Beatiſſimæ Virginis, vel defunctorum, aut fit ſolemnis benedictio candelarum, aut oliuarum, aut adoratio crucis cum orationibus ab Eccleſia inſtitutis, aut aliæ ſimiles ceremoniæ, quæ ſolemniter fiunt ex inſtitutione Chriſti, vel Eccleſiæ, vel dum ſolemniter canitur Epiſtola, vel Euangelium. Ratio eſt, quia hæc veniunt nomine diuinorum officiorum: feminis autem permittitur ingreſſus cauſa diuinorum officiorum. Secus dic ſi religioſi aliqui priuatim horas canonicas in clauſtro recitent; quia Summus Pontifex intelligendus eſt de diuinis officiis communibus, ad quæ alij ſolent admitti, vt clarè conſtat ex dictis *de cenſuris diſputat. 5. punct. 4. n. 1. & ſeq.* vbi fuſiùs explicaui quid nomine diuini officij intelligatur, & præter DD. ibi citatos idem ſentire videntur Rodriquez *tom. 3. quæſt. 48. art. 3.* Sorbus *verbo ingredi num. 7.* Sanchez *loco citato, num. 22. & ſeqq.*

9 Item ingredi poſſunt dum fit lotio pedum, modo tunc legatur Euangeliũ, vel alia oratio fiat.

9 Tertiò feminas ingredi poſſe, dum fit lotio pedum in die cœnæ. Ita præcitati DD. quod ego limito, modò interim publicè legatur Euangelium, aut aliqua oratio ſolemniter recitetur. Ratio iſtius limitationis eſt, tum quia licet ipſa lotio eo tempore facta, ſit pium opus; non tamen eſt diuinum officium. Summus autem Pontifex non conceſſit facultatem ingrediendi ob quodlibet pium opus, ſed ob diuina officia, & ob alias actiones in præfata declaratione expreſſas. Et licet in præfata declaratione ſemel adhibeantur verba, *pia opera*, nihilominus illa ſunt relatiua, & referuntur ad opera in præcedentibus expreſſa; vt legenti præfatam declarationem perſpicuè conſtabit ex illis verbis, *in quibus dicta pia opera*, &c. Tum quia ſequeretur feminas poſſe in monaſteria nonnullorum religioſorum admitti, quoties religioſus è longinquo venit: vſu enim nonnullorum religioſorum receptum eſt, vt quoties religioſus extraneus aut itinere defatigatus ad monaſterium redit, religioſi conueniant ad lotionem pedum.

10 Poteſt femina ingredi dum emittitur profeſſio, non autem dum habitus ſuſcipitur.

10 Quartò feminas ingredi poſſe, dum aliquis in clauſtro profeſſionem emittit, cum ſolitis religioſorum ceremoniis: hæc enim nomine diuini officij venit, vt alibi docui. Idem aſſerunt Sorbus, Rodriquez, & Sanchez *locis citatis*, dum aliquis intra clauſtrum admittitur ad ſuſcipiendum habitum. Sed hoc ego vniuerſaliter non approbo, niſi diuinum aliquod officium ſimul fiat: ſuſceptio enim habitus, præcisè, non eſt diuinum officium.

11 Femina poteſt ingredi cauſa concionis, ſepulturæ, proceſſionis, vel dũ adeſt magnus populi cœtus impedientis ingreſſum, vel egreſſum.

11 Quintò, feminas ingredi poſſe, dum concio in monaſterio habetur, vel dum aliquis ſepelitur, vel dum anniuerſaria celebrantur, vel ſuffragia pro mortuis fiunt: hæc enim omnia in præfata declaratione excipiuntur.

Sextò feminas ingredi poſſe cauſa proceſſionis, vt ſi religioſi proceſſionem per clauſtra faciant, aut Euchariſtiam ſolemniter, & publicè ad infirmum deferant, caſus enim proceſſionis in præfata Pij V. declaratione excipitur.

Septimò feminas ingredi poſſe monaſterium dum Eccleſia populi multitudine adeò plena eſt, vt feminæ per portam Eccleſiæ principalem, commodè ingredi, vel egredi nequeant, vt patet ex ipſa declaratione. Hoc tamen intelligitur, modò non diuertant ad alia loca, ſed recto tramite accedant ad portam, qua exitur è monaſterio: ſic enim in præfata declaratione dicitur. An verò diuertendo ad alia loca afficiantur excommunicatione, dicetur infra.

12 Femina non poteſt ingredi ad audiendam comœdiã, vel diſputationem.

12 Octauò feminas non poſſe ingredi monaſteria virorum dum comœdia agitur, vel diſputatio Theologica inſtituitur. Ratio eſt, quia hæc non veniunt nomine diuini officij.

13 Femina ingrediens monaſterium tempore diuinorum officiorum, ſeu concionis, &c. non animo audiendi diuina, vel concionẽ, excuſati probabiliter poteſt à peccato, & pœnis cõtra clauſuram.

13 Sed modò dubium eſt primò, vtrùm femina, quæ tempore proceſſionis, vel diuinorum officiorum ingreditur monaſterium religioſorum, cauſa videndi monaſterium, vel ob prauum finem, excuſetur à peccato, & à pœnis impoſitis contra feminas monaſteria virorum ingredientes.

Reſpondendum probabiliter videtur excuſari à peccato contra clauſuram, modò ad alia loca non progrediatur. Ratio eſt, quia tunc temporis non extat humana prohibitio', cùm feminis ingreſſus in monaſteria virorum liberè concedatur tempore diuinorum officiorum, & præfatorum piorum operum, ibi, *quando in eis Miſſa, & alia diuina officia celebrantur, concedit, vt ad illa loca accedere libere, & licite poſſint, & valeant.* Ex quo patet à fortiori excuſari à peccato contra clauſuram, ſi ingrediatur cauſa diuinorum officiorum, & ſimul ob prauum finem, vt patet tum ex ratione proximè allata, tum ex dictis in prima ſectione; verum tamen eſt ingredientem peccare pro ratione praui finis ob quem ingreditur, vt patet ex regulis generalibus traditis de peccatis, etiamſi probabile ſit non facere contra obligationem clauſuræ.

Dixi in reſponſione, *probabiliter videtur*, vt innuerem valde probabile eſſe feminam, quæ monaſterium ingreditur, non cauſa intereſſendi diuinis, vel audiendæ concionis, ſed ſolùm animo conſpiciendi monaſterium, aut ob prauum finem, non excuſari à peccatis, & pœnis feminarum ingredientium clauſtra religioſorum. Ratio eſt, tum quia mens, & intentio Summi Pontificis hæc videtur eſſe, vt feminæ tunc temporis ingredi poſſint cauſa piorum operum, quæ in declaratione exprimuntur; tum quia ſicut habens licentiam ingrediendi cœnobia Monialium tempore neceſſitatis, non excuſatur à culpa, & pœnis violantium clauſuram Monialium, ſi nulla ratione ingrediatur ob neceſſitatem; ita non excuſatur femina ingrediens monaſteria virorum, ſi nulla ratione ingrediatur cauſa diuinorum officiorum, vel aliorum operum, quorum intuitu Summus Pontifex facultatem ingrediendi monaſteria feminis indulget. Ita Sanch. *n.* 28. Idem innuit Rodriquez *quæſt. 46. art. 3. notab. 2.*

Hinc patet quid dicendum ſit de religioſis admittẽtibus feminas.

14 Femina non peccat contra clauſuram ſi ingrediatur occaſione proceſſionis, quam Prælatus indixit hoc fine, vt feminæ ingredi poſſint. Idem aliqua ratione dici poteſt de ipſo religioſo proceſſionem ad eum finem indicente.

14 Secundò dubium eſt, vtrùm femina, quæ nouit proceſſionem extraordinariam indici à Prælato religioſorum, vt ipſa, vel aliæ ingredi poſſint, poſſit licitè ingredi.

Reſpondendum mihi videtur ingredi poſſe. Tum quia iure ſuo vtitur. Tum quia vbi ius non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Fieri tamen poteſt, vt ratione praui finis, vel alterius circumſtantiæ peccet, vt per ſe patet.

Hinc patet quid dicendum ſit ad illam quæſtionem, qua quæritur vtrum religioſus, qui proceſſionẽ fieri præcipit, vt ea occaſione mulieres monaſterium ingrediantur, peccet, & pœnas incurrat admittentium feminas. Sanchez *loco cit. n. 23.* & Rodriquez *quæſt. 46. art. 3. in medio verſ. circa quam declarationem*, reſpondent huiuſmodi religioſum peccare contra conſtitutiones Summorum Pontificum, conſequenter videri reum pœnarum, quas incurrunt religioſi admittentes feminas in ſua monaſteria. Ego verò arbitror peccare quidem abuſu poteſtatis, & conſequenter pœna dignum eſſe, non tamen afficiri præfatis pœnis, quia non admittit feminas illicitè ingredientes: quoties enim feminæ ius habent ingrediendi, non peccant religioſi eas admittentes. Ita Coriolanus *part. 2. caſu 3. nu. 34.*

15 Femina quæ iuſta de cauſa ingreſſa eſt, tenetur ſtatim moraliter egredi, non tamen afficitur excommunicatione ſi ſtatim non egrediatur.

15 Tertiò dubium eſt, vtrùm feminæ, quæ iuſtam habuerunt cauſam ingrediendi, teneantur egredi ſtatim finita iuſta cauſa ingreſſus.

Reſpondeo teneri, quia ceſſauit cauſa manendi in monaſterio. Hoc tamen intelligendum eſt moraliter, non metaphyſicè, vt ſupra in ſimili dictum eſt.

16 Femina iuſta de cauſa ingreſſa non afficitur excommunicatione, etiamſi ad vlteriora loca progrediatur. Secus dic de religioſis admittentibus.

Rogabis, vtrùm femina, quæ diutiùs immoratur, afficiatur pœnis ſuperiùs explicatis.

Reſpondeo negatiuè; quia illæ videntur impoſitæ contra feminas ingredientes ſine licentia, non verò contra morantes, vt in ſimili ſupra explicatum eſt.

16 Addo probabiliter dici poſſe, huiuſmodi feminas, quæ licitè, & bono fine ingreſſæ ſunt, excuſari ab excommunicatione, etiãſi poſtquam ingreſſæ ſunt, ad vlteriora monaſterij loca progrediantur. Ratio eſt, quia licet peccent contra obligationem clauſuræ, immorando, vel vlteriùs progrediendo, nihilominus pœnam excommunicationis incurrere non videntur, quia hæc lata eſt contra feminas præſumentes ingredi monaſteria religioſorum; femina autem ingreſſa non dicitur ingredi, ſed immorari, vel ad loca monaſterij ambulare, percurrere, aut viſitare.

Obiicies contra id, quod dictum eſt de feminis ad vlteriora loca progredientibus, Pius V. in declaratione conceſſit feminis facultatem progrediendi ſolùm ad illa loca, in quibus Miſſæ, proceſſiones, concio, funus, & alia diuina officia peraguntur; ergo femina, quæ vlteriùs progreditur, afficitur excommunicatione.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio eſt, quia licet femina peccet, vlteriùs progrediendo; non tamen dicitur ingredi monaſterium, ſed monaſterium perluſtrare; conſequenter non afficitur excommunicatione lata contra feminas ingredientes; nam in declaratione non continetur excommunicatio, ſed in eo datur facultas ingrediendi in certis caſibus: excommunicatio autem continetur in motu Pij V. & in eo ſermo ſolum eſt de feminis ingredientibus; non verò de immorantibus, vel vlteriùs progredientibus. Oppoſita tamen ſententia valdè probabilis eſt, & idem à fortiori probabilius dicendum videtur de religioſis comitantibus huiuſmodi feminas; quia non ſolum religioſi introducentes feminas afficiuntur excommunicatione, & aliis pœnis; verùm etiam admittentes, vt patet ex motu Pij V. Religioſus autem, qui mulierem comitatur ad eum monaſterij locum, ad quem præfatæ mulieri non licet accedere, dicitur mulierem admittere. Ita Sanchez *loco cit. num. 29.* Rodriquez *in expoſitione prædicti motus num. 19.*

Idem dicendum videtur de femina, quæ tempore concionis, vel diuini officij, vel alterius iuſtæ cauſæ ſuperiùs recenſitæ ingreditur monaſterium, animo accedendi ad alia loca, in quibus concio, vel diuinum officium non celebratur: nam tunc ingreditur monaſterium contra præceptum Pij V. & ipſomet ingreſſu violat clauſuram.

TRA-

TRACTATIONES VARIÆ.

QVARVM

I. *eſt, de Simonia.*
II. *de Alienatione bonorum Eccleſiaſticorum.*
III. *de Largitione munerum, Regularibus vtriuſque ſexus interdicta.*
IV. *de Onere Beneficiariorum ad reſidendum.*
V. *de Obligatione inſumendi beneficiorum fructus in pios vſus.*
VI. *de Obligatione denuntiandi delinquentes, præſertim Hæreticos, & Confeſſarios ad turpia in confeſſione ſollicitantes.*

TRACTATIO,

SEV

DISPVTATIO PRIMA.

DE SIMONIA.

IN explicatione iſtius diſputationis hoc ordine progrediar. Primo loco explicabo, quid ſit Simonia. Secundo, quotuplex. Tertio, quo iure prohibita. Quarto, quænam ſit ipſius materia. Quinto, quænam perſonæ poſſint Simoniæ labem committere. Sexto, vtrùm aliquo titulo excuſari poſsint accipientes aliquid temporale occaſione ſpiritualis. Septimo, quas pœnas Simoniaci incurrant, & quis poſsit in illis diſpenſare.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Simonia.

EXPLICABO primò, quid ſit Simonia quoad nomen. Secundò, quoad rem, & ſubſtantiam.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Simoniæ nomen vnde originē duxerit.

1 SImoniæ nomen originem traxit à Simone Mago, qui Dei donum, ſeu Spiritum ſanctum emere volebat, vt illum venderet, *Actor.* 8. Ita S. Thomas 2.2. *q.* 100. *art.* 1. [Paulus Layman *lib.* 4. *Theologiæ moralis tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 1. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 1. *num.* 2.] & alij Doctores communiter; ex quo factum eſt, vt rei huius criminis Simones vocentur à D. Chryſoſtomo *hom.* 60. *ad pop.* Dicitur autem Simonia à Simone potius, quàm ab aliis, qui prius Simoniæ vitium commiſerant in lege antiqua, quia Simon primus extitit, qui hoc vitium in nouo Teſtamento commiſit, putans ſpiritualia vendi poſſe, quod vitium ipſimet Simoni per Apoſtolos exprobratum fuit, *Actorum* 8.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Simonia quid ſit.

2 SImonia eſt ſacrilegium, conſiſtens in ſtudioſa voluntate emendi, aut vendendi, ſeu commutandi rem ſacram, ſeu ſpiritualem, vel ſpirituali annexam pro temporali: ita communiter Doctores.

Dicitur *ſacrilegium*, tum loco generis, tum vt indicetur virtus cui Simoniæ vitium aduerſatur: hæc autem virtus eſt religio, cui opponitur Simonia, æſtimando res ſacras, tamquam profanas, illaſque in contractum deducendo, vt conſtabit ex infrà dicendis.

Dicitur *ſtudioſa voluntas*, tum vt indicetur ſubiectum iſtius peccati, tum vt oſtendatur hoc peccatum committi poſſe non ſolùm externo opere, verùm etiam ſola voluntate, & animo abſque opere externo, ob id in iure vocari ſolet hæreſis ſimoniaca, vt benè Panormit. *cap. tua nos, de Simonia.* Azor. 3. *p. lib.* 12. *c.* 1. *q.* 6. & alij cōmuniter; tum vt conſtet, vitium Simoniæ magna ex parte pendere à voluntate, & intentione operantis, *cap. tua nos, de ſimon.* ibi, *ſi tamen is, qui eam donationem facit, ea intentione ducatur*; quamobrem, ſi tradens pecuniam non intendit formaliter, aut virtualiter tradere illam pro re ſpirituali, ſed alio titulo, non committit Simoniam, quia non habet ſtudioſam voluntatem emendi, aut vendendi. Dico *formaliter, aut virtualiter*, quia ad Simoniæ peccatum non requiritur formalis, & directa intentio dandi tēporale pro ſpirituali; ſed ſufficit intentio virtualis, & interpretatiua; hæc autem virtualis, & interpretatiua voluntas adeſſe ſolet, dum tradens temporale pro ſpirituali non ducitur alio motiuo, ſeu titulo honeſto, cuiuſmodi eſt titulus gratitudinis, vel debitæ ſuſtentationis; cùm enim tradens temporale intuitu obtinendi ſpirituale non habeat motiuum honeſtum illud tradendi, videtur commutare rem temporalem cum ſpirituali, illamque tradere tamquam pretium rei ſpiritualis, vt bene Suarez *tom.* 1. *de religione lib.* 4. *cap.* 36. *nu.* 6. & 7. Valentia *tom.* 3. *diſput.* 6. *q.* 16. *punct.* 1. Reginald. *lib.* 23. *nu.* 121. Azor. 3. *part. cap.* 1. *quæſt.* 6. [Filliucius *num.* 3. Layman *num.* 2.]

Dicitur *emendi, aut vendendi, aut commutandi*, &c. quia Simonia committitur emptione, aut venditione, ſeu permutatione rei ſacræ,

2 Venditionis, &

ſeu ſpiritualis pro temporali.

3 Obſerua tamen hæc verba *emendi, vendendi*, &c. non adhiberi ſolum ad ſignificandum contractum emptionis, aut venditionis, ac ſi emptionis peccatum Simoniæ ſolo contractu emptionis, & venditionis committatur; verùm etiam adhiberi ad ſignificandos ceteros contractus oneroſos, qui non gratis, nec liberaliter fiunt. ſed æquiualent emptioni, & venditioni, pacto, tranſactioni, permutationi, &c. Ita Syluester *verb. Simonia, nu.* 1. Angel. *eodem verbo, nu.* 1. Azor. 3. *part. lib.* 12. *cap.* 1. *quæſ.* 1. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 16. *punct.* 1. *verſ. ſequitur altera*, Reginald. *lib.* 33. *n.* 100. [Paulus Layman. *lib.* 4. *Theologiæ moralis tract.* 10. *cap.* 8. *nu.* 2. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 1. *num.* 3.] & alij communiter.

quid ſignificetur.

Ex dictis inferri poteſt primò Simoniam committi contractu oneroſo, & non gratuito.

4 Spes lucri, preces, vel amor humanus non inducunt Simoniam.

4 Secundò, eum qui miniſteriū aliquod ſpirituale exercet ſpe lucri, aut ob humanum amorem, vel preces, &c. non cōmittere peccatum Simoniæ; quia nullum facit contractum oneroſum, nec ſpirituale miniſterium exercet tamquam pretium rei temporalis: hac de cauſa Clericus inſeruiens Epiſcopo ſpe beneficij, non cōmittit Simoniam, niſi pactum ineat, aut intendat beneficium tamquam pretium ſeruitutis, & obſequij, vt clariùs conſtabit ex infrà dicendis.

5 Intentio decipiendi non inducit Simoniā in eo, qui pecuniam promittit pro beneficio animo non verè emendi.

5 Tertiò ſequitur, eum, qui promittit pecuniam, ſeu aliquid temporale pro beneficio, animo non verè emendi, vel ſoluendi, ſed ſolum intentione decipiendi, & recipiendi beneficium, in ſententia multorum Doctorum non committere verum Simoniæ peccatum, etiam ſi promiſſionem firmet inſtrumento, vel iuramento ficto, & ſimulato. Ratio eſt, quia hic non dicitur habere voluntatem emendi, aut vendendi, ſed decipiendi; ergo re vera non committit peccatum Simoniæ; conſequenter retinere poteſt huiuſmodi beneficium ſibi à legitimo ſuperiore collatum, vt infrà ſuo loco clariùs oſtēdam. Ita Caiet. *tom.* 2. *opuſc. tract.* 9. *q.* 2. Reginaldus *lib.* 23. *cap.* 11. *nu.* 110. Summa Corona *de Simonia, nu.* 14. *part.* 3. *fol.* 72. Sotus *lib.* 9. *de iuſt. q.* 8. *art.* 1. Toletus *lib.* 5. *cap.* 90. *ad finem*, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *diſp.* 1. *num.* 11. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 67. *ad finem.*] & alij. In foro tamen externo præſumitur Simoniacus, quia forus externus non iudicat de internis, ſed de externis. Addo ego cum Nauarro *in manuali cap.* 23. *nu.* 106. Suarez *tom.* 1. *de relig. cap.* 19. *nu.* 2. & aliis, huiuſmodi deceptorem etiam in foro conſcientiæ reum eſſe Simoniæ, quia cooperatur Simoniæ alterius; cooperans autem peccato alterius, reus eſt illius peccati, cui cooperatur, vt patet ex regulis generalibus traditis de peccatis. Neque obſtat ratio deſumpta ex definitione Simonię, quam diximus conſiſtere in ſtudioſa voluntate emendi, &c.

Reſpondetur enim inde ſolùm colligi præfatum decipientem non eſſe Simoniacum formaliter, & ex intentione formali; conſequenter non ligari eenſuris contra Simoniacos latis, vt bene Suarez *lib.* 4. *cap.* 42. *num.* 2. non tamen excluditur, quin Simoniæ reus ſit ob cooperationem ad peccatum Simoniæ.

Dicitur in propoſitione, *emendi, aut commutandi rem ſacram, ſeu ſpiritualem, vel ſpirituali annexam*, vt indicetur materia Simonię. Materia enim Simoniæ eſt res ſacra, ſeu ſpiritualis, & ſupernaturalis, ſeu ſpirituali annexa; nam malitia Simoniæ cōſiſtit in commutatione rei ſpiritualis pro temporali, non autem in commutatione tēporalis pro temporali, aut ſpiritualis pro ſpirituali: quæ autem ſit res ſacra, & ſpiritualis, vel annexa ſpirituali, quam dicimus eſſe materiam Simoniæ, conſtabit ex dicendis *quæſt.* 4.

6 Permutatio rei spiritualis cũ alia re spirituali non inducit Simoniam.

6 Dicitur *pro re temporali*, vt ostẽdatur Simoniam non committi, dum res spiritualis commutatur cum alia re spirituali, sed dum res spiritualis commutatur cum re temporali pretio æstimabili, vt equo, veste, & similibus. Ita communiter Doctores, quorum aliquos refecram *quæst.* 4. §. 13. Ratio est, quia malitia Simoniæ in hoc consistit, vt res temporalis, quæ vilis est, & nullius momenti comparatione rei spiritualis, tradatur in commutationem rei spiritualis tamquam pretium rei spiritualis; hoc enim pacto magna fit iniuria, & irreuerentia rei spiritualis, quæ commutatur cum temporali, & cum ea confertur, ac si pretio æstimari posset. Simonia igitur committitur, dum temporale traditur, vel promittitur pro re spirituali tamquam illius pretium, quia tunc fit irreuerentia rei spirituali, quæ confertur, & commutatur cum temporali. Secus dicendum est, quando res temporalis non traditur pro re spirituali, tamquam illius pretium; tunc enim non dicitur commutari cum re spirituali.

Hinc sequitur primò, Simoniam non semper committi, dum temporale traditur occasione spiritualis, sed dum temporale traditur tãquam pretium rei spiritualis. Ratio est, tum quia malitia Simoniæ in hoc posita est, vt temporale tradatur in commutationem, & quasi appretiationem, seu æstimationem rei spiritualis; non semper autem res temporalis traditur in commutationem, & appretiationem rei spiritualis, tum quia quod datur alio titulo, quàm ob rem spiritualem, non dicitur dari pro re spirituali, nam dictio illa posita in definitione Simoniæ, indicat rem, cum qua fit commutatio, tamquam censuram, & mercedem rei spiritualis.

Ob id non committitur Simonia, dum res pretio æstimabilis gratis datur ante collationem rei spiritualis, vel dum res pretio æstimabilis traditur titulo gratitudinis post acceptam rem spiritualem, tunc enim non traditur in commutationem, seu tamquam pretium rei spiritualis. Ita communiter Doctores.

Secundò, sequitur Simoniæ peccatum non committi, dum pecunia traditur Sacerdoti causa celebrationis Missarum, quia non traditur tamquam pretium Missę, sed in eleemosynam, vel sustentationem Sacerdotis, vt pluribus infrà ostendam.

Tertiò sequitur, non cõmitti simoniã, dum aliquid sponte oblatũ accipitur occasione administrationis Baptismi, Eucharistiæ, vel Pœnitẽtiæ; quia non accipitur tamquã pretium, sed tamquã donũ sponte oblatũ; fieri tamen potest, vt alia ratione peccatum committatur pro qualitate circumstantiarũ. Imò committi etiam posset Simonia cõtra ius Canonicum, si hoc intuitu religionis iure Canonico prohiberetur, & diceretur emptio, & venditio, præsumpta, & reprobata per legem Ecclesiasticam, vt clariùs constabit ex dicendis *punct.* 2. *num.* 7.

7 Consanguineo prębens beneficiũ propter cõsanguinitatẽ, non incurrit Simoniæ culpã.

7 Quartò, non committi Simoniam contra ius diuinum, vel humanum, dum beneficium confertur consanguineo propter consanguinitatem. Quòd non committatur Simonia contra ius humanum patet, quia nullum ius afferri potest, in quo vetitum sit, per se loquendo, sub motiuo religionis conferre beneficium consanguineis, vt clarius constabit ex dicendis in obiectionibus. Quòd verò non committatur Simonia contra ius diuinum, ratio est, tum quia conferens beneficium, nihil temporale accipit pro beneficio. Tum quia donum consanguineo collatum non exuit rationem gratuitæ donationis ob circumstantiam consanguinitatis; ergo neque beneficium absque pretio collatum cõsanguineo amittit rationem liberalis, & puræ collationis, ob circumstantiam consanguinitatis: tum quia ego Simoniæ vitium non incurro, orando pro meis consanguineis, quia consanguinei sunt; ergo neque Simoniæ vitium incurro cõferendo beneficium ob consanguinitatem: tum quia sequeretur etiam Simoniam cõmitti conferendo beneficium titulo amicitiæ, cum par ratio videatur; sed hoc est falsum; ergo etiam primum. Ita S. Th. 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 3. Couar. 1. *variarum cap.* 5. *nu.* 4. Victoria *in relect. de Simonia nu.* 16. Sotus 9. *de iust. q.* 7. *art.* 3. *ad* 2. Valentia *parte* 3. *vers.* 4. Azor. *cap.* 11. *quæs.* 1. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 37. *nu.* 6. Molfesius *tract.* 6. *cap.* 15. *num.* 57. Reginaldus *lib.* 23. *cap.* 11. *dub.* 7. *nu.* 143. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 9. *quæs.* 4. *nu.* 7. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *nu.* 27.] & alij cõtra glossam *in cap. vt nostrum tit. vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.* Maiorem *in* 4. *dist.* 25. *q.* 3. *ad* 1.

Obiicies primò, *in c. vt nostrum, tit. vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione cõferantur*, reprehenditur Episcopus, quòd beneficiũ consanguineo cõtulisset, ibi, *quia non affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiastici officii, & beneficii in persona magis idonea dispensare.*

Respondeo Episcopum illum non reprehendi tamquam reum Simoniæ; sed tamquam violatorem iustitiæ distributiuæ, quia contulerat beneficium minus digno ob affectum carnis.

Obiicies secundò, *in c. nemo, de Simon.* habetur simoniacũ esse occultare delictum Episcopi propter cõsanguinitatẽ; ergo multo magis simoniacum est conferre beneficium propter consanguinitatem.

Respondeo primò nomen *Simoniæ* eo in loco latè, & impropriè accipi, vt infrà ostendam cum Hostiensi, & aliis.

Respondeo secundò, negando in eo textu damnari nota Simoniæ occultantem vitium propter carnis affectum, nam illa verba textus, *quia simoniacum est vtrumque*, referuntur ad alia delicta ibi proximè enumerata.

Obiicies tertiò, conferens beneficium alicui, vt alat consanguineum, Simoniam committit; ergo multò magis eam committit conferens beneficium ipsi consanguineo.

Respondeo, tradentem beneficium alicui, vt alat consanguineum, reum esse labis simoniacæ, quia imponit illi obligationẽ pretio æstimabilem pro re spirituali, consequenter exigit temporale pro spirituali, quod non accidit in conferente beneficium consanguineo propter consanguinitatem.

Obiicies quartò, dum beneficium consanguineo datur, res spiritualis tractatur tamquam res carnalis, hereditaria, & tẽporalis, in quo ratio Simoniæ maximè posita est: ergo Simoniæ crimen cõmittitur.

Respondeo hinc solùm colligi committi posse aliquod peccatum, tradendo beneficium consanguineo, vt quia in collatione beneficij non intenditur præcipuus beneficij finis, sed caro, & sanguis, aut quia consanguineus non est dignus, vel præfertur digno, vel scandalum adest, vel alia subest prãua circumstantia, quæ culpam inducere potest; ex natura tamen rei malum non est, vel simoniacum, beneficium consanguineo alioquin digno conferre ex moderato affectu, vt suprà probatum est.

8 Metus imminentis mali, seu grauis incõmodi quandoq; excusat à Simoniæ labe.

8 Quintò, sequitur non committi Simoniam cõtra ius humanum, vel diuinum, dando beneficium alicui, vel faciendo aliquid spirituale ex metu imminentis mali, vt ex timore amissionis vitæ, famæ, honoris, lucri cessantis, vel damni emergentis. Quòd non committatur Simonia contra ius humanum, ratio est, tum quia non potest afferri textus, in quo id prohibeatur: tum quia ius humanum non obligat cum graui incommodo; tum quia tantum abest, vt ius Canonicum similes actiones reprobet, vt potiùs faueat, & tueatur, vt pãtet ex *cap. ad aures, & cap. ad audientiam, de his, quæ vi.*

Quòd non committatur Simonia contra ius diuinum, ratio est, tum quia Simonia committitur, dum traditur, vel accipitur pretium pro re spirituali; sed tradens beneficium, vel quid aliud spirituale, metu temporalis incommodi, non accipit pretium, cùm non intendat euitationem incommodi tamquam pretium beneficij, seu rei spiritualis, sed intendat remotionem causæ, quæ potest inferre tale malũ; remotio autem causæ est depositio iræ, odij, & voluntatis inferendi malum, quæ per spirituale medium intendi posse videtur, etiãsi malum vitandum sit temporale, & pretio æstimabile: tum quia aliud est operari ex aliquo motiuo, seu propter aliquod motiuum, aliud operari pro aliqua re, tamquã in pretium illius; sed qui operatur ex motiuo imminentis mali, dicitur operari ex metu tamquam ex motiuo, seu propter metum, non operatur verò pro metu: tum quia non committitur Simonia dando beneficium ex motiuo amicitiæ, quæ iam habetur, quidquid sit de alio delicto, &c. ergo neque committitur Simonia dando beneficium ex motiuo acquirendæ amicitiæ, eiusdem enim rationis est seruare amicitiã, & illam generare; sed dans aliquid spirituale ex motiuo seruandæ amicitiæ, non committit Simoniam; ergo nec eam committit dans aliquid spirituale ex motiuo acquirendi amicitiam, & beneuolentiam, seu placandi iram, seu deponendi odium; sed hoc solùm intenditur, dum traditur beneficium, vel quid aliud spirituale ex metu imminentis mali: ergo non committitur Simonia, tum quia non committitur simonia inducendo aliquem per minas, seu metum temporalis incommodi ad faciendum opus spirituale; Deus enim, & Ecclesia sæpè minantur temporalia incommoda non facientibus aliqua opera spiritualia; ergo neque committitur simonia tradendo aliquid spirituale ad euitandum temporale malum. Ita Angelus *verb. Simonia* 3. *nu.* 38. Victoria *in relectione de Simonia nu.* 24. Sotus 9. *de iustitia quæst.* 7. *artic.* 2. Suarez *lib.* 4. *cap.* 37. *nu.* 10. Reginaldus *lib.* 23. *dub.* 8. *num.* 145. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 16. *punct.* 3. *vers. vltimò sequitur*, Filliucius *tract.* 45. *cap.* 9. *quæsito* 5. *num.* 8. & alij contra Adrianum *quodlibeto* 9. *artic.* 2. *dub. vltimo*, Maiorem *in* 4. *distinct.* 25. *quæst.* 3. *ad* 1. & alios. Hoc tamen intelligendum est, modò res spiritualis detur comminanti malum sine pacto, vel obligatione; nam si res spiritualis tradatur cum pacto, vel obligatione non inferendi malum, cõmittitur simonia, quia exigitur temporale pro spirituali; quamobrem, qui tradit beneficium inito pacto, ne offendat, seu ne malum inferat, simoniam committit, quia imponit obligationẽ pretio æstimabilem: secus si propriè pactum non ineat, sed tradat beneficium rogando, vt desistat ab iniuria inferenda, & vt sibi beneuolus, & amicus sit, vel vt prauum affectum deponat; tunc enim non dicitur dare spirituale tamquam pretium rei temporalis, sed dat spirituale ad redimendam iniustam vexationem, seu ad conciliandam sibi beneuolentiam, sperans, illa mediante, vitationẽ incommodi, seu damni temporalis pretio æstimabilis; ex quo licet inferre me non committere Simoniam, dum hostis, seu malefactor mihi metum incutit, vt in ipsius gratiam resignem beneficium, & promittit malum non inferre, facta à me beneficij resignatione. Ratio est, tum quia ego resigno beneficium, non vt recipiam aliquid temporale ab eo, qui mihi metum incutit, cùm ipse nihil mihi tribuat; quamuis enim non pati malum, sit bonum; non est tamen bonum illius, qui mihi metum incutit, & respectu illius non est pretio æstimabile: tum quia ego intendo beneuolentiam, ex qua deinde consequitur vitatio mali; sicut etiam, si mihi metus iustè incuteretur ad deponendum beneficium iniustè retentum, possem deponere beneficium intentione faciendi actum debitum, ex quo deinde tamquam ex causa sequitur euitatio mali. Ita Victoria, Suarez, Filliucius & alij *locis citatis.*

Obiicies, vitare malum temporale, est quoddam bonum temporale pretio æstimabile; ob id enim aliquando pretio redimitur, & pecunia datur ad vitandum malum; sed Simonia committitur dando spirituale pro temporali, vel è contra: ergo committitur Simonia tradendo beneficium, vel quid spirituale ex metu imminentis mali ad vitandum malum imminens.

Respondeo, euitare malum esse quoddam bonum, non illius, qui malum comminatur; consequenter ipse nullum bonum temporale confert pro spirituali; sed illud bonum temporale consequitur depositionem iræ, seu reconciliationem, & beneuolentiam, quam collator, seu resignator beneficij, seu rei spiritualis, intendit absque præuio pacto, vel obligatione.

9 Beneficij collatio facta in gratia, seu petitione alterius, simoniaca non est.

9 Sextò sequitur, Episcopum non committere simoniam tradendo beneficium alteri in gratiam, seu petitionem Principis. Ratio est, quia Episcopus tradens beneficium non accipit temporale pro spirituali, etiamsi fortè hoc faciat intentione euitandi offensam, seu indignationem Principis, à quo sperat temporale commodum, vel dignitatis augmentum; nihil enim accipit a Principe, tamquam pretium traditionis beneficij; cum indignatio, & offensa, cuius fuga intenditur, non sit bonum Principis, & beneuolentia, & amicitia intendi possit. Secus dicendum est, si Episcopus tradat beneficium ad instantiam Principis, vt facilius ad meliorem Episcopatum promoueatur; tunc enim intendit lucrum, seu temporale commodum annexum

nexum Episcopatui pro collatione beneficij, quæ est actio spiritualis. Ita Victoria, & Sotus *locis citatis*, Suarez *num.*17. Filliucius *quæsito* 6. *num.*10. Valentia *punct.*3. *versic.*4. *sequitur*. Reginald. *lib.*23. *num.*138. Molsesius *tract.*6. *cap.*15. *num.*58. 60. & 63.

10 Debitori beneficium conferens, vt sibi debitū soluat, Simoniam committit.

10 Septimò, sequitur simoniam committi ab Episcopo, qui beneficium confert suo debitori cum pacto, vt debitum sibi soluat. Ratio est, tum quia in beneficiis omnis pactio simoniaca est, saltem ex iure Canonico, vt infrà probabo: tum quia obligatio, quæ ex nouo pacto imponitur debitori ad soluendum, est pretio æstimabilis; consequenter Episcopus conferens beneficium debitori cum pacto, vt sibi soluat, simoniam committit. Secus dicendum est, si Episcopus conferat beneficium debitori, timore amittendi creditum, seu intentione recipiendi solutionem sibi debitam, sed absque vllo pacto, vel noua obligatione. Ratio est, tum quia non recipit lucrum, cùm solum intendat id, quod sibi aliàs debetur: tum quia si Episcopus alicui debitori, qui non est soluendo aliis creditoribus, vel non habet vnde viuat, conferre potest beneficium, vt satisfaciat aliis creditoribus, & vt habeat vnde viuat: ergo etiam conferre potest beneficium debitori, vt possit sibi satisfacere; nam ipse non est deterioris conditionis ceteris. Ita Angelus *verb. Simonia* 3. *nu.*38. Suarez *de Simonia cap.* 37. *num.* 28. Filliucius *tract.*45. *cap.*9. *quæs.*6. *num.*11. contra nonnullos alios.

11 Beneficium conferens filio iudicis, vel eum præsentãs cum pacto absoluendi reum, vel mitigandi pœnam, Simoniam incurrit.

11 Octauò, simoniam committi ab eo, qui beneficium confert filio iudicis, vel eum præsentat ad beneficium cum pacto, vt absoluat reũ, vel rigorem iustæ sententiæ, seu pœnæ mitiget. Ratio est, tum quia imponit onus iudici pretio æstimabile; nam absolutio rei, vel mitigatio pœnæ æstimabilis est pretio, & sæpè vendi solet, licèt iniquè, & iniustè vendatur: tum quia tradens beneficium creditori, ne debitum exigat, simoniam committit; ergo etiam simoniam committit tradens beneficium iudici, vel eius filio, vel alteri, vt pœnam debitam leniat, mitiget, vel non exigat. Secus dicendum videtur, si beneficiũ conferat absque vllo pacto, cum animo conciliandi sibi beneuolentiam, & amicitiam iudicis, sperans inde mitigationem pœnæ iustæ, & debitæ; in hoc enim casu licèt grauiter peccet, cùm intendat actionẽ iudicis iniustam; tamen non peccat peccato simoniæ, quia non tradit spirituale pro illa actione temporali, vel omissione, tamquam pro pretio, sed ad conciliandam sibi beneuolentiam, quod simoniacum non est. Ita Suarez *lib.*4. *c.*37. *nn.*19. Filliucius *tract.*45. *cap.*9. *quæs.*6. *nu.*11.

Vt ea, quæ in hac quæstione diximus clarius intelligantur, nonnulla dubia explicanda sunt. Primum est, quotuplex sit pretium, cuius traditione committitur simonia. Secundum, quomodo cognoscere possimus pecuniam, vel rem aliam pretio æstimabilem tradi tamquam pretium rei spiritualis.

§. I.

Quotuplex sit pretium, cuius traditione committitur Simonia.

VNICA PROPOSITIO.

1 Pretium quotuplex sit.

1 PRetium, quod pro re spirituali tradi solet, & cuius traditione committitur Simonia, triplex est, videlicet à manu, à lingua, & ab obsequio: ideo communiter à Doctoribus vocatur munus à manu, munus à lingua, & munus ab obsequio. Sic enim habetur *in cap. Saluator* 1. *quæst.* 3. ibi, *quisquis res Ecclesiasticas non ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra, munere linguæ, vel obsequij, vel pecuniæ largitur, vel adipiscitur, Simoniacus est.* Ad hæc tria genera rerum reuocari possunt omnia alia, quæ in pretium pro re spirituali tradi possunt.

2 Bona tẽporalia reuocantur ad munus à manu, vel munus à lingua, & munus ab obsequio.

2 Nam bona humana, & temporalia, vel sunt bona externa, & hæc veniunt nomine pecuniæ, seu muneris à manu (nam quidquid in terris possidetur, sub nomen pecuniæ cadit; vocatur autem pecunia, quia quidquid antiqui, & veteres homines habebant, in pecoribus habebant. *cap. totum* 1. *quæst.* 3.) Vel sunt humanæ actiones, quę membris corporis efficiuntur, & sic vocantur munus ab obsequio. Vel sunt fauores, intercessiones, & similia, & sic vocantur munus à lingua. Ad hæc spectant promissiones, & obligationes tradendi munus à manu, ab obsequio, vel à lingua; ius enim prohibens munera ipsa tradi, prohibet etiam illa promitti, seu de illis pactum, & obligationem iniri, *cap. nobis, cap. de hoc, & cap. tua nos, de Simon.* Ad eamdem diuisionem pretij reuocari possunt mala contraria præfatis muneribus, seu bonis, vt non accipere pecuniam, seu munus à manu, priuare se obsequio, non vti fauoribus. Cùm enim priuatio istorum bonorum sit pretio æstimabilis, sicut sunt ipsa bona, par est, vt ad eamdem pretij diuisionem reuocetur.

3 Munus à manu quid sit.

3 Quæres primò, quid intelligatur nomine *muneris à manu.*

Respondeo, intelligi quælibet bona externa pretio æstimabilia, siue sint mobilia, siue immobilia, siue corporalia, siue incorporalia, *cap. totum. 1. quæst. 1. & cap. tua nos. de Simon.* Idem dic de promissionibus, vel obligationibus illorum, vt dixi *num. præcedenti.*

4 Debitum Ecclesiæ remittens, vt beneficium obtineat, simoniam committit.

4 Hinc sequitur primò, Simoniam committi, dum quis beneficiũ, vel rem spiritualem alicui confert ob rem aliquam pretio æstimabilem, vt ob pecuniam, ob remissionem debiti, vel ob promissionem illud remittendi. Idem valet non solum in eo, qui propria debita remittere intendit; verùm etiam in eo, qui promittit remittere debitũ Ecclesiæ, vel rapinas illis, qui procurauerint sibi beneficium. Sic enim habetur *in cap. talia* 8. *quæst.* 4. Et ratio est, quia promittit temporale pro spirituali: & licèt videatur solùm aliena, & non sua condonare, nihilominus virtualiter censetur illa rapere, vt alteri tradat; consequenter tradit munus à manu, vt benè Suarez *cap.*38. *n.*5. [Layman *nu.*25.]

5 Pensionẽ promittens vel recipiẽs pro beneficij collatione, vel præsentatione, Simoniam committit.

5 Secundò, Simoniam committi ab eo, qui promittit pensionem, vel pecuniam conferenti, vel procuranti beneficium, vel collatori, vel præsentatori; nam huiusmodi pensio est pecunia æstimabilis, & venit nomine muneris à manu. Ob id Episcopus, qui pensionem super aliquo beneficio antea non habebat, si det beneficium alicui, extorquens consensum soluendi sibi, vel consanguineo pensionem, Simoniam committit, *cap. vnico, vt benef. Eccles.* Cùm enim Episcopus, regulariter loquendo, pensionem imponere nequeat, & pensio veniat nomine muneris à manu, sequitur Episcopum esse reum simoniæ, quia pro beneficij collatione extorquet munus à manu. Suarez *cap.* 38. *nu.*10. Azor. 3. *parte lib.*12. *de Simonia, cap.* 11. Ob id etiam simonia committitur, dum quis cum aulico pactum init, vt se de vacantibus beneficiis certiorem reddat, promittens se consensurum pensioni in ipsius fauorem imponendæ. Idem militat in eo, qui auxilium ab alio petit ad obtinendum beneficium, promittens illi pensionem. Ratio est, quia promissione pensionis parat sibi viam ad beneficium, consequenter censetur tradere, vel promittere pensionem pro beneficio; tradens autem, vel promittens pensionem pro beneficio, simoniam committit, quia pensio, vel obligatio ad illam est pretium, vel quid pretio æstimabile. Ita Nauarr. *consil.*47. & 57. *de Simonia.* Suarez *cap.* 38. *nu.*10. Filliucius *cap.*9. *nu.*12. Idem dic de permutantibus beneficia priuata auctoritate; isti enim simoniam committunt iuris humani, quia beneficium præter titulum spiritualem continet etiam temporale emolumentum; consequenter æstimatione iuris sub nomine muneris à manu enumerari potest.

6 Præsentatus ad beneficiũ, Simoniæ labem incurrit promittendo præsentatori, aut electoribus se non exacturum decimas, &c.

6 Tertiò, simoniam committi ab eo, qui præsentatur ad beneficiũ, promittens præsentatori se decimas ab eo non exacturum, aut promittens Canonicis electoribus se remissurum partem præbendæ, aut qui petit ordinari ad titulum bonorum sibi ab alio assignatorum, promittens se nihil ab eo postulaturum; ita Nauarr. *in Manuali cap.* 27. *num.*158. Suarez *loco citato, nu.*5. & alij communiter. Idem sentiendum est de illo, qui bona alicui Ecclesiæ tradit, cum pacto, vt in ipsa recipiatur in Canonicum, & præfata bona sibi retineat pro præbenda: secus si liberè, & sine pacto largiatur, rogans, vt in Canonicum admittatur, & bona illa sibi retinere liceat, vt expressè habetur *in cap. tua nos, de Simonia.*

7 Beneficium conferens, vel recipiens sub conditione mutui, Simoniam committit.

7 Quartò, simoniam committi ab eo, qui beneficium confert sub conditione pecuniæ sibi mutuandæ, aut ab eo, qui pecuniam mutuo tradit pro accipiendo beneficio, aut alia re spirituali. Ratio est, tum quia commutatur temporale pro spirituali: mutuum enim secum affert temporalem vtilitatem, & cadit sub bona externa, quæ vocantur munus à manu: tum quia tradens spirituale cum pacto, vel sub conditione mutui, non tradit omnino gratis, sed ex pacto oneroso; ergo simoniam committit: tum quia in mea sententia committitur vsura ab eo, qui non vult alteri mutuum dare, nisi alter remutuet: ergo etiam committitur simonia ab eo, qui non vult conferre spirituale, nisi alter mutuet pecuniam, vel quid aliud. Ita Nauar. *consil.* 23. *de Simon.* Vgolinus *tab.*1. *cap.*9. §. 5. *nu.*2. Lessius *lib.*2. *cap.*20. *dub.*9. *concl.* 3. *nu.*64. & *seq.* Suarez *cap.*38. *nu.*7. & *seqq.* Filliucius *tract.* 45. *cap.* 9. *quæsito* 7. *num.*12. & alij communiter.

Obiicies, qui mutuum petit, vel accipit pro beneficio, vel re spirituali, non accipit pecuniam pro re spirituali; sed pro æquali pecunia, quam postea restituturus est; solùm ergo petit, vel accipit mutuationem; sed mutuatio non est pretio æstimabilis, alioquin licitum esset aliquid supra sortem in mutuo accipere: ergo nihil accipit pretio æstimabile: ergo non committit simoniam.

Respondeo, committere simoniam, tum quia imponit alteri onus, tum quia accipit commodum temporale, quod ex mutuatione consequitur; & quamuis mutuatio præcisè non sit pretio æstimabilis, est tamen quid merè temporale; consequenter dari, vel permutari non potest cum re spirituali; non enim minor iniuria fit rei sacræ, commutando illam cum re temporali pretio non æstimabili, quàm cum æstimabili, imò maior iniuria fieri videtur, quia, quo res aliqua datur pro re alia minoris, aut vilioris pretij, & æstimationis, eo vilior æstimari, & reputari censetur, vt benè ait Lessius *loco cit. num.* 65. & Suarez *num.* 7.

Hinc patet quid sentiendum sit de illo, qui spirituale confert alteri, vt sibi dilationem solutionis debiti concedat; concessio enim dilationis ad soluendum est virtuale mutuum; consequenter idem sentiendum est quod de mutuo. Idem militat dum res spiritualis datur, vt debitor sibi anticipatè soluat debitum; nam illa anticipata solutio est quædam virtualis mutuatio, vel illi æquiualet, & continet temporale commodum; consequenter dicitur munus à manu, vt benè Suarez *num.* 9. Quid autem sentiendum sit, dum petitur solutio rei, sibi tunc temporis debitæ, suprà explicaui *illatione* 7.

8 Munus ab obsequio quid significet.

8 Quæres secundò, quid intelligatur nomine *muneris ab obsequio.*

Respondeo, intelligi opus hominis conducens ad vtilitatem, seu commodum hominis. Duplex autem est obsequium, temporale, & spirituale; temporale consistit in actione hominis ordinata ad vtilitatem, seu commodum corporis, vel animæ in suo esse naturali spectatæ; spirituale consistit in functione spirituali, ad animæ salutem conducente. Hoc secundum non est pretio æstimabile, si functio spiritualis per se spectetur; actio enim spiritualis non est pretio æstimabilis, vt constabit ex infrà dicendis. Obsequium verò temporale est pretio æstimabile, vt per se patet; pretium enim tradi solet, vt obsequium, seu ministerium temporale obtineatur. Hac de causa obsequium cadit in diuisionem pretij, & vocatur munus ab obsequio.

9 Beneficium conferens cum pacto præstandi onera beneficio annexa, non est reus Simoniæ.

9 Hinc sequitur primò, simoniam committi tradendo beneficium, vel aliquid aliud spirituale, cum pacto, seu cum onere præstandi aliquod obsequium temporale. Ratio est, tum quia exigitur munus ab obsequio pro re spirituali, tum quia in beneficiis vetantur omnes pactiones. *cap. vltim. de pactis.* Tum quia sic expressè colligitur ex *cap. cùm essent, de Simonia.* Quamobrem si quis tradat alicui beneficium, vt doceat Grammaticam, Theologiam, vel quid aliud, vel vt sibi inseruiat, vel vt aliquod obsequium honestũ, vel etiam turpe exerceat, Simoniam committit. Hoc tamen limitandum est, nisi obsequium temporale, quod exigitur ab eo, cui beneficium, seu res spiritualis confertur, sit annexum beneficio, seu rei spirituali, quæ cum tali onere traditur; tunc enim non committitur simonia: tum quia non exigitur aliquid indebitum; sed solum explicatur onus, quod ipsi beneficio inest; & hoc pacto intelligitur *cap.* 1. & 4. *de magist.* & Tridentinum *sess.*5. *cap.*5. *de reformat.* & *sess.*23. *cap.*8. Tum quia beneficium adnexos habet fructus, qui potuerunt beneficio applicari, non solùm

ratione

ratione ſpiritualis miniſterij, verùm etiam ratione obſequij temporalis, conſequenter in collatione beneficij non committitur Simonia petendo obſequium temporale, inſtitutum ob temporale emolumentum, beneficio adnexum.

Obſerua tamẽ, me hic loqui de obſequio adnexo, ſeu impoſito ipſi beneficio tempore inſtitutionis, ſeu vacationis; tunc enim non exigitur indebitum exigendo huiuſmodi obſequium: nam ſicut Papa vniuerſaliter, & Epiſcopus reſpectiuè in ſua diœceſi in caſibus iure, vel conſuetudine conceſſis poteſt onera compatibilia beneficio tempore vacationis beneficij adiungere (modò Epiſcopus hæc onera non adiungat ad priuata obſequia domus, & familiæ ſuæ; huiuſmodi enim onera, regulariter loquendo, prohibentur imponere. *cap. prohibemus, de cenſibus.* dico *regulariter*, quia in aliquo caſu permittitur, iuxtà *cap. vnicũ, vt Eccleſiaſtica beneficia, & c. cõſtitutus, de religioſis domibus.*) Ita collator non peccat conferendo beneficiũ cum onere, & conditione adimplendi prefata munera beneficij. Secus ſi ea onera non ſint annexa beneficio, ſed ipſimet beneficiario tunc temporis imponantur; ſic enim committitur Simonia, vt probatum eſt: tum quia obſequium exigitur tamquam pretium, ſaltem promiſſum in futurum: tum quia ſic colligitur ex *cap. cùm eſſent, de Simonia.* Ita communiter DD.

Secundò ſequitur Simoniam committi, tradendo ſpirituale cum onere obſequij temporalis, quoties ſpirituale non habet adnexa onera temporalia, vt ſi Epiſcopus conferat facultatem Sacerdoti abſoluendi a reſeruatis cum onere ſibi certo tempore inſeruiendi; nam obſequium temporale tunc temporis non exigitur, niſi pro ſpirituali, & ipſum obſequium non poteſt habere rationem ſtipendij ſuſtentationis, cùm potiùs ſuſtentatio propter ipſum obſequium debeatur, vt bene argumentatur Suarez *cap. 39. num. 20.*

10 Beneficium conferens, vel procurans ad extinguenda debita, ſimoniacus eſt.

10 Tertiò ſequitur Simoniam committi, cùm beneficium confertur, vel impetratur alicui propter obſequia antea prẽſtita in compenſationem ipſorum obſequiorum: id eſt, ad ſatisfaciendum debito ex iuſtitia, contracto ob illa obſequia; tunc enim traditur ſpirituale pro munere ab obſequio, tamquam pretium ipſius obſequij. Secus ſi tradatur titulo gratitudinis, ſeu debiti antidoralis conſurgentis ex obſequio facto ſine pacto expreſſo, vel tacito recipiendi aliquid ſpirituale, vt conſtabit ex infrà dicendis *punct. 6.* Ita Couarr. *var. cap. 20. num. 4.* Nauar. *cap. 23. num. 106.* Suarez *num. 6. & 7.* Filliucius *loco citato*, Molfeſius *tract. 6. cap. 15. nu. 63.* Azor. *3. part. lib. 12. cap. 11. quæſt. 2.*

11 Beneficium conferens, vel procurans animo cõciliandi ſibi beneuolentiam, Simoniam non incurrit, etiamſi mediante beneuolentia, ſeu amicitia temporale lucrum ſperet.

11 Quartò ſequitur Simoniam non committi tradendo beneficiũ, vel quid aliud ſpirituale animo conciliandi ſibi beneuolentiam, ſperans ſe, mediante beneuolentia, ſeu amicitia, obſequium, ſeu bonum aliquod temporale obtenturum: hic enim principaliter intendit amicitiam, ſecundariò temporale bonum, quod deinde ſibi tradetur gratis, ſeu titulo gratitudinis, vel amicitiæ, & ſpes abſque pacto non inducit Simoniam; conſequenter ſi res poſtea tradatur, ſeu obſequium præſtetur, non erit Simonia realis, vt benè Suarez *cap. 39. nu. 8.* Idem dic ſi collator ex obſequiis antea præſtitis, moueatur ad conferendum gratis beneficium, tunc enim obſequia non habent rationem pretij, ſed ſunt media, quibus conciliata fuit beneuolentia, ex qua deinde beneficium gratis confertur.

12 Aulici obtinentes beneficia à Cardinalibus, vel aliis, quibus inſeruiunt, Simoniam non committunt, modo inſeruiant abſque pacto tacito, vel expreſſo recipiẽdi beneficium propter obſequium.

Secus dicendum eſt, ſi præceſſit aliquod pactum expreſſum, vel tacitum; tunc enim beneficium traditur in compenſationem obſequij temporalis.

12 Hinc patet quid dicendum ſit de aulicis, aut famulis inſeruientibus Cardinali, vel Epiſcopo, vel eius conſanguineo, cuius opera obtinent poſtea beneficia, vel penſiones. Dico enim excuſari poſſe à labe Simoniæ, ſi obſequium præſtent abſque pacto expreſſo, vel tacito, vt obſequium beneficio, vel penſione compenſetur: quamobrem, ſi tu Cardinali, vel Epiſcopo inſeruias gratis, vel exiguo pretio contentus, vt ipſe certior fiat de tua ſcientia, & probitate, & ſperes vt inde moueatur ad procurandum tibi beneficium, non es reus Simoniæ, modò tacitè, vel expreſsè pactum de hac re non ineas. Idem valet, ſi hoc facias intentione conciliandi tibi ipſius beneuolentiam, vt inde moueatur ad beneficium tibi conferendum, vel procurandum, vt ſuperius probaui; in foro tamen externo aliqua Simoniæ ſuſpicio incurri poteſt, dum quis in miniſterio neceſſario inſeruit abſque vllo ſtipendio, vel cum ſtipendio, quod ſaltem non eſt minimum intra latitudinem ſtipendij iuſti; quamobrem ſi Cardinalis aulicum, vel famulum domi in miniſterio neceſſario inſeruientem retineret, non tradita ſaltẽ moderata portione, ſeu ſtipendio ſaltem minimo intra latitudinem iuſti ſtipendij, non poſſet abſque aliqua Simoniæ ſuſpicione procurare illi beneficiũ, vel penſionem, quia non videretur hoc gratis, ſeu ex obligatione ſolùm antidorali præſtare, ſed potiùs in cõpenſationem debitæ mercedis, & ad extinguendum debitũ conſurgens ex tacito pacto, ſeu ex obſequio ipſo neceſſario, ex quo naſcitur obligatio reddendi mercedem. Secus dicendum eſt ſi aulicum nobiliorem conduxit tradito victu ſolito, quam partem vocant, conſiſtentem in moderata quadam panis, & vini menſura, & iulio, aut moneta, non longè minutiori, vel aliquanto maiori, pro rata ſingulorũ dierum; tunc enim Prælatus non tenetur quidem ex iuſtitia huic maiorẽ mercedem tribuere; nihilominus ex gratitudine, ſeu obligatione antidorali procurare ſolet penſionem, vel beneficium, vt expenſas, quas aulicus in decenti habitu, & veſtitu fecit, aliqua ratione compenſet.

Obiicies primò, contra dicta, non committitur Simonia tradendo ſpirituale cum onere præſtandi aliud opus ſpirituale, vt ſi Sacerdos pro alio Sacerdote celebret cum onere, vt alter pro ſe alia die celebret. Ergo neque committitur Simonia tradendo beneficium cum onere, vt alter obſequium temporale præſtet; par enim ratio videtur in vtroque caſu, præſertim cum Miſſa commutetur cum alia, adiuncta obligatione celebrandi, quæ vocari poteſt munus ab obſequio.

Reſpondeo, non committi Simoniam tradendo ſpirituale pro onere ſpiritualis operis præſtandi; quamuis enim ſpirituale opus, quod præſtandum eſt, dici poſſit obſequium, tamen eſt obſequium ſpirituale, quod cum re ſpirituali commutari poteſt abſque Simonia, niſi peculiaris extet prohibitio, prohibens huiuſmodi pactum, nam ſpirituale commutatur cum ſpirituali, non verò cum temporali, nec cum ipſa obligatione præſtandi opus ſpirituale, ſaltem in ſententia eorum, qui aſſerunt obligationem præſtandi opus ſpirituale eſſe pretio æſtimabilem. Sed de hac re infrà.

Dixi, *niſi peculiaris extet prohibitio, prohibens huiuſmodi pactum*, vt innuerem non ſemper licitum eſſe commutare rem ſpiritualem cum ſpirituali, vt patet in beneficiis, in quibus iure Canonico vetita eſt omnis pactio, vt infrà probabo; quamobrem ſi Epiſcopus conferat ſuo Vicario beneficium cum onere prẽſtandi aliqua miniſteria ſpiritualia, quæ beneficio non ſint annexa, Simoniam committit, ſaltem contra ius Canonicum, vt infrà ſuo loco explicabo. Item Simoniam committunt electores, qui pactum inter ſe ineunt, vt electiones viciſſim faciant in gratiam, & obſequium ipſorummet electorum, ita vt hac vice eligatur vnus in gratiam vnius electoris, altera vice alter in gratiam alterius, & ſic de ceteris. Item Simoniæ reus eſt patronus, qui aliquem eligit cum onere celebrandi pro ſe tot Miſſas, vel recitandi Litanias, vel officium, ad quod beneficium non obligat, vt ſuppono. Ita Suarez *cap. 39. num. 13.*

Obiicies ſecundò, non committitur Simonia tradendo temporale pro ſpirituali obſequio. Ergo neque committitur Simonia tradendo aliquid ſpirituale pro temporali obſequio, cùm par ratio videatur. Antecedens patet, tum quotidiana experientia, qua cernimus bona temporalia tradi Sacerdotibus, vel Eccleſiis, ac locis piis cum onere celebrandi Miſſas, vel præſtandi alia pia opera; & ſub conditione, vt ſi dictas Miſſas non celebrauerint, aut pia opera non præſtiterint, careant bonis illis temporalibus, ſeu præfata bona aliis tradantur: tum quia ius Eccleſiaſticum non prohibet relinqui bona temporalia cum huiuſmodi pacto, vt colligitur ex *cap. vlt. de teſtamentis*, ex *cap. verum, de conditionibus appoſitis*, ex *Clement. dudum, de ſepulturis, & cap. olim, de reſtitut. ſpoliat.* vbi approbatur conceſſio domus ſub conditione conſtruendi in ea Oratorium.

Reſpondeo Simoniam committi, dum traditur temporale tamquam pretium rei ſpiritualis. Secus ſi non tradatur tamquã pretium, ſed in ſuſtentationem, vel titulo eleemoſynæ, ſeu donationis cum conditione, ſeu modo præſtãdi aliquid ſpirituale: cùm enim quiſque ſit rei ſuæ moderator, & arbiter. *l. in re mandata. C. mandati*, poteſt rem illam alteri tradere ad vſum, quem ipſe voluerit: conſequenter etiam relinquere poteſt huiuſmodi bona, vt ſint annexa ſpiritualibus, vel acceptentur vt annexa, ſeu modò acceptentur ſub conditione præſtandi ſpiritualia.

Ob id donari poteſt fundus Eccleſiæ, vt ibi Capella conſtruatur, donari poteſt argentum, vt conſtruatur calix, tradi poſſunt Eccleſiæ paterna bona, vt ex ipſis erigantur beneficia, & datur pecunia, vt celebrentur Miſſę, vel alia diuina Officia. Ita S. Thom. 2. 2. *quæſt. 100. artic. 3. ad 2.* Filliucius *tract. 45. cap. 9. ad finem.* & alij communiter, teſte Suarez *cap. 39. num. 20.* contra Panormit. *in cap. ſignificatum nu. 6.* Innocentium *cap. ne Prælati vices ſuas*, Ananiam, & Anchar. *ibidem*, & alios aſſerentes non licere pecuniam tradere Eccleſiæ cum pacto celebrandi Miſſas, vel diuina Officia, ſed pecuniam ſimpliciter tradendam eſſe, & Eccleſiam in eo euentu teneri ex gratitudine ad celebrandam Miſſam, vel diuina Officia.

Dices, non poteſt vir ſæcularis annectere ſpiritualia bonis temporalibus. Ergo non poteſt relinquere temporalia cum ordine præſtandi ſpiritualia. Reſpondeo ſæcularem non annectere ſpiritualia temporalibus, ſed relinquere temporalia, vt annectantur, vel acceptentur vt annexa.

13 Munus à lingua quid ſignificet.

13 Quæres tertiò, quid intelligatur nomine *muneris à lingua*.

Reſpondeo hoc in loco intelligi actionem precum, ſeu ſupplicationum, & interceſſionum, quæ lingua exerceri ſolent in fauorem illius, qui rem ſpiritualem confert: cùm enim huiuſmodi preces, ſeu interceſſiones fiant in fauorem illius, iure meritò nomen muneris à lingua ſibi vendicant.

Verum tamen eſt, vt huiuſmodi actio, ſeu preces rationem pretij habeant, opus eſſe, vt fiant ex pacto expreſsè, vel tacitè inito cum eo, qui ſpirituale confert; tunc enim pretio æſtimantur, & cõmutari videntur cum re ſpirituali: vt ſi quis det beneficium Titio, vt oret Principem pro ſe, vel vt ipſum laudet apud Principem, vel alium; ſi verò nullum pactum præceſſit, vel ſi preces poſtulatæ non fuerunt à collatore beneficij, ſeu rei ſpiritualis, cenſentur factæ gratis; conſequenter Simoniæ culpã non inducunt. Idẽ dic de adulatione, laudibus, ſignis beneuolentiæ, & honoris, factis ex præuio pacto in laudẽ collatoris, vel ad inſtantiã ipſius; hæc enim ſunt pretio æſtimabilia; ſi verò non fiant ex preuio pacto, Simoniæ culpã non inducunt, quia non habent rationẽ pretij defectu pacti, ſeu cõuentionis. Ita S. Thom. 2. 2. *quæſt. 100. art. 5. ad 3.* Sotus *lib. 9. de iuſtit. quæſt. 7. art. 3.* Victoria *in relectione de Simon. nu. 36.* Suarez *c. 40. n. 12.* Filliucius *tract. 45. c. 9.* Rodoanus 1. *parte de Simon. c. 26. ſub finem*, Leſſius *lib. 2. c. 35. dub. 2. nu. 118.* Nauar. *c. 23. nu. 102. & 107.* [Paulus Layman *lib. 4. tract. 10. c. 8. nu. 26.*] & alij cõmuniter, cõtra Adrianum *quodlibeto 9. art. 2. dub. 1.* Sylueſtrũ *verb. Simonia. quæſito 16. verſ. tertium*, & alios apud Azorium 3. *parte lib. 12. cap. 18. quæſito 3.* exiſtimantes Simoniam cõmitti, dum aliquid ſpirituale traditur ob preces, tamquam ob cauſam principalem motiuam.

Ex noſtra ſententia ſequitur primò Simoniam cõmitti, dum Epiſcopus beneficium alicui promittit, vt pro ſe intercedat apud Principem, ſeu pro ſe petat aliquam gratiam; intendit enim preces cum pacto, & pro precibus beneficium promittit.

Secundò Simoniam cõmitti, dum collator beneficij promittit alicui beneficiũ, ſi de ſe honeſtè locutus fuerit coram aliis, vel ſigna honoris exhibuerit, vel ſe ipſius cõſanguineũ eſſe profeſſus ſit; hoc enim eſt munus à lingua, factum ex præuio pacto expreſſo, vel tacito, vt ſuppono, & vocatur potius munus à lingua, quam ab obſequio, quia obſequium, regulariter loquendo, fieri ſolet per modum ſeruilis operis; munus verò à lingua cõmune eſt omnibus, etiam nobilibus, neç fieri ſolet per modũ ſeruilis obſequij. Ita Suarez *cap. 40. ad finem*, Filliucius *cap. 9. quæſito 9. nu. 20.* Azor. *cap. 18. quæſito 3.* & alij cõmuniter.

Tertiò

Tertiò sequitur Simoniam committi, dum collator intendens aliquem sibi obligare, promittit se beneficium ei collaturum, si ab eo petatur. Ratio est, tum quia intercedit pactum, quod iure Canonico in beneficiis prohibitum est: tum quia cum re spirituali obligat sibi alterum, & hæc obligatio est pretio æstimabilis. Ita Suarez *num.* 13.

14 Procurans beneficium præuia pecunia tradita, vel promissa familiari, vel amico collatoris, Simoniam incurrit.

14 Quartò sequitur, Simoniam committi ab eo, qui pecunia induxit familiarem, vel amicum Episcopi ad petendum pro se, vel pro alio beneficium: tunc enim pecunia parat sibi viam ad beneficium, & moraliter loquendo, ac virtualiter censetur pecuniam tradere pro ipso beneficio, seu emere beneficium, vt bene Suarez *num.* 9. & Filliucius *num.* 17. Perinde enim est pecuniam tradere procuratori, seu intercessori, ac tradere ipsi Collatori; cuicumque enim pecunia tradatur, beneficium præuia pecunia obtinetur; consequenter beneficium emitur: tum quia non traditur pecunia pro intercessione, vt est actus naturalis, (hoc enim pacto non æstimatur,) sed vt dicit ordinem, & connexionem cum beneficio, quod intenditur; consequenter æstimatio sumitur à beneficio, & sic emitur beneficium.

Et hoc verum est etiam si pecunia tradatur solum mediatori, seu intercessori, non verò Episcopo, seu collatori; sed collator gratis omnino, & purè beneficium conferat, vt patet, tum ex allatis rationibus: tum quia Simonia committitur, non solùm cùm traditur beneficium pro pecunia, verùm etiam dum beneficium pro pecunia recipitur; sed tradens pecuniam in proposito casu, beneficium recipit pro pecunia, licèt Prælatus non conferat beneficiū pro pecunia; ergo tradens pecuniam intercessori, seu familiari Episcopi, vel collatoris, Simoniā cōmittit: tum quia *in cap. statuimus* 2. 1. *quæst.* 1. habetur Simoniam cōmitti posse in susceptione ordinū, etiamsi nihil tradatur collatori: vt si aliquid tradatur mediatori, non verò ordinanti. Ergo Simonia committi potest tradendo pecuniam intercessori, & mediatori, etiam si nihil tradatur collatori. Ita Nauarr. *in manual. cap.* 23. *num.* 106. *vers. ad quintam*, Sylvester *verb. Simon. quæsito* 6. Angelus *verb. Simon* 3. *num.* 25. Tabiena *eodem verbo, num.* 8. Sotus *lib.* 9. *de iust. quæst.* 7. *artic.* 3. Suarez *loco cit. num.* 9. & *cap.* 53. *num.* 14. & *seq.* Filliucius *loc. cit. nu.* 17. & *cap.* 12. *quæsito* 7. *num.* 12. Hinc patet quid dicendum sit dum pecunia traditur familiaribus, vel amicis Prælatorum ad obtinendam dispensationem, vel aliam gratiam spiritualem.

Obiicies, Simonia committitur tradendo spirituale pro temporali, vel è contra; in hoc autem casu non traditur temporale pro spirituali, cùm pecunia tradatur pro labore, seu fauore humano, pretio æstimabili; Episcopus enim, seu collator beneficij, vel gratię spiritualis nihil accipit, sed mediator, seu intercessor accipit pecuniam, non pro collatione, sed pro postulatione, & intercessione, quæ est actus humanus pretio æstimabilis. Sicut ergo Episcopus non est simoniacus, ita neque mediator, pecuniam accipiens, aut orator, pecuniam mediatori tradens, cùm non emat beneficium, aut gratiam spiritualē, sed illam gratis obtineat, emendo solum fauorem humanum, qui remotè conducit ad consecutionem beneficij, non tamquam pretium illius, sed per modum beneuolentiæ, & amicitiæ. Et sicut donans aliquid Episcopo, aut illi inseruiens spe beneficij gratis ab ipso obtinendi, Simoniam non committit, ita nec illam committit tradens aliquid mediatori, vt beneficium gratis sibi à collatore conferatur.

Respondeo in hoc casu tradi temporale pro spirituali, & non pro temporali, quia non emitur fauor mediatoris præcisè, sed quatenus conducit ad beneficium obtinendum. Et licèt Episcopus Simoniacus non sit ratione bonæ fidei; Simoniacus tamen est mediator, qui pecuniam accipit, & orator, qui pecuniam tradit, vt patet ex rationibus superius allatis.

Addo, præfatos ligari etiam excommunicatione lata contra dantes, promittentes, vel accipientes aliquid pro gratia, vel iustitia in Romana Curia obtinenda, si hæc faciant pro obtinenda gratia in Romana Curia, vt alibi fusissimè docui.

15 Familiares Prælatorum non sunt rei Simoniæ dū pecuniam accipiunt ob facilem ingressum, quem aliis præbent ad Prælatum.

15 Hic solùm aduertendum superest, Simoniam non committi, primò tradendo aliquid familiaribus Prælatorū, non vt intercedant, vel opitulentur, seu procurent; sed solùm vt sibi aditum, vel facilem ingressum ad Prælatum concedant; hoc enim est obsequium temporale pretio æstimabile, etiam si fortè aliàs peccare possint contra iustitiam non admittendo gratis, dum ex officio tenentur admittere, nisi fortè faciliorem aditum præbeant, vel maiora præstent obsequia, quàm teneantur.

16 Admonens Prælatum de meritis oratoris non incurrit Simoniam, modo intercessoris officium non gerat.

16 Secundò, tradendo pecuniam familiaribus, non vt intercedant, & procurent beneficium, sed solum vt certiorem faciant Prælatum de meritis oratoris: hoc enim est obsequium temporale pretio æstimabile, quod sicut ab Aduocato, vel ab ipso oratore fieri potest, ita etiam fieri potest à familiari, vel amico Prælati, modò limites Aduocati, seu informantis non excedat, & officium intercessoris non gerat, inducendo Prælatum ad gratiam concedendam; tunc enim videretur pretium, vel stipendium accepisse; non pro simplici, & pura informatione, sed pro intercessione, quam probauimus simoniacam esse, si fiat accepto pretio. Ita Angelus, & Sylvester *locis citatis*, Suarez *cap.* 53. *num.* 17. Filliucius *cap.* 12. *quæsito* 7. *num.* 12. *ad finem*, Azorius 3. *parte lib.* 12. *de Simonia, cap.* 5. *quæsito* 4.

17 Precibus impetrans sibi vel alteri beneficiū, Simoniam non incurrit.

17 Quintò sequitur non committi Simoniam, dum quis absque pacto, vel promissione preces fundit apud Prælatum, vt sibi, vel alteri beneficium conferat. Ratio est, tum quia Simonia committitur dum temporale commutatur cum spirituali; sed qui precibus petit beneficium, non commutat temporale pro spirituali; preces enim nihil donant collatori, sed potius ordinantur ad recipiendam donationem ab eo, cui porriguntur; sicut quando aliquid à Deo petimus, non donamus illi, sed nobis donari optamus. Et licèt orando Deum, illum colamus, & honoremus, cùm ad ipsius cultum oratio dirigatur: tamen rogando hominem nihil illi conferimus, cum preces non dirigantur ad honorandum illum, qui petitur; sed in vtilitatem ipsius petentis: tum quia quod præuiis precibus tribuitur, gratis tribuitur, & recipiens obligatione antidorali, seu ex gratitudine obstrictus remanet erga collatorem rei spiritualis, quæ sibi ob preces confertur, ergo non emit illam: nam emens rem aliquam non remanet obstrictus venditori, nec gratiam ab eo recipere censetur, per se loquendo: tum quia dans mutuum propter preces, non committit vsuram; ergo neque Simoniam committit qui spirituale confert propter preces. Sicut enim preces in mutuo non æstimantur pretio, ita neque in collatione rei spiritualis: tum quia sequeretur Simoniam committi ab eo, qui precibus rogat Sacerdotem, vt pro se Missam celebret, vel Pontificem, vt indulgentiam sibi concedat; sed hoc est falsum. Ergo etiam falsum est Simoniam committi, petendo, vel obtinendo precibus rem aliquam spiritualem, seu beneficium: & hoc verum est, etiāsi beneficium petatur pro se, vel pro alio, pro digno, vel pro indigno. Quamuis enim petens pro se, vel pro alio beneficium, cuius se, vel alium indignum putat, sacrilegium committat, non tamen Simoniæ culpam committit, quia non tradit temporale pro spirituali.

Sextò sequitur non committi Simoniam, dum quis precibus inducit aliquem ad rogandum Episcopum, vel Papam, vt sibi beneficium conferat; sicut enim preces absque præuio pacto non inducunt Simoniæ culpam, ita nec eam inducunt preces precum.

Neque obstat *cap. nemo Presbyterorum, de Simonia*, vbi reconciliatio, concessa gratia, vel fauore, simoniaca vocatur.

Respondetur enim primò, ibi sermonem esse de Simonia latè accepta, vt importat quamlibet turpem actionem occasione rei spiritualis præstitam.

Secundò nomine *fauoris*, vel *gratiæ* eo loco non intelligi fauorem, & gratiam, quam facit is qui preces exaudit, sed quam ipse intendit pro actione, quam facit: tunc enim Simoniam committit, quia intendit temporale pro spirituali. Hanc secundam responsionem approbat Suarez *nu.* 11. sed mihi magis arridet prima, quam sequitur Hostiensis, & quamplures alij Canonistæ.

Septimò non committi Simoniam, dum quis laudibus extollit quemdam Prælatum, vt eius beneuolentiam, & amicitiam acquirat, sperans inde beneficium absque conuentione. Et hoc militat, siue id faciat in absentia, siue in præsentia ipsius Prælati, siue laudes veræ sint, siue falsæ; par enim est omnium ratio in hac parte.

Obiicies contra dicta in hoc *num.* 17. qui precibus petit beneficiū (saltem dum petit pro indigno) vult dari beneficium propter preces; sed preces sunt aliquid temporale: ergo vult dari beneficium propter aliquid temporale: ergo Simoniam committit. Respondeo velle dari beneficium propter preces, non quidem propter illas, tamquam propter pretium, sed tamquam propter motiuum, inducens collatorem ad conferendum beneficium; sicut beneficium aliquando confertur propter gratitudinem, non quidem propter illam, tamquam ob pretium; sed propter illam tamquam ob causam impulsiuam; aliud enim est dari propter preces, vel gratitudinem; aliud pro precibus, vel gratitudine: hæc secunda loquendi forma indicat dari pro pretio, non verò id semper significat prima.

§. II.

Quomodo cognoscere possimus pecuniam, vel rem aliam temporalem tradi tamquam pretium rei spiritualis.

VNICA PROPOSITIO.

1 Pecuniam pro re spirituali traditam fuisse, quomodo cognoscere possimus tam in foro interno, quā externo.

1 AD cognoscendum, an res temporalis tradita sit pro re spirituali, iudicium ferendum est ex assertione delinquentis; ipsius enim testimonio standum est. Ratio est, quia culpa Simoniæ magna ex parte pendet ab intentione operantis. *cap. tua nos. de Simonia.*

Si verò loquamur in foro externo, seu quoad alios, qui iudicium ferre debent de actione alterius, censeo has regulas assignari posse.

Prima est, vt inspiciatur, an simpliciter vetitum sit intuitu religionis dare, vel accipere aliquid in tali materia, & tali modo: tunc enim si aliquid tradatur, vel accipiatur, præsumitur Simonia, quia constat de lege, & de actione facta contra legem; vt si vetitum sit intuitu religionis quicquam tradere tempore confessionis, vel Baptismi, & Sacerdos aliquid eo tempore accipit.

Secunda est, vt inspiciatur an adsit aliquis probabilis titulus tradendi rem temporalem, qui simoniacam labem non cōtineat, & eius suspicionem purgare possit, vt est titulus sustentationis debitæ operationi, aut titulus redimendæ vexationis, aut titulus laboris extraordinarij, aut titulus liberalitatis, vt ostendam *quæst.* 6.

Si titulus aliquis intercedit, præsumendum est, pecuniam, vel rem aliam pretio æstimabilem non dari tamquam pretium rei spiritualis. Ratio est, tum quia in facto alterius non præsumitur delictum, *l. merito. ff. pro socio.* tum quia factum proximi in meliorem partem, & intentionem accipiendum est, si factum capax est illius melioris partis, & intentionis, vt expressè habetur *in cap.* 2. *Effote misericordes, extrà de regul. iur. & cap. dudum, ad finem, de præsumpt.* tum quia quilibet ius habet ad bonam famam, & opinionem, cum in illius possessione existat: ergo nisi oppositum constet, vel ex sufficientibus coniecturis colligatur, præsumendus est innocens, & immunis à delicto. & hoc verum esse potest, etiamsi pactum aliquod intercesserit: nam pactum honestum esse potest, consequenter præsumitur factum ob titulum honestum, nisi sufficientes coniecturæ in oppositum existant.

2 Dubitans rem temporalem traditam fuisse gratis, vel animo obtinēdi beneficium, quomodo se gerere debeat.

2 Maior difficultas est, quando non adest aliquis probabilis titulus excusans traditionem rei temporalis; sed solum dubitatur, an traditio rei temporalis facta sit gratis, & liberaliter.

Respondeo in tali euentu recurrendum esse ad alias coniecturas, quarum prima est, vt inspiciatur, an præcesserit aliqua pactio, vel taxatio rei temporalis tradendæ: tunc enim non præsumitur liberalis traditio, tum quia ex pacto consurgit obligatio, liberali donationi contraria, & taxatio supponit pactionem: tum quia pactio de re temporali vetita est in traditione rerum spiritualium, *cap. tua nos, de Simon. & cap. vlt. de pactis.*

Secunda coniectura est, vt inspiciatur, an res temporalis non sponte tradatur; sed exigatur ab eo, qui spirituale confert; nam si non sponte tradatur, sed exigatur, non præsumitur liberaliter donari, sed potius

tiùs commutari cum re ſpirituali, *extrauag. 1. de Simon.* vbi vetitum eſt exigere, & paret à ſimili ex *cap. quoniam, de cenſib.* vbi vetitum eſt laico exigere pedagium à Clerico tranſeunte, quamuis non ſit vetitum accipere aliquid ſpontè oblatum, vt docui *in Bulla Cœnæ Domini.*

Tertia coniectura eſt, vt quando non adſunt aliquæ coniecturæ ex duabus prædictis, attendantur ea, quæ habentur *in cap. & ſi quæſtiones, de Simon.*

Primum eſt qualitas perſonæ, an ſit liberalis, an contemptrix diuitiarum, an timoratæ conſcientiæ, & honeſtis moribus: huiuſmodi enim coniecturæ ſuſpicionem Simoniæ maximè minuunt. Item an ſit diues, vel pauper; nam quod reſpectu vnius modicum cenſetur, reſpectu alterius eſſe poteſt magnum, conſequenter minuit opinionem donationis. Item an tradens ſit vir nobilis; nam in viro nobili faciliter præſumi poteſt donatio, quia viri nobiles proni ſunt ad largiendum; hanc enim ſibi quodammodo nobilitas legem imponit, vt debere ſe, quod ſpontè tribuit, exiſtimet, & niſi in beneficiis ſuis creuerit, nihil ſe præſtitiſſe putet, vt expreſſis verbis dicitur *in cap. prudentes 1. de donationibus.* Item attendenda eſt neceſſitudo, familiaritas, conſanguinitas, ſeu vinculum ipſarum perſonarum inter ſe; nam quò maius vinculum inter ipſas perſonas tradentes, & accipientes reperitur, eò faciliùs coniici poteſt liberalis traditio.

Secundum eſt quantitas rei, an videlicet ſit valdè magna, mediocris, vel tenuis. Si tenuis eſt, cenſetur liberaliter tradi; nullus enim ferè adeò demens eſt, vt velit rem ſpiritualem, quæ excellentiſſima eſt, & maximi momenti, cum re vili conferre, & commutare. Si quantitas rei nimis magna eſt, non præſumitur liberaliter donari, quia nullus præſumitur res ſuas prodigere. *cap. ſuper hoc, de renuntiat.* Si quantitas rei ex ſe mediocris eſt, & dubia, recurrendum eſt ad qualitatem perſonæ, an ſit diues, vel pauper, vel aliis qualitatibus exculta, de quibus dictum fuit *in verſ. primum.* Item attendenda eſt dignitas, & excellentia rei ſpiritualis, nam quò excellentior fuerit, eò maior quantitas rei temporalis requiritur ad præſumendum rem temporalem traditam fuiſſe tamquam pretium rei ſpiritualis. Item non leue indicium deſumitur ex materia ipſa temporali: nam ſi tradantur eſculenta, vel poculenta, quæ breui conſumi poſſunt, non præſumuntur tradi tamquam pretium rei ſpiritualis; ſecus ſi pecunia ipſa tradatur; hæc enim rarò liberaliter tradi conſueuit.

Tertium eſt circumſtantia temporis, an videlicet res temporalis detur ante traditionem rei ſpiritualis, vel in ipſa traditione rei ſpiritualis, vel pòſt; huiuſmodi enim circumſtantia prodeſt ad coniiciendum, an res temporalis liberaliter tradatur, licèt non ſit ex ſe ſufficiès ad iudicium firmiter ferendum, nec æquè iuuet ad præſumendum; nam ſi res temporalis datur, dum res ſpiritualis confertur, inducit aliquam ſuſpicionem cõmutationis, ſeu recompenſationis pro re ſpirituali: ob id *in cap. emendari 1. quæſt. 1.* ſtatuitur, vt qui baptizantur, nũmos in concham non mittant (vt fieri ſolebat) ne Sacerdos, quod gratis accipit, pretio diſtrahere videatur. Si res tẽporalis datur ante collationem rei ſpiritualis, redolet aliquam ſuſpicionem: quia videtur tradi vt res ſpiritualis conferatur, & collator inducatur ad tradendam rem ſpiritualem. Si verò traditur poſt factum, faciliùs præſumi poteſt donatio, præſertim ſi mora temporis interceſſit: frequenter enim poſt factum traditur temporale titulo gratitudinis. Ita gloſſ. *in cap. emendari 1. q. 1.* Suarez *cap. 36. num. 8. & ſequentibus,* Filliucius *tract. 45. cap. 9. quæſito 3. num. 4. & 5.* & alij.

QVÆSTIO II.

Quotuplex ſit Simonia.

VNICA PROPOSITIO.

t Simonia triplex eſt. 2 Mentalis Simonia quid ſit.

1 SImonia eſt triplex, Mentalis, conuentionalis, & realis.

2 Mentalis dupliciter accipitur, primò pro nudo propoſito, ſeu deſiderio committendi Simoniam: hæc enim ſola mente concipitur, & nulla ratione cum externo actu coniungitur, vt ſi quis intẽtionem habeat dandi pecuniam pro beneficio; ſed poſtea pœnitentia ductus, vel alia ratione impeditus intentionem ſuam opere non compleat, nec vllam de hac re conuentionem faciat.

Obſerua tamen, dum iura loquuntur de Simonia mentali, non eſſe intelligenda de Simonia mentali hoc primo modo explicata, tum quia hæc continetur in reali, vel conuentionali, cùm realis, & conuentionalis ſupponat mentalem, & cum ea vnum peccatum conſtituat: tum quia iura loqui videntur de illa Simonia, quæ ſub pœnas Eccleſiaſticas cadere poteſt; ſolùm autem propoſitũ, vel deſiderium cadere non poteſt ſub pœnas Eccleſiaſticas, cum Eccleſia de internis non iudicet: tum quia Simonia conſiſtit in emptione, aut venditione rei ſpiritualis pro temporali lucro; emptio autem, & venditio ſunt contractus externi.

An autem Simonia mentalis committi poſſit etiam in iis, quę mala ſunt malitia Simoniæ, quia prohibita, conſtabit ex dicendis *dub. 2.*

Secundò Simonia mentalis accipitur pro illa actione, quæ fit mente ſimoniaca; ſed ex ſe, & ex circumſtantiis Simoniam non præfert, vt ſi Capellanus pecuniam titulo ſuſtentationis, ſeu eleemoſynæ relictam pro celebratione quotidianæ Miſſæ accipiat intentione accipiendi illam tamquam pretium Miſſæ, nullo dato exterius ſigno, quo indicet ſe pecuniam accipere tamquam pretium Miſſæ: hic enim cõmittit Simoniam mentalem, quia intentione ſimoniaca facit actum externum, in quo Simoniæ labes non apparet. *cap. tua nos, & cap. vltimo, de Simonia.* Sicut expuens in Eccleſia intentione contemnendi Eccleſiam, ſacrilegium mentale committit, quamuis actus externus ex ſe indifferens ſit, & ſacrilegam intẽtionem non prodat. Idem valet in aliis actibus indifferentibus, quibus peculiaris malitia cõmunicari poteſt, etiam ſi in exteriorem actum non prodeat. Addo fieri poſſe, vt Simonia mentalis aliquando cõmittatur ab vno tantùm, aliquãdo ab vtroque: vt ſi aliquid exterius tradi ſolùm videatur animo gratuito, vel ad ſuſtentationem; ſed accipiens intendat illud accipere tamquam pretium rei ſpiritualis, & tradens intendat tradere tamquam pretium rei ſpiritualis; ſed nullus prauam ſuam mentem verbis, ſeu cõuentione, aut alia ratione manifeſtet; hæc enim eſt Simonia mentalis, quia mente retinetur, & exterius non apparet actum externum ea intentione fieri; ita Sotus *lib. 9. de iuſt. quæſt. 8. art. 1.* Nauar. *cap. 23. nu. 102.* Redoanus 1. *parte cap. 2.* Suarez *cap. 41. nu. 3.* Filliucius *tract. 45. cap. 10. quæſito 1. nu. 3.* Reginaldus *lib. 23. nu. 153.* Azor. 3. *part. lib. 12. cap. 1. de Simonia, & cap. 2. quæſito 1.* Paulus Layman *lib. 4. tract. 10. cap. 8. nu. 67.*

An autem Simonia mentalis committatur, quoties temporale intenditur ob actionem ſpiritualem, conſtabit ex dicendis *dub. 1.*

3 Conuentionalis conſiſtit in pacto, ſeu conuentione expreſſa, vel tacita dandi, vel recipiendi temporale pro ſpirituali; hæc Simonia diſtinguitur à mentali ob conuentionem externam, quam non includit mentalis: diſtinguitur verò à reali, quia non habet adiunctam rei traditionem. 3 Conuentionalis Simonia quid ſit.

4 Realis eſt illa, qua res temporalis traditur, vel accipitur pro ſpirituali. 4 Realis Simonia in quonam conſiſtit.

5 Diſſenſio tamen eſt inter Doctores; an ad Simoniam realem requiratur mutua traditio, an ſufficiat traditio rei ex vna parte. Sotus *lib. 9. de iuſt. quæſt. 8. art. 1.* Filliucius *nu. 5.* & alij exiſtimant Simoniam realem cõmitti traditione rei ſpiritualis cum promiſſione rei temporalis. Alij putant Simoniam realem committi non ſolùm quando traditur res ſpiritualis cum pacto rei temporalis, verùm etiam dum traditur ſola res temporalis cum pacto rei ſpiritualis. Valentia verò *tom. 3. diſp. 6. quæſt. 16. puncto 5.* Nauar. *cap. 23. nu. 104.* citans Caſſadorum, & Gometium, Sum. Corona *in ſumma de Simonia nu. 9.* Azor. 3. *parte lib. 12. cap. 2. de Simonia,* Rodriquez *in Summa cap. 55.* Vgolinus *tab. 1. cap. 62. §. 1.* Reginaldus *lib. 23. num. 153.* Paulus Layman *lib. 4. tract. 10. cap. 8. nu. 67.* putant ad Simoniã realem requiri vt vtrinque ad actum perueniatur dando, & recipiendo. Verùm iſtæ opiniones conciliari poſſunt, dicendo Simoniam realem incompletam committi, dum ex vna tantùm parte adimpletur, vt ſi tradatur res ſpiritualis, cum pacto rei temporalis recipiendæ: completam verò cenſeri dum vtrinque ad actum traditionis peruenitur. 5 Simonia realis an requirat traditionẽ rei ex vtraque parte.

Hæc diſtinctio Simoniæ maximè obſeruanda eſt, vt cognoſcatur quandonam pœnæ contra Simoniacos latæ incurrãtur, de quibus infrà. Aliqui tamen Doctores Simoniam ſolum diuidunt in mentalem, & realem; ſub reali tamen comprehendunt conuentionalẽ. Alij diuidunt in mentalem, & conuentionalem; ſed neceſſe eſt, vt ſub conuentionali comprehendant realem; noſtra tamen diuiſio melior, & perfectior eſt, quia eſt adæquata, & complectitur omne Simoniæ genus.

6 Obiicies, dari poteſt Simonia confidentialis in beneficiis; ſed hęc non reuocatur ad vllum membrum præfatæ diuiſionis; ergo imperfecta, & manca videtur præfata diuiſio Simoniæ in mentalem, conuentionalem, & realem. 6 Confidẽtialis Simonia ad quã Simoniæ ſpeciem reducatur.

Reſpondeo Simoniam confidentialem reduci aliquando poſſe ad mentalem, aliquando ad cõuentionalem, aliquando ad realem: ad mentalem reuocatur, quãdo quis reſignat beneficiũ intentione obligandi alterum, ſed ei non manifeſtat ſuam intentionẽ; quamquã hæc non eſt proprièſimonia confidentialis, nec cadit ſub pœnas Simonię confidentiali impoſitas; ad conuentionalẽ reuocatur, dum pactũ initur de reſignando, vel conferendo, præſentãdo, vel inſtituendo cum pacto, vt beneficiũ ſibi, vel alteri reſtituatur, vel vt ſibi, vel alteri pars fructuũ tradatur. Realis verò confidentialis cõtingit, dum beneficiũ re ipſa renuntiatur, vel cõfertur cũ pacto, vt ſibi, vel alteri reſtituatur, vel vt ſibi, vel alteri pars fructuũ tradatur; & hæc Simonia cadit ſub pœnas latas à Pio IV. etiam ſi non ſit cõpleta ex vtraque parte, ſed ſolum reſignatũ, vel collatũ ſit beneficium cum præfato pacto, & effectus reſtitutionis nondum ſecutus ſit, vt infrà explicabo, dum loquar de pœnis contra committentes Simoniam confidentialem latis.

7 Obiicies ſecundò, aliqua donatio, & acceptio rei tẽporalis, facta occaſione rei ſpiritualis, prohiberi poteſt ab Eccleſia tamquam ſimoniaca, etiam ſi nulla omnino pactio, vel traditio rei tẽporalis pro ſpirituali intercedat; ergo dari poteſt aliqua Simonia, quæ ſub præfata diuiſione non contineatur. 7 Simonia ſolo iure Eccleſiaſtico prohibita ad quãnam Simoniæ ſpeciẽ pertineat.

Reſpondeo fieri poſſe, vt aliqua largitio, & acceptio prohibeatur ab Eccleſia tamquam ſimoniaca, & re ipſa malitiam Simoniæ habeat, etiam ſi largitio illa, vel acceptio pura intentione fiat, & ſine vllo pacto tacito, vel expreſſo; in tali enim euentu Eccleſia facit, vt id quod non erat materia Simoniæ, ſit materia Simoniæ, poſita prohibitione Eccleſiæ; multa enim ab Eccleſia, intuitu alicuius virtutis, præcipiuntur, vel prohibentur, quæ poſito præcepto, vel prohibitione Eccleſiæ, ad eam virtutem pertinent, cuius intuitu latum fuit præceptum. Cùm ergo Eccleſia intuitu religionis prohibet aliquam acceptionem, vel largitionem ob ſuſpicionem, vmbram, periculum, vel præſumptionem Simoniæ, quæ ſequi poſſet, niſi acceptio, vel largitio prohiberetur, ſequitur largitionem, vel donationem ab Eccleſia prohibitam tali occaſione intuitu religionis ſimoniacam eſſe, & huiuſmodi Simonia reuocatur ad realem, & conuentionalem, quia Eccleſia præſumit conuentionem interceſſiſſe, & rem temporalem tradi intuitu ſpiritualis; & licèt non ſit vera Simonia, cùm non ſit contra ius naturale, & diuinum, eſt tamen Simonia putatiua, & exiſtimata ob prohibitionem ab Eccleſia factam intuitu religionis in materia ſpectante ad traditionem, vel acceptionem rerum temporalium occaſione ſpiritualium.

Dixi, *ob prohibitionem ab Eccleſia factam intuitu religionis in materia ſpectante ad traditionem, vel acceptionem rerum temporalium, occaſione ſpiritualium,* vt innuerem non incurri Simoniam ob quamlibet prohibitionem Eccleſiæ: ſed ob illam, quæ fertur intuitu religionis in materia ſpectante ad traditionem, vel acceptionem rerum temporalium occaſione ſpiritualium: ob id Simonia incurritur, dum conferens Ordines petit aliquid ab eo, cui Ordines confert: nam huiuſmodi petitio prohibetur ab Eccleſia præfato intuitu, & intentione. *cap. ſicut Epiſcopus 1. quæſt. 2.* & in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 18. de reformat. & cap. cùm in Eccleſia, de Simon.* prohibetur quic-

quicquam exigi pro benedictionibus nuptiarum, vel collatione aliorum Sacramentorum, & *cap. Iacobus, de Simon.* interdicitur exactio prandij in receptione noui Canonici. In opposito iudex accipiens munera contra sacrorum Canonum prohibitionem, non incurrit simoniæ labem. Quamuis enim receptio munerum iudici vetita sit, *cap. statutum, de rescrip.* tamen huiusmodi receptio non est materia simoniæ, quia non est prohibita intuitu religionis in materia respiciente commutationem spiritualium cum temporalibus. Idem dic de Episcopo, qui aliquid in visitatione recipit, contra *cap. 1. de censibus in 6.* hic enim simoniacus non est, vt patet ex ratione proximè allata, & benè tradit Suarez *tom. 1. de religione lib. 4. cap. 49. num. 5. 6. & 7.* Filliucius *tract. 45. cap. 10. quæsito 13. num. 44.* Valentia *punct. 2. sub finem.* Reginaldus *lib. 23. cap. 11. quæst. 4. num. 155.* Azor. *loco citato.*

8 Simonia ficta, an pertineat ad aliquam Simoniæ speciem.

8 Obiicies tertiò, dari potest simonia ficta; sed hæc non est mentalis, conuentionalis, siue realis: non mentalis, quia simonia mentalis consistit in intentione emendi, aut vendendi rem spiritualem; qui autem simoniam fictam committit, non intendit emere, aut vendere rem spiritualem; sed potiùs decipere, & mendacium committere: neque est conuentionalis, tum quia hæc intrinsecè supponit mentalem: tum quia conuentionalis consistit in contractu permutationis, seu in conuentione permutandi spirituale pro temporali; hic autem non adest contractus, cùm non adsit intentio contrahendi, seu tradendi rem spiritualem, vel temporalem, seu ad id se obligandi, vt suppono. Simonia enim ficta committitur, dum quis exteriùs promittit rem spiritualem pro temporali, vel rem temporalem pro spirituali absque animo tradendi, & se obligandi ad rem ipsam tradendam. Neque est simonia realis, quia hæc supponit conuentionem, & pactum: ergo assignanda est alia diuisio simoniæ, ad quam reuocari possit simonia ficta.

Respondeo simoniam fictam non esse veram simoniam, sicut fictum aurum non est aurum, & proferens hæresim sine mente hæretica, non est hæreticus, &c. cõsequenter opus non est assignare aliam diuisionem, in qua simonia ficta explicitè contineatur. Ita Caiet. *tom. 2. opuscul. tract. 9. quæst. 2.* Sotus *lib. 9. de iust. quæst. 8. artic. 1.* Reginaldus *lib. 23. num. 187.* Petrus Nauarr. *lib. 2. de restitut. cap. 2. num. 411.* Toletus *lib. 5. cap. 90. num. 4.* Suarez *lib. 4. de Simon. cap. 42. num. 4. & seq.* Filliucius *tract. 45. cap. 10. quæsito 2.* Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 1. num. 11.* contra Martinum Nauarrum *in cap. vltim. de Simon. num. 10. & in manuali cap. 23. num. 106. vers. 8. ad tertium.* existimantem esse veram simoniam, & comprehendi sub conuentionali.

Hinc sequitur primò illum non esse verè simoniacum, qui promittit beneficium pro pecunia, intentione solùm recipiendi pecuniam, non verò tradendi beneficium: quamuis enim alter verè simoniacus sit quoad affectum, cùm intendat tradere pecuniam pro beneficio; quoad rem tamen, seu effectum non est simoniacus, quia vera simonia consistit in conuentione, seu contractu oneroso inter duos; hic autem reipsa non adest conuentio, cùm hæc non subsistat, nec vires habeat sine mutuo consensu, vt patet in matrimonio, & in aliis contractibus onerosis. Idem militat, dum fictio tenet se ex parte promittentis pecuniam, non verò ex parte promittentis spirituale, quia vera conuentio non potest esse ex vna tantùm parte, vt probatum est. Idem à fortiori militat, dum fictio contingit ex parte vtriusque, nam si defectus intentionis in vno contrahente efficit simoniam fictam, & non veram, multo magis fictam reddit defectus consensus in vtroque. Negandum tamen non est, quin committentes simoniam fictam rei sint culpæ simoniæ, quatenus cooperantur actui, quem alter præstat mente simoniaca, vel quem mente simoniaca ab eo præstari putat, vt patet ex regulis generalibus traditis de peccatis, & patet ex supradictis *punct. 1. num. 5.*

Secundò sequitur committentem simoniam fictam non subiici pœnis contra simoniacos latis, quia non est verè simoniacus; sicut exteriùs proferens hæresim absque intentione hæretica, aut exteriùs adorans idolum absque intentione colendi, non incurrit pœnas hæreticorum. Ita Doctores citati; ob id Lessius, & Nauarrus *locis citatis* asserunt beneficium cum simonia ficta obtentum retineri posse, si à legitimo collatore sit collatum. Verum tamen est committentes simoniam fictam in foro externo præsumi simoniacos; consequenter puniri posse tamquam simoniacos, cùm externum opus simoniacum faciant, vt bene Suarez *num. 5.* & alij.

Dices cum Nauarr. ibi adest vera simonia, vbi adest commutatio rei spiritualis pro temporali, seu datio non gratuita rei spiritualis pro temporali, vel è contra; sed in simonia, quæ ficto animo fit, adest vera commutatio spiritualis pro temporali; nam licèt illa actio, qua quis fictè promittit alteri beneficium, vt pecuniam recipiat, interius sit ficta, nihilominus est vera actio: ergo etiam est vera commutatio: ergo est vera Simonia, si non realis, saltem conuentionalis. Confirmatur, quia, sicut verè Simoniacus esset ille, qui pro obtinendo beneficio promitteret centum aureos, non intendens tradere tot nummos confectos ex vero auro, sed ex adulterino, seu ex aurichalco; ita, &c.

Respondeo non committi veram Simoniam, nisi adsit vera conuentio; non potest autem adesse vera conuentio sine intentione, nec tunc fit commutatio cum alio, quia tradens pecuniam non intendit commutare pecuniam cum illa actione ficta, seu cum re spirituali. Ad confirmationem respondeo illum esse Simoniacum, quia intendit tradere rem temporalem pro spirituali, licet non intendat tradere illam eamdem, quam exerius verba prædemonstrant.

9 Mentalis Simonia non semper committitur tradendo temporale, occasione spiritualis, nisi spirituale intendatur tamquam pretium rei spiritualis.

9 Sed modo circa simoniam mentalem dubium est primò, vtrùm simonia mentalis semper committatur, dum temporale commodum intenditur per actionem spiritualem, vel è contra.

Respondeo duplicem esse Doctorum sententiam.

Prima affirmat Simoniam mentalem committi, quoties per actionem spiritualem principaliter intenditur aliquid temporale, vel quoties per actionem temporalem, seu traditionem rei temporalis principaliter intenditur aliquid spirituale, mediante illo temporali. Ratio est, quia qui tradit aliquid spirituale, principaliter intendens temporale, intendit commutare vnum pro alio; sed intendens commutare spirituale cum temporali, Simoniam committit: ergo illam etiam committit, qui spirituale tradit, principaliter intendens temporale, vel è contra. Ita gloss. *in cap. vnico, de Clerico resid. verb. receperit in 6.* Maior *in 4. dist. 15. quæst. 29. ad 5. & dist. 25. quæst. 2. ad 2.* & alij.

Et hac sententia sequitur Canonicum, qui ad Chorum accedit principali intentione propter distributiones, reum esse labis simoniacæ. Idem sentiunt de illo, qui Missam principaliter celebrat propter stipendium, aut fit Monachus principaliter propter Abbatiam, quam principali intentione sperat, mediante statu monachali, aut qui Episcopo inseruit principaliter intendens beneficium.

Secunda sententia, cui adhæreo, asserit Simoniam mentalem non committi, nisi intendatur temporale tamquam pretium rei spiritualis, vel spirituale tamquam pretium rei temporalis; committitur verò simonia, dum pro spirituali intenditur temporale tamquam pretium, siue intendatur tamquam finis principalis, siue tamquam finis minùs principalis, seu secundarius. Ita Sotus *lib. 9. de iust. quæst. 2. art. 2. vers. postremum dubium,* Victoria *in relect. de Simon. num. 33. & seq.* Suarez *lib. 4. cap. 44. num. 8.* Filliucius *tract. 45. cap. 10. quæsito 4.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 16. p. 3. q. 2.* & alij.

Quòd Simonia mentalis non committatur, nisi intendatur temporale tamquam pretium, probatur, quia actus internus malitiam sumit ab externo, ab eoque specificatur tamquam ab obiecto proximo; sed actus externus non habet malitiam Simoniæ, nisi res spiritualis tradatur pro temporali pretio, vt patet ex definitione Simoniæ; ergo actus internus non habet malitiam Simoniæ, nisi pro obiecto habeat traditionem rei spiritualis pro temporali, tamquam pretio, vel è contra: ergo Simonia mentalis non committitur, nisi intendatur temporale tamquam pretium rei spiritualis, vel è contra. Quòd verò Simonia committatur non solùm, quando per spirituale intenditur temporale principaliter tamquam pretium, verùm etiam, quando temporale traditur minùs principaliter tamquam pretium. Probatur, quia non repugnat intendi pretium secundariò, seu accessoriè, cùm ad rationem pretij per accidens sit ratio finis principalis, aut secundarij, seu accessorij, quoad mentem operantis; nam qui Sacramentum, e. g. confert, intendens mercedem pro collatione Sacramenti, Simoniacus est, siue illam intendat, vt finem principalem, siue vt secundarium, vel, vt alij loquuntur, tamquam ob causam solùm impulsiuam, seu excitatiuam; potest enim quis aliquando pretium siue stipendium intendere secundariò, & minus principaliter, vt quando miles principaliter militat ob patriæ defensionem, & minùs principaliter ob pecuniam, vt pretium sui laboris, & industriæ, & professor alicuius artis potest aliquando illam exercere principaliter ob honorem, secundariò ob pecuniam, tamquam ob pretium, & potest quis indigenti rem aliquam vendere principaliter, vt illi rem gratam faciat, vel vt necessitate subleuetur; secundariò, vt pecuniam, seu pretium recipiat: ergo signum est ad rationem pretij non requiri, vt principaliter intendatur; consequenter ad Simoniam non requiritur, vt pro actione spirituali principaliter intendatur temporale, tamquam pretium.

Ex dictis sequitur primò non committi Simoniam ab eo, qui sacrum facit intendens recipere pecuniam in eleemosynam, seu ad sustentationem. Ratio est, tum quia non intendit pecuniam tamquam pretium rei spiritualis, sed rem spiritualem gratis præbet, intendens pecuniã, titulo eleemosynę, seu sustẽtationis, quem titulũ infra ostẽdam esse iustum, & honestum, tum quia, sicut tradens Sacerdoti stipendium pro Missa non est Simoniacus, quia non tradit tamquam pretium rei spiritualis, sed ad sustentationem; ita non est Simoniacus Sacerdos, qui eo pacto recipit. Et hoc verum est, etiamsi pecunia principaliter intendatur, modò non intendatur tamquam pretium, sed in sustentationem, aut eleemosynam. Ratio est, tum quia intentio ipsa non est magis peccaminosa, quàm opus ipsum; opus autem accipiendi pecuniam ad sustentationem non est Simoniacum; ergo neque ipsa intentio est Simoniaca: tum quia Sacerdos in peccato mortali celebrans, vt pecuniam in sustentationem recipiat, non est reus Simoniæ; sed hic principaliter intendit pecuniam, (non enim principaliter respicit, vel intendit cultum Dei: nam si hunc intenderet, vel respiceret, à celebratione potiùs abstineret; committit enim sacrilegium celebrando cum lethali culpa:) ergo non committitur Simonia mentalis ab eo, qui pro actione spirituali principaliter, vel minus principaliter intendit rem temporalem in sustentationem, vel eleemosynam, aut alio titulo honesto, modò non intendat tamquam pretium.

Secundò sequitur, non committi Simoniam à concionatore, qui principali intentione intendit dignitatem, honorem, ac laudem, quam ambit. Ratio est, quia non intendit dignitatem, & honorem, tamquam pretium: reus tamen est alterius culpæ pro qualitate finis, quem sibi proponit, vt patet ex regulis generalibus. Et quamuis Tabiena *verb. Simonia num. 18.* & alij dicant concionantem principaliter ad assequendam laudem, & honorem, committere Simoniam, nihilominus non loquuntur de Simonia propriè, & strictè accepta, sed latè, & impropriè, quatenus dicit sacrilegium, vel aliud peccatum.

Tertiò sequitur committi Simoniam ab eo, qui ad Chorum accedit, intendens distributiones accipere, tamquam pretium celebrationis diuini Officij, seu intendens diuinum Officium vendere, seu intendens distributiones tamquam fructum commensuratum diuino Officio, seu sacro ministerio; tunc enim virtualiter intendit vendere; consequenter intendit temporale tamquam pretium ministerij spiritualis; secus si recipere intendat distributiones in sustẽtationem, quamuis illas principaliter intendat. Ita Sotus *lib. 9. de iust. quæst. 6. art. 2.* Valentia *loco cit. vers. sed ponunt,* & alij DD. citati.

Ad rationem primæ ſententiæ reſpondeo illum, qui pro ſpirituali opere intendit temporale tamquam pretium, habere intentionem commutandi ſpirituale cum temporali, conſequenter eſſe reum Simoniæ: ſecus ſi non intendat tamquam pretium.

10 Mentalis Simonia committitur, dum mens, ſeu intentio fertur in obiectum ſimoniacũ ſolùm ob Eccleſiæ prohibitionem.

10 Secundò dubium eſt, vtrùm Simonia mentalis committi poſſit, dum mens fertur in obiectum, ſeu actum externum, ſimoniacum ſolùm ob prohibitionem Eccleſiæ, (hæc vocatur Simonia, quia prohibita, non autem dicitur prohibita quia mala;) vt ſi quis intendat emere officium Eccleſiaſticum prohibitum emi, aut ſi intendat priuata auctoritate permutare beneficium cum alio.

Reſpondeo duplicem eſſe Doctorum ſententiam. Prima negat Simoniam, ſolo iure Canonico inductam, committi poſſe mentaliter per prauam intentionem. Ratio eſt, quia actus merè internus non cadit ſub Eccleſiaſticam poteſtatem, & Eccleſia non poteſt præcipere, vel prohibere actus merè internos. Ita gloſſ. *in cap. ex parte* 1. *de offic. deleg. verbo dimittere*, & alij.

Secunda ſententia affirmat Simoniam mentalem contrahi poſſe dum mens verſatur circa ea, quæ ſimoniaca ſunt, quia prohibita. Ratio eſt, quia voluntas faciendi opus ab Eccleſia prohibitum eſt mala ea ſpecie malitiæ, qua eſt ipſum opus prohibitum, etiamſi ad actum externum non progrediatur. Ob id habens intentionem comedendi ſæpius in die ieiunij, peccat contra præceptum ieiunij, etiamſi poſtea re ipſa ſæpiùs non comedat, vel habens intentionem furandi crumenam Titio in Eccleſia, ſacrilegium mentale committit, & habens intentionem laborandi tali die feſto, peccat contra præceptum Eccleſiæ de colendo eo die feſto, quamuis poſtea re ipſa ſeruile opus non præſtet, & ſic de ceteris. Ita Adrianus *quodlib.*9. *art.* 2. Suarez *cap.*44. *num.*16. & Filliucius *tract.*45. *cap.*20. *quæſito* 4. *num.* 19. & alij communiter, quos retuli *in tract. de legibus*, vbi regulas generales tradidi.

Ad rationem primæ ſententiæ reſpondeo actum merè internum non cadere ſub Eccleſiaſticam poteſtatem quoad pœnas; quoad culpam tamen indirectè cadit, quatenus Eccleſia prohibet actum externum, à quo malitiam ſumit actus internus, qui circa ipſum verſatur: ideo enim velle officium Eccleſiaſticum emere eſt malum, quia prohibitum ab Eccleſia; ſicut velle furari crumenam Titio in Eccleſia, eſt malum malitia ſacrilegij, quia prohibitum eſt ab Eccleſia in reuerentiam ſacri loci, & ſic de ceteris quæ ſunt mala quia prohibita.

QVÆSTIO III.

Quo iure prohibita ſit Simonia, & quale peccatum ſit.

PRIMA PROPOSITIO.

Simonia prohibita eſt iure diuino, naturali, & humano.

1 Simonia prohibita eſt iure naturali, diuino, & humano.

1 Quòd prohibita ſit iure diuino, patet primò ex 3. *Regum* 13. vbi reprehenditur Ieroboam eo quòd daret Sacerdoti pretium. Secundò ex verbis Chriſti Matthæi 10. *Gratis accepiſtis, gratis date.*

Quòd Simonia prohibita ſit iure naturæ, probatur, quia ratio noſtra lumine fidei inſtructa naturaliter dictat res ſacras ſanctè tractandas eſſe; qui autem rem ſacram vendit, vel permutat, non ſanctè illam tractat, cùm illam pro re vili, id eſt, pretio temporali commutet, iuxta illud, Quis non putat vile eſſe quod venditur; tum quia *Actorum* 8. Petrus dixit Simoni Mago: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*; ſupponit ergo aliàs malum eſſe rem ſpiritualem pretio contrectare.

Quòd Simonia non ſolùm prohibita ſit iure diuino, & naturali, verùm etiam iure humano poſitiuo, conſtat ex *toto titulo de Simonia.*

2 Simonia dari poteſt ſolo iure humano prohibita.

2 Quæres primò vtrùm dari poſſit aliqua Simonia iure tantùm humano prohibita.

Reſpondeo affirmatiuè cum Suarez *tom.*1. *de relig. lib.*4. *cap.*2. *num.* 1. Azor. *lib.*12. *cap.*1. *quæſ.*2. *ad finem*, Reginaldo *lib.*23. *num.*155. Leſſio *libr.*2. *cap.*35. *dub.* 4. *num.* 25. [Paulo Layman *lib.* 4. *tit.* 10. *cap.* 8. *num.* 61.] Filliucio, Vgolino, Canoniſtis communiter *in cap. quæſitum, & cap. cùm olim, de rerum permut.* aliiſque Theologis. Ratio eſt, quia Eccleſia facere poteſt rem immunem à laica poteſtate; exempli gratia, poteſt facere, ne iudex ferat in Eccleſia ſententiam, aut ne quemquam ab Eccleſia extrahat, & ſacrilegium committat ferendo ſententiam in Eccleſia, aut aliquem extrahendo; ergo poteſt prohibere, ne res aliqua adnexa rei ſacrę vendatur in reuerentiam talis rei.

3 Simoniæ humanæ quænam ſit materia.

3 Quæres ſecundò, quænam ſint res, quarum venditione committitur Simonia tantùm iuris humani. Reſpondeo plures eſſe.

Prima eſt permutatio beneficij cum alio beneficio abſque auctoritate legitimi ſuperioris, de qua re infrà.

Secunda eſt reſignatio beneficij propria auctoritate facta cum reſeruatione penſionis, de qua infrà.

Tertia venditio beneficij, non quidem habita ratione tituli, (hanc enim conſtat eſſe Simoniam iure diuino prohibitam,) ſed habita ratione fructuum, & emolumentorum temporalium; hac enim ratione nonnulli Doctores putant committi Simoniam iuris tantùm humani; ſed oppoſitum videtur probabilius, de quo infrà.

Quarta eſt acceptio alicuius rei occaſione examinis, ex Tridentino *ſeſſ.*24. *cap.*15.

Quinto loco enumerari poſſunt quælibet Eccleſiaſtica officia, *cap. ſi quis Epiſcopus* 1. *quæſt.* 3. quamquam reſponderi poteſt nomine *officiorum Eccleſiaſticorum* eo loco intelligi officia ſpiritualia, ſeu habentia onus ſpirituale.

4 Procurator quiſnã dicatur.

4 Sexto loco percenſetur officium diſpenſatoris, ſeu procuratoris, *cap. ſi quis Epiſcopus* 1. *quæſt.* 1. nomine autem *procuratoris* intelligitur quilibet adminiſtrator rerum Eccleſiaſticarum, vt Præpoſitus, Oeconomus, Vicedominus, ex Vrbano II. *in cap. Saluator* 1. *quæſt.* 3. ideo etiam comprehendi videtur officium Sacriſtæ, cùm hic curam habeat rerum Eccleſiæ, & dici poſſit particularis Oeconomus. Ita Sotus *lib.*9. *de iuſt. quæſt.*5. *art.*2. Suarez *cap.*29. *num.* 11. Filliucius *cap.* 6. *num.* 22. & alij.

5 Oeconomi vel Caſtaldi nomine quis intelligatur.

5 Oeconomus dicitur is, qui res Eccleſiæ, & Canonicorum gubernat. Vicedominus eſt œconomus rerum Epiſcopi. Caſtaldus dicitur is, qui præeſt gubernationi domus, & negotiorum, alio nomine vocatur Maiordomus, vt cum gloſſa explicat Leſſius *lib.*2. *cap.*35. *dub.*4. *nu.*16. *ad finem.* Azor. 3. *parte lib.*12. *de Simonia, cap.*14. *quæſ.*5.

Septimò, officium defenſoris, *cap. ſi quis Epiſcopus* 1. *quæſt.*1. nomine *defenſoris* intelligitur Aduocatus, ſiue Caſtaldus, *cap. Saluator citato*; nomine *Aduocati* non intelligitur is, qui ad tuendas lites, & cauſas de iure ſcribit, ſed intelligitur patronus, qui ab Eccleſia, vel Epiſcopo ſpecialem poteſtatem, ſeu mandatum accipit ad tuendam Eccleſiam, alio nomine vocari ſolet Syndicus; Syndicus autem dicitur is, cui generaliter cura negotiorum Eccleſiæ imponitur. *cap. vnico, de Syndico.*

Octauò officium iudicis. *cap. Saluator citato.* Verùm ſi huic officio adnexa ſit iuriſdictio ſpiritualis, venditio iſtius officij non ſolùm humano, verùm etiam diuino iure interdicta eſt, vt conſtabit ex infrà dicendis.

6 Manſionarius, quiſnam dicatur.

6 Nonò officium manſionarij, *cap. ſi quis Epiſcopus.* Manſionarius dicendus videtur is, qui curam habet diſtribuendi Clericis, ſeu Canonicis domos, ſeu manſiones ex domibus Eccleſiæ, argum. *l.*21. *de decurion.*

7 Primicerij officium quodnam ſit.

7 Decimò officium Primicerij, cuius munus eſt Clericos inſtruere, & Chorum dirigere; ob id Magiſter Chori dicitur, & cùm eius miniſterium ſit Eccleſiaſticum, venditio ipſius officij prohibita cenſetur *in cap. ad noſtram, de Simon.* vbi omne miniſterium Eccleſiaſticum vendi prohibetur, Suarez *num.*12. *cap.*29. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 62.]

8 Functiones officiorum Eccleſiaſticorũ, an ſint materia Simoniæ.

8 Quæres tertiò, vtrùm committatur Simonia ſaltem iuris humani, vendendo functiones iſtorum officiorum.

Reſpondeo negatiuè, niſi fortè excipias functionem primicerij. Ratio eſt, quia ſunt opera merè corporalia, & pretio æſtimabilia, nec iure Eccleſiaſtico vendi prohibentur, quamuis ipſa officia vendi prohibeantur. [Ita Suarez *num.*13. & Layman *num.*62.]

9 Bona immobilia, vel mobilia Eccleſiæ, an ſint materia Simoniæ.

9 Quæres quartò, vtrùm Simonia committatur vendendo bona immobilia, vel mobilia Eccleſiæ.

Reſpondeo negatiuè, niſi vendantur, vt ſunt ſacra. Ratio eſt, tum quia huiuſmodi bona ſunt pretio æſtimabilia: ergo vendi poſſunt abſque Simonia: tum quia *in tit. de rebus Eccleſiæ non alienandis*, præſcribitur forma ſeruanda in alienatione bonorum Eccleſiaſticorum; ergo illorum venditio non cenſetur Simoniæ labem redolere.

Obiicies *in cap. Saluator* 1. *quæſt.*3. generaliter dicitur venditionem rei Eccleſiaſticæ ſimoniacam eſſe: ſed bona Eccleſiæ ſunt res Eccleſiaſticæ; ergo venditio ipſorum ſimoniaca eſt.

Reſpondeo prefatum textum non intelligi ſimpliciter de quibuſlibet rebus Eccleſiaſticis ſecundùm ſe ſpectatis, ſed de officiis Eccleſiaſticis habentibus adnexam adminiſtrationem Eccleſiaſticam, vt pluribus explicat Suarez *lib.*4. *cap.*29. *num.*14. vbi etiam alias reſponſiones affert, & refellit. Vide dicenda *quæſt.*7. §. 2.

10 Eccleſia quomodo facere poſſit, vt id quod non eſt materia Simoniæ, ſit materia Simoniæ.

10 Quæres quintò, quomodo Eccleſia efficere poſſit, vt id quod non eſt materia Simoniæ, ſit materia Simoniæ.

Reſpondeo ſolutionem iſtius difficultatis conſtare ex ſupradictis *punct.* 1. *quæſt.*2. *num.*7.

SECVNDA PROPOSITIO.

11 Simonia eſt peccatũ mortale ex ſuo genere contra religionem.

11 Simonia eſt peccatum mortale ex ſuo genere cõtra religionem. Ratio eſt, tum quia reliqua crimina comparatione ſimoniæ leuia putantur, vt patet ex Conciliis relatis 1. *quæſt.* 3. & 7. tum quia per ſimoniam infertur grauis iniuria Deo, & rei ſacræ, quæ confertur, comparatur & commutatur cum re temporali, conſequenter contemnitur res ſacra.

12 Simonia formaliter adeo mala eſt, vt nũquam licita fiat etiã per diuinã potentiam.

12 Sed modò dubium eſt primò, vtrùm ſimonia adeò mala ſit, vt numquam licita fiat, neque per diuinam potentiam.

Reſpondeo, ipſam ſimoniam formaliter numquam licitam eſſe: tum quia ſemper eſt contra rectam rationem, æſtimare rem ſpiritualem pretio, ſeu re temporali, & quamuis Deus ſit omnium rerum Dominus, facere tamen non poteſt, vt res ſpiritualis non pluris æſtimetur, quàm res temporalis; ſicut facere non poteſt, vt mendacium, vel adulterium non ſit malum, cùm intrinſecam habeat malitiam, quæ auferri non poteſt, manente eadem rei eſſentia, & non mutatis circumſtantiis: tum quia ſimonia non eſt mala, quia prohibita iure diuino, vel humano, ſed ideo prohibita, quia mala; ergo intrinſecam habet malitiam: ex quo ſequitur in ſimonia diſpenſari non poſſe. Nam ſuperior diſpenſando ſolùm aufert prohibitionem; ablata autem prohibitione iuris diuini, vel humani, adhuc ſimonia remanet illicita, quia non eſt mala, quia prohibita; ſed eſt prohibita, quia mala. Ita Salas *de legibus diſputat.* 5. *ſect.* 9. *num.* 51. *ſub finem.* & alij Doctores ſtatim citandi. Dixi *Simoniam formaliter*, quia ſi non habeatur ratio rei ſpiritualis, ſed alterius circumſtantiæ, fieri poteſt, vt res temporalis licitè tradatur pro re ſpirituali; quia tunc non infertur iniuria rei ſpirituali, cùm ratio ipſius tunc temporis non habeatur, ſed alterius circumſtantiæ, vt benè Leſſius *libr.* 2. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 26. Suarez *lib.* 1. *de relig. cap.*2. *num.*10. *& ſeqq.* Reginald. *lib.* 23. *num.* 167. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 1. *quæſ.* 7. & alij, ex quo infert Suarez licitam fore venditionem rei ſpiritualis, ſi Deus traderet Eccleſiæ alicui dominium illius abſolutum, aut ſi daret alicui facultatem diſpenſandi illam per venditionem, vel per alium contractum oneroſum in vtilitatem diſpenſatoris, vel alterius; ſed hoc mihi non probatur, quia pugnat cum ipſa rei natura, quæ vendibilis non eſt, & ſub contractum oneroſum non cadit, conſequenter hæc facultas à Deo concedi non poteſt. Secus dicendum eſſet, ſi Deus alicui concederet donum prophetiæ, vel gratiam ſanitatum, vt

ex

ex illius vsu viueret; tunc enim licitum esset aliquid accipere, non pro vsu prophetiæ, vel gratiæ sanitatum vt sic, sed pro labore, & exercitio, quia operarius dignus est cibo, & mercede; ita in fortioribus terminis Suarez *loco cit. num.* 12. *&* 13. & alij communiter.

13 Simonia non potest esse veniale peccatum ratione paruitatis materiæ.

13 Secundò dubium est, vtrum simonia possit esse veniale peccatum ratione paruitatis materiæ.

Respondeo negatiuè iuxta dicta in tractatu de peccatis cum Sanchez, & aliis, quibus adde Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 3. [Paulum Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. §. 1. *num.* 4.] Filliucium *tom.* 3. *tract.* 45. *cap.* 1. *quæs.* 6. *num.* 13. Vgolinum *de Simon. tab.* 1. *cap.* 16. *& cap.* 54. *num.* 3. vbi ostendunt excommunicationem incurri, etiamsi pretium, quod traditur, modicum sit, aut res spiritualis sit parua, quicquid in contrarium nonnulli sentiant apud Vgolinum, dum modicum pretium traditur. Ratio nostra est, quia tota ratio malitiæ reperitur in venditione rei spiritualis in pauca quantitate, ac in magna; adhuc enim res spiritualis contemnitur, eique grauis irreuerentia irrogatur æstimando illam pretio; quamuis ipsa sit paruæ quantitatis: eadem ratio valet, dum pecunia, quæ pro re spirituali traditur, modica est. Imò res spiritualis tunc magis contemni videtur, cùm modicę rei temporali præferatur, vel comparetur; vt plurimum tamen paruitas pretij excusari solet à simonia, tum quia modicum dari non solet in pretium rei spiritualis, sed causa beneuolentiæ, vel titulo gratitudinis, tum quia sic colligitur ex *cap. & si quæstiones, de Simon.* Ita Reginaldus *lib.* 23. *num.* 166. *&* 219.

Hinc ergo patet, simoniam ex suo genere grauissimum crimen esse, nec fieri veniale ratione paruitatis materiæ, si res temporalis tradatur pro re spirituali: fieri tamen posset veniale ob ignorantiam, inaduertentiam, & inconsiderationem, vt patet ex regulis generalibus traditis *de legibus.*

14 Simonia cuinam virtuti opponatur.

14 Tertiò dubium est, cui virtuti opponatur simonia.

Respondeo opponi religioni, sicut enim ad virtutem religionis pertinet cultus Dei: ita etiam eidem aduersatur id, quo Deus in se, vel in re sacra contemnitur; bonitas enim alicuius actus, & illius priuatio ad eamdem virtutem suo modo pertinent. Ex quo sequitur, malitiam simoniæ non esse per se cõiunctam cum malitia iniustitiæ, sed solùm per accidens; malitia enim iniustitiæ inuenitur, dum ius alterius violatur, illiq́ue fit iniuria.

Dices, in peccato simoniæ semper reperitur iniuria Dei, cùm vendatur res spiritualis, quæ non est vendentis, sed ipsius Dei.

Respondeo iniuriam, quæ tunc fit Deo, non esse iniustitiam, sed irreligiositatem, & irreuerentiam: tum quia sicut iustitia ad Deum est religio; ita iniustitia erga Deum est irreligiositas, seu peccatum contra religionem: tum quia venditione rei sacræ non subtrahitur Deo dominium, & ius in rem spiritualem, sed adhuc remanet illius dominus, nullumq́ue ei damnum infertur, vt benè Suarez *lib.* 1. *de relig. cap.* 4. Filliucius *cap.* 1. *quæs.* 8. Valentia *tom.* 3. *disput.* 6. *quæst.* 16. *punct.* 4. *sub finem*, Azor. 3. *par. lib.* 12. *cap.* 1. *quæsito* 3. *de Simonia.* [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *num.* 4. *&* 5.]

Non nego tamen, quin simonia possit per accidens habere adiunctam malitam iniustitiæ, in actibus videlicet erga proximum, dum ius proximi læditur, seu dum proximo damnum contra ipsius voluntatem infertur, vt si Parochus nolit Sacramentum sine pretio ministrare suis ouibus, quibus aliàs tenebatur gratis ministrare, aut si calicem consecratum pluris vendat ratione materiæ, quàm alioquin materia auri, vel argenti, qua ipse calix constat; iniustitia enim committitur, dum aliquid vltra iustum pretium exigitur; & quamuis materia auri, vel argenti, ex qua calix sacer confectus est, dignior sit, & venerabilior; non tamen pretio magis æstimabilis est, vt benè Suarez *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 7. [Paulus Layman *num.* 5.] & alij, quos referam dum loquar *de obligatione restitutionis ob Simoniam, quæst.* 7. *punct.* 3. *difficultate* 1.

QVÆSTIO IV.

Quænam sit materia, circà quam Simonia committitur.

VNICA PROPOSITIO.

1 Materia Simoniæ est res spiritualis, & supernaturalis.

1 MAteria simoniæ est res aliqua sacra spiritualis, & supernaturalis. Ratio est, tum quia peccatum simoniæ opponitur religioni, & cultui debito rei sacræ: ergo illius materia debet esse res sacra; sacrilegium enim committitur violatione rei sacræ, & priuatio specificatur ab oppositа forma: tum quia simonia est sacrilegium, seu irreligiositas contra res sacras; ergo illius materia sunt res sacræ.

2 Spiritus sanctus quonã pacto vendi possit.

2 Hinc sequitur primò, simoniam committi vendendo gratiã sanctificantem, quia gratia sanctificans est res spiritualis, & sacra. Neque obstat dicere, gratiam vendi non posse, sicut nec Spiritus sanctus vendi, vel emi potest. *cap. iudices* 1. *quæst.* 1. *& cap. Saluator* 1. *quæst.* 3.

Respondeo enim gratiam, vel Spiritum sanctum vendi non posse de iure, de facto tamen vendi posse multis modis. Primò in concreto, vt si pluris redimatur Christianus, quatenus fidem habet, vel sanctitatem, aut si vendatur Sacerdos intuitu sacerdotij: aut si pluris vendatur vir iustus, quàm alioquin venderetur, habita ratione non fidelitatis, sed gratiæ, & sanctitatis, quam habere creditur, aut si plutis vendatur Propheta ob prophetiæ donum. Secundò etiam in abstracto, vt si quis pretio conferat alteri sacrum Ordinem, & characterem, aut gratiam sacramentalem; hic enim quantum est ex se, pretio confert dona sacra: nam huiusmodi ordinatio tenet quoad substantiã, & collatio gratiæ tenet, si non ponatur obex ex parte recipientis, vt si recipiens bona fide recipiat, ignorans pecuniam ob collationem Sacramenti traditam fuisse. Tertiò quoad actum, vt si vendatur sacramentalis absolutio, per quam confertur gratia in recipiente absolutionem, aut si vendatur actio ipsa, quatenus alteri vtilis ad salutem, exempli gratia, quatenus prodest ad impetrationem, vel meritum de congruo, vel alia ratione.

Ad *cap. iudices, & cap. Saluator citatum*, respondeo Spiritum sanctum vendi, aut emi non posse, quia non datur ex vi conuentionis, venditionis, vel emptionis, seu prauæ voluntatis, sed ex vi suæ promissionis, & institutionis, & quia miuisterio hominis aliquãdo datur cum actione simoniaca, ideo conferens, simoniacam labem incurrit. Ita Vgolinus *de Simon. tab.* 1. *cap.* 36. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *de Simon. cap.* 9. *nu.* 7. *& seq.* Filliucius *tom.* 3. *tract.* 45. *cap.* 2. *quæsito* 15. *nu.* 22. & alij contra Panormitanum *in cap. consulere, num.* 3. *de Simon.* Angelum *v. Simonia* 1. *num.* 1. Tabienam *nu.* 7. Sotum 9. *de iust. quæst.* 6. *nu.* 11. asserentes gratiam, & dona Spiritus sancti, & alia spiritualia per essentiam incorporalia vendi non posse, non solùm de iure, verùm neque de facto, consequenter non esse materiam simoniæ.

3 Christus an vendi potuerit absque Simoniæ labe.

3 Secundò sequitur, simoniam committi potuisse vendendo Christum, habita ratione vnionis hypostaticæ, vel donorum sacrorum, & supernaturalium in Christo existentium; hæc enim potuerunt esse materia venditionis, & emptionis pro pretio temporali; ergo potuerunt esse materia Simoniæ, cùm materia simoniæ sit res sacra, & spiritualis. Quamquam Suarez *loco citato, cap.* 9. *num.* 2. & Filliucius *loco citato, quæsito* 14. *num.* 22. putant gratiam vnionis non posse esse materiam Simoniæ, nec Simoniam committi posse vendendo Christum.

Obiicies cum Suarez, & Filliucio: Simonia habet pro materia rem sacram, & supernaturalem creatam, non increatam; sed gratia vnionis est res increata, & alterius ordinis; ergo non potest esse materia Simoniæ.

Respondeo primò, gratiam vnionis, vt est modus quidam substantialis consurgens ex actione vnitiua, & inhærens humanitati, vt reddat illam vnitam Verbo, esse aliquid sacrum & creatum, consequenter in hac parte esse materiam Simoniæ.

Secundò Simoniam committi posse, etiam vendendo rem increatam: tum quia si quis vendat Eucharistiam Iudęo, quatenus continet Christum, seu Verbum diuinum, reatum Simoniæ incurrit, & tamen Verbum diuinum est res increata, & alterius ordinis: tum quia Iudas cognoscens gratiam vnionis, id est, credens Christum esse verum Deum, & secundam Sanctissimæ Trinitatis personam, culpam Simoniæ commisisset vendendo illum, vt Deum, temporali pretio; ergo Simonia committi potest etiam vendendo gratiam vnionis. De facto tamen Iudas vendendo Christum, & Pharisæi illum emendo, peccatum Simoniæ non commiserunt, vt benè Valentia *punct.* 1. *ad finem.* Ratio est: tum quia vendidit illum tamquam hominem, non habita ratione rei sacræ in Christo existentis, nec quicquam cogitauit de spiritualitate, quæ Christo inerat: tum quia Doctores communiter asserunt primum hominem huius criminis reum in nouo Testamento fuisse Simonem Magum. Si autem Iudas peccasset peccato Simoniæ vendendo Christum, primum Simoniæ peccatum illi ascriberetur, cùm ipse peccauerit, & mortuus fuerit antequam Simon Magus hoc crimen committeret: quamuis ad hanc rationem dici posset, nouum Testamentum cœpisse in Christi morte, & Vetus vsque ad Christi mortem durasse, quo tempore Iudas obierat, vt benè Suarez *num.* 3. Sotus *loco citato, quæst.* 5. *artic.* 1. *in fine* 1. *conclusionis.* Filliucius *loco citato, num.* 22. & alij. Negari tamen non debet quin Iudas grauissimè peccauerit peccato sacrilegij contra honorem hyperdulię, & latriæ Christo debitum; quamuis enim illum vendiderit, non habita ratione sanctitatis, nouerat tamen Christum esse verum Deum, & hominem, illumq́ue contempsit tradendo Iudęis, vt morte damnaretur.

4 Eucharistia est materia Simoniæ.

4 Tertiò sequitur Simoniam committi vendendo Eucharistiam; hæc enim est res sacra, non solùm ratione contenti, qui est Christus, verùm etiam ratione specierum consecratarum. Quamuis enim materia remota Eucharistiæ, id est, panis, & vinum vendi possit, cùm sit res pretio æstimabilis, nec suam æstimationem amittat ob extrinsecam ordinationem ad Sacramentum; tamen species ipsæ consecratæ, quæ sunt materia proxima Eucharistiæ, vendi non possunt absque labe Simoniæ, cùm sint res sacræ, & materia proxima Sacramenti: & hoc militat etiamsi quis respiciat valorem prioris panis; cùm enim substantia panis desierit, desiit etiam ipsius valor, & quamuis illæ species corporaliter sumendæ sint, non tamen habent vsum materialem, sed spiritualem, qui sub pretium non cadit, & licèt corporaliter nutriant, hoc tamen est per accidens, quia Deus, corruptis speciebus, nouam substantiam creat, vt benè Suarez *cap.* 10. *num.* 4. & alij, quos retuli *de Eucharistia.*

Addo vendentem Eucharistiam posse etiam aliam specie malitiam grauiorem committere, vt si eam vendat ad maleficia, & magicas artes; hic enim cooperatur maleficio præbendo materiam, vt benè in hac parte Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 3. & Filliucius *tom.* 3. *tract.* 45. *cap.* 3. *quæs.* 1. *num.* 1. quamuis ipsi putent vendentem Eucharistiam, quatenus continet Christum, non peccare peccato Simonię, sed irreligiositatis grauioris rationis.

5 Sacramẽta, aut Sacramentalia sunt materia Simoniæ.

5 Quartò sequitur, Simoniam committi accipiendo, vel tradendo pecuniam pro Sacramentis, vel sacramentalibus, vt constabit ex dicendis §. 2.

Idem dic de vendente functiones Ordinum, vel diuina Officia, vt clariùs constabit ex dicendis §. 4. & ratio est, quia hæc sunt ministeria sacra; consequenter sunt materia Simoniæ.

6 Simonia naturalis committi potuisset in statu puræ naturæ.

6 Quintò Simoniam naturalem spectato statu hominis in pura natura, committi posse ab eo, qui haberet cognitionem de Deo solùm vt est auctor naturæ, vt si venderet sacerdotium, quo Deus coli potuisset, tamquam auctor naturæ in statu puræ naturæ; nam in pura natura fuissent vera sacrificia; ergo vendens illa sacrificia, aut sacerdotium, Simoniam naturalem commisisset; vendidisset enim rem sacram. Vide Victoriam *relect. de Simon. numer.* 21. Suarez *loco citato, cap.* 8. *numero* 27. *& seq.* Filliucium *tractat.* 45. *cap.* 2. *quæs.* 12. *&* 13. Valentiam *tom.* 3. *disputat.* 6. *quæst.* 16. *punct.* 2. *columna* 2. *versic. respondeo.*

7 Misericordiæ

7 Sextò vendentem opera misericordiæ, vt actionẽ, & obsequium visitan-

opera externa non sunt materia Simoniæ.

visitandi infirmos, sepeliendi mortuos, & similia, non incurrere labē simoniæ. Ratio est, quia hæc opera ex se, non sunt res sacræ, & supernaturales, sed naturales, non solùm ratione ipsiusmet actionis materialis, verùm etiam ratione aliarum circumstantiarum, quæ necessariæ sunt ad opus misericordiæ; fieri tamen potest vt aliunde peccet, vt si ex officio, vel ex misericordia teneatur huiusmodi opera gratis præstare, aut si maius pretium exigat, quàm mereatur; tunc enim peccat pro varia obligatione virtutum, ex quibus præfatas actiones præstare tenetur, vt benè Suarez *lib.4.cap.8.num.24.* Filliucius *cap.2. quæs.10.* Valentia *tom.3.disp.6.quæst.16.punct.2.* Reginald. *lib.23. num.* 208. & 226.

8 Reliquiæ vendi non possunt, sine Simoniæ labe.

8 Septimò, simoniam committi vendendo reliquias, *cap. vltim. de reliq. & venerat. Sanctorum*, vbi non solùm vetita est venditio reliquiarum, verùm etiam ipsarum ostensio, vel locatio pro pretio. Ratio est, tum quia reliquiæ secundùm se sunt res sacræ, vtpote partes hominis sancti: tum quia materiale ipsarum reliquiarum secundùm se non est pretio æstimabile; ergo æstimatio, quæ ipsis tribuitur, tribuitur ratione sanctitatis hominis, cuius sunt reliquiæ, seu ob relationem ad animam sanctam; sed hæc est materia simoniæ; ergo, &c. Secus dicendum est, si reliquiæ contineantur vasis argenteis, aut aureis, vel aliqua re pretio æstimabili ornatæ sint: tunc enim pretium tradi potest ratione vasis, vel ornatus, modò pretium non augeatur ratione ipsarum reliquiarum. Ita Panormitan. *in cap. vltim. de reliq. & vener. Sanctor.* Sylvester *verb. Reliquiæ*, Suarez *lib.4.cap.14.nu.24.* Filliucius *tract.45. cap.3. quæsito 12.* [Paulus Layman *lib.4. tract.10. num. 6.*] & alij communiter.

9 Missæ sacrificium quandonā sit materia Simoniæ.

9 Octauò, simoniam committi dando pecuniam pro Missæ sacrificio: secus si detur titulo eleemosynæ, aut congruæ sustentationis, vel laboris extraordinarij.

Maior difficultas est, vtrùm ille simoniam committat, qui tenetur certum stipendium dare pro celebratione aliquarum Missarum, vt si pretium ab aliquo sacerdote accipiat, vel partem illius stipendij retineat, vt illi potius, quàm alteri stipendium illud tribuat.

Respondeo non committere simoniam, quia non recipit temporale pro spirituali, sed pro temporali, nam pactum non initur de re spirituali, sed de temporali, id est, de stipendio sustentationis, cuius partem ille sibi retinet, altero aliam recipiente. Ita Suarez *cap.26. nu.* 22. Filliucius *tract.45. cap.8. quæs.4. num.13.*

An autem hic peccet contra iustitiam, patet ex dictis de sacrificio Missæ *in tract. de Sacramentis*, vbi de hac re expresè egi.

10 Rosariū quandonā sit materia Simoniæ.

10 Nonò, simoniam committi vendendo Rosarium maiori pretio, eo quòd aliquas Sanctorum reliquias attigerit, & quodammodo sanctificatum sit, tunc enim augetur pretium ratione rei sacræ, quam constat esse materiam simoniæ, Suarez *cap.14.num.24.*

11 Euangeliorum liber, &c. an sint materia Simoniæ.

11 Decimò, simoniam committi vendendo librum Euangeliorum, Antiphonarum, & similium, quæ sacra censentur, eò quòd diuino cultui deputata sint, tunc enim venduntur ratione rei sacræ. Secus si vendantur ratione materiæ, & artificij præcisè, non aucto pretio ob deputationem ad diuinum cultum. Ita Suarez *cap.14.nu.24. ad finem.* Filliucius *cap.3. quæs.12. num.27.*

12 Calix, aut alia res sacra quānam vendi, vel locari possit absque Simonia.

12 Maior difficultas est, vtrùm calix, vel aliæ res sacræ, locari possint pro pretio, habita ratione materiæ.

Vgolinus *tab.1. cap.44. §.1. num.3. vers. quoad primum casum.* Suarez *loco citato, num.25.* Filliucius *loco citato, num.28.* negatiuè respondent: tum quia hoc nihil aliud videtur esse, quàm virtute vendere vsum sacrum: tum quia sequeretur etiam Parochum posse aliquid exigere vt permittat aliquem Missæ sacrum celebrare in sua parochia. Ego verò censeo id quidem faciendum non esse, quia redolet quamdam lucri turpitudinem, & aliquando fieri potest, vt scandali occasionem præbeat, nihilominus simoniæ crimen, propriè loquendo, incurri non videtur. Ratio est, tum quia calix consecratus vendi potest ratione materiæ, etiamsi venditor sciat illum emi ad vsum sacrum (certum tamen est non posse illum vendere ad profanos vsus;) ergo etiam locari potest, cùm par ratio videatur venditionis, & locationis: tum quia vestes sacræ locari possunt, accepto pretio, quia vsu consumuntur, vt concedunt præfati Doctores; ergo signum est ipsorum vsum esse pretio æstimabilem, & illius valorem spectari posse, non habita ratione sacri vsus, vt sacer est: tum quia experientia cernimus aulæa, & alia ornamenta locari ad ornatum Ecclesiarum, & sacrum vsum; ergo signum est locantem non vendere vsum sacrum, sed locare rem ipsam ad talem vsum. Ex quo licet inferre non committi simoniam exigendo aliquid pro pretiosioribus, vel mundioribus vestimentis, vel pro calice meliori, etiam præcisa reparatione damni, seu expensis factis in lauandis vestibus, vel conficiendo calice pretiosiori, nam res præstantior, & pretiosior maiori pretio locari solet.

13 Præstimonia vēdi non possunt absque Simonia.

13 Vndecimò sequitur, Præstimonia vendi non posse sine labe simoniæ. Ratio est, tum quia conferuntur solùm à Prælatis Ecclesiasticis, & cum ea solemnitate, qua conferuntur beneficia; ergo signum est censeri spiritualia: tum quia nullus audet illa vendere, vel emere; neque hoc ab Ecclesia permitteretur; ergo signum est simoniæ labem in ipsorum venditione latere: tum quia licèt aliàs admitti potuerit sententia Ioan. Andreæ *in cap. vnic. de rerum permut.* & aliorum asserentium præstimonium non fuisse beneficium Ecclesiasticum; hoc tamen tempore admitti non debet, quia præstimonium censetur beneficium Ecclesiasticum, & est aliquid spirituale, cui temporales fructus adnexi sunt. Præstimonia enim instituta fuerant ad alendos, & sustentandos in studiis pauperes Clericos, vt postea Ecclesiæ inseruire possent: Pius tamen V. in motu proprio, qui incipit: *Ad perpetuam rei memoriam*, adiungit obligationem diuini Officij, consequenter huiusmodi beneficia hoc tempore habent titulum spiritualem, cum iure ad fructus capiendos causa sustentationis in studiis, seu iuxta institutionem ipsorum beneficiorum. Ita Hostiens. *in cap. postulasti, de rescript. nu.9.* Suarez *tom.1. de relig. lib.4. cap.25. nu.4.* Filliucius *tract.45. cap.5. ad fin.* & alij recentiores communiter.

14 Cōmenda clericalis est materia Simoniæ.

14 Duodecimò sequitur, commendas Clericales esse materiam Simoniæ, siue perpetuæ sint, siue temporales, siue dentur ob vtilitatem ipsius Ecclesiæ commendatæ, siue in fauorem commendatarij. Ratio est, quia commenda Clericalis continet spiritualem iurisdictionem, vel administrationem, cui temporales fructus adnectuntur: vel enim commenda est temporalis, & sic commendatarius acquirit iurisdictionem delegatam, vel est perpetua, & sic acquirit iurisdictionem ordinariam, vel quasi ordinariam, & tenetur ad pensum canonicarum precum ac si beneficiarius esset, vt docui de horis Canonicis *disp.1. quæst.2. punct.4. num.3.* cum Azorio, Graffio, Garzia, & aliis, idemque in hoc casu sustinent Suarez *de Simon. lib. 4. cap. 27. num. 3.* Gomez *in reg. de triennali quæst. 5.* Rebuff. *de pacific. possessor. num. 3. 5. & seq.* & alij, asserentes commendam, quæ in perpetuum alicui datur, (sicut dari consueuit) aut esse beneficium, aut illi æquiparari.

Obiicies, Ecclesia commendatur aliquando puero donec ætatem legitimam nactus sit ad titulum recipiendum; ergo commenda tunc temporis non est materia simoniæ, cùm puer, cui commendatur, non habeat iurisdictionem, vel administrationem.

Respondeo primò, huiusmodi commendas, quæ potius dicendæ essent comedendæ, quàm commendæ, hoc tempore non concedi.

Respondeo secundò huiusmodi commendas, etiamsi concederentur, esse materiam simoniæ: tum quia commendatarius habet ius sicut præsentatus ad Ecclesiam, & ex vi illius prouisionis titulum obtinebit, dum adultus factus fuerit: tum quia ex vi talis commendationis administratio ipsi cōpeteret si administrare posset, & Vicarius loco ipsius administrat; ergo acquirit aliquam spiritualem administrationem, cui adnexi sunt fructus; consequenter huiusmodi commenda vendi non potest.

15 Cōmenda militaris non est materia Simoniæ.

15 Maior difficultas est de commendis militaribus.

Respondeo huiusmodi commendas non esse materiam simoniæ, quia non sunt aliquid spirituale, sed tēporale, conferuntur enim titulo laico, nam dantur in subsidium, seu stipendium pro temporalibus seruitiis, & administratio illarum laicis Principibus aliquando committitur. Ita Victoria *relect. de Simon. num.45.* Arragonius 2.2. *quæst.* 100. *art.4.* Suarez *tom.1. de relig. lib.4. cap.27. num.6.*

Obiicies primò, huiusmodi commendæ non dantur nisi religiosis professis; consequenter videntur annexæ statui religioso, quem constat esse spiritualem.

Respondeo huiusmodi commendas non tradi religiosis ob professionem, tamquam ob titulum; sed tamquam ob conditionem, sine qua non conferuntur; Pontifex enim non vult illas commendas conferri nisi professis, consequenter in recepturo huiusmodi commendas requiritur professio, vt sit habilis ad eas recipiendas. Non tamen hinc sequitur huiusmodi commendas esse aliquid spirituale; sicut si Pontifex præciperet bona aliqua temporalia distribui inter religiosos, non ob id illa bona essent spiritualia, seu adnexa titulo spirituali.

Obiicies secundò, præfati religiosi militares obligantur ad certas preces, quamuis non teneantur ad preces canonicas diuini Officij; hic autem est titulus spiritualis; ergo huiusmodi commendæ conferuntur titulo spirituali.

Respondeo huiusmodi religiosos non obligari ex vi commendæ ad illas preces, sed ex professione, & regula, consequenter non percipiunt fructus cōmendæ pro tali officio, sed pro temporali ministerio.

Obiicies tertiò, extant aliquæ commendæ, quibus adnexum est ius præsentandi aliquem Clericum sui ordinis, vt ei beneficium in tali Ecclesia conferatur cum onere soluendi decimas Commendatario: sed hoc est ius spirituale; ergo huiusmodi commendę continent ius spirituale, consequenter sunt materia simoniæ.

Respondeo huiusmodi ius adnexum commendis habere rationem quamdam iurispatronatus antecedenter adnexi commendæ; sicut autem iuspatronatus adnexum bonis temporalibus, non efficit bona spiritualia, ita nec ius præsentandi, commendæ adnexum, efficit commendam spiritualem: & si ipsa commenda venderetur, non censeretur vendi ius præsentandi, sed comitaretur ipsam commendam, in qua fundatur.

Obiicies quartò, huiusmodi commendæ dantur militibus in stipendium militiæ, sed militia est opus spirituale: nam ex voto ad illud tenentur; ergo commendæ dantur titulo spirituali.

Respondeo opus militię esse opus temporale pretio æstimabile, quod æstimationem suam non amittit, etiam si fiat ex voto, & referatur ad cultum Dei. Vide Suarez *lib.4. cap.27. num.6. & seq.* vbi has obiectiones fusius explicat, & dissoluit.

Ex dictis colligitur non committi simoniam ab eo, qui pecunia procurat commendam militarem, aut illam vendit, aut alteri confert, reseruata pensione in sui, vel alterius fauorem. Ratio est, quia non committit simoniam iuris diuini, cùm huiusmodi commenda non sit res sacra, neque committit simoniam iuris humani, cùm non extet ius Canonicum prohibens alienationem dictarum commendarum, intuitu religionis, & rerum sacrarum; peccaret tamen contra iustitiam, illam vendendo; quia vendens, vel est ipse Commendatarius, vel Magister ordinis: si est ipse Commendatarius, certum est ipsum non posse huiusmodi commendam vendere, cùm ipse non sit dominus commendę, sed vsufructuarius, dum viuit. Si verò est Magister ordinis, nec ipse illam vendere potest absque licentia Papę, quia ipse non est dominus, sed distributor, & dispensator constitutus à Papa ad distribuendum, vt suppono. Ita Suarez *loco citato, num.* 10. & Filliucius *cap.6. num.5.*

16 Coadiutoria Ecclesiæ est materia Simoniæ.

16 Decimotertiò sequitur, Coadiutorias Ecclesiarum esse materiam simoniæ. Ratio est, quia coadiutori datur ius administrandi, & celebrandi loco alterius, & hoc ius est spirituale; ergo est materia simoniæ. Idem dic de coadiutoria cum futura successione: ius enim ad succedendum in Canonicatu est ius spirituale, cùm Canonicatus sit res spiritualis. Ita Suarez *cap. 27. num.5.* Filliucius *tract. 45. cap. 6. quæs.*

*quæs.*3. Malderus, Garzias, & alij, quos in simili retuli de horis Canonicis *disp.*1.*quæst.*2.*punct.*3.*num.*13.*& seq.*

17 Hospitaliorum administratio quãdonam sit materia Simoniæ.

17 Decimoquartò, Hospitalia Ecclesiastica, id est, rectorias, seu officia regendi, & gubernandi Hospitalia auctoritate Episcopi erecta & sub illius cura existentia esse materiam simoniæ. Ratio est, quia vel huiusmodi Hospitalia conferuntur in titulum perpetuum, & sic censentur beneficia Ecclesiastica, habentque administrationem spiritualem, ex Rebuff. *in pract. tit. de deuolut. num.*73. & aliis, consequenter sunt materia simoniæ, naturali iure prohibitæ, vel non conferuntur in titulum, sed tamen adnexam habent administrationem spiritualem simul cum temporali, & tunc etiam sunt materia simoniæ, quia administratio spiritualis est materia simoniæ. Si verò non habent administrationem spiritualem, sed temporalem tantùm cum cura infirmorum, & peregrinorum, probabile est non esse materiam simoniæ, siue huiusmodi Hospitale, seu rectoria committatur ad tempus, siue in perpetuum: nam administratio temporalis non est res spiritualis. Ita S. Anton. 3. *parte tit.* 11. *cap.* 2. §. *vltimo*, Panormit. *in cap. extirpanda*, §. *quia verò*, *in repet. num.*55. *de præbend. & cap.*1. *de Simon.* ex quo patet à fortiori Hospitalia laica, quæ per laicum reguntur, & administrantur, non esse materiam simoniæ: quia illorum administratio est res merè temporalis, & pretio æstimabilis, etiam si fortè zelo charitatis, & misericordiæ exerceatur. Ita communiter Doctores, quibus in hac parte consentiunt Suarez *cap.*27. Sotus, Victoria, & alij. Aliter tamen sentiunt de Hospitali Ecclesiastico auctoritate Episcopi fundato, licèt administrationem solùm temporalem habeat. Quamuis enim huiusmodi Hospitale non sit materia simoniæ iure naturali diuino prohibitæ, vt patet ex rationibus superiùs allatis: putant tamen esse materiam simoniæ iure humano interdictę *in cap. si quis Episcopus, & cap. Saluator* 1. *quæst.*3. vbi prohibetur vendi officium procuratoris, & defensoris: quilibet autem administrator rerum Ecclesiasticarum, vt Prępositus, Oeconomus, Vicedominus, venit nomine procuratoris, ex Vrbano *in cap. Saluator citato.*

18 Sacramenta quãdonam sint materia Simoniæ.

18 Decimoquintò sequitur simoniam committi vendendo Sacramenta, vel ipsorum vsum, vt constabit ex dicendis §. 1. Idem dic de vendente sacramentalia, vt ostendam §. 2. de conferente, vel recipiente Ordines simoniacè, vel ipsorum functiones simoniacè exercendo, iuxta dicenda §. 3. & 4. aut accipiente pecuniam pro diuinis, seu oratione, aut pro ingressu in religionem, aut pro rebus annexis spiritualibus, vt pro resignatione beneficiorum, vt pro vsu iurisdictionis fori interni, vel externi, iuxta dicenda *in seqq.*§§. quę hic in illationibus commodè nequeunt explicari.

§. I.

An Simonia committatur accipiendo aliquid pro Sacramentis, vel ipsorum administratione.

TRia in Sacramentis spectari possunt, materia, forma, & conflatum ex vtroque.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Sacramẽta sunt materia Simoniæ.

1 COmmittitur simonia, accipiendo aliquid temporale pro Sacramentis, vt sunt quid conflatum ex materia, & forma. Ratio est, tum quia sic habetur *in cap. cùm Ecclesia, de Simonia.* tum quia Sacramenta, vt sic sunt res sacrę, tam in se, quàm quoad effectum, quem pariunt; simonia autem committitur dando, vel accipiendo temporale pro re sacra. Ita communiter Doctores.

Ex quo sequitur, simoniam committi, dum aliquid accipitur pro Baptismo, Pœnitentia, vel matrimonio, & sic de ceteris. Secus si pecunia tradatur pro matrimonio, vt est contractus, vel ob ipsius onera: ideo, qui alteri dicit, tantam pecuniæ summam tibi tradam, si matrimonium mecum contrahas, non peccat peccato simoniæ, quia non promittit pecuniam pro matrimonio, vt Sacramentum est, sed vt est contractus humanus, & traditio corporis. Neque inconueniens est humanum corpus emi ad vsum matrimonij, sicut emi potest ad vsum seruitutis, vt benè Suarez *lib.*4.*cap.*10. *num.*11. idem dic de dote; hæc enim non traditur pro Sacramento matrimonij, sed ad sustinenda matrimonij onera. Idem dic, dum in matrimonio traditur aliquid ad compensandam inæqualitatem nobilitatis, vel alterius conditionis coniugum; illud enim non traditur pro Sacramento matrimonij, sed pro defectu naturali, qui pecunia compensari solet. Idem dic de arrhis, vel muneribus, quæ sponsus tradit sponsæ, vel è contra; hæc enim non traduntur ratione Sacramenti, sed ad conciliandam beneuolentiam, vel ob aliam causam. Idem dic de pecunia, quæ alicui traditur, vt curet Bertam sibi in coniugem tradi. Ita Panormit. *cap. cùm in Ecclesia, de Simonia.* Syluester, Tabiena, & alij, quos sequitur Suarez *cap.*10. *num.*10. Filliucius *tract.*45. *cap.*3. *quæs.*3. Azor. 3. *parte, lib.*12. *cap.*3. *de Simonia.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Sacramẽtorum materia remota non est materia Simoniæ.

2 NOn committitur simonia tradendo, vel accipiendo aliquid pro materia remota Sacramentorũ, vt pro pane, vino, aqua, oleo, Chrismate, &c. Ratio est, quia non accipitur temporale pro spirituali, cùm materia remota Sacramenti secundùm se sit res naturalis, temporalis, & pretio æstimabilis, nec valorem suum amittat ob conuentionem cum spirituali.

Dixi, *pro materia remota Sacramentorum*, vt innuerem temporale tradi non posse pro materia proxima, vt pro ablutione in Baptismo, pro consignatione in confirmatione, pro speciebus consecratis in Eucharistia, pro verborum prolatione in Sacramento Pœnitentię, & sic de ceteris. Ratio est, tum quia *in cap. baptizandis, & cap. in Ecclesia, de Simonia*, & in aliis iuribus 1. *quæst.*1. habetur simoniam committi non solùm vendendo Sacramenta; verùm etiam vendendo actiones Sacramentorum, & sacra ministeria, quæ in actionibus corporalibus consistunt: tum quia huiusmodi actiones, quatenus fiunt in Sacramentis, non inseruiunt humanis vsibus, sed solùm spiritualem habent vtilitatem, & ad Dei cultum inseruiunt: ergo pecunia ęstimari non possunt ac si res materiales essent; ergo gratis exercendæ sunt, alioquin reatus simoniæ incurritur. Ita S. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.*2. S. Ant. Paludanus, Syluester, Angelus, & alij communiter, teste Suarez *cap.*10. *num.*3.

Obiicies, pecunia tradi potest in matrimonio pro traditione corporum; sed traditio corporum est materia proxima Sacramenti matrimonij; ergo pecunia tradi potest pro materia proxima Sacramentorum.

Respondeo hoc esse peculiare in matrimonio, in quo materia proxima, seu traditio corporum non est actus ministerij, & potestatis spiritualis, sed aliquid naturale, proueniens à potentia naturali, & ordinatum ad finem materialem, & naturalem; consequenter non amittit æstimationem, quam habet ex sua natura, licèt à Deo eleuetur in Sacramentum, vt benè Suarez *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 6. & Azor. 3. *part. cap.*4. *quæsito* 1.

Ex dictis patet, quid dicendum sit de forma Sacramentorum. Idem enim sentiendum est, quod de materia proxima, vt patet ex allatis rationibus. Idem militat in administratione Sacramentorum, vt sic, quia est vsus ministerij, & potestatis spiritualis, & supernaturalis.

An autem aliquid tradi, vel accipi possit pro labore, & defatigatione, quæ præfatas actiones comitantur, constabit ex infrà dicendis *punct.*6. §. 3. tradi & accipi posse.

3 Pro Sacramentis quandonã præuia pecunia recipi possit absque Simonia.

3 Sed modò dubium est, vtrùm pecunia tradi possit pro administratione Sacramentorum, vel rerum sacrarum, dum gratis obtineri non possunt.

Respondeo varias esse Doctorum sententias.

Prima absolutè negat. Ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.*2. *ad* 1. Ricard. & alij apud Doctores in tertia sententia referendos.

Secunda sententia absolutè affirmat licitum esse in graui, vel saltem in extrema necessitate salutis pecuniam dare pro Sacramento Baptismi, vel alio: siue Sacramentum petatur pro infante, siue pro adulto. Ita Sotus *lib.*9. *de iust. quæst.*6. *art.*1. Victoria, & alij, quos refert Azor. 3. *part. cap.*3. *quæsito* 3. *lib.*12. *de Simonia.*

Tertia sententia, cui tamquam probabiliori adhæreo, affirmat pecuniam tradi posse, non pro ipsis Sacramentis, vel eorum administratione, sed ad remouendum impedimentum, vel ad redimendam iniustam vexationem, dum grauis vrget necessitas recipiendi illa Sacramenta. Ratio est, tum quia in hoc casu non irrogatur irreuerentia Sacramentis; tum quia non adest intentio emendi rem sacram, sed inducendi alterum ad id, quod præstare tenetur, tum quia huiusmodi Sacerdos induci posset minis: ergo etiam muneribus, & pecuniis; tum quia necessitas, saltem extrema, multa efficit licita, quæ aliàs licita non essent: ergo etiam licitam efficere videtur petitionem Sacramenti, data pecunia, dum Sacramentum alia ratione obtineri non potest, præsertim cùm tradens pecuniam, quantum est ex parte sua, cooperetur minori malo; minus enim malum videtur permittere sacrilegium Sacerdotis ex sua malitia peccantis, quàm æternam damnationem nostram, vel proximi in extrema salutis spiritualis necessitate existentis: tum quia possum iusta de causa petere mutuum ab vsurario, promittendo aliquid supra sortem, vt docui *de contractibus disputat.* 3. *quæst.* 3. *punct.*12. ergo etiam licitum est petere Sacramentum, præuia promissione pretij: tum quia ideo simonia illicita est, quia temporale traditur pro spirituali; in hoc autem casu non traditur temporale pro spirituali, sed potiùs temporale pro temporali, nam pecunia non traditur formaliter pro Sacramentis, vel administratione Sacramentorum; sed ad redimendam iniustam vexationem, seu ad alliciendum alterius animum: iniusta autem vexatio est quid temporale, vt bene Suarez *cap.* 50. & Filliucius *tract.*45. *cap.*11. *quæsito* 2. *num.* 2. tum quia, si alius impediret Sacerdotem, ne Sacramentum mihi, vel alteri in necessitate existenti conferret, possem ei pecuniam dare, vt desisteret impedire: ergo possum etiam dare pecuniam ipsimet Sacerdoti, vt impedimentum, quod sua malitia, & auaritia apposuit, auferat: tum quia si mea salus in tua potestate constituta esset, eamque mihi reddere nolles absque pecunia; possem tibi conferre pecuniam pro mea salute obtinenda, iuxta Sotum, Lessium, & alios, seu potiùs pro remouendo impedimento, vt alij fatentur: ergo etiam in hoc casu cõferri potest pecunia. Ita Gabriel *in* 4. *dist.*25. *quæst.*2. *art.*7. *propos.*7. Adrianus *quodlibeto* 9. *art.*3. *ad* 2. *confirmationem* 3. *argumenti*, Vgolinus *tab.* 1. *cap.*6. *nu.*7. Lessius *lib.*2. *cap.*35. *dub.*7. *nu.*38. *& seq.* Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.*12. *nu.*13. Filliucius *tom.*3. *tract.*45. *cap.*3. *quæsito* 5. & alij.

Amplia etiam si necessitas illius Sacramenti suscipiendi teneat se ex parte adulti, vel infantis; militat enim in omnibus eadem ratio.

Obiicies primò, simonia committitur, dando pecuniam pro Sacramento, seu collatione Sacramenti; sed qui pecuniam tradit ad redimendam vexationem, tradit illam pro collatione Sacramenti; sacerdos enim, qui non vult Sacramentum indigenti conferre, non censetur vexare, nisi negando Sacramentum, quod tenetur conferre, saltem ex charitate, & hæc vexatio non tollitur, nisi conferendo; negatio enim actus non tollitur, nisi actu oppositio: ergo qui pecuniam tradit ad redimendam vexationem sacerdoti nolenti tradere Sacramentum absque pecunia, simoniam committit.

Respondeo negando pecuniam tradi pro collatione Sacramenti; sed pro deponendo prauo animo, vel alio peccato, quod sacerdos committit, negando, seu non dando Sacramentum: quamobrem collatio Sacramenti est quidem finis, propter quem pecunia datur, non tamen est materia, cui respondet pecunia tamquam pretium.

Obiicies secundò, si licitũ est in præfata necessitate dare pecuniam sacerdoti ad obtinendum Sacramentum, licebit etiam vendere rem spiritualem, si sacerdos nolit Sacramentum conferre, nisi ego illi rem spiritualem vendam; sed hoc fieri non potest: ergo neque primum.

Respondeo negando sequelam maioris propositionis. Ratio disparitatis est, tum quia venditio rei spiritualis turpior est, & deterior: tum quia res spiritualis in tali euentu daretur ob pretium, vel ob aliquid pretio æstimabile, quod est peccatum Simoniæ intrinsecè malum, tum quia petens rem spiritualem sibi vendi, eamque nolens gratis sibi conferri, videtur id velle in contemptum religionis; contemptus autem religionis omnino vitandus est.

4 Sacramẽtum an accipi possit tradita pecunia, quãdo administrans pretium petit, tamquam pretiũ administrationis.

4 Rogabis vtrùm Sacerdoti nolenti Sacramentum in graui, vel extrema necessitate conferre absque pecunia, possim illi pecuniam dare, etiamsi eam ipse petat tamquam pretium Sacramenti, aut petat à me iuramentum quo iurem, me illi pecuniam tradere propter Sacramentum.

Sotus *loco citato* respondet me posse iurare, & dare pro ipso Sacramento. Ego verò censeo posse quidem pecuniam tradi, & iuramentum emitti, non animo dandi pecuniam pro ipso Sacramento, aut iurandi iuxta mentem petentis; sed vtendo verbis amphibologicis, seu addita restrictione in mente, qua posita, iuramentum licitum censeatur; habet enim iustam causam vtendi amphibologia, & iurandi cum præfata restrictione, exempli gratia, iurando intentione dandi in eleemosynam, vel ad remouendum impedimentum, vel animo dandi eo modo, quo licitè potest, aut additis aliis restrictionibus mente conceptis, quibus positis verum sit, te non tradere pecuniam pro Sacramento, sed pro alia re.

Hoc tamen limitandum est, modò petens pretium pro Sacramento, non petat illud in contemptum, seu iniuriam Christianæ religionis: tunc enim perspicuum est pecuniam tradi, aut iuramẽtum emitti non posse, quia vitanda est omnino iniuria religionis, quæ bono particularium præponderat, vt alibi docui. Idem in terminis tradunt Suarez *lib.4.cap.12.num.16.* Lessius *lib.2.cap.35.dub.7.nu.42.* Filliucius *tract.45.cap.3.quæsito 6.num.14.* Idem sentit Sotus in hoc vltimo casu, dum pecunia petitur in contemptum religionis.

Ex dictis sequitur primò licitum esse pecuniam tradere Sacerdoti nolenti Baptismum absque pecunia conferre infanti, vel adulto baptizando. Idem militare censeo in aliis Sacramentis, dum grauis vrget necessitas illa suscipiendi, vt si quis morti proximus alia ratione nequeat Sacramentum Extremæ vnctionis obtinere, nisi tradita pecunia; tunc enim peccatum alterius non imputatur ipsi infirmo, cùm ipse iure suo vtatur, suaque saluti consulat, permittendo ex iusta causa peccatum alterius.

Secundò sequitur licitum esse in graui, aut extrema necessitate Sacramenti, pretio inducere Sacerdotem, nolentem Sacramentum conferre ex odio, vel auaritia, vel alio prauo affectu, vt patet ex allatis rationibus.

Tertiò si aliqua regio non haberet Prædicatores Euangelij, aut Sacerdotes, Sacramenta præbentes, posse Prælato Ecclesiastico pecuniam tradi, vt alliciatur ad eos mittendos. Ratio est, tum quia pecunia non datur pro administratione Sacramentorum, sed vt remoueatur impedimentum denegandi transmissionem Sacerdotum: tum quia possumus bona temporalia expendere ad obtinenda ea, quæ saluti nostræ conducunt, modò non tradantur, tamquam pretium rei spiritualis. Ita Lessius *lib.2.cap.35.dub.7.ad finem, num.44.* & alij.

Quartò emi posse aquam, licèt benedictam, ab eo, qui vrgente necessitate infantis non vult eam dare sine pecunia, nec adest alia aqua, quæ possit adhiberi ad baptizandum infantem.

Quintò colligi potest Pagano, vel hæretico, qui se à Christiana fide suscipienda retrahit metu paupertatis, dari posse pecuniam, qua se possit alere, & sustentare; pecunia enim datur pro subleuanda paupertate. Item redimi potest captiuus, vt liber effectus conuertatur ad fidem; hoc enim nihil est aliud, quàm tollere impedimentum Christianæ religionis, aut Catholicæ fidei, seu allicere ad id, ad quod iure diuino obligatur: ob id etiam à reatu simoniæ liberatur is, qui cum femina infideli hoc pactum init: Ego ducam te in vxorem si Baptismum susceperis. Sed de hac re fusius agam *puncto 6. §. 5.*

5 Vexatio in beneficiis, an redimi possit, data, vel promissa pecunia.

5 Sextò incidenter colligitur solutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm licitum sit redimere vexationem in beneficiis, dum alter iniustè impedit.

Respondetur enim violenter impedienti dignum à consecutione beneficij, aut iniustè contradicenti electioni, vel confirmationi, tradi posse pecuniam, ne impediat, vel contradicat; hoc enim fit ad redimendam iniustam vexationem; volenti verò iustè contradicere nihil tradi potest sine labe simoniæ: tum quia tradens pecuniam hoc pacto sibi viam parat ad beneficium: tum quia sic colligitur ex *cap. Matthæus, de Simonia*, ita Sotus *lib.9.de iust. quæst. 6. artic. 1. ad 5.* Azor. *3.parte, cap.6.quæs.2. & cap.11.quæsito 4.* Panor. Lessius, & alij; quamobrem si plures concurrant ad beneficium, & vnus dicat alteri; Si ego habuero beneficium, tradam tibi pensionem, modò iustam aliquam exceptionem, vel irregularitatem mihi non opponas, committit simoniam: & hoc verum est ex Nauarr. *consilio 3. de Simonia*, & Vgol. *tab.1.cap.9.§.8. num.2.* etiamsi alter hanc exceptionem, seu irregularitatem probare nequeat. Idem dic de promittente aliquid alteri, ne concurrat. Suarez *cap.22.nu.18.* Ratio est, tum quia hoc pacto parat sibi viam ad beneficium; pretio autem parans sibi viam ad beneficium, simoniæ labem committit, cùm pecuniam virtualiter tradat pro beneficio: tum quia sic à simili colligitur ex *cap. Matthæus.* ita Vgol. *loco cit.* Suarez *cap.22. nu.18.* & alij communiter: sed de hac re fusius infrà differam ex professo *quæst.6.punct.5.*

§. II.

An Simonia committatur tradendo, vel accipiendo aliquid pro Sacramentalibus.

1 Sacramentalia

1 NOmine *Sacramentalium* intelliguntur cæremoniæ & benedictiones sacræ, quæ publica auctoritate, & instituto Ecclesiæ fiunt; huiusmodi autem actiones, seu benedictiones, vel tantùm nomine sunt in fieri, & non habent effectum permanentem, (ob id vocantur Sacramentalia transeuntia, vt benedictio nuptialis, exorcismus, & similia) vel habent effectum permanentem, vt benedictio aquæ, aut olei, consecratio calicis, & similium; de vtrisque agendum nobis est hoc loco. quid intelligatur.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Sacramẽtalia transeũtia sunt materia Simoniæ.

2 SImonia committitur dando, vel accipiendo aliquid temporale pro Sacramentalibus transeuntibus. Ratio est, tum quia sunt actiones sacræ in se; procedunt enim à potestate supernaturali, & ordinatæ sunt ad finem spiritualem; ergo sunt materia Simoniæ iure naturali prohibitæ: tum quia *in cap. ad nostram, cap. cùm in Ecclesia, cap. suam, de Simonia*, vetitum est, sacra ministeria vendere; huiusmodi autem Sacramentalia sunt ministeria sacra. Ita Nauarr. *cap.23. nu.99.* Sotus *lib.9.de iust.quæst.6.artic.1.* Redoanus *de Simon. 3. parte, cap.17.num.18. & seq.* Suarez *tom.1.de relig.lib.4.cap.14.nu.2.* Filliucius *tom.3.tract.45.cap.3.quæsito 9.num.19.*

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Sacramẽtalia permanentia sunt materia Simoniæ.

3 SImonia committitur tradendo, vel accipiendo aliquid pro Sacramentalibus ipsis permanentibus. Ratio est, tum quia *in cap. si quis obiecerit 1.q.3.* generaliter decernitur res, quæ ex consecratione proueniunt, venales non esse, & exemplum ponitur in Ecclesia, seu templo, & additur, *aut tale aliquid*; sed huiusmodi Sacramentalia proueniunt ex consecratione; ergo non sunt venalia, tum quia huiusmodi Sacramentalia sunt verè res sacræ; ergo sunt materia simoniæ, consequenter simonia iuris naturæ committitur tradendo, vel accipiendo aliquid pro ipsis; nam illud esse, quod habent, vt res sacræ sunt, est spirituale, & supernaturale, & ad finem spiritualem, & supernaturalem proximè ordinatur. Ita Doctores citati, & alij communiter, teste Suarez *loco cit.num.3.*

Ex quo sequitur simoniam committi, si præfata Sacramentalia carius vendantur ratione benedictionis, aut consecrationis, quàm antea valerent ratione materiæ, vel artificij.

4 Sacramẽtalia vendi possunt ratione materiæ præcisæ absque Simoniæ labe.

4 Sed modò dubium est, vtrum Sacramentalia permanentia vendi possint ratione materiæ.

Canonistæ communiter putant res consecratas vendi non posse, quamdiu consecrationem retinent; amissa verò consecratione frangendas esse, & illarum materiam vendi posse. Idem sentire videtur S. Thom. *2.2.quæst.100.artic.4.ad 1.* Angelus *verbo Simonia 2. num.23. & seq.* Tabiena *eodem verbo num.39. & seq.*

Sed mihi dicendum videtur res consecratas vendi posse ratione materiæ absque simoniæ labe, nisi in re aliqua specialis extet prohibitio Ecclesiastica. Ratio est, tum quia materia illarum secundùm se pretio æstimabilis est, nec valorem amittit ob consecrationem, licèt nouum valorem ex consecratione non assequatur: tum quia Calices sacri nondum perfracti, & alia vasa integra, & illæsa ab aliquibus emuntur; sed hi excusari non possunt, nisi emant ratione materiæ; ergo. Ita S. Anton. *2.parte, tit.1.cap.5.§.23.* Caiet. *verbo simonia regul.1.* Nauar. *in manual.cap.23.num.700.* Redoanus *3. parte, cap.26. initio, & cap.17.nu.6.* Durandus, Palud. & alij apud Suarez *lib.4. cap.14.nu.6.* Filliucius *tract.45.cap.3.quæsito 10.num.21.* & alij.

Amplia, etiamsi materia modica sit, & parua, aut minùs principalis, militat enim eadem ratio, & ex paruitate materiæ colligitur solùm magno pretio vendi non posse, nisi habita ratione magnitudinis, vel paruitatis materiæ, quam dicimus esse materiam pretij.

Obiicies primò; qui vendit vnum, quod sine alio subsistere non potest, nihil inuenditum derelinquit, *cap.si quis obiecerit.1. quæst.3.* sed consecratio illa esse non potest sine tali re materiali, & res illa semel consecrata subsistere non potest sine consecratione, cùm ipsa consecratio adhæreat rei, nec auferri possit etiam à Pontifice manente re, ex Caiet. *2.2.quæst.88.art.11.* Nauar. *in tract.de spoliis, §.18.* & aliis; ergo vnum sine alio vendi non potest, consequenter neque ipsa res materialis ratione materiæ, vt apertè innuitur *in cap. si quis obiecerit citato*; vbi dicitur, *Si quis obiecerit non consecrationem emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proueniunt, penitus desipere probatur.*

Respondeo materiam subsistere posse sine consecratione, saltem per abstractionem nostri intellectus; concipimus enim vnum sine alio, & intendimus rem consecratam emere, præcisa ratione consecrationis, consecratio enim est adnexa materiali, non materiale spirituali: quando autem spirituale adnexum est temporali, fieri potest præfata abstractio: consequenter materia, & artificium emi potest, vt à simili patet in fundo, cui adnexum est ius patronatus; quando verò temporale adnexum est spirituali, tunc emi non potest ipsum materiale, vt patet in præbenda, quæ cùm sit adnexa officio spirituali, emi non potest.

Ad *cap.si quis obiecerit*, respondeo cum Suarez *nu.13. & 23.* & aliis in præfato textu, iuxta Codicem Gregorianum, sermonem non esse de Ecclesia materiali, sed de dignitate Episcopi, vel Abbatis, quam constat vendi non posse; vel dic ibi sermonem esse de Ecclesia formaliter, vt spiritualis est, seu de Ecclesia benedicta.

Obiicies secundò, pro ipsismet actionibus consecrandi, vel ministrandi, nihil accipi potest, quamuis in ipsis etiam reperiatur materiale, & formale, (nam locutio, vel motio manus, & similia, in huiusmodi cæremoniis sunt materiale, & ratio consecrationis, & ordo ad potestatem, & finem spiritualem est formale.) Cùm ergo per huiusmodi materiale post coniunctionem cum formali nihil accipi possit, sequitur nec quicquam accipi posse pro materia sacramentalium.

Respondeo cum Suar. *cap.14.nu.14.* non esse parem rationem, nam in sacramentalibus permanentibus materia ipsa antecedit spirituale, nec valorem suum amittit ob coniunctionẽ cum spirituali; in actionibus verò ipsis materiale non antecedit spirituale, sed cõcomitatur; & quasi ita intrinsecè cum illo permiscetur, vt totum fiat, quasi intimè, & secundùm se spirituale, consequenter neutrum vendi potest.

Obiicies

Obiicies tertiò, res consecrata non potest amplius in humanos vsus conuerti; ergo vendi, aut emi non potest ratione materiæ.

Respondeo hinc solum colligi emi non posse ad profanos vsus, cùm ad profanos vsus conuerti prohibeatur, non tamen obstat quo minus ematur ad vsus sacros.

Obiicies quartò, vel omnes res consecratæ vendi possunt ratione materiæ, vel aliquæ tantum; sed neutrum dici potest, cùm non appareat ratio, cur vna vendi possit, & non alia: ergo dicendum potius est nullas vendi posse.

Respondeo omnes vendi posse si naturam rei præcisè spectemus. Si verò respiciamus ius Canonicum, aliquæ vendi non possunt ob iuris Canonici prohibitionem *in c. abolendæ, de sepulturis, & c. audiuimus, de simonia*, vbi prohibetur emi sepultura etiam ratione terræ, vt infra clarius explicabo, *& in cap. placuit* 102. *& in cap. dictum est* 105. 1. *q.* 1. vbi pro chrismate, & balsamo aliquid exigi prohibetur. Imò Suarez *cap.* 14. *num.* 23. putat Episcopos aliquid pro balsamo exigentes, non solum peccare peccato Simoniæ, verum etiam iniustitiæ, quia ex Ecclesiæ dispositione tenentur gratis, & suis expensis de illa materia Ecclesiis prouidere; consequenter peccant contra iustitiam aliquid exigendo; cùm autem ista Ecclesiæ dispositio facta sit intuitu religionis ad vitandum Simoniæ periculum, sequitur etiam peccare peccato simoniæ, aliquid exigendo, quia faciunt contra illam virtutem, cuius intuitu lata fuit lex. Si verò fur surripiat Chrisma, vel Oleum sanctum, illudque vendat eo solum pretio, quo valet ratione materiæ, non committit simoniam, quia non vendit illud ratione rei sacræ, nec præfata iura loquuntur de fure, sed de Episcopo vendente balsamum, *cap. placuit*, & de aliis percipientibus aliquid pro perceptione Chrismatis, Baptismi, vel Communionis, *cap. dictum est, citato.* Negandum tamen non est, huiusmodi fures committere peccatum sacrilegij: quia sacrilegus est, qui rem sacram iniustè vendit. Ita Suarez *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 26.

5 Ecclesia materialiter sumpta, an vendi possit absque Simonia.

5 Multi Doctores addunt, etiam committi simoniam humani iuris, vendendo Ecclesiam, etiamsi vendatur ratione rei, & non ratione consecrationis. *cap. si quis obiecerit*, vbi dicuntur delirare illi, qui dicunt Ecclesias emi ratione rerum, non ratione consecrationis; verùm aliqui Doctores, vt Valentia *tom.* 3. *disputat.* 6. *quæst.* 16. *puncto* 2. *columna* 7. *versic. prioris*, & alij, putant hunc textum intelligendum esse de Ecclesia ratione benedictionis, & sic vetitum est illam emere, non solum iure Ecclesiastico, verùm etiam naturali diuino. Alij putant illum textum mendosum esse, vt refertur à Gratiano, vt supra dictum fuit. Alij explicant de dignitate Episcopali, Abbatis, &c. sed de hac re supra.

6 Agni Dei benedicti sunt materia Simoniæ.

6 Addo hoc tempore simoniam committi vendendo Agnos Dei benedictos, quamuis enim ex sua natura vendi possint ratione materiæ, & Gregorius XIII. prohibuerit Agnos Dei pingi, & sic pictos venales proponi, seu retineri, vt docui in tractatu *de censuris in particulari*; nihilominus in vrbe Roma extat specialis prohibitio vendendi huiusmodi Agnos, & cùm huiusmodi prohibitio facta sit ad vitandum simoniæ periculum, dicendum est vendentem huiusmodi Agnos reum esse Simoniæ labis iure humano vetitæ, etiamsi eos vendat solum ratione materiæ, nec plus exigat ratione consecrationis. Valentia *tom.* 3. *disputat.* 6. *quæst.* 16. *punct.* 2. *colum.* 7. *versic. posteriorís*, & alij.

7 Reliquiarum venditio, vel ostensio pretio facta simoniaca est.

7 Addo etiam vetitum esse reliquias vendere, aut eas pretio ostendere; hoc enim expressis verbis interdictum fuit *c. cùm ex eo. de reliq. & vener. Sanct.* imò venditio reliquiarum non solum mala est, quia iure Canonico prohibita, verùm etiam est intrinsecè mala, & ideo iure Canonico prohibita est, quia mala, vt patet ex supradictis.

§. III.

An Simonia committatur occasione collationis, vel susceptionis Ordinum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Ordinum susceptio simoniaca est, si data, vel promissa pecunia fiat.

1 SVscipiens Ordines, præuia pecunia, seu pretio, Simoniacus est. Ratio est, tum quia Ordo est Sacramentum, consequenter est aliquid sacrum, & supernaturale, consequenter est materia simoniæ: tum quia peculiares censuræ, & pœnæ intuitu religionis latæ sunt ab Ecclesia contra accipientes Ordines, præuia pecunia; de quibus infra.

2 Patronus præsentãs aliquem ad Ordines cum pacto, vt ab eo nihil petatur, simoniacus est.

2 Hinc sequitur illum Simoniacum esse, qui patrono illum præsentanti, vel admittenti ad ordines promittit, se nullam ab eo prouisionem petiturum: imò ordinatus hoc pacto suspensus remanet ab ordine ita suscepto, & collator suspensus remanet à collatione Ordinum, & præsentator à præsentatione per triennium, *cap. si quis de Simon.* vbi dicitur, *Si quis ordinauerit, seu ad Ordinem præsentauerit aliquem, promissionem, vel iuramentum ab illo recipiens, quod super prouisione sua non inquietet eumdem, ordinator à collatione, præsentator verò ab executione Ordinum per triennium, & ordinatus ab Ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, nouerint se suspensos*; sed de hac re fusiùs infra differam.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Ordinum collatores simoniam committũt accipiendo aliquid in collatione Ordinum, etiamsi sponte offeratur.

3 EPiscopus, & alij collatores ordinum simoniam committunt, accipiendo aliquid in collatione ordinum. Sic enim colligitur, tum ex rationibus allatis in prima propositione: tum ex *cap. nullus Abbas, & cap. sicut Episcopus* 1. *quæstio.* 2. *& ex cap. in ordinando, de Simon.* ibi; *Sicut non debet Episcopus vendere manum, quam imponit, ita nec minister, vel notarius ordinationem eius, vocem, vel calamum. Pro ordinatione igitur, vel vsu pallij, seu chartis, atque pastellis eum, qui ordinatur, omnino aliquid dare prohibemus.* Et denique ex Tridentino *sess.* 21. *cap.* 1. *de reformat.* vbi dicitur; *Nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam Clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi, & alij collatores, aut eorum ministri, quouis prætextu accipiant. Notarij vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo, nihil accipiendi pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus, decimam tantum vnius auri partem accipere possint, dummodo nullum eis salarium sit constitutum pro officio exercendo, nec Episcopis ex Notarij commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directè, vel indirectè prouenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decernitur, contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines, etiam immemorabiles, quorumcumque locorum, quæ potius abusus, & corruptela, Simoniæ prauitati fauentes, nuncupari possunt, penitus cassando, & interdicendo*, &c.

Hinc sequitur primò collatores ordinum simoniacos esse, accipiendo aliquid occasione ordinationis, quamuis sponte offeratur. Excipiuntur tamen candelæ, seu faculæ ex declaratione sacræ Congregationis, contra Valentiam *punct.* 2. *colum.* 9. *vers. & quamquam.* nam sacra Cardinalium Congregatio declarauit in Concilio abrogatam fuisse consuetudinem percipiendi ab ordinatis forcipes, pectines, & mappas, præter faculas: excipi etiam fortè possunt strophiola, quibus Sacerdotum manus sacro oleo linitæ vinciuntur, illaque sibi cæremoniarum magister aliquibus in locis retinere consueuit.

4 Notarius potest aliquid loco stipendij accipere dum ei salarium constitutũ non est.

4 Secundò sequitur Notarium, cui salarium alia ratione constitutum non est, posse aliquid pro litteris dimissoriis, vel testimonialibus, loco stipendij, accipere, vt bene Suarez *cap.* 53. *numer.* 3. Valentia *loco citato vers. & quamquam*, Reginald. *lib.* 23. *n.* 200. Azorius *cap.* 5. & alij, contra Supplementum Gabrielis *in* 4. *d.* 25. *q.* 2. *artic.* 3. *dub.* 6. & alios. Ratio est: tum quia non tenetur gratis operam suam præstare, nemo enim suis stipendiis militat: tum quia Concilium Tridentinum dat ei facultatem recipiendi decimam vnius aurei partem in iis locis, in quibus consuetudo inualuit aliquid accipiendi. Si verò Notarius aliunde salarium habeat pro munere, & officio exercendo, peccat aliquid accipiendo; imò nonnulli Doctores putant reum esse simoniæ, quia hoc ei vetitum est intuitu religionis, & ad præcauendum simoniæ periculum, vt patet ex verbis Concilij supracitatis; quamuis enim actio illa scribendi sit temporalis, nihilominus Concilium Tridentinum intuitu ordinum veruit quicquam à Notario accipi. Ita Sotus *lib.* 9. *de iust. q.* 6. *art.* 1. Durandus *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 3. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 53. *n.* 8. Filliucius *cap.* 12. *quæsito* 5. *nu.* 9. non tamen videtur reus excommunicationis aliquid accipiendo pro dimissoriis, vel sigillo contra prohibitionem Tridentini, iuxta sententiam Lessij *numer.* 133. Suarez *cap.* 56. & Filliucij *cap.* 13. *quæsito* 4. *num.* 9. Ratio est, quia excommunicatio incurritur ob simoniam in collatione, vel susceptione ordinis commissam. In hoc autem casu ordinatus suscepit ordines absque simonia. Sed contraria opinio defenditur ab Vgolino, Alterio, & aliis, quos infra referam, dum loquar de pœna excommunicationis *punct.* 7. *num.* 15.

§ IV.

An Simonia committatur tradendo, vel accipiendo pretium pro functionibus Ordinum.

VNICA PROPOSITIO.

1 Functiones Ordinum sunt materia simoniæ.

1 SImonia committitur accipiendo, vel tradendo temporale pro functionibus Ordinum. Ratio est, tum quia iure Canonico generaliter vetitum videtur accipere aliquid pro ministerio Ecclesiastico, *cap. ad nostram, de Simonia*; huiusmodi autem functiones sunt ministeria Ecclesiastica, tum quia huiusmodi functiones sunt res sacræ, vel ex institutione Christi, vel ex institutione Ecclesiæ; res autem sacra ex institutione Christi, vel Ecclesiæ, est materia Simoniæ. Et hoc præsertim militat in functionibus, quæ procedunt à potentia spirituali, & supernaturali; quamuis enim ipsamet actio tota materialis, & corporea videatur, tamen est moraliter spiritualis. Ex hac ratione colligitur simoniam, quæ in præfatis functionibus committitur, non esse malam, quia prohibita est iure Canonico, sed iure Canonico prohibitam esse, quia mala est iure naturæ, posita Christi, vel Ecclesiæ institutione; ex quo vlterius sequitur consuetudinem induci non posse, vt aliquid pro huiusmodi functionibus tradatur, tamquam pretium; consuetudo enim contra ius naturæ induci non potest, vt suo loco probaui; idemque in terminis tradunt, Sotus *lib.* 9. *de iust. q.* 6. *art.* 2. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 13. *nu.* 3. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 4. *quæsito* 1. *num.* 2.

Ex dictis sequitur primò simoniam committi, si pecunia tradatur pro actione consecrandi, absoluendi, conferendi extremam Vnctionem, offerendi Missæ sacrificium, orandi pro populo, vel nomine populi publicas preces fundendi, vel consecrandi Calices, Templum, Altaria, Chrisma, Agnos Dei, benedicendi Corporalia, Aquam, Vestimenta, Incensum, Cereum, Paschalem, Sal adhibendum ad sacros vsus, Cineres pro primo Quadragesimæ die, Candelas pro die Purificationis, &c. Ratio est, tum quia istæ omnes functiones sunt actus solius potestatis ordinum, ex institutione Christi, vel saltem Ecclesiæ, cui data fuit à Christo potestas instituendi huiusmodi functiones exercendas per Ecclesiæ ministros certis ordinibus insignitos. Christus enim Dominus (vtor verbis Suarez) Episcopos, & Sacerdotes instituit, eisque supremas consecrationes commisit respectiuè, consequenter eodem diuino iure eos fecit idoneos, vt eis tamquam propriis ministris committendæ essent reliquæ benedictiones, vel consecrationes, quæ per Ecclesiam instituuntur. Quamuis peculiarem modum assignandi ministros talium actionum ipsi etiam Ecclesiæ commiserit, exceptis materiis Sacramentorum, quæ ab ipso Christo peculiariter institutæ sunt. Sic ergo omnes istæ functiones dici possunt propriæ horum ordinum aliquo modo ex diuino iure; sunt ergo omnes materia simoniæ, hæc Suarez ad verbum.

Secundò sequitur simoniam committi, tradendo, vel accipiendo pretium pro functionibus, quas Diaconus facit ministrando Sacerdoti solemniter celebranti, aut præbendo Eucharistiam absente Sa-

cerdote, & necessitate vrgente. Idem dic de Subdiacono canēte Epistolam ex officio in solemni Missæ sacro. Idem dici potest, si Euangelium in Choro canatur à laico, si hic casus daretur. Ratio est, tum quia huiusmodi actio, quamuis non fiat à Subdiacono, sed à laico carente ordinis potestate, nihilominus est actio valde spiritualis, & est quasi pars Missæ, cui cooperatur; consequenter est materia simoniæ: tum quia est ministerium sacrum: ergo est materia simoniæ; cùm Ecclesia generaliter prohibuerit vendi sacra ministeria, *c. ad nostram.* Ita Reginaldus *lib.23.num.207.* & alij.

2 Ordinū tam maiorum, quam minorum functiones sunt materia simoniæ.

2 Tertiò sequitur simoniam committi tradendo, vel accipiendo pretium, non solum pro functionibus maiorum, verùm etiam minorum Ordinum, vt pro exorcismo respectu Exorcistæ, pro ministerio, & seruitio, quod acolytus exhibet inseruiendo Missæ. Imò idem militat, etiamsi ministerium illud non fiat ab ipsomet acolyto, sed à laico; nam cooperatur Missæ sacro; consequenter ipsius actio sacra est, vt in simili dictum est de canente Epistolam in Choro, dum Missa, & alia diuina officia celebrantur. Idem dic de actu Lectoris legentis sacram veteris, vel noui Testamenti lectionem in Matutino, capitulis horarum & similibus, vt patet ex dictis de Subdiacono, & acolyto. Idem dici potest de officio Ostiarij, dum fores claudit, aut Ecclesiam custodit ex officio; huiusmodi enim actio est functio ordinis. Si verò id non faciat ex officio, id est, ex potestate ordinis, sed tamquam purus laicus, non videtur reus Simoniæ, quia huiusmodi actio adeò materialis, & naturalis est secundum se, vt non videatur materia Simoniæ.

3 Cantor canens tā quam laicus pretio accepto, vel promisso, non incurrit simoniæ labem.

3 Addunt Suarez *num.8.* & Filliucius *num.7.* Cantorem in Ecclesia canentem tamquam laicum non committere simoniam, quia illa actio non est propria alicuius ordinis, consequenter prout fit à laico non est materia simoniæ. Ego verò probabilius oppositum sentio, quia illa actio in choro est quid coniunctum cum diuino Officio, & rationem sacræ orationis habet; consequenter est materia simoniæ. An verò Cantores alio titulo excusari possint, constabit ex infra dicendis *quæst.6.*

4 Tonsura est materia simoniæ.

4 Quartò sequitur, simoniam committi tradendo, vel accipiendo aliquid pro prima tonsura: tum quia tonsura in iure Canonico vocatur Ordo; consequenter comprehenditur in iuribus prohibentibus ordinationem emi, aut vendi, *cap. cùm contingat, de æt. & qual.* tum quia licet tonsura non sit propriè ordo, nec habeat proprium munus actiuum, nihilominus disponit hominem ad ordines suscipiendos, illumque quodammodo sanctificat, & in sortem domini, ac cœtum ministrorum Ecclesiasticorum connumerari facit, vt bene Suarez *lib.4.c.13.num.8. ad finem*, Filliucius *tract.45.cap.4. quæsito 2. ad finem, num.6.* [Paulus Layman *lib.4. tract.10. cap.8.n.71.*]

§. V.

Vtrùm Simonia committatur accipiendo aliquid pro diuinis Officiis, vel etiam pro priuata oratione.

NOmine *diuini Officij* hoc in loco intelligo orationem, quæ publicè fit ab Ecclesiæ ministris ex institutione Ecclesiæ, etiamsi aliquando fiat sine functione alicuius ordinis, vt sunt Horæ canonicæ, exequiæ, vel publicæ processiones. Nomine verò *orationis priuatæ* intelligo illam, quæ non fit ab aliquo tamquam Ecclesiæ ministro, sed ex priuata deuotione, & pietate. Hoc posito,

1 Afferuntur rationes dubitandi ad probandū non committi simoniam accipiendo aliquid pro publicis, vel priuatis orationibus.

1 Ratio dubitandi ad probandum simoniam non committi pro publicis, vel priuatis orationibus, est, primò, quia diuina officia, vt distinguuntur à functionibus ordinum (nam fieri possunt etiam ab iis, qui ordinibus carent, vt à Monialibus, vel beneficiariis, vel aliis,) nihil aliud sunt, quàm quædam orationes. Nam iis inuocatur, vel laudatur Deus, vel illi gratiæ redduntur, quod est proprium orationis. Sed orationes vendi possunt, cùm oratio sit quidam actus humanus, humano labore, sensibili voce, vel gestu præstitus, & sub hominis dominium cadens; ergo diuina officia vendi possunt.

Secundò, quia experientia, & quotidiana consuetudine cernimus pecuniam tradi pauperi, aut pio viro, aut Sacerdoti, vt has, vel illas orationes recitet, vt exequias persoluat, vt funus ducat, & testamento relinqui solet certa pecuniæ summa cum onere faciendi, vel celebrandi officia.

Tertiò, quia non committitur simonia tradendo aliquid pro actibus virtutum, aut misericordiæ, vt pro actu sepeliendi, & similibus: ergo, &c.

Quartò, quia non committitur simonia tradendo, vel accipiendo aliquid pro actu docendi sacram Scripturam, vel concionandi, &c. ergo neque committitur simonia tradendo, vel accipiendo aliquid pro diuinis Officiis, cùm par omnium ratio videatur.

2 Officia diuina sunt materia simoniæ.

His non obstantibus sit

PRIMA PROPOSITIO.

2 SImonia committitur accipiendo, vel tradendo aliquid tamquam pretium pro diuinis Officiis. Ratio est, tum quia diuina officia sunt ministeria Ecclesiastica; iure autem Canonico generaliter vetitum est aliquid accipere pro ministerio Ecclesiastico, *cap. ad nostram, de Simon.* tum quia diuina Officia sunt actus religionis continentes diuinum cultum; consequenter sunt res sacra; ergo sunt materia simoniæ: tum quia sunt quid spirituale. Primò ex parte principij, cùm fiant nomine Ecclesiæ, & ex potestate ab Ecclesia concessa. Secundò ex suo genere, nam in se continent diuinas laudes, & vt rectè fiant, requirunt fidem, & gratiam Spiritus Sancti, qua informantur, & perficiuntur, licet opere externo exerceantur. Tertiò ex parte finis, quia diriguntur ad laudandum Deum, vel ad ipsum inuocandum, seu ad aliquid impetrandum, vel ad satisfaciendum pro peccatis. Ita S. Thom. *2.2. quæst.100. art.3.* Redoanus *parte 1. cap.3. & alibi*, Suarez *tom.1. de relig. lib.4. cap.15. num.3.* Filliucius *tract.45. c.4. quæsito 3. num.9.* [Paulus Layman *lib.4. tract.10. cap. vlt. numer.38.*] & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 SImonia committitur non solùm in diuinis Officiis publicis, verùm etiam in priuatis orationibus, illas emendo, aut vendendo. Ratio est, tum quia etiam priuatæ orationes continent diuinas laudes, & cultum Dei, saltem dum fiunt animo colendi Deum; consequenter sunt res sacra, & religiosa; ergo sunt materia simoniæ: tum quia oratio priuata considerari potest, vel vt impetratoria, vel vt satisfactoria, vel vt meritoria de congruo pro eo, pro quo fit, sed quolibet istorum modorum est materia simoniæ; ergo simonia committitur emendo, aut vendendo priuatas orationes: tum quia ad hoc idem probandum faciunt aliæ rationes allatæ ad probandum simoniam committi in publicis orationibus; & quamuis iura de priuata oratione expressam mentionem, & prohibitionem non fecerint, nihilominus attento iure naturali diuino, eadem ratio militat in priuata, & publica oratione. Ita S. Thom. *loco cit. ad 2.* & alij communiter, teste Suarez *loco cit. n.9.* [& Paulo Layman *loco cit. n.38.*]

3 Orationes priuatæ sunt materia simoniæ.

Hinc patet quid dicendum sit de laico, qui vendit cooperationem ad functiones spirituales, quatenus tales sunt, vt ministrationem ad Missam; hic enim simoniacus est, Suarez *cap.54. numero 6.* & alij.

Ad primam rationem dubitandi respondeo, orationes publicas, vel priuatas esse quidem actus humanos, sed spirituales, & sacros, continentes cultum Dei, factos impulsu Spiritus sancti, & ad spiritualem effectum ordinatos; consequenter non posse sub emptionis, & venditionis contractum cadere absque labe simoniæ, si orationes præcisè, & secundùm se spectentur, præciso honesto modo, & titulo, de quo infra.

4 Exequiarum, vel funerum actiones sunt materia simoniæ.

4 Ad secundam respondeo illam praxim, & consuetudinem saluari, dum pecunia traditur, vel legato relinquitur, non per modum pretij, sed titulo eleemosynæ, laboris, vel sustentationis; par enim est, vt qui spiritualia seminant, metant temporalia, quibus alantur, & sustententur. Ex quo patet quid dicendum sit, dum aliquid traditur pro exequiis, vel funere; nihil enim accipi potest tamquam pretium pro actionibus ipsis spiritualibus exequiarum, vel funerum, vt pro recitatione & cantu Psalmorum, Litaniarum, Lectionum, Antiphonarum, & orationum, aut pro ipsa processione, quæ fieri solet à domo defuncti ad Ecclesiam, siue fiat à Clericis, siue etiam à laicis. Nam licet illa processio materialiter sumpta, sit quædam deambulatio, & motus progressiuus; nihilominus quia fit per modum suffragij, & spiritualis auxilij, non potest pretio vendi, vel emi, & hoc militat etiam in illis, qui crucem deferunt, vel quid simile faciunt; hæc enim est pars illius processionis, & ad finem spiritualem ordinatur. Idem etiam valet in processionibus Ecclesiasticis, quæ alia occasione ducuntur; habent enim rationem officij Ecclesiastici, & spiritualis ministerij.

Dixi, *pro actionibus ipsis spiritualibus*; nam actiones funerum, & exequiarum, quæ non sunt spirituales, seu quæ non pertinent ad ministerium spirituale, & Ecclesiasticum officium, non sunt materia simoniæ, vt sunt tumulum construere, ornare, purgare, cadauer deferre, tradere sepulturæ, terram superimponere, & similia, quæ potius sunt opera materialia, & corporalia, quàm spiritualia.

5 Virtutū opera corporalia nō sunt materia simoniæ.

5 Ad tertiam respondeo opera virtutum corporalia, quibus proximus corporaliter iuuatur, non esse materiam simoniæ, quia sunt opera corporalia, materialia, naturalia, & temporalia, & beneficium temporale præstant; consequenter sunt pretio æstimabilia, nec valorem suum amittunt ex eo, quòd fiant ex gratia, & impulsu Spiritus sancti; adhuc enim sunt opera corporalia, naturalia, & materialia, si quoad actum externum præcisè spectentur. Opera verò virtutum habentium spiritualem vtilitatem, si secundùm hanc rationem spectentur, possunt esse materia simoniæ; quamobrem actus ieiunij, vel misericordiæ, si spectetur vt est meritorius apud Deum, vel satisfactorius, vel impetratorius, vendi non potest, quia vt sic est res spiritualis.

Dices, etiam oratio est actus humanus, & corporaliter prodesse potest proximo, & nihilominus pro ipsa nihil accipi potest tamquam pretium.

Respondeo pro ipsa oratione nihil accipi posse tāquam pretium, quia ipsa essentialiter est actus religiosus, & sacer, quod non accidit in omnibus aliis actibus virtutum externis.

§ VI.

An Simonia committatur vendendo sepulturam.

RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia res sacræ vendi possunt ratione materiæ: ergo etiam sepultura ratione terræ, in qua fundatur ius sepulturæ, huius sententiæ est Azor. *tertia parte, lib.12. cap.17. quæsito 2.* [Paulus Layman *lib.4. tractat.10. cap. vlt. numer.37.*] & alij.

Ratio verò dubitandi pro parte affirmante simoniam committi est, quia *in cap. abolendæ, de sepulturis*, prohibetur vendi locus sacer pro sepultura, non solùm habita ratione benedictionis, verùm etiam habita ratione terræ. Idem habetur *in cap. quæsta est, cap. postquam, ca. in Ecclesiastico, & cap. præcipiendum 13. quæst. 2.* [*cap. abolendæ,*] *& cap. audiuimus, de simonia.* Ita Suarez, Reginaldus, & alij proximè citandi.

1 Sepulturæ locus quandoque fit materia simoniæ.

1 Mihi distinguendum videtur, vel locus iam erat sacer, & communis pro sepultura fidelium, vt cœmeterium, vel non erat locus sacer, & communis pro sepultura: si non erat locus sacer communis pro sepultura, vendi potest; quia materia venalis est, & dicitur purus locus. *l.2. §. purus. ff. de relig. & l. locum. C. eodem tit.* Si verò in tali terra aliquis iam sepultus fuerat, vel locus iam destinatus fuerat ad sepulturam communem, vt cœmeterium, adhuc distinguendum est, vel rei naturam spectamus, vel Ecclesiæ constitutionem. Si naturam

rei

rei spectamus, censeo vendi posse terram, vt ibi sepultura constituatur. Ratio est, tum quia fundus vendi potest ad construendam in eo Ecclesiam. *cap. aurum, cap. comperimus 14. quæst. 6.* Ergo etiam vendi potest ad construendam sepulturam: tum quia res sacra vendi potest ratione materiæ pretio æstimabilis: ergo etiam vendi potest terra ad sepulturam, cùm terra sit pretio æstimabilis, nec valorem suum amittat ob finem, ad quem emitur, hic enim est per accidens, & extrinsecus rei secundum se spectatæ. Si verò spectamus constitutionem Ecclesiæ, dicendum est locum sacrum communem pro sepultura fidelium vendi non posse absque simonia iuris humani; consequenter aliquem ibi sepeliri non posse, accepto pretio, nisi fortè aliquid gratis tradatur, vel aliquid liberè fuerit relictum ab eo, qui ibi sepeliendus est; [aut nisi diuturna consuetudo extet in cõtrarium:] sic enim expresse decernitur in iuribus citatis, in ratione dubitandi, secundo loco allata, & ratio redditur *in cap. audiuimus, de simonia*, quia non solùm à malo, verùm etiam ab omni specie mali abstinendum est, iuxta Apostolum: species autẽ mali in hoc casu est periculum, & dubium, ne dum locus sacer venditur ad sepulturam, nõ vendatur ratione terræ præcisè, sed ratione sepulturæ in loco sacro, consequenter ratione rei sacræ.

Dices primò, præfati textus prohibent quicquam accipi pro sepultura formaliter in loco sacro, non autem pro terra ipsa.

Respondeo prohibere quicquam accipi etiam pro terra ipsa deputata ad sepulturam fidelium; nam Gregorius IX. *in cap. abolendæ, de sepulturis*, quibusdam Pisceclanis consuetudinem habentibus accipiendi aliquid pro terra, in qua morientes sepeliendi erant, prohibet, ne quicquam omnino præsumant accipere.

2 Ecclesiæ locus an emi possit ad construendam Capellam, vel particularem sepulturã.

2 Dices secundò, si emi non posset locus in Ecclesia pro sepultura, sequeretur damnandam esse consuetudinem eorum, qui in Ecclesiis emunt locum ad construendam Capellam, & particularem sepulturam, onerando Ecclesiam, ne alius ibi sepeliri possit.

Respondeo in præfatis textibus non prohiberi simpliciter quemlibet locum emi in Ecclesia, saltem interueniente Prælatorum Ecclesiæ facultate, sed prohiberi quicquam exigere pro loco sepulturæ præcisè; cùm enim locus institutus sit ad sepeliendos fideles, vt suppono, iniuria irrogatur exigẽdo pretium, & cùm suspicio adesse possit, id exigi pro sepultura Ecclesiastica, quæ est res sacra, iure meritò id ab Ecclesia vetitum fuit. [Ita Suarez *num.* 22. Layman *numer.* 37. & alij. Consuetudo tamen pluribus in locis inualuit vendendi certum locum Ecclesiæ, vel cœmeterij, quæ consuetudo, si legitimè præscripta fuit, non videtur damnanda, quia locus ratione materiæ videtur pretio æstimabilis; sicut etiam pretio æstimabilis est obligatio, qua Clerici se obligant ad non sepeliendum illum in eo loco; iuxta Suarez, Layman, & alios *locis citatis*.]

3 Vendens sepulturã in loco sacro, an cõmittat simoniam, vel aliud speciale peccatum.

3 Quæres primò, vtrùm vendens sepulturam in loco sacro communi ad sepulturam fidelium, simoniæ crimen committat, an aliud specie peccatum.

Respondet Vgolinus *tab. 1. cap. 44. §. 2.* committere crimen auaritiæ, vel inhumanitatis, quia prohibitio Ecclesiæ lata fuit ad vitandam auaritiam, & inhumanitatem.

Ego verò probabilius censeo committere peccatum simoniæ iure humano prohibitæ, si pretium exigatur pro ipsa terra. Ratio est, quia hæc iura lata sunt ad vitandam simoniæ suspicionem, & periculum; peccatum autem in ea specie constituitur, in qua est motiuum, cuius intuitu peccatum prohibitum fuit. Ita Suarez *cap. 14. n. 20.*

4 Sepulturæ locus an sit materia simoniæ, si in venditione habeatur ratio loci honoratioris.

4 Quæres secundò, vtrùm tradens pecuniam pro honoratiore loco sepulturæ, simoniam committat. Suarez *numero 22.* Reginaldus *lib. 23. numero 226.* & Filliucius *cap. 3. quæsito 11. ad finem*, affirmatiuè respondent.

Sed mihi distinguendum videtur, vel locus est honoratior ob orationem aliquam sacram, vel est honoratior ob rationem & respectum aliquem temporalem. Si est honoratior ob rationem, & respectũ aliquem temporalem, non committitur simonia, tum quia non emitur res sacra; sed honor quidam humanus, qui in hominum existimatione, & apprehensione positus est: tum quia emens locum honoratiorem, in quo sedeat, non committit simoniam; ergo nec simonia committitur, dũ honoratior sepulturæ locus emitur. Si verò locus est honoratior ob respectum ad rem spiritualem, committitur simonia, vt quia locus est intra Ecclesiam, non in cœmeterio, aut quia locus est propinquior altari. Ratio est, tũ quia fundamentũ istius honoris fundatur in maiori sanctitate loci, ex maiori propinquitate ad altare maius, vel ad Christi corpus: tum quia nõ potest quis emere beneficium ob honorem, qui consequitur affectionem illius beneficij. Ergo neque emere potest locum in Ecclesia ob honorem, qui consequitur constitutionem cadaueris in tali loco.

5 Stallum, seu sedes in Choro, an sit materia simoniæ.

5 Hinc obiter colligi potest, quid dicendum sit de iure stalli, seu sedendi, aut standi certo loco in Ecclesia. Si enim honor ipse per se spectetur, emi potest. Si verò inspiciantur iura, & actiones, quæ stallum consequuntur, aut ratio loci sacri, quæ stallo adhæret, emi non potest, quia hæc sunt sacra, & Ecclesiastica. Ita Gabriel *in 4. dist. 25. quæst. 2. dub. 10.* Suarez *de Simonia lib. 4. c. 28. ad finem n. 23.*

§. VII.

Vtrùm Simonia committatur, tradendo, vel promittendo aliquid temporale alteri, vt operetur actum vtilem solum ipsimet operanti; vt si tradatur alicui pecunia, vt fiat Christianus, vel Religiosus, vel vt Sacramenta recipiat.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Simonia committitur pro-

1 QVi promittit, vel tradit temporale alteri, iniuncta obligatione, vt præstet opus spirituale, simoniam committit. Ratio est, tum quia simonia committitur emendo, aut vendendo spirituale pro temporali: hic autem emit spirituale pro temporali, cùm imponat alteri obligationem præstandi opus spirituale pro pretio temporali: tum quia iure Canonico reprobantur omnia pacta, & conuentiones in materia spirituali, *cap. vltimo, de pactis. cap. quàm pio, & cap. quæsitum, de rerum permutatione.* Tum quia si huiusmodi contractus esset licitus, licitè etiam posset religio cum aliquo pacisci, vt si religionem ingrediatur, conferat illi tales honores, vel subsidia; sed hoc non est admittendum; ergo neque admittendus est præfatus contractus; tum quia si licitum est aliquid alteri dare, vt opus spirituale sibi tantum vtile faciat, exempli gratia, vt velit baptizari, vel Sacramenta frequentare, licitum etiam esset dare aliquid, vt baptizetur, cùm par ratio videatur; sed hoc fieri non potest; ergo neque primum.

mittendo, vel dando temporale alicui, vt opus spirituale præstet.

Obiicies, dans pretium pro re pretio æstimabili non committit simoniam. Sed qui dat pretium alicui, vt opus spirituale præstet, iniuncta obligatione præstandi tale opus, dat pretium pro re pretio æstimabili, quia non tradit pretium pro re ipsa spirituali; sed pro obligatione ad actum spiritualem, quæ pretio æstimabilis est.

Respondeo ipsam obligationem ad actum spiritualem, non esse pretio æstimabilem, nec separari ab actu quoad emptionem, & venditionem: tum quia illa obligatio dirigitur solum ad actum præstandum, & æstimatur solum ratione actus spiritualis, ad quem dirigitur, non verò ratione onerum temporalium, & aliarum circumstantiarum pretio æstimabilium: tum quia si obligatio ad actum spiritualem vendi posset, etiam religio posset emere religiosum, vel Prælatum sibi vtilem, dicendo se emere obligationem, non verò actum: sed religiosus emi non potest, *cap. quàm pio, citato*; ergo neque potest emi obligatio ad opus spirituale.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Simoniacus non est qui tradit aliquid alteri, vt peccatum vitet, vel opus spirituale præstet, relicta illi facultate, & libertate faciendi tale opus.

2 QVi tradit aliquid alteri, vt peccatum vitet, vel vt opus spirituale faciat in solius operantis vtilitatem, relicta illi facultate, & libertate faciendi tale opus, non committit simoniam, nec alia ratione peccat præciso scandali periculo, siue tale opus sit consilij, siue supererogationis, siue præcepti. Ratio est, tum quia Deus promittit hominibus rectè se gerentibus, & ipsius præceptis obtemperantibus præmia, & longæuam vitam honorantibus parentes, Exod. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* Ergo non est turpe aliquid alteri promittere, vel tradere vt opus præstet in solius operantis vtilitatem: tum quia non solum Deus, verùm etiam parentes comminantur pœnas delinquentibus, & homines ad opera virtutum, comminatione pœnarum, inducunt, sed ipsi non peccant pœnarum comminatione inducendo ad opera virtutum; ergo neque peccant inducendo præmiis, vel promissionibus, cùm par sit ratio; pœna enim, & præmium æquiparantur, & pœna temporalis pretio æstimatur: tum quia simonia committitur emptione, & venditione: sed hic non adest emptio, & venditio: nam ex parte dantis, vel promittentis non est emptio, cùm ipse nihil ab alio recipiat. Neque ex parte recipientis est venditio, cùm ipse nihil det tradenti pecuniam, aut alteri nomine tradentis pecuniam; sed solum sibi consulat, acquirat, & proficiat, & in sui commodum operetur: tum quia simonia non committitur sine contractu oneroso; in hoc autem casu non intercedit contractus onerosus, cùm tradens, vel promittens temporale, non imponat operanti obligationem ad operandum, sed obligationem aliunde supponat: præmium autem proponat, vt alterum alliciat ad id, quod bonum, & honestum est, vel etiam debitum: tum quia non potest assignari malitia in huiusmodi traditione, vel promissione; non enim est mala ex obiecto, cùm sit donatio liberalis rei ex se indifferentis; neque mala est ex fine, cùm intendatur bonum operantis; neque ex modo, cùm non tradatur temporale, tamquam pretium honesti operis, non enim adest mutua obligatio. Ita gloss. *in ca. dilectus. 2. de Simon.* Nauar. *cap. inter verba concl. 5. illat. 1.* Molina *de iust. tract. 2. disputat. 93. concl. 4.* Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 39.* Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 12. num. 66.* Suarez *lib. 4. de Simon. cap. 16. num. 12.* Filliucius *tract. 45. cap. 4. quæs. 4. n. 13.* Reginaldus *lib. 23. num. 152.* Azor. *3. parte, lib. 12. ca. 3. quæsito 5.* & alij contra S. Thom. *2. 2. q. 100. artic. 3. ad 4.* Abbatem *in ca. dilectus 2. de Simon. num. 7.* Sylvest. *verb. Simonia quæsito 8. dicto. 3.* Tabienam *eodem verb. num. 61.* Angelum *verb. Simonia 3. num. 26.* Medinam *Cod. de restitut. quæst. 27. in fine.* Valentiam ex parte *2. 2. disp. 6. q. 16. punct. 2. dub. 3.* & alios.

3 Simonia non committitur promittendo aliquid alteri tradendum sub conditione, si tale opus spirituale præstiterit.

3 Addo primò, simoniam non committi promittendo aliquid alteri, tradendum sub conditione, si fiat opus spirituale, intendendo spirituale bonum operantis, & obligando se solum ad promissionem adimplendam, adimpleta conditione, & non aliter: vt si quis dicat alteri, promitto tibi mille aureos, si fias Christianus, vel religiosus, quos tradam si factus fueris religiosus, & non aliter. Ratio est, tum quia ista promissio non est contractus onerosus; sed vim habet liberalis donationis, factæ ad alliciendum alterius animum ad opus virtutis, relicta alteri facultate præstandi tale opus; nam is, cui fit promissio, ita liber est ad faciendum tale opus, sicut antea erat: tum quia non interuenit emptio, aut venditio, vt supra probatum est, sed optio gratuita alteri offertur, vt hoc, vel illud eligat, id est, vt si rem promissam velit acquirere, virtutis opus præstet, alioquin nihil acquirat: tum quia multæ similes dispositiones subsistunt, & permittuntur: nam femina potest alicui promittere, se matrimonium cum eo contracturam, si conuertatur; dominus potest seruo libertatem, & manumissionem promittere, modò fiat religiosus, & in religione perseueret, & non aliter, *c. 2. de condit. appos.* Testator potest alicui legare aliquid ad sui, vel familiæ sustentationem, si religiosum statum capessat: malefactori promitti potest vita, si Baptismum suscipiat. Denique seruo infideli iusta onera, & flagella imponi possunt, vt occasionem inde arripiat conuertendi se ad fidem, dominus enim in tali euentu vtitur iure suo, & quasi optionem offert seruo, vt si velit ab eo statu eximi, Baptismum capiat. Ita Doctores citati.

4 Addo

4 Idē militat dum temporale traditur ſub conditione operis ſpiritualis etiā dum recipiens obligatur ad reſtituendum acceptum, niſi ſpirituale opus præſtiterit.

4 Addo ſecundò, ſimoniam non committi non ſolum dum promittitur temporale, verùm etiam dum actu traditur; & recipiens obligatur ad reſtituendum acceptum, niſi ſpirituale opus præſtiterit. Ratio eſt, tum quia ſicut promitti poteſt temporale, tradendum, conditione adimpleta, & non aliter, ita tradi poteſt iniuncto onere reſtituendi, ſi conditio adimpleta non fuerit: tum quia ſic colligitur ex *cap.2.de condit. appoſit.* vbi ſeruari præcipitur manumiſſio ſeruorum, facta ſub conditione, modò Monachi fiant, & in monaſterio perſeuerent, & non aliter: tum quia nullum apparet inconueniens ex huiuſmodi obligatione, facta ſub diſiunctione, vt videlicet accipiens teneatur ad implendam conditionem, vel ad reddendum acceptum, adhuc enim liber manet ad faciendum opus ſpirituale, ſicut antea: tum quia hæc non eſt emptio, & venditio; ſed donatio, non quidem omnino abſoluta, ſed limitata pro arbitrio donantis, qui non iniuſtè, & iniquè, ſed cautè donat: tum quia poteſt aliquis in ſtudiis ali hac conditione adicta, vt religionem ingrediatur, vel expenſas ſoluat; ſed in hoc caſu traditur temporale ſub conditione, ſeu diſiunctione, vt opus ſpirituale præſtet, vel temporale acceptum reſtituat. Ergo, &c. Ita Doctores citati.

Ex dictis ſequitur primò, tradi poſſe pecuniam alteri intuitu conuerſionis ipſius, vel vt alliciatur ad capeſſendam fidem, vel religionem, vel ad præſtandum aliud opus virtutis, non iniuncta obligatione præſtandi tale opus. Et hoc verum eſt, etiamſi tradens manifeſtet ſuam ſpem, & intentionem, & ille, à quo tale opus præſtandum eſt, animaduertat ſibi eo fine tradi: vt ſi mater filio dicat, do tibi hanc veſtem vt Sacramenta frequentes, vel ſi Sacramenta frequentaueris, vel modò ſacramenta frequentes. Ratio eſt, quia recipiens veſtem, aut aliud temporale donum, in propoſito caſu non accipit illud tamquam pretium, ſed tamquam liberale donum, nec illa ſpes excludit rationem doni, & liberalis traditionis, vt ſuppono; conſequenter ſpes illa non eſt ſimoniaca.

Secundò, ſequitur illum, qui donum accipit, traditum ſibi cum ſpe, vt religionem ingrediatur, vel ſub conditione, ſi religionem ingrediatur, vel cum onere, ſeu diſiunctione, vt donum acceptum reſtituat, niſi religionem ingrediatur, non eſſe reum ſimoniæ, ſi poſtea re ipſa fiat religioſus hoc fine, vt ſit gratus donanti, vel vt illi rem gratam faciat, vel vt donum promiſſum recipiat, vel vt receptum reſtituat. Ratio eſt, quia nihil recipit, vel retinet tamquam pretium, ſed tamquam liberaliter datum, vt in præcedentibus explicaui.

§. VIII.

Vtrùm tradi, vel accipi poſſit aliquid pro ingreſſu in religionem.

VNICA PROPOSITIO.

1 Ingreſſus, vel profeſſio eſt materia ſimoniæ.

1 NIhil tradi, vel accipi poteſt tamquam pretium pro ingreſſu in religionem, ſeu pro ipſa profeſſione, vel ſtatu religioſo. Ratio eſt, tum quia ſtatus religioſus eſt res ſpiritualis, non ſolum ex parte Spiritus ſancti ad eum ſtatum promouentis, vel ex parte ipſius actus ſuſceptionis habitus, vel profeſſionis, verùm etiam ex parte finis proximi, qui eſt honor Dei, & ſpiritualis vtilitas ipſius religioſi ingredientis: tum quia in ſententia Reginaldi *lib.23. numero 173.* dans, vel accipiens aliquid pro ingreſſu in religionem, ligatur excommunicatione Summo Pontifici reſeruata *Extrauag. 1. communi, de Simonia.* Ergo ſignum eſt graue peccatum committi, & ſimoniæ labem incurri, tradendo, vel accipiendo aliquid pro ingreſſu in religionem.

Dixi, *tamquam pretium*, quia ſi aliquid tradatur alicui ſub conditione tantùm inuitante, vt alliciatur ad religionem, non committitur ſimonia, vt pluribus docui difficultate præcedenti.

2 Simonia non committitur tradendo aliquid pro congrua religioſi ſuſtentatione.

2 Dixi, *pro ingreſſu*, quia ſi aliquid tradatur, non tamquam pretium ingreſſus, ſed pro congrua ſuſtentatione, aut alio titulo pretio æſtimabili, non committitur ſimonia. Ratio eſt, tum quia non traditur temporale pro ſpirituali, ſed temporale pro temporali, onus enim alendi aliquem eſt aliquid pretio æſtimabile: tum quia in matrimonio, quod eſt Sacramentum, licitè traditur temporale ad ſuſtentanda matrimonij onera: tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.25. cap.16. de reformat.* permittit vt religio poſſit pro anno nouitiatus ſuſcipere de bonis nouitij neceſſaria ad victum, & veſtitum eius; ergo id etiam licitum videtur pro ſuſtentatione totius vitæ, cùm par ratio videatur: imò Concilium innuit monaſterium poſſe à die profeſſionis bona religioſi accipere, & poſſidere, quod intelligendum videtur, ſi religioſus liberè donet, dum monaſterium diues eſt, vel dum exigit ſaltem neceſſaria ad ſuſtentationem. Ita S. Thomas *quæſt.100. art.3.* Syluester *verb. Simonia quæſito 15.* Valentia *tom.3. diſput.6. q.16. punct.2. col.5. verſ. multo.* Azor. *c.16.* [Paulus Layman *lib.4. tract.10. c. vlt. num.39.*]

Obiicies, *in cap. quàm pio 1. quæſt.2.* prohibetur quicquam ex pacto, vel conuentione tradi ob admiſſionem ad religionem: ergo generaliter vetitum videtur quicquam accipere, vel tradere ob ingreſſum.

Reſpondeo, *in cap. quàm pio*, non prohiberi aliquid tradi ob ſuſtentationem religioſi, ſed prohibetur tradi ob admiſſionem alicuius ad prælationem Eccleſiaſticam, quæ eſt officium ſpirituale: caſus enim illius cap. hic eſt. Quoddam monaſterium opulentum longo tempore caruerat Abbate: tandem Monachi eligerunt ſibi in Abbatem quemdam Monachum alterius monaſterij indigentis, ſed ille accedere nolebat, vel Monachi eum accedere non permittebant, niſi monaſterium illud opulentū aliquid conferret ſuo pauperi monaſterio. Papa in hac re conſultus reſpondit non poſſe quicquam in pactum deduci: poſſe tamen poſt factum tradi aliquid pauperi monaſterio; quia ſcilicet quod datur poſt factum abſque præuio pacto, non datur tamquam pretium, ſed liberaliter.

Dices, licitum eſt petere aliquid in compenſationem emolumenti, quo quis ſe priuat. Ergo etiam illi Monachi poterant aliquid petere ab alio monaſterio in compenſationem vtilitatis, & commodi, quo ſe priuabant dimittendo Monachum tranſire ad aliud monaſterium, vt illi præeſſet.

Reſpondent aliqui Doctores, poſſe quidem aliquid exigi ad compenſationem emolumenti, quando emolumentum eſt omnino temporale, & non prouenit ex adnexione ad ſpirituale; commodum autem, & emolumentum illius Monachi proueniebat ex concomitantia, & adnexione ad ſtatum ſpiritualem, & potius ſpirituale erat, quàm temporale. Ita Suarez *cap.17. num.2. ad finem*, Filliucius *cap.4. quæſito 6.*

Ego verò reſpondeo tunc temporis licitum non fuiſſe quicquam exigere, vel tradere occaſione tranſlationis illius Monachi ad aliud monaſterium, tum quia Monachi non petebant aliquid ſibi tradi in compenſationem emolumenti, ſeu lucri, vel damni temporalis, ſed pro ipſo ingreſſu, quod etiam hoc tempore licitum non eſt, dum non conſtat de damno, vel lucro temporali.

3 Ingreſſus in religionem duplex eſt.

3 Dixi, *pro ingreſſu, vel profeſſione*, vt innuerem vtrumque eſſe materiam ſimoniæ. Vt hoc clarius intelligatur, obſeruandum eſt duplicem eſſe religionis ingreſſum. Primus eſt per ſuſceptionem habitus. Secundus per profeſſionem, ſeu vota quibus verus religioſus conſtituitur: quoad hanc rem eadem eſt ratio de vtroque, tum quia vbi eſt vnum propter aliud, ibi eſt vnum tantum, & hæc duo ſe habent tamquam via, & terminus, ſicut præſentatio, & collatio ad beneficium, tum quia receptio ad habitum, non habet æſtimationem, niſi propter profeſſionem. Ergo ſi aliquid accipitur in ſuſceptione habitus, cenſetur accipi pro ipſa profeſſione: tum quia vterque ingreſſus tendit ad ſalutem animæ, & cultum Dei, & per poteſtatem ſpiritualem fit. Ergo poteſt eſſe materia ſimoniæ. Ita Nauar. *conſil.86. de Simon.* Suarez *lib.4. cap.17. nu.4.* Syluester *verb. ſimonia quæſ.15.* Valentia *tom.3. diſp.6. q.16. punct.2. quæſtiunc.3. ad finem.* Couar. *1. var. cap.29. num.20.* Emanuel Sà *verbo donatio nu.24.* Sotus *lib.9. de iuſt. q.6. artic.2. ad 4.* Azor. *3. part. lib.12. cap.16. initio.* Leſſius *lib.2. ca.35. dub.12.* Filliucius *quæſ.6. num.22. ca.4.* & alij, aſſerentes ſimoniam non committi, dum aliquid accipitur pro ſuſtentatione, quamuis aliàs in foro externo præſumeretur ſimonia, dum monaſterium opulentum aliquid exigebat pro ſuſtentatione ingredientis, id enim alias vetitum erat intuitu religionis. *cap. tua nos, & cap. quoniam, de Simon. & extrauag.1. de ſimonia.*

Ex dictis ſequitur primò, ſimoniam non committi, dum monaſterium gratis ſoluit debita ingreſſuri religionem, vel dum voluntariè obligat ſe ad alendos illius parentes, vt hac ratione illum alliciat ad religionem, vel remoueat impedimenta ingreſſus, relicta ingredienti libertate, & arbitrio; aliud enim eſt tradere aliquid ad alliciendum alterius animum, vel ad remouenda impedimenta, aliud tradere pro ingreſſu, ſeu iniuncta alteri obligatione ad ingrediendum.

Secundò ſequitur, ſimoniam non committi, dum aliquis hac conditione alitur in ſtudiis, vt perfecto ſtudiorum curſu religionem ingrediatur, vel ſumptus in ſtudiis factos ſoluat; non enim cogitur, & obligatur determinatè ad religionem capeſſendam, ſed offertur illi optio, vt religionem ingrediatur, vel expenſas ſoluat, ad quas ex natura rei tenetur, & offertur illi conditio, qua ſe valeat ab hoc onere eximere, capeſſendo religionem: vel dic hanc eſſe donationem conditionatam, quam donator non intendit perficere, niſi poſita conditione ingreſſus in religionem, vt dictum eſt *§. præcedente.*

Tertiò, non committi ſimoniam dum aliquis ad religionem faciliùs admittitur ob pium animi affectum, quem ille erga religionem antea præferebat, ingentes conferendo eleemoſynas, aut obſequia præſtando. Ratio eſt, tum quia religio gratis offertur titulo animi grati: tum quia numquam liceret religioſis tradere grana benedicta, reliquias, & alia huiuſmodi illis, à quibus temporale commodum perceperunt, quod non videtur admittendum: tum quia ſimonia committitur, dum temporale traditur tamquam pretium pro ſpirituali, vel è contra; in hoc autem caſu ſpirituale non traditur tamquam pretium pro temporali, vel è contra. Eleemoſyna enim in hoc caſu eſt ſolum veluti quædam conditio, qua poſita libentiùs ad religionem admittitur. Ita S. Thom. Syluester, & alij.

Quartò non committi ſimoniam dum religioſi promittunt ſe aliquem recepturos poſt annum, ſi litteris operam dederit, aut certè cuidam arti, vel ſi aptus fuerit: quia non imponitur illi obligatio ad hæc facienda pro ingreſſu, ſed offertur illi conditio, qua poſita, in religionem recipietur. Ita Azor. *3. part. de Simonia c.16. quæſ.4.* Reginald. *lib.23. n.195.* Syluester *verbo ſimonia quæſito 15.*

Quintò, ſimoniam committi, dum monaſterium emit perſonam ingredientem, & ingrediens vendit ſe monaſterio, vt fiat religioſus, etiamſi fortè religio ſit militaris. Ratio eſt, quia qui emit aliquem ad ingreſſum, emit ipſum ingreſſum, qui eſt aliquid ſpirituale; ſed emere ſpirituale pro temporali, eſt ſimonia. Ergo committitur ſimonia. Ita Suarez *cap.17. num.2.* & Filliucius *cap.4. quæſ.6. num.19.* Azor. *cap.16. quæſ.3.* Secus dicendum eſt, ſi ematur, vt fiat ſeruus monaſterij, deinde offeratur illi conditio libertatis, ſi religioſus fiat, vt dictum eſt *§. præcedenti.*

De pœnis committentium ſimoniam ob ingreſſum in religionem, conſtabit ex infra dicendis.

§ IX.

Vtrùm Simonia committatur accipiendo pecuniam pro abſtinendo à bono opere.

VNICA PROPOSITIO.

1 Omiſſio boni operis naturalis non eſt materia ſimoniæ.

1 NOn committitur ſimonia accipiendo pecuniam pro abſtinendo à bono opere naturali, non pertinente ad religionem. Ratio eſt, tum quia ipſum bonum opus, cui omiſſio aduerſatur, non eſt quid ſacrum pertinens ad religionem; ergo neque ipſa omiſſio: tum quia

quia simonia committitur dando temporale pro spirituali; hic autem non datur temporale pro spirituali. Ita Suarez *cap.8.n.26.* Filliucius *num.19.* Canus, Victoria, & alij apud Lessium *lib.2.cap.35.dub.11.* Idem dic de omissione aliarum actionum non sacrarum.

Ex quo sequitur præceptorem, qui non vult à lectione in die festo abstinere, nisi accepto pretio, non esse reum simoniæ, etiamsi vacatio à lectione dirigatur ad festum colendum. Ratio est, tum quia lectio ipsa non est res sacra, vel sacrilega, cum actus legendi, vel audiendi non aduersetur cultui festorum dierum. Ergo non est materia simoniæ. Tum quia accipiens pretium pro lectione non committit simoniam. Ergo neque illam committit accipiens pecuniam pro vacatione à lectione. Neque obstat vacationem illam dirigi à discipulis ad colendum festum diem, quia hoc per accidens est, & extrinsecum, nec operis naturam immutat, alioquin neque licitũ esset vendere candelam, vinum, vel quid aliud, dum emitur tantum ad cultum religiosum, vt bene Suarez *c.8.n.18.* Filliucius *c.2.n.10.*

2 Omissio actus spiritualis non est materia Simoniæ in rigore loquendo.

2 Maior difficultas est, vtrùm simonia committatur dando, vel accipiendo pecuniam pro omissione actus spiritualis, vt si quis pecuniam alteri tradat vt Missam omittat, ne ordinet, ne absoluat, ne excommunicet, ne suspendat, ne sacrilegium committat, ne aliquem in examine approbet, ne talem eligat, ne peccatorẽ denuntiet, ne reum condemnet, ne dilationem termini concedat.

Respondeo in rigore loquendo non committere simoniam, modò cum huiusmodi omissione coniunctus non sit actus iurisdictionis, qui cum ipsa omissione pretio vendatur. Ratio est, tum quia simonia committitur dando, vel accipiendo pretium pro re spirituali; hic autem non datur, vel accipitur pretium pro re spirituali; cùm omissio non sit res spiritualis, & sacra, sed carentia rei spiritualis: tum quia si culpa simoniæ in hoc casu committitur, maximè quia violatur illud præceptum, *Gratis accepistis, gratis date*; sed huiusmodi præceptum non violatur, dando, vel accipiendo pretium pro omissione actus spiritualis; cùm omittens actionem spiritualem non dicatur dare, sed omittere, consequenter non facit contra illud præceptum; nam illud præceptum non obligat simpliciter ad dandum, sed sub conditione, si detur, vt detur gratis. Ita Innocentius *in cap. nemo, de simonia*, Hostiensis *ibid.* Melchior Canus, Victoria, & alij apud Valentiam *tom.3.disputat.6.quæst.16.punct.2.colum.6.* apud Lessium *lib.2.cap.35.dub.11.n.64.* & apud Suarez *de simon.cap.22.nu.3.* contra Syluestrum *verb.simon.quæs.9.dicto 5.& 9.* Angelum *verb.simon. 3.n.42.* Vgolinum *tab.1.c.40.§.3.* S. Thomam *2.2.q.100.art.3.ad 3.* Suarez ex parte *lib.4.cap.22.num.5.& seq.* [Suarez *num.9.* Paulum Layman *lib.4.tract.10.cap.vlt.num.43.*] Filliucium ex parte *cap.4.quæs.10.* & alios, asserentes simoniam committi traditione pretij ob omissionem actionis sacræ, & spiritualis, saltem dum omissio censetur moraliter prouenire à iurisdictione spirituali: [vt si iudex spondeat se non daturum absolutionem à censuris, aut si examinator promittat se non approbaturum dignos ad Ordines, vel ad beneficia.]

Obiicies primò, simonia committitur, dando pecuniam alteri, ne concurrat ad beneficium; sed in hoc casu datur pecunia pro omissione actus. Ergo simonia committitur dando pecuniam pro omissione actus.

Respondeo pecuniam in eo casu non dari præcisè pro omissione actus, sed pro affecutione beneficij, ad quod viam sibi pecunia parat.

3 Occultãs peccatorẽ, accepta pecunia, non est simoniacus propriè loquendo.

3 Obiicies secundò, simonia committitur occultando peccatorem, aut negando pœnitentiam, & reconciliationem peccatori, vt dicitur *in cap.nemo Presbyterorum, de simonia*; sed hæc consistunt in omissione; ergo simonia committi potest omissione.

Responderi posset primò, committi simoniam iuris humani celando peccatorem, & denegando pœnitentiam pretio, quia id vetitum in eo cap. videtur, ne huiusmodi actiones vilescerent, & indignè tractarentur. Ita Suarez *lib.4.c.22.n.20.*

Respondeo secundò, cum Valentia, & aliis, nomen simoniæ in præfato cap. non accipi propriè, sed largè, sicut collatio, vel resignatio beneficij, facta carnali affectu dicitur simonia, *cap. ordinationes 1. q.1.* cùm tamen propriè loquendo simonia non sit. Negari tamen non debet quin præfatis omissionibus adiungi possit malitia iniustitiæ, vel sacrilegij, aut alterius peccati pro qualitate circumstantiarum, quæ in singulis actionibus reperiri possunt.

4 Omissio praui operis quod quis facturus erat, non est materia simoniæ.

4 Ex dictis à fortiori sequitur non committi simoniam tradendo alicui pecuniam, vt abstineat ab aliqua actione spirituali, quam facturus erat iniustè, sacrilegè, aut simoniacè. Ratio est, quia non emitur aliquid spirituale, sed vitatio peccati. Idem militare videtur in recipiente pecuniam pro abstinendo ab huiusmodi actu, etiamsi fortè aliàs peccare posit contra iustitiam, vel aliam virtutem. Ratio est, tum quia non intendit vendere opus spirituale, sed intendit peccatum vitare, ad quod vitandum accipit pecuniam: tum quia non vendit rem spiritualem, sed vsum suæ libertatis. Ita Vgolinus *de simonia tab.1.cap.42.§.5.* Valentia *punct.3.quæst.4.* Suar. ex parte *cap.22. nu. 8.* contra Panormit. *in cap.cùm in Ecclesia, de simon.* Rodoanum *1. part. cap.8.num.9.* & alios.

§. X.

Vtrùm Simonia committatur vendendo scientiam, seu pretio docendo, vel docendi licentiam concedendo.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Scientiæ, & doctrinæ actus, seu exercitium vendi possunt sine simonia.

1 SImonia non committitur vẽdendo scientiam, & doctrinam, seu dona spiritualia intellectus speculatiua, vel practica. Ratio est, tum quia non venditur aliquid, quod vendibile non sit. Quamuis enim huiusmodi dona in se vendibilia non sint, cùm inhæreant animæ, nec in alium transferri possint; nihilominus actus, & exercitium ipsorum donorum vendi potest, & in venditione ipsorum non committitur simonia: tum quia materia simoniæ est res aliqua sacra pertinens ad religionem, cui opponitur simonia; actus autem prædictorum donorum non est res sacra, sed potiùs est res naturalis non pertinens ad religionem; quamobrem dans consilium ad vincendam litem, ad gubernandum, & similia, simoniæ labem non committit, quia illa actio est res naturalis, & pretio æstimabilis. Ita S. Thom. 2. 2.q.100.artic.3.ad 3. Caietan. *ibid.* Nauar. *cap.23.num.100.* Angelus, Sotus, & alij apud Valentiam *tom.3.disput.6.q.16.punct.2.columna 3.* apud Reginaldum *lib.23.num.112.* & apud Suarez *tom.1.de relig.lib.4. cap.8.numero 8.* Lessius *lib.2. cap. 35. dub.13. numer.74.* Azor. *3. part. de Simon. lib.12.cap.18.quæsito 6.* Filliucius *tractat.45. cap.2. quæsito 5.* [Paulus Layman *lib.4.tractat.10.cap.vltim.numero 30.*] & alij communiter.

2 Doctrinæ actus vendi potest sine simonia, etiamsi doctrina ipsa miraculosè obtenta fuerit.

2 Amplia primò, etiamsi vendens exercitium illorum donorum, illa dona miraculosè, vel sine labore consecutus sit; nam consecutio illorum donorum sine labore, vel per miraculum, non mutat rei naturam, nec efficit, vt actio illorum donorum non sit pretio æstimabilis, vel vt sit materia simoniæ; sicut miraculosè obtinens sanitatem brachiorum, manuum, vel pedum, quibus antea carebat, non committit sacrilegium, recipiendo stipendium laboris, quem brachiis, manibus, vel pedibus præstat, vt bene Suarez *loco cit.nu.14.* Reginald. *lib.23.n.112.* Azor. *3.parte lib.12.c.18.quæs.6. vers. quid si quispiam.*

Obiicies, quæ gratis accepta sunt, gratis dari debent, *Matth.10.* Sed donum, quod sine labore, seu miraculosè infunditur, gratis accipitur: ergo gratis dari debet. Ob id enim Apostoli iubebantur gratis præstare functiones, & dona miraculorum, & sanitatum, quia illa gratis acceperant.

Respondeo dona illa gratis exercenda esse, quæ humana industria nullatenus obtineri possunt, & sunt dona supernaturalia, & sacra, vt sunt dona miraculorum, & sanitatum: functio verò illorum donorum, quæ in sua entitate naturalia sunt, & non sacra, licet quoad modum acquisitionis supernaturalia sint, vendi potest, quia non datur pretium pro re spirituali, sed pro temporali.

3 Veritas naturalis vendi potest absque simonia.

3 Amplia secundò, etiamsi vendens scientiam, seu doctrinam, intendat vendere ipsam veritatem naturalem; nam ipsa veritas non est aliquid supernaturale, & sacrum; consequenter non est materia simoniæ, vt bene Lessius *lib.2.c.35.dub.13. n.75.* Suarez *lib.4.c.8.nu.11.* & Filliucius *loco cit.n.4.* Tunc autem quis dicitur vẽdere veritatem, quando vltra stipendium laboris, & industriæ, exigit aliquid pro ipsa veritate. Non nego tamen, quin vendens præfata dona, seu exercitium donorum, & doctrinæ peccare possit cõtra iustitiam, aut aliam virtutem pro qualitate circumstantiarum, quæ malitiam actui communicare possunt; quamobrem si aliquid exigat dum ex officio gratis docere tenetur, aut si pecuniam accipiat, quæ iustum pretium excedit, peccat contra iustitiam.

4 Pretium iustum taxari debet habita ratione qualitatis personæ.

4 In taxando tamen huiusmodi pretio habenda est ratio qualitatis personæ; nam consilium peritioris, vel artem publicè profitentis præstantius existimatur, etiamsi minori labore, maiorique facilitate, & celeritate præstetur, quàm consilium alterius minus in arte periti, vel eam artem publicè non profitentis. Ita Suarez *n.13.* Filliucius *n.6.* Lessius *dub.13.n.75.* & alij, quos retuli *de contractibus.*

5 Docens Theologiã præuia pecunia simoniæ labem non incurrit.

5 Maior difficultas est, vtrùm simonia committatur docendo pretio Theologiam practicam, vel speculatiuam, seu scholasticam, seu interpretatiuam Scripturarum.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia actiones magistri docentis Theologiam naturales sunt, & labor, ac opus ipsius est pretio æstimabile. Ergo non committitur simonia docendo pretio Theologiam. Ita gloss. *in cap.vendentes 1.quæst.3.* Victoria *relect. 1. nu.6.* Sotus *lib.9.de iustitia, quæst.5.artic.1.& artic.2.ad 2.* Suarez *lib.4.cap.18. n.9.* Lessius *lib.2.c.35.dub.13.numer.80.* Filliucius *tract.45. cap. 4. quæs. 7.* [Paulus Layman *lib.4.tract.10.c.vlt.n.30.*] & alij, contra Paludanum *in 4.dist.25.q.5.art.20.* Syluestrum *verbo simonia, quæs.10.* & alios.

Obiicies primò, vendens actus fidei committit simoniam. Ergo etiam vendens actus Theologiæ, cùm actus Theologię sint actus fidei, vt quando quis assentitur propositioni de fide, aut etiam quando assentitur conclusioni deductæ ex duabus de fide, vel ex vna de fide, & altera naturali.

Respondeo, vendentem actus fidei simoniam committere, quia actus fidei est donum supernaturale, sicut est eius habitus; donum autem supernaturale non est pretio æstimabile: qui verò pretio docet Theologiam, non vendit actum fidei supernaturalem, sed laborem suum naturalem, qui pretio æstimabilis est.

Obiicies secundò, doctrina Theologiæ est supernaturalis, tam ex parte principij, cùm procedat ex fide tamquam ex principio proximo, quàm ex parte termini, cùm dirigatur ad generandum actum, vel doctrinam eiusdem rationis cum ea, quæ est in docente.

Respondeo doctrinam ipsam Theologiæ in se quidem supernaturalem esse, actum tamen docendi non esse supernaturalem, neque ex parte principij, cùm possit quis, posita reuelatione articulorum, versari circa illos actibus merè naturalibus, independentibus ab auxilijs gratiæ supernaturalis. Neque est supernaturalis ex parte termini, quia per se non ordinatur ad salutem spiritualem, neque est supernaturalis quoad effectum cùm instruat intellectum, quatenus naturaliter ab eo fieri potest ex vi discursus.

Aliam responsionem affert Lessius *loco cit.num.81.*

Obiicies tertiò, concionator nihil accipere potest pro concione; sed concio est actus, quo docentur homines Theologiam. Ergo nihil accipi potest pro actibus docendi Theologiam.

Respondeo istam obiectionem soluendam esse in quæsito proximè sequenti.

Obiicies quartò, Theologus, qui Theologiam ratione beneficij, vel aliàs ex officio docere tenetur, peccat aliquid accipiendo à discipulis. Hoc autem peccatum, videtur peccatum simoniæ.

Respondeo peccare peccato iniustitiæ, non verò simoniæ, dum gratis docere tenetur, vt bene Suarez *n.17.* & Filliucius *n.29.*

6 Consiliũ præbens in facultate Theologiæ simoniacus nõ est.

6 Ex dictis sequitur eum, qui consilium in materia Theologica speculatiua, vel practica, pretio accepto, præbet, non peccare peccato simoniæ. Ratio est, tum quia simonia non committitur vendendo actum naturalem; huiusmodi autem consilium est actus naturalis, tam ex parte scientiæ, à qua procedit, cùm ope, & industria humana acquisita fuerit, & ex parte modi, illam docendi, cùm fiat per modum humanæ doctrinæ, & magisterij, quàm ex parte effectus, & finis proximi, qui est instructio intellectus in cognitionem talis veritatis: tum quia vsus doctrinæ Theologicæ in actibus merè naturalibus pretio æstimabilis est, nam est instructio intellectus naturali, & humano modo facta.

Amplia primò, etiamsi huiusmodi consilium detur à Theologo, tum quia circumstantia personæ non mutat naturam actionis, & conditio, vel scientia personæ accidentaria est: tum quia consilium est eiusdem rationis, siue detur à Theologo, siue ab alio.

7 Consiliũ Theologicum non est materia simoniæ, etiamsi detur ad pacandam alterius conscientiam.

7 Amplia secundò, etiamsi detur ad pacandam alterius conscientiam. Ratio est, tum quia intentio, seu finis pacandæ conscientiæ extrinsecus est consilio, nec mutat naturam actionis secundùm se spectatæ: tum quia Doctor iuris Canonici peritus huiusmodi consilium præbens, absque conscientiæ stimulo recipere solet pecuniam: ergo signum est simoniæ labem non committi: tum quia si Theologus ipse ab aliquo consulatur, an talis contractus vsurarius sit, licitè potest consilium accepto pretio dare, etiamsi alter consilium petat ad pacandam conscientiam: ergo finis pacandæ conscientiæ non efficit actionem consilij turpem, & simoniacam: præsertim si consulens non intendat conscientiæ pacem, sed instructionem intellectus, & manifestationem veritatis: tum quia huiusmodi consilium non est spirituale; sed potius doctrinale, nec à Theologo datur, vt peculiari instrumento Dei, sed tamquam à Magistro, & Doctore humano, non ad immutandum, & permouendum affectum, sed ad remouendam ignorantiam, & ad instruendum intellectum in re morali. Ita S. Thom. 2.2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 3. Caiet. *ibid.* Nauar. *c.* 23. *n.* 100. Suarez *lib.* 4. *de simon. c.* 18. *n.* 20. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 4. *quæs.* 8. *n.* 31. contra Victoriam *relect.* 1. *de simon.* Lessium *lib.* 2. *c.* 35. *dub.* 13. *n.* 80.

Amplia tertiò, siue consilium detur pro foro externo, siue pro foro conscientiæ, siue pro sola instructione intellectus: adhuc enim militant præfatæ rationes.

Limitatur primò à Suarez *num.* 19. si consilium detur per modum exhortationis, ita vt æquiualeat priuatæ concioni: tunc enim vendi non potest. Ratio est, tum quia hoc videtur consilium spirituale: tum quia nihil accipi potest pro publica concione; ergo neque pro priuata, cùm par ratio videatur, sicut est eadem ratio de concione, quæ fit coram paucis, & quæ coram pluribus. Hæc limitatio mihi probabilis videtur; modò consilium spectetur præcisè, vt vim habet hortationis, & concionis. Secus si spectetur iuxta alias circumstantias pretio æstimabiles, vt ratione laboris in eo conficiendo, vel quatenus instruit intellectum, &c.

Limitatur secundò, ab eodem Suarez *n.* 21. Victoria, & aliis, quando consilium magis pendet ex donis peculiaribus Spiritus sancti, quàm ex sola doctrina, & studio humano, vt cùm datur consilium ad iudicandum, an aliqua vocatio sit à Deo; vel an talis reuelatio sit à Deo, vel quo pacto orandum, vel qua ratione tentationibus obsistendum sit, &c. tunc enim nihil accipi potest pro huiusmodi consilio, tum quia est consilium spirituale: tum quia nullus vir timoratæ conscientiæ audet quicquam pro huiusmodi consiliis capere. Hęc limitatio probabilissima est. Verùm si consilium detur ad instruendum intellectum, & per modum humani magisterij, censeo non esse materiam simoniæ, vt patet ex rationibus allatis de illo, qui consilium in doctrina Theologica præbet.

8 Concio est materia simoniæ si ipsa per se spectetur.

8 Quæres primò, vtrùm simonia committatur tradendo, vel accipiendo aliquid pro concione.

Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia concio est actus docendæ Theologiæ; actus autem docendi Theologiam vendi possunt, vt supra dictum fuit.

Respondeo, (præciso labore, & sustentatione, quæ in pactum deduci potest, vt infra ostendam) nihil accipi posse pro ipsa concione. Ratio est, tum quia concio est actus sacer, & est opus proprium & principale Dei; Concionator enim est veluti legatus Dei, missus ad hoc opus, Matth. vltimo, & Marci vltimo, *Euntes ergo prædicate*, &c. Roman. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Tum quia adulterantes verbum Dei sacrilegi sunt; ergo etiam Simones sunt qui verbum Dei vendunt. Consequentia patet, quia sicut sacrilegium committitur violando rem sacram, ita etiam illam vendendo, tum quia concio excitat, & inflammat homines ad pœnitentiam, & amorem; sed hoc est opus spiritus; nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui fructum dat Spiritus sanctus, &c. Tum quia accipiens aliquid pro operibus gratiarum, simoniam committit. Ergo etiam illam committit accipiens aliquid pro concione. Hæc consequentia probatur, quia Christus mittens Apostolos ad prædicandum *Matth.* 10. sub eodem verborum contextu præcipit gratis dari opus concionandi, & reliqua dona, ibi, *Euntes prædicate, dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite, gratis accepistis, gratis date.* Ita S. Augustin. *lib. de pastoribus c.* 2. S. Thom. 2.2. *q.* 100. *artic.* 3. *ad* 2. Caietan. *ibidem*, Angelus *Simonia* 3. *num.* 9. Syluester *verbo simonia quæsito* 9. Tabiena *eodem verbo* 2. & alij communiter, teste Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 22. [Paulo Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vlt. num.* 32.] Filliucius *tract.* 45. *quæs.* 8. *num.* 32.

Ad rationem dubitandi respondeo, actum concionandi non esse actum Theologiæ naturalem, & doctrinalem, institutum solum ad instructionem intellectus; sed esse peculiare Spiritus sancti opus, tendens ad inflammandam hominis voluntatem ad amorem Dei, & pœnitentiam.

9 Docens Christianã doctrinã, præuio pretio, non committit simoniam, nisi illam doceat cõcionando, & persuadendo.

9 Quæres secundò, vtrùm simonia committatur accipiendo temporale pro actu docendi doctrinam Christianam. Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia actus docendi doctrinam Christianam, est actus Theologiæ; actus autem docendi Theologiam non sunt materia simoniæ.

Respondeo, simoniam non committi accipiendo aliquid pro actu docendi doctrinam Christianam ad instruendum intellectum, vel ad iuuandam, & exercendam memoriam, vt communiter fieri solet in scholis doctrinæ Christianæ; hic enim est actus naturalis, vt patet ex dictis de actibus docendi Theologiam. Si verò doctrina Christiana tradatur, vel explicetur concionando, & persuadendo, committitur simonia, vt si infidelis doceatur doctrinam Christianam, ostendendo illius credibilitatem, vt credat, & conuertatur. Ratio est, quia hic est actus concionis. Idem à fortiori dicendum est, si actus docendi doctrinam Christianam exerceatur solemni ritu, tamquam actus ordinis, vt in Baptismo, in quo patrinus loco infantis de præcipuis nostræ fidei articulis interrogari solet: cùm enim hæc sit functio ordinis ex institutione Ecclesiæ, fatendum est esse actum sacrum: consequenter simoniæ materiam esse. Ita Vgolinus *de Simon. tab.* 1. *c.* 10. *num.* 3. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *c.* 18. *nu.* 24. Filliucius *loco cit. n.* 33. [Paulus Layman *n.* 32. Imò Lessius *lib.* 2. *c.* 35. *dub.* 13. *nu.* 77. asserit simoniam committi pro simplici Catechismo.

SECVNDA PROPOSITIO.

10 Licentia docendi non est materia simoniæ.

10 SImonia non committitur dando, vel accipiendo pretium pro licentia docendi. Ratio est, tum quia pretium non datur pro re sacra; actus enim docendi non est res sacra, vt probaui propositione antecedente: consequenter non est simoniaca. Ergo neque simoniacum est dare licentiam docendi, tum quia ipsa licentia non est actus potestatis spiritualis, & sacræ, vt suppono. Ergo non est materia simoniæ. Ita Hostiensis, Angelus, & alij apud Suarez *numer.* 19. Filliucius *num.* 12. Lessius *dub.* 13. *num.* 82. contra glossam *in cap.* 2. *de magistris*, & Panormitanum *ibidem*, asserentes dare huiusmodi licentiam esse quasi simoniam.

11 Idem militat in licentia docendi Theologiã.

11 Maior difficultas est, vtrùm vendens licentiam ad docendum Theologiam, simoniam committat.

Respondeo negatiuè: tum quia non datur pretium pro re sacra; actus enim docendi Theologiam est actus naturalis, & potestas ex qua datur, non est spiritualis, vt suppono, & ius docendi est eiusdem ordinis, cuius est scientia; ipsa autem scientia, quatenus labore, & industria humana comparatur, est naturalis: tum quia pretio conferens cathedram Theologiæ non committit simoniam; ergo nec illam committit, qui facultatem docendi Theologiam concedit. Ita Panormit. *in cap.* 2. *de magistris*, Suarez *cap.* 18. *num.* 14. Filliucius *ca.* 4. *quæs.* 7. Valentia *punct.* 2. & alij, *locis cit.* contra Paludanum, & Syluest. *locis cit.* & contra Lessium *lib.* 2. *c.* 35. *dub.* 13. *n.* 82. asserentem esse simoniam iuris humani, non autem iuris diuini.

12 Doctoratus, seu magisteriũ non est materia simoniæ.

12 Ex quo sequitur vendentem magisterium, seu Doctoratum Theologiæ non esse reum simoniæ: tum quia huiusmodi magisterium, seu Doctoratus nihil aliud est, quàm quædam approbatio ad docendum talem facultatem cum quibusdam honoribus, & priuilegiis, tum quia huiusmodi gradus conferri non solent sine pretio: tum quia actus docendi, ad quem huiusmodi magisterium ordinatur, non est spiritualis. Ita S. Ant. 3 *part. tit.* 5. *c.* 2. *§.* 6. Tabiena *verbo magister, nu.* 11. Suarez *loco cit. n.* 15. [Paulus Layman *n.* 31.] Filliucius *n.* 18. Lessius *loco cit. n.* 83. vbi asserit hoc verum esse, etiamsi magisterium, seu ius docendi conferatur à Papa potestate spirituali: nam facultas medendi Sacerdoti concessa descendit à potestate spirituali, & tamen ipsa non est spiritualis, & potestas Regia conferri aliquando potest à Papa potestate supernaturali, & tamen constat potestatem Regiam naturalem esse. Ratio est, quia potestas Ecclesiastica continet in se eminenter potestatem politicam: consequenter multa facere potest, quæ à potestate politica fiunt, & sunt ordinis naturalis. Hæc Lessius, sed de hac re infra: contrarium enim ab aliquibus DD. sustinetur.

§ XI.

Vtrùm materia Simoniæ non solùm sint res sacræ, & spirituales secundùm se; verùm etiam illæ, quæ spiritualibus sunt annexæ.

1 Sacrarum rerum genera, alia sunt per se sacra, alia per annexionem ad rem sacrã.

1 VT hæc difficultas rectè percipiatur, aduertendum est duo esse genera rerum sacrarum, & spiritualium; nam aliæ sunt res sacræ, & spirituales per se, aliæ per annexionem ad rem sacram.

Res sacræ, & spirituales per se, aliæ sunt tales, ex sua natura, vt sunt gratiæ gratis datæ, gratia sanctificans, habitus virtutum supernaturales, vel ipsorum actus: aliæ sunt tales ob Ecclesiæ institutionem, quia scilicet ab Ecclesia institutæ sunt; suppositа tamen institutione sunt per se sacræ, & spirituales, vt sunt benedictiones nuptiales, sacramentalia, tonsura, collatio tonsuræ, cæremoniæ Baptismi, & similia; perinde enim se habent, ac si à Christo institutæ fuissent; nam institutio Ecclesiastica reuocatur ad diuinam institutionem, saltem mediatè, cùm fiat per potestatem diuinitus datam.

Res verò sacræ per annexionem illæ dicuntur, quæ ex se materiales, vel naturales sunt: per coniunctionem tamen, seu vinculum cum re sacra censentur sacræ, seu spirituales; cùm autem vna res possit cum altera connecti, vel quia ad illam ordinatur, vel quia illam comitatur, vel quia consequitur, hinc fit, vt connexum alteri tripliciter dici possit. Primò antecedenter. Secundò comitanter. Tertiò subsequenter. Illud dicitur antecedenter connexum rei sacræ, quod præcedit rem sacram, seu supponitur rei sacræ, cui connectitur, vt sunt vasa sacra, vestes sacræ, & similia. Nam licet ista sint sacra per se, si considerentur formaliter vt sacra, tamen si considerentur materialiter, non sunt sacra per se, sed dicuntur sacra antecedenter ratione materiæ, quæ supponitur consecrationi, & præcedit consecrationem.

Ad-

Adnexum comitanter dicitur illud, quod comitatur rem sacram, illiúque intrinsecè coniungitur, & est veluti pars, vnum totum cum re sacra componens, vt est labor ad rem, seu actionem sacram peragendam requisitus.

Adnexum consequenter dicitur illud, quod consequitur spirituale, & est veluti effectus illius rei spiritualis, quam consequitur: huiusmodi sunt beneficia; hæc enim consequuntur diuina officia, quia instituta sunt propter diuina officia, & dicuntur annexa diuinis officiis, consequenter tamquam ab illis dependentia. Ita Vgolinus *tab.1. c.34. de Simon.* Valentia *tom.3. disp.6. quæst.16. punct.1. vers. restat.* Molfesius *tract.6. cap.15. num.41.* Reginaldus *lib.23. num.115. & seq.* Suarez ex parte *de Simon. lib.4. c.33. num.2.* Filliucius *cap.5. quæsito 2.* [Paulus Layman *lib.4. tract 10. cap.8. num.3.*] & alij. Quamuis S. Thomas 2.2. *quæst.100. art.4.* Sylvest. *verbo Simonia, quæsito 1.* Angelus *eodem verbo, num.4.* Nauar. *cap.23. num.99.* Sotus *lib.9. de iustitia, quæst.7. art.1.* & alij enumerantes adnexa spiritualibus, assignent tantùm adnexa antecedenter, & consequenter, omissis adnexis comitanter, quia adnexa comitanter videntur potius spiritualia per se, quàm ob adnexionem. In hoc puncto agimus de iis, quæ non sunt spiritualia per se, sed per adnexionem cum spiritualibus.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Annexũ antecedenter spirituali, vt sic est materia Simoniæ, secus si per se spectetur.

2 ADnexum antecedenter spirituali, si spectetur, vt adnexum rei spirituali, est materia Simoniæ; consequenter vendi non potest. Ratio est, quia vt sic, censetur res sacra; cùm habeatur ratio rei sacræ, & res materialis non spectetur absolutè, sed sub respectu, & ratione rei spiritualis; res autem spiritualis vendi non potest, nec est materia venditionis, vt per se patet: nec est ratio venditionis, nam si venderetur vt ratio venditionis, eo ipso æstimaretur pretio.

Dixi, *si spectetur vt annexum spirituali*, nam si annexum antecedenter spirituali per se spectetur, non est materia Simoniæ; consequenter sine labe Simoniæ vendi potest. Ratio est, quia secundùm se est pretio æstimabile, nec valorem, & æstimationem suam amittit ob coniunctionem cum spirituali, si spectetur absque relatione ad spirituale.

3 Iuspatronatus est aliquid spirituale antecedenter, & vt sic vendi non potest.

3 Obiicies iuspatronatus enumeratur inter annexa spiritualibus antecedenter, sed iuspatronatus vendi non potest; ergo adnexum antecedenter spirituali vendi non potest.

Respondeo, iuspatronatus enumerari inter annexa spiritualibus antecedenter, vt comprehendit bona, seu fundum, cui adiunctum fuit iuspatronatus, quod est spirituale; consequenter ipsum ius vendi non potest; bona tamen ipsa vendi possunt, quibus in alium translatis transfertur etiam iuspatronatus: accessorium enim transfertur, translato principali, sicut consecratio calicis affixa est calici, & vendito calice, transfertur etiam consecratio, non quidem de subiecto in subiectum, cùm inhæreat calici ad quemcumque calix perueniat; sed extrinsecè, quatenus variatur dominus illius materiæ, cui consecratio adiuncta est.

Hæc tamen differentia est inter iuspatronatus reale, & personale, quòd reale non transfertur, nisi translatis bonis, cùm in ipsis fundetur, *cap. ex litteris, & cap. cùm sæculum, de iurepatr.* Personale verò transfertur, non translatis bonis, sed per liberalẽ donationem; interueniente tamen Episcopi consensu, dum huiusmodi iuspatronatus transfertur in alios, quàm in religiosos, *cap. illud. de iurepatron. & cap. vnico, eodem titulo in 6.*

Ex dictis patet ipsum iuspatronatus vendi non posse, tum quia est aliquid antecedenter adnexum rei spirituali, *cap. de iure, cap. præterea. de Simon.* tum quia *in cap. quia Clerici. de iurepatron.* prohibetur vendi aduocationem, quæ coincidit cum iure patronatus, & continetur sub nomine defensoris, & aduocati. *cap. Saluator 1. quæst.3.* patronus enim est defensor, & aduocatus suæ Ecclesiæ. Sicut ergo Simonia iuris humani committitur vendendo officium aduocati, & defensoris Ecclesiæ; ita etiam vendendo iuspatronatus. Imò probabilissimum mihi videtur committi etiam Simoniam iuris diuini vendendo iuspatronatus, habita ratione ipsius iuris. Ratio est, quia huiusmodi ius, posita institutione Ecclesiæ, est aliquid spirituale, ius enim est veluti quædam potentia, quæ specificatur ab obiecto; sed obiectum istius iuris est beneficium, cùm patronus habeat ius præsentandi ad beneficium, & beneficium est aliquid spirituale, quod est materia Simoniæ iure diuino prohibitæ; ergo committitur Simonia iuris diuini vendendo iuspatronatus.

4 Præsentatio est actio spiritualis.

4 Idem dic de ipsa præsentatione, seu actu præsentandi: tum quia est actio spiritualis: tum quia specificatur ab obiecto, sicut specificatur potentia, & confert aliquid spirituale. Ita glossa vltima *in cap. præterea 1. de transact.* Panormit. *ibidem*, Butrius, & alij *in cap. quanto, de iudic.* Redoanus *de Simon. 3. parte cap.13. num.22.* Suarez *lib.4. cap.28. n.7. & seq.* [Paulus Layman *lib.4. tract.10. cap.8. n.60.*]

Ex quo vlteriùs licet inferre, præsentantem non posse ob præsentationem imponere onus præsentato, ad quod aliàs non teneatur, vt si obliget præsentatum ad tuendum ius præsentantis, & ad litem pro ipso prosequendam. Ratio est, quia præsentatio est actio spiritualis, consequenter gratis fieri debet. Si verò imponat onus præsentato, vt suam præsentationem prosequatur, alioquin liberum sit præsentanti alium præsentare, vel agere, quod sibi opportunum visum fuerit, non committit Simoniam, quia nõ imponit onus præsentato, ad quod de iure non teneatur, nec præsentatus absolutè obligatur litem prosequi; sed sub conditione, si velit præsentationem suam vires habere. Nec obstat quòd inde commodum sequatur præsentanti, quia hoc non efficit, quin præsentatio liberè, & gratuitò facta sit. ita Nauarr. *consil.12. de Simon.* Vgolinus *tab.1. cap.49. §.2. n.5.* Suarez *cap.28. n.14.* Filliucius *tract.45. cap.6. quæsito 8. n.13.* & alij.

5 Bona iurispatronatus carius vendi non possunt ob iuspatronatus illis adnexum.

5 Secundò, patet bona iurispatronatus cariùs vendi non posse ob ius patronatus illis adnexum. Ratio est, quia ipsum ius est spirituale, consequenter non est pretio æstimabile; sed ipsa bona sunt pretio æstimabilia; consequenter ipsa vendi possunt, quantum ex se æstimantur, non habita ratione iurispatronatus; alioquin ipsum ius vendi censeretur. Ex quo fit, vt in nullo contractu oneroso habenda sit ratio iurispatronatus. Propterea iuspatronatus dari non potest in solutionem debiti temporalis, etiamsi debitor alia temporalia bona non habeat. Nec heres potest iuspatronatus tradere alteri in compensationem maioris portionis, quàm accipit, nec alia ratione iuspatronatus in pactum, vel contractum oneroſum deduci potest. Panormitan. *in cap. ex litteris 2. de iurepatronat.* Tabiena *verbo iuspatronat. n.7. & seq.* Vgolin. *tab.1. cap.49. §.2. n.5.* Suarez *tom.1. de relig. lib.4. cap.28. num.13.* & alij communiter.

6 Bona iurispatronatus vendi possunt nõ solùm dum iuspatronatus cohæret bonis, verùm etiã dum bona cohærent ipsi iuri patronatus.

6 Rogabis primò, vtrùm bona iurispatronatus vendi, & in alium transferri possint, dum bona, & iuspatronatus habent quidem connexionem inter se, non tamen iuspatronatus cohæret bonis, sed potiùs bona cohærent ipsi iuripatronatus, vt dum quis instituit iuspatronatus hoc pacto, vt patronus possideat bona, cum hoc tamen onere, vt consulat necessitati, & egestati Ecclesiæ, cùm opus fuerit.

Respondeo, adhuc vendi posse, dum possidens illa bona potest aliquos fructus in sui vtilitatem conuertere, seu dum supersunt aliqui fructus præter illos, qui in vtilitatem Ecclesiæ conuertendi sunt. Ratio est, quia huiusmodi bona adhuc sunt pretio æstimabilia, nec suam æstimationem, & valorem amittunt ob connexionem cum iurepatronatus; præsertim cùm iuspatronatus adhuc dici possit accessorium respectu bonorum per se consideratorum, & iuspatronatus illis cohæreat ex voluntate instituentis, vt benè Suarez *lib.4. cap.28. n.22.* & Filliucius *tract.45. cap.6. quæsito 9. n.15.*

SECVNDA PROPOSITIO.

7 Adnexũ spiritualibus comitanter est materia Simoniæ.

7 ADnexum spiritualibus comitanter est materia Simoniæ. Ratio est, tum quia est intimè coniunctum rei spirituali, consequenter ab aliquibus Doctoribus vocatur per se spirituale: tum quia ad hoc facit regula Vrbani *in cap. si quis obiecerit 1. quæst.3.* vbi dicitur: *qui horum alterum vendiderit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit.*

An autem labor extrinsecus actioni sacræ vendi possit, inferiùs explicabo vendi posse, quia hic non videtur adnexus rei spirituali, nisi per accidens, & extrinsecè, vide infrà dicenda *quæst.6. §.3.*

TERTIA PROPOSITIO.

8 Adnexũ spiritualibus consequenter est materia Simoniæ.

8 ADnexum spiritualibus consequenter, est materia Simoniæ, consequenter vendi non potest absque Simonia. Ratio est, tum quia cùm pendeat à spirituali tamquam accessorium à principali, vendi non potest sine principali, sed principale est materia Simoniæ: ergo etiam accessorium: ergo adnexum spiritualibus consequenter, est materia Simoniæ: ergo vendi non potest: tum quia ad hoc facit *cap. si quis obiecerit*, cuius verba retuli *in 2. propos.*

Obiicies, eadem videtur ratio adnexorum consequenter, & adnexorum antecedenter; sed adnexa antecedenter vendi possunt, si per se, & ratione materiæ præcisè spectentur: ergo etiam vendi possunt adnexa consequenter.

Respondeo, negando maiorem propositionem. Ratio disparitatis est, quia annexum antecedenter spirituali, præcedit ipsum spirituale, & est veluti principale respectu accessorij, & ipsum spirituale videtur magis adnexum temporali, quàm temporale spirituali: consequenter annexum antecedenter non amittit suam æstimationem ob coniunctionem, si per se, & præcisè spectetur absque relatione ad spirituale; annexum verò spirituali consequenter, supponit ipsum spirituale, & ab eo pendet tamquam accessorium à principali; sicut autem ipsum principale est spirituale, & vendi non potest absque Simonia; ita neque vendi potest temporale illi annexum; accessorium enim imitatur, & sequitur naturam principalis. *l. etiam, C. de iure dot. & reg. accessorium. 42. de reg. iur.*

Quæ diximus in hac propositione, intelligenda, & limitanda sunt, nisi venditio fiat auctoritate Summi Pontificis. Cùm enim bona temporalia auctoritate ipsius annexa fuerint iuri spirituali, possunt etiam ipsius auctoritate separari, & facta realiter, vel per intentionem separatione vendi; quia facta separatione non habent rationem accessorij, sed principalis. Consequenter tunc non sequuntur naturam spiritualis cùm illi adnexa non censeantur, vt in simili tradit Menochius *de interdicto, remed. 6. recuper. possess. n.45.*

9 Beneficiarius resignans alteri beneficium non potest quidquam exigere ab eo, cui beneficium confert, etiãsi intendat aliquid exigere ratione fructuũ.

9 Ex dictis sequitur primò beneficiarium, qui beneficium alicui resignat, non posse quidquam exigere ab eo, cui beneficium confert, etiamsi intendat aliquid exigere ratione fructuum, & emolumentorum. Ratio est, tum quia persona priuata non potest formaliter, aut virtualiter separare præbendam, seu emolumentum, & fructus à beneficio, sed non potest quidquam ratione beneficij exigere; ergo neque potest quidquam exigere ratione fructuum, alioquin exigeret pro ipso beneficio, seu pro titulo spirituali, à quo ius ad fructus non separatur: tum quia si beneficiarius posset aliquid exigere ratione fructuum beneficij, posset alicui vendere fructus beneficij, & alteri titulum conferre; sed hoc facere non potest; ergo signum est vnum ab alio separari non posse; consequenter si vnum vendat, censeri etiam alterum vendere: tum quia beneficiarius habet ius ad fructus ratione tituli, seu ratione sacri ministerij, nec fructus ei alio titulo competunt. Ideo si ministerium suum non persoluat, fructus non percipit; beneficium enim datur propter officium, & datum ob causam, recipi non potest, causa non subsecuta: ergo dum beneficiarius vendit ius ad fructus, vendit ius spirituale, seu titulum, quia non potest illud ius vendere, nisi quod ipse habet.

10 Beneficiarius resignans beneficium accepto pretio ratione fructuum Simoniam incurrit etiam contra ius diuinum.

10 Ex quo licet inferre, præfatum beneficiarium aliquid exigentem esse reum Simoniæ.

An autem beneficiarius exigens aliquid ratione fructuum ab eo, cui beneficium confert, seu resignat, incurrat etiam Simoniam iuris diuini, dissensio est inter Doctores.

Sententia affirmatiua mihi probabilissima videtur, quia accipitur temporale pro spirituali, & priuatus non potest ius ad fructus separare

rare à iure ſpirituali. Ita ſentire debent Victoria *relect.de Simon.n.*44. Couarr.*reg.peccatum, part.*2.§.8.*num.*8. Caietan.*tom.*2.*opuſc.tract.*9.*quæſt.*1. Valent.3.*tom.diſp.*6.*quæſt.*16.*punct.*2.*col.*11. Sotus *lib.*9.*quæſt.*7.*art.*1.Azor.3.*part.lib.*12.*de Simonia, cap.*11.*quæſ.*3. [Paulus Layman *lib.*4.*tract.*10.*cap.*8.*num.*45.]Adrianus, Maior, & alij Theologi apud Garziam 1.*part.cap.*2.*n.*16.aſſerentes vendentem beneficium tantùm intuitu commodi temporalis, quod in ipſo eſt, committere Simoniam,etiam iuris diuini.Contraria tamen opinio probabilis eſt,eamque ſequitur Iulius Clarus *lib.*5.§.*Simonia,num.*5.Vgolinus *de Simon. tab.*1.*c.*3.§.5. Nauarr.*c.*23.*n.*108.*verſ.*9. & Canoniſtæ communiter, teſte Garzia 1.*part.c.*2.*num.*9. Quorum opinio probari poteſt rationibus, quas loco obiectionum ſtatim afferam.

Obiicies primò, poteſt quis calicem conſecratum vendere ratione materiæ, etiamſi conſecrationem à materia ſeparare nequeat, nec Pontifex efficere poſſit, vt calix conſecratus,non ſit conſecratus; ergo etiam vendere poteſt beneficium ratione emolumentorũ, quamuis nequeat ius ad emolumenta ſeparare à iure ſpirituali.

Reſpondeo,negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia calix eſt res ſacra antecedenter;beneficium verò eſt aliquid ſpirituale conſequenter; quod autem eſt ſacrum, & ſpirituale conſequenter, vendi non poteſt,quia imitatur naturam principalis,& priuata perſona facere non poteſt ſeparationem vnius ab alio, nec formaliter, nec virtute,nec alia ratione.

Obiicies ſecundò, Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi,aut vendendi ſpirituale pro temporali;ſed beneficiarius non intendit vendere ſpirituale pro temporali, ſed intendit vendere fructus beneficij, qui ſunt aliquid temporale; ergo.

Reſpondeo beneficiarium, qui beneficium alteri confert, exigendo aliquid pro fructibus, cenſeri illud exigere pro ipſo beneficio,ſeu titulo,quia vendit fructus obtinendos titulo beneficij; conſequenter etiam cenſetur vendere titulum beneficij: cum ius ad fructus non acquiratur, niſi ratione beneficij, & quamuis velit vendere ſolos fructus; de facto tamen vendit illos, vt percipiendos titulo ſpirituali, cùm nequeat illos ſeparare,aut aliter transferre; conſequenter vendit ipſum titulum ſpiritualem; conſequenter Simoniam committit contra ius diuinum.

Obiicies tertiò, beneficiarius poteſt beneficij bona alteri locare ad triennium, & præciſa Eccleſiæ prohibitione poſſet pro toto vitæ ſuæ tempore;ſed locatio æquiualet venditioni præbendæ, ſeu fructuum; ergo vendi poſſunt fructus beneficij,non vendito titulo.

Reſpondeo beneficiarium poſſe quidem beneficij bona alteri locare,& locationem æquiualere venditioni fructuum,non tamẽ poſſe beneficium alicui conferre, accepto pretio in compenſationem fructuum.Ratio diſparitatis eſt,quia fructus beneficij colligi non ſolent, niſi ab habente titulum beneficij, aut vice alicuius habentis titulum, & dum beneficiarius locat alteri bona beneficij,fructus colliguntur à conductore vice beneficiarij;dum verò beneficium in alterum transfertur, fructus colliguntur nomine illius, in quem transfertur; conſequenter vendens fructus cenſetur titulum vendere,cùm ius ad fructus conſequatur titulum, nec ius ad illos acquiratur,niſi ratione tituli; beneficium enim eſt ius perpetuum miniſtrandi in Eccleſia, & recipiendi ex bonis Eccleſiæ annuos fructus pro miniſterio.

Obiicies quartò, beneficiarius non tenetur actionem aliquam facere in ſui damnum, & incommodum, ſed poteſt ſibi conſulere, & ſe indemnem ſeruare: ergo beneficiarius, dum alteri beneficium confert,poteſt aliquid pro fructibus,quibus ſe priuat,exigere,vt ſibi conſulat, ſeque indemnem ſeruet.

Reſpondeo,beneficiarium volentem alteri beneficium ſine damno cedere, poſſe ſe indemnem ſeruare, accipiendo aliquid de licentia Summi Pontificis, non verò propria auctoritate, cùm hoc iure meritò vetitum ſit ob infinitas fraudes, & innumeras Simonias, quæ inde ſequerentur, & priuata perſona nequeat ius ad fructus ſeparare à titulo.

11 Epiſcopus,ſeu beneficij collator nihil exigere poteſt ob beneficij collationem.

11 Secundò, ex dictis *in* 3.*propoſitione* ſequitur non ſolùm priuatam perſonam non poſſe quidquam exigere, dum confert alteri beneficium: verùm neque Epiſcopum, etiamſi hoc facere intendat intuitu temporalis incommodi. Nam ſi ſpectemus beneficium, vt continet titulum ſpiritualem, certum eſt vendi non poſſe, cum titulus beneficij ſit ius quoddam ſpirituale, *cap.dilecto,de præbend.* Si verò ſpectetur beneficium ratione præbendæ,id eſt,emolumentorum,neque poteſt vendi: tum quia Epiſcopus, iure poſitiuo prohibente, ſeparare non poteſt fructus,& emolumentum à beneficiis,nec facere poteſt,vt ius ad fructus beneficij acquiratur, niſi ratione iuris, & tituli ſpiritualis: nam iure communi ſancitum eſt, vt Epiſcopi conferant beneficia ſine diminutione, *cap.prohibemus.de cenſibus, cap.vlt.*1.*quæſt.*3.*cap.maioribus,& cap.vacante.de præbend.* ideo non poteſt penſionem ſuper beneficio imponere, nec onus pecuniarium capienti beneficium imponere, poſita prohibitione Eccleſiæ. Excipiuntur tamen nonnulli caſus à Doctoribus.

12 Epiſcopus ſeparans Eccleſiam ſui iuris à ſua dignitate,aliquid exigere poteſt in recognitionem iuris antiqui.

12 Primus eſt, quando Epiſcopus ſeparat Eccleſiam ſui iuris, à ſua dignitate:tunc enim poteſt aliquid in recognitionem antiqui iuris,& ſuperioritatis reſeruare ſuæ Sedi,*cap.conſtitutus,de religioſ.domib.*

Secundus eſt, dum ſenex beneficium renuntiat: tunc enim aliqui Doctores putant Epiſcopum poſſe reſeruare penſionem ad vitam renuntiantis propter ſenium.

Tertius eſt in tranſactionibus,& concordia litium,in quo caſu aliqui Doctores ſentiunt Epiſcopum poſſe penſionem perſonalem imponere, *cap.de cetero. de tranſact.* Verùm quid ego in his caſibus ſentiam,conſtat ex dictis *de penſionibus.* Vide Gambaram *de offic.& poteſt. legat.libr.*6.*cap.*77. Gigantem *de penſionibus,quæſt.*6. & Suarez *de Simon.lib.*4.*cap.*24.*n.*36.

13 Papa nõ poteſt in collationibus beneficiorum quidquam

13 Tertiò ſequitur, etiam Papam non poſſe in collationibus beneficiorum quidquam exigere in ſui,aut alterius fauorem,ſi beneficium ſpectetur ratione tituli,ſeu iuris ſpiritualis.Ratio eſt,quia titulus beneficij eſt aliquid ſpirituale;Simonia autem contra ius diuinum committitur accipiendo temporale pro ſpirituali.Ex quo ſequitur Papam eſſe reum Simoniæ,ſi exigat temporale pro beneficio, non facta ſeparatione præbendæ à titulo;cùm enim ius ad fructus acquiratur ratione iuris ad diuinum officium, ſequitur vendentem ius ad fructus, vendere etiam ius ad diuinum officium, cùm ius ad fructus ſit aliquid ſpirituale conſequenter: ſi verò beneficium ſpectetur ratione præbendæ,ſeu emolumentorum, exiſtimo Papam poſſe aliquid exigere ratione præbendæ,aut illam vendere. Ratio eſt,tum quia Papa ſi non eſt dominus,eſt ſaltem adminiſtrator bonorum Eccleſiaſticorum cum maxima facultate, & iure, vt docui de alienatione bonorum Eccleſiaſticorum,& alibi. Ergo poteſt vni beneficium conferre cum iure ad officium ſpirituale, & ad partem fructuum tantùm, reſeruata ſibi,vel alteri reliqua parte: tum quia poteſt quis bona ſua alteri conferre, reſeruata ſibi certa penſione. Ergo etiam Papa poteſt bona Eccleſiaſtica alicui tradere,reſeruata certa penſione: tum quia Papa poteſt extinguere beneficium; ſed tunc ſeparat emolumentum, ſeu præbendam ab officio: ergo Papa ſeparare poteſt beneficium à fructibus, & fructus à beneficio, vt dicit ius ad ſacrum miniſterium, & ad fructus ratione ſacri miniſterij; conſequenter poteſt præbendam,facta ſeparatione, vendere abſque Simonia: tum quia beneficium duo iura includit, vnum ad ſacrum miniſterium, alterum ad fructus;ſed hæc duo iura connexa ſunt ex inſtitutione,& auctoritate Summi Pontificis;ergo etiam illius auctoritate ſeparari poſſunt:nam res per quas cauſas naſcitur,per eaſdem diſſoluitur: tum quia Papa poteſt emolumenta beneficij laico donare, etiam licitè: ſi hoc iuſta de cauſa faciat: ergo,&c.

exigere, ſi beneficiũ ſpectetur ratione tituli.

Ex quo patet,Pontificem tradentem alicui beneficium cum onere penſionis,non eſſe reum Simoniæ,quia penſio non habet vim pretij; nec Papa quidquam accepit à penſionario, quod ſit ipſius penſionarij; ſed Papa reſeruat ſibi ius circa fructus beneficij ad congruam ſui, vel alterius ſuſtentationem, & quia hæc fructuum reſeruatio non fit in perpetuum,ſed ad tempus;ideo imponitur beneficiario onus illam ſoluendi.

14 Papa poteſt penſionem imponere, & nolle beneficiũ conferre, niſi illi, qui vult penſionem ſoluere.

14 Imò Papa poteſt imponere penſionem,& nolle beneficium conferre,niſi illi, qui vult penſionem ſoluere: non enim petit penſionem pro titulo, ſed ratione fructuum, ad quos ius ſibi, vel alteri reſeruat. Et in hoc caſu duo concurrunt, quorum vnum eſt datio beneficij, & eius acceptatio, alterum eſt impoſitio penſionis: vnum tamen non miſcetur cum alio: ſed Papa non vult vnum ſine alio celebrare: ſicut in mutuo poteſt quis in ſententia nonnullorum Doctorum habere voluntatem mutuandi pecuniam,ſi alter etiam mutuet triticum,aliàs non mutuaturus, ſi alter triticum mutuare nolit. In quo caſu duo contractus intercedunt, & vnus cum alio non confunditur, & vterque licitus eſt iuxta probabilem nonnullorum ſententiam, vt patet ex dictis *de contractibus.*

15 Papa poteſt dum beneficiũ alicui confert cum penſione, æſtimare totum penſionis valorem, illumque anticipatè recipere, aut alteri conferre ius ad illud recipiendũ.

15 Maior difficultas eſt, vtrùm Papa poſſit, dum beneficium alicui confert cum penſione, æſtimare ſimul temporalem totius penſionis valorem,illumque ſimul anticipatè recipere pro ſe,aut alteri ius conferre ad illum recipiendum.

Reſpondeo, poſſe recipere, aut facultatem conferre alteri ad recipiendum illum valorem penſionum,ſeu penſiones anticipatas. Ratio eſt,tum quia ſicut penſio,ſtatim ac impoſita eſt,redimi poteſt,& Papa concedere poteſt facultatem, vt redimatur: ita etiam poteſt imponere onus, vt penſio ſtatim redimatur: tum quia Papa non exigit temporale pro ſpirituali; ſed mente, & intentione facit ſeparationem fructuum, & emolumentorum à titulo, & ex illis fructibus certam partem reſeruat,eamque ſtatim ſibi vult perſolui,in quo caſu non facit iniuriam beneficiario, cùm Papa ſit adminiſtrator bonorũ Eccleſiaſticorum cum plena poteſtate, & poſsit beneficium liberè conferre,vel cum onere, habita ratione commodi temporalis, quod mente ſeparat à titulo: tum quia ſicut poteſt quis alicui bona ſua tradere cum onere ſoluendæ ſibi ſtatim certæ pecuniæ; ita etiam Papa poteſt beneficium hac conditione conferre, facta per intentionem ſeparatione fructuum à titulo, vt alter ius ad fructus non acquirat, niſi certam pecuniæ ſummam ſtatim tradat. Et hoc valet,etiamſi Papa nolit beneficium conferre,niſi volenti penſionem ſtatim redimere,vt patet ex rationibus allatis *num.precedenti.* Ita Maior *in* 4.*diſt.*25.*quæſt.*3.*ad* 4.Adrianus *quodlibeto* 9.*ad* 9. Sotus ex parte *lib.*9.*de iuſt.quæſt.*7.*art.*2.*ad finem corporis,* Suarez *tom.*1.*de relig.lib.*4.*cap.*24.*num.*25. vbi hanc ſententiam probabilem exiſtimat,Filliucius *tract.*45.*cap.*5.*quæſito* 8.Valentia *tom.*3.*diſp.*6.*quæſt.*16.*column.*16.*verſ.*2.Reginaldus *lib.* 23.*num.*282.

16 Reſignãs Epiſcopatũ alteri poteſt de licentia Papæ reſignare Epiſcopatũ cum pacto vt reſignatarius ſtatim extinguat penſionem, qua extincta mille remaneant titulari Epiſcopo.

16 Hinc patet quid dicendum ſit ad illam quæſtionem,qua quæritur,vtrùm reſignans Epiſcopatum alteri cum penſione, qua poſita non remanerent mille reſignatario,iuxta Concilij diſpoſitionẽ,poſſit cum reſignatario conuenire, & debitam cautionem extorquere, vt reſignatarius ſtatim capta Epiſcopatus poſſeſſione redimat penſionem conuentis annatis.

Reſpondeo enim poſſe de licentia Papæ,vt patet,tum ex allatis rationibus:tum quia hoc pacto remanent mille ipſi reſignatario,ſicque conſulitur ſucceſſoribus,ad quos Epiſcopatus ſine tanto grauamine, & onere transferetur.

Obiicies primò,redemptio eſt quædam emptio, ſeu venditio; ſed beneficium vendi non poteſt; ergo neque redimi certis penſionibus.

Reſpondeo, redemptionem penſionis non eſſe emptionem, ſeu venditionem rei ſpiritualis,ſed temporalis,quæ non eſt adnexa titulo beneficij; cum per impoſitionem penſionis ſeparetur illa pars reddituum à beneficio, & non exigatur pro titulo beneficij, ſed pro fructibus.

Obiicies ſecundò, committitur Simonia iuris diuini, dum beneficium alicui cõfertur cum onere pretio æſtimabili;ſed in hoc caſu imponitur onus pretio æſtimabile,tum quia beneficiarius inuitus cogitur penſionẽ ſtatim redimere; tum quia exponitur periculo perdendi pecuniam illam, ſi prius ex hac vita decedat, quàm percipiat fructus beneficij,illi pecuniæ,ſeu penſioni,anticipatè ſolutæ, reſpondentes.

Reſpon-

Respondeo, non imponi onus pro titulo beneficij, sed pro fructibus separatis ex intentione Pontificis à beneficio: & quamuis beneficiarius inuoluntariè mixtè soluat, nihilominus soluit id, cui consensit, & ad quod obligari potuit: & quamuis periculum subeat amittendi pecuniam, antequam recuperet fructus beneficij respondentes illi pecuniæ, tamen hoc periculum compensatur commodo quod percipere poterit, si diutiùs viuat; quòd si excessus pensionis impositæ, & anticipatè redemptæ non sit æquale commodo, & periculo, quod beneficiarius subit, inde non arguitur Simonia, sed iniustitia, cùm nihil exigatur ratione beneficij, vt dicit ius ad sactum ministerium, & ad fructus mediante sacro ministerio.

§. XII.

Vtrùm Simonia committatur in permutatione beneficiorum, aliarumve rerum spiritualium.

EX dictis in præcedentibus constat, Simoniam committi, dum res temporalis traditur pro spirituali, dum videlicet traditur res materialis in pretium rei spiritualis, seu dum res pretio æstimabilis datur in commutationem, seu quasi appretiationem rei spiritualis. In hoc puncto agendum nobis est primò in genere, vtrùm Simonia committatur tradendo, seu commutando spirituale pro spirituali vt Missam pro Missa, vel pro aliis diuinis Officiis. Secundò in specie de beneficiis, vtrùm illorum commutatio simoniaca sit, saltem contra ius Canonicum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Permutatio rei spiritualis cũ alia re spirituali simoniaca non est.

1 NOn committitur Simonia contra ius diuinum tradendo, seu commutando spirituale pro spirituali præcisè.

In hac propositione non conueniunt omnes Doctores, duplex enim est sententia.

Prima est Ricardi, Paludani, & aliorum locis infrà citandis, asserentium committi Simoniam. Hęc sententia probari solet rationibus, quas in obiectionibus afferam.

Secunda sententia, cui tamquam probabiliori adhæreo, negat committi Simoniam, tradendo spirituale pro spirituali. Ratio est, tum quia Simonia consistit in commutatione rei spiritualis pro pecunia, iuxta illud Actor. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*; sed res spiritualis non est pecunia (nam res spiritualis non est res pretio æstimabilis: nomine autem pecuniæ intelligitur omne id, quod est pretio æstimabile, *cap. totum* 1. *quæst.* 3.) ergo non cõmittitur Simonia contra ius diuinum, tradendo, seu cõmutando spirituale pro spirituali: tum quia commutando rem spiritualẽ pro spirituali nulla fit iniuria rei spirituali: nam gratia datur pro gratia, *Ioan.* 1. ergo non cõmittitur Simonia tradẽdo spirituale pro spirituali; cùm per Simoniam iniuria rei sacræ fiat: tum quia quotidiana experientia cernimus huiusmodi commutationes fieri: nam Sacerdos aliquando orat alium Sacerdotem, vt Missam iuxta suam voluntatem faciat, promittens se alio die celebraturum iuxta illius intentionem. Idem contingere solet in aliis functionibus spiritualibus, vt in exercenda animarum cura, in audiendis confessionibus, & similibus. Ita Sanctus Thomas 2.2. *quæst.* 100. *artic.* 2. Durand. *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 5. *num.* 9. Couar. 1. *variar. cap.* 5. *num.* 4. Victor. *in relect. de Simon. num.* 17. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 30. *nu.* 5. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 7. *quæsito* 2. *numero* 6. Azor. 3. *par. libr.* 12. *punct.* 3. *quæs.* 2. contra Ricardum *in* 4. *d.* 25. *artic.* 3. *q.* 1. *ad* 1. Paludan. *ibid. q.* 2. *num.* 15. & alios asserentes Simoniam committi, tradendo spirituale ex pacto vero, & oneroso.

2 Permutatio rei spiritualis cũ alia spirituali, cui adnexa est, simoniaca est.

2 Dixi in propositione, *tradendo spirituale pro spirituali præcisè*, vt innuerem, Simoniam committi, dum pro spirituali traditur res temporalis, seu spiritualis adnexa temporali, seu dum pro re spirituali, cui adnexa est res temporalis, traditur alia res spiritualis, cui alia res temporalis pretio fior adnexa est: vt si tradatur imago benedicta pro calice consecrato, aut calix pro Ecclesiastico beneficio, tunc enim res illa temporalis censetur commutari, siue compensari cum re spirituali, nisi fortè constaret excessum gratis tradi, & donari. Tunc enim, qua parte est excessus, non contingit commutatio, sed donatio.

Hinc patet Coronam benedictam pretiosæ materiæ commutari non posse cum alia vilis materiæ, cui sunt adnexæ indulgentiæ; nam indulgẽtia cõmutari videtur cum præstantia materię alterius coronæ.

Secundò patet spiritualia antecedenter commutari non posse cum iis, quæ sunt spiritualia consequenter, vt calix consecratus pro beneficio: nam id quod principaliter, & fundamentaliter spectatur in calice est materia, seu temporale, quod est pretio æstimabile, & vendibile, etiamsi adnexum sit rei sacræ: quod verò principaliter spectatur in beneficio, est sacrum, & spirituale; temporale verò est solum quid consequens ad spirituale. Propterea dum calix traditur pro Ecclesiastico beneficio, videtur tradi temporale pro spirituali; opus ergo est, dum spirituale pro spirituali traditur, tradatur præcisè pro spirituali, & seruetur proportio, ita vt vel spiritualia, quæ commutantur, sint per se spiritualia (etiamsi fortè vnum opus spirituale sit præstantius alio in ratione rei spiritualis, spiritualia enim non sunt pretio æstimabilia) vel si habent temporale adnexum, temporale in vtroque sit antecedenter, vel in vtroque consequenter, vt benè ratiocinantur Suarez *libr.* 4. *cap.* 30. *numer.* 8. *ad finem*, & Filliucius *loco citato, numero* 6.

Obiicies primò contra propositionem, commutans rem spiritualem cum alia spirituali non est dominus illius: homo enim non habet dominium rerum spiritualium; ergo committit Simoniam commutando spirituale cum spirituali.

Respondeo primò, negando hominem non habere aliquod dominium rerum spiritualium, saltem ratione operum, quæ liberè à nobis fiunt, aut etiam ratione materiæ, cui spiritualitas adhæret, vt calix consecratus, imago benedicta, & similia: deinde etiamsi homo non sit dominus rerum spiritualium, est tamen administrator eorum, quæ priuatim possidet, consequenter potest illas cum aliis spiritualibus commutare.

Respondeo secundò, negando consequentiam. Non enim ideo Simonia committitur, quòd tradens rem spiritualem non sit dominus illius; sed quia res spiritualis pretio æstimatur, & cum re temporali commutatur; dum autem res spiritualis pro spirituali traditur, non commutatur cum re temporali, nec fit irreuerentia rei sacræ; cùm detur gratia pro gratia, iuxta illud Ioan. 1. *Gratiam pro gratia.*

Obiicies secundò, qui gratiam non dat gratis, facit contra naturam gratiæ, consequenter committit Simoniam; sed qui rem spiritualem pro spirituali tradit ex pacto oneroso, non dat gratiam gratis, iuxta illud, *Gratis accepistis, gratis date*, Matth. 10. ergo Simoniæ crimen committit.

Respondeo, negando illum, qui rem spiritualem tradit pro spirituali, facere contra naturam gratiæ; cùm adhuc dicatur tradere gratis, & sine pretio, & tradat *gratiam pro gratia*, Ioan. 1.

Obiicies tertiò, si licet rem spiritualem de præsenti commutare cum alia spirituali, licitum etiam erit dicere Missam, exempli gratia, modò alter obligetur ad dicendam aliam Missam in futurum; sed non potest obligari ad dicendam Missam in futurum, cùm ista obligatio sit pretio æstimabilis, vt patet ex dictis de mutuo, & vsura; ergo etiam Simonia est commutare rem spiritualem pro spirituali.

Respondeo, obligari posse ad dicendam Missam, & tradi posse rem spiritualem de præsenti pro alia in futurum recipienda. Ratio est, tum quia non habetur ratio illius obligationis, sed rei sacræ in futurum recipiendæ, non enim datur Missa pro obligatione alterius Missæ, sed pro ipsa Missa in futurum dicenda, & illa obligatio est veluti quædam conditio, sub qua datur Missa de præsenti, vt alia recipiatur: tum quia ipsa obligatio in tali euentu non est pretio æstimabilis, alioquin redimi posset pecunia, quod est falsum; sed consequitur naturam contractus. Et sicut mutuãs non potest aliquid pro mutuo exigere, & tamen potest obligare mutuatarium ad restituendam æqualem pecuniam; ita tradens rem spiritualem pro alia in futurum recipienda, obligare potest alterum ad rem illam spiritualem in futurum tradendam, vt benè Suarez *loco cit. num.* 7.

Obiicies quartò, Simoniæ crimen committitur permutando beneficium cum alio beneficio, vel cum alia re sacra, vt cum calice benedicto, & consecrato, etiam si fortè calix tanti momenti sit, vt æquet fructus beneficij: ergo spirituale commutari non potest cum alia re spirituali.

Respondeo, hoc esse peculiare in beneficiis, vt ipsorum permutatio, priuata auctoritate facta, Simoniæ labem contra ius Canonicum contineat, vt constabit ex infrà dicendis *in* 2. *propositione*. Si verò beneficium permutetur cum alia re spirituali solum antecedenter, probabile est committi Simoniam iuris diuini, quia beneficium, quod est per se spirituale, commutatur cum alia re, quæ est principaliter res temporalis, vt suprà explicaui *§. præcedenti, num.* 8. *& seq.*

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Beneficiorum permutatio, seu prouisio, priuata auctoritate facta simoniam contra ius Canonicum continet.

3 COmmittitur Simoniæ crimen contra ius Canonicum dum de priuata auctoritate aliquid fit circa permutationem, seu prouisionem beneficiorum. Hæc propositio patet ex multis textibus, *cap. quæsitum, cap. cum olim, de rerum permutat. cap. maior, de præbend.* Et licet in his textibus sermo fit tantummodò de permutatione dignitatum; nihilominus alibi extat generalis prohibitio, vt *in c. cum pridem, & cap. vltimo, de pactis*, vbi omnis pactio prohibetur in beneficiis; permutatio autem non celebratur sine pacto: permutatio enim est quidam contractus, omnis autem contractus est pactio. Ratio autem, cur Ecclesia vetuerit omnes pactiones in beneficiis, fuit periculum, suspicio, & occasio Simoniæ, & alia incommoda, quæ facilè sequi poterant, si permissum fuisset beneficia priuata auctoritate permutare, vt benè dixit Pontifex *in cap. audiuimus* 4. *de Simon.*

An autem in permutationibus beneficiorum committatur etiam Simonia contra ius diuinum.

Respondeo negatiuè, modò permutationes simpliciter, & purè fiant sine interuentu pecuniæ, vel alterius rei temporalis: nam Simonia contra ius diuinum committitur, dum temporale traditur pro spirituali; dum autem permutatio simpliciter, & purè celebratur, non traditur temporale pro spirituali. Ita Maior *in* 4. *dist.* 25. *q.* 5. *&* 6. Sotus *lib.* 9. *de iust. q.* 7. *art.* 2. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 50.] & alij contra nonnullos alios, quos tacito nomine innuit Azor. *cap.* 12. *quæsito* 2.

Obiicies, supposita institutione beneficiorum violatur ius diuinum, permutando beneficia priuata auctoritate; nam beneficia ex natura sua, quam habent posita tali institutione, cõferri non possunt, nisi à legitimo superiore: ergo permutantes beneficia propria auctoritate, committunt simoniam, etiam contra ius diuinum.

Respondeo, permutantes beneficia priuata auctoritate peccare quidem contra ius diuinum, & reos esse sacrilegij, & iniustitiæ, quia spiritualia indignè tractant, & iurisdictionẽ Ecclesiasticam sibi vsurpant; hoc tamen peccatum non est simonia, quia non interuenit emptio rei spiritualis pro temporali; sed vsurpatio iurisdictionis, & iniqua intrusio, vt benè docet Suarez *cap.* 31. *num.* 4.

4 Permutatio actionũ pertinentium ad prouisiones beneficiorum, simoniaca est, si priuata fiat auctoritate.

4 Ex dictis sequitur primò simoniam, saltem contra ius humanum, committi in commutationibus actionum pertinentium ad prouisiones beneficiorum: vt si quis dicat, tu elige hunc, & ego eligam illum, vel tu confirma hunc, & ego eligam illum, vel confer huic beneficium, & ego eligam illum, vel ego præsentabo hũc ad beneficium mei iurispatronatus, si tu beneficium tuum simplex mihi renuntiaueris, vel ego do tibi beneficium, vt cedas præsentationi, aut electioni de te factæ ad aliud. Ratio est, tum quia omnia pacta in beneficialibus prohibita sunt: tum quia hæc sunt via, & media ad beneficium: tum quia licet huiusmodi actiones sint spirituales, & vna permutari videatur

deatur cum altera, nihilominus moraliter æstimantur media ad temporale lucrum: consequenter Ecclesia iure meritò illas interdixit, vt benè Sylvester *verbo permutatio 2. quæsito 7. & 13.* Nauarr. *cap. 23. num. 100.* Suarez *cap. 31. num. 14.* Federicus de Senis *cap. 1. de rerum permut.* Filliucius *cap. 7. num. 12. & 13.* Reginald. *lib. 23. num. 263.*

Secundò, Simoniam contra ius humanum committi permutando priuata auctoritate beneficium cum Vicaria temporali ad nutum amouibili, vel cum aliis spiritualibus, quibus adnexum est temporale consequenter, vt patet ex *cap. quæsitum*, vbi dicitur, prohibita esse omnia pacta in iis etiam, quæ spiritualibus adnexa sunt.

Tertiò à fortiori sequitur Simoniam committi, dum priuata auctoritate permutatur beneficium cum pensione, quæ non fuit erecta in beneficium, vel dum beneficium cum beneficio permutatur, imposita simul pensione ad æquandos fructus. An autem in hoc casu incurratur etiam Simonia iuris diuini, constabit ex infrà dicendis.

5 Permutantes beneficia possunt prius inter se agere de permutatione facienda.

5 Sed modò dubium est, primò, vtrùm volentes permutare beneficia possint inter se agere de permutatione facienda.

Respondeo, posse inter se agere de permutatione facienda, seu de negotio permutationis, simulque præstare consensum, & inter se concludere, non quidem absolutè, sed in ordine ad consensum Prælati. Ratio est; tum quia hoc nullibi prohibitum est: tum quia *in cap. cum vniuersorum, de rerum permut.* non reprobatur tractatus, sed permutatio; ergo tractatus permissus censetur: tum quia permittitur permutatio coram legitimo superiore; sed hæc, moraliter loquendo, fieri non potest absque præuio tractatu; tractatio enim est præparatio, & via ad actualem permutationem coram superiore faciendam: ergo permissus censetur tractatus. Ita Sylvester *verb. permutatio, quæs. 3.* Valentia *punct. 3. col. 20.* [Paulus Layman *lib. 4. tract. 10. cap. 8. n. 50.*] & alij apud Azorium *cap. 12. quæs. 21.* vel potiùs 3.

6 Permutare volentes beneficia obligare se possunt ad persistendū in conuentione, donec superior consensum denegauerit.

6 Addo volentes inter se beneficia permutare, posse inter se pactum inire, seque obligare ad persistendum in conuentione, donec superior consensum denegauerit. Ratio est, tum quia huiusmodi conuentio nullibi prohibita est, cùm non sit permutatio, sed in ea solum agatur de permutatione facienda de consensu Prælati, & iuxta ipsius iurisdictionem: tum quia huiusmodi conuentio mala non est, cùm solum contineat obligationem ipsorum contrahentium ad persistendum in conuentione permutationis faciendæ, si Prælatus consenserit. Ita Suarez *cap. 32. num. 7.* Reginaldus *lib. 23. num. 262.*

Ex quo patet volentibus permutare non esse liberum à conuentione recedere, antequam Prælatus consensum deneget; si expressè pactum inierunt persistendi in conuentione, donec superior consensum deneget. Ita Federicus de Senis *tract. de permut. benefic. quæst. 38. num. 64. & seq.* Si verò non se obligauerunt ad persistendum in consensu, possunt re adhuc integra priorem consensum reuocare, quia tractatio solum præcesserat faciendæ permutationis, iuncta obligatione permutationis faciendæ, quantum erit ex parte ipsorum. Dixi *re integra*, quia re non integra, id est, aduenientе consensu Prælati approbantis permutationem, nequeunt retrocedere. Ratio est, tum quia partes acquisierunt ius: tum quia frustrà requireretur Prælati consensus, si eo præstito partes resilire possent.

7 Permutatio beneficiorum coram quo superiore faciēda sit.

7 Secundò dubium est, coram quo superiore facienda sit permutatio.

Respondeo superiorem, cuius auctoritate facienda est permutatio, esse proprium Episcopum loci, in quo situm est beneficium; modò sit permutatio beneficij cum beneficio, non verò beneficij cum pensione, & modò permutatio purè fiat. Ratio est, quia Episcopo datur facultas admittēdi permutationes beneficiorum *in cap. quæsitum, de rerum permutat. & cap. vnico, de rerum permut. in 6.* Nomine Episcopi aliqui Doctores intelligendum putant illum solum, qui iurisdictionem, & dignitatem simul Episcopalem habet.

Alij intelligendum putant quemlibet collatorem, ad quem spectat collatio beneficij, etiamsi fortè, nec dignitatem, nec iurisdictionem Episcopalem habeat.

Alij verò intelligunt eum, qui iurisdictionem habet Episcopalem, etiamsi fortè dignitatem Episcopalem non habeat: ob id Abbas, aut Capitulum, Sede vacante, aut alius Episcopali iurisdictione gaudens, potest permutationem facere, & approbare: hæc tertia opinio mihi probatur, nisi aliud aliquibus in locis ferat legitima consuetudo. Ratio est, quia hæc facultas conuenit superiori ratione iurisdictionis, non verò ratione dignitatis. Ita glossa *in Clement. vnica, de rerum permutat. verf. Concedantur*, Rebuff. *in praxi de permut. num. 2. & seq.* Rota *decis. 5. & 6. in nouis, de rerum permut.* & alij apud Suarez *c. 32. num. 11.* quibus etiam adhæret Reginaldus *lib. 23. numer. 261.* Filliucius, & alij.

Neque obstat *in cap. quærenti*, mentionem fieri solius Episcopi. Respondetur enim ibi nomine Episcopi intelligi habentem iurisdictionem Episcopalem: nam quando actus, de quo agitur, pertinet purè ad iurisdictionem ordinariam, nomine Episcopi intelligitur habens iurisdictionem Episcopalem; character enim, & dignitas nihil in talem actum influunt: exprimi tamen solet Episcopus potius, quàm alius, quia Episcopus ordinariam iurisdictionem habere consueuit. Hoc tamen intelligendum est, modò iurisdictio non committatur Episcopo ex speciali delegatione Papæ, vt contingit in multis Concilij Tridentini decretis, tunc enim nomine Episcopi non comprehenduntur inferiores Episcopis, quia Summus Pontifex in huiusmodi delegatione elegit quodammodo industriam, & operam habentis talem dignitatem. Decius *in cap. quoniam Abbas, de offic. delegat. nu. 15.* Suarez *loco cit. num. 11.*

Ex dictis sequitur primò permutationem fieri non posse coram illo, qui iurisdictionem Episcopalem non habet, etiamsi fortè alias habeat auctoritatem conferendi beneficia. Ita communior, & frequentissima sententia Panormitani *in c. quæsitum citato*, Rebuff. *loco cit.* Federici de Senis *in tract. de permut. beneficiorum quæst. 19. & 22.* Suarez *cap. 32. numero 14.* Filliucij *tractat. 45. cap. 7. quæsito 8. numero 22.* & aliorum, quos retuli *de permutationibus beneficiorum*, contra Sylvestrum *verbo permutatio, quæsito 2.* Angelum *eodem verbo nu. 5.* & alios.

Verum tamen est, quòd licet approbatio permutationis facienda sit ab Episcopo, nihilominus si collatio ad alium pertinet, obtinendus est illius consensus. Idē dic de patrono electore, & similibus, quia in iure non excluditur ipsorum consensus, nec præsumendum est iura voluisse iuri alterius derogare, non facta expressione. Ita Doctores citati, & alij, quos retuli *in tractatu de permutationibus beneficiorū*, vbi de hac re fusius, & prolixiùs egi.

Secundò sequitur Episcopos volentes permutare aliqua beneficia, quæ ipsi possident, posse permutationem facere coram Archiepiscopo ipsorum, vel Primate, vel Patriarcha: is enim est ipsorum superior, & est instar proprij Episcopi. Ita Rebuff. *loc. cit.* Suarez *num. 9.* Filliucius *num. 20.* & alij.

Tertiò coram Episcopo fieri posse permutationem vnius beneficij cum alio, etiamsi vnum beneficium sit dignius, alterum tenuius, modò permutatio purè fiat. Addo permutantes reos non esse Simoniæ, etiamsi eorum alter adductus sit ad permutandum ob temporale commodum, quod ex permutatione percipiet recipiendo beneficium pinguius, intuitu cuius permutationem facit, alias non permutaturus; non enim intendit emere rem spiritualem, sed tradit rem spiritualem pro spirituali, arrepta occasione temporalis commodi, quod occasione illius permutationis percipiet. Ita Suarez *cap. 34. n. 3.* & Filliucius *cap. 7. n. 31.* contra nonnullos alios.

8 Permutatio beneficij cū pensione fieri non potest coram Episcopo.

8 Dixi in responsione 2. dubij, *modò sit permutatio beneficij cum beneficio, non verò beneficij cum pensione.* Ratio est, quia Episcopus non potest facultatem sibi in iure præscriptam excedere: in iure autem permissum est Episcopo solùm, vt approbet, & admittat permutationes beneficiorum; & cùm versemur in materia potius odiosa, quàm favorabili, vtpotè contra dispositionem antiquorum canonum, generaliter prohibentium quamlibet pactionem in beneficiis, non est facienda extensio à permutatione beneficiorum ad permutationem pensionum.

Dixi in responsione eiusdem dubij, *modò permutatio purè fiat*, nam si fiat cum pēsione, aut alio onere, approbari, & admitti non potest ab Episcopo, vel alio inferiore Papa. Ratio est, tum quia Episcopo permissum est tantummodo, vt admittat permutationes beneficiorum; tum quia stylo Curiæ, qui legem facere consueuit, receptum est, vt pensio non imponatur, nisi auctoritate Papæ. Ita Suarez *cap. 33. num. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 35. num. 86.* Filliucius *tract. 45. cap. 7. num. 26.* & alij contra nonnullos alios, quos tacito nomine innuit Suarez *num. 4.* asserentes de rigore iuris permutari posse beneficium cum pensione spirituali coram Episcopo.

9 Beneficiū permutari non potest cum pensione temporali, vel alia re temporali, auctoritate solius Episcopi, vel priuata auctoritate.

9 Hinc patet à fortiori primò non posse, priuata auctoritate, vel etiam auctoritate Episcopi, permutari beneficium cum pēsione temporali, aut commenda militari, vel alia re temporali, alioquin committeretur Simonia, non solùm iuris Canonici, verùm etiam diuini: nam quod principaliter in beneficio continetur est spirituale, & temporale in beneficio continetur solum consequenter, propterea permutando beneficium cum pensione temporali, vel commenda militari, fieret permutatio rei spiritualis cum temporali, quod est crimen Simoniæ contra ius diuinum. Nec eadem ratio militat in Episcopis, seu aliis inferioribus, & in Papa; nam inferiores Papa nequeunt beneficia cum diminutione conferre, nec possunt fructus à beneficiis separare; fructus enim sunt quid adnexum consequenter ipsis beneficiis, ob id conferre non possunt nisi beneficium, vt superiùs ostendi. Papa verò potest fructus à titulo beneficij separare, & facta separatione intentionali, aut virtuali, potest concedere partem fructuum, ipsi beneficiario, vel vt seruetur indemnis, vel titulo sustentationis, aut alia iusta de causa; consequenter non confert pensionem pro beneficio, alioquin etiam ipse reus esset Simonię, iure diuino prohibitæ, vt superiùs explicaui.

Secundò patet, non posse coram Episcopo fieri permutationem cum pacto, vt vnus soluat omnes expensas, vel expediat suis sumptibus Bullas ad vtrumque pertinentes; quia non est pura permutatio: tamen coram Papa fieri potest si hoc ei exprimatur, & ipse consentiat, vt benè Azor. *c. 12. quæs. 4.* Suarez *cap. 34. ad finem*, & alij communiter.

Tertiò patet solutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm coram Episcopo fieri possit permutatio beneficiorum inęqualium cum pensione, aut alia re pretio æstimabili. Cuius difficultatis solutio clariùs, & distinctiùs explicanda est in conclusionibus proximè sequentibus, in quarum prima perpendemus inęqualitatem fructuum, & emolumentorum, in secunda inæqualitatem dignitatis.

10 Beneficia quamuis inæqualia in temporalibus, permutari non possunt cū pensione, aut alia re pretio æstimabili, coram Episcopo, aut alio inferiore Papa.

10 Dico igitur primò, beneficia, quamuis inæqualia in temporalibus, permutari non possunt cum pensione, aut alia re pretio æstimabili, coram Episcopo, aut alio inferiore Papa, etiamsi pensio, aut alia res temporalis exigatur ratione beneficij pinguioris, quod cum tenuiori permutatur. Ratio est, tum quia cùm impositio illius pensionis irrita sit, vtpote non facta auctoritate Papæ iuxta Curiæ stylum, permutari videtur beneficium, quod est quid spirituale, cum pensione, quæ tunc temporis non videtur aliquid spirituale, sed temporale; nam pensio spiritualis hoc tempore non imponitur ab aliquo inferiore Papa: tum quia huiusmodi compensatio fieri non potest re pretio æstimabili, quin vendatur id, quod est spirituale in beneficio: nam excessus fructuum beneficij est annexus beneficio, seu titulo spirituali, cōsequenter emi non potest separatus à titulo, cùm à permutantibus separari nequeat sola Episcopi auctoritate; ergo fieri non potest permutatio beneficij pinguioris cum tenuiori accepta pensione temporali, aut pecunia, vel alia re pretio æstimabili, quin Simonia contra ius diuinum committatur: tum quia sequeretur si vnum beneficium nullos haberet fructus, & aliud haberet, posse huiusmodi beneficia permutari, exigendo pecuniam omnibus illis fructibus respondentem, (par enim ratio est, dum vnum beneficium est pingue, alterum tenue, & dum vnum beneficiū nullos habet fructus, alterum habet;) sed consequens videtur falsum; ergo etiam falsum est antecedens; tū quia alias etiam licitum esset dare alteri beneficiū, non causa

causa permutationis, sed simplicis renuntiationis, tradendo gratis titulum spiritualem, & exigendo numeratam pecuniam in recompensationem fructuum; sed hoc fieri non potest; ergo neque primum. Ita Nauarr. *c.23.n.100.vers.3.* Couarr. *1.var.cap.5.n.8.& seq.* Sotus *lib.9. de iust.q.5.art.2.& q.7.art.2.* Suarez *c.34.n.10.* Filliucius *tract.45.c.7. quæsito 11.* Reginaldus *lib.23.num.264.* [Paulus Layman *n.52.& 53.*] & alij contra Caietanum *2.2.q.100.art.4.* Syluestrum *verbo permutatio 2.quæsito 6.* Tabienam *verb.Beneficium 3.n.15.* & alios, asserentes in permutatione beneficiorum inæqualium in fructibus temporalibus, licitum esse compensare numerata pecunia illam fructuum inæqualitatem, modò permutatio fiat auctoritate Prælati.

Obiicies primò, non committitur Simonia, dum temporale traditur pro temporali: in præfato autem casu traditur temporale pro temporali, non pro spirituali; quamuis enim in beneficio sit spirituale & temporale; per intentionem tamen distingui, & separari possunt; consequenter spirituale cum spirituali, & temporale cum temporali tradi potest. Respondeo huiusmodi distinctionem fieri non posse auctoritate Prælati inferioris Papa; consequenter tradi non potest spirituale, quin tradatur temporale, nec tradi potest temporale, id est, ius ad fructus, quin tradatur spirituale; consequenter committitur Simonia, non solùm contra ius humanum, verùm etiam contra ius diuinum, iuxta sententiam, quam in præcedentibus probaui.

Obiicies secundò, *in cap. ad quæstiones.de rerum permut.* habetur, permutari posse Ecclesiam pro Ecclesia, & possessiones vnius Ecclesiæ pro possessionibus alterius, addita pecunia ad supplendam inæqualitatem possessionum, modò contractus non misceantur: ergo, &c.

Respondeo in eo textu sermonem non esse de pecunia tradenda ad supplendam inæqualitatem fructuum beneficij, sed ad supplendam inæqualitatem prouentuum alterius Ecclesiæ, qui non erant adnexi titulo spirituali; nam illæ Ecclesiæ, de quibus sermo est in præcitato capite, plures habebant possessiones quæ patrimoniales vocantur, quarum redditus non erât spirituales, nec adnexi titulo spirituali, sed erant temporalia bona ad sustentanda Ecclesiarum onera, cõsequenter possessiones permutari poterant cum possessionibus alterius Ecclesiæ, addita pecunia pro supplenda inæqualitate possessionum, quæ non erant adnexæ spirituali officio, seu titulo. Ita Panormit. *in cap. ad quæstiones citato.*

11 Beneficiorum inæqualitas circa prouentus cõpensari potest, auctoritate Papæ, annua pensione, vel etiam numerata pecunia.

11 Rogabis, vtrùm auctoritate Papæ possit inæqualitas prouentuum beneficij compensari non solùm annua pensione, verum etiam numerata pecunia.

Respondeo affirmatiuè; quòd possit annua pensione, suprà probatum fuit, & patet ex stylo Curiæ. Quòd verò possit etiam numerata pecunia, (non quidem per modum permutationis, aut per dispensationem; cùm Papa in iure diuino dispensare nequeat,) sed alia ratione, ostenditur primò quidem mutatione materiæ, separando partem fructuum beneficij à pinguiori beneficio, illoſque applicando in sustentationem recipientis tenuius beneficium, & concedendo, vt huiusmodi fructus hoc pacto separati præsenti pecunia redimantur ab eo, qui pinguius beneficium recipit. Secundò permittendo, vt ille qui pinguius beneficium recipit, det aliquid alteri non in stipendium permutationis, seu in compensationem pro fructibus spiritualibus; sed in congruam sustentationem illius, qui tenue beneficium recipit; Põtificis enim munus est, curare, vt vterque cõgruam habeat sustentationem. Tertiò permittendo id fieri, vt permutans pinguius cum tenuiori indemnis seruetur.

12 Beneficij inæqualitas in dignitate compensari non potest pecunia, etiam auctoritate Papæ, si dignitas precisè spectetur.

12 Dico secundò quando beneficia sunt inæqualia ratione dignitatis, seu rei spiritualis, non potest excessus, seu inæqualitas suppleri pecunia, vel alia re pretio æstimabili. Ratio est, quia tunc venderetur spirituale pro temporali, saltem ex parte, consequenter culpa Simoniæ contra ius diuinum incurreretur. Ita communiter Doctores.

Ex quo patet, neque Papam posse in tali euentu dispensare, vt pecunia, aut alia res pretio æstimabilis detur ad compensandam inæqualitatem dignitatis; quia dispensare non potest in iis, quæ sunt contra ius diuinum.

Iusta tamen concurrente causa poterit Papa admittere permutationem imponendo pensionem super dignius beneficium, soluendam illi, qui illud permutat cum beneficio in fructibus æquali, vel etiam inæquali. Papa enim potest fructuum partem ab altero beneficio separare, illamque reseruare resignanti dignius beneficium, non tamquam pretium excessus dignitatis; sed ad congruam sustentationem resignantis, vel quia magis indiget, vel quia magis de Ecclesia benè meritus est, vt benè Suarez *cap.34.num.28.* [& Paulus Laymañ *lib.4. tract.10.c.8.n.45.*]

Imò probabile est posse etiam facultatem dare, vt pecunia actu illi tradatur, non quidem titulo permutationis, vel dispensationis, vel dignitatis, sed titulo sustentationis, seu separando fructus beneficij pinguioris, illoſque applicando permutanti, & illos cedenti numerata pecunia.

§. XIII.

Vtrùm Simonia committatur occasione pensionum.

PRæmittendum est duplicem esse pensionem, quæ ex bonis Ecclesiasticis percipi potest, alia est spiritualis, seu Clericalis, alia temporalis, seu laicalis.

1 Pensio laicalis quænam sit.

1 Pensio temporalis, & laicalis est illa, quæ laicis tribuitur, seu quæ ob causam merè temporalem, & humanam confertur, vt est pensio, quæ causa belli confertur, vel causa defendendæ Ecclesiæ, vel quæ datur Decano Parafrenariorum Papæ, vel Cardinalis, aut barbitonsori, vel chirurgo, Sacristæ, Thesaurario, Pulsatori campanarum, Præfecto infirmorum, & similibus.

Et hoc verum est, etiamsi fortè recipiens huiusmodi pensionem sit Clericus. Ratio est, tum quia ad cognoscendum pensionis qualitatem non inspicitur qualitas personæ, sed titulus, in quo pensio fundatur, seu causa, cuius intuitu traditur, vel an collatio pensionis requirat clericatum: tum quia sicut eleemosyna, quæ fit Clerico peculiari respectu, quia Clericus est, non ob id efficitur spiritualis, vel annexa rei spirituali: tum quia dicendum esset omnia iura, quæ Clericis competunt, esse spiritualia: tum quia si pensio Clericalis conferatur laico à Summo Pontifice cum onere diuini Officij, non fit laicalis ob qualitatem personæ: ergo etiamsi Clerico conferatur pensio laicalis, absque titulo spirituali non fiet spiritualis, vt bene Suarez *cap.26.* Molfesius *in Summa tractat.6.c.3.num.22.* Reginaldus *lib.23. num.274.& seq.* & alij ferè communiter.

2 Pensio spiritualis, seu Clericalis, quænam dicatur.

2 Pensio spiritualis est illa, quæ non traditur solùm ob titulũ temporalem, vt est pensio, quæ Clericis solum traditur, & Clericatum supponit in recipiente pensionem. Item pensio, quæ datur concionatori ad concionandum, vel coadiutori Episcopi, vel Parochi, vel ipsi animarum curatori ad sui sustentationẽ, vel Clerico causa componendæ litis, vel causa renuntiationis, vel permutationis beneficij, vel quæ simpliciter Clerico datur; dum enim huiusmodi pensio Clerico simpliciter datur, censetur pensio spiritualis: tum quia non constat tradi ob titulum merè temporalem: tum quia huiusmodi pensio adnexum habet onus recitandi paruum Beatissimæ Virginis Officium; consequenter titulo spirituali confertur; hoc posito, prius agam de pensione temporali, & postea de spirituali.

PRIMA PROPOSITIO.

3 Pensio laicalis, seu temporalis non est materia Simoniæ.

3 PEnsio temporalis non est materia Simoniæ, saltem contra ius diuinum. Ratio est, quia est res temporalis pretio æstimabilis: non enim fundatur in titulo spirituali, neque ad functionem spiritualem refertur: ergo non est materia Simoniæ, cùm materia Simoniæ sit res sacra, & spiritualis, vel saltem sit res aliqua iure Canonico prohibita tradi, vel accipi intuitu religionis. Ita Sotus *9.de iust.quæst. 7.artic.2.* Victoria *relect.1.de Simonia num.54.* Suarez *tom.1. de relig. lib.4.cap.26.num.4.* Lessius *lib.2.cap.35. dub.22.num.123.* Filliucius *tract.45.cap.8.quæsito 1.num.2.* [Paulus Layman *lib.4.tract.10.cap.8.*] & alij communiter, contra Rebuff. *de pacific.possess.num.34.*

Obiicies, huiusmodi pensio est annexa beneficio, nam est portio sumpta ex fructibus beneficij; ergo sortitur naturam, & qualitatem fructuum beneficij: ius autem ad fructus beneficij est spirituale; ergo etiam ius ad huiusmodi portionem, est spirituale; nam quod adhæret Ecclesiæ, regi debet iure Ecclesiæ. *cap. damnatus, de Summa Trinit.* consequenter pensio consistens in bonis Ecclesiasticis, semper est spiritualis; consequenter est materia Simoniæ.

Respondeo huiusmodi pensionem esse quidem portionem fructuum beneficij; sed separatam à titulo spirituali, & non collatam titulo spirituali; consequenter non est materia Simoniæ; sicut decima, quam Papa alicui Principi super beneficiorum fructibus concessit, est portio, seu pensio quædam beneficiorum; tamen quia non est amplius annexa beneficio, nec titulo spirituali confertur, definit esse res spiritualis: consequenter vendi, & redimi potest absque Simonia, vt benè docent Suarez *loco citat.num.40.* & Filliucius *num.2.* contra Rebuffum *loco citat.* neque est simile de iurepatronatus, nam hoc est ius spirituale; cùm sit ius præsentandi ad beneficium, quod est aliquid spirituale; actio enim specificatur ab obiecto, præfata autem pensio non est aliquid spirituale, quia est ius ad fructus, à titulo beneficij separatum, nec collatum titulo spirituali.

Ex quo patet huiusmodi pensionem vendi, & redimi posse absque Simonia, saltem contra ius diuinum.

Dico, *saltem contra ius diuinum*, quia probabilis videtur nonnullorum sententia, asserentium huiusmodi pensionem vendi, aut redimi non posse absque Romani Pontificis auctoritate, ob stylum Curiæ, qui facit legem; hic enim stylus induci potuit, vt omnis Simoniæ suspicio euitaretur; consequenter vendens, vel redimens huiusmodi pensionem, priuata auctoritate, reus videtur Simoniæ contra ius humanum. Ita Gigas, Gambara, & alij apud Azorium *2.parte lib.8.cap.10.quæsito 10.* Suarez *loco citat.num.16.* Filliucius *loco citato, num.3.* Reginaldus *lib.23.num.276.*

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Pensio clericalis est materia Simoniæ.

4 PEnsio clericalis est materia Simoniæ, non solùm contra ius humanum, verùm etiam contra ius diuinum. Ratio est, tum quia licet attento iure antiquo non esset materia Simoniæ, quia non tradebatur titulo spirituali, sed temporali ad sustentationem Clerici, nisi fortè tunc adesset stylus Curiæ in contrarium, qui inducere poterat Simoniam iuris humani, vt benè Nauar. *cap.23.num.111.* & alij, nihilominus iure nouo, vbi recepta est Bulla Pij V. quæ incipit, *Ex proximo*, edita *anno 1571.* pensio est materia Simoniæ, non solùm contra ius Canonicum; verùm etiam contra diuinum. Ratio est, quia pensio, vt sic, est aliquid spirituale, nam posita constitutione Pij V. pensioni est annexum onus recitandi paruum Beatissimæ Virginis Officium; ergo pensio est annexa rei spirituali; confertur enim cum onere, & titulo spirituali; ergo est materia Simoniæ, etiam contra ius diuinum, consequenter vendi non potest absque Simonia contra ius diuinũ, vt in simili dictum est de beneficiis. Ita Valentia *punct.2. column.9.vers.porrò.* Quamuis Lessius *dub.22.* & alij plures Doctores existimant non esse Simoniam iuris diuini, imò neque humani, vbi Bulla Pij V. vsu recepta non fuit.

Hinc sequitur primò Simoniam committi à Titio, qui nominatus fuerat à Cardinali ad pensionem pro se, vel pro alio, quem ipse vellet; ipse autem Titius cedit Caio hoc onere, & conditione Papæ non expressa, vt Caius soluat sibi omnes fructus quamdiu ipse Titius vixerit. Ita Filliucius *tract.42.cap.9.quæsito 19.num.16.*

5 Pensionarius nõ potest pensionem transferre, accepto pretio, vel reseruata fructuum parte.

5 Secundò sequitur pensionarium non posse pensionem transferre, accepto pretio, vel reseruatis sibi fructibus, vel eorũ parte, etiamsi alioquin habeat facultatem transferendi pensionem; nam pretium, vel rem pretio æstimabilem accipit pro re spirituali, & facultas ad vnum non extenditur ad aliud. Ita Gigas *de pensionibus quæst.99.*

Nauarr. *consil.* 66. & 93. *de Simon.* Suarez *cap.* 26. *num.* 9. Filliucius *loco cit. num.* 7. & *tract.* 42. *c.* 9. *num.* 15. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 16. *punct.* 3. [Layman *n.* 47.] & alij apud Garziam 1. *part. cap.* 5. *n.* 54. & apud Azorium 3. *part. lib.* 12. *cap.* 13. *quæsito* 2.

6 Pensionarius habēs facultatem transferendi pensionem, potest illam in totum, vel in partem transferre.

6 Verum tamen est habentem facultatem transferendi totam pensionem, posse illam in totum, vel etiam in partem transferre, & aliam partem sibi retinere, retento in se titulo spirituali, nam pensio non est indiuisibilis sicut beneficium, & pensionarius vti potest facultate in parte, cùm hoc sit ipsius priuilegium, vt possit totam pensionem transferre: priuilegiarius autem non cogitur vti priuilegio in tota latitudine. Verum tamen est illum, in quem dimidia pensio translata fuit, teneri onere recitationis Officij Beatissimæ Virginis, quia etiam ipse est verus pensionarius. Ita Suarez *num.* 9.

7. & 9. Pensionarius non potest pensionem anticipatis quibusdam solutionibus, priuata auctoritate extinguere.

7 Tertiò, pensionarium non posse pensionem anticipatis quibusdam solutionibus extinguere priuata auctoritate: tum quia obstat Curiæ stylus: tum quia videretur vendere titulum spiritualem, cui adnexi sunt fructus, non quidem dando illum alteri, sed illum extinguendo, multa enim aliis venduntur, non vt transferantur, sed vt extinguantur, vt si quis det pecuniam alteri, vt scripturam deleat, vt domum destruat, vt plantam eradicet, & comburat: tum quia vendens rem spiritualem Simoniam committit; sed extinguens pensionem anticipatis solutionibus vendit rem spiritualem, id est, ius spirituale, seu annuos redditus, qui sunt annexi iuri spirituali; ergo Simoniam committit. Ita Suarez *num.* 14. Garzias *in addit. ad* 1. *part. cap.* 5. *nu.* 26. & alij contra Gigantem *de pensionibus quæst.* 87. Azorium 3. *parte lib.* 12. *cap.* 13. *quæsito* 3. *sibi contrarium quæsito* 4.

8 Pensionarius extinguens pensionem, priuata auctoritate, tenetur adhuc ad pēsum officij.

8 Ex quo patet pensionarium, qui priuata auctoritate pensionem redimit, non esse immunem ab onere officij, vt patet; tum ex allatis rationibus: tum quia non potest quis priuata auctoritate eximere se ab onere, à superiore impositio, reportato eodem stipendio. Ita Suarez *cap.* 26. *n.* 17. & alij.

An autem pensio anticipata solutione extingui possit auctoritate Papæ, dictum est §. 11. *n.* 14. & patet ex dictis *n.* 7.

9 Quartò sequitur beneficiarium non posse pensionem priuata auctoritate redimere. Ratio est, tum quia stylo Curiæ receptum est vt pensio non redimatur absque consensu Papæ; stylus autem Curiæ vim habet obligandi, vt alibi probaui: tum quia pensio non potest constitui priuata auctoritate; ergo nec redimi, nam res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, & eadem concurrere debent ad destructionem, quæ ad constructionem, *c.* 2. *de reg. iur.* tum quia pensio emi non potest absque labe Simoniæ contra ius diuinum, cum sit aliquid spirituale posita institutione Ecclesiæ, seu cōstitutione Pij V. ergo neque redimi potest: nam oppositorum eadem est ratio, & disciplina: tum quia redemptio ab onere pensionis nihil est aliud, quàm emptio illius iuris, quod pensionarius habebat ad exigendos fructus; sed illud ius erat spirituale, posito motu Pij V. obligantis pensionarium ad recitationem diuini Officij; ergo illud ius erat materia Simoniæ; ergo priuata auctoritate redimi non poterat. Ita Nauarrus *cap.* 23. *num.* 111. Sotus 9. *de iustitia quæst.* 7. *art.* 2. Suarez, & Filliucius *locis citatis*, Azor. *quæs.* 4. & alij communiter Doctores contra Valentiam *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 16. *punct.* 3. *col. penult. vers. Nihilominus*, [Paulum Layman ex parte *lib.* 4. *tract.* 10. *c.* 8. *n.* 48.] Vide dicta *n.* 7.

Hoc tamen intelligendum & limitandum est primò, modò pensio valida esset, nam si pensio inualida erat, nec fortè beneficiarius in foro externo probare valet illius inualiditatem, vel ei non expedit litibus in foro externo agere, non peccat peccato Simoniæ redimendo pensionem priuata auctoritate. Ratio est, quia potius dicitur redimere iniustam vexationem, quàm pensionem, cum pensio inualida, non sit pensio: alter verò qui pretium recipit, iniustitiam committit recipiendo pretium, quia hoc ei debitum non est. Imò etiam simoniacus est ex conscientia erronea, si pretium accipiat putans pensionem fuisse validam, vt benè Suarez *cap.* 26. *n.* 15.

Secundò limitandum est, modò fiat auctoritate priuata, vel auctoritate inferioris Papa, stylo enim Curiæ receptum est, vt pensiones non redimantur absque consensu Sedis Apostolicæ; consentiente verò Papa, redimi possunt, quia materia mutatur, & res, quæ spiritualibus annexa erat, desinit esse spiritualis: nam Summus Pontifex auferre potest pensionario onus officij recitandi, quo ablato, pensio remanet aliquid temporale; sicut enim fructus secundùm se, sunt aliquid temporale: ita etiam ius ad illos, neque fit spirituale ob circumstantiam Clericatus, vt suprà ostensum est.

10 Beneficiarius quomodo possit pensionario pecuniam redemptionis tradere, antequā obtineat assensum Summi Pontificis circa redemptionē pensionis.

10 Si quæras primò, vtrùm beneficiarius existens in remotis regionibus, dum agitur de redimenda pensione, auctoritate Papæ, possit pensionario pecuniam redemptionis conuentam soluere; nondum obtento Summi Pontificis beneplacito, quod obtineri solet per solam supplicationem, & signaturam cum clausula, quòd illa sola sufficiat.

Respondeo non posse pensionem soluere intentione, vt pensio statim extincta censeatur, vel vt mandatum reuocari non possit. Ratio est, quia ipsi nequeunt pensionem priuata auctoritate extinguere, & consensus Summi Pontificis est de forma actus, consequenter præcedere debet actum, vt docui in simili de alienatione bonorum Ecclesiasticorum: potest tamen beneficiarius pecuniam illam tradere pensionario titulo depositi, & securitatis, vt sit certus de solutione obtento beneplacito, & potest cum illo conuenire, vt pensio obtento beneplacito extincta censeatur, & pensionarius pecuniam illam retineat titulo extinctionis; in hoc enim casu pensio non redimitur, nisi obtento beneplacito, nec vllum Ecclesiæ periculum imminet, sicut imminere solet in bonis Ecclesiasticis, si traderentur ante obtentum Sedis Apostolicæ assensum. Ita Garzias 1. *part. cap.* 5. *n.* 38.

11 Pensionarius extinguēns pensionē, anticipatis solutionibus non tenetur amplius ad diuinū Beatissimæ Virginis officium recitandum.

11 Si quæras secundò, vtrum pensionarius, qui anticipatis solutionibus pensionem extinxit, teneatur adhuc ad pensum Officij Beatissimæ Virginis.

Respondeo solutionem istius quæsiti constare ex dictis de horis Canonicis, vbi docui non teneri, quia extincta pensione sublatus est titulus, ratione cuius tenebatur: consequenter sublatum videtur onus, quamuis Suarez *cap.* 26. *n.* 18. & alij, quorum opinionē in praxi tutiorem arbitror, existimant teneri ad ratam annorum, quorum anticipatas pensiones accepit.

Obiicies cum Suarez *n.* 18. pensionarius tenetur officium recitare quamdiu pensionē accipit; sed censetur semper accipere pensionem, quoties valorem pensionis pro toto aliquo tempore anticipatè accepit: ergo tenetur officium recitare pro toto illo tempore.

Respondeo pensionarium teneri officium recitare, quamdiu retinet titulum, & commodum pensionis; extincta autem pensione non retinet amplius titulum pensionis: consequenter non tenetur officium recitare.

12 Pensionarius libere cedere potest pensioni priuata auctoritate.

12 Quintò sequitur pensionarium non esse reum Simoniæ, vel alterius peccati, liberè cedendo pensioni propria auctoritate. Ratio est, tum quia gratis remittit ius, quod in sui fauorem inductum erat; quilibet enim iuri suo cedere potest, nisi lege prohibeatur: tum quia temporale non traditur pro spirituali: tum quia in hac re nulla extat prohibitio: tum quia hoc vergit in vtilitatem, & commodum beneficij, quod gratis ab onere pensionis liberatur, & ad suam redit integritatem. Ita Rota *decis.* 454. *n.* 7. & *decis.* 471. *n.* 10. 1. *parte diuers.* Azor. 2. *parte lib.* 8. *cap.* 11. *quæsito* 2. Parisius *lib.* 6. *quæst.* 2. *num.* 123. Zerola *in praxi* 2. *parte verbo Pensio.* Nauarr. *consil.* 6. *de Simon. num.* 3. Suarez *to.* 2. *de relig. lib.* 4. *de Simon. cap.* 26. *num.* 18. Naldus *verb. Pensio num.* 10. & alij apud Garziam *de benef.* 1. *part. cap.* 5. *n.* 38. vbi etiam cum Rota *in vna Lamosian. Canonicatus* 24. *Maij* 1557. coram Quiroga sustinet pensionem posse ad limitatam portionem redigi absque licentia superioris. Ratio est, quia potest in totum remitti; ergo etiam in partem, iuxta vulgatam regulam: Quæ ratio est totius ad totum, eadem est partis ad partem, *l. qua de tota. ff. de rei vindicat.*

Hæc tamen limitanda sunt, modò remittens pensionem ordinatus non sit sacris Ordinibus ad titulum pensionis; tunc enim remittere non potest pensionem, nisi de licentia Episcopi, & nisi beneficium obtinuerit, aut aliunde habeat vnde viuere possit, sic enim sancitum fuit in Concilio Tridentino *sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat.* quia par non est, vt Clericus sacris initiatus, stipem ostiatim quærere cogatur, cum dedecore status Ecclesiastici. Ita Garzias 1. *parte cap.* 2. *nu.* 46. & 2. *parte cap.* 5. *num.* 79. vbi hoc comprobat declarationibus sacræ Congregationis, Zechius *de Republ. Eccles. cap. de Clericis num.* 7. Suarez *loco cit. num.* 17. Gonzalez *ad regul.* 8. *gloss.* 5. §. 10. *num.* 13. Gutierez *quæst. Canonic. quæst.* 65. *num.* 10. & *sequentibus.* & alij, de qua re plura vide *in meo tractatu de censuris in particulari disp.* 3. *quæst.* 1. *puncto* 8.

13 Pensionarius vēdere, vel donare potest fructus suæ pensionis, etiā ad totam vitam.

13 Sed modò dubium est, vtrùm pensionarius possit alteri vendere, vel donare fructus suæ pensionis, etiam ad totam suam vitam.

Prima sententia negat vendi posse. Ratio est primò, quia non possunt huiusmodi fructus vendi, nisi in alium transferatur ius ad fructus; pensionarius autem non potest in alium transferre ius ad fructus, cùm hoc sit spirituale, nec vendi possit absque Simoniæ labe. Secundò, quia beneficiarius non potest ad totam suam vitam vendere fructus sui beneficij; ergo neque pensionarius. Tertiò, quia qui vnum vendit, sine quo nec alterum prouenit; neutrum inuenditum derelinquit, *cap. si quis obiecerit* 1. *quæst.* 3. sed fructus pensionis non proueniunt pensionario sine titulo spirituali; ergo qui fructus pensionis vendit, censetur etiam titulum spiritualem vendere, consequenter Simoniam committit. Quartò, quia quamdiu pensionarius non exigit fructus, non habet illorum dominium, & possessionem, sed solum ius ad illos; ergo non potest illos alteri vendere, vel donare, nisi transferendo suum ius in alterum; sed hoc ius est spirituale: ergo transfert ius spirituale; cōsequenter Simoniam committit, cùm id pretio, seu anticipatis solutionibus agat. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 22. *num.* 122. *ad finem.* vbi ait fructus triennij posse vendi a pensionario, sicuti etiam elocari possunt. Ex qua loquendi forma clarè indicat huiusmodi fructus vendi non posse ad totam pensionarij vitam, sed solum locari posse ad triennium; idem expressè tenet Nauar. *consil.* 11. *de rebus Eccles. non alienan.* Garzias *de benefic. parte* 2. *c.* 1. *n.* 37.

Secunda sententia affirmat præfatos fructus vendi, & redimi posse, absque Simoniæ labe, modò pensionarius titulum retineat pensionis. Ratio est, tum quia traditur temporale pro temporali; fructus enim pensionis sunt res temporales: tum quia nullum ius contrarium decernens assignari potest: tum quia non committitur Simonia, alienando fructus beneficij; etiam si alia ratione peccet ob Ecclesiæ prohibitionem; ergo neque Simonia committitur alienando fructus pensionis: imò neque culpa incurritur, cùm hæc non incurratur, nisi extet prohibitio: tum quia hæc non est redemptio pensionis, cùm titulus pensionis nō extinguatur, sed est quasi locatio fructuum, seu potiùs anticipata venditio fructuum. Ita Suarez *to.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 9. & 17. *vers. secundò infero.* Azor. 2. *parte lib.* 8. *cap.* 10. *quæsito* 11. & *cap.* 11. *quæsito* 2. & 14. Naldus *verbo pensio num.* 10. Zerola *in praxi verb. Alienatio* §. 3. *conclus.* 10. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 16. *punct.* 3. Filliucius *tract.* 42. *cap.* 9. *quæsito* 8. *num.* 14. & *quæsito* 14. *nu.* 20. Garzias, qui sibi contrarius videtur *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 29. Caiet. Vasquez, & alij.

14 Et hoc valet, etiāsi pensionarius titulū pensionis sibi retineat.

14 Hinc sequitur primò pensionarium posse alteri donare fructus suæ pensionis ad totam suam vitam, retento tamen sibi titulo. Ratio est, quia non transfert in alium ius suum, seu titulum pensionis, sed titulo lucratiuo, seu contractu gratioso concedit alteri fructus, ex qua concessione, seu contractu alter acquirit ius ad fructus. Ita Azor. Naldus, & alij *locis citatis.*

Secundò sequitur pensionarium non esse reum Simoniæ dum beneficiario, ex cuius beneficio pensionem recipit, fructus pensionis vendit, retento tamen sibi titulo pensionis, & consequenter etiam onere officij recitandi. Ratio patet, tum ex dictis: tum quia hæc non est redemptio pensionis, sed oneris personalis, quod est merè temporale. Ideo si beneficiarius ipse, qui fructus emerat, moriatur, successor tenebitur pensionem soluere, quia beneficium transit cum onere. Suarez *n.* 17. & alij *locis citatis.*

15 Tertiò

15 Pensionis fructus emens à pēsionario, anticipata pecunia, nō est reus Simoniæ, etiamsi cōstituatur procurator ad exigendum fructus pensionis à beneficiario.

15 Tertiò illum non esse reum Simoniæ, qui anticipata pecunia fructus pensionis emit à pensionario, & ab eodem constituitur perpetuus procurator ad exigendum fructus pensionis à beneficiario. Ratio est, quia hic acquirit ius ad fructus per contractum emptionis, & illos à beneficiario exigit, non proprio nomine, sed nomine pensionarij, qui titulum, & onus pensionis adhuc retinet, & cuius morte pensio extinguetur.

16 Pensionis fructus vendi possūt ab eo, in cuius commodum constituta fuit pensio in capite & persona alterius.

16 Quartò sequitur, Italum, ad cuius commodum, & vtilitatem constituta, & reseruata fuit pensio in capite, & persona alterius, nempe Hispani, posse fructus suæ pensionis vendere, tam illi, in cuius capite reseruata fuit pensio, vt exemptus remaneat ab onere illi soluendi, seu cedendi, quàm alteri pro toto tempore, quo pensio viguerit, & non expirauerit. Ita Nauarr. *cons.62. de Simonia*, Garzias *de benef.1. parte cap.5.num.29. & 2.parte cap.1.num.38.* Filliucius *tom.3.tract.42. cap.9.ad finem, quæsito 14.num.20.vers. Ex quo.*

Ad primam rationem primæ sententiæ respondeo non transferri ius, & titulum spiritualem ipsius pensionarij; sed ius temporale, quod necessariò consequitur contractum emptionis fructuum; nam eo ipso quo quis fructus emit, ius ad illos acquirit; hoc autem ius non est spirituale, sed temporale, quia consurgit ex contractu materiali, & ciuili, & refertur ad fructus, qui secundùm se sunt aliquid temporale. Vide solutionem quartæ rationis.

Ad secundam respondeo negando consequentiam: quicquid sit de antecedente, de quo infrà egimus *de alienatione bonorum Ecclesiasticorum.* Ratio disparitatis est, quia venditio fructuum beneficij æquiualet locationi bonorum beneficij; bona autem immobilia Ecclesiastica non possunt alienari, & vltra triennium locari: venditio verò fructuum pensionis non est alienatio bonorum immobilium, cùm pensio non consistat in bonis immobilibus, sed sit certa portio fructuum beneficij alteri assignata.

Ad tertiam respondeo primò, illam rationem minus probare, nam si vera esset, sequeretur etiam Simoniam contra ius diuinum, vel saltem contra Ecclesiasticum committi, vendendo fructus beneficij, vel pensionis ad triennium, seu locando bona Ecclesiastica ad triennium, quod falsum est, & nullus hactenus dixit.

Respondeo secundò fructus pensionis separatos à beneficio non esse quid spirituale consequenter, sed potiùs antecedenter; quod autem est spirituale antecedenter, vendi potest ratione materiæ, vt superiùs docui. Quòd autem pēsio non sit spiritualis consequenter, sed antecedenter, probatur, quia principaliter traditur Clerico ad sustentationem, consequenter verò cum onere officij; in beneficio verò principaliter confertur ius ad sacra ministeria, secundariò, & accessoriè datur ius ad temporalia in sustentationem pro sacro ministerio.

Ad quartam respondeo transferri ius, quod ipse habet ad fructus, nec ob id committi Simoniam, quia ius ad fructus respectu pensionarij videtur spirituale antecedenter, non consequenter.

Obserua tamen in hac materiâ laxandas non esse habenas, saltem ob periculum in foro exteriori: in quo venditio fructuum pensionis præsumi sæpè poterit potius translatio pensionis, quàm venditio fructuum, præsertim dum pensionarius vendit fructus alteri, ipsumque, & eius heredes constituit procuratores perpetuos, & irreuocabiles; in foro tamen conscientiæ probabiliter excusari potest, si hoc agat retento titulo pensionis intentione recitandi officij, tunc enim signum est non habere intentionem transferendi pensionem, sed fructus. Quamquam in praxi tutior est, & magis consulenda prima sententia, vt Simoniæ præsumptio, & periculum euitetur.

§. XIV.

Vtrùm Simonia committatur in resignatione beneficiorum.

PRæmittendum est resignationem (quæ nihil aliud est, quàm voluntaria beneficij abdicatio facta coram legitimo superiore) tripliciter fieri. Primò purè, id est, sine onere pensionis, vel alterius oneris, & absolutè, id est, absque designatione personæ, cui beneficium conferatur. Secundò non purè. Tertiò non absolutè, sed cum designatione personæ.

De his singulis resignandi formis agendum est in hoc §.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Resignatio beneficij pura, & absoluta non est simoniaca.

1 REsignatio beneficij pura, & absoluta licita est, & non simoniaca. Ratio est, quia nihil datur, vel recipitur pro huiusmodi resignatione, etsi coram legitimo superiore, vt suppono; quis autem sit legitimus superior, coram quo fieri potest resignatio, patet ex dictis in meo tractatu de resignationibus *punct.2.* Quamobrem hic solùm obiter dico resignationem beneficiorum, regulariter loquendo, exceptis Episcopatibus, fieri posse coram Prælato habente iurisdictionem Episcopalem in eo loco. Verum tamen est huiusmodi resignationem, quæ fit coram Prælato inferiore Papa, fieri debere purè, & sine conditione, vt ibidem docui.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Resignatio non pura simoniaca est, nisi fiat coram Papa.

2 REsignatio beneficij non pura labem Simoniæ continet, si coram Prælato inferiore Papa fiat. Ratio est, quia quælibet pactio in beneficiis iure communi vetita est ob suspensionem simoniacæ labis, & ob alia pericula, vt probaui supra §.11. dum loquerer de Simonia, quæ in permutationibus contingit.

Hinc sequitur primò Simoniam committi, dum quis alteri beneficium resignat coram inferiore Papa, hac conditione, vt sibi pensionem soluat. Ratio est, quia resignatio non est pura, & exigitur temporale pro spirituali; cùm enim pensio, imposita à Prælato inferiore Papa, irrita sit, censetur aliquid temporale; nihil enim aliud est, quàm portio fructuum, vt benè Suarez *cap.35.n.22.* Filliucius *tract.45. cap.8.quæsito 10.num.34.* & alij.

3 Resignans beneficiū cum pacto, vt sibi reficiantur expensæ in assecutione beneficij factæ, simoniam incurrit, si hanc resignationem faciat corā inferiore Papa.

3 Secundò sequitur Simoniam committi, dum beneficiarius, qui beneficium litigiosum cum multis expēsis assecutus fuerat, & postea dum in pacifica existit possessione, resignat illud alteri coram inferiore Papa, cum pacto, vt is, cui resignat beneficium, soluat expensas. Ratio est, tum quia resignatio non est pura, cùm exigat temporale pro spirituali, nullo enim alio titulo exigit expensas, nisi quia beneficium illi resignat: tū quia quimultas expēsas, & labores, sed sine lite fecit, in assecutione beneficij, non potest dictas expensas exigere ab eo, in cuius fauorem resignat, nisi hoc Papæ exprimat: ergo neque, &c. Tum quia aperitur via, & aditus Simoniæ; nullus enim ferè est, qui laborem, vel expensas non fecerit in assecutione beneficij. Ita Parisius *lib.14.quæst.7.num.1.* Suarez *cap.35.num.24.* Filliucius *loc.cit.num.35.* Reginaldus *lib.23.cap.18.* & alij contra nonnullos alios.

Obiicies, non committitur Simonia accipiendo aliquid pro labore extrinseco, & pro damno; sed hic exigit expensas pro labore extrinseco, & pro damno, quæ sunt extrinseca beneficio; ergo non cōmittit Simoniam. Confirmatur, quia non est reus Simoniæ, qui occasione alicuius actionis spiritualis petit, vel recipit aliquid, vt seipsum seruet indemnem.

Respondeo non committi Simoniam, accipiendo aliquid pro labore extrinseco, & quasi per accidens coniuncto cum illa actione, cui adiunctus est labor, seu damnum; in nostro autem casu expensæ illæ nulla ratione, neque per accidens, coniunctæ sunt cum resignatione beneficij; sed factæ fuerant ab ipso beneficiario in sui commodum, vt beneficium obtineret, vel pacificè possideret, non in commodum resignatarij.

Ad confirmationem respondeo illam procedere, dum quis patitur damnum occasione illius actionis, quam in gratiam alterius facit; resignans autem beneficium in nostro casu non est passus damnum in gratiam resignatarij, sed in sui commodum, & vtilitatē, vt beneficium pacificè obtineret; ergo non potest exigere expensas, alioquin Simoniam committit, non solùm contra ius humanum prohibens quaslibet pactiones in beneficiis, verum contra ius diuinum prohibens accipi temporale pro spirituali. Imò neque Papa in hac re dispensare potest, vt præfatæ expensæ exigantur. Ratio est, tum quia hæc est Simonia contra ius diuinum, in quo Papa non dispensat; tum quia delictum committitur contra iustitiam, cogendo aliquem ad soluendas expensas factas in alterius commodum, & vtilitatem; alia tamen ratione id licitè fieri potest auctoritate Papæ, nempè si fructus à beneficio separet, illoſque resignanti applicet, & sinat illos redimi à beneficiario. Ita Suarez *num.26.* Filliucius *num.36* & alij.

4 Resignatio reciproca simoniaca est, si fiat coram Episcopo.

4 Tertiò sequitur committi Simoniam, faciendo coram Episcopo resignationes reciprocas, vt si quis dicat, ego resigno meum beneficium tuo nepoti, vel amico; tu verò resigna tuum mihi, vel meo nepoti. Ratio est, tum quia hæc non est resignatio pura, tum quia in iure vetita est omnis pactio, etiamsi fiat in ordine ad consensum, & approbationem superioris inferioris Papa, excepta pura permutatione, & in ordine ad ipsos permutantes, vt benè obseruat Suarez *loc.cit.nu.18.* Parisius *de resignat.lib.1.quæst.3.* Lessius *libr.2.c.35.dub.14.n.87.* Reginaldus *lib.23.num.250.*

Idem à fortiori sentiendum est de renuntiatione triangulari, quæ inter tres fieri solet: vt si Titius habens Canonicatum, Caius beneficium curatum, & Sempronius beneficium simplex, Titius renuntiet Canonicatum in fauorē Caij, Caius curatum in fauorem Sempronij, Sempronius beneficium simplex in fauorem Titij: hæc enim non est resignatio pura, nec fieri solet sine pluribus pactis, quæ non permittuntur in ordine ad Prælatum inferiorem; consequenter huiusmodi resignatio, seu permutatio coram Prælato inferiore Papa fieri non potest. Ita Parisius *quæst.7.num.63.* Suarez *loco cit.num.18.* Gonzalez *ad reg.8. gloss.14.num.58.* Cochier. *de permut.2.part.cap.25.* Molfesius *in summ.tract.6.cap.13.num.33.* Lessius *lib.2.cap.35.dub.14.num.88.* Garzias *cap.4.num.21. & seq.*

Obiicies, præfatæ tres resignationes triangulares æquiualent duabus permutationibus; perinde enim se habent, ac si Titius permutaret cum Caio, deinde cum Sempronio, sed istæ duæ permutationes fieri possunt coram Episcopo: ergo etiam illæ tres resignationes.

Respondeo negando huiusmodi resignationes in hac parte æquialere duabus permutationibus, consequenter non permittuntur, quia solæ permutationes simplices permittuntur coram Prælato inferiori Papa, non verò aliæ continentes pacta diuersa. Nonnulli tamen Doctores putant præfatas resignationes, seu permutationes fieri posse corā Episcopo, quia re ipsa sunt permutationes; permutationes autem permittuntur fieri coram Episcopo, etiamsi præcesserint præfata pacta, quæ ad huiusmodi permutationem faciunt. Ita Parisius, Suarez, & alij *locis citat.* Sed quod ego dixi, probabilius censeo.

TERTIA PROPOSITIO.

5 Resignatio beneficij cum designatione successoris inualida est, si fiat coram inferiore Papa.

5 REsignatio beneficij non absolutè facta, sed cum designatione successoris, illicita est, & inualida. Ratio desumitur ex Bulla Pij V. 58. incipit, *Quanta Ecclesiæ*, in qua constitutione Pontifex, præter alia statuit, ne resignationes coram Episcopis, vel aliis collatoribus fiant cum pacto, seu conditione, vel designatione futuri successoris, cui resignans intendit beneficium cōferri. Secundò irritat aliter factum, vt patet ex verbis præfatæ constitutionis, ibi, *caueant autem Episcopi, & alij prædicti, item & omnes Electores, præsentatores, & Patroni tam Ecclesiastici, quàm laici, quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo futuri in huiusmodi beneficiis, & officiis successores, ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat. Præcipimus insuper, & interdicimus, vt ipsi Episcopi, aut alij collatores de beneficiis, & officiis resignandis prædictis, aut suis, aut admittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus etiam per fas lacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant prouidere. Quòd si secus, ac etiam quidquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit à quoquam temerè attentatum, id totum ex nunc vires, & effectum decernimus non habere.*

Obserua tamen in præfata Bulla, aut alibi vetitum non videri resignare beneficium cum intentione, & spe non manifestata collatori, vt beneficium certæ personæ conferatur. Ratio est, tum quia actus merè internus non cadit sub humanam prohibitionem, tum quia Pius V. in præfata Bulla videtur loqui de pactione, & mutua intentione externa, vt colligitur ex illis verbis, *promissio inter eos, vel etiam intētio.* Illa enim dictio, *inter eos*, indicare videtur tacitam petitionem, seu manifestationem intentionis. Ita Doctores statim citandi. Addo resignantem, qui absolutè resignauit, posse facta absoluta resignatione rogare collatorem, vt conferat illi, quem ipse proponit (modò non sit ipsius, vel collatoris consanguineus, affinis, vel familiaris.) Nam huiusmodi petitio est posterior resignatione; consequenter non tollit rationem resignationis absolutè. Ita Nauarr. *cap.23.num.109.* Garzias *de benefic. parte 11.cap.3.numer.209.* Quaranta *verb. Beneficij resignatio. vers. Pro complemento*, Redoanus *de Simon. 1.parte, cap.25.* Suarez *cap. 35 num.18. versic. Hæc ergo*, Filliucius *tract.45.cap.8. quæsito 9.num.26.* Reginaldus *lib.23.num.249.*

6 Resignatio cum designatione successoris Simoniæ labem continet si fiat coram inferiore Papa, cum pacto, vt collator conferat personæ designatæ.

6 Sed modò dubium est, vtrùm resignatio facta cum designatione futuri beneficiarij coram Episcopo, vel alio collatore inferiore Papa, labem Simoniæ contineat.

Respondeo distinguendo, vel resignatio fit, inito pacto cum Episcopo; exempli gratia, quòd conferet beneficium personæ designatæ, vel fit sine vllo pacto, & obligatione. Si fit cum pacto, Simoniam continet, non solùm contra ius Canonicum prohibens pacta illicita, in hac materia excommuni Canonistarum sententia; verùm etiam contra ius diuinum, quia imponitur Episcopo onus pretio æstimabile in materia beneficij; quod posita Ecclesiæ institutione est quid spirituale, glossa *in cap. ex parte 1. de offic. de leg. verbo dimittere*, Sylvester *verb. Permutatio quæs.6.dub.2.* Angelus *verb. Simonia 3.num.39.* Redoanus *1.parte, cap.25. & 2.parte, cap.10.* Nauarrus *cap.23.num.109.* Suarez *cap. 35.n.7.* Filliucius *cap.8. quæsito 7.n.20.* Reginaldus *loco cit.n.247.*

Si verò resignatio fiat cum designatione personæ, sed absque vllo pacto, nullaque iniuncta collatori obligatione conferendi designatæ personæ, probabile est non committi, propriè loquendo vitium Simoniæ, non solùm contra ius diuinum, verùm neque contra ius Canonicum. Ratio est, quia hic non interuenit vllus contractus onerosus, seu commutatio spiritualis pro temporali, cùm beneficium pro nulla re detur; sed gratis offeratur, non cuilibet, sed huic certæ personæ, cuius intuitu beneficium resignare intendit. Ita Couarr. *1.variarum cap.5.numer.3.* Suarez *num.2. & 7.* Filliucius *loc.cit.num.2.* & alij contra glossam, Redoanum, & alios asserentes committi Simoniam iuris Canonici.

Opinio Couarr. Suarez, & aliorum mihi non displicet, modò pro resignatione facienda nullum interueniat pretium, vel pactum inter partes, alioquin committeretur Simonia contra ius Diuinum, vel saltem contra ius Canonicum, iuxta dicta in præcedentibus.

7 Prælatus admittens resignationes cum designatione futuri successoris, quas pœnas incurrat remissiuè.

7 Si quæras quam pœnam incurrat Episcopus, vel alius Prælatus admittens resignationem cum designatione futuri beneficiarij, seu non seruata forma à Pio V. præscripta in præcitata constitutione.

Respondeo id explicatum fuisse *in tract. de censuris omnibus in particulari, disputat.2.quæst.7. puncto 4. & de suspensionibus latis occasione beneficiorum*, ad ibi dicta me remitto.

§. XV.

An transactio ad componendam, & dirimendam litem in rebus spiritualibus Simoniæ labem contineat.

1 Trãsactio quid sit.

1 VT ista difficultas rectè percipiatur, aduertendum est primò transactionem esse pactionem non gratuitam de re dubia, & lite incerta, ad litem dirimendam. Dicitur, de re dubia, & lite incerta, non quia ad transactionem necesse sit, litem excitatam, & motam fuisse; sed quia debet esse de ea re, de qua lis, seu discordia excitata sit, vel excitari possit. Nam timor litis excitatæ, vel excitandæ, de iure, vel de facto sufficit ad validam transactionem. *l.2. cum te proponas. C. de transact.* Ex quo patet differentia inter transactionem, & condonationem, seu cessionem, seu compositionem amicabilem, quòd transactio est contractus onerosus, quo vna res cum alia permutatur; cessio verò, seu amicabilis compositio est contractus gratuitus, seu gratuita donatio, qua parte alter transigentium partem oneris debiti, vel totum onus debitum, seu ius remittit, & condonat; consequenter in ea parte non est materia Simoniæ, cùm fine pactione onerosa fiat. Imò licita est, per se loquendo, & fieri approbatur *in cap. super eo, de transact.*

2 Compositio amicabilis, quot modis fieri possit.

2 Dupliciter autem fieri solet amicabilis compositio. Primò dum altera pars liberaliter cedit iuri suo, & à lite desistit; [& hanc compositionem certum est licitè fieri posse, etiamsi cedens post factam liberam cessionem suorum iurium, donum ex gratitudine oblatum recipiat, vt bene Layman *num.56.* & alij.] Secundò quando litigantes amicabiliter promittunt stare iudicio alicuius viri prudentis, vt lis gratis deferatur ab eo, quem arbiter iudicauerit minus probabile ius habere. Et in his casibus non est necessaria Prælati auctoritas, nisi post datum arbitrium, aut nisi post gratuitam compositionem, seu cessionem, facienda esset noua institutio, aut renuntiatio: [vt si possessor beneficij debeat illud dimittere;] tunc enim ratione nouæ institutionis, vel renuntiationis, necessaria esset auctoritas Prælati: [vt bene Vgolinus *tabula 1.cap.29.* Paulus Layman *libro 4.tract. 10.cap.8.num.56. & 58.* & alij Doctores statim citandi.]

Aduertendum est secundò, transactionem duobus modis fieri posse. Primò compensando rem spiritualem cum temporali. Secundò compensando rem spiritualem cum spirituali. His positis explicandum nobis est, vtrùm Simonia committatur, quouis modo fiat transactio.

PRIMA PROPOSITIO.

3 Trãsactio simoniaca est dum remittitur, vel retinetur ius spirituale pro temporali. Ratio est, tum quia in huiusmodi transactione permutatur, seu venditur ius spirituale pro temporali; tum quia sic expresse habetur *in cap. iam pridem, de pactis, cap. vltim. de rerum permut. cap. præterea primo, & secundo, de transact. & cap.2. de arbitris.* Ita glossa *in cap. super eo, de transact.* Abbas, & Innocent. *ibidem.* Sylvester, Angelus, Maior, & alij apud Suarez *tom.1. de relig. lib.4. cap.51.n.6.* Reginaldus *lib.23.cap.11.dub.11.*

3 Trãsactio simoniaca est dum remittitur, vel retinetur ius spirituale pro spirituali.

Hinc sequitur primò Simoniam committi, faciendo transactionem circa reliquias, tradita, vel accepta pecunia. Sicut etiam non est licitum litem circa beneficium componere, accepta, vel tradita alteri pecunia, *cap. constitutus, de transactionibus.*

Secundò Simoniam committi, si lis præsentandi pecunia sopiatur, vel terminetur, aut si duo sint electi ad idem beneficium, & litem dirimant tradita alteri pecunia, ne litem prosequatur.

Tertiò Simoniam committi faciendo transactionem circa iurisdictionem spiritualem, tradita alteri pecunia, vt patet ex *cap. præterea 2. de Simon.* Idem dic si transactio fiat circa ea, quæ sunt spiritualibus antecedenter annexa, vt sunt vasa sacra, & similia, & in transactione plus æstimentur, ratione consecrationis. Idem militat in officiis Ecclesiasticis, quæ vendi prohibentur, iuxta supradicta: si enim in lite dirimenda circa huiusmodi officia tradatur pecunia absque legitimi Prælati auctoritate, Simonia committitur.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Trãsactio circa rem spiritualē non est simoniaca, dum res spiritualis compensatur alia re spirituali proportionata.

4 TRansactio circa rem spiritualem non est simoniaca, dum res spiritualis compensatur largitione, vel cessione alterius rei, seu iuris spiritualis proportionati. Et hoc verum censeo, etiamsi transactio fiat propria auctoritate, modò non fiat in materia beneficiali. Ratio est, tum quia Simonia committitur, dum traditur res temporalis pro spirituali; hic autem non traditur res temporalis pro spirituali; sed spiritualis cum spirituali. Tum quia hoc non est intrinsecè malum, nec iure diuino, vel Canonico prohibitum; ergo huiusmodi transactio caret labe Simoniæ, etiamsi propria auctoritate fiat.

5 Trãsactio aliquando fieri non potest sine Prælati auctoritate.

5 Ad valorem tamen transactionis in aliquibus casibus requiritur auctoritas legitimi Prælati. Primò quando res, quæ alteri in compensationem traditur, non est pars litis, & talis est, vt in alterum transferri, aut alienari non possit, absque Prælati auctoritate.

Secundò si transigentes intendunt transactionem perpetuam facere, quæ successores etiam afficiat, *cap. de cetero, de transact.* Imò si transactio, seu compositio fiat cum laicis super decimas, necessarius est Summi Pontificis consensus, vt probaui *de legibus, disp. vlt. quæst.4. puncto 5.n.3.* sicque decernitur *in cap. decimas 16. quæst.7. cap. veniens, de transact. & cap. venerabilis, de confirmatione vtili, vel inutili.*

Ex dictis in propositione sequitur, Episcopos de iurisdictione contendentes circa aliquam Ecclesiam, posse hanc transactionem ita inter se inire, vt vni contingat iurisdictio, alteri prouisio beneficiorum, vel vt alternatim visitent; nam fit permutatio rei spiritualis cum alia proportionata.

Item si litibus circa decimas contendant, conuenire possunt, vt vnus vnam partem, alter alteram habeat. Si litem habeant circa res sacras, vt circa reliquias, possunt reliquias inter se diuidere, vel si diuisionem æquitas non patiatur, possunt omnes vni tradi, data alia in compensationem, vt benè Suarez *cap.51.n.9.* Filliucius *tract.45.cap.11. quæsito 10.* Reginaldus *lib.23.cap.11.dub.11.num.150.*

6 Trãsactio vel cõpositio circa beneficialia fieri nõ potest priuata auctoritate.

6 Limitanda tamen est præfata propositio in materia beneficiali; in illa enim compositio fieri non potest, priuata auctoritate, absque labe Simoniæ contra ius Canonicum. Ratio est, quia ius Canonicum intuitu religionis vetuit ob periculum Simoniæ huiusmodi transactionem priuata auctoritate fieri, *cap. constitutus. de relig. dom. cap. super eo de transact.*

Hinc sequitur primò, litigantem super pingui beneficio non posse hoc pacto cum aduersario transigere, vt ipse retineat pingue beneficium, & collitiganti tradat tenue beneficium; nam permutat, vel resignat tenue beneficium, pro iure, quod alter habet super pingui; permutatio autem, vel resignatio beneficiorum fieri non potest priuata auctoritate. Item conuenire non potest, vt pars beneficij tradatur collitiganti, retenta sibi reliqua parte; beneficiũ enim diuidi non potest. Item pacisci non possunt, vt ipse retineat beneficiũ, sed soluat pensionem collitiganti. Hic enim verè Simoniam cõmittit; cùm pensio priuata auctoritate imposita, sit quid temporale; beneficium verò quid spirituale. Item pactionem inire non potest, vt ipse retineat beneficium, & collitigantem assumat in coadiutorem, aut vicarium.

Secundò sequitur Simoniam cõmitti, si litigantes circa plura beneficia inter se conueniant, vt vnus vnum retineat, alter alterum, quælibet enim pactio in materia beneficiali simoniaca est, si priuata fiat auctoritate.

7 Beneficiati mutuo litibus contẽdentes quandonam cedere possint litibus absque Simonia.

7 Tertiò colligi potest solutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm si duo habeant duo beneficia, & singuli vicissim litem habeant super beneficio alterius, possit vnus absque Simonia cedere liti, modò etiam alter cedat.

Respondeo posse cedere absque Simonia. Ratio est, quia transactio non fit super beneficio, sed super mutua obligatione non litigandi, quod nullo iure vetitum videtur. Ita Suarez *cap.51.num.15.* Filliucius *tract.45.cap.11. quæsito 10.num.26.*

8 Trãsactio in materia beneficiali fieri potest auctoritate Episcopi, vel etiam arbitratorum.

8 Sed modò dubium est primò, cuius auctoritate fieri possit transactio in materia beneficiali.

Respondeo fieri posse auctoritate Episcopi. Ratio est, tum quia nullum ius prohibet huiusmodi transactionem fieri auctoritate Episcopi. Imò approbari videtur *in cap. statuimus, de transact.* tum quia huiusmodi transactio, vt plurimum æquiualet permutationi; permutatio autem fieri potest coram Episcopo. Ita Suarez *cap.51.num.16.* Filliucius *loco citato, quæsito 12. num.27.*

Addo transactionem fieri posse auctoritate arbitratorum, etiamsi non sint Episcopi, vel iudices causæ, vt dicetur *dub.2.*

9 Episcopus ad dirimendam

9 Maior difficultas est, primò vtrùm Episcopus ad dirimendam litem possit absque Simoniæ labe vni applicare beneficium litigiosum,

litem potest absque Simonia applicare vni beneficium, cum onere, vt soluat pensionem quamdiu vixerit.

sum, cum onere, vt alteri parti collitiganti pensionem soluat.

Respondeo posse pensionē ipsimet beneficiario, causa litis dirimendæ, imponere ad vitam ipsius beneficiarij, non verò super beneficio. Quòd pensio imponi possit ipsimet beneficiario, ratio est, tum quia sic expresè habetur *in cap. nisi essent, de præbend.* cuius consimilem textum in toto corpore iuris inueniri posse negat glossa *ibid.* Idem decerni videtur *in cap. de cetero, de transactionibus*, vbi habetur, censum positum à iudice ad componendam litem, non debere excedere vitam eius, qui eum soluit: tum quia *in cap. non sine multa, de arbitris*, non reprobatur compositio, & transactio, qua quis cedebat beneficio, recepta certa pecuniæ summa de mandato quorumdam arbitratorum, modò arbitrium non esset iniustè latum, sed æquitati innixum esset, vt in præfato textu dicitur: tum quia ob bonum pacis multa permittuntur, quæ aliàs licitè fieri non possent. Ita communiter Doctores.

Quòd verò pensio imponi non possit super ipso beneficio, seu ad vitam eius, cui assignatur, sed solum ipsi beneficiario, & ad vitam ipsius, patet, tum ex stylo Curiæ non admittentis huiusmodi pensionem, tum ex *cap. nisi essent, de præbend.* vbi cùm transactio per iudices compromissarios facta fuisset hac ratione, vt vnus habeat beneficium cum onere soluēdi alteri collitiganti certam pecuniæ summam, Pontifex approbat huiusmodi dispositionem, & compositionem, modò persona beneficiarij onerata remaneat, non autem ipsum beneficium. Ita Azor. 2. *part. lib.* 8. *cap.* 6. Reginaldus *lib.* 23. *num.* 259. & alij contra Gigantem, Gambaram, & alios, quos citat Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 51. *num.* 18. existimantes, auctoritate Episcopi causa componendæ litis, seu pro bono pacis imponi posse pensionem super ipso beneficio, quæ transeat ad successorem.

Vt ea, quę diximus in solutione istius dubij, clariùs intelligātur, aduertendum est, aliud esse pensionem imponere ipsi beneficiario, aliud super ipso beneficio; onus pensionis impositum ipsi beneficiario afficit ipsum beneficiarium, quamdiu beneficium retinet, & ipsius personam non excedit: consequenter onus præfatæ pensionis, mortuo beneficiario, vel amoto à beneficio extinguitur, & non transit ad successorem, est enim onus impositum personæ, quamdiu beneficium retinet. Onus verò pensionis impositum beneficio afficit ipsum beneficium; consequenter transit ad successorem in beneficio, quamdiu pensionarius habet ius exigendæ pensionis, nam res transit cum onere. Hoc ergo posito dico pensionem causa dirimendæ litis imponi posse ipsimet beneficiario, non verò super ipso beneficio. Ratio est, tum quia cùm non agatur de iure beneficij, sed ipsius beneficiarij, par non est, vt beneficium obligetur, sed persona: tum quia ita decisum fuisse videtur in Rota Romana *in vna Calaguritana beneficij de Ondateg.* 28. *Martij* 1583. coram Lancelloto, *& in alia Calaguritana beneficij de Arsiola* 18. *Iunij* 1593. coram Cipsio: tum quia sic expresè habetur *in cap. nisi essent, de præbend.* vbi etiam assignatur ratio, ne videlicet aliqua sectio, seu diuisio circa prouentus beneficij facta videatur. Quæ ratio militat etiam in Episcopo, licet Gigas *quæst.* 6. *num.* 4. Redoanus *de Simonia* 2. *parte cap.* 4. *n.* 14. *& cap.* 21. *num.* 36. Suarez *loco citato*, putent Episcopum posse causa concordiæ imponere pensionem, quæ transeat ad successores.

Dices, *in cap. de cetero. de transact.* habetur pensionem impositam per transactionem sine Episcopi auctoritate, non excedere vitam beneficiarij; ergo à contrario sensu, si auctoritate Episcopi imposita fuit, excedit vitam beneficiarij; consequenter transit ad successorem.

Respondeo non valere argumentum à contrario sensu, saltem in iis, quæ aliis iuribus aduersantur, vel Curiæ stylo contraria sunt. *cap. cùm virum, de regul. & cap. à nobis* 2. *de sentent. excommu.* Vide Euerardum *loco* 4.

10 Pensio an imponi possit beneficiario ab Episcopo etiā ex instantia partium ad dirimendā litem.

10 Rogabis primò, vtrùm Episcopus possit præfatam pensionem beneficiario imponere, non solùm ex mero suo arbitrio, verùm etiam ex instantia partium, si videlicet partes ipsæ prius inter se conuenerint de tali modo compositionis per ordinem ad consensum, & approbationem Episcopi, seu Prælati.

Respondeo varias esse in hac re Doctorum sententias.

Prima est Hostiensis, Panormitani, & aliorum *in cap. cùm pridem, de pactis*, Reginaldi *lib.* 23. *cap.* 18. *quæst.* 2. *num.* 258. [Pauli Layman *num.* 58.] & aliorum, asserentium huiusmodi pensionem imponi non posse beneficiario ex præuia conuentione partium Episcopo proposita, vt illam approbet, & transactionem consummet. Ratio est, tum quia conuentio de dando temporale pro cessione iuris spiritualis, seu pro retinendo spirituali, simoniaca est: tum quia huiusmodi conuentio damnatur, & reiicitur *in cap. constitutus, & cap. præterea* 1. *&* 2. *de transact.*

Secunda est Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *c.* 51. *num.* 20. *&* 21. asserentis pensionem spiritualem imponi posse auctoritate Prælati, dum partes inter se conuentionem fecerunt de tali pensione per ordinem ad consensum Prælati, si videlicet Prælatus approbauerit conuentionem, & confirmauerit transactionem. Ratio est, quia inter partes non fit conuentio de dando temporale pro spirituali; quia non datur, vel accipitur compensatio temporalis pro spirituali beneficio, vel iure ad illud; sed pro spirituali datur, vel accipitur aliquid spirituale; nam pensio illa est spiritualis, licet habeat annexum aliquid temporale, sicut etiam habet beneficium. Secus dicendum putat Suarez *num.* 21. de pensione merè temporali, hanc enim arbitratur imponi non posse ad instantiam, & requisitionem partis, & huiusmodi cōuentionem inter partes actam non esse admittendam, sed reprobandam à Prælato: sic enim colligitur ex *cap. cum pridem, citato, cap. constitutus*, & ex *cap. præterea, de transact.*

Tertia sententia, quam ego constituo, est, huiusmodi pensionem imponi posse ex præuia petitione, & requisitione partium, modò partes non absolutè inter se conuenerint de huiusmodi pensione, & postea illius confirmationem petant ab Episcopo. Ratio est, tum quia peti potest ab Episcopo, quod ab eo fieri potest; sed Episcopus potest pro bono pacis huiusmodi pensionem beneficiario imponere; ergo id etiam ab eo peti potest; sed partes nequeunt id ab Episcopo petere, nisi inter se tractauerint; ergo possunt de hac re tractare, & impositionem pensionis petere ab Episcopo; tum quia hoc licitum est in permutationibus, & resignationibus beneficiorum; ergo etiam in transactione. Et licet pacta, & conuentiones in beneficialibus generaliter prohibeantur, non tamen prohiberi videntur illa pacta, & conuentiones, quæ fiunt sub conditione consensus, & approbationis obtinendæ à Prælato.

Neque obstat *cap. constitutus, de transact.* quia ibi sermo est de transactione, quæ inter collitigantes absolutè facta, & firmata fuerat, vt patebit legenti præfatum textum, ex quo rationem arripimus explicandi alios textus, vna enim lex aliam explicat. Hinc patet responsio ad rationes aliarum sententiarum, quatenus huic meæ sententiæ aduersantur

11 Episcopus, vel arbiter quomodo possit imponere pensionem, seu aliquid beneficiario in fauorem partis collitigantis, & cedentis iuri suo.

11 Rogabis secundò, quomodo Episcopus, seu Prælatus, vel arbiter imponere possit pensionem, seu aliquid beneficiario in fauorem partis collitigantis, & cedentis iuri suo.

Ratio dubitandi ad probandum id fieri non posse, est, quia temporale tradi, vel accipi, vel imponi non potest pro cessione iuris spiritualis, vel pro retinendo spirituale, præfata autem pensio est aliquid temporale; ius autem, cui alter cedit, est spirituale, licet dubium.

His non obstantibus,

Respondeo, Episcopum, vel arbitrum posse pluribus de causis aliquid temporale applicare parti cedenti iuri suo; primò enim id facere potest ex arbitrio, & prouidentia sua propter bonum pacis: bonum autem pacis includit etiam temporale commodum, & vtilitatem, quam constat esse pretio æstimabilem; sicut enim lites magno sunt dispendio, ita pax ingentis est vtilitatis, & pax, vt sic, pretio æstimabilis est; & licet pax, seu bonum pacis in tali euentu non obtineatur, nisi cedendo iuri, & præsentationi temporali, tamen in transactione, & compositione non habetur ratio ipsius iuris spiritualis, sed commoditatis temporalis; hac de causa huiusmodi transactio permittitur, & toleratur *in cap. nisi essent, de præbend.* quia videlicet habita fuerat ratio boni pacis, & vtilitatis, ibi, *Pro bono pacis, & vtilitatis hoc ordinasse fatentur.*

Secundò ratione æquitatis innixæ necessitati alimentorum, quam patitur is, qui iuri suo ad beneficium cedit; par enim videtur, vt is, qui ius saltem dubium ad aliquod beneficium habet, recipiat alimenta, quibus eget.

Tertiò ratione laboris, & expensarum quas fecit in prosecutione litis. Has enim constat esse pretio æstimabiles; consequenter arbitros posse in componenda lite rationem ipsarum habere. Ita communiter Doctores, teste Suarez *cap.* 51. *num.* 22. [Layman *num.* 59.]

12 Litigantes circa beneficiū possunt arbitrum eligere, etiāsi arbiter non sit Prælatus, vel iudex causæ.

12 Secundò dubium est, vtrùm partes litigantes circa aliquod beneficium possint arbitrum de communi consensu eligere, etiamsi ille arbiter non sit Prælatus, vel iudex causæ.

Respondeo posse de communi consensu eligere, quia hoc nullibi vetitum reperitur. Ita communiter Doctores. Ex quo patet compromissum fieri posse in quoslibet, & à fortiori in ipsos iudices causæ, qui poterunt in tali euentu, non solùm vt iudices, verùm etiam vt arbitratores litem dirimere, & partem componere, adiudicando beneficium illi, qui verum titulum habet, aut verosimilius eum habere præsumitur, & imponendo onus temporale beneficiario in fauorem alterius partis collitigantis, si ob bonum pacis ita expedire iudicauerint, vt patet ex rationibus allatis ad probandum id fieri posse ab Episcopo, & constat ex *cap. nisi essent. de præbend. & cap. de cetero, de transact.*

Obiicies, *in c. exhibita, de rerum permut.* reprobatur transactio facta auctoritate arbitratorum præcipientium litem componi hoc pacto, vt monasterio soluerentur decem millia solidorum regalium, & ipsum monasterium cederet iuri exigendi decimas.

Respondeo transactionem in eo textu reprobatam fuisse, quia illa pecunia tradebatur pro cessione iuris decimandi, quod constat esse simoniacum; nam permutatio de spiritualibus ad temporalia improbatur, vt in ipso textu dicitur.

Limitatur tamen, & intelligitur responsio istius secundi dubij, modò is, in quem huiusmodi arbitrium compromittitur, sit Clericus. Ratio est, quia tam res, de qua agitur, est Ecclesiastica, quàm personæ. Ita Suarez *cap.* 51. *numero* 24. Reginaldus *lib.* 23. *numero* 257. *vers. Quod autem.*

Limitatur secundò ab aliquibus Doctoribus, modò arbitrator non imponat onus temporale beneficiario in fauorem alterius partis, cui beneficium non adiudicatur, sed compositio amicabiliter, & gratis omnino fiat. Ratio est, quia in iure nullus casus reperitur, in quo huiusmodi onerosa compositio permittatur, & *in cap. nisi essent, de præbend. & in cap. de cetero, de transact.* arbitratores erant ipsi iudices delegati; ergo compositio onerosa non videtur fieri posse, nisi à iudice, vel arbitratore, qui sit iudex causæ ordinarius, vel delegatus.

Hæc limitatio probabilis est, sed non est necessaria, quia probabile est non committi Simoniam, dum onus temporale imponitur beneficiario, auctoritate arbitratoris, etiā si arbitrator non sit iudex ordinarius, vel delegatus causæ. Ratio est, tum quia nullo iure probatur opus esse, vt arbiter sit etiam iudex, & componat absque onere, tum quia *in cap. non sine multa, de arbitris*, innuitur, seruandum esse arbitrium, in quo beneficium vni applicabatur cum onere certæ pecuniæ, si præfatum arbitrium æquitati innixum erat; & tamen arbitri illi non erant iudices, sed solum Clerici quidam, tum quia per accidens est, vt idem sit iudex, & arbiter, & circumstantia iudicis extrinseca est arbitratori; nam iudex causæ, si eligatur arbiter, potest in componenda lite vti solum potestate arbitratoris: ergo etiam eadem potestate vti poterit arbitrator, quamuis non sit iudex; consequenter qualitas, seu circumstantia iudicis extrinseca est arbitratori. Ita Abbas *in cap. non sine multa, num.* 10. *de arbit.* Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 51. *ad finem, nu.* 45. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 11. *quæsito* 13. *num.* 31.

§. XVI.

§. XVI.

Vtrùm Simonia committatur tradendo, vel accipiendo aliquid pro actibus iurisdictionis fori interni.

VNICA PROPOSITIO.

1 Actus iurisdictionis fori interni sunt materia Simoniæ.

1 SImonia committitur dando, vel accipiendo aliquid pro actibus iurisdictionis fori interni. Ratio est, quia datur temporale pro spirituali: actus enim iurisdictionis fori interni sunt spirituales, cùm ex parte principij, id est, iurisdictionis spiritualis à Deo supernaturaliter collatæ; tum ex parte finis, quia diriguntur ad salutem; tum ex se, quia talis est actus, qualis est potentia.

2 Absolutio censurarũ est materia Simonię. Idem dic de facultate audiendæ confessionis.

2 Hinc sequitur primò Simoniam committi tradendo vel accipiendo pecuniam, seu pretium pro facultate audiendarum confessionum, vel pro facultate eligendi Confessarium, seu pro auferenda peccatorum reseruatione, vel audienda confessione, aut pro absolutione impendenda. Imò Suarez *libr.4. cap.19. numero* 8. Reginaldus *libro* 23. *numero* 211. Azorius *cap.* 17. *quæsito* 6. Filliucius *tractat.* 45. *cap.* 4. *quæsito* 9. *numero* 36. [Paulus Layman *numero* 43.] idem sentiendum putant, dum pecunia traditur, vt absolutio pœnitenti negetur. *cap. nemo, de Simon.* Verùm quid in hoc casu sentiendum sit constat ex supradictis §. 9.

Secundò sequitur, Simoniam committi, dum pecunia traditur, vel accipitur pro impendenda absolutione à censuris. Ratio est, tum quia huiusmodi absolutio est actus spiritualis; cùm à potestate merè spirituali fiat, & ad salutem animæ dirigatur: tum quia est ministerium Ecclesiasticum; pro ministerio autem Ecclesiastico nihil accipi potest, *cap. ad nostram, de Simon.* tum quia sic habetur *in cap. ad aures. de Simon.* vbi sermo est de excommunicatione, *& in cap. nullus* 124. 1. *quæst.* 3. vbi sermo est de suspensione, vel interdicto.

3 Simonia non committitur tradendo pecuniam ad tollendum iniustum impedimentum absolutionis.

3 Maior difficultas est, vtrùm Simonia committatur, dum pecunia traditur, vt obtineatur absolutio, quam alter iniustè impedit cõferri, vel quam Sacerdos iniustè denegat.

Respondeo Simoniam non committi, dum pecunia traditur ad tollendum prauum affectum, seu iniustum impedimentum, seu iniustam vexationem, siue pecunia detur ipsimet impedienti, siue Sacerdoti absolutionem iniustè deneganti. Ita glossa *in cap. dilectus primò, de Simon.* Redoan. 3. *parte, de Simon. cap.* 21. *numer.* 6. Suarez *numer.* 8. & alij contra Innocent. *in c. ad aures. de Simon.* Vgolin. *tab.* 1. *c.* 44. *n.* 5. *& c.* 50. *n.* 7. & alios. Ratio est, quia pecunia non datur pro actu spirituali, seu pro ipsa absolutione; sed pro remouendo impedimento, & auferendo prauo affectu, seu iniusta vexatione. In praxi tamen ad vitandam Simoniæ, vel peccati suspicionem id faciendum non est, nisi pœnitens graue alioquin damnum incurreret ob denegatam sibi absolutionem. Ita Parnormitan. *in cap. ad aures. de Simon.* Suarez *loco citato, num.* 8. & alij.

4 Indulgentiarum concessio est materia Simoniæ.

4 Tertiò sequitur Simoniam committi tradendo aliquid pro concessione, vel applicatione Indulgentiarum: tum quia concessio, vel applicatio indulgentiæ est actus spiritualis potestatis: tum quia indulgentiæ sunt satisfactiones Christi, & Sanctorum. Simonia autem committitur vendendo satisfactiones Christi, & Sanctorum: tum quia nemo potest suam satisfactionem alteri vendere, licet aliqua ratione videatur eius dominus; ergo multo minus vendere potest satisfactiones Christi, & thesaurum Ecclesiæ, vt benè argumentatur Suarez *cap.* 19. *num.* 9.

Dices, Summus Pontifex volenti Indulgentiam lucrari, aliquando imponit certam pecuniæ summam soluendam; ergo concessio indulgentiarum non est materia Simoniæ.

Respondeo pecuniæ solutionem non imponi tamquam pretium, sed tamquam pietatis opus. Ob id huiusmodi pecunia non conuertitur in vtilitatem concedentis indulgentiam, sed in eleemosynam, vel in alia publica pietatis opera, vt in simili patet de Bulla Cruciatæ.

5 Pœnitentiæ impositio est materia Simoniæ.

5 Quartò sequitur Simoniam committi dando, vel accipiendo pecuniam pro leui pœnitentia imponenda in Sacramento confessionis; nam impositio pœnitentiæ, est actus clauium, id est, pertinens ad potestatem Ordinis, & iurisdictionis.

6 Parochorum acta pertinentia ad pastoralem curam sunt materia Simoniæ.

6 Idem dic de dispensatione, vel commutatione votorum, & similibus: isti enim sunt actus iurisdictionis, pertinentes etiam ad internum conscientiæ forum. Idem militat in actibus pertinentibus ad pastoralem Parochorum curam; isti enim sunt actus iurisdictionis fori interni, aut actus spiritualis officij pastoralis, seu ministerij Ecclesiastici. Quamobrem si Parochus, accepto pretio licentiam concedat laborandi in die festo, seu comedendi carnes in die ieiunij, Simoniæ labem incurrit, siue id faciat verè concedendo licentiam, siue approbando causam excusationis, hoc enim pertinet ad pastorale Parochi munus, vt alibi docui, idemque in terminis tradunt Suarez *cap.* 19. *num.* 11. & Filliucius *tractat.* 45. *cap.* 4. *quæsito* 9. *num.* 36.

7 Parochus nolens matrimonio assistere absque pretio, Simoniacus est.

7 Ob id etiam arbitror Parochum Simoniæ reum esse si matrimonio assistere nolit, nisi accepto pretio. Ratio est, tum quia Parochus Simoniam committit, si alteri Sacerdoti pretio concedat licentiam assistendi; ergo etiam Simoniam committit, si pretio assistat: tum quia assistentia Parochi, licet non sit propriè actus iurisdictionis in sententia multorum Doctorum, quos alibi adduxi contra Auilam; nihilominus post Concilium Tridentinum est actus muneris parochialis, & officij spiritualis. Et quamuis Parochus non dicatur minister essentialis matrimonij, nihilominus est minister accidentalis, necessariò requisitus ad valorem Sacramenti, & ipsius assistentia vocari potest ministerium Ecclesiasticum; consequenter pro ea nihil accipi potest, cùm pro Ecclesiastico ministerio nihil accipi possit, *cap. ad nostram, & cap. consulere, de Simon.*

Dices, testes matrimonio assistentes pretio accepto non sunt rei Simoniæ; ergo neque Parochus, cùm eadem sit omnium ratio.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia Parochus assistit tamquam minister Ecclesiasticus, & auctoritatiuè assistit; testes verò non assistunt auctoritatiuè, & tamquam ministri Ecclesiastici, sed vt constet de celebratione contractus, & de illo fidem faciant, dum opus fuerit. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 19. *ad finem.* Filliucius *tract.* 45. *cap.* 4. *quæsito* 9. *ad finem.* Vgolinus, & Azor. *locis proximè citandis.*

8 Parochus præbens facultatem alteri assistendi matrimonio, non committit Simoniam incundo pactum de tradenda sibi pecuniæ parte, quæ illi ea occasione tradetur.

8 Sed modò dubium superest primò, vtrùm Parochus præbens alteri Sacerdoti facultatem assistendi matrimonio, vel benedicendi sponsis, aut administrandi reliqua Sacramenta, possit absque Simoniæ labe cum illo conuenire, vt pecuniam, vel eius partem, quæ ipsi ea occasione tribuetur, sibi conferat.

Respondeo non posse illam petere tamquam pretium facultatis, quia præfata facultas est aliquid spirituale, vel saltem annexum rei spirituali. Si verò id exigat non tamquam pretium facultatis, sed vt se ipsum seruet indemnem; seu titulo lucri cessantis quod ipse percepisset, non concessa tali facultate, non peccat peccato Simoniæ, quia non exigit pecuniam pro re spirituali, sed pro lucro temporali, quod ipse percepisset, si facultatem assistendi alteri non contulisset. Ita Syluester *verbo Simonia, quæsito* 8. *vers.* 2. Azor. *cap.* 4. *quæsito* 2. Vgolinus *tab.* 1. *cap.* 36. §. 3. *num.* 4. Suarez *lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 42.

9 Sacerdos, cui data fuit pecunia ad tribuendã absolutionem, simoniacus est, si re ipsa non intendat absoluere remissiuè.

9 Secundò dubium est, vtrùm Sacerdos, cui pecunia data fuit ad impendendam absolutionem, vel facultatem absoluendi, & similia, committat peccatum Simoniæ; si re ipsa non intendat absoluere, aut facultatem concedere; sed decipere, vt pecuniam obtineat.

Respondeo solutionem istius difficultatis constare ex dictis *quæst.* 1. *&* 2.

10 Confessarius non est reus simoniæ, iniungendo pœnitenti eleemosynam in satisfactionẽ peccatorũ, secus si obliget ipsum ad tradendam sibi pecuniam.

10 Tertiò dubium est, vtrùm Confessarius imponens pœnitenti eleemosynam, seu solutionem certæ pecuniæ in satisfactionem peccatorum, reus sit criminis Simoniæ.

Respondeo non esse reum Simoniæ, si huiusmodi onus simpliciter imponat in satisfactionem peccatorum; nam eleemosyna est opus satisfactorium; ergò in pœnam, & satisfactionem peccatorum à Confessario imponi potest. [Ita communiter Doctores, teste Paulo Layman *lib.* 4. *tractat.* 10 *cap. vlt. num.* 24.]

Dixi, *simpliciter*, quia si Confessarius cogat pœnitentem, seu obligationem illi imponat tradendi sibi eleemosynam, Simoniacus est, tum quia illa obligatio est pretio æstimabilis, tum quia temporale intẽdit accipere pro spirituali. Quamobrem si Sacerdos certam eleemosynam vel Missarum celebrationem pœnitenti imponat, cogendo illum, vt præfatam eleemosynam, seu pecuniã pro celebratione Missarum sibi tradat, Simoniacus est. Secus si in genere, & simpliciter imponat; vt probatum est, nulla enim in hoc casu ratio pretij reperitur, quamuis Confessarius speret fore, vt pœnitens præfatam pecuniam, & eleemosynam sibi pro dictarum Missarum celebratione tradat. Nam spes illa non reddit actionem simoniacam, vt alibi docui. Imò id verum censeo, etiamsi Sacerdos, data absolutione, & iniuncta pœnitentia, suam indigentiã, & necessitatẽ pœnitenti aperiat, sperans fore, vt pœnitens conferat sibi eleemosynam in Confessione iniunctam, in hoc enim casu non tradit spirituale pro temporali.

Hoc tamen in praxi, regulariter loquendo, faciendum non est, ob scandali periculum, auaritiæ suspicionem, & aliorum peccatorum occasionem, vt bene obseruat Suarez *cap.* 19. *num.* 4.

§. XVII.

Vtrùm Simonia committatur tradendo, vel accipiendo aliquid pro actibus iurisdictionis fori externi, vel pro cooperatione ad huiusmodi actus.

PRæmittendum est actus iurisdictionis, aut fieri potestate Ecclesiastica, & spirituali, aut fieri auctoritate laica, & temporali; de vtrisque in hoc loco agemus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Iurisdictio laica temporalis non est materia simoniæ.

1 SImonia non committitur dando, vel accipiendo temporale pro actibus iurisdictionis laicæ, & temporalis, seu politicæ. Ratio est, quia materia Simoniæ est res sacra, & Simonia committitur dando temporale pro spirituali; actus autem iurisdictionis laicæ & temporalis, non sunt res sacra, nec datur temporale pro spirituali.

Ex quo sequitur primò iudicem sæcularem ferentem sententiam in causa temporali pro pecunia, non esse simoniacum; iniustitiam tamen committit, dum gratis iudicare debet, vt patet ex dictis de legibus.

Secundò Prælatum habentem propriam iurisdictionem temporalem non esse reum Simoniæ, accipiendo aliquid pro actibus iurisdictionis temporalis.

2 Prælatus Ecclesiasticus concedens licentiam docẽdi, vel legitimandi ad honores temporales, vel ad succession ẽ in bonis, nõ est reus simoniæ.

2 Tertiò sequitur iudicem, vel Prælatum Ecclesiasticum concedentem pretio licentiam studendi, docendi, vel legitimandi ad honores solùm temporales, vel ad successionem in bonis, non esse reum Simoniæ, quia non exercet iurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem, vt sic, sed quatenus continet politicam, & temporalem. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 13. *num.* 83. contra Suarez *cap.* 20. *num.* 29. Filliucium *tract.* 45. *cap.* 4. *quæsito* 10. *ad finem, n.* 43. Glossam, Abbatem, & alios apud Suarez *num.* 19.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Iurisdictio Ecclesiastica est materia simoniæ.

3 SImonia committitur, tam dando, vel accipiendo temporale pro iurisdictione Ecclesiastica voluntaria, vel contentiosa, quam dando, vel accipiendo temporale pro actibus iurisdictionis Ecclesiasticæ gratiosæ, vel contentiosæ. Ratio est, quia non solùm ipsa iurisdictio Ecclesiastica est aliquid spirituale, verùm etiam ipsius actus; nam talis esse solet actus, qualis est potentia; sed potentia est spiritualis, tum ex parte principij, cùm iurisdictio Ecclesiastica sit res supernaturalis, à Deo gratis concessa ad gubernationem Ecclesiæ; tum ex parte finis, cùm ad spiritualem vtilitatem dirigatur; ergo actus iurisdictionis Ecclesiasticæ sunt ad spirituales, consequenter sunt

sunt materia Simoniæ, non solùm humano, verùm etiam diuino iure prohibitæ.

Ex dictis sequitur primò Simoniam committi dum pretio confertur beneficium, vel dignitas Ecclesiastica, aut iurisdictio ordinaria, vel delegata. Ita Nauar. *cap.* 23. *num.* 111. Sylvester *verbo Simonia, quæsito* 4. Suarez *cap.* 20. *num.* 4.

Secundò Vicarium Episcopi, aut Capituli, vel Parochi, aut Capellanum non posse pretio constitui absque Simoniæ labe, Suarez *nu.* 5. & alij.

Tertiò, Prælatos exigentes aliquid pro dispensatione votorum, iuramentorum, irregularitatis, aut impedimentorum matrimonij, reos esse labis simoniacæ, etiam si hoc concedant pro foro externo. Ratio est, tum quia vtuntur potestate Ecclesiastica, spirituali, & supernaturali, tum quia *in Concilio Tridentino sess.* 25. *cap.* 18. generaliter decernitur, vt dispensatio Ecclesiastica gratis ab omnibus concedatur, alioquin dispensatio subreptitia censeatur.

Quartò, Simoniam committi vendendo ius eligendi ad dignitates, vel ius confirmandi electionem, conferendi beneficia, & similia; nam huiusmodi ius est spirituale, & prouenit à potestate spirituali. Ita Suarez *loco citato, num.* 7. & alij Doctores communiter.

4 Sententia iudicis Ecclesiastici in causa spirituali est materia Simoniæ.

4 Quintò, Simoniam committi ab eo, qui pecunia sententiam extorquet à iudice Ecclesiastico in causa spirituali, vt in causa matrimonij, hæresis, &c.

5 Officia, vt Auditoratus Cameræ, nō sunt materia simoniæ si per se spectentur, seu potius ratione emolumentorum.

5 Obiicies primò, Summus Pontifex nonnulla vendere consueuit officia, vt Auditoratum Cameræ, & alia, quibus adnexa est facultas exercendi iurisdictionem Ecclesiasticā. Ergo iurisdictio Ecclesiastica non est materia Simoniæ; consequenter non est intrinsecè malum vendere iurisdictionem Ecclesiasticam; alioquin hoc nulla ratione fieret à Summo Pontifice.

Respondeo cum Suarez *cap.* 20. *n.* 6. *& cap.* 24. *n.* 28. *& seq.* Filliucio *tract.* 45. *c.* 5. *n.* 17. & aliis, Summū Pontificem non vendere huiusmodi officia ratione iurisdictionis illis adnexæ, sed ratione emolumentorum, quæ talia officia consequuntur. Duo enim in huiusmodi officiis spectari possunt: vnum est iurisdictio Ecclesiastica; alterum est emolumentum, quod exercitium, & functiones illius officij consequitur. Summus Pontifex vendit officium ratione emolumentorum, non ratione iurisdictionis, gratis enim confert iurisdictionem spiritualem; emolumenta verò, vel eorum partem sibi reseruat, aut ius ad illa vendit. Prælati verò inferiores id facere nequeunt, tum quia prohibentur vendere officia Ecclesiastica; consequenter separare nequeunt iurisdictionem ab emolumento; tum quia iure communi præcipiuntur spiritualia purè, & sine pacto dare. *cap. vlt. de pactis, & cap. vlt. cap. de rerum permut.*

6 Papa ex quibus causis possit aliquid in dispensationibus concedendis exigere.

6 Obiicies secundò, stylo Romanæ Curiæ receptum est, vt aliquid tradatur pro dispensationibus; sed dispensatio est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ: ergo non committitur Simonia vendendo actus iurisdictionis Ecclesiasticæ.

Respondeo, non tradi pecuniam pro ipsa dispensatione, sed aliis iustis de causis, quarum

Prima est sustentatio Summi Pontificis.

Secunda est labor, & onus officialium; hoc enim est pretio æstimabile, & licet iure Canonico vetitum sit Episcopis, & aliis Prælatis aliquid in dispensationibus accipere quocumque titulo. *cap. vlt. de pactis,* & ex Tridentino *sess.* 25. *cap.* 28. *de reformatione*; hæc tamen prohibitio non afficit Papam, aut eos quibuscum Papa dispensat. Redoan. *1. parte de Simon. cap.* 21. Nauarr. *cons.* 18. *de pœnis*, Suarez *cap.* 20. *num.* 11. *& seq.* Vgol. *tab.* 1. *cap.* 52. Azor. *cap.* 11. *quæs.* 12. *& cap.* 19. *quæsito* 2.

Tertia est commutatio vnius operis in aliud; Pontifex enim solet pecuniam pro dispensationibus obtentam in pios vsus, & eleemosynas expendere: consequenter dum concedit dispensationem, relaxat prius vinculum, illudque commutat in pecuniam, in pios vsus erogandam.

Quarta est, vt homines retrahantur ab illis petendis; cùm enim dispensatio odiosa sit, Pontifex hoc onus petentibus imponere potest, ne facilitate obtinendæ dispensationis eas importunè nimium petant.

Quinta est, pœna delicti, vt si obtinenda sit dispensatio in affinitate contracta ex copula illicita, vel in irregularitate contracta ex homicidio: tunc enim Pontifex pœnam pecuniariam suæ Cameræ applicandam imponere potest in pœnā præteriti delicti. Ita Doct. citati.

Sed modò agendum superest de cooperantibus ad actus iurisdictionis fori externi, vt sunt Aduocatus, Notarius, & testes.

7 Aduocatus non incurrit Simoniæ labem impendendo operā suam in iudiciis.

7 Dubium ergo est primò, vtrùm Aduocatus, qui operam suam in iudiciis præstat, Simoniæ labem incurrat.

Respondeo negatiuè, tum quia facit opus pretio æstimabile; nam ipsius munus est iudicem informare, factum manifestare, & quid de iure faciendum sit, scribere, & aperire, tum quia *in cap. non sanè* 14. *q.* 5. permittitur Aduocato patrocinium suum vendere, tum quia vsu, & praxi receptum est vbique, vt Aduocati salarium, & pretium operæ suæ recipiant. Ita Suar. *c.* 53. *n.* 9. Filliucius *de Simon. cap.* 12. *quæs.* 7. *n.* 11. nec vllus Doctorum in hoc dissentit.

8 Notarius non est, per se loquendo, reus Simoniæ, accipiendo aliquid pro scripturis, seu litteris.

8 Secundò dubium est, vtrùm Notarius Simoniam incurrat accipiendo aliquid pro scriptura, seu instrumentis, ac litteris.

Respondeo negatiuè, per se loquendo. Ratio est, tum quia huiusmodi opus est pretio æstimabile, tum quia nulla de hoc extat specialis prohibitio.

Dixi, *per se loquendo*, vt innuerem fieri posse, vt aliquando Simoniæ culpam incurrat, vt primò in litteris dimissoriis, vel sigillo, ex Tridentino *sess.* 21. *cap.* 1. de quo supra. Secundò si litteras, seu expeditiones circa beneficij prouisionem, aut circa rem aliam spiritualem expediat, & ratione materiæ spiritualis aliquid accipiat; tunc enim Simoniacus est. Secus si solum excedat in salario, & mercede: tunc enim iniustitiam, non Simoniam committit, vt benè Suarez *cap.* 53. *numer.* 12. & Filliucius *tract.* 45. *c.* 12. *quæsito* 7. *num.* 12.

9 Cancellarius Episcopi quandonam iniustitiam cōmittat, accipiendo aliquid vltra nummum aureum.

9 Ex quo sequitur Cancellarium Episcopi, qui pro collatione, & institutione Ecclesiarum curatarum, vel pro deputatione Vicarij in illis, accipit aliquid pro scriptura, sigillo, & ceteris omnibus vltra nummum aureum, violatę iustitię reum esse, quia recipit aliquid supra debitum; ita declarauit sacra Congregatio, occasione Concilij Tridentini *sess.* 21. *cap.* 1. *de reformatione.*

10 Testis accipiens aliquid pro ferendo testimonio Simoniæ labem non incurrit, secus si accipiat aliquid vt inducat iudicem ad indicandum, vel dispensandum in causa spirituali.

10 Tertiò dubium est, vtrùm testis Simoniæ culpam contrahat, accipiendo pecuniam pro testimonio dicendo.

Respondeo, non contrahere culpam Simoniæ, si pecuniam directè accipiat pro ferendo vero testimonio, seu pro dicenda veritate. Ratio est, tum quia testificatio, seu manifestatio veritatis est actus naturalis, & temporalis: cōsequenter ex se non est materia Simonię: tum quia Aduocatus non est Simoniacus, accipiendo pretium pro suo ministerio; ergo neque testis, cùm par ratio videatur. Et licet vterque suo modo adjactum iudicis extorquendum concurrat, tamen vterque ex se est actus ciuilis, & naturalis, pro quo pecunia accipitur. Multo minus Simoniæ reus est, si pecuniam accipiat, non pro veritate dicenda, sed pro expensis, seu pro labore præcisè, vel alio incommodo, hæc enim constat esse temporalia, & pretio æstimabilia, vt docui *de legibus disputat.* 10. *q.* 3. *punct.* 3. *num.* 18. cum Nauarro, Azorio, & aliis.

Dixi, *si pecuniam directè accipiat solùm pro ferendo testimonio*, vt innuerem probabilissimum mihi videri, testem Simoniæ reum esse, dum pecuniam accipit non solùm pro testimonio, verùm etiam, vt iudex inducatur ad iudicandum in causa spirituali, vel ad dispensandum, vel ad conferendum alicui beneficium, vel quid simile, siue testimonium verum sit, siue falsum. Ratio est, tum quia dans pecuniam mediatori, seu intercessori, vt sententiam in causa spirituali obtineat, Simoniam committit; ergo illam etiam committit, qui pecuniam testi eo fine tradit; tunc enim æstimatio sumitur à re spirituali, cùm pecunia tradatur, vt sententia, vel dispensatio in causa spirituali obtineatur. Et sicut tradens pecuniā iudici pro causa spirituali, simoniacus est, ita etiam tradens pecuniam testi, cùm ad actum iudicis moraliter concurrat. Iudex enim sententiam ferre debet iuxta allegata, & probata. Ita Riccardus *in* 4. *dist.* 25. *art.* 5. *quæst.* 2. *ad* 5. Tabiena *verbo Simon. num.* 47. Suarez *cap.* 53. *de Simon. num.* 10. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 12. *quæs.* 6. *num.* 11. & alij, quamuis nonnulli Doctores existiment huiusmodi testem non esse, proprie, & strictè loquendo, simoniacum, quia non accipit pecuniam pro actu spirituali, sed pro temporali, intendens rem spiritualem obtinere.

QVÆSTIO V.

Quænam personæ possint Simoniæ labem committere.

PRius agam de personis committentibus Simoniam iuris diuini, & naturalis, postea de committentibus Simoniam iuris humani.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Omnes cuiuscumque conditionis homines posśūt esse rei Simoniæ iuris naturalis diuini.

1 OMnes cuiuscumque conditionis homines culpam Simoniæ, iure naturali, & diuino vetitæ, contrahere possunt. Ratio est, quia omnes, etiam Papa, iuri naturali diuino subiiciuntur.

2 Papa potest incurrere Simonię labē iure naturali diuino prohibitam.

2 Ex quo sequitur primò Papam reum esse criminis Simoniæ, tradendo spirituale pro temporali, vel temporale pro spirituali, vt si Sacramenta, vel Ordines conferat præuio pretio, aut si reliquias, vel Agnos Dei benedictos vendat, seu plus exigat, habita ratione benedictionis, quàm alioquin valeant ratione materiæ, aut si Pontificiam dignitatem pretio renuntiet, aut si definitionem alicuius articuli fidei vendat; tradit enim spirituale pro temporali, quod est intrinsecè malum, & simoniacum, contra ius naturale diuinum. Idem dicendum est, si ius spirituale beneficij pecunia alicui conferat; modò pecuniam illam accipiat tamquam pretium illius iuris spiritualis, quamquam hoc moraliter loquendo, euenire non potest; cùm enim Pontifex possit multis titulis pecuniam in collatione beneficij recipere, verisimile non est, Pontificem vmquam recepturum esse pecuniam tamquam pretium iuris spiritualis, vt benè Iulius Clar. *lib.* 1. §. *Simon. n.* 5. Redoanus *de Simonia parte* 1. *c.* 20. Sotus *lib.* 9. *quæst.* 5 *art.* 2. Valentia *tom.* 3. *disput.* 6. *q.* 16. *punct.* 6. *ad finem*, Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 52. *num.* 3. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 12. *quæsito* 1. *ad finem, num.* 2. Vasquez *de benef. cap.* 2. §. 4. *dub.* 3. Molfesius *tractat.* 6. *cap.* 15. *num.* 81. *& seqq.* Azor. 3. *part. lib.* 12. *cap.* 25. [Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 5. Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *c.* 8. *n.* 64.] & alij communiter.

Secundò sequitur, non solum Christi fideles, verùm etiam hæreticos, Paganos, & infideles peccato Simoniæ subiici posse, vt si Baptismum, vel Ordinem, vel Episcopatum emant pro filio, vel amico, aut alia ratione spiritualia tradant, vel recipiant præuia pecunia. Ratio est, quia etiam infideles iuri naturali, & diuino subiiciuntur. Idem dic si in crimine Simoniæ patrato à fidelibus cooperentur; cooperans enim peccato alterius, reus est peccati, cui cooperatur, vt pater ex regulis generalibus traditis de peccatis. Verum tamen est infideles committentes Simonię crimen, vel in eo communicantes, non subiici censuris, & pœnis ab Ecclesia latis contra Simoniacos, vt docui de Censuris, nam de his, qui foris sunt, nihil ad nos, inquit Apostolus; possent tamen extraordinaria pœna puniri, si Principibus Christianis temporaliter subiecti essent. Ita Suarez *lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 8. *ad finem*, Filliucius *loco citato, cap.* 12. *quæsito* 10. *num.* 18.

3 Simonia committi non potest cum Deo.

3 Quæres, vtrùm cum Deo committi possit Simonia, saltem contra ius naturale diuinum.

Ratio dubitandi est, quia Simonia committitur promittendo temporale pro spirituali; sed potest aliquis promittere Deo certam eleemosynam, vel peregrinationem, aut aliam rem pretio æstimabilem, si Deus sibi gratiam aliquam gratis datam tribuat, vel sanitatem miraculosè restituat, & c. ergo Simonia cum Deo committi posse videtur; præsertim in sententia illorum, qui volunt Simoniam iure naturali vetitam esse, & Deum non posse in eo dispensare.

His non obstantibus omnino sustinendum est Simoniæ crimen

men cum Deo committi non posse, nisi fortè ex conscientia erronea. Ratio est, tum quia Simonia committitur tradendo temporale pro spirituali; sed Deo nihil tradi potest, cuius antea dominiū non haberet, nam ipse est vniuersorum Dominus: ergo Simonia cum Deo committi non potest. Tum quia bona materialia, & temporalia, quæ Deo offeruntur, non illi offerūtur tamquam pretium, sed vt spiritualia obsequia, consequenter offertur spirituale pro spirituali; non committitur autem Simonia offerendo spirituale pro spirituali, vt suo loco probaui.

Ex quo patet responsio ad rationem dubitandi. Ita Panormitan. *in c. Scripturæ, de voto.* Suarez *de Simon. c.* 30. *ad finem, n.* 9. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 7. *quæs.* 2. *ad finem, num.* 8.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Omnes cuiuscumque conditionis homines incurrere possunt Simoniam iuris Canonici.

4 OMnes cuiuscumque conditionis homines baptizati Simoniam iure Canonico prohibitam incurrere possunt. Ratio est, quia omnes homines baptizati subiiciuntur legibus Ecclesiasticis generaliter latis.

5 Papa potest incurrere Simoniam iuris Canonici; nisi prius secū dispenset in lege.

5 Ex quo sequitur primò, etiam Papam posse culpam Simoniæ iure Canonico prohibitæ contrahere, si rei naturam præcisè spectemus. Quamuis enim Papa suis legibus non subiiciatur quoad vim coactiuam, subiicitur tamen quoad vim directiuam, quoties materia legis est communis Papæ, & subditis, & secum in ea lege non dispensat, vt ex professo docui de legibus. Præsumitur autem secum dispensare, quoties facit aliquem actum, quem aliàs licitè facere non posset absque præuia dispensatione: nam in facto Principis non præsumitur delictum, vel saltem præsumitur minus delictum, vt benè Suarez *cap.* 52. *num.* 7. *ad finem.* Item si Papa resignationem, vel permutationem cum pensione, vel alio onere admittat, non censetur Simoniacus; quia materia legum prohibentium resignationem, vel permutationem, non pertinet ad Pontific. imò omnes istæ leges hanc conditionem includunt, nisi adsit consensus Papæ, ideo si Pontifex aliquam renuntiationem, vel permutationem admitteret cum maiori onere, quàm beneficium ferat, posset quidem peccare contra obligationem ritè dispensandi beneficia, non tamen reus esset Simoniæ contra legem prohibentem resignationem, vel permutationem beneficiorum.

Idem dic de lege prohibente venditionem quorumdam officiorum Ecclesiæ, de quibus sermo est *in cap. Saluator* 1. *quæst.* 3. nam materia istius legis non est communis Pontifici, & aliis, nec vllus supremus reipublicæ Princeps prohibetur vendere officia vendibilia suæ reipublicæ. Ita Azor. *cap.* 25.

6 Cardinales incurrere possunt reatum Simoniæ.

6 Secundò sequitur Cardinales, Patriarchas, Episcopos, & alios Prælatos, vel Clericos, aut Laicos posse Simoniam committere, non solùm contra ius naturale diuinum, verùm etiam contra ius Canonicum, quia legibus Ecclesiæ subiiciuntur, vt pluribus docui *de legibus.* Idem dic de Capitulis, Collegio, vel communitate. Quamquam si pars aliqua solum communitatis in Simoniæ crimine cōsentiat, alia dissentiente, illa solùm, quæ consentit, rea est Simoniæ. An autem si maior Capituli pars in simoniaco delicto consentiat, minor pars quę non consentit, incurrat pœnas communitati impositas, constabit ex infrà dicendis *quæst.* 7.

7 Religiosi possunt esse Simoniaci.

7 Tertiò, Religiosos posse Simoniam committere ea ratione, qua reliqui fideles: quamobrem Simoniaci sunt si emant officia, vel beneficia regularia, & Prælationes, Abbatias, vel Prioratus, de quibus sermo est *in cap. non satis, cap. mandato, de Simonia, & cap.* 2. *de statu Monach.* aut si emant officium Sacristæ, Procuratoris ordinis, & similia; hæc enim sunt officia Ecclesiastica, & *cap. Saluator* 1. *quæst.* 3. generaliter loquitur. Ita Suarez *cap.* 54. *numer.* 3. *ad finem*, Filliucius *cap.* 12. *quæsito* 8. *numer.* 15. Committunt etiam Simoniam, si pecuniam recipiant, vt aliquem ad habitum, vel professionem admittant, vel ad hoc cooperentur. Ratio est, tum quia collatio habitus, vel professionis est res spiritualis, tum quia sic habetur *in cap. quàm pio.* 1. *quæst.* 2. eodem pacto rei sunt criminis Simoniæ, si pecuniam tradant alicui, vt fiat religiosus. Ratio est, quia non traditur pecunia pro persona vt sic, sed vt seipsam spiritualiter tradat religioni, & in ea profiteatur; huiusmodi autem traditio, & professio est res sacra, & spiritualis; consequenter est materia Simoniæ, vt benè Suarez *loco citato, numero* 4. & Filliucius *num.* 16.

8 Simonia contrahi potest ab eo, qui in materia spirituali contrahit cum Papa, vel alio, Papa consentiente tacitè, vel expressè.

8 Sed modò dubium est, vtrum contrahens in materia spirituali cum Papa, vel cum aliquo ipsius ministro de consensu expresso, vel tacito Papæ, incurrat culpam Simoniæ.

Respondeo, si contrahit in materia Simoniæ iure diuino, & naturali vetitæ, incurrit culpam Simoniæ, quia tam ipse, quàm Papa iuri naturali diuino subiicitur, & Papa in iure naturæ, vel diuino dispēsare non potest, exceptis quibusdam casibus, vt docui *de legibus.* Si verò contrahit in materia Simoniæ iure solum Canonico prohibitæ, vel introductæ, non incurrit culpam Simoniæ, quia Papa censetur dispensare, vt docui de legibus, & à simili constat ex dictis de Censuris, dum loquerer de illo, quem Episcopus admittit ad Ordines, sciens obstrictum esse aliquo impedimento, in quo ipse dispensandi potestatem habet, idemque docent Nauar. *de datis, & promissis notab.* 9. *num.* 14. Azorius 3. *part. lib.* 12. *cap.* 25. *quæs.* 2. Rodriquez *in Summa cap.* 56. *concl.* 5. Molina *tom.* 1. *disputat.* 92. *vers. illud.* Suarez *lib.* 4. *de Simonia cap.* 52. *numero* 11. Valentia *loco citato*, Molfesius *num.* 87. Filliucius *cap.* 11. *num.* 5. [Paulus Layman *num.* 64.] & alij communiter.

9 Tolerantia Summi Pontificis non excusat à Simonia.

9 Maior difficultas est vtrum illi à Simoniæ culpa contra ius Canonicum excusentur, qui Simoniam solo iure positiuo prohibitam exercent, sciente, & dissimulante Pontifice.

Respondeo, duplicem esse Doctorum sententiam.

Prima existimat excusari, quia Papa non præsumitur delinquere; delinqueret autem dissimulando Simoniam, nisi in ea dispensaret. Ita Sanchez *lib.* 3. *disputat.* 35. *num.* 20. Salas *de legib. disput.* 24. *sect.* 9. *num.* 85. & alij.

Secunda sententia putat tolerantiam Pontificis non excusare, nisi adsit talis scientia, tolerantia, & consuetudo, vt iudicio prudentum ea lex sublata censeatur. Ratio est, tum quia in dubio obligationis legis iudicandum est in fauorem legis; nam ipsa possidet, & de ipsius obligatione constat; non verò constat de abrogatione, tum quia taciturnitas, & tolerantia non semper arguit consensum, præsertim cùm fieri possit, vt delictum toleretur, & non puniatur, quia non denuntiatur, vel quia non expedit omnes delinquentes punire, vel omnes pœnas repetere, & exequi; vel quia aliqua negligentia in hoc adesse potest, & consequenter factum non approbatur; ita Suarez *loco citato, cap.* 52. *ad finem*, [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *c.* 8. *n.* 65.] Menochius, Sayrus, & alij, quos in simili retuli *de Sacramentis disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. *§.* 1. *& alibi pluribus in locis.*

QVÆSTIO VI.

Vtrùm aliquis titulus assignari possit, propter quem tradens, vel accipiens temporale occasione spiritualis, excusari possit à labe Simoniæ.

SEx causæ, seu tituli in hac quęstione examinandi sunt, an sufficiant ad excusandum à labe Simoniæ.

Primus est titulus liberalitatis, vel gratitudinis.

Secundus est titulus debitæ sustentationis.

Tertius est labor.

Quartus priuatio libertatis, vel alterius commodi temporalis, quo quis se priuat faciendo spirituale opus.

Quintus est redemptio vexationis.

Sextus est consuetudo accipiendi aliquid temporale pro spirituali in tali occasione.

PVNCTVM I.

Vtrùm occasione rei spiritualis accipi possit aliquid temporale titulo liberalitatis, vel gratitudinis.

VNICA PROPOSITIO.

1 Simonia non committitur tradendo vel accipiendo aliquid temporale gratis occasione spiritualis.

1 NOn committitur Simonia, dum occasione rei spiritualis accipitur pecunia, seu res pretio æstimabilis, non tamquam pretium rei, sed gratis, vel titulo gratitudinis, & non in pretium rei spiritualis. Sicut etiam non committitur simonia, dum occasione rei temporalis accipitur, vel traditur aliquid spirituale, non tamquam pretium rei temporalis, sed gratis, seu titulo gratitudinis. Ita Caier. *verb. Simon.* Sotus *lib.* 9. *de iust. quæst.* 7. *artic.* 1. *&* 3. Nauarrus *cap.* 23. *numero* 106. *ad* 4. Vgolinus *de Simonia, tab.* 1. *cap.* 51. *§.* 1. Suarez *libr.* 4. *cap.* 45. *numero* 4. *&* 5. Lessius *libr.* 2. *cap.* 35. *dub.* Filliucius *tractat.* 45. *cap.* 10. *quæsito* 5. [Paulus Layman *lib.* 4. *tractat.* 10. *cap.* 8. *numero* 8.] & alij communiter. Ratio est, tum quia quod gratis datur, non datur tamquam pretium; simonia autem committitur, dum traditur pretium pro re spirituali: quod autem titulo gratitudinis datur occasione rei spiritualis, vel temporalis acceptæ, gratis datur, tum quia simonia committitur vendendo, vel emendo; hìc autem non adest emptio, aut venditio: tum quia sic colligitur ex *cap. quàm pio, & cap. sicut Episcopus* 1. *quæst.* 2. Et licet præfati textus loquantur de re temporali, quæ traditur post acceptum spirituale officium, nihilominus eadem ratio militat in re temporali, quæ gratis datur, antequam officium spirituale conferatur. *cap. placuit.* 2. 1. *quæst.* 1. *cap. dilectus* 2. *eodem, & cap. & si quæstiones, de Simonia.*

Hinc patet primò, simoniam non committi, dum res aliqua temporalis, vel spiritualis gratis simpliciter datur, vel etiam titulo gratitudinis in recognitionem alterius rei temporalis, vel spiritualis. Ratio est, quia donatio antidoralis est simpliciter gratuita, quamuis non sit omni ex parte liberalis, quod enim titulo gratitudinis datur, non datur tamquam pretium, sed titulo beneficij, nec confertur ad extinguendum debitum iustitiæ, sed debitum antidorale, seu morale, quod non obstat, quin id, quod traditur, gratis tradi dicatur; consequenter ad simoniam non sufficit. Ita Couarruuias 1. *variarum cap.* 20. *num.* 4. Valentia *tom.* 3. *disputat.* 6. *quæst.* 16. *punct.* 3. *vers.* 2. Nauar. *in manual. cap.* 23. *num.* 106. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 36. *num.* 2. *& cap.* 45. *num.* 4. *& seqq.* Filliucius *tractat.* 45. *cap.* 9. *quæsito* 1. *& cap.* 10. *quæsito* 5. *num.* 21. & alij communiter.

2 Verba vrbanitatis proferens occasione rei spiritualis non committit simoniam.

2 Secundò, patet non committi simoniam, quando aliquis gratitudinis gratia dicit conferenti beneficium, vel alteri, cuius opera vsus est in obtinendo beneficio, *omnia, quæ ego habeo, etiam ipsum beneficium, sunt dicata tuo obsequio, & voluntati*; aut si dicat, *numquam experieris me ingratum*, vel *numquam te pœnitebit exhibiti mihi beneficij*, vel *tuus ero in posterum*, vel *memor ero apud Deum.* Ratio est, tum quia huiusmodi verba dicuntur solum causa vrbanitatis ad indicandam animi gratitudinem, nec vllam inducunt obligationem; consequenter non censetur aliquid promitti, vel tradi tamquam pretium rei spiritualis, tum quia non est illicitum facere, vel indicare id, quod iure naturæ debetur; sed iure naturæ debemus esse grati nostris benefactoribus, & benemeritis de nobis: ergo non committitur simonia exhibendo huiusmodi signa gratitudinis Ita Nauar. *lib.* 5. *consiliorum consilio* 81. *de Simonia*, Vgol. *tab.* 1. *cap.* 57. *num.* 2. Azor. & alij.

Tertiò, non committi Simoniam tradendo aliquid alteri ex gratitudine, seu in remunerationem obsequiorum, vt si Prælatus beneficia conferat iis, qui de ipso bene meriti sunt. Ita Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 8. *§.* 4. Nauar. *cap.* 23. *num.* 106. *versicul. ad* 4. Summa Corona *fol.* 79. *ad finem*, [Paulus Layman *num.* 8.] & Lazarius *de Simon. num.* 7. vbi addit ex sententia S. Thomæ non committi simoniam ab eo, qui confert alteri beneficium, vt se liberet ab obligatione gratitudinis, qua tenetur erga illum; nam remissio istius obligationis non habet vim pretij, & quod titulo gratitudinis datur, liberaliter datur.

Obiicies

Obiicies primò, tradens beneficium, vel rem aliam spiritualem beneficiario, à quo temporale acceperat, obtinet remissionem obligationis antidoralis, quam erga beneficiarium contraxerat; sed obligatio antidoralis est pretio æstimabilis, sicut est remissio debiti: ergo obtinet aliquid pretio æstimabile; sed obtinens pretio æstimabile pro re spirituali, committit Simoniam: ergo committit Simoniam.

Respondeo remissionem, seu extinctionem obligationis antidoralis non habere rationem pretij, nec esse pretio æstimabilem: quia sicut ipsa antidoralis obligatio, quæ consurgit ex largitione doni, non est pretio æstimabilis, sed naturaliter, & necessariò consequitur ipsam largitionem; ita remissio, seu extinctio obligationis antidoralis necessariò consequitur ipsam muneris traditionem factam ob gratitudinem: & sicut ipsa obligatio antidoralis non contrahitur voluntariè voluntate distincta, ab acceptatione beneficij; ita neque illius remissio obtinetur voluntate distincta ab acceptatione muneris, sed ipsamet acceptatione muneris tollitur. Vide dicenda *num.* 5.

Obiicies secundò, recognitio, seu remuneratio non videtur licita, & ordinata, nisi sit proportionata beneficio accepto; sed res spiritualis non est proportionata rei temporali, nam res spiritualis longè excedit rem temporalem, & obligationem antidoralem; ergo traditio rei spiritualis in recognitionem rei temporalis non est licita, & ordinata. Confirmatur, quia tradens rem spiritualem in recognitionem rei temporalis videtur conferre, commensurare, & quasi adæquare spiritualia cum temporalibus.

Respondeo recognitionem, seu remunerationem esse licitam, & ordinatam, etiamsi donum longè præstantius munere accepto tribuatur. Ratio est, tum quia pauperes, & religiosi orationes fundunt pro benefactoribus eleemosynas tribuentibus; quod non damnatur, tum quia gratitudo non tam penditur, & mensuratur ex dono ipso accepto, quàm ex affectu, vt benè D. Thom. 2.2. *quæst.* 100. *art.* 5. *ad* 6. consequenter tribui potest munus in recognitionem doni accepti longè præstantius ipso dono: tum quia tradens temporale in recognitionem rei spiritualis gratis acceptæ, nullam committit inordinationem, per se loquendo; non enim confert temporale tamquam pretium, vel mensuram rei spiritualis, sed vt quid commensuratum affectui, & voluntati illius, qui rem spiritualem contulit, & si in hac parte excedit, liberalitatem exercet, non titulum antidoralis obligationis. Hinc etiam patet responsio ad confirmationem: non enim confertur res spiritualis cum temporali; sed affectus cum affectu.

3 Obligatio antidoralis, quam quis sperat, vel intendit, non est materia Simoniæ.

3 Sed modò dubium est primò, vtrùm possit quis tradere aliquod donum, vel obsequium, sperans, seu intendens obligationem antidoralem, seu aliquid spirituale ex gratitudine obtinendum.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia qui post acceptum liberaliter temporale donum, tradit spirituale intentione adimplendi antidoralem obligationem, non committit Simoniam, etiamsi verbis exprimat, se hoc facere ad extinguendam obligationem, nihil enim indebitum facit, vel petit, cum extinctio antidoralis obligationis consequatur largitionem factam in remunerationem; consequenter nihil petitur quod de iure non insit, & quod sit pretio æstimabile: ergo neque Simoniam committit, qui temporale tradit, vel facit intendens antidoralem obligationem; tum quia non intendit aliquid illicitum, sed intendit id quod naturaliter, & necessariò consequitur ex traditione doni, seu beneficij: nam obligatio gratitudinis necessariò consurgit, & intrinsecè sequitur ex collatione doni & beneficij, consequenter si beneficium, seu obsequium, quod confertur, est honestum, etiam gratitudo honesta erit; consequenter etiam honesta erit intentio; nam talis est intentio, quale est obiectum. Ita communiter Doctores, teste Suarez *cap.* 45. *num.* 4.

4 Amicitia, vel beneuolentia, quam quis intendit in collatione rei spiritualis, non est materia Simoniæ.

4 Hinc patet primò, quid dicendum sit de illis, qui aliquid conferunt intendentes beneuolentiam, vel amicitiam: eadem enim ratio militare videtur de beneuolentia, seu amicitia, & de gratitudine, seu obligatione antidorali, collationem enim beneficij necessariò sequitur beneuolentia ex natura rei.

5 Simonia non committitur tradendo beneficiũ, seu aliquid spirituale intentione adimplẽdi suam obligationem, quam quis contraxit ob acceptionem rei temporalis.

5 Secundò patet, quid dicendum sit de illis, qui post acceptum gratis, & liberaliter donum, ex quo antidoralis obligatio consecuta fuit, tradunt beneficium, vel quid aliud spirituale, intentione adimplendi suam obligationem, etiamsi talem intentionem verbis exprimant, aut etiam ab iis, qui dona contulerant, petant remissionem obligationis. Ratio est, quia non petunt indebitum, sed id, quod naturaliter consequitur ex donatione in recognitionem facta. Sicut enim ex beneficio, seu obsequio naturaliter consurgit obligatio antidoralis: ita hæc extinguitur collatione muneris sufficientis, & competentis pro ratione obligationis, & personæ, consequenter non petitur indebitum, sed id, quod inest; expressio autem illius, quod inest, non inducit Simoniam. Et licèt ab alio petatur remissio, tamen nihil ab eo petitur pretio æstimabile, sed id quod inest. Ita Nauarr. *cap.* 23. *num.* 106. Suarez *num.* 13. Filliucius *num.* 25. [Layman *num.* 10.] & alij.

Dices, dona spiritualia sunt gratis conferenda; sicut enim gratis omnino accepta sunt, ita omnino gratis conferri debent, iuxta illud, *gratis accepistis, gratis date.* quod autem datur ad extinguendam antidoralem obligationem, non gratis datur.

Respondeo gratis dari, quia non datur ex obligatione iustitiæ; donum enim gratuitum rependitur, non tamquam debitum ex iustitia, neque vt quid commensuratum rei acceptæ, sed ad obtinendam remissionem obligationis gratitudinis, quæ naturaliter consequitur.

6 Simoniacus non est, qui temporale tradit, vt sibi spirituale cõferatur, etiamsi ab eo, cui tẽporale tradit, petat gratitudinem, vel recognitionem suæ obligationis.

6 Secundò dubium est, vtrùm tradens aliquid temporale, intentione, vt sibi aliquid spirituale conferatur titulo gratitudinis, Simoniam cõmittat, si ab eo, cui temporale donum tradit, petat gratitudinem, seu gratum animũ, vel recognitionẽ suæ obligationis naturalis.

Respondeo negatiuè cum Suarez *num.* 8. & Filliucio *num.* 22. Ratio est, tum quia non petit indebitum, sed id, quod inest, seu accessoriè consequitur collationem beneficij; expressio autem illius, quod inest, non facit Simoniam: tum quia licitum est ab alio petere, quod alter ex naturali obligatione præstare tenetur; alter autem tenetur esse gratus, tum quia in mutuo non committitur vsura petendo gratitudinem, seu debitum gratitudinis præcisè; ergo neque committitur Simonia, dum in traditione rei temporalis petitur gratitudo, seu recognitio obligationis antidoralis: tum quia experientia cernimus eos, qui tradunt pauperibus eleemosynam, frequenter ab ipsis petere, vt gratitudinis signum orando pro se præbeant, & religiosi viri benefactoribus sæpiùs pollicentur, se gratos fore in suis orationibus; ergo. Ex quo patet à fortiori Simoniam non committi, dum tradita gratis re temporali, petitur executio, & adimpletio obligationis antidoralis. Ratio est, tum quia non commutatur temporale pro spirituali; cùm temporale iam gratis collatum sit: tum quia sicut peti potest aliud donum, ex liberalitate conferendum; ita executio obligationis antidoralis.

Obserua tamen cauendum esse ab huiusmodi petitionibus, saltem ante collationem doni, vel obsequij, quia aliunde fieri potest vt peccatum in hac re committatur, tum ratione scandali, quia alij suspicari fortè possent peti tamquam pretium, & iniri conuentionem, & pactionem, quam iura præsertim in beneficiis vetant, tum ratione periculi committendi Simoniam, quia fieri poterat, vt petant tamquam debitum, & obligationem alteri imponant.

7 Obligatio antidoralis in pactum deduci non potest pro re spirituali.

7 Tertiò dubium est, vtrùm Simonia committatur deducendo in pactum antidoralem obligationem, vt si aliquid spirituale tradatur cum pacto, vt recipiens sit gratus, vel cum pacto, vt antidoralem obligationem adimpleat.

Respondeo, Simoniam committi. Ratio est, tum quia in mutuo committitur vsura deducendo in pactum huiusmodi obligationem; ergo etiam Simonia committitur in traditione, vel promissione rei spiritualis pro temporali, vel è contra: tum quia Simonia committitur dum pro re spirituali imponitur onus pretio æstimabile. Obligatio autem antidoralis in pactum deducta est pretio æstimabilis, quia præter obligationem antidoralem, & generalem additur noua specialis, & ciuilis obligatio. Ita communiter Doctores.

Et hoc maximè valet in beneficiis, in quibus omnis pactio, & conuentio, iure Ecclesiastico vetatur, vt alibi probaui.

Dices, non committitur Simonia, dum initur pactum, in quo id tantùm exprimitur, quod de iure inest. Ob id *in cap. ex insinuatione, de Simonia*, habetur conditionem obtinendi vltimum locum in Choro non fuisse simoniacam, quia erat de re, quæ per se inerat; sed antidoralis obligatio de se inest collationi doni, seu obsequij: ergo in pactum deduci potest; ergo non committitur Simonia tradendo rem temporalem, vel spiritualem cum pacto vt alter sit gratus, seu remaneat obligatus obligatione antidorali, seu obligationem antidoralem adimpleat.

Respondeo, deducendo in pactum obligationem antidoralem, seu remunerationem, non solum exprimi id, quod inest, sed nouam induci obligationem, quæ ex pacto consurgit: consequenter obligationi naturali gratitudinis additur obligatio iustitiæ, quæ pretio æstimabilis est.

Ex quo patet Simoniam committi, dum quis aliquid spirituale tradit alteri cum pacto, vt obsequium sibi præstet, vel rem pretio æstimabilem præbeat, vel agat, & hoc verum est, etiamsi dicat se hoc postulare solum ex beneuolentia, seu liberalitate illius, cui rem spiritualem tradit, vt si dicat, liberaliter trado tibi hanc rem spiritualem, si tu rem aliquam temporalem liberaliter promittas. Ratio est, quia in pactum deducit obligationem, & falsa est illa propositio, qua indicat se liberaliter tradere, & liberale donum exigere, cùm ineat contractum onerosum, & re ipsa non donet, sed vendat. Sicut si ego dicerem, dono tibi liberaliter hunc torquem, si tu mihi liberaliter dones vestem, aliàs ego non donabo, perspicuum est me verbis solum donare, sed re ipsa vendere, seu permutare.

PVNCTVM II.

Vtrùm titulo sustentationis aliquid tradi, vel accipi possit absque Simonia.

VNICA PROPOSITIO.

1 Sustentationis titulus excusare solet à Simonia.

1 NOn committitur Simonia dum pro obligatione actionis spiritualis accipitur aliquid titulo sustentationis. Ratio est, tum quia Simonia committitur, dum pro re spirituali accipitur aliquid temporale indebitum; accipiendo autem aliquid titulo sustentationis pro re spirituali, non accipitur aliquid indebitum, cùm sustentatio iure naturæ debeatur, & dignus sit operarius cibo suo, *Matth.* 10. & qui altari seruit, de altari viuere debeat, *ad Roman.* 15. 1. *Corinth.* 9. 1. *Timoth.* 5. tum quia, qui negotia alterius gerit, potest sustentationem ab eo exigere, tum quia Sacerdotes apud Ægyptios publicis sumptibus alebantur, *Geneseos* 47. Ergo signum est Simoniam non committi accipiendo aliquid in sustentationem pro actione spirituali, & supernaturali. Ita Doctores ferè communiter, quamuis Azor. 3. *parte lib.* 12. *cap.* 3. *quæsito* 6. & alij ex parte dissentiant, dum Sacerdos aliunde habet, ex quo viuere valeat.

Hinc patet, quo pacto excusentur Ministri Ecclesiastici accipientes pias oblationes, vel alia stipendia ex consuetudine, vel legibus Ecclesiæ, præscribentibus aliquid dari pro certis muneribus. Hæc enim non dantur tamquam pretium rei spiritualis, sed in stipendium, seu sustentationem. Ita Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 16. *punct.* 3. *colum.* 2. & alij Doctores communiter.

Obiicies primò, Sacerdotes vtplurimum aliunde habent, quo ali possint: ergo non possunt quicquam pro actione sacra recipere.

Respondeo, per accidens esse, quòd Sacerdotes aliunde habeant; neque hoc obesse debet Sacerdoti, ne recipiat id, quod sibi ex natura rei debetur, cùm nemo, etiam diues, suis stipendiis militare teneatur; vt benè Suarez *cap.* 45. *num.* 7. Reginaldus *lib.* 23. *num.* 117. Valentia *loco* statim *citando*; aliunde tamen peccare potest, vt si ex officio ministrare teneatur, & ratione officij alios redditus habeat. Tunc enim peccat contra iustitiam, cùm accipiat indebitum, vt benè Valentia

punct. 3. *vers. quoad etiam*, & Suarez *cap.* 47. nisi fortè redditus adeò tenues sint, vt non sufficiant ad sustinenda onera personæ, status, & officij.

Obiicies secundò, qui spiritualia non gratis ministrat, Simoniam committit; sed qui pretium in sustentationem accipit pro spiritualibus, non ministrat gratis spiritualia: ergo Simoniam committit.

Respondeo, negando minorem propositionem; nam dicitur gratis ministrare, quatenus non accipit indebitum, cùm non recipiat aliquid tamquam pretium sacri ministerij, sed ad sustentationem, quæ iure debetur.

2 Sustentatio in pactũ deduci potest absque Simonia.

2 Obiicies tertiò, si non committitur Simonia accipiendo aliquid titulo sustentationis, sequereturhanc sustentationem in pactum deduci posse; nam quod exigi potest, in pactum deduci potest; sed falsum est ex S. Th. 2.2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 2. Caiet. *ibid.* Sylvestro, & aliis, sustentationem in pactum deduci posse; ergo falsum etiam est aliquid accipi posse titulo sustentationis.

Respondeo cum Nauarro *cap.* 23. *num.* 106. Soto *lib.* 9. *de iust. quæst.* 6. *artic.* 2. Valentia *punct.* 3. *col.* 3. *vers. ad secundam*, Suarez *cap.* 46. *nu.* 4. Redoano 2. *part. cap.* 27. & aliis, huiusmodi sustentationem deduci posse in pactum: tum quia quilibet in pactum adducere potest, quod sibi iure naturæ debetur; non enim petit indebitum: tum quia iuxta eumdem Caietanum exigi potest stipendium titulo sustentationis, quod taxatum fuit à Prælato, etiamsi Sacerdos dies sit: ergo etiam exigi potest, dum à Prælato taxatum non fuit, hoc enim rei naturam non mutat, nec tollit ius Sacerdotis, & sicut huiusmodi stipendium à superiore taxari potest; ita etiam à partibus; modò non adsit prohibitio, vel excessus.

3 Sustentationis excessus iniustitiam continet.

3 Obid cauere debet Sacerdos, ne plus exigat pro sustentatione, quàm ferat ratio laboris, & operis, quia excessus non est illi debitus: accipiens autem indebitum iniustitiam committit. Imò incurrit suspicionem Simoniæ, quia præsumitur accipere tamquam pretium rei spiritualis, vt benè S. Thom. 2.2. *q.* 100. *artic.* 3. *ad* 3. *&* *art.* 5. *ad* 2. Suarez *cap.* 46. *num.* 9. *& cap.* 47. *num.* 5. *& seqq.* Filliucius *tract.* 45. *cap.* 10. *quæst.* 7. *num.* 18. *& seq.* quamquam re vera in foro conscientiæ non est reus Simoniæ, sed iniustitiæ, si non accipiat tamquam pretium operis, sed titulo sustentationis, & stipendij. Ideo ad vitandam Simoniæ suspicionem Sacerdos, dum pactum init, significare debet se pactum de stipendio sibi tradendo inire; non pro re sacra, sed pro necessaria sustentatione.

An autem superior taxare, & determinare possit quantitatem stipendij, ita vt nec maius accipiatur, nec minus tradatur, explicaui *in tractatu de Sacramentis*, & videri potest Suarez *cap.* 46. *num.* 14. cum aliis Doctoribus, quos retuli *de Sacramentis disp.* 4. *q. vlt. punct.* 8.

Obiicies quartò plures extant canones, in quibus generaliter interdictum est omne pactum in spiritualibus, *cap. vlt. de pactis*, *cap. tua nos, de Simon. & cap. quæsitum, de rerum permut.* ergo nihil exigi, vel in pactum deduci potest, etiam titulo sustentationis.

Responderi potest primo, in præfatis textibus non comprehendi sustentationem, quæ iure naturæ debetur.

Secundò, hinc colligi solum id vetitum aliàs fuisse iure Canonico: consequenter Simoniam fuisse iuris humani; huic tamen iuri in quibusdam rebus, & functionibus contraria consuetudo derogauit, Prælatis scientibus, & conniuentibus, ex Soto *lib.* 9. *de iust. quæst.* 6. *art.* 1. Lessio *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 8. *num.* 49. Suarez *cap.* 47. *num.* 6. *& seq. & cap.* 48. & aliis, quos in simili retuli de acceptis ob ingressum in religionem.

PVNCTVM III.

Vtrùm pro labore extrinseco aliquid tradi, vel accipi possit absque labe Simoniæ.

VNICA PROPOSITIO.

1 Labor intrinsecus actioni spirituali est materia Simoniæ.

1 COmmittitur Simonia accipiendo aliquid pro labore intrinseco actioni spirituali. Ratio est, tum quia labor iste non distinguitur ab ipsa actione sacra, sed vnum opus componit, quod totum sacrum est: consequenter tamquam sacrum tractandum est: tum quia labor operis non est dignus alia æstimatione, quàm ipsum opus, cùm intrinsecè coniunctus sit ipsimet operi; sed ipsum opus non habet æstimationem, cùm sit aliquid spirituale, & sacrum: ergo neque illam habet labor intrinsecè coniunctus operi sacro, & spirituali; tum quia ad hoc maximè facit regula Vrbani *in cap. si quis obiecerit* 1. *q.* 3. vbi dicitur, *Qui horum alterum vendiderit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit.* Ergo qui vendit laborem, sine quo opus sacrum, & spirituale non fit, non cẽsetur derelinquere opus spirituale inuenditum, consequenter Simoniam committit. Ita Nauarr. *cap.* 23. *num.* 101. *&* 102. Victoria *in relect. de Simon. part.* 2. *nu.* 20. Sotus *lib.* 9. *de iust. quæst.* 6. *art.* 1. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 16. *punct.* 2. *vers.* 1. *Nihilominus.* Reginald. *lib.* 23. *num.* 139. Caiet. *verb. Simon. reg.* 5. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *nu.* 65. *&* 41.] & alij communiter, contra Adrianum *quodlibeto* 9. Maiorem *in* 4. *dist.* 25. *q.* 6. & alios.

2 Labor extrinsecus, seu per accidens cõiunctus nõ est materia Simoniæ.

2 Dixi in propositione, *accipiendo aliquid pro labore intrinseco actioni spirituali*; nam si non accipitur pro labore intrinseco, sed pro extrinseco, seu per accidens adiuncto operi sacro, vel spirituali, [aut titulo sustentationis,] non committitur Simonia. Ratio est, tum quia huiusmodi labor in se est aliquid temporale, & pretio æstimabile, neque existimationem, & valorem amittit ob coniunctionem ad opus spirituale, cùm ei per accidens, & extrinsecè adiunctus sit, vt suppono: tum quia *in Concilio Agathen. cap.* 36. dicitur Clericis reddenda esse stipendia sanctis laboribus debita secundùm seruitij sui debitum, *cap. vlt.* 21. *quæst.* 2. sed stipendium non debetur ratione operis spiritualis; ergo debetur ratione laboris extrinseci, & per accidens adiuncti: tum quia Cantor aliquid exigens pro cantu in Missa, vel diuinis Officiis, excusari solet à Simoniæ labe, ex Suarez *cap.* 21. *num.* 15. Lessio *dub.* 8. *num.* 45. Valentia, & aliis.

3 Cantus Missæ adiunctus nõ est materia Simoniæ.

3 Sed ratio cur excusetur est, quia labor, & artificiosus canendi modus per accidens coniunctus est celebrationi Missæ, vel diuinorum Officiorum; ergo non committitur Simonia exigendò aliquid pro labore extrinseco, seu per accidens coniuncto operi sacro. Et hoc verum arbitror, siue labor extrinsecus præcedat opus, siue comitetur, eadẽ enim ratio militat. Ita sentire videtur Doctores ferè cõmuniter.

4 Labor extrinsecus, quinam dicendus sit.

4 Sed modò dubium est, quisnam labor dicendus sit extrinsecus, seu per accidens coniunctus operi sacro.

Respondeo illum dici extrinsecum, & per accidens coniunctum, sine quo tale opus fieri potest.

Hinc sequitur primò, Simoniam committi à celebrante, accipiendo aliquid pro labore cõsistente in ipsa verborum sacrorum pronuntiatione, motione membrorum, vel interna attentione, vel etiam externa circumspectione, qua diuina Officia decorè persolui curantur. Ratio est, quia præfatus labor intrinsecè coniunctus est cum huiusmodi actionibus sacris, nec ab ipsis separari potest. Ita intelligendum censeo S. Thom. *in* 4. *dist.* 25. *q.* 3. *artic.* 2. Durandum *ibid. quæst.* 3. *num.* 10. Caietanum 2.2. *q.* 100. *art.* 3. Sylvestrum *verb. Simon. quæs.* 9. & alios, asserentes Simoniam committi accipiendo pecuniam pro labore, quo sacra peraguntur.

5 Defatigatio, & molestia percepta ex magna cõtentione virium, vocis, vel animi non est materia Simoniæ.

5 Secundò, sequitur Simoniam non committi accipiendo aliquid pro defatigatione, & molestia, quæ percipitur ex magna contentione animi, virium, vocis, & similium causarum; nam huiusmodi labor per accidens coniunctus est actioni sacræ, & hoc pacto intelligendos arbitror Adrianum *quodlib.* 9. *art.* 1. Bonauenturam *in* 4. *dist. artic.* 1. *q.* 4. *in fine*, & quamplures alios asserentes licitum esse pretium accipere pro labore in faciendo sacro, in baptizando, confirmando, ordinando, orando, &c. Et hoc probabiliter ampliandum censeo, etiamsi præfata defatigatio proueniat ex conditione, & circumstantia personæ, vt si orans sit senex, infirmus, delicatæ complexionis, ita vt grauem patiatur molestiam ex tali actione. Ratio est, quia molestia, & defatigatio ex sua natura pretio æstimabilis est, nec suam æstimationem amittit ob circumstantiam, seu qualitatem subiecti. Contrarium docent Suarez *tract.* 1. *de relig. lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 7. *&* 11. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 4. *quæsito* 11. *num.* 45. & alij, quorum rationes afferam, & soluam in obiectionibus, quamquam ipsorum opinio tutior est, & in praxi consulenda.

6 Concionator non incurrit Simoniam suscipiẽdo aliquid pro magna cõtentione vocis, & animi, aut pro labore, & studio.

6 Tertiò sequitur Simoniam non committi à Concionatore qui magna animi, & vocis contentione concionatur, ob idque valde defatigatur. Contrarium docent Suarez, & Filliucius *locis citatis*, quorum opinionem in praxi consulerem saltem ante factum.

Idem dicendum arbitor de labore, & studio, quod Concionator in paranda concione adhibet; est enim actio naturalis, & ex sua natura pretio æstimabilis, nec valorem & æstimationem suam amittit ob respectum, & ordinem ad concionem. Contrarium docet Suarez *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 15. Filliucius *loco cit. num.* 43. asserentes Concionatorem non solùm non posse pro concione pretium sumere, verùm neque pro studio eius, vèl pro labore mandandi memoriæ concionem, vel pro lassitudine in ea facienda: existimant enim pretium accipi non posse, non solùm pro labore, & opera intrinseca actui; verùm neque pro aliis laboribus per se necessariis ad tale ministerium sacrum, prout ab hominibus moraliter exerceri potest.

Quartò sequitur Sacerdotem accipientem pecuniam pro labore, & defatigatione in canenda alta voce Missa, probabiliter excusari posse à labe Simoniæ, vt patet ratione fæpiùs allata, quamuis contrarium sentiat Suarez *loco cit. num.* 15. cuius sententiam in praxi consulendam censeo.

7 Iter occasione rei spiritualis susceptum non videtur materia Simoniæ.

7 Quintò non committi Simoniam accipiendo pretium pro longo itinere, quod Sacerdos suscepit causa celebrandæ Missæ; hoc enim opus extrinsecum est celebrationi; ita communiter Doctores. Idem cum proportione dicendum videtur, si breue iter suscipiatur, susceptio enim itineris est res naturalis pretio æstimabilis; quia tamen modicus est labor, suspicio Simoniæ incurreretur aliquid accipiendo pro breui, & modico itinere, quia præsumeretur accipi pro ipsa Missæ celebratione.

8 Obligatio manendi in aliquo loco, vel celebrandi tali hora, non est materia Simoniæ.

8 Sextò non committi Simoniam accipiendo aliquid pro obligatione manendi in tali loco, celebrandi tali hora, & similibus. Hæc enim sunt extrinseca celebrationi Missæ, & pretio digna sunt. Ita Suarez *num.* 17. Filliucius *num.* 49. & alij communiter.

9 Locatio operarum, seu obligatio exercẽdi spiritualia, videtur pretio æstimabilis, consequẽter excusare solet à Simonia.

9 Septimò sequitur probabiliter ab aliquibus sustineri, pretium accipi posse pro locatione operarum, seu pro obligatione exercendi spiritualia (non quatenus dicit ordinem ad spiritualia vt sic, tunc enim res spiritualis, vel esset res vendita, vel ratio vendendi.) Ita Caietanus *verbo Simon. reg.* 4. Nauarr. *cap.* 23. *numero* 102. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 8. *num.* 45. [Paulus Layman *num.* 41.] & alij. Ratio est, tum quia obligatio est aliquid distinctum ab actione ipsa spirituali. Tum quia hac ratione excusari possunt Capitula, & conuentus Ecclesiarum, qui pretio suscipiunt onus celebrandi singulis annis anniuersaria, vel certa officia; tum quia licèt in mutuo nihil accipi possit, tamen pro obligatione ad mutuandum accipi potest, cùm huiusmodi obligatio pretio æstimabilis sit: ergo etiam licèt nihil accipi possit pro actione spirituali; tamen pro obligatione illius exercendæ accipi potest. Tutior tamen modus, & in praxi consulendus est, vt pecunia non accipiatur pro ipsa obligatione, sed titulo sustentationis; vt constat ex dictis in præcedenti puncto.

Obiicies primò cum Suarez, & Filliucio contra dicta in solutione istius dubij, non plus æstimatur opera nobilis viri fodientis terram, quàm rustici hominis, etiamsi vir nobilis maiorem impendat laborem, quàm rusticus; ergo maior, vel minor defatigatio, seu labor non auget, vel minuit pretium, saltem dum labor operis prouenit ex parte subiecti.

Respondeo negando non plus æstimari operam viri nobilis, quam rustici, æquale opus præstantis, cum inæquali labore, si æstimatio ex omnibus circumstantiis desumatur. Ratio autem cur aliquando æqualiter æstimetur, est, quia emptor in constituendo pretio non

haber

habet rationem omnium circumstantiarum, sed operis, quatenus sibi profuturum est, parum autem illi refert, opus præstitum esse cum maiori, vel cum minori defatigatione, & labore.

Obiicies secundò cum eodem Suarez *num.* 14. Si pro quolibet labore extrinseco accipi posset pecunia absque labe Simoniæ, sequeretur iudicem Ecclesiasticum, qui pro sententia ferenda, seu actu iudiciali, pecuniam accipere non potest, posse accipere pro studio, pro labore videndi processum, audiendi partes extra iudicium, & similia, quæ ad illud munus necessaria sunt; sed hoc est falsum, alioquin semper excusari possent iudices, quod non est admittendum. Ergo etiam falsum est accipi posse pecuniam pro labore extrinseco actioni spirituali, quoties labor ille moraliter necessarius est ad talem actionem, & ministerium.

Respondeo non esse parem rationem, quia iudex Ecclesiasticus, dum prohibetur quicquam accipere pro sententia, regulariter loquendo, præsumitur etiam tacitè prohiberi quicquam accipere pro actibus præuiis, & prærequisitis, etiamsi tales actus suam habeant æstimationem, & valorem. Dum verò vetitum est quicquam accipere pro actu spirituali, non est interdictum aliquid accipere pro opere, & labore, illi extrinseco, qui secundùm se dignus est pretio, nec æstimationem amittit ob coniunctionem ad spirituale; sicut ratio sacri in vase non potest existere sine subiecto, tamen ipsum subiectum non amittit æstimationem ob coniunctionem', & connexionem, quam habet cum re sacra, si subiectum per se, & ratione materiæ spectetur.

PVNCTVM IV.

Vtrùm titulo priuationis libertatis, vel alterius commodi temporalis aliquid tradi, vel accipi possit absque culpa Simoniæ.

VNICA PROPOSITIO.

1 Priuatio libertatis, vel cõmoditatis excusare solet à Simonia.

1 NOn committitur Simonia, per se loquendo, accipiendo aliquid titulo priuationis libertatis ad alia opera vtilia, quæ quis o tẽpore præstitisset. Ratio est, tum quia priuatio huiusmodi libertatis est pretio æstimabilis: ergo aliquid pro ipsa accipi potest, habita ratione commodi, quod verosimiliter capere potuisset, si se tali obligatione non obstrinxisset. Tum quia in mutuo accipi potest pretium titulo lucri cessantis, vel damni emergentis. Ergo etiam in obligatione, quam sibi imponit ad opus spirituale peragendum. Ita Caiet. 2.2.*q.*100.*art.*3. *& in Sum. verb. Simon. regul.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 8. *num.* 45.

2 Lucrum cessans, vel damnum emergens excusat à Simonia.

2 Hac de causa Nauar. *cap.* 23. *num.* 106. Suarez *cap.* 53. *num.* 17. Filliucius *cap.* 12. *quæsito* 7. *numero* 12. Lessius, & alij excusant a Simonia eum, qui pecuniam accipit, non simpliciter vt procuret alteri beneficium; sed habita ratione laboris in scribendo, iter peragendo in expensis faciendis, in priuatione lucri, & commodi temporalis, quo se ea de causa priuat, & similibus. Hæc enim sunt pretio æstimabilia; non tamen habenda est ratio ad ipsum beneficium, seu ad felicem exitum, seu ad beneficij pinguedinem, & opimitatem, quia pretium traderetur pro beneficio: nam ipsum beneficium esset ratio traditionis pretij, & procuratio beneficij æstimaretur ratione beneficij; hoc autem simoniacum est. Ideo Doctores communiter asserunt Simoniam committi, dum quis pecuniam alteri tradit, vt sibi beneficium procuret; tunc enim pecunia traditur, non pro labore secundùm se, sed pro labore procurandi, quatenus vtilis est ad obtinendum beneficium, & ratione beneficij pluris æstimatur. Ita Sylvester *verbo Simonia quæsito* 6. Nauar. *in manual. cap.* 23. *num.* 106. *vers. ad* 5. Angelus *verbo Simonia* 1. *num.* 7. Suarez, & Filliucius *locis citatis*, & alij communiter, teste Lessio *num.* 46.

An autem licitum sit aliquid accipere pro iactura, & incommodo, quod quis patitur in temporalibus ob actionem spiritualem factam in alterius gratiam, patet ex supradictis *puncto* 15. *num.* 8. dum loquerer de Parocho concedente licentiam.

PVNCTVM V.

Vtrùm titulus redimendæ vexationis excuset à crimine Simoniæ tradentem aliquid temporale.

VNICA PROPOSITIO.

1 Vexatio iniusta excusat à Simonia tradentem pecuniam ad illam tollendam.

1 INiusta vexatio excusat à labe Simoniæ, dum pecunia traditur ad tollendam ipsam iniustam vexationem, quam quis patitur circa rem spiritualem. Ratio est, tum quia sic colligitur ex *cap. dilectus, de Simon.* Tum quia temporale traditur pro temporali, non pro spirituali; ipsa enim vexatio est temporale impedimentum. Simonia autem non committitur, dum temporale traditur pro temporali.

2 Vexatio iniusta non excusat à Simonia, dum pro ipsa tollenda traditur res spiritualis.

2 Hoc tamen intelligitur, & limitatur primò, modò res, quæ traditur ad tollendam iniustam vexationem, non sit res spiritualis, sed temporalis; cùm enim vexatio iniusta sit impedimentum temporale, non potest redimi re spirituali; quamobrem si quis iniquè vexetur in pingui beneficio, & tenue beneficium, vel officium Ecclesiasticæ iurisdictionis vexatori tradat, promittit, vel procuret, aut iuri spirituali cedat, Simoniam committit, quia cedit, tradit, vel promittit rem spiritualem pro temporali, vt benè Suarez *cap.* 50. *num.* 14.

3 Vexatio iusta in re spirituali non excusat à Simonia tradentem pecuniam ad ipsam tollendam.

3 Secundò intelligitur, & limitatur, modò vexatio sit iniusta, vel, vt alij loquuntur, vt sit vexatio de facto, non de iure; hoc enim probat ratio allata in propositione; secus si vexatio iusta sit; tunc enim non licet media pecunia tollere vexationem, qua parte iusta est; quia pecunia tradi videretur pro acquirenda re spirituali, cuius acquisitionem impedit vexatio. Quamuis enim pecunia immediatè tradatur pro vexatione; mediatè tamen traditur pro ipsa re spirituali, ad quam paratur via media pecunia, &, moraliter loquendo, tradi censetur pro ipsa re spirituali. Ita glossa *in cap. dilectus, de Simonia*, Nauar. *consil.* 31. *de Simonia.* Redoanus 3 *parte cap.* 22. *num. vlt.* Suarez *cap.* 50. Reginaldus *lib.* 23. *dub.* 3. *num.* 124. *& seq.* Azor. 3. *parte lib.* 12. *cap.* 3. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 29.] & alij communiter.

4 Vexatio in beneficiis illata ab eo, qui prodesse potest, non excusat tradentem pecuniam ad ipsam tollendam.

4 Limitari solet tertiò in beneficiis, & officiis Ecclesiasticis, quoties vexatus tollere intendit vexationem illatam ab eo, qui obesse potest, & prodesse in tali materia; tunc enim Simonia committitur, iuxta communiorem Doctorum sententiam. Ideo si elector vexet me, eligendo indignum, Simoniam cõmitto, redimendo talem vexationem. Rursus si ego præsentatus sim ad beneficium, vt Prælatus mihi beneficium conferat, & Prælatus iniustè nolit beneficium mihi conferre; Simoniæ reus efficior redimendo ab illo vexationem. Ratio est, tum quia non sunt facienda mala, vt caueantur nocumenta: tum quia paro mihi viam ad beneficium mediante pecunia, & remotio vexationis in hoc casu, nihil aliud est, quàm collatio beneficij; vexatio enim consistit in negatione electionis, seu collationis: negatio autem non tollitur, nisi per contrarium actum: tum quia sic colligitur ex *cap. sicuti tuis, de Simonia*, vbi decernitur Simoniam cõmissam fuisse tradendo pecuniã Episcopo, qui quemdam electum ad beneficium nolebat confirmare, vt pecuniam extorqueret. Idem apertè constat ex *cap. Matthæus, de Simon. & cap. de hoc, eodem tit.* Tum quia cõmuni vsu, & praxi Ecclesiæ, ac stylo Curiæ huiusmodi vexatio simoniaca censetur. Ergo re ipsa simoniaca est. Nam cõmunis vsus, & praxis legem explicat, vel eam inducit. Ita Suarez *cap.* 50. *nu.* 28. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 11. *quæsito* 3. *numero* 7. & alij communiter, teste Lessio *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 18. *num.* 106. qui tamen hoc intelligendum putant, modò vexator, qui prodesse potest, vexet, vt talis, seu formaliter, quatenus prodesse potest, seu quatenus habet ius, seu potestatem ad promouendum in ea re, in qua vexat. Hoc enim probant rationes allatæ. Si verò vexet solùm quatenus id fieri posset, etiam à priuata persona non habente talem potestatem, vt si vexet infamando, aut subornando alios electores, ne votum suum conferant, non videtur simoniacum redimere talem vexationem, quia non emitur electio, seu beneficium, sed desistentia ab iniuria inferenda, & perinde est, ac si vexatio fieret à persona distincta: per accidens enim est quòd in eamdem personam cadat; & licèt vexator occasionem inde arripiat, non solùm desistendi ab iniqua vexatione, verùm etiam cooperandi ad electionem, hoc etiam est per accidens respectu redimentis iniquam vexationem, qui iure suo vtitur, & vexationem solum remouere intendit præuia pecunia; intentio autem distinguit actiones, & maleficia. Ita Suarez & Lessius *locis citatis.*

Hanc tertiam limitationem in praxi sustinendam censeo: non quia sit Simonia contra ius diuinum; sed quia est, vel præsumitur Simonia ab Ecclesia. Quòd sit, vel præsumatur Simonia ab Ecclesia, patet ex praxi, & textibus relatis ad probandam limitationem. Quòd verò non sit Simonia contra ius diuinum, ratio est, tum quia pecunia non datur pro electione, vel collatione, sed pro deponendo prauo affectu, quod malum intrinsecè non est: tum quia non est simoniacum conferre pecuniam Sacerdoti nolenti Baptismum conferre; ergo neque in hoc casu, cùm par ratio videatur: tum quia in sententia ipsius Suarez, Lessij, & aliorum possum absque Simoniæ labe electori volenti eligere indignum ad beneficium, tradere pecuniam, ne indignum eligat, dum adsunt alij digni. Ergo etiam possum absque Simonia cõtra ius Diuinum Electori, volenti indignum eligere, me prætermisso, pecuniam tradere, non quidem vt me ipsum eligat, sed ne indignũ eligat, vel vt desistat ab inferenda mihi iniuria. Ita Adrianus *quodlibeto* 9. Nauar. *cap.* 23. *n.* 102. Valentia *tomo* 3. *disp.* 6. *quæst.* 16. *punct.* 3. *vers. prima est, columna* 11. asserentes hanc in rigore non esse Simoniam coram Deo, sed ab Ecclesia præsumi ob suspicionem, & speciem Simoniæ. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 22.] Hinc patet responsio ad primas duas rationes.

Obiicies primò contra dicta in propositione, & in secunda limitatione, iniquus vexator peccat peccato Simoniæ accipiendo pecuniam, vt desistat à vexatione; ergo etiam eodem peccato peccat is, qui pecuniam vexatori tradit ad redimendam iniustam vexationem.

Respondeo vexatorem peccare peccato Simoniæ, si materia vexationis est res spiritualis, & pecuniam pro illo accipit, vt si iniustè denegabat absolutionem à censuris, vel dispensationem in voto, vel iuramento, vel irregularitate, aut collationem ordinum, vel rem aliam spiritualem, & pecuniam accipit pro absolutione, vel dispensatione, vel collatione ordinum, vel alterius rei spiritualis: tũc enim simoniacus est, quia accipit temporale pro spirituali. Si verò accipit pro ipsamet desistentia à vexatione, non committit culpam Simoniæ, sed iniustitiæ. Quòd non cõmittat culpam Simoniæ patet, quia non vendit quid spirituale, sed omissionem vexationis iniquæ, seu desistentiam à vexatione, quæ est quid tẽporale, & pretio æstimabile. Quòd verò committat labem iniustitiæ, perspicuum est, quia pecuniam extorquet per iniuriam (suppono enim vexationem iniustam esse) ab eo, qui inuoluntariè, & coactus per iniuriam tradit; consequenter peccat cõtra iustitiã; consequenter etiam tenetur ad restitutionem, quia ex damno alteri illato per iniuriã nascitur obligatio restituendi.

Dices, *in cap. dilectus filius* 1. *de Simon.* Pontifex decernit iniustum vexatorem, qui pecuniam acceperat, vt desisteret à vexatione, cogendum esse ad restitutionem, si non stetit promissis; ergo à contrario sensu cogendus non est ad restitutionem, si stetit promissis, & re ipsa cessauit ab iniqua vexatione.

Respondeo primò cum glossa ibi in verb. *promissionem*, in eo textu deesse dictionem, *maximè*, quæ facit hunc sensum, vt vexator iniquus cogendus sit ad restitutionem, præsertim si non stetit promissioni de non vexando.

Respondeo secundò cum Suarez *num.* 16. Pontificem respondisse ad interrogata, interrogabatur enim, & querela apud illum interponebatur solùm de non seruata promissione, & ipse respondet, promittentem cogendum esse ad restitutionem pecuniæ acceptæ, si constet non seruasse promissionem.

Obiicies secundò, *in cap. Matthæus, de Simon.* habetur Simoniam commissam fuisse, dum quidam electus fuerat à maiori parte, & suborta discordia tradita fuerat pecunia illis, qui causa discordiarũ fuerant, vt contradictio cõquiesceret. Ergo signum est Simoniam com-

mitti tradendo pecuniam ad redimendam vexationem, & tollendam discordiam, & contradictionem.

Respondeo Simoniam in eo casu commissam fuisse, quia vexatio non erat iniusta, seu quia pecunia tradita non fuerat pro vexatione circa electionem, sed pro confirmatione, quam electus prætendebat. Simoniacum autem est confirmationem pretio procurare. Ita Panormit. Innocentius, & alij communiter, teste Suarez *tom.1. de relig. lib. 4.cap.50.num.8.*

Obiicies tertiò, si non committitur Simonia tradendo pecuniam pro redimenda iniusta vexatione. Ergo etiam non committitur tradendo pro redimenda iusta, cùm par ratio videatur, & vtraque sit temporalis, vel nulla.

Respondeo negando consequentiam.

5 Vexatio iniusta qua de causa excuset à Simonia, non verò iusta.

5 Ratio disparitatis est, quia tradēs pecuniam ad tollendam iustam vexationem, pretio parat sibi viam ad rem spiritualem, & pecuniam tradit ad obtinendum ius, vel ad conseruandum ius, in quo vexatur, vel se vexandum timet. Pretio autem parans sibi viam ad consecutionem rei spiritualis, vel ad conseruationem, & firmitatem iuris spiritualis, simoniacus est. Propterea Simonia committitur ab eo, qui pecuniam tradit, ne priuetur beneficio à Prælato, qui eum iustè priuare potest, vel ne accusetur de crimine digno priuatione, modò pecuniam tradat præcisè, ne beneficio priuetur, vel ne lis iusta, vel dubia circa beneficium moueatur, vel ne alter se opponat, seu concurrat ad beneficium, aut ne defectus ætatis, aut irregularitatis, vel aliud Canonicum impedimentum detegatur, & manifestetur, ex cuius manifestatione non promoueretur ad beneficium, vel ad ordinem, vt benè Nauar. *cap.39.de Simon.* Suarez *cap.50.* Filliucius *tract. 45.cap.11.quæsito 3.num.6.*

6 Simonia non committitur tradendo pecuniam subornanti electores.

6 Ex dictis sequitur primò non committi Simoniam tradendo pecuniam subornanti, qui pecunia, vel importunis precibus corrumpit electores, ne me ipsum eligant; non enim datur pecunia, vt me ipsum eligat, sed ne damnum mihi inferat, vel ne corrumpat electores. Ita Lessius *lib.2. cap.35. dub.18. num.108.* Valent. 2.2. *disput. 6. quæst. 16. puncto 3.* Suarez *cap.50.num.25.* Filliucius *tract.45. cap.11. quæsito 3.ad finem*, contra Sotum *lib.9.de iust. quæst.6.art.1.ad 5.* & alios. Hoc tamen intelligendum est primò iuxta tradita in tertia limitatione, ne scilicet pecunia tradatur illi, qui non solum obesse, verum etiam prodesse potest in tali materia, habens potestatem ad eligendum, vel promouendum. Secundò, modò pecunia tradatur solum ad remouendam subornationem, seu vexationem iniustam. Secus si pecunia tradatur, vt subornator non solum desistat à subornatione, & vexatione, verùm etiam, vt electoribus suadeat, vel opem præstet vt eligatur is, qui pecuniam tradit, aut quem ipse intendit: tunc enim non solum redimitur subornatio, & vexatio, verum etiam emitur electio, vt benè Suarez *num.26.* & Filliucius.

7 Simonia non committitur tradendo pecuniam illi, qui per vim impedit meum concursum in beneficio.

7 Secundò sequitur non committi Simoniam tradendo pecuniam illi, qui per vim, vel fraudem me detinet, ne concurram cum ipsius amico in petitione beneficij, aut qui me apud Episcopum infamat, ne beneficium mihi conferatur. Ratio est, quia pecunia traditur pro cessatione damni, & pro redemptione vexationis, quam alter mihi infert contra meam libertatem, & famam, ad quam ego habeo ius acquisitum. Idem militare videtur, dum alter mihi obest precibus, vel muneribus peruertendo electores in me propensos. Militat enim eadem ratio, cùm non tradam pecuniam pro electione, sed pro cessatione nocumenti, quod alter mihi sine iusta causa infert; ita Lessius *num.109.* Suarez, & alij *loc. citat.*, contra Sotum *loco citato.*

An autem is, qui precibus, vel muneribus peruertit electores in me propensos, teneatur ad restitutionem damni. Lessius *loco citato* putat non teneri, quia non peccat contra iustitiā, sed contra charitatē. Verùm, quid ego sentiā constat ex regulis generalibus traditis de restit.

8 Possessio beneficij an sit materia Simoniæ.

8 Tertiò sequitur iuxta sententiam nonnullorum Doctorum non committi Simoniam tradendo pecuniam illi, qui iniustè impedit beneficij possessionem capi ab eo, qui habet ius ad illud per institutionem, confirmationem, vel liberam electionem. Ratio est, tum quia sic colligitur ex *cap.dilectus, de Simon.* tum quia non traditur pecunia pro re spirituali, nec redimitur aliquod ius spirituale, sed factum temporale; nam possessio secundùm se non est aliquid spirituale, sed factum quoddam temporale, & est annexa spirituali, quatenus pendet ex titulo spirituali. Cùm ergo titulus spiritualis tam plenè acquisitus sit per collationem, non intenditur possessio tamquam quid annexum rei spirituali, sed per se, vt quid temporale est, & immediatè, ac per se debitum, cùm supponatur titulus, ratione cuius debetur. Tum quia si post captam possessionem aliquis deturbet me à possessione beneficij, vel officij Ecclesiastici, possum ego pecunia redimere iniquam expulsionem, vt communiter fatentur Doctores; ergo etiam redimere possum iniquam vexationem, qua impedior capere possessionem beneficij, ad quod habeo ius certum, & non dubium. Tum quia non committo Simoniam redimendo fructus mei beneficij, quos alter mihi iniquè denegat, etiamsi fructus sint annexi titulo spirituali, nam illos redimo secundùm se, non quatenus sunt annexi titulo spirituali, nec mihi in dubium reuocatur ius ipsum beneficij, vt suppono. Ergo pari ratione non committo Simoniam redimendo iniustam vexationem, qua iniustè impedior capere possessionem beneficij, ad quod habeo ius certum, & non dubium. Ita S. Thom.2.2.*quæst.*100.*art.*2. Caiet. *de Simon.quæst.*3. Nau. *cap.*23.*num.*102. Lessius *cap.*35.*dub.*18.*num.*110. Suarez *cap.* 50. *num.*31. Reginaldus *lib.*23.*cap.*11.*dub.*3.*num.*130. Filliucius *tract.*45. *cap.*11. *quæsito* 4. *num.*10. & alij, contra Sotum *loco suprà citato*, Redoanum *parte* 2.*cap.* 22.*num.*2. Vgolinum *tab.*1.*cap.*9.§.8.*num.*5. & alios, quorum opinionem ego in praxi consulerem, dum pecunia traditur pro assequenda ipsa beneficij possessione. Ratio est, tum quia Ecclesia generaliter interdixit pacta, & conuentiones in beneficiis: tum quia possessio beneficij est annexa titulo spirituali, & ius beneficiarij firmatur magis, & roboratur possessione, vt ipsa docet experientia. Ob id multi Doctores putant beneficiarium non teneri ad pensum canonicarum præ-

cum ante captam beneficij possessionem, quia non habet ius certum. Tum quia Vgolin. *loco citato nu. 6.* putat beneficiarium, expulsum à beneficio post captam possessionem, esse reum Simoniæ, si pretio redimat iniustam expulsionem (quamquam opposita sententia in hoc casu communior est, & probabilior, quia per iniquam expulsionem non fuerat diminutum ius, quod beneficiarius habebat in re, consequenter nihil spirituale recuperatur, sed sola executio sui iuris;) ergo à fortiori, qui pretio procurat immitti in possessionē beneficij quam antea non ceperat, simoniacus est, nisi fortè id faciat ad redimendam iniquam vexationem, iuxta supradicta.

9 Testi pecuniā tradens pro dicenda veritate, Simoniā non committit.

9 Quartò sequitur non committi Simoniam tradendo pecuniam testi pro dicenda veritate, qui aliter non vult testari, quam pretio accepto. Nam redimitur vexatio, seu impia obstinatio testis nolentis alia ratione testari. Ita Vgol. *tab.1.de Simon.cap.53.§.1. num.2.* Suarez *de Simon.cap.53.num.11.* & alij.

An autem testis, qui pecuniam accipit pro dicenda veritate, iniustitiam committat, Suarez loco citato affirmat, & putat hanc esse communem Theologorum, & iurisperitorum sententiam. Verùm quid ego in hac parte sentiam docui *de legibus disput. 10. quæst. 3. puncto 3. num.17.* vbi oppositam sententiam sustinui cum Nauarro, Valentia, Banne, Vasquez, & aliis.

10 Vexatio iniusta in ferendis, vel auferēdis censuris redimi potest absque Simonia.

10 Quintò non committi Simoniam tradendo pecuniam ad redimendam iniustam vexationem in ferendis censuris, vel in absolutione impendenda, vt si excommunicatio iniustè feratur, aut absolutio iniustè denegetur, aut per potentiam, & vim impediatur. Ratio est, quia pecunia non datur pro actu spirituali, sed pro tollenda vexatione, & iniquo impedimento, & iniuria, quod iure naturali, vel diuino vetitum non est, nec in iure Canonico prohibitum inuenitur. Ita glossa *in cap.ad aures, & cap.dilectus, de Simon.* Panormit. Ioann. Andreas, Felinus, & alij *ibidem*, Hostiensis, Vgo, Maior, & alij, quos citat, & sequitur Suarez *cap.* 50. *ad finem num.* 43. contra Innocentium *in cap. ad aures, citato*, & Vgolinum *tab.1.cap.45.§.1.num.5.*

11 Electoribus volentibus indignum eligere, aut iniquè impedientibus, tradi potest pecunia, vt detrahatur ab indignis, vel tollatur impedimētum iniquum.

11 Sextò colligitur solutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm Simonia committatur tradendo pecuniam electoribus beneficiorum Ecclesiasticorum volentibus indignum eligere, aut iniquè impedientibus electionem fieri.

Ex dictis enim constat Simoniam non committi, quia pecunia non datur pro electione, seu exercitio spiritualis muneris, sed vt voluntas electorum abstrahatur ab obiectis indignis, aut minus dignis, vel vt tollatur vexatio, quæ iniquè infertur, tentando indignum, vel minus dignum eligere, aut iniustè impediendo electorem. Imò Maior *in 4.distinct.25.quæst.5.ad 2.* Caiet. & Sotus *locis suprà citatis*, Suarez *cap.50.num.36.* putant dari posse pecuniam, vt eligatur dignus in communi. Sed hanc loquendi formam ego non approbo, quia videretur pecunia dari non solum ad remouendam voluntatē ab indigno, seu ad redimendam iniquam vexationem; verùm etiam pro ipsa electione, quam constat esse functionem Ecclesiasticam. Multo minus licitum erit dare pecuniam ad eligendam hanc personam, vt patet ex allata ratione, & communiter conceditur à Doctoribus contra Sotum *loco suprà citato ad 5.* asserentem dari posse pecuniam ad eligendum hunc Pontificem, dum hic solus est dignus, & electio necessaria est. Ratio ipsius est, quia emptio rei spiritualis non est intrinsecè mala, sed honestari potest in casu extremæ necessitatis, qualis est necessitas Ecclesiæ, Sede Apostolica vacante. Verùm de veritate istius rationis egimus *puncto 3.*

Obseruandum tamen est, circa istam sextam illationem primò numquam redimendam esse iniquam vexationem in electionibus beneficiorum Ecclesiasticorum, dum absque graui incōmodo adiri potest superior, qui vexationem impediat. Ratio est, tum quia electio facta per Simoniam, regulariter loquendo, est nulla. Et quamuis tradens pecuniam non sit simoniacus, recipiens tamen vtplurimum simoniacus est, consequenter simoniacè eligit; consequenter electio est inualida. Regulariter autē loquendo non licet procurare electionem inualidam, etiam si procuretur intentione obtinendi postea confirmationem à Summo Pontifice, vt bene Suarez *num.* 42. & Reginaldus *num.* 133. Tum quia Ecclesia Simoniam præsumit, dum traditur aliquid illi, qui obesse, & prodesse potest, iuxta dicta *num.* 4.

12 Electoribus volēribus hæreticum, vel schismaticum, seu indignum eligere, tradi potest pecunia, ne illum eligant; secus si pecunia tradatur, vt dignus, vel dignior eligatur.

Obseruandum est secundò pecuniam tradi non posse titulo redimendæ vexationis, nisi supposita ipsa vexatione. Ratio est, tum quia sicut non licet vim tollere, nisi vis inferatur; ita neque licet pecuniam dare ad tollendam vexationem, nisi adsit vexatio: tum quia adest periculum scandali, & Simoniæ; cùm traditione pecuniæ fieri possit vt elector inducatur ad promouendam electionem tradentis pecuniam. Contrarium ex parte sustinet Reginald. *lib.23.num.126. & seq.*

12 Septimò colligitur electoribus, volentibus eligere hæreticum, vel schismaticum, aut alium alia ratione indignum, tradi posse pecuniam, ne illum eligant. Ita Sotus *loc.cit.* Azor. *loco cit.cap.3.* Sum. Corona *fol.80. lib.7.* Suarez *cap.22.num.6.* Valentia *punct.3.colum.13.vers. quarto*, [Paulus Layman *lib.4.tract.10. cap.vlt.num.23.*] & alij communiter. Secus dicendum est, si pecunia tradatur eo fine, vt omisso indigno, vel minus digno, eligatur dignus, vel dignior; tunc enim pretium traderetur pro electione, quæ est aliquid spirituale; consequenter præuio pretio pararetur via ad beneficium, quod Simoniæ labem redolet, quicquid in contrarium dicant Suarez *cap.50.num.36.* Sotus, & alij.

13 Euchariſtiam, vel Reliquias conculcare volenti, tradi potest pecunia, ne illas conculcet.

13. & 14 Octauò à simili sequitur, Tyranno, hæretico, vel Iudæo volenti Euchariſtiam, vel reliquias conculcare, tradi posse pecuniam, ne illas conculcet; tunc enim non fit Euchariſtiæ, vel reliquiis iniuria, sed potiùs honor, & reuerentia exhibetur, vindicando illas è manibus infidelium. Nec emitur honor & cultus reliquiarum, vt sic, sed vindicatur, & redimitur iniusta vexatio, quæ Euchariſtiæ, aut reliquiis impendebat. Ita Suarez *cap.* 12. *num.*19. Filliucius *cap.3. quæsito 8. num.17.* Pari ratione licitum mihi videtur pecuniam tradere, vt reliquias extraham è manibus infidelium, qui honorem ipsis non exhibent; sed potiùs paruipendunt, & contemnunt: non enim emun-

14 Reliquiæ extrahi possunt è manibus infidelium tradita pecunia.

tur

tur reliquiæ, neque pretium datur pro re spirituali, quæ reliquiis inhæret, sed ipsa vexatio redimitur dato pretio, ita Vgolinus *tab. 1. cap. 38. n. 5.* Sanchez *in opere morali lib. 2. cap. 43. n. 22.* Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 16. punct. 3. col. 11. vers. quintò sequitur.*

15 Subornatio elidi non potest alia subornatione.

15 Nonò sequitur non esse licitum per subornationem resistere subornationi, vt si Caius muneribus, vel importunis precibus perueriat aliquos electores ad sui electionem, non licet mihi alios electores eadem ratione peruertere, aut eosdem vehementiùs inducere, & in mei fauorem pertrahere. Hoc enim pacto non redimitur vexatio, sed emitur electio; quę est aliquid spirituale, vt benè Suarez *n. 26.*

Dices, licitum est vim vi repellere, & vnum monopolium alio monopolio excludere, & eludere, vt docui de contractibus; ergo licitum etiam est subornationem alia subornatione tollere.

Respondeo negando consequentiam; ratio disparitatis est, tum quia non sunt facienda mala, vt præcaueantur nocumenta. Tum quia in delictis patrandis non est licita compensatio, nec valet similitudo de monopolio, quod alio monopolio depellitur, sicut clauus clauo truditur; nam per monopolium factum ad depellendum monopolium non infertur iniuria prioris monopolij auctoribus, infertur verò iniuria rei sacræ, dum quis ad depellendam alterius subornationem alia subornatione vtitur, tradendo pecuniam pro electione, vel fauore ad electionem, quod est intrinsecè malum, & simoniacum.

PVNCTVM VI.

Vtrùm consuetudo excusare possit à labe Simoniæ traditionem, vel acceptionem rei temporalis pro spirituali.

VNICA PROPOSITIO.

1 Consuetudo non excusat traditionẽ rei temporalis pro spirituali per modũ pretij.

1 COnsuetudo non est titulus sufficienter excusans acceptionem, vel traditionem rei temporalis pro spirituali per modum pretij. Ratio est, quia hoc est intrinsecè malum, & simoniacum contra ius naturale diuinum, vt superiùs probatum fuit. Nulla autem consuetudo induci potest, quæ ius naturale, vel diuinum abroget; secus dicendum est de Simonia solo iure humano inducta. Cùm enim lex humana possit consuetudine abrogari non solum in partem, verùm etiam in totum, non solum quoad pœnam, verum etiam quoad culpam, & pœnam simul, dicendum est, consuetudinem esse titulum sufficientem ad excusandum à Simonia contra ius humanum. Ita Azor. *3. parte lib. 12. cap. 19. quæsito 1.* & alij ferè communiter.

Ad cognoscendum autem, an lex abrogata sit quoad pœnam, vel quoad culpam, & pœnam, iudicium ferendum est ex communi sensu Doctorum, vel ex praxi Prælatorum, vel Confessariorum, & præsertim ex Romanæ curiæ stylo, vel vsu, vt benè Suarez *de Simonia cap. 61. ad finem n. 16.* & Filliucius *tract. 45. cap. 13. ad finem n. 40.*

Dixi in propositione, *per modum pretij*, quia si traditio, vel acceptio alio titulo fiat, excusari potest, vt si fiat titulo sustentationis; hic enim est titulus iustus, & excusat tradentem, vel accipientem, etiam præcisa consuetudine; quia iure naturali, & diuino dictante, *dignus est operarius cibo suo.*

Hoc tamen intelligendum est, modò ministris non sit assignatum congruum stipendium; tunc enim grauiter peccant accipiendo aliud stipendium. Imò in foro externo præsumentur Simoniaci, quia præsumentur accipere pro sacro ministerio; cùm enim redditus ad sustentationem assignatos habeant, si quid aliud extorqueant, non præsumentur extorquere titulo sustentationis, sed pro sacro ministerio, nisi fortè hoc faciant ex iusta causa, vt quia redditus sunt valdè tenues, aut quia non extant redditus assignari, aut quia onus auctum fuit: tunc cùm iusta subsit causa accipiendi, cessat suspicio, & periculum Simoniæ, vt suprà dictum est §. 2.

2 Consuetudo potest conferre ius ad maiores prouentus, saltem titulo sustẽtationis.

2 Maior difficultas est, vtrùm illi, qui ex officio ministrare tenentur, & redditus ad sustentationem assignatos habent, possint per consuetudinem acquirere ius ad maiores prouentus, saltem titulo sustentationis.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia fieri potest, vt huiusmodi consuetudo laudabilis sit, honesta, & pia. Pia autem, & laudabilis consuetudo in hac materia approbatur *in cap. ad Apostolicam, de Simon.* & in Tridentino *sess. 24. cap. 14.* Tum quia consuetudo induci potest circa illud, quod potest esse materia legis; sed huiusmodi prouentus possunt esse materia legis, quatenus legitimus superior præcipere potest, vt prouentus ad sustentationem augeantur, & id quod non erat stipendium fiat stipendium; ergo huiusmodi consuetudo induci potest. Nam per huiusmodi consuetudinem fiet stipendium id, quod absque illa non fuisset.

Secus dicendum est, si huiusmodi consuetudo speciem, & suspicionem aliquam Simoniæ, vel turpis auaritiæ præseferat. Tunc enim huiusmodi consuetudo induci non potest, quia ratione scandali, & cuiusdam irreligiositatis habet quamdam intrinsecam deformitatem, vt manentibus iisdem conditionibus & circumstantiis non habeat materiam honestam, & potius dicenda sit corruptela, quàm consuetudo, vt benè in hac parte Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. cap. 49. n. 8. vers. Dico ergo.* Vgolinus *tab. 1. cap. 9. §. 11. n. 2.* Reginaldus *lib. 23. num. 137.*

Quantum autem temporis requiratur ad inducendam consuetudinem, vel ad præscribendum ius exigendi huiusmodi stipendium, patet ex dictis *de legibus.*

Hic agendum esset, vtrùm dispensatio Summi Pontificis sit titulus sufficienter excusans a labe Simoniæ, sed de hac re infrà *puncto vltimo ad finem.*

QVÆSTIO VII.

De pœnis contra Simoniacos latis, & de ipsarum dispensatione.

TRia sunt pœnarum genera contra Simoniacos.

Primum est excommunicatio, & aliæ censuræ, quibus Simoniaci in ordine, beneficio, aut ingressu religionis ligantur.

Secundus est irritatio actus simoniacè facti.

Tertius est onus restituendi acceptum per Simoniam.

De his singulis hoc ordine disseram.

Primò, quænam censuræ latæ sint contra simoniacos occasione ordinis, beneficij, aut ingressus in religionem.

Secundò, vtrum actus simoniacè factus irritus sit.

Tertiò, vtrùm accepta per Simoniam restituenda sint.

Quartò, quisnam possit in his pœnis dispensare.

PVNCTVM I.

Quas censuras inducat Simonia.

MVltis in casibus censura excommunicationis, aut suspensionis inducitur.

Primò inducitur excommunicatio dum Simonia est confidentialis.

Secundò, dum Simonia committitur in ordine, vel beneficio.

Tertiò, dum petitur, vel exigitur aliquid in collatione, aut alia prouisione beneficiorum.

Quartò, dando, vel accipiendo aliquid pro ingressu in religionẽ.

Quintò, publicando, vel concedendo Indulgentiam, aut facultatem absoluendi ob quæstum.

Sextò, incurritur suspensio suscipiendo Ordines simoniacè.

Septimò, conferendo Ordines simoniacè.

De his singulis censuris seorsim agendum est in §§. proximè sequentibus.

§. I.

De excommunicatione contra committentes Simoniam confidentialem in beneficiis.

COntra Simoniam confidentialem duæ præsertim constitutiones, excommunicationis Summo Pontifici reseruatæ pœnam continentes, emanarunt, quarum prima est Pij IV. 85. in ordine, & incipit, *Romanum Pontificem.* Altera est 45. Pij V. incipit, *Intolerabilis multorum peruersitas.*

1 Simonia confidentialis quænam dicatur.

1 Simonia confidentialis in beneficiis contingere solet in resignatione, collatione, electione, vel præsentatione: hoc animo, vt beneficium, vel fructus in totum, vel in partem restituantur, vel reseruentur ipsimet resignanti, conferenti, eligenti, vel præsentanti, aut alteri iuxta ipsius electionem. Quibus autem coniecturis hæc Simonia probetur, infrà ostendam.

Hoc posito duo explicanda propono in hoc §.

Primò, quænam sit materia istius excommunicationis.

Secundò, quodnam sit subiectum.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Assignatur materia istius excommunicationis.

2 MAteria istius excommunicationis est receptio beneficij in confidentiam, quæ quatuor modis contingit.

Primus modus est, dum recipitur beneficium ab altero, qui hoc ipsi resignat, cum spe, & confidentia, vt recipiens beneficium, illud postea dimittat, vel soluat fructus in fauorem resignantis, vel amici, vel alterius, quem resignans nominauerit. Ista actio exprimitur in illis verbis constitutionis Pij V. *Statuimus, vt si quacumque auctoritate Ecclesiam, vel Monasterium, aliudve beneficium Ecclesiasticum, qualecumque ex resignatione, vel cessione cuiuscumque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cùm regressus, vel accessus, etiam sola dimittentis intentione receperit, vt illa, vel illud etiam in euentum regressus, vel accessus eidem dimittenti, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alij, vel aliis concedantur, vel pensiones soluantur ex eisdem, hæc confidentia censeatur:*

3 Resignatio beneficij sub cõfidentia simoniaca non est vetita sub excommunicatione, sed receptio beneficij.

3 Sed modò dubium est primò, vtrùm tam resignatio sub prædicta confidentia vetita sit sub excommunicatione, quàm receptio.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia pœnæ non sunt interpretatione extendendæ; non solùm autem Pius IV. verùm etiam Pius V. loquitur de recipiente, non verò de resignante: ibi, *Etiam sola dimittentis intentione receperit.* Ita Suarez *de censuris disp. 22. sect. 6. num. 15.* Nauarr. *cap. 33. n. 3.* Azor. *3. parte lib. 12. cap. 10.* Filliucius *tract. 15. cap. 5. quæsito 9. n. 122.* Ex quo patet Summum Pontificem voluisse rigorosè magis punire recipientem, quàm tradentem beneficium, quia homo promptior, & procliuior est ad recipiendum, quàm ad dandum. Idem dicendum est in sequentibus actionibus.

4 Confidẽtia simoniaca in beneficio committitur, & excommunicatione punitur, etiãsi in pactum expressum non deducatur ex parte vtriusque.

4 Secundò dubium est, vtrum ad incurrendam istam excommunicationem opus sit, vt ista confidentia in pactum expressum deducatur, vel vt adsit ex parte vtriusque.

Respondeo negatiuè, sed requiri solum, vt resignans cum hac spe resignet, & resignatarius istum resignantis animum animaduertat, etiamsi recipiens hunc animum non habeat. Ratio est, tum quia in textu dicitur, *etiam sola dimittentis intentione receperit.* tum quia eo ipso, quo resignatarius aduertens illum resignantis animum recipit beneficium, censetur tacitè consentire, & Simoniam committere.

Obiicies, actus internus non punitur excommunicatione: ergo excommunicatio non incurritur, nisi confidentia illa, quæ est actus internus, in pactum deducatur.

Respondeo non puniri actum ipsum internum præcisè; sed externum ab interno procedentem, quatenus scilicet quis recipit beneficium, quod alter sibi resignat eum illa intentione, & recipiens illam intentionem animaduertit, vt benè Suarez *loco cit. num. 15. ad finem,* & Nauarr. *cap. 23. n. 109.*

Ex dictis in hac secunda difficultate sequitur primò excommunicationem non incurri, dum recipiens beneficium non animaduertit spem, & confidentiam resignantis, quia non dicitur recipere beneficium in confidentia, nec spes resignantis inficit actionem recipientis, cùm receptio non sit actus resignantis, sed recipientis, qui labem Simoniæ in hoc casu formaliter non participat. Imò Nauarr. *loco cit.* excusat etiam ipsum resignantẽ cum tali fiducia, modò eam non aperiat ipsi resignatario, vel collatori; sicut neque Simoniam committit,

qui renuntiat beneficium in manibus collatoris, confidens illud à collatore conferendum ei, quem ipse resignans designauerit post collationem, liberè, & sine vllo pacto factam. Idem asserit Nauar. de eo, qui absque vllo pacto procurat beneficium alicui conferri, sperans fore, quod beneficiarius illud sibi, vel alteri in sui fauorem resignabit.

Secundò illum non affici excommunicatione qui recepit beneficium animo illud postea restituendi danti, aut eius amico, vel alteri; sed resignans non habebat hanc spem, & confidentiam. Ratio est, quia in hoc casu non committitur Simonia confidentialis, cùm Simonia confidentialis originem trahat à spe, & confidentia ipsius resignantis. Ita Suarez *loco citato.* Caueant tamen collatores, ne huiusmodi beneficia iterum conferant resignanti, vel suis, vel admittentium consanguineis, vel affinibus, vel familiaribus; hoc enim fieri non potest, vt alibi ostendam.

Obiicies, in Bulla Pij V. post enumerationem quatuor casuum, in quibus confidentia committitur, habetur prauitatem confidentiæ contrahi, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantùm partis conscientia sit admissum.

Respondeo primò hæc verba intelligenda esse de conscientia resignantis, vt colligitur tum ex verbis præcedentibus, ibi, *etiam sola dimittentis intentione:* tum quia ob solam recipientis intentionem non committitur labes Simoniæ confidentialis.

Respondeo secundò ista verba intelligi posse de probatione Simoniæ in foro externo.

Tertiò sequitur illum non ligari vinculo excommunicationis, qui beneficium recepit, putans illud sibi resignari cum spe, & fiducia restituendi illud eidem resignanti, vel alteri in ipsius fauorem; sed resignans huiusmodi spem, & fiduciam re ipsa non habebat. Ratio est, quia conscientia erronea non inducit excommunicationem, sed eam inducit delictum sub excommunicatione prohibitum. Verum tamen est, eum, qui hoc pacto recepit, teneri se tamquam excommunicatum gerere, donec conscientiam, seu dubium practicè deposuerit, cognita facti veritate, & deceptione, vt patet ex regulis generalibus traditis de peccatis; huius autem facti & deceptionis veritatem in foro conscientiæ cognoscere poterit his duobus modis, quorum alteruter sufficit ad pacandam conscientiam.

Primò, ritè expendendo, an coniecturæ, quibus antea adducebatur ad credendum resignantem cum tali intentione resignare, sufficientes sint ad hoc iudicium, nam si cognoscat eas coniecturas non esse sufficientes ad huiusmodi iudicium, nec maiores habet coniecturas, potest conscientiam erroneam deponere, vt patet ex dictis de conscientia erronea *in tract. de peccatis.*

Secundò interrogando ipsum resignantem, an talem haberet intentionem; nam si resignans fide dignus neget se talem animum habuisse, dubium deponi potest; præsertim si resignans hoc asserat cum iuramento, & nolit confidentiam, quam resignatarius in mente sua conceperat, executioni mandari, vt benè Suarez *loco cit. n.* 17. & alij, quos in simili retuli *de irregularitate.*

5 Beneficium recipiens absque intentione recipiendi illud in confidentiam, non videtur affici excommunicatione, etiamsi alter ei beneficium resignet cũ spe, & confidentia.

5 Quartò sequitur solutio illius difficultatis, qua quæritur, vtrùm recipiens beneficium ab eo, qui cum spe, & confidentia illud sibi resignat, sed recipiens non intendit illud recipere in confidentiam, afficiatur excommunicatione. Suarez *loco cit. num.* 18. respondet non affici excommunicatione, etiamsi animaduertat resignantem cum hac fiducia beneficium sibi resignare. Ratio est, quia hic re ipsa non dicitur accipere beneficium in confidentia, etiamsi alter ita det, consequenter actus in suo genere imperfectus est, nec malitiam habet Simoniæ ex parte suscipientis; cùm recipiens non annuat spei, & fiduciæ resignantis.

Sed oppositum mihi probabilius videtur. Ratio est, quia Summus Pontifex excommunicare intendit recipientem beneficium, quoties animaduertit illud sibi in confidentiam resignari, etiamsi solus resignans intentionem confidentialem habeat, vt patet ex illis verbis, *etiamsi sola dimittentis intentione receperit*; facto enim consentit, quia exterius annuit recipere iuxta intentionem tradentis, licet interius dissentiat, aut voluntatem habeat decipiendi resignantem, id est, non adimplendi confidentiam, seu non operandi iuxta spem, & confidentiam illius. In hoc enim casu resignatarium incurrere excommunicationem contendit etiam Suarez, quia participat labem Simoniæ, illique cooperatur, cùm actu externo approbet alterius confidentiam, illamque acceptet, licet nolit eam adimplere. Sicut enim aliud est promittere, aliud velle promissionem adimplere (hæc enim separabilia sunt,) ita aliud est, velle recipere in confidentiam, aliud velle confidentiam adimplere.

An autem idem militet in Simonia reali, sæpiùs in præcedentibus innui.

6 Beneficiarius, cui beneficiũ resignatur, quomodo cognoscere possit beneficium sibi in confidentiam resignari.

6 Rogabis, quomodo resignatarius cognoscere possit beneficium sibi in confidentiam resignari, ita vt abstinere debeat à receptione talis beneficij, aut teneatur se tamquam excommunicatum gerere recipiendo huiusmodi beneficium.

Respondeo in foro conscientiæ standum esse coniecturis, quibus adduci potest ad credendum beneficium sibi tradi in confidentiam; si enim coniecturæ ita graues sunt, & vehementes, vt inducant ad credendum, probabiliter beneficium tradi in confidentiam, abstinere tenetur à receptione talis beneficij; secus si coniecturæ leues sint, vt si considerata personæ qualitate, & vitæ honestate, non possit sine temeritate credere confidentiam ab eo committi; nam à temerario iudicio, & temeraria suspicione abstinendum est; is autem temerè iudicat, qui ex leuibus coniecturis prauam de altero concipit opinionem, vt patet ex dictis *de restitutione.*

Quintò sequitur in præfatis constitutionibus non damnari confidentiam, qua Titius resignat beneficium suum in fauorem Caij, vt Caius resignet aliud beneficium, quod possidet, vel remittat pensionem, quam Titius debet in fauorem ipsius Titij. Quamuis enim ista confidentia prohibita sit iure Canonico, tamen non comprehenditur sub verbis prædictarum constitutionum. Ex quo vlterius sequitur committentem Simoniam in hoc casu non affici hac excommunicatione, sed alia, modò Simonia ex vtraque parte completa sit, iuxta dicenda *punct. sequenti* de Simonia reali. Hactenus explicauimus primum modum Simoniæ confidentialis.

Secundus modus, quo Simonia confidentialis in beneficiis committitur, contingit, dum quis confert alteri beneficium, confidens quòd beneficiarius resignabit beneficium iuxta voluntatem conferentis, aut fructus, vel eorum partem, vel pensionem tradet sibi, vel alteri, vt patebit ex verbis textus in quarto modo referendis.

Tertius modus est, dum quis eligit aliquem ad beneficium cum spe, & fiducia iam explicata in secunda actione, seu modo.

Quartus modus est, dum patronus licet laicus, aliquem præsentat cum præfata confidentia. Istæ tres vltimæ actiones, seu modi continentur in illis verbis Bullæ Pij V. *Ibidem, si ordinarius, vel alius collator contulerit antehac, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum, quouis modo vacans, ea conditione tacita, vel expressa, vt postea in alterum, pro arbitrio collatoris, seu alterius cuiuscumque contra iuris communis ordinationem disponatur, siue vt de eo prouisus, fructus illius, vel partem ad vtilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius, relinquat, & remittat, seu pensionem illi, vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per se, vel alium scripto, aut verbo iusserit, seu significauerit, persoluat, & pariter si patrono etiam laico, vel alteri præsentatori, seu electori contigerit, aut contingat id fieri.*

7 Simonia confidentialis committitur, etiam dum conferens, præsentãs, aut eligens ad beneficium confidit quòd beneficiarius resignabit beneficium iuxta suam voluntatẽ, aut fructus, vel eorum partẽ sibi, vel alteri tradet, & hoc verum est, etiamsi conferat, præsentet, vel eligat personam alioquin dignam.

7 Sed modò dubium est primò, vtrùm Simonia confidentialis committatur, etiam dum conferens, præsentans, aut eligens ad beneficium cum præfata fiducia, confert, præsentat, vel eligit personam alioquin dignam.

Ratio dubitandi pro parte negatiua desumitur ex illis verbis, *contra iuris communis ordinationem.* Ex quibus verbis colligi videtur Simoniam confidentialem committi solùm, dum beneficij collatio, præsentatio, & electio fit personæ contra dispositionem sacrorum canonum.

Respondeo Simoniam confidentialem committi, etiamsi persona digna eligatur, quia huic conuenit definitio Simoniæ confidentialis; cui autem conuenit definitio, conuenit etiam definitum.

Ad rationem dubitandi respondet Nauarr. hinc solùm colligi, Pium V. non prohibuisse quidquam in hac Bulla, quod antea vetitum non esset, & simoniacum. Idem asserit Nauarr. de constitutione Pij IV. & alias coniecturas affert ad hoc probandum, quæ apud ipsum videri possunt.

Ego verò sentio cum Suarez sensum prædictorum verborum hunc esse, videlicet, committi Simoniam contrariam dispositioni iuris communis, quoties collatio, electio, vel præsentatio fit cum præfata intentione, etiamsi alioquin persona digna sit, & habilis, nec aliàs Simonia confidentialis vetita esset; is enim contra ius commune delinquit, qui Simoniam confidentialem aliquo ex prædictis modis committit.

8 Simonia confidentialis inducit excommunicationem, statim ac pẽsio, vel beneficium sub spe, & confidẽtia receptum fuit.

8 Secundò dubium est, vtrùm excommunicatio, quæ in præfatis constitutionibus continetur, incurratur statim, ac quis recepit beneficium in confidentiam, vel potiùs requiratur effectus confidentiæ, id est, vt beneficiarius resignet beneficium, vel conferat fructus, seu pensionem iuxta intentionem illius, qui beneficium sibi in confidentiam resignauit, aut contulit, aut elegit, aut præsentauit.

Ratio dubitandi pro parte negatiua est: tum quia in materia pœnali stricta interpretatio facienda est: tum quia censura non incurritur, nisi adsit effectus completus, & sicut excommunicatio imposita ob Simoniam realem in ordine, vel beneficio, non incurritur, nisi adsit effectus completus ex vtraque parte, ita in hoc casu.

His non obstantibus, respondeo excommunicationem incurri statim ac beneficium cum præfata intentione acceptum est: receptio enim beneficij, vel etiam pensionis in confidentiam est actio sub censura prohibita, nec aliud desideratur, vt patet ex illis verbis: *Omnes & singulos, qui beneficia, pensiones, hoc intercedente vitio, receperint, vel quidquid tale admiserint in futurum.* Ita communiter Doctores.

Ex quo patet responsio ad rationem dubitandi, & præterea constat differentia inter Simoniam realem, de qua *puncto sequenti num.* 7. & confidentialem, de qua hìc loquimur.

9 Simonia confidẽtialis inducit excommunicationẽ, statim post receptionẽ beneficij, etiamsi nẽdum capta sit pacifica beneficij possessio.

9 An autem ista excommunicatio incurratur statim post receptionem beneficij ante captam illius pacificam possessionem.

Respondendum mihi videtur affirmatiuè, quia, recepto beneficio, completa videtur actio sub censura prohibita, beneficiarius enim dicitur beneficium recipere per collationem. Nec est eadem ratio de obligatione diuini Officij, ad cuius recitationem non tenetur beneficiarius ante captam pacificam illius possessionem, iuxta opinionem plurimorum Doctorum, de qua *in tractatu de horis Canonicis*; alia enim est ratio in illo casu, vt *ibi* ostensum est.

10 Simonia confidẽtialis ita sub excommunicatione vetita est in pensionibus, ac in beneficiis.

10 Quod dictum est de Simonia confidentiali in beneficiis, dici etiam debet de confidentia in pensionibus, quia constitutio Pij IV. complectitur beneficia, & pensiones, vt patet ex verbis ipsius *num.* 8. relatis.

SECVNDA PROPOSITIO.

11 Explicatur subiectum istius excommunicationis.

11 SVbiectum excommunicationis latæ ob Simoniam confidentialem, sunt omnes recipientes, vel retinentes beneficia, vel pensiones cum Simonia confidentiali; nam Bulla Pij V. vniuersaliter loquitur de recipientibus, vt patet ex illis verbis; *Omnes, & singulos*, de iisdem etiam loquitur Bulla Pij IV. ibi, *recipere præsumant*, dantes verò vel resignantes, aut alij cooperatores, non subiiciuntur huic excommunicationi, quia dispositio pœnalis extendenda non est vltra tenorem verborum. Ita [Paulus Layman *de Simonia, n.* 78. *cap.* 8.] Suarez, Filliucius, & alij *locis citatis*; quamobrem non approbo sententiam Stephani Quarantæ *verb. Simonia, fol. penult. vers. est & alia pœna*, & Nauarri *cap.* 23. *n.* 110. *vers. adde.* existimantium mediatorem affici hac excommunicatione. An autem mediator in Simonia reali afficiatur excommunicatione *Extrauag.* 2. *de Simon.* dicetur *punct. seq.*

12 Maior

12 Cardinales, & alij Prælati committentes Simoniam confidentialem, videntur potius affici pœna interdicti, quam excommunicationis.

12 Maior difficultas est, vtrùm Cardinales, Episcopi, & alij Prælati afficiantur excommunicatione, an potiùs interdicto ab ingressu Ecclesiæ. Parisius *in tractatu de confidentia quæst.* 19. Auctor libr. Excommunicationum in Archiepiscop. Bononien. *cap.* 2. *num.* 5. & alij putant affici excommunicatione, quia in Bulla Pij V. generaliter fertur excommunicatio in iuris subsidium.

Adde Pium V. *in secreto Consistorio anno* 1569. *die* 14. *mensis Nouembris*, declarasse omnes pœnas, & censuras præcedentis constitutionis extendi ad Cardinales, vt patet ex Bulla, quam refert Cherubinus ad finem Bullæ 85. eiusdem Pij V. consequenter pœna interdicti contenta in Bulla Pij IV. videtur commutata in excommunicationem, nisi dicere velis vtramque censuram à Cardinalibus, & Prælatis incurri: sed hoc rigorosè diceretur.

Alij tamen censent Cardinales, & Prælatos non affici excommunicatione, sed censura interdicti ab ingressu Ecclesiæ Papæ reseruata. Ratio est, tum quia cùm Summus Pontifex Pius V. approbet constitutionem Pij IV. in qua latum erat interdictum contra Cardinales, & Prælatos, contra alios verò lata erat pœna excommunicationis, signum est Pium V. dum loquitur de excommunicatione, non facta Prælatorum mentione, velle se dispositioni Pij IV. accommodare: tum quia Pius V. excommunicat etiam illos, qui antea Simoniæ confidentialis vitium commiserant; sed hoc non potest intelligi de Prælatis, cùm excommunicatio non extendatur ad præterita, non prohibita sub excommunicationis pœna; Prælatis autem non erat prohibita Simonia confidentialis sub excommunicationis pœna, sed sub pœna interdicti: ergo, &c. Ita innuit Nauar. *cap.* 23. *num.* 109. & 200. & in terminis hanc sententiam approbat Azor. 3. *parte libr.* 12. *cap.* 10. *quæsito* 4. *vers. quinta.* Filliucius *tract.* 15. *cap.* 7. *quæs.* 7. *numero* 179. Sayrus *libr.* 3. *cap.* 31 *num.* 6. Sed prima opinio Parisij, & aliorum mihi probabilior videtur ob declarationem Pij V. in Bulla, quæ incipit, *Hodie in Consistorio.*

13 Simonia confidentialis, quomodo dignosci possit.

13 Quæres, quomodo possimus cognoscere Simoniam confidentialem commissam fuisse, & consequenter contractam esse pœnam excommunicationis.

Respondeo in foro conscientiæ standum esse dictis eorum qui Simoniam commiserunt; quia in foro conscientiæ creditur ipsi pœnitenti, tam pro se, quàm contra se; & in foro conscientiæ parum prodest præsumptio, vbi veritas extat in oppositum.

Ad cognoscendum verò in foro externo, quandónam Simonia confidentialis commissa fuerit, variæ referuntur, & assignantur coniecturæ in Bulla Pij V.

Prima est, si is, qui beneficium auctoritate superioris resignauit, post resignationem, captamque à resignatario possessionem, sese in illo, vel in rebus illius per se, vel per alium de facto ingerat, aut fructus percipiat, aut si resignatarius, seu quicumque successor, fructus, vel eorum partem remittat resignanti, vel eius propinquis.

Secunda est, si resignatarius constituit resignantem, vel eius parentes, vel propinquos procuratores ad percipiendum, aut locandum fructus beneficij dimissi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, vel percipiendis donationem fecit.

Tertia est, si vel sola Procuratoris dispositione, vel libris rationalibus mensariorum, ex parte dimittentis expeditio, quæ personam recipientis concernit, secuta sit, simulque expensæ pro ea necessariæ, ab illo factæ sint.

Quarta est, si quis pro concessione alicui facta, quacumque auctoritate de beneficio Ecclesiastico per se, vel alium, seu alios intercesserit, vel aliàs in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo: deinde aliquid de fructibus talis beneficij de facto etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illa postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocumque, hæc omnia in præfata Bulla habentur.

Aliæ etiam coniecturæ, seu casus, in quibus probari potest Simonia confidentialis, recensentur in eadem Bulla, qui ibi videri possunt, & latissimè explicantur à Parisio *in tract. de confid. benef.* præsertim *q.* 27. *& seq.* à Menochio *de præsumpt. libr.* 5. *præsumpt.* 9. à Mascardo *de probat. conclus.* 1307. & ab aliis.

§. II.

De excommunicatione contra committentes Simoniam in Ordine, vel beneficio.

VT detestabile Simoniæ vitium è medio tolleretur, Paulus Venetus Papa Secundus *in Extrauag. cùm detestabile*, 2. *de Simonia*, pœnam suspensionis ab executione Ordinum imposuit ordinato per Simoniam; aliis verò committentibus Simoniam, aut ad illam cooperantibus in beneficiorum, vel Ordinum collatione, seu consecutione excommunicationem iniunxit, cuius materiam, & subiectum hìc explicabo.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Assignatur materia istius excommunicationis.

1 MAteria istius excommunicationis est sacrilegium in ordine, vel beneficio, quod in tribus, vel quatuor actionibus cõsistit.

Prima actio est, dare temporale pro spirituali, vel è contra, in beneficio, aut etiam in ordine, iuxta communem Doctorum sententiam, ita explicantium illam extrauagantem; in hac autem extrauag. punitur Simonia externa: hæc autem committitur dando, vel paciscendo temporale pro spirituali. Non refert autem in hac re, an pretium detur collatori Ordinis, vel beneficij, an alteri, vt benè post Nauarrum *c.* 25. *n.* 68. & alios obseruat Reginaldus *lib.* 28. *c.* 12. *n.* 174. adhuc enim Simonia committitur vt in præcedentibus probatum est.

Secunda actio est, accipere temporale pro spirituali; vel è contra, pro beneficio, aut etiam pro Ordine: sicut enim simoniacum est dare, ita & accipere.

Tertia est, mediatorem esse, seu procurare, vt temporale tradatur pro spirituali, vel è contra; istæ tres actiones apertè habentur in illis verbis, *qui quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam commiserint, aut quòd illa fiat, mediatores extiterint, seu procurauerint, sententiam excommunicationis incurrant, à qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existente non possint absolui*; existimo tamen mediatorem, & procuratorem non ligari vinculo istius censuræ, donec effectus sequatur, quia ista actio videtur accessoriè prohibita.

2 Ordinum nomine quid intelligatur.

2 Sed modò dubium est primò, quid nomine Ordinum intelligatur.

Respondeo intelligi tam minores, quam sacros; omnes enim propriè loquendo, sunt ordines, & per vnumquemque peculiaris potestas confertur per ordinem ad sacerdotium, in quo character ordinis completur.

3 Prima censura an veniat nomine Ordinum.

3 Maior difficultas est, vtrùm prima tonsura veniat nomine ordinis, & consequenter committens Simoniam in prima tonsura incurrat excommunicationem.

Respondent negatiuè Lessius *lib.* 2. *c.* 35. *dub.* 24. *n.* 133. & alij, quibus satis adhæret Reginaldus *lib.* 23. *c.* 12. *n.* 174.

Ratio est, tum quia tonsura, propriè, & strictè loquendo, non est ordo, sed dispositio ad ordines; ergo censura imposita ob Simoniam commissam in ordine, non extenditur ad Simoniam commissam in prima tonsura; pœnæ enim restringendæ sunt, non ampliandæ: tum quia dum Summus Pontifex intendit punire Simoniam, tam in ordine, quàm in prima tonsura, solet id exprimere, vt fecit Sixtus V. in Bulla contra malè promotos, & Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 1. *de reformat.* ibi, *quorumcumque ordinum, & clericalis tonsuræ.*

Sed communior, & probabilior Doctorum sententia est, committentem Simoniam in prima tonsura conferenda, vel recipienda puniri pœna excommunicationis istius extrauagantis. Ratio est, tum quia in hac extrauag. dicitur, *quomodolibet dantes, vel accipientes*, quæ verba generalia sunt, & complectuntur omnem simoniacam dationem, & acceptionẽ circa ordines quomodolibet: tum quia dispositio pœnalis explicanda est iuxta vsitatam loquendi formam sacrorum canonum: sacri autem canones vocant primã tonsuram Ordinem, *c. cùm contingat, de ætate & qualitate*; Clericus enim per primam tonsuram in ordine Clericorum constituitur. Ita sentire videntur Rota Romana, Nauar. Garzias, Auila, Sayrus, & alij, quos retuli *de irregularitate disp.* 7. *quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 4. vbi ostendi, irregularitatem, quæ susceptionem ordinum impedit, impedire etiam collationem primæ tonsuræ. Et idem in propriis terminis huius propositi casus sustinet Vgolinus *de Simon. tab.* 4. *cap.* 3. *n.* 2. *& c.* 4. *n.* 1. Salsedo ad Bernard. Diaz *in pract. canon. c.* 91. Alterius *tom.* 2. *disp.* 15. *cap.* 4. *ad finem*, Suarez *tom.* 1. *de relig. libr.* 4. *de Simonia c.* 56. *n.* 5. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *n.* 71.] Filliucius *tom.* 3. *tract.* 45. *c.* 13. *quæsito* 4. *nu.* 9. Reginaldus *lib.* 23. *cap.* 12. *num.* 174. Azorius, Fornarius, & alij, quos retuli *de Sacramentis disp.* 8. *quæst. vnic. punct.* 4. *num.* 26.

4 Beneficij nomine quid intelligatur.

4 Secundò dubium est, quid nomine beneficij hoc in loco intelligatur, cuius occasione ista excommunicatio incurritur, dum Simonia committur.

Respondent Caiet. *verb. excommunicatio, cap.* 75. Nauar. *c.* 27. *n.* 116. Suarez *tom.* 5. *de cẽsuris, disp.* 22. *sect.* 5. *n.* 24. *& disp.* 31. *sect* 4. *n.* 45. Filliucius *tract.* 15. *cap.* 4. *quæs.* 7. *num.* 87. & alij intelligi non solùm beneficia propriè accepta; verùm etiam quodlibet munus spiritualis regiminis, vt est officium Prioris, Guardiani, aut aliud simile in aliquo regulari ordine. Ratio est, tum quia textus hic noster generaliter loquitur, ibi; *per electiones verò, postulationes, confirmationes, prouisiones, seu quasuis alias dispositiones, quas simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omninò careant, in Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, Prioratibus, officiis Ecclesiasticis, & quibuscuis beneficiis*, &c. & postmodum adiicitur excõmunicatio: tum quia licet huiusmodi munus non sit beneficium propriè acceptum, est tamen officium Ecclesiasticum, quod beneficio comparatur.

Ego verò probabilius arbitror nomine beneficij intelligi ea solùm, quæ propriè beneficia vocantur. Ratio est, quia si Summus Pontifex voluisset quælibet officicia spiritualis regiminis complecti, clarius locutus fuisset; quamobrem cùm in materia pœnali versemur, verba non sunt interpretatione amplianda, sed potius restringenda. Ita Nauar. *c.* 23. *n.* 111. *vers.* 7. Less. *lib.* 2. *c.* 36. *dub.* 25. *n.* 137. Azor. 3. *part. lib.* 12. *de Simon. c.* 21. *q.* 6. *ad finẽ, vers. quæres*, idem sentire debẽt, Angelus *ver. Simonia* 6. *n.* 9. Syluester *eodem verb. quæs.* 12. Tabiena *quæs.* 73. [Paulus Layman *n.* 70. & 72.] & alij, asserentes excommunicationem non incurri, nisi ob Simoniam in ordine, vel beneficio.

Ad primam rationem in contrarium respondeo nomine officiorum Ecclesiasticorum non intelligi quælibet officia Ecclesiastica, sed beneficia, vt patet ex verbis antecedentibus, & consequentibus: nam vt Summus Pontifex omnia beneficia generaliter comprehenderet, vsus est nomine officiorum, quia fieri potest, vt aliquod beneficium aliquibus in locis officium vocetur. Ex quo patet etiam responsio ad secundam rationem: nam in materia pœnali non valet argumentari à pari, vel à minori ad maius, sed proprietati verborũ standum est. Hinc sequitur primò à fortiori ob officia temporalia, vt ob vicariam temporalem, excommunicationem istam non incurri.

5 Simoniacus in collatione, aut consecutione pensionis non ligatur excommunicatione.

5 Secundò simoniacum in collatione, aut consecutione pensionis non subiici huic censuræ, quia pensio non est beneficium. Ita Nauar. *c.* 23. *nu.* 111. Suarez *de relig. lib.* 4. *de Simonia, cap.* 55. *n.* 22. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 28. *n.* 130. *& dub.* 25. *n.* 137. in primis editionibus, Reginald. *lib.* 23. *cap.* 12. *numer.* 175. Azor. *loco citato, quæsito* 8. Garzias *de benef. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 20. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *n.* 72.] Filliucius *de Simonia c.* 13. *n.* 8. *& de pensionibus tract.* 42. *quæsito* 4. *n.* 6. An autem hoc militet etiam in Simonia confidentiali, ostensum est *puncto præcedenti num.* 10. vbi negatiuam sententiam sustinui.

6 Simonia quænam requiratur ad incurrendam excommunicationẽ.

6 Tertiò dubium est, quænam Simonia requiratur ad incurrendam excommunicationem. Pro solutione præmittendum est Simoniam triplicem esse, mentalem, conuentionalem, & realem: quid autem vnaquæque sit, patet ex supradictis. Hoc posito,

Respondeo Simoniam mentalem non sufficere, quia Ecclesia non ponit actum internum: imò neque sufficit conuentionalis, quia ad incur-

incurrendam censuram requiritur effectùs completus, & consummatus; per Simoniam autem solùm conuentionalem effectus non est completus, & consummatus; sed per realem: realis ergo requiritur, & sufficit: tum quia ista excommunicatio lata est contra dantes, & accipientes, quæ verba indicant effectum Simoniæ completum ex parte dantis, & accipientis: tum quia sic vsu, stylo, & praxi Curiæ Romanæ receptum est, sicque in Rota Romana sustineri solet. Ita communiter Doctores.

7 Simoniacus in ordine, vel beneficio non ligatur excommunicatione, effectu nondũ secuto.

7 Hinc sequitur eum, qui tradidit pecuniam pro consecutione beneficij, vel ordinis, non affici hac censura, antequam beneficium, vel ordo actualiter conferatur. Ita communiter Doctores. Idem dicendum arbitror quoties ordo, vel beneficium confertur ex præuia conuentione simoniaca, sed pretium nondum solutum fuit: quamdiu enim pretium non soluitur, non dicitur completum delictum Simoniæ. Verum quidem est collationem ordinis, vel beneficij fuisse simoniacam; sed nego tunc censuram incurri, quia nondum consummatum est delictum sub censura prohibitum. Ita Cassad. *decis. 5. de constitut.* Gomez *in reg. de triennali, quæst.* 12. Lessius *libro 2. cap. 35. dub. 27. num.* 149. Nauarr. *cap. 23. nu.* 103. Vgolinus *de Simonia tab. 1. cap. 5.* Couarr. *regul. peccatum 2. part. §. 8. num. 7. & seq.* Filliucius *tom. 3. in tract. de Simonia cap. 13. quæs. 5. num.* 15. vbi testatur de praxi Romanæ Curiæ, & sacræ Pœnitentiariæ. [Paulus Layman *lib. 4. tract. 10. cap. 8. num. 68.*] contra Sotum *lib. 9. quæst. 8. art. 1.* Caietanum, Paludanum, & alios apud Suarez *de Simonia lib. 4. cap. 56. num. 26.* quorum opinionem de rigore iuris veram putat Suarez, quamuis nostræ sententiæ postmodum adhæreat *num. 33.* An autem hoc valeat in Simonia confidentiali, explicatum est *puncto proximè præcedenti, num. 8.* vbi ostensum est non requiri effectum ex vtraque parte completum.

8 Excommunicatio incurritur statim ac pretium traditur.

8 Rogabis primò vtrùm, dum ordo, vel beneficium simoniacè collatum fuit ex præuio pacto, sed nondum tradita fuit res temporalis, excommunicatio incurratur statim ac pretium traditur, & accipitur.

Respondeo affirmatiuè, quia tunc completur delictum Simoniæ sub excommunicatione prohibitũ. Ita communiter Doctores. Imò Nauarr. *in consil. 52. de Simonia,* & Suarez *de Simonia lib. 4. cap. 55. nu. 17. & c. 56. n. 6.* id verum esse putant, etiamsi minima pars pretij soluatur; sed hoc non caret difficultate in sententia eorum, qui censent non quamlibet rem leuem esse materiam sufficientem ad incurrendam censuram, etiamsi fortè sufficiat ad incurrendum mortale peccatum, quatenus res spiritualis digna pretio existimatur. Sed de hac re suprà.

9 Excommunicatio contracta ob Simoniam, an retrahatur ad tempus commissæ Simoniæ.

9 Rogabis secundò, vtrùm quando Simonia priùs erat incompleta per traditionem rei spiritualis, & postea completur per traditionem pecuniæ, censura retrotrahatur, id est, incurratur non solum à puncto traditionis pecuniæ, verum etiam à die commissi criminis, Nauarr. *c. 23. n. 104.* Lessius *loco cit. dub. 27. n. 151.* Henriquez *lib. 13. c. 19. n. 12.* & alij affirmant.

Sed oppositum mihi probabilius videtur cum Suarez *cap. 56. n. 34.* & Filliucio *tom. 3. de Simonia, cap. 13. quæs. 5. n. 17.* Ratio est, tum quia censura non incurritur, nisi adsit delictum completum sub censura prohibitum; sed pro tempore præterito delictum non erat completum; ergo censura ad tempus præteritum retrotrahi non potest: tum quia nostra Extrauagans nullam de retrotractione mentionem facit; tum quia si excommunicatio retrotraheretur, [simoniacè prouisum, qui post temporis interuallum pretium numerauit, aut illum, qui ante completam simoniam aliud beneficium obtinuit, teneri ad restitutionem fructuum perceptorum, & ad resignationem beneficij, quod in Simonia nondum omninò completa obtinuit, quod non videtur admittendum in foro conscientiæ, & ante iudicis sententiam, iuxta Layman *num. 68.* Suarez *c. 57. n. 50.* & alios. Præterea] sequeretur sacerdotem, qui celebrauit præterito tempore, ad quod censura retrotrahitur, affici irregularitate imposita contra celebrantes in excommunicatione; hoc autem neque Nauarr. neque Lessius admittunt. Non nego tamen, quin produci possint aliqui effectus, ac si excommunicatio ab eo tempore contracta fuisset; sed hoc non est censuram, propriè loquendo, retrotrahi. In hac tamen re seruandus est Romanæ Curiæ stylus.

10 Simonia etiam iuris humani in beneficio, & ordine excommunicationẽ inducit.

10 Quartò dubium est, vtrùm excommunicatio, quæ contra simoniacos in ordine, & beneficio imposita est, incurratur non solum ob Simoniam iuris diuini, & naturalis, verùm etiam ob Simoniam iuris humani (ex dictis enim in præcedentibus constat aliquam Simoniam non esse contra ius diuinum, sed solum contra ius Canonicum, vt est permutatio beneficiorum inter duos beneficiarios facta propria auctoritate, reseruatio pensionis sine auctoritate Papæ, promissio beneficij pro suffragio in electione ad Episcopatum, &c.)

Respondeo excommunicationem incurri etiam ob huiusmodi Simoniam. Ratio est, tum quia Simonia iure solùm Canonico prohibita, est vera Simonia; ergo afficitur pœnis contrà Simoniam generaliter editis; & sicut committens sacrilegium iure solùm Canonico prohibitum, non minus subiicitur pœnis generaliter latis contra sacrilegos, quàm committens sacrilegium, iure diuino vetitum; ita, &c. tum quia in explicatione, & intelligentia iurium spectandus est vsus iurium; iura autem eodem nomine vtuntur, & sub eadem voce insequuntur, tam Simoniam iure Canonico prohibitam, quàm iuri diuino contrariam, vt patet ex *c. cùm olim, c. quæsitum, de rerum permut.* tum quia hæc nostra Extrauagans 2. *de Simon.* sic incipit, *Cùm detestabile scelus Simoniæ, tam diuinorum, quàm sacrorum canonum auctoritas abhorreat, atque damnet,* &c. Ergo Summus Pontifex non solum intendit hic punire Simoniam iure diuino interdictam, verum etiam prohibitam iure Ecclesiastico; statim enim confirmat pœnas a prædecessoribus impositas, & pœnam excommunicationis adiicit quomodolibet dantibus, vel accipientibus, vt benè argumentatur Suarez *de Simon. lib. 4. c. 55. n. 28.* idemque supponit Nauarr. *in c. si quando, de rescriptis.* licet ab aliis citetur pro contraria sententia, Reuoan. 3. *part. cap.* 8. Filliucius *de Simon. c. 13. quæs. 3. n. 7.* & alij quamplures contra Arragon. 2. 2. *q.* 100. *art. 6. dub. penult.* Petrum Nauarr. *lib. 3. de restitut. cap. 2. nu.* 430. & alios, quorum opinionem probabilem putant Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 25. num.* 141. & Reginaldus *lib. 23. cap. 12. n.* 184.

Obiicies, verba legis pœnalis strictè, & rigorosè accipienda sunt; ergo lex puniens Simoniam intelligenda est de Simonia iure diuino prohibita, quæ strictè, & rigorosè loquendo vocatur Simonia.

Respondeo huiusmodi verba strictè, & propriè accipienda esse iuxta vsum legum, quæ pœnam imponunt.

SECVNDA PROPOSITIO.

11 Explicatur subiectum istius excommunicationis.

11 SVbiectum istius excommunicationis sunt omnes, & singuli, cuiuscumque status, gradus, & conditionis existant, etiam Cardinales & Reges, qui Simoniæ crimen in ordine, vel beneficio committunt dando, vel accipiendo, vel procurando; textus enim vniuersaliter loquitur, ibi, *qui cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint, etiamsi Cardinalatus, Patriarchali, Episcopali, Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, seu mundana, dignitatibus, &c. Statuentes præterea quòd vniuersi, & singuli, etiam præmissis dignitatibus præditi, quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam commiserint, aut quòd illa fiat, mediatores extiterint, seu procurauerint, sententiam excommunicationis incurrant, à qua non nisi à Romano Pontifice pro tempore existente absolui possint,* &c.

12 Ratam habens Simoniam in ordine, vel beneficio non ligatur excommunicatione.

12 Sed modò dubium est primò, vtrùm non solùm dantes, recipientes, & procurantes huius excommunicationis vinculo ligentur; verùm etiam ratam habentes Simoniam; e.g. Titius pecuniam soluit, vt Petrus beneficium consequeretur, quæritur, an Petrus in hanc censuram incidat, si cognito postmodũ Simoniæ delicto illud approbet.

Respondeo negatiuè, quia in hac Extrauagante sermo non est de ratum habentibus. An autem Petrus, cognita Simonia, teneatur beneficium resignare, vtpote simoniacè acquisitum, patebit ex infrà dicendis *punct. 2. n. 17. & seqq.* teneri, etiamsi crimẽ Simoniæ, inscio ipso Petro, commissum fuerit; non tamen incurrit excommunicationẽ, si resignare nolit, cognita Simonia ab altero facta, Petro ignorante: quamuis enim peccet retinendo beneficium; non tamen committit Simoniæ labem, consequenter non incurrit excommunicationem contra obtinentes beneficium per Simoniam, vt benè Suarez *de censuris disp. 22. sect. 5. n. 26. ad fin.* Couarr. *regul. peccatum 2. part. §. 8. n. 7.* Nauarr. *cap. 25. n. 68.* Henriquez *lib. 13. c. 37. n. 4.* Sayrus *lib. 4. c. 14. n. 6.* Lessius *lib. 2. c. 35. dub. 24. n. 136.*

13 Cognoscens beneficium acquisitum fuisse per Simoniam ab altero cõmissam, ipso inscio, tenetur quidem beneficiũ resignare, sed non incurrit excommunicationẽ, illud retinendo.

13 Addo neque teneri beneficium resignare in duplici casu ob Simoniam ab altero commissam. Primus est, dum crimen commissum fuit, Petro expressè contradicente, *cap. sicuti tuis litteris, de Simonia.* Secundus, si inimicus Petri per fraudem pecuniam hac intentione tradidit, vt collatio facta Petro irrita esset, *cap. nobis fuit, & cap. sicuti tuis, citato.* Verùm quidquid sit de obligatione resignandi beneficium simoniacè obtentum, de qua re differam *punct. 3.*

14 Obtinẽs beneficiũ per Simoniam ab altero contractã ipso inscio, non incurrit excommunicationẽ, si cognito Simoniæ crimine restituat pecuniam, quam alter pro consecutione beneficij erogauerat.

14 Magna adhuc difficultas superest, vtrùm Petrus, qui beneficium obtinuit per Simoniam à Titio contractam, & inscio ipso Petro, incidat in istam excommunicationem, si cognito Simoniæ crimine restituat Titio pecuniam, quam Titius pro consecutione beneficij erogauerat.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia Petrus non dicitur accepisse beneficium cum culpa Simoniæ, quæ ipsi imputetur; nam traditio simoniaca pecuniæ respectu Petri, est posterior consecutione beneficij, nec ipsam beneficij consecutionem inficit, licet infecta fuerit ob crimen Titij, quod iam transactum est, dum Petrus pecuniam tradit. Summus autem Pontifex illam Simoniæ culpam excommunicatione punit, quæ inficit ipsam collationem, prouisionem, seu dispositionem, vt clarè colligi videtur ex verbis extrauagantis, ibi, *per electiones verò, postulationes, confirmationes, prouisiones, seu quasuis alias dispositiones, quas simoniaca contigerit labe fieri,* &c. Ita in simili Adrianus *quodlibeto 9. art. 3. lit. C.* Suarez *lib. 4. de Simonia, cap. 56. num. 5.* nec improbare videtur Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 25. n. 144.* & Reginaldus *lib. 23. cap. 12. n. 174.* contra Nauarr. *lib. 5. consil. 10. de Simonia.* Panormit. in simili loquentes de eo, qui ante beneficij consecutionem expressè contradixit, ne pecunia solueretur; sed postmodum obtento beneficio approbat Simoniam, & pecuniam ab altero promissam soluit, vel solutam refundit, & restituit. Hinc patet, quid in simili dicendum sit de eo, qui post ordines susceptos tradit aliquid, vel de Episcopo, qui post ordinum collationem aliquid gratis oblatum accipit; hic enim non afficitur excommunicatione, quia hęc nullibi expressa reperitur, licet peccet contra Tridentini decretum *sess. 11. cap. 1. de reformat.* Ita Suarez *loco cit.* & Lessius *loco cit. dubio 24. n. 133.*

15 Notarius vel alij officiales, accipientes aliquid pro litteris dimissoriis, vel pro sigillo, an incidant in excommunicationẽ, & an eamdem incurrant, qui aliquid ipsis tradunt.

15 Qui idem asserunt de Notario, vel ministro, qui aliquid accipit pro litteris dimissoriis, vel pro sigillo; putant enim istos non affici excommunicatione, vt patet ex allata ratione. Neque obstat decretum Tridentini *sess. 21. c. 1. de reform.* vbi, cùm Concilio prohibuisset, quidquam accipi, vel dari pro collatione ordinum, etiam primæ tonsuræ, aut pro litteris dimissoriis, vel testimonialibus, aut pro sigillo, aut alia quacumque de causa, subiungit: *Si contra fecerint, tam dantes, quàm accipientes pœnas à iure inflictas incurrant.* Respondent præfati Doctores, Concilium, dum loquitur de pœnis à iure inflictis, intelligendum esse de conferentibus, vel recipientibus ordinẽ simoniacè, non verò de aliis, contra quos in iure non extat excõmunicatio: probabilis tamen etiam est contraria opinio, asserens tradentem aliquid pro dimissoriis, vel pro sigillo ante consecutionẽ ordinum, vel etiam pòst, ex præuio tamen pacto, affici excõmunicatione, quia ista actio est simoniaca, saltem contra ius Canonicum, & refertur ad ordines; consequenter punitur excommunicatione lata contra simoniacos in ordine, secus si aliquid tradatur post collationem ordinum, absque præuio pacto, vt patet ex dictis. Ita Vgolinus *tab. 4. cap. 3. n. 2. & c. 4. n. 1.* Alterius *tom 2. disp. 15. cap. 4. ad finem.* Salsedo *in addit. ad Bernard. cap. 91. vers. 5.* [Paulus Layman *nu. 71.* Auila *de censuris disp. 5. dub. 9.*] Henriquez, & alij, quos referam *de suspensionibus in particulari.*

16 Se-

16 Simoniam sciēs ab altero commissā in ordine, vel beneficio, absolui non potest, nisi delinquētem denūtiet.

16 Secundò dubium est, vtrùm sciens simoniam ab alio commissam in ordine, vel beneficio, afficiatur excommunicatione, si non denuntiet præfatos simoniacos. Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia Summus Pontifex in præfata extrauagante in virtute sanctæ obedientiæ præcipit huiusmodi delinquentes denuntiari, & statuit eos, qui non denuntiant, absolui non posse, donec prædicta reuelent.

Respondeo nullam extare excommunicationem contra non reuelantes; sed præceptum, & reseruationem imponi, vt absolui non valeant, donec præceptum impleant, cùm enim præceptum semper obliget, donec impleatur, is non videtur ad Sacramentum sufficienter dispositus accedere, qui præceptum, ad quod tenetur, non adimplet; consequenter is, cui noti sunt simoniaci, ex dispositione istius extrauagantis repellendus est, donec præceptum adimpleuerit. Ita Suarez *de censuris disp.22.sect.5.n.27.* Filliucius *tr.5.c.4.quæs.7.nn.82.* & alij communiter. Imò Nauar. Syluester, & alij, quos Suarez, & Filliucius sequuntur, asserunt hoc præceptum afficere tantummodo Curiales, quia ista extrauagans quoad Curiales, solùm est vsu recepta: imò nonnulli existimant istam Extrauagantem, neque quoad Curiales circa obligationem denuntiandi, vsu receptam fuisse, & in hanc sententiam valde propendet Filliucius.

17 Simoniam cōmittens in qualibet materia nō incurrit excommunicationē.

17 Tertiò dubium est, vtrùm committens simoniam in qualibet materia, incurrat excommunicationem istius extrauagantis.

Respondeo negatiuè, quia excōmunicatio non incurritur, nisi sit in iure expressa; nullibi autem expressa est excommunicatio contra simoniacos in qualibet materia, sed solum in ordine, beneficio, religionis ingressu, & nonnullis aliis casibus recensendis in sequentibus §§. Ita Suarez *de simon. lib.4.cap.55.n.6.* Vgolin. *tab.1.c.12.& tab.4.c.3.* Nauar. *c.23.n.111.* Salsedo apud Bernardum Diaz *in pract. canonic. cap. 91.vers.3.* Alterius *tom.2.disp.15.c.5.in principio*, Graffius *1.parte decis. lib.2.c.97.n.3.* Filliucius *de Simon.tr.45.c.13.quæs.1.n.2.* [Lessius *dub.* 23. Paulus Layman *lib.4.tract.10.c.8.n.69.*] Syluest. Redoanus, Caiet. & alij apud Suarez *loco cit.n.5.* apud Reginaldum *lib.23.ca.12.nu.175.* & apud Emanuelem Sà *verb. simonia num.6.num.175.* contra Sotum *lib.9.de iust.quæst.8.artic.2.* Paulum Burgas. *de irregularitate tit. de simon.num.91.* & alios.

Obiicies, in hac extrauaganti excommunicantur quomodolibet dantes, vel accipientes aliquid simoniacè, vel procurātes: ergo committens simoniam in qualibet materia excommunicationem istius Extrauagantis incurrit, cùm illa particula, *quomodolibet*, omnem modum includat, vt alibi probaui.

Respondeo illam particulam, *quomodolibet*, referēdam esse ad subiectam materiam, id est, ad actiones in hac Extrauagante prohibitas sub excommunicatione, & iuxta illas limitandam esse; in hac autem Extrauagante prohibitum est solùm aliquid dare, vel accipere, vel procurare in beneficio, vel ordine; videri potest Suarez *loco cit.nu.9.* vbi plures alias coniecturas ad hoc facientes adducit.

18 Simoniaci in aliis materiis an ipso iure incurrāt pœnas, & cēsuras, quæ iure antiquo non erant ipso iure latæ, sed ferendæ sententiæ.

18 Rogabis, vtrùm simoniaci in aliis materiis incurrant hoc tempore censuras, & pœnas saltem in iis casibus, in quibus cēsuræ, & pœnæ iure antiquo non erant ipso facto latæ, sed ferendæ sententiæ.

Respondeo duplicem assignari posse Doctorum sententiam.

Prima est Soti, Burgasij, Redoani, & aliorum apud Suarez *num.7.* affirmantium incurrere. Ratio est, quia Summus Pontifex in hac extrauagante confirmat, & innouat omnes, & singulas censuras, & pœnas excommunicationis, suspensionis, & interdicti contra simoniacos publicos, vel occultos, quomodolibet latas, quas ipso facto incurri intendit, vt patet ex illis verbis, *quas ipso facto eos incurrere volumus*; ergo simoniaci hoc tempore contrahunt saltem censuras & pœnas iure antiquo impositas, alioquin illa verba frustra fuissent addita.

19 Simoniacis quænam pœnæ impositæ sint in iure.

19 Istæ autem pœnæ contra simoniacos pluribus in locis expressæ habentur: nam *in cap.erga* 110.1. *quæst.1.* decernitur absolutè, simoniacos deponendos esse, & *in cap.quicquid* 101. fertur excommunicatio comminatoria contra Clericos vendentes Baptismum, Chrismatis collationem, seu consignationem, & promotionem Clericorum, & *in c.nullus Episcopus*, vendens Communionem deponi præcipitur. Aliæ quoquæ pœnæ enumerantur in iure contra simoniacos, quas prosequitur Suarez *lib.9.de simonia, c.55.n.4.& c.56.per totum*, Lessius *lib.2.c.35.dub.23.& seq.* Azor. *3.part.lib.12.c.21.de simonia.* Reginaldus *lib.23.cap.12.sect.1.& 2.* Redoanus, Vgolinus, & alij *in tractatibus de Simonia.*

Secunda sententia, cui tamquam probabiliori adhæreo, sustinet pœnas comminatorias iure antiquo contra simoniacos sancitas, iure nouo non incurri ipso facto, ex vi istius extrauagantis. Ratio est, tum quia in hac Extrauagante non imponuntur ipso facto pœnæ iuris antiqui, sed solum iura ipsa antiqua innouantur, vt patet ex illis verbis, *confirmantes, & innouantes*; aliud autem est innouare iura, & ipsorum pœnas, aliud pœnas ipso facto imponere: innouare enim est in priori statu constituere, seu vires, ac robur tribuere, quod alias habebant, vt docui in expositione Bullæ Cœnæ: tum quia si Summus Pontifex voluisset pœnas hoc tempore esse latæ sententiæ, quæ olim erant comminatoriæ, id clariùs expressisset, sicut expressit pœnam suspensionis contra simoniacos in ordine, quæ iure antiquo non erat ipso iure lata: tum quia etiamsi daremus Summum Pontificem voluisse pœnas iure antiquo comminatoriè latas, ipso facto ferre, nihilominus in hac parte obstat consuetudo, quæ legitima legis interpres nuncupatur, & vim habet abrogandi legem iam introductam. Ita Nauar. Graffius, Vgolinus, & alij, quos retuli in solutione præcedentis dubij, quibus adde Suarez *loco cit.de simonia, c.55.n.8.& de censuris disp.22.sect.5.n.22.* Filliucium *tract.45.de simonia, c.13.quæs.1.num.2.* [Paulum Layman *n.69.* Lessium *loco cit.dub.23.*]

Ad rationem primæ sententiæ, respondeo illa verba referri ad simoniacum, tam occultum, quàm manifestum. Cùm enim iure antiquo nonnullæ pœnæ latæ essent contra simoniacos, quæ iuxta communiorem sententiam afficiebant tantummodò simoniacos publicos, Summus Pontifex ad tollendas difficultates voluit illas ipso facto cadere etiam in simoniacos occultos, vt apertè colligitur ex illis verbis, *& eorum quemlibet tam manifestum, quàm occultum, quos ipso facto eos incurrere volumus, confirmantes, & innouantes*, &c. Ita Feltnus, quem citat, & sequitur Suarez *loco cit.*

20 Simoniaci absolui debēt à Summo Pontifice ob excommunicationem contractā in simoniaca collatione, vel receptione Ordinis, vel beneficij.

20 Quartò dubium est, quis possit ab hac censura absoluere.

Respondeo reseruatam esse Summo Pontifici. An autem Episcopus possit virtute Concilij Tridentini *sess.24.c.6.* absoluere, dum crimen est occultum, constabit ex dicendis §. 6. de suspensione contra simoniacos in ordine *propos.5.n.11.§.7.*

§ III.

De excommunicatione contra petentes, vel exigentes aliquid in collatione, aliave prouisione beneficiorum, aut admissione ad illorum possessionem.

1 Reffertur textus in quo ista excommunicatio cōtinetur.

1 CVm in aliquibus Cathedralibus, & collegiatis Ecclesiis statuto, vel consuetudine introductum esset, vt fructus, vel distributiones, vel ipsarum pars applicaretur mensæ Episcopali, vel capitulari, aut pio loco, aut in communes vsus cederet, aut inter Canonicos, & personas Ecclesiæ, seu Capituli diuideretur, vt hæc simoniaca labes, aut sordidæ auaritiæ suspicio de medio tolleretur, & Concilij Tridentini decretum *sess.24.c.14.* ad praxim reduceretur, Pius V. *in Bulla* 104. quæ incipit, *Durum nimis*, graues censuras imposuit contra facientes actiones in ipsius Bulla expressas, abrogat statuta, & consuetudines, irritat aliter factum, & tollit obligationem iuramenti, vt patebit ex duabus proximè sequētibus propositionibus, in quarum vna explicabo materiam, seu actiones ipsas sub censuris prohibitas; in altera subiectum earumdem censurarum indicabo.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Enumerantur actiones sub hac censura prohibitæ.

2 ACtiones sub censuris prohibitæ sunt, prima retinere fructus, vel distributiones, vel eorum partem prouenturam ex beneficio, primo anno à vocatione, aut longiore, vel etiam breuiore tempore.

Secunda actio est, quomodocumque petere, vel exigere renuntiationem huiusmodi fructuum, aut distributionum.

Tertia, petere, vel exigere quomodocumque dulciaria, vel quid aliud; sufficit tamen primò siue exigatur per se, siue per alium, siue directè, siue indirectè; quia illa particula, *quomodocumque*, omnem modum includit. Secundò ad incurrendam istam excommunicationem, sufficit altera istarum actionum, quia textus alternatiuè, & disiunctiuè loquitur, per particulam, *vel*, fieri enim potest, vt vnus petat, & alter recipiat.

3 Ista excommunicatio non incurritur ob solam fructuum petitionē, cessationē, &c. sed requiritur cessio, vel traditio.

3 Maior difficultas est, vtrùm petens fructus, cessionem, & cetera, censuram incurrat, etiamsi nihil obtineat.

Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, tum quia adhuc verum est dicere petiisse, tum quia istæ duæ actiones, petere, & exigere, disiunctiuè ponuntur.

His non obstantibus, probabilius respondeo non incurrere, non secuta cessione, vel traditione fructuum, &c. Ratio est, quia verba in materia pœnali intelligenda sunt cum effectu, nisi aliud exprimatur, ex quo patet responsio ad rationem dubitandi.

Quarta est, inducere aliquem, ordinaria, vel Apostolica auctoritate prouisum ad præstandum iuramētum de obseruandis huiusmodi priuilegiis, consuetudinibus, & statutis.

Quinta est, præstare iuramentū de prædictis obseruandis, quamquam huiusmodi iuramentum, & alia huiusmodi irritantur in hac Bulla, ibi, *decernentes huiusmodi iuramenta non tenere*, &c.

Sexta est impedire, vel remorari possessionem illi, qui prædicta non facit. Istæ omnes actiones exprimūtur in præfata Bulla §.2.& 3.

4 Ista excommunicatio non videtur lata ob petitionem, vel exactionem alterius rei in quolibet beneficio.

4 Sed modò dubium est primò, vtrùm censuræ huius Bullæ incurrantur, si præfatæ actiones fiant occasione collationis, aut prouisionis, seu possessionis cuiuslibet beneficij.

Responderi probabiliter potest negatiuè, quia Bulla loqui solum videtur de Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis. Et ratio huius dispositionis hæc esse potest, quia fortè abusus introductus tantummodo fuerat in prouisionibus beneficiorum, quę in præfatis Ecclesiis existunt. Ex quo inferri posse videtur facientem præfatas actiones occasione beneficij, extra præfatas Ecclesias existentis, non affici excommunicatione huius Bullæ; secus si aliquam ex præfatis actionibus faciat occasione Canonicatuum, aut aliorum beneficiorum in Collegiatis, vel Cathedralibus existentium. Ratio est, quia Pius V. generaliter loquitur, ampliat, & extendit suam dispositionem contra quælibet statuta, & consuetudines introductas in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis. Cùm enim retulisset ea, quæ in Concilio Tridentino disponuntur, & explicasset abusum nonnullarum Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, ac maiorum, nec non Collegiatarum, hæc verba subiungit, *quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum dignitatibus, Canonicatibus, præbendis, portionibus, beneficiis, & officiis*, &c.

5 Ista excommunicatio non incurritur dum in prouisione beneficiorum exigitur aliquid conuertendum in pios vsus, iuxta consuetudinē, vel constitutiones Ecclesiarū.

5 Secundò dubium est, vtrùm censura incurratur, dum aliquid ob Ecclesiarum constitutiones, vel consuetudines exigitur in prouisione beneficiorum conuertendum in pios vsus.

Respondeo negatiuè; quia hic casus excipitur in Tridentino *sess.24.cap.14.* ibi; *vt quicumque huiusmodi in vsus pios non conuertuntur.* Ita Cenedus *in decret.collect.16.nu.2.* Barbosa *in remiss.24.c.14.* Idemque à Sacra Cardinalium Congregatione declaratum refert Gallemartius *sess.24.c.14.vers.admissione ad possessionem.*

Neque obstat Bulla Pij V. quia Pius V. non videtur hoc prohibere sub censura; sed solum statuit, vt vbicumque huiusmodi fructus, & distributiones fabricæ, vel sacristiæ, aut alterius pij loci vsibus, vltra semestre tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi sacristiæ, vel fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur; alteram verò beneficiati prædicti integrè percipiant. Hæc Pius V. *in præfata sua Bulla.§.4.*

SE-

SECVNDA PROPOSITIO.

6 Assignatur personæ, quæ huic excõmunicationi subiiciuntur.

6 SVbiectum censurarum huius Bullæ sunt personæ in hac Bulla expressæ; diuersa tamen ratione, nam Episcopi aliique Antistites suspenduntur à Pontificalibus, donec præstita satisfactione, à Summo Pontifice absoluantur, Capitula, & collegia subiiciuntur interdicto; aliæ verò personæ singulares vinculo excommunicationis obstringuntur. Hæc propositio patet ex verbis Bullæ, ibi; *Quicumque contrafecerint, si Ecclesiarum Antistites, tamdiu à Pontificali exercitio sint suspensi, donec satisfactione præuia illis per Sedem Apostolicam suspensio relaxetur; Capitula verò, & collegia quæcumque Ecclesiastico subiaceant interdicto, & singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant, à qua nisi in mortis articulo constituti ab alio, quàm à Summo Pontifice, absolutionis beneficium nequeant obtinere.* Quid autem operetur suspensio à Pontificalibus, & quem effectũ pariat interdictum Capituli, patet ex regulis generaliter traditis de censuris in communi, & alibi pluribus in locis: ex quibus etiam patet, an Episcopus possit à censuris Summo Pontifici reseruatis absoluere, quando delictum est occultum.

§. IV.

De excommunicatione, quæ contrahitur ob simoniam commissam dando, vel recipiendo aliquid pro ingressu in religionem.

1 Refertur textus, in quo ista excommunicatio cõtinetur.

1 AD tollendum simoniæ crimen, quod admittebatur occasione ingressus in religionem, cum magno aliorum scandalo, & non sine graui damno nonnullorum, ad perfectiorem vitæ statum in religione aspirantium, qui cùm tot expensas, & sumptus facere non possent, à religione capessenda retrahebantur, iure meritò Vrbanus IV. *in c. sanè, de simonia*, excommunicationem imposuit singularibus personis dantibus, vel recipientibus aliquid ex pacto pro ingressu in religionem; Capitulis verò, & Conuentibus pœnam suspensionis iniunxit: [quamquam Lessius *lib. 2. c. 35. n. 131.* & alij, putant istam Extrauagantem vsu receptam non esse; quod tamen ego non facilè admitto; ideo] circa istam Extrauagantem duo de more explicabo.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Assignatur materia istius excommunicationis.

2 MAteria excommunicationis in hac Extrauaganti contentæ, sunt duæ actiones simoniacæ.

Prima est, dare aliquid ex pacto pro religionis ingressu.

Secũda actio, est accipere aliquid ex præuio pacto; istæ duæ actiones continentur in illis verbis: *Districtiùs inhibemus, ne tam à maribus, quàm à mulieribus volentibus ingredi eorum religionem, Ecclesias, monasteria, Prioratus, Domos, seu loca in eorumdẽ personarum receptionem, aut ante, vel post illam, quoscumque pastus, prandia, seu cœnas, pecunias, iocalia, aut res alias, etiam ad vsum Ecclesiasticum, seu quemuis pium vsum alium deputata, vel deputanda directè, vel indirectè, petere, vel exigere quoquo modo præsumant. Sed eas potius cum omnimoda pietate accipiant, ac in victu, & vestitu, sicut alias personas suarum Ecclesiarum, monasteriorum, Prioratuum, Domorum, & locorum sincera charitate pertractent. Illa dumtaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes purè, & spontè, & plena libertate, omnique pactione cessante, dare, vel offerre Ecclesiis, monasteriis, Prioratibus, Domibus, & locis huiusmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi.*

Ex quibus verbis colligitur ad incurrendam istam excommunicationem opus esse, vt adsit præsumptio. Nam in textu bis repetitur hoc verbum, *qui præsumunt*; præterea opus esse, vt datio, vel receptio fiat ex pacto pro ingressu in religionem.

Hinc sequitur primò excommunicationem non incurri, quoties aliquid spontè, & liberaliter, seu sine pactione tacita, vel expressa traditur.

3 Pecuniã tradens, vt in religionem admittatur, excommunicationẽ incurrit, etiamsi mentem suam recipienti non aperiat.

3 Idem arbitror dicendum de eo, qui pecuniam tradit hoc animo, vt admittatur in religionem, sed mentem suam recipienti non aperit. Quamuis enim traditio illius pecuniæ simoniaca sit, vtpotè procedens ab actu voluntatis interno simoniaco, consequenter puniri potuerit censura excommunicationis: nihilominus Summus Pontifex de facto huiusmodi actum non puniuit; sed solùm sub excommunicatione interdixit dationem, vel receptionem ex pacto.

Dices, Summus Pontifex excommunicatione punit omnem dationem, quæ non fit purè, spontè, & plena liberalitate, ibi; *Illa dumtaxat, quæ personæ ipsæ ingrediẽtes pure, sponte, & plena liberalitate, omnique pactione cessante, dare, vel offerre, &c. cum gratiarum actione licite recepturi, &c.* Sed actio, qua quis dat aliquid animo ingrediendi religionem, non fit purè, spontè, & plenè liberaliter, nec alter licitè accipit; ergo excommunicatione punitur.

Respondeo, actum illum externum esse purum, spontaneum, & liberalem, quamuis habita ratione actus interni, & mentalis inficiatur labe simoniaca. Quoties autem punitur actus externus malus, non censetur is puniri, qui solùm est malus per habitudinem, & relationem ad actum internum, nisi id exprimatur, vel ex verbis dispositionis ita colligatur; quod non accidit in nostro casu, in quo Summus Pontifex mentionem facit pactionis, ibi; *cessante omni pactione*; consequenter ille actus externus, qui cum pactione coniunctus non est, censetur purus, spontaneus, & liberalis; consequenter non est materia istius excommunicationis, etiamsi Summus Pontifex potuisset illum sub excommunicatione prohibere, vtpotè infectum culpa simoniæ, quam actus externus ab interno contrahit, vt bene ratiocinatur Suarez *de censuris disp. 22. sect. 5. n. 9.* Alterius *tom. 2. disp. 18. c. 2. col. 13. in resp. ad primam dubit.* & alij.

Secundò sequitur, illum, qui pecuniam tradit, vel accipit, vt obtineat, vel ferat votum, & suffragium pro ingressu in religionem, subiici excommunicationi, quia in Extrauaganti vetita est datio, & acceptio, tam directa, quàm indirecta, quouis modo pro ingressu in religionem. Et hoc verum est, siue detur, vel recipiatur pecunia, siue pastus, prandia, cœnæ, iocalia, aut aliæ res, siue detur in vtilitatem superioris, vel alterius religiosi, siue ad vsum monasterij, Ecclesiæ, siue in alium quemlibet pium vsum; hoc enim expressè decernitur in præfata Extrauaganti.

4 Simonia non committitur dum aliquid traditur, vel recipitur pro sustentatione ingredientis religionẽ, licet multi Doctores oppositum sentiant.

4 Sed modò dubium est, vtrùm dans, vel recipiens aliquid pro sustentatione ingredientis, incidat in istam excommunicationem.

Respondeo duplicem esse Doctorum sententiam.

Prima est S. Thomæ *2. 2. quæst. 100. art. 3. ad 4.* Caietani *ibidem, & in Summa ca. 73.* Nauar. *in manuali c. 27. n. 106. excommun. 20.* Suarez *disp. 22. sect. 5. n. 9. & seq.* Alterij *loco cit. col. 11. vers. Quare videtur*, Toleti *lib. 1. vers. 8. n. 11.* Filliucij *tr. 15. c. 4. quæs. 6. n. 64. & seq.* & aliorum ferè communiter, distinguentium hoc pacto, vel monasterium est inops, & pauper, vel non est pauper, & inops.

Si monasterium est inops, ita vt commodè ipsum sustentare nequeat, nisi aliquid pro sustentatione adducat, non est illicitum dare, vel recipere ex pacto pro sustentatione. Ratio est, tum quia hoc est ius naturale, tum quia non est simonia, quoties temporale datur, vel recipitur pro temporali, sed dum temporale pro spirituali. Hic autem datur temporale pro temporali.

Si verò monasterium diues est, non potest quicquam licitè dari, vel accipi, & dando, vel accipiendo censura incurritur. Ratio est, quia bona religiosorum subiiciuntur dispositioni Summi Pontificis; Summus autem Pontifex disposuit, vt ipsorum bona liberaliter, & gratis insumantur in alendis religiosis. *cap. quàm pio. 1. quæst. 2. & cap. quoniam, de Simonia.* consequenter abstulit religiosis omne ius petendi aliquid ab ingredientibus, quoties videlicet facultates monasterij supperunt ad alendos religiosos: ob id excommunicationem iniungere potuit accipientibus aliquid pro ingressu.

Secunda sententia, quæ mihi probabilior videtur, est Soti, Syluestri, Mirandæ, [Suarez, Pauli Layman,] & aliorum, *locis* statim *citandis*, asserentium istam excommunicationem non incurri dando, vel recipiendo aliquid pro sustentatione ingredientis, etiamsi monasterium diues sit & locuples. Ratio est primò, quia quoties datur, vel accipitur temporale pro temporali, non committitur simonia; sed in hoc casu accipitur temporale pro temporali, cùm accipiatur pecunia, vel res alia pretio æstimabilis pro sustentatione religiosi, quæ pretio æstimabilis est: ergo non committitur simonia; sed hæc ratio militat, tam in monasterio diuite, quàm in paupere, cũ in vtroque idem pro eodem petatur. Ergo sicut monasterium inops non committit simoniam recipiendo aliquid pro sustentatione ingredientis; ita neque illam committit monasterium diues, & locuples; consequenter neque incurrit excommunicationem, quæ in ista Extrauaganti posita est contra simoniacos in ingressu monasterij, vt constabit ex quarta ratione. Secundò, quia monasterium, siue diues sit, siue inops, non tenetur hunc recipere, & in ipsius sustentationem bona sua insumere. Ergo nullam censuram incurrit recipiendo sustentationem in ipsius ingressu. Tertiò, quia sicut vir diues, licet non possit pecuniam pro Sacramento matrimonij exigere, eam tamen licitè potest recipere ad sustinenda matrimonij onera. *l. pro oneribus, C. de iur. dot.* Ita monasterium, & Conuentus, licet nequeat pecuniam pro ingressu in religionem accipere, potest tamen recipere pro sustentatione ingredientis, siue monasterium sit diues, & locuples, siue pauper, & inops. Quartò, quia vt censura istius Extrauagantis incurratur, accipi, vel tradi debet aliquid simoniacè: nam ista excommunicatio fertur contra dantes, vel recipientes temporale in receptione personarum ingredientium, quod est vitium simoniæ. Nam in eo textu dicitur, *in earumdem personarum receptionem*, id est, in pretiũ receptionis; idem enim est pro receptione, & in receptionem, sicut ex opposito, aliud est in receptione, aliud in receptionem, seu in pretium receptionis. Confirmatur ex titulo istius Extrauagantis, qui inscribitur *de Simonia*; dans autem, vel recipiens temporale pro sustentatione ingredientis, non committit simoniam, vt patet ex prima ratione; ergo non incurrit istam excommunicationem. Ita Sotus *lib. 9. de iustitia, quæst. 6. art. 2. ad 4.* Syluester *verbo simonia nu. 15.* Miranda *in manuali Prælatorum in tract. de Monialibus q. 8. art. 7. concl. 2.* [Paulus Layman *lib. 4. tract. 10. c. 8. n. 70.*] & alij; quorum opinionem probabilem putat Suarez *n. 12.* & Filliucius *loc. cit. n. 84.*

Ad rationem primæ sententiæ, respondeo, bona religiosorum esse Ecclesiastica, & illorum dispositionem ad Summum Pontificem maximè pertinere. Hinc tamen non colligitur, acceptantem pecuniam pro sustentatione ingredientis religionem, affici excommunicatione, quia excommunicatio lata est contra dantes, vel recipientes aliquid pro ingressu, seu in receptionem alicuius in religionem, non verò pro sustentatione.

Neque obstant textus allati, quia in ipsis non fertur censura, nec in ipsis damnatur, aliquid accipere pro sustentatione. Imò *in c. quàm pio*, excipitur casus, dum accipitur aliquid subsidij gratia; *in cap.* verò *quoniam*, prohibetur solum simoniaca labes, quæ committitur accipiendo aliquid pro ingressu, etiamsi prætextu paupertatis accipiatur, vt patet ex ipso textu, perspicuum enim est simoniam committi accipiendo aliquid pro ingressu religionis, quouis prætextu ista acceptatio tegatur.

5 Religionum superiores non possunt aliquem ad religionem admittere, quoties ex consuetis eleemosynis commodè non potest illã sustentare.

Hæc tamen secunda sententia limitanda est primò, modò non adsit excessus, id est, modò non accipiatur aliquid superans, & excedens onus sustentationis. Hoc enim nullo alio titulo accipi videretur, quàm pro ingressu; consequenter esset simonia, quæ in præfata Extrauaganti punitur pœna excommunicationis; sicut enim mutuans, qui non potest aliquid pro mutuo accipere, (nisi fortè ratione lucri cessantis, vel damni emergentis) si plus accipiat, quam ferat ratio lucri cessantis, vel damni emergentis, committit vsuram, ita cum proportione in nostro casu contingit: ita sentire debent omnes Doctores relati pro prima sententia.

Secundò intelligenda est, præciso scandalo, alioue peccato; nam si monasterium locuples renuat virum pauperem, bonæ tamen indolis,

dolis,& doctrinæ,hoc titulo recipere,quòd non afferat,quæ necessaria sunt ad congruam sui sustentationem, facili negotio scandali ansam præbebit,& illicitè videbitur eum impedire, qui alioquin in religione valdè proficeret,& religioni non mediocriter prodesset. Verum tamen est ob huiusmodi scandali peccatum, censuram istius extrauagantis non incurri,quia excommunicatio imposita est ob simoniacam dationem,vel receptionem in ingressu religionis;non autem propter suspicionem auaritiæ,aut propter peccatum charitati,vel alteri virtuti contrarium.Imò Sotus,& Miranda *locis cit.*addunt, vix à peccato simoniæ excusari Moniales,quoties pecuniã recipiunt, non pro Monialis sustentatione; sed quia non est tam claro sanguine nata,aut quia est aliqua labe infamiæ,vel aliqua deformitate,alioue defectu notata; & ex opposito aliam nobilem, vel formosam,aut in arte musica peritam admittunt,vt suam amplitudinem,& magnificentiam clariorem reddant,& pecuniam inde acquirant.Ego verò in his casibus simoniæ labem facilè non agnosco,quia non traditur, vel accipitur temporale tãquam pretium spiritualis; sed conditio illa temporalis vim habet causæ allicientis,& attrahentis ad recipiendum vnum potius,quàm alium, vt clarius constat ex supradictis de simonia, quæ occasione ingressus in religionem committitur.

Ex dictis in hac difficultate,præsertim iuxta secũdam sententiam, sequitur primò istam excommunicationem non incurri, accipiendo aliquid pro sustentatione ab ingressuro religionem, quoties numerus religiosorum consuetus iam expletus est, seu quoties monasterium commodè non potest plures alere,aut quoties alij,qui religionem expetunt,nequeunt quicquã in sustentationem afferre,vel quoties monasterio conducit,& expedit bona monasterij multiplicari,vt plures postmodum recipiantur,& religiosorũ numerus cum sustentatione congrua augeatur. Ita Suarez, Alterius, & Filliucius *locis cit.*

Obiicies,*in cap. vnico,§. sanè,de statu regular. in 6. & in Tridentino sess.25.cap.3.de reformat.regular.* statuitur, vt is tantùm religiosorum virorum,vel mulierum numerus in monasteriis constituatur,qui ex redditibus propriis monasteriorum,vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari: ergo non videtur quisquam recipi posse, etiam tradita pecunia pro sustentatione, dum impletus est religiosorum,vel religiosarum numerus.

Respondeo hinc potiùs argumentum sumi debere pro nostra sententia, cùm enim nos, seu pecunia, quæ pro sustentatione traditur, inter monasterij bona computetur, sequitur non excedi numerum eorum,qui ex eleemosynis consuetis, & ex redditibus monasterij ali possunt,dum aliquis recipitur in religionem,& in pactum deducitur, vt congruam dotem pro sustentatione afferat; mens autem Concilij læderetur,si ad religionem absque sustentatione admitteretur. Vide Suarez *n.*15.Alterium *loc.cit.*& Mirandam *de Monialibus quæst.*8. *art.* 6.Nauar.*de redditibus quæst.*1.*monit.*62.

6 Moniales nolentes aliquã in monasterium admittere, nisi congruam dotem afferat, non ligantur excommunicatione.

6 Secundò sequitur,Moniales, quæ nolunt vllam in monasterium admittere,nisi congruã dotem afferat, non affici pœna istius excommunicationis,vt patet, tum ex rationibus à me allatis pro secunda sententia; tum ob consuetudinem legitimo tempore receptam, & tòleratam post istam Extrauagantem,tum quia multi Pontifices exemerunt ab hac censura Moniales accipientes dotem ob ingressum alicuius in monasterium. Nam Innocentius VIII. priuilegium concessit Monialibus non incurrendi labem simoniæ (intellige quoad prohibitionem Ecclesiasticam) in receptione aliarum in monasterium,excepto duplici casu,quorum vnus est si pactum ineant de aliquid dando,vel soluendo pro ingressu in religionem; alter si recipiãt inhabilem ob spem habendi aliquid; tunc enim sufficienter constat inhabilem non recipi,nisi ob spem habendi aliquid pro ingressu;præterea ad tollendos scrupulos simoniæ, quibus Moniales vexabantur in recipiendis feminis in monasterium, Clemens VII. indulsit Monialibus, vt reæ non sint labis simoniæ, dum conuentiones faciunt circa dotem recipiendarum pro congruenti, & sufficienti sustentatione.Hæc priuilegia referuntur à Capucino *in compendio priuilegiorum,vers. Moniales,num.*16.*&n.*31.*pag.mihi* 418. & a Ludouico Miranda *in tract.de Monialibus quæst.*8.*art.*7.*concl.*1.Imò Lessius *lib.* 2.*c.* 35.*dub.*13.*n.*131.Nauarr.Suarez,Alterius, Reginaldus, Filliucius, & alij enumerant etiam alia priuilegia.

Existimo tamen Moniales exigentes aliquid vltra congruam sustentationem,non excusari ab hac censura, nisi aliud ferat consuetudo,aut nisi liberaliter tradatur,& non ex pacto, vt bene Rodriquez *quæst.regular.tom.*2.*quæst.*48.*art.*6.Reginaldus,& alij. Ratio est, tum quia tam ista Extrauagans, quàm alia præcitata iura loquuntur de religiosis vtriusque sexus, tum quia Clemens VII. indulsit Monialibus,vt simoniæ labem non incurrant recipiẽdo dotem pro congrua, & sufficienti recipiendarum sustentatione,vt patet ex verbis priuilegij ab eo concessi: ergo reatum simoniæ contrahunt recipiendo aliquid vltra congruam sustentationem; inclusio enim vnius est exclusio alterius. *l.cùm prætor.ff.de iudic.l.cũ mariti.C.de procur. & l. quamuis.C.de pignor.*Excusarem tamen Moniales ab hac censura,dum exigunt pastus,& prandia,quæ tradi consueuerunt, non pro ipsa professione,sed pro sustentatione ingredientis,& aliarum Monialium, & pro solemnitate,& festiuitate professionis. Hæc enim videntur permissa ex consuetudine, nec accipiuntur pro re spirituali. Ita Suarez *n.*15.& alij communiter. Imò Lessius *lib.*2.*cap.*35.*dub.*23.*n.*131. putat istam Extrauagantem simpliciter receptam non esse;sed hoc ego non approbo,consuetudo tamen locorum attendenda est.

Obiicies,Concil Trid.*sess.*23.*ca.*16.*de reform. sub fin.* prohibet sub anathematis pœna,ne ante professionem, excepto victu, & vestitu nouitij,vel nouitię illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu à parẽtibus, vel propinquis,aut curatoribus eius, monasterio aliquid ex bonis eiusdẽ tribuatur:ergo non excusantur Moniales,quæ aliquid accipiunt, quouis titulo, & prætextu accipiant.

Respondeo primò, Concilium non ferre excommunicationem ipso facto,sed comminatoriam,ibi,*Præcipit sancta Synodus sub anathematis pœna dantibus,& recipientibus,ne hoc vllo modo fiat.*

Respondeo secundò,Concilium prohibere aliquid à præfatis personis tradi,ne nouitius,vel nouitia hac occasione discedere nequeat, eo quòd totam, vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat,nec facilè, si discesserit, id recuperare possit, vt idemmet Concilij loquitur. Nos verò loquimur de iis, quæ traduntur in ipso ingressu,vel pro sustentatione iure naturæ debita, vel etiam pro solemnitate professionis,iuxta receptam Monialiũ praxim à legitimo superiore non reprobatam,vt bene Suarez, Alterius, & Filliucius *locis citatis.*

7 Monasterio an licitum sit mutuam pecuniam, depositũ, vel commodatum recipere à parentibus,vel curatoribus puellæ.

7 Hac occasione rogabis,vtrùm licitum sit parentibus,vel curatoribus puellæ mutuam pecuniam, vel depositum, vel commodatum monasterio dare.Ratio dubitandi est pro parte negatiua,quia in præfato Concilij textu cauetur,ne quicquam detur, quocumque prætextu,excepto victu,& vestitu nouitiæ,vel nouitij.

Respondeo, hoc in præfato Concilio non prohiberi; nam interpretatio legis sæpe sumitur ex fine legis,& iuxta illum restringi,& limitari debet,cùm lex à voluntate legislatoris robur,& vires accipiat. Finis autem Concilij est,vt aliquid nõ tradatur monasterio,ante professionem, ne postea nouitia, vel nouitius cogatur in monasterio persistere,eo quòd facilè nequeat rem suam à monasterio repetere, & recuperare; quod non accidit in hoc casu, saltem dum cautio debita præstatur,vt suppono.Ita Rodriquez *quæst.regul.tom.*2.*q.*48.*art.* 5.Miranda *in tract.de Monialib.q.*8.*art.*9.*concl.vnica.*

8 Abbatissa quæ certam pecuniæ quantitatẽ paciscitur, donec dos Conuentui promissa tradatur, an simoniam cõmittat.

8 Tertiò ex dictis in proposita difficultate sequitur, Abbatissam, quæ certam pecuniæ quantitatem paciscitur, vel recipit, donec dos conuentui promissa pro nouitia ingrediente soluatur, excusari posse, si hanc pecuniam accipiat ratione damni emergentis, quod interim monasterium patitur ob dotem non solutam, vt si censum redimere non possit ob dotem non solutam: hoc enim non est peccatum simoniæ,sed potiùs vsuræ,quoties non seruantur debitæ conditiones, accipiendo aliquid supra sortem in contractu mutui formalis, aut virtualis.Ita in terminis Rodriquez *loco cit.art.*7.Miranda *loco cit.art.*10. Idem proportionaliter dici posse videtur,si exigat aliquid ratione lucri cessantis,quoties dos non statim insumenda erat; sed illâ emendum erat aliquid frugiferum. Quamquam in hac re magna circumspectione opus est ad vitandum scandalum,& vsuræ periculum.

SECVNDA PROPOSITIO.

9 Explicatur subiectum istius excommunicationis.

9 SVbiectum excommunicationis impositæ in hac Extrauaganti sunt omnes singulares personæ,quæ aliquid dant, vel accipiunt pro ingressu in religionem,siue sint viri,siue feminæ. Collegium verò,vel Conuentus incurrit pœnam suspensionis. Hæc propositio patet ex illis verbis: *Nos enim,qui secus egerint, si sint singulares personæ, tam dantes,quàm accipientes,huiusmodi excommunicationis, si Capitulum, vel Conuentus fuerit, suspensionis sententiis eo ipso decernimus subiacere,à quibus,præterquam in mortis articulo,absolui nequeant.*

10 Suspensio lata cõtra Collegium, vel Conuentũ ob simoniacam receptionem alterius in religionẽ, quem effectum pariat.

10 Sed modò dubium est primò,quem effectum pariat ista suspensio. Respondere aliquis fortè posset, suspendere à receptione in religionem,quia par est vt quis in eo suspendatur,in quo deliquit.

Ego verò hanc responsionem non approbo,quia verba textus generalia sunt; consequenter dico huiusmodi suspensionem suspendere ab officio, & beneficio; suspensio enim absolutè prolata, est suspensio totalis. Ita Nauar. Sayrus, & alij, quos retuli in explicatione suspensionum in particulari contra Conuentus, & Capitula. Probabilis tamen est opinio Alterij *tom.*2.*disp.*17.*cap.*2.*ad finem*, Suarez *to.* 1.*de relig.lib.*4.*de simonia,cap.*56.*num.*8.& Filliucij *de Simonia*, *cap.*13. *num.*12.existimantium Capitulum suspendi ab omni actu,seu officio capitulari, & communi,quod iurisdictionem, vel administrationem Ecclesiasticam requirit. Ratio est,quia Capitulum in communi non est capax alterius suspensionis, & tota illa iurisdictio comprehenditur sub absoluta sententia suspensionis.

11 Simonia committitur non solũ dum aliquid traditur,vel recipitur tẽpore professionis, verum etiã in ipso ingressu,& receptione ad habitũ, quamquã in hoc secundo casu non incurritur censura.

11 Secundò dubium est,vtrùm censuram incurrant non solùm,qui dant vel recipiunt aliquid tempore professionis, verùm etiam qui dant,vel recipiunt in ipso ingressu,& receptione ad habitum.

Respondeo committere quidem simoniæ culpam, quia susceptio habitus ordinatur ad professionem; nihilominus probabile est censuram non incurrere,donec professio emittatur. Ratio est, quia censura non incurritur, nisi adsit effectus completus sub censura prohibitus; effectus autem sub censura prohibitus,tunc solùm adest,dum adest traditio rei temporalis,& spiritualis; nempe professio, seu admissio ad professionem. Summus enim Pontifex prohibet aliquid dari,vel accipi in receptionem. Ergo quamdiu receptio, id est,proprofessio, non emittitur,censura non incurritur.Ita Suarez *loco statim citando*, contra Filliucium *n.*11.*ad finem.*

12 Religionem ingrediens Simoniam quidem committit, sed excommunicationem non incurrit, dum aliquid ex pacto petit, vel accipit à monasterio,vt ingrediatur.

Ex quo sequitur excommunicationem non incurri, si receptio ad habitum fuit simoniaca; sed professio postea gratis admittitur, quia scilicet factũ retractatur,& pecunia non recipitur,vel redditur; sicut ex opposito, si receptio ad habitum gratis facta fuit, sed postea tempore professionis aliquid exigitur,excommunicatio incurritur, quia tunc adest effectus completus sub censura prohibitus,vt bene Suarez *tom.*1.*de relig.lib.*4.*de Simonia,c.*56.*n.*7.& Reginaldus *lib.* 23.*nu.* 173. Filliucius *de simonia tract.*45.*c.*13.*quæs.*4.*n.*11.[Paulus Layman *lib.* 4. *Theologiæ moralis tract.*10.*c.*8.*n.*70.]

13 Simoniacè professus per sententiã expellendus est,& in arctius monasterium coniiciendus.)

12 Tertiò dubium est,vtrum censura istius Extrauagantis incurratur quando ingrediens aliquid ex pacto petit, vel recipit à monasterio, vt ingrediatur.

Respondeo negatiuè. Quamuis enim simonia committatur,nihilominus censura non incurritur, quia Extrauagans imponit excommunicationem solum, dum pecunia exigitur a volentibus ingredi; non autem dum traditur ingredienti, seu volenti ingredi, vel alteri, qui curet ipsum ingredi.Ita colligo ex illis verbis,*Districtiùs inhibemus,ne tam à maribus,quàm à mulieribus volentibus ingredi earum religionem*,&c.Ita Suarez *loco citato,n.*2.& Filliucius *loco cit.*

[13 Quartò dubium est,quid agendum sit cum professo simoniacè.

Respondeo per sententiam expellendum esse, & in arctius monasterium coniiciendum ad agendam pœnitentiam. *cap.*1. *de regularib.* nisi

nisi necessitas monasterij exigat, vt in illo monasterio persistat. *cap. quoniam.de simonia.*Ita Suarez *c.61.n.7.*[Layman *n.70.*]

§. V.

De excommunicatione, quæ contrahitur publicando, vel concedendo ob quæstum Indulgentiam, aut facultatem absoluendi.

1 Refertur textus in quo ista excommunicatio cõtinetur.

1 PRaua quædam consuetudo,& corruptela in Hispaniis inualuerat,qua prætextu reparationum Ecclesiarum , & aliarũ piarum causarum, soluentibus certam pecuniæ summam concedebatur Indulgentia,& facultas eligendi Confessarium , qui eum à casibus reseruatis absolueret ; præterea concedebatur licentia sumendi duos, vel plures compatres in Baptismo. Denique priuilegium Missæ, & sepulturæ tempore interdicti concedebatur.Ne autem istæ simoniacæ facultates in futurum à quoquam concedantur , Pius V. *in Bulla* 99.quæ incipit, *Quàm plenum*, censuram excommunicationis aliquibus,& aliquibus suspensionem contra delinquentes imposuit , vt patebit ex dicẽdis in duabus proximè sequentibus propositionibus, in quarum prima explicabo materiam istius censuræ; in secunda subiectum.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Assignatur materia istius excommunicationis.

2 MAteria istius censuræ,est sacrilegium,quod committitur publicando,vel concedendo Indulgentias , vel facultatem circa reseruatos casus soluentibus certam pecuniæ summam , nam in textu dicitur, *& ne talia de cetero à quoquam fiant, publicentur , vel concedantur,districtius prohibemus, quicumque secus egerint,* &c.

3 Casuum nomine quid intelligatur.

3 Sed modò dubium est primò, vtrùm nomine casuum non solum intelligantur casus simplices , verùm etiam habentes adnexam censuram.

Ratio dubitandi pro parte negatiua est,tum quia casus reseruatus distinguitur à censuris , vt alibi docui ; tum quia in materia pœnali non est facienda extensio ; consequenter non valet argumentum à casu ad censuras.

His non obstantibus,respondeo nomine casuum hoc in loco intelligi etiam eos,quibus censura annexa est. Ratio est, quia Summus Pontifex loquitur non solum de casibus Episcopo reseruatis , verùm etiam de reseruatis Summo Pontifici,ibi,*non in eis tantum casibus, in quibus simplex Sacerdos absoluere potest,sed etiam in eis,quæ solis Episcopis reseruata reperiuntur,aliquo præterea casu admixto , veluti simoniæ reatu,qui ad examen huius Sanctæ Sedis esset referendus.*Sed casus referendus,seu spectans ad Sanctam Sedem non solet, regulariter loquendo, reseruari, nisi ratione excommunicationis , vel alterius censuræ , vt alibi docui.ergo,&c.

4 Simoniaca publicatio, vel concessio alicuius facultatis non inducit pœnam censuræ, exceptis Indulgentiis & facultatibus absoluẽdi.

4 Secundò dubium est,vtrùm publicatio,vel concessio alterius facultatis simoniacè facta,puniatur pœna suspensionis, vel excommunicationis.

Respondeo negatiuè. Ratio est , quia censura non excedit terminos expressos,& in præfata Bulla dicitur, *& ne talia de cetero à quoquam fiant* ; vbi notanda est illa particula , *talia*, quæ non significat similitudinem , sed est repetitiua certæ, & determinatæ qualitatis. Rota Romana apud Seraphinum *decis.*822.*num.*2.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Enumerantur personæ, quæ huic suspensioni, aut excommunicationi subiiciũtur.

5 EPiscopi , aliique Præsules , seu Antistites , etiamsi Cardinalatus dignitate præditi sint,si præfata faciant , incidunt in suspensionem ab ingressu Ecclesiæ , & à perceptione fructuum , reseruatam Summo Pontifici,à qua absolui nequeunt,nisi præstita satisfactione. Alij verò inferiores Episcopis incurrunt excommunicationem eidem Summo Pontifici reseruatam. Hæc propositio clarè constat ex ipsa Bulla §.2.*vers.quicumque.*

6 Indulgẽtias publicans , vel concedens ob quæstũ, censuram incurrit,siue id per se faciat, siue per alium.

6 Sed modò dubium est primò , vtrùm Prælati his pœnis puniantur,non solum si per seipsos publicent huiusmodi Indulgentias,& facultates,verùm etiam si per alios.

Respondeo affirmatiuè, quia in Bulla sermo etiam est de iubentibus,seu mandantibus,ibi, *appendi iusserunt.* Et licet in illis verbis non imponatur censura , imponitur tamen in subsequentibus , quæ ad præcedentia relationem habent.

7 Ad istã excommunicationẽ incurrendam requiritur effectus publicationis.

7 Secundò dubium est, vtrùm Episcopus, aut alius, qui mandauit huiusmodi facultates, vel Indulgentias publicari, sed re ipsa publicatæ non fuerunt,seu concessæ,afficiatur hac censura.

Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est,quia censura fertur,tam in agentes,quàm in attentantes,ibi ; *Quicumque secus egerint , seu attentauerint* ; ergo non requiritur opus completum,& perfectum, sed sufficit attentatum.

His non obstantibus,respondeo præfatum Episcopum , vel alium non affici censura, nisi re ipsa publicauerit aliquid soluentibus indulgentias,& facultates prædictas.Ratio est,quia excommunicatio non incurritur,nisi adsit opus perfectum,& completum sub censura prohibitum.

Ad rationem dubitandi , respondeo illud verbum , *attentauerint*, adhiberi non ad excludendam actualem publicationem , seu concessionem ; sed ad indicandum censuram incurri facta huiusmodi publicatione , vel concessione. Cùm enim huiusmodi concessio irrita sit,non potest dici validè concessa ; sed attentata, vt perspicuè colligitur ex verbis Bullæ subsequentibus,ibi ; *decernimus etiam irritum, & inane quidquid secus per quoscumque quauis auctoritate scienter , vel ignoranter contigerit attentari.*

8 Publicationi,vel concessioni Indulgentiarum ob quæstũ cooperantes non subiiciuntur excommunicationi.

8 Tertiò dubium est,vtrùm ministri Prælatorum,aut alij ad huiusmodi publicationem , vel concessionem cooperantes huic excommunicationi subiiciantur.

Respondeo negatiuè,quia Bulla de his non loquitur , & in materia pœnali non valet argumentari à pari,vel à maiore ad minus,vel è contra. Occasione eorũ,quæ in hoc puncto diximus , aduertendum est ad tollendos prauos eleemosynarum quæstorum abusus, nonnulla in Concilio Tridentino *sess.*21.*c.vlt.*sancita fuisse.

Primò,vt Indulgentiæ, & aliæ spirituales gratiæ debito tempore publicentur per ordinarios locorum,adhibitis duobus de Capitulo, quibus datur facultas fideliter colligendi eleemosynas , nulla prorsus mercede accepta.

9 Indulgẽtias de nouo concessas religiosus publicãre non potest in sua Ecclesia absque licentia ordinarij.

9 Secundò licet ob hoc decretum nequeant ordinarij locorum prohibere,quominus religiosi,inconsultis ipsis ordinariis, publicent Indulgentias, olim sibi à Summo Pontifice concessas : nihilominus nullus etiam Religiosus exemptus potest Indulgentias de nouo concessas publicare in sua Ecclesia , absque ordinarij licentia : sic enim per sacram Cardinalium Congregationem,quæ interpretationi Concilij præest,declaratum fuisse nonnulli Doctores testantur *in sess.* 21. *c.9.citato, & sess.22.cap.5.*

Tertiò in præfato Concilij decreto prohibentur quidem praui eleemosynarum quæstores. Imò vsus , & nomen ipsorum aboleri præcipitur; non tamen prohibentur collectores eleemosynarum,qui eas in pios vsus conuertunt,seruatis quibusdam conditionibus.

10 Eleemosynis colligendis deputati quænã seruare debeant,seu quænam ordinarij locorum in ipsis requirere debeant.

10 Rogabis , quas conditiones ordinarij locorum requirere , vel præscribere debeant iis , quibus colligendi eleemosynas facultatem præbent.

Respondeo istas recenseri à Zerola *in praxi 1. parte verbo quæstores,* ab Augustino Barbosa *in remissionibus ad Concilium sess.*21.*cap.*9.à Petro Marzila *ibidem,* & ab aliis (quamquam istis Doctoribus fortè vidĕbitur alicui non magnam fidem præstandam esse , cùm ipsorum libri circa Concilium , & declarationes Cardinalium , prohibiti fuerint.)

Prima conditio est, vt sint honestæ vitæ , & bonæ existimationis.

Secunda, vt non sint participes ipsarum eleemosynarum.

Tertia, vt quæstorum nomen non gerant , sed Collectores eleemosynarum vocentur.

Quarta, vt non publicent Indulgentias , nec circumferant sua priuilegia,aut reliquias.

Quinta,ne eleemosynas minis,aut imprecationibus extorqueant.

Sexta,ne campanas,aliaque instrumẽta, vel simila quædam quæstorum insignia ferant.

Septima, vt non petant eleemosynam tamquam debitam , aut dari solitam.

Octaua, vt non extorqueant eleemosynam arte,aut specie dicendi orationes,aut alio peruerso more ; sed simpliciter , & modestè eleemosynam petant,eamque in loci pij vtilitatem conuertant.

§ VI.

De suspensione contra suscipientes Ordines simoniacè.

NOn solùm excommunicatio, verùm etiam suspensio contrahitur ob simoniam, tam ab eo, qui ordines simoniacè confert, quàm ab eo , qui ordines per simoniam suscipit. In hoc puncto non agimus de suspensione , quam contrahit is , qui ordinem simoniacè confert ; sed de illa quam contrahit recipiens ordines cum labe simoniæ,omissa pœna excommunicationis,de qua fusiùs egi §.2. Hic ergo explicabo primò,quænam sit materia istius suspensionis. Secundò,quòdnam sit eius subiectum. Tertiò , quem effectum pariat ista suspẽsio. Quartò, quãdiu duret. Quintò, quis ab ea valeat absoluere.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Assignatur materia istius suspensionis.

1 MAteria istius suspensionis est susceptio Ordinum cum vitio simoniæ commisso ab ipso susceptore Ordinũ , vel illi quoad culpam imputato. Hæc propositio patet , tum ex Extrauag. 2. Pauli II.*de Simonia*,ibi,*Omnes illi,qui simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint ordinum executione suspensi.* Tum ex Bulla Sixti V. contra malè promotos,quæ incipit,*Sanctum,& salutare*,ibi, *Clericos post hoc malè promotos ab executione,ministerio & exercitio ordinum , vt & ab omni spe, & facultate ascendendi ad alios superiores , perpetuò suspensos declaramus.*

Obiicies; Clemens VIII. abstulit præfatam Sixti constitutionem, illamque ad terminos iuris communis redegit. Ergo recipiens ordines per simoniam non afficitur pœnis illius Bullæ.

Respondeo Clementem VIII.moderatum fuisse præfatam constitutionem quoad reliqua in ea Bulla contenta, quoad vitium verò simoniæ illam in suo robore,& validitate reliquisse,vt bene obseruant Lessius,& Suarez *locis proximè citandis.* Sayrus *lib.*4.*cap.*14.*num.*6. & alij communiter.

2 Ordinatus per simoniam ab alio cõmissam ipso inscio, suspensionem non incurrit.

2 Sed modò dubium est primò , vtrùm ista suspensio incurratur, etiamsi vitium simoniæ cõmittatur à tertia persona , inscio ipso ordinando, vt si tertius tradidit pecuniam Episcopo, inscio ordinando.

Respondeo negatiuè , quia hoc est proprium censuræ in pœnam delicti impositæ, vt non incurratur, nisi ob culpam , hic autem caret culpa,vt suppono. Ita Nauar.*cap.*25.*num.*68. Suarez *lib.* 4. *de simonia cap.*56.*num.*9.*& de Censuris disput.*31.*sect.*1.*& sect.*4. *num.* 40. Sayrus *loco citato.* Cominchus *disp.*15.*nu.*37.Henriquez *lib.*13.*c.*37. *numer.*4. Filliucius *cap.*7.*n.*129.Alterius *tom.*2.*disp.*9.*c.*4.*sub finem*,Lessius *lib.* 2.*cap.*35.*dub.*24.*num.*136.contra S.Thom. 2.2.*quæst.*100.*art. vlt. ad* 3.Arragonium *ibid.concl.*4.Felinum *in cap.per tuas, de simonia.* Sylueſtrum *verbo suspensio.num.*7.Auilam 3.*part.disput.*5.*dub.* 9. *concl.* 2. & alios arbitrantes remanere suspensum ab ordine sic suscepto.

3 Ordinatus bona fide per simoniam ab alio cõmissam,nõ ligatur suspensione, etiamsi post ordinationem approbet simoniam ab alio cõmissam.

3 Addo suscipientem simoniacè ordines bona fide non affici suspensione,etiamsi post ordinationẽ ratificet simoniam ab altero commissam ; nam suspensio imposita est ob simoniam in susceptione ordinum ; hic autem in susceptione non commisit simoniam, sed illam approbat post factum , vt suppono. Ita Alterius *loco cit.* Couar. Nauarrus, Henriquez, Suarez , Sayrus, Lessius, & alij, quos retuli §. 2. dum explicarem excommunicationem latam contra simoniacos in susceptione sacrorum ordinum,contra Auilam,& alios *locis cit.*Secus dicendum est,si antequã ordines susciperet , animaduertit simoniam ab altero commissam fuisse occasione ordinis à se suscipiendi ; tunc enim volens recipere ordines , retrahere debet influxum alterius simoniacum, & abstinere tenetur ab ordinis susceptione , quatenus illi

illi causam dedit is, qui Simoniam commisit, alioquin in suspensionis pœnam incidit, quia dicitur ordines simoniacè suscipere, cùm eos suscipiat ob simoniacam alterius actionem, vt suppono.

4 Simonia non induxit suspensionem, nisi sit completa.

4 Secundò dubium est, vtrùm ad incurrendam istam suspensionem opus sit, vt simonia sit completa.

Respondeo affirmatiuè, vt probaui §. 2. *de excommunicatione lata contra simoniacos*, quia cēsura non incurritur, nisi adsit effectus completus sub censura prohibitus.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Assignatur subiectum istius suspensionis.

5 SVbiectum istius suspensionis, sunt omnes cuiuscumque gradus, & conditionis homines, suscipientes ordines simoniacè, etiamsi regali, vel alia quauis Ecclesiastica, vel mundana dignitate præfulgeant; sic enim in præcitata extrauaganti habetur, & constat ex dictis §. 2.

6 Mediator simoniæ non est suspensus.

6 Sed modò dubium est primò, vtrùm mediatores simoniæ suspensi sint.

Respondeo cum Suarez *de censuris disp.31.sect.4.nu.29.* in præfata Extrauaganti non esse latam suspensionem contra mediatores simoniæ, sed excommunicationem Papæ reseruatam. Ex quo patet differentia inter mediatores, & suscipientes Ordines simoniacè; illi enim non sunt suspensi, sed excommunicati, isti verò non solùm sunt excommunicati, verùm etiam suspensi, si communem Doctorum sententiam sequamur.

7 Præsentator ad Ordines per simoniam, suspensionem incurrit.

7 Dixi, *in præfata Extrauaganti*, vt aduerterem, alibi extare suspensionem, non contra quemlibet mediatorem, sed contra præsentatorem ad ordinem, nam *in cap. penult. de Simonia*, lata est suspensio per triennium ab ordinum executione contra præsentatorem ad ordinem per simoniam; probabile tamen est, dispositionem illius textus specialem esse, & non extendi ad alios casus, vt asserit Lessius *lib. 2.cap.25.dub.24.num.124.* contra Suarez, & alios, de qua re agam *q. 2.punct.11. de suspensionibus in particulari.*

Quæres, vtrum sicut simoniacus in ordine suspensionem incurrit, ita eam incurrat simoniacus in beneficio.

Respondeo negatiuè, vt infra probabo *n.12. propositione 5.*

TERTIA PROPOSITIO.

8 Quem effectum pariat ista suspensio.

8 EFfectus quem parit ista suspensio, est suspendere ab exercitio, & executione Ordinum susceptorum, & ab aliis suscipiēdis. Ratio est; tum quia Extrauagans Pauli II. absolutè, & indistinctè loquitur. Tum quia id apertè declarauit Sixtus V. *in sua Bulla*, vt patet ex verbis ipsius supra relatis. Ita communiter Doctores. Licet Lessius *loco citato*, Suarez *de censuris disp.31.sect.4.numer.33.* Filliucius *de Simonia, cap.13.num.12.* probabile existiment remanere tantummodo suspensum ab executione Ordinum, simoniacè susceptorum, vt in eo puniatur, in quo peccauit; sed hoc ego non approbo, vt patet, tum ex allatis rationibus. Tum quia suspensus ab executione ordinis inferioris, suspenditur etiam à susceptione superioris, vt docui *punct. 2. n. 9. de suspensionibus in particulari.*

9 Suspensio lata cōtra simoniacum in ordine, an suspendat etiam à beneficio, & officio.

9 Rogabis, vtrùm ista suspensio non solùm suspendat ab executione, & susceptione Ordinum, verùm etiam à beneficio, & officio.

Respondeo non suspendere ab officio, quia hoc nullo iure probatur, nec Sixtus V. hanc pœnam imposuit, sed solùm adiecit, vt si sic suspensi ministrauerint, fiant irregulares, & priuati beneficiis, quoad sæculares; quoad religiosos verò, vt sint priuati voce actiua, & passiua. Et fiant incapaces ad illa, & ad alia in futurum obtinenda, vt patet ex ipsa Bulla Sixti V. *vers. Nihilominus*, quam de verbo ad verbum, cum moderatione Clementis VIII. refert Sayrus *lib.4.c.17. ad finem.* Ergo signum est huiusmodi suspensionem non suspendere ab officio, & beneficio, alioquin suspensus non posset eligere, aut facere fructus suos, etiam antequam ministret in ordinibus. Ita Suarez, Coninchus, Filliucius, & alij, *locis cit.* Contra nonnullos alios, quos tacito nomine innuit Suarez *loco citato, de Simonia, n.17.*

Obiicies, *in extrauaganti 2. de Simonia* imponuntur ipso facto pœnæ, quæ aliàs erant ferendæ sententiæ, ibi, *quas ipso facto incurrere volumus*; iure autem antiquo prohibita erat simonia sub pœna depositionis, & suspensionis ab omni officio, & beneficio, *cap. 2. de confessis & cap. erga simoniacos 110.1.quæst.1.*

Respondeo istam obiectionem supra solutam fuisse; dum loquerer de excommunicationibus contra simoniacos. Quamobrem hic breuiter dico in hac Extrauaganti non ferri ipso facto pœnas, quæ iure antiquo erant ferendæ sententiæ; sed solùm illas pœnas, quæ contra simoniacos publicos erant ipso iure latæ, extendi etiam ad simoniacos occultos in susceptione Ordinum. Quid autem nomine Ordinum intelligatur, explicatum est supra §.2. dum loquerer de excommunicationibus contra simoniacos in ordine.

QVARTA PROPOSITIO.

10 Suspensio lata contra simoniacos in ordine, perpetua est.

10 SVspensio lata contra simoniacos in ordine perpetua est. Ratio est, quia iura absolutè loquuntur, vt patet ex verbis præfatæ extrauagantis, & Bullæ Sixti V.

Obiicies: Pius V. in Bulla quinta contra ordinatum simoniacè sic decernit, *quicumque detestabile vitium simoniacæ prauitatis conuictus fuerit commisisse in consequendis ordinibus, eo ipso ab illorum executione per decennium sine spe dispensationis sit suspensus, & per annum carceribus mancipetur.* Ergo signum est istam suspensionem non esse perpetuam.

Respondeo Pium V. noluisse in ea Bulla rigorem antiquorū canonum lenire, & mitigare, sed potiùs augere hoc pacto, vt suspensus, postquam condemnatus fuerit de crimine, careat spe dispensationis per decennium, transacto verò decennio, liberum sit Pontifici iure ordinario absoluere. Iure verò antiquo non auferebatur spes obtinendæ dispensationis: consequenter Pontifex iure ordinario dispensationem ante decennium concedebat. Ita Suarez *lib. 4. de simonia ca. 56.num.10.*

QVINTA PROPOSITIO.

11 Episcopus, an absoluere possit à suspensione contracta ob simoniam in ordine.

11 SI ius antiquum spectemus, Episcopus absoluere potest ab hac suspensione. Ratio est, quia licet in extrauaganti secunda absolutio excommunicationis reseruetur Papæ, non tamen reseruatur absolutio istius suspensionis; reseruatio autem asserenda non est, nisi sit expressa.

Dixi, *si ius antiquum spectemus*, quia si inspiciamus constitutionem Sixti V. non potest Episcopus absoluere saltem in delicto publico. Ratio est, quia Sixtus V. reuocat omnes facultates, & concessiones, etiam Cruciatæ, absoluendi huiusmodi simoniacos; præcisa tamen hac Bulla Sixti V. Episcopus absoluere posset etiam ab excommunicatione ob simoniam, in susceptione Ordinum commissam, vt bene Lessius *loco cit.* Sayrus *lib.4.c.17. ad finem*, & alij, præsertim si delictum sit occultum iuxta facultatem Episcopis concessam in Tridentino *sess.24.cap.6.* Ita Henriquez *cap.39.* de excommunicatione, & Suarez *de Simonia c.61.n.11.* asserentes Episcopum posse absoluere ab excommunicatione, & suspensione contracta ob simoniam in casibus occultis, & non deductis ad forum contentiosum, quia Concilium generaliter loquitur. Imò idem Suarez *loco cit.* & Garzias de beneficiis *part.8.c.1.nu.74.* adducunt declarationem Sacræ Congregationis, in qua dicitur Episcopum non posse quidem rehabilitare simoniacum ad beneficia in posterum obtinenda, aut ad ea retinenda, quæ per simoniam occultam obtinuit, posse tamen absoluere suum subditum in simonia occulta, & rehabilitare ad ordines, & beneficia antea obtenta. Sed de hac re infra.

Ampliat Lessius *loco cit.n.136.* etiamsi delictum simoniæ cum ipsomet Episcopo perpetratum fuerit. Ob id enim Episcopus non est priuatus sua potestate, vel ab ea suspensus, donec denuntiatus fuerit excommunicatus. Verùm hæc ratio probat solum posse validè absoluere, non verò licitè. Cùm enim sit excommunicatus ob simoniam in ordine commissam, non potest propria sponte cum aliis communicare, & actus iurisdictionis exercere, vt patet ex regulis generalibus traditis *de censuris in communi.* Obseruat tamen Lessius *n.134. ad finem*, Bullam Sixti V. pluribus in locis ignorari, consequenter vsu receptam non esse. Sed hoc ego non facilè admitto, saltem in Italia: & asserenti legem non fuisse vsu receptam, incumbit onus probandi, lex enim possidet, cùm perspicuè constet latam esse; consequenter in dubio iudicandum est in fauorem legis.

12 Simoniacus in beneficio, an suspensionem incurrat.

12 Quæres vtrùm sicut simoniacus in ordine incurrit suspensionem, ita eam incurrat simoniacus in beneficio.

Respondeo negatiuè, quia censura non incurritur nisi sit in iure expressa. Ita Nauar. *in manuali c.25.num.111. vers.3.* Innocentius, Panorm. & alij, quos citat, & sequitur Suarez *lib.4. de Simon. c.56.nu.16. & de censuris disp.31.sect.4.n.42.* Filliucius *de Simon. tr.45.c.13. quæs.4. n.12.* Auila *3.part.disp.5.dub.9.concl.5.* cōtra Syluestrum *verbo suspensio quæs.7.* Alterium *tom.2.disp.15.c.5.col.3.vers. ad hanc dubitationem.* Henriquez *lib.13.c.37.n.5.* & alios asserentes incurrere suspensionem ab ordine, & beneficio.

Obiicies primò, *in Extrauaganti 2. de simonia* infliguntur ipso facto pœnæ, quæ iure antiquo erant ferendæ sententiæ, sed iure antiquo posita erat suspensio; ergo.

Respondeo solutionem istius difficultatis constare ex dictis *nu.9.* & de excommunicatione lata contra simoniacos in ordine, & beneficio.

13 Simoniacus in beneficio non potest fructus beneficij percipere.

13 Obiicies secundò, simoniacus in beneficio non potest fructus beneficij percipere, & beneficium validè consequi, *Extrauag.2. de simonia.* Ergo suspensus est à beneficio.

Respondeo negando consequentiam, nam in præcitata Extrauaganti non inducitur propriè suspensio, sed irritatio, & priuatio collationis beneficij per simoniam obtenti, consecutio enim beneficij per simoniam inualida est *Extrauag. 2. citata*, consequenter non tribuit ius acquirendi fructus illius; hæc tamen pœna non est suspensio propriè dicta, quia suspensio à beneficio supponit titulum, & proprietatem beneficij, & priuat illius vsu, & vsufructu. Aliud autem est irritatio collationis beneficij, aliud priuatio vsusfructus beneficij, validè obtenti, vt benè Suarez *loco cit. de Simon.n.16.* & de censuris *loco cit.* Auila *loco citato, concl.6.* Henriquez *lib.13.c.37.n.5.*

14 Simoniacus in beneficio, an validè possit aliud beneficiū obtinere.

14 Obserua tamen in Extrauaganti citata sermonē esse tantummodo de beneficiis, quæ simoniacè obtinentur, de quibus *in dicta Extrauaganti* dicitur, *nec inde faciat aliquis fructus suos*; non verò sermo est de aliis antea legitimè obtentis. Propterea probabilius est in aliis non incurri vllam suspensionem, seu priuationem fructuum, vt benè Suarez *locis cit.* contra Sylueſtrum *verbo suspensio num.7.* Abbatem *c. tanta num.5.* Angelum *verb. Simonia, num.6.* Alterium *loco cit. ca.5. ad finem*, & alios, quamquam Clericus simoniacus in ordinibus, vel Sacramentis excommunicandus est. *c. quidquid.1.q.1.*

§. VII.

De suspensione contra conferentes Ordines, vel Tonsuram simoniacè.

CVm simoniæ crimen, præsertim in ordine, valdè pernitiosum sit in Ecclesia, iure meritò Summi Pontifices cōtra patrātes huiusmodi crimen acriter inuehuntur, & sicut excommunicationem, & suspensionem tulerunt contra ipsos promotos, & ordinatos simoniacè, ita easdem pœnas imposuerunt contra conferentes simoniacè primam Tonsuram, & ordines. Quamquam in dubium vertitur, vtrùm contra huiusmodi simoniacos iure antiquo lata esset suspensio. In hoc igitur §. quæremus primò vbinam extet ista suspensio. Secundò quinam eam incurrant, seu quodnam sit illius subiectum. Tertiò quem effectum pariat. Quartò, quis eius absolutionem conferre possit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Ordinatus simoniacè suspensus est.

1 IVre nouo in Bulla Sixti V. quæ incipit, *Sanctum, & salutare*, lata est suspensio contra conferentes simoniacè ordines, vel primam Tonsuram. Et quamuis hæc Bulla reuocata sit in alia Bulla Clementis VIII. anno 1595. pridie Kalendas Martij, & ad terminos iuris communis redacta, quoad alia, quæ in ipsa Bulla continentur, quoad collationem tamen, aut susceptionem ordinum simoniacã, non fuit immutata, ibi, *præterquam contra simoniacè ordinantes, & ordinatos inflictas pœnas volumus in suo robore permanere.* Præter suspensionem imponitur etiam in eadem Bulla interdictum ab ingressu Ecclesiæ contra conferentem ordines, vel primam Tonsuram simoniacè.

Ampliatur ista propositio, siue hoc vitium sit publicum, siue occultum, quia extrauagans absolutè loquitur.

Dixi, *iure nouo*, nam in dubium vertitur, an iure antiquo lata esset suspensio. Probabile tamen est, etiam iure antiquo impositam fuisse suspensionem contra simoniacos, tam occultos, quàm publicos in collatione ordinum, vt colligitur ex *cap.* 45. quod est penultimum de simonia, vbi tam collator, quàm præsentator ad ordinem, extorquens promissionem ab ordinando, qua promittit se non petiturum ab illo prouisionem, suspenditur per triennium, collator quidem suspenditur per triennium à collatione, præsentator suspenditur ab executione ordinum per triennium; ordinatus verò suspenditur ab ordine sic suscepto, donec dispensetur. Ita Innocentius, Panormitanus, Felinus, Nauarrus, & alij apud Suarez *de Simonia lib.* 4. *cap.* 56. *num.* 13. *& de censuris disput.* 31. *sect.* 4. *numer.* 25. Auila 3. *part. disput.* 5. *dub.* 9. *concl.* 4. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 37. Filliucius *tract.* 17. *cap.* 7. *numer.* 128. Lessius tamen *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 24. *num.* 134. & alij existimant dispositionem illius textus esse specialem, & procedere solum in casu ibi expresso; nam pœnæ non sunt interpretatione extendendæ, sed restringendæ, & mitigandæ. Alij verò, quos citat, & sequitur Alterius *tom.* 2. *disp.* 15. *c.* 4. *col.* 3. putant istam suspensionem quoad istos omnes, etiam iure antiquo esse impositam. Verùm quid ego definitiuè sentiam, alibi explicaui.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Assignatur subiectum istius suspensionis.

2 SVbiectum istius suspensionis sunt Episcopi, aliique ordinum, vel Tonsuræ collatores, qui simoniacè ordines, vel tonsuram conferunt. Hæc propositio patet, tum ex *ca. penult. de simonia*, vbi sermo est generaliter de collatoribus. Tum ex Bulla Sixti V. ibi, *Ceterum si quis Antistes, vel Abbas seruatis quidem cunctis præmissis, & ceteris omnibus, quæ in ipsius tonsura, & ordinum collatione obseruari debent, personas habiles, & idoneas, sed tamen recepta ab iis, quibus tonsuram, aut ordines conferet, pecunia pretio, vel præmio, simoniacè in futurum insigniuerit, vel promouerit, volumus, vt præter alias censuras, & pœnas contra simoniacè ordinantes, & ordinatos à sacris canonibus, & constitutionibus Apostolicis, aliàs inflictas, & irrogatas, quibus nequaquam derogare intendimus, etiam omnia & singula supradicta in sic promouentibus, & promotis locum habeant*, &c.

An autem ad incurrendam istam suspensionem requiratur simonia ex vtraque parte completa, patet ex dictis §. 2. vbi affirmatiuam sententiam sustinui.

TERTIA PROPOSITIO.

3 Quem effectum pariat ista suspensio.

3 SVspensio lata in constitutione Sixti V. contra conferentes ordinem, siue Tonsuram simoniacè, suspendit à collatione ordinum, & primæ tonsuræ, à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ, vt patet ex verbis præcitatæ constitutionis, ibi, *à collatione quorumcumque ordinum, atque adeò ipsius primæ tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium eo ipso suspensus, & ab ingressu Ecclesiæ interdictus existat.*

4 Suspensus à Pontificalibus potest iurisdictionem exercere.

4 Hinc sequitur Collatorem ordinum per simoniam, non posse Sacramentum Confirmationis, aut ordinis conferre, consecrare Calices, Ecclesias, Altaria, Abbates, Virgines, vestes sacras, & alias solemnes, & Pontificales benedictiones facere, quia hæc ad Pontificale munus pertinent. *Gloss. vlt. in c. transmissum, de elect. & c. 1. dist.* 25. Potest tamen iurisdictionis actus exercere, quia exercitium iurisdictionis non venit nomine Pontificalium. Ita Suarez *lib.* 4. *de simonia cap.* 56. *n.* 18. Lessius *loco cit. n.* 134. & alij communiter.

5 Simoniacus in collatione ordinum, vel Tonsuræ, quam pœnam incurrat, non seruando suspensionem contractam ob præfatam simoniam.

5 Rogabis quam pœnam incurrat simoniacus collator ordinum, vel primæ tonsuræ, si præfatam suspensionem, & interdictum non obseruet.

Respondeo incurrere suspensionem à regimine, & administratione Ecclesiæ, & perceptione fructuum, ibi, *quod si spreta huiusmodi suspensione, & interdicto in præmissis se temere ingesserit, etiam à regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, seu monasterij, & à perceptione fructuum mensæ eiusdem, ac quorumcumque beneficiorum per eum in titulum, vel commodum, seu alias obtentorum, suspensionem eo ipso incurrat, eiusque interdicti, aut suspensionis relaxationem, aut pœnarum remissionem ab alio, quã a Romano Pontifice pro tẽpore existente nequeat obtinere.*

An autem violans suspensionem, vel interdictum per exercitium ordinis sacri, incurrat irregularitatem, patet ex regulis generalibus traditis de irregularitate, incurrere.

QVARTA PROPOSITIO.

6 Absolutio istius suspensionis à quonam obtineri possit.

6 ABsolutio, & remissio prædictarum pœnarum obtinenda est à Summo Pontifice. Ratio est, quia Summus Pontifex in præcitata Bulla reuocat in hac parte omnes facultates, & priuilegia, etiam sub nomine Iubilei, vel Cruciatæ, concessa; mandatque absolutionem, non ab alio, quàm à Sede Apostolica obtineri, vt patet ex verbis ipsius Bullæ relatis *in tertia propositione vers. Rogabis.*

7 Episcopus an possit ex priuilegio Tridentini

7 Ex quo sequitur Episcopum non posse absolutionem impendere, etiamsi delictum sit occultum, nam priuilegium Episcopis concessum in Concilio Trident. *sess.* 24. *ca.* 6. illis non suffragatur in hoc casu, quia Sixtus V. reseruat absolutionẽ Papæ; ita Lessius *loc. cit.* Sayr. *lib.* 4. *c.* 17. *ad finem.* Hæc tamen procedunt in absolutione ob suspensionem latam in Bulla Sixti V. quia si loquamur de suspensione cap. penultimi de simonia, dicendum est illam auferri posse ab Episcopo, imò lapso triennio opus non est absolutione, qui suspensio lata ad tempus, eo lapso cessat absque alia absolutione, vt alibi sæpius dixi.

in hac suspensione, & pœnis dispensare.

PVNCTVM II.

Vtrùm acta simoniacè, valida sint.

PRiùs agam de actibus distinctis à prouisione beneficiorum, deinde loquar de ipsa beneficiorum prouisione facta per simoniam.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Actiones ordinis, vel iurisdictionis simoniacè factæ validæ sunt, per se loquendo.

1 ACtiones, seu functiones ordinis, vel iurisdictionis simoniacè factæ, validæ sunt, per se loquendo. Quòd actiones, seu functiones ordinum validè sint, probatur, tum quia pendent ex potestate ordinis, Ecclesia autem non tollit potestatem ordinis, nec illius actus irritare potest, vel saltem non constat vbinam irritentur. Tum quia non est maior ratio, cur simonia potius irritet huiusmodi actiones, quàm reliqua peccata; sed reliqua peccata non irritat; ordinatio enim, vel consecratio facta cum peccato ambitionis, auaritiæ, luxuriæ, & similium, non est irrita; ergo neque simonia irritas reddit huiusmodi actiones.

2 Functiones iurisdictionis validæ sunt, per se loquendo, etiamsi per simoniam fiant.

2 Quòd functiones, seu actus iurisdictionis, vel facultatis naturalis simoniacè facti, validi sint, per se loquendo, patet ex allatis rationibus. Tum quia nullibi constat irritari. Tum quia non est maior ratio, cur simonia potius illos irritet, quàm reliqua peccata, nisi extet peculiare ius, illos irritans.

Idem sentiendum videtur de aliis actibus, quibus res spiritualis in alium simoniacè transfertur. Ratio est, quia nihil deest ad validam translationem; tradens enim habet potestatem transferendi in accipientem, cui re ipsa tradit, & accipiens acceptat. Ergo valida est trãslatio, saltem si ius naturæ inspiciamus.

3 Pœnitentiæ Sacramentum simoniacè collatum irritũ est.

3 Obiicies contra dicta in hac propositione, primò Sacramentum pœnitentiæ simoniacè collatum, irritum est; sed collatio Sacramenti pœnitentiæ fit per actum ordinis, & iurisdictionis: ergo actus ordinis & iurisdictionis simoniacè facti, inualidi sunt.

Respondeo hoc esse peculiare in Sacramento pœnitentiæ, vt inualidè conferatur, quoties pœnitens in receptione absolutionis sacramentalis aliquod mortale peccatum committit, quodcumque illud sit; tunc enim ponit obicem sacramentali absolutioni, vt suo loco docui. Si verò ipse non committat simoniam, sed ipso inscio pecunia ab alio tradatur Sacerdoti, & ipse absolutionem bona fide recipiat, validè recipit, quia non ponit obicem substantialem ad gratiam. Et quamuis Ecclesia possit huiusmodi absolutionem irritare, auferendo iurisdictionem Sacerdoti; de facto tamen non irritauit.

Obiicies secundò, extant aliqui textus, in quibus dicitur, ordines per simoniam collatos irritos esse; ergo falsum est actiones, seu functiones ordinum validas esse.

Respondeo ordines per simoniam collatos in iure dici irritos, non quia verè irriti sint quoad substantiam, sed quia vetitus est illorum vsus; ordinatus enim per simoniam, suspensus est ab ordinum exercitio, vt ostendi *q.* 7. *§. 6. n.* 8. Ita communiter Doctores.

4 Consecratio Ecclesiæ, per simoniam quomodo execrata dicatur.

4 Obiicies tertiò, *in cap. Ecclesia* 1. *quæst.* 4. dicitur Ecclesia, quæ per pactionem consecrata fuerit, potius execrata, quàm consecrata dici debet; sed consecratio Ecclesiæ est actus ordinis; ergo actus ordinis simoniacè factus, est inualidus.

Respondeo Ecclesiam simoniacè consecratam dici execratam, non quia re ipsa non remaneat consecrata; sed quia consecrans, quantum est ex parte sua, illam polluit, & contrectat tamquam rem temporalem, & profanam. Ob id execrata dici potest ex parte consecrantis.

Obiicies quartò, *in c. pactionis, vlt. de pactis*, habetur, omnes pactiones in spiritualibus omnino irritas, & nullius momenti penitus esse; ergo actus simoniacè facti irriti sunt.

Respondeo, *in præfato c.* sermonem esse de pactionibus factis ad obtinenda spiritualia, quas pactiones constat irritas esse, quia nullus obligari potest ad rem illicitam; non tamen hinc sequitur quemlibet actum simoniacum irritum esse; & voluntatem committentis iurisdictionem, vel transferentis rem spiritualem in alterum, ita irritari, vt effectum non habeat, nec rem illam validè transferat. Nam multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent, vt bene Suarez *n.* 50.

Ex dictis sequitur primò, collationem ordinum simoniacè factam validam esse. Ratio est, quia adsunt omnia necessaria ad validam ordinationem, & culpa conferentis, vel recipientis non tollit valorem ordinationis, modò adsint necessaria ad substantiam actus ordinationis, de quibus in tract. de Sacramentis. Secundò validam esse collationem omnium sacramentorum, per se loquendo, etiamsi per simoniam conferantur, præciso Sacramento pœnitentiæ, suscepto à pœnitente cum simonia. Nam commune est omnibus peccatis mortalibus, quæ committuntur in susceptione absolutionis, vt irritum reddant Sacramentum; quia tunc deficit materia necessaria, id est, debita contritio, vel accusatio; consequenter ponitur obex ad substantiam Sacramenti, vt dictum est in prima obiectione. An autem Sacramenta simoniacè collata suum habeant effectum, & gratiã producant, saltem recedente fictione, patet ex regulis generalibus traditis *de Sacramentis disp.* 1. *quæst.* 6. *punct.* 3.

5 Emptio officij Ecclesiastici mere temporalis valida videtur.

5 Tertiò sequitur validam esse emptionem officij Ecclesiastici merè temporalis, vt Oeconomi, Aduocati, Procuratoris & defensoris bonorum Ecclesiasticorum. Quamuis enim emptio istorum officiorum simoniaca sit ob dispositionem *ca. Saluator* 1. *q.* 3. *& c. ex multis* 1. *quæst.* 3. Tamen ex natura rei non est irrita, nec irritatur à iure, cùm nullum ius adduci possit, in quo irritetur acquisitio huiusmodi officiorum temporalium, non habentium spiritualem administrationem, seu functionem.

6 Et

6 Beneficij acquisitio simoniaca, inspecto solum iure naturali, & diuino, valida est.

6 Et sicut beneficium, spectato solum iure naturali, & diuino, validè acquiri posset per simoniacam collationem, vt docent Caietan. *verb. simonia.* Victoria *in relectione de simon. n. 4. & 5.* Sotus *9. de iust. q. 8. artic. 1.* Redoanus *3. part. cap. 8. n. 4. de simon.* Suarez *c. 57. n. 14.* & alij contra Adrianum *quodlib. 9. artic. 3.* & alios, ita à fortiori valida erit prædictorum officiorum acquisitio non solum iure naturali, & diuino, verùm etiam Ecclesiastico; cùm nullum ius præfatam irritet acquisitionem.

Quartò sequitur validam esse benedictionem sacramentalem, consecrationem Ecclesiæ, Calicis, vel aliarum rerum. Ita Suarez *c. 57. n. 5.* Reginald. *lib. 23. num. 181.*

7 Professio facta per simoniam valida est.

7 Quintò validam esse professionem factam per simoniam, quia nullibi irritatur ob simoniam. Ita Nauar. Rodriquez, Sanchez, Suarez, Lessius, Filliucius, & Vgolinus *locis* statim *citandis*; Ecclesia tamen vetuit religiosum in eo monasterio remanere, & habere ius ad sustentationem, *cap. de regular. & cap. veniens, de simonia.* Hanc tamen pœnam non tenetur religiosus subire ante iudicis sententiam; cùm pœna, quæ ad sui executionem requirit hominis actionem, subeunda non sit ante iudicis sententiam, vt docui de legibus. Neque obstant illa verba *cap. de regular. de simonia, (locum omnino dimittant,)* quæ verba indicare videntur obligationem in conscientia.

Respondeo enim verba illa ita intelligenda esse, vt locum illum omnino dimittant, videlicet si condemnati fuerint, vel si iudex hoc eis præceperit: alioquin si Pontifex obligare voluisset in conscientia ante iudicis sententiam, clariùs loquutus fuisset. Ita Sanchez *in opere morali lib. 5. cap. 4. num. 39.* Vgolinus *tab. 1. cap. 4. §. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 23. num.* ... Suarez *lib. 4. de simonia c. 57. n. 8.* Filliucius *tract. 45. cap. 13. quæs. 6. num. 2.* Reginaldus *num. 181.* contra Nauar. *commentar. 4. de regular. n. 25.* & Rodriquez *tom. 3. q. 63. artic. 3.* asserentes religiosum simoniacè professum nõ habere ius ad religiosam sustentationem, & ad locum in Domo, in Choro, & in Capitulo, cum voce actiua, & passiua.

Obiicies cum Nauar. ius ad sustentationem religiosam (quam aliqui religiosam præbendam vocant) & ad locum in Choro, & in Capitulo, est quoddam Ecclesiasticum beneficium, sed irrita est collatio beneficij per simoniam, vt constabit ex dicendis in secunda propositione; ergo etiam irrita est professio quoad hanc partem, consequenter religiosus hoc pacto professus non potest sustentationem petere, & in eo monasterio permanere, nisi dispensetur.

Respondeo professionem, seu Monachatum non esse beneficium Ecclesiasticum, propriè, & strictè loquendo; consequenter pœnæ latæ contra collationem beneficiorum simoniacam, extendẽdæ non sunt ad Monachatum. Nam verba in materia pœnali strictè, & propriè accipienda sunt, nec facienda est extensio, sed potiùs restrictio.

Sextò sequitur actum Ecclesiasticæ iurisdictionis non reddi inualidum ob simoniam, consequenter licentiam alicui simoniacè concessam, aut sententiam datam ob pecuniam, non esse irritam ratione simoniæ. An autem ratione venditionis irrita sit, vt si in curia Romana obtenta sit præuio pretio, alia est ratio, de qua alibi egimus. Videri potest Vgolinus *tab. 1. de simon. c. 16.* & Suarez *c. 57. nu. 6.* & ea, quæ ego tradidi *de legibus, & de censuris in particulari*, dum loquerer de datis pro gratia.

8 Iurispatronatus emptio valida est quoad transferẽdum ius in emptorẽ.

8 Septimò sequitur iuxta sententiam nonnullorum Doctorum, vt Suarez *n. 13.* Reginaldi *n. 81.* & aliorum, validam esse emptionem iurispatronatus quoad transferendum ius in emptorem, vt patet ex rationibus superiùs allatis contra Glossam, Garziam, & alios locis infra citandis. Idem dic de emptione granorum benedictorum, Calicis, Reliquiarum, & similium, etiamsi pretium traditum, vel auctũ fuerit ratione consecrationis. Idem militare in pensione, etiam Clericali, & in Vicaria ad tempus, quæ beneficium non sit, tradunt Suarez, & alij. An autem restituendus sit excessus pretij acceptus ratione consecrationis, vel spiritualitatis, constabit ex infra dicendis §. 3.

Obiicies primò, nemo potest rem spiritualem in alium transferre, nisi iuxta potestatem, quam habet; sed nullus habet potestatem trãsferendi rem spiritualem in alterum titulo oneroso, seu præuio pretio, sed solùm gratis, iuxta illud Christi; *gratis accepistis, gratis date*; ergo res spiritualis non potest in alium validè transferri titulo oneroso, seu accepto pretio; hic enim titulus repugnat liberali largitioni, quæ nobis competit circa spiritualia ex potestate nobis à Christo communicata.

Respondeo, nullum habere facultatẽ transferendi rem spiritualem in alterum titulo oneroso; validè tamen transferre, si re ipsa voluntatem habeat transferendi.

Nec obstant verba Christi, quia illa solum indicant modum transferendi, vt vitetur irreuerentia in contrectatione rei spiritualis. Modus autem à superiore præscriptus, regulariter loquendo, non irritat substantiam actus, cui modus adiicitur, vt docui *de legibus*, & idem tradit Suarez *c. 57. n. 28. & seq.*

Obiicies secundò, *in cap. vlt. de rerum permut.* generaliter irritatur permutatio rerũ spiritualium cum temporalibus, ibi, *cùm permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur*, sed dum aliquid simoniacè acquiritur, permutatur spirituale cum temporali; ergo irrita est acquisitio.

Respondeo in præfato textu non irritari permutationem, sed prohiberi, vel declarari prohibitam; id enim significari videtur illo verbo, *improbetur*, ob id Pontifex in eo textu quamdam permutationem rei spiritualis cum temporali per compromissarios factam mandat irritari, seu decerni irritam.

Obiicies tertiò, *in cap. ea quæ 1. q. 3.* irritatur acquisitio rei spiritualis, præuia pecunia data, vel promissa; vt patet ex ipso textu, quem hic ad verbum referre decreui, *ea quæ à sanctis Patribus de simoniacis statuta sunt, nos quoque, & iudicio sancti Spiritus, & Apostolica auctoritate firmamus. Quicquid ergo, vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas vmquam vires habere censemus.* Ergo res spiritualis acquisita per simoniam retineri non potest, cùm ex actu inualido non acquiratur ius, vel titulus; sine titulo autem res aliena retineri non potest.

Respondeo primò, præfatum textum non intelligi de quibuslibet rebus Ecclesiasticis; sed de officiis Ecclesiasticis habentibus adnexam administrationem spiritualem, vt in simili probat Suarez *lib. 4. cap. 31. n. 14.*

Respondeo secundò, præfatum textum loqui de præterito, consequenter videri solùm irritare acquisita simoniacè ante illius textus editionem; nam in præfato textu non dicitur, *quicquid acquiritur*, vel *acquiretur*, vel *acquisitum fuerit*, sed dicitur, *quicquid acquisitum est.* Consequenter non irritantur acquirenda, sed solum antea acquisita.

Respondeo tertiò, illum textum non videri generaliter vsu receptum; cùm enim generaliter irritet acquisitionem rerum Ecclesiasticarum data, vel promissa pecunia, & tamen constet multas res Ecclesiasticas temporales validè acquiri posse, sequitur illum textum non videri generaliter vsu receptum.

9 Acquisitio cuiuslibet rei Ecclesiasticæ, seu spiritualis irrita est iuxta opinionem nonnullorum valde probabilẽ.

9 Existimo tamen valdè probabilem, & in praxi tutam nonnullorum Doctorum sententiam, asserentium quamlibet acquisitionem rei Ecclesiasticæ, modò spiritualis sit, irritam esse, si fiat data, vel promissa pecunia. Ratio est, quia *in cap. ea, quæ, citato*, generaliter irritatur simoniacè acquisitum. Ita Ægidius Bellamera *in dicto c. ea, quæ*, vbi expressè ait hunc textum generaliter intelligendum esse, non solum de beneficiis, verùm etiam de non beneficialibus, modò spiritualia sint. Idem sentit Ioan. Antonius *in dicto cap. ea, quæ*, vbi refert Baldum *in Extrauag. pacis Constantiæ in verbo, (cassamus, & irritamus.)* Idem asserit Ioannes de Turrecremata *in præfato cap. ea, quæ.* His adde Garziam *de benef. part. 5. ca. 9. n. 9.* Vbi inualidam esse ait iurispatronatus venditionem. *ca. nemini 17. q. 7.* Quamquam ille textus loqui potiùs videtur de Ecclesia, seu monasterio, & de irritatione facienda, textus enim in hæc verba loquitur. *Quod si factum fuerit, non valebit, sed ipsum monasterium in pristinum reformetur statum.* Idem ex professo de pensione simoniacè acquisita tradidit Garzias *1. part. c. 5. n. 20. & in additione cap. 5. primæ partis n. 26.* falsam vocans sententiam Suarez, existimantis validam esse acquisitionem pensionis per simoniam, illamque retineri posse.

SECVNDA PROPOSITIO.

10 Actus iurisdictionis, vel administrationis circa obtinẽdam beneficij prouisionem irrita est, si super simoniam fiat.

10 OMnis actio iurisdictionis, vel administrationis, quæ ordinatur ad obtinendam beneficij prouisionem, si fiat per simoniam irrita est, non quidem iure naturali, vel diuino; sed iure Ecclesiastico.

Quòd non sit irrita iure naturali, vel diuino, quoad beneficij acquisitionem, patet, quia nihil deficit ad substantiam acquisitionis; nam in accipiente est potestas, & consensus acquirendi; non enim incapax efficitur ob simoniam; in conferente est potestas, & voluntas conferendi, quæ potestas non aufertur per simoniam; simonia enim non habet maiorem repugnantiam cum capacitate recipientis, vel cum potestate conferentis, quàm alia peccata: alia autem peccata non tollunt huiusmodi capacitatem, & potestatem, vt patet ex definitione Ecclesiæ, quæ damnauit errorem VVicleff, asserentis Prælatum existentem in peccato mortali, non esse Prælatum, seu iurisdictionis actus, in peccato mortali factos, inualidos esse. Ita Caiet. Victoria, Sotus, Redoanus, Suarez, & alij, quos retuli *illatione 3. num. 6.* contra Adrianum, & alios.

Quòd verò actio iurisdictionis, vel administrationis, quæ ordinatur ad prouisionem beneficij, irrita sit iure Ecclesiastico, patet tum ex *cap. Matthæus, de simonia.* vbi dicitur, quemdam simoniacum multum sibi consulere, celeriter dimittendo beneficium, quod simoniacè adeptus fuerat; tum ex *ca. sicut tuis, de simon.* vbi habetur obtinentem bona fide beneficium per simoniam ab alio commissam teneri beneficium deponere. Ergo supponit adeptionem beneficij inualidam esse. Tum *Extrauag. 2. de simon.* vbi decernitur postulationes, confirmationes, prouisiones, seu alias quasuis dispositiones, simoniacè factas, viribus carere. Ita communiter Doctores.

11 Beneficiarius simoniacè prouisus tenetur beneficiũ dimittere.

11 Ex quo licet inferre prouisum per simoniam teneri beneficium dimittere. Ratio est, tum quia nullum acquisiuit ius in beneficium. Tum quia sic habetur *cap. inquisitionis, de accusationibus.* Imò tenetur etiam ad restitutionem fructuum, quos medio tempore percepit, aut quos sua culpa non percepit. Nam posita irritatione collationis, seu prouisionis, ius ipsum naturale obligat ad restituendum beneficium cum fructibus perceptis, vel non perceptis sua culpa à possessore malæ fidei. Nullus enim percipere potest fructus rei non suæ, nec potest rem alienam cum damno alterius retinere.

12 Fructũ nomine quinam intelligantur.

12 Nomine fructuum beneficij eos intelligo, qui percipiuntur ratione tituli, licet mediante aliquo ministerio percipiantur. Secus dicendum est de illis fructibus, qui non percipiuntur ratione tituli; sed occasione tituli, seu beneficij, vt qui percipiuntur ex celebratione Missæ, vel anniuersariorum, vel concionum, aut aliarum functionum, ad quas non tenebatur ratione tituli; hæc enim sunt potius stipendium operæ, & laboris personalis, quàm fructus beneficij. Idem sentiendum putant Cassador. *decis. 6. de præbend.* Nauar. *consil. 90. de Simon.* & alij de distributionibus, quia istæ non veniunt nomine fructuum beneficij, sed potius sunt stipendium operæ, & assistentiæ personalis in Choro.

Sed contrarium verius videtur. Tum quia huiusmodi distributiones competunt ratione tituli, mediante ministerio Chori. Tum quia intrusus illas non potest percipere; ergo neque is, qui per simoniam scienter beneficium obtinuit. Ita Suarez *n. 26.* Filliucius *n. 23.*

13 Restitutio fructũ beneficij simoniacè obtenti cuinam facienda sit.

13 Restitutio istorum fructuum facienda est successori in beneficio. Vbi consuetudo inualuit, vt fructus beneficij vacantis pertineant ad successorem, aut facienda est Cameræ Apostolicæ, vbi est vsus spolij, aut facienda est Ecclesiæ beneficij, nisi compositio à Papa obtineatur. Nam Ecclesia iure communi ius habet ad fructus. Ita Syluester *verbo restitutio 4. quæsito 1.* Nauar. *consil. 77. de Simon.* Suarez

Suarez *cap.56.n.26* Filliucius *tract 45.cap 13.n.23.* Lessius *lib.2. ca. 35. dub.31.ad finem n.174.*

Obiicies, contra ius naturæ est, vt quis obligetur ad se prodendum, & infamandum; proderet autē, & infamaret seipsum resignando beneficium, & restituendo fructus: ergo obtinens beneficium per Simoniam, non tenetur illud resignare, & fructus restituere.

Respondeo, huiusmodi simoniacum posse beneficio cedere, aliquo quæsito prætextu, seu colore, & posse fructus occultè restituere, vel dispensationem à sacra Pœnitentiaria obtinere.

Ex dictis igitur in hac secunda propositione constat prouisionem beneficij simoniacam, inualidam esse, & inducere obligationem dimittendi beneficium cum fructibus.

Ampliatur tamen, & limitatur variis modis hæc secunda propositio.

14 Simonia licet occulta irritam reddit beneficij acquisitionem.

14 Ampliatur primò, etiamsi crimen simoniæ occultissimè contractum sit. Ratio est, tum quia *cap. Matthæus* loquitur de simonia occultè commissa. Et licet Pontifex videatur solum præbere cōsilium, & non præceptum, ibi, *consilium requisisti*; tamen hac loquendi forma vtitur, vt ostendat se ibi non ferre præceptum, sed declarare præceptum, & obligationem, qua tenebatur beneficium dimittere ne detrimentum æternæ damnationis subiret, vt patet ex eodem textu ad finem. Ita glossa *ibid. verb. consulis*, & Suarez *cap. 57. numer. 24.* tum quia in præfata Extrauag. sermo simpliciter est de qualibet simonia.

15 Simonia etiam iuris Canonici irritam reddit prouisionē beneficij.

15 Ampliatur secundò, non solum in simonia contra ius naturale, & diuinum; verùm etiam in simonia solum contra ius Canonicum, vt si duo priuata auctoritate beneficia permutent; permutatio enim irrita est. Ratio est, tum quia *in cap.cùm olim, de rerum permutat.* quidam spoliantur beneficiis ob simoniacam permutationem: tum quia Extrauagans 2.citata, generaliter loquitur; qui autem omnia dicit, nihil excludit. Ita Panormit. *in c.cùm vniuersorum, de rerum permut. n.6.* Redoanus 3.*part.c.*8. & alij communiter, teste Suarez *c.57.n.42.* contra Parisium *lib.4.consil.39. & 40.* Petrum Nauarrum, & Arragonium, quos citat, & sequitur Reginaldus *lib.23.n.184.*

Obiicies primò, in pœnis mitior interpretatio facienda est: ergo iura, quæ loquuntur de pœnis contra simoniacos, intelligenda sunt de committentibus simoniam solum contra ius naturale diuinum.

Respondeo, in pœnis faciendam esse mitiorem interpretationem, dum versamur in dubio, aut dum lex generalis non est; in hoc autem casu lex generalis est; consequenter non versamur in dubio.

Obiicies secundò, *in cap.constitutus*, non inducitur priuatio beneficij ob simoniam in transactione commissam contra ius humanum: ergo simonia contra ius humanum non irritat beneficij prouisionem.

Respondeo, in præfato cap. inductam non fuisse priuationem beneficij, quia simonia illa non erat realis; nam quædam pars post trāsactionem resilierat, nec transactionem re ipsa compleuerat.

16 Electio simoniaca Pontificis irrita est.

16 Ampliatur tertiò, non solùm in beneficiis, verùm etiam in assecutione Papatus, quod est præcipuum officium, & principale beneficium Ecclesiæ: sic enim decernitur in Bulla Iulij II. incipit, *Cùm tam diuino*, & licet Suarez *cap.57.n.57.* & Filliucius *tract.45.c.13.n.23. ad finem*, existiment hanc bullam vsu receptam non fuisse, saltem in simonia occulta; ego tamen oppositum sentiendum arbitror, saltem in simonia publica, vt probaui *in meo tractatu de electione Romani Pontificis.*

17 Beneficij prouisio simoniacè facta irrita est, etiamsi crimen simoniæ cōmissum sit à tertia persona, nisi fortè prouisus contradixerit, seu nisi pecunia data sit à tertia persona in odium, & detestationem prouisi.

17 Ampliatur quartò, non solùm dum simonia commissa fuit ab ipsomet beneficiario, seu prouiso; verùm etiam dum commissa fuit à tertia persona, seu mediatore, vel intercessore, etiāsi beneficiarius, seu prouisus ignorauerit simoniam; nam etiam tunc inualida est collatio, seu prouisio, *cap sicut tuis, de Simon.*

Hæc tamen ampliatio intelligitur primò, nisi tertia illa persona pecuniam dederit in odium, & detestationem prouisi, seu beneficiarij, vt si inimicus pecuniam dedit ad impediendum, ne alter validè assequeretur beneficium, tunc enim valida videtur prouisio: tum quia persona illa delinquens commodum ex suo delicto reportaret, & innocens damnum pateretur: tum quia sic habetur *in c. sicut tuis, & cap.nobis, de simonia.* Ita communiter Doctores cum S. Thom. 2.2. *q.100.art.6.*

Secundò intelligitur, nisi prouisus sciens, vel dubitans committi simoniam in sui fauorem contradixerit, & declarauerit, se illi non consentire: tunc enim non videtur irrita prouisio. Ratio est, tum quia ita colligitur ex *cap.sicut tuis, citato.* tum quia par non est, vt quis damnum patiatur ob delictum alterius, cui contradicit. Ita glossa *in cap.sicut tuis, de simonia.* Vgolinus *de Simon.tab.4.cap. 6. num. 3. & de irregular.cap.8.num.3.* Toletus *lib.5.ca.90.vers.dico 4.* Summa Corona *de simon.num.30.* Suarez ex parte *cap.57.num.29.* Azor. 3.*parte de simonia.cap...* Reginaldus *lib.23.num.178.* [Paulus Layman *lib.4. tract. 10.cap.8.§.7.num.73.*]

Ille igitur, qui beneficium obtinuit, reclamans, & resistens simoniæ in sui fauorem commissæ, validè beneficium obtinet, vt patet ex allatis rationibus.

Secus si recedat à voluntate contradicendi, & approbet simoniam antequam re ipsa beneficium obtineat; tunc enim consentit in simoniam; consequenter inualidè assequitur beneficium.

18 Approbatio simoniæ post obtētum beneficium non irritat cōsecutionē beneficij præcedentem.

18 Dixi, *antequam re ipsa obtineat beneficium*, quia si approbet simoniam solùm post obtentum beneficium, validè obtinet, quia non dicitur obtinere beneficium per simoniam; cùm illa approbatio sit posterior consecutione beneficij, consequenter non reddit illam irritam; nam bona fide facta fuit, cōtradicente prouiso, seu prouidendo, nec approbatio illa retrotrahitur ad præteritam beneficij assecutionem validè factam. Idem à fortiori dicendum est de illo, qui contradixit simoniæ; sed post factum soluit pecuniam illi, qui simoniam commiserat, non intendens approbare factum illius, sed solùm intendens liberaliter illam pecuniam donare, ne damnum sua causa patiatur; hic enim non est reus simoniæ; probabile tamen est prouisum approbantem præteritam simoniam, cui ipse ante consecutionem beneficij contradicebat, priuari posse beneficio à iudice, quia ob approbationem simoniæ in beneficij assecutione commissæ, tali pœna dignus videtur. Ita communiter Doctores, quos retuli in explicatione excommunicationis latæ contra simoniacos in ordine, & beneficio. Idemque in terminis tradunt glossa *in cap.sicut, de Simon.* Panormit. *ibidem.* Adrianus *quodlibeto 9.art.3.* Suarez *c.57.n.32.* Reginaldus *loco citato.*

19 Beneficij prouisio simoniaca irrita est, etiamsi prouisus simoniam ignoraret.

19 Rogabis, vtrùm collatio, seu prouisio beneficij, facta per simoniam ignoranti, valida sit.

Respondeo inualidam esse ipso iure; quamuis enim prouisio beneficij simoniacè facta, sciente, vel ignorante prouiso, valida sit, inspecto solùm iure naturali, vel diuino: tamen iure Canonico irritatur ipso facto, ex communi sententia Rotæ *decis.191.num.5.part.1.diuers.* Suarez *tom.1.de relig.lib.4.c.57.n.35.* Lessij *lib.2.ca.35.n.142.* Garziæ *de benef.part.8.c.1.n.6.* Molfesij *tract.6.c.15.n. 79.* Valentiæ *tom.3. disp.6.q.16.* Reginaldi *lib.23.n.178.* [Pauli Layman *lib.4.tract. 10. c.9. n.73.*] contra Nauar. *consil.95.de simonia*, & Vgolinum *tab.4.ca.7.*

Probatur primò ex *Extrauag. 2.* quæ absolutè irritat, & sine distinctione inter ignorantem, & scientem loquitur, ibi, *cuiquam*; ergo neque nos distinguere debemus.

Secundò, quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis; sed in iure ab inualiditate collationis, seu prouisionis simoniacè factæ excipitur solùm, dum prouisus per iniuriam circumuentus fuit, data in ipsius odium pecunia, & dum cōtradixit ante obtentum beneficium; ergo in aliis firma remanet regula, quòd simoniaca prouisio irrita est, etiamsi facta fuerit ignoranti.

Tertiò, quia *in c.ex insinuatione, de simon. & cap sicut tuis, eod. titulo*, habetur, eum, qui beneficium per simoniam ab alio commissam obtinuit, teneri, cognita simonia, beneficium dimittere, ibi, *quamuis secundum sacrorum canonum instituta, etiam paruuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur.* Ergo signum est adeptionem esse inualidam, alioquin paruuli non tenerentur, cognita simonia, beneficium dimittere; cùm nullus teneatur se propria sponte bonis antea possessis spoliare, vt patet ex regulis generalibus traditis *de legibus.*

Quartò, ex communi Doctorum, etiam Nauarri, & Vgolini sententia, asserentium, eum, cui beneficium per simoniam collatū fuit, ignoranti simoniam in sui fauorem commissam, teneri cognita simonia restituere fructus beneficij perceptos à die collationis; cum hac tamen differentia, quòd perceptos ante cognitam simoniam tenetur restituere tamquam possessor bonæ fidei, (propterea tenetur restituere fructus extantes, non verò consumptos bona fide, nisi in re aliqua factus sit locupletior, neque tenetur restituere id, quod accepit tamquam stipendium sui laboris, vt stipendium pro celebratione Missæ, vel distributiones acceptas, ratione assistentiæ, & interessentiæ diuinorum officiorum, vel anniuersariorum,) fructus verò perceptos post cognitam simoniam, & à mora dimittendi beneficium tenetur restituere tamquam possessor malæ fidei; sicut tenetur is, qui scienter acquisiuit beneficium per simoniam; ergo signum est prouisionem ab initio inualidam fuisse; nam si prouisio valida fuisset, non teneretur prouisus ea ratione ad restitutionem fructuum; cùm ex prouisione valida acquiratur ius ad fructus, & nullus teneatur ad restitutionem fructuum, ad quos habet ius.

Quintò, quia obtinens beneficium per simoniam, etiam ignoranter, inhabilis est ad idem beneficium, & ad alia in futurum obtinenda, nisi habilis efficiatur dispensatione Pontificis in dignitatibus, & beneficiis curatis, vel dispensatione Episcopi in beneficiis simplicibus, iuxta *c.pen. de elect. in 6.* ergo signum est priorem collationē, seu prouisionem irritā fuisse ab initio; alioquin frustrà efficeretur inhabilis ad idem beneficium obtinendum, si illud iam validè obtineret.

Addo collationem, seu prouisionem beneficij simoniacam, inualidam esse, non solùm, dum prouisus ipse ignorabat simoniæ labem; verùm etiam dum illam ignorabat ipsemet collator, seu prouisor, vt quia simonia commissa fuit cum mediatore, qui intercedit apud Prælatum, nihil ei tradens, nec aperiens se pecuniam accepisse, vt intercederet, & mediator esset. Ratio est, quia adhuc verum est, illā prouisionem, seu collationem, factam fuisse per simoniacam labem; ergo est ipso iure inualida, præsertim cùm iura in hac re non distinguant.

Obiicies primò, *in c.nobis, de simon.* dicitur collationem simoniacam esse penitus reprobandam: non reprobatur autem, nisi illud, quod aliquo modo subsistit; ergo collatio simoniaca aliquo modo subsistit, & valida est, licet sit reprobanda, id est, irritanda.

Respondeo, huiusmodi collationem esse reprobandam, id est, declarandam irritam: nam verbum, reprobandi, potius significat declarationem nullitatis, quàm nouam nullitatem, & irritationem.

Obiicies secundò, recipiens beneficium cum ignorantia simoniæ, non ligatur excommunicatione, *extrauag.2. de Simonia*; ergo neque afficitur pœna irritationis, & nullitatis.

Respondeo, negando consequentiam: tum quia à disparatis non valet illatio: tum quia in præfata Extrauag. requiritur scientia ad contrahendam excommunicationem; non verò ad inualiditatem prouisionis, seu collationis: tum quia censura non incurritur absque lethali culpa; actus verò irritari potest, etiamsi non adsit culpa agentis, seu contrahentis, vt patet ex dictis *de censuris, de contractibus, & de legibus.*

20 Regula de triennali possessore fauet obtinenti beneficiū per Simoniam quā ipse obtinens ignorabat.

20 Si quæras, vtrùm ille, qui bona fide beneficium obtinuit, ignorans simoniam ab alio commissam, gaudere possit regula de triennali possessore; ita vt elapso triennio turbari nequeat, & molestari circa illud beneficium.

Respondeo gaudere, quia regula generalis est, & hic casus in ea non excipitur: excipitur verò casus, dum quis per simoniam scienter obtinuit beneficium; hic enim non gaudet priuilegio dictæ regulæ, cùm ibi excipiatur. Imò multi Doctores excipi etiam putant casum, dum simonia non fuit realis, seu completa ex vtraque parte, quia

scilicet

scilicet obtentum fuit beneficium, promisso pretio, sed pretium collatum non fuit, sed de hac re alibi agam. Interim videri potest Ludouicus Gomez *in eamdem regul. Cancell. q.*12. & Vgolin. *de Simonia tab.* 4. *cap.*6. §. 9. Garzias *de beneficiis part.*8. *c.*1. *n.*14. *& seq.* vbi plures alios Doctores adducit, Reginaldus *lib.*23. *n.*186.

Limitatur præfata secunda propositio primò in solis beneficiis Ecclesiasticis, ita vt prouisio solùm beneficiorum Ecclesiasticorum irrita sit, non verò prouisio aliorum officiorum. Ratio est, tum quia *Extra.* 2. *de Simon.* loquitur de Simonia in beneficiis, & officiis Ecclesiasticis, nomine autē officij in dicta Extrauag. intelligitur beneficiū.

21 Officij nomine intelligitur beneficiū in hoc loco.

21 Hæc enim nomina in dicta Extrauaganti videntur synonyma: tum quia in materia pœnali strictior interpretatio facienda est quantum verba patiuntur; illa autem verba *officium Ecclesiasticum*, & *beneficium*, hanc restrictionem patiuntur, cùm officium Ecclesiasticum, & beneficium ad idem significandum sæpè adhibeantur, vt *in c. cùm accessissent, de constit. & cap. de multa, de præbend.* Ita Nauar. *in manual. c.*23. *num.*111. *vers.*7. Salsedo apud Diaz *in pract. c.*91. §. 35. *dub.*25. Suarez *tom.*1. *de relig. lib.*4. *c.*57. *n.*46. Lessius *lib.*2. *c.*35. *dub.*25. Vgolin. *de Simon. tab.*4. *c.*5. *n.*2. Filliucius *tract.* 45. *c.*13. *quæsito* 8. & alij.

22 Pensionis collatio facta per Simoniam valida est, iuxta sententiam multorum Doctorum.

22 Hinc sequitur primò, iuxta communiorem Doctorum sententiam, collationem pensionis simoniacè factam, validam esse; quamuis enim pensio sit res spiritualis, & materia Simoniæ, tamen non est propriè beneficium Ecclesiasticum; consequenter illius prouisio non est irrita, cùm in iure sermo sit de beneficiis simoniacè obtentis, & in materia pœnali strictior interpretatio facienda sit. Ita Nauar. *c.*23. *num.*111. Salsedo apud Diaz *loco cit.* Vgolin. *tab.*4. *c.* 5. Suarez *num.*45. *c.*57. Filliucius *loco cit.* Reginaldus *lib.*23. *num.*181. & quamplures alij in simili loquentes de excommunicatione lata contra obtinentes pensionem per Simoniam. Contrarium expressè docet Garzias *de benef.* in additionibus ad primam partem *c.*5. *n.*26. vbi præfatam sententiam falsam vocat. Opinio Garziæ in praxi mihi quidem valde probabilis videtur, propter textum *in c. ea quæ* 1. *q.* 3. vbi sic dicitur; *quidquid ergo, vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas vmquam vires habere censemus.* Prima tamen opinio non caret probabilitate, vt patet etiam ex dictis in prima propositione, illatione septima, & *in obiectione* 3. *num.*8.

23 Officiū Auditoratus, vel Clericatus Cameræ Apostolicæ validè obtinetur, etiamsi per Simoniam acquiratur

23 Secundò sequitur officia Auditoratus, vel Clericatus Cameræ Apostolicæ obtenta per Simoniam valida esse, quia non sunt beneficia Ecclesiastica. Idem dic probabiliter de officio Inquisitoris, de Vicaria temporali, aut iurisdictione, & potestate spirituali. Secus dic de Vicaria perpetua, de præstimonio, & de pensione in titulum beneficij erecta: hæc enim sunt beneficia.

24 Officia religionū spiritualia validè obtineri possunt per Simoniā, iuxta sententiam nonnullorum Doctorum.

24 Tertiò sequitur, iuxta sententiam nonnullorum Doctorum, officia spiritualia religionum, vt Prioris, Abbatis, Generalis, Prouincialis, Guardiani, & similium validè obtineri, etiamsi per Simoniam obtineantur. Ratio est, quia huiusmodi officia non sunt beneficia, vt patet ex dictis *punct.*1. dum loquerer *de excommunicatione.* Ita Nauar. Lessius, & Azor. quos *ibi* retuli. Contrarium docent Caiet. Armilla, Suarez, & Filliucius *locis proximè citandis*, asserentes assecutionem huiusmodi officiorum in religionibus inualidam esse, si fiat per Simoniam. Ratio est, tum quia huiusmodi officia vocātur ab aliquibus beneficia, & suo modo habent præbendam, tum quia de his expressè loqui videtur Extrauagans 2. *de Simonia*, ibi; *electiones, postulationes, prouisiones, in Ecclesiis, monasteriis*, &c. Ita Caietan. *verbo excommunicatio, c.*72. Armilla *eodem verbo c.* 59. Suarez *loco cit. c.*57. *n.*47. Reginald. *lib.*23. *n.*181. Filliucius *tract.*45. *c.*13. *q.*8. *n.*23. vbi tamen oppositum sentiendum putat de officiis, & superioritatibus religiosorum mendicantium, & similium, quia non enumerantur inter beneficia, nec præbendam habent.

Prior tamen sententia mihi probabilis videtur, quia verba in materia pœnali strictè, & propriè accipienda sunt; consequenter cùm Summus Pōtifex in præfata Bulla loquatur de beneficiis, intelligendus est de beneficiis propriè acceptis, siue beneficia sint sæcularia, siue regularia, non verò de aliis officiis regularibus; quamobrem illa verba, *in Ecclesiis, monasteriis*, &c. adiecta fuerunt ad comprehendendum vtrumque genus beneficij sæcularis, & regularis.

Limitatur secundò præfata propositio ab aliquibus Doctoribus, nisi Simonia commissa fuerit solùm cum vno ex Electoribus, seu præsentatoribus, seu collatoribus, inscio electo, vel præsentato; tunc enim valida videtur electio, vel præsentatio. Ratio est, tum quia vtile per inutile non vitiatur: tum quia par non est, vt culpa vnius Electoris inficiat electionem aliorum. Ita Rota *in vna Comens. iurispatronatus 6. Martij* 1595. coram Illustrissimo Card. Mellino apud Farinacium *dec.*103. Garzias *de benef. par.*8. *c.*1. *n.*12. Molfesius *in sum. tract.* 6. *c.*15. *n.*8. & alij, contra Nauar. *c.*23. *nu.*113. & alios apud Farinacium *dec.*22. & apud Garziam *loco cit. n.*10.

25 Beneficij prouisio simoniaca non est inualida, nisi secuta Simonia reali, & completa.

25 Limitari potest tertiò præfata secunda propositio, modò Simonia realis sit, & completa, non autem conuentionalis, & semirealis tantùm, vt si collatum sit beneficium præuia promissione pretij, sed pretium nondum solutum sit: tunc enim probabile est collationem, seu prouisionem beneficij validam esse. Ratio est; tum quia pœna lata propter aliquem actum, & effectum, intelligitur de actu & effectu completo, nisi aliud ex verbis legis colligatur; tum quia consuetudine, & stylo Curiæ ita receptum est, testibus Suarez *c.*57. *num.*51. Nauarro, & aliis, quos suprà retuli, loquens de excommunicatione, contra Caietanum, Sotum, & alios.

Hinc sequitur primò collationem, seu prouisionem beneficij validam esse, & vires habere, donec Simonia compleatur Ratio est, tum quia prouisio beneficij irritatur solùm ob Simoniam realem, & completam; tum quia illa prouisio, vel est valida ab initio, vel inualida; sed non est inualida, vt probatum est; ergo est valida: nam ex duabus contradictoriis necesse est alteram esse veram; & collatio beneficij pendere non debet à futuro effectu, sed statim ac fit, valida esse debet, vel inualida, *c.*2. *de elect. in* 6.

26 Beneficiarius simoniace acquirens beneficiū retinere potest beneficium, modo Simonia nōdum sit completa.

26 Tum quia beneficiarius per Simoniam prouisus, tuta conscientia retinet beneficium, facit fructus suos, & potest beneficium illud in manibus Pontificis in fauorem alterius resignare, donec Simonia compleatur; ergo signum est collationem, seu prouisionem validam esse, quia non posset quis beneficium tuta conscientia retinere, aut alteri resignare, aut fructus acquirere, nisi per collationem validam, vt benè argumentatur Suarez *num.*52.

27 Promissio pecuniæ pro obtinendo beneficio vel re spirituali, non est adimplenda, etiam obtento beneficio, seu re spirituali.

27 Rogabis vtrum is, qui beneficium obtinuit promissa pecunia, teneatur promissionem adimplere.

Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, tum quia par non est, vt commodum ex suo delicto reportet; tum quia iniquum videtur, vt beneficium, & pretium simul retineat, & is, qui beneficium dedit, vtroque priuatus remaneat; ergo is, qui beneficium obtinuit, tenetur pretium soluere, vel beneficium dimittere.

Respondeo non teneri, nec licitè posse, pretium soluere; tum quia solutio pretij simoniaca esset, & compleret Simoniam realem; nullus autem ad rem turpem obligari potest; tum quia si tenetur, maximè vi promissionis, & pactionis; sed huiusmodi promissio, & pactio irrita est, vt expressè dicitur *in c. vlt. de pactis*; tum quia recipiens beneficium fictè promittendo pecuniam, potest beneficium retinere, cùm valida sit collatio, ex communi Doctorum sententia: nec tenetur pretium soluere, seu damnum alterius reparare, cùm beneficium, quod accepit, pretio compensari non possit; ergo etiam is, qui ex intentione, & non fictè promisit pecuniam, non tenetur pecuniā soluere; nam collatio valida est, promissio pretij inualida, & nullius prorsus momenti, vt *in c. vlt. de pactis*, expressè habetur, & patet ex regulis generalibus traditis *de restit. & de contract.* ita in terminis Suarez *c.*57.

Ad primam rationem dubitandi respondeo inde solùm colligi pat non esse, vt immunis fiat ab omni pœna; non fit autem immunis ab omni pœna cùm peccauerit promittendo pecuniam pro re spirituali, & in foro externo puniri possit priuatione beneficij, & aliis pœnis; per accidens tamen est, vt commodum, & lucrum referat, donec condemnetur, cùm iura ipsum non priuauerint hoc commodo ipso iure.

Ad secundam rationem responsio patet ex prima: per accidens enim est, vt obtinens beneficium promissione pecuniæ, huiusmodi commodum sentiat retentione beneficij, & pecuniæ; cùm nullo iure obligatus sit ad dimittendum beneficium, vel ad restituendum pretium ante completam ex vtraque parte Simoniam. Nec à ratione alienum est, vt is, qui beneficium alteri resignauit, acceptata promissione pecuniæ sibi soluendæ, amittat pretium, & beneficium; nam voluntariè, & culpabiliter contraxit, & hac pœna se dignum reddidit.

28 Promissio beneficij facta per Simoniam secuto effectu, & completa Simonia reali, ita irritatur ac si ab initio conuentionis irrita fuisset.

28 Sed modò dubium est primò circa dicta in secunda limitatione, vtrum irritatio collationis, seu prouisionis beneficij, secuto effectu, & completo delicto Simoniæ realis, vires solùm habeat, & operetur ab hora completæ, & perfectæ Simoniæ realis, an etiam retrotrahatur ad diem collationis, seu prouisionis, ac si collatio, seu prouisio irrita fuisset ab initio, dum peracta fuit conuentio, seu dum traditum fuit beneficium cum promissione pecuniæ.

Ratio dubitandi ad probandum non retrotrahi est, prima, quia excommunicatio, quæ ob Simoniam realem in beneficio incurritur, non retrotrahitur, vt suprà probaui §. 1. contra Nauarrum, & Lessium; ergo neque retrotrahitur irritatio.

Secunda, quia huiusmodi prouisio ab initio valida est, nec vllo iure probatur irritationem retrotrahi.

Tertia, quia si retrotraheretur, sequeretur eum, qui medio tempore fructus illius beneficij percepit, teneri ad restitutionem fructuum medio tempore perceptorum, cùm fructus competant ratione tituli, quem dicimus irritari, ac si ab initio irritus fuisset. Præterea sequeretur illum, qui medio tempore obtinuit aliud beneficium, antequam Simonia compleretur, teneri beneficium illud dimittere, completa Simonia: nam Simonia realis in beneficio inhabilem reddit ad obtinendum beneficium. Hic autem supponimus effectum, seu pœnam Simoniæ, completo effectu, retrotrahi ad tempus conuentionis simoniacæ.

His non obstantibus respondeo huiusmodi irritationem, completa, & perfecta Simonia, retrotrahi ad tempus conuentionis, ac si ab initio irrita fuisset. Ratio est, tum quia, licet collatio, seu prouisio beneficij facta cum illa conuentione, aliquo modo valida esset ab initio, nihilominus non erat simpliciter, & absolutè valida, & firma, sed infirma, & quodammodo pendens à futuro euentu: tum quia stylo Romanæ Curiæ receptum est, vt huiusmodi irritatio retrotrahatur; sicut ergo lege sanciri potest, vt ista retrotractio fiat (vt patet à simili in pœna amissionis bonorum ob crimen hæresis: hæc enim secuta sententia Fisco adiiciuntur, & acquiruntur à die patrati criminis, vt docui de contractibus,) ita etiam hoc idem stylo Curiæ induci potest, cùm stylus Curiæ vim legis habeat, & ita de stylo Curiæ testantur Vgolinus *tab.*4. *cap.*6. §. 3. Lessius, Nauar. *locis statim citandis*, & alij, quos suprà retuli de excommunicatione lata contra Simoniacos in beneficio. An autem obliget in conscientia ante condemnationem, constabit ex dicendis in responsione ad tertiam rationem.

29 Beneficia, aut beneficiorū fructus percepti ante completam realem Simoniam restitui nō debent iuxta sententiam nonnullorum Doctorum.

Ad primam rationem dubitandi responsio constat ex supradictis de excommunicatione ob Simoniam.

Ad secundam respondeo, collationem fuisse validam, sed infirmam, & stylo Curiæ inductum fuisse, vt huiusmodi irritatio retrotrahatur.

Ad tertiam respondet Vgolinus *de Simon. tab.* 4. *cap.*6. *ad fin.* teneri in vtroque foro restituere fructus ante completum, & perfectum Simoniæ crimen perceptos, & dimittere alia beneficia illo medio tempore, alias ritè obtenta; hæc enim obligatio induci potuit in vtroque foro, & sicut præscriptio obligat in vtroque foro, ita etiam ista retrotractio.

29 Alij verò Doctores, quorum opinio mihi probabilis videtur, existi-

existimant eum, qui beneficium per Simoniam adeptus fuerat, non teneri in conscientia ad restituendos fructus medio tempore perceptos, vel ad dimittenda præfata beneficia, donec condemnetur. Ratio est, tum quia ista retrotractio fit solùm fictione iuris, & stylo Curiæ, vt hac ratione magis puniantur delinquentes; ergo signum est huiusmodi stylum non obligare absolutè, sed solùm in foro externo: tum quia in materia pœnali benignior expositio facienda est. Ita Nauar. *in manual. c. 23. nu. 104. vers. non ignoro.* Henriquez *in summa lib. 13. c. 19. n. 2. lit. H.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de Simon. c. 57. nu. 56.* Lessius *lib. 2. c. 35. dub. 27. n. 155. ad fin.* [Paulus Layman *n. 68.*]

Secundò dubium est, vtrùm Simonia realis non solùm irritam reddat beneficij collationem, seu prouisionem, verùm etiam inducat priuationem beneficiorum præcedentium ritè obtentorum, & inhabilem efficiat ad alia beneficia obtinenda in futurum. Vt hoc dubium rectè, & distinctè intelligatur, & diluatur, discutiendum est in duabus difficultatibus proximè sequentibus.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Vtrùm Simonia realis in beneficiis priuet ipso facto beneficiis antea ritè obtentis.

1 Affertur sententia affirmans priuari.

1 PRima sententia affirmatiua est Rebuffi, & Bernardi Diaz *locis proximè citandis.* Ratio prima est, quia Simonia comparatur hæresi; ob id in iure sæpiùs vocatur hæretica labes, seu hæresis simoniaca. Secunda, quia simoniacus suspenditur ab officio, & à celebratione Missæ, *c. tanta, de Simon.* Tertia, quia adeptio beneficij simoniaca impedit retentionem beneficij, etiam post peractam pœnitentiam, vt dicitur *in cap. inquisitionis, de accusat.* Ergo signum est priuare ipso facto beneficiis antea ritè obtentis, alioquin non impediret retentionem beneficij, etiam post peractam pœnitentiam. Quarta, quia *in Extrauaganti 2. de Simonia*, innouantur omnes pœnæ antiquorum canonum, & decernitur, vt ipso facto incurrantur. Sed ex vi antiquorum canonum pœna priuationis beneficiorum antecedentium ferenda erat contra simoniacos in beneficio; ergo ista pœna hoc tempore statim incurritur.

Secunda sententia, cui tamquam probabiliori adhæreo, negat Simoniam in beneficiis, per se loquendo, inducere ipso facto priuationem beneficiorum antea ritè obtentorum. Ratio est, quia asserendum non est priuationem, vel aliam pœnam ipso facto induci, nisi assignetur lex, seu textus, in quo huiusmodi priuatio, seu pœna contineatur; non potest autem lex, seu textus afferri, & assignari, in quo huiusmodi pœna ipso facto contineatur ante sententiam iudicis condemnatoriam. Ita Felinus *in c. insinuatum, de Simon.* Abbas *in c. cùm Clerici, de pactis n. 2.* Vgolin. *de Simon. tab. 1. c. 19.* Suarez *de Simon. c. 58. n. 3.* Filliucius *tract. 45. cap. 13. quæsito 9. n. 24.* [Henriquez *lib. 13. ca. 37. n. 5.* Auila *de censuris p. 3. disp. 5. ad finem.* Paulus Layman *lib. 4. tract. 10. c. 8. nu. 74.*] & alij contra Rebuffum *de pacificis possessoribus n. 265.* Bernardum Diaz *in pract. cap. 131.*

2 Simonia in beneficio non inducit priuationẽ beneficiorum ritè obtentorũ ante Simoniam.

2 Ampliatur hæc sententia non solùm in beneficiis ritè antea obtentis, verùm etiam in aliis actibus ordinatis ad obtinenda beneficia; quamobrem existimo Simoniam in beneficiis non solùm non inducere priuationem beneficiorum antecedentium; verùm neque inducere irritationem aliorum actuum præcedentium, ordinatorum ad perfectè obtinendum beneficium, & inter se subordinatorum, vt sunt electio, cõfirmatio, collatio; quamuis enim vnaquæque illarum actionum simoniacè facta, irrita sit & nulla, *Extrauag. 1. de Simon.* tamen si prior, exempli gratia, electio purè fiat, & confirmatio fiat simoniacè, confirmatio irrita est, vt probaui; electio verò subsistit: tum quia nullo iure irritatur: tum quia prius nõ pendet à posteriori: tum quia electio ex natura rei valida esse potest, etiamsi confirmatio inualida fiat, *cap. si confirmationem, de elect. in 6.* tum quia sicut Simonia subsequens non priuat prioribus beneficiis, ita neq; priuat iure priùs acquisito per electionem, vel confirmationem, cùm par ratio videatur. Verum tamen est actum præcedentem irritari posse per sententiam iudicis: cùm enim delinquens ob Simoniæ crimen pœna dignus effectus sit, potest in delicti pœnam per sententiam iudicis priuari iure prius acquisito per actum præcedentem ritè celebratum. Ita Vgol. ex parte *tab. 4. c. 6. nu. 4.* Suarez *c. 58. n. 7.* Filliucius *c. 13. q. 9. n. 25.* & alij.

3 Simonia commissa in actu prouisionis beneficij irritat subsequentes actus ordinatos ad consequẽdum beneficium.

3 Secus dicendum est, si crimẽ Simoniæ committatur in actu præcedenti, verbi gratia, in electione; tunc enim confirmatio irrita erit, etiamsi purè, & absque Simoniæ labe celebretur. Ratio est, tum quia sublato fundamento, à quo pendet subsequens actus, necesse est actum subsequentem collabi, & destrui: tum quia Simonia inhabilem reddit ad nouas prouisiones, seu consecutiones beneficiorum, vt constabit ex dicendis in proximè sequenti difficultate.

Ex dictis ergo constat Simoniam non priuare beneficiis ritè antea obtentis, nec irritare actionem beneficialem ritè antea factam; irritam verò reddere actionem subsequentem, per se ordinatam ad obtinendum beneficium, vt probatum est.

4 Simonia in posteriori beneficio commissa non priuat fructibus prioris beneficij ritè obtenti.

4 Hinc licet inferre committentem Simoniam in posteriori beneficio non priuari fructibus prioris beneficij ritè obtenti. Ratio est, tum quia fructus pertinent ad illum, qui beneficium habet; hic autem habet, & retinet beneficium, vt probaui: tum quia nullo iure probatur istum priuari fructibus prioris beneficij, seu suspẽdi à prioribus beneficiis. Ita communiter Doctores. Existimo tamen per sententiam iudicis priuari posse huiusmodi fructibus in pœnam delicti; sicut enim puniri potest pœna pecuniaria, ita etiam puniri potest priuatione fructuum, habita ratione grauitatis delicti, & sicut delictum Simoniæ adeò graue esse potest, vt pœna corporali puniri possit, ex Pio V. *const. 5.* ita etiam multò magis puniri potest pœna priuationis fructuum, attenta criminis grauitate. Ita Felinus *c. de quarta, n. 32. & seq.* Bernard. Diaz *loco citato*, Rebuffus *in pract. c. de Simonia in resignat. n. 13.* Suarez *n. 8.* Filliucius *loco citato.*

Limitanda tamen est secunda sententia in triplici casu, in quo inducitur priuatio beneficiorum antecedentium.

Primus casus est, in Simonia confidentiali, de qua suprà dictum fuit §. 1.

Secundus est, in Simonia commissa in electione Papæ iuxta Bullam Iulij II. quæ incipit, *cùm tam diuino*, vt pluribus docui *in tract. de elect. Summi Pontificis*; quamuis Suarez *loco citat.* falsò putat illam constitutionem Iulij II. vsu receptam non esse, vel reuocatam fuisse.

5 Examinatores Simoniam committẽtes priuantur beneficiis ritè antea obtentis si occasione examinis aliquid accipiant.

5 Tertius casus est, in Simonia commissa ab examinatoribus beneficiorum in Synodo constitutis, seu electis: isti enim non possunt quicquam occasione examinis accipere; alioquin ipso facto priuantur beneficiis antea ritè obtentis, & tenentur illa dimittere, etiã ante sententiam iudicis, declaratoriam criminis, vt apertè constat ex Tridentino *sess. 24. c. 18. de reformat.* ibi, *Caueant, ne quicquam prorsus occasione huius examinis, nec ante, nec post accipiant, alioquin Simoniæ vitium, tam ipsi, quàm alij, dantes incurrant, à qua absolui nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur.*

Ex quibus verbis colligitur primò, examinatores beneficiorum priuari beneficiis antea obtentis, si occasione examinis siue ante, siue post, aliquid accipiant, etiam gratis, & liberaliter datum, & ad captandam beneuolentiam, etiã si res modica sit, & leuis momẽti: nam Concilium prohibet, quicquam prorsus accipi, vt benè ait Garzias *de benef. part. 9. c. 2. n. 390.* quicquid in contrarium dicat Petrus Ledesma *in summa 2. parte tract. 7. c. 1. concl. 7.* & Zerola *in praxi Episc. verb Parochiæ, §. 2. dub. 13.* An autem res omninò modica, & absolutè leuis, possit esse materia tantæ pœnæ, patet ex dictis *de leg.* de datis, & promissis pro gratia.

Secundò examinatores non posse quicquam pro labore, vel titulo stipendij ad sustentationem ex fructibus beneficij vacantis, vel alia ratione accipere. Ratio est, tum quia Concilium prohibet quicquam prorsus occasione examinis accipi. Vbi notanda est illa loquendi forma, *occasione examinis*; excludit enim quemlibet titulum, ex quo alias aliquid licitè accipi potuisset: tum quia sic declarauit Sacra Cardinalium Congregatio *in vna Gerund.* quam refert Garzias *part. 8. cap. 1. n. 77. & in altera Abulen.* apud Gaziam *part. 5. c. 7. n. 11. vers. ad 2. & in alia Salernit.* apud eumdem *par. 9. c. 2. n. 374.* contra Petrũ Ledesmam *loco citato*, Petrum Nauar. *de restit. lib. 2. c. 2. num. 188.* & alios.

6 Examinatoribus conferri potest aliquid ab Episcopo titulo præmij, vel sustentationis.

6 Addit tamen idem Garzias *n. 379.* Episcopum posse aliquid de suo præfatis examinatoribus conferre titulo præmij, vel stipendij, seu sustentationis: quod mihi improbabile non videtur, quia Concilium loqui non videtur de Episcopis.

7 Examinãs assistens ex officio non potest quicquam accipere.

7 An autem ipse Episcopus, vel eius Vicarius assistendo examini possint aliquid accipere, patet ex alibi dictis non posse: tum quia tenentur ex officio, & aliunde habent quo se sustententent: tum quia sicut non possunt sportulas ex prouisionibus accipere. Ita neque ob examen, quod est via, medium, & præparatio ad prouisionem beneficij, vt benè Garzias *n. 380. & seq.*

Tertiò colligitur Episcopum non posse in Synodo, vel extra Synodum statuere stipendium examinatoribus in Synodo deputatis: tum quia sic declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, teste Garzia: tum quia inferiores Papa nequeũt statuta facere contra ius commune. Contrarium tamen vsu receptum esse in Hispania, testantur Petrus Ledesma & Garzias *locis citatis.*

Ad primam rationem primæ sententiæ initio allatæ, respondeo in pœnis non esse argumentandum à pari, & multò minus à maiori ad minus: Simonia autem non est hæresis, propriè loquendo, licet vocetur hæresis, vt alibi docui; consequenter non punitur hac pœna hæreticorum.

Ad secundam respondeo primò, Simoniam in beneficio non inducere suspensionem ab ordine, vel ab officio, de qua re suprà, & *c. tanta.* intelligitur de simoniaco in ordine: hic enim remanet suspensus, consequenter repellitur à celebratione Missæ, etiam peracta pœnitentia: nisi dispensetur, vt suprà ostendi. Ita glossa *in c. tanta.*

Secundò, etiamsi admitterem suspendere ab ordine, & ab officio, non tamen priuaret beneficiis, vel ab illis suspenderet; cùm aliud sit suspensio ab officio, aliud suspensio à beneficio, vt docui de censuris.

Ad tertiam respondeo, simoniacam adeptionem beneficij impedire retentionem illius beneficij, quod per Simoniam obtentum fuit, non verò aliorum, nisi delinquens per sententiam priuetur; nam posita sententia priuatiua, illud retinere non potest: hoc pacto intelligitur *c. inquisitionis, de accusat.*

Ad quartam nego primò pœnam priuationis formaliter impositam fuisse iure antiquo, etiam vt ferendam; sed solùm virtualiter ratione dispositionis comminatoriæ; quam tamen constat non statim incurri ob dispositionem Extrauagantis.

Secundò nego in Extrauaganti 2. induci priuationem præcedentium beneficiorum, sed illorum, quæ simoniacè obtinentur.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Vtrùm simoniacus in adeptione beneficij efficiatur inhabilis ad alia beneficia.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Simoniacus in beneficio inhabilis est ad obtinẽdum idem beneficiũ, in quo Simoniam commiserat.

1 SImoniacus in beneficio efficitur inhabilis ad obtinendum illud idem beneficium, in quo Simoniam commiserat, nisi habilis ad illud efficiatur per dispensationem. Hæc propositio clarè deducitur ex *cap. si alicuius, de elect.* vbi habetur Episcopum non posse cum eo, qui simoniacè electus fuerat ad dignitatem, dispensare, vt ad eamdem dignitatem eligatur; ergo signum est Simoniam inducere inhabilitatem ad obtinendum idem beneficium.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Simoniacus in beneficio efficitur etiam inhabilis ad alia beneficia in futurum obtinenda: hæc propositio perspicuè constat ex

2 Simoniacus in be-

neficio Inhabilis est ad alia beneficia.

ex Bulla 5. Pij V. in qua dicitur; *Illis sit ipso iure priuatus, & perpetuò sit inhabilis ad ea, & quæcumque alia beneficia Ecclesiastica obtinenda.*

3 Inhabilitas ad beneficia cõtracta ob Simoniam incurritur ipso facto.

3 Sed modò dubium est primò, vtrùm inhabilitas ad alia beneficia incurratur statim completa Simonia reali; an requiratur sententia iudicis.

Respondent Petrus Nauarr. *lib.2.cap.2.num.435. & seq.* Arragon. 2.2.*quæst.*100. *art.6.dub. penult.* & Nauarr. *cons.* 91. *num.* 5. *& consil.* 92. *num.5. de Simonia*, præfatam inhabilitatem non incurri ipso iure, donec delinquens condemnetur. Ratio est, tum quia ex constitutione Pij V. colligitur requiri sententiam condemnatoriam, ibi, *quicumque detestabile crimen simoniacæ prauitatis commisisse conuictus fuerit in consequendis ordinibus*; quæ verba referuntur ad iudicium: tum quia pœna inhabilitatis ad futura beneficia non videtur ita vsu recepta, vt incurratur ante sententiam iudicis, saltem declaratoriam. Huic sententiæ adhæret Suarez *cap.* 58. *ad finem*, adductus hac secunda ratione.

Sed mihi dicendum videtur pœnam inhabilitatis ad futura beneficia incurri ipso facto, ante vllam sententiam. Ratio est, tum quia hæc pœna ipso iure imponitur, & ad sui executionem non requirit hominis actionem; pœna autem ipso iure imposita, quæ ad sui executionẽ non requirit actionem hominis, incurritur ipso facto ante vllam iudicis sententiam, vt docui *de legibus disp.*1.*q.*1. *punct.*7. Tum quia inhabilitas ad obtinendum idem beneficium, in quo patrata fuerat Simonia, incurritur antequam delictum deferatur ad forum contentiosum, & in eo declaretur, vt concedunt etiam Nauarr. & Suarez *locis citatis*; ergo etiam ipso facto incurritur inhabilitas ad alia beneficia ante sententiam simoniaci criminis declaratoriam: tum quia dum in Sacra Pœnitentiaria conceditur absolutio à Simonia occulta in beneficio commissa, datur etiam dispensatio ad alia beneficia in futurum obtinenda; ergo supponitur contractam fuisse inhabilitatem ad alia beneficia: dispensatio enim non conceditur in vinculo, vel impedimento non contracto. Ita Vgolinus *de Simonia tab.* 4. *cap.* 6.§.6. Filliucius *tract.*45.*cap.*13.*quæsito* 9. *num.*26. [Suarez *cap.*58.*sub finem.* Layman *lib.*4.*tract.*10.*cap.*8.*num.*74.]

Ad primam rationem Nauarri respondeo, Pium V. ibi loqui solùm de Simonia in ordine; & illam clausulam in ea parte dispositionis positam non extendi ad totam dispositionem, seu ad alia posita in illa dispositione; sicut enim pœna incarcerationis, quæ in dicta Bulla continetur, non extenditur ad Simoniacos in beneficio; ita neque extenditur præfata clausula, vt benè in hac parte Suarez.

Ad secundam rationem respondeo, præfatam pœnam videri vsu receptam ante sententiam, vt patet ex praxi Sacræ Pœnitentiariæ.

4 Inhabilitas ad beneficia cõtracta ob Simoniam à quonam auferri possit.

4 Secundò dubium est, quis possit in hac inhabilitate dispensare.

Dico primò, ad Papam pertinere conualidationem collationis, & dispensationem inhabilitatis ad beneficium simoniacè obtentum. Ratio est, quia nullus Papa inferior dispensare potest, per se loquendo, in legibus à Pontifice latis, nisi facultatem dispensandi ab ipso impetrauerit, vt patet ex dictis *de legibus.*

Ex quo sequitur Episcopum non posse in hac re dispensare; nisi fortè Simonia commissa fuerit à tertia persona, inscio prouiso, & beneficium sit simplex, & iam facta sit resignatio ab ipso prouiso; in hoc enim casu Episcopus dispensat, iuxta *cap.penult. de elect.* Ita communiter Doctores *in dicto cap.*

Dico secundò, ad Papam etiam pertinere dispensationem inhabilitatis ad alia beneficia obtinenda; vt patet ex allata ratione. Ita Filliucius *tract.*45.*cap.*13.*quæs.*12. *num.* 38. & alij. Quamquam Nauarr. *consil.*32. *de Simon.* Emanuel Sà *eodem verb. num.* 9. [Paulus Layman *lib.*4. *tract.*10. *cap.*8. *num.*73. *&* 74.] & alij putant non opus esse dispensatione, quia Bulla Pij V. inhabilitatem inducens ad officia, & beneficia in futurum obtinenda, intelligitur solùm pro foro externo. Imò Suarez *cap.*61.*de Simon. num.*11. putat non opus esse dispensatione, etiam si præfata Bulla intelligeretur pro foro conscientiæ: quia Bulla Pij V. non videtur vsu recepta, inquit Suarez. Sed contrarium sustinendum est, vt docui *num.* 3. tum quia ex praxi Pœnitentiariæ constat præfatam Bullam vsu receptam esse: tum quia constat de lege; consequenter in ipsius fauorem iudicandum est, cùm ipsa possideat.

Hinc sequitur Episcopum non posse in hac re dispensare, etiam si delictum sit occultum: quia Episcopus, per se loquendo, dispensare non potest in lege Pontificis.

Obiicies, Concilium Tridentinum *sess* 24.*cap.*6. facultatem Episcopis concedit dispensandi in censuris, & irregularitatibus in quibuscumque casibus occultis, excepta irregularitate contracta ob homicidium; sed ista inhabilitas est quædam irregularitas, vel partialis effectus irregularitatis; ergo Episcopus in illa dispensare potest.

Respondent Vgolinus *tab.*4.*cap.*6.§.7.*num.*2. & Henriquez *lib.*13. *cap.* 56. de excommunicatione, Episcopum posse dispensare; modò simoniacus nondum sit condemnatus de Simonia.

Ego verò probabilius censeo Episcopum non posse in hac re dispensare: tum quia hæc non est vere irregularitas: tum quia in praxi ita receptum est: tum quia facultas Episcopis concessa in Tridentino *loco citato* non extenditur ad casus post Concilium reseruatos, iuxta quamdam Gregorij XIII. & Sacræ Congregationis declarationem, & multorum Doctorum sententiam, Suarez *loco cit. num.* 11. *ad fin.* Lessij *lib.*2.*cap.*35. *dub.*25. *num.*140. & aliorum, quos retuli *de censuris in particulari*, contra multos alios Doctores, qui hanc vltimam rationem non admittunt, [& ego etiam aliquando non admisi.]

PVNCTVM III.

Vtrùm Simonia inducat obligationem restituendi accepta simoniacè.

VT gradatim in hac re progrediar, explicabo

Primò, vtrum is, qui pretium pro re spirituali accepit, teneatur restituere pretium acceptum, & quo iure teneatur, & cui.

Secundò, vtrùm is, qui rem spiritualem pro temporali accepit, teneatur illam restituere.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Vtrùm is, qui pretium pro re spirituali accepit, teneatur restituere pretium acceptum, quo iure teneatur, & cui teneatur.

IN hoc puncto explicabo primò, vtrùm is, qui pretium pro re spirituali accepit, sed rem spiritualem nondum tradidit, teneatur ad restitutionem pretij, quo iure, & cui.

Secundò, vtrùm is, qui pretium accepit, & rem spiritualem tradidit, teneatur pretium restituere, quo iure teneatur, & cui.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Pretium acceptum pro re spirituali restituẽdum est iure diuino, etiãsi res spiritualis nondum tradita sit.

1 QVi pretium accepit, sed rem spiritualem nondum tradidit, tenetur iure naturali diuino pretium restituere. Ratio est, tum quia datum ob causam retineri non potest, causa non subsecuta; censetur enim datum sub conditione, & tradens censetur solùm habuisse voluntatem transferendi dominium, adimpleta conditione: sed pretium datum est pro re spirituali, quæ nondum tradita fuit, vt suppono, nec licitè tradi potest, cùm is qui pecuniam accepit pro re spirituali, grauiter peccet tradendo rem spiritualem: nam tradendo rem spiritualem complet Simoniam, à qua quilibet abstinere debet, ne grauiter peccet, & censuras incurrat in casibus in iure expressis; ergo pretium datum pro re spirituali restituendum est: tum quia pretium acceptum pro re spirituali, vt sic, retineri non potest, etiam tradita re spirituali; ergo multò minus retineri potest non tradita re spirituali, cùm non sit adimpletum onus, seu conditio sub qua traditum fuit pretium. Ita communiter Doctores, teste Suarez *lib.* 4. *de Simonia cap.*59.*num.*2. & patet ex dictis *de restitutione disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.*3.*num.*2. vbi docui accepta ob turpem causam, seu pro illicito opere patrando, restituenda esse; pecunia autem in nostro casu tradita fuit pro tradenda re spirituali, quæ est actio intrinsecè mala, & simoniaca. Ita Azor.3.*part.lib.*12.*tit.de Simonia, cap.*20.*quæs.*4. & alij Doctores statim citandi.

2 Pretium pro re spirituali acceptum, re spirituali nondum tradita, cui restituendum sit.

2 Quæres, cui restituendum sit pretium acceptum pro re spirituali, quæ nondum tradita fuit.

Respondeo restituendum esse illi, qui tradidit: nam is adhuc retinet ius ad illud, cùm non donauerit, nec habuerit intentionem transferendi illud in accipientem, sed sub conditione, & ex pacto oneroso. Non adimpleta igitur conditione, pretium restituendum est tradenti: tum quia, vel est restituendum tradenti, vel Ecclesiæ, vel pauperibus, sed non est restituendum Ecclesiæ, vel pauperibus, cùm nullo iure probetur pauperibus, vel Ecclesiæ restituendum esse; ergo restituendum est tradenti. Ita Victoria 2.*parte, relect. de Simon. num.* 6. Sotus *lib.*9.*de iust.q.*8.*art.*5. Caiet. *in Summa verb. Simonia*; Nauarr. *in manuali cap.*23.*num.*104. Suarez *cap.*59.*num.*2. Filliucius *tract.* 45. *cap.*13.*quæsito* 10.*num.*27. [Paulus Layman *lib.*4. *tract.*10. *cap.*8.*num.* 79. Bannes 2.2. *quæst.*32.*art.*7. *concl.*14.] Molina, Vasquez, Lessius, Reginaldus, & alij, quos retuli *de restitut. loco citato*, *num.* 11. quicquid nonnulli Doctores in contrarium sentiant, quibus adhæret Azor.3.*parte, lib.*12.*cap.*20.*quæsito* 11. negantes restitutionem faciendam esse tradenti, sed Ecclesiæ.

Obiicies, lucrum turpiter acceptum non est restituendum tradenti. *l. si ob turpem, ff. de condict. ob turpem causam, & l.*2.*C. eod. tit.* in hoc autem casu lucrum est turpe, cùm traditum, & acceptum fuerit pro re spirituali, quæ pretio æstimabilis non est, nec sine labe Simoniæ vendi potest.

Respondeo lucrum turpe non esse restituendum tradenti, quoties iudex in pœnam delicti imponit onus restituendi pretium pauperibus, aut alteri, & hoc pacto intelligendæ sunt præfatæ leges; in nostro autem casu iudex non imposuit onus tradenti pretium pauperibus, aut alteri; quamuis delinquens dignus effectus sit, vt puniatur pœna priuationis pretij soluti, illudque pauperibus, vel alteri applicetur.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Pretium simoniacè, sed non iniustè acceptum, non est obnoxium restitutioni iure naturali diuino.

3 QVi pretium simoniacè accepit, sed non iniustè, seu cum iniuria, & iniustitia contra ipsum tradentem, non tenetur iure naturali diuino ad restitutionem pretij accepti. Qui verò pretium simoniacè, & iniustè accepit, videlicet pro re spirituali cum iniuria, & iniustitia contra ipsum tradentem, tenetur ex iure naturali diuino ad restitutionem pretij.

Hæc propositio duas habet partes. Prima est pretium acceptum simoniacè, sed absque iniuria, & iniustitia cõtra ipsum tradentem cõmissa, non esse obnoxium restitutioni. Ratio est, quia obligatio restituendi ob delictum non consurgit ex quolibet delicto, sed ex peccato iniustitiæ; qui autem pretium simoniacè accepit sine iniuria, & iniustitia in tradentem pretium, non peccauit peccato iniustitiæ, sed peccato Simoniæ; Simonia enim non est iniustitia, sed irreligiositas, & actio sacrilega, quæ committi potest aliquando sine peccato iniustitiæ, vt supra docui *quæst.*3. ergo accipiens pretium simoniacè absque iniuria tradentis, non tenetur ad restitutionem. Ita Suarez *cap.* 59. *num.*35. [Paulus Layman *lib.*4. *tract.*10. *cap.*8.§.9.] Lessius, Filliucius, Victoria, Syluester, Caiet. & alij locis proximè citandis, contra Valentiam, Sotum, & alios absolutè arbitrantes restituendum esse pretium simoniacè acceptum, & contra Panormitanum, & alios apud Azor. 3.*par.lib.*12.*cap.*20.*quæsito* 1. existimantes, restituendum esse acceptum simoniacè contra ius diuinum, non verò acceptum simoniacè contra ius Canonicum.

4 Contractus simoniacus an irritus sit.

4 Obiicies, contractus simoniacus irritus est. *cap. vltimo de pactis*; sed accepta per contractum irritum retineri non possunt, cùm non adsit titulus, ob quem retineri queant: imò *in cap. ea quæ*, 1. *quæst.* 3. irritatur quicquid acquiritur data, vel promissa pecunia in rebus Ecclesiasticis: ergo acceptа simoniacè restituenda sunt, etiamsi accepta sint absque iniuria, & iniustitia.

Respondeo primò pretium non retineri ex vi contractus præcisè, sed ratione rei materialis æquiualentis traditæ cum culpa quidem Simoniæ, sed non iniustitiæ, vt constabit exemplis infrà adducendis.

Respondeo secundò retineri posse ex titulo contractus, quoties tradita est res spiritualis habens adnexam rem temporalem, & materialem pretio æstimabilem, & pretium æquialet valori illius rei, spectatæ secundùm esse materiale; tunc enim contractus non videtur inualidus excepto contractu in materia beneficiali: tum quia vtile per inutilie non vitiatur: tum quia *in cap. vlt. de pactis*, non irritatur, vel declaratur irritus omnis contractus simoniacus; sed omnis pactio, & conuentio de tradenda re temporali pro spirituali, vel è contra.

Vt hoc clariùs intelligatur, obserua contractum dupliciter iniri posse, primò de futuro, obligando se ad tradendum, vel recipiendum temporale pro spirituali. Secundò de præsenti, exequendo obligationem, id est, tradendo rem spiritualem, vel pretium. Hoc posito, dico in præfato textu irritari, vel potiùs declarari irritam pactionem, & conuentionem, seu contractum de futuro, quia nullus obligari potest ad turpem actum; non verò irritari ipsammet contractus executionem, seu traditionem rei, vel pretij, quæ suum effectum habere potest, etiamsi illicitè fiat, & non adsit obligatio exequendi, vt patet in meretrice, quæ pactum init de copula certo pretio; nam huiusmodi pactum non inducit obligationem ante secutam copulam, quia nullus obligatur ad rem agendam, à qua abstinere tenetur; nihilominus valida est traditio pretij, ita vt meretrix non teneatur, secuta copula pretium restituere.

Item si ordinandus pactum ineat de ordinibus præuia pecunia suscipiendis, inualidè pactum init, & tamen ipsa ordinum susceptio tenet quoad substantiam: ergo etiam in nostro casu fieri potest, vt collatio pretij teneat, & pretium retineri possit titulo contractus, seu traditionis validæ, quamuis irrita esset conuentio, & pactum de pretio tradendo pro re spirituali. *cap. ea, quæ*, 1. *quæst.* 3. irritat ordines simoniacè obtentos, non quidem quoad substantiam, sed quoad exercitium, vt alibi docui cum communi Doctorum sententia.

5 Pretium simoniacè & simul iniustè acceptum restituendum est iure naturali diuino.

5 Secunda pars propositionis est, pretium simoniacè, & simul iniustè acceptum, videlicet pro re spirituali, restituendum esse ex iure naturali diuino. Ratio est; tum quia ex violatione iustitiæ commutatiuæ oritur obligatio restituendi: tum quia is, qui pretium accepit pro re spirituali, peccauit contra iustitiam exigendo, vt patebit ex tertia ratione: ergo peccat etiam retinendo, cùm sit par ratio exactionis, & retentionis: ergo tenetur restituere: nam restituendum est, quod iniustè retinetur. Tum quia is, qui pretium tradidit pro re spirituali, ius habebat ex priuilegio diuino, vt res spiritualis sibi gratis conferretur, iuxta illud, *gratis accepistis, gratis date*; ergo qui pretium accepit pro re spirituali, violauit ius alterius; consequenter peccauit contra iustitiam cum damno alterius, consequenter tenetur ad restitutionem pretij accepti, non solùm ex iure naturali, verùm etiam diuino. Tum quia accipiens aliquid supra id, quod sibi debetur, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem; sed accipiens pretium pro re spirituali, accipit aliquid supra id, quod sibi debetur. Quamuis enim ministranti spiritualia debita sit sustentatio, seu stipendium, non tamen debetur pretium, seu merces, seu aliquid temporale, excedens sustentationem. Tum quia dominium rerum spiritualium, vt sic, non cadit sub hominum potestatem, sed residet penes Deum, & Deus dedit hominibus facultatem solùm illa gratis conferendi, & fidelibus concessit ius ad illa gratis obtinenda; qui ergo spiritualia pro pecunia administrat, iniustitiam committit, quia excedit ius sibi datum, & priuat fideles iure sibi à Christo concesso. Tum quia is, qui pro re spirituali ingentem pecuniæ summam tradidit, vt si pro Baptismo, vel Eucharistia decem millia aureorum non gratis, nec liberaliter contulit, potest pecuniam traditam repetere, vel vti occulta compensatione; sed occulta compensatio solùm concedi solet contra eum, qui debitor est ex iustitia; ergo is, qui pretium pro re spirituali accepit, debitor est ex iustitia, consequenter ex iustitia tenetur ad restitutionem. Ita Suarez *cap. 59. num.* 11. Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 28. num. 262.* Filliucius *loco citat.* Valentia *punct. 6. de Simonia*, & alij. Idem à fortiori sentiunt Couar. *reg. peccatum. 2. parte §. 2. num. 7.* Nauar. *cap. 17. num. 32.* & alij, absolutè sentientes vendentem simoniacè rem spiritualem, teneri ex iure naturæ ad restitutionem pretij. Contrarium docent Victoria *2. part. relect. de Simonia num. 4.* Sylvester *verbo Simonia quæsito 20.* Caiet. *verbo Simonia sub finem*, Nauar. *cap. 23. num. 103.* & alij Canonistæ communiter, negantes simoniacum teneri ex natura rei ad restitutionem pretij accepti pro re spirituali. Rationes, & fundamenta istorum Doctorum afferam in obiectionibus proximè adducendis.

Obiicies primò, Simonia est peccatum contra religionem; peccatum autem contra religionem non inducit obligationem restituendi.

Respondeo, Simoniam non inducere obligationem restituendi, dum soli religioni aduersatur, & non habet adiunctam alterius speciei malitiam. Secus si coniunctam habeat malitiam iniustitiæ.

Obiicies secundò, nemo tenetur ad restitutionem rei suæ, sed qui pretium pro re spirituali accepit, est dominus pretij accepti; nam tradens pecuniam, intentionem habuit verè abdicandi à se dominium illius, & transferendi in alium.

Respondeo tradentem pecuniam non habere intentionem transferendi illam in alium, aut donandi, sed solùm habere intentionem soluendi, quatenus debet, seu quatenus alter iustè potest exigere, vt à simili patet in vsura, quam mutuatarius soluit pro mutuo; mutuatarius enim non intendit liberaliter tradere aliquid supra sortem mutuanti; sed solùm quatenus ex iustitia debet, & quia pretium illud non debebatur ex iustitia, nec iustè exigi poterat, sequitur verè non acquiri accipienti. Ita Lessius *dub. 28. num. 164.* Suarez *cap. 59. num. 26.* & alij, quos in simili retuli *de contractibus*, dum loquerer de obligatione restituendi accepta per vsuram.

Obiicies tertiò, res spiritualis accepta simoniacè pro re temporali non est restituenda: ergo neque restituendum est pretium simoniacè acceptum pro re spirituali.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis constabit ex dicendis difficultate proximè sequenti.

Obiicies quartò, Ecclesia non obligat generaliter ad restitutionem pretij simoniacè accepti: ergo signum est simoniacum non teneri iure naturæ ad restitutionem pretij, sed solùm iure Ecclesiastico, in casibus in iure expressis, de quibus infrà.

Respondeo negando consequentiam; nam Ecclesia expressè non vetuit; quidquid iure naturali, & diuino interdictum fuit, vt per se constat.

Aliam obiectionem afferam *num.* 22. desumptam ex Simonia mentali.

Hinc sequitur primò, pretium datum ad redimendam iniustam vexationem, in causa spirituali, restituendum esse; quia qui accepit iniustè, extorsit, & ab inuito accepit. Ita communiter Doctores.

6 Obligatus ex iustitia, ad aliquam functionē gratis præstādam tenetur ad restitutionem pretij accepti pro illa functione.

6 Secundò obligatum ex iustitia ad functionem spiritualem gratis præstandam, vt Parochum obligatum ad ministranda Sacramenta, Episcopum ad concedendas dispensationes, confecrationes, & his similia, teneri ad restitutionem pretij accepti pro his functionibus exercendis: tum quia accipiendo pretium peccauit contra iustitiam, cùm has functiones ex officio, & gratis præstare teneretur, vt suppono. Tum quia sicut miles, qui iam stipendium accepit, si militare nolit, nisi nouo stipendio accepto, peccat contra iustitiam; ita etiam contra iustitiam peccat Sacerdos, qui ex iustitia, seu ex officio ministrare tenetur, sed renuit ministrare, nisi nouum stipendium sibi tradatur. Ita Suarez *num.* 12. Filliucius *cap. 13. num.* 28.

7 Vendens beneficia, vel officia, quorū non est dominus, tenetur ad restitutionē pretij accepti.

7 Tertiò sequitur, Prælatum Ecclesiæ vendentem beneficia, vel officia Ecclesiæ, quorum non est dominus, sed distributor, vel dispensator, teneri ad restitutionem pretij accepti. Ratio est, tum quia vendens rem non suam peccat contra iustitiā; hic autem vendit rem non suam. Tum quia ex vi muneris sui tenetur hæc gratis præstare; qui autem aliquid accepit ab eo, cui tenetur obsequium aliquod gratis præstare, peccat contra iustitiam. Tum quia sicut heres, qui ex voluntate testatoris tradere tenetur aliquas dotes Virginibus, aut legata certis personis eligendis arbitrio heredis, peccat contra iustitiam exigendo aliquid solùm pro eligendis illis, iuxta communiorem, & probabiliorem sententiam; ita peccat contra iustitiam Prælatus, &c. Suarez *num.* 13. [Paulus Layman *num.* 82.] Filliucius, & alij, contra Lessium *cap. 35. dub. 28. num. 161.*

8 Electores beneficiorum accipiētes pretium pro eligendo digno, & omittendo indigno, tenentur iure naturæ ad restitutionem.

8 Quartò sequitur electores beneficiorum, qui pretium accipiunt pro eligendo digno, & prætermittendo indigno, teneri iure naturæ ad restitutionem pretij accepti, quia accipiunt indebitum, cùm teneantur ex officio dignum eligere. Idem probabilius dicendum arbitror si pretium accipiant pro eligendo digniore, prætermisso digno, adhuc enim tenentur ex officio digniorem eligere, seu electionem iustam facere: consequenter si quid accipiant pro eligendo digniore, videntur illud accipere pro actione, ad quam ex officio tenentur. Ita Suarez *loco cit. num.* 14. [Layman *num.* 82.] Caiet Nauar. Rebellus, & alij, quos retuli *de contractibus, disp. 1. q. 1. punct. 1. nu.* 13. contra Lessium *lib. 2. cap. 35. dub. 28. num. 161.* Toletum, & alios, quos retuli *de beneficiis* negantes teneri iure naturali diuino ad restitutionem, quia electror, vel collator non accipit illud tamquam pretium electionis, vel collationis; sed in cōpensationem emolumenti, quod tibi conferre non tenebatur, vel tenebatur solùm ex iustitia distributiua, cuius violatio non inducit obligationem restituendi. Verùm hæc ratio non obstat, vt patet, tum ex rationibus à me allatis, tum ex dictis *de contractibus quæst. 1. puncto 1.*

9 Reliquiarum pretiū acceptum restituendum est.

9 Quintò sequitur accipientem pecuniam tamquam pretium reliquiarum, teneri ad restitutionem pretij accepti, quia reliquiæ ratione materiæ nihil valent, & vt sic non sunt pretio æstimabiles: ergo si pretium accipitur, videtur accipi ratione sanctitatis illius personæ, cuius sunt reliquiæ: pretium autem pro re spirituali acceptum, obnoxium est restitutioni. Ita Suarez *num.* 21. 34. 42. & 43. [Paulus Layman *lib. 4. tract. 10. cap. 4. num. 6.*]

Contrarium docet Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 28. num. 158. & seq.* vbi etiam addit eum, cui reliquiæ per vim, vel furtum sublatæ sunt, posse, dum reliquias recuperare non potest, petere compensationem pecuniariam, quia cùm priuatio bonorum spiritualium sit magnum damnum, & pro damno exigi possit compensatio, sequitur petentem compensationem in tali euentu pro reliquiis, aut transferentem reliquias, posse pecuniam petere ratione damni, quod subit priuando se reliquiis. Sed hæc ratio mihi non probatur, quia si incommoditas illa est spiritualis; consequenter æstimabilis non est; consequenter vendi non potest. Alioquin sequeretur semper mihi licitum esse vendere actiones spirituales, & satisfactiones propter incommoditatem, quam subeo priuando me illa satisfactione, & fructu, quem alteri applico, vt bene Suarez *num.* 42. [& Paulus Layman *nu. 6. ad finem.*]

10 Pretium acceptum pro vasis sacris, Oleo sancto, Chrismate, & his similibus, non est obnoxium restitutioni, si pretium æquialeat valori materiæ.

10 Sextò sequitur accipientem pecuniam pro vasis sacris, granis benedictis, Chrismate, Oleo sancto, & his similibus, non teneri ad restitutionem, si pecunia æquialeat valori illius materiæ præcisè. Si verò aliquid plus accipiat ratione consecrationis, benedictionis, vel rei sacræ, tenetur ad restitutionem istius excessus, tum quia non fuit seruata æqualitas; cùm enim res spiritualis, & sacra sit altioris ordinis, quam sint res humanæ, nec lege, vel prudenti hominum æstimatione iustum pretium pro illa constitui, & taxari possit; sequitur non posse sub humanum contractum cadere, & æqualitatem inter ipsam, & temporale pretium seruari; obligatio autem restituendi nascitur ex inæqua-

inæqualitate inter contrahentes: tum quia homo non est absolutus dominus rei spiritualis, vt sic, sed Deus, consequenter homo non potest illam distrahere, nisi iuxta ius, & facultatem sibi à Deo traditam; Deus autem tradidit ius, & facultatem alienandi solùm gratis, & non præuio pretio, & ius contulit fidelibus obtinendi spiritualia gratis: ergo accipiens pretium pro re sacra, habita ratione spiritualitatis, violat ius tradentis pecuniam; consequenter tenetur ad restitutionem.

11 Pretium acceptum pro functione spirituali quantum valet ipsa functio per se, & materialiter spectata, non est obnoxium restitutioni.

11 Septimò sequitur accipientem stipendium pro functione spirituali, quantum valet ipsa functio secundùm se, & materialiter considerata, non teneri ad restitutionem; modò ad illam præstandam non teneatur ex officio, & non excedat in pretio, habita ratione spiritualitatis. Ratio est, quia licèt illa actio sit res sacra, & eleuata ad esse supernaturale, seu spirituale, & consequenter vendi non possit sine sacrilegio, & labe simoniæ; nihilominus, quia etiam est actio naturalis, materialis, & corporea, quæ sub humanum contractum cadit, & secundùm se est pretio æstimabilis, sequitur accipientem pretium non teneri iure naturæ ad restitutionem pretij accepti, modò non plus accipiat, quàm valeat illa actio secundùm se, & materialiter considerata; nihil enim accipit supra æqualitatem, cùm tantum accipiat, quantum valet ipsa actio materialiter spectata. Idem à fortiori dicendum est, si pretium accipiatur loco stipendij debiti ad sustentationem, & non per modum pretij.

12 Pretium functionis spiritualis non est obnoxium restitutioni, si accipiens poterat tantumdē exigere titulo sustentationis.

12 An autem is, qui pecuniam accepit tamquam pretium functionis spiritualis, pro qua poterat stipendium, id est, sustentationem exigere, teneatur ad restitutionem pecuniæ acceptæ.

Respondeo non teneri, modò non acceperit plus pecuniæ, quàm debitum illi esset ad sustentationem pro illa actione spirituali. Ratio est, quia licèt Simoniam cōmiserit, accipiendo pretium pro actione spirituali, tamen à parte rei nullam commisit inæqualitatem; sed solùm in modo peccauit, accipiendo tamquam pretium id, quod accipere poterat titulo stipendij, & sustentationis, consequenter mutare potest intentionem, retinendo in stipēdium, quod priùs tamquam pretium acceperat. Ita Suarez *num.* 16. & alij, quos in simili retuli de horis Canonicis, dum loquerer de illo, qui officium recitauit absque animo satisfaciendi præcepto, intendens illud iterum recitare intentione adimplendi præceptum.

13 Vendens officium Ecclesiæ non tenetur ad restitutionē pretij, si officium illud adnexum habeat temporale cōmodum.

13 Octauò sequitur illum, qui habet aliquod officium Ecclesiæ, cui est annexum commodum, seu emolumentum temporale, non teneri ad restitutionem pretij accepti in venditione illius officij. Ratio est, quia licèt Simoniam committat vendendo illud officium cōtra prohibitionem Ecclesiæ; tamen quia priuat se commodo temporali in gratiam alterius, non peccat contra iustitiam, exigendo pretium ab eo, in cuius gratiam priuat se illo commodo, & emolumento. Ita Lessius *loco citato num.* 118. Suarez *num.* 36. Filliucius *loco citato*, [Paulus Layman *num.* 82.] & alij communiter. Secus dicendum est de Prælato conferente alteri officium Ecclesiasticum, quod ipse non possidebat tamquam proprium, vt patet ex rationibus allatis *illatione* 3. *num.* 7.

14 Beneficiarius vēdens beneficium ratione commodi temporalis non tenetur iure naturali ad restitutionē pretij.

14 Nonò sequitur beneficiarium, qui beneficium in alium transfert, accepto pretio ob priuationem commodi temporalis, quod ex illo beneficio percipiebat, non teneri iure naturali diuino ad restitutionem pretij, quia non peccat contra iustitiam accipiendo pretium pro temporali emolumento annexo beneficio. Quamuis enim huiusmodi emolumentum vendi non debeat propter cōnexionem cum iure spirituali, vt suprà docui; tamen secundùm se est pretio æstimabile, & vēditur quantum valet ratione illius emolumenti, quo beneficiarius se priuat, detracta æstimatione onerum, quæ beneficiarius dimittit, & ab alio suscipiuntur, vt suppono, consequenter beneficiarius non committit iniustitiam; consequenter non obligatur ad restitutionem.

Nec obstat, quòd alter non acquirat beneficium, quia in hoc casu non spectatur hæc ratio, sed attenditur dimissio beneficij, & priuatio emolumenti, quo quis se priuat in gratiam alterius, quæ dimissio, & priuatio est pretio æstimabilis ob incommoditatem temporalem quam affert dimittenti. Dixi *iure naturali diuino*, quia quid sentiendum sit de iure Ecclesiastico, constabit ex infrà dicendis.

15 Religio pretio admittēs aliquem non tenetur iure naturali ad restitutionē, modò non plus accipiat, quàm ferat onus sustētationis.

15 Decimò sequitur monasterium pretio admittens aliquem ad religionem, non teneri iure naturali ad restitutionem, modò non plus accipiat, quàm ferat onus alimentorum. Ratio est, quia licèt admissio ad religionem sit res spiritualis, & pretium pro illa accipi nequeat absque Simonia, nihilominus quia monasterium subit onus alendi religiosum, quod est pretio æstimabile, sequitur monasterium posse pecuniam illam retinere, non tamquam pretium admissionis ad religionem, sed ratione temporalis oneris, & alimentorum. Et hoc verum videtur, etiamsi pecunia illa tradita sit à tertia persona, vel ab ipso religioso, etiamsi religiosus ante professionem testamento reliquerit omnia sua bona aliis: nam re ipsa non fuit facta inæqualitas inter dantem, & accipientem, cùm monasterium acceperit quantum exigere poterat titulo sustentationis; sed error fuit in intentione, & modo; modus autem non inducit obligationem restituendi, sed actio ipsa iniusta, seu iniusta retentio contra rationabilem tradentis voluntatem. Ita Suarez *num.* 41. Filliucius *num.* 30. Lessius, [Paulus Layman,] & alij *locis citatis*.

16 Imaginis miraculosæ pretium acceptum ob lucrum, vel ob aliud commodū temporale, restituendum non est iure naturæ.

16 Vndecimò sequitur vendentem rem spiritualem, habita ratione materiæ, vel actionis, vel alterius circumstantiæ pretio æstimabilis, non teneri ad restitutionem pretij, modò seruetur æqualitas inter pretium, & rem, quæ pretio commutatur, tunc enim non committitur iniustitia; consequenter non contrahitur obligatio restituendi; quamobrem excusari potest ab obligatione restitutionis, qui pretio vendit imaginem miraculosam, ex qua lucrum percipiebat, aut qui pecuniam accipit ob honorem humanum, aut peculiarem voluptatem, quam percipiebat ex vsu, vel possessione illius rei, qua se priuat propter alium. Ita Suarez *num.* 41. Lessius, Filliucius, Layman, & alij.

Idem militat in eo, qui fundum, cui adnexum est iuspatronatus, carius vendit, non ratione iurispatronatus præcisè; sed ob temporale commodum, quod illi patronatui coniunctum est, & quo se priuat propter illum, cui fundum vendit. Si verò pluris vendidit ratione iurispatronatus vt sic, perspicuum est teneri ad restitutionem pretij excedentis valorem materiæ, quia ea in parte iniustitiam commisit, vt benè Suarez *num.* 34. [Paulus Layman,] & alij.

17 Pretium acceptum pro re spirituali non est restituēdum iure Ecclesiastico, generaliter loquendo.

17 Sed modò dubium est primò, vtrùm, qui pretium pro re spirituali accepit, teneatur illud restituere, non solùm iure naturali, vt in præcedentibus probatum est, verùm etiam iure Ecclesiastico.

Respondeo non extare legem Ecclesiasticam generaliter obligantem ipso iure ad restitutionem pretij. Ratio est, tum quia hæc lex assignari non potest, tum quia dum Ecclesia imponit obligationem restituendi ob crimen Simoniæ, illam imponit per modum pœnæ; pœnæ autem Ecclesiasticæ ipso facto latæ contra simoniacos non habent locum, nisi in tribus casibus: ergo obligatio restituendi imposita ab Ecclesia locum solum habet in dictis casibus. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 30. *num.* 195. Suarez *lib.* 4. *de Simonia capite* 60. Filliucius *cap.* 3. *quæsito* 11. *num.* 31. & alij, quamuis nonnulli Doctores existimauerint Ecclesiam generaliter obligare ad restitutionem pretij accepti in Simonia reali.

Obiicies, *in cap. vltimò, de Simonia* habetur, ex Simonia mentali non oriri obligationem restituendi: ergo tacitè indicatur, ex Simonia reali nasci obligationem restituendi pretium acceptum.

Respondeo in eo textu non definiri, nec indicari, generalem obligationem restituendi consurgere ex Simonia reali; sed supponi ex aliqua nasci, ibi tamen non definitur, quandonam, & in quibus casibus huiusmodi obligatio consurgat.

Obiicies secundò, *in cap. audiuimus, de Simonia*, plures percensentur casus, in quibus inducitur obligatio restituendi: ergo signum est extare generalem obligationem.

Respondeo in præfato textu præcipi duplicatam restitutionem rerum simoniacè acceptarum, hæc tamen pœna non obligat ante sententiam; sed post sententiam, si pœna exigatur, vt patet ex illis verbis, *exacta duplicata restituat*, vt bene Suarez *num.* 13. contra Lessium *num.* 131. *dub.* 31. Præcipitur autem præfata pœna Ecclesiæ, vel monasteriis solui, quia læsa fuerat Ecclesia, & locus religiosus.

Dixi in responsione primi dubij, non extare legem Ecclesiasticam generaliter obligantem, vt innuerem extare legem Ecclesiasticam obligantem in aliquibus casibus ad restitutionem pretij simoniacè accepti, etiamsi fortè aliàs non adesset obligatio restituendi iure naturali diuino.

18 Pretium pro re spirituali acceptū quibus in casibus iure Ecclesiastico restituēdum sit.

18 Rogabis primò, in quibus casibus Ecclesia obliget ad restitutionem pretij.

Respondeo in tribus casibus.

Primus est in pretio simoniacè accepto pro collatione beneficij, vel pro alia actione ordinata ad prouisionem beneficij, vt pro electione, præsentatione, confirmatione, & similibus, vt patet ex *cap. de hoc, de Simon.* vbi Pontifex mandat Regem, & Principes inducendos esse ad restituendum, quod acceperant, præstando consensum electioni Episcopi. Et ibi redditur ratio cur ad huiusmodi restitutionem inducendi sint, quia scilicet ea sine graui suæ salutis periculo retinere non possunt.

Addo primò restitutionem pretij simoniacè accepti pro actione ordinata ad prouisionem beneficij, faciendam esse ante sententiam iudicis; sic enim colligitur ex *cap. de hoc, de Simon.* vbi generaliter asseritur accepta pro præstando consensu ad electionem restituenda esse, quia retineri non poterant sine periculo propriæ salutis: ergo signum est, quælibet bona temporalia accepta simoniacè pro actione ordinata ad consecutionem beneficij, restituenda esse in conscientia ante sententiam iudicis: nam quod non est restituendum ante sententiam iudicis, retineri potest sine periculo propriæ salutis. Ita Panormit. Hostiensis, & alij *in cap. de hoc, citato.* Redoanus *de Simon. part.* 4. *cap.* 8. Suarez *cap.* 60. *num.* 5. Lessius *num.* 171. Filliucius *loco citato num.* 31. & alij communiter, contra Vgolinum *tab.* 4. *cap.* 2. §. 1. *sub finem.*

19 Pretium acceptum prò actione beneficiali, seu ordinata ad consecutionē beneficij, cuinam restituendum sit.

19 Maior difficultas est, cui debeatur pecunia, seu res temporalis accepta pro collatione, aut electione; aut alia simili actione ordinata ad consecutionem beneficij.

Respondent Sotus *lib.* 9. *de iust. q.* 8. *art.* 1. & Bannes 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *dub.* 2. [Lessius *dub.* 31. *num.* 171.] & alij, restituendam esse illi, qui dedit: quamuis etiam sufficiat restituere Ecclesiæ, vel pauperibus. Ratio ipsorum est, quia tradens pecuniam retinet illius dominium; nullus autem priuatur re sua ante sententiam.

Ego verò cum communi Doctorum sententia existimo restituendam esse Ecclesiæ, contra quam Simonia commissa fuit. Ratio est, tum quia sic expressum videtur *in cap. de hoc, citato*, vbi habetur Regem, & Principes inducendos esse ad restituendum Ecclesiæ Oxomensi quod acceperant pro præstando consensu ad electionem Episcopi Ecclesiæ Oxomen. tum quia si restitutio fieret tradenti, violaretur mens Ecclesiæ, quæ intendit punire tradentem & accipientem.

Ad rationem Soti, & Bannes respondeo primò, dominium abdicatum fuisse à tradente. Quamuis enim Ecclesia impediat acquisitionem dominij in recipiente, non tamen resistit translationi, seu abdicationi dominij, quam tradens fecit, vel facere debebat ex vi contractus, & illam translationem dominij ipsa Ecclesia acceptat in pœnam tradentis, illamque applicat Ecclesiæ, circa quam Simoniæ crimen perpetratum fuit. Ideo *in cap. de eo*, dicitur restitutionem illi faciendam esse. Respondeo secundò, etiamsi admitterem tradentem non amisisse dominium rei traditæ, vt voluit Sotus, Lessius, & alij: tamen non imponitur ipsi obligatio restituendi, sed imponitur accipienti, vt non reddat tradenti, sed Ecclesiæ contra quam Simonia commissa fuit.

Restitutio ergo facienda est Ecclesiæ, nisi fortè obtineatur compositio à Sacra Pœnitentiaria, dum crimen est occultum, seu à Data-

ria

ria Apostolica, dum delictum est publicum, aut nisi restitutio fiat Cameræ Apostolicæ, aut nisi consuetudine receptum sit, vt restitutio fiat pauperibus. Quouis enim pacto ex præcitatis modis fiat restitutio, non violatur mens Summi Pontificis, cum expresè per compositionem, vel tacitè per consuetudinem, aut restitutionem Cameræ factam, consentire censeatur.

Secundus casus est in pretio simoniacè accepto in ingressu religionis *cap. veniens, de Simon.*

20 Pretium acceptum pro ingressu in religionem restituēdum non est ante iudicis sententiam.

20 Existimo tamen pretium simoniacè acceptum pro ingressu in religionem, restituendum non esse ante iudicis sententiam, non solùm quando pretium datum fuit à monasterio, vt quis ingrederetur (tunc enim perspicuum videtur ingredientem religionem non teneri ad restitutionem pretij accepti, non enim tenetur iure naturæ, cùm religiosus personam suam locauerit, & quodammodo vendiderit ad obsequia religionis; licèt peccauerit peccato Simoniæ, vt suprà dictum fuit. Neque tenetur iure Ecclesiastico, quia nullus textus afferri potest quo id probetur,) verùm etiam quando ipsemet religiosus, religionem ingressurus, pretium tradidit pro ingressu, tunc enim monasterium non tenetur restituere iure naturę, vt supra docui *num.* 14. nam monasterium non committit Simoniam, vel iniustitiā, admittendo aliquem accepto pretio titulo sustentationis, seu oneris alendi Monachum, modò non adsit excessus; nec pretium præcisè accipiatur pro ipsomet ingressu: neque tenetur restituere iure Ecclesiastico, quia nullus textus afferri potest quo id probetur. Imò Vrbanus IV. *in extrauag. sanè, de Simon.* permittit, vt acceptum hoc pacto retineatur, modò in communem vsum applicetur, & non ad priuatum Abbatis, vel Abbatissæ vsum. Neque obstat *cap. veniens, citatum*; quia loquitur post sententiam. Summus enim Pontifex in præfato textu ait, compellendum esse monasterium, quod religiosum præuia pecunia in monasterium admiserat, ad restituendam pecuniam ipsi religioso, & ipsi religioso iniungendum esse præceptum, vt aliud monasterium ingrediatur, ibique Deo inseruire studeat. Ex quo licet obiter inferre primò religiosum simoniacè professum non teneri ante sententiam ingredi aliud monasterium. Secundò monasterium non teneri pretium ante sententiam restituere præfato religioso, seu potiùs monasterio, in cuius vtilitatem hæc restitutio præcipitur, ne gratis suscipiat onus alendi præfatum Monachum. Obseruat tamen Suarez *cap. 60. num. 12.* monasterium, in quo religiosus simoniacè admissus fuerat, teneri ante sententiam iudicis restituere acceptum secūdo monasterio, dum præfatus religiosus, relicto priori monasterio, voluntariè, & absque coactione ad illud transit; nam huiusmodi pecunia est quasi alimentum talis personæ, quæ licitè transit ad aliud monasterium, & iure suo vtitur petendo dictam pecuniam sibi restitui. Ego verò probabilius censeo prius monasterium non teneri pecuniam illam secundo monasterio restituere ante iudicis sententiam, quia illa pecunia acquisita fuerat priori monasterio, & monasterium non tenetur iure naturali diuino restituere pretium acceptum simoniacè; sed non iniustè, vt suprà probatum est, neque tenetur iure Ecclesiastico, tum qui non affertur textus ad hoc probandum: tum quia Ecclesia imponere solet onus restituendi in pœnam delicti; pœna autem non debetur ante sententiam, nisi aliud in lege exprimatur.

21 Pretium in collatione Ordinū, vel Sacramentorum acceptum, restituendum est iure Ecclesiastico, sed non ante iudicis sententiam.

21 Tertius casus, iuxta aliquos Doctores, est in pretio Simoniacè accepto pro collatione ordinum, aut aliorum Sacramentorum, vel sacramentalium, si pretium notabiliter excedat id, quod pro congrua sustentatione debetur. Verum tamen est præfatum pretium non esse obnoxium restitutioni ante sententiam, quia nullum ius assignari potest, in quo extet obligatio restituendi præfatum pretium ante sententiam.

22 Restitutio pretij simoniacè, & iniustè accepti, cuinam facienda sit.

22 Secundò dubium est, cui facienda sit restitutio pretij simoniacè, & iniustè accepti.

Respondeo, quoties pretium simoniacè, & iniustè acceptum, iure naturali diuino restituendum est, restitutionem faciendam esse illi, qui pretium dedit. Ratio est, quia restitutio facienda est illi, cui illata fuit iniuria, sed iniuria illata fuit illi, qui pretium dedit, vt suprà probatum est: ergo restitutio facienda est illi, qui pretium dedit. Ita Bannes 2.2. *q.* 32. *artic.* 7. Suarez *cap.* 59. *num.* 23. [Paulus Layman *nu.* 84.] Filliucius *num.* 29. Sotus, Nauar. Vasquez, & alij, quos retuli *disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 3. *num.* 11.

Ex quo sequitur restitutionem pretij simoniacè, & iniustè accepti, non esse faciendam Ecclesiæ, vel pauperibus, per se loquendo. Ratio est, quia restitutio est actus iustitiæ, quo tollitur inæqualitas antea facta, sed Ecclesiæ, vel pauperibus nulla facta fuit inæqualitas: ergo restitutio facienda non est pauperibus, vel Ecclesiæ; sed priori domino, vel alteri, qui personam illius gerat.

Obiicies primò, *in cap. cùm sit, de Iudæis*, habetur bona turpiter acquisita restituenda esse pauperibus; sed pecunia simoniacè accepta, turpiter accepta fuit: ergo restituenda est pauperibus, non illi, à quo accepta fuit. Confirmatur primò, quia lucrum turpiter acquisitum non est restituendum tradenti. *l. si ob turpem. ff. de condict. ob turpem causam.* Confirmatur secundò, quia tradens pretium pro re spirituala, effectus est indignus, vt ei pecunia restituatur: ergo restitutio facienda est pauperibus, seu Ecclesiæ. Respondeo negando bona turpiter acquisita restituenda esse pauperibus, nisi lex, vel iudex in aliquibus casibus id præcipiat: sicut ius Canonicum *in cap. cùm sit, de Iudæis*, præcepit lucra, quæ Iudæi subditi Christianis percipiunt, exercendo officia publica cum iurisdictione supra ipsos Christianos, restitui pauperibus in pœnam delicti. Ad primam confirmationem respondeo id procedere in foro externo post sententiam iudicis, vt suprà docui. Ad secundam confirmationem respondeo tradentem factum esse dignum, qui priuetur per sententiam iudicis; non verò hinc colligi, esse ipso facto priuatum, & teneri ad restitutionem ante iudicis sententiam.

Obiicies secundò, ad probandum præfatam restitutionem nulli deberi, pecunia accepta per simoniam mentalem non est restituenda. *cap. vltim. de Simonia.* ergo neque restituenda est pecunia accepta per Simoniam realem; nam eadem est malitia, & iniustitia in Simonia reali, & in Simonia mentali, excepto pacto, explicito, vel implicito, quod in Simonia reali adesse solet. Parum autem refert pactum, vbi eadem iniquitas, & deformitas reperitur, vt patet in vsura mentali, ex qua, subsecuto opere externo absque præuio pacto, consurgit obligatio restituendi, sicut in vsura ipsa reali. *cap. consuluit, de vsuris.* nam malitia iniustitiæ tam reperitur in mentali, quàm in reali.

Respondeo varias esse Doctorum opiniones circa obligationem restituendi in Simonia mentali.

23 Mentalis Simonia, an obligationem restituendi inducat.

23 Prima opinio est Caietani *verbo Simonia sub finem*, Redoani *de Simon. 1. parte cap. 3.* P. Nauarri *lib. 2. de restitut. capite 2. difficult. 11. nu. 390. & seq.* Nauar. *cap. 23. 103.* Valentiæ *tom. 3. disput. 6. q. 16. punct. 6.* & aliorum negantium Simoniam mentalem obligare ad restitutionem pretij per Simoniam mentalem accepti.

Secunda opinio est Soti *lib. 9. de iust. quæst. 8. artic. 5.* Azorij 3. *parte libro 12. cap. 20. quæsito 2.* & aliorum arbitrantium Simoniam mentalem contra ius diuinum obligare ad restitutionem, quia eadem est malitia in Simonia mentali, & in reali; sicut ergo realis obligat, ita etiam mentalis. Nomine mentalis Simoniæ non intelligo illam, quæ in mente solùm consistit, seu quam quis committere intendit, absque vllo externo opere ea mente præstito; sed intelligo illam, qua quis pecuniam accipit, probabiliter putans illam sibi dari tamquam pretium rei spiritualis.

Tertia opinio est Suarez *cap. 59. num. 43.* Reginald. *lib. 10. num.* 430. Molfesij *tract. 6. cap. 15. num. 99.* Lessij, & aliorum asserentium, Simoniam mentalem obligare ad restitutionem, quoties coniuncta est cum iniustitia, & damno alterius. Secus si coniuncta non sit cum iniustitia.

Ego igitur cum hac tertia opinione respondeo, Simoniam mentalem obligare iure naturali ad restitutionem opere subsecuto, quoties Simonia mentalis continet iniustitiam; dum videlicet quis accepit pecuniam, probabiliter existimans illam sibi traditam esse tamquam pretium rei spiritualis, & nondum constat illam sibi gratis, vel alio iusto titulo datam fuisse. Ratio est, tum quia eadem est ratio Simoniæ mentalis in hoc casu, & vsuræ; sed vsura mentalis obligat ad restitutionem, dum quis pretium accipit, putans, illud sibi tradi pro mutuo; nam procedit ex praua intentione, & est coniuncta cum actione iniusta, & damnificatiua; & *in cap. consuluit, de vsuris*, definitum est, vsuram mentalem obligare in conscientia ad restitutionem. Ergo etiam obligat Simonia mentalis, opere subsecuto; nam procedit ex praua intentione; & est coniuncta cum actione iniusta, & damnificatiua. Neque obstat *cap. vlt. de Simonia*, in quo habetur acquisita per Simoniam mentalem non esse obnoxia restitutioni. Respondetur enim illum textum intelligi de acquisitis simoniacè, sed non iniustè: nam Pontifex non loquitur ibi generaliter de acquisitis mente simoniaca; sed loquitur in casu particulari de admissis ad religionem absque præuio pacto, cum affectu tamen simoniaco, in quo casu non extat obligatio restituendi accepta pro ingressu, quia licèt Simonia commissa fuerit accipiendo pecuniam pro ingressu; nihilominus pecunia non fuit iniustè accepta, consequenter retineri potest alio titulo, nempè titulo alendi religiosum, & sustinendi onera illius status. Ita Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 28. num. 165.* Suarez *cap. 59. num. 48. & seq.* vbi plures alias expositiones in illum textum affert, & refellit.

Dixi, *iure naturali*, vt indicarem Simoniam mentalem non obligare ad restitutionem iure Ecclesiastico, sed iure naturali, tum quia pœnæ ab Ecclesia latæ contra simoniacos non afficiunt simoniacum mentalem, vt patet ex supradictis de excommunicatione lata contra simoniacos in beneficio, & ordine: tum quia sic colligitur ex *cap. vltimo, de Simon.* vbi dicitur Simoniam mentalem non obligare ad restitutionem, quantum est ex vi præcepti Ecclesiastici.

Dixi, *quoties Simonia mentalis continet iniustitiam*, quia si mentalis Simonia committatur absque peccato contra iustitiam, vt si vendatur aliquid iusto pretio, quod Ecclesia intuitu religionis vendi interdixit, non inducitur obligatio restituendi. Ratio est, tum quia Simonia realis non obligat ad restitutionem, nisi coniuncta sit cum iniustitia: ergo neque obligat mentalis: tum quia ista obligatio non est iuris naturalis, vt suprà probaui *de Simonia reali.* neque est iuris Ecclesiastici, quia Ecclesia non iniunxisset huiusmodi obligationem, nisi per modum pœnæ. Pœnæ autem ab Ecclesia latæ contra simoniacos, non cadunt in simoniacos mentales, vt alibi docui: tum quia ad hoc facit *cap. vltim. de Simon.*

24 Papa an dispensare, possit in restitutione pretij simoniacè accepti.

24 Tertiò dubium est, vtrum Papa dispensare possit in restitutione pretij simoniacè accepti.

Respondeo, Papam posse dispensationem, vel compositionem concedere, quando restitutio debita est solùm iure Ecclesiastico in pœnam delicti. Ratio est, tum quia Papa dispensare potest in iure communi: tum quia Papa dispensare potest bona ad Ecclesiam pertinentia; illa autem pecunia, quæ restituenda est in pœnam Simoniæ, iure Canonico impositam, pertinet ad Ecclesiam, seu ad Ecclesiastica bona. Si verò restitutio facienda est certæ personæ ex iure naturæ, censeo Papam, regulariter loquendo, non posse ante sententiam dispensare: tum quia Papa non potest alios iure suo priuare sine causa: tum quia non dispensat in iure naturæ.

Dixi, *ante sententiam.* quia perspicuum est, Papam, aut etiam alium Ecclesiasticum iudicem competentem, posse illum, qui Simoniæ crimen commisit, tradendo temporale pro spirituali, priuare iure exigendi, & repetendi pretium, & obligare accipientem ad restituendum illud pretium pauperibus, vel alteri, iuxta Papæ, seu iudicis dispositionem. Ita Suarez *de Simonia cap. 61. num. 12.* Filliucius *tractat. 45. cap. 13. quæsito 12. num. 38. vers. Dices primò*, & Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. vlt. num. 172.*

SECVN-

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Vtrùm is, qui rem spiritualem præuia pecunia accepit, teneatur illam restituere iure naturali diuino, vel Canonico.

PRima sententia affirmatiua est Adriani *quodlibeto 9. art. 3.* & aliorum, quorum rationes, & fundamenta adducã in obiectionibus.

Secunda sententia negatiua est Couar. *reg. peccatum parte 2. §. 7.* Nauarri *in manuali cap. 23. num. 103. & seq.* Lessij *lib. 2. cap. 35. dub. 29. num. 166.* Suarez *cap. 59. num. 28. & seq.* & aliorum ferè communiter, negantium rem spiritualem simoniacè acceptam obnoxiam esse restitutioni iure naturali, vel etiam Ecclesiastico ante sententiam, exceptis beneficiis. Hæc opinio mihi probatur. Ideo sit

PRIMA PROPOSITIO.

1 Res spiritualis simoniacè accepta restituenda non est iure naturali.

1 RES spiritualis simoniacè accepta non est obnoxia restitutioni iure naturali. Ratio est, tum quia collatio rei spiritualis valida est; cùm adsint omnia requisita ad validam collationem, adest enim capacitas in recipiente, & potestas, ac voluntas in conferente; quod autem validè acceptum est, non est obnoxium restitutioni; nisi obstet alia circumstantia: tum quia turpiter acceptum contra alias virtutes, excepta iustitia, retineri potest, nisi inducat ad aliquod peccatum perpetrandum: ergo etiam retineri potest res spiritualis, simoniacè accepta: tum quia religiosus simoniacè professus perfistere potest in eo statu religioso, donec per iudicis sententiam expellatur, & in aliud monasterium coniiciatur: ergo, &c. tum quia recipiens pretium pro re spirituali, ideo tenetur pretium restituere tradenti, quia illi fecit iniuriam, vt suprà docui; sed recipiens rem spiritualem pro re temporali non facit iniuriam tradenti, cùm tradens voluntariè tradat, sibique imputare debeat, quod pretium, pro re spirituali traditum, restituere teneatur. Ita Suarez, Filliucius, & alij *locis proximè citandis*, contra Azorium *3. parte, lib. 12. cap. 20. quæsito 5.* [Paulum Layman *lib. 4. tract. 10. cap. 8. num. 85.*]

Obiicies primò, qui pretium accepit pro re spirituali, tenetur illud restituere: ergo etiam, qui rem spiritualem pro re temporali accepit, tenetur illam restituere. Hæc consequentia patet, tum quia par est ratio: tum quia rectæ rationi aduersatur, vt recipiens pretium teneatur illud restituere tradenti; recipiens verò spirituale, non teneatur illud restituere; alioquin commodum reportaret ex suo delicto, commodum enim reportaret recuperando pretium, simulque retinendo rem spiritualem, quod non videtur admittendum.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia in acceptione pretij facta est iniuria tradenti pretium, quod ab ipso exigi non poterat pro re spirituali; in acceptione verò rei spiritualis non est facta iniuria tradenti rem spiritualem, licèt peccatum contigerit in modo acceptionis; cùm deberet rem illam sine pretio accipere; defectus autem in modo non vitiat substantiam actionis. Neque inconueniens est, vt rem spiritualem retineat, recuperato pretio, quia pretium ei debitum est ex iustitia, & res spiritualis tunc incipit haberi gratis, iuxta præceptum, & voluntatem Christi, qui est supremus rerum spiritualium Dominus, & vult illas gratis haberi, & conferri; consequenter retinens rem spiritualem non dicitur commodum directè reportare ex suo delicto; sed ex voluntate supremi domini, donec delinquens re spirituali priuetur per sententiam in pœnam perpetrati delicti.

2 Contractus, quo res spiritualis accepta fuit pro pretio, an validus sit.

2 Obiicies secundò, contractus, quo res spiritualis accepta fuit pro pretio, non est validus, vtpotè factus, tam contra præceptum Christi, *gratis accepistis, gratis date*; quàm contra legem Ecclesiæ, irritantem contractum, & acquisitionem. *cap. ea, quæ, 1. quæst. 3. cap. vltimo, de rerum permut. cap. vlt. de pactis*, & alibi: ergo retineri non potest, cùm non adsit titulus, propter quem retineri possit. Respondet primò Suarez contractum non esse validum quoad exactionem, & solutionem pretij, aut in ratione emptionis, & venditionis; cùm materia contractus emptionis, & venditionis sit res pretio æstimabilis, esse tamen validum in ratione dationis, & acceptionis, seu quoad id, quod debuit gratis donari. Non tamen hinc sequitur rem spiritualem retineri non posse: tum quia contractus tenet in ratione dationis: tum quia multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent: tum quia retinens rem spiritualem nulli facit iniuriam, sicut faceret retinendo pretium pro re spirituali acceptum, vt patet à simili primò in ordinibus simoniacè collatis, quos constat validos esse, & tenere quoad substantiam, quamuis non teneant quoad executionem. Nam recipiens ordines simoniacè, suspensus remanet ab illorum vsu & exercitio. Secundò in herede, qui ex vi testamenti tenebatur dotem certis puellis gratis tradere. Sed eam tradere noluit absque pretio; tunc enim perspicuum est heredem grauiter peccare, & teneri ad restitutionem pretij, & nihilominus dationem dotis validam esse, & subsistere, quia in datione dotis nulla fuit iniustitia; sed per illam adimpleta fuit voluntas testatoris; iniustitia verò contigit in modo tradendi, quia heres noluit tradere absque pretio.

Vt autem iste modus, & iniustitia tollatur, heres debet pretium restituere, & Virgines dotem retinere, & pretium recuperare possunt. Respondeo ego secundò, etiamsi admitterem cum Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 16. puncto 6.* Lessio *lib. 2. cap. 35. dub. 30. num. 168.* & aliis contractum inualidum esse; non tamen ob id tenetur accipiens ad restitutionem ante iudicis sententiam, quia ius non obligat ad restitutionem ante sententiam iudicis.

Obiicies tertiò, datum ob causam retineri non potest, causa non subsecuta. *l. 1. de condict. ob causam, & cap. etsi necesse, de donat. inter vir. & vxor.* sed qui dedit rem spiritualem, hac de causa, & intentione dedit, vt fieret dominus pecuniæ: cùm ergo hęc causa effectum suum non habeat (tradens enim rem spiritualem non fit dominus pecuniæ, vel saltem tenetur illam restituere) sequitur neque dationem rei spiritualis effectum habere; consequenter illam retineri non posse.

Respondeo primò ad maiorem propositionem, datum ob causam retineri non posse, causa non subsecuta, quando causa traditionis erat iusta, vel honesta, vt colligitur ex præcitatis iuribus; si verò causa iniusta erat, vel inhonesta, retineri potest, quia huiusmodi conditio reiicitur, & habetur pro non adiecta.

Respondeo secundò, tradentem rem spiritualem pro pretio, non habere intentionem conditionatam, sed absolutam, vt patet in eo, qui ordines, vel alia Sacramenta simoniacè confert; alioquin sequeretur collationem ordinum simoniacam, inualidam esse quoad substantiam, quod falsum est.

Respondeo tertiò Lessius *dub. 30. num. 168.* hinc solùm colligi, rem spiritualem restituendam esse, si repetatur, & pretium restituatur. Verùm hæc responsio mihi non probatur; quia hoc est, quod quærimus, vtrùm is, qui pretium soluit pro re spirituali, ius habeat illam repetendi priuata auctoritate, & vtrùm simoniacè recipiens rem spiritualem, teneatur illam restituere ante iudicis sententiam.

Obiicies quartò, accipiens spirituale pro temporali permutat spirituale pro temporali: permutatio autem rei spiritualis pro temporali irrita est. *cap. exhibita, de rerum permut.* ibi; *cùm permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur*, & *cap. vlt. de pactis*, & alibi.

Respondet Suarez & alij improbari in ratione emptionis, seu permutationis, non in ratione dationis, vel acceptionis gratuitæ; consequenter titulo gratuitæ donationis retineri posse, donec alter sententia iudicis cogatur illam restituere. Aliam responsionem ego attuli in secunda obiectione.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Res spiritualis simoniacè accepta etiam iure Canonico, non est obnoxia restitutioni ante sententiam, exceptis beneficiis.

3 RES spiritualis simoniacè accepta non est obnoxia restitutioni iure Canonico ante sententiam iudicis, exceptis beneficiis. Ratio est, quia non potest afferri textus, in quo hæc pœna ipso facto imponatur. Ita Suarez, Filliucius, & alij, contra Syluestrum *verbo Simonia, quæsito 10. & 20.* Valentiam *puncto 6.* & alios, asserentes rem spiritualem ante sententiam iudicis restituendam esse tradenti.

Dixi, *exceptis beneficiis*, vt indicarem, beneficia retineri non posse, & ante iudicis sententiam restituenda esse, vt patet, tum ex *cap. si quis neque 1. quæst. 1.* vbi habetur, eum periturum in æternum, qui adeptum simoniacè Episcopatum, sponte in vita sua non dimiserit, tum ex 2. *Extrauag. cùm detestabile, de Simonia*, vbi dicitur, *per electiones, postulationes, confirmationes, prouisiones, seu quæsuis alias dispositiones, quas simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omninò careant in Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, Personatibus, Officiis Ecclesiasticis, & quibusuis beneficiis, aut aliquo eorum, cuiquam ius nullatenus acquiratur.* Idem sentiendum putat Lessius de pensione spirituali simoniacè acquisita, quia videtur eadem ratio pensionis, & beneficij, præsertim vbi Bulla Pij V. vsu recepta fuit. Alij tamen contrarium sentiunt, asserentes in Extrauaganti citata sermonem tantummodo esse de beneficiis, quorum nomine non venit pensio, præsertim in materia pœnali; sed de hac re suprà *puncto 1.* dum loquerer de excommunicatione contra simoniacos in ordine, & beneficio.

4 Fructus percepti ex beneficio simoniacè obtento restituendi sunt ante iudicis sententiam.

4 Sed modò dubium est primò, vtrùm fructus percepti ex beneficio simoniacè acquisito, restituendi sint ante iudicis sententiam.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia nullo iusto titulo retineri possunt, cùm adeptio, seu prouisio beneficij simoniaca irrita sit ipso facto. tum quia sic expressè habetur *in Extrauaganti, cùm detestabile, de simonia*, vbi simoniacus in beneficio, non solùm inhabilis redditur ad beneficium, verùm etiam ad fructus, ibi, *cuiquam ius nullatenus acquiratur, nec indefaciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem sub anima suæ periculo sit adstrictus.*

5 Fructus beneficij simoniacè obtenti cuinam restituendi sint.

5 Secundò dubium est, cui sint restituendi fructus percepti ex beneficio simoniacè acquisito.

Respondeo restituendos esse Cameræ Apostolicæ, nisi compositio ab ipsa obtineatur, vbi spoliorum vsus viget, aut restituendos esse successori, vbi consuetudine receptum est, vt fructus beneficij vacantis ad successorem pertineant, aut restituendos esse in pios vsus, vel Ecclesiæ; hæc enim læsa fuit, ipsique fructus beneficij vacantis competere solent, vbi spoliorum vsus, vel contraria consuetudo non reperitur. Ita D. Thomas 2.2. *quæst. 100. art. 6. ad 4.* Nauar. *lib. 5. consilio 62. de Simonia*, Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 31. ad finem, num. 174.*

6 Mediatores Simoniæ commissæ in beneficio tenentur ad restitutionem nõ solùm pretij accepti, verum etiã fructuum beneficij in defectu beneficiarij.

6 Tertiò dubium est, vtrùm mediatores Simoniæ commissæ in beneficio, non solùm teneantur ad restitutionem pretij accepti, verùm etiam ad restitutionem fructuum, quos beneficiarius accepit, vel sua culpa non percepit.

Respondeo ipsos teneri non solùm ad restitutionem pretij, quod ipsi per Simoniam acceperunt, vt patet ex supradictis difficultate prima, verùm etiam teneri in defectum beneficiarij ad restitutionem fructuum, perceptorum à beneficiario simoniaco, vel beneficiarij culpa non perceptorum; nam ipsi censentur causa, & cooperatores damni; cooperatores autem damni tenentur ad restitutionem in defectum causæ principalis. Ita Nauar. *de datis, & promissis notab. 22.* Azor. *cap. 24. quæsito 3. lib. 12. part. 3.* & alij, qui hoc idem dicendum putant de illis, qui curant beneficium conferri excommunicatis, vel suspensis, aut irregularibus.

PVN-

P V N C T V M IV.

Quis possit in his pœnis dispensare, & qua forma.

HOc punctum paucis expediam, quia hic agendum non est de absolutione, & dispensatione in singulis pœnis; dum enim loquerer de casibus, in quibus incurruntur censuræ propter Simoniam, ostendi facultatem absoluendi à præfatis censuris pertinere ad Summum Pontificem. Dum loquerer de irritatione actuum inducta per Simoniam, explicaui quis actus simoniacè factos conualidare possit. Dum agerem de obligatione restituendi, quæ consurgit ex Simonia, exposui quis obligationem, & onus restituendi remittere, & relaxare valeat. Hic ergo solùm in genere exponam quis possit in Simonia dispensare, & quæ forma in dispensatione adhibenda sit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Dispensatio in Simonia à nullo homine obtineri potest, excepto Papa, qui dispensare potest in

1 NVllus homo dispensare potest in Simonia iure naturali, vel diuino inducta. Ratio est, quia positum non est in potestate hominis, legem naturalem, vel diuinam tollere: ergo nullus homo potest aliquem per dispensationem eximere à culpa Simoniæ contra ius naturale diuinum. Imò inter Doctores controuersia est, vtrùm Deus in huiusmodi Simonia dispensare possit, de qua re suprà *puncto* 3. In simonia verò contra ius Canonicum Papa dispensare potest, eximendo aliquem à lege Ecclesiastica, per quam aliqua actio tamquam simoniaca prohibita fuerat intuitu religionis; quamobrem Papa facere potest, vt venditio quorumdam officiorum Ecclesiasticorum, vt Oeconomi, Aduocati Ecclesiæ, & similium; simoniaca non sit, auferendo legem prohibentem huiusmodi venditionem, seu eximendo aliquem à præfata lege. Ita Valentia *tom. 3. disput. 6. quæst. 16. puncto 6. ad finem*, Molfesius *num.* 112. & alij communiter. Simonia iuris Canonici.

2 An autem Episcopi, aut alij dispensare possint in Simonia iure Canonico inducta. 2 Episcopus dispensare non potest in Simonia.

Respondeo negatiuè, quia inferior non dispensat in lege superioris, vt pluribus docui de dispensationibus in tractatu de legibus, quæ ibi videri possunt. Vide Azorium *3. parte, lib. 12. cap. 22.* Suarez *cap. vlt.* & alios præcitatos Doctores.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Forma certa verborum necessaria nō est ad dispensandum in Simonia.

3 NVlla verborum forma necessaria est ad dispensandum in Simonia. Ratio est, quia nulla huiusmodi forma in iure præscripta fuit. An verò Pontifex dispensare possit solo interno consensu, & voluntate, aut delegatus deputatus ad dispensandum cum aliquo dispensare debeat cognita causa, constat ex dictis de dispensationibus in tractatu de legibus.

Et hæc de Simonia ad laudem Dei omnipotentis, immaculatæ Virginis, & Sancti Ioseph, cuius hodie Anniuersaria dies colitur, & celebratur; saluo semper in omnibus Sanctæ Matris Ecclesiæ, & peritiorum iudicio.

TRA-

TRACTATIO,

SEV

DISPVTATIO SECVNDA

De alienatione bonorum Ecclesiasticorum.

QVamuis de hac re prolixè satis, & abundè disseruerim *in tractatu de Contractibus disp.3.quæst.8.punct.4.*nihilominus, quia res valde vtilis est, & in praxi necessaria, & multa occurrunt addenda, eadem hic iterum repetere decreui, immutato aliquantisper ordine, & additis multis quæstionibus scitu dignis.

QVÆSTIO VNICA.

De alienatione bonorum Ecclesiasticorum.

EXplicabo primò, quo iure, & quibus pœnis vetita sit bonorum Ecclesiasticorum alienatio.

Secundò, quid intelligatur nomine alienationis, & quid nomine bonorum, quæ alienari prohibentur.

Tertiò, quænam causa requiratur ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum.

Quartò, quænam solemnitas seruanda sit.

Quintò, quænam personæ vinculo censuræ obstringantur, alienando bona Ecclesiastica.

Sextò, vtrùm Commissarius, seu delegatus à Summo Pontifice ad concedendam facultatem alienandi, censuram aliquam incurrat concedendo alienationem fieri in damnum Ecclesiarum.

Septimò, vtrùm eamdem censuram incurrat, qui præfatam facultatem à Delegato Papæ extorquet.

Octauò, vtrùm suadens Papæ vt infeudet, aut alienet bona S.R.E. aliquas pœnas incurrat.

PVNCTVM I.

Quo iure, & quibus pœnis vetita sit bonorum Ecclesiasticorum alienatio.

VNICA PROPOSITIO.

1 Alienatio bonorum Ecclesiasticorum quo iure vetita sit.

1 ALienatio bonorum Ecclesiasticorum vetita est primò, iure naturali diuino, annexo iuramento, si loquamur de Summo Pontifice, & de Cardinalibus respectu bonorum Sedis Apostolicæ, aut de Episcopis, & Prælatis respectu bonorum suæ Ecclesiæ, vt infra ostendam *sect. 5. quæs.2. & 3.* iuramentum enim inducit obligationem iuris naturalis, & diuini.

Secundò iure Cæsareo *in l.iubemus, & in authentica ob ius porrectum.C.de sacrosanct.Eccles.* Et quamuis leges Principis sæcularis circa res Ecclesiasticas non ligent, nihilominus ligant, & obligant, quatenus ab Ecclesia recipiuntur, & confirmantur, vt alibi docui.

Tertiò iure Canonico, pluribus in locis, præsertim in Concil. Trid. *sess.25.c.11. & in extrauag. Ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis*, vbi non solùm innouantur iura alienationem prohibentia, verùm etiam specialiter interdicitur, & irritatur alienatio bonorum Ecclesiæ, monasteriorum, & locorum piorum, tam immobilium, quàm mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt, si alienatio fiat inconsulto Summo Pontifice. Imò alienans, si non fuerit Episcopus, vel Abbas, ligatur excommunicatione, nec non priuatur beneficiis, officiis, & administratione bonorum, quæ alienare præsumpsit. Eadem excommunicatio extenditur ad recipientem. Si verò alienans sit Episcopus, vel Abbas, incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & si per sex menses in interdicto permanserit, suspensus remanet à regimine, & administratione Ecclesiæ, vel monasterij, cui præsidet, in temporalibus, & spiritualibus.

2 Alienatio ex iusta causa, & cum debita solemnitate, est licita.

2 Hoc tamen intelligitur, & limitatur primò, nisi alienatio fiat ex iusta causa, & cum debita solemnitate, ibi, *alienanti verò bona Ecclesiarum, monasteriorum, locorumq; piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis constitutionis tenorem*, &c.

3 Alienatio ad breue tempus locationis, aut in causa emphyteusis, quãdo permissa

3 Limitatur secundò, nisi fiat in causa locationis ad breue tempus, aut in causa emphyteusis, in casibus à iure permissis, & de bonis in emphyteusim ab antiquo dari solitis, & in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, vt patet ex illis verbis præcitatæ extrauagantis *Ambitiosæ*, ibi; *nec non infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & cum Ecclesiarum euidenti vtilitate*, &c.

4 Alienatio de re leuis momenti.

4 Limitatur tertiò, nisi alienatio fiat de re leuis momenti, vt infra probabo *punct.4.n.3.* lex enim de modicis curare non consueuit, & pœna grauis supponit graue delictum.

5 Aut rerum, quæ seruando seruari nõ possunt.

5 Limitatur quartò, modò alienatio non fiat de rebus, quæ seruando seruari non possunt; nam alienatio huiusmodi bonorum in præfata extrauag. excipitur, ibi; *præterquam in casibus à iure permissis, ac de fructibus, & bonis, quæ seruando seruari non possunt.*

6 Facta bona fide, aut non perfecta.

6 Limitatur quintò, nisi alienatio fiat bona fide, aut nisi alienatio nondum perfecta sit, vt constabit ex infra dicendis *sect. 5. limitation. 2. & 3.*

7 Facta ab eo, qui bonorum administrationem habet, quomodo licita.

7 Limitatur sextò, modò fiat ab eo, qui dictorum bonorum administrationem habet; nam in extrauag. *Ambitiosæ*, sermo est de beneficiariis, & aliis habentibus administrationem, & ob id administratione priuantur alienando. Vide infra dicenda, *sect.5.limit.1.*

An autem præfatæ pœnæ, præter excommunicationem, & alias censuras, statim incurrantur, non expectata iudicis sententia, constat ex regulis generalibus *de legibus*, idemque infra innuam, *sect. 5. quæsito 1.*

8 Peculiaris prohibitio contra religiosos circa bonorum alienationem.

8 Quæres, vtrùm contra religiosos extet peculiaris aliqua prohibitio circa bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum alienationem.

Respondeo affirmatiuè ex decreto sacræ Congregationis Concilij edito die 7.Sept.1624.vbi sacra congregatio iussu Summi Pontificis Vrbani VIII. religiosis cuiuscũque Ordinis, & religionis, etiamsi aliàs ex peculiari priuilegio, & consuetudine facultatem alienandi haberent, perpetuò interdicit omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, & cõductionem vltra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, præterquam in casibus à iure permissis. Pœna autem alienantium præfata bona absque licentia in scriptis ipsius sacræ Congregationis, gratis concedenda, est priuatio ipso facto vocis actiuæ, & passiuæ, perpetua inhabilitas ad illam in posterum obtinendam, sublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate, & permanentibus in suo robore pœnis Apostolicarum constitutionum, & præsertim felicis recordat. Pauli II. quæ incipit *Ambitiosæ*.

PVNCTVM II.

Quid nomine alienationis, & bonorum hoc in loco intelligatur.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Nomine alienationis intelligitur actus, quo dominium, aut ius in aliũ transfertur.

1 NOmine alienationis hoc in loco intelligitur actus, quo dominium rei directum, vel vtile, aut vsusfructus, aut ius in alterum transfertur, vel abdicatur. Propterea nomine alienationis non solùm venit venditio, aut alius contractus gratuitus, vel onerosus, quo rei dominium in alterum transfertur, verùm etiam hypotheca, locatio vltra triennium, (modò locatio fiat de bonis, quæ singulis annis fructus reddunt, nam si alternis, vel ternis solum annis fructus reddant, locatio pro rata protrahi potest, vt docui *de contractibus numer.32.* & infra explicabo) infeudatio, & contractus emphyteuticus, exceptis casibus à iure permissis, de quibus infra *illatione 16. & 17.* vbi etiam in specie probabo, hæc omnia nomine alienationis venire, & sub censura in extrauagan. *Ambitiosæ* prohiberi. Nam Summus Pontifex in dicta extrauaganti priùs generaliter prohibet alienationem, deinde subdit peculiares alienationis modos, seu species, ibi; *Si quis autem contra huius nostræ prohibitionis seriem, de rebus, & bonis eiusdem quicquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio huiusmodi nullius omnino sint roboris, vel momenti.* Ita Redoanus *de alienat.quæst.2.* Suarez *de censuris disp.22.sect.6.n.6.* Alterius *tom.2.disp.cap.2.col.3.vers. Alia suspensio.* Azor 2.*parte, lib.9.c.1.quæsito 2.* Pater Sopranus, vir eruditissimus, & præceptor meus, *de alienatione*, apud Filliucium 3.*parte, tract.44.c.2. quæs.1.* & alij, quos retuli *de contractibus loco citato.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Bona immobilia Ecclesiastica, & mobilia pretiosa, quæ seruãdo seruari possunt, hac extrauaganti alienari prohibentur.

2 BOna, quæ in hac extrauaganti alienari prohibentur, sunt bona immobilia Ecclesiastica, vel etiam mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt. Vt hoc clariùs intelligatur,

Aduertendum est primò iuxta dicta de contractibus, bona Ecclesiæ alia esse mobilia, alia immobilia. Bona mobilia dicuntur ea, quæ loco moueri possunt, vt equus, vestis, pecunia, &c. propterea in legato, quo alicui bona mobilia relinquuntur, comprehenduntur pecuniæ, quæ in capsa, & domo testatoris reperiuntur, vt bene Mantica *de coniecturis lib.9.tit.3.* Riccius *in prima impressione, verb. alienatio dec.71.n.3.* & alij communiter. Immobilia dicuntur ea, quæ loco moueri non possunt, vt domus, ager, &c.

Rursus alia dicuntur corporalia, & alia incorporalia. Corporalia di-

dicuntur bona mobilia, vel immobilia, quæ iam recensuimus. Incorporalia verò sunt veluti actiones, iura, nomina debitorum, & seruitutes.

Ex quo fit, vt in legato, in quo quis relinquit alteri omnia bona mobilia, vel immobilia, non censeatur relinquere bona incorporalia, nisi aliter constet de voluntate disponentis; nam huiusmodi bona distinguuntur inter se. Quando verò aliquis in genere relinquit omnia bona, censetur etiam relinquere bona incorporalia; quia nomine bonorum in genere veniunt etiam incorporalia. Ita Couarru. *cap. relatum 2. de testamentis, num. 1.* Molina *disp. 465.* & alij, quos refert *de censibus.*

Aduertendum est secundò, alia esse bona pretiosa, alia non pretiosa. Rursus, bona pretiosa, alia seruando seruari posse, vt sunt vasa aurea, vel argentea, vel tapetes, &c. quæ per triennium non corrumpuntur. Item grex ouium, armentum boum, præsepium equorum, & similia; hæc enim sunt bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt; cum ipsa in se inuariata, vel in æquiualenti permanere possint, & soleant ad longum tempus, adhibita cura, seu custodia. Secus dic de fructibus gregis, armenti, & similium. Hæc enim non computantur inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt, sicut neque computantur fructus agrorum; consequenter eo pacto alienari possunt, quo fructus agrorum. Ita Redoanus *quæst. 8.* Molina *disp. 464.* Quaranta *verb. alienatio. n. 25.* Pater Sopranus *cap. 4. quæs. 19. n. 24.* & alij communiter.

Alia bona sunt, quæ seruando seruari non possunt, vt sunt fructus, oleum, vinum, attritæ vestes, vel etiam pecunia, vt constabit ex dicendis *illatione 3.*

3 Bona Ecclesiæ mobilia, & pretiosa, quæ seruando seruari non possunt, ab Episcopo, aut administratore possunt vendi sine alia solemnitate.

3 Ex dictis sequitur primò, bona Ecclesiæ mobilia, & pretiosa, quæ seruando seruari non possunt, posse absque alia solemnitate vendi ab Episcopo, vel ab alio bonorum Ecclesiæ administrationem habente. Ita Molina *disput. 468. numer. 1.* Panormitanus, & alij communiter. Ratio est. Tum quia in iure prohibetur tantummodo alienatio bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt; ergo bona mobilia, & pretiosa, quæ seruando seruari non possunt, alienari possunt ab habente illorum administrationem. Tum quia sic apertè colligitur ex *Clement. 1. de rebus Ecclesiæ non alienand.* Tum quia experientia constat vendi fructus, & alia bona mobilia, etiam pretiosa, quæ seruando seruari nō possunt; ergo signum est licitè vendi posse ab habente huiusmodi bonorum administrationem.

4 Valida est alienatio vini, frumenti, olei, ouiū, caprarum, &c. sine solemnitate.

4 Secundò sequitur, validam esse alienationem vini, olei, frumenti, ouium, caprarum, &c. factam sine solemnitate, quia huiusmodi bona non censentur pretiosa, quæ seruando seruari possint. Totus verò grex ouium, de quo percipi consueuerunt redditus, & emolumenta, non potest vendi, quia videtur referri ad bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt, vt dictum est *vers. Aduertendum secundò.* Ita Molina *disp 468.* Quaranta *loc. cit. n. 24.* Lessius *loc. cit.* Riccius *dec. 61.* & alij communiter.

Addo mancipia, iumenta, & his similia, affixa prædiis tamquam illorum partes, alienari non posse, quia censentur partes prędij; consequenter inter bona immobilia computantur; secus si non sint affixa prędiis tamquam illorum partes; sed liberè ibi ponantur. Hæc enim non censentur bona immobilia, neque mobilia pretiosa, quæ seruando seruari pussunt; cùm ob morbum, mortem, & alios casus seruari nequeant. Ita Panormitanus *in cap. nulli, de rebus Ecclesiæ alienand.* Molina *disp. 465.* Sopranus apud Filliucium *tract. 44. c. 4. quæs. 21. num. 27.*

5 Pecunia Ecclesiæ mutuo dari, aut in alios vsus alienari prohibetur, quàm in eos, ad quos destinata est.

5 Tertiò sequitur pecuniam Ecclesiæ aliis mutuò dari, aut alia ratione alienari non posse ad alios effectus, præter eos, ad quos destinata fuit, vt si pecunia seruata sit in arca ad occurrentes Ecclesiæ necessitates; hæc enim est bonum mobile valdè pretiosum; consequenter prohibita alienatione rei pretiosæ, censetur etiam prohibita pecuniæ alienatio, iuxta Boër. *dec. 209.* Redoan. *q. 16.* Sopranum *loco citato c. 4. quæs. 19. n. 25. & 26.* & alios; consequenter alienans pecuniam Ecclesiæ afficitur excommunicatione.

Sed hoc mihi non probatur, vniuersaliter, & indefinitè loquendo. Ratio est, tum quia licet pecunia sit res pretiosa, nihilominus nō traditur, nec accipitur, vt seruetur, sed vt insumatur, & implicetur. Alioquin beneficiarius alienare non posset pecuniam, quam ex beneficij sui prouentibus, vel loco prouentuum recepit. Tum quia pecunia accepta in venditione rei mobilis pretiosæ, quæ seruando seruari poterat, aut pecunia rei immobilis accepta, non ad aliam rem similem emendam, sed ad quotidianos vsus, non appellatur res pretiosa iuxta communem loquendi modum, & DD. intelligentiam in hac materia. Ergo pecunia, generaliter, & indefinitè loquendo, non venit nomine rei pretiosæ, quæ seruando seruari potest.

Secus dicendum est primò de pecunia non otiosa, sed fructifera, qualis est pecunia in montibus, vel censibus collocata: hæc enim est bonum immobile, vel pro bono immobili habetur, vt patet ex dictis *de censibus.* Alexander, Iason, & Ripa *in l. 1. §. quæsitum, ff. ad Trebellianicam.*

Secundò de dote, quæ pro monialium sustentatione traditur: hæc enim inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt, communiter recensetur à DD.

Tertiò de pecunia, quæ accepta fuit pro venditione rei immobilis ad alias res immobiles emendas; hæc enim est res pretiosa, quæ seruando seruari potest, & debet, donec ad eum finem insumatur, ad quem tradita fuit. Ita Sylvester *verb. alienatio quæsito 6.* Redoan. *quæst. 16.* Boërius *decis. 209.* Quaranta *v. Alienatio num. 3. & 25.* Vasquez *in opusculis de redditibus, cap. 2 §. 2. dub. 13. num. 45.* Molina *tractat. 2. disp. 465. num. 4.* Genuensis *in praxi Neapolit. cap. 60. num. 8. & 9.* idemque colligitur ex decisionibus Rotæ apud Genuensem *loco citato n. 14.* & apud Riccium *in sua praxi. §. alienatio decis. 50. 61. 70. 74. & 96.* quidquid nonnulli apud Manticam *de coniectur. vltim. volunt. lib. 9. titul. 3. num. 2.* & apud Genuensem *in praxi ca. 60.* in oppositum sentire videantur de pecunia destinata ad emptionem bonorū immobilium.

Obserua tamen pecuniam deputatam ad bona immobilia emenda, qualis videtur pecunia pro dote monialium tradita, posse absque assensu Apostolico insumi in emendis agris, aut in emenda, vel construenda domo necessaria. Ratio est, quia huiusmodi pecunia seruari solùm debet, donec impendatur ad vsum, ad quem fuit deputata, & ita videtur vsu receptum.

6 Oblationes factæ sacræ Imagini possunt de licentia solius Episcopi alienari.

6 Quartò, oblationes sacræ imagini factas, posse de licentia Episcopi absque assensu Sedis Apostolicæ alienari; nam huiusmodi oblationes non veniunt nomine bonorum pretiosorum, quæ seruando seruari possunt, nisi fortè sint vota aurea, vel argentea magni valoris; hæc enim censentur bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt. Ita Riccius *decis. 102.*

7 Arbores solo adhærentes non possunt incidi sine debita solemnitate.

7 Quintò non posse absque debita solemnitate incidi arbores solo adhærentes, siue fructiferæ sint, siue etiam infructiferæ; exceptis tamen cæduis. Ratio est, tum quia arbores cedunt solo, & inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt, enumerantur. Tum quia incisio arborum est actus dominij. *l. diuortio, §. si fundum, ff. soluto matrimonio*; beneficiarius autem non est dominus bonorum beneficij; sed vsufructuarius. Tum quia alienatio est dominij abdicatio; dominium autem arborum per incisionem abdicatur, cùm dominium rei non melius abdicetur, & amittatur, quàm rem destruendo. Ita communiter DD. qui ob id asserunt incidentem arbores absque debita solemnitate, ligari excommunicatione extrauagantis *Ambitiosæ.* Probabile tamen videtur non ligari quidem excommunicatione dictæ extrauagantis, quia incisio arborum non est propriè alienatio; sed potiùs affici excommunicatione Concil. Trident. edita contra vsurpantem bona Ecclesiarum, & locorum piorum, & contra impedientem, ne prædicta bona capiantur ab iis, ad quos de iure pertinent. De qua re inferiùs egi *de censuris in particulari.*

8 Nomine arborum intellige, quę radices solo egerūt, & durioris ligni sunt.

8 Nomine autem arborum eas intelligo, quæ radices solo egerūt, & durioris ligni sunt, vt sunt plantæ, vites, oleæ, hederæ. Secus dic de ligno, quod solo infixum radices non egit, aut de herba, vel alio simili, quod tenerum est, nec in lignum coalescit, *l. vitem. ff. arbor. furt. cæs.*

Ex quo patet non posse incidi arbores, non solùm frugiferas (quarum nomine veniunt etiam quercus; vt ex Afflicto docet Quaranta *loco citato,*) verùm etiam infrugiferas, saltem quando ex illarum incisione fundus redditur deterior.

Excipi tamen ab hac doctrina solent tres casus.

Primus est quando secātur arbores, quarum sectione fundus redditur fructuosior, vt accidit quando inciditur arbor opaca, qua ablata vberiores fructus percipiuntur, quàm antea perciperentur, propter illam arboris opacitatem; vel quando inciditur arbor vetusta, vel corrupta, vel noxia, vel infrugifera, vt alia fructuosior apponatur. Ratio est, tum quia vtiliter geritur negotium Ecclesiæ: tum quia huiusmodi arbores non videntur reducendæ ad bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt. Ita Doctores statim citandi.

Ex quo inferunt prædicti DD. censuras extrauagantis *Ambitiosæ*, non contrahi ab eo, qui oliuetum antiquum, quod modicos fructus reddit, eo quòd aliquæ arbores sint ferè inutiles, extirpat, ibique vineam plantat. Idem iuris est de eo, qui similem syluam destruit, vt ibi vineam collocet, ex Riccio *loco citato, decis. 136.* Quaranta *loc. cit.* Rodriquez *q. regul. q. 27. art. 4.* Nauar. *consil. 6. & 7. de rebus Eccles. nō alienand.* Panormitano *c. cùm nullo, de rebus Eccles. non alienand.* & aliis.

Ego verò, in rigore loquendo, existimo prædictas arbores incidi non posse absque debita solemnitate, seu consensu, etiamsi fundus fructuosior reddatur. Ratio est, tum quia ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum non sufficit iusta causa, qualis est euidens Ecclesiæ vtilitas, sed etiam requiritur debita solemnitas; tum quia beneficiarius non potest propria auctoritate bona beneficij, vt syluam cum oliueto permutare: ergo multo minus potest præsentem syluam incidere, & in oliuetum futurum incertum conuertere, vt bene argumentatur Pater Sopranus apud Filliucium *de alienat. tract. 44. c. 4. quæs. 14. n. 17. & c. 5. quæs. 8. n. 14.*

Secundus casus est quando cæduntur arbores cæduæ, quales sunt quæ vtiles sunt tantùm ad lignandum, vt est syluа cædua, nemus, arundinetum, arbos mortua, & his similes, quarum totus, vel præcipuus fructus in incisione consistit; nam istæ possunt à beneficiario debito tempore, dum actu cæduæ sunt, & seruato incisionis modo, incidi, & incisæ alienari. Ratio est, quia censentur fructus beneficij; fructus autem beneficij pertinent ad beneficiarium, & possunt absque prædicta solemnitate alienari.

Secus dicendum arbitror de arbore, seu syluа, vel luco consito in vinea ad amœnitatem vineæ; huiusmodi enim arbor, seu syluа, cædua non est, cùm non sit consita ad lignandum, seu cædendum, vt pluribus probat Pater Sopranus *c. 4. quæst. 10.* & alij.

Tertius casus est, quando beneficiarius incidit arbores ad reparationem suæ Ecclesiæ, absque dicta solemnitate: tunc enim non videtur affici pœnis à iure constitutis contra alienantes bona Ecclesiastica, saltem quando beneficiarius non habet fructus, quibus Ecclesiam reparet, & necessitas vrget. Ratio est, tum quia hæc non videtur alienatio, sed potius localis mutatio: tum quia hic casus per Epicheiam exceptus videtur, dum necessitas vrget.

9 Inualidus est contractus, quo quæuis bona Ecclesiastica alienantur sine debitis solemnitatibus.

9 Sextò sequitur, inualidum esse quemlibet contractum, quo dominium directum, vel indirectum, vel vtile rei Ecclesiasticæ immobilis, vel mobilis pretiosæ, quæ seruando seruari potest, transfertur, non seruata debita solemnitate, *cap. nulli, de rebus Eccles. non alienand.* hæc enim est alienatio prohibita.

Ex quo patet, inualidam esse permutationem bonorum Ecclesiæ factam absque debita solemnitate; etiamsi facta sit inter Ecclesias; vt ex Rebuffo, Redoano, & praxi Neapolitana testatur Quaranta *loco cit. n. 15.* contra Riccium ex parte *decis. 74.*

Item patet inualidum esse precarium, celebratum sine debita solemnitate de re immobili, vel mobili pretiosa, quæ seruando seruari potest, vt bene Riccius *decis. 64.* & Quaranta *loco citato.*

Præ-

Præterea patet, inualidam esse alienationem bonorum, quorum dominium acquisitum est ab Ecclesia; quamuis dicta bona essent aliis antea obligata. Ita nonnulli, quos tacito nomine refert Quaranta *n.36.* quamuis non desint oppositum sentientes.

Rursus patet inualidam esse alienationem rei sterilis, seu domus, ex qua plus damni, quàm vtilitatis percipitur, vt testatur Quaranta *num.37.* Pater Sopranus *cap.4.quæsito 5.* cum Rebuffo, & aliis; nam alienatio rei immobilis, vel pretiosæ, quæ seruando seruari potest, fieri non potest absque solemnitate. Idem dicendum est de impositione census super re Ecclesiæ, etiamsi census impositio fiat à Capitulo pro sustinendis expensis litis, vt ex Baldo, & aliis ostendit Riccius *dec.49.& 71.* hæc enim est alienatio, seu concessio prohibita in extrauag. *Ambitiosæ.*

Addo inualidam esse transactionem, seu compromissum de rebus Ecclesiæ immobilibus, vel pretiosis, quæ seruando seruari possunt. Hæc enim videtur concessio, seu alienatio iuris. Secus dicendum videtur de re, quam Prælatus iniustè possidet; hæc enim non videtur alienatio bonorum Ecclesiæ; cùm Ecclesia, seu Prælatus nullum in ipsa re ius habeat, vt suppono.

Denique patet, non posse fieri transactionem, seu remissionem, seu concordiam super decimis futuris, quamuis fieri possit de præteritis; hæc enim videtur quædam alienatio, cùm sit cessio iuris circa res futuras. Ita Rebuffus, Panormitanus, & alij apud Quarantam *nu.20.* apud Riccium *dec.41.& 46.* & apud Genuensem *praxi Neapolit. loco citato num.19.* vbi refert decisionem Rotæ.

Hinc vlteriùs patet, quid dicendum sit, quando quis absque consensu Episcopi, vel Papæ cedit liti, & causæ; hæc enim est species alienationis, cùm sit cessio iuris, vt ait Armilla *verb. Alienatio nu.16.* & alij apud Quarantam *num.22.* Idem procedit in concessione seruitutis ex Quaranta, Redoano, Patre Soprano, & aliis communiter, & patet ex ratione sæpiùs allata.

10 Bona Confraternitatis, Collegij, Congregationis, Hospitalis, non possunt alienari sine debita solemnitate.

10 Septimò sequitur bona Confraternitatis, vel Collegij, vel Congregationis, vel Hospitalis erecti, & fundati auctoritate Episcopi, non posse sine debita solemnitate alienari; sunt enim loca pia; nam loca pia dicuntur, quæ Episcopi auctoritate fundata sunt. In extrauaganti autem *Ambitiosæ*, irritatur alienatio bonorum loci pij facta sine solemnitate. Secus dicendum est de Hospitalibus, vel Confraternitatibus, aliisque locis erectis sine licentia, & auctoritate Episcopi; hæc enim non censentur loca pia. Ita Riccius *dec.48.* Redoanus *q.28.* Quaranta *loco citato n.28.& 41.* Cardinalis Parisius *consil. 34. tom. 3.* Pater Sopranus *cap.4.num.19.* & alij communiter. Idem dicendum est cum Riccio *dec.82.* de alienatione bonorum Capellæ, quæ non fuit fundata auctoritate Episcopi; nam huiusmodi capella non censetur beneficium Ecclesiasticum.

11 Domus Hospitalis quandonã censeatur fundata auctoritate Episcopi.

11 In dubio autem quomodo cognoscatur, domum hospitalem fundatam fuisse auctoritate Episcopi; respondetur potest cum Mascardo *tom.1. de probationibus conclus.869. folio mihi 389.* vbi hanc rem egregiè tractat, Quaranta *loco citato*, Riccio *dec.40.* Rota *dec. 725. diuers.1. parte*, Patre Soprano apud Filliucium *tract.44. cap.4. quæs.18.* & aliis, præsumi erectam auctoritate Episcopi.

Primò, si sibi sint sepulturæ, vel cœmeterium.

Secundò, si in eo administretur Baptismus.

Tertiò, si recipiat decimas, vel sit immune à solutione collectarũ.

Quartò, si habeat campanile erectum cum campana, ibique Diuina celebrentur.

Octauò sequitur, Ecclesiam, vel Oratorium fundatum auctoritate Episcopi ad perpetuum vsum Ecclesiasticum, aut in pio loco, non posse absque debita solemnitate alienari, vt patet, tum ex allatis rationibus, tum ex dictis de venditione puncto secundo; tum quia hæc computantur inter bona Ecclesiæ; Oratoria verò facta in domibus priuatis possunt alienari, cùm sint quid accessorium domui; accessorium autem sequitur principale, sicut vendito fundo, ius patronatus transmittitur in emptorem, quamuis ob id non sit augendum pretium fundi, vt patet ex dictis de venditione.

Verum tamen est in prædicto Oratorio priuato non posse Missas celebrari absque auctoritate Episcopi, vt ex Tridentino *sess.22.* ostendit Quaranta *loco cit. num.29.* Beia, & alij.

Quomodo autem præsumantur Oratoria auctoritate Episcopi erecta, & fundata, videri potest apud Mascardum *tom.1. concl. 583.* & patet ex dictis *de censuris in genere.*

12 Vsus Capellæ cũ sepultura an alicui concedi possit sine debita solemnitate.

12 Maior difficultas est, vtrum alicui concedi possit vsus Capellæ cum sepulturis absque prædicta solemnitate.

Respondeo, concedi posse; nam hæc non dicitur alienatio, sed concessio ad vsum, ad quem res fuit fabricata. Ita Quaranta *loco cit. n.29.* Riccius *dec.42. n.6.* & alij.

Verum tamen est, Capellam vendi nõ posse, ita vt is, cui traditur, fiat dominus. Ita Menochius *to.3. consil.115.* & alij apud Ricciũ *dec.42.*

13 Commendæ S. Ioannis Hierosolymitani, aliæque commendas non posse absque assensu Apostolico alienari, quia censetur bona Ecclesiastica. Ita Couar. *2. variarum. ca.16. nu.3.* & alij apud Riccium *dec.76.& 79.*

13 Nonò sequitur commendam S. Ioannis Hierosolymitani, aliasque commendas non posse absque assensu Apostolico alienari, quia censetur bona Ecclesiastica. Ita Couar. *2. variarum. ca.16. nu.3.* & alij apud Riccium *dec.76.& 79.*

14 Alienatio ab vna Ecclesia ad alteram fieri nequit absque dicta solemnitate.

14 Decimò, sequitur non posse fieri alienationem ab vna Ecclesia ad alteram Ecclesiam absque dicta solemnitate; nam iura simpliciter, & absolutè loquuntur: quamuis Riccius *dec.38.& 74.* existimet, non esse necessarium assensum Apostolicum.

Hinc patet, non posse fieri vnionem Ecclesiarum absque dicta solemnitate: hæc enim est quædam alienatio, vt ex Abbate, & aliis obseruat Quaranta *num.35.*

Excipiuntur tamen casus Tridentini Concilij *sess. 21. de reformat. cap.5. sess.32. cap.18. sess.24. cap.13.& 15.* de quibus differam in tractatu de beneficiis.

Præterea patet, dismembrationem fructuum fieri non posse absque debita solemnitate; hæc enim est alienatio, & magis rationem alienationis habet, quàm locatio, consequenter ex fructibus Ecclesiæ Parochialis non possunt erigi canonicatus, quando maior numerus Sacerdotum non est necessarius ad Sacramentorum administrationem, vt ex decisionibus Rotæ tradit Genuens. *in praxi Neapolit. c.60. n.17.* & Riccius *dec.47.& 95.*

15 Iuspatronatus Ecclesiasticum non posse in laicum transferri absque dicta solemnitate.

15 Vndecimò, sequitur iuspatronatus Ecclesiasticum non posse in laicum transferri absque dicta solemnitate; ius verò patronatus laicum potest de consensu Episcopi, *cap. extra, de iurepatronatus.* Vide Riccium *dec.43.* cum aliis.

16 In retrouenditione rei ab Ecclesia emptæ requiritur dicta solemnitas.

16 Duodecimò, sequitur in retrouenditione rei ab Ecclesia emptæ cum pacto retrouendendi, requiri prædictam solemnitatem, quia retrouenditio est quædam alienatio, & per ipsam transfertur dominium. Ita Menochius *tom.1. consil.13. num.6.* Riccius *dec. 52.* & alij, qui addunt, pro retrouenditione deberi laudemium, quãdo emphyteuta vendidit rem, cum pacto retrouendendi.

Contrarium tamen non videtur improbabile, quia retrouenditio non videtur alienatio, & contractus à primo distinctus, sed potius est rescissio prioris contractus, vt dictum est de venditione cum pacto retrouendendi; consequenter non videtur improbabile retrouenditionem fieri posse absque prædicta solemnitate. Propterea aliqui DD. aduertunt, laudemium non deberi pro retrouenditione, quia laudemium soluitur pro alienatione propriè accepta: retrouenditio autem non videtur alienatio, sed rescissio prioris contractus. Ita Redoanus *de rebus Eccles. non alien. q.66. n.9.* & alij, quos retuli de emphyteusi *puncto 2.*

17 Bona monasterio acquisita non possunt alienari à Prælato sine assensu Sedis Apostolicæ.

17 Decimotertiò, sequitur bona monasterio acquisita non posse absque assensu Sedis Apostolicæ alienari à Prælato, nisi aliquod priuilegium habeat; hæc enim censentur bona loci pij. Ita Riccius *dec.101.* Molina, & alij *locis cit.*

18 Idem requiritur ad alienationem loci, in quo aliàs erat Ecclesia nunc profanata, aut diruta.

18 Decimoquartò, assensum Apostolicum requiri ad alienationem loci, in quo aliàs erat Ecclesia, quæ profanata, & diruta fuit; censetur enim adhuc locus Ecclesiæ, & habetur in honore, cùm in eo prohibeatur fieri stabulum, vt ait glossa *in cap. ligna. de consecrat. dist.1.* Riccius *dec.78.* Praxis Neapolitana, & alij.

Addo cum Remigio, & aliis, prædictam Ecclesiam gaudere immunitate, si diruta fuit spe reædificandi, vt docui de immunitate loci sacri.

19 Bona incorporalia, iura & actiones, & seruitutes Ecclesiæ alienari non possunt sine dicta solemnitate.

19 Decimoquintò, non solùm bona immobilia, vel mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, non posse sine prædicta solemnitate alienari, verùm neque bona incorporalia, id est, iura, actiones, & seruitutes; nam ius loquitur de bonis omnibus Ecclesiasticis; bona autem incorporalia, quamuis non sint propriè res mobiles, vel immobiles, vt in secunda propositione prænotaui, nihilominus sunt quoddam bonorum genus, & veniunt nomine bonorum, cùm ius ad res immobiles aliqua ratione computari possit cum rebus immobilibus, & ius ad res mobiles cum rebus mobilibus; talis enim videtur actio, qualis est res, ad quam est actio, seu ius, ex Gomes. *2. variar. c.14. n.14. versic. quartò extende*, vbi hoc comprobat tum auctoritate Bartoli, Baldi, & aliorum: tum ex *l. si ad reſoluendam. C. de prædiis minorum.* Idem tenet Panormit. *in c. nulli, de rebus Eccl. non alien.* Syluester *verb. alienatio quæs.10.* Vasquez *loco citato n.46.* Molina, & alij *locis citatis.*

Ex quo patet, annuum censum, iura, actiones, annuos redditus, & alia huiusmodi pertinentia ad loca pia, non posse absque dicta solemnitate vendi. Vel enim aliqua ratione reuocantur ad bona immobilia, vel saltem sunt bona mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt. Ita Abbas, Vasquez, & alij apud Quarantam *n.26.& 39.* & apud Riccium *dec.44.*

20 Res non solitæ tradi in emphyteusim, aut feudum, nõ possunt infeudari, aut emphyteuticari sine dicta solemnitate.

20 Decimosextò, sequitur res, quæ non sunt solitæ tradi in feudum, vel emphyteusim, non posse emphyteuticari, vel infeudari sine dicta solemnitate. Ratio est, tum quia in extrauag. *Ambitiosæ*, expressè prohibetur infeudatio, & emphyteusis, tum quia traditio in feudum, vel emphyteusim est alienatio. Si verò solitæ erant infeudari, vel emphyteuticari (semel autem tradita in emphyteusim, aut feudum eo ipso dicitur consueta tradi, Iulius Clarus *§. feudum, quæst.13. num.4.* Molina *disp.648. concl.8.* & alij,) possunt adhuc tradi in feudum, vel emphyteusim absque prædicta solemnitate, concurrentibus istis conditionibus.

Prima est, euidens Ecclesiæ vtilitas.

Secunda, vt fiat ex pacto, quo res priùs tradita fuerat in feudum, vel emphyteusim. Ita vt si tradita erat pro descendentibus tantùm, non tradatur pro extraneis; vel si concessa erat ad tres vitas, non concedatur in perpetuum. Videri potest Iulius Clarus *§. Emphyteusis, quæst.28.* & Molina *disp.369.* vbi fusiùs de hac re disputant.

Tertia est, vt hoc fiat, antequam sit incorporata Ecclesiæ, id est, antequam sit applicata mensæ, seu vsibus Ecclesiæ, postquam dominium vtile rediit ad dominum directum.

Ratio cur hoc liceat sine prædicta solemnitate, concurrentibus tribus prædictis conditionibus est, tum quia hic casus excipitur in extrauag. *Ambitiosæ*, ibi, *vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis.* tum quia hæc nõ videtur noua alienatio, sed continuatio prioris emphyteusis, vel feudi; ius autem requirit prædictam solemnitatem ad alienationem. Ita Iulius Clarus *§. emphyteusis, quæst.6. n.1. §. feudum, quæst.13. n.1.* Couar. *2. variar. c.17. n.4.* Riccius *dec. 26. 70.& 116.* Molina *loco cit. n.17.& 19.* Quarãta *loco cit. n.40.* Genuensis *in praxi Neapolitana c.60. num.5.& 6.* Pater Sopranus apud Filliucium *tract.44. c.4. ad finem*, & alij communiter.

21 An beneficiarius, vel Prælatus possit remittere caducitatem emphyteutæ absque dicta solemnitate.

21 Sed modò dubium est, vtrum Prælatus, seu beneficiarius possit remittere caducitatem emphyteutæ Ecclesiæ absque prædicta solemnitate.

Respondeo affirmatiuè cum Quaranta *loco cit. n.44.* Iulio Claro *§. emphyteusis, quæst.10. versf. sed numquid*, vbi refert Ruinum, Cœpollam, & alios, Sanchez *lib.6. disp.6. n.13.* Rebello *lib.13. quæst. 11. nu.7.* Riccio *dec. 135.* vbi in hanc sententiam adducit Maltricum, Valaschum, & Afflictum, *& dec. 136.* Ratio est, tum quia caducitas nõ habet locum, nisi volente domino, vt communiter sentiunt Doctores, teste

teste Iulio Claro *lib.4.§.emphyteusis, quæst.9.* ergo liberum est beneficiario remittere caducitatem; tum quia ius caducitatis inducit potius rationem iuris acquirendi, quàm acquisiti; Prælatus autem validè potest Ecclesiæ præiudicare quoad ius acquirendum.

Hoc tamen puto intelligendum, modò beneficiarius non declarauerit velle incursum esse caducitatem; tunc enim beneficiarius non videtur posse remittere caducitatem, quia censetur acquisitum ius Ecclesiæ, cùm emphyteuta incidat in caducitatē ab eo die, quo proprietarius declarat, velle caducitatem incursam esse, vt dictum est de emphyteusi, *punct.2.quæs.1.nu.8.* Hoc idem expressè habetur in Concilio Prouinciali VII. Mediolanen.

22 Caducitas num censeatur remissa per receptionem canonis, vel pensionis.

22 An verò præsumatur caducitas remissa, quando beneficiarius recipit pensionem, & canonem pro tempore elapso. Aliqui DD. censent remissam, si nulla fuit habita protestatio, vt ex Ruino, Curtio, Socino, Parisio, & aliis obseruat Menochius *lib.3.præsumpt.112.nu.1.* & Iulius Clarus *loco cit.quæst.10.*

Sed de hac re dictum est *punct.2.num.15. de emphyteusi.*

23 Bona immobilia, vel mobilia pretiosa, non possunt oppignerari, vel hypothecari sine dicta solemnitate.

23 Decimoseptimò, sequitur non posse absque prædicta solemnitate oppignerari, vel hypothecari bona immobilia, vel mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt. Ratio est, tum quia sic habetur in Bulla Pauli II. citata, ibi, *hypotheca.* tum quia quamuis nomine alienationis propriè significetur actus, quo transfertur dominium directum, *l.1.C. de fundo dotali*; nihilominus nomine alienationis latè acceptæ venit etiam actus, quo traditur dominium vtile, vt accidit in emphyteusi; imò etiam venit actus, quo res traditur in pignus, vel hypothecam. Cùm enim hæc sit materia fauorabilis pro Ecclesia, verba sunt latè accipienda, consequenter facienda est extensio alienationis ad oppignerationem, & hypothecam non solùm specialem, verùm etiam generalem, cùm extrauagans Pauli II. absolutè loquatur. Ita Molina *loco cit.n.6.* Quaranta *loco cit.nu.16.& 27.* Rodriquez *quæst.regular.quæst.7.art.1.folio mihi 173.* Vasquez *loco cit.dub.8.nu.7.* Couar. 2. *variar.c.16.n.7.* Pater Sopranus, & alij; quamuis Couarruuias hoc non admittat in hypotheca generali.

24 Res Ecclesiæ pretiosæ, quæ seruando seruari possunt, non possunt locari ad longum tempus.

24 Decimooctauò, sequitur res Ecclesiæ immobiles, vel etiam mobiles pretiosas, quæ seruando seruari possunt, non posse locari ad longum tempus; hæc enim est quædam alienatio, quæ expressè prohibetur in extrauagan. *Ambitiosæ*, ibi, *locationem, & conductionem vltra triennium.* Imò si res Ecclesiasticæ vnico contextu locentur vltra triennium, inualida est locatio, non solùm pro eo tempore, quod excedit triennium, verùm etiam pro ipso triennio. Quamuis enim locatio non veniat nomine alienationis strictè acceptæ, nihilominus venit nomine alienationis latè acceptæ, & si fiat vltra triennium irritatur, *Clementina 1. de rebus Eccles. non alienand. & extrauag. Ambitiosæ citata*, nisi fiat cum debita solemnitate, & cum iusta causa; quare, si quis locauit prædium Ecclesiæ ad quinque, vel septem annos, inualidè locauit, & locatio inualida est, non solùm pro quinque, vel septem annis, sed etiam pro primo triennio. Azorius *3.part.lib.8.§. de locato c.3.quæs.3.* Vasquez *loco cit.dub.5.num.28.* Tuscus *tom.5. conclus.* 406. Carocius *de locato 3.part.§. de rebus Eccles. locand. conclus.5.6. & 9.* Riccius *decis.117. & 121.* Lessius *lib.2.c.24.dub.11.n.68.* Scortia *in selectas constitutiones theorem.117.* Emanuel Sà *verbo conductio, nu.13.* Sopranus *loco citat.quæsito 5. cap.2.* & alij apud Genuensem *in praxi Neapolitana*, asserentes hoc in Rota haberi pro indubitato, quamuis multi Doctores contrarium asseruerint, vt videre est apud Manticam *de tacitis, & ambiguis conuentionibus libr.5.tit.5.nu.19.* apud Scortiam, & apud alios Doctores *locis citatis.*

Neque obstat illa regula, vtile per inutile non vitiatur, nam illa regula procedit tantummodò in rebus separabilibus, quoties separatio commodè fieri potest, & quoties lex contrarium non disponit, sicut disposuit in nostro casu extrauag. *Ambitiosæ*, vbi habetur locationem, vltra triennium factam, inualidam esse: & separatim fieri non potest respectu contractus, qui vnico contextu celebratur. Si verò distincto contextu locatio bonorum Ecclesiæ fiat ad sex, vel nouem annos, ita vt tot sint distinctæ locationes, quot sunt triēnia, vt si quis locet hoc pacto, loco tibi hanc vineam ad tres annos, quibus elapsis ex nunc pro tunc concedo tibi eamdem vineam ad alios tres annos, & sic deinceps, valida est locatio ad primum triennium, quia hæc non prohibetur; inualida verò est locatio quoad secundum, & tertium triennium: tum quia hoc fieri videtur in fraudem legis irritantis locationem factam ad plures annos, quàm ad tres: tum quia per triplicatam locationem obligatur res locata: bona autem Ecclesiastica obligari non possunt vltra triennium: tum quia sic habetur *in extrauagan. Ambitiosæ, §. si quis autem*, vbi irritatur locatio facta vltra triennium in singulari, dicendo nullius esse roboris, & momenti. Ita Doctores statim citandi.

Hoc tamen intelligendum est, modò aliter non sit vsu receptum in aliquibus locis, vt Mediolani, vbi bona Ecclesiastica consueuerunt locari ad nouem annos triplici locationis contractu. Couar. 2. *variar.c.16.n.6.* Vasquez *in opusculis de redditibus c.2.§.2.dub.4.num.25.* Rebellus *de obligationibus iustitiæ lib.14.quæst.6.* Rodriquez *loco citato*, Genuensis *in praxi Neapolitana loco cit.numer.10.& 15.* contra Baldum *l. voluntas, C. de fideicommissis*, & Molinam ex parte *disp.467. num.4.* existimantem locationem fieri posse ad nouem annos, ita vt quolibet triennio censeatur renouata, & contra Quarantam, & alios existimantes locationem factam ad nouem annos, exempli gratia, validam esse vsque ad primum triennium.

Aduertendum tamen est, res Ecclesiæ fructificantes solùm alternis annis posse locari ad sex annos; quia sic censentur tantummodò locatæ ad tres, cùm duo anni respondeant vni anno. Annus enim in locatione non computatur ex solo temporis decursu, sed ex decursu cum prouentu fructuum; ob id etiam ea locari possunt ad nouem annos, quæ tertio quoque anno fructus faciunt; nam singula triennia æquiualent singulis annis. Ita Couar. 2. *variar.ca.16.* Rebellus *loco cit.quæst.5.* Azor. *loco cit.c.2.* Riccius *decis.115.* Vasquez *loco cit.dub.6. num.30.* Quaranta *loco cit.nu.18.* Pater Hieronymus Sopranus apud Filliucium *tract.44.c.2.quæs.3.* & alij apud Emanuelem Sà *verbo conductio.num.14.*

Addo cum Molina *disp.466.n.5.verse. in tertia autem*, vbi refert alium Molinam, cum Riccio *decis.71.* vbi refert Crauetam, & alios, & cum Quaranta *loco cit.n.18.vers.3.* vbi allegat Rebuffum, Gutierez *lib.2. canonic.cap.13.* Soprano *loco citato, cap.2.§.1.quæs.8.* posse beneficiarium obligare se obligatione personali ad dandam commoditatem, & ius percipiendi fructus ad multos annos, vel durante vita ipsius beneficiarij; nam hoc pacto, non dicitur rem Ecclesiasticam alienare, cùm nullum ius rei transferat in alterum, sed solùm obligetur personaliter. Hac de causa nonnulli DD. excusant beneficiarium, qui liberaliter alteri cedit fructus sui beneficij pro toto vitæ suæ tempore, si per huiusmodi cessionem non transferat ius aliquod ad bona beneficij, sed solùm personaliter obligetur ad dandum alteri, quod ex beneficio perceperit. Hæc enim non est alienatio bonorum Ecclesiasticorum, sed personalis obligatio. Ita Nauar. *de alienat.numer.1.* Molina *de iustitia disp.366.numer.5.* Pater Hieronymus Sopranus *de alienat.c.2.§.3.quæs.3.num.29.* & alij. Contrarium docent Azor. 2. *p. lib.7.cap.10.quæs.6. & lib.9.c.2.quæs.3.* Scortia *in selectas constit.epit. 43. Theorem.115.* asserentes prohiberi Clericum bona beneficij locare cum publica scriptura ad triennium, ea conditione adiecta, vt finito triennio iterum eadem bona conductori locet ad aliud triennium; etiamsi hoc fiat duabus distinctis scripturis; hoc enim fieri videtur in fraudem legis.

Sed aliorum opinio mihi magis probatur, quia promissio de re locanda non est locatio, & hæc non est alienatio, sed obligatio personalis alienandi. Idem dic de eo, qui gratis, obligatione solum personali, distributiones alteri cedit absque obligatione reali, per quam transferatur vllum ius in re, vel ad rem, vt si obliget se ad cedendum, seu tradendum debitori fructus, vel distributiones. Ita Quaranta *verb. alienatio*, Pater Sopranus *c.4.quæs.2.* & alij. Hinc patet quo pacto intelligendi sint Doctores asserentes distributiones alienari posse.

25 Locatio fructuum vltra triennium, an valida, & licita sit.

25 Rogabis, vtrùm licita, & valida sit locatio fructuum vltra triennium.

Respondent affirmatiuè Vasquez *de redditibus c.1.§.2.n.34.* Couar. *loco cit.n.6.* Redoanus *quæst.6.§. vlt.n.4.* Zerola *in praxi verb. alienatio.§.3.conclus.10.* Molina *disp.368.* Scortia *theorem.115.* Sopranus apud Filliucium *loco cit.c.4. quæsito 1.* & alij. Ratio est, quia alienatio fructuum excipitur *in extrauaganti, Ambitiosæ.*

Sed oppositum mihi probabilius videtur. Ratio est, tum quia frustra prohiberetur locatio bonorum, si fructus vltra triennium locari possent: tum quia in bulla, *Ambitiosæ*, prohibetur locatio omnium rerum, & bonorum Ecclesiæ vltra triennium; cùm autem fructus beneficij sint res & bona Ecclesiastica, eo quòd proueniant ab Ecclesia, sequitur fructus beneficij non posse locari vltra triennium; tum quia *in Clement.1. de rebus Eccles. non alienand.* permittitur solùm locatio, & venditio fructuum ad modicum tempus: tum quia hæc non videtur solum obligatio personalis, aut locatio fructuum, sed rei ex qua fructus percipiuntur; res autem ex qua fructus percipiuntur, non potest vltra triennium locari, vt patet ex dicta Bulla. Ita Armilla *verb. locatio, n.5.* Rodriquez 1. *parte c.18.n.5.* Emanuel Sà *verb. conductio, n.13.* Riccius *decis.114.n.3.* Boërius *decis.224.n.2.* Gutierez *libr.1. canonicar. quæst. cap.8.n.15.* & quamplures alij apud Garziam *de benef. 2.par.c.1.num.33.* & alij.

Ad rationem in contrarium respondeo *in extrauaganti, Ambitiosæ*, excipi venditionem, & locationem fructuum, & bonorum, quæ seruando seruari non possunt; fructus autem futuri nō sunt fructus, & bona, quæ seruando seruari non possunt, cùm nondum existant; consequenter non censentur excepti; consequenter vltra triennium locari non possunt.

26 Locatio beneficij vltra triennium an firmetur, & valida reddatur iuramento.

26 Sed modò difficultas est primò, vtrùm locatio beneficij facta vltra triennium cum iuramento de non contraueniendo, firmetur iuramento, ita vt non liceat ab ea recedere.

Respondeo negatiuè, iuxta probabiliorem sententiam Cordubæ *quæstion. Theologic. quæst.103.* & aliorum apud Riccium *decis.122.* contra Moëdanum *consil.9. de locat.* & alios. Ratio est, tum quia extrauagans, *Ambitiosæ*, obligat sub mortali, vt patet tum ex verbis prohibitiuis, tum ex pœna excommunicationis, quæ supponit mortale peccatum. Cùm autem iuramentum non obliget ad peccatum, nec fit vinculum iniquitatis, sequitur prædictam locationem non firmari iuramento, nec obligare. Vide quæ dixi *de contractibus disp. 3. quæst.1. punct.1.* de iuramento confirmante contractum.

27 Succesor in beneficio nō tenetur locationi vltra triennium factæ à suo prædecessore, vbi receptum est, vt locatio fiat vltra triennium.

27 Secunda difficultas est, vtrùm succesor in beneficio teneatur stare locationi vltra triennium factæ à suo prædecessore in iis locis, in quibus vsu receptum est, vt locatio fiat vltra triennium.

Respondeo, solutionem constare ex dictis *de contractibus disput. 3. quæst.7. punct.vlt. quæs.4.n.10.* vbi hanc difficultatem in terminis sufficienter explicaui.

28 Bona patrimonij, ad quæ quis fuit ordinatus, quomodo possint alienari.

28 Decimononò sequitur bona patrimonij, ad quorum titulum quis ordinatus fuit, non posse alienari absque Episcopi licentia, donec Clericus, qui ad illorum titulum fuit promotus, adeptus fuerit beneficium Ecclesiasticum, vel aliunde habeat, ex quo viuere possit, quamuis huiusmodi bona ipso mortuo pristinam retineant libertatem. Ratio est, tum quia huiusmodi bona gaudent priuilegio bonorum Ecclesiasticorum, vt *disp.1. de censur. in particulari*, probatū est, licet Mediolani oppositum vsu receptum sit, quoad immunitatem, & exemptionem huiusmodi bonorum; tum quia sic habetur in Concilio Tridētino *sess.21.c.2.* & ita tenet Syluester *verb. Clericus 4. quæs.* 13. Vasquez *loco cit.n.47.* Nauar. *c.22.n.18.* Riccius *decis.86.* Redoanus *de rebus Eccles. non alienand. quæs.51.c.13.* & alij apud Belletum 1. *part. §. de bonis Clericorum numer.16.* Probabilissimum tamen est hunc casum non reduci ad doctrinam generalem in præcedentibus traditam, sed niti peculiari dispositioni Tridentini, consequenter alienantem huiusmodi bona, nō ligari hac cēsura, quia extrauagans *Ambitiosæ*, expressè loquitur de bonis immobilibus, & pretiosis mobilibus

libus Deo dicatis. An verò ligetur suspensione, constabit ex infra dicendis.

29 Ad promissionem alienationis non requiritur consensus Summi Pontificis.

29 Vigesimò ad promissionem alienationis non requiri consensum Summi Pontificis; nam promissio alienandi non est alienatio, sed est actus præuius ad alienationem. Ita Riccius *decis. 65.* & alij DD. citati. Idem dicendum est de consentiente in alienationem. Ratio est, tum quia aliud est alienare, aliud alienanti, & vendenti consentire; tum quia censura lata contra facientes non ligat consentientes, nisi exprimatur. Ita Riccius *ibid* & patet ex dictis *de censuris disp. 1. quæst. 1. punct. 6.*

30 Lampades argenteæ, & his similia, nō possunt alienari, vt earum pretium conuertatur in fabricam necessariā Ecclesię.

30 Vigesimoprimò, non posse secluſa in contrarium consuetudine, lampades argenteas, & his similia alienari, vt eorum pretium conuertatur in fabricam necessariam Ecclesiæ, vel in alium vsum. Ratio est, tum quia hæc sunt bona mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, & quibus Ecclesia ornatur, vt in dicta extrauag. dicitur; tum quia sicut est prohibitus omnis contractus, per quem transfertur dominium directum, vel vtile, etiamsi fiat inter Ecclesias, vt supra dictum est *numero* 14. ita à fortiori videtur inualida alienatio dictorum bonorum mobilium, cùm illorum dominium transferatur in extraneum. Ita sentire videtur Redoanus *quæst. 13. num.* 8. Quaranta *num.* 24. & alij.

Contrarium defendit Riccius *in praxi decision. omissarum decis* 7. ductus hac ratione, quòd ex huiusmodi alienatione mobilium pretiosorum, vt eorum pretium conuertatur in fabricam necessariam Ecclesiæ, nullum dominium transferatur in extraneam personam.

Sed quis non videt dominium rei venditæ transferri in emptorem?

31 Reliquiæ non possunt alienari inconsulto summo Pontifice.

31 Vigesimosecundò, non posse ad libitum Prælati, vel Episcopi absque consensu Sedis Apostolicæ alienari particulas reliquiarum insignium, aut in muro clausarum. Ratio est, tum quia sicut non possunt res mobiles pretiosæ alienari, ita multò minus possunt reliquiæ; cùm sint res valdè pretiosæ, quæ seruando seruari possunt; tum quia hic est stylus Curiæ Romanæ, teste Riccio *decis. 63. n. 6.* stylus autem Curiæ Romanæ facit legem, vt dictum est *de dispensationibus.*

Hoc tamen intelligendum puto, modò non adsit alicubi consuetudo in contrarium.

Hinc patet à fortiori non posse absque Apostolico consensu extrahi, & aliis tradi reliquias, quæ traditæ sunt perpetuæ sepulturæ, vt inde numquam extrahantur, Armilla *verb. religio, num.* 4. Syluester *verb. reliquiæ*, & alij apud Riccium *num.* 1.

Probabile tamen videtur alienationem reliquiarum pœna excommunicationis in hac extrauaganti non puniri, quia in hac extrauaganti sermo solùm videtur esse de bonis temporalibus pretio æstimabilibus, quibus reguntur, & illustrantur Ecclesiæ, & loca pia, aut quibus ministri aluntur.

32 Absque assensu Apostolico non potest res pretiosa, quæ seruando seruari potest, alteri concedi ad beneplacitum.

32 Vigesimo tertiò, non posse absque assensu Apostolico, rem pretiosam, quæ seruando seruari potest, alteri concedi ad beneplacitum, hæc enim est alienatio, cùm per huiusmodi concessionem transferatur ius in rem. Ita communiter DD. apud Riccium *decis. 74. & 68.* Secus si cōcedatur solus vsus, siue rei commoditas ad breue tempus. Ita tamen vt nullum dominium vtile, vel directum trāsferatur in alterum: hæc enim non dicitur alienatio rerum Ecclesiæ, iuxta communem intelligendi modum; nec ob id Ecclesia graue damnum pati consueuit. Ita Riccius *loco cit.* & alij, quos retuli *illatione 6. n. 9.* absolutè loquentes de concessione vsus rei, alioquin commodans alteri lampades, vel calices, hac censura ligaretur.

33 Prælatus vtrum validè possit repudiare legatum relictum Ecclesiæ, non seruata solemnitate requisita ad alienationem.

33 Sed modò difficultas superest, vtrum Prælatus validè, & absque excommunicatione possit repudiare legatum relictum Ecclesiæ, aut repudiare hereditatem, non seruata solemnitate requisita ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum.

Respondet Molina *loco supra citato nu.* 11. Quaranta *loco cit. nu.* 23. Lambertinus *de iure patronatus lib. 3. quæst. 9. art. 1. nu.* 31. Corneus ex parte *lib. 3. cons.* 11. *n.* 2. Sopranus *c. 4. num.* 34. & alij, non posse legatum Ecclesiæ relictum repudiari absque dicta solemnitate. Ratio est, quia quamuis dominium rei legatæ non sit acquisitum Ecclesiæ ante acceptationem, nihilominus Ecclesiæ acquisitum est ius ad rem, quo Prælatus non potest priuare Ecclesiam, absque dicta solemnitate. Imò legata mortuo testatore, ipso iure fieri legatarij, licet ab ipso non apprehendantur, fusè probat Gulielmus de Benedictis *ca. Rainaldus, §. si absque liberis num. 150. ex l. huiusmodi, §. Stichum, ff. de legat. 1. l. à Titio, ff. de furt.* & ex aliis iuribus.

Sed mihi probabilior videtur oppositа sententia, quam tenet Sanchez *de matrimonio lib. 6. disp. 4.* Panormitanus *ca. tua, de his, quæ fiunt à Prælatis.* Syluester *verbo alienatio, quæsito* 19. Armilla *eodem verbo num.* 17. & alij apud Quarantam *loco cit. num.* 43. & apud Riccium *decis. 96. & 99.* & apud Scortiam *in selectas constitut. epitome 1. theorem. 2.* Ratio est, quia prædicta solemnitas requiritur solum in alienatione bonorum Ecclesiæ; Prælatus autem renuntiando legatum, nondum acceptatum, non dicitur alienare bona Ecclesiæ. *l. qui autem, ff. quæ in fraudem creditorum,* cum legatum nondum dicatur Ecclesiæ acquisitum, sed acquiratur per acceptationem. Idem à fortiori dicendum est in repudiatione hereditatis, quam perspicuum est non transire ipso iure ad heredem, sed præuia acceptatione propter pericula, quæ ab herede incurruntur adeundo hereditatem. Propterea dicitur, Prælatum posse nocere Ecclesiæ quoad acquirenda, quamuis nocere non possit quoad acquisita, si loquamur de rebus immobilibus, aut mobilibus pretiosis, quæ seruando seruari possunt. Ita Sanchez *loco cit. n.* 11. Rebellus *lib. 18. quæst. 14. n. 5.* Quaranta *loco cit. nu.* 43. & Riccius *decis. 135. n. 5.* & alij.

Verum tamen est primò, Prælatum peccare contra iustitiam repudiando, & non acquirendo, cùm ex officio teneatur cōsulere proprię Ecclesiæ, nihilominus validè repudiat nondum acquisita, quia non dicitur alienare; inualidè verò alienat acquisita, non seruata prædicta solemnitate, vt ait Panormitanus *loco citato*, & alij communiter.

Secundò verum est, Ecclesiam posse vti priuilegio restitutionis in integrum, si ob dictam renuntiationem læsa fuit, vt patet ex dictis *de restitutione in integrum*; modò res illa acquisita non fuerit alteri Ecclesiæ; tunc enim melior videtur conditio possidentis. Ita Molina *loco cit. num.* 14. Vasquez *loco cit. n.* 39. Quaranta *n.* 43. Riccius *decis.* 22. Angelus *verb. donatio, n.* 48. Sanchez *loco citato, n.* 15. Tabiena, & alij apud Beiam *1. part. casu. 41. versic. respondemus.* Pater Sopranus *c. 5. quæst. 9. n. 15.*

34 Vtrum valida sit cessio hereditatis nondum aditæ facta à Prælato sine debita solemnitate in fauorem alterius.

34 Rogabis, vtrùm valida sit cessio hereditatis nondum aditæ facta à Prælato sine debita solemnitate in fauorem alterius.

Respondeo negatiuè, si fiat in fauorem extranei, ad quem hereditas non perueniret, sed solùm peruenit, eò quòd Ecclesia sua iura illi cedat. Ratio est, quia huiusmodi cessio non est pura repudiatio, nec fieri potest sine aditione hereditatis. Prælatus autem repudiare non potest sine debita solemnitate hereditatem iam aditam, quia hæc est alienatio. Ita Rota apud Caputaquens. *decis. 359. part. 9.* apud Puteum *decis. 519. lib. 2.* Apud Quarantam *loco cit. n. 23. & 43.* & apud Patrem Sopranum *loco cit. quæst. 29. num. 35.*

PVNCTVM III.

Quænam sit iusta, & sufficiens causa ad alienanda Ecclesiæ bona immobilia, vel etiam mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt.

VNICA PROPOSITIO.

1 Propter quatuor causas alienatio bonorum Ecclesiasticorum licitè, & validè fieri potest.

1 QVatuor causæ assignantur à Doctoribus (quas Molina, & alij ad duas reuocant, videlicet, ad vtilitatem, & pietatem,) propter quas alienatio bonorum Ecclesiasticorum licitè, & validè fieri potest.

Prima est necessitas vrgens, vt quando Ecclesia grauatur debitis, quæ aliter solui nequeunt, quàm per alienationem dictorum bonorum, aut quando Ecclesia reparanda est, fundus instaurandus, vel domus suffulcienda, quæ alioquin laberetur. Imò dari posse talem necessitatem, vt licita sit alienatio, etiam sine solemnitate, ex Rebuffo, & aliis testatur Redoanus *quæst. 13.* Molina *disp. 648.* Quaranta *verbo alienatio, n. 42.* & Pater Sopranus *tract. 44. ca. 5. quæst. 11. n. 11.* de quare alibi cum Suarez, & aliis locutus sum.

Obseruant tamen Genuenses *in praxi Neapolitana, loco cit. n. 4.* Riccius *loco cit. §. causa, n. 3. vers. ampliatur tertiò, & decis. 103. vers. alienari.* Tabiena *verb. alienatio, n. 4.* bona Ecclesiæ alienari nō posse, quando adsunt fructus pro satisfactione. Ratio est, quia beneficiarius, licet possit fructus sui beneficij recipere, sibique retinere; nihilominus tenetur ex fructibus beneficij prospicere, & prouidere, consequenter non potest bona Ecclesiæ alienare, quando potest ex fructibus prouidere, quia tunc non vrget necessitas alienandi bona Ecclesiæ, cùm aliter ipsi consulere possit, nec dicitur adesse euidens Ecclesię vtilitas, sed potiùs damnum, vt sæpiùs in Rota definitum fuisse testantur Genuenses *in praxi Neapolitana*, & Riccius *locis citatis.*

Secunda causa est pietas, vt quando opus est alienatione ad religionem propagandam, vel ad sustentandos pauperes pressos valdè graui necessitate, vel ad redimendos captiuos. Excipe tamen malefactores, quibus iustè pœna infligenda est. Couar. *loco citato, numero 9.* Redoanus *q. 11. & seqq.* Vasquez *loco cit. dub. 10. numer. 37.* & alij communiter: cum enim malefactores puniri expediat, pietas non cogit ad eos redimendos.

Tertia causa est vtilitas euidens, ita vt ex alienatione conditio Ecclesiæ melior fiat, & ipsa locupletetur. Ob id vendi potest ager, vt alter melior ematur, & vendi potest calix, vt pretiosior ematur. Quaranta *loco cit. n. 12.* Vasquez *de redditibus c. 2. §. 1.* Azor. *lib. 9. c. 2. quæs. 8.* Riccius *loco cit. §. causa num. 4. & decis. 3. & 108.* & Genuensis *in praxi Neapolitana loco cit. n. 21.*

2 Vtilitas quonam tempore attendenda sit.

2 Si quæras quonam tempore attendenda sit vtilitas.

Respondeo cum Genuensi *in praxi Neapolitan. cap. 89. num. 3.* Riccio *§. causa n. 2. & decis. 5.* & aliis ferè communiter, vtilitatem euidentem attendendam esse tempore, quo perficitur contractus, alioquin contractus non diceretur celebratus cum euidenti vtilitate, sed cum spe vtilitatis.

Hoc tamen limitandum est, nisi contractus celebretur tempore pestis, famis, belli, vel similium; illud enim tempus non attenditur, quia licet calamitas tunc temporis vrgeat, tamen durare non consueuit, vel saltem non habet causam fixam, sed incertam; consequenter non satis constare potest de euidenti vtilitate. Caualcan. 1. *part. decis. 45. num. 53. & decis. 46. numer. 26.* Menoch. *de arbitrar. lib. 2. casu* 172. quos citat, & sequitur Pater Sopranus apud Filliucium *tract. 44. cap. 5. quæsito* 8.

3 Qualis vtilitas debeat esse in alienatione bonorū Ecclesiæ.

3 Rogabis primò, vtrùm vtilitas, ob quam bona Ecclesiæ alienantur, debeat esse maior alia quacumque vtilitate, quæ haberi possit, seu an bona Ecclesiæ debeant dari plus offerenti.

Respondeo bona Ecclesiæ ceteris paribus tradenda esse plus offerenti, quia consulendum est Ecclesiæ; si tamen tradantur minus offerenti, valida est alienatio, quoties huiusmodi alienatio vtilitatem Ecclesiæ affert, licet non tantam afferat, quantam afferret, si bona tradita fuissent plus offerenti. Ratio est, quia adhuc subest causa alienationis, & Prelatus non præiudicat Ecclesiæ in acquisitis, sed in acquirendis. Ita Quaranta *verbo alienatio, n. 12.* Sopranus apud Filliucium *tract. 44. c. 5. quæs. 4. n. 4.* & alij.

4 Partes commissarij Apostolici in alienatione bonorū Ecclesiasticorum.

4 Rogabis secundò, vtrùm Commissarius, cui committitur breue Apostolicum, teneatur super euidenti vtilitate, seu causa alienationis examinare testes, & alias legitimas probationes adhibere.

Respondeo affirmatiuè, iuxta probabiliorem sententiam, nam in breui iuxta præsentem stylum sic habetur, *si tibi legitimè constiterit.* Illud autem dicitur legitimè constare, quod scitur per testes, per causæ cognitionem, & per partis citationem. Ita Quaranta, Riccius, & Genuensis.

An autem Commissarius in hac re delinquens aliquam censuram incurrat, constabit ex infra dicendis *punct. 6.*

5 Alienatio facta à Prælato credente subesse legitimam causam, quæ tamen non sit legitima, an valida sit.

5 Rogabis tertiò, vtrùm valida sit alienatio bonorum Ecclesiæ, facta à Prælato, qui credebat subesse legitimam causam, sed reuera non erat legitima.

Respondeo, validam esse, si Prælatus credebat causam esse legitimam; quamuis postea comperiat non fuisse legitimam. Ita glossa *c. ad nostram, de rebus Ecclesiæ non alienandis*, Vasquez *loco cit. n. 39.* & alij apud Couar. *2. var. c. 17. n. 20.* apud Molinam *disp. 468. num. 14.* apud Riccium *loco cit. decis. 15.* Ratio est, quia Ecclesia non præsumitur velle alienationem inualidam esse ob causam non legitimam, quæ legitima putabatur; comperto tamen errore, priuilegium restitutionis in integrum Ecclesiæ competit, vt alibi probaui.

Addo in dubio, an alienatio facta sit ex legitima causa, præsumi factam ex legitima causa, & in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, quoties commissarius, seu deputatus, consensum præstitit; commissarius enim non præsumitur deliquisse, cõsequenter Ecclesiæ tunc incumbit onus probandi se læsam fuisse, si priuilegio restitutionis in integrum vti velit. Mascardus *de probat. conclus.* 488. & 1612. Redoanus *quæst. 74.* Pater Sopranus *c. 5. quæst. 9.* Menochius *lib. 2. præsump. 75. n. 15.* Rota *1. part. diuers. decis. 716.*

PVNCTVM IV.

Quænam solemnitas requiratur ad validam alienationem bonorum immobilium Ecclesiæ, vel etiam mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt: & vtrùm contractus aliter celebratus validus sit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Solemnitates requisitæ ad alienationem bonorum mensæ Episc. aut Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ.

1 AD validam alienationem bonorum mensæ Episcopalis, aut Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ immobilium, aut etiam mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt, præter iustam causam iure antiquo, *c. sine exceptione 11. quæst. 2. & c. de his, quæ fiunt à Prælato*, requiruntur sequentes solemnitates.

Primò requiritur vnus saltem tractatus, id est, discussio, quæ fit allatis rationibus, pro, & contra, vtrùm expediat huiusmodi bona alienare. Ad tractatum autem conuocandi sunt illi, quorum interest, vt Canonici in Ecclesia Capitulari, monachi de Conuentu in monasterio. *cap. sine exceptione 12. quæst. 2. c. tua, de his, quæ fiunt à Prælato. ca. vt super, de rebus Eccles. non alienandis.*

Quòd sufficiat vnus tractatus, patet ex *Clementina 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis*; vbi fit mentio tractatus in singulari. Ita Couarr. *1. variar. cap. 17. num. 1.* Vasquez *loco citato, de redditibus dub. 12.* Syluester *verb. alienatio quæsito 4.* Riccius *decis. 51.* Molina, & alij *locis citatis.*

Secundò, post tractatum requiritur consensus expressus maioris partis Capituli, eorum scilicet, qui sunt præsentes; nam *in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælat.* habetur verbum, *collaudatio*, quod importat consensum expressum, vt bene aduertit Molina *loco cit. num. 6.* cum Panormitano. Non requiri autem consensum absentium patet ex *ca. 1. de his, quæ fiunt à Prælat. & c. sine exceptione 12. q. 2.*

2 Qualis consensus præstandus sit à Canonicis, num in communi, an singulariter.

2 Sed modò difficultas est, vtrùm consensus præstãdus sit in communi à Canonicis, vel sufficiat si præstetur singulariter.

Respondeo sufficere singulariter præstari, modò præcesserit tractatus; adhuc enim dicitur adesse consensus capituli, quamuis singulariter præstetur, vt ex glossa notat Syluester *verbo alienatio numer. 5. ad finem.* Vasquez *loco cit. dub. 12. num. 42.* contra Hostiensem, & alios apud Syluestrum, quorum opinio valdè probabilis est, quia consensus extra Capitulum, potiùs dicitur consensus singulorum, quam Capituli.

3 Prælatus an possit res modicas alienare absque consensu, & tractatu particulari.

3 Rursus difficultas est, vtrùm Episcopus, aut inferior Prælatus nequeat res modicas, & paruæ vtilitatis alienare absque consensu, vel tractatu Capituli.

Respondeo Episcopum, aut alium Prælatum inferiorem posse res modicas, & paruæ vtilitatis alienare absque consensu, vel tractatu Capituli; consequenter alienando non affici excommunicatione, *cap. terrulas 12. quæst. 2.* Imò Episcopus non est periurus alienando prædicta sine consensu, vel tractatu; nam res paruæ non censentur comprehendi in iuramento, quod Episcopus emittit in sui consecratione, vt patet à simili ex dictis de iuramento. Idem tradunt Redoanus *quæst. 13.* Quaranta *loco cit.* Pater Sopranus *cap. 3. q. 5. & cap. 4. q. 3.* & alij.

Ad cognoscendum autem quænam res sit modica, standum est iudicio prudentis, attenta qualitate loci, temporum, &c. vt bene aduertit Redoanus *quæst. 10.* Quaranta *loco cit. nu. 41.* Genuensis *in praxi Neapolitana cap. 60. num. 3.* Regulariter autem loquendo terrula, quæ vix ascendit ad valorem decem aureorum, censetur res modica, vt aduertit Genuensis *in eadem praxi.*

Tertiò requiritur subscriptio in casibus, in quibus ius subscriptionem præscribit, videlicet in donatione, venditione, & permutatione.

Obseruant tamen Armilla *verb. alienatio num. 6.* Lessius *lib. 2. c. 24. dub. 10.* Molina *loco cit. numer. 7.* Quaranta, & alij *in prædictis casibus*, sufficere subscriptionem Notarij, vbi talis extiterit consuetudo; nam consuetudo potest legem inducere, & abrogare.

Quartò requiritur consensus superioris.

4 Ad dictã alienationem requiritur consensus superioris.

4 Ex quo patet non sufficere cõsensum illius rectoris, qui rem immediatè alienat; sed requiri consensum illius superioris. Quamobrem si Parochus alienat, adesse debet consensus Episcopi; ipse enim est superior respectu Clericorum, & monasteriorum non exemptorum: si verò Episcopus alienat, interuenire debet consensus Primatis. In religionibus verò, si superior localis alienat, adesse debet consensus Prouincialis; si Prouincialis alienat, adesse debet consensus Generalis. Et hoc militat etiam in monasterio exempto: nam si monasterium exemptum alienat, requiritur tractatus, & consensus Capituli, iuxta decreta monasterij cum consensu superioris, qui pleno iure est superior. Vide Nauar. *consil. 8. de alienatione.* Quarantam *verbo alienatio num. 5.* Ludouicum Molinam *tract. de iust. disput. 468. concl. 3. & 4.* Vasquez *de reddit. cap. 2. §. 2. dub. 12.* Patrem Sopranum apud Filliucium *tract. 44. c. 5. quæs. 6. n. 12. & 13.*

5 Alienantes ante consensum superioris, dicendo, saluo superioris assensu, an excusentur à culpa, & pœna.

5 Rogabis, vtrùm alienantes ante consensum superioris, dicendo, *saluo superioris assensu*, excusentur à culpa, & pœna.

Respondeo negatiuè, tum quia protestatio est cõtraria facto: tum quia assensus superioris debet præcedere contractum, nam quando aliquid pertinet ad formam actus, debet ipsum actum præcedere, iuxta communiorem sententiam Panormitani *in c. nulli, de rebus Ecclesiæ non alienand.* Genuensis *in praxi Neapolitana c. 44.* vbi refert decisionem Clementis VIII. (quamuis præfatus Genuensis in prædicta praxi sibi contrarius videatur *in c. 88. n. 4.*) & aliorum apud Riccium *decis. 24.* contra ipsummet Riccium *decis. 56.* & apud Sopranum *cap. 5. quæs. 9. n. 9.* & apud Quarantam *loco cit. nu. 8. & 9.* vbi postea *num. 10.* ostendit rationem, & modum quo possit contractus alienationis celebrari sub hac forma, *saluo Summi Pontificis assensu.*

Obiicies, factum tempore inhabili, sed relatum in tempus habile, validum est, saltem pro tempore habili. *l. in tempus. ff. de heredum institutione.* ergo contractus alienationis bonorum Ecclesiæ, factus sub hac forma, *saluo Summi Pontificis assensu*, videtur validus, quia refertur ad tẽpus habile, in quo fuerit obtẽtus Summi Pontificis assensus.

Respondeo factum tempore inhabili, sed relatum in tempus habile, validum esse, nisi irritetur; in hoc autem casu alienatio facta ante consensum Summi Pontificis irritatur; nam consensus Summi Pontificis requiritur tamquam forma ad validam alienationem; secus dicendum est de tractatu alienationis faciendæ, si Papa consenserit; hic enim non est alienatio.

6 In alienatione bonorum Ecclesiæ Cathedralis, iure antiquo requiritur facultas Sedis Apostolicæ, vt sit licita; etiamsi Episcopus in consecratione iuret se id non factum rum incõsulto Pontifice.

6 Quintò in alienatione bonorum Ecclesiæ Cathedralis, iure antiquo requiritur facultas, seu consensus Sedis Apostolicæ, non vt alienatio sit valida, sed vt sit licita, etiamsi Episcopus, dum consecratur iuret se non alienaturum bona Ecclesiæ, neque impigneraturum, neque de nouo daturum in feudum, vel emphyteusim, inconsulto Summo Pontifice; Episcopus enim periurus est alienando bona suæ Ecclesiæ inconsulto Summo Pontifice; tamen alienatio iure antiquo valida est, si hæc conditio solum desit, nullo enim iure irritatur; & aliud est, aliquid esse illicitum, aliud esse inualidum, vt patet in priuato, qui iurauit non vendere domum suam, quam si postea vendat, validè vendit, sed illicitè, vt constat ex dictis de voto, & de iuramento in secundo Decalogi præcepto. Ita Panormitanus *cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælatis.* Molina *loco citato, num. 8. & 16.* Riccius *decis. 11. & 49.* Pater Sopranus *cap. 1. q. 10.* Idem dic de Abbatibus, à Papa creatis, à quibus idem iuramentum emittitur, de non alienandis bonis sui monasterij, vt constabit ex dicendis *punct. 5. quæs. 2.*

7 Consensus Summi Pontificis, licet suppleat solemnitates iure antiquo requisitas, non tamen supplet causã, nisi exprimat.

Dixi, *iure antiquo*, quia iure nouo per extrauagantem, *Ambitiosæ*, Pauli II. requiritur etiam consensus Summi Pontificis, non solum in rebus Ecclesiæ Cathedralis (sicut etiam iure antiquo requirebatur ad licitam huiusmodi bonorum alienationem,) verum etiam in aliis bonis Ecclesiasticis, vbi illa extrauagans recepta est quoad hanc partem. Ita Leo *in thesauro fori cap. 15. n. 7.* Quaranta *n. 5.* & alij communiter, contra Redoanum *quæst. 36. & 42.* Sufficere tamen potest licentia, & consensus Summi Pontificis sine alia solemnitate; tum quia solemnitas requiritur ex iure Canonico, in quo Summus Pontifex dispensare potest: tum quia bona Ecclesiæ subsunt arbitrio Sedis Apostolicæ, Ruinus *consil. 157.* Riccius *cons. 142.* Pater Sopranus *ca. 5. quæsito 4.* & alij.

8 Consensus Summi Pontificis in alienatione bonorum Ecclesiasticorum an cẽseatur intercessisse ex lapsu triginta, vel quadraginta annorum.

7 Obserua tamen consensum Summi Pontificis, licet suppleat solemnitates iure antiquo requisitas, non tamen supplere causam, nisi exprimat. Ratio est, quia Papa semper consensum præstat sub hac conditione, *si in euidentem*, vel si hanc conditionem non exprimit, tacitè subintelligitur. Rota *2. parte diuers. decis. 178. num. 2.* Redoanus *quæst. 22. numer. 75.* Quaranta *numer. 7.* Pater Sopranus apud Filliucium *tract. 44. c. 5. quæs. 11.*

Ex quo sequitur huiusmodi alienationem impugnari posse, nisi constet celebratam fuisse cum euidenti Ecclesiæ vtilitate, vt bene docet Quaranta *loco citato*, cum Menochio, & aliis.

9 Ad validam alienationem bonorum Ecclesiæ carentis Collegio, requiritur consensus rectoris Ecclesiæ, cum consensu Episcopi; imò etiam cum assensu Summi Pontificis, post extrauagantem, *Ambitiosæ.*

8 An verò consensus Summi Pontificis in alienatione bonorum Ecclesiasticorum præsumatur interceßisse ex lapsu triginta, vel quadraginta annorum.

Respondetur affirmatiuè cum Felino, & aliis apud praxim Neapolitanam *cap. 88.* apud Riccium *decis. 34. & 35.* apud Mascardum *de probationibus conclus. 416. num. 1.* & ita vsu receptum videtur in Rota Romana cõtra Baldum *l. 2. C. de legit. heredib.* Menoch. *lib. 3. præsumpt. 132. num. 70. & 71.* Quarantam *loco citato, num. 46.* Redoanum *q. 48. num. 16.* & alios.

SECVNDA PROPOSITIO.

9 AD validam alienationem bonorum Ecclesiæ non Cathedralis, nec Collegiatæ, id est, carentis Collegio, requiritur consensus Rectoris Ecclesiæ cum consensu Episcopi. Imò etiam cum assensu Summi Pontificis, post extrauagantem, *Ambitiosæ.*

Quòd si Ecclesia, cuius bona alienanda sunt, careat Rectore, constituendus est defensor Ecclesiæ, & audiendus est. Propterea Episcopus non potest vendere res inferioris Ecclesiæ, non audito illius *sæ.* Rectore, vel defensore constituto, vt ostendit Panormit. *& cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælatis num. 5. & cap. placuit 12. q. 2.* Molina *disp. 468. num. 13.* Riccius *decis. 6.* & alij.

10 Nomine Collegij intelligitur non solum cõmunitas Canonicorum, sed etiam beneficiariorum illius Eccleſiæ.

10 Nomine Collegij hoc in loco intelligitur non solum communitas Canonicorum, verùm etiam communitas aliorum beneficiariorum illius Ecclesiæ, cuius bona alienanda sunt, vt bene aduertit Molina *loco cit. num. 13. ad finem*, & alij.

Addo cum prædictis DD. præter consensum Episcopi, requiri etiam tractatum, & consensum Capituli Ecclesiæ Cathedralis; quando Episcopus est principalis auctor alienationis bonorum alicuius Eccle-

Ecclesiæ sæcularis, non Cathedralis, *cap.1. de rebus Eccles. non alienand.* vbi hoc sancitum est, ne Episcopus, quando est auctor alienationis, facilè possit alienare bona Ecclesiæ.

11 Res legata alicui Ecclesiæ, cũ conditione vt alienari possit, num reuera alienari possit sine prædicta solemnitate.

11 Sed modò difficultas est, primò, vtrùm res immobilis, vel mobilis pretiosa donata, aut testamento, vel legato relicta loco pio capaci, sub conditione, vt possit alienari absque prædicta solemnitate, possit reuera alienari non seruata prædicta solemnitate.

Respondeo negatiuè. Ratio est, tum quia huiusmodi conditio habetur pro non apposita, cum sit contra iura, quæ præscribunt res pij loci sine solemnitate non alienari. Tum quia, sicut relictum Ecclesiæ incapaci hoc pacto, vt non possit alienari, potest adhuc sine solemnitate alienari, cùm Ecclesiæ non sit acquisitum (licèt alienandum sit, & in vtilitatem Ecclesiæ legatariæ cõuertendum meliori modo, quo potest,) iuxta Rebuffum *compend. de alienatione num.* 23. Francum *de rebus Eccles. non alienand. in 6. vers.* 12. *limit.* Quarantam *num.* 41. Patrem Sopranum *num.*32. & alios. Ita ex opposito relictum Ecclesiæ cum hac conditione, vt possit sine solemnitate alienari, non potest alienari sine solemnitate, cùm Ecclesiæ acquisitum sit. Ita Couar. *cap. tua, num. 6. de testament.* Armilla *verb. alienat.*19. & alij apud Quarantam *loco citato, num.*31. *&* 32. & apud Riccium *decis.* 77. & apud Patrem Sopranum *tract.* 44. *cap.*4. *quæsito* 23. *num.*29.

12 Res legata cum cõditione, vt nullo in casu alienari queat, possit nihilominus alienari ex iusta causa cum debita solemnitate.

12 Secunda difficultas est, vtrùm res Ecclesiæ relicta hoc pacto, vt nullo in casu alienari queat, possit nihilominus alienari ex iusta causa, & seruata debita solemnitate.

Respondent Sylvester, Azor. Sopranus, & alij *locis proximè citandis*, alienari posse, quia ea conditio tamquam turpis pro non adiecta censetur. Ego verò censeo alienari non posse, vt constabit ex solutione difficultatis proximè sequentis, nisi accedat consensus Summi Pontificis, qui circa voluntatem donatoris, vel testatoris dispensare potest, licèt cum magna difficultate in his rebus dispenset. Propterea quando alienatur aliquid, quod relictum fuerat alicui pio loco hoc pacto, vt non alienetur, facienda est mentio etiam pacti in obtinendo assensu Apostolico. Ratio est, quia omissio eius, quod si fuisset expressum, non fuisset concessum, vitiat rescriptum, iuxta tradita de dispensationibus in tractatu de legibus; Summus autem Pontifex cognito hoc pacto non concessisset rescriptum, aut saltem non sine magna difficultate. *cap. super litteris, extrà de rescriptis.* Ita Riccius *decis.* 45. vbi plures alios refert, & nos retulimus de dispensationibus cum Sanchez, Suarez, Salas, & aliis.

13 Vtrùm incurratur pœna caducitatis adiecta rei, quæ donata fuit Ecclesiæ cum hac conditione, vt non alienetur, alioquin ad donatoris heredem deuoluatur.

13 Tertia difficultas est, vtrùm incurratur pœna caducitatis adiecta rei, quæ donata fuit Ecclesiæ cum hac conditione, vt non alienetur, alioquin ad donatoris heredem deuoluatur.

Respondeo, pœnam caducitatis incurri, quoties alienatur absque iusta causa, & sine debita solemnitate, ac consensu Sedis Apostolicæ. Ratio est, quia quilibet est rei suæ moderator, & arbiter. *l. in re mandata. C. mandati*; ergo sicut donator potuit rem suam liberè donare; ita etiam donare potuit cum tali onere. Ita Sylvester *verbo alienatio quæs.*28. Nauarr. *consil.*8. *de vendit.* Azor. *lib.*9. *cap.*2. *quæs.*9. Pater Sopranus apud Filliucium *tract.*44. *cap.*4. *quæs.*25. *num.*31.

TERTIA PROPOSITIO.

14 Contractus alienationis bonorum Ecclesiæ sine debita solemnitate inualidus est in foro externo, & interno; etiam si celebratus sit in fauorem Ecclesiæ.

14 CONtractus alienationis bonorum Ecclesiæ celebratus sine præscripta solemnitate, inualidus est, non solum in foro externo, verùm etiam in foro conscientiæ, non solum si celebratus sit in fauorem recipientis, verùm etiam si celebratus sit in fauorem & vtilitatem Ecclesiæ alienantis. Ratio est, quia sine forma substantiali nihil subsistit in rerum natura; prædicta autem solemnitas, à iure præscripta est tamquam forma substantialis contractus. Ita Sarmientus, Pinellus, & alij apud Vasquez *loco suprà cit. dub.*14. *num.*49. apud Riccium *loco cit. decis.* 7. *&* 33. apud Molinam *loco cit. disput.*468. & apud Suarez *lib.*5. *de legibus, cap.*24. *num.*9. apud Farinacium *in decis.* 205. *&* 206. apud Sopranum *cap.* 5. *num.* 8. *& cap.* 6. *num.* 9. contra Quarantam *loco cit. num.* 34. *&* 50. Rodriquez *quæst. regul. quæst.*27. *art.*9. Sylvestrum *verbo alienatio num.* 13. vbi refert Panormit. *in cap. quia plerique, de immunitate Ecclesiar.* Nauarrum *comment. de alienatione num.*17. Angelum *eodem verbo num.*14. Filliucium *tract.* 14. *cap.* 7. *q.* 6. *ad finem*, & alios apud Mascardum *concl.*75. [& apud Paulum Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.*9.] existimantes validum esse in foro conscientiæ, quando contractus celebratus fuit in fauorem Ecclesiæ; consequenter contrahentem non posse ad suum libitum recedere a contractu alienationis celebrato cum Ecclesia absque consensu Sedis Apostolicæ, vt multis decis. & DD. comprobat Genuensis *in praxi Neapolitana cap.* 88. *num.* 2. quia ius Ecclesiæ acquisitum videtur in sententia prædictorum Doctorum.

Existimo tamen nullitatem contractus in foro externo allegari non posse ab ipsa Ecclesia, cùm ipsa consenserit, & rem vtiliter gesserit, vt suppono, & hoc pacto contractus dici potest claudicare in fauorem Ecclesiæ; quæ alterum allegantem nullitatem contractus cogere potest ad rescindendum contractum; ipsa verò cogi non potest, sed ad summum supplere tenebitur solemnitatem prætermissam. Ita Molina, Pater Sopranus, & alij DD. citati.

Obiicies contra tertiam propositionem: Quod fauore alicuius introductum est, non debet in ipsius damnum retorqueri; cum ergo prædicta solemnitas fuerit introducta ad præcauendum damnum Ecclesiæ, & locorum piorum; sequitur contractum absque prædicta solemnitate celebratum in vtilitatem Ecclesiæ, vel loci pij validum esse.

Respondeo, quod fauore alicuius introductum est, non debere in ipsius damnum retorqueri, modò non desit substantialis solemnitas. Ita Mantica *loco cit.* & alij.

Hinc sequitur primò, beneficiarium, qui rem Ecclesiæ immobilem, vel pretiosam vendit in vtilitatem Ecclesiæ, inconsulto Papa, peccare mortaliter, & affici pœnis Ecclesiasticis; quia inualidè contrahit, & facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, vt suppono, quidquid in contrarium dicere videatur Quaranta *num.* 50. & alij; quos sequitur Filliucius *tract.*14. *cap.*7. *quæsito* 6. *num.*119. [Paulus Layman *lib.*1. *tract.*4. *cap.*16. *num.*9.]

Hoc tamen intelligitur iuxta limitationem sæpiùs allatam, modò extrauagans Pauli II. quæ incipit, *Ambitiosæ*, fuerit recepta in loco, in quo beneficiarius venditionis contractum celebrat.

15 Res accepta sine prædicta solẽnitate restituenda est loco pio, ad quẽ ante alienationem pertinebat.

15 Secundò sequitur, rem acceptam sine prædicta solemnitate, restituendam esse loco pio, ad quem ante alienationem pertinebat. Ratio est, tum quia sic decernitur in extrauaganti, *Ambitiosæ*, Pauli II. Tum quia nullo iusto titulo retineri potest, cùm alienatio inualida celebrata fuerit.

Addo restituendos etiam esse fructus, vt ex *l. iubemus, & Authentica, qui res. C. de sacrosanctis Ecclesiis*, ostendit Molina *disput.* 468. Riccius *loco citato decis.*79. & Couarr. 1. *variar. cap.*3. Ratio est, quia res domino fructificat. Ergo fructus restituendi sunt pio loco, ad quẽ rei dominium spectat; nisi fortè res, vel fructus, retineantur in compẽsationem pretij, quatenus Ecclesia facta fuit locupletior ex pretio. Secus si facta non fuit locupletior, tunc enim deficit iustus titulus retinendi, vt in simili docui *de restitut. in integrum.*

Rursus addo faciendam esse damnorum restitutionem ab emptore si mala fide emit; censetur enim iniusta causa illorum. Ita Riccius *decis.* 17. 18. *&* 19. Sylvester *loco citato, num.*14. vbi plures alios refert, Angelus *eodem verbo num.*14. Molina *loco cit. num.*15. vbi refert Panormit. *in cap. quis*, Lessius *lib.*2. *cap.*24. *dub.*10. *num.*66. Rodriq. *loco cit. art.* 10. vbi citat Rebuffum, *& art.*11. vbi refert Felinum, & alij apud Quarantam *verb. alienatio ad finem*, contra ipsum Quarantam ex parte, Sarmientum & alios.

Tertiò sequitur beneficiatium, qui arbores sine debita facultate abscidit, debere illarum pretium conuertere in vtilitatem Ecclesiæ; nam huiusmodi arbores non enumerantur inter fructus beneficij, vt suppono; sed sunt bona Ecclesiæ, quorum dominium beneficiarius non habet. Et hoc valet siue dicamus incisionem arborum vocari posse alienationem, vt patet ex illationibus, & corollariis suprà relatis, *punct.*2. *nu.*7. *&* 8. siue non, vt constat ex ratione proximè allata.

PVNCTVM V.

Quænam personæ subiiciantur censuræ, & aliis pœnis, alienando bona Ecclesiastica absque iusta causa, & debita solemnitate.

VNICA PROPOSITIO.

1 Omnes & singuli Ecclesiastici sæculares & regulares, res Ecclesiæ malè alienantes excommunicationẽ incurrunt, Episcopi, & Abbates interdicto, vel suspensione puniuntur.

1 OMnes, & singuli Ecclesiastici, tam sæculares, quàm regulares, qui bona Ecclesiastica malè alienare præsumunt, excommunicationem incurrunt, modò non sint Episcopi, vel Abbates, isti enim interdicto ab ingressu Ecclesiæ, aut etiam suspensione puniuntur, vt initio innui, & clariùs constabit ex infrà dicendis suis locis.

Hæc propositio patet ex verbis extrauagantis, ibi, *si quis contra huius nostræ prohibitionis seriem*, &c. eadem excommunicatio extenditur ad recipientem; nam in textu dicitur, *tam qui alienat, quàm is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat.* Limitanda tamen, & restringenda est hæc propositio primò cum Zabarella *Clement. 1. de rebus Eccles. non alienand. quæst.* 21. *num.*28. Felino, & aliis, quos sequitur Pater Sopranus apud Filliucium *tract.* 44. *cap.* 6. *quæsito* 4. *num.* 4. modò qui aliquid alienat, destruit, vel demolitur, administrationem habeat; nam in extrauaganti, *Ambitiosæ*, sermo est de Prælatis beneficiariis, & aliis administrationem habentibus. Idem patet ex *Clementina* 1. *de rebus Eccles. non alienand.* Propterea religiosus subditus, aut alius quicumque, qui nullo iure administrationem habens arbores incidit, domos demolitur, aut aliquid Ecclesiæ destruit, vel in alios distrahit, & alienat, aut fundos immutat, non ligatur ista excommunicatione, seu pœnis extrauagantis. An autem alio titulo ligetur excommunicatione, patebit ex dicendis *quæsito* 1.

Limitatur secundò; modò alienans scienter alienet, nam in textu dicitur, *quicquam alienare præsumpserit*; præsumptio autem supponit dolum, & scientiam, vt sæpius *in tractatu de censuris* dixi.

Ex quo sequitur alienantem ex ignorantia iuris, vel facti ab hac censura excusari, modò ignorantia non sit coniuncta cum ingenti temeritate; hæc enim æquiparatur scientiæ, vt alibi sæpiùs dictum est. Ita Nauarr. *consil.*19. *de reb. Eccles. non alienand.* Quaranta *num.*9. *&* 10. Pater Sopranus *tract.*44. *cap.*6. *q.*4. *num.*5.

Limitatur tertiò, modò secuta sit alienatio. Ratio est, quia pœna imposita facienti, non incurritur ob criminis attentationem, vt docui *de censuris in genere*, & constat ex dictis *in tract. de censuris in particulari.*

Ex quo sequitur hanc censuram non incurri ob tractatum, cogitationem, vel attentationem alienationis.

Nonnullas alias limitationes addidi *in primo punct.* quas hic opus non est repetere.

2 Vtrùm excusetur ab hac cẽsura, qui alienauit bona Ecclesiæ, sed pœnitentia ductus alienationem reuocauit ante realẽ, & pacificã traditionẽ.

2 Sed modò dubium est, vtrùm qui bona Ecclesiæ alienauit absque debita solemnitate, sed pœnitentia, aut alio titulo ductus, alienationem reuocauit ante realem, & pacificam traditionem, ab hac censura excusetur.

Respondendum mihi probabiliter videtur non excusari. Ratio est, tum quia adhuc dicitur alienasse sine debita solemnitate; nam contractus alienationis, locationis, conductionis, & similium, mutuo contrahentium consensu perficitur, & potest quis dominium, vel ius in rem aliquam acquirere etiam ante pacificam possessionem; ergo excommunicatio incurritur, antequam res alienata realiter, & pacificè tradatur; tum quia ante pacificam rei traditionem censetur completus, & consummatus effectus sub censura prohibitus, vt suppono; censura autem incurritur completo effectu sub censura prohibito.

Contraria tamen opinio probabilis est, quam sequitur Couarr. 2. *var. cap.* 16. *num.*7. Iason *in l. fin. num.*132. *C. de iure emphyt.* Nauarr.

conſil. 18. *de reb. Eccl. alien.* Quaranta *loco citato, nu.* 50. Filliucius *tract.* 14. *num.* 119. & Sopranus apud Filliucium *tract.* 44. *cap.* 6. *quæſito* 5.

Obiicies primò, *in cap. ſi quis Presbyterorum, de reb. Eccl. non alien.* decernitur, vt Clericus ſubſcribens alienationi bonorum Eccleſiaſticorum excommunicetur, niſi alienans & accipiens celeri reſtitutione ſibi proſpexerint. Is autem dicitur celeri reſtitutione proſpicere, qui reſtituit, antequam Eccleſia ex tali alienatione lædatur, iuxta gloſſ. *ibid. in verb. celeri.* Ergo à fortiori excommunicationem euadit is, qui alienationem reuocat, antequam alter poſſeſſionem pacificam obtineat.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia in noſtro caſu incurritur excommunicatio ipſo facto per alienationem, & locationem, quæ mutuo conſenſu celebratur. In caſu autem *cap. ſi quis, citato*, non imponitur excommunicatio ipſo facto, ſed comminatoriè, & ſub conditione, ſi reſtitutio celeriter non fiat; à diuerſis autem, & diſparatis non valet illatio. *l. Papinianus exuli. ff. de minor.*

Obiicies ſecundò, pœna, ſeu cenſura impoſita contra facientem aliquid, non incurritur effectu nondum ſecuto. Ergo cenſura impoſita alienanti non incurritur nondum ſecuto effectu, nempe reali, & pacifica traditione.

Reſpondeo effectum alienationis, ſeu alienationem cenſeri completam, peracto inſtrumento, ſeu contractu, licèt emptor nondum pacificè poſſideat.

3 Alienans vel malè recipiens bona Eccleſiæ, quibus aliis pœnis & cēſuris ſubiiciatur.

3 Quæres primò, vtrùm malè alienans, vel recipiens bona Eccleſiaſtica, aliis cenſuris vel pœnis ſubiiciatur.

Reſpondeo primò cum nonnullis DD. apud Leonem *in theſauro fori Eccleſiaſtici parte* 1. *cap.* 15 *num* 53. tam recipientem, quàm alienãtem, aut alienationi conſentientem (ſi conſentiens ſit Clericus) affici excommunicatione Papæ reſeruata in Tridentino *ſeſſ.* 22. *cap.* 11. hæc enim non eſt vera alinatio, ſed potius vſurpatio in Concilio prohibita. Hæc opinio, per ſe loquendo, & præciſa bona fide, mihi non diſplicet, quamuis contrarium ſentiat Pater Ioannes Hieronymus Sopranus apud Filliucium 3. *par. tract.* 44. *cap.* 6. *quæſ.* 3. *num.* 3. Vide dicenda *de cenſuris in particulari, quæſt.* 3. *punct.* 41. *& quæſt.* 5. *punct.* 5.

Reſpondeo ſecundò alienantem bona Eccleſiaſtica abſque iuſta cauſa, & non ſeruata debita ſolemnitate, priuari ipſo facto beneficiis abſque alia declaratione; ſic enim expreſsè ſtatuitur in Extrauag. *Ambitioſæ*, ſæpius citata.

4 Interpretatio extrauagãtis, *Ambitioſæ.*

4 Verum circa illam Extrauagantem aduertendum eſt cum Vaſquez *loco citato dub.* 7. *num.* 32. Suarez, Nauarro, Sayro, Leſſio, & aliis *locis citatis*, eam paucis in locis receptam eſſe, non ſolùm quoad priuationem beneficij, vt oſtendi *in tractatu de legibus*, cum Claue Regia, Suarez, Molina, Henriquez, & aliis, quibus adde Quarantam *num.* 4. Sanchez *in opere morali lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 2. *&* Riccium *deciſ.* 139. cum Surdo, Theſauro, & aliis, verùm etiam quoad cenſuras. Propterea inſpicienda, & attendenda eſt locorum conſuetudo, illicque ſtandum eſt in hac re; nam fieri poteſt, vt prædicta Extrauagans ſit recepta quoad vnam partem, non verò quoad aliam: quoad obligationem, non verò quoad pœnas; quoad nullitatem locationis, vel alienationis factæ ſine ſolemnitate, non verò quoad pœnas. Mediolani tamen videtur recepta, non ſolùm quoad obligationem, verùm etiam quoad pœnam excommunicationis. Quoad pœnam verò priuationis beneficij, ante iudicis ſententiam credo non eſſe receptam, vt dictum eſt de legibus.

Neque obſtat vſus, & praxis ſacræ Pœnitentiariæ, in qua delinquentes abſoluuntur, & ad beneficia rehabilitantur. Reſpondetur enim id fieri ad pacandas conſcientias, & quia ſupponit præfatam Extrauagantem receptam fuiſſe.

Addo præfatam Extrauagantem non videri receptam quoad aſſenſum Apoſtolicum in alienatione quorumlibet bonorum Eccleſiaſticorum; nam bona aliqua Eccleſiaſtica vendi conſueuerunt de licentia Epiſcopi, non petito Summi Pontificis aſſenſu.

5 Cardinales ſintne ſubditi legibus de non alienãdis bonis Eccleſiaſticis.

5 Quæres ſecundò, vtrùm Cardinales ſubiiciantur legibus, & pœnis contra alienantes bona Eccleſiaſtica impoſitis.

Reſpondeo affirmatiuè, iuxta communiorem, & probabiliorem ſententiam. Ratio eſt: tum quia hæc eſt praxis Romanæ Curiæ. Tum quia ſubiiciuntur legibus fauorabilibus. Ergo etiam odioſis, cùm par ratio videatur. Tum quia, etiamſi admitterem Cardinales non comprehendi legibus pœnalibus, niſi exprimantur, nihilominus comprehenduntur ſaltem legibus, quæ ad publicam Eccleſiæ vtilitatem pertinent, vel in quibus agitur de iuſtitia colenda, vel fraude vitanda, ex Caputaquenſ. & aliis proximè citandis. Ob id regulis Cancellariæ, in quibus de fraude vitanda agitur, comprehendi Cardinales teſtatur Caſſadorus *in regul. Cancell. quæſt.* 38. Sarnienſ. *deciſ.* 64. *in addit. ad reg. Cancell.* Caputaquenſ. *deciſ.* 211. *lib.* 1. Flamin. Pariſ. *lib.* 12. *quæſt.* 4. *num.* 8. & alij, quos referam *de cenſuris in particulari. quæſt.* 3. *punctо* 31. *num.* 16. vbi alias rationes ad hoc idem probandum adducam, & argumenta in contrarium diluam.

Et hoc a fortiori verum eſt, ſi loquamur de alienatione bonorum Sedis Apoſtolicæ; vt conſtabit ex dicendis [*de cenſuris*] *quæſt.* 3. *punctо* 4. iuxta conſtitutiones Pij V. Innocentij VIII. Clementis VIII. & Vrbani VIII.

6 Cardinales tenentur vinculo iuramenti de non cõſentiendo alienationi bonorum Sedis Apoſtolicæ.

6 Addo Cardinales teneri vinculo iuramenti ad non alienandum, vel conſentiendum alienationi bonorum Sedis Apoſtolicæ: de hac enim re ſpeciale iuramentum emittunt. Eodem iuramenti onere tenentur Epiſcopi, Abbates, & Commendatarij ad non alienanda bona ſuarum Eccleſiarum: ſolent enim de hac re iuramentum emittere, vt patet ex Pontificali. Imò ſi illud non emittant, nihilominus in foro externo præſumuntur illud emiſiſſe, quia quæ fieri ſolent, & debent, facta eſſe præſumuntur. *l. vltima. C. de fideiuſſoribus.* Ita Nauarr. *de reb. Eccleſ. non alienand. num.* 12. Azor. *lib.* 9. *cap.* 1. *quæſito* 9. & alij.

Addunt Sopranus apud Filliucium *tract.* 44. *cap.* 3. §. 4. *quæſito* 2. Nauarr. & alij, Cardinales, quibus poſt Cardinalatum Epiſcopatus confertur, teneri vinculo iuramenti ad bona Epiſcopatus non alienanda, etiamſi iuramentum non emiſerint; tenentur enim ratione ſtatus, quia vt Epiſcopi, & Abbates ſunt, debent illud ex iure emittere, & quæ de iure veniunt, ſemper facta ſupponuntur.

Sed hoc in foro conſcientiæ mihi non arridet, quia obligatio iuramenti eſt perſonalis, quam quiſque contrahit adducendo Deum in teſtem; hic autem non adduxit Deum in teſtem, vt ſuppono; ergo non tenetur vinculo iuramenti.

Exiſtimo tamen Cardinalem huiuſmodi bona alienantem, pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ incurrere, vt *in tract. cenſurarum* explicabo.

An verò Epiſcopus alienans res modici momenti ligetur cenſura, & reus ſit violationis iuramenti, explicatum eſt ſuprà *punct.* 4. *nu.* 3. non ligari, nec reum eſſe violationis iuramenti.

7 An autem iuramentum, quod Epiſcopi, vel Abbates emittunt, obliget etiam ad petendum Sedis Apoſtolicæ conſenſum, vbi Paulina non eſt vſu recepta.

7 Iuramentum emiſſum ab Abbatibus & Epiſcopis, an obliget ad petendũ conſenſum Sedis Apoſtolicæ, vbi Paulina nõ eſt recepta.

Reſpondetur affirmatiuè, ſi verborum formam ſpectemus; ſi verò vſum, & praxim inſpiciamus, iuxta quam iuramentum intelligi ſolet, non plus obligat, quàm Paulina, vt patet ex dictis *de iuramento punctо* 16. cum Vaſquez, Medina, Sanchez, & aliis. Idemque in terminis tradit Pater Sopranus apud Filliucium *tract.* 44. *cap.* 1. *quæſito* 12. *num.* 16. cum Azorio *lib.* 9. *cap.* 1. *quæſito* 9. *&* 12. & Couarr. 2. *var. cap.* 16.

8 Quæres tertiò, vtrùm Summus Pontifex alienans bona Eccleſiaſtica ligetur his pœnis, & cenſuris.

8 Summus Pontifex alienans bona Eccleſiaſtica an ligetur pœnis, & cenſuris.

Reſpondeo negatiuè, vt patet ex regulis generalibus traditis de cenſuris in genere. Ratio eſt, tum quia par in parem non habet imperium. Tum quia legiſlator non tenetur ſuis legibus quoad vim coactiuam.

Sed modò dubium eſt primò, vtrùm Summus Pontifex peccet contra iuramentum, alienando bona Sedis Apoſtolicæ. Secundò, an præciſo iuramento, peccet alienando bona Eccleſiaſtica.

§. I.

Vtrùm Summus Pontifex peccet contra iuramentum alienando bona Eccleſiaſtica.

VNICA CONCLVSIO.

1 Summus Pontifex peccat cõtra iuramẽtũ alienando, ſeu infeudando caſtra, ciuitates, dominia Sedis Apoſtolicæ, niſi iuramenti vinculum ſibi prius relaxet.

1 SVmmus Pontifex peccat contra iuramentum alienando, ſeu infeudando caſtra, ciuitates, dominia Cameræ, & Sedis Apoſtolicæ, niſi iuramenti vinculum ſibi priùs relaxet. Ratio eſt, tum quia Cardinalis, dum ad Cardinalatus apicem promouetur, iurat ſe non alienaturum, aut conſenſurum in alienationem huiuſmodi bonorum. Vinculum autem iuramenti non ceſſat aſſecutione Pontificiæ dignitatis, cùm obligatio perſonalis perſonam ipſam ſequatur. Tum quia Papa adepto Pontificatu, nouum iuramentum de hac eadem re emittit, quod ſe emiſſurum iurauerat, dum ad Cardinalatum promotus fuerat. Perſpicuum autem eſt Summum Pontificem obligari poſſe vinculo iuramenti, quia huiuſmodi obligatio eſt iuris naturalis, & diuini, cui Summus Pontifex ſubiicitur. Ita Franciſcus Leo *in Theſauro for.* 1. *parte cap.* 15. *num.* 11. *& ſeq.* Pater Sopranus apud Filliucium *tract.* 44. *cap.* 3. §. 3. *quæſ.* 1. *num.* 74.

An autem alienatio facta contra iuramenti obligationem valida ſit, conſtat ex ſuprà dictis *punct.* 2.

2 Poteſt Summus Pontifex in iuramenti vinculo ſibi diſpenſare.

2 Dixi, *niſi iuramenti vinculum ſibi prius relaxet*, vt innuerem Summum Pontificem poſſe in iuramenti vinculo ſecum diſpenſare, vel ſaltem facultatem alteri ſecum diſpenſandi concedere, quia ipſe non eſt deterioris conditionis ceteris; ſicut ergo cum ceteris diſpenſare poteſt, ita etiam ſecum, vt docui *de legibus diſput.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 7. §. 4. *num.* 31. cum Sanchez, Henriquez, & aliis, quibus adde Abbatem *de conſtitut. cap.* 1. *num.* 2. Felinum *ibid. num.* 33. & Patrem Sopranum apud Filliucium *tract.* 44. *cap.* 3. §. 3. *quæſito* 2. *num.* 75.

3 Hoc intellige, ſi habeat iuſtam cauſam diſpẽſandi.

3 Hoc tamen intelligitur, modò iuſtam habeat cauſam diſpenſandi; nullus enim in lege ſuperioris, ſeu in iure naturali, vel diuino diſpenſare poteſt abſque iuſta, & rationabili cauſa, alioquin diſpenſatio irrita eſt, vt probaui *de legibus diſput.* 1. *q.* 3. *punct.* 3. *num.* 14. cum Sylueſtro, Caietano, Soto, Nauarr. Valentia, Toleto, Sanchez, & aliis, *& diſput.* 4. *quæſito* 2. *punct.* 7. §. 4. *quæſ.* 9. *num.* 24. Poteſtas enim collata fuit Pontifici ad ædificationem, non ad deſtructionem.

§. II.

An Summus Pontifex, præciſo iuramento, peccet alienando bona Sedis Apoſtolicæ, aut alia bona Eccleſiaſtica.

PRIMA CONCLVSIO.

1 Summus Pontifex alienando bona Eccleſiæ cum damno Eccleſiarum peccat contra iuſtitiam, niſi alienet ex iuſta cauſa.

1 SVmmus Pontifex alienans bona Eccleſiaſtica cum damno Eccleſiarum peccat contra iuſtitiam, niſi alienet ex iuſta cauſa. Ratio eſt, tum quia Summus Pontifex non eſt dominus bonorum Eccleſiaſticorũ, ſed adminiſtrator. Tum quia qui aliquid accepit, præuio pacto expreſſo, vel tacito, peccat contra iuſtitiam illud inſumendo ad vſum contrarium voluntati tradentis; ſed Summus Pontifex alienans bona Eccleſiaſtica cum damno Eccleſiarum, vel ſine iuſta cauſa, inſumit illa ad vſum contrarium voluntati tradentis; nam bona Eccleſiaſtica tradita ſunt ad hunc vſum, vt beneficia inſtituantur, Eccleſiæ ornentur, ædificentur, reficiantur, &c. Ergo Summus Pontifex peccat contra iuſtitiam alienando bona Eccleſiaſtica cum damno Eccleſiarum, vel abſque iuſta cauſa. Tum quia obligatio ex officio eſt obligatio ex iuſtitia, non verò ex charitate; cùm obligatio charitatis conſurgat ex coniunctione naturali inter

cos,

eos, qui mutuam charitatis obligationem habent; sed Summus Pontifex tenetur ex officio non alienare bona Ecclesiæ; nam ratione officij, & gradus, quem sustinet, tenetur erga duplex personarum genus. Primò erga tradentem tenetur bona insumere iuxta ipsius voluntatem, & institutionem; bona enim in vnum vsum pium applicata, in alium transferri non possunt, *l. si quis ad declinandam, §. sin autem. C. de Episcop. & Cler.* nec vnum altare discooperiendum est, vt alterum tegatur. Secundò erga eos, in quorum vtilitatem tradita sunt, tenetur bona impendere in ipsorum commodum, & vtilitatem. Ergo Summus Pontifex facit contra obligationem iustitiæ, alienando bona Ecclesiastica damno Ecclesiarum, vel absque iusta causa, vt bene argumentatur Pater Sopranus apud Filliucium *tract. 44. cap. 3. quæsito 3.*

2 Summus Pontifex est dominus bonorum Ecclesiasticorũ.

2 Obiicies, Summus Pontifex est dominus bonorum Ecclesiasticorum; ergo potest illa pro suo libito, & arbitrio distrahere, & alienare. Hæc consequentia patet, quia dominium, est facultas vtendi re in omnes vsus lege non prohibitos, vt colligitur ex *l. in re mandata. C. mandati, & l. sed & si. §. consuluit. ff. de petit. heredit.* Antecedens autem non solùm sustinetur à Flaminio Parisio *lib. 2. de resignat. q 4. nu. 34.* Redoano *de spoliis quæst. 1. num. 21.* Gonzalez *ad regulam 8. in proœmio §. 1. num. 33.* Archidiacono, & aliis, quos citat, & sequitur Pater Ioan. Hieronymus Sopranus in appendice ad Filliucium *in tract. 44. de alienat. rerum Ecclesiast. cap. 3. num. 3. & 10.* verùm etiam probatur. Primò, quia nullus in terris maiorem facultatem habet circa bona Ecclesiastica, quàm habeat Summus Pontifex; ergo, vel nullus est dominus huiusmodi bonorum, vel certè Summus Pontifex. Secundò, quia ille dominium alicuius rei habet, qui de ea disponere potest. Summus autem Pontifex potestatem habet disponendi de rebus Ecclesiarum, *Clement. 1. vt lite pendente, cap. cuncta per mundum 9. quæst. 3.* Tertiò, quia licèt Deus sit vniuersalis omnium bonorum Dominus, iuxta illud, *Domini est terra, & plenitudo eius, Rex regum, & Dominus dominantium*; nihilominus præter Dominum vniuersalem assignandus est particularis, cum quo agi, transigi, & contrahi possit; talis autem non est Deus, sed Summus Pontifex, vel alius ab eo deputatus. Ergo.

Neque obstat res sacras sub nullius potestate existere. *l. 1. ff. de rerum diuis.* dici enim potest, res sacras, vt sic, seu formaliter sumptas, sub nullius potestate existere; materialiter verò consideratas, sub alicuius potestate esse debere.

Rursus non obstat bona Ecclesiastica vocari bona Dei & Christi, *cap. cùm secundùm, de præbend. cap. qui Christi. cap. qui abstulerit 12. quæst. 2.* & eum, qui aliquid Ecclesiæ offert, dici offerre Deo, *cap. nulli liceat 12. quæst. 2.* Dici enim potest huiusmodi bona esse Dei, vel quia ipse est Dominus vniuersalis, vel quia ipsius intuitu traduntur. Non tamen hinc sequitur, quin assignandus sit alius dominus ciuilis, & particularis, alioquin licitum cuique esset huiusmodi bona vsurpare; nam quæ sub nullius domini particularis potestate existunt, fiunt primi occupantis.

Neque valet dicere illorum occupationem prohiberi à Deo, & Christo, & à Summo Pontifice. Dici enim potest à Deo, & Christo prohiberi, quatenus sunt res sacræ; à Summo Pontifice verò prohibentur etiam, quatenus sunt res materiales; & hinc colligitur Summum Pontificem esse dominum huiusmodi bonorum; nam si ius habet prohibendi occupationem huiusmodi bonorum, signum est huiusmodi bona esse ipsi subiecta.

3 Variæ Doctorum sententiæ circa dominium Pontificis quoad bona Ecclesiastica.

3 Respondeo ad obiectionem principalem, varias esse DD. sententias circa dominium bonorum Ecclesiasticorum, quas hic breuiter innuam, licèt quid ego sentiam sufficienter explicauerim [*in Bulla Cœnæ*] *disp. 1. quæst. 19. punct. 2. num. 5.*

Prima sententia est asserentium vnumquemque beneficiarium esse dominum bonorum sui beneficij, cum onere tamen, & obligatione non alienandi, & illa transmittendi successoribus absque detrimento, & deterioratione. Tum quia bona alicuius Episcopatus dicuntur de patrimonio talis Episcopatus, *cap. iudicatum 89. distinct.* Tum quia nulla sufficiens ratio assignari potest, cur beneficiarius non sit dominus sui beneficij. Ita Sarmient. *de reddit. 4. parte cap. vltim. num. 1.* Vasquez *in opusc. de reddit. Eccl. cap. 2. §. 1. dub. 1.*

Secunda sententia sustinet dominium bonorum Ecclesiasticorum residere penes cœtum Ecclesiasticorum cuiuslibet Ecclesiæ, ad quam illa bona pertinent, exemp. grat. bona Ecclesiæ Mediolanen. sub dominio cleri, & Capituli Mediolanen. & sic de ceteris. Ratio est, tum quia huiusmodi bona appellantur dos, & patrimonium talis Ecclesiæ. Tum quia dicuntur esse sub dominio Ecclesiæ, *cap. 1. de testament. in fine.* Tum quia empta nomine Ecclesiæ acquiruntur Ecclesiæ; ergo signum est ipsam fieri dominam. Ita Molina *tract. 2. disp. 29. concl. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 7.* & alij.

Tertia sententia est dominium bonorum Ecclesiasticorum residere penes Congregationem fidelium. Ita Innocent. *cap. cùm super elect. de causa possess. & propriet.*

Quarta sententia est dominium bonorum Ecclesiasticorum residere penes Summum Pontificem, vt patet ex rationibus, & auctoribus in obiectione allatis.

Quinta est dominium bonorum Ecclesiasticorum pertinere ad Deum, non solùm vt est vniuersalis Dominus, verùm etiam vt particularis, quatenus ipsi peculiariter offeruntur, & dicantur, vt sufficienter probaui [*in Bulla Cœnæ Domini*] *disp. 1. quæst. 19. puncto 2. nu. 5.* & ex rationibus ibi allatis sufficienter colligitur solutio ad rationes aliarum sententiarum.

Quamobrem ad obiectionem *num. 2.* allatam respondeo Summum Pontificem non esse dominum absolutum, sed administratorem bonorum Ecclesiasticorum, non quidem per modum tutoris, aut procuratoris, sed per modum Vicarij, qui Deum repræsentat, eiusque vices gerit, & res administrat cum plenitudine potestatis, vnde etiam Deus repræsentatiuè vocatur *cap. satis 96. distinct. & Clement. 1. vt lite pendente.*

SECVNDA CONCLVSIO.

4 Probabile est alienationem bonorum Ecclesiæ factam à Summo Pontifice sine causa valida esse.

4 PRobabile est, alienationem bonorum Ecclesiasticorum sine causa factam à Summo Pontifice, validam esse. Ratio est, tum quia etiamsi admittam, Summum Pontificem non esse dominum bonorum Ecclesiasticorum, nihilominus negari non debet, quin sit Vicarius Dei, & administrator cum plenitudine potestatis; administrator autem, & qui Dei vices perfectè gerit, alienare potest, (ex quo patet differentia inter absolutum administratorem, & illum, qui per modum tutoris, & procuratoris constituitur.) Tum quia ad hoc faciunt rationes allatæ in præcedenti obiectione *num. 2.* ad probandum dominium bonorum Ecclesiasticorum Summo Pontifici competere. Tum quia si alienatio huiusmodi bonorum inualida est, vel id prouenit ex defectu potestatis, vel ex defectu voluntatis; sed neutrum dici potest, cùm Summus Pontifex alienare velit, vt suppono, & potestatem alienandi habeat, cum plenam in beneficialibus, & bonis Ecclesiarum potestatem habeat, *Clement. 1. vt lite pendente, & cap. 2. de concess. præbend.* Ita Felinus, & Decius *in cap. quæ in Ecclesiarum num. 32. de constitut.* Bartholom. Socinus *tom. 1. consil. 13.* Marianus Socinus *consil. 140.* Parisius *tom. 4. consil. 3. num. 81.* Alexander Corneus, & alij, quos citat, & sequitur Pater Sopranus apud Filliucium *tract. 44. cap. 3. quæsito 17. num. 55.*

Obserua tamen primò Summum Pontificem peccare prædicta bona alienando sine iusta causa cum damno Ecclesiæ, vt in prima conclusione probatum est *num. 1.*

5 At tenetur ad restitutionẽ damni illati per dictã alienationem.

5 Obserua secundò, Summum Pontificem prædicta bona alienantem sine iusta causa teneri ad restitutionem damni illati, quia ex violatione iustitiæ cum damno alterius consurgit obligatio restituendi.

Ex dictis in his duabus conclusionibus colligi potest solutio multorum casuum.

6 Donatio, seu alienatio gratuita facta à Papa de bonis Ecclesiæ valida est, sed iniusta.

6 Primò colligitur, donationem, seu alienationem gratuitam bonorum Ecclesiæ immobilium factam à Papa sine iusta causa, validam esse, sed iniustam, vt probatum est *num. 1. & 4.*

Si verò ex iusta causa fiat, non solùm validam esse, verùm etiam licitam, quia nulli fit iniuria, cùm rationabilis voluntas eius, qui bona Ecclesiæ reliquit, adesse censeatur, dum enim bona impenduntur iuxta rationabilem eius voluntatem, qui ea tradidit, nulla ei fit iniuria. *Institut. de obligat. quæ ex delict. nasc. §. furtum, & §. placuit.*

7 Papa alienans res Ecclesiæ alienatione compẽsatiua, non peccat regulariter contra iustitiam.

7 Secundò Summum Pontificem alienantem bona Ecclesiastica alienatione compensatiua, idest, recipiendo rem æqualem rei alienatæ, regulariter loquendo, non peccare contra iustitiam; quia ex iustitia solum tenetur Ecclesiæ damnum non inferre, seu rem administratam non deteriorem facere sine graui causa.

8 Differentia Papæ, & fideicommissarij.

8 Obiicies, Pontifex non est melioris conditionis, & iuris fideicõmissario; fideicommissarius autem non potest bona fideicommissi alienare alienatione tam compensatiua, qua æquale recipitur, quàm priuatiua, qua nihil loco rei alienatæ recipitur.

Respondeo, fideicommissarium alium esse, qui fideicommissum accepit solùm æstimatum in valore tot aureorum, ex quo tot nummi percipiuntur; alium esse qui fideicommissum accepit consistens in certa bonorum specie. Fideicommissarius hoc secundo modo, nulla ratione potest bona fideicommissi alienare; potest verò fideicommissarius primo modo, cuiusmodi censetur Summus Pontifex.

Dixi in secunda illatione *numero 7. regulariter loquendo*, vt indicarem aliquando fieri posse, vt Summus Pontifex peccet contra iustitiam alienando compensatiuè bona Ecclesiæ, quando scilicet huiusmodi bona tradita sunt Ecclesiæ cum expresso pacto, vt semper in specie retinerentur, nec in laicos, vel Ecclesias alienarentur; pactum enim ex iustitia seruandum est; alienatio tamen valida est, (licèt iniusta) nec obligationem restituendi inducit; cùm damnum illatum non sit Ecclesiæ, vt suppono; restitutionis autem obligatio consurgit ex damno alteri iniustè illato.

9 Papa peccat contra iustitiam alienans bona vnius Ecclesiæ in aliam sine causa.

9 Tertiò colligitur Summum Pontificem peccare contra iustitiam, dum bona vni Ecclesiæ tradita, in alteram absque iusta causa alienat. Ratio est, tum quia qui alterum iure suo priuat, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem. Idem valet dum tradita ad vnum vsum pium, in alium sine iusta causa conuertit. Tum quia iniustitia committitur, dum res impeditur contra voluntatem tradentis. Tum quia sic colligitur ex *l. si quis ad declinandam, §. sin autem, C. de Episcop. & Cler.*

Præfata tamen alienatio valida est. Tum quia Summus Pontifex est administrator cum plenitudine potestatis. Tum quia qui potest maius, potest etiam minus; sed Summus Pontifex potest beneficia dismembrare, diuidere, & supprimere; ergo potest etiam alteri Ecclesiæ tradere, quod est minus, etiamsi testator prohibuerit alienari, seu conuenerit, vt non alienarentur. Tum quia prohibitio testatoris non plus potest, quàm prohibitio legis; prohibitio autem legis humanæ non irritat alienationem Summi Pontificis, cùm ipse legi humanæ subiectus non sit ex vi coactiua; prohibitio verò legis naturalis, vel diuinæ, non irritat actionem Summi Pontificis, sed illicitam reddit. Tum quia Summus Pontifex non potest sibi legem imponere, vt id quod potest facere, si postea agat, illud inualidè agat. Ergo multo minus potest priuatus hanc legem ei imponere. Ita Nauarr. *de spoliis num. 8.* Marianus Socinus *consil. 108.* & alij communiter.

10 Alienatio gratuita bonorũ Ecclesiæ facta à Papa in laicos sine iusta causa iniusta est.

10 Quartò colligitur alienationem gratuitam bonorum Ecclesiasticorum, in laicos à Summo Pontifice factam absque iusta causa, iniustam esse; consequenter inducere obligationem compensandi damnum Ecclesiæ illatum.

11 Accipiẽs hæc bona potest excusari à restitutione propter bonam fidem.

11 Probabile tamen est huiusmodi alienationem gratuitam, & multo magis onerosam, validam esse, vt probatum est *nu. 4.* consequenter qui accipit, efficitur dominus. Imò accipiens excusari probabiliter potest ab obligatione restituendi, si bona fide accipiat nescies Summum Pontificem iniustè alienare, aut si credat Summum Pontificem iustam alienandi causam habere, (sicut, regulariter loquendo,

do, præsumere debet, nisi oppositum ei certò constet, cùm in facto Principis delictum non præsumatur,) aut nisi sciat Summum Pontificem effici impotentem ad compensandum damnum Ecclesiæ illatum. Ratio cur accipiens à Summo Pontifice excusetur ab obligatione restituendi in præfatis casibus est, quia obligatio restituendi, vel oritur ex iniusta acceptione, vel ex re accepta, vel ex contractu; sed hic non tenetur ex iniusta acceptione, cùm bona fide acceperit ab eo, qui potestatem alienandi habebat, sicut non tenetur ad restitutionē, qui aliquid accepit à debitore in damnum creditorum, nesciens debitorem ob id reddi impotentem ad soluendum creditoribus, neque tenetur ratione rei acceptæ, cùm ipse sit illius rei dominus; neque tenetur ratione contractus, cùm ex contractu non obligauerit se ad rem illam restituendam. Ita Marianus Socinus *cons.* 140. Pater Sopranus *loco citato quæsito* 20. & alij contra Nauarrum *loco citato.*

12 Papa spoliās innocentem beneficio, illud alteri conferēdo, etiāsi spoliatum alia ratione cōpensēt peccat contra iustitiam.

12 Quintò colligitur Summum Pontificem peccare contra iustitiam spoliando beneficiarium innocentem, & inuitum beneficio, illudque alteri conferendo, etiam si alia ratione compensēt. Ratio est, tum quia nullus priuari debet iure suo, nisi voluntariè consentiat; beneficiarius autem ius acquisiuit per collationem beneficij. Tum quia inter collatorem, & beneficiarium intercedit mutuus contractus; contractus autem rescindi non potest, altero dissentiente.

Contrarium docet Pater Sopranus *tract.* 44. *cap.* 3. *quæsito* 13. asserens Papam licitè posse beneficiarium sine ipsius beneficiarij culpa bonis beneficialibus priuare, modò ipsum seruet indemnem, & de æquiualenti prouideat.

Obiicies, beneficiarius liberalitate Summi Pontificis beneficium obtinuit: ergo videtur irrationabiliter inuitus: ergo Summus Pontifex non peccat.

Respondeo negando consequentiam. Tum quia aliqua, dum fiunt, dicuntur esse voluntatis, post factum verò sunt necessitatis. Tum quia sequeretur donatarium semper priuari posse à donatore re donata, tradita re æquali.

Existimo tamen Summum Pontificem, dum beneficiarium inuitum sine ipsius culpa beneficio priuat, validè priuare, vt patet ex dictis *num.* 4. consequenter collationem alteri factam validam esse, nullumque ius in beneficio apud priorem beneficiarium remanere. Ratio est, tum quia omnia beneficia dicuntur Papæ manualia. Tum, quia Papa est administrator bonorum Ecclesiasticorum cum plena potestate.

Sed modò duo mihi dubia suboriuntur. Primum, quænam censeatur iusta, & sufficiens causa, ob quam Summus Pontifex bona Ecclesiæ alienare possit. Secundum, vtrùm reuocationes huiusmodi alienationum validæ sint.

13 Causa iusta, ob quam Sūmus Pontifex validè, & licitè res Ecclesiæ alienare potest.

13 Quæres igitur primò, quænam causa iusta, & sufficiens censeatur, vt Papa non solum validè, verùm etiam licitè bona Ecclesiæ alienare possit.

Respondeo tunc causam sufficientem esse, quando dominus, qui ea tradidit, non est rationabiliter inuitus, seu quoties præsumitur talem casum excepisse; tunc enim ipsi non fit iniuria, cùm nihil contra rationabilem ipsius voluntatem fiat. Propterea communis necessitas vel publica vtilitas sufficiens causa censetur, quia hic casus censetur exceptus. Vide Patrem Sopranum *tract.* 44. *c.* 3. *quæsito* 7.

14 Vtrum in alienatione facta à Summo Pontifice sit semper præsumenda iusta causa.

14 Rogabis, vtrùm in alienatione à Summo Pontifice facta semper præsumenda sit iusta causa.

Respondeo in foro conscientię presumendam esse iustam causam, nisi oppositum constet; nam vbi non est probabilis occasio delicti, omnia in meliorem partem accipienda sunt, & in dubio nullus præsumitur malus, sed verax, & bonus. Ita sentire videtur Sotus 7. *de iust. q.* 4. *art.* 3. *ad secundum.* Sanchez *de matrimonio lib.* 8. *disput.* 17. *nu.* 17. & Suarez *de censuris disp.* 41. *sect.* 3.

Dixi, *in foro conscientiæ*, nam pro foro externo, vel etiam conscientiæ, hac distinctione vti possumus, vel Papa alienat motu proprio, & ex certa scientia, vel sine motu proprio, seu ad instantiam partis, seu cum expressione causæ.

Si alienat motu proprio, & ex certa scientia, præsumitur alienare ex iusta causa, etiamsi alienatio gratuita sit, & fiat in consanguineos. Ratio est, quia in facto Principis non præsumitur delictum, nec præsumitur agere, quod iure prohibetur; & hoc præsertim militat in Summo Pontifice, cuius acta nulli terreno iudici subiiciuntur, & cui nullus dicere potest, cur ita facis? *cap. nemo* 9. *quæst.* 3. *& cap. Pastoralis, de offic. deleg.* Ex quo fit, vt cùm Summus Pontifex bona Ecclesiastica titulo gratuito licitè alienare nequeat sine iusta causa, præsumatur ex causa alienasse, dum motu proprio, & ex certa scientia alienauit, etiamsi fortè in consanguineos alienauerit; cùm enim iusta causa subesse possit alienandi in consanguineos. *cap. non satis* 86. *dist.* cumque Summus Pontifex motu proprio alienans præsumatur ex iusta causa alienare, præsumendus etiam est alienare ex iusta causa, dum in consanguineos alienat. Ita Redoanus *de spoliis quæst.* 3. §. 1. *num.* 10. Pater Sopranus apud Filliucium *tract.* 44. *cap.* 3. *quæsito* 8. *num.* 30. & alij, qui hanc doctrinam ampliant, etiamsi hoc fiat in præiudicium tertij. Sed oppositum mihi probabilius videtur, quoties Summus Pontifex hoc non exprimit, vel quoties non constat Summo Pontifici notum fuisse fieri in detrimentum tertij, vt docui *de legibus disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 21. cum Sanchez, Suarez, & aliis; nam Summus Pontifex non præsumitur velle iuri alterius derogare, nisi hoc exprimat, etiam in concessione, cum clausula, *motu proprio*; quilibet enim præsumitur indignus omni læsione, nisi probetur. Et hæc de prima parte distinctionis.

Si verò alienat ad instantiam alterius, alienatio non semper præsumitur facta ex iusta causa. Ratio est, tum quia in rescriptis ponitur, vel intelligitur clausula, *si preces veritati nitantur.* Tum quia fieri potest, vt impetrans deceperit Summum Pontificem; cùm enim pro se postulet, errare posse præsumitur. *l. rescripta. C. de prec. Imperator. offerend.*

Hinc patet, quandonam excusari possint, qui bona à Pontifice acceperunt titulo gratuito, & lucratiuo; nam si acceperunt à Papa motu proprio, & ex certa scientia tradente, excusantur à peccato, & ab obligatione restituendi, quia bona fide acceperunt ab eo, qui præsumitur tradidisse ex iusta causa præsente, vel futura, seu in spe, cuiusmodi sunt futura merita.

Obserua tamen eum, qui aliquid ob futura merita accepit, teneri ad præstandum id, propter quod illud accepit; nam modus, sub quo dispositio celebrata fuit, obligationem ex iustitia inducit ad modum seruandum; quamuis eo non seruato, dispositio non corruat, nec irrita reddatur, vt probaui de contractibus, & de matrimonio. Modus autem, quem Summus Pontifex tacitè apposuisse præsumitur in donatione ob causam futuram facta, hic censetur, vt Ecclesia defendatur, pauperum necessitates subleuentur, Templa reparentur, & similia, quæ quisque facilè coniicere poterit ex circumstantiis, quibus sibi persuadere potest Summum Pontificem adductum esse ad donandum. Ita Marianus Socinus *tom.* 2. *consil.* 140. Pater Sopranus *tract.* 44. *cap.* 3. *quæsito* 21. *ad finem*, & alij.

15 Vtrum validæ sint reuocationes bonorum iam alienatorū factæ à Pōtifice alienante, vel ab eius successore.

15 Quæres secundò, vtrùm sicut validè sunt alienationes bonorum immobilium Ecclesiasticorum factæ à Summo Pontifice, ita etiam validæ sint reuocationes huiusmodi alienationum factæ ab eodem Summo Pontifice alienatore, vel ab alio antecessore.

Respondeo affirmatiuè, quia Summus Pontifex non est minoris potestatis Principe sæculari, qui est Summo Pontifice inferior, & ipsi subditus; sed Princeps sæcularis potest contractus factos, vel faciendos irritare, vt omnibus notum est, & experientia docet, patetque ex dictis de contractibus; ergo etiam Summus Pontifex potest alienationes irritare. Imò tenetur eas irritare, si aduertat factas fuisse in detrimentum Ecclesiæ, cui alia ratione satisfieri nequeat, quàm alienationes irritando. Sicut enim qui aliquid in præiudicium tertij facit, curare tenetur, vt damnum illatum tertio resarciatur, & si opus fuerit implorare debet officium iudicis, & iudex ex officio agere debet, vt satisfactio parti læsæ præstetur, & indemnis seruetur; ita etiam Pontifex idem ex officio præstare tenetur, si damnum Ecclesiæ alia ratione reparare nequeat, vt bene argumentatur Pater Sopranus *loco citato num.* 74. & patet ex iis, quæ tradidi *de contractibus, de restitutione in integrum*, & alibi.

Obiicies primò, quilibet tenetur iure naturali contractui stare: ergo à fortiori tenetur Princeps, vel Summus Pontifex: ergo non potest alienationem rescindere, & reuocare.

Respondeo quemlibet teneri iure naturæ stare contractui, nisi iusta subsit causa resiliendi, seu reuocandi contractum, vt patet ex dictis *de contractibus, & de sponsalibus.*

Obiicies secundò, par in parem non habet potestatem. Ergo Pontifex non potest alienationem antecessoris reuocare.

Respondeo negando consequentiam, quia reuocando alienationem non exercet actionem in Pontificem, sed in materiam sibi subiectam, vt patet à simili ex traditis de Sacramentis, dum loquerer de pœnitentia ab vno Confessario imposita, quam diximus ab alio Confessario inferiori commutari posse, iuxta Vasquez & alios.

16 Accipiēs aliquid à Summo Pontifice in damnū Ecclesiarū, an teneatur illud restituere, si alienatio reuocetur.

16 Rogabis, vtrùm qui aliquid à Summo Pontifice in damnum Ecclesiarum accepit, teneatur rem acceptam restituere, si à Pontifice interpelletur, vel alienatio reuocetur, & irritetur.

Respondeo teneri ad restituendum rem acceptam, vel saltem id, in quo factus est locupletior. Ratio est, tum quia reuocata alienatione cessat titulus, ob quem res accepta fuerat, & accipiens constituitur in mala fide. Tum quia sicut accipiens aliquid bona fide, & titulo gratuito à debitore, quem ignorabat impotentem fieri ad satisfaciendum creditoribus, tenetur ad restituendum id, in quo factus est locupletior, si intra annum à die scientiæ repetatur à creditoribus, vt probaui *de contractibus disput.* 1. *quæst.* 8. *puncto* 2. *num.* 27. ex *l. ignoti. C. de reuocandis iis, quæ in fraudem creditorum, & l.* 1. *ff. eodem.* ergo à fortiori, qui aliquid accepit in damnum Ecclesiarum, tenetur ad restitutionem, si à Papa petatur. Papa enim minorem potestatem non habet Principe sæculari, sed quod ipsi placet, vim legis obtinet, *l. quod Principi. ff. de leg.*

PVNCTVM VI.

Quam censuram incurrat delegatus à Sede Apostolica, dum facultatem alienandi concedit cum detrimento Ecclesiæ.

1 Expenditur Bulla Pauli II. quæ incipit, *Cum omnibus iudiciis.*

1 IN Bulla secunda Pauli II. quæ incipit, *Cum omnibus iudiciis*, præcipitur iudicibus, seu Commissariis deputatis ad examinandas causas à supplicantibus expressas, vt examinent causas, propter quas Summus Pontifex adductus est ad concedendam in suis litteris facultatem alienandi. Quòd si consensum, vel auctoritatem præstiterint alienandi bona Ecclesiastica in detrimentum Ecclesiæ, subiiciuntur excommunicationi, modò sint inferiores Episcopis; Episcopi verò, aut superiores Episcopis, incurrunt suspensionem per annum ab executione officij, quamquam ista excommunicatio, & suspensio non est reseruata Summo Pontifici.

Contra verò procurantes dolosè, vel scienter huiusmodi alienationem, aut decretum alienationis, lata est excommunicatio Summo Pontifici reseruata.

Ex quo patet duplicem, seu triplicem censuram hac de causa impositam fuisse, de quibus hic agendum est, assignando materiam & subiectum.

2 Materia censuræ huius Bullæ, est consensus alienationi bonorū Ecclesiæ in grauamen eiusdem.

2 Materia primæ censuræ est duplex actio facta in damnum Ecclesiæ. Prima actio est consentire alienationi bonorum Ecclesiæ in grauamen Ecclesiæ.

Hinc sequitur consentientem alienationi, quæ non vergit in detrimentum, vel grauamen Ecclesiæ, sed est æqualis conditionis, non affici excommunicatione, etiamsi fortè faciat contra concessionem Pontificiam factam sub conditione euidentis vtilitatis. Ita Suarez *disput.* 22. *sect.* 6. *num.* 4. Alterius *tom.* 2. *disp.* 16. *cap.* 2. *col.* 4.

3 Et auctoritatem ad

3 Secunda actio est auctoritatem, aut decretum ad huiusmodi alienationem

huiusmodi alienationem interponere.

nationem interponere. Cùm enim bona Ecclesiæ alienari non deberant, nisi in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, iure meritò imposita est censura contra eos, qui consentiunt, vel decernunt alienationem fieri in damnum Ecclesiæ.

Addo istam censuram incurri, siue consensus, aut decretum, vel auctoritas præstetur gratis, siue per metum, siue præuia pecunia, vel promissione; nam in Bulla Pauli II. dicitur; *Si quis autem Commissarius, vel delegatus conscientiæ suæ prodigus in grauamen, aut detrimentum Ecclesiæ per gratiam, aut timorem, vel sordes alienationi consenserit, aut decretum, vel auctoritatem interposuerit: inferior quidem Episcopo sententiam excommunicationis incurrat; Episcopus verò, aut superior, ab executione officij per annum noueritse suspensum.*

Quid autem sit, consensum, auctoritatem, vel decretum interponere, clarum est ex vsitata loquendi forma; sicut quid nomine gratiæ, vel sordium intelligatur, constat ex dictis in expositione excommunicationis latæ pro datis, vel promissis pro gratia, vel iustitia obtinenda in Romana Curia, & de suspensionibus contra iudicem Ecclesiasticum aliquid facientem per gratiam, vel sordes in damnum partis.

4 Omnes Commissarij, vel delegati à Sede Apostolica ad examinandas causas alienationis, sunt subiectum istius censuræ.

4 Subiectum istius censuræ impositæ ob præfatas duas actiones sunt omnes Commissarij, vel Delegati à Sede Apostolica ad examinandas causas, propter quas in litteris Apostolicis conceditur facultas alienandi. Hæc tamen est differentia, quòd si præfati delegati sint inferiores Episcopis, afficiuntur censura excommunicationis; si fuerint Episcopi, vel Episcopis superiores, incurrunt pœnam suspensionis per annum ab officij executione, vt apertè constat ex verbis Bullæ præcitatæ.

5 Commissarij, vel delegati, vtrùm excõmunicationẽ contrahant statim post decretum etiãsi alienatio nondum secuta sit.

5 Sed modò dubium est, vtrùm præfati Commissarij excommunicationem contrahant statim post consensum, vel decretum alienationis, etiamsi alienatio ipsa nondum secuta sit.

Respondeo probabiliter sustineri posse censuram non incurri ante secutam alienationem. Ratio est, tum quia censura non incurritur, nisi adsit actus perfectus, & completus. Tum quia excommunicatio lata est ob consensum, vel decretum, ex quo Ecclesia patitur grauamen, & detrimentum; Ecclesia autem non patitur detrimentum, nisi actualis alienatio sequatur. Tum quia Summus Pontifex loquitur de præstantibus consensum, auctoritatem, vel decretum, alienationi; quamdiu autem non sequitur contractus alienationis, non dicitur alienatio, & actus futurus non est actus, nisi in potentia; in materia autem pœnali non est facienda extensio à potentia ad actum.

Contraria tamen sententia in praxi tutior est, tum quia potest quis consensum, & decretum alienationis præstare, etiamsi alienatio ipsa non sequatur, & licèt damnum actu non sequatur, sufficit vt delegatus ex sua parte fecerit actionem ex sua natura damnificatiuam. Tum quia extorquens decretum alienationis incurrit excommunicationẽ, etiamsi alienatio ipsa non fiat.

Ad rationem in contrarium facilis est responsio, & hæc de prima censura in Bulla Pauli II. contenta, nunc gradum facio ad secundam editam contra complices huiusmodi alienationis in detrimentum Ecclesiæ.

PVNCTVM VII.

De censura quæ incurritur ab eo, qui dolosè, vel scienter procurat alienationem, aut alienationis decretum à delegato Sedis Apostolicæ cum detrimento Ecclesiæ.

EX dictis puncto præcedenti constat extorquentem, seu procurantem dolosè, vel scienter alienationem, aut alienationis decretum excommunicatione ligari. Hic agendum est primò, quænam sit eius censuræ materia. Secundò quodnam sit subiectum. Tertiò an ista excommunicatio Summo Pontifici reseruata sit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Materia istius censuræ est duplex actio Ecclesiæ noxia.

2 Prima est procuratio alienationis in damnũ Ecclesiæ facta cum dolo, aut scienter.

3 Secunda est extorsio ab ipsis Commissariis decreti alienationis per sordes.

4 Subiectũ istius censuræ sunt omnes procurantes istud decretũ alienationis, aut ipsam alienationem.

5 An hæc censura incurratur nondũ secuta alienatione.

1 MAteria istius censuræ est duplex actio Ecclesiæ noxia.

2 Prima est procurare alienationem fieri in damnum Ecclesiæ, modò ista actio fiat cum dolo, aut scienter: in textu enim sic habetur; *Is verò, qui dolo, vel fraude, aut scienter in detrimentum Ecclesiæ alienationem fieri procurauerit.* Propterea nesciens alienationem esse in damnum Ecclesiæ, non incurrit excommunicationem.

3 Secunda actio est, extorquere ab ipsis Commissariis, vel delegatis decretum alienationis per sordes, id est, per iniquas donationes, aut per impressionem, id est, per importunam persuasionem, vel deprecationem, vel similem inductionem, in textu enim dicitur, *aut qui per sordes, vel impressionem alienationis decretum extorserit.*

SECVNDA PROPOSITIO.

4 SVbiectum istius excommunicationis sunt omnes, & singuli, qui procurant alienationem fieri, aut decretum alienationis extorquent, nam textus vtitur hac loquendi forma; *Is verò*, quæ generalis est, & absoluta.

Ex quo patet differentia inter istam, & præcedentem censuram, quòd præcedens afficit tantummodo Ecclesiasticos deputatos a Sede Apostolica. Ista verò afficit omnes, siue sint Clerici, siue Episcopi, siue etiam laici, vt patet ex ratione proximè allata. Quamquam Filliucius *tract. 11. cap. 7 quæs. 4. ad finem*, probabiliter existimat hac censura laicos solum comprehendi.

5 Sed modò dubium est primò, vtrùm ista excommunicatio incurratur nondum secuta alienatione.

Respondeo affirmatiuè, iuxta probabiliorem, & tutiorem sententiam, quia verba istius Bullæ verificari videntur, etiamsi actualis alienatio nondum subsecuta sit; potest enim quis procurare alienationẽ, aut decretum alienationis extorquere, etiamsi alienatio ipsa realiter non sequatur; probabile tamen est ob procurationem alienationis excommunicationẽ non incurri ante ipsam actualem alienationem, vt patet, tum ex rationibus allatis *punct. precedente num. 5.* tum ex dictis in expositione excommunicationis latæ contra procurantes abortum fœtus animati.

TERTIA PROPOSITIO.

6 Absolutio huius excommunicationis est reseruata Summo Pontifici.

6 ABsolutio istius excommunicationis Summo Pontifici reseruata est, nam in Bulla dicitur, *à qua, nisi per Romanum Pontificem possit absolui*; secus dic de excommunicatione puncti præcedentis. Nulla enim de ipsius reseruatione mentio fit in Bulla, consequenter, quilibet Confessarius ab Ordinario approbatus iure communi absoluere potest, *cap. nuper, de sent. excomm.*

PVNCTVM VIII.

De pœnis contra suadentes Papæ, vt infeudet, aut alienet ciuitates, & loca S. R. E.

1 Bulla cõtra suadentes quouis prætextu infeudari, aut alienari ciuitates & loca S. R. E.

1 COntra suadentes quouis prætextu infeudari, aut alienari ciuitates, & loca S. R. E. lata est excommunicatio à Pio V. in Bulla 35. quæ incipit, *Admonet nos*, circa quam excommunicationem hic duo quæram.

Primò, quænam sit eius materia.

Secundò, quodnam sit subiectum. Sed priùs præmittendum est, hanc Bullam confirmatam fuisse etiam à Successoribus Pontificibus; præsertim à S.D.N. Vrbano VIII. in Bulla, quæ incipit, *Sacrosancti*, edita anno 1623. pridie Kalend. Octobris. Circa quas constitutiones duo principaliter explicabo.

Primò, quænam sit materia istius excommunicationis.

Secundò, quodnam sit subiectum.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Quæ sit materia excommunicationis in ea Bulla contenta.

2 MAteria istius excommunicationis sunt istæ actiones.

Prima est tractare, consulere, aut alia ratione verba facere de alienandis, aut infeudandis bonis immediatè pertinentibus ad Ecclesiam Romanam; nam in textu dicitur, *tractantes, consulentes, aut alia verba facientes de infeudationibus, aut alienationibus, de ciuitatibus, & locis præfatis immediatè ad nos, & Sedem Apostolicam pertinentibus.*

Quæ autem loca dicantur immediatè ad Ecclesiam Romanam pertinere, docui in explicatione Bullæ Cœnæ contra Vgolinum, & alios.

Amplia primò etiamsi agatur de alienatione bonorum deuolutorum ad Sedem Apostolicam. Secundò etiamsi huiusmodi bona aliàs in feudum dari solita essent. Tertiò etiam ex causa permutationis. Quartò etiam sub annuo canone, aut alia quauis ratione. Quintò etiam intuitu meritorum erga Sedem Apostolicam. Sextò etiam prætextu necessitatis, vel euidentis vtilitatis. Septimò etiamsi agatur de postulandis aliquibus, vt eis titulus Ducis, Vicarij, Gubernatoris, aut alius gradus in præfatis locis conferatur ad vitam, vel in perpetuum, vel ad longum tempus, vel etiam ad beneplacitum: hæc omnia expresè habentur in præcitata Bulla, in quibus explicandis non immoror, quia clara sunt, tum ex se, tum ex regulis generalibus.

Limita primò, modò hac de causa eligantur Oratores, qui mittuntur ad Sedem Apostolicam, nam in textu dicitur, *ac propterea de eligendis Oratoribus ad nos & Successores nostros super præmissis, vel illorum occasione mittendis proponentes.* eidem excommunicationi subiicitur actio, qua quis recipit munus huiusmodi Oratoris, vt in præfata Bulla habetur.

Limita secundò iuxta dicenda *in 2. propositione num. 6. & seq.*

3 Num proponẽs Oratorem hac de causa mittendum ad Sedem Apostolicam, aut Orator ipse ligentur excommunicatione, etiamsi postea hac de re nihil agatur cum Pontifice.

3 Sed modò dubium est, vtrùm proponens Oratorem prædicta de causa mittendum ad Sedem Apostolicam, aut Orator huiusmodi onus recipiens, ligentur statim excommunicatione, etiamsi postea hac de re nihil agatur cum Pontifice. Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia in materia pœnali stricta interpretatio facienda est, & verba cum effectu intelligenda sunt.

His non obstantibus probabilius dicendum censeo statim ligari excommunicatione, quia sufficienter verificantur verba, consequẽter censetur adesse effectus sub excommunicatione prohibitus. Nam sub excommunicatione nonsolum prohibetur tractare de hac re cum Summo Pontifice, verùm etiam mittere hac de causa Oratores, vel huiusmodi munus Oratoris suscipere.

Hinc patet responsio ad rationem dubitandi.

4 Quid sit insinuare alienationem Romano Pontifici.

Secunda actio est insinuare, vel suadere huiusmodi alienationem Summo Pontifici, siue id fiat per se, siue per alium; nam in textu dicitur, *aut alij, quicumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti, per se, vel alium, seu aliàs insinuantes, vel suadentes, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant.*

4 Sed modò dubium est, quid sit insinuare.

Respondeo idem esse quod declarare mentem suam esse, vt Summus Pontifex prædicta loca alienet, vel infeudet. Ita sentire videtur Iulius Clarus *de donat. quæst. 15. num. 5.* Lessius *lib. 2. cap. 18. dub. 13. num. 97.* & alij, quos in simili retuli de contractibus, dum loquerer de insinuatione requisita ad donationem. Suadere autem est consulere, aut aliquo prætextu, seu ratione permouere ad alienationes huiusmodi faciendas.

An autem insinuatio, aut suasio puniatur pœna excommunicationis, etiamsi actualis alienatio non sequatur, patet ex dictis puncto præcedenti *num. 5.*

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Subiectũ istius excommuni-

5 SVbiectum istius excommunicationis sunt omnes, qui præfatas actiones faciunt, siue sint Ecclesiastici, siue sæculares cuiuscum-

cationis sunt omnes, siue sæculares, siue Ecclesiastici, etiã Cardinales, quomodocumque id agant.

iuscumque dignitatis, & ordinis, etiã Episcopalis, vel maioris, etiam Cardinalatus honore fulgentes, siue id agant publicè, siue priuatim, siue id agant per se, siue per alium; exprimuntur etiam in præfata Bulla Communitates, & Vniuersitates. Quamuis enim communitas, vt sic, excommunicari non possit, vt patet ex dictis de censuris in genere, nihilominus particulares personæ cõmunitatis tractantes, vel consulentes, & ob id Oratorem mittendum ad Sedem Apostolicam proponentes, vinculo istius excommunicationis innodantur. Vide Franciscum Leon. *in thesauro fori cap.* 15. *num.* 12. & Sopranum apud Filliucium *tract.* 44. *cap.* 3. §. 3. *quæsito* 4. *&* 5.

6 Excipiũtur ij qui id faciunt ad procurandã alienationem bonorum Fisco addictorum ob delicta.

6 Limitanda est tamen ista propositio primò quoad eos, qui aliquam ex præfatis actionibus faciunt ad procurandam alienationem, vel infeudationem bonorum Fisco addictorum ob delicta; nam bona confiscata ob delicta non comprehenduntur amplius in Bulla Pij V. ex constitutione Gregorij XIII. in Bulla 65. quæ incipit, *tanta tamq; horrenda.* §. 13. *vers. declarantes*, & ex constitutione Sixti V. in Bulla 5. quæ incipit, *hoc nostri Pontificatus.* §. 8. *vers. Duces, sub finem dicti* §.

7 Excipiũtur per triennium loca, quæ Camera Apostolica emit à Baronibus

7 Præterea sub prædicta Bulla Pij V. non comprehenduntur per triennium loca, quæ Camera Apostolica emit à Baronibus: hæc enim per triennium excipiuntur à Clemente VIII. in Bulla 41. quæ incipit, *institiæ ratio.* §. 14. *vers. ciuitates verò.*

8 Excipitur casus, si hoc fiat de licentia Summi Pontificis.

8 Limitatur secundò quoad eum, qui hoc facit de licentia Summi Pontificis. Eius enim est legem abrogare, cuius est eam condere. Imò Sopranus apud Filliucium *tract.* 44. *cap.* 3. §. 3. *quæs.* 4. illum eximit ab excommunicatione, qui Summum Pontificem adit, ipsumque de hac re alloquitur, & ab eo non repellitur, nam eo ipso, quo Summus Pontifex illum ad proponendum admittit, censetur cum eo dispensare, & facultatem tractandi concedere.

Hæc opinio probabilis est, modò Pontifex conscius esset rei ab altero agendæ, antequam ille de ea re ageret: nam dispensatio præcedere debet actionem, sub excommunicatione prohibitam. Secus si Pontifex ignorabat, de qua re acturus esset, aut si eum repulit postquam cognouit, quid agere vellet. Perspicuum enim est istum excommunicationis vinculo innodari, si tractatum alienationis, postquam à Papa repulsus fuit, prosequatur; facit enim contra constitutionem, excommunicationis pœnam continentem.

An autem Summus Pontifex infeudans, aut alia ratione alienans bona Cameræ Apostolicæ, grauiter peccet, & reus sit violationis iuramenti, constat ex supradictis *punct.* 5. §. 1. *&* 2.

TRA-

TRACTATIO,
SEV
DISPVTATIO TERTIA
De largitione munerum regularibus vtriusque sexus interdicta.

CLEMENS VIII. in Bulla 28. quæ incipit, *Religiosè*, vt votum paupertatis integrè seruaretur, & bonis religionum consuleretur, interdixit largitiones, seu donationes fieri, iniuncta tam largientibus, quàm largitionem recipientibus pœna, de qua hîc agendum duxi. Primo autem loco explicabo, quænam sit materia istius constitutionis, seu quænam actiones in hac constitutione fieri prohibeantur. Secundò quænam personæ munera, seu largitiones facere interdicantur. Tertiò quænam personæ munera, seu largitiones recipere nequeant. Quartò quibus pœnis afficiantur, qui à religiosis munera capiunt. Quintò quas pœnas incurrant religiosi munera conferentes. Sextò quas largitiones facere possint religiosi iure communi, seu præcisa Bulla Clementis VIII.

PVNCTVM I.
Quænam sit materia istius constitutionis, seu quænam actiones in Bulla Clementis prohibeantur.

IN hoc puncto priùs enumerabo actiones in hac Bulla prohibitas: deinde casus in ea exceptos.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Prima actio hic prohibita est donatio, seu largitio munerum.

1 MAteria istius constitutionis, seu actiones, quæ in hac constitutione fieri prohibentur, sunt duæ. Prima est donatio, seu largitio munerum; nam in Bulla dicitur; *omnem & quamcumque largitionem & missionem munerum penitus interdicimus.*

Ampliatur primò hæc propositio, quouis pacto acquisita sit res, quæ donatur, etiamsi fortè accepta fuerit ab eo, qui eam tradidit, vt religiosus ad suum libitum disponat: sic enim colligitur ex ipsa Bulla Clementis VIII. ibi; *Id autem ita absolutè & generatim vetitum intelligatur, vt neque omninò fas sit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, & prouentibus, collectis, vel contributionibus, aut oblationibus, siue eleemosynis, aut subsidiis certis, vel incertis, ordinariis, seu extraordinariis, mensæ, seu massæ communis, vel cuiusuis fabricæ, & Sacristiæ, quorũ bona communiter, vt præfertur, administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quàm ex pecuniis, etiam quæ à singulis quouis modo acquisitæ in commune conferendæ omninò sunt. Nec si per viam voluntariæ contributionis in commune congregantur. Nec si forsan priuatim & nominatim cuilibet religioso à suis superioribus, vel à propriis affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut beneuolis, vel à piis Christi fidelibus, etiam eleemosynæ, aut charitatis, & illius propriæ personæ intuitu attributæ, seu quoquomodo per quẽlibet religiosum suo monasterio, domui, aut loco acquisitæ, eiq; vt ad libitum de eis disponat, per superiores concessa fuerunt.*

Ampliatur secundò, siue donatio fiat per se immediatè, siue per alium. Ratio est, tum quia missio connotat actionem per alium faciendam; tum quia in Bulla dicitur, *& huiusmodi missiones munerum religiosis vtriuslibet sexus, non solum per se, verùm etiam per alios prohibitas declaramus.*

Ampliatur tertiò, siue donatio fiat directè, siue indirectè, siue palam, siue occultè, siue nomine proprio, siue religionis, etiamsi fiat prætextu statuti, vel consuetudinis, nam in præcitata Bulla dicitur, *adeò vt nemo vmquam eorum, vel earum directè, vel indirectè, palam, vel occultè, tam communi, quàm particulari, & proprio nomine, etiam sub quouis statuti, vel consuetudinis, seu verius corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacumque causa, nisi in generali Capitulo, aut alia generali congregatione, re maturè discussa, vnanimi consensu omnium, superiorumq; permissu causa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.*

2 Religiosus peccat contra Bullam, & votum commodando, vel mutuãdo aliquid alteri, animo illud non repetendi.

Quomodo autem ista actio limitetur, constabit ex dicendis in secunda propositione.

Hinc sequitur primò religiosum, seu Monialem, quæ vestem, vel pecuniam, aut aliquid aliud tradit alteri per se, vel per alium, facere contra constitutionem Clementis VIII. & contra paupertatis votum, quia dicitur directè donare, seu munus mittere.

2 Secundò religiosum peccare contra Bullam, & paupertatis votum, commodando, vel mutuando aliquid alteri, animo illud amplius non repetendi. Ratio est, quia dicitur indirectè donare. Ita Antonius de Sousa *in expositione istius Bullæ num.* 73. Sanchez *lib.* 6. *de matrimon. disp.* 4. & Filliucius *tract.* 34. *cap.* 3. *quæs.* 8. *nu.* 62. Sorbus *in declaratione Bullæ post verbum donare vers.* 3. *generalitas.*

3 Religiosus vel Monialis condonans cõsanguineo solutionẽ legati, rea est violationis Bullæ.

3 Tertiò religiosum, seu Monialem quæ consanguineo condonat solutionem legati, vel alterius debiti, ream esse violationis Bullæ, quia remissio debiti est donatio, saltem indirecta. Ita DD. citati.

4 Religiosus non peccat cõtra Bullam, dum alicui volenti rem aliquam sibi, vel monasterio tradere, vel legare, rogat eum, qui vult rem illam tradere, vt tradat suo consanguineo, vel alteri: vt si dicat, ea re non indigeo, si tibi placuerit, rem gratã mihi facies, si dederis meo consanguineo, aut alteri. Ratio est, quia donatio est alienatio, seu distractio rei acquisitæ. Religiosus autem in hoc euentu non alienat rem vllam acquisitam, cùm illam ipse non acceptauerit expressè, vel tacitè, & res non acquiratur sine acceptatione. Secus dicendum est, si rem, quam rogat alteri tradi, ipse antea acceptauerat tacitè, vel expressè, & postea rogat tradi consanguineo, vt si tradenti sibi rem aliquam gratias egit, & rogauit rem illam alteri tradi; nam per gratiarum actionem videtur tacitè acceptasse.

4 Religiosus vel Monialis donans alicui volenti rẽ aliquam sibi, vel monasterio tradere, vel legare, rogat vt illam tradat suo consanguineo.

Idem dicendum est si religiosus, qui rem, quam alter sibi tradere volebat, iubet vt alteri tradat: nam rem occultè, seu tacitè acceptat, eamque alteri tradi mandat; iussio enim indicat iubentem habere actionem, & necessitatem imponere. *l.* 1. *ff. de calumniatoribus*, ibi, *nec refert, an ipse pecuniam acceperit, an aliis iusserit dari.* Ita Caldas *l. si curatorem, verb. lasis nu.* 117. *vers.* 2. *C. de in integr. restitut.* Bald. Couar. & alij apud Sanchez *loco cit. num.* 2. & apud Scortiam *in selectas constitut. theorem.* 395. quibus adde Bartholomæum à S. Fausto *lib.* 8. *q.* 215.

5 Non violatur hæc constitutio mutuando, locando, commodãdo, aut vẽdendo etiã infimo pretio.

5 Quintò non violari hanc constitutionem mutuando, locando, commodando, aut vendendo, etiam infimo pretio; nam isti contractus non sunt prohibiti in hac Bulla, in qua sermo tantummodo est de donatione, non verò de his contractibus: quamobrem excusandas censeo Moniales, quæ albam, aut superpelliceum acu elaborant, & postmodum exiguo, seu infimo sui laboris pretio contentæ sunt; hæc enim non est propriè donatio, sed potiùs locatio operarum cum modico pretio, & stipendio, vel non acquisitio. Valerus *v. munera diff.* 1. *num.* 66. & alij.

6 Secunda actio prohibita in hac Bulla, est erogatio pecuniarũ quouis modo in honorẽ alicuius.

6 Secunda actio in Bulla Clementis prohibita, est erogare quouis modo pecunias aliquas in honorem alicuius, etiam protectoris, benefactoris, vel ordinarij: etiamsi id fiat occasione transitus, vel primi ingressus, aut in memoriam acceptorum beneficiorum, aut pro aliquo honorificè excipiendo, aut pro conuiuiis cuicumque exhibendis, aut pro spectaculis, etiam piis, vt patet ex verbis præcitatæ Bullæ, ibi; *Insuper prohibemus, ne vmquam eisdem regularibus liceat vllas pecunias quoquomodo erogare in alicuius etiam benefactoris, aut protectoris, vel ordinarij honorẽ, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad beneficiorũ acceptorum memoriam, gratiq; animi testificationẽ, seu pro prædictis personis quauis auctoritate, vel dignitate fulgentibus, honorificè, lautè & opiparè excipiendis, seu pro quibusuis conuiuiis, eisdem, aut cuiuis alteri, quacumque occasione, vel causa exhibendis, vel pro comessationibus, aut cõpotationibus quibusuis personis, tam eiusdem ordinis, cõgregationis, monasterij, domus, aut loci, quàm extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam pijs intra Ecclesias, monasteria, & domos sacras, seu pias, vel extra eas, in quibusuis publicis, aut priuatis, sacris, aut profanis locis, etiam vbi Sanctorum, & Sanctarum vita, aut res pia gesta, etiam in memoriam Passionis Dominicæ populis spectanda proponuntur, aut aliàs in prædictis, siue in quibusuis rebus superuacaneis ad pompam, & ostentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & priuata commoda quomodolibet pertinentibus.*

SECVNDA PROPOSITIO.

7 Casus, in quibus licitum est regularibus aliquid largiri, vel erogare, primus est si fiat de consensu generalis Capituli.

7 NOnnulli casus in Bulla Clementis VIII. excipiuntur, in quibus licitum est regularibus aliquid largiri, vel erogare.

Primus casus est, si fiat de consensu, seu licentia generalis Capituli; cùm enim Capitulum generale possit res Cõuentus in alienos vsus (modò profani non sint, & illiciti) insumere, Clemens VIII. iure meritò hunc casum excepit, ibi, *nisi in generali Capitulo, aut alia generali cõgregatione, re maturè discussa, vnanimi consensu omnium, superiorũq; permissu, causa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.*

Ex quibus verbis colliguntur conditiones requisitæ ad istam licentiam à Capitulo concedendam.

Prima est, vt causa largitionis maturè discutiatur in Capitulo generali, vt patet ex illis verbis, *re maturè discussa in generali Capitulo, aut alia generali congregatione*; propterea non sufficit discussio, & approbatio Capituli Prouincialis, quia Concilium Prouinciale, non est Concilium Generale, seu Congregatio generalis; sufficit tamen discussio, & approbatio Generalis, & definitorum, seu assistentium, quoties ipsi supremam habent potestatem, nam ipsi tunc temporis

veniunt nomine Congregationis generalis. Secunda conditio est, vt adsit permissio, seu facultas superiorum in Capitulo existentium, ibi; *superiorumq; permissu.* Tertia conditio est, vt nullus eorum, qui in eo Capitulo, seu generali Congregatione astant, contradicat, alioquin causa non diceretur vnanimi consensu approbata, vt in Bulla præscribitur.

8 Secundus est si fiat de leuioribus poculentis, & esculentis, & de munusculis ad deuotionem, & religionem pertinentibus

8 Secundus casus est de leuioribus poculentis, & esculentis, & de munusculis ad deuotionem, & religionem pertinentibus; hæc enim de consensu superioris & Conuentus tradi possunt; nam in Bulla dicitur, *præterquam leuiora esculenta, & poculenta, seu ad deuotionem, vel religionem pertinentia munuscula, cõmuni tantùm, numquam verò particulari nomine (vbi superiori de cõsensu Conuentus videbitur) tradenda.* Quid autem nomine Conuentus intelligatur, patet ex alibi dictis.

9 Licentia donandi esculenta, & poculenta qualis esse debeat.

9 Obserua tamen cum Sorbo, & Bartholomæo à S. Fausto *quæst.* 222. contra Graffium *de cas. reser. lib.* 3. *cap.* 4. non opus esse, vt licentia requisita ad donanda esculenta, & poculenta, singulis vicibus obtineatur, sed satis esse, vt semel obtineatur facultas donandi certam poculentorum, & esculentorum quantitatem certis personis; sic enim adimpletur dispositio, nec superioris aures sæpiùs obtunduntur.

Hoc tamen limita cum eodem Sorbo, modò donatio non sit quotidiana, alioquin fraus legi fieret, nec amplius dicerentur esculenta leuiora, sed magna.

Hinc sequitur primò, religiosum non violare constitutionem Clementis VIII. tradendo alicui comestibilia, modò tamen comestibilia non sint magni valoris, & pretij; nam in Bulla dicitur, *leuiora esculenta, aut poculenta.* leuiora autem esculenta, & poculenta ea dici arbitror, quæ intra duos, vel tres dies consumuntur. *l. plebiscito. ff. de offic. præsid.* Idem dici potest de rebus medicinalibus, vt de terra sigillata, Bezaar, puluere, liquore, vel alio medicamento sanandis morbis accommodato; requiritur tamen licentia, vt dictum est. Ita Valerus *verb. munera num.* 59. & alij Doctores statim citandi, contra Bartholomæum à S. Fausto *lib.* 8. *q.* 218.

Secundò religiosum de consensu legitimi superioris, & Conuentus tradentem imagines, libellos aliquos deuotos, techas, quibus reliquiæ continentur, paruulas Sanctorum reliquias, Agnos Dei, vascula liquoris mannæ, coronas, & his similia, non peccare contra præfatum Clementis VIII. motum; quia hæc videntur munuscula ad deuotionem, & religionem pertinentia. Secus si hæc essent magni pretij: tunc enim non dicerentur munuscula. Ita Sorbus *in declaratione Bullæ verb. donare, vers. & aduertendum,* Filliucius *tract.* 34. *cap.* 3. *quæs.* 10. Scortia *in selectas constitut. theoremat.* 396.

Tertiò Monialem iuxta aliquos DD. non delinquere contra præfatam Bullam, donando chirothecas, pannos lineos, collaria arte laborata, subuculas, strophiola, & alia huiusmodi. Sed oppositum mihi sustinendum videtur de rigore iuris, quia hæc non excipiuntur in Bulla Clementis, cùm non pertineant ad esculenta, vel poculenta, aut ad munuscula pertinentia ad deuotionem, & religionem. Dixi *de rigore iuris,* quia si vsum, & praxim alicubi receptam respiciamus, non videtur illicitum ea tradere de legitimo superioris consensu; sic enim aliquibus in locis vsu receptum est.

10 Tertius est de pecuniis, quæ in diuinum cultum expenduntur

10 Tertius casus est de pecuniis, quæ in diuinum cultum expenduntur; hic enim casus in Bulla Clementis excipitur, ibi, *nisi re ipsa pro diuino cultu.*

Ex quo sequitur, religiosum posse de consilio, & consensu superiorum pecuniam conferre pro apparatu diei festi suæ Ecclesiæ, vel pro Eucharistia publicè exponenda; nam isti sumptus fiunt in diuinum cultum.

11 Quartus est de eleemosynis ad subleuandas veras paupertates necessitatis.

11 Quartus casus est de eleemosynis ad subleuandas veras pauperum necessitates; nam in Bulla dicitur, *nisi re ipsa pro diuino cultu, & veris Christi pauperum indigentiis, seruato in hoc charitatis ordine, & habita necessitatis ratione de consilio, & consensu superiorum subleuandis.*

Ex quo sequitur, religiosos, qui de consilio, & consensu superiorum eleemosynas faciunt ad subueniendum graui alicuius necessitati, non lædere constitutionem Clementis VIII. etiamsi magnam pecuniæ summam impendant; hic enim casus in Bulla excipitur; modò adsit consensus superiorum, & seruetur charitatis ordo, & ratio necessitatis habeatur, vt in Bulla præscribitur.

12 Quintus est de hospitalitate erga pauperes, & peregrinos.

12 Quintus casus est de hospitalitate, præsertim erga pauperes, & peregrinos. Cùm enim hospitalitas magna sit commendatione digna, & à sacris canonibus approbetur, Clemens VIII. noluit hospitalitatem prohibere, præsertim quando religiosi ex instituto, consuetudine, legato, vel donatione tenentur ad hospitalitatis opera exercenda, vt in præscripta Bulla expressè habetur, ibi; *Declarantes tamen per hæc, laudabilem, & ab Apostolica doctrina, sacrisque canonibus commendatam hospitalitatem, præsertim erga pauperes, & peregrinos, nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimò si qui redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex institutis, statutis, aut consuetudinibus aliquorum monasteriorum, Ordinum, aut regularium huiusmodi locorum, aut ex testatorum, vel donantium voluntatibus, siue aliàs applicati, aut donati sunt, eos omnino (vt decet) integrè in vsus pios hospitalitatis huiusmodi erogandos esse, & præsertim in monasteriis, seu locis desertis, & à laicorum ædibus longius remotis, vbi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur.*

Obserua tamen in hospitalitate erga ditiores, hæc seruanda esse, primò vt hospitalitas erga ipsos exerceatur occasione transitus, seu dum hospites eò diuerterunt causa deuotionis, aut necessitatis. Propterea Regulares non possunt eos dedita opera inuitare, quamquam hoc non videtur vsu valde receptum. Secundò vt seruetur frugalitas, & paupertas religiosa. Ratio est, tum quia charitas religiosa non est temperantiæ, & regulari paupertati contraria. Tum quia sic decernitur in Bulla Clementis, ibi; *si quos verò ditiores occasione transitus, siue aliàs ex deuotionis, aut necessitatis causa eò diuertere contigerit, eos sanè deceret refectorio communi cum religiosis, mensaq;, & ferculis communibus, nequaquam à ceteris distinctis, contentos esse. Verum omnino ipsi regulares in hospitibus huiusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, vt in eis frugalitas, & paupertas religiosa prorsus eluceat.*

PVNCTVM II.

Quænam personæ munera, seu largitiones facere interdicantur.

VNICA PROPOSITIO.

1 Omnes religiosi vtriusque sexus, imò & Capitula, Ordo, Conuẽtus, & religio prohibentur munera largiri de bonis ad monasteria pertinentibus

1 OMnes, & singuli religiosi vtriusque sexus, cuiuscumque gradus, & dignitatis existant, imò etiam Capitula, tam generalia, quàm Prouincialia, Ordo, Conuentus, vel religio prohibentur munera largiri, ex bonis ad monasterium pertinentibus. Hæc propositio pluribus verbis exprimitur in præfata Clementis VIII. constitutione, ibi; *Hac nostra perpetuò valitura constitutione vniuersis, & singulis cuiuscumque Ordinis, Mendicantium, vel non Mendicantium, bona immobilia, & redditus certos ex indulto Apostolico possidentium, vel non possidentium, seu cuiusuis Congregationis, Societatis, & instituti, (non tamen militiæ) regularibus personis vtriuslibet sexus, omnem, & quãcumque largitionem, & remissionem munerum, penitus interdicimus. Sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia, & singula Capitula, Conuentus, & congregationes, tam singulorum monasteriorum, Conuentuũ, Prioratuum, Præpositurarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum, quàm Prouincialia, aut Generalia cuiuslibet Prouinciæ, siue vniuersi Ordinis, Societatis, aut instituti, eorumq;, vel earum Camerarios, Commissarios, & quoscumque Officiales, & singulares personas, ipsos etiam ordinum, congregationum, & societatum huiusmodi superiorum quascumque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Prouinciales, Magistros, Ministros, & quocumque nomine præfectos, necnon Conuentuum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum quorũcumque Abbates, Priores, Præpositos, Præceptores, etiã maiores, Guardianos, Ministros, Rectores, atque Abbatissas, Prioristas, & alio quouis titulo præsidentes tam ipsis regularibus, quàm locorum Ordinariis, seu quibusuis superioribus subiectas, vtriuslibet sexus ad vitã, vel ad tempus deputatos.*

Hinc sequitur primò Abbates Canonicorum regularium, vel Fratrum Clausstralium Cistercienſium in hac Bulla comprehendi, consequenter facere contra istam constitutionem largiendo; nam sunt veri religiosi, & membra totius religionis, etiamsi aliqua iurisdictione Episcopali gaudeant. Idem dic de Canonicis regularibus sancti Augustini, vel eorum Abbatibus, ac superioribus.

2 Excipiuntur religiosi habentes beneficium Ecclesiasticum.

2 Excipiendi tamen sunt religiosi habentes beneficium Ecclesiasticum; nam in Bulla prohibentur solum largitiones bonorum pertinẽtium ad monasterium, cùm in hac Bulla sermo sit de donatione eorum, quæ dispositioni Prælatorum, & Conuentuum subiecta sunt, & ideo Summus Pontifex ipsorum licentiam, & consensum obtineri mandat. Ita Nauar. *comment. 2. de regular. num. 6. & comment. 4. num.* 70. Molina *tract. 1. disp. 149. & 276.* Beia *loco proximè citando,* Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 6. num. 13. & 14.* Filliucius *loco cit.* Scortia *theorem.* 395. [Paulus Layman *lib. 4. Theologiæ moralis tract. 2. cap. 3. quæst. 4. num. 11.*] & alij apud Sanchez *loco cit.* & apud Valerum *verb. munera num.* 25. *& seqq.* Idem ob eamdem rationem sentiendum putant Beia 4. *parte, casu* 32. *initio,* Scortia *loco citato,* & alij, de eo, qui pensionem, aut alios redditus ex speciali Sedis Apostolicæ facultate obtinet. Excipiuntur etiam alij casus ab eodem Beia, quos referam *in proximè sequenti illatione.*

3 Moniales comprehẽduntur in hac Bulla.

3 Secundò sequitur, Moniales in hac Bulla comprehendi, quia in Bulla sermo est de regularibus vtriusque sexus; consequenter non possunt donare aliis bona, etiam acquisita proprio labore, & industria; nam quæ religiosus acquirit, monasterio acquirit; religiosus autem non potest monasterij bona alteri donare. Idem dic de religioso, vel Moniali, cui aliquid traditum, vel relictum fuit, vt de eo liberè disponere valeat; adhuc enim censetur acquisitum monasterio, consequenter liberè donari nequit, exceptis casibus superius explicatis. Ita Hieronymus Sorbus *loco cit. vers. itaque.*

4 Regula non valet quoties religioso certa quantitas ad proprium vsum assignatur à Prælato, de qua nullam rationem reddere debeat.

4 Secus dicendum putant Beia *loco citato,* & Valerus *verb. munera num.* 73. Primò quoties religioso certa quantitas ad proprium vsum assignatur à Prælato, ita vt de illa nullam Prælato, vel Conuentui rationem reddere debeat, sed suo commodo, vel damno impendat. Secundò quoties Prælati iusta de causa concedunt religiosis facultatem impendendi in vsum proprium, quæ ipsi religiosi sua industria acquisierint; tunc enim quæ religiosus parcè viuendo subtrahit, potest in licitos vsus pro suo libito insumere. Propterea, inquit Beia, Prælati tam Ordinis Eremitarum S. Augustini, quàm S. Dominici, concedere solent magistris, & concionatoribus eiusdem Ordinis, vt redditus, quos publicè legendo, vel concionando acquirunt, in proprium vsum insumant; & nihilominus præfati religiosi excusantur, si parcè viuendo multa detrahant, vt cõsanguineis pauperibus tradant.

Addit idem Beia *loco citato, sub finem,* excusari posse Moniales, quibus ex consuetudine alicubi recepta victus tantummodo datur, & pro vestitu relinquitur id omne, quod opera, & industria sua acquirunt; sed ipsæ parcendo proprio vestitui, & suppellectili aliquid subtrahunt, illudque in licitos vsus insumunt, exemp. grat. in eleemosynas, vel donationes honestas. Verùm Beia nimium laxare videtur habenas in hac materia, vbi Clementis VIII. constitutio recepta fuit. Cùm enim hæc bona per religiosum monasterio sint acquisita, & religiosus non habeat illorum bonorum administrationem, & facultatem liberam, sed limitatam pro sui sustentatione, & vestitu, non potest ea ad libitum disponere, & aliis pro suo arbitrio conferre; nisi causa approbata fuerit in generali Capitulo, aut alia generali congregatione, re maturè discussa, vt in præfata constitutione dicitur, aut nisi alius occurrat casus in dicta Bulla exceptus, iuxta dicta §. 1. Ita sentire videtur Valerus *verb. munera num.* 51. & 75. Idem probabilius dicendum arbitror de religioso extra monasterium ad tempus existente, exemp. grat. ad studia, vel ad negotia monasterij, assignata sibi certa bonorũ portione ad sustẽtationem; arbitror enim ipsum non posse pro suo libito distrahere, quod parcè viuendo subtraxit ex illa bonorum quantitate; cùm enim illa bona adhuc ad monasterium

nasterium pertineant, non possunt à religioso pro suo libito distrahi, & expendi, non seruata forma Bullæ Clementis, vbi ea Bulla vsu recepta fuit.

5 Nouitij non cõprehenduntur in hac Bulla.

5 Tertiò sequitur, Nouitios in hac Bulla non comprehendi, quia in Bulla sermo est de religiosis; nouitij autem ante professionem non sunt religiosi; soli enim professi, professione expressa, vel tacita, sunt religiosi, *cap. religioso §. 1. de sent. excommunic. lib. 6.* Secus dic de nouitio, qui facta professione in vna religione, transiuit ad aliam, in qua nondum professionem fecit; hic enim est verè, & propriè religiosus; cùm non desinat esse religiosus per transitum ad aliam religionem.

6 Tertiarij non cõprehendũtur, & qui non militant in religione approbata.

6 Quartò Tertiarios vtplurimum in hac Bulla non comprehendi, quia non sunt verè, & propriè religiosi. Idem dic de inseruientibus Hospitali, Eremitis, & aliis, qui ad aliquam religionem approbatam admissi non sunt, etiamsi in communi viuant in loco septo, & clauso; regulares enim illi dicuntur, qui tria vota essentialia in religione approbata emittunt; consequenter qui tria vota non emisit, aut illa emisit, sed in religione non approbata, non comprehenditur in hac Bulla, vt benè Sorbus *loco citato, vers. vt dum.* Vbi etiam addit, illos religiosos non comprehendi in hac Bulla, quorum religio est approbata, & religiosi in illa duo tantùm vota emittunt, votum scilicet obedientiæ, & castitatis. Nam Pontifex loquitur de veris religiosis, quorum bona ad monasterium pertinent, seu in communi conferenda sunt. Ita Bartholomæus à S. Fausto *in thesauro lib. 8. quæst. 205.*

(Comprehenduntur religiosi Societatis Iesu.)

[7 Quintò religiosos Societatis Iesu in hac Bulla comprehendi, quia sunt verè religiosi, etiamsi solùm tria vota simplicia emiserint, vt patet ex Bulla Gregorij XIII. edita *anno* 1582. incipit, *Quanto fructuosius*, & in alia Bulla, quæ incipit, *Ascendente Domino*; idemque docent Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 25. nu. 5.* Emanuel Rodriquez *tom. 1. quæst. 1. art. 4.* Garz. *de benef. part. 7. cap. 10. num. 53.* & alij.

Obiicies, religiosi Societatis Iesu retinent dominium bonorum, etiã post emissa tria vota simplicia: ergo possunt ad libitum bonis vti.

Respondeo retinere dominium, sed dependenter à voluntate superioris, sicut etiam retinent vsum & administrationem vt fructus in pios vsus de consensu superioris expendant; quòd autem dominium bonorum retineant arbitrio superioris, hoc eis concessum fuit ex peculiari Summi Pontificis facultate, vt libentiùs eiici possint, & si à religione dimittantur, non careant bonis, quibus seipsos sustentare valeant. Hac de causa pensiones, vel beneficia non vacant per emissionem trium votorum simplicium in Societate Iesu; beneficia enim, & pensiones vacant per professionem: Patres autem Societatis Iesu emittentes tria vota simplicia, non censentur expressè professi, sed dicuntur esse in probatione, vt constat ex *examine generali cap. 4. nu. 17.* & ex *constitut. part. 4. cap. 4. & part. 5. cap. 2. & part. 10. num. 7. vers. non enim.* Vide, si lubet, Sanch. *in opere morali lib. 7. cap. 4. num. 7. & seqq.* & præterea magistralem decisionem Martini Andreæ, incipit, *nullius.* Ita Caputaquen. pensionis, edita *die Lunæ 18. Aprilis 1616.* in qua Rota decidit beneficia, vel pensiones non vacare emissione trium votorum simplicium in religione Societatis Iesu.]

8 Religiosi militares non comprehendũtur.

8 Sed modò dubium est primò, vtrùm religiosi militares, vt Equites sancti Ioannis, sancti Iacobi, S. Stephani, Alcantaræ, Alcantrauæ, & his similes in hac constitutione comprehendantur.

Respondeo negatiuè, quia in Bulla expressè excipiuntur, ibi, *non tamen militiæ.*

9 Neque Episcopi religiosi.

9 Secundò dubium est, vtrùm Episcopi religiosi subiiciantur huic constitutioni.

Respondeo negatiuè, quia largitiones non faciunt ex bonis monasterij, sed ex redditibus, quorum liberam administrationem habent, vt suppono; Episcopus enim religiosus amplè, & liberè disponere potest inter viuos, non solum de fructibus, opera sua, aut aliunde acquisitis, verùm etiam de fructibus, & redditibus sui beneficij, vel Episcopatus, sicut potest beneficiarius, vel Episcopus sæcularis. Ita Rota 2. *parte, decis. 215. num. 3. in nouissimis*, Ludouicus Molina, Beia, & Filliucius *locis citatis*, & alij quamplures apud Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 6. num. 6.* contra Sarmientum 1. *parte defens. lib. de redditibus monit. 11. num. 4.*

10 Vtrum dicti Episcopi religiosi testari possint de bonis patrimonialibus, vel ex industria acquisitis.

10 An autem religiosi Episcopi testari possint, vel disponere causa mortis, saltem de bonis patrimonialibus, vel propria industria acquisitis, eo modo, quo id licitum est Episcopis sæcularibus, respondetur negatiuè, iuxta probabiliorem sententiam, quia quicquid acquirit religiosus Episcopus, acquirit suæ Ecclesiæ, & solùm liberam habet administrationem inter viuos, *cap. vnico, 18. quæst. 1.* Cùm autem administratio finiatur morte, *Hebr. 9.* sequitur religiosum non posse causa mortis disponere, vel testari de bonis patrimonialibus, vel acquisitis propria industria, quia testamentum à morte incipit valere. Ita Nauarr. *de redditibus quæst. 1. monit. 9. num. 2.* Rodriquez *quæst. regul. tom. 3. quæst. 69. art. 4.* Henriquez *lib. 10. cap. 33. num. 3.* Azor. 1. *parte, lib. 12. cap. 7. quæsito 2.* & alij quamplures apud Sanchez *lib. 6. cap. 6. nu. 10.* contra Emanuelem Sà *versic. Episcopus nu. 11.* Hostiensem, & alios.

Obiicies, Episcopus religiosus morti proximus potest donare etiam absque traditione: ergo etiam donare potest causa mortis, vel testari.

Respondeo Episcopum morti proximum posse, iuxta probabiliorem sententiam, donare inter viuos, modò verè, & non simulatè donet inter viuos; habet enim liberam administrationem; non verò donare potest causa mortis, quia administratio morte finitur. Ita Nauarrus *lib. 3. de reddit. quæst. 1. monit. 35. num. 2.* & Sanchez *loco citato, num. 12.* contra nonnullos alios.

11 Num religiosus eiectus è monasterio comprehẽdatur in hac Bulla, dum expendit bona, quæ acquirit.

11 Tertiò dubium est, vtrùm religiosus iustè, vel iniustè eiectus à monasterio, comprehendatur in hac Bulla, dum expendit ad suum libitum bona, quæ acquirit.

Respondeo non comprehendi, quia liberam habet, dum viuit, huiusmodi bonorum administrationem, licèt aliunde peccet, prodigè, & superuacaneè expendendo. Ita Valerus *verb. munera, num. 27.* Molina *de iustit. disputat. 276. num. 4. vers. quoad ceteros*, Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 15. num. 103.* Sanchez *loco citato*, asserentes huiusmodi religiosum peccare quidem aliquid cum meretricibus insumendo, aut alia ratione peruersè donando, vel expendendo, non tamen teneri restituere, sicut neque tenentur ij, qui ab ipso acceperunt. Idem probabiliter dicendum putat Sanchez de religiosis habentibus beneficium, vel Episcopatum, de qua re alibi.

12 Item an comprehẽdat Moniales, religiosos extra monasterium degentes.

12 Quartò dubium est, vtrùm hæc Bulla complectatur Moniales, aut religiosos extra monasterium existentes, & in domibus parentum causa infirmitatis, vel alia de causa commorantes.

Respondeo affirmatiuè, quia locus non eximit à regulari obseruantia, & à constitutionibus Summorum Pontificum. Ita Sorbus *verbo donare in declaratione Bullæ vers. sed illæ personæ*, Bartholomæus à Sancto Fausto *in thesauro religiosorum lib. 8. quæst. 207. & 210.* contra Valerum *num. 28.*

PVNCTVM III.

Quænam personæ munera, seu largitiones à regularibus recipere nequeant.

VNICA PROPOSITIO.

1 Omnes vtriusque sexus, & conditionis, prohibentur dona recipere à religiosis.

1 OMnes tam mares, quàm feminæ, tam Ecclesiastici, quàm laici, cuiuscumque gradus, ordinis, ac dignitatis existant, quamuis sint religiosi alterius, vel eiusdem monasterij, vel Ordinis, siue sint superiores, siue subditi, prohibentur dona recipere à religiosis, nam Summus Pontifex generaliter loquitur, ibi, *nec verò quispiam ab hac generali prohibitione se excusare valeat, etiamsi munera miserit cuiuis personæ laicæ, vel Ecclesiasticæ, cuiuscumque status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quauis non solum mundana, & Ducali, Regia, Imperiali, verùm etiam Ecclesiastica, & Pontificali, aut alia maiori, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalatus dignitate fungenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex causa, & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus Regularis, tonsuræ, aut professionis Monialium, tam sibi subditarum, quàm non subditarum, aut ipsi etiam proprij Ordinis, vel Congregationis protectori, Viceprotectori, Generali, vel Prouinciali, aut cuiusuis monasterij, Prioratus, domus, aut cuiuslibet alterius loci Regularis superiori, aut alio quocumque officio, munere, aut dignitate fungenti, vel cuicumque etiam simplici, & particulari religioso, ita vt inter ipsos quoque religiosos (ne praua ambitione impulsi pro consequendis in sua religione gradibus, & dignitatibus alter, alterius gratiam, & beneuolentiam aucupetur) quæcumque largitio, aut donatio munerum, (nisi rerum minimarum, de licentia expressa, & in scriptis superiorum) sit penitus interdicta.*

2 Possitne quis remunerationis vice aliquid accipere à religioso.

2 Sed modò dubium est, vtrùm qui beneficia, vel munera contulit alicui religioso, vel Moniali, possit aliquid ab eodem in remunerationem, seu compensationem accipere. Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia in Bulla Clementis prohibetur aliquid erogare in honorem alicuius etiam benefactoris, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi testificationem.

His non obstantibus, respondeo posse accipere, & Religiosum posse tradere de consensu legitimi superioris. Ratio est, quia in hac Bulla vetita est donatio, seu largitio munerum; donatio autem ea simpliciter dicitur, quæ purè, & liberaliter exercetur; & donatio ob causam non est simpliciter donatio, sed cum addito, & vocatur antidoralis. Hoc tamen intelligitur, modò munera accepta non excedant merita; nam qua parte excedunt merita, reuocantur ad donationem propriè, & strictè acceptam. Ita Sanctus Thomas 2. 2. *quæst. 106. art. 3. ad 4.* Nauarrus *in Apologia de reddit. tit. 9. q. 1. monit. 82.* Menochius *lib. 4. præsumpt. 167. num. 31. & seqq.* Ioann. à Cruce *de statu relig. lib. 1. cap. 3.* Scortia *in select. constitut. theorema. 395.* Sorbus *in declaratione Bullæ, vers. item alius casus*, Filliucius *tract. 34. cap. 4. quæs. 9. num. 97.* Syluester, Azor. Sanchez, Pater Marchesius, Riccius, Rodriquez, & alij, quos retuli *de contractibus disp. 3. q. 12. puncto 1. num. 4.*

Ad rationem dubitandi respondeo cum Sorbo loco citato, id vetitum esse erga superiores, vt erga Protectores, Episcopos, Generales, vt patet attentè legenti, & perpendenti textum Bullæ, ibi; *insuper prohibemus, ne vnquam iisdem Regularibus liceat vllas pecunias quoquomodo erogare in alicuius etiam benefactoris, aut protectoris, vel ordinarij honorem, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratiq; animi testificationem.*

Hinc sequitur primò famulo monasterij, qui fidele seruitium præstitit, aliquid tradi posse vltra conuentionem, in remunerationem obsequij, & seruitij fideliter præstiti: hæc enim est donatio ob causam. Ita Sorbus *loco citato*, Io. à Cruce *loco citat. notab. 1.* Scortia *loco citat.* & alij, quibus adde Ioannem Valerum *in differentiis verbo munera numero 72.* vbi excusat religiosos, seu monasteria, quæ in festis Natiuitatis D.N.I.C. munera tradunt Aduocatis, Procuratoribus, & Medicis; hæc enim non omnino gratis traduntur, nec sunt munera, sed onera, & quasi pars salarij.

Secundò licitum esse Moniali de licentia superioris strophiola, & alia consimilia tradere illi, à quo pecuniam, aut vestes titulo donationis antea acceperat, seruata proportione muneris accepti, nisi aliud in aliquibus locis ferat consuetudo, vt dictum est §. 1. Imò aliqui hoc admittunt; etiamsi Monialis, quæ aliquid tradit, nihil adhuc acceperit, sed certò credat se aliquid maius accepturam in recompensatione rei, quam tradit; hæc enim non videtur donatio; nam donatio ex S. Thoma 2. *disp. 18. quæst. 2. artic. 2.* & aliis, est datio liberalis, siue irredimibilis, & non intendens compensationẽ. Ego verò oppositum sentio probabilius, quia hæc non est donatio remuneratoria, sed ex se liberalis: remuneratio enim supponit munus, seu rem acceptam, seu ius acquisitum, non verò solam spem acquirendi. Hinc patet quo pacto intelligẽda sit definitio donationis traditae S.

Thoma, & aliis; illa enim donatio, qua aliquid confertur ob accepta beneficia, non est propriè donatio. Secus si fiat cum spe accipiendi, vt in proposito casu, & beneficia nondum accepta sint.

PVNCTVM IV.

Quibus pœnis afficiantur, qui munera capiunt à regularibus.

VNICA PROPOSITIO.

1 Accipiens aliquid à religioso, tenetur ad restitutionem, antequam absoluatur.

1 REcipiens aliquid à religioso, vel Moniali, extra casus superiùs in primo puncto expressos, tenetur ad restitutionem rei acceptæ, nec absolui potest nondum facta reali restitutione, sic enim expresè decernitur à Bulla Clementis VIII. ibi; *adeò vt restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiæ absolui possint.*

Ex quo sequitur hunc casum Summo Pontifici reseruatum esse ante præstitam ab accipiente satisfactionem.

2 Num acceptans obligetur restituere ante iudicis sententiam.

2 Sed modò dubium est primò, vtrùm qui accepit aliquid à religioso, ad illius restitutionem obligetur ante iudicis sententiam.

Respondeo affirmatiuè cum Valero *nu.* 103. tum quia nullo iusto titulo rem acceptam retinere potest, cùm incapax, & inhabilis effectus sit ad rem illam acquirendam. Tum quia licèt pœna, quæ ad sui executionem, actionem hominis requirit, subeunda non sit ante iudicis sententiam, nihilominus subeunda est ante iudicis sententiam, quoties superior in foro conscientiæ obligat ad illam subeundam, seu quoties ante vllam sententiam, & declarationem iudicis obligare intendit, vt patet ex dictis de legibus; Clemens autem Octauus intendit obligare in conscientia ante vllam iudicis sententiam, ibi; *quòd si, vel ab aliquo particulari religioso, vel à superiore quopiam, Generali, Prouinciali, aut alio quocumque officio fungente, aut à Conuentu, Capitulo, vel Congregatione, siue ab vniuerso ordine, & religione quicquam receperint, id, quod acceperint, suum non faciant, verùm ipso facto absque aliqua monitione, iudicis decreto, sententia, aut declaratione, ad illius restitutionem omnino in vtroque foro teneantur.*

3 Num valeat absolutio collata pœnitenti ante actualem restitutionem.

3 Secundò dubium est, vtrùm valeat absolutio collata pœnitenti ante actualem restitutionem.

Respondeo negatiuè, quia Summus Pontifex iurisdictionem, & facultatem absoluendi adimit; nam illa dictio negatiua, *non*, præposita verbo, *potest*, tollit potentiam. Ita Caietanus, Suarez, & alij, quos retuli de censuris in communi *disp.1.q.3.punct.9.num.3.*

Hoc tamen limitatur primò, modò pœnitens moraliter satisfacere possit absque graui damno, & incommodò; præcepta enim Ecclesiæ benignè sunt explicanda, nec ad impossibile obligationem inducunt, *l.si stipuler, ff. de verbor.oblig.l. impossibilium.ff. de regul.iur. & cap.nemo potest ad impossibile. de reg.iur. in 6.*

Ex quo sequitur impotentem ad satisfaciendum absolui posse data possibili cautione de restituendo. Vide tradita loco citato de censuris in communi *à num.4. vsque ad 10. inclusiuè*, Soufam *hic num. 96.* Ioannem à Cruce *notab.4.* Scortiam *in select. theorem.398.*

Secundò limitatur, modò non adsit bona fides; nam si pœnitens bona fide absolutionem obtineat indirectè, absolutionem illius peccati obtinet, quod simul cum aliis confessus fuit, aut per obliuionem conticuit, iuxta ea, quæ tradidi *de pœnitentia.*

4 Quid si Confessarius impẽdat absolutionem, tenebiturne ipse ad restitutionẽ.

4 Rogabis primò, vtrùm confessarius, qui absolutionem impendit nondum facta reali restitutione, teneatur ipse ad restitutionem.

Respondent affirmatiuè Nauarrus, Medina, Henriquez, Auila, Coninchus, Molina, Salonius, & alij, quos retuli *loc. cit. de censuris num.1. & de restitut. disp.1.q.2.punct.11.quæst.3.num.13.* Sed quid mihi sentiendum sit, docui *loco citato de restitutione*, cum Lessio, Valentia, Sanchez, Azorio, Suarez, & aliis; ad ibi dicta me remitto, ne frequentius, quàm par sit, eadem repetam.

5 Cui faciẽda sit talis restitutio bonorum acceptorũ à religioso.

5 Tertiò dubium est, cui facienda sit restitutio rei acceptæ à religioso contra Clementis VIII. constitutionem.

Respondeo faciendam esse monasterio, in quo degit religiosus, à quo res accepta fuit, seu alteri loco, de cuius bonis res dono data fuit, vt clarè, & prolixè decernitur in præfata Clementis VIII. Bulla, ibi; *hanc autem restitutionem fieri volumus non priuatim, & religioso, qui donauit, sed ei monasterio, domui, vel alteri loco, de cuius bonis facta est largitio, vel si non de eius bonis donatum est, in quo idem religiosus donans professionem emisit, vel in nomine totius Capituli, Conuentus, aut Congregationis, vel vniuersi Ordinis, seu religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensæ, aut massæ, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur: ita vt nec qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel vt in pauperes eroget concedere quoquomodo possit.*

PVNCTVM V.

Quas pœnas incurrant religiosi conferentes munera vltra præscriptam in Bulla Clementis VIII. formam.

VNICA PROPOSITIO.

1 Pœnæ, quas incurrunt religiosi donãtes contra hanc constitutionẽ.

1 RElegiosi largitionem facientes contra dispositionem Bullæ Clementis VIII. plures pœnas incurrunt; prima est priuatio dignitatum, graduum, munerum, & officiorum. Secunda est incapacitas, & inhabilitas ad illa, & alia in futurum obtinenda. Tertia est perpetua infamia, & ignominia. Quarta priuatio vocis actiuæ, & passiuæ. Quinta vt contra ipsum regularem tamquam furti, & Simoniæ reum, agi, & procedi valeat, vt expresè dicitur in Bulla Clementis VIII. ibi; *quòd si quis ex supradictis regularibus vtriusuis sexus, cuiuscumque gradus, ordinis, dignitatis, ac vbilibet locorum existentibus, coniunctim cum ceteris, seu diuisim nostrarum huiusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, iussionum, decretorum, mandatorum transgressor fuerit, statuimus, vt omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus & officiis eo ipso priuatus, ac ad illa, & alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda, inhabilis perpetuò, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat, & præterea priuationem vocis actiuæ, & passiuæ absque vllo superioris decreto, aut ministerio ipso facto incurrat, necnon vltra huiusmodi pœnas etiam tamquam contra furti, & Simoniæ criminum reum, tam per viam denuntiationis, accusationis, aut querelæ, quàm etiam ex officio procedi, & inquiri, condignisq; suppliciis affici debeat, pœnis aliis à iure statutis,* &c.

2 Quid nomine honorũ, graduum, officiorum, & dignitatũ, quorũ priuationem incurrit religiosus donans, intelligatur.

2 Sed modò dubium est primò, quid nomine honorum, graduum, officiorum, & dignitatum, quorum priuationem incurrit religiosus faciens contra istam constitutionem, intelligatur.

Respondeo intelligi gradus honorificos cum superioritate, seu officia, quibus adnexum est ius superioritatis, vt Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, Guardianatus, officium Visitatoris, Commissarij, Generalis, Vicarij monachorum, seu Monialium, officium Abbatissæ, Priorissæ, officium superioris localis. Item respectu Patrum Societatis Iesu, non solùm intelligitur Generalis, Prouincialis, & Præpositus domus professæ, verùm etiam Vicegeneralis, Viceprouincialis, Vicepræpositus, Rector, & Vicerector. Hoc tamen nomine non veniunt assistentes Patris Generalis (licèt in aliquibus aliis religionibus oppositum sentiam) Magister Nouitiorum, Ministri, Consultores, Admonitores, Concionatores, Lectores Theologiæ, Confessarij, Præfectus pharmacopolij, aut Sacristiæ, definitores, aut discreti in religione Capucinorum. Ita Sorbus *loco citato, vers. circa quas pœnas*, Sousa *in expositione huius Bullæ num.* 101. Sanchez *in opere morali lib.6.cap.15.nu.66. & cap.18. nu.25.* vbi refert Claudium Aquauiuam, Bartholomæus à S. Fausto *in thesauro lib.8.quæst.229.* Filliucius *tract.34.cap.3.quæs.11.num.77.* & alij.

3 Num hæ pœnæ ligẽt ante vllam iudicis sententiam.

3 Secundò dubium est, vtrùm religiosi teneantur has pœnas subire ante vllam iudicis sententiam condemnatoriam, vel saltem declaratoriam criminis.

Hieronymus Sorbus *verbo, dare, in huius Bullæ explicatione, vers.2. not.* Sousa *in expositione huius Bullæ num.*102. Sanchez *lib. 6. cap.15.nu.* 65. Bartholomæus à S. Fausto *loco citato, quæst.*230. Molina *de iust. disp. 96. vers. duo obserua,* & alij, quos inuu de violatione clausuræ *puncto 4. numer. 7.* arbitrantur non teneri ante sententiam criminis declaratoriam.

Filliucius verò *tract.34. cap.3. quæs.11.nu.79.* existimat pœnas priuationis dignitatum, officiorum, & graduum, item vocis actiuæ, & passiuæ, infamiæ, & ignominiæ non incurri ante sententiam criminis declaratoriam; pœnam verò inhabilitatis ipso facto incurri.

Ego censeo pœnas priuatiuas, ad quarum executionem hominis actio requiritur, vt est priuatio dignitatum, & officiorum, non incurri ante sententiam criminis declaratoriam; alias verò pœnas priuatiuas, quæ actionem hominis ad sui executionem non requirunt, vt est priuatio vocis actiuæ, & passiuæ, incapacitas, & inhabilitas ad officia, & beneficia, incurri ante vllam iudicis sententiam, vt probaui *de legib. disp.1.quæst.1.punct.7.§.2.num.9. & de contractibus, disp.3.quæst.8. punct.vlt.§.3.* cum Suarez, Azor. Valentia, & aliis. Ad ibi dicta me remitto: quamquam probabiles arbitror aliorum sententias. Quis autem possit in his pœnis dispensare, respondetur facultatem dispensandi pertinere ad Summum Pontificem, dum res ad forum externum delata fuit. Vide Graffium *1.parte decis. lib.4. cap.23. nu.12.* Bartholomæum à S. Fausto *quæst.231.* & Rodriquez *tom.1. quæst.24.art.17.*

Obiicies, ista Bulla non videtur vsu recepta: ergo frustrà dicimus has pœnas incurri ante, vel post sententiam criminis declaratoriam; pœna enim in lege contenta non incurritur, nisi lex vsu recepta sit, & moribus vtentium comprobata.

Respondeo, me hic non loqui de existentibus in iis locis, in quibus hæc Bulla vsu recepta non fuit; aut per dispensationem relaxata est, vt in Hispania, teste Sanchez *num.*42.100. & 105. & in nonnullis religionibus, quæ facultatem à Summo Pontifice obtinuerunt donandi vltra Bullæ dispositionem. Sed loquor de existentibus in iis locis, in quibus acceptata fuit, & praxi comprobata, vt Mediolani, Romæ, & in aliis præcipuis Italiæ regionibus. Quid autem iure communi sentiendum sit de religiosis largientibus, vel distrahentibus, constabit ex dicendis *punct. seq.*

4 Quantitas requisita ad incurrendã mortalem culpam contra paupertatis votum.

4 Tertiò dubium est, quænam quantitas requiratur, & sufficiat ad incurrendam mortalem culpam contra paupertatis votum.

Respondeo ad incurrendam lethalem culpam contra paupertatis votum, eam quantitatem requiri, & sufficere quæ ex se, præcisis aliis circumstantiis, sufficit ad peccatum mortale furti; nam votum paupertatis violatur à religioso, vsurpando rem, cuius vsum, administrationem, aut dominium non habet; & sicut furtum committitur vsurpatione rei, inuito domino, ita vitium proprietatis incurritur vsurpatione rei inuito superiore, cui religiosus per votum paupertatis suas actiones subiecit quoad recipiendum, distrahendum, aut retinendum. Ergo illa quantitas ad hoc peccatum requiri, & sufficere videtur, quæ ex se sufficit ad mortale peccatum furti. Dico *ex se*, vt excludam circumstantias personæ, contra quam peccatum furti cõmittitur. Aliquando enim contingit, vt res ex se leuis, exempli gratia, acus sartoris, lethalem culpã inducat ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Ita Nauarrus *lib.3. cons. de regul. cons.75. nu.18.* Rodriquez *quæst. regul. tom.3. quæst.29. art.10. concl.8.* Graffius *1. parte decis. lib.3. cap.5. nu.49.* Azor. *1. parte lib.12. cap.12. quæs.6.* Rebellus *de iustitia, parte 1. lib.3. quæst.15. sect.3. num.22.* Sanchez *lib.7. cap. 20. num.3.* Filliucius *tract.34. cap.3. quæs.9. num.65.* Alfonsus Rodriquez *de perfectione, 3. part. tract.3. cap.14.* & alij communiter.

5 Quãtitas sufficiens ad peccatũ mortale furti, est consequẽter contra paupertatis votum.

5 Sed modò explicandum superest, quænam quantitas sufficiat ad peccatum mortale furti, & consequenter ad peccatum mortale contra paupertatis votum.

Respondet Rebellus *loco cit.* quantitatem pensandam esse, iuxta quantitatem petitam ad furtum mortale filiorum, quia Prælati non magis censentur inuiti quoad rem latenter à religioso sumptam, quam

quam parentes temporales, & carnales erga suos filios ; Prælati enim non minus subditos suos diligere debent, quàm pater filios suos. Verùm hæc opinio mihi non probatur, quia filij sunt necessarij heredes, nec ipsos decet aliquid possidere, quod de religiosis dici non potest, cùm ipsi strictissimo paupertatis vinculo se suo voto obstrinxerint.

Sanchez *loco citato*, *num.* 3. putat in Hispania requiri, & sufficere quantitatem quatuor argenteorum, seu Iuliorum.

Filliucius *loco citat.* existimat quantitatem duorum, vel trium Iuliorum sufficere ad lethalem culpam ; quantitatem verò esculentorum, aut rerum pertinentium ad deuotionem, seu religionem, posse esse maiorem ea, quæ communiter in furto existimatur, exempli gratia, quinque Iuliorum, plus, minus.

Sorbus verò *vers. tamẽ*, putat non posse esse maiorẽ duobus Iuliis.

Ego censeo quantitatem duorum, vel trium Iuliorum, regulariter loquẽdo, sufficere ad mortale peccatum proprietatis, quia huiusmodi quantitas, regulariter loquendo, sufficit ad mortale peccatum furti, ideo Mediolani casum reseruatum ille incurrit, qui rem incertam duos Iulios excedentem sibi applicat; casus autem reseruatus non incurritur, nisi ob mortalem culpam.

Obiicies, surripiens octo Iulios Principi, non peccat mortaliter peccato mortali furti : ergo neque religiosus surripiens sex, vel octo Iulios monasterio diuiti.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia malitia furti desumitur ex damno illato ; at non censetur graue damnum illatum Principi, surripiendo sex, vel octo Iulios ; grauitas verò peccati proprietatis non desumitur præcisè ex grauitate damni illati; sed ex re ipsa, quæ inuito superiore vsurpatur.

Rogabis, vtrùm religiosus accipiens rem magni valoris, non vt eam sibi applicet, sed vt ad tempus vtatur, vel alteri commodet, inscio superiore, grauiter peccet.

Respondeo grauiter peccare, si ad longum tempus ea vti velit, vt per se patet ; si verò ea vti velit solùm ad breuissimum tempus, ita vt illius vsus modici valoris existimetur, non peccat grauiter contra votum, quia modicus ille vsus ad mortale peccatum furti non sufficit. Ita Sanchez *num.* 6. & alij, quos retuli *de restitutione disp.* 2. *quæst.* 10. *puncto* 3.

Hactenus locuti sumus de quantitate requisita ad peccatum, agendum modò est de quantitate requisita ad pœnas.

6 Vtrùm quantitas sufficiens ad peccatũ mortale sufficiat ad incurrendas pœnas in Bulla Clementis VIII. contentas.

6 Quartò igitur dubium est, vtrùm quantitas sufficiens ad mortale peccatum contra paupertatis votum, sufficiat etiam ad incurrendas pœnas, in constitutione Clementis VIII. impositas.

Prima sententia est Sorbi *loco cit. vers. secundò obseruandum*, & aliorum affirmantium quantitatẽ duorum, vel trium Iuliorum sufficere. Cùm enim religiosus sit pauperrimus, & paupertatis votum emittat, videtur dignus pœnis maiorem pecuniæ quantitatem largiendo.

Secunda sententia est Filliucij *loco cit. quæs.* 9. *nu.* 65. *& seq.* Soti, & aliorum apud Ioannem Valerum *verb. munera*, *num.* 65. arbitrantium ad pœnas huius Bullæ incurrendas requiri quãtitatem, quæ valorem duorum, vel trium aureorum excedat. Ratio est, tum quia vsu religionum receptum videtur, vt quantitas duorum aureorum non censeatur magna in hac materia, tum quia ea quantitas requiritur, ob quam religiosus in iudicio puniri possit ; in iudicio autem non punitur ob quantitatem duobus, vel tribus aureis minorem. Imò aliqui apud Valerum longè maiorem quantitatem admittunt.

Tertia sententia, quæ mihi probabilior videtur, asserit eam quantitatem sufficere, quæ à legitimo superiore taxata fuerit ; quantitas enim rerum minimarum, quæ cum debita licentia licitè donari potest à religiosis, taxanda est à superioribus regularium, vt declaratum fuit à Summo Pontifice, teste Sorbo, & Filliucio *locis citatis*, & colligitur à simili ex *cap. etsi quæstiones, de Simonia.*

Quamobrem in præcipua quadam Italiæ vrbe ab Illustrissimo Archiepiscopo sancitum fuit, vt Moniales bis tantùm in anno donare valeant res, quæ tres Iulios singulis vicibus non excedant ; vbi verò legitimus superior quantitatem non definiuit, arbitror sustinendam secundam opinionem, præsertim in sententia eorum, qui asserunt pœnas istius constitutionis non incurri ante sententiam iudicis, saltem declaratoriam.

Ad rationem primæ sententiæ arbitror quantitatem ob cuius vsurpationem lethalis culpa incurritur, spectandam non esse penes ipsum religiosum præcisè ; sed potiùs penes monasterium, cuius bona vsurpantur, sicut quantitas furti non est metienda iuxta qualitatem furantis; sed iuxta qualitatem illius, cui res surripitur, & cùm personæ, quibus res surripiuntur, non semper graue damnum patiantur, sequitur non posse respectu omnium certam pecuniæ summam præscribi, & definiri; quantitas verò necessaria ad pœnas incurrendas, attendenda videtur, iuxta praxim iudiciorum, & tribunalium; in iudiciis autem, & tribunalibus graues pœnæ imponi non consueuerunt ob quantitatem, quæ duos, vel tres aureos non excedat, vt asserit secunda sententia, nisi fortè aliud sancitum sit à legitimo superiore, vt dictum est in tertia sententia. Quamobrem superiores magna vti debent circumspectione in hac re definienda, cùm graues pœnæ imponi non debeant, nisi ob graue delictum.

7 Vtrùm religiosus paulatim accipiens, seu aliis donans res leues, quæ simul sumptæ faciunt materiam notabilem, afficiatur pœnis huius constitutionis.

7 Quintò dubium est, vtrùm religiosus paulatim accipiens, seu aliis donans res leues, quæ simul sumptæ materiam notabilem constituunt, grauiter peccet, & pœnis istius constitutionis afficiatur.

Respondeo distinguendo, vel tradit de licentia superioris expressa, & in scriptis (requiritur enim licentia expressa, & in scriptis, dum religiosus aliquid religioso, vel alteri tradit, modò non tradat esculẽta, vel poculenta, seu aliquid ad deuotionem, vel religionem pertinens ; dum enim hæc traduntur, sufficit licentia superioris, & consensus Conuentus absque scriptura, vt patet ex dictis §. 1.) vel tradit sine hac licentia. Si tradit cum licentia expressa, & in scriptis, non peccat contra votum paupertatis vsurpatione rerum monasterij, cùm superior non sit inuitus ; neque peccat contra constitutionem Clementis VIII. cùm in ea rerum modicarum, seu minimarum largitio permittatur cum præfata licentia. Quod ego probabiliter limitandum censeo cum Sorbo *vers. hæc autem*, modò ista donatio non sit ferè quotidiana ; tunc enim huiusmodi donatio fieri videretur in fraudem legis prohibentis largitionem rerum non modicarum, & permittentis donationem rerum modicarum ; donatio autem quotidiana rerum modicarum, moraliter loquendo, censetur donatio magni momenti ; cùm multa modica tam frequenter donata moraliter coalescant, & notabilem materiam constituant. Si verò paulatim tradit modicam quantitatem absque præfata licentia, arbitror reum esse lethalis culpæ, atque pœnarum, dum peruenit ad eam quantitatem, quæ requiritur ad culpam, & ad pœnas Bullæ Clementis VIII. incurrendas, iuxta dicta *dub.* 3. & 4.

Aduertendum tamen censeo, maiorem quantitatem requiri, dum res modica paulatim cum valde notabili interpolatione accipitur, aut traditur absque debita facultate, quàm dum simul accipitur, vel traditur res ad mortale peccatum, & ad pœnas dictæ constitutionis sufficiens ; in hoc enim casu argumentari possumus sicut in furto ; in furtis autem notabiliter interpolatis maior quantitas requiritur ad mortalem culpam, quàm in vnico furto, aut quàm in multis absque notabili mora, & interuallo perpetratis. Ratio est, quia dominus est minus inuitus, & minus ægrè, & indignè fert, eamdem quantitatem sibi longo interuallo surripi, quàm simul, vel breui interuallo. Quamobrem aliqui Doctores exigunt rem duplo maiorem in furto notabiliter interpolato; furtum autem censetur notabiliter interpolatum, dum quis aliquot diebus vnius mensis res minimas furatus est, & post vnum, vel duos menses alias res minimas furatur. Ita Nauarrus *in manuali cap.* 17. *num.* 139. Lessius *lib.* 2. *de iustitia, cap.* 12. *dub.* 8. *num.* 46. Rebellus *de iustitia, part.* 1. *lib.* 3. *quæst.* 15. *sect.* 4. *num.* 37. Sanchez *in opere morali lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 10. vbi etiam addit tantam dari posse interpolationem, vt vnum furtum cum alio continuari non possit, vt si spatium vnius anni inter quodlibet furtum intercedat. Alioquin sequeretur puerum surripientem hoc anno paruam vuarum quantitatem ex vna vinea, & aliam paruam anno sequenti ex eadem vinea, & sic deinceps subsequentibus annis, peccare mortaliter, committendo modica furta, ita interpolata. Verùm quid ego sentiam, alibi explicaui. Vide tradita *de contractibus disput.* 2. *quæstion.* 8. *punct.* 2.

Obiicies contra dicta in responsione ad quintum dubium, religiosus paulatim accipiens res comestibiles, quæ seorsim sumptæ sunt materia leuis, sed simul sumptæ grauem materiam constituunt, non peccat mortaliter ; ergo neque peccat mortaliter, si res illas comestibiles, vel æquiualentes aliis tradat.

Respondeo cum Graffio 1. *part. decis. lib.* 3. *cap.* 5. *nu.* 51. Sanchez *in opere morali lib.* 7. *cap.* 21. *nu.* 31. religiosum paulatim accipientem leuia comestibilia ad suum vsum, non peccare mortaliter, etiamsi paulatim ad materiam notabilem perueniat; nam superior non ita videtur inuitus in acceptione comestibilium, sicut aliorum ; religiosi enim alendi sunt tamquam filij ex bonis monasterij ; sicut autem filij, vel etiam famuli non peccant mortaliter surripiendo leuia esculenta ad proprios vsus (etiamsi paulatim ad notabilem quantitatem perueniant) ita, &c. E contrario verò sicut famuli grauiter peccant accipiendo paulatim notabilem comestibilium quantitatem intentione vendendi, ludendi, aut aliis tradendi, vt cum Petro Nauarro, Sayro, & aliis tradidi *de restitutione disp.* 2. *quæst.* 10. *punct. vltim. ad finem*, ita etiam religiosus, cum par ratio videatur.

8 Vtrum donans res leues monasterij, quæ cũiunctæ cũ materia, quam aduertit vsurpari ab aliis religiosis, faciunt materiam grauem, grauiter peccet cõtra hanc Bullam.

8 Sextò dubium est, vtrùm religiosus vsurpans, seu aliis donans rem aliquam monasterij, quæ per se sumpta est leuis, sed coniuncta cum materia, quam animaduertit, ab aliis religiosis vsurpatam, aut aliis donatam fuisse, quantitatem notabilem constituit, grauiter peccet, & pœnas Bullæ Clementis VIII. incurrat.

Respondeo negatiuè, quoties ipse non consensit vsurpationi, seu donationi aliorum. Ratio est, tum quia ipse non est cooperatus formaliter ad vsurpationem rei notabilis, tum quia sequeretur furantem racemum vuarum ex vinea, aut pomum ex horto, grauiter peccare, cùm rationabiliter suspicari possit etiam alios huiusmodi leuia surripuisse : tum quia religiosus, sciens alios religiosos absque debita facultate vsurpasse, seu donasse duos, vel tres Iulios, infinitè grauius peccaret vsurpando sibi, seu alteri donando Iulium, quàm reliqui (suppono enim reliquos peccasse tantummodo venialiter; hic autem committeret mortale peccatum, quod infinitè grauius est peccato veniali ;) sed falsum est istum infinitè grauius peccare. Ergo etiam falsum videtur istum mortaliter peccasse, & pœnis constitutionis Clementis VIII. affici, vsurpando, seu aliis donando rem modicam, quam animaduertit materiam notabilem constituere cum materia ab aliis religiosis priùs vsurpata, vel sine debita facultate aliis donata. Ita Sotus 4. *de iustitia, quæst.* 7. *art.* 3. *colum.* 6. *vers. dubium autem*, Lessius *lib.* 2. *de iustitia, cap.* 12. *dub.* 9. *n.* 52. Sanchez *in opere morali, lib.* 7. *cap.* 21. *nu.* 22. & alij. Licèt P. Nauarrus, Rebellus, & alij, quos retuli *de contractibus, disput.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 2. *num.* 6. *& seqq.* oppositum in simili de furto sustineant.

9 Deturne casus, in quo impunè religiosus potest aliquid donare.

9 Septimò dubium est, vtrùm religiosi, posita constitutione Clementis VIII. & illius acceptatione, possint aliquando impunè largiri quantitatem excedentem summam, quam diximus necessariam esse ad lethalem culpam, & ad pœnas Bullæ Clementis VIII. incurrendas.

Respondeo aliquando impunè largiri posse. Primò ex causa remunerationis, iuxta dicta §. 3. Secundò si fiat de consensu, superiorum, ex causa, in congregatione, seu Capitulo generali approbata, & maturè discussa; tunc enim licita est donatio etiam non modicæ quantitatis, habita ratione diuitiarum religionis, & personæ, cui donatio facienda est, hic enim casus in Bulla absolutè exceptus fuit. Ita Sorbus *loco cit.* Filliucius *loco citato num.* 66. Tertiò si fiat ad redimendam vexationem, seu ex alia iusta causa, ad monasterij commodum, & vtilitatẽ, iudicio prudentis viri pertinẽte. Hęc enim non est liberalis datio, seu donatio, sed traditio ob causam, propter quã bona monasterij

non prodiguntur, sed potiùs congregantur, & augentur, vt quando aliquid donatur Aduocato, vel Procuratori, vt sedulam nauet operam in lite prosequenda, vel vt negotium monasterij felicem sortiatur exitum. Ita Sorbus *loco citato, vers. item alius casus est.*

Obseruandum tamen est, requiri licentiam superioris, ne religiosus contra paupertatis votum delinquat. Quis autem sit legitimus superior, à quo licentia in his casibus obtinenda sit, constabit ex dicendis *puncto sequenti.*

PVNCTVM VI.

Quas eleemosynas, aut donationes facere possint religiosi iure communi, seu præcisa Clementtis VIII. Bulla, aut vbi ea vsu recepta non fuit, vel quatenus recepta non fuit.

IN hoc puncto prius explicabo quid facere possit Prælatus religionis. Secundò quid facere possint religiosi Prælato subditi.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Prælatus religionis quas eleemosynas, & donationes facere possit de bonis religionis.

1 PRælatus religionis non solùm potest eleemosynas facere de superfluis, aut de non superfluis Conuentus; verùm etiam alias donationes pro ratione administrationis, ex causa, quam vir prudens sufficientem existimauerit: ratio est, quia Prælatus religionis est administrator bonorum religionis, seu monasterij, cuius est Prælatus. Ergo licitè potest bona religionis dispensare, & insumere, prout recta ratio dictabit. Ita Valentia 2. 2. *disput. 3. quæst. 9. punct. 5.* Nauarr. *comment. 2. de regul. num. 11.* Rodriquez *quæst. regul. tom. 2. quæst. 57. art. 2.* Ludouicus Molina *de iustitia & iure, disput. 267.* Sanchez *in opere morali lib. 7. cap. 19. n. 90.* Filliucius *tract. 34. cap. 3. quæsit. 1. & 2.* & alij.

2 Ad faciēdas tales donationes qualis cōsensus Capituli, vel Conuentus requiratur.

2 Hoc tamen intelligitur, modò aliud non ferat consuetudo, vel statuta religionis, seu Conuentus circa quantitatem, modum & dependentiam à maiori parte Capituli, vel à consensu nonnullorum ad hoc deputatorum; tunc enim seruanda est forma, & taxa, quoties ea præscripta fuit à legitimo superiore, cui Prælatus obedire teneatur. Ita Doctores citati. Quamobrem si cautum sit, vt Prælatus eleemosynam, vel donationem non faciat absque consensu Conuentus, seu Capituli, largiri non potest absque consensu Capituli, seu Conuentus. Existimo tamen non requiri consensum totius Conuentus, sed maioris tantùm partis, quoties bona Conuentus possidentur in communi collegialiter, & non sunt distribuenda particulariter secundùm aliquam quotam inter singulos religiosos; nam consensus maioris partis Capituli, seu Conuentus censetur consensus totius, *cap. cùm in cunctis, de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli.* Secus si bona inter singulos secundùm aliquam quotam particulariter distribuenda sint: tunc enim consensus omnium requiritur, iuxta vulgatam iuris regulam: Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.

Ex hac propositione sequitur, Prælatum posse pro ratione administrationis largitiones facere arbitrio prudentis viri, tam religiosis subditis, quàm externis, vt causa conseruandæ beneuolentiæ, vel in memoriam beneficiorum religioni collatorum, vel spe negotij vtiliter pro religione, seu monasterio gerendi.

3 Prælatus religionis an possit aliquid in ludos illicitos, aut in vanas causas expendere.

3 An autem Prælatus religionis possit aliquid in ludum illicitum, aut ad vanas, & superfluas causas expendere, constabit ex dicendis de religiosis subditis, non posse, quia Prælatus non est dominus bonorum monasterij, sed administrator; ius autem non præbet illi facultatem administrandi ad vsus vanos, & profanos. Ita Nauar. *comment. 2. de regul. num. 21.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 12. quæs. 1.* Sanchez *loco citato, num. 22.* & alij.

4 Nū possit aliquid testamento relinquere.

4 Addo Prælatum non posse quicquam testamento relinquere; quia Prælatus est administrator bonorum monasterij; administratio autem finitur morte administratoris.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Religiosus subditus nullas eleemosynas, vel donationes facere possit absque superioris licentia.

5 RElegiosus subditus non potest vllas eleemosynas, vel donationes facere absque superioris licentia. Ratio est, tum quia sic colligitur ex *cap. cùm ad monasterium, de statu monachorum, & cap. non dicatis 12. quæst. 1.* tum quia religiosi non habent bonorum dominium, vel administrationem, & paupertatis voto detinentur. Ita Nauarr. Molina, Sanchez, Filliucius, & alij *locis citatis.*

Dixi, *absque superioris licentia*, quia de licentia superioris hoc ei interdictum non videtur; præcisa Clementis VIII. Bulla, de qua in hoc puncto non agimus.

Sed modò nonnulla supersunt dubia explicanda.

Primò, quis sit superior, qui facultatem religioso subdito concedere valeat.

Secundò ad quamnam quantitatem superior concedere possit facultatem.

Tertiò, an superior concedere possit huiusmodi facultatem ex qualibet causa.

Quartò, an requiratur expressa licentia, vel sufficiat tacita.

Quintò, vtrùm religiosus, qui rem aliquam ex tacita licentia alienauit, vel accepit, teneatur id postea superiori significare.

Sextò, ad quid teneatur is, qui aliquid à religioso absque debita facultate accepit, & ad quid teneatur ipse religiosus, qui aliquid absque debita facultate donauit, seu alia ratione alienauit.

6 Quis superior possit hanc facultatem concedere.

6 Quæres igitur primò, quis sit superior, qui facultatem tacitam, vel expressam concedere valeat.

Respondeo præcisa constitutione Clementis VIII. hanc facultatem concedi posse, non solùm à Generali, aut Prouinciali, verùm etiam ab immediato monasterij superiore. Ratio est, quia hic est verus superior, veramque bonorum monasterij administrationem habet, vt suppono, consequenter potest religiosis in suo monasterio commorantibus dare facultatem alienandi eam bonorum quantitatem, quam ipse alienare potest.

Dixi, *religiosis commorantibus in suo monasterio*, vt exciperem hospites in aliquo monasterio existentes; superior enim immediatus monasterij non potest hospitibus facultatem donandi, seu distrahendi concedere; tum quia ipse non est Prælatus proprius religiosi hospitis, nisi fortè in aliqua religione peculiaris aliqua extet constitutio, in qua decernatur hospites subiici superiori illius Conuentus, sicut ceteros, vt in almæ Societatis Iesu Congregatione sancitum fuit, regula penultima, inter communes. Tum quia sicut Episcopus dispensare non potest cum eo, qui minore anni parte in sua diœcesi existit, aut qui intentionem non habet ibi manendi maiore anni parte, vt pluribus probaui de legibus *disp. 1. q. 1. puncto 6.* ita neque superior Conuentus præfatam facultatem concedere potest religioso hospiti, nisi maiore anni parte in eo Conuentu commoretur, vel intentionem habeat ibi commorandi maiore anni parte. Ita Sanchez *in opere morali lib. 7. cap. 19. num. 41.* Lopez *1. parte instruct. cap. 156. ad finem.*

7 Abbatissę an possint hanc facultatem concedere suis monialibus.

7 Hinc patet quid dicendum sit de Abbatissis respectu suarum Monialium; arbitror enim ipsas posse eamdem facultatem suis Monialibus concedere, quam potest immediatus religiosorum virorum Prælatus: nam Abbatissa est dispensatrix, & moderatrix bonorum monasterij. Ita Nauarr. *comment. 3. nu. 4. de regul.* & Cardinalis *consil. 17. nu. 5.* affirmantes Abbatissam, vel Priorissam esse administratricem bonorum, tam spiritualium, quàm temporalium monasterij Monialium, exceptis iis, quorum femina incapax est. Rodriquez *in summa cap. 90. num. 9. concl. 4.* Sanchez *loco citato, num. 44.* & alij.

Hoc tamen limitatur, modò Abbatissæ, vel Priorissæ facultas restricta, & limitata non fuerit ex consuetudine, aut constitutionibus illius religionis, aut ex præcepto superioris Prælati; nam Abbatissa, vel Priorissa non est absoluta domina, & superior; sed alios etiam superiores agnoscit, quibus subiicitur, & parere tenetur. Ita Sanchez *loco citato,* & alij.

8 Quam quantitatē expendendi possit superior religioso concedere, præcisa Bulla Clemētis VIII.

8 Quæres secundò, quam quantitatem expendendi possit immediatus monasterij superior facultatem religioso sibi subdito concedere, præcisa Bulla Clementis Octaui; omissis aliorum sententiis.

Respondeo, certam quantitatem præfigi non posse, sed iudicio prudentis viri definiendam esse, spectatis circumstantiis, scilicet causa largiendi, quantitate reddituum monasterij, & necessitate piæ causæ, in cuius commodum largitio facienda est. Hoc tamen intelligitur modò in religione taxata non sit quantitas, ad quam expendendam superior immediatus licentiam concedere potest; tunc enim taxa seruanda est. Ita Ludouicus Molina *tom. 2. de iust. disp. 276. vers. illud verò,* Azor. *1. par. lib. 12. cap. 12. quæsito 4.* Sanchez *loco cit. nu. 42.* & alij. Quamquam nonnulli arbitrantur superiorem immediatum, præcisa taxa posse licentiam subditis dare expendendi decem, vel quindecim aureos singulis annis, alij duos, vel tres aureos singulis mensibus. Sed quod ego dixi probabilius, & verius est.

9 Qualis causa requiratur in hac facultate cōcedenda.

9 Quæres tertiò, vtrum superior concedere possit religioso licentiam expendendi bona ex quauis causa.

Respondeo, non posse ex quauis causa, sed tantùm iusta ex causa; dispensator enim, seu administrator non potest bona, quæ administrat, pro suo libito distrahere, & insumere; sed tantùm ex iusta causa, seu iuxta rationabilem superioris voluntatem. Ita communiter Doctores. Quamobrem concedere non potest, vt religiosus donet amicis, vel cognatis diuitibus magnam rerum summam; potest tamen facultatem dare, vt aliquid conferat in remunerationem beneficiorum acceptorum, quia decet religiosos gratitudinem exercere, vel vt aliquid expendat in piis operibus, vt pro sacris faciēdis, vel pro nuptiis pauperum, vel ad proprios vsus decentes, & non superfluos, etiamsi fortè in ea religione extet constitutio, vt quod vnicuique religioso traditur, in vsum communitatis conuertatur. Nam in vsum communem impendi censetur, quod in vsum ipsius religiosi impenditur, cùm ipse religiosus sit potissima communitatis pars. Ita Nauar. *lib. 3. consil. de statu Monachorum consil. 3. nu. 33.* Sanchez *loco citato, nu. 36.* & Emanuel Sa *verb. religio num. 49.*

10 An possit religioso concedi licentia instituendi Capellaniā cum quadā limitatione.

10 Addunt Nauar. *comm. 2. num. 41. & 58. de regularibus*, Lopez *1. parte instruct. cap. 154. vers. penultimo, & lib. 2. de contractibus cap. 40.* concedi posse licentiam religioso instituendi Capellaniam, quoties religiosus multa attulit secum ad monasterium, seu multa comparauit monasterio arte sua, seu quoties extra monasterium degit, cum licentia conuertendi aliunde quæsita in proprios vsus. Ratio est, quia hoc pacto alij animosiores fient ad parcè viuendum, & ad similia bona acquirenda in vtilitatem piorum operum.

Sed hoc ego non facilè concesserim, quoties religiosus possidet bona dependenter à voluntate sui Prælati. Ratio est, quia huiusmodi facultas transcendere videtur religiosi statum, & vtilius est, regulariter loquendo, huiusmodi bona conuertere in vtilitatem monasterij, in quo multa sacrificia, & pia opera fieri consueuerunt, quàm in Capellaniam. Ita Molina *tom. 1. de iustitia disput. 140. vers. idem dicendum,* & Sanchez *in opere morali lib. 7. cap. 19. num. 102.* licèt sibi contrarius videatur *num. 37.*

11 Hæc licentia num sufficiat tacita, vel requiratur expressa.

11 Quæres quartò, vtrùm requiratur licentia expressa, an sufficiat tacita.

Respondeo, sufficere tacitam, exceptis religionibus, in quibus cautum est, ne aliquid accipiatur, vel expendatur absque expressa superioris licentia. Ratio est, tum quia non dicitur aliquid accipi, vel expendi sine licentia, dum superior tacitè consentit. Tum quia taciti, & expressi eadem est virtus, & conditio. *cap. 2. de rescriptis, & l. cùm quid. ff. de rebus creditis.* Ita Nauarr. *loco cit. num. 200.* Valentia *2. 2. disp. 10. q. 4. puncto 3.* Molina *disput. 276. ad finem,* Sanchez *loco citato nu. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 9. nu. 80.* Emanuel Sà *verb. eleemosyna. num. 12.* Azor. *1. part. lib. 12. cap. 12. quæsito 2. & seq.* & alij ferè communiter contra nonnullos alios.

Dixi, *exceptis religionibus, in quibus cautum est, ne aliquid accipitur, vel expendatur absque expressa superioris licentia*, quia tunc temporis nulla prorsus adest licentia, cum superior tacitam licentiam excludat, nec vlla ratione consentiat. Ita Rodriquez *in summa 2. parte cap. 31. num. 7.* Sanchez *loco citato num. 4.* & alij.

12 Roga-

12 Quando censeatur adesse tacita superioris licentia.

12 Rogabis primò, quandonam censeatur adesse tacita superioris licentia.

Respondeo tunc censeri adesse, quando experientia constat superiorem in huiusmodi casibus consueuisse licentiam libenter concedere, neque notabiliter ægrè ferre, vt licentia non petatur.

Obiicies primò, *in tractatu de Sacramentis* diximus non esse validum Pœnitentiæ Sacramentum administratum sub ratihabitione, seu ex præsumpta, & tacita superioris voluntate. Secundò legis obligatio non cessat ex eo, quod superior dispensaret, si dispensatio ab ipso peteretur; ergo neque voti paupertatis obligatio cessat ex eo, quòd superior facultatem concederet, si peteretur.

Respondeo ad vtramque obiectionem, non adeò rigorosè in hac materia agendum esse, sicut in iurisdictione, ad validam Sacramentorum administrationem requisita, & in dispensatione legum; in illis enim requiritur voluntas actualis, in hac sufficit voluntas tacita, qua posita non dicitur aliquid fieri inuito superiore, seu contra superioris voluntatem, vt in simili patet ex dictis de furto, in tractatu de restitutione.

13 Requiraturne licentia tacita de futuro, an de præsenti.

13 Obserua tamen licentiam tacitam, aliam esse de futuro, aliam de præsenti; sicut ratihabitio alia dicitur de futuro, alia de præsenti. Vt religiosus aliquid accipiens, vel expendens excusetur, non sufficit licentia, seu ratihabitio de futuro, alioquin regularis obseruantia euerteretur in iis rebus, quas superiores concedere solent petentibus; sed requiritur licentia tacita de præsenti, qua superior actu saltem virtuali velit hoc à subdito fieri. Ratio est, tum quia sicut vt obligatio legis cesset per Epicheiam, opus est, vt mens legislatoris in hoc casu sit non obligare. Ita, &c. Tum quia sicut non sufficienter colligitur aliquid dispositum à testatore, vel ab alio ex eo, quod perspicuè constet, ita disponendum fuisse à testatore, si animaduertisset; sed necesse est vt ex verbis dispositionis colligatur hanc fuisse disponentis mentem; voluntas enim mente retenta nihil operatur. Baldus *l. unica num. 10. in fine, C. de his qui ante apertas tabulas*, Menochius *de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 35. n. 20.* Mantica *de coniectur. vltim. volunt. lib. 3. titulo 16. n. 5. & 6.* Ita neque in nostro casu sufficere videtur voluntas de futuro; cùm hæc non arguat superiorem de præsenti non esse inuitum. Ita Sanchez *loco cit. n. 15.* & alij, quicquid alij sine distinctione loquentes in oppositum sentire videantur.

14 In quo casu excusetur religiosus à mortali, si aliquid expendat, aut donet non habens certitudinem huius licentiæ sibi concedendæ.

14 Rogabis secundò, vtrùm religiosus aliquid accipiens, vel expendens excusetur à mortali, quoties non habet certitudinem licentiæ, sibi à superiore concedendæ, si eam peteret, sed tantummodo dubitat, aut probabiliter credit superiorem eam concessurum.

Respondeo non excusari, si tantummodo dubitet. Ratio est, quia possessio stat pro voto, & iure superioris. Tum quia non licet operari cum conscientia practicè dubia. Tum quia superior, seu dominus in dubio præsumitur inuitus, *l. qui vas 49. ff. de furtis.* Ita Nauar. *in manuali cap. 17. num. 5.* Arragonius 2. 2. *quæst. 66. art. 3.* Clauis Regia *lib. 9. cap. 12. numer. 2.* & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 7. cap. 19. numer. 13.*

Si verò adsit probabilis cognitio licentiæ expressè concedendæ, si superior peteretur, excusatur. Ratio est, quia probabilis cognitio proueniens ex iusta causa credendi, æquiualet morali certitudini, & parit opinionem probabilem; qui autem cum morali certitudine, seu cum opinione probabili operatur, non imprudenter operatur; consequenter non peccat, vt pluribus docui in tractatu de peccatis. Idemque tradunt Nauarrus, Arragon. Clauis Reg. Sanchez, & alij, *locis citatis*, contra Molinam *tom. 2. de iustitia disput. 276. sub finem*, & alios.

15 Consuetudo religionis in qua tacita licentia sufficiat, excusat à mortali.

15 Ex dictis in hoc quæsito colligitur primò, religiosos accipientes, vel expendentes aliquid non petita expressa licentia, excusari, quoties in tali religione viget consuetudo illa accipiendi, vel expendendi absque expressa licentia. Ratio est, quia censetur adesse tacita voluntas, & licentia superioris, per consuetudinem explicata; superior enim contra consuetudinem non reclamat, sed eam permittit, vt suppono. Secus dicendum est, si reclamet contra consuetudinem: tunc enim non consentit, sed potiùs dissentit, nec consuetudo tollere potest obligationem iuris naturalis diuini, qualis est obligatio voti. Ita Graffius *secunda parte decision. lib. 3. cap. 9. numer. 4.* Sanchez & alij *loco citato.*

16 Religiosus absque expressa facultate accipiens, vel expendens aliquid ad subueniẽdum extremæ necessitati propriæ, vel alienæ, non peccat mortaliter.

16 Secundò religiosum absque expressa facultate accipientem, vel expendentem aliquid ad subueniendum extremæ necessitati propriæ, aut alienæ, non peccare mortaliter, quia superior censetur consentire, & consensum præstare debet. Ita Rodriquez *quæst. regul. tom. 2. quæst. 57. art. 2.* Nauar. *in manuali cap. 17. n. 105.* Sanchez *n. 96.* & alij communiter. Idem dic in graui necessitate, dum superior commodè adiri non potest. Ita præcitati DD.

17 Quid de religioso in clausto, vel extra clausum viuente, cui assignata sit certa quantitas ad suam sustentationem, an possit de illa disponere ad suum libitum.

17 Tertiò religiosum in clausto, vel extra clausum viuentem, cui certa quantitas ad suam sustentationem, hoc pacto datur, vt monasterium non teneatur amplius quicquam ei tribuere, sed eam suo commodo, & damno impendat absque obligatione reddendi rationem, posse in eleemosynas, & alios honestos vsus expẽdere id, quod de ea quantitate subtrahit parcè viuendo, aut quod occasione illius quantitatis, seu peculij acquirit; in hoc enim casu adest tacita licentia. Idem dic de religiosis extra monasterium cum debita facultate existentibus, seque proprio labore, & industria sustentantibus, nec quicquam à monasterio recipientibus. Ratio est, quia eo ipso, quòd religioso certa quantitas præscribitur, aut facultas alendi se sua opera, & industria datur, censetur etiam tacitè dari licentia expendendi in pios, vel honestos vsus id quod subtraxerit. Ita Nauar. *consil. 3. nu. 46. de statu Monachorum*, Arragon. 2. 2. *quæst. 32. artic. 8.* Valentia 2. 2. *disputatione 10. quæst. 4. puncto 3.* Sanchez *loco citato num. 100. & 101.* Molina *tom. 2. disput. 276.* Beia *relatus à me §. 1.* & alij contra Rodriquez *quæst. regul. tom. 3. quæst. 29. art. 10. conclus. 3.* & alios, arbitrantes hoc non procedere, dum religiosus in monasterio degit, assignata sibi certa quantitate, & summa. Sed quod ego dixi, probabilius est, modò statuto religionis, aut consuetudine, vel superioris præcepto aliud sancitum non sit. Si verò statutum, cõsuetudo, vel præceptum vetet hoc fieri, certum est fieri non posse, quia religiosus, excepto extremæ necessitatis casu, expendere non potest bona monasterij sine tacita, vel expressa superioris voluntate. Ita Lessius *lib. 2. cap. 18. dub. 11. num. 85.* Sanchez *loco citato num. 105.* Azor. 2. *part. lib. 12. ca. 10. quæsito 3.* & alij.

Ex quo patet religiosum, qui extra monasterium ex debita licentia existit, posse, præciso præcepto, vel consuetudine in contrarium, largiri in remunerationem obsequiorum, vel munerũ acceptorum; quia superior censetur tacitè consentire. Ita communiter DD. Imò nonnulli concedunt huiusmodi religiosum posse etiam aliquid donare consanguineis diuitibus, ratione gratitudinis debitæ ob consanguinitatem. Ita Ludouicus Lopez 1. *part. instruct. cap. 156. conclus. 6.* & Rodriquez *in summa part. 2. cap. 31. num. 5.* Sed hoc non facilè approbo, quia non adest iusta causa largiendi consanguineis diuitibus, præcisè ratione consanguinitatis; consequenter non censetur adesse tacita superioris licentia. Ita Sanchez *n. 98.*

18 Religiosus absens à monasterio causa studiorum, vel negotiorum, vel peregrinationis, potest eleemosynas, & donationes facere iuxta consuetudinem sui monasterij.

18 Quartò religiosum, qui à monasterio sustentatur in studiis, vel alibi causa negotiorum, aut peregrinationis, posse non solùm moderatas eleemosynas facere, iuxta Syluestrũ *verb. donatio 1. quæs. 1. vers. 5.* Tabienã *verb. donatio 1. quæs. 2. n. 3. casu 5.* & alios, vel potius quales regulariter faciunt alij eiusdem ordinis, & conditionis religiosi, ex Nauar. *in manual. c. 17. n. 105.* Rodriquez *in summa 2. part. c. 31. nu. 5.* Azorio 2. *par. lib. 12. c. 10. quæs. 3.* & Sanchez *loco cit. n. 99.* verùm etiam posse moderatam quantitatẽ causa honestæ recreationis, seu ludi expendere. Cùm enim vita nostra facilè transigi non possit sine aliqua oblectatione, Prælatus religionis, qui nõ est instar œconomi alicuius priuati domini; sed est veluti absolutus bonorum religionis administrator ad bona religionis in licitos, & honestos vsus expendenda, censetur tacitè consentire, vt religiosus, qui extra monasterium causa studij, peregrinationis, vel alterius negotij existit, moderatam quantitatem, exempli gratia, ad rationem quatuor, vel quinque pro centum singulis annis expendere valeat ad honestam sui oblectationem, seu ludum, modò tamen ludus sit licitus, seu modò ludus illi expresè non sit interdictus à suo superiore, aut constitutionibus suæ religionis; tunc enim non adest superioris consensus, non solùm expressus, verum neque tacitus. Ita Molina *tom. 2. disp. 520. sub initium*, Salonius 2. 2. *quæst. 61. tract. de dominio quæst. 5. art. 6. dub. penultim.* Sanchez *nu. 79.* & alij, quos retuli *de contractibus disp. 2. quæst. 3. puncto 1. num. 10.* contra Castrum *lib. 2. de leg. imperial. c. 2. corollar. 3.* & alios arbitrantes Prælatos religionum non posse ludere, aut ludendi licentiam concedere; consequenter eos, qui aliquid lucrantur à religioso, ad restitutionem obligari.

Dixi, *moderatam quantitatem*, vt aduerterem religiosum non posse magnam quantitatem ludo exponere, non solùm cum tacita, verùm neque cum expressa superioris voluntate. Ratio est, quia superior non potest bona religionis expendere, aut licentiam expendendi dare ad vsus turpes, & indecentes; turpe autem, ac indecens est religiosum magnam pecuniæ summam ludo exponere; consequenter acquirens magnam pecuniæ summam à religioso, obligatur ad restitutionem. Ita Petrus Ledesma 2. *parte summæ tract. 31. c. 1. post. 10. conclus.* & alij quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 7. c. 19. nu. 8.* contra Lessium *lib. 2. de iust. cap. 26. dub. 5. n. 36.* existimantem, religiosum posse validè magnam quantitatem ludo acquirere, vel perdere ex expressa superioris licentia, quia ludus est contractus onerosus, ex quo fieri potest, vt monasterium vtilitatem & lucrum percipiat. Verùm hæc ratio non conuincit. Quamuis enim ludus sit contractus onerosus, nihilominus turpis, & indecens est religioso, si in magna fiat quantitate, consequenter Prælati licentia ad huiusmodi ludum nõ prodest.

An autem religiosus magnam pecuniæ summam ludo acquirens, cùm ipse non posset nisi modicam perdere, teneatur ad restitutionem, constat ex dictis *de contractibus. disput. 2. q. 3. puncto 2. numer. 15. & seqq.*

19 Procuratores, & Cellarij possunt eleemosynas, & donationes facere iuxta quantitatem administrationis, & consuetudinem.

19 Quintò Procuratores, Cellarios, & his similes, posse eleemosynas, vel donationes facere iuxta quantitatem administrationis, & consuetudinem. Ratio est, quia superior conferendo officium, censetur etiam conferre facultatem exercendi ea, quæ à Procuratoribus in illa religione exerceri solent. Nauar. *comment. 2. de regularibus n. 11.* Molina *disp. 226.* Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 19. num. 94.* Azor. 2. *par. lib. 12. cap. 10. quæs. 3.* & alij. Ob id excusari solent Procuratores religionum munera largientes officialibus Principum, vel Prælatorum, quorum opera indigent.

20 Monachus furãs aliquid extraneo, potest restitutionẽ facere ex peculio, quod habet cum licentia disponẽdi, vt sibi placuerit.

20 Sextò Monachum furantem aliquid extraneo posse restitutionem facere ex peculio, quod habet cum licentia disponendi, vt sibi placuerit; nam Prælatus etiam in hoc casu, in quo religiosus licitè, & iustè insumit, consentire censetur. Ita Molina *tom. 1. disp. 140. vers. potiùs distinguerem*, & alij. Imò aliqui sentiunt Prælatum non posse impedire, quin religiosus ex illo peculio restituat damnum illatum extraneo. Sed oppositum probabilius est, quia religiosus non potest bona administrare, nisi dependenter à licentia Prælati. Ita Sanchez *loco cit. n. 113.*

21 Religiosus non peccat accipiendo, vel distrahendo aliquid superiore vidente, & non contradicente.

21 Septimò religiosum non peccare accipiendo, vel distrahendo aliquid, superiore vidente, & non contradicente, dum commodè potest contradicere, & prohibere. Ratio est, quia censetur consentire, & approbare: argumento *cap. consentire distinct. 83.* vbi dicitur, eum videri peccato consentire, qui tacet, dum resistere potest. Secus si superior tacet præ timore, aut verecundia, aut metu, etiam leui. Ratio est, tum quia tunc non censetur licentiam dare, seu approbare, sed tantummodo permittere; sola autem permissio superioris non excusat à peccato, sicut is à peccato non excusatur, quem Deus in peccata labi permittit. Tum quia sic colligitur ex *l. penultim. ff. de furtis.* Sicut enim non censetur furto consentire, qui præ verecundia tacet; ita, &c. Nauarrus *in manuali cap. 17. numero 5.* Syluester, Angelus, Tabiena, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 7. ca. 19. n. 12.*

22 Excusatur à mor.

22 Octauò excusari à mortali religiosum accipientem, vel expen-

tali religioſus accipiens, vel expendens aliquid ex tacita voluntate ſuperioris, qui licentiam daret, ſi peteretur, etiamſi illi diſpliceat modus accipiendi.

dentem aliquid ex tacita voluntate ſuperioris, qui licentiam concederet, ſi peteretur, etiamſi ei diſpliceat modus accipiendi, vel expendendi; nam ſuperior non eſt inuitus quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum tantùm, vt ſuppono.

Hoc tamen intelligitur, modò accipiatur ad eum vſum, ad quem ſuperior licentiam concederet; nam ſi ad alium vſum accipiatur, religioſus à mortali peccato non excuſatur. Ratio eſt, tum quia ſuperior non ſolùm cenſetur inuitus quoad modum, verùm etiam, quoad ſubſtantiam. Tum quia licentia ad vnum, non extenditur ad aliud, ſicut licentia accipiendi librum, nõ extenditur ad alienandum illum, & licentia religioſo conceſſa conuertendi quæſita in proprios vſus, reſtringitur ad ea, quæ religioſus lucrifecit arte, opera, & induſtria ſua, non verò ad quæſita per donationem, legatum, ſeu ſucceſſionem, *l. coiri, cum. 4. ſequentibus. ff. pro ſocio,* Ita Nauarrus *in manuali cap. 17. n. 139. & comment. 2. de regular. num. 20. & 40.* Leſſius *lib. 2. ca. 12. dub. 8. n. 50. & cap. 41. dub. 9. n. 80.* Rodriquez *q. regul. tom. 3. q. 29. art. 10. &* 11. Sanchez *numer. 6. &* 13. & alij, quamuis Rebellus *1. part. lib. 3. q. 15. ſect. 3. n. 14.* in hac limitatione diſſentiat.

23 Religioſus excuſatur dando paruas eleemoſynas, vt fragmenta panis, &c.

23 Nonò religioſum excuſari largiendo paruas eleemoſynas, quæ pauperibus ſtipem oſtiatim quærentibus dari conſueuerunt, vt ſunt fragmenta panis, quæ ex menſa religioſorum ſuperfuerunt. Nam ſuperior præſumitur conſentire, niſi oppoſitum conſtet de ipſius voluntate. Ita Graffius *1. par. deciſ. lib. 3. cap. 5. n. 62.* Arragonius *2. 2. quæſt. 32. art. 8. verſ. ex quo ſequitur,* & alij contra Sanchez *in opere morali lib. 7. c. 19. n. 103.*

24 Religioſus emens grana benedicta, ſcuticas, & his ſimilia de licentia ſuperioris, non peccat ea diſtribuendo ſine noua licentia.

24 Decimò religioſum, qui ex licentia emit aliquid, vt ſcuticas, grana benedicta, coronas, imagines, & ſimilia, quæ à ſuperiore ſciebantur emi ad diſtribuendum aliis, non peccare ea diſtribuendo quibuſcumque abſque noua licentia, quæ prior licentia tacitè continet poſteriorem. Ita Sanchez *n. 70.*

25 Religioſus non excuſatur, ſi rem acceperit, vel expenderit cum licentia per dolum obtenta.

25 Vndecimò religioſum non excuſari, ſi rem accepit, vel expendit cum licentia per dolum obtenta. Ratio eſt, quia non excuſatur ob licentiam expreſſam, cùm illa irrita ſit, neque ob tacitam, quia Prælatus ita eſt affectus, vt ſi dolum cognouiſſet, licentiam non conceſſiſſet. Suppono enim dolum, cauſam conceſſioni dediſſe, ita vt conceſſio, ſublato dolo, facta non fuiſſet, iuxta dicta de legibus, de contractibus, & de matrimonio. Ita Nauar. *comment. 2. nu.* 21. & alij. Idem dicendum cenſeo, dum ſuperior coactè licentiam concedit, vt ſi concedat eo quòd ſubditus, ſuperiore non permittente, in quærelas, & detractiones prolabatur. Hæc enim non eſt licentia, ſed potius permiſſio coacta ad maiora mala præcauenda. Ita Rodriquez *tom. 3. q. 29. art. 12.* Sanchez *loco cit. numer. 18.* Petrus Nauar. *lib. 3. cap. 1. part. 3. dub. 1. n. 161.* & alij. Idem militat, dum licentia importunis precibus petitur, eamque ſuperior concedit, vt importunitatem à ſe repellat, alias non conceſſurus, in hoc enim caſu cenſetur potius inuitus, quam conſentiens, & voluntarius, vt patet ex dictis de matrimonio, & de contractibus.

26 Religioſus expendens aliquid in profanos vſus, non poteſt prætextu tacitæ licentiæ excuſari.

26 Duodecimò religioſum expendentem aliquid in profanos vſus, non poſſe prętextu tacitę licentiæ excuſari. Ratio eſt, quia ſuperior non præſumitur tacitè conſentire, quoties expreſsè conſentire non poteſt; non poteſt autem expreſsè conſentire, vt religioſus quicquam in profanos vſus expendat, cùm Prælatus non ſit dominus bonorum monaſterij, ſed adminiſtrator, nec quicquam ſibi proprium efficere valeat, impediente id voto paupertatis; neque ius dat illi facultatem adminiſtrandi bona monaſterij ad vanos, & profanos vſus, ſed tantummodo ad licitos, & honeſtos.

Addo, neque Prælatum ſimul cum Conuentu poſſe hanc facultatem concedere. Quamuis enim Conuentus dominium eorum bonorum habeat, nihilominus hoc dominium non eſt liberum, ſed reſtrictum, & limitatum, ob paupertatis votum, & Eccleſiæ conſtitutiones, vt colligitur ex Tridentino *ſeſſ. 25. c. 2. de regular.*

Ex quo patet, ſuperiorem nõ poſſe validè facultatem dare expendendi bona monaſterij vanè, & illicitè; conſequenter religioſum ſubditum, qui aliquid ex tacita, vel expreſſa voluntate ſuperioris in profanos vſus expendit, grauiter peccare, niſi paruitas materiæ, aut valoris vſus, ad quem res conceditur, à mortali excuſet.

27 Peccat vitio proprietatis contrectãs bona monaſterij ſine licẽtia.

27 Imò nonnulli Doctores putant huiuſmodi religioſum peccare vitio proprietatis contra votum paupertatis, cùm bona monaſterij contrectet abſque licentia; nam licentia inualida non eſt licentia; non tamen incurrit pœnas contra proprietarios impoſitas; quia iſtæ impoſitæ fuerunt contra religioſos, peculium tenentes abſque vlla prorſus licentia; ob id neque ipſe ſuperior ſubiiceretur pœnis proprietatis, vanè expendendo bona monaſterij. Quia ſicut licentia ab ipſo conceſſa eximit ab huiuſmodi pœnis religioſum ſubditum, cui licentiam conceſſit, ita etiam exemptus erit ipſe ſuperior, cùm non ſit deterioris conditionis ſubditis; & ipſe vti valeat eadem licentia, quam ſubditis concedere poteſt. Ita Nauar. *comment. 2. de regular. n. 21.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 79. &* 83. Graffius *1. parte lib. 3. c. 5. n. 48. &* 61. Azor. *1. part. lib. 12. cap. 12. quæſito 7.* Sanchez *loco citato numer. 25.* & alij.

Hinc vlteriùs patet religioſum reum eſſe violationis voti paupertatis, & iuſtitiæ expendendo monaſterij bona in vſus turpes, & inhoneſtos, vt in meretrices, &c. etiamſi fortè facultatem generalem à Prælato haberet expendendi, vt ſibi viſum fuerit. Ratio eſt, quia licentia concedi non poteſt ad turpia. Ergo licentia generalis non extenditur ad turpia, cum in generali conceſſione non veniant ea, quæ non concederentur, ſi in particulari propoſita fuiſſent. *reg. in generali 81. de regul. iur. in 6.*

Ex quo fit, vt recipiens aliquid à religioſo ad turpes vſus, obligetur ad reſtitutionem; cùm accipiat ab eo, qui diſponendi facultatem ad eos vſus non habet. Ita Nauar. *comment. 2. num. 21. de regular.* Rodriquez *quæſt. regul. 2. par. quæſt. 125. art. 2.* Molina *diſp. 276. verſicul. religioſus, & diſp. 520. ſub initium.* Azor. *tom. 1. lib. 12. c. 12. quæſ. 5.* Sanchez *lib. 7. cap. 19. num. 30. & ſeqq.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 8. num. 73.* Petrus Nauarrus *lib. 3. de reſtitutione p. 3. cap. 1. dub. 1. num. 168. & ſeq. & num. 183.* Filliucius *tract. 34. cap. 3. quæſ. 2. num. 54.* & alij, quos referam *dub. 4.* contra Rebellum *2. part. lib. 52. quæſt. 4. ſect. 2. num. 6.* exiſtimantem, religioſum alienantem per ludos vetitos, aliosque illicitos vſus ea, quæ ad honeſtam recreationem à Prælato conceſſa ſunt, excuſandum quidem à peccato non eſſe; eos tamen, qui ab illo talia lucrati ſunt, à reſtitutione immunes eſſe. Sicut etiam excuſantur filij, & minores, ſeruata proportione, & contra Bannem *2. 2. quæſt. 62. art. 5. dub. 5. verſ. aduertendum eſt,* & alios arbitrantes, religioſum habentem facultatem expendendi aliqua in quem ipſe voluerit vſum, non peccare contra iuſtitiam, in turpes vſus expendendo, nec meretricem ab eo accipientem teneri ad reſtitutionem. Sed quod ego dixi ſuſtinendum cenſeo. Vide dicenda *dub. 4.*

Hoc tamen intelligendum, & limitandum eſt primò, niſi fortè ſæcularis dederit pecuniam religioſo, non ſibi retinendam, ſed vt tradat meretrici, vel vt alia ratione turpiter inſumat; in hoc enim caſu religioſus non peccat contra paupertatis votum, aut contra iuſtitiam, nec meretrix tenetur ad reſtitutionem, cùm illa pecunia nec religioſo, nec monaſterio acquiſita ſit, ſed meretrici, quæ non à religioſo, ſed ab ipſo ſæculari cenſetur recipere, & religioſus eſt tantummodo executor. Ita Sanchez *loco cit. n. 35.* & alij.

Secundò limitandum eſt, niſi bonorum adminiſtrationem habeat independenter à monaſterio, & à Prælato; tunc enim recipiens à religioſo non tenetur ad reſtitutionem, cùm non accipiat bona monaſterij, nec ab eo, qui non habeat liberam in hac parte illorum bonorum adminiſtrationem. Ita Molina *diſp. 520. initio,* Sanchez *nu. 33.* & alij, quos retuli *§. 2. num. 2.*

28 Religioſus, qui ex præſumpta voluntate rem monaſterij alienauit, vel accepit, an teneatur poſtea id ſuperiori ſignificare.

28 Quæres quintò, vtrùm religioſus, qui ex tacita, & præſumpta voluntate rem monaſterij alienauit, vel accepit, teneatur id poſtea ſuperiori ſignificare.

Reſpondeo, ſi res accepta iam conſumpta, aut alienata eſt, ita vt ſuperiori non competat ius illam amplius reuocandi, religioſus non tenetur id ſuperiori ſignificare. Ratio eſt, quia cùm res non ſubiiciatur amplius imperio Prælati, nec ſit amplius in poteſtate religioſi, non tenetur religioſus ex voto paupertatis, aut ex iuſtitia hoc Prælato manifeſtare.

Addo neque teneri, regulariter loquendo, admonere ſuperiorem de acceptione rei extantis apud ipſum religioſum, quoties ſuperior rationabiliter præſumitur tacitè cõſenſiſſe acceptioni ad eum finem, nam ſi licuit eam accipere, multò magis licebit retinere ad eum finem, ad quem ſuperior præſumitur in acceptione conſenſiſſe. Ita Nauar. *comment. 2. n. 20. de regul.* Graffius *1. part. deciſion. lib. 3. ca. 5. nu. 54.* Sanchez *lib. 7. c. 19. n. 9.* & alij.

Dixi, *regulariter loquendo,* vt exciperem caſum, quando res adhuc ſubiicitur ſuperiori, & ſuperior non fuit admonitus, eo quod adiri commodè non poſſet, dum res fuit accepta: nam data poſtea opportunitate admonendus eſt, quia præſumitur ſolùm tacitè conſenſiſſe acceptioni, & retentioni, quatenus ipſe ſuperior adiri non poterat, conſequenter ceſſante difficultate adeundi ſuperiorem, tenebitur religioſus eum adire, alioquin dicetur rem inuito ſuperiore retinere.

29 Accipiẽs aliquid à religioſo non habẽte facultatem illud diſtrahendi, an teneatur ad reſtitutionẽ.

29 Quæres ſextò, vtrùm, qui aliquid accepit à religioſo non habente tacitam, vel expreſſam facultatem diſtrahendi ad illum vſum, teneatur ad reſtitutionem.

Reſpondeo teneri. Ratio eſt, quia ſicut religioſus iniuſtè dedit, ita recipiens iniuſtè recepit; & ſicut religioſus non potuit diſtrahere, ita neque accipiens potuit dominium acquirere; dominium enim comparatur accipiendo rem ab eo, qui eam alienare poteſt. Idem valet, dum aliquid accipitur à ſuperiore ad turpes vſus; militat enim eadem ratio.

Hoc tamen limitatur primò, modò res extet, aut ſi non extat, mala fide accepta ſit; nam ſi res extat, ſemper pro domino, aut illius adminiſtratore clamat, vt patet ex regulis generalibus: ſi vero res non extat, & bona fide accepta fuit, recipiens non tenetur ad reſtitutionem, niſi quatenus factus eſt locupletior; quia poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ad reſtitutionem, niſi quatenus ditior effectus eſt, vt patet ex dictis de reſtitutione.

Secundò limita iuxta dicta *illatione duodecima, ad finem, in duplici limitatione, n. 27.* tunc enim non dicitur aliquid acceptum à non habente facultatem diſtrahendi.

30 Cuinã facienda ſit talis reſtitutio.

30 Sed modò difficultas eſt primò, cuinam reſtitutionem facere teneatur, qui aliquid accipit à religioſo, non habente tacitam vel expreſſam diſtrahendi facultatem.

Reſpondeo primò, reſtitutionem faciendam eſſe monaſterio, quia monaſterio competit dominium, & legitima bonorum illorum adminiſtratio. Et hoc militat, etiamſi illa bona data fuiſſent Monacho hac conditione, ne monaſterium intromittat ſe in illa bona. Quamuis enim monaſterium in illo caſu fieri non poſſit dominus illorum bonorum, habet tamen liberum vſum, & adminiſtrationem, quæ religioſo competebat, quia quicquid Monachus acquirit, monaſterio acquirit. Ita Molina *tomo 1. de iuſt. diſp. 94. verſ. ſed quid ſi fornicaria, & diſp. 140.* Rodriquez *quæſt. regular. tom. 2. quæſt. 125. art. 2.* Sanchez *numer. 109.* & alij.

Hoc tamen limitatur primò, niſi monaſterium, ſeu monaſterij ſuperior iuſta de cauſa condonet reſtitutionẽ, quoties poteſt de huiuſmodi bonis diſponere: nam condonatio æquiualet reſtitutioni. Huiuſmodi autem cauſa condonandi poteſt eſſe aliquando paupertas debitoris, aut periculum infamiæ religioſi, ſi monaſterio fiat reſtitutio. Ita Molina *diſp. 94. citata,* loquens de reſtitutione facienda à muliere fornicaria, ob accepta à religioſo ob turpem effectum.

Secundò limitatur, niſi reſtitutio fiat ipſi religioſo, iuxta dicenda in dubio proximè ſequenti *num. 31.*

Tertiò limitatur, niſi adſit alia cauſa excuſans à reſtitutione, iuxta regulas generales traditas *de reſtitutione.*

31 An ſatis ſit facere reſtitutionem ipſi religioſo.

31 Rogabis, vtrum recipiens a religioſo non habente facultatem alienandi ad illum vſum, ſatisfaciat oneri reſtitutionis, reſtituendo ipſi religioſo.

Reſ-

Respondeo affirmatiuè, quia rem in priori statu constituit, nec superior præsumitur dissentire. Ita DD. statim citandi.

Hoc tamen intelligitur primò, nisi is, qui recepit, credat religiosum malè iterum expensurum; tunc enim recipiens tenetur monasterio restituere, quia superior non præsumitur permittere religioso administrationem bonorum ad vanos, & illicitos vsus.

Secundò intelligitur, modò religiosus semotus non sit ab administratione illorum bonorum; nam si semotus sit, non potest illi tradi; cùm res domino, seu vero administratori restituenda sit. Ita Ludouicus Molina *de contractibus disp.* 520. *n.* 1. Sanchez *in opere morali lib.* 7. *c.* 19. *n.* 110. & Rebellus 1. *part. lib.* 2. *q.* 11. *sect.* 2. *n.* 9. & alij.

Tertiò intelligitur, nisi res in contractu accepta fuerit à religioso mediante facto superioris; res enim accepta mediante facto superioris, tradi non potest religioso absque superioris consensu, *l. eum, qui ita stipulatur. 56. §. qui sibi. ff. de verb. oblig.* Si verò accepta fuit absque facto superioris, vt si quis pecuniâ mutuo, aut deposito accepit à religioso, nullo inito contractu cum Prælato religiosi, debitor satisfacit restituendo religioso. Ita Bartolus, Baldus, Salicetus, & alij, quos citat, & sequitur Rodriquez *quæst. regul. tom.* 3. *quæst.* 26. *art.* 3. Quamuis Sanchez *loco cit. num.* 111. existimat hanc doctrinam valere solum pro foro externo.

32 Ad quid teneatur religiosus, qui bona monasterij expendit in alienos vsus sine licentia superioris.

32 Secunda difficultas est, ad quid teneatur religiosus, qui monasterij bona profanè expendit, seu insumpsit ad eos vsus, ad quos licentiam non habebat.

Respondeo debere admonere recipientem, vt restituat, si ex admonitione fructum sperat, nec grauis damni periculum timet. Ratio est, quia curare tenetur quantum potest absque suo notabili incommodo, ne monasterium damnum patiatur, suoque iure priuatum remaneat. Si verò recipiens restituere nolit, aut nō possit, tenetur ipsemet religiosus ex redditibus, seu supellectili (si redditus, aut aliam supellectilem habet ex debita licentia superioris) restitutionem monasterio facere. Ratio est, quia ex iustitia curare tenetur quantum potest, vt monasterio damnum resarciatur. Si ergo alia ratione huiusmodi damnum resarcire nequeat, tenetur hoc pacto resarcire, restituereque monasterio redditus, quos ex debita licentia possidet; nam causa iniusta damni tenetur ex iustitia ad illius restitutionem. Et quamuis religiosus illorum reddituum, aut supellectilis dominium, & proprietatem non habeat, nihilominus habet vsumfructum, quem à se abdicare potest, & tenetur vt obligationi satisfaciat, & monasterium seruet indemne. Ita Nauar. *cap.* 3. *n.* 5. *de statu monachorum*, Rodriquez *in summa* 2. *part. c.* 31. *num.* 7. Sanchez *numer.* 112. Petrus Nauarrus, Clauis Regia, & alij, quos retuli *de restitutione disput.* 2. *q.* 10. *punct.* 3.

Hæc tamen intelligenda sunt, modò religiosus ex illorum bonorum distractione damnum intulerit monasterio; nam restitutio ex delicto facienda est, vt damnum illatum resarciatur. Quamobrem si monasterium ex illa distractione non patitur damnum, religiosus non tenetur ad restitutionem. Vt si religiosus pecuniam habebat ex legitima superioris licentia conuertendam, in quos ipse vellet honestos vsus; ipse autem religiosus, si profanè, & illicitè non expendisset, eam consumpsisset, & conuertisset in vsus, ex quibus monasterium nullum erat percepturum fructum; neque ex eo, quòd illam pecuniam in profanos vsus conuertit, plus expendit ex aliis monasterij bonis, quàm alioquin expendisset, si pecuniam illam profanè non expendisset, vt suppono: cùm enim monasterium in hoc casu non censeatur læsum, religioso non incumbit onus restituendi.

33 Ex dictis in solutione istius secundæ difficultatis colligitur quid dicendum sit de religioso, cui onus impositum fuerat conseruandi bona monasterij, aut cui aliquorum bonorum monasterij vsus concessus fuerat; ipse autem debitam in iis conseruandis curam non adhibuit; hunc enim ad restitutionem modo prædicto obligandum censeo, si ex lata ipsius culpa res pereat, surripiatur, vel deterior fiat. Cùm enim ipse non sit dominus rei, non potest eam prodigere, aut pro suo libito distrahere, sed eam debet conseruare, & ad eum solum vsum adhibere, ad quem illam accepit, alioquin paupertatis votum, & iustitiæ virtutem offendit. Et sicut ad restitutionem obligaretur, si rem illam dolo destrueret, aut deteriorē redderet, ita etiam si ex culpa ipsius lata pereat, vel deterior fiat, cùm hæc ad eamdem speciem pertineant, & culpa lata dolo æquiparetur, vt benè argumentatur Leonardus Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 9. *numer.* 79. *versic. decimò tenetur.*

33 Quid de religioso, cui onus impositum fuerat cōseruandi bona monasterij, aut aliquorum vsus concessus fuerat, ipse autem in iis conseruandis debitam curam non adhibuit.

34 Rogabis, vtrùm religiosus, cui superior rem monasterij in proprium vsum, & commodum concessit, teneatur non solum de lata, verùm etiam de leui culpa, re pereunte, vel deteriore effecta, seu surrepta. Ratio dubitandi est, quia commodatarius non solum tenetur de lata, verùm etiam de leui culpa, *l. in rebus, vers. hoc itaque. ff. commodati, & cap. vnico, de commodato*, is dicitur latam culpam committere, qui eam non adhibet diligentiam, quam homines diligentes adhibere solent; is verò leuem culpam admittit, qui eam non præstat diligentiam, quam diligentiores præstare consueuerunt, vt explicaui *de contractibus.*

34 De quali culpa teneatur religiosus, num de leui, aut de lata, cui superior aliquid in proprium vsum concessit, si illud propria culpa pereat, vel deterius fiat.

His non obstantibus, respondeo teneri solum de lata; quia religiosus non ita seuerè obligatur, sicut extranei, nam res illa iam acquisita erat monasterio, cuius potissima pars est ipse religiosus. Ita Lessius *loco cit.* & Sanchez *lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 115.

35 Tertia difficultas est, vtrùm religiosus, qui monasterio aliquid debebat ante religionis ingressum, eximatur à debito, faciendo professionem in religione.

35 Religiosus debitor alicuius rei monasterio an eximatur à tali debito per sequētem professionem, cum illam deberet ante religionis ingressum.

Respondeo negatiuè, quia oblatio personæ per professionem non est satisfactio realis, & pecuniaria; debitum autem reale tollitur reali, & pecuniaria satisfactione, vel eius remissione. Non potest tamen pro eo debito conueniri, tum quia est ciuiliter mortuus; tum quia sic habetur *l.* 2. *ff. de capitis diminutione.* Ita Baldus *in dicta l.* & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *n.* 114.

Existimo tamen præfatum religiosum à præfato debito liberari, si monasterium aliqua bona ratione ipsius religiosi ante, vel post professionem acquisiuit hereditate, donatione, vel industria religiosi. Ratio est, tum quia monasterium non succedit in bona religiosi, nisi detractis debitis; bona enim alicuius ea dicuntur, quæ supersunt, deducto ære alieno. *l. mulier bona, ff. de iur. dot.* tum quia illud axioma, quicquid acquirit religiosus, acquirit suo monasterio, intelligitur, & limitatur, nisi religiosus ære alieno grauatus admissus sit ad professionem; professio enim non tollit iura creditorum, consequenter quicquid arte, industria, hereditate, vel donatione religiosus professus ære grauatus acquirit, non monasterio, sed creditoribus acquirit; consequenter monasterium tenetur creditoribus satisfacere; sicut etiam, si religiosus ante professionem aliquid ex suis bonis ad causas pias disposuit, aut bona alienari prohibuit, monasterium non potest hanc dispositionem immutare, sed eam seruare tenetur, cùm illa dispositio facta esset tempore habili, & valida esset. Ita Molina *disp.* 140. Azor. 1. *parte lib.* 12. *cap.* 10. *quæst.* 8. Sanchez *loco cit. num.* 114. *& cap.* 31. *num.* 4. & alij.

TRA-

TRACTATIO,

SEV

DISPVTATIO QVARTA

De obligatione beneficiariorum circa beneficiorum fructus, & prouentus in pios vſus expendendos.

QVatuor principaliter explicanda propono in hac diſputatione. Primò, vtrùm beneficiarius dominium habeat fructuum, & prouentuum. Secundò, vtrùm beneficiarius poſſit beneficij fructus ad libitum erogare, vel potiùs in eleemoſynas, ac pios vſus expendere teneatur. Tertiò, vtrùm beneficiarius poſſit de beneficij fructibus teſtari, & ad quos fructus heres beneficiarij ius acquirat. Quartò, vtrùm beneficiarius, quos beneficij fructus in profanos vſus expendit, ad reſtitutionẽ teneatur.

PVNCTVM I.

Vtrùm beneficiarius dominium habeat fructuum, & prouentuum.

1 Bona beneficiariorum ſunt, aut patrimonialia, aut quaſi patrimonialia, aut merè Eccleſiaſtica.

1 PRæmittendum eſt primò, beneficiariorum bona, aut eſſe patrimonialia, aut quaſi patrimonialia, aut merè Eccleſiaſtica.

Patrimonialia dicuntur quæ beneficiarius acquiſiuit donatione, labore, hereditate, aut alia ſimili ratione, qua laici ſolent ea ſibi comparare.

Quaſi patrimonialia dicuntur, quæ Clericus recipit tamquam Clericus, ſed non habita ratione beneficij, vt concionando, Miſſam celebrando, funus ducendo, &c.

Merè Eccleſiaſtica dicuntur ea, quæ beneficiarius titulo beneficij acquirit, vt ſunt primitiæ, decimæ, redditus, & fructus beneficij, quos beneficiarius titulo Capellaniæ, vel Canonicatus, vel Præpoſituræ lucratur. [Ita communiter Doctores.]

2 Dominiũ eſt facultas diſponendi ad ſuum libitum ſuo nomine de re aliqua, modo lege nõ prohibeatur.

2 Præmittendum eſt ſecundò, nomine dominij intelligi ius, & facultatem diſponendi ad ſuum libitum ſuo nomine de re aliqua, modò lege non prohibeatur. Ita ferè communiter Doctores, teſte Vaſquez *controuerſ.illuſtr.lib.1.cap.17.numer.6*. His poſitis explicandum eſt, vtrùm beneficiarius horum omnium bonorum dominium habeat.

PRIMA PROPOSITIO.

3 Beneficiarius dominium habet bonorũ patrimonialium.

3 BEneficiarius dominium habet bonorũ patrimonialium. Ratio eſt, tum quia ipſe non eſt deterioris conditionis laicis; ſicut ergo laici dominium bonorum patrimonialium habent, & de illis ad ſuum libitum diſponere poſſunt, ita etiam beneficiarius. Tum quia beneficiarius nulla lege priuatur hoc dominio. Ita communiter Doctores.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Beneficiarius dominium habet abſolutum bonorum quaſi patrimonialium.

4 BEneficiarius dominium habet abſolutum bonorum quaſi patrimonialiũ. Ratio eſt, tum quia beneficiarius habet dominium eorum bonorum, quæ accipit in ſtipendium, & mercedem laboris à ſe præſtiti; ſed beneficiarius accipit bona quaſi patrimonialia, tamquam ſtipendium, & mercedem laboris exhibiti: ergo eſt dominus bonorum quaſi patrimonialium. Tum quia nullo iure probatur ipſum huiuſmodi bonorum dominio carere. Tum quia domini tradentes huiuſmodi bona beneficiario, non hoc onere, & conditione tradunt, vt in pios vſus conuertantur, ſed liberam ei relinquunt adminiſtrationem, & diſponendi facultatem. Ita Couar. *cap. cùm in officiis, de teſtamen. num.* 4. Reginald. *lib.* 30. *num.* 74. 80. *& ſeq.* Vaſquez *de reddit. cap.* 1. §. 2. Molfeſius *in ſum. cap.* 10. *tract. 6. num.* 42. Nauar. *de reddit. Eccleſiaſt. monit.* 19. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. Azor. 2. *parte lib.* 7. *cap.* 9. *quæſito* 10. Moneta *de diſtribut.* 3. *parte quæſt.* 1. *num.* 21. Molina *tom.* 1. *de iuſt. & iur. tract.* 2. *diſp.* 142. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 3.] & alij communiter.

TERTIA PROPOSITIO.

5 Beneficiarius dominium habet fructuum, & prouentuum beneficij.

5 BEneficiarius dominium habet fructuum, & prouentuum beneficij. Ratio eſt, tum quia *cap. vnico, de Clerico non reſidente*, habetur, Clericos, qui non interſunt diuinis Officiis, non eſſe dominos quotidianarum diſtributionum, nec eas facere ſuas; ſed ad illarum reſtitutionem teneri, niſi excuſentur rationabili neceſſitate. Ergo in eo cap. ſupponitur Clericos, qui diuinis Officiis interſunt, dominos diſtributionum fieri. Si ergo domini diſtributionum fiunt, cur non etiam fient domini aliorum fructuum, & prouẽtuum beneficij, cùm omnes à beneficiis vtplurimum proueniant? Tum quia in Tridentino *ſeſſ.* 2. *ca.* 1. *de reformatione*, habetur Epiſcopum, vel Patriarcham, aut Canonicum, qui vltra certum tempus abſque vrgenti neceſſitate in ſua Eccleſia non reſidet, non facere fructus ſuos. Ergo Tridentinum ſupponere videtur, prædictos beneficiarios efficere fructus ſuos, dum reſident. Idem colligitur ex eodem Concilio *ſeſſ.* 24. *ca.* 12. *verſ. Præterea*, ibi, *quos ratione etiam præbendæ, ac reſidentiæ fecit ſuos.* Præterea ex conſtitutione Pij V. 138. in qua iuxta Concilium Lateranenſe vltimum *ſeſſ.* 9. *can.* 9. decernitur omittentem diuinum officium fructus beneficiorum ſuos non facere ad ratam omiſſionis diuini officij. Tum quia licet beneficiarij non habeant dominium beneficiorum, ſaltem habent vſumfructum: vſufructuarius autem dominium fructuum habet. Tum quia conducens bona beneficij, dominium habet fructuum, qui ex huiuſmodi bonis percipiuntur. Ergo etiam dominium illorum habet beneficiarius, qui huiuſmodi bona locat; alioquin plus iuris in alium transfert, quàm ipſe habeat, contra *text. in cap. nemo poteſt, de regul. iur. in 6. & l. nemo plus. ff. eodem.* Tum quia ſi beneficiarius dominium non haberet fructuum beneficij, conſuetudine, vſuque receptum non eſſet, vt beneficij fructus acquirantur heredibus beneficiarij, ſiue beneficiarius condito teſtamento, ſiue inteſtatus decedat. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 185. *artic.* 7. *de iuſt. quæſt.* 4. *art.* 3. & 4. Sayr. *lib.* 4. *de reddit. Eccleſiaſt.* Bannes 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 6. *dub. vltimo*, Arragon. *ibidẽ*, Marſilius, Anton. Colum. *tract. de reddit. Eccleſ.* Leſſius *loco citato, n.* 44. Graffi. 1. *parte deciſ. lib.* 2. *cap.* 10. Vaſquez, & Molfeſius *locis citandis*, Reginald. *lib.* 30. *tractat.* 3. *n.* 78. Molina *tom.* 1. *diſp.* 142. & 143. Menoch. *de arbitr. caſu* 435. Sanchez *in ſum. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 24. vbi dicit hanc eſſe communiorem & veriorem opinionem, Valent. *tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſt.* 7. *punct.* 7. Garzias *de benef. punct.* 2. *cap.* 1. *n.* 5. & 7. vbi hanc ſententiam ſine dubio magis communiter receptam affirmat, Filliucius *de benefic. tract.* 41. *cap.* 6. *quæſito* 8. Sopranus apud Filliucium *tract.* 43. *cap.* 4. *n.* 7. [Paulus Layman *lib.* 4. *Theologiæ moralis tr.* 2. *c.* 3. *n.* 3.] & plures alij contra Nauar. *de reddit. Eccleſiaſt. quæſt.* 1. & 2. Beiam *loco ſtatim citando*, Monetam *de diſtribut.* 3. *parte quæſt.* 1. *num.* 14. plures alios apud Marſilium Columnenſem, vbi refert trigintaquatuor auctores hanc contrariam ſententiam ſuſtinentes, quam etiam ſecuti videntur vigintiquinque auctores, quorum nomina recenſet Azor. *cap.* 8. *quæſito* 1. *verſ.* 1. *ſententia*, Beia 2. *parte caſu* 20. *verſ. hæc ſententia* 4. *parte caſu.* 32.

Obiicies, beneficiarij grauiter peccant inſumendo beneficiorum fructus in profanos vſus. Ergo non ſunt domini fructuum.

Reſpondeo, negando conſequentiam; ſunt enim domini fructuũ, cum onere tamen inſumendi ſuperfluos congruæ ſuſtentationi, in pios vſus; ſicut ſæcularis eſt dominus ſuarum pecuniarum; ſed delinquit, eas in meretrices, aut in vſus à ſuperiore prohibitos impendendo.

PVNCTVM II.

Vtrùm beneficiarius poſſit fructus beneficij ad ſuum libitum expendere, vel teneatur illos in pios vſus erogare.

PRæmittendum eſt fructus, & prouentus beneficij alios eſſe neceſſarios ad congruam ipſius beneficiarij ſuſtentationem, alios ſuperfluos. De vtriſque agendum nobis eſt in hoc puncto. Et primo quidem loco explicabo vtrum beneficiarius expẽdere poſſit ad ſuum libitum fructus neceſſarios. Secundò ſuperfluos. Tertiò, an grauiter peccet hoc pacto expendendo.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Fructus neceſſarij ad congruam ſuſtentationem diſpẽſari poſſunt ad libitum beneficiariorum, ſicut & ceteri in illis caſibus, in quibus nõ tenentur illos erogare in pios vſus.

1 FRuctus neceſſarij ad congruam ſuſtentationem, diſpenſari poſſunt ad libitum clericorum, ſeu beneficiariorum; ſicut poſſunt bona patrimonialia, vel quaſi; quamobrem in illis caſibus, in quibus beneficiarij non tenentur bona patrimonialia, vel quaſi patrimonialia in opera pia expendere, neque tenentur fructus beneficij, ſibi ad congruam ſuſtentationem neceſſarios, in pia opera erogare. Ita Nauar. *de redditibus. quæſt.* 1. *monit.* 26. Molina *diſp.* 145. & 147. Couar. *cap. cum in officiis numero* 2. *de teſtament.* Sanchez *in opere morali lib.* 6. *cap.* 6. *numero* 14. Zecchius *de benef. num.* 10. Sopranus *de ſpoliis cap.* 3. *quæſito* 6. Valerus *in differentiis verb. munera nu.* 14. [Paulus Layman *lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 2.] Leſſius, & alij Doctores ſupra citati contra Redoanum *de ſpolijs quæſt.* 6. Sarmientum *de reddit.* 3. *parte monito* 30. & 31. Ratio eſt, tum quia huiuſmodi fructus traduntur tamquam merces ſeruitij præſtiti. Sicut autem operario liberum eſt mercedem inſumere, in quos voluerit vſus: ita etiam beneficiario liberum eſt fructus neceſſarios ad congruam vitæ ſuſtentationem expendere in quem voluerit vſum. Tum quia poteſt illos in proprios vſus expendere; ergo etiam in alios, nam ſubrogatum ſapit naturam illius, cui ſubrogatur. Dixi *fructus*, vt exciperem diſtributiones, de quibus infra illatione ſeptima, harum enim libera adminiſtratio competit beneſi-

neficiario, etiam quoad partem sustentationi superfluam; vt infra ostendam.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Fructus beneficij superflui ad congruam sustentationem, in pios vsus erogandi sunt.

2 FRuctus beneficij, qui ad congruam sustentationem necessarij non sunt, sed superflui, in pios vsus erogari debent. Ratio est, tum quia sic decernitur in Tridentino *sess.*25.*cap.*1. Tum quia appellantur patrimonium Christi, bona Ecclesiæ, bona pauperum, *in cap. cùm ex eo, de elect. in* 6.*cap.*1.12.*quæst.*2.*cap.quicquid* 16.*quæst.* 1. & in aliis iuribus congestis ab Azorio *tom.*2.*lib.*7.*cap.*8.*&*10. Soto 10. *de iust.quæst.*4.*art.*3. Lessio *loco cit.num.*47. Moneta *de distribut.*3.*parte quæst.*1.*nu.*15. à Nauarro *quæst.*3.*de reddit.monito* 4. Molina *disp.*147. Garzia *num.*8. Molfes.*num.*48. Filliucio *num.*40. [& Paulo Layman *lib.*4.*tr.*2.*c.*3.*n.*3. vbi etiam probat fructus superfluos ex iustitia impendendos esse in pios vsus; quod tamen non admittitur à multis Doctoribus, vt constabit ex infra dicendis *punct.*4.]

Ex quo patet differentia inter beneficiarios, & sæculares, quòd sæculares tenentur solùm sibi superflua in eleemosynas impendere dum charitatis præceptum obligat, seruato charitatis ordine, vt docui *de legibus disp.*3.*quæst.*4.*puncto* 6. Beneficiarius verò tenetur non solùm dum charitatis obligatio vrget; verùm etiam ratione reddituum Ecclesiasticorum, qui traduntur cum onere, vt quod congruæ beneficiarij sustentationi supereſt, in pios vsus impendatur.

3 Fructus superflui an sint erogandi pauperibus illius loci, vbi beneficiū est.

3 Sed modò dubium est primò, vtrùm beneficiarius teneatur præfatos fructus congruæ sustentationi superfluos, impendere in pauperes, vel pios vsus illius loci, in quo beneficium habet.

Respondeo negatiuè, quia hoc nullo iure præscribitur, sed sufficit, vt in pauperes cuiuscumque loci, vel in alios pios vsus insumat, vt bene Nauar. *de reddit. Ecclesiast. monit.*27. Molina *loc. cit. disput.*146. Azor.2.*parte lib.*7.*cap.*10.*quæst.*2. & alij.

4 Quid nomine pauperum intelligatur.

4 Nomine pauperum intelligo non solùm illos, qui ostiatim stipem quærunt; verùm etiam illos, qui vitam ex suo patrimonio commodè & honestè iuxta sui status conditionem traducere non possunt. Ita Nauar. & Azor. *locis citatis*, Molina *disp.*146. Reginald. *lib.*30. *tract.*3.*n.*101. An autem nomine pauperum veniant etiam animæ in Purgatorio existentes, constat ex dictis de contract. de restitutione incertorum, vbi affirmatiuè responsum est; ipsæ enim ope nostra indigent, & clamant, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.*

5 Vtrùm beneficiarius insumens bona patrimonij in vtilitatem Ecclesiæ, possit tantumdē ex beneficij fructibus insumere, vt voluerit.

5 Secundò dubium est, vtrùm beneficiarius viuens ex redditibus patrimonij, aut insumens bona patrimonij in vtilitatem Ecclesiæ, vel beneficij, vel in alia pia opera, possit tantumdem ex beneficij fructibus capere, illudque, vt voluerit, insumere.

Respondeo affirmatiuè, tum quia ipse non est deterioris conditionis. Tum quia hoc nihil aliud est, quàm quædam compensatio, quæ iure naturæ licita est; consequenter sicut poterat patrimonij bona ad libitum insumere, ita etiam insumere potest fructus beneficij, quos in locum bonorum patrimonialium in præfato casu substituit. Ita Sylvester *verbo Clericus* 4.*quæst.*14. Couar. *cap. cùm in officiis, de testament.* Lessius *loc.cit.nu.*38. Nauar. *loco cit. monito* 32. *& quæst.* 3. *monito* 4.*num.*3.*de reddit.* Reginaldus *lib.*30.*tract.*3.*num.* 99. *vers. sextum dubium*, Sopranus apud Filliucium *tract.*43.*c.*3.*quæst.* 7. *&* 9. & alij contra Redoanum *de spolius quæst.*3.*§.*1.*n.*2.

6 Habens patrimonium pingue, num peccet beneficium acquirendo, vt patrimoniū propinquis, aut aliis relinquat.

6 Rogabis, vtrùm habens patrimonium pingue possit beneficium, quo viuat, acquirere, & patrimoniū propinquis, aut aliis reseruare.

Respondeo posse, quia qui altari seruit, de altari viuere debet, nec vllas suis stipendiis militat, 1.*ad Corinthios* 9. nisi cedere velit iuri suo. Couar. *cap.*1.*de testament.num.*2. Nauar. *loc.cit. monit.* 32. Molina *loco citato disp.*145. Azor. Sopranus, & alij *locis citatis.*

7 Quota pars fructuū sufficiens sit pro congrua sustētatione beneficiarij.

7 Tertiò dubium est, quanta pars fructuum constituenda sit pro congrua beneficiarij sustentatione, ita vt beneficiarius illam, prout voluerit, expendere possit, cùm aliquid sibi parcè viuendo ex congrua sustentatione subtraxit.

Omissis aliorum sententiis, quas recēsui in tractatu de beneficiis, dum loquerer de obligatione habentium plura beneficia.

Respondeo, eam partem constituendam esse, quæ ad beneficiarij, & ipsius familiæ sustentationem necessaria iudicatur, habita ratione scientiæ, & litteraturæ. *cap. de multa, de præbend.* nobilitatis, aut dignitatis, quam beneficiarius obtinet (diuites enim cogendi non sunt viuere pauperum cibo, *cap. non cogatur dist.*41.) aut loci, in quo beneficium habet; maior enim quantitas necessaria est in ciuitate, quàm in villa, in loco vbi est inopia, quàm vbi est annonæ copia, in Prælato, quàm in simplici Sacerdote. Ita Molina *tom.*1.*de iust.tract.*2.*disp.*145. Azor. *lib.*6.*cap.*10.*quæst.*9.*ad finem.* Gonzalez *ad regul.*8.*glos.*15.*nu.*39. Lessius *de benef.dub.*28.*num.*149. Molfesius *tract.*6.*cap.*9.*nu.*42. Garzias *punct.*11.*cap.*5.*num.*320. Filliucius *tract.*41.*cap.*7.*quæst.*4.*num.* 19. [Paulus Layman *loc.cit.num.*2.]

Quòd autem hæc ratio in cōstituenda præfata quantitate habenda sit, probatur, quia cùm non sit par omnium conditio, æquum non est, vt eadem pars omnibus assignetur.

Obiicies, Concilium Tridentinum *sess.*21.*cap.*2.*de reformat.* statuit, ne quis ad sacros Ordines promoueatur, nisi priùs legitimè constet, eum habere beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat; sed huiusmodi beneficium existimatur id, quod ad sexaginta, vel quinquaginta nummos aureos pertingit. Ergo quantitas quinquaginta, vel sexaginta aureorum videtur pars sufficiens ad congruam sustentationem; consequenter quod supereſt, pauperibus erogandum est.

Respondeo, Concilium eo loci respexisse quod cuique simpliciter sufficit, spectata sola suscipientis Ordines persona, ne stipem cum dedecore status Ecclesiastici mendicare cogatur. Nos verò loquimur de ea quantitate, quæ ad honestam vitæ sustentationem, habita ratione personæ, & familiæ, cuique debitæ, sufficiat: quam communi vsu, & praxi Ecclesiasticorum, scientia, & probitate vitæ præditorum, constat maiorem esse quinquaginta nummis aureis; alioquin Cardinalis non posset in sui commodum, nisi quinquaginta aureos, ex bonis Ecclesiæ insumere, quod est falsum. Imò Nauar. *de orat. in miscellan.*16.*num.*7. Azor.2.*parte lib.*6.*c.*10.*quæst.*9. Filliucius *tract.*41. *cap.*7.*quæst.*4.*n.*20. & alij, in assignanda quantitate cuilibet beneficiario sufficiente, hanc rationem habuerunt, vt videlicet pro beneficiario infimę sortis ea quantitas sufficiat, qua ipse, famulus vnus, coquus, & equus ali possit: pro beneficiario Doctore, aut simili ea quantitas satis sit, qua ipse, famuli duo, coquus, & equus, iuxta patriæ morem, sustentari queat: pro beneficiario nobiliori ea quantitas ad victum assignetur, qua ipse, famuli tres, vel quatuor, equi duo cum curru, coquo, & rhedario, ali possit, & sic de ceteris, habita ratione qualitatis personæ, aliarumque circumstantiarum (nomine victus, & sustentationis accipitur id, quo beneficiarius indiget ad se, familiamque suam honestè sustentandam, vt sunt cibus, vestitus, habitatio, & medicinæ.) Cardinalibus verò aliqui Doctores mille aureos in singulos menses sufficere arbitrantur, exceptis Cardinalibus, Principibus, & nepotibus Summorum Pontificum, à quibus mille aureos in singulas hebdomadas, ad sui, & familiæ sustentationem tuta conscientia insumi posse nonnulli Doctores arbitrantur. Ego verò hanc rem arbitrio boni, & prudentis viri definiendam cēseo, spectatis circumstantiis, quarum memini in solutione dubij tertij, hoc enim pacto in tradenda generali doctrina nemini iniiciuntur scrupuli, nec aliis habenæ laxantur prodigendi prouentus Ecclesiasticos, quos iura, patrimonium Christi, & Ecclesiæ bona, nuncupare consueuerūt.

3 Distinctio qualitatis beneficiatiorū, & quid de vnoquoque statuēdum sit.

8 Obseruandum tamen censeo, partem, seu quotam, quæ cuiquam assignari potest ad congruam vitæ sustentationem, non consistere in indiuisibili, sed latitudinem habere; sicut enim pro re vendibili triplex pretium constituitur, infimum, medium, & supremum, quorum quodlibet est iustum; ita eadem ferè proportione in constituenda fructuum parte pro congrua beneficiarij sustentatione, ratiocinari possumus; quamobrem si trecenti nummi aurei, exemp. grat. sunt infima quantitas ad congruam beneficiarij, & ipsius familiæ sustentationem, trecētos, & quinquaginta dicemus esse mediam, quadringentos supremam quantitatem; consequenter beneficiarius potest quadringentos nummos ad sui, suæque familiæ sustentationē expendere, & si aliquid, parcè viuendo, ex quadringentos subtrahat, & trecentos, exempli gratia, in se, familiaque sustentanda solùm insumat, reliquos centum ad sui libitum disponere poterit, quia liberam illorum habet administrationem, & dominium. Ideo si beneficiarius ex beneficio mille nūmos aureos, exemp. grat. colligit, & quadringenti solùm sufficiunt ad ipsum, & ad ipsius familiam alendam, non potest sexcentos, qui congruæ sustentationi supersunt, pro suo arbitratu distribuere, cum illam tantummodo partem ad libitum expendere possit, quæ congruæ suæ sustentationi respondet; reliquam verò partem, quæ congruæ sustentationi superflua est, in pios vsus erogare debet, vt patet ex Trident. *loco cit.*

TERTIA PROPOSITIO.

9 Beneficiarius fructus suæ sustentationi superfluos non expēdens in opera pia, grauiter peccat.

9 BEneficiarius, qui fructus beneficij suæ sustentationi superfluos non in pios vsus, sed in profana opera expendit, exempl. grat. ad ditandos amicos, vel consanguineos, grauiter peccat.

Ratio est, tum quia facit contra strictum Tridentini præceptum, *sess.*25.*cap.*1. Tum quia beneficium appellatur res Dei, patrimonium Christi, & bona pauperum, &c. graue autem peccatum videtur profanè expendere patrimonium Christi, res Dei, & bona pauperum. Neque obstat beneficiarium esse dominum fructuum; nam per prohibitionem libera disponendi facultas impeditur, & prohibetur. Ita Doctores, quos retuli *de contractibus quæst. vltima puncto* 3.*nu.*3. *&* 4. & alij communiter.

10 Beneficij fructus superflui expendendi in pios vsus, etiāsi incorporati reliquis beneficiarij bonis.

10 Ex dictis sequitur primò beneficiarium debere, quod sibi de beneficij fructibus, & prouentibus supereſt, expendere in pios vsus, vt in vsum fabricę Ecclesiæ, domus religiosæ, & similia. Et hoc verum videtur, etiamsi præfati fructus & prouentus à beneficiario recepti, incorporati iam sint reliquis ipsius beneficiarij bonis. Tum quia per huiusmodi incorporationem, & vnionem non fiunt bona patrimonialia, vel quasi, nec beneficiarius efficitur dominus liber & absolutus, sed cum obligatione expendendi superfluos in pios vsus. Tum quia huiusmodi bona subiiciuntur spolio Ecclesiastico. Ergo beneficiarius non habet absolutum illorum dominium. Ita Nauar. *de spoliis §.*2.*n.*1. *& seq.* Sopranus apud Filliucium *tr.*43.*c.*3.*quæst.*5. *numer.*5. quamquam aliqui Doctores oppositum sentiunt de obligatione expendendi huiusmodi bona in pios vsus.

11 Beneficiarius potest fructus superfluos expendere in opera hospitalitatis.

11 Secundò, sequitur beneficiarium posse fructus sibi superfluos in opera hospitalitatis expendere, vt domi peregrinos, aduenas, aut etiam amicos, & notos excipiendo; sic enim non dicitur profanè erogare; cùm hoc sit opus charitatis, & vrbanitatis, si debito modo fiat intra præscriptos prudentiæ limites. Addo beneficiarium posse huiusmodi fructus in recognitionem obsequij, & officij, in sui vtilitatem præstiti, elargiri. Ratio est, tum quia huiusmodi fructus non sunt simpliciter superflui; sed potiùs ipsius conditioni congruunt, & conueniunt. Tum quia æquum est, & ipsamet naturalis ratio dictat, vt beneficiarius beneficium, & moderatam remunerationem, gratique animi significationem illi exhibeat, à quo beneficium accepit. Non tamen licitum est huiusmodi fructus in liberali, & magnifica donatione, aut in ludis, aut canibus ad venationem alendis, aut in sæculari pompa insumere, quia non dicerentur in pios vsus insumi.

12 Potest etiam aliquos expendere in ludos, aliasque recreationes honestas, spectata clericatus conditione.

12 Quamquam licitum est aliquos beneficij fructus in ludos aliasque honestas, & moderatas animi recreationes, spectata clericatus conditione, insumere; hoc enim ad congruam vitæ sustentationem pertinere videtur. Ita Molina *disp.*145. [Paulus Layman *lib.*4.*tract.*2. *c.*3.] Garzias, Azor, & Filliucius *locis citatus*, Sotus, Zecchius, & alij apud Garziam 2.*parte cap.*1.*num.*19. & apud Sopranum *tract.*43.*ca.*3. *quæsito* 6.*num.*6.

13 Beneficiarius potest

13 Tertiò, sequitur beneficiarium posse non solum fructus ad con-

gruam

fructus sibi necessarios, & superfluos tradere titulo paupertatis parentibus, & cõsanguineis indigentibus.

gruam sustentationem necessarios, verùm etiam superfluos tradere, titulo paupertatis, parentibus, & consanguineis indigentibus; tunc enim eos expendit in pios vsus: propterea beneficiarius potest consanguineam indigentem dotare, fratrem, nepotem, vel alium cognatum in studiis, aut arte addiscenda alere, modò renera frater, nepos, vel cognatus indigeat. Ita Angel. *verb. dos num. 5. & verb. Clericus* 13. *n.* 11. Azor. 2. *part. lib. 6. cap.* 10. *quæsito* 9. Filliucius *loco supra citato*, Valerus *verb. munera, n.* 14. [Paulus Layman *loc. cit. n.* 3. *&* 5.] & alij communiter, satisque constat ex ipsomet Concilio Trid. *sess.* 25. *cap.* 1. *de reformat. sub finem*, vbi Concilium in hæc verba loquitur. *Omnino eis interdicit ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiare sue suos augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibent, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis, vt pauperibus distribuant: eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa.*

[Addunt aliqui Doctores beneficiarium posse in studiis alere fratrem suum, aut nepotem, vel alium consanguineum, cuius pater sufficientes habet facultates, quas ei ministrare posset. Ratio est, quia cùm pater non teneatur maiores sumptus, qui ad studendum necessarij sunt, præbere, sequitur huiusmodi filium censeri indigentem, si propria bona non habeat, consequenter beneficiarium iniquè non agere præstando ei alimenta. Ita Nauar. *lib. 3. consilio 2. de vita & honest. cler.* Paulus Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 3. numero* 5. Hoc tamen ego limitarem dum pater non vult huiusmodi sumptus præstare, tunc enim filius reuera cẽsetur indigere: secus si pater paratus sit ad huiusmodi sumptus præstandos.]

14 Beneficiarius potest aliquã partem fructuum sibi necessariam subtrahere, & consanguineis diuitibus tradere.

14 Quartò, beneficiarium posse illa consanguineis diuitibus tradere, quæ sibi ad congruam sustentationem necessaria erant, sed sibi parcè viuendo subtraxit; sicut enim illa extraneis, ita etiam consanguineis licitè tradere potest; neque Tridentini decretum *sess.* 25. *cap.* 1. ad huiusmodi bona extenditur. Ita Molina *loco citato disputat.* 146. & alij.

15 Beneficiarius potest ex beneficij fructibus alere filios legitimos, & spurios, si non habet aliunde, vnde eos alat.

15 Quintò, beneficiarium posse ex beneficij fructibus alere filios, non solum legitimos, verùm etiam spurios, dum aliunde non habet, quo ipsos alat: hoc enim est opus pietatis, ex qua pater tenetur erga filios. Ita Molina *loco citato disp.* 146. Nauar. *de spoliis in fine*, Sopranus apud Filliucium *tract.* 43. *cap.* 4. *quæs.* 19. *num.* 36. Azor. *loc. cit. quæs.* 10. [Paulus Layman *loc. cit. n.* 4.] & alij, qui etiam asserunt filium illegitimum posse tuta conscientia accipere sibi necessaria ad alimenta ex bonis Ecclesiasticis patris, & Cameram Apostolicam teneri ei consulere ex bonis patris, quæ spolio subiecit.

16 Beneficiarius potest ex beneficij fructibus rationabilẽ dotem tradere filiæ spuriæ, vel sorori, dum aliũde non habet, quo illis consulat.

16 Addo beneficiarium posse ex fructibus beneficij moderatam, & rationabilem dotem filiæ spuriæ, vel sorori tradere, dum aliunde non habet, quo illis consulat; nam dos in locum alimentorum sufficitur, & subrogatur; sicut ergo licitum est alere, ita etiam competentem, spectato beneficiarij gradu, dotem tradere. Ita Molina *tract.* 2. *disp.* 146. Sylvester *verb. Clericus* 4. *quæst.* 15. Nauar. *loco citato.* §. 19. *num.* 11. Angelus, Armilla, Tabiena, & alij apud Reginald. *lib.* 30. *tract.* 3. *num.* 101. *& seq.*

17 Percipiens pensionem ex aliquo beneficio potest, vt voluerit, dispensare, saltem id quod congruæ sustẽtationi parcè viuendo subtraxit.

17 Sextò sequitur eum, qui percipit pensionem ex aliquo beneficio, posse, vt voluerit, dispensare saltem id, quod congruæ sustentationi parcè viuendo subtraxit. Naldus *verb. fructus num.* 7. Couar. *de testam. cap. cùm in officiis num.* 6. Gigas *de pension. quæst.* 52. Azor. *loc. cit. cap.* 9. *quæs.* 12. *& lib.* 8. *cap.* 12. *quæsito* 4. *&* 5. *& cap.* 3. *quæsito* 8. *&* 16. Zerola *verb. pensionarius* §. 25. Menoch. *de arbitr. casu* 172. *n.* 12. & alij. Molina tamen *tom.* 1. *tr.* 2. *disp.* 145. Nauar. *loco citato*, Garzias *de benef. prima parte cap.* 5. *n.* 161. Redoanus *q.* 3. *de spoliis nu.* 12. Sopranus apud Filliucium *tract.* 43. *cap.* 4. *quæs.* 12. & alij, idem sentiunt de pensionario, quod de beneficiario. Ratio istius illationis est, tum quia pensio traditur ad sustentandam Clerici vitam. Ergo Clericus potest saltem id, quod ex pensione detraxit, insumere, vt voluerit. Tum quia vsu Cameræ receptum est, vt pensiones decutiæ, & nondũ solutæ transeant ad heredes; ergo signum est pensionarium esse dominum pensionis, alioquin pensiones insumerentur in pia opera, non autem heredibus traderentur. Tum quia Concilium Tridentinum *sess.* 25. *c.* 1. loquitur de habentibus beneficia, non autem de pensionariis, consequenter hinc colligi potest pensionarium non peccare contra Tridentini decretum, pensionem profanè insumendo.

Dixi, *saltem id, quod congruæ sustentationi parcè viuendo subtraxit*; nam de eo, quod congruam sustentationem excedit, probabilius arbitror idem sentiendum quod de beneficio. Tum quia pensio constat fructibus beneficij. Tum quia pensionarius habens pensionem excedentem triginta aureos, seu congruam simplicis pensionarij sustentationem, subuocatur spolio. Ergo signum est non habere plenum, & liberum pẽsionis dominium. Ita Nauar. Redoanus, Garzias, Molina, & alij *locis citatis*.

18 Beneficiarius potest quotidianas distributiones pro suo arbitrio disponere.

18 Septimò, sequitur beneficiarium posse distributiones pro sua libertate, & arbitrio disponere. Ita Azor. *loco citato cap.* 9. *quæsito* 10. Couar. *loc. cit. numer.* 4. Iulius Clarus *de testam. quæst.* 27. Sylvester *verb. Clericus* 4. *quæsito* 4. Moneta *de distribut.* 3. *parte quæst.* 1. *numer.* 18. vbi sexdecim Doctores in hanc sententiam enumerat, *& quæst.* 4. *nu.* 12. Gonzalez *in reg.* 8. §. 7. *proœm. numer.* 164. Valerus *in differentiis inter vtrumque forum, verb. munera, num.* 14. Patrisius *tom.* 4. *consil.* 33. *n.* 10. Sopranus apud Filliucium *tract.* 43. *ca.* 3. *quæsito* 10. & alij, contra Nauar. *monito* 3. *num.* 2. Propterea Clericus pollidens Canonicatum, qui totus in quotidianis distributionibus consistit, potest omnes distributiones iuxta suæ voluntatis nutum impendere, & distrahere. Ratio est, non solum quia est dominus distributionum, vt colligitur ex *cap. vnico, de Cler. non resid.* vbi innuitur mancipatos diuinis officiis dominium distributionum acquirere si Choro interfint; verũ etiam, quia distributiones traduntur ob ministerium personale, tamquam merces operæ, & tamquam stipendium laboris, consequenter sunt bona quasi patrimonialia, quorum beneficiarius absolutus est dominus; & sicut operarius potest mercedem, & stipendium sua opera, & industria comparatum ad suum libitum insumere: ita etiam Canonicus distributiones ad libitum disponere potest.

Neque obstat decretum Tridentini, quo omnino interdicuntur profanè expendi ea, quæ congruæ sustentationi supersunt; nam Concilium loquitur de redditibus Ecclesiæ, non verò de distributionibus, quæ interessentibus traduntur tamquam merces, & stipendium; sicut neque loquitur de aliis, quæ propria industria, & labore acquiruntur. Ita Lessius *lib. 2. cap. 4. dubio 6. numer.* 40. & alij Doctores citati. Ex quo patet differentia inter prouentus beneficij, & distributiones, aliaque bona, propria industria comparata, quòd beneficiarius non potest prouentus, & fructus beneficij simpliciter pro suo arbitrio licitè distrahere, nisi aliquid parcè viuendo propriæ sustentationi subtrahat; potest verò distributiones, & alia bona proprio acquisita labore.

Dices, eadem ratio militare videtur in distributionibus, & in aliis fructibus; cùm omnes sint fructus beneficij, & ob beneficij titulum percipiantur.

Respondeo, negando eamdem in vtrisque rationem militare, quia beneficij fructus traduntur cum onere, seu præcepto impendendi fructus superfluos in pios vsus; non verò distributiones. Ob id nomine fructuum, stricte loquendo, non veniunt distributiones, vt docui de horis Canonicis *disp.* 2. cum Rota & aliis communiter.

19 Capellanus potest ad libitum expendere acquisita pro celebratione Missarum, pro concionibus, audiendis confessionibus, pro Vicariatus officio, aliisque similibus functionibus.

19 Octauò Capellanum posse ad libitum expendere acquisita pro celebratione Missarum, aut occasione audiendarum confessionum, pro concionibus, pro Vicariatus officio, aliisque similibus functionibus. Ratio est, quia hæc non sunt bona beneficij, sed bona quasi patrimonialia, & stipendium proprię industriæ, & laboris, quorum beneficiarius absolutus est dominus. Ita Nau. *loc. cit. monito* 19. Garzias, Azor. Moneta, Lessius *locis citatis*, & alij communiter. Secus dic de fructibus Capellaniæ titularis auctoritate Episcopi erectæ. Hæc enim est beneficium Ecclesiasticum.

20 Benefi-ciarius nõ potest ad libitum insumere fructus Ecclesiæ, aut bona, quæ ipse emit ex pecuniis, aut nomine Ecclesiæ.

20 Nonò beneficiarium non posse ad suum libitum insumere pecunias & fructus Ecclesiæ, aut bona, quæ ipse emit ex pecuniis Ecclesiæ, aut nomine Ecclesiæ: nam hæc sunt bona Ecclesiæ, quorum dominium beneficiarius non habet. Secus aliqui Doctores sentiunt de bonis emptis ex fructibus sui beneficij; nam quæ beneficiarius emit propria pecunia, seu ex fructibus sui beneficij, pertinent ad ipsum beneficiarium; cùm emptor, qui aliquid ex re, & pecunia propria emit, rem emptam suam efficiat, illamque possit absque obligatione restitutionis pro suo arbitrio donare, distrahere, & alienare. Et quamuis beneficiarius peccauerit expendendo fructus beneficij in profanã emptione: non tamen hinc arguitur obligatio restituendi; cùm hæc consurgat ex violatione iustitiæ, beneficiarius autem iustitiam in proposito casu non violauit. Oppositа tamẽ sententia tutior, & probabilior est, iuxta dicta *num.* 10. Quamuis enim beneficiarius non peccauerit contra iustitiam tali pacto expendendo beneficij fructus; nihilominus contraxisse videtur obligationem expendendi huiusmodi fructus sibi superfluos in pios vsus, quamdiu in potestate beneficiarij existunt in se, vel æquiualenter.

Obiicies contra præfatam illationem, empta proprio nomine fiunt emptoris, etiamsi aliena pecunia empta sint. Ergo etiam empta proprio nomine à beneficiario ex pecuniis Ecclesiæ, fiunt ipsius beneficiarij, consequenter potest illa ad libitum disponere.

21 Quomodo empta nomine Ecclesiæ fiant propria ipsius Ecclesiæ.

21 Respondeo, ab illa regula excipi empta ex pecuniis Ecclesiæ, hæc enim fiunt Ecclesiæ. Ratio est, tum quia sic decernitur *in cap. placuit* 12. *quæst.* 3. & in aliis iuribus relatis à Vasquez *numer.* 38. Sarmiento 3. *parte de reddit. cap.* 2. Azorio 2. *parte lib.* 7. *cap.* 10. *quæsito præf.* Molfesio *n.* 56. Sylvestro *verb. emptio num.* 22. & ab aliis Doctoribus statim citandis. Tum quia bona ex pecuniis, & fructibus beneficiorum empta subiiciuntur Cameræ, & Fisco Apostolico, vbi est vsus spoliorũ, ex constitutionibus Pij IV. & Pij V. Ergo nõ fiunt bona quasi patrimonialia ipsius beneficiarij. Tum quia Ecclesia comparatur pupillo, minori, & ciuitati; sed empta à tutore, vel curatore, vel administratore ex pecuniis pupilli, minoris, vel ciuitatis, fiũt ipsius minoris, pupilli, vel ciuitatis, ex cuius pecuniis empta sunt. *l. vt proponis, C. de rei vendic.* Ergo etiam empta à beneficiario ex pecuniis Ecclesiæ, sunt Ecclesiæ. Ita Couar. ex parte *cap.* 1. *de testam. num.* 5. Azor. *loc. citat.* Nauar. *de reddit. quæst.* 1. *monito* 42. *& de spoliis*, §. 2. *num.* 1. *& seq.* Redoanus *de spoliis quæst.* 3. *num.* 27. Vasquez *de reddit. cap.* 1. §. 3. *dub.* 1. *num.* 58. Regin. *lib.* 30. *num.* 110. Molfes. *nu.* 56. Sopranus apud Filliuc. *tract.* 43. *c.* 4. *quæs.* 6. *num.* 9. & alij.

22 Commendatarius perpetuus alicuius Ecclesiæ potest de fructibus cõmendæ disponere solum prout ceteri beneficiarij.

22 Decimò, Clericum qui beneficium in commendam perpetuam accepit, posse de fructibus beneficij in perpetuam commendam accepti, disponere solùm ea ratione, qua potest beneficiarius; nam rationes, quæ pro beneficiario afferuntur, militant etiam in Commendatario. Commendatarius enim ex concessione Sedis Apostolicæ, eam habet administrationem & dispositionem commendæ perpetuæ, quam haberet, si eam in titulum accepisset; cum hac tamen differentia, quòd aliquando ex iustitia ad certam fructuum quantitatem in pauperes erogandam tenetur, prout illi in concessione commendæ impositum fuerit, vt alibi dictum fuit.

Dixi, *qui beneficium in commendam perpetuam accepit*, nam qui beneficium non accepit in commendam perpetuam, sed temporalem, vt olim fieri consueuit, licet fructus sibi assignatos possit pro suo libito disponere, cùm illos accipiat tamquam stipendium & mercedem sui laboris, & operæ; reliquos tamen non potest pro suo arbitratu distrahere, quia liberam illorum administrationem, & dispositionem non habet; sed illorum dumtaxat procurator, & quasi tutor est, rationemque reddere tenetur illi, cui collatum postea fuerit beneficium.

23 Abbatias, Prioratus, vel commendas habẽtes, possunt pro suo arbitratu so-

23 Vndecimò religiosos habentes beneficia Ecclesiastica, exempli gratia, Abbatiam, Prioratum, vel commendam, non posse pro suo arbitratu de fructibus disponere, excepta ea parte, quam parcius viuendo propriis sumptibus subtraxerunt, vt patet ex dictis de largitione munerum regularibus interdicta. Ratio est, tum quia Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 1. *de reformat.* non solum prohibet Episcopis, & Cardinalibus, ne ex Ecclesiæ redditibus cõsanguineos, fami-

lum disponere eam partem fructuum, quam parcius viuẽdo sibi subtraxerunt.

familiare sue suos augere studeant, verum etiam præscribit ea obseruari à quibuscumque beneficia Ecclesiastica, tam sæcularia, quàm regularia habentibus. Tum quia par in omnibus ratio in hac parte militat. Ideo religiosus, qui beneficium habet, non potest fructus beneficij tradere suis amicis, vel consanguineis non indigentibus, aut in ludos vltra sui status conditionem insumere, vt supra docui.

An autem accipiens aliquid à religioso teneatur ad restitutionem, constat ex dictis de largitione munerum regularibus vtriusque sexus interdicta: religiosi enim non sunt domini fructuum, sed potiùs administratores.

24 Milites Commendatarij, vt sunt equites S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, aut Florentiæ, milites Sancti Stephani, quomodo possint de fructibus commendarum disponere.

24 Sed modò dubium est, vtrùm milites Commendatarij, vt sunt Equites S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, aut Florentiæ, milites sancti Stephani, aliique consimiles, possint fructus commendarum ad libitum distrahere, & expendere. Ratio dubitandi est, tũ quia huiusmodi commendæ sunt bona Ecclesiastica; qui autem obtinet bona Ecclesiastica, non potest illorum fructus impendere ad ditandos consanguineos, aliosue familiares. Tum quia præfati Commendatarij sunt veri religiosi; consequenter post professionem triplici detinentur religionis voto; nempe paupertatis, obedientiæ, & castitatis; cum voto autem paupertatis stare non potest dominium bonorum, aut fructuum. Huius sententiæ sunt Nauar. Ayala, Mota, & Azor. *locis* statim *citandis*.

His non obstantibus, respondeo præfatos Commendatarios peccare quidem peruersè, & profanè fructus commendarum insumendo. Tum quia huiusmodi fructus aliqua ratione dici possunt prouentus & redditus Ecclesiastici. Tum quia sæculares viri peccant suos redditus peruersè insumendo. Ergo à fortiori peccant huiusmodi Equites. Hoc tamen peccatum arbitror non excedere grauitatem culpæ venialis, nisi grauior culpa ratione praui finis, vel circumstantiæ addatur. Ratio est, tum quia huiusmodi prouentus non sunt bona simpliciter Ecclesiastica, nec huiusmodi commendæ annectuntur religioni ratione spiritualis officij, nec conferuntur Equitibus titulo spirituali, sed potiùs titulo sæculari, nempe militari. Tum quia præfati Commendatarij sunt domini prouentuum, quos ex bonis sibi commendatis percipiunt: non enim habent votum perfectũ paupertatis, cùm non voueant illud paupertatis genus, quod alias strictè seruabatur, sed illud, quod modò apud ipsos seruari consueuit. Quamobrem præfati Commendatarij hoc tempore non grauiter peccant contra paupertatis votum, ludis exponendo prouentus commendarum, consanguineos ditando, & ex illis maioratum iustituendo, aut etiam de illis suo arbitratu testando, vt patet, tum ex rationibus allatis, tum quia motus Pij V. quo facultas testandi Commendatariis reuocabatur, non afficit huiusmodi Commendatarios, cum vsu apud ipsos receptus non sit. Tum quia in eo motu sermo est de priuilegiis à Sede Apostolica concessis, non verò de facultate, quam consuetudine acquisierunt. Ob id Gregorius XIII. reuocauit motum Pij V. permissa præfatis Commendatariis testandi facultate, sicut antea testari consueuerant. Ita Ludouicus Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 141. circa medium vers. est vero rigida admodum*, vbi refert alium Molinam Iurisconsultum *lib. 2. de primogen. cap. 9. nu. 69*. Rodriquez *tom. 2. quæst. reg. q. 57. artic. 5*. Sanchez *in opere morali tom. 2. lib. 7. cap. 8. nu. 28. & 29*. vbi plures alios allegat contra Nauar. *de reddit. quæst. 3. menit. 12. num. vnico*, Ayalam apud Rodriquez *loco citato*, Reginaldum *lib. 30. tract. 3. num. 98*. Azorium *prima parte lib. 13. cap. 4. quæsito 8. 9. & 10*. Motam *in libro instruct. vt Commendatarij ad perfectionem, cap. 4. §. 4. num. 49. & seq.* & alios arbitrantes præfatos Commendatarios carere bonorum dominio, consequenter non posse suo arbitratu disponere.

Ad primam rationem dubitandi, respondetur commendas, quæ huiusmodi Commendatariis tribuuntur, non esse beneficia Ecclesiastica, cùm non tradantur titulo spirituali, sed potius sæculari. Præterea etiamsi admittamus esse bona Ecclesiastica, non tamen hinc sequitur ipsos dominio prouentuum carere, nec posse de illis pro libito disponere, vt à simili patet in decimis, quas Summus Pontifex ex bonis Ecclesiasticis percipiendas concedere potest laicis.

Ad secundam respondeo non emittere votum paupertatis perfectæ, sed solum eo modo, quo paupertas apud ipsos in viridi obseruantia est. In hac autem parte paupertas apud ipsos non seruatur.

Hactenus sermonem non fecimus de Commendatariis S. Ioannis Baptistæ, de quibus maior difficultas est, vtrùm adeò stricto paupertatis voto teneantur, vt dominium prouentuum, quos ex commendis percipiunt, aut alia ratione de licentia Supremi Ordinis Magistri possident, possint in quemlibet vsum impendere.

Ratio dubitandi est, quia sunt veri religiosi, & strictam paupertatem polliceri videntur; professionem enim hac verborum formula emittunt. *Ego N. voueo & promitto Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini Genitrici Dei, & Sancto Ioanni Baptistæ, me obseruaturum perpetuo, Deo iuuante, veram obedientiam cuilibet superiori, qui mihi à Deo, & ab ipso Ordine dabitur, item me victurum absque proprio, & castitatem seruaturum.* Huius sententiæ à fortiori videtur esse Nauar. Mota, & Ayala, quos supra retuli. Idem sentire videntur Molina *disp. 141. vers. ad motum proprium*. Non longè ab hac sententia recedere videtur Azor *loco cit. cap. 5. quæs. 2. versic. mea quidem sententia*, vbi censet, votum huiusmodi Equitum ita explicandum, & accipiendum, vt ij quoque liberè, sed bene, & conuenienter rectæ rationi dispensent, & insumant fructus, quos ex annuis redditibus, & aliis rebus sibi à magno religionis Magistro commendatis, vel aliunde percipiunt.

25 Quid de redditibus commendarum, quas possident equites Hierosolymitani.

25 Sed mihi distinguendum videtur, vel loquimur de redditibus Commendarum, vel de aliis pecuniis, & lucris, quæ Equitibus Hierosolymitanis conceduntur. Si loquamur de redditibus Commendarum, censeo præfatos Equites licitè non posse, quod congruæ suæ sustentationi superest, in vanos vsus expendere. Ratio est, tum quia huiusmodi Commendæ perpetuæ reputantur beneficia Ecclesiastica, saltem regularia, & beneficiorum iure gaudent; traduntur enim cum onere officij recitandi, consequenter titulo spirituali. Ergo oneribus aliorum beneficiorum subiiciuntur; consequenter ipsarum fructus, & redditus tradi non possunt consanguineis diuitibus, vel concubinis, & similibus, vt dictum est de beneficiis sæcularibus. Tum quia negandum non est, quin fructus Commendarum sint redditus Ecclesiastici, quos Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 1.* omnino interdicit consanguineis, vel familiaribus tradi. Si verò loquamur de aliis pecuniis, & lucris aliunde perceptis, censeo præfatos milites dominium illorum habere, & posse liberè inter viuos licitè disponere. Ratio est, quia, consuetudine, & experientia teste, non vouent rigidam Clausstralium religiosorum paupertatem, sed eam quæ moribus apud ipsos seruatur. Ita sentire videtur Sanchez *in opere morali lib. 7. cap. 8. num. 36*. Molina *loc. cit. vers. ad motum*, & alij.

Dixi, *inter viuos*, vt aduerterem, de præfatis bonis testari non posse, tum ob paupertatis votum; tum ob Pij V. motum, quem ab ipsis acceptatum esse constat ex ipsa praxi.

Hinc patet responsio ad rationem dubitandi, & ad ea quæ ab aliis Doctoribus afferuntur.

Ex dictis sequitur Commendatarios S. Ioannis Baptistæ, qui vltra sui status conditionem, pecuniam ex Commendis perceptam ludo exponunt, aut in vsus vanos impendunt, grauiter peccare; faciunt enim contra strictum Tridentini præceptum, quamuis validè exponant, nec contra voti obligationem facere videantur; cùm non adeò strictam profiteantur paupertatem, quam ceteri Clausstrales religiosi in professione pollicentur. Idem à fortiori dicendum est de aliis pecuniis, quæ aliis iustis de causis Equitibus Hierosolymitanis permittuntur. Ita sentire debent Vasquez, Sotus, Sanchez, & alij, qui dominium prouentuum Episcopis religiosis competere non negant, contra Reginaldum, Nauar. & alios *locis supra citatis*.

PVNCTVM III.

Vtrùm beneficiarius testari possit de beneficij fructibus, & prouentibus, eosq; consanguineis relinquere.

SOlutio istius puncti facilè colligi potest, tum ex traditis in præcedentibus punctis; tum ex dictis *de contractibus disp. 3. quæst. vltim. punct. secundo, num. 3. & 4*. Eadem nihilominus hic repetam, cùm etiam huius loci propria sint.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Beneficiarius ex iure antiquo non potest de beneficij fructibus testari & disponere ad causas profanas.

1 BEneficiarius, attento iure communi antiquo non potest de beneficij fructibus testari & disponere ad causas profanas. *cap. 1. 12. quæst. 4. cap. 1. 12. quæst. 5. cap. relatum 2. de testam. cap. 1. de peculio Cleric.* Ita Molina, Nauar. Couar. Moneta, Garzias, Filliucius, [Paulus Layman,] & alij communiter. Ratio est, quia licet beneficiarij sint domini fructuum, nihilominus impediti, & prohiberi potuerunt, ne eo dominio vterentur in certo casu, sicut iure ciuili factum est cum impubere, & aliis.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Hoc tamen potest ex priuilegio, & consuetudine pluribus in locis acceptata validè facere.

2 BEneficiarius ex priuilegio, vel consuetudine pluribus in locis recepta, potest etiam ad causas profanas de beneficij fructibus validè testari. Ratio est, tum quia huiusmodi consuetudo potuit induci, cùm iuri diuino, vel naturali non aduersetur; alioquin neque Summus Pontifex posset Clericis testandi facultatem concedere. Tum quia beneficiarij sunt domini fructuum, & prouentuum beneficij. Dominus autem de rebus suis ad libitum disponere potest, nisi lege, vel præcepto prohibeatur. Ita Lessius *lib. 2. ca. 4. dub. 6. ad finem*; Molina, Mantica, & alij, quos retuli *de contract. loc. cit.* quibus adde Gonzalez *ad reg. 8. §. 7. num. 165*. Monetam *de distribut. 3. parte quæst. 2. num. 7*. Iulium Clarum *de testament. quæst. 27*. Azorium *loco citat. cap. 8. quæst. 10*. Garziam *loco citat. num. 11. & 16*. Couar. *cap. cùm in officiis. num. 9*. Marsilium Columnam *de reddit. cap. 36*. Ceuallum *opin. commun. quæst. 388*. Reginaldum *lib. 30. tract. 30. num. 112*. Filliucium *loco cit. num. 40*.

3 Consanguinei validè succedunt ab intestato in ipsis fructibus beneficiarij.

3 Adde beneficiarium attenta consuetudine loci, in quo spoliorum vsus non adest, non solum posse validè de beneficij fructibus, aliisque bonis ex beneficij fructibus acquisitis testari, illaque consanguineis ad causas profanas relinquere; verùm etiam ipsosmet consanguineos beneficiario decedenti ab intestato in huiusmodi bonis succedere. Ratio est, quia consanguinei succedunt in bona, quorum dominium beneficiarius habebat, sed beneficiarius dominium habebat, non solùm distributionum, verùm etiam prouentuum, aliorumque fructuum beneficij. Ergo beneficiario intestato decedenti consanguinei succedunt in distributionibus, fructibus, & prouentibus beneficij. Ita Molina *disputat. 147*. Azor. *2. parte lib. 7. cap. 9. quæsito 1. vers. in hac quæstion*. Lessius *lib. 2. cap. 19. dub. 4*. Garzias *loco citato*, Rota Roman. coram Seraphino *decision. 594. num. 6*. Redoanus, Gigas, & alij apud Monetam *3. parte quæst. 3. numer. 8*. contra Nauar. *de redd. quæst. 3*. [Paulum Layman *lib. 4. tractat. 2. cap. 3. num. 7.*] & Monetam *loco citato num. 2*. aliter sentientes de beneficij fructibus. Et hoc procedit etiamsi beneficij redditus, vel distributiones ob exactionis difficultatem diu exactæ non fuerint; nam impedito non currit tempus, & ei, qui non valet agere, non currit præscriptio, *l. 1. C. de annali except.* Ita Moneta *numer. 17*. loquens de distributionibus, vbi etiam docet beneficiarium, eiusue heredes, statim ac agere possunt, non amittere actionem agẽdi, nisi spatio triginta annorum, *l. sicut in rem, C. de præscript. 30. vel. 40. annorum*. Verùm quid nobis in hac re sentiendum sit, constat ex dictis *de præscript. in tract. de contract.* ad quæ me remitto. In quam verò partem heredes beneficiarij succedant, constabit ex infra dicendis.

TERTIA PROPOSITIO.

4 Beneficiarius potest non solum

4 BEneficiarius non solùm validè, verùm etiam licitè potest testari de bonis patrimonialibus, vel quasi, aut de fructibus beneficij ne-

validè, sed etiam licitè testari de bonis patrimonialibus, & quasi, & de fructibus beneficij necessariis ad congruam sui, & suæ familiæ sustentationem, vbi consuetudo inualuit, vt beneficiarij testentur. 5 De fructibus superfluis nō potest beneficiarius licitè testari. 6 Ad quas distributiones, vel fructus ius habeat succedens beneficiario testato, vel intestato. 7 In quam partem fructuum beneficiarius habeat ius.

necessariis ad congruam sui, & familiæ sustentationem, vbi consuetudo inualuit, vt beneficiarij testentur. Hæc conclusio patet ex supradictis, vbi docui beneficiarium posse ad libitum de huiusmodi bonis disponere. Idemque sentiunt Couar. *c. cùm in officio*, [Paulus Layman *lib.4.tract.2.cap.3.num.6.*] Roias, Simancas, & alij, quos citat, & sequitur Garzias *de benef.2.part.cap.1.num.19.* asserentes beneficiarium non solum posse prædicta bona consanguineis, etiam diuitibus, relinquere, verum etiam teneri, modò sint heredes necessarij, vt filij, vel descendentes legitimi, aut ascendentes, vt pater, mater, auus, &c.

5 Si verò loquamur de fructibus congruæ sustentationi superfluis, arbitror beneficiarium non posse licitè de huiusmodi bonis testari: tum quia licet aliquibus in locis consuetudine inductum sit, vt beneficiarius validè, aut etiam licitè testetur de bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, aut de bonis, quæ congruæ suæ sustentationi, parcè viuendo, subtraxit; tamen id vsu receptū non est, quoad causas profanas in beneficij fructibus, qui congruæ sustentationi necessarij non sunt. Idemque constat ex Trid. *sess.2. cap.1. de reformat.* & ex iis, quæ tradidi *de contract.quæst.vlt.punct.2.n.3.* & 4. cum Lessio *lib.2.cap.19.dub.4.* Nauar. & Molina, quibus adde Vasquez *loco citato, dub.4.* Molfesium *loco cit.n.55.* Filliucium *tract.41.cap.6.quæsito 8. numer.41.*

6 Quæres ad quas distributiones, vel fructus ius habeat heres, qui beneficiario testato, vel intestato decedenti succedit.

Respondeo in eam distributionum partem succedere, quæ beneficiario vsque ad mortem competebat; nam illud iuris habet heres, quo defunctus gaudebat, nec plus iuris acquirit, quàm in ipsum à prædecessore transmitti possit, *cap.nemo potest, de reg.iur. in 6.* Prædecessor autem ius ad distributiones habebat pro rata temporis, quo diuinis officiis interfuit realiter, aut fictione iuris, iuxta dicta *de distribut.punct.4.*

7 Sed modò dubium est primò, in quam fructuum partem beneficiarius haberet ius.

Respondent aliqui Doctores habere ius in fructus pro rata temporis, seu anni; cùm enim beneficium detur propter officium, & seruitium, par est, vt fructus distribuantur pro rata temporis seruitij. Ita Couar.1.*parte cap.15.num.12.* Parisius, & alij apud Garziam *num.97.* apud Filliucium *tract.41.cap.6.quæsito 6.numer.44.* [& apud Paulum Layman *lib.4.tract.2.cap.3.num.10.*]

Ego verò censeo id quidem valere in locationibus domorum, & similibus, in quibus sua portio singulis diebus respondet, vt dicam dubio sequenti. Secus de fructibus qui à terra colliguntur; arbitror enim beneficiarium prædecessorem ius ad eos fructus habere, qui vsque ad tempus mortis è solo separati erant; licet fortè nondum reconditi, nec in horreum translati fuissent, iuxta Rotæ decisionem *in vna Faren.pensionis 19.Iunij 1573.* apud Garziam *num.95.& 109. in altera Mediolanen.fructuum*, quam, vtpote magistralem, statim de verbo ad verbum referam, & *in alia Varmien.fructuum 24.Maij 1611.* coram Reuerendissimo D.Pirouano, & iuxta Concilium Prouinciale septimum Mediolanen. *tit. de fruct. Ecclesiast.* & iuxta multorum Doctorum opinionem apud Monetam *distribut.3.parte quæst.4. numer.23.* quibus adde Gomezium, Molinam, & alios, quos ego in simili adduxi *de contract.disp.3.quæst.3.punct.7.§.1.nu.8.* omissis quamplurimis aliis relatis à Garzia *2.parte c.1.num.95.*

Ad hanc rem probandam veniam peto recedendi à consueto meæ breuitatis vsu in referenda ad verbum decisione Rotæ *in vna Mediolan.fructuū, Lunæ 9.Martij 1592.* In eo enim casu quærebatur, vtrùm probata esset consuetudo, vel stylus, quo in ditione Mediolani beneficiarij decedentes fructus beneficiorum recollectos, & à solo separatos ad heredes, non autem ad successores transmittant, & domini vnanimiter affirmatiuam amplexi sunt. Moti fuerunt, quia non agitur de fructibus pendentibus, & à solo nondum separatis, quos indubitatum est ad successores in beneficio pertinere, gloss. *in cap.præsenti, cum ibi notatis, de officio Ordin. in 6.* Card. & alij. *in cap. fin. de pecul.* Bald. *in cap.quæ in Ecclesiarum, n.28. verſ. sed statim quæret, de constitut.* Salyc. *in l.si pater. C. de vsufruct.* de communi testatur Dec. post Imol. *in c.si propter, nu.9. de rescrip. lib.6.* Tiraq. *ad ll. connub. gloſ. 4. sub n.1.* Calder. *conſ.2. eo tit.* Iason *conſ.75. col.2. lib.3.* sed de fructibus recollectis, & in horreis reconditis, quos certum est de iure communi ad heredes spectare. gloss. & Doctores *in dicto cap. fin. de pecul. Cler.* Couar. *lib.1. variar. resol.c.15. sub num.2.* & latissimè Nauar. *de reddit. Ecclesiast.quæst.2.monit.3.& seq.* ex quo statim atque fuerunt à solo separati, dicuntur à beneficiario percepti. Tiraquell. *de retract. conuent.§.5.gloss.4. sub nu.1.* Couar. *lib.3. var. resol.cap.15. sub num.12. verſ. veritas tamen est.*

Ad exclusionem autem fundamenti Illustrissimi Domini Commendatarij Extrauaganti Iulij III. innitentis, quæ vult, fructus beneficiariorum non exactos in locis, in quibus non adsunt Cameræ Apostolicæ Collectores, vt est status Mediolanen. successoribus deberi sufficit, si per heredem excipiatur eam in Mediolanen. statu non fuisse receptam; hæc tamen præsumptio potest alia præsumptione contraria elidi. *l. diuus, de restit. in integ.* & multò magis contraria probatione.

8 Ad quā partem beneficiarius haberet ius ex bonis locatis, & cōsequenter quod ius competat heredi, dū bona beneficij locata erant pro certa pēsione singulis annis soluenda.

8 Secundò dubium est, ad quam partem beneficiarius haberet ius ex bonis locatis, & consequenter, quod ius competat heredi, dum bona beneficij alteri locata erant pro certa pensione, singulis annis soluenda.

Respondeo distinguendo iuxta dicta *de contract. loc. cit.* cum Molin. Gomezio, & aliis, vel pensio exigitur pro vsu rei, vel pro fructibus. Si exigitur pro vsu rei, heres habet ius ad ratam temporis, quo prædecessor vixit, durante locationis contractu, pro quo pensio soluitur. Nam prædecessor ad illud vsque tempus ius ad huiusmodi pensionem habebat. Cùm enim pensio soluatur pro vsu, qui est veluti fructus rei locatæ, & hic quotidie percipiatur, par est vt pensio ad ratam temporis soluatur, vt benè in hac parte argumentantur Couarr. *1.var.cap.15.num.4.* Vasquez *de reddit.c.4.§.1.dub.5.num.14.* & 15. & alij Doctores citati. Idem in censibus, seu redditibus annuis ex censu vitalitio debitis, & in aliis libellis annuis pro vsu pecuniæ constitutis, vt sunt loca montium, & similia, seruandum esse docet Peregrinus *de fideicom.art.49.n.100.* Couar. *1.var.c.15.* Naldus *ver pensio, num.9.* & alij. Si verò pensio exigitur pro fructibus, titulo simplicis locationis, heredi competit ius in fructus, qui tempore mortis beneficiarij à solo separati erant; nam huiusmodi pensio vicem fructuum gerit, sed heredi competit ius in fructus, qui à solo separati erant tempore mortis beneficiarij. Ergo heredi competit ius in pensionem, quæ respondet fructibus à solo separatis eo tempore, quo beneficiarius prædecessor ex hac vita decessit.

Ex quo patet primò quo pacto facienda sit diuisio inter beneficiarium antecessorem, seu ipsius heredes, & inter beneficiarium successorem, seu inter renuntiantem, & eum, cui denuò confertur beneficium. Consule dicta *de contract.loc.cit.* decisiones Rotæ superiùs allatas, præterea Gutierez *lib.1 canonic.q.c.3.* Molinā *tom.3. de iust.disp. 635.* Garziam *n.108.* Couar. *1.var.ca.15.n.13.* Monetam *de distribut.3. part.quæst.4. sub finem*, Surdum *tom.1. conſ.84.* Quamquam Molfesius *numer.63.* Vasquez *de reddit. cap.2.§.2.dub.6.* Bart. *in l. diuortio, num.12. ff. soluto matrimonio.* Garzias *num.96.* Antonius Genuensis *in praxi Neapol.c.53.* Filliucius, & alij arbitrantur fructus beneficij diuidendos esse inter beneficiarij heredes, & successorem in beneficio ad ratam temporis, ad quod vsque prædecessor possedit beneficium, ita vt fructus tradantur heredibus ad ratam temporis vsque ad diem, in qua beneficio cessit per mortem, aut alia ratione; ab eo verò tempore tradantur successori. Ratio est, tum quia hoc pacto fit diuisio inter maritum, & vxorem facto diuortio, *l. diuortio, ff. soluto matrimonio.* Ergo etiam fieri debet inter heredes prædecessoris beneficiarij, & inter successorem, cùm beneficiarius onera beneficij sustinens assimiletur marito, qui onera sustinet matrimonij: tum quia qui diuinum Officium prætermisit, hoc pacto in restitutione facienda rationem habet fructuum perceptorum, & percipiendorum.

Verùm hæ rationes non obstant. Ad primam enim respondetur, non esse faciendam illationem à disparatis, nec in legum dispositionibus à simili argumentandum, vt docui *de legibus.* Ita respondere videtur Rota Romana *in vna Pharen. Pensionis 19. Iunij 1573.* coram Clemente VIII. cuius decisionis verba refert Garzias *loco citato, numer.109.*

Ad secundam dico computationem in omissione diuini officij eo pacto fieri, quia beneficiarius verisimiliter putat se omnes fructus percepturum, secus faceret, si re ipsa non perciperet. Vide quę tradidi *in tractatu de Horis Canonicis.*

Secundò patet differentia inter fructus, & cēsum annum, seu pensionem, quæ ex locatione domorum, & similium percipitur.

Hæc tamen quæ diximus, non militant in canone, qui ab emphyteuta soluitur. Ideo Moneta *num.24.* & Surdus *loco cit.num.4.* & alij obseruant canonem, seu pensionem, quæ ab emphyteuta soluitur in recognitionem dominij directi, illi solùm deberi, qui beneficium possidet eo tempore, in quod solutionis dies cadit, nam dominus eiusmodi nullos alios fructus, præter canonem percipit; dominium enim vtile in emphyteutam translatum est. Cùm autem canon non soluatur loco fructuum, sed ipse sit quidam fructus, in recognitionem dominij soluendus, sequitur canonem soluendum esse illi, qui beneficium ea die possidet, in quem solutio cadit; consequenter canonem non esse diuidendum inter antecessorem, & successorem, sicut diuidi consueuerunt beneficij fructus, & annui redditus, vt optimè sanxit Concilium Prouinciale VII. Mediolanen.

Tertiò patet optimam fuisse constitutionem Concilij Prouincialis VII. Mediolanen. *titul. de fructibus Ecclesiast. Si verò*, vbi agit non solùm de diuisione fructuum, & prouentuum; verùm etiam præscribit modum alendi successorem, qui onera sustinere debet illius beneficij, ex quo antecessor fructus percepit. Concilium enim sic loquitur: *Fructus omnes à solo separatos, etiamsi nondum exacti fuerint, aut recogniti, modò illos beneficiati heredes, priusquam maturi essent, in successoris præiudicium à solo minimè separauerint, & parte colonica dumtaxat excepta, heredibus ipsis; pendentes autem successoribus in beneficio, excepta item parte colonica, adiudicamus; quòd si fructus omnes cùm beneficiatus obiit, à solo separati fuerint, omnes quidem heredum sint, ij tamen oneribus beneficij satisfacere; ac si parochialis Ecclesia sit, vel beneficium requirat residentiam personalem, successori eam partem relinquere tenebuntur, quæ Ordinarij arbitrio definienda, ad ipsius victum, & reliqua onera sustinenda, vsque ad nouos fructus sufficiat, habita temporis, & quantitatis annui redditus ratione.*

Si verò fructus in aliis locationibus, annuis censibus similibusq; consistant, ad ratam temporis diuidantur. Pensiones autem pro fructibus bonorum simplici locationi debitæ, & loco fructuum succedentes, siue dies solutionis cesserit, siue non, ad eum omninò pertineant, ad quem fructus pertinere supra decretum est.

Quod verò ad eas alienum ratione beneficij per beneficiatum contractum attinet, cuiusmodi sunt decimæ, pensiones non solutæ, salarium coadiutoris, reparationes bonorum immobilium, ornamenta Ecclesiæ, aliaque huius generis, si superioribus annis contractum appareat, ipsius beneficiati heredes creditoribus integrè satisfaciant. Si vero eo anno, quo ipse decesserit, fructuum perceptorum, & temporis rationem habebit Episcopus, vt scilicet pro rata fructuum, quam quisque perceperit, & temporis quo nouis fructus percipientur, alienum ea persoluatur. Hæc Concilium Prouinciale VII. quæ spectata consuetudine, & æquitate, iure meritò sancita sunt, nec solùm Mediolanensem diœcesim, verùm etiam finitimas vrbes & oppida in Prouincia Mediolanensi existentia afficiunt, iuxta propriam Conciliorum Prouincialium naturam, & rationem.

PVN-

PVNCTVM IV.

Vtrùm beneficiarius, qui beneficij fructus suæ congruæ sustentationi superfluos in profanos vsus erogauit, ad restitutionem teneatur.

VNICA PROPOSITIO.

1 Beneficiarius beneficij fructus superfluos expendens in profanos vsus, non tenetur ad restitutionem.

1 BEneficiarius, qui beneficij fructus sibi superfluos expendit non in pios, sed in profanos vsus, non tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia beneficiarius est dominus fructuum beneficij; is autem non tenetur ad restitutionem, qui rem suam distraxit; sed qui alienam, aut alteri debitam. Ita Couar. *cap. cùm in officiis, num. 3. de testamentis*, Sotus *de iust. quæst. 4. art. 3.* Lessius *lib. 2. c. 4. nu. 43.* Reginaldus *lib. 30. tract. 3. num. 83.* Molfes. *nu. 50.* Molina *loco cit. disp. 144. vers. his ita constitutis.* Bannes, Arragon. Valentia, Garzias, *locis cit.* & alij recentiores communiter, contra Nauar. *de reddit. Ecclesiast.* Beiam *loc. citat.* [Paulum Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 3. numer. 3. quæs. 2.*] & alios apud Molinam *loco cit.* & apud Beiam *pagina mihi 266.*

2 Neque qui fructus à beneficiario accepit tenetur illos restituere.

2 Ex quo patet à fortiori eum, qui fructus à beneficiario accepit, non teneri ad restitutionem, nam acceptio ipsius non est magis peccaminosa, quàm traditio beneficiarij. Ita Lessius *lib. 2. cap. 19. dub. 4. numer. 48.*

Addo etiam excusari heredem à culpa capiendo fructus, seu bona beneficiarij, dum illi ex testamẽto, vel ab intestato succedit, nam obligatio expendendi beneficij fructus in pios vsus, est personalis, pertinens ad solum testatorem. Ergo heres non peccat illos capiendo. Fieri tamen potest, vt priùs peccauerit, si beneficiarium induxit ad testandum ad profanas causas de superfluis beneficij fructibus; tunc enim cooperatur peccato beneficiarij, vt patet ex regulis generalibus traditis *de legibus*, cum Sanchez, & aliis, idemque in terminis tradit Lessius *loco cit.*

Obiicies primò, in primitiua Ecclesia facta fuit fructuum Ecclesiasticorum diuisio in tres partes. Prima vsibus pauperum deputata fuit. Secunda constituta fuit in reparationem Ecclesiæ, & beneficiorum. Tertia in commodam beneficiariorum sustentationem. Hoc posito sic argumentor. Quod in alterius vsum deputatum est, non potest sine violatione iustitiæ, ex qua restituendi obligatio consurgit, ad alium vsum applicari; sed beneficiarius profanè insumens fructus beneficij superfluos, eos non applicat ad vsum ad quem deputati sunt. Ergo peccat contra iustitiam; consequenter ad restitutionem obligatur.

Respondeo hanc obiectionem procedere habita ratione prouentuum Ecclesiæ, antequam beneficia constituerẽtur; tunc enim erant bona communia, & eorum applicatio, & insumptio seruanda erat iuxta præfatam diuisionem. Verùm post erecta beneficia Clerici vitam in communi non amplius degunt, nec beneficiorum prouentus sunt bona communia; consequenter beneficiarij non tenentur hoc tempore ex obligatione iustitiæ, beneficiorum fructus in pauperes, & pios vsus insumere; cùm illa portio, quæ antiquitus pauperibus conferenda erat, translata fuerit & commutata in alia beneficia, vel loca pia. Ita Sotus 10. *de iust. quæst. 4. art. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 6. n. 43. & cap. 19. dub. 4.* Molina *loco citat. vers. his ita, & vers. ad primum*, vbi respondet argumentis contrariæ sententiæ; Vasquez *loc. cit. dub. 1.* Molfesius *n. 52.* Reginald. *n. 80.* & alij Doctores supra citati.

Obiicies secundò, fructus beneficiorum appellantur bona Ecclesiç, bona pauperum, patrimonium Christi, &c. sed bona Ecclesiæ, pauperum, & Christi non possunt sine peccato contra iustitiam in profanos vsus insumi. Ergo.

Respondeo huiusmodi fructus, post beneficiorum erectionem, non ita censeri bona pauperum, quin beneficiarij dominium illorum acquirant, & validè possint ad libitum insumere; quamuis grauiter peccent profanè distrahendo, vt dictum est. Quamobrem sacri canones fructus beneficij vocant bona pauperum, non vt indicent obligationem iustitiæ, sed strictum onus, quo ex charitate obligantur fructus sibi superfluos in pia opera erogare; sicut etiam beneficiarij profanè insumentes beneficij fructus, appellari consueuerunt fures, non quia furti malitiam incurrant, cùm dominium fructuum habeant, sed quia grauiter peccant; sicut mortaliter peccat fur, rem alienam inuito domino contrectando; quamquam in diuerso peccati genere delinquunt. Præfata etiam bona vocantur patrimoniũ Christi, quia in Christi honorem, & cultum tradita fuerunt. Ita Doctores citati.

Obiicies tertiò, beneficiarius non est dominus bonorum Ecclesiæ, sed vsuarius, vel vsufructuarius. Ergo non potest absque peccato iniustitiæ, & obligatione restituendi de beneficij fructibus ad profanas causas validè disponere.

Respondeo, beneficiarium non esse quidem dominum bonorum immobilium Ecclesiæ, quia non habet de illis disponendi facultatem, esse tamen vsufructuarium, & non simplicem vsuarium; consequenter posse absque culpa iniustitiæ validè de fructibus sui beneficij disponere. Vt hoc clariùs intelligatur, aduertendum est quid sit vsus, & vsusfructus. Vsusfructus est ius vtendi, & fruendi aliena re, salua illius substantia. *Institut. de vsufructu, in princ.* Vsus verò est ius solùm vtendi aliqua re, salua illius substantia. *Institut. de vsu, & habitatione, in principio.* Ex quo patet differentia inter vsum, & vsumfructum, quòd licet vtrũque sit ius vtendi, tamen vsusfructus est etiam ius fruendi. Quamobrem is, cui conceditur vsus alicuius rei, potest quidem re illa vti, non tamen potest vsum illius rei vendere, locare, aut gratis concedere, cùm habeat solùm illius rei vsum. Qui verò habet vsumfructum, non solùm potest re illa vti, verùm etiam frui, id est, percipere quicquid emolumenti ex re illa percipi potest, nisi à iure prohibeatur; consequenter fructus illius alienare potest. Alioquin non diceretur re illa frui, seu percipere quicquid emolumenti ex re illa percipi potest, vt benè obseruat Castello *lib. 1. de vsufructu*, & Sanchez *in opere morali lib. 7. c. 13. n. 2.* Propterea beneficiarius dicitur vsufructuarius, & non tantùm vsuarius bonorum beneficij; fructuum verò, & emolumentorum est dominus, vt probaui *punct. 1.*

TRACTATIO,

SEV

DISPVTATIO QVINTA

De onere, & obligatione beneficiariorum ad residendum.

QVinque principaliter in hac disputatione explicabo. Primò, quid sit residentia. Secundò, quinam residere teneantur. Tertiò, quo iure beneficiarij teneantur in loco beneficij residere. Quartò, quam culpam & pœnam incurrant beneficiarij, qui in loco beneficij non resident. Quintò, quandonam beneficiarij non residentes excusentur à culpa, & pœna.

PVNCTVM I.

Quid sit residentia.

VNICA PROPOSITIO.

1 Residentia est persistentia in loco, in quo quis habet beneficium.

1 REsidentia est persistentia in loco, in quo quis habet beneficium, consequenter ille dicitur non residere, qui non habitat in loco beneficij, vel ab eo longè distat. Ex quo patet differentia inter absentiam à Choro, & non residentiam: quòd ille dicitur non residere, qui non habitat in loco, in quo est Ecclesia, in qua beneficium possidet; ille verò dicitur abesse à Choro, qui diuinis officiis non interest, nec inseruit, quamuis in eodem oppido existat. Ita Azor. *lib.7.cap.7. quæs.5.* Quaranta *verb.residentia*, Couar. *3.var.c.13.n.3.* Cassador. *dec.1.de cler.non resid.* [Nauar. *lib.3.conf.13.de cler.non resid.* Paulus Layman *lib.4.Theolog.mor.tr.2.c.6.n.1.*] & alij communiter apud Monetam *de distribut.1.part.q.4.n.18.& 2.parte quæst.5.n.17.* & apud Carolum Macignum *de Horis Canonicis c.71.n.3.*

2 Parochus num residere dicatur, si sit extra fines parochiæ, etiamsi nõ multum ab ea distet.

2 Sed modò dubium est primò, vtrùm parochus residere dicatur, dum non multum à parochia distat, licet intra parochiæ fines non commoretur.

Respondeo non dici residere, si à parochiæ terminis adeò distet, vt facilis ad ipsum aditus parochianis non pateat, hic enim neque corpore, neque effectu, ob quem iniunctum, & inuctum est residentiæ munus, residere dicitur. Secus si ad eum locum diuertat, in quo parochiani facilè queant ad parochum recurrere pro subleuanda spirituali necessitate, & sacramentis suscipiendis. Ratio est, tum quia quod parum distat, nihil distare videtur, & parum pro nihilo reputatur; tum quia huiusmodi absentia non aduersatur fini, quem residentia respicit. Ergo neque aduersatur ipsi residentiæ, seu obligationi residendi; tum quia sequeretur, parochos non residere, dum in vrbe existunt extra fines propriæ parochiæ. Ita Beia *4.parte casu 21.sub finem, vers. Etsi dubites.*

3 Ille dicitur residere, qui intra parœciæ fines moratur, quouis in loco existat.

3 Hinc sequitur primò illum dici residere, qui intra parœciæ terminos commoratur, quouis in loco existat. Satius tamen, & longè melius est, vt parochus prope Ecclesiam commoretur, in qua suis subditis Sacramenta commodè administrare possit, iuxta declarationem sacræ Congregationis, & acta Ecclesiæ Mediolanensis. Ob id etiam habens duas parochias vnitas, vnam principalẽ, & digniorem altera, debet potius in digniori residere, quam in altera. Si verò vtraque sit æquè principalis, potest, in qua maluerit, residere. Ita Garzias *n.179.* Barbosa *de potestate Episcopi alleg.43.n.8.* Beia *loco cit. vers. quoties*, & alij.

4 Qui à parœciæ ambitu parum distat, dicitur residere.

4 Secundò sequitur iuxta eumdem Beiam, illum dici residere, qui à parochiæ ambitu parum distat; tum quia qui parum distat, nihil distare videtur; tum quia huiusmodi distantia in notabile subditorum incommodum vergere non videtur, per se loquendo. Secus si tribus, aut quinque milliaribus à parochiæ finibus absit: nam fieri potest, vt subditi ob huiusmodi distantiam graue detrimentum patiantur, & salutis periculum, dum tantum itineris peragitur, aliquando subeant. Ita Garzias *3.parte c.2.n.179.* Barbosa *de potest. Episcopi alleg. 43.n.74.* & alij.

5 Quid de eo, qui aliquibus diei horis extra parœciæ ambitum se confert.

5 Secundò dubium est, vtrùm is residere dicatur, qui aliquibus diei horis extra parœciæ ambitum se confert.

Respondeo affirmatiuè, etiamsi hoc faciat recreationis causa. Ratio est, tum quia nullus sibi hac in re peccati conscientiam facit, dum nullum subest periculum, vt subditi spirituale detrimentum patiantur; tum quia modicum pro nihilo reputatur, & qui aliquantisper abest, si statim sit reuersurus, non videtur abesse, vt cum veteri canonum sententia tradit Tridentinum *sess.23.cap.1.* & constat ex *l. post liminiũ, & l.nihil, ff.de captiuis, & postliminio reuers.* vide Gonzalez *reg. 8.glos.43.num.5.*

Hinc colligi posse videtur, eos non reputari absentes, qui iuxta receptam consuetudinem ad funera in vicinioribus oppidis ducenda, vel ad anniuersaria officia celebranda, vel ad menstruas congregationes eodem die reuersuri, diuertunt.

PVNCTVM II.

Quinam residere teneantur.

VNICA PROPOSITIO.

1 Omnes, & singuli beneficiarij, qui onus per seipsos in loco beneficij exercere tenentur, ad residentiã obligãtur.

1 OMnes, & singuli beneficiarij, qui onus per seipsos in loco beneficij exercere debent, ad residentiam obligantur. Ratio est, quia beneficium datur propter officium, *c.fin .de rescript. in 6. & cap. quia nulli, de Cleric.nõ resident.* Si ergo officium præstari nequeat absque residentia, sequitur beneficiarium teneri ad residentiam; nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media.

Ex quo sequitur primò, habentes parochiales Ecclesias, aut etiam Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, teneri in loco beneficij residere, etiamsi consuetudo ante Concilium inducta fuisset non residendi. Secundò habentes præstimonia, aliaque simplicia beneficia non teneri in loco beneficij residere. Ita Garzias *3.part. c.2.n.4.* Azor. *2.par.lib.7.c.3.* Filliucius *3.par.tract.41.c.6.quæs.6.* Barbosa *3.part.alleg.43.n.18.& seq.* [Paulus Layman *lib.4.tract.2.c.6.nu. 2.*] Parisius, Vasquez, Gonzalez, & alij, quos referam *punct. 2. dub. 1. post 2.propositionem.*

2 Parochus existens in parochia, sed munus parochiale non exercens, an residere dicatur.

2 Sed modò dubium est primò, vtrùm parochus, dum in parochia, vel prope parochiam existit, sed parochiale munus non exercet, satisfaciat præcepto residentiæ, & fructus percipere possit.

Respondeo parochum, dum intra parochiæ ambitum commoratur, sed animarum curam non exercet, non satisfacere præcepto residendi, quia perinde est, ac si non resideret; consequenter ad restitutionem fructuum eo tempore perceptorum obligatur; tum quia qui non facit quod debet, non recipit quod oportet; tũ quia stipendium datum ob causam, causa non subsecuta, retineri non potest. Ita Lessius *lib.2.c.34.dub.29.n.159.* Azor. *loc.cit.* Sylvester *verb.residentia initio,* Posseuinus *de officio Curati, c.1.n.11.* Reginaldus *lib.30.tr.3.nu. 60.* Sotus *lib.10.de iustitia, q.3.art.1.* Vasquez *de benef.c.4.§.2.art.1.dub.1. ad finem, n.133.& art.2.n.181.* [Paulus Layman *loc.cit.n.6.*]

3 Parochus curam animarum per alium exercens, an satisfaciat præcepto residendi

3 Secundò dubium est, vtrùm Parochus, qui intra parochiæ fines commoratur, sed animarum curam per alium exercet, satisfaciat suæ obligationi.

Respondeo, regulariter loquendo, non satisfacere formaliter suæ obligationi, quia obligatio parochi est, vt resideat, & per seipsum curam animarum exerceat, quantum commodè potest, ipsi enim animarum custodia demandatur. Et sicut onus persoluendi horas canonicas, personale est, nec per alium adimpleri potest: ita obligatio residentiæ, & munus administrandi Sacramenta ex officio incumbit personæ parochi; consequenter per ipsum exerceri debet, quantum recta ratio, & prudentia dictauerit, sine subditorum detrimento, & subditis non reclamantibus. Ita Beia *loco cit. vers. ad id verò,* Couar. *3. variar.c.13.n.8.* Vasquez *de beneficiis c.4.§.2.art.2.dub.1.n.181.* & alij, quos retuli *de Sacramentis disp.4.quæst.5.punct.1.num.14.*

Hinc sequitur primò, parochum, qui omnia parochialia munera per Capellanum sine legitima causa præstat, grauiter peccare, quia facit contra propriam obligationem in materia graui. Ita Beia *loc.cit.*

Secundò à fortiori sequitur, curatores animarum, in loco beneficij non residentes, non satisfacere muneri suo substituendo alios, qui munus curatoris sustineant, *c.extirpanda, de præbend. & c.quia nonnulli, de Cleric.non resid.* ex Tridentino *sess.6.c.1.* Ratio est, tũ quia æquum non est, vt vnus, beneficium habeat, & alter onera subeat; sicut æquum nõ est, vt quis stipendium Gubernatori vrbis debitum accipiat, & per alium gubernet, nisi necessitas cogat, vt per alium gubernet; tum quia onus parochiale est debitum personale, consequenter per alium, per se loquendo, adimpleri non potest (etiamsi fortè substitutus, seu subrogatus sit magis idoneus; hoc enim per accidens est, & non tollit obligationem personalem.) Ita Sotus *lib.10. de iust. quæst.3.art.1.* Caiet. *2.2.quæst.185.art.5.* Valentia *tom.3.disp.10.quæst.3. punct.5.* Gonzalez *ad reg.8.glos.24.n.139.* Sanchez *in opere morali lib.4. c.37.n.15.* Comitolus *responsionum moralium lib.1.quæst.59.n.1.* Molfesius *c.11.n.12.* Nauar. *c.25.n.121.* Reginaldus *lib.30.cap.5. numer. 52.* Azor. *2.part.lib.7.c.4.* Naldus *v.residere,* Caietan. *2.2.quæst.18.art.5.* Beia *4.part.casu 21.ad finem.* Garzias *3.parte, c.2.n.16.* Lessius *lib.2.ca. 34.dub.28.n.153.* Barbosa *de potest.Episcop.3.part.alleg.43.n.2.* Vasquez *de benef.c.4.§.2.dub.1.n.123.* & Sanctarellus *in lib.variar.resolut.quæst. 1.num.1.* & alij apud præcitatos Doctores.

4 Parocho aliquando licet vti opera alterius Sacerdotis in cura animarum.

4 Dixi in responsione dubij *2.regulariter loquendo*, vt innuerem Parocho licitum esse, aliquando vti alterius Sacerdotis opera in animarum cura administranda, vt in Confessionibus excipiendis, in Eucharistia ad infirmos deferenda, & similibus, modò subditi non contradicant, nec vllum damnum inde accipiant. Ratio est, tum quia hoc onus non est ita personale, sicut est onus recitandi Canonicas preces, vt ipsa experientia docet, alioquin parochi numquam possent hoc onus alteri demandare; tũ quia fieri potest, vt subditis æquè benè per Capellanum, ac per ipsummet parochum consulatur; tum quia ad hoc facit regula iuris in *6. Qui per alium facit, per seipsum facere censetur.*

5 Qui legitimè potest constituere sibi Vicarium in cura animarum, eo viuente, non tenetur residere.

5 Concedo etiam habentem Ecclesiam parochialem, in qua Vicarium perpetuum legitimè instituit obtinuit, non teneri eo viuente residere. Ita declarauit Sacra Congregatio, testibus Gonzalez *reg. 8. glos.6.*

glos.6.n.99. Barbosa *ad sess.23.c.1.n.2.* Garzia *loco supra citato, nu.175.* Hoc tamen intellige cum eodem Garzia *n.173.* modò tota cura animarum translata sit in coadiutorem, abdicata à Parocho administratione; nam Parochus, cui animarum onus, & cura adhuc incumbit, liber non est à residentia, quia ipsius onus non tollitur, nec ei coadiutor datur priuatiuè, sed cumulatiuè, & quasi ex abundanti, vt onera beneficij facilius adimpleantur. Ad hoc facit declaratio Sacræ Congregationis apud Garziam *n.178.* in qua dicitur, *Parochus residere debet in loco, vbi sita est Ecclesia parochialis, etiamsi esset ei datus coadiutor ratione infirmitatis.*

6 Parochus residens in parochia, sed omnia munera per alium exercens, an possit percipere fructus beneficij. & illos retinere.

6 Maior difficultas est, vtrùm Parochus, qui residet quidem in parochia, sed omnia munera parochialia per Capellanum, & non per seipsum exercet, possit beneficij fructus percipere, & retinere.

Beia *loco citato.* & Vasquez *art.2.dub.1.n.18.* negatiuè respondent. Ratio est primò, quia qui nō residet, fructus suos nō facit; hic autem non videtur residere, cùm residentia instituta sit ob deseruientiam. Secundò, quia qui non seruit altari, non debet viuere de altari. Tertiò, quia stipendium datum ob causam retineri non potest, causa non subsecuta; fructus autem beneficij dantur ob officium, & ob munera parochialia exercenda tamquam ob causam. Quartò, quia sequeretur illum, qui extra parochiæ ambitum existit, & parochiæ munus per alium præstat, posse fructus percipere, quod est absurdum, & contra Trident. dispositionem.

His non obstantibus, probabiliter dicendum existimo, huiusmodi parochum posse fructus percipere, & retinere, quoties ita per Capellanum deseruit, vt oues nullum graue detrimentum inde ferant. Ratio est; tum quia hic existit intra terminos paroeciæ, vt suppono. Ergo dicitur residere: ergo non incurrit pœnam non residentibus impositam; pœna enim non est extendenda ad casus non expressos; tum quia licet formaliter suæ obligationi non satisfaciat, materialiter tamen satisfacit, cùm parochus ibi existat, & subditis cibum spiritualem non subtrahat; tum quia sicut Sacerdos, qui pecuniam accepit, vt Missam pro altero celebraret, non tenetur, per se loquendo, ad restitutionem acceptæ pecuniæ, si totidem Missas per alium celebrari curauit, iuxta dicta de sacrificio Missæ: ita Parochus in parochia residens non videtur obligandus ad restitutionem fructuum, dum parochiæ munus per alium exerceri curauit. Ita expressè Garzias 3. *parte.c.2.num.53.* [Paulus Layman *lib.4.tract.2.c.6.n.6.*] Idem in fortioribus terminis sentire videtur Corduba 1. *quæstionarij quæst.* 20. dum asserit eum, qui sine causa non residet, fructus suos facere, modò per Vicarium suo muneri plenè satisfaciat, præciso tamen Tridentini decreto. Idem innuit Nauar. *cap.25.n.121.* Couar. *3.var.ca.13.num.9.* Vide dicenda *punct.4.num.10.*

Ad primam Beiæ rationem respondeo, negando hunc non residere, cùm ille, propriè, & strictè loquendo, residere dicatur, qui intra parochiæ fines commoratur, licet residentia ad deseruientiam dirigatur.

Ad secundam respondeo, hunc seruire altari per alium, consequenter muneri suo materialiter, & quasi per compensationem satisfacere.

Ad tertiam respondeo, fructus dari ob residentiam, & ob onera parochialia; hic autem residet, vt suppono, & parochialia munera præstat, non per se, sed per alium.

Ad quartam negatur sequela, quia hic non residet: consequenter non potest percipere fructus residentibus debitos.

PVNCTVM III.

Quo iure teneantur beneficiarij in loco beneficij residere.

PRius loquar de beneficiariis habentibus curam animarum; postea de aliis.

PRIMA PROPOSITIO.

BEneficiarij curam animarum gerentes, vt Episcopi, & Parochi, residere tenentur iure diuino, naturali, & Canonico.

1 Beneficiarius tenetur iure naturali ad residendū in loco beneficij.

1 Quòd teneantur iure naturali, patet, tum quia, qui suscipit aliquod munus, & officium, tacitè obligat se ad onera illi officio adnexa; sed Episcopus ratione officij tenetur plures actiones præstare, quas præstare nequit, nisi resideat; ergo tenetur residere. Confirmatur, magisque explicatur, & probatur præfata ratio, quia curatores animarum, suscepto iam munere, & officio, tenentur iure naturali pascere gregem, & subire onera sui officij.

Hæc ratio militat etiam in Prælatis non habentibus internam animarum curam; sed solùm externam iurisdictionem, exempli gratia, visitandi, excommunicandi, &c. Ita Doctores infra citandi.

2 Idem tenetur iure diuino.

2 Quod teneantur iure diuino, colligitur tum ex verbis Christi, *pasce oues meas*: quæ verba licet directè dicta sint Petro, qui Christi Vicarius, & visibile caput, & Pastor Ecclesiæ constituendus erat, secundariò tamen pertinent etiam ad alios Ecclesiæ Pastores, quos Petrus repræsentabat tamquam Dux, & supremus Pastor; tum ex *Act.20.* vbi dicitur: *Attendite vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit, Episcopos regere Ecclesiam Dei*; tum ex Concil. Trid. *sess.23.ca.1.* ibi, *Cùm præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbiq; diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere*, &c. Ita Doctores infra citandi, contra Campegium de residentia, & Catharinū de residentia, negantes teneri iure diuino.

Obiicies primò, in sacra Scriptura nullum extat præceptum obligans Prælatos inferiores Papa ad residendum; nam illa verba, *pasce oues meas*, dicta sunt Petro; ergo Prælati, & curatores animarum non tenentur iure diuino residere. Neque Concilium expressè definiuit residentiam esse de iure diuino; sed solùm difiniuit Pastores teneri iure diuino pascere gregem, & administrare Sacramenta, &c. quod per alium ritè obiri potest.

Respondeo huiusmodi præceptum necessariò, & euidenter colligi ex Scriptura, quamuis in illa explicitè non habeatur. Cùm enim Pastor Ecclesiarum iure diuino teneatur munere suo ritè perfungi, illoque fungi nequeat nō residendo, sequitur eodem præcepto teneri ad residendum, quo tenetur ad hæc munera obeunda; nam media cadunt sub idem præceptum, sub quo cadit finis; qui enim aliquo præcepto tenetur ad finem, eodem etiam præcepto tenetur media adhibere. Non ergo necesse fuit, vt Christus, dum pastorum officium instituit, residentiam expressè, & explicitè iniungeret, sed satis fuit, vt instituendo officium pastorum, tacitè, & implicitè residentiam institueret; nam qui præcipit finem, implicitè etiam præcipit media ad illum finem ordinata. Cùm ergo munus, & onus pastorale obiri non possit sine residentia, sequitur illo instituto hanc etiam censeri institutam, & dum actus pascendi gregem præcipitur, censeri etiam præceptam residentiam.

3 Quid si Papa dispenset in residentia Episcoporum.

3 Obiicies secundò, Papa sæpè dispensat in residentia Episcoporum. Ergo residentia non est de iure diuino, cùm Papa dispensare nequeat in iure diuino, *c.sunt quidam 25.q.1.* exceptis casibus continentibus humanam obligationem, vt in voto, iuramento, & matrimonio rato. Respondent multi DD. Papam in casu particulari posse iusta concurrente causa auferre obligationem iuris diuini. Berous *in c.super, de vsur.n.2.* Mencha. *lib.1.qq.illust.c.29.n.18.* & alij Iurisperiti.

Vasquez verò, Molfesius, & alij respondent Papam non dispensare in obligatione residentiæ, sed in casu particulari declarare, præceptum diuinum non obligare ob communem vtilitatem; nam præceptum residendi, est affirmatiuum; præceptum autem affirmatiuum non semper obligat, & ad semper, ex quo patet à fortiori Papam non posse dispensationem circa residentiam sine iusta causa concedere. Nullus enim facultatem habet dispensandi in lege alterius, saltē absque iusta causa, vt patet ex dictis *de legibus.* Idemque pluribus Doctoribus relatis docet Sanctarellus *lib.var.quæst.1.n.8.*

Ego respondeo Papam posse dispensare in iis, quæ sunt formaliter de iure diuino, vel naturali, sed radicaliter, & fundamentaliter pendent ab Ecclesiæ institutione, vt constabit ex dicendis *punct.vlt.n.1.*

4 Episcopi, à quo suā auctoritatē principaliter accipiant.

4 Obiicies tertiò, Episcopi suam auctoritatem recipiunt à Papa. Ergo etiam ab illo recipiunt præceptum residendi: nam is, qui potestatem, & munus confert, censetur etiam conferre onera illi dignitati, & muneri annexa: ergo residentia non est de iure diuino naturali, sed humano.

Respondent Suarez *tom.4.de pœnit.disp.27.sect.1.n.7.* Bellarminus *lib.4.de Roman.Pontif.c.25.* Valentia *tom.4.disp.7.q.10.punct.2.* Henriquez *lib.6.c.5.n.5.* Sanctarellus *variar.resolut.q.1.nu.7.* & alij Episcopos principaliter recipere potestatem à Christo, à Papa verò ministerialiter, & instrumentaliter, quatenus Papa facultatem habet eligendi, & deputandi ad illam dignitatem; consequenter huiusmodi præceptum illis à Deo principaliter imponi.

Respondeo ego secundò, etiamsi Episcopi accipiant potestatem à Papa; non tamen hinc sequitur, munus, & onus residendi esse tantummodo humanum positiuum; sicut heres tenetur ex mandato testatoris soluere legata; non tamen hinc sequitur heredem teneri solum ex ordinatione humana ad implenda legata. Idem dic de aliis contractibus, qui mutuo contrahentium cōsensu celebrantur, & nihilominus naturalem pariunt obligationem. Hactenus probatum est, curatores animarum teneri ad residentiā iure naturali, & diuino.

5 Beneficiarius tenetur iure Ecclesiastico ad residendum in loco beneficij.

5 Quòd verò teneantur iure Ecclesiastico, patet ex *c.sicut, vers.7. q.1.c.peruenit.7.q.1.c.scisciteris 7.q.1.c.ad hæc, & ca.extirpanda, de præbend. & ex Trid.sess.23.c.1.* quamuis ibi Concilium potius hortetur ad præceptum residentiæ adimplēdum, quàm præcipiat residentiam, in quo Tridentini decreto multa præcipiuntur, quæ adnotanda censui.

Primò statuitur, vt Episcopi, aliique Ecclesiis Cathedralibus præfecti resideant, nec à suo Episcopatu abesse possint, nisi per duos, vel tres menses singulis annis, secluso tamen damno gregis, & iusta interueniente causa. Si verò vltra tres menses abesse velint, facultatem à Summo Pontifice, vel à Metropolitano, vel eo absente, ab antiquiore suffraganeo residente impetrare debeant, iusta concurrente causa, nempè Christiana charitate, vel vrgenti necessitate, vel debita obedientia, vel euidenti Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitate. Si vltra tres menses sine licentia abfuerint, non faciant fructus suos pro rata temporis absentiæ; sed illos expendere teneantur in fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes, nisi fortè ratione sui muneris, vt ob officiū Episcopatibus adiunctum, abfuerint.

Adde Episcopos non posse præfato tempore abesse sine licentia in scriptis approbata ab Archiepiscopo Metropolitano, vel suffraganeo Episcopo antiquiori, iuxta præscriptum Tridentini *loco citato*, quidquid in contrarium dicat Vasq. *num.147. & seq.* & Molfes. *tract.6 c.11. num.27.*

Multi tamen Doctores valdè probabiliter existimant Episcopum, qui iusta de causa abfuit cum licentia non exarata in scriptis, in conscientia ad restitutionem fructuum non teneri. Ratio est, tum quia scriptura non est de essentia facultatis, & gratiæ. Tum quia Tridentinum non irritat aliter factum. Ita Lessius *lib.2.c.34.nu.158.* Nauar. *consil.vlt.de Cler.non resid.* Reginald. *lib.30.tract.3.num.54.* Filliucius *3.parte, tract.41.cap.6.quæs.6.num.30.* quamquam in foro externo puniri potest pœna non residentibus imposita, cùm in foro externo non credatur simplici assertioni rei, sed probationi. Vide infra dicenda *punct.4.num.12.*

Secundò statuitur, vt si Parochi, vel alij curam animarum habentes, vltra bimestre, siue continuum, siue interruptum in eodē anno absque legitima causa cognita, & approbata ab Episcopo abfuerint, fructus pro rata temporis absentiæ suos nō faciant: propterea ad eorum restitutionem tenentur, etiam ante iudicis sententiam, si vltra bimestre abfuerint, vt patet ex dictis *de legibus*, & *de Horis Canonicis.*

Quamquam si occurrente subita necessitate, parochus nequeat Episcopum adire, potest absque licentia Episcopi abesse; sic enim per Epicheiam explicandum videtur Tridentinum; præsertim si necessitas ad officiū parochiale pertineat; nam quod Tridentinū asserit de Episcopis, ad parochos extendere videtur. Ita Panormit. & alij apud Re-

Reginald. *loco cit. nu.* 55. Vasq. *art.* 2. *de benef. dub.* 3. *ad finem*, Azor. 2. *p. lib.* 7. *c.* 4. *ad finem*, Garzias 3. *part. c.* 2. *nu.* 34. vbi refert declarationem sactæ Congregationis. Filliucius *tract.* 41. *c.* 6. *quæs.* 6. *n.* 26.

Tertiò in eodem Tridentino *sess.* 24. *c.* 12. sancitur, vt obtinentes dignitates, Canonicatus, vel præbendas in Cathedralibus, vel Collegiatis, non possint vltra tres menses abesse, alioquin medietate fructuum præbendæ primo anno per sententiam iudicis priuentur: secundo anno priuentur omnibus fructibus, & aliis pœnis ad residendum compelli queant. An verò teneātur ad restitutionem fructuum pro tempore, quo non inseruiunt beneficio, constabit ex infra dicendis.

Ex dictis in hac prima propositione colligitur, Parochū, & alios, qui residentiæ onere tenentur, grauiter peccare non residendo, quia faciunt contra præceptum iuris naturalis, diuini, & canonici in materia graui.

6 Vtrùm peccet Parochus absens à sua parochia per bimestre in anno sine licentia.

6 Sed modò dubium est primò, vtrùm grauiter peccet Parochus, aliusue animarum curator, qui per bimestre in anno sine licentia à sua parochia recedit.

Respondeo non debere quidem sine licentia recedere, vt Sacra Cardinalium Congregatio declarauit, non tamen mortaliter peccare, si recedat ex legitima causa, & sine ouium damno. Ratio est, tum quia quod ex iusta, & legitima causa fit, rationabiliter, & prudenter fieri dicitur. Tum quia Concilium Tridentinum huiusmodi absentiam non permitteret. Imò si absque rationabili causa vltra bimestre non recedat, nonnulli Doctores, vt Nauar. *c.* 25. *n.* 121. & Garzias 3. *p. c.* 2. *n.* 19. Barbosa *alleg.* 43. *n.* 96. & alij, quos referam *punct.* 4. *nu.* 9. putant excusari posse à mortali culpa, modò ouibus suis ita consulat, & prouideat, vt oues ex ipsius absentia nullum damnum incurrant. Ratio est, quia bimestris absentia continua, vel interrupta, ex veterum canonum sententia, modica, & parua reputatur; modicitas autem, & paruitas materiæ à mortali excusat. Idem sentire videtur Ludouic. Beia 4. *p. casu* 21. *pag.* 397. vbi à mortali culpa excusat ruralem Parochum, qui singulis hebdomadis in Vrbem venit causa inuisendi parentes, & cum illis vno tantùm die moram trahit, relicto ad occurrentes casus Capellano satis idoneo, qui in ipsius absentia Parochi vices gerat in Sacramentorum administratione, & animarum cura. Idem sentire videtur Augustt. Barbosa *sess.* 23. *c.* 1. *nu.* 8. *& de potest. Episcop. allegat.* 43. *n.* 92. & iterum Garz. *de benef.* 3. *part. c.* 2. *n.* 135. vbi relatis Sacræ Congregationis declarationibus in simili loquitur de Canonico, qui absque causa, & sine licentia tribus mensibus abest.

7 Parochus absens per bimestre, tenetur alium in sui locum sufficere.

7 Ex quo licet obiter inferre, Parochum, aliumue animarum curatorem, dum abest per bimestre, aut maius, vel minus tempus, teneri alium idoneum ministrum in sui locum sufficere, & substituere, vt constat, tum ex Tridentino *loco citato*. tum quia Parochus ratione beneficij tenetur onera parochialia præstare. Si ergo illa per seipsum præstare nequit, saltem per alium præstare debet. Ita Azor. *loco cit. c.* 5. *quæs.* 7. Lessius *lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 29. *n.* 159. & alij communiter. Addo dispensatum ad non residendum censeri solum dispensatum cum clausula, vt per alium suppleat, quia par non est, vt Ecclesia priuetur ministerio sibi debito. Ita Nauar. *c.* 25. *n.* 121. Reginald. *num.* 57. Azor. *loco cit. c.* 5. *quæs.* 7.

8 Vtrum Episcopus validè prohibere possit Parochis, ne absint à sua parochia vltra duos dies sine licentia.

8 Secundò dubium est, vtrùm valida sit constitutio Episcopi prohibentis Parocho, ne recedat à parochia vltra duos dies absque licentia.

Respondeo validam esse, quia residentia est materia præcepti, nec Tridentinum aufert Episcopo facultatem prohibendi absentiam Parochi, licet idem Concilium impunè permittat Parochum abesse spatio duorum mensium. Ita Garz. *n.* 23. Barbosa *de potest. Episc.* 3. *part. alleg.* 43. *n.* 97. & alij, qui tamen addunt, Episcopum non posse Parocho vltra duos dies absenti absque licentia excommunicationem inferre, sicque decisum esse testantur. Ratio decisionis hæc esse potest, quia absentia duorum, vel trium dierum videtur res leuis, consequenter non videtur materia grauis censuræ.

SECVNDA PROPOSITIO.

9 Beneficiarij sine cura animarum quomodo teneantur ex iure Ecclesiastico in loco beneficij residere, & onus per seipsos persoluere.

9 BEneficiarij non habentes curam animarum, radicaliter, & quasi principaliter tenentur ex iure Ecclesiastico in loco beneficij residere, & onus per seipsos persoluere. In hac propositione non conueniunt omnes Doctores: Vasquez enim *in opusc. de beneficiis cap.* 4. §. 2. *art.* 2. *dub.* 1. *nu.* 179. *& seq.* Nauar. Angelus, Syluester, & alij apud Vasquez *loco citato*. Azor. 2. *parte*, *lib.* 7. *cap.* 4. *quæsito* 2. *vers. si iterum quæras*, existimant non teneri quidem ex iure diuino, quia in Scriptura solum sermo est de Pastoribus; teneri tamen ex iure naturali, quia beneficium datur propter officium; quilibet autem, iure naturæ dictante, suum officium persoluere tenetur; sed non potest illud persoluere, nisi resideat. Ergo iure naturæ tenetur residere. Præterea sicut dicimus Parochos teneri iure naturæ residere, quia officium suum præstare nequeunt sine residentia: ita etiam dicendum putant alios beneficiarios iure naturæ ad residentiam obligari, dum alia ratione suo muneri satisfacere non possunt.

Sed mihi dicendum videtur, radicaliter, & fundamentaliter teneri ex iure positiuo humano, secundariò verò ex naturali.

Quòd radicaliter teneantur ex iure positiuo probatur, tum quia sicut beneficiarij tenentur ex iure positiuo horas canonicas, propter quas beneficium accipiunt, recitare, vt suo loco ostensum est; ita etiam tenentur ex iure positiuo humano residere, cùm eodem iure præscriptum sit onus recitandi officium priuatim, & recitādi publicè in Choro. Tum quia Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 12. habentibus Canonicatus, dignitates, præbendas, vel portiones in Cathedralibus, vel Collegiatis, dum non permittit vltra tres menses abesse, tacitè videtur concedere, vt per tres menses impunè abesse possint. Hoc autem non permitteret, si iure naturæ tenerentur interesse, & residere, cùm in iure naturæ dispensare nequeat. Ita Rota Romana *in vna Astensi fructuum* 15. *Maij* 1613. *vers. nec facit.* vbi dicit statutum requirens licentiam in abfuturo vltra trimestre, illam non requirere intra dictum trimestre. Idem sentire videtur S. Thom. *quodlibeto* 1. *artic.* 3. vbi asserit beneficiarium teneri ad residentiam iuxta consuetudinem, & statutum, seu iuxta primæuam beneficij institutionem. Igitur supponere videtur non teneri ex iure naturæ. Idem tradit Azor. *lib.* 7. *cap.* 3. *quæs.* 1. Reginaldus *lib.* 30. *tract.* 3. *num.* 52. Surdus *decis.* 72. *num.* 1. & præfata Rota Romana in vna Romana Capellaniæ 23. & in aliis quampluribus decisionibus. Riccius *in sua praxi decis.* 202. *num.* 232. Nicolaus Garzias *de benef. part.* 3. *c.* 2. *nu.* 7. *& seq.* Couar. 4. *variar. cap.* 13. *num.* 9.

Quòd verò secundariò teneantur ex iure naturali, patet, quia posita institutione recitandi in Choro, & persoluendi diuina officia in tali Ecclesia, naturali sequela consurgit obligatio residendi in loco beneficij, vt officio satisfaciant, sicut famulus facta laborandi cum domino conuentione, iure naturæ tenetur laborare, quamuis primaria obligatio ex humana conuentione consurgat. Idem dic de Capellano, & in hac parte videtur eadem ratio habentium Canonicatus, & Capellanias, & habentium beneficia cum cura animarum: quāquam isti strictiùs obligantur. Tum propter obligationem ex iure diuino consurgentem, tum etiam propter obligationem ipsam naturalem, qua Pastores animarum suo gregi inuigilare, & consulere debent.

Ex nostra sententia colligitur Canonicum, aliumque habentem beneficium, in quo residere debet solum ex iure Canonico, posse validè dispensationem non residendi à Summo Pontifice sine causa obtinere, quia Summus Pontifex validè potest sine causa in iure Canonico dispensare, & hac dispensatione posita naturali sequela cessat obligatio iuris naturæ, sicut naturali sequela consurgebat, posita humana institutione.

Dixi, *in quo residere debet ex iure Canonico*; nam cum eo, qui ex iure diuino residere debet, arbitror Summum Pontificem non posse sine iusta causa dispensare, vt alibi probaui, & innui *n.* 3. quicquid nonnulli in contrarium sentiant. Idem dicendum arbitror de Capellania iurispatronatus; superior enim non potest in iis, quæ ab alterius voluntate pendent, ipso non consentiente, dispensare sine iusta causa, vt docui *de contractibus, ad finem*, & *de legibus*.

10 Quomodo quis excusetur à residētia in Cathedralibus, & Collegiatis.

10 Obiicies, consuetudo, licet immemorabilis, non excusat à residentia in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis insignibus, vt per Sedem Apostolicam, & Sacram Congregationem declaratum esse ostendit Garz. *de benefic.* 3. *part. c.* 2. *num.* 197. ergo signum est, huiusmodi residentiam non esse ex iure humano, sed ex iure naturali, cùm iuri humano derogari possit longa consuetudine.

Respondeo primò, huiusmodi consuetudinem non excusare, non quia non possit ex sua natura excusare, interueniente Summi Pontificis consensu; sed quia Summus Pontifex illam abrogat, & tollit, vt patet ex ipsomet Concil. Trid. *sess.* 24. *c.* 12. & ex declarationibus Sacræ Congregationis apud Garziam *loco citato*. [Nauar. tamen *cons.* 21. *de cler. non resid.* Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 6. *num.* 3. & alij putant consuetudine saltem immemorabili induci posse, vt quis personaliter non resideat, modò interim per alium inseruiat, quia consuetudo immemorabilis æquiparatur priuilegio.]

Respondeo secundò, consuetudinem non excusare; quia iuri naturali, saltem secundariò aduersatur; non potest autem induci consuetudo contra ius naturæ, nisi adsit sufficiens causa, qua posita omissio residentiæ cohonestetur. Nec est eadem ratio consuetudinis, & dispensationis in hoc casu, quia dispensatio directè tollit obligationem humanam, & secundariò naturalem; consuetudo verò directè aduersatur residentiæ, quę iure naturali saltem secundariò debetur. Prima responsio vrgentior videtur.

11 Beneficiarij curā animarum non habētes, an grauiter peccent non residendo in loco beneficij.

11 Sed modò dubium est, vtrùm beneficiarij curam animarum non habentes grauiter peccent non residendo in loco beneficij. Ratio dubitandi pro negatiua sententia est, quia experientia cernimus habentes simplicia beneficia absque conscientiæ stimulo non residere in loco beneficij. Ergo signum est non extare obligationem residendi sub mortali.

Pro solutione notandum est, aliqua esse beneficia simplicia, quæ nullam aliam habent obligationem, quàm onus priuatim recitandi diuinum officium; aliqua verò, quæ habent adnexum aliquod onus persoluendum in Ecclesia sui beneficij, vt est Canonicatus, qui assistentiam in Choro postulat, aut Capellania, quæ Missæ celebrationem exigit. Hoc posito,

Respondeo habentes beneficia simplicia, quæ nullam obligationem habent præter onus recitandi priuatim diuinum officium, non teneri in loco beneficij residere. Ratio est, tum quia vbique possunt beneficij sui onera persoluere, diuinum officium priuatim recitando. Tum quia nullo iure, vel sufficienti ratione probari potest huiusmodi beneficiarios ad residentiam obligari. Tum quia communi fidelium consuetudine receptum est, vt huiusmodi beneficiarij nullum sibi conscientiæ scrupulum circa residentiam faciant. Tum quia sic declarauit sacra Cardinalium Congregatio, sicque sæpiùs Rota Romana decidit in decisionibus, quas refert Garz. *n.* 3. *& seq.* Idem tenet Vasq. *de benef. c.* 4. §. 2. *art.* 2. *n.* 175. Molf. *n.* 18. Paris. *de resignat. lib.* 1. *q.* 10. *n.* 66. Gonzal. *ad reg. mensium. glos.* 5. *n.* 80. Sanctarell. *var. resol. q.* 1. *n.* 15. Imò neque Episcopum posse huiusmodi beneficiariis residentiam præcipere declarauit sacra Congregatio, nisi obstet cōsuetudo.

Habentes verò beneficia, quibus annexum est onus persoluēdum per seipsos in Ecclesia, tenentur residere, tum quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media; sed finis huiusmodi beneficiorum est præstatio talis operis, medium est residentia, sine qua illud opus præstari non potest: ergo, &c. Tum quia *in ca. conquerente, de cler. non resid.* imposita est pœna priuationis beneficij cuicumque beneficiario non residenti, & in Tridentino *sess.* 6. *cap.* 2. *de reform.* præscribitur, vt beneficiarij inferiores Episcopis habentes beneficia quæcumque, personalem residentiam requirentia de iure, vel cōsuetudine, opportunis iuris remediis ab ipsorum ordinariis cogantur ad residendum. Vide Vasquez *num.* 176. Lessium *lib.* 2. *cap.* 34. *n.* 161. Azor. *c.* 4. *quæs.* 2. & Garziam *de benef.* 3. *part. c.* 2. *num.* 180. 319. & 475. vbi declarationes Sacræ Congregationis ad hoc comprobandum adducit.

Et

Et hoc verum est, non solum in beneficio pingui, verùm etiam in tenui. Tum quia tenuitas non tollit ipsius obligationem. Tum quia sicut ducens vxorem cum exigua dote tenetur illam alere, sibique hoc onus imputare debet, cùm eam voluntariè duxerit, parua cõtentus dote; ita etiam recipiens beneficium tenue, debet sibi defectum adscribere, quòd tenue acceptauerit. Ita Reginald. *lib.30. num.51.*

Hoc tamen limitatur, & intelligitur de beneficiis, quibus adnexum est onus persoluendum ab ipso beneficiario in Ecclesia sui beneficij. Nam si beneficium huiusmodi obligationem non habeat, liquidò constat beneficiarium ad residentiam non teneri, quia satisfacit præstando onus ad quod tenetur.

12 Canonicus obligatus Choro certis hebdomadis, non grauiter delinquit, si absit per alias hebdomadas à loco beneficij.

12 Ex dictis colligitur primò Canonicum, qui certis solum hebdomadis tenetur Choro interesse, non grauiter delinquere, si in loco beneficij non resideat illis hebdomadis, quibus diuino officio assistere non tenetur; nam cessante fine residentiæ, cessat residentiæ obligatio. Finis autem residentiæ in proposito casu est recitatio diuini officij in Choro, seu exhibitio ministerij, ad quod beneficium obligat. Cum autem hic non teneatur eo tempore ad recitationem officij in Choro, sequitur neque teneri eo tempore ad residentiam in loco beneficij. Hoc pacto intelligendum censeo Tridentinum *sess.24. cap.12.* Ita Barbosa *de potest. Episcop. allegat.43. num.84.* & alij.

13 Capellanus, cui ex fundatione Capellaniæ simpliciter impositum est onus celebrandi, non peccat grauiter non residẽdo in loco Capellaniæ.

13 Secundò colligitur Capellanum, cui ex fundatione Capellaniæ simpliciter impositum est onus celebrandi, non peccare grauiter, non residendo in loco Capellaniæ; sed posse alibi manere, & satisfacere celebrando per alium, etiamsi in fundatione dicatur, vt certas Missas in hebdomada celebret, vt docui *de Sacramentis disp.4. q. vlt. punct.7. §.1. nu.1.* cum Barbosa, Gonzal. & aliis. Idem docet Riccius *decis.202. & 402.* quamuis aliqua ex parte contrarius sibi videatur in his decisionibus, Garzias *n.162. & seq.* Emanuel Sà *verbo residentia sub finem*, & alibi, vbi referunt declarationes Sacræ Congregationis, decisiones Rotæ, Reginald. *lib.30. tract.3. nu.51.* Secus dicendum est, si in fundatione caueatur, vt per seipsum celebret; tunc enim Capellanus non potest per alium celebrare, sed per seipsum, consequenter in loco beneficij residere tenetur, vt satisfaciat oneri sui beneficij, vt patet ex rationibus in solutione dubij allatis.

An autem is, cui huiusmodi Capellania confertur, debeat esse Sacerdos actu, constat, tum ex dictis de beneficiis, dum loquerer de ordine, tum ex traditis *de Sacramentis loco cit.*

PVNCTVM IV.

Quam culpam, & pœnam incurrant beneficiarij, qui in loco beneficij non residet.

PRiùs loquar de culpa, & postea de pœna.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Curator animarum grauiter peccat non residendo, nisi aliud illum excuset.

1 PArochus, aliusve curator animarum grauiter peccat, non residendo nisi materiæ paruitas, aut alia iusta circumstantia sufficientem præbeat excusationem. Ratio est, quia faciens contra propriam obligationem in re graui, grauiter peccat. Ita communiter Doctores, & expressè habetur in Tridentino *sess.24. cap.12. vers. Si quis autem.* Idem cum proportione dici potest de aliis, residendi obligationem habentibus, iuxta dicta *punct.3.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Beneficiarius non residens, dum residere tenetur, præter culpam potest incurrere alias pœnas non residendo.

2 BEneficiarius, qui non residet, dum residere tenetur, præter culpam, fieri potest, vt incurrat aliquam censuram, vel beneficij priuationem, aut aliam pœnam, quam ordinarius loci pro qualitate contumaciæ, & inobedientiæ, à non residentibus incurrendam iunxerit, iuxta facultatem sibi collatam in Trident. *sess.23. cap.1. de reform.* vbi Concil. loquens de non residentibus sic ait, *quòd si per edictum citati etiam non personaliter contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionẽ fructuum, aliaq; iuris remedia, etiam vsque ad priuationẽ compellere,* &c. sub aliis etiam pœnis præcipitur residentia Patriarchis, Primatibus, Episcopis, aliisque curam animarum habentibus in Bulla Pij IV. quæ incipit, *In suprema*, quam refert Naldus *verbo residentia, ad finem*, & Quaranta *eodem verbo ad finem.* Modus autem procedendi contra beneficiarium non residentem videri potest apud Garziam *3. parte cap.2. num.127. vsque ad 168.*

3 Beneficiarius an incurrat priuationem fructuum non residẽdo.

3 Quæres primò, vtrùm beneficiarius præter præfatas pœnas, priuationem fructuum incurrat non residendo.

Respondeo Parochum, qui non residet, præter culpam, & pœnas iam relatas, incurrere priuationem fructuum pro rata absentiæ. Ratio est, tum quia ita statuit Tridentinum *loco citato vers. Si quis*, tum quia ita ius naturale dictat; par enim non est, vt fructus ministrorum Ecclesiæ recipiat, qui ministerium non exercet. Et sicut stipendium datum ob causam recipi, vel retineri non potest, causa non subsecuta: ita fructus beneficij, qui Parocho causa residentiæ, & muneris parochialis conferuntur, non possunt à parocho non residente, & munera parochialia non obeunte capi: sed capti obnoxij sunt restitutioni pro rata temporis absentiæ, & Pastoralis muneris non præstiti, vt patet ex ipso Tridentino, in quo idem de Parochis, aliisque animarum curatoribus decernitur, quod de Episcopis superius decretum fuerat.

Hinc colligitur, iure meritò declaratum fuisse à sacra Congregatione, Coadiutores Rectorum parochialium onere personalis residẽtiæ affici, & pœna Concilij ligari non residendo; militat enim eadem ratio. Vide Gonzalez *ad regul.8. Cancell. gl.5. §.9. nu.17.* Riccium *in sua praxi decis.502. num.5.* Lessium *dub.29. num.160.* Garziam *part.3. cap.2. num.26.* Valentiam *tom.3. disput.10. q.3. punct.5.* Sanctarell. *lib. var. q.4.*

4 Cui facienda sit

4 Cui autem facienda sit restitutio, constat ex ipso Tridentino *sess.25. cap.1.* vbi ait restitutionem faciendam esse fabricę Ecclesiæ, vel pauperibus, nec obtinere posse compositionem. Idem tradit Nauarr. *cap.25. num.121.* Henriq. *lib.7. cap.36. num.3.* Molfesius *num.45.* Garzias *3.p. cap.2. num.30.*

dictorum fructuum restitutio.

5 Sed modò dubium est primò, vtrùm Parochus, aut Episcopus teneatur ad integram omnium fructuum restitutionem respondentium tempori absentiæ,

5 Vtrùm teneatur restituere omnes fructus pro rata absentiæ.

Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, tum quia par est quoad restitutionem, inquit Nauarr. non recitare horas Canonicas, & non residere; sed qui non recitat aliquo die horas Canonicas, tenetur ad restitutionem omnium fructuum beneficij respondentium illi diei, quo diuinum officium non recitauit, ex Bulla Pij V. edita anno 1571. Ergo qui non residet, tenetur ad integram omnium fructuum restitutionem, respondentium tempori absentiæ. Tum quia Tridentinum indefinitè, & absolutè priuat fructibus, tempori absentiæ respondentibus; propositio autem indefinita, & absoluta æquiualet vniuersali, & absolutè intelligenda est; nam contra leges est, vt verbum genericum, absolutè positum, sumatur pro certa specie, nisi quæ adiunguntur, id necessariò requirant, *l. si quid earum. §. inter emptum. de leg.3.* cum aliis apud Euerard. *in loco à genere ad speciem.*

Respondeo probabiliter sustineri posse, Parochum, aut Episcopum non residentem non teneri simpliciter ad integram omnium fructuum restitutionem, sed illorum, qui ratione residentiæ, & oneris residentiæ percipiuntur. Ratio est, tum quia Parochus, aut Episcopus non solum recipit fructus beneficij pro residentia, & oneribus residentiæ adnexis; verùm etiam pro recitatione diuini officij. Ergo par est, vt in restitutione non solum habeatur ratio residentiæ, verum etiam oneris ad Canonicas preces persoluendas. Tum quia Tridentinum non expressè præscribit contrarium. Ergo standum videtur dispositioni iuris naturalis, & dictamini rationis. Tum quia quòd non residens teneatur simpliciter ad restitutionẽ omnium fructuum, est materia pœnalis; in materia autem pœnali non est facienda extensio; sed mitior interpretatio. Quotam verò fructuum partem restituere teneatur, qui non residet, patet à simili ex dictis de horis Canonicis *quæst.5. punct.2.* Ita sentire debent Doctores, quos *ibidem* retuli, & in hanc opinionem, tamquam valdè probabilem, inclinat Possevinus *de officio Parochi cap.1. nu.35. sub finem.* Barbosa *de potest. Episcopi 3. part. allegat.43. num.101.*

6 Coadiutor in cura animarum assignata illi certa fructuum quantitate, non potest illos percipere, nisi residеat.

6 Hinc sequitur Coadiutorem assumptum ad curam animarum, constituta illi certa fructuum quãtitate, non posse vllos fructus recipere pro tempore absentiæ, quia hic non habet onus recitandi officij ex vi coadiutoriæ, ad quam assumptus est, vt suppono; sed ad curam animarum præcisè deputatus censetur. Secus si coadiutoria conferatur in titulum, tamquam in beneficium, tunc enim Coadiutor non solùm ad animarum curam, verùm etiam ad pensum Canonicarum precum tenetur, consequenter ob omissionem residentiæ eo pacto tenebitur ad restitutionem, quo Parochus tenetur.

Ad primam dubitandi rationem negandа est maior propositio; quamplures enim Doctores, quos retuli de horis Canonicis *loco citato*, negant omittentem aliquo die Canonicas preces, ad integram fructuum eo die debitorum restitutionem teneri.

Ad secundam respondeo hanc moderationem ex æquitate admittendam esse, consequenter Tridentinum cum hac modificatione intelligi posse.

7 An Parochus non residens hanc pœnam incurrat ante sententiam iudicis.

7 Secundò dubium est, vtrùm Parochus, qui non residet, hanc pœnam incurrat ante iudicis sententiam, saltem declaratoriam criminis.

Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia lex pœnalis non obligat ante iudicis sententiam; decretum autem Tridentini est pœnale, & positum in pœnam non residentium. Ita sentire videtur Nauarrus *cap.15. num.121.* [& Paulus Layman *lib.4. tract.2. cap.6. num.6.*]

Respondeo Parochum, aut Episcopum, aliumve curam animarum habentem, hanc pœnam incurrere ante vllam iudicis sententiam. Ratio est, tum quia præciso Tridentini decreto non posset, iuxta legis naturalis obligationem, fructus pro rata temporis capere, & retinere. Ergo multò minus potest illos capere, vel retinere, posito Tridentini decreto, quod non est impositum ad tollendam, vel diminuendam; sed ad corroborandam iuris naturalis obligationem. Tum quia licèt lex pœnalis, quæ ad sui executionem hominis actionem requirit, non obliget ante iudicis sententiam, saltem declaratoriam criminis. Hoc tamen intelligitur, nisi aliter in ipsa lege caueatur. In Tridentino autem cautum est, vt Episcopus, vel Parochus, aut alius animarum curator hanc pœnam subeat, non expectata vlla declaratione, vt satis constat ex illis Tridentini verbis, *nec tuta conscientia; alia etiam declaratione non secuta, illos sibi retinere posse; sed teneri illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare.* Tum quia nullus capere, vel retinere potest quod suum non est, & ad cuius restitutionem in conscientia obligatur; sed fructus beneficij non sunt Parochi non residentis. Tridentinum enim dicit non residentem non facere fructus suos, &c. Ergo Parochus, qui non residet, non potest capere, vel retinere fructus pro rata absentiæ. Ex quo patet responsio ad rationem dubitandi. Ita Emanuel Sà *verbo residentia*, Azor. *cap.6. quæsito 6.* Reginaldus *num.59.* Garzias *nu.136. & seq.* Vasquez *cap.4. §.2. artic.1. dub.4. num.152.* Molfesius *num.43.* Felinus, Diaz, & alij apud Sanctarellum *quæst.4. num.4.* & apud Garziam *num.136.*

8 Parochus absens per modicum tempus, nũ teneatur ad restitutionem fructuum absentiæ respondentium.

8 Tertiò dubium est, vtrùm Parochus, qui per breue tempus, vt per decem dies in anno, aut etiam per bimestre non residet, teneatur ad restitutionem fructuum tempori absentiæ respondentium.

Nonnulli Doctores existimant teneri ad restitutionem. Ratio est, quia datum ob causam retineri non potest causa non adimpleta. Ergo datum ob residentiam retineri non potest non facta residentia; sed qui per bimestre abest, non dicitur tunc temporis residere. Ergo non potest fructus illi tempori respondentes recipere, vel retinere. Ita Garzias *3. parte cap.2. num.23. & 28.*

Sed mihi respondendum videtur non teneri ad restitutionem, nisi vltra bimestre absit. Ratio est, tum quia hic, per se loquendo, caret culpa saltem mortali, vt superiùs dictum fuit: ergo etiam carere debet pœna. Tum quia Tridentinum huiusmodi absentiam impunè permittere videtur, saltem si absentia iusta de causa sequatur. Tum quia modicum pro nihilo reputatur; spatium autem duorum mensium breue tempus reputatur, ex Tridentino *loco citat.* ex *l. aufertur. §. qui compensationem. ff. de iure fisci*, ex *cap. præsentium 7. quæst. 1.* & ex aliis iuribus, & Doctoribus, quos in simili refert Moneta *de distributionibus quæst. 12. num. 54.*

Hinc colligi videtur eum, qui iusta de causa vltra bimestre non residet, teneri solùm ad restitutionem fructuum, respondentium tempori, quod bimestre excedit, non verò respondentium bimestri, quia Tridentinum absentiam duorum mensium impunè permittere videtur, si iusta de causa fiat. Ita Naldus *verbo residentia num. 5.* Nauarr. *in manuali cap. 25. num. 121.* Azor. *lib. 7. cap. 4. q. 9.* & 10. Beia *4. p. cap. 21.* Reginald. *num. 55.* Zechius, Salsedo, & alij apud Garziam *loco cit. nu. 20.* & apud Riccium *decis. 510. num. 5.*

9 Parochus potest abesse per bimestre sine licentia Episcopi.

9 Amplia, etiamsi per bimestre absit sine licentia Episcopi, probabile enim est ad absentiam duorum mensium in Parochis non esse necessariam Episcopi licentiam, iuxta Nauarr. *num. 121.* & alios Doctores citatos *punct. 3. num. 6.* & *hic nu. 8.* contra Sanchez *lib. 3. de matrimonio disput. 3. num. 11. vers. hoc autem*, Garziam *loco citato num. 23.* Vasquez *cap. 4. §. 2. artic. 1. dubio 3. num. 149.* & *artic. 2. dub. 3. num. 188.* Lessium *loco citato num. 189.* Filliucium *3. parte tract. 41. cap. 6. nu. 26.* Reginaldum *num. 55.* & alios apud Garziam [*loc. cit.* apud Paulum Layman *loc. cit. num. 7.*] & apud Barbosam *de potest. Episcop. allegat. 43. num. 96.* Ratio est, tum quia multis in locis vsu receptum est, vt ob breuem absentiam non petatur licentia. Tum quia Episcopi strictius tenentur ad residentiam, quàm Parochi; sed in Episcopis non requiritur licentia in absentia duorum, vel trium mensium: ergo neque requiri videtur in absentia bimestri Parochorum, cùm Tridentinum fateatur se eadem omnino decernere circa Parochos, & animarum curatores, quæ circa Episcopos superiùs decreuerat. Tum quia hæc est benignior interpretatio. Tum quia correctio iuris vitanda est: iure autem antiquo licebat sine mortali abesse absque licentia.

Hinc obiter colligi potest, validum esse votum peregrinationis expediendæ spatio duorum mensium factum à Parocho, etiamsi absolutè factum sit absque animo petendæ ab Episcopo licentiæ; nam huiusmodi votum est de materia honesta, & possibili; cùm ex iusta causa liceat per bimestre abesse sine licentia Episcopi. Secus si peregrinatio expediri nequeat intra bimestre (nisi fortè votum factum sit sub conditione, si Episcopus facultatem dederit, vel animo petendæ licentiæ.) Ita Suarez *tom. 2. de relig. lib. 3. de voto cap. 4. num. 10. vers. ex his ergo.* Sanchez *in opere morali lib. 4. de voto*, & alij apud Barbosam *de potest. Episcop. allegat. 43. num. 22.* & *seq.*

Ad rationem Garziæ respondeo fructus dari, non pro modica residentia, sed simpliciter pro residentia, cuius obligatio grauiter non læditur ob modicam, & breuem absentiam, absentia autem bimestris in Tridentino modica iudicatur. Quamobrem ad argumentum in forma respondeo, datum ob causam simpliciter recipi, vel retineri non posse, causa simpliciter non subsecuta. Secus si solùm secundùm quid subsecuta non fuit. Sola autem bimestris absentia non efficit, vt causa simpliciter secuta non dicatur; nam qui aliquantisper absunt, non videntur abesse, modò sine ouium detrimento absint.

10 Vtrum Parochus vltra bimestre non residet de licentia Episcopi, faciat fructus suos, & ad illorum restitutionem non teneatur.

10 Quartò, dubium est, vtrùm Parochus, qui vltra bimestre non residet de licentia Episcopi, faciat fructus suos, & ad illorum restitutionem non teneatur.

Respondeo facere fructus suos, ad illorumque restitutionem non teneri, modò idoneum substituat ministrum, qui vices suas gerat, & onera sustineat. Ratio est, tum quia habet titulum beneficij, & illius onera per alium sustinet, superiore id sibi concedente. Ergo par est, vt beneficij commodum sentiat, & cõsequenter fructus percipiat. Tum quia carens culpa carere debet pœna, (ob id, eum, qui bona fide abest absque licentia, excusat Garzias *cap. 2. num. 36.*) tum quia obligatio restituendi consurgit ex violatione iustitiæ cum damno alterius; hic autem non violat iustitiam cum damno alterius; abest enim ex iusta causa cum legitima licentia, tantumque per alium exhibet, quantum per se ipsum exhibuisset residendo, vt in simili docui *de Sacramentis disp. 4. quæst. vlt. puncto 7. §. 1. num. 2.* idemque decisum videtur *in vna Calaguritana coram Vbaldo die Lunæ 26. Maij 1614.* [idemque docet Layman *loc. cit. num. 4.*]

Ex quo licet inferre primò onus residendi non ita esse personale, quin aliquando per alium suppleri queat.

Secundò, non eamdem esse rationem Parochi absentis, seu non residentis ex legitima licentia, & absentis, seu non residentis sine legitima licentia, quamuis vterque oneribus suis per alium satisfaciat. Nam qui abest vltra bimestre sine legitima licentia, non potest fructus suos facere ex Concilij Tridentini dispositione. Sicque decisum fuit in Rota Romana coram Vbaldo *loco citato*, & *in altera Astensi fructuum, 10. Ianuarij*, coram Reuerendissimo Menzanedo. Quod procedit, etiamsi per alium onera suppleat. Arbitror tamen substitutum ad supplenda beneficij onera alendum esse beneficij fructibus, quia nullus propriis stipendiis militat.

Qui verò abest obtenta legitima licentia cum iusta causa, fructus beneficij suos facere potest, quia dispositio Tridentini ad ipsum non extenditur, imò permittit hanc facultatem concedi.

11 Hoc limita si absit ex licentia valida.

11 Hoc tamen limitandum est, modò absit ex licentia valida, nam licentia inualida non est licentia, cõsequenter non suffragatur. Quãobrem, qui facultatem inualidè obtinuit, exempli gratia, per dolum, vel mendacia, versantia circa causam finalem, non potest fructus suos facere, quia non dicitur abesse causa cognita, & probata ab Episcopo, & habita discedendi licentia, & perinde est non habere licentiam, & illam habere nullam, & inualidã, vt cum Felino, & Rota Romana tradit Garzias *de benef. p. 5. c. 4. n. 228.* Barbosa *alleg. 43. n. 98*

An verò in obtinenda licentia, causa iudicialiter probari debeat.

Respondetur negatiuè, quia id non requiritur in Concilio Tridentino. Ita Barbosa, & alij *locis citatis.*

12 An hæc licẽtia debeat esse in scriptis, & expressa.

12 An verò irrita sit licentia nisi in scriptis obtineatur, constabit ex dicendis *puncto sequenti ad finem*, & patet ex supradictis *puncto 3. nu. 5.* & ex dictis *de matrimonio quæst. 2. puncto 8. nu. 11.* vbi etiam ostendi an licentia debeat esse expressa, vel sufficiat tacita, Coninchus enim, Sãchez, Reginaldus, & alij, quos ibi retuli, putant sufficere tacitã. Menochius verò *de arbit. cent. 5. casu 453. num. 14.* Decius *consil. 28.* Sacra Cardinalium Congregatio, & alij quamplures apud Garziam *loco cit. num. 35.* & *233.* putant tacitam non sufficere, quia vbi requiritur licẽtia, debet esse expressa, & non tacita. Alij denique putant tacitam licentiam sufficere, modò talia concurrant signa, vt superiorẽ consentire constet. Vide, quæ dixi *loco cit. de matrim.* & *de Sacramentis disp. 5. quæst. 7. punct. 4. §. 1. n. 13.* & 14. In nostro tamen casu requiritur licentia expressa, cùm in scriptis obtinenda sit à Parochis, vt Tridentinum præscribit. Quamquam in foro conscientiæ probabile est licentiam sufficere, etiamsi ore solùm, & non in scriptis concessa fuerit.

13 Parocho habenti iustam causam absentiæ sufficiat petiisse licẽtiam, etsi eam non obtinuerit.

13 Rogabis, vtrùm Parocho habenti iustam causam absentiæ sufficiat licentiam petiisse, licèt eam non obtinuerit.

Respondetur non sufficere, quia Concilium requirit licentiam, & fieri potest, vt Episcopus iusta de causa licentiam deneget, licèt Parochus iustam suæ absentiæ causam prætendat. Ita Panormit. *in cap. relatam n. 5.* & Sacra Cardinalium Congregatio, cuius declarationem refert Garzias *part. 3. c. 2. n. 37.* eamque innuit Molfesius *in sum. tract. 6. c. 11. n. 26.* Idem tenet Rota Romana *in vna Calaguritana fructuum 26. Maij 1614.* coram D. Vbaldo *n. 6. vers. nec videbantur.* Secus dicendum est, cùm repentinus superuenit casus, qui licentiam peti non permittit, & periculum est in mora; tunc enim licita est absentia sine expressa licentia, quia hic casus censetur per Epicheiam exceptus: debet tamen absens in tali euentu, si breui non est reuersurus, certiorem facere superiorem, qui de causa cognoscat, & licentiam præbeat, quia Epicheia excusat solum quatenus præsumitur de rationabili voluntate, & intentione legislatoris. Ita Sacra Cardinalium Congregatio, cuius declarationem innuit Molfesius *nu. 38.* sed eam expressis verbis refert Garzias *loco cit. num. 34.* & sequitur Barbosa *allegat. 43.*

14 Abbates, Priores, & superiores regularium num teneantur ad restitutionem, si vltra bimestre non resideant.

14 Quæres secundò, vtrùm Abbates, Priores, & alij habentes solum curam Regularium, teneantur ad restitutionem, si vltra bimestre non resideant.

Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia Concil. Trid. vniuersaliter loquitur de quibuscumque curam animarum habentibus, his verbis, *eãdem omninò etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, & decernit*, &c. sed isti Abbates habẽt beneficium curatum, nempe regulare; ergo Sacrosancta Synodus idem de ipsis decernit, quod de aliis; sed alij habentes beneficium curatum non faciunt fructus suos, sed ad illorum restitutionem tenentur pro tempore absentiæ. Ergo Abbates, aliique beneficium curatum regulare habentes, non faciunt fructus suos; sed ad illorum restitutionem tenentur, iuxta Tridentini dispositionem.

Respondeo huiusmodi Abbates, vel Priores, aliosve habentes beneficium curatum regulare, sine cura sæcularium, non teneri ad restitutionem fructuum, si suum munus per alium sufficienter suppleant. Ratio est, tum quia Concilij Tridentini decretum ad ipsos non extenditur, cùm nullam de ipsis mentionem faciat. Tum quia Sacra Cardinalium Congregatio sic declarauit, teste Lessio *lib. 2. cap. 34. dub. 29. nu. 161.* & Filliucio *tract. 41. cap. 6. quæs. 6. nu. 30.*

Non nego tamen, quin huiusmodi regulares, curam animarum, & iurisdictionem in suos subditos habentes, teneantur residere iuxta suarum regularum præscriptum; cùm enim munus suum obire debeant, idque præstari non possint non residendo, vt suppono, sequitur ipsos teneri ad residentiam.

Hinc patet responsio ad rationem dubitandi initio propositam. Nam Concilium Tridentinum non extenditur ad regulares, cùm ipsos non exprimat, sed vniuersaliter loquatur de aliis curam sæcularium habentibus. Secus dicendum esset si munus suum per alium non persoluerent. Tunc enim etiam regulares obligandi essent ad restitutionem, quatenus munus suum non obirent: nam datum ob causam retineri non potest causa non subsecuta.

15 Alij beneficiarij non residentes possintne retinere fructus beneficij pro rata temporis, quo non inseruiunt.

15 Quæres tertiò, vtrùm alij beneficiarij non residentes, & non inseruientes beneficio, possint sibi retinere fructus beneficij, respondentes tempori quo non inseruiunt.

Respondeo, non posse sibi retinere fructus beneficij, respondentes tempori, quo inseruire tenebantur. Ratio est, quia datum ob causam, retineri non potest causa non subsecuta, & in hac parte eadẽ videtur ratio in his beneficiis, & in curatis. Ita Angelus *verbo Clericus 7. quæs. 5.* Vasq. *art. 2. dub. 4. n. 191.* & alij apud Barbosam *allegat. 43. n. 78.*

Hoc tamen limitari potest primò, nisi per alium deseruiant; nam qui per alium facit, per seipsum facere censetur, nec vlli damnum hoc pacto infert, vt suppono, &c. fieri tamen potest, vt mortaliter peccent inseruiendo per alium absque iusta causa, quia non obligarunt se ad onus suum præstandum per alium; sed per se ipsos, vt suppono. Lessius *n. 163.* Idem in fortioribus terminis innuere videtur Garzias *parte 11. c. 9. n. 29.* & *3. parte c. 2. n. 500.* & *seqq.* Moneta *de distribut. 2. parte q. 12. nu. 48.* & Berous *q. 114.* asserentes admitti posse consuetudinem saltem immemorabilem, vt quis per alium assistens, & inseruiens Ecclesiæ fruatur distributionibus. Quamquam hoc difficultate non careat, vt patet ex dictis de distributionibus, & colligitur ex declaratione Sacræ Congregationis apud Garziam *3. parte c. 2. nu. 503.* ibi, *Porrò facultatem substituendi in seruitio Canonicatus quempiam alium Canonicum, qui eo tempore non sit obstrictus, Sacra Congregatio existimauit minimè illi denegandam esse.* ex qua declaratione constat non posse quemquam in diuino officio substitui, nisi forte sit Canonicus eiusdem Ecclesiæ, qui eo tempore inseruire non teneatur. Sed de hac re

satis

satis egi *in tract. de Horis Canonicis disp. 2. q. 1. puncto 5. & q. 5. quæs. 6.* ad ibi dicta me remitto.

Ex dictis igitur constat beneficiarium non posse beneficij fructus tempori absentiæ respondentes recipere, nisi per alium muneri suo satisfecerit. Secus si satisfecit, præsertim si iustã absentiæ causam habebat. *c. relatum, de Cleric. non resid.* nam pœna non debetur, nisi ob delictum, seu legis transgressionem; qui autem iusta de causa abest, non dicitur transgredi legem, *l. Crassus, C. ad legem Iuliam de adulter.* Hac de causa nouitius potest nouitiatus tempore beneficij fructus percipere, siue egrediatur religione, siue professionem in religione faciat, modò beneficij onera per alium suppleat: nam abest ex iusta causa, & onera beneficij adimplet. Secus dicendum est de distributionibus, etiamsi beneficium in solis consistat distributionibus; nam hæ conferuntur solum assistentibus Choro, exceptis absentibus causa infirmitatis, vel necessitatis corporalis, vel in euidentem Ecclesiæ propriæ vtilitatem. Ita Garzias *3. parte cap. 2. nu. 341. & parte 11. cap. 9. nu. 31.* & alij, quos *de distributionibus* recensui, vbi de hac re fusè disserui.

16 Canonicus non residens vtrũ præter distributiones amittat etiam fructus.

16 Quæres quartò, vtrùm Canonicus, qui non residet, non solum amittat distributiones, quæ respondent oneri assistendi Choro, & diuinis officiis; verùm etiam amittat fructus.

Respondeo non amittere fructus, præcisè ob non residentiam, quia hæc pœna nullo iure Canonicis imposita est, & in Concil. Trident. *sess. 23. cap. 1.* non est sermo de Canonicis, sed de Episcopis, & animarum Curatoribus, vt bene obseruat Carolus Macignus *in tract. de Horis Canonicis. cap. 68. num. 14.*

Dixi, *præcisè ob non residentiam*, quia si Canonicus ratione beneficij aliquod opus præstare debeat, illudque non præstet, amittit fructus pro rata operis prætermissi, quia beneficium datur ob onera beneficij sustinenda, & datum ob causam retineri non potest causa non subsecuta, vt dictum est in præcedentibus quæsitis.

Obiicies, huiusmodi Canonicus priuatur fructibus, ex decreto Tridẽtini *sess. 24. c. 12.* ibi; *obtinentibus in eisdem Cathedralibus, siue collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis vltra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, saluis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius seruitij tempus requirunt: alioquin primo anno priuetur vnusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ facit suos. Quòd si iterum eadem vsus fuerit negligentia, priuetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit; crescente verò contumacia contra eos iuxta sacrorum canonum constitutiones procedatur.*

Respondeo illud decretum esse pœnale, consequenter non obligare ante iudicis sententiam, reus enim non tenetur in conscientia pœnam, quæ ad sui executionem, hominis actionem requirit, sponte subire ante iudicis sententiam, vt cum communi Doctorum sententia docui de legibus; quamobrẽ Canonicus, qui diuinis officiis numquam assistit, & in loco beneficij numquam residet, non tenetur beneficij fructus restituere, nisi legitimi superioris auctoritate per sententiam priuetur; Tridentinum enim non inducit priuationem ipso iure, sed eam minatur, & inducí decernit.

Addo Canonicum non esse priuandum fructibus, etiamsi aliquibus diebus vltra tres mẽses abfuerit à loco beneficij; Sacra enim Cardinalium Congregatio, teste Macigno *loco cit. num. 7.* hoc pacto interpretata est Concilij decretum, vt videlicet absenti primo anno denegentur non solum distributiones, verùm etiam dimidia fructuũ pars. Absenti secundo anno præter distributiones subtrahantur etiam omnes fructus, quos eo anno lucratus fuerit. Si verò adhuc contumax fuerit, & residere noluerit, ipso beneficio priuari debeat, iuxta sacros canones. *cap. peruenit, de appellation. cap. inter quatuor, cap. tua, de Cler. non resident.* Ita Carolus Macignus *loco citato num. 8.*

Modus autem quem Episcopus contra Canonicos non residentes seruare debet consuli potest apud Garziam *loco citato num. 140. & seq.* apud Barbosam *de potest. Episcop. 3. parte allegat. 43. num. 104.* vt etiam superiùs innui.

PVNCTVM V.

Quandonam beneficiarij non residentes excusentur à culpa, & pœna.

VNICA PROPOSITIO.

2 Beneficiarij non residentes excusantur à culpa, & pœna, cum absunt ex iusta causa cum legitima licentia.

1 Beneficiarij non residentes excusantur à culpa, & pœna, dum absunt ex iusta causa, cum legitima superioris licẽtia. Ita gloss. *cap. inter quatuor, de Clericis non residen.* Ratio est, quia culpa, & pœna incurritur ob transgressionem legis; qui autem ex iusta causa abest cum licentia superioris, non transgreditur legem.

Iusta causa obtinẽdæ licentiæ ad non residendum pro aliquo tempore quadruplex est, videlicet, Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, & euidẽs Ecclesiæ, vel reipublicæ vtilitas. Ita Tridentinum *sess. 24. cap. 12.* quas causas explicant Azorius *2. par. lib. 7. cap. 4.* Filliuc. *tract. 41. cap. 6. quæs. 6.* Barbosa *de potest. Episc. 3. part. allegat 43. nu. 6. & seq.* [Paulus Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 6. num. 4.*]

Obiicies, residentia est de iure naturali diuino; sed Summus Pontifex, vel Episcopus in iure naturali diuino dispensare non potest. Ergo Summus Pontifex, aut Episcopus non potest alicui facultatem, & licentiam non residendi concedere. Ergo absens de licentia superioris, non excusatur. Respondent Vasquez *de benef. cap. 4. §. 2. artic. 1. nu. 130.* Molfesius *tract. 6. cap. 11. num. 16.* Summum Pontificem non dispensare in iure diuino, sed declarare ius diuinum naturale residentiæ ad illum casum non extendi, & dispensare solum in præcepto residendi, quatenus pendet à iure positiuo humano. Ego verò respondeo Summum Pontificem posse in iis dispensare, quæ formaliter sunt de iure diuino, radicaliter verò, & fundamentaliter de iure Ecclesiastico; residentia autem radicaliter, & fundamentaliter est de iure Ecclesiastico, quatenus ab Ecclesia facta est beneficiorũ diuisio, & quilibet suo beneficio deputatus est, seu quatenus beneficiarius pactum iniit cum Ecclesia, quod pactum subest potestati Ecclesiæ.

2 Parochus iuste abesse potest à Parochia ob inimicitias graues, cum licentia Episcopi, & alio in sui locũ suffecto.

2 Hinc sequitur primò parochum esse tutum in conscientia dum non residet ob inimicitias cum periculo vitæ, & Episcopo consentiente, & substituto alio, qui vices parochi gerat. Ita declarauit sacra Cardinalium Congregatio, si credimus Gallemartio *sess. 23. cap. 1.* Zerolæ *in sua praxi Episcop. verb. priuatio §. 4. dub. 1.* Augustus Barbosæ *sess. 23. cap. 1. num. 13.* Ioanni de Selua *tract. de benef. punct. 4.* & Quarantæ *verb. residentia vers. quæ vera sint*; quamuis contrarium sentire videatur Filliucius *tract. 41. cap. 6. num. 46. ad finem.*

3 Item ob pestem, vel morbum non perpetuum obtenta ab Episcopo facultate.

3 Secundò sequitur, illum excusari, qui obtenta ab Episcopo licentia non potest sine vitæ periculo residere ob pestem, vel ob morbum non perpetuum; ob morbum verò perpetuum non videtur excusandus à residentia, dum aliqua ratione potest muneri suo satisfacere, sicut neque ab ea excusatur ob senectutem, consequenter parochus tenetur residere, & si per seipsum onera parochialia exercere nequeat, debet coadiutorem assumere, assignata illi congrua mercede ex redditibus beneficij. Ita Zerola *verb. residentia vers. 7. & 9.* Barbosa *sess. 23. cap. 1. & 3. part. de potest. Episc. allegat. 43. num. 9. & 90.* [Paulus Layman *loc. cit. num. 3.*]

4 Pestis tẽpore an Parochus residere teneatur.

4 Vtrùm verò parochus tempore pestis residere teneatur, vt saluti ouium sibi subditarum consulat, patet ex dictis *de charitate q. 3. punct. 4. nu. 5.* teneri. Ita præter Doctores ibi citatos, Sotus *dist. 18. q. 4. art. 2.* Nauarr. *cap. 25. nu. 133.* Rodriquez *cap. 63.* Molfesius *tract. 6. cap. 11. nu. 31.* Rebuf. *in praxi benef. tit. de dispensat. in residentia num. 30.* Vasquez *loco cit. art. 1. nu. 135.* [Paulus Layman *loco cit. num. 3.*]

Hoc tamen intellige, nisi per alium æquè benè consulat gregi, ita vt grex ob ipsius absentiam detrimentum non patiatur; tunc enim cogendus non videtur ad residentiam ex præcepto, cùm magnum vitæ propriæ tuendæ ius habeamus, nec proximus ob id damnum patiatur; consulendum tamen erit parocho in tali euentu, vt non recedat ab exemplo S. Caroli, & aliorum perfectionem vitæ sectantium.

5 Excusatus absens ex priuilegio Summi Pontificis.

5 Tertiò, à fortiori colligitur excusari absentem ex priuilegio Summi Pontificis. Tum quia Concil. Tridentinum non potuit Summo Pontifici facultatem concedendæ licentiæ ad non residendum auferre. Tum quia Summus Pontifex dispensare potest in iure communi; ergo etiam in obligatione residendi, quatenus hæc ab Ecclesia præscribitur. Tum quia sicut Paræciarum diuisio facta est auctoritate Pontificis, ita etiam eiusdem auctoritate auferri potest, modò fidelibus alia ratione consulatur. Tum quia absentia à propria Ecclesia non est adeò intrinsecè mala, quin iusta de causa cohonestari possit. Ergo nihil obstat, quò minus Summus Pontifex aliquando possit in obligatione residendi dispensare, & quominus obtinens priuilegium tuta conscientia possit abesse, nisi aliud obstet.

Amplia primò, etiamsi priuilegium ante Concil. Trid. decretum concessum fuerit. Nam huiusmodi priuilegio derogatum non fuit in Tridentino. Ita Azor. *loco cit. cap. 6. quæs. 3.* Lessius *loc. cit. dub. 24. nu. 163.* Garzias *de benef. 3. parte cap. 2. nu. 201. & 259.* vbi plures alios Doctores refert: hoc tamen limitat iuxta decretum Tridentini *sess. 6. cap. 2.* in priuilegiis perpetuis: hæc enim reuocata sunt, vt patet ex ipso Tridentini decreto, ibi, *Episcopis inferiores, quauis beneficia Ecclesiastica personalem residentiam de iure, siue consuetudine exigentia in titulum, siue commendam obtinentes ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis pro bono Ecclesiarum regimine & diuini cultus augmento locorum, & personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis iuris remediis residere cogantur, nulliq; priuilegia, seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur. Indulgentiis verò, & dispensationibus temporalibus ex veris, & rationabilibus causis tãtum concessis & coram Ordinario legitimè probandis in suo robore permãsuris, quibus casibus nihilominus officium sit Episcoporum tamquam in hac parte à Sede Apostolica delegatorum, prouidere, vt per deputationem idoneorum Vacariorum, & congruæ portionis fructuum assignationem, cura animarum, nullatenus negligatur: nemini quoad hoc priuilegio, seu exemptione quacumque suffragante.* Hæc Tridentinum.

Amplia secundò hoc idem valere in statutis à Sede Apostolica confirmatis ex certa scientia, & cum causæ cognitione. Ratio est, quia illa verba Concilij *sess. 24. cap. 12. non obstãtibus quibuscumque statutis, & consuetudinibus*, non comprehendunt statutum ex certa scientia, & cum causæ cognitione confirmatum, inserto rei confirmatæ tenore, & cum præuia solita discussione, vt declarauit Sacra Cardinalium Congregatio apud Garziam *nu. 216. & seq statutum, per quod,* inquit Sacra Congregatio, *conceditur abesse vltra tres menses ab Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, si à Sede Apostolica confirmatum fuit, non censetur derogatum per Concilium, modò confirmationes emanauerint ex certa scientia, & cum causæ cognitione, die Iouis decimotertio* 1586. Idem valet in consuetudine à Sede Apostolica confirmata, vt tenuit Rota *in vna Salamantina Iurisdictionis 14. Decembris* 1579. coram Seraphino circa Tridentinum *sess. 24. cap. 3.*

Secus dicendum est primò de statutis non confirmatis; vel etiam confirmatis, sed non ex certa scientia, & cum causæ cognitione, vt Sacra Congregatio censuit. Ita Gonzalez *gloss. 25. num. 14.* Rodriquez *tom. 1. quæstionum regul. q. 8. art. 3.* Cardinalis Mendosius, & alij apud Garziam *nu. 221.* & apud præcit. DD. contra Curtium Iuniorem, Robusterium, & Seraphinum apud Garziam *nu. 220.* confirmatio enim ex certa scientia, & cum causæ cognitione maius robur, & vires tribuit actui confirmato; consequenter reuocatus non censetur, nisi in reuocatione fiat mentio confirmationis Apostolicæ. Statutum verò confirmatum sine causæ cognitione, & sine certa scientia, per generalem clausulam reuocatoriam censetur reuocatum, quia non eo nititur robore, quo nititur statutum ex certa scientia, & cum causæ cognitione confirmatum. Vide Garziam *loco cit. nu. 218. & seq.* vbi *num. 232.* ostendit an clausula, *motu proprio,* vicem gerat clausulæ, *ex certa scientia,* & tollat subreptionem, de qua re ego alibi egi.

6 Consuetudo etiam immemo-

6 Secus dicendum videtur secundò de consuetudine, etiam immemorabili; hanc enim per Concilium sublatam esse tenuit sacra Cardinalium

rabilis nō excusat absentem.

nalium Congregatio, si credimus Garziæ *nu.* 194. Barbosæ *de potest. Episc.* 3 *p. allegat.* 43. *num.* 115. quamquam hoc, præcisis declarationibus Sacræ Congregationis, difficultatem haberet, cùm immemorabilis consuetudo sublata non censeatur, nisi aliqua ipsius mentio facta fuerit in reuocatione, vt patet ex dictis *de consuetudine. in tr. de legib.* & ex dictis *de Horis Canon. disp.* 2. *q.* 5 *punct.* 6.

Hinc licet inferre Canonicos Ecclesiarum Cathedralium, vel etiam Collegiatarum, saltem insignium, teneri ad residentiam, non obstante quauis consuetudine, etiam immemorabili, vt Sacra Cardinalium Congregatio censuit apud Garziam *nu.* 197. Quamquam in hac re non leuis controuersia esse potest, vt patet ex dictis *de Horis Canonicis loco cit.* Imò si aliqui prædictarum Ecclesiarum, suborta lite ante Concilium, an tenerentur ad residentiam, per sententiam liberati sunt ab onere residendi, eò quòd probauerint consuetudinem immemorabilem non residendi, tenentur adhuc post Concilium ad residentiam. Ratio est, tum quia illa sententia non plus roboris confert, quàm illi beneficiarij antea per consuetudinem haberent; sententia enim non dat ius, sed explicat. *l. sicut. §. sed si quæratur. ff. si seruitus vendicetur*; sed illi beneficiarij antea non habebant ius non residendi, nisi per consuetudinem immemorabilem, quam modò supponimus decreto Tridentini sublatam fuisse; ergo, &c. Tum quia sic in simili declarauit Sacra Cardinalium Congregatio *sess.* 24. *cap.* 20. *ad finem*, ibi, *non obstantibus priuilegiis*, &c. nam suborto dubio, an illud decretum sustulerit etiam res iudicatas vi priuilegij ante Concilium obtenti, Congregatio respondit, sustulisse, quia sententia cùm innitatur priuilegio, non dat plus roboris priuilegio, quàm ex se habeat; sed solùm finem liti imponit. Ita die 9. Aprilis 1587. *in vna Salamantina*, Sixtus V. audita relatione Congregationis, respondit, sicque in similibus responderi mandauit, teste Garzia *num.* 211.

7 Absens ad dirimēdas controuersias, vel ob alia opera charitatis, excusatur à residentia.

7 Quartò sequitur absentem ad dirimendas controuersias inter aliquos ortas, vel ad alia opera charitatis proximi, excusari à residentia, quia titulo Christianæ charitatis abesse dicitur. Ita Molfesius *in sum. tract.* 6. *cap.* 11. *num.* 29.

8 Excusantur à residentia inseruientes Papæ ob vtilitatem Ecclesiæ.

8 Quintò, excusari inseruientes Papæ in vtilitatem Ecclesiæ. *cap. cum dilectus, de Cler. non resid.* propterea excusari possunt Cardinales Episcopi, quos Summus Pontifex residere non permittit, vt illorum opera, consilio, & prudentia vtatur in rebus magni momenti ad Ecclesiam pertinentibus, adest enim causa obedientiæ, & vtilitatis Ecclesiæ. Ita Azor. *lib.* 7. *cap.* 4. *quæs.* 7. Molfes. *n.* 33. Reginald. *n.* 54. & alij.

Contrarium docent Panormit. *in cap. bonæ memoriæ* 1. *de postulat.* Sanctarellus *q.* 2. *n.* 11. & alij putantes Cardinalatum incompatibilem esse cum Episcopatu. Cùm enim Cardinales iure communi teneantur in Curia apud Pontificem residere. *cap. bonæ memoriæ, citato, & cap. fundamenta, de electione in* 6. cumque Episcopus teneatur in sua diœcesi residere, sequitur Cardinalatum incompatibilem esse cum Episcopatu; nam vna eademque persona non potest in pluribus locis naturaliter existere. Idem docent Vasquez *in opusc. de benef. cap.* 4. §. 2. *art.* 1. *dub.* 2. *nu.* 191. *vers. vnde optimè*. Sotus 10. *de iust. q.* 3. *art.* 4. Valent. *tom.* 3. *disp.* 10. *q.* 3. *punct.* 5. *vers. sed quæret.* Caietanus 2. 2. *q.* 189. *art.* 5. Corduba *lib.* 1. *q.* 19. Molfesius *nu.* 36. Gonzal. *gloss.* 24. *num.* 138. & alij existimantes, Cardinales non excusari à residentia, quia sint Papæ Secretarij, aut aliud officium in Romana Curia habeant, seu Papæ assistant. Ratio istorum Doctorum est, tum quia non dicuntur abesse ob necessitatem, cùm non desint alij, qui huiusmodi muneribus vacare possint. Tum quia iure naturali diuino residere tenentur, sicut ceteri.

9 Episcopus difficile potest excusari, vt possit abesse à sua Ecclesia.

9 Hac de causa non excusatur, iuxta Vasquez & alios, Episcopus, qui Proregis officium suscipit, quia cùm non desint sæculares, qui huiusmodi munus fideliter, & vtiliter exercere valeant, non videtur Episcopus iustam habere causam, ob quam à residentia in suo Episcopatu excusetur. Verùm hæc ratio solum conuincere videtur Episcopos, aliosque animarum curatores in Romana Curia, aut alibi commorantes, non excusari à residentia, dum ex ipsorum absentia damnum subditis infertur, & idoneus minister non substituitur, nec obtenta est à legitimo superiore licentia, quam legitimus superior in hac re concedere potest, seruatis prudentiæ regulis, & spectatis causis, quas Tridentinum *loco cit.* exprimit; alioquin neque licitum videretur Episcopis onus Legati, vel Nuntij Apostolici imponere: quod tamen passim fieri cernimus in obsequium Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ, vt concedit idem Vasquez *num.* 137. Molfesius *num.* 36. Garzias *nu.* 388. Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 43. *num.* 17. & alij.

10 Cardinales Papæ assistentes, excusantur à sua residentia.

10 Sextò, excusari posse Cardinales qui Romæ eliguntur ad Episcopatum Albanensem, vel Tusculanum, vel Ostiensem, vel similes. Cùm enim ab Episcopatibus parum distent, & non solùm per Vicarios, verùm etiam aliquando per seipsos negotiis propriæ diœcesis operam nauent, illamque aliquando visitent, ipsorum absentia non reputatur absentia, saltem adeò pernicioſa, vt Cardinalibus habentibus huiusmodi Episcopatus non liceat in Romana Curia commorari. Vasquez *num.* 144. [Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 5.] Sotus, & alij contra Sanctarellum *lib. variarum q.* 2. *num.* 5. *ad finem*, & alios.

An verò munus Camerarij, aut Vicecancellarij iusta sit causa absentiæ ab Episcopatu, multi Doctores, vt Azor. *lib.* 7. *cap.* 4. *quæs.* 5. Barbosa *allegat.* 43. *num.* 11. Filliucius *tract.* 41. *cap.* 6. *quæs.* 6. *num.* 29. *vers.* 2. & alij negatiuè respondent, dum adsunt alij, qui ea munera ritè obire possint, consequenter præfatos Cardinales teneri Episcopatum, vel munus Camerarij, aut Vicecancellarij relinquere, si vtrique satisfacere nequeant.

Verùm ego censeo in hac re standum esse iudicio Summi Pontificis concedentis huiusmodi Cardinalibus facultatem non residendi, fieri enim potest, vt respectu vnius tot circumstantiæ concurrant, quæ vni iustam præbeant absentiæ causam, non verò alteri, nec facilè obligarem Cardinalem ad dimittendum munus Camerarij, aut Vicecancellarij; cùm hæc munera per Auditorem, seu Coadiutorem obiri possint.

Septimò, sequitur excusari Episcopum, qui in vtilitatem suæ, vel alterius Ecclesiæ abest. Ita Vasquez *loco cit. num.* 143. post Sotum, & Caietanum *locis citatis.*

11 Officiū Inquisitoris, vel subcollectoris non excusat à residentia beneficij parochialis.

11 Octauò, officium Inquisitoris, aut Subcollectoris non excusare à residentia beneficij parochialis. Ita decisum ferunt Gonzal. *ad reg.* 8. *glos.* 6. *num.* 265. Barbosa *de potest. Episc allegat.* 43. *num.* 87. & alij; hoc tamen ego limitandum censeo, nisi necessitas aliquando vrgeat ad hæc munera obeunda.

12 Excusatur à residentia beneficij parochialis.

12 Nonò, illum excusari à residentia, qui causa litis prosequendæ super iuribus, & bonis sui beneficij abest, *cap. ex parte, de Clericis non resid. & cap. cùm non deceat, de elect.* Ita Rota *in vna Burgen. iurisdictionis*, coram Seraphino 4. *Maij* 1584. Imò licentiam superioris in hac non requiri putat Garzias *num.* 50. eò quòd ius illam concedat. Contrarium tenet Nauar. *consil.* 14. *de cler. non resid.* Sententia Nauarri mihi probatur in absentia parochi, vel alterius beneficium cum animarum cura habentis. Addit Garzias *num.* 47. Filliucius *tract.* 41. *cap.* 6. *num.* 76. litem in aliis materiis, regulariter loquendo, non esse iustam absentiæ causam vltra bimestre. Ego verò contrarium arbitror, dum lis grauem inducit necessitatem iudicio Episcopi, à quo facultas obtinenda est, iuxta Tridentini decretum.

13 Canonicus potest de licentia Episcopi abesse in visitanda diœcesi, & aliis Ecclesiæ seruitiis.

13 Decimò sequitur Canonicum posse de licentia Episcopi abesse in visitanda diœcesi, & aliis Ecclesiæ seruitiis præstandis. Ita Nauarr. Barbosa, Reginaldus, Sanctarellus, Vasquez, Lessius, & alij communiter. Ratio est, tum quia id fit ob Ecclesiæ vtilitatem. Tum quia Episcopus potest vti opera duorum Canonicorum in sui seruitium, vt in visitanda diœcesi, aut in exercendo Vicarij officio, vt patet ex *cap. ad audientiam, & cap. de cetero, de cler. non resid.* Quamquam non potest concedere, vt distributiones pro tempore absentiæ percipere possint, quia Episcopus in iure communi dispensare non potest, nisi quatenus sibi permissum est; iure autem communi distributiones non conferuntur absentibus, sed assistentibus Choro, nisi absint causa infirmitatis, aut necessitatis corporalis, aut vtilitatis propriæ Ecclesiæ. *cap. vnico, de cler. non resid.* & patet ex declaratione Cardinalium, & ex dictis *de distributionibus*, vbi etiam ostendi, an interim fructibus gaudere possint.

Hinc patet Canonicum excusari à residentia, dum Episcopo in vtilitatem Ecclesiæ inseruit, *cap. ad audientiam, de cler. non resid.* vbi permittitur Episcopis, vt duos Canonicos in sui obsequium ad Ecclesiæ vtilitatem adhibere queant, & Cardinalibus vnum Canonicū sui tituli. Nauar. *lib.* 3. *consil.* 11. *de præbend.* Azor. 2. *p. lib.* 7. *cap.* 4. *quæs.* 3. Reginald. *loco cit.* Lessius *dub.* 29. *num.* 163. Vasq. *de benef. cap.* 4. §. 2. *dub.* 2. *num.* 186. Molfesius *num.* 39. Emanuel Sà *verb. beneficium num.* 50. & alij, quos retuli *de distribut. disp.* 2. *de Horis Canonicis.*

14 Episcopus non potest vti opera parochi in visitatione.

14 Maior difficultas est, vtrum Episcopus vti possit opera parochi in visitatione.

Respondeo Episcopum non posse vti opera parochi in visitanda Ecclesia, aut pro seruitio Ecclesiæ Cathedralis, vel pro Secretario, aut in exercendo Vicarij foranei exercitio, ita vt parochus excusetur pro eo tempore à residentia, (excepta tamen graui causa, & exceptis duobus mensibus in Conc. Tridentino concessis.) Sic enim declarauit Sacra Cardinalium Congregatio; quam declarationem referunt Riccius *decis.* 502. *num.* 1. Gonzalez *reg.* 8. *glos.* 6. *num.* 258. Garzias *num.* 42. Filliucius *tract.* 41. *cap.* 6. *quæs.* 6. Barbosa *de potest. Episcop.* 3. *part. allegat.* 43. *num.* 86. Sanctarellus *lib. var. quæst.* 3. *num.* 49. & alij DD. statim citandi.

Amplia, etiamsi parochiæ pro eo tempore per alium ministrum idoneum consulatur; nam Episcopus dispensare non potest in iure communi; iure autem communi sancitum est, vt parochi discedendi licentiam in scriptis, gratisque concedendam vltra duos menses, nisi ex graui causa, obtineant. Ita declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, si credimus Barbosæ *sess.* 23. *num.* 3. Quarantæ *loco citato*, Marzillæ *sess.* 23. *cap.* 1. *vers. Episcopus*, Garziæ *num.* 41. Gonzalez *gloss.* 6. *num.* 255. *& seq.*

15 Excusatur à residentia, quia ex iusta consuetudine non residet, vbi Tridentinū non est acceptatum.

15 Vndecimò, sequitur illum excusari posse, qui non residet iuxta honestam consuetudinem receptam in iis locis, in quibus Tridentinum non est acceptatum. Nauarr. Panormit. & alij apud Lessium *cap.* 34. *dub.* 29. *n.* 163. & apud Sanctarellum *lib. var. q.* 4. *concl.* 12. nam quod operatur licentia, operari etiam potest, per se loquendo, legitima consuetudo. Hoc tamen intellige modò iusta subsit causa; non enim introduci potest consuetudo contra ius naturæ, nisi adsit iusta causa cohonestans absentiam. Ita Lessius *num.* 154. Ob id iure meritò à Sede Apostolica declaratum fuit, consuetudinem immemorabilem non excusare à residentia in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, quia non subest iusta causa; in Collegiatis verò ruralibus iam destitutis, etiamsi alioquin insignes fuerint, immemorabilis consuetudo excusat à residentia, quia præsumitur adesse aliqua iusta causa. Idem dic, si adeò tenues sint redditus, vt non sufficiant ad alendos Canonicos, aliunde non habentes vnde viuant. Ita Zerola *verbo residentia vers.* 6. Barbosa *loco cit. num.* 16. idem innuit Nauarr. *cap.* 25. *num.* 121. Sylvester *verb. residentia quæs.* 2. Moneta *de distrib.* 2. *parte quæst.* 12. *num.* 36. & alij.

16 Excusari potest qui ad quinque annos Theologiā, aut ius Canonicum in vniuersitate audit.

16 Duodecimò, illum excusari posse, qui ad quinque annos Theologiam, aut ius Canonicum in Vniuersitate audit, *cap. licèt, de præbend. & cap. finali, de magist.* vide Nauar. *cap.* 25. *num.* 121. Sylvestrum *verb. residentia quæs.* 7. Monetam *de distribut.* 2. *part. q.* 10. Couar. 3. *variar. cap.* 23. *num.* 2. Gonzalez *ad reg.* 8. §. 7. *num.* 78. *& seq.* Sanctarellum *lib. variar. q.* 3. [Paulum Layman *loc. cit. num.* 5.] Vasquez, & alios Doctores statim citandos. Excusantur etiam docentes publicè Theologiam, vel ius Canonicum, quamuis longo tempore absint causa docendi. *cap. super specula, de magistris*, modò adsit inopia Magistrorum, vt innuit Vasquez *cap.* 4. *artic.* 2. *dub.* 2. *num.* 187. Moneta *de distrib.* 2. *part. q.* 10. Ratio est, quia dicuntur abesse ex iusta causa.

Existimo tamen opus esse in præcitatis casibus, vt saltem licentia parochi, & Curatoris animarum ab Episcopo approbata sit, tum iuxta constitutionem Pij IV. editam anno 1564. quam refert Moneta

loco

loco cit. num. 8. Tum iuxta Tridentini decretum, quo iuri antiquo hac in parte derogatum videtur. Ita Vasquez *de benef. cap.* 4. *art.* 2. *dub.* 3. Sylvester *verb. residentia qu.* 3. Garzias 3. *part. cap.* 12. *num.* 81. *& seq.* Reginald. *lib.* 30. *tract.* 3. *num.* 54. Molfesius *nu.* 37. contra Petrum Gregorium Tholosanum *de benef. cap.* 7. *num.* 10. Sanctarellum *lib. var. q.* 3. *num.* 21. [Paulum Layman *num.* 3.] & alios apud præcitatos Doctores. Idem tradit Emanuel Sà *verb. residentia. num.* 8. vbi etiam addit iuxta declarationem Sacrę Congregationis licentiam hoc tempore parochis non concedi, vt per septennium causa studij abesse possint. Idem tradit Gonzalez *ad reg.* 8. *glos.* 6. *num.* 249. Garzias *cap.* 2. *nu.* 108. Riccius *in sua praxi decis.* 502. *ad finem, & ibid. num.* 2. Filliucius *tract.* 41. *cap.* 6. *qu.* 6. *num.* 29. Barbosa 3. *part. allegat.* 53. *num.* 77. Vasquez *loco cit. dub.* 2. *ad finem.* Ratio est, quia cessat causa concedendæ parochis huiusmodi licentiæ, cùm nullus hoc tempore ad parochiam admittatur, nisi per examen idoneus repertus fuerit, vel saltem in forma dignus. Obid Sacra Cardinalium Congregatio, teste Garzia *num.* 108. causam studij non existimat hoc tempore sufficientem, vt parochus studendi gratia abesse possit. Ex quo Garzias *nu.* 108. Gonzalez *ad regulam* 8. *glos.* 6. *nu.* 251. Augustinus Barbosa *de potest. Episcop.* 3. *parte allegat.* 43. *num.* 77. Riccius *in praxi decis.* 205. & alij inferunt, parochum, qui hoc tempore causa studij abest, non percipere fructus, iuxta præscriptum Tridentini *sess.* 23. *cap.* 1. Cùm enim non possit abesse causa studij, neque poterit fructus lucrari, qui absentibus causa studij in iure permittuntur. Addit idem Garzias *num.* 83. hoc tempore non competere Ordinario ius dandi licentiam, vt parochus causa docendi abesse possit. Ego verò probabilius arbitror oppositum, si grauis necessitas ad docendum superueniat, & parochi opera necessaria sit. Ita Zerola *part.* 1. *vers. studium.* [Paulus Layman *loco citato.*] Ratio est, quia Concilium Tridentinũ permittit Episcopis facultatem dandæ licentiæ, dum grauis subest causa. Plures declarationes Sacræ Congregationis ad hanc rem facientes videri possunt apud Garziam *num.* 81. & 101.

17 Sed modò dubium superest, vtrùm licentia obtinenda sit in scriptis. 17 Vtrum licentia obtinenda sit in scriptis.

Respondeo affirmatiuè, iuxta supradicta, quia sic præscribitur in Tridentino *sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* quoad Prælatos, parochos, aliosque animarum curatores, onus residentiæ habentes. Ex quo sequitur licentiam ore tenus non sufficere. Imò Nauar. *lib.* 3. *consiliorum tit. de Clericis non resid. consil.* 22. *à num.* 5. *vsque ad finem*, & Sanchez *in opere morali lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 31. *ad finem*, arbitrantur scripturam adeò necessariam esse, vt licentia ore tenus concessa Prælatis, aliisque animarum Curatoribus, non excuset ab amissione fructuum, in præfato Concilio imposita iis, qui sine licentia in scriptis absunt. Contrarium aliquibus Doctoribus in foro conscientiæ probabile videtur, modò interim oues detrimentum non patiantur ob Prælati, seu parochi absentiam. Sed de hac re suprà *punct.* 3. *num.* 5. *& punct.* 4. *num.* 12.



TRA-

TRACTATIO,
SEV
DISPVTATIO SEXTA

De onere, & obligatione denuntiandi eos, quos iura, vel edicta denuntiari præcipiunt.

SOLVTIO istius disputationis maximè conducit primò ad intelligendas leges superiorum, præcipientium aliquid denuntiari sub pœnis, & censuris, vt est Bulla Pij V. quæ obligat ad denuntiandas conspirationes contra Cardinales. Item Bulla Bonifacij VIII. de datis, & promissis, obligans ad denuntiandos eos, qui aliquid promittunt pro gratia, vel iustitia obtinenda in Curia Romana. Item Bulla 3. Sixti IV. contra non denuntiantes eos, qui lapides, vel ornamenta de Ecclesia Almæ Vrbis abstulerunt. Item canones eamdem obligationem inducentes in crimine Simoniæ in beneficio. Item aliæ consimiles leges, de quibus infrà.

An autem huiusmodi leges in hac parte quoad onus denuntiandi vsu receptæ sint, suis locis ostendam *in tractatu de censuris in particulari.*

Secundò solutio præfatæ difficultatis prodest ad intelligenda monitoria, vel edicta, quibus iubemur aliquid sub excommunicationis pœna denuntiare.

Tertiò iuuat ad intelligendas constitutiones, quibus feminæ obligantur ad denuntiandos Confessarios, qui eas sollicitant in confessione.

PVNCTVM I.

De onere, & obligatione denuntiandi, in genere loquendo.

CVM hæc disputatio non possit vnica propositione, vel responsione dissolui, per sequentes paragraphos explicanda est, sicut eam explicaui *in tractatu de censuris in genere disput.2.q.6.punct.1.* & quæ ibi dixi, huc ad verbum paucis additis, transferenda duxi, & primo quidem loco explicabo, quinam teneantur ad denuntiandum ex vi monitorij. Secundò, vtrùm qui tenetur ad denuntiandum, debeat esse subditus illi, qui monitorium, edictum, aut legem sub pœna censuræ tulit. Tertiò, vtrùm teneamur ad denuntiandum in delictis in damnum nostrum ab aliis patratis; aut dum ex denuntiatione damnum nobis impendet. Quartè, an ea denuntiare teneamur, quæ non scimus verè, & realiter, aut quæ probare non possumus. Quintò, an teneamur ea denuntiare, quæ nouimus sub secreto, aut quæ cum iuramento promisimus non denuntiare. Sextò, an custos rei alienæ detentores manifestare teneatur, vi edicti, quo iubemur detentores rei alienæ manifestare. Septimò, quandonam incipiat obligatio denuntiandi, & vtrùm qui excusatur à culpa non denuntiando, excusetur etiam à censura. Octauò, an fraterna correctio præmittenda sit, antequam denuntiatio fiat, & qua forma fieri debeat denuntiatio. Nonò, an obligatio denuntiandi finiatur lapso termino præscripto ad denuntiandum. Decimò, quis absoluere possit à censuris, & pœnis in edicto impositis contra non reuelantes.

§. I.

Quinam teneantur ad denuntiandum ex vi monitorij.

VNICA PROPOSITIO.

1 Monitorium eos solum obligat ad denuntiandum, quos iudex, seu superior intendit obligare.

1 MOnitorium eos solum obligat ad denuntiandum, quos iudex, seu superior intendit obligare; nam præceptum, & excommunicatio vim habet ab ipsius superioris voluntate. Addo monitorium non obligare, nisi quos pars intendit in monitorio includi. Nam iudex cùm ferat monitorium in gratiam petẽtis, ligare non intendit vltra intentionem petentis. Hac de causa, quando fertur excommunicatio in eos, qui aliquid iniustè subtraxerunt ex bonis Titij, aut in conscios non manifestantes, in ea excommunicatione non comprehenduntur filij ipsius Titij, qui monitorium impetrauit, nisi adsit aliqua specialis clausula, qua omnes coniuncti exprimantur, vt si dicatur, *nullo excepto.* Ratio est, tum quia superior concedens excõmunicationem intendit ligare solum iuxta intentionem petentis, cùm illam concedat in gratiam, & vtilitatem ipsius petentis; petens autem non præsumitur habere intentionem, vt filij ligentur excommunicatione, nisi adsit aliqua clausula hoc exprimens. Tum quia odia sunt restringenda. *cap.odia, de reg.iur.in 6.* Ita Sotus *lib.5.q.3.art.1.* Petr. Nauar. *lib.3.c.2.q.2.dub.5.* Valq. *in opuscul.c.5.§.1. dub.7.nu.37.* Salonius 2.2.*q.66.art.3.* Clauis Regia *locis cit.n.69.* Molina *disp.686.nu.2.* Rebellus 1.*part.lib.2.quæst.15.sect.7.nu.15.* Lazarius *de monit.sect.3.q.8.* Filliucius *tract.14.c.1.quæs.7.n.18.& cap.2.quæs.7. nu.38.* Alterius *lib.3.cap.8.col.5. vers.1. excusatur,* Genuensis *in praxi Neapolitana cap.2.num.8.* vbi refert Sotum, & alios.

2 Idem intelligitur respectu domesticorum, vt respectu vxoris, patris, matris, &c. nisi aliter coniiciatur de mente impetrãtis monitoriũ.

2 Addo hoc idem præsumendum esse, etiam respectu aliorum domesticorum, specialiter dilectorum ab obtinente excommunicationẽ, vt respectu vxoris, patris, aut matris, nisi aliter coniiciatur de mente impetrantis monitoriũ. Ita Alterius, & alij *locis cit.* In dubio tamen optimum consiliũ est petere absolutionem, vt bene ait Clauis Regia, Lazarius, & alij *locis cit.* nam prudenter agit, qui tutiorẽ partem eligit.

§. II.

Vtrùm qui tenetur ad denuntiandum, debeat esse subditus illi, qui monitorium, edictum, aut legem sub pœna censuræ tulit.

VNICA PROPOSITIO.

1 Obligatus sub pœna censuræ ad denuntiandum, debet esse subditus ipsi petenti censuram. Et non subditus concedenti monitorium, edictum, vel legem sub excõmunicatione, non ligatur excommunicatione lata contra non reuelantes.

1 QVi ad denuntiandum sub pœna censuræ obligatur, debet esse subditus ipsimet ferenti censuram, consequenter qui non est subditus superiori concedenti monitorium, edictum, vel legem sub excõmunicatione, non ligatur excõmunicatione lata contra non reuelantes. Hæc propositio constat ex dictis de censuris in cõmuni, & ratio est; quia actus iurisdictionis exerceri non potest in non subditũ.

2 Ciuis vnius diœcesis nondum elapso termino denuntiãdi, si transferat se ad aliam diœcesim animo ibi habitandi, nũ incurrat excommunicationẽ latam in prima diœcesi contra non reuelantes intra certum terminum.

2 Si queras, vtrùm ciuis Mediolanẽsis, qui nondũ elapso termino in monitorio cõcesso, se transfert ad aliã diœcesim intẽtione ibi manendi maiore anni parte, vel ibi perpetuò habitandi, incurrat excõmunicationẽ Mediolani latã contra non reuelantes intra certũ terminum.

Respondetur solutionẽ huius quæsiti colligi posse ex dictis *de censuris in communi disp.1.q.1.punct.11.n.6.& seq.* Suarez *tom.5.disp.5.sect.5.* Sayrus *lib.1.c.7.nu.11.* vbi plures alios refert, & Lazarius *q.17.nu.2.* asserunt incurrere, cõtra Genuensem *in praxi Neapolit.c.1.n.18.& cap.2.n.7.* quamuis in annotat. idem cum aliis sentiat, videlicet ligari, eò quòd remaneat subditus ratione delicti, & per monitorij citationem perpetuetur iurisdictio. *cap. proposuisti, de foro competente.*

Hæc doctrina vera est si loquamur de monitoriis strictè acceptis, & certas quasi personas respicientibus, vt patet ex allata ratione. Secus si loquamur de monitoriis latis per modum legis, seu statuti, vt patet ex dictis *de legibus disp.1.q.1.punct.6.& de censuris loco cit.* quamquam hæc, propriè loquendo, non vocantur monitoria.

§. III.

Vtrùm teneamur ad denuntiandum in delictis, in damnum nostrum ab aliis patratis, aut dum ex denuntiatione damnum nobis impendet.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Nemo tenetur denuntiare delicta in sui damnũ, nisi aliter exigat bonũ publicum, aut alia circũstantia.

1 NEmo tenetur in delictis, ab aliis commissis in sui damnũ, seu in causa propria denuntiare delinquentẽ, nisi aliter postulet cõmune bonum, aut nisi alia circumstantia obligationẽ inducat. Ratio est, quia non est præsumendum Prælatum velle obligare contra Euangelica consilia; consilium autẽ Euangelicũ est iniurias proprias condonare, iuxta illud, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos, &c.*

Vtrùm verò in præfatis casibus possimus denuntiare, ex dictis in octauo Decalogi præcepto constat posse.

Dixi, *nisi aliter postulet bonum commune*, &c. quia ratione alicuius circumstantiæ fieri potest, vt obligemur, vt infrà ostendam de feminis, quæ à Confessariis sollicitantur ad turpia.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Cessat obligatio denuntiãdi, vbi ex denuntiatione magnum imminet

2 NOn est obligatio denuntiandi, quãdo ex denuntiatione magnum imminet periculum, & detrimentum denuntianti. Quamobrẽ, si ego priuatim noui aliquod delictum, quod etiam delinquens nouit à me sciri, ita vt possit colligere, denuntiationem à me

mineat periculũ denuntianti.

me factam fuisse, & non ab alio, non teneor denuntiare, quoties ex denuntiatione periculum mihi impendet in vita, vel in bonis, &c. nam edictum, cum sit benignè explicandum, non obligat cum tanto incommodo, modò crimen non vergat in detrimentum, & damnum publicum; bonum enim commune præferendum est priuato. Ita Nauarr. *cap.25. num.50.* Auila 2. *parte cap.5. disp.5. dub.2.* Henriquez *lib.13. cap.18.* Petrus Nauarr. *lib.2. cap.4. part.2. num.228.* Graffius 1. *parte decisionum lib.4. cap.8. nu.3.* Lazarius *in tract. canonicarum quæst. sect.2. quæst.14. num.1.* Suarez *tom.5. disp.20. sect.3. regula 3. num.9. vers. secundum exemplum.* Filliucius *tract.14. cap.2. quæs.5. & 6.* & alij, quos infrà referam, dum loquar de Confessariis sollicitantibus feminas in confessione.

3 Socius delicti non tenetur ex vi monitorij manifestare delictum proprium, nisi iuridicè interrogetur.

3 Hinc patet primò furem, vel socium delicti non teneri ex vi monitorij ad manifestandum delictum proprium, nisi iuridicè interrogetur. Quando autem iuridicè interrogetur, cõstat ex dictis in octauo Decalogi præcepto. Ita Nauar. *cap. inter verba concluſ.6.* Auila *dub. 3. concl.9.* & alij apud Garziam *q.16. citata num.13. & lect.3. q.12.*

Verum tamen est, teneri sub excommunicatione ad restitutionem rei alienæ, quam præcipitur restituere, (nisi fortè ex aliqua iusta causa excusetur.) Suppono enim latam esse excommunicationem contra retinentes, seu contra non restituentes, & contra non denuntiantes.

4 Vxor nõ tenetur maritum denuntiare.

4 Secundò vxorem non teneri maritum denuntiare, quia censetur vnum, & idem cum suo marito, sunt enim duo in carne vna. Ita Franciscus Pegna *ad directorium Inquisitorum parte 2. comment. 78.* Lazarius *de blasphemia q.12. num.67. & de monitoriis sect.3. q.11.* Suarez *loco cit. num.10.* Filliucius *q.7.* & alij Doctores citati.

5 Filius ex vi monitorij non tenetur prodere delictũ patris, nec pater delictum filij.

5 Tertiò patet filium non teneri ex vi monitorij, vel edicti denuntiare furtum, vel aliud delictum patris, nec patrem teneri denuntiare delictum filij. Ratio est, quia damnum patris redundat in filium, & è contra; nemo autem tenetur denuntiare, quando ex denuntiatione impendet magnum periculum denuntianti. Imò Auila *disp. 5. dub. 2.* & alij apud Lazarium *loco cit. num.12. & in tract. monit. sect.3. quæst.11.* extendunt hanc doctrinam ad generos, soceros, fratres, & alios intra quartum gradum, & Marcus Antonius Genuẽsis *in praxi Neapolitan. cap.2. num.6.* cum Angelo, & Syluestro, *verbo familia*, extendit ad familiam, quia commune bonorum familiæ, & Reipublicæ exigit, vt euitentur dissensiones, & discordiæ inter familiares; ex denuntiatione autem prædictarum personarum orirentur dissensiones, & discordiæ inter familiares; sicque tolleretur quies, & pax domus. Verùm hæc ratio solum probat dictas personas eximi ab onere denuntiandi, quando denuntiantes graue damnum inde paterentur; quod etiam ipse admitto. Secus si valeant denuntiare sine graui damno.

Excipiendum est ab hac doctrina, iuxta opinionem plurimorum Doctorum;

6 Excipiũtur casus hæresis, læsæ maiestatis, blasphemiæ, & sollicitationis in confessione.

6 Primò crimen hæresis, quia huiusmodi crimen vergit in detrimentum commune, & serpit vt cancer. Vide Farinacium *de hæresi quæst.197. num.40.* Mascardum *de probat. conclus.857. num.18.* Suarez *de fide disp.20. sect.4. num.21.* & Azorium *lib.2. cap.8.*

Secundò excipi potest iuxta communiorem sententiam crimen læsæ maiestatis, quando est in fieri, vt patet ex alibi dictis; in his enim duobus casibus agitur de bono communi Reipublicæ, quod præferendum est priuato. Propterea filius potest denuntiare, & testari cõtra patrem in causa hæresis, aut in causa læsæ maiestatis, quando crimen læsæ maiestatis nondum est patratum, sed est in fieri, vel pendet in futurum. Ita Doctores citati, & alij quos retuli *in 4. Decalogi præcepto punct.2. quæs.2.* quamuis aliqui oppositum sentiant.

Tertiò excipitur ab aliquibus Doctoribus casus blasphemiæ, eò quòd honor, & gloria Dei præferri debeat reuerentiæ parentum. Ita Comitolus *lib. 4. responsionum moralium q. 8.* Zecchius, & alij apud Lazarium *de blasphemia q.12. num. 57.* quos puto intelligendos hoc pacto, si periculum sit, vt parentes iterum in blasphemiam prolabantur.

Quartò excipitur crimen Confessarij sollicitantis in confessione, de qua infrà puncto proximè sequenti.

7 Filius spiritualis tenetur ex vi monitorij denuntiare patrẽ spiritualẽ.

7 Rogabis, vtrùm filius spiritualis teneatur ex vi monitorij denuntiare patrem spiritualem.

Respondeo affirmatiuè, concurrentibus ceteris conditionibus; nam potest esse testis contra ipsum. Ergo potest etiam denuntiare. Ita Farinacius *tract. de teste q.54. num.194.* Genuensis *in praxi Neapolitan. cap.2. num.3.* Lazarius *sect.3. quæst.11. ad finem*, & alij.

§. IV.

An ea denuntiare teneamur, quæ non scimus verè, & realiter, aut quæ probare non possumus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Obligatio non est ea denuntiandi, quæ nõ scimus verè, & realiter.

1 NOn est obligatio denuntiandi ea, quæ non verè, & realiter scimus. Ratio est, tum quia obligatio non est extendenda vltra id, quod exprimitur; edicta autem loquuntur de scientibus, qui scilicet verè, & realiter sciunt: nam scire propriè est veritatem visu, vel alio corporis sensu perceptam mẽte retinere. Tum quia alioquin exponeremus nosmetipsos periculo leuitatis, & reum damno, quod fortasse iniustè reciperet, reuelando ea, quæ non scimus verè, & realiter. Ita Nauar. *consil. de hæreticis, & cap. inter verba 11. q. 3. consil. 6.* Reginaldus *lib.24. num.63.* Clauis Regia *lib. 12. cap.14. num. 33.* Rodriquez *in summa part.1. cap.79. num. 7.* vbi citat Cordubam, Lazarius *de monit. sect.3. quæst.12. num.2.* vbi plures alios refert. Sanctarellus *cap.9. num.16. tract.1. de hæresi.*

Hinc sequitur primò edicta, quibus iubemur denuntiare aliqua, quæ scimus, non obligare ad denuntianda ea, quæ accepimus à leuibus personis, quæ non sunt fide dignæ, vel quorum habemus leuem suspicionem, seu signa; hæc enim non dicimus scire. Ita Sanchez *de matrim. lib.3. disp.13.* & alij Doctores statim citandi, omissis iis, quos citat, & sequitur Gutierez *de matrim. cap.59. num.11.* & Sanctarellus *in tract. de hæresi cap. 9. num.16.*

Secundò edicta obligare ad ea denuntianda, quæ scimus per visum, vel alium sensum externum, vt quæ scimus per confessionem ipsius delinquentis extra Sacramentum confessionis, vel quod audiuimus à viro fide digno, vel alia ratione certò scimus, vel ex iusta causa credimus. Vbi est aduertendum, quòd licèt testes de auditu regulariter non probent, nisi à pluribus audiuerint, & idem audierint; nihilominus eorum dictum præbet causam, & adminiculum iuridicè interrogandi eos, à quibus ipsi audierint, & veritatem clariùs inquirendi. Ita Doctores citati, & alij statim citandi.

Tertiò, edicta non obligare ad denuntianda ea, quæ quis audiuit à fide digno, sed non meminit, à quo audiuerit, vel quæ audiuit à personis ignotis, vel à persona nil certum sciente. Ita Sanchez *lib.3. de matrim. disput.13. num.7.* Rodriquez 1. *part. cap.117. num.9.* Auila *loco cit. dub.2.* Nauar. *cap. inter verba nu. 291.* & alij apud Clauem Regiam *loco cit. num.33.* & apud Sanctarellum *loco cit.*

2 Qui audiuit delictũ ab eo, qui illud denuntiauit, an teneatur illud denuntiare.

2 Quæres, vtrùm qui audiuit delictum ab eo, qui iam denuntiauit teneatur denuntiare.

Respondeo negatiuè etiamsi audierit à viro fide digno. Ratio est, quia ipsius denuntiatio esset inutilis, & nihil prodesset. Nullus autem obligatur ad opus inutile. Ita Nauar. *cap. inter verba num. 292.* Auila *disp.15. cit. concl.6.* Sayrus *lib.1. de censuris cap.9. num.34.* Rodriquez 1. *part. cap.79. num.7.* Graffius 1. *parte decis. lib.4. cap.8. num.3.* Lazarius *de monit. sect.2. quæst.12. num.9.* & alij.

3 Quid cũ ex denuntiatione probabiliter creditur nullum remedium adhibendũ à Prælato.

3 Ex qua etiam ratione aliqui Doctores colligunt non esse obligationem denuntiandi, quando certò scitur, vel probabiliter creditur nullum remedium adhibendum esse à Prælato, facta denuntiatione; nullus enim obligatur ad opus inutile. Secus dicendum est, si solum dubitetur an remedium sit adhibendum, nam in dubio obediendum est superiori præcipienti. Ita Auila *loco cit. dub.1.* vbi citat Syluestrum, & alios.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Non tenetur quis denuntiare, quod non potest probare per legitimas probationes.

4 EX decreto lato ad manifestanda delicta alicuius delinquentis non oritur obligatio denuntiandi ea, quæ probari non possunt; consequenter, qui aliquid nouit, non tenetur denuntiare, nisi illud probare possit per testes, vel scripturas, vel indicia sufficientia, vel infamiam. Ratio est, tum quia crimen, quod probari non potest, ita se habet, ac si nesciretur. Tum quia denuntians præsumitur proditor, & calumniator, quoties probare non potest. Tum quia sic habetur *cap. Sacerdos, de pœnit. distinct.6. & cap. qualiter, & quando 1. de accusatoribus.*

Hinc sequitur primò à contrario sensu, illum teneri denuntiare, qui potest probare per testem omni exceptione maiorem; hic enim dicitur posse probare. Ita Nauarr. *cap.25. num. 33.* Lazarius *de monit. sect.2. q.11. num.10.* Auila, & alij *locis suprà citatis.*

Secundò sequitur eum teneri ad denuntiandum delictum, quod probabiliter credit ab aliis sciri; nam delictum probari potest, & fieri potest, vt etiam alij denuntiauerint, & consequenter procedatur contra delinquentem. Ita Genuensis *in praxi Neapolit. cap.2. num.2.* Lazarius *loco citato, num.20.* & alij.

Tertiò sequitur, eum, qui furtum commissum audiuit, aut vidit committi ab ipso fure, nemine præsente; non teneri illum denuntiare, quia probare non potest. Secus si habeat vnum testem, omni exceptione maiorem; nam ipse denuntians in hac materia valet pro teste. *cap. in omni, de testibus.* Ita Nauarr. *cap.25. nu.33.* Auila 2. *parte cap. 5. disp.5. dub.4. concluſ.11.* Lazarius *de blasphemia quæst.12. num.55.* Genuensis *in praxi Neapolit. cap.18. num.3.* Suarez *tom.5. disp.20. num.11.* Menochius *de arbitrar. casu 355.* Sanctarellus *in tract. de hæresi cap. 44. nu.12.* Sayrus *lib.1. cap.9. nu.34.* Alterius *lib.3. disp.1. cap.8. col. 5.* Reginaldus *loco cit. num. 50.* Petrus Nauarr. & alij apud Clauem Regiam *lib.12. cap.14. nu.32.* Vasquez *de restitutione cap.9. §.3. nu.4.* Henriquez *lib.13. cap.18. num.13.* Gutierez *de matrimonio cap.59. num.2.* vbi plures alios refert. Filliucius *num. 39.*

5 Casus excepti ab hac regula.

5 Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus extat obligatio denuntiandi, etiamsi delictum probari non possit.

Primus est, quando in edicto non præcipitur denuntiatio, sed testificatio; tunc enim tenemur testari, & deponere tamquam testes, si iuridicè interrogemur, etiamsi delinquens sit emendatus; nam iudici iuridicè interroganti respondendum est, vt patet ex dictis *in 8. Decalogi præcepto.* Ita Nauarr. *loco citato, num.135.* Auila *loco citato, concluſ. 10.* Clauis Regia *lib.12. cap.14. num.33.* Lazarius *in tract. monit. loco citato, & sect.1. q.20. num. 10.* Couarr. Vega, & alij apud Sanctarellum *in tract. de hæresi cap.9. num.13.*

Secundus est iuxta plurimos Doctores, quando præcipitur denũtiari delictum respiciens fidem, & Christianã religionem, vt est hæresis, vel blasphemia hæreticalis; nam in huiusmodi casu creditur vni testi. *cap. in omni, de testibus, & cap. nouit, de iudiciis.* Ita Genuensis *in praxi Neapolit. cap.18. dub.3. nu.5.* Repertorium Inq. *tit. de denunt.* Bannes 2.2. *q.68. art.1.* Salon. & Arragon. *ibid.* Lazar. *de blasphemia q.12. n. 55.* Filliucius *n.31. & 39.* Sanctarellus *loco cit.* Turrianus *in tract. de hæresi quæst.197. §.2.* cõtra Decianum, & alios apud Genuensem *in praxi Neapolit. loco citato,* apud Lazarium *de monit. sect.2. quæst.11. nu.7.* apud Sanctarellum *cap.9. nu.2.* & apud Farinacium *loco cit.* Idem dic de crimine Confessarij sollicitantis feminas in confessione, vt infrà *punct.2.* ostendam cum Sanctarello, Chuna, & aliis.

Tertius est quãdo crimen vergit in graue detrimentum cõmunitatis, vt patet ex dictis *in 8. Decalogi præcepto.* Ita Doctores citati.

Quartus est casus matrimonij, in quo qui aliquod impedimentum nouit, tenetur illud denuntiare, quamuis probare non possit, nam vnus testis sufficit ad impediendum matrimonium, *cap. præterea, de sponsalibus.* Ita Genuensis *in praxi Neapolitana, cap. 2. num. 2. versus finem*, & alij communiter.

§. V.

An teneamur ea denuntiare, quæ nouimus sub secreto, aut quæ cum iuramento promisimus non denuntiare.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Nemo tenetur denuntiare, quæ nouit sub secreto naturali, vel per cõsultationẽ, vel ad remedium adhibendũ animæ, aut corporis, aut honoris, aut pro defensione bonorum externoriũ.

1 NEmo potest vi edicti cogi ad reuelandum id quod nouit sub secreto naturali, vt quod nouit per solam consultationem præstandam, vel ad remedium adhibendum pro salute animæ, aut corporis, aut honoris, aut pro defensione bonorum externorum, aut si quis petiit remedium à Medico, vel consilium ab Aduocato; obligatio enim secreti est de iure naturæ. Ita Doctores statim citandi.

2 Reuelans in hoc casu peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, etiamsi reuelet id, de quo præcessit infamia, vel semiplena probatio.

2 Addo, reuelantẽ in hoc casu peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem, etiamsi reuelet id, de quo præcessit infamia, vel semiplena probatio, vt patet ex dictis de secreto; nam is, cui commissum est secretum, non potest loqui de iis, quæ sibi sub secreto concredita, & communicata sunt, sed solum potest de iis loqui, quatenus ea nouit alia via, quàm sub secreto; sicut etiam Confessarius potest ea tantùm propalare, quæ nouit extra confessionem. Ita Nauarr. *cap.* 18. *num.* 12. Petrus Nauarr. *loco cit. num.* 222. Henriquez *loco cit. nu.* 3. Suarez *tom.* 5. *disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 11. Salonius 2. 2. *quæst.* 71. *art.* 3. *concluſ. vlt.* Arragonius *ibidem*, Filliucius *tract.* 14. *cap.* 2. *quæſ.* 8. *num.* 39. & alij apud Auilam *disp.* 5. *dub.* 2. *concluſ.* 3. apud Clauem Regiam *lib* 12. *cap.* 14. *nu.* 20. apud Azorium 3. *parte lib.* 13. *cap.* 28. apud Garziam *sect.* 2. *q.* 16. *nu.* 1. & *q.* 17. *nu.* 17. apud Alterium *lib.* 3. *disp.* 1. *cap.* 8. *col.* 5. *verſ.* 3. & apud Reginaldum *loco cit. num.* 47. Ratio est, quia superior non potest aliquid præcipere contra ius diuinum, vel naturale, vt optimè ait Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 14. *punct.* 1. Ius autem naturale dictat, vt seruetur secretum, nisi iusta, & rationabilis causa aliter postulet, qualis causa est damnum Reipublicæ, vel damnum tertij, pendens in futurum, vel occultum impedimentum, cum quo quis, ex. grat. contracturus est matrimonium, &c. Tunc enim non esset seruandum secretum, excepto secreto confessionis. Ratio est, quia nullus potest se obligare ad aliquid illicitum. Illicitum autem est seruare secretum, quod vergit in damnum Reipublicæ, vel tertij. Propterea in promissione secreti censetur exceptus casus, quoties vergit in detrimentum Reipublicæ, vel tertij. Ita Doctores citati, & alij apud Lazarium *loco cit. nu.* 6. & apud Sanctarellum *loco cit. num.* 10. vbi loquitur de hæresi, quam quis sub secreto nouit. Vide quæ dixi de secreto *in tract. de restitut.*

Hinc patet quandonam Procurator, Tabellio, Aduocatus, & alij possint manifestare secreta clientum, vel aliorum, tenentur enim secretum sui clientis manifestare, quoties illius manifestatio necessaria est ad vitandum iniustum alterius damnum, quod alia ratione vitari non potest.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Qui tenetur reuelare, non eximitur ab obligatione etiãsi promiserit cum iuramento se non reuelaturum.

3 QVi tenetur reuelare, non eximitur ab obligatione reuelandi, etiamsi promiserit cum iuramento non reuelare; nam iuramentum de re illicita non obligat, nec est vinculum iniquitatis. *cap. quanto, de iureiurando.* Ita Lazarius *sect.* 2. *quæſt.* 4. *num.* 6. Genuensis *in praxi Neapol. loco cit.* & plures alij, quos in simili retuli *de iuramento*, & plures alios refert Sanctarellus *num.* 11.

§. VI.

An iustos rei alienæ detentores manifestare teneamur vi edicti, quo iubemur detentores rei alienæ manifestare.

VNICA PROPOSITIO.

1 Ex vi edicti de manifestandis furibus, vel iniustis detẽtoribus, non tenemur manifestare iustum compensatorẽ, aut alium iustum detentorem.

1 QVando in edicto præcipiuntur manifestari fures, vel iniusti detentores, non est obligatio denuntiandi iustum compensatorem, aut alium iustum detentorem. Ratio est, quia excommunicatio cadit supra iniustum detentorem, non verò suprà compensatorem, vel alio iusto titulo retinentem, etiamsi compensans fortè peccauerit accipiendo, vt si potuit rem sibi debitam recuperare alia via, aut sine periculo scandali, &c. non tamen peccat retinendo, modò debitum sit liquidum, nec plus retineat, quàm sibi debeatur. Ratio est, tum quia præcepta generalia ita intelligenda sunt, vt maneant iusta; remanent autem iusta, si intelligantur de iniusto detentore, non verò de iusto compensatore. Tum quia excommunicatio fertur ob mortale peccatum; qui autem iustè retinet, non peccat mortaliter, vt patet ex dictis *de restitutione.*

Addo compensantem non ligari excommunicatione, quamuis in sententia excommunicationis exprimatur iusta compensatio. Ratio est, tum quia huiusmodi sententia continet errorem intolerabilem. Tum quia excommunicatio non incurritur, nisi ob peccatum mortale contra obedientiam; cõpensans autem retinendo rem acceptam in compensationem, non peccat mortaliter contra obedientiam censuræ. Ita Molina *disp.* 6. *quæſt.* 2. Vasquez *in opuſculo de restitutione, cap.* 5. §. 1. *dub.* 9. *num.* 51. Lessius *loco proximè citando*, Clauis Regia, & Petrus Nauarrus *locis citatis.* Lazarius *sect.* 2. *quæſt.* 8. & 9. Reginald. ex parte *lib.* 24. *num.* 64. Suarez *loco citato sect.* 3. *nu.* 12. vbi refert. Couarr. & alios. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 1. *num.* 28. & Alterius *lib.* 3. *disp.* 1. *cap.* 7. *columna* 3. *dub.* 2.

2 Quid de eo, qui supra debitũ accepit aliquid in cõpẽsationẽ, antequam ferretur excõmunicatio, sed statim lata excommunicatione proposuit restituere quamprimum.

2 Rogabis primò, vtrùm ligetur excommunicatione, qui aliquid supra sibi debitum accepit in compensationem, antequam ferretur excommunicatio, sed statim lata excommunicatione proposuit restituere quamprimum.

Respondeo non ligari, nam quando fecit compensationem, nondum lata erat excommunicatio, vt suppono, & excommunicatio, quę postea fertur, non fertur ob actum præteritum, sed ob contumaciam iniustæ detentionis: contumacia autem cessat, statim ac compensans proponit restituere quamprimum poterit, & oblata opportunitate restituit. Ita Petrus Nauarrus *loco cit.* Clauis Regia *loco cit. num.* 17. Vgolinus, Salonius, & alij apud Lazarium *de monit. sect.* 1. *quæſt.* 13. Suarez *tom.* 5. *disp.* 20. *sect.* 1.

excõmunicatio, sed statim lata excõmunicatione, proposuit restituere quamprimum.

3 Rogabis secundò, vtrùm, qui non denuntiat iustum compensatorem, ligetur excommunicatione, quoties ipse compensans non ligatur.

3 Non denuntrians iustum cõpensatorẽ, an ligetur excõmunicatione, quoties ipse compẽsans non ligatur.

Respondeo non ligari, etiamsi excommunicatio specialiter lata sit contra scientes, & non manifestantes. Ratio est, tum quia nemo tenetur se, aut alterum innocentem prodere. Tum quia quando principalis non ligatur, neque ligatur minus principalis. Ita Arragonius 2. 2. *q.* 62. *artic.* 2. Salonius 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 5. *controuerſ.* 2. Molina *disp.* 6. *quæſt.* 1. Petrus Nauarrus *lib.* 3. *cap.* 1. *part.* 2. *num.* 407. Azorius 3. *parte lib.* 1. *cap.* 15. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 10. *num.* 6. Vasquez *loco cit. num.* 55. & plures alij apud Clauem Regiam *lib.* 9. *cap.* 14. *num.* 12. & *lib.* 11. *cap.* 14. *num.* 30. apud Lazarium *sect.* 2. *quæſt.* 8. & 9. apud Suarez *sect.* 3. *num.* 12. & apud Filliucium *quæsito* 9. *num.* 40.

4 Non denuntrians impotentẽ restituere, an incurrat excõmunicationem latam contra non denuntiãtes.

4 Rogabis tertiò, vtrùm, qui non denuntiat debitorem, quem nouit non posse restituere ob impotentiam, vel quia creditor abusurus est re sibi tradenda, vel ob aliam iustam causam, incurrat excommunicationem latam contra non denuntiantes.

Respondeo negatiuè, ratio est, tum quia sicut fur ipse excusatur, cùm cesset peccatum, propter quod fertur excõmunicatio, ita etiam excusandi sunt, qui norunt impotentiam, &c. Tum quia nullus obligatur ad opus inutile. Ita Suarez *tom.* 5. *disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 7. & *sect.* 3. *nu.* 2. *ad finem.* Rodriquez 1. *parte cap.* 79. *nu.* 10. Clauis Regia *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 31. Lazarius *quæſt.* 13. & 15. Filliucius *q.* 9. *num.* 40.

Doctrinam tamen istorum Doctorum intelligendam puto, modò delinquens sit simpliciter impotens ad restituendum. Secus si possit in partem restituere, vel pro futuro tempore. Sicut enim delinquens non excusatur simpliciter à restitutione, ita neque à denuntiatione excusandum puto eum, qui nouit, nisi fortè sciat debitorem paratum esse ad restituendum, sublata impotentia, vel alia causa, quæ ipsum nunc iustè excusat, vt patet ex rationibus proximè allatis.

5 Conscius iustæ compẽsationis, aut alterius causæ in iis casibus, in quibus nõ tenetur denuntiare, an possit iurare se nihil scire, intelligẽdo intra se, vt teneatur manifestare.

5 Rogabis quartò, vtrùm conscius iustæ compensationis, vel alterius legitimæ causæ, in iis casibus, in quibus non tenetur denuntiare, possit iurare se nihil scire, intelligendo intra se, vt teneatur manifestare.

Respondeo affirmatiuè, quia iustam habet tergiuersandi causam. Ita Petrus Nauarr. *loco citato*, Molina *disp.* 692. *ad finem.* Nauarr. *cap.* 13 *nu.* 166. Lessius *loco cit. nu.* 62. Clauis Regia *loco cit.* Arragonius 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. *ad finem.* Bannes *ibidem*, Salonius *ibidem, controuerſ.* 11. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 13. *puncto* 2. Vasquez *loco citato, num.* 55. & alij.

6 Conscij an ligentur excõmunicatione nõ denuntiando quando dubitãt de iustitia cõpẽsationis, vel de impotentia restituẽdi.

6 Rogabis quintò vtrùm conscij ligentur excommunicatione, non denuntiando, quando dubitant de iustitia compensationis, vel de impotentia restituendi.

Respondeo ligari, nisi rationabiliter deponant dubium. Ita Lazarius *q.* 10. Henriquez *num.* 4. Rodriquez *num.* 11. Petrus Nauar. Azorius, & alij *locis citatis.* Ratio est, tum quia sicut detinens cum tali dubio, iniustè detinet, ita conscius peccat celando, & non manifestando. Tum quia in dubio iudicandum est in fauorem superioris præcipientis denuntiationem; constat enim de præcepto, & dubitatur de illius excusatione. Et hoc verum est, etiamsi ille, qui rem accepit, asserat se illam in compensationem accepisse, nisi fortè sit vir tantæ fidei, vt illi meritò præstanda sit fides. Ita Graffius 1. *part. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 12. Lazarius *loco cit.* Filliucius *num.* 15. Nauarr. Corduba, & alij apud Rodriquez *loco citato.*

7 Nũ quis teneatur denuntiare vendentem possessionẽ in confidẽtia, in præiudicium creditorũ, qui ad hoc impetrant excõmunicationem contra retinentes talem possessionem.

7 Quæres primò, vtrùm Caius teneatur denuntiare Titium, qui sibi vendidit possessionem in confidentia, ne creditores illam caperent; sed creditores impetrant excommunicationem contra retinentes bona Titij, & contra non manifestantes.

Respondeo, teneri, si, facta correctione, Titius non vult satisfacere creditoribus. Ratio est, tum quia si Caius non tenetur manifestare, maximè quia, cùm non possit probare, præsumetur calumniator; sed in hoc casu non est periculum vt præsumatur calumniator, cum non præsumatur velle hoc manifestare in sui præiudicium. Tum quia cẽseretur particeps delicti Titij, quãdiu enim non manifestat, est causa, cur Titius non soluat; sicut ille censetur causa delicti, qui celat bona sibi à fure tradita ad custodiendum. Tenetur igitur Caius denuntiare, modò possit denuntiare absque iactura suæ famæ. Vide Auilam 2. *parte cap.* 5. *disp.* 42. *dub.* 3. *concluſ.* 5. & *disp.* 5. *dub.* 2. *concluſ.* 2.

Hinc patet primò eos, qui occultant bona ob æs alienum, vel ob delictum commissum, ne à fisco, vel à creditoribus capiantur, teneri vi monitorij ad illa manifestanda, nam huiusmodi bona non possunt retineri, vel occultari in fraudem creditorum, aut fisci, cui manent applicata secuta sententia condemnatoria. Ita Graffius 1. *parte lib.* 4. *cap.* 18. *nu.* 15. Salonius 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. & 16. Arragonius *ibid.* Lazarius *sect.* 3. *q.* 10. Azorius 1. *part. lib.* 5. *cap.* 8. & alij, quos retuli de confiscatione bonorum *in tract. de restitutione.*

Secundò patet quid dicendũ sit de iis, qui fictè contractus ineunt in fraudem creditorum, vel fisci, de qua re dictum est de restitutione, cum Molina, Lazario, & aliis.

8 Ex vi monitorij nũ teneatur quis prodere scripturas.

8 Quæres secundò, vtrùm habens scripturas teneatur illas vi monitoriorum exhibere, quando superior concedit monitoriales litteras contra non exhibentes, vel non reuelantes scripturas.

Respondeo regulariter teneri sub censura illas exhibere, vel reuelare, quoties exhibendo, vel reuelando non patitur graue damnum, iuxta regulas suppositas. Ratio est, quia superior iustè præcipit, & subditus tenetur superiori iustè præcipienti obedire. Vide Genuensem *in praxi Neapolit. cap.* 2. *nu.* 1. *ad finem.* Riccium *verbo praxis monit. deciſ.* 273. Lazarium *ſect.* 3. *q.* 1. Clauem Regiam *lib.* 12. *cap.* 20. Suarez *tom.* 5. *diſput.* 20 *ſect.* 3. *regul.* 1. *num.* 2. & 3. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 18. *num.* 2. Alterium *lib.* 3. *diſput.* 1. *cap.* 8. *col.* 2. & *ſeq.* Filliucium *num.* 31. 32. 33.

32.33.34.35.36.& 37. Auilam, & Azorium *locis citatis*, vbi prolixiùs de hac re disputant.

Obserua tamen, habentem transumptum non teneri illud prodere ex vi monitorij, quo præcipimur scripturas prodere; nam monitorium intelligitur de illa scriptura, quæ fidem faciat; simplex autem transumptum, non authenticum, non facit fidem. Ita Suarez *disp.20. sect.3.num.13.*& Filliucius *quæst.9. num.40.* quorum sententiam, regulariter loquendo, veram censeo.

9 Num ligentur excõmunicatione lata contra iniustos detentores, qui damnũ leue singuli intulerunt, quod simul sumptum constituit materiam notabilem.

9 Quæres tertiò, vtrùm ligentur excommunicatione lata contra iniustos detentores, qui de communi consensu, vel absque communi consensu damnum leue singuli intulerunt, quod simul sumptum constituit materiam notabilem.

Respondeo ligari excommunicatione lata contra iniustos rei alienæ detentores; quamuis enim fortè non peccauerint mortaliter, accipiendo, nihilominus mortaliter peccant non restituendo; consequenter ligari possunt censura, sicut etiam ligari possunt, qui eos non denuntiant. Ita Suarez *tom.5.disp.20.sect.2.num.3.* Lazarius *sect.3.q.2.* Filliucius *tract.14. cap.1. quæs.6. num.14.* Genuensis *in praxi Neapolit. cap.1. num.3.* vbi refert Petrum Nauar. Henriquez, Sotum, & alios, & constat ex dictis de causa materiali censuræ in genere. Vide tradita *de restitutione*, vbi hanc rem fusiùs explicaui, & præfatis DD. adde Couarr. 1.*variarum cap.3.num.12.* Cordubam *in sum.q.70.casu 9.10.* Alterium *lib.3. cap.7.col.7.*

§. VII.

Quandonam incipiat obligatio denuntiandi, & vtrùm qui excusatur à culpa, non denuntiando, excusetur etiam à censura.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Obligatio ex vi monitorij incipit à die, & hora, qua publicatur monitorium.

1 OBligatio in monitoriis constituta ad reuelandum, incipit à die, & hora, qua publicatur monitorium; tunc enim vim habet obligandi.

Ex quo sequitur, eum, qui non reuelauit intra terminum assignatum sub excommunicatione latæ sententiæ, statim transacto termino ligari vinculo excommunicationis. *cap. à nobis, de sentent. excommunicat.* Ratio est, quia edictum, seu monitorium statim obligat intra terminum præfixum à die publicationis.

Hoc tamen intelligitur primò, nisi quis ob iustam, & rationabilem causam excusetur, vt si nondum potuit præmittere correctionẽ, quam sperat profuturam, aut si vltimus dies termini incidit in diem festum; tunc enim probabile est terminum censeri dilatum in sequentem diem non feriatum. Ita Abbas *in praxi, cap.14. nu.7.* Lazarius *loco cit. num.4.* Clauis Regia *lib.12. cap.14. num.34. vers.3.* & alij.

Secundò intelligitur, modò adsit notitia monitorij, seu edicti, tẽpus enim in monitoriis cõstitutum incipit solum currere à die scientiæ. *cap. quanto 2.q.5.* Et ratio est, quia ignorãtia excusat ab incurrendis censuris. Imò si ignorántia monitorij, seu edicti à principio publicationis intercessit, obligatio monitorij videtur solum inchoari à die scientiæ, computato æquali termino. Ratio est, quia qui ignorauit edictum, seu monitorium, non videtur esse peioris conditionis eo, qui illud nouit; ergo videtur illi concedendus æqualis terminus. Ita Suarez *tom.5. disp.20. sect.3. num.14.* Henricus *loco citato*, Graffius *de sentent.excommunicat.consil.6.num.17.* Lazarius *loco citato q.6. num.7.* Alterius *loco citato.* Idem dicendum est de illo, qui post publicationem monitorij incipit esse subditus illius, qui tulit monitorium, modò monitorium generaliter latum sit. Ita Doctores citati.

2 Dies publicationis monitorij, an enumeretur intra dies termini ad denuntiandũ.

2 Sed modò dubium est, vtrùm dies publicationis monitorij, seu edicti enumerandus sit intra dies cõstitutos ad reuelandum. Respondent aliqui Doctores enumerandum non esse, iuxta illud axioma, dies termini non computatur in termino. *cap. statutum, de præbendis lib.6.* quamuis Suarez *loco citato.* Filliucius *cap.2. quæsito 10. nu.41.* & alij oppositum sentire videantur.

Ex quo sequitur in monitorio lato ad denuntiandum iniustum rei alienæ detentorem intra quindecim dies, non comprehendi primum diem, nisi fortè dicatur, hinc ad quindecim dies. Hac enim forma loquendi videtur terminus statim inchoari, & tempus numerandum videtur de momento ad momentum, vt ex Iasone, & Bartolo ostendit Lazarius *loco cit. num.4.* & alij, quos referam *de suspensionibus in particulari*, vbi de hac re ex professo agam.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Excusatus à culpa mortali nõ reuelando, excusatur etiam ab incurrenda excommunicatione lata in monitoriis.

3 QVoties aliquis excusatur à culpa mortali, non reuelando, excusatur etiam ab incurrenda excommunicatione lata in monitoriis. Ita Suarez *tom.5.disput.20.circa principium num.17. & sect.3. num.8.* Lazarius *sect.2.quæs.4.nu.4.* & alij, quos retuli *de causa materiali censuræ in genere disp.1.quæst.1.puncto 4.nu.6.* vbi hoc idem rationibus comprobaui. Ratio præcipua est, quia excommunicatio supponit peccatum mortale: ergo qui excusatur à mortali culpa, excusatur etiam à censura excommunicationis.

§. VIII.

An fraterna correctio præmittenda sit antequam denuntiatio fiat, & qua forma fieri debeat denuntiatio.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quando Prælatus præcipit manifestari delinquẽtem ad ipsius emendationem, vel ad satisfactionem partis, vel ad impediendum aliquod peccatum, præmittenda est fraterna correctio

1 QVando Prælatus præcipit manifestari delinquentem ad ipsius emendationem, vel ad satisfactionem partis, vel ad impediendum aliquod peccatum, præmittenda est fraterna correctio ante denuntiationem, modò speretur emendatio per correctionem.

Ratio est, tum quia præceptum superioris non est contrarium Euangelio, in quo dicitur, *corripe eum inter te, & ipsum solum.* Ex quo fit, vt si facta correctione delinquens iam sit emẽdatus, vel satisfecerit parti læsæ, non liceat amplius illum denuntiare. Tum quia superior non præsumitur velle sibi fieri denuntiationem; cùm iam sufficienter sit ipsius intentioni satisfactum per fraternam correctionem, vt suppono. Tum quia non possumus proximum infamare, nisi adsit aliqua necessitas, & rationabilis causa; in hoc autem casu infamaretur proximus absque necessitate & rationabili causa, cùm iam sit emendatus. Ita Petrus Nauar. *lib.2.cap.4.nu.247.* Henriq. *loco citato*, Reginaldus *loco citato num.6.* Clauis Regia *lib.12.cap.14.num.27.* Nauarr. *cap.25. num.40.* Lazarius *sect.2.quæst.7.* Genuensis *in praxi Neapolitana cap.2. num.2.* Syluester *verb.denuntiatio quæst.4.* Sayrus *lib.1. de censuris cap.9.nu.34.* Sotus *5.de iustitia quæst.5.artic.1.* Vasquez *de restitutione cap.9.§.3.num.4.* Auila *2.parte disp.5.cap.5.dub.4.concl.1.* Azorius *loco citato cap.20.dub.1.* Suarez *loco cit. disp.20.sect.3. nu.2.* Filliucius *tract.14. cap.2.q.1.* Sanctarellus *de hæresi cap.9.num.5.*

tem ad ipsius emendationem, vel satisfactionem partis, vel ad impediendum aliquod peccatum, præmittenda est fraterna correctio, modo speretur emẽdatio.

2 Hæc tamen propositio intelligitur, & limitatur, modò iudex intendat solam emendationem, vel satisfactionem; nam si non intendat solam emendationem, sed etiam punitionem in sua inquisitione, incurritur excõmunicatio non denuntiando delinquentem, etiam iam emendatum, modò delictum sit publicum. Ratio est, quia superior non tantùm habet ius inquirendi ad impedienda peccata, & ad emendationem delinquentis, sed etiam ad punienda peccata commissa; ergo potest cogere subditos ad illa manifestanda etiam post emendationem, vt pœnam sumat de crimine. Ita Nauar. *cap.17.nu.134.* & alij apud Auilam *2.parte disp.4.cap.5.dub.2.& 3.concl.6 disp.5. dub.4.*

2 Limita, modo iudex intendat solam emẽdationem, vel satisfactionem; secus si etiam intendat punitionem.

Dixi, *modò delictum sit publicum*, vt aduerterem, non esse obligationem reuelandi, vel denuntiandi, quando iudex intendit procedere ad pœnam, sed delictum non est publicum, vt si notum sit tantummodo duobus, vel tribus, aut si non præcesserit infamia, vel accusatio cum indiciis. Tunc enim non est obligatio detegendi, vt patet ex dictis *in* 8. *Decalogi præcepto*, modò delictum secretum non vergat in damnum publicum, vel in damnum innocentis, aut fidei, & religionis, vt *ibidem* dictum est de modo procedendi in iudicio. Ita Petrus Nauar. *lib.2. de restit.cap.4.part.2.à num.218.* Clauis Regia *lib.12. cap.14. num.28.* & alij.

Quando verò iudex non inquirit ad pœnam, seu non procedit ad pœnam, sed intendit præcipuè correctionem delinquentis, vel satisfactionem partis, nec fructus per correctionem speratur, denuntiandus est delinquens, etiamsi non præcesserit infamia, vel semiplena probatio, vel accusatio cũ indiciis; superior enim in eo casu iustè præcipit denuntiari delinquentẽ, vt consulat ipsius saluti, vel bono proximi, quamuis periculo exponatur fama delinquentis: licitum enim est illam periculo exponere ex iusta causa. Ita Reginaldus *lib.24. n.51.& 61.* Sanctarellus *loco cit.* & alij. Vtrùm verò denuntiatio facienda sit, quando delictum probari non possit, patet ex dictis §.4. *num.4.*

3 Quid faciendum in dubio, an iudex intẽdat emendationem, vel punitionem.

3 Rogabis quid faciendum sit quando dubitatur, an superior intendat correctionem, aut satisfactionem partis, aut punitionem. Reginaldus *loco citato* ait præsumi intendere punitionem.

Ego verò cum Auila *disp.5.cit.dub.2.* Filliucio *num.28.& 36.* Suarez *sect.2. num.8.* existimo Prælatos Ecclesiasticos in edictis generalibus magis prætendere emendationẽ, quàm punitionem delinquentis; nam excommunicatio est pœna spiritualis, & per modum medicinæ fertur ad vitandum peccatum; non nego tamen, quin aliquando intendam punitionem, vt ostendam de confessariis sollicitantibus in confessione.

4 Quid cũ admonitus semel noluit emendari.

4 Quæres primò, vtrùm quando Prælatus præcipit manifestari delinquentem ad illius emendationem, & aliquis prima vice illum admonuit, & fructum per admonitionem non obtinuit, possit, vel teneatur iterum delinquentem admonere, vel potiùs teneatur illum statim denuntiare.

Respondeo cum Sanchez *loc. cit.* correctionem iterum, atque iterum adhibendam esse, quamdiu prudentis arbitrio speratur emendatio per admonitionem. Ratio est, quia edicta sunt benignè interpretanda, & non est credibile superiorem velle denuntiari delinquẽtem, quamdiu speratur illius emendatio per fraternam admonitionem.

Dices, fieri potest, vt interim elabatur terminus constitutus ad denuntiandum, & consequenter non denuntians subiaceat excommunicationi constitutæ contra non denuntiantes.

Respondeo cum Sanchez *loco cit.* Henriq. *lib.13.cap.18.n.26.* Nauar. *de datis, & promissis notab.22.37. ad finem*, Reginaldo *lib.31.n.230. vers. adde*, Lazario *in monit. sect.2.q.1. nu.5.* & aliis, terminum positum in edictis non censeri incipere, nisi post adhibitam debitam correctionem; consequenter non est periculum incurrendę excommunicationis, differendo denuntiationem, vt fraterna correctio adhibeatur. Verùm hoc limitatur, modò non sit periculum in mora, vt accidit quando denuntiandus est fur, qui interim fugeret, nisi statim denuntiaretur; tunc enim statim denuntiandus est, cùm sit periculum in mora, & consequenter non speretur fructus ex correctione.

5 An præmittenda sit correctio antequam denuntietur hæreticus.

5 Quæres secundò vtrùm præmittenda sit correctio, antequam denuntietur hæreticus.

Respondeo negatiuè, modò sit hæreticus ex malitia. Ratio est, tum quia denuntiatio præcipitur non solum vt hæreticus emendetur, verùm etiam, vt puniatur. Tum quia non speratur fructus ex correctione. Cùm enim hæreticus negligat monitionem, & determinationem totius Ecclesiæ, multò magis contemnet priuatam, adhærendo suæ falsæ opinioni cum pertinacia. Ita communior Doctorum sententia, quamquam nonnulli oppositum sentiunt. Vide Nauarr. *cap.18.nu.56.* Toletum *lib.4.cap.5.* Azorium *1.parte lib.8. cap.19.quæs. 9.* Sanctarell. *loc. cit. num.5. & seq.*

Si verò non sit hæreticus ex malitia, sed habeat errorem ex ignorantia inuincibili, aut etiam vincibili, præmittenda est correctio: hic enim non censetur pertinax, nec formaliter hæreticus; sed adhuc existit in spe resipiscentiæ, vt suppono.

Ex quo patet à fortiori, de rigore iuris non videri denuntiandos Concionatores, qui inter concionandum aliqua proferunt ex incuria, vel inconsideratione. Ratio est, quia non est præsumendum, ipsos velle contrauenire iudicio Ecclesiæ, aut ea dixisse cum plena deliberatione, & aduertentia, ita vt velint errori adhærere, nisi aliter coniiciatur de ipsorum mente.

Præterea patet, non esse denuntiandos eos, quos constat lapsu linguæ aliquem errorem protulisse. Imò qui eos denuntiat, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, quia iniustè ledit famam proximi, nisi fortè excusetur ob ignorantiam, vel bonam fidem, credens ipsum ex malitia errorem protulisse, vel se teneri ad illum denuntiandum.

SECVNDA PROPOSITIO.

6 Formula adhibenda in denuntiationibus virtute monitoriorũ.

6 IN reuelatione facienda virtute monitoriorum hæc forma seruanda est, vt reuelatio ritè recipiatur per Notarium approbatum, nec solum fiat ore, etiamsi fortè fiat coram Episcopo, aut Vicario, nam reuelatio ita facienda est, vt pars possit illa vti, & vt Ecclesia possit per eam retrahere peccatorem à peccato; pars autem non potest vti reuelatione, si solùm fiat ore. Ita Marcus Antonius Genuensis *in praxi Neapolit. cap. 1. num. 19. fol. 12.* Nauar. *consil. 5. de furtis*, Lazarius *sect. 2. quæst. 3. num. 2.*

Præterea reuelatio fieri debet expresso nomine, & cognomine deferentis. *cap. dilectus, de accusationibus.* Ita Genuensis *in praxi Neapolit. cap. 18. num. 2.* vbi refert Bannem, Arragon. Salonium, & alios.

§. IX.

An obligatio denuntiandi finiatur lapso termino præscripto ad denuntiandum.

VNICA PROPOSITIO.

1 Qui non denuntiat intra terminum, tenetur eo lapso denuntiare, cùm primũ commodè potest.

1 QVi non denuntiat intra tempus præscriptum in edicto, tenetur elapso eo tempore denuntiare quamprimùm commodè potest. Ratio est, quia terminus non apponitur ad finiendam obligationem denuntiandi, sed ad eam sollicitandam; quando autem aliquis terminus apponitur non ad finiendam obligationem, sed ad eam sollicitandam, non cessat obligatio, cessante termino. Ita Nauarr. *cap. 25. num. 45.* Lazar. *q. 1. citato num. 7.* Suar. *disput. 20. sect. 2. nu. 14. & sect. 3. num. 14.* Rodriq. *1. p. cap. 79. num. 18.* Reginald. *lib. 24. nu. 63.* Filliuc. *q. 11. num. 42.* Alterius *lib. 3. disp. 1. cap. 8. ad finem*, & alij, quos in simili retuli *de voto.*

Hinc sequitur primò, eum qui non reuelauit termino præfixo, ligari excommunicatione, semperque teneri sub eadem excommunicatione denuntiare. Ita Nauarr. *cap. 17. num. 134.* Graff. *1. p. decis. lib. 4. cap. 18. num. 10.* Lazarius *loc. cit. sect. 2. quæst. 4. num. 8.* Filliucius, Alterius, & Suarez *locis cit.*

Secundò eum, qui propter impotentiam, vel ignorantiam edicti, vel ob aliam iustam causam non denuntiauit intra terminum, teneri, sublata ignorantia, vel alia iusta causa excusationis, denuntiare sub obligatione excommunicationis, modò censura non sit lata solum contra contumaces præteritos, qui intra terminum iam lapsum non denuntiarunt. Ita Suarez & Rodriquez *locis citatis*, Lazarius *loco citat. quæst. 4. num. 5.* Filliucius *num. 42.* & alij.

2 Qui non denuntiauit intra terminum præfixum, an toties incurrat excommunicationẽ, non denũtiãdo quoties commodè potest denuntiare.

2 Rogabis, vtrùm qui non denuntiauit intra terminum præfixum, toties incurrat excommunicationem, non denuntiando, quoties commodè potest denuntiare.

Nauarr. Lazar. & alij ferè communiter supponunt non incurrere nouam excommunicationem; sed tantùm manere in eadem excommunicatione.

Sed mihi probabilius dicendum videtur, toties incurrere, quoties possunt commodè denuntiare. Ratio est, quia toties peccant contra præceptum superioris latum sub excommunicatione; excommunicatio autem toties incurritur, & multiplicatur, quoties violatur præceptum latum sub excommunicatione, vt patet ex dictis *de censuris in communi disp. 1. quæst. 1. punct. 5. num. 2.*

§. X.

Quis absoluere possit à censuris & pœnis in edicto impositis contra non reuelantes.

VNICA PROPOSITIO.

1 Ab excõmunicatione contracta ob inobedientiã edicto, aut monitorio potest absoluere solus habens facultatem ab eo, qui tulit edictum, aut monitoriũ.

1 NEmo potest absoluere ab excommunicatione contracta ob inobedientiam contra edicta, & monitoria, nisi facultatem absoluendi habeat ab eo, qui tulit edictum, & monitorium, nam absolutio, regulariter loquendo, reseruari solet. Hæc propositio intelligenda est iuxta dicta *de absolutione censurarum in communi disp. 1. quæst. 3. punct. 1.*

2 Episcopus virtute Cõcilij Tridẽtini an possit absoluere inobediẽtes monitoriis, aut edictis Sãcti officij.

2 Maior difficultas est, vtrùm Episcopus virtute Tridentini *sess. 24. cap. 6.* possit absoluere à censuris contractis ob inobedientiam monitoriorum, aut etiam edictorum Sancti Officij. Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia cùm Episcopus non possit absoluere à censuris etiam occultis Summo Pontifici reseruatis post Tridentinum, vt aiunt Capeauilla *de casibus reseruatis cap. 14. quæst. 3. difficul. 2.* Zechius *de pœnitentia cap. 19.* & Lazarius *de monit. sect. 4. q. 14. nu. 19.* & alij, sequitur Episcopum, vel eius Vicarium, quamuis specialiter ad hoc deputatum, non posse absoluere à censuris, licèt occultis, latis in edictis, vel monitoriis post decretum Tridentini.

Sed mihi probabile videtur posse absoluere à censuris occultis, & non deductis ad forum contentiosum. Ratio est, quia Tridentinum absolutè concedit Episcopis facultatem absoluendi ab omnibus casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis; cùm autem Tridentinum absolutè loquatur, nec distinguat de censuris præteritis, vel futuris, neque nos distinguere debemus, nisi extet aliqua reuocatio priuilegij Episcopis in Tridentino concessi. Ita Rodriquez *in summ. 1. part. cap. 81. num. 4. ad finem*, Toletus *lib. 1. cap. 42. num. 13.* vbi citat Nauar. *in manuali cap. 27. nu. 260.* hocque aliis rationibus cõprobat.

PVNCTVM II.

De obligatione & pœnis contra eos, qui hæreticos non denuntiant.

IN hoc puncto duo principaliter explicabo.

Primò, vtrùm iure communi, etiam præcisis Inquisitorum edictis, teneamur hæreticum denuntiare.

Secundò, quas pœnas incurrat, qui hæreticos non denuntiat.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Quilibet tenetur sub mortali iure communi hæreticũ denũtiare.

1 QVilibet sub mortali tenetur iure communi hæreticum denuntiare. Ratio est, tum quia sic colligitur ex *cap. 2. de hæreticis, cap. quapropter 2. quæst. 7.* ex Bulla 18. Innocentij IV. edita 17. Kalendas Iulij anno 1254. incipit, *Nouerit vniuersitas, vers. Item si quis hæreticos*, & in Bulla 2. Nicolai IV. edita 5. Nonas Martij anno 1280. ipsa etiam incipit, *Nouerit vniuersitas*, vbi idem sub eadem ferè verborum forma præcipitur. §. 20. *vers. item si quis.* Tum quia quilibet tenetur bono non solum communitatis, verùm etiam priuatorum consulere; bono autem communitatis maximè conducit denuntiatio hæreticorum; hæresis enim morbus est grauissimus, & pestilentissimus, qui prouincias, & regna inficit, diruit, & euertit. Prodest etiam denuntiatio ipsimet hæretico, quia rarò accidit, vt hæreticus non denuntiatus ad bonam redeat frugem, frequenter verò contingit, vt denuntiatus resipiscat & conuertatur. Ita Penna *in direct. part. 2. comm. 18.* Toletus *lib. 4. cap. 5. num. 1.* Auila 2. *parte cap. 5. disp. 4. dub. 3.* Suarez *in tract. de fide disput. 20. sect. 4. num. 7.* Farinacius *de hæresi. q. 197. §. 2.* Sanctarellus *in tract. de hæresi cap. 9. num. 2.* & alij quamplures apud præcitatos Doctores.

2 Etiamsi hæresis sit occulta.

2 Ampliatur primò cum communiori sententia, etiamsi delictum sit occultum. Ratio est, tum quia quilibet tenetur magis consulere bono communi, quàm famæ priuati hominis. *l. actione, §. Labeo, ff. pro socio, & cap. ratio nulla, de præbend.* Tum quia multi metu denuntiationis non audent internas hæreses aliis manifestare, aliosque à vera Christi fide auertere. Ita DD. citati contra Ioannem Andream *in cap. nouit. de iudiciis.* Decianum *in tractatibus crimin. lib. 5. cap. 30. num. 4.* & alios.

Idem dicendum censeo, etiamsi delictum adeò sit occultum, vt probari non possit, vt patet tum ex rationibus allatis, tum quia quilibet deferre tenetur crimina, quæ grauem proximo iniuriam, & damnum inferunt; ex crimine autem hæresis grauissima Deo iniuria irrogatur, & proximo graue damnum infertur, cùm hæresis serpat vt cancer, & homines inficiat, & interimat. Tum quia licèt hæreticus occultus puniri nequeat, nihilominus illius denuntiatio viam aperit ad inquirendum de illius moribus, & ad præcauendas, impediendas, & profligandas hæreses. Tum quia hæreticus hoc pacto auertetur ab hæresi detegenda, & disseminanda, timens fore, vt denuntietur, etiamsi delictum ipsius probari nequeat. Ita DD. citati, & alij, quos retuli puncto præcedenti *num. 13.* contra Ioannem Andream, Decianum, & alios.

Hinc sequitur edicto superiorum præcipi posse, vt hæretici denuntientur, etiamsi delictum sit occultum, & probari nequeat.

3 Etiamsi hæreticus denuntiandus sit strictissimo consanguinitatis vinculo nobis coniunctus.

3 Amplia secundò, etiamsi hæreticus denuntiandus strictissimo consanguinitatis vinculo nobis coniunctus sit; consequenter non solum frater alium fratrem, aut etiam pater filium, verum etiam filius patrem hæreticum denuntiare tenetur. Ratio est, tum quia hæresis adeò perniciosa est bono cõmuni, vt damnum, quod ex ea Reipublicæ imminet, præferendum sit damno parentum, vel consanguineorum. Tum quia licitum est filio impune occidere patrem hostem Reipublicæ, & oppugnantem patriam. *l. minimè, ff. de relig. & sump. funer.* ergo multo magis licitè poterit, & tenebitur denuntiare patrẽ hostem, & aduersarium Dei, Reipublicæ Catholicæ, boni communis, & salutis animarum. Ita Farinacius, Azor. & alij ferè communiter, quos retuli *puncto præcedenti num. 7.* contra Abulensem *in cap. 13. Deuteronomi. quæst. 13. & in cap. 16. lib. 3. Reg. quæst. 16.* Simãcham *in tract. de Patre hæretico num. 14.* & alios existimantes filium non teneri ad denuntiandum patrem hæreticum.

Obiicies, nullus tenetur cum graui suo incommodo quemquam denuntiare; filius autem denuntiando patrem graue incommodum subit non solum in fama, cùm filij hæreticorum infames efficiantur, verùm etiam in facultatibus, cùm bona hæretici Fisco applicentur, vt alibi probaui.

Respondeo primò antecedens non esse vniuersaliter verum; aliquando enim obligamur ad denuntiãdum cum nostro graui incommodo, vt patet ex dictis *puncto præcedenti num. 7.* necessitas enim boni communis adeò grauis esse potest, vt iure meritò cogat nos ad præferendum commune bonum nostro bono priuato.

Respondeo secundò filium, denuntiando patrem in crimine hæresis, aut læsæ maiestatis, non effici infamem, nec iacturam facultatum pati, sed potiùs honore, & laude dignum esse, *l. quisquis, §. vlt. C. ad leg. Iul.* Idemque non solum ex lege Federici Imperatoris, quæ incipit, *Commissi nobis*, verùm etiam ex aliis Summorum Pontificum cõstitutionibus probat Penna *in direct. Inquisit. 2. part. cap. 14. comm. 15. vers. hoc addiderim, & 3. part. comm. 16. vers. in filiis*, Simancas *de Catholic. inst. tit. 29. num. 47.* Sanchez *in opere morali lib. 2. cap. 27. ad finem num. 30.* & Sanctarell. *de hæresi cap. 9. num. 15.*

4 Etiamsi hæresis alterius nobis manifestata fuerit sub secreto, præciso tamen secreto cõfessionis.

4 Amplia tertiò, etiamsi hæresis alterius nobis manifestata fuerit sub secreto (præciso tamen secreto confessionis.) Ratio est, quia secretum non obligat ad tegendũ, & occultãdum id, quod vergit in damnum

num publicum, aut tertiæ personæ, pendens in futurum, vt docui *puncto præcedenti* §.5.*n*.4. Et hoc verum est, etiamsi promissum fuerit secretum sub iuramento; nam iuramentum non est vinculum iniquitatis, nec obligat ad rem illicitam. *ca. Quintauallis, & cap. tua nos, de iureiur.* Ita Farinacius *in tract. de hæresi q*.197.§.2.*n*.50. Penna *in direct. p*.2.*comm*.18. Suarez *in tract. de fide disp*.20.*sect*.4.*n*.17. Sanctarell. *in tract. de hæresi c*.9.*num*.10. & alij, quos retuli *punct. præcedenti num*. 14. & 15.

Dixi, *præciso secreto confessionis*; nam quæ in confessione accepta sunt, loco Dei sciuntur, nec sub humanam cadunt potestatem, & iudicium. Quod autem vocetur secretum, seu sigillum confessionis, prolixè satis, & abundè explicaui *in tract. de Sacramentis.*

3 Etiamsi hæreticus iam fuerit emendatus.

5 Ampliatur quartò, iuxta communiorem sententiam, etiamsi hæreticus iam fuerit emendatus. Ratio est, tum quia huiusmodi denuntiatio prodest saltem ad cognoscendum an hæreticus, qui creditur emendatus, ab alio infectus fuerit; consequenter ipsius denuntiatio vtilis est ad agendum cõtra tertium, qui labefactauit, & infecit. Tum quia fieri potest, vt hæreticus fingat, & simulet se correctum, & emendatum metu denuntiationis. Tum quia denuntiatio hæretici non solùm instituitur ad emendationem delinquentis; verùm etiam ad pœnam, vt homines metu pœnæ à tam graui scelere auertantur, & retrahantur. Ita Farinacius *loco cit. n*.52. Suarez *loco citato, n*.13. Sanctarell. *loco citato n*.11. & alij, quos retuli *punct. præcedenti n*.27. contra Sotum 3. *de iustitia q*.5.*art*.1. Rodericum de Chuna *in tract. de Confessario sollicit. q*.18.*n*.14. & alios.

An autem correctio fraterna præmittenda sit, antequam hæreticus denuntietur, constat ex dictis *puncto præcedenti n*.30. *quæs*.2.

6 Limitatur, modo quis non retrahatur à denuntiatione ob metum grauis dãni.

6 Limitatur primò præfata propositio à nonnullis Doctoribus, modò quis non retrahatur à denuntiatione ob metum grauis damni. Ita Farinacius *de hæresi q*.197.§.2.*n*.53. Penna 2.*p. direct. q*.53.*comm*.78. Sanctarell. *in tract. de hæresi c*.9.*nu*.16. *circa medium vers. tertio non tenetur.* Verùm hæc limitatio non probatur omnibus, vt patet ex dictis *puncto præcedenti num*.7.

7 Aut si nõ certò sciat, sed solum suspicetur aliquem esse hæreticum.

7 Limitatur secundò, quoties quis non certò nouit, sed tantummodo suspicatur aliquem hæreticum esse, aut dum hoc audiuit à persona non fide digna, vel si audiuit à persona fide digna, non amplius recordatur à quo audiuerit; in his enim casibus denuntiare non tenetur, vt pluribus probaui *punct. præcedenti reg*.4.*n*.9.

8 Aut sit socius criminis.

8 Limitatur tertiò, nisi hæreticus sit socius criminis, vt si particeps, vel causa fuit, cur alter fieret hæreticus. Ratio est, quia nullus tenetur seipsum prodere, nisi iuridicè interrogetur, *cap. si quis aliquando, de pœnitentia dist*.1. hac autem ratione saltem indirectè proderet se ipsum, quia denuntiatus, si interrogaretur, manifestaret denuntiatorem socium criminis. Ita DD. quos retuli *punct. præced. n*.5.

Obiicies, in Concilio Biterrensi *c*.1. præcipitur, vt omnis, qui sciuerit se, vel alios in crimine labis hæreticæ deliquisse, compareat veritatem dicturus. Ergo potest quis obligari ad manifestandum, & denuntiandum socium criminis, & seipsum.

Respondeo in præfato Concilio sermonem esse de denuntiatione, & manifestatione facienda eo tempore, quod tempus gratię ab inquisitoribus nuncupatur, quo tempore Inquisitores mites, & benignos se præbent iis, qui voluntariè crimen suum fatentur, & emendari volunt. Ita Penna *in direct*.3 *parte comment*.12. Suarez *in tract. de fide disp*.20.*sect*.4.*n*.18. Sanctarellus *n*.18.

9 Aut in iis locis, in quibus permixti sunt hæretici cum Catholicis, id scientibus Inquisitoribus, & Episcopis.

9 Limitatur quartò in iis locis, in quibus passim permixti sunt hæretici cum Catholicis, id scientibus Inquisitoribus, & Episcopis. Ratio est, quia nullus obligatur ad opus inutile. Ita Nauar. *cons*.3. *de hæreticis*, & Sanctarellus *loc. cit.* asserentes vltramontanum, qui solum conuersatus est cum hæreticis vltra montes, non teneri eos denuntiare. Secus si conuersatus sit in Italia, vel in Hispania.

Ex dictis in hac propositione constat primò, iure communi nos teneri sub mortali denuntiare hæreticum etiam occultum, aut nobis coniunctum, aut manifestatum nobis sub secreto. Secus si non certò sciamus illum esse hæreticum, aut si socij fuerimus eiusdem criminis, aut id contingat in iis locis, in quibus hæretici simul, & impunè degunt cum Catholicis.

10 Apostatæ à fide denuntiãdi sunt.

10 Secundò à fortiori colligitur, denuntiandos esse Apostatas à fide. Apostasia enim non differt specie ab hæresi, licet sit grauior hæresi, cum Apostata recedat à tota fide Catholica, *ca. non potest*.2.*q*.7.*cap. Beatus* 2.*q*.4.*c. contra Christianos, de hæret. in* 6. Vide Valentiam *tom*.3. *disp*.1.*q*.12.*puncto*.1.

11 Malefici, aut Sortilegi denuntiandi sunt quoties initũ pactum est cum Dæmone, aut præuia est apostasia à fide.

11 Tertiò, etiã à fortiori colligitur denuntiandos esse illos, qui maleficia, seu sortilegia exercent, inito pacto cum Dæmone, & præuia Apostasia à fide, vt patet, tum ex iam traditis, tum ex constitutione Gregorij XV. contra maleficia, seu sortilegia committentes, edita die 20. Martij 1623. vbi sic habetur; *Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus, vt conflito, quod aliquis pactũ cum diabolo fecerit, & à fide apostatando maleficiis, seu sortilegiis vnam, seu plures personas ita læserit, vt ex maleficio, seu sortilegio mors secuta sit, etiam pro primo lapsu, curiæ sæculari tradatur debitis pœnis puniendus. Qui vero similiter apostatando pactum cum diabolo, vt præfertur, fecerit, & maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo licet mors secuta non sit, infirmitas tamen diuortia, impotentia generandi, siue animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnũ notabile prouenerit, muro claudi, siue perpetuis carceribus in sancto Inquisitionis Officio, vbi illud existit, fabricandis, mancipari debeat. Qui verò similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopo, seu Inquisitori denuntiare debeant.*

SECVNDA PROPOSITIO.

12 Probabile est nõ denuntiãtem hæreticum, iure communi affici excommunicatione ipso facto.

12 Licet multi Doctores arbitrentur eum, qui non denuntiat hæreticum, iure communi affici excommunicatione; nihilominus probabilius mihi videtur non affici excommunicatione ipso facto. Ratio est, quia nullus textus afferri potest, in quo ista excommunicatio ipso facto expressa reperiatur. Ita Suarez *in tract. de fide disput*.20.*sect*.4.*n*.28. Sanctarellus *c*.9.*n*.19. contra Pennam *in direct*.2. *comment*.2. & alios.

Dixi, *iure communi*, quia perspicuum est iure particulari, & editis Inquisitorum, & Episcoporum pluribus in locis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna præcipi, vt hæretici intra certũ temporis spatium denuntientur.

Obiicies primò, Gregorius IX. in Extrauag. quæ incipit, *Excommunicamus*, excommunicat eos, qui non denuntiant hæreticos; sed ista Extrauagans censetur ius commune: ergo iure communi extat obligatio sub excommunicatione denuntiandi hæreticos.

Respondeo cum Suarez, & Sanctarello *locis citatis*, in ea Extrauaganti non contineri excommunicationem latæ, sed ferendæ sententiæ, vt patet ex illis verbis, *excommunicationis sententia procedatur.* Ista Extrauagans videri potest apud Pennam, in Bullario enim, & in textibus canonicis non refertur.

Obiicies secundò, Sacra Cardinalium Congregatio die 3. Ianuarij anno 1623. præcepit hæreticos, seu suspectos quomodolibet de hæresi, propalari Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis Generalibus intra duodecim dies sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & Summo Pontifici, & Sacræ Congregationi reseruata; hoc autem Sacræ Congregationis decretum omnes obligat, & ius commune facit; nec solùm obligare videtur intra illos duodecim dies, verùm etiam futuris temporibus; nam Sacra Congregatio vtitur verbis futuri temporis, ibi, *omnes, & singulos hæreticos, seu de hæresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiã habuerint, debeant nobis, vel Reuerend. Commissario nostro quoad habitantes in Vrbe; quo verò ad alios extra Vrbem, & vbius locorum degentes, Inquisitoribus, vel locorum Ordinarius, vel eorum Vicarius generalibus, sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœna, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, iudicialiter propalare, cuius excommunicationis maioris absolutionem S. D. N. Papæ, & nobis reseruamus.*

Respondendum mihi videtur, Sacram Congregationem noluisse eo decreto perpetuò sub excommunicatione obligare. Tum quia Sacra Congregatio non videtur voluisse legem perpetuò duraturam ferre, cùm eius dispositio inscribatur sub nomine præcepti; inscribitur enim, præceptum de hæreticis, seu de hæresi suspectis Sancto Officio propalandis. Tum quia si obligare voluisset simpliciter conscios in futurum huiusmodi delinquentium, non restrinxisset obligationem ad duodecim dies proximos, sed extendisset ad duodecim dies à die scientiæ: Sacra autem Congregatio his verbis vtitur, *præcipimus, & mandamus, quatenus infra duodecim dies proximè computandos.*

Neque obstat, Sacram Congregationem vti verbis futuri temporis; quamuis enim diceremus illa verba, esse futuri temporis, nihilominus intelligi debẽt de iis, qui intra præfatos duodecim dies cognitionem habuerint hæreticorum, vel suspectorum de hæresi. A viris tamen fide dignis accepi oppositum in Vrbe sustineri.

communi non affici excommunicatione ipso facto.

13 Rogabis vtrùm is, qui intra præfatos duodecim dies conscius erat alicuius hæretici, vel suspecti de hæresi, sed intra præfatos dies non denuntiauit, teneatur adhuc denuntiare.

13 Qui intra duodecim dies à Sacra Cõgregatione præscriptos non denuntiauit hæreticos, vel suspectos de hæresi, an teneatur adhuc illos denuntiare.

Respondetur affirmatiuè, etiamsi fortè huius edicti cognitionem tunc temporis non haberet; nam terminus duodecim dierum non apponitur ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem denuntiandi eos, quos quis nouerat intra præfatum tempus hæreticos esse, vel suspectos de hæresi.

PVNCTVM III.

De obligatione denuntiandi Confessarium sollicitantem pœnitentes ad turpia, & inhonesta.

1 Quale peccatum sit sollicitare pœnitentem in cõfessione.

1 CVm graue, & immane sacrilegium committatur sollicitando pœnitentes ad turpia, & inhonestos actus, iure meritò Pius IV. in Bulla 4. quæ incipit, *Cùm nuper*; & Paulus V. in Bulla, *Dilecte fili*, edita die 16. Septembris 1608. præceperunt vt contra huiusmodi delinquentes, tamquam de hæresi suspectos inquiratur. Et quia præfati Pontifices generaliter non loquuntur, Gregorius XV. ipsorum constitutiones confirmauit, ampliauit, & extendit ad omnes vbique locorum existentes, in Bulla, cuius initium est, *Vniuersi Dominici gregis*, edita die 30. Augusti 1622.

Vt autem in istius disputationis explicatione gradatim progrediar, quatuor explicanda propono.

Primò quid sit sollicitare.

Secundò vtrum extet obligatio denuntiandi Confessarium sollicitantem pœnitentes.

Tertiò quinam teneantur Confessarium sollicitantem denuntiare.

Quartò quibus pœnis subiiciatur Confessarius sollicitans aliquem in confessione, vel occasione confessionis.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Verbum, *sollicitare*, quid significet.

2 VErbum, *sollicitare*, licet aliquando accipiatur pro verbo pluries instare, & requirere, aliquando pro molestare, offendere, seu fastidire, aliquando pro experiri, vt pluribus docet Rodericus a Chuna *in tractatu de sollicitantibus, q*.1.*à nu*.1.*vsque ad* 17. hoc tamen in loco significat prouocare, seu allicere, seu precibus rogare, seu alia ratione inuitare ad turpia, & inhonesta, id est, ad res carnales, & venereas, vt bene idem Rodericus *n*.14. Bartholomæus Gyprius *in tr. de casibus reseruatis c*.14.*n*.5. Sanctarellus *in tr. de hæresi q*.44.*n*.7.

3 Quibus actibus Confessarius sollicitans pœnitentẽ in confessione incurrat pœnas constitu-

3 Hinc sequitur Confessarium, qui pœnitentem in confessionali osculatur, aut cum venerea delectatione manus, vel aliam partẽ pœnitentis attrectat, aut ictu oculorum, aut alio signo ad libidinem prouocat, subiici pœnis prędictarum constitutionum, quia dicitur sollicitare ad inhonesta. Idem probabilius dici potest, si osculetur, vel turpiter attrectet feminam, quæ inter confitendum graui somno consopita fuit, aut aliquo paroxysmo, seu graui morbo correpta fuit, ob quem inhonestos Confessarij actus sentire non valuit, hoc enim pacto Confessarius tentat prouocare feminam ad inhonesta, vt dicitur

tionum Apostolicarum.

in Bulla Gregorij XV. Ita Graffius *conf. 7. de pœnit. & remiss.* contra Seraphinum de Freitas, apud Rodericum de Chuna *q. 9. nu. 10.* Secus dicendum est de Confessario, qui interius delectatur, aut voluntariè polluitur, femina non aduertente, etiamsi hoc illi extra confessionale aperiat. Ratio est, quia non tentat prouocare feminam ad inhonesta in confessionali, licet ipse turpiter, & inhonestè agat & graue sacrilegium committat.

SECVNDA PROPOSITIO.

CErtum est obligationem extare denuntiandi Confessarium ad inhonestos actus sollicitantem; sic enim expressè haberur in quibusdam litteris Clementis VIII. quas alibi adduxi, & in Bulla Gregorij XV. citata, ibi, *mandantes*, &c.

4 Quo in casu vrgeat obligatio denuntiãdi Confessarium sollicitantẽ.

4 Amplia primò, siue pœnitens consenserit prouocationi, & sollicitationi Confessarij, siue non, siue actus completus fuerit, siue non; sufficit enim, vt Cõfessarius tentauerit sollicitare, vel prouocare pœnitentem, aut cum eo illicitos, & inhonestos sermones, seu tractatus habuerit, vt in Bulla Gregorij XV. cuius tenorem ex parte inferiùs referam dubio primo. Addo extare obligationem denuntiandi Confessarium sollicitantem, etiamsi Confessarium statim pœniteat sollicitasse pœnitentem, adhuc enim præsumitur cum sufficienti deliberatione sollicitasse, & quod factum est, infectum esse non potest, *l. in bello, § facta, ff. de capt. & postlimin. reuers.* ita Sanctarellus *c. 44. n. 18.*

5 Quid si Confessarius tacitis verbis sollicitet, vt laudando à pulchritudine, venustate, &c.

5 Amplia secundò, siue Confessarius tentauerit allicere, & prouocare verbis expressis, siue tacitis, vt si Confessarius pœnitentem feminam laudauit à venustate, pulchritudine, morum elegantia, & his similibus, quibus feminæ facili negotio subuerti, & ad libidinẽ prouocari solent. Ratio est, quia Gregorius XV. generaliter loquitur de Confessariis tentantibus sollicitare. Hæc tamen ampliatio intelligenda est, modò nõ constet, aut rationabiliter non præsumatur Confessarium, qui feminam laudauit à venustate, & pulchritudine, protulisse hæc verba alio fine, quàm intentione alliciendi ad inhonestos actus; tunc enim non dicitur sollicitare, seu prouocare ad inhonestos actus, vt si feminæ pœnitenti dicat, suæ pulchritudini, & venustati iniuriam facere prostituendo seipsam, aut turpem sui copiam aliis faciendo.

In dubio autem, an Confessarius ea verba protulerit animo alliciendi, & prouocandi, vel ad alium finem, probabiliter præsumendum videtur protulisse animo prouocandi, tum quia fortissima præsumptio desumitur ex communiter accidentibus, vt cum Menochio, Socino, & aliis alibi docui; communiter autem accidit, vt feminæ his verbis alliciantur, prouocentur, & subuertantur. Tum quia sola confabulatio cum femina in deteriorem partem accipi solet, *c. pernicioſum 18. q. 2. & ca. Clericus dist. 81.* Ergo multo magis in deteriorem partem accipi debent illa verba, quibus feminæ ad libidinem allici, & prouocari solent. Ita Rodericus à Chuna *q. 7. n. 15. & seq.* Sanctarellus *c. 44. nu. 9. & seq.* quamquam oppositum probabilius à nonnullis Doctoribus existimatur.

Neque obstat dicere, in dubiis benigniorem, & mitiorem interpretationem faciendam esse, *reg. in obscuris, de regul. iuris in 6. & cap. eſtote misericordes, eodem titulo in antiquis.* Ideo glossa *in c. absit. 11. q. 3.* quam sequitur Cæsar Lucianus apud Farinacium *cons. 25. n. 46. lib. 1.* affirmat Clericum amplexantem feminam præsumi eam amplexari animo benedicendi. Respondetur in dubio benigniorem, & mitiorem partem accipiendam esse, nisi oppositum iudicio prudentis viri præsumatur, vt in casu proposito contingere solet. Ad id quod ex glossa, & Luciano adducitur, respondetur explodi, & tamquam ridiculum reiici à Panorm. *in c. 1. de Clericis non resid. n. 7.* à Menochio *de præsump. lib. 5. præsumpt. 2. n. 59.* & ab aliis communiter.

6 Obligatio eadem denuntiãdi vrget, etiamsi Confessarius alliciat pœnitentem ad peccandũ cum tertia persona.

6 Amplia tertiò; siue Confessarius tentauerit prouocare seu allicere pœnitentem ad peccandum secum, siue cum tertia persona; siue tentauerit in actu confessionis, siue ante, siue post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis, siue confessio, vel absolutio secuta fuerit, siue non; imò etiam extra occasionem confessionis, si prouocatio fiat in confessionali, seu in loco, vbi confessiones audiuntur, seu electo ad confessiones audiendas, & Confessarius simulabat se ibi velle confessionem audire. Singulæ istius ampliationis particulæ exprimuntur in constitutione Gregorij XV. ibi, *qui personas, quacumque illa sint, ad inhoneſta, siue inter ſe, siue cum aliis quomodolibet perpetranda in actu ſacramentalis confeſſionis, siue ante, vel poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſiue extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut loco quocumque, vbi confeſsiones ſacramentales audiantur, ſeu ad confeſsionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſsiones audire, ſollicitare, vel prouocare tentauerint.*

7 Etiamsi sollicitauerit ad venerea, antequam istæ Bullæ promulgarentur.

7 Ampliari posset quartò, etiamsi Confessarius pœnitentem ad venerea sollicitauerit, antequam istæ Bullæ promulgarentur. Ratio est, tum quia præfati Pontifices mandant Inquisitoribus, vt in præmissis diligenter inquirant. Ergo potestatem conferunt inquirendi de crimine sollicitationis, siue patratum fuerit post Gregorij constitutionem, siue ante illius editionem. Quamquam Confessarius in hoc casu non est puniendus, iuxta Gregorij constitutionem, cùm hæc nondum edita esset dum ipse deliquit. Tum quia licet constitutiones ad præterita non extendantur, *c. 1. de poſtulation. prælat. in 6. c. cognoſcentes, & c. fin. de conſtit. & l. leges, C. de legibus*, & multo minus extendatur ad præterita, quæ iam definita, & decisa fuerunt per sententiam, aut solutionem, vel transactionem. *c. de his, de accuſationibus*, & *ibidem* Berous *n. 20.* Couar. *2. variar. c. 1.* Clarus, & alij apud Sanctarellum *cap. 44. n. 11.* & apud Rodericum à Chuna *q. 3.* nihilominus constitutiones extenduntur etiam ad præteritos actus, dum constat legislatorem voluisse suas constitutiones extendere ad præteritos actus. *cap. fin. de conſtit. & l. leges. C. de legibus.* In nostro autem casu constat Gregorium XV. voluisse suam constitutionem ad præteritos actus extendere; mandat enim Confessariis, vt admoneant pœnitentes de obligatione denuntiandi Confessarium sollicitantem pœnitentes; & hæc obligatio ipsos statim post promulgationem afficit. Ergo etiam implicitè obligat pœnitentem ad denuntiandum Confessarium à quo sollicitatus fuit, alioquin Confessarius non teneretur statim post edicti promulgationem admonere pœnitentem de huiusmodi obligatione. Ita Rodericus à Chuna *q. 3. n. 10. & 35.* citans Suarez, & alios in specie asserentes, Inquisitoribus competere facultatem inquirendi, & cognoscendi de huiusmodi crimine patrato ante promulgationem istarum constitutionum. Idem constat ex quadam Epistola Clementis VIII. cuius memini *de Sacramentis*, in qua sermo est de huiusmodi obligatione. Scio tamen oppositum à nonnullis Doctoribus sustineri.

Limitatur tamen primò præfata propositio, modò Confessarius sollicitauerit ad venerea; pœnitens enim non tenetur vi prædictarum constitutionum denuntiare Confessarium, qui ad alia peccata non venerea prouocauit, vel procurare tentauit, vt ostendam in solutione secundi dubij proximè sequentis.

Limitatur secundò, modò Confessarius sollicitauerit occasione, seu prætextu, ac fictione confessionis; secus si occasione aliorum Sacramentorum, vt *dub. 3.* explicabo.

8 Hæc sollicitatio debet esse facta à Sacerdote.

8 Limitatur tertiò, modò sollicitatio, seu prouocatio facta fuerit à Sacerdote: nam Pontifex expressè loquitur de Sacerdotibus sollicitantibus, vt præsertim constat ex constitutione Gregorij XV. ibi, *aliquis Sacerdos ad ſacras audiendas confeſsiones deputatus.*

Hinc sequitur primò, laicum, ad quem femina se transtulit animo confitendi sua peccata, non subiici pœnis istarum constitutionum, sollicitando præfatam feminam, quæ ipsum Sacerdotem esse arbitrabatur; nam pœnæ contra Sacerdotes editæ, non afficiunt laicos. Ita Sanctarellus *c. 46. n. 9.* An autem hic alio titulo puniri debeat, alibi ostendendum est. Vide Rodericum de Chuna *q. 13. & 14.*

Secundò sequitur, non solùm Sacerdotes sæculares, verùm etiam regulares, imò etiam Episcopos, huius criminis reos, denuntiandos esse, quia verba constitutionis Gregorij XV. generalissima sunt de quibuslibet Sacerdotibus, ibi, *omnes, & ſinguli Sacerdotes, tam ſæculares, quàm quorumuis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum, ordinum, inſtitutorum, ſocietatum, & congregationum regulares, cuiuſcumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti exiſtant.* Ita sentire videtur Rodericus à Chuna *q. 12. n. 9.* vbi ait, licitum esse Inquisitoribus dicta testium excipere Sedi Apostolicæ denuntianda; ipse tamen Rodericus *q. 12.* pluribus conatur ostendere, Inquisitores non posse contra Episcopos sollicitantes in confessione, seu suspectos de hæresi agere; sed de hac re alibi.

9 Si Sacerdos sit emendatus, non amplius vrget præceptũ denuntiãdi.

9 Limitatur quartò à Roderico de Chuna *q. 3. num. 15. & seq.* modò Confessarius non sit emendatus, nam obligatio edictorum præcipientium aliquem denuntiari, cessare videtur, posita emendatione delinquentis, sicut cessante causa, cessat effectus; causa autem obligationis denuntiandi hæc videtur esse, vt Confessarius emendetur, & non amplius Sacramento confessionis abutatur. Idem sustinet Seraphinus de Freitas apud Rodericum de Chuna *loco cit. n. 32. & seq.* vbi etiam cum Mascardo *concluſ. 600. n. 14.* Farinacio *in praxi q. 13. n. 26.* & aliis, docet crimi nosum spatio trium annorum præsumi emendatum.

Hæc limitatio mihi non valde placet, tum quia Summi Pontifices absolutè præceperunt denuntiari Confessarios tentantes sollicitare pœnitentem ad turpes, & venereos actus. Ob id in prima ampliatione dixi, denuntiandum esse Confessarium, etiamsi eum post sollicitationem statim pœniteat. Tum quia denuntiatio, & inquisitio contra huiusmodi delinquentes iudicialiter fieri debet, nec solum instituitur ad emendationem delinquentis, verùm etiam in pœnam, vt tam ipse, quàm ceteri metu pœnæ ab huiusmodi crimine in futurum retrahantur.

Ex quo patet primò responsio ad rationem in contrarium; secundò pœnitentem non teneri, per se loquendo, antequam denuntiet correctionem præmittere, sed posse statim Confessarium denuntiare, vt pluribus docet idem Rodericus à Chuna *q. 18. n. 10. & seq.* cum Henriquez *lib. 6. c. 24. n. 10.* & aliis. Ratio est, quia ista denuntiatio videtur tam in pœnam instituta, quàm ad emendationem delinquẽtis. Scio tamen oppositam sententiam à nonnullis Doctoribus sustineri.

Limitatur quintò à Roderico à Chuna *q. 19.* modò id fieri possit sine graui damno, & incommodo vitæ, honoris, & famæ. Verum quid ego in hac limitatione sentiam, explicabo *dub. 1. in ſecunda obiectione.*

10 Obligatio denuntiandi cõfessarium an obliget sub mortali.

10 Sed modò dubium est primò, vtrùm præceptum denuntiandi Confessarium sollicitantem obliget sub mortali.

Respondeo affirmatiuè cum Roderico à Chuna *q. 20. n. 1. q. 21. nu. 6. & seq.* Henriquez *lib. 6. c. 22. n. 6. ad finem*, Emanuele Rodriquez *in ſumma, cap. 207. n. 1. & tom. 2. q. regul. q. 27. art. 1. initio*, Sanctarello *in tractatu de hæreſi, & Apoſtaſia, c. 46. nu. 10.* & aliis. Ratio est, tum quia Confessarij tenentur sub mortali admonere pœnitentes de hac obligatione; præceptum enim in materia graui, obligat sub mortali, vt patet ex dictis de legibus. Ergo etiam pœnitens tenetur sub mortali denuntiare Confessarium sollicitantem, alioquin neque Confessarij obligarentur sub mortali admonere; idcirco enim Confessarij tenentur pœnitentem sollicitatum admonere de obligatione denuntiandi Confessarium sollicitantem, vt pœnitens suæ obligationi satisfaciat, vt clarè constat ex verbis Bullæ Gregorij XV. ibi, *mandantes omnibus Confeſſariis, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe, vt ſupra, ab aliis ſollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi ſollicitantes, ſeu, vt præfertur, tractantes.* Tum quia si pœnitens nõ teneretur sub mortali denuntiare Confessarium sollicitantem, istæ Bullæ, quæ ad animarum salutem, & Sacramenti honorem, & reuerentiam institutæ sunt, ferè numquam suum sortirentur effectum. Tum quia istæ Bullæ cum hoc rigore, vsu, & consuetudine receptæ sunt in Hispania, Lusitania, & alibi; consuetudo autem est optima legis interpres. Tum quia pluribus in locis extant edicta Episcoporum, vel Inquisitorum præcipientia sub excommunicatione denuntiationem huiusmodi

modi Confessariorum sollicitantium; excommunicatio autem supponit peccatum mortale.

Obiicies primò, nullus obligari potest ad suam turpitudinem detegendam. *cap. si quis aliquando, de pœnitent. dist.* 1. ergo pœnitens non tenetur sub mortali Confessarium denuntiare, saltem dum ipse pœnitens Confessario sollicitanti consensum præbuit seu peccatum cum ipso perpetrauit.

Respondeo pœnitentem non obligari ad detegendam propriam turpitudinem, sed tantummodo ad manifestandum Confessarium, qui pœnitentem sollicitauit. Quamobrem pœnitens non tenetur dicere se consensum Confessario sollicitanti præbuisse, vel cum ipso peccasse; sed hoc reticere potest, aut dicere potest se denuntiare ex zelo fidei, vel vt peccatum euitet, vel ne pœnas contra non denuntiantes impositas incurrat.

Addo primò Inquisitores, vel Episcopos non debere pœnitentes interrogare, an ipsi consenserint; imò pœnitentes si interrogentur, an consenserint, non tenentur respondere, aut etiam negare possunt se consensisse (addita scilicet in mente aliqua restrictione, iuxta dicta in octauo Decalogi præcepto.) Ita Suarez, quem citat, & sequitur Rodericus de Chuna *quæst.* 10. *num.* 7. *ad finem*, & Sanctarellus *in tract. de hæresi c.* 44. *n.* 12.

Addo secundò feminam, quæ volens, aut imprudens crimen patratum cum Confessario manifestauit, non ob id puniendam esse, quia denuntiatio non præcipitur, vt pœnitens puniatur, sed Confessarius, qui pœnitentem sollicitauit, vt bene Rodericus à Chuna *numer.* 5. & alij.

11 Præcepta humana non obligant cum graui incommodo.

11 Obiicies secundò, præcepta humana non obligant cum graui incommodo; graue autem incommodum sentire videtur pœnitens, dum cogitur ad denuntiandum Confessarium, cum quo peccauit.

Respondeo primò non esse valde onerosum pœnitenti denuntiare Confessarium, cum quo peccauit, cùm possit illius sollicitationem, & prouocationem ad actus illicitos manifestare, non explicata sua cooperatione, & consensu.

Respondeo secundò præcepta etiam humana aliquando obligare cum graui incommodo, dum ita postulat bonum communitatis, vel religionis, seu dum legislator intentionem habuit obligandi etiam cum graui incommodo, vt docui *in tract. de legibus disput.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 2. *n.* 5. *& seq.* bonum autem religionis, & Sacramenti præponderat incommodo pœnitentis, & legislator etiam in hoc euentu intentionem habuit obligandi, vt colligitur ex illis verbis Gregorij XV. *aut cum eis illicitos & inhonestos sermones habuerint.* Contrarium sentire videtur Rodericus de Chuna *quæst.* 19. vbi fusè probat metum mortis, aut honoris amittendi, seu infamiæ incurrendæ excusare à denuntiatione, quia præcepta humana non obligant cum graui incommodo; sed contraria sententia saltem, regulariter loquendo, sustinenda est. Tum quia ferè numquam huiusmodi periculum imminet. Tum quia incommoda, quæ sequuntur ex abusu Sacramẽti pœnitentiæ in hac materia, præualent incommodis priuatarum personarum. Vide dicta *puncto præcedenti n.* 4. *& seq.*

Obiicies tertiò, socius criminis interrogari non potest de complicibus: ergo neque pœnitens interrogari potest de Confessario, cum quo turpitudinem aliquam admisit; consequenter neque tenetur ipsum denuntiare.

Respondeo socium criminis interrogari posse de complice in aliquibus casibus, quos innui in octauo Decalogi præcepto; inter illos autem casus hic etiam enumerari debet, vt patet, tum ex ibi dictis, tum ex constitutionibus Pij IV. Pauli V. & Gregorij XV. qui facultatem inquirendi concedunt Inquisitoribus, & pœnitentem obligant ad denuntiandum Confessarium. Qui autem obligatur ad denuntiandum, cogitur etiam ad respondendum, dum legitimè interrogatur; nam qui tenetur ad antecedens, tenetur etiam ad consequens, sine quo illud suo fine defraudaretur.

Obiicies quartò, nullus obligatur ad denuntiandum id quod probare non potest, vt docui *puncto* 1. §. 4. *n.* 5. cùm autem femina probare nequeat prouocationem Confessarij ad turpia, sequitur ipsam non teneri ad denuntiandum Confessarium, qui eam sollicitauit.

Respondeo ab ea regula hunc casum cum nonnullis aliis excipi, vt §. 4. *n.* 5. innui, cum Roderico à Chuna *q.* 10. Sanctarello *loco citato nu.* 12. *vers. obiicies tertiò*, & aliis, etiamsi hæc denuntiatio fiat Inquisitori, non tamquam patri, sed tamquam iudici, vt pœnam capiat de Confessario delinquente, quidquid nonnulli Doctores in contrarium senserint. Vide Rodericum à Chuna *quæst.* 10.

12 Contra quam virtutem peccet pœnitens non denuntiãdo Confessarium sollicitantem.

12 Rogabis, contra quam virtutem peccet pœnitens non denuntiando Confessarium sollicitantem.

Respondeo peccare cõtra virtutem religionis, cuius intuitu Summus Pontifex istam denuntiationem præcepit. Ratio est, quia actus in ea specie virtutis cõstituitur, quam legislator respexit, dum actum præcepit, vt bene Vasquez 1. 2. *disp.* 98. *c.* 2. Rodericus à Chuna *q.* 20. *n.* 5. & alij, quos retuli de legibus; sed Summus Pontifex, dum actum denuntiationis præcepit, respexit virtutem religionis, ne iniuria Sacramento Pœnitentiæ fiat, vel ne odium in ipsum Pœnitentiæ Sacramentum concipiatur, vel ab eo suscipiendo fideles retrahantur. Ergo Summus Pontifex actum denuntiationis constituit in specie virtutis religionis; consequenter omittens istam denuntiationem peccat contra virtutem religionis. Ita Rodericus à Chuna *loco citato*, contra nonnullos alios existimantes peccare contra obedientiam. Verum quidem est peccare contra obedientiam generalem, vt in omnibus peccatis contingere solet; sed falsum est peccare contra virtutem obedientiæ specialem, vt patet ex dictis *de peccatis.*

13 Confessarius sollicitans ad alia peccata nõ venerea, vtrũ sit denuntiandus.

13 Secundò dubium est, vtrùm pœnitentes eadem obligatione teneantur denuntiare Confessarios, siue sollicitauerint ad venerea, siue ad alia peccata.

Respondeo negatiuè; quia Pontifices loquuntur de sollicitantibus ad inhonesta; nomine autem inhonestorum per antonomasiam, & ex communi loquendi vsu intelliguntur peccata carnalia. Ita Bartholomæus Gyptius *loco supra citato*, Rodericus à Chuna *q.* 8. *n.* 6. *& seq.* Sanctarellus *in tract. de hæresi c.* 46. *n.* 1. Petrus Ledesma, & Paramus apud Rodericum *n.* 3. contra Pennam *in direct. Inquisit.* 2. *part. comment.* 8. *vers. ille quoque*, vbi asserit huiusmodi Confessarium sollicitantem ad alia peccata grauiora, suspectum esse de hæresi.

Obiicies, de hæresi suspectus est Confessarius sollicitans pœnitentem ad peccata venerea: ergo multo magis suspectus de hæresi censetur sollicitans ad alia grauiora delicta, vt ad homicidia, latrocinia publica, & his similia. Ergo sicut pœnitens tenetur denuntiare Confessarium sollicitantem ad venerea, ita multò magis denuntiare tenetur Confessarium sollicitantem ad grauiora delicta.

Respondeo potest primò negando primam consequentiam, quia Pontifices non præsumunt suspicionẽ de hæresi in quolibet delicto.

Respondeo secundò negando vltimam consequentiam, quia Pontifices obligant ad denuntiandum Confessarium sollicitantem ad venerea, non autem ad alia peccata; à disparatis autem non valet illatio, *l. Papinianus exuli. ff. de minor.* & in delictis non est facienda extensio, *c. in pœnis, de reg. iur. in* 6. *& l. interpretatione. ff. de pœnis.*

14 Sitne obligatio denuntiandi Sacerdotem, qui ad venerea prouocauit in aliis Sacramentis à confessione.

14 Tertiò dubium est, vtrùm extet obligatio denuntiandi sacerdotem, qui prouocauit aliquem ad actus inhonestos, dum assisteret celebrationi contractus matrimonij, vel dum Eucharistiam, Baptismum, vel aliud Sacramentum administraret.

Respondeo negatiuè, quia Pontifices loquuntur de sollicitantibus in confessione, vel occasione, aut prætextu confessionis, seu in loco, in quo pœnitentum confessiones excipiuntur, vel excipi simulantur. Ratio autem cur hoc statutum sit occasione confessionis, non autem reliquorum Sacramentorum, hæc esse potest, quia maius sollicitationis periculum imminet in confessione, quàm in reliquis Sacramentis. Cùm enim pœnitentes peccata, ac prauos animi, ac corporis sui motus, & affectus secretò fateantur, improbus confessarius inde facilè posset arripere occasionem prouocandi pœnitentem ad libidinem, nisi metu denuntiationis, & grauis pœnæ coërceatur. Ita Rodericus à Chuna *quæst.* 16. *n.* 4. *& seq.* Sanctarellus *c.* 46. *n.* 5.

15 Confessarius ob aliorum criminum delationẽ iam conuictus, & condemnatus, an adhuc denuntiãdus.

15 Quartò dubium est, vtrùm pœnitens, qui confessarium sollicitantem non denuntiauit, teneatur adhuc illum denuntiare, quoties confessarius ob aliorum delationem iam conuictus, vel confessus obiurauit, & pœnam ab Inquisitoribus recepit.

Respondet Seraphinus de Freitas *in additionibus ad Rodericum, q.* 3. *n.* 34. non teneri; quia Confessarius iam supponitur emendatus, & non præsumitur amplius in idem crimen relapsurus.

Sed mihi distinguendum videtur, vel confessarius confessus, seu conuictus fuit de sollicitatione illius pœnitentis, qui nondum denuntiauit, vel confessus, seu conuictus fuit tantummodo de sollicitatione alterius; si confessus, seu conuictus fuit de sollicitatione illius pœnitentis, probabile est pœnitentem non teneri ad denuntiandum confessarium, qui iam abiurauit illud delictum, quia iudicium bis exerceri non solet in idipsum, & res semel iudicata, & punita, regulariter loquendo, in iudicium reuocari non solet, vt iterum puniatur. Si verò confessarius confessus, vel conuictus tantummodo fuit de prouocatione alterius pœnitentis, censeo pœnitentem adhuc teneri ad denuntiandum, etiamsi confessarius semel abiurauerit. Ratio est, tum quia hic non censetur sufficienter punitus, cùm grauiores pœnas pro pluribus delictis, quàm pro vno rependere debeat. Tum quia absolutus, vel condemnatus in causa hæresis, accedente noua probatione, iterum puniri, & condemnari debet, vt pluribus docet Roias *de hæreticis* 2. *parte assert.* 49. *& seq.* ergo etiam in nostro casu accedente noua denuntiatione puniri debet; consequenter pœnitens tenetur præfatum confessarium denuntiare.

TERTIA PROPOSITIO.

16 Præceptum denuntiandi Confessarium sollicitantem, obligat omnes, & mares, & feminas.

16 OMnes tam mares, quàm feminæ tenentur denuntiare confessarium, qui eos ad turpia sollicitare, vel prouocare tentauit, occasione, vel prætextu confessionis. Ratio est, quia Pontifices de omnibus generaliter loquũtur, præsertim Gregorius XV. asserit enim confessarios teneri admonere pœnitentes de obligatione, quos nouerint, vt supra, sollicitatos fuisse; in superioribus autem mentionem facit de omnibus personis, ibi; *qui personas, quacumque illa sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum alius quomodolibet perpetranda*, &c.

Ex quo patet non solum feminam, quæ ad copulam, aut oscula, aut impudicos actus sollicitata fuit à confessario occasione, prætextu, vel simulatione confessionis, teneri confessarium denuntiare; verùm etiam masculum, siue prouocatus fuerit ad nefandum peccatum, siue ad mollitiem, siue ad alios libidinosos actus. Ita sentire debent communiter DD. post constitutionem Gregorij XV. quamuis ante Gregorij constitutionem in dubium verteretur, an masculus ad nefandum peccatum prouocatus teneretur confessarium denuntiare. De qua re fusè differunt Stephan. Quaranta *verb. confessor. in Bulla Pij V.* Rodericus à Chuna *in tract. de sollicitantibus q.* 6. Emanuel Rodriquez *tom.* 1. *qq. regul. q.* 59. *art.* 4. *& tom.* 2. *q.* 27. *art.* 3. Anton. Sanctarellus *in tract. de hæresi c.* 45. Graffius *cons.* 1. *de cognat. spirituali à n.* 45. & alij, qui affirmatiuam sententiam sustinebant, licet Paramus *de orig. Inquisit. lib.* 3. *q.* 10. *n.* 92. & alij de hac re dubitarent, antequam Gregorij XV. constitutio ederetur.

17 Quid si pœnitens ipse Confessarium sollicitarit, & ad venerea induxerit.

17 Sed modò dubium est primò, vtrùm pœnitens teneatur denuntiare confessarium, quem ipse pœnitens sollicitauit, & ad peccatum aliquod venereum induxit.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia in Bullis sermo est de confessariis sollicitantibus; hic autem non sollicitauit pœnitentem, sed ipse sollicitatus fuit à pœnitente, eiusque prouocationi consensum præstitit. Ita Rodericus à Chuna *q.* 11. *n.* 4. Seraphinus de Freitas *in addit. ad Rodericum. q.* 11. *n.* 24. Sanctarellus *c.* 46. *nu.* 2. contra Paramum *loc. cit. q.* 10. *ad finem*, Graffium *cons.* 7. *n.* 8. *de pœnit. & remiss.*

Ex quo licet inferre, feminam non obligari ex vi constitutionum Apostolicarum ad denuntiandum confessarium, cui expressè, vel tacitè suum libidinosum animum erga ipsum significauit, vt ipsum ad pec-

peccatum induceret, & confessarius occasionem inde arripit turpem aliquem actum cum ea exercendi. Ita DD. citati.

Hoc tamen intelligitur, modò femina turpem suum amorem confessario significet animo ipsum prouocandi; tunc enim ipsa dicitur sollicitare confessarium, non autem ab ipso sollicitari. Secus si hoc aperiat confessario animo confitendi, seu accusandi se de prauo illo affectu, aut animo petendi ab ipso consilij, & confessarius ansam inde assumat explendæ libidinis; tunc enim confessarius dicitur sollicitare pœnitentem.

18 Femina an teneatur deferre Confessarium, qui eam sollicitauit ad peccandū cum alio.

18 Secundò dubium est, vtrùm femina teneatur deferre confessarium, qui eam sollicitauit ad peccandum cum alio.

Respondeo affirmatiuè, quia in Bulla Gregorij dicitur, *siue inter se, siue cum aliis*, vt patet ex dictis *propositione 2. ampliat. 3. n. 5.*

19 Vel si induxerit vt filiam sibi prostituat, seu aliam inducat ad peccandū secum; vel cum alio.

19 Maior difficultas est, vtrùm femina teneatur deferre confessarium, qui eam induxit, vt filiam sibi prostituat, seu aliam inducat ad peccandum secum, vel cum alio.

Respondeo teneri, quia in bulla Gregorij non solum prohibetur sollicitare pœnitentem ad peccandum secum, vel cum alio, verùm etiam interdicuntur sermones, siue tractatus inhonesti, vt patet ex illis verbis, *aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint.* Ita Suarez, & alij, quos sequitur Rodericus de Chuna *q. 17. n. 9. & 12.* Graffius in simili *cons. 1. de cognat. spirituali nu. 38.* Seraphinus de Freitas apud Rodericum *num. 14.*

20 Confessarius an teneatur deferre feminam se sollicitantem in cōfessione.

20 Tertiò dubium est, vtrùm confessarius à femina in confessione sollicitatus teneatur feminam sancto Inquisitionis Officio deferre.

Respondeo negatiuè, quia constitutiones Pontificum editæ sunt ad comprimendam confessariorum audaciam, & de confessariis sollicitantibus feminas, non autem de feminis sollicitantibus confessarios loquuntur. Ita Rodericus de Chuna *q. 9. n. 3.* Sanctarellus *ca. 46. n. 4.* contra Paramum *loc. cit. q. 10. in fine lib. 3.*

21 Filia spiritualis vtrùm teneatur deferre patrē spirituale, à quo sollicitata fuerit ad venerea extra Sacramentū pœnitentiæ.

21 Quartò dubium est, vtrùm illa, quæ est filia spiritualis ratione Baptismi, confirmationis, vel pœnitentiæ, teneatur deferre patrem spiritualem, à quo sollicitata fuit ad venerea.

Respondeo negatiuè, si sollicitata fuit alia occasione, quàm occasione, seu prætextu, vel simulatione confessionis, vt si mulierem, tiāsacta confessione, domi suæ visitauit, vt eam prouocaret ad peccatum, aut si eam litteris, vel internuntiis ad libidinem sollicitauit. Ratio est, quia præfatæ constitutiones loquuntur de personis, quæ ad venerea sollicitantur, aut alliciuntur in confessione, vel prætextu confessionis, &c. Ita Graffius *1. part. decis. lib. 2. cap. 48. n. 16. & de cas. reser. lib. 2. c. 12. n. 29.* Emanuel Rodriquez *q. regul. q. 27. art. 2.* Rodericus à Chuna *q. 5. n. 15.* Sanctarellus *c. 44. n. 15.* & alij.

QVARTA PROPOSITIO.

22 Quibus pœnis afficiendus sollicitans in confessione.

22 SAcerdos sollicitans pœnitentem in confessione, seu occasione vel prætextu confessionis, iuxta dicta in præcedentibus, grauibus pœnis afficiendus est pro qualitate criminis; sic enim expressè decernitur in Bulla Gregorij XV. ibi, *& quos in aliquo huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspensionem ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, & passiuæ, si regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum absque vlla spe gratiæ, aliasq; pœnas decernant, eos quoque si pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione curiæ sæculari puniendos tradant.*

23 Ad quē pertineat has pœnas imponere sollicitantibus.

23 Sed modò dubium est primò, ad quem pertineat inquirere, cognoscere, & pœnam imponere ob crimen sollicitationis.

Respondeo pertinere ad Inquisitores, & Episcopos, ac Ordinarios locorum. Ratio est, quia licet ante constitutionem Gregorij XV. in dubium verteretur; an Episcopi possent de hoc crimine cognoscere, vt pluribus docet Rodericus de Chuna *q. 2.* nihilominus post Gregorij Bullam, omnis dubitandi ratio sublata fuit: nam in præfata Gregorij Bulla dicitur, *omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuersi orbis Christiani in suis quemque diœcesibus, & territoriis per has nostras litteras, etiam priuatè quoad omnes alios specialiter, ac perpetuò iudices delegamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei, iuxta sacrorum Canonum formam, nec non officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones, priuilegia, consuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate,* &c.

24 Possintne iudices hoc delictū punire, etiamsi nō probetur.

24 Secundò dubium est, vtrùm Episcopus, vel Inquisitor possit sacerdotem de hoc crimine delatum punire, etiamsi delictum nō probetur.

Respondeo negatiuè, quia iudex non potest pœnam de aliquo sumere, nisi legitimè constet ipsum deliquisse, alioquin exponeret se periculo puniendi innocentem; magnum tamen in hac re supremis Inquisitoribus arbitrium conceditur, seruatis prudentiæ regulis, vt ostendam *num. seq.*

25 Qualiter probetur peccatum sollicitationis in cōfessione.

25 Rogabis primò, vtrùm hoc crimen plenè probari possit per testes singulares, vt per plures feminas, quæ singulæ seorsim affirment se à confessario in confessione sollicitatas fuisse.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, tum quia huiusmodi crimen non potest cognosci, nisi per feminas, seu personas ipsas, quæ in confessione sollicitatæ fuerunt; sed istę sunt testes singulares: ergo, &c. Tum quia fractio sigilli confessionis plenè probatur per testes singulares, ex Suarez *de pœnitentia disp. 33. sect. 8. n. 3.* Henriquez *lib. 6. ca. 19. num. 10.* Roderico de Chuna *q. 21. n. 10.* & aliis, quos retuli de Sacramentis. Ergo etiam sollicitatio in confessione plenè probatur per testes singulares, cùm tam fractio sigilli, quàm sollicitatio confessarij alia ratione plenè probari non possit. Tum quia sic expressè decernitur in Bulla Gregorij XV. citata, ibi, *dantes etiam facultatem venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam pernicioſum remaneat, ob probationum defectum impunitum, cùm difficilius sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & curiæ sæculari, vt præfertur, reum tradendum esse pronuntiandi.*

Obiicies primò, testes singulares non probant. *cap. nihilominus 4. quæst. 9. cap. bona, & cap. cùm dilectus, de electione.* ergo neque pœnitentes, quorum testimonia singularia sunt, confessarij sollicitationem plenè probare possunt.

Respondeo testes singulares probare, quoties crimen alia ratione probari non potest, vt patet ex dictis in octauo Decalogi præcepto, & ex rationibus proximè allatis.

Obiicies secundò, feminæ non admittuntur in iudicio ad testimonium ferendum, tum ex *cap. mulierem 33. q. 5. & c. forus, de verb. signific.* Tum quia feminæ sunt mutabiles, leues, dolosæ, mendaces, corruptibiles, fraudulentæ, vt pluribus docet Mascardus *de probat. lib. 2. concl. 763.* ergo crimen sollicitationis plenè probari non potest per feminas.

Respondeo feminas in quibusdam delictis enormibus, cuiusmodi est sollicitatio in confessione, admitti ad probandum in iudicio, ex Mascardo *de probat. lib. 1. concl. 463. & lib. 2. concl. 762.* Farinacio *de testibus q. 59. n. 10.* & aliis, quos retuli *in octauo Decalogi præcepto.*

26 Hoc delictum an probari possit testimonio duarum feminarū.

26 Rogabis secundò, vtrùm hoc delictum plenè probari possit testimonio duarum feminarum.

Respondeo negatiuè. Ratio est, tum quia cùm feminæ leues sint, & mutabiles, etiam ipsarum testimonium debile censetur, & infirmum. Tum quia multi sacerdotes facili negotio retraherentur ab excipiendis confessionibus timore falsæ denuntiationis à feminis faciendæ; feminæ enim non solum sunt leues, dolosæ, & fraudulentæ, verùm etiam pronæ ad accusandum, procliues ad odium, & indignationem.

Obiicies, *in l. vbi numerus, ff. de testibus, & c. si testis, 4. quæst. 3.* habetur duos testes in qualibet causa sufficienter, & plenè probare.

Respondeo, præcitata iura intelligenda esse de testibus omni exceptione maioribus.

27 Quot feminæ sufficiant ad probandum hoc crimen sollicitationis.

27 Rogabis tertiò, quot feminæ, seu personæ sufficiant ad plenè probandum præfatum crimen.

Respondeo, relinqui iudicio Inquisitorum, spectatis circumstantiis, & qualitate personæ denuntiantis, & sacerdotis denuntiati, & hoc præsertim valet dum sacerdos ob huiusmodi crimen Curiæ sæculari tradendus est, vt perspicuè constat ex verbis Bullæ Gregorij XV. superius allatis *in vers. rogabis primò nu. 24.* Ita Sanctarellus *in tract. de hæresi c. 44. n. 6.* & Rodericus de Chuna *q. 23. nu. 4.* contra Paramum *de orig. Inquisit. lib. 3. q. 10. n. 158.*

28 Inquisitores an cogere debeant ad abiurandū confessariū sollicitantem in cōfessione

28 Tertiò dubium est, vtrum Inquisitores cogere debeant confessarium sollicitantem pœnitentem in confessione ad abiurandum.

Respondeo affirmatiuè, quia huiusmodi confessarius censetur suspectus de hæresi, vt decernitur in constitutionibus Pij IV. Pauli V. & Gregorij XV. suspectus autem de hæresi cogi debet ad abiurandum, Sanctarellus *loc. cit. n. 3.* Rodericus de Chuna *q. 24. n. 12.* Menoch. *de arbitr. cent. 4. casu 372.* & alij.

FINIS.

IN-

INDEX EORVM OMNIVM QVÆ IN HOC PRIMO TOMO CONTINENTVR.

Primus numerus paginam: ſecundus verò numerum marginalem deſignat.

A

Abbas, Abbatiſſæ.

An Abbas Religioſorum poſſit alios efficere participes ſatisfactionum & orationum, quæ fiunt in Religione. 172.19

Abbates, aut alij quicunque, licet exempti, litteras dimiſſorias aliis, quàm ſuis regularibus ſubditis concedentes, ſuſpenſioni ſubiacent. 362.12

Abbates, Priores, & ſuperiores regulariũ num teneantur ad reſtitutionem, ſi vltra bimeſtre non reſideant. 632.14

Abbatiſſa quæ certam pecuniæ quantitatem paciſcitur, donec dos Conuentui promiſſa tradatur, an Simoniam committat. 587.8

Abbatiſſæ non poſſunt facultatem exeundi concedere. 494.2

Abbatiſſa non poteſt hanc licentiam concedere, niſi ei delegata ſit facultas à legitimo ſuperiore. 536.5

Abortus.

Quandonam ſit periculum Abortus. 261.12

An qui eſt cauſa Abortus, fiat irregularis. *ibid.*13

Abſens, Abeſſe.

Quibus ex cauſis Abſens diſtributiones lucrari poſſit. 466

Statuto, vel conſtitutione Epiſcopi, aut alterius Summo Pontifice inferioris, cauerì non poteſt vt diſtributiones Abſentibus conferantur. 481.1

Proponuntur, & diſſoluuntur obiectiones in contrarium. *ibid.*2

Limitatur præfata concluſio, multiq; caſus excipiuntur. *ibid.*3

Abſens cauſa ſtudij nõ lucratur diſtributiones, ſed tantummodò fructus. 478.1

Imò lucratur etiam diſtributiones quando Abeſt ex ſpeciali priuilegio quo datur facultas, vt abeſſe poſſit cum iure ad fructus, & beneficium non habet fructus ſeparatos à diſtributionibus: tunc enim Abſens lucratur etiam diſtributiones, detracta tamen ea parte, quæ deſeruientibus debetur iuxta locorum conſuetudinem. *ibid.*2

Abſens cauſa ſtudij lucratur diſtributiones, dum hoc illi permittitur per conſuetudinem. 479.3

Non ſolum Abſens cauſa ſtudij Theologici, verùm etiam ciuilis, lucratur fructus. *ibid.*4

An Abſenti cauſa ſtudij neceſſaria ſit Epiſcopi licentia. *ibid.*5

Non poteſt quis cauſa ſtudij Abeſſe dum Eccleſia ex illius abſentia graue damnum, vel magnam diuini cultus diminutionem pateretur. *ibid.*6

*Abſens cauſa ſtudij debet operã ſtudiis dare in gymnaſio publico, & num.*9. *ib.*7

Quænam in Prouincia Mediolanenſi requirantur in eo, qui cauſa ſtudij Abeſſe intendit. *ibid.*8

Abſens ad tuenda Capituli ſui iura non priuatur diſtributionibus, etiamſi in locum valdè diſtantem ſe transferat, aut etiamſi ſtipendium à Capitulo accipiat. 476.1

Canonicus Abſens, vt tueatur iura beneficij, lucratur diſtributiones, ſecus ſi abſit, vt tueatur ius ſuum contra alterum idem ius prætendentem. *ibid.*2

Canonicus Abſens, vt tueatur iura beneficij, lucratur diſtributiones, etiamſi Procuratorem in ſui locum mittere potuerit ad proſequendam litem. *ibid.*3

Abſoluere, Abſolutio, Abſolutus.

An habens poteſtatem ordinariam validè Abſoluat à cenſuris, nondum ſatisfacta parte. 310.1

An poſſit Abſoluere, qui habet poteſtatem delegatam, nondum ſatisfacta parte. *ibid.*2

An habens priuilegium Abſoluendi, ſatisfacta parte, poſſit Abſoluere eum, qui parti non poteſt ſatisfacere. *ibid.*4

Quænam cautio exigenda ſit ab eo qui parti ſatisfacere non poteſt. 311.5

An qui totam ſatisfactionem exhibere non poteſt, teneatur ad partem. *ibid.*6

An Confeſſarius habens facultatem Abſoluendi, ſatisfacta parte, poſſit abſoluere eum, qui pecuniam Confeſſario tradidit. *ibid.*7

An pœnitens poſſit Abſolui, quando per ipſum non ſtat, ne ſatisfaciat. *ibid.*8

An pœnitens, qui dubitat ſe teneri ſatisfacere, poſſit Abſolui, antequam ſatisfecerit. *ibid.*9

An qui ligatur cenſura, donec ſatisfaciat, facta ſatisfactione remaneat Abſolutus. *ibid.*10

Quis poſſit Abſoluere à cenſura ab homine lata reſeruata. 301.1

Quis poſſit Abſoluere, quando moritur, vel excommunicatur ſuperior, antequam ligatus cenſura abſoluatur. *ibid.*2

An ſuperior poſſit Abſoluere à cenſuris latis ab inferiore. *ibid.*3

An Summus Pœnitentiarius mortuo Papa poſſit Abſoluere à caſibus Summo Pontifici reſeruatis. *ibid.*4

An cenſura ceſſet per obitum ipſius Prælati à quo cenſura lata fuerat. *ibid.*5

Quis poſſit Abſoluere à cenſuris non reſeruatis ab homine latis. *ibid.*6

An qui contraxit cenſuram in vno loco, poſſit Abſolui à ſuperiore illius loci, ad quem ſe transfert. 302.7

An excommunicatus ingrediens Religionem poſſit Abſolui à ſuperiore illius Religionis. *ibid.*8

An ſuperior poſſit Abſoluere à cenſura, quam tulit contra eum, qui à ſe appellauit. *ibid.*9

Quis poſſit Abſoluere à cenſuris à iure latis. *ibid.*10

An qui à Papa obtinuit facultatem Abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris, poſſit abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis. *ibid.*11

An habens facultatem Abſoluendi ab omnibus cenſuris, poſſit etiam abſoluere à reſeruatis. *ibid.*12

An obtinens facultatem Abſoluendi à cenſuris Papæ reſeruatis, poſſit abſoluere à cenſuris in Bulla Cœnæ reſeruatis. *ibid.*13

An habens facultatem Abſoluendi à cenſuris Bullæ Cœnæ, poſſit abſoluere ab excommunicatione ob hæreſim contracta. *ibid.*14

An obtinens facultatem Abſoluendi à caſibus reſeruatis, poſſit etiam abſoluere à cenſuris. *ibid.*15

An laicus, vel clericus, qui non eſt Sacerdos, poſſit in articulo mortis Abſoluere à cenſuris. 304.1

An Diaconus poſſit Abſoluere à cenſuris in articulo mortis. *ibid.*2

An quilibet Sacerdos poſſit in articulo mortis Abſoluere à cenſuris. *ibid.*3

Quinam dicatur mortis articulus. 305.4

An quilibet Sacerdos poſſit Abſoluere à cenſuris in articulo mortis, quando pœnitens poteſt adire ſuperiorem per litteras, aut per Confeſſarium. *ibid.*5

An ſimplex Sacerdos poſſit Abſoluere, quando dubitatur, an pœnitens ſit in articulo mortis. *ibid.*6

Quis debeat Abſoluere, quando adſunt plures ſacerdotes, quorum vnus eſt approbatus, non verò alius, vnus excommunicatus, non verò alius, &c. *ibid.*7

An pœnitens in articulo mortis Abſolui poſſit ab omnibus cenſuris. *ibid.*8

An pœnitens in articulo mortis poſſit Abſolui ab irregularitate, & ſuſpenſione ab ordine, officio, aut beneficio. *ibid.*9

An Abſolutio cenſurarum impendi poſſit pœnitenti, qui illam non petiit. *ib.*10

Quænam cautio exigenda ſit à pœnitente, qui in mortis articulo Abſoluitur à cenſuris. *ibid.*11

An Abſolutus à cenſuris in articulo mortis teneatur ſe præſentare ſuperiori, ſi Confeſſarius hoc illi non iniunxit. 306.14

An ille, qui Abſoluitur à cenſuris in articulo mortis vi alicuius priuilegij, aut Iubilei, teneatur ſe præſentare ſuperiori. *ibid.*15

An cenſura, in quam reincidit pœnitens, qui ſuperiori ſe non præſentat, ſit eadem cum ea, quæ fuit ablata. *ibid.*16

Quænam dicatur Abſolutio ad reincidentiam. *ibid.*17

An Abſolutus ad reincidentiam, vitandus ſit, poſtquam neglexit ſe præſentare. *ibid.*18

An in Abſolutione caſuum reſeruatorum tradita in mortis articulo, exigenda ſit cautio præſentandi ſe ſuperiori. *ibid.*19

An Abſolui poſſit artifex, qui fraudibus vtitur in arte, quam non poteſt deſerere. 271.15

Quis dicatur Abſolui in foro interiori, ſeu conſcientiæ. 311.1

Quomodo poſſimus cognoſcere, facultatem datam eſſe pro foro interiori, vel pro vtroque foro. *ibid.*2

An Abſolutus in foro conſcientiæ denuò ſit abſoluendus, quando eius crimen defertur ad iudicem. *ibid.*3

An excommunicatus Abſolutus in foro conſcientiæ poſſit ſe gerere tamquam non excommunicatus. *ibid.*4

An reo qui Abſoluitur imponi poſſit pœna pecuniaria ſolueda ſi nõ potuerit. 312.5

Facultas Abſoluendi in articulo mortis, quomodo Sacerdotibus ſit conceſſa. 153.13

An facultas Abſoluendi valeat elapſo termino. 220.32

de Abſolutione cenſurarum. 301

De ſolemnitate, & ritu in Abſolutione ſeruando. 311

Quinam habeant facultatem ordinariam Abſoluendi à reſeruatis. 162.1

An inferior poſſit à reſeruatis Abſoluere, remiſſiuè. *ibid.*2

An Summus Pontifex poſſit reſeruationem ab Epiſcopo poſitam tollere. *ibid.*3

Differentia inter reſeruationem Summi Pontificis, & Epiſcopi. *ibid.*4

An Archiepiſcopus poſſit ſubditos ſuffraganeorum à reſeruatis Abſoluere. *ibid.*5

An Epiſcopus Abſolui poſſit ab Archiepiſcopo. *ibid.*6

An Epiſcopus incidens in caſum Summo Pontifici reſeruatum, poſſit à proprio Confeſſario Abſolui. *ibid.*7

Quinam habeant facultatem delegatam Abſoluendi. *ibid.*8

An Confeſſarius Mediolanenſis habens facultatem delegatam, poſſit peregrinos ad ſe accedentes à peccatis Abſoluere. *ibid.*9

Quid fiet, ſi peregrinus habeat caſus reſeruatos vtrique Epiſcopo. *ibid.*10

An ſimplex Sacerdos poſſit Abſoluere peregrinum habentem caſum reſeruatum in loco vbi confitetur, ſed non reſeruatum Epiſcopo proprij domicilij. *ibid.*11

An committens peccatum in alieno loco, poſſit ibi Abſolutionem reſeruatorum obtinere. *ibid.*12

An qui à Sede Apostolica obtinuit facultatem Absoluendi ab omnibus censuris, possit Absoluere à reseruatis contentis in Bulla Cœnæ Domini, aut ab Episcopo loci reseruatis. 163.14

An Sacerdos, Absoluens pœnitentem in articulo mortis, nondum facta satisfactione, aut præstita debita cautione, ligetur excommunicatione. ibid.15

An habens facultatem Absoluendi à reseruatis spatio aliquorum dierum, possit Absoluere pœnitentem, qui intra tale tempus incurrit casum reseruatū. ib.16

An si concedatur Iubileus obtinendus in vna ex duabus hebdomadis, qui illum in prima obtinuit, possit adhuc in secunda Absolui à casibus reseruatis, si in eos inciderit. ibid.17

Quomodo se gerere debeat Sacerdos circa pœnitentes habentes casus reseruatos, quos ipse non potest Absoluere. ibid.18

An superior teneatur concedere facultatem pœnitenti, petenti per se, vel alium, qua possit alteri peccata reseruata confiteri. ibid.19

An pœnitens possit Absolui, quando superior iniustè denegat facultatem. 164.20

Quomodo se gerere debeat Confessarius erga pœnitentem quem nouit commisisse peccatum reseruatum, quod interrogatus reticet. ibid.21

An Confessarius debeat Absolutionem pœnitenti denegare, quoties certò nouit incestum commisisse. ibid.22

An Confessarius denegare possit Absolutionem pœnitenti, quem non certò nouit Absolutionem indignè petere. ibid.23

An Confessarius possit absolutionem denegare pœnitenti, quem vidit peccantem, sed credit alteri ritè confessum fuisse. ibid.24

An ad Absolutionem censuræ requiratur determinata forma. 307.1

An sufficiant hæc verba, te Absoluo. ibid.2

An Absolutio censurarum dari possit iisdem verbis, quibus datur absolutio peccatorum. ibid.3

An pœnitens possit Absolui à peccatis, priusquam absoluatur à censuris, quando non supereſt tempus impendendi vtramque absolutionem. ibid.4

An Absolutio censurarum dari possit per nutus, & signa absque verbis. ibid.5

An Papa saltem id præstare possit. ibid.6

An in Absolutione censurarum requiratur expressio causæ. ibid.7

Papa potest Absolutionem conferre ab excommunicatione contracta ob Clerici percussionem. 340.1

Legatus potest Absoluere ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici. ibid.2

Episcopus Absoluere potest ab excommunicatione contracta ob Clerici percussionem, modò percussio leuis sit. ibid.3

Vicarius generalis eamdem facultatem habet. ibid.4

Superiores monasteriorū ab eadem excommunicatione Absoluere possunt. ibid.5

Capitulum Sede vacante an possit à prafata excommunicatione Absoluere. ib.6

Prælati, & alij sacerdotes Episcopo inferiores non possunt ab ista excommunicatione Absoluere. ibid.7

Percussio leuis, grauis, vel mediocris, quanam dicatur. ibid.8

Episcopus quandonam Absoluere possit ab excommunicatione contracta ob Clerici percussionem, etiamsi percussio mediocris sit, vel enormis. ibid.9

Impedimento legitimo detentus Absolui potest ab Episcopo ob Clerici percussionem. 341.10

Mortis periculum, est sufficiens causa, vt Episcopus Absoluere possit ab excommunicatione ob Clerici percussionem contracta. ibid.11

Filij impuberes Absolui possunt ab Episcopo ab excommunicatione contracta, ob Clerici percussionem, etiam enormem, etiamsi absolutionem petant post pubertatem. ibid.12

Femina, excommunicata ob Clerici percussionem, Absolui possunt ab Episcopo. ibid.13

Filiusfamilias, aut seruus quandonam Absolui possit ab Episcopo ob excommunicationem canonis. ibid.14

Impotens ad iter Romam versus conficiendum, obtinere potest ab Episcopo Absolutionem excommunicationis contracta ob Clerici percussionem. ibid.15

Impedimentum perpetuum habentes Absolui possunt ab Episcopo. ibid.16

Absoluti ab Episcopo propter impedimentum temporale, tenentur sublato impedimento præsentare se Summo Pontifici, alioquin reincidunt in excommunicationem. ibid.17

Impedimentum legitimum habens non accedendi ad Papam, non potest ab Episcopo Absolui quoties potest adire legatum, vel alium, facultatem Papalem habentem circa excommunicationem. ibid.18

Episcopus potest Absoluere sibi subditos ab excommunicatione contracta ob quamlibet percussionem, modò delictum sit occultum. ibid.19

Episcopus non solum per se, verùm etiam per alium, Absoluere potest ab excommunicatione contracta ob Clerici percussionem. ibid.20

Vicarius generalis non potest in impedimentis matrimonij dispensandi potestatem alijs delegare, imò neque potest per se ipsum. ibid.21

Absoluendi facultatem habens, satisfacta parte, an possit absoluere pœnitentem, qui tantummodo satisfacit Clerico percusso. ibid.22

Clericus qui seipsum percussit, cuinam satisfactionem præstare debeat, dum Absolutionem obtinere intendit. ibid.23

Satisfactio cuinam præstanda sit dum obtinenda est Absolutio, ob percussionem, vel homicidium religiosi. 342.24

Absolutionis impendendæ forma circa excommunicationem, ob Clerici percussionem quanam sit. ibid.25

An Absolutio collata pœnitenti absenti sit valida. 103.1

An valeat confessio, si pœnitens per litteras peccata sua transmittat ad Confessarium, deinde in præsentia absoluatur. ibid.2

An Absolutio dari possit in scriptis, aut alijs signis. ibid.1

Differentia inter Absolutionem, & confessionem. ibid.2

Differentia inter Absolutionem Censurarum, & peccatorum. 104.4

An Absolutio Censurarum impendi, vel extorqueri possit per dolum, vel errorem. 309.1

An valida sit Absolutio per dolum, aut errorem extorta. ibid.2

An Absolutio censurarum extorqueri possit per vim, & metum. 310.3

An Absolutio censuræ per vim, & metum data valida sit. ibid.4

An valida sit Absolutio, quam iudex impendit, timens fore, vt pœnitens non conferat sibi beneficia consueta. ibid.5

An ille subiaceat Censuræ sub conditione latæ, qui ante conditionis euentum per vim curauit reuocari censuram. ibid.6

An remaneat Absolutus, qui Sacerdoti excommunicato vitando, confitentur in eo loco, vbi ignoratur. 220.35

Absoluti ab Episcopo propter impedimentum temporale, tenentur sublato impedimento præsentare se Summo Pontifici, alioquin reincidunt in excommunicationem. 341.17

An Absolutus tempore Iubilei à Confessario approbato remaneat Absolutus à reseruatis etiam habentibus annexas censuras. 167.1

An remaneat etiã Absolutus à reseruatis non habentibus annexas censuras. ib.2

An remaneat Absolutus à reseruatis oblitus, si Confessarius non habuit intentionem absoluendi. ibid.3

An reseruatio tollatur per quamcumque Absolutionem collatam à legitimo superiore facultatem reseruatorum habente. ibid.4

An pœnitens remaneat Absolutus à reseruatis, etiamsi illorum absolutionem expressè, & explicitè non petat. ibid.5

An pœnitens, quem Confessarius intendit Absoluere virtute Iubilei, vel similis priuilegij, remaneat absolutus à reseruatis. ibid.6

An pœnitens, qui petit à superiore Absolutionem reseruatorum, si quibus detineatur, remaneat absolutus à reseruatis oblitis. ibid.7

An pœnitens, qui confessus est superiori habenti facultatem reseruatorum, remaneat Absolutus à peccatis quoad reseruationem, ita vt possit illa confiteri cuicunque simplici Confessario. ibid.8.& 9

An pœnitens, qui virtute Iubilei confessus est sua peccata Confessario approbato remaneat Absolutus à peccatis cum ipso Confessario commissis, siue illa aperuerit, siue oblitus sit. 168.10

An prohibitio audiendi, vel Absoluendi complicem in confessione, rescindat peccata tantummodò carnalia. ibid.11.& 12

Confessarius potest complicem peccati audire, & Absoluere dum existit in articulo mortis. ibid.15

Pœnitens remanet Absolutus à reseruatis, etiamsi post absolutionem non præstet reliqua ad consecutionem Iubilei necessaria. 169.16

Abstemius.

An Abstemius possit vti Sacerdotio. 388.26

Accessus.

Accessus ad monasteria Monialium inducit grauem culpam, nisi paruitas materiæ excuset. 533.1

Accipiens.

Accipiens aliquid à religioso tenetur ad restitutionē, antequam absoluatur. 616.1

Num acceptans obligetur restituere ante iudicis sententiam. ibid.2

Acolytatus.

Materia Acolytatus quanam sit. 188.6

Acquirere, Acquisitio.

Quibus Acquirantur distributiones absentium à Diuinis Officijs. 488

Acquisitio cuiuslibet rei Ecclesiasticæ, seu spiritualis irrita est iuxta opinionem nonnullorum valdè probabilem. 591.9

Actio.

Actiones ordinis, vel iurisdictionis simoniacè factæ, validæ sunt. 590.1

Actus.

Actus iurisdictionis, vel administrationis circa obtinendam beneficij prouisionem irritus est, si per Simoniam fiat. 591.10

Accusare, Accusans.

An Accusans alium in causa sanguinis sit irregularis. 403.1

Quid, si petat vindictam cum protestatione. ibid.2

An petens satisfactionem fiat irregularis. ibid.3

An protestatio excuset Accusantem de iniuria alteri illata. ibid.4

An Clericus possit Accusare damnificatorem bonorum suæ Ecclesiæ. ibid.5

An fiat irregularis Clericus accusans alterum ad defensionem suorum. ibid.6

An Clericus aliquando excusetur, Accusando alium de crimine. ibid.7

An omittens protestationem ex obliuione excusetur ab irregularitate. ibid.8

Admonitio, Admonens.

Admonens Prælatum de meritis oratoris non incurrit Simoniam, modò intercessoris officium non gerat. 551.16

An ad incurrendam censuram requiratur Admonitio. 291.1

An censura lata contra non denuntiantes blasphemos incurratur absque noua Admonitione. ibid.2

An sit inualida censura, quando nulla præcessit Admonitio. ibid.3

An Ecclesia possit de plenitudine suæ potestatis ferre censuram absque vlla admonitione. ibid.4

Quotuplex Admonitio requiratur in ferenda censura. 292.5

An valida sit censura, quando vna tantùm Admonitio præmittitur. ibid.6

Quantum temporis spatium requiratur in singulis Admonitionibus. ibid.7

Cui facienda sit Admonitio. ibid.8

An sufficiat, si Admonitio fiat ad domum delinquentis. ibid.9

An Admonitio aliquando non sit facienda delinquenti. ibid.10

Cui facienda sit Admonitio, quando censura fertur contra communitatē. 293.11

An requirantur testes, quando fiunt Admonitiones. ibid.12

Adoptans, Adoptio, Adoptatus.

Quid sit Adoptio. 234.2

An filius Adoptantis possit matrimonium contrahere cum filia adoptati. 235.6

An Adoptatus possit matrimoniū contrahere cum filia illegitima adoptantis. ib.8

An Adoptati possint inter se matrimonia celebrare. ibid.7. vide de his plura ver. Cognatio.

Adulterium, Adulter

Quid sit Adulterium. 272.1

Quid requiratur ad Adulterium. ibid.2

Quale peccatum sit Adulterium. ibid.3

An sit maius peccatum, quando femina coniugata congreditur cum duobus viris solutis, an quando vir coniugatus copulam habet cum duabus feminis solutis. ibid.4

An Adulterium sit grauius, quando vterque est coniugatus. ibid.5

Quot sint pœnæ Adulterij. ibid.6

An copula Christiani cum femina infideli sit Adulterium, vel simplex fornicatio. ibid.7

Ad quid teneatur Adulter, qui filium ex Adulterio suscepit. ibid.8

Quandonam Adulter excusetur à restitutione. ibid.9

Quid faciendum sit, quando non constat, cuius sit proles. ibid.10

An Adulter teneatur ad restitutionem alimentorum, quæ facta fuerunt ab hospitali domo in educanda prole. ibid.11
An Adulter teneatur restituere alimenta facta tribus primis annis. ibid.12
Ad quid teneatur Adulter, qui spurium reliquit inter filios legitimos matris. i.13
Ad quid teneatur supponens partum. 273.14
An Adulter teneatur ad aliquam restitutionem, quamuis non susceperit prolem ex Adulterio. ibid.15
An Adulter teneatur ad restitutionem pecuniariam. ibid.16
An Adultera teneatur manifestare suum adulterium, ne filij legitimi damnum in hereditate patiantur. ibid.17
An Adultera teneatur se manifestare, quando dubitat, an damnum impediendum sit. ibid.18
An mater teneatur prodere Adulterium, quando aliunde potest damno aliorum filiorum occurrere. ibid.19
An, & quando Adultera teneatur manifestare Adulterium cum periculo vitæ, aut famæ. ibid.20
An filius teneatur credere matri asserenti, ipsum esse spurium. ibid.21
An teneatur hoc credere in mortis articulo, aut si adsit iuramentum. ibid.22
An Confessarius possit adulteram compellere, vt in mortis articulo detegat suum Adulterium. ibid.23
An Confessarius possit adulterium manifestare post mortem adulteræ. ibid.24

Aduocatus.

Aduocatus non incurrit Simoniæ labem impendendo operam suam in iudiciis. 575.7

Affinitas, Affinis.

Quid sit Affinitas, quando, & inter quas personas contrahatur. 245.1
An consanguinei Caij, qui copulam habuit cum Berta, fiant Affines cum consanguineis Bertæ. ibid.2
An ex Affinitate oriatur Affinitas, seu vtrùm Titius maritus Bertæ possit ea mortua ducere illam, quæ fuit vxor fratris Bertæ. ibid.3
Quotuplex sit Affinitas, & quomodo computandi sint illius gradus. ibid.4
Quinam sit stipes in Affinitate. ibid.5
An Affinitas dirimat matrimonium, & vsque ad quem gradum. ibid.6
An Affinitas dirimat matrimonium iure naturæ. ibid.7
An filius iure naturæ valide contrahat matrimoniũ cũ concubina patris. 246.8
An iure naturæ validum sit matrimonium celebratum cum vxore fratris mortui. ibid.9
An iure naturæ validum sit matrimonium celebratum in primo gradu lineæ rectæ. ibid.10
An infidelis, qui aliquam fornicariè cognoscit, possit, suscepto Baptismo, contrahere cum aliqua consanguinea suæ concubinæ. ibid.11
Quid requiratur ad inducendam Affinitatem. ibid.12
An inducatur Affinitas, quando sola femina, vel solus vir emittit semen. ib.13
An inducatur Affinitas si quouis modo semen recipiatur. ibid.14
An ex congressu spadonum oriatur Affinitas. ibid.15
An inducatur Affinitas ex actu præpostero, vel ex pollutione extra vas femineum. ibid.16
An Affinitas oriatur ex copula habita cum femina inuita, vel dormiente, vel insana, vel ebria. ibid.17
An oriatur Affinitas ex matrimonio non consummato. ibid.18
Quam pœnam incurrant contrahentes matrimonium cum consanguineis, vel Affinibus, absque dispensatione, vel cum Monialibus, aut religiosis, aut initiatis Ordine sacro. ibid.19
Quos effectus pariat Affinitas superueniens matrimonio. ibid.20
An vterque coniux priuetur iure petendi debitum, quando vterque copulam habuit cum consanguineis alterius coniugis. ibid.21
An maritus contrahens Affinitatem cum propria vxore, teneatur illi reddere debitum. ibid.22
An maritus possit petere debitum ab vxore, cui factus est affinis. ibid.23
An maritus, qui factus est Affinis cum vxore ante matrimonium consummatum, teneatur Religionem ingredi. ibid.24

Alapa.

Cur impingatur Alapa in Confirmatione. 40.9

Alienare, Alienans, Alienatio.

Omnes & singuli Ecclesiastici sæculares & regulares, res Ecclesiæ malè Alienantes excommunicationem incurrunt; Episcopi, & Abbates interdicto, vel suspensione puniuntur. 607.1
Vtrùm excusetur ab hac censura, qui Alienauit bona Ecclesiæ, sed pœnitentia ductus Alienationem reuocauit ante realem, & pacificatam traditionẽ. ib.2
Alienans, vel malè recipiens bona Ecclesiæ, quibus aliis pœnis, & censuris subiiciatur. 608.3
Interpretatio extrauagantis, Ambitiosæ. ibid.4
Cardinales sintne subditi legibus de non Alienandis bonis Ecclesiasticis. ibid.5
Cardinales tenentur vinculo iuramenti de non consentiendo Alienationi bonorum Sedis Apostolicæ. ibid.6
Iuramentum emissum ab Abbatibus & Episcopis, an obliget ad petendum consensum Sedis Apostolicæ, vbi Paulina non est recepta. ibid.7
Bulla contra suadentes quouis prætextu infeudari, aut Alienari ciuitates, & loca S.R.E. 611.1
Quæ sit materia excommunicationis in ea Bulla contenta. ibid.2
Num proponens Oratorem hac de causa mittendum ad Sedem Apostolicam, aut Orator ipse ligentur excommunicatione, etiamsi postea hac de re nihil agatur cum Pontifice. ibid.3
Quid sit insinuare Alienationem Romano Pontifici. ibid.4
Subiectum istius excommunicationis sunt omnes, siue sæculares, siue Ecclesiastici, etiam Cardinales, quomodocumque id agant. ibid.5
Excipiuntur ij qui id faciunt ad procurandam Alienationem bonorum Fisco addictorum ob delicta. ibid.6
Excipiuntur per trienniũ loca, quæ Camera Apostolica emit à Baronibus. 612.7
Excipitur casus, si hoc fiat de licentia Summi Pontificis. ibid.8
Prælatus an possit res modicas Alienare absque consensu, & tractatu particulari. 606.3
Ad dictam Alienationem requiritur consensus superioris. ibid.4
Alienantes ante consensum superioris, dicendo, saluo superioris assensu, an excusentur à culpa, & pœna. ibid.4
In Alienatione bonorum Ecclesiæ Cathedralis, iure antiquo requiritur facultas Sedis Apostolicæ, vt sit licita; etiamsi Episcopus in consecratione iuret se id non facturum inconsulto Pontifice. ibid.6
Consensus Summi Pontificis, licet suppleat solemnitates iure antiquo requisitas, non tamen supplet causam, nisi exprimat. ibid.7
Consensus Summi Pontificis in Alienatione bonorum Ecclesiasticorum an censeatur intercessisse ex lapsis triginta, vel quadraginta annorum. ibid.8
Ad validam Alienationem bonorum Ecclesiæ carentis Collegio, requiritur consensus rectoris Ecclesiæ cum consensu Episcopi; imò etiam cum assensu Summi Pontificis, post extrauagantem, Ambitiosæ. ibid.9
Nomine Collegij intelligitur non solum communitas Canonicorum, sed etiam beneficiatorum illius Ecclesiæ. ibid.10
Res legata alicui Ecclesiæ, cum conditione vt Alienari possit, num reuera alienari possit sine prædicta solemnitate. 607.11
Res legata cum conditione, vt nullo in casu Alienari possit, quit nihilominus alienari ex iusta causa cum debita solemnitate. ibid.12
Vtrùm incurratur pœna caducitatis adiecta rei, quæ donata fuit Ecclesiæ cum hac conditione, vt non Alienetur, alioquin ad donatoris heredem deuoluatur. ibid.13
Contractus Alienationis bonorum Ecclesiæ sine debita solemnitate inualidus est in foro externo, & interno; etiam si celebratus sit in fauorem Ecclesiæ. ibid.14
Res accepta sine dicta solemnitate restituenda est loco pio, ad quem ante Alienationem pertinebat. ibid.15
Quam censuram incurrat delegatus à Sede Apostolica, dum facultatem Alienandi concedit cum detrimento Ecclesiæ. 610
Expenditur Bulla Pauli II. quæ incipit, Cum omnibus iudiciis. ibid.1
Materia censuræ huius Bullæ, est consensus Alienationi bonorum Ecclesiæ in grauamen eiusdem. ibid.2
Et auctoritatem ad huiusmodi Alienationem interponere. ibid.3
Omnes Commissarij, vel delegati à Sede Apostolica ad examinandas causas alienationis, sunt subiectum istius censuræ. 611.4
Commissarij, vel delegati, vtrùm excommunicationem contrahant statim post decretum, etiamsi Alienatio nondum secuta sit. ibid.5
Nomine Alienationis intelligitur actus, quo dominium, aut ius in alium transfertur. 601.1
Bona immobilia Ecclesiastica, & mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, hac extrauaganti Alienari prohibentur. ibid.2
Bona Ecclesiæ mobilia, & pretiosa, quæ seruando seruari non possunt, ab Episcopo, aut administratore possunt vendi sine alia solemnitate. 602.3
Valida est Alienatio vini, frumenti, olei, ouium, caprarum, &c. sine solemnitate. ibid.4
Pecunia Ecclesiæ mutuo dari, aut in alios vsus Alienari prohibetur, quàm in eos, ad quos destinata est. ibid.5
Oblationes factæ sacræ Imagini possunt de licentia solius Episcopi Alienari. ibid.6
Inualidus est contractus, quo quouis bona Ecclesiastica Alienantur sine debitis solemnitatibus. ibid.9
Bona Confraternitatis, Collegij, Congregationis, Hospitalis, non possunt Alienari sine debita solemnitate. 603.10
Commendæ S. Ioannis Hierosolymitani, aut aliæ, non possunt Alienari sine assensu Apostolico. ibid.13
Alienatio ab vna Ecclesia ad alteram fieri nequit absq; dicta solemnitate. ib.14
Iuspatronatus Ecclesiasticum non potest in laicum transferri absque dicta solemnitate. ibid.15
In retrouenditione rei ab Ecclesia emptæ requiritur dicta solemnitas. ibid.16
Bona monasterio acquisita non possunt Alienari à Prælato sine assensu Sedis Apostolicæ. ibid.17
Idem requiritur ad Alienationem loci, in quo aliàs erat Ecclesia nunc prophanata, aut diruta. ibid.18
Bona incorporalia, iura & actiones, & seruitutes Ecclesiæ Alienari non possunt sine dicta solemnitate. ibid.19
Res non solitæ tradi in emphyteusim, aut feudum, non possunt infeudari, aut emphyteuticari sine dicta solemnitate. ibid.20
Bona patrimonij, ad quæ quis fuit ordinatus, quomodo possint Alienari. 604.28
Ad promissionẽ Alienationis nõ requiritur consensus Summi Pontificis. 605.29
Lampades argenteæ, & his similia, non possunt Alienari, vt earum pretium conuertatur in fabricam necessariam Ecclesiæ. ibid.30
Reliquiæ non possunt Alienari inconsulto Summo Pontifice. ibid.31
Absque Assensu Apostolico non potest res pretiosa, quæ seruando seruari potest, alteri concedi ad beneplacitum. ibid.32
Prælatus vtrùm validè possit repudiare legatum relictum Ecclesiæ, non seruata solemnitate requisita ad Alienationem. ibid 33
Vtrùm valida sit cessio hereditatis nondum aditæ facta à Prælato sine debita solemnitate in fauorem alterius. ibid.34
Propter quatuor causas Alienatio bonorum Ecclesiasticorum licitè, & validè fieri potest. ibid.1
Vtilitas quonam tempore attendenda sit. ibid.2
Qualis vtilitas debeat esse in Alienatione bonorum Ecclesiæ. ibid.3
Partes commissarij Apostolici in Alienatione bonorum Ecclesiasticorum. ibid.4
Alienatio facta à Prælato credente subesse legitimam causam, quæ tamen non sit legitima, an valida sit. 606.5
Alienatio bonorum Ecclesiasticorum quo iure vetita sit. 601.1
Alienatio ex iusta causa, & cum debita solemnitate, est licita. ibid.2
Alienatio ad breue tẽpus locationis, aut in causa emphyteusis, quãdo permissa. i.3
Alienatio de re leuis momenti. ibid.4
Aut rerum, quæ seruando seruari non possunt. ibid.5
Facta bona fide, aut non perfecta. ibid.6
Facta ab eo, qui bonorum administrationem habet, quomodo licita. ibid.7
Peculiaris prohibitio contra religiosos circa bonorum Alienationem. ibid.8

Altare.

An Altaria denudans ornatúve lugubri vestiens sit irregularis, si hoc faciat ob solam animi sui tristitiam. 399.23
An requiratur Altare firmum, & portatile. 86.13
Quænam solemnitas requiratur ad consecrationem Altaris. ibid.14
Quot modis Altare consecratum desinat esse sacrum. ibid.15
An possimus celebrare in Altari, in quo Episcopus eadem die celebrauit. ibid.16

An ad celebrationem requiratur Calix cum patena. ibid.17
Quid per Calicem, & patenam significetur. ibid.18
A quonam lauanda sint Corporalia. ibid.22
An pyxis debeat esse consecrata. 87.23
An requirantur Corporalia, & an debeant esse munda. ibid.24
Quot mappæ requirantur in Altari. ibid.25
An requirantur vestes sacræ, & quænam sint. ibid.26
Hæ vestes quandonam amittant benedictionem. ibid.27
An omissio harum vestium inducat peccatum mortale. ibid.28
Sacerdos quomodo has vestes gestare debeat. ibid.29
An requiratur liber. ibid.30
An requiratur lumen. ibid.31
An teneatur Sacerdos preces præscriptas recitare dum se vestibus induit. ibid.32
An Sacerdos debeat adhibere masculum sibi ministrantem. ibid.33
An peccent, qui missam sine Ministro celebrant. ibid.34
Quænam seruanda sint à Ministro absque solemnitate inseruiente. ibid.35
An peccet minister deficiendo in iis, ad quæ adhibetur. 88.36
An Missa celebrari queat materna, vel vulgari lingua. ibid.37

Amentes.

An Amentes, furiosi, ebrij, & dormientes subiaceant censuris. 286.10

Amicitia.

Amicitia, vel benevolentia, quam quis intendit in collatione rei spiritualis, non est materia Simoniæ. 577.4

Annata.

De distributionibus Annata non soluitur. 486.7
In permutationibus beneficiorum non soluitur Annata. ibid.8
Ex distributionibus non soluitur Episcopo charitatiuum subsidium. ibid.9
Quid sit subsidium charitatiuum. ibid.10

Anniuersaria.

Anniuersaria non sunt propriè distributiones, sed ipsarũ priuilegio gaudent. 459.3

Apostata.

Apostatæ à fide denuntiandi sunt. 641.10
Apostata quisnam dicatur. 523.1
Nouitius non est Apostata deserendo religionem. ibid.2
Moniales Turris Speculorum in Vrbe non sunt propriè religiosæ. ibid.3
Transiens ad aliam religionem non est propriè Apostata, etiamsi fortè transeat ad laxiorem. ibid.4
Fugitiuus à religione quis dicatur. 524.5
Apostata, & fugitiuus non sunt idem. ibid.6
Apostata fugiens cum habitu suæ religionis, iure communi non afficitur excommunicatione. 498.5
An Apostata sit hæreticus, & quotuplex sit Apostata. 342.8
Apostata iure communi non est excommunicatus. 526.1
Apostata in aliquibus religionibus excommunicationem incurrit. ibid.2
Apostatæ religionum participantium priuilegia Societatis Iesu non sunt excommunicati, præcisis suæ religionis priuilegiis. ibid.3
Apostata non potest Ordines suscipere, & susceptos exercere. ibid.4
Assignatur materia suspensionis latæ contra Apostatas. ibid.5
Transiens ad aliam religionem, ibiq; sacrum Ordinem suscipiens non est suspensus ab exercitio illius Ordinis. ibid.6
Assignatur subiectum suspensionis latæ contra Apostatas. ibid.7
Monachi, & Abbatis nomine quinam intelligantur. ibid.8
Explicantur effectus suspensionis latæ contra Apostatas. ibid.9
Apostata, qui tempore Apostasiæ sacrum Ordinem suscepit, non potest dimissa Apostasia ad superiorem Ordinem promoueri ante dispensationem Summi Pontificis. 527.10
Absolutio suspensionis latæ contra Apostatas Summo Pontifici reseruata est. ib.11
Apostata, & fugitiuus vbique capi potest à suo superiore. 525.1
Apostata non gaudet priuilegiis religionis, si dimisso habitu prætendat irritam esse professionem. ibid.2
Apostata, aut fugitiuus gaudet priuilegiis totius religionis. ibid.3
Apostata, vel fugitiuus priuatur alimentis. ibid.4
Ad quem pertineant bona religiosi Apostatæ vel fugitiui. ibid.5
Apostata eligi potest in superiorem, peracta pœnitentia, nisi alia obstet circumstantia. 526.6
Apostatam detinens quandonam ligetur excommunicatione. 527.1
Apostamam Ordinis Prædicatorum detinens in suis monasteriis excommunicatione ligatur. ibid.2
Assignatur materia istius excommunicationis. ibid.3
Assignatur subiectum istius excommunicationis. ibid.4
Religionum Prælati tenentur fugitiuos, Apostatas, vel eiectos reuocare, si spem habeant emendationis. 524.1
Prælati religionum non reuocantes annuatim fugitiuos, vel eiectos, priuationem officiorum, & alias pœnas incurrunt. ibid.2
Enumerantur pœnæ impositæ contra non seruantes decretum sacræ Congregationis circa fugitiuos, & Apostatas. ibid.3
Pœnæ an incurrantur ante iudicis sententiam remissiuè. 525.4

Appellatio.

Quid operetur Appellatio, & quotuplex Appellatio interponi possit. 472.3
An Appellatio excuset ab incurrendis censuris. 299.2
An dari possit Appellatio ab absolutione excommunicationis, quæ suspendat effectum absolutionis. ibid.3
An Appellatio excusęt à censuris, si postea deseratur. ibid.4
An citatus ad comparendum intra mensem sub pœna censuræ, peccet non comparendo post factam Appellationem. ibid.5
An in dubio præsumatur Appellationem præcessisse sententiam, vel an præsumatur facta post sententiam. ibid.6
An liceat Appellare à sententia declaratoria. ibid.7
An excommunicatus vitandus sit, facta Appellatione, & an illius gesta valida sint. ibid.8
Quænam requirantur ad Appellationem. ibid.9
An superior possit ferre censuram contra subditum, si appellauerit. ibid.10

Approbatio.

Approbatio Simoniæ post obtentum beneficium non irritat consecutionem beneficij præcedentem. 592.18

Aqua.

An qui Aquam loco vini consecrauit, & sumpsit, teneatur de nouo vinum consecrare. 65.19
An vino consecrando admiscenda sit Aqua, & quo præcepto. 47.1
An peccet, qui Aquam vino non admiscet. ibid.2
Cur vino Aqua misceatur. ibid.3
Quænam quantitas Aquæ requiratur. ibid.4
Quo tempore miscenda sit Aqua. ibid.5
Quid agendum, quando Sacerdos ex obliuione Aquam non infudit. ibid.6
An Aqua conuertatur in sanguinem Christi immediatè. ibid.7
An Aqua nondum in vinum conuersa conuertatur in sanguinem Christi post consecrationem. 48.8
An adoretur huiusmodi Aqua. ibid.9
An Aqua, quæ in vinum conuertitur, consecrationis formæ inchoata, conuertatur in sanguinem Christi. ibid.10
An Aqua post consecrationem conuerti possit in vinum. ibid.11

Arbores.

Arbores solo adhærentes non possunt incidi sine debita solemnitate. 602.7

Archiepiscopus.

An Archiepiscopus possit à censuris latis à suffraganeis, vel à Papa absoluere subditos suorum suffraganeorum. 304.7

Arma.

An vendens Arma in bello sit irregularis. 405.9
An deferens Arma Saracenis plures contrahat censuras. 289.12

Aromatarij.

An Aromatarij conficientes medicinas ex rebus corruptis sint irregulares. 409.11

Aspectus.

An Aspectus feminæ, aut viri natantis, sit mortale peccatum. 266.13

Attentio.

Qualis Attentio requiratur ad Sacramenta conficienda. 12.12

Attritio.

Obiectum materiale Attritionis quodnam sit. 108.7
De contritione, & Attritione, quæ est prima pars Sacramenti pœnitentiæ. 104
Attritio quid, & quotuplex sit. 106.1
An habens peccatum mortale saluari possit cum sola Attritione. 96.7
An requiratur Attritio ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu. 106.2
Quænam Attritio necessaria sit, & sufficiat. ibid.3
Quomodo bona sit Attritio, qua homo timore pœnæ dolet de peccatis. 107.4
An sufficiat Attritio putata in susceptione Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.6
An sufficiat actus, quo quis dolet se non habere Attritionem peccatorum. ibid.7
Quænam Attritio requiratur ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu. ibid.8
An requiratur propositum non peccandi de cetero. ibid.9
An ad Sacramentum pœnitentiæ requiratur Contritio. ibid.10
An Attritio differat à contritione, & in quo differat. ibid.11
An Attritio, quæ est pars essentialis Sacramenti, differat ab Attritione requisita ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu. 108.12

Auditio.

Vtrùm excommunicatus priuetur Auditione Missæ. 318

Aulici.

Aulici obtinentes beneficia à Cardinalibus, vel aliis, quibus inseruiunt, Simoniam non committunt, modò inseruiant absque pacto tacito, vel expresso recipiendi beneficium propter obsequium. 550.12

Auricula.

An carens Auriculis sit irregularis. 387.8

B

Balsamum.

An Balsamum sit de necessitate Sacramenti confirmationis. 38.2. *vide* Confirmatio.

Baptismus, Baptizans, Baptizare.

Baptismus quid sit. 25.1. & 22
Quandonam fuerit institutus Baptismus. 25.2
Quomodo explicentur illa verba Christi: Ite, docete omnes gentes, Baptizantes eos, &c. ibid.3
Materia remota Baptismi quænam sit. 26.1
An peccet, aut validè Baptizet, qui aliam adhibet aquam præter naturalẽ. ib.2
An validè Baptizet, qui vtitur aqua maris. 27.3
An validè Baptizet, qui vtitur aqua à niue profluente. ibid.4
An glacies sit apta materia Baptismi. ibid.5
An aqua naturalis mixta cum alio liquore sit apta materia. ibid.6
An peccet, qui vtitur aqua naturali alterata, & fœda. ibid.7
Minister Baptismi quam aquam debeat adhibere. ibid.8
An liceat aliquando vti materia dubia. ibid.9
An Baptizatus cum materia dubia sit rebaptizandus si superuiuat. ibid.10
An adhibendus sit ignis præter aquam. ibid.11
Cur aqua instituta sit pro materia Baptismi. ibid.12
Materia proxima Baptismi quænam sit. ibid.13
Ablutio quid sit. ibid.14
An per huiusmodi ablutionem auferendæ sint corporis sordes. ibid.15
Quænam quantitas aquæ requiratur ad Baptismum. ibid.16
Quot modis possit ablui Baptizandus. ibid.17
Administrans Baptismum ex officio an teneatur seruare Ecclesiæ suæ consuetudinem. ibid.18
An ad Baptismum duæ, vel tres guttæ aquæ sufficiant. 28.19
Quanam pars corporis abluenda sit. ibid.20
An valeat Baptismus si aqua vestes tantummodo attingat. ibid.21
An valeat, si aqua solos attingat capillos. ibid.22
An valeat Baptismus, si caput tantum abluatur. ibid.23
An sit rebaptizandus, si solus pes, aut digitus fuerit ablutus. ibid.24
An infans in vtero matris existens Baptizari possit. ibid.25
An infans ad fontem delatus, censeatur baptizatus, si ante ablutionem moriatur. ibid.26

An remaneat Baptizatus infans, qui à proferente formã in flumẽ proiicitur. i.27
An validus sit Baptismus, si infans fune in flumen mittatur. ibid.28
An valeat Baptismus, quando infans aquæ è tecto defluenti submittitur. ibid.29
An finita qualibet ablutione perficiatur Sacramentum. ibid.30
An valeat Baptismus si puer, aut Sacerdos moriatur post primã mersionẽ. ib.31

Baptisini effectus.

Effectus Baptismi quot sint. 35.1
An Baptismus conferat gratiam cum reliquis donis. ibid.2
An conferat omnibus æqualem gratiæ gradum. ibid.3
Quem effectum pariat gratia in Baptismo producta. ibid.4
An Baptismus deleat pœnam peccatis debitam. 36.5
An statim euolet in cœlum, qui statim moritur post Baptismum. ibid.6
An Baptismus auferat pœnalitates. ibid.7
Cur Deus noluerit per Baptismum pœnalitates auferri. ibid.8
An Baptismus conferat characterem. ibid.9
An possit iterari Baptismus semel ritè collatus. ibid.10
An possit iterari, quando dubitatur de validitate. ibid.11
An Baptismus habeat alios effectus secundarios. ibid.12
An Baptismus producat suum effectum recedente fictione. ibid.13
Quid requiratur, vt Baptismus suum producat effectum recedente fictione. ib.14
An peccata antecedentia Baptismum aperienda sint in confessione. ibid.15
An recipiens Baptismũ cum complacentia peccati venialis recipiat effectũ. ib.16
An Baptismus liberet à seruitute. 37.17
An peccet omittens ritus, & cæremonias Baptismi. ibid.18
An peccet, qui solemniter Baptizat in aqua non benedicta. ibid.19
An liceat Baptizare adhibito Chrismate alterius anni. ibid.20
Quid agendum, quando quis sine cæremoniis domi fuit Baptizatus. ibid.21
An repetenda sint solemnitates, quando Baptismus inualidè fuit solemniter administratus. ibid.22

Baptismi forma.

Forma Sacramenti Baptismi quænam sit. 29.1
An exprimenda sit persona, quæ Baptizatur. ibid.2
An exprimenda sit persona Baptizans. ibid.3
An exprimenda sit actio, quæ circa Baptizatum exercetur. ibid.4
An exprimenda sit vnitas diuinæ essentiæ. ibid.5
An exprimendæ sint tres personæ Sanctissimæ Trinitatis. ibid.6
An valeat Baptismus in nomine Christi collatus. ibid.7
An valeat Baptismus collatus in nomine Dei, vel sanctæ Crucis. ibid.8
An Baptismus administratus cum verborum mutatione valeat. 30.9
An validè Baptizet, qui forma Græcorum vtitur. ibid.10
An validè Baptizet quis omissa particula, ego. ibid.11
An valeat Baptismus collatus in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati. ibid.12
An teneat Baptismus, si loco Filij, dicatur, Verbi. ibid.13
An teneat si quis dicat, intendo te Baptizare. ibid.14
An teneat si verba transportentur. ibid.15
An teneat si omittantur illæ particulæ, In, Ego, Amen. ibid.16
An validus sit Baptismus vulgari lingua administratus. ibid.17
An teneat si puer moriatur nondum finita forma. ibid.18
An possit conferri Baptismus in nomine Beatissimæ Virginis, aut Sanctorũ. ib.19
An possit quis se ipsum validè Baptizare. ibid.20
An plures vnica aspersione Baptizari possint. ibid.21
An dicantur plura Baptismata, quando plures simul Baptizantur. ibid.22
An teneat Baptismus quando duo vnum eodem tempore Baptizant. 31.23
An teneat quando vnus incipit, & alter perficit formam. ibid.24
An valeat Baptismus, quando duo simul Baptizant singulis puerum abluentibus, & formam proferentibus. ibid.25
An valeat quando adest error circa personam Baptizatam. ibid.26
An valeat Baptismus collatus filio Caij, quem Sacerdos opinabatur filium Titij. ibid.27
An rebaptizandus sit masculus, qui pro femina fuit Baptizatus. ibid.28
Subiectum Baptismi quodnam sit. 33.2
An Baptizandi sint satyri. ibid.3
An monstrum Baptizandum sit. ibid.4
An Baptizandum sit monstrum, quando dubitatur an genitum sit ex viro & femina, vel ex femina & bruto. ibid.5
Differentia inter Baptismum, & Confirmationem. ibid.6
An mortuus Baptizari possit. ibid.7
An existens in vtero matris Baptizari possit. ibid.8
An mater mortua possit aperiri, vt filius extrahatur. ibid.9
Quid dicendum de matre grauida damnata ad mortem. ibid.10
An valeat Baptismus infanti collatus dissentientibus parentibus. ibid.11
An liceat aliquem inuitis parentibus Baptizare. ibid.12
An domini curare teneantur, vt serui Baptizentur. 34.13
An domini seruos nondum Baptizatos vendere possint. ibid.14
Quid requiratur in adulto Baptizando. ibid.15
Quanam intentio requiratur in Baptizando. ibid.16
An intentio habitualis in adulto sufficiat. ibid.17
An recipiat Characterem, qui nunquam voluit Baptizari. ibid.18
An valeat Baptismus collatus dormienti. ibid.19
Quod tempus seruandum sit pro amentibus. 35.20
An Baptizandus sit amens, de quo dubitatur an petierit Baptismum ante amentiam. ibid.21
An teneat Baptismus per metum grauem susceptus. ibid.22
An sufficiat neutralis intentio. ibid.23
An requiratur in adulto fides supernaturalis. ibid.24
An requiratur attritio. ibid.25
An sufficiat attritio naturalis. ibid.26
An habens solum originale peccatum debeat habere attritionem. ibid.27
An imponenda sit aliqua satisfactio adultis Baptizatis. ibid.28
Quomodo recipiat Baptismum, qui illum sine dispositionibus recipit. ibid.29

Baptismi necessitas.

Quis dicatur habere Baptismum in voto. 25.1
An Baptismus sit necessarius necessitate medij in re, vel in voto. ibid.3
An necessarius sit necessitate præcepti. 26.4
Præceptum Baptismi quosnam obliget. ibid.5

An pater curare teneatur, vt Baptizentur quàm primum filij. ibid.6
An Catechumenus teneatur suscipere Baptismum. ibid.7
An saluentur pueri, si moriantur ante vsum Baptismi, vel martyrij susceptionem. ibid.8
An iustificatus in vtero matris ex priuilegio, teneatur recipere Baptismũ. ib.9
Quandonam inceperit obligatio suscipiendi Baptismum. ibid.10
An hæc obligatio inceperit ante Christi mortem. ibid.11
An inceperit statim post Christi mortem. ibid.12
Quandonam fácta fuerit sufficiens Euangelij promulgatio. ibid.13
Quodnam remedium esset institutum pro iis, quibus post Christi mortem ignotum erat Baptismi Sacramentum. ibid.14
An saluari possint, qui hoc tempore Baptismi legem ignorant. ibid.15
Differentia inter Baptismum, & pœnitentiam. 139.4
An sint rebaptizandi illi, quos constat domi fuisse Baptizatos. 7.37
An sint rebaptizandi, qui educati fuerunt pluribus annis inter Christianos. i.38
An rebaptizandi sint infantes à barbaris abrepti. ibid.39
An sint rebaptizandi pueri expositi sine vllo testimonio. ibid.40
An rebaptizandus sit mortuus, antea Baptizatus si reuiuiscat. 18.6

Beati.

An pro Beatis orandum sit. 444.4

Bellum.

An occidens alium in Bello sit irregularis. 404.1
An procedens ad Bellum sine animo pugnandi, si occidat inimicum ad defensionem. ibid.2
An omnes Milites sint irregulares, quando diuiso exercitu in duas partes, vna pars occidit, altera verò non occidit. ibid.3
An consulens bellum Principi sit irregularis. 405.4
An Clericus consulens Bellum iustum sit irregularis. ibid.5
An sit irregularis qui hortatur milites ad vitam effundendam pro fide Christi, pro Ecclesia, &c. ibid.6
An assistentes Bello sint irregulares. ibid.7
An duces, & consultores exercitus, tubicines, & pulsantes tympana sint irregulares. ibid.8
An vendens arma in Bello sit irregularis. ibid.9
Quæ differentia sit inter assistentes Bello iusto, & iniusto. ibid.10
An Clerici fiant irregulares, prabendo arma militibus in Bello iusto. ibid.11
An Clerici pugnantes in Bello de licentia Papæ sint irregulares. ibid.12
Quis possit dispensare in irregularitate ob Bellum contracta. ibid.13

Benedictio.

An Benedictiones recipiendæ sint in secundis nuptiis. 261.4

Beneficiarius, Beneficium.

Bona Beneficiariorum sunt, aut patrimonialia, aut quasi patrimonialia, aut merè Ecclesiastica. 622.1
Dominium est facultas disponendi ad suum libitum suo nomine de re aliqua, modò lege non prohibeatur. ibid.2
Beneficiarius dominium habet bonorum patrimonialium. ibid.3
Beneficiarius dominium habet absolutum bonorũ quasi patrimonialium. ibid.4
Beneficiarius dominium habet fructuum, & prouentuum beneficij. ibid.5
Beneficiarius fructus suæ sustentationi superfluos non expendens in operapia, graniter peccat. 623.9
Beneficij fructus superflui expendendi in pios vsus, etiamsi incorporati reliquis beneficiarij bonis. ibid.10
Beneficiarius potest fructus superfluos expendere in opere hospitalitatis. ibid.11
Potest etiam aliquos expendere in ludos, aliasq; recreationes honestas, spectata clericatus conditione. ibid.12
Beneficiarius potest fructus sibi necessarios, & superfluos tradere titulo paupertatis parentibus, & consanguineis indigentibus. ibid.13
Beneficiarius potest aliquam partem fructuum sibi necessariam subtrahere, & consanguineis diuitibus tradere. 624.14
Beneficiarius potest ex beneficij fructibus alere filios legitimos, & spurios, si non habet aliunde, vnde eos alat. ibid.15
Beneficiarius potest ex beneficij fructibus rationabilem dotem tradere filiæ spuriæ, vel sorori, dum aliunde non habet, quo illis consulat. ibid.16
Percipiens pensionem ex aliquo Beneficio potest, vt voluerit, dispensare, saltem id quod congruæ sustentationi parcè viuendo subtraxit. ibid.17
Beneficiarius potest quotidianas distributiones pro suo arbitrio disponere. ibid.18
Capellanus potest ad libitum expendere acquisita pro celebratione Missarum, pro concionibus, audiendis confessionibus, pro Vicariatus officio, aut similibus functionibus. ibid.19
Beneficiarius non potest ad libitum insumere fructus Ecclesiæ, aut bona, quæ ipse emit ex pecuniis, aut nomine Ecclesiæ. ibid.20
Beneficiarius tenetur iure naturali ad residendum in loco Beneficij. 629.1
Idem tenetur iure diuino. ibid.2
Quid si Papa dispenset in residentia Episcoporum. ibid.3
Episcopi, à quo suam auctoritatem principaliter accipiant. ibid.4
Beneficiarius tenetur iure Ecclesiastico ad residendum in loco beneficij. ibid.5
Vtrùm peccet Parochus absens à sua parochia per bimestre in anno sine licentia. 630.6
Parochus absens per bimestre, tenetur alium in sui locum sufficere. ibid.7
Vtrùm Episcopus validè prohibere possit Parochis, ne absint à sua parochia vltra duos dies sine licentia. ibid.8
Beneficiarij sine cura animarum quomodo teneantur ex iure Ecclesiastico in loco beneficij residere, & onus per se ipsos persoluere. ibid.9
Quomodo quis excusetur à residentia in Cathedralibus, & Collegiatis. ibid.10
Beneficiarij curam animarum non habentes, an grauiter peccent non residendo in loco beneficij. ibid.11
Canonicus obligatus Choro certis hebdomadis, non grauiter delinquit, si absit per alias hebdomadas à loco Beneficij. 631.12
Capellanus, cui ex fundatione Capellaniæ simpliciter impositum est onus celebrandi, non peccat grauiter non residendo in loco Capellaniæ. ibid.13
Beneficiarius ex iure antiquo non potest de beneficij fructibus testari, & disponere ad causas profanas. 625.1
Hoc tamen potest ex priuilegio, & consuetudine pluribus in locis acceptata validè facere. ibid.2
Consanguinei validè succedunt ab intestato in ipsis fructibus Beneficiarij. ibid.3

Beneficiarius potest non solum validè, sed etiam licitè testari de bonis patrimonialibus, & quasi, & de fructibus beneficij necessariis ad congruam sui, & suæ familiæ sustentationem, vbi consuetudo inualuit, vt Beneficiarij testentur. ibid.4

De fructibus superfluis non potest Beneficiarius licitè testari. 626.5

Ad quos distributiones, vel fructus ius habeat succedens Beneficiario testato, vel intestato. ibid.6

In quam partem fructuum Beneficiarius habeat ius. ibid.7

Ad quam partem Beneficiarius haberet ius ex bonis locatis, & consequenter quod ius competat heredi, dum bona beneficij locata erant pro certa pensione singulis annis soluenda. ibid.8

Beneficiarius simoniacè acquirens Beneficium retinere potest Beneficium, modò Simonia nondum sit completa. 593.26

Promissio pecuniæ pro obtinendo Beneficio, vel re spirituali, non est adimplenda, etiam obtento Beneficio, seu re spirituali. ibid.27

Promissio Beneficij facta per Simoniam secuto effectu, & completa Simonia reali, ita irritatur ac si ab initio conuentionis irrita fuisset. ibid.28

Beneficia, aut Beneficiorum fructus percepti ante completam realem Simoniam restitui non debent iuxta sententiam nonnullorum Doctorum. ibid.29

Beneficiarius resignans alteri Beneficium non potest quicquam exigere ab eo, cui beneficium confert, etiamsi intendat aliquid exigere ratione fructuum. 565.9

Beneficiarius resignans Beneficium accepto pretio ratione fructuum Simoniam incurrit etiam contra ius diuinum. ibid.10

Beneficiarius simoniacè prouisus tenetur Beneficium dimittere. 591.11

Beneficiarius Beneficij fructus superfluos expendens in profanos vsus non tenetur ad restitutionem. 627.1

Neque qui fructus à Beneficiario accepit tenetur illos restituere. ibid.2

Beneficiarius absens non potest distributiones percipere, & perceptas restituere tenetur etiam ante iudicis sententiam. 490.2

Respondetur rationibus dubitandi. ibid.3

Episcopus ferre potest legem ob cuius transgressionem Canonicus priuetur distributionibus. ibid.4

Beneficiarius, iuxta probabiliorem sententiam tenetur ad recitandum diuinum Officium quoties fructus beneficij in alios pios vsus ex consuetudine, vel Ecclesiæ statuto impenduntur. 426.23

Idem dicendum de Beneficiario, qui capta possessione fructus pro aliquo tempore non percipit, spem tamen habet aliàs percipiendi. ibid.24

Beneficiarius, qui nouit pensionarium non recitasse diuinum Officium, non potest sibi pensionis fructus respondentes omissioni diuini officij, retinere. 450.6

Beneficiarius, qui nouit pensionarium excommunicatum, an pensionem tempori excommunicationis respondentem retinere possit. ibid.7

Beneficiarius pauper potest sibi fructus restitutioni obnoxios titulo paupertatis retinere. ibid.8

Hoc tamen intelligitur modò contrarium non constet de voluntate Summi Pontificis, aut modò fructus certæ personæ non debeantur. ibid.9

Beneficiarius, seu Capellanus non eximitur ab onere diuini Officij recitandi dum maiorem fructuum, & redituum partem tradit Sacerdoti substituto ad peragenda, & persoluenda beneficij onera. 426.19

Beneficiarius, qui diuinum Officium non recitauit, potest facta fructuum restitutione retinere sibi fructus, cum iterum sibi titulo donationis traduntur ab eo, cui facta fuerat restitutio. 450.10

Beneficiarius, qui diuinum Officium prætermisit, tenetur ad fructuum restitutionem etiam ante iudicis sententiam. 447.7

Beneficiarius, qui diuinũ Officium intra sex menses beneficij adepti prætermittit, non tenetur ad fructuum restitutionẽ, quamuis reus sit grauis culpæ. ibid.8

Beneficiarius Officium intra primos sex menses omittens tenetur ad fructuum restitutionem, non ex iure naturæ, sed ex iure Ecclesiastico. ibid.9

Beneficiarius publicè, & absque rationabili causa partita, vel virgata vestes vtens, suspensioni subiacet. 358.21

Vtrùm Beneficiarius, qui post obtentum beneficium labitur in excommunicationem, sit priuatus fructibus beneficij. 323

An qui ligatur excommunicatione post consecutionem beneficij, priuetur fructibus. ibid.2

An Capellanus, aut curatus possit recipere fructus Beneficij in excommunicatione, præstando munera sua. 324.3

An Capellanus excommunicatus celebrando, & Canonicus assistendo choro possit percipere omnes fructus. ibid.4

An iniustè excommunicatus possit percipere fructus, & distributiones. ibid.5

An iniustè excommunicatus possit repetere distributiones, quæ fuerunt collatæ aliis Canonicis. ibid.6

Habens duo Beneficia non potest in vtroque residere. 464.1

In qua Ecclesia residendum sit, dum quis plura Beneficia habet. ibid.2

Habens duplicem Canonicatum non percipit binas distributiones. ibid.3

Hoc tamen limita primò, præcisa dispensatione. ibid.4

Limita secundò præcisa consuetudine. ibid.5

Quadraginta anni requiruntur ad præscribendã huiusmodi consuetudinẽ. ib.6

Ratio differentiæ cur habens plura beneficia recipiat fructus omnium vnica recitatione, non verò recipiat distributiones omnium vnica assistentia. ibid.7

Afferuntur nonnullæ obiectiones, & soluuntur. ibid.8

An valida sit præsentatio, aut collatio Beneficij facta excommunicato. 321.1

An ignorans se esse excommunicatum validè recipiat Beneficium. ibid.2

An collatio officij sæcularis facta excommunicato valida sit. ibid.3

An valida sit collatio pensionis facta excommunicato. 322.4

An recipiens Beneficium, vel pensionem in excommunicatione, possit percipere fructus. ibid.5

An obtinens Beneficium in excommunicatione possit illud permutare. ibid.6

An valida sint acta per eum, qui obtinuit Beneficiũ in excommunicatione. ib.7

An validè conferatur Beneficiũ illi, qui falsò creditur esse excommunicatus. ib.8

An validè acceptetur Beneficium ab eo, qui tempore electionis, aut collationis non erat excommunicatus, licet sit excommunicatus tempore acceptationis beneficij. 323.9

An Beneficium retineri possit ab eo, cui facta fuit collatio tempore excommunicationis, sed eam acceptauit post obtentam absolutionem. ibid.10

Quid præstare debeat, qui obtinuit Beneficium, aut pensionem in excommunicatione. ibid.11

An excõmunicatus occultus teneatur se manifestare, ne acceptet Beneficiũ. ib.12

Quomodo se gerere debeat elector, qui occultè nouit, eum, qui est eligendus, esse excommunicatum. ibid.13

Beneficij prouisio simoniacè facta irrita est, etiamsi crimen simoniæ commissum sit à tertia persona, nisi fortè prouisus contradixerit, seu nisi pecunia data sit à tertia persona in odium, & detestationem prouisi. 592.17

Beneficij prouisio simoniaca irrita est, etiamsi prouisus Simoniam ignoraret. ib.19

Beneficij prouisio simoniaca non est inualida, nisi secuta Simonia reali, & completa. 134.25

Beneficij acquisitio simoniaca, inspecto solum iure naturali, & diuino, valida est. 591.6

Beneficium conferens, vel procurans animo conciliandi sibi beneuolentiam, Simoniam non incurrit, etiamsi mediante beneuolentia, seu amicitia temporale lucrum speret. 550.11

Vtrùm valida sit collatio Beneficij, vel pensionis facta excommunicato. 221

Beneficium conferens cum pacto præstandi onera beneficio annexa, non est reus Simoniæ. 549.9

Beneficiũ conferens, vel procurans ad extinguenda debita, simoniacus est. 550.10

Beneficium permutari non potest cum pensione temporali, vel alia re temporali, auctoritate solius Episcopi, vel priuata auctoritate. 568.9

Beneficia quamuis inæqualia in temporalibus, permutari non possunt cum pensione, vel alia re pretio æstimabili corã Episcopo, aut alio inferiore Papa. ib.10

Beneficiorum inæqualitas circa prouentus compensari potest, auctoritate Papæ, annua pensione, vel etiam numerata pecunia. 569.11

Beneficij inæqualitas in dignitate compensari non potest pecunia, etiam auctoritate Papæ, si dignitas præcisè spectetur. ibid.12

Bestialitas.

Quid sit Bestialitas. 270.1

Quot fiant congressus cum dæmone. ibid.2

Quam malitiam habeat peccatum cum dæmone commissum. ibid.3

An Bestialitas differat specie pro diuersitate bestiarum. ibid.4

An Bestialitas sit casus reseruatus. ibid.5

Bigamia, Bigamus.

Quid sit Bigamia, & polygamia. 242.1. & 391.1

Quotuplex sit Bigamia. 392.2

An Bigamus sit irregularis. ibid.3

Quænam requirantur ad Bigamiam. ibid.4

An Bigamia oriatur ex matrimonio non consummato. ibid.5

An multiplicata sponsalia inducant Bigamiam. ibid.6

An multiplicatæ fornicationes inducant Bigamiam. ibid.7

An sit Bigamus, qui cum femina ab alio corrupta consummat matrimoniũ. ib.8

An copula nefaria inducat Bigamiam. 393.9

An sit Bigamus, qui ducit feminam corruptam, quam putabat virginem. ib.10

An sit Bigamus, qui cognoscit propriam vxorem postquam cum alio nupsit, credens priorem maritum esse mortuum. ibid.11

An sit Bigamus, qui suam vxorem adulteram carnaliter cognoscit. ibid.12

An infidelis, qui sæpius in infidelitate contraxit matrimonium, sit Bigamus, & irregularis. ibid.13

Quis possit in Bigamia dispensare. ibid.14

An Episcopus possit in Bigamia dispensare. ibid.15

An Bigamus fruatur priuilegiis Clericorum, si absque dispensatione initiatus fuit ordinibus. ibid.16

Bona.

Bona religiosi cuinam acquirantur, dum ab vno monasterio ad aliud eiusdem religionis monasterium transmittitur. 512.1

Bona quæ priori monasterio acquisita fuerant, remanent apud prius monasterium, dum religiosus ab vna ab aliam religionem transit, nisi fortè posterius monasterium cogatur religiosum suscipere. ibid.2

Bona monasterij incendio, vel alia ratione destructa ad quem pertineant. ibid.3

Bona religionis à Summo Pontifice delata cui acquirantur. ibid.4

Summus Pontifex alienando Bona Ecclesiæ cum damno Ecclesiæ, sine iusta causa, peccat contra iustitiam. 608.1

Summus Pontifex est dominus Bonorum Ecclesiasticorum. 609.2

Variæ Doctorum sententiæ circa dominium Pontificis quoad Bona Ecclesiastica. ibid.3

Probabile est alienationem Bonorum Ecclesiæ factam à Summo Pontifice sine causa validam esse. ibid.4

An teneatur ad restitutionem damni illati per dictam alienationem. ibid.5

Donatio, seu alienatio gratuita facta à Papa de Bonis Ecclesiæ valida est, sed iniusta. ibid.6

Papa alienans res Ecclesiæ alienatione compensatiua, non peccat regulariter contra iustitiam. ibid.7

Differentia Papæ, & fideicommissarij. ibid.8

Papa peccat contra iustitiam alienans Bona vnius Ecclesiæ in aliam sine causa. ibid.9

Alienatio gratuita Bonorum Ecclesiæ facta à Papa in laicos sine iusta causa, iniusta est. ibid.10

Accipiens hæc bona potest excusari à restitutione propter bonam fidem. ibid.11

Papa spolians innocentem beneficio, illud alteri conferendo, etiamsi spoliatum alia ratione compenset, peccat contra iustitiam. 610.12

Causa iusta, ob quam Summus Pontifex validè, & licitè res Ecclesiæ alienare potest. ibid.13

Vtrùm in alienatione facta à Summo Pontifice sit semper præsumenda iusta causa. ibid.14

Vtrùm valida sint reuocationes bonorum iam alienatorum facta à Pontifice alienante, vel ab eius successore. ibid.15

Accipiens aliquid à Summo Pontifice in damnum Ecclesiarum, an teneatur illud restituere, si alienatio reuocetur. ibid.16

Bona temporalia reuocantur ad munus à manu, vel munus à lingua, & munus ab obsequio. 549.2

Ad quem pertineant Bona, quæ religiosus à religione eiectus acquirit. 532

Affertur prima sententia docens præfata Bona ad monasterium pertinere. ibid.1

Assignatur secunda sententia docens pertinere ad Ecclesiam, seu Episcopum. ib.2

Proponitur tertia sententia sustinens Bona religiosi electi post mortem pertinere ad Cameram Apostolicam. ibid.3

Breuiarium.

An Clericus Mediolanensis possit dum Romæ existit Breuiario Ambrosiano vti. 429.7

Quodnam Breuiarium adhibendum sit ab eo, qui duo beneficia possidet in duabus Ecclesiis, quæ diuersis vtuntur Breuiariis. 430.9

Bulla.

Prima actio prohibita in Bulla Clementis, est donatio, seu largitio munerũ. 613.1

Religiosus peccat contra Bullam, & votum, commodando, vel mutando aliquid alteri, animo illud non repetendi. ibid.2

Religiosus, vel Monialis condonans consanguineo solutionem legati, rea est violationis Bullæ. ibid.3

Religiosus non peccat contra Bullam, dum alicui volenti rem aliquam sibi, vel monasterio tradere, vel legare, rogat vt illam tradat suo consanguineo. ibid.4

Non violatur hæc constitutio mutuando, locando, commodando, aut vendendo etiam infimo pretio. ibid.5

Secunda actio prohibita in hac Bulla, est erogatio pecuniarum quouis modo in honorem alicuius. ibid.6

C.

Calix.

Calix, aut alia res sacra quandonam vendi, vel locari possit absque Simonia. 556.12

Calix, & patena quandonam amittant consecrationem. 86.19

Cancellarius.

Cancellarius Episcopi quandonam iniustitiam committat, accipiendo aliquid vltra nummum aureum. 575.9

Canonicus.

Vtrùm Canonicus possit alium in sui locum substituere, & distributiones capere. 457

Ponitur ratio dubitandi ad ostendendum posse. ibid.1

Canonicus non potest alium in sui locum substituere. ibid.2

Respondetur rationi dubitandi. ibid.3

Vtrùm Canonici, qui Choro quidem assistunt, sed ex consuetudine Officium per se ipsos in Choro non recitant, sed per Mansionarios in Ecclesia existentes muneri suo satisfaciunt, distributiones lucrari possint. 465

Ponitur sententia negatiua. ibid.1

Ponitur sententia affirmatiua. 466.2

Assertur sententia Auctoris cum distinctione loquentis. ibid.3

Respondetur argumentis primæ sententiæ. ibid.4

Quantum temporis requiratur ad huiusmodi cõsuetudinem inducendam. ibid.5

De onere, & obligatione, qua Canonici, aliiq; beneficiarij Choro deputati, diuina Officia in Ecclesia persoluere tenentur. 454

Canonicus cum Episcopo absens in vtilitatem propriæ Ecclesiæ lucratur distributiones. 475.1

Canonicus, qui cum Episcopo abest ad visitandam Diœcesim, &c. non lucratur distributiones. ibid.2

Canonicus cum Episcopo extra propriam Ecclesiam existens percipit distributiones, iuxta probabilem nonnullorum opinionem, si Canonicatus nullos reditus habeat præter distributiones. ibid.3

An Canonici possint ei, qui officio non interfuit, condonare distributiones. 81.8

An Canonici Ecclesiæ S. Mariæ trans Tiberim possint recitare singulis annis integrum B. Virginis Officium, acceptis lectionibus ex aliis Officiis in anno celebrari consuetis. 455.12

Canonicus illius Ecclesiæ, in qua aliquæ preces particulares recitantur, non tenetur eas extra Chorum recitare. 462.6

Canonicus, qui beneficio priuatus est, non habet ius ad distributiones 472.1

Canonicus absens causa studiorum, non tenetur alium in sui locum substituere, nisi beneficium adnexam habeat animarum curam, iurisdictionem, vel aliud, quod per alium adimpleri possit. 479.11

Canonicus non amittit de iure communi distributiones dum non est in suo stallo, aut non induit habitum Canonicorum, sed quia non recitat. 463.14

Vtrùm Canonici, qui Choro non assistunt, non solùm iacturam distributionum faciant, verùm etiam ad alia onera distributionibus annexa teneantur, quamuis illis per absentiam à Choro priuentur. 485

Canonici Choro interessentes acquirunt distributiones absentium ab eo tempore quo isti absunt ex causa, ob quam iura distributiones non concedunt. 490.5

Canonici confessionem audientes in defectu pœnitentiarij, percipere possunt distributiones: secus si hoc faciant præsente Pœnitentiario, nisi aliud ferat priuilegium, vel statutum à Sede Apostolica confirmatum. 477.4

Canonicus vocatus ad Capitulum tempore diuinorum, debet potius diuinis interesse, nisi aliud cogat necessitas. 456.5

Vtrùm Canonicus, qui diuinis Officiis non interfuit, possit distributiones percipere, si alij, quibus ob assistentiam accreuerunt, eas remittant, largiantur, vel ex pacto condonent. 484

Proponitur ratio dubitandi. ibid.1

Pro solutione explicatur quid sit remissio, seu condonatio, donatio, collusio, transactio, & compositio. ibid.2

Canonicatus.

Habens duos Canonicatus non potest in vtroque residere. 464.1

In qua Ecclesia residendum sit, dum quis plura beneficia habet. ibid.2

Habens duplicem Canonicatum non percipit binas distributiones. ibid.3

Hoc tamen limita primò, præcisa dispensatione. ibid.4

Limita secundò præcisa consuetudine. ibid.5

Quadraginta anni requiruntur ad præscribendã huiusmodi consuetudinẽ. ib.6

Ratio differentiæ cur habens plura beneficia recipiat fructus omnium vnica recitatione, non verò recipiat distributiones omnium vnica assistentia. ibid.7

Afferuntur nonnullæ obiectiones, & soluuntur. ibid.8

Cantus.

Licitus, & laudabilis est Cantus. 456.1

Licitus etiam est vsus instrumentorum musicorum in diuino Officio. ibid.2

Licitus est Cantus, & vsus instrumentorum musicorum, non solùm in publica, verùm etiam in priuata Officij recitatione. ibid.3

An præceptum diuini Officij adimpleatur, dum Officium per instrumenta musica dicitur. ibid.4

Canonici tenentur diuinum Officium canendo persoluere. 457.5

Capellanus.

An Capellanus teneatur quotidie Missam applicare Fundatori, si constet de quotidiana obligatione, quamuis non constet de fundatione Capellaniæ. 78.13

Capilli.

An peccet mortaliter femina, quæ vtitur alienis Capillis, aut vestibus pretiosis, & odoriferis. 267.26

Capitula.

Suspenduntur Capitula Ecclesiæ, vel monasterij, quæ Episcopum, aut Prælatum Religiosum à Sede Apostolica prouisum, sine litteris eiusdem Sedis recipiunt, aut illi obediunt. 361.1

Capitula, & Collegia, quæ Sede Cathedrali, Collegiata, vel regulari vacante occupant bona ad Prælatum defunctum, &c. pertinentia. ibid.2

Capitula & Conuentus, qui aliquid directè vel indirectè accipiunt ob receptionem alicuius in religionem, aut post illam. ibid.3

Suspenduntur Capitula, singulæve personæ beneficiorum resignationem extra casus, & formam Bullæ Pij V. admittentes. ibid.5

Capucini.

Capucini recipientes fratres Minores de Obseruantia sine licentia Papæ excommunicationem incurrunt, quam etiam contrahunt ipsimet fratres de Obseruantia transeuntes ad Capucinos. 516.2

Cardinales.

An Cardinalis indebitè in Papam electus à paucioribus, quàm duabus partibus, sit irregularis. 400.25

Cardinalis religiosus cuinam acquirat bona post Cardinalatum. 514.17

Carcer.

Detentus iniusto Carcere lucratur distributiones. 469.1

Ampliatur primò, etiamsi iudex illum capi iussit præceperit. ibid.2

Ampliatur secundò, etiamsi prima sententia condemnatoria contra ipsum lata fuerit. ibid.3

Limitatur tamen, modò antea interesse consueuerit, nec propria culpa in carcerem coniectus sit. ibid.4

Canonico iniustè detento in Carcere non debentur anniuersaria, seu funerales portiones, quamquam actionem habeat contra iniustum accusatorem. ibid.5

Qui ob iniustam accusationem Romam se contulit, ibiq; probata innocentia vitæ per sententiam absolutus fuit, distributionibus gaudere potest. ibid.6

Casus reseruati.

De absolutione à Casibus reseruatis. 161

An absolutio Casuum reseruatorum dari possit extra confessionem. 308.10

Catechismus.

An Catechismus impediat matrimonium, & quandonam hoc impedimentum contrahatur. 249.6

Catechumenus.

An Catechumenus possit dici hæreticus. 342.2

An Catechumenus teneatur suscipere Baptismum. 26.7

Causa.

Causa quotuplex sit. 16.1

Quot sint genera Causarum. 282.1

Quænam sit differentia inter Causam, modum, demonstrationem, &c. 223.2

De Causis excusantibus ab incurrenda censura, vel eius effectibus. 296

Causa principalis auctoritatiuè qualis sit. 8.2

Causa ministerialis quænam sit. 9.8

Causa efficiens Sacramentorum. 8

Celebrare, Celebrans, Celebratio.

An excommunicatus, vel irregularis excusetur aliquando à peccato, si celebret. 75.8

An peccent Sacerdotes, qui accepta stipe notabiliter differunt Celebrationem Missarum. 80.1

An teneatur ad restitutionem, qui diutius differt Missæ Celebrationem. 81.2

An Sacerdos possit anticipatè celebrare pro iis, qui stipem oblaturi sunt. ibid.3

An Capellanus satisfaciat anticipatè Celebrando Missas. ibid.4

An satisfaciat Celebrando tantùm ferialibus diebus, qui tenetur quinquies in hebdomada celebrare. ibid.5

An qui tenetur Celebrare festis præcipuè diebus, & Dominicis, satisfaciat Celebrando illis diebus, quibus celebrandum est officium, quod duplex, seu solemne nuncupatur. ibid.6

An Canonicus, qui tempore diuini Officij Celebrat, censendus sit præsens. ibid.7

An Sacerdos possit bis in die Celebrare. 82.9

Quandonam contingat necessitas bis in die Celebrandi. ibid.10

Hora Celebrandæ Missæ quandonam incipiat. 85.1

Quo tempore incipiat Aurora. ibid.2

An liceat in necessitate Celebrare ante Auroram, vel post meridiem. ibid.3

An Sacerdos, qui susceperus est iter ob honestam causam possit summo mane Celebrare. ibid.4

An Sacerdos vna hora cum dimidia Missæ sacrum faciens ante ortum Solis, sit reus culpæ lethalis. ibid.5

An Missæ, quæ in die Natiuitatis Celebrantur, possint ante Auroræ celebrari. ib.6

Quantum temporis spatium requiratur, vt Sacerdos dicatur grauiter peccare Celebrando post meridiem. ibid.7

An peccet Sacerdos Celebrando, antequam recitet diuinum Officium. ibid.8

Quibus in locis Celebranda sit Missa. ibid.9

An Missæ Celebrari possint extra Ecclesiam, vel Oratorium ab Episcopo designatum. ibid.10

An Episcopus cõcedere possit, vt Missa Celebretur in capella domus priuatæ. 86.11

An Sacerdos in mari Celebrare possit. ibid.12

An Celebrans in altari propria auctoritate erecto, & non consecrato, seu benedicto sit irregularis. 399.20

An Celebrans animo, vt Deus alicui mortem inferat, sit irregularis. ibid.21

An Sacerdos possit stipem accipere pro celebratione Missæ. 82.1

Censura.

Quid sit Censura. 281.1

Quas censuras inducat Simonia. 581

An qui absoluendus est à Censura, debeat esse subditus absoluenti. 307.1

An aliquis possit se ipsum in Censura absoluere. ibid.2

An inuitus, vel inscius possit à Censuris absolui. ibid.3

An absens absolui possit à Censuris. ibid.4
An absolutio Censuræ sortiatur effectum statim ac forma absolutionis fuit pronuntiata. ibid.5
An impotentia faciendi id, quod præcipitur, excuset à Censura. 300.1
An metus excuset ab incurrendis Censuris. ibid.2
An Clericus Mediol. deferens sclopum metu mortis excusetur à peccato, & ab excommunicatione. ibid.3
An Christiani capti à Turcis excusentur, si metu mortis impellant naues remis contra Christianos. ibid.4
An committens adulterium metu mortis excusetur à Censura, si contra adulteros lata esset. ibid.5
An metus excuset ab incurrendis effectibus Censuræ. ibid.6
Quænam conditiones requirantur in eo, qui ligandus est Censura. 286.1
An subiectum Censuræ debeat esse homo viator. ibid.2
An mortuus ligari possit Censura. ibid.3
An mandans incurrat Censuram, si mandatarius exequatur mandatum post mortem mandantis. ibid.4
An Dæmon Censura ligari possit. ibid.5
An animalia irrationalia ligari possint Censuris. ibid.6
An subiectum Censuræ debeat esse homo baptizatus. ibid.7
An debeat esse adultus, & doli capax. ibid.8
An impuberes ligentur Censuris. ibid.9
An amentes, furiosi, ebrij, & dormientes subiaceant Censuris. ibid.10
An subiectum Censuræ debeat esse homo determinatus. ibid.11
An debeat esse subditus. 287.12
An Summus Pontifex subiici possit Censuris. ibid.13
An quilibet baptizatus afficiatur Censuris à Papa latis. ibid.14
An Episcopi ligentur Censuris Summi Pontificis. ibid.15
An Cardinales subiaceant Censuris. ibid.16
An aliquis possit contra se ipsum Censuram ferre. ibid.17
An æquales ligentur Censuris. ibid.19
An exempti ab ordinarij potestate ligentur illius Censuris. ibid.19
An exempti à iurisdictione Episcopi possint ab ipso excommunicari in casibus quibus sunt exempti. ibid.20
An qui recipiuntur in Ecclesia Romana filios, ligari possint Censuris ab ordinario loci. ibid.21
Quot modis Censura dicatur iniusta. 293.1
An valida sit Censura lata ex odio, vel inuidia. ibid.2
An valida sit Censura, quando prætermittitur ordo iuris. ibid.3
An Censura sit inualida, quando non est vera causa, propter quam fertur. ibid.4
An iniustè excommunicatus priuetur suffragiis Ecclesiæ, aut communione fidelium. ibid.5
An iniustè excommunicatus possit celebrare. ibid.6
An iniustè excommunicatus priuetur iurisdictione, & an possit recipere beneficium, & alias dignitates. ibid.7
An inualida sit Censura continens errorem intollerabilem. ibid.8
Quandonam sententia contineat errorem intollerabilem. ibid.9
An obliget lex præcipiens aliquid turpe, aut inutile, aut contra commune bonum. ibid.10
An in dubio iustæ causæ Censura obliget. ibid.11
Quotuplex sit causa materialis Censuræ. 283.1
An Censura supponat aliquod peccatum. ibid.2
An ad Censuram requiratur peccatum proprium. ibid.3
An ad Censuram requiratur actus exterior. ibid.4
An Ecclesia possit præcipere, aut prohibere actum internum. ibid.5
An incurratur Censura, quando adest actus externus sine interno. 284.6
An ad Censuram incurrendam requiratur culpa mortalis. ibid.7
An Censura incurratur, quando exterior actus non est sufficiens ad mortale. ib.8
An ferri possit Censura pro quolibet mortali peccato. ibid.9
An Censura incurratur à proferente verbum iocosum, vel gestante comam, quando superior id prohibuit sub Censura. ibid.10
Quomodo materia de se leuis fiat grauis per ordinem ad finem à superiore intentum in ferenda Censura. 285.11
An fur, qui acum sartori abstulit, qui ob id damnum notabile passus est, afficiatur Censura lata contra eos, qui res sartori surripuerunt. ibid.12
An Censura requirat effectum completum. ibid.13
An ligetur Censura qui sagittam proiicit in clericum, sed eum non attingit. ib.14
An incurratur Censura, quando actus exterior non habet eam malitiam, quæ sub Censura prohibetur. ibid.15
An mandans, & consulens ligetur Censura ante secutum effectum. ibid.16
An incurratur Censura ab eo, qui exercet actionem insufficientem. ibid.17
An Censura sub conditione lata incurratur ante conditionis euentum. ibid.18
An quodlibet voluntarium sufficiat ad incurrendam Censuram. ibid.19
An ferri possit Censura propter peccatum præteritum absque cõtumacia. ibid.20
An absolutio Censurarum dari possit sub conditione. 309.1
An absolutio Censurarum dari possit ad cautelam. ibid.2
An Censura censeatur probata, dum quis petit absolutionem censuræ. ibid.3
An Censura exprimi debeat aliquo signo externo, vel an sufficiat interna voluntas superioris. 290.1
An ad ferendam Censuram requirantur determinata verba. ibid.2
An ferri possit Censura in genere. ibid.3
An incurratur Censura lata sub disiunctione. ibid.4
Quid faciendum sit, quando delinquens non vult vnam partem eligere. ibid.5
An exprimi debeat persona, qua ligatur Censura. 291.6
An valida sit Censura lata hoc modo, Excommunico vnum de duobus. ib.7
An Episcopus possit absoluere à Censuris Summo Pontifici reseruatis. 302.1
An Episcopus possit absoluere à casibus Papæ reseruatis, quando delictum fuit deductum ad forum contentiosum, sed reus purgauit se. 303.2
An Episcopus possit absoluere eum, qui in vno loco commisit delictum publicum, sed postea se transtulit ad alium locum, vbi est occultum. ibid.3
An Episcopus possit absoluere ab excommunicatione publica, quando delinquens non potest Romam adire. ibid.4
An Episcopus possit absoluere religiosos ab excõmunicatione Papæ reseruata. 304.5
An Episcopus possit absoluere suum subditum, qui in alia diœcesi fecit contra Censuram latam ab Episcopo illius loci. ibid.6
An Archiepiscopus possit à Censuris latis à suffraganeis, vel à Papa absoluer subditos suorum suffraganeorum. ibid.7
Quis possit absoluere à Censura ab homine lata reseruata. 301.1
Quis possit absoluere, quando moritur, vel excommunicatur superior, antequam ligatus Censura absoluatur. ibid.2
An superior possit absoluere à Censuris latis ab inferiore. ibid.3
An Summus Pœnitentiarius mortuo Papa possit absoluere à casibus Summo Pontifici reseruatis. ibid.4
An Censura cesset per obitum ipsius Prælati à quo censura lata fuerat. ibid.5
Quis possit absoluere à Censuris non reseruatis ab homine latis. ibid.6
An qui contraxit Censuram in vno loco, possit absolui à superiore illius loci, ad quem se transfert. 302.7
An excommunicatus ingrediens Religionem possit absolui à superiore illius Religionis. ibid.8
An superior possit absoluere à Censura, quam tulit contra eum, qui à se appellauit. ibid.9
Quis possit absoluere à Censuris à iure latis. ibid.10
An qui à Papa obtinuit facultatem absoluendi ab omnibus casibus, & Censuris, possit absoluere à casibus Episcopo reseruatis. ibid.11
An habens facultatem absoluendi ab omnibus Censuris, possit etiam absoluere à reseruatis. ibid.12
An obtinens facultatem absoluendi à Censuris Papæ reseruatis, possit absoluere à Censuris in Bulla Cœnæ reseruatis. ibid.13
An habens facultatem absoluendi à Censuris Bullæ Cœnæ, possit absoluere ab excommunicatione ob hæresim contracta. ibid.14
An obtinens facultatem absoluendi à casibus reseruatis, possit etiam absoluere à censuris. ibid.15
An grauiter peccet ferens Censuram sine scriptura, aut sine expressione causæ, & an incurrat aliquam pœnam. 291.1
Quinam eximantur ab hac pœna. ibid.2
An inualida sit Censura lata sine scriptura, vel sine causæ expressione. ibid.3
An valida sit Censura lata per metum. 295.1
Quinam ordo seruandus sit in ferenda Censura. ibid.2
An Censura ferri possit die festo. 296.3
An valida sit Censura die festo lata. ibid.4
An is, in cuius fauorem Censura fertur, possit illam suspendere. 300.1
An Censura incurratur, elapso termino prorogato ab eo, in cuius fauorem lata fuit Censura. 301.2
An sint aliæ causæ excusantes ab incurrendis Censuris. ibid.3
De Censuris in communi. 281
An aliqua Censura sit de iure diuino. 282.2
Quænam requirantur in ferente Censuras. ibid.3
An femina possint ferre Censuras. ibid.4
Quinam possint ferre Censuras auctoritate ordinaria. 283.5
Quis delegari possit ad ferendas Censuras. ibid.6
An collegium constans laicis & clericis, sit capax iurisdictionis ad ferendas Censuras. ibid.7
Quandonam Censura feratur absolutè, & quando sub conditione. 298.1
An appellatio excuset ab incurrendis Censuris. 299.2
An dari possit appellatio ab absolutione excommunicationis, quæ suspendat effectum absolutionis. ibid.3
An appellatio excuset à Censuris, si postea deseratur. ibid.4
An citatus ad comparendum intra mensem sub pœna Censuræ, peccet non comparendo post factam appellationem. ibid.5
An in dubio præsumatur appellationem præcessisse sententiam, vel an præsumatur facta post sententiam. ibid.6
An liceat appellare à sententia declaratoria. ibid.7
An excommunicatus vitandus sit, facta appellatione, & an illius gesta valida sint. ibid.8
Quænam requirantur ad appellationem. ibid.9
An superior possit ferre censuram contra subditum, si appellauerit. ibid.10
Quænam dicatur Censura lata per modum statuti, & per modũ sententiæ. 294.2
An Censura ferenda sit in proprio territorio. ibid.3
An Episcopus possit ferre Censuram extra propriam diœcesim. ibid.4
An Religiosi possint extra sua monasteria ferre Censuras. ibid.5
An ferri possit Censura contra subditos in alieno territorio existentes. ibid.6
An Clericus existens in alieno territorio possit ligari Censura, si non resideat, aut ad Synodum non accedat. ibid.7
An faciens contra Censuram in loco exempto ligetur Censura. ibid.8
An accedens ad monasteria exempta Monialium ligetur Censura. ibid.9
An stuprator ligetur Censura, si stuprum committat extra territorium. ibid.10
An existens in Ecclesia ligetur Censura, occidendo hominem existentem extra Ecclesiam, aut è contra. ibid.11
An vulnerans in Ecclesia, aut in territorio, in quo lata est Censura, ligetur Censura, si vulneratus moriatur extra Ecclesiam, aut extra territorium, in quo lata est Censura. ibid.12
An ille, qui furatur extra propriam diœcesim, ligetur Censura. 295.13
An superior possit per sententiam ligare suos subditos existentes in alieno territorio. ibid.14
An Clericus Mediolanensis ligetur excommunicatione gestando sclopum in diœcesi Bergomensi. ibid.15
An quilibet Christianus ligetur Censuris à Summo Pontifice latis. ibid.16
An Sacerdos Mediolanensis ligetur suspensione, celebrando extra diœcesim. ib.17
An Archiepiscopus Mediolani possit ferre Censuram contra fures, qui Mediolani furati sunt, si se recipiant in aliam diœcesim. ibid.18
An cessura lata ab Archiepiscopo extẽdatur ad suffraganeos, & eorũ subditos. ib.19
An extraneus ligetur Censuris latis à superiore loci, vbi existit. ibid.20
An clericus extraneus ligetur excõmunicatione, si Mediolani sclopũ deferat. ib.21
An extraneus, qui erat Mediolani, quando lata fuit Censura, teneatur ad illam seruandam. ibid.22
An ligatus vna Censura sit adhuc capax alterius. 287.1
An tot Censuræ incurrantur, quot sunt actus contra præceptum. 288.2
An Clericum sæpius successiue percutiens ligetur vnica Censura. ibid.3
An furans in Ecclesia committat peccatum duplex, & duplici afficiatur Censura, si lata sit. ibid.4

An plures Censuras incurrat verberans Clericum per aliquod tempus. ibid.5
An percutiens plures Clericos successiuè tot Censuras incurrat quot sunt Clerici. ibid.6
An percutiens plures Clericos vnico actu, pluribus ligetur Censuris. ibid.7
An plures Censuræ incurrantur ab eo, qui facit vnum actum habentem plures circumstantias, pro quibus singulis lata est Censura. 289.8
Ad percutiens Sacerdotem, qui simul est Diaconus, & Subdiaconus, aut Monachum initiatum primæ tonsuræ, plures incurrat Censuras. ibid.9
An faciens contra Clementinam primam de sepulturis, incurrat plures Censuras. ibid.10
An tot Censuræ incurrantur, quot sunt superiores prohibentes. ibid.11
An deferens arma Saracenis, plures contrahat Censuras. ibid.12
An ligetur duplici Censura, qui facit aliquid prohibitum à iure communi, & à iure particulari. ibid.13
An plures incurrat Censuras, qui non denuntiat blasphemum. ibid.14
An contrahat plures Censuras qui facit contra leges sæpius repetitas. ibid.15
Vtrùm vna Censura possit auferri remanente alia. 307.1
An petens absolutionem ab vna Censura remaneat ab omnibus absolutus, quando superior generalem impendit absolutionem. 308.2
An ille, qui obtinet absolutionem generalem Censurarum, remaneat absolutus à censuris, quas tacuit ex obliuione. ibid.3
An pœnitens, qui oblitus est alicuius Censuræ, à qua non poterat absolui, antequam satisfaceret parti, remaneat ab ea absolutus, si absolutionem generalem obtineat. ibid.4
An qui oblitus est alicuius Censuræ possit à quolibet sacerdote absolui, quando antea fuerat generaliter absolutus. ibid.5
Cur pœnitens absolutus à Censuris, quarum oblitus fuerat, teneatur iterum confiteri peccata, non verò censuras. ibid.6
An absolutio Censuræ dari possit extra confessionem. ibid.7
An habens facultatem absoluendi à Censuris in foro conscientiæ, possit ab iis absoluere extra confessionem. ibid.8
An habens facultatem absoluendi à Censuris in foro pœnitentiæ, possit absoluere extra confessionem. ibid.9
An pœnitens absoluatur à Censuris, quas voluntariè reticuit, si petat absolutionem generalem. ibid.11
An ille remaneat absolutus à Censuris, qui tempore Iubilei confessus est, sed postea Iubileum consecutus non fuit. 309.13
An absolutus à Censuris tempore Iubilei grauiter peccet, si non præstet cetera necessaria ad Iubileum. ibid.14
Quinam sit finis Censuræ. 296.1
An Prælatus ferre possit excommunicationem, certò sciens, vel dubitans illam non profuturam delinquenti. ibid.2
Quinam sint effectus Censuræ. ibid.3
An Summus Pontifex possit suspendere effectus Censurarum. ibid.4
An Papa validè possit conferre beneficium excommunicato. ibid.5
An Episcopi & alij Prælati possint suspendere effectus Censurarum. ibid.6
An Ecclesia habeat potestatem ferendi Censuras. 281.2
An peccatum mortale sit Censura. ibid.3
Quot sint Censuræ, & an differant ab irregularitate, cessatione à diuinis, & degradatione, seu depositione. ibid.4
Quotuplex sit Censura excommunicationis, suspensionis, & interdicti. ibid.5
Quomodo cognosci possit Censura latæ, & ferendæ sententiæ. ibid.6
Quandonam Censura feratur absolutè, & quando sub conditione. 298.1
An ad incurrendam Censuram requiratur admonitio. 291.1
An Censura lata contra non denuntiantes blasphemos incurratur absque noua admonitione. ibid.2
An sit inualida Censura, quando nulla præcessit admonitio. ibid.3
An Ecclesia possit deplenitudine suæ potestatis ferre Censuram absque vlla admonitione. ibid.4
Quotuplex admonitio requiratur in ferenda Censura. 292.5
An valida sit Censura, quando vna tantùm admonitio præmittitur. ibid.6
Quantum temporis spatium requiratur in singulis admonitionibus. ibid.7
Cui facienda sit admonitio. ibid.8
An sufficiat, si admonitio fiat ad domum delinquentis. ibid.9
An admonitio aliquando non sit facienda delinquenti. ibid.10
Cui facienda sit admonitio, quando Censura fertur contra communitatè. 293.11
An requirantur testes, quando fiunt admonitiones. ibid.12

Cessatio, Cessare.

Vndenam dicatur Cessatio à diuinis. 379.1
Quid sit Cessatio à diuinis. ibid.2
Quotuplex sit cessatio à diuinis. ibid.3
An sit Censura, & quomodo differat à censura. ibid.4
Quis possit imponere Cessationem à diuinis. ibid.1
Qua forma ferenda sit Cessatio. ibid.2
Quænam conditiones seruandæ sint in ferenda Cessatione. ibid.3
An qui cessationem tulit, possit transacto mense postquam iter ad Summ. Pont. suscepit, tollere Cessationem. ibid.4
Quænam sit causa materialis Cessationis. 380.5
Quinam sit finis cessationis. ibid.6
Canonici, qui tempore cessationis Officia celebrare nequeunt, non percipiunt distributiones. 471.1
Proponuntur rationes dubitandi contra dictam conclusionem. ibid.2
Prædicti Canonici, qui ex legitima causa Cessauerunt, actionem habent contra eum, cuius culpa post admonitionem latum est interdictum. ibid.3
Respondetur rationibus num. 2. allatis. ibid.4

Cessationis effectus.

Quinam sit primus effectus Cessationis. 380.1
An tempore Cessationis liceat pulsare campanas. ibid.2
Quænam licitè fiant tempore Cessationis. ibid.3
An laici tempore cessationis possint audire diuina officia. ibid.4
Quinam sit secundus effectus Cessationis. ibid.5
An tempore Cessationis liceat celebrare pro communicando infirmo. ibid.6
An tempore Cessationis liceat contrahere matrimonium. ibid.7
Quinam sit tertius effectus Cessationis à diuinis. ibid.8
An violans Cessationem grauiter peccet, & incurrat aliquam pœnam. 381.9
An religiosi teneantur publicare & seruare Cessationem ab Episcopo impositam. ibid.10
An Cessatio seruanda sit, quando non seruatur ab eo, propter quem fuit imposita. ibid.11
An ille, cuius causa lata fuit Cessatio, teneatur ad restitutionem. ibid.12

Character.

Character quid sit. 17.1
An Characteres inter se specie differant. 18.1
An sit aliqua connexio inter Characteres. ibid.2
An sit iterum ordinandus, qui ordines per saltum recepit. ibid.3
Quamdiu durent Characteres. ibid.4
An Sacramenta, quæ conferunt Characterem, iterabilia sint. ibid.5
An rebaptizandus sit mortuus antea baptizatus, si reuiuiscat. ibid.6
An Character immediatè imprimatur in anima. 17.2
Character quotuplex sit. ibid.3
An quilibet homo sit capax Characteris. ibid.4
An aliqua Sacramenta imprimant Characterem. ibid.1
Quænam Sacramenta imprimant characterem. ibid.2
An reliqua Sacramenta imprimant Characterem. ibid.3
An Sacramenta veteris legis conferrent Characterem. ibid.4

Choreæ.

An Choreæ sint peccata mortalia. 267.24

Chorus.

Chorus non est pars monasterij. 543.3
Consuetudine, præsertim immemorabili induci potest, vt quis per alium inseruiat. 457.1
Huiusmodi consuetudo strictè explicanda est. ibid.2
An consuetudo inseruiendi Choro per alium in iure censeatur reprobata. ibid.3
An licitum sit heredibus Canonici defuncti conferre distributiones primi, vel secundi anni. ibid.4
Cæcus Choro deputatus quomodo se gerere debeat in recitatione diuini Officij in Choro. 452.13
Vtrùm cæcus, qui defectu memoriæ nihil discere potest, teneatur audire socium omnia dicentem, & cum eo dicere versus ad se pertinentes. ibid.14
Qui notabiliter abest à Choro tempore diuinorum officiorum, per se loquendo, mortaliter peccat. 455.1
Explicatur propositio. ibid.2
Proponuntur obiectiones contra propositionem, & diluuntur. ibid.3
Grauiter, per se loquendo, peccat, qui frequenter à Capitulis abest. 456.4
Canonicus vocatus ad Capitulum tempore diuinorum, debet potiùs diuinis interesse, nisi aliud cogat necessitas. ibid.5
Qui Choro interesse debet, & potest, tenetur interesse, etiamsi surdaster sit. 452.12
Qui Choro interest, audit q; tantummodò socios canentes non satisfacit obligationi. 433.15
Extat obligatio canendi Officium in Choro. 454.1
Clerici Ecclesiarum Collegiatarum Officium in Choro canere tenentur. ibid.2
Consuetudine induci potest, vt Canonici non semper Choro assistant. ibid.3
Quantum temporis requiratur ad hanc consuetudinem inducendam. ibid.4
Ex beneficiorum institutione fieri potest, vt Canonici non teneantur singulis diebus Choro interesse. ibid.5
Idem valet in casu necessitatis. ibid.6
Clerici Ecclesiarum non Collegiatarum, regulariter loquendo, non tenentur Officium in Choro canere, licet canere possint. ibid.7
Quandonam laici Officium in Choro canere possint. ibid.8
Religiosi tenentur Officium iuxta proprias regulas in Choro canere. ibid.9
Strictius tenentur beneficiarij ad Officium in Choro, quàm Religiosi. 455.10
An Moniales teneantur ad Officium in Choro, & vtrùm satisfaciant submissa voce recitando. ibid.11
An Canonici Ecclesiæ S. Mariæ trans Tiberim possint recitare singulis annis integrum B. Virginis Officium, acceptis lectionibus ex aliis Officiis in anno celebrari consuetis. ibid.12

Vide v. Officium.

Chrisma.

Chrisma à quonam sit benedicendum. 38.3

Christus.

Quandonam Corpus Christi incipiat esse sub speciebus. 55.1
Quamdiu conseruetur Corpus Christi sub speciebus. ibid.2
An Christus desinat esse sub speciebus per quamlibet alterationem specierum. 56.3
An desinat statim atque Sacramentum in os recipitur. ibid.4
An remaneat Christi Corpus sub speciebus, quando fiunt apparitiones miraculosæ. ibid.5
An desinat Christi Corpus sub speciebus quando vermes ex iis generantur. ibid.6
An desinat Christi sanguis, quando vini species miscentur cum vino alterius speciei ibid.7
Quid faciendum do vino, in quod gutta consecrata immissa est. ibid.8
An sanguis Christi dicatur misceri cum vino non consecrato. ibid.9
An adsit mutatio in Christo ad desitionem specierum. ibid.10
An quando aliquid generatur ex speciebus corruptis, producatur de nouo materia panis. ibid.11

Christi corporis materia.

Christus an vendi potuerit absque Simoniæ labe. 555.3
Quænam sit materia remota Sacramenti Corporis Christi. 44.1
Quodnam genus frumenti comprehendatur sub nomine tritici. ibid.2
An quilibet panis triticeus sit materia sufficiens. ibid.3
An panes dulciarij sint materia sufficiens. ibid.4
An pasta, lagana, &c. sufficiant. ibid.5
An sufficiat panis confectus ex farina tritici, & ex farina frumenti alterius speciei. ibid.6
An amylon sit materia apta. ibid.7
An conficiatur tam in Azymo, quàm in fermentato pane. ibid.8
Quem ritum quisque Sacerdos sequi teneatur. ibid.9
An Græcus in Ecclesia Latina conficere possit in Azymis, & Latinus in Ecclesia Græca in fermentato. ibid.10
An Latinus in Ecclesia Latina conficere possit in fermentato. ibid.11
Cur Christus instituerit hoc Sacramentum in materia panis. ibid.12

Circumcisio.

Quandonam instituta, & cui tradita fuerit Circumcisio. 3.1
An Circumcisio obligaret descendentes ab Abrahamo. ibid.2
An esset determinatus minister Circumcisionis. ibid.3
Ad quid fuerit institutæ Circumcisio. ibid.4
An conferret gratiam per modum operis operati. ibid.5
An conferret gratiam paruulis, & adultis. 4.6
An per Circumcisionem deleretur tam peccatum originale, quàm actuale. ibid.7
An esset necessaria, & qua necessitate. ibid.8
Cur fieret in ea corporis parte. ibid.9
Quo instrumento fieret. ibid.10
Quo in loco fieri posset. ibid.11
Quodnam remedium esset institutum pro feminis. ibid.12

Circumstantia.

Circumstantia peccati quid sit. 118.1
Circumstantiæ in quotuplici differentia sint. ibid.2
Ad quam Circumstantiam reuocentur illæ, ex quibus augetur, vel minuitur peccatum. ibid.3
Circumstantiæ notabiliter minuentes non sunt necessariò exprimendæ, nisi speciem mutent. 119.4
An explicandæ sint Circumstantiæ notabiliter aggrauantes intra eamdem speciem. ibid.5
An explicandæ sint Circumstantiæ mutantes speciem. ibid.6
An homo carnaliter peccans teneatur dicere se antea virginem fuisse. ibid.7
An concupiscens virginem teneatur virginis Circumstantiam explicare. 120.8
An Confessarius carnaliter cognoscens pœnitentem teneatur istam circumstantiam aperire. ibid.9
An exprimenda sit Circumstantia affinitatis, & consanguinitatis. ibid.10
An coniugatus, qui peccauit cum soluta, teneatur hanc Circumstantiam dicere. ibid.11
An peccans cum Moniali debeat hanc Circumstantiam aperire. ibid.12
An habens votum castitatis si peccet cum femina eodem voto adstricta, teneatur vtramque Circumstantiam exprimere. ibid.13
An qui fornicatus est cum tribus feminis debeat exprimere numerum feminarum. ibid.14
An explicanda sit Circumstantia iniuriæ illatæ patri, vel Superiori. ibid.15
An teneatur numerum personarum explicare, qui plures vno actu percussit. ib.16
An explicanda sit quantitas furti, & damni illati. ibid.17
An occidens hominem satisfaciat dicendo se hominem percussisse. ibid.18
An qui fuit causa scãdali, teneatur Circumstantiã inductionis explicare. 121.19
Circumstantia inductionis, & cooperationis ad peccatum explicanda est, quoties explicato actu principali, non est sufficienter explicata. ibid.20
Qui detrahunt coram pluribus, aut de rebus turpibus loquuntur, tenentur in confessione exprimere numerum personarum, quibus cum detractionis peccatum commiserunt. ibid.21
Consuetudo peccandi non est necessariò explicanda in confessione. ibid.22
Circumstantia ingratitudinis non est necessariò explicanda. ibid.23
Omittens Missæ Sacrum in die festo duplicato, satisfacit dicendo se Missam in die festo prætermisisse. ibid.24
Qui furatur ad mœchandum, tenetur hanc Circumstantiam explicare. ibid.25
Omittens Sacrum propter studium, non tenetur hanc Circumstantiam explicare. ibid.26
Qui furatus est calamum, vt incitaret alterum ad blasphemandum, tenetur Circumstantiam finis manifestare. ibid.27
Circumstantiæ loci, temporis, modi, durationis, &c. non sunt necessariò exprimendæ. ibid.28
Qui peccauit in die festo, non tenetur hanc Circumstantiam exprimere. ibid.29
Quando explicanda sit Circumstantia, Quis, quid, vbi, &c. ibid.30

Claustrum.

Quid sit clausura. 490.1
Assignantur textus in quibus interdicitur religiosis exitus à Claustro sub excommunicatione, & huius excommunicationis materia assignatur. 504.1. & 2
Exire de Claustro quisnam dicatur. ibid.3

Clausura.

Quibus censuris, & pœnis afficiantur Moniales Clausuram violantes egressu è monasterio. 492
Religiosi viri non tenentur ad Clausuram perpetuam. 496.1
Clausuræ violatio respectu religiosorum virorum non est peccaminosa mortaliter, per se loquendo. 497.2
De violatione Clausuræ ob ingressum feminarum in monasteria religiosorum virorum. 543
Moniales omnes post professionem tenentur ad Clausuram. 491.1
Conuersæ, & Tertiariæ tenentur Clausura, etiamsi in illis monasteriis antea seruata non fuerit clausura. ibid.2
Nouitiæ non tenentur ad Clausuram. ibid.3
Feminæ, quæ non sunt verè Moniales, non habent onus Clausuræ. 492.4
Ad Clausuram non tenentur feminæ professionem emittentes, hac conditione, vt in domo propria remaneant. ibid.5
Quot peccata committant Moniales Clausuram non seruantes. ibid.6
De violatione Clausuræ per ingressum in monasteria Monialium. 535
Quo iure Clausura Monialium introducta sit. 492.
Proponuntur rationes, quibus probatur Clausuram non esse de iure naturæ, sed positiuo humano. ibid.1
Resoluuntur rationes, quibus probatur Clausuram esse de iure naturali, & diuino. ibid.2

Clericus.

Clerici nomine quis intelligatur. 337.1
Clericus coniugatus quandonam gaudeat priuilegio canonis. ibid.2
An Clericus chirurgiam, vel medicinam exercens sit irregularis. 406.4
An Clericus fiat irregularis, si mors non sequatur. ibid.5
An sit irregularis adiuuans chirurgum ad abscindendum membrum. ibid.6
Clerici maioribus Ordinibus initiati iure Ecclesiastico tenentur ad recitandas Horas Canonicas. 423.1
Clericus Psalmos, quos Episcopus in ordinatione iniungit, recitare tenetur. ibid.2
Clericus Ordine sacro initiatus tenetur ad Diuinum Officium post degradationem; vel postquam incidit in aliquam Censuram excommunicationis, vel suspensionis. ibid.3
Clericus prædictus tenetur ad Diuinum Officium, etiamsi missus fuerit ad triremes, vel ab hostibus captus, nisi ob impotentiam, vel aliam iustam causam excusetur. 424.4
Clericus, qui de consensu Summi Pontificis duxit vxorem, tenetur ad pensum Horarum Canonicarum, nisi fortè in hoc fuerit à Papa dispensatus. ibid.5
Clericus in statu peccati mortalis existens, tenetur Diuinum Officium recitare, modò sit Ordine sacro initiatus, vel beneficium habeat. ibid.6
Capiens Clericũ de mandato sui Prælati non ligatur excommunicatione. 340.16
Percutiens Clericum coniugatum, qui cum virgine contraxit, & habitum gerit, excommunicationem incurrit. 337.3
Percutiens Clericũ degradatiũ verbaliter, pœnã excommunicationis subit. ibid.4
Percutiens Clericum irregularem, vel excommunicatum, excommunicationem affligitur. ibid.5
Percutiens Clericum qui matrimonium contraxit post susceptionem sacrorum Ordinum, ligatur excommunicatione. 338.6
Monachus gaudens priuilegio canonis quinam censeatur. ibid.7
Clerici percussionem mandans, incurrit excommunicationem, etiamsi conatus fuerit mandatum reuocare, sed re ipsa non reuocauerit. 336.4
Quid Clerici nomen significet, & quandonam quis Clericus efficiatur. 196.1
An Clerici habitum, & tonsuram gestare debeant. 197.2
An initiatus maioribus Ordinibus peccet mortaliter non gestando primam Tonsuram. ibid.3
Cur prima Tonsura à Clericis deferatur. ibid.4
An Clerici peccent gestando arma absque iusta causa. ibid.5
An excommunicatio lata contra gestantes arma sit per modum sententiæ, vel statuti, remissiuè. ibid.6
An Episcopus possit alicui Clerico dare facultatem deferendi arma. ibid.7
An Clerici maioribus Ordinibus initiati teneantur ad castitatem, & ad Horas canonicas. ibid.8
An Clerici à laica potestate sint exempti. ibid.9
An Clericus, qui primam Tonsuram eo tantùm fine recipit, vt fruatur priuilegio clericali, mortaliter peccet. ibid.10
An Clericus cogi possit ad ferendum testimonium in causa sanguinis. 404.3

Coadiutoria, Coadiutor, Coadiutus.

Coadiutoria Ecclesiæ est materia Simoniæ. 556.16
Coadiutor cum futura successione incurrit suspensionem suscipiendo sacros ordines absque alio titulo. 193.30
Quotuplex sit Coadiutor, & à quo superiore constituatur. 465.1
Proponitur ratio dubitandi. ibid.2
Distributiones debentur coadiuto. ibid.3
Distributiones debentur Coadiuto, etiamsi Coadiutor absit ex causa infirmitatis, vel alia. ibid.4
Imò ex quacumque causa absit tenetur ad damnum. ibid.5
Distributiones debentur Coadiuto, etiamsi Coadiutus non perciperet distributiones si Coadiutorem non constituisset. ibid.6
Cui competant distributiones dum Coadiutor interest, sed Coadiutus interim vinculo excommunicationis detinetur. ibid.7
Respondetur rationi dubitandi. ibid.8

Cœcus.

An Cœcus, dum Missæ interest, satisfaciat præcepto Missæ. 91.19

Cognatio.

De impedimento Cognationis. 230

Cognatio legalis.

Quid sit Cognatio legalis. 234.1
Quid sit adoptio. ibid.2
Quid requiratur, vt aliquis adoptare possit. ibid.3
Inter quas personas contrahatur Cognatio legalis. ibid.4
An Cognatio legalis dirimat matrimonium. 235.5
An filius adoptantis possit matrimonium contrahere cum filia adoptati. ibid.6
An adoptati possint inter se matrimonia celebrare. ibid.7
An adoptatus possit matrimoniũ contrahere cum filia illegitima adoptantis. ib.8
An validum sit matrimoniũ ab infidelibus celebratũ in Cognatione legali. ibid.9

Cognationis impedimentum.

Quid sit Cognatio spiritualis. 232.1
Inter quas personas contrahatur Cognatio spiritualis. ibid.2
Quotuplex fuerit Cognatio spiritualis antiquo tempore. ibid.3
An Cognatio spiritualis contrahatur inter susceptores. ibid.4
An vir, & vxor peccent, suscipiendo alienum puerum in Baptismo. ibid.5
An patrinus possit matrimonium contrahere cum patrina. ibid.6
An matrimonium celebrari possit inter eos, qui ante Concilium Tridentinum contraxerunt Cognationem confraternitatis. ibid.7
Quanam requirantur ad contrahendam Cognationem spiritualem. ibid.8
An contrahatur Cognatio, quando supplentur solemnitates. ibid.9
An Cognatio contrahatur in Baptismo priuatim administrato, & quid si adsit necessitas. ibid.10
An cõtrahatur Cognatio si infans rebaptizetur, aut baptizetur sub cõditione. i.11
An infans suscipiendus sit de manibus baptizantis. ibid.12
An contrahatur Cognatio, quando commater suscipit infantem de manibus compatris. ibid.13
An requiratur tactus, vt contrahatur Cognatio, & an necesse sit, vt patrinus respondeat. ibid.14
Quænam intentio requiratur, vt contrahatur Cognatio spiritualis. 233.15
An contrahat Cognationem, qui suscipit infantem absque intentione fungendi munere patrini. ibid.16
Quænam ætas in patrino requiratur. ibid.17
An contrahatur Cognatio, quando adest error personæ. ibid.18
An contrahatur Cognatio, quãdo baptizans, aut suscipiens nõ est baptizatus. i.19
An fidelis possit contrahere Cognationem spiritualem cum infideli. ibid.20
An fidelis qui baptizauit filium infidelis, possit contrahere matrimonium cum eo si conuertatur ad fidem. ibid.21
An hæreticus contrahat Cognationem spiritualem. ibid.22
An religiosi contrahant Cognationem spiritualem. ibid.23

Qui-

Quinam contrahant Cognationem quando plures tangunt in Baptismo. ib.24. 25.26.27.& 234.28.29.& 30
Quid requiratur ad contrahendam Cognationem in Sacramento Confirmationis, & quot patrini adhiberi possint. 234.31
An Episcopus dispensare possit, vt duo viri, aut duæ feminæ suscipiant infantem in Baptismo. ibid.33
A quo contrahatur Cognatio, quando aliquis mittit Procuratorem ad suscipiendum infantem. ibid.34
An Cognatio spiritualis dirimat matrimonium. ibid.35

Collusio.

Collusio circa distributiones non est licita neque valida. 485.1
Quid sit Collusio, & quid remissio. 450.12

Comedens.

An peccent Comedentes statim post Eucharistiæ sumptionem. 66.25

Commendatarius, Commendæ.

Commendatarius perpetuus alicuius Ecclesiæ potest de fructibus commendæ disponere solum prout ceteri beneficiarij. 624.22
Abbatias, Prioratus, vel Commendas habentes, possunt pro suo arbitratu solum disponere eam partem fructuum, quam parcius viuendo sibi subtraxerunt. ibid.23
Milites Commendatarij, vt sunt equites S. Iacobi, Calatraua, Alcantara, aut Florentiæ, milites Sancti Stephani, quomodo possint de fructibus commendarum disponere. 625.24
Quid de redditibus Commendarũ, quas possident equites Hierosolymitani. ib.25
Commenda clericalis est materia Simoniæ. 556.14
Commenda militaris non est materia Simoniæ. ibid.15
Commendæ S. Ioannis Hierosolymitani, aut aliæ, non possunt alienari sine assensu Apostolico. 603.13

Communicare, Communio.

An teneatur transacto periculo mortis Communicare, qui non communicauit in ipso mortis periculo. 66.4
An iudex teneatur reo concedere tempus Communicandi. 67.5
An iudex teneatur reo tempus Communicandi concedere, si periculum sit, vt reus eripiatur, vel aliqui scandalum patiantur. ibid.6
An iudex teneatur reo tempus Communicandi concedere, etiam si timeatur fore vt concesso hoc tempore reus eripiatur. ibid.7
An iudex possit reum condemnare, si nolit Communicare. ibid.8
An fideles teneantur ex præcepto diuino aliquoties Communicare in vita. ibid.9
Quandonam obliget præceptum Communicandi præcisa determinatione Ecclesiæ. ibid.10
An aliquis possit sæpius in die Communicare. ibid.11
A quo tempore computandus sit dies. ibid.12
Ad quos extendatur priuilegium ter Communicandi in die Natalis Domini. ibid.13
Quanam hora possit aliquis Communicare. ibid.14
Quosnam obliget præceptum Ecclesiasticum sumendæ Eucharistiæ. 67.1
Quid teneatur præstare adultus, quando dubitat, vtrùm teneatur Communicare. 68.2
Quo tempore obligetur adultus ad Communionem. ibid.3
An filius habens rationis vsum teneatur Communicare in infirmitate. ibid.4
Quandonam obligentur fideles ex vi præcepti ad Communionem. ibid.5
Quid nomine Paschatis *intelligatur hoc loco.* ibid.6
An sumenda sit Eucharistia in propria Parochia, & à proprio Pastore. ibid.7
An teneatur in propria parochia Communicare, qui ad certum tempus ab illa abest. ibid.8
An possit à quouis Sacerdote in die Paschatis Communicare qui præceptũ Communionis adimpleuit in hebdomada Sancta. ibid.9
An debeat sumere Eucharistiam in propria parochia tempore Paschatis, qui Religiosis inseruit. ibid.10
An quilibet fidelis possit Eucharistiam, aliaq; Sacramenta in Ecclesia Cathedrali sumere. 69.11
An satisfaciat præcepto, qui Communicauit in peccato mortali tempore Paschatis. ibid.12
An teneatur quamprimùm Communicare, qui non communicauit in Paschate. ibid.13
An peccet mortaliter, si quamprimùm data opportunitate non communicet. ib.14
An teneatur anticipare Communionem, qui præuidet se eam tempore debito non posse recipere. ibid.15
An melius sit frequentius Communionem sumere, quàm rarò. ibid.16
An Sacerdos possit singulis diebus celebrare. 70.17
An possit priuatim celebrare in feria quinta, aut in sabbato Sancto. ibid.18
An omittens Communionem in Paschate aliquam censuram incurrat. ibid.19

Communitas.

An Communitas constituens Syndicum ad aliquem accusandum fiat irregularis secuta morte. 404.13

Comœdiæ.

An sit mortale peccatum interesse Comœdiis turpibus. 267.21
An Clerici assistentes Comœdiis peccent mortaliter. ibid.22
An componentes, & representantes Comœdias turpes, peccent mortaliter. ibid.23

Conceptio.

Præsumentes in populari concione in alterutram partem de Conceptione B.M.V. disputare, aut de hac ipsa quæstione, sub quouis prætextu vulgari lingua scribere, &c. aut in publicis concionibus, &c. asserera audentes Beatissimam Virginem cum originali conceptam fuisse, suspenduntur. 359.36

Concio.

Concio est materia Simoniæ, si ipsa per se spectetur. 564.8

Concubina.

An Concubinæ, quæ leguntur in sacris litteris, essent veræ vxores. 271.9

Concubinarius, Concubinatus.

An Concubinarij puniri possint ab Episcopo. 272.18
Quid sit Concubinatus. 471.8

Concubitus.

An sit mortale peccatum cernere Concubitum viri cum femina, aut coitum brutorum, aut verendas eorum partes turpiter commotas. 266.14
An peccet mortaliter fricans inhonestas brutorum partes. ibid.15

Concupiscere.

Concupiscens feminam in communi quomodo se gerere teneatur in confessione. 116.8
An grauiter peccet puella, quæ se præbet conspiciendam adolescenti, à quo sedulò credit turpiter Concupiscendam. 267.17

Conditio.

Quotuplex sit Conditio. 223.3
Quanam Conditiones seruandæ sint, dum quis ab vna ad aliam religionem transit. 508

Confessarius, Confessio.

Ad quid teneatur Confessarius, qui defectu iurisdictionis malè absoluit pœnitentem à censuris. 169.1
Ad quid teneatur Confessarius, qui malè absoluit pœnitentem à peccatis. ibid.2
Quid facere teneatur Confessarius erga pœnitentem malè absolutum, qui iam recessit à conspectu Confessarij. ibid.3
Quid facere debeat Confessarius, qui non validè absoluit pœnitentem à reseruatis, vel etiam non reseruatis ex malitia, vel ignorantia. ibid.4
An Confessarius teneatur admonere pœnitentem de re aliqua obaudita in confessione, remissiuè. ibid.5
An Confessarius nondum initiatus Baptismo, vel Sacerdotio possit absolutionem conferre. 125.9
An Confessarius possit commutare, vel minuere pœnitentiam. 133.1
An Confessarius possit commutare pœnitentiam, quam ipse imposuit. ibid.2
An Confessarius possit pœnitentiam ab æquali Confessario iniunctam commutare. ibid.3
An Confessarius pœnitentiam à suo superiore impositam commutare possit. ib.4
An Confessarius possit pœnitentiam præseruatiuam commutare. 134.5
An carens facultate absoluendi à reseruatis, possit pœnitentiam pro reseruatis à superiore impositam commutare. ibid.6
An Confessarius possit pœnitentiam extra confessionem commutare. ibid.7
An Confessarius ad sigillum Confessionis iure naturæ teneatur. 147.1
An teneatur iure diuino. ibid.2
An teneatur iure Ecclesiastico. ibid.3
Quot peccata committantur ab eo, qui sigillum confessionis perfringit. ibid.4
An violatio sigilli semper inducat peccatum mortale. ibid.5
Cognitio fractionis sigilli ad quem pertineat. ibid.6
An habens facultatem eligendi Confessarium approbatum possit eligere Confessarium approbatum in alia diœcesi. 308.12
Confessarius potest audire pœnitentem, post quam alteri confessus est peccata cum ipso Confessario patrata. 168.14
Confessarius potest complicem peccati audire, & absoluere dum existit in articulo mortis. ibid.15
An possit quis eligere Confessarium non approbatum. 62.29
An Confessarius debeat absolutionem pœnitenti denegare quoties certò nouit incestum commisisse. 164.22
An Confessarius denegare possit absolutionem pœnitenti, quem non certò nouit absolutionem indignè petere. ibid.23
An Confessarius possit absolutionem denegare pœnitenti, quem vidit peccantem, sed credit alteri ritè confessum fuisse. ibid.24
Quid dicendum si Confessarius suppleuit examen per diligentem interrogationem. 113.6
An Confessarius teneatur pœnitentem interrogare. ibid.7
Quanam requirantur in Confessario, seu Ministro Sacramenti pœnitentiæ. 155
An Confessarius possit de auditis in confessione loqui sine fractione sigilli. 149.1
Quomodo se gerere debeat Confessarius dum loquitur de rebus in confessione auditis. ibid.2
An Confessarius frangat sigillum testando in tali ciuitate multos improbos adesse. ibid.3
An frangat sigillum, qui dicit, Absolui Petrum. ibid.4
An frangat sigillũ, qui dicit, Titius confessus est mihi casum reseruatũ. 150.5
An frangat sigillum, qui dicit, nondum absolui Titium. ibid.6
An Confessarius teneatur schedulam confessionis præbere illi, quem ob aliquam causam non absoluit. ibid.7
An Confessarius possit liberè vti scientia confessionis ad aliquid faciendum extra confessionem absque pœnitentis licentia. ibid.8
An quando pœnitens dat facultatẽ Confessario loquendi de auditis in confessione, censeatur etiam facultatem concedere reuelandi personam sui ipsius. ib.9
An licentia loquendi de auditis in Confessione, debeat esse expressa, an sufficiat tacita. ibid.10
An Confessarius frangat sigillum, si cum pœnitente loquatur de auditis in confessione, de quibus pœnitens Confessarium alloqui cœpit. ibid.11
An Confessarius perfringat sigillum admonendo pœnitentis heredes iuxta pœnitentis præscriptum. ibid.12
Quomodo se gerere debeat Confessarius circa ea, quæ in confessione audiuit. 151.13
An Confessarius ob peccatum in confessione auditum possit priuare pœnitentem officio. ibid.14
An possit famulum dimittere, quem per solam Confessionem nouit esse furacem. ibid.15
An Confessarius possit electionem ad beneficium denegare pœnitenti, quem improbum, & indignum tantummodò per confessionem cognouit. ibid.16
An quilibet Confessarius possit pœnitenti Eucharistiam denegare ob peccatum in Confessione auditum. ibid.17
An Confessarius possit vti scientia Confessionis cum reuelatione pœnitentis ad tuendum bonum temporale. ibid.18
An Confessarius possit proditionem ciuitatis, aut alterius necem, quam in confessione cognouit, manifestare. ibid.19
Differentia inter secretum Confessionis, & secretum in alia materia. ibid.20
An Confessarius possit peccatum in audienda confessione commissum manifestare, quando periculum est, vt alter Confessarius veniat in cognitionem peccati alterius pœnitentis. ibid.21
An Confessarius possit ex scientia in confessione habita, admonere Episcopum, vel Prælatum alicuius Monasterij. ibid.22
An qui per Confessionem nouit Ecclesiam esse pollutam, possit detegere vt reconcilietur. ibid.23

An Confessarij, qui eiusdem pœnitentis confessiones exceperunt, possint ad inuicem de peccatis in confessionibus auditis loqui. ibid.24
An Confessarius possit ex notitia in confessione habita corrigere complicem pœnitentis. ibid.25
An Confessarius possit faciem aspriorem pœnitenti præbere ob peccata in confessione audita. ibid.26
Quomodo se gerere debeat Confessarius, qui in confessione nouit sibi insidias ab alio parari. ibid.27
An Confessarius possit Missam prætermittere, quando per confessionem nouit vinum esse veneno infectum. 152.28
An Confessarius possit Missam omittere, si præuideat fore, vt delinquens occidatur. ibid.29
An Confessarius ob audita in confessione cautior, & vigilantior reddi possit. ibid.30
An Confessarius de peccato in confessione audito respondere possit iuxta interrogantis mentem. ibid.31
Quomodo se gerere debeat Confessarius erga huiusmodi interrogantes. ibid.32
Quid præstare teneatur Sacerdos erga pœnitentem, cuius delictum aliunde nouit, sed pœnitens illud renuit Confiteri. ibid.33
Vide Confessarius.

Confessarius.

Quid requiratur in Confessario, vt Pœnitentiæ Sacramentum licitè administret. 159.1
An requiratur probitas. ibid.2
Administrans hoc Sacramentum in peccato mortali mortaliter peccat. ibid.3
An in Confessario requiratur scientia. ibid.4
Exercens hoc officium extra necessitatem absque sufficienti scientia, grauiter peccat. ibid.5
An superior, qui scienter illum tolerat, & permittit, grauiter peccet. ibid.6
Quænam scire debeat Confessarius. ibid.7
An Confessarius ciuitatis debeat esse instructior eo, qui extra vrbem confessiones rusticorum excipit. ibid.8
An maior scientia circa Canones requiratur in excipiente confessiones Clericorum, quàm in eo, qui laices audit. ibid.9
Quomodo se gerere debeat Confessarius circa difficiles casus si tunc temporis consultationem capere nequeat. ibid.10
An Confessarius attendere debeat ad peccata, vt de illis iudicium ferat. 160.11
An Confessarius audito quolibet peccato teneatur iudicare, an sit mortale, aut veniale. ibid.12
An validè absoluatur pœnitens, qui bona fide confessus est Confessario nescienti discernere inter mortale, & veniale. ibid.13
An valeat confessio, quando Confessarius iniustè absoluit, vel errat in imponenda salutari pœnitentia. ibid.14
An pœnitens teneatur iterum confiteri peccatum aliàs confessum, quod nunc cognoscit esse mortale, sed ipsius grauitatem anteà ignorabat. ibid.15
An in Confessario requiratur prudentia, & diligentia. ibid.16
An Confessarius teneatur instruere pœnitentem. ibid.17
Quo tempore Confessarius pœnitentem absoluere debeat. ibid.18
An Confessarius possit absoluere pœnitentem, nondum facta restitutione. ibid.19
An Parochus possit à Sacramentis eos repellere, qui decimas non soluunt. ibid.20
An Confessarius teneatur pœnitentè de obligatione restitutionis admonere. ib.21
An Confessarius teneatur resarcire damna, si non admoneat pœnitentem de obligatione restitutionis. ibid.22
Quandonam Parochus teneatur confessiones pœnitentis audire. 261.23
An teneatur audire tempore Paschatis, & Indulgentiæ. ibid.24
Quandonam Episcopus teneatur confessiones subditorum audire. ibid.25
An Confessarius teneatur absoluere pœnitentem habentem opinionem probabilem, cuius contrariam Confessarius sequitur. ibid.26
Differentia inter Confessarium, qui tenetur ex officio; & eum, qui non tenetur ex officio confessiones audire. ibid.27
An Confessarius possit absoluere pœnitentem, antequam deserat peccandi occasionem. ibid.28
Confessarij, qui requisiti pœnitentibus sibi confitentibus conscientiam de soluendis decimis scienter facere prætermittunt, suspensionem contrahunt. 362.11
An Confessarius possit adulterium manifestare post mortem adulteræ. 273.24
An Confessarius, vel Parochus teneatur admonere pœnitentem, qui ex ignorantia culpabili inualidè celebrauit matrimonium. 252.2
Quotuplex sit ignorantia. ibid.1
An Confessarius teneatur admonere pœnitentem, quando nullum sperat fructum. ibid.3
An Confessarius, vel Parochus teneatur admonere pœnitentem, quando imminet scandalum, aut infamia, &c. ibid.4
An Confessarius possit absoluere pœnitentem ignorantem matrimonium esse inualidum, quando alia de causa non vult reddere debitum. ibid.5
An Confessarius possit in proposito casu præcipere pœnitenti, vt reddat debitum. ibid.6
An Confessarius non habens spem emendationis teneatur admonere pœnitentem, qui ex ignorantia inuincibili iniustè possidet primogenituram, aut exercet contractum illicitum, aut ignorat ea, quæ sunt de iure diuino, aut naturali. ibid.7
An Confessarius teneatur admonere pœnitentem de inualiditate matrimonij quando credit non posse obtineri dispensationem, aut periculum est, vt adhuc ad vxorem accedat. ibid.8
An Confessarius, qui in confessione nouit aliquos inualidè contracturos esse matrimonium, teneatur illos admonere. ibid.9
Quomodo Confessarius possit cognoscere, aliquem laborare ignorantia inuincibili. 253.10
An Confessarius, vel alius teneatur aperire veritatem, quando à pœnitente dubio interrogatur de aliquo impedimento. ibid.11
An Confessarius teneatur admonere pœnitentem, quando credit admonitionem non statim, sed breui profuturam. ibid.12
An Parochus teneatur negare matrimonium illi, quem scit extra confessionem, vel in confessione habere aliquod impedimentum. ibid.13
An Confessarius teneatur petere licentiam à pœnitente, vt illum admoneat extra confessionem de impedimento dirimente. ibid.14
An Parochus possit in matrimonium coniungere illos, quos nouit obtinuisse dispensationem in foro conscientiæ. ibid.15

Confessio, Confiteri.

Confessio quid sit. 112.1
Quandonam excusentur fideles ab obligatione Confessionis. 130.1
An excusetur, qui non habet copiam Confessarij. ibid.2
An excusetur, qui probabiliter timet reuelationem peccati. ibid.3
An excusetur, qui non potest secretò Confiteri. ibid.4
An excusetur, qui non potest nisi per interpretem Confiteri. ibid.5
An teneatur confiteri, qui non potest aliter, quàm per scripturam Confiteri. ib.6
An habens lubricam memoriam teneatur peccata scribere. ibid.7
Quot sint causa excusantes pœnitentem ab integritate Confessionis. 122.1
An excusetur pœnitens, qui in puerili ætate conticuit aliquod peccatum, ignorans se teneri ad illius Confessionem. ibid.2
An excusetur, qui inculpabiliter obliuiscitur alicuius peccati. ibid.3
An excusetur pœnitens, cui subitò Confessarius contulit absolutionem, nondum finita Confessione. 123.4
An excusetur Confessarius, qui non potest confiteri peccatum in Confessione commissum, nisi complicem manifestet. ibid.5
An absoluendus sit mutus, qui signis, & nutibus Confitetur peccata sua. ibid.6
An sit absoluendus, qui pœnitentiæ Sacramentum petiit, sed adueniente Confessario obmutuit. ibid.7
An Confessarius illum absoluere teneatur, qui ita sensibus destitutus est, vt nullum dare possit contritionis signum. ibid.8
An pœnitens, si conualuerit, teneatur iterum integrè Confiteri in casu proposito. ibid.9
An Confessarius possit infirmum absoluere, si ipso adueniente nulli adsint, qui fidem faciant petitæ Confessionis. ibid.10
An pœnitens possit peccatum reticere ad euitandum graue incommodum proprium, vel alienum. 124.11
An pœnitens possit reticere peccatum si timeat sibi infamiæ periculum. ibid.12
An infirmus morbo contagioso laborans excusetur à Confessione. ibid.13
An pœnitens possit in necessitate Confiteri reliqua peccata eo tacito, de quo graue periculum probabiliter timet. ibid.14
An habens vnum tantummodò peccatum, de quo timet periculum, possit illud in genere Confiteri. ibid.15
An teneatur in prædictis casibus Confiteri venialia, tacito eo, de quo graue periculum timet. ibid.16
An Confessarius possit existentes in naufragio absoluere non auditis omnibus peccatis. ibid.17
An Confessarius possit absoluere infirmum, quem credit statim moriturum, audito vno tantùm peccato. ibid.18
An idem dicendum sit quando infirmus nimis fatigatur in explicatione peccatorum. ibid.19
An pœnitens possit plura peccata reticere, quàm postulet iusta causa. ibid.20
An pœnitens teneatur statim oblata oportunitate peccatum iusta de causa prætermissum Confessioni subiicere. 125.21
Quandonam teneatur pœnitens Confessionem iterare. ibid.1
An pœnitens teneatur iterare Confessionem, quando mortale peccatum voluntariè omisit. ibid.2
An illam teneatur iterare, quoties debitum dolorem non habuit. ibid.3
An teneatur iterare Confessionem, qui noluit deserere occasionem proximam peccandi. ibid.4
An pœnitens teneatur repetere Confessionem quoties voluntariè prius absolutus fuit à peccatis, quàm ab excommunicatione. ibid.5
An excusetur ab iteranda Confessione, qui aliquod peccatum mortale in Confessione prætermisit putans non esse mortale. ibid.6
Qui bona fide Confessus est maiorem numerum peccatorum, non tenetur cognito numero iterum confiteri. ibid.7
Quandonam iteranda sit Confessio ob defectum Confessarij. ibid.8
An Confessarius nondum initiatus Baptismo, vel Sacerdotio possit absolutionem conferre. ibid.9
An non habens iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, possit absolutionem impendere. ibid.10
An validè absoluat, qui communi errore, aut titulo colorato idoneus iudicatur. ibid.11
An iteranda sit Confessio quoties Confessarius non habuit intentionem absoluendi. 126.12
An iteranda sit Confessio, quando prætermittitur aliquod verbum necessarium in forma. ibid.13
An teneatur Confessionem iterare, qui bona fide confessus est Sacerdoti indocto. ibid.14
An repetens Confessionem teneatur sigillatim omnia peccata repetere. ibid.15
An valida sit Confessio, quæ non potuit vna vice perfici. ibid.16
An confitens peccata Sacerdoti facultatem non habenti, satisfaciat, si eidem habenti postea facultatem eadem peccata in genere confiteatur. ibid.17
Quot sint Confessionis conditiones. 112.1
An ad Confessionem requirantur omnes sexdecim conditiones. ibid.2
An dubitans se peccatum mortale commisisse teneatur illud Confiteri. 121.1
An dubitans se veneream delectationem habuisse teneatur illam Confiteri. 122.2
An pœnitens teneatur peccatum Confiteri, quod dubitat an aliàs sit confessus. ibid.3
An idem militet in opinione quod in dubio. ibid.4
An Confitens peccatum certum, de quo dubitat, an aliàs Confessus sit, teneatur hoc dubium in Confessione explicare. ibid.5
An Confessio debeat esse simplex. 113.1
An debeat esse humilis. ibid.2
An valida sit Confessio illius, qui peccata sua Confitetur se iactando. ibid.3
An Confessio debeat esse pura quo ad intentionem. ibid.4
An mortaliter peccet, qui alteri Confitetur peccata mortalia, vt retineat bonam famam apud priorem Confessarium. ibid.5
An Confessio debeat esse fidelis. ibid.6
An mendacium in Confessione sit peccatum mortale. ibid.7
An irrita sit Confessio, si pœnitens mentiatur circa peccatum mortale numquam aliàs expressum in Confessione. ibid.8

An peccet, qui mortalia dubia pro certis exprimit. ibid.10
An peccet, qui mentitur in Confessione circa peccatum, quod dubitat se commisisse. ibid.11.
An valeat Confessio, quando pœnitens mentitur circa venialia. ibid.12
An pœnitens possit absolutè Confiteri peccatum commissum, si dubitet, an illud Confessus sit. ibid.13
An Confessio debeat esse frequens. ibid.14
An Confessio debeat esse nuda. ibid.15
An Sacerdos teneatur de singulis peccatis determinatè iudicare an sint mortalia, an venialia. ibid.16
An Confessio debeat esse discreta, & quomodo. ibid.17
An Confessio debeat esse libens. ibid.18
An Confessio debeat esse verecunda. ibid.19
An Confessio debeat esse integra. ibid.20
An Confessio facienda sit secretò. ibid.21
An teneatur quis Confessionem facere per interpretem. 115.22
An liceat Confiteri peccata alio audiente. ibid.23
An possit ferri lex generalis præcipiens Confessionem publicam. ibid.24
An pœnitens teneatur Confiteri peccata propria voce. ibid.25
An Confessio debeat esse lacrymabilis. ibid.26
Quomodo debeat esse accelerata. ibid.27
An debeat esse fortis. ibid.28
An debeat esse accusans. ibid.29
An pœnitens debeat Confessario obedire. ibid.30
An Confessio facta excommunicato vitando valida sit, quando pœnitens ignorabat sacerdotem esse excommunicatum vitandum. 318.3
An iterari possit Confessio super iisdem peccatis semel ritè confessis. 102.1
An extet obligatio Confitendi peccata, quorum quis semel obtinuit absolutionem. 103.2
An Ecclesia præcipere possit nouam Confessionem peccatorũ iam dimissorũ. ib.3
An Confessio facta Subdiacono, vel Diacono valida sit. 152.3
De Confessione, quæ secunda pars Sacramenti pœnitentiæ nuncupatur. 112
Vtrùm Confessio debeat esse integra. 115
An sit iteranda Confessio facta excommunicato vitando. 318.2
Quinam teneantur Confiteri. 126.1
An pueri vsus rationis compotes teneantur Confiteri. ibid.2
An pueri non Confitentes possint puniri ea pœna, qua puniuntur ceteri. ibid.3
Quo iure Summus Pontifex Confiteri teneatur. ibid.4
An obligentur ad Confessionem infideles, & Catechumeni. 127.5
An habens peccata opere externo perpetrata, aut etiam solum interna, teneatur ad illorum Confessionem. ibid.6
An probabiliter dubitans se mortaliter peccasse, teneatur fateri peccatum, de quo dubitat. ibid.7
An habens solùm peccata venialia teneatur Confiteri. ibid.8
Quo iure fideles peccata sua fateri teneantur. ibid.9
Ecclesia quomodo præcipiat Confessionem. ibid.10
An Ecclesia possit temporis determinationem auferre. ibid.11
Quo tempore fideles Confiteri teneantur. ibid.12
An suscipiens periculosam nauigationem Confiteri teneatur. ibid.13
An femina, quæ primò paritura est, teneatur Confiteri. 128.14
An infirmus, qui post Confessionem, mortaliter peccauit, teneatur iterum Confiteri. ibid.15
An damnatus ad mortem teneatur Confiteri. ibid.16
Quo tempore obligaret præceptum diuinum, si Ecclesia tempus Confessionis non determinasset. ibid.17
Quot peccata committat prætermittens eodem anno Confessionem & communionem. ibid.18
Quomodo computatus sit annus. ibid.19
An satisfaciat præcepto Confessionis, qui confitetur in Natiuitate Domini. ib.20
An teneatur Confessionem præmittere, qui dubitat se non habiturum copiam Confessarij in articulo mortis, aut tempore constituto. ibid.21
An faciens Confessionem informem satisfaciat præcepto confessionis. ibid.22
An adimpleatur præceptum ab eo, qui non facit Confessionem perfectam. ib.23
An satisfaciat præcepto, qui sua peccata Confitetur, sed propria culpa non absoluitur. ibid.24
An qui voluntariè non facit Confessionem perfectam, subiiciatur censuris, si quæ fortè latæ essent contra eos, qui Confessionem prætermittunt. ibid.25
An teneatur quàm primùm Confiteri ex præcepto annuæ Confessionis, qui Confessionem anno præterito prætermisit. 129.26
Quotupliciter aliquid præcipiatur tali tempore faciendum. ibid.27
An teneatur quamprimùm confiteri, qui non est Confessus in periculo mortis. ibid.28
Differentia inter præceptum annuæ Confessionis, & obligationem Confitendi in articulo mortis. ibid.29
An omittens vno anno Confessionem toties peccet, quoties non Confitetur oblata opportunitate. ibid.30
An differens Confessionem anni præteriti vsque ad præsentem, vnica Confessione vtrique obligationi satisfaciat. ibid.31
An pœnitens teneatur quamprimùm eodem anno Confiteri peccata in Confessione oblita, quorum recordatur post Communionem. ibid.32
An committens intra eumdem annum aliquod peccatum mortale post Confessionem, & communionem teneatur illud statim Confiteri. ibid.33
Cuinam facienda sit Confessio. ibid.34
Confingens se habere aliquam licentiam obtentam post motum Gregorij, non afficitur excommunicatione Gregorij, sed Concilij Tridentini. 541.7

Confirmatio, Confirmare.

Confirmatio quid sit. 37.1
Quænam sit materia remota Confirmationis. 38.1
An balsamum sit de necessitate Sacramenti Confirmationis. ibid.2
Chrisma à quonam sit benedicendum. ibid.3
Materia proxima Confirmationis quænam sit. ibid.4
An vnctio necessariò facienda sit in fronte. 39.5
Quænam quantitas requiratur ad vnctionem Confirmationis. ibid.6
Forma Chrismatis quænam sit. ibid.7
An requiratur expressio Sanctissimæ Trinitatis. ibid.8
An verba possint essentialiter mutari. ibid.9
An Confirmatio conferat gratiam habitualem. ibid.1
An imprimat characterem. ibid.2
An per Confirmationem contrahatur cognatio spiritualis. ibid.3
Subiectum Confirmationis quodnam sit. ibid.4
An Confirmari possint pueri vsu rationis carentes. ibid.5
An Confirmari possint amentes. ibid.6
Quænam dispositio requiratur in suscipiente Confirmationem. ibid.7
An peccet recipiens ordines ante Confirmationem. ibid.8
Cur impingatur alapa in Confirmatione. 40.9
An iterum Confirmari possit, qui hoc Sacramentũ aliàs suscepisse dubitat. ib.10
An susceptor teneatur edocere infantem, quem in Confirmatione suscepit. ib.11
An idem possit esse patrinus in Baptismo, & Confirmatione. ibid.12
Institutum fuit Sacramentum Confirmationis in die Cœnæ. 37.2
Non fuit institutum, quando Christus paruulis manus imponebat. ibid.3
An fuerit institutum hoc Sacramentum Ioannis 20. ibid.4
Confirmatio non est necessaria necessitate medij. ibid.1
Necessaria non est necessitate præcepti. ibid.2
Minister Confirmationis est Episcopus. ibid.3
An aliquis possit chrisma consecrare, præter Episcopum. 38.4
Cur Summus Pontifex committere possit facultatem Confirmandi simplici Sacerdoti. ibid.5
Episcopus degradatus, & excommunicatus potest validè Confirmare. ibid.6
Abbas, qui non est Episcopus, non potest Confirmare. ibid.7
Simplex Sacerdos non potest Confirmare. ibid.8
Episcopus non Confirmatus validè potest Confirmare. ibid.9
Episcopus in sua diœcesi Confirmare non potest subditos alterius Episcopi. ib.10
Episcopus Confirmare, & actus Pontificales exercere non potest extra suam diœcesim. ibid.11
An possit conferre primam tonsuram in alterius diœcesi. ibid.12
Quænam dispositiones requirantur in ministro Confirmationis. ibid.13
An Confirmatio conferenda sit in Ecclesia. ibid.14

Confraternitas.

Bona Confraternitatis, Collegij, Congregationis, Hospitalis, non possunt alienari sine debita solemnitate. 603.10

Coniux, Coniuges.

Quomodo peccent Coniuges contra finem. 261.7
Quandonam non liceat accedere ad vxorem ob damnum illius. ibid.8
An sit peccatum accedere ad vxorem tempore menstrui. ibid.9
An vxor teneatur reddere debitum viro petenti tempore menstrui. ibid.10
An sit peccatum mortale accedere ad vxorem grauidam. ibid.11
Quandonam sit periculum abortus. ibid.12
An qui est causa abortus, fiat irregularis. ibid.13
An necesse sit Coniuges in actu matrimonij simul seminare. ibid.14
An vxor possit se tactibus excitare, donec seminet, quando vir iam seminauit. ibid.15
An vir peccet mortaliter, quando cõpula incepta se retrahit. ibid.16
An copula maritalis licita sit seni, qui semen extra vas prodigit. 262.17
Quandonam copula licita sit seni, & an peccet mortaliter femina, quæ statim post copulam mingit, vt semen effundatur. ibid.18
Quam malitiæ speciem habeat pollutio inter Coniuges extra vas. ibid.19
An Coniuges teneantur cohabitare. ibid.20
An vxor teneatur sequi virum. ibid.21
An vir possit alio transferre habitationem. ibid.22
An vxor teneatur sequi virum, qui in exilium pellitur. ibid.23
An vxor teneatur sequi virum solitum vagari. ibid.24
An vxor teneatur sequi virum solitũ vagari, quando vxor hoc ignorabat. ib.25
An vir teneatur sequi vxorem. ibid.26
An vir possit abstinere ab habitatione vxoris ob dotem non solutam. ibid.27
An copula maritalis haberi possit in Ecclesia. ibid.28
An licitum sit congredi cum vxore, quando sumenda est Eucharistia. ibid.29
An vsus matrimonij licitus sit die festo, vel tempore Quadragesimæ. ibid.30
An tactus, & oscula licita sint Coniugibus. ibid.31
An habens votum possit petere, vel reddere debitum. ibid.32
An Coniux innocens propria auctoritate possit facere diuortium. 258.10
An innocens, qui cum adultero fecit diuortium, teneatur cum eo habitare, si per censuras ad id impellatur. ibid.11
An diuortium fieri possit priuata auctoritate. 259.12
An Coniux innocens teneatur aliquando facere diuortium. ibid.13
An dentur aliqui casus, in quibus non liceat facere diuortium. ibid.14
An quando vterque Coniux commisit adulterium, sed vnus emendatus est, possit emendatus petere diuortium. ibid.15
An Coniux innocens possit facto diuortio cogere adulterum, vt ad se redeat. ib.16
An innocens possit reuocare adulterum in amicitiam. ibid.17
Quænam differentia sit inter incestuosum, & adulterum. ibid.18
An facto diuortio, adulter habeat rationem contra alterum, qui post factum diuortium lapsus est in adulterium. ibid.19
An adulter occultus possit petere debitum à Coniuge ignorante adulterium suum. ibid.20
An facto diuortio adulter possit amicabiliter petere debitum, vt recuperet ius amissum. ibid.21
An habens occultum vitium, quo cognito alter recederet à sponsalibus, possit cogere sponsum gnarum vitij, vt stet sponsalibus. ibid.22
An facto diuortio Coniux possit recipere sacros Ordines, aut religionem ingredi, altero manente in sæculo. 260.23
An manens in sæculo teneatur votum castitatis emittere. ibid.24
Quibus de causis fieri possit diuortium ad tempus. ibid.25
Quemnam sequantur filij, facto diuortio. ibid.26
An quando vterque Coniux dubitat de valore matrimonij, neuter possit petere debitum. 257.6
An ante adhibitam diligentiam vxor possit reddere debitum viro petenti, quando vterque dubitat de valore matrimonij. ibid.7
An ille qui non dubitat, possit reddere debitum petenti, qui est dubius de valore matrimonij. ibid.8
An dubitans de valore matrimonij nondum consummati, possit peteri bimestri

reddere debitum petenti. ibid.9
An Coniux, qui mala fide contraxit, dubius de aliquo impedimento dirimente, possit reddere debitum. ibid.10
An possit peti, vel reddi debitum, quando vterque Coniux mala fide contraxit matrimonium, dubius de matrimonij validitate. ibid.11
An vterque Coniux priuetur iure petendi, quando contraxit cum opinione inualiditatis matrimonij. ibid.12
An possit petere debitum Coniux, qui opinatur, matrimonium esse inualidum. ibid.13
An possit petere debitum, qui opinatur matrimonium mala fide contractum, inualidum esse. ibid.14
An Coniux, qui opinatur, matrimonium esse inualidum, teneatur reddere debitum alteri Coniugi bonæ fidei. ibid.15
An ille qui certò scit, matrimonium esse inualidum, possit petere vel reddere debitum. ibid.16
An Coniux sciens, matrimonium esse inualidum, possit reddere debitum coniugi ignoranti inualiditatem matrimonij. ibid.17
Quodnam remedium adhibendum sit, quando constat matrimonium esse inualidum: sed hoc non potest manifestari absque periculo. 258.18
An Coniux teneatur credere alteri dicenti, matrimonium esse inualidum. ib.19
An Coniux teneatur abstinere à matrimonio contracto, quando impedimentum adesse cognouit ab amico, vel à Parocho. ibid.20
An, & quando Coniuges peccent mortaliter, non reddendo debitum alteri petenti. 253.1
An peccet mortaliter, qui se reddit impotentem ad reddendum debitum. 254.2
An Coniux possit ieiuniis, vel asperitate extenuare vires, quibus indiget ad reddendum debitum. ibid.3
An laborans febri, capite, vel dentibus teneatur reddere debitum. ibid.4
An Coniux teneatur cum periculo reddere debitum ad vitandum periculum incontinentiæ in petente. ibid.5
An Coniux excusetur à reddendo debito statim post prandium. ibid.6
An excusetur vxor negando debitum, quando moreretur in partu, si conciperet. ibid.7
An periculum infectionis morbi excuset à debito reddendo. ibid.8
An sublato infectionis morbo reddendum sit debitum. ibid.9
An vxor possit negare debitum viro petenti tempore furoris, vel ebrietatis. ib.10
An vir peccet, petendo debitum ab vxore lactante sobolem, & an vxor possit negare. ibid.11
An Coniux possit negare debitum, ne multiplicentur filij. ibid.12
An excusetur, qui negat debitum ob inopiam alendi filios. ibid.13
An peccet vxor, quæ negat debitum, quando experta est, se non posse filios viuos parere. ibid.14
An Coniuges toties peccent mortaliter, quoties consummant matrimonium, absque denuntiationibus celebratum. 216.9
Vide Matrimonium.

Coniunctio.

Quot modis Coniunctio naturalis fiat modo indebito. 270.1
An huiusmodi Coniunctio sit mortale peccatum. ibid.2

Consanguinitas, seu Cognatio.

Quotuplex sit Cognatio. 230.1
Vndenam Consanguinitas dicatur. ibid.2
Quid sit Consanguinitas, per quid contrahatur, & quinam sit illius stipes. ibid.3
Per quid Consanguinitas distinguatur, & quid sit linea, & gradus. ibid.4
Quotuplex sit linea. 231.5
Quomodo computandi sint gradus Consanguinitatis. ibid.6
An Consanguinitas dirimat matrimonium, & vsque ad quem gradum. ibid.7
An matrimonium celebratum in linea recta Consanguinitatis inualidum sit iure naturæ. ibid.8
An validum sit matrimonium contractum ab infidelibus in secundo, tertio, & quarto gradu Consanguinitatis. ibid.9
An validum sit matrimonium celebratum extra quartum gradum. ibid.10
An matrimonium contractum in primo, & secundo gradu Consanguinitatis irritum sit iure diuino. ibid.11
An iure naturæ inualidum sit matrimonium in primo gradu lineæ transuersæ, nempe inter fratrem, & sororem. ibid.12
An Papa dispensare possit, vt matrimonium celebretur cum filia matris, aut sororis. 232.13
In quibus gradibus Consanguinitatis Papa dispensare possit. ibid.14

Conscientia.

Quo iure examen Conscientiæ ad confessionem requiratur. 112.1
Qualenam examen Conscientiæ requiratur, & sufficiat ad confessionem. ibid.2
An ad examen sufficiat mediocris diligentia. ibid.3
An habens lubricam memoriam peccata scribere teneatur. 113.4
An ad nouam Confessionē teneatur qui Conscientiæ examen non præmisit. ibid.5
Quid si confessarius suppleuit examen Conscientiæ per diligentem interrogationem? ibid.6
An Confessarius teneatur pœnitentem interrogare. ibid.7
An Sacerdos debeat illum absoluere, quem certò nouit mentiri, dicendo se Conscientiæ examen præmisisse. ibid.8
Conscientiæ Examen, vide Examen.

Consecratio, Consecrare. *vide* Eucharistia.

An materia Consecranda debeat esse præsens. 49.1
Materia quandonam dicatur præsens moraliter. ibid.2
An sonus verborum debeat pertingere materiam Consecrandam. ibid.3
An possit Consecrari vinum in Calice cooperto contentum. ibid.4
An Sacerdos cæcus validè Consecret materiam præsentem. 50.5
An hostia existens à tergo possit Consecrari. ibid.6
An actu debeat tangi materia, dum Consecratur. ibid.7
An eodem actu Sacerdos possit Consecrare materiam præsentem, & absentem. ibid.8
An hostia post parietem existens Consecrari possit. ibid.9
An possit Consecrari materia triginta passibus distans. ibid.10
An possit Consecrari, si distet tantum viginti passibus. ibid.11
An possit Consecrari materia absens mente concepta. ibid.12
An valeat Consecratio, si inchoata Consecrationis forma, materia non erat præsens. ibid.13
An per verba Consecrationis constituatur Christus sub speciebus. 52.1
An Christus videatur in se, vel eius caro, & sanguis, dum Christus apparet in Sacramento Eucharistiæ. 53.2
An Christus existat totus sub qualibet specie. ibid.3
An existat totus sub speciebus, quoad quantitatem, & qualitatem. ibid.4
An Christus existat sub qualibet parte specierum. ibid.5
Quomodo possit existere sub qualibet parte specierum. ibid.6
An prædicata concernentia purum motum specierum verificentur de corpore Christi. ibid.7
An prædicata propria specierum prædicentur de corpore Christi. ibid.8
An prædicata ostendentia actionem, & passionem specierum, verificentur de corpore Christi. ibid.9
Quid ponatur ex vi verborum Consecrationis in Sacramento, & quid per concomitantiam. 54.10
An sub speciebus panis ponatur ex vi verborum corpus Christi. ibid.11
Nomine corporis *quid intelligatur.* ibid.12
An ponatur sub speciebus corpus Christi viuum, & anima informatum. ibid.13
Quid sit ex vi verborum in Sacramento Sanguinis. ibid.14
An diuinitas sit in Sacramento Eucharistiæ. ibid.15
An reperiantur in hoc Sacramento totæ tres personæ Sanctissimæ Trinitatis. ib.16
Quomodo adsit sanguis Christi sub speciebus panis. ibid.17
Quomodo adsit corpus Christi sub speciebus vini. ibid.18
An Christus existat sub speciebus simul cum substantia panis, & vini. ibid.19
Consecratio Ecclesiæ, per Simoniam quomodo execrata dicatur. 590.4
An Consecrationes, & alia benedictiones validè fiant ab excommunicato vitando. 318.6
An peccet, qui in Consecratione vtitur his solùm verbis, Hic est calix sanguinis mei. 51.2
An Consecrationem amittat calix, si cupa separetur à pede. 86.20
Quænam sit forma Consecrationis Sacramenti Corporis. 50.1
Quomodo connectātur verba Canonis, Gratias agēs, benedixit, fregit, &c. ib.2
Quænam verba necessaria sint, & sufficiant. ibid.3
An totus Canon sit necessarius necessitate Sacramenti ad Consecrationē. ibid.4
An necessarius sit necessitate præcepti. 51.5
An conficiatur Sacramentum variatis verbis Consecrationis. ibid.6
An valeat Consecratio, si dicatur, Hic cibus est Corpus meum. ibid.7
An valeat, si dicatur, Hoc est caro mea. ibid.8
An validè Consecret, qui particulam enim *prætermittit.* ibid.9
An peccet omittens particulam enim. ibid.10
An valeat Consecratio, si dicatur, Hoc corpus Christi. ibid.11
An valeat, si dicatur, Hic panis est corpus meum. ibid.12
An conficiat Sacramentum, qui dicit, Hoc sit corpus meum. ibid.13
An conficiat, qui dicit, Illud est corpus meum. ibid.14
An conficiat quis dicendo, Hoc corpus Christi est corpus Christi. ibid.15
An validè conficiat, qui omittit particulam, est. ibid.16
An Consecret Sacerdos, qui secum tulit hostiam ad altare, cuius non recordatur tempore consecrationis. 12.13
An quælibet parua quantitas possit Consecrari. 48.1
An Consecrari possit quælibet magna quantitas. ibid.2
An materia Consecranda debeat esse determinata in mente Sacerdotis. 49.3
An remaneat Consecrata quarta pars hostiæ à Sacerdote non designata. ibid.4
An ex decem hostiis præsentibus Sacerdoti remaneant quatuor Consecratæ, quæ non fuerunt à Sacerdote designatæ. ibid.5
An omnes hostiæ super altare positæ, remaneant Consecratæ, si Sacerdos illarum non recordetur. ibid.6
An remaneant Consecratæ guttæ vini, quæ sunt extra calicem. ibid.7
An remaneant Consecratæ hostiæ super altare positæ inscio Sacerdote. ibid.8
An valeat Consecratio, quando Sacerdos ex decem hostiis, quinque à Titio designatas intendit Consecrare. ibid.9
An valeat Consecratio, si Sacerdos eas hostias intendat Consecrare, quas Deus elegerit. ibid.10

Consensus.

Defectus legitimi Consensus sufficientem exhibet causam reclamandi contra professionem. 518.1

Consilium.

Consilium præbens in facultate Theologiæ Simoniacus non est. 564.6
Consilium Theologicum non est materia Simoniæ, etiamsi detur ad pacandam alterius conscientiam. ibid.7

Consuetudo.

Consuetudo non excusat traditionem rei temporalis pro spirituali per modum pretij. 581.1
Consuetudo potest conferre ius ad maiores prouentus, saltem titulo sustentationis. ibid.2
Proponuntur rationes dubitandi ad probandum induci posse Consuetudinem, qua distributiones absentibus conferantur. 481.1
Consuetudine induci non potest, vt absens distributiones capiat. ibid.2
Non idem est abrogare Consuetudinem, & illam reprobare. 482.3
Consuetudine induci potest, vt distributiones absentibus conferantur, si iusta subsit causa, ob quam huiusmodi Consuetudo inducatur. ibid.4
Præfata etiam Consuetudo induci potest consentiente Summo Pontifice. ibid.5
Regulariter loquendo, non sufficit tacitus Summi Pontificis consensus. ibid.6
Probabile est Consuetudine induci posse, vt Canonici duorum, vel trium mensium spatio absentes lucrentur distributiones, modò hæc Consuetudo ex iusta causa inducatur. Oppositum tamen probabilius iudicatur ob Sacræ Congregationis declarationem. ibid.7
Non est admittenda Consuetudo, vt absentes eleemosynam capiant dum anniuersaria celebrantur. ibid.8
Non valet Consuetudo, vt Canonicus de recenti admissus percipiat distributiones tempori absentiæ respondentes. 483.9
Non potest induci Consuetudo, vt assistens vna hora, vel submissa voce recitans lucretur omnes totius anni distributiones. ibid.10
Consuetudine induci non potest, vt distributiones primi anni conferantur heredibus quasi iure proprio ipsorum heredum. ibid.11

Consuetudo induci potest, vt fructus primi anni dentur heredibus Canonici mortui. ibid.12
Non videtur admittenda Consuetudo, qua Canonici alternis hebdomadis inseruiant, & omnes distributiones lucrentur. ibid.13
Reprobanda non videtur Consuetudo, qua interessentes Matutinis precibus tantum lucrantur, quantum percipiunt alij, qui reliquis horis intersunt. ibid.14
Non videtur admittenda Consuetudo, vt qui quadraginta annis diuinis interfuerunt, distributiones capiant in futurum, etiamsi Choro non interfint. ib.15
Consuetudine induci potest, vt senes lucrentur distributiones. ibid.16
Consuetudine, saltem immemorabili induci potest, vt quis per alium inseruiat. ibid.17
Habens duos Canonicatus, non potest ex Consuetudine acquirere ius percipiendi distributiones, dum abest, nisi forte beneficia in solis distributionibus consistant, tunc enim probabile est posse aliquid accipere ob alia onera. ibid.18
Abiens causa studij, vel in obsequium Papæ, aut Episcopi, lucrari potest distributiones, si hoc ferat Consuetudo. 484.19
Canonicus, qui iustam ob causam abfuit, lucrari potest distributiones, si postquam redit aliquamdiu domi iusta de causa commoretur, nec ad Chorum accedat. ibid.20
Induci potest Consuetudo, vt assistens certo quodam tempore nullas distributiones lucretur. ibid.21

Consulere, Consulens, Consilium.

An censura lata contra facientes, includat mandantes, & Consulentes. 289.1
An mandans ligetur censura, quando non influit in effectum. 290.2
An mandans, aut Consulens percussionem Clerici, ligetur excommunicatione, quando non influxit in percussionem. ibid.3
An Consulens ligetur excommunicatione, quando solum auxit voluntatem delinquentis. ibid.4
An ligetur excommunicatione, qui parato occidere Clericum suadet tantùm percutere. ibid.5
An mandans ligetur censura, quando reuocauit mandatum. ibid.6
An Consulens ligetur censura, si Consilium reuocet. ibid.7
Quomodo possit aliquis cognoscere, an suo Consilio influxerit in factum prohibitum. ibid.8
An ligetur censura, qui non prohibet aliquod delictum, quod tenetur prohibere. ibid.9

Contractus.

Quandonam Contractus celebretur sub demonstratione, sub causa, sub modo, sub conditione. 223.1

Contritio.

Contritio quid sit. 104.1
An ad Contritionem requiratur propositum non peccandi. 111.1
An sufficiat propositum implicitum vitandi peccatum in futurum. ibid.2
An ad Contritionem requiratur, vt pœnitens credat se non amplius peccaturum mortaliter. ibid.3
Obiectum materiale Contritionis quodnam sit. 108.1
An homo possit Contritionis actum elicere de his, quæ trahunt ad peccatum. ibid.2
An homo possit contritionem elicere de peccato dimisso vt sic. ibid.3
An peccatum dimissum, quod ignoratur an sit dimissum, possit esse obiectum Contritionis. ibid.4
An actus Contritionis elici possit de peccatis venialibus. ibid.5
An de peccato originali elici possit actus Contritionis. ibid.6
Obiectum materiale attritionis quodnam sit. ibid.7
An peccatum futurum possit esse obiectum Contritionis. ibid.8
An peccatum alienum possit esse obiectum Contritionis. ibid.9
An possimus per actum Contritionis vnum peccatum mortale detestari, non detestando cetera. ibid.10
Obiectum formale contritionis quodnam sit. ibid.11
An Contritio specie differat ab attritione. ibid.12
An vnus Contritionis actus ad delenda omnia peccata sufficiat. ibid.1
An eodem actu teneamur detestari mortalia, & venialia. 109.2
Per quem Contritionis actum obtineatur remissio venialium. ibid.3
An actus quo quis detestatur peccata vt sunt grauis offensa Dei, sufficiat ad delenda venialia. ibid.4
An perfectior actus requiratur ad delenda venialia, quàm mortalia. ibid.5
An venialia deleantur per gratiam habitualem, vt sic. ibid.6
An Contritio dicat solum desiderium suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ. 96.5
An ad Sacramentum pœnitentiæ requiratur Contritio. 107.10
Contritio ad quam virtutem pertineat. 104.2
Contritio quatenus dispositio an sit informis. ibid.3
An prima Contritio eliciatur ab habitu charitatis. ibid.4
Contritio quot modis dicatur magna. 109.1
Quanta esse debeat Contritio quoad durationem temporis. 110.2
Quanta esse debeat quoad intentionem physicam. ibid.3
Quomodo pœnitens peccata detestari debeat. ibid.4
An maior detestatio requiratur de grauiori, quàm de leuiori peccato. ibid.5
An mortaliter peccet, qui magis detestatur leuius, quàm grauius peccatum. ib.6
An Contritio necessaria sit ad salutem necessitate medij. 104.1
An iustificatus per dilectionem Dei teneatur formaliter dolere de peccatis cùm venerint in mentem. 105.2
An Contritio in veteri lege necessaria fuerit ad iustificationem. ibid.3
An Contritio necessaria sit necessitate præcepti. ibid.4
Præceptum Contritionis quandonam obliget. ibid.5
An hoc præceptum obliget, quando facienda est publica oratio. ibid.6
An extet præceptum Contritionis in die festo. 106.7
An peccator teneatur statim post mortale peccatum actum Contritionis elicere. ibid.8
An peccator teneatur Contritionem elicere de peccatis, quoties illorum recordatur. ibid.9

Conuersio, Conuerti.

Differentia inter Conuersionem, & creationem. 54.3
Differentia inter Conuersionem, & annihilationem. ibid.4
Differentia inter Conuersionem, & mutationem. ibid.5
An qualibet res possit per diuinam potentiam in aliam rem Conuerti. ibid.6

Copula.

An sit sacrilegium, Copulam habere in campanili, vel Choro, vel capella. 278.15
An sit sacrilegium, Copulam habere, aut aliquem interficere in porta Ecclesiæ. ibid.16
An sit sacrilegium, Copulam habere in Ecclesia diruta. ibid.17
An committatur sacrilegium, quando Copula habetur in loco, vbi extensa est prior Ecclesia. ibid.18

Correctio.

Quando Prælatus præcipit manifestari delinquentem ad ipsius emendationem, vel satisfactionem partis, vel ad impediendum aliquod peccatum, præmittenda est fraterna Correctio, modò speretur emendatio. 639.1
Limita, modò iudex intendat in Correctione solam emendationem, vel satisfactionem; secus si etiam intendat punitionem. ibid.2
Quid faciendum in dubio, an iudex intẽdat emendationem, vel punitionem. ib.3
Quid cùm admonitus semel noluit emendari. ibid.4
An præmittenda sit Correctio antequam denuntietur hæreticus. ibid.5
Formula adhibenda in denuntiationibus virtute monitoriorum. 640.6

Crimen.

Quotuplex sit Crimen dirimens matrimonium, & quid requiratur ad hoc vt contrahatur. 235.1
An Crimen dirimat matrimonium, & quo iure. ibid.2
An Crimen extendatur ad infideles. ibid.3
Quid requiratur, vt Crimen homicidij dirimat matrimonium. ibid.4.5.6.7.& 236.14
Quid requiratur, vt Crimen adulterij irritet matrimonium. 235.8.9.&236.14
An sit mortale peccatum promittere matrimonium celebrandum post mortem coniugis. 236.10.& 11
An impedimentum Criminis inducatur, quando Titius copulam habet cum Berta, viuente eius viro, post cuius mortem promittit matrimonium eidem Bertæ. ibid.12
An inducatur Crimen, quando duo coniugati promittunt sibi matrimonium: sed postea pœnitentia ducti resiliunt à promissione, & postea sequitur inter eos copula. ibid.13
An inducatur Crimen quando aliquis occidit vxorem, vt contrahat cum alia, qua non fuit particeps homicidij. ibid.15
An inducatur Crimen, quando quis occidit vxorem, non vt contrahat cum alia, sed ob alium finem. ibid.16
An Crimen inducatur, quando quis vxorem occidit, animo ducendi aliam indeterminatam. ibid.17
An Crimen inducatur, quando quis occidit vxorem in flagranti Crimine adulterij deprehensam. ibid.18
An occidens vxorem suam, vt aliam ducat, possit matrimonium inire cum alia cum qua non peccauit. ibid.19
An impedimentum Criminis extendatur ad infideles. ibid.20.21
An habens crura distorta sit irregularis. 387.14

Curia.

Monachus qui bono animo Curiam ingressus est, sed postea in Curia commoratur intentione damnum inferendi suis Prælatis, vel monaster is, excommunicationem non videtur incurrere, iuxta probabilem auctoris opinionem. 502.4
Religiosus ad Curiam Principum accedens animo damnum inferendi ligatur excommunicatione, etiamsi nullum damnum reipsa inferat. ibid.5
Religiosus accedens ad Curias Principum intentione damnum inferendi suis Prælatis, vel monasterio, subiicitur excommunicationi, etiamsi ad prædictas Curias accedat cum licentia sui Prælati. ibid.6

D.

Dæmon.

An Dæmon *censura ligari possit.* 286.5

Damnatus.

An orandum pro Damnatis. 444.5.& 7

Debitor, Debitum.

Debitori beneficium conferens, vt sibi debitũ soluat, Simoniam cõmittit. 549.10
An ex Debito pecuniario consurgat irregularitas. 391.6
Debitum Ecclesia remittens, vt beneficium obtineat, simoniam committit. 549.4

Debitum coniugale.

Quibus modis Debitum coniugale illicitè petatur. 255.1
An sit idem petere illicitè, & iniustè. ibid.2
An reddendum sit Debitum petenti illicitè ob circumstantiam personæ. ibid.3
An reddendum sit Debitum petenti illicitè ex parte actus. 256.4
An reddens toties peccet reddendo, quoties petens peccat petendo. ibid.5
An reddendum sit Debitum iure petenti in loco sacro. ibid.6
An vir possit petere, & reddere Debitum vxori, quam scit obstrictam esse voto castitatis. ibid.7
An coniux petitus teneatur reddere petenti, quando vterque habet votum castitatis. ibid.8
An Debitum reddendum sit petenti cum peccato veniali. ibid.9
An reddendum sit Debitum petenti illicitè, quoad situm, intra vas tamen naturale. ibid.10
An reddendum sit Debitum viro petenti tempore menstrui. ibid.11
Quid sit scientia, opinio, dubium, & scrupulus. ibid.1
An possit peti, & reddi Debitum, quando suboritur scrupulus de inualiditate matrimonij. ibid.2
An possit petere, vel reddere Debitum, qui dubitat, inualidum esse matrimonium. ibid.3
An dubitans de inualiditate matrimonij teneatur reddere Debitum non dubitanti. ibid.4
An dubitans de valore matrimonij possit petere, & reddere Debitum, quando veritas non est comperta. 257.5
An quando vterque coniux dubitat de valore matrimonij, neuter possit petere Debitum. ibid.6
An ante adhibitam diligentiam vxor possit reddere Debitum viro petenti, quando vterque dubitat de valore matrimonij. ibid.7
An ille qui non dubitat, possit reddere Debitum petenti, qui est dubius de valore matrimonij. ibid.8

An dubitans de valore matrimonij nondum consummati, possit priori bimestri reddere Debitum petenti. ibid.9
An coniux, qui mala fide contraxit dubius de aliquo impedimento dirimente, possit reddere debitum. ibid.10
An possit peti, vel reddi Debitum, quando vterque coniux mala fide contraxit matrimonium, dubius de matrimonij validitate. ibid.11
An vterque coniux priuetur iure petendi, quando contraxit cum opinione inualiditatis matrimonij. ibid.12
An possit petere Debitum coniux, qui opinatur matrimonium esse inualidum. ibid.13
An possit petere debitum, qui opinatur matrimonium mala fide contractum, inualidum esse. ibid.14
An coniux, qui opinatur matrimonium esse inualidum, teneatur reddere Debitum alteri contugi bonæ fidei. ibid.15
An ille qui certò scit, matrimonium esse inualidum, possit petere vel reddere Debitum. ibid.16
An coniux sciens, matrimonium esse inualidum, possit reddere Debitum coniugi ignoranti inualiditatem matrimonij. ibid.17
Quodnam remedium adhibendum sit, quando constat matrimonium esse inualidum: sed hoc non potest manifestari absque periculo. 258.18
An coniux teneatur credere alteri dicenti, matrimonium esse inualidum. ibid.19
An coniux teneatur abstinere à matrimonio contracto, quando impedimentum adesse cognouit ab amico, vel à Parocho. ibid.20
An, & quando coniuges peccent mortaliter, non reddendo Debitum alteri petenti. 253.1
An peccet mortaliter, qui se reddit impotentem ad reddendum Debitum. 254.2
An coniux possit ieiuniis, vel asperitate extenuare vires, quibus indiget ad reddendum Debitum. ibid.3
An laborans febri, capite, vel dentibus teneatur reddere Debitum. ibid.4
An coniux teneatur cum periculo reddere Debitum ad vitandum periculum incontinentiæ in petente. ibid.5
An coniux excusetur à reddendo Debito statim post prandium. ibid.6
An excusetur vxor negando Debitum, quando moreretur in partu, si conciperet. ibid.7
An periculum infectionis morbi excuset à Debito reddendo. ibid.8
An sublato infectionis morbo reddendum sit Debitum. ibid.9
An vxor possit negare Debitum viro petenti tempore furoris, vel ebrietatis. ib.10
An vir peccet petendo Debitum ab vxore lactante sobolem, & an vxor possit negare. ibid.11
An coniux possit negare Debitum, ne multiplicentur filij. ibid.12
An excusetur, qui negat Debitum ob inopiam alendi filios. ibid.13
An peccet vxor, quæ negat Debitum, quando experta est, se non posse filios viuos parere. ibid.14
An possit reddi Debitum, quando post contractum matrimonium orta est affinitas, vel cognatio spiritualis inter coniuges. ibid.1
An coniux nocens possit reddere Debitum innocenti, cum quo affinitatem contraxit. 255.2
An baptizans vel suscipiens proprium filium ex Baptismo priuetur iure petendi, aut reddendi Debitum. ibid.3
An priuetur iure petendi, qui extra necessitatem vt patrinus suscepit proprium filium. ibid.4
An priuetur iure petendi vxor, quæ per vim cognita fuit à consanguineo viri. ibid.5
An contrahens affinitatem ex ignorantia priuetur iure petendi. ibid.6

Defectus.

Circa quæ, & quandonam contingat Defectus. 88.1
An supplendus sit error circa substantialia commissus. ibid.2
Irregularitates prouenientes ex Defectu. 386

Defensio, Defendere.

Quid requiratur, vt homicidium factum ad sui defensionem sit licitum. 406.1
Quandonam dicatur seruari moderamen inculpatæ tutelæ. ibid.2
An sit irregularis occidens alium ad sui Defensionem. 407.3
An licitum sit homicidium factum ad se Defendendum à membri mutilatione. ibid.4
An sit irregularis occidens iudicem sibi iniustè parantem mortem. ibid.5
An captus ab hostibus possit occidere custodem. ibid.6
An sit irregularis, qui fure inuento clamat, Ad latrones, Cape, &c. ibid.7
An sit irregularis, qui alium occidit, vt se Defendat à graui deformitate vultus. ibid.8
An sit irregularis, qui tradit alteri arma, vt se Defendat, sed alter occidit inuasorem. ibid.9
An sit irregularis, qui alium occidit ad Defensionem honoris, & rerum suarum. ibid.10
An liceat occidere inuasorem proximi. 408.11
An sit irregularis, qui occidit inuasorem eius, quem tenetur Defendere. ibid.12
An sit irregularis, qui tradit arma alicui inuaso ad se Defendendum. ibid.13

Degradatus, Degradare, Degradatio.

Canonicus realiter Degradatus non percipit distributiones. 472.1
Excipitur casus dispensationis obtentæ à Papa. ibid.2
Huiusmodi degradatus non est alendus fructibus, aut distributionibus. ibid.3
Non solum realiter, verùm etiam verbaliter Degradatus caret distributionibus, nisi fortè legitimam appellationem interposuerit. ibid.4
Verbaliter Degradatus non videtur alendus distributionibus, etiamsi alioquin ostiatim quærere cogatur. ibid.5
Quotuplex sit Degradatio. 363.1
Quid sit Degradatio. ibid.2
Quænam differentia sit inter Degradationem actualem, & verbalem. ibid.3
Quomodo Degradatio differat à censuris, & irregularitate. 364.4
An Sacerdos consecratus valide consecret. ibid.5
Quænam crimina mereantur Degradationem. ibid.6
An Clericus ob frequentem fornicationem, seu concubinatum deponi debeat. ibid.7
An Degradatus alendus sit fructibus beneficij. ibid.8
Ad quem spectet Degradare. ibid.9
An Episcopus solum electus & confirmatus, possit aliquem degradare. ibid.10
An Episcopus alteri possit delegare facultatem Degradandi. ibid.11
An in depositione debeant alij assistere præter Episcopum. ibid.12
An Episcopi, seu Prælati debeant adesse in cognitione, & examine causæ, & in ferenda sententia depositionis, tamquam iudices, an solùm tamquam adsessores. ibid.13
An opus sit vt Prælati omnes consentiant. ibid.14
An Degradatio Clerici, sæculari Curiæ tradendi, facienda sit coram præfatis Abbatibus, seu Prælatis. 365.15
Quo in loco facienda sit Degradatio. ibid.16
An Episcopus in facienda Degradatione vti debeat vestibus Pontificalibus. ib.17
An Clericus minoribus tantum ordinibus insignitus Degradari possit. ibid.18
An aliquis Degradari possit absque accusatore, seu per viam solius inquisitionis. ibid.19
Quinam modus cognitæ iniustitiæ Degradationis seruandus sit in facienda restitutione Degradati nondum puniti à iudice sæculari. ibid.20
An verbaliter tantùm depositus restitui possit per Episcopum. ibid.21
An talis restitutio fieri possit absque consensu Capituli. 366.22

Delectatio, Delectari.

An in confessione explicanda sit circumstantia personæ, circa quam habita fuit Delectatio in aspiciendo. 267.16
Quid sit morosa Delectatio, & vndenam dicatur. 263.1
Quotuplex sit Delectatio. ibid.2
Quotuplex sit actus voluntatis. ibid.3
An Delectatio morosa de sola cogitatione rei illicitæ sit peccatum. ibid.4
Quale peccatum sit Delectatio de re turpi. ibid.5
An Delectatio de actu carnali sit mortale peccatum. ibid.6
An excusetur à mortali Delectatio de subtili modo, quem quis adhibuit in furando, occidendo, &c. ibid.7
An excusetur, qui Delectatur de homicidio vel furto aliàs secuto, vel qui pollutionem desiderat ex bono motiuo. ibid.8
An peccet mortaliter, qui Delectatur de malo proximi. 264.9
Quomodo peccet, qui se laudat, & iactat de aliquo peccato, aut de bono opere. ib.10
An peccet qui Delectatur de cibis. ibid.11
An peccent mortaliter coniuges, qui in absentia alterius Delectantur de actu coniugij præterito aut futuro. ibid.12
An peccet mortaliter vidua, quæ Delectatur de copula præterita; aut sponsa, quæ de futura. ibid.13
An semper peccet mortaliter vidua, & sponsa, quæ de actu coniugij Delectatur. ibid.14
Quæ differentia sit inter desiderium, & Delectationem. ibid.15
An peccet mortaliter, qui cupit coniungi in matrimonium, vt possit venereè Delectari. ibid.16
An dari possit paruitas materiæ excusans veneream Delectationem à peccato mortali. ibid.17
An Delectatio morosa sit eiusdem speciei cum opere externo. ibid.18
An Delectatio venerea sit eiusdem speciei cum opere externo. 265.19
An in confessione explicanda sit circumstantia personæ, circa quam sumitur Delectatio. ibid.20
An sit mortale desiderare rem illicitam sub conditione, si liceret. ibid.21
An excusetur, qui habet propositum sumendi vindictam de inimico, si liceret, vel nisi esset peccatum. ibid.22
An excusetur, qui cupit suspendere latrones, si esset iudex, aut qui cupit habere copulam cum Berta, si esset sua vxor. ibid.23
An excusetur, qui dicit in die ieiunij, ego comederem carnes, nisi hoc esset prohibitum. ibid.24
An excusetur Sacerdos, qui habet desiderium ducendi vxorem, si liceret. ibid.25
An excusetur, qui dicit, si Titius moreretur, ego maximè gauderem. ibid.26
An excusetur religiosus aut Sacerdos, qui dicit, nisi rationem mei status haberem, te occiderem, vel furarer, *&c.* ibid.27
An excusetur qui dicit, nisi essem religiosus, vel presbyter, committerem fornicationem. ibid.28
An excusetur, qui dicit, ego fornicarer, *&c.* nisi esset infernus. ibid.29
An excusetur, qui dicit, nisi esset timor Dei, ego non ieiunarem, *&c.* ibid.30
An peccet, qui dicit, si Titius hoc mihi feciſſet in adolescentia, vel ante præsentem statum, illum occidissem. ibid.31
An sit eadem ratio desiderij, & Delectationis. ibid.32
An excusari possit Delectatio carnalis sub conditione, si liceret. ibid.33

Denuntiare, Denuntiatio.

Qui non Denuntiat intra terminum, tenetur eo lapso Denuntiare, cùm primum commodè potest. 640.1
Qui non denuntiauit intra terminum præfixum, an toties incurrat excommunicationem, non Denuntiando quoties commodè potest Denuntiare. ibid.2
Non Denuntians iustum compensatorem, an ligetur excommunicatione, quoties ipse compensans non ligatur. 638.3
Non Denuntians impotentem restituere, an incurrat excommunicationem latam contra non Denuntiantes. ibid.4
Conscius iustæ compensationis, aut alterius causæ in iis casibus, in quibus non tenetur Denuntiare, an possit iurare se nihil scire, intelligendo intra se, vt teneatur manifestare. ibid.5
Conscij an ligentur excommunicatione non Denuntiando quando dubitant de iustitia compensationis, vel de impotentia restituendi. ibid.6
Num quis teneatur Denuntiare vendentem possessionem in confidentia, in præiudicium creditorum, qui ad hoc impetrant excommunicationem contra retinentes talem possessionem. ibid.7
Ex vi monitorij num teneatur quis prodere scripturas. ibid.8
Num ligentur excommunicatione lata contra iniustos detentores, qui damnum leue singuli intulerunt, quod simul sumptum constituit materiam notabilem. 639.9
De obligatione & pœnis contra eos, qui hæreticos non Denuntiant. 640
Nemo tenetur Denuntiare delicta in sui damnum, nisi aliter exigat bonum publicum, aut alia circumstantia. 636.1
Cessat obligatio denuntiandi, vbi ex Denuntiatione magnum imminet periculum Denuntianti. ibid.2
Socius delicti non tenetur ex vi monitorij manifestare delictum proprium, nisi iuridicè interrogetur. 637.3

. *Vxor non tenetur maritum Denuntiare.* ibid.4
Filius ex vi monitorij non tenetur prodere delictum patris, nec pater delictum filij. ibid.5
Excipiuntur casus hæresis, læsæ maiestatis, blasphemiæ, & sollicitationis in confessione. ibid.6
Filius spiritualis tenetur ex vi monitorij Denuntiare patrem spiritualem. ibid.7
Quo in casu vrgeat obligatio Denuntiandi Confessarium sollicitantem. 642.4
Quid si Confessarius tacitis verbis sollicites, vt laudando à pulchritudine, venustate, &c. ibid.5
Obligatio eadem Denuntiandi vrget, etiamsi Confessarius alliciat pœnitentem ad peccandum cum tertia persona. ibid.6
Etiamsi sollicitauerit ad venerea, antequam ista Bulla promulgarentur. ibid.7
Hæc sollicitatio debet esse facta à Sacerdote. ibid.8
Si Sacerdos sit emendatus, non amplius vrget præceptum Denuntiandi. ibid.9
Obligatio Denuntiandi Confessarium an obliget sub mortali. ibid.10
Præcepta humana non obligant cum graui incommodo. 643.11
Contra quam virtutem peccet pœnitens non Denuntiando Confessarium sollicitantem. ibid.12
Confessarius sollicitans ad alia peccata non venerea, vtrùm sit Denuntiandus. ibid.13
Sitne obligatio Denuntiandi Sacerdotem, qui ad venerea prouocauit in aliis Sacramentis à confessione. ibid.14
Confessarius ob aliorum criminum delationem iam conuictus, & condemnatus, an adhuc Denuntiandus. ibid.15
Præceptum Denuntiandi Confessarium sollicitantem, obligat omnes, & mares, & feminas. ibid.16
Quid si pœnitens ipse Confessarium sollicitarit, & ad venerea induxerit. ibid.17
Femina an teneatur deferre Confessarium, qui eam sollicitauit ad peccandum cum alio. 644.18
Vel si induxerit vt filiam sibi prostituat, seu aliam inducat ad peccandum secum, vel cum alio. ibid.19
Confessarius an teneatur deferre feminam se sollicitantem in confessione. ibid.20
Filia spiritualis vtrùm teneatur deferre patrem spiritualem, à quo sollicitata fuerit ad venerea extra sacramentum pœnitentiæ. ibid.21
Obligatus sub pœna censuræ ad Denuntiandum, debet esse subditus ipsi petenti censuram, & non subditus concedenti monitorium, edictum, vel legem sub excommunicatione, non ligatur excommunicatione lata contra non reuelantes. 636.1
Ciuis vnius diœcesis nondum elapso termino Denuntiandi, si transferat se ad aliam diœcesim animo ibi habitandi, num incurrat excommunicationem latam in prima diœcesi contra non reuelantes intra certum terminum. ibid.2
Quinam teneantur ad Denuntiandum ex vi monitorij. ibid.
Obligatio non est ea Denuntiandi, quæ non scimus verè, & realiter. 637.1
Qui audiuit delictum ab eo, qui illud Denuntiauit, an teneatur illud Denuntiare. ibid.2
Quid cùm ex Denuntiatione probabiliter creditur nullum remedium adhibendum à Prælato. ibid.3
Non tenetur quis denuntiare, quod non potest probare per legitimas probationes. ibid.4
Casus excepti ab hac regula. ibid.5
De onere, & obligatione Denuntiandi eos, quos iura, vel edicta Denuntiari præcipiunt. 636
Vtrùm facienda sit Denuntiatio illius, qui censuram contraxit. 296

Detestatio.

In susceptione Sacramenti pœnitentiæ quænam Detestatio requiratur. 107.5

Diaconatus.

Quænam sit materia Diaconatus. 188

Dies.

An Dies bissextilis computandus sit cum ætate legitima. 191.14

Differentia.

Differentia inter Sacramentum Pœnitentiæ, & Matrimonij. 103.3

Digitus.

An sit irregularis, qui amisit Digitos pedum, aut virilia. 388.32

Dimissoriæ.

Quandonam extinguantur Dimissoriæ. 190.22
An Capitulum possit, sede vacante Dimissorias concedere. ibid.23
An qui sine Dimissoriis, vel furtiuè contra prohibitionem ordinantis, accedit ad Ordines, incurrat suspensionem. ibid.32

Dispensatio, Dispensare.

Dispensatio in Simonia à nullo homine obtineri potest, excepto Papa, qui Dispensare potest in Simonia iuris Canonici. 600.1
Episcopus Dispensare non potest in Simonia. ibid.2
Forma certa verborum necessaria non est ad Dispensandum in Simonia. ibid.3
Quænam conditiones requirantur in obtinenda Dispensatione. 417.1
An qui obtinuit facultatem Dispensandi in irregularitate, possit cum eo Dispensari, si obtenta facultate denuò incidat in irregularitatem. ibid.2
An in dispensatione necesse sit dicere, dispenso te toties, quoties incurristi. *ibi.*3
An qui incurrit irregularitatem ob duplicem causam teneatur vtramque causam exprimere. ibid.4
An obtinens Dispensationem ob vnam causam censeatur dispensatus in irregularitatibus contractis ob aliam causam. ibid.5
An dispensatio sit latè, vel strictè explicanda. ibid.6
Quænam forma seruanda sit in concedenda Dispensatione. ibid.7
An valida sit Dispensatio hac forma obtenta, absoluo te ab irregularitate, quam contraxisti. ibid.8

Dispositio.

Dispositiones subiecti quotupliciter differant. 33.1
An requiratur aliqua Dispositio ex parte corporis in suscipiente Eucharistiã. 64.1

Distributiones.

Quid sint Distributiones. 459.1
An excommunicatus possit recipere Distributiones, quando per ipsum non stat, ne absoluatur. 324.7
De conditionibus requisitis in eo, qui ad Distributiones admitti cupit. 460
Vsus Distributionum non est inductus iure diuino, vel naturali, sed positiuo Ecclesiastico. 459.1
Respondetur rationibus quibus Moneta oppositum probat. ibid.2
Distributionum vsus ad augendum, & seruandum diuinum Officium inductus est. 460.3
Decima spiritualis soluitur Parochis de Distributionibus. 486.1
Decima non soluitur Papæ de Distributionibus, nisi hoc exprimatur in impositione decimæ. ibid.2
Vtrùm ex Distributionibus aliquid seminario soluendum sit. 487.3
Detentus iniustè carcere lucratur Distributiones. 469.1
Ampliatur primò, etiamsi iudex illum capi iussit præceperit. ibid.2
Ampliatur secundò, etiamsi prima sententia condemnatoria contra ipsum lata fuerit. ibid.3
Limitatur tamen, modò antea interesse consueuerit, nec propria culpa in carcerem coniectus sit. ibid.4
Canonico iniustè detento in carcere non debentur anniuersaria, seu funerales portiones, quamquam actionem habeat contra iniustum accusatorem. ibid.5
Qui ob iniustam accusationem Romam se contulit, ibiq; probata innocentia vitæ per sententiam absolutus fuit, Distributionibus gaudere potest. ibid.6
Qui ad Distributiones admittendus est, titulum, & possessionem beneficij habere debet. 460.1
Item eius esse debet ætatis, vt intra annum promoueri possit ad Ordinem, quem beneficium postulat. ibid.2
Hoc tamen intelligitur præciso priuilegio. ibid.3
Qui Canonicatum ex priuilegio ante legitimam ætatem obtinuit potest absque alia dispensatione Distributiones interessentiæ respondentes recipere, non verò quas lucraretur ratione functionis ordinis sui beneficij. ibid.4
Vnde colligere possumus an alicui beneficio adnexus sit Ordo sacer. ibid.5
Canonicus qui tempore diuinorum Officiorum Missam in sua Ecclesia celebrat, non lucratur Distributiones. 476.1
Hoc valet etiamsi celebret ex deuotione, vel tamquam mercenarius, vel tamquam Capellanus titularis. ibid.2
Idem valet etiamsi celebret de consensu superioris inferioris Summo Pontifice. ibid.3
Secus dicendum si hoc faciat ex priuilegio Summi Pontificis. ibid.4
Distributiones vnde nomen acceperint, & cur hoc nomine vocentur. 457.1
Distributiones aliquando vocantur portiones quotidianæ, veltuaria, aut victualia, sportulæ, & diaria, emolumentum beneficiorum, seu præbendarum, reditus beneficij, vel Ecclesiæ, prouentus Ecclesiastici, &c. ibid.2
Item vocantur aliquando manuale beneficium. 458.3
Distributiones, regulariter loquendo, distinguuntur à fructibus. ibid.4
Priuatus distributionibus, non obtinet censetur priuatus fructibus, modò beneficium simul reddat fructus & Distributiones. ibid.5
Habens facultatem lucrandi fructus, seu quantum lucraretur residendo, non potest Distributiones percipere. ibid.6
Pensio in dubio non censetur super Distributionibus imposita, nisi Summus Pontifex aliud exprimat, vel nisi beneficium in solis consistat Distributionibus. ibid.7. & 8
Distributiones in impetratione beneficij non exprimuntur, nec in valore beneficij computantur. ibid.9
In sequestratione fructuum, reddituum, & prouentuum non veniunt Distributiones. 459.10
Iniustè suspensus non priuatur Distributionibus. 470.1
Iustè suspensus ab Officio non priuatur Distributionibus, nisi fortè aliqua functiones deleantur ratione alicuius functionis ex officio debitæ, quam ob suspensionem exercere nequeat. ibid.2
Iustè suspensus à beneficio priuatur Distributionibus. ibid.3
Suspensus à diuinis priuatur Distributionibus, nisi fortè sit tolleratus, & assistat. ibid.4
Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ percipit iure sibi permittente, Distributiones, dum abest in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem. 472.1
Idem valet in dignitatibus, Mansionariis, aliisq; Clericis eiusdem Ecclesiæ. ibid.2.
Hoc tamen intelligitur primò, modò aliàs interesse consueuerit. ibid.3
Secundò intelligitur, modò non adsit consuetudo positiua in contrarium. ibid.4
Tertiò intelligitur, modò vtilitas sit certa, & euidens, & alicuius momenti. ibid.5
Quartò intelligitur, modò absit in vtilitatem propriæ Ecclesiæ. ibid.6
Quotupliciter Ecclesia accipiatur. 473.7
Absens causa confessionis suorum peccatorum, non lucratur Distributiones. ibi.8
Absens causa voti adimplendi non lucratur Distributiones. ibid.9
Absens ad necessitatem propriæ Ecclesiæ subleuandam, percipit Distributiones. ibid.10
Qui tempore diuinorum ex mandato Capituli detinentur in iis, quæ ad Capitulum faciunt, lucrantur Distributiones. ibid.11
Exercens iurisdictionem suæ Ecclesiæ, vel missus ad Summum Pontificem, aliúmve Principem titulo legationis nomine Capituli, lucratur Distributiones. ibid.12
Canonicus missus ad Concilium generale, tamquam Theologus, vel Canonista sui Capituli, vel tamquam Procurator, an lucretur Distributiones. ibid.13
Canonici missi ad limina Apostolorum ad referendum Ecclesiæ suæ statum lucrantur Distributiones. ibid.14
Qui prouinciam ad negotium in Ecclesiæ vtilitatem peragendum sibi demandari curauit, lucrari potest Distributiones. ibid.15
Canonicus à Capitulo constitutus ad negotia Ecclesiæ peragenda, lucrari potest Distributiones si ea tempore diuinorum peragat, quamuis alio tempore expedire potuisset, modò ei liberum esset quouis tempore expedire. 474.16
Proponuntur, & dissoluuntur argumenta in contrarium. ibid.17
Qui ad peragenda Ecclesiæ negotia citius discessit, aut diutius distulit, quàm par sit, non lucratur Distributiones illi tempori respondentes, quo diutius regressum distulit, vel citius discessit. ibid.18
Quantum temporis computandum sit dum quis ad negotium Ecclesiæ peragendum discessit. ibid.19
Canonicus legitimè absens lucratur pro tempore absentiæ Distributiones, etiamsi absens aliquot horas, vel dies sine detrimento iustæ causæ, ob quam abest, in ludos insumat. ibid.20

Qui mandatum à Capitulo accepit ad peragendum matutino tempore negotium Eccleſiæ lucratur Diſtributiones, etiamſi matutino tempore propriis negotiis vacet, dilato poſt prandium Eccleſiæ negotio expediendo. ibid.21

Ad lucrandas Diſtributiones non eſt abſenti neceſſaria Epiſcopi licentia. ibid.22

Iuſtè excommunicatus priuatur Diſtributionibus, etiamſi petat abſolutionem, & iuſtè denegetur: ſecus ſi iniuſtè denegetur. 469.1

Hoc tamen intelligitur primò, modò ſit excommunicatus excommunicatione maiori. Secundò, modò ſit excommunicatus vitandus. ibid.2

Excommunicatus abſens à Choro aliquibus diebus, poteſt tempus abſentiæ computare intra bimeſtre, quo impunè à Choro abeſſe poteſt. 470.3

Inualidè excommunicatus non amittit Diſtributiones, imò ſubtractas recuperat, poſtquam conſtitit de iniuſtitia. ibid.4

Diſtributiones ob iniuſtam excommunicationem amiſſæ, repeti debent ab ipſis Canonicis, quibus applicatæ fuerunt, & in ipſorum defectum, à iudice. ibid.5

Aliter tamen ſentiendum eſt in foro conſcientiæ, ſi iudex bona fide excommunicauit, aut ſi Canonici bona fide conſumpſerunt, nec in vlla re locupletiores effecti ſunt. ibid.6

Non eſt neceſſe, vt qui ad Diſtributiones admittendus eſt, actu habeat Ordinem beneficio adnexum. 460.1

Limitatur, niſi adſit conſuetudo in contrarium. 461.2

Illi, qui intra annum debito ordine initiatus non eſt, ſubtrahitur dimidia pars Diſtributionum. ibid.3

Cui ad Diſtributiones ius competat. ibid.

Abſenti in ſeruitio Papæ debentur fructus, ſed non diſtributiones præciſo priuilegio. 475.1

Quinam dicantur eſſe in ſeruitio Papæ. ibid.2

Inſeruienti Cardinali, vel Principi ſæculari non ſolùm Diſtributiones denegantur, verùm etiam fructus ſubtrahi poſſunt. ibid.3

Probabilius eſt etiam inſeruienti Legato Summi Pontificis ſubtrahi poſſe Diſtributiones. ibid.4

Canonicus, qui beneficio priuatus eſt, non habet ius ad Diſtributiones. 472.1

Diuerſos effectus operatur priuatio ipſo iure inducta, quàm inferenda. ibid.2

Quid operetur appellatio, & quotuplex appellatio interponi poſſit. ibid.3

Qui per ſententiam liberatus eſt, fruitur Diſtributionibus. ibid.4

Iniuſtè materialiter priuatus beneficio, Diſtributionibus caret. ibid.5

Ius Diſtributionum competit Clericis Eccleſiæ Collegiatæ, vel Cathedralis intereſſentibus, & inſeruientibus iuxta præſcriptum. 461.1

Qui vult lucrari Diſtributiones, debet ad eas admitti, intereſſe, & canere quæ alternatim dicuntur. ibid.2

Debet etiam inſeruire iuxta munus ſui beneficij. 462.3

Ad quem pertineat Diſtributionum quotam Horis Canonicis aſſignare, & quam partem aſsiſtentes acquirant. ibid.4

Quid inſpicere debeant qui Diſtributiones præſcribunt intereſſentibus. ibid.5

Canonicus illius Eccleſiæ, in qua aliquæ preces particulares recitantur, non tenetur eas extra Chorum recitare. ibid.6

An in Diſtributionibus aſſignandis habenda ſit ratio Capitulorum, & proceſſionum. ibid.7

In aſſignanda Diſtributionum taxa inſpiciendam eſſe officij ſolemnitatem, & quantitatem. ibid.8

In aſſignanda taxa Diſtributionum non eſt neceſſariò ſeruanda forma Pij V. ibid.9

An, qui inchoato Matutino, ad Chorum accedit, priuetur Diſtributionibus toti Matutino reſpondentibus. ibid.10

Ius percipiendi Diſtributiones competit ſolis intereſſentibus, ob id Canonicus qui Choro non intereſt etiam primis ſex menſibus, aut tempore permiſſo in Concilio Tridentino, non lucratur diſtributiones. ibid.11

Canonicus aſſiſtens lucratur Diſtributiones, etiamſi peccator ſit occultus, vel publicus, vel fornicator. 463.12

Attentè non recitans, aut obdormiens, aut confabulans aliis recitantibus, etiam ſi ad lectoralia, non percipit diſtributiones. ibid.13

Canonicus non amittit de iure communi Diſtributiones dum non eſt in ſuo ſtallo, aut non induit habitum Canonicorum, ſed quia non recitat. ibid.24

Abſens cauſa grauis infirmitatis percipit Diſtributiones. 467.1

Secus ſi morbus leuis ſit. ibid.2

Leuior morbus excuſat ab intereſſentia in Choro, quàm à recitatione diuini Officij. ibid.3

Quis Morbus cenſeatur grauis. ibid.4

Abſens cauſa infirmitatis recipit Diſtributiones etiam præciſa conſuetudine recipiendi. ibid.5

Idem valet in infirmo, quamuis in loco beneficij tunc temporis non exiſtat. ibid.6

Idem militat etiamſi propria culpa morbum contraxerit. ibid.7

An famulo ægrotanti ſalaria, aut alimenta debeantur. ibid.8

Abſens ex ignauia non lucratur Diſtributiones. ibid.9

Infirmus, qui aliàs intereſſe non conſueuit, non lucratur Diſtributiones. ibid.10

Nonnulli tamen ſentiunt infirmum poſſe Diſtributiones lucrari, etiamſi aliàs conſuetudinem haberet non intereſſendi. ibid.11

Infirmo, qui aliàs intereſſe ſolebat conferendæ ſunt Diſtributiones pro rata temporis, quo intereſſe conſueuerat. ibid.12

Laborans graui podagra, aut ſimili morbo, excuſatur ab aſſiſtentia in Choro, nec non lucrari poteſt Diſtributiones. 468.13

Ampliantur, & limitantur quæ ſuprà dicta ſunt. ibid.14

Extant aliæ Diſtributiones præter proprias. 459.2

Anniuerſaria non ſunt propriè Diſtributiones, ſed ipſarum priuilegio gaudent. ibid.3

Quibus conferendæ ſint Diſtributiones. ibid.4

Quot ſint Diſtributionum genera. ibid.5

Abſens cauſa peſtis lucratur Diſtributiones, modò curam non habeat animarum. 468.7

Abſens ob grauem metum, ob bellum, ob iniuſtum Principis præceptum, ob inimicitias, ſimileſq; cauſas, lucratur Diſtributiones. ibid.8

Qui ob periculum peſtis, vel alterius morbi repellitur ab vrbe, aut qui per vim detinetur, percipere poteſt Diſtributiones. ibid.9

Iniuſtè pulſus in exilium, &c. non priuatur Diſtributionibus. 469.10

Abſens ob iuſtam, & rationabilem corporis neceſſitatem lucratur Diſtributiones. 468.1

Hoc procedit quamdiu durat neceſſitas. ibid.2

Limitatur modò non adſit poſitiua conſuetudo in contrarium. ibid.3

Diſtributiones conceduntur ei, qui de conſilio Medici domi ſe continet, aut pharmacum ſumit, aut ſanguinem miſit, aut qui oppido egreditur, vt ſalubriori aura vtatur. ibid.4

Idem procedit in eo, qui ob cantum defatigatus aliquantiſper egreditur Choro. ibid.5

Idem militat in ſene qui ſenectutis cauſa transferre ſe nequit ad Chorum. ibid.6

Canonici, quibus locorum piorum cura demandata eſt, non percipiunt Diſtributiones tempori abſentiæ reſpondentes. 478.1

Hoc tamen intelligitur præciſa conſuetudine, vel priuilegio. ibid.2

Refertur priuilegium D. Carolo conceſſum. ibid.3

Hoc priuilegium adhuc viget. ibid.4

Canonici examinatores non poſſunt ex vi præfati priuilegij manè abeſſe. ibid.5

Habens dignitatem, vel Canonicatum cum animarum cura non lucratur Diſtributiones tempore abſentiæ. ibid.1

Hoc tamen intelligitur primò, modò beneficium habeat Diſtributiones, & fructus. ibid.2

Secundò intelligitur, niſi adſit priuilegium, vel conſuetudo in contrarium. ibid.3

Affertur ratio ad oſtendendum cur huiuſmodi priuilegium, vel conſuetudo inducta ſit. ibid.4

Ex decreto Tridentini, qui dignitatem habet cum cura animarum extra Diœceſim, lucratur Diſtributiones extraordinarias. ibid.5

Abſens poteſt ex priuilegio Summi Pontificis lucrari Diſtributiones. 479.1

Abſens ex priuilegio conceſſo ab inferiori Summo Pontifice non lucratur Diſtributiones. ibid.2

Vtrùm licita, aut valida ſit compoſitio, qua abſens priuilegium obtinet, retinendi ſibi Diſtributiones ſoluta certa pecuniæ ſumma Cameræ Apoſtolicæ. ibid.3

Priuilegium, quo abſenti datur facultas percipiendi Diſtributiones, ſtrictè explicandum eſt. ibid.4

Habens priuilegium percipiendi omnes fructus non poteſt percipere Diſtributiones, niſi fortè beneficium nullos alios habeat reditus præter Diſtributiones. ibid.5

Habens priuilegium percipiendi Diſtributiones non lucratur mortuaria, & anniuerſaria. 480.6

Habens priuilegium non reſidendi certo anni tempore cum iure ad Diſtributiones, non poteſt huiuſmodi priuilegio vti, dum vſu priuilegij diuinus cultus notabiliter læderetur. ibid.7

Quid facere debeant Epiſcopi ne propter abſentiam Canonicorum Eccleſia damnum patiatur. ibid.8

Priuilegium, quo Canonici ſine iactura Diſtributionum duobus menſibus in anno cauſa recreationis, vel negotiorum ſuorum abeſſe poſſunt, computandum eſt intra totum annum pro rata temporis quo ad Diſtributiones admiſſi fuerunt. ibid.9

Habens priuilegium, quo duorum menſium ſpatio abeſſe poſſit ſine Diſtributionum amiſſione hoc priuilegio integrè gaudere non poteſt, ſi vltra duos menſes non inſeruiat, iuxta Monetam, ad cuius ſententiam probandam afferuntur rationes, & argumenta. ibid.10

Sed contrarium ab Auctore defenditur. ibid.11

Rationibus Monetæ reſpondetur. ibid.12

Habens priuilegium, quo poſſit non intereſſe duobus menſibus, ſpatio duorum menſium naturalium, id eſt, ſexaginta diebus naturalibus abeſſe poteſt, contra Monetam. ibid.13

Hoc tamen limitatur præciſa conſuetudine in contrarium. 481.14

Habens præfatum priuilegium, poteſt quouis tempore abeſſe, niſi aliud obſtet. ibid.15

Habens priuilegium percipiendi fructus, vel Diſtributiones, non poteſt cogere Capitulum ad reſtitutionem fructuum, ſeu Diſtributionum, poſtquam bona fide facta fuit illarum diuiſio inter Canonicos. ibid.16

Vtrùm licita, aut valida ſit colluſio, vel tranſactio circa Diſtributiones. 485

Donatio Diſtributionum iure communi vetita non eſt. ibid.1

Canonicus donare poteſt Diſtributiones quas accepit per ſe, vel Procuratorem, ſeu Theſaurarium, qui eas ad partem ex mandato Canonici retinet. ibid.2

Canonicus, qui Diſtributiones amiſſas tradit intereſſentibus, hac conditione, vt ſibi reſtituantur, non eſt tutus in conſcientia, ſi eas recipiat. ibid.3

Iure particulari in aliquibus locis non ſolùm illicita eſt remiſſio Diſtributionum, verùm etiam donatio. ibid.4

Illicita eſt Diſtributionum remiſſio. 484.1

Non ſolùm illicita, verùm etiam inualida eſt Diſtributionum remiſſio. ibid.2

Ampliatur concluſio, etiamſi abſentia contigerit ex iuſta cauſa. ibid.3

Non eſt tutus in conſcientia qui Diſtributiones accipit ob remiſſionem ſibi factam. ibid.4

Remiſſio Diſtributionum non ſolùm irrita eſt ſi de futuro fiat, verùm etiam ſi fiat de præterito. 485.5

Diſtributiones propriè acceptæ, quas quis ob abſentiam perdit, accreſcunt aliis intereſſentibus, modo aliqui interſint. 489.1

Diſtributiones impropriè acceptæ non debentur aliis aſſiſtentibus, ſed Eccleſiæ, vel pio loco, arbitrio Ordinarij. ibid.2

Diſtributiones, quibus Canonicus in pœnam delicti à iudice priuatur, tradendæ ſunt fiſco iuxta iudicis voluntatem. ibid.3

Conſuetudine induci poteſt, vt Diſtributiones abſentium Eccleſiæ tribuantur. ibid.4

Si nullus Canonicus interſit, Diſtributiones applicantur Eccleſiæ. ibid.5

Diſtributiones abſentium non accreſcunt iis qui ex legitima cauſa abſunt, ob quam iura proprias Diſtributiones concedunt, vt ſi abſint ob infirmitatem. 490.6

Quid intelligatur nomine Diſtributionis. 323.1

Canonicus realiter degradatus non percipit Diſtributiones. 472.1

Excipitur caſus diſpenſationis obtentæ à Papa. ibid.2

Huiuſmodi degradatus non eſt alendus fructibus, aut Diſtributionibus. ibid.3

Non ſolùm realiter, verùm etiam verbaliter degradatus caret Diſtributionibus, niſi fortè legitimam appellationem interpoſuerit. ibid.4

Verbaliter degradatus non videtur alendus Diſtributionibus, etiamſi alioquin oſtiatim quærere cogatur. ibid.5

Diuortium.

Quid, & quotuplex sit Diuortium. 258.1
An adulterium sit causa sufficiens faciendi Diuortium. ibid.2
An fieri possit Diuortium ob animum fornicandi, vel ob actus impudicos. ibid.3
An fieri possit Diuortium ob Sodomiam, aut bestialitatem. ibid.4
An Diuortium fieri possit ob pollutionem, aut propter concubitum cum femina mortua, aut cum bestia mortua. ibid.5
An vir, & vxor sint pares in causa faciendi Diuortium. ibid.6
Quænam notitia adulterij requiratur ad faciendum Diuortium. ibid.7
Quinam dicatur certus moraliter de adulterio alterius. ibid.8
An requiratur, vt adulterium probetur. ibid.9
An coniux innocens propria auctoritate possit facere Diuortium. ibid.10
An innocens, qui cum adultero fecit Diuortium, teneatur cum eo habitare, si per censuras ad id impellatur. ibid.11
An Diuortium fieri possit priuata auctoritate. 259.12
An coniux innocens teneatur aliquando facere Diuortium. ibid.13
An dentur aliqui casus, in quibus non liceat facere Diuortium. ibid.14
An quando vterque coniux commisit adulterium, sed vnus emendatus est, possit emendatus petere Diuortium. ibid 15
An coniux innocens possit facto Diuortio cogere adulterum, vt ad se redeat. ibid.16
An innocens possit reuocare adulterum in amicitiam. ibid.17
Quænam differentia sit inter incestuosum, & adulterum. ibid.18
An facto Diuortio, adulter habeat rationem contra alterum, qui post factum Diuortium lapsus est in adulterium. ibid.19
An adulter occultus possit petere debitum à coniuge ignorante adulterium suum. ibid.20
An facto Diuortio adulter possit amicabiliter petere debitum, vt recuperet ius amissum. ibid.21
An habens occultum vitium, quo cognito alter recederet à sponsalibus, possit cogere sponsum ignarum vitij, vt stet sponsalibus. ibid.22
An facto Diuortio coniux possit recipere sacros Ordines, aut religionem ingredi, altero manente in sæculo. 260.23
An manens in sæculo teneatur votum castitatis emittere. ibid.24
Quibus de causis fieri possit Diuortium ad tempus. ibid.25
Quemnam sequantur filij, facto Diuortio. ibid.26
Diuortium, vide, Coniux.

Docens.

Docens leges, vel medicinam coram religioso non grauiter peccat, nec excommunicationem incurrit. 504.10
Docens Christianam doctrinam, præuio pretio, non committit Simoniam, nisi illam doceat concionando, & persuadendo. 564.9

Doctoratus.

Doctoratus, seu magisterium non est materia Simoniæ. 564.12

Doctor.

Doctor, seu magister retinens in suis scholis religiosum habitu exutum, non ligatur excommunicatione, si eum retineat dum lectio non habetur. 506.9
Doctor, seu magister docens aliquos dum nouit religiosum in domo propinqua ipsum audire, non ligatur excommunicatione. ibid.10
Doctor, seu magister quidnam facere teneatur dum aduertit religiosum adesse in sua schola, qui dimisso habitu intendit ipsum audire. ibid.11

Dolor.

An Dolor præcedere debeat confessionem. 100.18
An dolor tempore antecedens confessionem sufficiat. ibid.17

Dolus.

An valida sint sponsalia per Dolum celebrata. 208.1
An decipiens cogi possit à decepto stare sponsalibus. 209.2
An valida sint sponsalia per Dolum incidentem celebrata, si sponsus cognito Dolo adhuc illa celebrasset. ibid.3
An publica honestas oriatur ex sponsalibus celebratis per Dolum dantem ipsis causam. ibid.4
An publica honestas oriatur ex sponsalibus per Dolum incidentem celebratis. ibid.5
An valida sint sponsalia per metum celebrata. ibid.6

Domicilium.

An sufficiat animus manendi alicubi ad contrahendum Domicilium. 189.10
Quis sit Minister eorum, qui vnum tantùm habent Domicilium. 154
Quis sit Minister eorum, qui duo habent Domicilia, vel vnum solum in vno loco, & quasi Domicilium in alio. ibid.2
Cuinam debeatur portio Canonica, seu quarta emolumentorum in funerali. ib.3
Proprius Sacerdos vagorum quis sit. ibid.4
Quis sit Minister iter agentium, & peregrinorum. ibid.5
An qui facit iter, vt proprios Parochos euitet, possit confiteri Sacerdotibus illius loci, in quo reperitur. ibid.6
An Sacerdos approbatus in aliqua diœcesi, possit omnes illius diœcesis ad se concurrentes audire. ibid.7
Quam facultatem habeant religiosi circa extraneos. ibid.8
An parochus teneatur Eucharistiam illis denegare, qui dedita opera ad alios Sacerdotes extra Diœcesim abierunt, illisq; peccata sua confessi sunt. ibid.9
An parochus, seu alter Confessarius, qui iurisdictionem in aliquem habet, possit ipsum extra propriam diœcesim audire, & absoluere. ibid.10

Domini, Dominium.

An Domini possint vendere seruos in locis distantibus, in quibus serui non possint reddere debitum. 229.8
An Domini peccent mortaliter, vendendo seruos, qui sine eorum licentia matrimonium contraxerunt. ibid.9
Dominium est facultas disponendi ad suum libitum suo nomine de re aliqua, modò lege non prohibeatur. 622.2

Domus.

Domus hospitalis quandonam censeatur fundata auctoritate Episcopi. 603.11

Dona, Donare.

Omnes vtriusque sexus, & conditionis, prohibentur Dona recipere à religiosis. 615.1
Possitne quis remunerationis vice aliquid accipere à religioso. ibid.2
Vtrùm religiosus paulatim accipiens, seu aliis Donans res leues, quæ simul sumptæ faciunt materiam notabilem afficiatur pœnis constitutionis Clementis VIII. 617.7
Vtrùm Donans res leues monasteriis, quæ coniunctæ cum materia, quam adierit vsurpari ab aliis religiosis, faciunt materiam grauem, grauiter peccet contra hanc Bullam. ibid.8
Deturne casus, in quo impunè religiosus potest aliquid Donare. ibid.9
Pœnæ, quas incurrunt religiosi Donantes contra constitutionem Clementis VIII. 616.1
Quid nomine bonorum, graduum, officiorum, & dignitatum, quorum priuationem incurrit religiosus Donans, intelligatur. ibid.2
Num hæ pœnæ ligent ante vllam iudicis sententiam. ibid.3
Quantitas requisita ad incurrendam mortalem culpam contra paupertatis votum. ibid.4

Dubitare, Dubitans, Dubium.

Dubitans an Officium recitauerit, iterum recitare tenetur, nisi dubium prudicè deponat. 453.11
Dubitans an Psalmum, Antiphonam, vel quid simile recitauerit, non tenetur iterum recitare. ibid.12
Quandonam dicatur Dubium iuris, & Dubium facti. 385.1
An aliquis in Dubio iuris præsumatur irregularis. ibid.2
An præsumatur irregularis in Dubio facti. ibid.3
An præsumatur irregularis, qui Dubitat, an aliquem mutilauerit. ibid.4
An suscipiens ordines cum Dubio irregularitatis possit illos exercere. ibid.5
An sit irregularis, qui procurat abortum, sed Dubitat an fœtus sit animatus. ibid.6
An consulens homicidium præsumatur irregularis, quando Dubitat, an suo consilio influxerit in homicidium. ibid.7
An censeatur irregularis, qui Dubitat, an ille, cui dedit consilium occidendi, commiserit homicidium. ibid.8
Dubitans rem temporalem traditam fuisse gratis, vel animo obtinendi beneficium, quomodo se gerere debeat. 551.2

Duellum.

Duellum quid sit. 346.2
Iurantes sponte de tenendo schismate, suspensione ligantur. An prouocantes ad Duellum, vel raptores sint ipso iure suspensi. 359.38
Duellum quot modis accipiatur. 346.1
Bellum non est Duellum. ibid.3
Conflictus qui fiunt in bello inter hostes non sunt Duellum. ibid.4
Conflictus qui subito iræ furore nascuntur non sunt Duella. ibid.5
Inuitans ad pugnandum ob priuatas inimicitias, non committit Duellum. ib.6
Diffidantes se ad pugnandum in aliquo loco, quo statim tendunt, Duellum committunt. ibid.7
Pugnam inchoans in Ecclesia non videtur incidere in pœnas Duellum committentibus propositas si Ecclesia egrediantur ob ipsius reuerentiam, & pugnam extra Ecclesiam committant. ibid.8
Duellum offerens alteri, illumq; eodem tempore aggrediens, Duellum non committit. ibid.9
Digladiantes causa ioci, vel exercitij, non committunt Duellum. ibid.10
Mulieres capillos adinuicem euellentes, aut pugnis, aut alio instrumento non periculoso se petentes, non incurrunt pœnas ob Duellum impositas. ibid.11
Decertantes saxis, cultellis, baculis, & fustibus, committere possunt Duellum, modò hæc pugna fiat ex recondito. ibid.12
Duelli pœnas non incurrit, qui domum accedit ad capienda arma, & nulla facta ad Duellum prouocatione rediens inimicum diffidat, & statim aggreditur. ibid.13
Diffidans alterum non animo pugnandi, sed causa honoris proprij defendendi, non afficitur excommunicatione. ibid.14
Prouocantes se ad pugnam nullo statuto loco & tempore, non afficiuntur excommunicatione. ibid.15
Deambulans ante inimicum, aut torua facie intuens, aut ensem distringens & similia, non afficitur excommunicatione. 347.16
Duellum proponens grauiter peccat per se loquendo. ibid.17
Duellum illicitum est, per se loquendo. ibid.18
Duello dirimi non potest lis, etiamsi aliter dirimi nequeat. ibid.19
Explicantur censuræ per Duellum impositæ. ibid.20
Clericus pugnans in Duello, quas pœnas incurrat. ibid.21
Duello decertantes priuantur Ecclesiastica sepultura, etiam ante iudicis sententiam. ibid.22
Enumerantur personæ, quæ his pœnis subiiciuntur. ibid.23
Assignantur actiones causa Duelli sub censuris, & aliis pœnis prohibitæ. ibid.24
Refertur Bulla contra Duellum edita. 348.25
Princeps concedens locum in suo territorio duobus infidelibus non incurrit excommunicationem. ibid.26
Duellum mandans, vel consulens ligatur excommunicatione. ibid.27
Duellum consulens, vel mandans an ligetur excommunicatione, etiamsi non influat in effectum. ibid.28
Duellum acceptans incurrit pœnam statim ac acceptauit. ibid.29
Spectator Duelli ligatur excommunicatione. ibid.30
Duello decertanti accommodans arma in pœnas incidit. ibid.31
Narrans aliquid ex quo præuidet Duelli occasionem accepturos non incurrit excommunicationem ex sententia Auctoris. 349.32
Excommunicatio, & aliæ pœnæ an incurrantur statim ac præstita est aliqua actio etiamsi Duellum non sequatur. ibid.33
Libellum procuratorium componens, sed non affigens, non afficitur excommunicatione, secus si affigat, vel publicet. ibid.34
Consilium vel mandatum præbens ad pugnandum in Duello, non ligatur excommunicatione si influxum consilij, vel mandati reuocauit ante prouocationem, & pugnam. ibid.35
Consulens vel prouocans ad Duellum, ligatur excommunicatione, etiamsi conatus fuerit influxum reuocare, sed re ipsa non reuocarit. ibid.36
Ratum habens Duellum non ligatur excommunicatione. 350.37
Quisnam possit ab excommunicatione in causa Duelli contracta, absoluere. ib.38
Episcopus absoluere potest ab excommunicatione contracta ob Duellum modò delictum sit occultum. ibid.39

Religiosi an possint absoluere ab excommunicatione ob Duellum contracta.ibi.40
An is, qui præmissa ad Duellum prouocatione contulit se ad locum cõstitutum,& altero non comparente discessit, inciderit in excommunicationem, & absolui possit à religiosis virtute priuilegiorum. ibid.41
Religiosi absoluere non possunt à casibus Duelli expressis in constitutione Gregorij. & decreto Concilij. ibid.42

E

Ebrietas.

AN validè baptizet tempore Ebrietatis, qui prius habuit intentionem baptizandi tali tempore. 12.17

Ecclesia.

Quomodo empta nomine Ecclesiæ fiant propria ipsius Ecclesiæ. 624.21
An Ecclesia confessionem venialium præcipere possit. 98.8
In qua Ecclesia residendum sit, dum quis plura beneficia habet. 464.2
Canonici recipiunt distributiones eo tempore, quo propter Ecclesiæ pollutionem Diuina Officia in Choro celebrari non possunt. 471.1
In quibus casibus Ecclesia polluatur. ibid.2
Ecclesia non censetur polluta, nisi postquam delictum publicum effectum est. ibi.3
De alienatione bonorum Ecclesiasticorum. 601

Effectus.

Effectus pœnitentiæ quoad irreuocabilitatem peccatorum semel dimissorum. 144
Effectus Sacramenti pœnitentiæ circa remissionem peccatorum mortalium. 137
De Effectu secundario aliquorum Sacramentorum, id est, charactere. 17
Quem Effectum præstet martyrium, & quomodo illum præstet. 24
Effectus martyrij quotuplex sit. ibid.1
An obtineatur remissio culpæ admissæ in susceptione martyrij. ibid.2
Laureola martyrij quid sit. ibid.3
An martyrium conferat gratiam ex opere operato. ibid.4
Quomodo martyrium conferat gratiam, moraliter scilicet, an physicè. ibid.5
Vide Martyrium.

Eiectus, eiicere.

Vtrùm religiosus Eiectus eximatur à votis, & oneribus religionis, quamdiu in sæculo manet. 529
Eiectus à religione per fraudem ab ipso Eiecto commissam non tenetur quidquam religioni restituere. ibid.14
Eiiciendi facultas cuinam competat. ibid.15
Eiectus à religione suspensus est ab exercitio Ordinum. 531.1
Nouitius Eiectus non est suspensus. ibid.2
Eiectus non remanet suspensus si iterum recipiatur, vel ad aliam religionem transeat. 532.3
Assignatur effectus istius suspensionis. ibid.4
Suspensio lata contra Eiectos reseruata est Summo Pontifici. ibid.5
Eiectus à religione quandonam sit irregularis. ibid.6
Eiectus à Religione non potest ad mortem damnari à superioribus religionis.ibi.7

Electio.

Electio simoniaca Pontificis irrita est. 592.16

Eleemosyna.

Prælatus Religionis quas Eleemosynas, & donationes facere possit de bonis Religionis. 618.1
Ad faciendas tales donationes qualis consensus Capituli, vel conuentus requiratur. ibid.2
Prælatus religionis an possit aliquid in ludos illicitos, aut in vanas causas expendere. ibid.3
Num possit aliquid testamento relinquere. ibid.4
Religiosus subditus nullas Eleemosynas, vel donationes facere potest absque superioris licentia. ibid.5
Quis superior possit hanc facultatem concedere. ibid.6
Abbatissæ an possint hanc facultatem concedere suis monialibus. ibid.7
Quam quantitatem expendendi possit superior religioso concedere præcisa Bulla Clementis VIII. ibid.8
Qualis causa requiratur in hac facultate concedenda. ibid.9
An possit religioso concedi licentia instituendi Capellaniam cum quadam limitatione. ibid.10
Hæc licentia num sufficiat tacita, vel requiratur expressa. ibid.11
Quando censeatur adesse tacita superioris licentia. 619.12
Requiratúrne licentia tacita de futuro, an de præsenti. ibid.13
In quo casu excusetur religiosus à mortali, si aliquid expendat, aut donet in eleemosynam non habens certitudinem huius licentiæ sibi concedendæ. ibid.14
Consuetudo religionis in qua tacita licentia sufficiat, excusat à mortali. ibid.15
Religiosus absque expressa facultate accipiens, vel expendens aliquid ad subueniendum extremæ necessitati proprię, vel alienæ, non peccat mortaliter.ibid.16
Quid de religioso in claustro, vel extra claustrum viuente, cui assignata sit certa quantitas ad suam sustentationem, an possit de illa disponere ad suum libitum. ibid.17
Religiosus absens à monasterio causa studiorum, vel negotiorum, vel peregrinationis, potest Eleemosynas, & donationes facere iuxta consuetudinem sui monasterij. ibid.18
Procuratores, & Cellarij possunt Eleemosynas, & donationes facere iuxta quantitatem administrationis, & consuetudinem. ibid.19
Monachus furans aliquid extraneo, potest restitutionem facere ex peculio, quod habet cum licentia disponendi, vt sibi placuerit. ibid.20

Eligere.

Quinam habeant facultatem Eligendi sibi Confessarium. 155.1
An obtinens à Sede Apostolica, vel ab Episcopo facultatem Eligendi Confessarium, possit sibi eumdem eligere mortuo concedente. ibid.2
An hoc priuilegium extendatur ad iurisdictionem Vicarij, aut Visitatoris.ibid.3
An facultas Eligendi Confessarium finiatur per primam Electionem. ibid.4.
Quem Sacerdotem possit Eligere qui facultatẽ habet eligendi Confessarium.ibi.5

Emptio.

Emptio officij Ecclesiastici merè temporalis valida videtur. 590.5

Episcopatus, Episcopus.

Quæ materia Episcopatus. 188.10
An Episcopatus sit Ordo. 187.3
An validè conferri possit Episcopatus non Sacerdoti, vel infanti. ibid.4
An Episcopatus conferri possit ante rationis vsum. 291.4
Episcopus religiosus bona, quæ acquirit à die confirmationis Pontificiæ acquirit Ecclesiæ cuius est Episcopus. 514.16
An Episcopus dispensare possit, vt homicida recipiat beneficiũ, vel ordines. 414.3
An Episcopus dispensare possit cum iudice qui causam sanguinis egit. ibid.4
An Episcopus dispensare possit in homicidio casuali. ibid.5
An Episcopus dispensare possit in homicidio ex subita rixa secuto. ibid.6
An dispensare possit cum eo, qui habuit intentionem leuiter percutiendi, sed secutum fuit homicidium. ibid.7
An Episcopus dispensare possit cum eo qui mandauit seruo, vt procuret, sed alter occidit. ibid.8
An dispensare possit in homicidio facto ad defensionem non seruato moderamine inculpatæ tutelæ. ibid.9
An Episcopus dispensare possit in irregularitate ex bello proueniente. ibid.10
An Episcopus dispẽsare possit, quãdo irregularitas prouenit ex mutilatione.ibi.11
An Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem dispensare possint in irregularitate, ex casuali homicidio, vel ex mutilatione proueniente. ibid.12
An habens facultatem dispensandi in irregularitate excepto homicidio voluntario, possit absoluere ab irregularitate proueniente ex homicidio casuali, & non casuali. ibid.13
An Episcopus abutens potestate ordinandi, sit irregularis. 400.24
Quisnam dicatur Episcopus originis. 189.13
Episcopus potest aliquos Canonicos adhibere, qui interim fruuntur fructibus, etiamsi in ea Ecclesia exter statutum iuratum, quo fructus non residentibus denegantur. 475.4
Episcopus potest in sui seruitium adhibere non solum Canonicos vrbis, verùm etiam ruris. ibid.5
Episcopus non potest secum adhibere Canonicos alterius Diœcesis, alioquin hi, tamquam non residentes priuantur fructibus. ibid.6
Mansionarij aut alij, qui non sunt proprie Canonici priuari possunt distributionibus dum absunt in seruitium Episcopi. ibid.7
Quisnam dicatur proprius Episcopus. 189.8
Episcopus domicilij quis sit. ibid.9
Episcopus beneficij quis sit. ibid.14
Episcopus, Vicarius generalis, & Capitulum sede vacante, aliique iurisdictionem Episcopalem habentes, concedere possunt licentiam ingrediendi monasteria sibi, & Sedi Apostolicæ subdita. 536.2
Episcopus potest facultatem exeundi monialibus, sibi vel Summo Pontifici subiectis concedere. Monialibus verò subditis religiosis concedunt superiores religiosi, & simul Episcopus. 494.1
Episcopus, seu beneficij collator nihil exigere potest ob beneficij collationem.566.11
Episcopus separans Ecclesiam sui iuris à sua dignitate, aliquid exigere potest in recognitionem iuris antiqui. ibid.12
Episcopus, qui debitam diligentiam non adhibet circa electum ad curam animarum suspenditur. 360.18
Episcopus, aut alius beneficiorum collator beneficij resignationem contra præscriptum Bullæ Pij V. admittens. ibid.19
Episcopus accipiens aliquid in visitatione, in pecunia, &c. extenditur ad alios, restringitur ad visitantes ordinario iure: extenditur iterum ad Religiosos, præcisis statutis, &c. ibid.20
Episcopus, aut etiam Cardinalis indicem casuum, gratiarum, & Indulgentiarum certo soluto pretio proponens. 361.21
Episcopus Commissarius, vel Delegatus, &c. qui per gratiam, timorem, &c. in detrimentum Ecclesiæ sibi commissa potestate vtitur. ibid.22
Episcopi abutentes officio Inquisitorum in causis fidei. ibid.23
Episcopi aliiq;, &c. procurantes vt Clerici capiantur à dominis temporalibus, vt beneficia resignent, vel citati ad Apostolicam Sedem accedere nequeant, à fructibus suarum Ecclesiarum suspenduntur. ibid.24
Limitatur modò secutus sit effectus. Extenditur ad Episcopos, qui simul sunt domini temporales & Episcopi. ibid.25
Episcopus relaxans pœnam contentam in cap. pessimam. *ibid.26*
Episcopus alienans bona Ecclesiarum, &c. absque licentia summi Pontificis suspensionem incurrit. Idem dic de Abbatibus. ibid.27
Episcopus bona Ecclesiarum sibi commissarum, sine Capituli consensu, & Sedis Apostolicæ facultate laicis subiiciens, ab officio simpliciter, & ab administratione rerum spiritualium, & temporalium Ecclesiæ grauatæ suspenditur. ibid.28
Episcopus ingrediens monasteria monialium, prima vice suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, secunda à diuinis, tertia excommunicatur. ibid.29
Episcopus Apostolorum limina non visitans, suspensionem incurrit. ibid.30
Quantum temporis Italus, Gallis, &c. aut aliis longinquioribus ad limina visitanda concedatur. ibid.31
Episcopus, qui post Concilium Prouinciale infrà sex menses clerum non conuocat. ibid.32
Episcopus qui contra Simoniacos procedere negligit. ibid.33
Episcopus permittens vsurarios publicos alienigenas conducere domos in suis terris ad exercendum fœnus, suspenditur. ibid.34
Alij Episcopi inferiores excommunicantur. ibid.35

Equites.

Equites religiosi seu Commendatarij, quandonam gaudeant priuilegio canonis. 338.9
Equites Ierosolymitani gaudentes commodis tenentur ad Officium. 424.3

Error.

An gesta cum Errore communi valida sint respectu ignorantis. 221.38

Erroris impedimenta.

Quotuplex sit Error. 227.1
An Error personæ dirimat matrimonium. ibid.2
An Error personæ irritet matrimonium inter infideles. ibid.3
Quinam dicatur Error comitans, & an irritet matrimonium. ibid.4
An Error qualitatis dirimat matrimonium. ibid.5
An validum sit matrimonium celebratum per dolum dantem ipsi causam. ibi.6
Quandonam Error qualitatis transeat in errorem personæ. 228.7
Validè contrahitur matrimonium cum eo, qui se fingit filium Regis, non explicans

cans cuius Regis filius sit. *ibid.*8
Validum est matrimonium, quando non intervenit Error personæ, sed qualitatis. *ibid.*9

Eucharistia.

An danda sit Eucharistia infirmo, dum ignoratur ipsius dispositio. 63.42
Dispositiones ex parte animæ requisitæ in suscipiente Sacramentum Eucharistiæ. 60
Effectus Sacramenti Eucharistiæ qui. 56
Quotuplex sit dispositio requisita in susceptore Eucharistiæ. 60.1
An suscipiens Eucharistiam debeat esse baptizatus. *ibid.*2
Quamnam intentionem habere debeat. *ibid.*3
An sit administranda Eucharistia amenti, vel in phrenesim lapso. *ibid.*4
An amenti danda sit Eucharistia, qui ante amentiam bene, & Christianè vixit. *ibid.*5
An ei dari possit Eucharistia, qui à dæmone obsidetur. 61.6
An semifatui possint ad Eucharistiam admitti. *ibid.*7
An suscipiens Eucharistiam debeat esse in gratia. *ibid.*8
An grauius peccet, quo grauius est peccatum, cum quo quis sumit Eucharistiam. *ibid.*9
An debeat esse in gratia, per confessionem, vel sufficiat per contritionem. *ibid.*10
An dubitans se mortaliter peccasse, teneatur confiteri ante sumptionem Eucharistiæ. *ibid.*11
An teneatur confiteri peccatum dubium, qui æqualiter dubitat, an sit confessus. *ibid.*12
An liceat aliquando ad Eucharistiam accedere non præmissa mortalium confessione. *ibid.*13
An teneatur confessionem præmittere, qui necessitatem habet celebrandi, sed absque scandalo præmittere nequit confessionem. *ibid.*14
An Sacerdos Missam inchoatam relinquere, vel ad Altare Confessarium accersere teneatur, si scandali periculum adsit. *ibid.*15
An Sacerdos aduertens se excommunicatum, vel non ieiunum, possit, Missam iam inchoatam relinquere. *ibid.*16
An laicus, qui iam ad linteum accessit cum aliis communionis gratia teneatur statim accedere ad Confessarium, si recordetur alicuius peccati. 62.17
An huiusmodi laicus teneatur recedere si non adsit periculum scandali. *ibid.*18
Quomodo se gerere debeat Confessarius erga scrupulosos. *ibid.*19
An Sacerdos teneatur ad altare audire reconciliationem alicuius communicaturi. *ibid.*20
An Sacerdos morti proximus celebrare possit, aut se communicare, si non habeat copiam Confessarij. *ibid.*21
An omissa confessione celebrare possit præmissa contritione, vt communicet infirmum. *ibid.*22
Parochus an celebrare possit ne Parochiani careant Missa: & quid de Capellano. *ibid.*23
An teneatur confessionem præmittere, qui caret copia Confessarij approbati, & ratione scandali vitandi communicare cogitur. *ibid.*24
An debeat præmittere confessionem qui tenetur in Paschate communicare. *ib.*25
An possit communicare prætermissa confessione, qui ob deuotionem solùm communicat habens peccata mortalia. *ibid.*26
An possit ad Eucharistiam accedere prætermissa confessione, qui caret proprio Sacerdote, quamuis alium approbatum habeat. *ibid.*27
An possit communionem sumere sine confessione, qui non habet copiam Confessarij approbati, vel timet manifestationem illorum quæ confitebitur. *ibid.*28
An possit quis eligere Confessarium non approbatum. *ibid.*29
Quanta loci distantia requiratur, vt quis dicatur non habere Confessarij copiam. *ibid.*30
An Sacerdos celebraturus carens Confessario, cui peccata reseruata manifestet teneatur confiteri peccata non reseruata. *ibid.*31
An credens se in statu gratiæ constitutum, recipiat fructum Eucharistiæ. 63.32
Quot peccata committat communicans non præmissa confessione. *ibid.*33
Quot peccata committat excommunicatus communicans. *ibid.*34
Contra quod ius peccet accedens ad Eucharistiam cum peccato. *ibid.*35
Cur probatio ante sumptionem Eucharistiæ fiat per confessionem. *ibi l.*36
An teneatur quamprimùm confiteri, qui accessit ad Eucharistiam sine confessione. *ibid.*37
An teneatur quamprimùm confiteri, qui ex sua malitia celebrauit sine confessione. *ibid.*38
An teneatur quamprimùm confiteri, qui post Missam recordatur alicuius peccati, cuius non recordabatur ante celebrationem. *ibid.*39
An quamprimùm confiteri teneatur Sacerdos, qui non præmissa confessione more laicorum communionem sumpsit. *ibid.*40
An Sacerdos, qui sine confessione celebrauit, teneatur statim iure diuino confiteri. *ibid.*41
An danda sit Eucharistia infirmo, dum ignoratur ipsius dispositio. *ibid.*42
Quandonam teneamur ex præcepto diuino Eucharistiam sumere. 66.1
An teneatur Eucharistiam sumere in periculo mortis, qui paulò ante mortem communicauit. *ibid.*2
An teneatur iterum communicare, qui post sumptum viaticum mortaliter peccauit. *ibid.*3
Nomen Eucharistiæ quid significet. 40.1
Quanta sit Eucharistiæ dignitas. *ibid.*2
Eucharistia quid sit. *ibid.*3
An spectent ad Sacramentum Eucharistiæ species consecratæ. *ibid.*4
Eucharistia quid dicat principaliter & in recto. *ibid.*5
Sacramentum Eucharistiæ in quonam consistat. *ibid.*6

Eucharistiæ necessitas.

An Eucharistia sit necessaria necessitate medij in re, vel in voto. 41.1
An infantibus necessaria sit necessitate medy. 42.2
An necessaria sit adultis baptizatu necessitate præcepti. *ibid.*3
An necessaria sit necessitate præcepti adultis non baptizatis. *ibid.*4

Eucharistiæ vnitas & multiplicitas.

An Sacramentum Eucharistiæ sit multiplex materialiter. 42.1
An sit multiplex formaliter. 43.2
An plures hostiæ consecratæ dicantur plura Sacramenta. *ibid.*3
An recipiens grandiorem hostiam maiorem gratiam recipiat. *ibid.*4
An Sacerdos communicans sub vtraque specie plus gratiæ recipiat. *ibid.*5
An conueniens fuerit institutio huius Sacramenti. 41.1
Sacramentum Eucharistiæ quandonam fuerit institutum. *ibid.*2
Quonam anno ætatis Christi institutum fuerit hoc Sacramentum. *ibid.*3
An Deus potuerit Christum ponere in Eucharistia ante incarnationem. *ibid.*4
An potuisset quis consecrare, si Deus ante incarnationem his verbis, Hoc est corpus meum, *dedisset eam virtutem, quam modo habent.* *ibid.*5
An requiratur aliqua dispositio ex parte corporis in suscipiente Eucharistiam. 64.1
Sacerdotes quomodo teneantur induere stolam dum communicant. *ibid.*2
An debeat abstinere à communione, qui peccatum carnale commisit. *ibid.*3
An peccet communionem recipiens post pollutionem sine culpa secutam. *ibid.*4
An recepturus Eucharistiam debeat esse ieiunus à media nocte. *ibid.*5
Quotuplex sit ieiunium. *ibid.*6
An frangat ieiunium, qui post mediam noctem deglutit aliquid, quod vespertino tempore ore sumpsit. *ibid.*7
An frangat ieiunium, qui medicinam ore sumit. *ibid.*8
An frangat ieiunium, qui dentibus aromata terit. *ibid.*9
An frangat ieiunium, qui traiicit papyrum. *ibid.*10
An suscepturus Eucharistiam debeat digessisse cibum, aut dormiuisse. *ibid.*11
An Sacerdos habens palato affixas reliquias hostiæ, possit secundam ablutionem sumere. 65.12
An possit reliquias hostiæ sumere in patena repertas post ablutionem. *ibid.*13
An possit purificare vasa, & reliquias sumere postquam diu se detinuit in communicandis alijs. *ibid.*14
An huiusmodi reliquiæ laicis dari possint. *ibid.*15
Quid faciendum, quando Sacerdos reperit aliquas particulas hostiæ, quas dubitat esse consecratas. *ibid.*16
An liceat aliquando sumere Eucharistiam fracto ieiunio. *ibid.*17
An possit eam sumere Sacerdos non ieiunus, si præuideat fore, vt Eucharistia ad manus infidelium perueniat. *ibid.*18
An qui aquam loco vini consecrauit, & sumpsit, teneatur de nouo vinum consecrare. *ibid.*19
An Sacerdos non ieiunus, si non adsit alius, debeat perficere Sacramentum inchoatum ab alio, qui post consecrationem moritur. *ibid.*20
An dari possit Eucharistia infirmo non ieiuno. *ibid.*21
An possit dari homini non ieiuno in casu mortis violentæ. *ibid.*22
An infirmus non ieiunus iterum possit ad Eucharistiam admitti. *ibid.*23
An Sacerdos non ieiunus consecrare possit ad communicandum infirmum. *ib.*24
An peccent comedentes statim post Eucharistiæ sumptionem. 66.25
Quotuplex effectus recipiatur in sumptione Eucharistiæ. 56.1
An recipiatur augmentum gratiæ. *ibid.*2
An recipiat augmentum gratiæ, qui Eucharistiam recipit cum actuali peccato veniali. 57.3
An Eucharistia præseruet à mortalibus. *ibid.*4
An liberet à venialibus peccatis. *ibid.*5
An per Eucharistiam remittantur venialia ex opere operato. *ibid.*6
An detur auxilium ad recte operandum. *ibid.*7
An Eucharistia nos vniat cum Christo, & fidelibus. *ibid.*8
An per Eucharistiam tollatur pœna temporalis. *ibid.*9
An species consecratæ nutriant corpus sumentis. *ibid.*10
Quo tempore Eucharistia suos producat effectus. *ibid.*1
An recipiant gratiam, qui species detinent in ore donec corrumpantur. *ibid.*2
An suscipiens plures hostias successiuè recipiat totum effectum in susceptione primæ hostiæ. *ibid.*3
An conferatur maior gratia ex opere operato quamdiu manent species in stomacho. *ibid.*4
An recipiat gratiam Sacerdos, qui deglutita parte tantùm hostiæ, moritur. *ibid.*5
An recipiens partem hostiæ cum peccato, recipiat gratiam, si statim per contritionem in gratia constitutus sumat reliquas hostiæ partes. 58.6
Quid significet in Sacramento particula, hoc *vel* hic. 52.1
An verba à Sacerdote prolata sint vera. *ibid.*2
Minister Eucharistiæ quis. 58
Obligatio sumendi Eucharistiam qualis. 66
Quid requiratur in conficiente, vel ministrante Eucharistiam. 59.1
An grauiter peccet, qui tangit Eucharistiam ob rationabilem causam. *ibid.*2
Quid teneatur præstare Sacerdos, qui peccato mortali detinetur. *ibid.*3
Quot peccata committat Sacerdos conficiens in peccato mortali. *ibid.*4
An plura peccata committat, qui in peccato administrat Eucharistiam pluribus successiuè. 60.5
An requiratur alia dispositio præter gratiam in administrante Eucharistiam. *ibid.*6
An Sacerdos possit Eucharistiam administrare non seruato ritu, & decentia Sacramento debita. *ibid.*7
An parochus Eucharistiam ad infirmum deferre possit sine decenti habitu. *ibi.*8
An possit deferre Eucharistiam moribundo fistinanter currendo. *ibid.*9
An Sacerdos possit Eucharistiam alio digito conferre, si ob infirmitatem nequeat eam pollice, & indice administrare. *ibid.*10
An Sacerdos chiragra laborans possit ad altare deferri, vt ibi Eucharistiam administret. *ibid.*11

Examen, Examinatores.

Quo iure Examen conscientiæ ad confessionem requiratur. 112.1
Qualenam Examen requiratur, & sufficiat ad Confessionem. *ibid.*2
An ad Examen sufficiat mediocris diligentia. *ibid.*3
An habens lubricam memoriam peccata scribere teneatur. 113.4
An ad nouam Confessionem teneatur qui conscientiæ Examen non præmisit. *ibid.*5
Quid si confessarius supplenit Examen per diligentem interrogationem. *ibid.*6
An Confessarius teneatur pœnitentem interrogare. *ibid.*7
An Sacerdos debeat illum absoluere, quem certò nouit mentiri, dicendo se conscientiæ Examen præmisisse. *ibid.*8
Examinatores Simoniam committentes priuantur beneficijs ritè antea obtentis si occasione examinis aliquid accipiant. 594.5

Examinatoribus conferri potest aliquid ab Episcopo titulo præmij, vel sustentationis. ibid.6
Examini assistens ex officio non potest quicquam accipere. ibid.7

Excommunicatio, Excommunicatus.

Quis possit ab Excommunicatione absoluere, & dispensare. 493
Quid sit Excommunicatio. 312.2
Solus Pontifex absoluit dum Excommunicatio publica est. ibid.1
Habens priuilegium à Summo Pontifice potest absoluere in foro conscientiæ, etiamsi delictum sit publicum, vel deductum ad forum contentiosum. ibid.2
Religiosi habentes priuilegium absoluendi, possunt absoluere in foro conscientiæ, etiamsi delictum ad forum externum deductum sit. ibid.3
Proponuntur rationes in contrarium ad probandum religiosum non posse absoluere dum delictum est publicum. ibid.4
Quis possit in pœnæ priuationis Officiorum dispensare. ibid.5
Vndenam Excommunicatio dicatur, & quibus nominibus vocetur. 312.1
Quomodo Excommunicatio maior differat à minori. ibid.3
An Excommunicatio irritet priuilegia. 332.1
An Excommunicatus per annum perseuerans in excommunicatione fiat suspectus de hæresi. 333.2
De excommunicatione, quæ contrahitur ob duellum, vel coactionem aut retractionem alicuius feminæ à religione. 346
Quotuplex sit excommunicatio. 312.1
An excommunicatio absolutè lata intelligatur de maiori, an de minori. ibid.2
An censuræ latæ à Visitatoribus dicantur latæ à iure, seu per statutum, vel potius ab homine. ibid.3
An censuræ, quæ continentur in Bulla Cœnæ, censeantur latæ per modum statuti, an sententiæ. ibid.4
De Excommunicatione ob hæresim, & lectionem librorum vetitorum. 342
Quæ Excommunicatio incurritur ob violentam manuum iectionem in Clericos, vel Monachos. 335
De effectibus Excommunicationis maioris. 312
Essentia, & diuisio Excommunicationis. ibid.
Quid sit Excommunicatio minor. 333.1
Quandonam Excommunicatio minor incurratur. 334.2
Quinam sint effectus minoris Excommunicationis. ibid.3
An excommunicatus minori Excommunicatione peccet administrando Sacramenta. ibid.4
An ligatus minori Excommunicatione fiat irregularis celebrando, &c. ibid.5
An Excommunicatio minor priuet electione, & collatione beneficij. ibid.6
An ligatus minori Excommunicatione peccet mortaliter recipiendo beneficium. ibid.7
An ligatus minori Excommunicatione possit cum alio communicare. ibid.8
An affectus minori Excommunicatione possit diuinis officiis interesse, &c. ibid.9
An ligatus Excommunicatione minori, possit alios absoluere, & exercere iurisdictionem. ibid.10
Quis possit à minori Excommunicatione absoluere. ibid.11
An simplex Sacerdos possit absoluere à minori Excommunicatione. ibid.12
An Parochus possit extra confessionem absoluere à minori Excommunicatione. ibid.13
An Parochus, qui nondum est Sacerdos, possit à minori Excommunicatione absoluere. ibid.14
An Confessor approbatus ad confessiones audiendas, possit absoluere ab excommunicatione minori. 335.15
Quanam forma seruanda sit in absolutione minoris Excommunicationis. ibid.16
Assignatur materia Excommunicationis. ibid.17
De excommunicatione contra retrahentes feminas à religione. 351
Proponitur materia istius Excommunicationis. 352.1
Veli aut emissionis voti nomine quid intelligatur. ibid.2
Impediens feminam ne monasterium ingrediatur, & religionem suscipiat incurrit Excommunicationem. ibid.3
Impediens feminam, ne votum faciat ingrediendi religionem, non incurrit Excommunicationem. ibid.4
Retrahens feminam solis precibus à religione, non incurrit Excommunicationem. ibid.5
Feminam dolo retrahens à religione incurrit Excommunicationem. ibid.6
Impediens aliquem, ne votum religionis emittat, non ligatur Excommunicatione. ibid.7
Enumerantur personæ, quæ huic Excommunicationi subiiciuntur. ibid.8
Excommunicatio contra petentes, vel exigentes aliquid in collatione, aliaue prouisione beneficiorum, aut admissione ad illorum possessionem. 5.5
Refertur textus qui in ista Excommunicatione continetur. ibid.1
Enumerantur actiones sub hac censura prohibitæ. ibid.2
Ista Excommunicatio non incurritur ob solam fructuum petitionem, cessationem, &c. sed requiritur cessio, vel traditio. ibid.3
Ista Excommunicatio non videtur lata ob petitionem, vel exactionem alterius rei in quolibet beneficio. ibid.4
Ista Excommunicatio non incurritur dum in prouisione beneficiorum exigitur aliquid conuertendum in pios vsus, iuxta consuetudinem, vel constitutiones Ecclesiarum. ibid.5
Assignantur personæ, quæ huic Excommunicationi subiiciuntur. 586.6
In quibus casibus prohibitum sit communicare cum Excommunicatis vitandis. 327.1
Quid intelligatur per particulam, Os. ibid.2
Quid intelligatur per verbum, Orare. ibid.3
Quid prohibeatur per verbum, Vale. ibid.4
Quid significet particula, Communio. ibid.5
Quid significetur per particulam, Mensa. ibid.6
In quibus casibus licitum sit participare cum Excommunicato vitando. 328.7
Quid intelligatur per particulam, Vtile. ibid.8
An liceat communicare cum Excommunicato vitando ad eius emendationem. ibid.9
An liceat suadere Excommunicato vt resipiscat. ibid.10
An licitum sit persuadere Excommunicato vitando vt satisfaciat parti læsæ. ibid.11.
An liceat petere consilium ab Excommunicato vitando. ibid.12
An liceat petere creditum ab Excommunicato, aut prosequi societatem antea initam. ibid.13
An liceat petere medicinas, & auxilium ab Excommunicato vitando. ibid.14
An Excommunicatus vitandus possit petere suum creditum. ibid.15
An recipi possit legatum relictum ab Excommunicato, vt pro eius anima oretur. ibid.16.
Quid intelligatur per particulam, Lex. ibid.17
An Excommunicatus vitandus liceat petere, & reddere debitum coniugale. ibid.18
An vxori liceat participare cum marito Excommunicato in colloquijs, mensa, &c. ibid.19
An vterque coniux possit simul communicare. ibid.20
An vxor communicare possit cum marito Excommunicato in crimine criminoso. ibid.21
An vxor communicare possit cum marito Excommunicato in diuinis. ibid.22
An vxor, facto diuortio cum marito, possit cum eo communicare. ibid.23
An maritus communicare possit cum vxore Excommunicata. ibid.24
Quid intelligatur per particulam, Humile. ibid.25
An Religiosi possint communicare cum suis superioribus Excommunicatis. ibid.26
An milites possint participare cum duce Excommunicato. ibid.27
An filius adoptiuus, carnalis, illegitimus aut emancipatus possit communicare cum patre Excommunicato vitando. ibid.28
Quinam veniant nomine filiorum *in hoc loco.* 329.29
Quid intelligatur nomine patris, & matris. ibid.30
An gener possit communicare cum socero Excommunicato vitando. ibid.31
An famuli, & serui possint communicare cum dominis Excommunicatis. ibid.32
An pupillus possit communicare cum tutore Excommunicato vitando. ibid.33
An filius spiritualis possit communicare cum patre spirituali Excommunicato. ibid.34
An seruus possit communicare cum alio seruo Excommunicato. ibid.35
An Clerici possint communicare cum suo Episcopo Excommunicato. ibid.36
An prædictæ personæ possint participare in diuinis. ibid.37
An domini, patres, & Prælati communicare possint cum Excommunicatis subditis. ibid.38
An pater, & magister possit communicare cum filio, aut discipulo Excommunicato. ibid.39
An vasalli communicare possint cum Principibus Excommunicatis vitandis. ibid.40
Quid intelligatur per particulam, Res ignorata. ibid.41
An dubitans alterum esse Excommunicatum teneatur illum euitare. ibid.42
An ego tenear euitare eum qui mihi dixit, se esse Excommunicatum. 330.43
An tenear vitare eum, quem noui per famam publicam esse Excommunicatum. ibid.44
An Confessarius teneatur vitare eum, quem in confessione nouit esse Excommunicatum. ibid.45
An vitandus sit ille, quem Parochus dixit esse vitandum. ibid.46
An vitandus sit ille, quem non constat, an Clericum notoriè percusserit. ibid.47
An Mediolani vitandus sit ille, qui Romæ est vitandus, sed hic nescitur. ibid.48
An dubitans se esse Excommunicatum teneatur se tamquam excommunicatum gerere. ibid.49
An qui dubitat latam esse Excommunicationem, teneatur se gerere tamquam excommunicatum. ibid.50
An vitandus sit, qui dubitat se Clericum percussisse. ibid.51
An Excommunicatio liget, quando dubitatur, an sit iusta. ibid.52
An ille præsumatur Excommunicatus, contra quem lata est excommunicatio sub conditione, sed dubitatur, an conditio adimpleta sit. ibid.53
An vitandus sit ille, de quo dubitatur an ab Excommunicatione fuerit absolutus. ibid.54
Quæ notitia absolutionis requiratur, vt possimus cum Excommunicato participare. ibid.55
In quibus casibus liceat communicare cum eo, qui antea erat Excommunicatus. ibid.56
Quid intelligatur per particulam, Necesse. 331.57
An liceat tradere eleemosynam Excommunicato vitando qui ea indiget. ibi.58
An possit tradi equus Excommunicato vitando, qui eo indiget. ibid.59
An liceat petere consilium ab Aduocato, vel Medico Excommunicato vitando. ibid.60
An liceat communicare cum Excommunicato vitando ad pacem conciliandam inter aliquos. ibid.61
An excusetur, qui per vim cogitur communicare cum Excommunicato vitando, aut coram eo interesse diuinis officijs. ibid.62
An liceat prosequi societatem antea initam cum Excommunicato vitando ibid.63
An Sacramenta administrata ab Excommunicato tolerato valida sint. 317.1
An validum sit matrimonium, cui astitit Parochus Excommunicatus. ibid.2
An validum sit Sacramentum Pœnitentiæ administratum ab Excommunicato. ibid.3
An petens Sacramenta ab Excommunicato tolerato, mortaliter peccet. ibid.4
An Parochiani possint petere celebrationem Missæ à Parocho Excommunicato. ibid.5
An peccet recipiens Sacramenta ab Excommunicato parato administrare. ibid.6
An iniustè Excommunicatus priuetur suffragijs Ecclesiæ, aut communione fidelium. 293.5
An iniustè Excommunicatus possit celebrare. ibid.6
An iniustè Excommunicatus priuetur iurisdictione, & an possit recipere beneficium, & alias dignitates. ibid.7
An Excommunicatus priuetur Ecclesiastica sepultura. 320.1
An grauiter peccet sepeliens Excommunicatum in loco sacro. 321.2
Quid intelligatur per Ecclesiasticam sepulturam. ibid.3
An Excommunicatus sepeliri possit in loco proximo loco sacro. ibid.4
An ossa Excommunicati proficienda sint è loco sacro. ibid.5
An liceat canere Psalmos, dum cadauer Excommunicati defertur ad sepulturam, aut recipere oblationes, & eleemosynas pro excommunicatis. ibid.6
An sepeliri possit in loco sacro, qui fuit absolutus in foro pœnitentiæ, aut qui dedit signa contritionis. ibid.7

Quam pœnam incurrat sepeliens Excommunicatum in loco sacro. ibid.8
An sepeliens Excommunicatos in loco sacro ligetur minori excõmunicatione. ibi.9
An Excommunicatus valide recipiat Sacramenta. 315.1
An aliquis possit aliquando absolui à peccatis, quamuis nondum fuerit absolutus à censura. 316.2
An valida sit confessio eius, qui accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, sciens se esse Excommunicatum. ibid.3
An Excommunicatus peccet recipiendo Sacramenta. ibid.4
An Excommunicatus incurrat aliquam pœnam recipiendo Sacramenta. ibid.5
An gesta per Excommunicatum vitandum valida sint. 324.1
An Excommunicatus valide possit inire contractus, aut testamentum, aut professionem facere. ibid.2
An valida sint gesta per Excommunicatum toleratum. ibid.3
An valida sit sententia lata à iudice Excommunicato. ibid.4
An Episcopus Excommunicatus valide concedat facultatem administrandi Sacramentum pœnitentiæ. ibid.5
An valida sit electio, aut collatio beneficij facta ab Excommunicato. 325.6
An valida sit resignatio beneficij facta ab Excommunicato. ibid.7
An valida sint instrumenta, & scripturæ factæ ab Excommunicato. ibid.8
An validum sit testamentum, & codicillus factus ab Excommunicato. ibid.9
An ligetur Excommunicatione, qui committit delictum eo tempore, quo superior est Excommunicatus. ibid.10
An ligetur Excommunicatione, qui committit delictum, postquam superior fuit absolutus. ibid.11
An Vicarius Generalis, aut foraneus possit iurisdictionem exercere, Excommunicato Episcopo. ibid.12
An obtinens facultatem aliquam ab Episcopo possit ea vti dum Episcopus est Excommunicatus. 326.13
Vtrùm Excommunicatus valide recipiat Sacramenta, aut peccet, vel incurrat aliquam pœnam recipiendo. 315
An Excommunicatus vitandus priuetur iurisdictione. 331.1
An gesta per iudicem Excommunicatum vitandum sint inualida. ibid.2
Quomodo peccet Excommunicatus ferens sententiam. ibid.3
An Excommunicatus valide possit eligi in iudicem. ibid.4
An Excommunicatus possit esse actor in iudicio. 332.5
An Excommunicatus possit accusare. ibid.6
An Excommunicatus possit se defendere in iudicio, aut appellare à sententia. ibid.7
An Excommunicatus possit alium conuenire in iudicio. ibid.8
An Excommunicatus agens in iudicio repelli debeat à iudice, quando hoc non opponitur ab aduersario. ibid.9
An valida sint gesta per actorem Excommunicatum vitandum, quando à iudice, aut aduersario non fuit reiectus. ibid.10
An Excommunicatus agens in iudicio, grauiter peccet. ibid.11
An Excommunicatus possit ferre testimonium. ibid.12
An validum sit testimonium Excommunicati vitandi. ibid.13
An Excommunicatus possit exercere officium Aduocati, aut Procuratoris, & an eius gesta valida sint. ibid.14
An validum sit matrimonium celebratum à Procuratore Excommunicato vitando nomine alterius. ibid.15
An valida sint gesta per tutores, & alios administratores Excommunicatos. ibid.16.
An Excommunicatus, qui exercuit officium Aduocati, teneatur ad restitutionem pretij accepti. ibid.17
An Excommunicatus peccet mortaliter assistendo diuinis officiis. 320.1
Quid intelligatur nomine diuini officij, *à quo arcetur Excommunicatus.* ibid.2
An Excommunicatus possit, vel teneatur priuatim recitare officium. ibid.3
An Excommunicatus in recitando officio possit socium adhibere. ibid.4
An excusetur Capellanus, aut famulus inseruiens domino Excommunicato. ibid.5
An Excommunicatus priuatim recitans officium possit dicere, Dominus vobiscum. ibid.6
An horæ Canonicæ, & aliæ orationes recitatæ ab Excommunicato prosint aliis. ibid.7
An Excommunicatus priuetur vsu omnium rerum sacrarum. ibid.8
An Excommunicatus possit benedicere mensæ, munire se signo Crucis, adorare Eucharistiam, aut illam comitari, vti imaginibus, &c. ibid.9
An Excommunicatus possit interesse concioni. ibid.10
An Excommunicato liceat concionari. ibid.11
An præceptor legens lectionem coram discipulis, quorum vnus est Excommunicatus, teneatur desistere, & an possit respondere excommunicato interroganti. ibid.12
An Excommunicatus priuetur auditione Missæ. 318.1
An Excommunicatus audiens Missam grauiter peccet. ibid.2
An Excommunicatus inseruiens Missæ, quando non adest alius, grauiter peccet. ibid.3
An Excommunicatus peccet non audiendo Missam die festo, quando per eum stat ne absoluatur. 319.4
An peccet qui non procurat absolutionem Excommunicationis, vt Missam audiat, vel vt communicet tempore Paschatis. ibid.5
An Excommunicatus audiens Missam incurrat aliquam pœnam. ibid.6
Quam pœnam incurrat Excommunicatus, qui curat coram se celebrari. ibid.7
Quam pœnam incurrat Excommunicatus, aut interdictus qui admonitus non vult exire ex Ecclesia. ibid.8
An peccet mortaliter audiens Missam cum Excommunicato vitando. ibid.9
Quam pœnam incurrat celebrans coram Excommunicato vitando. ibid.10
Quomodo se gerere debeat qui interest Missæ, aut celebrat, dum ibi adest Excommunicatus toleratus. ibid.11
Quid si adsit Excommunicatus vitandus. ibid.12
Quid faciendum sit, quando Excommunicatus non vult exire, nec potest expelli sine periculo. ibid.13
An Sacerdos, qui post Missam inchoatam aduertit adesse cadauer publici Excommunicati, teneatur Missam relinquere. ibid.14
An qui interfunt Missæ teneantur discedere, quando in Ecclesiam transfertur cadauer Excommunicati vitandi. ibid.15
An Sacerdos, aut alij teneantur Missam relinquere, quando Excommunicatus vitandus ingreditur, non vt Missam audiat. ibid.16
An Excommunicatus toleratus priuetur suffragiis Ecclesiæ. 313.1
Quis dicatur Excommunicatus toleratus, & vitandus. ibid.2
Quódnam dicatur notorium iuris, & notorium facti. 314.3
Cur requiratur notorium facti, vt Clerici percussor sit vitandus. ibid.4
Quot testes requirantur ad notorium facti. ibid.5
An delictum commissum coram decem sit notorium facti. ibid.6
An ego tenear vitare eum, qui coram me percussit Clericum. ibid.7
Quis dicatur suspensus, interdictus, & irregularis vitandus. ibid.8
An sit valida confessio eius, qui confitetur peccata sacerdoti Excommunicato, vel suspenso, vel irregulari nondum denuntiato. ibid.9
An Excommunicatus participare possit cum aliis fidelibus. 326.1
Quo peccato peccet Excommunicatus communicando cum aliis. ibid.2
An Excommunicatus possit communicare cum infidelibus, & è contra. ibid.3
An fideles possint communicare cum Excommunicatis. ibid.4
Quo peccato peccet communicans cum Excommunicato vitando. ibid.5
An frequenter communicans cum Excommunicato vitando peccet mortaliter. ibid.6
An grauiter peccet, qui alloquitur Excommunicatum cum intentione perseuerandi. ibid.7
Quam pœnam incurrat communicans cum Excommunicato vitando. ibid.8
Quid requiratur, vt participans in crimine criminoso, ligetur maiori Excommunicatione. 327.9
A quonam possit absolui participans in crimine criminoso. ibid.10

Existentia.

Existentia, definitio, necessitas, & institutio Sacramenti Pœnitentiæ. 95

Exorcistatus.

Quænam sit materia Exorcistatus. 188.7

Expellere, Expulsus.

Religiosus non potest absque iusta causa Expelli à religione. 527.1
Religiosus iniustè Expulsus à religione an petere possit alimenta non solùm præterita, sed etiam futura. ibid.2
Religiosus an possit absque licentia superioris in iudicio comparere tamquam actor, vel reus. ibid.3
Expelli potest religiosus à religione iusta concurrente causa. ibid.4
Expellendi causa quænam iusta censeatur. 528.5
Incorrigibilis quisnam dicatur. ibid.6
Expelli non potest religiosus, qui celato aliquo vitio professionem validam emisit. ibid.7
Religiosus Expelli non potest virtute priuilegiorum religioni concessorum, nisi priuilegia post decretum congregationis iterum confirmata, vel concessa fuerint. ibid.8
Monialis non potest à monasterio ob incorrigibilitatem eiici. ibid.9
Religiosus semel eiectus, vel fugitiuus à quonam alendus sit, si postea iterum admittatur non in eodem, sed in alio monasterio. ibid.10
Religio, an instituti poterit cum facultate Expellendi religiosum absque iusta causa. ibid.11
Religiosus Societatis congruenter peccat dando causam eiectioni. 529.12
Religiosus Societatis liber remanet ab obligatione votorum; nisi per fraudem, vel peccata hac intentione commissa Expulsus sit. ibid.13
Eiectus a religione per fraudem ab ipso eiecto commissam non tenetur quidquam religioni restituere. ibid.14
Eiiciendi facultas cuinam competat. ibid.15

Extraneus.

An Extraneus ligetur censuris latis à superiore loci, vbi existit. 295.20
An Clericus Extraneus ligetur excommunicatione, si Mediolani sclopum deferat. ibid.21
An Extraneus, qui erat Mediolani, quando lata fuit censura, teneatur ad illam seruandam. ibid.22

F

Facultas.

Facultas ingrediendi concedi potest ab eo, cuius est clausuram Monialibus indicere. 536.1

Familiaris.

Familiares Prælatorum non sunt rei Simoniæ, dum pecuniam accipiunt ob facilem ingressum, quem aliis præbent ad Prælatum. 551.15

Famulus.

An famulo ægrotanti salaria, aut alimenta debeantur. 467.8

Febris.

An Febre laborantes sint irregulares. 387.17

Fictio.

Quot modis contingat Fictio. 19.1
An accedens sine intentione recipiat effectum Sacramenti sublato obice. ibid.2
An recipiat effectum posita attritione inculpabiliter prætermissa. ibid.3
Quanta gratia conferatur recedente fictione. 20.4

Fides.

An necessaria sit Fides ad validam Sacramentorum administrationem. 11.1
An necessaria sit Fides ad licitam illorum administrationem. ibid.2

Filia, Filius.

Filia spiritualis vtrùm teneatur deferre patrem spiritualem, à quo sollicitata fuerit ad venerea extra Sacramentum pœnitentiæ. 644.21
An Filius possit, inuito, vel inscio patre, ducere eam, quam violauit, & in quibus rebus filius teneatur patri obedire. 276.15
An Filius teneatur obedire patri aliquid præcipienti circa bonos mores, ad salutem animæ, vel corporis, ad vitandas meretrices, & ludos, &c. ibid.16
An Filius grauiter peccet, non obediendo patri in iis, quæ pertinent ad domesticam gubernationem. ibid.17
An Filius teneatur obedire patri præcipienti matrimonium, Religionem, Clericatum, &c. ibid.19
An Filius teneatur stare sponsalibus à patre celebratis. ibid.20
An Filius possit, inuito patre, ducere eam quam violauit. ibid.21

An Filij ex honestate teneantur contrahere matrimonium cum consilio patris. ibid.24
An Filius mortaliter peccet, contrahendo matrimonium absque patris consilio. ibid.25

Femina.

Femina non potest in religione virorum profiteri, neque è contra. 520.1
Femina ingredientes monasteria virorum afficiuntur excommunicatione reseruata, etiamsi ingrediantur absque prætextu facultatum. 544.1
An femina possint ad Ordines promoueri. 191.5

Forma.

Forma Sacramenti sanguinis quænam sit. 51.1
An peccet, qui in consecratione vtitur his solùm verbis, Hic est Calix sanguinis mei. *ibid.2*
An Sacerdos debeat habere intentionem consecrandi iis solùm verbis, vel etiam reliquis sequentibus. ibid.3
An adorandus sit Calix, si celebrans moriatur finitis tantùm his verbis: Hic est Calix sanguinis mei. *ibid.4*
An valida sit Calicis consecratio, si contingat variatio in verbis formæ. ibid.5
An teneat consecratio, si dicatur, Hic est sanguis meus. *ibid.6*
An valeat si ita dicatur, Hic est Calix nouum testamentum in meo sanguine. *ibid.7*
Quænam sit forma Sacramenti Corporis. 50.1
Quomodo connectantur verba Canonis, Gratias agens benedixit, fregit, &c. *ibid.2*
Quænam verba necessaria sint, & sufficiant. ibid.3
An totus Canon sit necessarius necessitate Sacramenti ad consecrationem. ibid.4
An necessarius sit necessitate præcepti. 51.5
An conficiatur Sacramentum variatis verbis consecrationis. ibid.7
An valeat consecratio, si dicatur, Hic cibus est corpus meum. *ibid.8*
An valeat, si dicatur, Hoc est caro mea. *ibid.8*
An validè consecret, qui particulam enim *prætermittit. ibid.9*
An peccet omittens particulam enim. *ibid.10*
An valeat consecratio, si dicatur, Hoc est corpus Christi. *ibid.11*
An valeat, si dicatur, Hic panis est corpus meum. *ibid.12*
An conficiat Sacramentum, qui dicit, Hoc sit corpus meum. *ibid.13*
An conficiat, qui dicit, Illud est corpus meum. *ibid.14*
An conficiat quis dicendo, Hoc corpus Christi est corpus Christi. *ibid.15*
An validè conficiat, qui omittit particulam, est. *ibid.16*
Quænam sit materia, & Forma Sacramenti matrimonij. 213.1
Quotuplex sit materia, & Forma matrimonij. ibid.2
Quomodo cognosci possit materia, & Forma matrimonij. ibid.3
Quodnam sit proprium Formæ. ibid.4
Quisnam sit minister Sacramenti matrimonij. ibid.5
An Sacerdos existens in peccato mortali peccet mortaliter assistendo matrimonio. 214.6
Forma Sacramenti pœnitentiæ in quibus verbis consistat. 100.1
An adiungenda sit inuocatio Sanctissimæ Trinitatis. 101.2
In quonam instanti pœnitens absolutus remaneat. ibid.3
An necesse sit explicitè ostendere eum, in cuius virtute Sacerdos absoluit. ibid.4
An requirantur alia verba præter ea, quæ continentur in Forma. ibid.5
An expressio actionis ministri necessaria sit. ibid.6
An valeat absolutio Forma Græca prolata. ibid.7
An sensus Formæ semper sit verus. ibid.8
Quinam sit sensus formalis Formæ absolutionis. ibid.9
An Sacerdos possit his verbis, Absoluo te, *absoluere à peccatis & à censuris. ibid.10*
Quænam sit Forma Sacramenti Ordinis. 188.13
An variari possit Forma, remissiuè. ibid.14
Cur Forma Sacramenti Ordinis adhibeatur imperatiuo modo. ibid.15
An Episcopus proferens Formam debeat exhibere materiam tangendam. ibid.16
An valeat ordinatio, quando plures initiantur Ordine sacerdotali, & Episcopus prolata semel vnica Forma in plurali, præbet materiam pluribus successiuè tangendam. ibid.17
Quodnam sit munus, & officium singulorum Ordinum. ibid.18
Forma Sacramenti Eucharistiæ. 50
Forma Sacramenti Pœnitentiæ. 100
An tota Forma proferenda sit ab eodem ministro. 8.1

Fornicatio, Fornicari.

Quid sit simplex Fornicatio. 270.2
An Fornicatio sit mortale peccatum. ibid.3
An liceat permittere meretrices. 271.4
An peccent locantes domos meretricibus. ibid.5
An excusentur famuli comitantes herum euntem ad meretricem, aut comitantes concubinam, aut deferentes litteras. ibid.6
Quid sit luxuria. 270.1
An excusetur auriga, qui meretricem aduehit. 271.7
Quid sit concubinatus. ibid.8
An concubinæ, quæ leguntur in sacris litteris, essent veræ vxores. ibid.9
An Hebræis permissa fuerint duæ vxores. ibid.10
An absolui possit concubinarius, antequam eiiciat concubinam. ibid.11
Quandonam absolui possit concubinarius. ibid.12
An absolui possit filiusfamilias, qui in domo patris retinet concubinam. ibid.13
An sit deneganda absolutio adolescenti, qui ex carnis fragilitate sæpius committit pollutionem. ibid.14
An absolui possit artifex, qui fraudibus vtitur in arte, quam non potest deserere. ibid.15
An absolui possit, qui modo cum vna, modò cum alia Fornicatur. ibid.16
Quandonam aliquis absolui possit, antequam relinquat occasionem peccati. ibid.17
An concubinarij puniri possint ab Episcopo. 272.18
Quam pœnam incurrant Presbyteri concubinarij. ibid.19

Fratres.

Fratres Minores non possunt monasteria Monialium ingredi sine licentia Papæ, nisi rogati sint à Prælatis Monialium vt sibi opem ferant. 536.7
Fratres reformati excommunicationem incurrunt transeundo ad fratres Conuentuales, aut recedendo ab obedientia suorum ministrorum. 515.1
Fratres Minimi excommunicatione ligantur recipiendo fratres Minores de Obseruantia. 516.3

Fructus.

Fructuum nomine quinam intelligantur. 591.21
Fructus necessarij ad congruam sustentationem dispensari possunt ad libitum beneficiariorum, sicut & ceteri in illis casibus, in quibus non tenentur illos erogare in pios vsus. 622.1
Fructus beneficij superflui ad congruam sustentationem, in pios vsus erogandi sunt. 623.2
Fructus superflui an sint erogandi pauperibus illius loci, vbi beneficium est. ibid.3
Quid nomine pauperum intelligatur. ibid.4
Vtrùm beneficiarius insumens bona patrimonij in vtilitatem Ecclesiæ, possit tantundem ex beneficij Fructibus insumere, vt voluerit. ibid.5
Habens patrimonium pingue, num peccet beneficium acquirendo, vt patrimonium propinquis, aut aliis relinquat. ibid.6
Quota pars Fructuum sufficiens sit pro congrua sustentatione beneficiarij. ibid.7
Distinctio qualitatis beneficiariorum, & quid de vnoquoque statuendum sit. ibid.8
Carentia Fructuum excusat beneficiarium ab onere diuini Officij recitandi. 453.3
Hoc tamen intelligitur modo beneficiarius alio titulo ad pensum diuini Officij non teneatur, aut modò sua culpa Fructibus non careat. ibid.4

Fugitiuus.

De Apostatis, & Fugitiuis, eorumq; fautoribus, seu receptatoribus. 523
Apostata, & fugitiuus vbique capi potest à suo superiore. 525.1
Apostata & Fugitiuus non gaudet priuilegiis religionis, si dimisso habitu prætendat irritam esse professionem. ibid.2
Apostata, aut Fugitiuus gaudet priuilegiis totius religionis. ibid.3
Apostata, vel Fugitiuus priuatur alimentis. ibid.4
Apostata eligi potest in superiorem, peracta pœnitentia, nisi alia obstet circumstantia. 526.6

Functiones.

Functiones officiorum Ecclesiasticorum, an sint materia Simoniæ 554.8
Functiones iurisdictionis valida sunt, per se loquendo, etiamsi per Simoniam fiant. 590.2

Fundator, Fundatrix.

An Capellanus teneatur semper Fundatori sacrificium applicare, si clare non constet de ipsius intentione. 78.14
Fundatrices non possunt ingredi, nisi fortè in regula ipsorum religiosorum habeatur, vt Fundatrices decenter comitatæ admittantur. 544.3

Fur.

Ex vi edicti de manifestandis Furibus, vel iniustis detentoribus, non tenemur manifestare iustum compensatorem, aut alium iustum detentorem. 638.1
Quid de eo, qui supra debitum accepit aliquid in compensationem, antequam ferretur excommunicatio, sed statim lata excommunicatione, proposuit restituere quamprimum. ibid.2

Furiosus.

An amentes, & Furiosi sint irregulares. 387.23

G

Generalis.

Generalis Societatis Iesu facultatem suis religiosis concedere potest transeundi ad quaslibet religiones. 516.16

Gibbosus.

An Gibbosus sit irregularis. 387.9

Gratia.

An Gratia, quæ confertur in Sacramentis, sit diuersa essentialiter. 15.1
Diuersitas accidentalis Gratiæ in quo consistat. ibid.2
Quot modis recipiatur Gratia. 146.1
Quænam dicatur prima, vel secunda Gratia. 14.1
Quænam dispositio requiratur ad recipiendam primam Gratiam. ibid.4
An recipiatur Gratia respondens non solùm præcedentibus meritis, verùm etiam respondens Sacramentis. 146.5
De effectu pœnitentiæ, quo ad recuperationem meritorum Gratiæ, & virtutum. 145
An Sacramenta sint causa moralis Gratiæ. 16.2
An Sacramenta sint causa physica Gratiæ. ibid.3
An Sacramenta producant Gratiam immediatè. ibid.4
Potentia obedientialis quid sit. ibid.5
An hæc potentia sit distincta ab ipsamet creatura. ibid.6
An Gratia dicatur creari, an educi de potentia animæ. ibid.7
Cur Gratia dicatur educi de potentia animæ. ibid.8
Sacramenta quandonam causent Gratiam. ibid.1
Sacramentum Baptismi quandonam causet Gratiam. ibid.2
In quonam instanti, Sacramenta conferant Gratiam. 17.3
An recipiat Gratiã, qui desinit in eo instanti, in quo perficitur Sacramentũ. ibi.4

H

Habitatio.

An requiratur actualis Habitatio, vt quis verè dicatur habere domicilium. 189.11.

Habitus.

Affertur textus, in quo extat prohibitio religiosis dimittendi Habitum. 497.1
Habitum suæ religionis quisnam dimittere dicatur. ibid.2
Religiosus in omni loco, & tempore Habitum suæ religionis deferre debet, saltem ex honestatis debito. ibid.3
Religiosus à monasterio fugiens indutus suis vestibus non afficitur excommunicatione, quamuis fugiat absque superioris licentia. ibid.4
Apostata fugiens cum Habitu suæ religionis, iure communi non afficitur excommunicatione. 498.5
Religiosus qui per sententiam perpetuo carceri damnatus est, non ligatur excommunicatione fugiendo sine vestibus. ibid.6

Religiosus qui nudus fugit, aut cum solis femoralibus, in excommunicationem incidit. ibid.7
Religiosus excommunicationem incurrit non solùm dum totum suæ religionis Habitum dimittit, verùm etiam dum partem detinet alia dimissa, sed ex parte retenta nequit religiosus dignosci. ibid.8
Religiosus professus excommunicationem incurrit induendo Habitum nouitiorum, quoties nouitij diuerso habitus generis vtuntur ibid.9
Religiosus excommunicationem incurrit occultando vestes suæ religionis alio Habitu superimposito. ibid.10
Religiosus excommunicationem incurrit accedendo ad aliquem locum sine Habitu, etiamsi facultatem à suo superiore ad illum locum accedendi obtinuerit. ibid.11
Religiosus non deferens Habitum in suo monasterio excommunicationem incurrit iuxta probabiliorem sententiam. ibid.12
Religiosus non incurrit excommunicationem ob quamlibet Habitus dimissionem. ibid.13
Religiosus excusatur ab excommunicatione dimittendo Habitum causa seruandæ vitæ, dum per loca Turcarum, vel inimicorum transiturus est. ibid.14
Religiosus non incurrit excommunicationem dimittendo Habitum causa alicuius ludicræ actionis. 499.15
Religiosus assumens Habitum alterius religionis strictioris non incidit in excommunicationem. ibid.16
Religiosus assumens Habitum alterius religionis contra iura, excommunicationem incurrit, licet multi Doctores oppositum sentiant. ibid.17
Religiosus dimittens Habitum suæ religionis, ignorans prohibitionem, non incurrit excommunicationem. ibid.18
Religiosus dimittens Habitum incurrit excommunicationem, etiamsi animum habeat illum iterum assumendi. ibid.19
Religiosus dimittens Habitum breui tempore, non incurrit excommunicationem, etiamsi intentionem habuerit diutius dimittendi. ibid.20
Assignatur quantitas temporis sufficiens ad incurrendam censuram ob Habitus religiosi dimissionem. ibid.21
Assignatur subiectum istius excommunicationis. ibid.22
Religiosus dimittens Habitum ligatur excommunicatione, etiamsi ipsius Ordo institutus fuerit post caput secundum, vt periculosa, de religiosis domibus. ibid.23
Religiosi Societatis Iesu ligantur excommunicatione dimittendo Habitum religiosum. ibid.24
Religiosus promotus ad beneficium parochiale incurrit excommunicationem dimittendo Habitum suæ religionis. 500.25
Religiosus creatus Episcopus non tenetur sub excommunicatione Habitum suæ religionis deferre. ibid.26
Idem dic de religioso ad dignitatem Abbatis electo, habente propriam diœcesim nulli Episcopo subiectam. ibid.27
Religiosus creatus Episcopus, vel Abbas cum dignitate quasi Episcopali, tenetur adhuc tribus votis religionis. ibid.28
Religiosus ad Cardinalatus apicem euectus non subiicitur excommunicationi non deferendo Habitum suæ religionis. ibid.29
Religiosus dimittens Habitum suæ religionis excommunicationem incurrit, etiamsi physicam, vel leges sine superioris licentia audire non intendat. ibid.30
Ad quem pertineat dare facultatem circa dimissionem Habitus. ibid.31
Absolutio istius excommunicationis reseruata non est. 501.32

Hæresis, Hæreticus.

Quid sit Hæresis. 342.1
Quilibet tenetur sub mortali iure communi Hæreticum denuntiare. 640.1
Etiamsi Hæresis sit occulta. ibid.2
Etiamsi Hæreticus denuntiandus sit strictissimo consanguinitatis vinculo nobis coniunctus. ibid.3
Etiamsi Hæresis alterius nobis manifestata fuerit sub secreto, præciso tamen secreto confessionis. ibid.4
Etiamsi Hæreticus iam fuerit emendatus. 641.5
Limitatur, modò quis non retrahatur à denuntiatione ob metum grauis damni. ibid.6
Aut si non certò sciat, sed solùm suspicetur aliquem esse Hæreticum. ibid.7
Aut sit socius criminis. ibid.8
Aut in iis locis, in quibus permixti sunt Hæretici cum Catholicis, id scientibus Inquisitoribus, & Episcopis. ibid.9
Apostata à fide denuntiandi sunt. ibid.10
Maleficij, aut Sortilegi denuntiandi sunt quoties initum pactum est cum Dæmone, aut præuia est apostasia à fide. ibid.11
Probabile est non denuntiantem Hæreticum, iure communi non affici excommunicatione ipso facto. ibid.12
Qui intra duodecim dies à Sacra congregatione præscriptos non denuntiauit Hæreticos, vel suspectos de Hæresi, an teneatur adhuc illos denuntiare. ibid.13
Quibus pœnis Hæreticus afficiatur. 343.1
An Hæreticus incurrat excommunicationem. ibid.2
A quonam Hæreticus mentalis absolui possit. ibid.3
An ligetur excommunicatione Hæreticus, qui non aperit caput imaginibus, &c. ibid.4
An ligetur excommunicatione Hæreticus, qui dicit, peream nisi ita est. ibid.5
An excommunicationem incurrat, qui Hæresim pronuntiat per verba æquiuoca. ibid.6
An quælibet manifestatio Hæresis sufficiat ad incurrendam excommunicationem. ibid.7
An decretis Tridentini derogetur sine illorum expressa mentione. ibid.8
An Hæretici vitandi sint. 344.9
An Hæreticus adhiberi possit ad suscipiendum infantem de sacro fonte. ibid.10
Quis possit absoluere ab excommunicatione ob Hæresim contracta. ibid.11
An Hæreticorum receptatores, fautores, defensores, &c. ligentur excommunicatione. ibid.1
Quinam veniant nomine receptatorum, fautorum, defensorum, &c. ibid.2
Vtrùm credens, recipiens, Hæreticos, &c. ligetur excommunicatione ante secutum effectum. ibid.3
An Catechumenus possit dici Hæreticus. 342.2
An sit Hæreticus qui dubitat circa fidei veritatem. ibid.3
An sit Hæreticus qui non credit articulum sibi reuelatum. ibid.4
An sit Hæreticus negans Christum esse risibilem. ibid.5
An sit Hæreticus qui ex ignorantia crassa errat circa fidem, sed est paratus corrigi, cognita veritate. ibid.6
An Hæresim committat, qui errat ex ignorantia crassa, & adhuc erraret, si sciret errorem illum esse contra fidem. ibid.7
An apostata sit Hæreticus, & quotuplex sit apostata. ibid.8
An Papa errare possit in rebus fidei. ibid.9
An Hæretici, apostatæ, & eorum fautores sint irregulares. 398.1
An proferens Hæresim sit irregularis si interius bene sentiat. ibid.2
An Hæreticus occultus sit irregularis. ibid.3
An iniens pactum cum dæmone, aut ipsum colens sit irregularis. ibid.4
An qui cogitùr abiurare Hæresim sit irregularis. ibid.5
An Clericus lapsus in Hæresim possit ordines exercere. ibid.6
An schismaticus sit irregularis. ibid.7
An Apostata sit irregularis. 399.8
An filij Hæreticorum sint irregulares. ibid.9
An filius Hæretici natus ante lapsum parentis sit irregularis. ibid.10
An filij neophytorum, vel descendentium ex Iudæis, vel Paganis sint irregulares. ibid.11
Quis dispensare possit in irregularitate ob hæresim contracta. ibid.12
An Episcopus dispensare possit circa vsum Ordinum susceptorum cum irregulari. ibid.13
An circa susceptionem aliorum. ibid.14
An possit hoc idem per alium. ibid.15
An excommunicatus præcipiens coram se celebrari, irregularis sit. ibid.16
An Religiosus egrediens claustrum ad audiendas leges, vel medicinam, irregularitatem incurrat. ibid.17
An sodomita sit irregularis. ibid.18
An sit simoniacus. ibid.19
An celebrans in altari propria auctoritate erecto, & non consecrato, seu benedicto sit irregularis. ibid.20
An celebrans animo, vt Deus alicui mortem inferat, sit irregularis. ibid.21
An omittens totum celebrandi, & sacrificandi ritum ab Ecclesia præscriptum in conficiendo sanguine, & Corpore Christi, sit irregularis. ibid.22
An altaria denudans ornatu ve lugubri vestiens sit irregularis, si hoc faciat ob solam animi sui tristitiam. ibid.23
An Episcopus abutens potestate ordinandi sit irregularis. 400.24
An Cardinalis indebitè in Papam electus à paucioribus, quàm duabus partibus, sit irregularis. ibid.25
An Clericus in vita, vel in morte raptoribus fauens, participando, &c. sit irregularis. ibid.26
An Sacerdos admittens ad Ecclesiasticam sepulturam excommunicatum nominatim denuntiatum, sit irregularis. ibid.27
An sacrilegus sit irregularis. ibid.28
An qui turpiter cum moniali congressus est, Clericus periurus, habens consuetudinem mortaliter peccandi, aut blasphemus, sint irregulares. ibid.29

Hermaphroditus.

An Hermaphroditus validè celebret matrimonium iuxta sexum inferiorem. 249.27
Ad quem spectet iudicare, quinam sexus in Hermaphrodito præualeat. ibid.28
An Hermaphroditus, qui semel contraxit matrimonium iuxta vnum sexum, possit mortuo coniuge iuxta alium sexum matrimonium contrahere. ibid.29
Hermaphroditus an inualidè profiteatur. 520.2
Hermaphroditus potest contra professionem reclamare, etiamsi professus sit in religione virorum, & virilis sexus in eo præualeat. ibid.3
An Hermaphroditus validè possit ordinibus initiari. 191.6
An Hermaphroditus sit irregularis. 387.12
An Hermaphroditus possit professionem facere. ibid.13

Homicidium, Homicida.

Quotuplex sit Homicidium casuale. 408.1
An Homicidium omninò casuale inducat irregularitatem. ibid.2
An Homicidium commissum ab ebrio, vel amente, irregularitatem inducat. ibid.3
Quid si committatur à dormiente. ibid.4
An Homicidium commissum ab infante inducat irregularitatem. ibid.5
An Homicidium, quod non est omninò casuale, pariat irregularitatem. ibid.6
An Homicidium voluntarium inducat irregularitatem. ibid.7
An dans operam rei illicitæ, aut licitæ, sit irregularis, secuto Homicidio. ibid.8
Quid si res illa erat periculosa Homicidij. 409.9
An conficiens gladios sit irregularis. ibid.10
Quodnam dicatur Homicidium voluntarium. 410.1
Quomodo Homicidium voluntarium differat à casuali. ibid.2
Quodnam dicatur membrum. 411.3
An occidens, vel mutilans sit irregularis. ibid.4
An Papa dispensare possit in irregularitate proueniente ex Homicidio. 414.1
An possit dispensare Episcopus. ibid.2
An Episcopus dispensare possit, vt Homicida recipiat beneficium vel ordines. ibid.3
An Episcopus dispensare possit cum iudice qui causam sanguinis egit. ibid.4
An Episcopus dispensare possit in Homicidio casuali. ibid.5
An Episcopus dispensare possit in Homicidio ex subita rixa secuto. ibid.6
An dispensare possit cum eo, qui habuit intentionem leuiter percutiendi, sed secutum fuit Homicidium. ibid.7
An Episcopus dispensare possit cum eo qui mandauit seruo, vt procuret, sed alter occidit. ibid.8
An dispensare possit in Homicidio facto ad defensionem, non seruato moderamine inculpatæ tutelæ. ibid.9
An Episcopus dispensare possit in irregularitate ex bello proueniente. ibid.10
An Episcopus dispensare possit, quando irregularitas prouenit ex mutilatione. ibid.11
An Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem dispensare possint in irregularitate, ex casuali Homicidio, vel ex mutilatione proueniente. ibid.12
An habens facultatem dispensandi in irregularitate excepto Homicidio voluntario,

tario, possit absoluere ab irregularitate proueniente ex homicidio casuali, & non casuali. ibid.13

Honestas publica.

Vndénam dicatur publica Honestas, & quid sit. 243.1
An publica Honestas oriatur ex sponsalibus, & ad quem gradum extendatur. ibid.2
An publica Honestas oriatur ex sponsalibus fictis. ibid.3
An publica Honestas consurgat ex sponsalibus celebratis cum sorore prioris sponsæ. ibid.4
An ille afficiatur publica Honestate, qui contraxit sponsalia sub conditione cum Berta, & ante conditionem alia celebrat cum sorore Bertæ. ibid.5
An publica Honestas extendatur ad infideles. 244.6
An cesset publica Honestas, quando sponsalia mutuo consensu dissoluuntur. ibid.7
Quandónam publica Honestas concurrat cum impedimento affinitatis. ibid.8
An publica Honestas oriatur ex matrimonio. ibid.9
Ad quem gradum extendatur publica Honestas consurgens ex matrimonio. ibid.10
An matrimonium inualidum inducat impedimentum publicæ Honestatis. ibi.11
An ex matrimonio amentium, vel puerorum consurgat publica Honestas. ibid.12
An publica Honestas oriatur ex matrimonio celebrato per metum, vel errorem. ibid.13
An publica Honestas consurgat ex matrimonio fictè celebrato. ibid.14
An publica Honestas oriatur ex matrimonio celebrato cum persona incerta. ibid.15
An matrimonium celebratum sub conditione inducat publicam Honestatem. ibid.16
An publica Honestas oriatur ex matrimonio impuberum. ibid.17
An matrimonium clandestinum inducat publicam Honestatem. ibid.18
An matrimonium celebratum cum impedimento dirimente inducat impedimentum publicæ Honestatis. ibid.19
An matrimonium inualidum inducat impedimentum publicæ Honestatis dirimens priora sponsalia. ibid.20
Quomodo impedimentum publicæ Honestatis differat à ceteris impedimentis. 245.21
Quis dispensare possit in impedimento publicæ Honestatis. ibid.22

Horæ Canonicæ.

Vide Officium diuinum.

An Horæ Canonicæ, & aliæ orationes recitatæ ab excommunicato prosint aliis. 320.7
Horæ Canonicæ institutæ ab Ecclesia quid sint. 418.2
Beneficiarij habentes onus recitandi diuinum Officium tenentur ad restitutionem fructuum pro rata omissionis Officij, si lapsis sex mensibus post obtentam beneficij possessionem Officium non recitauerint. 446.1
Ponitur tenor Concilij Lateranensis, & Bullæ Pij V. ibid.2
Qui titulo patrimonij, aut alia ratione ad diuinum Officium recitandum nullum habentes beneficium obligantur, si diuinum Officium prætermittant, nihil restituere tenentur. ibid.3
Qui diuinum Officium inculpabiliter prætermittit, ex.gr. bona fide, vel ex obliuione, aut ex legitimo impedimento, ad nullam tenetur restitutionem. 447.4
Qui pensum diuini Officij alio die persoluit, loco Officij aliàs omissi, iuxta probabiliorem sententiam obligatur ad restitutionem. ibid.5
Confessarius non tenetur pœnitenti in satisfactionem Officij prætermissi æquiualentem Officij recitationem iniungere. ibid.6
Beneficiarius, qui diuinum Officium prætermisit, tenetur ad fructuum restitutionem etiam ante iudicis sententiam. ibid.7
Beneficiarius, qui diuinum Officium intra sex menses beneficij adepti prætermittit, non tenetur ad fructuum restitutionem, quamuis reus sit grauis culpæ. ibid.8
Beneficiarius Officium intra primos sex menses omittens tenetur ad fructuum restitutionem, non ex iure naturæ, sed ex iure Ecclesiastico. ibid.9
Qui diuinum Officium primis sex mensibus prætermisit, illudq; iis elapsis, iterum prætermittit, tenetur ad restitutionem fructuum pro rata Officij omissi post sex menses, non verò ratione officij omissi intra primos sex menses. 448.10
An leuem Officij partem omittens ad restitutionem obligetur. ibid.11
Qui ad Chorum inchoato Officio accedit, non semper priuatur distributionibus. ibid.12
Non solùm qui totum, & integrum Officium, verùm etiam qui partem illius notabilem prætermittit, tenetur ad restitutionem, etiamsi parti omissæ modica fructuum quantitas respondeat. ibid.13
Qui sæpius partem notabilem omisit, tenetur ad restitutionem, etiamsi singulis omissionibus modica fructuum quantitas respondeat. ibid.14
Obligandus videtur ad restitutionem qui paucos versiculos singulis Horis omittit. ibid.15
Habens plura beneficia tenetur ad restitutionem pro rata singulorum beneficiorum, quoties diuinum Officium prætermittit. ibid.16
Qui diuinum Officium recitat sine attentione, tenetur ad restitutionem non solùm fructuum, verùm etiam distributionum. ibid.17
Recitans in peccato mortali acquirit fructus. ibid.18
Idem dic de recitante in excommunicatione. ibid.19
Qui nondum finito Officio Choro egreditur, obligatur ad restitutionem fructuum nisi priuatim suppleat. ibid.20
Pensionarius obligatur ad restitutionem fructuum dum paruum Beatiss. Virg. Officium non recitat. 449.21
Affertur conclusio eorum, quæ in præcedentibus dicta sunt, allatis simul ampliationibus, & limitationibus. ibid.22
Omittens diuinum Officium priuari potest beneficio, si elapsis sex mensibus adhuc Officium post admonitionem recitare negligat. ibid.23
Diuinum Officium singulis diebus recitandum est iure Ecclesiastico. 438.1
Diuinum Officium à media nocte antecedentis diei, vsque ad mediam subsequentis diei noctem inclusiuè recitandum est. ibid.2
Non satisfacit præcepto qui pridie recitat Officium. ibid.3
Qui intra huius temporis interuallum priuatim recitat, non peccat mortaliter. ibid.4
Quæ sit iusta causa non seruandæ horæ in recitatione. ibid.5
Qui Officium intra hoc tempus recitauit, non tenetur repetere. ibid.6
Recitantes Officium in Choro extra horas præscriptas non peccant mortaliter, & satisfaciunt suæ obligationi, vt si recitent Primam, vel Sextam post meridiem. ibid.7
Diuinum Officium, vt peccatum veniale vitetur, quo tempore recitandum sit secundùm nonnullorum opinionem. ibid.8
Excusari potest ab omni peccato, qui Primam recitat cum Tertia, & Sexta duabus, vel tribus horis post Solis Ortum. Qui verò Matutinum sine causa differt ad Vesperas, aut qui Completorium recitat sine causa ante prandium, venialiter peccat. 439.9
Matutinum, & Laudes possunt, præsertim si adsit iusta, & honesta causa, recitari ante mediam noctem, seu in Vesperis præcedentis diei. ibid.10
Possunt excusari ab omni peccato, qui in Vesperis recitant Matutinum subsequentis diei, etiamsi Laudes differantur vsque in sequentem diem. ibid.11
Idem valet in Matutino iuxta ritum Ambrosianum. ibid.12
Nocturna possunt separatim recitari iusta concurrente causa. ibid.13
An finito Matutino recitandum sit Pater noster. ibid.14
Cauendum est ne Matutinum sequentis diei dicatur ante Matutinum præsentis diei. ibid.15
Volens Matutinum recitare in Vesperis præcedentis diei non tenetur Solis occasum expectare. ibid.16
Matutinum pro ratione temporum, seu longitudinis, & breuitatis diei aliquando recitari potest hora vigesima, vigesimaprima, & aliquando vigesima secunda. ibid.17
Horæ Canonicæ recitandæ sunt iuxta ordinem ab Ecclesia præscriptum. ibid.1
Qui ordinem Horarum non seruat, vt si recitet Primam ante Matutinum, aut Vesperas ante alias horas, non peccat mortaliter, nec repetere tenetur, sed venialiter tantùm, dum hoc facit aduertenter. ibid.2
Inuitatus ab amico, vel à superiore ad recitandam Primam, cùm ipse nondum recitauit Matutinum, potest cum eo Primam recitare, & postea Matutinum. 440.3
Recitans Tertiam, si recordetur se nondum recitasse Primam, potest Tertiam prosequi cum intentione recitandi postea Matutinum, vel Primam. ibid.4
Peccatum mortale non committitur, secluso contemptu, & scandalo non solùm dum peruertitur ordo Horarum Canonicarum inter se, verùm etiam dum peruertitur ordo eiusdem Horæ dicendo Psalmum ante Hymnum, aut vnum Psalmum ante alium, immo si fiat ex iusta causa excusatur ab omni peccato. ibid.5
Qui ex obliuione dixit Officium de Sancto, quod dicendum erat de feria, satisfacit repetendo omissa, quamuis non repetat illa, in quibus vtrumque Officium conuenit. ibid.6
Qui aliquem Psalmum, vel aliquam horam ex obliuione omisit, non tenetur recitare totum Officium, vt Psalmum, vel horam suo loco dicat, sed satisfacit supplendo omissum. ibid.7
Qui inter recitandum aduertit se aliquid omisisse, potest prosequi vsque ad finem, & postea omissum recitare. ibid.8
Qui in Choro aliquid omisit culpabiliter, vel inculpabiliter, non debet omissum repetere durante Officio in Choro, sed potiùs debet illud reseruare, post expletum Officium, aut si pars illa parua sit, non debet de ea curare. ibid.9
Recitans diuinum Officium, sed non amplius meminit, an Psalmum antecedentem recitauerit, non tenetur Psalmum repetere remissiuè. ibid.10
Celebrans Missam nondum recitato Matutino, mortaliter non peccat, immo neque venialiter, iusta concurrente causa. ibid.11
Cur Horæ Canonicæ sic dicantur, & appellentur Officium Diuinum, vel pensum. 418.4
Cur dicantur Officium de Sanctis, vel de mortuis. ibid.5
Quid sint Horæ Canonicæ formaliter consideratæ. ibid.6
Cuius virtutis actus sit Diuini Officij recitatio. ibid.7
Cuius potentiæ actus sit Officij recitatio. ibid.8
A Deo obtinetur id, quod desideratur, quamuis petatur verbis aliud significantibus. ibid.9
De Horarum Canonicarum definitione, institutione, & numero. ibid.
De iis, qui ad Horas Canonicas recitandas obligantur. 420
Quomodo recitandæ sint Horæ Canonicæ. 432
Quid sint Horæ Canonicæ materialiter sumptæ. 418.1
Horæ Canonicæ sunt septem. 420.1
Affertur prima sententia asserens Horas Canonicas esse octo. ibid.2
Proponitur, & probatur opinio Auctoris sustinentis esse tantummodò septem. ib.3
Cur septem Horæ institutæ fuerint. ibid.4
Quanam hora Christus cruci affixus fuerit. ibid.5
Respondetur argumentis oppositæ sententiæ. ibid.6
Proponuntur rationes ad ostendendum Horas Canonicas iure diuino præscriptas esse. 419.1
Horæ diuinæ iure Ecclesiastico institutæ sunt. ibid.2
Quandonam Horæ Canonicæ ab Ecclesia institutæ sint. ibid.3
Respondetur rationibus in contrarium allatis. ibid.4
Papa potest cum beneficiario, vel Clerico sacris initiato dispensare circa recitationem officij, non verò Episcopus, Cardinalis, aut alij. ibid.5
Infirmitas grauis excusat à recitatione diuini Officij. 451.1
Leuis infirmitas non excusat. ibid.2
Facilius quis potest ab assistentia in Choro, quàm à priuata recitatione excusari. ibid.3
Quando dubitatur an infirmitas grauis sit, aut leuis, standum est iudicio Medici. ibid.4
Quando Medicus dubitat, an infirmitas grauis sit, aut leuis, non est obligatio recitandi Officium. ibid.5
Infirmus transacta infirmitate, non tenetur Officium omissum repetere. ibid.6
Qui per se ipsum diuinum Officium recitare nequit, non tenetur per alium. ibid.7
Qui diuinum Officium recitare non potest, non potest alias orationes substituere. ibid.8
Peregrinatio ad loca pia non eximit ab Officij recitatione, etiamsi peregrinus alium in sui locum substituerit. ibid.9
Canonicus Choro deputatus Officium recitare debet in Choro. 440.1
Canonicus Choro deputatus non percipit distributiones, nisi Officium in Choro cum aliis recitet. ibid.2

An recitantes in Sacriſtia diſtributiones capiant. ibid.3
Ex neceſsitate, vel conſuetudine, vel fundatoris inſtitutione fieri poteſt, vt Canonici non teneantur Horas Canonicas publicè in Eccleſia recitare. ibid.4
Qui ad Chorum deputatus non eſt, vbique Diuinum Officium recitare poteſt. 441.5
Hoc tamen intelligitur, modò non recitet in loco indecenti, aut vbi attentio impediri poſsit. ibid.6
Canonicus, qui Diuinis Officiis in Choro intereſſe non potuit, priuatim Officium vbique recitare poteſt. ibid.7
Ponitur ratio dubitandi ad oſtendendum Epiſcopum teneri Choro intereſſe. ibid.8
Ponitur ſententia auctoris negantis per ſe loquendo. ibid.9
Non eſt idem intereſſe, & reſidere. ibid.10
Verbum debet *non ſemper importat obligationem.* ibid.11
Parochus an teneatur Officium in Choro ſingulis, vel ſaltem feſtis diebus recitare. ibid.12
Capellani non tenentur Officium in Choro recitare. ibid.13
Conſuetudine induci poteſt, vt Canonici non teneantur ſingulis diebus Choro intereſſe. ibid.14

Hortus.

Horti contigui monaſterio ſubiiciuntur clauſuræ. 544.6

Hoſpitale.

Hoſpitaliorum adminiſtratio quandonam ſit materia Simoniæ. 557.17

Humile.

Quid intelligatur per particulam, humile. 328.25

I.

Ieiunare, Ieiunium.

An Ieiunans in peccato obtineat Indulgentiam, ſi in fine diei, peccati remiſſionem obtineat. 174.11
An adoleſcens non Ieiunans conſequatur Indulgentiam conceſſam Ieiunanti. 175.16
Quandonam cenſeatur moraliter conſummatum opus Ieiunij. 174.12
Quotuplex ſit Ieiunium. 64.6
An frangat Ieiunium, qui poſt mediam noctem deglutit aliquid, quod veſpertino tempore ore ſumpſit. ibid.7
An frangat Ieiunium, qui medicinam ore ſumit. ibid.8
An frangat Ieiunium, qui dentibus aromata terit. ibid.9
An frangat Ieiunium, qui traiicit papyrum. ibid.10

Ignorantia.

Ignorantia excuſat ab officio recitando. 453.8
Ignorantia, & bona fides excuſant, priuilegium verò ingrediendi clauſtra Monialium non ſuffragatur, niſi Moniales conſenſum præſtent capitulariter, & per ſecreta ſuffragia. 541.8
Quænam dicatur Ignorantia iuris, facti & pœnæ. 296.1
Quænam dicatur Ignorantia iuris communis, & iuris particularis. ibid.2
Quænam dicatur Ignorantia probabilis, ſeu inuincibilis, & inculpabilis, & improbabilis, ſeu vincibilis, & culpabilis. 297.3
Quænam dicatur Ignorantia affectata, craſſa, & ſupina. ibid.4
Quænam dicatur Ignorantia antecedens, comitans, & conſequens. ibid.5
An Ignorantia iuris excuſet à cenſuris. ibid.6
An ille, qui ſcit aliquod delictum eſſe prohibitum iure naturæ, & diuino, ſed neſcit eſſe prohibitum ab Eccleſia, ligetur cenſuris. ibid.7
An Ignorantia facti excuſet à cenſuris. ibid.8
An occidens Clericum quem credebat eſſe feram, excuſetur ab excommunicatione. ibid.9
An Ignorantia vincibilis excuſet à cenſuris. ibid.10
An Ignorantia affectata excuſet à cenſuris latis contra ſcientes, præſumentes, vel temerè facientes, &c. ibid.11
An excuſet Ignorantia craſſa, & ſupina. 298.12
An Ignorantia pœnæ excuſet à cenſuris. ibid.13
An Ignorantia comitans excuſet ab incurrendis cenſuris. ibid.14
An incurratur cenſura ab eo, qui percutit Clericum, neſciens hoc eſſe prohibitum ab Eccleſia. ibid.15
An percutiens Clericum, quem credebat eſſe laicum, ligetur excommunicatione. ibid.16
An naturalis obliuio, & inconſideratio excuſet à cenſuris. ibid.17
An percutiens Clericum, quem dubitabat eſſe laicum, ligetur excommunicatione. ibid.18
An exercens actum externum cum Ignorantia comitante excuſetur à cenſuris. ibid.19
An incurrat excommunicationem, qui proiicit ſaxum contra Caium Clericum, ſed fortè percuſſit alium Clericum tranſeuntem. ibid.20
An ligetur excommunicatione percutiens Clericum, quem putabat eſſe laicum, ſed ſi eſt Clericus, adhuc, inquit, volo percutere. ibid.21
An incurrat excommunicationem percutiens laicum, ſi credat excommunicationem incurri ob percuſſionem laici. ibid.22

Illegitimus, Illegitimitas.

Quinam appellatur Illegitimus. 389.1
An Illegitimus ſit irregularis. ibid.2
An filij cenſeantur legitimi, quando matrimonium eſt inualidum ob impedimentum occultum. ibid.3
An idem ſit de filiis infidelium. ibid.4
An filius teneatur credere matri aſſerenti ipſum eſſe Illegitimum. ibid.5
An Illegitimus fiat legitimus per ſubſequens matrimonium. ibid.6
Quid ſi matrimonium contrahatur poſt aliud cum alia celebratum. ibid.7
An Illegitimus liberetur ab irregularitate per ſubſequens matrimonium. ibid.8
An proles ſuſcepta ex propria vxore poſt factam profeſſionem ſit legitima. ibid.9
An filius expoſitus cenſeatur Illegitimus. ibid.10
An natus ex parentibus coniugatis poſſit aliquando eſſe irregularis. 390.11
An Illegitimus peccet mortaliter recipiendo ordines. ibid.12
An incurrat aliquam pœnam. ibid.13
Quot modis tollatur irregularitas prouenies ex Illegitimitate. ibid.14
Quis poſsit cum Illegitimo diſpenſare. ibid.15

Impedimenta matrimonij.

An ſit obligatio detegendi Impedimenta matrimonij. 217.20
An habens Impedimentum teneatur deſiſtere à matrimonio contrahendo, illudq; iudici interroganti manifeſtare. ibid.21
An Papa diſpenſare poſſit in omnibus Impedimentis matrimonij. 251.1
In quibus gradibus conſanguinitatis Papa diſpenſare poſſit. ibid.2
An Epiſcopus diſpenſare poſſit in Impedimentis non dirimentibus. ibid.3
An, & quando Epiſcopus diſpenſare poſſit in Impedimentis dirimentibus. ibid.4
An Epiſcopus diſpenſare poſſit in Impedimentis, quæ ſuperueniunt matrimonio, & impediunt petitionem debiti. ibid.5
An in caſu neceſsitatis Epiſcopus poſsit per ſe, vel per alium diſpenſare in Impedimentis dirimentibus. ibid.6
Quid faciendum ſit à Confeſſariis, quibus aliquando conceditur facultas diſpenſandi in Impedimentis matrimonij. 252.7

Impedimentum Impotentiæ.

Quænam dicatur Impotentia perpetua coeundi. 247.1
An Impotentia dicatur perpetua, quando non poteſt auferri abſque arte magica, vel abſque peccato. ibid.2
An Impotentia, quæ ſolo miraculo auferri poteſt, dicatur perpetua. ibid.3
An validum ſit matrimonium contractum cum Impotente, qui poſt matrimonium miraculosè liberatus eſt ab Impotentia. ibid.4
An perpetua ſit Impotentia, quæ tolli non poteſt abſque periculo. ibid.5
Ex quibus cauſis oriatur Impotentia. ibid.6
An femina arcta teneatur pati inciſionem, vt apta reddatur. ibid.7
An, & quomodo Impotentia oriatur ex frigiditate. ibid.8
An, & quomodo Impotentia oriatur ex maleficio. ibid.9
An coniux teneatur redire ad priorem coniugem, quando non conſtat, an ſublatum ſit maleficium. ibid.10
Quid faciendum ſit, quando dubitatur, an maleficium præceſſerit matrimonium. ibid.11
An, & quomodo Impotentia dirimat matrimonium. ibid.12
An validum ſit matrimonium celebratum cum femina arcta quæ poteſt fieri apta per inciſionem. 248.13
An validum ſit matrimonium celebratum cum femina inepta ad ſeminandum. ibid.14
An validum ſit matrimonium celebratum cum leproſo. ibid.15
An validum ſit matrimonium, quando femina non poteſt reddere debitum ſine graui ſanitatis periculo, vel quando non poteſt parere, aut filios viuos in lucem edere. ibid.16
An validum ſit matrimonium celebratum inter ſteriles. ibid.17
An matrimonium validè celebretur à ſene decrepito. ibid.18
An validè celebretur matrimonium cum eunucho, vel ſpadone, vel cum habente teſtes obtuſos. ibid.19
Quid faciendum ſit quando coniuges ſunt Impotentes. ibid.20
Quandonam incipiat triennium quo permittuntur coniuges ſimul habitare, vt experiantur, an poſsint matrimonium conſummare. ibid.21
Quid faciendum ſit quando vnus coniugum ingreditur religionem ex præſumptione Impotentiæ, ſed poſtea cognoſcitur error. ibid.22
An validè diſſoluatur matrimonium, quando vterque coniux ingreditur religionem ob errorem Impotentiæ. ibid.23
An ſuſcipiens ſacros Ordines ob præſumptionem Impotentiæ, reſtituendus ſit vxori ſi cognoſcatur error. ibid.24
An validæ ſint ſecundæ nuptiæ, quando vnus illas celebrauit, & alter religionem ingreſſus eſt, credens adeſſe Impotentiam perpetuam, quæ tamen non aderat. 249.25.
An matrimonium validè celebretur ab hermaphrodito. ibid.26
An hermaphroditus validè celebret matrimoniũ iuxta ſexum inferiorem. ib.27
Ad quem ſpectet iudicare, quinam ſexus in hermaphrodito præualeat. ibid.28
An hermaphroditus, qui ſemel contraxit matrimonium iuxta vnum ſexum, poſsit mortuo coniuge iuxta alium ſexum matrimonium contrahere. ibid.29
An parochus poſsit aſsiſtere matrimonio hermaphroditi. ibid.30
Quænam Impedimenta iure naturæ matrimonium impediant. 226.1
An Eccleſia poſsit Impedimenta matrimonij ſtatuere. ibid.2
Quot modis Eccleſia poſsit irritare contractus. 227.3
An Papa, & Epiſcopi poſsint inducere Impedimenta. ibid.4
An principes ſæculares poſsint conſtituere Impedimenta. ibid.5
An principes poſsint ſtatuere Impedimenta, quibus matrimonia infidelium ſibi ſubditorum dirimantur. ibid.6
An per conſuetudinem induci, & auferri poſſint Impedimenta. ibid.7
An requiratur conſuetudo mixta Clericorum, & laicorum ad inducenda Impedimenta. ibid.8
Quot ſint Impedimenta dirimentia matrimonium. ibid.9
Quot ſint Impedimenta non dirimentia. ibid 10
Quot ſint Impedimenta ex crimine prouenientia. ibid.11

Impedimentum conditionis.

An error conditionis irritet matrimonium quando perſona, cum qua contrahitur, non eſt deterior. 228.1
An ſeruus contrahens cum ſerua, quam credebat liberam eſſe, validè contrahat. ibid.2
An validum ſit matrimonium à libero celebratum cum ſerua, quæ contrahendo ſit libera. ibid.3
An error conditionis irritet matrimonium, quando conditio errantis ſit deterior. ibid.4
An liber validè contrahat cum ſerua, cum qua adhuc contraheret, cognita ſeruitute. ibid.5
An matrimonium inter liberum, & ſeruam celebratum ſiat validum, ſi liber cognito errore copulam habeat cum ſerua. ibid.6
An ſeruus poſſit inuito domino matrimonium celebrare. ibid.7
An domini poſſint vendere ſeruos in locis diſtantibus, in quibus ſerui non poſſint reddere debitum. 229.8
An domini peccent mortaliter, vendendo ſeruos, qui ſine eorum licentia matrimonium contraxerunt. ibid.9
Cuius conditionem filij ſequantur. ibid.10
An filius remaneat ſeruus toto tempore, quo mater erit ſerua. ibid.11
An quando femina grauida ſe vendit filius ſit liber. ibid.12

An vxor aut vir constante matrimonio possint seipsos vendere. ibid.13

Impedimenta non dirimentia.

Quot sint Impedimenta non dirimentia. 249.1
An mortaliter peccet contrahens matrimonium tempore vetito. ibid.3
Quo tempore vetitum sit celebrare matrimonium, & pœna quanam incurratur, contrahendo matrimonium tempore vetito. ibid.4
An sponsalia sint Impedimentum impediens. ibid.5
An Catechismus Impediat matrimonium, & quandonam hoc impedimentum contrahatur. ibid.6
An votum simplex sit Impedimentum impediens. 250.7
An vxor, quæ vouit castitatem, possit adulterium condonare viro vt liberetur vinculo voti. ibid.8
Quotuplex sit crimen Impediens matrimonium. ibid.9
Quomodo incestus Impediat matrimonium. ibid.10
An Impedimentum incestus extendatur ad copulam habitam cum consanguinea sponsæ de futuro ob publicam honestatem. ibid.11
An Impedimentum incestus contrahatur ab eo, qui mortua propria vxore copulam habet cum consanguinea illius. 251.12
An raptus alienæ sponsæ Impediat matrimonium. ibid.13
An homicidium vxoris, aut viri Impediat matrimonium. ibid.14
Quanam differentia sit inter crimen Impediens, & dirimens. ibid.15
An inducatur Impedimentum impediens, quando vxor occiditur in flagranti delicto adultery. ibid.16
Quomodo baptizans, vel suscipiens proprium filium contrahat Impedimentum impediens. ibid.17
An homicidium Sacerdotis inducat Impedimentum impediens. ibid.18
An publica pœnitentia Impediat matrimonium. ibid.19
An contrahens matrimonium cum Moniali incurrat Impedimentum impediens. ibid.20
An peccet mortaliter contrahens matrimonium cum Impedimento non dirimente. ibid.21

Impedimenta disparitatis cultus.

Inter quos reperiatur disparitas cultus. 237.1
An disparitas cultus dirimat matrimonium, & quo iure. ibid.2
An infideles coniugati separandi sint, quando conuertuntur ad fidem. ibid.3
Quibus de causis dissolui possit matrimonium infidelium, quando conuertuntur ad fidem. ibid.5.6.7.&8
An matrimonium infidelis conuersi ad fidem dissoluatur per professionem factam in Religione. ibid.9.10
Quemnam sequantur filij, quando vnus conuertitur ad fidem, altero persistente in infidelitate. ibid.11
An Papa dispensare possit in omnibus Impedimentis matrimonij. 251.1
In quibus gradibus consanguinitatis Papa dispensare possit. ibid.2
An Episcopus dispensare possit in Impedimentis non dirimentibus. ibid.3
An, & quando Episcopus dispensare possit in Impedimentis dirimentibus. ibid.4
An Episcopus dispensare possit in Impedimentis, quæ superueniunt matrimonio, & impediunt petitionem debiti. ibid.5
An in casu necessitatis Episcopus possit per se, vel per alium dispensare in Impedimentis dirimentibus. ibid.6
Quid faciendum sit à Confessariis, quibus aliquando conceditur facultas dispensandi in Impedimentis matrimonij. 252.7

Vide Matrimonium.

Impotentiæ.

An Impotentia faciendi id, quod præcipitur, excuset à censura. 300.1

Incestus.

Quomodo Incestus impediat matrimonium. 250.10
Quid sit Incestus, & quando committatur. 273.1
Cum quibus personis committatur Incestus, & quid ad ipsum requiratur. ibid.2
An Incestus committatur etiam per alios actus impudicos, contra naturam, quàm per copulam. ibid.3
Quale peccatum sit Incestus. ibid.4
An Incestus sit peccatum grauius, quo persona est magis cognata, & quid requiratur, vt hoc peccatum sit reseruatum. ibid.5
An omnes Incestus sint eiusdem speciei. 274.6
An gradus Incestus sit in confessione exprimendus. ibid.7
An copula inter Confessarium, & pœnitentem sit Incestus, vel sacrilegium: & an sit circumstantia explicanda. ibid.8
An Parochus, vel alius committat Incestum habendo copulam cum ea, quam baptizauit. ibid.9
An Parochus habens copulam cum sua parochiana, committat speciale peccatum. ibid.10
Quos effectus pariat Incestus à marito commissus cum consanguinea suæ vxoris. ibid.11

Indulgentiæ.

Indulgentia quid sit. 170.1
An susceptor Indulgentiarum debeat esse fidelis viator baptizatus. 173.1
An infidelis baptizatus sit capax Indulgentiæ. ibid.2
An Indulgentiæ prodesse possint excommunicato. ibid.3
An susceptor Indulgentiarum debeat esse in gratia. ibid.4
An debeat esse in gratia per confessionem. 174.5
Quandonam teneamur confessionem facere, vt Indulgentiam consequamur. ib.6
An habens peccata tantummodò venialia teneatur ea confiteri, quoties in Bulla præscribitur confessio ad consequendas Indulgentias. ibid.7
Differentia inter Confessionem, & Communionem in Bulla expressam. ibid.8
An teneatur iterum confiteri, vt consequatur Indulgentiam, qui tempore Iubilei confessus est, sed postea committit peccatum, antequam cetera in Iubileo præscripta adimpleat. ibid.9
An præstans opera præscripta ad consequendam Indulgentiam debeat esse in gratia toto tempore, quo singula opera præstat. ibid.10
An ieiunans in peccato obtineat Indulgentiam, si in fine diei, peccati remissionem obtineat. ibid.11
Quandonam censeatur moraliter consummatum opus ieiunij. ibid.12
An qui præstitit omnia opera, vel saltem vltimum opus in peccato mortali, consequatur Indulgentiam remoto peccato per pœnitentiam. ibid.13
An susceturus Indulgentiam debeat omnia præstare, quæ præscribuntur in concessione Indulgentiæ. 175.14
An consequatur Indulgentiam, qui opus honestum præscriptum non facit. ibi.15
An adolescens non ieiunans consequatur Indulgentiam concessam ieiunanti. ibid.16.
An prætermittentes confessionem, vel aliud opus ob iustam causam tempore Iubilei, consequantur Iubileum. ibid.17
An pro qualibet parua eleemosyna obtineatur Indulgentia, si eleemosyna præcipiatur. ibid.18
An ciuis ita consequatur Indulgentiam in ciuitate positus, ac suscipiens longum iter. ibid.19
An qui partem iniuncti operis præstitit aliis omissis, consequatur Indulgentiam. ibid.20
An consequatur fructum Indulgentiæ, qui leuem partem operis iniuncti prætermittit. ibid.21
An præcipiens famulo, vt daret eleemosynam, consequatur Indulgentiam, famulo eleemosynam non impendente. ibid.22
An obtineatur Indulgentia, inchoato, sed non completo opere præscripto. ibid.23
An cupiens Indulgentiam sumere, debeat opus præscriptum per se ipsum adimplere. ibid.24
An cupiens Indulgentiam obtinere concessam visitantibus quinque Altaria, teneatur singula Altaria accedere. 176.25
An orans ante fores Ecclesiæ obtineat Indulgentiam, si Ecclesiam ingredi nequeat. ibid.26
An prætermittens aliquem actum, quem credebat non esse necessarium, consequatur Indulgentiam. ibid.27
An Indulgentia obtineri possit per opus internum. ibid.28
An vno, & eodem actu, seu eadem oratione consequi possimus Indulgentias diuersis viis concessas. ibid.29
Cuius grani consequatur Indulgentiam, qui plura habet grana benedicta cum priuilegio eiusdem Indulgentiæ. ibid.30
An aliquis vno, & eodem tempore possit diuersis actibus consequi plures Indulgentias. ibid.31
An aliquis possit sæpius eodem die consequi Indulgentiam concessam visitantibus Ecclesiam tali die. ibid.32
An qui non est consecutus Indulgentiam propter aliquem actum, possit iterum actum præscriptum facere ad eam consequendam. ibi.33
Quisnam Indulgentias concedere valeat. 171
Quis possit primariò concedere Indulgentias ibid.1
Episcopus quomodo possit concedere Indulgentias. ibid.2
An valeat Indulgentia ab Episcopo concessa vltra limites ipsi præscriptos. ibid.3
An prædicta Indulgentia irrita sit in totum, an solum quoad excessum. ibid.4
An Episcopi possint concedere Indulgentiam pro mortuis. 172.5
An Episcopus tantùm electus, & nondum consecratus possit Indulgentias concedere. ibid.6
An Abbas, Summus Pontifex electus possit Indulgentias concedere, si nondum sit consecratus. ibid.7
An Episcopus excommunicatus possit Indulgentias concedere. ibid.8
An grauiter peccet Episcopus concedendo Indulgentias in peccato mortali. ibid.9
An Vicarius Generalis possit Indulgentias concedere. ibid.10
An Episcopus possit facultatem concedendi Indulgentias demandare Vicario Generali. ibid.11
An Episcopus possit hanc facultatem laico concedere. ibid.12
An Summus Pontifex possit de plenitudine suæ potestatis hoc permittere laico. ibid.13
An Episcopus censeatur suo Vicario Generali facultatem Indulgentiarum concedere in commissione generali, remissiuè. ibid.14
An Episcopus possit Religiosis Indulgentias concedere iuxta suam facultatem. ibid.15
An Episcopus gaudere, & frui possit Indulgentiis, quas aliis concessit. ibid.16
An Prælatus possit sibi immediatè Indulgentias concedere. ibid.17
An inferior Episcopo possit absque licentia superioris concedere Indulgentias. ibid.18
An Abbas Religiosorum possit alios efficere participes Satisfactionum & orationum, quæ fiunt in Religione. ibid.19
Cui prosit Satisfactio, quando subditus eam applicuit vni, & superior alteri. ibid.20
An Prælatus possit Satisfactionem subdito necessariam alteri applicare. ibid.21
Quinam prohibeantur concedere Indulgentias. ibid.22
An Capitulum Ecclesiæ Cathedralis possit sede vacante Indulgentias concedere. ibid.23
An qui suas Satisfactiones reposuit in thesauro Ecclesiæ possit eas sibi applicare, postquam indiguerit. ibid.24
An parochus possit Indulgentias concedere. 173.25
An Abbas Episcopo inferior possit Indulgentias concedere. ibid.26
Quantum valeant Indulgentiæ. 178.1
An moriens accepta Indulgentia plenaria, statim in cælum euolet. ibid.2
An Indulgentiæ strictè, vel latè sint explicandæ. ibid.3
Quomodo explicanda sit concessio Indulgentiæ. ibid.4
An necessaria sit causa ad concedendas Indulgentias. 173.1
Quanam causa sufficiat ad concedendas Indulgentias. ibid.2
Quare concedantur Indulgentiæ. ibid.3
Quanam sit iusta causa concedendi Indulgentiam. ibid.4
An valeat Indulgentia si concedatur per quodcumque leuissimum opus. ibid.5
An Summus Pontifex possit absolutè Indulgentias concedere nullum opus requirendo. ibid.6
Quando dubitatur, an Summus Pontifex iustam habuerit causam concedendi Indulgentias, censendus est iustam habuisse causam. ibid.7
An Indulgentia extendi possit ad remissionem peccatorum non solùm commissorum ante, verùm etiam post ipsius concessionem. 170.2
Quid consideretur in operibus hominis iusti. ibid.3
Quanta sit thesauri abundantia ibid.4
An detur thesaurus Indulgentiarum in Ecclesia. ibid.5
An thesaurus satisfactionum extiterit in veteri lege. ibid.6
Quamdiu durent Indulgentiæ. 179.1

An Indulgentia ſimpliciter conceſſa, ſemper duret. ibid.2
An Indulgentia duret vltra præfixum tempus. ibid.3
Quamdiu duret Indulgentia conceſſa alicui loco ſine limitatione. ibid.4
An Indulgentia alicui templo conceſſa perſeueret, ſi templum debita auctoritate aliò transferatur. ibid.5
An Indulgentia deſinat per reuocationem concedentis. 180.6
An ſucceſſor concedentis poſſit Indulgentias reuocare. ibid.7
An extinguatur Indulgentia, antequam reuocatio perueniat ad aures eorum, quibus conceſſa fuerat Indulgentia. ibid.8
An ceſſante cauſa, ob quam Indulgentia fuerat conceſſa, ceſſet Indulgentia. ibid.9
An ceſſet Indulgentia per renuntiationem factam ab eo, in cuius fauorem conceſſa fuerat, remiſsiuè. ibid.10
An Indulgentia pro mortis articulo conceſſa ceſſet, ſi ſemel obtineatur. ibid.11
Quandonam percipi poſsit Indulgentia conceſſa vna tantùm vice pro mortis articulo. ibid.12
An habens facultatem eligendi Confeſſarium qui vigore Indulgentiæ poteſt illum abſoluere, ſit capax Indulgentiæ, & abſolutionis, ſi ſenſibus deſtituatur. ibid.13
An præſcripta ſit certa verborum forma ad concedendam Indulgentiam in articulo mortis, aut alia occaſione. ibid.14
Vtrùm Indulgentiæ proſint defunctis. 177
An detur Purgatorium. ibid.1
Quotuplex ſit pœna, quam animæ patiuntur. ibid.2
Quomodo verus ignis agat in animas corporibus exutas. ibid.3
An animabus in Purgatorio exiſtentibus proſint Indulgentiæ ad obtinendam pœnæ remiſſionem, quam alioquin paterentur. ibid.4
An inferiores Summo Pontifice poſſint plenarias Indulgentias pro defunctis concedere. ibid.5
An Indulgentiæ proſint defunctis conceſſæ per modum iudicij, an verò ſuffragij. ibid.6
An Summus Pontifex concedens Indulgentiam pro omnibus fidelibus, cenſeatur eam etiam concedere pro defunctis. 178.7
Quomodo applicentur Indulgentiæ animabus in purgatorio exiſtentibus. ibid.8
An Indulgentiæ proſint damnatis. ibid.9
An proſint Beatis. ibid.10
Differentia inter defunctum, cui applicatur Indulgentia, & inter eum, qui facit opus ad conſequendam Indulgentiam pro defuncto. ibid.11
An homo in hac vita degens poſsit alteri homini adhuc viuenti, Indulgentiam lucrari. ibid.12
An Indulgentiæ poſsint aliis applicari, quando in conceſsione habentur hæc verba, Qui hoc fecerit, tantam Indulgentiam conſequatur. ibid.13
Quantum profit Indulgentia pro defuncto accepta. ibid.14
Cur Indulgentiæ pro eodem defuncto multoties accipi conſueuerint. ibid.15
An animæ in Purgatorio exiſtentes cognoſcant Indulgentias, & ſuffragia ſibi applicari. ibid.16
An Indulgentiæ proſint excommunicato contrito. 315.9
Indulgentia quotuplex ſit. 171.1
Quid ſignificetur, quando in Bullis conceditur Indulgentia ſeptem annorum. ibid.2
An omnes eodem tempore in Purgatorio commorentur. ibid.3
Quanta pœnæ remiſsio concedatur, quando alicui conceditur Indulgentia, De Pœnitentiis iniunctis. ibid.4
An Iubileus differat ab Indulgentia plenaria, pleniore, & pleniſsima. ibid.5
Quæ excommunicatio contrahitur publicando, vel concedendo ob quæſtum Indulgentiam, aut facultatem abſoluendi. 588
Refertur textus in quo iſta excommunicatio continetur. ibid.1
Aſsignatur materia iſtius excommunicationis. ibid.2
Caſuum nomine, quid intelligatur. ibid.3
Simoniaca publicatio, vel conceſsio alicuius facultatis non inducit pœnam cenſuræ, exceptis Indulgentiis & facultatibus abſoluendi. ibid.4
Enumerantur perſonæ, quæ huic ſuſpenſioni aut excommunicationi ſubiiciuntur. ibid.5
Indulgentias publicans, vel concedens ob quæſtum, cenſuram incurrit, ſiue id per ſe faciat, ſiue per alium. ibid.6
Ad iſtam excommunicationem incurrendam requiritur effectus publicationis. ibid.7
Publicationi, vel conceſsioni Indulgentiarum ob quæſtum cooperantes non ſubiiciuntur excommunicationi. ibid.8
Indulgentias de nouo conceſſas religioſus publicare non poteſt in ſua Eccleſia abſque licentia ordinarij. ibid.9
Eleemoſynis colligendis deputati, quænam ſeruare debeant, ſeu quænam ordinarij locorum in ipſis requirere debeant. ibid.10

Infamia, Infamis.

Infamia quid ſit. 393.1
Quotuplex ſit. ibid.2
An ad Infamiam incurrendam requiratur ſententia iudicis. ibid.3
An Infamia iuris faciat hominem irregularem. ibid.4
An Infamia facti inducat irregularitatem. 394.5
Quot modis infamia tollatur. ibid.6
An Infamis emendatus poſsit ad Ordines promoueri. ibid.7
An poſsit ad Ordines promoueri, qui ſe purgauit. ibid.8
An Infamis Infamia iuris promoueri poſsit ad Ordines. ibid.9
An Infamis in vno loco ſit vbique infamis. ibid.10
An valida ſit collatio beneficij facta Infami. ibid.11
An profeſsio ignominioſa alicuius artis faciat hominem irregularem. ibid.12
An filius proditoris Principis, vel eius qui manus violentas in Cardinalem iniecit, ſit irregularis. ibid.13

Infans.

Infans, cui facta fuit beneficij, aut Sacrorum Ordinum collatio ante rationis vſum, non tenetur ad Horas Canonicas, & quid in adoleſcentia? 452.16

Infirmariæ.

Infirmariæ, hoſpitia, & ſimilia loca non ſunt monaſteria. 544.5

Ingratitudo.

Ingratitudo quotuplex ſit. 144.2
An aperienda ſi in confeſsione Ingratitudo materialis. ibid.3
An peccata commiſſa poſt præcedentia remiſſa grauiora ſint peccatis antea remiſſis. ibid.4
An peccatum Ingratitudinis cernatur tam in mortalibus, quàm in venialibus. 145.5
An peccatum Ingratitudinis ſit maius, quo quis peccat poſt maiora, & plura beneficia. ibid.6
An peccatum commiſſum poſt innocentiam ſit maius peccato commiſſo poſt pœnitentiam. ibid.7

Ingredi, Ingreſſus.

Qui prætextu facultatum ab Epiſcopo vel ab aliis ſuperioribus obtentarum Ingreditur dum non adeſt neceſſitas, incurrit excommunicationem Gregorij. 541.9
Ingrediens ex licentia, ſed non vrgente neceſſitate, ligatur excommunicatione, etiamſi cauſa vrgens ſubeſſet tempore conceſſionis; ſi vero non ſuberat tempore conceſſionis, ſed tantummodò tempore ingreſſus, non afficitur excommunicatione Gregorij, ſed Tridentini. ibid.10
Ingrediens ſine iuſta cauſa, & ſine licentia, excommunicationem incurrit. 540.1
Ingrediens ſine licentia incurrit excommunicationem non reſeruatam, modò non ingrediatur ad malum finem. ibid.2
Ingrediens prætextu facultatum incidit in excommunicationem. ibid.3
Qui Ingreditur ſine licentia, ſed ſine prætextu facultatum, non incidit in excommunicationem Gregorij XIII. reſeruatam. ibid.4
Habens facultatem Ingrediendi non afficitur excommunicatione Gregorij, niſi ingrediatur prætextu facultatum. 541.5
Ingrediens prætextu facultatum inualidè obtentarum non ligatur excommunicatione Gregorij, ſed Tridentini. ibid.6
Facultas Ingrediendi monaſteria Monialium concedi non debet niſi ob manifeſtam monaſterij, ſeu Monialium vtilitatem, cui aliter commodè occurri non poſſet. 537.1
Neceſsitas accipienda eſt moraliter, non autem phyſicè. 538.2
Neceſsitas debet eſſe manifeſta, & quænam manifeſta dicatur, ſufficit tamen, vt ſuperior opinetur cauſam iuſtam eſſe. ibid.3
Sacerdos cauſa confeſsionis, & aliorum Sacramentorum, aut cauſa commendationis animæ, aut ſepulturæ, aut Miſſæ celebrandæ in valetudinario, Ingredi poteſt monaſterium etiam cum ſocio, dum ſocio indiget ad præſtandum miniſterium, cuius cauſa monaſterium Ingreditur, etiamſi in licentia nulla fiat mentio de ſocio. Idem aliqui putant de religioſo quauis de cauſa Ingrediente; ſed hoc mihi non probatur. ibid.4
Chirurgus, Barbitonſor, & Medicus Ingredi poſſunt, & aliquando pharmacopola. ibid.5
Superior Ingredi poteſt cauſa viſitationis. ibid.6
Superior Ingredi poteſt aliquando ad electionem Abbatiſſæ. ibid.7
Baiulus Ingredi poteſt, modò aliquid deferat in vtilitatem monaſterij. ibid.8
Hortulanus Ingredi poteſt ad irrigandum hortum. ibid.9
Feminæ admitti poſſunt in obſequium Monialium dum in eo monaſterio conuerſæ non exiſtunt, & hoc verum eſt etiam dum id exigit neceſsitas alicuius Monialis particularis. ibid.10
Sutor, & ſartor, regulariter loquendo, Ingredi non poſſunt. ibid.11
Mater, aut conſanguinei non poſſunt cauſa viſitationis Ingredi. 539.12
Iudex Ingredi poteſt ad expellendum malefactorem, etiamſi fortè malefactor licitè ingreſſus ſit. ibid.13
Iudex in præcitato caſu Ingredi poteſt, non ſolùm vt malefactorem expellat, verùm etiam, vt examinet quoties conſtat ipſum immunitate non gaudere: ſeruatis tamen conditionibus Gregorij XIV. ibid.14
Puellæ admitti poſſunt cauſa educationis. ibid.15
Quænam conditiones ſeruandæ ſint dum aliqua puella in monaſterium Monialium educationis gratia recipitur. ibid.16
Feminæ coniugatæ, aut viduæ, non admittuntur in monaſteria Monialium. ibid.17
Qui Ingreditur prætextu vilis miniſterij, quod re ipſa præſtare non intendit, non excuſatur. Secus ſi id præſtare intendat, etiamſi Ingrediatur cum aliquo prauo fine. ibid.18
Non eſt licitus Ingreſſus ſi tempore ingreſſus ceſſauit cauſa, ob quam data fuerat facultas ingrediendi ibid.19
Non poteſt licitè Ingredi is, qui licentiam ſine cauſa obtinuit, etiamſi cauſa tempore Ingreſſus ſuperueniat. ibid.20
Et hoc verum eſt, etiamſi ſuperior licentiam ſine cauſa concedere voluerit. ibid.21
Ingrediens monaſterium Monialium ex iuſta cauſa, & cum licentia, non afficitur excommunicatione ſi ſtatim non egrediatur, peccat tamen grauiter contra clauſuræ obligationem ſi diutius immoretur. 540.22
Prælatus concedens facultatem Ingrediendi abſque iuſta cauſa non afficitur excommunicatione; ſecus ſi permittat Ingredi. ibid.23
Superiores facientes, vel permittentes Ingredi prætextu facultatum incurrunt excommunicationem, & alias pœnas. 541.1
Quiſnam dicatur facere, aut permittere Ingredi. 542.2
Non ſolùm ſuperiores, verùm etiam inferiores Monachi, vel Moniales facientes, vel permittentes Ingredi, prætextu facultatum perſonas prohibitas, afficiuntur pœnis Gregorij XIII. ibid.3
Quid nomine Conuentus intelligatur. ibid.4
Moniales facientes, vel permittentes feminas Ingredi afficiuntur excommunicatione. ibid.5
Ad incurrendam iſtam excommunicationem non requiritur ſcientia in facientibus, vel permittentibus Ingredi. ibid.6
Iſta excommunicatio eſt reſeruata, quis poſſit in his pœnis diſpenſare remiſsiuè, ibid.7
Monialis, quæ virum, vel feminam in monaſterium admittere præſumit, afficitur excommunicatione reſeruata, & alias pœnas incurrit. ibid.8
Abbatiſſa & aliæ ſuperiores Monialium eiſdem pœnis afficiuntur admittendo aliquem in monaſterium. ibid.9
Monialis admittens aliquem Ingredi in caſu neceſſitatis non ligatur excommunicatione Gregorij, imò neque Concilij; Ingrediens autem ligatur, niſi licentiam habeat. ibid.10

Is dicitur in monasterium admittere, qui directè, vel indirectè, cooperatur Ingredienti. 543.11
Qui tenetur ex officio impedire, & non impedit, dicitur admittere, secus si non teneatur ex officio, nec aliquam actionem positiuam ad alterius Ingressum faciat. ibid.12
Monialis priuata, quæ alteri moniali mandat, vel consulit, vt aliquem Ingredi permittat, non ligatur his pœnis, modò ipsa non concurrat ad alterius Ingressum ex parte ingredientis. ibid.13
Probabile est monialem, quæ non est cooperata ad ingressum alterius, sed tamen in causa est cur ingressus diutius immoretur, præfatis pœnis affici. ibid.14
Abbatissa, & aliæ superiores non expellentes Ingressum, ligantur præfatis pœnis. ibid.15
Ad has pœnas incurrendas requiritur scientia, non tamen sufficere videtur bonus finis. ibid.16
Præfata excommunicatio, & aliæ pœnæ à quo auferri possint. ibid.17
Omnibus feminis interdictus est Ingressus in monasteria virorum. 544.1
Non solùm feminæ coniugatæ, aut viduæ, verùm etiam puellæ quæ rationis vsum nactæ sunt, vel ad septennium peruenerunt, non possunt monasteria virorum Ingredi, etiamsi matrimonio aptæ non sint. ibid.2
Fundatrices non possunt Ingredi, nisi fortè in regula ipsorum religiosorum habeatur, vt fundatrices decenter comitatæ admittantur. ibid.3
Feminæ in dignitate constitutæ non possunt hoc tempore virtute priuilegiorum Ingredi monasteria Monialium. ibid.4
Probabile est Reginas & ipsarum filias posse monasteria religiosorum Ingredi, etiam absque peculiari priuilegio. ibid.5
Religiosi grauiter peccant admittendo feminas in sua monasteria. ibid.6
Femina grauiter peccat Ingrediendo, etiamsi tunc temporis nullus in monasterio religiosus existat. ibid.7

Inhabilitas.

Inhabilitas ad beneficia contracta ob Simoniam incurritur ipso facto. 595.3
Inhabilitas ad beneficia contracta ob Simoniam à quonam auferri possit. ibid.4

Inseruire.

Vtrùm inseruientes distributiones absentium acquirant ante vllam iudicis sententiam; consequenter, vtrùm beneficiarius, qui Diuinis Officiis non interfuit, pœnam priuationis distributionum subire debeat ante vllam iudicis sententiam. 490

Intentio.

Quid sit intentio. 11.1
Quænam Intentio sufficiat ad recipienda Sacramenta. 18.8
Vtrùm Intentio ministri necessaria sit ad conficienda Sacramenta. 11
Differentia inter attentionem, & Intentionem. ibid.2
Intentionis diuisio quotuplex sit. ibid.3
An requiratur ad Sacramenti administrationem Intentio. ibid.4
Quænam Intentio requiratur, vel sufficiat. ibid.5
An sufficiat Intentio proferendi verba, & exercendi actionem externam. ibid.6
An necessaria sit Intentio conferendi effectum Sacramenti. ibid.7
Quænam Intentio requiratur ad validam Sacramentorum administrationem. 12.8
An validè baptizet, qui baptizat cum Intentione faciendi quod facit Ecclesia, non tamen quod facit Ecclesia Romana. ibid.9
An sit saluandus, qui credit se esse baptizatum, cùm verè baptizatus non sit. ibid.10
Quænam Intentio sufficiat ad conficienda Sacramenta. ibid.11
Qualis attentio requiratur ad Sacramenta conficienda. ibid.12
An consecret Sacerdos, qui secum tulit hostiam ad altare, cuius non recordatur tempore consecrationis. ibid.13
An validè conficiat Sacramentum, qui incipit formam proferre sine Intentione. ibid.14
An in susceptione Ordinum sufficiat Intentio, qua quis intendit fieri Ecclesiæ minister. ibid.15
An validè baptizauerit, qui habuit Intentionem baptizandi à die natiuitatis pueri, sed postea non repetita Intentione illum fortuito baptizauit. ibid.16
An validè baptizet tempore ebrietatis, qui prius habuit Intentionem baptizandi tali tempore. ibid.17
An requiratur Intentio absoluta, vel sufficiat conditionata in conficiendis Sacramentis. 13.18
An valeat Sacramentum administratum sub conditione de futuro. ibid.19
An peccet apponens conditionem in conficiendis Sacramentis. ibid.20

Interdictum, Interdicere.

Quid sit Interdictum. 366.1
An tempore Interdicti possit ministrari Sacramentum Pœnitentiæ. 370.1
Quis possit illud ministrare. ibid.2
An Sacramentum Ordinis ministrari possit tempore Interdicti. ibid.3
An possit ministrari Extrema Vnctio tempore Interdicti. 371.4
An Interdictus possit recipere Extremam Vnctionem in loco non Interdicto. ibid.5
An extrema Vnctio possit ministrari persona non Interdicta tempore Interdicti. ibid.6
An liceat recipere hoc Sacramentum, quando licet audire diuina officia. ibid.7
An liceat contrahere matrimonium tempore Interdicti. ibid.8
An tempore Interdicti fieri possint benedictiones super coniugatos. ibid.9
Quotuplex sit Interdictum. 366.2
An Interdicta Ecclesia, sacerdotes possint in alia Ecclesia persoluere diuina officia. ibid.3
Quotuplex sit Interdictum locale, & personale. ibid.4
Quid sit Interdictum locale generale. ibid.5
An Interdictum parochiæ sit generale. ibid.6
An sit Interdictum generale, quando interdicitur parochia vnius oppidi, in quo sunt aliæ parochiæ. ibid.7
An sit Interdictum generale, quando Interdicuntur Ecclesiæ cuiuscumque loci. ibid.8
An Interdictum prouinciæ sit Interdictum locale. ibid.9
An Interdictum ciuitatis sit Interdictum generale. ibid.10
An Interdicta diœcesi, censeatur etiam interdicta ciuitas. ibid.11
Quid sit Interdictum personale generale. ibid.12
An sit Interdictum generale, quando interdicitur Academia, aut Collegium. ibid.13
An Interdicto Clero censeantur interdicti religiosi. 367.14
An Interdicto populo sit interdictus Clerus, & è contra. ibid.15
An Interdicta familia sint interdicti Clerici illius familiæ. ibid.16
An Interdictus Doctoribus sint etiam interdicti Clerici Doctores. ibid.17
An Interdicto populo sint interdicti, qui habitant in suburbiis. ibid.18
An homines communitatis Interdictæ, qui absunt, ligentur Interdicto. ibid.19
An Interdicto populo sint interdicti exteri. ibid.20
An Interdicta communitate sint interdicti pueri, & amentes. ibid.21
An Interdictum personale generale intelligatur de singularibus personis. ibid.22
An Interdicta ciuitate, sint interdicta suburbia. ibid.23
An Interdicta ciuitate sint interdicta Ecclesiæ religionum. ibid.24
An Religiosi vti possint priuilegiis, quæ illis concessa fuerant ante Concilium Tridentinum. 368.25
An Interdicta Ecclesia, intelligantur interdictæ capellæ, & cœmeterium. ibid.26
An Interdictum latum contra terras alicuius Principis, cadat in omnes terras eiusdem Principis. ibid.27
An ferens Interdictum subiaceat interdicto. ibid.28
Quot sint effectus Interdicti, & an possint restringi. ibid.1
Quot essent effectus Interdicti tempore antiquo. 369.2
Quid nomine Interdicti intelligatur. 24.92
Quæ sit causa efficiens Interdicti. 368.1
Qui possint Interdictum ferre. ibid.2
Quod sit subiectum Interdicti. ibid.3
Quis possit Interdictum personale, aut locale ferre. ibid.4
Quæ sit causa materialis Interdicti. ibid.5
Quæ sit causa finalis, & formalis. ibid.6
An Interdictus priuetur iurisdictione exteriori. 375.1
An Interdictus possit excommunicare, absoluere, &c. ibid.2
An concedere Indulgentias. ibid.3
An illas consequi. ibid.4
An laici peccent violando Interdictum. ibid.1
An laici violantes Interdictum incurrant aliquam pœnam. ibid.2
An Clerici violantes Interdictum peccent. ibid.3
Quam pœnam incurrant Clerici violantes Interdictum. ibid.4
An subdiaconus solemniter canens Epistolam tempore interdicti, fiat irregularis. 376.5
An Sacerdos fiat irregularis, si in loco Interdicto celebret, &c. ibid.6
An Episcopus celebrans in loco non Interdicto fiat irregularis. ibid.7
An fiat irregularis violans Interdictum per actionem non spectantem ad ordinem. ibid.8
An fiat irregularis, qui tempore Interdicti pulsat campanas ad conuocandum populum. ibid.9
An sit irregularis audiens Missam in loco Interdicto. ibid.10
An fiat irregularis, qui curat, vt alter coram se celebret. ibid.11
An sit irregularis, qui celebrat in Ecclesia à qua non est Interdictus. ibid.12
An celebrans in altari Interdicto incurrat irregularitatem. ibid.13
An Clericus Interdictus Sacramenta recipiendo irregularis fiat. ibid.14
An Sacerdos assistens matrimonio, priuatimve baptizans, sit irregularis. ibid.15
An Clericus Interdictus in loco interdicto celebrans vno, vel duplici titulo irregularis fiat. ibid.16
An celebrans in Ecclesia Interdicta fiat irregularis. ibid.17
An sit irregularis celebrans coram Interdicto. ibid.18
An clericus communicans cum Interdicto peccet, & incurrat aliquam pœnam. ibid.19
An peccet communicans cum Interdicto in rebus humanis. ibid.20
An peccet communicans cum Interdicto non denuntiato. ibid.21
Quinam dicantur nominatim Interdicti. 377.22
An quando fertur Interdictum contra collegium, singuli illius collegij sint nominatim denuntiati. ibid.23
An sint vitandi, qui hoc modo Interdicuntur, Qui furati sunt, sint interdicti. ibid.24
An Sacramenta Baptismi, & Confirmationis possint administrari tempore Interdicti localis. 369.1
An liceat conficere chrisma in Ecclesia Interdicta. ibid.2
An Interdicta Ecclesia parochiali Baptismus in ea ministrari possit. ibid.3
An personaliter Interdictus possit recipere Confirmationem. ibid.4
An personaliter Interdictus possit administrare Baptismum. ibid.5
An personaliter Interdictus possit ministrare Confirmationem. ibid.6
An Interdictum priuet Ecclesiastica sepultura. 373.1
An qui non est Interdictus possit sepeliri in loco Interdicto. ibid.2
An excommunicati possint admitti ad diuina officia tempore Interdicti. ibid.2
An qui non est personaliter Interdictus, possit sepeliri in loco non Interdicto. ibid.4
An qui non est Interdictus, possit transferri ad locum non Interdictum. ibid.5
An habens priuilegium assistendi diuinis officiis possit sepelirì in loco sacro. ibid.6
An prohibeatur sepultura Ecclesiastica iis diebus, quibus licitum est celebrare diuina officia. 374.7
An sepultus tempore Interdicti in loco non sacro, sublato Interdicto exhumandus sit, & sepeliendus in loco sacro. ibid.8
An infantes, & amentes possint sepeliri in loco sacro. ibid.9
An peccet sepeliens Interdictum Interdicto personali generali. ibid.10
An Interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit in ea sepeliri, & qua actione priuetur. ibid.11
An Interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit recipere Sacramenta in Ecclesia, dum officia diuina non celebrantur. ibid.12
An Clerici sepeliri possint in loco sacro tempore Interdicti. ibid.13
An Clericus teneatur ad diuinum officium tempore Interdicti. 371.5
An tempore Interdicti liceat celebrare Missam, & diuina officia. 372.6
An licitum sit celebrare in Capella Ecclesiæ, ianuis Ecclesiæ apertis, clausa solùm porta Capellæ. ibid.7
An aliquando liceat pulsare campanas tempore Interdicti. ibid.8
Quodnam instrumentum adhibendum sit, quando non adhiberi possunt campanæ. ibid.9

An tempore Interdicti liceat celebrare officia secretò, & extra Ecclesiam. ibid.10
An liceat illa celebrare in monasteriis monialium. ibid.11
An liceat in hospitalibus, vel Oratorio. ibid.12
An liceat in Oratoriis priuatis. ibid.13
In quibus festis liceat diuina officia celebrare tempore Interdicti. ibid.14
An nomine Natiuitatis, & Paschæ intelligatur solùm primus dies. ibid.15
Quandonam incipiant dictæ festiuitates. ibid.16
An iis festiuitatibus liceat Missam celebrare, & audire. ibid.17
An laici possint communicare tempore Paschatis. ibid.18
An tempore Interdicti celebrari possit non solùm Missa propria illarum festiuitatum, verùm etiam alia. ibid.19
Quanam personæ possint admitti ad diuina officia tempore Interdicti. ibid.20
An laici teneantur interesse sacro, quando habent priuilegium assistendi diuinis officiis. 373.21
An teneantur Clerici, & Religiosi. ibid.22
An habens priuilegium audiendi diuina officia possit cum sua familia diuinis officiis interesse. ibid.23
An tempore Interdicti Sacerdos possit vti famulo in sacrificio Missæ. ibid.24
An famuli tempore Interdicti possint diuinis officiis interesse, & quomodo. ib.25
An aliquis non interdictus, possit Missam Sacerdotis interdicti audire. ibid.26
An liceat ministrare Eucharistiam tempore Interdicti localis. 369.1
An Eucharistia possit ministrari coram Interdicto. ibid.2
Quandonam liceat administrare Eucharistiam tempore Interdicti. ibid.3
An tempore Interdicti possit ministrari Eucharistia femina vicina partui. ibid.4
An possit ministrari suscipienti periculosam nauigationem. ibid.5
An Eucharistia ministranda sit per modum viatici. ibid.6
An liceat recipere Eucharistiam tempore Interdicti in loco interdicto. ibid.7
An Clerici possint communicare, cum illis liceat celebrare. ibid.8
An Religiosi & moniales possint Eucharistiam sumere ex priuilegio. 370.9
Quis possit Eucharistiam ministrare tempore Interdicti. ibid.10
An personaliter Interdictus possit recipere Eucharistiam. ibid.11
An tempore Interdicti liceat recipere Eucharistiam tempore Paschatis. ibid.12
Iniustè Interdictus non priuatur distributionibus. 471.1
Iustè Interdictus priuatur distributionibus. ibid.2
Hoc valet non solùm in Interdicto simpliciter, seu à diuinis, verùm etiam in Interdicto ab ingressu Ecclesiæ. ibid.3
Limitatur in Interdicto vitando, & in eo, qui diuina audit in Ecclesia consecrata, vel benedicta, & Episcopi auctoritate erecta. ibid.4
Canonici non priuantur distributionibus, dum non celebrant Officia, eò quòd Interdicta sit Ecclesia interdicto speciali, secus si interdicta sit interdicto generali. ibid.5
Quanam licitè fiant in Ecclesia tempore Interdicti generalis. ibid.6
Quandonam cessat Interdictum latum ad tempus, aut sub conditione. 378.1
An Interdictum locale cessat destructione ædificiorum loci Interdicti. ibid.2
An destructa Ecclesia Interdicta possint in eius solo corpora sepeliri. ibid.3
An Interdictum possit auferri, vel suspendi ab eo qui illud tulit. ibid.4
An Episcopus possit absoluere ab Interdicto. ibid.5
An Parochus, vel alius Confessarius possit absoluere ab Interdicto. ibid.6
An Interdictum adnexum excommunicationi reseruatæ sit reseruatum. 379.7
An Interdictum censeatur sublatum, quando non seruatur ab eo, qui illud tulit. ibid.8
An absolutio Interdicti dari possit ad cautelam. ibid.9
An Papa, vel Episcopus possint auferre Interdictum per solam voluntatem. ib.10
Interdictum locale incurritur, quando dominus Regni, vel alterius loci impedit, ne Legatus, vel Nuntius Summi Pontificis suo fungatur officio. 377.1
Quando Dominus alicuius territorij percutit iniuriosè Episcopum, &c. ibid.2
Ciuitas verò remanet priuata Pontificali, & dignitate, quod idem procedit in ciuitate, quæ aliquem Episcopum inuitum detinet, vel Cardinales insequitur, &c. Item quæ exigit ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis guidagia, &c. ibid.3
Præfatum Interdictum quoque incurritur dum dominus, vel rector ciuitatis in qua moritur Papa, non præstat præscripta in cap. vti periculum. ibid.4
Item dum Episcopus, & alij inferiores Ecclesiastici remanent per mensem in excommunicatione, &c. ibid.5
Item quando Clerici regulares, vel sæculares inducunt aliquem ad vouendum, vel promittendum, vt in eorum Ecclesia eligat sepulchrum, &c. ibid.6
Interdictum personale generale incurritur quando vniuersitas concedit repræsalias, vel pignorationes, aut imponit decimas, vel taleas contrà personas Ecclesiasticas, &c. aut quando aliorum concessionem non reuocat. ibid.7
Item Interdictum incurritur dum vniuersitas, vel Capitula, &c. appellant à sententiis Summi Pontificis ad futurum generale Concilium, aut ad hoc consilium, fauorem ve præbent. ibid.8
Imò in hoc casu lata est etiam excommunicatio. ibid.9
Similiter quando Capitulum sede vacante litteras dimissorias infra annum à die vacationis, absque necessitate concedit. ibid.10
Dantes causam Interdicto locali generali, personaliter interdicuntur. ibid.11
Item Capitulum, & vniuersitas non seruans constitutionem Ioannis XXII. circa beneficiorum vacantium fructus. ibid.12
Item vniuersitas permittens vsurarios alienigenas. ibid.13
Interdictum speciale personale ab ingressu Ecclesiæ incurrit, qui recipit Abbatiam, vel aliam dignitatem de manu laici. ibid.14
Item Prælati, qui sibi aliquid vsurpant ex reditibus dignitatis vacantis, aut Ecclesiarum sibi subditarum. ibid.15
Similiter Sacerdos admittens Interdictum ad diuina officia. 378.16
Inferior Episcopo ferens censuram sine scriptura, &c. præfatum Interdictum contrahit. ibid.17
Episcopus in visitatione, aliquid, quod sibi non debetur, accipiens, eodem Interdicto ligatur. ibid.18
Item violans Interdictum locale, saltem generale. ibid.19
Iudices Ecclesiastici, qui officiales Romanæ Curiæ, &c. suis beneficiis priuant, & ea conferunt aliis, præter Interdictum, suspensionem, & excommunicationem incurrunt.
Episcopi verò hoc idem facientes incurrunt solùm excommunicationem. ibid.20
Edentes Commentaria in Tridentinum. ibid.21

Metropolitanus non deferens intra tres menses per litteras, vel nuntium Summo Pontifici suffraganeum vltra annum non residentem, præfato Interdicto ligatur, & è contra. ibid.22
An Clerici in crimine fornicationis perseuerantes huic Interdicto subiaceant. ibid.23
An ferens excommunicationem absque admonitione. ibid.24
An Cardinalis, vel Prælati recipientes beneficia, vel pensiones cum simonia confidentiali. ibid.25

Interstitia.

Quomodo computanda sint temporum Interstitia. 195.51
Quænam causa requiratur ad dispensandum in Interstitiis. 196.2

Irregularis, Irregularitas.

Quid sit Irregularitas. 381.1
An ferens testimonium in causa sanguinis, fiat Irregularis. 404.1
An testis, ex cuius dicto sequitur mors, sit Irregularis. ibid.2
An Clericus cogi possit ad ferendum testimonium in causa sanguinis. ibid.3
An ferens testimonium in fauorem rei, fiat Irregularis, si ob id sequatur mors accusatoris. ibid.4
An eam incurrat Aduocatus in dicto casu. ibid.5
An Aduocatus, & procurator sit Irregularis, quando reus ex imperitia Aduocati adiudicatur morti. ibid.6
An Aduocatus, & procurator sit Irregularis. ibid.7
An protestatio prosit Aduocato, Procuratori, & delatori criminis. ibid.8
An ad incurrendam Irregularitatem requiratur peccatum mortale. 383.1
An Papa possit eam ferre pro peccato veniali. ibid.2
An possit eam ferre pro delicto præterito. ibid.3
An ignorantia excuset ab Irregularitate incurrenda. ibid.4
An ad incurrendam Irregularitatem requiratur actus externus. ibid.5
An sufficiat desiderium, aut conatus. ibid.6
An actus internus sufficiat. ibid.7
An excommunicatus occultè celebrans fiat Irregularis. ibid.8
An aromatarij cõficientes medicinas ex rebus corruptis sint Irregulares. 409.11
An præbens aliquid infirmo sit Irregularis, si mors sequatur. ibid.12
An sit Irregularis extrahens sagittam è vulnerato, si pereat. ibid.13
An magister verberans discipulum sit Irregularis, morte secuta. ibid.14
An iudex sit Irregularis, si præcipiat reum verberari iuxta leges. ibid.15
An leuiter vulnerans sit Irregularis, si vulneratus pereat ex iniuria medici. ibid.16
An sit Irregularis, qui dat alicui mandatum occidendi, sed occiditur ipse mandatarius. ibid.17
An sit Irregularis, qui inter dormiendum occidit infantem. 410.18
An sit Irregularis, qui proiicit lapidem in laicum, sed Titius occiditur. ibid.19
An sit Irregularis, qui reficiens tectum, tegula occidit transeuntem. ibid.20
An sint Irregulares, qui hyeme se petunt pilis niueis, si mors sequatur. ibid.21
An saltans cum muliere grauida sit Irregularis, si abortus sequatur. ibid.22
An sit Irregularis insidens equo, qui fractis habenis aliquem occidit. ibid.23
An sit Irregularis custodiens feram, quæ aliquem occidit. ibid.24
An detegens adulterium mulieris sit Irregularis, si mors sequatur mulieri. ibid.25
An sit Irregularis, qui ioco terrorem alteri incutit, ex quo alter se præcipitat. ibid.26
An requiratur peccatum mortale ad incurrendam Irregularitatem ex homicidio non casuali. ibid.27
Irregularis ob Irregularitatem præcisè, non priuatur distributionibus. 471.1
Irregularis per accidens priuatur distributionibus, quoties functioni Ordinis debentur, aut quoties Irregularitas adnexa est alicui delicto inducenti ipso facto beneficij priuationem, quam beneficiarius tenetur ante iudicis sententiam subire. ibid.2
Imò etiam priuatur distributionibus ob Irregularitatem, dum Irregularitas ante beneficij consecutionem contracta fuit. 472.3
An mutilans membrum aridum sit Irregularis. 411.5
An debilitans brachium alterius sit Irregularis. ibid.6
An reddens aliquem cæcum sit Irregularis. ibid.7
An abscindens alteri digitum sit Irregularis. ibid.8
An sit Irregularis, qui abscindit maiorem membri partem. ibid.9
An mutilans cadauer sit Irregularis. ibid.10
An debilitans membrum alterius sit Irregularis. ibid.11
An abscissus aliquando sit Irregularis, non verò abscindens. ibid.12
An mandans homicidium sit Irregularis. ibid.13
An mandans sit irregularis, si pace inita sequatur homicidium. ibid.14
Quid si mandatarius nesciat initam esse pacem. ibid.15
An pater sit Irregularis si filio dicat, ne redeas domum donec de te aliquid noui audiam. ibid.16
Quid si mandatarius acceptet mandatum, quod initio nolebat acceptare. ibid.17
An sit reus homicidij, si mandatarius occidat contra mandatum. ibid.18
An consulens homicidium sit Irregularis. 412.19
Quid si reuocet consilium. ibid.20
An consulens homicidium, quod alter consuluisset, sit Irregularis. ibid.21
An sit Irregularis, qui committit homicidium, quod alter commisisset. ibid.22
An suadens Caio homicidium, quod adhuc commisisset, sit Irregularis. ibid.23
An sit Irregularis, qui suo dicto influit in homicidium. ibid.24
An sit Irregularis, qui dat consilium capiendi arcem, ex quo sequitur mors. ibid.25
An promittens securitatem sit Irregularis, si mors sequatur. ibid.26
An sit Irregularis, qui dat consilium faciendi abortum. ibid.27
An auxiliantes, & cooperantes ad homicidium sint Irregulares. ibid.28
An omnes sint Irregulares quando plures aggrediuntur aliquem, qui ex vno ictu perit. ibid.29
An omnes inferentes multa vulnera leuia sint Irregulares. ibid.30
Quis sit Irregularis, quando plures percutiunt, sed nescitur quis occidat. ibid.30
Quis sit Irregularis, quando vnus leuiter percutit, sed alij lethaliter percutiunt. ibid.32
Quis sit Irregularis, quando primus lethaliter percutit, & simul etiam ceteri. 413.33
An sit Irregularis, qui admonet auxiliantes, ne malum inferant. ibid.34

An tradens Titio arma, quibus Caium occidit, sit Irregularis. ibid.35
Quid si Caium occidat aliis armis. ibid.36
An ille, qui non impedit homicidium, sit Irregularis. ibid.37
An sit Irregularis qui non reuelat homicidium. ibid.38
An impediens alterum, ne opem ferat iniuſto, sit Irregularis. ibid.39
An Princeps non impediens neces sit Irregularis. ibid.40
An qui non impedit homicidium sit Irregularis homicidij voluntarij. ibid.41
An ratum habens homicidium sit Irregularis. ibid.42
An intentio occidendi inducat Irregularitatem. 400.1
An ad incurrendam Irregularitatem requiratur, vt occidens sit baptizatus. ibid.2
An iniuſtè occidens, aut mutilans, ac cooperans sit Irregularis. ibid.3
An mortem accelerans sit Irregularis. ibid.4
An iudex, & notarius sit Irregularis. ibid.5
An conſultores in cauſa ſanguinis ſint Irregulares. ibid.6
An referens opiniones Doctorum in cauſa ſanguinis ſit Irregularis. 401.7
An comitantes reum ad ſupplicium ſint Irregulares. ibid.8
An ſit Irregularis qui dicit reo, aſcende ſcalam, vel ſuppone caput, &c. ibid.9
An deferens crimen ad iudicem ſit Irregularis. ibid.10
An præbens gladium pugnanti ſit Irregularis. ibid.11
An tradens ligna ad aliquem comburendum ſit Irregularis. ibid.12
An fabricatores armorum ſint Irregulares. ibid.13
An ſit Irregularis, qui dat campanæ ſignum, quo quis eſt ſuſpendendus. ibid.14
An ſit Irregularis, qui obtinet vt reus non ducatur per talem viam. ibid.15
An aſſiſtens executioni ſententiæ ſit Irregularis. ibid.16
An ſit Irregularis, qui defert litteras, quibus mandatur aliquem occidi. ibid.17
An fiat Irregularis, qui clamauit adeſſe latrones, qui occiſi ſunt. ibid.18
An oſtendens reum ſatellitibus ſit Irregularis. ibid.19
Quid ſi oſtendat aliquem, neſciens ipſum quæri ad mortem. ibid.20
An Clericus, qui rogat Principem vt iuſtitiam faciat, &c. excuſetur ab Irregularitate. ibid.21
An bannitum, hoſtem ve reip. publicæ auctoritate occidens Irregularis fiat. ib.22
An exercens officium in criminalibus abſque vlla ſanguinis, mortis, vel mutilationis ſententia, ſit Irregularis. ibid.23
An exercens plures actus, plures Irregularitates incurrat. ibid.24
An effodiens oculos, & manus, plures incurrat Irregularitates. 402.25
An damnans plures ad mortem vnica ſententia, plures Irregularitates incurrat. ibid.26
An degradans aliquem ſit Irregularis. ibid.27
An ſit Irregularis, qui conſtituit prætores ad cauſas ſanguinis. ibid.28
An ſit Irregularis, qui mandat alicui, vt inquirat de delicto. ibid.29
Quid facere debeat Prælatus, quando interrogatur quid ſit faciendum in aliqua cauſa ſanguinis. ibid.30
An poſſit Sacerdos dare conſilium Principi, vt legem ferat, qua fures plectantur capite. ibid.31
An ſit Irregularis Confeſſarius, qui pœnitenti nolenti punire reum dignum morte negat abſolutionem, niſi illum puniat. ibid.32
An excuſetur Confeſſarius, qui pœnitentem iuridicè interrogatum hortatur ad dicendam veritatem in cauſa ſanguinis. ibid.33
An ſit Irregularis Confeſſarius, qui dicit pœnitenti, vt mittat reum in malam crucem, vel occidat. ibid.34
Quæ differentia ſit inter Clericos, & laicos miſcentes ſe in cauſa ſanguinis. ib.35
Vndenam Irregularitas dicatur. 381.1
Quid requiratur ad incurrendam Irregularitatem. ibid.2
An femina poſſit dici Irregularis. ibid.3
An fidelis appelletur Irregularis. ibid.4
An carens vſu rationis ſit Irregularis. 368.1
An defectus ſcientiæ faciat hominem Irregularem. ibid.2
Quænam ſcientia requiratur ad ordines ſuſcipiendos. ibid.3
An pœnitentia ſacramentalis inducat Irregularitatem. 394.2
An illam inducat pœnitentia publica, & ſolemnis. ibid.3
An hoc tempore ſit in vſu. ibid.4
An Irregularitas impediat ſuſceptionem ordinum, & tonſuræ. 383.1
An impediat exercitium omnium ordinum. ibid.2
An Sacerdos, cui fuit amputatus digitus, poſſit ad Canonicatum promoueri. ibid.3
An Irregularis peccet, & aliquam pœnam incurrat exercendo ordines. 384.4
An prohibeatur exercere quoſlibet actus ſacros. ibid.5
An ſit incapax beneficij. ibid.6
An recipiens beneficium in Irregularitate poſſit percipere fructus. ibid.7
An Irregularitas priuet beneficio ante irregularitatem obtento. ibid.8
An Irregularis poſſit beneficium reſignare. ibid.9
An teneatur reſtituere fructus. ibid.10
An Irregularis ob homicidium priuetur penſione, & beneficio. ibid.11
An ſit incapax iuriſdictionis. ibid.12
An Irregularis poſſit recipere auctoritatem fori pœnitentiæ. ibid.13
Cuius iuriſdictionis capax ſit Irregularis. ibid.14
Quos actus iuriſdictionis poſſit Irregularis exercere. ibid.15
An poſſit facultatem alteri delegare. ibid.16
An poſſit excommunicare. ibid.17
An priuetur iure eligendi. 385.18
An valida ſit confeſſio facta Irregulari. ibid.19
Quid ſi pœnitens ignoret confeſſarium eſſe Irregularem. ibid.20
Quodnam vitium, ſeu defectus corporis inducat Irregularitatem. 386.1
An carens oculo ſit Irregularis. ibid.2
An ſit Irregularis habens maculam in oculo. ibid.3
An ſit Irregularis habens oculum grandiorem altero. ibid.4
An abſciſſio naſi faciat hominem Irregularem. 387.5
An habens labia corroſa ſit Irregularis. ibid.6
An ſurdus ſit Irregularis. ibid.7
An carens auriculis ſit Irregularis. ibid.8
An gibboſus ſit Irregularis. ibid.9
An monſtruoſus ſit Irregularis. ibid.10
An Æthiops, aut habens ſex digitos ſit Irregularis. ibid.11
An hermaphroditus ſit Irregularis. ibid.12
An hermaphroditus poſſit profeſſionem facere. ibid.13
An habens crura diſtorta ſit Irregularis. ibid.14
An ſit Irregularis qui caret pede. ibid.15
An qui non poteſt ordines exercere ſit Irregularis. ibid.16
An febre laborantes ſint Irregulares. ibid.17
An graui dolore capitis laborantes ſint Irregulares. ibid.18
An laborantes morbo Gallico ſint Irregulares. ibid.19
An ſit Irregularis, qui laborat lepra, an ſcabie. ibid.20
An peſte laborantes ſint Irregulares. ibid.21
An morbo caduco laborantes ſint Irregulares. ibid.22
An amentes, & furioſi ſint Irregulares. ibid.23
An Dæmoniaci ſint Irregulares. 388.24
An defectus corporis idem operetur, quando aduenit ante ſuſceptionem ordinum, ac quando ſubſequitur ordines ſuſceptos. ibid.25
An abſtemius poſſit vti ſacerdotio. ibid.26
An Papa poſſit diſpenſare cum abſtemio. ibid.27
An habens corporis defectum impedientem vſum ſacerdotij poſſit ad reliquos ordines promoueri. ibid.28
An carens aliquo membro ſit Irregularis. ibid.29
An carens membro occulto Irregularis ſit. ibid.30
An ſit Irregularis, qui ſibi virilia amputauit. ibid.31
An ſit Irregularis, qui amiſit digitos pedum, aut virilia. ibid.32
An ille ſit Irregularis, cui abſciſſa ſunt virilia in pœnam delicti. ibid.33
An ſit Irregularis, qui virilia amputauit cauſa cantus, aut caſtitatis. ibid.34
An ſit Irregularis, qui ex indignatione membrum amputauit. ibid.35
Quis poſſit in hac Irregularitate diſpenſare. 389.36
De Irregularitate proueniente ex homicidio voluntario iniuſtè facto ab homicida, & eius cooperatoribus. 410
An Irregularitas tollatur per Baptiſmum. 416.1
An tollatur per profeſſionem in Religione. ibid.2
Quanam Irregularitas per profeſſionem auferatur. ibid.3
An illegitimus poſſit fieri Abbas, vel Prior. ibid.4
An Irregularitas ceſſet, ceſſante cauſa Irregularitatis. ibid.5
An Irregularitas tolli poſſit per iuriſdictionem delegatam. 417.6
An facultas conceſſa, ſi res ita eſt, expiret morte Papæ. ibid.7
An habens facultatem abſoluendi ab omnibus cenſuris, & ſententiis poſſit abſoluere ab Irregularitate. ibid.8
De Irregularitate, quæ contrahitur medendo, vel chirurgiam exercendo. 405
An Papa diſpenſare poſſit in omni Irregularitate. 415.1
An abrogatio legis Irregularitatem inducentis, quoad exemptionem reſpiciat ſolum futurum tempus, an etiam præteritum. ibid.2
An Epiſcopus diſpenſare poſſit in Irregularitate. ibid.3
An Epiſcopus diſpenſare poſſit in Irregularitate cum religioſis ibid.4
An requiratur eadem ſubiectio in obtinenda diſpenſatione Irregularitatis, & abſolutione cenſurarum. ibid.5
An Epiſcopus diſpenſare poſſit in Irregularitate ex delicto, finito iudicio. 416.6
An Prælati habentes iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem, poſſint diſpenſare in Irregularitate. ibid.7
An Epiſcopus poſsit alterum delegare, qui cum ſe ipſo diſpenſet. ibid.8
An Epiſcopus admittens aliquem ad ordines cenſeatur cum eo diſpenſare in Irregularitate. ibid.9
De Irregularitate proueniente ex homicidio. 400
An defectus ætatis inducat Irregularitatem. 390.1
An defectus libertatis inducat Irregularitatem, & in quibus perſonis. ibid.2
An habens filios illegitimos, vel legitimos, ſit Irregularis. 391.3
Quinam dicantur obligati ad ratiocinia. ibid.4
An is, qui finita adminiſtratione remanet debitor, adhuc remaneat Irregularis donec ſatisfecit debito. ibid.5
An ex debito pecuniario conſurgat Irregularitas. ibid.6
De Irregularitatibus prouenientibus ex delicto. 393
Quomodo differat Irregularitas à cenſuris. 381.2
An differat à degradatione. 382.3
An impediat ſuſceptionem primæ tonſuræ. ibid.4
Quomodo differat à ſuſpenſione. ibid.5
Quotuplex ſit Irregularitas. ibid.6
Quænam ſit Irregularitas ex defectu, & ex delicto. ibid.7
De nonnullis Irregularitatibus, quæ ab aliquibus aſſeruntur, & aſſeruntur, ſed ab aliis reiiciuntur & refelluntur. 399

Irregularitatis cauſæ.

Quæ ſit cauſa efficiens Irregularitatis. 382.1
An Epiſcopus, aut alij Summo Pontifice inferiores poſsint Irregularitates ferre. ibid.2
Papa poteſt Irregularitatem per ſententiam, ſeu ab homine ferre. ibid.2
An admittenda ſit vlla Irregularitas ob ſolam auctoritatem Doctorum de conſuetudine teſtantium. ibid.3
An Irregularitas incurratur ob æquale, ſimile, maiuſve delictum. ibid.4
An ius Irregularitatem inducens, ita expreſſum eſſe debeat, vt omni prorſus dubio careat: an ſecum ſuos trahat effectus abſque iudicis ſententia. ibid.5
Cauſa materialis, ſeu ſubiectiua Irregularitatis quæ ſit. ibid.6
Nec infideles, nec femina dicuntur propriè Irregulares. ibid.7
Tam laicus, quàm Clericus; tam Epiſcopus, quàm Cardinalis Irregularitate ligari poteſt. ibid.8
An Irregulari in Papam electo cenſura exprobrari poſsit. 383.9
Cauſa formalis Irregularitatis quæ ſit. ibid.10
Quomodo dignoſci poſsit an Irregularitas ſit in iure expreſſa. ibid.11
Differentia inter Irregularitatem, & ſuſpenſionem. ibid.12

Iterare, Iteratio.

Quandonam teneatur pœnitens confeſsionem Iterare. 125.1
An pœnitens teneatur Iterare confeſsionem, quando mortale peccatum voluntariè omiſit. ibid.2
An illam teneatur Iterare, quoties debitum dolorem non habuit. ibid.3
An teneatur Iterare confeſsionem, qui noluit deſerere occaſionem proximam peccandi. ibid.4

An pœnitens teneatur Iterare confessionem quoties voluntariè prius absolutus fuit à peccatis, quàm ab excommunicatione. ibid.5
An excusetur ab Iteranda confessione, qui aliquod peccatum mortale in confessione prætermisit putans non esse mortale. ibid.6
Qui bona fide confessus est maiorem numerum peccatorum, non tenetur cognito numero iterum confiteri. ibid.7
Quandonam iteranda sit confessio ob defectum Confessarij. ibid.8
An Confessarius nondum initiatus Baptismo, vel Sacerdotio possit absolutionem conferre. ibid.9
An non habens iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, possit absolutionem impendere. ibid.10
An validè absoluat, qui communi errore, aut titulo colorato idoneus iudicatur. ibid.11
An Iteranda sit Confessio quoties Confessarius non habuit intentionem absoluendi. 126.12
An Iteranda sit confessio quando prætermittitur aliquod verbum necessarium in forma. ibid.13
An teneatur confessionem Iterare, qui bona fide confessus est Sacerdoti indocto. ibid.14
An repetens confessionem teneatur sigillatim omnia peccata repetere. ibid.15
An valida sit confessio, quæ non potuit vna vice perfici. ibid.16
An Iteratio Baptismi inducat irregularitatem. 394.1
An infans rebaptizatus sit irregularis. 395.2
An ignorantia excuset. ibid.3
An rebaptizans sub conditione sit irregularis. ibid.4
An rebaptizans absolutè sit irregularis, si diligentiam adhibuit. ibid.5
An baptizans filium expositum sine vllo testimonio, sit irregularis. ibid.6
An sit irregularis, qui ob grauem metum rebaptizat. ibid.7
An Iteratio Confirmationis & Ordinis inducat irregularitatem. ibid.8
Quis possit in ea dispensare. ibid.9
An Episcopus possit aliquando dispensare. ibid.10
An differens Baptismum vsque ad ægritudinem, vel mortem, sit irregularis. ibid.11
An hæc irregularitas tollatur per Baptismum. ibid.12
An adultus baptizatus ab hæretico sit irregularis. ibid.13

Iubileus.

An Iubileus differat ab Indulgentia plenaria, pleniore, & plenissima. 171.5
An volens Iubileum obtinere, debeat omnia pia opera præscripta vna, & eadem hebdomada præstare. 176.34
Ciuis Mediolanensis, qui primis duabus hebdomadis non obtinuit Iubileum, potest illud capere in loco, vbi Iubilei tempus nondum est elapsum. 177.35
Qui legitimè fuit impeditus primis duabus hebdomadis, potest Iubileum consequi transactis duabus hebdomadis. ibid.36
An validè absoluat, qui communi errore, aut titulo colorato idoneus iudicatur. 125.11

Iudex.

An iudex sit irregularis, si præcipiat reum verberari iuxta leges. 409.15
Iudex excommunicationis sententiam sine scriptis, aut sine causæ expressione ferens, vel requisitus scripturæ copiam intra mensem non tradens, ab ingressu Ecclesiæ suspenditur. 359.33
Iudices Ecclesiastici gaudentes potestate sæculari ligantur excommunicatione non præbendo Episcopo auxilium circa clausuram. 494.5
Absolutio istius excommunicationis non est Summo Pontifici reseruata. ibid.6

Iurisdictio.

An iurisdictio cesset per excommunicationem, degradationem, vel mortem Episcopi, remissiuè. 156.8
Quænam pertineant ad Iurisdictionem gratiosam, & contentiosam. 294.1
An non habens Iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, possit absolutionem impendere. 125.10
Per quid amittatur Iurisdictio ordinaria, vel delegata ad absoluendum. 156.7
Iurisdictio Ecclesiastica est materia Simoniæ. 574.3
Iurisdictio laica temporalis non est materia Simoniæ. ibid.1

Iuspatronatus.

Iuris patronatus emptio valida est quoad transferendum ius in emptorem. 591.8
Ius patronatus Ecclesiasticum non potest in laicum transferri absque solemnitate. 603.15

Iustificari, iustificatus.

An homo de potentia ordinaria possit absque actu pœnitentiæ iustificari. 111.1
An possit de potentia Dei absoluta. ibid.2
An iustificari possit sine vlla reali mutatione. ibid.3
An Iustificatus per contritionem teneatur adhuc peccata sua confiteri. 96.6
An distincta vel saltem confusa peccatorum recognitio requiratur ad Iustificationem. 109.1.&2
In quibus casibus pœnitens teneatur peccata sua distinctè recogitare. ibid.3
An iustificetur, qui contritionis actum elicit vnius tantummodò peccati, cuius recordatur. ibid.4

L.

Labia.

An habens Labia corrosa sit irregularis. 387.6

Laicus.

An Laicus chirurgiam, aut medicinam exercens sit irregularis. 405.1
An Laicus tangere possit Calicem consecratum, & alia ornamenta. 86.21

Lampas.

Lampades argenteæ, & his similia, non possunt alienari, vt earum pretium conuertatur in fabricam necessariam Ecclesiæ. 605.30

Largiri, Largitio.

De Largitione munerum regularibus vtriusque sexus interdicta. 613
Casus, in quibus licitum est regularibus aliquid Largiri, vel erogare, primus est si fiat de consensu generalis Capituli. 613.7
Secundus est si fiat de leuioribus poculentis, & esculentis, & munusculis ad deuotionem pertinentibus. 614.8
Licentia Largiendi esculenta, & poculenta qualis esset debeat. ibid.9
Tertius est de pecuniis, quæ in diuinum cultum expenduntur. ibid.10
Quartus est de eleemosynis ad subleuandas veras necessitates. ibid.11
Quintus est de hospitalitate erga pauperes, & peregrinos. ibid.12

Laureola.

Laureola martyrij quid sit. 24.3

Legatum.

Res Legata alicui Ecclesiæ, cum conditione vt alienari possit, num reuera alienari possit sine prædicta solemnitate. 607.11
Res Legata cum conditione, vt nullo in casu alienari possit, quit nihilominus alienari ex iusta causa cum debita solemnitate. ibid.12

Lepra, Leprosus.

An sit irregularis, qui laborat Lepra, aut scabie. 387.20
An validum sit matrimonium cebratum cum Leproso. 248.15

Lex, Leges.

Legum nomine quid intelligatur. 505.5
Quid intelligatur per particulam, Lex. 328.17
Quotuplex status fuerit ante Legem Euangelicam. 2.1
An obliget Lex præcipiens aliquid turpe, aut inutile, aut contra commune bonum. 293.10
Docens scienter Leges vel physicam religiosum professum quando excommunicationem incurrat. 505.3

Libertas.

Priuatio Libertatis, vel commoditatis excusare solet à Simonia. 579.1

Liber.

Quotuplices sint Libri hæreticorum. 344.1
An legens, aut retinens Libros prohibitos ligetur excommunicatione. ibid.2
An legens Librum hæresiarchæ excommunicatione ligetur. ibid.3
An ligentur legentes Libros, & scripta continentia diuinationes, & sortilegia. ibid.4
An legentes Libros vetitos ob excitationem ad turpem libidinem venereum. ibid.5
An legentes scholia, seu additiones hæreticorum contenta in Libris Catholicorum. 345.6
An incurrat excommunicationem legens, retinens, imprimens, aut defendens Libros hæreticorum tractantes de religione, aut hæresim continentes. ibid.7
An ignorantia crassa excuset. ibid.8
An excuset ignorantia affectata. ibid.9
A quonam obtinenda sit facultas legendi Libros hæreticorum. ibid.10
An requiratur vt aliquis legat per seipsum. ibid.11
An ligetur excommunicatione, qui oculis tantùm percurrit. ibid.12
Paruitas materiæ excusat. ibid.13
An ad incurrendam excommunicationem requiratur, vt legens intelligat. ibid.14
Quomodo retinens libros prohibitos incurrat excommunicationem. ibid.15
An retinens vnum folium ineidat in excommunicationem. Retinens Librum hæreticum quandonam præsumatur hæreticus. ibid.16
Quomodo impressores ligentur excommunicatione. ibid.17
Quomodo defendens Libros hæreticorum afficiatur excommunicatione. ibid.18
Quomodo intelligatur particula, Libros hæreticorum. ibid.19
Quomodo intelligatur particula, continentes hæresim, aut tractantes, &c. ibid.20
Habens Librum hæreticum tenetur illum tradere Inquisitoribus. ibid.21

Licentia.

Licentia docendi non est materia Simoniæ. 564.10
Idem militat in Licentia docendi Theologiam. ibid.11
Qualis esse debeat Licentia ingrediendi claustra Monialium. 537
Licentia debet esse specialis ad ingrediendum. ibid.1
Licentia dari debet in scriptis, etiam in casibus ordinariis, etiam pro foro interno, consequenter taciturnitas, aut Licentia ore tenus non sufficit. ibid.2
Qui cum Licentia verbis solum concessa ingreditur, graniter peccat, & pœnas incurrit. ibid.3
Priuilegium concedendæ Licentiæ ingrediendi non indiget scriptura, quia non est licentia ingrediendi. ibid.4
Licentiam specialem quisnam habere censeatur. 502.7
Licentia exeundi dari debet in scriptis, alioquin non tenet. 494.4

Ligamen.

An Ligamen dirimat matrimonium, & quo iure. 242.3
Quid sit Ligamen. ibid.2

Litigare.

Litigantes circa beneficium possunt arbitrum eligere, etiamsi arbiter non sit Prælatus, vel iudex causæ. 573.12

Litteræ.

An valeat confessio, si pœnitens per Litteras peccata sua transmittat ad confessarium, deinde in præsentia absoluatur. 103.2

Locus.

Quid nomine Loci sacri intelligatur. 278.9

Lucrum.

Spes Lucri, preces, vel amor humanus non inducunt Simoniam. 547.4
Lucrum cessans, vel damnum emergens excusat à Simonia. 579.2

Luxuria.

Quid sit Luxuria, & quot sint eius species. 270.1

M.

Magistratus.

Magistratus sæculares non præbentes Episcopo auxilium circa clausuram Monialium, excommunicatione ligantur. 494.1
Affertur materia istius excommunicationis. ibid.2
Assignatur subiectum eiusdem. ibid.3
Magistratus sæculares quinam dicantur. ibid.4

Magister.

Magistri, & Doctoris nomine quid intelligatur. 506.14
An Magister verberans discipulum sit irregularis, morte secuta. 409.14
An etiam Magistri, seu Doctores ligentur excommunicatione docendo religiosum leges, vel medicinam, aut in scholis retinendo. 505

Afferuntur textus, in quibus ista censura continetur. ibid.1
Enumerantur actiones sub excommunicatione prohibitæ. ibid.2
Docens scienter leges, vel physicam religiosum professum post dimissionem habitus excommunicationem incurrit. ibid.3
Quænam conditiones requirantur ad istam excommunicationem incurrendam. ibid.4

Maleficus.

Malefici, aut Sortilegi denuntiandi sunt quoties initum pactum est cum Dæmone, aut præuia est apostasia à fide. 641.11

Maleficium.

Quid faciendum sit, quando dubitatur, an Maleficium præcesserit matrimonium. 247.11

Mandate.

An Mandans homicidium sit irregularis. 411.13
An Mandans sit irregularis, si pace inita sequatur homicidium. ibid.14
Vide *v. Consulens.*

Mandatarius.

Quid si Mandatarius nesciat initam esse pacem. 411.15

Mansionarius.

Mansionarij, aut alij, qui non sunt propriè Canonici, priuari possunt distributionibus dum absunt in seruitium Episcopi. 475.7

Martyrium, Martyr.

Martyrium quid sit. 23.1
Quo tempore Martyrium præstet suum effectum. 24.1
An priuetur fructu Martyrij, qui miraculosè liberatur à morte. 25.2
An miraculosè liberatus remaneat confirmatus in gratia. ibid.3
An extiterit Martyrium ante Christi aduentum. ibid.4
An Martyrium sit in præcepto. ibid.5
An peccent, qui se vltrò offerunt Martyrio. ibid.6
Quid ad Martyrium requiratur. 23
An ille sit Martyr, qui propter bonum opus iam factum occiditur. ibid.2
Cuius virtutis actus sit Martyrium. ibid.3
An Martyrium sit Sacramentum. ibid.4
Quænam conditiones requirantur ad Martyrium. ibid.5
An requiratur in adultis voluntas illius suscipiendi. ibid.6
Differentia inter Martyrium, & Baptismum. ibid.7
An requiratur attritio supernaturalis. ibid.8
An Martyr debeat esse in gratia. 24.9
An recipiat fructum Martyrij, qui non elicit actum attritionis propter obliuionem. ibid.10
An requiratur ad Martyrium pœna, seu passio. ibid.11
An debeat adesse causa honesta ex parte suscipientis Martyrium. ibid.12
Martyrium in cuius contemptum inferri debeat. ibid.13

Materia.

De Materia Eucharistiæ. 43
Quænam sit Materia Lectoratus. 188.8
Quænam sit Materia, circa quam Simonia committitur. 555
Materiæ paruitas excusat, vbi non est perfecta clausuræ violatio, secus si adsit perfecta transgressionis causa, etiamsi Monialis vno pede distet à ianua clausuræ. Idem valet in ingredientibus claustra Monialium. 494.6
Materia Simoniæ est res spiritualis, & supernaturalis. 555.1
De Materia, & forma Sacramentorum in genere. 4
An Materia, & forma sint partes intrinsecæ Sacramentorum. 7.1
Quanta distantia requiratur inter Materiam, & formam Sacramentorum. 8.2
An res, & verba sint de essentia Sacramentorum nouæ legis. ibid.3
An vbique terrarum sufficiat eadem forma, & materia in singulis Sacramentis. ibid.1
De Matria Sacramenti Pœnitentiæ. 97
Materia remota Sacramentorum quænam sit. ibid.1
Materia quotuplex sit. ibid.2
Quotuplex sit Materia Sacramentorum. 183.1.5.6
An reperiatur in Sacramentis Materiale, & formale. 4.1
Quænam dicatur Materia, & forma Sacramenti. 5.2
An omnia Sacramenta constent Materia, & forma. ibid.3
Quid intelligatur nomine rerum, & verborum. ibid.4
Cur Sacramenta instituta sint in rebus, & verbis. ibid.5
An Materia Sacramentorum sit determinata. ibid.7
An Materia cuiuslibet Sacramenti sit determinata in indiuiduo, in specie, & quo ad accidentia. ibid.8
An glacies sit Materia apta ad Baptismum. ibid.9
An vinum latens intra vuas sit Materia Eucharistiæ. ibid.10
An Ecclesia mutare possit Materiam Sacramentorum. ibid.11
Quomodo Ecclesia dicatur variare Materiam matrimonij. ibid.12
An sit determinata forma Sacramentorum. ibid.13
Quandonam verba dicantur accidentaliter, seu Materialiter variari. 6.14
An validè administretur Baptismus tam verbis Latinis quàm Græcis. ibid.15
Quot modis variari possint verba. ibid.16
Quandonam inualidetur Sacramentum per mutationem formæ. ibid.17
An valeat Baptismus collatus cum additione verborum. ibid.18
An valeat, si detrahantur verba. ibid.19
An valeat si verba detrahantur, & corrumpantur. ibid.20
An inualidetur Sacramentum, quando mutatio verborum contingit in principio. ibid.21
An valeat, quando verba transportantur. ibid.22
An validum sit Sacramentum factum cum interpolatione. ibid.23
An valeat Sacramentum adhibitis verbis synonymis. ibid.24
An valeat, si adhibeantur verba æquiuoca. ibid.25
An aliquis possit in conficiendis Sacramentis, confingere priuatim aliqua verba. ibid.26
An loco verborum possint adhiberi nutus, aut scriptura. ibid.27
An conficiat Sacramentum, qui prætermittit, vel addit verbum credens illud esse de essentia cum verè non sit, vel è contra. ibid.28
An validè contrahat matrimonium, qui falsò credit subesse impedimentum dirimens. ibid.29
An addens aliqua verba tamquam essentialia, validè conficiat Sacramentum. ibid.30
An validè conficiat, qui falsò credit aliqua verba non esse essentialia. ibid.31
An peccet, qui in conficiendis Sacramentis vtitur Materia, & forma dubia. ibid.32
Materia dubia facilius adhibetur, quàm forma. ibid.33
Materia remota Baptismi quænam sit. 26.1
An peccet, aut validè baptizet, qui aliam adhibet aquam præter naturalem. ibid.2
An validè baptizet, qui vtitur aqua maris. 27.3
An validè baptizet, qui vtitur aqua à niue profluente. ibid.4
An glacies sit apta Materia Baptismi. ibid.5
An aqua naturalis mixta cum alio liquore sit apta Materia. ibid.6
An peccet, qui vtitur aqua naturali alterata, & fœda. ibid.7
Minister Baptismi quam aquam debeat adhibere. ibid.8
An liceat aliquando vti Materia dubia. ibid.9
An baptizatus cum Materia dubia sit rebaptizandus si superuiuat. ibid.10
An adhibendus sit ignis præter aquam. ibid.11
Cur aqua instituta sit pro Materia Baptismi. ibid.12
Materia proxima Baptismi quænam sit. ibid.13
Ablutio quid sit. ibid.14
An per huiusmodi ablutionem auferendæ sint corporis sordes. ibid.15
Quænam quantitas aquæ requiratur ad Baptismum. ibid.16
Quot modis possit ablui baptizandus. ibid.17
Administrans Baptismum ex officio an teneatur seruare Ecclesiæ suæ consuetudinem. ibid.18
An ad Baptismum duæ, vel tres guttæ aquæ sufficiant. 28.19
Quænam pars corporis abluenda sit. ibid.20
An valeat Baptismus si aqua vestes tantummodo attingat. ibid.21
An valeat, si aqua solos attingat capillos. ibid.22
An valeat Baptismus, si caput tantùm abluatur. ibid.23
An sit rebaptizandus, si solus pes, aut digitus fuerit ablutus. ibid.24
An infans in vtero matris existens baptizari possit. ibid.25
An infans ad fontem delatus, censeatur baptizatus, si ante ablutionem moriatur. ibid.26
An remaneat baptizatus infans, qui à proferente formam in flumen proiicitur. ibid.27
An validus sit Baptismus, si infans sune in flumen mittatur. ibid.28
An valeat Baptismus, quando infans aquæ è tecto defluenti submittitur. ibid.29
Vide *v. Baptismus, Sacramentum.*

Matrimonium.

Quotuplex sit crimen dirimens Matrimonium, & quid requiratur ad hoc vt contrahatur. 235.1
An crimen dirimat Matrimonium, & quo iure. ibid.2
An crimen extendatur ad infideles. ibid.3
Quid requiratur, vt crimen homicidij dirimat Matrimonium. ibid.4
Quid requiratur, vt crimen adulterij irritet Matrimonium. ibid.8
An sit mortale peccatum promittere Matrimonium celebrandum post mortem coniugis. 236.10
An impedimentum criminis inducatur, quando Titius copulam habet cum Berta, viuente eius viro, post cuius mortem promittit Matrimonium eidem Bertæ. ibid.12
An inducatur crimen, quando duo coniugati promittunt sibi Matrimonium: sed postea pœnitentia ducti resiliunt à promissione, & postea sequitur inter eos copula. ibid.13
An inducatur crimen quando aliquis occidit vxorem, vt contrahat cum alia quæ non fuit particeps homicidij. ibid.15
An inducatur crimen, quando quis occidit vxorem, non vt contrahat cum alia, sed ob alium finem. ibid.16
An crimen inducatur, quando quis vxorem occidit, animo ducendi aliam indeterminatam. ibid.17
An crimen inducatur, quando quis occidit vxorem in flagranti crimine adulterij deprehensam. ibid.18
An occidens vxorem suam, vt aliam ducat, possit Matrimonium inire cum alia cum qua non peccauit. ibid.19
An impedimentum criminis extendatur ad infideles. ibid.20
Quænam sint bona Matrimonij, & quænam conditiones sint contra illa. 223.4
An validum sit Matrimonium celebratum sub conditione necessaria. 224.5
An validum sit Matrimonium celebratum sub conditione turpi. ibid.8
In quonam consistat substantia Matrimonij. ibid.9
An validum sit Matrimonium celebratum sub hac conditione, si filios occidas. ibid.10
An Matrimonium validè celebretur sub hac conditione, si prolem abiicias. ibid.11
An sit validum Matrimonium sub his conditionibus celebratum, si domi semper manseris, *aut,* si vestes nigri coloris semper gesseris. ibid.12
An Matrimonium validè celebretur sub hac conditione, duco te, si ad seruandam castitatem, vel ad ingrediendam Religionem te obliges. ibid.13
An sit validum hoc Matrimonium, contraho tecum hoc pacto, vt numquam petam debitum, reddam tamen tibi petenti. ibid.14
An sit validum Matrimonium celebratum cum pacto non cohabitandi. ibid.15
An sit validum Matrimonium celebratum sub conditione im, possibili, aut turpi, quæ non est contra substantiam matrimonij. ibid.16.17.18.& 19
An validum sit Matrimonium celebratum sub conditione honesta. 225.20
Quodnam Matrimonium validum sit, quando cum duabus celebratur sub conditione. ibid.21
An conditio debeat adimpleri coram Parocho, & testibus. ibid.22
An validum sit Matrimonium inter habentes impedimentum celebratum sub conditione, si Papa dispensauerit. ibid.23
An conditio impertinens vitiet Matrimonium. ibid.24
An sponsalia celebrata sub conditione valida sint. ibid.26

Matrimonij errores.

Quotuplex sit error. 227.1
An error personæ dirimat Matrimonium. ibid.2

An error personæ irritet Matrimonium inter infideles. ibid.3
Quinam dicatur error comitans, & an irritet Matrimonium. ibid.4
An error qualitatis dirimat Matrimonium. ibid.5
An validum sit Matrimonium celebratum per dolum dantem ipsi causam. ibid.6
Quandonam error qualitatis transeat in errorem personæ. 228.7
Validè contrahitur Matrimonium cum eo, qui se fingit filium Regis, non explicans cuius Regis filius sit. ibid.8
Validum est Matrimonium, quando non interuenit error personæ, sed qualitatis. ibid.9
Quomodo fiat validum Matrimonium inualidum defectu consensus. 222.1
An necesse sit aliquid dicere alteri, qui verè consensit. ibid.2
An consensus denuò exterius exprimi debeat. ibid.3
An Matrimonium inualidum defectu consensus denuò sit celebrandum coram Parocho, & testibus. ibid.4
Quantum temporis requiratur ad præstandum consensum, ob cuius defectum Matrimonium fuit inualidum. ibid.5
Quomodo validum fiat Matrimonium inualidum ob impedimentum dirimens. ibid.6
An coniux conscius impedimenti possit rogare alterum, vt iterum consentiat. ibid.7
An validum sit Matrimonium cum falso errore impedimenti celebratum. 223.8
An validum sit Matrimonium eorum qui credunt adhuc viuere priorem coniugem, cùm mortuus sit. ibid.9
An ad validandum Matrimonium inualidum ob Impedimentum dirimens, requiratur præsentia Parochi, & testium. ibid.10
An denuò recipiendæ sint benedictiones. ibid.11
An validè celebretur Matrimonium à defloratore, qui se obtulit ad contrahendum cum defiorata, vt mortem euaderet. 239.22
An Matrimonium validè contrahatur ab ægroto, quem medicus curare nolebat, nisi propriam filiam duceret. ibid.23
An Matrimonium per metum celebratum sit validum, si contrahens cogatur illud per copulam consummare. ibid.24
An validum sit Matrimonium contractum per metum incussum non ab altero contrahente, sed à tertia persona. 240.25
An validum sit Matrimonium per metum grauem celebratum, adiuncto iuramento. ibid.26
An opus sit relaxatione iuramenti, quando Matrimonium celebratum fuit cum iuramento. ibid.27
An Matrimonium celebratum per metum resoluatur in sponsalia. ibid.28
An qui iurauit stare Matrimonio per metum celebrato, teneatur illi stare ratione iuramenti. ibid.29
An peccet contrahens Matrimonium per metum. ibid.30
An valida sint sponsalia cum metu graui celebrata. ibid.31
An sponsalia per metum celebrata inducant impedimentum publicæ honestatis. ibid.32
An sponsus, qui alteri metum incussit, possit resilire à Matrimonio, antequam alter, qui per metum consensit, ratificet consensum. ibid.33
An compellens aliquem ad Matrimonium contrahendum incurrat aliquam pœnam. ibid.34

Matrimonium clandestinum.

Quodnam dicatur Matrimonium solemne, & clandestinum. 215.1
An validum sit Matrimonium clandestinum quod sine Parocho, & testibus celebratur. ibid.2
An contrahens Matrimonium sine Parocho, & testibus peccet mortaliter. ibid.3
An Matrimonium, quod domi celebratur, sit clandestinum, & inualidum. ibid.4
An Parochus teneatur notare tempus, & locum Matrimonij, ac nomina testium, & contrahentium. ibid.5
An validum sit Matrimonium sine denuntiationibus celebratum. ibid.6
An sit mortale peccatum omittere denuntiationes. ibid.7
An sit mortale peccatum, consummare Matrimonium absque denuntiationibus celebratum. 216.8
An coniuges toties peccent mortaliter, quoties consummant Matrimonium, absque denuntiationibus celebratum. ibid.9
Vbi faciendæ sint denuntiationes. ibid.10
Vbi faciendæ sint denuntiationes, quando contrahentes habent plures parœcias. ibid.11
A quo faciendæ sint denuntiationes. ibid.12
Quam pœnam incurrat Parochus omittens denuntiationes. ibid.13
Quibus diebus faciendæ sint denuntiationes. ibid.14
An Parochus mortaliter peccet, non faciendo denuntiationes tribus diebus festis continuis. ibid.15
Quid faciendum sit, quando de licentia ordinarij vna tantùm denuntiatio præmittitur. ibid.16
Quo tempore in die festo faciendæ sint denuntiationes. 217.17
An denuntiationes fieri possint alio die, quàm festo. ibid.18
An denuntiationes fieri possint in festo alicuius particularis Ecclesiæ. ibid.19
An sit obligatio detegendi impedimenta Matrimonij. ibid.20
An habens impedimentũ teneatur desistere à Matrimonio contrahendo, illumq; iudici interroganti manifestare. ibid.21
An Matrimonium validè celebretur sine Parocho, & testibus in iis locis, vbi Concilium Tridentinum non est acceptatum. ibid.1
An transferens se ad locum, vbi Tridentinum non est acceptatum, possit ibi Matrimonium sine Parocho, & testibus validè celebrare. ibid.2
An captiui apud Turcas possint validè Matrimonium celebrare absque Parocho, & testibus. ibid.3
An extraneus validè celebret Matrimonium sine Parocho, & testibus, in eo loco, vbi non est acceptatum Tridentinum. ibid.4
An incola illius loci, in quo Tridentinum non est acceptatum, possit celebrare Matrimonium sine Parocho, & testibus, si diuertat ad eum locum, in quo non est acceptatum. ibid.5
Quinam Sacerdos debet assistere Matrimonio. ibid.1
An recedens à propria parochia, validè contrahat coram Parocho, ad cuius parœciam se recepit. ibid.2
An amasia validè celebret Matrimonium coram Parocho concubinarij, ad cuius domicilium se transtulit. ibid.3
An femina, quæ inualidè contraxit coram proprio Parocho, satisfaciat coram eodem contrahendo, postquam mutauit proprium domicilium. ibid.4
An validè possit contrahi Matrimonium coram Parocho, ad cuius parœciam aliquoties in anno quis diuertit relaxationis gratia. ibid.5
An diuertens ad aliquem locum possit Matrimonium celebrare coram Parocho illius loci. 218.6
An validum sit Matrimonium eorum, qui aliò se conferunt vt euitent proprios Parochos. ibid.7
Quinam Parochus debeat assistere Matrimonio eorum, qui duplicem habent parœciam. ibid.8
Quinam Parochus possit interesse Matrimonio vagorum. ibid.9
An Matrimonium celebrari possit coram Parocho siue viri, siue feminæ. ibid.10
An Matrimonium vrgente necessitate celebrari possit sine Parocho, & testibus. ibid.11
Quænam licentia requiratur, vt quilibet Sacerdos possit assistere Matrimonio ibid.12
An sufficiat facultas tacita assistendi Matrimonio. 219.13
An requiratur licentia in scriptis. ibid.14
Quam pœnam incurrat assistens Matrimonio sine licentia. ibid.15
An possit concedi facultas assistendi Matrimonio extra parœciam. ibid.16
An possit concedi facultas assistendi Matrimonio extra diœcesim. ibid.17
An Archiepiscopus possit coniungere subditos suffraganeorum. ibid.18
An Parochus, qui nondum est Sacerdos, possit Matrimonio assistere. ibid.19
An validè assistat Matrimonio, qui licentiam extorsit per metum, dolum, &c. ibid.20
An Parochus interdictus, seu prohibitus, validè assistat Matrimonio. ibid.21
An Parochus, cui vetitum est ministrare Sacramenta, possit assistere Matrimonio. ibid.22
An Matrimonium sit validum, quando Parochus affectat non intelligere. ibid.23
An affectus censura, vel irregularitate, validè assistat Matrimonio. 220.24
An excommunicatus possit dare facultatem assistendi Matrimonio. ibid.25
An Sacerdos degradatus valide assistat Matrimonio. ibid.26
An Parochus inualidè habens beneficium, validè assistat Matrimonio. ibid.27
An valida sint gesta eius, qui se intrusit in aliquod officium. ibid.28
An Ecclesia suppleat iurisdictionem, quando adest opinio probabilis. ibid.29
An Parochus habens beneficium incompatibile, validè assistat Matrimonio. ibid.30
An Sacerdos, qui habetur pro Parocho, validè absoluat. ibid.31
An facultas absoluendi valeat elapso termino. ibid.32
An laicus, qui pro Parocho habetur, validè assistat Matrimonio. ibid.33
An affectus censura validè assistat Matrimonio in alio loco, vbi id ignoratur. ibid.34
An remaneat absolutus, qui Sacerdoti excommunicato vitando confitetur in eo loco, vbi ignoratur. ibid.35
An validè absoluat Sacerdos, cui fictè data fuit facultas. 221.36
An validè assistat Matrimonio, quando Sacerdoti facultas fictè data fuit. ibid.37
An gesta cum errore communi valida sint respectu ignorantis. ibid.38
An validè absoluat, qui creditur Sacerdos, cùm non sit. ibid.39
An valida sint gesta iudicis mente capti. ibid.40
An Parochus assistens Matrimonio debeat vti aliquibus verbis. ibid.41
An Parochus peccet mortaliter omittendo verba, Ego vos coniungo, *&c.* ibid.42
An Parochus teneatur interrogare contrahentes de consensu. ibid.43
Quot, & quales testes requirantur ad validitatem Matrimonij. ibid.44
An testis amens, ebrius, &c. validè assistat Matrimonio. ibid.45
An quilibet doli capax, etiam impubes, possit esse testis in Matrimonio. ibid.46
An testes Matrimonij debeant esse rogati. ibid.47
An sufficiat testis præsens per violentiam. ibid.48
An Parochus, & testes transeuntes validè assistant Matrimonio. ibid.49
An contrahens Matrimonium sine Parocho & testibus, reddatur inhabilis ad contrahendum aliud Matrimonium. ibid.50
An Matrimonium clandestinum inducat aliquam obligationem, aut impedimentum. ibid.51
Quibus modis peccare possint coniuges in contrahendo Matrimonio. 260.1
An peccet mortaliter, qui benedictiones Matrimonij omittit. ibid.2
A quo fieri debeant benedictiones. ibid.3
An benedictiones recipiendæ sint in secundis nuptiis. 261.4
Quibus modis peccent coniuges in vsu Matrimonij iam contracti. ibid.5
Quomodo coniuges in actu Matrimonij peccent contra modum. ibid.6
An validè celebretur Matrimonium ab eo, quem medicus dixit periturum ob humoris abundantiam nisi ducat vxorem. 239.19
An validum sit Matrimonium, quod contraxit damnatus ad mortem, cui iudex promisit liberationem, si propriam filiam duceret. ibid.20
An validum sit Matrimonium, quod obsessus contraxit cum filia obsidentis, vt obsessionem euaderet. ibid.21
An Matrimonium celebrari possit inter absentes per litteras, vel Procuratorem. 214.1
Quomodo Matrimonium differat à ceteris Sacramentis. ibid.2
An Matrimonium per litteras, vel Procuratorem celebratum sit Sacramentum. ibid.3
An aliquis possit contractum Matrimonij celebrare, quin sit Sacramentum. ibid.4
Quænam requirantur, vt Matrimonium inter absentes celebratum per litteras, vel per Procuratorem sit validum. ibid.5
An validum sit Matrimonium inter absentes celebratum, quando litteræ sunt fictæ, aut Procurator fictè constitutus fuit. ibid.6
An validum sit Matrimonium nomine alterius celebratum, quando mandator reuocauit consensum. ibid.7

Quænam agere debeat Procurator qui nomine alterius celebrat Matrimonium. ibid.8
An validè celebretur Matrimonium nomine alterius ſine præmiſſis denuntiationibus, quando Procurator electus fuit ad ineundum Matrimonium ſeruata forma Trident. ibid.9
An validum ſit Matrimonium, cui aſsiſtit Sacerdos ſine præmiſsis denuntiationibus, cui Parochus conceſsit facultatem aſsiſtendi, modò præmitteret denuntiationes. 215.10
Quænam verba adhibenda ſint à Procuratore, quando contrahit Matrimonium nomine alterius. ibid.11
An Procurator peccet mortaliter contrahendo Matrimonium nomine alterius in peccato mortali. ibid.12
An qui Matrimonium per Procuratorem celebrat, debeat ſub mortali eſſe in gratia, quando celebratur matrimonium. ibid.13
An dormiens recipiat gratiam, ſi Matrimonium nomine illius celebretur, quando dormit, & an peccet mortaliter, ſi tunc non ſit in gratia. ibid.14
De iis, quæ pertinent ad uſum Matrimonij. 253
An homines teneantur contrahere Matrimonium. 213.1
Quandonam homines ex præcepto teneantur contrahere Matrimonium. ibid.2
An religioſi, & habentes votum caſtitatis aliquando poſsint, & teneantur Matrimonium contrahere. ibid.3
An Matrimonium ſit indiſſolubile. 226.1
Quo iure Matrimonium ſit indiſſolubile. ibid.2
An Matrimonium diſſolui poſsit propter adulterium. ibid.3
An Summus Pontifex diſpenſare poſsit in Matrimonio, vt diſſoluatur. ibid.4

Matrimonij impedimenta.

Quid ſit bigamia, & polygamia. 242.1
Quid ſit ligamen. ibid.2
An ligamen dirimat Matrimonium, & quo iure. ibid.3
An Papa diſpenſare poſsit in pluralitate uxorum, & an hoc fuerit licitum in veteri lege. ibid.4
An primum Matrimonium dirimatur per ſecundum conſummatum. ibid.5
An infideles validè contrahere poſsint Matrimonium cum pluribus. ibid.6
Quid faciendum ſit, quando infidelis conuertitur ad fidem, poſtquam plures duxit uxores. ibid.7
An per conſuetudinem poſsit fieri licita pluralitas uxorum. 243.8
An femina poſsit Matrimonium contrahere cum pluribus viris. ibid.9
An licitum ſit plures uxores ſucceſsiuè ducere. ibid.10
An ſecundæ nuptiæ ſint Sacramentum, & an inducant irregularitatem. ibid.11
Qualis certitudo requiratur de morte coniugis, vt ſuperſtes poſsit cum alio Matrimonium contrahere. ibid.12
An uxor poſsit alium ducere, quando ipſius vir abfuit per multos annos. ibid.13
An uxor poſsit cum alio contrahere Matrimonium, quando eius vir ingreſſus prælium non amplius comparuit. ibid.14
Quandonam adſit certitudo moralis, & ſufficiens ad contrahendum cum alio Matrimonium. ibid.15
An mors alterius coniugis probetur per vnum teſtem. ibid.16
An uxor quæ celebrauit Matrimonium cum ſecundo, credens priorem virum eſſe mortuum, teneatur recedere à ſecundo, ſi cognoſcat priorem virum ſuperſtitem eſſe. ibid.17
An validum ſit Matrimonium contractum ab eo qui credebat ſuperſtitem eſſe priorem coniugem, ſed re vera mortua erat. ibid.18
An validè celebretur Matrimonium ab eo, qui credebat adeſſe impedimentum dirimens, quod re vera non adeſt. ibid.19
Quodnam dicatur votum ſolemne, & votum ſimplex. 229.1
An validum ſit Matrimonium celebratum poſt votum ſolemne caſtitatis. ibid.2
Quo iure votum irritet Matrimonium. ibid.3
An profeſsio facta in Religione dirimat Matrimonium. ibid.4
An facta profeſsione ab altero, coniux manens in ſæculo poſsit cum alio contrahere Matrimonium. ibid.5
An Matrimonium irritetur, ſi alter coniux fiat Epiſcopus, aut ſuſcipiat ſacros Ordines. ibid.6
An Matrimonium conſummatum dirimatur per profeſsionem ſubſequentem. 230.7
An Matrimonium intra bimeſtre conſummatum dirimatur per ſubſequentem profeſsionem. ibid.8
An vnus coniugum poſt Matrimonium conſummatum validè profeſsionem emittat, altero inſcio, vel conſentiente per metum, &c. ibid.9
An valida ſit profeſsio, quam vterque coniux emiſit credens alterum periiſſe. ibid.10
An coniuges de communi conſenſu poſsint ingredi Religionem poſt conſummatum Matrimonium. ibid.11
An aliquando vnus coniugum poſsit ingredi religionem poſt conſummatum Matrimonium, altero manente in ſæculo. ibid.12
An ingrediens religionem poſt conſummatum Matrimonium committat adulterium, ſi cum alio copulam habeat. ibid.13
Quo tempore Matrimonium fuerit inſtitutum. 212.1
An Matrimonium infidelium ſit Sacramentum. ibid.2
An Matrimonium contractum à fideli cum catechumena ſit Sacramentum. ibid.3
An Matrimonium infidelium fiat Sacramentum poſt ſuſceptum Baptiſmum. ibid.4
Quandonam Matrimonium infidelium fiat Sacramentum. ibid.5
An requiratur præſentia Parochi, & teſtium, & Matrimonium infidelium fiat Sacramentum. 213.6
Quomodo fiat validum Matrimonium inualidum defectu conſenſus. 222.1
An neceſſe ſit aliquid dicere alteri, qui verè conſenſit. ibid.2
An conſenſus denuo exterius exprimi debeat. ibid.3
An Matrimonium inualidum defectu conſenſus denuò ſit celebrandum coram Parocho, & teſtibus. ibid.4
Quantum temporis requiratur ad præſtandum conſenſum, ob cuius defectum Matrimonium fuit inualidum. ibid.5
Quomodo validum fiat Matrimonium inualidum ob impedimentum dirimens. ibid.6
An coniux conſcius impedimenti poſsit rogare alterum, vt iterum conſentiat. ibid.7
An validum ſit Matrimonium cum falſo errore impedimenti celebratum. 223.8
An validum ſit Matrimonium eorum qui credunt adhuc viuere priorem coniugem, cùm mortuus ſit. ibid.9
An ad validandum Matrimonium inualidum ob impedimentum dirimens, requiratur præſentia Parochi, & teſtium. ibid.10
An denuò recipiendæ ſint benedictiones. ibid.11
De natura, & proprietatibus Matrimonij. 211
Vndenam Matrimonij nomen deſumptum ſit. ibid.1
Quid ſit Matrimonium. ibid.2
An in Matrimonio requiratur conſenſus externus. ibid.3
An ad contrahendum Matrimonium ſufficiat copula coram Parocho, & teſtibus habita. ibid.4
An Matrimonium ſub mortali celebrandum ſit verbis. 212.5
An conſenſus Matrimonij exprimatur per taciturnitatem. ibid.6
An validum ſit Matrimonium, quando femina tacet, ſed interius conſentit. ibid.7
An ſit validum Matrimonium quando extraneus reſpondet pro femina tacente. ibid.8
An inter Beatam Virginem & S. Ioſeph interceſſerit verum Matrimonium. ibid.9
An B. Virgo peccauerit contra votum contrahendo Matrimonium. ibid.10

Matrimonium ſub conditione.

Quandonam contractus celebretur ſub demonſtratione, ſub cauſa, ſub modo, ſub conditione. 223.1
Quænam ſit differentia inter cauſam, modum, demonſtrationem, &c. ibid.2
Quotuplex ſit conditio. ibid.3
Quænam ſint bona Matrimonij, & quænam conditiones ſint contra illa. ibid.4
An validum ſit Matrimonium celebratum ſub conditione neceſſaria. 224.5.6. & 7
An validum ſit Matrimonium celebratum ſub conditione turpi. ibid.8
In quonam conſiſtat ſubſtantia Matrimonij. ibid.9
An validum ſit Matrimonium celebratum ſub hac conditione, ſi filios occidas. ibid.10
An Matrimonium validè celebretur ſub hac conditione, ſi prolem obiicias. ibid.11
An ſit validum Matrimonium ſub his conditionibus celebratum, ſi domi ſemper manſeris, *aut,* ſi veſtes nigri coloris ſemper geſſeris. ibid.12
An Matrimonium validè celebretur ſub hac conditione, duco te, ſi ad ſeruandam caſtitatem, vel ad ingrediendam Religionem te obliges. ibid.13
An ſit validum hoc Matrimonium, contraho tecum hoc pacto, vt numquam petam debitum, reddam tamen tibi petenti. ibid.14
An ſit validum Matrimonium celebratum cum pacto non cohabitandi. ibid.15
An ſit validum Matrimonium celebratum ſub conditione impoſſibili, aut turpi, quæ non eſt contra ſubſtantiam matrimonij. ibid.16.17. & 225.18.19
An validum ſit Matrimonium celebratum ſub conditione honeſta. 225.20
Quodnam Matrimonium validum ſit, quando cum duabus celebratur ſub conditione. ibid.21
An conditio debeat adimpleri coram Parocho, & teſtibus. ibid.22
An validum ſit Matrimonium inter habentes impedimentum celebratum ſub conditione, ſi Papa diſpenſauerit. ibid.23
An conditio impertinens vitiet Matrimonium. ibid.24. & 25
An ſponſalia celebrata ſub conditione valida ſint. ibid.26.27. & 28
Quandonam non liceat accedere ad uxorem ob damnum illius. 261.8
An ſit peccatum accedere ad uxorem tempore menſtrui. ibid.9
An uxor teneatur reddere debitum viro petenti tempore menſtrui. ibid.10
An ſit peccatum mortale accedere ad uxorem grauidam. ibid.11
Quandonam ſit periculum abortus. ibid.12
An qui eſt cauſa abortus, fiat irregularis. ibid.13
An neceſſe ſit coniuges in actu Matrimonij ſimul ſeminare. ibid.14
An uxor poſsit ſe tactibus excitare, donec ſeminet, quando vir iam ſeminauit. ibid.15
An vir peccet mortaliter, quando copula incepta ſe retrahit. ibid.16
An copula maritalis licita ſit ſeni, qui ſemen extra vas prodigit. 262.17
Quandonam copula licita ſit ſeni, & an peccet mortaliter femina, quæ ſtatim poſt copulam mingit, vt ſemen effundatur. ibid.18
Quam malitiæ ſpeciem habeat pollutio inter coniuges extra vas. ibid.19
An coniuges teneantur cohabitare. ibid.20
An uxor teneatur ſequi virum. ibid.21
An vir poſsit aliò transferre habitationem. ibid.22
An uxor teneatur ſequi virum qui in exilium pellitur. ibid.23
An uxor teneatur ſequi virum ſolitum vagari. ibid.24
An uxor teneatur ſequi virum ſolitum vagari, quando uxor hoc ignorabat. ibid.25
An vir teneatur ſequi uxorem. ibid.26
An vir poſsit abſtinere ab habitatione uxoris ob dotem non ſolutam. ibid.27
An copula maritalis haberi poſsit in Eccleſia. ibid.28
An licitum ſit congredi cum uxore, quando ſumenda eſt Euchariſtia. ibid.29
An uſus Matrimonij licitus ſit die feſto, vel tempore Quadrageſimæ. ibid.30
An tactus, & oſcula licita ſint coniugibus. ibid.31
An habens votum poſsit petere, vel reddere debitum. ibid.32

Matutinum.

Matutinum pro ratione temporum, ſeu longitudinis, & breuitatis diei aliquando recitari poteſt hora vigeſima, vigeſimaprima, & aliquando vigeſimaſecunda. 439.17
Cauendum eſt ne Matutinum ſequentis diei dicatur ante Matutinum præſentis diei. ibid.15

Medicus.

An Medicus, cuius cauſa ægrotus interiit, poſsit ad ordines promoueri. 405.2
An fiat irregularis Medicus, qui ægroto præbet medicinam, quam neſcit, vel dubitat, an profutura ſit. ibid.3

Mediolanum.

Mediolani extat decretum, vt Clerici Mediolanenſes diuinum Officium iuxta ritum

ritum Ambrosianum recitent. 429.6

Membrum.

An carens aliquo Membro sit irregularis. 388.29
An carens Membro occulto irregularis sit. ibid.30

Mendacium.

An Mendacium in confessione sit peccatum mortale. 113.7

Mendicantes.

Mendicantium nomine quinam intelligantur. 515.6

Mensa.

Quid significetur per particulam, Mensa. 327.6

Mentiri.

An peccet qui Mentitur in confessione circa peccatum, quod dubitat se commisisse. 114.11

Meretrix.

An liceat permittere Meretrices. 271.4

Meritum.

An omnia Merita per subseqnentem gratiam reuiuiscant. 146.4

Metus.

Metus, aut vis est sufficiens causa ad reclamandum contra professionem factam per vim, vel metum. 518.3
An Metus excuset ab incurrendis censuris. 300.2
An Metus excuset ab incurrendis effectibus censuræ. ibid.6
Quinam dicatur Metus intrinsecus, & extrinsecus. 238.1
Quinam dicatur Metus cadens in constantem virum, seu grauis & probabilis. ibid.2
Quinam dicatur Metus iustus, & iniustus. ibid.3
Quibus modis Metus incutiatur. ibid.4
An Metus semper tollat voluntarium. ibid.5
Quanam reducantur ad Metum grauem. ibid.6
Quid requiratur, vt Metus dirimat matrimonium. ibid.7
An, & quomodo Metus grauis dirimat matrimonium. ibid.8
An Metus dirimat matrimonium inter infideles. ibid.9
Quibus modis Metus incutiatur. 239.10
Quandonam Metus iustè, & iniustè incutiatur. ibid.11
An stuprator validè contrahat matrimonium cum ea, quam violauit, si contrahat ob Metum excommunicationis, aut mortis. ibid.12
An validè celebretur matrimonium ab eo, qui à iudice cogitur sub graui pœna stare sponsalibus. ibid.13
An validum sit matrimonium, quando quis cogitur celebrare matrimonium per sententiam materialiter iniustam. ibid.14
An validum sit matrimonium celebratum ob Metum iustæ accusationis, aut carceris, aut mortis. ibid.15
An validum sit matrimonium celebratum per Metum incussum à causa libera. ibid.16
An validum sit matrimonium contractum ad euitandum periculum animæ. ibid.17
An validè celebretur matrimonium cum concubina Metu inferni, vel infamiæ, vel mortis, &c. ibid.18

Milites.

An omnes Milites sint irregulares, quando diuiso exercitu in duas partes, vna pars occidit, altera verò non occidit. 404.3

Minimi.

Minimi subtrahentes se ab obedientia Correctorum, excommunicationi subiiciuntur. 516.8

Minister Eucharistiæ, Ministrare.

Minister consecrationis quis sit. 58.1
An excommunicatus, vel degradatus possit consecrare. ibid.2
An plures Sacerdotes possint eamdem hostiam simul consecrare. ibid.3
Minister ordinarius ad administrandam Eucharistiam quis sit. ibid.4
An Diaconus possit esse Minister extraordinarius. ibid.5
An possit esse Subdiaconus, vel laicus. ibid.6
Differentia inter Sacramentum Eucharistiæ, & pœnitentiæ. ibid.7
Quanam pœna sit imposita Ministrantibus Eucharistiam sine licentia. ibid.8
An incurratur censura ab iis, qui eam ignorant. ibid.9
An excusentur Religiosi communicantes infirmos morti proximos. ibid.10
An hæc censura extendatur ad omnes Sacerdotes. ibid.11
An Religiosi habentes priuilegium Ministrandi Eucharistiam, excepto die Paschatis, seu Resurrectionis, illam eo die administrare possint. ibid.12
An Sacerdos possit ex deuotione se ipsum communicare præciso Missæ sacrificio. ibid.13
An possit Sacerdos partem suæ hostiæ dare infirmo, vel etiam sano. ibid.14
Quandonam teneatur Parochus suis ouibus Eucharistiam administrare. ib.15
Quis sit Minister iter agentium, & peregrinorum. 154.5
An qui facit iter, vt proprios Parochos euitet, possit confiteri Sacerdotibus illius loci, in quo reperitur. ibid.6
An Sacerdos approbatus in aliqua diœcesi, possit omnes illius diœcesis ad se concurrentes audire. ibid.7

Minister pœnitentiæ.

An solus Sacerdos sit Minister Sacramenti pœnitentiæ. 152.1
An laicus possit esse Minister huius Sacramenti. ibid.2
An confessio facta Subdiacono, vel Diacono, valida sit. ibid.3
Quid intelligatur per potestatem clauium, per quam Sacerdos constituitur Minister huius Sacramenti. ibid.4
Quotuplex sit clauium potestas. 153.5
Per quid conferatur potestas clauium. ibid.6
An omnis Sacerdos sit sufficiens Minister huius Sacramenti. ibid.7
An quilibet Sacerdos possit absoluere à peccato mortali numquam aliàs ritè confesso. ibid.8
An quilibet Sacerdos possit à peccatis etiam reseruatis in articulo mortis absoluere. ibid.9
An distinguatur articulus mortis à probabili vitæ periculo. ibid.10
An simplex Sacerdos toleratus possit absoluere præsente Sacerdote excommunicato vitando, vel suspenso aliàs facultatem habente. ibid.11
An Sacerdos vitandus, vel degradatus, &c. possit in articulo mortis absoluere, si alius Sacerdos non reperiatur. ibid.12

Facultas absoluendi in articulo mortis, quomodo Sacerdotibus sit concessa. ib.13
Quis sit Minister eorum, qui vnum tantum habent domicilium. 154.1
Quis sit Minister eorum, qui duo habent domicilia, vel vnum solum in vno loco, & quasi domicilium in alio. ibid.2
An melior Minister sit causa maioris gratiæ. 19.1
Vtrùm probitas, seu bonitas Ministri requiratur ad validam, & licitam administrationem Sacramentorum. 9
An Ministrans Sacramenta excommunicato tolerato peccet. 316.1
An Ministrans Sacramenta excommunicato occulto incurrat aliquam pœnam. ibid.2
An Sacerdos possit credere excommunicato petenti Eucharistiam, & dicenti se esse absolutum. 317.3
An Sacerdos peccet Ministrando Sacramenta excommunicato, quando ipse excommunicatus non peccat petendo. ibid.4
An Sacerdos peccet Ministrando Sacramenta excommunicato vitando. ibid.5
An Sacerdos peccet Ministrando Sacramenta excommunicato vitando nescienti se esse excommunicatum. ibid.6
Quam pœnam incurrat Ministrans Sacramenta excommunicato vitando. ib.7
Quanam seruanda sint à Ministro absque solemnitate inseruiente. 87.35

Minister Baptismi.

Quotuplex sit Minister Baptismi. 31.1
Minister ex officio quis sit. ibid.2
An possit solemniter baptizare, qui non est Sacerdos. ibid.3
Minister necessitatis quis sit. 32.4
An femina possit baptizare. ibid.5
An possit Paganus, vel Hæreticus. ibid.6
An possit anima separata à corpore. ibid.7
An Angelus baptizare possit. ibid.8
An baptizans extra necessitatem peccet. ibid.9
An Parochus possit infantem alterius Parœciæ baptizare. ibid.10
An seruandus sit aliquis ordo in necessitate. ibid.11
Quid requiratur in Ministro Baptismi. ibid.12
An requiratur intentio baptizandi. ibid.13
An teneat Baptismus loco collatus. ibid.14
An valeat Baptismus, quando quis intendit reportare lucrum, vel infantem occidere. ibid.15
An requiratur debita materia, & forma. ibid.16
An Sacerdos debeat esse in gratia. ibid.17
Quis possit ad Baptismum concurrere. ibid.18
Quot patrini possint in Baptismo adhiberi. ibid.19
An liceat rebaptizare. ibid.20
An valeat Baptismus collatus alicui baptizato. 33.21

Misericordia.

Misericordiæ opera externa non sunt materia Simoniæ. 555.7

Missa.

Nomine auditionis Missæ, quid intelligatur. 89.1
An amentes, & ebrij existentes in Ecclesia, dum Missa celebratur, dicantur Missam audire. ibid.2
An sciens in Ecclesia tali tempore Missam celebrari, dicatur Missam audire, si mentem suam circa mysteria Missæ applicet. 90.3
An dicatur Missam audire, qui eo tempore aliquid mente reuoluit. ibid.4
Missa quotuplex sit. ibid.5
Quo præcepto, & quandonam teneantur fideles Missam audire. ibid.6
An quilibet fidelis teneatur Missam in die festo audire. ibid.7
An pueri fideles Missam audire teneantur. ibid.8
An infidelis Missam audire teneatur. ibid.9
An fideles in die Natalis Domini tres Missas audire teneantur. ibid.10
An peccet omittens notabilem Missæ partem in die festo. ibid.11
An satisfaciat præcepto Missæ, qui Missas audit de Sancto, vel de Requiem. ib.12
An satisfaciat, qui Missæ partem ab vno audit, aliam ab altero. ibid.13
An satisfaciat, qui non interest, dum fiunt tres partes essentiales sacrificij. ibid.14
An omittens notabilem Missæ partem mortaliter peccet. 91.15
An dicatur partem notabilem omittere, qui Missam omittit vsque ad Epistolam. ibid.16
An satisfaciat, qui partem Missæ prætermissam per seipsum legit. ibid.17
An inseruientes Missæ satisfaciant, si aliquando recedant à sacrificio. ibid.18
An cœcus, dum Missa interest, satisfaciat præcepto Missæ. ibid.19
An Sacerdos, vel alius, qui Sacerdotem non audit, satisfaciat præcepto Missæ. ibid.20
An satisfaciat præcepto, qui Ecclesiam adit per metum sibi incussum ab alio. ibid.21
An teneatur nouam Missam audire, qui eam audiuit ignorans esse diem festum. ibid.22
An satisfecerit, qui vnam Missam attentè audiuit animo aliam audiendi. ib.23
An satisfaciat, qui tempore Missæ notabiliter confabulatur. ibid.24
An satisfaciat, qui tempore Missæ recitat alias preces. ibid.25
An satisfaciat, qui tempore Missæ peccata sua confitetur. ibid.26
An peccent, qui Missam sine Ministro celebrant. 87.34
An Capellanus, qui tenetur Missas celebrare, possit per alium supplere. 76.1
An Capellanus, qui per alium satisfecit, cùm ipse nondum esset Sacerdos, teneatur ad restitutionem. ibid.2
An Sacerdos, qui per se ipsum tenetur aliquibus diebus in hebdomada celebrare, possit ob impedimentum Missas differre. ibid.3
An Missæ à Titio celebrandæ possint ab alio celebrari Titio ignorante. ibid.4
An accipiens plura stipendia possit vnico Missæ sacrificio omnibus satisfacere. ibid.1
An sint tuti in conscientia, qui plures à pluribus stipes colligunt. 77.2
An excusentur, qui accepta stipe cum promissione sæpius celebrandi, vnica Missa intendunt satisfacere. ibid.3
An peccent, qui loco Missæ integræ applicant solùm collectam. ibid.4
An satisfaciant Capellani, qui detinentur quotidiano onere, si aliò se conferant ad celebrandum causa anniuersariorum. ibid.5
An Sacerdos teneatur ad restitutionem Missarum, quas non celebrauit, cùm teneretur. ibid.6

An possit quis satisfacere oneri Capellaniæ cantando Missam conuentualẽ. 78.7
An Sacerdos teneatur totam Missam illi applicare, à quo tenuem accipit stipem. ibid.8
An ad Episcopum pertineat Missas reducere, & ad maiorem numerum reuocare. ibid.9
An Episcopus possit reducere Missas præscriptas in fundatione alicuius beneficij. ibid.10
An reductio fieri possit circa Missas post Tridentinum relictas. ibid.11
An ad reductionem Missarum requiratur iusta causa. ibid.12
An Capellanus teneatur quotidie Missam applicare Fundatori, si constet de quotidiana obligatione, quamuis non constet de fundatione Capellaniæ. ib.13
An Capellanus teneatur semper Fundatori sacrificium applicare, si clarè non constet de ipsius intentione. ibid.14
An Sacerdos teneatur Missæ valorem applicare iuxta intentionem tradentis eleemosynam. ibid.15
An Capellanus, qui ex honestate potest semel in hebdomada à Missæ celebratione abstinere, possit alibi celebrare. 79.16
An qui titulo honestatis potest semel in hebdomada abstinere, teneatur per alium eo die supplere. ibid.17
Cuinam obligationi satisfacere teneatur Sacerdos, quando duplici obligationi incompossibili tenetur. ibid.18
Missæ nomine quid intelligatur. 70.1
An Missa sit sacrificium. ibid.2
Missæ sacrificium quid sit. ibid.3
Missa à quo fuerit instituta ibid.4
A quo Sacerdote Missa possit audiri. 92.1
Quibus diebus audienda sit Missa. ibid.2
An aliquis possit ad Missam diebus ferialibus obligari. ibid.3
Præceptum Missæ audiendæ quibus in locis adimpleatur. ibid.4
An extraneus Missam audire teneatur, si perueniat ad locum vbi dies festus part cularis celebratur. ibid.5
Missæ sacrificium à quonam sit celebrandum. 74.1
Quid requiratur in celebraturo Missæ sacrificium. ibid.2
An valeat sacrificium celebrantis in peccato mortali. ibid.3
An Missa mali sacerdotis prosit alijs secundùm valorem precibus respondentem. ibid.4
An sacerdos qui stipendium accepit, satisfaciat celebrando in peccato. 75.5
An Missa mali sacerdotis prosit ipsi Sacerdoti. ibid.6
An sacrificium factum ab excommunicato prosit aliis fidelibus. ibid.7
An excommunicatus, vel irregularis excusetur aliquando à peccato si celebret. ibid.8
Partes essentiales Missæ quænam sint. 70.1
An fiat sacrificium, quando Sacerdos populo ostendit hostiam pridie consecratam. ibid.2
In feria sexta Parasceues an fiat propriè sacrificium. ibid.3
An fiat sacrificium, quando Sacerdos perficit Missam ab altero inchoatam. ib.4
An fiat sacrificium, quando Sacerdos reposuit hostiam consecratam in Sacrario, & ipse sumit hostiam ab altero consecratam. 71.5
Quotuplex sit oblatio quæ contingit in Missa. ibid.6
An requiratur ad essentiam sacrificij sumptio, & oblatio vtriusque speciei. ibid.7
An qui promisit tres Missas singulis singulas, satisfaciat si singulis applicet tertiam partem trium Missarum. 79.1
An celebrans ex deuotione possit, quam velit Missam conficere. ibid.2
Differentia inter ritum, quo celebratur Missa priuata, & ritum, quo Missa solemnis persoluitur. ibid.3
An satisfaciat celebrando diuersas Missas, cùm ex professione, vel fundatione teneatur certas, vel peculiares celebrare. 80.4
An teneatur Sacerdos adiungere Collectam pro mortuis, &c. qua die potest Missam currentem celebrare. ibid.5
An celebrans triginta Missas S. Gregorij, teneatur singulas de Requiem *celebrare.* ibid.6
An necesse sit Missas S. Gregorij sine interruptione celebrare. ibid.7
An Missa prosit omnibus fidelibus degentibus in hac vita. 73.1
An possit offerri sacrificium pro excommunicatis. ibid.2
An Sacerdos possit aliquem fidelem excludere à sacrificio. ibid.3
An sacrificium possit pro infidelibus & Paganis offerri. 74.4
An sacrificij fructus sublato obice prosit illi, qui dum ei applicatum fuit Missæ sacrificium, existebat in mortali. ibid.5
An Missa prosit defunctis in Purgatorio existentibus. ibid.6
An prosit Beatis. ibid.7
Cur dicatur Missa de aliquo Sancto. ibid.8
An prosit damnatis. ibid.9
An sacrificium offerri possit pro eo, qui cum mortali peccato decessit. ibid.10
An prosit paruulis cum solo originali decedentibus. ibid.11
Cuinam prosit fructus sacrificij, qui fuit applicatus incapaci. ibid.12
De Missæ sacrificio. 70
An in quolibet loco licitum sit Missæ Sacrum facere, etiam in Oratoriis Confratrum. 80.1
An qui ex conuentione, vel titulo tenetur in aliqua Ecclesia, vel altari celebrare, peccet alibi celebrando. ibid.2
An possit alibi celebrare si consentiant heredes. ibid.3
An possit Episcopus facultatem concedere, vt alibi celebret. ibid.4
An teneatur ad restitutionem qui alibi absque iusta causa celebrat. ibid.5
Effectus Missæ quot sint. 71.1
An Missa conferat gratiam, & peccata remittat. ibid.2
An sacrificium conferat primam gratiam. ibid.3
An auxilium in Missa collatum sit efficax, vel sufficiens tantùm. ibid.4
An sacrificium remittat peccata venialia. ibid.5
An sacrificium impetret nobis bona, quæ petimus. ibid.6
An satisfaciat pro peccatis. ibid.7
An prosit ad remittendam pœnam peccatorum. ibid.8
Missam audiens in die festo animo non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, adhuc satisfacit. 436.32
Vtrùm effectus, & valor sacrificij Missæ sit finitus, an infinitus. 71
Valor quotupliciter dicatur infinitus. ibid.1
Quotuplex sit Missæ fructus. 72.2
An valor sacrificij, quatenus offertur à Sacerdote, sit infinitus intensiuè. ibid.3
Quid consideretur in Sacramento Eucharistiæ. ibid.4
An valor generalis Missæ sit infinitus extensiuè. ibid.5
An valor medius sacrificij sit finitus. ibid.6
An valor Missæ sit ex opere operato, an ex opere operantis. 73.7
An sacrificium prosit omnibus fidelibus. ibid.8
An sacrificium prosit ex opere operato. ibid.9
An Sacerdos possit stipem accipere pro celebratione Missæ. 82.1
An Sacerdos possit stipem iuridicè exigere, vel etiam in pactum deducere. ibid.2
An Sacerdotes, qui quotidie celebrare tenentur, nouam stipem accipere possint, & omnibus vnico sacrificio satisfacere. ibid.3
An teneantur ad restitutionem mercedis acceptæ. 83.4
Quo pacto restitutionem facere teneantur. ibid.5
An Parochus possit stipem exigere, & pro eam tradentibus celebrare, quando non tenetur sacrificium suis ouibus applicare. ibid 6
An possit eleemosynam recipere, qui habet pingue patrimonium, vel beneficium. ibid.7
Quantam eleemosynam recipere possit Sacerdos pro celebratione Missæ. ibid.8
An Episcopus statuere possit quantitatem eleemosynæ. ibid.9
An Episcopus statuere possit, ne Sacerdotes minorem pecuniam capiant. ibid.10
An teneatur ad restitutionem Sacerdos, qui eleemosynæ taxam excedit. ibid.11
An puniendi sint, qui relicta priori Ecclesia, se offerunt plus danti. ibid.12
An possit Sacerdos in die festo duplo maiorem eleemosynam accipere. ibid.13
An Sacerdos possit titulo paupertatis aliquid supra taxam exigere. ibid.14
An Sacerdos accepta à duobus stipe satisfaciat duplici obligationi diuersæ. ib.15
An Sacerdos possit suum valorem specialem alteri applicare, sicq; duplicem stipem accipere. ibid.16
An teneatur Sacerdos per alium satisfacere oneri quotidianæ celebrationis, dum ipse praua vtitur valetudine. 84.17
An Sacerdos, qui plura collegit stipendia, possit per alios suo oneri satisfacere, retenta sibi eleemosynarum parte. ibid.18
An quælibet impotentia excuset ab audienda Missa. 92.1
An graue detrimentum spirituale proprium, vel alienum excuset. ibid.2
An damnum corporale proprium, vel alienum excuset. ibid.3
An damnum sui ipsius, vel proximi excuset. ibid.4
An excusentur nutrices, quæ secum ad Ecclesiam puerũ deferre nequeunt. ib.5
An graue negotium excuset ab audienda Missa. 93.6
An excusentur, qui domi remanent ad custodiam domus. ibid.7
An excusetur femina honesta, quæ vestibus, vel socia caret. ibid.8
An excusetur, qui propter inimicos domo exire non potest. ibid.9
An excusentur famuli, aut vxores, timentes rixas, & verbera si ad Missam accedant. ibid.10
An excusentur, qui ad Ecclesiam peruenerunt inchoata iam Missa. ibid.11
An excusentur, qui longius ab Ecclesia distant. ibid.12
An excusentur, qui in vinculis detinentur. ibid.13
An teneatur Missam audire, qui domi per vim detinetur, sed domi habet Oratorium approbatum. ibid.14
An puella Missam audire teneatur, etiamsi credat se ab adolescente lasciuo concupiscendam, dum ad Missæ Sacrum accedit. ibid.15
An teneatur alias orationes recitare qui Missam audire non potest. ibid.16
An qui audire integram Missam non potest, teneatur audire partem quam potest. ibid.17
An ignorantia inculpabilis excuset ab audienda Missa. ibid.18
An censura excuset fideles ab audienda Missa. ibid.19
An excusetur interdictus, vel excommunicatus. ibid.20
An excusetur, qui non habet Sacerdotem nisi excommunicatum. ibid.21
An excusetur ob interdictum locale, si nequeat locum non interdictum adire. ibid.22
An excommunicatus, qui censuræ absolutionem facilè potest obtinere, peccet Missæ sacrum non audiendo. ibid.23
An habens priuilegium audiendi Missam tempore interdicti, peccet non audiendo. 94.24
An consuetudo regionis excuset. ibid.25
An excusentur viduæ, quæ certo tempore domi se continent. ibid.26
An excusentur puellæ nobiles, quæ domo non consueuerunt exire. ibid.27
An excusentur feminæ ob menstrua temporalia. ibid.28

Monachus.

Monachi omnes, & Canonici regulares non habentes administrationem, ligantur excommunicatione dum ad curias Principum accedunt animo nocendi suis Prælatis, vel monasteriis. 502.12
Vt Monachi præfatam excommunicationem incurrant, debent administrationem habere. ibid.13
Monachus accedens ad curias Principum animo nocendi, excusatur ab excommunicatione, si hoc faciat ex ignorantia. ibid.14
Ista excommunicatio Summo Pontifici reseruata non est. ibid.15
Monachus fugitiuus, aut eiectus à Monasterio ad tempus, vel in perpetuum, non tenetur ad diuinum Officium, & obiectio resoluitur. 423.6
Monachus habens facultatem, & dispensationem viuendi in perpetuum extra monasterium, non tenetur ad recitandum diuinum Officium. 422.4
Monachus, qui bono animo curiam ingressus est, sed postea in curia commoratur intentione damnum inferendi suis Prælatis, vel monasteriis, excommunicationem non videtur incurrere, iuxta probabilem auctoris opinionem. 502.4

Monasterium.

Monasterij nomine intelligitur illud spatium, intra quod Monialis sistere debet, & extra quod nequit ne breui quidem spatio egredi, modò tamen illud spatium clausuræ deputatum sit. 535.1
Nullus potest Monasterium Monialium ingredi. ibid.2
Neque femina potest ingredi absque licentia, etiamsi Monialis sit, aut ingrediatur, vt fiat religiosa, secus si Monialis sit eiusdem habitus, & Ordinis, licet non sit eiusdem monasterij. ibid.3
Probabile est Reges, Reginas, & ipsorum filios, & filias non posse sine licentia monasteria Monialium ingredi, & multo minus ipsorum familias. ibid.4

Infanti-

Infantibus non videtur interdictus in Monasteria Monialium ingressus, modò rationis vsum nondum adepti sint. ibid.5
In dubio præsumuntur infantes adepti rationis vsum post septennium. ibid.6
Amens puber in Monasterium introduci non potest. 536.7
Quid nomine accessus ad Monasterium intelligatur. 532.1
Ex nominis significatione nonnulla inferuntur. ibid.2
Nomine Monasterij, cuius accessus interdicitur, non intelligitur Monasterium materialiter sumptum, sed ipsæ Moniales. ibid.3
Monasterio an licitum sit mutuam pecuniam, depositum, vel commodatum recipere à parentibus, vel curatoribus puellæ. 587.7
In Monasteria S. Claræ, aut Conceptionis, nullus ingredi potest sine licentia Papæ. 536.6
Monasterium est spatium illud, quod intra monasterij ambitum continetur. 543.1
Prædia, & domus rusticæ non sunt obnoxia clausuræ, consequenter religiosus potest feminas ad huiusmodi loca causa audiendi sacra admittere. ibid.2
Chorus non est pars Monasterij. ibid.3
Sacristia aliquando est pars Monasterij, aliquando non. ibid.4
Infirmariæ, hospitia, & similia loca non sunt Monasteria. 544.5
Horti contigui Monasterio subiiciuntur clausuræ. ibid.6
Feminæ habentes priuilegium à Sede Apostolica post constitutiones Gregorij XIII. & Pij V. possunt Monasteria virorum ingredi. 545.1
Si in eo Monasterio extet regula non admittendi feminas, & in priuilegio non fiat mentio huius regulæ, non potest femina virtute priuilegij ingredi. ibid.2
Femina alicuius dignitatis, quæ potest Monasterium ingredi, potest secum decentem familiam ducere. ibid.3
Femina licitè ingredi potest ob necessitatem, exempli gratia, ad lactandum infirmum, seu medendum dum aliud remedium commodum non est. ibid.4
Strictior est clausura Monialium, quàm virorum. ibid.5
Feminæ possunt ingredi Monasteria virorum causa Missæ, funeris, processionis, vel alterius diuini Officij, vel dum tantus est populi concursus, vt mulieres commodè ingredi, aut egredi non possint. ibid.6
Feminæ possunt ingredi Monasterium causa audiendæ Missæ in capella claustri, modò ad alia loca non progrediantur. 546.7
Item dum recitantur horæ canonicæ, dum fit benedictio candelarum, &c. ibid.8
Item ingredi possunt dum fit lotio pedum, modò tunc legatur Euangelium, vel alia oratio fiat. ibid.9
Potest femina ingredi dum emittitur professio, non autem dum habitus suscipitur. ibid.10
Femina potest ingredi causa concionis, sepulturæ, processionis, vel dum adest magnus populi cœtus impedientis ingressum, vel egressum. ibid.11
Femina non potest ingredi ad audiendam comœdiam, vel disputationem. ibid.12
Femina ingrediens Monasterium tempore diuinorum officiorum, seu concionis, &c. non animo audiendi diuina, vel concionem, excusari probabiliter potest à peccato, & pœnis contra clausuram. ibid.13
Femina non peccat contra clausuram, si ingrediatur occasione processionis, quam Prælatus indixit hoc fine, vt feminæ ingredi possint. Idem aliqua ratione dici potest de ipso religioso processionem ad eum finem indicente. ibid.14
Femina quæ iusta de causa ingressa est, tenetur statim moraliter egredi, non tamen afficitur excommunicatione si statim non egrediatur. ibid.15
Femina iusta de causa ingressa non afficitur excommunicatione, etiamsi ad vlteriora loca progrediatur. Secus dic de religiosis admittentibus. ibid.16

Monialis.

Monialis non potest ad domos monasterio contiguas accedere, etiam si ibi degant feminæ colligendis eleemosynis deputatæ. 491.2
Quid de Moniali, quæ se recipit ad alieni tecti partem, vel transfert se extra ianuam distantia vnius pedis, vel totam ingreditur. ibid.3
Monialis non potest se recipere ad Ecclesiam exteriorem. ibid.4
Monialis monasterio egressa, si domo, in qua constituta est, exeat, non violat clausuram. ibid.5
Omnibus interdictum est accedere ad monasteria Monialium. 533.1
Multo magis interdictum est illa frequentare. ibid.2
Nomine Clericorum non veniunt religiosi, aut Clerici in dignitate constituti. ibid.3
Quotuplex accessus requiratur, vt quis monasterium frequentare dicatur. ibid.4
Non est interdictum vniuersaliter iure communi litteras Monialibus scribere. ibid.5
Illi, quibus sub censuris interdictum est litteras Monialibus scribere, non incurrunt censuras, nisi ipsamet litteræ ad Moniales perueniant. ibid.6
Moniales egredientes, dantes licentiam egrediendi, receptatores, excommunicationem, & alias pœnas incurrunt. 492.1
Monialis excommunicationem incurrit, etiam si paruo spatio extra ianuam procedat. ibid.2
Monialis, quæ iusta de causa egressa est, non afficitur excommunicatione, si finita egressus causa statim non reuertatur. ibid.3
Episcopus dans licentiam exeundi prædictis pœnis afficitur. ibid.4
Idem dic de comitantibus, vel receptantibus Moniales iniustè egressas, modò sint causa egressus, vel perseuerantia ingressus; secus si causa vrbanitatis, vel consanguinitatis comitentur, vel recipiant. ibid.5
Quid nomine officiorum, dignitatum, & administrationum intelligatur. ibid.6
An prædictæ pœnæ incurrantur ante vllam iudicis sententiam. ibid.7
Quas pœnas incurrant laici frequentantes Monasteria Monialium. 533.1
Quas pœnas incurrant clerici frequentantes prædicta monasteria. 534.2
Quas pœnas incurrant religiosi. ibid.3
Religiosus grauiter peccat accedendo ad monasteria Monialium. ibid.4
Religiosus pœnas incurrit solo accessu. ibid.5
Religiosus tenetur prædictas pœnas subire ante iudicis sententiam. ibid.6
Religiosi S. Ioannis an his pœnis afficiantur. ibid.7
Religiosi exempti non subiiciuntur censuris latis ab Episcopis. ibid.8
De obligatione, qua Moniales è monasterio egredi prohibentur. 491
Quænam Moniales ad clausuram teneantur, ita vt monasterio egredi nequeant. ibid.
Monialis excusatur à peccato, & pœnis, si vrgente necessitate exeat; tenetur tamen, dum extra monasterium existit, causam sui egressus superiori significare. 494.5
Vt Monialis licitè exeat, requiritur licentia cum iusta causa. 495.1
Tres sunt causæ iustæ exeundi, incendium, infirmitas lepræ, & Epidemiæ. ibid.2
Abbatissa non potest exire, vt visitet monasterium, cæmentarios, vel sua monasteria. ibid.3
Monialis non potest exire, vt curam nepotum gerat. ibid.4
Nec ad visitandos parentes infirmos. ibid.5
Facultas exeundi concedi potest Moniali in casibus consimilibus, aut vrgentibus. ibid.6
Monialis potest monasterio exire, dum bellum geritur contra infideles, periculumq; graue impendet ab infidelibus. ibid.7
Monialis potest exire, dum totus conuentus in alium locum transfertur. ibid.8
Abbatissa potest exire ad præstandum iuramentum fidelitatis sæculari domino feudi. Imò si ei constet licentiam à superiore iniustè denegari, adhuc exire potest, secus si dubitet. ibid.9
Monialis exire potest ad reformandum monasterium eiusdem Ordinis, vel vt ibi sit Abbatissa, vel ianuæ præfecta, vel magistra nouitiarum, & finito ministerio potest reuerti si velit, etiamsi socia redire nolit. ibid.10
Monialis potest ad perfectiorem religionem transire. ibid.11
Monialis potest ad aliud monasterium transferri causa punitionis in casibus, in quibus ita iura decernunt. ibid.12
Monialis ad aliud monasterium transferri potest causa correctionis. ibid.13
Monialis eiici potest in sententia nonnullorum, etiamsi emendatio non speretur. Sed ego censeo Monialem ob incorrigibilitatem eiici non posse. ibid.14
Moniales conuersæ ob necessitatem petendæ eleemosynæ exire possunt seruatis constitutionibus Pij V. 496.15
Conuersæ recipi, & admitti possunt ad professionem in monasteriis Monialium. ibid.16
Dimidia pars eleemosynarum Monialibus pauperibus distribuenda est. ibid.17
Monialis non potest exire monasterio ob infirmitatem non contagiosam, etiamsi alioquin mortalis sit. ibid.18
Non sunt puniendi superiores, qui licentiam exeundi concesserunt Moniali graui infirmitate, sed non contagiosa laboranti. ibid.19
Proponuntur, & dissoluuntur rationes eorum, qui asserunt licitum esse Moniali egredi tempore infirmitatis periculosæ. ibid.20
Monialis, quæ iusta de causa egressa est, tenetur finita egressus causa redire quàm primum potest moraliter, non metaphysicè. ibid.21
Moniales professæ Choro deputatæ, tenentur ad Diuinum Officium persoluendum iuxta consuetudines, & regulas ipsarum. 423.5
De prohibitione, & pœnis contra accedentes, vel frequentantes Monasteria Monialium impositis. 532
Moniales conuentionem de dote facientes nulli pœnæ subiacent. 361.4
Moniales nolentes aliquam in monasterium admittere, nisi congruam dotem afferat, non ligantur excommunicatione. 587.6
Monasterij nomine intelligitur illud spatium intra quod Monialis sistere debet, & extra quod nequit ne breui quidem spatio egredi, modò tamen illud spatium clausuræ deputatum sit. 535.1
Nullus potest monasterium Monialium ingredi. ibid.2
Neque femina potest ingredi absque licentia, etiamsi Monialis sit, aut ingrediatur, vt fiat religiosa: secus si Monialis sit eiusdem habitus, & Ordinis, licet non sit eiusdem monasterij. ibid.3
Probabile est Reges, Reginas, & ipsorum filios, & filias non posse sine licentia monasteria Monialium ingredi, & multo minus ipsorum familias. ibid.4
Infantibus non videtur interdictus in monasteria Monialium ingressus, modò rationis vsum nondum adepti sint. ibid.5
In dubio præsumuntur infantes adepti rationis vsum post septennium. ibid.6
Amens puber in monasterium introduci non potest. 536.7

Monitorium.

Oblatio ex vi Monitorij incipit à die, & hora, qua publicatur monitorium. 639.1
Dies publicationis Monitorij, an enumeretur intra dies termini ad denuntiandum. ibid.2
Excusatur à culpa mortali non reuelando, excusatur etiam ab incurrenda excommunicatione lata in Monitoriis. ibid.3
Monitorium eos solum obligat ad denuntiandum, quos iudex, seu superior intendit obligare. 636.1
Idem intelligitur respectu domesticorum, vt respectu vxoris, patris, matris, &c. nisi aliter coniiciatur de mente impetrantis Monitorium. ibid.2

Monstrum, Monstruosus.

An Monstruosus sit irregularis. 387.10
An Monstrum baptizandum sit. 33.4
An baptizandum sit Monstrum, quando dubitatur an genitum sit ex viro & femina, vel ex femina & bruto. ibid.5

Morbus.

An laborantes Morbo Gallico sint irregulares. 387.19
An Morbo caduco laborantes sint irregulares. ibid.22
Absens causa grauis infirmitatis percipit distributiones. 467.1
Secus si Morbus leuis sit. ibid.2
Leuior Morbus tam excusat ab interessentia in Choro, quàm à recitatione diuini Officij. ibid.3
Quis Morbus censeatur grauis. ibid.4
Absens causa infirmitatis recipit distributiones, etiam præcisa consuetudine recipiendi. ibid.5
Idem valet in infirmo, quamuis in loco beneficij tunc temporis non existat. ibid.6
Idem militat etiamsi propria culpa Morbum contraxerit. ibid.7
An famulo ægrotanti salaria, aut alimenta debeantur. ibid.8
Absens ex ignauia non lucratur distributiones. ibid.9
Infirmus, qui aliàs interesse non consueuit, non lucratur distributiones. ibid.10
Nonnulli tamen sentiunt infirmum posse distributiones lucrari, etiam si aliàs consuetudinem haberet non interessendi. ibid.11
Infirmo, qui aliàs interesse solebat, conferenda sunt distributiones pro rata temporis, quo interesse consueuerat. ibid.12

Laborans graui podagra, aut simili Morbo, excusatur ab assistentia in Choro, nec non lucrari potest distributiones. 468.13
Ampliantur, & limitantur quæ suprà dicta sunt. *ibid.*14

Mors.

Quinam dicatur Mortis articulus. 305.4

Mortuus.

An Mortuus baptizari possit. 33.7
An Mortuus ligari possit censura. 286.3

Mulier.

An Mulier fucans faciem peccet mortaliter. 267.25

Munera.

Omnes religiosi vtriusque sexus, imò & Capitula, Ordo, Conuentus, & religio prohibentur Munera largiri de bonis ad monasteria pertinentibus. 614.1
Excipiuntur religiosi habentes beneficium Ecclesiasticum. *ibid.*2
Moniales comprehenduntur in hac Bulla. *ibid.*3
Regula non valet quoties religioso certa quantitas ad proprium vsum assignatur à Prælato, de qua nullam rationem reddere debeat. *ibid.*4
Nouitij non comprehenduntur in hac Bulla. 615.5
Tertiarij non comprehenduntur, & qui non militant in religione approbata. *ibid.*6
Comprehenduntur religiosi Societatis Iesu. *ibid.*7
Religiosi militares non comprehenduntur. *ibid.*8
Neque Episcopi religiosi. *ibid.*9
Vtrùm dicti Episcopi religiosi testari possint de bonis patrimonialibus, vel ex industria acquisitis. *ibid.*10
Num religiosus eiectus è monasterio comprehendatur in hac Bulla, dum expendit bona, quæ acquirit. *ibid.*11
Item an comprehendat Moniales, vel religiosos extra monasterium degentes. *ibid.*12
Munus ab obsequio quid significet. 549.8
Munus à manu quid sit. *ibid.*3
Munus à lingua quid significet. 550.13

Mutatio.

Mutatio quotuplex sit. 101.1

N.

Nasus.

An abscissio Nasi faciat hominem irregularem. 387.5

Necessitas, necessarium.

Necessitas quotuplex sit. 45.1
Necessarium quotupliciter dicatur. 4.1
An Sacramenta absolutè, & ex natura rei sint necessaria ad salutem. *ibid.*2
An sint Necessaria Sacramenta necessitate medij. *ibid.*3
An sint necessaria necessitate præcepti *ibid.*4
An possimus in Necessitate petere Sacramenta à quouis Sacerdote in peccato administraturo. 21.1
An possimus extra Necessitatem ab huiusmodi Sacerdote Sacramenta petere. 22.2
An possit quisque Sacramenta à proprio parocho petere, quem probabiliter putat in peccato administraturum. *ibid.*3
An liceat in Necessitate Sacramenta petere à quocumque Sacerdote peccatore. *ibid.*4
Quotupliciter aliquid dicatur Necessarium. 25.1

Neophytus.

An Neophyti sint irregulares. 386.4
Quis dicatur Neophytus. *ibid.*5
Quis dispensare possit cum Neophyto. *ibid.*6

Nomen.

An aliquis possit propria auctoritate Nomen commutare. 31.29

Notarius.

Notarius non est, per se loquendo, reus Simoniæ accipiendo aliquid pro scripturis, seu litteris. 575.8

Notorium.

Cur requiratur Notorium facti, vt Clerici percussor sit vitandus. 314.4
Quot testes requirantur ad Notorium facti. *ibid.*5

Nouitiatus, Nouitius.

Nouitiatus an interrumpatur ob superuenientem dementiam. 518.2
Nouitiatum, vel professionem an quis suscipere possit animo auolandi ad aliam religionem. 506.2
Nouitiatus integer requiritur ad professionem, alioquin datur locus reclamationi contra ipsam. 519.1
Nouitiatus fieri debet in legitima ætate, & quanam sit ad ipsum legitima ætas. *ibid.*2
Nouitiatus peragi debet anno continuo. *ibid.*3
Annus nouitiatus sufficere videtur ad professionem, etiamsi nouitius eo expleto exierit, & postea iterum admissus fuerit absque alio nouitiatu. *ibid.*4
Nouitiatus hoc tempore peragi debet in habitu religionis. *ibid.*5
Nouitiatus quandonam peragi possit extra monasterium. *ibid.*6
Nouitius non incurrit excommunicationem exeundo è claustro ad audiendas leges, vel medicinam. 505.14

Numerus.

An peccata mortalia distinctè explicanda sint quoad Numerum. 116.1
An sufficiat vno verbo fateri Numerum peccatorum vnius speciei. *ibid.*2
An qui fornicatus est, debeat Numerum fornicationum exprimere. *ibid.*3
An qui multoties furatus est, satisfaciat dicendo se tantum furripuisse. *ibid.*4
An explicandi sint actus odij sæpius repetiti. *ibid.*5
An pœnitens teneatur Numerum certum peccatorum in alia confessione aperira, cuius non recordabatur in prima. *ibid.*6
An Sacerdos teneatur Numerum personarum exprimere, quarum confessiones audiuit in peccato mortali. *ibid.*7
An audiens confessiones in peccato peccet, etiam si habeat propositum pœnitendi, antequam pœnitentem absoluat. 117.8
An pœnitens teneatur Numerum certum iterum in confessione aperire, quando post confessionem cognoscit numerum peccatorum fuisse maiorem, aut minorem, quàm confessus fuerit. *ibid.*9
An pœnitens confiteri teneatur peccata nota Confessario extra confessionem. *ibid.*10
An necessariò explicandus sit actus externus in confessione. *ibid.*11
An sufficiat explicare actum principalem relictis minus principalibus. *ibid.*12
An explicandi sint actus, qui principalem actum subsecuti sunt. *ibid.*13
An faciens confessionem generalem teneatur confiteri omnia mortalia aliàs ritè expiata. *ibid.*14
An carens mortalibus satisfaciat confitendo venialia in genere 118.15
Potest absolui, qui scit se peccatum admisisse, sed dubitat, an illud mortale sit, an veniale. *ibid.*16
An peccata venialia explicanda sint in confessione quo ad speciem, & quo ad Numerum. *ibid.*17
Quomodo se gerere debeat pœnitens, qui propter consuetudinem peccandi non potest peccata sua quo ad certum, & determinatum Numerum explicare. *ibid.*18
Concubinarius satisfacit dicendo se tamdiu vsum fuisse concubina loco vxoris. *ibid.*19
Meretrix satisfacit explicando tempus, quo fuit omnibus exposita, si non recordetur Numeri certi. *ibid.*20
Retinens rem alienam, quam potuit domino restituere, satisfacit explicando tempus quo rem detinuit, & domino non restituit. *ibid.*21
Quomodo cognosci possit Numerus peccatorum exprimendus in confessione. *ibid.*22

O.

Oblatio.

Oblationes factæ sacræ Imagini possunt de licentia solius Episcopi alienari. 602.6

Obligatio.

Obligatio antidoralis, quam quis sperat, vel intendit, non est materia Simoniæ. 577.3
De Obligatione, qua religiosi viri claustro sine licentia exire vetantur. 496

Occupatio.

Grauis Occupatio excusat ab Officij recitatione. 451.1
Qui graui Occupatione detinetur, tenetur diuinum Officium anticipatè persoluere, quoties occupatio anticipatam recitationem permittit. *ibid.*2

Oculus.

An carens Oculo sit irregularis. 386.2
An sit irregularis habens maculam in Oculo. *ibid.*3
An sit irregularis habens Oculum grandiorem altero. *ibid.*4

Oeconomus.

Oeconomi *vel* Castaldi *nomine, quis intelligatur.* 554.5

Officium.

Officium Auditoratus, vel Clericatus Cameræ Apostolicæ validè obtinetur, etiam si per Simoniam acquiratur. 593.23
Officia, vt Auditoratus Cameræ, non sunt materia Simoniæ si per se spectentur, seu potius ratione emolumentorum. 575.5
Officia religionum spiritualia validè obtineri possunt per Simoniam, iuxta sententiam nonnullorum Doctorum. 593.24
Officij nomine intelligitur beneficium in hoc loco. *ibid.*21

Officium diuinum.

Quid intelligatur nomine diuini Officij, *à quo arcetur excommunicatus.* 320.2
Initiatus Ordine Sacro ante pubertatem, vel ante decimumsextum annum, Officium diuinum recitare tenetur. 453.17
An suscipiens Ordines per metum, Officium diuinum recitare teneatur remissiuè. *ibid.*18
An excommunicatus peccet mortaliter assistendo diuinis Officiis. 320.1
An excommunicatus possit, vel teneatur priuatim recitare Officium. *ibid.*3
An excommunicatus in recitando Officio possit socium adhibere. *ibid.*4
An excusetur Capellanus, aut famulus inseruiens domino excommunicato. *ibid.*5
An excommunicatus priuatim recitans Officium possit dicere, Dominus vobiscum. *ibid.*6
An horæ Canonicæ, & aliæ orationes recitatæ ab excommunicato prosint aliis. *ibid.*7
An excommunicatus priuetur vsu omnium rerum sacrarum. *ibid.*8
An excommunicatus possit benedicere mensæ, munire se signo Crucis, adorare Eucharistiam, aut illam comitari, vti imaginibus, &c. *ibid.*9
An excommunicatus possit interesse concioni. *ibid.*10
An excommunicato liceat concionari. *ibid.*11
An præceptor legens lectionem coram discipulis, quorum vnus est excommunicatus, teneatur desistere, & an possit respondere excommunicato interroganti. *ibid.*12
Vt Officium studiosè recitetur, requiritur vt omnia ritè proferantur. 432.1
Omittens verba diuini Officij in notabili quantitate peccat mortaliter. *ibid.*2
Qui cum sociis ita festinanter recitant, vt nondum expletis versiculis à sociis, versiculos sequentes recitare incipiant, sua obligationi non satisfaciunt. *ibid.*3
Abscisio syllabarum in recitando Officium, non mortale, sed veniale peccatum continet. *ibid.*4
Recitans cum socio satisfacit præcepto. *ibid.*5
Et hoc valet, etiamsi is, cum quo recitat, non teneatur Officium recitare, aut recitet sine attentione. 433.6
Idem valet non solùm in oratione debita ex præcepto, verùm etiam in oratione facta ex deuotione. *ibid.*7
Ille oneri Chori satisfacit, qui suos versus alta voce canit, & alios, qui ab alia parte canuntur, submissa voce recitat. *ibid.*8
Satisfacit præcepto, qui suos versus alta voce recitat, & aliquem ab alia parte canentem audit, licet omnes audire nequeat. *ibid.*9
Quomodo diuinum Officium recitandum sit, dum plures duobus illud recitant. *ibid.*10
Satisfacit præcepto qui non recitat, sed attentè audit responsoria, lectiones, &c. *ibid.*11

Item satisfaciunt Clerici audientes versiculos, qui per Organum canuntur, seruata tamen Ecclesiæ consuetudine. ibid.12

An deferentes thus teneantur eam partem recitare, quæ tunc temporis à Choro persoluitur. ibid.13

Canonicus, qui domi priuatim recitat Officium, vt in Choro suam præstet operam in seruitiis Ecclesiæ, & Chori, percipere potest distributiones, modò ita ferat consuetudo, vel priuilegium. ibid.14

Qui Choro interest, auditâq; tantummodo socios canentes, non satisfacit obligationi. ibid.15

Qui socios canentes suam partem audit, sed ipse suos versus submissa voce recitat, satisfacit obligationi diuini Officij, non autem debito chori seruitio. ibid.16

Recitans submissa voce aliis canentibus, distributiones percipere non potest. ibid.17

Hoc tamen intelligendum est de illis, qui per se ipsos canere, non autem de illis, qui Officium per mansionarios canere possunt. 434.18

Tenentur præfati Canonici attendere, & in defectum mansionariorum publicè recitare. ibid.19

Qui recitat suam partem, sed alteram, quam alter Chorus profert, percipere non potest quamuis attendat, non satisfacit oneri diuini Officij recitandi, quamuis à debito Chori excusetur, & recitato priuatim Officio distributiones percipere possit. ibid.20

Recitans Officium cum aliis, tenetur illos audire, nec potest recitationem præuenire, vt postea liberè euagari possit. ibid.21

In recitatione diuini Officij mos, & consuetudo seruanda est. ibid.22

Recitans cum aliis non debet esse solicitus in ea parte tunc temporis repetenda, quæ ab aliis prætermittitur. ibid.23

Recitans diuinum Officium priuatim, non tenetur se ipsum audire. ibid.24

Qui cum alio recitat, ita recitare tenetur, vt ab alio audiatur. ibid.25

Vt Officium studiosè recitetur opus est, vt sine interruptione persoluatur. 435.26

Proponitur sententia sustinens recitantem cum interruptione grauiter peccare, & præcepto non satisfacere. ibid.27

Ponitur sententia auctorus sentientis præcepto satisfacere, & non grauiter peccare. ibid.28

Respondetur argumentis contrariæ sententiæ. ibid.29

Venialem culpam committit qui diuinum Officium sine causa recitat cum interruptione, nisi interruptio valdè modica sit. ibid.30

Interrumpens Officium animo repetendi iam recitata satisfacit præcepto, etiamsi postea eadem non repetat, sed reliqua solùm absoluat. ibid.31

Missam audiens in die festo animo non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, adhuc satisfacit. 436.32

Vouens se iterum Officium recitaturum dum illud recitaret, non tenetur ad restitutionem fructuum, si Officium postea non recitet. ibid.33

Omittens diuinum Officium tot peccata committit, quot sunt actus moraliter interrupti. 445.7

Omittens diuinum Officium vnum solum peccatum externum omissionis incurrit. ibid.8

Omittens diuinum Officium, vel ipsius partem, tenetur in confessione exprimere partem quam omittit. 446.9

Quandonam incurratur excommunicatio ab eo, qui diuinum Officium prætermittit, si propter Officij omissionem lata esset excommunicatio. ibid.10

Quid intelligatur nomine diuini Officij. 371.1

An horæ Canonicæ veniant nomine diuini Officij. ibid.2

An sacramentalia sint diuinum Officium, & quænam dicantur sacramentalia. ibid.3

An Officia quæ non requirunt personam Ecclesiasticam, veniant nomine diuini officij. ibid.4

Habentes beneficium Ecclesiasticum, etiamsi non sint sacris initiati, tenentur regulariter loquendo, ex institutione Ecclesiæ ad recitandas horas Canonicas: siue beneficium sit simplex, siue curatum, siue sit aliqua præbenda tituli Clericalis, immò etiamsi manuale sit, quamquam ad istius titulum ordinari non possit. 424.1

Habens beneficium integrè in commendam, tenetur ad diuinum Officium. ibid.2

Equites Ierosolymitani gaudentes commodis tenentur ad Officium. ibid.3

Qui per metum grauem sibi à parente incussum acceptauit beneficium, tenetur ad Horas Canonicas, etiamsi non habeat animum perseuerandi in statu Ecclesiastico. ibid.4

Dantur aliqua beneficia, quæ ex sua institutione non obligant ad Horas Canonicas. ibid.5

Clericus habens Capellaniam tenetur ratione Capellaniæ diuinum Officium recitare. ibid.6

Habens Capellaniam erectam auctoritate Episcopi tenetur diuinum Officium recitare, & obiectio resoluitur. ibid.7

Pensionarius percipiens pensionem, vt Clericus, tenetur Beatæ Virginis Officium persoluere: percipiens verò pensionem titulo sæculari, vt causa belli, vel ob tintinnabula pulsanda, vel propter aperiendas fores Ecclesiæ, &c. non tenetur ad recitandum magnum, vel paruum Officium. ibid.8

Pensionarius, qui vt Clericus percipit pensionem, non ita tenetur ad recitandum Officium Beatissimæ Mariæ Virginis, quin oneri suo satisfaciat recitando Horas Canonicas, quod Officium magnum vulgò nuncupatur. 425.9

Clericus sacris initiatus simulq; pensionem habens vnica magni Officij recitatione oneri suo satisfacit. ibid.10

Qui cessit pensioni solum in partem, non remanet immunis, & exemptus ab obligatione diuini Officij, secus si in totum cessit, quamuis cesserit anticipatis solutionibus. ibid.11

Episcopus, & Parochus tenentur Officium recitare. ibid.12

Coadiutor beneficiarij non tenetur per se loquendo diuinum Officium persoluere ratione coadiutoriæ præcisè. ibid.13

Capellanus, seu Sacerdos, qui conceditur alicui Parochiæ, vt suppleat vices Parochi in Sacramentorum collatione, & in externa Ecclesiæ administratione, non tenetur ex vi coadiutoriæ præcisè ad Horas Canonicas recitandas. ibid.14

Qui priuilegium Canonicatus obtinuit cum futura successione, non tenetur ad preces Canonicas. ibid.15

Idem dic de eo, qui fructus aliquos percipit per modum stipendij. ibid.16

Beneficiarius tenetur diuinum Officium recitare, etiamsi beneficium sit adeò tenue, vt non sufficiat ad sustentationem. ibid.17

Habentes plura tenuia beneficia, ex quibus omnibus colliguntur fructus competentes, tenentur ad pensum Canonicarum precum. 426.18

Beneficiarius, seu Capellanus non eximitur ab onere Diuini Officij recitandi dum maiorem fructuum, & redituum partem tradit Sacerdoti substituto ad peragenda, & persoluenda beneficij onera. ibid.19

Tenetur ad Diuinum Officium recitandum, qui post collationem ineptus reperitur ad munus beneficij exercendum, etiamsi compellatur coadiutorem assumere, illiq; omnes, aut ferè omnes beneficij fructus pro munere obeundo tradere. ibid.20

Impendens omnes beneficij fructus loco pensionis illi qui sibi beneficium renuntiauit, tenetur ad Diuinum Officium. ibid.21

Canonicus tenetur ad recitandum Diuinum Officium, etiamsi primo anno fructus beneficij non recipiat. ibid.22

Beneficiarius, iuxta probabiliorem sententiam, tenetur ad recitandum Diuinum Officium quoties fructus beneficij in alios pios vsus ex consuetudine, vel Ecclesiæ statuto impenduntur. ibid.23

Idem dicendum de beneficiario; qui capta possessione fructus pro aliquo tempore non percipit, spem tamen habet aliàs percipiendi. ibid.24

An idem valeat in eo, qui fructibus priuatur ob delictum, vel ex bello, aliaue actione iniusta. ibid.25

Litigantes circa idem beneficium non tenentur ad diuinum Officium, modò bona fide litigent, nec alius pacificè possidere inceperit. 427.26

Iustè possidens plura beneficia, non tenetur pluries in die Officium recitare. ibid.27

Qui plura beneficia iniquè possidet, tenetur ex iure naturæ plura Officia recitare. ibid.28

Quotuplex sit diuini Officij valor. 443.1

Recitatio diuini Officij infinita est quoad fructum quoties nomine Ecclesiæ fit. ibid.2

Si Officium nomine proprio recitetur, prodest illi, pro quo recitans orare intendit. ibid.3

An pro beatis orandum sit. 444.4

An pro damnatis, & num.7. ibid.5 & 7

An pro eo, quem constaret præscitum. ibid.6

An Oratio S. Gregorij profuerit Traiano. ibid.8

Fructus medius non æquè prodest multis, ac vni. ibid.9

Vtrùm Oratio quoad impetrationem æquè prosit multis, ac vni. ibid.10

Recitatio diuini Officij non prodest ex opere operato, sed operantis ibid.11

Officium ab improbo recitatum prodest quatenus recitatur nomine Ecclesiæ. ibid.12

Officium recitandum est iuxta ritum Breuiarij Romani reformati à Pio V. 429.1

Excipiuntur habentes priuilegium vel consuetudinem aliter recitandi à ducentis annis ante Pij V. constitutionem, quamquam hi possint Breuiarium Romanum recipere, & eo recepto ad prius Breuiarium redire nequeunt: particulares tamen homines non possunt, regulariter loquendo, eo vti non solùm in publica, verùm etiam in priuata recitatione, antequam Breuiarium Romanum communiter recipiatur. ibid.2

Habens priuilegium vtendi Breuiario non Romano, regulariter loquendo, vti non potest Romano. ibid.3

Ordinatus ad titulum patrimonij non potest quodlibet Breuiarium adhibere. ibid.4

Non est improbabile aliquem posse, relicta consuetudine propriæ Ecclesiæ Romanum Breuiarium adhibere, modò non extet decretum in contrarium. ibid.5

Mediolani extat decretum, vt Clerici Mediolanenses diuinum Officium iuxta ritum Ambrosianum recitent. ibid.6

An Clericus Mediolanensis possit dum Romæ existit Breuiario Ambrosiano vti. ibid.7

Extraneus, qui alienam Diœcesim accedit animo ibi manendi maiori anni parte, tenetur adhibere Breuiarium iuxta ritum loci, ad quem se transfert, secus si ad eum locum accedat intentione ibi breui commorandi. 430.8

Quodnam Breuiarium adhibendum sit ab eo, qui duo beneficia possidet in duabus Ecclesiis, quæ diuersis vtuntur Breuiariis. ibid.9

Qui beneficium habet, sed in alia Diœcesi commoratur, tenetur Officium recitare iuxta ritum loci, vbi commoratur. ibid.10

Scholares possunt Officium recitare iuxta ritum loci, ad quem se studiorum causa transferunt. ibid.11

Vtrùm extet obligatio recitandi Officium Beatissimæ Virginis, aut defunctorum. ibid.12

Sacerdotes, & beneficiarij, qui tempore Litaniarum, & Rogationum non interfunt Processionibus quæ publicè fiunt, tenentur priuatim Litanias in Breuiario, vel Calendario descriptas, & designatas sub mortali recitare, alioquin tenentur ad restitutionem pro rata diuini Officij. 431.13

Qui processionibus præfato Litaniarum, & Rogationum tempore interfunt, sed Litanias, vel preces omittunt, vel ad illarum partem non attendunt, satisfaciunt recitando preces, & Litanias quas absentes recitant. ibid.14

Recitans priuatim diuinum Officium lingua Hebraica, vel Græca, aut alia, an peccet, vel præcepto satisfaciat. ibid.15

Satisfacit voto, qui orationes promissas vulgari, & materna lingua persoluit. ibid.16

Qui sponte, & cum aduertentia permutat Horas Canonicas recitando de Sancto, dum sunt recitandæ de alio, de feria, vel de vno Sancto, dum sunt recitandæ de alio, vel de Dominica, &c. an grauiter peccent. ibid.17

Qui sponte, vel inaduertenter recitauit Officium breuius vnius diei, loco Officij alterius diei multò longioris, debet supplere omissa, modò aduertat ad mutationem, seu errorem antequam dies elapsus sit. 432.18

Vtrùm Episcopus possit cum aliquo dispensare, vt relicto proprio Breuiario, recitet Officium iuxta formam alterius Breuiarij. ibid.19

Episcopus non solùm curare potest, vt Breuiarium Romanum recipiatur, verùm etiam illud recipere cum consensu vniuersi Capituli. ibid.20

Non licet quidquam addere Breuiario tamquam partem diuini Officij: secus si aliquid addatur tamquam aliquid extrinsecum. ibid.21
Quid faciendum sit dum recitatur Officium de Sancto, de quo nulla in Breuiario mentio habetur. ibid.22
Dispensatio Summi Pontificis excusat ab Officio diuino etiamsi concessa fuerit sine causâ. 453.1
Episcopus in recitatione diuini Officij dispensare non potest. ibid.2
Carentia fructuum excusat beneficiarium ab onere diuini Officij recitandi. ibid.3
Hoc tamen intelligitur modò beneficiarius alio titulo ad pensum diuini Officij non teneatur, aut modò sua culpa fructibus non careat. ibid.4
Qui distributiones ex suo beneficio percipit, tenetur ad Horas Canonicas. ibid.5
Habens beneficium, quod nullos fructus reddit, non tenetur Officium recitare. ibid.6
Qui propter pericula hostium residere non potest, ob idq; nullos fructus recipit, non tenetur ad Horas Canonicas. ibid.7
Ignorantia excusat ab Officio recitando. ibid.8
Naturalis obliuio, & inaduertentia eamdem excusationem pariunt. ibid.9
Qui Ordinem Sacrum, vel beneficium habet, tenetur ea parare, quæ ad Officium recitandum necessaria sunt. ibid.10
Dubitans an Officium recitauerit, iterum recitare tenetur, nisi dubium prudicè deponat. ibid.11
Dubitans an Psalmum, Antiphonam, vel quid simile recitauerit, non tenetur iterum recitare. ibid.12
Ad orationem necessaria est attentio. 436.1
Ad orationem non solùm requiritur attentio, verùm etiam intentio. ibid.2
Vt Officium deuotè recitetur requiritur intentio recitandi. ibid.3
Vt Officium deuotè recitetur requiritur attentio. ibid.4
Sufficit attentio ad verba, vel ad sensum. ibid.5
Respondetur argumentis quibus probari posset attentionem non requiri. ibid.6
Recitans Coronam ex deuotione tenetur attendere, secus si eam recitet recreationis vel memoriæ causa. ibid.7
Recitans absque deuotione orationes, quas ex præcepto recitare tenetur, grauiter peccat posita grauitate materiæ. 437.8
Recitans attentiones ex præcepto debitas confabulando, vel dormiendo, grauiter peccat, nisi habeat intentionem formalem, aut vitualem repetendi. ibid.9
Recitans Horas Canonicas sine attentione non percipit distributiones. ibid.10
Differens recitationem Horarum Canonicarum vsque ad tempus, quo somno præoccupabitur grauiter peccat. ibid.11
Satisfacit præcepto qui dum Horas Canonicas recitat, detinetur in aliqua re externa non incompossibili cum attentione. ibid.12
Qui dum recitat detinetur inaduertenter in aliqua actione incompossibili cum attentione, satisfacit præcepto. ibid.13
Possumus eodem tempore satisfacere præcepto Missæ, & Horarum Canonicarum. ibid.14
Ad recitandum Officium sufficit attentio virtualis, non verò habitualis, actualis autem non est necessaria. ibid.15.&17
Quænam sit attentio virtualis & actualis. ibid.16
Sufficit attentio tacita, & implicita. ibid.18
Intentio orandi includit attentionem. ibid.19
Propositum expressum recitandi attentè Officium non est necessarium. ibid.20
Intendens in genere Officium modo consueto recitare, sufficientem habet attentionem. ibid.21
Satisfacit præcepto qui recitat Officium cum proposito faciendi opus consuetum. ibid.22
Intendens Deum laudare, vel muneri suo satisfacere, sufficientem habet attentionem. ibid.23
Accedens ad Ecclesiam de more, ibiq; recitans Officium sufficientem habere videtur intentionem ad recitandum Officium. ibid.24
De iis, quæ ad diuinum Officium in Choro publicè recitandum faciunt sub pœna priuationis distributionum. 454
In priuata oratione non committitur peccatum dum recitans Officium sedet, dum standum, vel genu flectendum est. 442.1
In publica oratione facilius inueniri potest culpa stando, vel sedendo dum genu flectendum est. ibid.2
Canonici cogi possunt ad recitandum Officium in proprio stallo, & cum decenti habitu sub pœna amissionis distributionum. ibid.3
Grauis occupatio excusat ab Officij recitatione. 451.1
Qui graui occupatione detinetur tenetur diuinum Officium anticipatè persoluere, quoties occupatio anticipatam recitationem permittit. ibid.2
Beneficiarius, aliusve diuini Officij onere detentus, non potest sine iusta, & rationabili causa suscipere negotium cum Officij recitatione incompossibile. ibid.3
Impotentia excusat à recitatione diuini Officij, seruatis impotentiæ terminis, & limitibus. ibid.4
Cæcus, aliusve simili defectu obstrictus, diuinum Officium recitare non tenetur, dum ob cæcitatem Officium recitare nequit. 452.5
Idem aliqui censent, etiamsi aliquam partem recitare valeat, non verò totum Officium, aut integram horam. ibid.6
Contrarium ab auctore asseritur, & probatur remissiuè. ibid.7
Qui diuinum Officium, sine ope socij recitare non potest, tenetur illum adhibere, modò commodè adhibere possit: imò beneficiarius debet illum pecunia conducere, dum illius opera gratis non conceditur, & reditus sufficientes habet. ibid.8
Surdus, vel surdaster non tenetur adhibere socium, etiamsi se solo recitare nequeat. ibid.9
Carentia Breuiarij excusat. ibid.10
Impotentia loquendi excusat. ibid.11
Vt Officium nomine Ecclesiæ recitetur, opus est vt verba proferantur cum intentione & attentione, atque vt recitans non sit euitandus. 442.1
Vt Officium nomine proprio celebratum prosit ipsi recitanti quoad satisfactionem, & meritum, vel etiam quoad satisfactionem aliis, opus est vt in statu gratiæ recitetur. ibid.2
An oratio in peccato facta prosit. ibid.3
Quænam conditiones ad meritum requirantur. ibid.4
Oratio peccatoris potest esse impetratoria. ibid.5
Quænam conditiones requirantur, vt oratio infallibiliter impetratoria sit. ibid.6
Quamdiu in oratione persistendum sit. 443.7
An oratio, posita gratia in petente, fide, vtilitate ad salutem, & perseuerantia, dicenda sit impetratoria ex iustitia, an ex fidelitate. ibid.8
Grauiter peccat qui totum Officium, vel partem eius notabilem prætermittit. 445.1
Quænam censeatur materia notabilis. ibid.2
Reiicitur opinio Suarez existimantis minorem quantitatem sufficere ad mortale peccatum in Choro, quàm in priuata recitatione. ibid.3
Quot peccata committantur ab eo, qui diuinum Officium prætermittit. ibid.4
Pœnitens qui diuinum Officium prætermittit tenetur in confessione titulos suæ obligationis aperire. ibid.5
Quot peccata numero committat qui diuinum Officium aliquo die prætermittit. ibid.6
Omittens diuinum Officium tot peccata committit, quot sunt actus moraliter interrupti. ibid.7
Proponitur sententia asserens beneficiarium teneri ad diuinum Officium statim ac collationem obtinuit. 428.1
Affertur sententia Auctoris asserentis teneri post pacificam beneficij possessionem. ibid.2
Respondetur rationibus primæ sententiæ. ibid.3
Qui per litem impeditur ne possessionem capiat non tenetur ad Officij recitationem. ibid.4
Coadiutor cum futura successione non tenetur ad diuinum Officium viuente coadiutore. ibid.5
Qui pensionis titulum obtinuit, sed pensionem non percipit, nec illius percipiendæ spem habet, non tenetur Officium recitare. ibid.6
Pensionarius non tenetur ad Officij recitationem antequam litteras, vel instrumentum pensionis expediri curauerit. ibid.7
Beneficiarius non tenetur ad restitutionem fructuum dum Officium prætermisit, nisi elapsi sint sex menses à capta possessione. ibid.8
Clericus sacris initiatus tenetur ad pensum diuini Officij statim ac Ordinem sacrum suscepit. ibid.9
Qui beneficium, vel Ordinem suscepit, vel professionem in Religione emisit, non tenetur integrum Officium eo die recitare, sed pro rata temporis. ibid.10
Qui diuinum Officium recitauit antequam beneficij possessionem, vel collationem, vel sacrum Ordinem receperit, tenetur iterum accepta possessione, vel collatione, vel Ordine recitare pro rata temporis, & horæ, quæ possessionem, collationem, vel Ordinem obtinuit. ibid.11

Oleum.

An Oleum oliuarum non benedictum sit materia Sacramenti extremæ vnctionis. 183.3
An Oleum benedictum ab Episcopo alia benedictione quàm consueta, sit materia sufficiens. ibid.4
An necesse sit vt Oleum fuerit eo anno benedictum. ibid.6
An Oleum sit materia sufficiens, si alius liquor illi admisceatur. ibid.7
An parochus Oleum consecratum cum non consecrato licitè miscere possit. ibid.8

Omissio.

Omissio boni operis naturalis non est materia Simoniæ. 562.1
Omissio actus spiritualis non est materia Simoniæ in rigore loquendo. 563.2
Occultans peccatorem, accepta pecunia, non est Simoniacus propriè loquendo. ibid.3
Omissio praui operis quod quis facturus erat, non est materia Simoniæ. ibid.4

Opera.

Quotuplex sit genus bonorum Operum. 145.1
An Opera mortua priuatiuè reuiuiscant per subsequentem pœnitentiam. ibid.2
An Opera mortificata per peccatum valeant per subsequentem pœnitentiam. 146.3
An omnia merita per subsequentem gratiam reuiuiscant. ibid.4

Orare, Oratio.

Animæ in Purgatorio existentes Orare possunt non solùm pro se ipsis, verùm etiam pro viatoribus. 421.8
Quid intelligatur per verbum, Orare. 327.3
Qualibet natura rationalis Orare potest. 420.1
Oratio non conuenit vlli personæ diuinæ. ibid.2
Oratio conuenit Christo secundùm humanam naturam considerato. ibid.3
Oratio conuenit Angelis. 421.4
Sancti non solùm pro nobis, verùm etiam pro se ipsis Orare possunt. ibid.5
An Sancti præsciant euentum Orationis quam ad ipsos dirigimus. ibid.6
Viatoribus, etiam peccatoribus conuenit Orare. ibid.7
Dæmonibus Oratio non conuenit. ibid.9
Fideles postquam ad rationis vsum peruenerunt tenentur ad Orationem. 422.10
An semper Orandum sit. ibid.11
Quandonam Orare teneamur ex præcepto Religionis, aut aliarum virtutum. ibid.12
Aliquando tenemur pro aliquo in particulari Orare. ibid.13
Quotuplex sit Oratio. 418.3
Oratio non solùm Deo, verùm etiam Sanctis fieri potest. 419.12
Probabile est animas in Purgatorio existentes Orare posse. ibid.13
Quænam petenda sint in Oratione. 418.10
An peccatum incurratur dum res indifferentes absolutè petuntur. 419.11
Ad Orationem necessaria est attentio. 436.1
Ad Orationem non solùm requiritur attentio, verùm etiam intentio. ibid.2
An liceat recitare priuatas Orationes, vel alia pia opera facere pro excommunicatis. 315.8

Ordinatus.

Ordinatus per Simoniam ab alio commissam ipso inscio, suspensionem non incurrit. 588.2
Ordinatus bona fide per Simoniam ab alio commissam, non ligatur suspensione, etiamsi post ordinationem approbet. ibid.3

Ordo.

Quid sit Ordo. 186.1
Quotuplex sit Sacramentum Ordinis. 187.2
An Episcopatus sit Ordo. *ibid.*3
An validè conferri possit Episcopatus non Sacerdoti, vel infanti. *ibid.*4
An Archiepiscopatus, & Papatus sint Ordines. *ibid.*5
An Prima tonsura sit Ordo. *ibid.*6
Quo tempore institutum fuerit Sacramentum Ordinis. *ibid.*7
An ligatus aliqua censura fiat irregularis exercendo Ordines sacros. 397.1
Quid si dubitet se irretitum esse aliqua censura. *ibid.*2
An ligatus censura fiat irregularis canendo in choro, vt hebdomadarius. *ibid.*3
An sit irregularis canendo Epistolam. *ibid.*4
An sit irregularis baptizando. *ibid.*5
An sit irregularis absoluendo sacramentaliter. *ibid.*6
An sit irregularis absoluendo sponsos, aut assistendo matrimonio. *ibid.*7
Quid si exerceat ea, quæ non prohibentur per tonsuram *ibid.*8
An Episcopus ligatus censura fiat irregularis exercendo Ordinem Episcopalem. *ibid.*9
An ligatus duplici censura duplicem incurrat irregularitatem exercendo Ordines sacros. *ibid.*10
Quis possit in hac irregularitate dispensare. *ibid.*11
An exercens Ordines, quos non habet, fiat irregularis. *ibid.*1
An canens epistolam sit irregularis. 398.2
An Sacerdos exercens Ordinem Episcopalem sit irregularis. *ibid.*3
An soluens à peccatis sit irregularis si non sit Sacerdos. *ibid.*4
An qui non est Sacerdos sit irregularis ministrando solemniter Baptismum. *ibid.*5
An Sacerdos ministrans Extremam vnctionem sit irregularis. *ibid.*6
An Clericus referens munus hebdomadarij sit irregularis. *ibid.*7
An fiat irregularis absoluendo pœnitentes, aut benedicendo sponsis. *ibid.*8
Quis dicatur Ordinem exercere solemniter, & ex officio. *ibid.*9
Quis possit in hac irregularitate dispensare. *ibid.*10
Quo tempore conferendi sint Ordines. 196.1
Quanam causa requiratur ad dispensandum in interstitiis. *ibid.*2
Quotuplex sit effectus Sacramentis Ordinis. *ibid.*3
An Ordo sacerdotalis sit verè, & propriè Sacramentum. 187.1
An alij singuli Ordines sint Sacramenta. *ibid.*2
An recipiens sacros Ordines in excommunicatione sit irregularis. 385.1
An sit irregularis suspensus, vel interdictus, qui eosdem recipit. 386.2
An sit irregularis, qui eodem die recipit minores Ordines cum Subdiaconatu, aut duos Ordines sacros. *ibid.*3
Quis possit in ea irregularitate dispensare. *ibid.*4
An sit irregularis recipiens Ordines per saltum. *ibid.*5
An suspensus sit, qui Ordines furtiuè suscipit, & quis dicatur Ordines furtiuè suscipere. *ibid.*6
An Episcopus possit in irregularitate dispensare. *ibid.*7
An sit irregularis recipiens Ordines sine confirmatione. *ibid.*8
An coniugatus recipiens Ordines sit irregularis *ibid.*9
An sit irregularis recipiens Ordines sacros ab Episcopo, qui renuntiauit dignitati. *ibid.*10
An suscepturus Ordines debeat esse initiatus prima tonsura. 191.11
An suscipiens Ordines non seruatis interstitiis, incurrat aliquam censuram, vel irregularitatem. 195.53
Quanam sit materia remota, & proxima Sacramenti Ordinis. 187.1
Quanam sit materia remota, & proxima sacerdotalis Ordinis. *ibid.*2
An validè conferatur Ordo sacerdotalis, si ex obliuione tradatur vas cum vna tantùm specie. 188.3
Quanam sit materia Diaconatus. *ibid.*4
Quanam sit materia Subdiaconatus. *ibid.*5
Materia Acolytatus quanam sit. *ibid.*6
Quanam sit materia Exorcistatus. *ibid.*7
Quanam sit materia Lectoratus. *ibid.*8
Quanam sit materia Ostiariatus. *ibid.*9
Quæ materia Episcopatus. *ibid.*10
An Contractus materiæ sit de essentia. *ibid.*11
An necesse sit tangere materiam, dum verba proferuntur. *ibid.*12
Quanam sit forma, Sacramenti Ordinis. *ibid.*13
An variari possit forma. remissiuè. *ibid.*14
Cur forma Sacramenti Ordinis adhibeatur imperatiuo modo. *ibid.*15
An Episcopus proferens formam debeat exhibere materiam tangendam. *ibid.*16
An valeat ordinatio, quando plures initiantur Ordine sacerdotali, & Episcopus prolata semel vnica forma in plurali, præbet materiam pluribus successiuè tangendam. *ibid.*17
Quodnam sit munus, & officium singulorum Ordinum. *ibid.*18

Ordinis impedimentum.

An Ordines minores dirimant matrimonium. 241.1
An ille, qui accedit ad minores Ordines, credens illis adnexum esse votum solemne castitatis, teneatur votum seruare. *ibid.*2
An peccet clericus, qui susceptis Ordinibus minoribus, contrahit matrimonium. *ibid.*3
An peccet venialiter. *ibid.*4
An peccet qui recipit tonsuram, vel minores Ordines animo non ascendendi ad maiores. *ibid.*5
An peccet qui tonsuram, vel Ordines minores recipit ad vitandum forum seculare. *ibid.*6
An Episcopus peccet, conferendo Ordines minores illi qui non habet intentionem recipiendi maiores. *ibid.*7
An Ordines sacri dirimant matrimonium subsequens. *ibid.*8
An inualidè suscipiens Ordines sacros, teneatur seruare votum castitatis. *ibid.*9
An validum sit votum, quando quis recipit sacros Ordines, nesciens illis adnexum esse votum. *ibid.*10
An suscipiens sacros Ordines cum intentione non vouendi, teneatur voto castitatis. *ibid.*11
An promotus ad sacros Ordines per metum grauem, teneatur seruare votum castitatis, & diuinum Officium recitare. *ibid.*12
An Graci sacerdotes possint contrahere matrimonium. *ibid.*13
An ordinatus ante rationis vsum, teneatur voto castitatis. *ibid.*14
An suscipiens sacros Ordines ante rationis vsum, possit validè contrahere matrimonium. 242.15
An ordinatus ante pubertatem, vel ante decimum sextum annum teneatur seruare castitatem, & an possit matrimonium contrahere. *ibid.*16
An initiatus Ordine sacro incurrat aliquam pœnam, contrahendo matrimonium. *ibid.*17
An vir coniugatus possit aliquando sacros Ordines suscipere. *ibid.*18
An vir coniugatus recipiens sacros Ordines possit petere, & reddere debitum. *ibid.*19
Quam pœnam incurrat coniugatus, recipiendo sacros Ordines absque vxoris consensu. *ibid.*20
An vir coniugatus possit promoueri ad Episcopatum. *ibid.*21
An vxor, quæ voto castitatis emisso, licentiam coniugi dedit suscipiendi sacros Ordines, &c. possit mortuo coniuge, nouum inire matrimonium. *ibid.*22

Ordinis minister.

Quis sit minister Ordinarius Sacramenti Ordinis. 189.1
An hæc potestas resideat penes Episcopos excommunicatos, suspensos, &c. *ibid.*2
An alius præter Episcopum possit Ordines conferre, & quosnam conferre possit. *ibid.*3
An Summus Pontifex possit non Sacerdoti dare facultatem conferendi Ordines. *ibid.*4
An Episcopus, qui non est Sacerdos, possit conferre Ordines. *ibid.*5
Quibusnam Episcopus concedere possit facultatem conferendi Ordines tam minores, quàm maiores. *ibid.*6
Episcopus non potest subditis alterius diœcesis, sine licentia proprij Episcopi Ordines conferre. *ibid.*7
Quisnam dicatur proprius Episcopus. *ibid.*8
Episcopus domicilij quis sit. *ibid.*9
An sufficiat animus manendi alicubi ad contrahendum domicilium. *ibid.*10
An requiratur actualis habitatio, vt quis verè dicatur habere domicilium. *ibid.*11
Forum externum quandonam præsumat adesse animum perpetuo alicubi manendi. *ibid.*12
Quisnam dicatur Episcopus originis. *ibid.*13
Episcopus beneficij quis sit. *ibid.*14
An Episcopus Ordinarius possit Ordines conferre suo familiari, non subdito. *ibid.*15
Quo tempore possit Episcopus suum familiarem triennalem ordinare. *ibid.*16
An hoc procedat in omnibus Ordinibus, & prima tonsura. *ibid.*17
An hoc valeat in quocumque familiari Episcopi. 190.18
An hoc procedat tam in Episcopis Ordinariis, quàm Titularibus. *ibid.*19
De subdito ratione originis, vel domicilij, aut alio modo quid. *ibid.*20
Episcopus non solùm potest per se ipsum Ordines conferre, verum etiam potest facultatem conferendi alteri Episcopo concedere. *ibid.*21
Quandonam extinguantur dimissoriæ. *ibid.*22
An Capitulum possit, Sede vacante, dimissorias concedere. *ibid.*23
An priuilegium Clericale amittatur ipso facto. *ibid.*24
Quas litteras concedere possit Capitulum, Sede vacante. *ibid.*25
An accipiens Ordines ab alieno Episcopo, absque Summi Pontificis auctoritate, incurrat pœnam suspensionis. *ibid.*26
An hac suspensione afficiantur etiam conferentes, & recipientes primam tonsuram. *ibid.*27
An obtinens à Summo Pontifice priuilegium, quo possit à quolibet Episcopo ordinari, indigeat nouis litteris dimissoriis. *ibid.*28
Quosnam Episcopus possit ordinare, qui in aliena diœcesi cum licentia confert Ordines. *ibid.*29
An Episcopus, qui confert primam tonsuram alieno subdito sine licentia sui Ordinarij, incurrat suspensionem. *ibid.*30
An qui furtiuè suscipit Ordines, incurrat suspensionem. *ibid.*31
An qui sine dimissoriis, vel furtiuè contra prohibitionem ordinantis, accedit ad Ordines, incurrat suspensionem. *ibid.*32
Supra quos cadat excommunicatio lata ab Episcopo ante Ordinationem. *ibid.*33
An Episcopus examini subiicere teneatur ordinandum, qui ad ipsum accedit cum dimissoriis. *ibid.*34

Ordinis subiectum.

Quodnam sit subiectum capax Sacramenti Ordinis. 191.1
An qui ante vsum rationis initiatus est Ordine sacro, teneatur ad votum castitatis. *ibid.*2
Differentia inter pueros rationis vsu carentes, & amentes. *ibid.*3
An Episcopatus conferri possit ante rationis vsum. *ibid.*4
An fœminæ possint ad Ordines promoueri. *ibid.*5
An hermaphroditus validè possit Ordinibus initiari. *ibid.*6
An suscepturus Ordines debeat esse baptizatus. *ibid.*7
An debeat esse confirmatus. *ibid.*8
An Sacramentum Ordinis non confirmato validè conferatur. *ibid.*9
An suscipiens, vel administrans Ordines ante Confirmationem peccet. *ibid.*10
An susceturus Ordines debeat esse initiatus prima Tonsura. *ibid.*11
Quanam ætas requiratur ad Ordines suscipiendos. *ibid.*12
Quam pœnam incurrant initiati Ordine sacro mala fide ante legitimam ætatem. *ibid.*13
An dies bissextilis computandus sit cum ætate legitima. *ibid.*14
Quid dicendum sit de anno probationis, seu Nouitiatus, &c. *ibid.*15
An requiratur scientia in Ordinando. 192.16
An requiratur testimonium morum. *ibid.*17
An qui ad sacros Ordines promouetur titulum habere debeat. *ibid.*18
Ordinatus ordine sacro absque vllo titulo suspensus est. *ibid.*19
Ordinatus cum pacto non petendi sustentationem, vel quid aliud ab ordinante, vel præsentante incurrit suspensionem ab executione Ordinis suscepti. *ibid.*20.
Ordinatus sine titulo, ficto patrimonio suspensionem incurrit. *ibid.*21
Subdiaconus Ordinatus sine titulo, & obtenta suspensionis absolutione, iterum incurrit suspensionem si ad Diaconatum, vel sacerdotium sine nouo titulo promoueatur. *ibid.*22

Ordinatus sine titulo duplicem incurrit suspensionem, si ficto titulo litteras dimissorias obtinuit. ibid.23
Ordinatus sine titulo incurrit irregularitatem exercendo functiones Ordinis antequam absoluatur. 193.24
Ordinatus cum vero patrimonio non incurrit suspensionem, si suscepto sacro Ordine patrimonium retrodonet, & renuntiet. ibid.25
Ordines suscipiens assignato sibi patrimonio cum pacto restituendi patrimonium donatario, seu non petendi quicquam, non videtur affici suspensione, modò non restituat ante ordinationem, & non inierit hoc pacto cum ordinante, vel præsentante ad ordines. ibid.26
Ordines minores suscipiens sine titulo non ligatur suspensione. ibid.27
Ordinatus ad titulum patrimonij, vel pensionis non est suspensus. ibid.28
Ordinatus ad titulum beneficij quod actu non possidet, sed solum potentia, incurrit suspensionem; secus probabiliter dici posse videtur de eo, qui beneficij collationem obtinuit, sed eius possessionem nondum cepit. ibid.29
Coadiutor cum futura successione incurrit suspensionem suscipiendo sacros Ordines absque alio titulo. ibid.30
Titulus ad quem aliquis Ordinari possit quotuplex sit. ibid.31
Patrimonium alicui assignans hoc pacto, vt Ordinatus illud restituat adepto beneficio, non videtur grauiter peccare. ibid.33
Ordinatus ad titulum patrimonij quandonam ligetur suspensione si are alieno ita grauatus sit, vt solutis debitis non remaneant illi bona ad titulum sufficientia. 194.34
Professio est titulus ad quem Religiosus promoueri potest. ibid.35
Ordines suscipi non possunt sub titulo doctoratus, litteraturæ, vel gradus. ibid.36
Ordines suscipi non possunt ad titulum cuiuslibet beneficij, pensionis, vel patrimonij. ibid.37
Titulus ad quem aliquis Ordinatur quanam bonorum quantitate constare debeat. ibid.38
Ordines suscipi possunt ad titulum conflatum ex beneficio, & patrimonio simul quando alterum eorum non est sufficiens ad sustentationem. ibid.39
Titulus ad quem aliquis Ordinatur perpetuus esse debet. ibid.40
Patrimonium ad quod aliquis ordinatur an possit obtento beneficio alienari absque licentia Episcopi. ibid.41
Vicaria temporalis, aut beneficium annuale non est sufficiens titulus ad quem aliquis promoueri possit. ibid.42
Ordinans religiosum, vel alium absque titulo quamnam suspensionem incurrat. ibid.43
Episcopus Ordinans aliquem sine titulo quam obligationem contrahat. ibid.44
Episcopus quandonam alere tenetur eum cui contulit beneficium, quod postea euictum fuit. ibid.45
Ordinatus sine titulo de licentia proprij Episcopi à quonam alendus sit. 195.46
Ordinatus sine titulo, mortuo Episcopo ordinante, alendus est à successore. ibid.47
Absolutio istius suspensionis à quonam impendi possit. ibid.48
Confessarius generalem habens facultatem absoluendi à censuris, an validè possit absoluere à suspensione contracta ob defectum tituli, vel ob malam Ordinum susceptionem. ibid.49
An requirantur temporum interstitia, tam in minoribus, quàm in maioribus Ordinibus. ibid.50
Quomodo computanda sint temporum interstitia. ibid.51
Ad quem pertineat dispensatio interstitiorum, etiam respectu Religiosorum. ibid.52
An suscipiens Ordines non seruatis interstitiis, incurrat aliquem censuram, vel irregularitatem. ibid.53
An possit quis una, & eadem die de consensu Episcopi omnes minores Ordines recipere. ibid.54
An irregularis ad Ordines promoueri possit. ibid.55
An irretitus aliqua censura Ordinibus initiari possit. ibid.56
An intentio requiratur in adulto suscipiente Ordines. ibid.57
An validè recipiantur Ordines per metum. ibid.58
An Ordinatus per metum grauem, teneatur ad castitatem, ad preces Canonicas, &c. ibid.59
An Ordinandus debeat esse in gratia. ibid.60
Ordinandus in Ordinibus suscipiendis debitis vestibus vti debet. ibid.61
Quibus vestibus indui debeat Sacerdos dum ad sacram Ordinationem accedit, aut dum Missæ Sacrum facit. ibid.62
Cur senarius numerus vestium, & non maior adhibeatur. ibid.63
Quam significationem singula vestes habeant. ibid.64
Quomodo Diaconus stolam adhibeat. 196.65
Diaconus, & Subdiaconus non induunt Planetam, sed Dalmaticam. ibid.66
Functiones Ordinum sunt materia Simoniæ. 559.1
Ordinum tam maiorum, quàm minorum functiones sunt materia Simoniæ. 560.2
Cantor canens tamquam laicus pretio accepto, vel promisso, non incurrit Simoniæ labem. ibid.3
Tonsura est materia Simoniæ. ibid.4
Ordinum susceptio simoniaca est, si data, vel promissa pecunia fiat. 559.1
Patronus præsentans aliquem ad Ordines cum pacto, vt ab eo nihil petatur, Simoniacus est. ibid.2
Ordinum collatores Simoniam committunt accipiendo aliquid in collatione Ordinum, etiamsi sponte offeratur. ibid.3
Notarius potest aliquid loco stipendij accipere dum ei salarium constitutum non est. ibid.4

Os.

Quid intelligatur per particulam, Os. 327.2

Oscula.

An Oscula, & amplexus licitè fiant. 265.1
An excusetur delectatio proueniens ex Osculis, & amplexibus. ibid.2
An committat incestum, qui Osculatur consanguineam. ibid.3
Quotuplex delectatio percipiatur ex tactibus, & Osculis. ibid.4
Quandonam Oscula, tactus, & amplexus sint mortale peccatum. ibid.5

Ostiarius.

Quænam sit materia Ostiariatus. 188.9
Ostiarius seu officialis Principis non incurrit excommunicationem quoties turbam arcendo simul arcet Clericum. 340.15

P

Panis.

An qualibet parua quantitas Panis possit consecrari. 48.1
An consecrari possit qualibet magna quantitas. ibid.2
An materia consecranda debeat esse determinata in mente Sacerdotis. 49.3
An remaneat consecrata quarta pars hostiæ à Sacerdote non designata. ibid.4
An ex decem hostiis præsentibus Sacerdoti remaneant quatuor consecratæ, quæ non fuerunt à Sacerdote designatæ. ibid.5
An omnes hostiæ super altari positæ, remaneant consecratæ, si Sacerdos illarum non recordetur. ibid.6
An remaneant consecratæ guttæ vini, quæ sunt extra Calicem. ibid.7
An remaneant consecratæ hostiæ super altare positæ inscio Sacerdote. ibid.8
An valeat consecratio, quando Sacerdos ex decem hostiis, quinque à Titio designatis intendit consecrare. ibid.9
An valeat consecratio, si Sacerdos eas hostias intendat consecrare, quas Deus elegerit. ibid.10
Vide Eucharistia.

Papa.

An Papa errare possit in rebus fidei. 342.9
Impedimentum legitimum habens non accedendi ad Papam, non potest ab Episcopo absolui quoties potest adire Legatum, vel alium facultatem Papalem habentem circa excommunicationem. 341.18
Papa ex quibus causis possit aliquid in dispensationibus cõcedendis exigere. 575.6
Papa non potest in collationibus beneficiorum quicquam exigere, si beneficium spectetur ratione tituli. 566.13
Papa potest pensionem imponere, & nolle beneficium conferre, nisi illi, qui vult pensionem soluere. ibid.14
Papa potest dum beneficium alicui confert cum pensione, æstimare totum pensionis valorem, illumq; anticipatè recipere, aut alteri conferre iusse illud recipiendum. ibid.15
An Papa possit dispensare cum abstemio. 388.27
An Papa dispensare possit in irregularitate proueniente ex homicidio 414.1
An possit dispensare Episcopus. ibid.2

Parochus.

An Parochus possit suos subditos prohibere ne confiteantur probato Sacerdoti. 129.35
An Parochus possit denegare Eucharistiam illi in Paschate, qui se dicit confessum approbato Sacerdoti. 130.36
An Parochus possit assistere matrimonio hermaphroditi. 249.30
Parochus an celebrare possit ne Parochiani careant missa & quid det Capellano. 62.23
An Parochus teneatur Eucharistiam illis denegare, qui dedita opera ad alios Sacerdotes extra diœcesim abierunt, illisq; peccata sua confessi sunt. 154.9
An Parochus, seu alter Confessarius, qui iurisdictionem in aliquem habet, possit ipsum extra propriam diœcesim audire, & absoluere. ibid.10

Pascha.

An teneatur quàm primùm communicare, qui non communicauit in Paschate. 69.13
Quid nomine Paschatis intelligatur hoc loco. 68.6
An possit à quouis Sacerdote in die Paschatis communicare qui præceptum communionis adimpleuit in hebdomada Sancta. ibid.9
An debeat sumere Eucharistiam in propria parochia tempore Paschatis, qui Religiosis inseruit. ibid.10

Patrimonium.

Bona Patrimonij, ad quæ quis fuit ordinatus, quomodo possint alienari. 604.28
Patrimonij *nomine quid intelligatur.* 193.32
Patrimonium alicui assignans hoc pacto, vt ordinatus illud restituat adepto beneficio, non videtur grauiter peccare. ibid.33
Patrimonium ad quod aliquis ordinatur an possit obtento beneficio alienari absque licentia Episcopi. 194.41

Patrinus.

Quot Patrini possint in Baptismo adhiberi. 32.19
An sit mortale peccatum adhibere plures Patrinos. 234.32
An Patrinus possit matrimonium contrahere cum patrina. 232.6

Peccatum, Peccator.

An Peccata commissa post remissionem aliorum sint grauiora. 144.1
Peccata quandonam dicantur remitti per Sacramentum pœnitentiæ in voto. 96.3
Vtrum omnia Peccata explicanda sint quoad speciem. 115
Species quotuplex sit. ibid.1
An explicanda sint Peccata in confessione quo ad species morales. ibid.2
An explicandi sint actus non interrupti circa eumdem finem. 116.3
An teneatur species animalium explicare, qui peccatum bestialitatis commisit. ibid.4
An satisfaciat, qui confitetur in communi numerum superstitionum. ibid.5
An aperienda sit circumstantia, propter quam Peccatum mortale sit veniale, & è contra. ibid.6
An exponens se periculo alicuius Peccati teneatur illius circumstantiam fateri. ibid.7
An Peccata venialia possint esse materia Sacramenti pœnitentiæ. 97.5
Quid sit remitti Peccata per Sacramentum pœnitentiæ in voto. 96.4
An Peccata venialia explicanda sint in confessione quo ad speciem, & quo ad numerum. 118.17
An habens lubricam memoriam teneatur Peccata scribere. 130.7
Quotupliciter remitti possint Peccata. 141.2
An Peccata venialia remittantur per Sacramentalia. ibid.3
An Sacramentalia remittant venialia ex opere operato. ibid.4
Quot modis Sacramentalia vim habeant remittendi Peccata venialia. ibid.5
An obtineat venialium remissionem qui aquam non benedictam pro benedicta bona fide accipit. ibid.6
An obtinere possit omnium venialium remissionem, qui assumit aquam benedictam. ibid.7

Quanam Peccata reseruari possint. 161.3
An incurrat casum reseruatum, qui facit opus externum non sufficiens ad mortale. 162.4
An Peccata commissa post præcedentia remissa grauiora sint peccatis antea remissis. 144.4
An Peccatum ingratitudinis cernatur tam in mortalibus, quàm in venialibus. 145.5
An Peccatum ingratitudinis sit maius, quo quis peccat post maiora, & plura beneficia. ibid.6
An Peccatum commissum post innocentiam sit maius peccato commisso post pœnitentiam. ibid.7
Vtrùm pœnitentia Sacramentum remittere possit omnia Peccata mortalia. 138
An pœnitentia possit omnia Peccata mortalia delere. ibid.1
An homo à Peccatis semper resurgere possit. ibid.2
An dari possit certus Peccatorum cumulus, quo posito nequeat homo à peccatis resurgere. ibid.3
An peccata priùs remissa possint de potentia ordinaria quo ad reatum pœnæ redire per subsequens Peccatum. 145.1
An grauius puniendus sit in Inferno, qui post obtentam remissionem labitur in mortale peccatum. ibid.2
An Peccator, qui damnatur pro peccato post remissionem commisso, perpetuò puniendus sit pro tali peccato, & pro peccatis antea dimissis. ibid.3
An reatus Peccatorum præcedentium possit de potentia Dei absoluta redire per subsequens peccatum. ibid.4
An hoc idem dici possit de culpa. ibid.5
An Peccata venialia deleantur per contritionem. 142.1
An ad remissionem venialium requiratur detestatio venialium, quatenus sunt leuis offensa Dei. ibid.2
An actus sufficiens pro delendis mortalibus, sufficiat ad delenda venialia. ibid.3
An actus perfectior requiratur ad delenda venialia. ibid.4
An Peccata venialia deleantur per dilectionem Dei. ibid.5
An venialia per alios virtutum actus remitti possint. ibid.6
An actus naturalis sufficiat ad remissionem venialium. ibid.7
An Peccata venialia deleantur per attritionem. ibid.8
An venialia deleantur per quodlibet opus meritorium hominis iusti. 143.9
An Peccata venialia remittantur per Sacramentum Pœnitentiæ. 141.1
An per Sacramenta remittantur omnia venialia. ibid.2
An distincta vel saltem confusa Peccatorum recogitatio requiratur ad iustificationem. 109.1. & 2
An Peccatori publico indignè petenti sint administranda Sacramenta. 20.3
An Peccatori non omnino publico deneganda sit Eucharistia, si illam à delicti conscijs petat. 21.13

Pecunia.

Pro Sacramentis quandonam præuia Pecunia recipi possit absque Simonia. 557.3
Sacramentum an accipi possit tradita Pecunia, quando administrans pretium petit, tamquam pretium administrationis. 558.4
Pecuniam pro re spirituali traditam fuisse, quomodo cognoscere possimus tam in foro interno, quàm externo. 551.1
Dubitans rem temporalem traditam fuisse gratis, vel animo obtinendi beneficium, quomodo se gerere debeat. ibid.2

Pensio, Pensionarius.

Pensionarius eo pacto tenetur ad restitutionem, quo beneficiarius. 450.5
Pensionarius obligatur ad restitutionem fructuum dum paruum Beatissim Virg. Officium non recitat. 449.21
Pensio laicalis quænam sit. 569.1
Pensio spiritualis, seu Clericalis, quænam dicatur. ibid.2
Pensio laicalis, seu temporalis non est materia Simoniæ. ibid.3
Pensio Clericalis est materia Simoniæ. ibid.4
Pensionarius non potest Pensionem transferre, accepto pretio, vel reseruata fructuum parte. ibid.5
Pensionarius habens facultatem transferendi pensionem, potest illam in totum, vel in partem transferre. 570.6
Pensionarius non potest Pensionem anticipatis quibusdam solutionibus, priuata auctoritate extinguere. ibid.7.&9
Pensionarius extinguens Pensionem, priuata auctoritate tenetur adhuc ad pensum officij. ibid.8
Beneficiarius quomodo possit Pensionario pecuniam redemptionis tradere, antequam obtineat assensum Summi Pontificis circa redemptionem Pensionis. ibid.10
Pensionarius extinguens Pensionem, anticipatis solutionibus non tenetur amplius ad diuinum Beatissimæ Virginis officium recitandum. ibid.11
Pensionarius liberè cedere potest Pensioni priuata auctoritate. ibid.12
Pensionarius vendere, vel donare potest fructus suæ Pensionis, etiam ad totam vitam. ibid.13
Et hoc valet, etiamsi pensionarius titulum pensionis sibi retineat. ibid.14
Pensionis fructus emens à pensionario, anticipata pecunia, non est reus Simoniæ, etiamsi constituatur procurator ad exigendum fructus pensionis à beneficiario. 571.15.
Pensionis fructus vendi possunt ab eo, in cuius commodum constituta fuit pensio in capite & persona alterius. ibid.16
Pensio, regulariter loquendo, non soluitur ex distributionibus. 487.1
Pensio in dubio non censetur super distributionibus imposita. ibid.2
An distributiones fauorabiles sint, vel odiosæ. ibid.3
Pensio non censetur imposita in illis distributionibus, quæ conflatæ sunt ex fructibus, & prouentibus beneficiorum iuxta Tridentini decretum. ibid.4
Pensio censetur imposita super distributionibus dum beneficium in solis consistit distributionibus. ibid.5
Idem valet dum Summus Pontifex exprimit velle Pensionem super distributionibus impositam esse. ibid.6
Refertur decisio Rotæ, quæ maximè conducit ad cognoscendum quandonam Pensio super distributionibus imposita censeatur, & quandonam veniat nomine emolumentorum vel fructuum. ibid.7
Si Pensio super distributionibus imposita sit, soluenda est ab eo, qui distributiones percipit. 488.8
Onus soluendæ Pensionis transit ad Capitulum, dum distributiones Capitulo accrescunt ob absentiam Canonici, super cuius Canonicatu imposita fuerat Pensio. ibid.9
Singuli Canonici, quibus accreuerunt distributiones Canonici absentis habentis Canonicatum onere Pensionis super distributionibus grauatum, tenentur ad Pensionem pro rata distributionum perceptarum, modò Canonicus non perceperit tot distributiones, quæ sufficiant ad Pensionem soluendam. ibid.10
Idem dicendum est dum beneficium onere Pensionis grauatum vnitum est Capitulo. ibid.11
Quando consuetudine, vel statuto introductum est, vt omnes fructus, aut aliqua pars Capitulo soluatur primo anno, Capitulum non potest fructus exigere, nisi detracta Pensione. ibid.12
An excommunicatus, qui fructus non percipit, teneatur ex pecuniis propriis Pensionem soluere. 489.13
Canonicus non tenetur ad priorem Pensionem postquam aliud beneficium per nouam prouisionem obtinuit. Secus si retento primo titulo obtineat alia bona, vel priora bona in alia commutet. ibid.14
Successor in beneficio tenetur ad Pensionem beneficio impositam. ibid.15
Pensionis collatio facta per Simoniam valida est, iuxta sententiam multorum Doctorum. 593.22

Percussio, Percutere.

Percussio leuis, grauis, vel mediocris, quanam dicatur. 340.8
Clerici Percussionem consulens, aut mandans, ligatur excommunicatione. 336.1
Percussionem Clerici consulens, aut mandans, non ligatur excommunicatione, nisi sequatur percussio. ibid.2
Item consulens, vel mandans Clerici Percussionem, non ligatur excommunicatione, nisi consilio, vel mandato perfluxerit in percussionem. ibid.3
Clerici Percussionem mandans, incurrit excommunicationem, etiamsi conatus fuerit mandatum reuocare, sed re ipsa non reuocauerit. ibid.4
Clerici Percussionem mandans ligatur excommunicatione, etiamsi in gratia existat, dum mandatarius mandatum exequitur. ibid.5
Percussionem Clerici mandans, vel consulens, aliquando ligatur excommunicatione, etiamsi ea non ligetur executor, & è contra. ibid.6
Percussionem Clerici permittens, ligatur excommunicatione, dum obstare tenebatur ex sola charitate. ibid.7
Percussionem Clerici permittens, incurrit excommunicationem, dum eam impedire tenebatur ex iustitia. ibid.8
Quinam teneantur ex officio impedire Clerici Percussionem. ibid.9
Ratam habens Clerici Percussionem suo nomine factam incurrit excommunicationem. ibid.10
Ratihabitio Percussionis Clerici, quas conditiones habere debeat, vt sufficiens censeatur ad incurrendam excommunicationem. 337.11
Iniectio manuum violenta quid significet. 335.1
Enumerantur conditiones requisitæ ad incurrendam excommunicationem, ob violentam manuum iniectionem. ibid.2
Percussio cur violenta manuum iniectio nuncupetur. ibid.3
Percussio leuis, & non sufficiens ad mortalem culpam, non subiicitur excommunicationi. ibid.4
Rapiens aliquid è manibus Clerici per vim, aut inferens violentiam rebus Clerico adhærentibus, excommunicationem incurrit. ibid.5
Venenum Clerico propinans, ligatur excommunicatione. ibid.6
Surripiens clam crumenam Clerico, aut dormientem vestibus spolians, non ligatur excommunicatione. ibid.7
Clerici vestes dilacerans non incurrit excommunicationem, quoties illæ vestes Clerico non adhærent. ibid.8
Detinens, vel detineri curans Clericum in domo, vel custodia, excommunicationem incurrit. ibid.9
Iniurijs Clericum afficiens non ligatur excommunicatione. 336.10
Clericum qui è fundo exire cogit per metum absque vlla vi, non incidit in excommunicationem. ibid.11
Sclopum explodens in Clericum, qui ob terrorem ex hac vita decedit, excommunicationem incurrit, etiamsi ptila eum non attingat. ibid.12
Clerici Percussio quandonam sufficiens censeatur ad excommunicationem incurrendam. ibid.13
Percutiens Clericum excommunicationem incurrit, etiamsi impubes sit. 337.2
Femina Percutiens Clericum, aut cooperans, excommunicationem incurrit. ibid.3
Clerici Percussionem mandans ligatur excommunicatione, etiamsi collegium vel vniuersitas sit. ibid.4
Percutiens Clericum consentientem, incurrit excommunicationem, quoties percussio est iniuriosa. ibid.5
Clericus consentiens in sui Percussionem excommunicandus est. ibid.6
An Clericus Percutiens seipsum excommunicatus sit. ibid.7
Papa potest absolutionem conferre ab excommunicatione contracta ob Clerici Percussionem. 340.1
Legatus potest absoluere ab excommunicatione contracta ob Percussionem Clerici. ibid.2
Episcopus absoluere potest ab excommunicatione contracta ob Clerici Percussionem, modò percussio leuis sit. ibid.3
Vicarius generalis eamdem facultatem habet. ibid.4
Superiores monasteriorum ab eadem excommunicatione absoluere possunt. ibid.5
Capitulum sede vacante an possit à præfata excommunicatione absoluere. ib.6
Prælati, & alij sacerdotes Episcopis inferiores non possunt ab ista excommunicatione absoluere. ibid.7
Percussio leuis, grauis, vel mediocris, quanam dicatur. ibid.8
Episcopus quandonam absoluere possit ab excommunicatione contracta ob Clerici Percussionem, etiamsi Percussio mediocris sit, vel enormis. ibid.9
Impedimento legitimo detentus absolui potest ab Episcopo ob Clerici Percussionem. 341.10
Mortis periculum, est sufficiens causa, vt Episcopus absoluere possit ab excommunicatione ob Clerici Percussionem contracta. ibid.11
Filij impuberes absolui possunt ab Episcopo ab excommunicatione contracta, ob

Clerici Percussionem, etiam enormem, etiam si absolutionem petant post pubertatem. ibid.12
Femina excommunicata ob Clerici Percussionem, absolui possunt ab Episcopo. ibid.13
Filiusfamilias, aut seruus quandonam absolui possit ab Episcopo ob excommunicationem canonis. ibid.14
Impotens ad iter Romam versus conficiendum, obtinere potest ab Episcopo absolutionem excommunicationis contractæ ob Clerici Percussionem. ibid.15
Impedimentum perpetuum habentes absolui possunt ab Episcopo. ibid.16
Absoluti ab Episcopo propter impedimentum temporale, tenentur sublato impedimento præsentare se Summo Pontifici alioquin reincidunt in excommunicationem. ibid.17
Impedimentum legitimum habens non accedendi ad Papam non potest ab Episcopo absolui quoties potest adire legatum, vel alium facultatem Papalem habentem circa excommunicationem. ibid.18
Episcopus potest absoluere sibi subditos ab excommunicatione contracta ob quamlibet Percussionem, modò delictum sit occultum. ibid.19
Episcopus non solum per se, verùm etiam per alium, absoluere potest ab excommunicatione contracta ob Clerici Percussionem. ibid.20
Vicarius generalis non potest in impedimentis matrimonij dispensandi potestatem aliis delegare, imò neque potest per se ipsum. ibid.21
Absoluendi facultatem habens, satisfacta parte, an possit absoluere pœnitentem, qui tantummodo satisfecit Clerico Percusso. ibid.22
Clericus qui seipsum percussit, cuinam satisfactionem præstare debeat, dum absolutionem obtinere intendit. ibid.23
Satisfactio cuinam præstanda sit dum obtinenda est absolutio, ob Percussionem, vel homicidium religiosi. 342.24
Absolutionis impendendæ forma circa excommunicationem, ob Clerici Percussionem quænam sit. ibid.25
Clericum Percutiens incontinenti vim vi repellendo, excusatur ab excommunicatione. 338.1
Percutiens Clericum ex ignorantia probabili, excusatur ab excommunicatione. ibid.2
Percutiens Clericum per iocum non incurrit excommunicationem, nisi postea percussionem ex odio, vel ira prosequatur. ibid.3
Pecutiens Clericum causa correctionis, & disciplinæ, non incurrit excommunicationem, modò facultatem percutiendi habeat, & modò in percutiendo modum non excedat. 339.4
Clericus per quem percuti debeat quando percuti meretur. ibid.5
Percutiens Clericum turpiter inuentum cum matre, filia, vxore, vel sorore, excusatur ab excommunicatione, modò percutiat incontinenti, & non ex interuallo. ibid.6
Vxor, filia, mater, soror quænam dicatur. ibid.7
Percutiens Clericum excusatur ab excommunicatione, etiamsi non inuenerit in actu carnalis copulæ, sed in alio turpi actu. ibid.8
Percutiens Clericum non deferentem habitum, & ter à legitimo superiore admonitum, vt habitum deferat, non ligatur excommunicatione. ibid.9
Percutiens Clericum implicantem se in negotijs sæcularibus, & ab iis post trinam admonitionem non desistentem, non ligatur excommunicatione. 340.10
Percutiens Clericum effectum militem, aut immiscentem se enormitatibus, non incurrit excommunicationem. ibid.11
Percutiens Clericum coniugatum exercentem officium couponi, vel macellarij, excusatur ab excommunicatione, quoties ille post trinam admonitionem à præfato officio non destitit. ibid.12
Percutiens Clericum non desistentem per trinam admonitionem à delatione armorum, vel ab arte mimica publicè exercenda, non incurrit excommunicationem. ibid.13
Percutiens bigamum non incurrit excommunicationem. ibid.14
Ostiarius, seu officialis Principis non incurrit excommunicationem quoties turbam arcendo simul arcet Clericum. ibid.15
Capiens Clericum de mandato sui Prælati non ligatur excommunicatione. ibid.16

Permutatio.

Permutatio rei spiritualis cum alia re spirituali non inducit simoniam. 548.6
Permutatio rei spiritualis cum alia re spirituali simoniaca non est. 567.1
Permutatio rei spiritualis cum alia spirituali, cui adnexa est, simoniaca est. ibid.2
Beneficiorum Permutatio, seu prouisio, priuata auctoritate facta Simoniam contra ius Canonicum continet. ibid.3
Permutatio actionum pertinentium ad prouisiones beneficiorum, simoniaca est, si priuata fiat auctoritate. ibid.4
Permutantes beneficia possunt prius inter se agere de permutatione facienda. 568.5
Permutare volentes beneficia obligare se possunt ad persistendum in conuentione, donec superior consensum denegauerit. ibid.6
Permutatio beneficiorum coram quo superiore facienda sit. ibid.7
Permutatio beneficij cum pensione fieri non potest coram Episcopo. ibid.8

Pestis.

An Peste laborantes sint irregulares. 387.21

Pœnitentia, Pœnitens.

An per Pœnitentiam recuperentur virtutes, quæ cum gratia amittuntur. 146.6
An peccata per Pœnitentiam semel deleta redire possint de potentia Dei per subsequens peccatum. 144.1
An per Pœnitentiam non solùm recipiatur noua gratia, verùm etiam restituatur tota præcedens præcedentibus meritis respondens. 146.4
De effectu Pœnitentiæ, quo ad recuperationem meritorum gratiæ, & virtutum. 145
Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ quænam sit. 97.3
An peccata ante Baptismum commissa sint materia huius Sacramenti. ibid.4
An peccata venialia possint esse materia Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.5
An teneatur Pœnitens in confessione manifestare peccata venialia. 98.6
An Pœnitens possit aliqua peccata venialia confiteri, & alia reticere. ibid.7
An Ecclesia confessionem venialium præcipere possit. ibid.8
An peccatum dubium sit materia sufficiens huius Sacramenti. ibid.9
An peccata dimissa possint esse materia nouæ confessionis. ibid.10
An pœnitens possit aliqua peccata dimissa confiteri, & aliqua reticere. ibid.11
An mutata forma substantialiter irritum sit Pœnitentiæ Sacramentum. 102.2
An valeat Sacramentum si loco verbi, Absoluo, *dicatur* Remitto. ibid.3
An valeat, si loco particulæ, Ego, *dicatur* Nos. ibid.4
An valeat, si dicatur, Tu absolueris. ibid.5
An valeat, si dicatur, Te absoluo non mea potestate, sed Christi auctoritate. ibid.6
An valeat hoc Sacramentum, si forma proferatur modo imperatiuo. ibid.7
An valeat, si forma proferatur modo deprecatiuo. ibid.8
An valeat, si dicatur, Iubeo te esse absolutum. ibid.9
An valeat, si administretur cum solo verbo, Absoluo. ibid.10
An peccet, qui formam dubiam adhibet. ibid.11
An requiratur attritio ad recipiendum Pœnitentiæ Sacramentum cum fructu. 106.2
Quænam attritio necessaria sit, & sufficiat. ibid.3
Quomodo bona sit attritio, qua homo timore pœnæ dolet de peccatis. 107.4
In susceptione Sacramenti Pœnitentiæ quænam detestatio requiratur. ibid.5
An sufficiat attritio putata. ibid.6
An sufficiat actus, quo quis dolet se non habere attritionem peccatorum. ibid.7
Quænam attritio requiratur ad recipiendum Pœnitentiæ Sacramentum cum fructu. ibid.8
An requiratur propositum non peccandi de cetero. ibid.9
An ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur contritio. ibid.10
An attritio differat à contritione, & in quo differat. ibid.11
An attritio, quæ est pars essentialis Sacramenti, differat ab attritione requisita ad recipiendum Pœnitentiæ Sacramentum cum fructu. 108.12
An per Pœnitentiam non solùm recipiatur noua gratia, verùm etiam restituantur tota præcedens præcedentibus meritis respondens. 146.4
An recipiatur gratia respondens non solùm præcedentibus meritis, verùm etiam respondens Sacramentis. ibid.5
An per Pœnitentiam recuperentur virtutes, quæ cum gratia amittuntur. 147.6
Quænam virtutes restituantur per Pœnitentiam. ibid.7

Pœnitentiæ minister.

Quid requiratur in Sacerdote ad validam Sacramenti Pœnitentiæ administrationem. 155.1
An Sacerdos improbus possit hoc Sacramentum valide administrare. ibid.2
An confessio facta coram Sacerdote non approbato ab Episcopo, extra mortis articulum valida sit. 156.3
An quilibet possit proprio parocho confiteri. ibid.4
An confessio facta Sacerdoti, qui facultatem obtinuit ab Episcopo administrandi omnia Sacramenta, valida sit. ibid.5
Quid, & quotuplex sit iurisdictio. ibid.6
Per quid admittatur iurisdictio ordinaria, vel delegata ad absoluendum. ibid.7
An iurisdictio cesset per excommunicationem, degradationem, vel mortem Episcopi, remissiuè. ibid.8
An Sacerdos debeat per examen, vel alio modo ab Episcopo iam confirmato approbari ad confessiones. ibid.9
An Sacerdos sufficienter approbatus censeatur, dum Episcopus illi curam animarum imponit. ibid.10
An qui facultatem audiendi confessiones obtinuit à parocho, censeatur sufficienter approbatus ad audiendas confessiones. ibid.11
An parochus possit iure communi aliquem admittere ad audiendas confessiones suorum subditorum. ibid.12
An Sacerdos, qui probabiliter credit Episcopum, vel Papam ratam habiturum absolutionem, sufficienter approbatus censeatur. 157.13
An censeatur sufficienter approbatus ab Episcopo qui videns, & non contradicente absoluit. ibid.14
An Sacerdos approbari debeat ab Episcopo Pœnitentis, vel ipsius Sacerdotis. ibid.15
An Episcopus Sacerdotem non subditum approbare possit. ibid.16
An Sacerdos ab Episcopo approbatus nouam licentiam à parocho obtinere debeat, in cuius parochia confessiones audire intendit. ibid.17
Quid in hac re vsu receptum sit in Curia Archiepiscopali Mediolanensi. ibid.18
An quando duo præsunt eidem parœciæ possit vterque independenter ab altero admittere aliquem ab Episcopo approbatum ad confessiones. 158.19
Quid in hac re sentiendum sit de coadiutoribus ibid.20
An habens priuilegium eligendi Confessarium possit eligere Sacerdotem approbatum ab Ordinario alterius diœcesis. ibid.21
An femina possit eligere Confessarium approbatum ad confessiones tantummodò virorum. ibid.22
An parochus Iubilei tempore possit eligi ad confessiones subditorum alterius parœciæ audiendas. ibid.23
An censeatur sufficienter approbatus ad confessionem tempore Iubilei, qui aliàs habuit beneficium parochiale. ibid.24
An probatio Episcopi requiratur etiam ad absoluendos religiosos. ibid.25
An religiosi exempti possint de consensu sui superioris absolui [illegible] ab Episcopis, si eis se subiiciant. 159.26
An religiosi, qui possunt quoscumque ad se accedentes audire, possint absoluere religiosum alterius Ordinis. ibid.27
An Nouitius possit absolui à censuris reseruatis in religione, à quibus possint absolui professi. ibid.28
An censeatur sufficienter approbatus, qui fuit admissus ab Episcopo sciente illum non esse idoneum. ibid.29
An valeat approbatio, qua Episcopus aliquem approbat, tamquam idoneum, qui re ipsa idoneus non est. ibid.30
An requiratur approbatio distincta à iudicio, quo Sacerdos iudicatur idoneus. ibid.31
An approbatio danda sit in scriptis. ibid.32
An approbatio gratis dari debeat. ibid.33
Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ quænam sit. 98.1
An omnes actus Pœnitentis sint partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.2

An confessio sit de essentia huius Sacramenti. 99.3
An contritio sit de essentia huius Sacramenti. ibid.4
Qualis dolor requiratur ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.5
An requiratur dolor formalis. ibid.6
An recipiat Sacramentum, qui solum habet actum dilectionis Dei. ibid.7
An valeat confessio peccatorum venialium sine dolore. ibid.8
An requiratur dolor supernaturalis. ibid 9
Concilia quamnam attritionem requirant. ibid.10
An valeat Sacramentum Pœnitentiæ quando quis bona fide recipit absolutionem cum attritione naturali. ibid.11
An requiratur vera attritio. ibid.12
An dolor efficax esse debeat. ibid.13
An satisfactio sit pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.14
Cur tres actus tantùm pœnitentis fuerint instituti pro materia proxima huius Sacramenti. 100.15
Quinam ordo seruandus sit circa tales actus. ibid.16
An dolor tempore antecedens confessionem sufficiat. ibid.17
An dolor præcedere debeat confessionem. ibid.18
An recipiat Sacramentum Pœnitentiæ, qui ante confessionem non elicuit doloris actum, sed illum tempore confessionis elicit. ibid.19
An confessio, & dolor debeant præcedere absolutionem. ibid.20
An satisfactio iniungenda sit ante, vel post absolutionem. ibid.21
An ex parte Pœnitentis requiratur aliqua cæremonia. 169.1
An requiratur vt necessarij sint tres actus Pœnitentis. ibid.2
An aliqua cæremonia accidentalis requiratur ex parte Confessarij. ibid.3
Quot sint causæ excusantes Pœnitentem ab integritate confessionis. 122.1
An excusetur Pœnitens, qui in puerili ætate conticuit aliquod peccatum, ignorans se teneri ad illius confessionem. ibid.2
An excusetur, qui inculpabiliter obliuiscitur alicuius peccati. ibid.3
An excusetur Pœnitens, cui subitò Confessarius contulit absolutionem, nondum finita confessione. 123.4
An excusetur Confessarius, qui non potest confiteri peccatum in confessione commissum, nisi complicem manifestet. ibid.5
An absoluendus sit mutus, qui signis, & nutibus confitetur peccata sua. ibid.6
An sit absoluendus, qui Pœnitentiæ Sacramentum petiit, sed adueniente Confessario obmutuit. ibid.7
An Confessarius illum absoluere teneatur, qui ita sensibus destitutus est, vt nullum dare possit contritionis signum. ibid.8
An Pœnitès, si cõualuerit, teneatur iterũ integrè confiteri in casu proposito. ib.9
An Confessarius possit infirmum absoluere, si ipso adueniente nulli adsint, qui fidem faciant petitæ confessionis. ibid.10
An Pœnitens possit peccatum reticere ad euitandum graue incommodum proprium vel alienum. 124.11
An Pœnitens possit reticere peccatum si timeat sibi infamiæ periculum. ibid.12
An infirmus morbo contagioso laborans excusetur à confessione. ibid.13
An Pœnitens possit in necessitate confiteri reliqua peccata, eo tacito, de quo graue periculum probabiliter timet. ibid.14
An habens vnum tantummodò peccatum, de quo timet periculum, possit illud in genere confiteri. ibid.15
An teneatur in prædictis casibus confiteri venialia, tacito eo, de quo graue periculum timet. ibid.16
An confessarius possit existentes in naufragio absoluere non auditis omnibus peccatis. ibid.17
An Confessarius possit absoluere infirmum, quem credit statim moriturum audito vno tantùm peccato. ibid.18
An idem dicendum sit quando infirmus nimis fatigatur in explicatione peccatorum. ibid.19
An Pœnitens possit plura peccata reticere, quàm postulet iusta causa. ibid.20
An Pœnitens teneatur statim oblata opportunitate peccatum iusta de causa prætermissum confessioni subicere. 125.21

Pœnitentiæ forma.

Mutatio quotuplex. 101.1
An mutata forma substantialiter irritum sit Pœnitentiæ Sacramentum. 102.2
An valeat Sacramentum, si loco verbi, Absoluo, *dicatur,* Remitto. ibid.3
An valeat, si loco particulæ, Ego, *dicatur,* Nos. ibid.4
An valeat, si dicatur, Tu absolueris. ibid.5
An valeat, si dicatur, Te absoluo non mea potestate, sed Christi auctoritate. ibid.6
An valeat hoc Sacramentum, si forma proferatur modo imperatiuo. ibid.7
An valeat, si forma proferatur modo deprecatiuo. ibid.8
An valeat, si dicatur, Iubeo te esse absolutum. ibid.9
An valeat, si administretur cum solo verbo, Absoluo. ibid.10
An peccet, qui formam dubiam adhibet. ibid.11
Forma Sacramenti pœnitentiæ in quibus verbis consistat. 100.1
An adiungenda sit inuocatio Sanctissimæ Trinitatis. 101.2
In quonam instanti pœnitens absolutus remaneat. ibid.3
An necesse sit explicitè ostendere eum, in cuius virtute Sacerdos absoluit. ibid.4
An requirantur alia verba præter ea, quæ continentur in forma. ibid.5
An expressio actionis ministri necessaria sit. ibid.6
An valeat absolutio forma Græca prolata. ibid.7
An sensus formæ semper sit verus. ibid.8
Quinam sit sensus formalis formæ absolutionis. ibid.9
An Sacerdos possit his verbis, absoluo te, *absoluere à peccatis, & à censuris.* ib.10
An valeat Pœnitentiæ Sacramentum appositâ conditione de præsenti, vel de præterito. 102.1
An valeat si apponatur conditio de futuro. ibid.2
An valeat Sacramentum Pœnitentiæ, si dicatur, te absoluo, si Episcopus consenserit, aut si satisfeceris, &c. ibid.3
An Pœnitentia in genere sit necessaria. 95.1
An sit necessaria Pœnitentia virtus. ibid.2
An habens solum actum virtutis Pœnitentiæ recipiat gratiam. ibid.3
An Pœnitẽtiæ Sacramentũ sit necessarium necessitate medij in re, vel voto. 96.1
An hoc Sacramentum sit necessarium necessitate præcepti. ibid.2
Peccata quandonam dicantur remitti per Sacramentum Pœnitentiæ in voto. ibid.3
Quid sit remitti peccata per Sacramentum Pœnitentiæ in voto. ibid.4
An contritio dicat solum desiderium suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. ibid.5
An iustificatus per contritionem teneatur adhuc peccata sua confiteri. ibid.6
An habens peccatum mortale saluari possit cum sola attritione. ibid.7
An votum dicens propositum suscipiendi Pœnitentiæ Sacramentum debeat esse explicatum. ibid.8
Materia remota Sacramentorum quænam sit. 97.1
Materia quotuplex sit. ibid.2
Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ quænam sit. ibid.3
An peccata ante Baptismum commissa sint materia huius Sacramenti. ibid.4
An peccata venialia possint esse materia Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.5
An teneatur Pœnitens in confessione manifestare peccata venialia. 98.6
An Pœnitens possit aliqua peccata venialia confiteri, & alia reticere. ibid.7
An Ecclesia confessionem venialium præcipere possit. ibid.8
An peccatum dubium sit materia sufficiens huius Sacramenti. ibid.9
An peccata dimissa possint esse materia nouæ confessionis. ibid.10
An Pœnitens possit aliqua peccata dimissa confiteri, & aliqua reticere. ibid.11
De partibus Sacramenti Pœnitentiæ in particulari, contritione scilicet, confessione, & satisfactione. 104
De Pœnitentia, vt est virtus. 94
Pœnitentiæ Sacramentum à quo fuerit institutum. 96.1
Quandonam fuerit institutum. 97.2
An sit vera sententia asserentium hoc Sacramentum institutum fuisse Matthæi 16. ibid.3
An sit vera sententia affirmans hoc Sacramentum institutum esse Matthæi 14. ibid.4
An habens tantùm primam potestatem conficiendi corpus Christi, possit à peccatis absoluere. ibid.5
An detur Sacramentum Pœnitentiæ in noua lege. 95.1
An absolutio à censuris sit Sacramentum. ibid.2
An hoc Sacramentum extiterit in veteri lege. ibid.3
Pœnitentia vt specialis virtus quid sit. 94.1
An sit virtus distincta à reliquis virtutibus. ibid.2
An Confessarius teneatur iniungere Pœnitentiam. 131.1
An iniungenda sit Pœnitentia, quando infirmus est morti proximus. ibid.2
An iniungenda sit Pœnitentia scrupulosò frequenter intra eamdem horam accedenti ad Confessarium. ibid 3
An sit iniungenda Pœnitentia, quando Confessarius adeò contritum videt pœnitentem, vt credat integrè Deo satisfeciſſe. ibid.4
An possit absolui Pœnitens nulla iniuncta pœnitentia, quando probabiliter creditur nullam acceptaturus. 132.5
An Confessarius teneatur Pœnitentiam iniungere per modum præcepti. ibid.6
An Confessarius possit iniungere Pœnitentiam sub disiunctione. ibid.7
Quænam opera iniungenda sint pro Pœnitentia. ibid.8
Quænam sint opera pœnalia à Confessario iniungenda. ibid.9
An possint iniungi meditationes in satisfactionem. ibid.10
An opus aliàs præceptum iniungi possit in satisfactionem. ibid.11
An imponens Pœnitentiam, & nihil aliud exprimens censeatur iniungere opus aliàs ex præcepto debitum. ibid.12
An possint iniungi opera in generali. ibid.13
An possit iniungi Pœnitentia publica. 133.14
Quantam Pœnitentiam teneatur Confessarius iniungere. ibid.15
An Confessarius possit magis contrito leuiorem Pœnitentiam iniungere. ibid.16
An iniungens leuissimas pœnas pro mortalibus teneatur Pœnitentem admonere de leuissima, & non sufficienti pœna illi imposita. ibid.17
Cur mitior pœna iniungatur. ibid.18
Quo tempore teneatur Sacerdos satisfactionem iniungere. ibid.19
An Sacerdos possit obligare Pœnitentem ad satisfactionem adimplendam ante absolutionem. ibid.20
An Pœnitentia adimpleta ante absolutionem statim habeat suum effectum ex opere operato. ibid.21
An Pœnitens acceptare teneatur pœnitentiam. 135.1
An Pœnitens rogare possit Confessarium, vt rigorosam Pœnitentiam mitiget, & minuat. ibid.2
An Pœnitens possit alium Confessarium adire nolente primo Pœnitentiam mitigare. ibid.3
An Pœnitens peccet non adimplendo Pœnitentiam acceptatam. ibid.4
An Pœnitens teneatur statim post confessionem Pœnitentiam adimplere. ibid.5
Quandonam Pœnitens teneatur Pœnitentiam adimplere, si Confessarius nullum præfixit terminum. 136.6
An Pœnitens possit pœnitentiæ satisfacere per susceptionem Indulgentiæ. ibid.7
An Pœnitens possit iniunctæ sibi pœnitentiæ satisfacere per alia pia opera satisfactoria. ibid.8
Quot modis iniungi possit Pœnitentia à Confessario. ibid.9
An frequenter omitti possint Pœnitentiæ ob Indulgentias. ibid.10
An satisfactio à Confessario iniuncta possit per alium adimpleri. ibid.11
An Pœnitens, qui pœnitentiam per se ipsum adimplere nequit, satisfaciat per alium adimplendo. ibid.12
An teneatur in casu proposito Pœnitentiam per alium adimplere. ibid.13
An satisfactio per alium facta sufficiat ad satisfaciendum ex opere operato pro Pœnitente. ibid.14
Quo tempore Pœnitens adimplere teneatur pœnitentiam. ibid.15
An Pœnitentia in peccato facta remittat pœnam durante statu mortalis peccati. 137.16
An Pœnitentia in peccato mortali facta prosit, sublato obice. ibid.17
Differentia inter Pœnitentiam sacramentalem, & reliqua bona opera in statu peccati mortalis præstita. ibid.18
An Pœnitens teneatur iterum explicare circumstantiam mortalem, cuius fuerat oblitus in prima confessione. 116.9
An Pœnitens teneatur peccatum confiteri, quod dubitat an aliàs sit confessus. 122.3
Cur Pœnitenti imponatur onus se præsentandi superiori. 306.13
Pœnitens non reincidit in casus reseruatos, & censuras, licet voluntariè prætermittat ea quæ ad Iubileum consequendum præscribuntur. 169.17

An Pœnitens confiteri teneatur peccata nota Confessario extra confessionem. 117.10

An Pœnitens oblitus pœnitentiæ teneatur etiam peccata sua confiteri, vt commutationem obtineat. 134.8

Quænam peccata teneatur Pœnitens in proposito casu confiteri. 135.9

An qui oblitus est Pœnitentiæ, possit aliam, quam ipse voluerit, adimplere. ibid.10

An Pœnitens possit auctoritate propria pœnitentiam in æquale, aut in melius commutare. ibid.11

An facta commutatione Pœnitentiæ liberum sit pœnitenti, quam voluerit eligere. ibid.12

Pœnitentiarius.

Pœnitentiarius iure nouo percipit distributiones si tempore diuinorum in Ecclesia detineatur ad excipiendas confessiones. 477.1

Secus si confabuletur, vel priuatim recitet officium, vel confessiones domi audiat. ibid.2

Pœnitentiarius si tempore Litaniarum, vel Processionum, quæ extra Ecclesiam peraguntur, confessiones audiat, distributionum particeps esse potest. ibi.3

Canonici confessionem audientes in defectum Pœnitentiarij, percipere possunt distributiones: secus si hoc faciant præsente Pœnitentiario, nisi aliud ferat priuilegium, vel statutum à Sede Apostolica confirmatum. ibid 4

Pœna.

De Pœnis contra religiosos ad aliam religionem transeuntes. 515

De Pœnis contra Simoniacos latis, & de ipsarum dispensatione. 581

An Sacramentum pœnitentiæ non solùm remittat peccata quoad culpam, verùm etiam quoad reatum æternæ Pœnæ. 139.1

An totus reatus Pœnæ temporalis semper remittatur. ibid.2

An reatus Pœnæ temporalis relictus post remissum peccatum, semper sit æqualis. ibid.3

Polluere, Pollutio.

Quomodo Polluatur Ecclesia per seminis effusionem. 278.19

Quomodo Polluatur Ecclesia per effusionem sanguinis. 279.20

An Polluta Ecclesia sit pollutum cœmeterium, & è contra. ibid.21

An Polluatur Ecclesia, quando benedicitur, vel consecratur ab Episcopo Excommunicato, aut quando in ea sepelitur excommunicatus. ibid.22

An Polluatur Ecclesia, quando in ea sepelitur Paganus, vel infidelis, aut catechumenus, aut fidelis ante Baptismum. ibid.23

An filius sepeliri possit vna cum matre, quæ in partu moritur cum filio. ibid.24

An, & quomodo Polluens Ecclesiam incurrat casum reseruatum. ibid.25

An celebrans in Ecclesia Polluta incurrat aliquam pœnam. ibid.26

A quonam Ecclesia Polluta reconciliari possit. ibid.27

An duplex sacrilegium committatur ab eo, qui cum sit simul Sacerdos, & religiosus, committit aliquod luxuriæ peccatum. ibid.28

Quomodo se gerere debeat pœnitens in proposito casu. 280.29

Quodnam dicatur peccatum contra naturam, & quotuplex sit. 267.1

Quotuplex sit causa, ex qua oritur Pollutio. ibid.2

An Pollutio sit mortale peccatum. ibid.3

An Pollutio in semidormiente sit mortale peccatum. ibid.4

Quandonam Pollutio dicatur sufficienter voluntaria. ibid.5

Quandonam Pollutio excusetur à mortali. 268.6

An à mortali excusetur Pollutio, quæ sequitur ex agitatione itineris, vel cursu equi, vel expositione corporis supini. ibid.7

An excusetur Pollutio, quæ sequitur ex tactu licito. ibid.8

An Pollutio proueniens ex causa ventali, sit mortale peccatum. ibid.9

An vxor grauiter peccet, emittendo semen statim post copulam. ibid.10

An liceat procurare Pollutionem ob sanitatem. ibid.11

Cur excusetur membri amputatio ob sanitatem, non verò Pollutio. ibid.12

An sit mortale peccatum procurare magnam commotionem spirituum. ibid.13

An liceat desiderare Pollutionem, aut de illa iam secuta gaudere. ibid.14

An omnes Pollutiones sint eiusdem speciei. ibid.15

An maritus desistere possit à copula incepta. 269.16

An fornicans desistere possit ab inchoata copula. ibid.17

Pontifex.

Summus Pontifex alienans bona Ecclesiastica an ligetur pœnis, & censuris. 608.8

Summus Pontifex peccat contra iuramentum alienando, seu infeudando castra, ciuitates, dominia Sedis Apostolicæ, nisi iuramenti vinculum sibi prius relaxet. ibid.1

Potest Summus Pontifex in iuramenti vinculo sibi dispensare. ibid.2

Hoc intellige, si habeat iustam causam dispensandi. ibid.3

Portio.

Cuinam debeatur Portio Canonica, seu quarta emolumentorum in funerali. 154.3

Potentia.

Potentia obedientialis quid sit. 16.5

Potestas.

Quid intelligatur per Potestatem clauium, per quam Sacerdos constituitur minister huius Sacramenti. 152.4

Quotuplex sit clauium Potestas. 153.5

Per quid conferatur Potestas clauium. ibid.6

Prædicata.

An Prædicata concernentia purum motum specierum verificentur de corpore Christi. 53.7

An Prædicata propria specierum prædicentur de corpore Christi. ibid.8

An Prædicata offendentia actionem, & passionem specierum, verificentur de corpore Christi. ibid.9

Prælatus.

Quandonam Prælatus possit matrimonia impedire. 277.27

Prælatus Ecclesiasticus concedens licentiam docendi, vel legitimandi ad honores temporales, vel ad successionem in bona, non est reus Simoniæ. 574.2

Prælati tam seculares, quàm regulares, quas pœnas incurrant ingrediendo monasteria Monialium sibi subditarum. 541.11

Prælati ingredientes ex causa necessaria non afficiuntur excommunicatione, etiamsi ducant secum personas non religiosas, nec senes. ibid.12

Præfatæ censuræ contra Prælatos sine vrgenti necessitate ingredientes, non videntur reseruatæ. ibid.13

Præsentatus.

Præsentatus ad beneficium, Simoniæ labem incurrit promittendo præsentatori, aut electoribus se non exacturum decimas, &c. 549.6

Pretium.

Pretium quotuplex sit. 549.1

Pretium iustum taxari debet habita ratione qualitatis personæ. 563.4

Pretium acceptum pro re spirituali restituendum est iure diuino, etiamsi res spiritualis nondum tradita sit. 595.1

Pretium pro re spirituali acceptum, re spirituali nondum tradita, cui restituendum sit. ibid.2

Pretium simoniacè, sed non iniustè acceptum, non est obnoxium restitutioni iure naturali diuino. ibid.3

Contractus simoniacus an irritus sit. 596.4

Pretium simoniacè & simul iniustè acceptum restituendum est iure naturali diuino. ibid.5

Obligatus ex iustitia, ad aliquam functionem gratis præstandam tenetur ad restitutionem Pretij accepti pro illa functione. ibid.6

Vendens beneficia, vel officia, quorum non est dominus, tenetur ad restitutionem Pretij accepti. ibid.7

Electores beneficiorum accipientes Pretium pro eligendo indigno, & omittendo digno, tenentur iure naturæ ad restitutionem. ibid.8

Reliquiarum Pretium acceptum restituendum est. ibid.9

Pretium acceptum pro vasis sacris, Oleo sancto, Chrismate, & his similibus, non est obnoxium restitutioni, si Pretium æquiualeat valori materiæ. ibid.10

Pretium acceptum pro functione spirituali quantum valet ipsa functio per se, & materialiter spectata, non est obnoxium restitutioni. 597.11

Pretium functionis spiritualis non est obnoxium restitutioni, si accipiens poterat tantumdem exigere titulo sustentationis. ibid.12

Vendens officium Ecclesiæ non tenetur ad restitutionem Pretij, si officium illud adnexum habeat temporale commodum. ibid.13

Beneficiarius vendens beneficium ratione commodi temporalis non tenetur iure naturali ad restitutionem Pretij. ibid.14

Religio Pretio admittens aliquem non tenetur iure naturali ad restitutionem, modò non plus accipiat, quàm ferat onus sustentationis. ibid.15

Imaginis miraculosæ Pretium acceptum ob lucrum, vel ob aliud commodum temporale, restituendum non est iure naturæ. ibid.16

Pretium acceptum pro re spirituali non est restituendum iure Ecclesiastico, generaliter loquendo. ibid.17

Pretium pro re spirituali acceptum quibus in casibus iure Ecclesiastico restituendum sit. ibid.18

Pretium acceptum pro actione beneficiali, seu ordinata ad consecutionem beneficij, cuinam restituendum sit. ibid.19

Pretium acceptum pro ingressu in religionem restituendum non est ante iudicis sententiam. 598.20

Pretium in collatione Ordinum, vel Sacramentorum acceptum, restituendum est iure Ecclesiastico, sed non ante iudicis sententiam. ibid.21

Restitutio Pretij simoniacè, & iniustè accepti, cuinam facienda sit. ibid.22

Mentalis Simonia, an obligationem restituendi inducat. ibid.23

Papa an dispensare possit in restitutione Pretij simoniacè accepti. ibid.24

Primicerius.

Primicerij officium quodnam sit. 554.7

Priuilegium.

Priuilegium concessum religioni, vel vniuersitati, collegio, vel ciuitati, non est personale, sed reale, & perpetuum. 536.8

An religiosi vti possint Priuilegiis, quæ illis concessa fuerant ante Concilium Tridentinum. 368.25

Processio.

Qui Processionibus præfato Litaniarum, & Rogationum tempore interfunt, sed Litanias, vel preces omittunt, vel ad illarum partem non attendunt, satisfaciunt recitando preces, & Litanias quas absentes recitant. 431.14

Procuratio.

Procuratio alienationis in damnum Ecclesiæ facta cum dolo, aut scienter excommunicationi subiacet. 611.2

Item extorsio ab ipsis Commissariis decreti alienationis per sordes. ibid.3

Subiectum istius censuræ sunt omnes Procurantes istud decretum alienationis, aut ipsam alienationem. ibid.4

An hæc censura incurratur nondum secuta alienatione. ibid.5

Absolutio huius excommunicationis est reseruata Summo Pontifici. ibid.6

Procurator.

Procurator quisnam dicatur. 554.4

Professio, Professus.

Professio facta per Simoniam valida est. 591.7

Professio facta sub conditione de futuro non est valida ante conditionis euentum. 519.4

Professio est titulus ad quem Religiosus promoueri potest. 194.35

Reclamatio conceditur contra professionem factam extra legitimam ætatem. 519.1

Ætas quomodo computanda sit. ibid.2

Bissexti dies an computandus sit in legitima ætate ad Professionem requisita. 520.3

Ætas an computanda sit à die natiuitatis, an à die conceptionis. ibid.4

Ætas legitima quomodo probetur. ibid.5

Professio facta ante legitimam ætatem non valet non solum vt Professio, verùm neque vt votum simplex. ibid.6

Reclamatio contra Professionem conceditur dum adfuit defectus potestatis in acceptante. ibid.1

Admittere quisnam possit ad Professionem. ibid.2

Abbatissa professionem Monialis acceptare potest. 521.3

Episcopus an possit Professionem alicuius acceptare. ibid4

Superior Conuentus non potest inscio conuentu aliquem ad Professionem admittere. ibid.5

Consensus Conuentus requiritur dum aliquis ad Professionem admittendus est. ibid.6

Professio validè acceptari potest ab excommunicato, vel suspenso, nisi fortè suspensus sit à potestate admittendi ad Professionem. ibid.7
Professio acceptari potest per alium. ibid.8
Professio irrita defectu admittentis conualescit accedente consensu illius, qui potest admittere, modò nomine illius acceptata fuerit ibid.9
Impotentia ad seruandam religionis regulam non est causa sufficiens ad reclamandum contra Professionem. ibid.10
Reclamatio non conceditur contra Professionem, quando non præcessit informatio præscripta à Sixto. ibid.11
Simoniacè Professus per sententiam expellendus est, & in arctius monasterium coniiciendus. 587.13
Religiosus inualidè Professus non tenetur ex vi professionis regulam, aut vota seruare. 517.1
Religiosus inualidè Professus tenetur professionem ratificare, aut intra quinquennium reclamare. ibid.2
Professionis ratificatio quid requirat. 518.3
Ratificatio Professionis an nouum consensum ex parte acceptantis exigat. ibid.4
Religiosus inualidè Professus non tenetur vt professionem ratificet nouum peragore nouitiatum. ibid.5
Ratificans Professionem an frui possit priuilegiis, ac si ab initio validè professus fuisset. ibid.6

Prohibere.

Quo iure Prohibita sit Simonia, & quale peccatum sit. 554
Vtrùm Prohibitum sit excommunicato participare cum aliis fidelibus, & è contra. 526

Promissio.

Quanam dicatur ficta Promissio. 200.3
An seruanda sit ficta Promissio facta cum iuramento. ibid.4

Protestatio.

An Protestatio prosit Aduocato, Procuratori, & delatori criminis. 404.8
An Protestatio excuset accusantem de iniuria alteri illata. 403.4
An omittens Protestationem ex obliuione excusetur ab irregularitate. ibid.8
Quomodo facienda sit Protestatio. ibid.9
An Protestatio solo animo facta prosit. ibid.10
An prosit Protestatio ficta. ibid.11
An Procuratio excuset laicos ab irregularitate. ibid.12

Puer.

An pueri sint capaces matrimonij, & pœnitentiæ. 18.2
Differentia inter Pueros rationis vsu carentes, & amentes.

Q.

Quantitas.

QVantitas sufficiens ad peccatum mortale furti, est consequenter contra paupertatis votum. 616.5
Vtrùm Quantitas sufficiens ad peccatum mortale, sufficiat ad incurrendas pœnas in Bulla Clementis VIII. contentas. 617.6

Quindennium.

Soluendum est singulis annis Quindennium. 486.1
Quid sit annata, & Quindennium. ibid.2
Quindennium non solùm soluendum est à Canonicis, verùm etiam ab iis, qui pensionem ex beneficiis percipiunt. ibid.3
Quindennium anticipatè soluendum est. ibid.4
Quindennium soluitur à Canonico, etiamsi Choro postea non assistat. ibid.5
Quindennium Simoniæ labem non continet. ibid.6
Vtrùm beneficiarij Quindennium, vel annatam, aut charitatiuum subsidium ex distributionibus soluere teneantur. ibid.

R

Raptus, Raptor.

Quid sit RAptus. 277.1
An ille dicatur Raptor, qui feminam abducit solùm causa explendæ libidinis. ibid.2
An raptor incurrat pœnas, quando non expleuit libidinem. ibid.3
An Raptus habeat specialem malitiam. ibid.4
Quid requiratur ad Raptum, idem num.6. ibid.5
Quid ad Raptum requiratur. ibid.6
An sit Raptus, quando vir abducitur. ibid.7
An sit Raptus, quando quis virginem opprimit in domo patris, aut illam trahit de vno cubiculo in aliud. ibid.8
Quanam pœnæ sint Raptoribus impositæ. ibid.9
An huiusmodi pœnæ requirant iudicis sententiam. ibid.10
An validè celebretur matrimonium cum ea, cum qua celebrata fuerunt sponsalia, quando per vim celebratur matrimonium. ibid.11
Quid requiratur, vt Raptor possit contrahere cum rapta, & quid, si per alium fecit raptum. ibid.12
An sit Raptus, quando maritus per vim abducit vxorem, quæ vult vti spatio duorum mensium sibi à iure concesso. ibid.16

Ratihabitio.

Ratihabitio percussionis Clerici, quas conditiones habere debeat, vt sufficiens censeatur ad incurrendam excommunicationem. 337.11

Recitare, Recitatio.

Recitans diuinum Officium ob malum finem, exempli gratia, vt aliquem in re graui decipiat, satisfacit præcepto, modò recitet cum debita attentione. 424.7
De fructu, & effectu Recitationis diuini Officij. 442
De conditionibus, & circumstantiis in Recitatione Horarum Canonicarum obseruandis. 429
De causis excusantibus à Recitatione Horarum Canonicarum, & fructuum restitutione. 451

Vide Horæ Canonicæ.

Reclamare.

Reclamare intendens non auditur dimisso habitu. 521.1
Reclamans dimisso habitu poterit eo assumpto reclamare, & audiri. ibid.2
Reclamans contra professionem validam pœnis Apostatarum subiicitur religionem deserendo. 523.1
Reclamans contra professionem inualidam mortaliter non peccat. ibid.2
Reclamatio conceditur contra professionem factam ab eo, qui non erat sui iuris. 520.1
Tempus reclamandi contra professionem quodnam sit. 522.1
Dies professionis computatur in spatio quinquenny concesso ad Reclamandum. ibid.2
Tempus quinquennij ad Reclamandum concessum incipit à die professionis etiam respectu illius, qui nullitatem professionis ignorabat. ibid.3
Impeditus ad Reclamandum intra quinquennium, an adhuc possit elapso quinquennio reclamare. ibid.4
Vir coniugatus professus absque licentia vxoris non potest elapso quinquennio Reclamare. ibid.5
Vxor repetere potest virum professum absque sua licentia. ibid.6
Impedimento perpetuo dirimente professionem laborans elapso quinquennio audiri potest. 523.7

Regula.

Regula de triennali possessore fauet obtinenti beneficium per Simoniam quam ipse obtinens ignorabat. 592.20

Religio, Religiosus.

De excommunicatione, quæ contrahitur ob Simoniam commissam dando, vel recipiendo aliquid pro ingressu in Religionem. 586
Refertur textus, in quo ista excommunicatio continetur. ibid.1
Assignatur materia istius excommunicationis. ibid.2
Pecuniam tradens vt in Religionem admittatur, excommunicationem incurrit, etiamsi mentem suam recipienti non aperiat. ibid.3
Simonia non committitur dum aliquid traditur, vel recipitur pro sustentatione ingredientis Religionem, licet multi Doctores oppositum sentiant. ibid.4
Religionum superiores non possunt aliquem ad religionem admittere, quoties ex consuetis eleemosynis commodè non possunt illum sustentare. ibid.5
Moniales nolentes aliquam in monasterium admittere, nisi congruam dotem afferat, non ligantur excommunicatione. 587.6
Monasterio an licitum sit mutuam pecuniam, depositum, vel commodatum recipere à parentibus, vel curatoribus puellæ. ibid.7
Abbatissa quæ certam pecuniæ quantitatem pacisci tur, donec dos Conuentui promissa tradatur, an Simoniam committat. ibid.8
Explicatur subiectum istius excommunicationis. ibid.9
Suspensio lata contra Collegium, vel Conuentum ob simoniacam receptionem alterius in Religionem, quem effectum pariat. ibid.10
Simonia committitur non solùm dum aliquid traditur, vel recipitur tempore professionis, verùm etiam in ipso ingressu, & receptione ad habitum, quamquam in hoc secundo casu non incurritur censura. ibid.11
Religionem ingrediens Simoniam quidem committit, sed excommunicationem non incurrit, dum aliquid ex pacto petit, vel accipit à monasterio, vt ingrediatur. ibid.12
Simoniacè Professus per sententiam expellendus est, & in arctius monasterium coniiciendus. ibid.13
Transiens ad aliam religionem non potest quidquam secum deferre absque licentia superioris primæ religionis. 512.5
Monialis non potest secum deferre dotem dum ad sui instantiam, vel ad instantiam secundi monasterij transfertur ad aliud monasterium. ibid.6
Hereditas, quæ non delata fuerat antequam Religiosus profiteretur in secunda religione, pertinet ad primam religionem. 513.7
Hereditatis tempus quodnam inspiciendum sit quoad hereditatis acquisitionem. ibid.8
Vsusfructus deuoluitur ad secundum monasterium, ad quod Religiosus transit, nisi relictus fuerit contemplatione prioris monasterij. ibid.9
Vsusfructus in dubio præsumitur relictus contemplatione monasterij. ibid.10
Bona acquiruntur secundo monasterio, dum alicui relicta fuerunt, hac conditione, vt monasterium in iis non se ingerat. ibid.11
Bona quæ Religiosus acquisiuit post transitum ad aliam religionem, non pertinent ad primam. ibid.12
Bona ad quem pertineant dum quis à Religione capaci ad incapacem transit. ibid.13
Bona cuinam acquirantur dum Religiosus extra monasterium degit. ibid.14
Religiosus habens beneficium, pensionem, vel dignitatem, cuinam acquirat. ibid.15
Assignatur materia istius excommunicationis. 351.1
Cogere quid significet. ibid.2
Metu leui cogens feminam ad Religionem non incurrit excommunicationem. ibid.3
Metum iniustum incutiens ad Religionem non incurrit excommunicationem. ibid.4
Suadens feminæ ingredi Religionem incusso metu priuationis alicuius boni, ad quod femina aliàs non habebat ius, non incurrit excommunicationem. ibid.5
Non solum cogens ad ingrediendum monasterium, verùm etiam cogens ad suscipiendum habitum, vel ad emittendam professionem, laqueo excommunicationis suspenditur. ibid.6
Cogens feminam ad emittendum votum ingrediendi Religionem, vinculo excommunicationis non obstringitur. ibid.7
Cogens feminam ad ingrediendum Religionem non incurrit excommunicationem statim præstita actione coactiua, sed requiritur actualis ingressus, vel susceptio habitus, non professio. ibid.8
Dans auxilium, consilium, & fauorem in ingressu monasterij, vel susceptionis habitus, vel professionis alicuius feminæ ad hoc coactæ, excommunicationem incurrit. ibid.9
Consensum, vel auctoritatem præbens in præfatis actionibus ligatur excommunicatione. ibid.10
Assiciens obiter feminam inuoluntariè ingredientem, non ligatur excommunicatione. ibid.11

Consilium, auxilium, vel fauorem præbens, dum femina inuoluntariè monasterium ingreditur non ligatur excommunicatione, nondum secuto effectu. *ibid.*12

Enumerantur personæ, quæ huic excommunicationi subiiciuntur. *ibid.*13

Reges vel Imperator non ligantur excommunicatione cogendo feminam ad ingressum in monasteria, aut aliam actionem hic vetitam, faciendo iuxta probabilem nonnullorum sententiam. *ibid.*14

Cogens virum ad Religionem non incurrit excommunicationem *ibid.*15

Transitus ad arctiorem Religionem conceditur non solùm iure humano, verùm etiam iure naturali diuino. 507.1

Transitus ad arctiorem Religionem conceditur omnibus religiosis. *ibid.*2

Religiosi etiam conuersi, vel oblati transire possunt ad arctiorem Religionem. *ibid.*3

Monialis transire potest ad arctiorem Religionem. *ibid.*4

Conuentus totus transire potest ad arctiorem Religionem. *ibid.*5

Prælatus Religionis aduolare potest ad perfectiorem Religionem. *ibid.*6

Episcopus regularis transire potest ad arctiorem Religionem petita prius à Summo Pontifice licentia. *ibid.*7

Episcopus regularis, an possit renuntiato Episcopatu transire ad laxiorem Religionem. *ibid.*8

Parochus fieri potest Religiosus absque dispensatione. *ibid.*9

Transiens ab vna Religione ad aliam non tenetur nouum peragere nouitiatum. *ibid.*10

Transitus ad aliam Religionem fieri debet in perfectiorem. 511.1

Perfectior Religio, quænam dicatur. *ibid.*2

Religio quomodo diiudicari possit arctior alia. *ibid.*3

Religiosus non peccat accipiendo, vel distrahendo aliquid superiore videnti, & non contradicente. 619.21

Excusatur à mortali Religiosus accipiens, vel expendens aliquid ex tacita voluntate superioris, qui licentiam daret, si peteretur, etiamsi illi displiceat modus accipiendi. *ibid.*22

Religiosus excusatur dando paruas eleemosynas, vt fragmẽta panis, &c. 620.23

Religiosus emens grana benedicta, scuticas, & his similia de licentia superioris, non peccat ea distribuendo sine noua licentia. *ibid.*24

Religiosus non excusatur, si rem acceperit, vel expenderit cum licentia per dolum obtenta. *ibid.*25

Religiosus expendens aliquid in profanos vsus, non potest prætextu tacitæ licentiæ excusari. *ibid.*26

Peccat vitio proprietatis contrectans bona monasterij sine licentia. *ibid.*27

Religiosus, qui ex præsumpta voluntate rem monasterij alienauit, vel accepit, an teneatur postea id superiori significare. *ibid.*28

Accipiens aliquid à Religioso non habente facultatem illud distrahendi, an teneatur ad restitutionem. *ibid.*29

Cuinam facienda sit talis restitutio. *ibid.*30

An satis sit facere restitutionem ipsi Religioso. *ibid.*31

Ad quid teneatur Religiosus, qui bona monasterij expendit in alienos vsus sine licentia superioris. 621.32

Quid de Religioso, cui onus impositum fuerat conseruandi bona monasterij, aut aliquorum vsus concessus fuerat, ipse autem in iis conseruandis debitam curam non adhibuit. *ibid.*33

De quali culpa teneatur Religiosus, num de leui, aut de lata, cui superior aliquid in proprium vsum concessit, si illud propria culpa pereat, vel deterius fiat. *ibid.*34

Religiosus debitor alicuius rei monasterio, an eximatur à tali debito per sequentem professionem, cùm illam deberet ante religionis ingressum. *ibid.*35

Religiosus bigamus gaudet priuilegio canonis. 338.8

Religiosus promotus ad prioratum, vel Abbatiam alterius monasterij acquirit priori monasterio. 514.19

Religiosus acquirens aliquid post transitum ad aliam religionem pertinet ad secundam religionem. *ibid.*20

Religiosus non acquirit secundo monasterio etiam illa bona, quæ priori monasterio acquisita fuissent eo tempore, quo ipse in eo monasterio extitit, si monasterium capax bonorum extitisset. *ibid.*21

Religiosus fugiens è carcere censetur fugitiuus. 524.7

Religiosus fugiens à triremibus an sit fugitiuus. *ibid.*8

Religiosus confugiens ad superiorem absque licentia immediati Prælati, vt ab iniqua eius vexatione liberetur, non est fugitiuus. *ibid.*9

Religiosus electus non tenetur ex voto obedire Episcopo, sed tamquam subditus illius. 531.1

Electus à Religione quandonam habitum religionis deferre possit. *ibid.*2

Religiosus non potest absque iusta causa expelli à religione. 527.1

Religiosus iniustè expulsus à religione an petere possit alimenta non solùm præterita, sed etiam futura. *ibid.*2

Religiosus an possit absque licentia superioris in iudicio comparere tamquam actor, vel reus. *ibid.*3

Expelli potest Religiosus à religione iusta concurrente causa. *ibid.*4

Expellendi causa quænam iusta censeatur. 528.5

Incorrigibilis quinam dicatur. *ibid.*6

Expelli non potest Religiosus, qui celato aliquo vitio professionem validam emisit. *ibid.*7

Religiosus expelli non potest virtute priuilegiorum Religioni concessorum, nisi priuilegia post decretum congregationis iterum confirmata, vel concessa fuerint. *ibid.*8

Monialis non potest à monasterio ob incorrigibilitatem eiici. *ibid.*9

Religiosus semel electus, vel fugitiuus à quonam alendus sit, si postea iterum admittatur non in eodem, sed in alio monasterio. *ibid.*10

Religio an instituti poterit cum facultate expellendi religiosum absque iusta causa. *ibid.*11

Religiosus Societatis congruenter peccat dando causam electioni. 529.12

Religiosus Societatis liber remanet ab obligatione votorum, nisi per fraudem, vel peccata hac intentione commissa expulsus sit. *ibid.*13

Religiosus professus tenetur seruare vota Religionis substantialia. *ibid.*1

Electus expendens aliquid inutiliter non peccat contra paupertatis votum, iuxta sententiam nonnullorum Doctorum. 530.2

Electus à Religione tenetur redire, si à superiore petatur. *ibid.*3

Religiosus electus tenetur vota substantialia seruare, etiamsi votum aliquod emiserit vltra tria consueta. *ibid.*4

Religiosus Societatis Iesu non tenetur votis postquam electus fuit à religione. *ibid.*5

Electus ad tempus tenetur regulas obseruare eo modo, quo potest. *ibid.*6

Religiosus inualidè professus in foro conscientiæ licitè exire potest, dum in foro externo nullitatem suæ professionis probare potest. 522.3

Religiosus vir quandonam excusetur ab omni culpa exeundo à monasterio. 497.3

Religiosus vir quando possit, vel teneatur monasterio egredi, vt parentibus subueniat. *ibid.*4

Religiosus vir an possit de licentia sui superioris manere extra monasterium sine habitu. *ibid.*5

Quot modis contingat clausuram violari. *ibid.*6

Religiosus electus, & iam emendatus, potest ad aliam Religionem etiam laxiorem transire, si desperat fore, vt ad primam iterum admittatur. 531.1

Religiosus electus non tenetur aliam Religionem ingredi. *ibid.*2

Religiosus electus cogi non potest ad ingressum in aliam religionem. *ibid.*3

Religiosus electus tenetur se corrigere, vt iterum admittatur. 529.1

Electus à Religione si iterum recipiatur, admittendus non est in eodem loco. *ibid.*2

Religiosus ad curiam Principum accedens animo damnum inferendi ligatur excommunicatione, etiamsi nullum damnum reipsa inferat. 502.5

Religiosus accedens ad curias Principum intentione damnum inferendi suis Prælatis, vel monasterio, subiicitur excommunicationi, etiamsi ad præfatas curias accedat cum licentia sui Prælati. *ibid.*6

Religiosus quibusnam personis intentionem nocendi habere debeat, vt incurrat excommunicationem latam contra accedentes ad curias Principum animo nocendi. *ibid.*8

Religiosus accedens ad curiam animo nocendi alteri religioso, qui non sit Prælatus, non incidit in excommunicationem. *ibid.*9

Religiosus habens intentionem nocendi alteri Religioni, aut alteri monasterio, non obstringitur excommunicationis vinculo. *ibid.*10

Assignatur subiectum istius excommunicationis. *ibid.*11

Religiosus exiens de claustro alia de causa quàm occasione audiendi physicam, vel leges, non incurrit excommunicationem. 504.5

Religiosus non exiens animo audiendi medicinam, vel leges, non videtur in excommunicationem incidere, etiamsi postea extra claustrum permaneat animo eas audiendi. *ibid.*6

Religiosus, qui claustro exiuit animo audiendi physicam, aut leges, excommunicationem incurrit, etiamsi postea illas non audiat; modò ad monasterium intra duos menses non reuertatur. *ibid.*7

Religiosus monasterio egressus intentione audiendi medicinam, vel leges excommunicationem incurrit, etiamsi postquam egressus est, mutauerit intentionem illas audiendi. *ibid.*8

Religiosus egrediens monasterio ad docendum medicinam, vel leges, non incurrit excommunicationem, iuxta communiorem Doctorum sententiam. *ibid.*9

Religiosus, qui claustro egressus est animo audiendi leges, vel physicam, non incurrit excommunicationem, si intra duos menses ad claustrum redeat. *ibid.*11

Religiosus, aut alius, cui ex priuilegio Papæ monasterium aliquod subderetur, posset facultatem ingrediendi concedere, quamquam superiores prafati religiosi possunt contra ipsum inquirere an facultatem vltra casus licitos concesserit. 536.4

Religiosus inualidè professus quam censuram incurrat suscipiendo sacros Ordines. 523.4

Religiosus inualidè professus priuilegiis religionis non gaudet. *ibid.*5

Religiosus audiens medicinam, vel leges in eadem ciuitate non incurrit excommunicationem. 504.4

Licentia tacita non excusat Religiosum euntem vltra mare sine licentia sui superioris, sed licentia debet esse in scriptis expressa. 501.3

Religiosus transferens se sine licentia ad partes transmarinas, vbi est maior fidelium pars, ligatur excommunicatione. *ibid.*4

Superior concedens facultatem alicui Religioso litterato, sed non prouido, vel experto transferendi se ad partes transmarinas, non eximitur ab excommunicatione. *ibid.*5

Superior concedens licentiam Religioso alterius Ordinis eundi vltra mare, non ligatur excommunicatione. *ibid.*6

Assignatur subiectum istius excommunicationis. *ibid.*7

Superior alicuius Ordinis non incurrit excommunicationem transferendo se vltra partes transmarinas sine licentia. *ibid.*8

Religiosus conferens se ad partes transmarinas sine licentia, excommunicationem incurrit, etiamsi id faciat absque prauo animo, vel scandali periculo. *ibid.*9

Absolutio istius excommunicationis Summo Pontifici reseruata est. *ibid.*10

Quam facultatem habeant Religiosi circa extraneos. 154.8

Religiosi facientes, vel permittentes feminas ingredi prætextu facultatum, aut introducentes, vel admittentes ligantur excommunicatione Papæ reseruata. 545.2

Solus Papa, vel habens ab ipso priuilegium potest absolutionem in hac excommunicatione conferre. *ibid.*3

Quibus ex causis Religioso competat ius reclamandi contra professionem. 518.

Omnes Religiosi Choro deputati tenentur post professionem ad persoluendum Diuinum Officium, etsi non sint Sacris initiati. 422.1

Religiosus, qui in priori Religione tenebatur recitare Diuinum Officium, non tenetur ad illud recitandum si transeat ad aliam Religionem, in qua consuetudo recitandi Officium introducta non sit. *ibid.*2

Religiosus, qui compellitur ad triremes, vel per sententiam eiicitur à Monasterio non tenetur ad Horas Canonicas recitandas, modò Religiosus nondum promotus fuerit ad sacros Ordines, quia tunc tenebitur titulo sacri Ordinis. *ibid.*3

Monachus habens facultatem, & dispensationem viuendi in perpetuum extra Monasterium, non tenetur ad recitandum Diuinum Officium. *ibid.*4

Moniales professæ Choro deputatæ, tenentur ad Diuinum Officium persoluendum iuxta consuetudines, & regulas ipsarum. 423.5
Monachus fugitiuus, aut iectus à Monasterio ad tempus, vel in perpetuum, non tenetur ad Diuinum Officium, & obiectio resoluitur. ibid.6
Religiosi, qui professionem emiserunt in ea Religione, quæ non est addicta Choro, tenentur ex vi professionis ad pensum Diuini Officij. ibid.7
Religiosi, regulariter loquendo, non tenentur sub mortali Choro interesse. ibid.8
Vtrùm superior possit cum Religiosis circa obligationem recitandi Officium dispensare. ibid.9
De Religioso conferente se ad studia absque licentia superioris.
Vide Studia.
Fratres reformati excommunicationem incurrunt transeundo ad fratres Conuentuales, aut recedendo ab obedientia suorum ministrorum. 515.1
Capucini recipientes fratres Minores de Obseruantia sine licentia Papæ excommunicationem incurrunt, quam etiam contrahunt ipsimet fratres de Obseruantia transeuntes ad Capucinos. 516.2
Fratres Minimi excommunicatione ligantur recipiendo fratres Minores de Obseruantia. ibid.3
Religiosi Ordinis Humiliatorum excommunicationem incurrunt aliquem recipiendo. ibid.4
Religiosi cuiuscumque Ordinis excommunicationem incurrunt recipiendo Patres Societatis Iesu, non obtenta à Generali licentia; eadem excommunicatione ligantur ipsimet Patres sine præfata licentia transeuntes. ibid.5
Religiosi Claustrales subiiciuntur excommunicationi recipiendo Minimos. ibid.6
Religiosi Minores excommunicationem incurrunt recipiendo fratres Ordinis Prædicatorum. ibid.7
Minimi subtrahentes se ab obedientia Correctorum excommunicationi subiiciuntur. ibid.8
Tertiarij Eremitæ deferentes habitum Minimorum excommunicationis gladio feriuntur. ibid.9
Religiosi mendicantes incurrunt excommunicationem transeundo ad non mendicantes. ibid.10
Assignatur materia istius excommunicationis. ibid.11
Ordines, ad quos mendicantibus prohibetur transitus, quinam sint. ibid.12
Admittens mendicantem ad Ordinem non mendicantem ligari non videtur excommunicatione, nisi hoc faciat prætextu priuilegij. ibid.13
Professio mendicantis in Religione non mendicanti facta irrita est. ibid.14
Licentia specialis quænam dicatur. ibid.15
Generalis Societatis Iesu facultatem suis Religiosis concedere potest transeundi ad quaslibet Religiones. ibid.16
Assignatur subiectum istius excommunicationis. ibid.17
Religiosus mendicans excommunicatione ligatur transeundo ad non mendicantes, etiamsi Religio ipsius instituta fuerit post legem huiusmodi transitum prohibentem. ibid.18
Iectus in perpetuum à Religione mendicantium transire potest ad non mendicantes. 517.19
De Religiosis contra professionem reclamantibus, & ob id à religione discedentibus. ibid.

Reliquiæ.

Reliquiæ vendi non possunt, sine Simoniæ labe. 556.8
Reliquiæ non possunt alienari inconsulto Summo Pontifice. 605.31

Remissio, Remittere.

De effectu pœnitentiæ quo ad Remissionem peccatorum venialium. 140
Illicita est distributionum Remissio. 484.1
Non solùm illicita, verùm etiam inualida est distributionum Remissio. ibid.2
Ampliatur conclusio, etiamsi absentia contigerit ex iusta causa. ibid.3
Non est tutus in conscientia qui distributiones accipit ob Remissionem sibi factam. ibid.4
Remissio distributionum non solùm irrita est si de futuro fiat, verùm etiam si fiat de præterito. 485.5
Quandonam Remittantur venialia per Sacramentalia, seu per contritionem. 143.1
An Remitti possit vnum veniale sine alio. ibid.2
An mortalia peccata possint Remitti absque remissione venialium. ibid.3
An Remitti possint venialia sine remissione peccatorum mortalium. ibid.4
An peccata venialia Remittantur sine gratia habituali. ibid.5
An ad Remissionem venialium requiratur per se formaliter gratia, qua expellantur peccata venialia. ibid.6

Reseruare, Reseruatio.

An legitimus superior possit sibi Reseruare peccata. 161.1
An valeat Reseruatio, si superior illicitè reseruet. ibid.2
Quanam peccata Reseruari possint. ibid.3
An incurrat casum Reseruatum, qui facit opus externum non sufficiens ad mortale. 162.4
An quilibet Sacerdos approbatus ad confessiones audiendas, possit in dubio facti cadentis sub Reseruationem absoluere. 166.1
An dubitans se compleuisse peccatum, quod constat esse reseruatum, possit à quolibet absolui. ibid.2.&3
An Sacerdos dubitans de iurisdictione, possit directè absoluere à Reseruatis. ib.4
An sequens opinionem probabilem circa facultatem absoluendi validè absoluat. ibid.5
An aliquis possit præcisa necessitate confiteri sola Reseruata superiori, vt illorum sacramentalem obtineat absolutionem. 164.1
An superior, dum absoluit à Reseruatis, non auditis non Reseruatis, dicatur sacramentaliter absoluere. ibid.2
An duplex Sacramentum, & duplicem effectum recipiat, qui à superiore à reseruatis, & ab inferiore à non reseruatis absoluitur. ibid.3
An obtinens à superiore absolutionem Reseruatorum, teneatur inferiori peccata tam reseruata, quàm non reseruata manifestare. ibid.4
An simplex sacerdos possit pœnitentem à non Reseruatis absoluere, illumq; postea pro Reseruatis ad superiorem transmittere. 165.5
An Sacerdos, qui necessitatem habet celebrandi, sed caret copia Sacerdotis approbati pro Reseruatis, debeat inferiori Confessario reseruata confiteri. ibid.6
An pœnitens, qui per obliuionem peccatum aliquod Reseruatum, aut censuram prætermisit, teneatur cognito peccato, aut censura superiorem adire. ibid.7
An obstrictus necessitate communicandi, possit ante communionem, vel celebrationem confiteri peccata etiam Reseruata, si non habeat facultatem Confessarij, qui à reseruatis, & censuris absoluat. ibid.8
An pœnitens tali necessitate obstrictus teneatur inferiori Sacerdoti, si superiorem non habeat, confiteri omnia tam Reseruata, quàm non reseruata. 166.9
An vna Reseruatio auferri possit, alia remanente. ibid.10
Quinam habeant facultatem ordinariam absoluendi à reseruatis. 162.1
An inferior possit à Reseruatis absoluere, remissiuè. ibid.2
An Summus Pontifex possit reseruationem ab Episcopo positam tollere. ibid.3
Differentia inter reseruationem Summi Pontificis, & Episcopi. ibid.4
An Archiepiscopus possit subditos suffraganeorum à Reseruatis absoluere. ib.5
An Episcopus absolui possit ab Archiepiscopo. ibid.6
An Episcopus incidens in casum Summo Pontifici Reseruatum, possit à proprio Confessario absolui. ibid.7
Quinam habeant facultatem delegatam absoluendi. ibid.8
An Confessarius Mediolanensis habens facultatem delegatam, possit peregrinos ad se accedentes à peccatis absoluere. ibid.9
Quid fiet, si peregrinus habeat casus Reseruatos vtrique Episcopo. ibid.10
An simplex Sacerdos possit absoluere peregrinum habentem casum Reseruatum in loco vbi confitetur, sed non Reseruatum Episcopo proprij domicilij. ibid.11
An committens peccatum in alieno loco, possit ibi absolutionem Reseruatorum obtinere. ibid.12
Quid sentiendum sit de excommunicatione. 163.13
An qui à Sede Apostolica obtinuit facultatem absoluendi ab omnibus censuris, possit absoluere à reseruatis contentis in Bulla Cœnæ Domini, aut ab Episcopo loci Reseruatis. ibid 14
An Sacerdos, absoluens pœnitentem in articulo mortis, nondum facta satisfactione, aut præstita debita cautione, ligetur excommunicatione. ibid.15
An habens facultatem absoluendi à Reseruatis spatio aliquorum dierum, possit absoluere pœnitentẽ, qui intra tale tempus incurrit casum reseruatum. ib.16
An si concedatur Iubileus obtinendus in vna ex duabus hebdomadis, qui illum in prima obtinuit, possit adhuc in secunda absolui à casibus Reseruatis, si in eos inciderit. ibid.17
Quomodo se gerere debeat Sacerdos circa pœnitentes habentes casus Reseruatos, quos ipse non potest absoluere. ibid.18
An superior teneatur concedere facultatem pœnitenti, petenti per se, vel per alium, qua possit alteri peccata Reseruata confiteri. ibid.19
An pœnitens possit absolui, quando superior iniustè denegat facultatem. 164.20
Quomodo se gerere debeat Confessarius erga pœnitentem quem nouit commisisse peccatum Reseruatum, quod interrogatus reticet. ibid.21

Residentia, Residere.

Omnes, & singuli beneficiarij, qui onus per seipsos exercere tenentur, ad Residentiam obligantur. 628.1
Parochus existens in parochia, sed munus parochiale non exercens, an Residere dicatur. ibid.2
Parochus curam animarum per alium exercens, an satisfaciat præcepto Residendi. ibid.3
Parocho aliquando licet vti opera alterius Sacerdotis in cura animarum. ibid.4
Qui legitimè potest constituere sibi Vicarium in cura animarum, eo viuente, non tenetur Residere. ibid.5
Parochus Residens in parochia, sed omnia munera per alium exercens an possit percipere fructus beneficij, & illos retinere. 629.6
Curator animarũ grauiter peccat non Residendo, nisi aliud illum excuset. 631.1
Beneficiarius non Residens, dum residere tenetur, præter culpam potest incurrere alias pœnas non Residendo. ibid.2
Beneficiarius an incurrat priuationem fructuum non Residendo. ibid.3
Cui facienda sit dictorum fructuum restitutio. ibid.4
Vtrùm teneatur restituere omnes fructus pro rata absentiæ. ibid.5
Coadiutor in cura animarum assignata illi certa fructuum quantitate, non potest illos percipere, nisi Resideat. ibid.6
An Parochus non residens hanc pœnam incurrat ante sententiam iudicis. ibid.7
Parochus absens per modicum tempus, num teneatur ad restitutionẽ fructuum absentiæ respondentium. ibid.8
Parochus potest abesse per bimestre sine licentia Episcopi. 632.9
Vtrùm Parochus vltra bimestre non residens de licentia Episcopi, faciat fructus suos, & ad illorum restitutionem teneatur. ibid.10
Hoc limita si absit ex licentia valida. ibid.11
An hæc licentia debeat esse in scriptis, & expressa. ibid.12
Parocho habenti iustam causam absentiæ an sufficiat petiisse licentiam, etsi eam non obtinuerit. ibid.13
Beneficiarij non Residentes excusantur à culpa, & pœna, cùm absunt ex iusta causa cum legitima licentia. 633.1
Parochus iustè abesse potest à Parochia ob inimicitias graues, cum licentia Episcopi, & alio in sui locum suffecto. ibid.2
Item ob pestem vel morbum non perpetuum obtenta ab Episcopo facultate. ib.3
Pestis tempore an Parochus Residere teneatur. ibid.4
Excusatur absens ex priuilegio Summi Pontificis. ibid.5
Consuetudo etiam immemorabilis non excusat absentem. ibid 6
Absens ad dirimendas controuersias, vel ob alia opera charitatis excusatur à Residentia. 634.7
Excusantur à Residentia inseruientes Papæ ob vtilitatem Ecclesiæ. ibid.8
Episcopus difficilè potest excusari, vt possit abesse à sua Ecclesia. ibid.9
Cardinales Papæ assistentes, excusantur à sua Residentia. ibid.10
Officium Inquisitoris, vel subcollectoris non excusat à Residentia beneficij parochialis. ibid.11
Excusatur à Residentia absens causa litis motæ super suo beneficio. ibid.12
Canonicus potest de licentia Episcopi abesse in visitanda diœcesi, & aliis Ecclesiæ seruitiis. ibid.13
Episcopus non potest vti opera parochi in visitatione. ibid.14
Excusatur à Residentia, qui ex iusta consuetudine non residet, vbi Tridentinum non est acceptatum. ibid.15
Excusari potest qui ad quinque annos Theologiam aut ius Canonicum in vniuersitate audit. ibid.16

Vtrùm licentia obtinenda sit in scriptis. 635.17
Residentia est persistentia in loco, in quo quis habet beneficium. 628.1
Parochus num Residere dicatur, si sit extra fines parochiæ, etiamsi non multum ab ea distet. ibid.2
Ille dicitur Residere, qui intra parochiæ fines moratur, quouis in loco existat. ibid.3
Qui à parochiæ ambitu parum distat, dicitur Residere. ibid.4
Quid de eo, qui aliquibus diei horis extra parochiæ ambitum se confert. ibid.5

Resignare, Resignatio.

Resignans Episcopatum alteri potest de licentia Papæ Resignare Episcopatum cum pacto vt Resignatarius statim extinguat pensionem, qua extincta mille remaneant titulari Episcopo. 566.16
Quotuplex sit Resignatio. 463.1
Resignatio facta in alterius fauorem non censetur completa donec alter beneficij possessionem ceperit. ibid.2
Resignans absolutè non potest distributiones capere, postquam resignatio acceptata fuit à Summo Pontifice. ibid.3
Resignans sub conditione, potest distributiones lucrari, donec alter possessionem beneficij acceperit. ibid.4
Fructus percepti medio tempore, pertinent ad Resignatarium, in cuius fauorem facta fuit resignatio. Secus dic de distributionibus medio tempore perceptis, istæ enim debentur Resignanti, qui diuinis Officiis assistit. ibid.5
Resignatio beneficij pura, & absoluta non est simoniaca. 571.1
Resignatio non purè simoniaca est, nisi fiat coram Papa. ibid.2
Resignans beneficium cum pacto, vt sibi reficiantur expensæ in assecutione beneficij factæ, simoniam incurrit, si hanc resignationem faciat coram inferiore Papa. ibid.3
Resignatio reciproca simoniaca est, si fiat coram Episcopo. ibid.4
Resignatio beneficij cum designatione successoris inualida est, si fiat coram inferiore Papa. ibid.5
Resignatio cum designatione successoris Simoniæ labem continet, si fiat coram inferiore Papa: cum pacto, vt collator conferat personæ designatæ. 572.6
Prælatus admittens Resignationes cum designatione futuri successoris, quas pœnas incurrat remissiuè. ibid.7

Restitutio.

Restitutio fructuum beneficij simoniacè obtenti cuinam facienda sit. 591.13
Restitutio fructuum ob omissionem diuini Officij facienda est eo pacto, quo à iure præscribitur. 449.1
Proponitur prima sententia sustinens omittentem diuinum Officium non teneri omnes omnino fructus restituere. ibid.2
Proponitur opposita sententia. ibid.3
Restitutio fructuum ob Officij omissionem facienda est fabricæ beneficij, vel pauperibus. 450.1
Restitutio fieri potest in meliorandis agris non tamen in fabricis aliarum Ecclesiarum, vel locorum piorum, nisi fortè ista Restitutio in pauperes redundet. ibid.2
Prædicta Restitutio fieri potest pauperibus alterius loci. ibid.3
Item fieri potest in Missis celebrandis pro defunctis. ibid.4
Pensionarius eo pacto tenetur ad Restitutionem, quo beneficiarius. ibid.5
Beneficiarius, qui nouit pensionarium non recitasse diuinum Officium, non potest sibi pensionis fructus respondentes omissioni diuini Officij retinere. ibid.6
Beneficiarius, qui nouit pensionarium excommunicatum, an pensionem tempori excommunicationis respondentem retinere possit. ibid.7
Beneficiarius pauper potest sibi fructus Restitutioni obnoxios titulo paupertatis retinere. ibid.8
Hoc tamen intelligitur modò contrarium non constet de voluntate Summi Pontificis, aut modò fructus certæ personæ non debeantur. ibid.9
Beneficiarius, qui diuinum Officium non recitauit, potest facta fructuum Restitutione retinere sibi fructus, cum iterum sibi titulo donationis traduntur ab eo, cui facta fuerat restitutio. ibid.10
Distributiones, quæ Canonicis interessentibus accreuerunt, illisq; tradita sunt ob alterius absentiam, iure communi retineri possunt, si ab iisdem titulo donationis absenti restituantur. ibid.11
Quid sit collusio, & quid remissio. ibid.12
De grauitate culpæ, & pœna Restitutionis fructuum ab eo faciendæ, qui pensum Canonicarum precum prætermittit. 444
Num valeat absolutio collata pœnitenti ante actualem Restitutionem. 616.3
Quid si Confessarius impendat absolutionem, tenebiturne ipse ad Restitutionem. ibid.4
Cui facienda sit Restitutio bonorum acceptorum à religioso. ibid.5

Restitutio.

An teneatur ad Restitutionem qui alibi quam fundator intendat, absque iusta causa celebrat. 80.5. item
An teneatur ad Restitutionem qui diutius differt Missæ celebrationem. 81.2

Reuelare.

Qui tenetur Reuelare, non eximitur ab obligatione, etiamsi promiserit cum iuramento se non reuelaturum. 638.3

Ritus.

An peccet omittens ritus & ceremonias Baptismi. 37.18
Differentia inter Ritum quo celebratur Missa priuata, & ritum quo Missa solemnis persoluitur. 79.3

Rosarium.

Rosarium quandonam sit materia Simoniæ. 556.10

S

Sacerdos.

Quid facere teneatur Sacerdos quando sumpta hostia aduertit materiam in Calice positam non esse sufficientem. 88.3
Quid facere teneatur, quando sumpta hostia reperit nihil esse in Calice. ibid.4
An debeat in tali euentu solum vinum consecrare, an etiam nouam hostiam. ibid.5
An possit hostiam consecrare post sumptionem Calicis, qui eam antea malitiosè noluit consecrare. ibid.6
An Sacerdos possit materiam non sufficientem deglutire, & postea non ieiunus iterum consecrare. ibid.7
Quid faciendum sit, quando animal, vel quid aliud in Calicem decidit. ibid.8
An Sacerdos teneatur sumere species veneno infectas. ibid.9
An Sacerdos teneatur barbam abradere, quoties super illam sanguis Christi cadit. ibid.10
An possit curare, vt huiusmodi species è stomacho extrahantur. 89.11
An Sacerdos supplere debeat defectus spectantes ad integritatem formæ. ibid.12
An satisfaciat repetendo verbum, quod omisit. ibid.13
An debeat repetere verba, quando dubitat de intentione sufficienti. ibid.14
Quid dicendum de hostiis, quas dubitat non esse consecratas defectu debitæ intentionis. ibid.15
An supplendum sit illud, quod non est de substantia sacrificij, cum ordinis perturbatione. ibid.16
An perfici debeat totum sacrificium absque iteratione, si hostia cadat in Calicem. ibid.17
An perficiendum sit sacrificium, si species vini congelentur. ibid.18
An omittens aliquid, quod non sit de substantia, grauiter peccet. ibid.19
An alter Missam ab alio inchoatam perficere debeat. ibid.20
An perficienda sit Missa, si primus Sacerdos moriatur ante consecrationem. ib.21
An alter teneatur perficere si primus moriatur post sumptionem hostiæ. ibid.22
Vbinam incipiendum sit, quando perficienda est ab altero Missa. ibid.23
Quid faciendum, quando dubitatur, an prior consecrauerit hostiam. ibid.24
An Sacerdos Missam inchoatam interrumpere possit. ibid.25
Vide Missa.
Sacerdos aut habens dignitatem, si causa studij abesse velit, peculiarem habere debet facultatem. 479.10
An Sacerdos committens peccatum luxuriæ teneatur dicere Confessario se esse Sacerdotem, quando Confessarius cognoscit ipsum esse Sacerdotem. 280.31
Proprius Sacerdos vagorum quis sit. 154.4
An omnis Sacerdos sit sufficiens minister huius Sacramenti. 153.7
Sacerdos peccatne administrans Baptismum sine solemnitate in peccato. 10.1
Vel transferens Eucharistiam in peccato. 11.13
An Sacerdos consecret, qui secum tulit hostiam ad altare, cuius non recordatur tempore consecrationis. 12.13
Sacerdos simplex nequit confirmare. 38.8
An Sacerdos communicans sub vtraque specie plus gratiæ recipiat. 43.5
An possit à quouis Sacerdote communicare in die Paschatis, qui præceptum communionis adimpleuit in hebdomada sancta. 68.9
An Sacerdos qui per seipsum tenetur aliquibus diebus in hebdomada celebrare, possit ob impedimentum Missas differre. 76.3
An quilibet Sacerdos possit absoluere à peccato mortali numquam aliàs ritè confesso. 153.8
An quilibet Sacerdos possit à peccatis etiam reseruatis in articulo mortis absoluere. ibid.9
An distinguatur articulus mortis à probabili vitæ periculo. ibid.10
An simplex Sacerdos toleratus possit absoluere præsente Sacerdote excommunicato vitando, vel suspenso aliàs facultatem habente. ibid.11
An Sacerdos vitandus, vel degradatus, &c. possit in articulo mortis absoluere, si alius Sacerdos non reperiatur. ibid.12
Facultas absoluendi in articulo mortis, quomodo Sacerdotibus sit concessa. ibid.13
An peccatori publico possit Sacerdos ob metum administrare Sacramenta. 21.14
An Sacerdos morti proximus, celebrare possit, aut se communicare, si non habeat copiam Confessarij. 62.21
An peccet Sacerdos non impeditus, si numquam celebret. 75.1
An simplex Sacerdos teneatur aliquoties in anno celebrare. ibid.2
An Sacerdos teneatur sub mortali in Prouincia Mediolanensi celebrare, & quibus diebus teneatur. ibid.3
Quibus diebus teneantur curam animarum habentes celebrare. ibid.4
An Parochus, dum pro suis ouibus celebrat, teneatur illis sacrificij fructum applicare. 76.5
Capellanus quandonam celebrare teneatur. ibid.6
An peccet Sacerdos, qui deficit circa Missæ obligationem. ibid.7
Sacerdotes quomodo teneantur induere stolam dum communicant. 64.2
An Sacerdos debeat habere intentionem consecrandi ius solum verbis, vel etiam reliquis sequentibus. 51.3
An percutiens Sacerdotem, qui simul est Diaconus, & Subdiaconus, aut Monachum initiatum primæ tonsuræ, plures incurrat censuras. 289.9
An validè absoluat Sacerdos, cui fictè data fuit facultas. 221.36
An Sacerdos Missam inchoatam relinquere, vel ad altare Confessarium accersere teneatur, si scandali periculum adsit. 61.15
An Sacerdos, qui habetur pro Parocho, validè absoluat. 220.31
An Sacerdos possit stipem iuridicè exigere, vel etiam in pactum deducere. 83.2

Sacramentum.

De ritibus, & cæremoniis circa Sacramenta. 22
Sacramentum quid sit. 1.1
An valida sint Sacramenta administrata ab excommunicato vitando. 318.1
An sit iteranda confessio facta excommunicato vitando. ibid.2
An confessio facta excommunicato vitando valida sit, quando pœnitens ignorabat Sacerdotem esse excommunicatum vitandum. ibid.3
An valida sint Sacramentalia facta ab excommunicato vitando. ibid.4
An consecrationes, & aliæ benedictiones validè fiant ab excommunicato vitando. ibid.5
Quam pœnam incurrat excommunicatus vitandus administrando Sacramenta, aut celebrando. ibid.6
An petens, aut recipiens Sacramenta ab excommunicato vitando grauiter peccet. ibid.7
Quinam ordo seruandus sit in ministrando Baptismo, quando adsunt plures Sacerdotes excommunicati. ibid.8
An recipiens Sacramenta ab excommunicato vitando incurrat aliquam pœnam. ibid.9
An fuerint aliqua Sacramenta ante legem Euangelicam. 2
Quotuplex status fuerit ante legem Euangelicam. ibid.1
An extiterint Sacramenta in statu innocentiæ. ibid.2
An perseuerante illo statu necessaria fuissent Sacramenta. ibid.3
An fuissent congrua si homo creatus fuisset in puris naturalibus sine iustitia originali. 3.4

An Beatissima Virgo indiguerit Sacramentis. ibid.5
Quo tempore necessaria fuissent Sacramenta in statu naturæ lapsæ. ibid.6
An fuerint in statu naturæ Sacramenta, & quænam. ibid.7
An distinguatur in sacrificio cultus Dei, & Sacramentum. ibid.8
An fuerint Sacramenta in statu legis scriptæ. ibid.9
Quænam Sacramenta fuerint in lege scripta. ibid.10
An Sacramenta veteris legis essent propriè Sacramenta. ibid.11
Sacramentum vniuocè prædicatur de Sacramentis veteris, & nouæ legis. ib.12
Differentiæ inter nouæ, & veteræ Sacramenta. ibid.13
An recipiens Sacramenta cum æquali dispositione æqualem gratiam recipiat. 15.1
Inæqualiter dispositus inæqualem gratiam recipit. ibid.2
An magis dispositus recipiat maiorem gratiam, non solùm ex opere operato; verùm etiam ex vi dispositionum præcisè. ibid.3
Differentia inter eum, qui ad Sacramentum accedit contritus, & inter eum qui solùm attritus. ibid.4
An gratia quæ confertur in Sacramentis sit diuersa essentialiter. ibid.1
Causa Sacramentorum quotuplex sit. 8.1
Causa principalis auctoritatiuè qualis sit. ibid.2
Quisnam sit causa Sacramentorum. ibid.4
An Christus instituerit omnia Sacramenta. ibid.5
An potuissent Apostoli, vel Ecclesia, Deo dispensante, instituere Sacramenta. 9.6
Cur Christus hanc potestatem Apostolis non communicauerit. ibid.7
Causa ministerialis quænam sit. ibid.8
[*An solus homo sit minister Sacramenti.*] ibid.9
An Angeli possint esse ministri Sacramentorum. ibid.10
An esset verum Sacramentum, si administraretur ab aliquo Beato. ibid.11
An validum esset Sacramentum à Diabolo administratum. ibid.12
Cur Deus instituerit homines Sacramentorum ministros. ibid.13
An necessaria sit probitas ministri ad validam administrationem Sacramentorum. ibid.1
An hæc probitas necessaria sit ad licitam illorum administrationem. 10.2
Sacerdos debet se constituere in gratia, antequam administret Sacramenta. ib.3
An necessaria sit fides ad validam Sacramentorum administrationem. 11.1
An necessaria sit fides ad licitam illorum administrationem. ibid.2
An requiratur ad Sacramenti administrationem intentio. ibid.4
Quænam intentio requiratur, vel sufficiat. ibid.5
An sufficiat intentio proferendi verba, & exercendi actionem externam. ibid.6
An necessaria sit intentio conferendi effectum Sacramenti. ibid.7
Quænam intentio requiratur ad validam Sacramentorũ administrationẽ. 12.8
Quænam intentio sufficiat ad conficienda Sacramenta. ibid.11
Qualis attentio requiratur ad Sacramenta conficienda. ibid.12
An validè conficiat Sacramentum, qui incipit formam proferre sine intentione. ibid.14
An requiratur intentio absoluta, vel sufficiat conditionata in conficiendis Sacramentis. 13.18
An valeat Sacramentum administratum sub conditione de futuro. ibid.19
An peccet apponens conditionem in conficiendis Sacramentis. ibid.20
An Sacramenta nouæ legis conferant gratiam ex opere operato. ibid.2
Efficacia gratiæ tribuitur Sacramentis, non fidei. ibid.3
An recipiens Sacramenta in gratia constitutus recipiat gratiæ augmentũ. ib.4
An semper gratia conferatur suscipienti Sacramenta nouæ legis. ibid.5
[*An Sacramenta conferant aliam gratiam præter gratiam sanctificantẽ.*] 14.6
An Sacramenta veteris legis propriè conferant gratiam. ibid.7
An possimus in necessitate petere Sacramenta à quouis Sacerdote in peccato administraturo. 21.1
An possimus extra necessitatem ab huiusmodi Sacerdote Sacramenta petere. 22.2
An possit quisque Sacramenta à proprio Parocho petere, quem probabiliter putat in peccato administraturum. ibid.3
An liceat in necessitate Sacramenta petere à quocunq; Sacerdote peccatore. ib.4
An recepturus Sacramenta teneatur inquirere, an Sacerdos sit probus. ibid.5
An possit quis Sacramenta ab eo Sacerdote petere, quem paulò antè vidit peccantem. ibid.6
An possint licitè, & validè administrari Sacramenta sine ritu essentiali. ibid.1
An licitè administrentur sine ritu accidentali. ibid.2
Cur ritus accidentales fuerint instituti. ibid.3
An sit mortale peccatum variare huiusmodi ritus. ibid.4
An Episcopus possit ritus Pontificios variare. ibid.5
Sacramentum Confirmationis quando fuerit institutum. 37
Sacramentum Eucharistiæ in quonam consistat. 40.6
Sacramenta quæ conferunt characterem non sunt iterabilia. 18.5
An beatus & singuli homines sint capaces. ibid.2.&5
Subiectum capax Sacramentorum quodnam sit. ibid.1
Vide verb. Sacramentum.
An omnia Sacramenta conferant primam gratiam ex sua institutione. 14.2
An requiratur aliqua dispositio in suscipiente Sacramenta. ibid.3
An Sacramenta sint causa moralis gratiæ. 16.2
An Sacramenta sint causa physica gratiæ. ibid.3
An Sacramenta producant gratiam immediatè. ibid.4
Sacramenta quandonam causent gratiam. ibid.1
Sacramentum Baptismi quandonam causet gratiam. ibid.2
In quonam instanti Sacramenta conferant gratiam. 17.3
An recipiat gratiam, qui desinit in eo instanti, in quo perficitur Sacramentum. ibid.4
An aliqua Sacramenta imprimant characterem. ibid.1
Quænam Sacramenta imprimant characterem. ibid.2
An reliqua Sacramenta imprimant characterem. ibid.3
An Sacramenta veteris legis conferrent characterem. ibid.4
An requiratur intentio in adulto recipiente Sacramenta. 18.1
An pueri sint capaces matrimonij, & pœnitentiæ. ibid.2
An recipiat fructũ Sacramenti, qui recipit Eucharistiã vt famem expellat. ib.3
An validè recipiat Sacramenta, qui ea animo repugnante recipit. ibid.4
An validè recipiantur Sacramenta tempore amentiæ ab eo, qui ea sanitatis tempore numquam recipere voluit. ibid.5
An validè recipiat Sacramentum adultus, qui numquam Sacramentum petiit. ibid.6
An validè recipiat Sacramenta, qui ea recipit cum intentione neutrali. ibid.7
Quænam intentio sufficiat ad recipienda Sacramenta. ibid.8
An ministranda sint Sacramenta implicitè petenti. 19.9
An requiratur in adulto alia dispositio præter intentionem. ibid.10
An accedens ad Sacramenta debeat esse in gratia, & quomodo se disponere debeat. ibid.11
An accedens ad Baptismum debeat esse in gratia. ibid.12
Accedens ad Sacramenta cum peccato, quid facere teneatur. ibid.13
An recipiat gratiam attritus, qui putat se contritum. ibid.14
An existens in peccato mortali, ignarus peccati, recipiat gratiam, si solùm attritionis actum eliciat. ibid.15
An accedens sine intentione recipiat effectum Sacramenti sublato obice. ibid.2
An recipiat effectum posita attritione inculpabiliter prætermissa. ibid.3
Quisnam indignè petat Sacramenta. 20.1
An peccatori publico indignè petenti sint administranda Sacramenta. ibid.2
An negari debeant Sacramenta grauiter suspecto de graui crimine. ibid.3
Quandonam liceat ministrare Sacramenta peccatori occulto. ibid.4
Quandonam repellendus sit peccator occultus, qui publicè petit Sacramenta. ib.5
An liceat aliquando aliquem indignũ inducere ad recipienda Sacramenta. 21.6
An repellendus sit à Sacramentis vsurarius notorius. ibid.7
An repellendus sit peccator publicus. ibid.8
An peccatori publico possit quis ob metum administrare Sacramenta. ibid.14
An Sacerdos teneatur petentẽ Sacramẽta interrogare de ipsius dispositione. ib.17
An reperiatur in Sacramentis materiale, & formale. 4.1
Quænam dicatur materia, & forma Sacramenti. 5.2
An omnia Sacramenta constent materia, & forma. ibid.3
Quid intelligatur nomine rerum, & verborum. ibid.4
Cur Sacramenta instituta sint in rebus, & verbis. ibid.5
Quotuplex sit materia Sacramentorum. ibid.6
An materia Sacramentorum sit determinata. ibid.7
An materia cuiuslibet Sacramenti sit determinata in individuo, in specie, & quoad accidentia. ibid.8
An Ecclesia mutare possit materiam Sacramentorum. ibid.11
Quomodo Ecclesia dicatur variare materiam matrimonij. ibid.12
An sit determinata forma Sacramentorum. ibid.13
Quandonam inualidetur Sacramentum per mutationem formæ. 6.17
An inualidetur Sacramentum, quando mutatio verborum contingit in principio. ibid.21
An valeat, quando verba transportantur. ibid.22
An validum sit Sacramentum factum cum interpolatione. ibid.23
An valeat Sacramentum adhibitis verbis synonymis. ibid.24
An valeat, si adhibeantur verba æquiuoca. ibid.25
An aliquis possit in conficiendis Sacramentis, confingere priuatim aliqua verba. ibid.26
An loco verborum possint adhiberi nutus, aut scriptura. ibid.27
An conficiat Sacramentum, quæ prætermittit, vel addit verbum, credens illud esse de essentia cùm verè non sit, vel è contra. 7.28
An addens aliqua verba tanquã essentialia, validè conficiat Sacramentũ. ib.30
An validè conficiat, qui falsò credit aliqua verba non esse essentialia. ibid.31
An peccet, qui in conficiendis Sacramentis vtitur materia, & forma dubia. ib.32
Materia dubia facilius adhibetur, quàm forma. ibid.33
An peccet, qui vtitur forma certa, sed ei aliquid addit. ibid.34
An iteranda sit forma quando quis aduertit se in ea defeciſſe. ibid.35
Sacramentum an possit iterum administrari, quando dubitatur de ipsius validitate. ibid.36
An materia, & forma sint partes intrinsecæ Sacramentorum. ibid.1
Quanta distantia requiratur inter materiam, & formam Sacramentorum. 8.2
An res, & verba sint de essentia Sacramentorum nouæ legis. ibid.3
An vbique terrarum sufficiat eadem forma, & materia in singulis Sacramentis. ibid.1

Sacrificium.

Sacrificium vt sic an sit Sacramentum. 1.4
Sacrificij & Missæ differentia. 70.2.3
Sacrificij effectus quot, & quales. 315.2

Sacrilegium.

Quid sit sacrilegium. 278.1
An committat sacrilegium, qui copulam habet cum moniali. ibid.2
An sit sacrilegium, quando habens sacros Ordines, aut religiosus committit aliquod luxuriæ peccatum. ibid.3
An sit sacrilegium, quando quis exercet aliquem actum luxuriosum circa rem sacram. ibid.4
An sit sacrilegium copulam habere cum femina habente sacras reliquias ad collum, aut tradere rem sacram pro copula. ibid.5
An sit sacrilegium copulam habere in loco sacro. ibid.6
An sit sacrilegium concupiscere feminam existentem in Ecclesia ibid.7
An verba turpia, inspectiones, & tactus impudici, aut pollutio facta in Ecclesia sit sacrilegium. ibid.8
Quid nomine loci sacri *intelligatur.* ibid.9
An sit sacrilegium habere copulam in Ecclesia destructa. ibid.10
An quælibet pars Ecclesiæ sit locus sacer. ibid.11
An sit sacrilegium, & an polluatur Ecclesia, quando copula habetur, aut aliquis occiditur supra tectum Ecclesiæ. ibid.12
An sit sacrilegium, quando copula habetur extra parietes Ecclesiæ. ibid.13
An sit sacrilegium, habere copulam in loco subterraneo Ecclesiæ. ibid.14
An sit sacrilegium, copulam habere in campanili, vel Choro, vel capella. ibid.15
An sit sacrilegium, copulã habere, aut aliquẽ interficere in porta Ecclesiæ. ib.16
An sit sacrilegium, copulam habere in Ecclesia diruta. ibid.17
An committatur sacrilegium, quando copula habetur in loco, vbi extensa est prior Ecclesia. ibid.18
Quomodo polluatur Ecclesia per seminis effusionem. ibid.19
Quomodo polluatur Ecclesia per effusionem sanguinis. 279.20
An polluta Ecclesia sit pollutum cœmeterium, & è contrà. ibid.21
An polluatur Ecclesia, quando benedicitur, vel consecratur ab Episcopo excommunicato. E 3

municato, aut quando in ea sepelitur excommunicatus. ibid.22
An polluatur Ecclesia, quando in ea sepelitur Paganus, vel infidelis, aut catechumenus, aut fidelis ante Baptismum. ibid.23
An filius sepeliri possit vnà cum matre, quæ in partu moritur cum filio. ibid.24
An & quomodo polluens Ecclesiam incurrat casum reseruatum. ibid.25
An celebrans in Ecclesia polluta incurrat aliquam pœnam. ibid.26
A quonam Ecclesia polluta reconciliari possit. ibid.27
An duplex sacrilegium committatur ab eo, qui cùm sit simul Sacerdos, & religiosus, committit aliquod luxuriæ peccatum. ibid.28
Quomodo se gerere debeat pœnitens in proposito casu. 280.29
An habens votum simplex, & solemne simul, committat duplex sacrilegium per aliquod luxuriæ peccatum, & quomodo se gerere debeat in Confessione. ibid.30
An Sacerdos committens peccatum luxuriæ teneatur dicere Confessario se esse Sacerdotem, quando Confessarius cognoscit ipsum esse Sacerdotem. ibid.31

Sacristia.

Sacristia aliquando est pars monasterij, aliquando non. 543.4

Salarium.

An famulo ægrotanti salaria aut alimenta debeantur. 467.8

Saluare, Saluari.

An saluari possint qui hoc tempore Baptismi legem ignorant. 26.15

Sanctus.

Cur dicatur Missa de aliquo Sancto. 74.8
Sancti non solùm pro nobis, verùm etiam pro se ipsis orare possunt. 421.5
An Sancti pranoscant euentum orationis quam ad ipsos dirigimus. ibid.6

Sanguis.

Forma Sacramenti sanguinis Christi quæ. 51.1
An Christus videatur in se, vel eius caro, & sanguis, dum Christus apparet in Sacramento Eucharistiæ. 53.2
Quoties super barbam sanguis Christi cadit in Missa, teneturne toties Sacerdos barbam abradere. 88.10

Sanitas.

An liceat procurare pollutionem ob sanitatem. 268.11
Cur excusetur membri amputatio ob sanitatem, non verò pollutio. ibid.12

Satisfactio.

An imponenda sit aliqua satisfactio adultis baptizatis. 35.28
Satisfactio quid sit. 131.1
An Satisfactio à confessario imposita sufficiat ad remittendam omnem pœnam peccatis debitam. ibid.2
An Sacramentum pœnitentiæ sine satisfactione validum sit. ibid.3
Vide verb. Pœnitentia.
Quo tempore Confessarius teneatur satisfactionem iniungere. 133.19
An possit obligare pœnitentem ad satisfactionem adimplendam ante absolutionem. ibid.20
An opus aliàs præceptum iniungi possit in satisfactionem. 132.11
Item an meditationes iniungi possint. ibid.10
An satisfactio à Confessario iniuncta possit per alium adimpleri. 136.11
An satisfactio per alium facta sufficiat ad satisfaciendum ex opere operato pro pœnitente. ibid.14
Satisfactio cui prosit quando subditus eam applicuit vni, & superior alteri. 172.20
An prælatus possit satisfactionem subdito necessariam alteri applicare. ibid.21
An qui suas satisfactiones reposuit in thesauro Ecclesiæ, possit eas sibi applicare postquam indiguerit. ibid.24
An satisfactio sit pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ. 99.14
An satisfactio iniungenda ante vel post absolutionem. 100.21
Satisfactio cuinam præstanda sit dum obtinenda est absolutio ob percussionem vel homicidium religiosi. 342.24

Satyri.

An baptizandi Satyri. 33.3

Scholaris.

Scholares possunt officium recitare iuxta ritum loci ad quem se studiorum causa transferunt. 430.11

Scientia.

Quid sit scientia, opinio, dubium & scrupulus. 256.1

Sclopus.

Sclopum explodens in clericum qui ob terrorem ex hac vita discedit, excommunicationem incurrit, etiamsi pila eum non attingat. 336.12

Scriptura.

An teneatur confiteri, qui non potest aliter quàm per Scripturã confiteri. 130.6

Senex.

An matrimonium validè celebretur à sene decrepito. 248.18
An copula maritalis licita sit seni semen extra vas prodigenti. 262.17

Sensualitas.

An sensualitas, & concupiscentia sit peccatum. 262.1
Quotuplices sint motus sensualitatis. ibid.2
An motus sensualitatis primò primi sint peccata. ibid.3
An motus secundò primi sint peccata. ibid.4
Quandonam motus sensualitatis sint peccatum veniale. ibid.5
Quænam aduertentia requiratur vt motus sint peccata. 263.6
Quotuplex sit consensus, & qualis requiratur, vt motus sensualitatis sint peccata mortalia. ibid.7
An motus sensualitatis sint peccata mortalia, quando voluntas illos non reprimit. ibid.8

Sepultura.

Vsus capellæ cum sepultura an alicui concedi possit sine debita solemnitate. 603.12
An interdictum priuet Ecclesiastica sepultura. 373.1
An qui non est interdictus possit sepeliri in loco interdicto. ibid.2
An excommunicati possint admitti ad diuina officia tempore interdicti. ibid.3
An qui non est personaliter interdictus, possit sepeliri in loco non interdicto. ibid.4
An qui non est interdictus, possit transferri ad locum non interdictum. ibid.5
An habens priuilegium assistendi diuinis officiis possit sepeliri in loco sacro. ibid.6
An prohibeatur sepultura Ecclesiastica iis diebus, quibus licitum est celebrare diuina officia. 374.7
An sepultus tempore interdicti in loco non sacro, sublato interdicto exhumandus sit, & sepeliendus in loco sacro. ibid.8
An infantes, & amentes possint sepeliri in loco sacro. ibid.9
An peccet sepeliens interdictum interdicto personali generali. ibid.10
An interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit in ea sepeliri, & qua actione priuetur. ibid.11

Seruitium.

Absenti in seruitio Papæ debentur fructus, sed non distributiones præciso priuilegio. 475.1

Seruitus.

An baptismus liberet à seruitute. 37.17

Seruus.

An seruus possit inuito domino contrahere. 228.7
An domini possint vendere Seruos in locis distantibus, in quibus serui non possint reddere debitum. ibid.8
An domini peccent mortaliter, vendendo Seruos qui sine eorum licentia matrimonium centraxerunt. ibid.9
An filius remaneat Seruus toto tempore quo mater erit serua. ibid.11

Sigillum.

Quinam teneantur ad sigillum confessionis. 149.1
An Confessarius, vel Superiores quibus Confessarius aliquid in confessione auditum legitima causa manifestauit, teneantur ad sigillum confessionis. ibid.2.&3.
An illi teneantur ad sigillum quibus Confessarius dum consilij gratia aliquid manifestaret, imprudenter manifestauit pœnitentis personam. ibid.4
An Confessarius ad sigillum confessionis iure naturæ teneatur. 147.1
An teneatur iure diuino. ibid.2
An teneatur iure Ecclesiastico. ibid.3
Quot peccata committantur ab eo, qui sigillum confessionis perfringit. ibid.4
An violatio sigilli semper inducat peccatum mortale. ibid.5
Cognitio fractionis sigilli ad quem pertineat. ibid.6
An interpretes ad sigillum teneantur. 149.5
An, qui ex malitia, vel casu peccata pœnitentis audierunt, ad sigillum confessionis teneantur. ibid.6
An, qui chartam inuenit in qua expressa erant alicuius peccata per ordinem ad confessionem, teneatur ad sigillum. ibid.7
An teneatur saltem dicta peccata perpetuo silentio tegere. ibid.8
An peccet legendo aliquid, postquam cognouerit in ea charta contineri peccata. ibid.9
An Confessarius possit de auditis in confessione loqui sine fractione sigilli. ibid.1
Quomodo se gerere debeat Confessarius dum loquitur de rebus in confessione auditis. ibid.2
An Confessarius frangat sigillum testando in tali ciuitate multos improbos adesse. ibid.3
An frangat sigillum, qui dicit, Absolui Petrum. ibid.4
An frangat sigillum, qui dicit, Titius confessus est mihi casum reseruatum. 150.5
An frangat sigillum, qui dicit, nondum absolui Titium. ibid.6
An Confessarius teneatur schedulam confessionis præbere illi, quem ob aliquam causam non absoluit. ibid.7
An Confessarius possit liberè vti scientia confessionis ad aliquid faciendum extra confessionem absque pœnitentis licentia. ibid.8
An quando pœnitens dat facultatem Confessario loquendi de auditis in confessione, censeatur etiam facultatem concedere reuelandi personam sui ipsius. ibid.9
An licentia loquendi de auditis in confessione, debeat esse expressa, an sufficiat tacita. ibid.10
An Confessarius frangat sigillum, si cum pœnitente loquatur de auditis in confessione, de quibus pœnitens Confessarium alloqui cœpit. ibid.11
An Confessarius perfringat sigillum admonendo pœnitentis heredes iuxta pœnitentis præscriptum. ibid.12
Quomodo se gerere debeat Confessarius circa ea, quæ in confessione audiuit. 151.13
An Confessarius ob peccatum in confessione auditum possit priuare pœnitentem officio. ibid.14
Quænam cadant sub sigillum confessionis. 148.1
An oriatur obligatio sigilli, quando pœnitens scienter manifestat peccata sua laico, vel clerico, quem scit non esse Sacerdotem. ibid.2
An is teneatur ad sigillum, cui aliquid manifestatum est sub sigillo ab eo, qui non habebat intentionem confitendi. ibid.3
An Confessarius teneatur ad sigillum confessionis, quando dubitat aliquid sibi reuelatum fuisse per ordinem ad confessionem. ibid.4
An Confessarius teneatur obligatione sigilli, quando quis ad ipsum accessit, vt ipsum pertraheret ad peccatum. ibid.5
An Confessarius teneatur ad sigillum, etiamsi pœnitentem non absoluerit. ibid.6
An propositum committendi aliquod peccatum cadat sub sigillum. ibid.7
An Parochus sub sigillo teneatur reticere impedimentum in confessione cognitum. ibid.8
An sub sigillum cadant peccata, tam venialia, quàm mortalia, quamuis publica. ibid.9
An sub sigillum cadant omnes circumstantiæ quamuis inutiles in confessione manifestatæ. ibid.10
An Confessarius vi sigilli teneatur ad occultanda bona, & virtutes pœnitentis. ibid.11
[*An ea subiiciantur sigillo quæ quis aperuerit Sacerdoti, animo se accusandi in foro sacramentali.*] ibid.12

Signum.

An absoluendus sit mutus, qui signis & nutibus confitetur peccata sua. 123.6
Signum quid sit. 2.5
An Sacramentum dicatur signum. ibid.6
Sacramentum quotupliciter dicatur signum. ibid.7
An Sacramentum debeat esse signum similitudine repræsentans id, quod significat ibid.8
Cur Deus in signis & rebus materialibus instituerit Sacramenta. ibid.9

Simonia.

Simoniæ nomen vnde originem duxerit. 547.1
Simonia quid ſit. ibid.2
Venditionis, & emptionis *nomine quid ſignificetur.* ibid.3
Spes lucri, preces, vel amor humanus non inducunt Simoniam. ibid.4
Intentio decipiendi non inducit Simoniam in eo, qui pecuniam promittit pro beneficio animo non verè emendi. ibid.5
Permutatio rei ſpiritualis cum alia re ſpirituali non inducit Simoniam. 548.6
Conſanguineo præbens beneficium propter conſanguinitatem non incurrit Simoniæ culpam. ibid.7
Metus imminentis mali, ſeu grauis incommodi quandonam excuſet à Simoniæ labe. ibid.8
Beneficij collatio facta in gratia, ſeu petitione alterius, ſimoniaca non eſt. ibid.9
Debitori beneficium conferens, vt ſibi debitum ſoluat, Simoniam committit. 549.10
Beneficium conferens filio iudicis, vel eum præſentãs cum pacto abſoluendi reum, vel mitigandi pœnam, Simoniam incurrit. ibid.11
Debitum Eccleſiæ remittens, vt beneficium obtineat, Simoniam committit. ibid.4
Penſionem promittens vel recipiens pro beneficij collatione, vel præſentatione, Simoniam committit. ibid.5
Præſentatus ad benficium, Simoniæ labem incurrit promittendo præſentatori, aut electoribus ſe non exacturum decimas, &c. ibid.6
Beneficium conferens, vel recipiens ſub conditione mutui, Simoniam committit. ibid.7
Munus ab obſequio quid ſignificet. ibid.8
Beneficium conferens cum pacto præſtandi onera beneficio annexa, non eſt reus Simoniæ. ibid.9
Beneficium conferens, vel procurans ad extinguenda debita, ſimoniacus eſt. 550.10
Beneficium conferens, vel procurans animo conciliandi ſibi beneuolentiam, Simoniam non incurrit, etiamſi mediante beneuolentia, ſeu amicitia temporale lucrum ſperet. ibid.11
Aulici obtinentes beneficia à Cardinalibus, vel aliis, quibus inſeruiunt, Simoniam non committunt, modò inſeruiant abſque pacto tacito, vel expreſſo recipiendi beneficium propter obſequium. ibid.12
Munus à lingua quid ſignificet. ibid.13
Procurans beneficium præuia pecunia tradita, vel promiſſa familiari, vel amico collatoris, Simoniam incurrit. 551.14
Familiares Prælatorum non ſunt rei Simoniæ, dum pecuniam accipiunt ob facilem ingreſſum, quem aliis præbent ad Prælatum. ibid.15
Admonens Prælatum de meritis oratoris non incurrit Simoniam, modò interceſſoris officium non gerat. ibid.16
Precibus impetrans ſibi vel alteri beneficium, Simoniam non incurrit. ibid.17
Simonia triplex eſt. 552.1
Mentalis Simonia quid ſit. ibid.2
Conuentionalis Simonia quid ſit. ibid.3
Realis Simonia in quonam conſiſtat. ibid.4
Simonia realis an requirat traditionem rei ex vtraque parte. ibid.5
Confidentialis Simonia ad quam Simoniæ ſpeciem reducatur. ibid.6
Simonia ſolo iure Eccleſiaſtico prohibita ad quamnam Simoniæ ſpeciem pertineat. ibid.7
Simonia ficta, an pertineat ad aliquam Simoniæ ſpeciem. 553.8
Mentalis Simonia non ſemper committitur tradendo temporale, occaſione ſpiritualis, niſi ſpirituale intendatur tamquam pretium rei ſpiritualis. ibid.9
Mentalis Simonia committitur, dum mens, ſeu intentio fertur in obiectum ſimoniacum ſolùm ob Eccleſiæ prohibitionem. 554.10
Simonia prohibita eſt iure naturali, diuino, & humano. ibid.1
Simonia dari poteſt ſolo iure humano prohibita. ibid.2
Simoniæ humanæ quænam ſit materia. ibid.3
Procurator quiſnam dicatur. ibid.4
Oeconomi *vel* Caſtaldi *nomine quis intelligatur.* ibid.5
Manſionarius quiſnam dicatur. ibid.6
Primicerij officium quodnam ſit. ibid.7
Functiones officiorum Eccleſiaſticorum, an ſint materia Simoniæ. ibid.8
Bona immobilia, vel mobilia Eccleſiæ, an ſint materia Simoniæ. ibid.9
Eccleſia quomodo facere poſſit, vt id quod non eſt materia Simoniæ, ſit materia Simoniæ. ibid.10
Simonia eſt peccatum mortale ex ſuo genere contra religionem. ibid.11
Simonia formaliter adeò mala eſt, vt numquam licita fiat etiam per diuinam potentiam. ibid.12
Simonia non poteſt eſſe veniale peccatum ratione paruitatis materiæ. 555.13
Simonia cuinam virtuti opponatur. ibid.14
Materia Simoniæ eſt res ſpiritualis, & ſupernaturalis. ibid.1
Spiritus ſanctus quonam pacto vendi poſſit. ibid.2
Chriſtus an vendi potuerit abſque Simoniæ labe. ibid.3
Euchariſtia eſt materia Simoniæ. ibid.4
Sacramenta, aut ſacramentalia ſunt materia Simoniæ. ibid.5
Simonia naturalis committi potuiſſet in ſtatu puræ naturæ. ibid.6
Miſericordiæ opera externa non ſunt materia Simoniæ. ibid.7
Reliquiæ vendi non poſſunt, ſine Simoniæ labe. 556.8
Miſſæ ſacrificium quandonam ſit materia Simoniæ. ibid.9
Roſarium quandonam ſit materia Simoniæ. ibid.10
Euangeliorum liber, &c. an ſint materia Simoniæ. ibid.11
Calix, aut alia res ſacra quandonam vendi, vel locari poſſit abſque Simonia. ibid.12
Præſtimonia vendi non poſſunt abſque Simonia. ibid.13
Commenda clericalis eſt materia Simoniæ. ibid.14
Commenda militaris non eſt materia Simoniæ. ibid.15
Coadiutoria Eccleſiæ eſt materia Simoniæ. ibid.16
Hoſpitaliorum adminiſtratio quandonam ſit materia Simoniæ. 557.17
Sacramenta quandonam ſint materia Simoniæ. ibid.18
Sacramenta ſunt materia Simoniæ. ibid.1
Sacramentorum materia remota non eſt materia Simoniæ. ibid.2
Pro Sacramentis quandonam præuia pecunia recipi poſſit abſque Simonia. ibid.3
Sacramentum an accipi poſſit tradita pecunia, quando adminiſtrans pretium petit, tamquam pretium adminiſtrationis. 558.4
Vexatio in beneficiis, an redimi poſſit, data, vel promiſſa pecunia. ibid.5
Sacramentalia tranſeuntia ſunt materia Simoniæ. ibid.2
Sacramentalia permanentia ſunt materia Simoniæ. ibid.3
Sacramentalia vendi poſſunt ratione materiæ præciſe abſque Simoniæ labe. ibid.4
Eccleſia materialiter ſumpta, an vendi poſſit abſque Simonia. 559.5
Agni Dei benedicti ſunt materia Simoniæ. ibid.6
Reliquiarum venditio, vel oſtenſio pretio facta ſimoniaca eſt. ibid.7
Ordinum ſuſceptio ſimoniaca eſt, ſi data, vel promiſſa pecunia fiat. ibid.1
Patronus præſentans aliquem ad Ordines cum pacto, vt ab eo nihil petatur, Simoniacus eſt. ibid.2
Ordinum collatores Simoniam committunt accipiendo aliquid in collatione Ordinum, etiamſi ſponte offeratur. ibid.3
Notarius poteſt aliquid loco ſtipendij accipere dum ei ſalarium conſtitutum non eſt. ibid.4
Functiones Ordinum ſunt materia Simoniæ. ibid.1
Ordinum tam maiorum, quàm minorum functiones ſunt materia Simoniæ. 560.2
Cantor canens tamquam laicus pretio accepto, vel promiſſo, non incurrit Simoniæ labem. ibid.3
Tonſura eſt materia Simoniæ. ibid.4
Afferuntur rationes dubitandi ad probandum non committi Simoniam accipiendo aliquid pro publicis, vel priuatis orationibus. ibid.1
Officia diuina ſunt materia Simoniæ. ibid.2
Orationes priuatæ ſunt materia Simoniæ. ibid.3
Exequiarum, vel funerum actiones ſunt materia Simoniæ. ibid.4
Virtutum opera corporalia non ſunt materia Simoniæ. ibid.5
Sepulturæ locus quandonam ſit materia Simoniæ. ibid.1
Eccleſiæ locus an emi poſſit ad conſtruendam Capellam, vel particularem ſepulturam. 561.2
Vendens ſepulturam in loco ſacro, an committat Simoniam, vel aliud ſpeciale peccatum. ibid.3
Sepulturæ locus an ſit materia Simoniæ, ſi in venditione habeatur ratio loci honoratioris. ibid.4
Stallum, ſeu ſedes in Choro, an ſit materia Simoniæ. ibid.5
Simonia committitur promittendo, vel dando temporale alicui, vt opus ſpirituale præſtet. ibid.1
Simoniacus non eſt qui tradit aliquid alteri, vt peccatum vitet, vel opus ſpirituale præſtet, relicta illi facultate, & libertate faciendi tale opus. ibid.2
Simonia non committitur promittendo aliquid alteri tradendum ſub conditione, ſi tale opus ſpirituale præſtiterit. ibid.3
Idem militat dum temporale traditur ſub conditione operis ſpiritualis etiam dum recipiens obligatur ad reſtituendum acceptum, niſi ſpirituale opus præſtiterit. 562.4
Ingreſſus vel profeſſio eſt materia Simoniæ. ibid.1
Simonia non committitur tradendo aliquid pro congrua religioſi ſuſtentatione. ibid.2
Omiſſio boni operis naturalis non eſt materia Simoniæ. ibid.1
Omiſſio actus ſpiritualis non eſt materia Simoniæ in rigore loquendo. 563.2
Occultans peccatorem, accepta pecunia, non eſt Simoniacus propriè loquendo. ibid.3
Omiſſio praui operis quod quis facturus erat, non eſt materia Simoniæ. ibid.4
Scientiæ, & doctrinæ actus, ſeu exercitium vendi poſſunt ſine Simonia. ibid.1
Doctrinæ actus vendi poteſt ſine Simonia, etiamſi doctrina ipſa miraculosè obtenta fuerit. ibid.2
Veritas naturalis vendi poteſt abſque Simonia. ibid.3
Pretium iuſtum taxari debet habita ratione qualitatis perſonæ. ibid.4
Docens Theologiam præuia pecunia Simoniæ labem non incurrit. ibid.5
Conſilium præbens in facultate Theologiæ ſimoniacus non eſt. 564.6
Conſilium Theologicum non eſt materia Simoniæ, etiamſi detur ad pacandam alterius conſcientiam. ibid.7
Concio eſt materia Simoniæ ſi ipſa per ſe ſpectetur. ibid.8
Docens Chriſtianam doctrinam, præuio pretio, non committit Simoniam, niſi illam doceat concionando, & perſuadendo. ibid.9
Licentia docendi non eſt materia Simoniæ. ibid.10
Idem militat in licentia docendi Theologiam. ibid.11
Doctoratus, ſeu magiſterium non eſt materia Simoniæ. ibid.12
Sacrarum rerum genera, alia ſunt per ſe ſacra, alia per annexionem ad rem ſacram. ibid.1
Annexum antecedenter ſpirituali, vt ſic eſt materia Simoniæ, ſecus ſi per ſe ſpectetur. 565.2
Iuſpatronatus eſt aliquid ſpirituale antecedenter, & vt ſic vendi non poteſt ibid.3
Præſentatio eſt actio ſpiritualis. ibid.4
Bona iuriſpatronatus carius vendi non poſſunt ob iuſpatronatus illis adnexum. ibid.5
Bona iuriſpatronatus vendi poſſunt non ſolùm dum iuſpatronatus coharet bonis, verùm etiam dum bona coharent ipſi iuripatronatus. ibid.6
Adnexum ſpiritualibus comitanter eſt materia Simoniæ. ibid.7
Adnexum ſpiritualibus, conſequenter eſt materia Simoniæ. ibid.8
Beneficiarius reſignans alteri beneficium non poteſt quicquam exigere ab eo, cui beneficium confert, etiamſi intendat aliquid exigere ratione fructuum. ibid.9
Beneficiarius reſignans beneficium accepto pretio ratione fructuum Simoniam incurrit etiam contra ius diuinum. ibid.10
Epiſcopus, ſeu beneficij collator nihil exigere poteſt ob beneficij collationem. 566.11
Epiſcopus ſeparans Eccleſiam ſui iuris à ſua dignitate, aliquid exigere poteſt in recognitionem iuris antiqui. ibid.12
Papa non poteſt in collationibus beneficiorum quicquam exigere, ſi beneficium ſpectetur ratione tituli. ibid.13
Papa poteſt penſionem imponere, & nolle beneficium conferre, niſi illi, qui vult penſionem ſoluere. ibid.14

Papa potest dum beneficium alicui confert cum pensione, æstimare totum pensionis valorem, illumq; anticipatè recipere, aut alteri conferre ius ad illud recipiendum. ibid.15

Resignans Episcopatum alteri potest de licentia Papæ resignare Episcopatum cum pacto vt resignatarius statim extinguat pensionem, qua extincta mille remaneant titulari Episcopo. ibid.16

Permutatio rei spiritualis cum alia re spirituali simoniaca non est. 567.1

Permutatio rei spiritualis cum alia spirituali, cui adnexa est, simoniaca est. ibid.2

Beneficiorum permutatio, seu prouisio, priuata auctoritate facta Simoniam contra ius Canonicum continet. ibid.3

Permutatio actionum pertinentium ad prouisiones beneficiorum, simoniaca est, si priuata fiat auctoritate. ibid.4

Permutantes beneficia possunt prius inter se agere de permutatione facienda. 568.5

Permutare volentes beneficia obligare se possunt ad perfistendum in conuentione, donec superior consensum denegauerit. ibid.6

Permutatio beneficiorum coram quo superiore facienda sit. ibid.7

Permutatio beneficij cum pensione fieri non potest coram Episcopo. ibid.8

Beneficium permutari non potest cum pensione temporali, vel alia re temporali, auctoritate solius Episcopi, vel priuata auctoritate. ibid.9

Beneficia quamuis inæqualia in temporalibus, permutari non possunt, cum pensione, vel alia re pretio æstimabili coram Episcopo, aut alio inferiore Papa. ibid.10

Beneficiorum inæqualitas circa prouentus compensari potest, auctoritate Papæ, annua pensione, vel etiam numerata pecunia. 569.11

Beneficij inæqualitas in dignitate compensari non potest pecunia, etiam auctoritate Papæ, si dignitas præcisè spectetur. ibid.12

Resignatio beneficij pura, & absoluta non est simoniaca. 571.1

Resignatio non pura simoniaca est, nisi fiat coram Papa. ibid.2

Resignans beneficium cum pacto, vt sibi reficiantur expensæ in assecutione beneficij factæ, simoniam incurrit, si hanc resignationem faciat coram inferiore Papa. ibid.3

Resignatio reciproca simoniaca est, si fiat coram Episcopo. ibid.4

Resignatio beneficij cum designatione successoris inualida est, si fiat coram inferiore Papa. ibid.5

Resignatio cum designatione successoris Simoniæ labem continet si fiat coram inferiore Papa: cum pacto, vt collator conferat personæ designatæ. 572.6

Prælatus admittens resignationes cum designatione futuri successoris, quas pœnas incurrat remissiuè. ibid.7

Episcopus ad dirimendam litem potest absque Simonia applicare vni beneficium, cum onere, vt soluat pensionem quamdiu vixerit. ibid.9

Pensio an imponi possit beneficiario ab Episcopo etiam ex instantia partium ad dirimendam litem. 573.10

Episcopus, vel arbiter quomodo possit imponere pensionem, seu aliquid beneficiario in fauorem partis collitigantis, & cedentis iuri suo. ibid.11

Litigantes circa beneficium possunt arbitrum eligere, etiamsi arbiter non sit Prælatus, vel iudex causæ. ibid.12

Iurisdictio laica temporalis non est materia Simoniæ. 574.1

Prælatus Ecclesiasticus concedens licentiam docendi, vel legitimandi ad honores temporales, vel ad successionem in bonis, non est reus Simoniæ. ibid.2

Iurisdictio Ecclesiastica est materia Simoniæ. ibid.3

Sententia iudicis Ecclesiastici in causa spirituali est materia Simoniæ. 575.4

Officia, vt Auditoratus Cameræ, non sunt materia Simoniæ si per se spectentur, seu potius ratione emolumentorum. ibid.5

Papa ex quibus causis possit aliquid in dispensationibus concedendis exigere. ibid.6

Aduocatus non incurrit Simoniæ labem impendendo operam suam in iudiciis. ibid.7

Notarius non est, per se loquendo, reus Simoniæ, accipiendo aliquid pro scripturis, seu litteris. ibid.8

Cancellarius Episcopi, quandonam iniustitiam committat, accipiendo aliquid vltra nummum aureum. ibid.9

Testis accipiens aliquid pro ferendo testimonio Simoniæ labem non incurrit, secus si accipiat aliquid vt inducat iudicem ad iudicandum vel dispensandum in causa spirituali. ibid.10

Omnes cuiuscumque conditionis homines possunt esse rei Simoniæ iuris naturalis diuini. ibid.1

Papa potest incurrere Simoniæ labem iure naturali diuino prohibitam. ibid.2

Simonia committi non potest cum Deo. ibid.3

Omnes cuiuscumque conditionis homines incurrere possunt Simoniam iuris Canonici. 576.3

Papa potest incurrere Simoniam iuris Canonici, nisi prius secum dispenset in lege. ibid.5

Cardinales incurrere possunt reatum Simoniæ. ibid.6

Religiosi possunt esse Simoniaci. ibid.7

Simonia contrahi potest ab eo, qui in materia spirituali contrahit cum Papa, vel alio, Papa consentiente tacitè, vel expressè. ibid.8

Tolerantia Summi Pontificis non excusat à Simonia. ibid.9

Simonia non committitur tradendo vel accipiendo aliquid temporale gratis occasione spiritualis. ibid.1

Verba vrbanitatis proferens occasione rei spiritualis non committit Simoniam. ibid.2

Obligatio antidoralis, quam quis sperat, vel intendit, non est materia Simoniæ. 577.3.

Amicitia, vel beneuolentia, quam quis intendit in collatione rei spiritualis, non est materia Simoniæ. ibid.4

Simonia non committitur tradendo beneficium, seu aliquid spirituale intentione adimplendi suam obligationem, quam quis contraxit ob acceptionem rei temporalis. ibid.5

Simoniacus non est, qui temporale tradit, vt sibi spirituale conferatur, etiamsi ob eo, cui temporale tradit, petat gratitudinem, vel recognitionem suæ obligationis. ibid.6

Obligatio antidoralis in pactum deduci non potest pro re spirituali. ibid.7

Labor extrinsecus actioni spirituali est materia Simoniæ. 578.1

Labor extrinsecus, seu per accidens coniunctus non est materia Simoniæ. ibid.2

Cantus Missæ adiunctus non est materia Simoniæ. ibid.3

Defatigatio & molestia percepta ex magna contentione virium, vocis, vel animi non est materia Simoniæ. ibid.5

Concionator non incurrit Simoniam suscipiendo aliquid pro magna contentione vocis, & animi, aut pro labore, & studio. ibid.6

Iter occasione rei spiritualis susceptum non videtur materia Simoniæ. ibid.7

Obligatio manendi in aliquo loco, vel celebrandi tali hora, non est materia Simoniæ. ibid.8

Locatio operarum, seu obligatio exercendi spiritualia, videtur pretio æstimabilis, consequenter excusare solet à Simonia. ibid.9

Vexatio iniusta excusat à Simonia tradentem pecuniam ad illam tollendam. 579.1

Vexatio iusta non excusat à Simonia, dum pro ipsa tollenda traditur res spiritualis. ibid.2

Vexatio iusta in re spirituali non excusat à Simonia tradentem pecuniam ad ipsam tollendam. ibid.3

Vexatio in beneficiis illata ab eo, qui prodesse potest, non excusat tradentem pecuniam ad ipsam tollendam. ibid.4

Vexatio iniusta qua de causa excuset à Simonia, non verò iusta. 580.5

Simonia non committitur tradendo pecuniam subornanti electores. ibid 6

Simonia non committitur tradendo pecuniam illi, qui per vim impedit meum concursum in beneficio. ibid.7

Possessio beneficij an sit materia Simoniæ. ibid.8

Testi pecuniam tradens pro dicenda veritate, Simoniam non committit. ibid.9

Vexatio iniusta in ferendis, vel auferendis censuris redimi potest absque Simonia. ibid.10

Simonia confidentialis quænam dicatur 581.1

Simoniacus in collatione, aut consecutione pensionis non ligatur excommunicatione. 583.5

Simonia quænam requiratur ad incurrendam excommunicationem. ibid.6

Simoniacus in ordine, vel beneficio non ligatur excommunicatione, effectu nondum secuto 584.7

Excommunicatio contracta ob Simoniam, an retrahatur ad tempus commissæ Simoniæ. ibid.9

Simonia etiam iuris humani in beneficio, & ordine excommunicationem inducit. ibid.10

Ratam habens Simoniam in ordine, vel beneficio non ligatur excommunicatione. ibid.12

Cognoscens beneficium acquisitum fuisse per Simoniam ab altero commissam, ipso inscio, tenetur quidem beneficium resignare, sed non incurrit excommunicationem, illud retinendo. ibid.13

Obtinens beneficium per Simoniam ab altero contractam ipso inscio, non incurrit excommunicationem, si cognito Simoniæ crimine restituat pecuniam, quam alter pro consecutione beneficij erogauerat. ibid.14

Notarius, vel alij officiales, accipientes aliquid pro litteris dimissoriis, vel pro sigillo, an incidant in excommunicationem, & an eamdem incurrant, qui aliquid ipsis tradunt. ibid.15

Simoniam sciens ab altero commissam in ordine, vel beneficio, absolui non potest, nisi delinquentem denuntiet. 585.16

Simoniam committens in qualibet materia non incurrit excommunicationem. ibid.17

Simoniaci in aliis materiis an ipso iure incurrant pœnas, & censuras, quæ iure antiquo non erant ipso iure latæ, sed ferendæ sententiæ. ibid.18

Simoniacis quænam pœnæ impositæ sint in iure. ibid.19

Simoniaci absolui debent à Summo Pontifice ob excommunicationem contractam in simoniaca collatione, vel receptione Ordinis, vel beneficij. ibid.20

Ordinatus per Simoniam ab alio commissam ipso inscio, suspensionem non incurrit. 588.2

Ordinatus bona fide per Simoniam ab alio commissam, non ligatur suspensione, etiamsi post ordinationem approbet Simoniam ab alio commissam. ib.3

Simonia non inducit suspensionem nisi sit completa. 589.4

Mediator Simoniæ non est suspensus. ibid.6

Præsentator ad Ordines per Simoniam, suspensionem incurrit. ibid.7

Quem effectum pariat ista suspensio. ibid.8

Suspensio lata contra Simoniacum in ordine, an suspendat etiam à beneficio, & officio. ibid.9

Suspensio lata contra Simoniacos in ordine, perpetua est. ibid.10

Episcopus an absoluere possit à suspensione contracta ob Simoniam in ordine. ibid.11

Simoniacus in beneficio an suspensionem incurrat. ibid.12

Simoniacus in beneficio non potest beneficij fructus percipere ibid.13

Simoniacus in beneficio, an validè possit aliud beneficium obtinere. ibid.14

Actiones ordinis, vel iurisdictionis simoniacè factæ valida sunt. 590.1

Functiones iurisdictionis valida sunt, per se loquendo, etiamsi per Simoniam fiant. ibid.2

Pœnitentiæ Sacramentum simoniacè collatum irritum est. ibid.3

Consecratio Ecclesiæ per Simoniam quomodo execrata dicatur. ibid.4

Emptio officij Ecclesiastici merè temporalis valida videtur. ibid.5

Beneficij acquisitio simoniaca, inspecto solum iure naturali, & diuino, valida est. 591.6

Professio facta per Simoniam valida est. ibid.7

Iuris patronatus emptio valida est quoad transferendum ius in emptorem. ibid.8

Actus iurisdictionis, vel administrationis circa obtinendam beneficij prouisionem irrita est, si super Simoniam fiat. ibid.10

Beneficiarius simoniacè prouisus tenetur beneficium dimittere. ibid.11

Simonia in beneficio non inducit priuationem beneficiorum ritè obtentorum ante Simoniam. 594.2

Simonia commissa in actu prouisionis beneficij irritat subsequentes actus ordinatos ad consequendum beneficium. ibid.3

Simonia in posteriori beneficio commissa non priuat fructibus prioris beneficij ritè obtenti. ibid.4

Examinatores Simoniam committentes priuantur beneficiis ritè antea obtentis si occasione examinis aliquid accipiant. ibid.5

Exami-

Examinatoribus conferri potest aliquid ab Episcopo titulo præmij, vel sustentationis. ibid.6
Simoniacus in beneficio inhabilis est ad obtinendum idem beneficium, in quo Simoniam commiserat. ibid.1
Simoniacus in beneficio inhabilis est ad alia beneficia. ibid.2
Inhabilitas ad beneficia contracta ob Simoniam incurritur ipso facto. 595.3
Inhabilitas ad beneficia contracta ob Simoniam à quonam auferri possit. ibid.4
Pretium simoniacè, sed non iniustè acceptum, non est obnoxium restitutioni iure naturali diuino. ibid.3
Contractus simoniacus an irritus sit. 596.4
Pretium simoniacè & simul iniustè acceptum restituendum est iure naturali diuino. ibid.5
Obligatus ex iustitia, ad aliquam functionem gratis præstandam tenetur ad restitutionem pretij accepti pro illa functione. ibid.6
Fructus beneficij simoniacè obtenti cuinam restituendi sint. 599 5
Mediatores Simoniæ committa in beneficio tenentur ad restitutionem non solum pretij accepti, verùm etiam fructuum beneficij in defectu beneficiarij. ibid.6
Dispensatio in Simonia à nullo homine obtineri potest, excepto Papa, qui dispensare potest in Simonia iuris Canonici. 600.1
Episcopus dispensare non potest in Simonia. ibid.2
Forma certa verborum necessaria non est ad dispensandum in Simonia. ibid.3
An Simonia committatur tradendo vel accipiendo aliquid pro actibus iurisdictionis fori interni. 574.1.2. *& seq.*
Ordinatus Simoniacè suspensus est. 589.1

Societas.

An liceat prosequi societatem antea initam cum excommunicato vitando. 331.63.

Sodomia.

An fieri possit diuortium ob Sodomiam aut bestialitatem. 258.4
Quid sit Sodomia. 269.1
Quale peccatum sit Sodomia, & quanam sint illius pœna. ibid.2
An Clericus Sodomita incurrat suspensionem, vel irregularitatem. ibid.3
Quomodo se gerere debeat Confessarius erga Sodomitas. ibid.4
An peccatum Sodomiæ sit reseruatum, quando masculus abutitur femina. ibid.5
An peccatum Sodomiæ habeat aliam malitiam. ibid.6
An in confessione explicanda sit persona, cum qua patrata fuit Sodomia. 270.7
An explicanda sit linea consanguinitatis, aut cognationis legalis, vel spiritualis. ibid.8
An in confessione explicandum sit, Sodomiam commissam esse cum virgine. ibid.9
An in confessione explicandus sit tertius, & quartus gradus. ibid.10
Cur in confessione explicandus sit primus & secundus gradus, non verò tertius & quartus. ibid.11
An peccet mortaliter vir coniugatus, qui præpostero actu incipit cognoscere vxorem, sed postea actum perficit in vase naturali. ibid.12

Solemnitas.

An repetenda sint solemnitates, quando baptismus inualidè fuit solemniter administratus. 37.22
Solemnitates requisitæ ad alienationem bonorum mensæ Episcopalis, aut Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ. 606.1

Sollicitare.

Quale peccatum sit sollicitare pœnitentem in confessione, & quid significet verbum sollicitare. 641.1.&2
Quibus actibus Confessarius sollicitans pœnitentem in confessione incurrat pœnas constitutionum Apostolicarum. ibid.3
Quo in casu vrgeat obligatio denuntiandi confessarium sollicitantem. 642.4
Quid si confessarius tacitis verbis sollicitet, vt laudando à pulchritudine, venustate, &c. ibid.5
Obligatio eadem denuntiandi vrget, etiamsi Confessarius alliciat pœnitentem ad peccandum cum tertia persona: aut etiamsi sollicitauerit ad venerea, antequam ista Bulla promulgarentur. ibid.6.&7

Sortilegium.

An ligentur excommunicatione legentes libros & scripta continentia diuinationes & sortilegia. 344.4

Spado.

An ex congressu spadonum oriatur affinitas. 246.15

Species.

An sacerdos qui metu mortis cogitur ad consecrandum, possit sub vna tantùm specie consecrare. 46.10
An Sacerdos teneatur iterum consecrare, quando sub vna Specie apparet caro, vel sanguis Christi. ibid.11
Quomodo se gerere debeat sacerdos circa species, in quibus apparuit caro vel sanguis Christi. ibid.12
Summus Pontifex non potest dispensare vt conficiatur sub vna tantùm specie. ibid.13
An aqua nondum in vinum conuersa conuertatur in sanguinem Christi post consecrationem. 48.8
An explicanda sint peccata in confessione quoad species morales. 115.2

Sponsalia.

Quid sint sponsalia. 198.1
Quanam conditiones ad sponsalia requirantur. ibid.2
An sponsalibus requiratur promissio, vel an sufficiat propositum. ibid.3
Qualis deliberatio ad sponsalia requiratur. ibid.4
An sponsalia obligent, quando promittens ignorabat obligationem sequi ex promissione: & an requiratur expressa voluntas se obligandi. ibid.5
Sponsalia an obligent antequam promissio acceptetur. ibid.6
An in sponsalibus promissio esse debeat mutua. ibid.7
An possit aliquis se obligare independenter ab alterius repromissione. ibid.8
An promissio in sponsalibus debeat exterius manifestari. 199.9
Quomodo exprimendus sit consensus in sponsalibus. ibid.10
An consensus exprimatur per taciturnitatem. ibid.11
An consensus exprimendus sit per aliquod signum externum. ibid.12
An consensus exprimatur per hæc verba, non ducam aliam præter te. ibid.13
Quomodo in sponsalibus explicanda sint verba, quando habent duplicem sensum. ibid.14
Quid faciendum sit, quando dubitatur, an adfuerit animus se obligandi. ibid.15
An matrimonium, vel sponsalia valida sint, quando verba significant consensum de futuro, & sponsi adhibent illa ad significandum consensum de præsenti, & è contra. ibid.16
Quid faciendum sit, quando verba dubia sunt. ibid.17
Quomodo explicanda sint hæc verba, habebo te in vxorem. ibid.18
An sponsalia obligent sub mortali. 200.1
An obligent sponsalia celebrata à nobili, vel diuite cum ignobili vel paupere. ibid.2
Quanam dicatur ficta promissio. ibid.3
An teneatur stare sponsalibus, qui dubitat an promiserit, vel an verba contineant promissionem. 201.12
An teneatur adimplere sponsalia, qui dubitat, an promiserit animo se obligandi. ibid.13
Quanam dicantur sponsalia incerta. ibid.1
An sponsalia incerta sint vera sponsalia. ibid.2
Quomodo sponsalia incerta fiant perfecta, & certa. ibid.3
An sponsalia incerta obligent. ibid.4
An pater, qui promisit Caio vnam ex quatuor filiabus suis, teneatur aliquam tradere, si interim Caius copulam habeat cum vna earum. ibid.5
An pater, qui Caio promisit vnam ex quatuor filiabus suis, teneatur alteram tradere, si Caius vnam à patre electam respuat. ibid.1
Quanam ætas ad sponsalia requiratur. ibid.1
An valida sint sponsalia ante septennium celebrata. ibid.2
An sponsalia ante septennium celebrata valida sint in foro externo. 202.3
An ad sponsalia requiratur maior vsus rationis, quàm ad peccatum mortale. ibid.4
An valida sint sponsalia post septennium celebrata, si desit vsus rationis. ibid.5
An contrahentes sponsalia ante septennium peccent mortaliter. ibid.6
An peccent mortaliter contrahentes matrimonium ante pubertatem. ibid.7
An parentes, aut alij possint contrahere sponsalia pro filiis, qui nondum peruenerunt ad septennium. ibid.8
An filij teneantur stare sponsalibus pro se contractis à parentibus, vel tutoribus. ibid.9
Quanam ætas ad matrimonium requiratur. ibid.10
An requiratur, vt annus decimusquartus sit completus. ibid.11
Cur duodecim anni sufficiant in femina ad matrimonij validitatem, in masculo verò quatuordecim requirantur. ibid.12
An Episcopus dispensare possit, vt matrimonium ante pubertatem celebretur. 203.13
Quibus de causis sponsalia rescindantur. ibid.1
An sponsalia dirimantur per ingressum religionis. ibid.2
An sponsus ingrediens religionem teneatur ducere sponsam, si postea egrediatur. ibid.3
An qui contraxit sponsalia cum iuramento, possit ingredi religionem. ibid.4
An sponsus, qui copulam habuit cum sponsa, possit ingredi religionem, quam vouit post copulam habitam. ibid.5
An validum sit votum Religionis factum à sponso, postquam à sponsa copulam extorsit. ibid.6
An qui facto voto religionis, vel castitatis virginem defloruit, teneatur potius cum ea matrimonium contrahere, quàm votum adimplere. ibid.7
An secunda sponsalia seruanda sint, quando habita est copula cum secunda sponsa. 204.8
An priora sponsalia dissoluantur per posteriora. ibid.9
An priora sponsalia dissoluantur per posteriora facta cum iuramento. ibid.10
An habens votum simplex castitatis, vel religionis peccet mortaliter contrahendo matrimonium, animo ingrediendi religionem, antequam matrimonium consummet. ibid.11
An peccet mortaliter contrahens matrimonium animo ingrediendi religionem, antequam consummetur matrimonium. ibid.12
An sponsalia dissoluantur per votum simplex castitatis. ibid.13
An aliquis possit vouere castitatem, animo dissoluendi sponsalia. ibid.14
An sint inualida sponsalia facta post votum simplex castitatis. ibid.15
An qui factus sponsalibus vouit castitatem, sed postea voti dispensationem obtinuit, teneatur stare sponsalibus. ibid.16
An secunda sponsalia inualida seruanda sint, si priora valida dissoluantur. ibid.17
An sponsus, qui post celebrata sponsalia cum vna, contrahit matrimonium cum alia, teneatur, mortua vxore, ducere priorem sponsam. ibid.18
An sponsalia rescindi possint, si vnus ex sponsis vouerit castitatem, saluo iure alterius. ibid.19
An sponsalia dirimantur per votum suscipiendi sacros Ordines. ibid.20
An qui vouit sacros Ordines, teneatur seruare castitatem, antequam illos suscipiat. ibid.21
An sponsalia dissolui possint ob defectum ætatis. 205.1
An sponsalia à pubere contracta cum impubere, possint à pubere rescindi. ibid.2
An sponsalia dissoluantur, quando impubes ante pubertatem dissensit, non verò acquisita pubertate. ibid.3
An sponsalia impuberum cum iuramento celebrata, dissolui possint, acquisita pubertate. ibid.4
Apud quem fieri debeat reclamatio ad dissoluenda sponsalia. ibid.5
An sponsalia dirimantur per lapsum termini constituti ad celebrandum matrimonium. ibid.6
An sponsalia dissolui possint ob moram & dilationem alterius, quando nullus terminus fuit appositus. ibid.7

An rescindi possint sponsalia per discessum sponsi in longinquas partes. 206.8
An sponsalia dissoluantur per matrimonium cum alia persona celebratum. *ibid.*1
An dissoluto matrimonio adimplenda sint priora sponsalia. *ibid.*2
An dissoluto matrimonio adimplenda sint priora sponsalia iurata. *ibid.*3
An priora sponsalia dirimantur per posteriora, sicut per matrimonium. *ibid.*4
An sponsalia dissoluantur ob impedimentum dirimens matrimonium. *ibid.*5
An sponsalia dirimantur per copulam habitam cum consanguinea sponsæ. *ibid.*6
An scandalum, aut fama impedimenti sit causa sufficiens dirimendi sponsalia. *ibid.*7
An sponsalia dissoluantur ob impedimentum impediens matrimonium. *ibid.*8
An sponsus, qui post celebrata sponsalia contrahit impedimentum, teneatur illius dispensationem impetrare. 207.9
An valida sint sponsalia contracta sub conditione, si Papa dispensauerit in impedimento. *ibid.*10
An obtenta dispensatione rescindi possint sponsalia. *ibid.*11
An sponsalia clandestina valida sint. *ibid.*12
An contrahentes sponsalia clandestina peccent mortaliter. *ibid.*13
An sponsalia dissoluantur per fornicationem subsequentem. *ibid.*1
An sponsus possit resilire à sponsalibus, quando sponsa permittit se ab alio impudicè tangi per oscula, amplexus, &c. *ibid.*2
An dissoluantur sponsalia, quando sponsa per vim ab alio cognita est. *ibid.*3
An sponsi sint pares quo ad dissoluenda sponsalia. *ibid.*4
An sponsalia dirimantur ex parte vtriusque, quando vnus tantùm fornicatur. *ibid.*5
An vterque sponsus resilire possit à sponsalibus, quando vterque fornicationem commisit post sponsalia. *ibid.*6
An sponsalia dissolui possint ob hæresim. *ibid.*7
An rescindi possint sponsalia, quando notabilis mutatio superuenit. *ibid.*8
An qualibet infirmitas sit causa sufficiens ad dirimenda sponsalia. 208.9
An sponsus teneatur ducere sponsam, quæ deformis euasit. *ibid.*10
An rescindi possint sponsalia, superueniente paupertate. *ibid.*11
An dissolui possint sponsalia, quando sponsa non potest soluere dotem. *ibid.*12
An sponsus teneatur stare sponsalibus quando fit valdè dives. *ibid.*13
An possint dissolui sponsalia, quando vterque incidit in paupertatem. *ibid.*14
An dissolui possint sponsalia, quando superuenit capitalis inimicitia inter sponsos. *ibid.*15
An rescindi possint sponsalia, quando post sponsalia incipit cognosci aliqua causa, quæ cognita non fuissent celebrata. *ibid.*16
An sponsalia rescindi possint, quando sponsa putabatur virgo, aut dives, cum non esset. *ibid.*17
An rescindi possint sponsalia ob sæuitiam sponsi. *ibid.*18
An ille possit à sponsalibus resilire, qui tempore celebrationis sponsaliorum ignorabat vitium, quo cognito adhuc ea celebrasset. *ibid.*19
*An teneatur stare sponsalibus, qui dubitat, an tempore celebrationis sponsaliorum haberet voluntatem promittendi, si cognouisset aliquod vitium. Vide num.*21. *ibid.*20
An valida sint sponsalia per dolum celebrata. *ibid.*1
An decipiens cogi possit à decepto stare sponsalibus. 209.2
An valida sint sponsalia per dolum incidentem celebrata, si sponsus cognito dolo adhuc illa celebrasset. *ibid.*3
An publica honestas oriatur ex sponsalibus celebratis per dolum dantem ipsis causam. *ibid.*4
An publica honestas oriatur ex sponsalibus per dolum incidentem celebratis. *ibid.*5
An valida sint sponsalia per metum celebrata. *ibid.*6
An sponsalia mutuo consensu dissolui possint. *ibid.*1
Quid requiratur, vt sponsalia mutuo consensu dissoluantur. *ibid.*2
An sponsalia dissoluantur, quando ex metu alter remittit obligationem. *ibid.*3
An sponsalia dissolui possint, quando non adimplentur conditiones. *ibid.*4
An ad dirimenda sponsalia necessaria sit iudicis auctoritas. *ibid.*5
An opus sit relaxatione iuramenti, quando sponsalia cum iuramento celebrata dissoluuntur. *ibid.*6
Quandonam sponsalia auctoritate propria rescindi possint. *ibid.*7
Coram quo iudice dissoluenda sint sponsalia. *ibid.*8
An sponsalia rescindi possint propria auctoritate, quando dubitatur, an adsit iusta causa. 210.9
An quando adest iusta causa, sponsalia dissolui possint, si sponsus carnaliter cognoscat sponsam. *ibid.*10
Quanta certitudo causæ requiratur ad dirimenda sponsalia. *ibid.*11
An habens copulam cum sponsa alterius teneatur hanc circumstantiam in confessione explicare. *ibid.*12
An sponsalibus apponi possit aliqua pœna soluenda ab eo, qui fregerit fidem sponsaliorum. *ibid.*1
An pœna cum iuramento apposita in sponsalibus, soluenda sit ratione iuramenti. *ibid.*2
An sit mortale peccatum apponere pœnas in sponsalibus. 211.3
An recipiens pœnam in sponsalibus appositam, teneatur ad restitutionem illius ante sententiam iudicis. *ibid.*4
An valida sit hæc promissio, promitto tibi sub tali pœna me non contracturum matrimonium cum Titio. *ibid.*5
An peti possit interesse ab eo, qui dissoluit sponsalia. *ibid.*6

Sterilis.

An validum sit matrimonium celebratum inter steriles. 248.17

Stipendia.

An accipiens plura stipendia possit vnico sacrificio omnibus satisfacere. 76.1

Stipes.

Quinam sit stipes in affinitate. 245.5

Stola.

Sacerdotes quomodo teneantur induere stolam dum communicant. 64.2

Stomachus.

An conferatur maior gratia ex opere operato quamdiu manent species in stomacho. 57.4

Studium.

Absens causa studij non lucratur distributiones, sed tantummodò fructus. 478.1
Imò lucratur etiam distributiones quando abest ex speciali priuilegio quo datur facultas, vt abesse possit cum iure ad fructus, & beneficium non habet fructus separatos à distributionibus: tunc enim absens lucratur etiam distributiones, detracta tamen ea parte, quæ deseruientibus debetur iuxta locorum consuetudinem. *ibid.*2
Absens causa studij lucratur distributiones, dum hoc illi permittitur per consuetudinem. 479.3
Non solùm absens causa studij Theologici, verùm etiam ciuilis, lucratur fructus. *ibid.*4
An absenti causa studij necessaria sit Episcopi licentia. *ibid.*5
Non potest quis causa studij abesse dum Ecclesia ex illius absentia graue damnum, vel magnam diuini cultus diminutionem pateretur. *ibid.*6
Absens causa studij debet operam studiis dare in gymnasio publico. *ibid.*7. & 9
Quanam in Prouincia Mediolanensi requirantur in eo, qui causa studij abesse intendit. *ibid.*8
Sacerdos, aut habens dignitatem, si causa studij abesse velit, peculiarem habere debet facultatem. *ibid.*10
Canonicus absens causa studiorum, non tenetur alium in sui locum substituere, nisi beneficium adnexam habeat animarum curam, iurisdictionem, vel aliud, quod per alium adimpleri possit. *ibid.*11

Stuprator, Stuprum.

An stuprator validè contrahat matrimonium cum ea quam violauit, si contrahat ob metum excommunicationis aut mortis. 239.12
Quid sit stuprum. 274.1
An stuprum habeat specialem malitiam explicandam in confessione. 275.2
An virgo quæ delectatur de adolescente, & è contrà, teneatur hanc circumstantiam virginitatis explicare. *ibid.*3
An femina corrupta velari, aut sacrari possit. *ibid* 4
An puella, quæ occultè corrupta fuit, teneatur post velum acceptum abstinere ab iis officiis, quæ virginibus conferuntur. *ibid.*5
Quale remedium in proposito casu adhibendum sit. *ibid.*6
Ad quid teneatur stuprator. *ibid.*7
An stuprator ad aliquid teneatur, quando femina aquè benè nupsit. *ibid.*8
Ad quid teneatur ille, qui copulam habuit cum femina corrupta, quæ tamen habebatur tamquam virgo. *ibid.*9
An stuprator ad aliquid teneatur, quando femina corrupta condonauit ei obligationem restituendi. *ibid.*10
Ad quid teneatur, qui sollicitauit puellam ad copulam, & ob id fuit illi causa infamiæ. *ibid.*11
Ad quid teneatur stuprator, quando puella corrupta, aut eius parentes nolunt eam tradere stupratori. 276.12
An ad aliquid teneatur, qui copulam extorsit precibus, muneribus, & blanditiis. *ibid.*13
An facienda sit restitutio patri, cuius filia consentiens violata fuit. *ibid.*14
An filius possit, inuito, vel inscio patre, ducere eam, quam violauit, & in quibus rebus filius teneatur patri obedire. *ibid.*15

Subdiaconus.

An subdiaconus possit esse minister Eucharistiæ Sacramenti. 58.6

Subdiaconatus.

Quænam sit materia subdiaconatus. 188.5

Subditus.

Episcopus in sua diœcesi confirmare nequit subditos alterius Episcopi. 38.10
Quandonam Episcopus teneatur confessiones subditorum audire. 161.25

Subiectum.

Subiectum Baptismi quodnam sit. 33.2
Subiectum ordinis, & conditiones in eo requisitæ. 191.1. & *seq.*

Substantia.

An Christus existat sub speciebus simul cum substantia panis & vini. 54.19

Successor.

An successor concedentis indulgentias possit eas reuocare. 180.7
Successor in beneficio tenetur ad pensionem beneficio impositam. 489.15

Suffragium.

An fideles non solùm se ipsos inuicem, verùm etiam defunctos suffragiis adiuuare possint. 180.1
An suffragia quæ à fidelibus in hac vita fiunt pro defunctis, prosint ipsis ea offerentibus. 181.2
Quotuplici in differentia sint suffragia; & an offerens debeat habere intentionem offerendi pro eo, cui suffragium prodest. *ibid.*1. & 2
An excommunicatus priuetur suffragiis Ecclesiæ. 313.3. & *ibid.*1. & 314.1
Quotnam conditiones requirantur ex parte eius, cui suffragia offeruntur. 182.1
An is cui suffragium offertur, suffragio indigere debeat. *ibid.*2
An prosit aliquando suffragium applicatum non indigenti. *ibid.*3
An Deus huiusmodi suffragium acceptet pro futuro tempore. *ibid.*4
An is cui suffragium applicatur debeat esse in gratia. *ibid.*5
An satisfactiones applicatæ existenti in peccato mortali, conuertantur in vtilitatem offerentis, si iis indigeat. *ibid.*6
An suffragia prosint damnatis, aut pueris mortuis cum solo originali. *ibid.*7
An suffragia prosint Beatis quoad satisfactionem. *ibid.*8
An suffragium applicatum existenti in peccato, prosit remisso peccato. *ibid.*9
An peccata, pro quibus exhibetur satisfactio, debeant esse deleta quoad culpam. *ibid.*10
An necesse sit, vt ille pro quo satisfactio exhibetur, acceptet satisfactionem, & cognoscat eam pro se exhiberi. *ibid.*11

Sumere, Sumptio.

Quotuplex effectus recipiatur in sumptione Eucharistiæ. 56.1
An species consecratæ nutriant corpus sumentis. 57.10
Cur probatio ante sumptionem Eucharistiæ fiat per confessionem. 63.36

Superior.

Superiores Religionum non tenentur ſub mortali decretum clauſuræ quotannis publicare. 493.3

Superſtitio.

An ſatisfaciat qui confitetur in communi numerum ſuperſtitionum. 116.5

Surdus.

An ſurdus ſit irregularis. 387.7

Surdus vel ſurdaſter non tenetur adhibere ſocium in recitatione diuini Officij, etiamſi ſe ſolo recitare nequeat. 452.9

Suſceptor.

Suſceptor teneturne edocere infantem quem in Confirmatione ſuſcepit. 40.11

Suſpenſio, Suſpenſus.

Quid ſit ſuſpenſio. 352.1

Quotuplex ſit ſuſpenſio. *ibid.*2

Quomodo Suſpenſio differat à ceteris cenſuris & pœnis. *ibid.*3

An Suſpenſio poſſit ad aliquod tempus ſuſpendi. 353.4

Quinam ſint effectus ſuſpenſionis abſolutè latæ. *ibid.*1

Quinam ſint effectus ſuſpenſionis latæ cum reſtrictione. *ibid.*2

Ad quæ extendatur ſuſpenſio à Pontificalibus. *ibid.*3

Quomodo intelligatur ſuſpenſio ab ordine. *ibid.*4

An ſuſpenſus ab ordine ſit ſuſpenſus à beneficio, & eius fructibus. *ibid.*5

An ſuſpenſus ab ordine ſit ſuſpenſus à tonſura. *ibid.*6

An ſuſpenſus ab ordine inferiori ſit etiam ſuſpenſus à ſuperiore, & è contra. *ibid.*7

An ſuſpenſus ab ordine cenſeatur ſuſpenſus ab omni ordine. *ibid.*8

Quomodo intelligatur ſuſpenſio ab officio. *ibid.*9

An ſuſpenſus ab officio intelligatur ſuſpenſus à beneficio. *ibid.*10

An collatio beneficij facta ſuſpenſo ab officio valida ſit. 354.11

Quomodo intelligatur ſuſpenſio à beneficio. *ibid.*12

An ſuſpenſus à beneficio teneatur perſoluere onera beneficij. *ibid.*13

Cuius ſint fructus beneficij pro tempore ſuſpenſionis beneficiarij. *ibid.*14

An ſuſpenſus ab officio poſſit Sacramenta adminiſtrare. *ibid.*15

Quomodo obliget ſuſpenſio à diuinis officijs. *ibid.*16

An iniuſtè ſuſpenſus poſſit recipere diſtributiones. *ibid.*17

Quomodo intelligatur ſuſpenſio ab adminiſtratione Eccleſiæ. *ibid.*18

Quomodo obliget ſuſpenſio à perceptione Sacramentorum. *ibid.*19

Quamdiu duret ſuſpenſio. *ibid.*1.&2

Quomodo obliget ſuſpenſio lata per menſem inchoato iam menſe. 355.3

Quot diebus ſeruanda ſit ſuſpenſio lata per annum. *ibid.*4

Quomodo obliget ſuſpenſio lata per annum, in quem incidit biſſextus. *ibid.*5

Quomodo obliget ſuſpenſio lata per menſem Februarij, in quem cadit biſſextus. *ibid.*6

An ſuſpenſus in vno loco ſit vbique ſuſpenſus. *ibid.*7

An valida ſit collatio beneficij facta ſuſpenſo à beneficiis. *ibid.*8

An ſuſpenſus grauiter peccet violando ſuſpenſionem. *ibid.*1

An ſuſpenſus poſſit aliquando licitè adminiſtrare Sacramenta. *ibid.*2

An peccet communicans cum ſuſpenſo. *ibid.*3

An ſuſpenſus fiat irregularis exercendo ordines, à quibus eſt ſuſpenſus. *ibid.*4

An ſuſpenſus fiat irregularis violando ſuſpenſionem. *ibid.*5

An incurratur irregularitas ob violationem ſuſpenſionis latæ cum reſtrictione. 356.6

An geſta per ſuſpenſum valida ſint. *ibid.*7

An valida ſit abſolutio data à ſuſpenſo. *ibid.*8

Suſpenduntur Capitula Eccleſiæ, vel monaſterij, quæ Epiſcopum, aut Prælatum Religioſum à Sede Apoſtolica prouiſum, ſine litteris eiuſdem Sedis recipiunt, aut illi obediunt. 361.1

Capitula, & Collegia, quæ Sede Cathedrali, Collegiata, vel regulari vacante occupant bona ad Prælatum defunctum, &c. pertinentia. *ibid.*2

Capitula & Conuentus, qui aliquid directè, vel indirectè accipiunt ob receptionem alicuius in religionem, aut poſt illam. *ibid.*3

Moniales conuentionem de dote facientes nulli pœnæ ſubiacent. *ibid.*4

Suſpenduntur Capitula, ſingulæve perſonæ beneficiorum reſignationem extra caſus, & formam Bullæ Pij V. admittentes. *ibid.*5

Iniuſtè ſuſpenſus non priuatur diſtributionibus. 470.1

Suſpenduntur Epiſcopi, Abbates, &c. à Sede Apoſtolica promoti, ſine litteris authenticis eiuſdem ſedis ſuarum Eccleſiarum adminiſtrationem recipientes. 360.1

Epiſcopus, aut alius Epiſcopo ſuperior, qui ab excommunicatis ſuſpenſis, &c. conſecrationem accipit, ſuſpenſus remanet. *ibid.*2

Epiſcopus Extrauag. 2. de elect. Ioannis XXII. quoad fructuum perceptionem primi, vel ſecundi anni ſui Epiſcopatus non ſeruans. *ibid.*3

Conferens ordines, vel tonſuram extraneo ſine licentia ſui Epiſcopi ſuſpenſionem incurrit, & hoc valet etiam in minoribus, reſpectu ordinati. *ibid.*4

Ordinans in aliena diœceſi abſque expreſſa licentia ordinarij, vel de licentia perſonas non ſubditas. *ibid.*5

Ordinans religioſum non profeſſum, ſeu qui votum ſolùm temporale fecit. *ibid.*6

Ordinans Monachum, ſine licentia Abbatis. *ibid.*7

Ordinans bigamum, vel eum qui facit pœnitentiam publicam. *ibid.*8

Iniuſtè ordinans inuitum. *ibid.*9

Ordinans Sacerdotem indignum. *ibid.*10

Conferens tonſuram illiterato, aut infanti, qui nondum compleuit ſeptennium. *ibid.*11

Quis dicatur illiteratus. *ibid.*12

Conferens duos ordines ſacros eodem die, vel duobus diebus immediatis. *ibid.*13

Conferens ſacerdotium indigno, aut ab illo ordine ſuſpenſo. *ibid.*14

Conferens ordines cum pacto, vt ordinatus non petat alimenta. *ibid.*15

Conferens ordines, vel tonſuram ſimoniacè. *ibid.*16

Confirmans, & conſecrans iam electum in Epiſcopum, poſtquam ad Sedem Apoſtolicam fuit appellatum. *ibid.*17

Epiſcopus, qui debitam diligentiam non adhibet circa electum ad curam animarum. *ibid.*18

Epiſcopus, aut alius beneficiorum collator beneficij reſignationem contra præſcriptum Bullæ Pij V. admittens. *ibid.*19

Epiſcopus accipiens aliquid in viſitatione, in pecunia, &c. extenditur ad alios, reſtringitur ad viſitantes ordinario iure: extenditur iterum ad religioſos, præciſis ſtatutis, &c. *ibid.*20

Epiſcopus, aut etiam Cardinalis iudicem cauſuum, gratiarum, & Indulgentiarum, certo ſoluto pretio proponens. 361.21

Epiſcopus, Commiſſarius, vel Delegatus, &c. qui per gratiam, timorem, &c. in detrimentum Eccleſiæ ſibi commiſſa poteſtate vtitur. *ibid.*22

Epiſcopi abutentes officio Inquiſitorum in cauſis fidei. *ibid.*23

Epiſcopi aliiq́, &c. procurantes vt Clerici capiantur à dominis temporalibus, vt beneficia reſignent vel citati ad Apoſtolicam ſedem accedere nequeant, à fructibus ſuarum Eccleſiarum ſuſpenduntur. *ibid.*24

Limitatur modò ſecutus ſit effectus. Extenditur ad Epiſcopos, qui ſimul ſunt domini temporales, & Epiſcopi. *ibid.*25

Epiſcopus relaxans pœnam contentam in cap. peſſimam. *ibid.*26

Epiſcopus alienans bona Eccleſiarum, &c. abſque licentia ſummi Pontificis, ſuſpenſionem incurrit.
Idem dic de Abbatibus. *ibid.*27

Epiſcopus bona Eccleſiarum ſibi commiſſarum, ſine Capituli conſenſu, & ſedis Apoſtolicæ facultate laicis ſubiiciens, ab officio ſimpliciter, & ab adminiſtratione rerum ſpiritualium, & temporalium Eccleſiæ grauatæ ſuſpenditur. *ibid.*28

Epiſcopus ingrediens monaſteria monialium, prima vice ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, ſecunda à diuinis, tertia excommunicatur. *ibid.*29

Epiſcopus Apoſtolorum limina non viſitans, ſuſpenſionem incurrit. *ibid.*30

Quantum temporis, Italis, Gallis, &c. aut aliis longinquioribus ad limina viſitanda concedatur. *ibid.*31

Epiſcopus, qui poſt Concilium Prouinciale infra ſex menſes clerum non conuocat. *ibid.*32

Epiſcopus qui contra Simoniacos procedere negligit. *ibid.*33

Epiſcopus permittens vſurarios publicos alienigenas conducere domos in ſuis terris ad exercendum fœnus, ſuſpenditur. *ibid.*34

Alij Epiſcopis inferiores excommunicantur. *ibid.*35

Suſpenditur Clericus, aut religioſus recipiens ſacros ordines ficto patrimonio, vel beneficio, aut faciens factum cum Epiſcopo ordinante, vel patrono præſentante. 356.1

Recipiens ordines extra conſtituta tempora, vel ante legitimam ætatem, vel ſine litteris dimiſſoriis. *ibid.*2

Quid de recipiente ordines non ſeruatis interſtitiis. 357.3

Recipiens duos ordines ſacros eodem die, aut minores ordines cum Subdiaconatu, vel duos ordines ſacros duobus diebus continuis. *ibid.*4

Recipiens ſacros ordines cum litteris dimiſſoriis à capitulo receptis vacante Epiſcopatu, nec occaſione beneficij acceptis, recipiendive ærtatus *ibid.*5

Recipisns ſuperiorem ordinem per ſaltum. *ibid.*6

Recipiens ordines ab Epiſcopo excommunicato, aut interdicto denuntiato, ſeu vitando, vel à ſimoniaco per ſententiam declarato. *ibid.*7

Recipiens ordines ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui renuntiauit. *ibid.*8

Recipiens ordinem ſcienter per ſimoniam. *ibid.*9

Recipiens ordinem in excommunicatione. *ibid.*10

An ſuſpendatur recipiens primam tonſuram, vel Epiſcopatum in excommunicatione. *ibid.*11

Recipiens ordines furtiuè ſuſpenſus ſit. 358.12

Recipiens ſacros ordines poſt matrimonium contractum, etiam non conſummatum. *ibid.*13

An bona fide ſuſcipiens dictam ſuſpenſionem incurrat, & quomodo ſe gerere debeat. *ibid.*14

Celebrans Miſſam, nec in ea communicans ſuſpenditur. *ibid.*15

Celebrantes, vel celebrare facientes in locis interdictis à iure, vel ab homine. *ibid.*16

Præſumens ſine graui cauſa Miſſam incompletam omittere. *ibid.*17

Clerici etiam exempti, aut religioſi admittentes ad ſacramenta, &c. publicè excommunicatos, denuntiatos, vel interdictos ſuſpenſionem incurrunt. *ibid.*18

Admittentes manifeſtos vſurarios ad communionem altaris, &c. *ibid.*19

Sacerdos tam regularis, quàm ſæcularis coniungens in matrimonium, vel benedicens ſubditos alterius parœciæ ſine licentia. *ibid.*20

Beneficiarius publicè, & abſque rationabili cauſa partita, vel virgata veſte vtens, ſuſpenſioni ſubiacet. *ibid.*21

Quid de Clerico in ſacris conſtituto. *ibid.*22

Clericus præſumens commiſſas ſibi Eccleſias alienis debitis grauare, aut litteras, aut ſigilla alteri concedere, quibus poſſit obligari, ſuſpenditur ab adminiſtratione temporalium, & ſpiritualium. *ibid.*23

Occupantes bona Cathedralis, &c. ſpectantia ad Prælatum defunctum, vel ad ſedem, vel ad ſucceſſorem, Epiſcopatu vacante. *ibid.*24

Compromiſſarius eligens indignum in Epiſcopum, ſuperioremve dignitatem. *ibid.*25

Eligentes indignos ad Epiſcopatum, vel ad beneficia inferiora animarum curam habentia. *ibid.*26

Quis Epiſcopus, Curatuſve indignus cenſeatur.

Impugnantes alicuius electionem, vel poſtulationem, & poſtea in probatione deficientes. *ibid.*27

Epiſcoporum electores infra octo dies, poſtquam commodè potuerint, præſentationem electo culpabiliter præſentare negligentes, à beneficiis ſuſpenduntur. *ibid.*28

Præſumentes ad Eccleſiaſticam prębendam aliquem eligere ſæcularis poteſtatis abuſu ſuſpenſione ligantur. *ibid.*29

Quis cenſeatur abuſus ſæcularis poteſtatis.

Conferentes, vel recipientes illorum beneficia, qui pro ſuis negotiis Romanam Curiam adierunt, aut aliqua negotia in ea exercent. *ibid.*30

Conſeruatoris munus exercentes, qui ſe ſcienter de aliis intromittunt, quàm de manifeſtis iniuriis, aut de iis, quæ iudicialem indaginem non requirunt, ſuſpenduntur. 359.31

Iudex Eccleſiaſticus non Epiſcopus faciens iniuriam contra iuſtitiam, & conſcientiam parti litiganti in iudicio. *ibid.*32

Iudex excommunicationis ſententiam ſine ſcriptis, aut ſine cauſæ expreſſione ferens, vel requiſitus ſcripturæ copiam intra menſem non tradens, ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpenditur. *ibid.*33

Eadem censura ligatur ferens censuram excommunicationis sine monitione, & textibus. ibid.34
Visitatores Episcopis inferiores pecuniam, vel munera in visitatione recipientes suspenduntur. ibid.35
Præsumentes in populari concione in alterutram partem de conceptione B.M.V. disputare, aut de hac ipsa quæstione, sub quouis prætextu vulgari lingua scribere, &c. aut in publicis concionibus, &c. asserere audentes Beatissimam Virginem cum originali conceptam fuisse, suspenduntur. ibid.36
Tenor Bullæ Gregorij XV. per quam suspenduntur quicumque in quouis actu etiam priuato de prædicta quæstione quidquam in contrarium asserere præsumpserint. ibid.37
Iurantes sponte de tenendo schismate, suspensione ligantur.
An prouocantes ad duellum, vel raptores sint ipso iure suspensi. ibid.38
An Clericus notorius, & publicus concubinarius, item publicus peccator, vel sodomita sint ipso iure suspensi. ibid.39
An accipiens ordines ab alieno Episcopo absque Summi Pontificis auctoritate incurrat pœnam suspensionis. 190.26
An hac suspensione afficiantur etiam conferentes & recipientes primam tonsuram. ibid.27
An qui furtiuè ordines suscipit incurrat suspensionem. ibid.31
Suspenduntur Conuentus, & Capitula aliquid in receptione alicuius in religionem petentia, & an religiosi incurrant censuras in Clericos simpliciter latas. 361.1
Prælatus Prædicatorum minorum mendicantium admittens aliquem ad probationem nondum expleto professionis anno suspensionem incurrit. 362.2
Item suspenduntur religiosi, qui ad sacros Ordines nondum professione facta promouentur. ibid.3
Suspenditur quoque Apostata sacrum Ordinem in Apostasia recipiens, quid de transeunte ad aliam religionem, inualidè, & in ea sacros Ordines recipiente. ibid.4
Religiosi quicumque monasteriis præsidentes, &c. iura, reditus, vel possessiones eorum monasteriorum, &c alicui quouis modo concedentes, &c. pecunia etiam inde recepta suspenduntur. ibid.5
Grauantes, seu defraudantes Ecclesias circa decimas eis debitas, easq; sine causa, vel priuilegio sibi vsurpare præsumentes suspensione ligantur. ibid.6
Suspenduntur Fratres Ordinis Prædicatorum non reddentes Ordini libros, & alia quæ habent dum ad Episcopatum, aliasve Prælaturas promouentur. ibid.7
Prælati religiosorum ad quos occasione prohibitorum excessuum à suis subditis commissorum, aliquid quoquo modo peruenerit. ibid.8
Quinam sint excessus prohibiti in Clementina. ibid.9
Prælati religiosorum non satisfacientes Prælato de damno à suis subditis in concione illato suspensi remanent. ibid.10
Confessarij, qui requisiti pœnitentibus sibi confitentibus conscientiam de soluendis decimis scienter facere prætermittunt, suspensionem contrahunt. ibid.11
Abbates, aut alij quicumque, licet exempti litteras dimissorias aliis, quàm suis regularibus subditis concedentes suspensioni subiacent. ibid.12
Item concedentes dimissorias, vel ordines, nouitio nondum expleto probationis anno. ibid.13
Suspenditur Monachus niger S. Benedicti habitu, & vestitu, iuxta præscriptam formam non vtens. ibid.14
Iidem Monachi aucupationi, aut venationi clamorosæ ex proposito interessentes suspensi remaneant. 363.15
Fratres prædicatores, Inquisitoris officium à minoribus fratribus exercitum perturbare præsumentes suspensionem incurrunt, & è contra. ibid.16
Religiosi coniungentes in matrimonium, vel benedicentes sponsos alienæ parœciæ absque parochi facultate. ibid.17
Religiosi præsumentes introducere mulieres in monasteria. ibid.18
An suspensio lata ad tempus cesset, eo tempore elapso, absque absolutione. ibid.1
An requirantur verba determinata in absolutione suspensionis. ibid.2
An in absolutione explicanda sit causa, ob quam contracta est suspensio. ibid.3
An in absolutione petendum sit iuramentum obediendi Ecclesiæ. ibid.4
An Episcopus possit absoluere à suspensione Papæ reseruata. ibid.5
An suspensio lata in puram pœnam pro delicto præterito auferri possit ab ordinario, aut alio inferiore. ibid.6

Sustentatio.

Ordinatus cum pacto non petendi sustentationem, vel quid aliud ab ordinante vel præsentante incurrit suspensionem. 191.20
Sustentationis titulus excusare solet à simonia. 577.1
Sustentatio in pactum deduci potest absque Simonia. 578.2
Sustentationis excessus iniustitiam continet. ibid.3
Quota pars fructuum sufficiens sit pro congrua sustentatione beneficiarij. 623.7

Syllaba.

Abscissio syllabarum in recitando officium, non mortale sed veniale peccatum continet. 432.4

Synodus.

An Clericus existens in alieno territorio possit ligari censuris, si non resideat aut ad synodum non accedat. 294.7

T

Tactus, Tangere.

AN requiratur tactus baptizati vt contrahatur cognatio, & an necesse sit vt patrinus respondeat. 232.14
Quotuplex delectatio percipiatur ex tactibus, & osculis. 266.4
Quandonam osculum, tactus, & amplexus sint mortale peccatum. ibid.5
An tactus, & oscula in coniugatis, & sponsis excusentur. ibid.6
An tactus, & oscula licita sint inter eos, qui sponsi non sunt. ibid.7
An licitum sit tangere propria pudenda cum venerea delectatione. ibid.8
An aliquando liceat tangere pudenda propria, aut aliena. ibid.9
An femina mortaliter peccet, quando ab alio tangitur, & se non retrahit. ibid.10
An leuis tactus manuum, aut pedum feminæ, aut vellicatio, aut digiti intorsio, sit peccatum mortale. ibid.11
An sit mortale peccatum tangere, vel osculari pueros cum magna suauitate. ibid.12
An vxor possit se tactibus excitare, donec seminet quando vir iam seminauit. 261.15
An actu debeat tangi materia dum consecratur. 50.7

Tempus.

An Iudex teneatur reo concedere tempus communicandi. 67.5.& 6
An parochus teneatur notare tempus & locum matrimonij, ac nomina testium & contrahentium. 215.5

Territorium.

An censura ferenda sit in proprio territorio. 294.3
An ferri possit censura contra subditos in alieno territorio existentes. ibid.6

Tertia.

Recitans Tertiam, si recordetur se nondum recitasse Primam, potest Tertiam prosequi cum intentione recitandi postea Matutinum vel Primam. 440.4

Tertiarij.

Tertiarij quandonam gaudeant priuilegio Canonis. 338.10

Testamentum.

An validum sit testamentum & codicillus factus ab excommunicato. 325.9

Testimonium.

An excommunicatus possit ferre testimonium. 332.12
An ad ordines suscipiendos requiratur testimonium morum. 192.17
An ferens testimonium in causa sanguinis fiat irregularis. 404.1
An testis, ex cuius dicto sequitur mors, sit irregularis. ibid.2
An Clericus cogi possit ad ferendum testimonium in causa sanguinis. ibid.3
An ferens testimonium in fauorem rei fiat irregularis, si ob id sequatur mors accusatoris. ibid.4
An eam incurrat Aduocatus in dicto casu. ibid.5

Testis.

An requiratur præsentia Parochi & testium, vt matrimonium infidelium fiat Sacramentum. 213.6
An matrimonium valide celebretur sine Parocho & testibus in iis locis vbi Concilium Tridentinum non est acceptatum. 217.1
An testes matrimonij debeant esse rogati. 221.47

Theologus.

Theologus tempore absentiæ non percipit distributiones, quamuis occasione parandæ concionis absit. 477.1
Theologus eo die, quo legit distributiones capit respondentes diei. ibid.2
Alicubi extant peculiaria priuilegia Theologis concessa. ibid.3
Theologus absens causa sui muneris percipit distributiones, dum Canonicatus in solis consistit distributionibus, iuxta communem opinionem, de qua ego ambigo, & saltem dico, detrahendam esse tertiam partem pro inseruientibus. ib.4

Thesaurus.

An detur thesaurus indulgentiarum in Ecclesia. 170.5
An thesaurus satisfactionum extiterit in veteri lege. ibid.6

Titulus.

Ordinatus absque vllo titulo suspensus est. 192.19

Tonsura.

Episcopus potestne conferre primam tonsuram in alterius diœcesi. 38.12
An peccet qui recipit tonsuram, vel minores ordines animo non ascendendi ad maiores. 241.5
An Clerici habitum & tonsuram gestare debeant. 197.2
An initiatus maioribus ordinibus peccet mortaliter non gestando primam tonsuram. ibid.3
An Clericus qui primam tonsuram eo tantum fine recipit, vt fruatur priuilegio clericali mortaliter peccet. ibid.10

Transactio.

Transactio quid sit. 572.1
Compositio amicabilis, quot modis fieri possit. ibid.2
Transactio simoniaca est dum remittitur, vel retinetur ius temporale pro spirituali. ibid.3
Transactio circa rem spiritualem non est simoniaca, dum res spiritualis compensatur alia re spirituali proportionata. ibid.4
Transactio aliquando fieri non potest sine Prælati auctoritate. ibid.5
Transactio vel compositio circa beneficialia fieri non potest priuata auctoritate ibid.6
Transactio in materia beneficiali fieri potest auctoritate Episcopi, vel etiam arbitratorum. ibid.8
Transactio circa præteritas distributiones non videtur illicita. 485.2
Licita non videtur amicabilis compositio, qua certa distributionum portio condonatur. ibid.3
Transactio circa distributiones futuras licita videtur, seruatis quibusdam limitationibus. ibid.4

Transitus, transire.

Transitus ad arctiorem religionem conceditur non solum iure humano verum etiam iure naturali diuino. 507.1
Transitus ad arctiorem religionem conceditur omnibus religiosis. ibid.2
Religiosi etiam conuersi, vel oblati Transire possunt ad arctiorem religionem. ibid.3
Monialis Transire potest ad arctiorem religionem. ibid.4
Conuentus totus Transire potest ad arctiorem religionem. ibid.5
Episcopus regularis an possit Transire ad arctiorem religionem, &c. ibid.7.8
Transeuntes ad aliam religionem incapaces sunt quorumcumque beneficiorum. 515.1
Transiens ad aliam religionem priuatur voce, in Capitulo tam regulari, quàm seculari. ibid.2
Transiens ad aliam religionem priuatur loco in Capitulo quoad honores, non verò priuatur loco in choro: inhabilis tamen efficitur ad quælibet officia, & administrationes etiam extra religionem. ibid.3

Transubstantiatio.

Transubstantiatio quid sit. 54.1
An Christus constituatur sub speciebus per transubstantiationem. 55.1
An transubstantiatio sit actio vel illam includat. ibid.3

S. Trinitas.

An in confirmatione requiratur expressio sanctissimæ Trinitatis. 38.8

An in Sacramenti pœnitentiæ forma adiungenda sit inuocatio sanctissimæ Trinitatis. 101.2

Turca.

An Christiani capti à Turcis excusentur, si metu mortis impellant naues remis contra Christianos. 300.4

Turpiloquium.

An turpiloquium sit mortale peccatum. 267.18
An nutus & gestus turpes sint mortale peccatum. *ibid.*19
An obliget lex præcipiens aliquid turpe. 293.10

Tutor.

An valida sint gesta per Tutores & alios administratores excommunicatos. 332.16

V.

Valetudo.

An teneatur Sacerdos per alium satisfacere oneri quotidianæ celebrationis, dum ipse praua vtitur valetudine. 84.17

Valor.

An valor sacrificij Missæ sit finitus an infinitus. 71.1.& 72.2.& 3
An valor generalis Missæ sit infinitus extensiuè. 72.5

Vas.

Quam malitiæ speciem habeat pollutio inter coniuges extra vas. 262.19

Velum.

Veli aut emissionis voti nomine quid intelligatur. 352.2

Vendere.

An vendens arma in bello sit irregularis. 405.9

Veniale peccatum.

An obtinere possit omnium venialium remissionem qui assumit aquam benedictam. 141.7
An peccata venialia deleantur per contritionem. 142.1
An ad remissionem venialium requiratur detestatio venialium, quatenus sunt leuis offensa Dei. *ibid.*2
An actus sufficiens pro delendis mortalibus, sufficiat ad delenda venialia. *ibid.*3
An actus perfectior requiratur ad delenda venialia. *ibid.*4
An peccata venialia deleantur per dilectionem Dei. *ibid.*5
An venialia per alios virtutum actus remitti possint. *ibid.*6
An actus naturalis sufficiat ad remissionem venialium. *ibid.*7
An peccata venialia deleantur per attritionem. *ibid.*8
An venialia deleantur per quodlibet opus meritorium hominis iusti. 143.9
An remitti possit vnum veniale sine alio. *ibid.*2
An mortalia peccata possint remitti absque remissione venialium. *ibid.*3
An remitti possint venialia sine remissione peccatorum mortalium. *ibid.*4
An peccata venialia remittantur sine gratia habituali. *ibid.*5
An ad remissionem venialium requiratur per se formaliter gratia, qua expellantur peccata venialia. *ibid.*6
An possit quis decedere cum solis venialibus. *ibid.*7

Venenum.

Venenum Clerico propinans, ligatur excommunicatione. 335.6

Verba.

An conficiatur Sacramentum variatis verbis consecrationis, vt si dicatur: Hic cibus est corpus meum. 51.7
Quotupliciter verba consecrationis à Sacerdote proferantur. *ibid.*1
Verba quot modis variari possint in formis Sacramentorum. 6.16

Vermis.

An desinat Christi corpus sub speciebus quando vermes ex iis generantur. 56.6

Vestis.

An valeat Baptismus, si aqua vestes tantummodo attingat. 28.21
An requirantur vestes sacræ ad celebrationem Missæ, & quanam illæ sint, & quando amittant benedictionem. 87.26.& 27

Viaticum.

An teneatur iterum communicare, qui post sumptum viaticum mortaliter peccauit. 66.3

Vicarius.

An Vicarius generalis possit indulgentias concedere. 172.10
An Episcopus censeatur suo Vicario generali facultatem Indulgentiarum concedere in commissione generali. *ibid.*14

Vidua.

An viduæ certo tempore domi se continentes excusentur à Missa. 94.26

Vinum.

An validè consecretur vinum congelatum, aut vinum ex malogranatis. 45.8.& 10
An Sacerdos peccet conficiens solum sub vino. 46.7.*& an teneatur sub vtraque specie communicare.* *ibid.*6
An vino consecrando admiscenda sit aqua, & quo præcepto. 47.1
Vinum latens inter vuas an sit materia Eucharistiæ. 5.10

Vir.

An vir & vxor peccent suscipiendo alienum puerum in baptismo. 232.5

Virgo.

An concupiscens virginem teneatur virginis circumstantiam explicare. 120.8

D.Virgo.

An inter beatam Virginẽ & S.Ioseph interceserit verum matrimonium. 212.9
An B.Virgo peccauerit contra votum contrahendo matrimonium. *ibid.*10

Virtus.

Virtutes in quotuplici differentia sint. 146.2
An omnes virtutes supernaturales infusæ amittantur per quodlibet peccatum mortale. *ibid.*3
An per pœnitentiam recuperentur virtutes quæ cum gratia amittuntur. 147.6

Vis.

An absolutio censurarum extorqueri possit per vim & metum. 310.3

Visitator.

An censuræ latæ à visitatoribus dicantur latæ à iure seu per statutum vel potius ab homine. 312.3

Visitare.

An aliquis possit sæpius eodem die consequi indulgentiam concessam visitantibus Ecclesiam tali die. 176.32

Vitium.

An habens occultum vitium, quo cognito alter recederet à sponsalibus, possit cogere sponsum ignarum vitij vt stet sponsalibus. 259.22

Vnctio.

An in Confirmatione vnctio necessario facienda in fronte. 39.5

Extrema vnctio.

Quodnam sit subiectum Extremæ Vnctionis. 184.1
An phreneticus hoc Sacramentum recipere possit. *ibid.*2
An hoc Sacramentum possit conferri iis, qui optarunt. *ibid.*3
Quibus conferendum sit Sacramentum Extremæ Vnctionis. *ibid.*4
An valeat hoc Sacramentum, si conferatur sano. *ibid.*5
An hoc Sacramentum conferri possit tam adolescentibus, quàm senibus. *ibid.*6
An expectandum sit extremum vitæ periculum. 185.7
Quomodo se gerere debeat Parochus, si dum Vngit, infirmus moriatur. *ibid.*8
Quomodo se gerere debeat Parochus si dubitet infirmum mortuum esse. *ibid.*9
An peccet infirmus non suscipiendo Sacramentum Extremæ Vnctionis. *ibid.*10
An peccet mortaliter, qui hoc Sacramentum omittit ex negligentia. *ibid.*11
An Parochus teneatur hoc Sacramentum conferre. *ibid.*12
An hoc Sacramentum dandum sit illi, qui numquam actualiter peccauit. *ibid.*13
An hoc Sacramentum conferri possit adulto, qui statim post susceptum Baptismum incidit in morbum lethalem. *ibid.*14
An sit peccatum mortale conferre Sacramentum Extremæ Vnctionis ante Sacramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ. *ibid.*15
Quanam partes de necessitate huius Sacramenti inungendæ sint. *ibid.*16
Cur non Vngatur totum corpus. *ibid.*17
An Vnctio in renibus & pedibus adhibenda sit. *ibid.*18
An necesse sit Vngere palmam Sacerdotis. 186.19
An seruandus sit aliquis ordo in Vngendis quinque sensibus. *ibid.*20
An Vngendum sit vtrumque organum vnius sensus. *ibid.*21

Materia extremæ Vnctionis.

Quotuplex sit Materia Sacramentorum. 183.1
Quanam sit materia remota Extremæ Vnctionis. *ibid.*2
An Oleum oliuarum non benedictum sit materia Sacramenti extremæ Vnctionis. *ibid.*3
An Oleum benedictum ab Episcopo alia benedictione quàm consueta sit materia sufficiens. *ibid.*4
An valeat Sacramentum, si per errorem adhibeatur aliud Oleum benedictum ab Episcopo. *ibid.*5
An necesse sit vt Oleum fuerit eo anno benedictum. *ibid.*6
An oleum sit materia sufficiens, si alius liquor illi admisceatur. *ibid.*7
An parochus Oleum consecratum cum non consecrato licitè miscere possit. *ibid.*8
Quanam sit materia proxima Extremæ Vnctionis. *ibid.*9
Quanam sit forma Sacramenti Extremæ Vnctionis. *ibid.*1
An inuocatio Sanctissimæ Trinitatis sit de essentia huius Sacramenti. *ibid.*2
Cur forma huius Sacramenti fiat modo deprecatiuo. *ibid.*3
An omnia verba sint de essentia huius Sacramenti. *ibid.*4
Quomodo se gerere debeat Sacerdos in proferenda forma in extrema necessitate. *ibid.*5

Votum.

An habens votum castitatis, si peccet cum femina eodem voto adstricta teneatur vtramque circumstantiam exprimere. 120.13
Quid sit remitti peccata per Sacramentum pœnitentiæ in voto. 96.4
An votum dicens propositum suscipiendi pœnitentiæ Sacramentum debeat esse explicitum. *ibid.*8
An religiosi & habentes votum castitatis aliquando possint, & teneantur matrimonium contrahere. 213.3
Votum habens ingrediendi religionem non incurrit excommunicationem audiendo leges, vel medicinam. 505.15
An habens Votum simplex, & solemne simul, committat duplex sacrilegium per aliquod luxuriæ peccatum, & quomodo se gerere debeat in confessione. 280.30
Quodnam dicatur Votum solemne, & votum simplex. 229.1
An validum sit matrimonium celebratum post Votum solemne castitatis. *ib.*2
Quo iure Votum irritet matrimonium. *ibid.*3
An validum sit Votum Religionis factum à sponso, postquam à sponsa copulam extorsit. 203.6
An qui facto Voto religionis, vel castitatis virginem deflorauit, teneatur potius cum ea matrimonium contrahere, quàm Votum adimplere. *ibid.*7

Vterus.

An iuſtificatus in vtero matris ex priuilegio, teneatur recipere Baptiſmum. 26.9
An infans in vtero matris exiſtens baptizari poſsit. 28.25

Vtilitas.

Vtilitas quonam tempore attendenda ſit. 605.2
Qualis vtilitas debeat eſſe in alienatione bonorum Eccleſiæ. *ibid.*3

Vulnerare.

An vulnerans in Eccleſia, aut in territorio, in quo lata eſt cenſura, ligetur cenſura, ſi vulneratus moriatur extra Eccleſiam, aut extra territorium, in quo lata eſt cenſura. 294.12
Vide Homicidium.
An vulnerans leuiter, ſit irregularis, ſi vulneratus pereat ex incuria medici. 409.16

Vxor.

Vxor, filia, mater, ſoror quænam dicatur. 339.7
Vide Conſanguineus.
An Vxori liceat participare cum marito excommunicato in colloquiis, menſa, &c. 328.19
An Vxor communicare poſsit cum marito in crimine criminoſo. *ibid.*21
An Vxor communicare poſsit cum marito excommunicato in diuinis. *ibid.*22
An Vxor, facto diuortio cum marito poſsit cum eo communicare. *ibid.*23
An maritus communicare poſsit cum Vxore excommunicata. *ibid.*24

FINIS.

SORIA

Bonacinæ opera. tom.

Signt.ª Top.ª
Est. 27
Tab. 5a
Núm. 24
2264